SINNERTI
OPERA
TOM. II

1650

47791/D

A xxx Sen

EX BIBLIOTHECA

STUDIO · ET · VIGILANTIA

CAR. I. TABORIS.

60145

# DANIELIS SENNERTI, VRATISLAVIENSIS,

DOCTORIS, ET PROFESSORIS MEDICINÆ, IN ACADEMIA WITTEBERGENSI,

*Operum*

## TOMVS SECVNDVS:

*QVO CONTINENTVR*

De Febribus, Libri IV.
*NECNON*
Practicæ Liber I. II. & III.

LVGDVNI,
Sumptibus IOANNIS ANTONII HVGVETAN Filij, & MARCI ANTONII RAVAVD.

*M. DC. L.*

CVM PRIVILEGIO REGIS.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ILLVSTRISSIMO
CELSISSIMOQVE
PRINCIPI AC D. DOMINO

# VVILHELMO,

## DVCI SAXONIÆ, IVLIÆ,

## Cliuiæ & Montium,

LANDGRAVIO THVRINGIÆ,
MARCHIONI MISNIÆ,
COMITI DE MARCA ET RAVENSBVRG,
DOMINO IN RAVENSTEIN, &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

*Salutem & Felicitatem perpetuam*
*P.*

MEDICINAM artium omnium esse præstantissimam, ILLVSTRISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME, multa equidem sunt, quæ demonstrant, qui tamen eam in sanitate hominum conseruanda & recuperanda occupari dixerit, omnia, quæ in eius laudem dici possent, comprehendisse mihi videtur. Ea enim est sanitatis præstantia, vt omnia reliqua mortalium bona, honor, nobilitas, eruditio, diuitiæ, fortunæque adeò omnes, eam, quam habent, gratiam & dignitatem ab hac vnâ mutuari; aut certè, si quam ex se habeant, si absque sanitate sit, omnem penitus amittere videantur.

*———Valeat possessor, oportet,*
*Si comportatis rebus bene cogitat vti.*
*Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit.*

Qua de re in bonæ valetudinis laudem Ariphronis Sicyonij iucundissimus & plenissimus gratiarum, magni illius I. C. Scaligeri iudicio, hic Pæan exstat.

Ὑγίεια, πρεσβύστα μακάρων,
μετὰ σοῦ ναίοιμι
τὸ λειπόμενον βιοτᾶς.
σὺ δέ μοι πρόφρων σύνοικος εἴης.
εἰ γάρ τις ἢ πλούτου χάρις, ἢ τεκέων,
τᾶς εὐδαίμονος τ' ἀνθρώποις
βασιληΐδος ἀρχᾶς, ἢ πόθων.

οὓς κρυφίοις ἀφροδίτης ἄρκυσι θηρεύομεν:
ἢ εἴ τις ἄλλα θέοθεν ἀνθρώποισι τέρψις,
ἢ πόνων ἀμπνοὰ πέφανται:
μετὰ σεῖο, μάκαιρα ὑγίεια,
τέθηλε πάντα, καὶ λάμπει χαρίτων ἔαρ:
σέθεν δὲ χωρὶς οὔ εὐδαίμων.

Quem his Anacreonticis Latinè reddidi.

*O sanitas beata,*
*O sanitas amanda,*
*O sanitas colenda,*
*Tecum mihi beatè*
*Reliquum agitare vitæ*
*Liceat! mihi perennis*
*Comes ô adesto vitæ!*
*Nam quicquid est bonorum,*
*Et quicquid est leporum,*
*Et quicquid est honorum,*
*Et quicquid est amorum,*
*Magnis in auri aceruis.*
*In liberis venustis,*
*In Principum decore,*
*In coniugum fauore,*
*Et quicquid est, quod ampli*
*Largitur orbis Author,*
*Quietis à labore,*
*Gaudiique post dolorem,*
*Tecum viget, viretque.*
*O sanitas beata,*
*Tu ver facis suaue*
*Fulgere Gratiarum:*
*Sine te nihil beatum.*

Vt ergo sanitate in hac mortali vita nihil iucundius & gratius cogitari, nihil pretiosius exoptari expetíve potest: ita Ars Medica, quæ hanc moderatur, meritò omnium præstantissima habetur, vtpote quæ facit, vt maximo isto sanitatis bono, homini iucundissimè frui liceat, quæque à morborum, quibus homines ex beatissimo in eum quo vix miserior in hoc mortali vita obtingere potest, statum coniiciuntur, molestiis, iniuriis ac tormentis liberat.

In numero autem illo morborum, in quibus depellendis vtilem humano generi operam Medicina nauat, nullus Febre vulgarior & frequentior est. Etenim cùm aliorum morborum plerique non omnes ex æquo inuadant, sed alij aliis ætatibus, regionibus, corporumque constitutionibus magis, vel minùs familiares sint, nulla datur ætas, nulla regio, nulla corporis conditio, quæ à febre immunitatem sibi polliceri queat. Et vt frequens morbus Febris est: ita maximè periculosus. Neque sine causa. Occupat enim præcipuè Caloris natiui & viuifici officinam, eámque depopulatur, & nisi maturè igneus ille & præternaturalis calor exstinguatur, natiuum planè dissipat. Quo vitæ thesauro absumpto, mors præsentissima imminet, vt vix alio morbi genere plures intereant. Qua de causa Romani cum pestibus quibusdam generis humani, quas, vt Plinius, *lib. 2. cap. 24.* scribit, placatas trepido metu cupiebant, aras, & templa exstruerent: febrem præcipuè inter morbos, templis aliquot dicatis, ad minus nocendum venerati sunt, Numinísque loco superstitiosè coluerunt, vt, præter Plinium, *cit. loco,* Augustinus, *de Ciuit. Dei, lib. 2. cap. 14.* & Valerius Maximus, *lib. 2. cap. 5.* annotarunt.

Ac proinde eorum, qui ad Medicinam animum appulerunt, & olim in depellendis morbis vtilem hominibus operam nauare cogitant, officium est, de Febribus doctrinam inprimis sibi familiarissimam reddere, & omnes febrium differentias, cognitas perspectásque habere; cùm earum, vt aliorum plerumque morborum, vnicum genus non sit, sed multiplex, & in plures differentias diffusum. Quos vt & ego, quod professionis meæ ratio à me exigere videbatur, in tam vtili & necessaria doctrina, quantum in me est, adiuuarem, superioribus annis in hac Academia vniuersam de Febribus doctrinam in publicis Prælectionibus proposui, & quantum potui, perspicuè explicaui, ac postea ante annos ferè nouem in lucem & publicum produxi.

Cùm autem res ipsa necessitatem, secundam editionem adornandi, mihi imponeret: temporis atque operæ aliquid adhuc tractatui huic recensendo

impendi,

impendi, eumque non paucis in locis auctiorem reddidi, & præterea Fasciculo Medicamentorum contra Pestilentiam, diuersis temporibus à Clarissimis quibusdam Medicis præscriptorum, locupletaui.

Quia verò, *Illustrissime ac Celsissime Princeps, Domine Clementissime*, cùm primum hunc tractatum ederem, eum Illustrissimæ T. Cels. Fratri, Illustrissimo Principi ac Domino, D. Iohanni Ernesto, beatissimæ recordationis, inscripsi, atque ex Illustrissimæ vestræ familiæ nomine, meo huic labori aliquem splendorem conciliare volui; nunc, eo è rebus mortalibus exempto, Illustrissimæ T. Cels. hanc secundam & auctiorem editionem meritò consecrandam putaui. Cùm enim in Illustrissimam T. Cels. quodam quasi hereditario iure deriuatus sit erga bonas literas earumque cultores amor & fauor ac insignis beneuolentia, eamque multis ac illustribus documentis hactenus testatam Illustrissima T. Cels. fecerit: planè confido, Illustrissimam T. Cels. hoc quicquid est laboris mei, serenâ fronte suscepturam. Idque vt Illustrissima T. Cels. faciat, submisè oro, Deumque Opt. Max. precor, vt Illustrissimam T. Cels. omnibus bonis augeat, saluamque & florentem diu conseruet. VVittebergæ, Calend. Septemb. Anno Christi M. MC. XXVIII.

*Illustriss. T. Celsit.*

*Subjectissimus*

DANIEL SENNERTVS,
D. Medicinæ Profess. & Sereniss. Elect. Sax. Medicus.

# LECTORI BENEVOLO S.

QVEM paucos ante annos ( LECTOR BENEVOLE) *non ita multis destinaueram laborem, eum iam cum pluribus communico, non quòd persuasum habeam, rem literariam & Medicam, in tanta hodie librorum copia, hoc meo de Febribus libro carere non posse: sed vt tempori inseruiam. Cùm enim in Institutionibus Medicis doctrinam de Febribus desiderari, & quosdam hæc qualiacunque describere intelligerem; describendo tamen vitiari ac corrumpi animaduerterem: vt iis, qui ex hoc, qualicunque meo labore commodi aliquid ad se redundare posse putant, inseruirem, ea, quæ tum proposueram, relegere, & typis exscribenda dare volui. Etsi enim talia non sint, vt omnium expectationi possint satisfacere, tamen qui norunt, inter quas occupationes molestissimas nata sint, ij facilè ijs, quæ minus apta, & rectè scripta videbuntur, ignoscent, & mihi eam, quam viri magni etiam antea meruerunt, veniam dabunt. Consolidaturque me candidum Cardani de Galeno iudicium, dum,* libro de Aqua, *ita scribit:* Galenus multa sic obiter scripsit, non defectu ingenij, memoriæve aut eruditionis, vel etiam iudicij, quibus fuit admirabilis; sed temporis. Vt enim ipsemet fatetur, toto die curandis ægris intentus, per noctem studiis incumbebat, atque scribebat. Nec tantum refert temporis angustia, quàm si animus iam curis lassatus se applicet studiis.

*Desiderabunt fortasse auidi nouitatis quidam Chymicorum de febribus sententias: verùm non video, quid è vulgatis ipsorum libris expectatione dignum afferre potuerim. Nam illud nitro sulphur ad omnes febrium differentias explicandas non satisfacit. Inspersi tamen passim quædam, quæ viris doctis, & quorum animi anticipatis opinionibus præoccupati non sunt, de quibusdam diligentiùs cogitandi ansam præbebunt. Neque enim omnia in doctrina febrium ita expedita & plana sunt, vt inuestigatione, & labore amplius opus non sit; quod qui in praxi versantur, quotidie experiuntur. Et vereor, ne de non paucis, quæ à nonnullis prolixissimis commentarijs hac de re dicuntur, illud locum habeat, quod Cornelius Gemma de Galeno scribit:* Etsi, *inquit*, Galenum exercitatissimum fuisse, non dubitemus: plurima tamen non tam ex rerum vsu, quàm accurata mentis indagine, vel ratione constituit. *Et spero, tandem quosdam ad hanc Naturæ lucem oculos aperturos, & generationis & corruptionis rerum causas diligentiùs inquisituros, nec saltem in qualitatibus primis, & causis remotis hæsuros, sed vt proximas cuiusque mutationis causas inueniant, laboraturos.*

*Desiderabunt quoque forsan nonnulli in medicamentis multa secreta, & præcipuè Chymica: quibus nihil aliud respondendum censeo, quàm quod Clarissimus ille* Hieron. *Capiuaccius cuidam Polono, vt quædam secreta sibi communicaret, impensè roganti, respondisse fertur:* Lege meam methodum, & habebis mea secreta. *Qui enim materiam Medicam cognitam habet, nec methodum medendi ignorat, ac morbi naturam in ægris è suis signis perspicere nouit, illum non facilè medicamenta deficient. Qui verò methodo generali neglectâ, & simplicium medicamentorum cognitione non instructus, magnum thesaurum se collegisse putat, si multas compositorum medicamentorum formulas collegerit videat, ne olim, vbi ad praxin ventum fuerit, thesaurus iste carbones sint. Et exstant hodie in publico tot medicamenta Chymica, vt majoris prudentiæ ac industriæ sit, ea seligere, quàm colligere. Neque enim omnia, quæ satis incautè cum magnis elogijs atque inscriptionibus circumferuntur, illas laudes sustinere, & effectu ipso comprobare posse, existimo. Atque doleo illud, quod Galenus,* lib. 7. de comp. Medic.

Medic. sec. gener. cap. 4. *prudenter monet, negligi.* Si quis, *inquit*, post me æquè studiosus & veritatis amans exstiterit, ne temerè ac subitò, vbi bis térve vsus expertus sit, ferat sententiam. *Imò persuasum habeo, nonnullos medicamenta non bis térve, quod Galeno tamen non satisfacit, sed vix semel probata, imò à fornace adhuc calentia, magnis verborum præconiis ornare, atque incautis cum multorum periculo obtrudere. Nec Medicina tam in medicamentis, quàm in eorum recto vsu consistit. Audiat hoc à me iuuentus nostra: nunquam erit bonus Chymiatrus, qui non bonus fuerit Galenicus, aut (si quem forsan nomen hoc offendit) Dogmaticus. Interim vtilia medicamenta non pauca, cùm à me, tum aliis doctis Medicis vsu probata, inserui; etsi sine insigni elogio. Quæ omnia Lector Candide, boni consule; & si quæ his meliora habes, mecum, adeòque cum omnibus Artis Medicæ cultoribus liberaliter communica.*

εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ᾽ ὁρᾷ.

*VVittebergæ, Idib. April. Anno Christi* 1619.

# INDEX LIBRORVM, Capitum, & Quæstionum

## TOMI SECVNDI *DE FEBRIBVS.*

### LIBRI I.

*De febre in genere, & Febre Ephemera,*


Cap.I. DE natura febris. pag. 1
II. De causis febrium in genere. 6
III. De accidentibus & sympt. febrium in genere. 8
IV. De differentiis febrium in genere. ibid.
V. De Curatione febrium in genere. 10
VI. De febre Ephemera. 11
VII. De Ephemera plurium dierum, & Synocha sine putredine. 15


### LIBRI II.

*De Febribus putridis,*


Cap.I. DE febribus putridis in genere. 18
II. De febrium putridarum differentiis. 25
III. De signis putridarum in genere. 27
IV. De Curatione putridarum in genere. 29
V. De Venæ sectione. 31
VI. De Purgatione in febribus. 36
VII. De Coctione & Præparatione humorum. 43
VIII. De sudoriferis & Vrinam cientibus. 47
IX. De Diæta in febribus putridis. 49
X. De febrium putridarum differentiis. 55
XI. De Febre putrida, continua, primaria, & primò de Synocha. 57
XII. De Causo seu febre ardente. 62
XIII. De febribus continuis in genere, & Tertiana continua. 65
XIV. De Quotidiana continua. 71
XV. De Quartana continua. 75
XVI. De febrib. symptomaticis cõtinuis. 76
XVII. De febribus Intermittentibus. 82
XVIII. De Tertiana Intermittente. 96
XIX. De Quotidiana Intermittente. 107
XX. De Quartana Intermittente. 109
XXI. De Febribus compositis, & Semitertiana. 117


### LIBRI III.

*De Febre Hectica,*


Cap.I. DE Natura Febris Hecticæ. 123
II. De signis diagnosticis Febris Hecticæ. 126
III. De Curatione Febris Hecticæ. 128


### LIBRI IV.

*De Peste, Pestilentibusque ac malignis Febribus,*


Cap.I. DE Natura Pestilentiæ. 131
II. De Causis Pestilentiæ. 139
III. De Contagio. 145
IV. De signis Pestis. 153
V. De Præseruatione à Pestilentia. 156
VI. De Curatione Pestilentiæ. 170
VII. De Pestilentis ac malignæ febris natura & à peste differentia. 178
VIII. Ad quod febrium genus Pestilentes & malignæ pertineant. 181
IX. De Causis febris Pestilentis & malignæ. 183
X. De Pestilentis febris signis. ibid.
XI. De Curatione Febrium Pestilentium & malignarum in genere. 185
XII. De variolis & morbillis. 190
XIII. De Febribus Petechialibus. 199
XIV. De Morbo Vngarico. 202
XV. De sudore Anglico. 207
XVI. De Febre maligna cum spasmo. 208
XVII. De Catharro & Tussi Epidemia maligna. 209
XVIII. De Febrium Symptomatibus tollendis. 212


### LIBRI I. PARTIS I.

*De Morbis Capitis,*


Cap. I. DE Intemperie cerebri sine materia, & primò de calida. pag. 261
II. De Intemperie cerebri frigida. 267


III. De

III. De Intemperie cerebri humida, 271
IV. De Intemperie ſicca, & intemperiebus compoſitis, 272
V. De Intemperiebus cerebri cum materia in genere, 274
VI. De Intemperie cerebri cum materia per conſenſum, 277
VII. De Intemperie cerebri cum vapore & ſpiritu flatulento, 281
VIII. De Intemperie cerebri cum ſanguine ſeu pthora, 283
IX. De Intemperie cerebri cum bile, 287
X. De Intemperie cerebri cũ pituita, 289
XI. De Intemperie cerebri cum humore ſeroſo, 295
XII. De Intemperie cerebri cum humore melancholico, 297
XIII. De Intemperie cerebri cum bile atra, 300
XIV. De Venenatis malignis, ac tota ſubſtãtia cerebro contrariis morbis, 302
XV. De Vitiis ſpirituum animalium, ibid.
XVI. De Morbis compoſitionis, & primò de morbis figuræ, 304
XVII. De Morbis meatuum & cauitatum cerebri, 305
XVIII. De Morbis in numero, & de vermibus ac calculis in capite, 307
XIX. De Morbis magnitudinis in capite, 309
XX. De Commotione cerebri, ibid.
XXI. De Morbis ſolutæ vnitatis in capite & cerebro; & primò de Contuſione capitis, 311
XXII. De Vulneribus capitis ſine cranii, membranarum, & cerebri læſione; & primò de Vulnere ſine contuſione, 313
XXIII. De Soluta vnitate & fractura cranii ſine meningum & cerebri vulnere, 315
XXIV. De Cranii factura cum meningum cerebri læſione, & primò de Vulnere meningis duræ ſaltem, 326
XXV. De Fungis cerebri, 332
XXVI. De Carie cranii, 333
XXVII. De Tumoribus cerebri; & primò de Cerebri & meningum eius inflammatione, ibid.
XXVIII. De Hydrocephalo. 338

## PARTIS II.

*De Symptomatibus, quæ in ſenſibus internis & cerebro accidunt,*

Cap. I. De Vigiliis nimiis, 341
II. De Somno p. n. ac Comate & Cataphora, 352
III. De inſomniis immoderatis, 354
IV. De Vertigine, 356
V. De Phantaſia, Ratiocinatione, & Memoria imminuta atque abolita, 365
VI. De Delirio in genere, & de Delirio ſimplici, Paraphrenitide, ac Temulentia, 373
VII. De Phrenitide, 378
VIII. De Melancholia in genere, 382
IX. De Prima Melancholiæ ſpecie, quæ fit cerebro primariò affecto. 386
X. De Amore inſano. 388
XI. De Melancholia per conſenſum cordis & totius, 392
XII. Melancholia hypochondriaca, 397
XIII. De Melancholia ex vtero, 405
XIV. De Melancholia errabunda; Arabibus Kutubuth dicta, & Attonita, 407
XV. De Mania. 408
XVI. De Rabie & hydrophobia, 415
XVII. De Tarantatis & chorea S. Viti, 421
XVIII. De Comate vigili, & ſopore graui atque ecſtatico, 423
XIX. Somnambulis, 425
XX. De Lethargo, 427
XXI. De Laſſitudine, 433
XXII. De Pandiculatione & oſcitatione, 434
XXIII. De Inquietudine, 435
XXIV. De Horrore & rigore. 436
XXV. De Tremore, 438
XXVI. De Motus impotentia in genere, 445
XXVII. De Paralyſi, 447
XXVIII. De ſpaſmo, ſeu conuulſione & conuulſionis motibus, 461
XXIX. Incubo, 469
XXX. De Caroche ſeu catalepſi, 473
XXXI. De Epilepſia, 475
XXXII. De Caro. 498
XXXIII. De Apoplexia, 500
XXXIV. De Catarrho, & cerebri excrementis retentis, 515

## PARTIS III.

### SECTIONIS PRIMÆ,

*De Tactu læſo,*

Cap. I. De Stupore & torpore, 526
II. De dolore in genere, 527
III. De Dolore capitis, 530

## PARTIS III.

### SECTIONIS SECVNDÆ,

*De Morbis & ſymptomatibus Oculorum,*

Cap. I. Continens nomenclaturam Affectionum, quæ oculis accidunt, 534

II. De

II. De Tumore palpebrarum Emphysemate & inflammatione earundem, 535
III. De Trachomate, Densitate, Asperitate, Callositate & Scabie palpebrarum, ibid.
IV. De Tuberculis, Nouis, & aliis palpebrarum tumoribus, 537
V. De Cancro palpebrarum, 538
VI. De Palpebrarum Inuersione, & Contractione, 539
VII. De Palpebrarum inter se & cum aliis oculorum partibus Coalitu & Cohærentia, 540
VIII. De Pediculis palpebrarum & Ciliorum vitiis, ibid.
IX. De Palpebrarum Liuore, Contusione & Percussione, Vulneribus, & aliis à caussis externis læsionibus, 542
X. De Symptomatibus, quæ in motu palpebrarum accidunt, 543
XI. De Iis, quæ in oculos inciderunt, eximendis, ibid.
XII. De Ophthalmia, 544
XIII. De Ophthalmia sicca, 551
XIV. De Vngue oculi, ibid.
XV. De Tunicula annatæ, quam vulgo Pannum, Arabes Sebel nominant. 553.
XVI. De Albugine & aliis vitiosis corneæ coloribus, 554
XVII. De Pustulis annatæ & corneæ, 555
XVIII. De Vlceribus annatæ & corneæ, 557
XIX. De Cancro corneæ, 558
XX. De Vulneribus oculorum, ibid.
XXI. De ruptura corneæ, 559
XXII. De Suggillatione oculorum, ibid.
XXIII. De Dolore oculorum, 560
XXIV. De Pure sub cornea, 561
XXV. De Vveæ procidentia, 562
XXVI. De Pupillæ dilatatione, ibid.
XXVII. De Angustia pupillæ, 564
XXVIII. De Suffusione, ibid.
XXIX. De Vitiis tunicæ araneæ, 568
XXX. De Ægilope & Fistulâ lachrymali, 569
XXXI. De Encanthide & carnis lacrymalis incremento, 571
XXXII. De Rhyade, seu carnis lachrymalis diminutione, vel absumptione, ibid.
XXXIII. De Pruritu carunculæ lacrymalis, ibid.
XXXIV. De Humoris aquei vitiis, 572
XXXV. De Humoris crystallini vitiis, ibid.
XXXVI. De Morbis humoris vitrei, 573
XXXVII. De Neruorum Opticorum vitiis, ib.
XXXVIII. De Spirituum opticorum vitiis, ib.
XXXIX. De Musculorum oculos mouentium vitiis, 575
XL. De Oculi defectu, 576
XLI. De Oculi atrophia, ibid.
XLII. De Oculi procidentia, ibid.
XLIII. De Strabismo, 577
XLIV. De Cœcitate & visus debilitate, 578
XLV. De Visus deprauatione, 583
XLVI. De Excretorum ab oculis vitiis, 586

---

PARTIS III.

SECTIONIS TERTIÆ,

*De Morbis & Symptomatibus Aurium,*

Cap. I. DE Intemperie aurium, 588
II. De Aurium inflammatione, 590
III. De Vlcere aurium, 591
IV. De Vermibus & aliis quæ p. n. in auribus hærent, extrahendis, 593
V. De Vulnere aurium, ibid.
VI. De Sonitu & tinnitu aurium, 594
VII. De Graui auditu & surditate, 597
VIII. De Aurium dolore, 600
IX. De Excrementis p. n. & fluxu aurium, 601

---

PARTIS III.

SECTIONIS QVARTÆ,

*De Morbis & Symptomatibus Narium.*

Cap. I. DE Narium vlceribus & ozœnis, 602
II. De Cancro narium, 604
III. De Polypo & sarcomate, ibid.
IV. De Angustia narium, 606
V. De Vulneribus narium, ibid.
VI. De Læso olfactu, ibid.
VII. De Fœtore narium, 608
VIII. De Hæmorrhagia narium, ibid.
IX. De Sternutatione, 614
X. De Coryza, ibid.

---

PARTIS III.

SECTIONIS QVINTÆ,

*De Morbis & Symptomatibus Linguæ,*

Cap. I. DE Linguæ asperitate & scabritie, 615
II. De Linguæ magnitudine nimiâ, tumore, calculis, ibid.
III. De Linguæ vulneribus, 616
IV. De Ranula sub lingua, ibid.
V. De Linguæ adstrictione, 617
VI. De Læso gustatu, ibid.
VII. De Linguæ motu læso, 618

INDEX

# INDEX QVÆSTIONVM.


I. AN in intemperie capitis purgandum? p. 262
II. Quot sint signa intemperiei capitis calidæ? 266
III. An in calida intemperie capitis calida extra applicare liceat? ibid.
IV. An detur intemperies humida sine materia? 272
V. An pilulæ commodius, quàm aliæ formæ medicamentorum, ad caput euacuandum vsurpentur? 276
VI. Quo tempore pilulæ ad caput purgandum sint vsurpandæ? 277
VII. Cui loco ad caput euacuandum cauteria applicanda sint? ibid.
VIII. An cerebro consensu partis affecto, dolor & molestia in dextra capitis parte; Lienis in sinistra; Vteri in vertice & syncipite percipiatur? 280
IX. An coriandrum ad supprimendos vapores è ventriculo adscendentes sit vsurpandum? 283
X. Quænam vena in capitis affectibus aperienda? 285
XI. Quæ vena primò aperienda in affectibus capitis à mensium vel hæmorrhoidum suppressione ortis? ibid.
XII. An arteriæ in affectibus capitis à sanguine secandæ sint? 286
XIII. An venas narium scalpello, vel hirudinibus aperire liceat? ibid.
XIV. Cui loco cucurbitulæ reuulsionis gratiâ sint applicandæ? ibid.
XV. An in intemperie cum humore bilioso etiam locum habeant discutientia & resoluentia? 289
XVI. An acetum sinapismis admiscendum? 295
XVII. An odorata in intemperie capitis cum pituita conueniant? 295
XVIII. An acetum melancholicis vtile sit? 299
XIX. An futurarum in capite defectus ad valetudinem conducat? 305
XX. An cerebri vulnera omnia sint lethalia? 327
XXI. An opus sit in nostris regionibus tam accuratâ rasione in cranij fracturis? 328
XXII. An vulnera capitis per agglutinationem seu suturam; an verò per carnis generationem sananda sint. 329
XXIII. Quo in loco contrafissura fiat? 329
XXIV. An cranium fissum statim & semper radendum sit? 330
XXV. An duræ meningi denudatæ siccantia, an vero humectantia medicamenta medicamenta imponenda sint? 330
XXVI. An cranio fracto, cute verò integrâ manente, cutis secanda sit? 331
XXVII. An in cranij fracturâ, etiam internam laminam penetrante, semper cranium aperiendum sit? 332
XXVIII. An cerebrum inflammari possit? 334
XXIX. An electiuè purgantia in inflammatione cerebri aut membranarum eius conueniant? 336.338
XXX. An repellentia in inflammatione cerebri & eius membranarum tepida vel frigida sint adhibenda? 337
XXXI. An vertici cucurbitulæ affigendæ in cerebri tumoribus? 337
XXXII. An vini potus in inflammatione cerebri & membranarum eius conueniat? 338
XXXIII. Quâ vi ὑπνωτικὰ & ναρκωτικὰ somnum concilient? 350
Quomodo opium præparandum & corrigendum? 351
XXXIV. Quænam comatis & cataphoræ caussa sit? 354
XXXV. An in vertigine vena secanda? 359 & seq.
XXXVI. An vomitus in vertigine per consensum à ventriculo conueniat? 363
XXXVII. An vertiginis, quæ dantur, differentiæ sint saltem secundùm gradus, an vero secundum speciem. 364
XXXVIII. An intemperies, vel humor sine vapore vertiginem inducere possit? 364
XXXIX. An repellentia locum habeant in vertigine per consensum partium inferiorum? 365
XL. Quâ ratione prospectus ab alto & in profundum vertiginem excitet? ibid.
XLI. Quomodo, & quibus instrumentis actiones animales principes in sanis perficiantur? ibid. & seq.
XLII. Quid sit Maslach Turcarum? 377
XLIII. An læsâ phantasiâ ratio salua permanere possit? 379
XLIV. An in omni phrenitide vena secanda sit? 380
XLV. An in luce vel tenebris detinendi sint phrenetici? 381
XLVI. An cerebrum, an vero membranæ eius in phrenitide inflammentur? ibid.
XLVII. An omnis inflammatio membranarum cerebri delirium afferat? ibid.


XLVIII.

XLVIII. An Phrenitis fiat ſolum à membranarum cerebri, an verò etiam ab ipſius cerebri ſubſtantiæ inflammatione? 381

XLIX. An philtra amorem inducere poſſint? 390

L. An Antimonium in curatione Melancholiæ per conſenſum cordis & totius locum habeat? 396

LI. An Diuretica in melancholia hypochondriaca conueniant? 401

LII. Qui fiat, quod maniaci & Melancholici interdum peregrinis linguis loquuntur, & futura prædicunt? 414

LIII. Qui fiat, quod maniaci cum tot diætæ erroribus tam diu viuant? 415

LIV. An & alia, præter canes, animalia in rabiem agantur? ibid.

LV. Cur canis præ reliquis animalibus ſæpius in rabiem agatur? 416

LVI. An venenum Hydrophobiam inducens in corpore humano generari poſſit? 416

LVII. Cur rabidi aquam abhorreant? 417

LVIII. An pars demorſa à cane rabido ſtatim amputanda? 418

LIX. An balneum & aquæ potus in Hydrophobia conueniant? 420

LX. Quâ vi venenum animalium rabidorum agat? ibid.

LXI. An venæſectio in Hydrophobia conueniat? ibid.

LXII. An Purgantia in Hydrophobia conueniant? 421

LXIII. An coma ἄγρυπνον & catochus ſint iidem affectus? 425

XLIV. Cur non omnes homines, non ſingulis noctibus, inſtar Somnambulorum in ſomno ambulent? 426

LXV. Cur ſomnambuli ea agant, quæ vigilantes non poſſunt? 427

LXVI. Suffitus in Lethargicis ad excitandum ex ſomno an conueniat? 431

LXVII. An tremoris vox quandoque etiam pro Rigore accipiatur? 443

LXVIII. An proxima tremoris cauſſa ſit vna, facultatis motricis imbecillitas? ibid.

LXIX. An tremor ab errore externo quoque prouenire poſſit? 444

LXX. Quomodo Hydrargyrum tremoris cauſſa ſit? ibid.

LXXI. Qui fiat, vt poſt Apoplexiam alterum tantum latus reſoluatur, altero manente incolumi? 449

LXXII. An in paralyſi febrem accendere liceat? 458

LXXIII. An Galenus & Auicennas de cauſſis paralyſis conſentiant, & an frigus ſaltem denſando neruos paralyſin inducat? 459

LXXIV. Qui humores paralyſis cauſſa eſſe poſſint? 460

LXXV. An in neruos humor ſeſe inſinuare poſſit? ibid.

LXXVI. An ſudorifera in paralyſi ſint exhibenda? 461

LXXVII. In ſpaſmo quæ cauſſa muſculos contrahat? 463

LXXVIII. Cur in ſpaſmo pars contracta immobilis maneat; in conuulſiuo verò motu variè agitetur? ibid.

LXXIX. An conuulſi aquâ frigida perfundendi? 467

LXXX. Quæ ſit proxima conuulſionis cauſſa? 469

LXXXI. An febris pro ſpaſmo curando excitanda ſit? ibid.

LXXXII. An ſpiritus illi, qui ſenſui & motui inſeruiunt; an verò qui ſenſibus internis; an verò omnes ſpiritus animales in catalepſi congelentur? 473

LXXXIII. An ſolus homo epilepſiê laboret? 492

LXXXIV. Quodnam ſit ſubiectum epilepſiæ? ibid.

LXXXV. Quænam ſit epilepſiâ cauſſa proxima? ibid.

LXXXVI. Quomodo cerebrum in epilepſiâ afficiatur, & quâ de cauſsâ omnes ſenſuum actiones aboleantur? 494

LXXXVII. An motus conuulſiuus in epilepſiâ fiat à facultate animali; an verò naturali? ibid.

LXXXVIII. An ſanguis in paroxyſmo epilepſiæ ſit mittendus? 495

LXXXIX. An extra paroxyſmum ſanguis ſit mittendus in epilepſiâ? ibid.

XC. Quænam vena in epilepſiâ ſit aperienda? ibid.

XCI. An vomitus in epilepſiâ conueniat? ibid.

XCII. An frictiones in paroxyſmo epileptico vſum habeant? 496

XCIII. An in paroxyſmo epileptico ſternutationem ciere liceat? ibid.

XCIV. An Apium epilepticis ſit noxium? ibid.

XCV. An Cranij humani aliquis in epilepſiâ vſus ſit? ibid.

XCVI. Vtrum amuleta proſint in epilepſiâ. 497

XCVII. An vſus ſanguinis humani conueniat in epilepſiâ? ibid.

XCVIII. An à ſolâ intemperie cerebri poſſit apoplexia generari? 510

XCVIX. An Apoplexia ſit morbus hæreditarius? ibid.

C. An à conſumptione ſpirituum animalium

malium omnimodâ fieri possit? ib.
CI. Quæ sit caussa apoplexiæ proxima? 511
CII. An spiritus animalis & vitalis differant essentia. ibid.
CIII. In apoplexiâ cur principio neruorum affecto interni sensus lædantur? 512
CIV. An à vapore narcotico fiat apoplexia? 513
CV. Cur in senibus apoplexiâ in paralysin mutatâ nihilominus permaneant torpidi sensus interni? ibid.
CVI. Apoplexia an à spiritu Vitriolato coagulante producatur? ibid.
CVII. Apoplexiam an vapores solâ commotione humorum excrementitiorum in capite collectorum excitent? ibid.
CVIII. Apoplexiâ pueri cur raro corripiantur? ibid.
CIX. An aquæ apoplecticæ statim in principio conueniant? ibid.
CX. An purgantia sint exhibenda in apoplexiâ? ibid.
CXI. An Vomitoria in paroxysmo apoplectico sint exhibenda? ibid.
CXII. An repellentia in apoplexiâ conueniant? ibid.
CXIII. An Cerota & emplastra è fimo columbino & thapsiâ in catarrho calido conueniant? 525
CXIV. Quænam forma decubitus & situs capitis in catarrho esse debeat? 528
CXV. An omnis intemperies dolorem inducat? ibid.
CXVI. An vini potus vini noxam pellat? 533
CXVII. Ophthalmia an à solo sanguine fiat? 544
CXVIII. Oculis an semper medicamenta actu frigida apponenda, vt vult Mesue? 546
CXIX. Errhina an in ophthalmiâ conueniant? 547
CXX. Quo tempore topica in ophthalmiâ applicanda? 549
CXXI. An vinum in ophthalmiâ conueniat? 550
CXXII. An balneum in ophthalmiâ vtile sit? ibid.
CXXIII. An visus ictericis deprauetur? 555
CXXIV. An siccitas sit caussa dilatationis pupillæ? 563
CXXV. Visus quomodo lædatur in angustia pupillæ? 564
CXXVI. Crystallinus humor an tenuior fieri possit? 572
CXXVII. Crystallinus humor an maior vel minor fieri possit? 573
CXXVIII. An vitreus humor, à naturali constitutione deflectens, possit immediatè visionem lædere, an verò saltem quia nocet crystallino? ibid.
CXXIX. An nimia spirituum opticorum agitatio differat à vertigine? 574
CXXX. An spirituum opticorum vitia perspicillorum vsu corrigi possint? ibid.
CXXXI. Quomodo visio lædatur vitio spirituum opticorum? 579
CXXXII. Siccitas neruorum opticorum an possit esse caussa læsæ visionis? ibid.
CXXXIII. Cur quidam in tenebris videant? 580
CXXXIV. Qua ratione lumen vueæ inhærens ad visionem nocturnam concurrat? ibid.
CXXXV. Topica an visum confortent? 581
CXXXVI. Coniunctionis neruorum opticorum quæ sit caussa? 583
CXXXVII. Cur vapores & humores intra oculum videantur? 586
CXXXVIII. An ex intemperie nuda calida, à caussâ externa aures affici possint? 590
CXXXIX. An sensus acumen sit caussa tinnitus aurium? 594
CXL. Debilitas auditus an sit caussa tinnitus? ibid.
CXLI. Cur manu cauâ auri admotâ sonus percipiatur? 595
CXLII. An sola intemperies calida sit caussa doloris aurium? 600

# Index Capitum.

## Libri II. Partis I.

*De Oris ac Faucium & partium in his Contentarum ægritudinibus,*


Cap.I. DE Labiorum Tumoribus. 622
II. De labiorum Fissuris. 623
III. De labiorum Vlceribus. 624
IV. De labiis Vulneratis, Leporinis, & Curtis. 625
V. De Tremore & peruersione labiorum, Sanguinis fluxu ex iis, & labiis Liuidis ibid.
VI. De Oris Apertione læsa. 626
VII. De Oscitatione. ibid.
VIII. De oris Distortione. 627
IX. De Pryalismo seu crebra Sputatione & Saliuæ defectu. 629
X. De Dentium Morbis. 630
XI. De dentium Dolore. 635
XII. De dentium Stupore & Algore. 638
XIII. De dentium Stridore. 639
XIV. De dentibus Nigris, malè Coloratis & Sordidis, vt & de Sanguinis è dentibus fluxu. ibid.
XV. De dente Aureo pueri Silesii. 640
XVI. De Gingiuarum Affectionibus. ibid.
XVII. De Morbis & Symptomatibus Maxillarum. 643
XIIX. De Oris vitiis & primò de eius Inflãmationibus & vlceribus. 644
XIX. De Fœtore oris. 648
XX. De Gurgulionis Laxatione. ibid.
XXI. De gurgulionis Inflammatione & Exulceratione. 650
XXII. De tonsillarum inflammatione & vlceribus. 652
XXIII. De iis, quæ in Guttur vel Gulam inciderunt, eximendis. 654
XXIV. De Angina. 655
XXV. De Strumis in Collo, & Bronchocele ac hydrope Gutturis. 668


### PARTIS II.

*De Asperæ arteriæ, pulmonis, mediastini, diaphragmatis, thoracis præter naturam affectionibus,*


Cap.I. DE Asperæ arteriæ morbis. p.672
II. De Pulmonis Intemperie. 674
III. De pulmonis Inflammatione siue Peripneumonia. 676
IV. De Vasorum pulmonis & primò de asperarũ arteriarũ Angustia. 681
V. De Læuium pulmonis arteriarum angustia. 684
VI. De Apertione vasorum pulmonis. 685
VII. De Grandine, Calculo & Vermibus in pulmone genitis. 689
VIII. De Tuberculis pulmonis. 690
IX. De Hydrope & Hydatidibus pulmonis. 691
X. De pulmonum cum latere Coalitu. 692
XI. De pulmonis Vulneribus. ibid.
XII. De Vlceribus pulmonum & phtisi. 694
XIII. De Mediastini Inflammatione. 701
XIV. De Diaphragmatis tumoribus. 702
XV. De Vulneribus diaphragmatis. 703
XVI. De Pleuritide, seu inflammatione pleuræ & Musculorum thoracis. ibid.
XVII. De Thoracis Vulneribus. 721
XIIX. De Fistulis thoracis. 722
XIX. De Empyemate. 723
XX. De hydrope Pectoris. 726
XXI. De Vertebrarum dorsi luxatione & Gibbositate. 728
XXII. De Fractura Spinæ & Vulneribus. 730
XXIII. De Tabe dorsali. ibid.
XXIV. De Vermibus dorsi. 731
XXV. De Luxatione & Fractura Costarum. 732
XXVI. De Mucronatæ Cartilaginis Prolapsu. 733


### PARTIS III.

*De Symptomatibus, quæ Pulmonibus & Thoraci accidunt,*


Cap.I. DE Respiratione læsa in genere. 736
II. De Asthemate & Orthopnœa. 738
III. De Suffocatione, seu Strangulatione. 747
IV. De Vitiis Vocis & Sermonis. 748
V. De Tussi. 751
VI. De Dolore Pectoris. 757
VII. De Sputo Sanguinis. 759


### PARTIS IX.

*De Morbis ac Symptomatibus cordis,*


Cap.I. DE Morbis Pericardij. 762
II. De Cordis Intemperiebus. 763
III. De reliquis cordis morbis. 765
IV. De cordis Palpitatione. 766
V. De Virium Imbecillitate. 770
VI. De Lipothymia & Syncope. 772


INDEX

# INDEX QVÆSTIONVM.


I. AN ſaliua conglutinationem vulnerum labiorum remoretur. pag. 625
II. An tortura oris & ſpaſmus cynicus differant. 627
III. An ſpaſmus cynicus ſit morbus vel ſymptoma. 629
IV. An cera dentibus carioſis commodè indatur. 631
V. An cauteria tuto in dentibus carioſis adhibenda. ibid.
VI. An dens lupi geſtatus in dentitione puerorum aliquid præſtet. 638
VII. An in tonſillarum inflãmatione repellentia ſolũ intus applicãda. 653
VIII. An angina à cibis & medicamẽtis peculiari vi agẽtibus induci poſſit. 656
IX. An cacochymia primam occcaſionem præbeat anginæ. 661
X. An in angina rectè à Chymicis vomitoria & antimonialia exhibeantur. ibid.
XI. An pilulæ in angina exhibendæ cõmodè diſſoluantur. ibid.
XII. Quâ formâ repellentia in angina exhibenda. ibid.
XIII. An omnis angina ſit ab inflammatione. 666
XIV. An humor anginam excitans à cerebro & capite defluere poſſit. 667
XV. An vera angina ſit, quæ ab eſu fungorum & ſimilibus venenatis rebus oriri dicitur. ibid.
XVI. An nidus hirundinis aliquem in angina curanda vſum habeat. ibid.
XVII. An laryngotomia tuta & vtilis ſit. 668
XVIII. An bronchocele & ſtruma in gutture ſit idem morbus. ibid.
XIX. An ſtrumæ & ſcrophulæ differãt. 669
XX. An ſtrumæ à Mercurio ſeu aquis ex montibus metallorum feracibus ſcaturientibus & Mercurium in ſe continentibus oriantur. 669
XXI. An vlcera aſperæ arteriæ ſint ſanabilia. 674
XXII. An in perineumonia hæmorrhagia narium vtilis ſit? 680
XXIII. An dulcia in peripneumonia conueniant. 681
XXIV. Quænam ſit cauſſa hydropis, quæ leuium arteriarum obſtructione laborantibus ſuperuenire ſolet. 685
XXV. Medicamenta grumos ſanguinis in thorace diſſoluentia quo tempore ſint exhibenda. 687
XXVI. Qualis aër in apertione vaſorũ pulmonis ab aëre frigido cõueniat. 689
XXVII. An vlcera pulmonis ſint ſanabilia. 700
XXVIII. An in phthiſi cochleæ vtiles ſint. 701
XXIX. Quę pars afficiatur in pleuritide. 703
XXX. An bilis, pituita vel melancholia ſola pleuritidinem generet. 704
XXXI. Quales febres ſint pleuriticorũ. ib.
XXXII. Quæ vena in pleuritide & quo in latere aperienda. 709
XXXIII. An in pleuritide ex vna vena aperta ſimul reuulſio & deriuatio fieri poſſit. ibid.
XXXIV. Mulieribus menſium ſuppreſſione laborantibus quænam ſit vena ſecanda in pleuritide. 710
XXXV. Quando ſecanda ſit vena in pleuritide. ibid.
XXXVI. Quantum ſanguinis ſit mittendũ. ib.
XXXVII. An in omni pleuritide detur inflammatio pleuræ. 714
XXXIIX. An in pleuritide ſola pleura, an verò ſimul pulmo inflammetur. ibid.
XXXIX. Per quas vias materia in pleuritide ad aſperam arteriam perueniat, & inde tuſſi eiiciatur. 715
XL. Quæ vena in pleuritidis initio aperienda ſit. ibid.
XLI. Per quas vias è thorace materia ad aluum & veſicam peruenire, & hinc euacuari poſſit. 720
XLII. Qualiſnam ſit febris, quæ empyemati coniungitur. 725
XLIII. Quo in loco ſectio thoracis empyicis inſtituenda ſit. 726
XLIV. An humor aſthmatis cauſſa hæreat etiam quandoque extra bronchia pulmonum. 744
XLV. An aſthmata frequentius à catharrho, an verò ab humore crudo è venis in pulmones effuſo excitetur. ib.
XLVI. An aſthma ſemper ſit ſine febre. 745
XLVII. An purgantia in paroxyſmo adſtmatico conueniant. ibid.
XLIIX. An ius galli decrepiti aſthmaticis conueniat. ibid.
XLIX. An arſenicũ ſuffumigiis in aſthmaticis curãdis rectè admiſceatur. 746
L. An victus attenuans ſimulque tenuis aſthmaticis conueniat. ibid.
LI. An tuſſis ſit ſolùm ab anguſtia tracheæ arteriæ. 756
LII. An aliquid in pulmonem ex ore delabatur. 757
LIII. An in ſputo cruento ſanguis ſemper è brachio, an verò etiam è talo & cruribus, præcipuè in fœminis, mittendus ſit. 761
LIV. An Lunatica paſſio dicta puerorum & infantium ex vermibus in pericardio ortis accidat. 762

# Libri III. Partis I.

## Sectionis primæ,

*De Morbis Oesophagi & Ventriculi,*

Cap.I. DE morbis Oesophagi. 780
II. De læsa Deglutitione. 784
III. De rebus alienis deglutitis. 785
IV. De intemperie ventriculi in genere. 786
V. De frigida intemperie ventriculi. 787
VI. De calida intẽperie ventriculi. 790
VII. De humida intemperie ventriculi. 791
VIII. De ficca intemperie ventriculi 792
IX. De intemperiebus ventriculi comsipotis. 793
X. De intemperiebus ventriculi cum materia. 794
XI. De inflatione ventriculi. 796
XII. De inflammatione ventriculi. 797
XIII. De tumoribus vẽtriculi frigidis. 800
XIV. De extenuatione, angustia, adstrictione, & situ mutato ventriculi. 801
XV. De rebus præter naturam variis in ventriculo repertis. ibid.
XVI. De vulneribus ventriculi. 803
XVII. De vlceribus ventriculi. 804

## Sectionis secundæ,

*De Symptomatibus Ventriculi,*

Cap.I. DE anorexia & appetitu ventriculi deiecto. 805
II. De longa à cibo & potu abstinentia. 809
III. De certorum ciborum fastidio. 817
IV. De Ingenti fame, canina appetentia & bulimo. 818
V. De pica & appetitu vitioso. 821
VI. De potus appetitu læso, & primò de siti deficiente. 824
VII. De siti nimia. 825
VIII. De symptomatibus quæ in retentione cibi & potus accidunt. 827
IX. De chylosi seu coctione ventriculi læsa, & imbecillitate vẽtriculi. 828
X. De singultu. 831
XI. De ructatione. 836
XII. De nausea & vomitu. ibid.
XIII. De cholera & primò de cholerâ humidâ. 841
XIV. De cholera sicca. 844
XV. De dolore & anxietate ventriculi. 845
XVI. De ardore stomachi & ventriculi resolutione ac stupore. 849
XVII. De excretis p. n. è ventriculo, & eius qualitatibus mutatis. 850

## PARTIS II.

## Sectionis primæ,

*De Morbis Intestinorum,*

Cap.I. DE intemperie intestinorum & primò de frigidâ. 851
II. De inflammatione intestinorũ. 853
III. De angustia intestinorum. 854
IV. De Læuitate intestinorum & magnitudine aucta. 856
V. De rebus p. n. in intestinis repertis. ibid.
VI. De situ intestinorum mutato, & de hernia. 863
VII. De ani procidentia. 867
VIII. De vulneribus intestinorum. 868
IX. De vlceribus & sphacelo intestinorum. 869
X. De morbis Intestini recti in specie. ibid.

## Sectionis secundæ,

*De Symptomatibus quæ Intestinis accidunt,*

Cap.I. DE intestinorum actione læsa, & præcipuè de motu intestinorum inuerso & ileo. 873
II. De dolore colico. 876
III. De dolore iliaco. 887
IV. De alui retentione. ibid.
V. De alui fluxibus. 889
VI. De diarrhœa. 894
VII. De dysenteria. 902
VIII. De fluxu alui sanguineo & hepatico. 930
IX. De fecum alui per aliena loca, excretione. 933
X. De rebus variis, alienis & monstrosis per aluum excretis, & ventris murmure. ibid.
XI. De ani paralysi, stupore & dolore. 935
XII. De tenesmo. ibid.
XIII. De Hæmorrhoidibus. 937

## PARTIS III.

*De Morbis Mesenterij, Pancreatis & omentis,*

Cap.I. DE Mesenterio & vasis mesaraicis venisque lacteis. pag. 942
II. De intemperie mesenterij. 944
III. De mesenterij vasorum angustia & obstructionibus. 945
IV. De mesenterij inflammatione. 946
V. De mesenterij aliis tumoribus, abscessibus, suppuratione & corruptione. 947
VI. De symptomatibus ex humoribus in mesenterio cumulatis ortis & præcipuè dolore. 949
VII. De morbis pancreatis. 950
VIII. De morbis omenti. 951

## PARTIS IV.

*De Lienis præter naturam affectibus,*

Cap.I. DE vsu lienis & natura humoris melancholici. 952
II. De intemperie lienis. 953
III. De lienis morbis organicis, & præcipuè obstructione. 956
IV. De lienis magnitudine vitiosa & inflatione. 958
V. De lienis inflammatione. ibid.
VI. De scirrho & duris lienis tumoribus. 960
VII. De lienis vulneribus. 963
VIII. De lienis vlceribus. ibid.
IX. De actione lienis propria læsa. 964
X. De lienis doloribus. ibid.
XI. De ictero nigro. 965

## PARTIS V.

SECTIONIS PRIMÆ;

*De Hypochondriaca affectione,*

Cap.I. DE natura affectionis hypochondriacæ. 966
II. De loco affecto. 967
III. De caussis affectionis hypochondriacæ. 968
IV. De signis & symptomatibus affectionis hypochondriacæ. 972
V. De prognosticis. 975
VI. De indicationibus & curatione. ibid.
VII. De diæta. 980

SECTIONIS SECVNDÆ,

*De Scorbuto,*

Cap.I. DE scorbuti nominibus & natura. 982
II. De subiecto & caussa scorbuti. 984
III. De caussis scorbuti remotis, procatarcticis & externis. 992
IV. De signis scorbuti ac morbis & symptomatibus quæ scorbutum comitantur. 995
V. De prognosticis scorbuti. 1009
VI. De curatione scorbuti in genere. 1010
VII. De curatione affectuum scorbuticorum. 1018
VIII. De diæta. 1024
IX. De præseruatione. 1025

## PARTIS VI.

SECTIONIS PRIMÆ,

*De Morbis Epatis.*

Cap.I. DE intemperie epatis. 1026
II. De obstructione epatis. 1030
III. De inflatione epatis. 1033
IV. De inflammatione epatis. 1034
V. De scirrho aliisque tumoribus epatis. 1038
VI. De calculis, vermibus & hydatidibus in epate natis. 1040
VII. De vulneribus epatis. ibid.
VIII. De vlceribus & sphacelo epatis. 1042
IX. De vesicæ fellis morbis. 1044

SECTIONIS SECVNDÆ,

*De Symptomatibus quæ Epati accidunt,*

Cap.I. DE sanguinificatione læsa in genere & epatis imbecillitate. 1044
II. De cachexia. 1046
III. De hydrope ascite. 1048
IV. De tympanite. 1069
V. De anasarca. 1072
VI. De dolore epatis. 1074
VII. De ictero. ibid.

## PARTIS VII.

SECTIONIS PRIMÆ,

*De Renum & vreterum Morbis;*

Cap.I. DE renum vsu. 1078
II. De intemperie renum. 1079
III. De numero renum mutato, aliisquibusdam eorum morbis. 1080
IV. De vasorum in renibus angustia. ib.
V. De apertione vasorum in renibus. 1081
VI. De calculo renum. ibid.
VII. De rebus p.n. in renib. genitis. 1088
VIII. De renum inflammatione. 1089
IX. De renum tumoribus reliquis & eorun

eorumdem tabe. 1090
X. De vulneribus renum. 1091
XI. De vlceribus renum. ibid.
XII. De vreterum morbis. 1092

SECTIONIS SECVNDÆ,
*De Symptomatibus Renum,*

Cap.I. DE rerum imbecillitate & seri secretione læsa. 1093
II. De diabete. 1094
III. De dolore nephritico. 1096

PARTIS IIX.
SECTIONIS PRIMÆ,
*De Vesicæ Morbis,*

Cap.I. DE intemperie & angustia vesicæ & numero mutato. pag. 1098
II. De Calculo vesicæ. ibid.
III. De vermibus & aliis p. n. in vesica natis. 1101
IV. De distensione & inflammatione vesicæ ac situ eiusdẽ mutato. ibid.
V. De vesicæ vulneribus. 1103
VI. De vesicæ scabie & vlceribus. ibid.
VII. De sphincteris vesicæ refrigeratione & duplici meatu vrinario. 1105
VIII. De meatus vrinarii angustia. 1106
IX. De caruncula, callo, verrucis & vlceribus meatus vrinarii. ibid.

SECTIONIS SECVNDÆ,
*De Symptomatibus Vesicæ,*

Cap.I. DE dolore vesicæ, stupore & resolutione sphincteris vesicæ. 1108
II. De vrinæ suppressione. ibid.
III. De diminuta vrinæ excretione. 1110
IV. De stranguria. ibid.
V. De dysuria & vrinæ ardore. 1112
VI. De mictione inuoluntaria & vrinæ incontinentia. 1114
VII. De vrina rubra, crueta & nigra. 1115
VIII. De rebus alienis per vesicam excretis. 1117
IX. De vrinæ per aliena loca excretione. 1118

PARTIS IX.
SECTIONIS PRIMÆ,
*De Morbis partium genitalium in viris,*

Cap.I. DE intemperie testium. pag. 1119
II. Ee testium numero vitioso & calculis in iis repertis. 1120
III. De testium magnitudine vitiosa, & inflammatione & tumoribus aliis. ibid.
IV. De situ testium mutato. 1121
V. De vulneribus, vlceribus, cancro & gangræna testium. 1122
VI. De scroti morbis. ibid.
VII. De hernia & scroti tumoribus. 1123
VIII. De penis morbis. 1127
IX. De tuberculis & verrucis penis. 1128
X. De glande imperforata. 1129
XI. De vulneribus, vlceribus, fistulis & gangræna penis. ibid.
XII. De præputii morbis. 1130
XIII. De hermaphroditis & sexus mutatione. 1132

SECTIONIS SECVNDÆ,
*De Symptomatibus, quæ genitalibus & circa generationem in viris accidunt.*

Cap.I. DE læsa generatione, seu sterilitate in viris. 1133
II. De læsa penis erectione & seminis eiaculatione. 1137
III. De salacitate, satyriasi & priapismo. 1139
IV. De gonorrhæa & seminis profluuio. 1140
V. De pollutione nocturna. 1143
VI. De symptomatibus quibusdam in coitu & seminis emissione accidentibus. 1144
VII. De rebus alienis per penem excretis. 1145
VIII. De testium & penis dolore ac scroti & præputij pruritu. ibid.

PARTIS X. & vltimæ,
*De Vmbilici & Abdominis p. n. Affectionibus,*

Cap.I. DE vmbilici apertione, & per eum variarũ rerũ excretione. p. 1146
II. De hernia vmbilicali. 1147
III. De vmbilici inflammatione, abscessu & vlcere. 1049
IV. De vermibus & lapidibus in vmbilico genitis. 1150
V. De vulneribus vmbilici & vasorum eius abruptione. ibid.
VI. De peritonæi morbis. 1151
VII. De musculorum abdominis inflammatione & abscessibus. ibid.
VIII. De spasmo abdominis. 1153
IX. De abdominis tumoribus. ibid.
X. De abdominis vulneribus. 1154
IX. De fistulis & vstionibus abdominis. 1155

# Index Quæſtionum.

## Index Quæſtionum. Partis I.


Q. I. AN deglutitio faucium muſculis, non verò propriis fibris peragatur? 784
II. Qui fiat, quod ſolida facilè, liquida verò difficulter, & ſine, ſuffocationis metu diriganţur? 786
III. An ea, quæ Hippoc. lib. 1. prognoſt. aph. 37. 40. & 41. habet, de tumoribus ventriculi, an potius de tumoribus ventris ſint explicanda? 798
IV. Per quas vias acus deglutitæ è corpore reddantur? 802
V. An vulnera ventriculi ſint lethalia? 803
VI. An inappetentia tam intemperie calidâ, quàm frigida fieri poſſit? 807
VII. An in reddendis longæ abſtinėtiæ cauſſis ſtatim ad miraculum vel Angelos bonos confugiendum ſit? 811
VIII. An corpora illa, quæ longâ abſtinentiâ laborârunt, reuerà fuerint viuėtia? 812
IX. An corpora etiam hæc à Dæmone fuerint obſeſſa? ibid.
X. An peculiares cœli influxus lōgæ abſtinentiæ cauſſa ſint? ibid.
XI. An occultæ qualitates abſtinentiæ huius cauſſa ſint? ibid.
XII. An conſuetudo huius abſtinentiæ cauſſa eſſe poſſit? ibid.
XIII. Qua ratione homo venenis aſſueſcat? ib.
XIV. An illi, qui diu abſtinuerunt, aëre nutriti fuerint? ibid.
XV. An ſolo aëre alatur chamæleon, & manucodiata? ibid.
XVI. An exhalationibus illi, qui abſtinuerunt, nutriti fuerint? ibid.
XVII. An vita ſimplicis aquæ potu produci poſſit? 814
XIIX. An abſtinentes vitam terrâ clam ingeſtâ ſuſtentârint? ibid.
XIX. An pituita in corpore redundans abſtinentiæ longæ cauſſa ſit? ibid.
XX. An colliquamenta quædam partium internarum abſtinentiæ huius cauſſa ſint? ibid.
XXI. An humor melancholicus huius ſymptomatis cauſſa ſit? 815
XXII. An in homine nutriendi functio aliquādiu ceſſare poſſit? ibid.
XXIII. Cur alimenta neceſſaria ſint? ibid.
XXIV. Cur in nonnullis corporibus nihil diſcutiatur aut abſumatur? 816
XXV. Qua ratione humidum radicale ita diſponi poſſit, vt nihil vel parum de eo abſumatur? ibid.
XXVI. Quomodo indi Nicotianâ famem & ſitim ſolentur? 817
XXVII. Quomodo frigus bulimum excitet? 820
XXVIII. An humor melancholicus & acidus, qui appetitum excitat, in ventriculo naturaliter contineatur? 821
XXIX. An pica à cauſſa venenata oriatur? 823
XXX. An cibi praui & alieni à naturâ hominis, qui auidè ab ægris eiuſmodi appetuntur, ſint concedendi? ibid.
XXXI. An in picâ humori prauo contraria, an verò ſimilia appetantur? 824
XXXII. An chylificatio fiat à calore? 831
XXXIII. An calor vicinarum partium etiam aliquid ad coctionem faciat? ibid.
XXXIV. An ſingultus ad deprauatâm reſpirationem ſit referendus. ibid.
XXXV. Vnde humorum copia in cholera proueniat? 842
XXXVI. An clyſteres ſaltem ex inteſtinis euacuent? 852
XXXVII. An dentur lumbrici cucurbitini? 557
XXXIIX. An dulcia ad generandos vermes faciant? 859
XXXIX. An lumbrici geniti alios rurſum generent? ibid.
XL. An lumbrici inteſtina & ventriculum perforare poſſint? ibid.
XLI. An argentum viuum ad enecandos lumbricos exhibendum? 861
XLII. An cauſſa motus inuerſi in tenuibus inteſtinis conſiſtat? 874
XLIII. An in ileo nihil per aluum excernatur? 876
XLIV. An dentur medicamenta, quæ occulta proprietate colicam tollant? 879
XLV. An humor colicæ cauſſa in cauitate inteſtinorum, num verò in ipſis inteſtinorum tunicis hæreat? 882
XLVI. An colica antiquis nota fuerit? 886
XLVII. An ſola intemperies dolorem colicum inducere poſſit? ibid.
XLVIII. An læſa ſolùm facultate concoctrice lienteria generari poſſit? 890
XLIX. An aquæ per canales plumbeos defluentes cauſſæ ſint dyſenteriæ? 905
L. Cur non dyſenteria epidemica corripiantur? 906
LI. An in dyſenteriâ venæ ſectione opus ſit? 910
LII. An adſtringentia in dyſenteria conueniant? 917
LIII. An topica in dyſenteria vtilia ſint? 920
LIV. An balneū dyſentericis conueniat? 922
LV. Quidnam illud mucoſum & album ſit, quod in dyſenteriâ excernitur? 924
LVI. An adamas venenum & cauſſa dyſenteriæ ſit? ibid.
LVII. Ac pinguedo & ramenta inteſtinorum tanta, vt vulgò fertur in dyſenteria excernantur? 925
LIIX. An purgantia in dyſenteria ſint exhibenda? 926


LIX. An

LIX. An lactis vſus in dyſenteria conueniat? 927
LX. An chalybis vſus in dyſenteria conueniat? 928
LXI. Quænam fluxus hepatici proxima cauſſa ſit? 932
LXII. Cur feces inteſtinis perforatis non in cauitatem abdominis excidant? 933
LXIII. Num in apoplecticis ani ſphincter reſoluatur? 935
LXIV. Cur hæmorrhoidibus cæcis dolor excitetur? 937
LXV. Qualis ſit ſanguis qui per hæmorrhoides euacuatur? 940
LXVI. An aloë venarum ora aperiat, & hœmorrhoides cieat? 941
LXVII. An hirudines hœmorrhoide applicandæ ſint? ibid.

PARTIS III.

LXVIII. Vnde venæ lacteæ nomen ſuum adeptæ ſint? 942
LXIX. Cur venæ lacteæ tamdiu latuerint? ibid.
LXX. Cur veteres viua animalia ſecuerint? ib.
LXXI. An venæ lacteæ veteribus fuerint notæ? ibid.
LXXII. Cur moriente animali venarum lactearum ſuccus euaneſcat? ibid.
LXXIII. Cur venarum lactearum valuulæ foras ſpectent? 943
LXXIV. Per quam viam chylus ad epar & ſanguis ab epate & liene ad inteſtina feratur? ibid.
LXXV. Cur meſenterium medicorum dicatur nutricula? 944
LXXVI. Cur dolor colicus in paralyſin mutetur? 945
LXXVII. Cur helleborus albus in ſuppoſitoriis, aut antimonium in clyſteribus eadem, quæ ore ſumta, ſymptomata inducat? ibid.
LXXIIX. Cur medicamenta purgantia vmbilico applicata aluum moueant? ibid.

PARTIS IV.

LXXIX. An vaſa à liene prodeuntia nihil è ventriculo trahant? 953
LXXX. An ſerum & ichor differant? ibid.
LXXXI. An lien curſoribus exſcindatur? 963
LXXXII. An icterus niger à liene proficiſcatur? 965

PARTIS V.

LXXXIII. An affectio hypochondriaca fiat ab obſtructionibus venarum? 969
LXXXIV. An affect. hypoch. fiat ex inflammatione circa ſtomachum? ibid.
LXXXV. An affectio hypochondriaca fiat ab intemperie ſicca? ibid.
LXXXVI. An lien cauſſa ſit collectionis humorum vitioſorum in affectione hypochondriaca? 970
LXXXVII. An lien ſanguinem tenuiorem generet? ibid.
LXXXIIX. Cur pueros & adoleſcentes affectio hypochondriaca non affligat? 971
LXXXIX. Quænam hæmorrhoides in affectione hypochondriaca commodum præſtent? 975
XC. An chalybs in affectione hypochondriaca vtilis ſit? 978
XCI. Acetum an in affectione hypochondriaca conueniat? 980
XCII. An ſcorbutus ſolum ab aqueo & tenui humore fiat? 986
XCIII. An pulmones in ſcorbuto primò afficiantur? 994
XCIV. Quomodo per contagium ſcorbutus communicetur? ibid.
XCV. Per quas vias humor doloris ventris ſcorbutici cauſſa ad ventrem feratur? 1000
XCVI. Quomodo dolor ventris ſcorbuticus in paralyſin mutetur? 1002
XCVII. Beccabunga an in ſcorbuto vſurpanda? 1013
XCVIII. An extracta cochleariæ & naſturtii in ſcorbuto vſurpanda? ibid.
XCVIII. An apud vvierum per *ſublimatum* intelligatur ☿ ſublimatus; an verò arſenicum ſublimatum? 1020

PARTIS VI.

C. An hydrops aſcites ſolo epate læſo generetur? 1062
CI. Quæ cauſſa prima ſit collectionis humoris ſeroſi in aſcite? 1064
CII. Per quas vias aqua hydropicorum in cauitatem abdominis proueniat? 1067
CIII. An rhabarbari vſus in hydrope vtilis ſit? 1068
CIV. Quomodo flatus in tympanite generentur? 1071
CV. Per quam viam flatus in Abdominis cauitatem perueniant? ibid.

PARTIS VII.

CVI. An cibi craſſi, vt & lac ad generationem calculi faciant? 1088
CVII. An potu immutatus planè per vrinam in Diabete reddatur? 1095
CVIII. Quænam diabetæ cauſſa ſit? 1096

PARTIS IIX.

CIX. An ſtranguria etiam à frigiditate & imbecillitate Veſicæ excitetur? 1112

PARTIS IX.

CX. Quæ cauſſa ſit, cur ſcyrrhæ ſteriles fiant? 1136
CXI. An materia ſeminis è cerebro communicetur teſtibus? ibid.
CXII. An Eunuchi generent? ibid.
CXIII. An ſemper verum ſemen effluat in gonorrhæa. 1142
CXIV. An nomen gonorrhææ omnibus, quæ vulgo recenſentur, differentiis, æquè propriè competat? ibid.

PARTIS X.

CXV. An abdominis vſtiones ſint admittendæ? 1155


LIBER

# LIBER PRIMVS, DE FEBRE IN GENERE, *ET* DE FEBRE EPHEMERA.

## CAPVT PRIMVM.

### *De Natura Febris.*

*Febris nomẽ.*

FEBREM esse morbum calidum, vel ipsa appellatio, quæ communem notionem & consensum quasi omnium hominum proponit, satis innuit. Græci enim febrim, ἀπὸ τοῦ πυρὸς, πυρετὸν, & Hippocrates absolutè πῦρ, inprimis si sit ardentior, nominat. Latinis Febris à Februo dicitur, quod à ferueo deducitur. Februum enim, vt est apud Varronem, *de ling. Lat.* Latini purgamentum vocârunt, quòd quæ deferbuerunt, pura sint. Febris appellationem & germani retinent. Licet enim nonnulli *das Kalte*, nominent, tamen ea appellatio non omnibus febribus competit; (neque enim omnes febricitantes à frigore molestantur;) & quibus competit, in iis non tam morbus ipse, quàm frigus, horror & rigor, qui intermittentium febrium paroxysmos antecedere solent, hoc nomine intelligitur.

*Febris natura.*

Essentia verò febris non est frigus, sed vt Galenus, *lib.6.epidem.com.*1. *t.*29. habet, Essentia febrium non secundùm Hippocratem modò, atque præclarissimos Medicos, sed etiam secundùm communem omnium hominum consensum, est præter naturam caliditas, maximè quidem in totum animal effusa; sin minus, at omnino vel in plurimis partibus, vel in nobilissimis accensa.

*Febris definitio.*

Verùm cùm de natura febris plurimæ ab authoribus controuersiæ moueri soleant: in naturam atque essentiam eius paulò diligentiùs inquirere placet. Etsi autem alij alias febris definitiones proponant: definitionem tamen, quæ non solùm Auicennæ, sed etiam Empedoclis ac Zenonis, necnon plerorumque Hippocraticorum est, teste Alexandro Aphrodiséo, *de febr. cap.* 1 proponere & explicare libet. Ita verò illi febrem definiunt: *Febris est calor contra naturam, in corde accensus, & ex eo mediantibus spiritibus ac sanguine per arterias & venas in totum corpus diffusus, actionésque naturales lædens.* Seu potiùs: *Intemperies calida totius, à calore præter naturam in corde accenso & mediantibus spiritibus & sanguine per venas & arterias in totum corpus diffuso, ortum habens, actionésque naturales lædens.*

*Febris est morbus intemperiei.*

Primò quidem cùm, vt iam dictum, omnium & Medicorum & hominum consensu, febris quidam calor præter naturam sit: facilè hinc patet, febrem ad nullum aliud morbi genus, quàm ad morbos intemperiei referri posse, atque febrim esse intemperiem calidam. Nam quando, seu à Galeno, seu ab aliis Medicis febris calor præter naturam, seu contra naturam, seu calor igneus, seu extraneus, quæ omnia vno eodémque sensu dicuntur, appellatur, non simplex qualitas intelligenda est, sed intemperies calida, cuius causa vel pars, est calor præter naturam, vt habet Rondeletius, *lib. de cur. febr.* Calor nimirum, qua calor, non est febris. Hoc enim modo, & prout sensum afficit ad passionem & passibilem qualitatem pertinet, Quatenus verò præter naturam est, atque vitiosus & intemperatus, ac partes prauè disponit, & facit vt ad actiones edendas ineptæ sint, tum demum morbus appellatur, vt pluribus in Instit. *lib.*2. *part.*1. *c.*1. hac de re dictum est.

Falsum igitur est, quod Hor. Augenius, *lib.* 1. *de febr.c.*10. scribit, febrim optimè sub duabus speciebus collocari posse, sub habitu ac dispositione, & sub passibili qualitate: & paulò post; omnium febrium commune genus esse qualitatem passibilem. In quem errorem lapsus est, quod non vidit, quâ ratione morbus dicatur dispositio; id quod clarè docuimus, *loc. alleg.*

*Galeni de Febris naturâ sententia.*

Neque aliter, quàm hoc modo, de essentia febris sensit Galenus. Etsi enim nonnulli, verba potius, quàm mentem Galeni attendentes, febrim definiant, conuersionem caliditatis innatæ in igneam: tamen nec ratione nec authoritate Galeni hoc obtinere possunt. Conuersio enim motus est: febris verò motus non est, sed affectus corporis, motu atque alteratione inductus: At conuersio ad nullam morbosæ διαθέσεως speciem referri potest. Neque Galenus febrim dicit esse conuersionem caliditatis innatæ; sed 1. *aphor.*14. & alibi, febrem fieri dicit, cùm Caliditatis natiuæ in igneam fit conuersio: vbi generationem febris explicat, non genus, seu essentiam febris proponit. Generatur quidem febris, cùm caliditas natiua in igneam conuertitur: sed non in ipsa conuersione caliditatis natiuæ febris

essentia consistit, verùm in illâ dispositione & intemperie calidâ, seu excessu caloris, qui illâ conuersione producitur.

Notandum & hoc, vt etiam infrà dicetur, non quemlibet calorem febrim dici posse, sed illum solum, qui tantus est, vt actiones naturales lædere possit. Hinc momentaneæ illæ calefactiones ex irâ, balneo, exercitio aliquo & similibus, Febres non sunt.

*Calor febris quis.* Cùm verò ex eo ipso, quod febris calor præter naturam igneus & extraneus esse dicitur, facile colligere sit, febrem calori naturali opponi: quomodo vterque calor in febricitante se habeat, & quid illa calida intemperies, quæ febris essentiam constituit, sit, videndum. Etsi autem plurimæ hac de re Authorum sententiæ occurrant: reliquis tamen sepositis, duas saltem proponere libet.

*1. Opinio.* Alij enim censent, in quolibet febricitante duos specie & numero distinctos calores reperiri: vnum natiuum, alterum præternaturalem. Atque hos duos calores, licèt coniungantur, vnum constituere non posse: cùm specie diuersi sint, ac febrim à solo calore præter naturam, qui naturali additur, constitui, & ab eo solum actiones lædi. Et prò hac opinione varias rationes afferunt.

*Calidi natiui & præternaturalis differentia.* Primò quidem naturalem & præternaturalem diuersos esse, neque ex vtroque vnum fieri, hoc modo probant. Diuersa, aiunt, edunt opera etiam eodem tempore. Natiuus enim calor coquit, alterat, humores vitiosos & excrementa segregat atque expellit: Calor verò præternaturalis contrarium efficit, & naturæ opera impedit. Itaque cùm diuersa opera edant hi duo calores, vnius agentis rationem habere non possunt, & proinde vnum ex vtroque calore non fit. Si enim ex vtroque calore vnus fieret, vnicam operandi rationem, sub vnius formæ ratione, haberet. Præterea fit pugna in febricitante à calore naturali contra calorem præternaturalem. At cùm nihil in seipsum agat, non videntur hi duo calores sub vnam formalitatem redacti.

Deinde quòd solus calor præternaturalis febris rationem obtineat, ita euincere conantur. Primò solus calor, qui actiones lædit, est morbus. At tantùm calor præternaturalis & natiuo superueniens actiones lædit. Ergo solùm is est morbus: eundémque tantùm calorem Medicus conatur depellere. Deinde cùm calorem febrilem medicus tollere debeat, si natiuus quoque ad eum pertinet, & is tollendus esset, quod absurdum.

*2. Opinio.* Alij verò statuunt, febrem non tantùm esse calorem additum calori natiuo, sed compositum ex vtroque: Idque eo probant, quòd in vna parte non possint simul inesse duo accidentia eiusdem speciei distincta numero. Specie autem non differre hos duos calores, vel ex eo patet, quòd vterque ab vno eodémque contrario vincitur & remittitur.

*Controuersiæ explicatio.* Ex hac controuersiâ vt nos expediamus, obseruandum, aliud esse calidum natiuum, aliud calorem seu caliditatem. Calidum natiuum est substantia: Caliditas verò est qualitas, à qua prædominante in animalibus, spiritui insito nomen indiderunt. Illud cùm vel cœlestis & nobilioris, quàm elementa, naturæ sit, vel certè suam essentiam à peculiari formâ habeat, à qua etiam nobiliores illæ actiones proueniant, de quo, *lib. 1. Instit. c. 5.* & *de Chym. cum Aristot. & Galen. cons. & diff. cap. 10.* diximus, facilè hinc patet, in febricitantibus quoque suam naturam retinere, & proinde alias, & calori febrili cōtrarias actiones suo modo edere posse: at si caliditatem saltem naturalem cum præternaturali compares, cùm specie non differant, vt à posterioris opinionis assertoribus probatur, atque in vnâ eadémque febre coniungantur, fieri non potest, quin vnum constituant: Quod vel sensus testimonio patet; cùm si quis manu tangat febricitantem, vnum saltem calorem deprehendat. Atque tota illa ex vtroque calore conflata intemperies, seu caliditas illa corporis ex naturali & præternaturali caliditate constans, & in vnam simplicem formam redacta, & à gradu caloris superuenientis formalitatem suam habens, seu potiùs illa præter naturam dispositio, quæ hac intemperie constituitur, & ob quam corpus ad naturales actiones obeundas ineptum redditur, pro febri habetur. Vt enim Cor & reliqua membra omnia actiones suas exerceant, in similaribus calor quidam actualis & vegetus, seu temperies quædam calida, ob quam corpus actu calidum redditur, requiritur, atque illa calida temperies pendet ex temperie partibus singulis insitâ, & calore cum spiritu vitali in omnia membra influente. Et ob hunc calorem actualem omnes corporis partes vegetæ, & ad actiones obeundas bene dispositæ esse dicuntur, si ille se rectè habeat, & neque deficiat neque excedat. Si verò hoc commune corporis temperamentum nimis calidum euadat, & caliditas illa actualis intendatur, ob calidum è corde influens: febris accensa in corpore dicitur.

Ex quibus manifestum euadit, calidam illam intemperiem formaliter quidem totam esse supernaturalem & febrilem nominandam; non aliter vt ab vltimâ vnitate non solùm numeri species, sed & appellatio mutatur; materialiter autem (ita enim Iacobus Forliuiensis, & Hugo Senensis non malè distinguunt) non esse totam præter naturam. Nisi enim caloris naturalis quidam gradûs præexisterent, ille Calor præternaturalis superueniens hunc caloris gradum & excessum constituere non posset. Videatur hac de re & Fernelius, qui, *lib. 4. Pathol. de Febr. cap. 2.* calorem in naturalem & præternaturalem distinguit. Et naturalem rursum duplicem facit, vnum cœlestem, alterum elementarium, sed & ipsum moderatum, & ex omnium elementorum permixtione temperatum. Illúmque primarium functionum opificem constituit; hunc verò adiuuantem: Insitúmque nunquam exuperare posse docet, nec illius copiam & vbertatem vitio vnquam dari, sed quò fuerit vberior, vt infantium ætate, eò naturales vitæ actiones reddi feliciores. Et proinde in eo consistere febrem nullam posse, sed febris essentiam in calore præternaturali, qui oritur, cùm calor elementarius à temperie & mediocritate suâ recedit, consistere, qui tanquam hostis infensus insiti substantiam semper oppugnet & labefactet, & cuius vi igneâ natiuum calidum dissipetur & pereat.

Ex quibus facilè colligi potest, quid ad argumenta pro priore sententiâ allata respondendum sit. *Argumentorum contrariæ opinionis solutio.* Nam *Primò* si calidum innatum vt substantia consideretur, cùm illud non tantùm caliditate absoluatur: facilè concedimus, in febricitante Spiritum illum insitum, quem in animalibus, ob sensibilem caliditatem, calidum innatum vocamus, calori præternaturali actiones contrarias edere, atque Animam mediante illo Spiritu, in id incumbere, vt caliditas illa præternaturalis depellatur. At si caliditatem solùm spectes, calor febrilis non per se, vt frigus, calori naturali est contrarius, sed per accidens, quatenus scilicet ipsum intendendo, eius actiones turbat. Vnde etiam calor naturalis præternaturalem non oppugnat, sed cùm vterque in vnam calidam intemperiem coaluerit, vna etiam ab vtroque fit actio, sed vitiosa. Cùm enim ille calor nimis intensus sit, coquit quidem, & alia agit, sed ob acrimoniam & excessum, vitiosè.

Ac proinde *secundò*, si formalitatem spectes, ille calor superueniens quidem causa est, vt non fiat naturalis actio: interim cùm tota illa intemperies ad actionem edendam concurrat, vitiosa illa actio toti calori ex naturalis & præternaturalis gradibus conflato adscribenda est; & actio vitiosa vtriusque caloris gradûs imitatur & refert, & quidem nunc illum, nunc hunc, magis vel minùs, prout hic vel ille magis expedit.

Et

Et cùm ille gradus caloris præternaturalis superueniens formalitatem toti intemperiei tribuat: non opus est *tertiò*, vt Medicus, si curare febrim in animo habeat, simul etiam naturalem calorem tollat, sed satis est, si gradum illum præternaturalem, ob quem calor naturalis intensior, & ad actiones rectè edendas ineptus redditur, tollat. Eo enim sublato pristina illa, & actionibus exercendis conueniens qualitatum harmonia remanet.

*An febris intemperies sit calida & sicca.*

Porrò cùm febrem intemperiem calidam esse diximus, atque ex differentiis morborum notum sit, intemperiem aliam esse simplicem, aliam compositam, Quæritur hîc atque inter Authores controuertitur; An febris sit intemperies calida tantùm, an calida simul & sicca. Nonnulli calidam & siccam intemperiem esse statuunt. Cùm enim febris fiat naturalis caloris in igneum conuersione; ignis verò calidus & siccus sit: febrem quoque eâdem temperie constare existimant. Præterea cùm calor semper exsiccet, & febrilis calor ad siccitatem tendat. Atque id etiam curatio, quæ contrariorum est per contraria, monstrare videtur. De quâ, 1. *aph.* 16. Hippocrates inquit: Victus humidus febricitantibus omnibus competit, maximè autem pueris, & iis qui tali victu vti consueuerunt, Itaque si contraria contrariorum sunt remedia, & in omnibus febribus victus humidus requiritur; siccum etiam morbum febrem esse, hinc rectè argui putant. Quibus adiungi possunt multæ Galeni authoritates: Nam, 1. *de rat. vict. in acut. t.* 18. scribit: si contraria contrariorum remedia existant, febris sanè peculiare remedium vt virtute cùm refrigerante tum humectante sit, oportet. Id namque febris naturæ, quæ vt calida & sicca est, contrarium erit. Talis siquidem naturæ est ignis. Idem statuere Galenus videtur, 2. *de rat. vict. in acut. t.* 22. 8. *m.m.c.* 9. 1. *de tuend. san. cap.* 7. & alibi.

*Siccitas non est de essentiâ febris.*

Verùm si rem diligentiùs perpendamus, eorum sententiam, qui statuunt, febrem intemperiem simplicem calidam esse, vero magis consentire putamus. Nam siccitatem non de essentiâ febris esse, vel ex eo constat, quòd calor febrilis non semper cum siccitate, sed, quandoque cum humiditate coniungitur. Corripiatur enim febri corporis constitutione humidiore præditus: Is licèt calidâ intemperie laboret, non mox tamen sicca coniungitur. Deinde, licèt concedamus, omnem febrem esse effectiuè siccam, seu calorem febrilem ad exsiccationem corporis tendere: præterea detur, in corpore aliquo caliditati siccitatem adiungi: non tamen hinc sequitur, siccitatem esse de febris essentiâ. Cùm enim non calor, qua calor, sed qualis quidam calor, seu διάθεσις quædam vitiosa, consistens in calore nimio & præternaturali, ob quam corpus ad actiones naturales edendas impotens redditur, febris sit, hinc manifestum euadit, etsi detur, vel cum omni, vel cum aliquâ febre siccitatem coniungi, non tamen illam morbum & febrem esse; nisi ob eam lædantur actiones, seu corpus ad actiones perficiendas ineptum reddatur: id quod in paucis tantùm febribus, hecticis scilicet & ardentioribus quibusdam, accidit. Ex quo apparet, siccitatem non ad febris, quatenus febris, sed tantùm speciei cuiusdam febrium essentiam pertinere.

Neque aliter intelligendus est Galenus, cùm febrim caliditatis natiuæ in igneam conuersione fieri, & affectum calidum ac siccum esse dicit. Nihil enim aliud vult, quàm calorem febrilem effectiuè quidem esse siccum, seu in id tendere, vt consumpto humore corpus exsiccet. Ex quo tamen concludi non potest, siccitatem ad eius essentiam pertinere. Neque enim subiectum & natura corporis, in quod agit, permittit, vt siccitas morbosa inducatur, sed magna humiditas impedire potest, ne calor siccitatem illam, quam intendit, inducere possit; atque ita tum sola intemperies calida morbosa est. Quod verò Hippocratis aphorismum 16. *sect.* 1. attinet, eâ saltem de causâ victum humidum febricitantibus conuenire scribit, vt corpus præseruetur, ne in morbum siccum incidat; non verò quod morbus siccus iam adsit; victúmque humidum exhibet, non vt morbus tollatur, sed vt corpus in suo statu conseruetur: id quod vel ex eo patet, quod pueris, & iis qui tali victu vti consueuerunt talem victum maximè vtilem esse dicit.

*Subiectum febris.*

Atque ex his quodnam genus febris sit clarum euasisse putamus: proximum iam est, vt quodnam subiectum eiusdem sit, videamus. Expressum id in definitione, dum dicitur, febrem esse intemperiem calidam totius. Cum quo consentit Galenus, qui, 6. *epid. comm.* 1. *t.* 29. dicit; essentiam febrium non modò secundùm Hippocratem atque præclarissimos Medicos, sed etiam secundùm communem omnium consensum, esse caliditatem præter naturam, maximè quidem in totum animal effusam, sin minùs, at omnino vel in plurimis partibus, vel in nobilissimis accensam. Etsi enim de hoc alij aliter doceant & nonnulli Cor, alij totum Corpus, alij aliud quid subiectum febris esse statuant: tamen ex hac controuersiâ facilè nos expediemus, si dicamus, cor quidem esse præcipuum & principale febris subiectum: adæquatum verò totum corpus, aut certè plerasque eius partes. In omni febri cor laborat, vt postea dicetur; id quod vel ex pulsûs mutatione apparet, febrísque generari non potest, nisi cor primùm incalescat. Atque hic calor in corde accensus postea in reliquum corpus diffunditur. Itaque etsi primò calorem febrilem in corde accendi negandum non sit, & cor sit primum, quod febrem recipit, ac reliquum corpus, nisi calor à corde illi communicaretur, minimè afficiatur: tamen quia illa intemperies calida, quæ ex calore à corde in corpus reliquum effuso oritur, totius corporis actiones lædit: non immeritò etiam illam ad febris essentiam pertinere dicendum est, neque ea solùm pro symptomate intemperiei cordis habenda. Vnde etiam febris morbus vniuersalis nominatur, quòd plures aut omnes quoque humani corporis partes occupat, earúmque actiones lædit. Hoc tamen cum eâ conditione accipiendum est; nisi aliquid accidat, quod caloris in totum corpus effusionem prohibeat. Sæpe enim accidit, vt in febre aliquæ partes frigidæ manifestè percipiantur; & non solùm in accessionum principio partes extremæ refrigerantur: verùm & in non intermittentibus febribus interdum partes extremæ frigidæ deprehenduntur. Id quod Hippocrates, 4. *aph.* 48. & 7. *aph.* 1. malum, & lethale esse dixit. Quod tamen impedimentum non prohibet, quin febris adesse censeatur, modò in corde calor febrilis existat, & vt Galenus 6. *epid. comm.* 1. *t.* 29. habet, in plurimas aut nobilissimas partes distribuatur. Calor enim febrilis eiusdem essentiæ est in omnibus partibus, & suapte naturâ talis, vt in vniuersum corpus diffundi possit, si sibi relinquatur, nihilque accidat, quod illam effusionem prohibeat.

*Schegkij de subiecto febris sententia.*

Schegkius, *lib. de causâ continente*, cum aliis quibusdam Medicis, aliter de subiecto febris sentit, & triplex febris subiectum constituit; putridæ, sanguinem; ephemeræ, spiritûs; & hecticæ, solidam cordis substantiam, *Morbus enim*, inquit, *est habitus contra naturam, quo primùm impeditur ἐνέργεια naturalis: Caterùm vt sit expedita ἐνέργεια corporis animati, non solùm agens corpus, sed etiam patiens secundùm naturam affectum: & sanũ esse oportebit: quòd si ambo sana, etiam ambo morbida esse poterunt. Quis ignorat à Galeno & Aristotele morbidum sanguinem dici? Quis non intelligit, propter spiritum deficientem sæpe languescere* vires

*vires ſolidarum partium, quæ ſunt nutrimentis & medicamentis reficiendæ? Ergo ſi non in continentibus aut ſolidis duntaxat eſt cauſa, vt corpus ſuas ἐνεργείας exerceat, verùm etiam in contentis: quid vetat, quò minus ſanguinem πρῶτον δεκτικὸν putridæ dicamus, & ephemeræ Spiritum? quod ſi non faciamus, neceſſe erit, omnem febrem hecticam eſſe, ſi morbus, ſeu febris tantùm eſt in ſolidis. Contagionem porrò hanc caloris, quâ ſolidæ partes etiam afficiuntur à febribus contentorum, febrim non eſſe dicimus, ſed intemperiem calidam quandam & imbecillitatem.* Hæc Schegkius. Cuius opinionem & alij quidam ſequuntur, vt diximus.

*Paracelſicorũ de febre opinio.* Finitima quodammodo ei eſt & Paracelſicorum opinio, qui febrim morbum nitri ſulphuris accenſi nominant, atque eſſentiam febris non calorem, ſed ardorem ſulphuris eſſe dicunt, eâ de cauſâ, quòd febris frigidis deleri nec poſſit, nec debeat, ac volunt, vt incendium à calore diſtinguatur, incendiúmque ipſam febrim, calorem verò ſaltem ſignum & indicium præſentis incendij eſſe dicunt.

*Schegkij opinio reiicitur.* Verumenimuerò cùm ſanitas & morbus opponantur, atque eidem ſubiecto inſint: ſanitas verò tantum, quibus ad agendum potentia eſt, attribui poſſit; tales autem ſint ſaltem partes corporis viuentes, quibus anima ineſt, & in quibus, vt ſubiecto facultates, quæ ab animâ fluunt, recipiuntur: hinc patet, ſolùm partes viuentes ſubiectum febris eſſe, id quod etiam doctiſſimi Medici pro principio quaſi habent, ſtatuentes, id ſaltem morbi ſubiectum eſſe, quod eſt facultatum ſubiectum, & à quo perficiuntur actiones, quod ſunt partes viuentes. Cùm autem ſanguis viuens corporis pars non ſit, ſed potiùs corporis viuentis alimentum: pro febris ſubiecto haberi non poteſt, verùm ſolidæ & viuentes tantùm corporis partes genuinum febris ſubiectum ſunt. Neque humores propriâ vi, ſed morbi partis cuiuſque interuentu actiones lædunt. Et ſi citra morbi interuentum actio in aliquâ parte non rectè perficiatur: id tamen non fit læsâ facultate, ſed impeditâ ſaltem, hoc eſt, propter errorem externum. Itaque etſi, vt Schegkius habet, vt expedita ſit corporis ἐνέργεια, non ſolùm agens corpus, ſed & patiens ſecundùm naturam affectum ſit oportet: tamen quia ſanitas non patiendi, ſed agendi potentiâ æſtimatur; ſanitas ſolùm agentibus partibus, non verò patientibus tribuitur, & ſanguis vt & alia, quibus nulla actiones animati corporis exercendi vis obtigit, non niſi impropriè ſana dicuntur, & proinde etiam morbi ſubiectum eſſe non poſſunt. Neque ſi ſolidis tantùm corporis partibus morbum attribuamus, idcirco omnis febris hectica erit. Notandum enim hîc, calorem partibus ſolidis duobus modis ineſſe poſſe, κατὰ σχέσιν & καθ' ἕξιν. Κατὰ σχέσιν ineſt partibus calor is, qui etſi motûs terminum attigit, atque eatenus ampliùs in fieri non eſt, ſed iam factus eſt, ita tamen inhæret, vt ſine cauſa conſeruante & fouente durare non poſſit, id quod in febrib. Ephemeris & putridis accidit. Καθ' ἕξιν verò calor inhærere dicitur, qui & terminum motûs attigit, & partibus tam firmiter inhæret, vt etiam abſque cauſa fouente permanere poſſit, id quod tantùm in hecticis contingit.

*An cor etiã ſit febris ſubiectum.* Ex quâ diſtinctione etiam facilè refutari poteſt Capiuaccij, *lib. 2. de febr. cap. 2.* opinio, vbi ſtatuit, in febre cor non morbi, ſed ſolùm cauſæ morbificæ ſubiectum eſſe, ideo quod cordis operationes tantùm ob errorem externum lædantur, & quòd aliàs omnis febris hectica futura ſit. Etenim etſi vbi ſanguis in corde ſolùm incaluit, ſubſtantia verò cordis nondum intemperiem calidam contraxit, actiones cordis ob errorem externum lædi dicantur, tamen id non accidit in febre. Impoſſibile enim eſt, vbi tantus calor in corde accenditur, vt ex eo in totum corpus effuſus, omnes totius corporis partes ſimilares calefacere poſſit, vt non etiam cordis ſubſtantia ab eo incaleſcat. Neque propterea omnis febris eſt Hectica, quia calor ille non ſemper, vt dictum, καθ' ἕξιν. ſed plerumque κατὰ σχέσιν ſolùm ineſt.

*Paracelſiſt. de febre ſententia examinatur.* Paracelſiſtas verò quod attinet, non diſtinguunt inter cauſam morbi & morbum ipſum, atque illud quod in curatione principaliter & primò reſpiciendum, ſimpliciter pro morbo ipſo habent. Neque Galenici, etſi febris eſſentiam in calidâ intemperie conſiſtere dicant, idcirco febrim ſolis refrigerantibus curari ſtatuunt. Febris quidem, quâ febris, refrigerantia indicat: verùm cùm morbi, ſi cauſas à quibus fouentur, habeant, non tollantur niſi causâ ablatâ, imò cauſa primo loco tollenda, & cura principaliter ad cauſæ ablationem dirigenda ſit: facilè hinc patet, etiam in febrium curatione ad cauſæ amotionem primariò medicamenta dirigenda eſſe; neque vllus Galenicorum docuit, omnem febrem ſolis curandam eſſe refrigerantibus.

Quod verò illam ipſam febrilem cauſam, & nitro ſulphur, quod appellant, & Chymicorum de febris naturâ ſententiam attinet, febres generari dicunt, dum ſulphuri impuro & fœtido mucilagines ac ſpiritus ſalini nitroſi permiſcentur, atque febris generationem hoc modo fieri opinantur. Statis temporibus, aiunt, germinare incipit minera nitroſi ſulphuris, & primò, dum flores ſuperficiales acetoſi, frigidi, mercuriales erumpunt, horrores, rigores, pandiculationes, oſcitationes, & ſimilia ſymptomata inducuntur. His floribus exhauſtis, vapores & ſpiritûs ſequuntur pingues, inflammabiles ſulphuris, qui calorem & reliqua febris ſymptomata inducunt: donec omnibus reſolutis & euacuatis naturæ quies conceditur, ſed cum recidiuæ metu ſuſpecta.

Verumenimuerò ex his omnibus facilè patet, Chymicos hic tantùm intermittentium febrium generationem, quam ſuo loco conſiderabimus, tradere: cùm tamen præter intermittentes aliæ adhuc multæ febres ſint. Cùm ergo in genere de febrium generatione & causâ quæritur, ſi ex ſententia Chymicorum reſpondendum: Sulphur accenſum febris proximam cauſam eſſe, dicendum eſt. Quæ ſententia ſuo modo tolerari poteſt, ſi nimirum dicatur, idem Chymicos ſentire, quod Galenicos, dum ex humorum putredine, ἐκκαύσει, accenſione, aut vt Galenus ſcribit, natiui caloris in igneum conuerſione febrem generari docent. Et ad mentem Chymicorum locutus eſt Fernelius, dum, *Phyſiolog. lib. 4. cap. 3.* ſcribit: *Corpus omne quod inflammari poteſt, olei cuiuſdam eſt particeps, huiúſque ſolius gratiâ conflagrat; quodcumque autem olei eſt expers, flammam non alit. Videbor hoc loco magnũ quippiam, & veteribus inauditum offundere, ſed quod longè ſit veriſſimum, & multis huius ſeculi experientiis confirmatum. Nullum enim corpus eſt ad inflammationem propenſum, ex quo ſincerum oleum arte non elici poſſit. Non adeps, non cera, non pix, non reſina, non terebinthina, non vllum denique ligni ſtirpiſue genus nulla radix, nullus flos, nullus fructus, nullum ſemen, atque in animalibus nulla pars eſt, ſiue os, ſiue neruus, ſiue membrana aut caro; nihil denique in ſtirpium aut animantium genere vitam habuit, quod non poſſit oleum de ſe profundere, aliud quidem affluentius, ſolóque preſſu, aliud parcius maioréque induſtriâ: huius etiam causâ, quæcumque viuunt, inflammari poſſe compertum habemus. Quin etiam inanimatorum genus quæ complectitur inflammationi ſubiecta, eadem quoque oleo ſunt finitima. Nam Sulphur, quicumque metallorum naturas perſcrutantur, terræ adipem vel oleum appellant, quod moderato calore coctum cogitur atque concreſcit. Ergo quæcumque viuunt aluntúrque corpora, pinguem & olei ſimilem continent humorem.* Sed & alia multa, quæ hactenus incombuſtibilia & non inflammabilia credita ſunt, inflammabilia eſſe, Alchymia monſtrat. Quia tamen febrilia ſymptomata

ſymptomata à determinatâ causâ deducenda ſunt; cùm in aliis febribus ſint alia: res magis clara & perſpicua eſt, ſi febrilia ſymptomata, eorúmque generationis modus ex ſpirituum & humorum calefactione, efferueſcentiâ & putredine deducatur. Humorum tamen natura ſi clarius è Chymicis explicari poteſt, id faciendum, vt infra dicetur.

*Quomodo têperamentum corporis in febre mutetur.*

Vt autem hæc, quæ hactenus de ſubiecto febris diximus, adhuc clariora euadant, nihílque dubij relinquatur: Quâ ratione Cor & partes ſimilares vniuerſi corporis, in quas calor è corde effunditur, ſubiectum febris fiant, porrò inquiramus. Sciendum verò, cùm febris morbus vniuerſalis ſit, vt omnes partes eâdem ratione febricitare dicantur, aliquid quod omnibus partibus commune ſit, in febre mutari & alterari. At illud nihil aliud eſt, quàm temperamentum corporis viuentis, ſeu calor ille actualis, qui ex inſito & influente quaſi conflatur. Hic enim cùm in igneum, vt Galenus loquitur, mutatur, & in corde atque vniuerſo corpore intenſior, quàm ad actiones debito modo edendas requiritur, euadit, febris generatur. Licèt autem illa actualis ſeu vniverſalis & communis corporis viuentis calida temperies in omni febri afficiatur, & in omni febricitante, non ſolùm ſolidæ partes, ſed & ſpiritus atque humores à debitâ temperie diſcedant, & calidiores reddantur, tamen hoc non in omnibus fit eodem modo, ſed ratione variâ; vnde febrium differentiæ oriuntur, vt poſteà dicetur. Aliquando calor ille in corde accenſus ſolùm ſpiritus corripit, atque in calefacto eſſe, vt loquuntur, conſtituit; humores autem & partes ſolidæ ſolùm calefiunt, calorémque, ſi incendium illud ſpirituum deſinat, mox deponunt. Aliquando verò non ſolùm ſpiritus, ſed & humores calefacti ſunt, qui quidem illum calorem etiam partibus ſolidis communicant, & actualem partium viuentium caliditatem intendunt, ita tamen, vt calor ille in ſolidis partibus accenſus durare non poſſit, niſi ab incendio ſpirituum & humorum foueatur. Aliquando verò ita viuentes corporis partes excalefactæ ſunt, vt licèt incendium ſpirituum & humorum deſineret, nihilominus illa intemperies partibus ipſis impreſſa perdurare poſſit.

*Hor. Augenij opinio examinatur.*

Hoc loco facere non poſſum, quin Hor. Augenij opinionem examinem, qui Donatum Anton. ab Altomari valde exagitat, & pueriliter lapſum, vel in peruerſam ac verè puerilem opinionem incidiſſe ſcribit; cùm ipſe non minùs erret. Donatus Anton. ab Altomari, *de med. febr. part.* 1. *cap.* 11. febris ſubiectum eſſe calidum innatum, ac ſubſtantiam calidi innati mutari, alterari, & accidentalem caliditatem, quæ febris eſt, ſuſcipere ſcribit. Quæ ſententia, ſi eo quem iam propoſuimus, modo explicetur, non video quid falſi contineat. Etſi enim ſubiectum febris ſint partes corporis viuentes: tamen non aliâ ratione febris ipſis ineſt, niſi quatenus earum temperamentum actuale, quod à calido innato & influente dependet, mutatur, alteratur, & præter naturam in caliditate intenditur. Nam quæ contrà Hor. Augenius, *lib.* 2. *de febr. cap.* 4. affert, non ſunt magni momenti. Licèt enim, ſi ex hypotheſi diſputet, & quaſdam improprias locutiones, quas Altimarus cum quibuſdam Medicis vſurpat, tanquam conceſſas præſupponat, aliquid eius rationes valeant: tamen ſi in genere contra calidum natiuum rectè & dextrè explicatum dirigantur, id quod intenditur, non obtinent.

*Calidum innatum quâ ratione febris ſubiectũ ſtatui queat.*

Primò enim calidum innatum pro ſubſtantiâ ſumptum, ſubiectum febris eſſe non poſſe ideò putat; quia forma ſit corporis, aut certè id quod formæ locum tenet, & proximum animæ inſtrumentum eſt. Verùm nemo eruditorum Philoſophorum vel Medicorum calidum innatum, quod corpus eſt, animam vel formam, quæ incorporea eſt, propriè dixit. Et licèt interdum tales locutiones apud Medicos occurrant: quo tamen ſenſu intelligendæ ſint, dictum, *lib.* 1. *Inſtitut. cap.* 5. At ſi pro animæ proximo inſtrumento accipiatur calidum innatum, quid quæſo abſurdi eſt, ipſum febris ſubiectum dicere?

Deinde contra eandem opinionem hoc affert. Sanitas, inquit, & morbus in eodem ſubiecto ſunt: Ergo ſi febris ſubiectum eſt calidum innatum, quod ſanè nihil aliud eſt quàm temperamentum cordis, imò totius corporis: ſequitur ſubiectum febris eſſe temperiem corporis, atque eandem eſſe ſubiectum ſanitatis; quod abſurdiſſimum eſt. Verumenimuerò quis facilè concedat Augenio, calidum innatum eſſe temperamentum corporis? Ipſe enim ſæpiſſime eodem in loco, & quidem rectè, dicit calidum innatum eſſe ſubſtantiam, temperamentum verò eſt qualitas.

Tertiò dicit, ſi calidum innatum nihil aliud eſt, quàm anima: febris non corpus, ſed animam afficiet; ac Medicus non corpori, ſed animæ præſidia adhibebit. Verùm ad hoc anteà in prima ratione reſponſum.

Quarta ratio, quâ quærit, An calidum innatum totum ſit ſubiectum febris, an aliqua determinata eius pars, vel ſpirituoſa, vel carnoſa vel ſolida, ſatis arguit, Augenio parum perſpectam fuiſſe calidi innati naturam. Nam partes quidem corporis noſtri ex ſolidâ, carnoſâ & ſpirituoſâ ſubſtantiâ componuntur: at quis calidum innatum ex ſubſtantiâ ſpirituoſa, carnoſa & ſolida componi dixerit? Imò calidum innatum nihil aliud eſt, quàm ſpirituoſa illa ſubſtantia, nobiliſſima noſtri corporis, ſeu, vt Scaliger, *exercit.* 280. loquitur: ſcriptum reliquêre ſapientes, nihil aliud eſſe calorem naturalem, quàm ſpiritum, vt etiam *loco allegat* docuimus. Et ob huius ſpiritus inſiti, ſeu potiùs ob caloris, quem pars ex ſpiritu ſeu calido inſito & influente habet, rationem, quælibet pars febri corripi, dum is in igneum mutatur, dicitur.

Quod porrò Quintò quærit, cum calidum innatum ſubiectum febris dicitur, de quo calido id intelligendum ſit; de inſito, an de influente: ad id facilis eſt ex iis, quæ dicta ſunt, reſponſio, Dicimus enim, ſubiectum febris eſſe calidum illud, quod ex inſito & influente componitur; ſeu potiùs partes corporis eſſe ſubiectum febris, quatenus calorem quendam actualem ex inſito & influente conflatum habent, dum ſcilicet is mutatur & intenditur.

*Cauſa febris quæ.*

Cæterùm vt integra naturæ febris habeatur cognitio, & cauſa addenda eſt. Illa autem eſt calor præter naturam in corde accenſus. Nam vt Cor, dum rectè & ſecundùm naturam ſeſe habet, caloris vitalis fons eſt, eúmque in omnia membra diffundit, atque omnium partium temperiem & calorem inſitum tuetur ac roborat: ita ſi præter naturam afficiatur, calorémque alium præternaturalem concipiat, febrilis caloris fons euadit, eundémque facilè toti corpori communicare, & temperiem eius naturalem immutare poteſt. Et vt nullum aliud eſt membrum, quod temperiem actualem calidam illi tribuere, & vitalem in omnibus membris calorem fouere poteſt: ita etiam nullum membrum in corpore eſt, vnde poſſit febris proximè & immediatè accendi, quàm Cor. Nam etſi ſæpe accidat, vt etiam in aliarum partium inflammationibus, aut humoribus in aliis partibus putreſcentibus, febris accendatur, tamen calor ille febrilis non eſt, priuſquàm cordi communicetur, è quo deinceps in totum corpus diffunditur. Cuius rei & illud argumentum eſt, quòd in omni febre in pulſu quædam mutatio accidit: quod non fieret, niſi cor & conſequenter arteriæ afficerentur. Præterea ex nullo alio membro tanta caliditas in corpus diffundi poteſt, ob quam omnes eius actiones lædantur, quàm ex corde.

*Cor febrilis caloris fons.*

*Qualis calor ad febrē excitandam requiratur.*

Sciendum tamen, ad febrem generandam non sufficere quemcumque calorem in corde genitum, ac reliquo corpori communicatum, sed cùm calor, non quatenus calor, febris sit; sed potiùs præternaturalis in toto corpore dispositio, quam calor ille inducit, & cuius ratione corpus ad actnioes naturales ineptum redditur: tanta sit illa caliditas, atque illum terminum attingat oportet, qui ad διάθεσιν illam præter naturam constituendam atque actiones lædendas sufficit. Hinc calor ex irâ concitatus, vel vehementi motu aut balneo accensus, non est pro febri habendus, nisi eum incendij gradum attingat, vt hominis actiones lædat. Ita interdum aliis de causis quædam intemperies calida in corde accenditur, quæ tamen ipsa quoque febris nomen non meretur; nisi calor ille eum gradum attingat, vt actiones lædat. Vnde etiam Auicenna, atque alij practici peculiari loco tractant de calida cordis intemperie, quæ quidem præuia ad febrim generandam est dispositio, &, nisi inhibeatur, in febrim abire potest, tanta tamen nondum est, vt febrem inducat, peculiari etiam loco & seorsim de febribus agunt.

Ne quem autem hic turbet,quod modò dictum,calorem in corde accensum esse causam febris;cùm antea calidam cordis reliquarumque partium, quibus è corde illa communicatur, intemperiem, febris essentiam constituere dictum sit.

*Febris & calor febrilis differunt.*

Obseruandum enim, non esse idem febrem, & calorem præter naturam seu febrilem. Calor enim præter naturam & febrilis ille etiam appellari potest,qui est in humoribus & spiritibus,ac vnus numero in subiectis illis eum deferentibus persistens, in reliquum corpus diffundi potest; qui calor non ipsa febris est, sed febris causa. Febris verò seu intemperies illa calida, quæ febris essentiam constituit, tantùm est in viuentibus & solidis corporis partibus; neque eadem numero est cum eâ, quæ in corde accenditur, aut spiritibus & humoribus inest, sed per alterationem à caliditate, quæ in humoribus & spiritibus est, partibus inducitur. Neque enim accidentibus datum est, vt eadem numero à proprio subiecto in aliud migrare valeant.

Media verò, per quæ calor è corde in corpus reliquum diffunditur, sunt spiritus & sanguis. Hæc enim duo semper vnita sunt, & à corde in totum corpus distribuuntur per eorundem canales, arterias scilicet & venas, promptiùs tamen per arterias. Quamuis enim spiritus & sanguis in vtroque vasorum genere permisceantur, vt nunquam vnum sine altero reperiatur, idque ideò, quod arteriæ & venæ vbique coniunguntur, & vasorum sit quædam conspiratio, ac osculorum communio, calidior tamen, subtilior & spirituosior sanguis in arteriis continetur, quàm in venis; vnde etiam calor febrilis expeditiùs per arterias, quàm per venas in corpus vniuersum diffunditur.

## CAPVT II.

### *De Causis febrium in genere.*

*Cognitionis causarum febres producētiū vtilitas.*

Atque ex his quænam febris natura sit, clarum euasisse putamus, antequam tamen ad differentias febrium accedamus, priùs adhuc in genere quædam de febrium causis & symptomatibus præmittenda sunt. Causarum enim cognitio Medico summè necessaria est. Nam licèt vulgò ignotum non sit, ex labore & lassitudine, ex ira, mœrore, æstu frigore, vigiliis, animi nimia intentione, cruditatibus, ebrietate, crapulâ, siti, inediâ, ex consuetis exercitiis omissis, è corporis plenitudine, cibis prauis, medicamentis calidis, cibisque medicamentosis, & id genus aliis febres accendi: tamen quâ ratione hæ & similes causæ febres generent, non omnibus notum est. Id itaque Medico inquirendum. Etsi enim ab his ad curationem nulla sumatur indicatio, vt pote quæ iam desierint, tamen cùm non vno modo, sed variis febrem hæ causæ producant, ex earum obseruatione inuestigari potest, quænam in corpore ab earum qualibet relinquatur dispositio, quæ febrem gignit & fouet, quam tollere omninò necessarium est: cùm morbus tolli non possit, causâ, quæ ipsum produxit, in corpore præsente. Quæ cùm à variis causis diuersa producatur, etiam diuersa curandi ratio sæpe instituenda. Nimirum si ephemera sit ab æstu, caput rasum rosaceo refrigeratur, atque ita calor ab æstu productus restinguitur. A cutis autem constipatione si febris sit, balneo aquæ dulcis, & iis, quæ cutem laxant, vtendum. Vtile igitur fuerit, non solùm causas manifestas, quæ febres producere solent, nôsse, sed modos etiam quibus eas producunt, & quas singulæ in corpore dispositiones relinquant,inuestigare.

Causam communem & proximam omnium febrium esse calorem in corde accensum, *cap. praced.* dictum est,de quo plura addere opus non est.Id igitur videamus, quænam sint illæ causæ, quæ calorem talem in corde accendunt,& quibus modis id præstent.

Galenus, *de caus. morbor. c. 2.* & *1. de diff. febr. cap. 3.* febris, vt & aliorum morborum calidorum, quinque causas recenset. Motum scilicet, putrefactionem, contactum rei calidæ, corporis constrictionem, seu retentionem calidi effluuij, calidæque euaporationis, denique admixtionem rei calidæ. Quæ tamen causæ non vno & eodem modo febres accendunt, & calorem excitant, sed aliæ per se, aliæ per accidens. *Causæ febris & morborum calidorum.*

Motus, primò quâ ratione calorem excitet, in genere pluribus disputant Philosophi, quæ huius loci non sunt. Quâ verò ratione in corpore humano calorem excitet, res expedita est. Cùm enim spiritus & humores in corpore nostro calidi sint, ex horum, pro animi & corporis vario motu, in partem aliquam pro variâ necessitate, concursu, calorem augeri mirum non est. Motis enim & in partes copiosiùs concitatis & collectis sanguine ac spiritibus, corpori calor intensior ab eorum concursu communicatur. Motum corporis quod attinet, ex eo, si modum excedat, primùm lassitudo solùm oritur, si scilicet priùs soluatur, quam reliquo corpori communicetur. Atsi diutius duret, & plus ad partes confluxerit, quam illæ discutere possint; ac præterea partes illæ ex frequenti collisione incalescant, calorem maiorem, quàm pro naturali habitu concipiunt; qui non solùm tendinibus & ligamentis, sed & venis ac arteriis, tandemque κατὰ συνεχὲς cordi communicatur, & febris inde producitur. Idem fit in animi affectibus & motibus. In irâ enim primò fit quædam caloris in corde efferuescentia, in quâ spiritus commouentur, & quasi tumultuantur, atque ad partes exteriores, vindictæ cupiditate, confertim, feruntur. Ad hanc caliditatem, quæ in illo ipsorum motu accensa est, retinendam si sanguis & spiritus apti sint: accidit, vt etiamsi ira & ille feruor sanguinis sedetur, nihilominus caliditas in corde maneat, & ita febris accendatur. Ad quam rem bilis, præcipuè si in corpore copiosior sit, non parum facit. Nam per iram ea etiam in venis, arteriis, hepate, folliculo fellis, feruet. Hinc nonnullis ira commotis bilis suprà aut infrà reiicitur. Si verò vehementiùs commoueatur & non euacuetur, febres inde excitantur. In metu & mœrore etsi spiritûs potiùs quiescere, quàm violentiùs & imperuosiùs moueri videntur: tamen etiam ab ipsis febres excitari, experientia docet; quod fit, quia in iis sanguis & spiritus vitalis intrò, versùs cor feruntur, atque ita collecti (nisi ex nimiâ condensatione sese strangulent *1. Motus quâ ratione calorem excitet.*

&

& suffocent, vnde homines tristitiâ ac timore emori solent) cor incendunt, quibus accedit motus spirituum animalium ex perpetuâ & nimiâ cogitatione.

*2. Putredo.* Secundò, febrem accendere potest putredo in corpore excitata. Omnia enim, vt Aristoteles, 25. *sect. problem.* 20. habet, quæ putrescunt, calidiora fiunt. Nimirum calor internus in putredine ab externo intenditur, calorque internus iam turbatâ ratione, quam antea ad reliquas mixti qualitates habebat, exiens magis in sensum incurrit. Nam in mixtione ita erat attemperatus, & reliquis qualitatibus amicitiâ quasi deuinctus, vt ferè non sentiretur: quo fœdere in putrefactione rupto, fit sensibilior, suamque actionem magis liberè exerit. Hæc cùm ita sese habeant, cur ex putredine febres oriantur, facilè patet. Attolluntur enim ex corporibus putrescentibus multi calidi vapores, & plures plerumque, quàm vt per insensibilem transpirationem discuti possint. Hinc calor accenditur, qui venis, arteriis, & sanguini in iis contento communicatur. Vnde tandem κατὰ τὸ συνεχὲς calor in corde accenditur. Id quod non tantùm à putredine humorum in vasis, sed etiam extra, atque in inflammationibus, præcipuè dum pus generatur, accidit: inprimis si inflammatio sit magna: aut prope arterias maiores. Propterea ab Hippocrate, 2. *aph.* 47. scribitur: *Dum pus conficitur, dolores ac febres accidunt magis, quàm dum confectum est.*

*3. Rei calidæ contactus.* Tertiò, contactus & vicinia rei siue actu siue potentiâ calidæ, si corpori occurrat, id calefacit, donec tandem succedente calefactione caliditas ista cordi communicatur: vt ij, qui in balneis calidis diutiùs morantur, & qui in Sole aut ad ignem versantur, aut oleis, vnguentis, emplastrísue nimis calidis vtuntur, accidit. Ad quam rem inprimis faciunt venæ & arteriæ. Etsi enim partes intermediæ omnes non incalescant: tamen modò vna nimis incaluerit, facilè per venas & arterias calor cordi communicari potest.

*4. πύκνωσις, seu pororum cutis cõstrictio.* Quartò, ex πυκνώσει & pororum cutis constrictione, ac calidi effluuij retentione febres generari solent. Ita enim in corpore nostro comparatum est vt ex iis, quæ in eo coquuntur, halituosa & fuliginosa excrementa colligantur, & per poros cutis, atque insensibilem transpirationem necessariò excernantur. Præter hoc etiam attracto aëre frigido calidum innatum temperandum est. Si itaque pori cutis claudantur, & effluuium illud vaporum, præcipuè acriorum & calidiorum prohibeatur; id quod ab aëre frigido, aut balneo aquæ frigidæ, vel aluminosæ accidere potest: febres & diariæ & putridæ, iuxta vaporis retenti, & corporis ac humorum conditionem atque apparatum, excitantur. Neque enim semper & statim prohibitum hoc effluuium febres accendit, sed tum præcipuè, cùm in corporibus accidit minùs sanis. Nam si bonus in corpore sanguis fuerit, ex retento illo vaporum effluuio sanguis non ita facilè inquinatur; sed cùm vapores illi suaues ac blandi sint, potiùs ex eorum retentione plethora generatur, & corpus calidius euadit. Cùm tamen vapores illi detenti ob vlteriorem calefactionem acriores redduntur, impossibile non est, quin etiam in corpore bene constituto, ob conclusionem pororum cutis, febris generetur. Condensant autem poros cutis refrigerantia, adstringentia, nec non siccantia immodicè.

*5. Admixtio rei calidæ.* Tandem permixtio rei calidæ febrem generare potest, videlicet cibus & potus calidus, medicamenta calida assumpta, aër quoque calidus inspiratione & per poros cutis attractus. Hæc enim omnia cum humoribus mixta febrem excitare valent, præcipuè in iis, qui sunt sicciore & calidiore temperamento. Siquidem omnis intemperies à suæ intemperiei similibus causis promptè intenditur & augetur: iuuatur autem & in meliorem statum deducitur à modico contrariorum vsu.

Argenterius equidem alias adhuc causas addendas censet; quæ ad has referri non possint, vtpote metum, vigilias, inediam. Sed & hæ causæ ad motum pertinent. In omni enim animi affectu sanguinis & spirituum fit agitatio, siue à corde ad exteriora ferantur, vt in irâ, siue ad cor confugiant, quod fit in metu. In vigiliis etiam spiritûs sunt in motu perpetuo, & quiete ipsis denegatâ incalescunt, & corpus calefaciunt. In fame quoque spiritûs incalescunt, cùm non habeant, vnde reficiantur.

Verumenimuerò quamuis hæc omnia ita sese habeant, & hæc omnia modò recensita febres producere possint, an tamen non adhuc aliud requiratur, sine quo motus, putredo, contactus & vicinia rei calidæ, & rei calidæ permixtio, vix febrem inducere possint, nimirum causa illa, quarto loco antea proposita, calidi effluuij retentio seu insensilis transpirationis inhibitio, perpendendum videtur. Licèt enim calidi effluuij retentio inter causas febris quarto loco rectè proposita fuerit, vtpote quæ sola absque reliquis, ad febrem inducendam sufficit, tamen reliquæ vix absque hac ad febrem inducendam sufficere videntur. Nam quamuis calor in corpore excitetur: si tamen corpus liberè ventiletur & refrigeretur, vix homo in febrem incidet: contra verò si transpiratio, seu calidarum fuliginum exhalatio, corporisque ventilatio, & per aërem attractum refrigeratio impediatur, facilis in febrem lapsus est. Viuimus enim vitam ψυχικὴν, id est semper transpirare necesse habemus, calórque noster semper refrigerationem & ventilationem postulat. Si non transpiramus, non ἀναψυχόμεθα, si non ἀναψυχόμεθα, ἐμπυρέμεθα.

Non autem satis est, nouisse causas, quæ vim febres producendi habent. Sed & corporum ad febres recipiendas aptitudo & dispositio inquirenda. In patiente enim disposito agentium actûs recipiuntur, vt ait Aristoteles, 2. *de an. cap.* 2. *t.* 24. & 26. Et vt Galenus, 1 *de differ. febr. cap.* 4. habet, nulla causa sine patientis aptitudine agere potest. Hinc fit, vt etiamsi plures in eodem aere calido versentur, aut nimium exerceantur, aut cibo & potu calidiore vtantur, aut irâ excandescant, non omnes tamen febre corripiantur, sed vnus vel alter saltem. Post causarum igitur explicationem, videndum, quæ corpora ad febres paratiora sint, seu quæ faciliùs à causis febrem inducentibus alterentur. Etsi enim causæ enumeratæ, si validæ sint, in quouis corpore febrem accendere valeant: tamen in iis, qui dispositi sunt ad febres, etiam mediocris causarum vis idem præstare potest. Magis autem ad febres in genere atque in vniuersum dispositi sunt, qui plurimo calore acri & fuliginoso abundant. Quâ de causâ iuuenes maximè febribus oportuni sunt; minùs senes; deinde pueri. Cùm enim febris sit intemperies calida per se, quæ tamen semper ad siccitatem tendit: absolutè & in genere ad febrem recipiendam sunt paratiora corpora calida & sicca. Vnde Galenus. 8. *meth. med. cap.* 8. ordinem temperierum, vt ad febres recipiendas magis vel minùs dispositæ sunt, ita digessit: *Oportunissima*, inquit, *est ad febres calida & sicca intemperies: Ac nisi quis hanc cibet ocyssimè, in eâ mutatur diaria in febrem acutam. Propinqua huic est, præsertim quod ad febrem attinet, quamuis ad alia sit deterior, calida intemperies & humida. Tertia ab his intẽperies est simplex illa, in quâ oppositio altera rectè se habet, vtiq; quæ ex humido & sicco constat, in alterâ calidum exuperat; quippe oportunior est hæc, quàm cætera, quæ sequũtur, tũ vt in omnibus dictis occasionibus lædatur, tum ex diariis in plurium dierũ febres transeat. Huic proxima est, quæ in calido & frigido debitum modum seruat. Ab hac deinceps media omnium, quæ scilicet mediocritatem in*

*Aptitudo & dispositio corporũ ad febrẽ suscipiendã.*

*vtrâque oppositione seruat. Quatuor quæ reliquæ sunt, intemperies neque facilè febribus occasione dictarum causarum patent, neque diariâ tentatâ, si inediam tolerent, in plurium dierum febrem transeunt: imò aliquæ earum, vbi redundantiam humorum citra corruptionem contraxêre, vtilitatem ex inedia sentiunt, ac potissimum quæ est frigida ac humida: Ab hac, quæ humida est, tertio loco, quæ frigida; quarto loco, quæ sicca & frigida.* Vt totus ordo dispositionum ad febres hic sit, 1. calida & sicca, 2. calida & humida, 3. calida tantùm, 4. sicca tantùm, 5. temperata, 6. frigida & sicca, 7. frigida tantùm, 8. humida tantùm, 9. frigida & humida.

Verùm cùm febrium magna sit diuersitas, neque hominem in genere febris corripiat, sed vel ephemera, vel hectica, vel putrida: etsi in genere hoc modo de corporum ad febres dispositione loqui possimus: tamen tutius est, in specie ista definire ac dicere, ad febres ephemeras, hecticas & biliosas, corpora calida & sicca magis esse disposita; ad pituitosas, frigida & humida; ad melancholicas, frigida & sicca; ad sanguineas, siue cum putredine, siue sine putredine, calida & humida.

## CAPVT III.

### *De Accidentibus & Symptomatibus Febris in genere.*

Actiones naturales lædi in febribus, in definitione dictum est. Verùm cùm magna actionum sit varietas, aliæ sint naturales in specie ita dictæ, aliæ vitales, aliæ animales; & præterea dum læduntur, vel auferantur, vel minuantur, vel deprauentur: quænam actiones in febri, quatenus febris, lædantur, & num ei etiam alia symptomata, & accidentium genera superueniant, videndum.

*Quæ actiones in febre lædantur.* Febris cùm sit intemperies calida, & non alio modo morbus dicatur, quàm quia partium corporis similarium temperamentum mutat, & in caliditate intendit: facilè hinc patet, eas præcipuè actiones in febre lædi, quæ à similaribus partibus, quatenus tales, & beneficio temperamenti, nullâ instrumentariæ partis compositione interueniente, obeuntur.

*Naturalium actionum in febre læsio.* Talis actio cùm sit nutritio, coctio, & aliæ quæ ad nutritionem perficiendam pertinent: in omni febre naturales actiones insigniter læduntur, visio verò, & similes actiones non item. Ad naturales enim solùm temperies concurrit: ad alias verò etsi temperies non inutilis sit, pleræque tamen instrumentariam potiùs compositionem ad agendum requirunt. Quia tamen instrumenta & organicæ partes ex similaribus componuntur: labes illa & actionum offensio ad organicas quoque partes deriuatur, & hinc non solùm naturales, sed consequenter etiam vitales & animales actiones offenduntur. *Naturales actiones quæ.* Quanquam enim in definitione dictum; febrim actionibus naturalibus nocere, tamen sciendum est, naturalis voce interdum genus, interdum modum actionis significari. Genus actionis significat, dum actiones omnes in corpore in naturales, vitales & animales distinguuntur. Modum verò actionis significat, dum præternaturali opponitur: Quâ ratione omnes actiones, siue sint nutritioni dicatæ, quæ in specie naturales appellantur, siue vitales, siue animales, si debito & conuenienti naturæ modo exerceantur, naturales esse seu naturaliter fieri & se habere dicuntur: In qua posteriori significatione procul dubio Auicennas hoc vocabulum in definitione vsurpauit, & nihil aliud voluit, quàm à calore febrili actiones omnes à naturali statu & modo deturbari.

*Vitalium læsio.* Et quidem vitales actiones in febre lædi, manifestum est. Cùm enim febris primariò cor occupet, & per arterias inprimis corpori reliquo communicetur: in omni febre pulsum mutari necesse est, id quod experientia docet. *Pulsûs febriles qui.* Et quidem in omni febre pulsûs eduntur frequentiores, nec non celeriores. Nam cùm vsus & necessitas augeatur, primùm editur pulsus creber, siue valida, siue debilis virtus sit; cùm creber omnium sit facillimus. Quòd si frequentia necessitati non satisfaciat, celeritas accedit. Quod si nec hæc duo satisfaciant, accedit magnitudo; modò virtus non sit debilis.

*Animalis facultatis læsio.* Deinde etiam animalis facultas læditur. In febricitantibus enim totius corporis languor & imbecillitas percipitur. Imò sæpè & aliæ actiones offenduntur. Nam licèt tales actiones non proximè à similaribus partibus edantur, sed ab instrumentariis, quia tamen partes organicæ ex similaribus componuntur, secundariò & ex accidente etiam illæ lædi possunt. Quamuis verò febris quibusdam morbis præsidio esse videatur, vt ex Hippocrat. 2. *aph.* 26. 5. *aphor.* 5. 6. *aph.* 40. & 73. patet: tamen fit hoc ex accidente, quatenus humores, morborum causas, absumit. Ipsa verò febris per se lædit actiones, quia per eam temperamentum partium, proximum facultatis in agendo instrumentum, viciatur.

Quod reliqua symptomata attinet, cùm febris sit calida intemperies, calor naturæ molestus vel foris, vel intus percipitur. Vt enim ab influente calore secundum naturam sese habente calor quidam suauis & blandus in toto corpore excitatur: ita si ille calor intendatur, & igneam quasi naturam concipiat, in corpore calor quidam molestus percipitur. Et cùm ab actionum læsione, vt symptomate primario, reliqua secundaria, qualitates nimirum mutatæ, & excreta mutata proueniant: læsâ nutritione & coctione à caliditate febrili, & excreta, & qualitates corporis à febre etiam variè mutari posse facilè patet.

## CAPVT IV.

### *De Febrium differentiis in genere.*

*Febrium differentia.* Febrium, vt & aliarum rerum differentiæ, aliæ, & quidem propriæ ac principalissimæ, sumuntur ab earum essentia; aliæ verò ab accidentium aliquo. Ac quoniam neque horum ipsorum accidentium est natura vna, sed nonnulla quidem propinquiora, ac magis diuisæ rei propria, nonnulla autem remotiora ac magis extranea sunt: idcircò neque earum, quæ ab iis accipiuntur, differentiarum est genus vnum, vt docet Galenus, 1. *de diff. feb. cap.* 1. Rectissimè autem ij faciunt, qui essentiales differentias, & ex accidentalibus propinquas præcipuè persequuntur.

*Essentiales febrium differentia.* Equidem cùm febris essentia à calore præter naturam dependeat, tres eius differentiæ inde peti possunt: quarum vna sumitur ex eo, quod magis & minùs est. *Febris magna & parua.* Quo in genere solent Medici magnam & paruam febrem nominare, non propriè quidem, vt Galenus, *loco allegato* monet, rei quali nomen quanti accommodantes, hoc tamen facere assueti, non in febribus tantùm, sed in mille aliis rebus, quæ licèt in qualitate subsistant, magnæ ac paruæ dicuntur. Altera differentia petitur à caloris modo motúque, quæ reliquis differentiis dignoscendis maximè inseruit: cuius generis differentias Hippocrates 6. *epid. comm.* 1. *tit.* 29. proponit, dum inquit: *febrium quidem aliæ sunt manui & ad tactum mordaces; aliæ mites; aliæ non mordaces quidem, sed post insurgentes: aliæ acutæ, sed quæ à manu vincuntur.* *Mordax.* Etenim febrilis caliditas tangentibus aliàs mordax, acris & valde molesta apparet, talísque semper manet; seu mordaces febres sunt, quæ manum tangentis mox feriunt, & propter vaporem illum acrem, qui ex putrescente materiâ effertur, quasi pungunt & vellicant, & ita molestæ sunt, vt diu ipsam ferre nequeat.

Mites

*Mites.* Mites verò febres ſunt, non quæ planè nullam tangentibus moleſtiam afferunt, ſed in comparatione ad alias, quæ magis ſunt mordaces, dicuntur mites, quæ calorem ita acrem non habent. Deinde ſunt febres aliæ, quarum calor quidem ad primum tactum acer & mordax valdè non apparet, ſed ſi diutius manus iniecta retineatur, tandem ſe prodit, atque acrem & mordacem exhibet. Aliarum contrà calor celeriter manui ſeſe offert, ſed ſi manus diutius iniecta teneatur, à manu ſuperatur calor, & paulatim remittitur. De quâ re videatur Valleſius, *in comm. in alleg. locum.* Verumenimuerò vix propoſitum fuit Hippocrati perfectam febrium diuiſionem inſtituere, ſed potiùs febrium quandam diuerſitatem & variationem, quæ ad cognitionem febrium faceret, monſtrare voluit.

Ideóque cùm calor, quà calor, febris non ſit, ſed quatenus corpori noſtro diſpoſitionem, ob quam ad agendum ineptum redditur, inducit: differentiæ maximè propriæ, vt Galenus, *loco alleg.* loquitur, ſumuntur à materia, in quâ calor hic præter naturam accenditur. Imò in genere differentiæ maximè propriæ & eſſentiales accidentium ſumuntur à ſubiecto, cui accidit vnumquodque accidens. Accidentium enim eſſe eſt ineſſe: & differentiæ ab inhærentiâ deſumptæ addunt generi conditionem ſingularem & ſpecificam. Ac licèt eſſe accidentium non varietur ex diuerſitate ſubiecti: variatur tamen exiſtentia, à cuius varietate variæ eſſentialéſque differentiæ ſumuntur; inprimis ſi addatur cauſa inhærentiæ. Itaque & hoc loco febris differentias præcipuas petemus ab inhærentiâ in ſubiecto, non prætermiſsâ causâ, ob quam febris ſubiecto ſuo ineſt.

*Febrium alia ephemera, alia putrida, alia hectica.* Talis eſt autem illa famoſa, paſſim vſitata, ac inter reliquas ſummè vtilis ac neceſſaria diuiſio febrium in Ephemeras, putridas, & hecticas. Verùm quomodo febribus eſſentialis ſit, & quodnam eius fundamentum, non omnes rectè explicant; id quod iam videbimus. Primò enim non directè opponuntur hæc tria, ephemera, putrida & hectica. Deinde ſi calor ſimpliciter accipiatur, dicatúrque (quod plurimi faciunt) calorem febrilem aliàs in ſpiritibus, aliàs in humoribus, aliàs in ſolidis partibus hærere: eſſentiales iſtæ differentiæ febris non ſunt. Nam calor iſte præter naturam, prout ſimpliciter præter naturam conſideratur, & per ſua ſubiecta, ſpiritûs, humores, ac ſolida diuiditur, non eſt morboſus, ſed in humoribus & ſpiritibus ſolùm cauſæ proximæ rationem habet: calor verò, qui morboſam corpori diſpoſitionem inducit vnicus eſt, ſaltémque in partibus ſolidis inhæret, atque ab eo ſolùm febrium differentiæ petendæ ſunt. Etſi enim calor in omni febre ſolidas corporis partes occupet, & in omni febre partes corporis ſimilares calidâ intemperie laborent, tamen illa calida intemperies alia ἑκτικὴ eſt, ſeu in habitu: alia σχετικὴ, ſeu in habitudine, vt loquuntur, febríſque alia eſt ἑκτικὴ, alia σχετικὴ.

*Febris alia ἑκτικὴ, alia σχετικὴ.*

*Febris ἑκτικὴ.* Febris ἑκτικὴ eſt, cùm calor ita ſolidas corporis partes occupauit, & ita iis inhæret, vt nullâ causâ fouente indigeat, id eſt, etiamſi à ſpirituum vel humorum incendio non foueretur, nihilominus durare poſſit.

*Febris σχετικὴ.* σχετικὴ eſt, in quâ quidem etiam eſt intemperies calida in ſimilaribus corporis partibus; (hæc enim niſi eſſet, febris non eſſet) talis tamen quæ ita eas occupauit, vt ſi ab humorum, aut ſpirituum incendio non foueatur, per ſe ſubſiſtere non poſſit; ſeu in qua ſpiritûs vel humores incenſi ſunt, in ſolidis autem partibus intemperies calida tantùm in σχέσει eſt, vt ſi illud ſpirituum aut humorum incendium extinguatur, nulla in ſolidis partibus remaneat febrilis intemperies.

Eodem ſenſu, ſed paulò aliis verbis differentiam hanc febrium tradit Galenus, 1. *de diff. febr. cap.* 1. Vel enim ſpiritûs ſaltem calor occupauit; humores autem & ſolidæ corporis partes excalefactæ nondum ſunt, ſed calefiunt, quod fit in ephemerâ febri: vel non ſolùm ſpiritus, ſed etiam humores excalefacti ſunt, ſolida verò ſubſtantia tantùm calefit; quod accidit in humorali febri: vel omnes tres iſtæ ſubſtantiæ & potiſſimùm ſolida, excalefactæ ſunt; id quod fit in hecticâ.

*Exépla, quibus febrium differentia explicantur.* Idem rem hanc exemplis duobus, *loc. allegat.* declarat. Repræſentet lebes vel olla partes corporis ſolidas, aqua in eâ, humores. Fingamus itaque aquam calidam infundi in lebetem frigidum, vt ab eâ lebetis corpus incaleſcat, ſed nondum planè incaluerit: febris putridæ ſeu humoralis exemplum eſt, in quâ humores accenſi & calefacti ſunt; partes verò ſolidæ nondum planè incaluerunt: ab humoribus tamen calidis calorem recipiunt. Fingamus rurſum, in lebetem calefactum infundi aquam frigidam, atque ab eo incaleſcere: exemplum febris hecticæ eſt. Vt verò exemplum febris ephemeræ afferat, iubet nos follem imaginari, qui ita arte confectus ſit, vt in eo aqua contineri poſſit. Hic admoueatur igni, vt aër calidus in eum attrahatur, quo & aqua, & follis calefiant. Hoc exemplum eſt febris diariæ, in qua à ſpiritibus reliquum corpus incaleſcit. Alij hanc differentiam exemplo balnei declarant. In balnèo enim ſunt parietes, aqua, & aër. Si itaque intra parietes calidos aër & aqua frigida effundatur, exemplum hecticæ febris eſt: Si verò parietibus & aëre frigidis calida aqua effundatur, exemplum febris putridæ eſt. Si denique parietibus & aquâ frigidis ſuperueniat aër calidus, febris ephemera repræſentatur. Verùm ſunt iſta ſimilia, quæ idcircò in omnibus etiam non quadrant.

Patet ex his omnibus, calorem febrilem aliàs ex alio incipere, qui accenſus poſtea etiam reliqua calefacit. Facillimus tranſitus eſt caliditatis ab humoribus in ſpiritûs. Humores autem à ſpiritibus non ita promptè accenduntur. Ita partes ſolidæ faciliùs calorem impertiuntur humoribus & ſpiritibus, quàm vt eum ab iis recipiant. Quò enim ſubſtantia eſt tenuior & calidior, eò faciliùs alterationem & calorem ſuſcipit; quò craſſior, eò difficiliùs. Inter hæc tria autem tenuiſſimus eſt ſpiritus: partes ſolidæ craſſæ ſunt; mediam naturam humores habent.

Ne quem autem turbet, quod ſolum in hecticis partes ſolidas calefactas eſſe, in reliquis verò febribus tantùm calefieri diximus, cùm tamen Galenus, *de diff. ſympt. cap.* 1. doceat, morbum eſſe affectum; affectum autem eam qualitatem, quæ ceſſante eo, quod alterabat, in patiente remanet; affectúmque eſſe quid factum, non autem quod adhuc fit. Ex quo videtur ſequi, vel hecticam febrim ſolam morbum eſſe, vel morbum non ſolùm in partibus viuentibus, verùm & humoribus ac ſpiritibus, vt ſubiecto, reſidere.

*Morbus fieri & factus quomodo dicitur.* Obſeruandum enim morbos fieri, dupliciter accipi à Medicis. Primò enim fieri dicitur is morbus, qui nondum eſt, terminúmque motûs, quem dicitur habere, vt ſit morbus, nondum attigit: Factus autem eſt is, qui iam productus eſt. Deinde etiam fieri is dicitur, qui quidem ſecundùm priorem ſignificationem iam factus eſt, & motûs terminum attigit, ita tamen, vt ſine cauſa fouente ſubſiſtere non poſſit: Factus autem is eſt, qui etſi cauſa, à qua productus eſt, ceſsârit; nihilominus poteſt ſubſiſtere, vt *lib.* 2. *Inſtit. p.* 1. *cap.* 11. docuimus. Cùm igitur in omni febre cor & ſimilares partes calefactæ eſſe dicuntur, in prima ſignificatione Factum vſurpatur. Cùm verò in hecticâ febre tantùm ſolidæ partes calefactæ eſſe dicuntur, in ſecunda ſignificatione Factum accipitur.

Aliam huius febrium differentiæ rationem reddit Lud. Mercatus, *l.* 2. *de febr.* Neceſſarium quidem eſſe dicit, in quauis febri ſpirituum, humorum & ſolidorum membrorum calorem alterari, calidúmque innatum affici: verùm non pari ſemper ratione, ſed maximè eam partem calidi innati affici, cuius naturæ eſt febris,

febris, spirituosam in ephemerâ; humidam, in putridâ; solidas, in hecticâ: seu ephemeram constitui, cùm calidi innati spirituosa pars in calefacto esse posita est; humoralem, cùm humidior; hecticam verò, cùm solidior & crassior.

Verumenimuerò iam antea monuimus, etsi corpus nostrum tribus hisce spiritibus, humoribus & solidis constituatur, non tamen eadem etiam ad calidi innati constitutionem requiri. Calidum enim innatum nihil aliud est, quàm spiritus insitus, ad cuius essentiam nonnulli etiam humidum radicale pertinere statuunt. Solidæ verò corporis partes ad constituendam calidi essentiam non pertinent, sed calidum innatum solidis partibus inest, atque per eas diffusum est.

*Febris primaria & symptomatica.* Præter has & alia adhuc est differentia, quæ hoc loco prætereunda non videtur, quâ diuiditur febris in primariam & secundariam, vel symptomaticam. Primaria febris est, quæ nullum alium morbum sequitur, sed à propria causa dependet. Secundaria vel symptomatica est, quæ ab inflammatione alicuius membri oritur; vt euenit in pleuritide, angina, phrenitide, inflammatione hepatis. Galenus aliter paulò proponit hanc diuisionem, & cùm ex suâ, tùm ex antiquorum mente febrim diuidit in febrem morbum, & febrem symptoma. Ita enim, 4. *aph.* 73. scribit: *A febribus malè habere & vexari antiqui dicebant eos, qui sine certa inflammatione, aut abscessu, aut dolore, aut erysipelate, aut vt generatim & vniuersè dicam, absque aliquo membro eximiè præ aliis affecto ægrotabant. Quòd si vel propter lateris, aut pulmonis, aut alius cuiusdam partis inflammationem febricitarent, non iam febricitantes ipsos appellabant, neque febribus vexari dicebat, sed pleuriticos, aut peripneumonicos, aut hepaticos, aut splenicos, aliisue similibus nominibus nuncupabant.* Et ibid, *aphor.* 66. *Hippocrates in febribus solet dicere, pro in morbis febrilibus, quando videlicet febres ipsæ sunt morbus, non partis alicuius quopiam enumeratorum affectuum laborantis symptoma.* Idem docet, *lib.* 1. ad Glaucon. *cap.* 3. & 4. 6. *aph.* 44. *lib.* 7. *aphor.* 42. *lib.* 1. *epid. sect.* 3. *com.* 4. Verùm Auicennas, *lib.* 4. *fen.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. hanc diuisionem non probare videtur. Quæ res fecit, vt Medici inter se dissentirent, & dubitarent, num rectè dicatur, febrem aliam esse morbum, aliam accidens. Cùm enim omnis febris sit eadem naturâ, calida scilic. intemperies totius in corde accensa, & hinc in reliquum corpus diffusa, omnem etiam febrim in morborum numero habendam, & nullam inter symptomata referendam esse nonnulli putant.

*An omnis febris sit morbus.* Verùm hac de re obseruandum, si accuratè loqui libeat, omnem febrem esse morbum, cùm ipsi definitio morbi competat; atque ideò nullam febrem rectè symptoma appellari. Symptomaticas verò febres appellare nihil prohibet, imò distinctionem inter febres primarias & secundarias seu symptomaticas obseruare vtile est. Nam febres primariæ cùm à suis propriis causis pendeant, non verò ab aliis morbis proueniant: peculiaria remedia requirunt: Symptomaticæ contrà cùm ab aliis morbis dependeant, curandi rationem peculiarem ferè non postulant, sed sublato eo, quem sequuntur, morbo, & ipsæ tolluntur. Ita sublatâ pleuritide seu peripneumoniâ, vnà febris, quæ illam sequitur, tollitur. Ideóque symptomaticæ hæ febres propter aliquam similitudinem nominantur. Vt enim symptomata morbos sequuntur, & iis sublatis tolluntur: ita hæ febres à suis morbis dependent, atque iis sublatis cessant, etsi, si earum essentiam spectes, ipsæ etiam morbi sint.

*Febres comitatæ.* De symptomaticis tamen febribus notandum, earum quæ ab antiquis omnes pro symptomaticis habitæ sunt, reuerà plurimas primarias esse, & partium, pleuræ, pulmonis, faucium inflammationes potiùs iis accidere, quàm vt febres ab iis oriantur: quæ febres non incommodè Comitatæ nominantur, de quibus, *lib.* 2. *cap.* 15. dicetur.

Post febrium differentias nonnulli etiam de signis febrium in genere agunt. Verùm peculiarem tractationem id requirere non videtur. Nam pleraque signa potiùs differentiarum, quàm generis sunt propria. Et si quæ sunt talia, pauca sunt & ex iis, quæ suprà, *cap.* 3. *de sympt. & accidentibus febrium* in genere diximus, patent.

## CAPVT V.

### *De Curatione febrium in genere.*

CVm omne, quod præter naturam est, remotionem sui indicet, vt est apud Galenum, 8. *meth. med. cap.* 1. etiam febrem, vtpote morbum remotionem sui postulare, vulgo quoque notum est, qui eâ ipsâ de causâ Medicorum auxilium implorat. Verùm quâ ratione id præstandum sit, illud Medici est consulere. Principiò autem cùm contrariorum contraria sint remedia, & quodcunque mutatur, à contrario mutetur; febris verò intemperies calida sit, & ad exsiccationem corporis tendat: febrem, quà talis, refrigerationem simúlque humectationem requirere, manifestum est. *Febris quid indicet.* Hinc Galenus, 8. *meth. med. cap.* 1. *Febris*, inquit, *intemperiei excessus in caloris abundantia est. Huic ergò ad temperatum via erit per id, quod refrigerat.* Et 11. *meth. med. cap.* 2. *Quoniam vniuersi febrium generis intemperies est calor, per frigiditatem curabitur.* Et, 9. *meth. med. cap.* 14. *Omnis febris, quâ febris, humectatio refrigeratióque remedia sunt.* Atque id ipsum etiam est, quod Hippocrates, 1. *aphor.* 16. scribit: *Victus humidus febricitantibus omnibus vtilis est; maximè verò pueris, & iis, qui tali victu vti consueuerunt.*

Sed quia non hominem in genere, sed Petrum vel Paulum curamus, & febris in hoc vel illo homine curanda est: non satis fuerit, si febri, vt morbo calido, frigida adhibeantur remedia, sed quâ mensurâ id faciendum sit, videndum; ne vel aliquid de morbo relinquatur, si in refrigerando deficias; vel ægrum in contrarium morbum deiicias, si modum excedas. Id autem assequi non licet, nisi temperamentum ægri, antequam ægrotauerit, cognoscatur, & aëris status atque alia perpendantur. Hæc enim recessum à naturali statu demonstrant. Itaque si caloris qualitatem respiciamus, quantò intensior erit calor, tantò magis refrigerante auxilio opus erit. Atque hinc calidiore corpore præditi, dum febricitant, minùs refrigerantia requirunt: frigidiore verò, magis refrigerantia postulant. In his enim maior est recessus à naturali statu, in illis verò minor.

Cæterùm vt homo in genere non curatur, sed febris in hoc vel illo indiuiduo: ita etiam febris in genere non curatur, sed hæc vel illa febris species, v. g. tertiana, quartana, hectica: & propterea de curâ febris in genere multa dicere opus non est; inprimis cùm propter complicationem sibi inuicem aduersantium morborum, causarum, & symptomatum, non semper omnia, quæ indicantur, contraria adhibere, aut ea simpliciter vsurpare liceat. Nam tunc solùm contraria, quæ morbus indicat, ei simpliciter sine vllâ exceptione adhibere licet, cùm morbus solus est. Cùm verò cum aliis rebus præter naturam complicatus fuerit, non semper id, quod morbus indicat, mox exequi licet, sed alia sæpe antea remouere opus est. Id quod in febribus humoralibus accidit, vtpote quæ causam coniunctam habent. In febribus verò ephemeris & hecticis cura febris, quatenus talis, locum magis habet. Vnde Galenus, 9. *meth. med. cap.* 14. *Si sola sit febris*, inquit, *ad refrigerandum humectandúmque omne Medici consilium, velnti ad finem, dirigatur.*

*gatur*.Et,11.*meth.med.cap.2.* ſcribit: *Quoniam vniuerſi febris generis intemperies eſt calor, nimirum per frigiditatem curabitur, ſic vt omnes indicationes inter ſe concordent.* Itaque vbi humor febrem pariens in corpore præſens eſt,is primo loco tollendus erit. In febribus verò ephemeris cùm,vt Galenus 1. *meth.med. cap.*1. habet, ſimplex quidam præter naturam affectus ſit: in iis cura febris, quatenus talis, maximè locum habet, & faciendorum indicatio ex ipſa febre maximè petitur. Ac proinde febres Ephemeras, quæ maximè ſimplices ſunt,& in quibus febris, quatenus febris,curatio maximè eluceſcit,primo loco proponemus.

## CAPVT VI.

### *De Febre Ephemera.*

DVplex eſſe febrium genus, capite præced. dictum. Vel enim calida intemperies, quæ febris eſſentiam conſtituit, κατὰ σχέσιν vel καθ' ἕξιν corporis partibus inhæret. Κατὰ σχέσιν inhæret, cùm febrilis intemperies in viuentibus corporis partibus durare non poteſt, niſi à causâ aliquâ, quæ continuum calorem ſuppeditet,foueatur.Hæc autem cauſa duplex eſt, vel ſpirituum, vel humorum incendium. Quæ à ſpirituum incendio oritur & fouetur febris, ephemera dicitur; quæ ab humorum incendio vel putredine, humoralis vel putrida. Hectica verò febris eſt, quæ tali causâ fouente non eget. Atque ita triplex omnino febrium genus eſt; Ephemeræ, & humorales ſine putredine, Putridæ, & Hecticæ: ad quas omnes febrium ſpecies referri poſſunt.

### *De Febris Ephemeræ naturâ.*

*Febris ephemera.*

De iis igitur ordine iam dicemus, initio facto à febre Ephemerâ. Hæc enim febris breuiſſima, ſimpliciſſima, & curatu facillima eſt. Nam cum à ſpiritibus incenſis fiat, & propterea calor in materiâ tenui, mobili, & facilè diſſipabili ſubſiſtat, ac facilè deferueat: non diu durat hæc febris,ſed ferè diei naturalis ſpatio terminatur; vnde Græcis πυρετὸς ἐφήμερος, Latinis diaria & ephemera appellatur, nomine non ab eſſentia eiuſdem, ſed à duratione petito. Eſſentiam verò

*Definitio.*

ſi ſpectes, definiri poteſt, quòd ſit *febris à ſpirituum vitalium incendio, ſeu ſpiritibus vitalibus calefactis orta & dependens, & ſpatio vnius diei durans.* Licèt enim animalis & naturalis ſpiritus etiam incaleſcere poſſint: tamen antea nulla febris oritur, quàm ſpiritus vitales incaluerint. Nonnulli quidem, vt Iac. Fontanus, *de Febrib. c.*7. nomine ſpirituum hîc intelligunt ſpiritûs infixos & implantatos partibus ſolidis. Verùm malè. Nam ephemeræ febres non ratione eſſentiæ & ſubiecto; quod ſunt partes ſimilares calido cùm inſito tum influente præditæ, ab aliis febribus differunt: ſed modo inhæſionis, & cauſæ ratione,quæ in ephemeris eſt calor ſpirituum vitalium, qui intemperiem calidam in partibus ſimilaribus, quæ eſſentiam febris conſtituit,fouet.

### *De cauſis Febris ephemeræ,*

*Febris ephemeræ cauſa continens.*

Cauſa enim ephemeræ febris proxima & continens, à qua proximè calida illa totius corporis intemperies & morboſa diſpoſitio actiones lædens, ortum habet, eſt inflammatio; ſeu caliditas ſpirituum vita-

*Febris ephemera à putrida & hectica differentia.*

lium in corde accenſorum. Hi enim calefacti vbi in reliquum corpus è corde effunduntur, præternaturalem caliditatem illi communicant, & quidem abſque omni putredine. Hinc & à putrida & ab hectica differt. A putridâ quidem quòd omnis abeſt putredo, neque ab humoribus putreſcentibus ortum habet: ab Hectica verò, quòd calor ille à ſpirituum incendio, partibus ſolidis communicatus nondum in habitum quaſi abiit, ſed à ſpirituum incendio continuè fouetur,atque eo exſtincto ipſe etiam euaneſcit.

*Cauſa euidentes febris ephemera.*

Calor autē ille in ſpiritibus pluribus de cauſis excitari poteſt. Omnes enim cauſæ illæ euidentes, quæ ſuprà, *cap.* 2. enumeratæ ſunt, exceptâ putredine, potentiam habent ſpiritûs vitales calefaciendi, nunc immediatè nunc mediatè per ſpiritus animales, vel naturales. Nam vt dictum, aliquando ſpiritus naturales primùm præter naturam incaleſcunt, id quod in ebrietate & inediâ fieri ſolet; nonnunquam animales, vt in vigiliis, curis: febris tamen ephemera non dicitur, niſi calor ille etiam ſpiritui vitali communicatus fuerit.

Primò ſæpe ex animi perturbationibus, vt triſtitiâ, timore, ſollicitudine, irâ, vigiliis nimiis, nimiaque animi intentione, hæc febris oritur. Deinde corporis motûs nimij, cùm ſpiritûs calefaciant, febres has excitant; vt euacuationes nimiæ, cùm ſpiritus agitent atque inflamment: ſicut etiam ex dolore, fame, ſiti, hæc febris oriri poteſt; cùm iſta omnia corpus exſiccare & ſpiritus imprimis accendere poſſint. Præter hæc cibus & potus calidus calorem in corpore augent, ſpiritúſque inflammant: vt & ebrietas, ac cruditas in corporibus biliosis. Accidit enim in corporibus duplex cruditas. Vna, in quâ alimenta acidam qualitatem acquirunt, quæ in corporibus biliosis minùs frequens eſt, & minùs periculoſa: Altera, in quâ alimenta in nidoroſum & fumoſum humorem conuertuntur, quæ in naturis calidis & ſiccis facilè ſpiritus accendit, & febres generat. Præterea ad hanc febrem producendam facit æſtus nimius aëris, ad ignem mora, balneum nimis calidum; aut quæ calida effluuia prohibent, vt balnea aluminoſa & frigida. Pertinent huc tandem etiam inflammationes adenum & inguinum. Quamuis enim in bubonibus putredo ſit, tamen putrida fuligo cordi non communicatur, ſed quia materia certo & definito loco concluſa eſt, caliditas ſolùm partibus ſucceſſiuè ad cor vſque per alterationem communicatur. Perpendendum tamen hîc Lectori relinquo, an non etiam vapores putridi è bubonibus cordi communicari poſſint. Non enim ita vapores putridi in bubonibus concludi poſſe videntur, vt ad cor penetrare non poſſint. Vnde hæ febres videri poſſunt ſymptomaticæ putridæ potiùs quam Ephemeræ. Si v. pars aliqua nobilis, aut cordi vicinior inflammatione laboret, è qua vapor putridus ad cor penetrare poſſit, id quod in pleuritide, peripneumoniâ & anginâ fieri ſolet: non Ephemera, ſed putrida febris generatur.

*An dentur ephemeræ ex putredine ſpirituum.*

Valleſius, *l.* 5. *controu. cap.*19. aliam adhuc cauſam febris ephemeræ adfert, nimirum putredinem ſpirituum,atque à ſpiritibus fieri diarias febres,vel putreſcentibus, vel ſine putredine ſtatuit. Verumeniuerò an ſpiritus putreſcere poſſint, adhuc in dubio eſt, dicetúrque de eo ſuo loco. Siue enim putreſcant ſpiritus,ſiue ſaltem à cauſa maligna incaleſcant: tamen febres, quæ tum excitantur, non diariæ ſunt, ſed malignæ & peſtilentes; niſi forſan nomen quis potiùs, quàm rem ſpectare velit: & breuis ille morbi terminus eſt à cauſa maligna.

*Qui ad febrē ephemeram ſint diſpoſiti.*

Incidunt autem in ephemeram febrem faciliùs calidi & ſicci; cùm in iis calidæ & ſiccæ fuligines colligantur, quæ promptè incenduntur, ſi vel diutius ieiunent, vel vigilent, vel exerceantur, aut ſimile quid ipſis accidat, quod ſpiritus incendere valet. Et ſi corpus ſit cacochymicum, ephemera facilè in putridam degenerat, humoribus ob calorem illum præternaturalem putredinem concipientibus. Quod etiam facilè accidit, ſi ephemera originem habeat à prohibitâ tranſpiratione, neque adhibeantur, quæ obſtructiones & conſtipationes liberant. Hoc modo enim

enim febris prorogatur, & successu temporis humores putredinem concipiunt, atque ita ephemeræ putrida succedit; inprimis si corpus cacochymicum sit, & humores ad putredinem dispositi. Interdum quoque, præcipuè si corpus sit siccius & inediâ vtatur, in hecticam ephemera degenerat.

### *De signis Febris ephemeræ.*

*Signa febris Ephemeræ.*

Ne autem hoc accidat, & febris Ephemera in putridam vel hecticam abeat, id mox ab initio præcauendum: quod factu difficile non est, modò mox per sua signa cognoscatur hæc febris. Obseruandum autem est, quædam signa appellari inseparabilia, quædam propria, quædam inseparabilia & propria simul. Inseparabilia sunt, quæ affectum significant, & ab eo separari non possunt, & omni, sed non soli competunt, à quibus non licet argumentari affirmatiuè, sed solùm à negatione talium signorum, ad negationem affectûs procedere. Proprium autem signum est, quod soli conuenit, omnibus tamen non conuenit. Proprium & inseparabile est, quod soli & omni conuenit.

Inter signa autem harum febrium Galenus, 1. *de differ. febr. cap.* 7. Primo loco ponit hoc; incipere à causâ procatarctica, euidente & manifestâ. Quod quidem signum inseparabile est harum febrium; verùm non proprium: nam & aliæ nonnullæ febres à causa euidente & procatarcticâ originem habere possunt; & ab irâ, tristitiâ, vigiliis, motu nimio, similibúsque causis non solùm febres Ephemeræ, verùm nonnunquam putridæ vel hecticæ etiam excitantur. Vnde hîc quidem licet argumentari negatiuè: Hæc febris non incepit à causâ procatarcticâ & manifestâ: Ergo non est Ephemera: sed non affirmatiuè: Hæc febris incepit à causâ euidente: Ergo est diaria.

*An omnis Ephemera incipiat à causa euidente.*

Verùm an omnis febris Ephemera à primitiua & manifesta causâ incipiat, ab Authoribus in dubium vocatur; cùm febres Ephemeræ non solùm ab exercitio vehementi, animi perturbationibus, vigiliis, & aliis causis oriantur; sed & propter obstructionem & condensationem pororum cutis, ob cruditates & bubones: quæ omnia ad causas procatarcticas & euidentes referri posse non videntur. Aliique aliter hoc dubium soluere conantur. Nos breuiter respondendum putamus; omnem febrem ephemeram quidem à causa procatarctica prouenire: verùm non immediatè semper & per se, sed nonnunquam per accidens & mediatè, sine putredine tamen. Ita aër frigidus, vel aqua frigida, aut aluminosa causæ manifestæ sunt, sed febrem hanc non generant immediatè, sicut æstus vel similes causæ, sed mediatè, pariendo scilicet adstrictionem & occlusionem pororum cutis, quæ causæ manifestæ non sunt. Ita etiam humores, qui febres ephemeras producunt, à causis manifestis generantur. Sic enim distinguit Galenus, 4. *aph.* 55. *De Ephemerarum, inquit, numero sunt febres illæ, quæ bubones, id est, in collo, alis, inguine, & secundùm aures glandularum tumores sequuntur, à causis euidentibus ortos. Alios verò bubones, qui sine causâ manifestâ ortum habent, verisimile est, vnà cum viscerum inflammationibus accessiones suas habere, atque ideò febres quoque, quæ cum talibus bubonibus fiunt, malas esse necesse est.* Deinde & hoc notandum, à Galeno & aliis Medicis inter causas procatarcticas, potissimùm externas recenseri; quòd præcipuæ inter illas sint & maximè euidentes. Pertinent tamen ad eas aliæ etiam, quæ sunt in corpore; modò sint euidentes. Euidens enim non internæ opponitur, sad latenti & abditæ: de quâ re videatur Instit. *lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 1.

Vbi ergo Medicus iam edoctus est, febrem aliquam à causâ euidente & manifestâ incepisse, inseparabilia illa & simul propria signa consideranda: quorum præcipua petuntur ab vrinâ & pulsu. Maxima enim, vt Galenus, 1. *ad Glau. cap.* 2. habet, in omnibus febricitantibus signa, in pulsibus & vrinis consistunt.

*Vrina in Ephemeris qualis.*

*Secundò* itaque vrinæ statim in principio talis febris in colore, substantiâ & contentis, vrinis sanorum sunt simillimæ, & mox aut sedimentum bonum, aut enæorema, aut nubeculam exhibent, & omnino bene coloratæ sunt. Nam calor ille præternaturalis præcipuè in spiritibus hæret; humores verò corrupti ac accensi non sunt: neque etiam solidæ corporis partes, à quibus omnes actiones proficiscuntur, multum à statu naturali recesserunt. Fieri ergo aliter non potest, quàm vt vrinæ iis, quæ secundùm naturam sunt, sint simillimæ, aut certè ab iis non multum recedant; nisi aliud vitium accesserit, quod in Ephemeris, quæ ex cruditate proueniunt, fieri solet. In his enim vrina apparet cruda & albidior; quod tamen non fit ob febrem, sed ob cruditatem & defectum coctionis; ob quem, etsi nulla adesset febris, nihilominus vrina cruda esset. Et tunc nisi calor remittatur, facilè Ephemera in putridam degenerat.

*Pulsus in ephemeris.*

*Tertium signum* à pulsu petitum etiam inseparabile est, & proprium. Vt verò vrina in Ephemera febre, ita etiam pulsus naturali propior est, quàm in aliis febribus; nisi quòd in magnitudine, celeritate & frequentiâ intendi solet. Licèt enim in Ephemera febre diastole maior & celerior sit, quàm systole, eâ de causâ, quòd spiritus saltem inflammatus est, calórque supra modum auctus, & propterea caloris ventilatio ac maior refrigeratio requiratur: tamen cùm calor sit purus, nullaque fuliginosorum excrementorum copia adsit, systole non mutatur, & præter celeritatem, magnitudinem, frequentiámque, in diastole nulla inæqualitas adest, & præterea istam æqualitatem toto durationis tempore retinet, quod in nullâ putridâ febre accidit. Si tamen alius concurrat affectus, ea proculdubio in pulsu mutatio coniungetur, quæ illi affectui propria est. Vt si quis in febrem ephemeram incidat ex nimiis vigiliis, labore, fame, quæ omnia virtutem debilitant; proculdubio etiam pulsûs minores reddentur; causæ scilicet febrim producentis potiùs, quàm ipsius febris ratione. Vbi verò febris decessit, habet hoc peculiare febris Ephemera, vt pulsus mox ad statum naturalem redeat, & talis omnino reddatur, qualis in sanis deprehenditur; quod in nullâ febre putridâ accidit, in quibus etiam intermissionis tempore inæqualitas quædam, putredinis humorum vestigium, animaduertitur.

*Calor in Ephemeris qualis.*

*Quartum signum*, quod etiam inseparabile & proprium est, ab ipsius caloris conditione sumitur. Calor enim in febre Ephemerâ est mitis & suauis, respectu aliarum febrium. Etsi enim, si cum calore naturali comparetur, nonnihil molestus sit, & auctior deprehendatur, talis scilicet, qualis vel in iis, qui laborârunt, vel in ebriis deprehenditur, tamen cum aliis febribus collatus, blandus ac suauis est. Residet enim in materiâ tenui miniméque acri. 4.

Et quidem in ipso etiam statu & vigore calor moderatior est: vnde τὸ τῆς ἀκμῆς ἐπιεικὲς, seu caloris in vigore benignitas, pro *quinto signo* habetur: quod licèt inseparabile & proprium non sit, neque mox ab initio adsit: tamen in statu ad discernendam Ephemeram ab aliis febribus optimum signum est. 5.

*Sextò*, etiam modo inuasionis differt ab aliis febribus. Inuadit enim sine frigore, horrore & rigore. Nulla enim adest materia, quæ partes neruosas ac membranosas vellicet. Et licèt interdum vapor aliquis acrior horrorem parere possit: is tamen leuis omnino. Deinde in calore & pulsu ascensus & augmentum est liberum & æquale; cùm nulla præsens sit materia, quæ inæqualitatem aliquam afferat, calórque ad interiora nec reuocetur, nec opprimatur, 6.

nec

nec in exitu impediatur; id quod in putridis quibusdam accidere solet. Nam etiam in putridis omnibus hoc non euenit,sed in quibusdam,vt in continentibus, calor nunquam recurrit, nec pulsus contractus apparet, neque necessariò inæqualis. Vnde hoc signum inseparabile quidem est,sed non proprium.

7. *Septimò*, declinatio huius febris fit cum madore, seu humidâ euaporatione, sudori sanorum simili. Nam cùm in hac febre Spiritûs, vt & vniuersum corpus, incalescant: ex attenuatis, & ad cutem euocatis humoribus mador aliquis in cute apparet, non aliter, quàm ab exercitio paulò maiore in sanis etiam corporibus sudor erumpit. Madorem autem illum perfecta ἀπυρεξία sequitur, vt nullum post declinationem febris relinquatur vestigium, sed pulsus planè sit talis, qualis in iis qui sani sunt deprehenditur, & alia quoque, si quæ adfuerunt, symptomata cessant; id quod, vt etiam anteà dictum, in aliis febribus non accidit, cùm in iis etiam post declinationem, in pulsu relinquatur vestigium. Imò licèt omnia Ephemeræ febris reliqua signa adsint, tamen si sine sudore omni desinat & perfecta ἀπυρεξία non succedat, sed febris aliquod vestigium relinquatur,febrem ephemeram in aliam febrē permutari,indicio est; quod vel errore ægri,vel Medici accidere potest.

*Febrium Ephemerarum in alias degeneratio.*

Nam si corpus siccius & calidius sit, febrisque à causis exsiccantibus, puta labore, vigiliis & similibus ortum habeat, atque tum victus tenuior exhibeatur, aut etiam corpus non satis humectetur: Ephemera in hecticam transit. Si verò corpus sit plethoricum aut cacochymicum, & cibus copiosior adhibeatur, vel medicamenta adstringentia vsurpentur, aut omittantur aperientia, prohibitâ transpiratione febris putrida excitatur.

*Signa causarum in Ephemeris.*

Atque hæc sunt febrium ephemerarum signa communia. Verùm cùm, vt antea de pulsu monuimus, illa interdum nonnihil secundùm causarum varietatem varientur, & varietatem causarum ob curandi rationem perspectam habere summopere sit vtilia: signa etiam causarum in specie subiungemus breuiter: cùm ex relatione ægri rectissimè cognoscantur. Ab animi affectibus si fiat febris Ephemera, communiter vrina est rubicundior. In specie, qui ex ira febricitant, pulsum habent magnum, crebrum & vehementem; calor non est mordax, sed copiosus & blandus. In irâ enim sanguis copiosior cum spiritibus ad exteriora mittitur. Contrarium accidit in iis, qui ex animi tristitiâ, hac febre corripiuntur. Pulsûs enim in iis sunt parui, tardi, languidi ac rari: calor est acrior potiùs, quàm copiosior: corpusque extenuatur, atque oculi concaui, redduntur,& insolita quædam decoloratio apparet. Quod etiam in iis, qui ex animi nimiâ intentione & curis in febrem hanc incidunt, contingit. Verùm in his minor, quàm in iis, qui ex tristitiâ febricitant, corporis extenuatio, oculorum cauitas, & decoloratio faciei apparet. Verùm ex oculis, sicut etiam in sanis omnes affectûs, facilè hæc animi pathemata discernuntur; oculique fenestræ quasi sunt animi. Qui ex vigiliis febricitant, iis facies est humidior, oculorumque motus grauior, ac vix palpebras attollunt, atque in palpebris etiam est humiditas quædam. Qui autem ex lassitudine laborant, eorum cutis est siccior, quàm in ephemeris ex aliis causis ortis.Nam ex labore & motu humiditas corporis absumitur. Et hoc quidem omnibus, qui ex labore nimio & lassitudine in hanc febrem incidunt, commune est vsque ad statum. Post statum verò in iis quidem, qui supra modum defatigati non sunt, ex profundo corporis humidus vapor ad ambitum erumpit, vnde cutis humida redditur. Si verò motus nimius fuerit, & maxima humorum copia per eum exhausta sit, siccitas etiam declinante febre permanet. Si ex cutis constrictione febris oriatur, vel tactu id cognoscere licet. Nam cutis est durior & compactior, calorque primò quidem mitis apparet, ob pororum occlusionem, sed si cutis diutius tangatur, poris patefactis postea augeri animaduertitur. Vrinæ etiam his rubicundiores sunt, neque moles corporis concidit, neque oculi caui fiunt. Si ex bubonibus febris Ephemera fiat, pulsûs sunt maximi, veloces & frequentes, non verò inæquales. Mouendi enim instrumentum impeditum non est, sed solùm necessitas & vsus adauctus: Calor est multus & suauis; facies rubet.Quæ tandem ex nimiâ repletione fiunt febres ephemeræ, habent symptomata, qualia Synochæ sine putredine. Eorum enim oculi & facies rubicundior est,pulsus magnus & velox,vrina rubicundior.

## *Prognostica.*

*Prognostica.*

Sunt autem Ephemeræ omnes suâ naturâ breues, imò vt plurimum breuissimæ, quæ scilicet vltra diem naturalem seu 24. horas non extenduntur: ex se item atque suâ naturâ omni periculo vacant; modò error aliquis non committatur; si scilicet in temperamento calido sicco inedia vel purgatio instituatur, si in temperamento calido & humido purgatio vel venæ sectio omittatur, cibus copiosus & acris præbeatur, corpus aëri frigido obiiciatur. Pro diuersitate autem causarum, à quibus producuntur, faciliùs vel difficiliùs tolluntur: & quæ difficiliùs tolluntur, in iis metus est, ne in putridam degenerent. Animi affectûs subiti spontè ferè cessant: at corporis lassitudo & à caliditate inducta intemperies diutius durat, diutius adhuc cruditates, cutis densitas, & obstructio. Causæ enim hæ non solùm simplicem intemperiem calidam excitant, sed & vitiosos humores in corpore, vel generant, vel retinent, & propterea putridam febrim minantur.

*Ephemera in aliam febrem degenerantis signa.*

Porro si Ephemera vltra diem naturalem extenditur, nullus sudor erumpit, aut post sudorem 24. horarum terminum excedit, aut si dolor capitis ephemeram comitetur, isque perseueret: vel in Synocham sine putredine, si corpus sit iuuenile, plethoricum, tempus vernum; vel in putridam mutatio metuenda, si incidat in corpus cacochymicum. Nisi enim quod vitiosum est, penitus transpiret, vt putrescat, necesse est. In hecticam verò, si corpus sit calidum, siccum, rarum. Atque ipsa etiam febrium signa propria, in quam febrim fiat mutatio, monstrant, Nam si dolor capitis, corporis grauitas, vrinæ tinctæ & crudæ, & alia putridæ signa perseuerent, in putridam degenerare indicio est. Si verò arteriæ ad tactum cæteris partibus calidiores apparent, febrisque in eodem statu semper manet, & calor post cibum, & dum assumitur cibus, augetur, & in pulsu cum æqualitate durities & paruitas obseruatur, ac reliqua hecticæ signa adsunt, in hecticam mutari argumento est.

*Ephemera in hecticam degenerantis signa.*

## *De Curatione Ephemeræ.*

*Indicationes in Ephemera.*

Vt autem Ephemera rectè curetur, tria Indicantium genera, vt & in omni morbo, perpendenda sunt; Morbus ipse, causa morbi, & virtus; è quibus tamen hîc sola curatoria Indicatio, quæ à morbo petitur, præcipuè respicienda. Nam cùm febris Ephemera ferè causam internam non habeat, etiam indicatio præseruatoria in eâ locum non habet, febrisque Ephemera simplex quidam affectus est, & in eâ, vt Galenus, 10. *meth. med. cap.* 1. habet, faciendorum indicatio ex ipsâ febre maximè capienda. Sed cùm hîc aliquis dubitare possit, annon etiam hîc indicatio præseruatoria locum habeat; cùm febris Ephemera σύνοχος sit, & à spirituum incensorum feruore, vt causâ continente, dependeat: sciendum, cùm

*Indicatio præseruatoria vnde petatur.*

cùm dicitur, à causâ sumi indicationem præseruatoriam, id saltem de causâ antecedente esse accipiendum; causa verò continens cùm definitionem morbi ingrediatur, & iam præsentem morbum foueat, non verò futurum productura sit, indicationem curatoriam præbet. Nam cùm ægrotantia corpora, quando morbo liberantur, curari propriè dicantur; sublatâ autem causâ continente morbus tollatur, sicut eâ positâ ponitur: meritò à causa continente indicatio curatoria sumi dicitur. Præseruatoria autem Indicatio ad causam, quæ morbum factura & auctura est, dirigitur. Calida nimirum intemperies totius cum feruore spirituum coniunctim accipitur; & cum dicitur, febrem ephemeram refrigerantia, & consequenter humectantia indicare, non absolutè solum ad intemperiem partium solidarum respicimus, sed coniunctim etiam ad calorem & feruorem spirituum. Causæ verò externæ & euidentes, si adhuc præsentes sint, opus est vt remoueantur, & æger earum actionem nimiam vitet. Indicationem verò vitalem quod attinet, rarò, vt Galenus, *meth. med. cap. vlt.* docet, in Ephemeris indicatio à viribus sumitur. Etsi enim eæ in hac febre negligendæ planè non sint, tamen plerumque tam robustæ & vegetæ sunt in hoc morbi genere, vt si eas cum morbo conferas, non opus sit, vt Medicus sit valde de iis sollicitus.

*Causa continentis indicatio.*

Intemperies itaque illa calida totius à feruore spirituum incensorum dependens, inprimis hîc Medico consideranda, & ad illam curatio dirigenda. Si tamen accidat, vt causa morbum excitans adhuc præsens in corpore sit, & illa tollenda est; quæ prout varia est; ita varia agenda sunt. Nam si ex calidorum vaporum retentione, ob poros cutis occlusos, febris accendatur, eos aperire oportet. Si causa sit cruditas, ea concoquentibus tollenda: Si alia, & illa amouenda. Hæc cùm ita se habeant, facilè hinc patet, à tali febre multum periculi non imminere, easque facilis curationis esse, quas natura, vtpote robustior, plerumque etiam suâ sponte eiicit: vnde rarò ad febres has curandas vocantur Medici.

Veruntamen licèt rarò ob febres ephemeras Medicorum auxilium imploretur, accidit tamen interdum vt viri principes, aut, qui aliàs suæ sanitatis curam diligentiorem gerunt, quamprimùm minimâ corporis parte dolent, aut aliquam in corpore mutationem sentiunt, Medicum consulant, cuius officium est, & nôsse, quid remedij hæc febris, si opus sit remediis, requirat, & inprimis in id intentum esse, ne, quæ simplex est, in ephemeram plurium dierum abeat, aut in putridam, vel hecticam mutetur, ac ne morbus per se minimè periculosus in grauiorem degeneret.

Proinde vt rem paucis comprehendamus, præsidia quæ ad refrigerandum & humectandum hîc vtilia sunt, duobus ferè capitibus Antiqui includebant, Victu & Balneo. Remediis verò accuratioribus vix opus est, nec temerè vel purgantibus, vel venæ sectione æger molestandus.

*Victus* ergo sit refrigerans, & humectans; facilis coctionis, boni succi, vt cremor hordei, carnes vitulinæ & hædinæ, quæ pro occasione lactucâ, acetosâ, buglossâ, succo citri, aceto, alterari possunt. Cauendū est ab oleo & pinguibus, quæ facilè inflāmantur.

*Victus in Ephemerâ.*

Potus sit aqua hordei vel cereuisia tenuis, vinum item colore album, substantiâ tenue, quod coctionem adiuuet, & vrinas, & sudores promoueat. Et quidem vigiliis ac curâ confectis, id liberalius concedendum, vtpote quibus spiritus exhausti sunt, quos vinum facilè reparat. Quibus tamen caput dolet, ij omnino à vino abstineant; sicut & ij, qui ex irâ in febrem hanc inciderunt: cùm magnus in iis sit sanguinis & humorum feruor: nisi omnis illa animi perturbatio iā sedata sit. Abstineant etiam à vino, qui ex bubone in hanc febrem inciderunt. Auget enim vinum humorum fluxum.

*Balneum* quod attinet, antiquis quidem, vt apud Galenum passim videre est, illud in hoc morbi genere, vt & pluribus aliis, fuit familiarissimum; sicut hodie quoque Ægyptij non solùm ad sanitatem tuendam, sed & ad varios morbos sanandos balneo frequentiùs vtuntur, vt refert Prosper Alpinus, *lib. 3. de med. Ægypt. cap. 19.* Verùm in balneis parandis non eadem apud nostros adhibetur industria, nec homines nostri ita balneis assueti sunt: præterea maxima hominum pars in victu errores committit; vnde in ventriculo & intestinis crudorum humorum copia cumulatur: quâ de causâ tutò, ac si pura essent corpora, balneum adhibere non licet, ne humores in corpore contenti agitentur & inflammentur. Ac proinde loco balnei aliis remediis tutioribus, quę idem pręstare possunt, vtendum.

*Balneum in Ephemera.*

Cæterùm cùm causarum, quæ febres ephemeras excitant, aliqua varietas sit, quæ diuersas etiam dispositiones corporibus inducunt, è quo causarum genere febris ortum habeat, in curatione attendendū, & semper causis euidentibus febrem gignentibus resistendum, v. g. si à nimio aëris calore inducta febris sit, in aërem frigidiorem æger est transferendus, & cibus refrigerans, & humectās offerendus. Si à labore & motu nimio proueniat, quies imperanda, & labore dissipata corporis substantia vberiore cibo, sed coctu facili, reparanda. Et quidem qui temperatura corporis calidiore sunt, eos statim cibare expedit; ne Ephemera in putridam vel hecticam abeat. Si à vigiliis orta sit febris, somno indulgendum: si à fame, cibus dandus: si ab irâ, tristitiâ, curâ, affectûs ij moderandi, & animus ad contraria deducendus est, victusque refrigerans & humectans iis præscribendus, vt antea dictum. Per quæ, sine omni medicamentorum ope, febris ista, naturæ auxilio spontè discutitur.

*Causarum in ephemerâ amotio.*

Maiorem autem paulo diligentiam requirunt Ephemeræ, quæ ex cutis densitate vel obstructione, aut cruditate ventriculi oriuntur. Hæ enim facilè & leui occasione, sæpe etiam nullo errore commisso, in putridas abeunt. Obstructio primò cutis rarò quidem febrē ephemeram, sed plerumque humoralem excitat. Id tamen si fiat, non tam ab ipsâ obstructione curatio inchoanda, quàm à morbolo apparatu. Et cùm obstructio, quæ ephemeram excitat, potiùs proueniat à copiâ humorū, quàm à cacochymiâ (hæc enim si adesset, statim putrida procrearetur) mox sanguis imminuendus est, vt obstructio, vel statim soluatur, vel humores liberius ventilari possint, donec aperiētibus medicamentis obstructio planè tollatur. Verùm quia ista febris magnam cū febrium Synocharum curatione cognationē habet, ex earum curatione & huius curatio postea clarior euadet.

*Ephemera ex cutis angustiâ curatio.*

Cutis densitas à duabus causis oritur, vel à frigore aut astringente re aliquâ, vt balneo aluminoso, vel à rebus valde siccantibus, quales sunt æstus Solis, calor ignis magnus, labor vehemens. Quæ ex frigore vel adstringente re ortum habet febris ephemera, ea (si nullus adsit in corpore morbosus apparatus, qui venæ sectionem desideret) curatur iis, quæ cutem rarefaciunt & aperiunt, vt, prohibito vaporum effluuio viæ rursum aperiantur. Antiqui in hoc febris genere felicissimè vtebantur balneo: Verùm, vt dictum, nostrorum hominum corpora iis tutò non committuntur. Quapropter, aliis tutioribus auxiliis vtendum, mollibus scilicet frictionibus, oleis tepidis & temperatis corpus inungendum, sudoresque prouocandi. Qui verò ex causa, quæ vim habet corpus exsiccandi, febre corripiūtur, cùm cibo, tum potu refrigerante & humectante vtantur. Frictio non conuenit, nisi lenis & blanda: corpus fouendum potiùs oleis temperatis & humectantibus. Corpus etiam bene tectum seruandum, ne aëris frigidioris appulsu pori magis claudantur.

Tandem

*Ephemera ex cruditate curatio.*

Tandem cruditatem quod attinet, duplex illa est: Vna ex calore diminuto, altera ex calore præter naturam aucto: Illam Medici cruditatem acidam; hanc nidorosam appellant. In acida enim cruditate in acidum humorem cibi vertuntur, ægri sentiunt acidos ructus, acidúmque saporem percipiunt & pituitam vomunt. In nidorosa verò cruditate, nidorosum quid è ventriculo ascendit. Illa, vt dictum, fit ob caloris inopiam, quæ accidit vel ob nimiam cibi copiam, quæ calorem debilitat; vel ex nimia frigiditate. Nidorosa verò fit ob caloris exuperantiam. Alimenta tamen quædam etiam suâ naturâ, præcipuè idoneum nacta ventriculum, facilè in nidorosum quid abeunt, vt oua frixa, pisces frixi, mel, lac, & similia. Corruptionem etiam facilè subeunt fructus fugaces; persica, fraga, mora, melones, cucumeres, &c. In hac ventriculus distenditur, caput vaporibus repletur & dolet, corpus ignauum redditur. Acidam cruditatem, quod attinet, ex ea raro quidem, vt Galenus 8. *meth. med. cap.* 5. docet, febres Ephemeræ accenduntur. Si tamen id accidat, & leuior illa sit, nondúmque materia planè aciditatem concepit, sed potius cibus semicoctus & crudus est, & talis, qui à natura in meliorem statum deduci possit, danda est opera, vt cibus ille semicoctus concoquatur. Propterea corpus somno & quieti dandum. A somno cibus facilis coctu dandus, ventérque oleo mastichino, absinthij, menthæ inungendus. Si autem maior cruditatis copia adsit, vt nauseam pariat, aut alias æger ad vomitum procliuis sit, rectissimè fit, si cibus ille crudus vomitu reiiciatur, & postea æger dormiat, atque ab omni cibo abstineat. Ita enim rectissimè cruditates illæ corriguntur. At si frigiditas maior sit, atque diffidamus ventriculi calorem cibo concoquendo sufficere: oleis prædictis ventriculus fouendus & panis albus vino odorato irroratus, & puluere cinamomi, vel speciebus aromatici rosati conspersus, vel Zingiber conditum exhibendum; & si opus fuerit, vbi cibus ad intestina descendit, clyster iniici potest. Quòd si cruditas eòusque progressa sit, vt cibus iam in acidum degenerauerit, coctione solâ is non corrigitur, neque bonitatem pristinam recuperare potest. Ergo optimum est, vt vomitu reiiciatur, aut si id faciIè fieri non possit, medicamento saltem primas vias expurgante è corpore excludatur. Febre cessante, postea ventriculus roborandus erit. Quòd si cruditas nidorosa fuerit, frigidis sumptis eius concoctioni studendum: quibus si non emendatur, vel vomitu cibus reiiciendus, vel mox antequam in venas distribuatur, manna, Syrup. rosar. vel violar. solutiuo, rhabarbaro vel similibus per aluum euacuandus. Quòd si morsus aliquis in ventre adhuc supersit, abstergenda materia absinthio, & ventriculus roborandus rotulis diarrhod. Abbat. Extra verò venter inungendus oleo rosaceo, mastichino, absinthij, &c. Cibi verò succo agrestæ, acetosæ, citri, &c. condiendi.

*Diatrion pipereon an in cruditate cõueniat?*

Vnum hoc loco monendum de vsu medicamenti, quod à triplici pipere Diatrion pipereon vocant, & in febribus ephemeris ex cruditate ortis commendant. Vulgatum est illud medicamentum, & hodie etiam notum potatoribus à crapula malè habentibus, & præscripsit illud Galenus, 8. *meth. med. cap.* 5. Verùm Galenum reprehendit Alexand. Trallianus, *lib.* 12. *cap.* 14. & mirari se scribit, quòd Galenus calidum medicamentum hoc calido affectu laborantibus & nidorosam cruditatem à calore patientibus præscripserit Ioh. Herculanus, *in Auicennæ lib.* 4. *fen.* 1. *tract.* 1. *cap.* 53. duobus modis dubium hoc soluere conatur. Primùm dicit, Galenum & Auicennam hoc medicamento vti, quando cibus corruptus est ad acetosum, & corruptio facta à frigida intemperie. Verùm etsi hoc etiam Alexand. Trallianus fieri velit, & diatrionpipereon & alia calefacientia medicamenta rectè viurpentur, quando non à calidâ sed à frigidâ intemperie cruditas facta: tamen si Galeni mentem attendamus, ille etiam in nidorosa cruditate diatrionpipereon admittit. Aliam igitur solutionem adfert Herculanus, quæ & textui Galeni respondere videtur, nimirum ideò adhiberi, vt si corruptus cibus sit in ventriculo, ac vomitus difficilis sit, corruptus cibus ad inferiora præcipitetur, & per aluum excernatur, ac siquid crudi supersit, coquatur. Verùm tutius forsan fuerit, aliis commodioribus & minùs calefacientibus cibum illum corruptum ad inferiora promouere.

Quòd si accidat, vt venter sponte fluat, (nonnunquam enim diarrhœa ex cruditate oritur) non tamen nimiùm fluxerit: abstergenda materia illa Syrup. rosar. sol. mannâ, fol. senæ, rhabarb. & hinc ad ventris roborationem per oleum absinthij, mastichinum, Cydonior. &c. deueniendum. Quòd si venter iam nimiùm fluxerit, vt virtus iam sit debilitata, mox ad virium roborationem veniendum. Atque vtile hîc est, intùs quoque confortantia ventrem sumere, vt conseruam rosar. antiquam, Syrupum & carnem cydoniorum condîtam, ac similia.

Plura qui de hac febre curanda legere cupit, consulat Galenum, 8. *meth. med.* vbi de febris Ephemeræ, secundùm omnium causarum diuersitatem, curatione prolixè agit, & Auicennam, *lib.* 4. *fen.* 1. *tr.* 1. prolixè etiam secundùm omnium causarum differentias de febre Ephemerâ agentem, Aëtium, *tetrab.* 2. *Serm.* 1. *cap.* 39. & seqq. Paul. Æginetam *lib.* 2. *cap.* 16. Alexand. Trallian. *lib.* 12. *cap.* 1. Actuar. *lib.* 3. *meth. med. cap.* 16. Oribas. *lib.* 6. *Synops. cap.* 6.

## CAPVT VI.

### *De Ephemera plurium dierum, & Synochâ sine putredine.*

Atque hæc, quæ de Ephemerâ diximus, de legitimâ & propriè dictâ maximam partem accipienda sunt, id est, de eâ febre, quæ & naturam & nomen ephemeræ propriè habet, Seu quæ à spirituum solùm vitalium in corpore incendio, citra alterius rei in corpore mutationem, ortum habuit & propterea vnicum saltem diem durat. Est verò adhuc febris ephemera illegitima, de qua iam dicendum; quæ & ipsa quidem nec hectica est, nec putrida, & propterea ad ephemeras refertur: quia verò vltra diem extenditur, ab antiquis, appellationis, vtpote, quæ de essentia talium febrium non sit, non ita magnâ habitâ ratione, & in defectu conuenientioris nominis, & ipsa ephemera, sed cum adiectione, plurium dierum, nominatur. Vulgò etiam σύνοχον πυρετὸν (de quâ appellatione suo loco dicetur) sed ad differentiam putridarum, sine putredine appellant, quod sine omni remissione aut intensione à principio vsque ad finem perdurat, à putredine verò humorum ortum non habet.

*Ephemera plurium dierum.*

Veruntamen aliqua inter febres ephemeras plurium dierum, & Synochas constitui posse videtur differentia. Ephemera enim plurium dierum quælibet febris appellari potest, quæ neque ad hecticas, neque ad putridas pertinet, & proinde ad primam hanc febrium classem referenda est, ad plures tamen dies extenditur. Tales febres primò sunt, in quibus quidem solùm spiritus accensi sunt, & eandem cum febribus ephemeris, quæ nomine etiam tales sunt, planè naturam habent, ob quam rem etiam earum causas præcedente capite inter causas ephemerarum legitimarum recensuimus. Earum tamen causa durabilior est, vel etiam aliquid priùs, aut simul cum spiritibus accendit, à quo

quo postea spirituum incendium ad plures dies continuatur. Tales causæ sunt, obstructio vasorum circa cutem, quæ si in corpus cacochymicum incidat, aut non probè curetur, diariam plurium dierum gignit, vel etiam in putridam degenerat; repletio item & ebrietas, catarrhi, bubones. Omnes enim tales causæ cùm non mox, vt reliquæ procatarcticæ, desinant, incendium etiam spirituum continuò fouent, quod durat, donec causa illa cesset.

Atque hæ febres, ephemeræ plurium dierum propriè quidem appellantur. Verùm Synochæ febres non propriè dicuntur.

*Synocha sine putredine.*

Synocharum enim sine putredine alia est ratio, quæ generantur à spirituum incendio, & sanguinis tenuioris efferuescentiâ. Dicuntur quoque vulgò hæ *febres inflatiuæ*. Dum enim copiosioris sanguinis pars tenuior accenditur, & vaporem copiosum emittit, ægri corpus tumidum & quasi inflatum apparet. Et propterea definiri potest hæc febris, quòd sit *febris, à spirituum & sanguinis tenuioris efferuescentiâ ortum habens, tres vel quatuor, vel non multò plures dies durans.* In hac ergo febre cùm non solùm spiritus, sed & sanguis tenuior incendatur, à reliquis & propriè dictis ephemeris aliquo modo differt. Differt quoque à putridis quòd nulla humorum putredo, sed saltem efferuescentia adest.

## *Causa.*

Continens igitur huius febris causa est feruor spirituum & sanguinis in vasis omnibus, aut certè maioribus. Quia enim duratio huius febris continua est, feruor ille sanguinis in tali loco hæreat oportet, è quo continuus calor cordi communicari possit: quod fieri non potest, nisi sanguis, vel in omnibus, vel maximis vasis efferuescat. Vnde definiri potest Synocha sine putredine, quod sit *febris continua, nullam, antequam planè desinat, remissionem habens, à spirituum & sanguinis tenuioris portione incensâ, orta ac dependens.*

*Synocha sine putredine definitio.*

Causam verò quæ feruorem hunc excitat, quod attinet, etsi nonnulli easdem Synochæ huius atque aliarum ephemerarum causas esse statuant, & causas illas omnes, cùm leuiores fuerint, diariam simpliciter ita dictam; cùm vehementiores, Synocham absque putredine producere putent: tamen rectiùs eos sentire existimamus, qui non à quacumque causa euidente, hanc febrem prouenire statuunt, sed tantùm à prohibita transpiratione calidi effluuij, ex constrictione & obstructione meatuum cutis. Imò nec ipsa cutis obstructio & constrictio, febrim hanc excitabit, nisi sanguis copiosior in corpore adsit, atque id, quod transpirat, sit copiosum & calidum. Si enim adesset quidem obstructio, non verò vnà copia sanguinis, potiùs putrida, quàm hæc Synocha sine putredine proueniret. Ac propterea etsi obstructio à pluribus causis fieri possit, ab humorum multitudine, crassitie & visciditate: tamen vt in omni Synochâ sanguis abundet, & plenitudo adsit, requiritur. Reliquæ verò causæ, etsi interdum coniungi possint; & si crassior aliqua pituita adiungatur, facilior fiat obstructio: tamen solæ & absque plenitudine hanc febrem producere non possunt, id quod etiam de adstrictione pororum cutis ab adstringentibus & condensantibus dici potest: & si sanguinis copia desit, potiùs putrida generatur. Si verò in venis sanguinis copia adsit, ab illo etiam vaporum calidorum magnam copiam attolli necesse est, quæ si ob nimiam copiam, siue ob obstructionem aut constrictionem meatuum cutis sufficienter euaporare non possit, feruorem in sanguine à retentis excitari necesse est. Cùm verò dicimus ab obstructione, aut astrictione pororum cutis febrem hanc fieri, non omnimoda eorum occlusio, vt nihil planè effluere possit, intelligenda est, sed ita hoc accipiendum, si plus à sanguinis copiâ vaporum calidorum attollatur, quàm euacuari possit, ob meatuum angustiam, calidus ille vapor retentus, & ex retentione calidior redditus, proxima accendit, & corpus quasi inflat, vnde hanc febrim inflatiuam quoque nominari diximus.

*Qui sint dispositi ad Synocham sine putredine.*

Ex quibus patet, ad hanc febrem maximè dispositos esse eos, qui corporis habitu sunt carnosiore, & sanguine abundant, inprimis si accedat corporis densitas. Vnde tempori verno, ætati iuuenili, ac iis, qui vino, ac cibis boni & multi succi immoderatiùs sese replent, & quibus consueta aliqua sanguinis per vterum, hæmorrhoides aut nares euacuatio suppressa est, febris hæc familiarior est. In frigidis verò corporibus & parum sanguinis habentibus, sanguis facilè non efferuescit, & proinde febris hæc in iis facilè non oritur, sicut nec in iis, qui raro sunt corporis habitu, porósque habent patentiores, per quos vapores illi calidi facilè effluere possunt.

*Curatio Synochæ.*

Durat autem hæc febris plures dies. Nam cùm proxima & continens harum febrium causa sit feruor sanguinis & spirituum, neque febris cesset, antequam ille desinat; vaporum verò copia ex sanguine maior sit, quàm in ephemera simpliciter dictâ, ac præterea adsit obstructio, vel adstrictio pororum cutis: vnicâ die omnes illi vapores discuti non possunt, ac proinde ad tertium vel quartum diem sæpe hæc febris extenditur.

*Differentia febris Synochæ.*

Cùm verò ex vapore sanguinis accensi hæc febris oriatur, & tamdiu duret, quamdiu accensa noua materia suppeditatur, & tota transpirare non potest: ex proportione vaporum, qui ex sanguine accenso oriuntur, ad eos, qui transpirant, triplex constituitur huius febris differentia. Si enim, id quod accenditur par est ei, quod transpirat, ac propterea calor inde ortus toto febris decursu æqualis manet, appellatur πυρετὸς σύνοχος ὁμότονος seu ἀκμαστικός. Si verò plus accenditur, quàm transpirat, atque ob id calor continuò augetur; ἐπακμαστικὸς nominatur. Si tandem plus transpirat, quàm accenditur, & propterea calor à summo vigore incipiens sensim imminuatur: nominatur παρακμαστικός.

## *Signa.*

Signa huius febris ferè eadem sunt, quæ reliquarum ephemerarum; magis tamen euidentia. Calor enim licèt & ipse blandus sit: tamen maior paulò, quàm in reliquis ephemeris sentitur. Cutis non est sicca, sed madore quasi perfusa. Vrina & ipsa naturali similis est; crassior tamen & rubicundior. Pulsus vehemens, celer, frequens, plenus & magnus atque æqualis. Facies & totum corpus rubet, ac quasi inflatum apparet. Venæ copiâ sanguinis tument & turgent; Vnde lassitudo tendens oritur. Caput graue est, respiratio difficilior, somnus plerumque profundus, per quem rubra spectra offeruntur.

## *Prognostica.*

Febris hæc post ephemeram curatu facilis est, & periculo vacat, soluitúrque vt plurimùm sudore, aut hæmorrhagiâ intra quartum, aut si longiùs extendatur, intra septimum. Cùm enim eius causa continens sint spiritus incensi, ac sanguis incalescens, virtúsque valida sit, facilè cedit, si rectè tractetur. Etiamsi calor febrilis semper augeatur. Faciliùs tamen tollitur, si similis permanet: Facillimè, dum sensim imminuitur. Si autem vel ægri, vel Medici errore non rectè tractetur, periculosa fieri potest. Ex Synochâ enim sine putredine in putrem facilis transitus. Et si magna adsit sanguinis copia, nisi vel à natura,

natura, vel artis minifterio minuitur, metuendum; ne in phrenitidem, anginam, pleuritidem, aliúdve graue ex plethora malum tranfeat.

## *Curatio.*

*Indicationes in Synocha fine putredine.*

Cùm febris Synocha fine putredine ex fpirituum & fanguinis tenuioris incendio ac feruore ortum habeat, ob prohibitum illud calidum effluuium: facilè patet ad eam curandam, fanguinem euacuantibus, alterantibus, & meatûs corporis aperientibus, opus effe. Et fanguinis quidem euacuationem quod attinet, omninò ea neceffaria eft: cùm febris hæc nullo modo excitari poffit, nifi fanguis copiofior in corpore adfit.

*Remedia Synocha fine putredine.*

Remedia autem, quibus indicationibus fatisfaciebant antiqui, duo inprimis erant: fanguinis euacuatio & frigidæ aquæ potio. Et prius quidem quod attinet, cùm, vt antea dictum, fine fanguinis copiâ hæc febris non generetur, fanguinis euacuatio omitti non poteft. Et nifi adhibeatur, corporique libera ventilatio reftituatur, facilè, vt dictum, fieri poteft, vt putrida febris excitetur, vel fanguis in aliquam partem decumbat & periculofum morbum excitet. Quare non differenda eft venæ fectio, fed quamprimùm vena aperienda, vt imminuto fanguine tranfpiratio corpori libera reddatur, fanguinis feruor remittatur & natura eundem rectè gubernare poffit. Neque fine fanguinis miffione facilè, vel fanguinis feruor temperari, vel obftructiones liberari, & corpori tranfpiratio expedita reddi poteft. Etenim etfi quis refrigerantia medicamenta adhibeat; tamen copiam fanguinis non tollunt: quæ verò cutem rarefaciunt, calefaciendo febrem augent. Si tamen cruditas eft in ventriculo, differenda eft venæ fectio, donec cibus concoctus fit, & ad inteftina defcenderit. Ita Galenus. 9. *meth. med. cap.* 4. venæ fectionem in adolefcente primo die diftulit, cùm vt certiùs cognofceret, cuius generis febris effet, tum propter eam, quæ præcefferat, coctionis cruditatem. Si tamen in ventriculo, vel inteftinis aliquid vitiofi humoris inhæreat, vtile fuerit, blandis medicamentis, vt caffiâ, mannâ, vel Syrupo infuf. multiplic. rofar. aut lenientibus clyfteribus priùs id tollere. Imò fi fufpicio fit ad feptimum diem morbum poffe protrahi, opus eft ferofa & biliofa excrementa, ob quæ hæc febris in putridam abire poffet, euacuare, caffiâ, tamarindis, fyrupo ex infufione rofar. violar rhabarbaro in aquâ cichorij vel endiuiæ infufo.

*An fanguis ad animi deliquium mittendus.*

Quantitatem fanguinis euacuandi quod attinet, Galenus quidem vfque ad animi deliquium in hac febre fanguinem euacuare folebat. Ita enim *loco modò allegato*, fcribit: *Aufero ab homine eò vfque de induftriâ fanguinem, quoad animo linqueretur: maximum planè, vbi valentes vires funt, continentis febris remedium: Id quod cùm ratione, tum experientiâ didici. Primò namque in ftatum contrarium agitur corpus celerrimè ex animi defectu refrigeratum. Poftmodum in eiufmodi corporibus neceffariò fuperuenit alui deiectio, nonnunquam etiam bilis vomitus, quas res ftatim à toto corpore madores, fudorésve excipiunt. Quæ nimirum omnia cùm huic quoque contigiffent, protinus febrem extinxerunt fic, vt quidam ex iis, qui aderant, iugulâffe me febrem per iocum dicerent.* Hæc Galenus. Verùm etfi in nulla febris fpecie copiofiùs fanguinem, quàm in hac, detrahere liceat: tamen videndum, ne dum Galeni exemplo febrem iugulare conamur, ægrum fimul iugulemus, &, quod ipfe Galenus monet, ac tribus Medicis eueniffe fcribit, *lib. de cur. rat. per venæ fect. cap.* 12. non opinantib. pro animi deliquio mors adueniat. Licèt enim nonnulli hîc diftinctione vtantur, & licere, dicant fanguinem euacuare vfque ad lipothymiam, non verò vfque ad fyncopem, tamen cùm fyncope & lipothymia gradu differant, illum terminum attingere, non ita femper in Medici poteftate eft, atque accidere poteft, vt nec opinantibus, vt modò ex Galeno dictum, fyncope, atque adeò ipfa mors adueniat. Quare cum eodem Galeno ftatuimus, fatius effe, tum copiofis euacuationibus abftinere, ac fanguinis euacuationem partiri, ac primâ vice, quantum vifum fuerit detrahere, & poftea, fi opus fuerit, venæ fectionem repetere, inprimis cùm non femper vires corporis Medico fatis perfpectæ fint, & noftro feculo ac regionibus homines largis iftis fanguinis euacuationibus non fint affueti.

*Alterantia in Synocha fine putredine.*

Alterantia verò quod attinet, Galenus inter ea proponit aquam gelidam, quantum ægro bibere libet inprimis fi frigidæ potioni æger affueuerit. Verùm cùm frigidæ potioni noftri homines rariùs fint affueti: potiùs aliis auxiliis eft vtendum: atque aliàs etiam cautio adhibenda eft, & ea incommoda cauenda, quæ intempeftiuam frigidæ potionem folent comitari. Nam vt Galenus etiam, *allegat. loc. c.* 5. hæc proponit; Intempeftiua frigidæ potio lentos craffofque humores, fiue hi obftructionem, fiue putredinem, fiue phlegmonem, fiue quemcumque alium fimilem affectum creauerint, attenuari digerique prohibet. Deinde vbi aliqua corporis pars imbecilla fuerit, fiue ita ex naturali intemperie fe habeat, fiue ex vitio adfcititio, & vel gula, vel ventriculus, vel pulmo, vel feptum tranfuerfum, vel renes, vel hepar fe malè habeant: à frigidæ potione ægri non parum læduntur, & per eam hinc in hydropem, difficultatem fpirandi, conuulfiones, tremorésque conijci poffunt. Quapropter cùm conditiones illæ obferuatu difficiles fint, & aquæ frigidæ potio plurimos læferit, aliis tutioribus ad fanguinem refrigerandum remediis vti licet. Qualia funt oxymel dilutius, aqua cichorij, endiuiæ, violar. vel decoctum hordei cum fucco citri, oxyfaccharo, fpiritu falis, vitrioli, & alia medicamenta ex iis, quæ refrigerandi fimúlque aperiendi vim habent; qualia funt inprimis cichoracea parata, è quibus non dulces fyrupi fieri, fed potiùs decocta parari debent: Aut fi Iulepi parantur, dilutiores fint.

*Incommoda intempeftiuæ potionis frigidæ.*

Vel ℞. *Conferuæ rofar. acetofæ, violarum*, an. Vnc. i. *lactucæ Ital. condit.* Vnc. ß. *fpec. diamarg. frig.* Drach. ß. Cum *fyr. acetofit. cit.* F. Electuarium.

De quo fumat æger cochlear vnum, & bibat cyathum iulepi violarum, vel è fucco citri.

Si autem obftructiones cutis non folùm ex fanguinis copiâ proueniunt, fed cum hac etiam craffi & vifcidi quidam humores adfint, qui meatûs corporis obftruant, aut cutis condenfata fit, modo, quem præcedente capite propofuimus, etiam illæ tollendæ funt. Neque verò folùm internis ad calorem fanguinis extinguendum remediis vti licet, verùm etiam epithematis refrigerantibus, cordi & hepati adhibitis. Quæ omnia ex fequentibus clariora fient. Et quia plerumque hæc febris fudore finitur eum adiuuare vtile eft.

Vt: ℞. *Aq. cichorij, flor. fambuci, fumariæ* an. ℥ i. In iis diffolu. *C. C. vfti præp.* Scrup. iv. Coletur. Adde *Syr. acetof. citri* Vnc. i. Mifce.

*Victus in Synocha fine putredine.*

Victum quod attinet, cùm virtus in hac febre valida fit, & fanguinis corpori alendo idonei magna adfit copia; tenui & pauco cibo ægri alendi funt, qui fimul vim refrigerandi & humectandi habeat. In quem vfum commodiffimus eft ptiffanæ cremor, qui refrigerat, humectat & abftergit, & omnis cibus, qui conditiones, quas morbus & caufa requirit, obtinet. Si adfit magna ebullitio, atque ipfe fanguis fummè tenuis inflammationi obnoxius fit, Auicennas etiam modicè aftringentia exhibenda fuadet. Poteft ergo cibis fuccus ribium, granatorum acidorum, & fimilia acida aftringentia admifceri. Potus fit decoctum hordei, cereuifia tenuis; vinum, nifi valde tenue aut dilutum non conceditur.

*Synocha biliosa.*

Præter hanc febrem Synocham à ſanguine ortam Fernelius, *de febr. cap.* 5. alterius adhuc Synochæ ex bile calidorúmque humorum agitatione, mentionem facit. Si enim cauſæ euidentes vehementiores in bilioſum corpus alioqui ſanum irruant, non modò ſpiritûs calefieri, ſed & acres humores exagitari docet, quorum æſtu febris accendatur ſine putredine: quæ quidem limites ephemeræ egrediatur; non tamen fit Synochus modò expoſita; cùm illa ſanguinis efferueſcentia, hæc bilis concitatio ſit ſine putredine: illa in corpus incidat temperatum, benéque habitum; hæc verò in calidum ſiccum ac planè bilioſum. Huius etiam cauſas non alias eſſe docet, quàm quæ ephemeras mouent, maximum dolorem cruciatúmque, qualis nephritici aut parturientis eſt, exercitationem, laborémque immodicum, æſtum, balneum, animi excandeſcentiam. Nullam quoque putredinis notam in pulſu aut vrinâ cerni; verumtamen os amareſcere, deiici appetitum, ſitim excruciare, capitis dolorem ac vigilias augeri, in cute aridâ calorem acriorem ſentiri. Fecit & ante Fernelium febris ex bile ſine putredine mentionem Nicolaus Florentinus, qui *tract.* 2. *ſum.* 4. *diſt.* 1. *cap.* 3. febrem humoralem ſine putredine diuidit in ſanguineam & cholericam. Verùm quænam ſit huius febris natura, omnes eodem modo non explicant. Nicolaus, *loco alleg.* inter generationem febris ſanguineæ & cholericæ ſine putredine hanc conſtituit differentiam. Sanguis, inquit, poteſt febrem facere ſine putredine à cauſa intrinſeca & extrinſecâ. Ab intrinſeco quidem, ſi ſanguis in quantitate, ſine vitio qualitatis ita multiplicetur, vt ab eo in corde caliditas operationes lædens accendatur. A cauſa verò extrinſecâ calefaciente, quæ ipſum alterat, eique maiorem, quàm naturaliter habere debet, calorem imprimit. Bilem autem à causâ internâ non poſſe febrem ſine putredine efficere, cùm bilis, vel alius humor in corpore à causâ internâ non poſſit tam multiplicari, vt febrem accendat niſi vitium qualitatis coniungatur. Omnis enim humor qualitate peccans ſibi relictus putredinem concipit. A cauſa autem extrinſecâ calefaciente eum caliditatis gradum poſſe concipere bilem per modum aſſationis & vſtionis ſtatuit, vt poſſit febrem etiam ſine putredine producere. Qualis autem illa ſit febris, ibi non explicat. Alij, vt Valleſius, *lib.* 5. *controu. c.*9. etiam admittit febrem à bile vſta ſine putredine. Verùm ad tertianam febrem eam refert, cùm tali febre iuuenem illum tertianarium laboràſſe ſcribit, cuius 10. *met. med. cap.* 3. Galenus facit mentionem. Et qui eius ſunt opinionis, eam rationem adducunt, quòd febres ex aliis, quàm ſanguine, humoribus ortæ, omnes ſint periodicæ. Verùm hac de re etiam aliquid dicetur poſtea, *lib.*2. *cap.*1. vbi quæſtio illa diſcutietur, an omnes humorales febres ex putredine oriantur.

Verùm ſi ea, quæ, *lib.*1. *Inſtit. cap.*9. *p.*64. *& ſeq.* diximus, hîc attendamus, non ita difficulter hanc rem expedire poſſumus. Cùm enim eo loci ſanguinis partem tenuiorem bilem interdum nominari ab auctoribus dixerimus, & ſanguis, qui eâ parte abundat, bilioſus dicatur, ac qui talem ſanguinem habent, bilioſi nominentur: hoc modo ſi bilis accipiatur, admitti poteſt Fernelij ſententia. Si enim in corpore ſanguineo & carnoſo, ob adſtrictionem cutis, ſanguinis tenuior pars inflammari poteſt; Cur non etiam in corpore bilioſo, id eſt, in quo calidior pars ſanguinis abundat, ob eandem & alias cauſas tenuior illa & calidior pars incendi poſſit? præſertim, cùm tale corpus cum calore febrili maiorem cognationem habeat, quàm corpus plethoricum. Si verò de bile propriè dictâ & excrementitiâ ſermo ſit, nulla alia febris ex eâ oriri poteſt, quàm periodica; ſed an ſine putredine id fieri poſſit, ſuo loco dicetur.

Ergo cùm febris hæc ſit Synocha ſine putredine ex ſanguine bilioſo orta, nulla in pulſu & vrinis ſigna putredinis conſpiciuntur; os tamen amareſcit, deiicitur appetentia, ſitis moleſta eſt, capitiſque dolor & vigiliæ infeſtant. Hæc, ſublatâ causâ euidente, ferè, vt ephemeræ, ſponte euaneſcit: & ſi quæ medicamenta requiruntur, leniter purgantia bilem, potûs, iulepi, victúſque, omnia refrigerantia & humectantia, vt in priore vſurpentur, quæ tamen frigidiora eſſe debent, & ad bilis acrimoniam obtundendam magis comparata; atque ad ſanguinis ventilationem & refrigerationem venæ ſectio inſtitui poteſt.

Talis febris hiſtoriam & curationem deſcribit Amatus Luſitanus, *cent.*3. *curat.*27. Fuit enim mulier illa naturâ gracilis. Hac febre etiam ſe laboràſſe refert Foreſtus, *lib.*1. *obſeruat. in Schol.*

# LIBER SECVNDVS DE FEBRIBVS PVTRIDIS.

## CAPVT I.

### *De Febribus putridis in genere.*

ABSOLVIMVS prius τῶν ἁπλικῶν febrium genus, in quo calor febrilis à ſpirituum & partis tenuioris ſanguinis incendio ortum habet & fouetur: ad alterum itaque accedimus, quo febres ab humoribus oriuntur, & idcirco humorales vulgò & putridæ nominantur. Atque hoc genus febrium vulgatiſſimum & frequentiſſimum eſt, ac plurimas ſub ſe differentias complectitur: verùm ſimul multis difficultatibus inuolutum eſt, nulláque de febribus tractationis pars difficilior eſt quàm hæc de febribus humoralibus & putridis. Nam & antiqui quædam, quæ ad cognitionem perfectam harum febrium requiruntur, prætermiſiſſe videntur; & recentiores, qui ea, quæ ab antiquis prætermiſſa erant, ſupplere debebant, tot controuerſiis rem hanc inuoluerunt, & ab antiquis ſcripta in dubium vocârunt, vt ſe inde explicare difficillimum ſit.

*Variæ de febribus humoralibus ſententiæ.*

Nam etſi hoc extra controuerſiam ſit, ab humoribus præternaturalem calorem cordi ſuggeri, & propterea humorum calor præternaturalis, febrilis intemperiei cauſa proxima & continens ſit; ſicut in Ephemeris eſt calor ſpirituum: tamen quæ caloris illius in humoribus cauſa ſit, maximè controuerſum eſt. Etenim & olim, teſte Alexand. Tralliano, *lib.*12. *cap.* 2. reperti ſunt, qui in vniuerſum febrim nunquam à putredine fieri pronunciârunt. Nam humores in venis οὐ σήπεσθαι, ἀλλ' ἐκκαίεσθαι, non putreſcere, ſed inflammari, exardeſcere, efferueſcere, vel aduri dictitabant.

tabant. Quam opinionem & hodie quidam recentiores ſequuntur. Alij, licèt concedant, putredinem in humorib. excitari, & febres inde generari poſſe, tamen negant febres ex putredine ortas, eſſe illas quæ vulgò ita appellantur, verùm febres putridas ſaltem peſtilentiales eſſe ſtatuunt. Et qui putredinem humorum concedunt, de naturâ putredinis, & quomodo humores putreſcant, maximè inter ſe diſſentiunt: vt de ipsâ hac re ſolùm, integra ferè volumina & Medici & Philoſophi ſcripſerint. Deinde etiam de humoribus, è quibus febres humorales accenduntur, Authores diſſentiunt. Quidam enim tantùm à bile febres fieri ſtatuunt, alij alios quoque humores admittunt. Vt tamen ex re intricatâ nos breuiter expediamus, dabimus operam.

*Humores in febribus putreſcere, probatur.*

Principiò autem ab antiquorum ſententiâ non recedendum putamus, qui febres à putredine humorum oriri ſtatuunt. Etenim multa ſunt, quæ humores aliquando putreſcere non obſcurè docent. Nam primò à natura humorum alienum non eſt putreſcere poſſe: cùm omni mixto conueniat per putredinem corrumpi poſſe.

Deinde vt actu putredinem humores incurrant, cauſæ ſufficientes ſæpenumero præſtò ſunt, nimirum putridæ rei occurſus, id quod accidit, dum aër putridus inſpiratione attrahitur, cibus vitioſus corruptus aſſumitur, aut à putredine abſceſsûs alicuius partis, vt pulmonis, vel alterius, vapores putridi ſanguini miſcentur, eum inquinant, & putredinis in eo cauſa ſunt: calidi effluuij prohibita tranſpiratio caloriſque natiui deſtructio.

Tertiò ea quæ per febres vel arte, vel ſponte excernuntur, ſatis putredinem in humoribus indicant. Sæpe enim ſanguis per venæ ſectionem eductus adeò putruiſſe cernitur, vt fibris corruptis vix cohæreat. Aliquando per aluum: per vrinam, ſudorem, tàm fœtida excernuntur, vt putredinem abeſſe nemo iure dicere poſſit. Quanquam enim Simon Simonius, *in Synopſi de hum. febr. natura cap.* 1. ex fœtore putredinem non rectè colligi dicat, quòd multa putreſcant abſque fœtore, multa fœteant abſque putredine: tamen id non ſufficit. Nam ingrati iſti odores, qui ſagapeno & aliis quibuſdam rebus proprij & naturales ſunt, longè alij videntur eſſe à fœtore, qui ex putredine oritur, & res illas non ſolent naturaliter comitari; ſed tum demum iis accidunt, quando corrumpuntur & putreſcunt: Et vt ex illo odore qui rebus quibuſdam naturaliter ineſt, putredinem colligi non poſſe largiri poſſumus: ita ſi res aliqua, quæ naturaliter non fœtet, fœtere incipiat, eam putreſcere rectè colligi poſſe, omnino ſtatuendum cenſemus. Sciendum tamen fœtorem non ſemper, eundem adeſſe. Sæpe enim accidit putredo vincente quodammodo naturâ, aut naturâ putridam & corruptam rem corrigente, vbi vel nullus, vel leuis fœtor adeſt, vt in pure videmus fieri, quod quo meliùs à natura elaboratur; eò minorem fœtorem habet; quò verò minùs à naturâ elaboratum eſt, eò magis fœtet.

Tandem idem naturæ conatus & opera, curandique ratio oſtendit. Nam ſi citra putredinem febres accenderentur, omnes ſolis alterantibus curari poſſent, neque opus eſſet tot euacuationibus, quæ partim medicamentorum operâ vtiliter perficiuntur, partim à natura rectè agente variis modis inſtituuntur, quibus putridorum corruptorúmque humorum magna copia non rarò excernitur.

*Ex putredine humorum nō ſemper peſtilentes febres oriuntur.*

Secundò nec Iouberto & Simonio aliiſque, qui concedunt quidem humores putreſcere, & febres accendere poſſe, verùm peſtilentes & malignas ſaltem inde procreari ſtatuunt, aſſentiendum putamus. Nam cauſa putredinis, ſigna, atque curandi ratio, & Naturæ opera, quæ modò recenſuimus, non ſolùm in malignis & peſtilentibus febribus, ſed aliis etiam apparent. Præterea malignitatis naturam in putredine non conſiſtere, ſuo loco dicetur; neque omne peſtilens putridum eſt, ſed citra putredinem etiam in corpore humano maligni & venenati aliquid generari poteſt.

*Putredinis definitio Ariſtotelica.*

Verùm vt hæc, & quæ dicentur, clariora reddantur, de putredine humorum quædam explicanda ſunt. Definit Ariſtoteles, *libr.* 4. *Meteor. cap.* 1. putredinem eſſe corruptionem proprij & naturalis caloris in vnoquoque humido à calore ambientis externo. Opponitur nimirum putredo generationi mixti. Et cùm generatio fiat per terminationem humidi cum ſicco, calore ſupra humidum dominante; putredo vt contrario modo ſeſe habeat, neceſſe eſt, & proinde putredinis natura in ſeparatione humidi à ſicco conſiſtere videtur. Separatio autem humidi à ſicco prouenit à caloris natiui corruptione. Exeunte enim, vt ipſe Ariſtoteles addit, proprio calido, vnà euaporat, quod ſecundùm naturam eſt humidum. Nam vt calor certo modo à frigore temperatus vnit ac terminat ſiccum: ita ſi hic calor corrumpatur, cauſa eſt vt humidum à ſicco ſeparetur. Calor nimirum naturalis ab ambiente calore auctus propo tionem, quam ad paſſibiles qualitates habere debet, amittit, & propterea euaporat; & mixtum deſerit. Quo calore tanquam rectore deſtitutæ partes humidæ & ſiccæ ſeparantur, humidúmque cum calore, tanquam eius vehiculo, ad exteriora fertur & euaporat. Corruptio autem caloris prouenit à calore externo ambiente, quicunque is ſit, ſiue aëris, ſiue aliarum rerum.

*Putredinis modus.*

Totius itaque putredinis modus ita ſe habet, Aliena caliditas ambientis corpus mixtum calefacit; calefaciendo corpus mixtum relaxat atque aperit: hinc calor internus à ſimili attractus egreditur, & in mixto ſecundùm quantitatem imminuitur. Exeunte verò proprio & naturali calido, vnà euaporat & egreditur, quod ſecundùm naturam eſt humidum. Proprio autem calore à proprio ſubiecto egrediente interna frigiditas augeri & ſupra calorem dominari incipit, & ſubinde in eam pro viribus naturalibus agit, ipsúmque adeò debilitat, vt ampliùs humidum cum ſicco retinere non poſſit. Humidum autem ſimiliter effluit, & à ſicco ſeparatur: ad quam ſeparationem ſequitur mixti corruptio.

*Putredinis definitio Galenica.*

Vnde etiam Galenus, 11. *meth. med. cap.* 8. definit putredinem, mutationem totius ſubſtantiæ corporis putreſcentis ad corruptionem à calore extraneo. Neque enim Galenus in doctrinâ de putredine ab Ariſtotele diſſentit, ſed Ariſtotelis doctrinam probat, & idem quod Ariſtoteles, licèt paulò aliis verbis, exprimere voluit. Cùm enim tria fiant in putredine, primò incipiat fieri ſeparatio humidi à ſicco, quæ eſt via ad formæ ſubſtantialis interitum; Deinde tanta iam facta ſit diſſolutio & ſeparatio humidi, vt forma ampliùs ſeruari non poſſit, ſed mixtio & materiæ vnio ſoluatur, ſic tamen, vt partes ſiccæ cum humidis adhuc aliquo modo cohæreant; tandem humidum à calore in vaporem vertatur & exhalet, vt nihil niſi ſimus remaneat, qui eſt vltimus corruptionis & putredinis terminus; Totam hanc, putrefactionis naturam vocabulo corruptionis Ariſtoteles, Galenus verò mutationis ad corruptionem expreſſit. Materiam verò & ſubiectum putredinis Ariſtoteles per humidum explicauit; Galenus verò per totam ſubſtantiam corporis putreſcentis expreſſit. Humidum enim natiuum cum calore inſito & proprio totam rei ſubſtantiam à Galeno paſſim appellari, nemini ignotum eſt. Atque hoc ipſo proculdubio non tam ad commune & adæquatum putredinis ſubiectum, quàm ad corpus humanum, Medicæ conſiderationi ſubiectum reſpexit. Quam tamen ob cauſam reprehenſionem non meretur; cùm id non faciat, vt Philoſophus, ſed vt Medicus. In cauſa efficiente putredinis etiam inter Ariſtotelem & Galenum nulla eſt diſcrepantia.

*Putredinis differentia.*

Atque hæc quidem communis putredinis natura eſt, de cuius differentiis multæ & quidem intricatæ ac magnam partem non ſat vtiles diſputationes apud Authores agitantur. Nos iis omiſſis, vnam putredinis naturam agnoſcimus, cuius tamen aliqua ſecundùm variam mixtorum putreſcentium naturam & conſtitutionem apparet diuerſitas. Alia enim ſecundùm totum, alia ſecundùm partem putreſcere dicuntur.

*Putredo ſecundùm totum.*

Perfectè enim & ſecundùm totum putreſcunt, quæ planè in elementa, è quibus coaluerunt, reſoluuntur, ita vt reliquis omnibus elementis euaporantibus, nihil niſi terra remaneat. Atque hanc putredinem, inprimis in definiendo reſpexit Ariſtoteles: atque ipſa eſt menſura & regula quaſi alterius. Hoc autem modo putreſcunt ea, quæ plurimum terræ obtinent.

*Putredo ſecundùm partem.*

Imperfectè autem & ſecundùm partem, quæ plus humidi obtinent. Cùm enim humidum, quod in his abundat, totum cum calore educi non poſſit, ſaltem partes ipſius aliquæ, præcipuè tenuiores & ſubtiliores, educuntur. Hoc modo Ariſtoteles tria elementa, aërem, aquam, terram, quatenus non ſunt pura, & modo quodam cum aliis mixta, putreſcere ſcribit. Et quidam huius etiam putredinis gradûs ſunt. Interdum enim tam leuis eſt putredo, ſeu via potiùs ad putredinem, vt aliquæ ſaltem particulæ corrumpantur, mixtum verò propriam formam retineat: Interdum tanta exiſtit, vt, etſi non fiat perfecta totius mixti in elementa reſolutio, forma tamen eius aboleatur, & mixti in aliam ſpeciem fiat conuerſio.

*Humorũ putredo qualis.*

Atque talis putredo, ſcilicet ſecundùm partem, eſt etiam ea, quâ humores putreſcunt, & febres putridæ fiunt. Si enim humores à calore externo, quacunque de causâ excitato, calefiant, calor ipſorum & cum calore humidum educitur. Verùm cùm humores fluidi ſint, & multâ humiditate abundent, eorum humidum totum, vt in iis, in quibus terra abundat, educi non poteſt, ſed pars aliqua humidi educitur. Atque hanc ſecundùm partem in humoribus putredinem ipſe Simon Simonius negare non poteſt, qui errare eos, qui in febribus vulgo putridis dictis, humores putreſcere dicunt, ſtatuit; Niſi tamen, inquit, *cap.* 1. *Synopſ. de humoral. febr. naturâ*, eam intelligant iſti σῆψιν, quam ἰδίως ἐπὶ τῶν κατὰ μέρος φθειρομένων λέγεσθαι, propriè de iis, quæ ſecundum partem corrumpuntur, dici, & ſecundùm quam elementa excepto igne, putreſcere teſtatum reliquit Ariſtoteles. Hanc enim ipſam putredinem, qui diligentiùs hac de re ſcripſerunt, agnoſcunt in humoribus Philoſophi & Medici.

*Putredo ſecundùm partem non eſt ſolùm alteratio, ſed corruptio.*

Quod verò Simonius porrò obiicit, hoc modo non ſolùm Galenum deſeri, qui putredinem definit, quòd ſit totius ſubſtantiæ corruptio, & maximè oppoſita generationi; ſed etiam febres ephemeras & hecticas à putridis non diſtingui: cùm nihilo plus illa ἰδίως putredo ſignificet, quàm ἔκκαυσιν aut refrigerationem, aut humectationem, aut exſiccationem quandam, quâ res præter naturæ ſuæ modum, ipsâ nihilominus ſubſtantiâ integrâ manente, afficiatur: id omnino falſum eſt. Nam etſi definitio putredinis, & Ariſtotelica & Galenica, principaliter putredini ſecundùm totum competat: tamen etiam putredo ſecundùm partem vera putredo eſt, atque in ea quoque non fit ſolum alteratio, ſed & totius ſubſtantiæ corruptio; Verùm non vniuerſi & totius compoſiti, ſed aliquarum eius partium: id quod etiam in putredine elementorum videre eſt. Aër, e. g. putreſcere dicitur, non dum quocunque modo alteratur, aut impuri aliquid ipſi admiſcetur, (aliàs enim ferè ſemper putridus eſſet) ſed dum aliquæ eius partes reuerà corrumpuntur, totius tamen aëris forma non aboletur: Vnde etiam aër nomen ſuum retinet. Eodem etiam modo humores ſecundùm partem putreſcere dicuntur, cùm quidem aliquæ eorum particulæ reuera corrumpuntur, & formam ſuam amittunt, totus tamen humor formam ſuam neceſſariò non amittit, vnde etiam nomen ſuum retinet, & corruptis illis partibus, ſeu artis, ſeu naturæ beneficio euacuatis & diſcuſſis, ad priſtinam naturam redit: niſi corruptio & putredo eò vſque progreſſa ſit, vt in aliam ſpeciem fiat mutatio. Atque ita in omni putredine reuerà aliquid corrumpitur: verùm corruptionis eius, vt ante dictum, gradûs ſunt, & nunc plures, nunc pauciores particulæ corrumpuntur. Nam quod nonnulli dicunt, in omni putredine, ſeu perfectâ, ſeu imperfectâ neceſſarium quidem eſſe, vt fiat alteratio in accidentibus, non tamen eſſe neceſſarium, vt in omni imperfectâ putredine forma quoque ſubſtantialis perdatur, ſed quandoque perdi, quandoque ſeruari: id, niſi modo iam dicto explicetur, vix admitti poteſt. Nam cùm in imperfectâ putredine forma ſubſtantialis quandoque non perire dicitur, id niſi de totius mixti formâ accipiatur, verum non eſt. Nam ſi id ita accipiatur, quaſi in putredine imperfectâ interdum ſolùm in qualitatibus alteratio accidat, ita vt nullius etiam particulæ mixti forma perdatur; hoc modo putredo ab alteratione non differet, & febres putridæ ab aliis, quod vult Simonius, non rectè diſtinguentur. Verùm cùm in omnibus febribus putridis aliquid humoris corrumpatur, id quod non fit in aliis febribus: maxima inter eas, & alias febres eſt differentia.

*An putredo naturalis ſit.*

Nec maioris momenti ſunt cætera, quæ à Simonio obiiciuntur. Nam quod primò quærit, an putredo humoribus naturalis ſit, cùm aliorum mixtorum proprium πάθος ſit: ad id reſpondendum eſt, omnem putredinem, non ſolùm humorum, ſed quorumcunque etiam aliorum mixtorum, comparatam cum generatione & relatam ad principale inſtitutum naturæ, eſſe præter naturam. Natura enim miſcibilia vniit, vt mixtum conſtituant, & quodlibet mixtum in tali ſtatu perſiſtere cupit, at reſpectu, cùm principiorum, quæ naturaliter ſeparabilia ſunt, tum combuſtionis, quæ violenta eſt, naturalis eſſe ipſis dicitur. Humores enim apti nati ſunt, vt ſi talis ipſis occurrat cauſa, putredinem concipiant.

Deinde quod obiicit, humorum calorem per febres potiùs augeri, quàm imminui: ad id ex Galeno reſpondemus, ea quæ putreſcunt, calidiora fieri aduentitio calore, proprio autem tandem frigidiora. Licèt enim ob externum ambientis calorem accedentem, tum etiam ab interno calore exeunte primò rei putreſcentis calor maior fiat: tamen in fine propter caloris natiui euaporationem frigidior redditur.

Ita etiam, quod tertiò obiicit, etiamſi vaporum ratione calor intus in venis concluſus ſit; cùm in putredine exire dicatur: tamen ille calor auctus humoribus externus eſt, eóque ipſo humorum inſitus calor euocatur.

Tandem quartò, licèt frigus, quod Ariſtoteles ad putredinem concurrere non ſtatuit, concurrere ad humorum putredinem dicatur à Medicis, vbi ab externâ frigiditate tranſpiratio prohibetur: tamen per accidens ſolùm, non per ſe tum putredinis cauſa eſt, quatenus nimirum calidos vapores retinendo calorem accendit, qui poſtea internum, vel inſitum humoribus calorem euocat.

Quæ verò Laur. Ioubertus, 2. *decad parad.* 2. pro ſuâ opinione, nullas ſcilicet febres ex putredine oriri, affert, etiam non magno negotio diſſoluuntur.

*An res in ſuo loco putreſcere poſſit.*

Nam Primò quod obiicit, ideò humores in venis non poſſe putreſcere, quòd ſint in loco proprio & naturali, amplóque ſpatio: ad id reſpondetur, ſi locus ille naturalis omnes conditiones ſeruet, & ſanguis in venis omnia ea, quæ ad ſui conſeruationem requiruntur, obtineat, eum non putreſcere: verùm ſi eæ conditiones deſint, & aliæ cauſæ, quæ putredinem conciliare ſolent, de quibus poſtea dicetur, adſint,

tum

tum generatur putredo;& si humorum copia vel qualitas,vel aliud quidpiam obsistat, non semper vasorum vis ad inhibendam putredinem sufficit.

*An fœtor in omni putredine adsit.* Quod verò secundò obiicit, in putredine adesse fœtorem, qui nullus in venis percipiatur in febribus salubribus: de eo iam antè dictum, non necessariò in quauis putredine fœtorem æquè adesse,sed proüt magis vel minùs natura adhuc humoribus dominatur, eò maior vel minor fœtor est. Neque tamen in febribus putridis semper abest fœtor, sed proculdubio sæpe in venis humores fœtidi sunt, id quod ex vrinis & sudoribus percipitur.

Deinde nec reliquos humores putrescere in specie probare conatur. Nam primò, inquit: si totus sanguis, vt ex quatuor humoribus constat, in vasis non concrescit, nec putrefit, multò minùs seorsim quisque ex dictis humoribus id vnquam patietur. Nam quod concretionem attinet, omnium humorum,dempto sanguine, proprium est non gelascere, etsi è venis sinceri fluant: quantò minùs in vasis eos putrefieri est verisimile.

Verumenimuerò primò id, quod nondum concessum est, præsupponit Ioubertus, sanguinem in venis non putrescere. De'nde à concretione ad putredinem nulla est consequentia. Putredo enim est affectio, quæ omnibus mixtis, aut certè humidis competit; congelari verò non omnibus mixtis competit, sed iis, quæ admixtam habent substantiam crassam cum parte terrestri: ac sanguis, quia habet fibras, concrescit, quibus cùm reliqui humores destituantur,concrescere non possunt.

Quod porrò ait, sinceros humores in tumoribus nō putrescere, & propterea multò minùs in venis necin febribus: id falsum est. Sinceri enim humores in tumoribus quidem difficilem reddunt suppurationem, sed non impossibilem.

Verùm ne de his prolixiores simus, si accuratè illa omnia, quæ à Iouberto proferuntur, perpendamus, ipse quoque, vt Simonius, vocabulo putredinis ludit, dum putredinem saltem pro putredine perfectâ & secundùm totum accipit; cùm tamen antea dictum sit, in febribus putredinem saltem secundùm partem adesse. Quod vel ex eo patet, quod scribit: *Se putredinem non quamcunque intelligere, sed eam quæ propriè σηπεδὼν & σῆψις dicitur, per quam gangræna gignitur ex inflammationibus; cadauera item aliáque multa fœtorem acquirunt;aut certè eam quæ talis est,qualis in suppurationibus apparet.* Et postea inquit. *Verùm si quis paulò seuerior contendat, vix vllas humorales esse febres, in quibus putredinis quædam notæ non adsint:esto, leuior putredo concedatur, at non tanta, vt inde excitari possit febrilis caliditas, quod pestilentibus est peculiare. Aliarum igitur, quæ salubres dicuntur, putredo sit comes duntaxat, pestilentium comes & author.*

Verùm quod vltimum hoc attinet, non semper maior est calor in iis, quas salubres appellat, quàm in malignis & pestilentibus. Verùm etiam interdum minor: Deinde antea dictum, & postea probabitur malignitatem & pestilentiam non in putredine consistere. Hæc itaque si vera sunt, & leuis putredo in febribus salubribus admittatur: Cur non etiam tanta admitti possit, quæ febrilem calorem excitare queat?

*An omnes humorales febres ex putredine oriātur.* Atque hoc modo satis monstratum esse arbitramur, dari putredinem in humoribus, & febres humorales ex putredine oriri. illud adhuc explicandum restat. An omnes humorales febres ex putredine oriantur. An verò aliquando sine putredine ex solà humorum efferuescentia febris oriri possit. Posterius affirmat Franciscus Vallesius *lib.5. controu.c.19.* Nam cùm sint duo motûs ad corruptionē;Vstio & putredo: quædam ad hanc,quædam ad illam paratiora esse dicit:Quæ calidissima sunt, adiunctâ potissimum siccitate, & partium tenuitate, ad vstionem esse paratissima; quæ verò humore abundant, aut non habent calorem multum, hæc putrescere citiùs statuit. At cùm ex priorum genere sit bilis, vstam eam sine putredine febrem producere posse putat. Et tali febre laborâsse iuuenem illum existimat, cuius mentionem facit Galenus, 10. *meth. med. cap. 5.* alioqui,cibum, quem Galenus illi obtulit, magnum damnum illi allaturum fuisse. Atque dari tales febres sine putredine ex sola bilis vstione, inde colligi posse existimat, quòd crebrò febre laborantibus accidunt vomitûs tenues, fluidi, minimè fœtidi.

Neque ab hac sententiâ alienus fuisse videtur,Lud. Mercatus, qui, *l.6. de febr. cap. de tertianis exquisitis*, scribit; tertianam exquisitam, vno è duobus modis fieri posse, vel flauâ bile in extremis vasorum efferuescente,vel putredinem ibi concipiente.

Et tales febres, si dantur, sunt, quarum suprà *lib.1. cap.7.* inter synochas ex Fernelio *de febr. cap. 5.* & Nicol. Florentino *tr. 2. serm.4. distinct.1. cap.3.* mentionem fecimus, vbi scilicet in corporibus calidiore sanguine præditis, tenuior eius pars incalescit. Quali febre etiam se laborâsse scribit Forestus, *lib. 1. obseru. 10. in schol.* Ex bile verò excrementitiâ nulla alia, quàm putrida febris accenditur. Etsi enim suo modo sit tenuis: tamen tam tenuis non est, vt spiritûs & subtilissima ac tenuissima sanguinis pars, vnde etiam à causis euidentibus tantum calorem, qui ad febrem generandam sufficiat, acquirere non potest, nisi putredinem concipiat, id quod in ictero & aliis morbis biliosis videre est. Neque etiam monstrant, quomodo sine putredine bilis feruorem tantum concipere possit. Nec est inepta ad putredinem bilis. Licèt enim bilis calida & sicca sit, cum aliis humoribus collata, tamen actualem humiditatem obtinèt, ob quam putrescere potest. Præterea rarò sincera est, sed aliis humoribus permixta, qui ad putredinem faciliùs suscipiendam faciunt. Quamuis enim interdum bilis è corpore eiiciatur, quæ non fœteat: tamen illa bilis, quæ vomitu reiicitur, non semper causæ continentis, sed antecedentis rationem habet. Præterea quod antè dictum, humores putridi non necessariò, & semper coniunctum habent fœtorem.

Quod verò febricitantem illum iuuenem, 10. *meth. med. cap. 13.* attinet, nullo modo ille febre biliosâ absque putredine laborauit. Cum enim febres hæ ad synochas pertineant,quæ sine intermissione à principio ad finem durant: febris quâ iuuenis hic laborauit, intermittens fuit, & suos paroxysmos habuit, vt manifestè ex Galeno patet. Ideóque sciendum, in curatione morborum non solùm ad morbum & causam morbificam, sed etiam ad vires & ingruentia symptomata respiciendum, & sæpe aliquid necessariò agendum esse, quod præsentem virium lapsum, aut aliud graue malum auertat.

Cùm autem modò dictum sit, putredinem non semper habere coniunctum fœtorem, diuersósque *Putredinis differentia.* esse putredinis gradûs, id rectissimè in generatione puris in tumoribus animaduerti potest, quâ de causâ etiam Galenus, *1. de diff. feb. cap. 6.* putredinem, quâ in venis humores putrescunt, cum eâ, quâ in tumoribus humores putrescunt, comparat, & quæ differentia putredinis in tumoribus reperitur, eam etiam in vasis reperiri statuit. Vtrobique enim alia putredo est, quæ vincente naturâ, & calore adhuc superante materiam fit; quæ non, simpliciter putredo existit, sed etiam coniunctam habet coctionem, & potiùs coctio à vincentis caloris natiui actione dicenda est, quàm putredo, quod in eâ caloris natiui alteratio & actio maior sit, minor verò caloris præter naturam. Alia verò est putredo, quæ fit succumbente calore natiuo, cùm putrescens humor ad benignum non mutatur. Atque hæ sunt duæ extremæ alterationes, quæ in morbis contingunt, ex quarum,

seu

ſeu potiùs cauſarum efficientium mixtione, medium quoddam exurgit, quod neque adeò bonam oſtendit putredinem, ſicut ea eſt, quæ apparet naturâ maximè ex parte dominante; neque adeò mala, qualis eſt ea, quæ fit natura ferè ſuccumbente. Cuius varij gradûs ſunt, prout ad hoc vel illud extremum magis inclinat. In malâ autem putredine, quæ fit naturâ ſuccumbente, id, quod generatur, ſpeciem non vnam habet, ſed varium odorem, colorem, conſiſtentiam. Nam quando natura non vincit humorem, id quod generatur, potiùs inſequitur naturam materiæ, quàm cauſæ in eam agentis. Cùm igitur materia non ſit vna, non erit etiam vnum illud quod producitur, ſed diuerſæ eius partes, & tam diuerſæ, quàm diuerſæ materiæ. Nam materia alia eſt bilioſa, alia pituitoſa, alia melancholica, alia ſanguinea. Quòd ſi natura vincat humorem, id quod generatur, vnam habebit conſiſtentiam, vnum colorem & odorem. Natura enim etſi in alimentum partis materiam illam vertere non poteſt: tamen quantum fieri poteſt, ſimile partibus quid efficit. Quod autem fit in tumoribus & inflammationibus, etiam fit in putredine humorum in vaſis. Quemadmodum enim humor putreſcens in tumoribus vnam trium recipit mutationem, aut optimam, aut peſſimam, aut inter has mediam: ita ſi in vaſis humores putreſcant, idem accidit. Et ſedimentum in vrinâ ſecretum ab humore putreſcente, aut eſt optimum, purique optimo reſpondens; aut peſſimum, quod eſt nigrum; aut mediæ conſtitutionis.

Et vt hæc tandem concludamus, ſi omninò aliquem vocabulum putredinis offendit: is tamen ſciat, ſolam humorum alterationem ad febrem humoralem generandam non ſufficere; ſed in omnibus febribus, quas vulgò putridas vocant, eſſe humorum in eſſentiâ mutationem & corruptionem; vnde & illud quod corruptum eſt, vel à natura euacuatur, vel medicamentorum ope expellendum eſt. Quòd ſi quis iſtas corruptiones & humorum degenerationes putredinem nominare nolit, & illam ſaltem humorum corruptionem, quæ vehementior eſt, qualis in malignis febribus apparet, putredinem appellare velit: is alia, quibus commodiùs nominentur, & diuerſæ corruptiones & mutationes humorum diſtinguantur, vocabula ſuggerat.

*Vocabuli Putredinis apud antiquos vſus.*

Interim ſciat, antiquos vocabulum putredinis latiore longè ſignificatione vſurpâſſe, quàm hodie fit: Imò Hippocrati σήπειν etiam concoquere, & σῆψις concoctionem ſignificat. Ita, *lib.* 3. περὶ διαίτης, σηπτὸς διαχώρημα, alui excrementum concoctum & ἄσηπτον διαχώρημα, crudum excrementum, *ibid.* appellatur: *&* *libello* περὶ ἀνατομῆς, σηπτικὴ κοιλίη ventriculus nominatur. Et Empedocles vinum ὕδωρ ἐν ξύλῳ σαπὲν nominat, vt eſt apud Ariſtotel. 4. *Topic. c.* 5.

### *Cauſæ putredinis.*

*Cauſa putredinis.*

Verùm vt ad doctrinam de febribus putridis propiùs accedamus, miſſis iis, quæ generaliùs de cauſis putredinis à Phyſicis diſputari ſolent, ſpeciatim de cauſis putredinis in febribus agemus. Et quidem cauſam proximam putredinis quod attinet, in eo & Philoſophi & Medici conueniunt, eſſe calorem externum, ſeu à naturâ rei cuiuſque alienum. Hic enim in corpore noſtro non ampliùs coquere, ſed humores putrefacere & corrumpere ſolet, humoréſque, quotieſcunque naturali calore deſtituuntur, & ab eo ampliùs non reguntur, corrumpi & putreſcere incipiunt: quæ generalis putredinis humorum cauſa eſt. Itaque omnia, quæ ſeu ratione humorum, ſeu ratione locorum, in quibus humores continentur, ſeu ratione caloris, ſeu quocunque alio modo cauſæ eſſe poſſunt, vt calor innatus humores ampliùs debito modo non regat, illa omnia putredinis humorum, ſiue propinquiores, ſiue remotiores cauſæ ſunt. Qualia autem illa ſint, iam in ſpecie videndum.

Quâ in re maximè apud authores occurrit difficultas, opinionum diuerſitas & obſcuritas. Et primo quidem loco ſtatim ſeſe explicanda offert quæſtio: An ſola tranſpiratio prohibita, & ventilatio humorum impedita ob obſtructionem, ſemper putredinis cauſa ſit. *An putredo in febribus ſemper ab obſtructione ſit.* Nam reperies quoſdam, qui omnes febres putridas ex prohibitâ tranſpiratione ab obſtructione fieri, & ſine prohibitâ tranſpiratione & ventilatione febres putridas accendi non poſſe ſtatuunt; ideóque in omni febre putridâ obſtructiones aperientia exhibent. Atque hi primò mouentur authoritate Galeni, qui 11. *meth. med. cap.* 4. cauſas putredinis in ſummam quaſi colligens ita ſcribit: *Oſtenſum eſt, vbi morborum cauſas tradidimus, illa tantum putreſcere corpora, quæ cum calidæ humidæque naturæ ſint, neque perflata, neque ventilata in calido humidóque loco manent. Quòd ſi in motu ſint, ventilentúrque ac perflentur, poſſe ea non putrida integráque ſeruari, potiſſimùm quæ corpora ſuâ ipſorum naturâ reguntur. vt animalium & ſtirpium.* Et mox: *Itaque ſi quid in eo putreſcere debet, dictas tranſpirationes impeditas eſſe oportebit.* Deinde idem Gal. 1. *de diff. febr. cap.* 3. hæc habet: *Si corpus vitioſis humoribus plenum fuerit, nulla verò obſtructio aliquod ex viſceribus obſideat, liberè autem totum animal per cutim diffletur ac refrigeretur: ſanitate quidem fruetur animal, ſed dubiâ ac momentaneâ. Cùm autem conſtringi terminum exteriorem, aut obſtrui penitiorum partium meatûs contigerit: in conſtrictionibus quidem febres conſequuntur ephemeræ, in obſtructionibus putridæ.* Præterea cum morbum oſtendat ſanatio, ſi methodum curandi febres putridas videamus, quam tradidit Galenus, 11. *meth. med. cap.* 10. idem inde euinci poſſe videtur. Nam ibi Galenus febrem deducit à putredine; putredinem à prohibitâ tranſpiratione; prohibitam tranſpirationem ab obſtructione; à quâ, vt inter cauſas primâ, curandi initium facere præcipit. Vtuntur deinde & rationibus. Nam ſi, inquiunt fuligines calidæ, quantum opus erat, euaporare & diſcuti poſſent, ad Cor non peruenirent, neque febrem accenderent. Præterea quæ dicuntur putreſcere, neceſſariò caliditatem propriam amittunt. Hoc autem fieri non poteſt, niſi à calore fortiore: id quod accidere non poteſt, niſi per tranſpirationem prohibitam.

Alij contrà, etiam ſine prohibitâ tranſpiratione & ventilatione corporis putredinem in humoribus accendi poſſe ſtatuunt. Atque iſti etiam cùm authoritatibus Gal. tum rationibus ad id ſtatuendum adducuntur. Nam primò Galenus, *de cauſ. morb. cap.* 2 vbi cauſas morbi calidi recenſet, putredinem ab obſtructione ſeiungit, & vt peculiarem cauſam affert, quòd ſcilicet putredo etiam ſine obſtructione & prohibitâ tranſpiratione fieri poſſit. Et 1. *de diff. febr. cap.* 2. *&* 4. ex aëre putrido & corrupto febrem peſtilentem oriri poſſe docet. Et 2. *de diff. febr. cap.* 9. cùm ex ſententiâ Ariſtot. docuiſſet, ab alienâ caliditate oriri putredinem, addit; calorem extrinſecùs ſanguini aduenire, & in Solis deüſtionibus, & peſtilenti ac ſuffocato aëre, & quando in corporis parte ſanguis plurimus aceruatus, ſupráque eiuſdem vires effectus corrumpi incipit. Quod cùm præcipuè fieri dicat, cùm in partis vaſis propter craſſitudinem obſtruitur, aut multitudinem impingitur, ab aliis etiam cauſis fieri poſſe confitetur. Imò expreſsè addit; in eiuſmodi affectibus duplicem ob cauſam corrumpi ſanguinem; & quia non difflatur, & quia à natura non vincitur. *Libro etiam de inæq. intemp. cap.* 8. Accendi, inquit, febrem & citra phlegmonem ex ſolis humoribus putreſcentibus licet. Neque enim ea ſolùm, quæ inculcata ſunt, & perſpiratu prohibita putreſcunt, cæterùm putreſcunt & alia multa, quæ putredini ſunt oportuna. Et *de cauſ. morb. cap.* 8. non

ſolùm

solùm tranſpirationem prohibitam cauſam putredinis ponit, verùm duas adhuc alias addit, nimirum medicamenta, quæ vim habent putrefaciendi, & genita in corpore excrementa. Etſi enim Donatus ab Altomari, 1. *parte de febr. cap.46.* vt vim huius loci effugiat, reſpondeat, aliud eſſe, agere de putredine, de quâ loquatur Galenus *lib.* 1. *m.m.* aliud de corruptione, quæ non eſt vera putredo, de quâ Galenus agat, *allegat. c.* 8.*lib. de cauſ.morb.* tamen hæc contra mentem Galeni dicuntur. Et Galenum de verâ putredine ibi loqui, cuilibet verba Galeni diligentiùs perpendenti manifeſtum euadit. Ratio etiam idem euincit. Nam cùm, vt de natura putredinis dictum, putredo fiat, quando calor internus euocatur ab externo: ſi plures cauſæ, quàm prohibita tranſpiratio, dantur, quæ calorem externum accendere poſſint, manifeſtum inde euadit, plures dari putredinis in febribus, quàm ſolam tranſpirationem prohibitam, cauſas. At dari plures, Galen. *de cauſ. morb. c.* 2. & 1. *de diff. febr. c.* 3. docet, nimirum, præter prohibitam tranſpirationem, etiam motum, viciniam corporis calidi, aſſumpta calida, & putredinem. Idem tandem teſtatur experientia, quâ conſtat, aquam, vt & res alias extra corpus humanum plurimas, ſine prohibitâ tranſpiratione putreſcere. Cur ergo non idem etiam in corpore humano accidere poſſit.

*Non omnes Febres putridæ ſunt ab obſtructione.* Et omninò his aſſentimur, qui ſine prohibitâ tranſpiratione & obſtructione viſcerum putredinem in corpore humano excitari poſſe ſtatuunt, ac eorum opinionem reiicimus, qui in omni febre à putredine ortâ tranſpirationem prohibitam, & præcipuè viſcerum & venarum obſtructiones, putredinis cauſas ponunt: exagitauítque iam olim Auger. Ferrerius, *in Caſtigat. practic. medic. c.*14. eos Medicos, qui in febrib. continuis nihil niſi viſcerum obſtructiones obloquuntur. Quid enim, vbi febres epidemiæ, quæ per contagium propagantur, ſeu continuæ, ſeu intermittentes graſſantur, contagio cum obſtructionibus; aut eiúſne, qui febre laborat, obſtructio in alium, qui contagio inficitur, deriuatur? certè obſtructiones non tranſeunt de indiuiduis in indiuidua: & anne opus eſt, vt contagium, primùm obſtructiones viſcerum inducat, vt febrem poſſit inducere? Certè contagium & venena humores corrumpere & putrefacere poſſe, ſine omni obſtructione viſcerum, notiſſimum eſt. Et ſi meſaraicæ ſemper eſſent obſtructæ, non tranſiret id ad hepar, & totum corpus, quod tranſire manifeſtum eſt.

Et culpandi meritò Medici, qui vbi vrinas turbatas, craſſiſſimas & impuriſſimas, & quidem ſatis longo tempore reddi vident, id pro bono ſigno habendum cenſent. Obſtructiones nimirum aperiri, & materiam vitioſam euacuari, dicunt. Quamquam enim non negandum ſit, non ſolùm in calculo, ſed & in febribus per criſin, vel medicamentorum auxilio turbidas & craſſas vrinas cum commodo ægri excerni: tamen tales vrinas rubras, turbatas, quæ ſine omni morbi imminutione & longo ſæpe tempore excernuntur, potiùs crudi adhuc & pertinacis morbi indicium, & proinde malum ſignum eſſe exiſtimo, & arguere, malam illam diſpoſitionem vitioſos humores generantem, & humorum feruorem & cruditatem adhuc perſeuerare, neque dum bonam coctionem, quæ ſemper claras vrinas ſuppeditat fieri. Atque rem ita ſe habere, multa alia in ægris oſtendunt.

Et quanquam interdum in febribus diuturnis obſtructiones, imò & ſcirrhi viſcerum reperiantur, à quibus febres prolongari extra dubium eſt: iſta tamen potius à febre, ob quam multi crudi & vitioſi humores, facultate naturali debilitatâ, generantur, quàm vt illi febrim primò produxerint. Et longa ac continua ſæpe eſt cauſarum, morborum & ſymptomatum catena: & materia, quæ adeſſe deprehenditur, obſtructiones, vel alium morbum excitat, ipſa tamen ab alio morbo producta.

Tranſpiratio verò corporis prohibita ſeu ἀδιαπνευςία vt Galenus, 11. *meth. med cap.* 10. nominat, cùm corpus per cutem liberè non ventilatur, longè frequentior cauſa eſt putredinis: neque tamen ſola eſt putredinis cauſa; ſed & rerum putridarum occurſus ſine tranſpiratione prohibitâ putredinem inducere poteſt; ſicut argumenta pro ſecundâ opinione adducta id rectè probant. Etſi non negemus, longè faciliùs, & promptiùs, à quacunque etiam causâ, in corpore quod non rectè difflatur, putredinem induci, quàm in eo quod liberè ventilatur.

Si quis tamen ſtatuere velit, ſine prohibitâ tranſpiratione equidem putredinem excitari poſſe, ſed non febrem, cum eo non contendam, ſi rectè hîc ſuam mentem explicet. Nam licèt vapores & fuligines à materiâ putreſcente eleuentur: ſi tamen ſufficienter diſcutiantur, febris non excitatur. Poteſtque huius rei exemplum ſuppeditare fimus & ſtercora animalium. Fimus ſi in aëre, à quo ventiletur, iaceat, putreſcit; ſed ſine calore notabili. Si verò cumulatus iaceat, neque ab aëre ventiletur, & fuligines illæ exhalantes concludantur, non ſolùm incaleſcit vehementer, ſed & nonnunquam in flammam concipit; ſicut Galenus, *de morbor. cauſ. cap.* 2. ſcribit, ſe vidiſſe columbarum ſtercora ob putredinem accenſa arſiſſe. Teſtanturque id multa, quæ in febribus accidunt. Quæ enim corpora facilè ſunt tranſpirabilia, non facilè febribus corripiuntur, & contrà. Et in febrium principiis ſudare ægri non poſſunt, & quamprimùm ſudant, paroxyſmus deſinit, & ſanationis ſpes adeſt. Et cauſæ recidiuarum penè omnes à prohibitâ inſenſili tranſpiratione dependent. Multa præterea arguunt, putridos humores in corpore aliquandiu latere poſſe, antequam æger febre corripiatur. Idque vrinæ non rarò teſtantur, tum ante, tum poſt febres, imò in ipſis febribus intermittentibus, in quibus tempore ἀπυρεξίας notæ putredinis ſatis euidentes in vrinis apparent. Vbi tamen putredo adeſt, faciliùs etiam tranſpiratio prohiberi poteſt. Ex putridis enim humoribus plurimæ fuligines eleuantur, quæ inſenſibiliter diſcuti debent, & longè copioſiùs eleuantur, quàm in homine ſano. Quâ de causâ fit, vt facilè in ambitu corporis hæreant; quò etiam facit ipſorum halituum præter naturam ſe habentium natura & vitium. Ideòque etſi in omni febre putridâ, præter putredinem, aliæ adhuc cauſæ poros cutis occludentes neceſſariò non requiruntur: ſi tamen ex humoribus putridis plures vapores eleuentur, quàm vt omnes per poros cutis etiam patentes tranſpirare poſſint, ob eorum partim copiam, partim naturam febris excitatur. Crudi enim humores non ita facilè tranſpirant, ac cocti & boni. Quod ſi quis ἀδιαπνευςίαν nominare velit, cum eo non pugnabo vt dixi; ſed erit ea potiùs febris quàm putredinis cauſa, vt dictum.

Vt ergo omnes putredinis cauſas in conſpectu habeamus, ſciendum, humores, vel ex ſua natura & diſpoſitione, vel ab externa agente atque efficiente causâ, putredinem concipere. Nam quanquam omnes humores, cùm ſint corpora mixta, & quidem humida, ad putredinem recipiendam apti ſint: tamen inter ipſos humores quædam differentia eſt, & alij vel ſuâ naturâ ad putredinem tendunt, vel à cauſis putredinem inducentibus faciliùs vincuntur; alij actioni earundem cauſarum magis reſiſtunt. Humores autem qui facilè putredinem incurrunt, ſunt, qui internum aliquod vitium habent, & ex ſua natura ſenſim, vel vbi leuiſſimam occaſionem nacti fuerint, in putredinem prolabuntur. Talia verò vitia humores contrahunt ex variis cauſis. Primò quidem ex prauis cibis, qui vel naturâ ſuâ tales ſunt, prauíque ſucci appellantur, vel propter vetuſtatem, & quòd negligenter aſſeruati fuerint, tales redditi ſunt. Deinde vitium hoc humores contrahunt à cibis, qui quidem praui

*Putredinis cauſæ.*

*Humorum ad putredinem diſpoſitio.*

praui non sunt, facilè tamen putrescunt, quales sunt ferè omnes fructûs, quos ὡραίους appellant. Tertiò idem vitium concipiunt humores à ciborum prauâ præparatione, vt coctura malâ, aut additamentis minùs conuenientibus; vel quando cibus nouus assumitur, antequam prior est concoctus; vel nimiâ copiâ ingeritur, vt natura ipsum satis coquere & elaborare non possit; vel quando præpostero ordine cibi assumuntur. Quartò etiam huc facit partium coctioni destinatarum aliquod vitium, ob quod etiam bona alimenta inquinantur & corrumpuntur, & multi excrementitij humores cumulantur. Tandem etiam alia quædam ex sex rebus non naturalibus dictis ad vitiosos in corpore humores gignendos faciunt, vt excrementorum euacuatio suppressa, ira, atque aliæ animi perturbationes; & id genus alia.

Quò verò plus humorum excrementitiorum in corpore cumulatur, eò faciliùs putredo gignitur. Nam natura sanguinem bonum, vt familiare corporis alimentum vitæque thesaurum intra venas omni studio conseruat, & tuetur; atque ideò sanguis minùs facilè putredinem concipit: humores verò excrementitij, qui corpori alendo idonei non sunt, tanto studio à natura non gubernantur; ideóque promptè putrescunt, atque eò faciliùs, quò sunt vitiosiores. Sanguis tamen extra venas effusus cùm sit extra naturalem locum, & calidæ ac humidæ naturæ, facilimè putredinem concipit.

*Putredinis causæ efficientes.*

Humores igitur vitiosi, si in corpore colligantur, etsi ad putredinem concipiendam naturâ procliues sint, & suâ sponte in eam incidere possint: tamen longè faciliùs id accidit, si aliqua causa externa accedat; quæ tamen leuissima sæpe in corporibus dispositis requiritur, & multò minor, quàm in corpore planè sano, & vitiosis humoribus non referto. In corpore enim sano si putredo oriri debet, maior causæ agentis vis requiritur. Sunt tamen eæ causæ sæpe tam potentes, vt etiam in corpore sano putredinem inducere valeant.

*Prohibita transpiratio.*

Inter causas autem has, quæ faciunt, vt humores putredinem concipiant, frequentissima & præcipua est transpiratio & ventilatio corporis prohibita, siue ea accidat ob pororum cutis angustiam, siue ob vasorum & meatuum in corpore penitiorum obstructionem. Angustia meatuum cutis fit, vel ex constrictione à frigore, aut ex adstringentibus, vt balneis aluminosis, aut ex siccitate, vt morâ sub radiis solaribus; vel obstructione, quæ fit aut propter copiam, aut viscitidatem, aut crassitiem humorum. Easdem ob causas etiam interni meatûs obstruuntur, vt humores liberè ventilari non possint; nimirum ob multitudinem sanguinis, ex cibo nimio, otio, mensibus, hæmorrhoidibus, aut aliâ consuetâ euacuatione suppressâ, vel quacunque aliâ de causâ cumulati. Deinde ex humorum crassitie & viscitidate, quæ ex cibis eius generis ortum habet. Quò etiam facit, si humores crassi, crudi & nondum satis elaborati, in minores corporis venas, vel attrahuntur ob intempestiuum & nimium motum, balnea, similésque causas, vel impelluntur, ob potum cibúmque tenuem nimis, acrem, & vim diureticam habentem.

*Qui ex prohibita transpiratione facilè in febres putridas incidant.*

Quacunque igitur de causâ transpiratio & ventilatio corporis prohibeatur, putredo excitari potest. Calida enim & humida in loco calido, nisi ventilentur, promptè putrescunt. Et licèt perspiratione prohibitâ faciliùs humores ad putredinem dispositi putrescant, tamen tanta huius causæ vis est, vt ob eam etiam boni humores putredinem concipiant: ideóque febres putridæ frequentissimè ab obstructione oriuntur. Ac primò in plethoricis corporibus sæpius febres putridæ excitantur. Obstructiones enim in iis multæ sunt, & corpus liberè non difflatur: inprimis si causæ euidentes antea enumeratæ accedant, motus scilicet, balnea, æstus, aut calidorum multus vsus post repletionem. Hæc enim omnia crassos & crudos humores in hepar & venas mouent ac trahunt, vnde obstructiones fiunt. Quare si quis à cibo, & potissimùm copioso, balneo vtatur, vel vehementiùs exerceatur, vel in aëre calido versetur, & postea, vbi corpus incaluit, subitò frigori sese exponat, efficacissimam febris putridæ causam præsentem habet. Crudi enim humores ad viscera atque meatûs alios abripiuntur; meatûs autem cutis à calore patentiores redditi à frigore faciliùs penetrante iam magis condensantur & constringuntur, calidúmque effluuium prohibetur.

Deinde non minùs promptè ex prohibitâ transpiratione febre corripiuntur, quibus cum sanguine excrementitij humores mixti sunt, è quibus calidi, acres & mordaces vapores attolluntur. Hinc videmus febres biliosas omnium frequentissimas esse. Generantur autem & attolluntur illi vapores calidi & acres triplici de causâ. Quibusdam enim corpus cacochymicum est, & vitiosis humoribus scatet, è quibus naturaliter tales vapores attolluntur. Quidam malâ vsi sunt diætâ, dum tenuiùs vixerunt, rariùs comederunt, nimiùm sese exercuerunt, etiam in aëre calido, vinum biberunt generosius, cibis calidis nimis, siccis, salsis, amaris, acribus, atque aliis etiam alimentis, quæ prauos succos generare solent, vsi sunt, vt allio, cæpis, porro, nasturtio, vrticâ, brassicâ, leguminibus, frumentis corruptis, atque inprimis, si post tales cibos aquam vitiosam, limosam nimirum, lutosam, stagnantem & putridam biberint. Quibusdam denique tales vapores attolluntur, quòd sæpe malè concoxerunt, & cibos in malum alimentum conuerterunt. Ex his itaque causis, si in corpore praui humores cumulentur, vt docet Galenus, 1. *de differ. febr. cap.* 3. si nulla adsit in visceribus obstructio, pori quoque cutis pateant, tum febris quidem non sequetur, sanitas tamen erit instabilis, inconstans & lubrica. Facilè enim fieri potest, vt aut pori cutis claudantur, aut viscera obstruantur. Nam tum mox humores putredinem concipient, & febres accendentur.

Atque hinc causam reddere difficile non est, cur aliqui, si non bene coquant, cruditatem pariantur, & humores prauos generent, mox febribus corripiantur, alij non. Nam alij prauos humores habent antea in corpore, aut transpirationem non expeditam, corpúsque ipsorum non satis difflatur & ventilatur, aut intempestiuè laborant, aut temerè balneis vtuntur, aut in calido & æstuante aëre versantur, aut irâ corripiuntur, aut cibo & potu nimio sese replent. In his igitur febres accendi, mirum non est, nam iis quibus diximus modis, praui humores in totum corpus trahuntur, vnde facilè obstructiones & viscerum & pororum cutis, atque hinc febres oriri possunt. Alij autem humores bonos habent in venis, corpúsque ipsorum liberè ventilatur, non immodicè mouentur, atque hac ratione humores vitiosi in totum corpus non trahuntur, sed solùm in ventre retinentur, atque inibi in quiete à calore naturali vincuntur; vnde non ita facilè tales febri corripiuntur.

*Causæ calefacientes.*

Secundò & alia, quæ in humoribus calorem præternaturalem accendere, calorémque natiuum euocare possunt, putredinem excitare valent: in quo genere est febris Ephemera. Nam ex Ephemeris putridas interdum fieri, suprà diximus, dum calor ille præternaturalis spirituum in Ephemerâ humores accendit, & ita putredinem in iis concitat: quod potissimùm fit in calidis & humidis naturis, ac iis in quibus humores iam apti & dispositi sunt ad putredinem. Tunc enim igneus ille & alienus calor in spiritibus hærens etiam humoribus communicatur, calorémque innatum euocat, & humidum in vapores attollit ac dissoluit, atque ita putredinis causa est.

Et quod febrilis calor in Ephemerâ præstare potest, idem etiam calor non febrilis à rebus non naturalibus

libus externísque profectus efficere valet. Quales sunt nimia caliditas aëris: calidum balneum, vehemens exercitatio, animi motûs nimij, atque aliæ similes causæ, quæ licèt primò spiritûs, propter eorum ad incalescendum promptitudinem, calefaciant: fieri tamen potest, vt vel statim vel paulò pòst humorum quoque calor intendatur & præternaturalis fiat, ita vt etiā sine præcedente febre Ephemerâ putrida febris oriri possit.

*Putridarum rerum occursus & vicinia.*

Tandem etiam putridarum rerum occursus putredinis humorum causa est; cùm id, quod à putrido tangitur, ipsum etiam putrescat, résque putridæ occurrentes corpus nostrum inficiant ac inquinent, quod solet contingere inprimis ex aëris putridi, & vaporibus putridis repleti inspiratione, tum conuersatione cum iis, qui putredine contagiosâ infecti sunt; id quod malignis febribus accidere solet.

Verùm hîc & hoc obseruandum, has causas præcipuè in prima febris inuasione locum habere, & ita etiā ad continuas producendas sufficere: In intermittentibus tamē & periodicis febribus cùm paroxysmo vno finito multi adhuc redeant, continuata putredinis causa inquirenda est.

Vbi quidem nonnulli statim ad obstructionem, quæ tamen sæpe nulla est, recurrunt, vt dictum, & postea etiam dicetur. Si verò rem diligentiùs perpendamus, ex causis propositis duæ inprimis locum habent, nimirum partium coctioni destinatarum aliquod vitium, ob quod praui humores generantur, qui postea facilè putredinem concipiunt; & putridæ rei contactus seu μίασμα aliquod, quod post paroxysmum relinquitur, quod humores, quasi fermentum, corrumpit. Quas causas & Galenus 2. *de diff. febr. cap. vlt.* proposuit, vbi inter cætera hæc habet: *Neque existimes in exterioribus istis vasis, in quibus elixatum obsonium nidorosum factum est, quandam relinqui dispositionem, nullam verò in partibus, in quibus humores putruerint.*

*Febris putridæ definitio.*

Atque ex his omnibus, quæ hactenus dicta sunt, *febris putrida* definiri potest, quòd sit, *Intemperies calida totius corporis, quæ à putredine humorum ortum habet & fouetur*: seu; *febris à vaporibus calidis è putredine humorum excitatis, & cor præter naturam calefacientibus ortum habens.*

## CAPVT II.

### *De Febrium putridarum differentiis.*

DIfferentiæ febrium putridarum plurimæ quidem passim ab Authoribus recensentur; quæ tamen maioris momenti sunt, & ad curationem inprimis vtiles, à materia putrescente, & loco, in quo putrescit, petuntur. Primò putrescunt vel ipsæ corporis partes solidæ, vel humores, vel etiam ipsi spiritûs, de quo tamen controuertitur, vt suo loco dicetur. Deinde consideratur in humoribus & putredine modus & qualitas putredinis. Aliàs enim simplex putredo in humoribus adest, quæ etiam nullos alios affectûs, quàm qui putredinem propriè & simpliciter sequi solent edit: talésque febres, quæ inde excitantur simpliciter & sine aliquâ adiectione, continuæ vel intermittentes, huius vel illius generis nominantur. Aliàs verò cum putredine, aliqua maligna & venenata qualitas, ac contagiosum quiddam coniungitur, vnde febres malignæ, pestilentes, & contagiosæ oriuntur & nominantur.

Tertiò ipsa humorum natura consideratur, concipere enim putredinem possunt omnes humores, tum naturales, tum præternaturales. Nam licèt & ante Galeni tempora nonnullorum fuerit opinio, quam nostro tempore reuocârunt, Ioubertus & Simonius, omnes febres humorales ex bile flauâ oriri: tamen rectè illi refutantur à Galeno 2. *de diff. febr. cap.* 1. Et certè rationi atque experientiæ est contrarium, nullas febres ex pituitâ, vel melancholiâ oriri; sed omnes & quotidianas & quartanas, ex flauâ bile progigni.

Nam quæ per vomitum, aluum, sudores excernuntur in febribus, maximè variant: semper tamen humorem suo febrium generi peculiarem & proprium attestantur, & biliosa in biliosis, pituitosa in pituitosis, melancholica in quartanis excernuntur. Neque etiam alia quæ antecedunt aut simul adsunt, in quotidianis & quartanis febribus, biliosi humoris notas exhibent. Generatur enim bilis flaua à causis calidis & siccis; temperamento calido & sicco; in iuuentute & ætatis vigore, tempore æstatis, aëre & regione calidâ; vitæ genere laboribus dedito; vigiliis, irâ, cibo, & potu parco, calido sicco, aut medicamentis calidis & siccis. Hæc omnia, inquam, bilem flauam gignunt. Quotidianæ autem contrario modo generantur, à causis pituitam cumulantibus, nimirum in corporibus frigidi & humidi temperamenti; tempore hyberno, aëris constitutione frigidâ & humidâ; pueritiâ, senectute; vitâ otiosâ ebriosâ, sedentariâ, somno multo, Ita & quartana à causis contrariis & melancholiam generantibus & augentibus oritur, nimirum temperamento frigido & sicco; ætate declinante; vitæ gene e tristi, sollicito, solitario; cibo, & potu crasso; tempore autumnali. Denique & alia quædam, quæ febribus adsunt, rigor, pulsus, vrina, & similia, diuersitatem humorum in diuersis febribus arguunt; vt ex speciali de singulis febribus doctrinâ manifestum euadet.

*Qui humores febrem generent.*

Veruntamen hæc, quæ de differentiis febrium secundùm humores dicta, rectè accipienda sunt. Nimirū ista, quæ iam de humoribus tradita sunt, maximam partem de præternaturalibus excrementitiis humoribus, non de humoribus alimentariis vel naturalibus excrementis accipienda sunt. Alimentares enim omnes humores sunt sanguis, vt sæpius, & præcipuè Institut. *lib.* 1. *cap.* 9. *p.* 66. dictum. Et quamuis sanguis biliosus faciliùs in bilem abeat: tamen quatenus talis, febrē non generat; suntque multi tēperamento bilioso, seu qui sanguinem calidiorem & sicciorem habent, qui diu febre non laborârunt; ita alij, sanguinē melancholicū habent, qui nondum quartanam experti sunt: sed vt febris actu in corpore producatur, causa accedat necesse est, ob quā humores à statu naturali recedant, & in præternaturales degenerent; aut vt ex alimento assumpto tales, seu alimenti, seu partis concoquētis vitio generentur. Atque ad febrem generandam sufficit, si in partem aliquam vitiosa constitutio humores prauos generans, bonosque corrumpens inducta sit, aut inquinamentum, vel causa humores corrumpens in corpus inciderit. Habet enim postea talis vitiosa dispositio seu μίασμα tale se instar fermenti, & subinde plures vitiosos humores generat, bonosque corrumpit; sicut à parua fermenti quantitate totam massam alterari videmus. Ideóque non necessarium est, vt humores, qui in febribus inueniuntur, & in intermittētibus, singulis paroxysmis euacuantur, ante febres adfuerint; aut vt ad diuersas febres generandas in toto corpore diuersi humores adsint: Sed humores illi, qui in singulis paroxysmis euacuantur, illo ipso tempore; quod hunc & antecedentem paroxysmum intercedit, maximâ ex parte generati sunt. Et illa, quæ de causis varios in diuersis febribus humores generantibus dicta sunt, potiùs de generatione humorum excrementitiorum præternaturalium, & fermenti illius putredinalis, vt sic dicam, & dispositionis vitiosæ humores præternaturales generantis accipienda sunt, quàm de generatione humorum illorum naturalium.

*Causa efficiēs febrium putridarum.*

*An ad diuersas febres diuersi humores & corporis cōstitutio requiratur.*

Quanquam enim non negemus alios humores; aliámque corporis constitutionem ad alias atque alias febres procliuiores aptioresque esse: non tamen necessarium est, vt qui diuersis febribus laborant, semper diuerso temperamento præditi sint: cùm idem humor diuersis modis ad diuersas febres inducendas corrumpi

corrumpi possit. Videmus enim diuersos homines temperamento,sexu,ætate differentes,ab eâdem febre- prætertìm si epidemia & contagiosa sit, corripi; & à quartanis, quæ ante annos tres & quatuor hîc & in aliis locis epidemiæ erant, corripiebantur non solùm melancholici,sed & biliosi,pituitosi,sanguinei,non solùm viri & senes,sed & iuuenes, imò infantes vix nati.

Atque idem non solùm cibi testantur, qui iidem in diuersis ventriculis, & bilescere ac acescere possunt; sed & res aliæ multæ. Idem mel & acescit & amarescit. In eandem farinam aliam dispositionem & mutationem inducunt feces cereuisiæ; aliam fermentum acidum. Et hoc sensu si accipiatur illorum sententia qui febres earumque periodos secundùm humores differre negant, & quamlibet febrem ac febris periodum à quolibet humore prouenire posse statuunt: non video, cur reiicienda sit. Et proinde magis causa humores corrumpens, aut præternaturales humores generans, quàm ipsa naturalis constitutio attendenda: cùm causam, quæ humorem illum Quartanæ authorem, etiam in corpus sanguineum,vel biliosum incidere posse, ipsa experientia testetur.Quanquã non negamus, si illud inquinamentum humores corrumpens in corpus introductum sit, sedemque alicubi fixerit, aliquam in Symptomatibus apparere diuersitatem secundùm corporis constitutiones naturales & temperamenta varia; vt quamuis Quartanâ laboret melancholicus, biliosus, sanguineus, tamen symptomata non parum varient secundùm varia hæc corporis temperamenta.

*Quæ in putredine consideranda.* Ideoque duo in putredine attendẽda,terminus à quo, & præcipuè terminus ad quem; & cùm humores, qui corrumpuntur, tùm id quod corruptione & putredine generatur, perpendendum,neque in solâ putredine acquiescendum, sed cùm vnius corruptio sit alterius generatio,finis putredinis addendus,generatio scilicet ad quam corruptio tendit.Quâ in re magna apparet diuersitas; variatque non solùm pro diuersitate rei corruptibilis,verùm etiam pro diuersitate corrumpentium:vt *Putredinis varietas.* in contagio & venenorum differentiis videre est, cùm omne agens sibi patiens,quantum potest,simile reddere laboret.Alia enim fit corruptio humorum ex contagio pestilenti,alia ex contagio in variolis, alia in lue venereâ:aliterque humores corrumpuntur ex morsu serpentis,aliter ex scorpionis,aliter ex aliorum venenis.Patetque idem in aliis rebus.Sint ex:gr.tria cadauera,bouis, suis & cancri,atque ab eodem aëre calido corrũpantur: putredinis triplex differentia ratione subiectorum corruptibilium apparebit;& vt species viuorum corporum differebant,ita & mortuorũ putredo.Sint rursus vnius speciei,e.gr.bouis,tria cadauera,quæ in tribus locis putrescant,vnũ in aëre,alterum in aquâ, tertium in terrâ defossum:& maxima apparebit putredinis differentia. Patet ista mutatio & in aliis rebus naturalibus omnibus. Ex:gr. Idem vinum variis modis corrumpi & degenerare potest,atque alia est mutatio, cùm acescit, & spiritus φλογιστὸς mutatur in acetum ἀφλογιστον, alia cùm in vappam mutatur,alia quando lentum & pendulum fit aut feruere incipit. Terminus ergo putredinis præter conuersionem & degenerationem caloris natiui in igneum notandus, quod ad curationem instituendam non parum facit.Ita in fluxibus pestilentialibus, quique interdum in febribus malignis accidunt,falsos humores crescere,symptomata indicant.

*Humorũ differentia.* Atque omnino hîc opera danda ne res diuersæ planè confundantur, humoresque,qui totâ naturâ discrepant, ad idem genus referantur, seu potiùs confundantur. Quâ in re omnino aliquid in vulgari doctrinâ desiderari videtur. Vnum enim nomen vulgò pluribus humoribus,quorũ essentia est diuersissima,tribuitur.Phlegmatis nomen tribuitur humori frigido & humido:eodem tamen humor salsus,calidus & siccus appellatur. Ita bilis nomen diuersissimis humoribus inditur; vidique ego & obseruauerunt alij Medici,flauos & planè croceos humores vomitu reiectos fuisse, non amaros, sed potiùs lactis, aut seri lactis, imò glycyrrhizæ dulcedinem æmulantes, vt ægri affirmârunt. Ita sub melancholiæ nomine comprehenditur humor frigidus & siccus, deinde atra bilis,humor calidus & siccus erodendi vi præditus;cùm tamen effectûs testentur, humorem cancri causam & authorem à fece illâ sanguinis insipidâ non minùs differre, quàm bilis in vesiculâ fellis à pituita insipidâ.

Ideoque omnino hîc in conspectu habenda est humorum excrementitiorum in naturales & præternaturales distinctio. *Humores naturales.* Naturales sunt illa excrementa, quæ in quouis homine optimè sano generantur, qualis est bilis flaua, fex illa sanguinis, quæ melancholia propriè vocatur,vrina.Præternaturales sunt,qui præter naturam ex cibis, vel reliquis humoribus corruptis generantur, & in nullo homine exactè sano reperiri debent. Illi sunt mixta & composita corpora homini, vel animato propria, quæ meritò etiam suis nominibus simpliciter nominanda; sicut & sanguis suo nomine appellatur: quæ cùm reiiciunt Chymici, meritò reprehendẽdi.Et perinde faciunt,ac qui lixiuium eiusdem cum vrinâ aliquâ saporis,vrinam appellare velit. *Humores præternaturales.* Aliud enim est liquor, aliud sal in liquore. Humores verò præternaturales non absurdè nominibus à principiis Chymicis petitis nominari posse videntur. Quamuis enim humores illi excrementitij non merus Sal, vel Suphur sint: tamen corruptio eò tendit; & in alio morbo humores amari, in alio acidi augentur, atque in eos reliqui degenerant;quem excessum Hippocrates τῶν χυμῶν ἀκρότητας appellat. Atque ita & in febribus sese res habet, quæ potiùs à præternaturalibus, quàm naturalibus, excrementitiis ortum habent. Aut si etiam naturales seu præternaturales, seu excrementitij febribus materiam suppeditant, putredine tamen corrumpuntur,& aliã naturam inducũt.

*Humorũ differentia vnde petenda.* Ideóque commodissimè hîc facerent Medici, si Hippocratem, *in lib. de prisc.medic.* imitati,diuersos humores, diuersis & suis nominibus indigitarent,atque alios insipidos, alios salsos, alios amaros, alios acidos, alios dulces, alios acerbos, aliisque nominibus distinctè nominarent, & singulos ad sua principia reducerent potiùs,quàm vt tot diuersis rebus & totâ essentiâ differentibus idem nomen attribuerent.Ita enim cùm alij morbi, tum febres inprimis ad suas species & causas reducerent, & generationis modo cognito, causis singulos humores generantibus obuiam iri posset. Quâ in re vtilem Chymia operam præstare potest, quæ inuestigare docet, quodnam primum amari,quod acidi, quod aliorum saporum subiectum sit. Ex quâ, reuocatis ad sua atque ea certa & definita principia singulis causis,plus commodi percipiet Medicus, quàm ex Sanctor. Sanctorij phantasiâ & inanibus speculationibus, qui *lib. 7.meth. vitand. errorum in Medicinâ, cap. 9.* 80084. humorum mixturas possibiles constituit.Quo ipso annon artem medicam incertam & obtrectatoribus deridendam exposuerit, penès prudentes Medicos esto iudicium.

*Primaria febrium putridarũ causa.* Cùm autem illa diuersitas humorum, quæ in febribus diuersis apparet,& humorum,qui in corporibus aliàs naturali constitutione & temperamento non parùm differentibus iidem reperiuntur, generatio, à causa præternaturali seu διαθέσῃ illâ vitiosâ, quæ febriles istos præternaturales humores generat,aliosque humores in sui generis vitiosum corrumpit, pendeat: in qualibet febre ea præternaturalis διαθέσις attendenda: cùm tota ferè curationis ratio in huius dispositionis ablatione consistat, ac hac perseuerante nouosque humores generante,febris non cesset,& frustra purgationes instituãtur, ægrique purgãtibus quod multi faciunt macerentur,nisi hæc dispositio sublata sit; semperque præstet, vitiosos humores non generari, quàm

quàm genitos euacuari. Habet autem ista dispositio sese instar fermenti, quod totam massam feruere facit, alteratque & mutat. Atque ea in plurimis morbis apparet. Vt iam de venenis non dicam, quorum minima quædam portio insignè peculiariter humores corrumpendi vim habet, vt à serpentibus quibusdam demorsi subitò icterici fiant, humoribus in flauum hujusmodi humorem à veneno hoc corruptis: In Cholerâ & Ileo tanta sæpe humoris flaui copia vomitu reiicitur, vt credibile non sit, tantam in corpore latuisse, sed hoc potiùs probabile est, non solùm cibum & potum assumptum, sed & humores in eiusmodi humorem corrumpi. Decuplo enim plus sæpe vomitu reiicitur, quàm cibi potûsque assumptum sit. Videmusque etiam in aliis partibus omnibus, si non rectè sese habeant, alimentum, quod attrahunt, non sibi rectè assimilare, sed in vitiosum mutare, sicut id in vulneribus manifestum est.

*Tertianæ & Quartanæ causa.* Quænam autem illa dispositio sit, & quâ in parte hæreat, explicare non facile est. Obstructiones à multis hic frustra accusari, supra dictum. Vero non dissentaneum videtur; in quotidianâ in ventriculo; in tertianâ in hepate & mesaraïcis ac hepati vicinis locis; in quartanâ in liene & vicinis locis causam consistere. Et quidem in quotidiana pituitam, in tertianâ bilem, in quartanâ melancholiam generari; atque in tertianâ amaros, in quartanâ acidos humores & multiplicari & augeri: Sicut antea dictum, mel & amarescere & acescere posse: qui sapores, vt ad Chymicorum principia hæc applicemus, in salibus, quibus primò insunt, quæri debent. Etsi enim in vtraque febre calor natiuus in igneum degenerat: tamen per putredinem & fermentationem quasi aliud augetur in tertianis, amarus scilicet humor, sali sui generis respondens? in quartanis acetosus, vitriolo analogus. Atque ægri in tertianis amarorem, in quartanis aciditatem percipiunt, & in ipso Quartanorum sudore aciditas animaduertitur.

Quanquam verò hepar tertianæ, lienem Quartanæ fontem esse credibile est: tamen ventriculus nunquam, aut rarò immunis est, sed & ipse, partim à calore febrili, partim ab affluentibus à reliquis visceribus humoribus vitiosis debilitatur, atque hinc malè coquit & cibum corrumpit, & vitiosos humores suppeditat, qui postea ad febrium scaturiginem delati, febri materiam vberem suppeditant, vnde non rarò febris prolongatur. Atque ita morbus cum suis causis in circulum redit, & qui à morbo producti fuêre humores vitiosi rursum morbum augent. Et hinc causam reddere non est difficile, cur nonnulli ad consuetum cibum reuersi, aut cibum, quem auidè expetierunt, nacti, febre liberentur. Fit enim hoc eâ inprimis de causâ, quòd in ventriculo coctio rectiùs perficitur, & minus materiæ febri suppeditatur. Hinc etiam accidit, vt vulgus nonnunquam spiritu vini cum semine carui vel aromatibus sumpto febres depellat. Quanquam enim & sudores talia ciere; humoresque vitiosos dissipare possint: tamen & ventriculus hoc modo roboratur, vitiosique humores, in eo absumuntur. Verùm plura hac de re infrà, de febrium intermittentium differentiis dicentur.

Quartò locus, in quo putrescunt humores, non semper idem est. Aliquando enim putrescunt humores intra vasa, id est, intra sanguinis perfecti receptacula venas & arterias, aliquando verò extra vasa eadem in venis mesaraïcis, & aliis locis putredinem concipiunt. Quæ intra vasa fit putredo, vel æqualiter est in omnibus vasis, aut certè maximis, qualia sunt inter alas & inguina, vel est in aliquâ parte priuatâ, venisque, quæ alicui determinato membro peculiares sunt, id quod in pleuritide, anginâ, peripneumoniâ, & similibus inflammationibus accidit.



*Febrium differentia.* Ex his febrium differentias commodissimè hoc modo elici posse existimamus.

Primò Febres aliæ sunt simpliciter putridæ, sine vlla malignitate & contagio: aliæ verò malignæ, pestilentes, & contagiosæ.

*Febres continua.* Deinde febres aliæ sunt continuæ, aliæ intermittentes: cuius differentiæ causa hæc est. Vapor ille putridus, qui continens febrium putridarum causa est, seu calor ille præter naturam, qui à putrescentibus humoribus oritur, vel continuò cor affligit, calorémque continuum in eo excitat, vnde etiam febrilis calor in vniuersum corpus continuò diffunditur: vel per per interualla quædam. Vtriusque rursum multæ sunt differentiæ, quæ, etsi sine aliquarum quæstionum & controuersiarum discussione perfectè intelligi non possint: tamen vt tota febrium putridarum & sequentis tractationis σύνοψις quasi ante oculos ponatur, omnes illas hîc subiungere, & postea suo loco de singularum causis ἀκριβέστερος disquirere placet.

*Febres continuæ sunt duplices.* Continuæ sunt duplices. Vel enim putredo in vasis communibus, & extra partes priuatas accenditur, vnde febres oriuntur putridæ continuæ primariæ: Vel è peculiaris alicuius partis inflammatione putredo oritur, è quâ ob continuationem vasorum vapor putridus continuò cordi communicari potest; vnde febres Symptomaticæ dictæ ortum habent, quales in pleuritide, anginâ, peripneumoniâ, phrenitide & similibus inflammationibus conspiciuntur.

*Febres symptomatica.* *Cōtinua primaria.* Continuæ primariæ iterum sunt duplices. Aliæ enim nullam accessionem, vel augmentum nullamque remissionem habent, sed continuò à principio vsque ad finem sine omni remissione aut exacerbatione durant, quas πυρετοὺς συνόχους febres continentes nominant: Aliæ verò sunt, quæ quidem nunquam intermittunt planè, aliquam tamen interdum remissionem, & iterum incrementum aliquod caloris obtinent, quæ συνεχεῖς & continuæ; nomine generis, appellantur. Quæ rursum ex remissionis & accessionis diuersitate, in tres species diuiduntur, atque aliæ appellantur tertianæ continuæ, quæ scilicet tertio quôque die quoddam caloris incrementum & intensionem habent: aliæ quotidianæ continuæ, quibus singulis; aliæ quartanæ continuæ, quibus quarto quôque die idem accidit.

Intermittentium similiter sunt plures differentiæ Aliæ enim tertio quolibet die redeunt, & appellantur tertianæ; aliæ singulis, & nominantur quotidianæ; aliæ quarto quôque, & vocantur quartanæ.

Atque hæ omnes simplicium sunt febrium differentiæ: Quæ vario modo inter se possunt componi, vnde compositæ febres oriuntur, de quibus suo loco dicetur.

Verùm antequam in specie de singulis hisce differentiis earumque causis agamus, de signis febrium putridarum in genere aliquid dicendum est.

## CAPVT III.

### *De Signis febrium Putridarum in genere.*

*Signa febriū putridarum.* *Calor febriū putridarum qualis.* PRimum signum, quo febres putridæ ab aliis febribus discernuntur, à qualitate ipsius caloris febrilis sumitur. Febrium enim putridarum calor mordacior est & acrior, quàm aliarum febrium, tactúmque ita ferè afficit, sicut fumus oculos, aut res acris nares: & quidem inprimis in statu & augmento, in quibus febrium putridarum temporibus hoc signum ferè pro proprio & inseparabili haberi potest. In principiis verò accessionum & paroxysmorum calor non mox sese acris tactui offert, sed diutius manum immorari oportet, vt sentiatur calor, velut ex profundo emergens. Quoniam in principio

accessionis, dum accenduntur excrementa, calor quasi suffocatur. nec statim liberè foràs erumpere potest. Causa autem caloris acrioris in putridis est fuliginosum quoddam excrementum acre & mordax, è putrefactis humoribus elatum. Hoc enim cùm tenuior humoris putrescentis pars sit, etiam conditionem illius monstrat.

Hoc loco monet Argenterius, *lib. de febribus*, Cùm in ephemerâ ex inediâ aut vigiliâ, quibus corpus exsiccatur, probabile sit, calorem magis esse mordacem, quàm in pituitosâ putridâ: signum hoc tantùm esse verum, si vniuersum genus putridarum aliis generibus febrium comparetur, etsi in aliis generibus quædam reperiri possint, in quibus calor acrior sit, quàm in quibusdam putridis. Verumenimuerò nisi quælibet febris putrida, per hoc signum à qualibet febre ephemerâ vel hecticâ distinguatur, vix pro certo signo illud habendum; cùm tamen Galenus id appellet maximum. Ergo sciendum, vix calorem in ephemeris, vel hecticis posse esse tam acrem, in quibus à spirituum substantiæ tenuioris incendio, vel sine vlla causa continente, ex sola alteratione partium calor accenditur, quàm vbi ex humoribus putridis vapores ad ambitum corporis effunduntur. Et licèt humor aliquis sit frigidus, cum aliis comparatus: tamen vbi putrescit, ex putredine calidior eius pars erumpit, quæ calorem tam acrem in cute excitat, qualis in nulla ephemera animaduertitur.

2. Secundum signum, quod à causis petitur, est, quòd febres, putridæ incipiunt sine causis procatarcticis. Quod signum est proprium, sed non inseparabile. Proprium quidem est: nam quotiescunque aliqua febris absque causa procatarctica & euidente incipit, hinc rectè colligere licet, esse febrem putridam: cùn ephemeræ omnes à procatarcticis causis incipiant; hecticæ verò cùm absque causâ procatarcticâ incipiunt, putridam febrem sequuntur; aliàs à procatarcticâ ortum habent. Inseparabile verò non est: quoniam aliquando corpus ita est ad putredinem dispositum, vt accedente leui aliqua occasione, & causâ externâ humores putredinem concipiant, & homo in febrem putridam prolabatur. Postquam enim causa procatarctica spiritûs inflammauit, calor ille humoribus communicatur, & putredo excitatur; vnde diariæ in putridas mutantur, aut etiam statim cum incendio spirituum putredo exoritur. Aliàs, & nisi corpus sit ad putredinem dispositum, magnam vim causæ externæ esse oportet, quæ putredinem gignere debet. Calor enim, qui putredinem excitare debet, maior sit oportet, & à vehementioribus causis excitatus.

*Vrina febris putridarum quales.* Tertium signum ex vrinis sumitur. Vrinæ enim in febribus putridis initiò aut crudæ sunt, aut certè obscuras coctionis notas exhibent; nisi ex ephemeris in putridas fiat transitus. Tunc enim vrinæ, quæ primùm apparent, coctæ sunt; quoniam separatio fit ab humore concocto & leuiter alterato. Atque hoc signum, si diuisim accipiatur, quælibet pars signum proprium, non tamen inseparabile exhibet. Proprium quidem signum est; quoniam tantùm putridis febribus competit, habere vrinas crudas, vt & obscurè coctas. In ephemeris verò quoniam Spiritûs inprimis afficiuntur, humores verò leuiter incaluerunt, & parum adeò à naturali statu recesserunt, cocta apparet in iis vrina: sicut & in hecticis, in quibus calor exiguus est, nec corruptio in humoribus. Neutrum autem horum signorum est inseparabile. Non enim competit omnibus febribus putridis, habere crudas vrinas, neque etiam omnibus, habere vrinas concoctas; sed in quibusdam sunt crudæ, in quibusdam parum coctæ. Si autem coniunctim sumuntur hæc signa, inseparabile signum constituunt, Etenim nulla datur febris putrida, in quâ non in principio appareat vrina cruda, aut obscurè cocta: & nisi in principio alicuius febris vrina cruda, vel parum cocta sit, licet inde concludere non esse putridam.

*Pulsus febris putridarum qualis.* Quartum, Pulsus etiam febres putridas à reliquis secernit. Nam si pulsûs accidat compressio, seu contractio, & incipiente paroxysmo pulsûs fiant parui & inæquales: febris putridæ indicium est. Quod signum est proprium, sed non inseparabile. Inæquales autem fiunt pulsûs inæqualitate systematicâ, quando nimirum vna pulsatio est maior alterâ; quod accidit, tum ob facultatem grauatam, & oppressum calorem natiuum, tum ob viscerum obstructiones & confluxum humorum versùs interiora. Non autem inseparabile est hoc signum; cùm non in omnibus febribus putridis hoc accidat. Deinde in putridis systole est velocior, quàm diastole. Fuliginosa enim excrementa multa sunt, quæ expulsionem requirunt, & magis fuliginosorum excrementorum expulsio vrget, quàm refrigeratio: & nulla est febris, in quâ fuliginosa excrementa plus abundent, quàm in putrida. Et quidem id euidentiùs apparet in augmento; licèt etiam minimè obscurum sit in vigore, & initio accessionum. Nam in principio putridi illi vapores nondum copiosè attolluntur: in statu verò etsi adsit copia talium fuliginum, atque etiam contractio sit velox: tamen quia calor etiam tum valde intensus est, diastole quoque est velox, & ita systole non multùm diastolen superat.

Quintum signum putridæ febris est, cum rigore incipere; si nimirum non frigus & causa euidens præcesserit: quod signum etiam proprium est, sed non inseparabile. Proprium est, cùm neque diariis, neque hecticis competat cum rigore incipere. Nam cùm rigor ortum habeat à motu materiæ acris & mordacis per partes sentientes: neque in ephemeris, neque in hecticis id accidit: nisi forsan in ephemeris refrigeratio nimia, quod in iis, qui per niuem iter fecerunt, accidit, aut similis causa præcesserit. Non tamen est inseparabile hoc signum, cùm non omnes putridæ cum rigore incipiant; quod in Synochis putridis euenire solet.

Sextum signum putridæ febris est ἐπιπαροξύνεσθαι, id est, aliquas inuasiones & insultûs habere, ac per accessiones repetere. Signum hoc etiam est proprium: Nam nulla alia febris reditûs, atque accessiones habet. Non tamen inseparabile est hoc signum, neque omnibus febribus putridis competit, vt suo loco dicetur.

Tandem etiam ex aliis signis febris putrida ab aliis discernitur. Nam si aliquod symptoma adsit, quod speciei alicui febrium putridarum proprium est, tunc & febris putrida in genere, & etiam species eius significatur. Exempl. gr. Si calor vrens, sitis magna & intolerabilis adsit: non solùm febris putrida in genere, sed & species eius, scilicet febris ardens, significatur. Ita si lingua arida, vel nigra sit, delirium, aut simile quid adsit: febris putridæ indicium est. Et talia signa putridæ febris in genere signa sunt propria, sed non inseparabilia: speciei autem propria & inseparabilia; cùm non omni putridæ competant, sed certæ eius speciei.

*Febris putridæ cognitio.* Vt verò hæc omnia in summam quasi colligamus, si Medicus ad febricitantem vocatus fuerit, primò sciscitari poterit, an febris cum rigore inuaserit. Nam si cum rigore inceperit, signum est febris putridæ: modò non ab externo frigore, aut destillatione rigor ortum habeat. Deinde etiam videndum, quid post insultum febris acciderit, an vomitus, an simile aliquid, quod febrem humoralem & putridam arguit. Præterea attendendum, vbi febris desinit, quomodo desinat, an cum sudore, vel aliâ excretione,

&

& an finito paroxyſmo æger ab omni febrili accidente liber ſit. Quæret etiam ex ægro, an præceſſerit aliqua cauſa externa vel euidens. Nam ſi nihil tale præceſſerit, iam ſuſpicio de febre putridâ eſt; quæ magis confirmabitur, ſi æger ad febrem putridam fuerit diſpoſitus, ob plenitudinem aut cacochymiam, ſomnúmque habuerit præter ſolitum longiorem, aut profundiorem, capitis aut totius corporis grauitatem ſenſerit, hypochondria tenſa habuerit, deiectámque appetentiam, vel alia ſymptomata, quæ prauitatem aut copiam humorum in corpore arguunt; ſi item vita anteacta & diæta præcedens talis fuerit, quæ malos humores cumulare, corpúſque ad putredinem diſponere potuerit: ſi alia quoque ſigna, quæ ex colore corporis & aliunde petuntur adſint, quæ in corpore malos humores abundare arguunt. Hinc Medicus pulſum tanget; quem ſi compreſſum, inæqualem, aut velociorem in ſyſtole, quàm diaſtole reperiat, aut duriorem; modò non de hecticâ ſit ſuſpicio; indicio eſt, febrem adeſſe putridam. Quod manifeſtius fiet ex caloris qualitate; ſi ſcil. acrior & mordacior ſit, quàm in reliquis febribus eſſe ſolet. Tandem & vrinam ſpectabit Medicus, & an cruda ſit vel parùm cocta, vel integras coctionis notas exhibeat, videbit; ex quo de febris genere facilè erudiri poterit. Vbi de febris genere erit certior, poſtea etiam de ſpecie cognoſcendâ erit ſollicitus; id quod ex peculiaribus cuiuſuis febris ſignis & naturâ diſcet: de quo ſuo loco.

## CAPVT IV.

### *De curatione febrium putridarum in genere.*

*Indicationes in febre putridâ.* FEbres putridæ inter reliquas frequentiſſimæ ſunt, nec periculo omnes vacant: ac propterea maximè neceſſarium eſt, eas curandi methodum Medico eſſe notiſſimam. Cùm verò putridæ febres ex eorum morborum genere ſint, quæ cum ſuis cauſis coniunguntur: facilè hinc patet, omne indicationum genus in putridis febribus locum habere; vitalem ſcilicet, præſeruatoriam ac curatoriam. Et propterea febris putrida, vt morbi fientes & cum ſuâ causâ complicati, minùs ſimplicem, ſed mixtam, magis operoſam ac difficilem curationem requirit, & aliud προφυλάξεως, aliud θεραπείας gratiâ eſt faciendum, & omnes indicationes tum curatoriæ, tum præſeruatoriæ diligenter ſunt perpendendæ: quando, vt Galenus, 11. *meth. med. cap.* 2. ſcribit, ſi vel vnam earum prætereat Medicus, ad portionem tum magnitudinis illius, tum facultatis, curatio claudicabit. Cùm verò, vt Galenus, 11. *meth. med. cap.* 2. *&* 10. ſcribit, vt præſidia morbo cum causâ ſuâ complicato inueniantur, per ἀνάλυσιν cauſarum indicationes quærendæ ſint, & duo omnino agenda; Primò, ſumpto initio ab affectu ipſo præter naturam, omnes cauſæ, continuo, quo ſeſe conſequuntur, ordine inueſtigandæ ſint; Poſtea verò ab eo, quod in reſolutione cauſarum vltimum eſt, in curatione ac remediorum inueſtigatione inchoandum: etiam nobis in putridarum febrium curatione faciendum, & proinde breuiter omnis ſeries cauſarum febris putridæ breuiter repetenda & ob oculos ponenda, vt poſtea ſingulis propriam ac conuenientem contrarietatis rationem opponamus.

Febris putrida, quia eſt calida intemperies totius ex vaporibus putridis cordi communicatis, & hinc in totum corpus diſperſis orta, quatenus talis, duo indicat. Primò, quatenus intemperies calida, refrigerationem; Secundò, quatenus ille calor à vapore putrido calido, vt causâ continente, pendet, eius remotionem poſtulat. Cæterùm quia vapores putridi à materiâ putreſcente dependent; non tolli poſſunt, ſicut nec inde orta intemperies calida, niſi ſublatâ putredine. Putredo tolli non poteſt, niſi ſublatâ eius causâ. Et quidem in putredine duo ſpectanda ſunt: Primùm vt pars, quæ corrupta eſt, tollatur: Deinde vt prohibeatur, ne reliqua putredinem concipiat: atque alij humores porrò non corripiantur, quod fieri non poteſt, niſi ſublatâ causâ putredinis, ſi illa ſit præſens. *Putredo quid indicet.* Putredinis autem cauſam plerique hoc loco ſolam tranſpirationem prohibitam, & quidem ab obſtructione, ponunt. Vnde plerique curationis febrium putridarum quatuor ſcopos eſſe volunt: Febrem, putredinem, prohibitam tranſpirationem, & obſtructionem. Et verum quidem eſt, frequentem putredinis cauſam eſſe prohibitam tranſpirationem. Nam cùm ea putreſcant, quæ calida & humida ſunt, neque perflantur, neque ventilantur; ſed in calido & humido loco manent: hinc facilè patet, in animalibus promptam putredinis cauſam prohibitam eſſe tranſpirationem. Etenim cùm natura ob caloris natiui conſeruationem inſtituerit reſpirationem, arteriarum pulſum, & totius corporis διαπνοὴν, vt calor ventilari & halituoſa excrementa difflari & diſſipari poſſint: ſi illa tranſpiratio impediatur, & calidum effluuium retineatur, natiuum calorem ſuffocari neceſſe eſt. In cuius caloris locum ſuccedit in omnibus rebus humidis quidam calor præternaturalis, quo res tales humidæ corrumpuntur & putredinem concipiunt. Hæc, inquam, euidens putredinis cauſa eſt, quam idcirco non pauci Medici etiam pro vnicâ in putridis febribus causâ agnoſcunt. Verumenimuerò ſi rem diligentiùs perpendamus, vnius huius cauſæ conſideratio non ſufficit, & in febrium putridarum curatione, ſæpe etiam ad alios ſcopos, quàm ſolam tranſpirationem prohibitam, aut obſtructionem reſpiciendum.

*Putredinis cauſa.* Ergo ne quid mancum in hac doctrinâ relinquatur, cauſas omnes, quas ſuprà propoſuimus, in conſpectu habere oportet, vbi diximus, in putredinis generatione in corpore humano, & ipſam materiæ diſpoſitionem & efficientem cauſam conſiderandam eſſe. Nam primò ſi humores internum aliquod vitium, aut quaſi ad putredinem propenſionem habeant, ſatis cauſarum, in quocunque etiam corpore, inuenient, vt putredinem concipiant. Vitia autem humores ob plures cauſas concipiunt, vel ex ciborum ipſorum, qui aſſumuntur, qualitate malâ & conſtitutione, vel ex partium coctioni & gubernationi humorum dicatarum vitio, ob quod etiam humores corrumpuntur & inquinantur. Pertinet huc plenitudo, quoad vires appellata. Cùm enim illam natura regere non poſſit, relicti ſibi humores tandem corrumpuntur & putredinem concipiunt. Pertinent huc omnia etiam ventriculi, hepatis & aliarum partium vitia, ob quæ, etſi libera ſit in corpore tranſpiratio, & humores qui ad corruptionem procliues ſunt, faciliùs putredinem concipiunt & boni etiam corrumpuntur.

Inter cauſas efficientes verò, quæ & vitioſis humoribus, vt putredinem faciliùs concipiant, occaſionem præbent & humores etiam bonos corrumpere poſſunt, eſt primò, vt dictum, prohibita tranſpiratio. Hæc rurſum ſuam cauſam habet meatuum corporis occluſionem. Meatuum occluſio, etſi in partibus internis ſolùm ab obſtructione pendeat: tamen in partibus externis fines vaſorum non ſolùm obſtrui, verumetiam conſtringi & condenſari poſſunt. Ergo alia hîc indicatio oritur, meatuum nimirum apertio ſeu obſtructionis, vel conſtrictionis amotio. Eius rei rurſum variæ cauſæ habentur. Obſtructio pendet, vel à copiâ, vel à craſſitie & lentore humorum: conſtrictio & condenſatio fit, vel à frigore aut re aliquâ externâ aſtringente, vel à causâ valde exſiccante.

Atque obſtructio, quæ ex copiâ fit,non ſemper ortum habet ab humorum in toto corpore abundantium copiâ, verùm etiam accidere poteſt, vt in partem, vel impellatur, vel attrahatur humor; & vel ob vehemens exercitium & motum, vel balneum, vel iram aut alios animi affectûs, vel vini generoſi potum, vel diuretica, humores in aliquam partem confertim irruant. Deinde, præter tranſpirationem prohibitam, & ea quæ calorem naturalem euocare, præternaturaléemque excitare poſſunt, putredinem accendunt, vt ſunt febres Ephemeræ,aliæque cauſæ humoribus calorem præternaturalem inducentes. Tandem rerum putridarum occurſus huc pertinet, quarum vi partes & humores putridi bonos humores corrumpunt. Hoc modo videmus in peſtilente conſtitutione, licèt corpus perſpirabile ſit, ex hauſto veneni ſeminio humores corrumpi. Hoc modo aliæ febres contagioſæ inducuntur. Hoc modo, ſeu partes, ſeu humores in corpore putridi & corrupti alios etiam bonos humores corrumpere poſſunt. Vnde Hippocrat. 2.*aphor.*12. Quæ in morbis poſt criſin relinquuntur, recidiuas facere, ſcriptum reliquit; & quod in intermittentibus poſt paroxyſmum in corpore remanet inquinamentum, humores alios corrumpendo noui paroxyſmi cauſa eſt. Et quod aër peſtilens & venenatum contagium poteſt, idem etiam putrefacientia medicamenta præſtare valent.

Ex quibus omnibus cùm ſatis pateat, plures in febribus putridis cauſas occurrere, ad plures etiam ſcopos in curatione reſpiciendum, & ſingulæ cauſæ per ſua contraria conuenienti modo amouendæ ſunt: atque ita plura ſæpe in febribus putridis Medico peragenda ſunt: ſanguis euacuandus;humores vitioſi expurgandi; materia putreſcens & obſtruens nonnunquam ventilanda, refrigeranda & exſiccanda, craſſa attenuanda, extergenda: præternaturalis humoris generatio, cauſarum ablatione, impedienda; calefacta & debilitata refrigeranda & roboranda.

*Indicationes in febribus putridis.*

Cùm autem omnia ſimul exequi non liceat, & vt Galenus, 11. *Method. med. cap.*16.docet, illud,quod in ἀναλύσει cauſarum vltimo loco inuentum, in curatione primo loco exequendum ſit: etiam in curatione cuiuſlibet febris putridæ ab eo inchoandum, quod in ordine cauſarum vltimum eſt; verbi gratiâ, materia quæ obſtructionem facit, ſeu ſanguis ſeu alius humor, euacuetur. Nam cùm febris non poſſit tolli manente putredine, illius causâ; neque putredo prohibitâ tranſpiratione; neque hæc, præſente obſtructione vel aſtrictione, aut condenſatione meatuum: patet hinc, cauſas illas prohibitæ tranſpirationis tollendas eſſe. Cùm autem obſtructio partim facta ſit, partim futura: fruſtra in eâ, quæ facta eſt, tollendâ laboratur, niſi antea ea, quæ futura eſt, prohibeatur. Licèt enim eos humores, qui obſtructionem faciunt, tollere conetur Medicus, atque etiam obſtructionem liberet: tamen fruſtra laborabit, ſi alij humores rurſum affluunt, iterúmque obſtructionem faciunt. Itaque res omnis eò redit, vt materia abundans primò tollatur, & obſtructionis generatio prohibeatur.Idem etiam in aliis cauſis agendum.

*Scopi in febribus putridis.*

Atque vt in ſummam hæc concludamus, Is rectiſſimè febres putridas curauerit, qui euidentes cauſas omnes, ſi aliquæ quæ morbum augere poſſunt, præſentes ſint, remouerit. 2. Rectam victûs rationem morbo iſti conuenientem inſtituerit. 3. Cauſam antecedentem, & quicquid in corpore eſt, vel ſanguinis ſuperflui, vel vitioſorum humorum, priùs, ſi opus fuerit, ad excretionem præparatum, per conuenientia loca, vel venæ ſectione, vel medicamento purgante, vel vtroque auxilio euacuauerit. 4. Obſtructiones, ſi quæ ad ſunt, ſoluerit, vel quocunque alio modo tranſpirationem & humorum ventilationem corpori liberam reddiderit. 5. Partium vitioſos humores generantium ac ſuppeditantium, aut humores acceptos corrumpentium vitia emendauerit. 6. humores ipſos corruptos atque inemendabiles, ſi qui ſuperſint, niſi natura id præſtiterit, aut præſtitura ſit,è corpore euacuauerit, aut ſi corrigi poſſint, correxerit. 7. intemperiem corporis & humorum correxerit; putredini reſtiterit, & partes tandem intemperie ac materiâ febrili debilitatas ad naturalem temperiem reduxerit ac roborârit.

## *Prognoſtica.*

*Prognoſtica febris putridæ.*

Indicantibus & ſcopis hoc modo propoſitis, proximum iam eſt, vt Medicus perpendat, an omnibus hiſce indicationibus poſſit ſatisfacere: quod colliget ex comparatione febris & cauſarum eius cum viribus ægrotantis; verbi gratiâ, ſi obſtructiones ſint multæ & pertinaces, putridi humores plurimi, putredo magna, febris vehemens, inprimis ſi ſit continua: vires verò ægri ſunt debiles, ætas puerilis vel ſenilis, habitus corporis iam extenuatus: facilè hinc concludere poteſt Medicus, vel difficulter, vel nullo modo Indicationibus ſatisfieri poſſe. Quapropter etſi ſpes planè abiicienda non ſit, neque æger deſerendus; & præcipuè in acutis prædictiones incertiores ſint, tamen prognoſtico ſe munire debet. Si verò contrario modo ſeſe res habeat, ſalutis ſpes ſupereſt; & propterea de particularibus remediis, quibus ſcopo cuique ſatisfaciat, cogitatio ſuſcipienda.

Atque in hac cogitatione vires, febris, & cauſa febris conferenda ſunt. Nam ſi indicationes ab iis ſumptæ inter ſe conueniant, promptè & ſine cunctatione, id quod indicatur, exequi licet: vt pote ſi conjiciamus, remedia cauſæ & febri tollendæ neceſſaria, vires ferre poſſe, ſine morâ id expediendum: ſi verò inter ſe pugnant, ea indicatio præferenda, cuius maior eſt dignitas. At maxima dignitas eſt virium; cùm ſine vitâ nec ſani eſſe poſſimus. Si ergo, verbi gratiâ, vacuatione ſit opus; vires autem extremâ imbecillitate laborent: non licet id, quod cauſa morbi poſtulat, exequi, donec æger aliquid roboris acquiſiuerit, vt ſine inſigni læſione vacuationem ſuſtinere poſſit. Ita & cauſam & morbum inter ſe conferre oportet. Et licèt putredinis, vtpote, quæ febris cauſa eſt, prima ſit habenda ratio, interim nec febris planè negligenda. Ac ſi quæ febrem extinguunt & quæ cauſam tollunt, conſentiant; ſine morâ id, quod vtriuſque conſenſu indicatur, expediendum. Sin verò febris ſanatio cauſam ſit auctura; aut quæ cauſam tollere valent, febrem augere apta nata ſint: diligenti circumſpectione opus eſt. Ac tum ad tria capita Medico reſpiciendum, ac perpendendum. 1. Febris an ſola curanda ſit, neglectâ causâ. 2. An cauſa oppugnanda neglectâ febre. 3. An magis quidem ad alterum horum attendendum, & alteri medicamenta plura adhibenda, ita tamen, vt alterum planè non negligatur.

*An febris vel cauſa potior ratio in curatione habenda.*

Primam quæſtionem quod attinet, plerumque quidem neglectâ causâ febrem curare non licet; cùm ſi præſidia, quæ febrem oppugnant, cauſam augent adhibeantur, hac ratione nec generationem eius inhibere, nec magnitudinem imminuere liceat; & plerumque maior vis cauſæ ſit, quàm morbi. Si tamen aliquando accidat, vt tanta ſit febris magnitudo, vt niſi ipſi occurratur, præſentem perniciem afferat: tunc neceſſarium eſt, ad febrem primùm reſpicere, causâ quaſi neglectâ; deinde ad cauſam etiam tollendam accedere. Quam ſententiam propoſuit Auicennas, *libro* 4. *fen.* 1. *tr.* 2. *capite* 7. *Sciatis*, inquit, *quòd febris quandoque eſt tantæ vehementiæ,vt non liceat vti regimine cauſæ, ſed indigeat extremâ refrigeratione.*

De ſecundâ verò quæſtione diſtinctio eſt obſeruanda.Nam ſi intolerabilis ægro ſit calor, cauendum, ne

ne per ea, quibus cauſam tollimus, febris augeatur. Ita enim cum causâ hominem ſuſtulerimus. Quapropter cùm aperientia, & alia medicamenta cauſæ oppoſita plurima ſint calida, ea eligenda, quæ citra inſignem calefactionem, quod opus eſt, præſtant: ſi verò febris adeò remiſſa ſit, vt quo tempore aduersùs febrem pugnamus, vires nullam interim iacturam pati poſſint, licet aduersùs cauſam ſolùm pugnare.

Tertius modus tutiſſimus eſt, cùm ſcilicet ad alterum plus curam dirigimus, ita tamen vt alterum non negligamus. Plerùmque autem, vt dictum, major vis cauſæ eſt. Itaque hoc ſemper, & in febribus putridis, & aliis morbis attendendum, vt remedia, quæ morbi, gratiâ adhibentur, cauſam eius non augeant.

## CAPVT V.

### *De Venæ ſectione.*

*An in omni febre putrida vena ſit ſecanda.*

SEd cùm de his omnibus in ſpecie agendum ſit, à venæ ſectione initium facere placet. Galenus, 11. *meth. med. cap.* 15. hoc axioma quaſi propoſuit: *Saluberrimum*, inquit, *eſt in febribus venam incidere, non continentibus modò, verùm etiam aliis omnibus, quas putreſcens humor concitat: vbi præſertim nec ætas, nec vires prohibent.* Eiúſque rationem ſubiungit hoc modo: *Leuata namque, quæ corpus noſtrum regit, Natura, exoneratáque eo, quo veluti ſarcina premitur, haud ægrè, quod reliquum eſt, vincet. Itaque proprij muneris haud oblita, & coquet, quod concoqui eſt habile, & excernet, quod poteſt excerni.* Quam ſententiam plurimi fundamenti loco ponentes, in omni omnino febri putridâ, ſi naturæ vires, & ætas id permittant, venam aperiendam cenſent.

Verùm cùm iidem facilè agnoſcant, non in omni putridâ febre ſanguinem abundare, nec ob ſanguinis abundantiam venæ ſectionem requiri: alij alias cauſas recenſent; cur in febre putridâ, in qua nulla eſt ſanguinis abundantia, nihilominus venæ ſectione opus ſit; quas poſtea recenſebimus. Alij contrarium ſtatuunt, & ſi vel humores billioſi, vel pituitoſi, aut ſeroſæ humiditates abundent, venæ ſectionem non conuenire ſtatuunt, & ſolùm in febribus cum plenitudine ſectione venæ vtendum, in cacochymiâ verò ab eâ abſtinendum ſuadent.

Verùm cùm pluribus hac de re in vtramque partem diſputare authores ſoleant, omnia hoc loco recenſere operæpretium non eſt: ex ipsâ potiùs rei naturâ & fundamentis, quid hac de re ſentiendum ſit, inquiramus. Atque vt hinc faciamus initium,

*Sanguinis euacuationē quid indicet.*

ſanguinis vitio conuenire ſanguinis euacuationem, ipſa indicationis ratio, & lex contrarietatis dictat. Verùm cùm & plura ſanguinis vitia eſſe poſſint, & plures ſanguinem euacuandi modi; poſſitque ſanguis non ſolùm per venæ ſectionem, ſed etiam cucurbitulas, ſcarificationes, hirudines, & aliis modis euacuari: non cuilibet ſanguinis vitio venæ ſectio conuenit, ſed cùm inter affectûs præter naturam & remedia propor-

*Vena ſectionē quid indicet.*

tio requiratur, venæque ſectio, vt & purgatio, magnum remedium ſit: non niſi à magno ſanguinis vitio venæ ſectionem indicari, planum eſt.

Cùm autem ſanguinis plura ſint vitia poſſitque is quantitate, qualitate & motu peccare: videndum, cuius ratione in febribus putridis venæ ſectio conueniat. Primùm quidem ſi adſit ſanguinis abundantia, viréſque id ferant: venam aperiendam eſſe, nullum dubium, eſt. Sed cùm ſæpe accidat, vt nulla inſignis adſit in eo corpore, quod febre corripitur, ſanguinis abundantia, quæritur: An & tum, & quam ob cauſam, ſanguinem ſectâ venâ euacuare liceat. Atque

*An cacochymia vena ſectione tollatur?*

hic primo loco occurrit illa quæſtio; *An etiam ob cacochymiam tollendam, vitioſóſque humores in venis ſanguini permixtos, venam aperire liceat*: de quo non leuis hodie inter Medicos agitatur controuerſia.

*Negantium rationes.*

Primò qui negant in cacochymiâ venam ſecandam eſſe, nituntur illo communi Medicorum decreto: ſanguinis vitium venæ ſectione; cacochymiam purgatione tollendam eſſe. Atque iſtud axioma, & rationibus & authoritate ſtabiliunt. Nam ſi in cacochymiâ venæ ſectio adhibeatur, indicationis naturam ſubuerti aiunt. Etenim ſi cacochymia in venis contineatur, Medici intentio eſt, eam tollere, non verò ſanguinem, qui non peccat. At venæ ſectio non illum ſolum humorem, qui peccat, ſeorſim, ſed omnes confuſos euacuat. Purgationis verò munus eſt, vitioſos ſanguini permixtos humores expurgare. Itaque ſi venæ ſectione cacochymiam tollere conamur, eos humores euacuamus, qui euacuandi non ſunt: imò maior quantitas humoris boni, quàm peccantis euacuatur. Atque idipſum pluribus in locis docuit Galenus, è quibus ſaltem duo proferemus. 2. *aph. com.* 8. hæc habet: *Non hoc tantum loco, ſed in aliis quoque ſuis ſcriptis Hippocrates, cùm iuſtâ proportione inter ſe omnes humores aucti ſunt, ſanguinis detractione auxilium ferre ſtudet. Cùm verò ex iis vnus aliquis redundat, ipſi purgando conueniens medicamentum exhibet.* Et 4. *meth. med. cap.* 6. *Quod ipſum, qui redundat, ſuccum vacuandum eſſe Hippocrates ſuadet, aliàs ſanguinis detractionem adhibebis, cùm ſcilicet, is vincit; aliàs pharmacum, quod ad bilem vel flauam, vel atram, vel pituitam educendam vim habet, dabis.*

*Affirmantiū rationes.*

Contrà plurimi, qui etiam ad cacochymiam euacuandam ſectionem venæ adhibendam eſſe putant. Fernelius quidem, *libro* 2. *meth. med. capite* 4. ſuam ſententiam his verbis exponit: *Simplicem venarum cacochymiam ſectâ venâ minuere, tutum eſt ac vtile; copia tamen ac virium ratione ſuſceptâ. Licèt enim, dum in hac vena ſecatur, omnes humores æqualiter prodeant, & vna eademque, ac antea, reſtet humorum proportio, quoniam tamen detractâ oneris portione, quo natura premebatur, vires nihilo imbecilliores, ſed alacriores plerumque euadunt, quod reliquum eſt, faciliùs ferunt, minoréque negotio domant atque conficiunt.* Et *ibid. capite* 15. *Quorum morborum cauſa eſt plenitudo, aliáue humorum labes in vaſis, ea incipientibus illis, mox ſectâ venâ ſubmoueri debet. Hoc enim pacto quicquid morbi in poſterum gignendum eſt, prohibebitur; quicquid verò genitum & procreatum iam eſt, faciliùs natura concoquet, euincet atque profligabit.*

*L. Botalli de vena ſectione opinio.*

Imò ſunt nonnulli, qui vulgatam illam ſententiam, quâ plethoræ deberi venæſectionem, purgationem verò cacochymiæ, ſtatuitur, & à veritate eſſe alienam & pernicioſam ſtatuunt: inter quos princeps eſt Leonhartus Botallus quo vix, opinor, vllus in mittendo ſanguine fuit audacior. Is, *libro de Cur. per ſanguinis miſſionem cap.* 8. pluribus defendere conatur, in cacochymiâ neceſſariam eſſe ſanguinis miſſionem. Nam, ſi cacochymia in totum corpus diſpergitur, & in omnibus venis totius corporis continetur: alio modo, quàm venæ ſectione, tolli non poteſt. Nam ſtultum eſt, ait, credere, id fieri poſſe alui excretione: ſtultius etiam, vomitu & vrinarum ductione. Non enim ab artubus ad dicta emiſſaria humorum regreſſus conceditur; niſi in lethalibus euacuationibus. Itaque proüt in variis locis hæret cacochymia, è variis partibus euacuandam cenſet: venæ ſectione eam, quæ in venis continetur; cutis ſcarificatione; aut ſudoribus, aut inſenſibili tranſpiratione, eam quæ cuti adhæret; alui excretione, quæ circum viſcera eſt ſita; vomitu, quæ ventriculum; vrinis, quæ renes; exſcreatu, quæ pulmones aggrauat, tollendam opinatur. Tandémque concludit, cacochymiæ æquè ſanguinis miſſionem, imò magis, quàm purgationem, conferre; cùm ſit redundantia vitioſi humoris in venoſo

genere existentis, quæ nullâ viâ commodiùs, quàm venâ sectâ educi possit.

*Variæ authorum sententiæ de causâ, ob quam in omnibus febribus putridis sit sanguis mittendus.*

Non multum ab hac opinione in febribus curandis absunt alij recentiores, qui in omni putridâ febre venam secandam censent. Alij tamen aliam eius rei causam afferunt. Aliqui ideò venam in febribus putridis aperiendam esse putant, quòd Galenus, *l. de curat. per sang. miss. c.* 9. & alibi scripsit: sanguinem esse detrahendum, si morbus sit magnus, ætas florens, & virium robur. Cùm enim febris putrida omnis, morbus magnus sit, modò ætas & virium robur consentiant, venam aperiendam esse existimant.

Alij venæ sectionem pariter & purgationem à magnitudine morbi indicari statuunt; delectum autem, & vtrum horum duorum vsurpandum sit, ex vnis præcipuè viribus æstimandum esse docent, & id eligendum, quod præter vtilitatem, quam confert, faciliùs tolerabitur. Tunc autem conferet & faciliùs tolerabitur, si talis perficiatur euacuatio, qualem fieri oportet, iuxta illud Hippocratis, 1. *aph.* 2. *Vasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet, confert & bene tolerant: sin minus, contrà.* Qualis autem fieri debeat, inde æstimandum putant, si præsente vel imminente morbo magno consideretur, vtrùm maior sanguinis, quàm cæterorum humorum, præsertim vitiosorum, sit redundantia. Nam in maiore sanguinis copiâ, quantum ad hanc attinet, venæ sectio magis, purgatio verò minùs tolerabitur: redundantibus autem cæteris humoribus, purgatio, quantum in ipsis est, meliùs; venæ sectio autem minùs commodè feretur. Hanc tamen sententiam ita limitant, vt non statim sanguine exuperante phlebotomiæ, cæteris autem redundantibus humoribus purgationi locus dandus sit. Etsi enim, quod ipsorum redundantiam attinet, id quidem sic fieri oportebat: quia tamen nonnunquam aliud quid interuenire solet, quod impediendi huius operis vim habeat, limitatione opus esse putant. Atque eam tradidisse Hippocratem, 1. *aph.* 22. dicunt, cùm crudos humores in principiis, nisi turgeant, nunquam purgandos esse præcipit. Etenim cum vi huius aphorismi crudos humores in principio purgare non liceat; nihil verò obstet, quò minùs tunc venæ sectio instituatur: per tales ægritudines sæpenumerò venæ sectionem purgationi præferendam, atque in eius locum substituendam esse, tanquam ea non minùs vitiosi succi, quàm sanguinis copiâ duntaxat peccantis euacuatorium præsidium sit. Atque id ipsum Galenum 9. *meth. med. cap.* 11. docuisse ferunt, cùm ita scribit, *Quoniam venæ sectio sanguinis euacuandi causâ adhibetur, sanguis autem naturâ vtilis, vtique probè hanc administrare conueniet, sic, vt quod naturæ inutile sit, emittat. Fit autem sanguis naturæ inutilis bifariam: vel cùm propriam qualitatem ad vnguem non seruat, nec ampliùs nutrire, sicut priùs cùm vtilis esset, potest; vel ita multitudine creuit, vt aut vires premat, aut tum venas, tum arterias vel distendat, vel rumpat, vel obstruat.*

Sunt præter hos & alij, qui & ipsi, etsi sanguis non abundat, in omnibus febribus humoralib. seu putridis sanguinem mittendum censent: sed alij aliam huius rei causam afferunt. Nonnulli refrigerationis seu ventilationis gratiâ mittendum sanguinem putant; & nunc quidem copiosiùs, nunc parciùs, quò febris fuerit intensior vel mitior. Alij hanc causam afferunt, statuúntque, quòd sanguis peccare possit, vt causa sine quâ non: vnde venæ sectione via ad exhibitionem pharmacorum purgantium paranda sit. Nam cùm purgantia plerumque ex venis, aut plenioribus, aut obstructis nihil trahere aut pellere citra m[illegible]num incommodum possint; præterea purgatio institui sine corporis calefactione non queat: sanguinem priùs imminuendum putant, vt & corpus fluidum atque ad purgationem paratum reddatur, & ne sanguis incalescat & corrumpatur. Imò non solùm ob purgationem exhibendam, sanguinem euacuandum nonnulli putant: verùm & ob medicamenta aperientia, attenuantia, incidentia & abstergentia, si vsurpanda sint, quæ non tutò sine sanguinis euacuatione adhiberi possint.

Tandem sunt & alij, qui sanguinem mittendum censent, quatenus peccat ratione causæ adiuuantis, quatenus scilicet in periodo febrium ad focum & partem imbecillam confluit: & tunc sanguinem reuulsionis gratiâ mittendum putant.

*Controuersiæ decisio.*

Ex hac controuersiâ satis perplexâ, vt nos expediamus. Primò istud notandum, venæ sectionem non esse vnum aliquod indicatum, quæ certo indicanti ex contrarietatis lege opponatur, sed esse materiam remedij, quæ pluribus indicationibus vtilis sit. Nam cùm vnum non nisi vnum indicet, venæ sectio verò diuersis vitiis occurrat: vnum etiam indicatum, quod ab vno aliquo indicante suggeratur, non erit, sed potiùs materia diuersorum indicatorum.

*Venæ sectionis vsus.*

Vsus autem quos habet venæ sectio, si consideremus, generalis vsus venæ sectionis est, humorem quemcunque in venis obuium euacuare. Is autem rursus in plures distribui potest. 1. enim humores in venis contentos euacuando imminuit. 2. Impetum quendam iis conciliare & ad varias partes mouere potest. 3. Denique per accidens refrigerat.

*Venæ sectio sola cacochymiam omnē non tollit.*

Deinde cùm, vt iam dictum, primus venæ sectionis vsus sit humorem quemcunque in venis obuium euacuare, & iam in controuersiâ positum sit, cuius humoris, an sanguinis solius, an verò aliorum etiam euacuandorum gratiâ eam instituere liceat: sciendum, omnino istas ex contrarietatis lege toties à Galeno propositas, & ab aliis Medicis repetitas indicationes; sanguinis abundantiæ, sanguinis imminutionem; cachochymiæ præsenti purgationem deberi, nullo modo reiiciendas aut confundendas esse. Neque enim licet alteram alteri pro libitu substituere, cùm sanguinem abundantem nec purgante medicamento, quale etiam nullum datur, imminuere; nec cacochymiam in venis, sanguine emisso, totam eximere possibile sit, nisi totus sanguis simul profundatur. Etenim phlebotomia non sinceros humores vitiosos sed sanguini bono permixtos euacuat, & sola nunquam omnem cacochymiam tollit. Licèt enim, vt mox dicetur, aliquid cacochymiæ tollendæ inseruire possit venæ sectio: eam tamen totam non tollit; sed opus est, vt quæ superest pars maxima per venas omnes dispersa, nisi à naturâ sponte euacuetur, purgantibus medicamentis, vt conueniente & proprio remedio, tollatur. Venæ sectio verò abundãtiam sanguinis, quæcunque ea sit, sola tollere potest.

*Venæ sectio aliquando in cacochymiâ vtilis.*

Tertiò, etsi autem ita sit, vt sanguinis abundantiæ tollendæ principaliter debeatur sanguinis missio, & cacochymiæ purgatio: aliquo modo tamen cacochymiæ in venis contentæ & sanguini permixtæ inseruire potest venæ sectio; præsertim cùm purgatio illa, quæ è venis humores prauos elicere potest, non semper tutò in principiis febrium institui possit; venæ sectio autem tunc rectè locum habeat. Cùm enim in venis sanguis & reliqui humores vitiosi, cúm adsunt, confusi sint, apertâ venâ cum sanguine vitiosi illi humores simul effluunt. Et licèt aliquid boni sanguinis simul cum humoribus vitiosis euacuetur: illud tamen non modò ægro non nocere; imò sæpe & prodesse potest. Nam ita Natura aliquâ oneris parte leuatur, vt humores reliquos vitiosos feliciùs concoquere & elaborare, & postea, vel sponte vel medicamentis adiuta, euacuare possit. Quamuis etiam sanguinis copia, quæ adfuit, antequam æger in morbum incideret, illi oneri non erat: tamen cùm à morbo & calore febrili æger debilitetur, fieri potest, vt illa mediocris etiam copia ægrum oneratura sit. Et videmus ipsam

naturam

naturam in hæmorrhagiis criticis cum vitioſis humoribus non parum de bono ſanguine ſæpe effundere. Accedit his & illud: quòd natura in febribus plerumque non exiguam portionem materiæ vitioſæ ad extrema & ad maiores illas ſubcutaneas venas propellere ſolet. Vnde videmus plerumque primâ vice ſanguinem deteriorem effluere, & poſtea meliorem ſequi. Hinc quoque ſi animaduertamus primo loco ſanguinem vitioſum, & qui peccat, effluere, largiùs ſanguinem euacuare licet: parciùs verò (niſi plenitudo adſit) ſi ſanguis bonus primùm effluat. Id quod Gal. docuit 1. *ad Glauc.cap.*11.de curatione quartanæ ita ſcribens: *Si venâ inciſâ, is, qui fluit ſanguis, niger videatur & craſſus, audaciùs mittendus eſt: quòd ſi flauus, aut tenuis appareat, ſtatim ſupprimendus*. Toti tamen cacochymiæ è venis tollendæ inſeruire non poteſt venæ ſectio, ſed id, niſi à Naturâ fiat, medicamentis perficiendum.

*Quando venæ ſectio in febribus locum habeat.*

Ex quibus patet, vt hæc omnia in ſummam contrahamus, in quibus febribus venæ ſectionem euacuationis gratiâ adhibere liceat; nimirum in iis, in quibus, vel ſanguinis plenitudo adeſt; vel in quibus cacochymia ſanguini in venis permixta eſt. In quibus verò cacochymia non in venâ cauâ eſt, ſed in primis viis maximâ ex parte hæret, neque adeſt ſanguinis abundantia, abſtinendum à venæ ſectione; cùm illa nihil de causâ febris tollere, verùm etiam, ſiniſtrè inſtituta, vitioſa è primis viis in communes rapere, ſanguinémque bonum inquinare, aut è febre intermittente continuam facere poſſit. Si tamen ſimul cum illâ cacochymiâ, quæ in primis viis eſt & febrem excitat, plethora adſit, quod ex vrinis craſſis, & permanente aliquo poſt febrem calore, cognoſcitur; aut vnà cum cacochymia in venis ſanguis abundet, vt in cachecticis fieri ſolet: ſanguinem detrahere venâ ſectâ licet. Non rarò enim accidit, vt ex ſuppreſſa aliquâ euacuatione ſanguinis copia, calore natiuo oppreſſo, in cacochymiam degeneret; quod fit ſæpe in Cachexia: atque tum ſi in tale corpus febris incidat, venam aperire licet.

Atque ex his, quæ poſteriore loco diximus (ſcilicet de iis febribus, in quibus cauſa in primis viis hæret) facilè apparet, cur Galenus, *lib.*1. *ad Glauc.* de cur. febr. intermitt. ferè mentionem venæ ſectionis non fecerit, & in tertianæ exquiſitæ curatione, ne verbo venæ ſectionem nominârit; in eâ verò, quæ notha eſt, niſi oporteat, ſanguinem mitti noluerit; atque cur in quartanâ ſanguinem non euacuandum cenſuerit, niſi niger & craſſus is effluxerit.

*Loci Galeni ex 11.m.m. c.15. explicatio.*

Ex iiſdem facilè locus Galeni in principio allegatus, è *libr.*11.*meth. med.cap.*15. explicari poteſt. Neque enim tàm vniuerſale eſt illud axioma, vt in omnibus febribus putridis ſanguinem mittere ſimpliciter præcipiat; neque tam ſtrictè accipiendum, vt non niſi plethorâ præſente locum habeat. Ipſa enim cauſa à Galeno addita, ſatis axioma iſtud determinat & explicat. Quoties enim natura ab humoribus in venis contentis, ceu onere grauatur, venam aperire vtiliſſimum eſt. Humores autem illi, qui naturam grauare poſſunt, non ſaltem ſunt ſanguis copiâ peccans: cùm dicat, ideò partem materiæ eſſe venæ ſectione tollendam, vt natura parte oneris leuata, quòd reliquum eſt, faciliùs vincat, coquat & excernat. Neque enim ſanguinem bonum in morbis natura coquit & excernit, ſed cacochymiæ id debetur.

Atque hæc cùm ſit vera, vt exiſtimo, de venæ ſectione, euacuationis ratione, tam ob plenitudinem, quàm cacochymiam adhibendâ, ſententia: facilè quiuis colligere poteſt, quid de aliorum opinionibus ſuprà enumeratis ſentiendum ſit.

*Non tantùm ob plethoram in febribus ſanguis mittendus.*

Primò autem qui ſaltem ob plenitudinem in febribus putridis ſanguinem mittendum cenſent, rem nimis arctè contrahunt. Nam etſi rectè in eo ſentiunt, quòd principaliter ſanguinis abundantiæ debetur ſanguinis euacuatio; purgatio cacochymiæ: in eo tamen errant, quod planè nihil de cacochymiâ venæ ſectione commodè tolli poſſe putant. Aliquid enim de eâ, ſi in venis ſanguini permixta ſit, venæ ſectione tolli poteſt, vt reliquum faciliùs à natura coquatur & vincatur, ac poſtea vel à natura, vel per purgantia medicamenta euacuetur.

Atque idipſum inter eos, qui in cacochymia etiam ſanguinem mittendum cenſent, ſenſit proculdubio Fernelius, cuius ſententia hoc modo explicata facilè admitti poteſt; cùm ſit eadem cum ſententiâ Galeni, 11. *meth.med.cap.*15.

*Botalli opinio de vena ſectione reiicitur.*

Botalli verò opinio admitti non poteſt, qui cacochymiam æquè bene, imò meliùs venæ ſectione, quàm purgatione emendari poſſe exiſtimat. Rationes enim, quas adducit, nullius momenti ſunt. Etenim cùm doceat, ideò venæ ſectione cacochymiam tollendam eſſe, quòd ſit redundantia vitioſi humoris per totum genus venoſum diſperſi: facilè patet, ſi venæ ſectione ea tolli deberet, non poſſe id fieri, niſi vniuerſus ſanguis, ſiue id vnâ, ſiue plurib. vicib. fiat, euacuetur. Quod verò purgatione id perfici non poſſe dicit, ideò quod ad aluum & ventriculum non detur humorum regreſſus, falſum eſt, & experientiæ contrarium, quæ monſtrat, non ſolùm, quod ille vult, in lethalibus euacuationibus, ſed & in criticis humorum euacuationibus, vt & iis, quæ per medicamenta fiunt, humores non ſolùm è primis viis, ſed & ex venis maioribus per aluum & vomitum euacuari.

Porrò eorum opinio, qui ideò in omnibus febribus putridis venam aperiendam putant, modò vires & ætas conſentiant, quòd ſit morbus magnus, tam ſolidè & toties à Capiuaccio, Gauaſſetio, Hor. Augenio, & aliis refutata eſt, vt nihil planè addendum cenſeam. Et ſi quæ ſunt aliæ opiniones, quæ in Cacochymiâ venam ſecandam putant, niſi eo, quo dictum, modo explicentur, locum non merentur.

Ex his cùm ſatis manifeſtum euadat, quòd euacuationis gratiâ venæ ſectione in putridis vti liceat; iam videndum, An & reliquorum vſuum, quos præſtare poteſt, gratiâ, venæ ſectio, in iiſdem adhiberi poſſit.

*Refrigerationis gratiâ quando adhibenda venæ ſectio.*

Refrigerationem & ventilationem ſanguinis quod attinet, venæ ſectio per accidens ſanguinem refrigerandi vim habet, & quandoque eius rei gratiâ in febribus putridis adhiberi poteſt. Verùm tunc ſaltem, cùm aliud vitium ſanguinis, quod venæ ſectionem requirit, ſimul concurrit: & tum venæ ſectio eſt materia remedij præſeruatorij & curatorij. Si verò vitium ſanguinis venæ ſectionem requirens nullum adſit, tutius eſt refrigerare medicamentis idoneis.

Quòd verò ideò nonnulli, præſertim in Intermittentibus, venam aperiendam putant, vt commodiùs purgantia & alia medicamenta exhiberi poſſint, id, niſi alia ſanguinis vitia venæ ſectionem ſimul requirant, facere non eſt adeò neceſſarium. Nam ſi nulla plenitudo adſit, non eſt opus metuere, ob plenitudinem purgantia officium ſuum non rectè peractura. Deinde ſuprà dictum, ita vni ſcopo ſatisfaciendum, vt alterâ ex parte nihil damni ægro inferatur, & propterea ex aperientibus & attenuantibus in febribus minùs calida eligenda eſſe.

Tandem etiam eorum opinio vix locum habere poteſt, qui ſtatuunt reuulſionis gratiâ in febribus putridis venam ſecandam eſſe, ne materia ad focum putredinis confluat. Nam ſi ſanguis non abundat, non facilè fiet aliquis talis affluxus. Si verò metuatur, etiam pauciorem ſanguinem affluxurum, non ſemel ſolùm, ſed ſæpius venam aperire opus eſſet.

*Permittentia venæ ſectionem.*

Ex his omnibus cùm pateat, quæ humorum vitia in febribus putridis venæ ſectionem requirant: iam porrò de permittentibus & prohibentibus eandem, dicum ſollicitum eſſe decet. Nam cùm venæ ſectio confertim ſanguinem euacuet, ſpiritúſque exhauriat: vires

vires & in ipsâ venæ sectione præsentes, & tales, quæ etiam post sanguinis missionem sufficere possint, requiruntur. Inprimis verò Vitalis facultatis robur hîc requiritur. Si tamen vires, ob suffocationem spiritûs à sanguinis copiâ langueant, venæ sectio conuenit, vt sanguinis copiâ spiritûs suffocans imminuatur.

Si quæ alia ab authoribus permittentia & prohibentia, vt ætas, aër ambiens, & similia recensentur: ea omnia ad vires pertinent, & vires ex iis æstimandæ sunt. *Senibus an vena secanda.* Itaque quia senes frigidi & sicci, paucioremque, quàm aliæ ætates, habent sanguinem, & idcircò vires debiliores, venæ sectionem non facilè ferunt. Si tamen accidat, vt senex aliquis adhuc satis sanguine abundet, viresque præterea vegetiores habeat, & morbus id requirat: non omittenda est venæ sectio. Ætati tamen tum aliquid est dandum, & parciùs sanguis detrahendus, quàm affectus requirit, & ætate floridiore ferret.

*An pueris venam aperire liceat?* Pueris ante annum 14. ætatis, non solùm, quod vires habent debiliores, sed etiam quia corpus ipsorum, quod calidum & humidum est, plurimùm dissipatur, cum Galeno *lib. de cur. rat. per sang. miss. cap.* 14. venam non facilè aperiendam esse, plerique censent. Alij contrà, si morbus id requirat, etiam pueris venam aperire non reformidant; quod non solùm olim Auenzoar fecit, sed etiam hodie Ægyptiis planè familiare esse, testatur Prosper Alpinus, *lib.* 2. *de med. Ægypt.* Et reuerâ etiamsi in pueris non facilè nec temerè tentanda est venæ sectio: tamen annorum numero vel decimo quarto anno præcipuè vires, quæ ferant venæ sectionem, non definiendæ. Id quod ipse Galenus, 1. *ad Glauc. c.* 14. docet, dum scribit: *Non numero solùm annorum animum aduertes, quod quidam faciunt, sed corporis habitui. Nam sunt qui* 60. *ætatis anno venæ sectionem non ferunt, cùm quidam, qui* 70. *annos nati sunt, eam perferant.* Et Celsus, *l.* 2. *c.* 10. *Interest, non quæ ætas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sint. Ergò si iuuenis imbecillus est, aut si mulier, quæ grauida est, parum valet, malè sanguis mittitur. Emoritur enim vis, quæ his supererat, & hoc modo erepta est. At firmus puer & robustus senex & grauida mulier valens, tutò curantur.* Et cùm Medici sit, naturam imitari, videamúsque, non solùm in adultis, sed etiam in pueris sæpe naturam per largas hæmorrhagias morbos soluere: causa nulla est, cur non Medicus, si necessitas requirat, debito modo id imitari possit. Et omnino illud verum est, qui graues morbos experiuntur & ferunt, etiam illorum quædam remedia ferre possunt.

*An grauidis venam aperire liceat?* Porrò, An prægnantibus venam aperire liceat, etiam apud Authores controuertitur. Sunt qui id negant, ideò quod, erepto alimento fœtui, facilè abortus sequatur. Vnde & Hippocrates, 5. *aphor.* 31. scripsit: *Mulieri vtero gerenti, si vena secatur, abortus sequitur; præcipuè si sit fœtus grandior.* Nonnulli censent venam esse aperiendam, etsi abortus sequatur, modò mater seruetur. Verùm sententia hæc vix admitti potest. Nam si certum sit, venâ sectâ abortum secuturum, nemo matri facilè salutem polliceri potest. Etenim per se periculosus est abortus, & inprimis cum febre, præsertim acutâ. Ij verò meliùs sentiunt, qui grauidis, si necessitas requirat, primis præsertim mensibus, sanguinem detrahi posse sine omni abortûs periculo censent. Nam si febris sit acuta, quæ & matri & fœtui exitium minatur: cur sine omni auxilio & mater & fœtus relinquendus? Et quid in acutâ febre quatuor vel quinque vnciæ sanguinis detracti matri vel fœtui damni inferre possunt? At si tantillam sanguinis quantitatem emissam ægrotanti parum commodi afferre posse quis existimet, in promptu est Galeni consilium, qui monet, vbi ingens morbus copiosiorem sanguinis euacuationem postulat, quam tamen semel & vnâ vice vires non ferant, partiendam esse sanguinis missionem, ægrúmque interea alimentis reficiendum, vt iteratam sanguinis missionem ferre possit. Plerumque tamen vnica sanguinis emissio sufficit, præcipuè posterioribus mensibus. Primis autem mensibus tutiùs sanguinem copiosiùs mittere licet, si morbus id postulauerit. Tum enim menstruis suppressis humores in corpore redundant, fœtúsque adhuc tenellus minus alimenti postulat. Propter quam humorum abundantiam sæpe accidit, vt mulieres post conceptionem capitis dolores, nauseæ & alia symptomata primis mensibus infestent, quæ postea crescente fœtu & copiosiore alimento indigente, circa mensem quartum sponte euanescere solent. Ad quorum malorum auersionem & præcautionem nonnullæ fœminæ primis mensibus sanguinem sibi detrahi curant, atque ita non solùm ab his symptomatibus immunes manent, sed etiam fœtûs sanos & scabiei atque aliis cutis affectibus minùs obnoxios se edere persuasum habent. Imò obseruatum, fœminas nonnullas, in quibus copiosior sanguis generatur, abortum aliquoties passas; postea verò post conceptionem sanguine misso, ab abortu se præseruâsse. Ergò si tum sine periculo, imò cum commodo sanguis fœminis mittitur, cur non idem faciendum, si præsentis morbi id postulet necessitas? Neque idem periculum à venæ sectione, quod à purgatione, præcipuè antiquis consuetâ, imminet. Nam antiquorum purgationes totum corpus valdè agitabant, vt non mirum fuerit, post eas abortum sæpe secutum fuisse. Verùm sanguinis missio, inprimis moderatior, sine omni corporis perturbatione & agitatione vehementi sanguinem superfluum demit, atque onere corpus leuat.

*An si vires sint debiles, sanguinem mittere liceat.* Tandem hîc & illud perpendendum: si accidat, vt venæ sectionem summa quidem postulet necessitas; vires autem, vel mox ab ipso morbi principio, vel sub augmentum eiusdem, neglectâ in principio venæ sectione, summè imbecilles sint, quid faciendum sit. Cornelius Celsus, *lib.* 2. *cap.* 10. quidem in tali casu anceps potiùs, quàm nullum experiri remedium suadet. *Si nullum*, inquit, *aliud appareat auxilium, periturúsque sit, qui laboret, nisi temerariâ quoque viâ fuerit adiutus: in hoc statu boni est Medici, ostendere, quàm nulla spes sine sanguinis detractione sit, faterique, quantus in hac re ipsa sit metus, & tum demum, si exigetur, sanguinem mittere*, Verùm malim in hac re Galenum sequi, qui suadet, ea auxilia, quæ custodes corporis vires deiicere, Medicóque calumniam conciliare possunt, omittere, præsagióque vti, atque artis Medicæ dignitati hoc modo consulere, quàm ancipiti remedio morbum cum vitâ tollere.

Variant & alia quædam robur & vires corporis, vt hominis temperamentum & constitutio, tempus anni, regio, cœli status, vitæ genus; de quibus mox aliquid dicetur, quæ etiam hûc accommodari possunt.

*Quantum sanguinis emittendum.* Non solùm autem perpendendum, an sanguis euacuandus sit; verùm etiam videndum, vt rectè mittatur & venæ sectio debito modo administretur. Quâ in re Primò considerandum, quâ quantitate euacuandus sit. Magnum sanguinis vitium copiosam sanguinis euacuationem postulat: minus verò parciorem. Verùm & hîc non solùm ad id quod indicatur, sed rursum etiam ad permittentia & prohibentia respiciendum. Itaque & hîc morbi magnitudo & vires inter se conferendæ, & ex earum collatione de sanguinis quantitate euacuandâ statuendum. Si enim vires sunt robustæ, liberaliorem sanguinis euacuationem admittunt; debiliores parciorem saltem ferunt.

Variant autem vires ob plures causas, vt antea dictum; ob temperamentum, constitutionem & habitum corporis, ætatem, anni tempus, regionem, cœli statum, vitæ genus, & alia.

*Ratione temperaturæ.* Corporis temperatura iusta, eam quam morbus requirit,

quirit, ſanguinis euacuationem faciliùs fert. Calidum & humidum corpus; qualia puerorum ſunt, quia plurimùm à calore natiuo diſſoluuntur, copioſiorem ſanguinis euacuationem non tolerant: calida & ſicca modicè corpora, quia latas plerumque venas habent, liberaliorem ſectionem ferunt. Et omninò ſemper habitus durus & ſiccus faciliùs fert venæ ſectionem, quàm mollis & rarus. Graciles, ſi latas habent venas, multo abundant ſanguine; ſi tenues, imbecilles ſunt.

*Habitûs corporis.* Cæterùm cùm habitum corporis labor & otium, vigiliæ & ſomnus ac ſimilia variare poſſint: inprimis ipſæ venæ reſpiciendæ ſunt, quæ ſi latæ & amplæ ſunt, venæ ſectionem largiorem facilè admittunt; anguſtæ verò eandem non facilè ferunt. Hinc Græcis, Italis, Hiſpanis, quia calida corpora habent, venáſque amplas, largiores etiam ſanguinis euacuationes non facilè nocent. Narrat Galenus, *l. de cur. rat. per ſang. miſſ. c.* 14. cuidam ad ſex vſque libras ſanguinis, ſine aliquo virium detrimento, detractum fuiſſe: Italique & Hiſpani ſæpe cum commodo ſuis ægris ſanguinem ad ℔. ij. vſque emittunt. Quorum exempla ſi quis in noſtris corporibus imitari velit, adeò vires debilitabit, vt vel morbo ferendo poſtea pares non ſint, vel ſi morbum ſuſtineant, longo tempore æger priſtinum robur recuperare non poſſit.

*Ætatis.* Deinde ætas media, vtpote cuius robur maius eſt, copioſiorem ſanguinis euacuationem faciliùs fert; iunioribus verò & ſenibus ſanguis parciùs demendus.

*Anni temporis.* Anni tempus quod attinet, vernum liberaliorem ſanguinis euacuationem admittit: parciùs æſtate, autumno & hyeme mittendus ſanguis, & quidem autumno parcè, parciùs hyeme, omnium parciſſimè æſtate ſanguinem mittendum eſſe, pleríque ex antiquis ſtatuunt. Verùm quod ab iis de Græciâ dictum, id ad Germanos & alios Septentrionales populos ſimpliciter trahendum non eſt. Nam cùm eo tempore liberalior admittatur venæ ſectio, quod ad optimum temperamentum proximè accedit: facile hinc patet, in Græciâ & finitimis regionibus, ſi neceſſitas id poſtulet, tempore hyberno bonam ſanguinis quantitatem detrahi poſſe. Hyems enim ibi non eſt aſpera; contrà verò æſtas eſt calidiſſima, & proinde tum minùs ferunt copioſam ſanguinis euacuationem. At in Septentrionalibus regionibus, in quibus frigus eſt aſperum & hyems longa, ac ſanguine ad corpus fouendum copioſiore ſummopere opus eſt, longè parciùs tempore hyberno ſanguis eſt detrahendus, quàm æſtate, quæ in hiſce regionibus ſat tolerabilis eſt, & rarò tantum æſtum & feruorem habet quantum frigus hyems.

*Regionis ac cœli ſtatûs.* Quod de regione eſt dictum, idem de cœli ſtatu eſt accipiendum. Temperatus enim cœli ſtatus largiorem venæ ſectionem fert: parciùs verò ſanguis detrahendus, ſiue aër nimio frigore horreat, ſiue ſqualeat calore.

*Victûs.* Victûs quoque ratio aliquo modo moderari poteſt venæ ſectionem. Nam qui copioſiore, & boni ac multi alimenti cibo ſunt vſi, largiorem venæ ſectionem ferunt: contrà qui tenuiter vixerunt, corpus multis laboribus, ſollicitudinibus, vel aliis modis debilitârunt, iis parciùs ſanguis eſt euacuandus.

*Symptomatum.* Symptomata etiam quædam, quæ febres comitari ſolent, ſanguinis euacuationem moderari poſſunt. Nimiæ enim euacuationes, vigiliæ pertinaces, vehemens dolor, animi deliquium & ſimilia, parciùs ſanguinem detrahendum eſſe monent. Quæ omnia diligenter à Medico perpendenda, atque inde vires non ſolùm præſentes, ſed etiam futuræ æſtimandæ ſunt. Si tamen Medicus virium robur vſque adeò exactè perſpicere non poſſit, præſtat ſemper minùs detrahere, quàm copioſiore euacuatione vires deiicere. Neque quis ſibi perſuadeat, pleniore cibo id, quod nimium detractum eſt, reſarciri poſſe. Cibus enim copioſior, præſertim in acutis, morbum auget, & incrementum ſumente morbo, non parum nocet.

*Quando ſecanda vena.* Tempus venæ ſectionis quod attinet: in genere ſciendum, ſanguinem mittendum eſſe, cùm indicans euacuationis ſanguinis adeſt; nihil verò venæ ſectionem prohibet. Ex quo facilè apparet, in principio febrium commodiſſimè inſtitui venæ ſectionem. Tunc enim & indicans, quod requirit venæ ſectionem, præſens eſt, viréſque tum adhuc ſunt fortes & meliùs ferunt venæ ſectionem. Ac quò morbus velociùs ad augmentum properat, eò citiùs adminiſtranda venæ ſectio. Vnde in continuis & acutis febribus commodiſſimè mox ſecundo aut tertio die ſanguis mittitur: poſt quartum verò diem plerumque minùs commodè & tutò; cùm vires, morbo incrementum ſumente, iam magis languere incipiant. Neque opus eſt, in venæ ſectione, vt in purgatione, concoctionem humorum & præparationem corporis expectare; cùm apertâ venâ ſemper ſanguis ad effluendum idoneus ſit. Secanda ſcilicet vena, antequam natura ad coctionem humorum ſeſe accingit: vbi verò natura coctionem humorum aggreſſa eſt, quiete opus eſt, omniſque fugienda humorum agitatio, quâ coctio & ſeparatio humorum turbari poſſit. In intermittentibus verò & longioribus febribus, in quibus coctiones magis lentæ ſunt, in longius tempus differri poteſt venæ ſectio. Vnde etiam Galenus, *lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. cap.* 20. in mittendo ſanguine vires, non dierum numerum ſpectare iuſſit. Poteſt nimirum in febribus, in quibus plenitudinis & cruditatis ſigna diutius immorantur, poſt ſeptimum, imò circa decimum quartum & vigeſimum diem ſanguis vtiliter mitti.

*Quæ circa venæ ſectionem in febribus attendenda ſint.* Non autem de vniuerſali ſolùm tempore mittendi ſanguinis conſtare debet, verùm etiam vbi Medicus iam de die, quo mittere ſanguinem vult, certus eſt, quædam attendenda ſunt. Primò nimirum conſiderandum, an in ventriculo cibus adhuc nuper ſumptus & nondum concoctus hæreat, vel aluus excrementis repleta ſit. Nam ſi tale quid accidat, & non ſumma & vrgens neceſſitas venæ ſectionem maturare iubeat, priùs cibus in ventriculo concoquendus, aluúſque fecibus liberanda eſt, ne aliquid crudi vel impuri in venas rapiatur, vnde ægro damnum attrahi poſſit. Itaque expectandum, donec cibus concoctus ſit, antequam venæ ſectio inſtituatur, & quiete coctio adiuuanda; aluus verò glande, clyſtere, aut caſſiâ, vel mannâ vel alio leniente medicamento laxanda. Imò ſi in ventriculo aut in vicinis locis humor aliquis vitioſus reſideat, vtile fuerit, leni aliquo medicamento, quod ſine vi aut corporis agitatione id præſtat, illum ante venæ ſectionem euacuare, aut ſi ad ſuperiora vergat, leni vomitu illum tollere.

Attendendæ deinde etiam ſunt exacerbationes & paroxyſmi febrium. Vena enim aperienda tempore mitiori, non circa febris exacerbationem, quo tempore natura & vim ac impetum materiæ morbificæ, & venæ ſectionem ſimul perferre nequit.

Neque ſymptomata negligenda, vt ſunt dolores, orificij ventriculi debilitas. Symptomatibus enim, niſi per venæ ſectionem remoueantur, priùs occurrendum, atque ea mitiganda ſunt.

*Quando repetenda vena ſectio.* Cæterùm & hoc expendendum; An, ſi partienda neceſſariò ſit ſanguinis miſſio, & ſæpius repetenda, eodem, an verò diuerſis diebus ſit repetenda. Quâ in re diſtinctione opus eſt. Si enim euacuationis ſolùm gratiâ inſtituatur venæ ſectio, eodem die repetenda: ſi reuulſionis causâ, diuerſis. Nam vbi euacuandum eſt, præcipuè in acutis, ſubitò corpus in alium ſtatum tráſferendum eſt; ac ſæpe accidit, vt morbus mox principium percurrat, vt poſtea venæ ſectione commodè vti non liceat. In reuulſione verò reſpicimus ad motum, qui rectiùs fit, ſi diuerſis vicibus & interuallo interiecto natura contrario motui quaſi aſſueſcat, & interuallo temporis incumbens partibus humor regurgi-

tet

tet in venas; & iteratâ venæ sectione vtiliter extrahatur.

*Hora venæ sectionis.* Etsi autem ex his, quæ hactenus diximus, facilè de horâ venæ sectionis iudicari possit: tamen adhuc aliquid de eâ addere libet. Sunt nonnulli, qui solùm horis matutinis venam secandam esse censent. Sunt alij, qui & in diebus & horis semper benigniores astrorum aspectûs eligendos esse putant.

Vtrique falluntur. Fieri enim potest, vt tempore matutino febris sit vehementissima, atque tum venam aperire non licet. Astrorum aspectûs non contemnendos esse, vbi licet, equidem censeo: tamen magis sæpè morbus vrget, vt sine præsenti ægri periculo in aliud tempus venæ sectionem differre non liceat. Itaque ea hora est eligenda ad venæ sectionem, in quâ æger vel à febre liber est, vel in quâ febris est mitissima. In ipso verò febris vehemētis impetu sanguinem mittere, vt Celsus ait, hominem iugulare est. Quod si manè febris intermittat vel remittat, ea hora commodissima est; aut si, quod interdum fieri solet, bis vno die, manè scilicet & circa vesperam, accidat febris remissio, vel sit febris synocha, quæ nullam remissionem habet, tempus matutinum eligendum est, quod per se ad hoc negotium accommodatissimum est. Sole enim exorto, & luce per Horizontem diffusâ, omnia vegetiora sunt.

*Quæ vena aperienda.* Venam ipsam aperiendam quod attinet, cùm euacuationis gratiâ venæ sectio hîc ferè instituatur, neque nobis de reuulsione aut deriuatione iam sermo sit: commodissimè aperitur vena in cubito, seu interna seu mediana. Si tamen æger vel ob timiditatem, vel vires nimiùm deiectas ad lipothymiam valde procliuis sit, venæ manûs incidendæ; etsi id cum minore fructu fiat. Maior verò est vtilitas venæ sectionis in pedibus, præcipuè si simul reuellendum sit. Nam si vires sint debiles, & materia caput petat, & capitis dolor ac vigiliæ infestent, commodissimè & cum summâ vtilitate vena in pede aperitur, quæ euacuat, reuellit, viresque minùs deiicit.

*Post venæ sectionem quid agendum.* Postquam vena aperta est, quiescat æger, vt spiritûs rursum instaurentur: id quod rectissimè fiet, si æger supinus decumbat. Eo enim situ cuncta viscera in spinam suauiter reclinantur, & hoc modo calor & spiritus faciliùs in corpus distribuuntur. Imò quod in continuis sæpe accidere solet, si metuamus virium lapsum ægro in lecto nonnihil supino sanguinem mittere licet: aut si sedendo vena aperiatur, & animæ deliquium instare ex pulsûs & coloris faciei mutatione, oscitatione, aurium tinnitu, oculorum caligine vel impetu sanguinis fluentis labescente animaduertatur, mox digito venam comprimere, ægrum supinum reclinare, & si opus sit, supino plus sanguinis detrahere conuenit.

*An dormire liceat post venæ sectionem.* Post venæ sectionem vulgus somnûm totâ die planè prohibet, adeò vt piaculum ipsi habeatur, post venæ sectionem dormire: Quam ob causam non video. Licet enim metus esse possit, ne fascia forsan, quâ vulnus venæ obligatum est, soluatur: tamen hoc mediocri diligentiâ & astantium curâ præcaueri potest. Aliàs si necessitas somnum requirat, non video, cur totâ die æger à somno prohibendus sit. Galenus certè somno non prohibuit ægrum, nec eum excitauit, cui sanguinem miserat vsque ad animi deliquium, 9. *method. med. cap.* 4. Ita enim scribit: *Post duas à sanguinis missione horas paulo nutrimenti dato, ac iusso quiescere, discessi. Quintâ verò horâ reuersus, tam profundo somno detentum inueni, vt tangentem me prorsus non sentiret. Reuersus autem decimâ rursus horâ, etiam tum dormientem inueni. Egressus autem iterum ad alios ægros visendos redeo horâ noctis primâ, non tamen, vt ante, tacens, sed voce de industriâ sublatâ; quo ægrum à somno excitarem.*

Porro cùm sæpe accidat, vt vires nullo modo admittant venæ sectionem, sanguinis tamen euacuatio summopere requiratur: Antiqui alios sanguinem euacuandi modos inuenerunt, qui vires minùs debilitant. Sunt autem illi tres, scarificatio, cucurbitulæ scarificatæ, & Hæmorrhoides. *Scarificatio, & cucurbitula.* Scarificatio & scarificatæ cucurbitulæ differunt, vt *lib.* 5. *Inst. pag.* 2. *sect.* 1. *cap.* 16. diximus. Estque scarificatio sine cucurbitulis non solùm hodie Ægyptiis vsitatissima, vt ex Prospero Alpino, *de Med. Ægypt. l.* 3. videre est: Verùm etiam antiquis Græcis in vsu fuit; vt ex Oribasij *lib.* 7. *Med. Coll. cap.* 18. colligere est. Adhibentur autem cùm scarificatio, tum cucurbitulæ scarificatæ euacuationis gratiâ, de quâ iam nobis sermo est, in cruribus seu suris plerumque etsi etiam cucurbitulas in dorso nonnulli adhibeant. Verùm qui plura hac de re cognoscere cupit, authores allegatos consulat, & prætereos, Herculem Saxoniam, *lib.* 8 *pract. cap.* 22.

*Hæmorrhoides.* Hæmorrhoides quod attinet, vtilem esse per hæmorrhoides sanguinis euacuationem, omnes conceduut, sed an & quâ ratione aperiri possint, non inter omnes conuenit. Breuiter, vt hac de re aliquid dicamus, in iis, quibus consuetus est hæmorrhoidum fluxus, facilè aperiri possunt, & cum fructu; & non solùm cùm sanguis crassus & ater peccat, verùm etiam in aliis morbis: cùm certum sit, etiam in sanis, non solùm crassum, sed & alium, & plerumque ichorosum excerni. In iis autem, qui assueti non sunt huic fluxui, non facilè aperiuntur frictione cum foliis parietariæ, ficûs, boraginis, panno aspero & similibus, quæ aliàs in assuetis hæmorrhoides prouocare solent. Sectione seu scalpello vt in tali casu aperiantur, vix suaserim; cùm in corpore huic effluxui non assueto; & cùm venæ istæ non tument, vix effatu dignum aliquid euacuetur; vel si nimium aperiantur & valde fluant, fluxum non semper Medicus satis moderari possit, & vlcera ac fistulæ hoc loco facilè excitari queant. Commodissimum in talibus est, & sine periculo vt si quis eas aperire velit, hirudines applicentur, per quas longè tutiùs sanguis extrahitur, quàm si scalpello hæmorrhoides aperiantur.

## CAPVT VI.

### De purgatione in febribus.

Postquam hæc de venæ sectione & sanguinis euacuatione diximus: proximum est, vt de vitiosorum humorum euacuatione iam dicamus. Vt autem humores vitiosi duplices sunt: cùm illi, qui proxima febris causa sunt, tum quædam impuritates, quæ in ventriculo, intestinis, venis mesaraicis, vel saltem earum extremitatibus continentur: Ita etiam purgantia in genere dicta duplicia sunt, vt *lib.* 5. *Inst. part.* 1. *cap.* 10. dictum, alia aluum lenientia, quæ dictas vias euacuant, & alui feces ac humores in intestinis subsistentes, sine omni corporis agitatione educunt; alia verò & propriè ac in specie dicta purgantia, quæ electiuè, vt vocant, purgando ex remotioribus quoque partibus materiam morbificam & febris causam educunt. *Purgantia duplicia.*

### De Lenientibus.

*Lenientia.* Lenientia in febrium putridarum initiis omnino necessaria sunt. Cùm enim, quando febres ingruunt, prauæ aliquæ dispositiones in corpore præcedant, ob quas concoctio in ventriculo non satis rectè expeditur: facilè fieri potest, vt cùm chylus prauus & crudus, tùm aliæ superfluitates in ventriculo & intestinis cumulentur, quæ putrescentes humores fouere & augere possunt. Materia igitur hæc quamprimùm educenda est, quod fit, vel per clysteres & lenientia dicta medicamenta,

dicamenta, vel etiam per vomitum, provt materia vel in craſſis inteſtinis, vel in tenuibus & meſaraicis, ac ventriculi fundo hæret, vel in ventriculo ſupernatat, & nunc versùs inferiora, nunc versùs ſuperiora inclinationem habet.

Clyſteres quod attinet, ij quidem omnes emollientes ſint: pro materiæ tamen diuerſitate, quæ nunc calidior & acrior eſt, nunc viſcidior craſſiórque in inteſtinis & vicinis locis cumulata eſt, aliqua diuerſitas materiæ eſſe poteſt.

Simpliciter emollientes fiunt è maluâ, althæâ, violariâ, parietariâ, hordeo, &c. cum oleo vel communi, vel violaceo.

Si maiori abſterſione opus ſit, aut materia craſſior & viſcidior fuerit, addere licet betam, mercurialem, furfur, ſacch. rubrum, mel roſatum. Imò licet in hiſce addere lenientia medicamenta, caſſiam & ſimpliciter extractam, & pro Clyſteribus: Electuarium lenitiuum, diacatholicum, hieram ſ. & ſimilia. Exempla paſſim obuia ſunt.

Alia autem fortiora medicamenta, & quæ à remotioribus partibus attrahere poſſunt, in tales Clyſteres, & qui primas vias euacuandi gratiâ ſolùm adhibentur, præcipuè in principio, admiſcere non licet, ne materia fruſtra agitetur.

Cùm verò Clyſteres ad loca ſuperiora non pertingant, lenientia per os exhibentur, quorum magna ſuppetit copia. Antiqui mercurialem, maluam, betam, aquam mulſam & ſimilia vſurpabant. Hodie in vſu ſunt, Caſſia, manna, tamarindi, ſyr. roſ. ſolutiuus, violarum ſolut. mel roſat. ſol. El. diacaſſiæ cum mannâ, El. lenit. ſ. Ex quibus potiones & boli vel electuaria parari poſſunt.

In pueris ob humiditatem, præcipuè ſi vermes timentur, commodior eſt pulpa tamarindorum, quam Caſſia.

Si billioſi & tenues humores abundant, Syr. roſ. ſol. & viol. ſol. conueniens eſt.

In pituitoſis verò corporibus & vbi calor mitior, conueniens eſt mel roſ. ſol.

Manna, ne in bilem vertatur, cum aquâ hordei, vel aliâ aliquâ, aut decocto refrigerante poteſt exhiberi, vel etiam in iuſculo carnis diſſolui.

Ita & Elect. lenitiua vel in liquore conueniente diſſolui poſſunt, vel cum ſacch. in bolum formari.

Chymicis hodie in frequenti vſu eſt cremor tartari, cuius ℥ß. vel ʒj. pro ætatis & corporis conſtitutione, in iuſculo carnis vel aquæ ſine omni nauſeâ, cùm iuſculo ſaltem acidum non ingratum ſaporem conciliet, ſumitur, primaſque vias abſtergit & clementer purgat: cuius vis ſi maior poſtuletur, vno atque altero diagrydij grano acui poteſt.

Atque talia in principio exhiberi, iam antè dictum. Nam & ob viarum latitudinem, & loci propinquitatem, humores, qui febrem augere poſſunt, & quibus non remotis alia medicamenta commodè exhiberi non poſſunt, facilè educere valent. Itaque quamprimùm Medicus accedit ægrum, inquirat, num aliqua vel arte, vel naturâ præceſſerit euacuatio, quo victus genere ſit vſus, an inedia vel crapula præceſſerit, an aliquam grauitatem circa ſtomachum vel ventrem inferiorem ſentiat, atque ita, ſi opus ſit, lenientia adhibeat.

Imò & reliquis morbi temporibus Clyſteres, præcipuè ſi aluus ſubſiſtat, vſurpare licet.

Tempus particulare quod attinet, eligenda eſt non ſolùm dies, ſed & hora intermiſſionis, vel remiſſionis, & omnino tempus, cùm febris minùs vrget. Neque opus eſt, vt ſemper tempore matutino talia exhibeantur; ſed ſi febris manè vrget, etiam circa veſperam vſurpari poſſunt.

Verùm de lenientibus plura addere non libet, cùm paſſim ea exſtent, & in aliis morbis plurimis etiam adhibeantur, poſsúntque cum alij authores de hac re conſuli, tum Capiuaccius, *libro 6. Pract. de febr. cap.* 17. Alex. Maſſaria, *libro 7. Pract. à capite 2. ad* 14. I. Cæſ. Claudin. *de ingre. ad infirm. lib. 2. cap.* 4.

### *De Vomitoriis.*

*Vomitoria.* Vnum, cuius ſuprà etiam mentio facta eſt, non prætereundum, ſi materia versùs ſuperiora vergat, vomitu poſſe ex corpore commodè excludi. Quapropter nonnunquam in principio febrium vomitus ciendus, & quidem ſæpe accidit, vt magna materiæ copia in ventriculo & vicinis locis contineatur, etiam in malignis febribus, quæ mox per vomitum reiicienda eſt. Nulla enim eius tàm copioſæ ibi hærentis coctio expectari poteſt. Et quodcunque ingeritur in humorem ei, qui antè in ventriculo hæret, ſimilem facilè mutatur, peccánſque materia augetur. Atque experientia teſtatur annotauítque idem Fernelius. *lib.* 3. *meth. med. cap.* 3. vomitu omnem, quæ in ventriculi capacitate, eiúſve tunicis inhæret, illuuiem inprimis expurgari, è præcordiorum membranis, è cauis iecoris & lienis, & ex pancreate omnis generis ſuperuacuos humores ſinceros elici, quos plerumque nec hiera, nec aliud vehementiſſimum vllum, etiam frequens, pharmacum in aluum exturbare poteſt. Et ſæpe per vomitum vitioſâ materiâ reiectâ febris in initio tollitur; quod niſi factum fuiſſet, materia porrò in penitiores corporis partes tranſmiſſa & ſanguini pexmixta longæ febri occaſionem præbuiſſet.

Sunt autem vomitoria alia lenia, alia mediocria, alia fortia, vt *lib.* 5. *Inſtit. part.* 1. *cap.* 11. dictum. Verùm hîc præcipuè de lenibus ſermo eſt. Nonnunquam tamen ad mediocria aſcendere licet.

In calida & bilioſa materiâ vulgò faciunt vomitoria ex decocto hordei, cum oleo, vel communi, vel amygdalino. In materiâ craſſa vſurpatur oxymel. ſ. & comp. cum iure pulli, vel decocto ſem. anethi aut raphani. In materiâ mixta vti licet ſyr. acetoſ. cum decocto hordei aut anethi.

Quantitas vomitorij, ad Vnc. xij. aſcendere poteſt. Nam ſi minore quantitate, præcipuè ex debilioribus paratum, ſumatur, ſæpe retinetur in ventriculo. Et cùm aliàs debiliora iſta non ſint valde efficacia: Recentiores vſurpant vomitoria ex ʒß. vel ℈ij. aut ʒj. rad. aſari, cum aquâ vel liquore conueniente, vel ex decocto eiuſdem.

Chymici hodie vitriolum album in cereuiſiâ calidâ cum butyro ſumptum commendant. Vt & Salem vitrioli, qui à ℈ß. ad ℈j. vel etiam ad ʒß. in iuſculo vel conueniente liquore exhibetur. Fortior eſt, & non ſolùm per vomitum, ſed & aluum purgat. Aqua vomitoria ſeu Benedicta appellata, hodiè ſatis nota, ex ♁. ſeu croco metallorum parata. ℞. croci metallorum ℥j. Aquæ Carduiben. ℔ij. vel iij. Aqua cinam. ℥ß. Macerentur per biduum. Tranſcolatum vſui ſerua. Eius doſis eſt ℥iß. aut ℥ij. Verùm cùm hoc medicamentum non ſolùm primas vias euacuet, ſed & in reliquum corpus penetret, cautè exhibendum eſt, & diligenti conſideratione opus, in quibus febribus tutò exhiberi poſſit.

### *De Purgatione.*

*Purgatio.* Purgantia propriè & in ſpecie dicta quod attinet, illa à cacochymia indicari, & humoribus febrē gignentibus expurgandis dicata eſſe, extra omnem controuerſiā eſt. Illud autem cōtrouertitur, & multorum ingenia fatigauit, acerrimiſque altercationibus occaſionem præbuit, quo tempore talia purgantia exhibēda ſint. Licèt enim quando agendum à præſentiâ indicātis indicetur, & vitioſi humores quouis febris tēpore, antequam ſoluitur, adſint, atque ſemper ſui remotionē indicent: non tamen

quouis tempore purgatio permittitur. Et de purgationis tempore diuersæ ac dissidentes Authorum opiniones reperiuntur.

*Quo tempore purgandum.* Primò enim cùm Hippocrates, 1.*aphor.*22. scripserit: *Concocta maturáque purgare ac mouere oportet, non cruda: nec per initia, nisi materia turgeat; id quod rarò fieri solet*: atque Aphorismum hunc Galenus, 4. *de tuendâ valet. cap.* 5. Oraculum appellauerit: sunt nonnulli, qui eum tam sanctè & religiosè obseruant, & tam accuratè coctionem expectant, vt non solùm in febribus continuis & acutis, de quibus tamen Hippocrates præcipuè loquitur, verùm etiam in diuturnis & intermittentibus, imò omnibus ferè morbis, non nisi coctione præcedente, vllam purgationem instituendam putant: adeò vt Alex. Massarias, *lib.* 5. *Practic. cap.*22. eos reprehendat, qui in quartanâ ad coctionem humorum vtuntur syrupis com. de fumaria, de pomis & epithymo, de polypodio, ideò quod cassiam, senam, epithymum, polypodium, & alia huiusmodi medicamenta recipiant, quæ coctionem non solùm non iuuent, sed etiam illam maximè turbent & impediant.

*Incommoda intempestiuæ purgationis.* Causam autem, cur cruda & in initio purganda non sint, nisi turgeant, id est, sponte & suopte impetu, quasi viam excretionis affectent, vt nisi euacuentur, metuendum sit, ne in membrum aliquod princeps cum vitæ periculo irruant, istam ex Galeno, *in Com. alleg. aphor.* reddunt: Quòd scilicet crudi humores, si in principio non turgeant, & ipsi quasi exitum quærant, nec trahenti pharmaco, vtpote nondum à naturâ cocti & separati, facilè cedant, nec natura euacuationi arte institutæ opituletur. Vnde istas purgationes plurima incommoda sequi necesse sit, Vel enim finem suum non assequuntur purgantia, nihílque aut parum vitiosorum humorum educunt, atque ita eos saltem agitant, turbant, & confundunt; vnde ex materiâ motâ & non euacuatâ in primis viis hærente, tormina, animi deliquia, vertigines, & alia symptomata oriri solent; vel si medicamentum fortius fuerit, cum violentiâ euacuat, corpus liquefacit, vires calorémque natiuum debilitat, vt natura postea facilè succumbat, & morbum vel planè non, vel non nisi longiore tempore vincat.

*Quando sit purgandum in principiis varia sententia.* Alij etiam aliis morborum temporibus purgandum censent, licèt materia non turgeat: qui etsi in eo conueniant, ante coctionem non rarò purgandum esse: tamen in quibus casibus hoc faciendum sit, non planè conueniunt.

*Hier. Capiuaccių.* Hier. Capiuaccius, vbi de curandâ febre agit, *in append. de tempore exhibend. solutiu.* ita statuit; tum esse purgandum in principio, vbi materia morbifica magis vrget ad purgandum, quàm cruditas prohibere possit. Et primò quidem talem esse turgentem materiam seu furiosam, vt appellat; cùm ex eâ periculum immineat, ne in partem principem aliquam ruat. Deinde, non solùm turgente materiâ in principio purgandum statuit, sed & in aliis quibusdam casibus. Dari enim materiam existimat, quæ non minùs, imò magis vrgeat, maiúsque periculum minetur, quàm furiosa seu turgens. Atque talem materiam duplicem esse statuit, venenatam, & actu ad partem aliquam principem ruentem. Primò enim venenatam, cùm cor celeriter occupare & hominem interficere possit, magis vrgere, quàm furiosam putat, & proinde statim expurgandam esse. Deinde & materiam, quæ actu ad partem aliquam principem ruit, magis vrgere dicit, quàm turgentem, à quâ solùm immineat impetus ad partem principem. Imò non hanc solùm, verùm etiam quæ fluit ad partem talem, quæ principem aliquam in consensum trahere possit, magis vrgere dicit.

*Pius Æneas Caprilius.* Idem ferè Pius Æneas Caprilius *de febr. putrid. in genere, libro* 1. docétque, in febribus putridis materiam vt excrementitiam indicare purgationem, cruditatem materiæ eandem prohibere, vt causam sine quâ non, materiam furiosam rursum eandem indicare, vt vrgens, & plus posse vrgens, quàm causam efficientem sine quâ non; cùm periculum sit, ne materia furiosa petat partem aliquam principem. Idem tamen addit, Hippocratis mentem fuisse, si materia rationem vrgentis habeat, licèt sit cruda, esse euacuandam, & Hippocratem per materiam turgentem intelligere omnes alias materias vrgentes. Imò si conferatur materia furiosa cum reliquis materiebus vrgentibus, minùs vrgere materiam furiosam, quàm reliquas materias. Ideóque si quæ minùs vrget, tamen plus potest ad indicandum purgans, quàm cruditas ad prohibendum, vbi aderunt materiæ illæ plus vrgentes, audaciùs purgandum esse statuit. Materiam autem plus vrgentem esse primò veneficam, vtpote, quæ celerrimè possit cor occupare & mortem inferre. Deinde mobilem, seu quæ actu mouetur & inclinationem habet ad partem determinatam, vel principem, vel quæ principem in consensum trahere possit; cùm furiosa non habeat determinatum motum.

Cum Capiuaccio & Pio Æneâ Caprilio consentit ferè Eustachius Rudius, qui, *lib.* 3. *Pract. cap.* 22. *Eust. Rudij.* præter turgentem materiam, & in aliis quibusdam casibus, crudam materiam purgari posse concedit. Primò quidem si actu in partem aliquam principem, aut quæ cum principe maximum consensum habet, ruat, potissimum si purgante medicamento contrarium motum reuulsionémque moliri possumus. Deinde in ancipiti grauíque morbo, cuius semper etiam symptomata sæua sint, & incertus exitus, coctionem, quæ forsan futura non est, non expectandam, sed inter initia purgandum esse, & partem eius detrahendam censet. Tertiò venenosam materiam in principio, & quàm celerrimè, strenuóque purgante euacuandam statuit; cùm maius, quàm reliquæ materiæ omnes, periculum afferat. Quartò, dum præter continentem morbi causam, alia quædam materia in ventriculo, aut intestinis, aut vicinis locis hæret, dolore, æstu, nauseâ, angore, alísque signis manifesta.

Alij adhuc latiùs extendunt hanc materiam, & in pluribus casibus admittunt purgationem in morbi principio. *Octau. Roboret.* Octauianus Roboretus, *de febr. petic. cap.* 16. non solùm vbi materia turget, sed & aliàs euacuandum censet. Primò cùm vrget materia, cùm scilicet in parte aliquâ vel principali, vel quæ cum principali consensum habet, fixa est, vnde grauia oriantur symptomata; qualis est materia praua in ventriculo, à quâ fit lipothymia. Secundò cùm reuulsionis gratiâ, ad præcautionem futuri alicuius ex fluxione morbi, ea opus est, vt in maximis doloribus. Tertiò quando tanta est crudorum humorum copia, vt nisi ea minuatur, natura non possit illam concoquere. Quartò cum materia est maligna, vt præ malignitate eam non aggrediatur Natura, vel si tentat eam elaborare, concoquere tamen non possit.

Plures quoque casûs habet Herc. Saxonia, in quibus non expectatâ coctione purgandum putat, *lib.* 8. *Herc. Saxonia.* *Pract. cap.* 26. Et primò quidem vocem, Turgere, à plerísque in nimis angustâ significatione accipi statuit, dum turgentes humores illi vulgò saltem habentur, qui huc atque illuc mouentur, neque determinato loco hærent. Ipse verò turgentem materiam omnem illam esse dicit, quæ cogit nos ad importunam & citam excretionem. Atque hoc posito fundamento, ipse quinque casûs adfert, in quibus purgare liceat, non expectatâ coctione. 1. Si humores sint multi: 2. si sint calidi: 3. si sint tenues & ichorosi: 4. Si materia habeat impetum ad locum aliquem nobilem & principem: 5. si humores fuerint praui,

vt

vt ſuâ qualitate prauâ humores vicinos & partes ſolidas corrumpere poſſint.

*Hier. Mercurialis.* Hier. Mercurialis, *in ſuâ Practicâ de purgatione*, in febre putridâ opportuniſſimum quidem tempus purgandi, morbi declinationem, iam coctâ materiâ, agnoſcit: initio tamen etiam quandoque purgationem inſtitui poſſe concedit. Et quidem has diſtinctiones præmittit. Primò diſtinguit purgationem in perfectam ſeu eradicatiuam, quâ totam materiam Medicus exſtirpare conetur; & imperfectam ſeu minoratiuam, per quam conetur ita minuere materiam, vt faciat pluribus vicibus, quod vnâ vice faceret, ſi liceret. Deinde diſtinguit Medici operationes in regularem, quæ ad normam præceptorum accommodatur; & in coactam, quæ illam tranſgreditur. Hinc concludit, regulari medicatione nunquam in principio crudos humores purgandos; coactâ autem operatione conceſſam eſſe in principio purgationem. Et perfectam quidem in duobus caſibus; primò turgente materiâ, ob imminens periculum; Secundò in materiâ peſtilenti, ob imminentem totius corporis infectionem: Imperfectam verò in duobus caſibus; primò in initio febrium acutarum, vbi metus eſt, ne materia turgeat, præcipuè in regionibus & temporibus calidis; ſecundò in plenitudine corporis, quando venæ ſectionem adhibere prohibemur, ad imminuendam per accidens plenitudinem.

*Don. ab Altomari.* Donatus ab Altomari peculiarem tractatum de quæſtione hac ſcripſit, an in principiis morborum, materiâ non turgente, purgante medicamento vtendum ſit. Atque ipſe etiam in quibuſdam caſibus hoc faciendum putat, ſed in acutis tantùm morbis. 1. Vbi materia copioſior eſt, partem eius in principio euacuandam cenſet, vt exonerata natura, quod relinquitur faciliùs poſſit & concoquere & expellere. 2. Si ex malâ ſeu prauâ qualitate humorum redundantium morbi gignantur. Nam niſi circa eorum initia purgante medicamento quis vtatur, par aut ferè maius periculum imminere, ac ex materiâ turgente, exiſtimat. 3. Si humor, etiam abſque multitudine aut prauâ qualitate circa quampiam principem partem, aut in earum aliquam decumbat. Purgationem tamen hanc ex præcepto Hippocratis, 1. *aphor.* 24. cùm præmeditatione faciendam cenſet. Nam ſi morbus toto genere exitialis ſit, nihil nec eo tempore, nec alio mouere oportet. Deplorati enim curandi non ſunt, ſed eis morbi finem prænunciare licet. Si etiam è diligenti examinatione rectum ac perfectum iudicium in morbo acuto aliquo expectetur, vireſque morbo præualere Medicus videat, abſque vllo eius auxilio, præterquàm conueniente victus ratione inſtitutâ, abſtinendum à medicamento purgante in eorum morborum initiis cenſet. Idem faciendum, ſi morbus ſit diuturnus, exiſtimat: Et proinde tantùm in iis morbis initio purgandum, qui quidem periculo non vacant: tamen non ſunt ex toto genere pernicioſi, vbi nimirum ſpes eſt, ſi medicamento purgante naturæ ſuccurratur, ægrum conualiturum.

Atque hæ ſententiæ in eo omnes concordant, quòd vel in initio, ſi neceſſitas id requirat, ſit purgandum; vel, in quo etiam plerique conſentiunt, coctio expectanda, & in fine ſtatûs, ſi à natura nullam excretionem inſtitui videamus, aut in declinatione, ſi natura nihil per criſin euacuârit, vel imperfectè euacuârit.

*Iodocus Lommius.* Peculiarem opinionem fouet Iodocus Lommius, *lib. de cur. feb. contin. ſect.* 2. qui eos reprehendit qui in febribus, præcipuè acutis, vix vnum diem intermittunt, quo non ægrum medicamentis vel per os ſumptis, vel per aluum iniectis ſollicitent, naturámque in opere turbent; illos verò prorſus ineptire exiſtimat, qui priùs declinationem febris vniuerſalem, quàm purgent, expectant; cùm grauem morbum in vitam, neceſſario ſuſpenſo præſidio, ſæuire permittant, eóque tempore medicinam adhibeant, quod omni periculo vacat. Ipſe verò duo tempora purgationi in febribus eligit: Incrementi finem, & ſtatum. Nam cùm natura excretiones non antè inſtituat, quàm concoctio & ſequeſtratio vitioſi humoris ſit abſoluta; id verò tempus, quo abſolutâ coctione fit excretio, ſtatus ægritudinis appelletur: Medicum, vt naturæ miniſtrum & imitatorem, non niſi in ſtatu tuto purgare poſſe exiſtimat; niſi aliud quid incidat, quod causâ ſecuritatis hanc purgandi regulam vniuerſam mutare cogat. Id quod contingat in febribus continuis, per quarum ſtatum impetus ſymptomatum purgandi locum tollat. In febribus verò intermittentibus, quæ vigorem iam perfectè attigerunt, tutò licere ſtatuit, quo die intermiſſio eſt, concoctum humorem medicamento tollere, naturâ iam tum nullis impeditâ ſymptomatibus. In continuarum verò ſtatu, quia vigiliæ, deliria, ardores, ſitis, inquietudines faciunt, quò minùs liceat his ærumnis oppreſſam naturam medicationum irritamentis laceſſere, fugiendum eſſe iſtud tempus docet, atque purgationem intermittendam, & in ipſius incrementi prouectiore parte medicamentum dandum eſſe. Tum enim plurimâ parte iam materia maturuit; neque Symptomata impediunt, quæ nondum ſunt maxima. Eſſe ſcilicet docet, quæ iuxta iecur, eíque aſſiſtentes venas, link bilioſa excrementa vtcunque cocta, ductâque aluo ſubtrahenda exiſtimat: reliquis intra remotiora contentis vaſa, ac fortè nondum prorſus coctis, ipſi relictis naturæ, per proximam ſemel remouendis euacuationem. Non tamen fortia vult adhiberi purgantia, ſed mitia, ne calorem excitent, ac conſumptis vitæ ſpiritibus vires ſupra modum extenuent: deinde cùm non opus ſit, vt materiam morbi è toto corpore radicitus extrahant; cùm coctio in incremento planè abſoluta non ſit.

Cum hac opinione in quibuſdam conſentit Herc. Saxonia, *lib. alleg.* Primò enim in augmento quandoque purgationem concedit duplici ratione: 1. quòd in augmento humores æquè turgeant ac in principio: 2. quia in augmento humor aliquâ ex parte concoctus ſit, qui propterea medicamento purgante poſſit ac debeat euacuari. In ſtatu quoque in tribus caſibus purgationem conceſſam eſſe ſtatuit, 1. quando febris ortum ducit ex humoribus frigidis vel paucis. Tales enim humores per Criſin non expurgantur, & proinde expurgandi ſunt. 2. Vbi natura Criſin tentauit, ſed imperfectè, ibi purgandum eſſe, ex conſilio Hippocratis, 1. *aph.* 21. *Quò natura vergit, eò ducere conuenit, per conuenientia loca.* 3. quando in ſtatu, iam tranſacto ex toto ferè die decretorio, in morbis acutis & pericloſis, cùm maximis Symptomatibus, natura tamen adhuc nihil incipit agere, opus eſſe dicit naturæ ſuccurrere, & propterea humores educere, ex ſententiâ Auicennæ, qui inquit: *ſi natura non mouet, moue tu: horâ tamen motûs illius.*

Plures Authorum opiniones in medium adducere, aut quid pro iis, quas recenſuimus, & contra diſputari poſſit, prolixè recenſere, operæ pretium eſſe non duco. Illud potiùs agam, vt fundamenta pro controuerſiâ hac diſcutiendâ neceſſaria adducam, & quomodo inde vera aliqua ſententia elici, atque aliorum opiniones examinari poſſint, monſtrem. *Deciſio controuerſiæ.*

Primò illud notandum, de febribus hîc ſolùm ſermonem eſſe. Nec nugæ hæc ſunt, vt putat Pius Æneas Caprilius, qui aphoriſmum hũc vniuerſaliſſimum eſſe, & locum habere putat, tam in corpore febricitante, quàm non febricitante, & eadem contingere abſurda putat, quando cruda euacuatur materia, ſiue adſit febris, ſiue non adſit febris. Nam fallitur hîc Caprilius. Etenim ſi antecedentes & ſequentes aphoriſmos etiam

etiam inſpiciamus, manifeſtum inde euadit, eum de febribus & præcipuè acutis loqui. Et quæ citra febrem eſt materia propriè cruda non eſt, nec coctione indiget, etſi interdum præparatione aliquâ, vt dicetur poſtea, opus habeat. Vnde & ipſe concedit, materiam in hydrope, quia ſit ſeparata à bonâ materiâ, ſtatim poſſe euacuari, quia poſſit inter coctas materias recenſeri. Cùm tamen nunquam illa materia cocta ſit, nec ad ſtatum meliorem reduci poſſit. Itaque de febribus ſaltem hîc quæritur. An in principio morborum aliquando purgandum ſit. Atque id ipſum voluit Hippocrates, 1. *aphor.* 22. cum dicit: *Cocta, non cruda, eſſe purganda, &c.* Non enim hîc de eâ coctione ſermo eſt, quâ alimenta in ſubſtantiam corporis vertuntur, & quam Galenus, 2. *de nat. facult. cap.* 4. & 3. *de fac. nat. cap.* 7. definit. Nutrientis in propriam qualitatem eius, quod nutritur mutationem; quâ, vt dictum, cùm alimenta aſſumpta, tum dulcis pituita in ſanguinem, & hinc in noſtri corporis ſubſtantiam vertuntur: ſed pro humorum excrementitiorum à naturâ elaboratione, & in meliorem, in quem quidem poſſunt, ſtatum reductione.

*Explicatio aphor. 22. ſect. 1.*

*Cruditas & coctio quid.*

Et quidem coctio & cruditas, de quâ hîc ſermo, propriè competit humoribus putridis. Etſi enim à Medicis vrina, ſputum, lippitudines, quin & humores, qui à cerebro per palatum & nares defluunt, excrementa alui, vt omnino omnia excrementa, quæ initio aquea & tenuia ſunt, temporis verò progreſſu craſſiora & pauciora euadunt, primò cruda eſſe, & poſtea coqui dicantur: tamen cùm in Aphor. allegato, cruditatis & coctionis mentio fit, & quæritur, an cruda purganda ſint: cruditas & coctio non omnibus excrementis competit, ſed priuatim humoribus putridis; & cruditas omnino quandam ineptitudinem ad purgationem includit, à putredine profectam, ſicut coctio contrà humores illos putridos ad euacuationem aptos reddit: Quod modò recenſitis omnibus non competit. Nam vrina & feces alui æquè coctæ ac crudæ excerni poſſunt ac debent: quod humoribus, de quibus hîc controuerſia, non competit. Coctio igitur, de quâ hîc ſermo, tota ad purgationem dirigitur: ſicut ob cruditatem humores ad purgationem inepti fiunt. Vocabulum enim cruditatis & coctionis à cruditate & coctione propriè dictâ ad excrementitios humores transfertur. Hi enim etſi in nutrimentum corporis conuerti ampliùs non poſſint: dum tamen formam quandam meliorem, quam quidem poſſunt, acquirunt, & talem quidem, quâ idonei efficiantur ad expulſionem (quod vnicè expetitur) coqui dicuntur. Nimirum ſicut apoſtemata adhuc cruda incidere aut purgare non decet, priuſquam humor in ipſis contentus in pus laudabile ſit mutatus, & bonum à malo ſeparatum: ita nec humor crudus è corpore educendus, ſed coctione priùs mitigandus, & ad faciliorem purgationem præparandus. Et natura hunc ordinem ſeruat in criticis expulſionibus, vt noxia primò corrigat, & quantum fieri poteſt, in meliorem & corpori minùs moleſtum ac noxium ſtatum deducat, deinde ſeparet à bono & vtili, ac demum è corpore expellat. Quod cùm ſolùm fiat in humoribus putridis: hinc apparet, quando quæritur; An cruda & initio purgandum ſit: id ſolùm de febribus putridis accipiendum eſſe. Humores nimirum putridi in febribus ſolùm peculiari coctione ad purgationem à natura præparantur. Nam etiamſi & aliæ quædam humorum ad purgationem præparationes, & in febribus, & citra febres, fiant, quæ ab arte fieri poſſunt: tamen iis coctionis nomen, vt poſtea dicetur, non competit, & coctio à præparatione humorum differt. vt *lib.* 5. *Inſtit. part.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 7. dictum.

*In quorum morborum*

Ex quibus ſecundò obſeruandum, duos à plurimis authoribus errores, niſi planè mea me opinio fallit, committi. Primò enim nonnulli ad amplificandum ſenſum allegati *aphor.* 22. *ſect.* 1. ſeu probandam purgationem in morborum principiis, varia Galeni loca adducunt, quibus probare conantur, licere etiam, non turgente materiâ, purgare in principio. Sed præter rem planè: cùm loca illa non loquantur de febribus putridis, ſed de aliis morbis, in quibus nulla eſt cruditas, & propterea coctio nulla expectanda, & in quibus, ſi qui adſunt humores in corpore, qui purgatione indigent, mox expurgari poſſunt. Talia ſunt, quando Galenus, *lib.* 13. *meth. med. cap.* 11. in inflammationibus oculorum vnicâ die purgatione ſe fluxionem curâſſe ſcribit: quando, *eodem lib. cap.* 5. in omnibus fluxionibus commendat huiuſmodi euacuationem: quando, 6. *meth. med. cap.* 2. in puncturâ nerui vtitur purgatione: quando, *lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. cap.* 8. iubet in omnibus inflammationibus, fluxionibus, ictu vehementi, ſtatim retrahendos eſſe humores venâ ſectâ vel purgatione: quando Hippocrates, 2. *de fract. text.* 27. in fracturâ cranij ſtatim purgat elleboro albo. Hæc enim loca omnia, & his ſimilia, de talibus caſibus loquuntur, in quibus nulla adeſt febris, & proinde nulla cruditas, de quâ Hippocrates loquitur: Et propterea ad id, cuius gratiâ adducuntur, probandum nihil faciunt. Idque ex ipſo Hippocrate patet, qui etſi alleg. loco in fracturâ capitis purgat, tamen, ſi febris adſit, *ibid. textu* 20. in læſione calcis, cui inflammatio & febris valida acceſſit, purgare non audet.

*principio tutò purgare liceat.*

Secundò & alij peccant, qui aphoriſmum hunc, qui tamen ſolùm de febribus loquitur, omnibus morbis applicant, & ſemper, antequam purgent, humores coquendos eſſe ſcribunt. In quorum numero eſt Maſſaria, qui, *lib.* 1. *Pract. cap.* 13. reprehendit Fuchſium & alios, qui in apoplexiâ, non expectatâ coctione, purgandum cenſent. Nulla enim in apoplexiâ eſt talis cruditas, quæ purgationem prohibeat. Nam licèt cùm in apoplexiâ, tum in aliis morbis, quidam vitioſi humores, cùm in primis viis, tùm in venis eſſe poſſint: per putredinem tamen non ita ſanguini permixti ſunt, vt priùs à natura ſeparandi ſint, ſed illi ſaltem quaſi confuſi ſunt, vt ductum medicamenti purgantis non inuiti ſequi poſſint. Quod ipſa experientia in pluribus purgationibus, præſeruationis gratiâ inſtitutis, teſtatur, quarum eadem eſt ratio, quæ illarum, quæ in morbis, quos nulla febris comitatur, inſtituuntur. Præparatio quidem aliqua interdum, & viarum apertio, vt ſuo loco dicetur, neceſſaria eſt; non verò iſta coctio, de quâ Hippocrates hîc loquitur.

*Non in omnium morborum principio coctione opus eſt.*

Hoc tamen etiam hîc non prætereundum, etſi coctio talis fiat in vlceribus & apoſtematibus: tamen id, quod in iis coctum eſt, aperto apoſtemate, extra corpus effunditur, aut à natura ſponte, vt in ophthalmia fieri ſolet, protruditur, non purgatione, de quâ iam nobis ſermo, tollitur. Et proinde rectè ſtatutum putamus, inter morbos, quorum cauſa proxima purgatione tollitur, ſolùm febres eſſe, quæ illâ coctione priùs indigent.

Tertiò obſeruandum, cùm coctio ſeparationem vitioſi humoris à bono ſanguine, ſeu includat, ſeu præcedat: tantùm de iis humoribus quæſtionem eſſe, qui continentur in venis & ſanguini permixti ſunt. Et proinde humores, qui in primis viis extra venas continentur, & omnino qui, vt confiteri neceſſe habet Caprilius, pag. 99. ſeparati ſunt à bona materiâ, rectè ſine coctione, vel vomitu, vel purgatione euacuari poſſe. Hinc rectè ab Euſtachio Rudio ſcriptum putamus; humores, qui in primis ſeu publicis viis conſiſtunt, extra venas ſcilicet, & ſanguini permixti non ſunt, omni tempore vtiliter, adhibitâ tamen quadam, ſi opus, præparatione, medicamento purgante deiici poſſe. Et propterea non ſolùm

*Crudi humores vbi conſiſtant.*

non solùm in febribus intermittentibus, ante statum, materia præparata educi, sed etiam in continuis, si præter continentem febris causam in venis, cuius coctio meritò expectatur, alia quædam vitiosa materia in ventriculo, intestinis, aut circa præcordia hæret, quæ dolore, æstu, nauseâ, angore, aliisque signis sese manifestat, ea, nullâ etiam apparente coctione, vtiliter expurgari potest. Medicamenta tamen quæ adhibentur, leniora & mitia esse debent; præcipuè in continuis & acutis.

Quartò de materiâ verò febrium putridarum in venis, præcipue cauâ, sanguini permixtâ, & quæ propriè cruda esse & coqui dicitur, rectè scriptum putamus ab Hippoc. *cocta purgare oportet, non cruda, neque per initia; nisi materia turgeat.* Cur autem cruda purgare fas non sit, cocta verò purgare liceat, vt & cur turgens materia in principio euacuari debeat; & quænam illa sit: de eo & suprà aliquid, & præcipuè in Inst. *lib. 5. part. 2. sect. 1. cap. 6.* pluribus dictum est, quæ hîc non repetimus. Illud saltem explicandum adhuc videtur, quæ causa sit, cur turgentes humores commodè euacuari possint? Etsi enim mox expurgandi dicantur, quòd periculum ab iis immineat, ne in partem aliquam præcipuam ruant, & mobiles & tenues sint, ac facilè ductum medicamenti sequi posse videantur; tamen quomodo hoc fieri possit, dubium adhuc est, cùm crudi sint, & nondum à bono sanguine separati, & proinde ad euacuandum inepti. Ego vt meam mentem hîc explicem, cùm alios hoc dubium soluere non videam, ita sentio. Materia, quæ febri dat originem, initio sæpè exigua est, fermenti tamen instar, in continuis, reliquos humores corrumpendi & putrefaciendi vim habet. In initio tamen sanguini nondum ita exactè permixta est, sed temporis progressu, & quò maior fit humorum ebullitio & efferuescentia, magis sanguini miscetur. Ideoque si in principio naturæ valdè molesta fit, eamque stimulet, solet à natura moueri, & si nō è corpore, quod fit in euacuationibus symptomaticis, possit planè exturbari: tamen è visceribus ad partes exteriores & ignobiliores protrudi solet, (id quod in erysipelate & febribus, quas Comitatas dicunt, fieri videmus) & vt naturæ molesta hinc inde agitari solet, itaque talis materia quia non solùm mobilis est, sed & actu iam mouetur, & vagabunda hinc inde errat, idque Naturæ eam expellere volentis conatu, neque sanguini tum adeò exactè permixta sit, non difficulter in principio morbi, si imminens periculum id vrgeat, expurgari potest.

An verò hic aphorismus aliquam ampliationem patiatur de eo porrò videndum. Nos eum non facilè aliquam amplificationem pati putamus: cùm Hippocrates non in genere, vt vult Caprilius, dum crudos humores purgare vetat, omnes vrgentes excipiat, & exempli loco saltem materiam turgentem afferat, etsi sint alij etiam humores crudi plus vrgentes: sed expressè tantùm turgentes excipiat; & sicut *aph.* 22. rarò crudos humores turgere dicit, ita *aph.* 24. in morbis acutis crudos humores rarò, & per initia purgandos esse doceat. Id quod euidentius fiet, si omnes casûs, in quibus alij crudam materiam purgandam esse putant, breuiter in specie perpendamus. Cùm autem tum solùm purgare fas sit, vt est apud Galenum, 1. *aph.* 24. cùm ex infestorum humorum euacuatione vtilitatem consequi licèt maiorem, quàm sit detrimentum, quod ex medicamentis purgantibus corpus accipit: in omnibus hisce casibus, qui ab authoribus proponuntur, illud vnicè attendendum, an plus vtilitatis ex institutâ purgatione, quàm ex coctione expectatâ, aut incommodi ex eâdem institutâ oriri possit.

*Humores ad partes nobi-*

Primò quod attinet humorum ad partem aliquam principem, seu quæ principem in consensum trahere possunt, actu ruentium impetum, de eo hoc perpendendum, an æger febricitet, an verò febre liber sit. Nam si nulla adsit febris, & proinde nulla cruditas, de quâ hîc sermo: tum morbos illos ad hanc quæstionem non pertinere, & tutò in iis purgari posse antea dictum. Habemúsque hîc non solùm præceptum Galeni, qui *lib. de cur. rat. per sang. miss. c.* 8. ita scribit: *In iis, in quibus pars quædam grauiter icta est, aut vtcunque aliter incipientem habet phlegmonem, eam si magnam fore suspicamur, curationem ab inanitione auspicamur, aut purgante medicamento exhibito, aut venâ apertâ, prout nimirum alterū altero magis conuenire putamus:* verùm etiam eiusdem & præstantissimorum Medicorum exempla, quæ sequamur, habemus, qui in talibus morbis, sine cunctatione, quæ plerumque locum non habet, non solùm venam secant, sed etiam superfluos & vitiosos humores, ne ad partem affectam confluant, medicamento purgante exhibito, è corpore educunt. Si autem febris accedat, & putredo in humoribus accendatur, iam non æquè purgare licèt. Etsi enim verum sit, ex materia actu in partem principem ruente maius, quàm ex turgente, quæ potentiam tantùm irruendi in eam habet, periculum metuendum esse: tamen an istud purgatione auerti possit, & an ista materia tam commodè, ac turgida, purgantibus educi possit, dubitatur. Nam turgida materia non solùm irruendi in partem principem potentiam habet, sed etiam promptitudinem exeundi è corpore. Hac cum destituatur materia in partem principem ruens, non minus ex purgatione infeliciter institutâ, quàm ex motu ad partem principem, periculum metuendum est. Si enim moueatur saltem materia & non rectè educatur, maiore impetu in partem affectam ruet; id quòd sæpe ex insufficiente purgatione in affectibus è fluxione natis fieri experientia testatur. Neque etiam hîc saltem ad affectum, qui ex materiâ ad partem principem ruente oritur, respiciendum, sed quoque ad febrem, quæ inprimis si vehementior sit, magnum periculum minatur. Vnde, vt antedictum, Hippocrates, 2. *de fract. text.* 20. in læsione calcis, cui valida febris successerit, purgare non audet. Et licèt purgationem adhibere non liceat: tamen sine auxilio æger relinquendus non est; sed cùm in inflammationibus sanguis plerumque reliquorum humorum vehiculum sit, & ipse copiosiùs irruat, venæ sectio, & aliæ reuulsiones adhiberi possunt: & quidem pro partis, ad quam ruunt, naturâ comparatæ; inter quas etiam clysteres sunt.

*Febres dirimentes, an in principio purgandi.*

Id tamen accipiendum est de eâ inflammatione, quæ febrem præcessit, & à quâ febris oritur. Si verò febris morbus sit primarius, cui accedat inflammatio ex materiæ ad partem aliquam nobilem affluxu, purgatione vti licet. Talis enim materia non immeritò ad turgentem refertur, quam Natura è venis expellere conatur. Etsi enim ad partem determinatam ruit: tamen parti nondum infixa est, sed mobilis; quod vel ex eo patet, quòd quæ primò in hanc partem fertur, mox in aliam moueri incipit, vnde morborum transmutationes fiunt, & ex pleuritide fit angina vel peripneumonia, ex peripneumoniâ phrenitis. Vnde omnino concedimus, quandoque materiam ad principes partes, vel quæ principes in consensum trahere possunt, ruentem in principio commodè euacuari posse, tum scilicet, vbi quidem ad partem determinatam fluit, fixa tamen nondum est, sed suo modo vaga, & quæ facilè in aliam partem etiam fluere possit, & quæ propterea turgens non incommodè nominari possit.

*Venenata materia an in principio purganda sit.*

Secundò venenatā materiam quod attinet, licèt quidem concedamus, non minus, imò maius, ab eâ periculum imminere, quàm à materiâ turgente: tamen rursus quæstio est, an purgante medicamento è corpore

è corpore tolli possit. Sui quidem è corpore amotionem materia venenata, vtpote toto genere præter naturam, indicat: sed quomodo tolli debeat, de eo accuratè dispiciendum. Et primò quidem venenata materia distinguenda est; cùm eius aliqua sit diuersitas.

*Venenorum ore sumptorũ curatio.*

Nam *primò* quædam Venena ore sumuntur. Quod vbi factum, vsu recepta & comprobata curatio est, vt detur opera, vt quamprimùm venenum sumptum ore reiiciatur vomitu: deinde per alexipharmaca & ea medicamenta, quæ peculiari vi veneno resistunt, eius vis infringatur. Non verò per purgantia medicamenta per longas ambages ac gyros intestinorum venena circumducenda sunt: quod si fiat, facilè contingere potest, vt in penitiores venas sese insinuans venenum hominem iugulet. Venenorum enim vis fortis, & eorum ad cor magnus impetus, qui facilè purgantis medicamenti vim superare potest.

*Venenorum ictu ac morsu animaliũ illatorum curatio.*

Secundò sunt quædam venena, quæ extrà, morsu & ictu animalium venenatorum corpori nostro inferuntur. Eorum curationem Galenus tradit, *art. med. cap.* 19. quæ in duobus consistit, in alterantibus, id est, iis medicamentis, quæ totâ naturâ & peculiari vi ipsis sunt aduersa, & attrahentibus, id est foràs venenum euocantibus medicamentis. Ita enim ait: *Alterationes quidem per ea moliemur, quæ vel totâ substantiâ, vel qualitate vnâ duabúsue sint contraria. Euacuabimus autem trahentibus facultatibus.* Quo loco per trahentia medicamenta non purgantia intelligit, sed ea, quæ ἐπισπαστικὰ alibi appellat; quod ex aliis locis patet. Nam 13. *meth. med. cap.* 6. venenatorum animalium ictûs & morsûs curari docet alterantibus & vacuantibus, id est, iis, quæ extrà trahant, vt sunt cucurbitulæ, cauteria & caustica medicamenta, ac id genus alia. Et 5. *de simp. med. fac. cap.* 18. scribit: *Omne deleterium venenum à foris impositis medicamentis euacuatur, nempe aut caliditate attractionem molientibus, aut totius substantiæ similitudine.* Purgantia ergò in hisce venenis locum non habent, imò plus nocerent; cùm ab ambitu corporis venenum ad interiora traherent.

*An materia maligna & pestilens in principio purganda.*

Atque ita restat tertium veneni genus, quod vel in corpore gignitur, vel cum aëre attrahitur, seu contagio communicatur, è quo malignæ & pestilentes febres, atque adeò ipsa pestis generari solet. Et de hoc inprimis quæritur, an mox in principio purgationem requirat. Vt nos breuiter hîc expediamus, sciendum, ipsam malignitatem, pestilentiam, seu in genere venenositatem, quatenus talis, non purgantia requirere, neque per ea tolli per se, sed per alexipharmaca expugnari, de quo alio loco dictum est, & dicetur de eo suo loco iterum; ac putamus, apud eos, qui rem rectâ ratione æstimare volunt, id extra controuersiam esse. Et quò veneni maior est vehementia, eò citiùs ad talia alexipharmaca properandum, & efficaciora ex iis exhibenda. Quia tamen sæpe accidit, vt ij, qui talibus febribus aut peste ipsâ corripiuntur, pluribus humoribus vitiosis scateant, qui febrem & putredinem, quæ aliàs à veneno illo plerunque inducitur, augere possent, ipsique fomitem idoneum præbere: iam porrò quæritur, quid tum in febribus malignis & pestilentibus, ipsâque peste faciendum, & an illa materia statim euacuanda, an verò concoctio expectãda sit.

De hac re in specie suo loco plura dicentur. Hîc in genere monuisse sufficiat, cùm fomes & materia, quæ febrem augere possit, plerumque in primis viis consistat, in febribus malignis, imò pestilentibus, & peste ipsâ, non incommodè primas vias euacuari. Hoc enim nisi fiat, nec symptomata mitigari, nec malignitas obtundi, nec alia cum fructu & successu aliquo tentari possunt. Præterea vitiosi isti humores à calore febrili agitati in maiores venas facilè sese insinuant, & morbum grauiorem efficiunt. Fomite verò isto sublato, symptomata remittunt, & reliqua feliciùs peragi possunt. Conueniunt huic rei syr. rosarum sol. manna, pulpa tamarindor. & cassia cum pulpâ tamarind. mixta. Nonnulli etiam agarico, rhabarbaro & senâ vtuntur; atque inprimis in malignis vsum agarici commendant: Alij verò & ab istis mitioribus, nisi materia turgeat, abstinendum censent. Verumenimuerò si ista lenia, syrupus rosar. solut. manna, cassia, tamarindi satisfaciant, in iis acquiescere possumus: si autem fortiora sint corpora, aut etiam, quod sæpe accidere solet, maior vitiosi humoris sit copia, talisque eius constitutio, vt lenia ista satisfactura diffidamus, rhabarbaro & agarico vti licet: Neque enim tam fortia sunt hæc, si debitâ quantitate exhibeantur, vt humores in remotioribus venis valde agitent. Licet quoque istam materiam, si ad superiora vergat, vomitu commodè excludere. A reliquis autem fortioribus purgantib. omnino abstinendum, nisi materia turgeat, & ad excretionem properet. Licèt enim materia ista non minus, imò majus periculum, quàm turgens minetur: tamen cùm à natura non elaborata sit, calórque præter naturam in corpore adhuc dominetur, medicamento purganti non cedit: ideóque frustra ab eo agitatur; & potiùs in summâ quiete detineri debet, donec à natura concoquatur & vincatur. Quamuis enim materia ista venenata sit: non tamen tota venenum est, quod nullam à natura elaborationem suscipiat; sed non raró à natura vincitur, coquitur; & per crisin euacuatur, aut in abscessûs extruditur. Præterea vires in hoc morbo valdè sunt debiles, ac propterea omni studio conseruandæ, vt tanto morbo vincendo pares sint.

*An humores copiosi in principio purgandi.*

Tertiò in classem humorum, quos in principio sine coctione purgare liceat, nonnulli referunt copiam humorum, non tamen quamuis, sed vbi morbus grauis, sæuusque sit, & metuendum nisi materiæ pars subtrahatur, & purgante medicamento mox educatur, naturam morbum non victuram, ægrúmque de vita periclitaturum esse.

Verùm sciendum, si materia illa in primis viis contineatur, (vt sæpe accidit, & æger non minùs ob materiam in primis viis, quàm in venis contentam periclitetur) de eâ libenter concedimus, & antea concessimus, esse euacuandam in principio multis de causis: sed de hac materiâ propriè quæstio non est. Verùm de illâ, quæ in venis continetur, sanguinique permixta est. Huius pars aliqua quomodo initiò electiuè purgantibus medicamentis, cum ægri emolumento euacuari possit, non videmus. Verum est, à copiâ tantâ materiæ ægro non parum periculi imminere: illud tamen per purgationem in initio morbi institutam auerti non potest. Omnia enim ex tali purgatione sequi possunt incommoda, quæ ex crudæ materiæ purgatione sequi solét. Inprimis metus est, ne humores saltem tenues, vtpote qui ductum medicamenti faciliùs sequuntur, educantur; reliqui qui sunt crassiores, remaneant, & agitati solùm, non verò euacuati, obstructiones pertinaces pariant morbúmque augeant. Neque tamen etiam hîc æger, etsi purgatione non vtatur, omni auxilio destituitur. Nam vbi cacochymia sanguini permixta est, vt natura oneris parte leuata, quod reliquum est faciliùs concoquat, in omni febre putridâ sanguinem mittere vtilissimum esse, è Galeni consilio suprà diximus.

*An materia in parte aliquâ principe hærẽs in principio purganda.*

Quartò, Octauianus Roboretus huc retulit materiam, quæ in parte aliquâ principali, vel quæ principalem in consensum trahere possit, fixa, vnde grauia oriantur Symptomata. Verumenimuerò si pars illa sit circa primas vias, vt ipse citato loco, materiam in ventriculo hærentem recenset, cuius causâ oritur lipothymia, tum facilè admittimus, illam mox in principio euacuandam esse: sed de illâ quæstio non est, verùm de eâ, quæ propriè cruda dicitur, quæ si circa aliquam partem loco remotiore sitam hæreat, commodè

modè euacuari non poteſt. Illis etiam partibus affectis, ad quas in purgatione humores trahuntur, purgare non licet. Sic in inflammatione hepatis à purgantibus abſtinendum, quod iis humorum versùs hepar fluxus magis concitetur.

*An humores tenues in principio purgandi.* Quintò nonnulli calidos & tenues humores in principio purgandos eſſe exiſtimant. Quod ſi verum eſt, in omnibus ferè acutis febribus, in initio purgandum, cùm tamen Hippocrates in acutis raro purgandum eſſe ſcribat. Nimirum tenuitas ſola ad purgationem non ſufficit: Et tenues humores æquè crudi eſſe poſſunt, ac alij; & propterea coquendi ſunt, id eſt, à natura vincendi, elaborandi, & à bonis ſeparandi, antequam purgentur; niſi vehemens periculum vrgeat, & tale, quod purgatione auerti poſſit, id eſt, niſi turgeant.

Hier. Mercurialis opinionem quod attinet, & primò diſtinctionem illam, quâ operationes Medici diuidit in regularem & coactam, niſi ita explicetur, vt regularis illa ſit, vbi Medicus id ſimpliciter, quod indicans iubet, ſine aliquo prohibentis interuentu, exequi poteſt; coactam verò illam, vbi neceſſitas aliquid aliter, quàm Indicans requirit, agere iubet, admitti non poteſt. Nunquam enim licet contra regulas methodi medendi peccare. Nihilominus vtraque operatio iſta, tam ea, quam regularem, quàm illa, quam coactam appellat, ſub legibus methodi medendi continetur, & propterea vtraque regularis eſt, ſi propriè loqui libet. Deinde quantum ad casûs, in quibus in principio purgandum putat, & primos quidem duos, in quibus perfectè purgare liceat, de iis iam dictum. Casûs verò duos, in quibus in principio eſſe purgandum imperfectè ſcribit, quod attinet, de primo, vbi ſcilicet metus eſt, ne materia turgeat, nullam mentionem facit Hippocrates, & ſaltem de materiâ actu turgente loquitur. Et quis Medicorum tam perſpicax eſt, vt ὀργασμὸν humorum præuidere poſſit? Humorum quidem caliditas & tenuitas in acutis ſemper adeſt, vt plurimùm tamen eos non turgere dixit Hippocrates. Secundus verò caſus, quando ſcilicet plenitudinem ſanguinis, quam, ob aliquod impedimentum, ſectâ venâ imminuere non licet, purgatione imminuere iubet, planè ratione deſtitutus videtur. Purgatio enim ſolùm vitioſos humores euacuat, nullum verò datur, vel in vſu eſt medicamentum ſanguinem purgans. Deinde licèt venæ ſectio adhiberi non poſſit, ſunt tamen alij modi, quibus ſanguinem imminuere licet: cucurbitulæ ſcarificatæ, malleolorum ſcarificatio, hæmorrhoidum apertio.

Tandem ſupereſt Iodoci Lommij opinio, qui in intermittentibus in ſtatu, in continuis verò in fine augmenti purgandum eſſe docet. Verùm neutrum commodè facere licet. Augmenti finem quod attinet, ſe accingit tum inprimis natura ad coctionem & futuram criſin. Cùm verò purgantia medicamenta coctionem prohibeant, humoréſque a itent, metuendum eſt, ne ab opere ſuo abſtrahatur, vel ad criſin maturandam infeliciter incitetur & impellatur. *An in augmento febrium purgandum.* Præterea in fine augmenti ſymptomata ſatis grauia iam ſunt; & propterea æger ampliùs non eſt moleſtandus. *An in ſtatu febrium ſit purgandum.* In ſtatu verò, niſi id in fine eius fiat, commodè etiam non purgatur. Id quod præcipit Hippocrates, 1. *Aph.* 20. *Quæ iudicantur & iudicata ſunt integrè, neque mouere, neque medicamentis, neque aliis irritamentis decet, ſed ſinere.* Ideóque ſi natura officium facit vel factura eſt, etiam in intermittentibus, in opere ſuo turbanda non eſt. In fine tamen ſtatûs, ſi naturam non ſatis facere videamus, euacuare licet, & naturæ defectum arte ſupplere.

Interim, quod obiicit Lommius, non ſine omni p æſidio morbum in naturam graſſari permittimus, neque vbi extra omne periculum eſt æger, purgamus. Nam ſi naturam onere ſubleuare volumus, in initio id facimus, ſecundùm præceptum Hippocratis, 2. *Aph.* 29. *Incipientibus morbis, ſi quid mouendum videtur, moue.* Deinde licèt ſtatus præterierit, non ſemper æger eſt extra omne periculum. Sæpè enim accidit, vt natura vel nullam excretionem tentet, vel imperfectè purget: Ac tum naturæ defectum Medicus arte ſupplere debet, ne æger in morbum recidat. *Quæ enim in morbis poſt criſin relinquuntur, recidiuas facere conſueuerunt,* 2. *aph.* 12.

De materiâ tamen & formâ exhibendi purgantia, notandum in febribus bilioſis pilulas non eſſe ita commodas. Cùm enim dentur in paruâ quantitate, neceſſaria ſunt purgantia fortia & calidiora. Aut ſi fortè exhibeantur, poſt ſumptas pilulas ſtatim exhibeatur potiuncula refrigerans, quâ & pilulæ diſſoluuntur & earum caliditas temperatur. In febribus tamen pituitoſis & melancholicis tutiùs pilulæ exhiberi poſſunt. Reliqua quæ de purgatione dici poſſunt, videantur in Inſtitutionibus.

Atque hæc de purgatione hoc loco in genere dixiſſe ſufficiat. Vnum ſaltem adhuc monere libet, quod forſan apud antiquos ita non occurrit, nimirum recentiores quoſdam purgantibus admiſcere ſudoriſera medicamenta. *Medicamenta vomitum, ſudorem & aluum ſimul cientia.* Ita Heurnius, *lib. de peſte cap.* 9. cœpam albam excauatam theriacæ ℥. j. & modico puluere rad. tormentillæ ac dictamni replet, & ſub cineribus coquit: Eandem poſtea contundit, effusâ aquâ carduibenedicti, & aceto flor. calendulæ, ſuccúmque exprimit, & addit trypheram Perſicam, cum confect. hamech, vel electuar. Indo, aut diaphænico, atque id medicamentum purgaturum, & mox quoque ſudorem prouocaturum pollicetur. Neque metuit contrarios eodem tempore motûs, eò quod conclamatum ſit, niſi ab hoc hoſte ilicò vſus natura vincetur; & præcipuè cùm hæc proba eſſe docuerit. Ita Rulandus ſenior, *in cent.* ex centaurio minore, & aſari radice, medicamentum, quod vomitum & ſudores mouet, componit. Et, *cent.* 3. *cur.* 70. aquam exhibet, quæ vomitum, aluum & ſudorem mouet. Quod & filius imitatus eſt, qui in hiſtoriis curationum morbi Hungarici radicibus aſari cùm aq. card. bened. & acetoſæ vomitum & ſudorem concitauit.

## CAPVT VII.

### *De coctione & præparatione humorum.*

CVm ergo non ſemper, ſed rariùs tutum ſit, in initio febrium purgare: coctio plerumque expectanda eſt, & proinde videndum, quomodo illa perficiatur. Etſi autem coctio ſolius naturæ opus ſit, quæ caloris innati beneficio & viribus humores elaborat, & ad eam, quam recipere apti nati ſunt, perfectionem deducit: tamen & medicamenta digeſtiua, ſeu concoquentia dantur, quæ quia vel calorem natiuum fouent, & roborant; vel impedimenta, quæ naturam in coctione remorari poſſunt, remouent, vt coctio feliciùs expediatur: concoctio etiam ipſis adſcribitur. *Coctio ſolius naturæ opus.* Egimus autem ea de re diligenter & pluribus, *lib.* 5. *Inſtit. part.* 2. *ſ.* 1. *cap.* 7. quæ ibi legi poſſunt, nec opus eſt hîc omnia repetere. Breuiter rem iam hîc complecti libet hoc modo. Concoctio humorum hîc intelligitur non ea elaboratio, & mutatio eorum, quâ idonei corpori noſtro alendo redduntur: ſed cùm ij caloris natiui viribus ita alterantur, & ab vtilibus ſeparantur, vt euacuationi reddantur idonei. Atque ita materiæ febrilis coctionem ſolius naturæ opus eſſe diximus, Hæc enim vbi cauſis morborum fortior fuerit, eáſque vicerit, humoribus vitioſis, & corpori alendo inutilibus eam, quam recipere poſſunt, perfectionem inducit, ſicut hoc in puris generatione fieri videmus; poſtea à bonis ſeparat, & tandem per criſin expellit.

Atque ita Cruditas & Coctio, de quibus in doctrinâ de purgatione loquitur Hip. non alibi locum mihi habere videntur, quàm in febribus. Vnde ij peccant, qui in omnibus morbis, etiam ſine omni febre, digeſtiua quæ vocant, purgantibus præmittenda eſſe putant. Cùm materia ita ſæpe ſit diſpoſita, vt licèt exhiberemus ſexcentos ſyrupos (vt loquitur P. Æneas Caprilius) nunquam major fieret ſeparatio.

*Cruditas in febribus quid.*

Cruditas autem in febribus videtur eſſe humorum quaſi quædam ebullitio, fermentatio ſeu feruor. Nondum enim, vt Gal. id explicat, durante illâ ebullitione, vitioſum à bono ſeparatum eſt. Videtúrque mihi hîc ferè ſe res habere, ſicut in muſto & cereuiſia. Si quis vel decies colarit, vel per filtrum quoque, quod appellant, deſtillarit muſtum vel cereuiſiam nondum defecatam, eam claram non reddet; eam ob cauſam, quòd natura partes heterogeneas nondum ſeparârit. Ceſſante verò illâ ebullitione & fermentatione abſolutâ, poſtea vinum & cereuiſia clara redduntur, fecéſque ſubſident: adeò vt etiamſi agitatione turbentur, feces tamen breui temporis ſpatio iterum ſubſideant; aut ſi in vinum, aut cereuiſiam defecatam, puluerem aliquem injicias, is facilè vel ſubſidentiâ, vel filtratione ſeparetur. Ita antequam humores in venis deferbuerũt, nec à naturâ, nec ab arte cum εὐφορίᾳ & vtilitate facilè inſtituitur purgatio: quæ fit poſtea feliciter, poſtquam coctione partes heterogeneæ ſeparatæ ſunt. Id quod & in inflammationibus & vlceribus fieri videmus. Atque ita ſeſe rem habere, ipſa vrinæ ſubſidẽtia & ſeparatio contentorum docet. Durante enim illâ ebullitione, omnes vrinæ partes, ſicut in muſto, confundũtur: ceſſante verò illâ, ſeparantur & ſubſident quædam.

*Medici in coctione humorum officium.*

Quæ autem Medici partes hîc ſint, diligenter diſquirendum, cùm non omnes id ſatis perſpicuè explicent. Exiſtimamus autem duplicia eſſe medicamenta, quæ Medicus ante humorum purgationem exhibere debet. Quædam concoquentia dici poſſunt, ſeu alterantia; quædam præparantia. Etſi enim nonnulli plura recenſeant: tamen ad hæc capita reduci poſſunt, & fruſtra eorum numerus multiplicatur.

Herc. Saxonia habet alterationem, præparationem, & concoctionem: ſed cùm concoctionem ſoli naturæ tribuat, nobiſcum ſentit, & per alterantia nonniſi, quæ hîc appellantur coquentia intelligit.

*An digeſtio & coctio differant.*

Donatus ab Altomari quartam operationem addit, digeſtionẽ, & pluribus diſputat, eos peccare qui digeſtionem pro concoctione, & concoctionem pro digeſtione accipiunt. Ipſe verò hoc modo diſtinguẽda cenſet. Digerere idem eſt, ait, quod ordinare, diſſipare, diſtribuere, vel diſtinguere, idémque eſt, Digeſo, quod Græcis διαπέττω, vel διακοσμέω, vel διακρίνω. Hinc διάκρισις, ſeparatio: & quod Græci ἀνάδοσιν dicunt, nos digeſtionem appellamus. Et proinde putat primò dici propriè digeſtionem concocti & perfecti alimenti, ac in ſanguinem conuerſi in corporis particulas omnes attractionem. Deinde etiam de excrementis, præter naturam in corpore retentis, vſurpari vocem digeſtionis ſtatuit. Et quidẽ dupliciter: Primò cùm natura ipſa poſt coctionem ſenſibiliter, per ſenſibiles canales, aluum videlicet, vrinam, ſudorem, ea expellit: Deinde cum eadem non ſenſibiliter, ſed per halitum digerit, diſpergit, atque per poros cutis inſenſibiliter diſcutit; quod Græcis propriè eſt διαφόρησις

Verumenimuerò ſaltem de vocabulis hæc lis eſt. Scimus equidem vocabulum digerere, propriè ſumptum, idem eſſe, quod in diuerſas partes diſtribuere, & hinc quoque pro ordinare vſurpari. Quæ enim ordinantur, hoc hîc, illud alibi diſponitur. Et ſcimus ἀνάδοσιν, & διάδοσιν cibi diſtributionem, ac διαφόρησιν humorum inſenſibilem diſcuſſionem eſſe; & aliud Græcis eſſe πέψιν, aliud ἀνάδοσιν, aliud διαφόρησιν. Interim vbi de præſenti negotio & Latino vocabulo digeſtionis ſermo eſt, ſciendum: ſuperioribus ſeculis, minùs Latinis, vocabulum Digeſtionis ſemper prõ coctione vſurpatum, imò in frequentiore vſu, quàm vocabulum coctionis fuiſſe. Neque tamen planè barbara eſt hæc ſignificatio; cùm & apud probatos authores linguæ Latinæ reperiatur. Hic vocabuli vſus poſtea in ſcholis Medicorum retentus eſt, & digeſtio ipſis idem eſt, quod coctio; & Digeſtiua medicamenta dicuntur, quæ Concoquentia aliàs nominantur. Etſi enim, vt diximus, Naturæ opus ſit concoctio humorum putridorum: tamen vſus hoc obtinuit, vt primò ea medicamenta, quæ calorem natiuum fouent ac roborant, vt coctioni humorum faciliùs ſufficiat: deinde, etſi minùs propriè (cùm magis propriè alterantia appellentur) quæ impedimenta quædam, quæ naturam in coquendo remorantur, tollunt, & exceſsûs qualitatum ad mediocritatem reducunt, Concoquentia nominentur. In externis partibus & tumoribus per emplaſtica medicamenta calor quidem commodè fouetur: idem verò in febribus, & in partibus internis, per illa commodè vix tentari poteſt; ſed potiùs quiete, ſomno, & moderato ciborum temperatorum vſu calorem natiuum fouemus, ac inſtauramus. Atque ita coctio propriè ſoli naturæ relinquitur.

*Digeſtiua & concoquentia medicamenta quæ.*

Digeſtiua tamen & concoquentia medicamenta appellari ea vſus obtinuit, quæ impedimenta quæ naturã in coctione remorari poſſunt, tollunt, & quantum quidem licet, naturam in elaborandis humoribus iuuant. Cùm enim natura omnia ad mediocritatem deducere tentet, & calor, qui coctionis author eſt, moderatus eſſe debeat: omnis qualitatum exceſſus ad coctionem feliciter expediendam ineptus eſt. Intenſior enim vrit; debilior ad coctionem perficiendam non ſufficit. Et quò quodque magis à mediocritate abeſt: eò maiore cũ labore & difficultate à natura ad eãdem deducitur. Medicus ergo naturam iuuat, dum illum qualitatum exceſſum tollit. Hinc calida ſunt refrigeranda; frigida calefacienda; ſicca, humectanda; humida, ſiccanda; craſſa attenuanda; tenuia, incraſſanda, & ſi qui alij ſunt qualitatum exceſſus, ad mediocritatem redigendi ſunt. Etſi enim febris per ſe tantùm refrigerantia & humectantia requirat: tamen cũ ratione nonnunquam calefacientibus & humectantibus vtendum, & ſua cuique humori debetur alteratio.

*Bilem concoquentia.*

Bilem primò quod attinet, à qua febres frequentiſſimè oriuntur, de eius in qualitatibus primis alteratione, nullũ eſt dubiũ; de ſecundis verò variè eſt diſputatũ inter Medicos. Nonnulli in ipsâ quoque bile extenuãtibus & incidentibus vtendũ cenſent, authoritate Galeni, qui 1. *aph.* 24. etiam in acutis febribus origano & hyſſopo, in aquâ mulsâ coctis, ad extenuationem vtitur. Alij contrà bilem incraſſandam eſſe cenſent. Alij neutrum horum faciendum putant: neque attenuandam bilem, cùm antea ſit tenuis; neque incraſſandam, cùm ad motum reddatur ineptior, ſed ſine vllâ alteratione purgandam cenſent.

Vt nos breuiter expediamus, verum quidẽ eſt, eos malè ſentire, qui putant bilioſos humores ampliùs extenuandos eſſe. Sunt enim antea ſatis mobiles. Et metuẽdũ, ne eiuſmodi calidis medicamentis humores magis incaleſcant, & maius incendium excitetur; febriſque, & omnia eius ſymptomata augeantur. Et quod Galenus, *allegato loco*, hyſſopo & origanõ vtitur, non ob bilem id facit, ſed ob meatûs, qui ab humore craſſo obſtructi ſunt; neque ante coctionem bilis id faciendum. Deinde illi quoque nõ rectè ſentire videtur, qui nullâ præparatione & alteratione bilem indigere putant. Etſi enim bilis ſat mobilis ſit: tamen eiuſdem magnus eſt feruor, & acrimonia; & propterea qualitates hæ ad mediocritatem aliquam deducendæ ſunt, ne ſi ita calida & acris purgetur, in internis viſceribus magnum aliquod damnum excitẽt. Ergo rectiſſimè bilioſi humores frigidis medicamentis attemperandi, & tenuitas eorum, ſi ſit nimia, ad mediocritatem aliquam deducen-

deducenda est, vt, qui priùs calore & acrimoniâ nimiâ corpus turbabant, nunc refrigeratione mitescentes, ac veluti domiti, naturæ manûs dent, & ab eâ faciliùs vincantur, atque istâ elaboratione ad mediocritatem aliquam reducti postea commodiùs euacuentur. Cùm tamen, vt postea dicetur, semper videndum sit, vt meatûs, per quos humores euacuari debent, pateant, ea rectissimè tum adhibentur, quæ simul refrigerant, & leniter abstergunt; insigni autem adstrictione carent. Interim pro conseruando robore partium, præcipuè hepatis, leniter adstringentia vtilia. Dantur autem talia medicamenta, quæ vim aperiendi habent, aliquâ tamen adstrictione non destituuntur. Talia sunt: *Cichorium, Endiuia, Sonchus, Scariola, Chondrilla & omnia cichoracea.* Bili etiam temperandæ inseruiunt, *Hordeum, Borrago, Buglossum, semina refrigerantia maiora & minora dicta; succus citri. granatorum, ribes,* E quibus & decocta fiunt, & aquæ destillantur, quibus postea Syrupi ex iisdem parati, *Syrupus acetosus f. oxymel f. oxysacchara f. Syrupus acetositatis citri*, præcipuè si adsit suspicio malignitatis, *de succo acetosæ, granatorum, violarum*, & si bilis sit crassior, *Syrupus de endiuiâ compositus, byzantinus f.* & alij admiscentur. Licet quoque aliquot guttas spiritûs *vitriol.* vel ⊖ admiscere. Ex seminibus etiam possunt cum liquoribus conuenientibus fieri Emulsiones. Liquida enim ista faciliùs se in venas insinuant & calidos humores attemperant. Possunt tamen etiam ex herbis & floribus fieri conseruæ; è radicibus & fructibus condita; vnde rursum Electuaria parantur.

In febribus *Pituitosis* cùm humores magis crassi & lenti sint, & natura in coctione illos quoque ad quandam mediocritatem redigere conetur, opus est incidentibus & attenuantibus. Qualia sunt: *radices aperientes* vulgò dictæ, *capillus* ♀. *hyssopus, betonica, agrimonia, Syrupus acetosus, & oxymel f. Syrupus byzantinus f. & compos. Oxymel compositum & scilliticum, Syr. de duab. radic. Syr. de 5. radicibus, de betonicâ, & similes* Incipiendumque à mitioribus, postea ad validiora progrediendum.

*Melancholiã præparantia.* In humore *Melancholico* vsurpentur attenuantia quidem, sed quæ simul vim humectandi habent. Melancholicus enim humor frigidus, siccus & crassus est. Atra bilis cùm sit calida sicca, crassa: frigida, humectantia & attenuantia postulat. Hinc in febribus ex his humoribus natis vsurpantur, *borrago, buglossum, polypodium, viola, scolopendrium, ceterach, cortices tamarisci, capparum, glycyrrhiza, & similia.* Et cõposita: *Syr. byzantinus f. borraginis, buglossi, fumariæ, de scolopendrio, de lupulo, oxysacchara composita & similia.*

Cautus tamen sit Medicus in iis medicamentis adhibendis, quæ frigidi humores requirunt, & febrem propterea augere possunt, qualia sunt, quæ validè attenuant; atque attendat, ne per ea febris augeatur. Contrà & hoc attendendum, ne infrigidantibus humores nimis incrassentur, & transpiratio, quam in omni febre rectè se habere vtilissimum est, impediatur. Vnde Galenus non sine causâ 1. *aph.* 24. etiam in acutis febribus origano & hyssopo in aquâ mulsâ coctis vtitur.

*Putredinem humorum inhibentia.* Cæterùm cùm omnibus humoribus his, quatenus febrem generant, putredo & corruptio quædam insit, eâ ratione omnibus his febribus, quæ putredini resistunt, conueniunt. Imò cum putredo sæpe nondum integra & perfecta sit, vt illa inhibeatur, refrigeratione, exsiccatione & calidi natiui roboratione opus est. Huic operi & fini vtilia sunt, *acetum, & Syr. acetosus, succus limonum, citri, granatorum; cichoreum, endiuia, acetosa, pentaphyllum, tormentilla.* Verùm de his plura in febrium curatione speciali dicentur.

*Humorum præparatio.* Atque hæc est humorum coctio seu alteratio, quæ ab Arte proficiscitur, quâ medicamentorum ope Naturæ aliquo modo opitulatur Medicus, & impedimenta quæ naturam in coquendo remorantur, remouet. Præter hanc & alia humorum præparatio necessaria est; licèt jam cocti humores sint: imò & in iis humoribus ea plerumque adhibenda, vbi nulla adest cruditas, & coctio illa, de quâ modo egimus, non requiritur. Nam cùm, vt purgatio feliciter expediatur, & viæ, & per quas moueri debent humores, liberas esse oporteat; vt & humores ipsos, qui expurgari debent, mobiles, non crassos & tenaces: duo sunt, quæ humorum purgationi felici, etiam coctione absolutâ, obstare possunt; viarum obstructio, & humorum crassities ac lentor. Hinc Hippocrates jubet, corpora, quæ quis purgare vult, εὔροα ποιέειν. Humores nimirum crassi & lenti medicamentis attenuantibus attenuandi, viscidi detergendi, atque omnes, per quas transire debent, viæ, vt venæ mesaraicæ & intestina, aperiendæ & ab impedimentis liberandæ sunt. Nonnulli priorem illam humorum præparationem, quæ fit vt humor crudus faciliùs & citiùs concoquatur, Præparationem primam appellant: hanc verò, quæ fit, quando natura alimentum ab excremento, malum à bono jam separauit, Præparationem secundam appellant: Et quidem secundam hanc præparationem Pius Æneas Caprilius non solùm, vt dictum in materiæ viscidæ detersione, crassæ attenuatione, sed & in materiæ acris refrigeratione consistere docet. Verùm commodius videtur, acris materiæ refrigerationem & mitigationem ad primam præparationem referre. Eiusmodi enim naturæ molestæ qualitates coctione temperantur.

Atque hinc patet, in omnibus ferè febribus vtilissimum esse, medicamenta aperientia & detergentia exhibere.

*Quando digestiua medicamẽta vsurpanda.* Ex iisdem etiam clarum facilè euadit, quo tempore quodlibet ex his medicamentis vsurpandum sit. Post primarum viarum euacuationem & venæ sectionem mox, nisi quid prohibeat, adhiberi debent medicamenta obstructiones, si adsint, liberantia. Obstructiones verò aperientia, respectu reliquorum medicamentorum, plerumque habent rationem causæ sine quâ non. Neque enim possibile est, aut putredinem præsentem tollere, aut futuram præcauere; neque medicamenta alterantia & concoctionem iuuantia liberè in corpus penetrare possunt; neque humores, siue id in principio, siue alio morbi tempore fiat, feliciter expurgari possunt; nisi obstructiones tollantur.

*Obstructiones aperientia.* Ideoque primò obstructiones liberantia adhibenda, & perspiratio libera corpori reddenda. Hinc humores semiputridi corrigendi, & ad meliorem statum reducendi, corrupti coquendi, & tandem è corpore euacuandi sunt. Semper tamen ad id, quod magis vrget, respiciendum. Sæpe enim accidit, vt putredo & calor valde vrgeant; obstructiones verò non adeò insignes sint: ac tum non solùm ad id, quod habet rationem causæ, sed etiam ad id, quod magis vrget, respiciendum. Atque id est quod Auicennas monet, febrem nonnunquam tantæ esse vehementiæ, vt regimine causæ vti non liceat, sed summa refrigeratio mox requiratur.

Quantum tamen fieri potest, reliqua non negligenda sunt: commodissimúmque est, medicamentis vti, quæ pluribus scopis inseruiunt: quod factu difficile non est, cùm & simplicia, quæ plures vires habent, dentur, & composita, si hæc desint, concinnare liceat, *Syr acetosus f. oxymel f.* e.g. Syrupus acetosus f. & oxymel f. aperiunt, citra caliditatem tamen. Imò nonnihil refrigerant, attenuant, detergunt. Ideóque in omnibus febribus putridis iis vti licet. Si tamen febris sit vehementior & humor biliosus, tutius est vti syrupo acetoso simplici: in humore verò pituitoso commodius est, oxymel exhibere. Succus & Syrupus citri & acetosæ putredini resistunt, cor peculiari vi roborant, intemperiem febrilem corrigunt, aperiendíque vim habent. Cichorium refrigerat, & calorem febrilem mitigat, Hepar qualitate peculiari & leni adstrictione roborat, amari-

tudine

tudine leniter abstergit & aperit, bilemque omnino ad mediocritatem deducit. Decoctum hordei refrigerat, abstergit & aperit. Lactuca refrigerat & incrassat. Betonica calefacit leniter & siccat, aperit & adstringit nonnihil, & membra nutritioni dicata, ac cor ipsum roborat & pituitam benè concoquit. Ex quibus patet, & vnicum medicamentum sæpe pluribus intentionibus satisfacere posse, aut si talia desint, plura componere licet. Syrupi autem plerumque aquis vel decoctis diluuntur. Vbi de decoctis, vt vulgò parantur, notandum, incommoda esse, cùm omnia simul coquuntur, cùm alia breuèm, alia longiorem coctionem desiderent: quo fit, vt quæ facilè coquuntur, planè corrumpantur, & omnes vires amittant. Commodissimum ergò est, si in vase clauso in balneo, horis 10. vel 12. infundantur.

*Spir. ⊖ & vitr. vsus.* Inter πολύχρηστα non immeritò recensentur spiritus ⊖ & vitriol. in febribus putridis maximi vsûs, qui insignem vim habent attenuandi, incîdendi, obstructiones aperiendi, putredini resistendi, inflammabilitatem humorum prohibendi, sitim sedandi.

*Spir. tartari compos.* Pertinet huc & mixtura illa, seu spiritus ille compositus ex spiritu tartari correcto, aquâ theriacali camphoratâ, & spiritu vitriol. quem malè è recentioribus quidam sibi vendicat, cùm tamen descriptio integra extet in Ioh. Guinterio Andernaco, *de nouâ & veteri Medicinâ, part. 2. pag. 657.* & eius rudimenta etiam in Paracelso inueniantur. Estque spiritus hic in putridis simplicibus plurimis (non omnibus tamen, nam in biliosis puris ob aquam theriacalem non ita conuenit) præcipuè malignis vtilis; cùm, præter dictas spir. vitriol. vires, & malignitati resistendi, ac vim diaphoreticam habeat, vt ex iis, è quibus comparatur, medicamentis facilè animaduertere est.

Componitur autem *ex spirit. tartari correcti partibus* iiij. *aquæ theriacalis camphoratæ part.* v. *spir. vitriol. part.* j. Quanquam pro diuersitate morborum vnius vel alterius spiritûs dosis minui vel augeri possit. Spir. scilicet tartari ex tartaro crudo per retortam destillatur, rectificatur & quantum fieri potest, à fœtore liberatur. Spir. theriacalis camphoratus ita paratur.

℞ *Spiritus vini rectif.* ℥. x. *Theriac. Andromach.* ℥. v. *myrrhæ rubræ.* ℥. ij. ß. *Croci Oriental.* ℥. ß.

*Omnia indantur cucurbitæ erectæ, impositoque alembico, in quo* ℥. ij. *camphoræ ponantur, clausisque exactè iuncturis, stent in B. per dies* iiij. *vt nihil vel parùm destillet: postea lento primùm igne, hinc fortiore destillentur, spiritúsque, qui exstillauit, materiæ iterum affundatur, & digerendo & destillando labor hic ter repetatur.*

Spiritus vitriol. sumatur vel vulgari modo præparatus, & rectificatus; vel qui paratur ex vitr. depurato cum Spir. vini, si scilicet vitriol. depuratum indatur cucurbitæ vitreæ satis ampli orificij luto obductæ, & affundatur spir. vini optimus, vt fiat pasta, appositoque alembico, clausisque iuncturis cucurbita ponatur in furno in aperto igne, & applicetur recipiens satis amplum, atque instituatur destillatio, primò lentissimo igne, vt spiritus vini destillet; mox augeatur magis ignis, vt phlegma quoque ascendat; tandem incipientibus apparere spiritibus siccis, ignis sensim augeatur ita vt vitrum liquescere incipiat. Rectificatur postea, & in balneo separatur spiritus primò, hinc phlegma, tandem spiritus vitriol. in arenâ destillatur.

Hi ergò tres spiritus dictâ proportione mixti, in vitro angusti orificij, in balneo, vel hypocausto calido, trium septimanarum spatio digerantur.

Potentissimum quoque in febribus ad putredinem sistendam & inflammationem humorum prohibendam medicamentum est, Nitrum, etiam crudum.

Vt autem ista medicamenta efficaciùs operentur, vacuo ventriculo, duabus scilicet vel tribus horis ante cibum, & præcipuè, si licet, tempore matutino offerenda sunt; Paroxysmorum tamen & temporis exhibendi cibi habenda ratio. Etenim si tempus matutinum vel cibo exhibendo sit dandum, vel immineat aut adsit paroxysmus, in tempus vespertinum differenda, nihilque obstat, quò minus post ea sumpta dormire liceat. Et commodum est, vt vno sumpto medicamento eius operationi tempus, & Naturæ quies aliqua detur, nec mox aliud ingeratur. Continuanda autem tamdiu, quamdiu materiæ conditio id requirit.

Itaque hæc quæ de cruditate & coctione humorum dicta sunt, præcipuè in febribus continuis & acutis locum habent. Id quod ex ipso Hippocrate patet, qui *sect. 1. aph. 22.* mox *aph. 24.* subiungit: *In morbis acutis rarò & per initia purgante medicamento vtendum.* Et *aph. 29.* scribit. *Incipientibus morbis si quid mouendum, moue: vigentibus verò quiescere præstat.* Nimirum si materia turgeat, in acutis, statim in principio euacuanda. Quòd si non turgeat, coctio expectanda est. Quâ peractâ Natura ipsa sæpissime humores vitiosos expellere solet, vt rarò purgantibus opus sit. Eadem tamen cruditas & coctio etiam in intermittentibus locum habet: Etenim cùm causæ earum sedes sit in venis mesaraïcis, venæ verò mesaraïcæ etiam sanguinem sui generis elaborent & contineant: si sanguini illi alicubi humores vitiosi permisceantur ac putrescere incipiant, atque inde febris excitetur: cruditas adesse dicitur; vbi verò iam ita à natura victi & præparati sunt, vt facilè separari possint, coctio peracta est. Etsi verò in intermittentibus in singulis paroxysmis materiæ aliquid euacuetur; non tamen humor febrium talium fomes priùs totus euacuatur, quàm coctio humoris absoluta sit, sed vt Galenus 2. *de differ. febr. cap. vlt.* docet, & infrà *cap. 16.* dicetur, ob superfluitates in parte, in quâ febris fomes continetur, relictas, ipsamque partis debilitatem inde contractam, nouus humor generatur, qui noui paroxysmi causa est. Itaque & in intermittentibus coquentibus opus est, quæ sic vitiosas materiæ relictæ qualitates tollant, vt faciliùs à naturâ coqui possit, illamque vitiosam dispositionem in parte, in quâ fomes mali hæret, tollant & emendent. Exem. gr. in febre biliosâ medicamenta refrigerantia & humectantia requiruntur, ac dispositio χολοποιητικὴ seu bilis generatiua tollenda est. Quod cùm non pauci negligant, & vel ad obstructiones, quæ tamen sæpe nullæ adsunt, vel ad ad humoris nondum cocti purgationem medicamenta dirigant, non rarò febres prolongant, imo augent. Etsi enim humor vitiosus purgantibus tollatur, tamen nisi à bonis separatus iam sit, aut ita à natura præparatus, vt facilè separari possit, purgatio non feliciter succedit, & à mala dispositione partis tantundem eius iterum generatur; imò nonnunquam plus: cùm medicamenta purgantia dispositionem illam vitiosam augere possint, vt quanto plus purgetur, tantum purgandum restet. Satius ergò est humores vitiosos non generari, quàm genitos euacuari. Et proinde ea medicaméta exhibenda, quæ cuiuscunque humoris vitiosas qualitates emendant, & eius generationem prohibent. De quo suo loco in specie dicetur. Concoquentia autem seu præparantia illa, sint quidem & ipsa alterantia, vt dictum, quæ scilicet & putredinem corrigant, vitiosasque humorum qualitates remittant, atque ita symptomata mitiora & leuiora reddant: maximâ tamen ex parte incidentia & aperientia. Non quòd obstructionum apertione semper opus sit; sed quòd hæc medicamenta humores excretioni aptos reddant, & ad attenuationem, & fermenti putredinalis per vrinas expulsionem aliquid faciant, & præterea naturam & meatuum ac viarum organa ad excretionem exstimulent & extergant. Præterea partes, quæ maximè laborant, & humorem vitiosum suppeditant, roborent.

Ad hanc enim classem pertinent proculdubio, & ab alterantibus hisce parùm discrepant confortantia ac roborantia dicta. Quid verò in genere Medici appellent *Roborantia.*

roboran

roborantia, *lib.* 5.*Inſtitut.cap.*4.dictum, agitque de roborantibus Lud. Mercatus, *in fine lib.ſecundi de recto præſidiorum vſu.*Cùm autem in febribus Medici roborantia & confortantia nominant, præcipuè ea intelligere videntur, quæ cor inprimis & hepar roborant, calorémque natiuum & ſpiritûs confortant, & vires reficiunt. In quem finem eliguntur plerumque talia, quæ & ſapore delectant & reficiunt. Qualia ſunt manûs Chriſti perlatæ, morſuli de ſucco & corticibus citri, rotulæ è ſucco ribium vel berberorum, diamargariti frigidi, diatrion ſantalon, diarrhodon, conſerua roſar. violar.& ſimilia, quæ ab alterantibus antea propoſitis parum differunt: atque ita roborantia hîc nihil aliud eſſe videntur, quàm alterantia appropriata.

## CAPVT VIII.

### *De Sudoriferis & vrinam cientibus.*

Sudorifera. CVm Natura materiam, febris cauſam, & in continuis in declinatione vniuerſali, & in intermittentibus in particulari declinatione ſæpius per ſudorem expellere ſoleat, & vix vlla febris perfectè ſine ſudore curetur aut ceſſet: meritò Medicus naturam imitatur, & ipſe quoque medicamenta ſudorifera præſcribit, quibus proxima febris cauſa tollatur. Antiqui quomodo id præſtiterint, patet ex 11.*method.med. cap.*9.Vbi Galenus hæc habet:*Sanè totum corpus,priuſquam id euacuaueris,rarefacere non expedit: vbi vacuatum eſt, vtique licebit medicamento aliquo, cui calor tepidus inſit, rarefacias, cuiuſmodi eſt, quod ex chamæmelo conficitur. In hoc tempore ſi vinum quoque aquoſum bibatur, id omnes vacuationes promouerit. Idem facit & temperatum aquæ dulcis lauacrum. Cæterùm vbi magnitudo febris obſtat, nec vino vtendum eſt, nec lauacro,nec iis quæ habitum rarefaciunt inunctionibus, ſed aquæ frigidæ potio in his eſt aptiſſima; niſi tamen quid eorum,quæ in ſynochâ ſiue putredine dicta ſunt, hanc quoque prohibeat.*Ex quibus patet, duobus modis Antiquos ſudores concitâſſe, externis & internis medicamentis.Extrà quæ adhibebantur, talia erant, quæ temperatâ caliditate aperiente & leniter trahente humores ad exteriora proliciunt. Id quod vnctione cum oleo chamæmelino, tum fomentatione ex eadem aquâ calidâ cum ſpongiis, vel lineis pannis eâ madidis ſæpius dorſo & pectori appoſitis fiebat.

Verùm balneorum antiquis vſitata ratio, tum etiam illæ frictiones hodie ferè in vſu non ſunt: & ſæpius magnitudo febris obſtat, vt commodè adhiberi non poſſint.

Ergo hodie internis ſæpe vtimur, quæ humores attenuando & liquando, eos ad ambitum corporis propellunt. In quem finem adhibentur; cardui benedicti puluis, aqua, ſyrupus, extractum, ſal, fumaria, Sudorifera. ſcabioſa, tormentilla, bugloſſum, centaurium minus, Zedoaria, ſal abſinthij, C. C. rob ſambuci, imò, niſi calor obſtat, theriaca & mithridatium. Antiqui in continuis febribus, iis qui frigidæ aſſueti erant, ſanáque viſcera habebant, ſine obſtructione & aliis cauſis, quæ aquæ frigidæ potum prohibent, apparentibus ſignis coctionis, ſiti vrgente, aquam frigidam copioſè bibendam dabant, quæ niſi vomitu aut per aluum reiiciatur, ſudores mouere ſolet, ſi æger ſtragulis benè cooperiatur. Adhibentur autem ſudorifera poſt coctionem humorum, & reliquis præmiſſis euacuationibus. Niſi enim corpus antea purgatum ſit, metuendum, ne, materiâ agitatâ, obſtructiones augeantur. Inprimis verò an criſis aliqua & qualis immineat, conſiderandum. Nam ſi per alui fluxum, aut vomitum, aut hæmorrhagiam narium febrim iudicandam ſperemus; ſi ſudorifera exhiberentur, Natura in inſtituto & motu ſuo impediretur. Etſi verò criſis aliqua præceſſerit; tamen non inutile fuerit, ſudorifera exhibere. Vix enim febris aliqua integrè ſine ſudore finitur; & nemo febricitantium perfectam ſanationem ſibi facilè polliceatur, qui ſudare non poteſt. Hoc de ſudoriferis obſeruandum, vt ſufficientia ſint, & materiam non ſaltem agitent, ſed etiam è corpore expellant. Nam niſi ſudent ægri poſt ſumpta medicamenta ſudorifera plerúmque vehementiùs poſtea febricitant. Deinde vt non ſemel ſaltem, ſed quoties opus, repetantur. Vnica enim ſudatio totam materiam ſemper exhaurire non poteſt, ſed ſi in eâ ſubſiſtatur, agitatur potiùs materia, quàm vt perfectè euacuetur. Et natura per repetita ſudorifera eſt aſſuefacienda, vt & ipſa ſponte & ſemper, quod excernendum eſt, excernat. Vnde ſi ſudorifera non rectè exhibeantur, ſæpe accidit, vt febres, quæ antea ſimplices erant, duplices reddantur.

Tertiò in electione ſudoriferorum delectus aliquis adhibeatur, ne in febribus, præcipuè vbi calor magnus adeſt, & nulla malignitas, ea adhibeantur, quæ calidiora ſunt & φλογιςά.

Obſeruandum quoque tempus particulare exhibendi ſudorifera. Eo enim tempore commodiſſimè exhibentur, quando materia eſt mobilis, & ipſa natura excretionem tentat. Ideóque ſudores copioſi, vel ſtatim ante paroxyſmum, vel in fine acceſſionis febrem rectiſſimè tollunt.

Vnum hîc monendum cenſeo, vulgus ſæpe, quamprimùm paroxyſmum aliquem febrilem ingruere ſentiunt, mox ſudoriferis vti, ex carduo benedicto, rob ſambuci, aq. zedoariæ, theriaca, &c. quod nec, Medici quidam improbant cùm experientia teſtetur, ingruētes febres hoc modo nonnunquam præcaueri. Cuius rei ratio ſi quæratur, cauſa illa mihi eſſe videtur, quòd inquinamentum illud, ſeu μίασμα, aut quomodocunque appellare libet, quod in humoribus putredinem & corruptionem inſtar fermenti excitare incipit, hoc modo ſtatim diſcutitur & diſſipatur, corpuſque ventilatur: quod ſi in corpore relinqueretur, indies procul dubio maiorem putredinem excitaret. Præterea ſudorifera corpus reddunt tranſpirabile & ad ſudores diſponunt.

In omnibus tamen corporibus tutò non adhiberi, & non niſi in principio vſurpari rectè puto. Nam ſi humorum vitioſorum magna adſit in corpore copia, vel putredo & humorum corruptio iam aliquò vſque progreſſa ſit, vix ſudorifera aliquid proficiunt; niſi, quod Rulandum in centuriis facere videmus; fortioribus ſudoriferis aliquoties continuatis materiam diſcutere animus ſit.

Interim vtile & neceſſarium eſt, toto morbi tempore, ea medicamenta exhibere, quæ corpus ad ſudores diſponunt, liberámque corpori tranſpirationem præſtant: cùm, vt ſuprà.*cap.*1.*huius libri*, dictum, ἀδιαπνευςία proxima febris cauſa videatur. Et cùm in omni febri, exceptâ hecticâ, plurimùm ſudores proſint, ἀδήλως verò multò plus euacuetur & diffletur quàm ſudore: quantum libera & copioſa διαπνοὴ & ἀδιαπνευςία poſſint, facilè colligere eſt. Et obſeruare licet quotidie, in febribus minùs periculosè decumbere, quibus cutis eſt humida; quibus verò arida & ſicca eſt, vix conualeſcere: Et quibus corpus non imminuitur, rarò euadere. Cuius rei cauſa nulla eſt alia, quàm facilis aut difficilis, magna aut parua διαπνοὴ vel ἀδιαπνευςία.

Cum ergo διαπνοὴ & ἀδιαπνευςία tanti momenti ſint in febribus: διαπνοῆς verò ſeu tranſpirationis rationem diligentiſſimè & magno labore obſeruauerit Sanctorius, aliquot aphoriſmos ex libello eius de Staticâ Medicinâ hic apponere libet; qui etiam ad ea, quæ ſuprà, *cap.*1. *libri huius*, dicta ſunt, rectiùs intelligenda facient. Ita autem ille: *Perſpiratio inſenſibilis ſolet eſſe longè plenior, quàm omnes ſenſibiles ſimul vnitæ.* ſect.1. De Trāſpiratione aphoriſmi Sanctorij.

ſect.1.aph.4.Si cibus & potus vnius diei ſit ponderis octo librarum, tranſpiratio inſenſibilis aſcendere ſolet ad quinque libras circiter. ſect. 1. aph.6. Si corporis pondus plus ſolito augeri incipiat, ſine maiori cibi vel potûs additione, vel ſenſibilium excrementorum retentione; facta eſt adiapneuſtia, ſect.1.aph.9. Si ex ſtaticis deprehendatur, impeditam eſſe perſpirationem, diebus ſequentibus, vel ſuccedet plenior perſpiratio, vel aliqua euacuatio ſenſibilis plenior, vel cachexiæ veſtigium, vel febris. ſect.1.aph. 11. Perſpiratio, quæ ſalubriter aufert è corpore multum, idque inutile pondus, non eſt quæ cum ſudore fit, ſed ille halitus inuiſibilis, qualis hyeme vno die naturali ad quinquaginta vncias, & vltrà exhalare poteſt. ſect.1.aph.21. Corpus ob externa errata non labitur in morbum, niſi antea aliquod viſcus habeat præparatum: præparatio hæc cognoſcitur ex ſolito maiori, ſeu minori pondere, non ſine aliquâ præcedenti moleſtiâ acquiſito. ſect. 1. 39. Natura dum in perſpirandi officio eſt impedita, incipit ſtatim in multis deficere. ſect.1.aph. 40. Dum caput dolore grauatur; ſtatim corpus incipit minùs perſpirare, & ponderoſius reddi. ſect.1.aph. 41. Prima morborum ſemina tutiùs cognoſcuntur ex alteratione inſolitæ perſpirationis, quàm ex læſis officiis. ſect.1.aph.42. Si ex ponderatione videris, cõſuetum perſpirabile retineri, & in ſudorem, vel lotium poſt aliquot dies non faceſſere, inde cognoſces, retentum prænuntiare futuram putredinem. ſect.1.aph. 43. Si perſpirabile neque à natura, neque à calore febrili reſolueretur corpus illico ad malignam febrem prępararetur. ſect. 1. aph.46. Febricitantes in petus æquè incidunt, ſi à Medico imperito medicamentis importunè exhibitis illorum perſpiratio diuertatur, ac ſi ab erratis ægrotantium. ſect.1. aphor.47. Magis occulta, & inſenſibilis perſpiratio nos ſubleuat, quàm omnes ſenſibiles ſimul vnitæ. A ſomno enim ante excretionem ſenſibilium excrementorum quiſque ſentit ſe leuiorem, quia reuera factus eſt leuior ſolito tribus libris circiter. ſect.1.aph.58. Spatio vnius noctis ſexdecim vnciæ lotij plus minúſne; quatuor coctorum excrementorum per aluum, quadraginta & vltrà per occultam perſpirationem euacuari vt plurimum ſolent: ſect.1. aph.59. Pluribus vnicâ die naturali per inſenſibilem perſpirationem tantum euacuatur, quantum per aluum quindecim dierum curſu, ſect.1.aph.60. Si aëri æſtiuo frigus ſuperueniet, illâ die, ſuppoſitâ eâdem bibendi libertate, tertiã partem circiter perſpirationis exire prohibet, quæ niſi fiat ſenſibilis, facilè ad putredinem, vel ad cachexiã diſponit. ſect.2.aphor.9. Ob aërem frigidum ſuperuenientem calori, veſtibus denudatus, minùs duabus libris circiter diei curſu perſpirare ſolet, nullâ ab ipſo animaduersâ moleſtiâ ſect.2.aph.11. Æſtate corpora tẽperata ſunt minoris põderis, quàm hyeme, tribus libris circiter. ſect.2.aph. 23. Æſtiuo calori ſuperueniente frigore eodem die libra circiter excrementorum inſenſibilium magna ex parte diſflari prohibetur. ſect.2. aph.29. Ab æquinoctio autumnali ad ſolſtitium hyemale quâlibet die minùs libram circiter perſpiramus; inde vſque ad æquinoctium vernale incipimus liberius perſpirare. ſect.2.aph.41. Perſpirabile retẽtum, vt acre, febres & eryſipelata; vt copioſum apoſtemata, deſtillationes, vel cachexiam facit. ſect. 2. aphor. 51. Stomachus cibo refertus ſi inter dormiendum abſoluat primam coctionem, illius noctis perſpiratio magnâ ex parte aſcendit ad quadraginta vncias; ſi non abſoluat, ad octodecim circiter. ſect. 3. aphor. 1. Cibi multum nutrientes, exceptâ carne veruecinâ, à cœnâ ad prandium non ſolent perſpirare vltra octodecim vncias. ſect.3.aphor.4. Cibi copioſi, ſed tenuis nutrimenti, noctis ſpatio in plurimis vltra quadraginta vncias perſpirare poſſunt ſect. 3. aph. 5. Caro veruecina facilè coquitur, & eſt vaporoſa. Perſpirat enim noctis ſpatio trientem libræ magis, quàm cætera ſolida edulia. ſect.3.aph.8. Non ſolùm incoctus cibus, vt quantus, reddit corpus ponderoſius, ſed etiam vt qualis; quatenus ſcilicet perſpirationem impedit. ſect.3.aph.17. Vſus carnis ſuillæ, & boletorum malus, tùm quia hæc non perſpirant, tum quia hæc non permittunt cætera edulia ſimul ingeſtâ perſpirare. ſect.3.aph. 22. Ex vſu carnis ſuillæ, & boletorum triente minùs ſolito corpus magnâ ex parte perſpirat. ſect.3.aph.23. Melones adeò pauxillum perſpirant, vt quadrantem circiter auferant perſpirationis conſuetæ. ſect.3.aph.24. Edulia aptiſſima perſpirationi non corrumpuntur, imò poſt nocturnas vigilias hominem conſeruant ſine laſſitudine & grauitate. ſect.3.aph.59. Edulia non perſpirantia obſtructiones, corruptelas, laſſitudines, mœſtitias, & pondus efficere. ſect.3.aph.60. In homine vtente moderato victu perſpiratio nocturna aliquando aſcendit ad tres libras; in vtente pleniſſimo, ſtomacho præexiſtente vacuo & robuſto, poteſt aſcendere ad quinque libras. ſect.3. aph. 68. Dormiens ſeptem horarum ſpatio occultè, ſalubriter, & ſine violentiâ perſpirare ſolet duplo magis quàm vigilans. ſect. 4.aph.2. A ſomno nocturno corpus ſentitur minoris põderis, tùm ob vires auctas, tùm ob exhalationẽ ſaltem trium librarum circiter excrementorum. ſect.4.aph.4. Somnus inquietus impedire ſolet triẽtem ſolitæ perſpirationis. ſect.4 aph. 5. Duplo magis dormiens perſpirat vigilante. Hinc illud famoſum: Duæ horæ quietis in vigilante perinde iuuant, ac vna ſomni. ſect.4.aph. 19. Perſpirationem inſenſibilem curſu ſeptem horarum in dormiente inueni, in multis eſſe quadraginta vnciarum circiter, in vigilante viginti. ſect.4.aphor.20. Somno ſolito breuiore ſemper aliquid perſpirationis prohibetur, quod niſi ſequentibus diebus pleniore perſpiratione compenſetur, imminet febris periculum. ſect.4.aphor.31.

Ex quibus aphoriſmis, quos cuilibet tamen perpendendos relinquimus, cùm alia multa, tum hoc colligi poteſt; Tranſpirationis inſufficientis ſeu ἀδιαπνευστίας cauſam (licèt & aliæ interdum accedere poſſint) in febribus præcipuam eſſe ipſius humoris cruditatem, à quo vapores ad tranſpirandũ inepti eleuantur. Si enim quidam ſunt cibi, vt caro ſuilla, boleti, melones, vuæ & ficûs recentes, qui non ſolùm ipſi non rectè tranſpirant, ſed vt alij cibi parùm perſpîrent faciunt; cur non crudi humores idem præſtare poſſint? Etenim in omni cruditate eſt defectus πνευματώσεως, de quâ etiam in libro de Chymic. cum Ar. & Gal. conſenſu & diſ. dictum. Alimenta enim aſſumpta coctione ſpirituaſcunt quaſi, vt ſic dicam, adeò quidem, vt licèt multum ſalis fixi in cibis aſſumatur, in corpore ſecundùm naturam ſeſe habente minimum ſalis fixi reperiatur. Et fermentatione cibus ac potus, vt ſpirituoſior fiat & faciliùs cõcoquatur, præparatur; qui autem non fermentatus eſt difficiliùs concoquitur; & cibus incoctus, non ſolùm vt quantus, ſed & vt qualis tranſpirationem impedit, vt modò ex Sanct. aphor. 17. ſect. 3. dictum.

Nonnunquam & per vrinam euacuantia medicamẽta adhibere licet. Nam & illa partem materiæ per vrinam deducunt, & ad ſudorem eandem quaſi præparant. Eſt autem quædam Diureticorum differentia, vt lib.5. Inſtit. part.1. cap.13. & ibidem part.2. ſ. 1. capite 13. dictum. Frigida quæ ſunt, etiam maturiùs vſurpari poſſunt; cùm vim habeant alterandi intemperiem calidam & humorum & partium, partemque humorum ad vias vrinæ ducant. Reliqua diuretica propriè ſic dicta, inprimis fortia, non niſi concoctâ materiâ & vbi calor febrilis mitigatus eſt, conueniunt. Ex iis tamen quæ ſunt moderatiora, vt agrimonia, capillus ♀, betonica, aſparagus, &c. ſi corpus craſſis humoribus abũdat, viæque vrinæ obſtructæ ſint, ad incîdendum, & vt craſſi humores à viis vrinæ amoueantur, ſemper cõmodè adhiberi poſſunt. Exemplum diuretici, quod in omnibus ferè febribus locum habet; hoc eſto. *Vrinã ciẽtia.*

♃. Radic. petroſelini Vnc. j. capill. ♀. virid. ſi habeatur M. ß. ceterach. p. j. Infundantur in Aq. hordei ℔. jß.

Colentur. Cum colaturâ clarâ. F. Emulſio. ex ſem. melon. Vnc. ij Adde iuleb. violar. Vnc. j. Miſc.

Ad medicamenta, quæ cauſam febris tollunt, pertinent & medicamenta quædam, quæ extrà corpori, *Externa medicamenta cõtra febres.*

præcipuè

præcipuè regioni pulsûs in carpo applicantur, qualia parantur ex telis aranearum cum vnguento populeo vel terebinthinâ, apio vel rutâ minutim contusâ, cæpâ theriaca repletâ, & ſub cineribus coctâ, foliis burſæ paſtoris cum ſale & aceto tritis; fuligine è furno cum ſaluiâ,allio, vel cæpis mixtâ, ranunculi foliis, atque veſicatoriis,quæ non ſolùm in tertianis & quartanis intermittentibus, ſed & continuis malignis nonnunquam non malo ſucceſſu applicantur; vt ſuo loco in ſpecie dicetur. Etſi de vi,quâ iuuent,non ſatis conſtet. Credibile eſt, talia medicamenta ſeu acrimoniâ ſuâ naturam ad excretionem ſtimulare,ſeu occultâ vi & proprietate inquinamentum illud,quod humores corrumpit, extrahere:ſicut & natura ſponte nonnunquam ſimile quid tentat, dum vlcuſculis circa labia & nares erumpentibus febres deſinunt.

## CAPVT IX.

### *De diæta in febribus putridis.*

*Diæta in febribus neceſſitas.*

CVm à tribus claſſibus Auxiliorum materiæ petantur; Chirurgiâ,Pharmaciâ, & Diætâ;& præcedentibus capitibus,quâ ratione per venæ ſectionem & medicamenta febre laborantibus ſuccurri poſſit,dictum ſit: proximum iam eſt, vt & diætam febricitantibus præſcribamus, quæ niſi rectè obſeruatur, aliis auxiliis parum proficitur: cùm nullum efficax poſſit eſſe remedium,cui victûs ratio contraria reſiſtit.

*Diæta quid.*

Duo autem mox in principio notanda ſunt. Primò per diætam non ſolùm cibum & potum, ſed & reliquas res non naturales dictas,Aërem ſcilicet, Somnum & Vigilias, Motum & Quietem, Inanitionem & Repletionem,atque Animi pathemata intelligi: vt *lib. 5.inſt.part.2.ſect.3.cap.2* dictum.

*Alimentum duplex.*

Secundò circa cibum & potum hoc obſeruandum, dupliciter alimentum conſiderari: aliàs vt tantum alimentum; quo reſpectu nullum qualitatum exceſſum habet, ſed ſolùm vim nutriendi obtinet: aliàs vt cibum medicamentoſum; quo reſpectu, præter nutriendi vim, aliquem in qualitatibus exceſſum habet, per quem morbo & cauſæ morbificæ aduerſatur. Cùm autem pauca dentur alimenta, quæ planè temperata ſint; & ægris illa, quæ per potum & cibum ſit medicatio longè gratior ſit, quàm quæ per ſola medicamenta inſtituitur:meritò etiam victu, vtroque modo conſiderato,vtendum eſt.

*Victum quid indicet.*

Quid autem victum indicet, *in Inſtit. lib. 5. part. 2. ſect. 3 .cap. 2.* dictum eſt,nimirum vt Galenus, *1. de vict. rat.in ac.t.44.* habet, ob facultatis vitalis cuſtodiam & ſani edunt & bibunt, & propter eandem ægri ad potum & cibum accedunt; idque dum potum & cibum ſumimus, agimus, vt vires conſeruemus & inſtauremus. Sicut tamen ea, quæ à morbo vel cauſâ morbi indicantur, ob vires non ſemper exequi licet, ſed vires ea vel permittunt vel prohibent: ita & cauſa morbi inprimis victum permittit vel prohibet. Nam cùm cibus offertur,natura occupatur à coctione & euacuatione materiæ ad coctionem cibi. Ergo cùm maximè naturæ in cauſæ morbificæ coctione vel euacuatione laborandum eſt: eo tempore natura ab illo opere ad aliam actionem auocanda non eſt. Et partes intemperie febrili debilitatæ cibum tam feliciter, ac dum ſanæ erant, concoquere non poſſunt. Itaque nunquam plus cibi dandum, quàm quantum virtus tum debilis & in cauſâ febrili vincendâ occupata, concoquere poſſit.

*Cibum quid prohibeat.*

Hinc illi aphoriſmi Hippocratis, 1. *aph. 8. Quando vis morbi eſt maxima,tenuiſſimo victu vtendum.*Et 1.aph.11. *in ipſis paroxyſmis cibum adimere oportet: nam præbere, noxium. Et cum per circuitum redeunt morbi, in ipſis acceſſionibus abſtinendum.*

*Quæ in cibo in febribus obſeruanda.*

In cibo verò in febribus obſeruãdo quatuor ſpectari debent.Forma ipſius victûs,quãtitas,qualitas,& tẽpus.

*Victus forma triplex.*

Victûs autem ſeu diætæ Forma triplex eſt; craſſa, mediocris, tenuis. Cùm enim plus ſubſtantiæ corporis apponitur, quàm quotidie abſumitur, viréſque non ſolùm conſeruare, ſed & augere ſtudemus: craſſus victus appellatur. Cùm verò tantum ſubſtantiæ, quantum deperditum eſt, apponere conamur, victus mediocris vocatur. Cùm minus corpori apponitur, quàm deperditum eſt,atque ita vires cõſeruantur,nonnihil tamen imminutæ, victus tenuis & minuens nominatur: non quòd nutrimentum ex ſe vires imminuat, ſed quia non tantum corpus reficit,quantum opus erat, pro eo, quod amiſſum erat, reſarciendo.

*Craſſus. Mediocris. Tenuis.*

*Craſſa Diæta triplex.*

Craſſa ſeu ἁδρὰ rurſum alia ſimpliciter talis eſt, quam antiqui in febricitantibus per integram ſeu totam ptiſanam hordeaceam inſtituebant, eámque copiâ majore exhibitam: alia paulò craſſior, quæ piſces & oua concedebat: alia ἁδροτέρα, quæ carnes pullorum & caſtratorum admittebat.

*Tenuis Diæta quotuplex.*

Tenuis quoque alia ἁπλῶς talis eſt, quæ per ptiſanam integram fiebat, exiguâ quantitate exhibitam: alia ἀκριβὼς, quæ per chylum ſeu cremorem ptiſanæ: alia tenuiſſima ſimpliciter, quæ fiebat per aquam mulſam, alia extremè tenuiſſima Diæta erat, quæ conſtabat abſtinentiâ ab omni cibo.

Verùm hæc cibandi ratio Græcis & Italis præſcripta, Septentrionalibus populis edacioribus minùs conuenit: imò nec hac ætate Italis conuenire Itali cenſent, quia ſcilicet pleniori victui homines,quàm olim, aſſueti ſunt. Vnde hodie licet loco inediæ integræ melicrato vel juſculo aliquo, vel quod æquipolleat his,vti;loco ptiſanæ colatæ, integrâ ptiſanâ, imò loco ptiſanæ piſcibus,ouis,carnibus vti licet.

Quâ in re tamen rurſum Nationum & Naturarum diuerſitas attendenda. Nam Septentrionalibus populis omnibus non eadem eſt victûs ratio, ſed alij aliis voraciores ſunt. Et in eâdem regione alij pleniori, alij tenuiori victui adſueuerunt. Ideóque iis, qui pleniori victu, dum ſani eſſent, vti ſolebant,etiam ægris victus plenior paulò,quàm aliis,qui tenuiore diætâ vſi ſunt,concedi poteſt.

Antequam autem quibus febribus,quæ victûs ratio competat, explicemus; in genere quædam de alimentorum & potulentorum in febribus vtilium materiâ dicendum eſt:Et vt à ptiſanâ hordeaceâ,decantatiſſimo illo febricitantium cibo, incipiamus, parabatur illa antiquis ex hordeo ſelectiſſimo, quod, vt Galenus, *libro de alim.fac. cap.9.* docet, manibus aut panno aſpero fricabant, donec cortex exterior ſeu gluma auferretur: niſi quis ptiſanam magis abſtergentem conficere vellit, tunc enim vtilius eſt, hordeum ipſum integrum coquere. Pilis hodie idem præſtatur, quod antiqui manibus fricando efficiebant. Ptiſanam hoc modo excorticatam in ſ.q.aquæ coquebant,donec ius pulticulæ tenuis ſpeciem repræſentaret.

*Ptiſana quid.*

Ptiſanam ita præparatam & coctam duplici modo ægris offerebant. Quæ tota cocta offerebatur, eam ſimpliciter ptiſanam, vel ptiſanam integram, vel ptiſanam non colatam appellabant. Si verò ſuccus ſaltem percolatus exhibebatur, ptiſanam colatam vel ſuccum aut cremorem ptiſanæ nominabant.

*Ptiſana in febribus.*

Ptiſana hoc modo parata valde in febribus acutis commendatur. *Ptiſana*, inquit Hippocrates, *de vict. rat.in ac. comm.1 .t.18. Frumentaceis edulijs rectè præferri mihi videtur in morbis acutis, eóſque, qui eam prætulerunt, laudo. Nam viſcoſitas eius leuis, continua, iucunda, lubrica & mediocriter humens; ſitim minimè infert; ea, quæ ablutione indigent, probè abluit, non adſtringit, non mole turbat, neque in ventre intumeſcit. nam inter coquendum, quò ad maximum potuit, intumuit.* Et addit Galenus, *in comm. Quæcunque ad morborum acutorum ſanationem inſunt bona, nulli alteri cibo ita ineſſe comperies.*Atque id prolixè probat.

*Contra Ptiſanæ vſum*

Ex quibus manifeſtum euadit, antiquis quidem valde

*Vsum ratio-nes Manardi.* valde familiarem & laudatum in febribus, præsertim acutis, fuisse cibum ptisanam. An verò hodie conueniat, in dubium vocauit Manardus, *l.epist.*25. ob has rationes: Primò, inquit, antiqui in integrâ valetudine ptisanâ vti consueuerant, vnde & in morbis illâ commodiùs vtebantur. Contrà nostro tempore cùm apud sanos nullus illius vsus sit, nec ægris facilè offerenda. Secundò, Ptisanam alimentum insuaue & nauseabundum esse dicit, & propterea ex consilio Hippoc.2. *aph.*38. ab eâ abstinendum. Tertiò, Antiqui in acutis saltem morbis adhibebant:at apud nos rarò dantur acuti morbi, qui diem decimum quartum non transeant. Quartò, ait hodie saltem ad brutorum, non hominum e.cam hordeum coli,& propterea non habere eas conditiones, quas Galen. in eo requirit, è quo ptisana parari debeat. Quintò, putat nullum inueniri hodie, qui ptisanam, vt antiqui solebant, præparare sciat. Sextò, tandem addit, tanto tempore indigere illius præparationem, vt occasio nutriendi ægrum,quæ in acutis est præceps, facilè præterire possit, antequam ptisana paretur.

*Solutio earum.* Verùm istæ rationes tanto Medico dignæ non sunt. Primò quidem quid apud Italos vel alias nationes fiat, non curiosè inquiro:Itali tamen Medici alij referunt, ptisanâ etiam sanos, præsertim in æstate, familiariter vti & delectari. Apud Germanos certè satis frequens edulium est. Et posito, quòd sani eâ non vtantur: ad insueta tamen progressus, præsertim in morbis, non est prohibitus. Deinde insuauem & nauseabundam esse, concedi non potest; nisi forsan ægris quibusdam, qui omnes alios quoque suauissimos & delicatissimos cibos auersantur. Tertiò non tantùm in acutissimis morbis, sed etiam in aliis acutis adhibere licet, qui apud nos nulli non sunt. Quartò magnâ curâ hodie hordeum, præsertim in Germaniâ ad cereuisiam coquendam, colitur. Quintò nec ratio eius præparandi hodie ignota. Imò dixerim, diligentiùs ac maiori curâ atque artificio hodie in Germaniâ in nonnullis locis parari,quàm olim antiqui solebant:quæ, inprimis integra, hodie multis in frequenti vsu est, atque integra per se, tum cum iure carnis bubulæ vel gallinæ, gratum alimentum præbet. Sextò, & hordeum glumis & cortice exteriore jam liberatum quouis tempore in promptu hodie habetur, vt, quando lubet, coqui possit.

*Ptisana cremor.* Ptisanam colatam seu cremorem hordei quod attinet,fateor non ita vt ptisanam integram, nostris familiarem esse; sed cremor ex auenâ excorticatâ in satis frequenti vsu apud Germanos est. Ad eius modum si quis ptisanam hordeaceam paret,cremorem seu ptisanam colatam hordei habebit, quam ita simpliciter sumere licet, vel etiam cum modico salis & butyro condire, & aliquid quoque panis albi, vt in auenatis fieri solet, addere; cùm & antiqui parum olei & salis ei admiscuerint.

Hordeata tamen, quæ hodie Itali & Galli parant ex succo ptisanæ percolato, non multùm à cremore, ptisanæ antiquo differunt, nisi quòd saccharum addere solent. Plura qui de ptisanâ legere cupit, consulat Hippocrat. *de vict. rat. in ac.* & Galenum *in comm.* Eundem 1. *de alim. fac.c.*9. tum peculiarem libellum, qui Galeno ascribitur, & inter recentiores Cardanum, *de tuend.san.lib.*2.*c.*7. & Iulium Alexandrinum, *salubrium lib.*8.*cap.*7.

Ptisana etsi inter alios cibos primas obtineat:tamen cùm & ægrorum palato inseruiendum sit nônunquam, & varietas delectet: alij quoque cibi admitti possunt. In vsu frequenti apud Italos est Panatella dictum edulium, & apud nos etiam panis cum aquâ coctus & butyro conditus; cui sorbitioni & ouum interdum additur. Miscetur & panis cum iure pulli & gallinæ vel carnis bubulæ.Est & gratus,ac paulò plenioris alimenti cibus, iusculum carnis bubulæ vel gallinæ vel caponis,in quo ouum dissolutum & coctum sit. Fiunt & ex cereuisiâ, quæ si tenuior sit, conuenientior est, cum pane iuscula,quæ sale & butyro condiuntur. Possunt & amygdalata parari,quibus refrigerationis gratiâ semina 4.frig.maiora excorticata addi possunt,& somni causâ, semen papauer. albi & lactucæ. Commodius autem est,si in aquâ,quâ amygdalata parantur,aliquid furfuris, hordei, vel tritici, aut radicis petroselini vel fœniculi ebullierit.

Fructûs an febricitantibus conueniant, non adeò planum videtur.Auicen. *lib.*4.*tr.*2.*c.*7. simpliciter omnes fructûs prohibere videtur, cùm scribit:omnes fructus nocere febricitantibus, ebullitione suâ & corruptione in stomacho.Et Galenus, *lib. de cib.boni & mali succi c.*8.nullum fructum ferè esse boni succi scribit;fugaces verò planè malum succum habere, adeò vt nisi citò excernantur, vel si in ventriculo corrumpantur, generent succum veneno non absimilem. Alij contrà plurimos fructûs, præcipuè refrigerantes, vt angurias, melones & similes indulgent. Verùm sciendum, si qui fructus conceduntur, potiùs concedi vt medicamentum,quàm vt alimentum.Et negari non potest,plerosque facilè corrumpi, in primis in ventriculo calore febrili malè affecto,atque inde vitiosos humores generari,qui febrem valde augent. Et quò fructus aliis corruptioni magis obnoxius est,eò faciliùs in febribus corrumpitur.Plerique etiam non bene transpirant,& transpirationem impediunt,vt capite præcedente,de melonibus dictum. Atque ideò si quid omnino ægris delicatis indulgendum,permittendum potiùs,vt degustent talia, vt est apud Galenum, 1. *ad Glauc.cap.*9. quàm vt liberaliùs comedant. Aliàs vt *ibidem*, Galenus habet,si ægri non sint delicati, iis talis victus instituendus est, qualè præscripsit Hippocrates, ex succo scilicet ptisanæ vsque ad crisin,aut certè,qui huic non sit absimilis.Acida tamen faciliùs ad sitim nimiam & calorem restinguendum concedi possunt,vt sunt mala aut succus granatorum,citri,limonum,berber.ribes,cerasa:quæ tamẽ omnia potiùs sunt medicamenta,quàm alimenta.

Dubitatur & de piscibus, An in febribus conueniant.Nonnulli eos,vtpote qui facilè putrescant,planè reiiciunt;alij admittunt.Sed etiam febrium & piscium distinctione hîc opus est. Commodiùs enim exhibentur pisces in febribus biliosis. ij tamen semper eligendi sunt,qui meliùs alimentum præbent,quales sunt lucij,funduli,saxatiles & alij bonæ notæ pisces. *An pisces in febribus conueniant.*

Oua quoque nonnulli in febribus putridis prohibent;scribitque Herc. Saxonia,piaculum esse Venetiis, oua febricitantibus præbere. Verùm simpliciter febricitantibus prohiberi non possunt. Faciles enim coctionis sunt,& bonum dant alimentum; modò sint recentia & rectè cocta. Et licèt antiqui in febribus paulò acutioribus plerumque ptisanâ aut eius succo contenti fuerint vsque ad crisin:tamen nostri homines tenui illi victui minùs assueti oua vel illorum vitellos facilè tolerant, nec ea febri quidquam obesse possunt, neque etiam naturam à coctione auocant, si in minori copiâ & non alieno tempore exhibeantur. Hoc tamen attendendum,ne ventriculus & hepar vitiosis, & præcipuè biliosis humoribus referta sint; cùm facilè corrumpantur. *Oua an febricitantibus conueniant.*

Carnes etiam aliqui reiiciunt,eò quod facilè putrescant, & obseruatum sit,febricitantes, qui in Cretâ & aliis Græciæ locis carnes comedunt, mori. Verùm etiamsi in Græcia, ob calorem illum insignem, & quia homines tenuem victum ibi facilè tolerant, ægri carnes vix sine damno edunt in febribus: non tamen ideò populis Septentrionalibus, huic victui assuetis, carnes subtrahendæ sunt. Ex carnibus autem conueniunt capi, gallinæ, pulli, perdices, hædi, vituli: quæ coctæ cum succo malorum granatorum, citri, limonum condiri possunt. Nonnunquam ex carne capi, gallinarum vel vituli sine aquâ, in vase duplici, vt *Carnes an febricitantibus concedendæ.*

vocant,

vocant,coctâ, contusâ, & colatâ, ius conficitur, quod vulgò consummatum vocant, quod insignes vires alendi habet, & minore labore in ventriculo coquitur. Verùm cùm victum pleniorem suppeditent talia, vbi tenuiore opus est, non satis commodè exhibentur, nisi forsan minore copiâ. Nonnulli horum decoctorum loco aquas è carnibus stillatitias exhibent. Verùm sine ratione & commodo id fieri docuimus, *lib. 5. Inst. part. 3. sect. 3. cap. 5.*

*Quæ victûs ratio quibus febribus conueniat.* Cùm has jam de materiâ alimentorum diætæ formas subiecerimus, quæ victûs ratio & forma, quibus febribus conueniat, explicandum. Victûs ratio conueniens inuenitur ex consideratione virium, quæ victu conseruandæ sunt, & collatione earundem cum causâ morbificâ, quæ eundem prohibet. Primò enim videndum quid cibi, virtus concoquere valeat. Nam vt quæ Galenus, 7. *meth. med. cap. 6.* scribit, huc transferamus, si alimentum ipsum se concoqueret, ac in partes digereret, præterea alendis partibus assimilaret, & quibus alimento plurimo opus est, adhæresceret, proculdubio is cibus dandus esset, quem vires requirunt. Verùm quoniam non aliud est, quod alimentum desiderat, aliud quod ipsum conficit, sed quod nutriendum est, ipsum sibi & alimentum attrahit, & mutat, & concoquit & assimilat: ad duo in cibo offerendo spectandum est, ipsam scil. cibi naturam & vires corporis alendi. *In cibo exhibendo quæ spectanda.* Deinde semper videndum, an vires plus possint ad cibum indicandum, quàm morbus ad prohibendum, vel contrà. Quantò enim natura magis in causâ morbificâ oppugnandâ est occupata, tantò minus cibo oneranda. Quantò verò minùs est occupata, tantò faciliùs cibum concoquit. Tantò autem magis natura occupatur in morbo debellando, quantò status est propior. Tantò verò minùs est occupata, quantò est remotior.

Hinc in ipso statu victu tenuissimo (respectu scilicet victûs totius morbi) est vtendum. Et in morbis acutis tenuis victus requiritur, & quò morbus est acutior, eò tenuiore victu opus est; *In statu, tenuissimo victu vtendum.* in febribus verò longis victu mediocri aut pleniore vtendum, & tantò pleniore, quò morbus est diuturnior. Docuit hæc omnia Hippoc. 1. *aphor. 8.* scribens; *Quando morbus in vigore fuerit, tum vel tenuissimo victu vti necesse est.* Qui aphorismus in omnibus febribus, tam chronicis, quàm acutis locum habet. Etsi enim in diuturnis febribus pleniore victu vtendum sit: tamen in vigore de eo aliquid subtrahendum. Tenuissimúmque victum hìc appellat non simpliciter, sed præcedentium morbi temporum respectu, quibus paulò plus cibi fuit ægro datum. Et, 1. *aphor. 7.* scribit: *Cum morbus peracutus est, statim extremos labores obtinet, & extremè tenuissimo victu vtendum. Cùm verò non est, sed pleniorem victum exhibere licet, tantum de extremè tenuis victûs ratione remittendum, quantò morbus ipse ab extremo fuerit remotior.* Qui ergo morbi statim, hoc est, primis tribus vel quatuor diebus sæuissima symptomata habent, in iis extremè tenuissimo victu vtendum. Qui verò ad septimum diem perueniunt, iis simpliciter tenuissimus victus conuenit. Quoniam enim, vt dictum, natura cum morbo pugnat, natura ab hoc opere ad cibi concoctionem auocanda non est. Deinde cùm status tempus in acutis febribus sit breue, in subsequente mox declinatione virium lapsus, quem victus tenuior excitauit, facilè reparari potest; cùm & morbus tum remittat, & pleniore victu vti liceat. Qui verò morbi post septimum ad vigorem perueniunt, in his tenuissimo victu vti non oportet, sed paulò pleniùs ægrum alere licet; & quidem hac lege, vt quantò longiùs febris qualibet abest à vigore, tantò liberaliùs plenior cibus offeratur, quò æger vsque ad statum perdurare possit. Itaque si morbus sit acutus simpliciter, & quidem ἀκριβῶς, qui scilicet die decimo quarto ad summum terminetur; in eo tenuis exquisitè victus conuenit: si non sit ἀκριβῶς talis, sed ad vigesimum extendatur, tenuis simpliciter exiguâ quantitate dandus est. Si denique febris sit acuta ex decidentiâ, mediocrem cibum requirit. Docuit hoc Hippocrates, 1. *aph. 10. Quibus statim vigor futurus est*, inquit, *statim tenuiter nutriri oportet. Quibus autem posterius: in ipso vigoris tempore & paulò ante ipsum de victu detrahendum, priore verò tempore pleniùs nutriendū, vt sustinere æger queat.*

De virium verò robore Hippocrat. 1. *aphor. 9. Simul verò & coniecturam facere de ægrotante oportet, vtrùm sufficere tali diætâ possit vsque ad morbi vigorem. Et nunquid ille desiturus priùs sit, nec satis futurus ferendæ illi diætæ, an futurum, vt morbus priùs deficiat & obtundatur.* *Victus quomodo secundùm vires moderandus.* Nam si vires cum morbo Medicus conferat, duo colliget, aut quòd vires cum morbo pari robore consistere possint vsque ad statum, & tum in tenuissimo victu persistendum; aut quòd vires ægri ante vigorem morbi defecturæ sint; atque tum æger, ne succumbat, paulò liberaliùs nutriendus est per principium & incrementum, sensímque postea de cibo detrahendum, quo magis status morbi appropinquat. Atque hoc ex naturâ ægri, ætate & similibus cognoscitur. Nam si corpus sit calidum & siccum, & bile, præsertim circa ventriculum, abundet, tenuem diætam aut inediam non feret. Facilè enim talia corpora resoluuntur. De ætate Hipocrat. 1. *aph. 13.* scribit: *Ieiunium senes ferunt facilè; secundùm hos, qui ætatem consistentem agunt; minùs adolescentes, minimè omnium pueri, atque inter eos maximè, qui viuidiore sunt corpore.* Nam vt est in seq. aph. 14. *Qui crescunt, natiuum calidum habent plurimum, atque copiosiore alimento indigent, & propterea abundè ipsis suppeditare oportet; alioquin corpus consumitur. In senibus verò calidi inest parum, & pauco propterea pabulo indigent; multo enim extinguitur.*

Consuetudo quoque & vitæ institutum multum hìc potest. Qui enim pluribus alimentis assueti sunt, non facilè paucioribus sunt contenti. Et contrà qui paucioribus sunt assueti, facilè jejunium perferunt. Ita qui laboribus & magnis exercitiis sunt dediti, non facilè ferunt tenuem victum: contrà qui vitam otiosam agunt, pauciore victu sunt contenti. Et vt in summam hæc contrahamus: quò vires sunt robustiores, eò plenior victus est exhibendus, ille scilicet quem Medici inclinantem ad plenum appellant. Qualis fit ex jusculo & pane & modicâ carne. Vires enim & calor fortis plus alimenti concoquere possunt. Virtuti autem debili minus alimenti exhibendum. Virtus enim debilis non potest multum cibi concoquere.

Distinguendum tamen hìc est, An vires sint debiles ex inanitione, vel suffocatione aut morbi vehementia. Etenim si virtus sit debilis ex inanitione seu copiosâ aliqua euacuatione, conuenit victus ad pleniorem accedens, & plus hìc ad vires respiciendum, quàm ad causam febrilem. Nam si spirituum, humorum, vel etiam solidarum corporis partium aliquando magnus est defectus, plus alimenti præbere oportet, vt spiritûs, humores, & ipsæ etiam solidæ corporis partes instaurentur. Quando verò nullus in spiritibus, humoribus & solidis partibus est defectus, vel etiam abundantia eorundem adest, viréſque debiles sunt ex suffocatione: tenui victu opus est duplici de causâ. Primò, vt plenitudo imminuatur. Secundò, vt natura coctioni humorum rectiùs incumbere possit.

Non autem solùm ipsam Victûs formam considerare oportet, sed & quantitatem seu dosin. *Quantitas cibi exhibendi.* Siue enim crassus, siue tenuis, siue medius victus exhibendus sit, potest nunc maximâ, nunc minimâ, nunc mediâ copiâ exhiberi. Dosis verò ex virtute & causâ morbificâ inter se collatis colligitur. Quamuis enim virtus, quantò est robustior, maiorem copiam nutrimenti indicet; tanto verò minorem, quò est imbecillior: attamen non sola virtutis & caloris natiui abundantia ac robur consideranda, sed cum ipso morbo aut potiùs causâ morbi

morbificâ conferenda. Causa enim febrilis victûs quantitatem minuendam indicat. Vt enim se habet alimentum crassum ad tenue: ita major quantitas ad minorem, & major quantitas difficiliùs à natura coquitur; faciliùs minor. Itaque magna & mediocris cibi quantitas à robustâ vel etiam mediocri virtute indicatur; à paruâ autem causæ febrilis vi permittitur. Parua verò quantitas à magnâ debilitate præscribitur. Ergo cùm in statu morbi pugna naturæ & morbi sit maxima, & natura in vincendâ causâ morbificâ sit maximè occupata: minima quantitas cibi, quæ febri conuenit, tum est exhibenda. In principio autem quia nondum in eâ valde occupata est, ideò victum, qui febri competit, tum in maximâ quantitate exhibere licet; in augmento autem, quia natura jam pugnam aggreditur, aliquid detrahendum.

*Qualitas cibi.* Qualitatem cibi quod attinet, consideratur cibus vel quatenus cibus vel quatenus cibus medicinalis. Si quatenus cibus, consideretur, tantum nutritionis gratiâ & ad vires conseruandas exhibetur. Ij itaque cibi sunt tum eligendi, qui coctu sunt faciles, boni succi, facilis distributionis & minimè excrementitij: quales sunt jura ex carnibus gallinarum & carne bubulâ, ouâ, panis triticeus bene fermentatus & coctus, carnes pullorum, gallinarum, hædina, vitulina, perdicum, Nec veruecina improbanda videtur; de quâ Sanctorius, *Sect.* 3. *Stat. Medic. aph.* 8. scribit: *Caro veruecina facilè coquitur, & est vaporosa. Perspirat enim noctis spatio trientem libræ magis, quàm cætera edulia.* Si autem cibus consideretur, vt medicinalis, qualis est ptisana, mulsa, vel respectu febris, vel causæ febrilis consideratur. Si febris respectu, de eo scripsit Hippocrates, 1.aph.16. *Victus humidus omnibus febricitantibus conuenit; maximè pueris, & aliis, qui tali victu vti consueuerunt.* Cùm enim victus medicinalis iis, quæ p.n. sunt, contrarius, iis verò quæ s. n. sunt, similis esse debeat, meritò febricitantibus victus frigidus & humidus præscribendus; cùm febris omnis calidus morbus sit, & ad siccitatem tendat. Humidi tamen saltem fecit mentionem Hippocrates, cùm nec apud vulgus dubium sit, febricitantes refrigeratione indigere. Ex quo patet, ptisanam hordeaceam valde conuenientem, respectu febris, cibum esse. Possunt & alij cibi, qui medicinales non sunt, plantis & succis refrigerantibus condiri, vt medicati fiant. Ratione autem causæ in febribus putridis non semper cibus frigidus & humidus admittitur. Illi enim, quod magis vrget, semper maximè resistendum. Ideóque in putridis victu attenuante, incidente & abstergente sæpe opus est. Et quò humor est crassior, eò etiam cibus majore vi attenuandi & incidendi sit præditus. Vnde in febribus à materiâ frigidâ dependentibus sæpe calidis opus est, possúntque cibi condiri petroselino, hyssopo, fœniculo, capparibus, &c.

*Tempus cibi exhibendi.* Tempus cibi exhibendi commodissimum est illud, in quo Indicans, nimirum virtus, quæ cibo instaurari & conseruari postulat, præsens est: Nihil verò adest quod illum prohibere possit. Ex quo patet, oportunum tempus particulare exhibendi cibum in febribus esse, cùm cibus, qui priùs est assumptus, concoctus est. Tum enim natura nouum alimentum desiderat. Et cùm à natura potest coqui, seu cùm nihil adest, quod naturam in coctione remorari & impedire possit. Itaque in continuis planè febribus tempus consuetum cibi assumendi est obseruandum. Natura enim tum faciliùs cibum tolerat & conficit. Si verò febris quidem continua sit, sed quæ manifestam habeat remissionem & exacerbationem, accedente declinatione cibus offerendus. Si verò febris sit intermittens, tempore ἀπυρεξίας atque interualli commodissimè exhibetur cibus; & quidem longè ante paroxysmum. Si autem interuallum tam breue sit, vt ante sequentem paroxysmum cibus assumptus nequeat concoqui, in ipsâ declinatione cibus exhibendus. Id quod docuit Hippocrat. 1.*aph.*11. *In accessionibus abstinere oportet. Cibum enim dare noxium est. Et quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.*

*Quot horis in febribus ante accessionem à cibo sit abstinendum. Error vulgi ac quorundam Medicorum.* ¶ Inualuit non solum apud vulgus, sed & Medicos nonnullos, falsa quædam opinio, satis esse, si ægri tres vel quatuor horas ante accessionem paroxysmi à cibo abstineant; quo modo multæ febres, quæ citiùs curari poterant, prolongantur & protrahuntur. Atque vt id statuant, videtur eos adduxisse locus Galeni, 8. *meth.med.cap.*4. vbi scribit, satis esse, si tres horæ æquinoctiales quatuórue inter balneum, accessionísque tempus interponantur. Verùm ita simpliciter hoc temporis spatium definiri non potest. Hæc quidem generalis regula est, attendendum esse, vt antequam paroxysmus adueniat, cibus in ventriculo concoctus sit; quam etiam tradit Auicenna, 1.4.*tr.*1.*cap.*8. in febribus ita cibandum esse, vt vacuo ventriculo occurrant, atque nititur ea firma ratione, quòd scilicet natura simul cibi & morbi coctioni, & febri expellendæ, vacare non possit, & propterea à morbi profligatione & coctione in paroxysmo, ad cibi coctionem auocanda non sit; quod si fiat, & morbus prolongatur, & mala symptomata oriuntur, quæ Hippocrates & Galenus, 4. *de rat. vict. in acut. text.* 39. enumerant: nimirum venter calet, fastidiunt cibum, intenduntur hypochondria, iactatur corpus propter internam turbationem, mens fixa non est, dolet æger, lancinatur, vomere affectat, & cùm mala euomuerit, dolet: &, quod præcipuum est, & è quo reliqua omnia consequuntur, cibus concoquitur, sed corrumpitur, atque ita non corpori, sed febri alimentum præbetur.

*Spatium certum definiri non potest.* Spatium tamen hoc, quod inter cibum sumptum & paroxysmum intercedere debet, variat pro ratione corporum, cibi, & febrium. Nam primò corpora alia habent calorem fortiorem, vel à morbo minùs debilitata sunt; quæ ideò cibum faciliùs concoquunt; iisque propterea breuiore, ante inuasionem febris, tempore cibum exhibere licet. Alia contra ventriculum vel ex se debilem; vel à morbo debilitatum habent; & propterea longiore tempore ad cibi coctionem indigent. Atque ea de caussa iis cibus longiore ante paroxysmum interuallo exhibendus. Secundò cibi alij aliis faciliùs, & breuiore tempore coquuntur; alij difficiliùs, & longiùs ad coctionem spatium requirunt; & propterea illos breuiore ante paroxysmum interuallo sumere licet; hos nonnisi longiore. In victu nimirum planè tenui horæ tres sufficere possunt, in tenui quoque sex præterpropter, pro ventriculi robore, & febris ratione. Nam tertiò in febribus aliis humores calidi, in aliis frigidi, in aliis biliosa, in aliis calida cruditas peccat; atq; ab illis coctio minùs, ab istis magis turbatur. Vnde in febribus biliosis cibus faciliùs coquitur, difficiliùs in quartanis. *In febribus biliosis cibus faciliùs coquitur, quàm in quartanis.* Et experientia docet, in quartanis sæpe cibum, qui sex vel septem horarum spatio ante paroxysmi inuasionem assumptus est, nihilominus crudum planè in paroxysmo, vel etiam in fine paroxysmi, vomitu reiici. Accedit hoc, quòd in febribus tempus illud inuasionis & ἐπισημασίας non semper æquale est, neque demum tum, cùm paroxysmus ægrum manifestè inuadit, natura morbum aggreditur, sed sæpe diu ante latenter id agit. In febribus quidem biliosis ἐπισημασία & inuasio illa breuior est; at in quartanis ante manifestam inuasionem diu antè natura materiam aggreditur; & propterea cùm iam ante manifestam inuasionem in morbo debellando natura occupata sit, etiam longiore ante paroxysmum interuallo cibus non exhibendus, ne natura à suo instituto auocetur. Vnde in quartana tutissimum est, sæpe tota die ante accessionem nullum cibum capere. Locum verò illum Galeni, 8.*meth.med.cap.*4. quod attinet, loquitur

quitur ibi Galenus de victu tenuiſſimo, Quæ alias Galeni hac de re mens fuerit, patet ex eo, quod mox addit: *Si verò circa veſperam, aut duabus horis citiùs, acceſſio inuadat, tum lauiſſe manè licet, tum cibaſſe.*

*An in paroxyſmo cibum exhibere liceat.*

Ab iſtâ tamen de cibandi tempore normâ quandoque deflectendum eſt, & ipſo inſtante paroxyſmo cibus exhibendus: Si nimirum virtus ſummè imbecillis ſit ex reſolutione. Vt enim ſuprà dictum, vires debiles eſſe poſſunt vel ex reſolutione & alimenti penuriâ, vel ex ſuffocatione aut morbi vehementia. Si ob poſteriores cauſas virtus ſit debilis, commodiſſimum tempus cibi exhibendi eſt declinatio vel interuallum, vt dictum. Si autē priore de causâ virtus ſit labefactata, & per inſignem aliquam euacuationem ſit debilitata, aut ob inediam collabatur: nonnunquam ante acceſſionem, vel in ipſo paroxyſmi principio, vel etiam in ſtatu cibum exhibere conuenit.

Reliqua, quæ ad cibum moderandum pertinent, propoſuit Hip. 1. *aph.* 17. dum inquit. *Quibus etiam ſemel & bis, & plus minúſue, & gradatim præbere cibum conueniat, ſpectandum. Dandum verò aliquid tempori, regioni, ætati, & conſuetudini.*

Cùm enim virtus nonnunquam ſit debilis, nonnunquam medio modo ſe habeat, nonnunquam ſit robuſta; morbus etiam aut cum humorum defectu aut copiâ, aut corruptione coniunctus ſit: vires fortes copioſum alimentum tolerant, debiles paucum, mediocres mediocre; & humorum defectus copioſum alimentum, vt inſtauretur, requirit; copia verò paucum, & corruptio humorum, vt malitia eorum temperetur, plenius alimentum poſtulat. Hinc ſi vires ægri ſint debiles, cum defectu humorum vel corruptione, parum alimenti, ſed ſæpius præbendum eſt. Si verò vires ſint debiles, nullus autem humorum defectus, neque corruptio inſignis adſit, ſed humores moderatè ſecundùm naturam ſeſe habeant vel etiam abundent, rarò & parciùs tales nutriendi ſunt, & multò magis, ſi cum virium robore humores abundent. Si autem cum humorum defectu vel corruptione vires adhuc fortes ſint, tunc copioſiùs & ſæpe alendum eſt. Quòd ſi acceſſiones non permiſerint, & ſæpius cibandi occaſio non ſit, rariùs plura alimenta exhibebimus.

*Potus in febribus.*

Non minor, imò ferè maior, per febres POTVS, quàm cibi cura habenda eſt. Nam cibos plerumque febricitantes auerſantur, & non niſi inuiti ſumunt: potum autem auidè expetunt, & in febre plerumque perit fames, creſcit ſitis. Qua de causâ etiam potus liberalior, quàm cibus, concedi poteſt. Ex cibo enim plerumque ad morbi materiam aliquid accedit; & proinde cibus ſemper à morbo prohibetur. Ex potu autem refrigerante miteſcit calor, ſiccitas prohibetur: Faciliùs quoque potulenta concoquuntur, quàm cibi; celeriùs reficiunt, & minùs grauant.

*Modus in potu ſeruandus. In continuis.*

In potu tamen etiam modus adhibendus, ne nimio humore natura oneretur, cruditas augeatur, & coctio materiæ impediatur. Itaque in continuis febribus primis diebus parciùs potus dandus; poſterioribus autem temporibus, vbi æſtus, ſitis, & virium debilitas valde vrgent, plus potûs dandum. Valde enim ij peccant, qui ægris ardentiſſimâ febre laborantibus, & potum auidiſſimè expetentibus omnem denegant, & hoc modo natiuum humidum abſumi, corpuſque areſieri & exſiccari permittunt. Etenim in continuis febribus materia in venis cōtinēter manens magno illo æſtu corpus vrit, vt niſi potulentorum refrigeratione temperetur, non parum damni inde ægro immineat. Talibus ergo laborantibus frigidū potum præbere licet. Siccus enim ardor hoc modo temperatur, natura reficitur, & ſi coctio præceſſit, materia morbi vel ſudore, vel vomitu, vel per aluum euacuatur.

*In intermittentibus.*

In intermittentibus verò, quantum fieri poteſt, in paroxyſmo à potu abſtinendum, ægrique monendi, paroxyſmo deſinente ſitim quoque deſituram, longioremque ex potu futurum paroxyſmum, & omnino citiùs deſinere ſitire eum, qui non bibit, quàm qui bibit. Quod enim putreſcit, & corruptum eſt, in paroxyſmo ſeparari & excludi debet; quod opus humor multus remoratur. Inſtante tamen ſudore potus ad ſudores promouendos concedi poteſt. Atque ita in potu permittendo in febribus continuis magis ad morbum, calorem ſcilicet febrilem, reſpiciendum: in intermittentibus ſæpe calidum potiùs, quàm frigidum bibere præſtat; cùm citiùs ſudent, minúſque lædantur, ſi calidum, quàm ſi frigidum biberint. In vtriſque tamen neutrū negligendū.

Potus autem, qui febricitantibus conuenit, eſt aqua, decoctum hordei, cereuiſia tenuis, vinum & alia quædam, de quibus breuiter dicemus.

*Potus duplex*

Hoc tamen priùs monendum, potum, vt & cibum, conſiderari vel ſimpliciter vt potum, vel vt potum medicinalem, Potus, quatenus potus, ideò expetitur, vt eius vehiculo cibus rectè diſtribuatur, vt corpus frigiditate ac humiditate temperetur, ac præterea etiam vires corporis inſtaurentur & conſeruentur. Atque adeò potus, qui has conditiones habent, inprimis ſunt vinum & cereuiſia, & quæ his cognata ſunt. Potus autem ſi vt medicinalis conſideretur, non ſolùm, vehiculum cibo præſtare, ac vires, vbi opus eſt, conſeruare, ſed & morbo ac cauſæ morbificæ aduerſari debet. Hinc fit, vt in febribus aliis, vt & aliis temporibus, alij potûs eligendi ſint. Quò enim morbus eſt acutior & citiùs ad vigorem peruenit, tenuiore ac liquidiore cibo, ſorbitionibúſque vtimur, & propterea tum minore potûs copiâ ob cibi diſtributionem opus habemus, cùm ſorbitiones per ſe promptè diſtribuantur, & cibi potúſque vicem gerant. Accidit tamen ſæpe, vt ob febrem, quæ humiditatem conſumit & ſitim auget, plus adhuc potûs exhibendum ſit. Quantò verò vires fuerint imbecilliores, tantò magis reficiente ac nutriente potu vtendū. Quantò autē cauſa febrilis magis vrget; tantò minùs nutriēte potu opus. Quò febris fuerit intenſior, putredo maior, eò magis calidiorem potum vitabimus, & frigidiorem vſurpabimus, & quidem ratione febris humidiorem; ratione autem putredinis ſicciorem. Si autem contrariis qualitatibus materia febrilis ſit prædita, contrarium faciemus. Hinc ſi reſpicimus ad cauſam febrilem, ſæpe incidente, aperiente, abſtergente potu opus eſt, qui propterea alterandus hyſſopo, melle & ſimilibus. Quantò materia febrilis crudior eſt: tantò minùs nutriente potu, ne naturam in coctione remoremur, vtimur; modò non natura concoquens potu inſtaurari & roborari ſummè deſideret. Si materia alicui parti valde impacta eſt, refrigerantem potum non admittit. Ad diſcuſſionem enim hoc modo ineptior redditur.

Ex quibus facile colligere eſt, qui potus quibus febribus cōnueniat: de ſingulis tamen in ſpecie, vt promiſimus, dicemus.

*Aqua potus an in febribus cōueniat.*

Aquam ſimplicem quod attinet, eius potum, cum venæ ſectione, duo maxima in acutis febribus eſſe remedia, ſcribit Galenus: ſentiunt tamen de eâ alij aliter. Nonnulli eam planè reiiciunt. Sed parum rectè, cùm ad febrilem calorem mitigandum ſummam vim habeat; neque facilè viſceribus damni aliquid inferri poſſit, cùm magno calore & æſtu occupantur. Alij toto morbi decurſu aquam frigidam concedunt: qui & ipſi peccant. Coctioni enim humorū officit, & difficulter coquitur, diúque in ventre, antequā per corpus diſtribuatur, hæret, neque incīdit, neque abſtergit, neq; per ſe aluū ducit, neq; vrinam ciet. Et licèt refrigeret: tamen refrigeratio rectiùs ab iis petitur, quæ ſimul refrigerandi & meatûs aperiendi vim habent. Imò ne refrigerare quidē ſatis poterit, ſi exiguâ quātitate propinetur. Si verò copiosè propinetur; meatûs obſtruet, & cruditate auctâ morbū lōgè deteriorē efficiet. Et propterea nō niſi in acutis in ſtatu, coctione abſolutâ, concedēda.

*Frigidæ exhibendi modus.*

Alij in modo propinandi errant, qui aquæ frigidæ parùm ægris propinant. Hoc enim modo æſtum febrilem non temperant, ſed potius accendunt & augent. Paucior enim aqua à maximo febrili æſtu ſupegatur. Itaque Græci authores jubent in ſtatu, cùm feratur. Itaque Græci authores jubent in ſtatu, cùm febris acuta, ebullitio humorum, ſitis, inquietudo, cordis & arteriarum pulſatio eſt vehementiſſima, ægerque auidiſſimè eam expetit, aquam frigidam copioſè exhibere. Ita enim minùs à frigiditate læduntur viſcera, & acrior fit inter febrem aquamque pugna, & copioſior vel per vomitum, vel aluum, vel ſudorem, imò per plures vias ſæpe euacuatio. Ideò vbi venter fluxit, aut vomitus erupit poſt frigidæ potum in acutis, ſtragulis deinde corpus diligenter tegendum, donec ſudor eruperit. Atque hoc modo Antiqui frigidam, vt potum medicinalem, ſemel in ſtatu propinabant; non verò quotidianæ potionis gratiâ, neque antea eam concedebant, quàm materia cocta euacuationi apta eſſet.

In febribus tamen ſupra modum ardentibus, ac corpus liquantibus, interdum neceſſitas cogit per initia & augmentum frigidam propinare, vt caloris feruor reſtinguatur, & præternaturalis ſitis mitigetur, præſtatque, ſumptâ frigidâ febrem paulò producere, quæ tamen curari poſſit; quàm permittere, vt æger magnitudine febris ſuperetur. Hoc tamen rurſus obſeruandum, noſtris hominibus ardentiſſimas illas febres ex tenuiſſimâ & ſincerâ bile natas, rarò accidere, & proinde neceſſitatem, frigidam exhibendi tantam non eſſe.

*In aquâ exhibendâ obſeruanda.*

In aquâ tamen bibendâ quædam obſeruanda, ob quæ nunc confidentiùs eam propinare licet; nunc verò cautiùs & parciùs illa bibenda, interdum etiam planè ab eâ abſtinendum eſt. Confidentiùs propinari poteſt, vbi febris eſt magna; ætas iuuenilis, corpus boni habitûs, ſana viſcera, & vires adhuc firmæ ſunt, æſtas adeſt, & inprimis ſi æger potui aquæ eſt aſſuetus. Periculoſum verò eſt frigidam propinare iis, quibus adhuc obſtructio in viſceribus hæret, tumor & dolor, aut imbecillitas, maximè ventriculi, lienis & hepatis adeſt. Obſeruatum enim eſt, frigidâ potione gulam nonnullis ita læſam fuiſſe, vt vix deglutire potuerint; aliis ventriculum, aut iecur, aut pulmonem grauiter offenſum.

Ergò cùm aquæ frigidæ potus in febribus acutis ſua habeat commoda & incommoda, vidēdum, vtrùm plus commodi, an damni ex eius potu proueniat. Nam ſi damnum ex potu frigidæ ſit futurum exiguum, confidenter propinari poteſt. Si verò damnum ſit magnum, abſtinendum ab eâ, & potiùs aliis auxiliis vtendum. Atque hæc omnia de febribus acutis ſaltem dicta ſunt.

*Frigida potus intermittentibus non-cōuenit.*

In intermittentibus febribus verò frigidæ potus nūquam conuenit; inprimis ſi ex craſſo & tenaci humore procreentur. Craſſa enim materia, quamuis cocta nec promptè nec tutò frigidæ potu ad excretionem impellitur. Et facilè viſcera tanto æſtu, vt in continuis febribus, non laborantia frigidæ potu offenduntur.

*Aquæ electio.*

Eligenda eſt autem aqua, quæ neque limi, neque mali ſaporis, aut odoris, aut alterius labis ſit particeps; neque in ventriculo diu hæreat, eum inflet, & grauet; ſed quæ facile alteretur: quod ex iis, quæ in eâ coquuntur, cognoſcitur. Nam in bonis aquis res omnes facilè elixantur; in prauis verò tardiùs. Si autem aqua naturâ ſuâ talis non ſit, priùs coquenda eſt, poſt coctionem verò, quod graue eſt, vbi aqua refrigerata fuerit, ſubſidet. Nonnulli deſtillādo potiùs, quàm coquēdo aquas crudas corrigunt.

*Aquæ correctio.*

Interdum, ne flatibus repleatur ventriculus, aniſum, fœniculum, cinamomum, aut piper, exiguâ tamen quantitate, ne febris intendatur, in aquâ coquitur. Nonnunquam exiguam vini quantitatem admiſcere licet, vt aqua & guſtui gratior reddatur & faciliùs diſtribuatur.

Verùm cùm aquæ nec omnes ſint aſſueti, nec eadem omnibus grata ſit, de potionibus ægris iucundis aliis, Medici ſunt ſolliciti. Nam, vt Aëtius, *tetrab. 2. ſerm. . cap. 131.* habet, duplex robur, & admirandum ſimul auxilium exhibet id, quod etiam naturæ, ob iucunditatē, gratum exiſtit. Venter enim, vbi quod blandum eſt, ſuſcepit & in ſe complexus eſt, tenet & probè concoquit prò viribus, maximè ſi fuerit quantitate moderatum. Excitatur enim ſæpe natura, & actiones ab affectuum feritate miſerè afflictas ſuſcitat, ac morbo repugnat duplici modo, ipſum quidem morbum palàm contrarietatis naturâ caſtigans, vires autem animal gubernantes conſolans & excitans ac fortificans ad ſuperandum morbum.

*Decoctum hordei.*

Frequenter alteratur aqua hordeo quæ inde decoctum hordei, vel aqua hordei appellatur. Coquitur nimirum hordeum, donec turgeſcat & rumpatur; quod decoctum magis nutrit, quàm aquà ſimplex, ſimulque attenuat, incidit, & ſudores ac vrinam mouet. Verùm quia flatulenta eſt, & in ventriculo facilè aceſcit, alteratur plerumque paſſulis, glycyrrhizâ, ſem. aniſi, fœnic. cinamomo, ſaccharo; vt ℞. decocti hordei ſ. ℔. iij. ſacch. ℥. j cinamomi ʒ. j. M.

*Iulebi.*

Fit & ex aquâ admixtione ſacch. vel ſyrupi, potus dilutior, quem Iulebum vulgò appellitant. E. g. ℞ aq. coct. ℔. iij. ſacch. ℥. j. ß. cinamomi ʒ. ij vel. iij. Coq. & per manicam Hip. traiiciantur. Vel aquæ coctæ aut deſtillatis aquis ſyrupus acetoſus ſ. Oxymel, Iulebus roſarum vel violarum, vel ſuccus citri, pro febris ratione, admiſcetur: interdum etiam ſpir. vitriol. ad gratam aciditatem additur. Poteſt & ſalis nitri ſeu præparati, ſeu, vt aliis non ſine causâ videtur, crudi puriſſimi momentum in Aquâ diſſolui. De quo vide Andr. Libauium. *Apoc. Hermetica part. prior. cap. 17.* Fiunt & ex conſeruis Iulebi grati. V. G.

℞. *Conſeru. roſar.* ℥. j. ß. *violar.* ℥. j *bugloſſ.* ℥. ß.

Diſſolu. in aq. coctâ vel aquâ hordei ſ. additis etiam, ſi libet, aquis endiuiæ, acetoſæ, cardui benedicti: colentur & per manicam Hipp. traiiciantur, vt fiat potus clarus; cui aliquot guttas ſpir. vitriol. addere licet. Videantur etiam Inſtitut. *lib. 5. part. 3. ſect. 3. cap. 7.*

Aëtius allegato loco plures etiam potiones proponit, quæ ibi videri poſſunt.

*Aqua mulſa.*

Paratur ex melle & aquâ, mulſa dicta, quæ vires habet incîdendi, & obſtructiones aperiendi, ſed ob mel, febrem accendere poteſt. Ideóque ſaltem conuenit in febribus pituitoſis, non verò in acutis & bilioſis. Quantò autem magis aquoſa eſt & minus mellis habet, eò minùs calefacit.

*Oxymel.*

Ex melle, aceto & aquâ paratur oxymel, potus febribus commodior, quàm hydromel ſeu aqua mulſa. Acetum enim, vt Hip. *3. de rat. vict. in ac. t. 30.* ſcribit, damnum, quod ex melle prouenire poteſt, corrigit, & ne in bilem facilè mutetur, prohibet. Verùm cùm de oxymelite pluribus dictum ſit, *lib. 5. Inſt. p. 3. ſect. 3. cap. 4.* actum hoc loco agere nolo. Poteſt loco oxymelitis, ſyrupus acetoſus ſ. ſubſtitui, & conueniente liquore dilui, vt formam Iulepi acquirat.

*Emulſiones.*

Fiunt & ex ſem. frigidis maioribus dictis Emulſiones appellatæ, cum decocto hordei vel furfurum vel aquis deſtillatis; in quibus interdum rad. petroſelini vel fœniculi concoquere priùs licet. Adduntur ſaporis gratiâ amyd. dulces, vel ſomni causâ, ſemina papau. albi: dulcoratur emulſio facta, ſi opus eſt, rotulis manûs Chriſti, vel julebo roſar. aut viol. E. G.

℞. *Amygd. dulc. excort.* ℥. ß. *Sem. 4. frig. mai. excort.* ā. ʒ. j. ß. *Aqua hordei cum ſacch. & cinamomo.* ℔. ij. F. ſ. a. Emulſio. Vel aquæ hordei loco ſumatur decoctum furfurum, & Emulſio dulcoretur iulebo roſar. vel violar.

Nonnunquam etiam Cornu Cerui ac margaritæ, proüt opus eſt, admiſcentur.

*Cereuiſia.*

Cereuiſia, potus populis Septentrionalibus vſitatiſſimus, etiam in febribus conuenit, inprimis hordeacea. Cùm verò magna eius ſit differentia, eligenda eſt in calidioribus febribus, tenuis; in longis verò medio-

cris

cris consistentiæ, semper verò bene defecata,& quæ in visceribus non diu hæret.

*Serum lactis.* Neque incommodus potus in febribus est serum lactis, inprimis caprinum. Refrigerat enim ob partes aquosas, quibus abundat:abstergit tamen atque aluum mouet,ob quasdam salsas partes, quarum est particeps. Quia autem est flatulentum, semine anisi aut cinamomo corrigi potest.

*Vinū an febricitantibus conueniat.* De Vino, An in febribus conueniat, controuersia est. Verùm ad istam quæstionem simpliciter responderi non potest; cùm sit magna & febrium & vini differentia: nec omne vinum omnibus febribus, nec aliquod omnibus, aut nullum nullis, sed aliquod aliquibus solummodò conuenit.Febres enim,& humores à quibus febres procreantur, alij aliis sunt calidiores; nunc cocti, nunc crudi: vires nunc debiles,nunc fortes. Vinum aliud est potens, aliud tenue, aliud mediocre.Vinum,quò potentius est,eo magis nutrit,& spiritus celeriter reficit: sed calefacit,febrē & sitim auget, caput petit: Quod genus vini propterea nulli febri cōpetit.Austera quoque vina putridis febribus non competunt, cùm adstrictionē febres putridæ non ferat.

Qualia verò vina esse debeant, quæ in febribus putridis admitti possunt, docet Gal. 3. *de vict. rat. in ac. t.* 8. Aquosum vinum est febricitantibus maximè idoneum.Hoc autem colore est album,consistentiâ tenue, nullamque insignem earum, quæ cæteris vinis insunt,qualitatem habet, neque austeritatem, neque dulcedinem, neque odorem. Huic enim soli, inter omnia vina, datum est,vt aquæ & vini mala effugiat. Talia enim vina humectant, & si non refrigerant,tamen parum calefaciunt. Ac propterea febrili siccitati medentur,& coctionem adiuuant.Et tale vinū si habeatur,in intermittentibus, in assuetis potissimùm, circa coctionē,si opus sit, admitti potest.Id quod Gal.etiam docuit, 1.*ad Glauc.cap.*9.qui in exquisitâ tertianâ,incipiente coctione, vini tenuis & aquosi modicum concessit;procedente verò coctione eius quātitatem auxit. Vinum enim tale celeriùs, quàm aqua distribuitur,excretiones promouet,vires roborat, bonum sanguinem suppeditat. Et quò humor, qui febrem generat, est frigidior, eò tutiùs vinum exhiberi potest. Vnde in quartanis,diuturnis scilicet febribus, vinum citiùs cōcedi potest: cùm ad humoris sicci humectationem, crassi attenuationē faciat,vitésque,quæ in longitudine morbi deiiciuntur,custodiat.In continuis verò quia calor magis vrget, tutius est coctionem & manifestam declinationem expectare, antequam vinum propinetur; nisi forsan summa virium imbecillitas magis vrgeat,quàm febris.

Verùm quia talia vina non vbiuis obuia, & semper in promptu sunt; & Septentrionales nostri plerumque magis cereuisiæ, quàm vino sunt assueti:antequā manifesta coctionis signa adfuerint, nec in intermittentibus vinum facilè concedi debet,& illud quidem ὀλιγοφόρον, aut aquâ dilutum.

In febribus autem continuis, etsi declinatio adsit, si tamen calor adhuc sit intensior, & corpus calidum ac siccum, à vino abstinere tutius est; nisi insignis virium debilitas id requirat.Tria enim semper in continuis febribus, vt vinum propinetur, requiruntur, vt virium imbecillitas adsit, vt calor febrilis non sit intensus,vt materiæ cruditas id non prohibeat; è quibus conditionibus si vna desit,tutò vinum non permittitur.Sicut nec si deliria, capitis dolor, vel similes affectiones adsint.Vinum enim suâ tenuitate & caliditate crudā materiam per vniuersum corpus deducit, febrem auget& inprimis caput petit. Verùm qui plura legere cupit de vsu vini in febribus,consulat prolixè hac de re disputantem Ioh. Bapt.Syluaticum.*contr.* 12.

*Aër qualis in febribus esse debeat.* Post cibum & potum in diæta maxima ratio habenda est Aëris,vtpote quem cōtinuò spiritu ducimus, & quo ne momento carere possumus. Cùm autē aër & calorem nostrum temperet,& materiam spiritibus præbeat, primò eligendus est aër purus & nullis vaporibus impuris inquinatus. Deinde qualitatem eius quod attinet, cauendum, ne aër, quem attrahunt febricitantes, sit calidior, præsertim tempore æstiuo, ne febrilem intemperiem augeat; sed sit potiùs frigidus,vt febri aduersetur. Atque si talis aër à natura nobis non suppeditatur, præparandus est arte, domúsque & cubicula eligenda, quæ versùs septentrionem spectant; pauimenta frigidâ conspergenda,& per eadem flores & herbæ frigidæ spargendæ. Tempore hyberno temperatus sit. Illud tamen cauendum, ne aër, si frigidior sit, corpori nudo occurrat, eius poros claudat,discussionem vaporum putridorum prohibeat, calorem ad interiora propellat, sudorésque impediat:sed potiùs æger stragulis leuibus tegendus est, vt calor ad ambitum corporis trahatur, & fuliginosis excrementis per patentes poros liber exitus pateat.

*Somnus in febribus putridis.* Somnus in febribus putridis summè vtilis.Multum enim ad coquendos humores vitiosos facit, calorem natiuum auget, virésque roborat. Non tamen sit nimius, ne calor natiuus obruatur, & excrementorum dissipatio ac euacuatio impediatur.Cùm autem in somno calor ad interna reuocetur, in initio paroxysmi à somno abstinendum,ne calor natiuus, humoribus ad interiora nimis retractis,obruatur.

Quies febri putridâ laborantibus commodissima est, & iis non nisi leuis æmbulatio,aut frictiones cōueniūt, reprehenditque iure Hippocrates Prodicum, 6. *epid. comm.*3.*t.*31.quòd febricitantes cursibus, & similibus exercitiis nimiis interfecerit.

Danda quoque opera est,ne excrementa,quæ expelli debent,præter naturam retineantur, sed debito modo & tempore expellantur.Retenta enim calorem natiuum suffocant.Contrà videndum, ne immodica aliqua euacuatio vires exhauriat.

Affectûs denique animi tranquilli sint in febribus, iucundisque rebus febricitantium animus recreandus, vt spiritûs vitales erigantur;tristitia autem,& ira inprimis,tanquam hostes infensissimi,vitandi.

## CAPVT X.

### *De Febrium putridarum differentiis.*

Atque hæc de febribus putridis in genere dicta sint: iam in specie de iis agendum.Quot autem earum sint differentiæ supra breuibus dictum, quæ vt clariora euadant,paulò pluribus earum ratio reddenda & vnde eæ pendeant, videndum.Petuntur autem præcipuè & ad curationem maximè vtiles differentiæ à materiâ putrescente;& loco putredinis.

*Febrilis materiæ differētia.* Materiam quod attinet,dictum est supra, febres oriri vel à sanguine, vel bile, vel pituitâ,vel melancholiâ: vbi tamen serum seu ichorem potiùs inclusimus. Equidem in omni corpore aliquid humoris aquei sanguini permixtum est, quod ὄχημα τροφῆς est:verùm si illud abundet, & præcipuè si prauæ ac tenuis alicuius humiditatis aliquid ei admisceatur, præter naturam est, & malum, sanguinemque talem ἰχωροειδῆ appellat Hippocrates,6.*epid.comm.*2.*t.*38.Et quidem, vt Galenus *in comment.* addit, ab Hippocrate non simpliciter tenuis & aquosus sanguis ἰχωροειδὴς nominatur, sed qui prauam ac tenuem humiditatem obtinet,qui ichor propterea malus est, febribusque facilè occasionem præbet.Humidum enim aqueum est maximè putredini obnoxium, resque, quæ eo abundant, putredini obnoxias reddit; quæ verò eo destituuntur, & in quibus humiditas aquea exsiccata est,nō ita facile putrescunt.Vnde etiam is sanguis faciliùs putrescit.

*Serum febriū causa.*

*Febris ephemera an à fere sāguinis,* Imò vt hoc iis, quæ suprà de febribus ephemeris dicta sunt,addamus, Carolus Piso in eâ est sententiâ, febres, quæ ephemeræ dicuntur, & vulgò à

 spiritibus

*an verò à spiritum incensione fiat.*

spiritibus accensis prouenire statuuntur, omnes à serosa sanguinis venosi aut arteriosi parte ebulliente, & multò magis synocham sine putredine ortum habere, etsi spiritûs vitales succendiculi siue causæ internæ rationem habere possint, quæ principium feruoris seroso humori suppeditet. Quam suam sententiam probat his rationibus, Primò quia in febre diariâ calor quidam blandus & halituosus deprehenditur, quæ caloris lenitas subiecti halituosi, & vaporosi, aquei putà, non ignei index est. Deinde pulsus parum mutatur, scilicet in magnitudine, celeritate & crebritate, in aliis verò naturalem æqualitatem seruat: quod fieri non posset, si spiritûs ita incalescerent, &, quod fieri necesse est, insigniter dissiparentur. Tertiò quia nulla grauia symptomata in diariis accidunt, quod indicio est, non spiritûs, sed humorem aliquem tenuem & benignum solùm incalescere, qualis serosus est. Quartò id etiam testantur vrinæ, quæ sanorum similes sunt, quæ morbis à pleonexiâ serosâ excitatis propriæ sunt, teste Galeno 2. *de Crisi.capite* 3. cùm à spirituum incendio vrinæ quasi fulgorem & flammeum colorem accipiant. Quintò idem solutio febrium diariarum probat, quæ cum sudore & madore quodam fit, quod non spirituum incensorum, sed humoris aquei efferuescentis indicium est. Idem causæ, quæ febrem ephemeram inducunt, euincere videntur, quæ omnes euidentes aut manifestæ sunt, quæ Spiritûs agitant, vnà tamen etiam sanguinem, & præcipuè serosam eius partem afficiunt. Et proinde quia Spiritûs in perpetuâ generatione sunt, etsi, qui præsentes sunt, calefiant, v. g. ab irâ: tamen qui postea generantur sedato animi motu minùs feruidi sunt, atque ita calor præter naturam ab ira accensus per diem naturalem durare posse non videtur, sed aliam quandam substantiam, quæ à spirituum feruore calefacta calorem integro die retinere possit, incalescere credibile est. Quæ omnia confirmant ephemeræ plurium dierum, & quæ erysipelata comitantur.

*Synocharum febrium causa.*

Idem febres illas synochas seu continentes dictas, quæ nullas periodos & exacerbationes atque remissiones habent, omnes ab humore seroso seu sanguine seroso prouenire statuit, copiosiùs scilicet redundante & vehementiùs incalescente: & quidem in synochâ non putri absque putredine, in synochâ putri cum putredine. Nam Synocha non putris oritur à causis vehementioribus, quàm quas habet ephemera simplex. Ideóque incidere in eam docet corpora, quæ sanguine seroso abundant, & ab iis causis, quæ plethoram serosam inducere possunt & arguunt: ideo quòd faciliùs sanguis serosus ac tenuis feruorem concipere potest, eundémque rursum deponere, quàm sanguinis massa crassior. Nam febris hæc & lassitudo ipsi coniuncta, vel per διαφόρησιν vel per sudorem sine insigni aliqua euacuatione soluitur.

Si verò vis causæ maior sit, & venarum obstructio & constipatio maior, vt effluuium fuliginosum copiosiùs cumuletur, synocham putridam excitari docet, serosâ præcipuè sanguinis parte putredinem concipiente. Vnde calor est mitior, & similis calori, qui in balneo concitatur. Hasque febres lassitudines & varij dolores, externum sæpe corporis habitum occupantes, comitantur. Humores enim tenues ac serosi in extremitates vasorum pelluntur, & vlteriùs progredi non valentes ibi sistuntur, vnitatémque in partibus membranosis soluendo dolorem excitant.

Atque ita omnes febres, seu breues sint, seu diutiùs protrahantur, quæ continuitatem quandam æqualem seruant, & nec singulis, nec alternis, nec quarto die exacerbantur (etsi obscuros quosdam motus, Lunæ motibus, imperium in humores aquosos habentis respondentes obseruent) ab humore aquoso & seroso, seu putrescente, seu non putrescente oriri docet.

Verùm etsi cuilibet de hac C. Pisonis opinione suum iudicium relinquamus: tamen non adeò vero consentaneum videtur, febres ephemeras & synochas sine putredine ab inflammatione & accensione fieri prouenire. Etenim cùm serum sit humor aqueus, salsas quasdam partes admixtas habens, non video quomodo tam promptus ad inflammationem & accensionem esse possit. Et si quid omnino probant rationes C. Pisonis, hoc potiùs probant, ephemeras à fuliginibus quibusdam subtilibus & pinguibus sanguinis accensis oriri. A quibus potiùs quàm à Spiritibus vitalibus si quis deducere voluerit febres ephemeras, cum eo multum non litigabo.

Ita etiam vero consentaneum non est, Synochas non putres prouenire à sanguine seroso: cùm in tales febres incidant corpora plethorica, in quibus bonus, non serosus sanguis abundat.

Hoc magis probabile est, serũ vel ichorẽ, seu sanguini, seu aliis humoribus permixtũ ad putredinẽ faciliùs suscipiẽdã occasionem præbere; præcipuè si sit impurius.

*Febrium putridarũ differentia ratione materiæ.*

Sed his, quæ de Car. Pisonis sententiâ diximus, missis, febrium putridarum differentias explicemus. Differentiam ratione materiæ quod attinet, omnes febres, seu breues sint, seu diutiùs protrahantur, quæ continuitatem quandam æqualem seruant, & nec singulis, nec alternis, nec quarto die exacerbantur, à sanguine putrescente ortum habent.

Quæ verò febres ab humore bilioso, pituitoso vel melancholico oriuntur, eæ omnes suas periodos habent, seu continuæ sint, seu intermittentes; & statis temporibus vel planè intermittunt, vel exacerbatur & remittunt.

Præter febres tamen has, quæ à sanguine, bile, pituitâ, melancholiâ, oriuntur, dantur adhuc aliæ, quæ & ipsæ sunt continuæ, sed quia nec à bile, nec à pituitâ, nec à melancholiâ, à quibus humoribus ortæ febres periodos habent, proueniunt, periodos certas nullas habent, & licèt exacerbentur quandoque, nullo tamen certo ordine id accidit. Tales febres non solùm sunt symptomaticæ illæ, quæ à partis alicuius inflammatione, vel vlcere aut fistulâ ac putredine ortum habent; sed & quæ à vermibus, lacte corrupto in infantibus, sanguine concreto extra vasa putrescente oriuntur, sicut eius rei exemplum habet Zechius, *consul*.46. in quodam infante nobili, qui febre continuâ cum grauissimis symptomatibus ex sanguine, dum linguæ frenum sectione ipsi laxaretur, in ventriculũ illapso, ibique putrescente, correptus fuit. Imò consentaneum videtur, sicut sanguis dum in venâ cauâ putrescit, febrium synocharum, quæ nullas periodos habent, causa est, ita sanguinem illum inperfectiorẽ, si in venis meseraicis putrescat, febres continuas, nunc lentas, nunc etiam grauibus symptomatibus molestas, pro modo corruptionis, excitare; quæ febres etsi ob locum à corde remotiorem interdum nonnihil exacerbari, vel remittere videantur, nullas tamen periodos certas obseruant, sed inordinati sunt illi motûs. Tales febres si lẽtæ sunt & diuturnæ, sæpe pro hecticis, sed falsò habẽtur. Talis procul dubio fuit illa febris, quã Zechius, *consul*. 2. pro hecticâ habet, sed malè. Neque enim credibile est, hecticam posse esse in corporis habitu molli & laxo, & qui in œdema vniuersale quasi, vt loquitur, degenerat,

*Febrium putridarũ differentia ratione loci.*

Atque hæ sunt febrium differentiæ à materiæ diuersitate petitæ. Locum verò quod attinet, Febrium equidem putridarum causa proxima est vapor putridus calidus sanguini & spiritibus permixtus, omnesque corporis partes calefaciẽs, & omnino nihil est in toto corpore, quod id vniuersum calefacere possit, nisi priùs sanguinem & spiritûs calefaciat. His enim calefactis, partibus solidis calor communicatur.

*Materia in vasis putrescens.*

Materia autem è qua vapores putridi generantur, vel continetur in vasis, vel extra vasa. Vasorũ sunt duo genera, Vena Caua & arteria cũ suis ramis in vniuersũ corpus

corpùs distributis, & venæ mesaraicæ, quæ sanguinem imperfectiorem è chylo modò elaboratum continent, quæ ventriculo, intestinis, mesenterio ac reliquis partibus vicinis inseruntur. Etsi verò hæc duo vasorum genera per insignes ἀναστομώσεις consentiant: tamen ita inuicem separata sunt, vt ex vno vasorum genere in aliud sanguis confertim fluere non possit, nisi feruorem quendam conceperit, aut naturæ irritatæ operâ id fiat. Vapores tamen & fuligines è mesaraicis in cauam non ita difficulter penetrare possunt. In venâ cauâ dum sanguis putrescit, febres continuas omnes excitat, quarum aliæ synochæ seu continentes, aliæ continuæ nomine generis, & continuæ periodicæ nominantur. Vbi verò putredo est in venis mesaraicis, sanguis in venâ cauâ non primò afficitur, sed per consensum saltem sanguinis illius in venis mesaraicis putrescentis incalescit, & non ipse putrescit, sed putridos saltem vapores & humorum putridorum aliquid permixtum habet, quod tempore paroxysmi iterum discutitur.

Humores autem excrementitij in venis mesaraicis putrescentes febrium intermittentium causa sunt. Verùm non absurdum videtur, continuas etiam sanguine in venis mesaraicis putrescente excitari posse. Nam & sanguis in venis mesaraicis aptus est æquè ad putredinem, & forsan magis, quàm qui in venâ cauâ continetur. Neque causæ putredinis, obstructiones scilicet venarum & aliæ, desunt. Itaque & sanguinem illum imperfectiorem in iis putrescentem febres continuas excitare posse credibile. Verùm quia locus ille à corde remotior est, nec vapores continuò eâdem copiâ semper ad cor penetrare possunt, calor ille etiam non ita æqualis est, febrésque sunt magis lentæ, vt antea dictum.

Intermittentes verò febres magis notæ sunt, quæ oriuntur, cùm humores biliosi, melancholici, pituitosi sanguini illi imperfectiori in venis mesaraicis permixti putrescunt. Si nimirum in venis portæ hepaticæ cumuletur bilis & ibi putrescat, tertianæ intermittentes oriuntur: si verò in ramis portæ splenneticæ humor melancholicus putrescat, quartana inde excitatur.

*Cur tertianæ sint breuiores, quàm quartanæ.*

Cur autem tertianæ sint breuiores, paucioréſque habeant paroxysmos, quàm quartanæ, & cur paroxysmi in intermittentibus reuertantur, hanc causam affert Car. Piso, quia rami portæ hepaticæ insignes septem sint, & sanguine ac febris causâ in vno ex illis ramis putredine absumptâ febris exstinguatur: quia tamen sanguis, qui in proximo vase latet, incalescit & inde putredinem concipit, die tertio iterum redeat febris. Quia verò sanguis in liene confectus per portam splenicam diffunditur in multò plures ramos, gastricos scilicet, epiploicos, gastrepiploicos & alios, statuit, si humor in vno ramo putredine absumptus intermissionem facit, putredinem etiam proximis vasis communicari, sed longiore tempore, propter resistentiam humoris maiorem: hinc qui recurrunt paroxysmi, numerosos quidem esse, multitudini vasorum, in quibus sanguis successiuè putrescit, respondentes, sed interuallum longum, hoc est plurium dierum. Verùm malo hîc aliis Medicis, & inter eos etiam Pio Æn. Caprilio assentiri, qui statuunt, etiam in pluribus paroxysmis humorem febris causam in vno loco putrescere, docéntque simplices febres, verb. gr. tertianas excitari, quando ex vno fomite materia febrilis protruditur; duas vel tres, quando ex duobus vel tribus. Neque enim numero venarum portæ hepaticæ respondet semper numerus paroxysmorum tertianæ, neque quartanæ paroxysmi numero ramorum portæ spleneticæ. Videmúsque ex febre simplici duplicem vel triplicem reddi posse, si intempestiuo purgantium vel sudoriferorum vsu causa febris, quæ in vno loco continebatur, mota saltem & non euacuata in plura loca distribuatur. Fitque recursus, cùm causa febrilis, quæ vno in loco continetur, in paroxysmis non planè excutitur, sed περίττωμα σποδοειδὲς relinquitur, quod noui paroxysmi causa est.

*Materia extra vasa putrescens.*

Extra verò vasa materia putrescens etiam febres excitat, dum ex iis vapores putridi venis & arteriis communicantur. Sunt autem hæ febres omnes continuæ, nec statas periodos habent. Tales febres sunt omnes symptomaticæ in genere dictæ; & primò symptomaticæ in specie dictæ, quæ ex partium certarum inflammationibus proueniunt, in quibus etsi pars aliqua in vasis capillaribus parti inflammatæ insertis continetur, pars tamen etiam in spatia partis effunditur. Deinde quæ lentæ dicuntur, ex pertinacibus viscerum obstructionibus ortæ. Tertiò quæ ex putredine alicuius partis proueniunt. Quartò quæ ex lacte corrupto in infantibus, ex vermibus, sanguine extra vasa putrescente, quod interdum in contusionibus capitis, vt & aliis locis accidit, originem habent, quæ item puerperis accidunt, vt & quæ catarrhos comitantur & catarrhales dicuntur. Possunt tamen etiam Catarrhales febres fieri, dum natura stimulata materiæ partem per hanc viam expellit.

*Febres Comitata.*

Sciendum enim hîc, adhuc aliud continuarum genus dari, quod Platerus Comitatas appellat, quæ fiunt, vbi putredine in venis excitatâ & febre accensâ, Natura partem vitiosorum humorum vel è corpore expellere, vel è vasis maioribus in minores & ambitum corporis vel in partem determinatam depellere solet. E corpore expellere nititur Natura materiam in diarrhœâ, dysenteriâ, Catarrhis, qui morbi cum febribus suis epidemij ferè esse solent. Ad ambitum corporis in febribus expellit Natura materiam in variolis, morbillis, petechiis, doloribus vagis. Ad determinatas partes in pleuritide, anginâ, peripneumoniâ, phrenitide, erysipelate seu Rosâ, Arthrit. Atque hæ febres nunc sunt synochæ, neque vllam exacerbationem vel remissionem habent, nunc statis periodis exacerbantur, pro peccantis humoris ratione, etsi ad ἀπυρεξίαν non deueniant.

*Sanguis interdum in febricitantibus in venis absumitur.*

Hisce, quæ de febrium putridarum differentiis paulò fusiùs docere voluimus, vnum adhuc, quod iis, quæ suprà de symptomatibus febrium putridarum diximus, addendum censemus, subiungere libet: Cur nimirum febribus lethalibus correpti ante mortem habeant pulsûs ordinatiores, & à febre quasi liberi deprehendantur, & ad mentem, quâ antea delirantes erant alienati, redeant. Accidit hoc ob sanguinis & spirituum in venis & arteriis absumptionem. Nam refert Ioh. Argenterius, in Gal. *in lib. 1. de feb. ad Glaucon. cap. 2.* in cuiusdam febre exstincti cadauere ne guttam sanguinis in venis fuisse repertam. Ita scribit Adr. Spigelius, *de semitert. lib. 1. cap. 15.* in quodam febre exstincto venas maiores circa hepar sanguine euacuatas repertas fuisse. Et *ibid. cap. 16.* venam cauam & arteriam magnam sic vacuam fuisse sanguine, vt non opus fuerit filo venam cauam & portæ truncum, dum exenteraretur, intercipere.

## CAPVT XI.

### *De febre putrida, continua primaria; & primò de Synocha.*

*Febris putrida continua primaria.*

SEd vt iam in specie de febribus putridis, & quidem primò de continuis primariis agamus: febris continua primaria est, quæ ad ἀπυρεξίαν, antequam planè soluitur, non peruenit. Ortum habet ex putredine humorum in venæ cauæ & arteriæ vasis maioribus continuâ. Vt enim febrium putridarum in genere continens causa est vapor putridus, seu calor ille ex putredine humorum ortus calorémque cordis igneum reddens: ita in specie continens causa continuarum est

eſt calor ex humoribus in vaſis maioribus putreſcentibus natus continuus. Nam ſi in hiſce amplis & per totum corpus diſperſis ac cordi continuatis vaſis humores putreſcant, & inde vapores putridi, vel etiam humoris putridi portiones aliquæ aſſiduò ad cor mittantur, etiam calor continuus excitatur, neque febris ad ἀπυρεξίαν peruenit, antequam quicquid putridi & vitioſi eſt in humoribus, abſumptum & euacuatum ſit.

*Febris continua ab intermittente differentia.*

Atque hanc febrem ab intermittentibus diſcernere non difficile eſt. Antequam enim planè ſoluitur, ad ἀπυρεξίαν nunquam peruenit. Deinde neque ſingulis, neque alternis diebus, neque longiore periodo cum rigore aut refrigeratione, vt intermittentes, aduenit: Neque etiam ſingulæ acceſſiones vomitibus, ſudoribus, aut aliis euacuationibus, id quod fit in intermittentibus, ſed ferè tandem criticâ euacuatione finiũtur. Accidere quidem poteſt, vt etiam in febribus continuis, præcipuè in earum initio, vomitûs contingant; id quod euenit, cùm in ventriculo, & vicinis corrupta alimenta & vitioſi humores continentur, qui, etſi febris primaria cauſa non ſunt, à calore tamen febrili commoti eam augent, aut certè ſymptomatibus quibuſdam, vt nauſeâ, vomitu, anguſtiis cordis eam exaſperant. Verùm in morbi progreſſu vomitûs iſti ceſſant. Ac licèt in quibuſdam febribus, quæ continuæ videntur, rigor & horror ſtatis diebus redire ſoleant: tamen illæ febres ſimpliciter continuæ non ſunt, ſed compoſitæ, & ex intermittentibus ac continuis complicatæ, vt ſuo loco dicetur.

*Febres continuæ primariæ duplices.*

Febrium autem putridarum continuarum primariarum duplex eſt differentia. Aliæ ſine vlla remiſſione vel exacerbatione à principio vſque ad finem continuò durant: Aliæ ſunt, in quibus quidem calor febrilis, antequam febris integrè ſoluitur, nunquam planè intermittit, certis tamen periodis excandeſcit & intenditur. Nomina quod attinet, de iis Galenus, 1. *epid. comm. 3 tit. 2* monet, non ſemper iiſdem nominibus fuiſſe appellatas, dum ita ſcribit: *Bifariam veteres vti videntur continui nomine & intermittentis. Nam continuas vocant febres quandoque omnes, quæ nullum tempus liberum habent acceſſione; quandoque non omnes, quæ acceſſione nunquam vacant, ſed ſolas præcipuè illas, quæ omni carent vſque ad iudicium mutatione. Ita intermittentes appellant ſolas illas, quæ acceſſionem perpetuam non habent; interdum eas, quarum non recedit acceſſio, ſed inſignes faciunt mutationes ſingularum acceſſionum in initium, incrementum, vigorem, & remiſſionem. At Medici quidam iuniores, quæ non magnam mutationem habent, non continuas, id eſt,* συνεχεῖς *ſed* συνόχους *nominant: Continuas autem has ſolas, quæ non veniunt ad integritatem, & intermittunt ſingulis acceſſionibus. Has vocant antiqui interdum continuas, interdum continentes. Nam ſunt ferè inter continuas & deſinentes in* ἀπυρεξίαν *media. Proinde rectè, cùm* συνόχοις *conferuntur, intermittentes appellantur; cùm ad integritatem venientibus, continuæ.* Ex quo Galeni loco apparet, febres συνεχεῖς, id eſt, continuas, in ſpecie ita dictas, ab antiquis modò continuas, modò intermittentes fuiſſe appellatas. Ex eodem etiam manifeſtum euadit, τοῦ συνόχου nomen Hippoc. & antiquis Medicis non fuiſſe in vſu, ſed iuniorum potiùs poſt Hippocratem inuentum, qui, vt idem Galenus, 9. *meth. med. cap. 2.* docet, nomine quidem Græco vſi non ſunt, cæterùm ſolœciſmum potiùs committendum rati, quàm formam ipſam ſine nomine relinquendam. Atque iſta appellatio à recentioribus Medicis inuenta, à poſterioribus omnibus accepta, & vſurpata eſt; & proinde hodie febres, quæ ſine omni caloris intenſione & remiſſione vſque ad finem durant, σύνοχοι πυρετοὶ, continentes febres: quæ verò quidem continuò durant; ſed tamen aliquam caloris intenſionem & remiſſionem habent, continuæ ſeu συνεχεῖς nomine generis, appellantur.

## *De Febribus Synochis.*

*Febris Synocha.*

Vt autem primo loco de febribus Synochis ſeu continentibus agamus, eſt *febris Synocha putrida continua, quæ ſine omni remiſſione & intenſione periodicâ à principio vſque ad finem affligit, à ſanguinis in venâ cauâ putredine orta.* Eſt enim huius febris, communi Medicorum ſententiâ, cauſa putredo humorum in vaſis omnibus, aut certè maioribus & cordi vicinis. Nam cùm in hac febre nulla remiſſio ſentiatur, neceſſum eſt vapores putridos pari impetu & vehementiâ continuò cordi communicari: id quod fieri non poteſt, niſi humores vel in omnibus venis putreſcant æqualiter; vel certè in vaſis cordi vicinioribus.

*An febres Synochæ è vaſis determinatis ortum habeant.*

Diſputat quidem hac de re Hercules Saxonia, *lib. 8. pract. cap. 6.* & pluribus probare nititur, febres continentes poſſe fieri, non tantùm ex vaſis communibus, ſed etiam ex vaſis determinatis, atque aliquando febres continuas ab inflammatione vel eryſipelate, vel abſceſſu, vel ſcirrho, vel putredine partis determinatæ proficiſci: quia ſcilicet venæ pulmonis, oris ventriculi, & hepatis ſint cordi propinquæ, & continuò vapores putridi, ſine omni remiſſione, inde ad cor mitti poſſint. Deinde plurima Galeni loca allegat, in quibus febres continentes ex vteri, ventriculi, hepatis, membranarum, cerebri inflammatione & eryſipelate fieri docet: Et proinde quando ſolas febres continentes ex putredine humorum in vaſis communibus & maximis fieri dicit, inter vaſa maxima etiam vaſa pulmonis, hepatis, ventriculi, & vteri reponenda cenſet.

Verumenimuerò prolixa hac de re diſputatione opus eſſe non videtur. Nam vix aliquis, opinor Medicorum eſt, qui neget, ex inflammatione partium, quibus maiora vaſa obtigerunt, tales febres oriri poſſe: Verùm eas Symptomaticas eſſe, de quibus ſuo loco dicetur, non autem primarias, de quibus iam agimus, antea dictum eſt, & morbus tum non tam à febre, quàm ab ipsâ parte affectâ denominationem ſortitur. Sed præter has ſunt aliæ febres, quas Platerus rectè Comitatas potiùs, quàm Symptomaticas dicendas putat, de quibus infrà in febribus Symptomaticis dicemus, quæ non oriuntur ex partis determinatæ inflammatione, ſed quæ potiùs inflammationi in parte aliquâ cauſam præbent, cùm ſcilicet Natura partem aliquam humoris in quampiam partem effundit, vnde in eâ parte nouus morbus excitatur. Et ſi omninò ſint febres aliquæ continentes, quæ ex partis determinatæ vitio oriuntur, quales Synochæ, quæ puerperis ex vteri vitio accidunt, eſſe videntur: tamen pars illa determinata ſaltem inquinamentum aliquod ſuggerit, occaſionémque præbet, vt ſanguis totus in venis maioribus putredinem concipiat; atque ita quamuis ex priuatæ partis vitio & occaſione ſanguis putredinem concipiat: tamen putredo parte determinatâ ampliùs non concluditur, ſed in reliquum ſanguinem diffunditur. Verùm febres continuæ è partium determinatarum vitio ortæ ſunt plerumque periodicæ. Et ſi etiam in Synochis quædam conſpiciantur, quæ putredinem quoque in primis viis conteſtantur, vt ſunt vermium vomitus, & alia: non tamen putredo in venis ob id neganda, & Symptomata eiuſmodi potiùs effectûs ſunt febris illius continuæ, quàm cauſa. Putredine enim & febre in corpore excitatâ, vt antea quoque dictum, quicquid vitioſum in corpore eſt, commouetur, & languente calore naturali in Synochis etiam prima coctio vitiatur, & ex vitioſâ materiâ vermes ibi generantur: vnde rurſum febris augeri grauiórque reddi poteſt. Nec rarum eſt in febribus vt cauſa & effectus, ſeſe mutuò foueant & augeant.

Cæterùm putredo illa in vaſis magnis oritur plerumque à vehementi, ab impactis, multis, craſſis, viſcidíſque humoribus, obſtructione, non ſolùm in

cute,

cute, sed etiam interioribus hepatis & aliarum partium venis, ob quam corpus liberè non ventilari, neque aër frigidior satis attrahi, neque calidæ & acres fuligines expelli possunt. Vnde humores in vasis, etiamsi aliàs boni sunt, putrescere necesse est. Atque hæc simplex Synocha putris est. Nihil tamen obstat, quin etiam à contagio humores infici, corrumpi & putrescere queant, atque hinc febris oriri possit. Ambiénsque nos aër, putridis exhalationibus refertus, continuâ inspiratione attractus, sanguinem inquinare, eique vitium suum communicare potest. Verùm vt dictum modò, hæ febres malignitatis expertes non sunt.

*Quis humor putrescat in synochis.* Atque ex his, quæ de loco, in quo humores putrescunt, dicta sunt, etsi aliquo modo causa continuitatis harum febrium reddi possit: ipsa tamen humoris putrescentis consideratio adhuc addenda, quæ non minoris momenti videtur; cùm varij humores in iisdem vasis possint putrescere, neque tamen idem febris genus excitent. Rectè autem statuitur, febrium continentium proximam causam esse sanguinem vel esse humores alimentarios, & nutriendo corpori dicatos, & qui in hepate iam formam sanguinis acceperint, vt antea dictum. Cùm enim hi perpetuò in corpore suppetant: non mirum est, si putredinem concipiant, quòd continuò vapores putridos ad cor mittunt, calorémque continuum excitant. Et cùm id, quod putredine corruptum est, in principio à bono sanguine nondum separatum sit, sed cruditas adsit, & sanguinis partes bonæ cum vitiosis corruptis permixtæ sint: (non secùs ac in musto, vel cereuisiâ recenti antequam deferbuit, sese res habet) Natura nullam excretionem instituit, antequàm materiam coxerit, id est, vitiosum à bono separauerit. Itaque inuadit hæc febris non corpora frigida, sed eos, qui sanguine abundant & corpulenti sunt; vnde fit, vt nec in senili ætate, nec in frigido temperamento excitetur hæc febris.

*An sanguis putrescens Synochæ causa sit.* Verùm an ex sanguine, quem per humorem alimentarium intelligimus, putrescente, febris hæc oriri possit, & qualis sit, apud Authores non adeò planum est. Nam & alij hac de re dubitant, & Galenum etiam dubium fuisse nonnulli affirmant. Imò Auicennas, *lib. 4. fen. 1. tract. 2. cap. 44.* Galenum reprehendit, quasi negantem, dari febrem à putredine sanguinis, & statuentem, febrem, quæ ex sanguine putrescente fit, biliosam esse, non sanguineam; cùm sanguis putrescens in bilem mutetur. Atque hanc Galeni sententiam & Hippocrati, & veritati contrariam esse, plurimúmque erroris in se continere statuit.

Verumenimuerò hi Galeni mentem non satis percipiunt, & hæc febris tot exemplis & authoritatibus Galeni, præcipuè *9. meth. med.* tum etiam rationibus confirmata est, vt de eâ dubitandum non sit. Nam cùm omnes concedant, hanc febrem oriri à sanguine, id est, massâ illâ humorum, quæ in venis continetur, corporíque alendo destinata est: nulla certè euidens ratio nos dubitare iubet, ex eius putredine febrem accendi posse. Nam sanguinem putrescere posse, satis, opinor, manifestum est. Etenim cùm videamus sanguinem extra venas in quamcunque capacitatem in corpore effusum putrescere: non est, quod dubitemus, si vehemens aliqua causa occurrat, etiam in venis eum putrescere posse. Vbi enim calor ille familiaris & proprius sanguinem conseruans, præternaturalis & igneus euadit, neque ampliùs, vt priùs, moderatus est, vt coquere & conseruare sanguinem possit, sed immoderatus: putredo sequitur. Quod etsi non mox accidat, sed sæpius triduo aut quatriduo sanguis tantùm fit calefactus, nondum verò putrescat: tandem tamen à calore illo externo ipsum corrumpi & putrescere necesse est. Atque illa putredo sæpe non obscuris indiciis in sanguine, qui venâ apertâ emittitur, sese prodit; cùm interdum, fibris omnibus putredine corruptis, cohærere ampliùs sibi non potest. Et in inflammatione hepatis non solùm putridus, sed & purulentus sæpe apparet.

Quæ etsi, vt existimo, non adeò dubia sint, hoc tamen adhuc declaratione indiget; an febris illa, quæ ex putredine sanguinis oritur, rectè sanguinea appellari possit; cùm Auicennas, vt dictum, Galeno imputet, quasi sentiat, sanguinem, dum putrescit, statim in bilem mutari, & propterea febrem, quæ ex putredine sanguinis oritur, potiùs biliosam dicendam esse. Verùm omninò hæc febris sanguinea rectè dici potest, nihilque obstat, quin sanguis sub propriâ formâ, id est antequam in alium humorem degeneret, putrescat, neque opus est, vt priùs bilis naturam induat, si putrescere debet. Si enim in inflammationibus in pus abit, non in bilem mutatus, cur idem etiam in venis fieri non possit? Et licèt pars tenuior & pinguior calore illo ex putredine accenso in bilem, crassior in atram mutari possit: tamen putredo ipsius sanguinis jam præcessit; neque opus est, vt totus sanguis in bilem, quæ postea biliosam febrem accendat, mutetur; sed & in aliud quid sanguinis substantia putredine mutari potest. Vbi tamen pars aliquammulta sanguinis in bilem mutatur, febris quoque, si non cesset, non parum degenerat, & quandoque Synochæ si protrahantur, in causum mutantur. Si verò sanguis jam in alium humorem abierit, febris, quæ inde accenditur, non est sanguinea, sed biliosa vel melancholica.

Quando autem sanguinem dicimus causam esse febris Synochæ putridæ, intelligimus omnem illum humorem, qui in venis ad corpus nutriendum in corpore quocunque continetur, modò ad corpus nutriendum adhuc aptus sit. *Sanguinis in febre Synochâ diuersitas.* Neque enim sanguis in omnibus corporibus eiusdem bonitatis est, sed in aliis exactè bonus est, in aliis ab illa bonitate declinat; vnde etiam alimentum non æquè bonum omnibus suppeditatur. Et cùm sanguis rarò suo sero destituatur, non malè illi sentire videntur, qui statuunt, harum febrium causam præcipuè esse ichorem sanguinis, atque ob ichorem in primis sanguinem putredine corripi. Excrementitij enim humores magis sunt corruptioni obnoxij, neque Natura eos tanto studio tuetur, vt alimentarios. Gignitur autem ichor in corporibus plethoricis, cùm fuligines & vapores, qui per poros cutis transpirare debebant, impeditâ transpiratione retinentur. Impedita transpiratio ex causis iis prouenit, de quibus antea dictum; omnésque causæ, quæ Synocham non putrem excitant, etiam Synocham cum putredine gignere valent: verùm ad Synocham cum putredine causa potentior requiritur. Cùm etiam sanguis in hisce febribus putrescere dicitur, non ita accipiendum id est, quasi vniuersus putrescat (nisi forsan ad extremam corruptionem peruenerit, morbúsque lethalis sit) sed quòd partes quædam eius, præcipuè ichorosæ, putrescant, vt in putredine secundùm partem fieri solet, remanentibus eius quibusdam partibus integris, quæ vel seorsim à putri alicubi consistunt, vel etiam putridis permixtæ sunt & præter naturam ab iis incaluerunt, quæ tamen, vbi putridæ partes euacuatæ & discussæ fuerint, ad pristinam naturam redeunt.

De totâ autem ratione putredinis in hisce febribus insignis locus est Fernelij, qui hîc non prætereundus videtur. Ita autem ille, *libro 4. pathol. capite 6. Cùm putredo venas communes inuadit, licèt earum sanguinem, non tamen omnes eius partes æquè occupat. Cùm enim non omnino simplex sit sanguis, sed ex multorum humorum permixtione compositus & sero multo perfusus, primò quidem illius portionem putredini magis obnoxiam prehendit; ab hac deinde aliam ipsi permixtam atque confusam, quæ minùs, quàm illa, sit vitiosa: hócque modo sensim obrepens simul cum calore præter naturam augetur & inualescit,*

*inualescit, nec antea desinit, quàm omnes sanguinis partes putredini obnoxias absumpserit.* Et mox: *Omnibus, quæ putrescere apta fuerunt, absumptis, putredo calórque febrilis cessat: manet tamen pars sanguinis melior, quæ quoniam minus erat putredini obnoxia, huic inuiolata restitit, eaque licèt putridæ permisceretur, illius tamen contagione minimè computruit, sed duntaxat incaluit; restinctâ proinde sedatâque putredine in pristinam illam puritatem redit. Atque tum vrinæ puræ ac prorsus laudabiles apparent, quæ crassæ, turbidæ, ac sine sedimento fuerant. Itaque eâ putredine, (nisi fortè extremo exitio fuerit) neque sanguis vniuersus, neque totus labefactatur. Nam solutâ febre non omnino exhaustæ venæ manent, sed aliquid etiamnum in his inesse deprehenditur, idque vtile & alendo corpori idoneum, quod tamen olim miscebatur putredini.* Hæc Fernelius.

## *Differentiæ.*

*Synochæ putridæ differentiæ.*

Differentias autem harum febrium quod attinet, triplex febrium harum est differentia, Synochus enim vel est ὁμότονος seu ἀκμαστικὸς cùm scilicet febris hæc in eodem statu manet, & neque crescit, neque decrescit; quod fit, quando tantum humoris putrescit atque accenditur, quantum discutitur: vel ἀναβατικὸς, seu ἐπακμαστικὸς, cum febris continuò accrescit & augetur; quod accidit, cùm plus materiæ corrumpitur, quàm discutitur: vel παρακμαστικὸς, cùm semper decrescit; cùm scilicet plus discutitur, quàm corrumpitur.

Deinde diuersitas humoris in venis putrescentis differentiam quandam suppeditat. Nam cùm massa sanguinea quatuor humoribus constet, seu in sanguineâ massâ quadruplices partes animaduerti possint: Si eæ debitam proportionem inter se seruent, ita scilicet, vt temperatioris sanguinis partis, quæ in specie sanguis nominatur, maior copia sit, quæcunque etiam reliquarum partium sit proportio, atque massa illa sanguinea putredinem concipiat: Synocha sanguinea in specie nominatur. Si autem massa sanguinea non debitam humorum proportionem habeat, sed tenuior eius pars, quæ propter tenuitatem & caliditatem flauæ bilis naturam æmulatur, & propterea sanguis biliosus nominatur, putredine corripiatur: Synocha biliosa dicitur. Fecit huius febris mentionem Galenus, 2. *de diff. feb. cap.* 2. cùm scribit: *Continuarum; quæ ex bile flauâ proueniunt, vnam esse speciem, quæ à continuo feruore Synochæ appellantur, quarum vniuersum tempus vnâ accessione consumitur.*

*An etiam ex bile, pituitâ, melancholiâ, oriantur febres Synochæ.*

Alij, vt Donat. Anton. ab Altomari, *part.* 2. *cap.* 6. *de febr.* aliter hac de re docent, atque non solùm Synocham à bile, sed etiam à pituitâ & melancholiâ fieri, & tot esse febrium continuarum, quot intermittentium differentias, dicunt. Et Synocham quidem biliosam fieri statuunt, quando sanguis biliosus paruum excessum habens, & simul cum sanguine copioso permixtus putrescit in maioribus venis. Ita etiam à pituitâ & melancholiâ fieri dicunt Synocham, cùm exiguum excessum habent, & cum redundantia temperati sanguinis commixti fuerunt. Et licèt frequentiùs febres Synochas excitari concedit Altimarus, cùm æquabiliter adaucti omnes humores putrescunt, aut solus sanguis, vt quarta substantia, excedit, tamen etiam non rarò ex bile cum copioso sanguine putrescente easdem oriri statuit; rarissimè verò ex bile nigrâ aut pituitâ cum eodem sanguine copioso permixtis. Atque hinc etiam Galenum has ex pituitâ & melancholiâ synochas febres præteriisse existimat; quòd scilicet eorum mentionem faciat, quæ sæpius accidunt, parui faciens ea, quæ rarò aut rarissimè contingunt. Difficulter enim hi humores, cùm frigidi sint, intra vasa putrescunt; & si putrescunt, difficulter eorum putredo per vniuersa vasa confestim & citò porrigi potest, sed potiùs in quibusdam paruis minúsque calidis vasis detenti ac impacti ob crassitiem & tenacitatem putrescunt.

Verumenimuerò non videtur Altimarus rectè naturam Synochæ biliosæ explicâsse, cùm statuit, Synocham biliosam oriri, præualente sanguinis parte optimâ & sinceriore, & post eam saltem biliosâ aliquomodo excedente. Hoc enim si accidit, non est Synocha biliosa, sed sanguinea; cùm ab eo, quod redundat, meritò fiat denominatio. Vt enim tertiana notha, in quâ bilis & pituita simul putrescunt, bilis tamen præ pituitâ abundat, febris biliosa nominatur: ita & hîc meritò si sanguis ille temperatior bilioso præualet, febris sanguinea esset nominanda. Eadem ratio est Synochæ pituitosæ & melancholicæ, quas introducit Altimarus, & cum sanguine abundante fieri statuit. A pituita autem & melancholiâ abundante febrem Synocham prouenire non posse, ipsi facilè agnoscunt. Nam, vt rectè Galenus, 9. *meth. med. cap.* 3. habet, hæc febris non accenditur in corpore frigido, sed in iis, qui sanguine plurimo abundant: idque eâ de causâ, quòd febris hæc gigni non potest, nisi id, quod transpirare debet, & copiosum sit & calidum, & nisi putredo in omnes, quæ inter inguina & alas sunt, venas æquabiliter ac citò porrigatur: id quod in frigido corporis habitu fieri non potest. Quod verò dicunt, Galenum Synochæ ex pituitâ & melancholiâ ideò mentionem non fecisse, quod rarò accidat: id admitti non potest. Cùm enim aliarum febrium, quæ rarissimæ sunt, mentionem fecerit, etiam has, si eas dari animaduertisset, non prætermisisset in tot locis, in quibus de febribus agit.

Itaque alias febres Synochas non agnoscimus, quàm sanguineam & biliosam. Sanguinea quidem cum omnibus plethoræ differentiis accidere potest, cùm scilicet vel sanguis ille solus in specie dictus reliquos humores superat, vel omnes humores debitâ proportione seruatâ æquabiliter augentur, vel vnus mediocrem excessum, cum sanguine tamen copiosiore, habuerit. Biliosa verò Synocha est, cùm sanguis biliosus & tenuior putrescit.

## *Signa diagnostica.*

Signa autem quædam vtrique Synochæ sunt communia; quædam verò huic vel illi peculiaria. Primò enim hæc omnium Synocharum communis quasi idéa est, vt vnam accessionem à principio vsque ad finem habeant, nullaque in iis mutatio, nullus circuitus appareat. Deinde causas communes habent, proueniúntque principaliter à cutis hepatísque à crassis & viscidis humoribus obstructione. Pulsus etiam non solùm est magnus, sed & vehemens, celer, frequens, & vt in aliis putridis inæqualis & inordinatus. *Signa Synochæ putridæ.*

Peculiaria verò signa sunt hæc: In Synochâ, quæ à sanguine bono abundante ortum habet, signa redundantis sanguinis apparent, facies rubet, venæ tument, lassitudo tensiua adest; exoritur febris in corpore calido & humido, ætate iuuenili, tempore verno, & tum inprimis, cùm consueta aliqua euacuatio suppressa est. Calor tangenti multus & vaporosus, minúsque molestus & acris apparet, quàm in aliis febribus. Nam in biliosis calor non est mitis, halituosus & multus, sed acer & mordax. Calor verò in pituitosis febribus, etsi primò mitis videatur, tamen si manus diutius admota teneatur, paulò post mordax & ardens quasi tactui apparet. Alia etiam signa, quæ in Synochâ non putri conspiciuntur, adsunt.

Verumtamen sunt & notæ, quibus Synocha hæc putris à non putri distinguitur. Etenim licèt calor in Synochâ putri, si cum aliis febribus putridis conferatur, sit mitior, tamen si cum Synochâ non putri comparetur, calor in putri est acrior, quàm in non putri. *Signa Synocham putridam à non putridâ discernentia.*

Deinde

Deinde in putri Synochâ vrinâ eſt rubra, craſſa ac turbida, ſine ſedimento, cruda, aut ſaltem leuiter cocta in principio. Pulſus præterea putredinis notas, vt in aliis putridis febribus exhibet. Tandem & Symptomata omnia alia ſunt vehementiora, quàm in non putri, vt maior eſt dolor capitis, inquietudo, vigiliæ, & ſiquæ alia accidere ſolent.

*Synocha putrida bilioſa ſigna.*

Bilioſa verò Synocha ſuis quoque ſignis à ſanguineâ diſcernitur. Nam primò corripit hæc febris eos, qui ſunt graciles, bilioſi, & ſanguine copioſo, ac carne ita non abundant, qui vitam laboribus deditam agunt, corpúſque multùm exercent, & curis vexantur, qui in Sole & æſtu diutiùs verſantur, aut cibis, & medicamentis calidis ſunt vſi; & in genere, in quibus cauſæ præceſſerunt, quæ ſanguinem bilioſum generare ſolent. Calor præterea, quàm in ſanguineâ, eſt acrior & vehementior, ſitiſque magis vexat, vrinæ ſunt tenuiores atque acriores, atque alia ſigna conſpiciuntur, quæ febribus bilioſis ſunt affinia.

## *Prognoſtica.*

*Prognoſtica Synocha putridæ.*

Eſt ea inter febres putridas ſimpliciſſima, & ſi pura ſit & rectè tractetur, curatu facillima. Pura autem raro tranſit ſeptimum diem; notha ad decimumquartum extenditur, citiúſque vel tardiùs finitur, quò ſcilicet ſigna coctionis citiùs vel tardiùs apparent. Quantò ergo vrina in initio eſt rubicundior: tantò citiùs terminatur cum ſignis bonis ad bonum, cum malis ad malum. Vrina autem alba in Synochis mala eſt, & plerumque mortem prædicit. Omnium ſaluberrima eſt, quæ ab initio mox decreſcit, παρακμαστικὸς σύνοχος dicta: poſt hanc conſiſtens, ἀκμαστικός σύνοχος: periculoſiſſima eſt, quæ perpetuò increſcit, ἐπακμαστικὸς σύνοχος nominata. Si aliquandiu duret hæc febris, facilè in καῦσον degenerat. Quò mitiora habet ſymptomata, eò maior ſalutis ſpes eſt: malum verò eſt, vbi plura ſymptomata accidunt, qualia ſunt, ægros magnâ inquietudine aut dyſpnœâ fatigari, ventrem inflari aut rugire, puſtulas nigras aut liuidas apparere.

## *Indicationes.*

Tota eius curatio conſiſtit in cauſæ ablatione, & caloris febrilis temperatione. Sanguis quia in hac febre ſemper peccat, imminuendus, cauſæ etiam reliquæ per ſua contraria tollendæ. Si nimirum ex cauſâ frigidâ corporis meatûs conſtipati ſint, ij reſerandi, corpúſque rarefaciendum. Si ex obſtructione id accidat, hæc aperienda. Videndum autem, à quâ cauſâ obſtructio proueniat. Si enim ex abundantiâ humorum pendeat, ij minuendi: ſi ex craſſitie, attenuandi. Et quidem cùm in hac febre, vt dictum, ſemper ſanguinis copia adſit: à ſanguinis miſſione incipere conuenit. Sanguine imminuto, ad humorum, ſi craſſi ſint, extenuationem accedendum, & corpus, ſi conſtipatum ſit, rarefaciendum eſt. Feruor quoque & æſtus ſanguinis temperandus. Atque has quidem indicationes cauſa ſuppeditat. Morbus verò, ſeu febris, refrigerationem poſtulat. Vitalem indicationem quod attinet, ſi vires, quod plerumque accidit, valentiores ſint, ſtatúſque breui ſit futurus: tenuiſſimo victu vti conuenit: ſi vires iam imminutæ, aliquid adiiciendum. Eadem virium in hac febre plerumque conſtantia, vacuationes, quas cauſa poſtulat, permittit.

## *Curatio.*

*Victus in Synochis putridis.*

Quâ autem ratione iſta expedienda ſint, breuiter dicemus; cùm pleraque ex curatione Synochæ non putris pateant.



Victus ergo, vt ab hoc incipiamus, in hac febre tenuis requiritur: tum quia ſanguis abundat, tum quia morbus eſt breuior. Et quidem refrigerans ac humectans. Vnde conuenit aqua hordei, & iuſcula pulli, herbis vel ſuccis refrigerantibus alterata. A vino autem & carnibus abſtinendum, & aliis, quæcunque ſanguinem multum generant & calefaciunt. Ad cauſas autem ſi reſpicias, aqua mulſa, ad craſſos ſuccos attenuandos & viſcidos detergendos, ad excrementa promouenda, commoda eſt in iis Synochis, quæ à putredine ex habitu corporis condenſato & poris obſtructis proueniunt. Quatenus tamen calorem auget, nocet. Quare ſi calor ſit maior, abſtinendum ab aquâ mulsâ. Et ſi obſtructiones contumaces ſint, oxymelite vtendum. Sed de his mox plura in pharmaciâ.

In auxiliis reliquis adhibendis nihil cunctandum, citóque naturæ ſuccurrendum eſt, ne vel ſuffocatio, vel ſyncope accedat, vel febris iſta in καῦσον degeneret. Itaque quamprimùm, præmiſſo tamen, ſi opus ſit, clyſtere, vena aperienda eſt. Duo enim, vt Galenus 9. *meth. med. cap.* 5. habet, maxima continentium febrium remedia ſunt; ſanguinis detractio copioſior, & potio frigidæ. De quantitate autem ſanguinis, & an ad animi deliquium vſque emitti debeat, antea dictum. Tutius nimirum eſt, vt infrà ſubſiſtatur, & venæ ſectio paulò poſt repetatur, quàm vt ancipiti euentu ad lipothymiam vſque ſanguis euacuetur, ſimúlque forſan cum febre homo iuguletur. Conditiones enim iſtæ omnes, quæ ad ſanguinis tam copioſam euacuationem requiruntur, rarò in vno corpore reperiuntur; præſertim in noſtris regionibus, ita ſcil. vt plenitudo quoad vaſa ſit pura & legitima, vires planè fortes, putredo non adeò magna. Audaciùs tamen in hac febre, quàm vllâ aliâ ſanguinem mittere licet ad ℥. xii. vel etiam plures. Eligenda verò vena eſt in cubito.

*Vena ſectio in ſynochâ putri.*

## *Pharmacia.*

Sanguine pro morbi vehementiâ & virium robore ſufficienter euacuato, ſi febris non ceſſet aut mitigetur, ſuſpicandum eſt, ſanguinis aliquam partem in bilem degenerare, aut bilem coniunctam eſſe, à qua febris fomentum accipiat. Itaque ad ea medicamenta accedendum, quæ febris, ſanguinis, & bilis calorem temperant, putredinémque inhibent. Et proinde, quod medicamenta attinet, ferè tractanda eſt hæc febris, vt bilioſa. Itaque ſi purgatione opus ſit, & aliquid ſanguinis in bilem degenerauerit, eligenda ſunt ea medicamenta, quæ humorem bilioſum euacuant, & minùs calefaciunt: quem in vſum rhabarbarum, tamarindi, Syrupus roſarum & violarum, vel ſuccus eorundem commodus eſt.

*Purgantia in Synochis putrid.*

Vt ♃. *Rhab. opt.* Drach. ii. *cinnamom.* Scr. i. *flor. cichor. cordial.* an. P. i. *ſpicæ.* Scr. ß. Infund. *in ſ. q. aq. cichorij vel endiu. vel ſeri lactis.* Colat. ♃. Vnc. iii. ß. Add. *pulpæ tamarind.* Drach. vi. *vel* Vnc. i. *Syr. roſar. ſol. vel viol. ſol.* Vnc. ß. *vel* Vnc. j. Aut in Colaturâ diſſolu. *mannæ.* Drach. vi. *vel* Vnc. j. pro ratione ætatis; iterúmque coletur.

Verùm plerúmque materiæ euacuatio vſque ad tempus criſis expectanda, vbi à naturâ cocta & victa faciliùs eiicitur. Si tamen in primis viis aliquid ſubſiſtat, clyſtere vel lenientibus medicamentis, vt pulpâ tamarindorum, ſyr. roſar. & violar. ſolutiuo euacuandum.

## *Alterantia.*

*Alterantia in Synoch. putrid.*

Vt autem coctio faciliùs abſoluatur, vtendum iis, quæ calorem temperant, obſtructiones liberant, & putredinem inhibent; vt Syrupo de limonibus, de acetoſit. citri, de ſucco acetoſæ, violarum, acetoſo ſ. oxyſacchar. ſ. ſpiritu vitriol. cum aquâ hordei,

hordei, endiuiæ, acetoſæ, cichorij. Proſunt & ſem. 4. frigida maiora: ſicut & condita vel electuaria, parata ex conſ. roſar. acetoſæ, acetoſellæ, violarum, bugloſſi.

Vt ℞. *Conſerua roſar. acetoſell. cichorij, citri*, an. Vnc. i. *lactuc. Italic. condit.* Vnc. ß. *ſantal. citrin. ſpec. diamargar. fr.* an. Scr. i. *Spir. vitriol.* Scr. ß. Cum *ſyr violar.* F. Electuar.

*Frigida potus in Synoch. putrid.*

Coctione perfectâ, Antiqui aquam frigidam propinabant, tantúmque eius offerebant, quantum ægro liberet bibere, vt eâ non ſolùm calor febrilis exſtingueretur, ſed & materia iam cocta per vomitum, vel aluum, vel ſudores euacuaretur. Sed de frigidæ potu antea in curatione febrium generali dictum. Cautè certè in noſtris corporibus, frigidæ potioni raro aſſuetis, vſurpanda: cùm plurima, quæ enumerauimus antea, inde poſſint oriri mala: & obſeruatum ſit, quoſdam paulò pòſt ex eius vſu in hydropem incidiſſe. Nunquam autem aqua concedi poteſt potûs quotidiani, & alimenti diſtribuendi gratiâ; cùm fluctuet & innatet in ventriculo, tardè deſcendat, coctioni reſiſtat, hypochondria inflet: ſed remedij ſaltem causâ, in quibus nullum ex eius vſu incommodum timetur, abſolutâ coctione, ſemel concedatur iis, vt diximus, qui ei aſſueti ſunt.

*Balneum aquæ frigidæ in Synochis putridis.*

Antiqui etiam in hac febre, ſi æger eſſet εὔσαρκος, iuuenis, cæli ſtatus æſtuans, febris vehementiſſima, in frigidâ natationem permittebant. Qui eâ vtebantur, protinus omnes ſudabant, & nonnullis aluus biliosa reddebatur. Verùm cùm noſtri natationibus illis & balneis Antiquis vſitatis aſſueti non ſint, ac præterea raro ſolùm ſanguis abundans ſine cacochymiâ aliquâ reperiatur, metuendúmque ſit, ne à frigore balnei eiuſmodi, habitu corporis denſato, vapores putridi intus coërceantur, & putredo augeatur: non tutò hodiè balnea eiuſmodi permittuntur.

Quòd ſi abſolutâ coctione naturam κρίσιν quocunque modo inſtituere videamus, Medicus quieſcat, ſecundùm aph. Hippocr. 20. ſ. 1. *Quæ decernuntur, decretáque ſunt rectè, nec mouere, nec aliud quippiam nouare, ſeu medicamentis ſeu aliis irritamentis conuenit; ſed ſinere.* Si autem natura ſuum officium non rectè faciat, quod reſtat, medicamentis tollendum, vt mox in febribus ardentibus dicetur.

*Augerij Ferrerij de curandis ſynochis admonitio.*

Vnum ſaltem adhuc addere libet, de quo Augerius Ferrerius, *in caſtigationibus practicæ medicinæ cap.* 14. monet; vt ſuprà etiam iam diximus, quod non de nihilo eſſe videtur, præcipuè in hiſce Synochis febribus. Is Medicos reprehendit, qui in continentibus & continuis febribus ſemper hepatis & lienis obſtructiones putredinis cauſam eſſe exiſtimant, cutiſque obſtructiones & conſtipationes, quæ impeditâ tranſpiratione putredinem excitant, negligunt; & propterea non oxymel Hippocratis & Galeni facilè paratu remedium, nec Arabum Iulepos, ſed recentium apozemata ad viſcerum internorum obſtructiones parant. Præter rem enim exiſtimat eos facere, cùm ad internas obſtructiones confugiunt, dum cauſa putredinis eſt fuliginoſorum excrementorum retentio, quæ retinentur in corpore, cùm aut inſenſibiles cutis meatûs ab externâ aliquâ causâ conſtipantur, aut craſſo lentóque humore obſtruuntur; & intempeſtiuam præſtare eos diligentiam putat, qui ex tot aperientibus herbis & radicibus toties decocta ægris propinant. Laudat contrà Antiquos, qui id inprimis agebant, vt, vacuatâ multitudine, craſſos lentóſque humores meatibus cutis infarctos attenuarent & detergerent. Neque id præſtare poſſe decocta illa aperientia: cùm radices illæ & herbæ aperientes viſceribus ac meatibus vrinariis peculiariter dicatæ ſint, ad cutem verò non penetrent, aut ſi penetrent, deficiant, vel minùs potenter agant, quàm longinquæ obſtructionis natura poſtularet. Commodiùs hunc in finem Antiquos Oxymelite vel mulsâ vſos cenſet, quæ tum euidenti qualitate, tum familiaritate naturæ, quam habent cùm ſubſtantia corporis noſtri, ad extremas quoque particulas feruntur: cùm contrà verendum ſit, ne inſuauitas illarum decoctionum moleſtiam afferat, ac diſtributionem impediat. Ingrata enim remedia appetitum deiiciunt & ventriculum ſubuertunt, facultates ſuas integrè vix impertiuntur; cùm ob moleſtiam à naturâ repulſam patiantur. Medicos ergo Antiquos commendat, qui è tantâ remediorum ſyluâ paucula quædam ſelegerunt & reuocârunt in vſum, quæ ſuauitate naturam allicerent, & oblectatione ſuas vires altiùs imprimerent. Et licèt vehiculi vel condimenti loco ſaccharum eiuſmodi in decoctis adiiciatur, tamen tot rerum confuſione inſuauia & nauſeabunda euadere dicit, vt aut illud vehiculum exſtinguant, aut id efficiant, vt repulſam à naturâ patiantur. Præterea intempeſtiuè talia in principio vel augmento febrium acutarum propinari ſtatuit; cùm vrinas moueant, quæ tamen non niſi coctâ materiâ, vel inclinante morbo conueniant. Imò præter rem eſſe exiſtimat, tanto labore ac ſumptu inſuaue ac incerti effectûs parare remedium, cùm facili decocto, & leuibus expenſis, ea, quæ à veteribus probata ſunt, ſummâ cum ſecuritate & voluptate non mediocri vſurpare liceat. Ipſe itaque in continuis, omiſſis eiuſmodi decoctis, mulsâ aut oxymelite vtendum cenſet, quæ ad tenuandos tergendóſque craſſos ac lentos, qui cutem obſtruunt, ſuccos ſatisfacere poſſint. Oxymel nimirum putredini reſiſtit, craſſitudinem attenuat, lentorem abſtergit, ad cutem etiam penetrat, nec febres accendit. Mulſa quoque concedi poteſt iis, in quibus non facilè bileſcit. Nec nocumenta illa mordendi inteſtina, & tuſſes excitandi verenda putat; cùm ſubtractione ponderis aceti & additione mellis ſalubriter præparari poſſit, vt neque rodat, neque tuſſes moleſtas excitet, neque neruoſas partes offendat. Oxymeliti ſi mulſa additur, mitius efficitur; ſi ſaccharum, aut hydroſaccharum, omninò delicatum. Quod ſi in Melancholicis & mulieribus, quarum vterus facilè offenditur melle & aceto, oxymelitis vſus ſuſpectus ſit, mulsâ vtendum docet, quæ ſi bileſcere videtur, dilutiſſima parari poteſt ex aquis cichorij, endiuiæ, ſcariolæ, vel mellis loco puriſſimum ſaccharum cum aquâ decoquere licet, vt mulſæ loco hydroſaccharum præbeatur. Terget enim iſtud, & inter mulſam & oxymel mediam quaſi naturam ſortitum eſt. Dulcedinem autem tantillo aceti mitigare & infringere licet.

*Oxymelitis & mulſæ vſus in Synochis putridis.*

---

## CAPVT XII.

### *De Cauſo ſeu febre ardente.*

*Cauſus ſeu febris ardens.*

QVia verò hoc loco Cauſi ſeu febris ardentis ſolet ab Authoribus mentio fieri, etiam de eâ aliquid addendum eſt. Καῦσος autem non eſt febris aliqua differentia, quales ſunt biliosa, pituitoſa, melancholica: verùm modum potiùs & qualitatem caloris febrilis innuit. Quæ verò febres illam qualitatem participent, & quæ propriè ardentes ſeu καῦσος dicantur, non adeò planum eſt; Galenúſque ipſe non eodem ſemper modo hac de re locutus videtur. Nam interdum affirmat, febrem ardentem oriri ex bile in vniuerſi corporis venis putreſcente; aliquando cauſum fieri concedit non ſolùm in vniuerſo corpore, verùm etiam in aliquâ eius parte, vt ventriculo, pulmone, ieiuno inteſtino, imò etiam extra venas maiores in carne alicuius particularis membri, quocunque nimirum bilioſus humor attractus eſt, adeò, vt vniuerſalem & particularem cauſum conſtituere videatur. Nonnunquam cauſum non ſolùm ex bile flauâ, verumetiam ex ſalsâ pituitâ gigni dicit. Interdum tertianam intermittentem

tentem causum nominat, interdum verò tertianam ab ardente febre distinguit, quod nimirum in ardentibus intra vasa; in tertianâ verò intermittente extra vasa humores putrescant. Ita enim, 2. *de cris. cap.* 3. *Ardentes febres à tertianis differunt, quamuis eundem, qui eas facit, habeant humorem, quòd in his quidem intra venas continetur, in illis verò, cùm vehementer moueatur, per singulas corporis partes disseminatur.* Et 4. aph. 59. *Tertiana febris ab ea, quæ ardens nominatur, humore faciente non differt. Vtraque enim à flauâ bile fit. Differt autem, quod febris ardens habet in venis vnà cum sanguine flauam bilem redundantem & ebullientem. Tertiana verò eandem bilem habet in totum corpus delatam & motam.* Et 2. de cris. cap. 6. *Exquisita febris ardens cùm omnia alia seruet exquisitæ tertianæ indicia, eo solo differt, quod neque cum rigore incipit, neque ad infebricitationem desinit.* 4. verò de vict. rat. in ac. t. 1. vbi Hippocrates hæc habet: *καῦσος febres ardens fit, cùm venulæ tempore æstiuo exsiccatæ acres & biliosas, quæ tenues sunt, trahunt ad se humiditates, quas ichores vocant*: addit Galenus: *καῦσος propriè dictus non caliditatis, quæ in totum corpus fit, præstat modò vehementiâ, verùm quoque & siti. Nam sitis in eo vehemens est & incompescibilis.* Et paulò post: *Nempe in vnâ corporis parte interdum καῦσος gignitur, interdum & in toto corpore. Verùm cùm in toto fit corpore, sitim omnino parit; cùm verò in vnâ parte, non de necessitate, nisi pars ipsa sitim pariat: omnium autem primùm & maximè id facit os ventriculi; deinde ventriculus, pòst pulmo, & subinde ieiunum intestinum.* Et lib. de tremore & palpit. cap. 7. scribit: *Tertiana exquisita καῦσος est genere, tantò altero causo continuo inferior, quantò calor febris & flammeus & perurens deficit.*

*Causi nomen quot modis vsurpetur.* Quæ res facit, vt alij etiam Medici aliter de causo sentiant & loquantur. Vt autem res omnis expedita reddatur, Obseruandum, Causi nomen interdum generaliter & minùs propriè, interdum verò specialiter & magis propriè accipi. Generaliter si vsurpatur nomen causi, pro quacunque febre, id quod nomen innuit, cuius calor est vehementior, vsurpatur, ex quacunque etiam causâ calidâ & siccâ, & quocunque in loco putrescente, is excitetur. In specie verò causus appellatur febris, quæ duo pathognomonica signa habet, vt Galenus, 3. *epid. comment.* 3. *t.* 34. docet, calorem scilicet ingentem, & sitim magnam atque inexstinguibilem, quantumuis biberint: quod etiam habet, 4. *de vict. rat. in acut.* 13. Et quidem in causo in specie dicto requirit Galenus, vt signa ista, sitis nimirum & calor vrens continuò affligant & molestent. Ita enim, *allegato loco* 3. *epid. comm.* 3. *t.* 34. scribit: *Videtur Hippocrates febrem ardentem assiduitate cognoscere sitis, calorisque exurentis; sicut phrenitim perpetuo delirio. Sic enim quamuis non perinde sitiant ægri, neque valde exurantur, per totum autem morbum dicta duo symptomata adsint, febris ardens esse dicetur morbus: existétque alia febris hac calidior, vt & corpus fundat, reddátque deiectiones biliosas & colliquatiuas; sed non appellatur ardens febris, nisi adiuncta perpetuò habeat per totum morbum paulò antè commemorata duo, irrequietam sitim, quantumuis biberint, & ardentem calorem.* Quibus manifestè innuit, vt febris ardens propriè dicatur, hæc duo requiri, sitim irrequietam, & calorem ardentem, & quidem vtrumque perpetuò molestantem.

*Causus propriè dictus duplex.* Hic autem causus propriè & in specie dictus duplex est, legitimus seu exquisitus, & nothus, vt ex loco iam citato colligere est, vbi in omni ardente febre non eandem vehementiam sitis & caloris esse innuit; manifestiùs verò traditur, 4. *de rat. vict. in ac. t.* 13. vbi diuisionem Causi in legitimum & nothum ipse proponit, legitimúmque seu exquisitum causum eum nominat, qui ista duo symptomata semper & euidenter coniuncta habet; nothum autem, in quo illa symptomata sunt minùs vehementia nec corpus ita vritur. Et 1. *epid. comm.* 1. *text.* 9. appellat febres ardentes quasi germanas, id est, non exactè exquisitas, quæ quidem fiunt à bile sincerâ, non tamen tempore æstiuo, & aëre calido & sicco. Nam si aliqua conditio ex iis, quæ ad febrem ardentem legitimam sunt necessariæ, quales sunt, temperatura corporis, ætas, aër, & alia ad bilis generationem necessaria, desit, febris quidem ardens est legitima, sed non exactè talis.

*Febres ardentes quæ propriè.* Ex quibus omnibus clarum euadit febres ardentes propriè & in specie tantùm esse febres continuas, & quidem eas, quarum calor vrens est, quæque sitim incompescibilem coniunctam habent. Ideóque etsi febres intermittentes ex bile ortæ generaliter ardentes nominari possint, vt Galenus tertianæ intermittenti exquisitæ interdum hoc nomen tribuat; prætereaque ex pituitâ salsâ καῦσος hoc modo dictus gigni possit, tamen propriè dictus & legitimus causus, qui à Gal. etiam ὀξύτατος & καυσωδέστατος πυρετός nominatur, non nisi ex bilioso humore intra vasa putrescente, calorémque continuum cordi suggerente oriri potest. Et tales febres possunt esse tam continuæ, quàm symptomaticæ, ex inflammatione præcipuè ἐρυσιπελατώδει partium internarum ortæ. Verùm cùm antiqui, vt *ex* 42. *aphor. sect.* 7. patet, tales affectûs, qui ex inflammatione visceris alicuius oriuntur, febres non appellârint, sed nomine inflammationis illarum partium, peripneumonias, phrenitides, &c. Si has febres excipias, καῦσος seu febris ardens propriè dicta est tertiana continua, quæ ex sincerâ bile oritur, & de quâ modò egimus, Synocha biliosa, quæ non solùm verus & legitimus causus est, verùm etiam inter legitimos præcipuus. Quamuis enim Argenterius, *lib. de feb.* eos errare scribat, qui causi nomen etiam Synochis tribuunt; ídque ideò, quòd talem calorem Synochæ non habeant qualis est in ardentibus: tamen id solùm de Synochâ sanguineâ non verò de Synochâ biliosâ concedendum est. Quod verò postea addit; in causo quasdam esse intensiones & remissiones, quæ non sint in Synochâ: id solùm affirmat, sed non probat de naturâ ardentium esse, vt habeant quasdam intensiones & remissiones.

Ac proinde quæ sint causæ febrium ardentium, ex iis quæ de Synochâ biliosâ dicta sunt, & quæ de tertianâ continuâ dicentur, patet. Hoc saltem addimus, cùm suprà, *in initio capitis* 11. dixerimus, febres continuas ortum habere ex putredine humorum in venæ cauæ & arteriæ vasis maioribus: id quod de arteriis dicitur, in febribus ardentibus accidere, & sanguinis in arteriis putredinem febres ardentissimas excitare. Equidem sanguis arteriosus cùm sit spirituosus & calidus facilè incalescit, sed non putrescit: cùm sit purissimus & calidissimus. Si tamen putredo in venis accendatur, & semina putredinis ac vapores putridi arteriis etiam communicentur, putredinem eum concipere posse non impossibile est.

Corripit proinde febris hæc temperaturâ calidos & siccos vt iuuenes & ætate consistentes; inprimis si præcessit talis aëris constitutio: senes verò non facilè.

## *Signa diagnostica.*

*Signa causi.* Signa pathognomonica esse calorem vrentem, & sitim inexstinguibilem, iam dictum est; quæ tamen maiora sunt in causo legitimo, quàm in notho. De siti hoc notandum est, si accedat tussis leuicula, sitim nonnihil retundi, vt eam pro febris magnitudine ægri non sentiant. Humor enim motu ex locis vicinis attrahitur, & partibus illis affunditur, vnde minùs siticulosi fiût. Præter signa ista pathognomonica alia adhuc habet Hip. 4. *de rat. vict. in acut. text.* 4. quæ Galen. in com. συνεδρεύοντα nominat, qualia sũt: lingua sicca, aspera & nigra, vetris

morſus,deiectiones pallidæ,vigiliæ, interdum quoque deſipientia. Lingua quidem areſcit, quòd tota corporis affectio ſicca ſit & calida, febríſque ipſa talis. Ventris verò morſus propter tenuium humiditatum, quæ illuc confluunt, acrimoniam oritur. Vigiliæ ob ſiccitatem: deſipientia autem fit ab eâ, quæ ad caput recurrit, bile, & ob temperaturæ caliditatem ſiccitatémque. Reſpiratio quoque eſt difficilis, denſa & magna, efflantque continenter os aperiendo, vt calidi ſpiritûs efflatione leuentur. Quæ quidem ſymptomata omnia vehementiora ſunt in legitimo, quàm in notho cauſo.

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica febr. ardent.* Febres hæ, ſi puræ ſint, non diu durant. Natura enim calorem tam vrentem, ac vehementia, quæ hanc febrim comitantur, ſymptomata ferre non poteſt. Nothæ verò, quia mitiorem habent calorem & ſymptomata, longiores ſunt. Puræ ardentes plerumque ſeptimo die terminantur interdum 9. 11. 14. Omnes autem periculoſæ ſunt, vt ſcribit Hippoc. 4. *aph.* 43. *Febres quæcunque non intermittentes tertio die fortiores fiunt, magis periculoſæ ſunt. Quocunque autem modo intermittant, periculum abeſſe ſignificant.* Aliæ tamen aliis ſunt periculoſiores, pro caloris & ſymptomatum vehementiâ ac virium robore. Febris habetur vehementior, pro maiori à ſtatu naturali receſſu. Ergo ſi contingat, quod tamen rarò accidit, vt ſenex ardente febre corripiatur, id lethale eſt, vt habet Gal. 1. *aph.* 14. Non minùs periculoſè decumbunt, qui in aëre frigido valdè vruntur: Qui ſi nec vires validas habeant, nec ſigna coctionis appareant, fieri non poteſt, vt ſeruentur, vt idem Gal. 11. *meth. med. cap.* 9. ait. Quibus ſi accedant ſymptomata vehementia, eò periculoſior morbus redditur; ſiue illa ſint pathognomonica, ſiue ſuperuenientia. Pathognomonica calorem vehementem & ſitim inextinguibilem eſſe diximus: quæ quò ſunt vehementiora, eò morbus eſt periculoſior. Non tamen minus periculi denotat, ſi lingua ſit arida, abſit ſitis. Alterutrum hoc ſignificat, vt docet Gal. 3. *Epid. comm.* 1. *tit.* 5. vel ægrum delirio teneri, vel appetentem ventriculi facultatem emori. Exemplum febris ardentis periculoſæ propoſuit Hippoc. 1. *Epid. comm.* 2. *in deſcriptione tèpeſtatis tertiæ.* 75. *At cùm febres ardentes inciperent, inquit, annunciabant, quibus exitium immineret. Siquidem ſtatim ab initio febris acuta eos corripiebat, à qua parum rigebant, inſomnes erant, grauiter angebantur, ſitibundi, faſtidioſi, paululum in fronte ac clauiculis exſudabant, ſed nemo per totum corpus. Multa delirabant; timores, mœſtitia aderant, extremitates ſubfrigidæ, vt ſummi pedes, magíſque manus.* Vrinæ etiam periculum denotant. Nigreſcentes enim malæ ſunt, vt & tenues & crudæ, vel alia mala indicia habentes, de quibus alibi dictum.

*Obſeruatio de Vrinis, & cauſſa frequentis delirij in febribus acutis. De Vrinis.* ¶ [ Equidem bonum eſt, vrinas etiam in ægris ſanorum ſimiles eſſe; ſed tum demum id bonum eſt, cùm naturæ robore accidit. Poſſunt enim interdum vrinæ ægrorum vrinis ſanorum ſimiles eſſe, & apparere, cum ægri damno. Nam quod Hippocrates, 5. *Coac. ſect.* 2. *aph.* 69. (ſecundum diſtinctionem Hollerij, ſed 415. ſecund. Foëſij) de peripneumonia in ſpecie ſcribit: *Quibus in peripneumonia initio vrina craſſæ ſunt, deinde ante diem quartum tenues fiunt, lethale;* id in omnibus febribus acutis, præcipuè cum internis inflammationibus coniunctis, verum eſt. Vrinæ enim, quæ antè craſſæ erant, tenues & ſanorum ſimiles (tenues enim hîc dicuntur non abſolutè tales, ſed in comparatione cum craſſioribus) euadunt tribus modis: *Vrina tribus modis tenues fiunt.* primò cùm vrinæ, quæ ob materiæ copiam craſſæ erant, naturæ robore vincuntur, & materiâ vitioſa ſeu per renes, ſeu per ſudores euacuatâ, tenuiores, & ſanorum ſimiles fiunt: qui modus ſolùm bonus eſt & criticus. Secundò tenues ex craſſis fiunt vrinæ, ob materiæ inæqualitatem, & virtutis debilitatem, quæ materiam modò vincit, modò ab ea vincitur; vnde vrinæ modò tenues, modò craſſæ apparent; qui modus malus eſt. Tertiò adhuc peior eſt modus, cùm vrina, quæ anteà craſſa erat, ſubitò attenuatur, ob materiæ & bilis ad caput, & aliam partem inflammatam tráſlationem. Quod cùm accidit in febribus acutis & malignis, inſtantis delirij & phrenitidis indicium eſt; id quod ſexcenties obſeruaui, & cuilibet in febribus acutis obſeruare promptum eſt & facile, ac diligenter obſeruandum. Non rarò enim accidit, vt non ſolùm vulgus, ſed & Medici non ſatis periti, ſi vrinas meliores & ſanorum ſimiles fieri incipiunt, id pro bono habeant, ſpe tamen ſuâ fallantur. Ideóque attendendum, an, ſi *Nota.* tale quid accidat, critica aliqua euacuatio præceſſerit, & an meliùs æger habere incipiat. Tum enim ſolùm iſta vrinarum in ſtatum ſanorum ſimilem mutatio, bonum ſignum eſt. Si verò nulla criſis præceſſit, & æger non modò non meliùs, ſed & deteriùs habere incipiat, tum id peſſimum, & plerunque lethale ſignum eſt. Materia enim tum ad cerebrum rapitur, ibique inflammationem & phrenitidem, quæ frequentiſſimè lethalis, & hanc conſequentia ſymptomata, vigilias perpetuas, ac deliria excitat. Interdum tamen accidit, vt aliarum partium etiam, pulmonis, hepatis, pleuræ, inflammationes hoc modo excitentur.

*De delirio.* Cur autem potiſſimùm, & tam frequenter, in febribus acutis materia ad caput rapiatur, & deliria, imò phrenitis, excitentur, conſideratione dignum. Cauſſa *Eius cauſſa quæ varia.* autem huius rei in ipſo cerebro & capite quærenda eſt. Etenim primò venæ & arteriæ plurimæ cerebrum ingrediuntur, & in idem deſinunt, pro nutritione, vitæ 1. conſeruatione, & ſpirituum animalium generatione. Nec dantur vaſa ac viæ magnæ, quæ naturaliter euacuant, & alior ſum materiam tranſuehunt, ſicut in ventriculo, liene, hepate, corde, pulmone. Secundò reliqua membra vapores communicatos facilè dimittunt, quia 2. perſpirabilia & poroſa. Cerebrum autem cranio concluſum duriore & minùs peruio, vapores detinere cogitur, donec incraſſati, ſub alia excrementitij humoris forma tandem defluant. Tertiò cerebri ſubſtantia mollis vapores & humores eò delatos facilè immittit, & difficulter 3. diſcutit, ob temperamentum frigidum. Quartò cerebri actiones continuæ ſunt, & reliquo etiam corpore in ægris 4. quieſcente, animales in cerebro actiones in perpetuo ſunt exercitio, vt in vigiliis, quæ febribus acutis familiares eſſe ſolent: quo exercitio cùm ſpiritus animales abſumantur, continuò nouum ſanguinem arterioſum ad eorum refectionem affluere neceſſe eſt, qui ſecum vapores calidos, quibus arteriæ repletæ ſunt in febribus acutis, ad cerebrum vehit, vnde id calefiat neceſſe eſt. Quibus accedit alimenti & ſanguinis, qui ad cerebrum affluit, conditio. Etenim alimentum & ſpiritus, quæ ad cerebrum confluunt, pro viſceris huius nobiliſſimi nutritione, & ſpirituũ animalium tenuiſſimorum generatione, proportionata eſſe conuenit, nempe tenuia. Sanguis ergo tenuis, & ſpiritus vitales ſubtiles ac calidi, non ipſi ſolùm facilè incaleſcunt, cerebrúmque inflammant, ſed & tenues & calidi vapores ipſis permiſcentur: quod non accidit in partibus, quæ craſſo ſucco nutriuntur, & non tantâ copiâ ſpirituum vitalium opus habent. ]

Bonum autem ſignum eſt, ſi æger morbum facilè ferat, ſi non admodum æſtuet, nec nimiâ ſiti detineatur, nec grauiter angatur; ſi facilè ſpiret; ſi nullam partem internam dolere ſentiat; ſi dormiat; ſi ſomno iuuetur; ſi corpus æqualiter calidum ſit ac molle; ſi lingua non ſit adeò arida, nigra & aſpera; ſi vrina bona. Tutum enim morbum & breuem ſignificat, ſi ſtatim appareat. Quod ſi iam ſignis coctionis apparentibus, cum virium robore, in die critico, larga à naribus hæmorrhagia accidat, procul dubio æger euadet. Eſt enim proprium, ſi quid aliud, vt Galenus, 1. *Epid.*

*Epid.comm.*1.*t.*4.ait,exquisitarum febrium ardentium, vt per sanguinis eruptionem iudicentur. Iudicantur tamen nonnunquam & per sudores & alui reiectiones, & vomitum & abscessûs.Vide *Institut.lib.*3.*part.*3.

*Causi soluti per crisin, sãguine iuxta radicem pollicis pedis euacuato, historia. Historia ex Zacuto Lusitano.*

¶ [ Zacutus Lusitanus, *de Prax. Med. Adm.lib.* 3, *obs.*1 10.ex annotatione D.Anton. Gomez, Prof.Med. in Acad.Conimbr. refert, fœminam quandam candidam & rubicundam, cui menses ad annum trigesimum rectè fluxerant, ab anno vigesimo, aduentante tempore verno, causo correptam fuisse:quæ cùm moritura videretur, sudore copioso leuabatur, post quem tubercula purpurea per corporis ambitum erumpebãt, amygdalarum formâ, mollia & pruriginosa,quæ omnia cessabant, hæmorrhagia excitata per porum iuxta radicem pollicis pedis dextri, in interna parte;quo loco, aperto exiguo foramine, spatio quatuor horarum, sanguis riuuli instar,quantitate duarum librarum,emanabat, quo euacuato,& à febre, & à tumoribus liberabatur.Varia remedia & ad causum, & ad hæmorrhagiam istam auertendam fuêre tentata,sed natura suum cursum nunquam interrupit.]

De Curatione Febris ardentis in specie aliquid hîc addere opus non est. Cùm enim, vt antea dictum, Causus non peculiaris aliqua febris differentia sit, sed potiùs modus saltem, & tertiana continua legitimus & propriè dictus Causus sit: quæ curandi ratio debeatur,febribus ardentibus, ex curatione Biliosæ seu Tertianæ continuæ postea satis patebit.

## CAPVT XIII.

### *De Febribus continuis in genere, & de Tertiana continua.*

*Febres continua periodica.*

CVm ea, quæ naturam, differentias, causas, signa & curationem earum febrium putridarum, quæ vnicâ duratione sine vllâ exacerbatione & remissione absoluuntur, & σύνοχοι πυρετοὶ seu febres continentes appellantur, concernunt,absoluerimus, iam ad alterum febrium putridarum continuarum primariarum genus accedimus, quæ continuæ in specie appellantur, & quidem etiam continuò durant, certis tamen interuallis & periodis exacerbationes habent; vnde à nonnullis continuæ proportionales, seu proportionatæ & periodicæ nominantur, quòd exacerbationes quasdam, quæ proportione periodis febrium intermittentium respondent, habeant. Febres enim hæ eo quidem cum continentibus conueniunt, quòd vapores ex putridis humoribus continuò cordi communicantur, idque præter naturam calefaciunt: verùm in eo differunt, quòd vapores illi non æquali impetu continenter cordi, sed inæqualiter, nunc scilicet maiore, nunc minore copiâ communicantur, vnde caloris quædam remissio atque intensio oritur.

*Cõtinuitatis & periodorũ in continuis periodicis causa.*

Causam continuitatis vulgò eam afferunt,quòd humores putrescant in venis, vnde calor putridique vapores continuò possunt cordi communicari.Quód verò febres hæ continuitatem retineant, & ad ἀπυρεξίαν non deueniant, Galenus, 2. *de differ. febr. cap.vlt.* hanc causam reddit, quòd ob crassitiem ac visciditatem humoris, facultatis expultricis debilitatem & viarum angustiam; Natura superflua expellere non posſit.Quod verò inæquali copia, & impetu vapores putridi ad cor ferantur, eam causam reddunt, quòd materia in venis paruis contineatur, à quibus vapores, propter eam, quam habent à corde distantiam, non possunt æqualiter semper illud calefacere, sed nunc magis nunc minùs, proüt putredo intenditur aut remittitur. Per venas autem minores hîc intelligunt non minimas & capillares, sed medias inter magnas & capillares, surculos scilicet & ramos venarum magnarum. Nam cùm continuæ periodicæ non fiant, nisi quòd materia non simul tota præsens est, sed trãsmittitur aut attrahitur, vnde continua ad cor effumatio,non tamen tam facilis,quàm in Continentibus:ad id venas medias has commodissimas esse statuunt;cùm si in magnis venis materia putrescat, ob loci amplitudinem & cordis vicinitatem, febris continens excitetur;in minoribus verò intermittens.

Alij aliter hac de re sentiunt, censentque non solùm ad locum,sed etiam ad materiam putrescentem esse respiciendum, atque ex hoc potiùs petendam esse causam periodorum,tam in febribus continuis his periodicis, quàm in Intermittentibus. Materiam autem hanc esse humorem excrementitium. Vt enim à materiâ alimentali seu sanguine febres continente fiunt: ita periodicas fieri statuunt ab humore excremẽtitio, qui cùm naturæ molestus sit, atque à facultate expultrice moueatur,motu suo periodos efficiat. Nam vt Galenus, *cap.vlt.lib.*2.scribit: *Quæcunque per circuitus aliquot ægritudinum accessiones fiunt, ex membrorum dispositionibus ortum habent, quæ scilicet membra vel mittunt,vel suscipiunt,vel generant vel attrahunt superfluitates.* Nam vel partes robustiores ad debiliores sua excrementa expellere solent;vel partes ipsæ ob dolorem aut calorem, aliunde materiam attrahunt; vel partes excrementa,quæ in iis generantur, ob imbecillitatem aut etiam obstructionem nequeunt expellere,quæ deinde in iis putrescunt,

Verumenimuerò, vt ex hac controuersiâ nos expediamus, tota huius rei ratiò à materiæ febrem producẽtis natura & dispositione pendere,atque ab eâ discrimen inter continuas omnes,seu periodum habeant, seu eâ destituantur, & intermittentes oriri mihi videtur.Continentium enim febrium causam sanguinem corpori nutriendo dicatum esse, iam diximus. Continuæ verò periodicæ & intermittentes ab humore excrementitio & cacochymico oriuntur;vnde & febrium harum non parua est cognatio. Hæc tamen est differẽtia,quod materia intermittentium causa in primâ coctione,& circa hepar generatur,ibique vitium concipit & corrumpi incipit. Materia verò, quæ continuarum, periodicarum causa est, in secundâ coctione, quæ fit in liene & hepate,generatur; & proinde Sanguini perfecto & alimentario permixta est.Siue enim chyli causâ,cuius in prima coctione cõtractum vitium, in secundâ coctione corrigi non potest, siue ipsius hepatis vitio,quod malè dispositum etiã ex bono chylo malum sanguinem generat, id contingat: quod vitiosum in secundâ coctione generatur, maximâ ex parte sanguini permixtum in venas mittitur, atque cacochymiæ in venis originem præbet. Nisi forsan humores isti vitiosi in mesaraïcis generentur, & hinc ad hepar deducantur & cum sanguine in omnes venas distribuantur, ibique cumulati putrescant. Hoc excrementa retenta,præcipuè fuliginosa illa & serosa,faciũt: aut si quid aliud adhuc est, quòd sanguinem bonum in venis corrumpere & in vitiosum & excrementitium humorem conuertere potest.

*Continentiũ, cõtinuarum, & Intermittentium discrimen.*

Atque hinc continuitatis periodorum & intermissionis ratio reddi potest.Etenim cùm in Intermittentibus materia non sanguis sit, nec vnquam sanguinis formam habuerit, sed in primâ coctione generata sit: ideò etsi in venas effundatur, tamen sanguini in venis non permiscetur,sed saltem cõfunditur,& propterea à Naturâ rectè agente, vt heterogenea expellitur: quâ expulsâ intermissio caloris & ἀπυρεξία sequitur.

*Cur in singulis paroxysmis fiat expulsio in Intermittẽtibus.*

In continuis verò materia vitiosa non solùm sanguini confusa, sed verèpermixtâ est, habétque se sanguis putrescẽs instar musti aut cereuisiæ feruẽtis.Ideóque natura priùs excretionem non instituit,antequam materia cocta,id est,vitiosum à bono separatum sit.

*Cur eadem in continuis periodicis non fiat.*

Atque hæc causa vero magis consentanea est,quàm quòd, ob humorum crassitiem & viscíditatem, facul-

tatis expultricis debilitatem, & viarum anguſtiam, naturam ſuperflua expellere non poſſe, ſtatuunt. Multæ enim febres continuæ dantur, in quibus materia non eſt craſſa & viſcida, ſed tenuis; virtus non adeò debilis,& quæ poſtea in criſi ac ſtatu ad expellendum ſufficiat; viæ etiam non ſunt obſtructæ.

*Periodorū in continuis perio dicis cauſa.* Quæ autem periodorum ſit cauſa in hiſce febribus, & quomodo à continentibus differant, explicare non facile eſt, & quæ authorum diſſentientes hac de re opiniones ſint, antea dictum. Dicetur verò de periodorū cauſis poſtea pluribus in Intermittētibus;cùm periodi febrium in Intermittentibus manifeſtiſſimæ. ſint.Vt verò breuiter hîc in re difficili,quid mihi probabile videatur,dicam:Omnino vbi nouus eſt paroxyſmus,ibi nouam materiam ſuppeditari neceſſe eſt.Fieri autem hoc ideò,paroxyſmúmque intendi quidam docent,vbi materia putreſcens maiore copiâ, quàm ante, cumulata eſt,& ad cor fertur. Non autem æquali ſemper copiâ vapores putridos ad cor ferri ideò ſtatuunt, quòd vaſa,in quibus ſanguis putreſcit,nonnihil ſint à corde remotiora,& propterea ob viarum ambages non poſſint æquali ſemper copiâ ad cor perferri.Cùm enim maiore copiâ materia putrida ad cor peruenit,calor inde augetur & paroxyſmus excitatur: qui vapores cùm nōnihil diſcuſſi ſunt,febris remittit,etſi non planè ceſſet, cùm adhuc vapores putridi,etſi non æquali copiâ, cordi cōmunicentur.Alij verò docēt,à membris ſecundæ coctionis,hepate ſcilicet & liene,materiam nouam ſtatas periodos obſeruantem ſtatis temporibus communicari,& quidem plerumque ab hepate,vnde etiam tertianæ continuæ ſunt frequentiſſimæ. Quæ ſententia poſterior ſatis probabilis & veritati conſentanea videtur & proculdubio in continuis, quæ certas periodos obſeruant, locum habet. Verumtamen nec prior ſententia planè reiicienda videtur, poteſtque locum habere in iis febribus continuis periodicis, quæ ita exactè periodos non obſeruant, ſed nunc vno die bis, nunc ſingulis diebus ſemel, nunc longiore, ſed non ita certo ſpatio exacerbantur, prout ex vaſis, in quibus ſanguis præcipuè putreſcit, tardiùs vel citiùs vapores illi putridi &calidi cordi communicantur. Si tamen certum & ſtatum tempus paroxyſmus obſeruet,etſi vno die bis recurrat,illud etiam ex hepate materiam nouam ſuppeditante fieri poteſt; cùm multi venarum rami per eius corpus diſperſi ſint. Verùm vbi de periodorum ratione in Intermittentibus dicetur,hæc clariora fient.

## *Signa.*

*Signa continuarū periodicarum.* Signa harū febrium in genere patent, quòd ſcilicet nunquā ad ἀπυρεξίαν planè deueniunt;certis tamen interuallis, ſcilicet vel alternis, vel ſingulis, vel quarto die exacerbantur & remittunt. Nullum verò frigus, rigor aut horror exacerbationem antecedit, nec remiſſionem ſequitur ſudor. Et ſi putredo eſt in vaſis à corde paulò remotioribus, iis in locis vbi conſiſtit, vt & vicinis,grauitas, dolor & ardor percipitur.

## *Differentiæ.*

Sunt autem harū febriū tres ſpecies. Aliæ enim alternis diebus exacerbantur,& à bile ortū habent,&tertianæ continuæ nominantur: Aliæ ſingulis diebus intenduntur, quæ à pituitâ proueniunt, & quotidianæ continuæ appellantur: Aliæ à melancholiâ oriuntur, & quarto quóque die exacerbantur, ac quartanæ continuæ nominantur. Vbi tamen, de quo poſtea dicetur, febres non dierum & paroxyſmorum, ſed ipſis cauſis, & humorum,à quibus proueniunt, varietate æſtimandas & diſcernendas eſſe,obſeruandum eſt.

## *De Tertiana Continua.*

Tertiana nimirum Continua eſt febris putrida, à ſanguine cacochymico bilioſo in venâ cauâ putreſcente ortum habens;continua quidem,ſed tertio quóque die magis affligens.

## *Cauſa.*

Cauſa nimirum huius febris eſt bilis excrementitia. Etſi enim quidam ſtatuunt,etiam ex bile alimentali febres has prouenire poſſe: tamen quia illa nihil aliud eſt,quàm ſanguinis calidior pars, non continuam periodicam, ſed ſynocham bilioſam generat. Sola ergo bilis excrementitia ſanguini permixta tertianam continuam parit. Et quidem bilis illa excrementitia vel generatur ex tenuiore & calidiore ſanguinis parte, quam alij bilem alimentalem nominant, vel à primo ortu fuit excrementitia,& vt excrementum ſecundæ coctionis in hepate generatum fuit. Quæ ipſa bilis varij generis eſſe poteſt,flaua,vitellina, porracea, æruginoſa,ichoroſa.Atque hæc bilis colligi poteſt non ſolùm in venis magnis publicis, verùm etiam iis, quæ ſunt in parte aliquâ,vt hepate,pulmone,vtero.

Cauſæ verò remotiores ſunt omnia illa,quæ humorem hunc multiplicare poſſunt.Hepatis vel totius corporis intemperies calida & ſicca, ætas iuuenilis, alimēta calida & ſicca,inedia,aut victus tenuis & parcior, exercitatio corporis vehemens & frequens,æſtus aëris, ſiue à regione,ſiue à tēpore anni,ſiue ab alia cauſa ortū habens,vigiliæ nimiæ,cogitationes attentæ,& ſimiles. *Cauſa remota.*

## *Signa diagnoſtica.*

Signa huius febris ſunt primò ea,quæ omnibus febribus continuis ſunt communia. Deinde hîc adſunt febrium ardentium Signa pathognomonica, qualia diximus eſſe calorem vrentem, & ſitim inexhauſtam, quæ tamen pro cauſæ ratione nunc vehementia ſunt, nunc minùs vehementia. Reliqua etiam Signa συνεδρεύοντα dicta ardentis febris, & alia ſigna bilem arguentia in tertianâ continuâ conſpiciuntur, qualia ſunt vigiliæ, aut ſomnus leuis, inſomnia iram præ ſe ferentia, deliria,oris amaritudo, linguæ ſiccitas & ſimilia. *Signa continua tertianæ.*

Prognoſtica quod attinet, de iis cùm capite præcedente ſatis dictum ſit,ea hîc repetere opus non eſt.

## *Curatio Tertianæ continuæ febriſque ardentis.*

Et cùm eò loci febrem hanc periculo non vacare diximus: curationem præſentem poſtulat, nullaq; hîc cunctatio admittitur. Et quidem cùm in eâ calor ſit maximus, à quo & nomen ſæpe habet, vt ardens appelletur,refrigerationem maximam poſtulat, eamque non ſolùm febris, ſed & cauſa febrilis,quæ eſt bilis,indicat.Ipſa enim cùm ſit naturâ ſuâ calida & ſicca,refrigeratione & humectatione opus habet.Et quidem in febre hac magis refrigerantia & humectantia,quàm in vllâ aliâ, requiruntur.Humor quoque peccans, niſi à naturâ euacuetur,aut euacuari poſſit,commodè euacuandus eſt.Si autem febris ſit notha,aliuſque humor admixtus,tam medicamenta & alterantia ac concoquētia, quàm euacuantia humorem, qui cum bile peccat, reſpicere debent. Symptomata quoque aliqua, ſi valde vrgeant, vires deiiciant, ipſa curationem ad ſe trahunt, & niſi iis, quæ cauſæ & morbo aduerſantur ſimul tolli poſſent, mitiganda ſunt. Victum quod attinet,cùm hæc febris acuta ſit,tenuem victum requirit, & quò morbi vigor propior vel remotior eſt, eò magis vel minùs tenuem.Idem,ſi vt medicinalis conſideretur,frigidus & humidus ſit,eandémque,quam medicamenta,intentionem habeat. *Indicationes.*

Quibus autem auxiliis iſta perfici queant, porrò videndum. Et primò quidem occurrit controuerſia de venæ ſectione, atque diſputatur inter Medicos, An liceat *Venæ ſectio an in febre ardēte locum habeat.*

ceat in febre ardente venam aperire. Sunt qui in ardentib.febribus à venæ ſectione abſtinendum cenſent: quòd Galenus aliquoties in humoribus à ſanguinis naturâ longè recedentibus à venæ ſectione abſtinendum moneat.Hinc Auicennas,*4.primi doctrina 5.c.20.* metuendum putat, ne æger deducatur ad periculum cholericum,ſeu bilis ebullitionem ſanguine bono euacuato. Verumenimuerò ſi illa,quæ ſuprà in genere de venæ ſectione & explicatione quæſtionis, An in cacochymiâ vena ſit ſecanda, dicta ſunt,diligenter perpendamus:in ardente quoque, modò vires id permittant, venam aperiendam eſſe patebit. Nam cauſa morbi cõtinetur in hac febre in ramis venæ cauæ, bilioſúſque humor ſanguini permixtus eſt; vnde apertâ venâ non exigua vitioſi humoris quantitas cum ſanguine euacuatur, vt natura poſtea reliquum faciliùs vincere & coquere poſſit. Inprimis cùm natura meliorem ſanguinis partem circa nobiliora viſcera & in maioribus venis detineat; prauos autem humores,expultricem ſtimulantes & naturæ moleſtos, ad remotiores & extremas venas propellere ſoleat: vnde accidit,vt apertâ venâ ſanguis deterior plerumque primo loco effluat. His accedit quod maximâ refrigeratione in his febribus opus ſit,quam commodiſſimè præſtat venæ ſectio,dum vnâ operâ & pars materiæ peccantis tollitur,& ſanguis ventilatur ac refrigeratur;imò à nobilioribus partibus reuellitur. Et ipſa experientia ac natura nobis quaſi viam ad hoc auxilium capeſſendum monſtrat:cùm ij, quibus copioſior ſanguinis per nares euacuatio à natura fit, minùs periclitentur. Teſtatur Hippocrates,*1. Epid.comm.2.t.68.* eos à febribus ardentibus euaſiſſe, quibus ſanguis è naribus effluebat, reliquis quibus id non accidiſſet, pereuntibus. Quinimò minùs periclitabantur mulieres;quippe,vt Galenus addit,quæ ingenitum auxilium habebant, purgationem menſtruam. Vnde nonnullis & ſanguinem è naribus, & menſtrua fluxiſſe Hippocrates ſcribit; ac nullam earum, quibus aliquid horum ritè euenit,mortuam vidit.

Neque vlla bilis ebullitio,ſanguine,à quo temperabatur,detracto,metuenda.Hæc enim tunc fieret,ſi ſanguis ſolùm bonus detraheretur,& bilis in venis relinqueretur. Cùm verò ſanguis cum bile,vt in venis mixtus continetur,venâ apertâ effluat: eadem manet ſanguinis & humorum reliquorum in venis proportio, quæ antea.Imò ſi,vt paulò ante diximus,maior humoris vitioſi, ſeu bilis, in venis externis, quàm internis copia detineatur,ſanguinis boni maior copia in venis relinquitur.

*Quando vena aperienda.* Vena autẽ quamprimùm & mox in principio morbi aperiẽda.Si tamen initio neglecta ſit,etiam in augmẽto admittitur. Et quidem ſatis copioſè ſanguinem in hac febre euacuare licet:non tamen tam copioſè,vt in Synochâ; cùm nec ea in hiſce febribus adſit ſanguinis copia,nec vires,vt in Synochâ,tam fortes ſint.

*Remedia tertianæ continuæ & febris ardentis. Aluum lenientia.* Medicamenta quod attinet, ea reſpiciunt vel cauſam vel morbum. Morbus alterantia requirit: cauſa cùm alterantia & præparantia,tùm euacuantia. Et primo quidem loco ſummè neceſſarium eſt, vt aluus & primæ viæ euacuentur; cùm vt venæ ſectio rectiùs inſtitui, tùm reliqua medicamenta adhiberi poſſint, tùm ne bilioſa & putrida excrementa in primis viis hærentia,calorem & ſymptomata febrilia, inprimis capitis dolorem,augeant.Sint autem iſta medicamenta frigida & humida, vel certè temperata ac humida, ac vi abſtergendi prædita,non autem calefaciant.In hunc finem,& quidem mox ante venæ ſectionem,commodiſſimè clyſter injicitur,qui & citò operatur,vt ejus causâ venæ ſectionem differre diu opus non ſit,& ſine omni aliorum humorum perturbatione aut calefactione primas vias abſtergit & eluit. E. g.

℞. *Maluæ, violar. endiu. lactucæ*, an M. j. *parietar. mercurialis,hordei*, an.M.ß. *ſem.4. frig.mai.* an. ʒ. j. *endiuiæ* ʒ. j. *prunor.* num. viij. Coqu.*in ſ. q. a. ſ.* Colat. ℔.i.Adde *Caſſiæ vel El.lenitiu.ſ.*℥.j.*vel* ℥.j.ß.*ol.viol.* ℥.ij.*mell.viol.vel ſacch.rub.*℥.j.*ſalis* ʒ.ß. F.Clyſter.

Vel ſi corpus ſit pituitoſius,calórque febrilis minor, talis parari poteſt.

℞. *Rad.alth.*℥.j.*maluæ,parietariæ,mercurialis,brancæ vrſinæ*,an.M.j.*furfuris in petiâ lig.*M.ß.*flor.chamæm.*p.j. *ſem. frig.mai.*an.ʒ.ß.*fœnic.*ʒ.j. Coqu.*in ſ.q.aq.ſ.* Colat. ℞.℔.j.*elect.diacatholic.*℥.j. *ol.chamæm.viol.* an. ℥. j. ß. *mel. roſ. col.*℥.j. *ſalis* ʒ.ß. F. Clyſter.

Poſt clyſterem, vel ſi æger clyſterem non admittit, Lenientia dicta medicamenta variis formis adhiberi poſſunt. Vt:

℞. ***Pulpæ tamarind.***ʒ.vj.***caſſ. extr.*** ℥. ß. ***Cum ſacch.*** F. Bolus.

Vel ℞. ***El.lenit.ſ.***ʒ. vj. ***Pulpæ tamarind.*** ʒ.iij. ***Cum ſacch.*** F.Bolus.

Poteſt & ſacchari loco in bolis formandis ſaccharum roſatum tabulatum vſurpari, vel ſaccharo aliqua pars ſacch. roſ. tabulati admiſceri. Habet & hic Cremor Tartari locum.

Vel ſi forma potabilis placet, ℞. *Mannæ opt.*℥.i.ß. *vel* ℥ ii.Diſſolu. *in prunorum,& tamarindorum decocto,* Et colentur.

Vel: ℞. ***Pulpæ tamarind. caſſiæ extr.*** an. ℥. ß. *ſyr.roſ. ſol.violar.ſol.*an.℥.j.*aq.endiu.q.ſ.* F.Hauſtus.

Si corpus ſit robuſtius, etiam elect. diacatholicum vſurpare licet.

Maſſarias monet, in hac febre abſtinendum eſſe à mannâ,ſyrupo roſar.& violar. ſol.& aliis medicamentis,quæ ex melle & ſaccharo præparantur,imò ipsâ caſſia,cùm facilè in bilem conuertantur.Verùm,quod ipſe diffiteri non poteſt,facilè hoc præcaueri poteſt, ſi admiſceatur pulpa tamarindorum,quam ipſe inſignem in hac febre prærogatiuam habere dicit;vel etiam admixtiõne frigidarum aquarum, decocti prunorum acidorum,vel ſeri lactis.

Si humores excrementitij in ventriculo hæreant,inprimis ſi vomitus & nauſea vrgeant, vomitu rejiciendi ſunt,vel irritando fauces,vel exhibito vomitorio,de quibus ſuprà,*de Curatione febrium putridarum in genere*,dictum.

Venâ ſectâ, ſi materia turgeat, vel etiam ſi materia in primis viis ſit copioſior, aut natura robuſta, vt iſtis humoribus non facilè irritetur,ad paulò fortiora aſcendendum.Plerumque tutius eſt, vt lenientia illa antea numerata in majore doſi exhibeantur. Scammoniata autem & ſimilia calida purgantia vix vſurpanda,ne humores reliqui nimis agitentur, corpus incaleſcat, vel diarrhœa aliqua, quod in bilioſis corporibus facilè accidere ſolet,exoriatur. Rhabarbarum quidem conuenit,vt & Myrobalani: verùm non in ſubſtantiâ; cùm hoc modo exhibita adſtringant,ſed potiùs in infuſione aut decocto, cum aquis refrigerantibus aut ſero lactis caprini.

Si tamen fluxus alui adſit,in ſubſtantiâ exhiberi poteſt. E. g.

℞. *Tamarind.*℥.ß. *prunor. Damaſc.iniubar. ſebeſten.* an.num.x.*flor.cordial.*an. P.j. *cichor.*P.j.*ſem.4.frig.mai.* an.ʒ.ß.*endiuiæ* ʒ.j.Coqu.*in ſ.q.decoct.hord.ſ.* In Colat. *ſ.q.*Infunde *rhabar.opt.*ʒ.i.ß.*vel* ʒ.ii.*ſpicæ* Scr.ß.Colat. ℥. iii. adde *ſyr.roſar. aut viol. ſol.* Vnc.i. *vel mannæ aut caſſiæ aut diaprunis compoſ. lenitiui (quod commodum in acutis eſt medicamentum)* Vnc.ß. F Hauſtus.

Vel: ℞. *Syr.roſ.ſol.diaſereos.aq.acetoſæ* Vnc.i.ß.Miſce.

Vel ℞. *Syr.roſ.vel viol.ſol.*an.Vnc.ii.*diaſereos* Vnc.i. Miſce.

Tenuioris fortunæ & robuſtioris naturæ habitui Elect.diacatholicum,vt dictum,concedi poteſt,cui ſtimuli loco addere licet Elect.è prunis compoſ. laxatiu. roſati Meſuæ,de ſucco roſ.de pſyllio.

Plurimi,nec ſine causâ,ſerum lactis caprinum commendant, vt in quacunque febre bilioſâ continuâ præſtantiſſimum remedium, quod & temperare ac *Serum lactis.*

 euacuare

euacuare humores biliofos poffit & vifcera roborare. Infundunt in cyatho vno feri lactis caprini, rhab. Drach. i. vel Drach. i.fem. aut addunt fyr. rofar. folut. Vnc. ii. vel Vnc. iii. & poftea alias duas libras, ne totum ferum fapore medicamenti inficiatur, ebibendas propinant. Et omnino vtilis eft in febre potus feri lactis,præcipuè cum oxymelite,quod feparat ferum à lacte craffo. Ideóque fi metuatur fluxus alui, omitti poteft rhabarbarum, & faltem fyr. rofar. folut. Vnc. ii. in decocto tamarindor. diffoluti exhiberi,& hinc ferum lactis propinari.

## *Alterantia.*

*Alterantia.* Reliqui humores, vt rectiùs à natura vincantur,coquantur, & poftea fuo tempore expellantur, alterandi & præparandi funt:quod quæ præftant, vnâ operâ calorem febrilem mitigare poffunt.

Conueniunt ergo refrigerantia & humectantia, putredini refiftentia,aperientia, & vifcera roborantia.Inferuiunt huic rei *fyr. acetofus f. oxymel f. dilutum*; *oxyfacchara f. fyr. acetof. f. citri, granator. acidor. endiuiæ, cichorij,acetofæ, violarum.* Conueniunt etiam *femina 4. frigida maiora,portulacæ, lactucæ,fl.nymphææ.fantalum.*

*Delectus medicamentorũ alterantiũ.* Delectu tamen aliquo interdum opus eft. Monent enim hîc nonnulli, ne fyrup. violar. folus detur, cum laxet ftomachum,& proinde femper aliquid acetofi admifcendum effe cenfent, vt & faciliùs penetret in venas & calori febrili refiftat. Quod fi non fiat, tales fyrupi,antequàm in venas,penetrant,calore ventriculi conuertuntur in vaporem calidum qui poftea majorem fitim inducit. Ita fi venter fit laxior, potiùs rofæ quàm violæ conueniunt. Ita fi bilis fit pura,acrior & tenuis, talia refrigerantia & humectantia eligenda, quæ tenuitatem bilis, fine adftrictione tamen, nonnihil remittunt: Ideóque tum conueniunt fyr. rofar.fimpl. infufionis, potulacæ, acetofæ, ribium. Si verò pituita aliqua adfit, aliquam partem eorum, quæ aperiunt & attenuant, adiicimus. Qualia funt radic. petrofelini, fœniculi, afparagi, fyr. de 2.radic. byzantinus. E. g.

℞. *Rad. acetofæ, graminis,* an. Vnc. fem. *endiuiæ, lactucæ, acetof.* au. M. fem. *fem. 4. frig. mai.* an. ʒ.i. *fantal. omn.* an. ʒ fem. *flor. violar. nymph* an. P. ii. *tamarind.* Vnc. fem. Coqu. *in f. q. aq. hordei f.* Colat. *clarificatæ* ℞. Vnc. vi. Adde *vini granat. vel fyrup. granat. acidorum* Vnc. ii. *vel* Vnc. iij. Mifce.

Vel: ℞ *Aq. endiu. acetofæ* an. Vnc. iii. *nymphææ* Vnc. ii. *vini granat. acidor. aceti vini albi* an. vnc. i. fem. *facchar. albi.* Vnc. ii. F. Iulebus.

Vel: ℞ *Syr. acetofi f.* Vnc. ii. *violar. endiu.* an. Vnc. i. *aq. cichorij, acetofæ,* an. Vnc iii. Mifce. Poteft etiam fpir. Vitriol. vel Salis addi.

Vel: ℞. *Iulebi violar. rofar.* an. Vnc. i. *aquæ hordei vel cich.* ℔ fem. *fpiritus vitriol. rectif. q. f.* ad gratam aciditatem. Mifce.

Vel: ℞. *Oxyfacch. f.* Vnc. iii. *aq. endiuiæ, acetofæ,* an. Vnc. iii. fem. Mifce.

Vel: ℞. *Syr. de nymphæa, de portulaca, de ribes,* an. ℥. i. *aq. nymphææ, acetofæ, lactucæ,* an. ℥. iii. ß. *fpiritus falis* gutt. viii. Mifce.

Vel: ℞. *Aq. fontanæ puriffimæ* ℔. i. ß. *facchar. candi alb. dr. v.* Bulliant leniter atque colentur. Colaturæ adhuc feruidæ adde *fantali rubri pulu.* ʒ. iii. ß. *citrini* ʒ. i. *fpir. vitriol. rectif.* Scr. ß. *fucc. citri* ℥. i. *aq. cin.* gutt. xii. Mifce.

Poteft & tinctura rofar. iuleb. rofar. violar. fyr. de fucco ribes, vel etiam plus fpiritus vitriol. addi.

In febre continuâ biliosâ, præcipuè ex bile porraceâ. & æruginosâ, Io. Langius, *lib. 3. epiftol. 1. c. 4.* hunc fyrupum commendat.

*Cryftalli vfus.* ℞. *Cryftalli puriffimi in porphyrio fubtiliffimè triti,* ʒ. ß. *Detur cum decocto aut ftillatitio liquore portulacæ, oxalidis, endiuiæ & fyr. acetof. citri, vel de fucco limonum.* Eft enim cryftallus, addit Langius, alexipharmacum porraceæ & æruginofæ bilis, ac dyfenteriæ antidotus, totâ fubftantiâ & qualitate manifeftâ, vt Petrus Aponenfis in fuo de aquis libello teftatũ experiẽtiâ fcribit.

*Cautio in refrigerantibus exhibendis obferuanda.* Reprehendit hoc loco Maffarias illos, qui fyrupos dilutiores ex aquis frigidis deftillatis & Syrupis paratos, fitis leniendæ & extinguendi caloris gratiâ, continuò ferè quacunque diei horâ ægris propinant, monétque tales potiones, etfi fiti & calori extinguendo fint dicatæ & vtiles, non quacunque tamen horâ, nec fæpiffimè de die exhibendas effe, fed tantùm vacuo ventriculo propinandas. Quod nifi fiat, coctionem turbari dicit, tantúmque abeffe, vt fitim leniant, vt eam potiùs augeant.

*An fyrup. acetof. citri de limon. granatis, &c. in febribus hic conueniant.* Monet idem Maffarias, vt à fyrupo de acetofitate citri, de portulacâ, de limonibus, vel granatis & fimilibus planè abftineamus: cùm infigniter adftringant, ac propterea impeditâ perfpiratione, obftructionem, morbum, & caufam morbi poffint augere. Verùm non fimpliciter id admitti poteft. Nam primò omnia acida non adftringunt, neque acida, vt acida, adftringunt. Itaque Syrupi ex fucco acetofæ, acetofitate citri, de limonibus, aciditatem quidem omnes habent, non tamen neceffariò adftrictionem, aut fiquæ ipfis ineft adftrictio lenis eft, quæ & faccharo temperatur. Cùm autem aciditatis ratione & fuâ naturâ valde in hifce febribus vtiles fint: leuis illa adftrictio multum obeffe non poteft. Nam calorem fi refpiciamus, refrigerant; fi putredinem, exficcant; fi obftructionem, incîdunt; fi adfit malignitas, peculiari facultate ei aduerfantur: & proinde plus commodi afferunt, quàm leui adftrictione nocere poffunt. Imò fi nimia adfit humorum tenuitas, acrimonia & mobilitas, leuis aliqua adftrictio & humores temperabit, & partes roborabit. Verùm de quæftionibus hifce, an adftringentia in putridarum febrium curatione conueniant, & an acida fuâ naturâ adftringant, videatur Io. Baptifta Syluaticus, *Controu. 50. & 51.*

Non folùm autem decoctis, Iulepis, fyrupis & eiufmodi potionibus calorem temperare licet, fed & Electuaria ad calorem febrilem remittendum, & vifcera roboranda vtilia funt, cuiufmodi fuprà in curat. fynochæ putris propofui.

Vel. ℞. *Conferu. viol. acetofæ, acetofellæ,* an. Vnc. j. *rofar. vitriol. rob ribium,* an. Vnc. j. ß. *fpec. diamarg. frig.* Drach. j. *lactucæ Ital. conditæ. rad. cich. condit.* an. Vnc. ß. *Cum fyr. acetofæ.* F. Electuar.

Si libet, poteft cryftall. tenuiffimè puluer. addi Vnc. ß.

Vel. ℞. *Conferu. rofar. nymph. acetofæ, borrag.* an. Vnc. j. *rob ribium* Drach. vj. *fpec. diamarg. frig.* Drach. ß *fpir. vitriol.* gutt. vij. *Cùm fyr. acetof. citri q. f.* F. Electuar. Poffunt & conferuæ aquis dilui. Vt.

℞. *Conferu. rofar. violar. acetofellæ,* an. Vnc. j. *aq. acetofæ. violar. hordei* an. Vnc. iiij. Parum calefiant & colentur, atque addatur *fucci citri, Oxyfacch. f.* an. Vnc. j.

*Medicamẽta Ægyptiis vfitata.* Maximopere hodie commendatur & in frequenti vfu Chymicis eft nitrum albiffimum, in conueniente liquore diffolutum.

Ægyptij, quibus febres illæ ardentes familiares funt, potiones etiam aliquas peculiares parant, quas pro fecretis auxiliis habent, quas defcripfit Profper Alpinus, *libro 4. de medic. Ægypt. cap. 15.* Propinant nimirum aquam ftillatitiam anguriæ, cucumeris, melonum. Inprimis ipfis vfitata eft potio, quam Idem *lib. eod. cap. 3.* defcribit, quæ in ardentibus febribus & lateris inflammationibus, præftantiffimum habetur remedium, cùm fitim extinguat, calorémque febrilem minuat, & non minùs vrinam prouocet.

℞. *fem. melon.* Vnc. iiij. *anguriæ, cucurbitæ, cucumeris,* an. Vnc. j ß. *glycyrrh. rafæ facch. cand.* an. Vnc. j ß. *fem. fænic.* Drach. iij.

Quæ

Quæ omnia in mortario contundunt, & in petiâ paruâ ligant, ex qua aquâ rosaceâ irrorata lac exprimunt,quod ægris propinant. Atque hoc potionis genus communiter parant, cuius facultates variant, variis additis medicamentis, proüt variorum morborum & causarum vsus poscere videtur. In ardentibus enim febribus,in quibus maiore refrigeratione opus est,prædictis addunt semina endiuiæ,lactucæ,psyllij, portulacæ, albique papaueris. Vsurpant & familiariter decoctum vel infusum berber. cui pulpam tamarindorum vel alia semina, proüt morbi ratio postulare videtur, addunt.

Parant & hanc potionem:In aquâ multâ saccharum dissoluunt, eique admiscent tantum succi limonum, quantum aquam modicè acidam reddere queat. Atque hunc potum & sanis pro siti extinguendâ exhibent. Pro ægris eundem parant ex aquâ endiuiæ, & si febris non careat malignitate, cum aquâ rosarum. Posset ad eundem modum cum spir.vitriol.parari.

*Topica in febribus ardentibus.* Ad calorem temperandum & Topica conueniunt,vt Epithemata, olea, vnguenta, quæ cordi, hepati, dorso applicantur; in quorum tamen vsu cautione opus est, Cùm enim calor nullam, per quam expiret, viam habeat,nisi poros cutis: videndum, ne frigidis ii occludantur & hoc modo magis incendium excitetur. Ideò præsente plenitudine, temerè admouenda non sunt,& vix ante statum conueniunt. Et in febribus, quæ per periodos infestant,commodissimè applicantur in vigore paroxysmi. Caliditate enim per totum corpus expansâ, reliqua quæ circa viscera est, faciliùs extinguitur.Ingruente autem paroxysmo,non applicanda sunt, aut si adsint non remouenda. Cordi autem inprimis, vtpote quod maximè à colore febrili afficitur, ea admouenda:si tamen, quod in febribus, quæ aliquas remissiones habent, accidit; in venis alicuius partis materia hæreat, vt in hepate, pulmonibus, & illi succurrendum.

℞ Aq.*rosf.opt.* Vnc. iiii. *acetosæ, nymphææ,* an.Vnc.i. *aceti ros.* Drach.vi. *spec.diamarg.frig.santali citrin.* an. Drach.ß *camphoræ*Scr.ß,*croci gr.*vi.*cort.citri* Scrup.i.F. Epithema cordis.

Quod tamen calidum potiùs quàm frigidum applicandum est. Nam si frigida actu applicentur talia, calor versùs interiora repellitur & collectus magis vrit, & medicamentorum vis, clausis poris, minùs ad interiora penetrat.Si autem calida applicentur,facilè ad interiora penetrant, & per poros cutis patentes calor febrilis faciliùs exhalat & exspirat.

Vel ℞. *Vnguenti rosac.rec.* Vnc.i. *flor.rosf.rub. siccar.* Drach.ß.*santali citr.flor.nymph.luteæ,* an. Drach.i. *ligni aloës* Scrup.ß.

Parum calefiant,& vbi vnguentum vires ex puluere attraxit, colentur, & addantur camphoræ gr. vi. F. Linimentum.

Vel. ℞. *Flor.cordial.* an M. ß. *spec. diamarg. frig.* Drach. i. *santal.omn.* an. Drach. i. *ligni aloës* Scrup. i. *camph.* Scrup. ß. F. Sacculus pro corde cum serico rubro.

Hepati potest tale Epithema adhiberi.

℞. *Aq. rosf. endiu.* an. Vnc. iii. *portulacæ, aceti rosac.* an. Vnc. i. *santalorum omn.* an. Scrup. 1. *spodij ex ebore,camphoræ* an.Scrup.ß. Misce.

Si magnus ardor circa pectus sit,pectus,& inprimis spina dorsi,tali linimento inungatur.

℞. *Vnguenti infrig. Galen.ol.viol.mucilag.sem.psyllij,aq.rosf.extractæ* an.Vnc.sem.F.Linimentum.

Concoctâ materiâ, naturæ motus attendendus, & num illa eam expulsura sit,obseruandum.

*Aqua frigida potus in febribus ardentibus.* Antiqui hoc tempore, & vt naturam ad expulsionem stimularent, & roborarent, aquam frigidam copiosè bibendam exhibebant. Vt enim Galenus,9.*meth. med.c.*5.scribit:*Potio frigida extinguit febrem, naturam robustam reddit,vt deinceps per aluum & sudorem expellat, quæcunque noxia sunt:* Testatúrque 4. *de rat.vict. in ac.t.*12.*frigidæ potum in causo biliosos humores vel perfectè euacuare, vel exstinguere adeò, vt ex innumeris illis, quibus eam præbuit tempore oportuno,nemo vnquam mortuus fuerit.* Imò in hac febre leui aliquo coctionis principio apparente,confidentiùs, quàm in aliis, potus frigidæ admitti potest. Tanta enim est in eâ humorum efferuescentia,vt nisi plurimùm refrigeres, parùm proficias. Ideóque non solùm,vt dictum,aqua frigida, coctione factâ; sed ad coctionem iuuandam & humores alterandos refrigerantia copiosiùs & inter hæc assuetis aquam frigidam adhibere oportet,ne spiritûs nimio calore dissipentur,aut solidæ partes exsiccentur,& æger in marasmum incidat. Licet etiam aquis admiscere ea, quæ vim aperiendi & obstructiones reserandi, ac in corpus penetrandi habent,vt succum citri,spiritum vitriol.& suauitatis gratiâ saccharum.

*Balneum aquæ dulcis.* Vsurpabant antiqui quoque coctione absolutâ balneum aquæ dulcis: quod non solùm refrigerat & humectat, sed & aliquid bilis educit, De quâ re Galenus, *lib.de mar.c.7.Febrium, quæ ex putrescentibus humoribus accenduntur, balneum remedium est, si post coctionem humorum adhibeatur:* Et 7.*aph.*42. *Non tamen,vbi inflammatio aliqua aut sine inflammatione humoris putredo igneum excitans calorem adest, balneæ sunt vtilia; nisi prius euacuatis & concoctis humoribus noxiis.* Verùm deest illa ratio balneorum antiquis vsitatorum hodie: Ideò potiùs hypochondria, & inprimis dextrum, fouendum aquis & decoctis refrigerantibus, atque extrà applicanda,quæ antea exposita sunt.

## *Purgantia.*

*Purgantia.* Si autem natura officium suum non faciat, humorémque concoctum non expellat, Medicus exhibitis medicamentis id præstare debet. Galenus in tertianâ exquisitâ tantùm absinthij mentionem facit,summumque esse remedium dicit mordicationum ventriculi à bile. Verùm id de tertianâ Intermittente potiùs, quàm continuâ accipiendum est. Commodissimè autem in hac febre vtimur *rhabarbaro, syr.rosar.& viol.solutiuo, pulpâ tamarindorum, cassiâ, mannâ,* parantúrque ex iis medicamenta, quorum exempla antea allata sunt, inter quæ etiam est Tryphera Persica. Ad medicamenta verò, quæ scammonium recipiunt in hac febre non facile ascendendum. Duo tamen sunt è compositis vulgò vsitatis, quæ minore cum periculo, præcipuè in fortioribus corporibus, exhiberi possunt; Electuarium rosatum Mesuæ, & de succo rosarum: Quibus addi potest electuarium de psyllio, & diaprunum solutiuum. E.g.

℞. *Elect. rosati Mes. vel de succo ros.* Drach. ii. *pulpæ tamar.* Drach.v.*Cum sacch.*F.Bolus.

Vel ℞. *Elect.de succo ros.* Drach. iii.*syr. ros. sol.* Vnc. ii. *aq.endiu.q.*ß. Misce.

Vel ℞. *Elect. diacathol.* Drach. vj. *rosat. Mes. de psyllio* an.Drach.i. Dissolue super igne lento *in aqua endiuiæ, acetosæ* an. Vnc. j ß. Colaturæ adde *succi rosar.* Drach.ii.*vel* Drach.iii.Misce.

*Vrinam cientia.* Potest etiam materia per vrinas euacuari. In quem vsum in hisce febribus est commodissimum serum lactis caprinum, additâ emulsione seminum melonum; quæ cum decocto rad. petrosel. parata sit. vel emulsio 4. sem. frig. maior. cum aquâ hordei vel fragorum facta.

*Sudorifera.* Ad sudorem prouocandum Antiqui balneo, vt dictum, vtebantur. Commodiùs hodie vsurpantur decocta ex hordeo,radicibus tormentillæ, pentaphylli,acetosæ, C.C. & similia, quæ infrà, in malignis præcipuè febribus,proponentur.

Diæta

*Diæta.*

*Cibus ac potus.* Victum quod attinet, vt anteà in genere dictum, proüt morbi vigor fuerit propior vel remotior, sit tenuior vel crassior. Quòd si statim in morbi initio febris naturam & exitum non satis cognoscere & perspicere liceat, satis tenui victu vti licet, inprimis si vires validæ sint. Nam in morbis, qui statim ad vigorem perueniunt, etsi valde tenuis victus exhibeatur, vt Galenus, *1. ad Glauc. cap.* 8. habet, haud magnum detrimentum parit. Cibus autem, vt & potus inprimis refrigeret & humectet: vnde conuenit ptisanæ cremor, cibi lactucâ, acetosâ, succo citriorum & granatorum malorum conditi. Nonnunquam, si vires sint debiles, carnes pullorum & gallinarum concedendæ. Potûs loco conuenit aqua hordei, vel aqua cocta admixto succo granatorum, vel citri & saccharo. Ægyptij, vt refert Prosper Alpinus, *libro* 4. *de med. Ægypt. capite* 3. potum talem parant.

℞. *Furfuris tritici* P. iij. *abluunt aquâ ter, eámque abyciunt, nouáque aquâ rursum lauant, eámque additâ aliquâ aquæ rosar. quantitate & sacchari candi modico, coquunt, & calidam in cœnâ ac prandio exhibent, vel etiam manè loco Syrupi vel Iulepi propinant. Aliqui etiam varia semina addunt.* Abstergit hic potus, refrigerat, aperit, sitimque extinguit, & nonnihil alit. Commoda est & hæc aqua hordeata.

℞. *hordei loti* Vnc. iii, *santali albi, citrini* an. Drach. iii. *fruct. berber. sacch Canariens.* an. Vnc. ii ß.

Indantur vasi, & affundantur canthari duo aquæ fontanæ. Vas diligenter luto claudatur. Coq. horis 4. postea sponte refrigerentur & colentur.

Vel ℞. *Radic. plantagin.* Vnc. iii. Concisis adde *sacchari albi* Vnc. iiii. *fruct. berber. siccat.* Vnc. ß. *cerasor. acidorum siccat. num.* 20.

Vase diligenter clauso Coq. in B. tribus horis. Postea colentur. Colaturæ adde *succum limonis vnius.*

Exhibent Ægyptij, vt idem, *eodem libro cap.* 15. refert, etiam aquam multam, in quâ tamarindi, berberis, prunique Damasceni fructûs per diem cum paucis seminibus anisi infusi manserint. Exhibent & aquam melonis vel anguriæ. Et omninò refrigerantia liberaliùs eaque validiora exhibent, ob regionis & loci squalorem ac æstum insignem, quæ in nostris regionibus omnia imitari fas non erit.

Iidem & potum quędam ex fermento & aquâ rosaceâ parant: qui in memoriam mihi reuocat potum & iuscula, quæ Silesii, Poloni, & quidam finitimi populi ex fermento parare solent. Ex brancâ vrsinâ & fermento talem conficiunt, & *Bartksch* appellant. *Potus ex brancâ vrsinâ.* Folia Brancæ vrsinæ siccata coquunt in Aquæ eâ quantitate & modo, vt decoctum saltem colorem flauum, non puniceum, contrahat. Decocto fermenti acidi aliquid, vel panis ex puluere brancæ vrsinæ cum fermento panis bicocti parati, addunt, & in loco tepido aliquot diebus efferuescere & fermentari permittunt, donec saporem gratum acidiusculum contrahat. Quo decocto non solum potûs loco, sed inprimis ad iuscula conficienda vtuntur. Quod sanè seu edulij seu potûs genus adeò incommodum in febribus feruentioribus non videbitur ei, qui & brancæ vrsinæ & fermenti acidi vires diligenter perpenderit.

Alterum saltem tempore ieiunij Quadragesimalis parant, ex farinâ, fermento acido, & Aquâ cum sem. carui, quæ simul fermentari & feruere in loco tepido permittunt, donec saporem acidiusculum contrahant; atque inde iuscula non ingrati saporis conficiunt.

Si simul & refrigerare & aluum lenire (quod sæpe opus) placeat, syrup. viol. & rosar. cum aquâ coctâ vel hordei, instar Iulepi, potûs loco propinari potest: vel in aquâ coctâ aut hordei, tamarindi aut pruna Damascena infundantur vel coquantur. Ita enim aluus semper lubrica manet.

Aër sit frigidus, & si talis non sit naturâ, arte paretur, vt antea dictum. Vtile etiam est odoramentum tale.

℞. *Aq. rosar.* Vnc. iiii. *nymphææ* Vnc. ii. *aceti rosf.* Vnc. j. ß. *vel* penetrationis gratiâ, vini. Vnc. i. *santal. omn.* an. Drach. ß. *cort. citri* Drach. ß. *Camph.* Scr. ß.

Misceantur & agitata odoramenti loco sæpe vsurpentur. Odoramentum etiam vtile præstant flores rosar. viol. purpur. nymphææ luteæ.

Quâ ratione symptomatibus, quæ huic febri coniungi solent, succurri possit, suo loco dicetur peculiariter.

## *Tertiana Continua notha.*

*Tertiana continua notha* Quæ ex pituitâ salsâ vel pituitâ cum bile mixtâ oritur febris ardens, notha est, & ferè eandem curationem habet, quam tertiana intermittens notha. Sanguis nimirum mittendus est parciùs. In præparatione humorum ea, quæ pituitam attenuant, simul admiscenda: vt Syrup. de 2. radicibus, Byzantinus s. Oxzmel s. Capillus ♀, Petroselinum, fœniculum, Asparagus, betonica. Purgantibus admiscendus est agaricus. Verùm de his plura suo loco.

*Conualescentes vt regendi.* Atque hæc de curâ febrium Continentium & continuarum biliosarum sufficiant. Vnum saltem addere libet, quâ ratione ex febribus continuis conualescentes regendi sint. Nisi enim hoc debito modo fiat, vel recidiuam patiuntur, vel alios periculosos morbos incurrunt.

*Cibus.* Si febris continua euacuatione criticâ perfecta soluta sit, medicamentis amplius natura molestanda non est, secundùm præceptum Hippocratis, 1. *aph.* 20. *Quæ decernantur, decretaue sunt, nec mouere, nec aliud quicquam nouare, seu medicamentis seu aliis irritamentis, sed omittere conuenit.* Et tum saltem recta victûs ratio instituenda, cibóque vires instaurandæ sunt; & viscera, quæ morbo fuerunt debilitata, roboranda: & si quæ reliquiæ ac vestigia caloris febrilis superfint, ea tollenda. Itaque cibus sit coctu facilis, boni succi, temperatus, aut si quis calor supersit, nonnihil frigidus: qualem præbet caro gallinarum & caponum, pullorum, hædina, vitulina, ptisana hordeacea. Eâ tamen quantitate cibus offerendus, ne copiâ naturam oneret. Qui enim cibum nimis copiosum sumunt, tantum abest, vt inde corpus reficiatur, vt in recidiuam vel nouam febrem, nisi abstinentiâ aut inanitione id præcaueatur, incurrant. Itaque ἀκορίη τροφῆς, quam Hippocrates commendat, hîc maximè conuenit. Et nunquam conualescentes eiusmodi ad plenam satietatem edere, sed durante adhuc aliquo cibi desiderio, ab edendo desistere debent. Quia autem corpus tum morbo, tum tenuiore victu extenuatum, alimentum copiosius requirit: cibus quidem paucus, sed sæpius exhibendus. Et quò propior iam pristinæ veletudini redditur conualescens, plus cibi & rarioribus interuallis concedendum, dum planè pristinæ sanitati & diætæ restituatur.

*Potus.* Potus sit Cereuisiâ probè cocta & bene defecata, vinum album, tenue: ab aquæ verò potu, cùm visceribus extenuatis valde noceat, planè abstineant conualescentes.

*Somnus.* Somnus conualescentibus vtilissimus noctu post cœnam, qui hoc modo initus corpus exsiccatum valde humectat, instaurat ac spiritûs reficit. Vigiliæ verò ex febribus continuis conualescentibus noxiæ sunt.

Inanitio conualescentibus nunquam conuenit, nisi ventris deiectio, quæ si subsistat, ἐγκλύσμασι & lenientibus medicamentis interdum sollicitanda. Vsus tamen lenientium, præcipuè eorum, quæ per os assumuntur, non sit nimiùm frequens, ne crebrâ deiectione alimentum cum medicamento corpori subducatur. Inprimis conualescentibus Venus inimica. Animi

affectus

affectus sint moderati, & ad hilaritatem dispositi.

Viscera iis, quæ moderatè refrigerant & adstringunt, roboranda sunt. Cui rei vtile est Electuarium vel rotulæ diarrhodon, trochisci de rosis, conserua rosar. cichorii: Et vbi calor ampliùs non adest, aromaticum rosatum.

Quibus autem imperfecta crisis accidit, & cum parte relictæ materiæ symptomata quædam supersunt, ij ex alimentis etiam commodè assumptis parum reficiuntur. Itaque reliquiæ humorum medicamento euacuandæ sunt, ne abscessus aut recidiua fiat. Hîc sæpe vtilia sunt medicamenta, quæ per vrinas euacuant. Nonnulli venam iis aperiendam esse censent: sed perperam. Vires enim morbo & præcedentibus euacuationibus debilitatæ eam non ferunt. Victus his probatur tenuior, donec euacuato humore vitioso feliciotis nutritionis indicia appareant. Rectè enim Hippocrates, 2. *aph.* 10. *Impura corpora, quo plus nutriueris, eo plus læseris.* Vbi reliquiæ vitiosorum humorum euacuatæ sunt, tractandi sunt, vt alij conualescentes, de quibus modò dictum.

## CAPVT XIV.

### *De Quotidiana continua.*

*Quotidiana continua.* QVotidiana continua verò, quæ barbaris latica, quòd quendam latentem & absconditum habeat calorem, appellatur, est febris perpetuò quidem durans, & nunquam ad ἀπυρεξίαν deueniens, singulis tamen diebus exacerbationes suas habens à pituitâ sanguini permixtâ. Incidunt hæ febres in ætatem, naturam & corpus humidum; vnde iuuenem biliosâ & siccâ naturâ præditum tali febre correptum Galenus se non vidisse scribit: sed pueri atque inprimis infantes propter ἀδδηφαγίαν & lactis vsum, vt & senes, ac qui habitu sunt corporis crassiore & otio ac crapulæ dediti, & longiore somno indulgent, & loca humida incolunt, talibus febribus corripiuntur. Hinc fit, vt frequens non sit hæc febris.

### *Signa diagnostica.*

*Signa quotidianæ continuæ.* Signa quotidianæ continuæ sunt, quòd calor continuò durat, & nunquam ad intermissionem planè venit, singulis tamen diebus, & quidem plerunque circa vesperam, quo tempore pituita magis moueri solet, exacerbatur & intenditur. Verùm, vt in aliis continuis, sine frigore aut horrore calor intenditur, & remittit sine vllo sudore. Calor primò quidem attactu mitis apparet; paulò post tamen acrior sentitur, laxatis poris cutis manûs tepore. Tardè enim accenditur pituitâ, & quidem inæqualiter; cùm aliæ partes sint crassiores, aliæ tenuiores, adeò vt modò delitescere, modò rursus augeri calor videatur.

Pulsus, vt in aliis continuis, non sunt ita celeres & frequentes. Vrina quoque, vt in aliis continuis, non ita ignea est & rubra, sed crassa potiùs. Sitis etiam, nisi pituita salsa adsit, vt & alia symptomata, non sunt ita vehementia: atque alia signa, quæ in quotidianâ intermittente animaduertuntur, huic febri sunt communia. Neque enim magna est materiæ, quæ continuas facit, & eius, quæ intermittentes perducit, diuersitas. Nisi quòd intermittentibus causa in primâ coctione generatur, & ibi corrumpi ac putrescere incipit: In continuis verò etsi materia in primis viis non corrumpatur, sed ad hepar, ibi ampliorem elaborationem suscepturа, mittatur, tamen vitium coctionis primæ non potest corrigi in secundâ: aut si hepar non rectè sese habeat, pro sanguine bono pituitosus & cacochymicus generatur, qui vbi putredinem concipit, hanc febrem producit.

*Quotidiana* Cùm autem hæc febris lenta & longa sit, hecticæ similis apparet. Quapropter quâ ratione discerni possint dicendum. In hecticâ calor est semper æqualis, ac nonnisi post sumptum cibum aliquomodo intenditur. In quotidiana continua singulis diebus, & præcipuè circa vesperam, etsi æger nihil cibi antè assumpserit, augeri calor incipit, & circa mediam ferè noctem maximus est, ac postea iterū sensim remittit. Pulsus in hecticâ est durus & strictus: in hac mollis & laxus. Cutis in hecticâ est squalida & arida: in continuâ autem quotidianâ mollis. Causis etiam, quæ præcesserunt, planè differunt. Hecticam enim præcesserunt causæ calefacientes & siccantes: continuam verò quotidianam causæ refrigerantes & humectantes, ac pituitam generantes. *continua quomodo ab hecticâ sit discernenda.*

### *Prognostica.*

Febris hæc ob humoris crassitiem est longa & curatu difficilis, ac propterea periculo non vacat. Ac quò pituita est crassior & contumacior, eò febris est pertinacior & longior. Vnde quotidiana non terminatur ante diem quadragesimum, aliis ad sexagesimum extenditur, nonnunquam longiùs protrahitur. Hinc principium ante 20. diem vix absoluitur. Minùs tamen diu durat, in quâ plures euacuationes contingunt. Longior etiam est pura, quàm quæ bilem admixtam habet. Est quoque continua periculosior, quàm intermittens: cùm ægrum magis affligat: Quæ quò peiora habet symptomata, eò est periculosior. Si enim virtus sit ab initio statim debilis, & appetitus deiectus, lethale signum est. Nam virtus ad statum non perdurabit. Ita si paroxysmus sit longus, virtus debilis, appetitus prostratus, somnus profundus, ægrum de vitâ periclitari indicat. Quæ si abfuerint, salutem spondent. Inprimis autem ventriculus in hac febre laborat & debilitatur, & ob huius debilitatem hepatis & lienis obstructiones oriuntur. *Prognostica.*

Vnde ægri tandem cachexiam & hydropem incurrunt. Terminatur eadem febris sæpè in hecticam. Diurna etiam quotidiana periculosior, quàm nocturna; cùm tempus remedij adhibendi commodum desit. Nam de die ob paroxysmum remedia adhibere non licèt: si verò quo tempore ægro dormiendum est, medicamenta adhibeantur, & æger vigilet, quies turbatur & vires deiiciuntur.

### *Curatio.*

Indicationes, quibus curatio dirigitur, vt in aliis febribus putridis, petantur à morbo, causâ morbi & viribus. Morbum & causam morbi quod attinet, contrario modo in hac febre res sese habet ac in tertianâ. In hac enim febre neque morbus, calida scilicet intemperies, quæ nō est magna; neque causa, quæ est pituita, humor scil. frigidus, refrigerationem postulant, & magis periculum hîc metuendum ex humoris naturâ, quàm ex calore eiusdem; atque ideò in hac febre minimè humectandum aut refrigerandum. Pituita enim humor frigidus, crassus, tenax & lentus est, ideóque ad coctionem & euacuationem præparandus calefacientibus & mediocriter siccantibus, incidentibus & attenuantibus: quæ tamen initio febris sint mitiora, & hinc paulatim ad calidiora ascendatur. Si autem pituita minùs frigida, crassa & viscida sit, vt est pituita salsa, & pituita cum bile mixta, mitiora medicamenta requiruntur, & calefacientibus aliquid refrigerantium addendum, eodémque ferè modo, vt in tertianâ nothâ procedendum. Materia deinde cocta & præparata euacuanda est: & inprimis ventriculus ac alia viscera roboranda, viriúmque omnino, quæ valde in hac febre vrgent, habenda est ratio; & symptomata, si quæ infestent lenienda. *Indicationes.*

Aluum

## *Aluum laxantia.*

Primò ergò, quod in aliis febribus rectè fit, nec in hac omittatur, ac principio ventriculus ac primæ viæ euacuentur. Exempli gratiâ.

℞. *Mercurialis.betæ,furfur. in petiâ lig. flor. chamæm.* an.M.i. *meliloti* M.ß.*sem.lini*.℥.ß.Coqu.*in s.q.a.s.* Colat. ℞. ℔.i.In qua dissolue *Elect.diacathol.*Vnc.ß.*diaphænic.hieræ s.*an.Drach.iii.*mell.ros.sol.*Vnc.i.*cl. Chamæmel.vel communis,*Vnc.ii.*vel* iij.*salis* Drach.i.F. Clyster.

Inter medicamenta verò, quæ per os assumuntur, commodissimum est mel rosatum solutiuum.

Potest & cassia vsurpari, cui ʒ.ß. semin. anisi vel fœnic. addi potest, vel aliquid de pulu. mechoac. in bolo; vel diacatholicum.Imò interdum aliquid diaphænici, sed in exiguâ quantitate, reliquis lenientibus in fortioribus corporibus addere licet.Aliàs fortiora illa purgantia post coctionem differenda.

Materia, quæ ventriculo inhæret, proximâ viâ vomitu excludi potest, vomitoriis suprà recensitis. Conueniens hîc est raphanus, cuius vel decoctum, vel succus, vel infusum in oxymelitis ℥. iiij. vel plurium pondere propinatur. Licet & alia addere, vt sem. atriplicis,aneth.fl.chamæm.vt,

℞. *Sem. aph.atriplicis,*an.Vnc. sem. *flor. chamæmel.* P.j.Coq.*in aq.s.*Col. ℞. Vnc.v. Adde *oxymel.s.* Vnc.j. sem.Misce.

*Venæ sectio.* Aluo ita euacuatâ,an venæ sectione opus sit,videndum. Græci in hac febre venæ sectionis mentionem non faciunt: ideóque plurimi ab eâ abstinendum putât,cùm & ratio id iubere videatur. Nam sanguis in hac febre non peccat,sed pituita,quæ est frigidus & crassus humor, qui sanguine detracto magis crudus euadet. Auicennas contrà,*capite proprio,*& qui eum sequuntur, in hac febre admittunt venæ sectionem, si vrina sit crassior & rubicundior.Et omnino in hac febre continuâ interdum locum habet venæ sectio:sed ne id temerè fiat, quando & quam ob causam venæ sectio instituí debeat, videndum. Massarias quidem, magnitudine morbi & virium robore præsente,semper admittit venæ sectionem;& propterea in omni febre putridâ mittendum esse sanguinem censet. Verùm falsitas huius opinionis alibi refutata est.Et quæ Galeni sententia sit, cùm inquit, in omni febre putridâ saluberrimum esse mittere sanguinem,satis apparet ex ratione,quam Galenus addit; cùm ideo sanguinem in febribus putridis mittendum esse dicit, vt natura parte oneris, quâ tanquam sarcinâ premitur, leuetur, vt postea, quod reliquum est, & coqui potest,concoquat faciliùs, & quod expelli potest expellat.

Ergo tum solùm & in quotidianâ, & in omnib.febribus putridis sanguis emittendus, vbi sanguinis euacuatione natura oneris parte leuari potest; id quod fieri potest in quotidianâ continuâ, cùm humor peccans in venis sanguini permisceatur, & ita sanguine detracto pars vitiosi humoris detrahatur.Vnde Auicennas, cùm vrinæ sunt crassiores & rubicundiores, sanguinem mittere iubet. Eâ tamen conditione, quam Galenus ipse addit, sanguis mittendus, si vires & ætas consentiant; id quod rarò in hac febre accidit. Nam cùm hæc febris ferè incidat in ætatem senilem vel puerilem, tempus anni frigidum, & febris ipsa ab humore crudo proueniat: raro vires consentiunt. Iisdem de causis sanguis,vbi venam aperire licet,non copiosè,sed parcè euacuandus.

## *Concoquentia, & alterantia.*

*Alterantia & præparantia in Quotidiana continua.* Sectâ, si opus sit, venâ, ad materiæ præparationem & concoctionem accedendum. Et primò attenuantibus, quæ non valdè calefaciunt, vtendum, ne si in primis viis vel venis crudi humores hæreant,valentiorum medicamentorum vi in penitiores corporis partes traducantur. Quapropter in principio vtendum syr. acetoso s. melle rosato, oxymelite s. syrupo de betonica, hyssopo,cum decocto vel aquis capill. ♀, fœniculi,asparagi,graminis,hyssopi,chamædryos: quibus additur syrupus endiuiæ s. & compositus. Inseruiunt huic fini & conserua betonicæ, hyssopi,cardui benedicti,vel eius generis extracta.Exempli gratiâ.

℞ *Aq.agrimon.beton.fœnic.*an. Vnc.ii. *syr. de 2.rad. acetosi s.*an.Vnc.i.*end.*Vnc.ß.F.Haustus pro ii.dosibus.

Vel ℞. *Rad.graminis. asparagi* an. Vnc. ß.*capilli.♀. chamædr.hyssop.fœnic.*an.M.j.*sem.fœnic.*Drac.i.Coq.*in s. q.a.s.*Colat.Vnc.ix.Adde *syr.de 2.rad.*Vnc.ii.*byzantini s.* Vnc.i.*spiritus vitriol.*Scrup.ß.F.potus pro tribus dosibus.

Vbi aliqua coctionis signa apparuerunt, mitius aliquod purgans pituitam exhibendum. In morbis enim ex crassis humoribus natis perfecta & integra, quæ requiritur, purgatio semel institui non potest, sed per vices humores concoquere & euacuare oportet. Et primò vtrumque mitioribus faciendum;hinc ad fortiora ascendendum.

Leni ergo isti purgationi inseruit agaricus, aut pilulæ alephanginæ cum tertiâ parte agarici:In pituita salsa aliquid rhabarbari vel etiam foliorum senæ addi potest. Et est tum commodus vsus diacatholici,vt:

℞. *Agarici troch.* Scrup. IV. *diagridij* gr. i. *vel* ii. *Cum melle rosar.* F.Pil.XXV.

Vel ℞ *Elect.diacathol.*Vnc.ß.*agaric.troch.*Scrup.ii. *Cum sacch.*F.Bolus.

Vel ℞.*Decocti aperient.q.s.*Coq.*in eo fol.senæ.el.agarici trochisc.*an. Drach.ii. *rhab.elect.* Scrup.i.*Zingiberis, galangæ* an.Scrup.ß.Colat.℞.Vnc.iii.Adde *mellis rosar. solut.*Drach.x.Misce.

Vel ℞. *Decocti communis aut aperient.* Vnc.iii. Dissoluantur in his super igne. *Elect. diacathol.* Drach.vi. *diaphænici* Drach.iii.Colentur.Adde *mell.ros. sol.* Drach.x.Misce.

Vel ℞. *Pil. alephang.* Scr.ii. ß. *agarici troch.* Scrup.i. *trochisc.alhand.* gr.ii. *vel* iii. *cum melle ros.sol.* F. Pilulæ mediocres.

Inde ad fortiora præparantia & purgantia deueniendum:quæ tamen admodum calefaciunt & siccant, vitanda sunt. Et quia rarò admodum datur quotidiana exquisita,ideò in nothâ,ea quæ humorem biliosum vel melancholicum respiciunt,admiscenda.

Itaque etiam medicamenta, quæ indiuiduis conueniunt, ita exactè præscribi non possunt:ac proinde formulas, quas proponemus, pro cuiúsque ægri & morbi ratione variare & mutare licebit.

Inter præparantia tum conuenit syrupus de 2.rad.de 5.oxymel.compos.syr.byzantinus compos. cum aq.vel decocto hyssopi,petroselini,betonicæ.

Si pituita salsa fuerit,curatur ferè vt tertiana notha; addi potest syrupus de fumaria,aqua eiusdem,borraginis,buglossi.

Vt: ℞. *Mellis ros.col.*Vnc.i. *oxymel. compos.*Vnc. ß. *aq.hyssop.fœn.*an.vnc.ix.*vel* Vnc.x. F. Haustus, qui aliquoties repetatur.

Vel ℞. *Syr.de 5.rad.oxymel compos.* an.Drach.vj.*aq. hys.& chamædr.*an.℥.i.ß.Misce.

Vtile & hic est decoctum aperiens in pharmacopoliis vsitatum.

Vel ℞. *Rad.aperientium aceto præpar.* an. Drach.vj. *Hyssopi, betonic. chamædr. capill.* ♀ an. M.i. *sem. fœn.* Drach.i.ß,Coq.*in* ℔.iij.*aq.*Ad dimidiæ partis consumptionem.Colat.adde *mellis* Vnc.IX. *aceti* Vnc.iii. Coq. *s.a.*F.Syrupus.

Vel ℞. *Rad.graminis. asparagi, fœniculi* an. Vnc.i. *agrimon.capilli* ♀, *betonic.*an.M.i. *cardui benedicti.sem. endiu.anisi* an.Drach.ii.*cicer.rub.*M.sem. *fl. genistæ* P.ii. Coq.*in s.q.hydromelitis pro* ℔.j.Colat. adde *mell.ros.col. oxymel.compos.*an.Vnc.vi. *aq.cinam.* Vnc.ß. *vel* Drach. vi.F.potus pro 4.dosibus.

Vel

Vel ℞.*Oxymel.scillit.mell.rof.col.*an.Vnc.ij. *aq.fœnic. petrosel.*an.Vnc.iv.F.potus pro 2.dosibus.

Commodus etiam hîc est vsus spir.Vitriol.& ⊖.qui in iusculis carnium vel alio conueniente liquore ad humores attenuandos & putredinem inhibendam exhibeantur.

In phlegmate salso & bilis permixtione, atque vbi calor febrilis major est, talia præparantia conueniunt.

♃.*Syr.endiu.fumar.acetosi s.*an.Vnc.i.sem.*aq.fœnic. absinth.buglossi* an.Vnc.ii.sem.F.potus pro 3.dos.

Vel ℞.*Syrup. bysantini s.*Vnc.ii. *acetosi s.* Vnc.i.*aq. graminis,asparagi* an.Vnc.ii.sem. F. Potus.

Vel ℞. *Conf.borrag.cichor.beton.fumar.*an.Vnc.i.*cortic.citri condit.rad.condit.cichor.*an.Vnc.sem. *spec.diarrhod. abb.* Scrup. ii. *Cum syrup. buglossi* F. Electuarium.

### *Purgantia.*

Postea iterum ad purgantia, & quidem paulò fortiora accedendum, vt pilulas aggregatiuas, addito agarico trochiscato, vel de hiera cum agarico: In pituita salsa pilulæ de fumaria addi possunt.

Vel ℞.*fol.senæ el.*Vnc.ii.*agar.trochisc.*Drach.vi. *hermodactyl. turbith el.mechoacan.* an. Drach.ii. *zingiberis* Drach. i. sem. *spicæ* Scrup.i.*sem.fœnic.anisi* an. Drach.i. Infund.*in s.q.decocti aperientis vel hydromelitis.* Colat. add.*mell.anthosati,oxymel.scillit.*an.Vnc.i.sem. *sacch.albiss.q.s.*F.Syrupus, de quo quinto vel sexto quôque die capiat ℥.ii. vel ℥.iii. vel per se, vel cum decocto cicer. rubr. aut hyssopi, aut alio liquore conueniente. Hoc enim quod suprà etiam dictum, hîc iterum repetendum, in hac febre, vt in omnibus morbis, qui à crassis humoribus ortum habent, humores peccantes, licèt concocti sint, non vnicâ vice & semel, sed per interualla & partitis vicibus commodè euacuari.

Vel ♃. *Extract. mechoac.* Scrup.i.*vel* ʒ.ß. *panchymagogi* Scrup.ß. F. Pilulæ.

Vel: *Dissolu.in mellis rof.sol.*℥.i.ß.*vel* ii.

Vel: ♃. *El. diacathol.* ℥. ß. *diaphœnici* ʒ. iii. *Cum sacch.* F. Bolus.

Vel: ♃.*Elect.diaphœnici Indi.*an.℥.ß.*vel* ʒ.v.Ebulliant semel *in s.q. decocti communis aut aq. conuenientis,* & colentur. F. Haustus.

Vel: ♃. *Specier.diaturb. cum rhab.*ʒ.i. *mechoac.* Scr. sem. F. Puluis.

Vel: ♃. *Mechoac.* Scr.ii.*vel* Scr.ii.ß.*specier. diaphœnici,diaturbith.cum rhab.*an.Scr.ß. *Diagalang.* gr.v. F. Puluis.

[...]inam [...]ntia. Post euacuationem per aluum & vomitum, materia per vrinas quoque educi potest, atque vrinam mouentia medicamenta, præmissis generalibus euacuationibus, in febribus pituitosis insignem vsum præstant. Attenuant enim humores, & quia tunc crudi sunt, eos præparant, & sensim per vias vrinæ educunt. Exempli gratiâ.

♃. *Rad. aperient.*℥.ß.*asari* ʒ.ii.*capill.* ♀. *betonicæ, hyssopi* an. M.i. *sem.petrosel. fœnic.*an. ʒ.ii. *sem.4.frig. maj.*an.ʒ.i.ß.*Cicer.rubr.*℥.ß.Coqu.*in s.q.a.s.*Colat.*dulcoretur sacchard.*

Verùm de his medicamentis suprà dictum.

Tandem & materia per sudores discuti potest. Nonnulli in hac febre ad fortiora, vt lignum guaiacum, sassafras, radicem Chinæ ascendunt. *Commendatur etiam hîc sal absinthij vel cardui benedicti,*Scru.i.*vel* ʒ.ß.*pondere cum pauxillo theriacæ; vel rob sambuci, vel conueniente liquore sumptus.*

[...]nfortan- Post vsum medicamentorum horum communium, id diligenter attendendum, vt membra principalia roborentur. Diuturnitate enim morbi ventriculus & hepar debilitantur, & hinc cùm prima tùm secunda coctio vitiatur, vnde lien, hepar & crura intumescunt, & cachexia, ac non rarò hydrops imminet. Huic rei inseruit inprimis vsus trochiscorum de rhabarbaro, de absinthio, de rosis, de eupatorio, qui cum syrupis & succis inspissatis & extractis cardui bened.gentianæ, centaurij minor. & aliis conuenientibus in pilulas formantur, quæ vel solæ, vel cum aliquo syrupo, decocto, aut alio liquore conueniente exhibentur. Vtiles etiam sunt species & rotulæ aromatici rosati, dialaccæ, diaxyloaloes.



Extrà quoque ventriculo Roborantia adhibeantur, Cerotum stomachicum, &c. Vel potest tale fomentum parari.

♃. *Absinthij,menthæ,rof.rub.*an.M.i.*mastiches.cortic. citri. Cinamom. macis.* an.ʒ ii.*garyophyl. galang. ligni aloës,*an.ʒ i.*Santalor.omn.*an.ʒ.ß.

F. cum linteo albo tres sacculi, quorum duo madefiant in vino calido & per vices calidi ventriculo applicentur, tertius posteà siccus apponatur: vel post fomentationem emplastrum vel cerotum idoneũ applicetur; vel tali vnguento ventriculus illinatur.

♃.*Ol.absinth.*℥.ii.*nardini, mastichini,*an.℥.i.*garyophyll.macis, rosar.rubr.nuc.mosch. specier.aromat. rosati,* an.ʒ.sem.*Vini optimi* ℥.ii.

Coqu.lento igne ad vini consumptionem, posteà colentur & exprimantur:

Hinc addãtur *ladani* Drach.ii.*ceræ parũ* F.linimẽtum.

Valde efficacia sunt, si addantur, olea destill. absinthij, menthæ, garyophyl.nuc.moschatæ.

### *Diæta.*

Victûs ratio tota sit attenuans, incîdens & abstergens. Cibi ergo sint boni succi, facilis coctionis, pauci excrementi: atque hinc vtiles sunt carnes pullorũ, gallinarum, caro hædina, oua, &c. Pisces in hac febre minùs conueniunt. Cibi condiantur attenuantibus & incîdẽtibus, vt radicibus petroselini, fœniculi, hyssopo, thymo, saturejâ, rorismarino, cinamomo. Vtiles quoque sũt cappares aceto cõdîti. Panis sit optimè fermẽtatus, pauco sale adjecto. Licet eidem & aliquid seminis anisi, fœniculi, cumini, vel carui adjicere. Proùt tamen humor, à quo febris accenditur, magis vel minùs frigidus fuerit: ita magis & minùs calefacientia & attenuantia adjicienda sunt; Et primis diebus mitiora, in progressu morbi fortiora. Cibus.

De tempore & quantitate cibi administrãdi non idẽ sentire videntur Græci & Arabes. Hippocr. & Galen. 1. *aph.*10.& alibi docent, in morbis, quibus status statim futurus est, tenuiter in principio cibari oportere; quibus autem posteriùs, & in ipso vigoris tẽpore & paulò sub ipsum de victu demendũ, antè verò plenius alendũ esse, vt ægrotus perferre queat. Auicẽnas contra primis diebus tenuẽ victũ & diætam instituere & inediam adhibere jubet. Hippocratẽ & Auicennã cõciliare nititur Massarias, dũ dicit: Auicennam id facere sperando, quòd status febris sit futurus propinquior, propter subtilitatem & paucitatẽ materiæ: Quòd si cõtrà status futurus esset diuturnior, primò crassiore, deinde tenuiore victu vtendũ esse. Verùm hæc in speciẽ dissensio hoc modo non conciliatur. Omnis enim febris quotidiana longa est, & in nullâ quotidianã sperandum, statum breui futurũ. Ideóque secũdùm Hippocratẽ in omni quotidianæ principio pleniùs alendum, vt ægrotus ad statum perdurare possit, postea verò statu appropinquante de victu sensim detrahendũ. Interim & Auicennæ præceptum locum habet, qui non hoc sentit, vt toto morbi principio victus tenuior, quàm in augmento, præscribatur, sed hoc saltem vult, vt primis tribus diebus cibo pauciore, aut etiam inediâ æger vtatur, vt cruditates in ventriculo & primis viis absumantur, & concoquantur: cæterùm idem sentit cum Hippocrate, & in principio pleniore victu vtendum censet, de quo posteà sensim detrahendum sit.

Ptisana & ipsa, vt in aliis febribus, ita & in hac conuenit; cùm attenuet, abstergat, aluum leniat; sed

quia humor eſt frigidus,alteretur paucâ cinamomi vel piperis quantitate adiectâ.

Notãdum autem hîc,cùm in hac febre,vt & in aliis diurnis, æger plerumque adſtrictam habeat aluum, quam tamen ſolutam eſſe expedit, nonnullos quotidie, vt aluum lubricam conſeruent, pruna exhibere:verùm cùm in talibus morbis diuturnis ventriculus frigidus & debilis eſſe ſoleat, omninò à talibus frigidis fructibus abſtinendum, & potiùs melle roſ. ſolut. & huiuſmodi aliis aluum lubricantibus vtendum.

In principio æger à vino abſtineat, & aquâ mulsâ eius loco vtatur: ſi tamen vires vel conſuetudo id poſtulet, vtatur vino tenui & aquoſo. Conuenit & cereuiſia tenuis. Apparente autem concoctione,vinũ tutiùs & commodiùs vſurpatur.Concoctio enim eius vſu adiuuatur,ventriculus roboratur,& humores per vrinam educuntur.

## *De Febre Epiala.*

*Febris Epiala.* Cùm autem pituitæ variæ ſint ſpecies, etiam febris huius, pro variis pituitæ generibus quædam differentia deprehenditur. Inter illas verò differentias inſignis eſt ea, quæ Græcis πυρετὸς ἠπίαλος, febris epiala nominatur, vel ἀπὸ τοῦ ἠπίου vnde interpretes blandas & lenes febres vertunt, vel à rigore quòd ἠπίαλος Atticis rigorem, qui febres præcedit, ſignificet. De eius autem naturâ & cauſis variæ controuerſiæ occurrunt,quæ hoc loco inter pituitoſas & quotidianas febres explicanda videtur. E Quotidianarum genere eſſe Epialam omnes concedunt: An ſit autem continua vel intermittens dubium.Inter continuas refert Gal.6. *epid. comm.* 1.*t.*29. cùm ſcribit: *Continuarum aliam ſemitertianam, aliam ardentem,aliam gelidam,aliã ſuccẽſam, aliam peſtilentem,aliam Epialam dicimus.*Alij autem hoc factum putant ob imperfectam intermiſſionem. Atque hæc febris inſignem, quâ à reliquis quotidianis diſcernitur, habet differentiam. Eodem enim febris tempore ægri ſimul,& rigorem & calorem percipiunt. Verùm quomodo illud fiat authores nõ conſentiunt. Gal. quidem *de inæq.intemp.cap.* 8.*&* 4. *de diff. febr. cap.* 6. Epialam febrim fieri docet, quando ægri ſimul febricitant & rigent, atque eodem tempore in toto corpore vtrumque ſentiunt affectum; ſeu quando calidum & frigidum ſimul per minimas corporis particulas diſperſum eſt. Auicennas verò, quem Arabes plerique ſequuntur, *lib.*4.*fen.*1.*tr.* 2. *cap.* 50. aliter hac de febre loquitur, & Epialam fieri dicit, cùm in toto paroxyſmo interna frigent, exteriora calent. Verùm hanc febrem, vt quidem ab Auicennâ & Arabibus deſcribitur, plerique figmentum eſſe putant; cùm impoſſibile videatur, vt externa caleant, interna verò frigeant; ſiquidem febrilis calor à corde incipit, atque hinc in totum corpus diffunditur.Conatur quidem Coſtæus,*in comm. in locum allegatum*, Auicennam defendere,& quâ ratione hæc febris dari poſſit, monſtrare, dum dicit: pituitam vitream, dum putreſcit, intra venas præcipuæ putreſcere:cùm verò actu frigidus hic ſit humor,fieri putat,vt partes,quas tãgit, reddat frigidas; cùm verò putreſcat, ex concepta putredine calidos vapores excitari, qui cùm per vniuerſum corpus ferantur, illud calefaciant, ſolis iis partibus, in quibus pituita reſidet, ob illius contactum frigeſcentibus. Verùm ex hac difficultate ſe hoc modo non euoluit. Nam cùm febris non fiat, niſi calor primò cordi communicetur, ſi vapores è pituitâ putreſcente attolluntur, impoſſibile eſt, vt ab iis calor febrilis exterioribus communicetur, niſi priùs ille in corde accenſus fuerit. At vbi calor in corde accenditur:certè priùs interioribus, vtpote magis cordi vicinis, quàm exterioribus, & à corde remotioribus communicatur. Neque pituitæ, & quidem putreſcentis, frigiditas poteſt eſſe tanta, vt calorem illum planè obtundat, præcipuè in venis, inquibus ex Coſtæi ſententiâ continetur pituita vitrea:neque, cùm craſſus admodum & viſcidus humor ſit, ferri per muſculos & extra venas facilè poſſit. Quapropter vnicam ſaltem Epialæ ſpeciem cum Galeno agnoſcimus, vbi ſcilicet eodem tempore per vniuerſi corporis minimas particulas calor & frigus ſentitur. Etſi verò vnâ eademque pars alterationibus contrariis moueri eodem tempore non poſſit; & propterea non rectè à Galeno dictum eſſe alicui videri poſſet, quòd eodem tempore tum calidum, tum frigidum, per minimas particulas diſperſum ſit: tamen id de minimis particulis,quoad ſenſum,non verò reuerâ minimis accipiendum eſt. Senſus enim nequit diſcernere partem illam, in quâ calor,ab eâ in quâ frigus percipitur.

## *Cauſa.*

*Epialæ cauſa.* De Epialæ quoque causâ Authores, vt & Gal.idem docere non videntur. Nam Gal. *lib.* 2. *de diff. febr. cap.*6.febrem epialam à pituitâ acidâ & vitreâ fieri docet, dum ita ſcribit:*acida & vitrea ſi per ſentientes corporis partes moueatur, ſine febre rigores generat. Quòd ſi modica aliqua in iis fiat putrefactio, febrem epiala appellatam inducit.Lib.*verò *de inæq. intem. cap.*8.addere videtur bilem amaram, dum inquit. *Si pituitoſus humor, qui frigidus eſt,quémque Praxagoras vitreum appellat,& amara bilis, quæ calida eſt, ſimul abundent, ac per ſenſibilia membra moueantur: nihil mirum eſt,vtrumque ab ægro pari modo ſentiri.* Et mox: *in febribus,quas epialas vocant,vniuerſum corpus ambo ſentire videtur.Cum enim tenuiſſimis particulis aſperſum per corpus cùm calidũ ſit, tum frigidum, nullam ſenſilem alterius portionem ita paruam deſumas,in quâ non ſit alterum cõprehenſum.*Verùm à contradictione hîc Galenus liberari poteſt, ſi dicatur, Epialam aliam eſſe legitimam,aliam ſpuriam:legitimam; quæ ex ſolâ pituita fit, ſpuriam verò, quæ ex pituita cum bile gignitur.

*Cur calor & frigus ſimul percipiantur.* Quam ob cauſam autem calor & frigus,ac rigor ſimul percipiantur, Authores etiam diſſentiunt. Vbi pituita & bilis amara eſt permixta, calorem & frigus ſimul percipi docet Galenus, *alleg.loc.de inæq. intemper.* quia ſimul calidum & frigidum per vniuerſum corpus diſperſum eſt. Cùm verò ex ſola pituitâ vitreâ & acidâ Epiala prouenit, Galenus 2. *de differ. febr. cap.* 6. cauſam hanc reddit, quod id,quod ex pituita putreſcit, calorem accendat; reliquum verò,quod nondum putreſcit, rigorem excitet. Vitrea enim pituita eſt humor craſſus, lentus & tenax, ac omninò frigidiſſimus, nec promptè putreſcit, ſed dum putredine modicè corripitur, aliâ parte putreſcit, aliâ non;vnde per ſentientes corporis partes delata pars quæ nondum putreſcit, vtpote frigidiſſima, vehementem rigorem;reliqua verò,quæ iam putredinem concepit, calorem efficit.Atque ita corpus vniuerſum eodem tempore calorem ac frigus percipit. Quòd ſi vehementiùs & æqualiter, quod tamen non facilè fit, putreſcit, tunc cum rigore inuadit,poſtea ſuperatâ frigiditate calor ſuperuenit.

Verùm hæc ſententia non placet Euſtachio Rudio, qui,*lib.*3.*pract.cap.*28. aliam cauſam reddit. Nimirùm calorem prouenire à causâ poſitiuâ, vaporibus ſcilicet putridis, per vniuerſum corpus diſtributis, & à putreſcente humore eleuatis;rigorem autem habere cauſam priuatiuam, nempe caloris ad internas partes retractionem. Et omnino potiùs ad intermittentes, quàm continuas referenda hæc febris videtur. Neque enim credibile, in venis humorem tam frigidum coaceruari poſſe. Et ſi quis inter continuas referre velit, potiùs ad ſymptomaticas quàm primarias referenda videtur, vbi in primis viis, humores crudi & pituitoſi è debili ventriculi coctione & cruditate cumulantur & putreſcunt. Quod tamen ipſum Platero difficile videtur

videtur, qui neque credibile putat, humorem tam frigidum putrescere posse. Ipse itaque Epialas ad Intermittentes refert, ac in eâ est sententiâ, eas generari, cùm Intermittentes febres eodem die conincidunt, frigúsque vnius, antequàm calor alterius febris cessârit, incipit: vel etiam quando intermittentes cum continuiis concurrunt; cùm in continuis calor semper perseueret, & intermittente febre accedente, horror quidam & frigus in principio simul infestet.

*Curatio.*

Rara est ista febris, & vbi excitatur, vix talis ad finem perdurat, & putrescente pituitâ & calore agente in eam, in aliam febrem degenerat. Curationem eius quod attinet, ea à curatione aliarum febrium pituitosarum non est diuersa: ad humoris tamen peculiarem naturam est respiciendum. Cùm enim maior sit humoris, ex quo hæc febris oritur, frigiditas & cruditas, quàm in aliis febribus pituitosis: tantò fortiora medicamenta calefacientia, attenuantia & incidentia in hac febre requiruntur, quantò hæc pituitæ species est frigidior & crudior. Vires in hac febre valdè sunt debiles, ideóque etsi à contumaci & rebelli humore fortiores purgationes indicentur; vires tamen debiles eas non ferunt: ideóque frequentiâ supplendum est id, quod vnâ vice fortiore medicamento exequi non licet.

*De Febre syncopali.*

*Febris syncopalis.* Ad febres pituitosas reuerà etiam referenda est febris Syncopalis humorosa appellata. Auicennas enim & eius interpretes vulgò duas febris syncopalis species statuunt: Vnam quæ ab humore biliosо, tenui, pauco, sed corrupto & venenato oriatur, quàm syncopalem minutam appellant: alteram, quæ à pituitosorum & crudorum humorum copiâ proueniat, quam syncopalem humorosam nominant. Atque hæc omninò ad febres pituitosas pertinet, & ab aliis non differt, nisi quia pituitosorum & crudorum humorum in hac maior, quàm in aliis febribus pituitosis, est copia, & præterea coniuncta est oris ventriculi debilitas, vnde ægri facilè, inprimis febre ingruente, in syncopent incidunt, vnde & febris ista nomen habet. Febris ista curatu difficilis est. Etsi in hac febre vacuantia necessaria sint: tamen ægri neque sanguinis missionem neque purgationem sustinent, ob virium imbecillitatem, & quòd facilè in syncopen incidunt. Ac propterea si pulsus fuerit paruus, debilis & valdè inæqualis, æger in summo periculo versatur. Ergo Galen. 12. *meth. med. cap.* 3. nullam aliam commodiorem vacuandi rationem se potuisse inuenire statuit, quàm quę fiat per frictiones; ideóque ibi quas partes fricare, & quâ ratione oporteat, docet. Licet tamen & clysteribus lenioribus vti. Imò nostro seculo multa innotuerunt medicamenta, quæ nullâ vi naturæ illatâ, aluum solùm laxant, citra omnem humorum reliquorum, qui in venoso genere sunt, perturbationem; qualia sunt mel rosatum solutiuum, manna, cremor tartari, & ex his confecta alia medicamenta.

Imminutâ hoc modo humorum in ore ventriculi & primis viis existentium copiâ, & ita syncopes causâ sublatâ, opera danda est, vt humores reliqui crudi in venis concoquantur, cui inseruit hydromel cùm hyssopo & cinamomo paratum, cui aliquot diebus exactis modicum oxymelitis adiici potest. His ita peractis, vt iam de præcipiti virium lapsu ampliùs metus non sit, purgatio humorum, vt in reliquis pituitosis perficienda.

De Diætâ inter authores non conuenit. Galenus totam ferè curationis spem in frictionibus, quiete, inediâ & tenui victu constituit: Alexander verò Trallianus id reprehendit, atque impossibile esse putat, vt cum exquisitâ inediâ tam vehementes frictiones æger sustinere possit: Cùm secundùm Hippocratem, 2. *aph.* 16. vbi fames, laborandum non sit. Massarias Galenum defensurus respondet, pituitam attenuatione & longiore coctione in sanguinem conuerti posse, vt ex animalibus nonnullis videre est, quæ tempore hyberno sine assumpto alimento ex sola pituitâ nutriantur. Ex quibus concludit, pituitosâ tali febre laborantes famem non pati, cùm humor ille pituitosus frictionibus & moderatâ caliditate attenuetur & in alimentum conuertatur. Quæ responsio quidem locum haberet: si pituita, à qua hæc febris oritur, semper talis naturæ esset, vt in alimentum verti possit; cùm potius corrupta sit: & nisi syncope in hac febre metuenda esset. Quam ob causam tutissimum est, hac febre laborantes roborare alimentis paucissimis & minimè pituitam generantibus, sed quæ sint tenuis substantiæ & coctu facilia; atque ea sæpius præbenda: quales cibi sunt; vitelli ouorum, iuscula carniū, cinamomo, garyophyllis, ligno aloës & similibus condita. Potus sit vinum, quod vim nutriendi, calefaciendi, attenuandi habet, nec pituitam vllo modo auget. Vtile est & hydromel, in quo hyssopus ebullierit. Et quia ob Syncopen ægri valdè debilitantur, ea quæ ad syncopen destinata sunt medicamenta, tam externa, quam interna adhibenda, de quibus alibi.

## CAPVT XV.

*Quartana Continua.*

*Quartana continua.* Quartana denique continua est febris putrida, cuiùs calor quidem continuò durat, quarto tamen quôque die intenditur, à sanguine melancholico cacochymico, in venæ cauæ ramis putrescente ortum habens. Causa nimirum huius febris est melancholia putrescens. Vnde omnia, quæ melancholiam generare & putredinem eius excitare valent, huius febris causa esse possunt.

*Signa diagnostica.*

*Signa Quartanæ continuæ.* Signa eius sunt, quòd calor quarto quolibet die inualescit, sine tamen frigore, horrore, aut rigore præcedente, vel sudore subsequente. Quâ ratione ab intermittentibus differt. Aliàs enim signa omnia iis communia sunt; cùm ab eadem ferè materiâ proueniant. Etenim si humor melancholicus multus in primâ coctione ac venis mesaraïcis, quibus à liene attrahi debet, vt purus sanguis in hepate ex reliquo generetur, colligatur, ibique putrescat ac corrumpatur, intermittens generatur: si verò ad hepar deferatur, vel etiam hepatis vitio pro bono & temperato crassus ac feculentus sanguis generetur, & cacochymia talis in venis cumuletur, tandémque putredinem concipiat; Quartana continua oritur. Reliquis verò diebus remittit hęc febris, nō tamen planè ad ἀπυρεξίαν peruenit. Pulsus initio est paruus, tardus & submersus, postea magnus, plenus & celerior, quàm in intermittente, qui in statu magis intenditur.

*Prognostica.*

*Prognostica.* Est autem hæc febris omnium rarissima, verùm satis periculosa & intermittente longè periculosior, cùm vires magis deiiciat. Quandoque quartanæ intermittentes intempestiuo medicamentorum vsu in eam mutantur, atque tunc ægri vix euadunt. Extenditur hæc febris sæpe ad diem quadragesimum & vltra.

### *Curatio.*

Curatio ferè cum intermittente conuenit. Et primò quidem, præmissis iis, quæ primas vias euacuant, omnino mox in initio venæ sectio instituenda est; cùm humor melancholicus in venis maioribus sanguini permixtus sit. Sanguine euacuato materia præparanda & coquenda. In continuis autem parciùs calefacere & attenuare conuenit; plus verò humectare oportet, quàm in intermittente, & addenda, quæ feruorem humorum mitigant, qualia sunt Syrupus violarum, de endiuiâ, acetosâ. Vt:

♃. *Rad. bugloss. polypod. q. graminis, fœniculi, asparagi,* an. Vnc. ß. *summit. lupuli, cuscutæ, capill.* ♀, *fumariæ,* an. M. j. *flor. borragin. bugloss. violar.* an. M. ß. *sem. 4. frig. maior.* an. Drach. j. *endiuiæ, fœnic. basilici,* an. Scr. ii. Coquantur *in aq. hordei* ad remanentiam ℔. 1. Colaturæ add. *Syr. de pomis, violar.* an. Vnc. ij. *tunicis, acetosi s. a.* Vnc. j. *aq. cinam.* Vnc. ß. Misce. Dosis. Vnc. iiii.

Vel ♃. *Aq. borragin. bugloss. asparag. endiuiæ,* an. Vnc. ij. *syr. byzant. s. endiuiæ, violar. acetosit. citri.* an. Vnc. j. Misce. pro tribus dosibus.

Vel ♃. *Conseru. flor. borrag. bugloss. meliss. violar. tunicis,* an. Vnc. i. *cortic. citri condit. flor. citri condit.* an. Vnc. ß. *specier. diamarg. fr.* Scr. i. *Cum syr. de pomis.* F. Electuar.

Præparato humore instituatur purgatio.

♃. *Rad. polypod. q.* Vnc. ß. *fumariæ, cuscutæ, capill.* ♀. an. M. ß. *flor. bugloss. violar.* an. P. i. *epithymi*, Vnc. ß. *fol. senæ el.* Drach. v. In decocti Vnc. iii. ß. dissolu. *electu. lenitiui* Drach. vi. *vel diacathol.* Vnc. ß. Iterum coletur; Adde *syr de pomis vel viol. sol.* Vnc. ß. F. Haustus, qui sumatur postridie exacerbationis febrilis.

Etsi natura nullam crisin molitur, ad fortiora post coctionem accedendum.

Licet & post coctionem vrinam cientia & sudorifera exhibere: verùm minùs calida sint in hac febre, quàm in Intermittentibus. Et cùm vires in hac febre valde laborent, confortantia medicamenta, ex conseruâ borraginis, buglossi, violar. melissæ, tunicis, anthos, vel Syrupis eiusdem generis, acetos. citri, è corticibus citri, cõfectione alchermes, spec. elect. de gẽmis, diamarg. frigidi, & similibus paranda sunt. Reliqua ex Curatione Quartanæ Intermittentis patebunt.

### *Diæta.*

*Diæta.*

In continuis Quartanis cibus parciùs nutriat, magis refrigeret, quàm in Intermittentibus. Maior enim calor est, & status propior: nec tamen is sit nimis tenuis, præcipuè extra exacerbationis dies. Vini vsus sit parcior, quàm in Intermittentibus, sitque illud ὀλιγοφόρον. Imò interdum, si calor sit vehementior, planè, à vino abstinendum.

## CAPVT XVI.

### *De Febribus continuis Symptomaticis.*

*Febres symptomaticæ.*

HActenus enumeratæ & explicatæ sunt omnes febrium primariarum continuarum differentiæ, quæ scilicet nullo alio præcedente morbo oriuntur. Restant adhuc aliæ febres continuæ, quæ Symptomaticæ & accidentes nominantur, quæque alterius cuiusdam morbi primarij occasione hominem inuadunt. Etsi enim omnis febris morbus sit, putà intemperies calida: tamen ideò quædam Symptomaticæ & accidentes appellantur, & à nonnullis, vt habet Auicẽna, *lib. 4. can. tr. 1. fen. c. 1.* febris in febrem morbũ, & accidens diuiditur, quòd quædam febres cum symptomatibus cognationem habent. Nam vt Symptoma morbum sequitur; tollitúrque ad morbi ablationem: ita & febres istæ non primariò excitantur, sed alios morbos sequũtur, & proinde nõ per se sed sublatis morbis, quos sequuntur, euanescunt. Ideóque vel ob curationem has febres ab aliis discernere vtile est. Nam primariæ febres habent principales Indicationes à febris essentiâ & causâ petitas. Harum verò febrium tota curandi ratio ferè pendet à morbo, à quo accenduntur, vnde etiam Antiqui affectûs illos non à febre; sed à morbo, quem febris sequitur, denominabant, vt videre est apud Galenum, 4. *aph.* 73. Vbi in comm. hæc habet: *A febribus malè habere & vexari Antiqui dicebant eos, qui sine certâ inflammatione, aut abscessu, aut dolore, aut erysipelate, aut, vt generatim & vniuersim dicam, absque aliquo membro eximiè præ aliis affecto ægrotabant. Quòd si vel propter lateris, aut pulmonis, aut alterius cuiusdã partis inflammationem febricitabãt: non iam febricitantes ipsos apellabant, neque febribus vexari dicebant: Sed pleuriticos, aut peripneumonicos, aut hepaticos, aut similibus aliis nominibus nuncupabant.*

*Febriũ symptomaticarũ differentiæ.*

Sunt autem febrium Symptomaticarum plura genera. Præcipuum & frequentissimum Symptomaticarum febrium genus vulgò istud censetur, quod ab humorum putredine extra venas oritur; cuius generis sunt febres omnes, quæ interiorum cordíque vicinarum partium inflammationem, calidósque tumores sequuntur. Sic secundùm vulgatam sententiam in phrenitide, angina, peripneumoniâ, pleuritide, hepatitide, talis febris oritur, eóque vehementior, quò pars inflammata nobilior est, cordique vicinior.

*Febriũ Symptomaticarũ à primariis discrimen.*

Atque has febres à primariis ita discernere docet Fern. *de febr. c. 7.* Quod vtraque acuta sit & putredinis notas exhibeat, sed Symptomaticâ nullis statis periodis exacuatur, vrina nullum putredinis indicium habeat, nisi ex affectâ sede putredo sensim obrepat venas; si non statim initio, mox tamen inflammatæ sedis indicia sese proferant; rarò vel 7. vel 14. die, aliísue decretoriis iudicio soluatur; cùm in febre continuâ primariâ hisce contraria appareant omnia.

*Febres continuæ comitatæ.*

Verùm à vulgatâ istâ doctrinâ dissentit Felix Platerus, Clarissimus & experientissimus ille Basiliensium Medicus. Cùm enim vulgò has febres omnes à partium interiorum & aliarum inflammatione oriri statuãt; & putridas esse affirment: ille contrà inflammationes & tumores illos calidos à febri potiùs oriri statuit, & potiùs comitatas, quàm symptomaticas appellandas censet, quòd scilicet hæ febres inflammationem alicuius partis tanquam comitem sibi adsciscant. Deinde cùm vulgò istæ febres pro putridis habeantur: Ille contrà simplices has & puras adhuc, non putridas nominat.

Nam primò etsi concedat, sanguine, non è venis, causâ febris præcedentis excidente, sed aliam ob causam, veluti calorem dolorémue commoto, in partem influente, id quod sæpe in vulneratis partibus accidit illíque vel intemperiem solam, vel inflammationes, aut erysipelata accendente, febres eiusmodi procreari: tamen non omnes tales esse admittit, sed plerasque febres, quas vulgò pro symptomaticis habent; & inflammationibus, & calidis tumoribus superuenire statuunt, esse primarias, quibus ceu comites tales inflammationes postea aduenient; asserit, vnde illas Synochas primarias sed comitatas, appellat. Sæpissimè enim fieri statuit, vt sanguis, quandoque ob copiam vel feruorem & tenuitatem, vel etiam impuritatem aliquam naturæ grauem in venis subsistere nequit, vel statim in primâ febris inuasione, vel mox postea vi naturæ propulsus, & tum in partem aliquam effundatur, & tum in parte, ad quam fertur, nouum morbum excitet, inflammationem scilicet, ob quam febris appellanda comitata, non symptomatica, vt hactenus creditum; cùm morbum non sequatur, sed illum præcedat, illiusque causa sit: quod vel ex eo patere potest, quòd hæ febres, antequam doloris aut inflammationis alicuius partis indicia sese exhibent, cum

horrore & ſubſequente calore inuadant,& quandoque horis aliquot præueniant.

Taléſque febres ſæpiſſimè generari ſolent, cùm ſcilicet in viſcera interiora aliqua, præſertim carnoſa, & ſanguinea,veniſque copioſis referta,& cordi vicina,tales influxus fiunt.Id quod ob ſitum & conſtitutionem ad influxum humorum recipiendum aptum frequentiſſimè fit in pulmonibus,vnde peripneumonia & pleuritis. Idem etiam fieri poteſt in hepar & lienem ſanguine effuſo; quandoque etiam in cerebrum, actum phrenitis febri copulatur. Idem etiam accidere poteſt in ventriculo,inteſtinis,vtero, veſicâ: ſicut & in colli muſculis ac glandulis; vnde angina. Verùm & arthriticos tumores & dolores ejuſmodi febres præcedere ſtatuit, Naturâ ſanguinem & humores in articulorum ſedes propellente. Quinetiam in febribus hiſce Synochis materiam in corporis ſuperficiem interdum effundi exiſtimat, vnde rubores, ardores,puſtulæ,tumores, & ex his frequenter Carbunculi ac bubones excitantur. Frequentiſſimè autem ſanguine in crurum inferiores partes deſcendente, eryſipelas oritur. Atque his omnibus erumpentibus febrem remittere plerumque ſolere, non verò tunc primùm incipere,atque illorum affectuum ſobolem eſſe docet.

Deinde febres iſtas non putridas, ſed ſimplices & puras eſſe,contra vulgatam opinionem ſtatuit.

Atque iſti Medici hujus experientiſſimi ſententiæ in eo quidem non ſine causâ adſtipulamur, quòd ſtatuit,febres pleraſque,quæ vulgò pro ſymptomaticis habentur, & à partium certarum inflammatione excitari creduntur, primarias eſſe, & non ab inflammationibus prouenire, ſed contrà inflammationes producere; ob cauſas ſuprà allatas, ipſiúſque experientiæ teſtimonium. Qui enim ea, quæ in febribus eueniunt, diligenter perpendere velit,animaduertet, Naturam vitioſorum humorum onere grauatam illos, quantum poteſt, è vaſis majoribus, quaſi regiâ & publicâ ſede, ad minores venas & determinatas corporis partes depellere. Imò ſæpe materiam ex vnâ parte depulſam in aliam tranſire; vnde morborum commutationes fiunt. Et tales febres comitatæ præcipuè quidem ſunt eæ, quæ inflammationem alicujus partis habent comitem: poſſunt tamen & eæ ita appellari,quibus alia mala perpetuò conjunguntur, nimirum dyſenteria, variolæ, morbilli,petechiæ, dolores vagi,arthritis, catharri ferè epidemij. Hæc enim mala omnia oriuntur, vbi natura onere vitioſorum humorum grauata partem aliquam vitioſi humoris è vaſis majoribus protrudit,ſiuè eam è corpore planè expellat,ſiue in partem aliquam deponat.

Hujus generis etiam febris eſt,quam eryſipelas, Germanis Roſa, comitatur. Non enim ex φλογώσεως & incendio partis externæ febris oritur, ſed febrim malum hoc comitatur. De quo poſtea dicetur. Ideóque licèt in hoc tractatu communem loquendi conſuetudinem ſecuti fuerimus & febres,quæ pleuritidem, anginam & ſimiles affectûs ſequuntur, ſymptomaticas appellauerimus: tamen omnino cenſemus,pleroſque tales morbos potiùs febrem ſequi,quàm vt febres ipſas accedant.

*Febres Comitatæ an ſint abſque putredine.* Verùm in eo Platero non aſſentimur, quòd febres has omnes ſimplices & puras continuas abſque putredine eſſe ſtatuit. Vt enim jam alia indicia, quæ putredinem ſatis arguunt,taceamus,vrinæ in pleuritide, angina, reliquiſque viſcerum inflammationibus ejuſmodi ſatis monſtrant, adeſſe putredinem. Crudæ enim principio apparent; hinc per coctionem indies in ſalubribus meliores euadunt, id quod putridorum humorum proprium eſt. Et certè rationi conſentaneum non videtur, febres, à quibus eryſipelata, carbunculi,ecthymata,excitantur,ab humore puro & non putri excitari. Tanta enim in materiâ, quæ in ſuperficiem corporis expellitur, corruptio apparet, vt illa aliunde facilè, quàm ex putredine prouenire non poſſit. Deinde,cùm,vt ipſe Platerus docet,febres ephemeræ & ſynochæ ſimplices puræ non putridæ, ſubitâ excretione,quam criſin vocant, non terminentur, ſed ſenſim per occultam tranſpirationem vel madorem ſudorémque deſinant: in febribus his contrarium accidit. Nam natura non ſolùm quantitate (neque enim materia, quæ è venis in corporis ſuperficiem expellitur, ſemper benigna eſt, vt ſolùm copiâ moleſta eſſe poſſit,) ſed & qualitate materiæ, quæ cacochymiæ propria eſt,ſtimulata,illud, quod moleſtum eſt, nunc ſymptomaticè, mox initio, nunc etiam criticè, vt in bubonibus & eryſipelatibus non rarò videre eſt, excernit: id quod natura non niſi in putridis humoribus tentare ſolet; vnde & horrores ac rigores tales febres & excretiones præcedere ſolent.

Imò ſum in eâ ſententiâ, febres illas à bubonibus ortas,quas Gal. ſaltem per alterationem & caloris communicationem,ſiue putredinis in venis accenſione oriri ſtatuit, quáſque ſuprà etiam, *lib. primo,capite quinto*,ex ejus mente inter febres Ephemeras retulimus,potiùs putridas eſſe: id quod tùm vrinæ, tùm alia ſatis docent. Et per vaſa, per quæ materia ad bubones affluit, per eadem etiam vapores putridi remeare & ad eas penetrare poſſunt.

Eſt autem febrium harum,ſiue eæ propriè dictæ ſymptomaticæ ſint, ſiue quæ partium aliquarum inflammationem tanquam comitem ſibi adſciſcuni, quædam differentia. Si enim inflammatio vera & pura ſit, & ex ſanguine, copiâ maximam partem peccante excitetur, φλεγμονώδεις πυρετοὶ eæ febres appellantur. Si verò viſcus aliquod eryſipelate, aut inflammatione ἐρυσιπελατώδει laboret,& inprimis,ſi hepar tale quid patiatur, τυφώδης πυρετὸς nominatur. *Febrium ſymptomaticarum differentia.* *Febris typhodes.*

Λειπυρίας πυρετὸς etiam huc pertinet, quæ eſt febris valde ardens & vehemens,in quâ interiora omnia quaſi vruntur,exteriora verò frigent,& quidem toto morbi decurſu: atque ortum habet à magnâ & vehementi viſceris alicujus in corporis parte profundâ inflammatione,vt & eryſipelate præcipuè ventriculi. Nam calor ille vehemens in interioribus ſanguinem & ſpiritum ad locum inflammatum tanquam cucurbitula trahit; vnde incendium in interioribus intenditur,extrema verò calore & ſanguine deſtituta frigent. *Lypyrias febris.*

*Febris lenta.* Alterum febrium ſymptomaticarum genus eſt,quod lentam appellant. Ejus vnam differentiam vulgò eſſe ſtatuunt,quæ oriatur, vt habet Fern. *de febr. cap.* 8.non ex viſceris partiſque cujuſpiam inflammatione, ſed è latente obſtructione & putredine, quæ viſceri contumaciter adhæreſcit,impactáque eſt adeò, vt ſubſtantia viſceris plerumque labefactetur.Putredinis portio cùm nonnunquam in venas effundatur, & ſanguini permiſceatur, febrem excitat, ſed omnium mitiſſimam, quæ nullo graui ſymptomate ægro moleſta eſt, adeò vt æger vix ſe ægrotare putet. Putredinis tamen aliquæ notæ in vrinâ & pulſu apparent. Vires ægri collabuntur, vt æger vix præ imbecillitate progredi poſſit, nihilque ex alimento reficiuntur,ſed corpus ſenſim contabeſcit & abſumitur. Diuturnior eſt,& non priùs deſinit, quàm impacta viſceri materia putredine abſumitur, quod ſæpe non fit ante diem quadrageſimum. Hujus itaque febris cùm ſuſpicio aliqua eſt,omnes corporis partes diligenter perueſtigare jubet Fernelius, atque inprimis hypochondria & hypogaſtrium,vtrum in his tumoris aliquis ſenſus deprehendatur.

Atque huius febris quandam differentiam conſtituit Euſtachius Rudius. Nunc enim eam oriri docet, cùm humor in vaſis impuri & imperfecti ſanguinis, quæ venæ chyli ab Arabibus appellantur, putreſcit, ita tamen, vt in vnâ quapiam parte fixus & immobilis principium,progreſſum, atque finem putredinis aſſequatur.Nunc verò excitari ab humore in vaſis non quidem communibus, ſed viſcerum & organicarum partium propriis,putreſcente.

Verum enimuerò circa hanc,quæ vulgò à pleriſque traditur,

traditur, de primo febrium lentarum genere doctrinã, illud explicandum videtur,quid per latentes & contumaces obstructiones intelligendum sit.Nam si, vt Rudius & plerique explicare videntur, vel de mesaraicarum venarum, vel de vasorum alicui visceri propriorum obstructione explicetur, dubitatione non caret hæc doctrina. Nam si in mesaraicis putrescat materia, non impossibile videtur, vt natura illud, quod putrescit,expellat,vnde intermittentes potiùs febres etsi diuturnæ quàm continuæ symptomaticæ oriuntur. Si verò in vasis cordi continuatis materia putrescat,citra vllam partis aut visceris inflammationem,aliúmue affectum, non video, cur non putrida continua primaria excitari debeat. Itaque per latentem & contumacem, ac visceri alicui impactam obstructionem & putredinem ea,quæ in spatiis saltem partium, aut certè in capillaribus venis per substantiam visceris alterius dispersis consistit, intelligenda est. Et proinde cum Platero potiùs has febres generari statuo,cùm extra vasa, hoc est,venas & arterias materia putrescit, vnde tantâ copiâ, sicut cùm in vasis patentioribus continetur,eóque ordine, ad cor transmitti nequit, sed portio saltem aliqua per vasa ad cor transmittitur, vnde febris lenta excitatur, quæ febres propterea plerumque inæquales sunt, cùm materia extra vasa consistens, vt dictum,tantâ copiâ,sicut cùm in vasis hæret,atque eo ordine ad cor transmitti nequeat.

Fernelius ad hoc genus febrium refert eam etiam, quæ eos, qui cachexiâ afficiuntur, & virgines leucophlegmaticas molestat, eámque ex serosæ pituitæ in corpus effusæ leui putredine prouenire statuit.

Tertium symptomaticæ febris genus est adhuc longè peius,quod ex visceris alicujus putredine & corruptione oritur, è quo per venas visceri insertas putridi & calidi vapores ad cor exspirant, eiúsque calorem igneum reddunt, febrémque continuam lentam excitant, quâ ægri vires valde dejiciuntur, corpúsque sensim extenuatur & contabescit.

*Phthisicorum febris qualis.* Sæpissimè febris talis excitatur ex pulmonum vlcere in phthisicis, quam vulgò plerique hecticam vocant. Verùm monet Fernelius, potiùs putridam esse, quàm hecticam, vtpote quæ ortum habeat ex putrescente pulmonum substantiâ, è qua continuò vapores putridi ob vicinitatem cordi communicantur, qui illud calefaciunt. Eadem febris generatur,si hepatis liénisque substantia putredinem concipiat,quam ἀτροφία & καχεξία sequitur. Ita & circa mesenterium, omentum & vterum sæpe putredo incidit, quæ quia lenta est,talem etiam lentam febrem producit. Accidit quoque,vt interdum fœtus vnà cum secundinâ,sæpe etiam sola secundina in vtero putrescat. Vnde febres pro ratione putredinis diuersâ vario modo excitantur, nunc acutæ, nunc lentæ. Eodem modo è fistulis ad interiora penetrantibus, febre lentâ excitatâ, nonnullos contabuisse obseruatum est.

Quartum febrium symptomaticarum genus est, cùm vel ex lacte corrupto,quod sæpe in infantibus accidit;vel ex sanguine alicubi extra vasa putrescente;vel ex vermibus putridi vapores cordi communicantur,illudque calefaciunt,& febrem excitant.Huc referri potest & febris illa ex cruditate, quæ infantibus ex ἀδηφαγία familiaris est, cum hypochondriorum tumore & inflatione, quam Germani *das Hertzgespan* nominare solent, ex colluuie crudorum humorum in ventriculo & vicinis locis collectorum, qui putrescere incipiunt, & in flatûs mutantur.

*An dentur symptomatica intermittentes.* Sed quæritur jam, an præter hasce continuas symptomaticæ aliæ dentur intermittentes. Symptomaticas febres omnes continuas esse equidem communis Medicorum sententia est. Ab eâ tamen recedit Adrian. Spigel. *de febre semitert. l. 1. capite* 18. Qui quidem concedit,eas febres symptomaticas quæ in phrenitide, anginâ,pleuritide,peripneumoniâ, magnis jecoris liénisque inflammationibus proueniunt, esse continuas; si verò eæ etiam febres pro symptomaticis habentur, quæ ab obstructionibus partium, à quauis partis alicuius inflammatione fiunt,negat eas esse continuas.

Verum enimuerò de obstructionibus res manifesta est; cùm ab iis intermittentes fieri possint. Etsi quandoque etiam continuæ symptomaticæ ab iis proueniunt, quæ lentæ dicuntur.Sed de iis, quæ ab inflammationibus partium proueniunt, quæstio est. Vbi vulgatæ Medicorum sententiæ subscribimus, statuimúsque omnes eas febres continuas esse. Si enim inflammatio sit tanta,vt febrem accendere possit, durat ea febris tamdiu,quamdiu durat inflammatio. Neque quæ probationis loco adducit, contrarium demonstrant. Nam quod ex Donati Marcelli *histor. mirab. lib. 5. c. 4.* affert, de quodam in musculo temporali vulnerato, qui septimâ die superuenientibus rigoribus vsque ad quadragesimum quintum diem riguit, & quotidie ferè semper sudauit alternatim rigoribus succedentibus sudoribus, hoc non probat. Neque enim ea febris intermittens fuit, sed continua, quod ex eo apparet, quòd septimo demùm die rigor superuenit. Ideóque huic casui non competit, quem allegat, *aphoris. 63. sect. 4.* sed potiùs alter è coacis, Febres in suppuratione intermittentes, multæ exsudantes ἐφιδρῶντες sunt. Vbi, vt rectè Iacotius, *in Commentario* monet, per febres διαλείποντας, intermittentes haudquaquam intelligendum est, quasi eæ ad ἀπυρεξίαν perueniant,sed dicuntur intermittentes, quòd aliquam caloris intensionem & remissionem & cum horrore vel rigore accessionem habent. Fiunt illi rigores quoties inflammatio vel nouam partem occupat, vel in pus mutatur, vel dum abscessus rumpitur. Neque etiam sudor criticus est, qui in hac febre accidit, sed ἐφίδρωσις,ab euaporatione vel halitu puris cum cordis compressione, tùm ex infirmitate partium solidarum, quæ alimentum in poris contentum effluere sinunt. Neque febris illa intermittens tertiana, si modò fuerit verè intermittens in ischiade, ex ischiade ortum habet,sed ischiadicus morbus febrem istam comitatus est.

## *Signa diagnostica.*

*Signa quibus symptomaticæ & comitatæ febres discernuntur.* Cùm autem non parua in curandis hisce febribus occurrat diuersitas, omninò vt signis suis discernantur, laborandum. Cognoscuntur autem febres symptomaticæ propriè dictæ ex eo, quòd partium priuatarum affectus sequuntur. Et primum quidem genus harum febrium ex eo patefit, quòd sequitur priuatarum partium inflammationes; atque inflammatio priùs apparet: contrarium verò accidit in febribus Comitatis,quæ ante inflammationem plerumque cum horrore vel rigore inuadunt, & inflammationem sæpe satis longo spatio præcedunt.Accedit his & hoc,quòd in hisce Comitatis febribus criticus q. naturæ motus est: ( etsi imperfectus, cùm natura vitiosum humorem non è corpore expellat,sed in alium locum deponat ) vnde cùm naturæ ille motus cum aliquâ corporis perturbatione fiat,symptomata etiam in hisce febribus longè apparent grauiora,quàm in symptomaticis febribus.

Lentæ autem illæ febres cognoscuntur ex calore lento, cum quo notæ putredinis in vrinâ & pulsu apparent. Vires sunt imbecillæ, vt æger vix progredi possit, corpúsque sensim contabescit, febrisque diu & vltra 40. diem plerumque protrahitur. Exasperatur purgantium vsu. Vbi autem causa harum febrium lateat, sæpe difficulter cognoscitur, ideóque Hypochondria & aliæ partes internæ diligenter perlustrandæ,& an aliquis tumor vel dolor appareat,inquirendum. Quæ verò ex partis alicuius putredine oriuntur, faciliùs cognoscuntur. Neque enim partis corruptio facilè latere potest,nisi sit planè ignobilis.

Ita

Ita quæ ex lacte vel ſanguine corrupto oritur Febris ſymptomatica, etiam ſuis ſignis facilè cognoſcitur. Vt & illa, quæ ex cruditate oritur, ex Hypochondriorum inflatione & intumeſcentiâ, & nauſeâ patefit.

*Prognoſtica.*

Febres autem hæ etiam ſi ferè ſui ratione non ſint periculoſæ, quia ſunt mites: tamen cauſarum ratione, à quibus pendent, an ſint periculoſæ, necne, æſtimandum. Vt & an ſint longæ vel breues. Quæ enim partis affectæ alicuius inflammationem ſequuntur, breues ſunt; cùm & inflammatio ipſa longa eſſe non poſſit. Periculum autem earum ex inflammatione pendet.

*Curatio.*

*Curatio febrium ſymptomaticarum.*

Curatio non tàm ad febrem quàm ad cauſam, à quâ ea pendet, dirigenda eſt. Si ergo febris ſymptomatica ab inflammatione alicuius partis dependet; curatio præcipuè ad ipſam inflammationem dirigenda. Curatâ enim inflammatione, febris & ipſa ceſſat. Et pleraque remedia, quæ inflammationis causâ adhibentur, vt venæ ſectio, alui lenitio, etiam febri occurrere poſſunt. Febris tamen non planè negligatur. Ideóque Alterantia, & quæ putredinem inhibeant, hîc etiam ipſius febris gratiâ exhibenda ſunt. Ita tamen illa moderanda ſunt, ne parti affectæ & morbo primario noceant.

Lentæ febres, cùm ex pertinaci obſtructione viſcerum ortum habeant, aperientibus, attenuantibus & detergentibus opus eſt. Et eligenda medicamenta, quæ cuilibet parti appropriata ſint, viſcerúmque tonum, qui plerumque labefactatur, roborent. Per interualla tamen lenis purgatio interjicienda. Nec negligenda ſuo tempore diuretica. Extrà quoque, ſi locus affectus id ferat, Topica emollientia & diſcutientia applicanda.

Si ex partis alicujus corruptione & putredine febris ſymptomatica proueniat, curatio ea inſtituenda, quæ partium internarum vlceribus & fiſtulis conuenit.

Si ex lacte vel ſanguine corrupto, vermibus, vel cibis crudis & corruptis ortum habeat, danda opera, vt eæ cauſæ conuenienti modo, vel vomitu, vel abluentibus & euacuantibus medicamentis tollantur, ſimulque putredini & calori febrili reſiſtatur.

*Febrium Comitatarum curatio.*

Febrium verò, quæ inflammationes & alios morbos producunt, curandi ratio alio modo ſeſe habet. In hiſce enim febribus, quas Platerus Comitatas appellat, non minùs ad ipſam febrem curatio dirigenda; quàm ad morbum, qui febri ſuccedit. Et inprimis cùm motus hic naturæ ſit, non impediendus. Etſi enim melius fuiſſet, ſi natura humorem illum planè è corpore expuliſſet; & quandoque ob partem priuatim affectam grauia inducantur ſymptomata: tamen ſi humor in venis & interioribus corporis partibus retentus fuiſſet, longè maius periculum induxiſſet, quod etiam interdum accidit, ſi materia in corpus retrocedat, vt in eryſipelate, & arthritide criticâ videre eſt. Aut ſi incipientem inflammationem prohibere, ob grauitatem ſymptomatum, quæ interdum accidunt, neceſſe ſit: talia ſint auxilia, quæ humorem mali cauſam, ſimul è corpore tollant. Hoc enim niſi fiat, metus eſt, ne natura eundem ad alium locum non minore cum periculo pellat. Ergò inprimis danda opera, vt materia, quæ naturam grauat & ad expellendum ſtimulat, euacuetur, putredo inhibeatur, partique affectæ proſpiciatur. Euacuatio commodiſſimè fit plerumque venæ ſectione; cùm materia, quæ ad partem aliquam ruit, in venis contineatur, & venæ ſectione non ſolùm reuelli, ſed & euacuari poſſit.

Euacuandæ ſunt & primæ viæ; cùm non rarò materia talis in iis colligatur. Et cùm materia plerumque tenuis ſit, ſæpiſſimè ad ambitum corporis tendit, & non rarò malignitatis particeps, commodiſſimè per ſudores expellitur. Illud enim malignum, quod naturam ſtimulat, tùm in venis ad expulſionem, tùm in parte, in quam propellitur, acrimoniâ & malignitate, dolorem ciet, inflammationem parit & auget. Ita pleuritides tales non infeliciter venâ ſectâ, & ſudoriferis ex carduo mariæ, carduo benedicto, papauere rhœade, ſcabioſâ & ſimilibus curantur; non tamen neglectâ parte affectâ, aliiſque, ſi opus ſit, euacuationibus, & alterationibus.

Verùm cùm, vt dictum, materia tales febres generans rarò malignitatis expers ſit, ſed ab eâ ſtimulata natura tales motûs inſtituat: curandi tales febres ratio ex curatione febrium malignarum clarior fiet. Exempli gratiâ, vnam tantùm febrem talem, cui eryſipelas ſeu roſa vulgò dicta conjungitur, proponere libet.

*De Eryſipelate ſeu Roſa.*

*Eryſipelas ſeu Roſa.*

Quod malum noſtris Roſa, à roſeo colore & rubore, quo cutis perfunditur, item *das Rothlauff*. ex rubore citò incidente, aut etiam ex vnâ parte in aliam migrante, nominatur: Græcis ἐρυσίπελας dicitur, quod vocabulum alij deriuant παρὰ τὸ ἐρύεσθαι ἐπὶ τὸ πέλας, quòd ſerpat ad vicina, vnde etiam à nonnullis appellatur *das Flogfevver*: alij ἔρυθρος deriuant, à colore rubro: antiqui enim pro ἔρυθρον, ἔρυσον dicebant: Eſt enim morbus hic febris continua, à ſanguinis parte tenuiore corruptâ & inflammatâ originem habens: quâ vt Natura ſe liberet, eam in corporis aliquam partem externam expellit, in quâ tumor aut potiùs (cùm tumor adeò notabilis ſæpè non appareat) macula rubra, lata, diſperſa, quam Eryſipelas, vulgò Roſam appellant, oritur.

*Eryſipelatis cauſa.*

Quæ autem hujus mali cauſa ſit, non omnes idem ſentiunt. Ex pituitâ, Melancholiâ, aut ſero ſalſo hunc tumorem excitari, nemo vt opinor, eſt, qui crediderit, aut credat; præcipua de ſanguine & bile lis eſt. Vulgò quidem creditur, Eryſipelas à bile flauâ ortum habere: verùm ſunt ex recentioribus, qui huic ſententiæ contradicunt, atque Eryſipelas non ex flauâ bile, ſed potiùs ex ſanguine tenui oriri afferunt, has ob cauſas. Primò enim ipſe color ſanguinis potiùs, quàm bilis indicium eſt, qui ruber eſt; vnde etiam nomina huic malo à Germanis indita ſunt: cùm ſi à flauâ bile eſſet, vt aliquibus creditur, pallido aut flauo colore potiùs, vt in Ictero fieri conſueuit, pars affecta tingi deberet. Quanquam verò interdum ex rubro nonnihil ad albedinem vergit color: tamen is color non omni Roſæ, ſed ſaltem alicui ejus differentiæ competit. Inſuper quanquam calor ſatis vehemens ſit: tamen non eſt tam acer, vt in affectibus à bile flauâ. Vnde non tam frequenter exulceratur hic tumor, vt Herpes & alij tumores ex bile nati. Et cùm exulceratur Eryſipelas, id non tam ex ipſius naturâ eſt, quàm ex tranſmutatione. Idem etiam hoc teſtatur, quòd ij qui calido & ſicco temperamento ſunt, vt macri, fuſci, nigri, quod flauæ bili generandæ accommodatiſſimum eſt rariùs, quàm ſanguinei & alij, vt obeſi, carnoſi, ruffi, hoc malo infeſtantur: & quòd carnoſæ corporis partes, vt femora, crura, facies, collum, mammæ, & ſimiles crebriùs, quàm aliæ occupantur. Atque inuadit hic morbus plerumque ab anno 30. ad 40. quanquam & aliquos ante vel poſt hos annos infeſtet: circa annum verò 35. plurimum ſanguinis in corpore eſſe ſcribit Galenus, 1. *progn.t.*33.

Etſi autem verum ſit potiùs à ſanguinis tenuiore parte oriri hunc morbum, quàm à bile flauâ: tamen à verâ inflammatione etiam differt, quòd minùs tumeat, minùs pulſet, minùs renitatur & tendatur; non tamen minùs, ſed etiam magis rubeat & caleat. In verâ enim inflammatione ſanguis craſſior eſt, & in muſculorum cauitatem & ſpatia effunditur, hincque faciliùs ſuppuratur, quàm diſcutitur; contrà verò in Eryſipelate

ſeu Roſâ ſanguis eſt tenuior, calidior, & ex capillaribus venis per poros in cutem diſperſus, vnde & faciliùs diſcutitur,quàm ſuppuratur.

Rectiſſimè tamen ij ſentire videntur,qui non in plethoram ſimpliciter,& copiam ſanguinis, ſed potiùs deprauatam & peculiarem qualitatem, quæ à ſanguinis tenuioris putrefactione & corruptione prouenit, cauſam hujus mali referunt. Malignâ enim illâ qualitate Natura ſtimulata humorem vitioſum ad ambitum corporis expellit.

*Eryſipelatis cauſa.* Eſt autem hoc malum noſtris regionibus ſatis familiare,quod nonnullos poſt menſtrua, alios poſt trimeſtria, aut ſemeſtria, aut longiora etiam interualla inuadit: vbi nimirum ſanguis, inprimis qualitate, peccat, atque calidior & bilioſior, & peculiari modo Naturæ infeſtus collectus eſt. Hic enim, ſi qualecunque initium motûs ſeu in corpore ſeu extra corpus nactus fuerit, vtpote ambientis aëris caliditatem, laborem, vigilias, vini potentis liberaliorem potum, inediam, ciborum acrium, calidorum vſum, inprimis iram, terrorem (quæ ipſa tamen non ſolùm humores mouere, ſed & corrumpere poſſunt) in venis agitatur, atque ex iis à naturâ ejectus ad ſuperficiem corporis erumpit. Sanguinis hoc vitium proficiſcitur ab intemperie Hepatis, ſine controuerſiâ calidiore, atque aliquo modo humida; non autem ſimpliciter humidâ, ſed humiditate, quæ à ſiccitate quodammodo ſit temperata & caſtigata,vt ſanguinem calidiorem, pinguiorem & mobiliorem producere poſſit. Si enim ſiccum ſit hepar, vix talem humorem, qui Roſam excitat, ſed ſanguinem potiùs craſſiorem generabit, eúmque parciorem & habitum corporis ſicciorem efficiet, quem huic malo minùs eſſe obnoxium experientia docet.Atque hæc temperatura hepatis cum hæreditario quaſi jure à parentibus in liberos tranſeat, non rarò etiam hoc malum à parentibus in liberos propagari ſolet. Decumbit autem hic tumor in carnoſarum partium ſuperficiem, vt crura, vbera, faciem, brachia, & ſimiles partes,modò in hanc, modò in illam, prout hæc vel illa imbecillior eſt ex vulnere, fracturâ,contuſione,luxatione,vlcere,aliíſque de cauſis,vt calefactione, fatigatione, dolore. Quò facit etiam ſitus,vnde plerumque crura occupantur; vt & raritas & mollities membri, vnde nonnullis in facie vel mammis Eryſipelas oboritur.

Inter Eryſipelata meritò etiam refertur affectus qui Plinio *lib.* 26.*cap.* 11. ζώνη ſeu Zona appellatur, qui à cruribus vſque ad lumbos ſeu locum cincturæ ſerpit, & rubedine veluti faſciâ iniectâ, eas partes cingit, ſicque,vbi medium hominem ambiit,enecat.

*Signa Eryſipelatis.* Malum hoc cùm his regionibus ſatis familiare ſit, à vulgo etiam non ſolùm præſens, ſed imminens agnoſcitur. Dum enim materia glandulas & emunctoria ſub axillis & inguinibus inuadit,aliquid agitati humoris ibi hærere ſolet, vnde vel in inguinibus, ſi ad crura materia tendit, vel ſub alis aliquis dolor aut tumor percipitur, vt etiam in peſte fieri conſueuit; & à loco dolente vel tumente macula quædam rubea ſecundùm rectum ductum ad crura conſpicitur. Et ferè inuadit hoc malum vt peſtilentia, cum horrore & inſequente calore febrili, ita vt qui malum hoc antea non ſunt paſſi, ejúſque crebrioribus paroxyſmis non ſunt aſſueti, exiſtiment, lue peſtiferâ ſe corripi,donec tandem in crure aut alio loco ſeſe affectus prodat.Vbi enim præſens eſt,facilè agnoſcitur calore inſigni, dolore, colore roſeo. Quia tamen, vt antea etiam dictum, valde cognatum malum eſt ipſi inflammationi, diſtinguenda ſunt hæc duo tumorum genera. 1. digito applicato ſupra Eryſipelas, pars exalbeſcit, refugiente ſanguine; qui tamen mox redit; quod non ſit in phlegmone, niſi pars prematur, vtpote in quâ major eſt materiæ copia, ejuſdem craſſities, atque inde major ἀντιτυπία. Quâ de causâ etiam Eryſipelas magis in cute hæret; phlegmone verò ipſam carnem quoque occupat. Quòd ſi in Eryſipelate major ſit tumor,id Eryſipelas potiùs nothum eſt,quàm exquiſitum & purum. 2. In Eryſipelate major calor eſt, quàm in phlegmone, vnde non rarò cutis ita aduritur, vt veſiculæ excitentur & pars exulceretur, quod in phlegmone nunquam accidit; & febres in Eryſipelate ſunt majores, quàm in phlegmone. 3. Eryſipelas habet colorem rubicundiorem & igneam rubedinem cum aliquâ interdum citrinitate,in phlegmone verò eſt color rubeus,ſed ad nigrum aut fuſcum vergens,propter ſanguinem craſſiorem. 4. dolor eſt major in inflammatione, vtpote in quâ non ſolùm eſt intemperies, ſed etiam tenſio; minor in Eryſipelate. Denique Eryſipelas ſerpendo ad vicina progreditur & creſcit: inflammatio verò in vno loco fixa manet, & nunquam ab eo dimouetur.

Eryſipelas ſeu Roſa etſi plurimos ſæpius ſine vllo periculo inuadere ſoleat: tamen danda eſt opera, vt diligens curatio adhibeatur, ne aliud malum inde procreetur. Nam vt eſt, 6. *aphor.* 25. Eryſipelas ab exterioribus ad interiora conuerti, malum eſt; ſicut contrà ab interioribus ad exteriora, bonum. Ex materiæ enim illius ad interiora recurſu,ſiue à prauâ curatione, vt medicamentis repellentibus, ſiue aëris frigore id accidat, ægri etiam in maximum periculum ſæpe conjici ſolent. Malum etiam eſt, vt docet Hippocr. 7. *aphor.* 2. ab Eryſipelate putredo & ſuppuratio. Quapropter, vt dictum, in curatione diligentia adhibenda; quæ tutiùs è Germanorum noſtrorum experientiâ & obſeruatione, quàm exterorum libris peti poteſt. *Prognoſtica.*

Quantum itaque curationem attinet, vſitatum eſt vulgò, vbi paroxyſmus inuadit, & Roſa emicat,medicamenta aſſumere, quibus naturæ motum adjuuant, & materiam ab interioribus ad exteriora excutiunt, ac, vt loquuntur *die Roſe vom hertzen treiben*: in quem finem ſolent theriacam aut mithridatium, vel aquam Sambuci, aut Rob Sambuci exhibere. Aliqui nucem moſchatam obuolutam lino aut canabe ſub cineribus calidis aſſant, atque cùm ſemine Aquilegiæ itidem toſto in vino albo tenui, aut aquâ ſcabioſæ exhibent, & huic medicamento hanc laudem tribuunt, vt eum, qui ſemel, morbo incipiente, eo vſus fuerit, ab hoc morbo in poſterum tutum reddere poſſit. Hæc medicamenta, quæ per ſudorem & tranſpirationem inſenſibilem, materiam excutiunt, etſi meritò laudentur, & hac in parte antiquorum cura manca ſit; atque etiam ſæpe mox ab initio, vbi humorum copia, venæ ſectione aut purgatione tollenda,non vrget,poſſint adhiberi: Medicus tamen non ſemper mox à talibus inchoare debet. Quanquam enim methodus jubeat, primò cauſam antecedentem tollere, poſtea ipſum affectum curare; & ad cauſæ diſcuſſionem etiam illa ſudorifera faciant: tamen ſi animaduertatur copiam humoris adeſſe, ne ejus nimia copia ad locum affectum confluat,primò ejus pars aliqua aliis rationibus euacuanda eſt. *Curatio.*

In principio itaque ſi ſanguis ſimul abundet,& Eryſipelas ſit φλεγμονώδες, vt fieri plerumque in Corporibus plethoricis & craſſioribus ſolet, venam hepaticam aut medianam aperire vtile eſt. Si autem ſanguis non abundet, purgatione vtendum, ſed tali,quæ humores non inflammet,& membra non ſiccet,ſed ſeroſos,acres ac tenues humores educat, ac pòſt refrigerationem quandam relinquat, & tonum membrorum conſeruet. In hunc vſum adhibetur Rhabarbarum, Syrupus roſar. & violar.ſolutiuus, pulpa tamarindorum, & cortices interiores radicis frangulæ. v. g. *Vena ſectio.* *Purgatio.*

℞. *Tamarind.* ℥.vi.*flor.cordial.* an. P.i.Coqu. in ſ.*q. aq.endiuia.* In colaturâ Infund. per noctem *rhabarbari el.* ℥.ii.*ſpica.* Scr.ß.Colaturæ. ℞.℥.iii.ß.In quibus diſſolu.*ſyr.roſar.ſol.de cichor.c.rhab.*an ℥.vi. Miſce.

Purgato iã,ſi opus eſt,corpore,vt reliquum materiæ peccantis, *Sudorifera.*

peccantis, & vapores illi in corpore fluctuantes expellantur, ac naturæ expellenti ſubueniatur, danda opera. Verè enim aliquid malignitatis videtur hæc materia habere. In hunc finem ea poſſunt vſurpari, quæ iam ſuprà recenſuimus. Solenander hoc Electuar. quo etiam in peſte vtitur, commendat.

℞. *Theriac. opt.* ℥.i. *terr. ſigillat. vel boli armeni.* ℥.i.ß. *granorum Iuniperi recent. radic tormentillæ. ſem. cardui bened.* an. ʒ.ß. *ſpec. Electuar. de gemmis, diamargar. frigidi* an. Scr.i. *oſſ. de corde cerui, ſem. acetoſæ, corallorum rubr. præpar.* an. ʒ.ß. *Cum Syrupi de acetoſitat. citri ſ. quantitat.* F. Electuarium liquidius, cuius ʒ. i. *vel* ʒ.ii. *cum* ℥. iiii. *aut v. aquæ cichory, ſcabioſæ, fl. ſambuci aut Cardui benedicti propinetur.* Vvierus vtitur hac potione.

℞. *Aq. flor. ſambuci* ℥.iii. *ſem. apij.* ʒ. ß. *terræ ſigillatæ* Scr. ß. Miſce.

Interim etiam illa ipſa intemperies calida humorũ non negligenda, ſed per conueniẽtia medicamenta alteranda, parata è cichorio, taraxaco, endiuiâ, violis, roſis, ſambuco, ſcabiosâ, citro, ribes & ſimilibus.

Vbi hoc modo cauſa amota, & febri proſpectum eſt, iam ad ipſam partem extrà affectam accedendum: quâ in re cautione non leui opus eſt. Antiqui & plurimi Chirurgiæ ſcriptores adhibent valde refrigerantia ipſam quoque aquam frigidiſſimam, imò etiam adſtringentia & ſtupefacienta admiſcent, vt hyoſcyamum, mandragoram, opium, cicutam.

Verùm antiquis & chirurgorum libris vulgatam ac familiarem hanc curam non ſine ratione & experientiæ ſuffragio reprehendunt recentiores. Cùm enim materia Roſam excitans acris ſit, & plerumque non ſine omni malignitate, quod inuaſio & alia ſymptomata docent: ſi illis valdè refrigerantibus, adſtringentibus, & repellentibus eius exitus prohibeatur, ad interiora, quod vt ex Hippocrate dictum, malum eſt, regreditur, & membra interiora & nobilia occupat, atque ægrum etiam in vitæ periculum præcipitare poteſt. Vnde ſi Eryſipelas ſit in capite, & per refrigerantia ac repercutientia ad interiora repellatur, Eryſipelas in cerebro & phrenitis, vel Angina; ſi ad cor pellatur, febris ardens; ad hepar, eius inflammatio vel Eryſipelas excitari poteſt. Deinde in ipſa parte affectâ materia per eadem medicamenta concluditur; vnde putredo & ſuppuratio, quæ & ipſa ſecundùm Hippocratem mala, non rarò Gangræna & membri νέκρωσις oritur, vt ipſa experientia teſtatur. Quod cùm ex Græcorum & Arabum curatione non rarò acciderit, monent illi, vt pars non diu nimis refrigeretur, ſed ſolùm vſque ad caloris remiſſionẽ, quam ex ægri relatione, qui fatetur, ſe non ampliùs tam inſignem calorem ſentire, ex tactu & colore rubicundo remiſſo, ac qui in liuidum mutari incipiat, agnoſcere iubent. Sed facilè fieri poteſt, vt antequam ſatis cautionis hîc adhibeatur, enumerata pericula & incommoda iam præſtò ſint. Quapropter hîc res non multum aliter ſe habere videtur, quàm in ambuſtis. Si enim membrum aliquod ambuſtum aquæ frigidæ immergatur, aut aliàs valdè refrigeretur, nihil aliud agitur, niſi vt calor, qui in parte ambuſtâ eſt excitatus, cõcludatur, atque ita dolor augeatur, & alia pericula accerſantur: ſed tum commodius calida adhibentur, quæ cutem laxent, poros reſerent, ſeroſos humores, qui puſtulis cauſam præbent, reſoluant ac diſſipent, & calorem in parte excitatum extrahant. Eodem modo & hîc illa intemperies in parte tollitur, non ſolùm ſi intemperiei per refrigerantia obuiàm eatur, ſed inprimis ſi ipſa cauſa tollatur. Nam & hoc modo parti ſua temperies reſtituitur. Itaque etſi frigida omnia ſimpliciter non reiiciamus, ſed, ſi moderata ſint, etiam adhiberi poſſint: tamen cùm abſente Medico, ægri, aſtantes, chirurgi illa temporum & morbi diſcrimina non ſatis intelligant, non ſine periculo ſæpe illa adhibentur.

Tutiora verò ſunt à recentioribus vſu probata medicamenta.

Vt ℞. *Lixiuij facti ex cineribus fagi* ℔. iiii. *album ouorum* iii. *camphoræ* Drach. ii.

His mixtis linei panni mundi imbuantur, & in vmbrâ exſiccentur, atque vnus ad ignem calefactus parti applicetur, atque per diem ter aut quater mutetur.

Vel ℞. *Sapon. alb.* Vnc. i. Diſſoluatur *in aq. cõmunis, aut quod melius, ſambuci, vel ſcabioſæ* ℔. iij. & ebulliat.

In decocto imbuantur panni linei, tepidè parti affectæ applicentur, ac quotieſcunque fuerint exſiccati renouentur. Alij eoſdem priùs exſiccant, & exſiccatos admouent.

Ex vulgo multi parte affectâ ſuffitum ex maſtiche, thure & hyperico excipiunt, & lineum pannum nondum lotum apponunt.

Alij corticem ſambuci abraſum parti circumcirca applicant, & de die ter immutant. Commendant & hoc.

℞. *Theriacæ* Drach. i. *aq. ſambuci* Vnc. v. M. & in eo panni linei immergantur, atque nonnihil expreſſi parti affectæ tepidè applicentur.

Feliciter etiam adhibetur mixtura è lixiuio & oleo roſato, aut, quod commodius, ſambucino, quam *lac aureum* nominant. Vſurpant & nonnulli ſtercus vaccæ, & vel cum dimidiâ parte ſaponis, vel cum albuminibus ouorum & panis bolo miſcent. Alij potiùs aquam è ſtercore bubulo menſe Majo deſtillatam applicant. Poſſunt & furfures macri, inprimis hordei, cum lactucâ coqui & applicari. In vſum etiam venit cortex interior tiliæ priùs per noctem in aquâ Sambuci maceratus. Secretum ad roſam VVierus eſſe ſcribit fel carpionis piſcis, ſi pennâ tepidè membro affecto illinatur, & poſtea pannus lineus mundus ſiccus imponatur.

Si tamen omnino frigidis vti libet, accipe aliquot folia fabariæ ſeu craſſulæ maioris, & exteriori foliorum parti pellicula detrahatur, & partem folij, qua pellicula detracta eſt, cuti imponatur. Calorem enim & dolorem mitigat.

Vel ℞. *Folia ſolani, ſemperuiui*, an. *partem* i. *dentis Leonis. fabariæ*, an. *part.* ii.

Contundantur cum pauxillo aceti, aq. plantaginis & ſolani, ac ſuccus exprimatur, quo linteamina imbuantur, & frequenter mutentur.

Nonnulli aquam deſtillatam ex foliis quercûs cum ſucco Lactucæ applicant.

Vbi tamen per hæc calor iam deferbuit, ſuprà enumerata applicanda, vt materia diſcutiatur & reſoluatur. Ab vnctuoſis & vim emplaſticam habentibus omninò abſtinendum, ne acres vapores detineantur.

Interim etiam victûs ratio habenda eſt qui ſit refrigerans & humectans, ſed tamen ſimul incraſſans, non qui multum aquoſi & ſeroſi humoris generat. Quapropter vitentur calida & ſicca, & omnia, quæ ſanguinem calidiorem & ſicciorem generant, vt aromatica, acria, ſalſa, pinguia, oleoſa, dulcia, butyri multus vſus, porrum, cæpe, raphanus, ſinapi, ſale macerata & fumo indurata. Abſtinendum etiam à vino potentiore, cereuiſiâ craſsâ, carne ſuillâ, anſerinâ. Sit contrà vſus frequens cichorei, ptiſanæ hordeaceæ, & omnium ex hordeo paratorum: conuenit & oryza, lactuca, acetoſa, portulaca, endiuia, quæ in acetariis adhibeantur, aut cibis reliquis miſceantur. Acetum ipſum quoque admittitur; ſed ſit paſſulatum, roſaceum vel ſambucinum. Vtilis quoque eſt agreſta, ſuccus ribium, berber. cydoniorum, ceraſorum. Nec ſerum lactis inutile eſt. Conceditur & vinum abſinthites. In omni autem potu aurum ignitum extinguere commodum nonnullis videtur. Viſcera enim hiſce roborantur & nimia fluxilitas ſanguinis tollitur, atque ſtabilitas quaſi quædam ipſi conciliatur. In aliis etiam rebus non naturalibus conſideratio adhibenda. Vitandus eſt *Diæta.*

corporis

corporis & animi motus nimius. Somnus, si in cruribus sit Erysipelas, sit mediocris: si verò in facie sit, quantum fieri potest,à somno temperandum est.

*Præseruatio.* Non solùm autem sciendum, quâ ratione præsens hic morbus tollendus sit, sed etiam laborandum, vt in posterum præcaueatur. Solet enim hic morbus nonnullis familiaris & quasi hæreditarius esse, eósque sæpius inuadere. Ad quam cautionem inprimis facit, si circa Æquinoctium vernum & autumnale corpus à superfluis humoribus venæ sectione aut purgatione, prout opus est liberetur. Sint autem purgantia talia, quæ biliosos humores purgent, simul viscera tempe-rent ac roborent, vt sunt Rhabarbarum, Tamarindi, Myrobalani citrini,Syrupus rosarum solutiuus,passulæ purgantes cum Rhabarb. Postea ad præseruationem hoc medicamentum valdè commendatur.

℞. *Cimarum absinthij parum, aliquot folia taraxaci, chamædryos vulgaris tantundem.*

Ex his recentibus & manè collectis ac minutim concisis, cum duobus ouis recentibus ac pauco butyri coquatur placentula mollis.

Hac si quis singulis nouẽ mensibus Maij diebus(forsan non inutile esset,non solùm primis nouem,sed singulis Maij diebus tali placentulâ vti) manè vescatur, per integrum annum ab hoc morbo præseruari scribitur.Neque rationibus destituitur hoc medicamentum. Nam hepatis laxitatem nonnihil cohibet & constringit, eius obstructiones liberat, superfluas humiditates absumit, biliosa excrementa abstergit, atque ita hepati moderatam quandam temperiem conciliat.

Alij & hoc laudant.

℞. *Flor. sambuci recentium,vel cùm non habentur,rectè siccatorum* M. j. *Lactis vaccæ* (rubram quidam eligunt) Vnc. viij.

Lac bibatur manè,quoties Luna decrescit, bis, ter, quater,vel per integrum etiam,si libet,annum singulis mensibus. Hoc modo si quis vtatur lacte isto, planè in posterum immunem ab hoc malo reddi scribunt.Ab hoc malo eos etiam præseruari tradunt, qui singulis mensibus semel aut bis, vel potiùs singulis septimanis semel, in principio mensæ aut potiùs manè, 5. aut. 6. glandes non rancidas edunt, aut haustum aquæ è tenerioribus foliis quercûs destillatæ bibunt. Superfluæ enim humiditates in sanguine absumuntur: Vnde minùs fluxilis redditur. Hepatisque tonus conseruatur. Maximè commodus est acidularum potus. Obstructiones enim tollunt, hepar refrigerant, atque ad talia ex fluxionibus mala inprimis vtiles sunt.

Interim etiam partis recipientis habenda est ratio, quæ propterea lauetur aquâ chalybeatâ,in quâ plantago, verbascum,Taraxacum & parùm aluminis coctum sit.

Inprimis verò ad præcautionem Erysipelatis, facit rectam rationem victûs obseruare, talem nempe,qualis in curatione descripta est. Abstinendum à pinguibus,oleosis,salsis,acribus; vel iis parcissimè vtendum, Contrà vsurpanda subaustera, subacida, amariuscula, acetosa; talia tamen, quæ obstructiones non pariant, sed hepatis obstructiones liberent,illud mediocriter refrigerent & siccent,acrimoniam & tenuitatem humorum temperent,sanguinisque nimiam mobilitatem tollant: quæ omnia repetere opus non est.

## CAPVT XVII.

### *De Febribus Intermittentibus.*

Atque ista de febribus continuis dicenda videbantur. Iam ad doctrinam de Intermittentibus accedimus. Vbi illud mox ab initio rursum monendum videtur, quod etiam suprà monuimus. Antiquos nomen febris intermittentis latiùs, quàm hodie fit,extendisse. Ij enim omnes febres, quæ aliquam in calore mutationem certis interuallis habent, & nunc exasperantur, nunc remittunt, Intermittentes nominabant, omnésque febres, Synochis seu continentibus exceptis, intermittentes appellabant, & eas quoque hoc nomine complectebantur,quæ calorem continuum habent,modò caloris in iis fiat intensio & remissio, vt ex Galeno. 1. *epid. com.* 3. *t.* 2. patet. Iam verò vlus obtinuit, vt eæ solùm febres intermittentes propriè dicantur, quæ aliquando desinunt, tempúsque aliquod habent per se accessione vacuum, quod ἀπυρεξίαν, in-febricitationem,seu febris vacuitatem nominant. *Ἀπυρεξία.*

Vt autem, quæ sit harum febrium natura, manifestum fiat,illud inprimis quærendum.Quænam sit causa, cur intermittentes dictæ febres non continuum calorem habeant, sed tempus aliquod calore vacuum. quod ἀπυρεξίαν Græci nominant. Verùm id inuestigare non facile est,& vt Galenus, 2.*de differ.febr.cap.*11. habet, difficilius est earum febrium, quæ per circuitûs accessionem faciunt, causam inuenire, quàm earum, quæ Synochæ dicuntur. *Intermissionis causa in Intermittentib.*

Vt verò continuarum febrium proxima & continens causa sunt,putridi vapores continuò ad cor missi; idque præter naturam calefacientes: ita febrium Intermittentium causa sunt vapores putridi non continuò, sed per interualla quædam & periodos cor affligentes. Quî autem fiat, quòd vapores putridi in Intermittentibus non continuò, vt in Continuis, ad cor mittantur, porrò inquirendum est. Hoc quidem certum est, intermissionem fieri propterea, quòd humor putridus expellitur singulis paroxysmis, neque tantum eius suppetit, vt continuum incendium fouere possit. Sed cur hoc fiat, An materia sit causa, an locus, an vtrumque non satis inter Authores conuenit. Cùm tamen id cognitum habere, ad curationem rectè instituendam vtile sit, diligenter causa inquirenda. Et quia cognitio loci,in quo humores febrem excitantes continentur,summoperè ad rei huius explicationem facit,primò omnium dicendum videtur.

### *De loco,in quo continentur Humores,Febrium Intermittentium causa.*

Primò autem hoc monendum, differre subjectum Febris à loco putrescentis humoris. Subjectum enim omnis febris totum corpus & præcipuè cor esse, suprà monstratum. Locum verò putredinis, vnde febris accenditur, à subiecto distinguit Galenus, 1. *ad Glauc. cap.* 5. eúmque focum seu fomitem nominat, 2. *de differ. febr. c. vlt.* & 15. *meth. med. c.* 4. Qui focus in diuersis febribus alius atque alius est, & omninò explicatu difficillimus, ob diffidentes Authorum hac de re sententias: cognitu tamen vtilissimus; cùm ad ipsam febrium intermittentium, quæ frequentissimæ sunt, curationem plurimùm faciat. De eo itaque paulò exactiùs agere libet, & plerasque Medicorum opiniones recensere & expendere.

*Galeni de loco putredinis in intermittentibus sententia.* Galen. 2. *de cris. c.* 6. febres continuas & intermittentes hoc modo discernit. *Quæ*, inquit, *ob flauam bilem febris accenditur, sine aliquo visceris affectu, siquidem manente adhuc intra vasa bile accendatur, exquisita febris ardens nuncupatur,si verò per totum corpus deferatur, tertiana. Sic si ab atrâ bile sit febris, cùm per totum corpus delata fuerit, quartana efficitur;cùm immobilis illa, quæ quarto quòque die excrescit. Sicuti si ex pituitâ ortum habeant febres vel quotidianæ sunt, vel quæ singulis diebus accenduntur. Nam quæ ad infebricitationem desinunt febres tertianæ, quartanæ & quotidianæ,eandem habent hypothesin cum continuis, vno saltem inter se differunt, quòd per venas vel per totum corpus in eis deferantur humores.* Et 4.aphor. 59.*Tertiana febris,* inquit, *quod ad humorem morbum facientem non differt ab ardente.sed eo mutuò inter se differunt,quòd ardens in*

*venis*

*venis vnà cum sanguine flauam bilem abundantem & feruentem habeat; in intermittente verò eadem bilis toto feratur corpore.* Ex quibus locis apparet, Galeni mentem esse, febres continuas fieri, cùm humores intra vasa quieti putrescunt; Intermittentes verò, cùm per corpus mouentur. Quâ de re prolixè & ex professo agit, *l. 2. de diff. febr. cap. vlt.* vbi tandem summatim quasi rem ita concludit, *Quicunque circuitibus quibusdam accidunt morbi, partium superueniunt dispositionibus vel mittentium, vel suscipientium, vel gignentium, vel attrahentium excrementa Quæ verò nullum circuitum habent, in his nulla est pars corporis, quæ præcipuè sit offensa, sed humores in venis & arteriis omnibus, maximéque maximis & calidissimis sunt.*

*Alex. Tralliani.* Nonnulli hoc discrimen non admittunt, & vt Alex. Trallianus, *lib.* 12. *cap.* 2. refert, Intermittentes etiam febres intra vasa consistere, quemadmodum & continentes, arbitrantur, ac nihil prorsus loco, sed quantitatis ac qualitatis ratione differre. Etenim in continuis & multam, & crassam esse materiam, atque ideò neque extra vasa emitti posse; intermittentium verò tenuiorem, & vt in extremam cutem efferatur, magis idoneam existimabant.

*Auicenna.* Auicennas, *lib.* 4. *fen.* 1. *tr.* 2. *cap.* 1. febres continuas & intermittentes ita discernit; *Putredo sanguinis*, inquit, *facit continuam, & locus eius est intra vasa*; Cholera autem & phlegma & melácholia quandoque putrescunt intra venas: Et quandoque putrescunt extra venas: si non est causa alia, neque est putredo in apostemate intrinseco, quod det cordi puttedinem continuam, faciunt periodos, quas diximus. Et quando putrefiunt intra venas, faciunt febres assiduas.

Et tribuitur plerisque antiquis Medicis ista sententia, & vt Fernel. *lib. de febr. cap.* 9. habet, vetus iam opinio increbuit, humorem, qui continens & proxima est intermittentis febris materia, in solo corporis habitu, & extra venas computrescere; hunc accessionis initio è venis maioribus, in quibus conditus erat, sanguini permixtus, in minores, ex hisque in corporis habitum propelli. Hoc impetu summas corporis partes, quarum exquisitior est sensus, ferientis humoris occursu vel inhorrescere, vel rigere. Eum mox sensim illic incalescere, inflammari ac putrescere: tum demum extenuatum caloris vi vniuersum dissipari in sudores; sic accessionem finiri, dum noua similiter recurrat.

*Fernelij.* Ipse verò Fernelius hanc opinionem reiicit, & *cap. seq.* Intermittentes tum materiâ, tum materiæ situ & foco à continuis secernit. *Tertianæ*, inquit, *materia bilis est flaua, affinis ei, quæ in fellis cisti conditur. Quartanæ bilis atra in lienem refusa. Quotidianæ (si qua vera est) pituita mucosa & superuacanea, quæ in ventriculo, intestinisque plurima colligitur. Omnium propria sedes & origo in primâ est corporis regione, circùm præcordia circa ventriculum, diaphragma, iecoris caua, lienem, pancreas, omentum aut mesenterium.*

*Don Ant. ab Altomari.* Donatus ab Altomari, *de med. febr. part.* 2. *c.* 3. Galeni sententiam ita explicat: Humores, qui à Galeno per totum corpus ferri dicuntur in intermittentibus, statuit in sentientibus corporis partibus, seu vniuerso corporis habitu contineri, ibique putrescere; idque tribus modis. Vel enim accessionis tempore humores ex vasis primò maioribus ad minora protrudi; deinde ex istis ad reliqua, quoad extrà ad sentientes corporis partes propellatur; vel sentientes corporis partes, carnes scilicet seu partes solidas, dolore aut immodico calore affectas, humores vitiosos trahere è venis; vel denique neque attrahere, neque suscipere excrementa partes sentientes, sed in se ipsis eadem generare.

*Sim. Simonij.* Simon Simonius, *in synopsi de nat. febr. hum. cap.* 4. Intermissionis causam statuit materiam, quæ ardet, priùs discussam, quàm noua vel generetur vel affluat ad incendij locum: Continuationis verò fomitem, qui suâ vel copiâ, quæ non tam citò potest absumi, vel crassitie, quæ dissipationi resistat, vel viscidítate nutrire febrem tam diu possit, donec iterùm alia superueniat, quâ continuetur incendium. Asseritque tam posse intermittentem excitari, cùm materia in corde primò accenditur, quàm continuam, cùm aliunde, id est, ex aliquo alio viscere accensa defertur.

*Fel. Plateri.* Platerus in vasis mesaraïcis sanguinis putredinem causam febrium putridarum intermittentium statuit. In venis enim mesaraïcis si humor putrescat, etsi eæ cordi non sint continuæ, quia tamen cum venæ cauæ ramis, interueniente hepatis substantiâ, communionem habent, huius causâ accidere putat, vt vapores putridi in venis mesaraicis excitati cor petant, febresque putridas excitent, non tamen continuas, sed statis temporibus intermittentes & redeuntes: Idque quòd materia putris non solùm procul à corde sit dissita, sed quoque ob viarum interclusionem aliquam. Tamdiu enim intermittere febres, quamdiu materia putris in suo quasi foco coërcetur: Vbi verò veluti turgens & excedens multum de sese vaporem emittere incipit, natura irritata in venæ cauæ ramos & arterias eam expellit, per quos ad cor penetrans, febres accendit, tamdiu durantes, donec quicquid è foco excussum est, calore dissipetur.

*Hor. Augenij.* Hor. Augen. *l.* 5. *de febr. c.* 4. ipse quidem etiam concedit humores putridos in febribus intermittentibus maiori ex parte moueri in partib. intrinsecis, quas primas vias nominamus; id quod ex vomitu, oscitatione, oris amaritudine, caloris & sanguinis retractione ad viscera colligi possit: aliquando tamen & rarò in corporis ambitu coërceri. Et quidem instante accceßione per profundas corporis partes deferri; in declinatione verò vaporis specie per ambitum corporis discuti. Ipsam enim humoris putrefacti substantiam ad superficiem corporis deferri non concedit; quandoquidem, si ipse humor putridus per venas transiret, totam sanguinis massam coinquinaret, & exitialia symptomata excitaret.

In extrinsecis verò partibus humores contineri docet, primò in corporibus biliosis, in quibus vapores acres & fuliginosi solent per cutaneos meatûs expurgari. Meatûs enim illi, si obstruantur, bilis multa colligitur, vt tertiana generetur. Deinde si eædem partes vel nimis calefactæ, vel dolore affectæ excrementa ad se trahant; quæ tamen vel propter illorum copiam, vel viscìditatem, vel crassitiem, vel imbecillitatem facultatis expultricis, expellere non valent. Si autem porrò quæratur, à quibus partibus humores transmittantur ad sensibiles istas corporis partes: docet, quod ab iisdem partib. sensibilibus fluxio fiat, cùm sensibiles partes vim quandam habere possint generandi in se huiusmodi humores, qui postea putrefacti & moti paroxysmum febrilem efficiant: deinde statuit, quod à venis deduci possint putrefacti & ad sensibiles corporis partes tam intrinsecas quàm extrinsecas appellere.

*Hercul. Saxonia.* Hercul. Saxonia, *lib.* 8. *pract. med. cap.* 6. causam periodorum, & recessûs ac reditûs in febribus esse materiam non alimentalem, sed excrementitiam statuit, quæ scilicet facultati expultrici grauis est & molesta; & quidem tertiæ coctionis, quæ fit & augetur à quacunque corporis parte determinatâ. Locum verò quod attinet, eum duplicem ille constituit; Vnum in quo continetur materia antecedens, quæ est excrementum tertiæ coctionis antequam corrumpatur; alterum, in quo materia conclusa est, quæ actu facit febrem putridam intermittentem. Priorem locum esse posse docet quãcunque corporis nostri partem, internam & externam, communem & determinatam, omnes partes vno verbo, cùm omnis pars possit excrementa generare & colligere

colligere ac suscipere. Verumtamen hominem non semper collecto excremento febricitare, sed colligere posse hoc excrementum absque febre. Locum verò, in quo materia putrida actu febrem faciens continetur, quod attinet, statuit, materiam febris intermittentis nunquam esse in carnibus seu parenchymate viscerum; cùm si materia in ipso parenchymate hæreat, non in loco aperto contineatur, & potiùs inflammationem pariat, neque tum virtus ad expellendum sit satis robusta. Deinde nec in ambitu corporis putrescere statuit. Aliàs enim in scabie & leprâ materia in ambitu putrescens febrem faceret, & febris hæc solo blaneo, frictionibus & cucurbitulis curaretur. Præterea venæ sectio, vomitus, alui dejectio, essent perniciosissima. Insuper si transmissâ materiâ à venis extra venas in ambitum corporis febris tollitur; non generabitur eodem modo.

Ipse verò statuit primò in omni febre intermittente materiam conjunctam in principio, augmento & statu putrescere intra venas, quod probat primùm ex vrinis, quæ in omnibus febribus etiam intermittentibus, coctionem vel cruditatem in humoribus ostendunt. Secundò idem probat ex naturâ temporum febris. In principio enim paroxysmi mouentur humores à circumferentiâ ad centrum; in augmento & statu à centro ad circumferentiam; in declinatione discutiuntur per insensibilem halitum vel sudores. At hic motus non fit, nisi per venas, neque possunt moueri humores à visceribus ad ambitum corporis nisi per venas. Tertiò probat id ex euacuationibus, quæ contingunt vno & eodem die in febribus intermittentibus; quod fieri non posset, si materia contineretur vel in solo corporis ambitu, vel in carne viscerum.

Secundò statuit materiam hanc, quæ continetur in venis, in principio transmitti etiam aliquâ parte extra venas, membranas scilicet viscerum, vel carnem totius corporis; quia rigor & horror non potest fieri, nisi materiâ stimulante carnes viscerum & totius corporis.

Tandem materiam hanc, quæ febris intermittentis causa est, docet nunquam totam simul esse collectam in venis. Si enim materia simul sit in venis collecta, fieri continuam; neque intermittentes fieri ex materiâ genitâ, retentâ & corruptâ in vno eodémque loco: sed intermittentem fieri ex materiâ attracta vel transmissâ à loco ad locum.

*Iul. Cæsar Claudinus.* Iulius Cæs. Claudinus *in respons. med. resp.* 1. ita continuas proportionatas & intermittentes distinguit, & febres continuas periodicas seu proportionatas oriri statuit ex materia putrescente in venis remotis à corde, quæ mediæ inter magnas & capillares dici possunt; Intermittentes verò partim ex materia in venis capillaribus, partim in mesaraïcis putrescente ortum habere existimat. Atque huius suæ assertionis hæc ponit fundamenta: Illa, inquit, vasa sunt locus putredinis in febre continuâ proportionatâ, in quibus materia collecta, ob fluxionem motúmque transmissionis, vel attractionis à venis magnis pendentem, inculcatur, transpirationéque; prohibitâ propter obstructionem putrescit, putrefacta non expurgatur, fuliginésque continuò, sed non ita commodè ac statim ad cor transmittit. Febres autem continuas periodicas non aliâ de causâ accessiones habere statuit, nisi quia in iis materia non simul tota adest, sed fit eius aut attractio, aut transmissio, quæ singulas accessiones facit, & non excernitur, sed retinetur, vnde febris continua, & perpetua in cor effumatio, sed non ita subita, nec ita facilis, sicut in continente. A venis enim remotis non ita facilè & subitò cordi suppeditatur fuligo. At talia vasa esse venas medias statuit. Sicut enim in his venis colligi potest materia vel per transmissionem, vel per attractionem: ita in iisdem venis potest materia detineri & putrescere, quæ non euacuata continuò serpit, nouamque materiam inficit, vnaque continuò cordi communicatur, sed non statim, neque ita commodè, ob causam suprà adductam.

Febres verò intermittentes fieri tradit, partim ex putredine humorum in venis capillaribus, partim ex putredine humorum in vasis partium in præcordiis existentium, puta ventriculi, cauæ partis hepatis, lienis, pancreatis, omenti, intestinorum, mesenterij. In iis nimirum febribus, quæ fiunt cum fluxione & motu materiæ, pro sede putredinis constituit venas minores per particularum carnes, & habitum corporis dispersas. Ex his autem & facilè egredi humores putrescentes, & ab iis non patere aditum fuliginibus, vt cor facilè petant. Verùm febres, quæ sine motu & fluxione humorum fiunt, habere locum in præcordiis, vt dictum, eas nimirum febres, in quibus nullus fit rigor ac horror, nulla extremorum frigiditas obseruatur, quæ citra sudorem finiuntur, & incipiunt cum oscitationibus, præcordiorum distensionibus, nauseâ, vomitu.

Atque has authorum opiniones recensere volui, vt & difficultatem huius doctrinæ quisque agnoscat, & de eâ diligentiùs cogitandi materiam habeat. Quæ verò singuli pro suis sententiis & contra aliorum opiniones prolixè afferunt, omnia hîc recensere, operæpretium non puto. Id potiùs dabo operam; vt quàm breuissimè, in re tam obscurâ & tot dissentientibus opinionibus intricatâ, veram, quantum potero, sententiam proponam. *Controuers. explicatio.*

I. Primò autem discrimen Synocharum, continuarum periodicarum, & intermittentium in conspectu habendum. In Synochis humores, qui febrem excitant, toti simul in venis continentur, eorúmque putredine & coctione tota febris Synochæ periodus absoluitur. In intermittentibus, singulis paroxysmis materia, febris causa, absumitur vel excernitur, & rursus noua, quæ putrescat, nouúmque paroxysmum inducat, subnascitur. In continuis periodicis partim aliquid, quod continuò putrescit febrémque continuam facit, in ortu ipsius febris adfuit, partim noui aliquid, quod exacerbationis causa est, subnascitur & suppeditatur. Verùm nondum ex hoc patet, quî fiat, quòd in aliis febribus materia singulis paroxysmis expellitur; in aliis verò euacuatio maximâ ex parte vsque ad integram morbi solutionem differtur. Causa itaque huius rei inquirenda erit. *Continuarū, & intermittentium discrimen.*

II. Secundò ergò diligenter hoc annotandum, in Intermittentibus triplicem locum considerari posse. Primò illum, in quo materia febris causa futura generatur: secundò eum, qui materiam proximam & continentem febris in paroxysmo causam continet, quem etiam venas & arterias esse statuimus: tertiò eum, in quem materia è venis expellitur, quem extra venas esse putamus, ambitum corporis, ventriculum, intestina, renes: Cùm in hæc loca omnia venæ terminentur, & materiam in paroxysmis febrium per has vias euacuari videamus. *Triplex locus materiæ febrilis in Intermittentibus.*

III. Primò locum, qui materiam febris causam primum suppeditat, quemque focum & fomitem febris appellant, eum venas mesaraicas esse statuimus. Etsi verò à plurimis statuatur, in Intermittentibus extra venas humores putrescere: id tamen de venâ cauâ accipiendum est, quæ interdum absolutè vena appellatur, & in qua putrescentes humores febres continuas pariunt. Ex venis mesaraicis autem, etsi nullus ductus ad cor pertingat: tamen interueniente hepatis substantiâ, in quam vena portæ inseritur, & varios ramos spargit, cum venâ cauâ communionem habent, atque ideò mediante cauâ materiam putridam cordi communicare possunt: Idémque etiam fit per arterias, *Quo in loco materia in febribus intermittentibus generetur.*

quæ

quæ à corde progressæ in liene, ventriculo & intestinis, venis mesaraicis coniunguntur. Etsi verò vapores ex putredine humorum in venis mesaraicis excitati, per ductûs venæ cauæ in arteriæ ramos cordi communicantur, calorémque inde excitant: tamen non perseuerantem, vt in continuis febribus, sed statis periodis recurrentem calorem excitare possunt. Quod accidit non tam ob loci distantiam, sed quòd materia, quæ febris causa est, vbi in loco efferuescere incipit, naturamque irritat, ab eâ excutitur, & in vapores resoluta, vel sensibiliter vel insensibiliter discutitur, & inde calor ac febris cessat, quæ tum demum recurrit, vbi noua materia non solùm generata est, sed & putrescere, ac iam veluti turgens & efferuescens iterum putridos vapores per venæ cauæ & arteriæ ramos ad cor mittere incipit.

*Sedes materiæ in febribus intermittentibus.* In Intermittentibus autem originem materiæ febrilis in primis viis seu primâ corporis regione, quæ quasi corporis sentina est, & in qua plurima excrementa trimæ & secundæ coctionis cumulantur, hærere, omnia, quæ circa intermittentes vel semper vel plurimùm accidunt, satis euidenter docent. Nausea scilicet, vomitus, cardialgia, præcordiorum tensio & dolor, circa ventriculum intumescentia, oris amaritudo, appetitus deiectus, singultus, atque alia symptomata, quæ materiam in iis locis generari ostendunt. In intermittentium enim febrium initiis sæpè bilis citrina, prasina, cæruleáue sincera vomitu reiicitur; eáque reiectâ febris cessat; quod indicium est, & bilem illam febris causam, & in primis viis collectam fuisse. Nam è venis tam sincera & tam copiosa sine ægri damno per has vias euacuari non potest. Et biliosam talem materiam circum iecoris caua libræ pondo post mortem febricitantis iuuentam esse; Fernelius obseruauit. Idem & hoc arguit, quòd si initio accessionis fomenta hypochondriis imponantur: horror & rigor & alia symptomata postea leuiora fiunt.

Ex loci ratione facilè etiam ipsorum humorum Febres Intermittentes excitantium natura patet. Elaboratur enim, & continetur in venis mesaraicis sanguis non adeò purus & perfectus, vt in venâ caua, sed adhuc excrementitiis humoribus, qui etiam naturaliter in primâ coctione generari solent, quíque demum in secundâ coctione in liene & hepate separantur, permixtus, quales humores sunt bilis, quæ in vesiculam postea colligitur & per aluum euacuatur, tum etiam humor melancholicus, qui cum chyli parte crassiore ad lienem transit; quibus & pituitosi aliquid nonnunquam permiscetur. Hi humores etsi sint excrementitij: tamen si moderatâ quantitate generentur, & generati in secundâ coctione separentur, nihil mali procreant: si verò vel coctionis primæ vitio qualicunque copiosiùs generantur, vel non suo loco & tempore excernuntur, variorum morborum tùm etiam febrium esse causa possunt. Neque enim statim hi humores febrim excitant, sed sæpè diu in corpore latent, donec tandem putredinem concipiunt, febrémque excitant.

*Causæ remotiores.* Atque ex his etiam facilè patet, quænam sint causæ remotiores febrium intermittentium, nimirum ea omnia, quæ vel ad generationem vel cumulationem dictorum humorum excrementitiorum faciunt, vel in genitis & coaceruatis putredinem accendunt.

Causæ nimirum remotiores, & quæ ad istorum humorum in venis mesaraicis generationem faciunt, sunt cibus & potus non boni succi, aut qui facilè corrumpuntur. Ii enim chylum vitiosis humoribus perfusum præbent: qui si non separentur, in venis mesaraicis collecti tandémque putrescentes, febres sibi respondentes accendunt.

Facit deinde huc & ipsius ventriculi praua dispositio, in quo cibi assumpti, præsertim ad id dispositi, nunc acescunt, nunc bilescunt & amarescunt, vt postea dicetur. Ad quam rem facit constitutio corporis, non temperata satis; anni & cœli constitutio & ipsa intemperata, & aliæ causæ euidentes. Hinc tertianæ æstate, quartanæ autumno sunt frequentiores, imò nonnunquam & epidemiæ.

Nonnulli hîc nihil nisi obstructiones accusant. Verùm ad generationem humorum vitiosorum sola obstructio non sufficit. Quamuis enim obstructio adesse possit: tamen obstructio, quatenus talis, generationis illius & corruptionis humorum, quæ singulis paroxysmis accidit, sola causa non est, sed ἐνεργητικὸν aliquid requiritur, quod etiam absque obstructione adesse potest; obstructionésque & in febribus ac plurimis aliis morbis non rarò ignorantiæ pallium, & veritatis inuestigandæ obstaculum sunt. Et si obstructiones vel etiam scirrhi adsint, non inde oritur, sed fouetur febris, & putredinis fermentum ita infarctum, & quasi impactum difficiliùs loco moueri & euacuari potest. Vnde febres prolongantur, & sæpè hydrops oritur. Causa ergò (si vitium non sit in ipso cibo) ἐνεργητικὴ requiritur.

*Discrimen inter febres putridas.* Atque ex his, quæ de loco putredinis ac materiâ febrium intermittentium dicta sunt, facilè, quodnam inter Synochas & periodicas, item inter continuas periodicas & intermittentes sit discrimen patet. Nam, ratione loci, in quo materia, paroxysmi & exacerbationis causa generatur, quem focum appellant, synochæ à periodicis differunt. Synochæ enim tali loco destituuntur, nec aliunde iis materia febrilis submittitur, sed tota in venis continetur: in periodicis verò in singulis paroxysmis noua materia suggeritur. Nimirum materia, quæ periodicis continuis originem præbet, in secunda coctione generatur, sanguinique bono & alimentario permiscetur; Ideóque nulla fit expulsio & crisis, antequam coctio & humoris vitiosi à bono separatio facta sit. Vt verò febris statis temporibus exacerbetur & intendatur, noua, quæ transmittitur, præcipuè ab hepate, materia facit. In intermittentibus verò materia in prima coctione generatur, & hinc in venas transmittitur, è quibus etiam, vt aliena & heterogenea, singulis paroxysmis expellitur.

*Quo in loco causa putridarum febrium proxima contineatur.* IV. Verùm etiamsi in mesaraicis venis primò materia febrium causa generetur, non tamen semper in iis continetur, sed subinde aliquid in perpetuo illo, qui est ab iis in eam meatu, in venam cauam deriuari credibile est. Vnde à Galeno, 1. *de crisib. cap.* 7. & aliis passim Medicis *febris passio venenosi generis* appellatur. Neque enim fidem meretur Horat. Augenij sententia, quâ Galeni & Medicorum communem doctrinam, quâ traditur, febrem esse affectionem venenosi generis, ita explicat, quòd in omnibus febribus venæ & arteriæ per vniuersum corpus calorem febrilem deferant. Nam certè hoc ipso putridæ febres ab ephemeris differunt, quòd in ephemeris solùm calor sine putredine per venas & arterias cordi communicatur: at in putridis ipsi vapores putridi ad cor feruntur.

Quia verò materiam, quæ febrium intermittentium causa est, in venis contineri multi negant, paucis id probandum est.

*Causa febris in intermittentibus in venis continetur.* Primò autem materiam febrilem è mesaraicis in cauam transmitti ex eo patet, quòd cruditas & coctio humorum non solùm in continuis, sed etiam intermittentibus deprehenditur, atque ex vrinis animaduertitur.

Deinde motus humorum, qui fit in intermittentibus, idem docet. Nam in principio accessionis mouentur humores à circumferentia ad centrum; in augmento & statu à centro ad circumferentiam; in declinatione discutiuntur per insensibilé transpirationem vel

vel ſudorem. Is verò motus non poteſt fieri, niſi mediantibus venis & arteriis.

Imò ea, quæ motum humorum in Intermittentibus præcedere ſolent, ſatis teſtantur, in venis moueri materiam. Nam in Intermittentibus febribus, inſtante paroxyſmo, quod materia nondum extra oſcula venarum expulſa eſt, neque dum rigor ac febrilis calor adeſt, ſed materia febrem factura in venis quaſi turget, ſignis quibuſdam inſtans motus materiæ & paroxyſmi percipitur; vnde illud tempus ἐπισημασία Græcis dicitur. In membris enim extremis ſpontaneæ laſſitudines pulſuúmque compreſſio percipitur; quod non fieret, niſi in vaſis illis communibus, venâ cauâ ſcilicet & arteriis, materia paroxyſmum febrilem q. parturiens etiam contineretur, nullúmque ſignum futuri paroxyſmi ex pulſu & arteriis haberi poſſet, ſi materia extra illa vaſa contineretur; ſicut nec laſſitudinis cauſa dari poſſet.

Præterea docet Galenus, atque experientia ei adſtipulatur, non rarò in Intermittentibus eodem die materiam per plures vias euacuari, & ſimul intrò foras-que ferri, vt eodem in paroxyſmo vomitus, deiectiones alui & ſudores fiant: quod fieri non poſſet, ſi materia vel in ſolo ambitu corporis, vel alibi extra venas contineretur.

Indicio eſt & iſtud materiam in venis contineri, quod in Intermittentibus vrinæ tempore paroxyſmi meliores plerumque apparent, quàm extra paroxyſmum; & quæ extra paroxyſmum valdè craſſæ aut turbidæ conſpiciebantur, minùs extinctæ, clariores, & laudabiliores in paroxyſmo conſpiciantur. Denique in paroxyſmis intermittentium febrium vrinæ non rarò copiosæ redduntur & per eas materia febrilis euacuatur: quod fieri non poſſet, niſi materia per venam cauam tranſiret. Apparet hoc etiam ex ſanguine, qui in Intermittentibus febribus, venâ ſectâ emittitur, & in morbi progreſſu plerumque non bonus eſt, ſed vitioſos humores admixtos habet. Vnde etiam obſeruatum, venâ ſectâ febrem ceſsâſſe, cuius rei exemplum annotauit Arianus Spigelius, *lib. 1. de Febre ſemitertianâ, cap. 15*. Docétque idem ſcabies, quâ erumpente febres, intermittentes ſolui, iterúmque eâ euaneſcente febres eædem recurrere ſolent.

Neque difficilè diluitur illud, quod hîc ex Fernelio contra hanc ſententiam obiici poteſt. Quo pacto, inquit Fernelius, tam repentè poſſit noxius humor ſanguini permixtus, præſertim verò craſſa lentáque pituita, aut bilis atra à puriore ſanguine prorſus ſecerni, & quaſi momento in extremas corporis partes protinus extrudi. Nam etſi prima origo humorum, qui intermittentium febrium cauſa ſunt, non ſit in venis, ſed in primis viis: tamen hinc in venas effunduntur. Et proinde reſpondemus ex Hippocrate: Non ſtatim morbi homines apprehendunt, ſed paulatim generati ſubitò apparent. Humor ſcilicet facturus ſuâ putredine paroxyſmum ſenſim & paulatim, & quidem extra venam cauam in primis viis colligitur; & hinc, præcipuè inſtante paroxyſmo, in venas tranſmittitur, ſemper in deterius labitur, & paulatim ante paroxyſmum ſuccenditur, quod Galenus ὑποτύφεσθαι appellat, & loco mouetur in venis; quando autem paroxyſmus appropinquat, magis ac magis turget. Inſtante verò paroxyſmo celerrimè motu expellentis facultatis extra oſcula venarum euomitur quaſi, ac magis magiſque protruditur, facultate excretrice irritatâ, & ſubitò extra venas propellitur, vel in habitum corporis, vel etiam loca interiora. Venæ enim cauæ rami non ſolùm in exteriora, ſed etiam interiora terminantur, ac per oſcula ſua eructare poſſunt excrementitios & putridos humores.

Obiicit deinde & hoc Fernelius: Cùm, inquit, in continuis febribus peccans materia in vaſis maioribus tota conſiſtat, cur non eius portio quoque in corporis molem effunditur, quæ ſæpe rigorem efficiat? Et quanquam ad hoc reſpondeant nonnulli, exilium venarum obſtructionem in his, quàm in Intermittentibus, maiorem eſſe, atque tantam, vt omnem humorem intus cohibeat, tamen hoc diuerticulum ſaltem eſſe putat. Nam plurimæ continuæ à rigore vel horrore inuadunt: quòd ſi ipſo ſtatim initio bilis in corporis ſumma effundebatur, cur non etiam deinceps, quoties inardeſcit, aut motu nouo incandeſcit, eódem ſimiliter inſilit? Tutior & vero ſimilior reſponſio eſt, quæ ex ſuprà propoſitis *cap. 12.* huius libri petitur: In continuis materiam febris cauſam totam ſimul in venis contineri, & ſanguini non ſolùm confuſam, ſed & permixtam eſſe, neque ante coctionem ſeparari, ideóque niſi coctione, quæ quidem vnicâ quaſi fermentatione continuò perficitur, abſolutâ, eius expulſionem vix vriliter tentari. In intermittentibus verò materiam ſanguini non verè permixtam eſſe, nec totam ſimul eſſe in venis, ſed in primis viis genitam, per interualla & periodos inde tranſmitti, ſaltem in venas deriuari & propterea ſingulis paroxyſmis, dum ſtatis temporibus quaſi efferueſcit, & naturam ad expulſionem irritat, ab eâdem expellitur. Cuius rei exempla & in aliis morbis habentur. Et quanquam natura nonnunquam initio febrium continuarum, vel etiam alio tempore, prauitate aut multitudine materiæ ſtimulata, extremo conatu inſurgat, humorémque vitioſum depellere annitens, rigoris cauſa ſit: tamen conatus ille propter cruditatem materiæ plerumque eſt irritus, & nulla criſis ſequitur.

*Galeni ſententia de loco putredinis in intermittentibus explicatur.*

Neque hæc ſententia Galeno aduerſatur, vt plurimi exiſtimant, quòd materiam febrilem in Intermittentibus per carnes deferri pronunciauit. Concedimus hoc libenter, humores per ambitum corporis moueri, ſed fomitem ſeu focum febris ibi eſſe negamus, neque id à Galeno affirmatum videmus. Eſt enim, vt dictum, in Intermittentibus triplex locus conſiderandus, Primò ille, qui materiam ſuppeditat; Secundò is, qui febris proximam cauſam continet: Tertiò, in quem materia è venis expellitur. Neque eſt, quod hîc cum Augenio, ſi humor putridus in venis contineretur, eaſque tranſiret, totius ſanguineæ maſſæ coinquinationem & exitialia ſymptomata metuamus. Hoc quidem verum eſt, in febribus hiſce ſanguinem etiam coinquinari ab admixtis humoribus putridis; vnde illa etiam ſymptomata, quæ febricitantes moleſtant, ortum habent. Verùm ea neceſſariò exitialia non ſunt. Nam materia ſanguini non permixta ſed ſaltem confuſa, & ad expulſionem apta eſt, virtúſque ſatis fortis. Itaque in declinatione vt ſanguis, quantum poteſt, ab illis excrementitiis humoribus depuretur, & natura iſto onere leuetur, ſolet ea illos vitioſos humores expellere.

Nec illud obſtat, quod ſtatuit Augenius, in venis cōtineri nihil, niſi ſanguinē: verùm bilem flauā & cæteros humores, quos excremētitios nūcupamus, extra venas propriis quibuſdā receptaculis recondi. Nam hoc quidē libenter Augenio concedimus, in ſanis ita ſeſe rē habere. At in corpore ægro etiam vitioſi humores ſanguini permiſcentur: qui & in ſanguine per venæ ſectionem effuſo apparent, & per purgationem tam ſponte quàm arte inſtitutam è venis expurgantur. Neque etiam hoc modo tollitur diſcrimen febrium continuarum & intermittentium, vt antea iam dictum.

*Cauſa febris in Intermittentibus non tantùm in primis viis hæret.*

Atque ita ſententiam eorum admittere non poſſumus, qui ſtatuunt ſaltem in primis viis hærere materiam febrium intermittentium. Si enim Fernelij opinionem ita interpretantur, vt per præcordia ac viſcera primas illas vias intelligant, rationes Fernelij, & ipſorum nihil aliud concludunt, niſi aliquam in venis illis putredinem humorum conſiſtere, atque ita humores, qui febrium intermittentium cauſa ſunt, ibi generari, atque etiam initium putredinis concipere. Interim

non

non sequitur, non posse eandem materiam venis communibus communicari. Nisi enim hoc fieret, neque lassitudinis, neque mutationis pulsûs, neque aliorum symptomatum, quæ in ἐπισημασίᾳ fiunt, causa, vt dictum, reddi, neque coctio humorum ex sanguine cognosci, aut ex eo emisso aliquid iudicari posset. Ideò hîc distinguimus inter locum, in quo generatur materia & causa antecedens febrem factura, & locum, in quo materia continetur, quæ actu facit febrem putridam intermittentem; & illum quidem circa viscera & primas illas vias admittimus, & in locis illis multas superfluitates colligi & contineri concedimus, imò etiam ibi initium putredinis concipere non negamus: febrem tamen generari non statuimus ex materia tantùm in illis locis putrescente; sed materiam vitiosam & superfluitates illas, vel in venas communes transire, atque ibi putrescere, vel si putredinem ibi concipiat, venis communibus tamen communicari putamus.

Deinde & ab iis dissentimus, qui statuunt, materiam in intermittentibus tantùm extra venas in habitu corporis & carnibus putrescere. Nam quomodo ex hac opinione vomitûs, oscitationis, amaritudinis oris aliorúmque, quæ in febribus intermittentibus accidunt, symptomatum causa reddi posset, si materia in habitu corporis tantùm putresceret? & quomodo ex habitu corporis ad vasa iterum retraheretur?

*Paroxysmorum in Intermittentibus causa.* V. Tandem locum, in quem in ipso paroxysmo materia à natura protruditur, quod attinet, Vbi humor in primis viis cumulatus putrescere & efferuescere incipit, Natura ab eo stimulata & lacessita eum expellere incipit, idque per varias sæpe vias, initio quidem per vomitum & aluum, postea verò per sudores & vrinas sensibiliter, euacuat, Vt & per poros cutis ac insensibilem transpirationem in vapores & halitûs resolutum discutit. Cùm enim humor ille vitiosus sanguini exactè permixtus non sit, sed saltem confusus, Natura eum facilè à bono sanguine separare potest, & propterea eum singulis paroxysmis excutit.

Neque opus est hîc cum Fernelio ad cœcos ductûs, per quos vapores isti ad cor & illinc quoquoversum per arterias effundantur, confugere: cùm ductûs satis manifesti sint. Cùm enim venæ portæ rami in hepatis substantiam inserantur, & horum oscula cum ramis venæ cauæ communionem habeant; & arteriæ à corde progressæ in ventriculo, intestinis, liene & alibi venis mesaraicis coniungantur: vapores putridi in venis mesaraicis excitati facillimè in venæ cauæ & arteriarum ramos proximos irrumpere, & hinc ad cor & totum corpus diffundi possunt. Atque extant huius non solum vaporum, sed & humorum è primis viis in venam cauam transitûs exempla etiam in aliis morbis, & præcipue in erysipelate, quod Germani Rosam nominant, & paralysi illa, quæ Colicam nonnunquam sequitur, de quâ, *lib. 2. Instit. part. 3. sect. 2. cap. 5.* dictum, vt & in dysenteriâ, quæ nonnunquam intempestiuè suppressa pleuritidem & alios morbos generat. Et si cui hoc ignotum est, is saltem, quæ in scorbuticis & hypochondriacis accidunt, diligenter perpendat; & animaduertet, quàm varij effectus & mala ex μεταστάσει materiæ & vitiosorum humorum è primis viis in venam cauam & reliquum corpus oriantur.

*Paroxysmorum causa.* Materiâ quocunque etiam modo discussâ, paroxysmus cessat, & calor febrilis desinit tandiu, donec noua materia, quæ similiter suo tempore putrescit & efferuescit, genita sit. Accidit autem hoc ob vitiosam in parte dispositionem, & μίασμα seu inquinamentum, quod relictum post paroxysmum instar fermenti humores inquinat & corrumpit, & vt suo tempore putrescant & efferuescant, in causa est. Id quod docet Galenus, *2. de diff. febr. cap. vlt. Sed cùm, inquit, in parte maneat affectus, necessarium est, in ipsâ superfluitatem aliam generari; cùm id, quod denuò ad ipsum alimentum attrahitur, non totum exquisitè conuincatur: quæ rursus à putridis superfluitatibus in parte relictis, ac proprio ex vitio putredinis principium accipit, ac cùm satis caluerit, rursus ad ipsum influit, quemadmodum sanguis ex aliis partibus animalis. Atque eodem rursus modo principium, ascensus, consistentia, declinatio alterius fit accessionis. Neque hoc per circuitũ desinit fieri, donec in primâ particulâ superfluitates generante seruatur affectus. Est verò duplex eiusmodi affectus: alter quidem imbecillitas partis, ex quâ fiunt superfluitates; alter verò, qui ex eisdem quotidie genitis aceruatur. Neque enim existimes, in exterioribus istis vasis, in quibus elixatum obsonium nidorosum factum est, quandam relinqui dispositionem, nullam autem in partibus, in quibus humores putruerunt.*

Qui locus omnino consideratione dignus est, cùm totam generationis febrium Intermittentium rationem, & recursûs paroxysmorum causam contineat. Estque in generatione materiæ, febris intermittentis causæ, duplex διάθεσις obseruanda; vna ἡ μέν τις ἀσθένεια τοῦ μορίου καθ᾽ ἣν γεννᾶται τὰ περιττώματα: altera, quæ prouenit ὑπὸ τῶν ἐγκαταλελειμμένων τῷ μορίῳ σηπεδονωδῶν περιττωμάτων. Nimirum ob partis ἀσθένειαν seu debilitatem περίττωμα seu excrementitius humor generatur, qui partim proprio vitio, ὑπ᾽ οἰκείας μοχθηρίας, partim ab inquinamento & putredinali fermento, seu μιάσματι, seu, vt Galenus appellat, ὑπὸ τῶν ἐγκαταλελειμμένων σηπεδονωδῶν περιττωμάτων initium putredinis concipit. Ac quamdiu ista in parte dispositio nouos vitiosos humores generans, & putredini causam præbens manet; tam diu paroxysmi recurrunt. Vero tamen simile etiam videtur humorem febris intermittentis causam non totum de nouo in singulis paroxysmis generari; (id quod vel ex eo patet, quòd in primis aliquot paroxysmis sæpe multum bilis vomitu reiicitur, postea verò vomitus cessat) sed quæ in principio aderat, nõ totam simul putrescere in primo paroxysmo, sed eam eius partem, quæ putredini aptior est, in reliquis reliquã, donec totus absumatur. Prius tamẽ etiam non negandum, scilicet partis ab humore excrementitio inductam debilitatem ad humoris similis generationem multum facere, eamque continuationis paroxysmorũ in febribus, diuturnis præcipuè, causam esse.

Quocunque autem modo & tempore generatur materia febris causa, non priùs febris cessat, quàm ea tota sublata sit; quod fit, vel dum in vapores resoluta per poros cutis seu insensibiliter seu sensibiliter per sudores discutitur, vel vomitu, alui fluxu, seu à naturâ, seu arte instituto, vel per vrinas, vel per hæmorrhoides euacuatur. Sæpe etiam, & præcipuè crassior materiæ pars, in ambitum corporis protruditur, & febre desinente scabies excitatur; quæ propterea etiam, si ad interiora recurrat, Recidiuam parit.

Atque hæc quidem est causa paroxysmorum & recursûs febrium intermittentium ratio. Quæ autem causa sit, quod statis temporibus febres redeant, aliæ citiùs, aliæ tardiùs: alia iam quæstio est; & proinde iam occurrit intricatissima illa, & quam multi mouerunt, nemo pro voto omnium forsan satis explicauit, controuersia.

## *De causis Periodorum in Febribus.*

Etsi enim iam causa reddi possit, Cur febres quædam intermittant & reuertantur: tamen nondum explicatum est; Cur hoc statutis temporibus fiat, & cur in aliis febribus, singulis diebus, in aliis alternis; in aliis quarto quoque die nouus paroxysmus redeat. Quanquam verò etiam id ipsum periodicis continuis conueniat: tamen quia periodorum ratio manifestior est in Intermittentibus, hoc loco de iis agere placet. Etsi verò nec mihi, multò minùs aliis, me satisfacturum confidam: non prætereunda tamen ista fuit quæstio. *De causis periodorum in febribus varia sententia.*

Variæ autem hac de re variorum fuerunt sententiæ, Astrologi quidem, quos sequitur Petrus Aponensis, *Astrologorum.*

Conciliator dictus *diff.* 88. eiusmodi ordinem circuituum in astra retulerunt. Sicut enim illi aliarum rerum motum in hisce sublunaribus, vt maris, menstrui fœminarum fluxûs, partûs, referunt in astra: ita & ordinatorum circuituum in febribus, quem periodum nominant, causam ex astris petendam censent. Verùm plurimis hæc causa nimis remota videtur; imò nec satis explicatur, quæ aut quomodo astra periodos, & quidem diuersas efficiant.

*Galeni.* Medici itaque plerique causam in ipso corpore humano quæsiuerunt. Galenus, *de diff. febr. cap. vlt.* causam quidem generalem periodorum tradidit, cùm periodos refert in dispositiones membrorum, quæ vel mittunt, vel suscipiunt, vel generant, vel attrahunt superfluitates. Vt si ex Galeni sententiâ de causâ periodorum quæratur, hoc respondendum sit: febres alias singulis, alias alternis, alias quarto quôque die redire, proùt partes affectæ excrementa putrescentia & paroxysmum facientia, vel singulis, vel alternis diebus, vel quarto quoque die, aut transmittant, aut generent. Verùm etsi ex his causa, cur paroxysmi redeant, satis clara dari possit. Nimirum quod ex partis alicuius priuatæ vitio, & malâ dispositione noui humores vitiosi noui paroxysmi causa producantur: tamen ex iisdem de diuersitate periodorum aliquid certi colligi posse aut causam euidentem dari, cur aliæ febres singulis, aliæ alternis, aliæ quarto quolibet die demum redeant, plerique negant; & idcirco vlteriùs inuestigandum sibi proposuerunt, cur non omnes humores vel singulis, vel alternis, vel quarto die moueantur, & paroxysmum nouum faciant, sed pituitosi singulis, biliosi tertio, melancholici quarto die moueantur, & paroxysmum faciant.

*Ex humorum & partium dispositione periodos deducentium sententia.* Nonnulli itaque sunt, qui è dispositionibus membrorum mittentium & suscipientium & generantium humores ita periodorum causas inuestigari posse putant. Si pars, inquiunt, quæ mittit aliquâ intemperie laborauerit, alimentum corrumpet; quod postea, vbi copiâ vel prauitate eius grauabitur, transmittet in aliud. Quòd si præterea etiam alimentum ipsum, quod in partem defertur, vitiosum sit, multò magis excrementa in eo colligentur, quæ postea in partem, quæ imbecillior est, transmissa & putrescentia nouum paroxysmum faciunt. Si autem in parte mittente aliquâ vitium non sit, sed in ipsa parte generante, quæ nimirum id, quod in ipsam defertur alimentum corrumpit atque definitis temporibus & quantitate coaceruat, vt ibidem putrescens paroxysmum inducat; dispositionem partis in se generantis & congerentis excrementum, periodorum sequetur ratio.

Pituitæ igitur cùm sit magna in corpore copia, eam citiùs coaceruari & putrescere; aut in parte aliquâ colligi, & inde ad alias mitti atque ibi putrescere, & ita singulis diebus exacerbationes inducere aiunt. Bilis autem cùm non sit tanta in corpore copia, neque tam citò in parte siue mittente, siue generante, colligatur, eam etiam tardiùs ad excretionem stimulare, & non singulis, sed alternis diebus paroxysmum facere, existimant. Melancholiam denique, partim quia pauca sit in corpore, partim quia ineptior sit ad putredinem, tardiùsque putrescat, quarto saltem die naturam irritando, paroxysmi causam esse; atque periodorum rationem ita continuari, quamdiu hæ membrorum & humorum dispositiones non variant, & victûs ratio, omnésque causæ reliquæ eædem manent; variari autem & mutari, dum hæ mutantur, statuunt.

Verùm hanc sententiam alij reiiciunt: neque enim ista proportio humorum, quam isti præsupponunt, semper in corpore datur. Et licèt concedatur, in sanis corporibus istâ analogiâ sese habere humores: tamen corporibus ægris modò plus bilis, modò pituitæ, modò melancholiæ accumulatur. Quod cùm ita sese habeat, causam reddere nequeunt, cur pituita, si pauca putrescat, quotidiè tamen moueatur; bilis verò flaua, quod sæpe accidit, si copiosior vno in loco colligatur, non tamen citiùs, quàm tertio die, moueatur. Sæpe enim accidit, vt bilis sit pauca in tertianæ declinatione, contrà melancholia multa in Quartanæ principio; nihilominùs ibi tertiana, hîc Quartana periodus obseruatur.

*Ex natura humorum.* Alij itaque aliter hac de re sentiunt. Nam nonnulli nullam periodorum in febribus causam agnoscunt, quàm naturam humorum. Cùm enim pituita sit frigida, humida, crassa, lenta & tenacis consistentiæ, quæ idcirco ægrè accenditur, tardè mouetur, & faciliùs in viis hæret, & accensa antequam deferueat, longum tempus consumit: statuunt, & paroxysmos, qui à pituita proueniunt, esse longiores, & eam in declinatione exactè expurgari non posse, sed plurimas eius reliquias remanere, quæ iterum succensæ, mox sequenti die noui paroxysmi causæ sint. Flaua autem bilis cùm calida, sicca & tenuis sit, accensa propter subtilitatem tota ferè deferuet, & deflagrat, & minus reliquiarum, quàm pituita relinquit. Vnde & intermissio eius purior est, neque tam citò nouus paroxysmus, sed tertio demum die, excitatur. Melancholia verò cùm etiam copiosiùs euacuetur, vtpotè, quæ minùs lenta & tenax est, quàm pituita, & vbi accenditur, minus reliquiarum post se relinquit, idcircò tardiùs quoque, quàm pituita, nouum paroxysmum inducit; sed cùm eadem etiam frigidæ & siccæ naturæ sit, ac terreæ substantiæ, difficiliúsque, quàm flaua bilis putrescat, tardiùs adhuc, quàm flaua bilis nouum paroxysmum facit, quarto nimirum demum die.

Verumenimuerò hæc opinio saltem generalem periodorum causam, non verò specificam & determinatam, quæ quæritur, reddere videtur. Neque semper in crassitie, lentore, tenacitate, tenuitate, & similibus qualitatibus eodem modo sunt humores dispositi.

*Ex putredine.* Alij ergo fuêre, qui ex solâ putredinis naturâ causam periodorum petendam censent. Cùm enim intermissio fiat febrium, dum humor, qui paroxysmi causa fuit, per halitum discussus, aut etiam alio modo euacuatus est, atque ea eò vsque duret, donec noua materia putrescere incipiat, ex humorum ad putredinem maiore vel minore aptitudine periodorum causas colligunt. Nam cùm humidiora faciliùs putrescant; pituita verò omnium humidissima sit: idcircò breuiore tempore, nimirum saltem vnius diei interuallo eam rursum putredinem concipere dicunt. Bilem cùm sicca sit, longius tempus requirere; nimirum dierum duorum spatium. Melancholiam denique, cùm humor sit frigidus & siccus, maximè omnium resistere putredini, & trium dierum interuallo solùm putredinem concipere.

Hæc opinio, Etsi probabilis sit, animum tamen veritatis auidum non planè satiat. Pituitam quidem citiùs, quàm bilem: & hanc citiùs, quàm melancholiam, putrescere docet: verùm cur hoc istis terminis & temporum interuallis fiat, cur pituita die vno elapso; bilis, duobus elapsis; melancholia, quarto demùm die putrescat, non monstrat.

*Ex occulta proprietate.* Itaq; cùm hæc omnia quibusdam non satisfaciant, & cùm hic determinatus & definitus effectus sit, qui in omnibus indiuiduis se se eodem modo habet, statísque planè periodis paroxysmi redeant; determinatã & definitã ac in omnibus eodem modo sese habentẽ causam requirendam censent. Talis autem cùm non possit esse membrorũ dispositio, humoris qualitas, crassities, viscidítas, tenacitas, ad putredinem aptitudo, & reliqua, quæ hactenus allata sunt; vtpote quæ infinitis modis, & in diuersis indiuiduis, & in eodem ægroto, diuerso morbi tẽpore variare possint: ad occultam proprietatem confugiendũ existimãt. Cùm enim ex nullâ manifestâ qualitate satis euidẽs & firma causa dari possit, cur in omnibus indiuiduis humor biliosus, cuiuscũq; etiam sit speciei,

ſpeciei, in quo nō parua manifeſtarum qualitatum dif-ferētia occurrit, tertio quoque die, & eodem modo pituita ac melancholia acceſſiones faciant: id in peculiarē & propriam conditionem ac occultam proprietatem referunt. Et alij quidem cauſam periodorum ſimpliciter è natura ſpecificā humorum petunt; ſicut attractionis ferri in magnete à formā ſpecifica eiuſdem. Verùm cùm occultæ qualitates à formā pendeant; formæ verò in putredine intereant: in occultam proprietatem cauſam ſimpliciter reiici non poſſe, nonnullis videtur. Itaque alij non ſimpliciter ad formam humoris reſpiciunt, ſed putredinem coniungunt, dicúntque, ſi humor aliquis putreſcat, hoc tanquam inſeparabile & proprium accidens eius naturam ſequi, habere certas quaſdam & ſtatas periodos: pituitam nimirum dum putreſcit, hanc occultam naturam & proprietatem habere, vt ſingulis; bilem, vt alternis; melancholiam, vt quarto quolibet die moueatur & paroxyſmum concitet. Imò alij locum adhuc addunt, dicúntque, ſi humor extra venas putreſcat, hanc occultam qualitatem acquirere.

Verùm nec hoc aliis ſatisfacit. Cùm enim, vt ipſe Fernelius, qui hanc ſententiam tuetur, docet, *lib. de febr. cap.* 10. obſeruatum ſit, tertianam diuturnam atque quartanam in atrocem cruciatum colico immaniorem deſinere, qui nonnunquam, & in articulorum dolores, & in paralyſin faceſſit; atque hic dolor tamen conſueto acceſſionis tempore ferè exacuatur & excandeſcat, priſtinúmque circuitum retineat: hinc manifeſtum euadit, etiam circuitûs illos ſine febre & putredine eſſe, ac proinde à putredine non prouenire. Præterea ſi ab occultâ humoris proprietate periodi fiunt, numerus typórum numero humorum reſpondere debet. At tres ſunt tantùm humores cauſæ febrium periodicarum. Ergo tantùm tres debebant eſſe periodi: cùm tamen obſeruatum ſit, eſſe longè plures, quintanas, ſextanas & alias. Et ij ipſi authores in eoſdem, quos vitare volunt, ſcopulos incidere videntur, dum, quod Fernelius facit, anticipationem & poſtpoſitionem paroxyſmorum in auctam & imminutam materiam referunt.

*Sanctorij opinio.* Sanctorius Sanctorius, *lib. 6. de vitandis error. in arte Med. cap.* 5. aliam adhuc habet ſententiam, & cauſam periodorum petit, à locorum & partium affectarum ſitu ac diſtantiâ à corde. Quod enim idem humor diuerſos pariat morbos, à loco pendere, & locum, non humorem dare eſſe ſpecificum morbis; & periodis morbos conſequentibus, docet. Atque hinc ſtatuit, ſi humores bilioſi ſint in loco proximo cordi, naturam adoriri malos humores ſine circuitu; quia agens proximum patienti non impeditum ſemper agit, & patiens reagit. Quando verò peccantes humores ſunt magis in loco diſtante & remoto à corde, tunc cor vicinis partibus circumſeptum extemplò in humores non agit, nec humores in illud reagunt, ſed ſolum per circuitum. Hinc ſequitur, quod quantò maior ſit diſtantia loci affecti à corde, tantò periodus erit longior. Pituitam itaque facientem quotidianam intermittentem, ſemper ſuam ſedem habere in ventriculo ſtatuit; qui quia proximus cordi, ideò quotidie mouetur: Bilem verò facientem tertianam eſſe modò in hepate, modò in meſenterio, modò in variis partibus hypochondriorum: Melancholiam tandem, quia ſit in liene, cauſare quartanam.

Verùm contra hanc opinionem multa, quæ contra præcedentes dicta ſunt, afferri poſſent, illúdque etiam in dubium vocari, an ventriculus hepate vel liene ſit cordi propior, & quomodo ex variis partib. (quod ipſe concedit, cùm dicit bilem facientem tertianas, modò eſſe in hepate, modò in meſenterio, modò in variis partib. hypochondriorum) vna periodus fieri poſſit: hoc ſaltem prætertire non poſſumus: ſi locus & diſtantia partium à corde cauſa ſufficiens eſt periodorum, quid opus eſt humores coniungere? & an non poteſt pituita etiam in meſenterio & variis hypochondriorum partibus colligi? Quod ſi fiat, & illa faciet tertianam periodum. Sicut & illud dubium eſt, quòd expulſionem, quæ fit in febribus, cordi tribuere videtur, & non partibus, in quibus continentur humores vitioſi.

*Platerus.* Platerus duas ſaltem febrium intermittentium differentias admittit, vnam à bile tenui, alteram à craſsâ ſeu atrâ: tenuíſque putredinem, antequam eò deueniat, vt febrem excitare poſſit, ad triduum vſque ex ſuâ naturâ, ab eo tempore, quo iam prior illiûs putredo diſcuſſa eſt, ſupputando, ferè extendi: craſſiorem verò ac veluti aduſtam bilem, quia tardiùs putreſcit, antequam eò deueniat, vt febrem excitare poſſit, longius tempus quoque requirere, & proinde ad quartum diem vſque paroxyſmum protrahi docet.

Ridiculam Paracelſiſtarum & Scheunemanni opinionem de periodis febrium, *de Chymic. cum Ariſtot. & Galen. conſ. & diſſ. c. 6.* propoſui, quam, cùm nec minimam probabilitatem habeat, hîc repetere non libet.

*Periodos Humorum negantium ſententia.* Verùm alij adhuc ſunt, qui omnes, quas recenſuimus, opiniones, & omnes omninò, quotquot dari poſſunt de quæſtione, cur pituita ſingulis; bilis, alternis; melancholia, quarto quolibet die moueatur, vnico modo ſimpliciter damnant, atque iſtos Authores omnes à ianuâ aberrare, & in inquirendâ causâ illius effecti, quod & nullum, & nunquam, & nuſquam fuit, ſeſe fruſtra torquere dicunt. Falſum enim eſſe, quod vulgò creditur, pituitam ſingulis, bilem alternis, melancholiam quarto quolibet die moueri: cùm quilibet humor moueri ſubinde quocunque tempore vel celeriùs, vel tardiùs, vel frequentiùs, vel rariùs pro variis occaſionibus poſſit. Et proinde ab vno humore plures typos, quotidianos, tertianos, quartanos, quintanos, & ſi qui ſint alij, oriri poſſe aſſerunt. Quâ de re ita ſcribit Simon Simonius, *cap. 5. Synopſ. de humoral. febr. nat.* *Præfari*, inquit ille, *hic libet: in tota Medicinæ arte fraudulentiorem pernicioſioremque opinionem humano generi nullam viguiſſe hactenus illâ, quâ periodici motûs, qui per febres apparent, occultæ, vel etiam cœleſti neſcio cui, ſecundùm quam quiſque moueatur humor, poteſtati attribuuntur. Hodie autem* (addit idem in fine capitis illius) *practici noſtri, ita ſcilicet edocti ac perſuaſi, cùm ad ægrotantes ventum eſt, obſeruato duntaxat circuitûs ordine, quem nôſſe non eſt difficile, tanquam certâ & immotâ quadam ratiocinatione deprehenſum iam tenere ſe peccantem humorem opinantur, pro quo deinde ſcopos curationis conſtituant, præſcribántque remedia: cùm tamen in quotidianis, tertianis, quartaniſque acceſſionibus haud paucis ſymptomatum à Galeno propoſitorum vel nullum, vel vix vnum aut alterum integrum veſtigium ſeſe illis offerat, imò & cauſarum, cùm externarum, tum internarum ſeries atque connexio, & ſignorum concurſus alius, quàm ipſi quærunt, humoris præſentiam effectáque demonſtrant.*

Atque huius aſſertionis has afferunt rationes. Si, inquiunt, humoribus attribuendæ ſunt periodi, ſiue ex eorum naturâ, proprietate, qualitate, ſiue quocunque alio modo cauſa periodorum petatur, tres ſaltem erunt typi, tribus humoribus reſpondentes; quotidianus nimirum, pituitæ; tertianus, bili, quartanus melancholiæ. At dantur plures, quintanus, ſextanus, aliíque, & ab Hippocrate, & ab aliis Medicis animaduerſi atque annotati. Ergò ex humoribus non poteſt cauſa reddi periodorum. Si quis verò vni humori plures circuitûs attribuere velit; id quod nonnulli in melancholiâ faciunt, & periodum quintanam & ſextanam in melancholiam referunt: is cauſam reddat oportet, cur ſolùm humor melancholicus, non verò etiam alij plures periodos pariant. Itaque ſingulas periodos ſingulis humoribus

ascribendas non censent, sed quamlibet à quolibet proficisci posse statuunt. Notas enim omnes sincerae bilis aliquando, vt & non rarò pituitae, in quartanâ febre aequè ac melancholia deprehendi: Temperiem nimirum, aetatem iuuenilem, mores, rationem victûs, anni tempus & constitutionem, vrinam & alia excrementa, pulsum, iuuantia, laedentia, bilem potiùs, aut pituitam, quàm melancholiam demonstrare. Et contrà in tertianis etiam pituitae potiùs aut melancholiae, quàm bilis indicia animaduerti. Plurimos certè quartanâ, largâ pituitae vomitione, vel per aluum deiectione liberatos esse saepe obseruatum est, & aliae quartanae vomitione bilis cùm pituitâ solutae sunt. Itaque si verum est, inquiunt, quod Hippocrates scribit; sanatio morbos indicat: dubium non videtur, ab iisdem humoribus istas febres ortas fuisse, post quorum euacuationem sublatae illae sunt. Ita in pueris & mulieribus, aliisque corporibus pituitosis, in quibus melancholici humoris nulla suspicio, sed potiùs pituitae certa indicia, febres quartanae saepissimè excitantur. Vnde Nicolaus Piso, *lib. de febr. cap.* 12. scribit: Pituita ipsa crassa multùm consistentiâ melancholici humoris naturam induit. Quare circuitûs interdum quartanos facit. Ex hac pituitâ in his regionibus fiunt quartanae quàm plurimae, pueris, mulieribus, & aliis melancholicum nihil ostendentibus, sed candidis, pituitam vomentibus & deiicientibus lentam & crassam. Obseruatum etiam, non solùm tertianas in quartanas, sed contrà quartanas in tertianas mutatas fuisse: quod certè non fieret, nisi idem humor plures periodos excitare posset. Neque enim humoris natura mutatur, etsi periodus mutetur, neque ex melancholia bilem fieri credibile est. Imò ipsa accessio, anticipatio & postpositio idem suadere videtur. Nam si ab humoris quantitate, crassitie, acrimoniâ, tenuitate, & similibus conditionibus fiunt accessionum anticipationes & postpositiones: ab iisdem causis auctis vel imminutis, vno die illas accelerari aut retardari posse impossibile non est. Si enim, quod saepe accidit, aliquam ob causam per 12. horas fit paroxysmi anticipatio: Cur non ab eadem causâ auctâ possit fieri per viginti horas anticipatio, & ita quotidiana periodus? Et cur non parcior pituitae prouentus reditum febris in tertium aut quartum diem remorari possit? Sique melancholiae crassitiei & paucitati adscribendos censent quintanos & sextanos typos: Cur non etiam pituitae tertianus & quartanus adscribi possit?

Quae res ipsa grauissimos Authores adegit, vt faterentur, typum tertianae ab alio etiam quàm bilioso; quotidianae, ab alio quàm pituitoso; quartanae, ab alio quàm melancholico humore prouenire. Hippocrates certè febrium circuitûs secundùm humorum differentiam non videtur distinguere. Alex. Trallianus febrem quartanam aliam à melancholiâ, aliam à bile facit. Auicennas, *lib.* 4. *fen.* 1. *tr.* 2. *cap.* 1. phlegma, vt multum, solùm facere quotidianam scribit. Idque etiam alij Medici faciunt.

Itaque hi nihili faciunt argumentum Valeriolae, quod demonstrationis loco habet, *in app. loc. comm. cap.* 1. *Qui*, inquit Valeriola, *effectûs in vno quopiam rerum genere inueniuntur, qui perpetuò rei conueniunt, & paribus modis fiunt, in quodcunque tandem corpus aut tempus inciderint, hi ad propriam substantiam eius, & quo fiunt, sunt referendi. Atqui per certos quosdam dies recursûs facere, accessionésque proritare, & perpetuò humoribus conuenit, & recursus huiusmodi paribus semper interuallis ( nisi aliunde ordinis periodorum peruersio consequatur) fiunt. Itaque ex humorum tali vel tali naturâ erit, vt recursûs eiusmodi fiant.* Minorem enim propositionem, simpliciter negant, & quotidianum, tertianum, ac quartanum circuitum non solùm à singulis, sed pluribus & diuersis humoribus fieri asserunt, ipsámque experientiam & diligentem aegrotantium inspectionem testem citant.

Et proinde hi ex Galeno, 2. *de febr. cap. vlt.* non aliunde causas periodorum in febribus petendas censent, quàm ex partis tam excrementum febrium generantis & transmittentis, quàm recipientis, vel in ipsâ se procreantis & sibi retinentis vario & mutabili statu, nec non ex humoris transmissi vel collecti copiâ, naturâ & conditione multiplici. Cùm enim causa vniuersalis particularibus omnibus effectibus sit communis, & ad quemlibet particulariter restringi oporteat; si vniuersalis periodorum causa est humorum coaceruatio: etiam quotidianae, tertianae, quartanae, & reliquae vniuersalem causam certis conditionibus circumscriptam, definitam, & determinatam habebunt; Quotidianae nimirum periodi causa erit humor quicunque, qualitate & quantitate naturae molestâ ita auctus, vt vltra diem contineri in corpore non possit: tertianae verò periodi causa erit humor quicunque tertio die talem vel qualitatem, vel quantitatem acquirit: quartanae, qui quarto die ad eam qualitatem vel quantitatem peruenit.

Neque istos ab hac sententiâ deducit periodorum constantia, & per definita temporum interualla certus febrium reditus. Nam non semper statis horis febres intermittentes redire, sed anticipare & postponere; neque etiam in anticipatione & postpositione certa tempora semper obseruari, ob variam causarum dispositionem, ex quotidianâ febrium obseruatione constat. Et non impossibile esse existimant, si causae illae eodem in statu permaneant, quòd non solùm in diebus, sed & horis circuituum eadem ratio & qualitas obseruari possit. Videmus hoc vel in alui egestione, quae in hominibus sanis, moderatè cibo & potu vtentibus, nullúmque errorem in diaetâ committentibus, certis & definitis horis, bis vel semel singulis diebus accidere solet. Ac si qua in victu vel reliquâ diaetâ mutatio contingat, etiam ille excernendi circuitus non planè obseruatur.

*Controuersia explicatio.* Etsi verò, quae inter tot dissentientes opiniones verior sit perspicere difficile sit; imò difficillimum omninò, vt Mercurialis ait, vel ex Galeno, vel alio scriptore irrefutabilem rationem afferre; & proinde in tenebris ignorantiae humano generi communibus, & me hîc versari non diffitear, tamen, vt & in hac parte, quantum possumus, veritatem, si non assequamur, sectemur, laborabimus.

Primò autem de illo omnino constet necesse est; An, quod à Simonio & aliis in dubium vocatur, singuli humores suas periodos habeant; an verò quilibet humor quacunque periodo, pro variis occasionibus, moueri possit; ne in effectûs, qui nullus, & nunquam, & nusquam fuit, aut erit, causâ reddendâ frustra laboremus.

*Humores certis periodis mouentur.* Esse autem tales humorum periodos ipsa experientia satis testatur, inprimis in epidemiis constitutionibus, vbi ab vnâ causâ geniti humores eiusdem generis, nunc tertianae, nunc quartanae typum obseruant, & adeò exactè, vt regularitate non rarò cum automatis horologicis certent.

Neque quae obiiciuntur, tanti momenti sunt, vt contrarium persuadeant. Etenim etsi plures videantur periodi, quàm humores: tamen sciendum, humores eiusdem generis plures habere seu species, seu gradûs, à quibus diuersae periodi proficiscuntur. Neque enim humor, qui bilis nomine appellatur, omnis eiusdem generis est. Ideóque Andr. Caesalpinus, *art. med lib.* 2. *cap.* 15. quintanas ad bilem; septimanas ad melancholiam refert, scribítque, se saepius vidisse conuersam quintanam in tertianam; aliquando longam mensibus septem ex erraticis ortam in autumno; & tales rariores typos species esse simplicium typorum, interpo

interpolatâ vnâ acceſſione aut pluribus : & accidere idem, quod in menſtruis, quæ deficientia vno menſe, non moueantur tempore intermedio, ſed expectent conſuetum tempus. Quintanam nempe eſſe tertianæ ſpeciem, in quâ dies tertianæ eſt ſine acceſſione : ſeptimanam eſſe quartanæ ſpeciem interpolatâ acceſſione diei quarti.

Deinde quod dicunt humores, qui per ſua ſigna deprehenduntur, non reſpondere periodis : id ſi de omnibus omninò ſignis intelligatur, admitti non poteſt. Sit enim quartanas ( quod poſt illum hiſce regionibus inſolitum æſtatis calorem & ſqualorem, Anno 1616. cùm epidemiæ eſſent quartanæ, accidit, ) non ſolùm ſenes & melancholicos, ſed & iuuenes, imò infantes; bilioſos, ſanguineos corripere : tamen cauſam poſſe eſſe tam vehementem, qualis eſt inſignis in aëris qualitatibus exceſſus, aut contagium, quæ etiam in puerili & ſanguineo corpore humores adurere, exſiccare, ac ita corrumpere poſſit, vt inde quartana generetur, negandum non eſt.

Præterea quamuis Quartanâ laborantes ſæpe pituitam vomitu reiiciant : non tamen neceſſariò ea Quartanæ cauſa eſt, ſed potiùs effectus. Cùm enim in Quartana ventriculus valdè debilitetur, crudos in eo humores generari neceſſarium eſt : qui ipſi etſi febrem fouere & diuturniorem reddere poſſint : non tamen proxima periodi cauſa ſunt.

Neque periodorum mutatio aliud perſuadet; cùm humores degenerare poſſe notiſſimum ſit; & ex bile humor ater fiat; vnde & ſæpiſſimè tertianæ autumnum attingentes in Quartanas mutantur.

Acproinde argumentum Valeriolæ ſuprà propoſitum adhuc conſtare opinor, nec quemlibet typum à quolibet humore prouenire poſſe, ſtatuendum cenſeo.

Interim etſi hæc ita ſeſe habeant : in eo tamen libenter Simonio aſſentior, eos medicos peccare, qui circuitûs ordine obſeruato, tanquam certâ & immotâ quadam ratiocinatione deprehenſum iam tenere ſe peccantem humorem opinantur, pro quo deinde ſcopos curationis conſtituant, præſcribantque remedia. Etenim cùm dentur febres nothæ, dentur complicatæ & compoſitæ : non ſtatim, ſi febris ſingulis diebus inuadat, pituitoſa æſtimanda; cùm duplex bilioſa ſeu tertiana, & triplex quartana eſſe poſſit. Ideóque Medici prudentis eſt, non ſolùm ex dierum numero, ſed potiùs ex ſignis omnibus, cauſis ſcilicet & effectibus, iiſque quæ præceſſerunt & adſunt, naturam humoris febrem parientis dignoſcere, ac ad eum curam dirigere.

*Periodorum cauſa.* Atque ita, cùm certum ſit, humores ſingulos habere ſuas periodos, iam porrò, quomodo periodi ab iis pendeant, inquiramus. Vbi primò ſtatim diſtinguendum inter recurſum febris & periodum, vt & inter cauſam, ob quam febres intermittentes redeunt, & cauſam ob quam ſtatis temporibus, tertio ſcilicet vel quarto die, reuertuntur. Equidem Galenus præcipuè recurſûs febrium cauſam reddit, dum, 2. *de diff. feb. cap. vlt.* ſcribit : *Quæcunque per circuitûs aliquos ægritudinum acceſſiones fiunt, ex membrorum diſpoſitionibus ortum habent, quæ ſcilicet vel mittunt, vel ſuſcipiunt, vel attrahunt ſuperfluitates* : febriúmque, quæ per interualla repetunt, cauſas ex profeſſo ibi inueſtigat: cùm tamen nullam mentionem quotidiani, tertiani, aut quartani circuitûs fecerit : eo loco periodorum cauſam non ita manifeſtè reddidit.

Quia tamen diſtinguit Galenus eo loci inter cauſam collectionis nouæ ſuperfluitatis, eamque appellat, partis ſuperfluitates generantis ἀσθένειαν & debilitatem: & cauſam corruptionis & putredinis, quam ſtatuit eſſe ἐγκαταλειφθέντα τῷ μορίῳ σηπεδονώδη περιττώματα ; à quibus generatæ ſuperfluitates initium putredinis accipiunt: etiam hinc cauſa periodorum erui poſſe videtur.

Nimirum periodorum cauſam eſſe naturam humoris, & quidem non ſimpliciter eam, quam à membro debili, in quo fuit generatus; ſed quam ex putredine, ſeu corruptione & fermentatione quaſi accepit; ſeu inquinamentum, μίασμα, & περίττωμα σηπεδονῶδες: in putredine humorum genitum, quod inſtar fermenti ſeſe habet. Vt enim videmus, fermentum maſſæ farinæ vel liquori alicui admixtum facere, vt maſſa illa ſeu liquor efferueſcere incipiat : ita illud putredinale fermentum in corpore poſt paroxyſmum relictum initium efferueſcentiæ & putredinis dat, facitque vt materia, quæ antea in ſuo quaſi foco coërcita quieſcebat, iam, vt Plateri verbis vtar, veluti turgens & exardeſcens & multum de ſe & tetrum vaporem diffundat: qui cùm ob copiam & aduerſam qualitatem ſubſiſtere nequeat naturamque irritet, ab eâ quoque impulſus in venæ cauæ & arteriarum vicinos ramos irrumpens & ad cor vſque penetrans, febrem accendit tamdiu durantem, donec quicquid è foco excuſſum eſt, diſſipetur & diſcutiatur. Vt autem fermentorum varia ſunt genera : ita & res, quæ fermenta illa participant, citiùs vel tardiùs efferueſcere incipiunt, & breuiore vel longiore temporis ſpatio fermentationem abſoluunt. Præbet huius rei exemplum euidens muſtum, quod, quò vuæ ſunt maturiores, eò citiùs feruere incipit : ex vuis verò immaturis quod exprimitur, tardiùs feruere incipit. Idem in aliis liquoribus qui ex plantis earúmque fructibus exprimuntur, videre eſt, quorum alij, prout dulciores, acidiores, acerbiores ſunt, citiùs vel tardiùs feruere incipiunt, & breuiore etiam vel longiore temporis ſpatio deferuent. Quæ res non parum declarat, cur humor bilioſus citiùs; melancholicus tardiùs putreſcere & efferueſcere incipiat. Nimirum qualis eſt natura illius σηπεδονώδους περιττώματος aut μιάσματος, & vt clariſſimè dicam, fermenti: ita citiùs vel tardiùs humor paroxyſmi cauſa efferueſcere & putreſcere incipit. Etſi verò iſtud putredinale fermentum humori ipſi reſpondeat, cùm ex ſimili humore generatum primò ſit; & in omnibus tertianis bilem, in quartanis melancholiam peccare rectè dicamus : tamen in diuerſis corporibus humorum eſſe aliquam differentiam, & humorem qui quartanam facit, ſecundùm corporum & temperamentorum diuerſitatem nonnihil differre, non diffitemur. Illud tamen fermentum putredinale in omnibus eſt idem, & facit, vt certo & definito tempore humores, ſecundùm indiuidua nonnihil differentes, putreſcere & efferueſcere incipiant.

Atque ita ſingulæ periodi ſuos humores, à quibus oriuntur, habent, neque ex humoris tranſmiſſi vel allecti copiâ ſaltem aut aliâ conditione proueniunt: *Periodi humoribus reſpondent.* Id quod duplices tertianæ & quartanæ euidenter demonſtrant, in quibus licèt ea ſit humoris copia, etſi in diuerſis locis, vt duplicem febrem producere poſſit : quilibet tamen ſuam ſeruat periodum, neque ob copiam humoris, febris in aliam ſpeciem, niſi & ipſe humor aliam formam aſſumat, degenerat, ſed tertiani vel quartani circuitûs ſtatis diebus, imò horis, ſibi ſemper reſpondent. Neque enim compoſitæ illæ differentiæ, quibus duplices tertianæ, duplices & triplices quartanæ conſtituuntur, ſimpliciter reiiciendæ ſunt, & quæ duplices aut triplices febres vocantur, quotidianæ nominandæ. Nam etſi, ſi diem ſpectes, ita nominari poſſint : tamen, cùm ſæpe accidat, vt in diuerſis locis generentur & putreſcant humores, pro complicatis illæ potiùs, quàm ſimplicibus meritò habentur. Quæ etiam eo ſigno diſcernuntur, quòd plerumque tertia acceſſio in duplici tertianâ primæ, in horâ reditus & ſymptomatibus; quarta, ſecundæ; quinta, tertiæ; ſexta, quartæ; ſeptima, quintæ, & ſic conſequenter reſpondeat. Sic in quartanâ triplici in horâ reditûs, duratione, vehementiâ paroxyſmi & cæteris ſymptomatibus quartus paroxyſmus reſpondebit primo; quintus, ſecundo;

cundo; ſextus, tertio; ſeptimus, quarto, octauus, quinto. Quanquam nihil obſtet, quin etiam duplices vel triplices febres eandem horam in periodo obſeruare poſſint. Contrà etſi materiæ copia decreſcat, quod fit in declinatione; ac paroxyſmi fiant breuiores, nihilominus ſtato tempore recurrunt.

Si quis tamen etiam cœleſtes cauſas coniungere velit, non planè obſtamus. Quanquàm enim periodi à ſuis humoribus dependeant: tamen ad primam febris & fermenti illius putredinalis generationem, cauſæ etiam cœleſtes aliquid facere poſſe videntur. Videmus enim multum in febribus & has poſſe, ac circa ſolſtitia & æquinoctia febres quartanas atque alias diuturniores incipere & terminari, & raró, quamuis magna diligentia adhibeatur, ante eos terminos ceſſare, & vix vllam quartanam poſt ſolſtitium hybernum incipere; ſicut circa æquinoctium autumnale incipiunt frequentiſſimè.

*Longitud. paroxyſmorum cauſa.*

Longitudinem verò, breuitatem, atque ordinem paroxyſmorum quod attinet, pendent hæc omnia ex humoribus, viribus, & corporis conſtitutione. Humor enim copioſus longioris paroxyſmi cauſa eſt, quam paucus. Ita quoque craſſus longiorem paroxyſmum facit, quàm tenuis. Nam citiùs diſcuti poteſt humor paucus & tenuis quàm multus & craſſus. Si vires ſunt robuſtæ, breuior eſt paroxyſmus, quàm ſi languidæ. Validior enim virtus citiùs id quod moleſtum eſt, poteſt expellere, quàm debilis. Corporis denique conſtitutio rarior, cauſa eſt paroxyſmi breuioris; denſior, longioris. In habitu enim raro, viæ per quas humores vitioſi in paroxyſmis euacuari debent, ſunt patentiores; in denſo verò anguſtiores & magis concluſæ. Atque vbi omnes cauſæ, quæ breuem paroxiſmum efficiunt, concurrunt, fit is breuiſſimus: vbi omnes, quæ longum producunt, adſunt, fit longiſſimus: vbi quædam cauſæ, quæ paroxyſmum breuem efficiunt, adſunt, quædam deficiunt, fit paroxyſmus medio modo ſeſe habens.

*Ordo paroxyſmorum.*

Eſt & in ordine periodorum quædam differentia. Nam interdum paroxyſmus eodem planè tempore redit; Aliquando ſequens paroxyſmus citiùs, quàm prior, recurrit; qui typus appellatur προληπτικὸς Aliquando verò ſequens paroxyſmus tardiùs, quàm prior redit, & nominatur ὑστερητικὸς typus. Et quidem nunc per totum morbi decurſum talis typus obſeruatur, & ſæpe à principio febris vſque ad integram ſolutionem omnes paroxyſmi anticipant vel poſtponunt; nunc verò in aliquibus ſaltem acceſſionibus fit anticipatio, in aliquibus poſtpoſitio.

*Anticipationis & poſtpoſitionis cauſa.*

Accidere autem anticipationem plerique dicunt, cùm humores ob aliquod in victu erratum augentur, aut mouentur medicamentis, irâ, motu & ſimilibus cauſis. Tardiùs autem redire, dum materia imminuitur, vel craſſior redditur. Quod quidem, vbi typus conſuetus mutatur, ita fieri poſſe, vt non negamus: Ita cùm febris aliquem typum vel προληπτικὸν vel ὑστερητικὸν ſemper obſeruat, cauſa potiùs ex humoris diuerſitate petenda videtur. Etſi enim bilis ſuo modo corrupta, tertianæ periodi; melancholia, quartanæ cauſa ſit: tamen bilis & melancholia ſecundùm corporum & temperamentorum diuerſitatem nonnihil ſæpe variant. Hinc etiam accidit, vt licèt illud fermentum putredinale, vel qualitas occulta bili inducta, ſit cauſa tertiani circuitûs; melancholiæ inducta, quartani: tamen ſecundùm humoris differentiam fieri poteſt, vt horis aliquot citiùs vel tardiùs illa humorum efferueſcentia accidat. Ordo verò acceſſionum variatur, vbi vel humores mutantur, & in aliam naturam abeunt, vel errata in victu committuntur.

*Rigoris & horroris cauſa.*

Solet & hoc loco ab Authoribus pluribus diſputari de rigore & horrore: verùm cùm eâ de re alibi ſit dictum pluribus, breuiter rem complectemur. Eſt rigor, à quo Horror ſaltem magnitudine cauſæ differt, vt Galenus, *lib. 2. de ſympt. cauſ. cap. 6. & 14. meth. med. cap. 4.* docuit, expultricis facultatis validus motus, à re moleſtâ eam ſtimulante excitatus. Etſi verò variæ de Rigoris naturâ & cauſis diſputationes moueri ſoleant: tamen ex iis facilè ſe expediet, qui diſtinguet inter ſubiectum rigoris; cauſamque eius proximam & cauſas rigoris remotas. Subiectum nimirum rigoris ſunt externæ corporis partes, quæ præter naturam concutiuntur & vibrantur. Cauſa proxima eſt, quicquid partes in ambitu corporis vniuerſi ſentientes ſubitò & confeſtim vellicare, iiſque moleſtiæ ſenſum exhibere poteſt. Id enim vt amoliatur natura, partes illas concutere & vibrare ſolet, & vt ipſe rigor eſt illarum partium concuſſio, ita cauſam proximam ibidem conſiſtere neceſſe eſt. Cauſæ verò remotiores alibi etiã conſiſtere poſſunt. Et vt de aliis, quas in *Inſt. lib. 2. part. 3. ſ. 2. cap. 5. & lib. 1. pract. p. 1. cap. 24.* expoſuimus, nihil dicamus, in febribus rigor accidit, cùm vel materia acris ex putreſcentibus humoribus ad ambitum corporis delata ſufficienter exhalare non poteſt, & per partes ſentientes ibi confeſtim & ſubitò delata eas vellicat; vel cùm partes internæ ab humoribus acribus vellicantur. Sunt enim partes internæ ventris inferioris pleræque membranoſæ, vel membranis inueſtiuntur, quæ ſenſu exquiſito præditæ ſunt. Hæ ergò ſi afficiantur, vniuerſi corporis partes in conſenſum trahuntur: hinc calore ſubitò ad eas recurrente non ſolùm externæ partes ſubitò refrigerantur, ſed & à ſanguinis ac caloris ad interiora recurſu, tenues acreſque humores & vapores, qui ſunt in ambitu corporis, ſubitò mouentur, iique agitati ſentientes ibi partes vellicant.

Atque hæc de cauſæ proximæ, quæ febres intermittentes excitat, naturâ, loco & motu dicta ſint. Cauſas verò remotiores, & quæ ad iſtius materiæ in venis meſaraicis generationem faciunt ſuprà explicauimus. Sunt nimirum eæ, vt ſuprà iam dictum, præcipuè cibus & potus non boni ſucci, ſed humoribus vitioſis ſuæ naturæ reſpondentibus materiam præbentes, ventriculi praua diſpoſitio, ob quam cibi bileſcunt vel aceſcunt; Aëris conſtitutio intemperata. Atque eſt cauſarum illarum, præcipuè aëris nos ambientis, & victûs ea ſæpe vis, vt quoſcunque humores etiam in corpore inuenit, eos nihilominus corrumpere, & ad certam febris ſpeciem inducendam determinare poſſit, vnde non ſolùm continuæ, ſed & intermittentes ſæpe populariter graſſantur; & nunc tertianæ, nunc quartanæ frequentiores vel rariores graſſantur.

Etſi enim in diuerſis diuerſi temperamenti corporibus, in quibus diuerſi etiam humores naturaliter generantur, diuerſi quoque plerumque morbi, cuiuſuis conſtitutioni & temperamento familiares producantur: tamen ſi magna ſit cauſarum euidentium vehementia, etiam in diuerſi temperamenti corporibus iidẽ morbi producuntur, dum diuerſi humores eandem corruptionem incurrunt. Et in eiuſdem temperamenti corporibus diuerſi morbi produci poſſunt, proüt diuerſæ cauſæ iis occurrunt, quæ diuerſo modo humores corrumpunt. Ideóque plerúmque potiùs ad cauſarum agentium vim, quàm ad corpora ipſa reſpiciendum. Etſi enim agens agat in ſubiectum diſpoſitum: tamen ea ſæpe eſt cauſarum vehementia, vt nullum corpus ab eâ ſibi immunitatem polliceri poſſit. Et hînc diuerſitas effectûs diuerſitatem cauſæ arguit; & contrà identitas effectûs identitatem cauſæ indicat.

### *De differentia Febrium Intermittentium.*

Differunt autem Intermittentes inter ſe maximè humorum, à quibus ortum habent, varietate. Tot enim ſunt febrium Intermittentium ſpecies, quot humorum, à quibus producuntur. Sunt autem humores, ex quibus oriuntur, tres illi excrementitij, Bilis, Pituita, Melancholia, atque ita tres febrium Inter- *Febrium Intermittentium differentia.*

mitten

mittentium species, Biliosa, Pituitosa & Melancholica; quas differentias, tertianam Intermittentem, quartanam Intermittentem, & quotidianam Intermittentem nominare solemus. Verùm si humores non semper sinceri sunt, sed sæpe mixti: hinc rursum febrium quædam differentia oritur. Nam quæ ex sincerâ bile ortum habet febris, vulgò tertiana pura, aut febris biliosa pura intermittens nominatur: quæ verò à bile flauâ cum alio humore oritur, tertiana notha seu spuria appellatur, & ita de reliquis.

*An dentur febres pituitosa intermitt.*

Verùm vulgata hæc doctrina à quibusdam in dubium vocatur, & præcipuè de pituitosis febribus ambigitur. Fernelius quidem hanc omnium rarissimam esse, & quæ vix ex sexcentis vna obtingat: sed cùm laborans quotidiè febre conflictatur, id ferè à duplici tertianâ fieri scribit. Platerus verò planè has febres negat, & duo saltem febrium intermittentium genera constituit: Tertianam è bile tenuiore; Quartanam verò ex crassiore & veluti adustâ: pituitosam verò seu Quotidianam intermittentem non admittit. Et Platero ea, quæ Galenus, 8. *meth.med. capite quinto*, tradit, non parum fauere videntur. Etenim cum eo loci duplicem cruditatem saltem constituat, vnam nidorosam, alteram acidam, & vtramque febribus originem præbere posse doceat: duplices saltem erunt febres, vna ex nidorosâ, altera ex acidâ cruditate originem habens, aut certè hæ febres erunt frequentiores. Quia tamen ex cruditate illâ, quæ nidorosæ opponitur, etiam pituita generatur, & pituitosos humores, à bile & melancholiâ diuersos, in primis viis sæpe cumulari certum est, neque eos putrescere posse est planè impossibile: etiam Quotidianæ febres dari videntur. Quia tamen pituita est frigida, vix sola putredinem concipit, atque ita, vt Fernelius scribit, è sexcentis febribus vix vna erit quotidiana intermittens è pituitâ.

*E Chymicorum principiis intermittentium differentia explicata.*

Chymici illam geminam cruditatem nidorosam & acidam, per sal amarum & acidum explicare conantur. Cùm Natura in coctione in animalibus quandam σινυμάτωσιν intendat, & fermentationem quasi quandam instituat: in animalis coctione rectè sese habente vix vllus sal fixus generatur. Si verò in coctione aliquod vitium accidat, humores nunc amari, nunc acidi, atque ita sale fixo abundantes generantur. Vt enim in fructibus, vino, & cereuisiâ, vbi in coctione & fermentatione aberratur, atque aliqua fit corruptio, aliter atque aliter, quæ producuntur, sese habent: ita & cùm in nostro corpore natura in suis operibus aberrat, sese res habet. Et si ea, quæ vomitu, per aluum, per cutim excernuntur, consideremus: in tertianâ quid amarum, in quartanâ acidum quid abundare animaduertemus. Est autem maior fixitas in sale acetoso quàm amaro. Atque hinc accidit, vt tertiana citiùs soluatur Quartanâ, & paroxysmi breuioribus redeant interuallis. Qui enim aliarum rerum extra corpus humanum, præcipuè vini, cereuisiæ & musti ex pyris, pomis & aliis fructibus facti fermentationem & feruorem (cui meritò putredo febrilis assimilatur,) considerare voluerit, animaduertet, alia ad acetositatem, alia ad amaritudinem transire: & quæ ad amaritudinem tendunt, citiùs feruorem concipere; acida tardiùs efferuescere: amaritudinis item motum breuiorem esse, acetositatis longiorem; licèt amaritudinis calor maior sit. Hinc etiam accidit, vt ob salis acetosi fixitatem & corpulentiam, Quartanæ faciliùs transeant in hydropem, quàm tertianæ. Neque enim, vt Paracelsistæ sibi imaginantur, ex sale resoluto fit hydrops, sed si ex Chymicorum principiis hac de re loqui libet, abundat & excedit Salis σωμάτωσις. Verùm etsi hoc modo è Chymicorum principiis febrium intermittentium differentiæ explicari possint: hoc tamen monendum, cùm sal ad putredinem & inflammationem aptus non sit, aliquid in vtroque humore præterea requiri, ob quod ad inflammationem & putredinem aptus sit, sulphureum scilicet & φλογιςόν.

Ad bilem ergo amaram & atram seu acidam, aut quomodocunque appellare libeat, differentiæ febrium & earum periodi non ita incommodè referuntur: & ex humore atro, & salem acidum, aut certè fixum nimium continente, Quartana; ex bile seu amaro humore tertiana deducitur. Cùm tamen horum humorum, & præcipuè bilis, aliqua differentia appareat, & nunc flaua, nunc viridis, nunc æruginosa vomitu reiiciatur: si quis vni harum specierum etiam quotidianum circuitum tribuere velit, per me id licet; cùm non parua sit inter eas differentia. Non tamen à pituitâ, aut certè pituitæ admixtione eam fieri impossibile est.

*An dentur febres quintana, septana, &c.*

Verùm an alij adhuc, quàm hi tres dentur Typi, Medici dissentiunt. Galen. *lib.* 1. *de differ.febr.cap.* 8. negat, se vllam febrem, quæ vltra quartanum circuitum extenderetur, obseruâsse: Et idem cum eo plurimi alij negant. Hippoc. verò, 1. *Epid. comm.* 3. *text.* 2. 7. & 17. talium febrium mentionem facit. In t. 2. enim scribit: *Nonnullæ febres semitertianæ sunt, tertianæ, quartanæ, quintanæ, septimanæ, nonanæ.* t. 7. *septimana longa est, verùm non lethalis: nonana hac longior etiam, at non lethalis:* t. 17. *Præterea erraticæ febres, quartanæ, quintanæ, septimanæ & nonanæ quibus indicentur circuitibus, considerandum.*

Hoc verò nonnulli ita explicant, fieri quidem posse, vt aliqua febris, quæ priùs quarto die semper rediérit, ex inordinato viuendi modo, aut aliâ de causâ, non quarto, sed quinto, aut septimo die semel redeat: non tamen tales febres peculiarem atque integram periodum obseruare.

Verùm referunt doctissimi Medici, de quorum fide non est quod dubitemus, se febres vidisse, quæ non semel saltem, sed per longum temporis spatium periodos quartanis longiores obseruârint, Auicenna, *lib.* 4. *fen.* 1. *tract.* 2. *cap.* 68. scribit: *Retulit mihi fidelis quidam, se vidisse nonanam. Quintanam verò nos multoties vidimus.* Nicolaus Florentinus, *serm.* 2. *tract.* 2. *summâ* 4. *dist.* 5. *c.* 9. refert, Gentilem vidisse febrem, quæ de decimoquinto in decimum quintum inuadebat. Cornel. Gemma, *lib.* 1. *Cosmocriticæ cap.* 1. se vidisse quintanam & septimanam febrem refert. Franciscus Vallesius, *lib.* 5. *contr.cap.* 25. scribit, se multo antè, quàm Medicinæ studere cœperit, febrem octanam, in quodam sene, quæ multos annos durauit, conspexisse. Petrus Salius Diuersus, *cap.* 12. *annot. in Altimarum* ita scribit: *Experientia mihi bis testata est, dari certò octanum circuitum, & octanam febrem. Alteram enim vidi in nobili Equite, non vltra* 25. *annum agente. Alteram in muliere quinquagenariâ.* Eiusdem rei exemplum etiam Amatus Lusitanus annotauit: Et Petrus Forestus, *lib.* 3. *de febr. obs.* 43. exemplum habet febris quintanæ.

Itaque etsi ipsi tales febres non viderimus: viris tamen fide dignis, qui eas se vidisse referunt, credendum. Vita enim breuis, ars longa; vt habet Hippoc. 1. *aph.* 1. neque facilè vni homini omnia morborum genera curanda obueniunt.

Porrò de causis harum periodorum multi anxiè disputant, atque illud eos maximè torquet, quomodo, cùm tres tantùm sint humores, plures possint dari circuitûs. Ergò variam hîc humoris melancholici cum aliis mixturam afferunt. Andréas Cæsalpinus, vt suprà dictum, *lib.* 2. *art.medicæ cap.* 15. quintanas ad bilem, septanas ad melancholiam refert, statuítque tales rariores typos esse species simplicium typorum interpolatâ vnâ accessione aut pluribus; quintanam nimirum esse tertianæ speciem, in quâ tertia dies est sine accessione, septanam esse Quartanæ speciem interpolatâ accessione quarti diei: & accidere hîc idem, quod in menstruis,

ſtruis, quæ deficientia vno menſe non mouentur tempore intermedio, ſed expectant conſuetum tempus. Quæ opinio etſi ſatis ſit probabilis: tamen typorum horum cauſa non incommodè ad humorem melancholicum referri poteſt. Sunt enim hæ febres omnes longæ, & tempore autumnali, ferè vt quartanæ, oriuntur. Non tamen peculiari humoris melancholici cum aliis mixturâ opus eſt; cùm nullus humor detur, qui longiorem typum, quàm melancholia, excitare poſſit: ſed ſufficit ipſa humoris melancholici diuerſitas, qui, vt bilis etiam, non ſemper eſt eiuſdem generis, & propterea etiam corruptio, quam patitur, non ſemper eadem. Vt mirum non ſit, ſi ei ea proprietas induci poteſt, vt quarto die moueatur, etiam eam induci poſſe, vt longiore interuallo moueatur. Et vt in morbis epidemiis interdum raræ & mirandæ humorum corruptiones accidunt: ita in febribus intermittentibus talia quædam interdum accidere poſſe, abſurdum non eſt.

*Signa febrium Intermittentium.*

Antequam autem ad ſpecies has febrium Intermittentium accedamus, in genere adhuc quædam de Intermittentibus monenda videntur. Et primò ſigna harum febrium quod attinet, docent plerique ex Galeno, 1. *ad Glauc. capite* 5. 2. *de criſ. capite* 3. 2. *de differ. feb. cap.* 3. quòd febres, quæ cum rigore inuadunt, ex eorum numero ſint, quæ per circuitum infeſtant: & ex hoc primùm à bilioſâ continuâ periodicâ intermittente diſtinguendas cenſent; quia continuæ cum rigore non incipiant; in Intermittentibus autem fiat rigor, cùm tertianis, tum quartanis. Verùm in tertianis in primo inſultu cum vehementiâ rigorem accidere; quartanam verò non cum vehemente rigore incipere, ſed poſt tempus magnitudinem illi aduenire docent. Et quidem per rigorem, cum quo tertiana inuadit, corpora quaſi pungi videri, in quartanâ autem adeſſe magnum refrigerationis ſenſum. Quotidianam autem neque ſtatim in primo paroxyſmo, neque etiam pòſt rigorem habere, ſed ſolùm refrigerationem aut horrorem antecedere. Et proinde tertianam notham etiam, cùm non à bile ſolâ, ſed à bile cum pituita aut melancholia mixtâ oriatur, non inuadere cum rigore, ſed cum horrore.

Verùm contradicit huic ſententiæ Simon Simonius, qui *in Synopſi de humoral. febr. naturâ*, *capite* 8. ita ſcribit: *Etſi in continuis aſſiduo igne concalefactæ partes, minùs priuari calore vel ſentire malitiam commoti humoris poſſint: attamen continuas haud ſanè paucas, tum priore acceſſione ſuâ, tum ſequentibus exacerbationibus, non obſcuri horroris indicia, propter largioris videlicet copioſioríſque, aut etiam malignioris humoris in cor vel circùm præcordia motum concitatiorem, præter vomitûs moleſtiam, afferentes; vt contrà tertianas quotidianáſque & quartanas febres intermittentes aliquot, quæ nullo, vel aliquo illo quidem rigore, ſed exiguo frigoris ſenſu, abſque vomitu, & citra omnem corporis perturbationem, aggredi ſolebant ægrum, in ἀπυρεξίαν tamen aliquando puram illam, aliquando paulò minus integram deſinentes, noſtris nos auditoribus multoties, ex arteriæ corporíſque tactu aliorúmque omnium diligenti circumſpectione obſeruandas exhibuimus. Vt illud Galeno largimur, quod libro* 2. *de diff. febr. capite* 8. *docuit. Continuam febrim vt continuam, non habere rigorem aut horrorem neceſſariò adiunctum; ita febrium intermittentium propria indicia iſta dici debere, quaſi pathognomonica ſint, quæque ex neceſſitate omnibus ſolíſque eiuſmodi febribus adſint, conſtanter denegamus*. Et paulò poſt: *Continuarum febrium παρακμῇ frigore & horrore ſuccedentis paroxyſmi non raròexcipitur: Et contrà intermittentes, quæ in perfectam ἀπυρεξίαν terminantur, multæ abſque euidente frigoris, ne dicam horroris, ſenſu, etiam ipſius ægri confeſſione rediiſſe viſæ ſunt*. Hæc Simonius.

Verumenimuerò hæc quidem non ſunt de nihilo, & ſi quis ea, quæ in praxi quotidie occurrunt, diligenter obſeruare & annotare velit, comperiet, plurimas dari febres, quæ videntur Intermittentes, tertianas & quartanas, quæ non ſolùm abſque rigore & horrore, ſed ſæpiſſimè etiam ſine frigoris aliquo ſenſu inuadunt.

Verùm ſæpe febres tales potiùs continuæ ſunt, vt facilè ex pulſu patet, quàm Intermittentes: & ſi ſunt Intermittentes, non puræ illæ febres ſunt, quarum Galenus idéam quaſi propoſuit, ſed nothæ. In continuis verò natura quoque interdum, quod moleſtum eſt, mox in principio tentat expellere, atque eâ de cauſâ rigor excitatur; ſed cùm id aſſequi non poſſit, quia materia in venis cum probo ſanguine adhuc permixta eſt, ſæpe etiam viæ non patent, ab opere deſiſtit, atque in reliquis acceſſionibus nullus rigor accidit; niſi forſan coctâ iam vel euictâ materiâ, & humoribus putridis ab vtilibus ſeparatis, vel etiam malitiâ materiæ ſtimulata natura iterum ad expellendum inſurgat. Præterea videntur nonnunquam febres continuæ, quæ tales ſuâ naturâ non ſunt, ſed ex accidente; cùm ſcilicet antequam vnus paroxyſmus abſolutus eſt, nouus ſuccedit.

*Curatio febrium Intermittentium in genere.*

Deinde in genere quædam de curatione Febrium Intermittentium tradi poſſe videntur. Etſi enim materiâ, & proxima cauſâ diſcrepent, & eatenus quælibet peculiarem curationem deſideret: tamen cùm loco, in quo materia generatur & putreſcit, & præterea ſolutione, quæ fit ſingulis paroxyſmis, conueniant: non pauca ſunt, in quibus curandi febres has ratio conuenit. Etenim in primâ corporis regione & venis meſaraicis ac vicinis locis materia febrem producens primò colligitur, putredinem concipit, & hinc in venas & totum corpus diffunditur, tandémque per ſudores aut inſenſibilem tranſpirationem diſcutitur, atque ita paroxyſmus ceſſat. Relinquitur verò poſt paroxyſmum, vt Galenus, 2. *de diff. febr. cap. vlt.* tradit, duplex in corpore vitioſa διάθεσις; vna inquinamentum quoddam aut σηπεδονῶδες περίττωμα, ex humore in præcedente paroxyſmo relictum; altera membri excrementitios humores generantis debilitas. Hinc accidit vt pars hæc ob debilitatem ſuperfluitates generet; quæ & ab innato vitio, & à putredinoſo inquinamento ſeu fermento à priore paroxyſmo relicto, initium putredinis concipiunt, atque ita nouus paroxyſmus oritur. Idque tamdiu durat, donec & illa diſpoſitio ac partis debilitas, excrementitios humores generans, ſublata, & fermentum illud ac σηπεδονῶδες περίττωμα, humores inquinans, planè diſcuſſum ſit.

Ex his ergò omnibus apparet, cum initium generationis & corruptionis humorum febrem producentium ſit in primis viis, commodiſſimè fieri, ſi humoris, qui primum vitium concipit, expurgetur, antequam reliquum ſanguinem corrumpat, & vitioſam diſpoſitionem ac debilitatem parti inducat, quod fit rectiſſimè per aluum purgantibus & vomitoriis. Atque experientia teſtatur, nonnunquam vnico medicamento purgante, vel vomitu, ſeu à natura ſeu arte concitato, vitioſis humoribus reiectis, febrem planè ceſsâſſe.

Imò vulgus non rarò ſtatim in primâ inuaſione interdum ſudorifera exhibere ſolet, & curandi iſtâ ratione, etſi non ſatis cautâ, interdum febres, dum hoc modo περίττωμα illud σηπεδονῶδες diſcutitur, tollere obſeruatum eſt. Verùm cautè in iſtis euacuationibus procedendum, cùm non omnium febrium intermittentium eadem ſit ratio. Nam cùm humor ille vitioſus & excrementitius febris cauſa in meſaraicis ſanguini permixtus ſit, etiam cruditas & coctio quædam ſuo modo neceſſaria eſt, quâ humores vitioſi à bonis ſeparentur, & ad euacuationem apti reddantur. Idque ſæpe breui tempore in febribus bilioſis accidit, & humor bilioſus aliàs ad motum ſatis aptus eſt. In quartanis

tanis verò, in quibus humor contumacior eſt, de Galeni quidem conſilio, 1. *ad Glauc. cap.*11. nullum forte medicamentum ab initio facilè exhibendum, & Quartana ab initio leniter tractanda. Si tamen ſigna bona adſint initio, vomitu & alui purgationibus Celſus, *lib.*3. *cap.*16. periculum facit, antequam inualeſcat. Et omnino ſudorifera tutò non exhibentur, niſi priùs euacuationes præceſſerint. Si enim multi vitioſi & excrementitij humores adhuc in primis viis conſiſtant, facilè fieri poteſt, vt ſudoriferis intempeſtiuè exhibitis ad alias nobiliores partes detrudantur, & malorum grauium, & quæ plus periculi, quàm ipſa febris afferant, cauſa fiant: obſeruatúrque quotidie à Medicis, atque annotauit illud D. Iacobus Oetheus, *in obſeru. Schenck. lib.*6.*obſ.*60. multos, neceſſariis euacuationibus in principio intermittentium neglectis, plurima incommoda ſibi attraxiſſe, & in varios abſceſsûs, maximè verò coxendicum dolores, in impetigines fœdas, in icteritiam cum hydrope coniunctam, in inſanabiles colicos dolores, quos tandem epilepſiæ & paralyſes, aut arthritides ſecutæ ſunt, item in tabem ac conuulſionem incidiſſe.

Venæ ſectionem quod attinet, dicetur de eâ in ſpecie poſtea ſuo loco. In genere tamen hoc notandum, à causâ febrium intermittentium primariâ, quæ in venis meſaraicis generatur, & maximam partem hæret, eam non indicari; cùm venarum, quas ſecamus, nulla ex iis euacuet: quia tamen interdum ſanguis in venâ cauâ ſimul abundat, qui facilè corrumpi, ac vitioſis humoribus inquinari, & à naturâ febre debilitatâ ſatis regi, ſi copioſior ſit, non poteſt, & progreſſu morbi ſubinde aliquid peccantis materiæ in venam cauam tranſit, ac ſanguini permiſcetur: habet quandoque locum venæ ſectio, quæ tamen non mox initio & ante primarum viarum euacuationem inſtituenda eſt.

Euacuationibus his ſi febris non tollatur, danda opera, vt cauſæ recurſûs paroxyſmorum tollantur, & propterea duo omninò agenda, vt illa diſpoſitio & debilitas partis vitioſos humores generans tollatur; quod fit alterantibus, quæ ſimul & humoris vitium emendant: & inquinamentum illud ac μίασμα ex humorum putredine relictum diſcutiatur. Et ſi ea, quæ in febribus hiſce accidunt, obſeruemus, videtur illud μίασμα & περίττωμα συμπεδονῶδες ſæpè quidem eſſe mole exiguum, ſed vi maximum, vtpote quod primaria paroxyſmi cauſa eſt, & quo diſcuſſo paroxyſmus ceſſet. Id quod interdum à naturâ fieri ſolet, quæ id è venis expellit, dum circa labia, nares, & alias faciei partes puſtulæ excitantur, *Vvenn der Mund oder die Naſen auſzſchleget*, quæ etiam à vulgo, quem experientia id docuit, febris iam ceſſaturæ indicium habetur. Imò non ſolùm circa labia & naſum ac in facie, ſed & in aliis partibus interdum eiuſmodi puſtulæ erumpunt. Ita memini ſtudioſum febre tertianâ liberatum, dum puſtulæ tales paruæ in toto digito tertio ſeu maiore erumperent.

Tollitur autem id μίασμα commodiſſimè ſudoriferis: Vnde apud Germanos noſtros plures pulueres ex carduo benedicto, dictamno, tormentillâ, pimpinellâ, cornu cerui, gentianâ & ſimilibus, & alia ſudorifera ſunt in vſu, quæ procul dubio nihil aliud faciunt, niſi quòd illud inquinamentum, fermentum & περίττωμα συμπεδονῶδες, ſeu in meſaraicis ſeu in venâ cauâ contentum, diſcutiunt. Et fruſtra purgantibus ſæpe ægri macerantur; niſi diſpoſitio & debilitas partis humorem vitioſum generantis, ac inquinamentum illud humores corrumpens tollatur. Semperque præſtat, vitioſos humores non generari, quàm genitos euacuari.

*Febrifuga.* Dantur tamen & alia quædam medicamenta, quæ & à Medicis & à vulgo nonnunquam vſurpantur, quæ paroxyſmos Febriles tollunt & propterea Febrilia, & πυρετάγωγα & ſpecifica febrifuga appellantur, quæ tamen ſudores non mouent, ſed alio procul dubio modo illud μίασμα & per conſequens paroxyſmum tollunt: qualia vulgò ſunt, puluis è cochlearum teſtis à Crollio deſcriptus, & mulierculis etiam dudum notus, inprimis puluis è conchis margaritiferis ſeu matre perlarum calcinata, à Scrup. j. ad Scrup. iiij. Puluis è cancris fluuiatilibus vſtis, & præcipuè ex oculis ♋ dictis paratus. Quis autem ille modus ſit, ab authoribus non explicatur. Vt quod mihi videtur dicam, talia medicamenta præcipitatione quadam vim illam efferueſcendi, & paroxyſmum excitandi in humoribus tollere videntur. Cuius rei documenta paſſim occurrunt. Vt iam non dicam de eo, quod cereuiſiæ aceſcentis vitium cretâ iniectâ à vulgo emendatur, & acetum aciditatem cretâ iniectâ amittit, ac Spiritus vitriol. cum ſale tartari mixtus aciditatem perdit: manifeſtum huius rei argumentum eſt in ardore ſtomachi, quem Germani *den Sodt* nominant, cùm à bilis in ventriculo ebullitione vapor quidam & flatus ardens attollitur, & dolorem ac ardorem in orificio ventriculi & œſophago excitat. Ad quem affectum tollendum cretam, oculos cancri, bolum armenum & ſimilia, quæ acribus & acutis liquoribus acrimoniam præcipitatione quadam adimunt, vſurpari, vulgo etiam notum eſt.

Tutò tamen talia non exhibentur, niſi humores vitioſi, & qui cauſæ antecedentis rationem habere poſſunt, priùs tollantur. Aliàs enim, qui à naturâ in paroxyſmo ſtimulatâ expelli poterant, in corpore relinquuntur & poſtea cachexiæ, hydropis, icteri, doloris colici, & aliorum grauium malorum cauſa eſſe poſſunt.

Applicantur & extrà quædam medicamenta ad intermittentes febres tollendas, ex telis aranearum, & oleo aranearum & veſicatoribus quibuſdam & ſimilibus, quæ poſtea de tertianâ proponentur, quæ procul dubio id quod præſtant, μίασμα ſeu inquinamentum illud febrile extrahendo & euacuando præſtant, de quibus poſtea in ſpecie dicetur. Et cùm, vt Scalig. *exercit.* 218. *ſect.* 6. docet: In Zeilam fluuius Arotan piſces habeat, è quorum numero vnum, ſi quis manu capiat, continuò febre corripitur, amiſſo piſce ſtatim liberatur: quidni etiam talia dari poſſint, quæ μιάσματα illa febrilia è corpore euacuare poſſint? *Topica.*

Eſt è recentioribus Chymicis Angelus Sala, qui, *in ternario bezoard. cap.*22. in eâ eſt ſententiâ, materiam, quæ febris quartanæ cauſa eſt, (eadem ratio eſſet tertianæ) primò quidem in ſtomacho & primis viis cumulari; in quartanâ verò confirmatâ in venis hoſpitari, non in primis viis; eâ de causâ, quòd quartana confirmata tollatur medicamentis externis, ex telis aranearum, apio, rutâ, & ſimilibus, quæ carpis imponuntur; internìſque vt theriacâ, mithridatio, ſpiritu vini cum zinzibere, pipere & ſimilibus, quæ ſanguinem agitant, ſpiritûs alterant, & ſudorem cient. Non verò conſiſtere in primâ corporis regione, ideò quòd epithemata iſta pulſibus applicata ad profundas iſtas corporis partes penetrare non poſſint; ac quòd purgantia medicamenta Quartanas confirmatas non tollant.

Quâ re perſuaſus ipſe in principio quidem humores vitioſos, antequam maſſam ſanguinis coinquinent, purgare iubet. Si verò inueterata iam ſit quartana, primis viis leniter euacuatis, iis quæ meatûs cutis aperiunt, ſudorémque cient, curam abſoluendam putat.

Verumenimuerò, ſi per iſtam ſubtilem & in ſanguine hoſpitantem materiam, cuius motu paroxyſmi efficiantur, intelligit illud inquinamentum, quod poſt paroxyſmum relinquitur; & Galenus συμπεδονῶδες περίττωμα nominat, atque etiam συμπεδονῶδες fermentum appellare poſſumus: in eo non malè loquitur. Putridos

tridos enim humores in venis etiam in Intermittentibus contineri, antea etiam docuimus, testantúrque id cùm alia, tùm sudores in declinatione erumpentes, & sanguis venæ sectione emissus: & fomitem illum, à materiâ, quæ præteritâ accessione computruit, etiam in ipsis venis relinqui, docet vrina, è quâ post paroxysmum de coctione & cruditate, & ex eius sedimento de actione naturæ in materiam febrilem præcedente paroxysmo factâ iudicare licet. Testantur idem & pulsus, qui in febribus Intermittentibus etiam post paroxysmum inæqualitatem retinent, de quâ Galen. 1. *ad Glauc. c.* 5. *& alibi.*

Verùm non tota tamen ibi semper continetur materia: sed plerumque multo maxima pars, & quod crassius est, in venis mesaraicis & locis vicinis hæret: id quod dolores hypochondriorum, inflationes & tumores, & in febribus diuturnis subsequentes cachexiæ & hydropes satis docent.

Quapropter concedimus quidem, nonnunquam in declinatione febrium id accidere posse, atque & à me & ab aliis Medicis plurimis obseruatum, externis eiusmodi appositis febrem finiri: non tamen semper hoc accidit. Euenire nimirum potest, vt illa dispositio vitiosum humorem generans sublata sit: neque etiam ampliùs in primis viis aliquid de σηπεδονῶδει illo inquinamento & fermento hæreat, sed in venis aliquid eius adhuc reliquum sit: tùm ergò medicamentis eiusmodi extrà applicatis illud euocari, & febris cessare potest: sicut & à natura nonnunquam idem tentari videmus, dum vlcusculis, vt antea dictum, circa labia erumpentibus febris finitur. Et hærere tandem materiam febris causam etiam in ipsis venis, vel ex eo patet, quòd venâ sectâ quandoque paroxysmus statim tollitur: cuius rei exemplum habet And. Spigel. *lib.* 1. *de semitert. c.* 15. Idem docet Scabies, quæ si erumpat, febres & tertiana & quartana cessare solent; Scabiéque euanescente Recidiuæ fiunt. Vbi certa materia è venâ cauâ in cutem protruditur, & vbi Scabies euanescit, non credibile est, materiam illam ad venas vsque mesaraicas, sed solùm ad cauam recurrere. Et μιάσματα talia in venis & reliquo corpore diu contineri, & certis interuallis moueri & paroxysmorum authores esse posse, epilepsia, venenum canis rabidi, vt & inquinamenta post alia venena in corpore relicta, satis testantur, quæ & ipsa sæpe statis periodis mouentur. Verùm si materia febris, adhuc copiosa in venis mesaraicis & vicinis locis hæreat & suppeditetur, frustra talia externa, vt & sudorifera, exhiberi, ipsa experientia testatur. Inprimis nihil talibus proficitur, si accedant pertinaces viscerum obstructiones, à quibus febres prolongari posse, iam antea dictum.

## CAPVT XVIII.

### *De Tertiana Intermittente.*

*Tertiana intermitens.*

FEbres biliosæ frequentissimæ sunt, adeò vt nonnulli in eam sententiam venerint, omnes febres à bile ortum habere. Sunt autem duorum generum. Aliæ quidem continuæ, quæ ardentes & tertianæ continuæ vulgò nominantur, de quibus suprà dictum. Aliæ intermittentes, de quibus iam agendum est, quæ quia plerumque tertianam periodum obseruant, vulgò tertianæ Intermittentes nominantur. Cùm autem dicimus à bile has febres prouenire, non intelligimus sanguinem biliosum, seu quartam illam massæ sanguineæ partem, quæ ob tenuitatem, caliditatem & siccitatem, atque ita conuenientiam, quam cum bile excrementitiâ habet, vulgò etiam bilis appellatur: sed humorem excrementitium, & de quâ etiam iam diximus. Hæc enim in primis viis collecta, vt à naturali calore ampliùs gubernari & conseruari non possit, putrescit, & febrem hanc excitat.

*Tertianarum intermittentium differentia.*

Est autem quædam harum febrium differentia. Nam primò bilis, è quâ febres hæ generantur, non est eiusdem generis. Interdum enim est bilis naturali illi, quæ in vesiculâ fellis colligitur, similis; aliquando verò præternaturalis, viridis vel æruginosa, qualis etiam in febricitantibus interdum per vomitum vel aluum reiicitur. Deinde bilis vel sola putrescit, vel alium humorem habet admixtum, pituitam vel melancholiam. Illa puram, hæc notham tertianam constituit. Differunt etiam ratione durationis. Nam si paroxysmi vltra 12. horas non extendantur, tertianæ puræ solent nominari; si verò paroxysmus vltra 12. horas extendatur, non ampliùs tertianæ exquisitæ, sed vel tertianæ simpliciter, vel nothæ appellantur. Et quarum paroxysmus vltra 24. horas extenditur, tertianæ extensæ dicuntur. Accidit autem hoc ob humoris vel tenuitatem aut crassitiem, vel copiam aut paucitatem. Quò enim bilis est tenuior vel paucior, eò citiùs discutitur: quò verò crassior, aut cum crassis humoribus magis mixta, vel copiosior, eò diutiùs durat paroxysmus.

*Tertiana notha.*

Verùm de humorum cum bile permixtione authores dissentiunt. Galenus enim tantùm tertianam ex bile cum pituita mixtâ nominat, neque *in lib. de diff. febr.* neque 1. *ad Glauc.* neque *in* 2. *de cris.* neque passim in Hippocratis expositione alterius mentionem facit. Verùm recentiores plerique etiam tertianam ex bile cum melancholia mixtâ proponunt. Si enim, inquiunt, bilis potest misceri cũ pituitâ: cur non etiam cũ melancholiâ permisceri possit. Sed hîc sese opponunt alij, & Galenum non oscitantiâ aut negligentiâ quadam has febres præteriisse putant, sed ideo quòd nullæ vnquam dari possint. Primò enim dicunt flaua bilis & melancholia in diuersis, imò oppositis partibus locum habent: hæc in liene, in sinistro hypochondrio; illa verò in dextro, in folliculo fellis. Ideóque ita facilè misceri non possunt. Pituita verò facilè bili misceri potest; cùm omnes illas partes, in quibus bilis solet colligi, inprimis hepatis cauum & mesenterium, permeet & præterlabatur. Deinde febres illæ nothæ sunt, cùm duo humores ita permiscentur, vt ex iis vnus humor fiat, (nisi enim hoc fieret, vnica periodus non fieret, sed potiùs duæ febres.) Cùm autem mixtio sit miscibilium alteratorum vnio: impossibile esse putant, vt inter omnium crassissimum & tenuissimum succum talis intercedat vnio, sicut prolixè hac de re disputat Eust. Rud. *l.* 3 *pra. c.* 27.

Verumenimuerò impossibile non videtur hosce duos humores misceri, quamuis rariùs à bile cum melancholia mixtâ, quàm à bile cum pituita mixtâ febres proueniant. Nam etsi hepar & lien locis dissideant: tamen, vt Hippoc. habet, est mutuus consluxus & consensus partium, & præcipuè in febribus humores ex parte vnâ in alteram facilè transire videmus. Et licèt diuersas habeant qualitates bilis & melancholia: tamen ambo humores sunt, id est, talem naturam habent, quæ facilè misceatur.

Vbi autem ista bilis generetur, authores non idem sentire videntur. Nonnulli enim legitimas tertianas ex bile, naturali illi quæ in vesiculâ fellis colligitur, simili fieri statuunt; quæ verò à præternaturali, qualis est vitellina, porracea & æruginosa fiunt, nothas appellant. Verumenimuerò cùm bilis illa naturalis non tam generetur in secundâ coctione, quàm, vt inutilis ad alendum corpus, separetur: non negandum, ex cibis humori bilioso generando aptis, vt & ex ventriculi, in quo cibi bilescunt, vitio, mox in mesaraicis ob copiam talem humorem colligi. Cur verò febres, quæ à viridi & æruginosâ bile proueniunt, nothas appellare debeamus, causam non video, cùm nullum alienum humorem admixtum habeant; imò febres longè ardentiores, quàm bilis flaua, generent. Dubitant quidem nonnulli,

nonnulli, an ex bile vitellinâ, porraceâ & præcipuè æruginosâ Febris Intermittens fieri possit, vt videre est apud Conciliatorem, *differ.* 91. cùm bilis æruginosa quasi venenum sit, quod hominem subitò juguler. Verùm testatur ipsa experientia, talium humorum, vel per vomitum, vel per aluum rejectione interdum ægros à febribus tertianis liberari. Verùm febres, quæ ab iis excitantur, longè grauiores sunt, quàm quæ à bile flauâ fiunt, & sunt pleræque febres eæ ardentes, de quibus pluribus agit Franc. Valleriola, *lib.* 4. *enarrat.* 33. vbi ipsâ experientiâ & suis obseruationibus probat, dari tales febres è bile porraceâ & æruginosâ, & bilem hanc vtramque non solùm in ventriculo è prauis alimentis, sed etiam in hepate & venis ab earum calore nimio generari, simûlque rationem curandi has febres tradit, quæ cum iis, quæ suprà de febre ardente diximus, conferri possunt.

*Causa febris tertianæ.* Causæ ergò febrium biliosarum Intermittentium sunt, quæ bilem excrementitiam generare valent; intemperies nimirum corporis, inprimis hepatis & ventriculi, calida & sicca, ætas juuenilis, æstas ac calida & squalida aëris constitutio, vigiliæ, curæ, iræ, inedia, ciborum calidorum & biliosos humores generantium, potûs calidi, vt & medicamentorum calefacientium nimius vsus, labor & exercitia nimia. Cùm autem plures bilis species esse dixerimus, flaua bilis inprimis in hepate calidiore & ficciore colligitur, & hinc in primas vias regurgitat: non tamen impossibile esse, etiam in mesaraicis, ob ciborum vel ventriculi vitium, colligi, modò diximus. Porracea autem & æruginosa etsi in vasis, etiam ob nimium calorem: tamen & in ventriculo ex prauis cibis producitur. Inter causas autem febrium harum non solùm numerandæ sunt eæ, quæ bilem generare & multiplicare, sed etiam quæ genitam in mesenterium vel attrahere vel impellere possunt. Vnde febrium tertianarum differentia oritur, proüt ex hac vel illâ causâ, fortiore vel debiliore, & ex hac vel illâ bilis specie oriuntur.

*Causa tertianæ nothæ.* Causis bilem generantibus si conjungantur causæ pituitam & melancholiam gignentes, fiunt tertianæ nothæ. Vt enim sit exactè pura tertiana, omnes causæ bilem generantes concurrant necesse est, corpus calidum & siccum, ætas juuenilis & consistens, aër ambiens calidus, victûs ratio calefaciens & siccans: quarum si vna deficiat, febris non erit exactè pura. Hinc si causæ bilem generantes incidant in senem, hominem habitûs crassioris, in otio viuentem, crapulæ deditum, aut qui quacunque de causâ crudos humores in ventriculo, intestinis, pancreate, cumulârit, fiunt nothæ febres biliosæ. Quæ ideo etiam diutiùs durant & protrahuntur, quòd fomitem ab illis crudis humoribus suscipiunt. Ita sæpe tempore æstatis crudi humores ex defectu caloris interni, vel copiâ potûs, vel crudorum fructuum vsu generantur, qui bili mixti nothas biliosas pariunt. Sic autumnus, etsi aliàs affectûs melancholicos soleat generare: tamen quia æstatem excipit, tertianas non raro generat: vnde ab Hippocrate scriptum, 3. *aph.* 22. *Autumno plurimi æstiui morbi fiunt*; manente scilicet, vt Galen. *in com.* habet, per id temporis adhuc humore æstiuo, nimirum flauâ bile: cui accedens melancholicus humor facit nothas eas febres. Atque ita etiam à naturis biliosis, vel victûs ratione, vel aliâ de causâ, aliquid humoris pituitosi aut melancholici colligi potest. Vnde tertianæ exquisitæ admodùm raræ sunt: & quæ ab Antiquis describitur, Ideâ exquisitæ tertianæ est, ad quam quæ propiùs accedit febris, pro tertianâ exquisitâ habetur: quæ longiùs abest, pro nothâ.

## *Signa diagnostica.*

*Signa tertianæ Intermittentis.* Signa tertianæ Intermittentis exquisitæ quod attinet, egit de iis diligenter Galenus, 2. *de sympt. caus. cap.* 5. 2. *de differ. febr. cap.* 3. 2. *de crisib. cap.* 1. *&* 1. *ad Glauc. cap.* 5. Primò febres hæ statim cum vehementi rigore carnem quasi pungente incipiunt. Quo ipso non solùm à continuis, sed & aliis intermittentibus differre, cap. præcedenti diximus. In quotidianis fortis rigor non accidit, sed leuis horror aut frigefactio: In quartanâ primâ die rigor fortis non accidit, sed in progressu augetur. Itaque vbi in primâ accessione animaduertitur vehemens rigor, certò affirmari potest, esse febrem tertianam intermittentem puram & legitimam. Accidere tamen potest, vt in initio tertianæ etiam puræ sit rigor exiguus, vbi scilicet materia non confestim mouetur, & est in minore copiâ. Quod si accidat, non statim pronunciandum, non esse puram tertianam, sed etiam reliqua signa perpendenda. Non enim vnum signum sufficit, sed tota signorum syndrome consideranda.

Deinde vbi rigor cessat, mox oritur calor multus, acer & mordax, atque in vigore æqualiter quoquouersum extenditur. Si tamen manus diutiùs admoueatur, calor, qui primo occursu acer & mordax sentiebatur, mitior apparet, & manu superatur. Bilis enim flaua, cùm tenuis sit, statim discutitur, & mox ad summum vigorem peruenit. Hinc laborantes ita exuruntur, vt corpus nudent, spirandi difficultatem sentientes, magnum multumque spiritum ducant, siti crucientur, & frigidam subinde expetant, vigiliis, sæpe etiam capitis doloribus, & præcipuè circa statum, deliriis infestentur.

*Pulsus in tertianis.* Pulsûs, cùm paroxysmi inuadunt, sunt parui, debiles tardi, ac rari; non tamen parum à pulsu quartanæ differunt. In quartanæ enim principiis arteria videtur quasi alligata esse, atque ad interiora retracta, neque liberum habere ascensum, & quamuis æger sit juuenis, talis tamen est motus arteriæ, qualis est senum: In tertianâ verò nihil tale percipitur, tarditásque ferè similis est ei qui secundùm naturam est, motui. Increscente jam paroxysmo pulsûs mox vehementes, veloces, frequentes, atque alio modo duri euadunt, omnísque inæqualitatis, præterquam febrilis, expertes, ob tenuitatem materiæ, quæ facilè inflammatur, & quia non minor est refrigerij per diastolen, quàm expellendarum fuliginum per systolen necessitas. Quòd si vbi jam febris remisit, illa febrium propria in arteriarum motu inæqualitas relinquitur, certissimum est tertianæ seu febris biliosæ intermittentis signum. Oritur autem hæc inæqualitas febrium propria, in quâ nimirum dilatatio contractione arteriarum velocior est, ex caliditate illâ præternaturali, quâ prædita est portio illa biliosi humoris, quæ post paroxysmum in foco putredinis relinquitur, & tertio die rursum noui paroxysmi causa futura est. Cùm enim hæc caliditas successiuè reliquis humoribus communicetur, & ita ad cor perueniat; inæqualitas illa febrilis in pulsu remanet eò vsque, donec ex caliditate rursum nouæ putredinis quoddam principium apparet. Tunc enim pulsus in oppositam transit inæqualitatem, in quâ contractio velocior est. De hac inæqualitate putredinis propriâ scribit Galenus, *de differ. febr. capite* 3. quod tempus intermissionis in hac febre nullum habet humoris putrescentis ex pulsu perceptibile signum, in die ac nocte, quæ consequitur paroxysmum; cùm verò parumper succenditur, vix agnosci potest in primis diei ac noctis subinde sequentis partibus; manifestiùs proximâ, quæ accessionis diem ac noctem antecedit. In illâ verò jam signum euidentius apparet, ac multò etiam magis accessione incipiente, atque adhuc magis plus jam incalescente febre. Cùm verò iam consistit, minùs, quàm cùm augebatur; multo verò

minùs, vbi jam declinat. Post quotidianæ autem febris paroxysmum, quia breuissimum habet interuallum,& semper aliquod putredinis vestigium remanet: inæqualitas non illa febrium,sed putredinis propria in pulsu relinquitur. Post quartanæ verò intermissionem inæqualitas febrilis in pulsu non relinquitur, quia humor naturâ suâ frigidus est, & vix perceptibilis ex pulsu est illa caliditas, quæ in foco relinquitur, & post longum tempus insensibilis demum euadit.

Vbi jam ad statum paroxysmus peruenit, tum jam bibendi tempus adest, & post potum vapor plurimus per cutem erumpit, superuenit bilis vomitus, qui tamen sæpius mox post rigorem accidere solet, venter soluitur, biliosa minguntur, horum etiam plura eueniunt. Sudor jam incipit vaporosus & calidus, qualis in balneis, sudatque totum corpus æqualiter, pulsúsque talis est, qualis in iis, qui cùm sani & validi sunt, exercentur, balneo vtuntur, velox nimirum,magnus & vehemens.

*Vrina.* Vrina est subrufa aut subflaua,consistentiæ mediocris, & paulò pòst vel nebulam albam vel enæorema habet, quæ tum etiam vltrà quatuor paroxysmos non durat. Si autem vrina sit rubicundior, & neque nebula primo circuitu appareat, neque sublime aliquid,seu suspensio aliqua: ad septimum vsque circuitum extendetur.

Quæ autem omnia supradicta signa, ac mox primo die in vrinâ subsidentiam læuem & æqualem habuerit,ea exquisita est, & vltra tertium paroxysmum non extendetur.

Ex causis etiam,quæ præcesserunt, sumuntur signa. Accidunt tertianæ frequenter tempore anni æstiuo, & regione ac cœli constitutione calidâ, ætate juuenili, eósque inuadunt potiùs, qui exercentur, quàm qui vitam otiosam & quietam agunt; sicut & eos, qui diu vigilant,aut inediam patiuntur.

Paroxysmi tempus vltra horas duodecim non durat. Nonnunquam nouem aut septem horis,aut etiam citiùs terminatur, proüt causa breuioris vel longioris paroxysmi adfuerit.

Denique in hac febre etiam reliqua adsunt signa, quæ ipsi cum continuis biliosis sunt communia,vt vigiliæ, oris amaritudo,& siccitas,sitis, appetitûs dejectio,& similia.

*Signa tertianam exquisitam à nothâ differentia.* Vt febris tertiana notha ab exquisitâ differt causis: ita etiam signis. Inuadit enim febris hæc notha corpora ea, quæ planè biliosa non sunt, & sinceram bilem non cumulant.Hinc quamuis adolescentes frequenter inuadat: tamen non eos, qui biliosi sunt,sed qui inordinatâ diæta vtuntur, ex quâ cibi non bene coquuntur,& humores pituitosi aut melancholici vnà colliguntur. Inuadit etiam non solùm æstate, verùm frequenter vere, autumno, imò etiam hyeme. Calor quoque non similis est exquisitæ sed mitior: neque etiam confestim per vniuersum corpus diffunditur. Non soluitur hæc febris flauæ bilis vomitu, neque per sudores, sed humidi quidam vapores pauci exeunt in declinatione, ex quibus febris remittit, ac vix intermittit. In hac enim febre bili admixti sunt crassiores humores, qui neque per superiora facilè rejici, neque etiam per angustos cutis meatûs discuti possunt. Sudores quidem interdum accidunt in paroxysmis, sed ij vel vniuersales non sunt, vel si vniuersales sunt, parum tamen juuant, & febrem non tollunt. Interdum tamen, sed rariùs attenuatis illis crassis humoribus, & expurgato corpore, sudores critici accidunt. Vrina non est adeò tenuis & ignea, vt in exquisitâ, neque in eâ tam citò coctionis signa apparent,vt in exquisitâ, sed demum post septimum paroxysmum. Pulsus initio est durus; & durities illa indies augetur, sæpe vsque ad septimum, vbi ad magnam duritiem peruenit. Deinde sensim mollior euadit, minorésque fiunt accessiones, & vrinæ magis coctæ apparent, mediocrémque subsistentiam habent. Ex eadem etiam causâ, quia humores crassi tenuibus permixti sunt, paroxysmi in hac febre fiunt longiores,& sæpe 12.horas excedunt, & ad horas 18. imò quoque plures extenduntur. Terminantur non septem periodis, sed aliquando vsque ad 14. aliquando vsque ad 20. pertingunt.

Hoc autem loco quæritur à nonnullis, an etiam nothæ tertianæ, seu Biliosæ febris paroxysmi horis 10. 11.vel 12, terminari possint. Nonnulli quidem planè impossibile esse existimant, tertianam notham intra horas 12.terminari. Verùm & experientia id testatur, & rationes euidentes suadent. Nam cùm breuitas paroxysmorum accidat ex paucitate & tenuitate materiæ, ac virtutis robore; si humor putrescens sit paucior, virtus fortis, nihil obstare videtur quin paroxysmus horis 5.7.10.12. pro varietate harum causarum, terminari possit. *An notha tertiana intra 12.horas terminari possint.*

Considerandum etiam est, in quo loco præcipuè generetur bilis. Si enim in hepate generatur, aderunt signa hepatis calidioris, & vrina magis tincta apparet, neque error aliquis in victu præcessit, ob quam bilis porracea in ventriculo generari potuerit. Si verò in ventriculo generatur bilis, vel ob eius caliditatem, vel ob alimenta, quæ in bilem facilè degenerant, aderit vomitus bilis, vrina ratione caloris febrilis etiam intensioris non ita tincta est.

Etsi verò semper è venis mesaraicis aliquid materiæ febrilis per venas in ambitum corporis propellitur:tamen interdum etiam magna ejus portio per alias vias ejicitur, id quod ex vrinâ, vomitu, & alui dejectione cognoscitur. Interdum etiam magna pars materiæ in venis mesaraicis subsistit, nec in paroxysmo euacuatur. Nam si materia per venas maximâ ex parte euacuatur, non fit vomitus, aut si fit, non copiosus,nec paroxysmus per eum minuitur, vrinæque ratione febris mutantur.Si verò materia tota non in venas transmittitur, accidunt vomitûs, alui dejectiones, atque inde paroxysmus minuitur, vrinæ etiam non mutantur pro ratione febris.Quòd si materiæ magna pars in venis mesaraicis subsistit, nec rigor, nec vomitus, nec sudor apparet, & febricitantes circa præcordia angustiam & dolores percipiunt, vnde sæpe etiam inflammationes iis in locis excitantur.

## *Prognostica.*

Signa Prognostica quod attinet, sunt hæ febres febrium putridarum ferè frequentissimæ,eædémque securissimæ. Vnde Hippocrates, 4. *aph.* 43. scribit: *Quæcunque febres non intermittentes tertio die fortiores fiunt,magis periculosæ sunt: quocunque autem modo intermisertnt, periculum abesse significant.* Neque etiam diu durant.Nam quæ legitimæ sunt, vt Hippocrat. 4. *aph.* 59. habet, septem circuitibus ad summum judicantur. Et quidem *ad summum* dicit Hippocrates. Si enim materia sit tenuior aut paucior,nonnunquam in tribus aut quatuor periodis absumitur. Hoc tamen intelligendum est, si rectè curentur, & error nullus ab ægro committatur. Nam si error aliquis committatur, non solùm curatu difficiles fiunt,sed & in morbos lethales degenerare possunt. Cuius rei exemplum proponit Galenus,1. *ad Glauc. cap.*9. dum refert, quendam deprauato iudicio balneis vsum, extenuato corporis habitu,in tabem lethalem conjectum fuisse.

Tertianæ verò nothæ,vt sunt frequentes, ita sunt periculosiores. Nam interuallum plerumque est breuius, vnde ægri magis affliguntur. Difficiliùs quoque curantur propter bilis vel pituitæ admixtionem. Humores enim hi non solùm crassiores sunt,& difficiliùs remediis cedunt, sed & Indicationes præbent contrarias. Cùm enim ratione bilis refrigerare & humectare oporteat, calefacere & siccare oportet ratione

ne pituitæ, calefacere & attenuare ratione melancholiæ. Febres etiam ipsæ longiùs durant; rarò quatuordecim periodis judicantur, sed sæpe ad 40. diem extenduntur; nonnunquam durant ad menses sex,& desinunt in vitia hepatis vel lienis, vel etiam à vitiis hepatis vel lienis fouentur & diuturnitatem inde accipiunt. Sunt tamen ex nothis tertianis quædam, quæ quinto vel septimo paroxysmo terminantur: si nimirum materia sit paucior,& vtilia medicamenta tempestiuè exhibeantur, vt modò dictum. Et licèt Galenus *2. prognostic. tex.* 8. peiores affectiones esse dicat, quæ oriuntur ab humore sincero, quàm quæ à mixto: tamen id saltem verum est de symptomatibus. Hæc enim, vt etiam Auicennas, *in cap. de tertianâ nothâ*, testatur, sunt mitiora in tertianâ notha, quàm in purâ; cùm pituita calorem & acrimoniam bilis obtundat. Longior tamen & curatu difficilior est tertiana notha, quàm pura.

Verùm licèt tertianas febres Intermittentes omnium putridarum breuissimas & securissimas esse, vulgò tradatur: quia tamen Ludouicus Mercatus, *lib. de febr. 6.* experientiâ sibi compertum scribit, etiam tertianas nonnunquam periculo non carere, & febres etiam Intermittentes inopinatò ægros non paucos perdidisse, breuiter complecti libet, quæ ille annotauit.

## *De Tertiana perniciosa.*

*Tertiana periculosa.* Pluribus autem modis Tertianam periculosam, imò lethalem fieri posse statuit.

1. Primò, si humor, quem natura è vasis extra vasa mittit, in membrum aliquod præcipuum decumbat. Quod quidem euenit, vbi vel vasorum corporis extremitates adeò vel obstructæ, aut oppressæ sunt, vt natura per eas liberè humores vitiosos non possit expellere, vel virtus est debilis. Vnde accidit, vt quem è vasis majoribus conatur humorem natura depellere, ad partes internas per proxima vasa transmittat, nunc in venas juxta cor, nunc ad orificium ventriculi, nunc ad caput, nunc ad hepar; id quod ex signis membra illa affecta demonstrantibus constat.

2. Secundò, quando humor, qui è venis rejicitur, tenuis admodum est & summè putridus, qualis est bilis copioso ichore plena. Vnde accidit, vt qui tali febre laborant, frequenter syncope corripiantur, sudore nimio dissoluantur, & facilè virium jacturam patiantur. Itaque tales ægri vel leui corporis motione animo deficiunt, animique deliquium præcedit tenebricosa vertigo, facilè sudant, nihilque indè leuantur, pulsum habent paruum, debilem ac frequentissimum.

3. Tertiò, perniciosas fieri Tertianas tradit, ob humorum prauitatem, ex prauis alimentis contractam, aut ob vstionem & peculiare vitium, quale est in bile vitellinâ, porraceâ & æruginosâ. Humores enim hi per se praui sunt, & si accedat putredo, deteriores euadunt, vt in quamcumque partem ferantur, mala inducant symptomata. Tales febres oriuntur plerúmque media æstate, ob humorum resolutionem & nimiam exustionem; præsertim si homo irâ, aut aliis vehementibus animi pathematis percellatur. Mox à rigore febres hæ vehementer crescunt, humorésque statim inflammantur, à quâ inflammatione sitis & linguæ asperitas ac nigredo, sitísque inexhausta oritur. Oculi ob magnam spirituum resolutionem cauantur, homo redditur anxius & inquietus, ac toto corpore dolorem quasi vlcerosum percipit. Vrina ignea & veluti lixiuium apparet, ac pauca est. Alui dejectiones bilis vitellinæ, porraceæ ac æruginosæ naturam referentes, nonnunquam etiam dysenteriam efficientes. Vomitûs eosdem humores æmulantur colore, cum maximâ angustiâ. Ægri parum sudant, quòd crassior sit materia.

4. Quartò fit tertiana perniciosa ex mixtione crassorum humorum cùm tenuibus. Cùm enim humor crassus, quem mouet ac secum ducit biliosus ac tenuis humor, ad extremas venas effunditur, non protinus simul incalescit, & succenditur, sed paulatim, tum quòd copiosus sit, tum quod inæqualis. Quo fit, vt tenuior pars primò succendatur, & ex crassioribus, quæ primò transmittitur, & reliquæ sic successiuè, vt natura pellit. Præterea cùm mox tenues partes succendantur, quæ crassæ sunt, simul incalescunt & rariores fiunt. Quo fit, vt ea humorum copia, quæ in vasis majoribus non erat magna, nunc in extremis vasis liquata & fusa, maxima fiat, grauis & molesta; ex quo metus, ne vniuersi corporis calor suffocetur, aut æger syncope corripiatur. Cognoscitur verò febrem ex humoribus inæqualiter crassis prouenire, quòd lentè ac cum diuturno rigore incipiunt, quem nonnunquam calor quidam interrumpit, velut flamma exurgens, quem iterum rigor compescit, ita vt per interualla rigeant ægri & calore afficiantur. Æger etiam tardè toto corpore incalescit, calórque diu durat; & licèt mitis appareat, anxium tamen reddit ægrum & debilem toto morbi tempore, vt vix sese mouere possit. Totum corpus tumere quasi, & liuido colore præditum videtur: Vrina est aquosa & subalbida, cum copioso & crasso sedimento. Pulsus in paruitate & magnitudine inæqualis est, aliquando interceptus. Sæpe animo deficiunt ægri; respiratio est frequens & cum suspirio. In febris declinatione ægri maximâ cùm inquietudine ab vmbilico ad caput sudant. Tandem nec augmentum, nec status, nec declinatio in tali febre æqualiter fit, sed in augmento sæpe aliqua fit inclinatio; vnde potu exhibito, aut etiam sine ipso, febris rursum increscit.

Quintò redduntur perniciosæ febres non ex propriâ naturâ & conditione, sed ex aliquo accidente, quod illis superuenit, ob quod periculosæ efficiuntur, licèt naturâ suâ tales non sint. Id fieri potest, 1. si in paroxysmo crassus humor à calore fusus in aliquam partem decumbat, & suffocatiuum catarrhum, vel difficilem respirationem, vel articulorum dolores excitet. Obseruatum enim sæpe est, vt ij, qui caput habent humidius & fluxionibus obnoxium, si tertianâ febre corripiantur, & in paroxysmo pituita à calore fusa copiosè defluat, aut suffocationis metum, aut dolores lateris grauissimos pleuritidi similes incurrant. Ita qui asthmati sunt obnoxij, & quibus vasa thoracis à crassis & viscidis humoribus obsidentur, ij febre tertiana laborantes ob humores illos fusos & motos non rarò grauissimâ orthopnœâ tentantur. Ita qui arthriticis doloribus sunt obnoxij, etiam per tertianas iis aliquando tentantur. Atque hæc symptomata omnia, finito paroxysmo, aliquando planè cessant, si scilicet calor humores, quos fudit, quoque absumat: aliquando aliquid mali relinquitur, quod sequentem paroxysmum periculosum fore arguit. Malum enim malo succrescit. 2. periculosæ fiunt hæ febres, si calor febrilis vterum in consensum trahat, humorésque corruptos in eo hærentes moueat; quibus motis ea symptomata accidunt, quæ hystericis fœminis accidere solent. Facilè hæc febris ab aliis distinguitur, & non difficile est cognoscere, non accidere talia symptomata ob humores febriles, sed ab aliis potiùs humoribus, quàm qui tertianam efficiunt. 5.

Tandem redditur perniciosa tertiana ob pestilentem ac malignam, & contagiosam humoris, qui tertianam efficit, qualitatem. Verùm de hoc, & an dentur febres Intermittentes malignæ & pestilentes, suo loco plura dicentur.

## *Curatio.*

*Curatio.* Sed vt ad curationem accedamus, vnâ operâ Tertianæ exquisitæ & Nothæ curationem proponere &

& quomodo pro humorum permixtione febris hæc tractanda ſit,monſtrare placet.

Superiorum ſeculorum Medici, quos hodie Barbaros appellant,tam confuſam,vt Platerus hac de re ſcribit,& multiplicem curandarum febrium deſcripſerunt tractationem,támque varios purgationum pro humorum diuerſitatibus, à quibùs febres naſci crediderunt, modos propoſuerunt, quibus ſcatent integra febrium curandarum volumina, vt ſi quis ea imitari vellet, ægro curam incertiorem redderet, quàm ſi totum negotium naturæ committeret, quæ per ſe ſola ad febres tales ſanandas ſufficit.

*Indicationes.* Vt rem igitur breuibus complectamur;curatio,vt in aliis febribus, ad febrem, cauſam & virtutem dirigenda. Febris, vt antea dictum, refrigerantia & humectantia indicat. Eadem etiam bilis, quæ febribus cauſa eſt,requirit, ſimúlque vt euacuantibus idoneis tollatur, poſtulat. Et ſi febris non exquiſita ſit, ſed notha, cùm concoquentia ſeu alterantia, tum euacuantia humorem cum bile mixtum reſpicere debent. In quibus tamen expediendis ſimul ad locum affectum attendendum.

Et quia, vt antea in generali febrium Intermittentium Curatione dictum, in primis viis & venis meſaraicis febris cauſa colligitur, primò per vomitoria aut aluum ducentia, antequam reliquos humores inquinet, euacuanda. Hinc bilis alteranda, & partis, vitioſos humores generantis diſpoſitio contrariis tollenda, ac bilis generatio prohibenda. Ideóque ſi ventriculi ſit calida conſtitutio, ob quam cibi bileſcunt ac amareſcunt, aut, quod in tertianâ plerumque fieri ſolet, hepar ſit calidius,quod multam bilem ſuppeditat: ejus intemperies calida alteranda. Si autem tertiana notha ſit, & ex pituitâ admixtâ ortum habeat, ventriculi imbecillitati ſuccurrendum; ſi melancholia adjuncta ſit, lieni quoque ſubueniendum: Tandémque illud inquinamentum ac fermentum putredinoſum ſudoriferis diſcutiendum.

*Purgatio.* Principiò ergò in febre tertianâ Intermittente primæ viæ euacuari debent. Niſi enim materia, quæ in venis meſaraicis & vicinis locis collecta eſt, euacuata ſit,reliqua medicamenta cum commodo non exhibentur. Et refrigerantia ſaltem ob calorem adhibere, neque materiam caloris febrilis fomitem priùs euacuare, eſt ſymptoma curare, & morbum deteriorem reddere.

Inſeruiunt huic rei clyſteres: & quidem in tertianis legiiimis ij conueniunt, qui antea in continuis propoſiti fuêre. Si verò pituita vel melancholia admixta ſit,tales parari poſſunt.

♃. *Rad. althææ* Vnc.i.*maluæ,parietariæ,betæ*,an.M.i. *centaurij min.flor. chamæmeli. furfuris*, an. M.ß. *ſem.*4. *frig.mai*.an.ʒ.ß.*fœnic*.ʒ.i.*prunor.*num.x.Coqu. *in ſ.q.a. ſ.*Colaturæ ♃. ℔.i. In quâ diſſolue *El.lenit.ſ.vel caſſ. pro clyſt.*Vnc.i.*diaphænici* ʒ.ii.*mell.roſ.col.*Vnc.i. *ol.chamæmel.violac*.an.℥.i.ß.*ſalis* ʒ.ß. F. Clyſter.

Verùm cùm materia plerumque copioſior in hiſce febribus in primis viis & locis ſuperioribus circa ventriculum hæreat, clyſteres ſoli non ſufficiunt.Ideóque medicamenta per aluum purgantia propinare, aut vomitoria, præſertim ſi æget cardialgiâ,nauſeâ & deſiderio vomendi moleſtetur, exhibere conuenit. Si tertiana ſit legitima, ea medicamenta idonea ſunt, quæ antea in tertianæ continuæ curatione enumerauimus. Si verò pituitæ admixta ſit, Agaricus; ſi melancholiæ, folia ſenæ adjungenda ſunt: ideóque vbi melancholia admixta eſt, commodiſſimus eſt vſus diacatholici. Exempli ſaltem gratiâ vnam atque alteram formulam addere libet. Neque enim (quod ſemel hîc monere libet) quæ omnibus indiuiduis accommoda ſunt, hîc præſcribi poſſunt: ſed qui methodi medendi gnarus eſt, materiam medicam ac methodum componendi medicamenta cognitam habet, præſcriptis formulis non indiget, ſed pro re natâ commodas & morbo atque ægro præſenti aptas concinnare valet.

♃. *Aq. endiuiæ, vel decocti tamarindor. & radic. cichorij vel taraxaci* ℥.iiii.Infunde in iis *rhabar.* ʒ.i.ß. *ſpicæ* Scr.ß. In colat. diſſolu. *mannæ el.*℥.i. Iterum Colat. & add. *ſyr.roſar.vel violar.ſolut.*℥.ß.*vel* ℥.i.vel horum loco ʒ.ii. *vel.q. ſ.elect.de pſyllio aut de ſucco roſar. aut roſati Meſ.diſſolue.* M.

Vel: ♃. *Radic. taraxaci, cichorij.* an.℥.ß. *aſari* ʒ.i.ß.*endiuiæ*.M.i. *centaurij minor.cardui bened.* an.M.ß. *fol. ſenæ elect.* ℥. ß. *rhabarb.* ʒ. i. *flor. cordial.* p. i. *Zingib. cinam.* an. Scrup.i. Infundantur in ſ. q. aq. ſ. Poſtea leniter coquant. & colentur. In Col. ℥. iii. ß. diſſolu. *mannæ* ℥. ß. ʒ. vi. *vel* ℥. i. pro ægri naturâ.

Vel: ♃. *Flor. caſſiæ*, ℥. i. *rhabarb.* ʒ. i. *ſpicæ* gr.vi. *Cum ſacch.* F. Bolus. In nothâ verò tertianâ

♃. *Flor. caſſiæ* ʒ. x. *ſpec. hieræ*, Scr. i. *Cum ſacch.* F. Bolus.

Vel: ♃. *Rhabar. opt.* ʒ. i. *cinam.* Scr. i. *Spicæ* gr.vi. Infundantur *in ſ. q. aq. endiuiæ.* Item *agaric.alb.* Scr. iiii. *Zingiber.*Scru.i. Infundantur *in oxymel.ſ.q.*

♃. *Colat vtriuſque* ℥. i. ʒ. vi. & addatur *elect.roſar. Meſ.* ʒ. i. *vel* ʒ. ii.

Verùm talia multa è radicibus cichorij, taraxaci, polypod. q.aſari, endiuiâ, carduo benedicto, centaurio minor. abſinthio, centumnodiâ, piloſellâ, ſcolopendr. betonicâ, Rhabarbaro, foliis ſenæ, agarico, mannâ, elect. diacatholico, roſato Meſ. de pſyllio, de ſucco roſar. Syr. roſar. & violar. ſolutiuo, melle roſato ſolutiuo, & ſimilibus in rem præſentem parari poterunt. Habet & inter hæc medicamenta locum tartarum, quod commodè & decoquendis rebus addi, & cremor eius decoctis atque aliis admiſceri poteſt.

Vomitoria ſuprà de curatione febrium putridarum in genere ſunt propoſita. Sint autem in puris tertianis mitiora, & vim temperandi bilis acrimoniam habentia, parata ex aq. hordei tepidâ & ſyr. acetoſo ſ. In nothis autem febribus etiam fortiora locum habent. Inter quæ aſarum primas ferè obtinet. Chymici vtuntur vomitoriis ex ♁ ij floribus, croco, vitro: quæ vt materiam in primis viis ſtabulantem nonnunquam feliciter euacuant: ita prudentem & peritum, qui ea exhibeat, Medicum requirunt. Aliàs ſunt culter acutus in manu infantis, aut gradius in manu furioſi. Et quamuis in ipſo paroxyſmo non facilè aliquid mouendum: tamen neceſſitatis gratia in ipſo etiam paroxyſmo vomitoria, præcipuè illa leniora, exhibere licet. Vbi enim bilis ſeu flaua, ſeu praſſina, ſeu alia circa ventriculum hæret, & initio paroxyſmi anguſtia & dolores circa præcordia percipiuntur, vnde ægri interdum in Lipothymiam incidunt, licet vomitoria exhibere, vnde non ſolùm anguſtia illa tollitur, ſed & paroxyſmus imminuitur. *Vomitoria.*

Neque medicamenta, quæ paulò quàm lenientia fortiora ſunt, rejicienda ſunt. Rectè enim hac de re ſcribit Ludouicus Mercatus: Si in primis viis, aut locis iis proximis ſubſiſtat flaua bilis, vtendum eſt purgatione, quæ nec omninò ſit ſeligente pharmaco facta, ne plus, quàm par ſit, ipſius flauæ bilis ad communes vias è venis trahatur; nec omninò leui, vt aliquid agere poſſit. Quippe eo tempore habemus naturam adminiculantem mouentémque materiam ad loca euacuationis ſibi conuenientia; vnde in principio febrium vomitus & alui fluxus non raiò oriuntur. Et plerumque materiæ in primis viis maior eſt copia, aut lentos humores ea admixtos habet, vt leniſſimis illis, Syrupo roſ. & viol. ſolutiuo; mannâ, caſſiâ, tamarindis & ſimilibus vix loco moueri & euacuari poſſit. Neque coctionem expectare opus eſt,cùm materia

teria illa in primis viis hæreat, ad expulsionem irritet, & ad euacuationem plerumque apta sit.

*Venæsectio.* Euacuatâ aluo ac primis viis, Medicus de venæ sectione sit sollicitus: de qua inter Medicos non planè conuenit. Reddidit verò non paucos dubios Galenus, qui vbi, 1. *ad Glauc. cap.* 9. de curatione tertianæ exquisitæ agit, venæ sectionis nullam mentionem facit; cùm tamen postea in curatione tertianæ nothæ eius meminerit. Hinc enim aliqui authoritate Gal. ducti venæ sectionem in tertiana Intermittente exquisitâ omittendam censent. Alij verò, qui eam admittunt, varias causas afferunt, cur Galenus mentionem venæ sectionis non fecerit. Nonnulli putant, eum ideo omisisse venæ sectionem, quòd eam, tanquam quiddam clarum & extra dubium, præsupposuerit, vel breuitatis studio omiserit. Quod tamen vix locum habet, cùm adeò clarum non sit, à quo indicetur venæ sectio in febre tertianâ intermittente, & postea in tertianâ nothâ eius mentionem fecerit, neque necessaria præsidia breuitatis studio omittenda sunt. Alij putant, ideò eum omisisse, quòd in hac febre id quod maximè ad venæ sectionem desideratur, non adsit, virium scilicet robur. In tertianâ enim exquisitâ omnia, ætas, tempus anni, regio, temperamentum, ad calidum & siccum vergunt, & proinde tale corpus viribus valentib. esse non potest.

Verùm etsi concedamus, vt postea dicetur, si ista omnia concurrant, venæ sectionem vix locum habere: tamen raro ista omnia concurrunt, & sæpè in his febribus, quæ aliàs securæ sunt, vires satis robustæ inueniuntur, vt per eas, si illâ opus sit, venæ sectio facilè permitti possit.

*Cur non semper in tertiana sanguis mittendus.* Ideóque illa potiùs huius rei causa esse videtur, quòd in tertianâ exquisitâ non semper indicans venæ sectionis adsit, de quo suprà dictum. Nam accidere potest, vt in tertianâ exquisitâ neque sanguinis copia adsit, neque cum sanguine vitiosus humor in venis permisceatur. Imò cùm bilis maximâ ex parte in primis venis contineatur, metuendum, ne venis sanguine detracto inanitis, ea in venas superiores rapiatur, atque inde febris periculosior reddatur. Ideóque in tertiana exquisita omni sanguis non mittendus est. Neque enim semper, vt dictum, indicans adest, sanguis scilicet abundans, vel bilis in venis communibus sanguini permixta. Neque etiam vires eam semper ferunt. Nam si quis temperamento biliosissimus, æstate & regione calidâ, ex fame, vigiliis, laboribus & defatigatione in febrem inciderit, sanguis mittendus non est. Vires enim hoc modo debilitatæ venæ sectionem non admittunt. Ac proinde cùm febris ista naturâ suâ periculosa non sit, si quis de sanguinis vitio aut virium robore dubitet, ac propterea venæ sectionem omittat; inprimis signis coctionis iam apparentibus, is non peccabit; modò bilis euacuationem per eas vias, ad quas vergit, adiuuerit. Imò venæ sectio intempestiuè adhibita plus nocere, quàm omissa potest.

*Quādo vena sectio in tertiana locum habeat.* Si autem tertiana non sit exactè pura, interdum vena secanda est, interdum non. Nam si vires sint fortes: adsitque sanguinis abundantia & bilis in hepate generetur, & hinc facilè sanguini in venis permisceatur, id quod ex corporis constitutione, vrinisque rubicundis ac crassis, ac calore aliquo post paroxysmum remanente cognoscimus, venam secare licet; cùm hoc modo & copia sanguinis minuatur, & humor peccans euacuetur. Si verò in ventriculo & locis vicinis bilis generetur & subsistat, neque adsit insignis aliqua sanguinis abundantia, vena secanda non est; cùm per eam saltem bonus sanguis euacuaretur, & facilè fieri posset, vt bilis in venas deduceretur. Si tamen accidat, vt progressu temporis bilis sanguini permisceatur; id quod frequenter accidit: Siquidem cum cibo & potu & chylo inde generato, in primâ corporis regione contenta bilis facilè in venas penetrare potest, & ex vitiosis humorib. in prima regione, secunda regio afficitur & inquinatur, neque adsit sanguinis penuria, venam secare licet; quæ simul corpus ventilat & refrigerat, humoris vitiosi aliquid cum sanguine euacuat.

*Quādo vena secanda.* De tempore venæ sectionis instituendæ, authores non conueniunt. Plerique Medici & Auicenna *lib.* 4. *tr.* 2. *cap.* 29. non ante tertium paroxysmum venam aperiendam censent, idque ideo, quòd in hisce febrib. bilis non in venis supra hepar, sed in venis primis contineatur, & propterea metuendum sit, ne venis sanguinis missione inanitis, in superiores venas rapiatur, & inde febris continua excitetur. Quod damnum euitari possit, si post tertium demum paroxysmum vena secetur. Nam in tribus primis paroxysmis bilis magna pars per vomitum, vt & per aluum purgatur, magnúsque in primis paroxysmis est materiæ motus, vt ex rigoris vehementiâ apparet; cùm bilis tum sit copiosior, calidior, tenuior & acrior, quæ post primos paroxysmos à naturâ domatur, & mitior redditur. Cui rei accedit & hoc, quod primis paroxysmis sanguini demùm bilis permiscetur, sanguisque inde vitiosus redditur, vt hoc modo plus de materiâ peccante post primos paroxysmos tolli possit, quàm si mox à principio vena aperiatur vbi mixtio bilis cum sanguine nōdum facta est. Et monent hic Medici, ægro prædicendum esse paroxysmum, qui venæ sectionem sequetur, quartum scilicet, grauissimum futurum, vtpote in quem morbi vigor incidit: ne venæ sectionis causâ atque errore aliquo id contigisse videatur.

Hæc etsi non negat Mercatus, atque in eo casu, vbi bilis in primis venis, & iis qui prope hepar sunt ductibus hæret, ægrúmque nauseabundum reddit, non statim in principio, cùm scilicet nondum sanguini bilis permixta est, esse venam aperiendam, sed priùs purgatione factâ, & post tertium paroxysmum venam aperiendam esse, concedit: tamen si bilis mox in principio sanguini permixta sit, sibi illam versionem Auicennæ, quæ legit, *ante tres periodos*, omissâ negatione, *non*, magis arridere scribit.

Et certè, si rem perpendamus diligenter, hoc quidem vero consentaneum esse comperiemus, non mox initio, & ante primarum viarum euacuationem, venæ sectionem commodè institui posse: illud tamen minùs verisimile est, sectionem venæ post tertium paroxysmum in tertianâ legitimâ differendam esse. Etsi enim in tertianâ nothâ id locum habere possit: tamen quia in exquisitâ tertianâ post tertium paroxysmum status morbi, vel adest vel instat: melius est, eo tempore quiescere, quàm remedio tam generoso naturam molestare. Et in summâ, in tempore venæ sectionis eligendo non tam respiciendum ad paroxysmorum numerum, quàm ad præsentiam Indicantium & permittentium sanguinis missionem. Nam si adsint sanguinis missionem Indicantia, & vires permittāt, maturè instituenda venæ sectio, antequam vires deiiciantur.

In minore autem copiâ sanguis educendus in tertiana legitima; cùm, vt in continuis, is non sit primarium indicans, & maiorem copiam euacuari vires vix ferant. Tutiùs autem & maiori copiâ potest sanguis mitti in tertianâ nothâ. Cùm enim in tertiana nothâ, vel calidum & siccum corporis temperamentum, vel regio, vel anni tempus, vel victûs ratio præcedens, vel aliquid aliud ex iis, quæ in tertianis puris requirūtur, absit; atque ea præcesserint, quæ non solùm bilis, sed & aliorum humorum generationem iuuare possunt: sanguinis euacuatio faciliùs admitti potest, inprimis si vrinæ crassæ & rubræ appareant. Ac proinde ℥ iiii. v. vel vj. pro corporis naturâ, emitti possunt.

*Quo die instituenda sit venæsectio.* Instituitur commodissimè venæ sectio die ἀπυρεξίας, seu tempore quietis. Quamuis enim venæ sectio, si circa paroxysmi principium fiat, eum vel retardare vel

vel impedire possit; tamẽ impedit naturæ motum, quo partem materiæ excutere solet, & vires, sequente mox venæ sectionem paroxysmo, non parùm debilitat.

*Præparantia & concoquentia.* Post venæsectionem præparantia & concoquentia adhibeantur, id est, talia medicamenta, quæ & humoris biliosi qualitates excedentes, quibus naturæ molestus est, emendent, dispositionémque in parte vitiosos & excrementitios humores generantem corrigant, ipsique inquinamento à putredine relicto contraria sint: qualia in hac febre sunt refrigerantia & humectantia: quæ tamen simul vim aperiendi habeant; non quòd semper (etsi sæpè hoc accidat,) obstructiones adsint, verùm vt præcaueatur, ne humores in primis viis hæreant, sed extergantur, & ad excretionem apti reddantur, & humorum illa fermentatio ac putredo impediatur.

Talia autem quæ in legitimâ conueniunt, sunt *cichorium, taraxacum, endiuia, acetosa, hordeum, semina frigida maiora & minora, succus citri, ribes, &* ex his parata, *syr. acetosæ, acetosus simplex, Oxysacch. de cichor. de endiu. de acetosit. citri cum aq. & decoctis eorundem.* Quib. in nothis tertianis addere licet, quæ pituitam vel melancholiam respiciunt, *radices fœniculi, graminis, asparagi, asarum, polypodium, carduum benedict. centaurium minus, absinthium, scolopendrium betonicam.* vtilis est etiam spiritus salis & vitriol. & alia suprà, cap. 13. proposita.

♃. *Syr. acetosæ, de endiu.* an. Drach. vj. *aq. cich.* Vnc. iij. *vel* iiij. *spirit.* vitriol. gutt. iiij. *vel* vj. Misc.

Vel ♃. *Syr. acetos. f.* Vnc. j. *de cichor. f.* Vnc. ß. *decocti vel aq. cichor.* Vnc. iij. Misce.

Conuenit & serum lactis vel solum & simplex, vel cum emulsione sem. 4. frig. maiorum.

Vel ♃. *Radic. taraxaci,* Drach. vj. *endiuiæ,* M. j. *hepaticæ,* M. ß. *flor. violar. bugloss.* an. P. j. *Sem. 4. frig. maior.* an. Drach. j. F. decoctio.

Colaturæ ♃. ℔. j. Adde *Syr. acetosit. f. oxysacch.* an. Vnc. ij. Misc. pro iiij. dosibus.

Vel coquantur hordeum & rad. cichorij eâ quantitate, quæ ægro ob amaritudinem nauseam non conciliet, & colat. ℔. ij. adde sacchari ℥. ij. aceti, succi ribium maturor. vel spir. vitriol. q. s. ad gratam aciditatem: Fiat potus, quem æger aliquot vicibus exhauriat.

Vel radic. cichorij decoctum cum conseruæ rosar. vel violar. s. q. per manicam Hippocratis traiici potest; vt fiat potus gratior.

Vel ♃. *Hordei* M. j. *sem. endiuiæ, acetosæ, plantagin.* an. Drach. ii. *Sem. 4. frig. maior.* an. Drach. j. ß. Coqu. in aq. pura. Colaturæ ♃. ℔. i. Adde *vini granator.* Vnc. ii. ß. *Syr. acetosit. citr. sacch. candi.* an. Vnc. i. ß. Adignem denuo bulliant in formam iulebi.

In horum autem medicamentorum vsu obseruandum: Primò vt illa alterantia sæpius exhibeantur & sufficiente quantitate, ac continuentur. Nam si toto die vel etiam biduo ℥. iiii. exhibeantur, facilè coniicere est, per totum corpus dispersum tantillum liquorem parum illud afficere posse. Deinde notandum, vt in principio & augmento febris magis refrigerantia dentur: Instante verò tempore purgationis ea, quæ mediocriter aperiunt & incidunt, adiungenda sunt.

In nothâ tertianâ cum refrigerantibus & bilem præparantibus ea commiscenda, quæ pituitam & melancholiam respiciunt, & attenuant ac detergunt; *vt oxymel s. syr. acetosus composi. mel rosatum. Syr. de betonicâ, de endiuiâ comp. de 2 radic. de 5 rad. byzantinus, de carduo benedicto, cum aquis vel decoctis radic. fœnic. apij, betonicæ, capill. ♀. sem. fœnic. viridis.* *In fœminum calidorũ vsu notandum.* Semen enim fœniculi siccum, vt hoc obiter moneam, & alia fortiora semina, adurunt humores: Ideóque si adhibentur, siccitas illorum mitigari potest glycyrrh. seminib. frig. maj. passulis. Et quidem semper à mitioribus incipiendum, ne fortiorum aperientium vsu materia, in primis viis adhuc contenta, in venas remotiores moueatur, & sic obstructiones augeantur: vt si primis diebus tribus vel quatuor exhibeatur Syr. acetosus s. sequentibus diebus compositus detur, vt:

♃. *Rad. cichor. fœnic.* an. Vnc. i. *endiuiæ, capill.* ♀, *hyssopi, agrimoniæ,* an. M. ß. *Sem. 4. frig. maj.* an. Drach. i. *petrosel.* Drach. ß. *passul.* Vnc. i. Coqu. *in s. q. a. s.*

Colaturæ ♃. Vnc. viii. Adde *Syr. de 2. rad. acetos. s.* an. Vnc. i. ß. Misc. pro iij. dosibus.

Vel ♃. *Oxymel. s. Syr. byzantini s.* an. Drach. vi. *aq. cichor. asparagi,* an. Vnc. i. ß. Misc. pro haustu.

Vel ♃. *Rad. asparagi, rusci,* an. Vnc. i. ß. *endiuiæ, scariolæ, hepaticæ, agrimon. Cardui bened.* an. M. ß. *Sem. 4. frig. maj.* an. Drach. ß. *glycyrrh. passul.* an. Drach. vi. Coqu. in s. q. a. s. Colat. addantur aceti Vnc. ii. *mellis vel sacch. alb. q. s.*

F. Syrup. qui cum iisdem aquis destill. dilui potest.

In humoris melancholici admixtione talia vsurpari possunt.

♃. *Rad. cichorij, polypod. q.* an. Vnc. i. *fol. endiuiæ, Capill.* ♀, *fumariæ, summit. lupuli,* an. M. ß. *Fl. cichor. bugloss. Borrag.* an. P. i. *tartari, passul.* an. Vnc. ß. Coqu. in s. q. aq. s.

Colat. Clarif. ♃. Vnc. viii. Adde *Syr. byzant. s.* Vnc. iii. Misce.

Vel ♃. *Rad. cichor. asparagi,* an. Drach. vi. *Cort. rad. capp.* Drach. ii. *endiu. cichor.* an. M. ß. *Ceterach, fumar.* an. P. i. *Sem. 4. frig. maior. scariolæ,* an. Drach. ß. *flor. cordial.* an. P. i. *passular.* Vnc. ß. Coq. *in s. q. aq. s.*

Colaturæ ♃. Vnc. viii. Atque in calidâ adhuc infundantur *specier. diarrhod. abb.* Drach. i. *conseruæ cichorij, borrag.* an. Vnc. sem.

Colentur & depurentur, *& spir. vitriol. vel* ⊖ *aliquot* gutt. *addantur.*

Post potiones eiusmodi aliquot rotulæ diarrhodi abbatis, vel diatronsantal. vel aromat. ros. sumantur, quę sunt gratiores, si aliquot guttis Spir. Vitriol. vel ⊖, conspergantur.

*Appropriata in tertiana.* Inter ista autem medicamenta sunt quædam, quæ appropriata quasi in febribus tertianis habentur, inter quæ plerique primo loco habent taraxacum in tertiana febre, præcipuè Infantium, si detur nutrici, vel temperetur cum saccharo & lacte amygd. dulc. *Taraxacum.*

*Chamæmeli in tertiana vsus.* Deinde commendatur ad tertianas Chamæmelum, *de quo Galenus 3. de s. m. fac. c.* 110. ita scribit: *Chamæmelum febres, quæ citra visceris alicuius inflammationem infestant, discutit dissoluitque, ac præsertim, quæ ex humoribus biliosis, aut cutis densitate proueniunt. Quâ de re & ab Ægyptiorum sapientioribus Soli consecratum est, febriúmque omnium putatur remedium. Verùm hæc quidem in re à veritate aberrant. Solas autem eas, quas dixi, febres sanare potest, easque percoctas: licèt reliquas etiam adiuuet, quæ melancholicæ sunt aut pituitosæ, aut ex viscerum inflammatione procreatæ. Nam & harum remedium est strenuissimum Chamæmelum, vbi concoctis adhibetur scilicet. Quapropter & hypohondriis, vt si quid aliud, gratum existit.* Ex quo loco apparet, ex sententiâ Galeni, Chamæmelum, præparatâ & coctâ materiâ, ad euacuandam potiùs materiam & discutiendam adhibendum esse. Scribit tamen Ioan. Anglicus, *cap. propr.* se Chamæmelum & ante & post digestionem exhibuisse & contulisse: additque, à se frequenter exhibitum Chamæmelum pauperibus, senibus, & aliis non valde delicatis, religiosisque, qui viuunt ex piscibus & similibus cibis frigidis. Recipit nimirum succum Chamæmeli colatum, clarificatum ad pondus ℔. ß. vel ℔. j. eúmque dulcem reddit saccharo vel glycyrrhizâ, exhibétque per tres dies continuos, manè ad pondus quartarij vnius vel dimidij. Et quia Chamæmelum parum succi habet, infundit in lacte amygdalarum dulcium, vel ptisanâ hordei, & sic etiam è floribus Chamæmeli exsiccatis

succum

succum exprimit. In nothâ tamen potiùs, quàm legitimâ locum habet. Laudatur & centaurium minus, quod & febrifuga inde appellatur. Commendant in tertiana nonnulli etiam plantaginem & morsum diaboli.

*Spir. vitr. Salis & tartari in tertianis vsus.* E Chymicis medicamentis hîc imprimis commendantur in febribus longioribus & obstructionibus viscerum, Spiritus vitriol. ⊖, aliquot guttarum quantitate, in iusculo carnis vel alio conuenienre liquore exhibitus, præcipuè verò tartarum vitriolatum.

Non autem solùm formâ potabili, etsi ea commodior sit, cùm faciliùs penetrent liquida, sed & aliis medicamenta ad præparandum & alterandum humores vsurpari possunt, vt conseruarum formâ, conditorum, electuariorum, rotularum, morsulorum, puluerum, de quibus postea dicetur, cùm monstrabitur, quâ ratione viscera in hisce febribus roboranda.

*Purgantia.* Præparatâ materiâ, nisi febris cesset, rursum ad purgationem accedendum. Imò si febris sit pertinacior & diuturnior, pluribus vicibus præparatio & purgatio vitiosorum humorum repetenda. Hîc autem occurrit quæstio; An liceat die paroxysmi purgationem instituere. *An liceat die paroxysmi purgare.* Plerique id negant cum Auicennâ; qui hoc loco scribit: Et non moueas in die paroxysmi, quantum est possibile. Afferúntque huius rei hanc rationem; quòd natura aliàs die paroxysmi sit afflicta, ideóque ampliùs medicamentis non sit molestanda. Et cùm venæ sectionem non liceat instituere die paroxysmi, eandem rationem purgationis esse dicunt; cùm hæc non minorem naturæ molestiam afferat. Præterea dicunt, medicamentum purgans trahere à circumferentiâ ad centrum; cùm ex parte alterâ natura in paroxysmo à centro ad circumferentiam pellat: atque ita institui duos motûs contrarios, quos natura sine damno ferre non possit. Insuper si natura in paroxysmo per sudorem euacuationem instituere verit, motus iste naturæ per purgationem impeditur. Aut si natura moliretur purgationem per aluum, Medicúsque eodem tempore exhiberet purgationem, metuendum, ne ex vtroque motu immoderata sequeretur purgatio.

Alij contrarium sentiunt, idque has ob rationes. Primò, inquiunt, natura vtiliter euacuat die paroxysmi, ac die paroxysmi ferè semper crisin instituit. Ergò & Medicus, qui minister est naturæ, eam imitari debet; & quidem iure. Nam humores tùm temporis mouentur & agitantur, ac natura cùm motu, tum onere humorum irritata euacuationem adiuuabit. Testatur quoque Petrus Monauius, *in Epist. à Laurentio Scoltzio editis, Epistola 22.* tali curandi ratione plures, & longissimis febribus laborantes multò citiùs, quàm aliàs liberatos se animaduertisse. Et refert Prosper Alpinus, *de Medicina Ægypt. lib. 4. cap. 15.* Ægyptiis planè familiare esse vnâ vel binis horis ante accessionem, agarici vel rhabarbari Drach. i. cum decocto chamædryos vel absinthij exhibere, & pro singulari secreto apud quosdam celebrari potionem quandam ante accessionem, per binas horas oblatam, quam parant ex mannâ, pulpâ cassiæ, tamarindorum, an. ℥. iiii. quæ in aquæ endiuiæ vel communis ℔. i. vsque ad consumptionem duarum partium coquunt, colaturæque miscent olei sesamini Vnc. ii.

*Quæstionis explicatio.* De quâ quæstione vt nostram sententiam breuiter addamus, motum naturæ, & locum, in quo materia continetur, attendendum censeo. Nam si materia instante paroxysmo ad ventriculum inclinat, iubent præstantissimi Medici plerique, instante paroxysmo medicamentum vomitorium, non tamen adeò forte, quod naturam multum debilitare posset, exhibere. Ita si materia ad aluum inclinat, & materia plurima non proculà primis viis hæreat, commodè leniore aliquâ purgatione die etiam paroxysmi educitur, ita tamen vt ante initium paroxysmi purgationis motus absoluatur. Hoc modo enim futuro paroxysmo materia subtrahitur, & naturam adminiculantem in purgatione habemus. Atque hoc si fiat, non metuendum, vt vel contrarij motûs instituantur, vel sudores impediantur, vel nimia purgatio accidat. Neque tamen medicamenta illa nimis fortia esse debent, vt naturam valde debilitent. Ægyptiorum verò medicandi ratio tota ad naturam stimulandam comparata videtur. Venæ sectionis quoque longè alia est ratio, quæ & plus spirituum exhaurit, & materiam proximè paroxysmum instantem parituram non subtrahit; id quod medicamentum purgans facere potest. Quòd si die paroxysmi non detur occasio purgandi, aut naturam in hoc motu adiutricem non habeamus, aut materia loco remotiore sitâ sit, vt aliquo mitiore medicamento euacuari ante paroxysmum non possit: potiùs dîe quietis & ἀπυρεξίας instituenda est purgatio.

In purgatione autem instituendâ videndum, per quam viam materia faciliùs educi possit. Nam si materia circa intestinorum venas hæreat, purgatione per aluum educenda: Si autem circa ventriculum vel superiores venas mesaraicas contineatur, vomitu eiicienda; inprimis si nausea aut cardialgia adsit; & æger ad vomitum non sit difficilis. *Vomitoria.* Licèt enim vomitus proximè solùm è ventriculo videatur euacuare: tamen sæpe magnam bilis copiam in venis mesaraicis & vasis remotioribus contentam excutit, febrémque causâ ac motu sublato, vel tollit, vel mitigat; & quas purgationes sæpius sanare non potuerunt febres, vomitiones repetitæ sanant.

Potest autem vomitus vel die quietis, post sumptum cibum, vel instante paroxysmo institui: & quidem qui die quietis post sumptum cibum instituitur, causam antecedentem, & materiam, causam antecedentem aucturam, tollit: qui verò instante paroxysmo cietur, materiam paroxysmum facturam, atque ita ipsum paroxysmum minuit. Vomitoria autem suprà proposita sunt, & magis exquisitis conueniunt. In febribus autem nothis & diuturnioribus paulò fortiora ex iis adhibenda sunt. Hodie apud multos in vsu, vt & suprà dictum est, asarum, cuius folia vel radices vel totum ℥.ß. vel ʒ. iii. pondere coquuntur, & decocti ℥. iiii. vel ℥. v. propinantur; vel pulueris radicum asari ʒ. ß. cum conueniente liquore exhibetur. Nonnulli commendant aquam nucum iuglandium, cum aceto destillatam, ℥. iii. pondere.

Genistæ etiam semen, flores & radicum cortices satis potenter vomitum cient, si in aquâ decoquantur: sed leuior sit illa decoctio. Reliqua suprà sunt proposita.

Hoc tamen de omnibus fortioribus vomitoriis obseruandum, vt antequam exhibeantur, & humores & corpus præparentur, crassi scilicet & viscidi humores attenuentur & incîdantur, ac ita ad motum aptiores reddantur; ipsum verò corpus bene antea humectetur.

*Purgantia.* Purgantia per aluum tertianæ Intermittenti exquisitæ conuenientia ferè eadem sunt, quæ capite præcedente & hoc ipso iam explicauimus. Commodissimum est rhabarbarum ʒ. i. vel ʒ. i. ß. si in aquâ vel decocto cichorij, endiuiæ, vel sero lactis, cum spicæ & schœnanthi ℈. ß. infundatur, & colat. expressæ pulpæ tamarindorum, vel mannæ & syr. ros. sol. s. q. addatur.

Vel ℞. *Extr. rhab.* Drach. ß. *vel* ℈. ii. *syr. ros. vel viol. sol.* Vnc. i. ß. Misce.

Robustioribus Electuarium de succ. ros. rosatum Mesues; de psyllio exhiberi potest.

*Absinthij vsus.* Galenus, 1. *ad Glau. cap. 9.* signis coctionis apparentibus cum fiduciâ absinthium exhibet, idque alio-

I 4 quin

quin summum remedium in mordicatione stomachi, quæ à bile prouenit, esse scribit; si præsertim ex ipsius comâ sufficiens quantitas melicrato immergatur, & colatum exhibeatur. Detergit enim & ad inferiora detrudit biliosam materiam, & plus prodest contra bilem, quàm pituitam. Nam pituita propter crassitiem & viscidítatem non ita cedit absinthio.

In Nothis febribus ea purgantia conueniunt, quæ non solùm bilem, sed & pituitam, vel melancholiam admixtam euacuare valent, quorum formulæ passim exstant.

Et quia humores excrementitij in primis viis sæpius colliguntur, etiam in progressu morbi lenientia repetere vtile est. Quia tamen materia lenientibus medicamentis non semper cedit, fortiora addere oportet, vt in pituitâ.

♃. *Flor. cassiæ* Drach. vi. *spec. diaturbith. cum rhabarb.* Drach. ß. *Cum facch.* Fiat Bolus.

In Melancholiâ. ♃. *Cassiæ* Vnc. ß. *elect. diacathol.* Drach. iii. *pulu. senæ præparat.* Drach. ß. *Cum sacchar.* F. Bolus.

Et omninò necessarium est, vt in hac febre sæpius purgetur.

Vtiles sunt, præter medicamenta suprà proposita, trochisci de absinthio, de rosis, de rhabarbaro, de capparibus, inprimis cùm febris in cachexiam declinare videtur: qui commodissime in pilulas formantur, *cum succo absinth. agrimoniæ, centaur. min. fumariæ, extracto absinthij, cardui bened. scolopendr. syr. de cichor. cum rhabarb.*

Si post sumptas pilulas syrupus vel aliquis liquor sumatur, faciliùs ad interiora penetrant.

Longè verò commodissimum est, vt in febribus hisce nothis, & præsertim longis, quæ repetitis præparationibus aut euacuationib. opus habent, ea medicamenta, quæ materiam simul præparare, viasque aperire, & simul euacuare valent, exhibeantur: quæ si opus sit, per aliquot dies continuari possunt; & post eorum vsum medicamentum purgans paulò fortius commodè propinatur. Ac talia decocta & syrupi plerumque ad omnes tres humores excrementitios diriguntur, quia in febribus istis aliquid bilis, ob febris ardorem, in humorem atrum degenerat.

Vsuales tales syrupi sunt: syrupus de cichorio cum rhabar. diasereos, & in humore melancholico admixto, de fumariâ compositus, & oxymel helleboratum.

Vel potest tale decoctum fieri: ♃. *Rad. cichor. fœnicul. taraxaci*, an. Vnc. ß. *asari* Drac. i. sem. *endiu. agrimon. capill.* ♀, an. M. sem. *passul.* Vnc. sem. Coqu. *in s. q. aq. s.* In colatura infund. *fol. senæ el.* Vnc. sem. *rhabar. opt.* Drac. sem. *cinam. turbith. el.* an. Scrup. j. *flor. cordial.* ā. P. i.

Colaturæ ♃. Vnc. iii. sem. Adde *syr. de cichor. cum rhab. mell. rosf. sol.* an. Vnc. i. Drac. vi. *vel drachmam vnam atque alteram de conueniente purgante electuario.* F. Haustus, qui si opus sit; aliquoties repeti potest.

Vel ♃. *Rad. cichor. asparagi, graminis, fœnicul. taraxaci, oxylapathi, polypod. q.* an. Vnc. sem. *endiu. capill.* ♀, *hepaticæ, chamedryos, cardui bened.* an. M. i. *sem. 4. frig. mai.* an. Drach. ii. *fœnicul. genistæ*, an. Drach. i. sem. *passul.* Vnc. i. Coqu. *in s. q. aq. s.* In colat. ℔. i. Infund. per noctem *fol. senæ el.* Vnc. i. sem. *rhabarb. opt.* Drach. i. *agar. albiss. turbith el.* an. Drach. sem. *zingiberis* Drach. i. *cinam.* Drach. sem. *spicæ* Scrup. i. *flor. cordial.* an. P. i. Col. adde *syr. de cichor. c. rhabarb. vel diasereos, rosar. sol. endiu. comp.* an. Vnc. i. sem.

F. Potus, de quo alternis diebus manè dentur ℥. iiii. vel ℥. iiii. ß. Aut Colat. addatur facch. albi q. s. & coqu. lento igne ad syr. liquidioris consist. ac sub finem syr. de cichorij cum rhab. aut diasereos affundatur, & F. syrupus, qui aromatizetur spec. diarrhodi abbat. in nodulo suspensar. ʒ. i. De quo cochlearia duo aut plura, seu quantum opus, exhibeantur. Vtile est in febribus diuturnioribus & Tartarum, atque ex eo parata medicamenta, quæ & sola vsurpantur, vel aliis adduntur; dum scilicet decoctis & potionibus parandis ipsum tartarum; paratis cremor tartari, vel tartarum vitriolatum, vel Sal tartari admiscentur.

In decoctis autem talibus longis, vt & syrupis, qui minùs crassam habent consistentiam, hoc obseruandum; cùm optima clarificatio fit, quæ fit per subsidentiam, vt inclinatione id quod clarum, à fecibus sæpius separetur, clarúmque, si opus, rursus calefiat. Hoc enim modo sitis & corruptio præcauetur.

Sitis, quod plerumque fieri solet, si sit molesta, sedetur iis medicamentis, quæ infrà *lib. 4. cap. 16.* proponentur. Inprimis hic vtile est decoctum hordei cum radic. fœniculi, si ad M. iiii. radic. fœniculi Vnc. ß. addatur, & ad remanentiam ℔. iiii. coquatur, qui potus largiter exhiberi potest, cùm non solùm febrim sedet, sed & sudorem ac vrinam promoueat.

*Vrinam mouentia.* Post purgationes si febris non cesset, ad reliquias humorum euacuandas vtilia medicamenta vrinam mouentia. Vnde nonnulli in eâ sunt sententiâ, Galenum absinthium potius vrinam ciendi, quàm purgandi gratiâ (cùm vtramque vim habeat) propinasse.

Sunt autem è diureticis vel frigida vsurpanda, vt emulsio sem. 4. frig. maior. facta cum sero lactis caprini, vel aquâ graminis, fragorum, cichorij, asparagi, hordei: vel è calidis, quæ non sunt valdè calida, vt decoctum rad. graminis, asparagi, fœniculi, capillorum ♀, cicer. rubrorum, absinthij, cuscutæ, flor. chamæmeli, sem. genistæ, Syrupus acetosus compositus, de duabus radicibus.

Possunt his diureticis addi aliquot guttæ spiritûs vitriol. vel ⊖, aut aliquid tartari.

Inseruiunt etiam huic rei aquæ, spiritûs, extracta, ac sales ex plantis huic vsui accommodatis; Item trochisci de absinthio, de rhabarbaro, de eupatorio.

*Sudorifera.* Discutitur quoque materia febrilis per sudores; id quod natura ipsa plerumque facit in fine paroxysmi, quam Medicus rectè imitari potest. Licet autem & post paroxysmum & ante ipsum sudores instituere. Et cùm, vt suprà dictum, inquinamentum illud ac συμπάθειας περίττωμα, post paroxysmum relictum, reliquos humores iterum inquinet ac corrumpat, illud discutiendum & è corpore expellendum est, quod commodissimè fit per sudorifera. Ideóque vix aliqua febris integrè & perfectè, ac sine recidiuæ metu sine sudore curatur ac soluitur.

In tertianis legitimis sufficit, si natura, quæ aliàs in fine paroxysmi sudores mouere solet, adiuuetur, & detur opera, vt materia biliosa per sudorem planè discutiatur. Quâ in re interdum in hisce febribus à Medicis peccatur, qui ægro omnem planè potum interdicunt, atque hoc modo in febribus calidioribus in causâ sunt, vt corpus valdè incalescat, exsiccetur, ægérque minùs sudet, vnde metuendum ne æger in hecticam incidat. Ergo tum propinanda ægro aqua hordei, vel destillata acetosæ, buglossi, borraginis, cichorij, quibus aliquid aquæ cardui bened. fumariæ, scabiosæ addi potest, cum syr. vel Iulepo violar. syr. acetoso f. oxysaccharâ s. syr. acetosit. citri. Antiqui ad sudores mouendos balnea vsurpabant, quæ in desuetudinem venisse iam aliquoties dictum est. Iidem & inunctionibus quibusdam sudores ciebant; quod & hodie Ægyptij faciunt, teste Prospero Alpino, *de medic. Ægypt. lib. 4. cap. 15.* qui inunctionibus cum oleo rutæ aut amygdal. amararum aut chamæmelino, aut iunipeino, aut nitro rubro, cum leuibus perfrictionibus administratis, sudores cient. Verùm cùm inunctionum

num harum vſus maximus ſit in malignis, dicetur de ijs infrà, in Curatione febrium malignarum.

In Nothis tertianis, calidioribus ſudoriferis vti licet, vtaquâ vel decocto cardui bened. centaur. min. ſcabioſæ, chamæmel. fumariæ; ſale abſinthij, cardui benedicti: extracto cardui benedicti, & ſimilibus; imò nonnunquam ipſa theriaca & mithridatio. Atque illa ipſa interdum tribus, 4. 5. vel 6. horis ante paroxyſmum adhibentur, vt materia paroxyſmum paritura per ſudores diſcutiatur: quorum vſu ſæpe accidit, vt paroxyſmus planè tollatur & auertatur. Hiſce ſcopis & hæc aqua inſeruire poteſt.

℞. *Cardui bened. centaurij min. abſinthij* an. M. i. *radic. gentianæ*. Vnc. ii. Infundantur in ſ. q. *aq. cardui bened. & bugloſſ.* horis 24. poſtea deſtillentur. Aqua hæc & ſola, & cum aliis vſurpetur.

Commendatur & verbena cum radice in vina cocta, ſi hauſtus ante paroxyſmum exhibeatur: vel ſi verbena cum carduo benedicto & aſaro in vitro coquatur, & hauſtus ante paroxyſmum propinetur.

Et quia ipſa experientia Germanos docuit, feliciſſimè ſudoriferis febres expugnari, ac ſine iis vix tolli: plurimi apud eos circumferuntur pulueres & alia medicamenta, quibus ante paroxyſmum exhibitis, ſudore concitato, febres tolluntur: quorum aliquot hic adſcribere libet.

℞. *Dictamni, tormentillæ*, an. ℈. ii. *C. C. vſti* Drach. i. *ſuccini albi* ℈. i. F. Puluis, qui D. Brambachio adſcribitur.

Alius ℞. *Centaurij minor. dictamni albi*, an. ℈. i. *radic. tormectill.* ℈. i. ſem. *cardui bened.* ℈. i. *cortic. aurantior.* ℈. ii. F. Puluis, & addantur *ſacchar. albi* Drach. iii. pro iii. *doſibus*. Adſcribitur hic D. Bormanno.

Alius ℞. *Dictamni, tormentill.* an. Drach. ii. *pimpinell.* Vnc. ſem. *C. C.* Drach. ii. F. Puluis.

Alius ℞. *Ariſtoloch. rotundæ, gentianæ, dictamni albi, calam. aromat. zingiber*, an. Drach. i. *piperis longi, radic. pimpinell.* an. Drach. ſem F. Puluis, Doſ. Drach. i.

Alius ℞. *Rad. dictamni, petaſit. zedoariæ, gentianæ, fol. ſcordij, cardui bened. ſem. cardui mariæ*, an. Drach. ii. F. Puluis. Alius. D. G. Leuſchneri.

℞. *Ocul.* ♋ *præparat.* Vnc. ii. *nuc. moſch.* Vnc. ſem. *Fol. cardui bened.* Drach. i. *rad. pimpinell. dictamni alb.* an. Vnc. i. *Carab. alb. præpar.* Vnc. ſem. F. Puluis ſubtiliſſimus. Alius eiuſdem.

℞. *Ocul.* ♋. *præparat. herb. cardui ben*, an. ʒ. i. *rad. dictamni alb.* Scru. ii. *pimpinell. flor. ſiliginis, ſpongiæ ſambuci, nuc. moſch.* an. Scrup. i. *Myrrhæ gr.* vi. F. Puluis ſubtiliſſimus. Doſis ʒ. i. in aceto calido ante paroxyſmum.

Imò ſunt, vt ſuprà etiam diximus, qui mox in principio febrium talibus ſudoriferis vtuntur: hac tamen lege, vt humores è primis viis priùs euacuentur. Hoc modo enim illud inquinamentum & fermentum putredinis diſcutitur, eóque ſublato nullus paroxyſmus alius ſubſequitur.

Ægyptij, referente Proſp. Alpino, *de Medicinâ Ægypt. lib. 4. cap. 8.* ad tertianas nothas & febres quotidianas pro ſecreto habent, ante acceſſionem, pulueris chamædryos ʒ. i. ex jure pulli, vel ex herbâ paratum decoctum cum ſacchar. multis diebus exhibere.

*[R]oborantia.* Roborantia etiam non negligenda. Et quamuis corpus euacuatum ſit, aut febris ceſſet, non ſtatim à medicamentorum vſu deſiſtendum; cùm facilè fieri poſſit, vt remanens aliqua in viſceribus intemperies calida bilem rurſum generet, è qua febris iterum accendi poſſit. Itaque hepati & ventriculo ſuccurrendum medicamentis cùm internis tum externis ex roſis, cichorio & ſimilibus.

Quòd ſi febris ſit pertinacior, procul dubio viſcus aliquod vitium contraxit, febríque materiam ſuppeditat. Quapropter membri illius cura habenda, & quidem pro variâ membri naturâ varia. In intermittentibus enim hoc obſeruandum, vt ad membrum mandans inprimis reſpiciatur. In tertianâ Intermittente Hepar ſi malè affectum ac calidius ſit, copioſè bilem generat, quam non ſemper in ſe retinet, cùm membra nobiliora, quantum poſſunt, ſe ab humoribus vitioſis liberent, eóſque ad partes ignobiliores mittere ſoleant; ſed eam ad pancreas, meſenterium & alia hypochondriorum loca mittit: Hepar autem ob plures cauſas ad bilem generandam aptum redditur. Primò dum calefactum eſt: Deinde dum à craſsâ bile obſtruitur: tertiò dum in ejus vaſis bilis abundat, à quâ chylus inquinatur & facilè in bilem mutatur. Itaque ſi tale aliquid animaduertatur ex ſiti, quam æger patitur, aut vrinâ bilioſâ, ex colore volæ manûs, ex dolore, duritie, tumore hepatis, aut totius corporis pallente collore: Hepati in prîmis proſpiciendum eſt. Vnde rectè ſcribit Gal. 1. *ad Glauc. cap. 9.* ſemper oportet contrarias qualitates illis, quæ præter naturam inualuerunt, opponere. Et hæc alteratio plus juuat, quàm crebra euacuatio. Licèt enim frequentibus purgationibus æger moleſtetur, tamen niſi cauſa bilem generans tollatur; fruſtra æger purgantibus affligitur. Ergo ſi hepar & viſceera intemperie calidâ laborent, refrigerantia & roborantia conueniunt, tum quæ ſuprà ſunt propoſita, tum quæ parantur ex ejus generis conſeruis, conditis, ſpeciebus; exempli gratiâ, conſerua cichorij, violar. acetoſæ, radic. condit. cichorij. ſpec. diarrhod. abb. diatrionſantal. ſpir. ſalis, vitrioli, & ſimilibus. *Hepar vt curandum.*

Si autem Hepar obſtructum ſit, aut bilis in ejus viis hæreat, medicamenta vſurpanda, quæ vias hepatis aperiunt, & bilem per vrinas educunt, tum etiam per aluum leniter euacuant. Atque hæc eſt cauſa, cur Galen. adeò abſinthium in hiſce febribus commendat. Vim enim habet bilem detergendi, & eam cùm per aluum, tum per vrinam educendi. Vtile etiam eſt decoctum hordei & radicum cichorij dilutius, & ſaccharo dulcoratum: vt & conſerua roſarum recens cum decocto hordei, vel radic. cichorij. *Abſinthij vſus in febribus.*

Mindererus, *de calcantho cap. 9.* in omnibus jecoris, meſenterij, hepatis ac venarum obſtructionibus Syrupum hunc, quo plurimi per diuturnas febres in cachexias ac hydropes deuoluti priſtinam ſanitatem rurſus ſint adepti, commendat.

℞. *Succ. radic. cichorij, pimpin. depuratorum* an. ℔. i. *fumariæ, lupuli*: an. ℥. vi. *petroſelini, fœniculi*, an. ℥. iii. *rad. apij, enulæ, aſparagi, eryngij, vincetoxici*, an. ℥. i. *herbarum agrimoniæ, Sanctæ Kunegundis ſeu Eupatorij Auicennæ, agerati*, an. M. i. *flor. centaurij min. fol. ceterach. adianti albi & nigri, cuſcutæ, cardui benedicti, comarum abſinthij Pontici*, an. M ß. *granorum alkekengi* ℥. i. *aquæ fontanæ* ℔. vi. *aceti ſcillitici* ℔. ii.

Arida omnia ex prædictis ſex libris aquæ coque, vſque dum ſuperſint libræ duæ, has tranſcola diligenter, & cum ſuccis & Aceto Scillitico, additis Sacchari albi libris tribus ſemis, coque in Syrupum juſtæ conſiſtentiæ.

Huic Syrupo adjiciatur vel admiſceatur tantum olei Calchanthi ſeu vitrioli, quantum ſapor tolerare poſſe videbitur, vt aſſumpturo grata obueniat aciditas. Huius tria porrige cochlearia ægro ante jentaculum, totidémque ante prandium & cœnam.

Extrà etiam Topica adhibenda ſunt hepati, qualia paſſim exſtant. *Topica.*

Et quia in febribus nothis materia plerumque difficiliùs concoquitur, ac præterea ab affecto Hepate cruditas in eo & ſanguis frigidior generatur, vnde tumor pedum & oculorum oriri ſolet: Ideò & extrà talia hepati adhibenda, quæ illud roborant, vias aperiunt, partes dilatant & humores fundunt, ex endiuiâ, cichorio,

rio, taraxaco, agrimoniâ, rosis, absinthio, spicâ, schænantho, chamæmelo & similibus.

*Lienis cura.* Lienis similiter ratio habenda est, qui in febribus diuturnioribus frequenter obstrui & duritiem contrahere solet: de quo in curatione Quartanæ dicetur.

*Ventriculi cura.* Inprimis verò in febribus longioribus habenda est ratio ventriculi. Solet enim is à calore febrili debilitari: debilitatus verò malè coquit: vnde vitiosus chylus prouenit, qui in secundâ coctione non corrigitur, sed vberem potiùs febri materiam suppeditat. Hoc si animaduertamus, vtilissimum est bis in septimanâ id quod crudum est, ex alimento in ventriculo, & primis viis vomitu euacuare. Quo remedio pertinacissimas febres longè feliciùs, quàm vllo alio remedio tolli, omnes Medici consentiunt. Et quidem die quietis, vomitus post cibum, materiæ antecedentis tollendæ gratiâ, commodè instituitur. Nam, vt etiam suprà de vomitu instituendo dictum, duplex est occasio vomitum instituendi. Vna, quâ commodissimè materia antecedens & quæ materiam antecedentem aucturа est, tollitur; & secundùm hanc occasionem rectissimè instituitur vomitus die quietis post sumptum cibum: Altera, quâ fit vomitus ob instantem paroxysmum, qui vt imminuatur, paulò ante ipsum vomitus instituitur. Deinde fouendus ventriculus. Exempli gratiâ.

℞. *Ros. rubrar. absinthij, menthæ.* an. M. ß. *spicæ nardi*, ℥. ij. *mastiches*, ℥. ß. *cyperi*, ℥. i. *flor. chamæmel. meliloti*, an. M. ß.

Coq. in s. q. aq. vel vini albi, ac spongiâ decocto calido madidâ ventriculus foueatur; vel herbæ sacculo insuantur, qui coquatur & calidus ventriculo applicetur. Post fotum ventriculus irrigetur oleo absinthij, mastich. cydoniorum, nardino, nucis moschatæ expresso; vel applicetur cerotum stomachale, & talia, quæ aliàs ventriculo debili conueniunt, atque alibi explicantur.

*Scorbuti generatio.* Sæpe quoque accidit in hisce regionibus, vt in febribus diuturnis & tertianis & quartanis scorbutus cõjungatur. Materia enim febrilis & vitiosa in mesaraicis collecta & diutiùs hærens, tandem dispositionem scorbuticam induit; vnde febres curatu difficiliores redduntur, imò non curantur, nisi simul medicamenta, quæ scorbutus requirit, adhibeantur. Verùm de scorbuto, peculiari tractatu.

*Externa medicamenta in tertiana.* Præter ista medicamenta omnia quædam adhuc occurrunt, quæ vulgò extrà corpori ad febrem tollendam applicantur, nec omnia à Medicis improbantur. Inter quæ à plurimis commendatur emplastrum ex telis aranearum & vnguento populeo. De quo Abraham Seilerus, *in Epistolis à Scholtzio collectis, epist.* 3. ita scribit: *Expertus sum, si ante accessionem febrilem telæ araneæ cum vnguento populeo incorporatæ carpo & temporibus, vbi pulsus deprehenditur, apposita fuerint, plurimum contulisse.*

Alij idem medicamentum ita parant:

℞. *Vrticæ min.* M. i. *telæ aranearum* ℥. ß. *Salis communis cochlear.* i. Contundendo & addendo *aceti cochlear.* i. M. pro Emplastro, quod ad pulsûs vtriusque manûs per duas horas ante paroxysmum applicetur.

Alij folia bursæ pastoris cum sale & aceto trita carpis applicant. Alij fuliginem è furno, & saliuam contusam & cum albumine oui mixtam: Alij eandem fuliginem cum allio, cæpis & oui albumine ac aceto mixtam carpis alligant. Nonnulli contundunt anserinam cum sale & aceto, ac carpis applicant.

Alij & quæ vesicas excitant, & hoc fine folia ranunculi recentia contusa vel allium & cæpas carpis applicant. Alij recipiunt corticum interiorum nucis ramorum q. s. macerant in aceto & carpis applicant; quo remedio se feliciter vsum Platerus scribit.

Nonnulli hoc emplastrum toti abdomini ante inuasionem apponunt, & ibi relinquunt, donec exsiccetur, idque die altero renouant.

℞. *Farinæ q. s. oua nu.* iiii. *succi verbenæ, plantaginis, radic. vrticæ Rom.* an. *q. s.* Et ad formam Cataplasmatis redigantur.

Ægyptij, vt refert Prosp. Alpinus, *de medic. Ægypt. lib.* 4. *cap.* 15. audaciores in hoc genere sunt, dum vnguentum parant ex araneis vnâ cum suis telis contusis & cum oleo rosaceo ad modum linimenti mixtis vel araneis in oleo rosarum coctis; quo calido carpum vtriusque manûs inungunt.

De modo si quæratur, quo hæc medicamenta agant, vix alia quàm hæc ratio reddi potest, quod ab istiusmodi medicamentis putridus vapor à corde & suo foco reuocatur & reuellitur: ac præcipuè inquinamentum illud ac μίασμα humores corrumpens euocatur, maximè si pauca ampliùs putredo restet, & febris in declinatione sit, de quo cap. præcedente dictum.

*Paroxysmum impedientia.* Habet interdum vulgus & Empirici alia quædam, quibus paroxysmum impediunt. Verùm nisi adhibeantur purgatâ materia, non tutò adhibentur; cùm si materia in corpore relinquatur, licèt febris cesset, grauiora mala sæpe inde sequantur, vt dolor colicus, cachexia, hydrops, icterus: Aut nisi medicamentum simul vim diaphoreticam & confortandi habeat, qualis anodyno Bannisterij tribuitur, quod describit Andr. Libauius, *in Syntagmate arcan. Chymicor. in fine*: item Laudano opiato, quod VVilh. Pithopœus miris modis commendar, & hoc modo parat.

℞. *Quintæ essentiæ opij* ℥. i. ß. *essentiæ croci* Drach. vi. *essentiæ quintæ lapid. pretiosor. magisterij corallorum, rubr. cum auro, perlarum*, an. Drach. ii. *lapid. bezoartic. orient.* ℈. ii. gr. v. *auri diaphoret, siue potabil.* ʒ. ß. *ambræ grysea* ℈. ii. gr. v. *moschi* Scr. sem. *ol. cinam. cariophyll. succini*, an. gut. ii. Misceantur *s. a.* & in vitro satis capaci digerantur, atque interea semel atque iterum agitentur. Dosis gr. ii.

*Diæta in tertiana Intermittente.* Victus tandem ratio in hac febre etiam diligens habenda: cùm natura in exquisitâ tertianâ modò victus ratio rectè instituatur, sæpe morbo abigendo sola sufficiat.

In purâ igitur tertianâ victûs ratio requiritur eadem ferè, de qua in continuâ biliosâ diximus. Cibus nimirum sit refrigerans & humectans ejus quantitas tanta, quantam natura rectè concoquere potest. Inprimis conuenit ptisana & reliqui cibi, qui sunt boni succi & facilis coctionis, simúlque refrigerant. A melle autem & dulcibus, sinapi, salsis & acribus omnino abstinendum, cùm facilè in bilem degenerent. Vinum, antequam materia coquatur, non exhibendum. At vbi concoqui cœperit, dandum est tenue, aquosum ac purum. Circa declinationem verò liberaliùs potest offerri.

Exhibendus verò cibus est extra accessiones: nisi virium ratio, spirituum dissolutio & imminens Syncope contrarium suadeat: id quod in siccis & calidis naturis fieri solet. Calidis enim & siccis naturis aduersissima est inedia, & febrium causa præsentissima: vnde Galenus, vt ex 10. *meth. med. c.* 5. videre est, nonnunquam tales, ne syncope periclitentur, in paroxysmorum principio cibare coactus est.

In nothis verò tertianis ad duo inprimis in victu præscribendo attendendum, curandúmque, ne vel morbus augeatur, vel vires, quæ in morbo longiore diu sufficere debent, periclitentur. Quorum vtrumque exactè præstare non ita facile est. Inedia enim quantum prodest ad morbi coctionem, tantum vires labefactat: Cibus contrà, quantum vires auget, tantum coctionem materiæ febrilis impedit. Ergò morbi & virium magnitudo diligenter inter se comparanda est. Victu tenui enim valentibus viribus & materiâ coctu difficiliore audaciùs vtimur; largiore autem cibo vtendum, cùm vires sunt imbecilliores, atque materia non admodum coctu difficilis. Copiosiore tamen omninò

cibo

cibo opus est in tertianâ nothâ, quàm purâ; cùm morbus sit diuturnior. Cibus verò porrigatur inprimis die Intermissionis. Verùm cùm non omnes naturæ id ferant, vt tertio solùm quôque die cibum sumant, & præcipuè ob potûs necessitatem: Ideò & die paroxysmi aliquid cibi, sed qui sit omninò facilis coctu, post paroxysmum, aut pluribus horis ante paroxysmũ præbendum, sed omninò minus, quàm in tertianâ purâ; cùm paroxysmus longiùs protrahatur: die verò quietis solidior cibus & maiore copiâ, quàm in tertianâ purâ exhiberi potest, vt carnes pullorum, gallinarum, hædinæ, vitulinæ. In nostris regionibus commodissimus est potus cereuisia tenuior. Cibus autem non solùm refrigeret & humectet, vt in exquisitis, sed etiam nonnihil attenuet & incîdat. Vinum tamen etiam album tenue concedi potest. Galenus ptisanæ succo vtitur, adjecto pipere; & loco potûs aquâ mulsâ, in quâ origanum vel hyssopus cocta fuerint. Verùm alij hæc sine periculo ferri posse non putant, præsertim si pituita pauca admixta sit, & corpus sit calidius. Et satius esse censent, ptisanâ vti cum apio, petroselino & cinamomo decoctâ. Quâ in re tamen ad mixtionem humorum attendendum. Si enim parum pituitæ admixtum sit, etiam parum calidorum admiscere oportet; si verò febris multum à tertiana pura declinet, plus admiscere licet. Potest tamen illud χυλῶδες in melle, aceto addito facilè emendari. Aliàs, vt dictum, consuetus & vtilis potus est cereuisia tenuior, quæ & ipsa, si opus sit, commmodis & idoneis plantis condîri potest.

## CAPVT XIX.

### *De Quotidiana Intermittente.*

SEcunda febris Intermittentis species est, quæ è pituita oritur; quæ quia singulis diebus inuadit, quotidiana communiter nominatur. Hanc Fernelius, *lib. de febr. capite* 12. omnium febrium esse rarissimam, & quæ vix ex sexcentis vna obtingat, scribit. Platerus verò eam dari planè negat, & quamuis multi quotidiè febri conflictentur, id tamen non à quotidiana, sed duplici tertianâ, vel etiam triplici quartanâ fieri. Et ita reuera sese res habet. Plerique enim, qui singulis diebus febri corripiuntur, febricitant ob humorem biliosum aut melancholicum; raró ob pituitosum. Atque tales febres potiùs duplices tertianæ, aut triplices quartanæ nominandæ sunt. Simon Simonius quidem planè istas differentias compositas, & appellationes duplicis aut triplicis tertianæ ac quartanæ rejicere videtur: Verùm planè & per omnia illi non assentimur. Si simili typo non inuadat quotidie febris, & primus paroxysmus tertio, secundus quarto & sic consequenter; aut primus quarto, secundus quinto, & sic deinceps respondeat: tales febres non injuriâ tertianas duplices, vel triplices quartanas nominari posse statuimus; id quod præcipuè ex duplici quartanâ apparet. Hoc tamen semper obseruandum censemus: nomina quotidianæ, tertianæ, quartanæ, non constituere febrium differentias, sed humores. Itaque jam de quotidianâ intermittente agimus, non eâ, quæ à bile fit, & quotidiè recurrit, sed de eâ, quæ à pituitâ.

*Causa.* Generatur hæc febris raró citra ventriculi aut hepatis offensionem. In his enim duobus locis pituita generatur, nimirum in hepate, ex frigidiore chyli parte; inprimis verò ex alimentis ac præcipuè pituitosis in ventriculo. Et cùm hæc febris à pituita fiat, omnia ea, quæ faciunt, vt pituita in corpore colligatur, huius febris causa esse possunt. Ista autem ad tria capita commodè reducuntur, nimirum ad debilem & imminutum viscerum calorem; ad alimentorum frigidam & humidam naturam, & eorum copiam atque abundantiam. Hinc colligitur pituita in iis, quibus hepar & ventriculus aut etiam tota corporis constitutio est frigida & humida: quibus nimirum habitus corporis est obesior, albicans, venæ & arteriæ angustæ. Ætas ad pituitæ generationem apta est senilis, ob natiui caloris paucitatem; & puerilis, ob voracitatem. Sexus verò muliebris & vita otiosa etiam facit ad pituitæ generationem, victus plenior & liberalior; aëris constitutio, siue ratione temporis anni, siue cœli, siue loci, frigida & humida; somnus longus, præsertim mox à cibo initus; refrigerantium medicamentorum vsus.

### *Signa diagnostica.*

*Signa quotidianæ Intermittentis.* Signa febris Intermittentis pituitosæ petuntur, tum ex iis, quæ præcesserunt, quales sunt, causæ pituitam generantes & cumulantes modò enumeratæ; tum ex iis, quæ pituitæ in corpore copiam arguunt, tum propriis Symptomatis. Pituitæ copiam indicant faciei corporisque color albicans, nonnunquam pallidus aut liuidus, moles eiusdem ampla ac mollis, & ad tactum frigidior; mens & sensûs sunt hebetiores, somnus profundus, insomnia de aquis, pluuiis, niue, submersione. Pulsus est paruus, tardus ac mollis. Vrina alba vel pallida, nunc tenuis, nunc crassa, cum multo sedimento. Quòd si putredinem jam concipiat pituita, & inde febris excitetur, tempore nocturno ea præcipuè affligere solet; vnde apud Hippocratem, 3. *epid.* per nocturnas febres pituitosas intelligendas esse aliqui existimant.

*Signa febrium ex horâ inuasionis.* Non enim hîc prætereundum quosdam monere, signa febrium humorisque peccantis aliqua etiam haberi posse ex horâ inuasionis, & cuique humori suam horam tribuere. Sanguinem moueri nimirum ab horâ nonâ noctis vsque in horam diei tertiam dicunt: ab horâ diei tertiâ ad horam diei nonam bilem: ab horâ diei nonâ ad horam tertiam noctis, melancholiam; ab horâ tertiâ noctis vsque ad horam nonam noctis pituitam dominari.

Inuadit autem hæc febris non subitò, sed sensim cum extremitatum saltem refrigeratione aut horrore. Rigor autem, vt Galenus scribit, eam non antecedit, neque initio, neque in progressu. Cùm enim materia hæc (de legitimâ pituitosâ hoc intelligendum) benigna sit & naturæ non adeò infensa, & calor ex putredine remissus, minùs quoque naturam lacessit, & propterea calor non cum impetu, sed leuiter ad interiora reuocatur.

*Calor quotidianarum.* Calor post refrigerationem cum difficultate accenditur, & tardè inualescit, ac cum magnâ inæqualitate, quâ modò calor, modò frigus sentitur. Humor enim pituitosus est frigidus, humidus ac crassus: accensus verò calor non est acris, sed halituosus primùm occurrit, quasi ex accensis lignis viridibus vapor sublatus, & quidem inæqualiter manum ferit, vt veluti per cribrum transmitti videatur, vt docet Galenus. At si manus diutiùs admota teneatur, aliquantum mordax & acris apparet. Calor postea per totum corpus diffusus illud non valdè vrit, neque denudare membra, & tegumenta abjicere cogit, neque multum aut frequenter respirare, potúmque appetere. Qui enim hac febre laborant, minùs sitiunt, tantúmque abest, vt lingua sicca sit, vt etiam humiditate perfundatur. Cùm etiam febrire incipiunt, præcordia intumescunt, inflantur ac distenduntur: color iis est pallidus; etiam cùm paroxysmus ad statum peruenit, faciésque ferè subliuida & subtumida; corporis adest grauitas, & maxima ad somnum inclinatio. In paroxysmi initio, non raró accidit lipothymia, potissimùm ob os ventriculi, quód in hac febri afficitur.

*Vrina.* Vrinæ in primis diebus tales sunt, quales in quartanis incipientibus, albæ, tenues & crudæ, ob materiæ copiam, quæ & meatûs obstruit, & calorem natiuum obruit. In principio morbi etiam plerumque in fundo matulæ apparet & residet aliquid sedimento simile,

simile, quod tamen verum sedimentum non est, neque vllam coctionis notam exhibet, sed est humoris crudi adhuc peccantis portio, & propterea cruditatem materiæ potiùs, & principium morbi, quàm coctionem ostendit. Postea verò, cùm materia concoquitur, eiúsque nonnihil per vrinas expurgatur, crassiores sunt & turbidæ, sæpè etiam rubræ. Verùm & alui dejectiones crudæ sunt & pituitosæ: quia corpus frigidis & crudis humoribus refertum est. Quâ de causâ etiam primis diebus non sudant; progrediente verò tempore in declinatione paroxysmi parum sudoris emittunt.

Pulsus, vt hac de re Galenus scribit, tantò minor est pulsu quartanæ, quantò quartanæ pulsus tertianæ pulsu minor est. Pulsus item rarior, quàm tertianæ & quartanæ; æquè verò tardus. Quotidianæ ergò est minimus, rarus, tardissimus; tertianæ maximus, velocissimus & frequentissimus; quartanæ paruus, tardissimus & rarissimus. Cuius rei causa est, quia cùm in tertianâ magis vrgeat vsus, quàm in quartanâ, & in hac rursus magis, quàm in quotidianâ: mirum non est, maiorem esse in vnâ, quàm in aliâ. Celeritas verò in quotidianâ & quartanâ par est, etsi maior sit calor in quartanâ, quàm in quotidianâ: quia id, quod magnitudine in quartana adimpletur, in quotidiana mediante maiore celeritate fit. Itaque est quartanæ pulsus tantò rarior quotidianæ: quantò tertianæ frequentior quotidianæ, ob fuliginum copiam & acrimoniam in tertiana.

Paroxysmus ad horas 18. extenditur; vnde intermissio & interuallum est saltem 6. horarum: quæ etiam rarò integra & pura est sed solùm ad sensum, & humoris putrefacti in calore & pulsibus semper relinquitur indicium. Imò sæpè ad 24. horas extenditur; vnde continuæ similis apparet. Calor enim in hac febre est similis calori in lignis viridibus accenso, qui & tardè deflagrat, & multum fumorum relinquit.

*Quotidianæ Intermittentis nothæ signa.* Quæ quidem signa omnia in exquisitis pituitosis seu quotidianis inueniuntur. In nothis verò non omnia, sed quædam ipsorum adsunt, quædam desunt; atque alia in febre à pituita acidâ, alia à pituita salsâ adsunt. Vnde Galenus, *de plenit. cap.* 11. scribit, à salsa siticulosi, ab acida famelici, à dulci somnolenti, ab insipidâ inappetentes fiunt. Ita quæ ab acidâ & pituitâ vitreâ ortum habent febres, teste Galeno, 2. *de differ. febr. capite* 6. rigorem conjunctum habent.

## *Prognostica.*

*Prognostica.* Febris hæc, cùm ex humore pertinaci generetur, ac longa sit, periculo non caret: & cùm in eâ viscera, ventriculus & hepar præcipuè, afficiantur, facilè qui eâ detinentur, in cachexiam, hydropem, atque alios graues ac periculosos affectûs, vt carum, ac similes labuntur. Et quò pituita crudior, eò febris diuturnior & periculosior est. Et quò exquisitior est quotidiana, eò est diuturnior & periculosior; duratque ad dies quadraginta; nonnunquam ad menses tres, imò nonnunquam plures.

Breuitatem autem vel longitudinem morbi ostendent signa coctionis in vrinâ, quæ quò citiùs vel tardiùs apparebunt, eò morbus erit longior vel breuior. Paroxysmorum quoque longitudo vel breuitas idem ostendent. Sicut & si in paroxysmi initio vomitus siue sudor appareat, breuiorem morbum ostendit. Indicio enim est materiam non admodum esse crassam & viscosam, & actionem naturæ non planè respuere. Contrarium sequitur, si nulla euacuatio accidat, morbúsque in eodem statu permaneat. Ideóque si vires & appetitus valdè dejiciantur, accessiones sint longæ, cum nullo sudore: parua salutis spes superest.

Etsi verò hæc febris noctu inuadit, tamen interdum interdiu etiam inuadere solet. Diurna verò nocturnâ est periculosior, & ad tabem plerumque deducit, cùm aliis de causis, tum quòd tempus medicationi non suppetit. Etenim cùm interdiu in paroxysmo medicamenta commodè offerri non possint: vel sine medicamentis æger relinquendus: vel tempus quod somno & quieti dandum erat, medicationi tribuendum. Quæ res vires dejicit, corpúsque tabefacit.

## *Curatio.*

*Curatio.* Curationem autem hujus febris quod attinet, de eâ multâ dicere opus non est; cùm ea, quæ suprà de curatione Quotidianæ continuæ dicta sunt, facilè Intermittenti applicari possint.

Primæ viæ euacuentur clystere parato ex decocto mercurialis, parietariæ, betæ, flor. chamæmel. summit. anethi, sem. anisi, fœniculi, carthami, furfur. cum Elect. diaphœnic. mell. rosato col. & similibus.

*Vena sectio.* Venæ sectio in hisce febribus puris vix locum habet; cum venâ incisâ sanguis bonus emittatur, & vitiosi ac crudi humores in primis viis hærentes in venas attrahantur.

*Vomitoria.* Vtilis verò est vomitus, vt vix in vllâ febre sit vtilior; cùm ventriculum, qui in hac febre maximè afficitur, inprimis euacuet: & quidem is, per interualla sæpius instituendus. Cautione tamen in hac re opus est, ne ventriculus, qui aliàs, vt dictum, in hac febre laborat, fortioribus vomitoriis debilitetur. Etsi autem vulgò feratur, ventriculum priùs roborandum esse: tamen nec id satis tutum videtur. Etenim si ventriculus roboretur, non facilis erit ad vomitum. Ergò distinctione hac in re opus est. Nam si ex hepate & venoso genere præcipuè materia febris suppeditetur, non facilè, & non nisi fortioribus vomitoriis materia euacuatur, quibus ventriculus non parùm debilitatur. Si verò ventriculus pituitosos humores suppeditat, tunc commodiùs vomitus instituitur. Cùm autem pituitosi humores in ventriculo, qui causa sunt, vt alimenta assumpta non rectè concoquantur, sed potiùs in pituitosos humores conuertantur, plerumque crassi & viscidi sint, humores illi priùs præparandi sunt, hydromelite, in quo folia origani vel hyssopi macerata sint, additâ parte aliquâ oxymelitis, vt faciliùs postea vomitu rejici possint.

Est autem in vomitu ciendo hîc conueniens raphanus, cujus vel decoctum, vel succus, vel infusum cum oxymelite ℥. iiii. vel plurium pondere propinari potest. Licet & alia addere, vt semen atriplicis, anethi, flores genistæ, chamæmeri; quibus & ʒ.i. agarici addi potest, vt:

℞. *Sem. raphani, atriplicis, anethi*, an. ʒ. ß. *flor. genistæ, chamæm.* an. P.i. Coqu. *in s. q. aq. pro* ℥.v. Col. adde *oxymel. s.* ℥.i. Misce.

*Præparantia.* Efficax est & hîc in fortioribus extractum Esulæ. Verùm de vomitoriis jam aliquoties satis dictum.

Postea materia præparetur medicamentis alterantibus, incidentibus & detergentibus; initio quidem mitioribus, hinc fortioribus, ex radicibus aperientibus, *hyssopo, origano, betonicâ, agrimoniâ, capillis* ♀. *chamædry, chamæmelo, calaminthâ*; quibus & cichoracea, admiscere licet ob calorem febrilem: cum *Syrupo acetoso s. melle rosaceo, oxymel. simp. & comp. Syr. byzant. s. & composito, de endiuia comp. de hyssopo, de duabus radicibus, de quinque radicibus, oxymel. scillitic. elleborato Gesneri, Spir. vitriol.* 🜖.

*Purgantia.* Materia præparata conuenientibus medicamentis expurganda, vt agarico, mechoacannâ; quæ in hac febe commodissima est: cùm non solùm pituitam educat, sed & resoluat absque exsiccet, & temperatè ventriculum calefaciat ac roboret: turbith, trochisci alhandal, elect. Indum, diaphæn. diacarthamum, extractum panchymagogum & esulæ, pilulæ de hierâ cum agarico, de agarico.

Sudorem

*Sudorifera.* Sudorem quoque & vrinam cientia hactenus proposita non negligenda; & quidem fortiora in hac febre vsurpanda, ex fœniculo, carduo benedicto, sarsa parillâ, ligno sancto, sassafras, theriacâ, sale cardui benedicti, ebuli. Inprimis ad sudorem ciendum & febrem quotidianam depellendam commendatur radix caua, quæ ʒ.i. vel ℈. iiii. pondere ante paroxysmum in haustu vini ter vel quater exhibeatur, vt æger sudet. Tandémque vt pituitosi humoris generatio prohibeatur, viscera, & inprimis ventriculus roborandus, cùm externis tùm internis medicamentis, vt:

℞. *Conseruæ hyssopi, betonicæ, anthos*, an.℥.i. *cortic. citri condit.* ℥.ß. *rad. condit. helenij, pimpinellæ*, an.ʒ. iii. *spec. aromatici rosati* ʒ. ß. *spir. vitriol.* ℈. ß. *Cum syrup. conseruat. calami aromatici, vel zingiberis in China conditi.* F. Electuar.

## CAPVT XX.

### *De quartana Intermittente.*

*Quartana Intermittens.* Tertia Febrium Intermittentium species est, quæ ab humore melancholico oritur, quæ quòd quartanam periodum obseruat, quartana appellatur: Febris nimirum putrida, intermittens, quarto quôque die recurrens, ab humore melancholico in primis viis collecto & putredinem concipiente ortum habens.

*Melancholiæ differentia.* Melancholicus autem humor non est vnius generis, sed plures humores sub melancholiæ nomine comprehenduntur. Alius nimirum dicitur esse humor melancholicus naturalis, alius præternaturalis. Naturalis primò est crassior sanguinis pars, quæ cum sanguine in venis continetur. Sed hic rectiùs sanguis melancholicus, quàm melancholia dicitur, neque huius febris causa est. Deinde melancholia, & quidem propriè dicitur humor excrementitius, qui tamen secundùm naturæ leges generatur, & secundùm vulgatam opinionem in lienem secedit. Melancholia autem præternaturalis aut potiùs atra bilis (ita enim proprio nomine appellatur) est, quæ ex adustione aliorum humorum fit. Huius differentias quatuor constituit Auicennas. Alia enim ex adustione & torrefactione quasi bilis flauæ: alia ex pituitæ; alia ex sanguinis; alia ex melancholiæ naturalis adustione fit.

Vnde cùm Auicennas eiúsque interpretes scribunt, dari Quartanam biliosam, sanguineam, & pituitosam, id non aliter intelligendum est, quàm has febres fieri ab atra bile, generatâ ex adustione vel sanguinis, vel bilis vel pituitæ salsæ. Et quidem ex bile immediatè atra bilis generatur; cùm verò ex sanguine tenuiore & pituitâ salsa fit humor ater, priùs in bilem, & ex bile in humorem atrum mutari credibile est.

*Quinam humor melancholicus Quartanæ causa sit.* Cùm autem tot sint humoris melancholici differentiæ: quæritur iam; An à qualibet eius differentiâ febris excitari possit: de quâ re alij aliter sentiunt. Alij enim ex his humoribus omnibus febres quartanas oriri statuunt, alij ex melancholiâ solùm naturali febres quartanas prouenire posse; ex iis verò differentiis, quæ ex humorum aliorum adustione & torrefactione proueniunt, nullas febres prouenire posse existimant. Cùm enim atrâ bile nullus humor sit perniciosior, & omnes partes, quas transit, erodat & exulceret, si febrem excitaret, eam non diuturnam, qualis est quartana, sed acutam faceret; tum etiam pessima symptomata inueheret, qualia non apparent in quartanâ. Imò putant, tantam esse huius humoris malignitatem, vt si in corpore generetur, priùs hominem iugulet, quàm putrescat, aut febrem excitet. Vnde etiam Galenum solùm quartanæ, quæ ex humore melancholico naturali fit, mentionem facere censent.

Videtúrque Galenus hoc expresè non decidisse, quo nomine & à Tralliano, *lib.* 12. *cap.* 8. reprehenditur, quasi vnam saltem Quartanæ curationem tradiderit, *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 11. cùm tamen Quartanæ febris non vna sit species, sed alia ex bile flauâ nimiùm adustâ, alia ex feculento sanguine nascatur, quæ curationis modo etiam differant. Nam eam, quæ ab humore melancholico creatur, calefacientibus humectantibúsque iuuari: quæ verò ex nimia bilis adustione prouenit, humectantibus & refrigerantibus. Miratúrque Trallianus, quomodo Gal. in omnibus quartanis non alium victum, quàm qui calefacere & siccare possit, præcipiat; ab iis verò, quæ refrigerant & humectant, abstinere iubeat. Ipse verò diuersam curam præscribit quartanæ à melancholiâ. Nam si æger naturâ calidus sit & siccus, ætate vigens, anni tempus sit æstiuum, curæ, vigiliæ, tristitia, ira, acrium medicamentorum vsus præcesserint; etiam valdè refrigerantia adhibet.

Verumenimuerò etsi possit concedi, quartanam legitimam, seu febrem melancholicam puram tantum prouenire ab humore melancholico naturali: tamen impossibile non est, quin etiam febris quædam Quartana ex humore adusto fieri possit, inprimis si alij humori permisceatur. Tum enim is ita malignus non est: neque etiam semper eiusdem gradûs est humor adustus. Et tales febres quartanæ sunt pleræque eæ, quæ à principio hominem non inuadunt, sed aliis febribus & morbis succedunt. Atque ita se rem habere, signa & symptomata docent, atque illud inprimis, quòd aliquoties quartanas in scabiem, eámque fœdissimam lepræ non dissimilem terminari vidimus.

Neque planè hoc indeterminatum reliquit Galen. cùm, 3. *aph.* 22. atram bilem, ex quâ Quartanæ ortum habent, geminam sortiri generationem, vnam ex flauâ bile retorridâ & perustâ, alteram ex crasso sanguine scribat, quod & 3. *prognost. aphor.* 27. docet.

Neuter tamen hic humor Quartanam producit, antequam putrescat; sed sæpe diu in corpore cumulatur, antequam putrescat. Itaque proxima febris Quartanæ causa est humor melancholicus, in primis viis, circa lienem & vicina viscera, putredinem concipiens. *Causa Quartanæ proxima.*

Remotæ verò sunt ea omnia, quæ ad humoris melancholici & atri generationem faciunt. Vbi enim humores à causâ calidâ quacunque aduruntur, accidit, vt vbi feruor ille desiit, quasi cineres quidam relinquantur, nunc planè frigidi & sicci, nunc caloris alicuius adhuc participes. Hinc euenit, vt quartanæ potiùs post quadragesimum annum, quàm ante, & præcipuè autumno accidant, & tertianæ in Quartanas mutentur. Nam ætate iuuenili & in æstate, inprimis, calidâ & per febres tertianas humores aduruntur, quorum quasi cineres postea accedente ætate & tempore frigidiore in corpore retinentur, tandémque putredinem concipientes Quartanam generant. Generatur nimirum humor melancholicus in iis præcipuè, qui corpus calidum & siccum habent, lienem tumidum, obstructum & imbecillem. In talibus enim crassi & terrei quasi humores colliguntur, & in liene & vicinis locis cumulantur, vel etiam in totum corpus effunduntur. Cumulantur verò ex crassorum ciborum vsu, quales sunt carnes bubulæ, ceruinæ, aprugnæ, sale conditæ & fumo induratæ; pisces ex limosis aquis, olera & legumina, panis non fermentatus, vinum crassum, cereuisia feculenta. Vt enim vinum, cereuisia, aut alius succus crassus & feculentus, dum fermentatur & digeritur, multum fecis deponit: ita & ex crasso & impuro chylo & chymo, dum coquitur, multum feculentæ materiæ separatur. *Remota.*

Acetum etiam melancholico humori generando aptissimum est, ob vires & qualitates melancholiæ similes. Est enim melancholia & præcipuè atra bilis

aceto persimilis, quod insignis acrimonia ostendit, præterquam quòd exsiccat simul & refrigerat. Et diximus antea, in Quartanâ fieri humorum in acidum mutationem; neque aliter fieri è vino acetum, quàm ex sanguine melancholiam, Gal. 3. *de sympt. caus. c.* 2. innuit. Quâ de causâ & Hippoc. 3. *de vict. rat. in acut. t.* 38. melancholicis acetum noxium esse docet: siquidem siue temperiem siue generationis modum spectes, acetum melancholiæ pabulum est. Et omnino locus iste Hippoc. consideratione dignus est, cùm ansam cogitandi de fermentatione & generatione humorum salsorum in corpore nostro præbere possit: siquidem non in alteratione qualitatum primarum Hippocrat. subsistit; sed acidi, amari, fermentationis, exaltationis mentionem facit. Reuera enim hîc, non tam ad qualitates primas, quàm ad diuersas salium naturas respiciendum, quibus multas mutationes perfici Chymia docere potest. Ita autem ille: αἱ ἀπὸ ὄξεος ὀξύτητες πικροχόλοισι μᾶλλον, ἢ μελαγχολικοῖσι συμφέρουσι. Τὰ μὲν γὰρ πικρὰ διαλύεται καὶ φλεγματοῦται, μετεωριζόμενα ὑπ' αὐτοῦ, τὰ δὲ μέλανα ζυμοῦται, καὶ μετεωρίζεται καὶ πολλαπλασιοῦται, ἀναγωγὸν γὰρ μελάνων ὄξος, id est, *Aceti aciditas biliosis naturis magis confert, quàm melancholicis. Amara enim dissoluuntur, & in pituitam transeunt, dum ab ipso in sublime attolluntur.* Nigra verò fermentantur & in sublime attolluntur, & multis partibus augentur. Acetum namque nigra exaltat. Vbi malè redditum vulgò puto: *Educit nigra acetum*: cùm potiùs verti debeat: *Exaltat nigra acetum.*

Ætas generationi melancholiæ apta est consistens & iam inclinans: vita curis ac tristitiâ occupata & studiis ac grauioribus occupationibus dedita. Nulli tamen ætati parcit Quartana, & ætatis rationem non habet, vt scribit Aëtius, *lib.* 5. *cap.* 38. Etsi enim ætas consistens demum melancholico temperamento esse incipiat: tamen, præter temperamentum, causæ externæ & rerum non naturalium vitia & errores tam potentes sunt, vt etiam in sanguineo, vel alio corpore humorem melancholicum generare possint.

Tempus, quo maximè generatur melancholia, est Autumnus; vnde etiam Autumno frequentiores sunt quartanæ. Præsertim si calidam æstatem excipiat, quæ nimio æstu humores adussit; aut Saturnius influxus ac vis accedat: quod anno 1616. accidit; cùm Quartanæ ferè toti Germaniæ essent epidemiæ, & Vviteberge hîc tam familiares, vt etiam infantes modò natos corriperent, quod filio meo tres menses nato tum etiam accidit, & vix domus aliqua esset, in quâ non Quartanarius vnus vel etiam plures decumberent. Quæ Quartanæ etsi à communi aëris constitutione ortum haberent: accedebat tamen contagium, quo seminaria febris in alia corpora transferebantur.

Faciunt etiam hûc suppressæ euacuationes, qualis est præcipuè, quæ per hæmorrhoides fieri solet.

Adusta autem melancholia sensim ac paulatim generatur ab intemperie calidâ & siccâ, de quâ Galenus, *de atrâ bile, cap.* 4. *&* 6. Confertim verò à febrili calore. Per febres enim humor melancholicus & ater contrahitur, vt Galen. 3. *de loc. affect. cap.* 7. *&* 3. *prognostic. cap.* 27. docet. Nam humores febrili calore aduruntur, ac quod de bile restinctum est quodammodo, in atrum humorem vertitur. Hinc ardentes & tertianæ febres, præcipuè si autumnum attingant, in Quartanas desinunt; quod frequentissimè eodem anno accidisse, notissimum est. Si enim adustorum humorum quasi cineres non excernantur, sed permaneant in corpore & incalescant, putrem quandam dispositionem recipiunt. Hinc Aëtius, *lib.* 2. *cap.* 22. Conualescentes à febribus melanagogo egere scribit, vt humoris corrupti fex per assationem crassior reddita expurgetur.

*Signa diagnostica.*

*Signa diagnostica.* Signa huius febris quod attinet, primò sumuntur ea à causis, quæ præcesserunt & modò enumeratæ sunt. Deinde ex illis, quæ præsentem melancholiam arguunt, & humoris melancholici in corpore abundantiam indicant: qualia sunt, faciei, totiúsque corporis color fuscus & nigricans, interdum æqualis, & per totum corpus interdum maculis quibusdam saltem, conspicuus: Habitus corporis siccus & macilentus; aspectus tristior; mœstitia, amor solitudinis: somnus turbulentus; insomnia de rebus nigris, fumis, morte, cadaueribus, sepulchris & similibus tristibus. Vrina, si nihil melancholiæ vnà excernatur, est tenuis, alba: Si verò melancholia vnà excernatur, crassa, liuida & nigra.

*Quartanæ inuasio.* Atque hæc signa melancholiam in corpore arguunt, etsi febris non adsit. Verùm vbi iam melancholia putredinem concepit, & febrem generat, inuadit ea primò cum oscitatione, pandiculatione, & molestâ quadam totius corporis inæqualitate, quam rigor sequitur, qui initio paruus est, vel loco eius solùm refrigeratio & horror. Progressu verò temporis sensim fit maior, donec fiat vehementissimus; qui talis est, qualis accidit iis, qui tempore hyberno refrigerantur, sensúmque exhibet non rei pungentis, sed grauantis & quasi contundentis & confrigentis ossa, quos dolores Græci ὀστοκόπους vocant. Cùm enim materia sit crassior, primò cum impetu moueri non potest: posteà verò sensim attenuatur, vaporésque ab humore melancholico crassi sunt, frigidi & sicci, ossiúmque, quæ crassiore sanguine nutriuntur, membranas ferientes, hos dolores excitant.

*Calor.* Caloris etiam modus ab aliis febribus differt. Succenditur paulatim, neque, vt in tertianis, velut adurens est & æstuosus, sed submissus. Materia enim crassa est & frigida, quæ difficulter putrescit, ac tardè accenditur. Declinatio est cum purâ, simplici & longâ ἀπυρεξίᾳ, adeò vt plerique ægri tempore intermissionis possint ad consuetas operas redire.

*Pulsus.* Pulsus in melancholicâ intermittente febre toto morbi progressu rarus est; in principio tamen valde rarus. Quâ ratione ab omnibus febribus differt, neque vlla alia febris est, quæ pulsum tam tardum ac rarum habeat. Nam arteria videtur quasi ad interiora retracta, neque liberum habere ascensum; quale nihil apparet in tertianis. Et licèt, cum augetur paroxysmus & increscit, fiant pulsûs frequentes & veloces: tamen & tum seruatur ipsorum tarditas ac raritas; & si comparetur pulsus tertianæ in vigore, multò velociores & frequentiores apparebunt pulsûs in tertiana, quàm in quartana. Et licèt, vt suprà etiam dictum, æger sit iuuenis: tamen pulsum habet talem, qualis est in senibus. Bilem non vomunt, qui hac febre laborant, vt qui biliosâ febre afficiuntur. Sudores etsi primis diebus non multi sunt: tamen progressu morbi, attenuatâ materiâ, fiunt sudores copiosissimi. *Vrina.* Vrina in principio alba est, tenuis & aquosa. Humores enim tum adhuc crudi sunt, & quia hic humor reliquis est longè crassior, magnas obstructiones facit, vt vix tenuior pars penetrare possit. Morbo procedente, coloratiores & crassiores redduntur vrinæ; quia materia coquitur, & obstructiones reserantur: & quidem sæpe color & contenta mutantur; quia materia non rarò varia est, eiúsque modò parum, modò multum ad vias vrinæ penetrat. Paroxysmi tempore durationis ferè sunt similes paroxysmis tertianæ; nonnunquam etiam longiores. Sitis non est admodum magna; minor quidem, quàm in tertianâ, maior autem, quàm in quotidianâ. Lien vt plurimùm afficitur, & ad eius affectûs quartana plerumque sequitur. Atque hæc signa in legitimâ febre melancholicâ intermittente omnia manifesta sunt. In

nothâ autem seu spuriâ etiam humoris admixti, seu ad quem humor præternaturalis declinat, notæ apparent, adustúmque humorem indicant grauiora symptomata, calor, sitis, vigiliæ, & symptomata omnia grauiora & periculosiora, quàm in eâ, quæ à naturali melancholiâ ortum habet, & semper paroxysmi referunt aliquomodo & sapiunt reliquias humoris, ex quo melancholia adusta genita est.

## *Prognostica.*

*Prognostica.* Quartana autem omnium febrium longissima est, & sæpe non solùm ad aliquot menses, sed & plures annos extenditur. Æstiuæ tamen sunt breuiores; autumnales verò longæ, maximè, quæ non procul absunt ab hyeme, 2.*aph*.25. Primus terminus est proximum solstitium vel æquinoctium, id est, quarti mensis initium; quo si non soluitur, extenditur ad alterum, siue septimum mensem. Inueteratæ Quartanæ rarò soluuntur, nisi vere, scribit Celsus, *lib*. 3.*cap*.16. propter aëris temperiem & sanguinis dominium, qui melancholiæ planè aduersatur. Si tamen non accidat in eâ error, non addit vltra annum, ait Auicenna. Verùm nonnunquam ad triennium, imò annos duodecim, plurésque durâsse, obseruatum est; & adhuc hodiè inter vulgus reperiuntur, qui ab epidemiâ illâ superiorum annorum quartanâ nondum liberati sunt. Refert Massarias, se vidisse matronam Venetiis, quæ 22. annis quartanâ laborauerat. Et quidem quæ à puro succo melancholico oritur, etsi minùs molesta sit; longior tamen est, quàm quæ à bile admixtâ vel adustâ originem habet: cùm in tertianâ contrarium fiat.

Est porrò Quartana febris quidem tutissima, & periculo carens; Dat enim naturæ inducias sese colligendi diebus intermissionis. Vnde Phauorinus apud Gel. *lib*. 17. *cap*.12. fortunatiorem vocat hanc biduo medio interuallatam febrem, in quâ *μία μητρυιὰ, δύο μητέρες*. Si tamen sit legitima, & sine alicuius visceris affectu hominem inuadit, tuta est. Nam quæ ab atrâ bile prouenit, longè periculosior est; & quæ cum visceris alicuius, hepatis puta aut lienis, grauiore affectu coniungitur, plerumque periculo non vacat, & ægros tandem in hydropem lethalem aut in contumacem scorbutum coniicit. Simplex quoque toleratur faciliùs, quàm duplex vel triplex. Senibus quoque, quibus morbi diuturni commoriuntur, 2 *aph*.39. periculosæ & plerumque lethales sunt hæ febres; quòd calor debilis humorem tam pertinacem vincere nequeat. Sicca etiam corpora ad hecticam ac tabem deducit, eóque faciliùs, quò humor magis adustus est.

Vulgò de eadem etiam traditur, eundem hominem bis quartanâ non affici. Verùm experientia contrarium docet, quâ compertum habetur, eundem hominem bis vel ter quartanâ laborâsse.

Quartana tandem homines liberat ab aliis morbis, & qui quartanâ laborant, magno morbo non corripiuntur, & si priùs corripiantur, ac quartana superueniat, liberantur, vt testatur Hippocrat. 1. *epidem.com*. 5.*t*.3. Et 5 *aphor*.70. *A quartana correpti non admodum conuulsionibus corripiuntur, aut si corripiantur, ac quartana superueniat, liberantur.* Dum enim materia melancholica ad hypochondria & ignobiliores partes vergit, neque ampliùs cum sanguine per venas miscetur, morbi isti soluuntur, aut ægri in eos non incidunt. Præterea vomitu multi mali humores euacuantur: calore etiam febrili diuturniore humores crassi, morborum multorum causæ, attenuantur & absumuntur.

## *Curatio.*

Cùm ergo febris hæc sit longa & pertinax, vt etiam vulgò Medicorum opprobrium & scandalum dicatur, Medicus in eâ curandâ eò maiorem diligentiam adhibeat, atque in id attendat, ne medicamentis importunè datis duplex, vel triplex efficiatur. Id etiam ægro prædicendum, breui febrem hanc curari non posse, & sat citò curari, si sat bene. Rectè autem curabit Medicus Quartanam, si curationem secundùm Indicationes curatorias dirigat. Petuntur verò Indicationes inprimis ab ipsâ causâ morbificâ, quæ est humor melancholicus maximam partem, qui & coqui & euacuari postulat.

Is igitur quia crassus, attenuandus; quia frigidus & siccus, calefaciendus & humectandus; vt crassus, incidendus; vt putridus corrigendus, aut si adustus sit, aliquo modo refrigerandus; quod ex parte docet Al. Trallianus, *libro* 12. *capite* 8. distinctè verò Auicennas, *lib*.4.*fen*.1 .*tract*.2.*cap*.64.65.66. Galenus verò, 1.*ad Glauc.cap*. 11. tantùm exquisitæ Quartanæ Curationem tradit. Deinde medicamentis idoneis euacuandus est. Causæ etiam ipsum gignentes & cumulantes tollendæ; vnde inprimis lienis habenda ratio, qui si obstructus sit, aperiendus; si intemperatus, alterandus; si imbecillus, roborandus. Et omninò *διάθεσις* humorem istum generans; & inquinamentum humores corrumpens tollendum, cùm per contraria alterantia, & ne salsus acidus humor generetur, prohibentia; tùm per discutientia ac sudorifera. Si verò Quartana notha sit, & reliquorum humorum habenda est ratio. Febris ipsa refrigerantia & humectantia iudicat. Vires equidem in hac febre plerumque satis fortes sunt. Earum tamen habenda est ratio, ne nimis citò deficiant, sed ad finem morbi, qui satis diuturnus est, durare possint. Si quoque febri scorbutus, hepatis vel lienis obstructio, aut alius morbus adiungatur, & is secundùm artem tollendus: cùm eiusmodi causis & morbis præsentibus febris tolli non possit. *Indicationes.*

Et quidem ab initio leniter tractanda est hæc febris, vt Galenus, 1.*ad Glauc.cap*.11. monet, nullúmque forte medicamentum primò exhibendum. Qui enim fortioribus medicamentis vtuntur, vt Galenus, *loco allegato*, docet, ex simplici Quartanâ non rarò duplices aut triplices reddunt. Quanquam enim materia sit in primis viis: eius tamen alia longè ratio est, quàm in tertianâ, cuius materia bilis est, humor mobilis, & qui facilè ductum medicamentorum sequitur. Humor verò melancholicus lentâ quasi fermentatione sanguini magis permixtus est; ideóque coctione ac separatione longiore opus habet. Si tamen signa bona apparuerint initio, aut febris ex causâ euidente incipiat, nec humores adhuc valdè inquinati sint, ac dispositio interna humorum & corporis humori melancholico non multum consentiant, Celsi consilium *lib*.3.*cap*.16. non negligendum, qui vomitoriis, purgantibus & aliis periculum initio facit, an febris, ac primò conceptum humoris vitium corrigi, tolli & expugnari possit, antequam reliquum sanguinem inficiat. Vnde etiam Hercules Saxonia statim ab initio in hac febre vomitum tentandum censet, non semel tantùm, sed bis, ac ter. Imò existimat. L. Iouberttus, vt postea dicetur, in principio Quartanæ valentiora purgantia esse adhibenda, quàm in augmento & statu. *Aluum purgantia.*

Si verò Curatio hoc modo non succedit, & febris nihilominus remanet, aliud ex toto sequendum curationis genus, vt idem Celsus, *ibid*. ait, idque agendum, vt quod diu sustinendum est, corpus facilè sustineat.

Ergo quod in aliis febribus fieri solet ac debet, venter primò emolliendus, & primæ viæ euacuandæ, vel medicamentis leuibus per os assumptis, vel clysteribus. Medicamenta ista antè satis nota sunt, atque vsurpari possunt cassia, el. lenit. manna, syr. viol. solutiuus, atque ea vel sola, vel cum aquis bor-

rag. bugloff. ac vbi materia adufta eft, in primis cum fero lactis. Clyfter talis fieri poteft.

℞. *Rad. althaæ, polypod. q.* an. Vnc. ß. *maluæ, mercurialis, parietar. veronicæ, betæ,* an. M. i. *fummit. anethi, flor. chamæm.* an. M. ß. *Ficus nu.* vi. Colaturæ

℞. ℔. i. Adde *Elect. diacathol.* Vnc. i. *ol. lilior. alb. chamæmel.* an. Vnc. i. fem. *falis* Drach. i. F. Clyfter.

Aut exhibeantur medicamenta è mannâ, caffiâ, electuario diacatholico, fyr. de pomis Saboris Regis, foliis fenæ. Fortiora verò locum facilè non habent. Minus tamen periculi eft in vomitoriis, quæ poftea proponentur.

Vbi primæ viæ euacuatæ fuerint, venam, fi cum humore melancholico fanguis abundet, Galenus & Auicennas aperire iubent, quos Medici plerique alij fequuntur. Et monet Galenus, illud attendendum effe, an fanguis, qui fluit, fit craffus & niger, qualis in liene colligitur. Si enim talis deprehendatur, expedit illum copiosè fluere. Nam cùm lien non rectè fefe habet, non attrahit ad fe, vt debet, fanguinem melancholicum: & proinde non parua eius portio reliquo fanguini permifcetur, qui commodè venâ fectâ euacuatur. Idem etiam fieri poteft cùm Quartana à melancholico fanguine aut fanguine adufto oritur. In talibus enim febribus materia adufta ex fanguine maximam partem in venis maioribus continetur, & propterea venæ fectione magna eius pars euacuari poteft. Licèt enim tunc proxima Quartanæ Intermittentis caufa in dictis hypochondriorum locis confiftat; præter eam tamen non exigua quoque melancholiæ portio in fupremas venas diffufa eft, quam venâ apertâ educere vtile & neceffarium eft, ne materiam peccantem & obftructiones in hypochondriis augeat & foueat. Sin autem fanguis effluens tenuis & flauus appareat, ftatim fupprimendus eft. Tunc enim humor melancholicus & peccans circa lienem, hepar & in ramis venæ portæ atque hypochondriis continetur, qui venâ in brachio apertâ educi non poteft.

*Tempus venæ fectionis.* De tempore venæ fectionis non omnes Medici idem docent. Plurimi fimpliciter cum Galeno in principio poft primarum viarum euacuationem venam aperire iubent, vt euacuatâ parte materiæ, quod reliquum manet, faciliùs concoquere poffit; reprehenduntque Auicennam, quafi fentientem poft ftatum morbi & coctionem humorum venam aperiendam effe. Verùm vix puto Auicennam id fenfiffe, vt poft ftatum demum morbi in declinatione venæ fectio inftituatur, fed potiùs rem diftinctè propofuiffe videtur, hoc modo. Si fanguis in venis abundet, fanguinifque aliqua euacuatio fuppreffa fit, venæ fint turgidæ, corpus graue, & alia adfint, quæ fanguinis euacuationem requirunt: commodiffimum eft, vt à principio, euacuatis tamen priùs primis viis, venæ fectio inftituatur; fin autem quartana ortum habeat à melancholiâ melancholicâ purâ, vt Auicennas loquitur, id eft, fi abfque fanguinis abundantiâ, caufa febris tota ferè circa lienem & in venis mefaraicis continetur, tum non mox à principio vena eft fecanda; cùm hoc modo de causâ morbificâ nihil tollatur, fed potiùs humor melancholiæ contrarius, bonus fcilicet & laudabilis fanguis, temerè & fine causâ educatur, & craffus ac vitiofus in primis viis relinquatur; fed tempore digeftionis, vt docet Auicennas, id eft in progreffu morbi & coctione iam apparente. Non quòd ad venæ fectionem coctio humorum requiratur, fed quòd materia per coctionem aliquo modo attenuata & in fuperiores venas deducta fanguini permifceatur. Quo tempore etiam vrinæ craffiores apparere incipiunt. Hoc enim modo venæ fectione pars materiæ febrilis tollitur, vt natura reliquam partem faciliùs fuperare poffit.

*Qua vena aperienda.* De venâ quoque aperiendâ non omnes idem fentiunt. Galen. bafilicam vel medianam brachij finiftri aperire iubet, quem plerique fequuntur. Aëtius verò, *tetrab. 2. ferm. 1. cap. 84.* diftinctionem adhibet, & liene affecto in finiftro brachio, fi verò hepar afficiatur, in dextro brachio venam aperire iubet. Quam diftinctionem breuitatis ftudio Galenum omififfe putant nonnulli. Sunt alij, qui Aëtium reprehendunt, & Galen. defendunt, eumque non breuitatis ftudio dextri brachij mentionem non feciffe, fed ftudiosè eam omififfe putant: cùm in dextro brachio vena commodè in quartanâ aperiri non poffit, fed folùm in finiftro aperiri debeat. Atque ita iftâ de re fentiunt. Ea femper vena aperiri debet, quæ ex loco, in quo fanguis, qui naturam tanquam onus premit, proximè, quantum fieri poteft, euacuat: At in Quartanâ locus, in quo melancholicus fanguis abundat, eft circa lienem. Etfi enim accidere poffit, vt hepar fit calidum & ficcum, fanguinémque naturâ craffum gignat: tamen ille in hepate, venifque illi propioribus non remanet, fed ad lienem tranfmittitur. Atque eâ de causâ femper in omni Quartanâ in finiftro brachio venam aperiendam cum Galeno cenfent.

Verùm fi rem diligenter perpendamus, & ea, quæ ex Thaddæo Duno, *in Inftitut. pag.* 951. propofuimus, neutra opinio planè fatisfacit. Etfi enim vena aperienda fit, quæ ex loco, in quo fanguis vitiofus collectus eft, plurimum & proximè eum exhaurit; & hoc etiam negari non poffit, lienem fanguini defecando inferuire, & in quartanâ laborare: tamen de hoc adhuc quæftio eft: An vena in finiftro brachio aperta propior fit lieni, & plus ex eo euacuet, quàm vena dextri brachij aperta; cùm, vt hoc ipfo loco rectè ait Hercul. Saxonia, venæ omnes ex hepate ortum ducant, & lien cum venâ cauâ non nifi mediante hepate connexionem habeat. Prætereà licèt accidat, vt lien obftructus aut fanguine melancholico nimis repletus fuum officium non faciat, fanguinémque feculentum non recipiat, atque is eâ de causâ in venâ cauâ fanguini reliquo permifceatur: tamen caufa nulla eft, cur potiùs fanguis ille melancholicus faltem reliquo fanguini in venis finiftri brachij, non verò quoque in ramis dextri brachij permifceri debeat. Neque aliquam euidentem aliam caufam video, cur finiftri potiùs, quàm dextri brachij vena eligenda fit; nifi forfan quis hîc non tam ad manifeftos venæ cauæ ductûs, quàm fimpliciter ad συμπνοίας & illud κατ' ἴξιν atque occultos meatûs, per quos dextra dextris, finiftra finiftris confentiant, refpicere velit.

*De Saluatellæ fectione.* Deinde plerique fectionem faluatellæ feu venæ minimo digito proximæ in finiftro brachio commendant. Ifta fententia cùm aliis minùs probetur, & eam examinare libet. Galeno ifta opinio ignota non fuit: eam tamen faltem recitat, non approbat. Ita enim, *lib. 3. de adminiftrat. anat. cap. 5.* fcribit: *Reliqua pars venæ, quæ paruum digitum adit, dum obliquum cubiti perreptat, ramum quendam exilem ad pofteriora medij digiti tranfmittit: mox bifariam fciffa, alterâ parte mediam digiti medij & annularis regionem ingreditur, quam nonnulli in finiftrâ manu fecantes, finentéfque fanguinem ex eâ effluere, quoufque vltrò fiftatur, lienem ex tali euacuatione iuuari cenfent.* Et, de curand. rat. per fangu. miff. c. 14. *Sicut nec fi quis fummâ in manu aut pede venam fecet, quemadmodum putant, qui lienem curari aiunt à venæ ad fecundum paruum digitum fitæ fectione.* Atque alibi, vbi ex profeffo de curatione lienis agit, nullam huius venæ mentionem facit, fed folam venam in cubito aperire iubet. Vt ita Galenus fectionem

nem saluatellæ neglexisse videatur. Eandem sectionem & ratio dissuadere videtur. Nam sanguis melancholicus crassus est, vt per tam exilem ramum commodè euacuari non possit. Deinde nullum iste ramus cum liene peculiarem consensum habet.

Contrariam verò sententiam qui defendunt, rationibus destituuntur, & vix aliud, quod afferant in medium habent, nisi experientiam. Verùm nec ista ad hanc sententiam defendendam sufficit, & satis firma est. Nam primò, cùm ratio huius venæ aperiendæ nulla dari possit, necessarium est, vt occulta aliqua proprietas vel in ipsâ venâ, vel in sanguine, qui in eâ continetur, insit: quorum neutrum sine temeritate adfirmari potest. Deinde nec experientia satis certa est. Nam antiqui Medici plerique omnes de aperiendâ hac venâ nullam mentionem faciunt, vt & doctissimi ex iis, qui superioribus seculis vixerunt. Licèt igitur nonnulli liene affectis huius venæ sectionem profuisse dicant: tamen istis hoc primò cum Galeno, 3. *aph.* 11. opponendum: *Etsi*, inquit Galenus, *expertus fuerit sex vel septem homines aliquâ medicinâ purgatos, dicere non poterit, quòd omnes postea homines eâ ex necessitate purgabuntur.* Et 7. *de comp. med. sec. gen. cap.* 4. *Quare*, inquit, *si quis post me æquè studiosus & veritatis amator fuerit, ne temerè ac subitò, vbi bis terue vsus expertusue fuerit, ferat sententiam.* Deinde vt sit certa experientia, & vt omnis effectus alicui auxilio adscribatur, ipsum solum vsurpatum fuisse necessarium est. Nam si plura simul in vsum trahantur auxilia, atque aliquis effectus inde subsequatur, cui is tribuendus sit, dubium est. Id quod etiam in sectione saluatellæ locum habet. Nam si alia plura præcesserunt remedia, & postea saluatella quoque aperiatur, atque æger inde meliùs habeat, certè soli saluatellæ apertæ effectus is assignari non potest. Vnde autem opinio ista de venâ saluatellâ originem habeat, ex Aretæo colligere licet, qui *lib.* 2. *de acut. morb. cur. cap.* 2. ita scribit: *Sin à liene sanguis feratur, sinistræ manûs venam illam, quæ inter minimum annularémque digitum sita est, rescinditur: quandoquidem nonnulli Medicorum, eam ad lienem vsque pertingere arbitrantur.* Verùm opinio ista falsa est; cùm & iste ramus à cubiti venis propagetur. Et licèt apud Hippocratem, Galenum, aliósque Medicos plurimis in locis in lienis affectibus venam in manu sinistrâ aperiendam esse legatur: tamen manûs nomine brachium intelligunt. Consuetum enim est Medicis, vt manûs nomine, si id absolutè & sine additione summæ seu extremæ ponatur, totum brachium intelligatur, vt ex *lib.* 3. *de admin. anat. cap.* 5. *&* 6. tùm aliis locis videre est. Vnde & Auicennas, 4. *primi doctrina* 5. *cap.* 20. sex manûs venas aperiri dixit, & tres inter eas præcipuas supra brachij curuaturam.

*Præparantia & concoquentia.* Sanguine euacuato, materia præparanda & concoquenda est. Quibus autem medicamentis hoc fieri debeat, non adeò planum est. Galenus calidis & siccis vtitur, vt medicamento è tribus piperibus, & quod diaspoliticum appellatur. Recentiores plerique longè aliis vtuntur, nimirum humectantibus & calefacientibus, vt borragine, bugloss. Syr. de pomis. Imò Alexander Trallianus, *lib.* 12. *cap.* 8. Galenum reprehendit, quòd sine discrimine talia calefacientia adhibeat. Etsi autem humor melancholicus frigidus sit: non tamen necessariò etiam siccantibus indigere scribit; cùm frigidus & siccus sit: sed potiùs calefacientibus & humectantibus. Nam calefacientia & exsiccantia terrestres magis & multò quàm prius crassiores efficiunt humores, dum humiditatem, quæ in iis est, exsugunt absumúntque, vt natura ideò recrementa tardiùs excoquat. Ipse verò distinctione vtitur, & eam quartanam, quæ ab humore melancholico procreatur, calefacientibus & humectantibus curat: eam verò, quæ ex nimiâ bilis adustione prouenit, humectantibus & refrigerantibus iuuat. Ne ergò in hac parte peccetur, diligenter humoris, qui peccat, natura peruestiganda est. Nam si quartana ex melancholiâ naturali solâ vel admixtâ bile atrâ quoque ortum duxerit, primò ferè saltem humectantia adhibenda sunt; cùm id siccissima huius humoris natura requirat. In actiuis verò qualitatibus leniora omninò in principio adhibenda sunt, neque fortiter vel calefaciendum vel refrigerandum, sed temperata potiùs vel temperatis proxima eligenda. Et inprimis si adusti humores abundent, non valdè calefaciendum; cùm tales humores potiùs refrigerantia, aut saltem attemperationem desiderent. In morbi verò progressu, vbi humores iam coqui incipiunt, vt faciliùs educi possint, incidentibus & attenuantibus opus est. Vbi autem humor pituitosus admixtus est, etiam ab initio aliquid attenuantium & incidentium admiscendum est. Et omninò in pituitæ admixtione audaciùs calefacere & incidere licet.

Ex quibus patet, quòd licèt siccantia admisceantur, non tamen ea ideò adhibentur, vt siccent, sed quia cum siccitate coniuncta est vis incidendi & abstergendi: ideoque talibus semper humectantia, qualia sunt borrago, buglossum glycyrrhyza, &c. addimus, & vix à præparantibus humectantia abesse possunt. In refrigeratione autem aliqua obseruanda est differentia, prout materia alicuius vel nullius caliditatis est particeps, & propterea in materiâ adustâ biliosâ copiosiùs refrigerantia adhiberi debent.

Talia sunt; *borrago, buglossum, violæ, melissa, capillus ♀, endiuia, cichorium, fumaria, radic. glycyrrhizæ, althéæ, filicis, cichorij, ceterach, lingua ceruina, chamædrys, chamæpitys, carduus benedictus, radices aperientes, polypody, cortices tamarisci, capparum, radic. centaurij maioris, flor. & sem. genistæ, viticis, fraxini, citri, ocymi, radix gentianæ.* Atque hinc parati Syrupi, aquæ, conseruæ, decocta, extracta; & vbi pertinaciores obstructiones sunt, *limatura & tinctura chalybis, ammoniacum, extract. splenis bouis, medicamenta è tartaro parata adiunguntur.* Quibus in morbi progressu, ob metum scorbuti, meritò additur *cochlearia, bekabunga, nasturtium*, & alia medicamenta scorbuto conuenientia, vt: *Medicamenta alterantia in quartanâ.*

♃. *Syr. borrag. byzantini f.* an. Drach. vi. *Aq. endiuiæ, borrag.* an. Vnc. i. sem. Misce.

Vel ♃. *Rad. cichor. borrag.* an. Vnc. sem. *cortic. tamarisci*, Drach. i. Coqu. *in iusculo Gallinæ.* detur haustus, qui aliquoties repetatur.

Aut vbi calor coniunctus est.

♃. *Aq. cichor. fragor. borrag.* an. Vnc. i. *Syr. endiu. byzantini. f.* an. ℨ. vi. Misce.

Repetantur talia per octiduum, vel quamdiu opus est.

Possunt & ista medicamenta formâ Electuariorum exhiberi, vt:

♃. *Consf. borragin.* Vnc. ii. *cichorij.* Vnc. ß. *rad. condit. cichor.* Drach. vi. *Cort. citri condit.* Vnc. ß. *specier. diarrhodi abb. lætific. Galeni*, an. Scrup. i. *Cum Syrupo borrag. tunicis, vel violarum.* F. Electuarium.

Postea interiecto leni purgante ad fortiora accedendum. Nam in morbis talibus diuturnis per vices humores concoquere & euacuare oportet.

Vt ♃. *Rad. polypod. q. aperientium*, an. Vnc. ß. *Cortici, tamarisci, rad. cappar.* an. Drach. ii. *linguæ ceruinæ, chamæpit. ceterach, Capill. ♀, fumariæ, flor. borraginis, violar.* an. M. ß. *genistæ* P. ii. *sem.* 4. *frig. mai.* an. Drach. i. *Passularum* Drach. vi. Coqu. *in s. q. aq.* Colaturæ *clarificatæ.* ♃. ℔. i. Adde *Syr. byzantini f. de scolopendr. de fumaria, de succo borraginis*, an. Vnc. i. ß. Misce.

Dosis Vnc. iiii. manè, diebus intermissionis.

Vel ℞. *Rad. aperient.* an. Vnc. ß. *bugloſſ.* Drach. vi. *cichor.* Vnc. ß. *polypod. q.* Drach. vi. *Cortic. tamariſci.* Vnc. ß. *Ceterach, chamædr. chamæpit. borrag. fumariæ, cardui benedicti,* an. M. i. *cortic. citri*, Vnc. ß. *flor. borrag. bugloſſi, geniſtæ*, an. M. ſem. *epithymi* Vnc. ß. *Paſſul.* Drach. vi. *glycyrrh.* Vnc. ß. Coqu. *in ſ. q. a.* Colaturæ *clarificatæ* Adde *ſacch. alb. q. ſ.* F. Syrupus, cuius Vnc. i. *vel* Vnc. i. ß. cum aquâ vel decocto conueniente propinari poteſt.

Vbi ad ſcorbutum morbus declinare incipit.

℞. *Cortic. tamariſci, radic. cappar. fraxini, polypod. q.* an. Vnc. ii. *radic. aperient.* Vnc. i. *chamædryos, chamæpitios, ceterach, Cardui bened. flor. geniſtæ, centaurij min. ſambuci, bugloſſ.* an. M. i. *epithymi* Vnc. ſem. Macerentur omnia in *ſeri lactis caprini* ℔. i. *vini albi* ℔. ii. Deinde colentur & exprimantur. Colat. adde *ſucci fumariæ, naſturtij aquatici, cochleariæ*, an. ℔. ſem. *trochiſc. de cappar. de laccâ*, an. Drach. vi. Deſtillentur. In deſtillato cremor vel cryſtalli tartari diſſoluantur.

*Radices iuglandis.* Steghius ad Quartanam & alias febres longas valdè commendat decoctum radicum iuglandis, cum aliis conuenientibus herbis paratum. Eaſdem & alij laudant, & in aceto ſcillitico macerant, decoctáſque cum ſyr. roſ. ſolutiuo exhibent. Habent enim vim attenuandi, abſtergendi & viſcera roborandi.

Commendatur etiam valde; coctione iam appropinquante, Syrupus de pomis Regis Sabor.

Laudatur & oxymel elleboratum Geſneri:

℞. *Oxymel. elleborat. Geſneri* Drach. vi. *Syrupi borraginis.* Vnc. ſem. *Aq. endiuiæ, borrag.* an. Vnc. i. ſem. Miſce.

Vel ℞. *Trochiſc. de capp.* Drach. i. *de abſinthio* Scrup. ii.

Cum ſucco fumariæ vel endiuiæ, aut extracto vel ſucco gentianæ F. Pilulæ, quæ diuidantur in partes duas, & exhibeantur diebus intermiſſionis.

Commendantur hîc & cryſtalli ac cremor tartari, & tartarum vitriolatum.

Eſt & vtile hoc decoctum.

℞. *Tartari albiſſimi loti.* Vnc. iii. *Radic. cichorij, polypod. q. cortic. tamariſc. rad. capp.* an. Drach. vi. *ſem. geniſtæ* Vnc. ſem. *cuſcutæ, capil.* ♀, *chamædryos. flor. bugloſſ. borrag.* an. M. 1.

Contundantur groſſo modo: adde mellis ℥. iiij. Aq. pluuiæ deſtillatæ vel ſeri lactis ℔. iii. vel q. ſ. Deſtillentur in vitro per arenam ad medietatem, & colentur.

Colat. refrigeratæ & filtratæ adde ſpiritum deſtillatum, & ſi libet, etiam ſalem ex remanentiâ ſ. artem paratum.

Laudatur à Libauio, *lib. 7. Syntag. arc. Chymic.* Antimelancholicum hoc.

℞. *Tartari albiſſimi* Vnc. ſem. Coqu. *in aquâ chalybeatâ aut vino per infuſionem chalybis medicato* ℔. ii. *aut circiter, donec ſoluatur.* Colaturæ *adde Spiritûs vitrioli* Drach. i. *oxymelit. ſcillit.* ℔. ſem. *Syr. violar.* Vnc. iii. *vel.* iiii.

Detur cyathus ad præparationem & alterationem factâ euacuatione.

*Raporum decoctum.* Ioan. Crato decoctum raporum commendat è conſilio Guainerij, qui ſe Abbatem quendam feliciùs rapis, quàm aliis medicamentis curâſſe ſcribit. Sic autem Crato decoctum hoc exhibet. Primùm corticem exteriorem detrahi iubet; deinde coquit; jus primum abiicit, aliam aquam affundit, & iterum ad mollitiem coquit. Hinc ſuccum exprimit, & butyrum ſ. ſ. cum ſaccharo addit. Si flatulentus ſit æger, addit caryophyllos inciſos. Matutinis horis dat v. nucleos perſicorum mundatos; atque in iſtâ curatione diebus 15. plerumque perſiſtit.

Materiæ coctio & euacuatio per vices & interualla repetenda eſt, & quidem purgatio die ante paroxyſmum inſtituenda, vt materia paroxyſmum factura tollatur. Omnes autem Medici ſuadent, vt initio leniora purgantia adhibeantur, poſtea fortiora: Ioubertus tamen, *de cur. quartan. interm. exquiſitæ*, contrarium ſentit, & in principio Quartanæ valentiora purgantia adhibenda eſſe docet, in augmento & ſtatu mitiora; eâ de causâ, quòd cocta iam attenuataque materia ſuâ ſponte ductum medicamenti purgantis facilè ſequatur, imò ſæpe à ſolâ naturâ feliciter abſque medicamentorum ope expellatur: Deinde quòd in principio mitiora ſint ſymptomata, viréſque magis integræ; contrà morbo procedente vires magis debilitentur. Verumenimuerò cum Medicus naturæ imitator eſſe debeat, quæ priùs coquit, & poſtea expellit: meritò & Medicus in principio, & vbi adhuc materia parùm cocta eſt, imitari naturam debet, & mitiore ſaltem aliquo medicamento illud, quod coctum eſt, euacuare, non fortiore totam materiam crudam turbare. Poſtea verò, vbi materia iam concocta & motui apta eſt, vt rectè & perfectè euacuetur, Medicus valentioribus medicamentis vti debet. Et licèt per vires in principio purgare liceat: tamen cruditas materiæ id prohibet. In morbi progreſſu verò quamuis vires debiliores ſint: tamen purgatio ipſis parum incommodi affert; cùm debito modo ſubtractâ materiâ febris remittat, atque ipſa purgatio die quietis inſtituatur.

Leniora igitur ſunt, ſyrupus de pomis Regis Sabor, de epithymo, de foliis ſenæ, de fumariâ compoſitus.

Vt ℞. *Rad. polypod. q.* Vnc. 1. ß. *Ceterach* M. ß. *flor. borrag. bugloſſ.* an. P. i. *epithymi. paſſul.* an. Vnc. ß. *fol. ſenæ.* Drach. vi. *Cortic. citri.* Drach. i. Infund. *in ſ. q. aq.* Colat. ℞. Vnc. iiii. Adde. *Syr. de pomis Regis Sabor, vel de epithymo* Vnc. ß. *tartari vitriolati* g̃. v. Miſce.

Vel ℞. *Caſſiæ rec. extr.* Drach. vi. *pulu. ſenæ præpar.* Drach. ß. *cremor. tartari* Scrup. ß. *Cum ſacch.* F. Bolus.

Vel ℞. *Pulu. ſenæ præpar.* Drach. i. *viol. purpur.* Scrup. i. *Zingiber. glycyrrh.* an. Scrup ß. F. Puluis.

Detur cum iure carnis, vel alio conuenienti liquore.

Vbi fortioribus locus eſt, vtilis eſt Syrupus de pomis cum elleboro nigro Ioan. Cratonis, & oxymel. helleboratum Geſneri.

℞. *Succi pomor. dulc.* ℔ i. ß. *borrag. meliſſæ*, an. ℔. ß. *flor. borrag. violar.* an. P. i. *fol. ſenæ, epithymi. Cortic. ellebori nigri præparat.* an. Vnc. ß. Coqu. lento igne: *Cum ſacch.* F. Syrupus. In quo ſuſpendatur nodulus ex *cinamom. caryophill. croci, ſpecier. aromat. roſati, diamoſchi dulc.* an. ℈. ß. Huius ℥. ii. *vel* iii. Addatur *mannæ elect.* ℥. ß. *vel* ℥. i. *ac parum iuſculi gallinæ.* & propinetur 3. horis ante prandium.

Vel ℞. *Succi pom. dulc.* ℔. ß. Infund. *fol. ſenæ el.* ʒ. ix. *cortic. elleb. nig. præpar.* ʒ. vi. *ſem. ocymi contuſi* ʒ. ii. Colat. adde *ſacch. q. ſ.* F. Syrupus.

Cuius cochl. i. atque alterum pluribus diebus aſſumatur.

Vel ℞. *Rad. borrag.* ʒ. vi. *polypod. q.* ℥. i. *glycyrrh. raſæ* ℥. ß. *cort. rad. capparum, tamariſci*, an. Drach. ii. *fumariæ, ceterach, linguæ ceruinæ, cuſcutæ, cichorij,* an. M. ß. *ſem. fœnic.* Drach. i. *citri* Drach. ß. 4. *frig. mai.* Drach. ß. *fol. ſenæ el.* Vnc. ii. *rad. elleb. nigri præp.* ʒ. i. ß. *epithymi* Vnc. ſem. *Zingiber.* Drach. 1. *cortic. citri* ʒ. ii. *flor. borrag. bugloſſ. geniſtæ.* an. M. ſem. Stent in infuſione per noctem: poſtea lento igne Coquant. Colat. ℞. ℔. 1. quæ aromatizetur *cinam.* Drach. i. ſem. *Eius* ℞. ℥. iii. Adde *Syr. de pomis, de ſucco borrag. de fumaria,* Drach. iii. F. Hauſtus.

In robuſtioribus naturis confect. Hamech & diaſena reliquis purgantibus addi poteſt: Conceduntur & pilulæ de lap. lazuli.

Vel

Vel ℞. *Extr.elleb.nigri* Drach.ſem.*ſyr.de pomis regis Sabor* ℥.ſem.*aq.borraq.*℥.i.ſem.Miſce.

Vel ℞. *Pil.aggregat.*℈.i. *vel.*℈ ſem. pro virium robore. *Extr.panchymagogi,ellebor.nigri.* an.℈.ſem.F.Pilulæ xviij.

Syrupum P.Andr.Matthioli, in quo ferè omnia medicamenta huic morbo conuenientia coaceruata ſunt, Vide *lib.3.Epiſt.*

Efficaciſſimæ ſunt in melancholicis affectibus & pilulæ,quas Quercetanus tartareas melanagogas appellat, & *cap.14 pharmacop.reſtit.*deſcribit.

Sunt & vtiles pilulæ illæ de ammoniaco.

℞. *Aloës*℥.ii.*gummi ammoniac. aceto diſſoluti, myrrhæ,* an.Drach.ii.*maſtiches,ſpec.diatrionſantal.*an.Scr.ii.*croci* Scr.i.*trochiſc.de cappar.*Scr.ii. *ſalis fraxini,abſinthij,* an. Scr.i. *Cum ſucco roſar.* F.maſſa pilularum. Platerus has commendat.

℞. *Aloës* Drach. ii. *myrrhæ* Drach. ſem. *epithym.* Drach.ii.*rad.gentianæ,aſari,* an. Drach.ſem. *gummi ammoniaci aceto diſſol.*Scr.ii. *ſem.petroſel.* Drach.ſem. *rhabarb.el.* Drach.i.ſem. *ſpicæ* Scr. i. *cum ſucco abſinthij* F. maſſa , de qua exhibeantur Scrup. ii. vel plus , ſi opus:

Verùm hæc in genere ſatis deſcribi non poſſunt, ſed pro præſenti ægri ſtatu , & humorum , qui abundant , ratione, medicamenta neceſſaria præſcribenda.

Et quia morbus hic diuturnus eſt & pertinax , & continuo medicamentorum vſu vires debilitantur,vtile eſt , nonnunquam aliquandiu quieſcere & naturæ negotium committere, & poſtea rurſum ad præparantia & purgantia accedere.

*Vomitoria.* Vtilis & in his febribus eſt vomitus , qui , vt ſuprà dictum eſt, nunc poſt cibum ſumptum ad cauſam antecedentem tollendam,nunc ante paroxyſmum ad materiam paroxyſmum facturam tollendam inſtituendus eſt. Scribítque Hercul.Saxonia,ſe nihil præſtantius inueniſſe in Quartanâ , quàm ipſam vomitionem , atque illam ſe non prætermiſiſſe in principio , aduentantéque ſtatu repetiiſſe,ac præbuiſſe decoctum radicum raphani cum oxymelit.ſ.& ſcillitico, & ſingulis acceſſionibus vel ſaltem alternis excitâſſe vomitum à cibo , & poſtea præbuiſſe ʒ.i.theriacæ. Quod ad imitationem Galeni feciſſe videtur , qui , *lib. de theriac. ad Piſon. cap.15.* die ante paroxyſmum à cœnâ vomitorium exhibet,poſtridie manè ſuccum ſeu dilutum abſinthij, & duabus horis ante paroxyſmum theriacam.

Vomitoriorum autem materia ſuprà fuit enumerata. Si mitiora placent,poterit propinari decoctum ſem.raphani & anethi ℥.v.pondere, cum oxymelitis ℥.i.Fortiora fiunt ex aſaro & gratiolâ. Antiqui Elleborum album propinabant : ſed nimis forte eſt medicamentum. Tutiùs licet vti vitro ♁.gr. iiii. vel plurium pondere in vino infuſo,vel croco metallorum appellato, vel floribus ♁,vel floribus è vitro ♁,paratis : quibus remediis non rarò, pertinaces quartanæ tolluntur.

Poſt vomitum ventriculum roborantia exhibenda.

*Hæmorrhoidum apertio.* Plurimum verò commodi ex hæmorrhoidibus apertis ſperandum eſt. Nam cùm Medicus Naturam imitari debeat:natura verò in iis, qui ſuccum melancholicū accumulare conſueuerunt , hæmorrhoides aperire ſoleat, fluxúſque harum venarum à multis morbis ex humore melancholico & aduſto natis præſeruet & liberet:Medicus naturam imitari & operam dare debet , vt hæmorrhoides aperiantur ; quod fit cùm aliis modis, tum per hirudines.Commodiſſimè verò in hunc finem vſurpantur, quæ lienem aperiunt, quæ antea ſunt propoſita:inter quæ principem facilè locum hîc obtinent chalybs & aloë.

De medicamentis vrinam cientibus in ſpecie aliquid addere opus non eſt. Præparantia enim & aperientia illa fortiora,quæ antea propoſita ſunt,idem præ re apta nata ſunt.

Tandem poſt inſtitutas purgationes per aluum & vomitum , calida quædam medicamenta exhiberi ſolent, quæ reliquias humorum diſſipant , calore & partium tenuitate augmentum frigoris prohibent,humorémque febris cauſam , iam eſteruеſcere incipientem, diſcutiunt & conſumunt , atque hoc modo paroxyſmum vel imminuunt,vel, ſi materia paucior ſit, prorſus tollunt. Vnde horâ vnâ atque alterâ ante paroxyſmum talia exhibentur. Eadem intemperiem longo morbo contractam corrigunt,habitum corporis malum emendant,& ventriculum ac omnia viſcera diuturnitate morbi debilitata roborant. *Diſcutientia reliquias & ſudorifera.* Galeno duo inprimis ſunt in vſu ; medicamentum ex ſucco Cyrenaico & theriaca. Medicamentum ex ſucco Cyrenaico deſcripſit Aëtius,*tetrab.2.lib.8.cap.84.*℞. nimirum *ſucci cyrenaici, piperis,myrræ Trogloditicæ, fol. rutæ virid.an.p.æq.Singula ſeorſim leuiſſime teruntur & rutâ cum melle tritâ excipiuntur , fiúntque pilulæ,de quibus aliis obulus vnus, aliis duo exhibentur.*

*Succus Cyrenaicus.* Cùm autem dubitetur , An ſuccus Cyrenaicus ſit benzoë ſeu aſa dulcis appellata hodie , aut quid omnino medicamenti apud antiquos fuerit:tutiùs Theriaca, vel , quod aliis , qui theriacam magis venenis appropriatam putant , magis arridet , mithridatium Drach. vnius pondere cum vino albo tribus vel pluribus horis ante paroxyſmum,ſemel in ſeptimanâ,exhibetur.

Eſt etiam efficax & longo vſu iam probata radix gentianæ.Nonnulli tribus horis ante paroxyſmum exhibent caſtorei & myrrhæ an.Drach.ſem.cum vini albi aquâ borrag.dilut.℥. iii. & quartanas hoc modo plurimas fuiſſe ſanatas ſcribunt, ſi tribus vel quinque vicibus aſſumatur.

Vel ℞.*Myrrhæ, caſtorei,opopanac.gentianæ,abſinthij,* an. Scr. i. *cum mithridatio & ſucco gentianæ.* F. Pilulæ xxviii. de quibus per horas 2. ante paroxyſmum æger ſeptem deglutiat.

Geſnerus ad Quartanas laudat Antidotum Saxonicam. Aliqui commendant decoctum clinopodij Matthioli ex vino:alij ſeptem ſemina calendulæ in vino albo propinant. Vtilis eſt omnino, vt dictum, in his febribus ſuccus , aqua & extractum gentianæ. Carduus quoque benedictus, quocunque modo exhibitus , ſeu in decocto,ſeu puluere,ſeu extracto,ſeu ſale,ſeu ſyrupo ſeu aquâ,in Quartanâ & aliis febribus longis maximè prodeſt;ſicut & abſinthium.

*Sudorifera.* Huc pertinent & ſudorifera.Quanquam enim nonnulli in Quartana , quòd melancholia ſit humor craſſior, quàm vt in vapores reſolui queat; ſudorifera exhibenda non cenſent: tamen quia melancholici ſero abundant, & Quartanarij in declinatione ferè ſudore tantum non diffluunt : Natura omninò in hoc motu imitanda , & ſudorifera etiam exhibenda ; qualia ſunt plurima ex iam propoſitis,theriaca,mithridatium, carduus benedictus,antidotus Saxonica,ſal & extract.cardui ben.abſinth.puluis & extr.gentianæ,& eius generis plurima paſſim nota.Inter ea laudatur & hoc.

℞. *Mithridatij* Scr. iiii. *ſucci plantag. depurati* ℥.ii M.Detur ante acceſſionem.

*Aſarum.* Inprimis verò commendatur aſarum,ſi folia cum radice in puluerem redigantur , & pulueris huius ℈. iiii. cum aliquot granis piperis horâ vnâ ante paroxyſmum cum vino generoſo exhibeantur,ægérque in lecto ſtragulis coopertus vomitum & ſudorem expectet ; Quin & finito paroxyſmo plerúmque aluus deiicitur. Idque bis vel ter repetatur. Propoſuit hoc medicamentum Pedemontanus,*in lib.1.ſecretorum,*his verbis: *Sume vini Cretici poculum vnum,& aſari pulueriſati* ʒ.ii.*Miſce, bibe calidè,& in lectum ingredito,panniſque te inuoluito, vt optimè ſudare poſſis. Cum autem ſudaueris, ſumito ſaluiæ,rutæ,burſæ paſtoris* an.P.i.*aceti albi parum, omnia optimè contuſa ſupra brachij pulsûs ligentur , & cum ſic per diem integrum relicta fuerint,remoueantur, ac tertiò iterentur , præſertim febris acceſſione inſtante. Quibus factis*

*fieri non poteſt, quin gratiâ Dei liberetur æger perfectè. Quidam enim cum ſemel tantum hoc feciſſent, fuerunt reſtituti, quidam cum ſecundò remedia adminiſtrarent, omninò liberati.*

Hæc tamen omnia, vt dixi, cum cautione adhibenda, ſcilicet poſt ſtatum, & coctione peractâ, ac humore ſatis euacuato, vt id, quod reliquum eſt, attenuetur & diſcutiatur. Nam ſi humore adhuc crudo, craſſo & copioſo exiſtente talia medicamenta exhibeantur, liquabunt quidem & mouebunt humores, ſed cùm eos planè diſcutere non poſſint: ex ſimplici duplicem aut triplicem Quartanam efficient.

*Appropriata Quartanæ.* Huc pertinent pleraque etiam, quæ à proprietate prodeſſe dicuntur; cùm tamen plerorumque ratio non incommodè reddi poſſit ex eo, quod reliquias humorum diſcutiant, attenuent & viſcera roborent. Sic ſuccus abſinthij cum aceto commendatur & ſatis efficax deprehenditur; ſuccus item verbenæ cum vino. Nonnulli propinant radic. Imperatoriæ ℨ.i. cum vino horâ vnâ ante paroxyſmum. Alij laudant plantaginis radic. quatuor, vel pentaphylli folia 4. cum vino ſumpta. Verbenæ item ſupinæ quartum à terrâ geniculum cum adiacentibus foliis; quod tamen ſuperſtitioſum videtur. Laudatur & hoc,

℞. *Succi abſinthij recentis, ℨ.ii. theriacæ ℨ.i. vini albi potent. ℥.i.*

Miſce & da ægro tribus horis ante inuaſionem, quod ter vel quater repete. Chymici hîc commendant ſalem ammoniacum ſublimatum à gr. iii. ad ix. cum cereuiſiâ calidâ exhibitum. Ægyptij, vt refert Alpinus *de Medicina Ægyp. lib. 4. cap. 15.* ante acceſſionem exhibent drachmam pilularum, quas parant *ex agarici, gentianæ, caſtorei myrrhæ, rutæ,* an. ℨ.ii. *piperis longi, calami aromatici, croci,* an. ℈.iiii. *theriacæ antiquæ* ℨ.iii. *cum ſyr. de granatis dulcibus.* Alij ex iis exhibent drachmam agarici cum myrrhæ ſcrupulo diſſolutam in decocto pulegij. Crollij ſpecificum è cochlearum teſtis etiam mulierculis noſtris diu notum fuit. Sed an id, quod ei adſcribitur, præſtet, cuilibet experiri facile eſt. Nonnulli commendant hauſtum aquæ roſarum ante paroxyſmum. Verùm monet & annotauit Foreſtus, *lib. 3. obſ. 32. & 35.* quòd, niſi vomitu reiiciatur inſignem dolorem & anguſtiam circa præcordia excitare ſoleat. Commendatur & tanquam ſingulare ſecretum & experimentum, *in Epiſt. a Laur. Scholtzio collectis, epiſt. 245.* & ab aliis, cor leporis. Verùm non ſemper prodeſſe experientia ipſa me & alios docuit.

*Cor leporis.*

*An paroxyſmum impedire liceat.* Sunt qui & opiata ac narcotica ante paroxyſmum exhibent. Sed niſi eadem & aliâ facultate prædita ſint, non tutò exhibentur. Etenim cùm facultatem expultricem ſopiant ſaltem & obtundant, inſtantem paroxyſmum & materiæ ac naturæ motum quidem inhibere poſſunt, ſed non ſine periculo ac ægri damno; cùm humores vitioſi in corpore retineantur, atque obſtructiones pertinaces, atque alios periculoſos morbos generent.

Interim ſemper etiam proſpiciendum viſceribus, & danda opera, vt illa roborentur. Ac propterea ea exhibenda, quæ coctionem iuuant humorémque melancholicum alterant. In principio conueniunt rotulæ diarrhodi abb. aromatici roſati, diamargariti, Conſerua borrag. bugloſſ. anthos; poſtea confectio diaxyloaloës, lætificans Galeni, alchermes; tandem diatrionpiperon, diaſpoliticum, diagalanga, theriaca, mithridatium. Commendantur & trochiſci de capparibus, de abſinthio, de rhabarbaro, quorum antea facta eſt mentio.

*Scorbuti curatio.* Et cùm non rarò ſcorbutus quartanis, vt & tertianis diuturnæ hæ febres feliciſſimè medicamentis ſcorbuto dicatis curantur, de quibus ſuo loco dictum.

*Rigorem mitigantia.* Ad Symptomata, & inprimis rigorem & horrorem, qui ſæpe magnus eſt, & ægrum valdè moleſtat, mithridatij vel theriacæ, aut ſimilium, quæ modò recenſuimus, aliquid ante paroxyſmum exhibetur.

Extra verò ſpina dorſi inungenda oleo chamæmelino, anethino, coſtino, rutaceo, irino, de piperibus, laurino cum theriac. mithridatio. Vt

℞. *Theriac.* Vnc.ß. *caryophyl.* Drach.i. *caſtorei* Scr.i. *Ol. Laurini, chamæmel.* an. Vnc.i. F. linimentum.

Addi etiam poteſt aliquid ſpiritûs vini rectificati.

Vel ℞. *Nitrum diſſolu. in oleo chamæmel. anethino, amygdalar. amar. caſtorei,* Inungatur eo ſpina dorſi.

*Emplaſtrum ad abdomen.* Cætera Topica quod attinet, applicanda ea ſunt illis partibus, quæ febrem præcipuè fouent.

Commendatur tale emplaſtrum,

℞. *Abſinthij pulueriſati, picis, pinguedinis porci* an. ℔.i.

Pix & pinguedo diſſoluantur ſuper prunis, & admiſceatur abſinthium, vt inde emplaſtrum fiat; Quod illitum linteo imponatur ſtomacho & toti abdomini, & ante dies quinque non amoueatur.

*Topica ad lienem.* Inprimis verò lienis habeatur ratio, cui idonea fomenta, inunctiones & emplaſtra, ex racicibus althææ, cortic. radic. cappar. tamariſci. flor. & ſem. geniſtæ, ſemine agni caſti, lini, ſummit. anethi. flor. chamæmel. meliloti, ol. de cappar. lilior. albor. amygdal. amarar. ammoniaco, bdellio, emplaſtro de meliloto & ſimilibus, applicentur.

Vtilis eſt valdè in hoc genere Geniſta.

℞. *Flor. geniſtæ q. v.*

Immergantur in *ol. chamæmel. vel de cappar. ſ. q.* & ſtent in ſole vel loco calido per dies aliquot: poſtea calefiant ſuper igne, & colentur, atque additâ *ceræ ſ. q.* fiat vnguentum.

Si efficacius habere cupis, oleo, poſt primam infuſionem colato, noui flores immergantur, atque iterum aliquandiu macerentur & colentur.

Vel ℞. *Flor. geniſtæ q. ſ. & coq. ad mollitiem, miſceantúrque cum vnguento dialthææ.*

Licet etiam addere ammoniacum aceto diſſolutum.

Tandem & ea medicamenta, quæ ſuprà in curatione tertianæ carpis & pulſuum loco applicari diximus, hîc non ſine commodo nonnunquam applicantur. Et memini ipſe ante biennium hîc ciuem, cùm toto autumno & hyeme quartanâ laboraſſet, tandémque acutiſſimos in ſiniſtrâ ſcapulâ dolores perciperet, mulieris cuiuſdam perſuaſu, ranunculum carpo applicaſſe, & puſtula excitatâ, à febre & dolore liberatum fuiſſe. Cæteris quoque membris, ſi opus ſit, proſpiciendum.

*Duæ de Quartana obſeruationes. Febris quartana ſextuplex. Quomodo fiat.* ¶ [Anno 1620. in Autumno, inuaſit iuuenem habitu melancholicum quartana, quæ totum annum durauit, & tandem ſextuplex facta eſt in Autumno, anni 1621. vt ſingulis diebus bis ferè laboraret, manè, hora nona vſque poſt meridiem, & veſperi, hora octaua. Quæ autem tot paroxyſmorum vnius febris cauſſæ ſint, è generali doctrina de duplici & triplici quartana, ſuperiùs tradita, patet. Si enim materia febrium intermittentium cauſſa, quam in primis viis generari, atque initium etiam putredinis ibi concipere, ſuprà, *cap. 17.* docuimus, vno in loco hæreat, atque ita vnus febris fomes ſit vel locus, è quo materia prodit, ſimplex tertiana vel quartana excitatur. Si verò pluribus in locis materia contineatur, & putreſcat, totidem etiam tertianæ & quartanæ oriri poſſunt, quot illa loca ſunt. Vnde accidere poteſt, vt non ſolùm tertiana ſingulis diebus inuadat, verùm etiam vno die ſemel, altero bis, imò vtroque bis, atque ita quadruplex fiat, & quartana non ſolùm duobus diebus affligat, vno intermittente, quæ duplex quartana eſt, ſed etiam ſingulis diebus ſemel inuadat, quæ triplex quartana eſt; imò ſingulis diebus bis, quæ ſextuplex eſt quartana, qualis in noſtro ægro fuit. Nimirum quot fomites vel foci ſunt, in quibus materia, febris intermittentis cauſſa, generatur, & putreſcit, & vbi putreſcere incipit, paroxyſmum

xyſmum excitat, tot febres fiunt.

*Quartana ex ſcabie intrò recurrente.* Eodem anno 1621. iuuenis quindecim annorum ſcabie fœda, ſed in manibus tantùm, laborabat. Hunc quotieſcunque ſcabies ceſſabat, febris quartana corripiebat. Vbi rurſum ſcabies fumariâ, helenio, pimpinellâ, & ſimilibus vſurpatis erumpebat, quartana euaneſcebat. *Ratio rei.* Cauſſa huius rei etiam ex iis, quæ de loco materiæ febrem excitantis in intermittentibus, ſuprà *cap.* 17. dicta ſunt, patet. Etſi enim locus, qui cauſſam febribus primò ſuppeditat, quem focum & fomitem febris appellant, in venis meſaraicis ſit, & circa viſcera ventris inferioris: tamen à natura ex eo loco materia non ſolùm in venam cauam, ſed & porrò in externas corporis partes detruditur, & ſi natura tam potens ſit, vt eam planè ex fomite expellere poſſit, febris ceſſat. Vnde ſi puſtulæ & vlcuſcula circa os & labra oriuntur, febris tertiana ceſſat: quartanæ ſæpe ſcabie terminantur; quod & in iuuene iſto accidit, in quo vbi natura præcipuè medicamentis adiuta, materiam febris cauſſam, ad manus protrudit, febris ceſſauit; vbi verò natura tam potens non fuit, vt materiam è fomite illo, & ad conſueta loca expellere potuerit, febris rediit.

### *Diæta.*

*Diæta.* Diætam in hac febre quod attinet, cibi ſint boni ſucci, coctu faciles, & qui minimum humoris melancholici generent; imò melancholiæ generationi aduerſentur. Aliàs victus ſit humectans: qui tamen ſimul vim attenuandi habeat, & obſtructionibus reſiſtat. Vt enim medicamenta calida & humida ſolùm exhibita non poſſunt ſuperare craſſitiem humoris: ita & victui extenuandi vis neceſſaria eſt. Vbi humor aduſtus admiſcetur, cibus magis inclinet ad refrigerandum & humectandum; ita tamen vt vi craſſa attenuandi non deſtituatur.

*Cibi.* Conueniunt ergò oua ſorbilia, pulli gallinacei & gallinæ, caro hædina, vitulina, perdices, piſces ſaxatiles, lucius, amygdalæ dulces, vuæ paſſæ, poma dulcia, pruna, ptiſana hordeacea, rapum item diligenter coctum. Cibi condiantur borragine, bugloſſo, radice fœniculi, petroſelini, capparibus; cinamomo, croco. Acetum etſi vim incidendi & attenuandi habeat: tamen, quia atram bilem & melancholiam fermentare ſolet, non conuenit.

Abſtinendum verò à cibis, qui craſſum & viſcidum ſuccum generant, quales ſunt carnes porcinæ, bubula, piſces plerique, caro fumo indurata, legumina, panis furfuraceus & craſſus, ac ſimilia.

Auicennas monet, vt primis tribus aut quatuor paroxyſmis victu tenuiore æger vtatur; cùm in principio morbi materia copioſior ſit & craſſior. Deinde, ſecundùm præceptum Hippocratis, victus paulò craſſior, ob ſtatum remotiorem, concedatur, & hinc versùs ſtatum tenuior præbeatur. Diſtinctione tamen hac in re opus. Nam conſiderãdum, an quartana ex ſe inceperit; an verò febrem vel alium morbum inſecuta ſit. Etenim ſi per ſe ſine morbo præcedente inceperit Quartana, hæc victûs ratio conuenit. Si verò quartana poſt alium morbum prouenerit, ſimpliciter ſecundùm Hippocratis præceptum, primò victus craſſior exhibendus, atque ſenſim versùs ſtatum de eo aliquid detrahendum. Non enim conſultum eſt, vt vires præcedente morbo debilitatas tenuiore diætâ ab initio inſtitutâ magis debilitemus. Si æger id ferre poſſit, commodiſſimum eſt, vt die paroxyſmi nihil cibi ſumat: qui tamen inediæ aſſueti non ſunt, & ieiunium facilè non ferunt, iis aliquid cibi liquidi & facilis coctionis poſt paroxyſmum exhibendum.

*An cibi inſalubres ægro concedendi.* Cùm verò ægri in morbo tam longo exactæ diætæ pertæſi interdum cibos quoſdam, non ſatis aliàs commodos auidè expetant, & vulgò feratur; vſum ciborum, etſi prauæ ſubſtantiæ, ſed auidè expetitorum, à quartana nonnullos liberâſſe: Quæritur, An à medico tales cibi ægris concedendi ſint. Sciendum verò etſi per accidens fieri poſſit, vt talium ciborum eſu ægri à febre liberentur, quia ſc. natura, quæ auidè appetit, faciliùs concoquit, & ex cibis rectè concoctis pauciora excrementa generantur; vel quia cibus, qui appetitur & copioſè ſumitur, melancholiæ eſt contrarius & minimum melancholici ſucci generat; vel quia cibo copioſiùs ſumpto onerata natura per vomitum, ad quem copiâ cibi incitatur, vnà cauſam morbificam excludit: tamen cùm eundem effectum nemò ſibi certò polliceri poſſit, & accidere queat, vt natura grauata cibum illum non bene concoquat, indéque plus excrementi generetur, morbuſque augeatur: non facilè tale aliquid ægro indulgendum eſt.

*Tempus cibi exhibendi.* Tempus cibi exhibendi id obſeruandum, quod in genere omnibus intermittentibus Hippocrates, 1. *aph.* 11. præſcribit: *In ipſis exacerbationibus cibum adimere oportet: nam præbere noxium. Et cùm per circuitum redeunt morbi, in ipſis acceſſionibus abſtinendum.* Et ibid. aph. 19. *Quibus per ſtatos circuitus acceſſiones fiunt, nihil dare, nec cogere, ſed demere ante indicationes oportet.* Etenim perpetuum eſt, vt Celſus, *lib.* 3. *cap.* 5. habet, cibum quàm maximè ſemper ab acceſſione futurâ reducere, & hoc ſaluo dare quàm integerrimo corpori. Ideóque danda opera, vt paroxyſmus ingruens, imò morbus & efferueſcentia humorum, quæ ante ſenſibilem paroxyſmum ſæpe ſatis diu antecedere ſolet, vacuum ventriculum inueniat. Nam qui cibi tunc dantur, non corpori, ſed febri alimentum ſunt. Multæque & tertianæ & quartanæ prolonganтur, non ſuâ naturâ, ſed diætæ erroribus, atque iſto inprimis, quòd ægri inſtante paroxyſmo, cibo non abſtinent.

*Potus.* Potus ſit vinum album, tenue, maturum, non auſterum; aut cereuiſia probè defecata, quæ ventriculum non inflet, nec terreſtribus fecibus aut craſſitie obſtruat. Condiatur eadem, vt & vinum, meliſsâ, linguâ ceruinâ, veronicâ, roremarino, atque inprimis abſinthio.

Atque hæc de curatione quartanæ febris ſufficiant. Licèt enim pleraque intermittentem exquiſitam reſpiciant: tamen eadem facilè quoque nothis accommodari poſſunt. Vbi bilis admixta eſt, aut febris ab aduſto humore prouenit, borrago, bugloſſum, endiuia, fumaria, capillus ♀, epithymum, ſerum lactis caprini conuenit. In purgantibus rhabarbarum additur. In quartanâ, quæ pituitam admixtam habet, calefaciendum, vt in aliis quartanis; ſed minùs humectandum. Conueniunt nimirum radices aperientes, ſyrup byzantinus, de duabus radicibus, de 5. radicibus, de corticibus citri, &c.

Quantum tandem ad Quintanas, ſextanas, ſeptimanas febres, & alias, quæ periodos, quàm quartana, longiores habent; cùm omnes ſeu ab humore melancholico, ſeu certè qui in humorem atrum & aduſtum iam degenerat, aut humorem atrum admixtum habet proueniant, non aliter, quàm quartanæ, curantur, & propterea de iis in ſpecie nihil addimus. Hoc enim ſemper obſeruandum, in curatione febrium plus ſemper ad naturam humoris peccantis, quàm ad periodum reſpiciendum eſſe, & ad humorem ex ſuis ſignis cognitum, curationem dirigendam.

## CAPVT XXI.

### *De Febribus compoſitis & Semitertiana.*

*Febres compoſitæ.* Atque hæ ſunt febrium ſimplicium differentiæ, præter quas compoſitæ quædam reperiuntur. Nihil hoc loco dicemus de complicatione febrium cum aliis morbis, vbi ſcilicet febri alius morbus non febrilis coniungitur; quod fit, cùm vel febris alij morbo ſuccedit, vel cum febris alium morbum quaſi comitem ſibi adſciſcit, vt cùm febris pleuritidi coniungitur, vel cùm febri nouus aliquis morbus ſuccedit, vt cùm febri hydrops

drops coniungitur:sed solùm de eâ compositione, cùm febris cum febre connectitur; quod fit variis modis. Nam febres aliæ appellantur ab Autoribus confusæ, aliæ implicitæ.

*Compositiones febrium modi.*
*Febres confusæ.*

*Confusæ* sunt,quando duæ febres eodem tempore incipiunt,& definunt,vt vix discerni possint. Ortum habent eæ febres ex humoribus diuersis inter se confusis; ita tamen,vt licèt eodem loco contineantur, simúlque putrescant, quilibet propriam naturam seruet. Vnde etiam hæ febres omnia symptomata & signa confusa habent,vt neque caloris modo,neque aliis symptomatis discerni possint.Verùm non sine causâ dubitatur,an dentur tales febres; cùm vix credibile sit, humores diuersos confusos in eodem loco putrescere posse, vt vterque suam naturam retineat.Fernelius *libro de febr. capite* 2.ad confusas febres etiam nothas refert,v.g.tertianam notham, quæ ex bile & pituitâ pariter corruptis fiat. Verùm febres nothæ non sunt compositæ. Nam licèt notha febris ex duobus humoribus eodem tempore & loco putrescentibus oriri possit: ita tamen illi duo humores sunt mixti, vt vnum mixtum constituant,& vnâ formâ contineantur:vnde etiam cùm mixtus ille & ex duobus aggregatus humor putrescit,simplex febris est,mixtam tamen ac mediam naturam quasi referens.Si autem humores duo ita in eodem loco coniungantur & putrescant, vt confusi potiùs, quàm verè mixti sint,& vterque suam naturam, vt vulgo docetur,obtineat.febris confusa oritur.

*Febres implicitæ.*

Implicitæ autem febres sunt,quæ ita coniunguntur & concurrunt,vt vtriusque natura seorsim,& vtriusque symptomata ac signa peculiariter animaduerti possint. Complicatio autem illa fit pluribus modis.Nam primò putrida cum non putridâ coniungitur, vt dum hectica putridæ complicatur. Deinde putrida cùm putridâ; & id quidem rursum pluribus modis.Nam continua continuæ misceri potest. Fernelius quidem, *de febr.c.*15. hoc negat, & continuam cum continuâ saltem confundi, non autem complicari posse docet; & absurdum esse existimat, quod Auicennas scribit,vnius continuæ putredinem ex vno loco,alterius ex altero effundi,cùm reuera in vtrâque humores putrescant in venis maioribus, in hisque agitati permisceantur. Idem alij etiam docent,& si humor aliquis in venis putrescat, per reliquum vniuersum,qui in venis continetur,putredinem serpere censent;cùm & venæ sint continuæ,& humores in iis contenti sibi continui. Verùm contrà alij hanc opinionem,neque sine causâ, reiiciunt. Nam licèt venæ sibi continuæ sint,& v.g.bilis,quæ in iis putrescit, sibi continua sit:tamen suprà dictum est,periodicas febres, quales etiam sunt continuæ, fieri partibus determinatis affectis. Vnde mirum non est, materiam, quæ febribus continuis materiam suppeditat,ex diuersis locis effundi, hanc ex vno, illam ex alio. Fieri etiam potest,vt omnes partes bilis ad putredinem suscipiendam æquè aptæ non sint,atque accidere,vt duæ partes bilis locis seiunctæ,ad putredinem dispositæ sint; ea autem portio bilis, quæ medium inter has locum occupat, ad suscipiendam putredinem apta non fit,atque ita si duæ illæ partes putrescant,duæ etiam fient febres continuæ, & accidere potest;vt cùm febris,quæ ex vnâ parte bilis accensa est, nonnihil iam remittit, altera ex aliâ parte bilis putrescente incipiat. Et quod de bile diximus, idem de aliis humoribus dici potest,vt nimirum in diuersis locis materia contineatur,atque vnius corruptio ex vno loco,alterius ex alio effundatur.

Deinde implicantur Intermittentes cum Intermittentibus:& quidem Intermittentes vel eiusdem generis,vel diuersi complicantur. Eiusdem generis complicantur,quando plures ex vnâ specie humoris, diuersis tamen in locis putrescentis, ortæ ægrum inuadunt, quæ paroxysmi quidem tempore variant, symptomatibus tamen ferè conueniunt. Tales febres sunt duplices vel triplices Tertianæ, duplices Quotidianæ, duplices vel triplices Quartanæ.Deinde implicantur febres Intermittentes diuersi generis,sed rariùs,vt Tertiana intermittens cum Quotidianâ intermittente, quâ qui laborant,singulis quidem diebus febricitant; altero tamen semel,altero bis.Ita obseruatum est,tertianam Intermittentem coniunctam fuisse quartanæ Intermittenti, quâ febre mixtâ qui laborant, tertio & quarto quoque die febricitant. Tertiò implicatur continua cum intermittentibus. Continuarum autem cum Intermittentibus complicatio duplex est. Aut enim implicatur tertiana Intermittens quotidianæ continuæ: aut intermittens quotidiana miscetur tertianæ continuæ, & vtraque appellatur πυρετὸς ἡμιτριταῖος, seu febris semitertiana,de quâ postea in specie.

Istam doctrinam,vt suprà etiam diximus non vndiquaque approbat Simon Simonius.Ita enim, *in Synopsi de humoral.febr.nat.* scribit: *Scripsit Gal. lib. de typis c.*1.*Idiotarum hoc esse, vt cùm viderint aliquem quolibet die accessionem experiri, imaginationem quandam periodi quotidianæ concipiant.Nos tamen longè meliùs sapere,& acutiùs cernere opinamur idiotas istos,quàm eos, quos cùm febrim simili typo quotidie accedentem viderint, aut dissimili, duarum tertianarum, vel trium quartanarum, aut nescio, cuius monstrosi hemitritæi errabunda phantasia subit.*Verumenimuerò,vt libenter concedimus Simonio, in febrium naturâ definiendâ non tam ad periodos, quàm ad humoris naturam respiciendum esse,& febrim, quæ quotidianas habet exacerbationes, quotidianam nominari posse: tamen omnes febres, quæ quotidiè affligunt, simplices esse, non concedimus; atque ipse diffiteri non potest, vbi febris non vnius humoris genium & naturam præ se tulerit,rectè implicatam appellari. Imò etsi vnus humor specie sit:tamen si in diuersis locis putrescat,& periodos per vices sibi respondentes habeat, & illa febris rectè composita nominari potest.Id quod in quartanâ manifestè apparet,quæ quandoque, cùm triplex est, singulis diebus inuadit; hinc, cùm vno die intermittit, duobus diebus affligit, vno quietis die interiecto; tandem planè simplex redditur.

Porrò compositionis febrium modos Auicennas, *prima quart.t.*4.*cap.*16.tres ponit,& compositarum febrium triplicem differentiam constituit, Subintrantes, Coalternas,& Communicantes.*Subintrantes* febres appellat eas, cùm alterius paroxysmus incipit, antequam prioris paroxysmus desinit: *Coalternas* nominat illas, cùm vno paroxysmo finito, mox post breue interuallum alius incipit. *Communicantes* denique eas quarum vnius paroxysmus mox post alterius paroxysmum incipit.

*Compositionis febrium modi.*
*Subintrantes febres.*
*Coalternæ.*
*Communicantes.*

De his febrium compositarum modis obseruandum, secundum Intermittentium proprium;reliquos autem duos continuis cum Intermittentibus communes esse. Subintrantes verò febres etsi plerumque ex tertianarum Intermittentium implicitarum numero sint: tamen etiam continuæ sæpè tales esse possunt.Nam cùm sanguini multi vitiosi humores sæpè admisceantur; cùm in eo accenditur putredo,primò id,quod ad putredinem suscipiendam magis aptum est,putrescit, à quo deinde putredo in reliqua sensim propagatur; & quia humores vitiosi sæpè vno in loco non continentur, neque eodem tempore putrescere incipiunt, sed alij priùs,alij deinceps, prout magis aut minùs ad putredinem dispositi sunt:& ita plures febrium insultus,ac, vt appellant, introitùs fiunt, sic vt vnâ nondum sublatâ, alia exoriatur. In quo etiam ob focum materiæ diuersum dissimilia symptomata concipiuntur;aliasque magis per lumbos molestia percipitur,aliàs præcordia magis æstuant, aliàs lipothymia infestat, aliàs capitis dolor,vigiliæ,deliria,prout in hac vel illâ parte magis humor putrescit.Hinc & fallaces sæpe prædictiones fiunt. Nam quamuis vnâ parte humorum concoctâ, vrinæ iam coctæ & bonæ appareant; tamen paulò post aliâ

parte

parte humoris putrefcente,poft coctas vrinas aliæ crudiores fequuntur.

Foret autem longius,nec operæ pretium,fi iftæ omnes compofitæ differentiæ explicandæ effent, cùm ex fimplicibus compofitæ facilè pateant;& nonnullæ fint rariffimæ. Itaque exempli loco faltem de femitertianâ, & de duplici ac triplici tertianâ, de duplici ac triplici quartana,& quotidianâ duplici aliquid dicemus.

*Signa compofitarum febrium.* Signa tamen compofitarum differentiarum in genere quod attinet, ex fignis quidem fimplicium cognofcere compofitas adeo operofum non eft; inprimis tamen compofitas arguit reditus rigoris, horroris aut frigoris poft eius quietem. Quòd fi planè continuæ & fimplices videantur febres,attendendum, an poft rigorem fudor fubfequatur. Nam fi in febre, quæ continua videtur, rigor fiat, & fudor non fubfequatur, aut fortè poft plures rigores vnus fudor, fignum eft, febrem illam non effe fimplicem, fed compofitam. Nam in Synochâ rigor non apparet, nifi crifis tempore, quem fudor fequitur. Deinde etiam pulfus febris compofitæ indicium exhibet. Nam quamuis febres quædam continuæ videantur: fi tamen fæpius fiat pulsûs contractio, illa noui paroxyfmi, motúfque materiæ noui indicium eft.

## *De Semitertiana.*

*Semitertiana.* Quia autem inter Febres compofitas præcipuè notabilis eft femitertiana, de eâ diligentiùs paulò dicemus.Febris,quæ Græcis πυρετὸς ἡμιτριταῖος dicitur, eodem nomine etiam à Latinis antiquis appellata fuit;vt ex Q. Sereni verfib.apparet:

*Mortiferum magis eft, quod Græcis Hemitritæum:*
*Vulgatur verbis: hac noftrâ dicere linguâ.*
*Non potuere vlli,puto nec voluêre parentes.*

Pofteriores tamen Latini Semitertianam nominârunt. Dicitur etiam πυρετὸς φρικώδης, id eft, febris horrida,non quod cum horrore incipiat, quod multis febribus commune eft,fed quòd,vt poftea etiam dicetur, toto durationis tempore horrores ipfi fint familiares. De nomine autem hoc notandum, non ita effe appellatam hanc febrem, quafi dimidia tertiana fit: fic enim *Vnde dicta.* vulgò dictio *Semis* additur iis quibus integra deeft perfectio, atque ita dicitur femuncia, femicirculus, femihora: fed in femitertianâ integra adeft tertiana, atque fymptomatum multitudine & vehementiâ longè deterior eft,quàm tertiana.Verùm ita appellata eft,refpectu ad totius febris compofitionem, cuius fcilicet pars dimidia tertiana,dimidia quotidiana.Atque ita dici femitertianam cenfent, ficuti dicitur femibos, femiafinus, femiuir. Verùm neque in femiafino integra afini natura eft, neque in femiboue & in femiuiro integra viri & bouis natura.In femitertianâ verò febre & integra tertiana, & integra quotidiana adeft & ex vtraque febris hæc componitur,vt communis eft fententia.

Verumenimuerò quænam fit febris huius natura obfcuriffimum eft; cùm nec antiqui nec Recentiores hac de re confentiant.Agathinus enim,vt Gal.2.*de febr. cap*.8. teftatur, omnes febres tertianas intermittentes, quæ producuntur ad horas 24. vel 36. hemitrithæos appellat.Cui affentitur Celfus,*lib*.3.*cap*.9. Archigenes etiam tertianis & quotidianis intermittentibus idem nomen tribuit, vt *ibid*. Galenus docet. Galenus verò ftatuit, femitertianam continuam effe, quæ ex duabus febribus,tertianâ & quotidianâ,alterutrâ intermittente vel continuâ, copulata conftat, quem pofteriores Medici plerique fequuntur. Verùm & de femitertianâ etiam hoc modo acceptâ,funt quædam controuerfiæ.

*Semitertiana qualis febris.* Primò enim de hac febre dubitatur, an fit complicata vel confufa; & nonnulli quidem confufam effe cenfent, eò quod in vafis vterque humor confundatur, ac neque propria tertianæ,neque quotidianæ figna appareant, fed ex duplici harum febrium genere veluti quoddam mixtum & confufum oriatur. Verùm rectiùs fentiunt ii, qui implicitam effe febrem ftatuunt; cùm tertianæ natura integra & non confufa ex paroxyfmis tertio quolibet die inuadentibus appareat.Cùm autem febris biliofa cum pituitosâ,quatuor modis poffit commifceri,& quotidiana continua cum tertianâ continuâ, aut intermittens cum intermittente,aut continua tertiana cum intermittente quotidianâ, aut intermittens tertiana cum quotidianâ continuâ coniungi poffit:folùm tertiana intermittens mixta quotidianæ continuæ,verè & propriè dictam femitertianam parit. Nam cùm Hippoc.1.*epid.comm*.1.*t*.23. febres femitertianas appellet horrificas feu horridas, ex duabus continuis non componetur. Tales enim febres complicatæ non erunt horridæ: cùm febres continuæ vix rigorem vel horrorem habeant. Appellat verò Hippocr. febres horrificas feu horridas, non quòd initio folùm acceffionis horror appareat,fed quòd toto durationis tempore horrores vigeant. Neceffe eft itaque vt febris femitertiana ex duabus febribus componatur,quarum altera fit continua, altera intermittens. Etfi verò ex tertianâ continuâ & quotidianâ intermittente etiam febris fiat continua & horrida,quæ continuitatem ex bile, horrorem ex pituitâ habet: non tamen verè & propriè dicta erit femitertianâ; quamuis etiam fuo modo femitertiana appellari poffit: fed propriè dicta femitertiana oritur ex quotidianâ continuâ & tertianâ intermittente;continuitatémque ex pituitâ,horrorem verò ex bile habet. Nomen verò à tertiana potiùs accepit, quòd manifeftiora fint tertianæ fymptomata. *Febres horridæ.*

Propriè verò dicta femitertiana tribus modis fieri poteft.Nam vel pituita excedit bilem, vel bilis fuperat pituitam, vel par eft vtriufque copia:atque hæc vltima non folùm propriè dicta, fed & legitima ac maximè exquifita femitertiana eft, ac fymptomata quafi media habet. Si verò alter humor abundet, etiam febris ex illo humore ortæ maior vis erit, & fymptomata omnia huius humoris naturam magis redolebunt. Vt fi bilis abundet,rigor potiùs adeft,quàm horror,calor feruidior erit, magifque ad ἀκμὴν feftinabit,fitis & vigiliæ erunt maiores, aliquid etiam per vomitum vel fudores euacuabitur.Si autem pituita prædominabitur, frigus potiùs aderit,quàm horror.Pulsûs funt quodammodo coarctati, & tardi, febris tardiùs inualefcit, neque inde quicquam notatu dignum excernitur. *Semitertiana quot modis fiat.*

Etfi verò etiam in tertianâ nothâ bilis & pituita fimul putrefcit:tamen inter eas eft differentia. In tertianâ nothâ ex vtroque humore vna humoris forma emergit, & in vno loco ille humor mixtus putrefcit: in femitertianâ verò vterque humor feorfim putrefcit. Itaque vt hæc fummatim complectamur, eft ex vulgatâ fententiâ femitertiana febris, ex continuâ quotidiana & tertianâ intermittente compofita; quâ de causâ nunquam ad ἀπυρεξίαν peruenit: tertio tamen quolibet die cum horrore inuadit. Rigor enim in horrorem, degenerat, quòd flaua bilis à pituita remittitur. *Semitertianæ & tertianæ nothæ difcrimen.*

Deinde etfi hæc ita vulgò doceatur:tamen quia non folùm antiqui & Recentiores de febris huius naturâ non planè conueniunt.verùm etiam mixtura illa febris tertianæ & quotidianæ,bilifque ac pituitæ non femper locum habere videtur, multóque grauiora in hac febre adfunt fymptomata, maiúfque periculum, quàm quod folùm ex pituitæ & bilis mixtione prouenire poffit: ego quæ mea hac de re fit fententia, liberè proponam, fuum cuilibet tamen liberum iudicium relinquo.Equidem non negauerim,febres tales ex continuis & intermittentibus complicatas dari poffe, libentérque concedo cum Platero, fimul & eodē tempore in venis mefaraicis & venâ cauâ humores putrefcere poffe, ac quidem vario modo, & diuerfitate materiæ, vel tertianas vel quartanas fimplices aut duplices, nothas aut legitimas cum continuâ complicari, febrefque, quæ varias

exacer

stimas cum continuâ complicari,febréſque, quæ varias exacerbationes & mutationes in ſymptomatibus habent,excitari poſſe.Modò hoc obſeruetur,non neceſſarium eſſe, vt vna harum febrium ſemper ſit Quotidiana. Sunt enim Quotidianæ febres raræ omnino & ſemper longæ : cùm ſemitertianæ ſæpè ſint ſatis frequentes, imò interdum epidemiæ, & non ſemper diuturnæ.Ideò ſufficit,vt vna ſit intermittens, altera continua,cuiuſcunque etiam generis:quo modo illæ de variis differentiis & gradibus controuerſiæ tolluntur.Verùm his omnibus conceſſis, ſum in eâ ſententiâ,etiam febres naturâ ſuâ intermittentes , tertianas præcipuè, ſeu ſimplices,ſeu duplices,ſeu triplices,vel etiam,ſi cui ita libet,quotidianas,Semitertianas dici poſſe.Eas ſcilicet , in quibus cauſæ morbificæ pars aliqua ad ventriculum, inteſtina , ac vicina loca detruſa inflammationem,atque inde febrem ſymptomaticam excitat,vt ita hæc febris ratione intermittentis febris ſit horrida , ratione ſymptomaticæ continua. Vt enim natura in continuis febribus interdum partem materiæ ad partes aliquas priuatas,pleuram,pulmonem,fauces deponit : ita non eſt impoſſibile,eandem etiam in intermittentibus partem materiæ cum ſanguine ad inteſtina & ventriculum ac vicina loca depellere,quæ ibi hærens inflammationē excitet;vnde etiam hæ febres tā periculoſæ ſunt.

Atqui ita rem ſe habere , obſeruationes aliquæ ex Adriano Spigelio *de Semitertianâ* docent. Is enim,*lib. 1.de ſemitertianâ,cap.*15. refert, quendam ex graui dyſenteriâ in ſemitertianam ſpuriam incidiſſe,quæ poſtea febris intermittens facta fuerit. Ægro ſexageſimo die mortuo , & corpore aperto inuenta eſt interna ventriculi tunica leui eryſipelate inflammatorio affecta. Venæ meſaraicæ & quæ ad ventriculum tendebant,atque omentum craſſo nigróque ſanguine refertæ erant; imò omentum ſemiputrefactum ab inflammatione eryſipelatode,quæ in omnibus venæ portæ ramis minoribus inerat.

Idem *cap.*16.*eiuſdem libri,* ſcribit:Se plures, qui febre quotidie ſeſe exacerbante, præcipuè circa veſperam aut ſtatim poſt meridiem, in modum duplicis tertianæ continuæ vel ſemitertianæ perierunt,ſecuiſſe, & in his putredinem non in venâ cauâ,ſed inflammato alicuius primæ regionis viſcere, vel aliâ aliquâ reconditâ parte inflammationem paulò minorem , quàm vt dolore ab ægro,vel tactu hypochondriorum à Medico & ægroto cognoſceretur,deprehendiſſe.Idem,*capit.*14. ſcribit:In diſſectis ſemitertianâ mortuorum cadaueribus ſe reperiſſe inflammationes ex ſanguine bilioſo & pituitoſo factas circa iecoris cauam partem, in ventriculo, inteſtinis,tam craſſis,quàm tenuibus,meſenterio, omento, liene,& ſæpius in vnâ partium commemoratarum,aut pluribus , aliquando etiam in omnibus , quæ celeris mortis cauſa erant, ſuperueniente gangrænâ vel ſphacelo.Additque in plurimis dolores in ventre immanes, vel continuos,qui certis horis plerumque exacerbabantur,vel intermittentes eos aliquando affligebant, ortos fuiſſe,ex facto abſceſſu;ſanie ac pure,aut bile ſanioſâ & concoctâ per ſeceſſum vel vomitum redditis.

Perſuadet iſtud & hoc,quòd febres hæ ſint frequentiores,quando dyſenteriæ contagioſæ graſſantur,vt teſtatur idem Adrianus Spigelius , *lib.* 2. *de Simetert. capite* 10. Materiæ enim ad inteſtina impetus eſt in vtroque malo.Idémque , *eodem libro capite* 11. ſcribit ; Rariſſimè Semitertianâ laborare , qui firmis ſunt viſceribus,ſed eos,qui diſtillationibus laborant, iecur habent obſtructum aut lienem , aut meſenterium , pulmones malè affectos , per longa interualla colicis doloribus infeſtantur. Additque ſe nullius eorum, qui à ſemitertiana perierant, cadauer inſpexiſſe, in quo pulmones & iecur non malè haberent, vel vnâ cum his caput, lien, renes, meſenterium, inteſtina magnâ ex parte inflammata,& in aliquâ parte gangrænâ correpta erant, præſertim quo loco ileum colo iungitur. Atque eius rei hiſtoriam habet , refertque *c.*16. ſe in quodam iuuene Belgâ , qui poſt dyſenteriam in ſemitertianam incidit, & die vigeſimo mortuus eſt, reperiſſe inteſtina tenuia inflammata, iléum,quâ parte colo & cæco adhærebat, ſphacelatum. *Ibidem* recenſet aliam hiſtoriam adoleſcentis cuiuſdam Galli, qui etiam ſemitertianâ correptus 27. die mortuus eſt:in cuius cadauere diſſecto tenuia inteſtina inflammata fuerunt deprehenſa , & olei portio magna versùs colum ſphacelata , iecoris etiam cauæ partis portio inflammata fuit,

Accedit his & illud,quod febres hæ ſoluuntur doloribus colicis, alui fluxu,dyſenteriâ, quæ omnia humorem ad inteſtina impetum habere indicant ; & vt Adrian.Spigel.*lib.*2. *de ſemitertianâ,cap.*14. docet,aliquando in momentaneam Apoplexiam & Paralyſin mutantur, quæ procul dubio ex primis viis ortum habet,éſtque talis,qualis colicam quandoque ſequi ſolet; quod vel ex eo patet , quòd febris hæc ex Paralyſi ſuperueniente,dolore colico quandoque ſolui ſolet.Scribítque Adrian.Spigelius, ſe longo vſu edoctum,dolores hoſce colicos poſt duplices tertianas & tales febres ſequi , quòd ortum habeant tales febres ab abſceſſu plerumque conſiſtente in pancreate , meſenterio , vel cauo iecoris,è quibus materia ad inteſtina depellatur.

Ex quibus omnibus apparet,materiam ſemitertianæ non ſemper in venâ cauâ, quod Spigelius concedit, ſed in venis meſaraicis etiam contineri , & proinde febrem ſemitertianam ex febre primariâ & ſymptomaticâ componi; & primò quidem naturâ ſuâ intermittentem febrem eſſe , cui poſtea continuus calor accedit ex inflammatione ventriculi , inteſtinorum & vicinarum partium, ex ſanguine ac humoribus vitioſis in ea loca & extremitates vicinorum vaſorum meſaraicorum eò deſinentium confluentibus excitata. Vnde ipſe Galen. *lib. de typis* ſcribit,non ſemper continuas,ſed etiam intermittentes reperiri ſemitertianas,id eſt, vt Spigelius explicat,non omnibus morbi totius temporibus. Nam primò poteſt intermittens eſſe tertiana ſola, huic poſtea accedit alicuius viſceris inflammatio ; quâ ſedatâ nihilominus poteſt febris intermittens remanere. Imò fieri poteſt, vt ſæpius hoc modo febris mutetur , prout ſæpius noua alicuius partis inflammatio accedit.

Atque ex his cauſa horroris & rigoris , & cur in febre hac continuâ toto morbi decurſu horrores & rigores toties redeant; febréſque hæ φρικώδεις appellentur, reddi poteſt. Fit hoc primò ordinatè , & nunc ſæpius nunc rariùs pro febris intermittentis naturâ, quæ poteſt eſſe tertiana ſimplex,duplex,triplex, vel etiam forſan quotidiana : deinde inordinatè , cùm inflammatio nouam partem occupat, vel dum pus fit , ſecundùm Hippocratem, 2. *aph.*47. Sunt enim hæ partes quas inflammari diximus,membranoſæ, & proinde iis affectis facilè rigor vel horror excitari poteſt. *Cauſa rigoris & ſemitertianæ.*

Neque ex rigore vel horrore ſemper initium nouæ febris colligere licet,ſed ſunt rigores & horrores etiam inflammationibus proprij , vt modò ex Hippoc. 2. *aph.*47. dictum ; qui etiam *in Coacis* ſcribit. *Qui ſubinde exudant,rigéntque,lethale,ac ſub finem morbi ſuppurationem habere deprehenduntur , aluóſque perturbari.* Ita *ibidem* Rigor in Phreniticis accidit. Et habentur *in Coacis* plures aphoriſmi, qui docent, Rigores non ſolùm in initiis febrium accidere , ſed aliàs etiam ex materiæ commotione. Et experientia id confirmat. Refert enim Marcel. Donatus, *de hiſtoria medic. mirab. lib.*5. *cap.*5. cuidam in muſculo temporali vulnerato ſeptimâ die ſuperueniſſe rigorem , éumque ad quadrageſimum quintum diem riguiſſe,& quotidie ferè ſemper ſudâſſe , alternatim rigoribus ſuccedentibus ſudoribus. Et ipſe vidi ægrum inflammatione auris, quæ tandem ad ſuppurationem peruenit , laborantem , eodem die ter riguiſſe, idque aliquoties accidiſſe, etſi per interualla longiora. Et omninò faciliùs ex hiſce , quæ

diximus, omnium, quæ in ſemitertianâ accidunt, cauſam reddere liceat, quàm ex difficili illâ, & non ſemper probabili febris intermittentis & continuæ mixtione, præcipuè ſi hoc præſupponamus, quod ſuprà diximus, & à doctiſſimis Medicis approbatur, nimirum eundem hominem poſſe pluribus tertianis laborare, ſi in diuerſis & pluribus ramis meſaraicis cauſa febris contineatur. Hinc enim fieri poteſt, vt non ſolùm antequam vna febris ſoluatur, alius paroxyſmus inuadat, ſed & accedens inflammatio calorem præcipuè continuat, vnde febris eſt continua. Toties verò rigor & horror inuadit, quot numero ſunt tertianæ. Neque enim duplici vel triplici ſaltem tertianâ, ſed quatuor, vel quinque tertianis homo laborare poteſt, prout materiæ febrilis ſedes in tot locis conſiſtit.

## *De Cauſis.*

*Cauſa ſemitertianæ.* Ex his facilè etiam patet, quænam ſint ſemitertianæ cauſæ. Nam ſi ea ex continuâ quotidianâ tertianæ intermittenti, vel alio modo complicatâ continuâ & intermittente conſtet, etiam cauſæ vtriuſque febris adſint neceſſe eſt. Si verò ſit tertiana cum inflammatione alicuius partis, cauſæ illæ omnes, quæ tertianam conſtituere poſſunt, locum habent, ſi nimirum materia in pluribus venarum meſaraicarum ramis colligatur & putreſcat, parsque eius effuſa ad inteſtina vel ventriculum vel alia loca vicina ea inflammet. Habet tamen humor hic procul dubio peculiarem Qualitatem, ob quam ad hæc loca fertur, ſicut & in dyſenteriâ humor peculiarem Qualitatem, quâ inteſtinis infeſtus eſt, obtinet. Vnde & epidemiæ ſæpe ac contagioſæ ſunt ſemitertianæ. Imò nonnullis locis familiares ſunt Hemitritæi, ſicut Galenus Romæ, & in Æthiopiâ, totóque littore, tractúque terræ, vbi cælum eſt calidius cum aduentitiâ humiditate, frequentem eſſe ſcribit. Vnde ſicut anginæ & pleuritides ſæpe ſunt epidemiæ & malignæ, ita & ſemitertianæ plerumque prauitatem aliquam conjunctam habent. Et inprimis ad humores ſemitertianæ gignendæ aptos facit conſtitutio cæli humida, vt ex Hippocr. 1. *epid. ſect.* 2. videre eſt, quâ de causâ etiam Anno 1621. in Italia frequentes fuêre ſemitertianæ, vt teſtatur Adr. Spigelius, *de febr. ſemit. libro 2. capite* 1.

## *Signa diagnoſtica.*

*Signa diagnoſtica.* Signa huius febris quod attinet, & illius quidem quæ vulgò deſcribitur, cùm ex bile & pituitâ ſimul putreſcentibus hæc febris accendatur, vtriuſque humoris Signa apparent. Alter enim humor quotidie affert paroxyſmum, alter verò tertio quolibet die, & ita altera dies duos habebit paroxyſmos, altera verò vnum tantùm: niſi paroxyſmorum tempora in vnam horam conueniant. Tunc enim ita tempora paroxyſmorum confundentur, vt neque quotidianæ, neque tertianæ formam præ ſe ferant. Atque vt cum Galeno ſigna hemitritæi exemplo declaremus, Corripiatur, exempl. grat. quis febre circa primam diei horam cum rigore, per quem carnes ægri, quaſi pungi videntur; adſint alia febris tertianæ intermittentis ſigna; accidat vomitus, tandemque incipiat febris declinare circa horam diei nonam cum ſudoribus, vt ſpes ſit, circa diei horam vndecimam febrem planè intermiſſuram: ſed tum ſubitò febris retineatur, cutiſque denſetur, aut etiam horreat, atque ita principium febris quotidianæ continuæ cognoſcemus. Hoc enim ſi fiat, ex eo jam poſſumus colligere, duplicem cauſam, duplicemque febrem adeſſe, mixtámque eſſe tertianam intermittentem cum quotidianâ continuâ. Secundo die circa horam diei nonam iterum acceſſio fiat, tertióque die circa horam diei primam iterum paroxyſmus adueniat, & hora nona ſecundi diei ſeſe habeat, vt hora nona primi diei, ac hora prima tertij diei, vt hora prima primi diei: ſemitertianam eam febrem eſſe facilè colligimus. Fieri tamen poteſt, vt vtraque aut altera anticipet, aut vtriuſque paroxyſmus in vnam horam conueniat, quæ omnia perſpicuâ planè & prolixâ ſatis oratione explicat Galenus, *lib. 2. de diff. febr. cap. 7.*

Quod autem eam ſemitertianam attinet, quam eſſe tertianam intermittentem ſimplicem, vel duplicem cum inflammatione alicuius viſceris diximus, febris ipſa quidem intermittens ſuum typum obſeruat, ſiue ſit ſimplex ſiue compoſita; calor tamen ob inflammationem eſt continuus, eáque etiam ſuis ſignis ſe prodit; adſuntque vomitûs, dolores ventris, alui fluxûs, clyſteres iniecti nihil fecis educunt, ſed mera clyſteris materia ſine excrementis, prout iniecta erat, ſtatim vel modico poſt iniectionem tempore exit, quod ſignum inflammationis inteſtinorum in eiuſmodi febribus frequentiſſimum eſſe ſolet.

Malignitas ſi adſit, etiam ſuis ſignis, quæ de febribus malignis proponentur, ſeſe prodet.

## *Prognoſtica.*

Febres ſemitertianæ omnes periculoſæ ſunt. Nam, *Prognoſtica.* vt Hippocrates 6. *epid. ſect.* 3. ſcribit, in eâ accidunt acuti morbi, & eſt maximè lethalis, & vt Galenus, *in lib. de typis*, habet, non os ventriculi ſolummodo ac neruoſas partes & ſummatim media attingit, ſed & veternoſas cataphoras, vigiliaſque cum delirio, & diaphoreſes cum ſyncope infert. Linguam prætereа valdè exſiccat, & animi defectionem efficit, vehementer, quæ in profundo ſunt commouens, & omninò, vt Galenus, *lib. de typis* ſcribit, ferum typum habet hæc febris. Quorum omnium vt quiſque de ſemitertianâ ſentit, ita rationem reddit. Nos periculum huius morbi à quatuor cauſis procedere putamus. Prima eſt, quòd febris hæc non ſimplex eſt, ſed vel ex continuâ & intermittente, vel ex pluribus tertianis conſtans. Et præcipuè hæ febres ſunt curatu difficiliores, quæ ex diuerſis ſpecie humoribus componuntur. Licèt enim febris vnus morbus naturâ ſit: tamen ex cauſis ſpecie diuerſis generatur, ex flauâ bile & pituitâ. Ideóque remedia, quæ vni humori conueniunt, alteri ſunt incommoda. Secunda, quòd ſæpe etiam inflammationem viſceris alicuius in ventre inferiore coniunctam habet. Tertia, quòd ipſi plerumque mala grauiſſima & per ſe periculoſiſſima ſuperueniunt, vnde, vt etiam ante dictum, Hippocrat. 1. *epid. ſect.* 3. Semitertianam præ cæteris lethalem eſſe dicit, in quâ eueniunt morbi acuti, vtpote apoplexia, epilepſia, conuulſiones. Quarta, quòd plerumque maligna eſt, contagioſa, epidemia, & ſæpè non ſecus ac ipſa peſtis plurimos inuadit ac iugulat.

Eſt verò non ſolùm morbus acutus, ſed quandoque morbus longus, & Auicennas ſcribit, aliquando hanc febrem extẽdi vſque ad ſeptem menſes. Quod quomodo verum eſſe poſſit, miratur Adrianus Spigelius, & quodammodo humanam intelligentiam ſuperare ſcribit, continuam febrem tamdiu durare poſſe. Verùm præſupponit ille ex vulgari ſententiâ, febres has eſſe per ſe continuas; cùm tamen ſæpe potiùs ſint ſubintrantes, vel continuitatem habent ex inflammatione. Si tamen tamdiu extendantur, credibile eſt, inflammationem vel nullam vel leuem adfuiſſe, febrem verò ipſam ex tertianarum diuturnarum genere eſſe, quæ ſoluitur rarò quadrageſimo; frequentiùs ſexageſimo, frequentiſſimè octogeſimo die.

Soluitur autem hæc febris per fluxum alui, diſenteriam, dolores colicos. Interdum mutatur in tertianas

tianas intermittentes vel simplices vel duplices, vel etiam Quartanas.

### Curatio.

Curatio.

Etsi febris hæc non rara sit, eáque satis periculosa: pauca tamen de eius curatione apud antiquos extant, forsan eâ de causâ, quòd eius, vtpote febris compositæ curationem è simplicium febrium curatione petere posse putauerunt. Et omnino primò si hæc febris ex tertianâ intermittẽte & quotidianâ cõtinua cõstet, Curatio ejus tota dependet ex cognitione curationis simplicis tertianę intermittẽtis,& quotidianę cõtinuę. Hoc tamen obseruandum, vt quæ febris magis vrget, eius præcipua habeatur ratio; reliqua tamen non planè negligatur. Quod quomodo fieri possit, non ita clarũ est. Nonnulli censent, vt medicamenta vtramque febrẽ respicientia simul dentur, non tamen fermentata, vt natura quodlibet suo contrario opponere possit. Verùm alij hunc modum non admittunt. Mixta enim hoc modo medicamenta si offerantur, neutri morbo satisfiet. Et mixta medicamenta locum habent commodissimè, cùm causa ad vnam formam quasi redacta est; sicut hoc fit in nothis febribus. Cùm ergò hîc humores sint dispersi, commodius esse putant, vt diuersis temporibus diuersa medicamenta exhibeantur, atque vno die vni, altero alteri humori medicamentum opponatur, vel primò ad illum cura dirigatur, qui magis vrget. Ita cùm in semitertianâ primò & faciliùs bilis coquatur: medicamenta purgantia, quæ primò exhibeantur, præcipuè bilem spectare debent; Pituitosi verò humores diutius præparandi, & tardiùs euacuandi sunt. Itaque in semitertianâ, aluum lenientia præcipuè bilem spectare debent, quæ in primis viis in hac febre magis abundat & faciliùs ductum medicamenti sequitur: aliquid tamen etiam de medicamentis pituitæ destinatis admisceri debet. Nullum autem forte medicamentum, seu purgans, seu quodcunque aliud, in principio exhibeatur, ne agitata in venis materia vel ad caput, vel ad thoracem, vel ad nobiliorem aliam partem ruat, & periculosum aliquem morbum vel symptomata inducat.

Leniora autem illa, vt syr. rosar. sol. manna, Cassia, agaricus, folia senæ, rhabarb. locum habent; scribitque Adrianus Spigelius, *de semitertianâ lib. 3. cap. 7.* se vsu quotidiano edoctum fuisse, rhabarbarum, agaricum, senam, atque aloën in initio huius febris data, plurimum profuisse, castigata refrigerantibus, & viscera aperientibus permixtis, vt cichorio, gramine, soncho, borragine, chondrillâ, endiuiâ, sero caprino, & in malignis scordio ac carduo benedicto, additque, *ibid.* Rusticos, qui altos Mocauiæ montes incolunt, & in hac febre, & in quotidianâ ac tertianâ duplici non alio sibi remedio mederi, quàm agarico, cuius in substantiâ ℥. i. vel ℥. ii. sumunt.

Venæ sectio etiã instituenda est: verùm parciùs sanguis emittendus; cùm crudi succi in venis, & biliosi humores in primis viis abundent. Imò si talis sit semitertiana, vt pituita abundet, venę sectio omittenda. Hinc humores præparandi sunt, flauæ bilis feruor mitigandus, pituita verò incidenda & attenuanda est: Et danda opera, vt alter, quamprimùm fieri potest, euacuari possit.

Et consultissimum est, quod in aliis febribus longis fieri solet, vt & in hac fiat, vt materia primò coquatur, hinc paulatim euacuetur; atque iterum coquatur & euacuetur, donec tandem, coctione absolutâ, perfectâ purgatio fortioribus paulo medicamentis, vt rhabarbaro, senâ, agarico instituatur.

*Ex gr.* ♃. *Radic. graminis, taraxaci, cichorij* an. Drach. ii. *endiuiæ, agrimoniæ, capill.* ♀. an. p. i. *fol. senæ el.* Vnc. ß. *agaric. trochisc.* Drach. i. *flor. cordial.* p. i. *zingib.* Scrip. i. *passul.* Vnc. ß. Infundantur *in s. q. aq. s. vel sero lactis caprini. In Col.* Vnc. iii. ß. *dissolu. mannæ* Drach. vi. *Coletur.* F. Haustus.

Ad fortiora verò non facilè ascendendum, atque vt rectè Adrianus Spigelius *de Semitertianâ, lib. 3. cap. 8.* ait, in acutis febribus paulò leniore, medicamento securior medela est, quàm paulò fortiori. Et licèt nouem curentur eiusmodi fortibus medicamentis (loquitur de antimonio) & vnus in mortem præcipitetur, cum perpetuâ Medici & Artis ignominiâ id coniunctum est. Vbi morbus iam ad statum properat. Auicennas commendat decoctum absinthij. Aperit enim, & bilem, ac aquosam tenuémque pituitam euacuat, simúlque membra roborat & appetitum excitat.

Victûs ratio sit temperata, & ad frigidum ac humidum declinet, bile dominante. Initio, vt in quartanâ, per dies tres victus sit tenuior, vt humores crassi absumantur: deinde victus, vt moris est, in principio sit plenior, versus statum verò aliquid de eo detrahatur. Diæta.

Secundò, si verò hæc febris è tertianâ vnâ vel pluribus, atque inflammatione visceris alicuius atque inde dependente febre continuâ constet; & ad febrem & ad inflammationem cura dirigenda est. Et quidem in principio statim venæ sectio instituenda. Etsi enim alia causa non adesset, quæ venæ sectionem indicaret: tamen ob inflammationem visceris alicuius ea necessaria est.

Si tandem malignitas coniuncta sit, cautè in venæ sectione procedendum, & diligenter perpendendum, an locum habeat, de quo in febribus malignis dicetur. Aperiatur autem vena statim in initio, cùm vires statim in hac febre soleant concidere.

Purgationem quod attinet, de eâ dubitari potest, vbi inflammatio coniuncta est; cùm per locum affectum purgandum non videatur. Verùm eodem modo sese res habet, vt in dysenteriâ. Nam nisi materia lenioribus medicamentis educatur, facilè fieri potest, vt ad locum affectum confluat atque inflammationem augeat. Neque necesse est, vt materia per locum affectum tota educatur, cùm adhuc aliæ viæ sint.

Reliqua etiam curatio, vt tertiana eam exigit, instituenda, nisi quòd semper inflammationis habenda est ratio. Ideóque illa medicamenta, quæ refrigerant simúlque obstructiones aperiunt, commodissima hîc sunt. Non inutile quoque fuerit, extra è regione partium earum, quæ inflammationem patiuntur, topica applicare, vt epithemata ex aquâ cichorij, endiuiæ, sonchi, aceto rosaceo, vnguenta & emplastra, vt rosatum Mesuæ, & refrigerans Galeni, cataplasmata ex farinâ hordei, pulu. rosar. chamæmeli, absinthij, cum aq. endiuiæ, rosar. oleo rosaceo.

Tertiò si malignitas coniuncta sit, eius etiam habenda est ratio, & curatio instituenda, sicut de febribus malignis dicetur.

### De duplici ac triplici Tertiana, de duplici Quotidiana, & de duplici ac tripli- ci Quartana.

Duplex vel triplex tertiana fit ex bile duobus aut tribus locis putrescente. Si enim bilis, ex. gr. putrescat in duobus locis: fiunt duæ febres, quæ ægrum inuadunt vel singulis diebus semel, vel vno die bis, vt altero die æger à febre fit liber. Atque recentiores nõnulli distinguunt duas tertianas à duplici tertianâ; & duas tertianas nominant, cùm tertio quolibet die bis febris affligit, secundus verò dies liber est à febre. Duplicem autem

Febres intermittentes duplices ac triplices.

Duplex tertiana.

autem nominant, cùm singulis diebus febris intermittens ex bile affligit. Alij tamen contrà duplicem tertianam nominant, quando duo sunt loca, è quibus eodem die protruditur materia : duas verò tertianas, quando causa morbifica prodit è duobus locis, sed non eodem die, verùm vno die ab vno, altero verò die ab altero. Verùm hæc distinctio magni momenti non est. Etsi, quam illi appellant, duplex tertiana sit frequentior, febris nimirum ex bile in diuersis locis putrescente orta, singulis diebus affligens, sed plerumque nec par, nec iisdem horis. Ferè enim quæ diebus imparibus accessiones fiunt, similes inter se sunt, & iis dissimiles, quæ paribus diebus accidunt. Quamuis autem, ratione periodi, quotidianæ videantur : tamen quotidianæ, id est, quæ ex pituitâ fiunt, non sunt, habéntque symptomata, & omnia signa, quæ arguunt bilem, non pituitam. Nam inuadunt cum rigore, soluuntur sudore, adest sitis, oris amaritudo, vigiliæ, & reliqua signa pleraque in simplici biliosâ conspicua. Ex quibus à quotidianâ seu pituitosâ eam discernere non est difficile. Neque enim circuitu solùm, sed ex propriâ naturâ febres discernendæ sunt.

*Tertiana triplex.* Si materia tribus in locis putrescat, fit inde tertiana triplex, quæ duorum dierum spacio ter affligit, vno scilicet semel, altero bis. Tali febri laborabat adolescens, cuius mentionem facit Galenus, *lib. 2. de cris. cap. 9.* qui cùm primùm circa horam diei quintam cœpisset febricitare, vnà cum rigore breui, & paulùlum sudâsset multo vespere, mox circa horam septimam noctis, priusquam exactè febris desineret, febricitare rursum cœpit cum rigore breui : deinde paulum sudauit secundo die, ac circa decimam iterum accessionem habuit, ac similiter sudauit in nocte. Rursum tertio die hora secundâ (nam anticipabat febris) cœpit similiter cum rigore febricitare, antequam prioris diei declinatio in quietem desineret. Et si pluribus in locis materia contineatur & putrescat, totidem etiam tertianæ fiunt. Et si possibile est, vt vno die febris semel, altero bis affligat: etiam possibile est, vt vtroque die bis inuadat. Imó censet P. Æneas Caprilius, *de febribus putridis libro secundo*, posse in eodem ægro octo tertianas dari.

*Duplex. Quotidiana.*

*Quotidiana duplex.* Duplex Quotidiana singulis 24. horis bis inuadit, ortúmque habet ex pituitâ duobus in locis putrescente, & cognoscitur ex signis quotidianam simplicem aliàs indicantibus. Verùm rarissima est hæc febris.

*Quartana duplex & triplex.* Frequentior est Quartana duplex, quæ fit ex humore melancholico duobus in locis putrescente, & qui hac febre laborant vnum diem febre vacuum habent, sequentibus diebus duobus febre laborant. Ex quo non solùm, verùm etiam, & quidem præcipuè ex signis Quartanæ simplicis hanc febrem cognoscere licet. Imò interdum accidit triplex quartana, quâ qui laborant, singulis quidem diebus febricitant : ex propriis tamen febris melancholicæ signis cognosci potest, eam neque quotidianam, neque duplicem tertianam esse. Talisque febris non rarò excitatur intempestiuo theriacæ & aliorum calidorum medicamentorum in principio febris quartanæ exhibitorum vsu, quibus materia cruda saltem agitatur, non verò coquitur aut euacuatur, quod euenisse Eudemo Peripatetico tradit Galenus, *lib. de prædict. c. 2.* cui quartanâ simplici laboranti cùm in principio, materiâ adhuc crudâ, Medici exhiberent theriacam, ex quartanâ simplici triplicem effecerunt ; quam eiusdem theriacæ suo tempore exhibitæ vsu Galenus curauit. Si enim materia per medicamenta sudorifera non discutiatur, sed saltem agitetur, quòd de loco quidem mouetur, & non discutitur, alibi quasi nouum fermentum spargitur & seminatur, atque ita febrilis materia vtrobique multiplicatur, & febris duplicatur.

### *De Curatione febrium compositarum.*

Cùm febres compositæ è pluribus humoribus ortum habeant : de earum curatione in specie multa addere opus non est ; cùm è simplicium febrium curatione, compositarum curatio facilè patere possit. Itaque in compositis febribus non tam ad periodum, quàm humoris febrem excitantis naturam respiciendum est.

Ergò si solam bilem peccare, è signis eius cognoscatur, siue febris alternis diebus, quæ est tertiana simplex ; siue singulis, quæ est tertiana duplex, inuadit ; siue bidui spacio ter infestat ; quæ triplex est tertiana : curanda est, vt febris biliosa seu tertiana. Hoc saltem obseruandum, vt & cibi & medicamenta, respectu paroxysmi, iusto tempore exhibeantur. *Tertiana duplicis & triplicis curatio.*

Ita si febrem à Melancholiâ prouenire suis signis cognitum habeatur, siue quarto quòque die infestet, quæ est Quartana simplex ; siue diem vnum intermittat, & postea biduo inuadat, quæ est Quartana duplex; siue singulis diebus ægrum affligat, quæ Quartana est triplex : curanda est, vt Quartana. Simúlque semper hoc attendendum, An humor, qui febrem, quacunque etiam periodo redeuntem, excitat, simplex sit, an cum alio mixtus, & tunc vel vt exquisita & pura, vel vt nothæ febres curandum. *Quartana duplicis & triplicis curatio.*

# LIBER TERTIVS DE FEBRE HECTICA.

## CAPVT I.

### *De Natura Febris Hecticæ.*

DVPLEX febrium genus esse, suprà diximus, in quorũ altero κατὰ σχέσιν solum calor febrilis partibus viuentib. inhæret, qui, nisi, vel ab incendio spirituum, vel humorum foueatur, durare non potest: in altero verò καθ᾽ ἕξιν inest, ita vt causâ fouẽte nõ indigeat. De priori genere, Ephemeris nimirum & humoralibus febribus, dictum est hactenus : restat alterũ, Hecticæ scilicet, in quibus intemperies febrilis quasi in habitum transiuit, & ita partes corporis nostri viuẽtes occupauit, vt etsi à nullâ causâ foueatur, nihilominus subsistere possit ; quæ vera est febris huius ratio. Nam quòd nonnulli ideò febres hecticas dictas putant, quòd calor ille præter naturam non præcipuè, vt in aliis febribus, in spiritibus aut humoribus, sed in ipso habitu corporis, id est, partibus solidis in *Febris hectica vnde dicta.*

inhæreat, simpliciter admitti non potest. Etenim in omnibus febribus calor præter naturam, qui febris essentiam constituit, partibus solidis inhæret, & omnis intemperiei febrilis subiectum sunt partes hæ. Itaque à modo potiùs inhærendi, quàm à subiecto, hecticæ denominantur, & quidem his est modus, quem iam explicauimus. Nam quòd aliqui ideò hecticam febrem dici putant, quòd suaptè naturâ difficilius tollatur; cum verò calorem præter naturam, qui faciliùs dissipatur, & tollitur, nomen habitualis caloris & hecticæ febris non mereri dicunt: id vndiquaque verum non est. Nam ab omnibus Medicis affirmatur, hecticam incipientem cognitu esse difficilem, curatu verò facilem.

## *Causæ.*

*Causæ.* Hecticæ autem febres ab omnibus aliis causis, ob quas reliquæ febres generantur, etiam induci possunt: verùm id efficiunt eæ causæ certo quodam & determinato modo. Eæ enim solùm causæ hecticam febrem efficere aptæ natæ sunt, quæ vel plurimum humidæ substantiæ in membris solidis absumere, vel maximum calorem excitare, vel vtrumque præstare possunt. Ad quam rem inprimis, facit subiecti ad calorem præter naturam recipiendum promptitudo & dispositio, ac continua & vehemens causarum calefacientium actio.

Disponunt autem corpora ad febrem hanc faciliùs suscipiendam omnia ea, quæ humidum natiuum in partibus absumunt, cuius generis sunt diuturnæ atque insignes euacuationes, siue per aluum fiant, vt in dysenteriâ, & fluxibus colliquatiuis, siue per sudores, aut alias vias. Continua verò caloris cum corde communicatio idem præstat, qualis fit ex vlceribus, quæ sunt in pulmone, thorace, vtero, renibus, aut aliis partibus. Inedia item, labores, mœror, curæ & tristitia, omnia diuturna: sicut & calor febrium ardentium atque acutarum, aut febres aliæ etiam diuturnæ. Et omninò corporis calidior & siccior habitus, siue is naturâ talis sit, siue ex morbo talis euaserit, ad hanc febrem suscipiendam aptior est. Inprimis si concurrat aëris & loci constitutio calida & sicca.

*Duplex hecticæ generationis modus.* Porrò generantur febres hecticæ duobus modis. Aut enim alios morbos sequuntur, atque ex iis suam originem habent: aut statim per se, & ex causis externis vel euidentibus, vt febres ephemeræ, incipiunt. Si primo modo fiant, ex ardentibus febribus proueniunt, quæ diu durant, & protrahuntur, vt tandem calor solidas corporis partes penitus occupet, ita vt licèt ampliùs, sicut ab initio, ab humorum putredine; non foueatur, nihilominus consistere possit. Idem aliæ febres diuturniores, & aliqui acuti morbi, ac hepatis, ventriculi, pulmonis, atque aliorum viscerum, imò omnes diuturnæ inflammationes efficere valent. Nam & Galenus, 1. *de differ. febr. cap.* 9. scribit, se ex coli intestini inflammatione diuturnâ, vt & renum ac vesicæ similibus affectibus, hecticam febrem ortam vidisse; & Forestus, *lib.* 23. *obseru.* 15. ex fistulâ valde sinuosâ in ano latente quendam ad hecticam deuenisse, & tabefactum obiisse, annotauit.

Fiunt autem ex ardentibus febribus & inflammationibus partium internarum febres hecticæ, ob caloris vehementiam & diuturnitatem, qui partes omnes peruadit, earumque humidum absumit; sæpè etiam ob errorem aliquem in diætâ & medicamentis exhibendis excitantur, dum nimirum ægris victus nimis tenuis præscribitur, aut refrigerantia & humectantia non adhibentur, vel ob aliquod prohibens, e.g. materiæ cruditatem non satis tutò adhiberi possunt. Fernelius hecticas illas, quæ ex inflammatione viscerum oriuntur, hecticas veras esse negat, ac potiùs lentas & curatu difficiles putridas esse affirmat. Verumenimverò vt non negamus, tales febres puras hecticas non esse, sed ex putredine viscerum lentam putridam: adesse ita contrà negari non potest, cum talibus putridis hecticas tandem conjungi posse. Fieri quoque potest, vt in acutis febribus putridi humores vel per crisin expellantur, vel medicamentorum ope educantur, atque ita putrida desinat, & sola hectica maneat.

Quæ autem per se & à principio inuadunt febres hecticæ, à causis euidentibus eodem modo, quo ephemeræ, vt à labore, & exercitio nimio, irâ, tristitiâ, vigiliis nimis, inediâ, & id genus aliis originem trahunt. Hæ enim causæ, si leuiores fuerint, ephemeram: si vehementiores, hecticam producunt. Eos autem, vt dictum, qui naturâ sunt calidiores & sicciores, inuadunt faciliùs hæ febres: inprimis tempore & constitutione aëris calidâ & siccâ. Nullus autem eorum, qui habitu corporis sunt humidiore, statim ab initio febre hecticâ corripitur.

*An febris hectica à causis euidentibus sine ephemerâ induci possit.* Sed hoc loco quæstio moueri solet; An febris hectica à causâ euidente possit incipere sine ephemerâ; seu, An causæ istæ euidentes hecticam intemperiem in partes solidas possint inducere, vt non simul inflammentur spiritûs, atque ita possit à causis euidentibus hectica oriri, quam neque præcesserit, neque comitetur ephemera. Auicennas quidem, Fernelius, Mercatus & alij defendere conantur, posse hecticam sine ephemerâ incipere. Nam, inquiunt, in actionibus non indistinctè quodlibet fit ex quolibet, sed determinatum ex determinato, quale scilicet est id, quod magis dispositum est. At possibile est, humoribus & spiritibus secundùm naturam existentibus, cordis substantiam, ob prægressam aliquam causam, sicciorem esse; ideoque fit, vt calorem faciliùs suscepte. Nam si cui mœrore & curis contabefacto causa calefaciens accedat, credibile est, promptiùs cordis substantiam solidam calorem suscepturam, quàm spiritûs & humores, qui secundùm naturam existunt. Atque hoc supposito possibile esse existimant, adeò vehementis actionis causas externas & euidentes corpori obtingere posse, vt tum ex agentis efficaciâ, tum verò ex passi promptitudine facilè sequatur, vt solidiores partes succendantur potiùs, quàm humores & spiritûs.

Verumenimuerò frustra ista omnia dicuntur. Nam ratio sufficiens dari non potest, cur causa euidens calefaciens solidas corporis partes incendat, non tamen simul spiritûs. Sine putridâ quidem hecticam produci posse, res manifesta est; cùm ad putredinem peculiaris dispositio requiratur: sed quòd calor hecticus in partes solidas induci possit, vt spiritûs non simul inflammentur, causa dari non potest. Nam quæ ab ipsis affertur ratio, sufficiens non est. Neque enim concedi potest, ad calorem febrilem & hecticum suscipiendum magis dispositas esse partes solidas, quàm spiritûs & humores. Etenim spiritus ad calorem suscipiendum longè aptiores sunt & propterea faciliùs accendentur, quàm partes solidæ.

Præsupponitur præterea id, quod impossibile est. Nam vt causa aliqua præcedat, v.g. curæ, tristitia, & similis alia, cordisque substantia patiatur & exsiccetur, secundùm naturam manentibus spiritibus & humoribus, impossibile est. Cùm enim spiritûs ad illas actiones etiam requirantur, omninò vnà afficiuntur, & quidem faciliùs, cùm magis dispositi sint ad patiendum, quàm partes solidæ. Etsi quoque in partibus solidis semel concepta caliditas diutius retineatur: tamen in spiritibus longè facilius, quàm in solidis recipitur, vtpote quæ sunt corpora calidissima, tenuissima, & ad calorem suscipiendum aptissima.

Quapropter statuimus, si causa calefaciens sit debilis; ephemeram; si vehemens, simul & calorem in spiritibus & solidis accendi; aut si ephemera sola incipit,

paulò poſt etiam hecticam à vehementiâ cauſæ induci, modò corpus ad hecticam recipiendam diſpoſitum fuerit. Atque ita nunquam datur hectica, quæ per ſe incipit, & ad putridas non ſequitur, quam non à principio febris ephemera comitetur.

Neque obſtat, quòd hîc affert Mercatus. Licèt concedi poſſit, ſimul & aliquando citiùs à causâ externâ humores & ſpiritûs calorem ſuſcipere: illum calorem tamen eſſe fientem, & antequam in iis ſubſtãtiis factus ſit, factum in membris ſolidis excitari. Nam primò nihil contra noſtram ſententiam facit, ſiue ille calor in ſpiritibus & humoribus factus ſit, ſiue fiens: modò hoc obtineamus, ſine calore in ſpiritibus accenſo non poſſe induci calorem hecticum in ſolidis. Primò ſcilicet ſpiritûs calefiunt à cauſis euidentibus, qui calorem in ſolidis accendunt, & fouent, qui febris ephemeræ eſſentiam conſtituit. Si tamen diſquirere placet, an calor ille, qui accenditur in ſpiritibus ſit fiens vel factus: omninò reſpondendum eſt, in partibus ſolidis calorem in ephemeris eſſe in fieri, vt pote qui pendet & fouetur à calore ſpirituum; in ipſis verò ſpiritibus eſſe factum. Ceſſante enim euidente causâ, quæ eum produxit, nihilominus aliquandiu durare poteſt.

## *Differentiæ febrium hecticarum.*

*Differentia.* *Partes ſolidæ è quibus componãtur.*

Differentias febrium hecticarum quod attinet, vt illæ rectè intelligantur, ſciendum, partiũ ſolidarum ſubſtantiam ex tribus componi. Primò enim eſt humiditas quædam, quæ per minima & vacua ſpatia partiũ ſimilarium, veluti ros quidam, diſpergitur; vnde etiam à Medicis Ros hæc pars appellatur. Secũdò eſt pars, quæ ex humore concreto conſtat, & à Galeno ſubſtãtia carnoſa & adipoſa dicitur. Tertiò eſt pars vel ſubſtantia membranoſa & fibroſa, quæ in ſpecie ſolida appellatur.

*Hectica ſine tabe.*

Itaque febris hectica duplex conſtitui poteſt, vel enim eſt cũ tabe, vel ſine tabe. Hectica ſine tabe eſt quãdo rorida humiditas partium nondum abſumpta eſt, ſeu vt Galen. 1. *de differ. febr. cap. 9.* habet, cùm naturalis cordis temperies primùm euerti incipit, neque natiua humiditas, quæ in vnoquoque diſpergitur corpore, in ſpatiis partium ſimilarium intermediis planè abolita eſt, ſed cum eâ veluti ebullit & efferueſcit, vt de eius exſiccatione atque abſumptione iam periculum immineat, nondum verò facta eſt exſiccatio. Atque hic gradus ſeu ſpecies hæc febris eò vſque perdurat, dum aliqua huius humiditatis pars reſeruatur.

*Hectica cum tabe.*

Cum tabe verò hectica eſt, quando res eò deuenit, vt humiditas illa iam abſumpta & exſiccata ſit. Ac tum hectica μαρασμώδης nominatur; tandemque ipſe μαρασμὸς eſt vltimus terminus, ad quem hectica peruenit, quem ſi attingit, curari ampliùs non poteſt. Licèt enim ſolidæ corporis partes non ſint ſeparatæ; ſed ita iunctæ, vt vna ſine alterâ vix videatur poſſe accendi: tamen dubium non eſt, quin pro variâ earum diſpoſitione aliæ faciliùs abſumantur, aliæ difficiliùs.

*Hectica gradus.*

Alij hinc tres gradûs huius febris conſtituunt. Primus eſt cùm rorida humiditas abſumitur & exſiccatur: Secundus, cùm carnoſa & adipoſa ſubſtantia iam perit: Tertius, cùm etiam fibroſa colliquatur & exſiccatur. Vt enim in ſolidarum partium nutritione hic ordo obſeruatur, vt rorida humiditas primò generetur ex ſanguine, deinde carnoſa, adipoſa & fibroſa ſubſtantia: Ita & in hecticâ idem ordo obſeruatur. Nam cùm hæ tres ſubſtantiæ non parum differant, quæ tenuior eſt, primò accenditur & abſumitur. Tenuioris autem ſubſtãtiæ eſt rorida illa humiditas, quàm genus carnoſum, adipoſum & fibroſum. Carnoſa autem & adipoſa ſubſtantia cùm tenuior ſit, quàm fibroſa & membranoſa, ea roridâ abſumptâ primùm abſumitur. Tandem & vltimo loco calor ipſas etiam membranoſas & fibroſas partes inuadit.

*An hectica febris ſpecies habeat.*

Ex quibus manifeſtum euadit nec plures nec pauciores eſſe hecticæ febris ſeu ſpecies, ſeu differentias, ſeu gradûs. Vtut enim appelles, non multùm refert.

Diſputant nonnulli; An febris hectica in ſpecies diuidi poſſit: Et cùm ſit ſpecies ſpecialiſſima, & proinde non patiatur veram diuiſionem in alias ſpecies, ideò differentias illas potiùs partes, quàm ſpecies appellandas cenſent; cùm potiùs ex vnâ eâdemque caloris præter naturam actione in varia ſubiecta prodeant, quàm ex diuerſitate cauſæ, aut habitûs caloris, qui vicem morbi præſtat; cùm vnus & idem ſit, æquali intenſione præditus ab initio hecticæ, vſque ad lethalem maraſmum.

*Hectica tempora.*

Galenus nominat tempora. Vbi enim rorida humiditas efferueſcit & abſumitur, primum tempus eſt & hecticæ principium: ſecundum tempus ſeu incrementum eſt, cùm iam carnoſas & adipoſas partes calor depaſcitur. Quòd ſi his exſiccatis & abſumptis calor ad partes fibroſas & ſolidas in ſpecie ſic dictas exſiccandas iam progreditur, ſtatus eſt. Declinatio autem eſt, quando illa exſiccatio iam ceſſat, & vltrà non progreditur, ſed partes rurſum refici & humectari incipiunt. Si verò hæc exſiccatio etiam vltrà ad ſubſtantiam fibroſam progrediatur, & calor illam quoque depopuletur, ſtatus & vigor ſummus eſt. Nulla autem tum eſt declinatio. Nam hectica cum tabe exquiſitâ nullam curationem admittit, & proinde nullam declinationem habet.

Obſeruandum autem hoc loco ex ſuprà dictis, in hecticis febribus cùm æqualis ſit intemperies, & in omnibus partibus calor æqualiter factum eſſe obtineat, eas ratione caloris nulla tempora habere, cùm qualis eſt in principio, etiam in aliis partibus morbi ſit calor: ſed ſolùm ſecundùm modum ſiccitatis, quem indies maiorem acquirit.

*μαρασμός.*

Deinde & hoc notandum, non eandem eſſe diſpoſitionem, febrem hecticam μαρασμώδη & ipſum μαρασμόν. Μαρασμὸς enim, Latinis marcor, eſt illa viuentis corruptio ob ſiccitatem; quæ quidem omnibus viuentibus lege Naturæ euenire ſolet, etiamſi cauſæ præternaturales & morbi non concurrant, ſed ex actione Naturæ neceſſariò ſequitur, & ineuitabilis eſt; cùm calor innatus humidum illud innatum & radicale perpetuò depaſcatur & depopuletur, atque id, quod ſuccedit ei, quod diſſoluitur, bonitate par non ſit. Ita enim humidum natiuum indies ſenſim imminuitur, marcorque ille ſequitur, ſeu frigida & ſicca corporis conſtitutio, quæ ſenectus appellatur, quam tandem, deficiente planè natiuo humido & calore, mors naturalis ſequitur.

Eſt & alius marcor, qui præter naturam accidit, & à cauſarum præternaturalium violentiâ dependet, quã nonnulli ſenium ex morbo appellare ſolent, qui non ſolùm ſenibus, ſed & iuuenibus ac viris accidere poteſt. Hic aliquando etiam ſine febre oritur, ex alimenti defectu, caloriſque natiui extinctione, aliquando has, de quibus agimus, febres hecticas ſequi ſolet. Nam quando, vt dictum, ipſæ partes ſolidæ & fibroſæ abſumi & exſiccari incipiunt, hectica μαρασμώδης appellatur; quæ vbi eò vſque proceſſerit, vt calor iam deficiat, ob alimentum abſumptum, tum verus μαρασμὸς oritur; ſimilis illi, qui extremam ſenectutem ſequitur, & naturalem mortem proximè antecedit.

Atque hæ differentiæ inprimis ob curationem obſeruandæ ſunt; cùm prima facilè curetur, ſecunda difficiliùs, tertia nunquam. Reliquæ, quę ab aliis afferuntur, differentiæ propriæ non ſunt, ſed potiùs modi quidam quorum tamen aliquos etiam obſeruare non inutile eſt: vt quando dicitur, hecticam aliam ſtomachi, aliam hepatis, aliam renum, aliam inteſtinorum eſſe. Ad curationem enim inſtituendam non inutile eſt, cognitum habere, ex quâ parte hæc febris originem habeat.

Tandem & hoc non prætereundum, cuius etiam ſuprà

ſuprà facta eſt mentio, hecticam aliam eſſe ſimplicem, quæ ſcilicet cum nullâ aliâ febre coniungitur; aliam quæ putridis connectitur; quod ipſum quoque ob curationem obſeruare, non inutile eſt; cùm remedia, quæ in ſimplici hecticâ proſunt, in hecticâ cum putridâ obeſſe poſſint.

## CAPVT II.

### *De Signis diagnoſticis febris hecticæ.*

SIgna febris hecticæ quod attinet, primò recenſebimus ſigna omnium febrium hecticarum communia: quæ cognoſcere vtiliſſimum eſt, vt mox à principio has febres, ab aliis diſcernere, & quò vſque progreſſæ ſint, iudicare poſſimus. Nam etſi in principio ita difficiles curatu non ſint: tamen, vbi altè radices egerunt, periculoſæ ſunt, multique ex iis moriuntur; quod non fieret, ſi mox à principio cognoſcerentur.

1. Primum autem ſignum à calore ſumitur. Calor nimirum huius febris nullum dolorem, nullamque moleſtiam infert: quod ideò euenit, quia calor in iſtâ febre eſt æqualis & hecticus: Alterationes verò dum fiunt, dolorem inferunt: id autem, quod iam factum eſt, & veluti in naturam conuerſum, ampliùs dolorem & moleſtiam non efficit. Hinc fit, vt ægri ſe febricitare vix ſentiant.

2. Secundum, calor debilis primò apparet, propter ſubiectum ſiccum, & vaporum ac exhalationum fumoſarum defectum. Parum enim eſt, quod ex ſolidis partibus euaporet. In putridis verò febribus ex humoribus plures vapores attolluntur. Si autem manus diutius admota teneatur, calor acer & mordax euadit, ob ſubiecti ſiccitatem & ſoliditatem, aut potiùs, quòd cutis per manûs longiorem contactum quaſi rarior facta aliquid ſub ſpecie tenuis vaporis emittit, quod mordacitatis & acrimoniæ ſenſum exhibet.

3. Tertium, in arteriis maior calor apparet, quàm in reliquis partibus; quia arteriæ à calore cordis propter communionem, maiorem calorem, quàm reliquæ partes, ſuſcipiunt, aut quia in putridis vapores per vniuerſum corpus diſperſi in omnibus partibus magnam caliditatem excitant. At in hecticis in ſanguine non eſt tam magnus calor, ideóque partibus vicinis non ita communicari poteſt; ſed ſolùm arterias partibus vicinis calidiores reddit. Manifeſtè autem hoc apparet, cùm loci aut alioquouis modo calefacti ſumus. Tum enim in aliis partibus calor ſentitur remiſſior: in arteriis verò nihilo minor ſentitur.

4. Quartum, proprium & inſeparabile huius febris ſignum eſt, ſi vnâ aut alterâ horâ poſt cibum ſumptum calor augeatur, & pulſus ad magnitudinem & velocitatem mutetur; ita tamen, vt illa ἀνάβασις & ἐπισημασία, aſcenſus caloris & quaſi cuiuſdam febrilis ſignificatio, ἄθλιπτος, libera & incompreſſa ſit, vt dum calor augeri videtur, & incrementi ſignum præ ſe fert, neque frigus, neque horror, neque rigor aliquis, neque oſcitatio aut pandiculatio, neque aliquod aliud inſtantis paroxyſmi ſignum adſit. Vt enim in aliis febribus per paroxyſmum calor augeri ſolet: ita in his febribus increſcit calor vnâ atque alterâ poſt aſſumptum cibum horâ; quacunque horâ cibum exhibeas. Vt ergò certiùs de hac febre iudicari poſſit, hora cibi per aliquot dies eſt mutanda, & ſi calor à cibo increuerit primâ, ſecundâ, tertiâ, quartâ die, horis cibi ſumendi mutatis: tunc nullum dubium eſt, ægrum hecticâ laborare. Cui & illud adiungere licet, quòd caloris & pulsûs mutatio tantiſper durat: donec alimentum diſtributum ſit; deinde omnia ceſſant, & homo ad priſtinum ſtatum reuertitur, eum ſcilicet, in quo fuerat, antequam alimentum aſſumeret. Ratio huius ſymptomatis eſt, quod cùm hecticarum calor in partibus ſolidis ſit, non multum eſt, quod ab his euaporare poſſit, ob earum ſiccitatem: cùm verò alimentum humidæ ſit ſubſtantiæ, ex ipſo calori plus pabuli ſuppeditatur, & ita plures vapores attolluntur.

Galenus modum hunc per calcem viuam explicat. Nam ſiquis calci viuæ aquam affundat, vapor multus & calor inde excitatur; aut ſi quis lapidibus ignitis in balneo aquam affundat, tum copioſus calor, aquâ in calidos vapores reſolutâ, per totum balneum diffunditur, qui à lapidibus illis ſiccis diffundi non potuiſſet. Alij tamen hunc modum non probant, Nam primò impoſſibile eſſe putant, viuo animali tantam ineſſe ſiccitatem, quæ calcis naturam æmuletur: ſecundò quia partes, quæ in hecticis incaleſcunt, ſunt partes ſolidæ, ad quas alimentum non peruenit, niſi tranſactis ad minimum ſex horis; cùm tamen hectici mox à cibo incaleſcant. Verumenimuerò quod calcem viuam attinet, exemplum eſt, neque opus eſt, vt tanta in corpore ſit caliditas & ſiccitas, qualis in calce eſt; modò partes ſolidæ, ſubminiſtrato humore, calorem maiorem poſſint excitare. Deinde etſi ad integram nutritionem plurium horarum ſpatium ſit neceſſarium: tamen tenuiores quaſdam alimenti partes breuiori tempore in omnia membra diſtribui, impoſſibile non eſt, à quibus hoc in omnibus partibus caloris incrementum accidit. Hoc itaque ſignum ſi diligenter in conſpectu habeatur, facilè per id hecticam ab aliis febribus omnibus diſcernere licet. Quamuis enim in aliquibus febribus libera caloris inuaſio fiat, quam neque horror, neque frigus, aut ſimile quid præcedat: tamen hoc caloris augmentum ſine cibo etiam accidit. At in hecticis febribus omnibus nullo alio tempore calor augetur quàm poſt cibum aſſumptum, quocunque etiam tempore ille exhibeatur.

Quintum ſignum ex pulſu ſumitur. Nam cùm in hac febre vires valdè debilitentur, extra dubium eſt, pulsûs in eâ eſſe paruos; & ob vſum auctum crebros ac modicè celeres. Vehemens verò vel magnus pulſus in hac febre non eſt; & ſi in aliquâ febre pulſus eſt magnus ac vehemens, ea hectica non eſt. Vehemens eſſe non poteſt, quia in hiſce febribus facultas vitalis imbecilla eſt, propter eam intemperiem, quæ iam in corde facta eſt. Semper enim imbecillitas facultatis cordis intemperiem, inprimis ſi vehemens ſit, comitari ſolet. Eâdem quoque de causâ magnus eſſe non poteſt. Magnus enim pulſus eſſe non poteſt, ſi facultas ſit imbecillis, & proinde multo minùs, ſi præter imbecillitatem etiam inſtrumentum, ob ſiccitatem, quod fit in hecticis, reſiſtat & non obtemperet. 5.

Sextò, quod vrinam attinet, ex eâ nullum de hecticâ ſignum deſumi poſſe, docet Galenus; quod de colore & ſubſtantiâ intelligendum eſt. Color enim non eſt modo à naturali alienus. Differentiarum tamen Hecticæ non obſcura ſigna ex vrinis petuntur, de quibus paulo poſt. 6.

Atque ex his ſignis diligenter conſideratis, non adeò difficile eſt, febrem hecticam ab aliis omnibus febribus diſcernere. A putridis enim pleriſque diſcernitur, quòd Hectica interuallum nullum & remiſſionem habet, ſicut neque incrementum, ſed calor ſemper æqualis manet, quod non fit in putridis pleriſque, in quibus calor increſcit in augmento & vigore, minuitur in declinatione. A Synochis verò, quæ & ipſæ perpetuò calorem æqualem habent, differt hectica, quòd in illis calor longè eſt vehementior & maior, in hac verò obſcurus & remiſſus. Vnde etiam in illis pulsûs ſunt maximi, velociſſimi, frequentiſſimi, qui hîc ſunt parui & debiles. Ab aliis verò febribus acceſſiones liberas & ἀθλίπτους habentibus diſcernitur, quod illæ inæqualitatem quandam habent, poſt alimentũ paulò ante paroxyſmum exhibitum: in hecticâ verò poſt cibum, quacunque horâ aſſumptum, veluti quædam

acceſſio

accessio æqualis sentitur,calorque augeri,& pulsus velocior animaduertitur.

*Signa differentiarum. Incipientis hecticæ signa.* Sed iam ad signa differentiarum accedamus. Et quidem incipientem hecticam quod attinet, eius peculiaria signa multa recensere opus nō est;cùm signa quæ omnibus hecticis sunt communia, eam satis indicare possint. Aliqua tamen hîc repetemus. Et quidem de signis hecticæ cum putridâ inuadentis postea dicemus. Iam de hecticâ cum ephemerâ incipiente agamus. Incidat aliquis in febrem, qui calidâ & siccâ est temperie, ex causis euidentibus (nam hæc conditio si desit,hecticæ ex se incipientis nullus metus est,) vt vigiliis, laboribus, inediâ, curis & similibus causis, & iis quidem ita vehementibus, præsertim tempore & statu aëris calido & sicco,vt primò quidem omnia febris ephemeræ signa adsint;extendatur autem vltra diem, neque calor magis inualescat, sed corpus reddi siccius videatur, tum hecticam incipere, magna suspicio est.Quòd si ad tertium vsque diem extendatur, æger horâ minùs suspectâ cibum sumat,& si calor nihil nisi ex cibo assumpto, augeatur vel immutetur, sed quædam quasi febris reliquiæ permaneant, cum ariditate corporis & calore; qui primo tactu mitis sentitur, postea verò acris & mordax percipitur: illa de hecticâ suspicio valde confirmatur. Vt autem omnino certus sis de hecticâ, offeratur ægro cibus,& quidem eo tempore, quo nulla de inuasione febrili suspicio est. Si enim hectica adest, statim vnâ aut duabus post sumptum cibum horis, caliditas augebitur, vt quicunque tetigerit ægrum, accessionem febris, seu paroxysmum adesse opinetur, Illa tamen ἀνάβασις & ἐπισημασία erit ἄθλιπτ@, incompressa & libera; nihilque præcedet eorum, quæ putridarum febrium paroxysmos præcedere solent. Et vt planè sis certus, sequentibus diebus horis planè diuersis cibum exhibeas. Semper enim eodem modo, vnâ atque alterâ horâ post cibum assumptum, calorem augeri,aliis verò temporibus perpetuò æqualem manere,animaduertes.

*Secundi hecticæ gradûs signa.* Secundus Hecticæ gradus cùm medius sit quasi inter eam hecticam,quæ sine tabe est, & illam, quæ absolutum ferè marasmum coniunctum habet, ac latitudinem satis amplam, maioris & minoris ratione, obtineat:ficciores iam in eâ, atque inopiâ alimenti exsuccæ corporis partes redduntur.Et quantum siccitas inualescit, tantum etiam virtus sit debilior. Vnde accidit, vt quamuis pulsus paruus, durus, debilis ac frequens sit: minùs tamen talis sit, quàm in extremo marasmo; magis autem, quàm in hecticâ sine tabe, Suppeditant quoque huius secundi gradûs signa vrinæ. Vrina nimirum est oleaginosa,seu pinguedo,aranearum telis similis vrinæ innatat. Etsi enim in aliis etiam affectibus sine hecticâ pinguedo in vrinâ conspici possit: tamen si iam ex aliis signis cognitum ac perspectum habeamus adesse hecticam, tum talis vrinâ apparens inseparabile hecticæ secundi gradûs signum est. Adiposæ enim ac carnosæ substantiæ colliquationem significat. In genere tamen etiam aliquid de hecticâ ex vrinâ colligere licet, si hæc obseruemus.Vrina,in quâ pinguedo telis aranearū similis innatat,semper colliquationem significat,vel eius pinguedinis,quæ cum sanguine est in venis, vel adipis renum,vel adiposæ & carnosæ substantiæ totius corporis, atque ita hecticæ secundi gradûs. Hæc autem discerni possunt: si sanguis copiosus sit, & bonus in sano corpore,talis pinguedo interdum in vrinâ apparet, & supra vrinam quid innatat, quale in lacte summo colligitur, ac quale in refrigeratis iusculis summa parte cōcrescit, quod Græcis γραῦς dicitur. Habet enim sanguis partem quandam pinguiorem, de quâ aliquid interdum cum vrinâ etiam percolatur, nimirum vbi maior eius in corpore est copia; præsertim si corpus incalescat. Si autem pinguedine renum colliquatâ hoc accidat, ἀθρόως & confertim, ac cum dolore & ardore renum contingit. Si autem paulatim defluat, reliquo corpore ægrotante, colliquatio hæc fit ob hecticam febrim, quæ vel sola est, vel cum aliâ febre coniungitur. Si sola hectica sit, illud quod innatat, paucum est. Calor enim hecticarum febrium est debilior, & corpora ad hecticam disposita sicca sunt, & parum adipis ac pinguis substantiæ habent.Si autē alia febris coniungatur,copiosior pinguedo cum vrinâ emittitur: cùm calor illarum febrium,quæ hecticis iunguntur,sit maior; & sæpe in ea corpora incidat, quæ succulenta sunt, & adipis magnam copiam habent. Febres autem illæ, cum quibus hecticæ coniunguntur,sunt putridæ, & ardentes,nonnunquam & pestilentes.Per ardētes autem febres nonnullas à calore vehementissimo non solùm alimentum similarium partium, sed & carnosa ac adiposa substantia colliquatur & absumitur (vnde & febres illæ colliquantes & colliquatiuæ dicuntur) vt adiposum & pingue aliquid interdum per aluū, interdum per vrinam eiiciatur. Hoc itaque signum si adsit, hecticam cum putridâ coniungi significat. In nonnullis verò pestilentibus febribus etiam habitus corporis corrumpitur & colliquatur, quæ similiter cum hecticâ coniunctæ sunt. Verùm cùm vrinæ oleaginosæ non tantùm eæ dicantur, quæ oleosi quid in superficie natans habent, sed & quæ substantiâ oleum referunt; de his videantur ea, quæ *lib.3.Inst.part. 1.s. 2. capite 6.* diximus. Ad secundum gradum etiam istud referunt, quòd ægri ob imbecillitatem oculorum palpebras atollere nequeunt. Nam quod in febribus acutis defectus clausulæ oculorum in dormientibus denotat:id in hecticâ per impotentiam aperiendi oculos denotat. Verùm forsan hoc signum rectiùs ad tertium gradum refertur.

Tertij autem gradûs signa sunt facilia & euidentia de quibus tamen hoc notandum, esse ferè eadem,quæ 1. *Prognost.* ab Hippocrate in facie Hippocraticâ dictâ describuntur; & esse ea signa morbis acutis & diuturnis, ac omni causæ emacianti cum hecticâ marasmode communia. Ad marasmum enim & extremam tabem plures morbi deducere possunt. Quapropter ex his hectica non simpliciter indicatur. Verùm si antea ex aliis signis de eâ constat, de gradu ac specie eius indicia desumuntur. Signa autem hæc sunt: *Tertij hecticæ gradûs signa.* Oculi sunt valde concaui, & in quibusdam quasi foueis reconditi; qui & ipsi minores fiunt, exsiccatis & ex parte absumptis in iis humoribus,& adipe, qui plurimus est circa oculos,cōsumpto. Ossa genę vtriusque, imò totius oculi orbitæ limbus eminentior apparet, ob oculum intrò conditum,inprimis verò ob cutis & carnis circa hæc ossa exsiccationem. Sordes quædam circa oculos apparent. Nam illa exigua etiam, quæ superest, alimenti portio, ob naturalis facultatis imbecillitatem, retineri & concoqui non potest, sed diffluit, & à calore febrili siccatur. Periit viuidus ille faciei color,seu,vt Græci loquuntur, τῆς χρόας τὸ ζωτικὸν ἄνθ@,viuidus ille flos coloris, ob sanguinem, spiritum & calorem natiuum deficientem,& cadauerosa quasi facies apparet. Quanquam autem squalor & siccitas in totâ facie, imò in toto corpore conspiciatur:tamen in fronte manifestiùs apparet. Nam in hac sana cutis subiecto musculo connata carnosior est: jam autem per hecticam tabidam, exsiccato & consumpto ferè carnoso genere, cutis hæc arida, & intenta quasi cernitur, non vt in senibus, rugosa. Palpebræ ob siccitatem contractæ apparent,, & attolli non possunt, motúsque earum est imbecillis, & trementi similis, vt modò attolli, modò claudi videantur, non aliter, ac in dormitu-rientibus,neque tamen dormire valentibus euenit,pręsertim ex labore lassis: ita vt in somnum propensi videantur: quæ tamen ad somnum propensio nulla est, cùm ob caliditatem & siccitatem maximè vigiles sint, sed potiùs motricis imbecillitas. Carnes circa tempora consumptæ sunt & contabuerunt, vt tempora col-

lapsa & spatia illa circa tempora quasi concaua esse videantur. Et si totum corpus perpendas, nihil nisi ossa & cutis reliqua esse videntur, adeò vt si ventrem inferiorem (nam superior, scilicet thorax, ob ossium & costarum soliditatem ita subsidere non potest, etsi in eo viscera, pulmones, & cor, non minùs, quàm reliquæ partes, emaciatæ & consumptæ sint) nudes & detegas: vix aliquid intestinorũ & viscerum superesse videatur: & partes illæ valde versus thoracẽ contractæ appareant. Quod si iam cutem tangas, arida est adeò, vt pellem quandam tangere videaris.

*Hectica cum putridâ signa.* Restant adhuc signa hecticæ cum putridâ coniunctæ. Coniungitur autem hectica cum putridâ, quæ vel eam antecedit, vel simul cum eâ oritur, vel hecticâ iam præsente producitur. Ex febre acutâ vel ardente potest tandem etiam hectica fieri, & ita quidem, vt putrida cum hecticâ aliquandiu duret. Fieri etiam potest, vt si corpus sit biliosum valde à causa procatarctica nimiùm calefaciente simul & hectica producatur, & humores biliosi calefiant ac putredinem concipiant, atque ita & hectica & putrida simul accendantur; quarũ tamen altera ab alterâ non dependet, sed vtraque ab eadem causâ ortum habet. Potest denique post hecticam oriri putredo. Nam cùm vt de aliis nihil dicamus, hectici lacte vtplurimum alantur, & corpori extrà frigida applicentur, ex lacte corrupto, & pororum cutis obstructione potest oriri putredo.

Negant quidem nonnulli, hecticam cum putridâ coniungi posse; Verùm sine causâ. Etsi enim existimant, à putridâ hecticam prouenire non posse, vt putrida maneat; cùm calor, qui erat in putridâ in fieri, mutetur in factum, & proinde cesset & aboleatur putrida, & in hecticam transeat: tamen hoc minùs rectè docent. Nam dum à putridâ febre hectica accenditur, non totus calor, qui à putredine excitatur, transit in factum, sed maxima pars manet in fieri, quæ etiam postea, cessante putredine, euanescit. Quod vel experientia testatur, quæ manifestè docet, dum hectica cum putridâ coniungitur, calorem multò esse maiorem, quàm vbi putridâ cessante sola hectica manet. Neque etiam concludit, quod dicunt, qui contrarium sentiunt, putridam hecticæ superuenire non posse ideò, quòd cùm hecticæ calor sit factus, quicunque calor subiecto ita dispofito superuenit, etiam in facto esse constituatur. Nam verum non est, quòd omnis calor ex humoribus putrescentibus, præsente iam hectica, excitatus, ipse etiam hecticus euadat. Permanet enim, quamdiu putredo humorum adest, calor ille inæqualis, & à causâ suâ, nimirum humorũ putredine, fouetur; quâ cessante, ipse etiam cessat, vt experientia testatur; quod non fieret, si hecticus esset. Itaque etsi in talibus febribus vnus est calor præternaturalis: tamen, vna pars est ἑκτικὴ, altera σηπτικὴ, à putredine humorum pendens.

*Hectica cum Intermittẽte signa.* Cùm itaque constet, hecticam cum putridâ interdum coniungi posse, diligens danda est opera, vt discernere possimus, an hectica sit simplex, an cum putridâ coniuncta; cùm ad curationem rectè instituẽdam istud summè sit necessarium. Potest autem coniungi hectica cum putridâ vel Intermittente vel continuâ. Si cum intermittente coniungitur, minùs difficulter cognoscitur. Nam inclinante accessione, siue per sudores, siue per alui excretionem, si calor nihilominus aliquis relinquatur, is tamen remissus, ita vt æger se febricitare non sentiat, adsitque magnus virium languor, aut præcesserit pinguis excretio vel sudor diaphoreticus iam penitiùs & fixiùs febrem se insinuasse, indicio est. Quibus illud accedit: quòd finito paroxysmo, reliquæ omnes partes temperatiores apparent, arteriarum solùm loca calidiora sunt, pulsúsque celeritatem & frequentiam non amittit: æger quidem cibum assumit, nihil tamen inde roboratur, sed corpus sensim contabescit.

*Hectica cum continuâ signa.* Verùm si hectica cum putridâ continuâ coniungatur, longè difficilius est eam cognoscere. Nam hectica, quæ cum intermittente coniungitur, tempore ἀπυρεξίας sola manet, vt non ita difficulter cognosci possit, sed quæ cum continuâ coniungitur, nunquam sola est. Primò autem sicca caliditas remanet per totum corpus post finem declinationis, vel totius putridæ febris, vel eius periodorum; quamuis forsan sudor febrem soluens copiosus superueniat. Hocque indicat, præter illum calorem, qui cum sudore euanuit, etiam alium adhuc calorem in membris fixiùs hærere. Secundò corpus plus extenuatur & emaciatur, quàm aliàs per tales febres putridas fieri solet. Atque id etiam argumento est, alium adhuc subesse calorem, quàm ex putredine, qui membra ita colliquet & absumat. Tertiò vrina oleaginosa apparet. Tandem si de hecticâ constet, de putridâ autem suspicio sit, putredinem indicat ἀνάβασις & ἐπισημασία caloris θλιπτὸς, inuasio caloris non libera & impedita, ita vt calor non se mox liberè diffundat, sed ad interiora repulsus submergatur.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* Etsi verò hecticas in principio curare non admodum difficile est: tamen easdem in principio cognoscere, est difficile: cùm clam & occultè sese hæc febris insinuet, vt incurabilior indies reddatur. Quò enim tabi propinquior hæc febris euadit, eo curatu magis impossibilis. Non autem hîc principium dierum numero, sed ipsius dispositionis qualitate metiri oportet, & gradûs huius febris suprà descripti attendendi sunt. Primæ enim speciei seu gradûs hectica inter reliquas facilè curatur, si simplex sit, neque putredinem coniunctam habeat. Secundi gradûs & ipsa curatur; sed difficiliùs. Tertij gradûs sanari non potest; cùm humidum illud radicale absumptum & exsiccatum sit, partésque similares absumptæ refici non possint. Quæ putridæ coniungitur hectica, curatu difficilis est, & plerumque lethalis, ob indicationes inter se pugnantes, & propterea tandem in tabem transit.

## CAPVT III.

### *De Curatione Febris Hecticæ.*

*Indicationes.* CVm febris hæc, nisi dum incipit, causâ careat. Indicationes sumuntur ab ipso morbo & viribus. Et quidem vtraque indicatio in idem recidit. Nimirum quicquid humidi & solidarum partium absumptũ & exsiccatum est, id, quantum fieri potest, humectantibus restituere oportet. Quod dum fit, vires simul conseruantur & augentur: Simul tamen calida intemperies refrigerationem postulat. Et quidem in curatione summa diligentia adhibenda est; cùm nec leuissimum errorem toleret hectica. Itaque in refrigerantibus adhibendis id cauendum, ne calorem natiuum iam debilem & absumptum nimiâ refrigeratione extinguamus: Et proinde vtilius est, sensim potiùs, quàm subitò refrigerare. Humectantia verò in hac febre semper tutiora & vtiliora sunt, quàm refrigerantia. Humectantia enim lentè & tardè suas operationes exequuntur. Refrigerantia verò sunt efficaciora, atque ideò etsi calorem febrilem potentiùs tollant, metuendum tamen est, ne, corpore inprimis extenuato, calorem natiuum vnà extinguant. Præterea & hoc obseruandum, inter refrigerantia & humectantia ea eligenda, quæ ita refrigerant, vt non siccent, & ita humectant, vt non calefaciant. Nam quæ refrigerantia simul exsiccant, vel humectantia calefaciunt, febri huic curandæ parum conueniunt. Atque hæc omnia de hectica simplici intelligenda sunt.

Si verò hectica febrem putridam, aut visceris alicuius inflammationem coniunctam habeat: non tollitur, nisi morbo priore,ceu causâ, sublato. Si tamen hectica nimis vrgeat,ne vires sumat & incurabilis reddatur omnino præcauendum. Et quia hectica inducias dat, quas putrida non concedit, interim obstructiones aperiendæ,humorésque putridi sensim euacuandi sunt,atque ita putredo primò tollenda.

In hecticâ ergo simplici quia adjectione & humectatione opus est, nec euacuatio sanguinis, nec aliæ purgationes instituendæ,sed potiùs,cùm medicamentis, tum diætâ corpus humectandum. Medicamenta autem duplicia sunt,quæ intra corpus assumuntur, & quæ extrà adhibentur. Quæ assumuntur medicamenta, inprimis humectare & simul refrigerare debent, qualia ex violis, borragine, buglosso, nymphæâ, rosis,endiuiâ, cichorio, sem.4.frigidis majoribus,papau. amygdalis parantur. Hinc conueniunt Iuleb.& syrupus violar.rosar. syrupus borrag. nymphææ. Inprimis verò vtilia sunt semina 4. frigida majora, è quibus emulsiones,morsuli & alia medicamenta parantur.

*Medicamenta hectica.*

Vt: ℞. *Amygdal.dulc.*Vnc.ij,*sem.4.frig.mai.excortic.*an.ʒ.j.*papauer.albi.* Drach.ij. *F.Cum aq.borrag.violar.vel hordei f.q.Emulsio.*

Quæ dulcoretur *rotulis manûs Christi perlatis,vel additâ facch.f.q.misceantur super igne,&* F.Saponea.

Ad eadem medicamenta pineæ quoque, pistacia. spec.diamargariti frig.diatragacâthi frig.addi possunt.

Vel. ℞. *Conseru.cichorij.bugloss.borrag.*an.Vnc.j.*spec. diamarg.frig.*Drach.j. *santali citrini* Drach.ß. *Cum syr. violar.* F. Electuar.

Valde à nonnullis commendatur *solutio seu magisterium Margaritarum.*

Vtiles sunt & rotulæ diamarg. frigidi & diatragacanthi frigidi.

Vel. ℞. *Sacch.albissimi* ℔.j.ß.*amyli subtiliss.puluerisat.*℥.iiij.*ol.amygdal.dul.recèns expressi.*Vnc.iij.Dissolu, saccharum super igne *cum aq.rosf.vel violar.* & cùm inceperit inspissari, adde *nunc amylum,nunc oleum amygdal.dulc.& cû spatulâ continuò agitetur.* Fiatq; mixtura.

Infundere quoque licet in aquâ conueniente, vt borraginis,buglossi, rosarum, species diamarg.frigidi, santalum,& postea colare,colaturamque cum syr.conueniente aut rotulis manûs Christi perlat.dulcorare.

Talia plurima habentur apud Guainerium,c.*proprio,* & passim apud practicos.

Ioh. Anglicus hunc syrupum commendat & aureum appellat.

℞.*Vngulam caballinam.vmbilicum ♀,capillos ♀,lenticulam palustrem,endiuiam,hepaticam,cichorium,violariam,lactucam,semen lactucæ,papaueris albi,portulacæ.*4. *frig.maior.maluæ, ficus, vuas passas, pineas,amygdalas, santalor.omnia genera,flores violarum, rasuram Eboris, pruna damascena,cassiam fistular.glycyrrhizam.*

Ex quibus singulorum q.f. coquit in aq.f.q.vel hordei, & cum sacchar. albiss. f. q. parat syrupum, quem ægro manè & vesperi propinat.

In vsu tamen horum medicamentorum istud obseruandum, vt nunc magis, nunc minùs refrigerantia adhibeantur,proût febrilis calor intensior vel remissior fuerit.

*Externa. Balneum aqua dulcis.*

Inter ea, quæ extrà corpori applicantur, inprimis laudatur balneum aquæ dulcis. Quod si rectè administretur,refrigerat & humectat & propterea conuenientissimum est,cùm nulla febris putrida adest.

*Balnei partes apud antiquos.*

Antiqui,vt cùm ex aliis locis,tum ex Gal. 10. *meth. med.*videre est, miram in iis administrandis adhibeant diligentiam. Et quidem Balneum antiquorum,secundùm nonnullos,tribus,secundùm alios quatuor partibus erat distinctum.

Primò enim in loco nonnihil calido loturi exuebantur, & in aëre calido tamdiu morabantur, donec corpus nonnihil incalesceret. Deinde in aquam calidam immergebantur. Tertiò è balneo calido egressi in frigidam se conferebant; & quartò sudores abstergebant. Atque has partes antiqui eâ de causâ discernebant,vt primò pori corporis in aëre calido aperirentur, deinde in balneo aquæ dulcis calidæ corpus humectaretur, tandem ne corpus calore exsolueretur, aut calor intenderetur, calor frigiditate temperabatur.

*Modus lauandi hecticos, Gal.*

Laborans autem febre hecticâ lauandus est ex præscripto Galeni, sine omni labore, ne vires exsoluantur. Id quâ ratione fieri debeat, satis exactè & curiosè Galenus docet. Iubet nimirum, vt æger in balneum in lectulo transportetur, paratamque ad manûs habeat calentem sindonem, quâ in primam domum balnei à quatuor hominibus transportetur: hinc in secundâ oleo tepido perfundatur; postea in ipsum solium aquæ calidæ deducatur. In solio verò aquæ calidæ mediocriter moretur,ne calor natiuus & humiditas corporis discutiatur: & quidem sindone in aquam mergatur. Hinc in frigidam semel, & quidem breuissimo spatio, mergatur. Postea iterum in lecto collocetur, primò spongiis, hinc mollibus linteis detergatur: tandem vnctus & vestitus domum reducatur ac nutriatur. Ideò autem post balneum inungi jubet Galenus ægrum, vt pori cutis obstruantur, & ne corpus plus justo dissoluatur, sed humiditas ex balneo inducta intrò pellatur & retineatur. De quibus pluribus agentem Galenum consulere licet, 10. *meth. med. cap.* 10.

Cùm verò balneorum antiquis vsitatorum structura & diligentia in desuetudinem venerit; præterea non sine causâ metuendum sit,ne frigidæ occursu corpus lædatur, ægérque subitum contrariarum qualitatum occursum ferre non possit; ac facilè fieri queat, vt ex leui errato in frigidâ adhibendâ maius damnum oriatur,quàm ex recto vsu commodum: Arabes,& qui eos sequuntur Medici aliam compendiosiorem hecticos lauandi rationem instituunt. In ægri cubiculo,cuius aër sit tepidior,vt primæ parti balnei Antiquis vsitati,respondeat, labrum aquâ moderatè calidâ plenum prope lectum disponi jubent,vt in eam æger sine labore descendat, & quidem manè, post leuem ex vitellis ouorum aut iusculo carnis cibum. In aqua æger blandè manibus tractetur, & tamdiu in aquâ immoretur,donec sponte tepescat. Cùm enim Galeno & plerisque Medicis frigidæ post balneum calidum tanta necessitas visa fuerit, vt calidum balneum sine frigidâ parum prodesse putetur: frigidæ vices supplentur, si æger tamdiu in balneo donec sponte tepescere aut refrigerari incipiat. Aut si nimis tardè conuenientem teporem acquirere videatur,vt ægrum balnei tædium capere incipiat,affusâ frigidâ, balneum facilè iusto modo tepescere & refrigerari poterit. Hoc modo cùm triplex balnei qualitas haberi possit,calida, tepida & frigida: in calidâ parum moretur; diutius in tepidâ; in frigidâ minimum. Atque ista ratione,nullum ex frigidâ incommodum sentiet. Quod facilè fieri potest, si subitò ex calidâ in frigidam immergatur. Alij quidem duo labra in ægri cubiculo constituunt, alterum calidâ, alterum frigidâ plenum, atque in priore primùm ægrum immergere jubent tamdiu, quamdiu ægri virtus id perferre potest, ita vt corpus non nimiùm incalescat; postea in frigidam demittunt, & iterum aliquâdiu in eâ morari jubent. Verùm propter eandem rationem prior ratio balnei videtur esse commodior.

Vt verò balneum plus humectet,in aquâ coqui possunt,maluæ,violæ,branca vrsina,& similes humectantes plantæ.

Inprimis vtile esset balneum ex lacte dulci tepido paratum, quale & Ægyptiis hodie in vsu esse refert Prosper Alpinus. Verùm cùm sumptûs istos ferre omnes non possint, suadent aliqui Medici, vt lactis aliquot lagenæ calefiant, & linteo triplicato æger inuoluatur,

uoluatur, ac postea lacte tepido perfundatur, tandémque spongia, vel panno lineo molli abstergatur.

*Inunctiones post balneum.* Post balneum quocunque modo institutum, vtile est, corpus inungere oleo dulci, violarum, amygdalarum dulcium, nymphææ, rosarum, &c. Inprimis spina dorsi tali linimento inungenda:

℞. *Mucilag. sem. psylly, cydonior. aquâ violarum extractæ*, an. Vnc. j. *ol. violarum, lactis muliebris*, an. Drach. vi. *butyri rec. f. aquâ violar. loti*, Vnc. ß. *camphoræ* Scrup. ß. *ceræ q. s.* F. Linimentum ad spinam dorsi.

Non solùm autem toti corpori ad refrigerandum & humectandum medicamenta topica applicantur, sed priuatis quibusdam partibus, inprimis iis, quæ præcipuè afficiuntur.

Sunt autem ad hunc vsum ea eligenda, quæ refrigerant citra vllam adstrictionem. Talia fiunt ex rosis, violis, acetosâ, portulacâ, lactucâ, lenticulâ palustri, &c.

*Cordis regioni applicanda.* Inprimis autem talia cordi commodissimè, vtpotè quod maximè afficitur, applicantur. Galenus, 10. *meth. cap.* 9. cerotum rosaceum commendat, & thoraci applicat.

Vel ℞. *Aq. rosar.* Vnc. iiij. *nymphææ.* Vnc. ij. *borrag. acetosæ* an. Vnc. i. ß. *santalor. omnium* an. Drach. ß. Misce.

Possunt etiam admisceri succi acetosæ, endiuiæ.

Vel ℞. *Vnguenti rosf. Mes. rec.* Vnc. ß. *spec. diamarg. frig. santali citrini*, an. Scrup. j. *Camphoræ* gr. vj. *Cum oleo rosar. odorato*, F. Limentum.

Hepati quoque & renibus refrigerantia adhibeantur, qualia suprà proposuimus.

Guainerius jubet, vt hepati frustum cucurbitæ imponatur, quæ valdè refrigerat & humectat.

## *Diæta.*

*Diæta. Aër.* Maxima verò curationis spes in Diætâ consistit. Aër ergò, si naturâ suâ sit vel temperatus, vel mediocriter frigidus, tali vtendum: Si verò valdè vel calidus, vel frigidus, ad mediocritatem arte reducendus.

*Cibus.* Inprimis verò Cibi magna est habenda ratio. Sit autem cibus refrigerans & humectans, facilis coctionis, boni succi, paucorum excrementorum, & qui non mox discutiatur. Tales autem cibi sunt ptisana, vel eius cremor, oua recentia, pulli gallinacei, caro hædina, pisces optimæ notæ, amygdalæ, aut puls talis.

℞. *Farin. hordei puræ* M. j. *Amyli* M. ß. Coq. ad pultẽ in lacte amygdalino. Adde *oua recentia conquassata* ij. *sacchari penidij* Drach. vj. Misce.

Cibi autem condiantur lactucâ, endiuiâ, seminibus frigid. majoribus, papaueris.

*Lac.* Inprimis verò Lac conuenit, & vix quicquam ad curandam hecticam eo est conuenientius, quod non solùm alit, sed etiam medicamenti rationem habet. Est enim, vt Galenus, 4. *de simpl. med. fac. cap.* 17. docet, frigidum & humidum, facilis coctionis, optimi nutrimenti, ac summam vim habet substantiam corporis nostri humectandi & reficiendi.

Inter lactis autem genera, commendatur primo loco humanum, vtpote quod nostræ naturæ sit familiarissimum: secundo loco constituunt Medici lac Asininum, quod tenuis est substantiæ, & facilè in totum corpus distribuitur; tertio caprinum; quarto vaccinum.

In propinando autem lacte primò obseruandum, vt lac optimum eligatur, quod scilicet nullam alienam qualitatem vel gustui vel olfactui confert, sed suo genere dulcissimum sit, & genuinum lactis colorem habeat. Deinde videndum, ne in ventriculo coaguletur: Quâ de causâ lacti aliquid mellis, aut, quod commodius est, sacchari aut salis, admiscendum est. Præterea lac, quantum fieri potest, mox ab vbere calidum dandum, & quidem tribus horis ante reliquum cibum: Et à principio non plus cyatho, postea verò licet cyatho mensuram augere, rursúmque alium deinde adjicere, donec conueniens viribus ægri mensura detur, quæ scilicet à ventriculo ægri rectè possit concoqui, vt in eo neque fluctuet, neque corrumpatur, neque vires omninò grauet.

De cochlearum vsu in hecticâ inter Medicos non planè conuenit. Medici superiorum seculorum vix aliud magis commendant, quàm cochleas, & in iis totam ferè salutis spem ponũt. Vnde nõ solùm cochlearum carnes ægris comedendas exhibent, sed & destillata, electuaria instauratiua appellata, morsulos, syrupos, & plurima alia inde conficiunt. Verùm apud Antiquos de his nulla fit mentio. Et Galenus passim inter alimenta crassum succum generantia eas ponit. Atque alij quidam Medici eas improbant, eâ de causâ, quòd difficulter concoquantur, & vix à sanis, multò minùs ab ægris rectè confici possint, crassum terrestre & mali succi alimentum generent, ac multa excrementa suppeditent. Quod cùm non sit de nihilo, eò modo saltem cochleæ vsurpandæ sunt; de quo Institut. *l.* 4. *part.* 1. *cap.* 3. dictum, vt nimirum non caro earum, quæ ab ægris cõcoqui nõ potest, sed jus tãtùm ægris præbeatur. *Cochlea.*

Nonnulli cancros in lacte caprino coquunt, atque additis herbis conuenientibus aquam-b[illegible]lem Phthisicis parant. Quæ eadem etiam, plantis conuenientibus additis, pro hecticis parari potest, & rotulis manûs Christi dulcorari.

Guainerius ranas virides, quæ in arboribus viuunt, capitibus abscissis, & visceribus abiectis, tamdiu in aquâ coquit, vt caro ab ossibus separetur, deinde cum farinâ hordei & carne ac brodio illo facit pastam, quâ gallinas & pullos nutrit, eósque hoc modo nutritos mirabiliter dicit conferre hecticis. Sumit etiam loco ranarum anguillas. Possent & cancris ac cochleis hoc modo nutriri pulli & gallinæ, quæ procul dubio alimentum conuenientius hecticis præberent, quàm ipsa cancrorum aut cochlearum caro comesta. *Ranæ.*

Nonnulli, vt alimentum parent, quod non difficulter coquatur, facilè distribuatur, agglutinetur, nec à calore solidarũ partium statim discutiatur, sumunt carnem vel cancrorum, vel cochlearum, eamque sale fricant & diligenter abluunt, ac postea in aquâ purâ, donec ferè liquescant, decoquunt: postea ptisanam hordeaceam semicoctam addunt, iterumque, donec perfectè cocta sit, coquunt, & tandem per setaceum aut linteum colant, ac ptisanam hoc modo paratam præbent. Alij cancros coquunt in lacte (præsertim caprino) postea contundunt carnem, per setaceum trajiciunt, & addito lacte caprino, vel amygdal. & sacchari sufficiente quantitate, coquunt ad spissitudinem. Quâ ratione etiam, si cui libet, cochleæ præparari possunt. *Iura instaurantia.*

Nonnulli hoc loco commendant aquas destillatas è carnibus animalium. Verùm quantum iis tribuendum sit, dictum, *l.* 5. *Instit. part.* 3. *sect.* 3. *cap.* 5. Plus nutrit jus instaurans dictum, & succus è carnibus assis animalium expressus. Ius instaurans tale fieri potest.

℞. *Gallinam vel caponem, Cinamomi, macis* an. Drach. j. *vel* ij. *santali citrini* Drach. ß.

Concisa caro coq. in vase duplici, donec caro ab ossibus separetur. Hinc succus exprimatur, qui in frigore concrescit. A concreto pinguedo detrahitur, & ægro de jusculo calefacto cochlear vnum vel alterum, vel solum, vel cum jusculo alterius carnis exhibeatur. Potest etiam addi inter coquendum caro vitulina vel bubula. Vide Instit. *ib. cap. secundo.*

Conuenientes quoque cibi parantur hecticis ex amygdalis, nucleis pini, pistaceis cum seminibus frigidis & papaueris albi, cum aqua rosarum & saccharo, atque inde iuscula, mazæ panis, aliique cibi fiunt. Ægyptiis, vt refert Prosper Alpinus, *lib.* 4. *de Medic. Ægypt. c. vlt.* familiarissimæ sunt sorbitiones *maglub* atque *mastahaleb* vocatæ, quæ ex variis seminibus vim refrigeratoriam & humectatoriam habentibus parantur: semine scilicet lactucæ, endiuiæ,

sonchi,

ſonchi, maluæ, pſyllii, papaueris albi: melonum, cucurbitæ, anguriæ, hordei, piſtaciorum, amygdalarum dulcium, ſingulorum ſcilicet æqualibus partibus, quæ omnia in mortario marmoreo contundunt, ac lac cum aquâ endiuiæ vel hordei exprimunt, adduntque modicum aquæ roſaceæ & ſacchari candi violacei.

In omni autem cibo exhibendo obſeruandum eſt, ægros quidem plurimo indigere alimento; ob virium tamen inbecillitatem illud concoquere non poſſe: ideò parum cibi, ſed ſæpius exhibendum eſt. Et quoniam omnis attrahendi & coquendi vis in hecticis eſt debilis, liquidiora alimenta ipſis conueniunt, cùm facilè diſtribuantur & coquantur.

*Potus.* Potus in noſtris regionibus conueniens eſt cereuiſia, inprimis triticea. Poteſt & vſurpari decoctum hordei, in quo pruna, glycyrrhiza, & momentum cinamom. aut ſem. coriandri coctum ſit. A vino autem, niſi illud aquoſum, album aut dulce ſit, abſtinendum, ſicut à mulſa.

Galenus, 10. *meth. med. cap.* 5. & 6. aquam frigidam quoque exhibet, & ſcribit, ſe hoc modo multos à maraſmo præſeruâſſe. Sed frigida ſaltem in eminente hecticâ; aut eius principio, & quidem in aſſuetis locum habet, & vbi corpus adhuc ſanguine abundat, ad maraſmum præcauendum. Quò autem corpus magis extenuatum & tabes maior fuerit, eò minùs conuenit frigidæ potio. Facilè enim ab eâ calor innatus, qui reſtat paucus, extingui, & partes extenuatæ valde lædi poſſunt.

*Somnus.* Somnus in hac febre ſit moderatus, vel etiam conſueto longior, qui corpus & vires miro modo reficit.

*Hectica cum putridâ cura.* Si hectica cum putridâ febre copulatur, & vel ad inflammationem, aut vlcus alicuius viſceris ſequitur, vel cuicunque putridæ conjungitur, curatio difficilis eſt. Facilè enim, dum vni prodeſſe ſtudemus, alteri nocere poſſumus. Imò eadem febris non facilè cognoſcitur. Itaque ſi corporis maior extenuatio, quàm pro ratione febris ſubſequatur, omnia ſigna diligenter perpendenda ſunt; & ſi febris intermittens, inprimis attendendum, an pulſus tempore ἀπυρεξίας adhuc febrilis ſit.

Vt ergo talis febris curetur, primò cauſam hecticæ, quæ eſt calor febris putridæ, niſi hectica nimiùm vrgeat, tollere ſtudebimus; ita tamen, ne hecticam planè negligamus. Nam ſi ſoli putridæ febri curandæ idonea medicamenta exhibere velimus, augebitur hectica: aut ſi ſoli hecticæ intenti ſimus, augebitur febris putrida. *Curatio.*

Ergò in præparandâ materiâ, obſtructionibus aperiendis, vt & purgantibus, aliquid addendum, quod hecticam reſpiciat, ex endiuiâ, violis, portulacâ: Et quidem alterantia hîc efficaciter humectare debent, ideò omnibus medicamentis admiſceantur.

Purgantia ſint leniora, ex ſyrupo roſ.ſol.violar.ſolutiuo, mannâ, caſſiâ. Poteſtque iis materia lentè euacuari, & per vices corpus iterum refici. E g. In tertianâ cum hecticâ coniunctâ.

℞. *Caſſiæ* Vnc.i. *ſpec.diamarg.frig.*ʒ. ß. F. Bolus.

Vel: ℞. *Rad.cichor.polypod.eryngij* an. Drach.ii. *endiuiæ* M.ß. *flor.violar.borrag.bugloſſ.* an. P.i. *ſem.4.frig.mai.* an. Drach.ß. *tamarind.paſſul.* an. Vnc.ß. *iuiubar.ſebeſten.* an. nu. vi. Coqu. *in ſ.q. aq.hordei ſ.* In Colaturâ infunduntur. *rhab. opt.* Drach.i.ß. *ſpicæ, Schœnanthi.* an. gr.vi. Colaturæ ℞. Vnc.iii In quibus diſſolu. *mannæ el.*ʒ ß. *vel q. ſ.* Colentur. Adde *ſyr.violar.ſolut.* Vnc.ß. F. Hauſtus.

Epithemata quoque refrigerantia & humectantia cordi, pulſibus, & hepati apponantur, de quibus antea dictum.

# LIBER QVARTVS, *DE* PESTE, PESTILENTIBVSQVE AC MALIGNIS FEBRIBVS.

## CAPVT I.

### *De Natura Peſtilentiæ.*

CVM differentias febrium eſſentiales, vt appellant, eas ſcilicet, quas Galenus in libris de febr. diff. tractat, hactenus abſoluerimus: atque inter accidentales vulgatiſſima & cognitu maximè neceſſaria ſit ea, quæ febres peſtilentes malignaſque complectitur; atque ipſa Peſtilentia tam frequenter cum febribus complicetur, vt plurimi, iique non vulgares Medici, in eam venerint ſententiam, peſtilentiam nihil aliud eſſe, quàm febrem ſummè putridam, ac putredinis quodam gradu excellentiore ſolùm ab aliis putridis differentem: operæ pretium fuerit, & ordinis ratio id poſtulat, vt iam de peſtilentiâ, peſtilentibúſque ac malignis febribus agamus.

Etſi verò per febres malignas & peſtilentes, quaſi per gradûs quoſdam, ad ipſam peſtilentiam aſcendatur, & ſummus corruptionis gradus, vt poſtea dicetur, ſit in peſtilentiâ: atque ita à malignis & peſtilentibus febribus inchoandum videatur: tamen cùm malignitas & venenoſitas in peſte ſit maxima, & maximè perſpicua, ab eâ initium facere libet.

Et vt primò in naturam peſtilentiæ inquiramus, de hoc quidem apud omnes conſtat, Peſtilentiam eſſe morbum quendam pernicioſum & periculoſum, quo qui laborant, plurimi pereunt, & alios inficiunt. Vnde etiam peſtis appellatio ad alias res periculoſas & pernicioſas traducta & tranſlata eſt; peſtilentémque inuidiam; *Senec. in Hippol.* peſtiferum amorem, *idem in Thebaide*; ciues, *Cicer.* 1. *de orat.* tribunatum, *idem pro domo ſuâ*, frugum, ventos, *Horat.* 3. *carm. Od.* 23. ſeditioſos ciues & malos conſules Rerumpubl. *Cicero pro Sylla*; milites imperij, *Liuius lib.* 2. adulatores iuuentutis, *Terent. in Adelph.* peſtes dixerunt. Aut potiùs peſtis nomen, quod in genere rem quamcumque pernicioſam ſignificat, in ſpecie malo omnium periculoſiſſimo & pernicioſiſſimo tributum eſt. In quâ tamen ſignificatione peſtilentiæ & peſtis nomen duo complectitur. Primò & præcipuè morbum omnium pernicioſiſſimum, de quo iam nobis agendum; deinde etiam ſtatum & conſtitutionem, quâ talis morbus graſſatur; quo modo tum alibi, tum 6. *epid.com.* 1. *t.* 29. Galenus hac voce vtitur.

Quâ in re verò peſtilentiæ eſſentia conſiſtat, dubium eſt, & de eo variæ ac prolixæ apud Medicos *De Peſtilentia naturâ.* occurrunt

*Variæ auctorum sententiæ.*

occurrunt controuersiæ. Nam cum pestis cum febre putrida plerumque coniungatur, eadem contagiosa sit, & subitò disseminetur, pluresque iugulandi vim habeat; non omnes, quomodo hæc ad pestem pertineant, an eius naturam constituant, an verò alio modo ad pestem referantur, perspexerunt. Atque hinc pestilentiam alij febrem epidemiam periculosam & perniciosam, alij aliquid aliud esse dixerunt.

Ne igitur à ianuâ, quod dicitur, aberremus, primò in quo pestis natura consistat, inquirendum, & quidem rationis & experientiæ ductu. Etsi enim à Præceptorum & Magistrorum in arte Medicâ celebrium placitis, non sine graui causâ recedendum, sed eorum vestigiis, quantum licet, insistendum censeamus, seruilem tamen animum Alex. Massariæ sequi non placet, qui, *de Peste lib.1.* scribit, sibi iamdudum constitutum esse, Galenum perpetuò imitari, & ab illo, ne latum quidem vnguem discedere, ac se malle cum eo errare, quàm cum istis (recentiores intelligit) vera sentire.

*An pestis certum morbi genus sit.*

At vt hinc faciamus initium, Massarias, & cum eo quidam alij, pestem nullum certum morbi esse genus dixerunt, neque vnam nostri corporis partem petere; sed omnes in vniuersum & omnis generis morbos pestilentes esse, imò ipsam pestem constituere dixerunt, modò sint vulgares, & maiorem hominum partem interficiant. Atque hanc esse causam putat Massarias, cur neque Hipppcrates, neque Galenus peculiarem aliquem de peste tractatum scripserint. Idque eo confirmare conantur, quòd si omnes, omnium temporum pestilentias studiosè memoriâ repetamus, atque singula vniuscuiusque tum symptomata, tum morbos accuratè animaduertamus, illa tam multa, varia, inter se differentia, ac sæpenumerò contraria fuisse deprehendimus, vt vno morbi genere comprehendi ac coarctari facilè non possint.

Atque huius etiam sententiæ Galenum fuisse aiunt, cùm alibi, tùm præcipuè 3. *epid. comm.3.t.20.* vbi hæc habet: *Non est certi morbi nomen vulgare vel pestilens. Cæterùm quicunque in vno loco multos simul inuadit, vulgaris hic vocatur; qui si simul hoc habeat, vt multos perimat, pestis est.*

Verumenimuerò etsi negandum non sit, cum peste plurima morborum genera & symptomata coniungi posse; febres, deliria, vigilias, somnum profundum, capitis dolorem, aphthas & oris vlcera, anginam, pleuritidem, vomitum, diarrhœas, icterum, bubones, carbunculos, macularum varia genera, & plurima alia, quæ ab Hippocrate, *in lib. epid.* & aliis passim recensentur; & hactenus verum esse non diffiteamur, quod modò ex Galeno dictum est, non esse certum morbi genus, vulgare vel pestilens, id est, in peste non vnum genus morbi vel symptomatum grassari, sed plurima, atque in hac ista, in aliâ alia: tamen in illis morbis omnibus pestis essentia constituenda non est, sed talia solùm sunt, quæ pestem vel sequuntur, vel comitantur; ipsa verò, quatenus talia, nullam perniciositatem, quæ pestis naturam constituit, obtinent, neque, quatenus talia, hominem iugulant. Et proinde vlteriùs quærendum, cur illi morbi pestilentes dicantur interdum, cùm sæpè tales non sint. Verbi gratia febris, quæ cum peste conjungitur, sæpè mitis est, & ab eâ nullum ægro periculum imminet, qui tamen moritur, & à veneno pestilenti, quod cum febre illâ coniunctum est, interimitur. Ita angina sæpe cum peste copulatur; quæ licèt neque suffocando, neque per febrem hominem iugulet, æger nihilominus non conualescit ob pestilens venenum; vnde & angina illa pestilens nominatur. Ita alui profluuia interdum pestem comitantur, quæ ex se non sunt lethalia, sed cum peste perniciosa fiunt.

*Cur Pesti tot*

Quod autem tam varij morbi pesti coniunguntur, id tum ex veneni varietate, & causarum diuersitate, quæ non semper planè eædem sunt, proficiscitur; tum ex diuersitate corporum, in quæ pestilens causa incidit. Id quod docet Galen. 3. *epid. comm. 3. t. 70.* *Hæc tempestas, inquit videtur humores aceruasse & repleuisse caput, idque omnibus morbis commune fuisse, sed fuisse suo quemque morbo, alium alio correptum, pro suâ cuiusque naturâ; alui fluxionibus, acribus deiectionibus pinguibúsque biliosos. Rubicundi verò,* inquit, *& ad melancholiam dispositi non iniuriâ sunt phrenitide & febre ardenti correpti; vt & crasso biliosóque sanguine præditi, & cruentis dysenteriis. Quæ autem essent naturæ frigidiores tantùm, vel frigidiores simul & humidiores, has par erat, vt quæ nec facilè febribus, nec biliosis affectibus sunt obnoxiæ, in solas incidisse capitis destillationes.*

*& tam varij morbi ac symptomata coniunguntur.*

*Pestis vnum morbi genus est.*

Ex quibus omnibus apparet: Primò, illud perniciosum, quod pestis naturam constituit, non in tot differentibus morbis, sed in peculiari morborum genere quærendum esse, cum quo quicunque alij morbi coniunguntur, ij meritò pestilentes dicuntur.

*Morbus Epidemius & pestilens differunt.*

Deinde & illud hinc manifestum euadit, differre τὸ ἐπιδήμιον & τὸ λοιμώδες, aliúdque esse pestilens, aliud vulgare. Vt enim morbus vulgaris sit, hoc saltem requiritur, vt plurimos in aliquâ regione vel ciuitate inuadat: non tamen est necessarium, vt omnes vel plurimos iugulandi vim obtineat. Ita annotauit Forest. *lib. 6. obseru.* 3. anno 1580. sex septimanarum spatio, tussim & catarrhum quendam epidemium vniuersam planè Europam peruasisse; ita vt integræ familiæ eo malo corriperentur: tantum verò abfuit, vt id malum lethale esset & pestilens, vt etiam vix millesimus eo interierit. Pestilens verò morbus is est, qui plerosque ex iis, quos corripit, iugulat.

*An esse Epidemium ad pestis essentiam pertineat.*

Vt verò pestilens morbus etiam sit vulgaris, ad essentiam eius non pertinet, sed accidens quoddam pestis est, eius vel causam communem, vel præter causam, pestilentis morbi effectum, contagium scilicet, sequens. Etsi enim vnus saltem in vrbe aliquâ peste corripiatur, eum pèste laborare negandum non est, ideo, quòd solus eâ laboraret; sufficitque, in plurimos passim sese diffundendi potentiam habere, etsi nondum actu epidemius sit ille morbus.

*Obiectio.*

Obiicitur quidem hîc à quodam, à me confundi actum primum cum secundo. Quemadmodum enim, inquit, lethalis dicitur hic morbus, non quòd omnes, quos inuasit, iugulet, sed quòd semper vitam oppugnet, & extinguere possit: ita quoque contagiosum & Epidemium dici potest, non quòd semper actu per contagium in alium pluresue se diffundat, & multiplicet, sed quod diffundere & multiplicare possit. Quandoquidem istud de necessitate sit pestis & naturâ; ad illud verò plures circumstantiæ & patientis dispositio requirantur.

*Solutio.*

*Morbus Epidemius & Contagiosus differunt.*

Verùm hîc confunditur Contagiosum & Epidemium, & malè statuitur, morbum aliquem potentiâ epidemium esse posse. Non enim idem est Epidemium & Contagiosum, sed omninò peculiaris est morbi differentia, quâ in sporadicos & epidemios; & rursum peculiaris, quâ in contagiosos & non contagiosos diuiditur. Et contagiosum aliquid esse libenter concedimus, quod nondum plures infecerit; contagiúmque ipsam morbi seu causæ morbificæ essentiam proximè consequitur. At quòd morbus aliquis est epidemius, pluresque corripit, id non semper ex naturâ morbi vel contagio habet, sed id sæpe solùm ex causâ communi, aëris scilicet vel victûs vitio dependet; neque omnes illi morbi pestilentes sunt. Talis morbus epidemius procul dubio fuit, cuius Forestus, *lib. 6. obs. 2.* facit mentionem, qui non per contagium, sed subitò vnico ferè tempore omnes inuadebat, afflatu quodam irruens, & post septimum aut vndecimum diem neminem

amplius

amplius aggredi viſus eſt. Ita non non rarò febres epidemiæ graſſantur,quæ tamen neque contagioſæ,neque peſtilentes ſunt.

Itaque concedimus quidem, aliquid contagioſum actu primo & poteſtate ſaltem eſſe poſſe,quod tale non ſit actu ſecundo: definiemúſque poſtea peſtem poteſtate alios inficiendi, non ipſo actu ſecundo, aut effectu,quem non ignoramus multis modis impediri poſſe. Verùm epidemius ſeu vulgaris morbus nullus potentiâ dicitur, ſed is ſolùm propriè talis eſt:qui reuera & ipſo actu plures corripit; quamdiu verò intra paucos continetur,epidemius non eſt.

*An peſtis ſit etiam Endemius morbus.* Vt verò peſtem quamlibet, cùm omnis contagioſa ſit, in vulgus facilè diſſeminari poſſe concedimus: ita non abs re quæritur; An peſtis tantùm ſit in morborum Epidemiorum numero: An verò aliqua peſtis morbus Endemius eſſe poſſit. Sunt quidem nonnulli in eâ opinione,reperiri peſtilentes morbos Endemios, quales dicunt eſſe illos,qui Syriam & Ægyptum ſæpe exercent,ac plerumque Cairum & Byzantium affligunt.

Verùm concedendum non videtur, dari tales Endemios peſtilentes morbos. Nam cùm, vt Galenus rectè, 1.*epid.in proœm.* docet, ab Endemiis Epidemij ita differant, quòd hi per aliquod tempus aliquam regionem peruadunt; illi verò incolas, ac ſi cognati eſſent,nullo non tempore comitantur: homines & vita humana cum causâ peſtilenti perpetuò coniuncta durare non poſſent, neque regio aut ciuitas homines alere, quæ cauſam peſtilentem vernaculam habeat, & domi ſuæ alat. Nam peſtilentiæ illæ in Syriâ & Ægypto ac Byzantio non ſunt perpetuæ, ſed interdum ceſſant; neque etiam ſtatas planè periodos obſeruant, ſed ſatis inordinatè, pro varietate & inconſtantiâ cauſarum, inuadunt. Et alibi etiam obſeruatur, in populoſis vrbibus, atque vbi magnus eſt hominum confluxus, peſtilentiam frequenter aliunde eò transferri, & ſenſim ac clanculum propagari. Ac quod Cairum in ſpecie attinet, ſatis clarè Proſper Alpinus, *lib.* 1. *de medic. Ægyptiorum c.* 15. docet, Cur peſtis ei vrbi ſit familiarior, & ſæuiùs in eâ graſſetur. Refert enim, rariùs ex aëris vitio vel domeſticis cauſis peſtem ibi naſci, ſed aliunde, præcipuè ex Syriâ, Græciâ & Barbariâ,eò adſportari,atque incuriâ incolarum ſubitò propagari. Perſuaſum enim, inquit, Turcæ Ægyptiíque ſibi habent, ſingulis à Deo prædeſtinatum eſſe exitium exitiíque qualitatem, ita vt in bello morituros nullo pacto à peſte interimi poſſe arbitrentur, & ſolùm peſte eos mori poſſe, quibus quidem ab ipsâ exitium præfixum eſt. Quâ vanâ credulitate omnes peſtiferum morbum negligunt atque parui faciunt, nihilque ab eo timent, pro certo credentes, ſi vitam eo morbo finiendam eſſe deſtinatum ſit, quin eo moriantur, nullo pacto ſe effugere poſſe, neque in bello, neque in mari, neque alio modo mortem ſibi pertimeſcendam. Atque hinc peſte Ægyptum depopulante, vrbémque Cairum ſæuiſſimè depaſcente, nemo ipſorum fugam arripit, neque cum peſte infectis conuerſari timet, neque veſtibus aliíſque laneis lineiſque pannis peſtis contagio infectis vti abhorret. Veſtes enim aliaque peſte interfectorum ſupellex ſubitò in emporiis publicè venditur, & quiſque eam emit abſque vllo peſtilentis contagij timore.

*Peſtis natura.* Cum ergò morbi reliqui,qui cum peſte coniunguntur, eſſentiam peſtis non conſtituant, & per ſe peſtilentes non ſint;neque etiam per τὸ ἐπιδήμιον peſtis definiri poſſit: iam in quo peſtis natura conſiſtat, porrò quærendum. Atque vt ab iis, quæ nota & ab omnibus conceſſa ſunt, incipiamus, Omnes homines, vt etiam ſuprà dictum,peſtilentiam in aliquo loco graſſari dicunt, cùm plurimi ſimul vno aliquo morbo corripiuntur,eodémque pereunt,aliíque inficiuntur.Ex quo concludimus, eius partis neceſſariò morbum eſſe peſtilentiam, à quâ vita maximè pendet, & quâ læsâ, homo de vitâ ſummoperè periclitatur, Cordis ſcilicet; atque ita in peſtilentiâ Cor vitæ fontem, caloriſque vitalis officinam maximè affici, eóque affecto homines tam ſubitò vitâ priuari. *Peſtis cordis morbus.* Idque nemini dubium eſſe debet, qui ea quæ in peſtilentiâ accidunt, perpendit. In omni enim peſte animaduertitur ſubitaneus virtutis vitalis lapſus, ſummaque virium debilitas. Animalis verò facultas in peſte ad finem vitæ vſque non rarò integra perſiſtit; ſicut & Naturalis facultas nonnunquam adeò inſigniter non labefactatur.

Sunt quidem nonnulli, qui hîc contrarium ſentiunt, & non ſolùm cordi, ſed & aliis partibus venenum peſtilens aduerſari ſtatuunt, imò peſtem euenire poſſe, cerebro viciniſque membris primùm infeſtam, quæ & necare poſſit, antequam vis venefica cor contingat, aut ſpiritûs vitales, ſaltem grandi iniuriâ parti animali illata, vt ſcribit Andreas Libauius, *tract. de venen.cap.*11. eo modo, quo in magnis cerebri vulnerib. apoplexiâ, & ſimilibus affectibus homo moritur cerebro primò affecto. Idque eo probare conantur, quòd non omnia venena primò cordi aduerſa ſint, ſed alia pulmonibus, vt lepus marinus; alia veſicæ, vt cantharides; alia cerebro, vt hyoſcyamus:atque differentiam etiam iſtam & diuerſitatem in peſtilentiâ ex varietate ſymptomatum & effectuum apparere, cùm in peſte varij & diuerſarum partium morbi & ſymptomata conſpiciantur, carbunculi, bubones, nunc in his,nunc in aliis partibus,phreniti-des,oſſium denudationes.

Verumenimuerò ſi concedamus ſanè, eſſe venena, quæ non cordi primò, ſed aliis partibus aduerſa ſint:tamen peſtilens tale non eſſe, ex ſummâ facultatis vitalis in peſte læſione, & ſubitâ atque inopinatâ morte, quâ peſte correpti extinguuntur, apparet. Et quanquam non in omnibus eadem pars affici videatur: tamen id accidit, partim quia, vt Galenus, 3. *epid. com.* 3. *t.* 17. habet, ab eodem ſtatu genitus prauus humor non eaſdem partes inſidet, quia ſcilicet nec per naturam omnium in eâdem conſtitutione corpus eſſet in eodem ſtatu, ſed eſſet alia aliis pars infirmior: vnde accidit, vt nunc ad hanc, nunc ad illam partem venenum peſtilens protrudatur: partim quia contagium non ſemper per eandem partem recipitur, ſed nunc per aërem, quem inſpiramus, nunc per poros cutis, nunc alio modo; vnde eam partem, quæ primò illud recipit, primo loco etiam affici credibile eſt: ſicut Paræo, *lib.* 1. *de peſte, cap.* 12. peſtilentem halitum per nares in cerebrum attrahenti accidit. Facilè enim concedimus, venenum peſtilens ita corpori noſtro aduerſum eſſe, vt omnes partes ſummopere lædat: tamen primariò cordi aduerſum eſſe, vis illa inſignis facultatem vitalem lædendi, & hominem ſubitò iugulandi ſatis docet. Nec in peſte, ſicut in apoplexiâ, cerebri vel alterius partis læſæ interuentu cor afficitur, ſed licèt & aliæ partes in eâ afficiantur: tamen cor ſemper maximè lædi, ſymptomata, cordis affecti ſigna indicant, vt & antidota, quæ omnia veneno peſtilenti ſunt aduerſa, cor verò roborandi vim habent, & propterea non ad alias partes diriguntur. Hinc quanquam Paræus per nares vaporem peſtilentem primùm hauſerit, atque venenum ibi etiam procul dubio hæſerit, & poſtea per hæmorrhagiam & ſternutationem excuſſum ſit:tamen ab eodem cor affectum eſſe, illa ipſa lipothymia, in quam incidit, arguit. Neque enim opus eſt, vt venenum peſtilens humoréſque corrumpens & putrefaciens ſemper & primariò in corde reſideat:ſed nunc has,nunc alias partes occupat. Ita Pauli Æginetæ tempore in colicâ illâ peſtilenti, quæ totam Italiam aliaſq; regiones plurimas deuaſtauit,

ſtauit, in inteſtinis materiâ peſtilens præcipuè ſedem habuit:ita nonnunquam pleuritides, nonnunquam lethargi, phrenitides, & alij peſtilentes morbi animaduerſi ſunt: in quibus tamen omnibus quocunque loco hærens materia peculiarem cum corde ἀντιπάθειαν, habuit. Sicut id in epilepſiâ videre eſt, quæ etſi ſit proprius cerebri affectus, tamen non ſemper oritur per primarium affectum, ſed nonnunquam per conſenſum, vapore epilepſiam cauſante à pede, vtero, vel aliunde ad cerebrum aſcendente. Atque mori hominem in peſtilentibus iſtis malis, non corde tantùm malorum iſtorum vehementiâ in conſenſum tracto, ſed proprio morbo,ex eo patet; quòd homo ſubitò ſæpe & multò citius,quàm pro mali iſtius,cum quo coniungitur,naturâ pereat.

Qui autem morbus in peſte Cor præcipuè oppugnet,de eo Authores non conſentiunt. Omnes tamen in tres claſſes redigi poſſe videntur. Alij enim ſaltem ex putredine peſtem oriri exiſtimant. Atque qui hanc ſententiam ſequuntur, ij plerique peſti febrem coniungunt. Al. Maſſarias tamen immediatam peſtilentiæ cauſam putredinem eſſe docet, & nihilominus defendit,peſtilentiam aliquando ſine febre eſſe poſſe.Quod an fieri poſſit,hîc non diſputo.

*De peſtilentis veneni naturâ variæ opiniones.* Alij à malignâ, venenatâ & occultâ qualitate Cor infeſtari exiſtimant, & peſte infectos morbo totius ſubſtantiæ, quem vulgò appellant, ſeu potiùs occultæ qualitatis laborare ſtatuunt.

Mediam inter hos opinionem tueri videntur Euſtachius Rudius & Raimundus Mindererus; ſed diuerſo modo. Euſtachius Rudius quidem, *lib.* 3. *pract. cap.*30. in putredinem & ſimul in rem putreſcentem cauſam peſtis refert. Statuit enim in peſtilenti febre in humano corpore venenatam aliquam materiam reperiri, quæ putredinem tempore ac ratione præcedat, atque deinde putreſcens, dum putredinis vi eius venenoſa qualitas concitatur, actiones ſuas promat: atque ita proüt putreſcit & extraneum calorem accendit, febrem gignat; quatenus verò venenata eſt, cor laceſſat, & peſtilentiam producat. Raimundus verò Mindererus, *in lib. de peſtil.* concedit: in omni peſte venenum adeſſe; idque, & rectè, ex effectibus morbi huius,eiúſque ſæuitiâ, celeritate, ac inuadendi modo, nec non lethalium ſymptomatum multitudine ac prauitate, imò & iudicij ipſius ſeu κρίσεως difficultate perſpici docet. Cùm verò venenorum varia ſint genera, atque in peſte etiam quædam varietas appareat: omne peſtilens venenum ſolâ ferè putrefaciendi vi nocere,ac ſepticum omnino ſeu putrefactiuum eſſe, & ſepticâ vi potiſſimùm omnem cladem perficere exiſtimat.

*An peſtis natura in putredine conſiſtat.* Has opiniones iam examinemus neceſſe eſt, vt veritatem eruamus. Qui in omni peſte putredinem atque inde ortam febrem adeſſe ſtatuunt, ij, vt id credant, præcipuè adducuntur eo, quòd vident illos qui peſte corripiuntur, primò horrorem ſentire, quem poſtea calor excipit, non aliter quam in febribus putridis fieri ſolet, eoſdémque ciborum faſtidio, capitis doloribus, inquietudine, linguæ ariditate, oris ſiccitate, ſiti, bubonibus, carbunculis corripi, & ſimiles morbos atque ſymptomata, quæ putredinem ac febrem arguunt in iis apparere. Verumenimuerò vt concedamus, iſta plerumque in peſte fieri; (nam ſemper non accidunt) tamen de eo iam controuerſia eſt.1. An in peſte ſolùm putredo adſit; ſeu, An à ſolâ putredine peſtis natura pendeat. 2. An in omni peſte putredo & febris animaduertatur.

Primùm quod attinet eorum opinionem,qui ex ſolâ putredine peſtem dependere exiſtimant, agnoſcunt ij ipſi, dum huius inuadendi modum, ſæuitiam, celeritatémque, & hominem iugulandi vim, & medicamenta, quibus curatur, perpendunt, ex putredine ſimpliciter cauſam huius morbi dari non poſſe. Si enim ex putredine ſimpliciter,& quatenus talis, peſtis natura penderet:omnes febres putridæ eſſent peſtilentes. Itaque in determinandâ & definiendâ putredine variè laborârunt, atque in varias partes ſeceſſerunt. Et quidem alij ex ipsâ putredine, alij ex putreſcentis materiæ diuerſitate: alij ex loco differentiam quandam ab aliarum febrium putredine quærere conati ſunt. Fracaſtorius quidem putredinem illam ſtatuit eſſe profundam & ſordidam: Hor. Augenius illam excellentiore corruptione explicat, & febrem peſtilentem generari ſcribit, cùm maxima & excellens putredo fuerit: ita vt potiùs corruptio per putredinem, quàm putredo ſimpliciter appellanda ſit, cùm neque alterari, neque concoqui, neque euinci adeò poſſit, quod in hac febre putreſcit, vt ad priſtinam naturam redire queat. *Opinio Fracaſtorij. Hor. Augenij.* Non multum ab hac opinione diſcrepat Thom. Minadous, qui duplicem putredinem ſtatuit. *Th. Minadoi.* Vnam ſecundùm quid, quæ non ſimpliciter adhuc putredo ſit, ſed alicuius adhuc coctionis particeps; Aliam, quæ putredo ſimpliciter appellari poſſit, eò quod nihil omnino contineat coctionis. Atque ex priore ſtatuit oriri alias febres putridas: ex putredine verò ſimpliciter dictâ & perfectâ ortum habere malignas. *Ant. Porti.* Antonius Portus plura coniungit, putredinémque peſtis authorem, largam, profundam, ſordidam, concluſam, ad minima elaboratam, & in lentore conſtitutam eſſe dicit. *Al. Maſſaria.* Alex. denique Maſſarias peculiarem terminum & gradum putredinis, quem nemo forſan ſatis explicare poſſit,hîc comminiſcitur.

Alij non in putredinem per ſe,ſed in rem putreſcentem cauſam diſcriminis transferunt, & peſtilentes febres ab aliis ita ſecernunt,quòd in peſtilentibus putredo depopuletur vniuerſam ſanguinis maſſam, atque inprimis alimentalem eius portionem;cùm in aliis putridis putreſcant potiùs partes illius excrementitiæ.

Alij tandem in malignis & peſtilentibus febribus focum putredinis eſſe in ſubſtantiâ cordis ſtatuunt; cum in aliis febribus focus putredinis ſit extra cor, è quo fuligines & vapores putridi ad cor mittantur.

*Putredo peſtis eſſentiam non conſtituit.* Verùm vt primò in genere has opiniones impugnemus, quocunque modo illi putredinem deſcribant & explicent, ad peſtilentiam conſtituendam non ſufficit. Nam niſi aliquid aliud addatur putredini, differentiæ illæ à putredine ſumptæ ſaltem ſecundùm magis & minùs ſunt, neque variant ſpeciem:atque ita non eſſet opus, peſtem à reliquis putridis ſeiungere. Et in peſtilentibus febribus magnitudo febris & mos eiuſdem non diſtinguerentur. Atque ita ſi putredinis magnitudo, excellentia, vehementia febris magnitudinem ſimúlque κακοήθειαν producit nulla erit differentia inter magnitudinem morbi & morem eiuſdem; quam tamen omnes Medici agnoſcunt:rectéque Galenus ſcriptum reliquit, 3. *de criſ. cap.* 4. Debiles quidem & paruæ febres quandoque valde malignæ ſunt;& aliæ calidæ atque æſtuoſæ, vt ſtomacho anguſtiam, & calorem ac ſitim intolerabilem afferant, nihil tamen habent nonnunquam periculoſum.

Deinde peſtis ſecundùm ſuam eſſentiam & per ſe lædit modo toto genere diuerſo, & ſecundùm vehementiam, & ſecundùm perniciem ab eo, quo putredo & reliquæ putridæ febres hominem afficiunt; & proinde toto genere peſtis à putredine & putridis febribus diuerſa eſt:cùm operationes eſſentialiter diuerſæ formas, à quibus proueniunt eſſentialiter diuerſas arguant. Etenim peſtis, vt Galenus, *de theriac. ad Piſon.cap.*16. docet,ceu fera quædam venenata non paucos aliquos miſerè perdit, verùm totas ciuitates depopulatur. *Peſtilentis veneni vis.* Immutat enim aërem malo quodam modo; vnde homines, qui ſine aëre reſpirare non poſſunt, contagium miſerè euadere nequeunt. Attrahunt enim in ſeipſos aërem illum infectum, tanquam præſentaneum aliquod venenum. Hinc de quodam febri peſtilente extincto Galen. 3.*epid.com.*3.*t.*75. ſcribit: *Itaque vt veneno lethali epoto quidam poſtridie vel*

*tertio die moriuntur, qualitate eius, non copiâ, mortem afferente: ita & hic quoque æger(phreniticus) ſtatim tertio die cenſendus eſt obiiſſe à qualitate ſuccorum virulentorũ, non phrenitide peremptus. At phrenitis illum eſt ſubſecuta ſymptomatis vice.* Momento ſcilicet, ſeſe ferè exerit,& pernicioſos effectûs edit peſtilentia, ſtupendo planè modo ſeſe propagat ac diffundit, ac tantillum veneni peſtilentis vel in aëre diffuſum, vel in fomite aliquo latens, diutiſſimè integrum conſeruari poteſt, & poſtea in corpus receptum, tantâ celeritate tam grauia producit ſymptomata, vt à nullâ manifeſta qualitate tale aliquid prouenire poſſit. In putredine verò, quocunque etiam modo determinetur, nihil niſi manifeſtarum qualitatum actio apparet;& nulli alij morbi è putredine excitantur,niſi qui in qualitatum primarum & manifeſtarum exceſſu conſiſtunt,ac inprimis calore excedẽte lædit putredo, dum calorem natiuum in igneum mutat. In phthiſicis certè non leuis putredo eſt, quâ pulmones interdum vltra dimidium abſumuntur, ex quâ ſine dubio vapores putridi cordi communicantur: multos tamen annos ſæpe viuunt phthiſici, neque peſte extinguuntur, ſed lentâ morte pereunt. Imò obſeruatum eſt, non ſolùm pericardium computruiſſe, ſed & in ipsâ cordis ſubſtantiâ vlcera & apoſtemata inuenta fuiſſe,vt videre eſt, apud Schenckium, *lib.*2. *obſeru.* 202. *& ſeqq.* quæ tamen nihil peſtilens induxerunt, ſed diuturnorum potiùs morborum cauſa fuerunt. Et ſi peſtilentia per ſolam putredinem, calorem ſcilicet natiuum in igneum mutando, & ita intemperie calidâ læderet: in ardentibus febribus longè maior pernicies appareret, quàm in peſtilentibus; cùm in ardentibus calor longè maximus conſpiciatur;peſtilentes verò omnes calorem vehementem non habeant.

*Alexipharmaca in peſte neceſſaria.*

Præterea ſi peſtilentia in ſolâ putredine, & nõn in venenatâ qualitate aliquâ conſiſteret, eo etiam modo, quo aliæ febres putridæ, curaretur. Verùm longè alia eſt ratio, & præſeruandi à peſtilentiâ & eandem curandi, quàm aliarum febrium putridarum: nimirum alexipharmaca,& in præſeruatione, & in curatione peſtis adhibentur. Atque ij ipſi, qui acerrimè defendunt, totam peſtis curationem in putredine amouendâ conſiſtere, vbi tandem ad peſtis curationem & præſeruationem ventum eſt, alexipharmaca adhibent, bolum armenum, terram ſigillatam, ſcordium, tormentillam, theriacam,& ſimilia.

Et licèt quidem hîc effugium nonnulli quærant, dum docent,ea non adhiberi,quatenus alexipharmaca, ſed quatenus ſiccant,viſcerum obſtructiones aperiunt, partémque roborant, ac tonum eius conſeruant, & omnino putredini contraria ſunt: tamen hoc modo vim argumenti non effugiunt. Nam ſi hoc fine ſolùm iſta medicamenta adhiberentur, non opus eſſet, alexipharmaca quærere, ſed plurima alia inuenire liceret, quæ hiſce indicationibus in peſte ſatisfacere poſſent: Quæ tamen à nemine in peſte adhibentur. Neque opus eſſet ex Lemno,& Armeniâ, Indiâ,Sileſiâ,bolos, terras & lapides in diſtantiſſimas regiones aduehere, ſi ſiccandi ſolùm gratiâ & ob qualitates manifeſtas ſolùm terra Lemnia, ſigillata, bolus Armenus, lapis bezoar vſurparentur: cùm in qualibet terrâ medicamenta, quæ eaſdem qualitates manifeſtas habeant, inueniantur. Et ſi medicamenta,quæ in peſte exhibentur, ſaltem ad putredinem inhibendam dantur: Cur non etiam in aliis febribus vſurpantur? Quis verò eſt, qui in febre tertianâ, vel continuâ, vel intermittente, bolum Armenum, terram ſigillatam, vel ſimilia, quæpotiùs obſtruendi, quàm aperiendi vim habent, adhibeat?

Inſuper cùm putredo omnibus mixtis communis affectio ſit, vbi in peſtilenti & à communi aëris conſtitutione peſtis prouenit, cur non omnia animalia æquè periclitantur; ſed modò homines, modò ſues, modò boues? Quod ipſum iam olim author libri de flatibus *t.*20.annotauit. *Non omni*,inquit,*animantium generi eadem aut non conferunt, aut commoda ſunt: ſed ſunt alia aliis magis conuenientia.* Quando igitur aër huiuſmodi μιάσμασι,id eſt,inquinamentis plenus eſt,quibus natura humana offenditur,homines ægrotant; quando verò alteri cuipiam generi aër inconueniens eſt, tum morbus illud genus corripit. Quod certè fieri non deberet, cùm omnia animantium genera ad putredinem apta ſint. Quanquam enim vnum indiuiduum,imò etiã vnum animalium genus,alio ad putredinem aptius ſit: tamen nulla putredo dari poteſt, quæ vni ſaltem animalium generi aduerſa ſit;ſed omnia putredinem concipere apta ſunt, præſertim ſi cauſa ſit vehementior: cùm tamen ſæpe obſeruatum ſit,animalia ad putredinẽ concipiendam aptiora,à peſte tuta vixiſſe,cùm alia minùs ad putredinem prona eâdem laborârint. Sicut & illud interdum annotatum eſt, in aëris conſtitutione ad putredinem augendam aptiore, v. g. auſtrinâ, peſtem minùs graſſatam fuiſſe, quàm ſub aliâ, quæ putredini aduerſatur magis,v.g.Aquilonià.

*An in omni peſte febris adſit.*

Tandem cùm, quod à re abeſſe poteſt,eique ex accidente accedit, de eius eſſentiâ non ſit, febris autem in omni peſte non adſit: facilè hinc colligere eſt putredinem & hinc dependentem febrem, non eſſe de eſſentiâ peſtis. Verùm cùm hac de re non omnes idem ſentiant,& diſputetur inter Medicos; An in omni peſte febris adſit, quæſtio hæc hoc loco diſcutienda eſt. nonnulli in eâ ſunt ſententiâ, nullam dari peſtem, quæ non febrem coniunctam habeat. Idque præcipuè, vt ſuprà etiam dictum, ex modo inuaſionis & ſymptomatibus,quæ peſtem comitantur,colligunt. Nam,inquiunt, qui peſte corripiuntur, primâ ſtatim inuaſione horrorem ſentiunt,quem poſtea calor excipit, non aliter, quàm in tertianis febribus fieri ſolet. Comitantur peſtem vigiliæ, linguæ ariditas, oris ſiccitas, & multa alia ſymptomata, quæ putredinem & febrem arguere ſolent. Deinde afferunt quædam ex Hippocrate & Galeno loca. Hippocrates,*lib.de flat.* ita ſcribit: *Sunt autem febrium duo genera, quorum alterum, commune omnibus, peſtis appellatur; alterum propter malam diætam priuatim his contingit,qui eâ vtuntur.* Galenus etiam, 6.*epid. com.*1.*t.*29.idem ſtatuere videtur.

Verumenimverò etſi concedendum omninò ſit, plerumque cum peſtilentiâ febrem coniungi, aut ſi mox inter initia non adſit, tamen tandem accedere: tamen neceſſariò & ſemper febrem cum peſte coniungi negamus. Nam ſi hiſtoricos, qui peſtilentias inſigniores deſcripſerunt,conſulamus,inueniemus, omninò peſtilentias aliquas fuiſſe, quibus febris coniuncta non fuit. Thucydides celebrem illam peſtilentiam Atticam adeò accuratè deſcribit, vt etiam minima quæque non prætermittat: febris tamen non meminit. Et Hippocrates, 3.*epid. com.* 3.*t.*25. de peſtilenti quadam cõſtitutione ita ſcribit. *Quorum caput*,inquit, *horum quid tentaret,his caput totũ glabreſcebat, & mentum, oſſaque denudabantur, decidebántque ac multæ extiterunt fluxiones. His adiuncta erat aliquando febris, aliquando non erat.* Et *t.* 55. *Excrementa biliosa, pinguia, tenuia, aquoſa, atque ipſe morbus multis eò erumpit, citra febrem & in febre.* Et Galenus, 9. *de ſimpl. med. fac.* §. *de bolo ſeu terrâ Armeniâ*, ita ſcribit: *Bibitur( bolus armenus ) ex vino albo, conſiſtentiâ tenui, modicè diluto,ſi aut planè febre careant,aut leuiter eâ teneantur. Sin grauiter febriant,admodum aqueo.* Etſi enim nonnulli hunc locum aliter interpretari conentur:tamen fruſtra laborant. Quidam enim aiunt. Galenum loqui de ſanis, qui ſint ſine febre; iiſque præſeruationis gratiâ bolum exhibendum eſſe. Verùm hæc interpretatio manifeſtè contra Galeni mentem eſt, qui de curatione loquitur, cùm mox addat; *Quotquot hoc medicamentum biberunt, celeriter curati ſunt: at quibus non profuit,omnes interière.* Mercurialis, *de peſte, cap.*47.

*cap.*47.Galenum,vt & Hippocratem,in locis suprà allegatis intelligendum putat, de febre exiguâ, ac vix sensibili. Verùm nec hæc interpretatio Galeni menti congruit. Galenus enim expresse triplicem eorum, quibus bolus propinari debet differentiam facit; Vnam eorum, qui febre planè carent; alteram illorum, qui leuiter eâ tenentur; & denique tertiam eorum, qui grauiter eâ laborant. Annotant quoque alij Authores, pestilentias sine febre spectatas fuisse. Testatur Iacob.de Partibus, *in primâ quarti Auicennæ, capite de febr. pestilent.* quosdam tempore pestis cum vrinis ad se venisse, quos tangebat & inueniebat sine omni febre, sine vllo graui symptomate: qui tamen statim antequam discederent, aut paulò post moriebantur. Sic refert Alex. Benedictus, quosdam subitò sine febre inter domesticas & forenses actiones, vel publica negotia, decem horarum spatio, sine pulsûs & vrinæ certo signo, in templis, in viâ, insperatò mortuos esse. Ita testatur Valeriola, *locor.comm.libro.*3.*capite* 18. In peste,quæ anno 1553. in Galliâ Narbonensi grassata est, homines, vt videbatur, sanos & loquentes, & incedentes, statim tanquam fulmine ictos, periisse. Quæ etiam in peste Venetâ & Patauinâ euenisse refert Hieron. Mercurialis, *de peste capite* 18. Quâ de re videantur & Capiuac. *Pract.lib.*6.*c.*36 Forestus,*lib.*6. *de obseruat.*20. Paræus, *de peste,cap.*10.Petr.Salius Diuersus,*de febr. pestilent. cap.*4.5.7.Gerhardus Columba,*de febr.pestilent.libro* 1. *cap.*27.32.

Quæ verò pro contrariâ sententiâ adferuntur,facilè refutari possunt. Primò enim, quod ex inuasionis modo atque actionibus colligunt cum peste febrem coniungi, id plerumque quidem verum esse, concedimus: Verùmtamen contrarium aliquando euenisse, meritò Authoribus grauissimis testantibus fidem habemus. Neque sequitur: Si in hac pestilenti constitutione febris coniuncta fuit,& talia accidentia apparuerunt. Ergò in omni ita sese res habet. Neque ratio impossibile esse monstrat, pestilentiam sine febri inueniri posse. Cùm enim pestis, vt partim monstratum est hactenus,partim ampliùs demonstrabitur,non in putredine consistat, sed venenorum aliorum more, imò vt venenum longè perniciosissimum, hominem iugulet: quid obstat, quo minùs tanta huius veneni possit esse vehementia,vt hominem iugulet, antequam putredo in corpore, & hinc febris excitetur; Putredo enim, præsertim tam magna vt eam describunt, tam subitò generari non potest.At venenum aliquod subitò corpetere, hominémque breuissimo temporis spatio interimere potest.

Quod deinde locum, *ex lib.de flat.* attinet, primò nonnulli docti Medici librum illum Hippocratis esse negant;cùm quædam dogmata veritati parùm consentanea continere videatur. Deinde sit liber iste Hippocratis: in illo tamen textu, quo dicitur; febrium duo esse genera, alterum commune: quod dicitur pestis, alterum priuatum, nihil aliud continetur, quàm diuisio febris,vt morbi communissimi,in duo genera, & alteram quidem omnibus communem pestem vocari, alteram, quæ ex ratione victûs prouenit, cuique propriam esse. Emerguntque ex illâ diuisione hæ propositiones: Aliqua febris est pestis seu cum peste; Aliqua febris non est pestis, seu non cum peste. Non verò licet à particulari affirmatiuâ ad suam conuersam vniuersalem argumentando hinc concludere: Ergò omnis pestis est cum febre. Neque cum peste conuertitur febris communis. Sunt enim multæ febres communes sine peste,vt ex lectione librorum Epidemiorum Hippocratis, & ipsâ experientiâ apparet. Nimirum non est diuisio per differentias essentiales facta. Neque conuertibiliter verum est, omnem febrem communem esse pestem.Dantur enim,vt dictum, febres communes,quæ pestilentes non sunt.

Porrò vt in specie etiam istas opiniones perpendamus: Qui in putredine tantùm pestis essentiam constituunt, frustra omnes laborant in putredinis naturâ determinandâ. Primò enim Fracastorij opinionem quod attinet, qui profundam & sordidam putredinem esse dicit, manifestum est, plurimas res putridissimas nihil pestilentiæ continere, neque vllo modo corpora humana peste inficere, febrésque plurimas, in quibus maxima est humorum putredo,pestilentes non esse. Contrà verò in peste sæpè exiguas vel nullas putredinis nothas apparere,neque fœtorem semper,quem ipsemet Fracastorius in sordidâ & magnâ putrefactione animaduerti dicit,deprehendi. *Fracastorij opinio perpenditur.*

Eadem ferè contra Hor.Augenij sententiam faciunt, vt & Antonii Porti opinionem. Sequitur enim ex opinionibus illis omnibus, plurimas febres pestilentiales esse debere, quæ tamen tales non animaduertuntur. Nam non in pestilentiâ tantùm & pestilentibus febribus tanta est humorum corruptio. vt ampliùs concoqui, elaborari, & ad pristinam naturam redire non queant; sed eadem in aliis quoque febribus non pestilentibus apparet, in quibus humores ita corrumpuntur, vt ad pristinam naturam ampliùs redire non possint, vt patet ex Galeno, 2. *aph.*17. & 11. *meth. med. capite* 8. vnde & euacuationes in febribus putridis & à naturâ fiunt, & ab arte instituuntur, vt quod corruptum planè est & ampliùs emendari non potest, è corpore tollatur. Imò eâ de causâ febribus putridis laborantes interdum moriuntur, quòd tanta sit humorum corruptio, vt natura eam nullo modo emendare possit. Contrà in pestilentiâ sæpe non magna est putredo.Etenim sæpissimè,quamprimùm pestilentiâ homo corripitur, cor statim summoperè affligitur, & actio pestilentis qualitatis manifestè sese exerit; quod à putredine esse non potest, quæ vel nondum adest,vel primùm incipit. Neque enim putredo in momento simul incipere, & summa euadere, atque excellens, profunda, sordidáque fieri,& gradum illum, à quo pestilentiam constitui volunt,attingere potest. *Hor. Augenij & Ant. Porti.*

Et si tanta putredo esset in peste, certè febris vehemens semper excitaretur. Quanquam enim hic nonnulli dicant, falsum esse, vbi magna est putredo, ibi quoque magnum esse calorem; & respondeant, ad putredinem generandam vel fouendam non quemuis calorem aptum existere,sed solum humidum:tamen scrupulum hunc non tollunt. Concedimus quidem calorem vehementem non putrefacere, sed adurere; solum verò humidum calorem putrefacere:id tamen non concedimus, ex magnâ putredine non sequi magnum calorem; sed statuimus, licèt calor, qui putredinem excitat, magnus semper non sit: tamen si magna putredo, præsertim in corporibus animalium inde excitetur,necessariò magnum calorem inde generari.

Massarias verò, dum in peculiari & ἀῤῥήτῳ quodam gradu ac putredinis termino pestilentiam constituit, effugium saltem quærit. Si enim per putredinis gradum & terminum tale aliquid intelligit,quod putredinis naturâ ac limitibus adhuc continetur: tunc contra eum pugnant illa omnia, quæ hactenus contra putredinem simpliciter dictam,& quatenus talis, attulimus. Si verò vel ille vel alius quicunque per inexplicabilem illum terminum, aut excellentem putredinem, occultam aliquam qualitatem, vel tale aliquid accipit, quod non qualitate vllâ manifestâ, sed intrinsecâ sui naturâ atque adeò innato quodam sibi substantiæ modo exitiale ac noxium sit:is nostræ sententiæ iam accedit,vt postea ampliùs dicetur. *Massaria.*

Quod verò eorum opinionem attinet, qui ex putredine totius massæ sanguineæ,& præcipuè alimentalis portionis,pestem & febres pestilentes oriri statuunt, ij videant, quid causæ afferre possint, cur febres Synochæ omnes pestilentes non sint; & cur febres, quæ pesti coniunguntur, omnes Synochæ non sint. Nam

è lectione librorum Epidemiorum Hippocratis patet, & ipſa experientia docet, febres, quæ peſti coniunguntur, non omnes Synochas eſſe, ſed pleraſque alterius generis.

Nec ij rem expediunt, qui inter peſtem & alias febres putridas hoc diſcrimen conſtituunt, quòd in peſte & peſtilentibus febribus focus putredinis ſit in corde: in aliis verò extra cor. Etenim ſi focus putredinis in ipſo corde eſſet, fieri non poſſet, quin calor vehementior in totum corpus diſpergeretur; qui tamen in peſte & peſtilentibus febribus ſemper non percipitur.

Mediam inter has opiniones eorum eſſe diximus, qui venenum & putredinem in peſte coniungunt, Euſtachij Rudij & Raimundi Minderer: qui tamen in eo diſcrepant. quòd Rudius ex veneno putreſcente peſtem fieri ſtatuit; Mindererus verò à veneno putredinem excitari putat. Rudij opinionem quod attinet, fruſtra ille putredinem veneni comminiſcitur, neque naturam veneni ſatis conſideraſſe videtur. Venena enim peculiarem ex ſe habent cum corde ἀντιπάθειαν, vt illud oppugnare, & hominem extinguere, etiam ſine putredine, ex ſuâ naturâ poſſint. Et quomodo generabitur ex aëre peſtilenti peſtis ſecundùm hanc opinionem? Primùm neceſſe erit, vt humores in venenum mutentur; hoc deinde putreſcat, & peſtem conſtituat. Cùm tamen contrarium fieri, res ipſa ſatis doceat. Quæ enim ex aëre inſpirato fit peſtis, ſubitò ſeſe exerit, neque per has ambages generatur. Imo videntur, vt paulò antè dictum, & animaduertuntur ſæpiſſimè veneni effectûs, antequam febris accedit. Et licèt febris ſæpe peſti coniungatur: tamen non hoc modo producitur; ſed verior eſt eorum ſententia; qui ſtatuunt, febrem ideo peſti accedere, quòd venenum peſtilens habeat vim humores corrumpendi & putrefaciendi.

*Euſt. Rudij.*

*Minderer.*

Itaque inter has opiniones, quas hactenus in medium attulimus & examinauimus, veriorem Mindereri ſententiam eſſe ſtatuimus, qui venenum in peſte admittit. Cui in eo quoque libenter aſſentimur, in pleriſque peſtilentibus conſtitutionibus peſtem febri coniungi: neque aliud in peſte, quæ ſuperioribus annis hic aliquoties graſſata eſt, obſeruaui: interim ex eo, quod vel ego vel alius quiſpiam obſeruauit, non licet concludere, in omni peſtilenti conſtitutione hoc euenire; ſed Medicis Clariſſimis, qui contrarium obſeruârunt & annotârunt, fidem habemus. Inprimis cùm rationes euidentes doceant, febrem ad peſtilentiæ eſſentiam non pertinere, & putredinem ſaltem peſtilentis veneni effectum eſſe, & à veneno hominem iugulari poſſe, antequam febris inducatur. Eſt deinde in hac opinione & illud dubium, an omne peſtilens venenum ſepticum ſit, & putrefactoriâ vi potiſſimùm omnem cladem perficiat. Veneni enim peſtilentis magna eſt varietas, & vt ipſemet ſtatuit, aliud dipſadis, aliud viperæ, aliud cicutæ, aliud napelli, aliud alterius exhibiti toxici naturam æmulatur. Vnde etiam non eadem ſymptomata ab eo inducuntur. Et hoc quidem libenter concedimus, quodlibet peſtilens venenum habere vim humores corrumpendi: an verò putredine id ſemper fiat, dubitamus, de quo dictum in Inſtit. *lib.* 2. *part.* 2. *capite* 12.

Et quod dicebatur, peſtem inuadere, vt reliquas febres putridas, & ſymptomata plurima, quæ in putridis aliis apparent, in peſte etiam animaduerti: libenter concedimus, plerumque ita ſe rem habere: neceſſariò verò id ſemper fieri, negamus: & exempla contraria ex Iacob. de Partibus, Alex. Benedicto & Valeriolâ allata ſunt. Quanquam enim hîc nonnulli reſpondeant, tales mortuos fuiſſe febre peſtilenti ephemerâ: tamen hoc modo ſeſe non extricant. Hoc quidem concedimus, quòd illud venenum peſtilens ſingularem analogiam habuerit ad Spiritûs, eos ſubitò corruperit, atque ita ſpiritibus corruptis homines repentè enecârit. Verùm quod neceſſarium fuerit, vt ephemera priùs excitaretur, & ſpirituum calor in igneum, in quo eſſentia febris conſiſtit; mutaretur, non concedimus: neque experientia id teſtata eſt; cùm ægri calorem illum in ſpiritibus præternaturalem & igneum facilè percipere potuiſſent; ſiquidem cùm planè ſani ſibi viderentur, ſubitò concidérunt, & mortui ſunt.

Hæc omnia, cùm ita ſe habeant, eorum tandem ſententiæ accedimus, qui ſtatuunt, à materiâ venenatâ occultâ totâque naturâ cordi aduerſa qualitate præditâ, peſtem prouenire, & reliquorum venenorum more hominem occidere; id quod effectus veneni peſtilentis ſatis docet. Etenim, vt rem ſummatim dicam, ſi modum agendi, ac vim & vehementiam veneni peſtilentis perpendamus, omninò eius tales ſunt actiones, quæ à qualitate primâ nullâ proficiſci poſſunt. Tam ſubitò enim quod nulla qualitas prima facit, vim ſuam in corpora alia imprimit, vt ſi quis peſte infectum ſudantem pauliſper ſaltem contingat, mox inficiatur. Et quidem tam breui tempore hominem iugulat, vt Ant. Portus, *lib.* 3. *de peſte c.* 8. narret, anno 260. Romæ vno tantùm die 5000. hominum peſte interiiſſe; Et Spangenbergius, *in Chronic.* referat, anno Chriſti 1348. peſtem Erphordiæ graſſantem, circa diem Laurentij, viginti quatuor horarum ſpatio 1500. homines enecâſſe.

*Controuerſiæ deciſio.*

*Veneni peſtilentis vis.*

Quæ omnia arguunt, veneni huius vim non à Qualitat. primis dependere, ſed in ſpiritali quadam eſſentiâ conſiſtere, quæ promptiſſimè ad interiora corporis penetrat, inprimis ad ipſum cor, cui malignam ſuam qualitatem imprimit, ſpiritus occulto modo diſſipat, ac corrumpit, calorem natiuum, proximum animæ inſtrumentum, peſſundat, humoréſque inquinat & corrumpit: vnde periculoſiſſimorum ſymptomatum agmen ſuboritur, febris, vomitus, alui profluuia, ſyncope, dolores capitis, vigiliæ, deliria & plurima alia grauiſſima mala. Neque vllus alius morbus eſt, qui tantam in genere humano ſtragem edat, ac peſtilentia. Refert enim Procopius, *li.* 11. *de bello Perſico*, ſub Iuſtiniano Imperatore, Byzantij, & finitimis in locis tantâ pernicie peſtem ſæuiſſe, vt ſingulis diebus 5000. &, quod ferè incredibile videtur, 10000. hominum exinxerit. Niceph. *lib.* 17. *hiſtor. Eccleſ. c.* 17. narrat, Peſtem ex Æthiopia vniuerſum penè orbem peruaſiſſe, ita vt neminem ferè hominum intactum reliquerit, & totas ciuitates incolis vacuas fecerit. Platina, *in vita Clementis VI.* refert, olim in Italiâ peſtilentiam tam atrocem ſæuiiſſe, vt ex milleſimo vix decimus euaſerit. Et *in Annalibus Franciæ* annotatum Anno 1374. peſte per vniuerſam Galliam & Germaniam graſſante penè tertiam humani generis partem extinctam fuiſſe. Et Quercetanus refert *in Alexicaco, cap.* 4. Anno 1400. Florentiæ paucis diebus 30000. hominum è viuis exceſſiſſe. Ita Michaël Saxo, *in vitâ Friderici III. Imperatoris* narrat, An. 1453. Erphordiæ peſtilentiam 28000. hominum extinxiſſe.

Vnum reſtat adhuc explicandum; Quomodo Contagium ſeſe ad peſtem habeat. Peſtem contagioſam eſſe, proh dolor! omnes ij ſatis ſupérque experiuntur, quos peſtis affligit. Sæpè enim accidit, vt primo vno atque altero ſaltem peſte laborante ea per Contagium breuiſſimo tempore per tota oppida & vrbes, imò prouincias diſſeminetur. Petrus Salius Diuerſus quidem, *de febre peſtilenti, c.* 11. dari nonnullas peſtes & morbos peſtilentes abſque Contagio ſentit, idque conatur probare ex hiſtoriis. Quoniam, inquit, Hippocrat. & Galen. cæterique tum temporis Medici, dum nonnullæ peſtes maximè ſæuirent, indiſcriminatim nullâque habita contagij ratione, ad inuiſendos & curandos ægrotos accedebant, atque

*An omnis peſtis ſit contagioſa.*

atque laborantes eâ nec vitauerê ipsi, nec vitare alios monuerunt: vtpote quòd nullum morbis,qui tum vagabantur, Contagium coniunctum erat. Deinde hodie etiam in Ægypto, Syriâ, & Asiâ minore vagari dicit pestilentes morbos,in quibus nulla contagij suspicio vel timor adsit, cùm incolæ eorum locorum nefandum scelus existiment, vitare consuetudinem peste ægrotantium. Etsi verò non negemus, pestilentes morbos alios aliis esse contagiosiores: tamen vt pestilentias illas antiquorum contagiosas non fuisse credamus, adduci non possumus. Hippocrat. certè, *lib.2. de nat.hum. t.4.* νοσηρῆς ἀποκρίσεως, *morbosi effluuij*, Et, *lib.6. de stat.* μιασμάτων meminit, quæ nil aliud sunt, quàm Contagij semina. Et Galenus 1. *de different. febr. capite secundo*, hæc habet. *Quòd aëris pestilens status febrem afferre consueuerit, nemo dubitauit. Sicut & pestilenti morbo laborantium conuersatio periculosa, ne inde contagium contrahatur; quemadmodum ex scabie,& lippitudine.* Atque, *ibid.c.4.* docet, pestem Atticam ex Æthiopiâ per contagium fuisse propagatam. Et Thucydides de illâ ipsâ peste testatur, cùm nonnulli, qui amicorum paulò studiosiores, laborantibus opitularentur, ac eodem morbo correpti & ipsi enecarentur, alij pusillanimes contagij formidine suos deseruerunt. Et pestem in Syriâ, Ægypto & Cairo quod attinet, non ideò sine timore peste infecti ab aliis visitantur, quòd pestes istæ contagiosæ non sint,sed quòd falsò sibi persuasum habeant illi homines, neminem peste mori posse, nisi cui hoc morbi genus a fatis destinatum sit; sicut suprà ex Prospero Alpino docuimus.

*Contagium non sit de pestis essentiâ.* Etsi itaque omnem pestem contagiosam esse statuamus:tamen de naturâ & essentia pestis contagium non est,neque ad eius formalem rationem pertinet,sed est accidens,naturam pestilentiæ sequens; tale tamen, quod omni quidem, sed non soli competit. Plures enim alij morbi,vt lepra,lues venerea,phthisis,scabies, atque alij quidam contagiosi sunt,id est, vapor seu halitus quidam ex corpore tali morbo laborante effluere potest, qui in alio corpore receptus, similem in eo morbum producit.Verùm de contagij naturâ paulò post plura.

*Pestilentiæ definitio.* Atque cùm ex hisce pateat, quænam sit proxima morbi pestilentis causa, materia scilicet venenata, & totâ sui naturâ cordi aduersa, ac quælibet causa morbu sibi congenerem per se inducat,calidum, frigidum: meritò hinc concludimus; *Pestilentiam esse morbum cordis venenosum, à materiâ venenatâ, cordique totâ substantiâ peculiariter aduersâ, contagiosâque genitum, & proinde ipsum contagiosum, omnésque cordis actiones subitò & ἀθρόως lædentem, maximè acutum, lethalem, omnisque generis perniciosa symptomata inducentem.*

*Causæ pestilentiæ vis.* Ex quo iam apparet, in pestilenti materiâ maximam esse agendi vim. Est enim hoc veneni, & eorum, quæ occultâ qualitate agunt, proprium, vt ad exercendas suas actiones non magnâ corporis mole semper, sicut ea, quæ qualitatibus primis agunt, opus habeant, sed etiam in minimâ mole maximam agendi vim obtineant. Quod Galenus docuit, *lib. de sem.cap.16. Minima*, inquit, *portiuncula lethalium venenorum, vbi animalis corpus ingressa fuerit, totum id momento temporis immutat, similique sibi affectione alterat.* Scorpionis, phalangij, & aliorum venenatorum animalium morsûs & ictûs sæpè vix tantum sui vestigium relinquunt, quod oculis conspici possit; in tantillâ tamen portiunculâ veneni per tantillum foramen iniecti tanta vis est,vt breui tempore, omnes ferè in corpore humores corrumpat, & sibi simili qualitate inficiat. Idem apparet in purgantibus, colocynthide, scammonio, helleboro, antimonio, &c. quorum pauca grana, in corpus assumpta, omnes humores perturbant & agitant. Tali etiam modo se habet pestilens venenum, cuius minima portiuncula vel aëri permixta & in corpus inspiratione attracta, vel per poros, admissa, breui temporis spatio vires suas exerit, & humores corrumpit; vt ex vomitu, diarrhœis, carbunculis, bubonibus, maculis variis, atque aliis, quæ pestem comitantur, & corruptorum humorum indicia sunt, videre est, ipsumque hominem breui iugulat.

Verùm venenorum varia sunt genera; & peculiares, non solùm cum variis speciebus sed etiam specierum indiuiduis, imò certis indiuiduorum membris, habent antipathias. Sic cicutâ sturni innoxiè vescuntur, quæ homini venenum est: sic helleboro coturnices, quo homo itidem læditur: nuce vomicâ ad veninena depellenda etiam homines innoxiè vtuntur; quæ tamen plerisque brutis lethalis est: sic cantharides solùm vesicam exulcerant; lepus marinus pulmones. Idem etiam in peste animaduertitur. Non enim eadem pestilentia in omnia animalia grassatur, sed alia oues, alia equos, alia boues, alia homines iugulat. *Venenorum varia genera.*

Qualis autem sit specifica pestilentis veneni natura, & quomodo ab aliis differat, nemo forsan satis explicauerit. Nonnulli effectûs, quos certa venena, tum ab animalibus, & plantis, tum à mineralibus profecta edunt, perpendentes, etiam venena, quæ in homines incidunt, appellant alia viperina, alia dipsadica, alia scorpiaca, alia salamandrina, alia tithymallina, alia aconitica, alia arsenicalia, alia mercurialia, alia antimonialia. Et plerique pestem inter venena Mercurialia & arsenicalia referunt. Idque non simpliciter reprehendimus, & corruptiones humorum venenis, quæ in animalibus, plantis & mineralibus sunt, analogas reperiri posse non inficiamur, neque opus est, vt in peste ipsissimum illud minerale arsenicum, eiúsque omnes effectûs in peste appareant. Vt enim in animalium corporibus sal ille esculentus suas mutationes subit & animalis redditur: ita & talia suas fermentationes & mutationes accipiunt, & animalibus proportionata fiunt. Qualis tamen sit pestilentialis veneni natura, & quæ eius in qualibet pestilenti constitutione differentia, nemo hactenus satis explicauit. *Talia sunt hæc*, vt I. Cæs. Scarig. *Exerc.* 218.*s.*8. ait, *quæ latent animos temparatos; illudunt curiosis.*

In summâ, vt mihi videtur, & vt de pestilentis veneni naturâ & generatione sententiam, quam mihi experientia suggessit, exponam. Pestilentia est supremus corruptionis gradus, quam quidem humores in corpore nostro recipere possunt, ad quem per multas alterationes, mutationes, & fermentationes, perueniunt,& in quem morbi,qui præcesserunt, tandem degenerant,& abeunt.

Etenim primò Pestilentiâ grassante, quod quinquies, dum hîc VVittebergæ Medicinam profiteor & facio,hîc accidit, hoc inter alia obseruaui, quòd alij morbi Sporadici & benigni peste grassante omnes ferè silent, imò qui præcesserunt Epidemij, cessant. Anno 1626. quo pestis hîc plures occidit, quàm vnquam (quantum quidem, qui in viuis sunt, meminerunt,) factum, vix integro mense vnus ad sepulturam elatus est,qui alio, quàm peste, morbo perierit: cùm ante vix dies abierit, quin vnus vel alter sepeliretur. Equidem cùm præcedentis veris & æstatis constitutionem illam siccam, cum eâ, quæ Anno 1616. erat, conferrem, persuasum habebam, febres illas epidemias, quæ Anno 1616. grassabantur, & tandem sub finem æstatis Quartanas vulgariter grassaturas: verùm postquam pestis inualuit, reliqui omnes morbi quieuerunt, paucis Quartanis exceptis. Relatum tamen est ad nos publicis litteris, febres illas epidemias & quartanas in Hispaniâ eo anno grassatas fuisse, ad eum planè modum, quem *Pestis generatio.*

quem Anno 1616. hîc experti fumus, & fuprà *lib.2.c.* 20. defcripfimus. Vbi & hoc notandum, quòd rarò ij qui Quartanâ laborant, pefte corripiuntur.

Deinde & hoc certum, quòd peftis non femper à contagio incipit, fed fæpè, quod in exercitibus & obfidionibus accidit, ex victu prauo & fimilibus caufis oritur. Sicut hæc ipfa peftis, quæ hîc & in vicinis locis graffata eft, in caftris primùm exorta, & hinc longè latéque per contagium difperfa eft.

Tertiò & hoc extra dubium eft, quòd variolæ, morbilli, dyfenteriæ, febres malignæ tandem in peftem degenerant.

Quartò nec hoc prætereundum, quòd ex imaginatione, terrore, & metu, eóque fæpè leui nonnulli pefte corripiuntur, cuius rei exempla plurima anno 1626. hîc obferuaui. Et memini pefte correptos, qui currum illum, quo pefte extincti ad fepulturam vehuntur, è longinquo extra vrbem confpexerunt; alios, qui domo inclufi eum non viderunt, fed ftrepitum faltem eius audiuerunt. Imò etiam nobis relatum eft & ex infomniis de pefte, nonnullos pefte correptos fuiffe, qui cum nullo pefte infecto conuerfati fuerant, & quos certum erat, per contagium peftem non hauiffe.

Tandem & hoc cuilibet obferuare promptum eft, habere peftem, vt & alios morbos Epidemios, fuas periodos, quibus peractis ceffat. Idque anno 1626. obferuaui, in oppidis vicinis, vt Ieffæ, Kembergi, vbi citiùs peftis cœperat, citiùs etiam, & fub finem Octobris defiiffe; hîc verò, vbi tardiùs incœpit, etiam longiùs protractam fuiffe; quod & alibi accidit.

Ex quibus omnibus colligo, quòd peftis fupremus, qui humoribus & fpiritibus accidere poteft, corruptionis gradus eft, quo nullus peior & perniciofior datur, ad quem per longas alterationes & fermentationes, vt fic dicam, q. gradûs peruenitur, qui cùm ab aftrorum influxu, tum aëris qualitatibus & exceffibus, tum erroribus in victu inducuntur. Cùm enim quotidie in corporibus noftris ab influxibus ftellarum minùs commodis, tum etiam aëris exceffibus, vt & victûs erratis mutationes accidant, & quò maior eft actio iftarum caufarum, eò maior fiat humorum corruptio: Hinc varij morbi cùm fporadici, tum epidemij, & inprimis febres ortum habent. Verùm quia humores praui, quò diutius in corpore noftro retinentur, eò deteriores fiunt, præcipuè fi externarum caufarum difpofitio corpori noftro inimica accedat: hinc adeò fit, vt humorum illa corruptio, quæ febres tertianas publicè graffantes, vel variolas, morbillos, dyfenteriam, febres malignas, catarrhos epidemios, & fimiles morbos induxit, fummum corruptionis tandem gradum accipiat, vnde peftis generatur. Quam prauam diathefin vbi humores acquifiuerunt, non mirum eft, alios morbos quiefcere & filere. Hinc etiam euenit, vt peftilentes conftitutiones nunc citiùs nunc tardiùs reuertantur, proüt caufæ iftæ, puta victûs errores in annonæ caritate, in exercitibus, aëris magna anomalia, aftrorum pofitûs infaufti, nunc citiùs nunc tardiùs reuertuntur. Et ficut morbi in fingulis indiuiduis fua habent tempora, initium, augmentum, ftatum, declinationem: Ita etiam cùm alij morbi epidemij, tùm peftis fua vniuerfalia in qualibet regione, imò oppido, & pago tempora habet. Dyfenteriæ plerumque Iunio incipiunt, Septembri ceffant. Peftis etfi non ita certum initium & finem habet, fed quouis tempore incipere & definere poffit: tamen plerumque Nouembri & Decembri definere folet. Sicut hæc ipfa peftis, quæ anno 1626. totâ æftate & autumno hîc graffata eft, Decembri defiit; etfi multis diebus aër potiùs vernus, quàm autumnalis fuerit, & perpetuæ pluuiæ: ita contrà ante menfem, cùm frigus effet intenfum; parum intermitteret, Et quò citiùs ab initio graffari incipit, eò etiam citiùs plerumque definere folet. In pago *Schtalah* 4. milliaribus hinc diftante, eo anno citò incœpit, & dimidiam hominum partem fupra 100. ibi iugulauit, fed ipfo Augufto, quod mirum, ceffauit.

---

## CAPVT II.

### *De Caufis Peftilentiæ.*

CVm alius morbus nullus fit, qui genus humanum affligat acerbiùs & vehementiùs, quam peftis, in causâ eius inueftigandâ fupra aliorum morborum caufas afcendendum effe, tacitus ferè omnium hominum confenfus probauit. Neque enim folùm veri Dei cultores calamitatem hanc à Deo, hominum peccata plectente prouenire agnouerunt: fed Ethnici quoque & Idolorum cultores idem profeffi funt. Hinc Homerus 1. *Iliad.* in bello Troiano ob filiam Sacerdotis ftupratam, Græcorum exercitui peftem immiffam effe ab Apolline, fcribit. Hinc paffim ab Ethnicis victimæ diis oblatæ, preces & fupplicationes, peftilentiæ auertendæ gratiâ, inftitutæ leguntur. Sacræ verò litteræ non folùm exemplis, fed & monitis, idem nobis multo rectiùs perfuadent, vt patet ex *Leuit.cap.* 25. *v.* 36. *Num.* 14. *v.* 12. *Deut. cap.* 26. *v.*21. 2. *Reg. cap.* 24.

De modo autem, quo Peftilentia à Deo hominibus immittitur, An Angelorum bonorum vel malorum minifterio, vel alio modo, non pluribus difputamus, fed Theologis id explicandum relinquimus. Vnum faltem hîc monemus, quòd Deus non folùm fecundùm ordinariam poteftatem & virtutem, per medias caufas naturales, verùm etiam fecundùm abfolutam poteftatem, non concurrentibus caufis fecundis ordinariis, peftem hominibus immittere poffit.

*An Deus fine caufis fecundis quandoque peftem inducat.*

Ioh. Piftorius quidem, *lib. de pefte*, fcribit, difceffiffe Deum à creatione & naturam dediffe, quâ res omnes laberentur & confifterent; vim autem agendi ipfum accommodâffe. Deum igitur in Naturâ caufam effectricem effe primam omnium, fed interiectam, tanquam mediam, naturam effe, vt illud quod hodie Deum facere dicimus, pofteriorum caufarum effectio fit.

Verumenimuerò etfi hoc plerumque verum fit: Deo tamen agenti liberrimo abfoluta poteftas adimenda non eft. Et fi hoc verum effet, omnia miracula tollerentur. Et peftem à Deo immediatè immitti, vel *ex lib.*2. *Reg.cap.*24. apparet. Cùm enim Dauid numerando populum, iram Dei in fe concitâffet, & ex tribus pœnis, quas Dominus ipfi per prophetam Gad propofuerat, peftilentiam elegiffet, mox ea exorta eft, & tribus diebus per Angelum percufforem 70000. hominum occidit.

*Caufa peftilentiæ.*

Verùm, quod Medicorum eft, ad naturalium caufarum inueftigationem accedamus. Peftilentia cùm morbus communis fit, à causâ etiam communi, feu quæ omnes afficere poffit, ortum habeat neceffe eft. Etfi verò nonnulli fint, qui à victu communi, vt infrà dicetur, peftem prouenire poffe negent: tamen plerique duas peftilentiæ caufas ftatuunt, aërem & victum communem. Verùm neque hoc fufficere putamus, fed præter aërem & victum, alias quoque caufas peftem excitare poffe exiftimamus. Inter eas eft primò contagium. Etfi enim hoc verum fit, fi in genere & fimpliciter de peftis primâ origine quæramus, eam vel in aëris vitium vel victum prauum, quibus cæleftis influxus forfan addi poteft, referendam neceffariò effe: tamen fæpe accidit, vt in aliquâ ciuitate vel regione nullum in aëre perfe vitium fit, neque etiam incolæ eius loci prauo victu vfi fint: ex alio tamen loco per contagium eò peftilentia deferatur; vel fo-

mes aliquis diu latens excussus pestem propaget, & ita pestis primò paucis communicata, postea in plures se diffundat, vt iam toti oppido vel regioni epidemium malum reddatur: cuius rei sæpissimè exempla occurrunt. Deinde etiam hoc negari non potest, plurimos solâ imaginatione & terrore eundem sibi morbum attrahere.

*F. Plateri de pestis origine opinio.*

Fel. Platerus peculiarem de peste habet opinionem, eámque nunquam primitus generari, sed saltem per contagium propagari putat. Quemadmodum enim reliqua venena in corporibus certis ab origine mundi innata hærent: Sic & pestilens hoc venenum non tantùm in hominum quorundam, qui iam peste ægrotant, sed & aliorum nondum ægrotantium corporibus, & vestibus quoque, aliísue quibuscunque delitescere posse, & de corpore in corpus non solùm mutuo contactu, sed & intermedio aëre, illa venenata semina ab vno suscipiente & in aliud deriuante, transferri statuit, existimatque semina hæc pestis, vt & alia venena, in aliquâ mundi plagâ semper in quibusdam corporibus residere, atque ab eâ in alia loca propagari. Et licèt nihil de eâ, vbi vigeat, audiamus: non tamen credendum esse putat, eam tunc penitus extinctam & è medio sublatam esse, & cùm redit, in aëre de nouo genitam fuisse: sed tum alicubi terrarum corporibus quibusdam inhærere, atque inde suo tempore in alia deriuari.

Verùm in omnibus hisce viro Clariss. assentiri non possumus. Licèt enim primò facilè credamus, vix vnquam pestem ita planè cessare, vt nullus in toto mundo locus sit, in quo pestis non grassetur: tamen quando alicubi pestis exoritur, eam semper aliunde illuc transferri non concesserim. Sit, vt alicubi, quod tamen sæpe ignotum, pestis grassetur: tamen locus ille ab eo, in quo pestis exoritur, sæpe tam remotus est, nullaque inter vtriusque incolas commercia sunt, vt ex illo in hunc pestem translatam esse, planè incredibile sit; id quod sæpe in obsidionibus & exercitibus accidit. Deinde longè alia est ratio aliorum venenorum & veneni pestilentis. Nam venena pleraque alia ad res naturales pertinent, neque ex corruptione saltem prodeunt: & licèt homini venenum sint; tamen ad aliarum rerum naturam & essentiam pertinent, vt in napello, cicutâ, scorpio, viperâ & aliis videre est. Venenum verò pestilens hoc modo creatum esse, sicut napellum, cicutam, &c. non dixerim, sed illud totum ex corruptione aliarum rerum oritur, quæ à naturâ suâ degenerantes veneni huius naturam induunt; sicut videmus sanguinem & semen corruptum venenorum, licèt non pestilentium, homini tamen noxiorum, naturam induere; & in cane rabiosum venenum generari. Itaque si rabiem in cane, aut venenum epilepticum in homine in primâ origine mundi creatum non dicimus, sed per certas causas humores corruptos in cane vel homine huius veneni naturam induere: quid obstat, quò minus ex causarum peculiarium constitutione talis rerum aliquarum fiat corruptio, vt pestilentem naturam induant? Et fieri hoc historiæ satis testantur, conspiratque in hoc omnium Medicorum & Historicorum consensus, post annonæ caritatem insignem, victúmque, ob melioris inopiam, prauum, pestes grauissimas, in obsidionibus vrbium atque aliàs etiam, exortas fuisse: Quales etiam accidisse post insignes temporum anni ἀνωμαλίας, Hippocrates, *in epidemiis*, annotauit.

Neque obstant, quæ hîc obiicit Platerus. Nam licèt interdum post magnas eiusmodi diúque durantes tempestates alij quidem morbi, nulla verò pestis exoriatur: id tamen ideò accidit, quòd causæ illæ nondum sufficientes ad pestem inducendam fuerint. Nam neque gradum illum & constitutionem causarum, quæ ad pestem excitandam necessaria est, facilè quis explicauerit; neque pestis generatio solùm & principaliter à manifestis qualitatibus dependet. Nec sequitur, si post hanc temporum anni ἀνωμαλίαν aut tempestates nulla pestis secuta fuit: Ergo nullam dari posse, quæ eam generare valeat. Deinde licèt sæpe pestis grassetur, vbi nemo facilè, quæ vel in sideribus vel in aëre causa fuerit, explicare possit: non tamen sequitur, nullam omnino causam fuisse. Vt enim veneni huius natura nobis incognita est: ita etiam causarum hanc inducere valentium peculiarem & definitam naturam nemo facilè explicabit. Et quid mirum est, pestilentiæ causas inuestigari non posse, cùm, quantum in causis tempestatum reddendis Astrologi hæreant & fallantur, omnibus notum sit. Præterea concedimus, non semper à siderum positu vel aëre pestem oriri, sed sæpe vel ex victu prauo, vel etiam solo contagio prouenire. Tandem licèt pestis suam originem ex aëre habeat: non tamen est necessarium, vt omnes eâ corripiantur & intereant. Nam videmus etiam cum peste infectis plurimos conuersari: non tamen omnes infici, sed in nonnullis fortiorem ad resistendum veneno pestilenti naturam esse, alios eidem succumbere. Interim hoc certum est, vbi vitium in aëre est, longè plures peste & corripi & interire, quàm vbi solùm per contagium eadem diffunditur. Verùm hæc clariora fient ex iis, quæ iam de pestis causis dicentur.

De quibus hoc primùm monendum videtur, causas alias esse pestem generantes, alias propagantes, quæ contagij ratione comprehenduntur. Cùm enim, vt modò dictum, Plateri opinio locum habere non possit, qui statuit, semper pestis semina alicubi latere, & tantùm per contagium propagari, omninò causas dari necesse est, à quibus pestis, quæ alicubi grassari incipit, si per contagium aliunde delata non sit, ortum habeat, quæ postea per contagium facilè propagatur. Atque ita causæ pestis omnes in duas classes referuntur, in causas pestem generantes, & contagium. In priore classe sunt Aër, & quæ faciunt, vt aër pestilentem constitutionem acquirat, deinde stellæ, tertiò victus communis, quartò veneficia, nisi forsan ad contagium ista referantur, quintò imaginatio & terror. In alterâ contagium, de quibus causis iam ordine dicemus.

*Aër.*

Vt ergo ab aëre initium faciamus, cùm aër non solùm contagium ex aliis corporibus infectis recipiat, atque in alia transferat, verùm etiam absque contagio, quod suscipit, pestis causa euadat: videndum, quo modo aër ad generationem pestis concurrat. Vbi mox in principio quæstio discutienda occurrit: an aër, quando pestilentia grassatur, atque vitium ex aëre pendere dicitur, pestilentiæ seminaria in se contineat & venenatus reddatur? An verò saltem aptus reddatur, vt venenum in corporibus dispositis generet. Prius negat, posterius affirmat Hier. Mercurialis, *lib. de peste, cap. 7.* idque ob has rationes: Primò, inquit, aër est plenus multo igne: Ignis autem à se venena, vt & alias res repellit. Deinde Natura, cùm studeat animalium naturam conseruare, semper id intendere solet, vt venena in paucâ copiâ gignantur. At si aër fieret venenatus, copiosissimus esset veneni prouentus, & cùm omnia animalia aërem continuò inspiratione attrahant, si vel tantillum aër esset venenatus, perderet statim omnia animalia. Ipse verò statuit, aërem eo potissimùm modo concurrere ad venenorum generationem in corporibus nostris, quoniam in corporibus præparatis inducit quendam calorem præternaturalem, naturali inimicum, qui cùm calorem natiuum expugnet, fieri postea, vt omnes humores nostri corporis priuati custodiâ caloris natiui putrescant, & consequenter naturam veneni induant.

*An aër venenatus dat pestilens.*

*Quibus modis aër pestilentiæ causa sit.*

Verumenimuerò etsi concedamus & admittamus, hunc primum modum esse, quo aër ad pestem generandam concurrit, quando scilicet vitiosâ constitutione suâ ad corruptionem humorum in corpore nostro facit, atque hoc modo sæpe pestilentiam excitari, statuamus;

tuamus; tamen femper hoc fieri, concedere non poffumus: fed fecundò ftatuimus, nonnunquam in ipfo quoque aëre peftilentiæ femina hærere. Atque id docet fubita & inopinata mors eorum, qui aërem illum attrahunt. Tam fubitò enim tum nonnulli moriuntur, vt venenum in corpore per aëris conftitutionem; eo modo, quem defcribit Mercurialis, genitum effe, credibile non fit. Non tamen eft neceffarium; vt totus aer venenatus fit,aut veneni naturam induat; fed fufficit, fi peftilentiæ femina hinc inde difperfa fint. Neque etiam omnes, qui femina illa peftis attrahunt, eâ neceffariò corripiuntur, vt modò dictum. Hoc tamen, vt etiam iam dictum: certum eft, peftilentes has conftitutiones effe longè grauiores & periculofiores iis, vbi faltem ex corporibus infectis femina peftilentiæ in aërem aliàs purum fparguntur. Ex quo ad id,quod Mercurialis obiicit, in aëre fcilicet tali animalia viuere non poffe,expedita eft refponfio. Quod verò ex Ariftotele affert, aërem multo igne effe plenum, id fano modo intelligendum eft. Calidi quidem vapores hinc inde difperfi funt, fed plures tamen hoc, pauciores illo tempore; neque ij tantâ copiâ, vt omnem aliam materiam in aëre abfumere poffint. Addamus tamen & hoc, vtrumque fimul fieri poffe interdum, vt fcilicet & aër vitiofus fit ac venenatus, & in corporibus animalium ex vitiosâ aëris conftitutione vitiofi humores generentur. Nam ab eâ, quæ in aëre eft, conftitutione, præcipuè fi fit diuturnior, corpora animalium neceffariò afficiuntur.

Cùm ergo aër in feipfo peftilentiæ femina aliqua contineat, vt hoc modo peftis caufa effe dicatur, duo iam explicanda funt: Primò, quodnam in aëre vitium requiratur, vt peftilens euadat; Deinde, vnde illud vitium aër contrahat.

*Quomodo aër peftilens euadat.*

Primum quod attinet, nonnulli in eâ funt opinione, vitium illud à mutatione primarum qualitatum prouenire, dum fcilicet in qualitatibus primis aër ita alteratur, vt putredinem concipiat, inprimis fi caliditatem & humiditatem nimiam obtineat. Quâ de re Galenus, 1.*de differ.febr. c.* 4. ita fcribit: *Peftilentes morbos oriri eft neceffarium, cùm aëris temperatura à naturali habitu ad caliditatem & humiditatem immoderatam fuerit conuerfa.*

Talem aëris conftitutionem defcribit Hippocrates, præcipuè 3. *epid. com.* 3. *Annus,* inquit, *auftrinus,pluuius, à ventis in totum filens, cùm paulo fuperioribus anni temporibus fqualores præceffiffent: fub arcturum flatus auftrini; multum pluit. Autumnus nimbofus, nubilus, largè pluens. Hyems erat auftrina, humida, lenis. Multò poft folis reuerfionem circa æquinoctium Boreas fpirauit & ninxit non ita diu.Ver rurfus auftrinum fine ventis: pluit multum & continenter vfque ad canem. Æftas ferena erat & calida, magni erant æftûs: Etefiæ paruæ difperfim fpirabant: fub arcturum rurfum fpirante Boreâ multum pluit.* Cùm itaque effet annus auftrinus, humidus, peftem fæuiffimam peperit, quâ vix alia fæuior,quam accuratè Hippocrates defcribit.

*Humida & calida aëris conftitutio quomodo peftilentiam inducat.*

Verùm etfi concedimus, tales conftitutiones ad peftem inducendam valere: tamen duo monenda cenfemus. Primò illam humidam & calidam conftitutionem non caufam adæquatam effe, cur peftilens venenum in aëre vel in corporibus animalium generetur, fed faltem caufam præparantem, & quæ alias proximas excitat. Neque enim peftilentis caufæ ratio confiftit in caliditate & humiditate, vel ab hac prouenien te putredine, fed potiùs aliæ caufæ ab illâ humidâ & calidâ conftitutione mouentur. Vbi enim multæ pluuiæ dantur, multos etiam vapores eleuari neceffe eft, qui in illa continuatâ humidâ conftitutione aëris difcuti non poffunt,fed putrefiunt & corrumpuntur,tandémque venenatam naturam induunt. Præterea calida & humida aëris cōftitutio in corporibus infignem corruptionem inducere valet.

Ergò aliam adhuc addamus caufam, quæ quandoque etiam fine calidâ & humida conftitutione peftem excitare valeat. Vt enim Fernelius, *lib.* 2. *de abd. rer. cauf. cap.*12. Platerus,atque alij Medici teftantur, animaduerfum eft; peftilentes conftitutiones hyeme atque æftate, ficco & pluuiofo cœlo, benè temperato ac inæquali, nullâ præcedente temporum anni mutatione infigni accidiffe, cùm tamen impoffibile fit, ab omnibus hifce conftitutionibus putredinem induci. Præterea fi à folâ aëris putredine peftilens conftitutio dependeret, vix fieri poffet,vt peftilens aliqua conftitutio toti Orbi ferè communis effet, cùm locus à loco,regio à regione valdè differant. Huius tamen generis duas fub Marco Antonino fuiffe referunt, quibus maxima humani generis pars extincta fuit; & qualem fuiffe anno 1450. commemorant, quæ in Afiâ excitata, per Illyriam, Dalmatiámque venit in Italiam, per Germaniam verò in Hifpaniâ & Galliam, pluribúfque annis graffata eft,vt tertiam hominum partem eâ deletam effe ferant. Vbi certè in folam aëris putredinem caufa referri non poteft;cùm talis vix dari poffit, quæ continuò in aëre hæreat:& fi talis effet,ea procul dubio aliis quoque animalibus noxia effet.Verùm fupra proli xiùs explicatum eft, putredinem folam ad peftem inducendam & conftituẽdam non fufficere. Quapropter & hìc ad proprietates occultas omninò confugere neceffarium eft.Ideóque peftem ftatuimus generari dum aër nō folùm in qualitatibus primis mutatur;fed etiam dum fine putredine occulta quædam femina & inquinamenta totâ naturâ nobis aduerfa in eo generantur.

*τὸ θεῖον Hippocratis.*

Atque hìc fortaffe locum habere poteft τὸ θεῖον Hippocratis: cuius cùm plerique in tractatione de peftilentiâ mentionem faciant, de eo etiam hìc aliquid addere libet. Hippoc. 1.*prognoft. t.*4. hæc habet: *Cùm homines intereant,alij priufquam adhibeant Medicum ex vi morbi, nonnulli adhibentes Medicum, ftatim moriantur,quidam vnum diem viuentes, aut paulò plus temporis, antequam Medicus arte repugnet: oportet agnofcere talium naturam affectionum, quantum fupra corporis vires fint: pariter & fi quid in morbis diuinum habetur, illius quoque edifcere prouidentiam.* Quid igitur hìc nomine *diuini* intelligat Hippocrates, alij aliter fentiunt. Fuerunt iam olim Hippocratis interpretes,qui morbos ab irâ deorum immiffos τὸ θεῖον appellare cenfuerunt; & apud nos in Theologiâ Chriftianâ rectè inftitutos extra dubiū eft,morbos à Deo mortalibus immitti.Verùm cùm,vt rectè monet Galenus, officium boni interpretis fit, non fimpliciter per commentarios dicere, quid nobis verum videatur, fed quæ fit fententia fcriptoris, quem enarramus, etiamfi falfa fit: atque ipfe Hippocrates, *in lib. de morbo facro*, multa fcripferit, quæ docent, Hippocratem non fenfiffe, morbos à Deo hominibus immitti: quid per diuinum intellexerit, porrò quærendum.

Galenus, *in Comm.* nihil aliud per τὸ θεῖον hìc intelligere Hippocratem cenfet, quàm aëris nos ambientis conditionem, de quâ Hippocr. in fententiis ita fcripferit: *fi hyems fqualida & aquilonia fuerit, Ver verò pluuium & auftrale: febres acutas fieri æftate neceffe eft.* Verùm nifi Gal. peculiarem aliquam aëris conftitutionem intelligat,non facilè caufam reddet,cur Hippocr. aëris conftitutionem omnem hoc nomine dignatus fit. Plerique igitur interpretes, poftquam hac de re vltro citróque difputârunt,concedunt,per τὸ θεῖον, aëris cōftitutionem intelligēdam,fed talem, quæ occulto modo & totâ naturâ nobis aduerfa eft; Hippocratémque hoc monuiffe; Medico effe perpendendum, an morbus aliquis proueniat ab occultis aëris qualitatibus, eiúfque fecundùm totam fubftantiam mutatione,quæ à cælo proueniat,vel certè aliàs admiratione digna fit. Quæ enim à cælo proueniunt, vel occulta & admirabilia funt, diuina vocari non inufitatum eft. Ita Arift. 2.*de gen.animal. capite* 3. omnem animæ vim, corpus

aliud

aliud participare, idque magis diuinum, quàm elementa scribit. Et Gal. *loco citato*, ait: *non quæcunque causas habent abditas & obscuras, diuina vocamus: sed vbi admirabilia videntur duntaxat.*

Porrò cùm aërem & putrescere & totâ substantiâ nobis aduersum reddi posse dictum sit: dubitare aliquis posset, quomodo aëri, qui corpus simplex est, talia, quæ mixtorum potiùs sunt, attribui possint. Ergo obseruandum, aërem dupliciter considerari posse, vel vt corpus simplex & purum putum elementum, vel prout varios ex inferioribus eleuatos vapores & exhalationes in se continet. Priori modo ad pestis generationem non concurrit. Verùm secundo modo, prout scilicet variis vaporibus est permixtus, corrumpi & totâ substantiâ nobis aduersus reddi potest. Et quidem duplici modo. Nam primò vapores illi, qui aëri permiscentur, puri nondùmque corrupti esse possunt, ob causas tamen expositas & exponendas corrumpi possunt. Deinde & corrupti aëri permiscentur. Et vtroque modo aër corruptus & nobis totâ substantiâ aduersus dici potest.

*Vnde aër pestilentem naturam acquirat.*

Alterum iam restat explicandum, vnde aër venenositatem illam, qualitatémque pestilentem acquirat. Plurimi inter causas pestis naturales hic primo loco cœlum & sidera constituunt. Verùm aliis hoc affirmare durum videtur, putantque nonnulli, cùm corpora cœlestia sint longè nobilissima & perfectissima, omnísque boni in hisce inferioribus authores, fieri non posse, vt tam perniciosum quid ab iis generetur. Et plurimi pro hac suâ opinione Platonis aliorúmque authorum sententias afferunt, qui affirmant, astra esse absque omni pernicie, cunctis animalibus commoda præbere, stellas omnes esse bonas, nec quicquam mali facere: ex quibus concludunt, cælum & stellas conseruare, regere, continere ac fouere hæc inferiora, & proinde ab iis venena, morbósque venenatos & contagiosos prouenire non posse.

*Cœlum an pestis causa sit.*

Verumenimuerò cùm sublunaria hæc secundùm indiuidua perpetua non sint, sed in speciebus habeant suam perpetuitatem, & proinde in iis generatio & corruptio accidat, ac, vt rectè docet Aristoteles 1. *meteor. cap.* 2. Mundus hic inferior superioribus motibus sit contiguus, & omnis eius virtus inde regatur & gubernetur: tam corruptionem, quàm generationem à cælo prouenire necessarium est. Ideóque etsi astra per se neque mala sint, neque mali quid simpliciter intendant: tamen per accidens ab ipsis id fit. Corrumpunt nimirum per accidens, vt generent per se: per accidens destruunt, vt per se conseruent. Atque ita tam generationis, quàm corruptionis actio, quæ à cœlo prouenit, est per se bona, & ad vniuersi perfectionem ac conseruationem instituta. Præterea actiones, quæ à cœlo proueniunt, non omnes simpliciter è cæli naturâ, sed ex mundi inferioris dispositione sunt æstimandæ. Perpendamus, e. g. saltem calorem & frigus ac quatuor anni tempora, quæ omnia per se mala non sunt, sed ad vniuersalis naturæ conseruationem omnia necessaria. Indiuidua tamen si consideremus, tam à frigore, quàm à calore plurima lædi & plurimos morbos excitari, extra dubium est. Calor nimirum æstiuus per se & simpliciter bonus est ac necessarius, ac nisi sit intensior, nec fruges, nec vina, nec alij fructûs maturescunt: ab eodem tamen in corpore impuro vel disposito febris excitatur; idque non ex intentione astrorum, sed ex dispositione corporis alicuius. Ita vbi tempore verno calor omnibus rebus inferioribus recreandis necessarius augetur, eius actionem ad bonum naturæ vniuersalis tendere omnes concedunt: ab eodem tamen in corpore, quod per hyemem vitiosos humores cumulauit, febres & alij morbi excitantur. Itaque sicut æstas & ver ideò simpliciter pro re malâ non habentur, quòd vitiosi humores ab eorum constitutione in corpore agitentur, & ampliùs corrumpantur, & hinc non solùm morbi excitentur, sed etiam multi de vitâ periclitentur: ita & astra, etsi alterationes & mutationes in corporibus nostris excitent, pro malis habenda non sunt. Contrarietas enim quæ inter res naturales est, non simpliciter mala est. Nam & in plantis & in aliis rebus, tam inter se, quam cum homine, contrarietas deprehenditur, quæ ad mundi ornatum pertinet, & sapientissimi Creatoris sapientissima dispositio est. Et cùm homo post sidera conditus sit, facillimum fuisset Creatori omnipotenti hominem ita condere, vt saltem Iouis aut Solis radiis fuisset affectus; Saturni autem vel Martis non plus sensisset, quàm lapis aliquis: Verùm hoc sapientiæ Creatoris non placuit; & propterea diuersorum siderum & rerum naturalium operationes, quas homo percipit, omnes per se bonæ habendæ sunt, & homini non plus nocent, quàm bilis flaua vel atra, si debito modo in corpore generetur.

Atque vt hæc pestilentiæ applicemus, illa ex cœlo non simpliciter prouenit: verùm sicut cœlum agendo in hæc inferiora, ventos, pluuias, niues, nebulas & alia excitat, vapores ex globo terreno eleuando: Ita etiam fieri potest, vt in abditis terræ cauernis & abyssis latentes pestilentes, sulphureæ atque arsenicales auræ, quarum venenositatem Metallici suo malo sæpe experiuntur, à stellis agitentur; atque in aërem eleuentur, aut vapores, qui continuò aëri permiscentur, ab iis ita corrumpantur, vt veneni naturam induant, à quibus postea pestilentia inducatur.

*Quomodo stellæ pestem excitent.*

De modo autem, quo pestis ab astris excitatur, iam antea aliquid dictum. Nimirum non solùm, quatenus in manifestis qualitatibus aëris constitutionem mutant, & pluuias ac ventos excitant, verùm etiam, quatenus occulto modo hæc inferiora afficiunt, pestem inducunt. Videmus etiam sæpe, nullâ manifestâ aëris mutatione apparente, nunc plantas, nunc bruta, nunc homines periclitari, reliquis nihil damni patientibus. Et pestilentem constitutionem induci à cœlo, non solùm, dum intemperiem manifestarum qualitatum in aërem inducit, sed inprimis per peculiares & occultas influentias, quas hominis valetudini perinde, vt notos illos in calore, frigore, siccitate & humiditate excessûs, non omnes æquè salutares & commodas esse, credibile est; illud persuadet, quod, vt annotauit Fernelius, *libro* 2. *de abdit. rerum caus. capite* 12. & testatur etiam P. Salius Diuersus, pestilens constitutio hyeme ac æstate, sicco ac pluuioso cœlo, benè temperato & inæquali, nullâ præcedente temporum anni mutatione, nullis præsentibus corruptis vel putridis exhalationibus, aliisque euidentibus causis inuadit; animaduersúmque, æstatem feruentissimam nullum pestilentiæ genus produxisse; interdum pestilentiam hyeme initium cœpisse, quæ æstate mediâ vel autumno soluta sit.

*Stellæ non solùm lumine & motu in hæc inferiora agunt.*

Itaque sciendum, stellas non solùm lumine & motu, sed etiam peculiari quadam influentiâ ac occultis viribus in hæc inferiora agere. Nam si stellæ solùm lumine ac motu hæc inferiora afficerent, quid opus fuisset tanto numero stellarum, magnitudine, motu & situ differentium? Ad illuminanda enim hæc inferiora solus sol sufficeret; Luna nocti illuminandæ satis esset: ad temporum vicissitudines motus Lunæ, Solis & primi mobilis sufficeret, ac esset otiosus tantus numerus reliquarum stellarum, loco, magnitudine ac motu differentium. Quod certè asserendum non est. Deinde multa in profundissimis terræ cauernis, non sine cœlestium corporum vi, generantur, quò nec motus nec lumen astrorum pertingit. Quare etiam alias vires & peculiares, quas vocant, influentias, præter motum & lumen, singulis stellis attribuimus, à quibus nimirum illæ operationes admirandæ quas in hæc inferiora à cœlo prouenire animaduertimus, quæque motui ac lumini adscribi non possunt, nulliúsque corporis

poris interuentu ac denfitate impediri poffunt, ortum habent; dicimúfque cum Afclepio, *lib. 1. ad Ammonem*; τοῦ ἡλίου ἀγαθαὶ ἐνέργειαι οὐ μόνον ἐν οὐρανῷ καὶ ἀέρι, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ γῆς εἰς τὸν κατώτατον βυθὸν καὶ ἄβυσσον διήκουσιν. *Solis & cæterorum aftrorum bonæ operationes non folùm in cælo & aëre, fed etiam fupra terram in profundiffimas terræ cauernas & in abyffum penetrant.*

His ita fe habentibus, quomodo etiam fine putredine peftis gigni poffit à cœlo, non adeò difficilè eft inuenire. Nam ficut propter generationum & corruptionum viciffitudinem neceffarium eft, non folùm calorem blandum & moderatum à cælo excitari, fed etiam intenfum & vrentem; & præterea frigus: ita etiam, ob eandem caufam, occultæ, quæ in hifce inferioribus excitantur, qualitates per occultas influentias, non omnes funt eiufdem generis, neque etiam omnes nobis æquè gratæ & conuenientes, fed aliæ magis, aliæ minùs: omnes tamen per fe neceffariæ. Et ficut, vt dictum eft, ex calore & frigore, minùs conueniente tempore & loco, imò etiam quocunque, fi modum excedant, quod non rarò fit, à corporibus cœleftibus excitato, varij morbi, præfertim in corporibus difpofitis, oriuntur: Ita credibile eft, ex occultis illis influentiis quandoque longè grauiffimos & peftilentes morbos excitari. Nimirum mundus hic inferior, & inferiores hominis atque aliorum animalium facultates, ita à Deo conditæ & comparatæ funt, vt non folùm vifu corporum cœleftium colorem, vel tactu calorem fentirent: verùm etiam occultas influentias, fine rationis difcurfu; (id quod folùm animæ rationalis eft,) fed vi quadam infitâ perciperent, ac iis afficerentur, delectarentur, confortarentur & vegetiores redderentur, vt ad eas, quas à Creatore acceperunt, vires exercendas fierent vegetiores & alacriores, aut contrario modo fe haberent: ficut videmus Muficæ planè rudes & ignaros, vnde harmonia & vocum illa confonantia aut diffonantia proueniat, à Muficâ affici. Atque obiecta hæc, à quibus inferiora hæc afficiuntur à cœlo, Recentiores ingeniosè ex harmoniis Muficis, è Geometriâ & Arithmeticâ, & ex proportionibus, quæ ex occurfu duorum radiorum oriuntur, petunt.

Et hæc eft procul dubio Pythagorica illa aftrorum chorea & concentus, de quo Plato, *in Epinomide*, fcribit: εἶναι τὴν τῶν ἄστρων φύσιν ἰδεῖν μὲν καλλίστην, πορείαν δὲ καὶ χορείαν πάντων χορῶν καλλίστην καὶ μεγαλοπρεπεστάτην χορεύοντα, πᾶσι τοῖς ζῶσι τὸ δέον ἀποτελεῖν. *Aftrorum naturam vifu quidem pulcherrimam, progreffu & choreâ optimâ vtentem, omniúmque chorearum decentiffimam & magnificentiffimam, quæ cunctis animalibus commoda præbet.* Inprimis autem in pefte producendâ Saturnum plurimùm valere, omnes Aftrologi cenfent, obferuatúmque ab iis, has regiones Septentrionales potiffimùm pefte infici, quando Saturnus triplicitatis igneæ figna Arietis, Capricorni & Sagittarij tranfit; de quâ re plura tradunt Aftrologi.

*[…]lura & [h]alitûs ve[n]enati.*

Verùm præter cœlum aliæ etiam plures caufæ dantur, à quibus aëri peftilentia communicatur, atque ipfe inde peftilens redditur. Primò fcilicet aër venenatus & peftilens redditur, cùm venenatæ in infimis terræ cauernis diu contentæ auræ copiofiùs aëri permifcentur. Halitûs illi venenati gignuntur ex aëre diu conclufo, & venenatis auris metallicis mixto, ftagnantibus aquis alicubi conclufis & putrefcentibus. Commouentur autem illi halitûs venenati, iífque exitus fæpè patefit à terræ motu; extántque paffim in hiftoriis exempla terræ motuum, quos grauiffimæ peftes fecutæ funt. Plerique etiam hûc referunt meteora ignita, vt quæ exhalationum copiam magnam fuppeditent: verùm illa ignita meteora potiùs vaporum è terrâ copiofiùs exhalantium peftémque generantium indicia funt. Pertinet hûc & illud, quod apud Iul. Capitolinum, *in Vero*, & alios annotatum reperitur, in Babyloniâ quandam miræ vetuftatis arcam adapertam fuiffe, à quâ tam perniciofus halitus expirauit, vt inde peftis ad Parthos vfque grafsâs fit fubfecuta. Ita in Campaniâ è puteo quodam aperto, ab aëre qui diutius inclufus latuerat, exhalante, adftantes fubitò peremptos fuiffe, fcribit Guainerius, *de pefte*, *cap. 1*. Præterea à lacubus & ftagnis, æftatis tempore calore Solis corruptis & fœtidis, exhalationes exfpirantes pefté excitare poffunt; ficut & ex fentinis nauium. Infuper à cadaueribus interfectorum infepultis, & locuftarum mortuarum copiâ aër peftilens reddi poteft; quod accidiffe fcribit Auguftinus, *libro 3. de ciuit. Dei, cap. 31*. vbi tantam ex iis peftilentiam ortam fuiffe fcribit, vt in folo regno Maffaniffæ 80000. hominum perierint, & Vticæ ex triginta millibus iuniorum militum, qui ibi erant, decem remanferint. Atque his modis aër ad peftem generandam concurrere folet.

Secundò etfi ftellæ aërem corrumpendo peftilentiæ caufæ effe poffunt, dum eum ita corrumpunt, vt peftilentia illa, quæ in eo continerentur μιάσματα homini communicata peftem in eo excitent, quæ peftes longè grauiffimæ funt, & in plurimos graffantur: tamen etiam alio modo & per fe corpus ipfum humanum afficiendo peftem excitare valent, dum vel ipfum aërem ita difponunt, vt feu manifeftis feu occultis qualitatibus corpori humano conferuando aptus non fit, fed humores in eo corrumpat, ita vt peftilentem naturam induant, vel etiam proximè atque immediatè occultis influentiis corpus humanum & præcipuè humores ac fpiritûs in eo corrumpant. Etfi enim aftrorum influentiæ omnes bonæ fint & ad vniuerfum Naturæ curfum conferuandum neceffariæ: fieri tamen poteft, vt huic vel illi animalium fpeciei aduerfæ fint; ficut videmus calorem æftiuum equidem ob fruges maturandas & vniuerfalem naturæ curfum conferuandum effe maximè neceffarium: interim fieri poteft, vt ab eo æftu aliqua indiuidua vel etiam fpecies lædantur. Qui autem ille ftellarum pofitus fit, antea dictum, & de eo Aftrologi confulendi.

*Victus communis prauus an caufa peftis fit.*

Tertiò à victu communi quandoque peftis oritur. Etfi autem Donatus ab Altomari, & Hor. Augenius id negent: tamen cum iis fentimus, qui à victu prauo communi non minùs, quàm ab aëre, peftem excitari poffe exiftimant. Id quod ipfa ratio, experientia, & illuftrium Medicorum authoritas nobis perfuadet. Etfi enim plerumque victûs aliorum alia fit ratio: tamen ea interdum incidunt tempora, vt in annonæ caritate, in caftris, in obfidionibus diuturnis omnibus, aut certè plerifque eodem victu, eóque prauo, vtendum fit. Cibis nimirum & aquis corruptis, famis fitífque explendæ causâ, non minùs quàm eodem aëre vtendum. Vnde prauos humores generari neceffe eft qui, cùm diu à natura regi non poffint, tandem corrumpuntur & peftilentem naturam induunt. Tale exemplum proponit Galen. *lib. 2. de nat. hum. t. 3. & lib. de cibis boni & mali fucci c. 1.* vbi peftis mentionem facit, quæ in multas Romano Imperio fubditas gentes multis annis fæuiens ex annonæ caritate & prauorum ciborum vfu ortum habuit. λοιμὸς enim (vt hoc obiter moneamus,) id eft, peftis, non λιμὸς, id eft, fames legendum eft. Vt enim in allegato loco habetur, peftilentia illa diu fæuiit, vt apparet, *ex lib. 3. de præfag. ex pulf. c. 4. & 3. Epid. com. 3. t. 57.* Fames verò non fuit multorum annorum, fed per vnius anni hyemem & ver præcipuè durauit, vt ex loco allegato patet. Atque occurrunt huius rei alia exempla in hiftoricis, apud Iofephum, *de bello Iudaico*, Hegefippum, *de bello Hierofol.* & alios paffim. Réfque hæc tam nota eft, vt etiam prouerbio occafionem dederit: μετὰ λιμὸν ὁ λοιμός. Vnde etiam Galen. *lib. 2. de nat. human. t. 3.* authorem eius libri reprehendit, quòd in vnum aërem omnes communes morbos retulerit.

Quæ verò in contrarium adducuntur ab Altimaro & Augenio, non magni momenti funt. Nam quod dicunt, morbos hos fuiffe fporadicos, non vulgares,

gares,neque peſtem ; cùm diuerſi diuerſis fuerint correpti : falſum eſt. Peſtis enim, quâ tunc laborabant, omnib. communis fuit : ſymptomata verò & morbi, qui peſti coniungi ſolent, vt in omnibus iidem appareant, non eſt neceſſarium, vt ſuprà dictum. Et conſulantur ſaltem hiſtoriæ,quæ facilè controuerſiam hanc diriment & docebunt, an morbi, qui annonæ caritatem & vſum ciborum corruptorum ſecuti ſunt, fuerint ſaltem ſporadici, non epidemij ac verè peſtilentes. Præterea nec hoc verum eſt, quòd morbi omnes, qui tum viguerunt, fuerint ſingulares ſeu priuati planè, ſed ſinguli pluribus communes fuerunt.

Eſt deinde & illud falſum, quod dicunt, eos morbos epidemios, qui à vitioſo cibo potúque fuerunt orti, non fuiſſe veram peſtem, ſed peſti ſimiles, vtpote qui plures occiderint, vnde etiam peſtis nomine appellentur. Nam ſi ideò peſti nomen inditum eſt, quod affectus ſit pernicioſus, qui plurimos inuadit & occidit; cur morbos hoſce epidemios, qui non minùs lethales & pernicioſi fuerunt, quàm peſtis ex aëris vitio orta, vt ex hiſtoriarum monumentis patet, peſtis nomine non indigitemus? Nam opinari, dari morbos peſte pernicioſiores, abſurdum eſt, communíque hominum opinioni, qui peſtem meritò pro morbo pernicioſiſſimo habent, aduerſatur, ipſíque Galen. qui *in prooemio in* 1. *Epid.* dicit;morborum communium pernicioſiſſimos eſſe, qui peſtilentes vocantur.

Hoc tamen concedendum, vitium humorum ex victu prauo contractum, faciliùs ſeſe exerere, vbi ex aëre occaſio aliqua accedit. De quâ re Gal.*lib.*1.*de differ. febr.c.*4. ſcribit: *In peſtilenti aëris ſtatu inſpiratio vt plurimum cauſa eſt*, (quibus verbis non ſemper, ſed vt plurimum in aëre morborum peſtilentium cauſam ponit.) *Fit enim aliquando*, (quo manifeſtè concedit,interdum eoſdem à victu prauo prouenire) *ob eos,qui ſunt in corpore humores,ad putreſcendum paratos, cùm breuem aliquam occaſionem* (quibus verbis in aëre non primariam, ſed paruam peſtis cauſam ponit, quam non ſolùm occaſionem, ſed breuem & leuem quandam occaſionem nominat) *ad febris originem ab aëre ambienti accepit animans.*

*Veneficia.* Quartò cognata ſunt contagio vnguenta & pulueres venenati ſparſi. Hiſtoriæ enim teſtantur, malitiam & perfidiam quorundam ſceleratorum hominum eò vſque progreſſam fuiſſe, vt per vnguenta & pulueres ſparſos peſtem diſſeminârint. Cuius rei exempla habentur apud Liuium, *decad.*1.*lib.*8. Petrum Droëtum. *de peſtil.c.*10.Anton.Portum, *de peſtilentia.* Vvierum, *de venefic. lib.* 3.*cap.* 37. Hor.Augen.*tom.* 1. *Epiſtolarum, lib.*4. *Epiſtolâ* 1.*lib.* 1. *de peſte cap.* 3. Herc.Saxoniam, *de plicâ, cap.* 11.*&* 12. Thomam Iordanum, *de peſtis phænomenis tract.* 1.*cap.* 18. & ante annos non ita multos,anno nimirum, ſi rectè memini,1606.ſuppeditauit Vratiſlauia & Francoſteinium in Sileſia, vbi veſpillones quidam tale facinus auſi ſunt, ſed deprehenſi ſupplicio, quod meruerunt, publicè affecti ſunt: cuius ſceleſtiſſimi facinoris hiſtoriam annotauit Nicolaus Polius, *in Hemerolog. Sileſiæ.*Si tamen quis iſta veneficia ad contagium referre velit, cum eo non litigabo.

Hoc loco alterius, miræ quidem, ſed quam,ob fide dignorum Authorum teſtimonium, in dubium vocare non auſim, cauſæ mentio facienda eſt: Nimirum à maleficis & ſagis iam defunctis & humatis peſtes induci, quæ priùs non ceſſent, quàm cadauera illa veneficorum capitibus truncentur. Quod cùm alicui fabuloſum videri poſſit, malo Herculis Saxoniæ,*lib. de plicâ, cap.* 11. verbis, quàm meis hac de re aliquid in medium afferre. Ita ergo ille: *Habebam ſanè maximum ad hanc rem confirmandam argumentum: ſed quia mihi omnem videbatur ſuperare credulitatem,illud proferre non audebam, videlicet in Poloniâ atque Germaniâ non raro induci peſtem à maleficis quibuſdam mulieribus, cum primùm defunctæ & humatæ ſunt. Neque illam deſinere, quàm inueniatur cadauer, quod vel propria ſpolia & veſtimenta, vel alia propinqua mordicus ore tenet;quaſi eſuriens eſcam auidè quærat. Hæc, quæ mihi omnem mentis captum ſuperare videbantur,ſcribere non audebam. Cùm verò multiplici iam teſtimonio mihi confirmata ſint, nunc autem potiſſimùm à Doctiſſimo Dn.Ioh. Vrſino Leopolienſi, ideò ea proferre non dubitaui. Rem itaque Dominus Vrſinus propriis oculis intuitus ſic ſe habere inquit: Anno Domini* 1572.*peſte per vniuerſam Poloniam graſſante, cùm mulier quædam defuncta ex pago Rzeſna dicto in ſuburbanum Leopolienſe aduecta ad ædem Exaltationis S. Crucis ſepulta fuiſſet, & ex illo die peſtis maximè circa illud templum,ſæuire cœpiſſet; qui ſepeliendorum mortuorum curam habebant, non temerè ſuſpicantes, villanam aliquot antè diebus ſepultam maleficam eſſe, cadauer eius effodiunt, quod cùm nudum, & in ore reliquias ſuarum veſtium deuoratarum habens, reperiſſent,caput, vt moris eſt palâ, præacuto ferro obductâ, abſciderunt, & iterum terrâ obruerunt, ac peſtis ceſſauit.* Atque in huius rei teſtimonium Saxonia etiam aliorum illuſtrium virorum authoritatem, & fidem adducit. Cuius rei cauſam cùm reperire facile non ſit, eſt animi veritatis auidi, eam diligenter perpendere, & in eiuſmodi narrationum, quæ vbiuis ferè locorum obuiæ ſunt, veritatem inquirere. Et quid interdum venefici etiam poſt mortem præſtent, ſatis teſtatur tragœdia illa & turbæ,quas excitauit poſt mortem ſutor ille Strigonienſis in Sileſiâ, quam hiſtoriam integrè & prolixè deſcripſit Martinus Vveinrichius,quæ pro œmij loco *Dialogis de Ludificatione Dæmonum Ioh. Fr. Pici Mirandulani* præpoſita, & omnino lectione digna eſt.

Tandem inter cauſas peſtilentiam generantes non omittenda eſt Imaginatio, & Terror ac Timor. *Imaginatio & terror.* Experientia enim ſæpe docuit, quoſdam, vbi ex improuiſo aliquem peſte infectum ad noſocomium, vel mortuum ad ſepulchrum deferri viderent, aut aliquis è domo infectâ, licèt ipſe non infectus, efferretur, inde conſternatos ac perterrefactos in peſtem incidiſſe; licèt in aëre peſtilentiæ ſemen non hæreret, neque etiam ab aliquo contagium ſuſcepiſſent. Cuius rei ratio expedita & manifeſta etſi facilè reddi non poſſit: tamen experientiæ manifeſtæ idcirco repugnandum non eſt. Et aliàs etiam patet, quantum imaginatio & affectûs in afficiendo corpore poſſint. Stigmata & næuos infantibus imaginatione matris imprimi, cuilibet notum eſt, & exempla vbiuis obuia ſunt. Memorabile inter ea illud eſt, quod Anno 1610. die 17. Iulij Pragæ accidit. Natus enim ibi fuit puer, quoad alias partes ſanus; verùm inteſtinis, hepate, ventriculo, liene extra abdomen, cuius tamen cutis diuulſa non fuit, propendentibus. Cuius deprauatæ conformationis cauſa fuit imaginatio, quam mater concepit tribus aut quatuor ante partum menſibus, cùm vituli mactati inteſtina & viſcera ex abdomine aperto propendere vidiſſet. Non diſſimile ante biennium hîc vidimus in infante, cui labia ſuperiora, cum parte palati ſuperiore, vſque ad fauces penitiores diuiſa erant; id quod euenerat, quòd mater grauida à lanio ſuis mactatæ caput ita diuidi viderat. De repentinâ canitie, è mœrore & timore ſubortâ, exempla collegit Marcellus Donatus *de hiſt.med.mirab.lib.*1.*cap.*1.& Schenck. *obſ. l.*1.*obſ.*1.Et imaginationis miros effectûs recenſet idem Marcellus Donatus *lib.* 2.*c.* 4. Illud hoc loco prætereundum non eſt, quod Thomas à Vegâ, *in com. ſuper Galen. art. med. cap.* 84. habet, & inſigne documentum continet, quantum imaginatio in mutandis & alterandis corporis noſtri humoribus poſſit. *Quidam,* inquit, *ex ardenti febre decumbens & delirans poſtulauit, vt ſibi in ſtagno illo (monſtrauit autem cubilis pauimentum) natare liceret: conſtare enim ſibi, ſe ex natatione illâ quamprimùm conualiturum, & à febre liberatum iri. Ergo cùm Medico annuente aliquandiu cum ſummâ*

*iucundita*

*jucunditate fupra pauimentum hinc inde fe voluiſſet, ait, iam ſibi aquam accedere ad genua, optare ſe tamen, vt altiùs aſcendat. Paulò poſt lætior, iam, inquit, attingit inguina; ſicque iuxta imaginationis conceptum ad guttur vſque paulatim aquâ aſcendente, hilari facie geſtiit, ſéque iam ſanum eſſe & à febre liberum euaſiſſe pronunciauit. Id quod reuera etiam euenit.*

*Quomodo imaginatio peſtem inducat.*

De modo, quo hæc fiant, alij aliter ſentiunt, Nos ſaltem hîc de peſtilentiâ agemus. Paracelſus, *de peſtil. tract.* 2. ſtatuit; cùm quis attentè de peſte cogitat, & de eâdē ſibi metuit, ipſo intuitu & viſu Lunam inficere, non ſecus ac ſpeculum mulier menſtruo laborans, & ab eadem Lunâ quaſi reflexis radiis hominē rurſus inſici.

Verùm abſurda hæc & hominis ad pleraque ſaniora dogmata irridenda nati ſomnia eſſe, quis non videt? Sit, vt Luna poſſit hoc modo ab hominis intuitu inſici: tamen neceſſarium eſſet; peſtilentiæ ſemina in homine antea, vt in baſiliſco quodam, fuiſſe, & eadem etiam ſine Lunæ operâ in actum imaginatione duci potuiſſe.

Alij igitur ſtatuunt, peſtilentiæ ſemina aliquandiu in corpore deliteſcere poſſe, & attentiore de peſte cogitatione & metu illa excitari & in actum deduci: ſicut terrore & attentiore de rabie cogitatione, rabiei igniculos & ſemina quaſi ſopita excitantur in iis, qui à rabidis animalibus demorſi ſunt. Cujus rei exempla occurrunt in libello Germanico, *de luporum rabie* Iohan. Bauhini. Quam ſententiam etiam admittimus & vtrũque concedimus, nimirum peſtilentiæ ſemina in corpore aliquandiu deliteſcere, eadémque imaginatione atque terrore excitari poſſe: an tamen hoc ſemper fiat, & an ij, qui ex imaginatione & terrore peſtem concipiunt, priùs ſemper ſemina peſtilentiæ hauſerint, dubitamus; imò contrarium diligenti exemplorum obſeruatione facilè probari poſſe arbitramur. Hoc aliquis addere poſſet. In peſtilenti conſtitutione à cauſis ſuperioribus diſpoſitionem aliquam ad peſtem in omnibus corporibus induci (quod forſan aliorum morborum ceſſatio monſtrat) quæ poſtea ab imaginatione ac timore & terrore in actum deducatur.

Vtut ſit, & licèt modum, quo hæc fiant, facilè inueſtigare non poſſimus: hoc tamen primò certum eſt, humores ab effectibus vario modo agitari & corrumpi poſſe. Deinde & hoc certum eſt, Imaginationem ſemper ad peculiarem & determinatam mutationem tendete, ſicut hoc in imaginatione grauidarum videre eſt. Vnde etiam accidit eos, qui peſtilentiæ metu terrentur, nihilque niſi peſtem metuunt & cogitant, imaginatione & metu illo determinatam hanc corruptionem humoribus inducere; ſicut grauida ad ſanguinem effuſum territa ſanguineum næuum infanti inducit; nigrâ aliquâ re perterrefacta, nigrum. Atque hæc præcipua cauſa eſt, cur veſpillones, clinicæ mulieres, chirurgi & alij, qui animo præſente & alacri peſte infectis & mortuis ſuas operas locant, rarò peſte inficiantur; alij verò, qui animo minùs præſente ad eaſdem operas accedunt, ſubitò inficiantur & peſte extinguantur. Ac certum eſt, ſi quis ſeminarium peſtis hauriat atque ſimul timeat, & de periculo ſit attentiùs ſollicitus, eum in præſentiſſimum vitæ periculum conjici & rarò conualeſcere, quamuis omnis in curatione diligentia adhibeatur. Altè enim ad cordis penetralia venenum hoc modo deducitur, vnde vix euocari poteſt. Nec ipſa virtus vitalis ad expellendum illud alacris eſt; ſed penitus ferè ſuccumbit.

## CAPVT III.

### *De Contagio.*

Atque hæ ſunt cauſæ, quæ peſtilens venenum generare poſſunt: vt verò illud poſtea in plurimos propagetur, natura ejus contagioſa in cauſâ eſt. Neque enim vbi in aliquo loco peſtis exoritur, cauſa ſemper vel in cœlo, vel in aëre, vel in victu præcedente quærenda eſt; Verùm ſæpe ex aliis locis per fomitem aliquem peſtilentem defertur; & licèt primò in paucos contagium ſeſe diffundat: tamen poſtea in plures diſſeminatur, ita vt peſtem per contagium non ſolùm alicui ciuitati, ſed toti regioni communicari poſſe, experientiæ ſæpe docuerint. Iam ergo etiam de Contagio dicendum.

*Peſtis morbus contagioſiſſimus.*

Etſi contagium in aliis morbis etiam animaduertatur: tamen cùm nullus omnino peſte contagioſior ſit, & contagium maximè in peſte eluceſcat: non abs re fuerit, ſi de naturâ contagij, antequam ad alia accedamus, aliquid ſeorſim dicamus. Admiratione verò non indignum eſt, cùm contagium in peſtilentiâ tam manifeſtum ſit, vt nemo illud ignorare poſſit, & præter peſtem etiam lepra, phthiſis, aliique morbi contagioſi animaduertantur, quod antiquis proculdubio ignotum non fuit: quî tamen factum ſit, vt de contagio nihil ferè ſcriptis tradiderint. Etſi enim Hippocrates nominat νοτερὰς ἀποκρίσεις & Galenus ac Hippocrates μιάσματα: tamen rem ipſam non explicant. Terruit ipſos proculdubio, quicquid alij etiam dicant, rei grauitas, cùm viderent, vt effectûs contagij manifeſtiſſimi ſunt, ita naturam & cauſam eius inuenire eſſe difficillimum. Fracaſtorius ſuperiore ſeculò primus ferè hanc difficultatem aggreſſus eſt, quem poſtea plurimi alij viri docti ſecuti ſunt.

*Contagium quid ſignificet.*

Contagium, quod à contactu aut antiquo verbo contago, quod eſt contingo, dici, extra controuerſiam eſt, pluribus modis vſurpatur: Primò pro ipſo contactu duorum corporum, cuius ratione ſimilis morbus gignitur, ſeu quo vnum corpus aliud corpus inficit; atque in hac ſignificatione contagium in prædicamento ſitûs eſt. Secundò ſumitur contagium pro actione, quâ corpus vnum aliud contingens ipſi morbum, quo laborat, communicat. Tertiò pro affectione præter naturam, quæ alteri corpori communicatur. Quartò pro νοτερᾷ ἀποκρίσει aut μιάσματι ſeu ſeminario, vapore aut ſpiritu, aut quocunque alio corpore, per quod affectio illa præter naturam alteri corpori communicatur.

*Contagij varia definitiones.*

Hinc aliter ab aliis definitur. Petrus Salius Diuerſus definit contagium, contactum duorum corporum, cuius ratione ſimilis in altero per alterum morbus producitur. Alij, productionem ſimilis affectionis in alio; ſeu motum quendam à morboſo corpore in aliud analogum, quo ei labes ſimilis, qualis in primo eſt, per contactum eiuſdem communicatur. Alij, affectionem præter naturam, quæ alteri corpori à corpore præter naturam ſimiliter affecto communicatur. Alij, inquinamentum, quo corpori alicui ſimilis affectus, quo aliud corpus laborat, communicatur.

*Quomodo Contagium ſimilis affectionis productio ſit.*

Primò autem rectè accipiendum eſt, quomodo ſimilis affectionis in alio corpore productio contagium dicatur. Neque enim quæcunque ſimilis affectionis in alio corpore productio contagium eſt; e. g. dum calidum aliud corpus calefacit, aut frigidum aliud frigidum reddit, contagium propriè non dicitur. Sic licèt ſerpens aut ſcorpio morſu vel ictu ſuum homini venenum communicet: Contagio tamen id facere non dicitur.

*Contagioſum quid.*

Itaque ſciendum, contagioſum eſſe, corporis morboſi ſaltem affectionem eſſe. Id enim ſolùm contagioſum dicitur, quod morbo aliquo laborat, aut certè cauſam morboſam in ſe continet, eandémque alteri communicare poteſt.

Deinde nec hæc communicatio quocunque modo fieri debet. Nam ſi ſola aliqua qualitas communicetur, quæ ad affectum aliquem recipiendum diſponat ſaltem, non eſt contagium. Verùm contagium fit per aliquod ſeminium, quod ſpecificum & ſuæ naturæ

proprium edit effectum, & citra ſenſibilem aliquam alterationem,& præmiſſam diſpoſitionem, ſpeciem ſibi ſimilem in corpore analogo producit. Eſt enim in re contagioſa tam praua conditio, vt ſemen ſeu μίασμα ex ſe emittere poſſit, quod in corpus idoneum receptum illud inficere,mutare,corrumpere, ſimiléſque effectûs in eo producere poteſt.

*Contagium quid.*

Vnde definimus Contagium eſſe μίασμα ſeu ſeminium vitioſum, è corpore ægro emiſſum, quod in analogo corpore receptum,ſimilem in eo morbum gignere & producere aptum natum eſt. Vel;affectionem præter naturam,quæ corpori à corpore præter naturam affecto per peculiare μίασμα communicatur. Vel; productionem affectûs præter naturam in corpore, per ſemen & μίασμα ex alio corpore ægro emiſſum.

*Quæ ad contagium requirantur.*

Tria autem, vt contagij natura rectè cognoſcatur, perpendenda ſunt, 1.corpus contagioſum, quod alia inficit. 2. morbus & μίασμα, quod alteri communicatur, & per quod aliud inficitur, 3. corpus, quod inficitur.

*Contagioſum quid.*

Primum quod attinet, iam antè dictum,non quodlibet, quod alicui eam, quam ipſum habet, affectionem communicat, contagioſum eſſe, ſed ſolùm corpus morboſum,& tale,quod affectu aliquo præter naturam præditum eſt. Hîc nonnulli quærunt: An corpus præter naturam conſtitutum contagioſum ſit ratione morbi; an verò cauſæ morbificæ. Vtriuſque ratione contagioſum eſſe reſpondemus. Ipſe enim morbus, vt iam dicetur, vt accidens, de ſubiecto ſuo non egreditur & alteri communicatur, ſed illud,quod egreditur è corpore morboſo,& ab alio recipitur, corpus eſt, cauſæ morbificæ rationem habens: vt ita cauſa proximè contagioſa ſit: tamen ad talis materiæ generationem & multiplicationem in corpore ipſe etiam morbus, ac vitioſa præter naturam in corpore diſpoſitio facit.

*Contagioſa materia origo.*

Cauſa autem illa,cuius ratione corpus contagioſum redditur, vel aliunde corpori aduenit,& ab aliquo corpore malè affecto communicatur; vel in corporibus noſtris, ex vitiatâ coctione, ſiue ratione alimenti, ſiue ob aliam cauſam, generatur, à quo deinde in ipſis partibus ſolidis conſimilis morbus introducitur, & partis actio vitiatur, vt ſimile excrementum multiplicet, eidémque facultatem ſibi ſimile producendi imprimat, vt poſtea in aliud corpus tranſlatum ſimilem ſibi morbum producat. Atque ita mutuus quidam ab huiuſmodi cauſâ ad talem morbum; & contrà à tali morbo ad talem cauſam progreſſus & circulus quaſi eſſe videtur. Nam non ſolùm corpus aliquod contagioſum fieri poteſt, cui extrà cauſa aliqua maligna & contagioſa obuenit: ſed etiam quando in corpore,ferè ſemper ob errorem externum,talis vitioſus humor generatur.

Quacunque autem ratione & modo talis materia corpori obueniat, ſiue in eo generetur, ſiue aliunde ipſi communicetur: fieri poteſt, vt antequam morbum, qualem producere apta nata eſt, corpori inducat, aliud externum corpus inficiat. Materiæ contagioſæ in corpore genitæ præbent exemplum mulieres, præſertim vetulæ, quæ menſes retentos, & corruptos vitioſóſque humores in corpore habent: ab his enim,etſi ipſæ nondum actu ægrotent, vel ſolo aſpectu tenellos infantes infici & faſcinari poſſe, ab omnibus ferè receptum eſt. De materiâ contagioſâ corpori communicatâ habetur exemplum in lue venereâ. Si quis enim cum muliere alioquin ſanâ, quæ tamen cum aliquo lue Gallicâ infecto rem paulò ante habuerit, congrediatur: fieri poteſt, atque experientia id ſæpe teſtata eſt, vt talis à muliere illâ inficiatur, & luem veneream contrahat. Verùm tunc ſaltem per eam partem, quâ ipſum cauſam contagioſam hauſit, alios inficere poteſt tale corpus infectum: Vbi autem iam altiùs radices egit malum, per quamcunque ferè partem alios contaminare poteſt. Poſtquam enim materia contagioſa iam ſolidas partes occupauit, earúmque naturalem conſtitutionem vitiauit: tum à ſolidis partibus omnes iterum humores & ſpiritûs inficiuntur,qui in alia corpora tranſlati, earum naturalem conſtitutionem euertendi vim ſimilem habent.

Verùm vt ad rem propiùs accedamus, cùm non quodlibet corpus morboſum contagioſum ſit, neque qui arthritide laborat, eam alteri per contagium communicare poſſit: iam videndum, quænam ſit propria corporis contagioſi natura; & ſecundo loco vnâ operâ explicandum,quid ſit illud,per quod affectus,quo corpus contagioſum laborat,alteri communicatur;& quomodo in corpore contagioſo generetur μίασμα.

*Contagij ſeminium.*

Illud,quod è corpore contagioſo alteri communicatur,non eſt ipſe morbus, quo prior infectus eſt, ſed corpus quoddam è corpore contagioſo effluens, & in alio receptum ſimilem morbum in eo excitare valens. Neque enim morbus idem numero de contagioſo corpore in aliud tranſit, ſed idem ſpecie in eo generatur. Græci illud, quod effluit, vocant νοσερὰς ἀποκρίσεις, & ἀποῤῥοίας, μιάσματα, σπέρματα: Latini inquinamenta,& ſemina ac ſeminaria contagij non incommodè appellant. Sicut enim ſemen è corpore viuente deciſum animatum ſpecie ſimile illi,à quo deciſum,producere poteſt;ita contagioſus humor vel vapor è corpore infecto emiſſus, atque in aliud corpus receptus, ſimilem illi morbum inducere poteſt. Habétque μίασμα hoc ſe inſtar fermenti, quod alteri maſſæ non fermentatæ mixtum facit,vt & ipſa efferueſcat.

Semen hoc corpus quoddam eſt,ſed nunc ſpiritale,nunc etiam humoris naturâ præditum; ſicut hæc differentia in peſtilentiâ,lue venereâ,ſcabie,opthalmiâ apparet.

*Conditiones ſeminis contagij.*

Requiruntur autem in hoc ſemine contagij peſtilentis (de hoc enim hîc agere nobis propoſitum) peculiares aliquæ conditiones. Nam videmus, contagij ſeminaria non ſolùm velociter ſeſe inſinuare, ſed etiam tenaciſſimè inhærere, & poſtea calore vel alio modo agitata ſeſe exerere,& corporibus aliis communicari, ac non ſolùm veſtimenta, ſed ligna & domos etiam inficere poſſe,vt vix maximâ diligentiâ purificari queant. Imò in aëre, licèt ventis agitato aut Solis ardoribus æſtuante, ſatis diu durare, ac in loca etiam longinqua ac diſſita, ſalua atque integra vehi poſſe, animaduerſum eſt.Etenim ex omnibus quidem corporibus morboſis aliquid exhalare extra dubium eſt; imò in pleriſque morbis non contagioſis longè maius eſt effluuium, maiorque ἀπόῤῥοια, quàm in contagioſis aliquibus: Verùm illud plerumque vel tam facilè reſoluitur & diſſipatur, vel tam exiguam agendi vim habet, vt in corpore, in quo recipitur, ſimilem morbum efficere non poſſit. Requiritur ergo in ſeminario contagij, vt validiſſimam habeat conſtitutionem, vt dum è corpore contagioſo exhalat, non facilè vel ambientis aëris, vel aliarum cauſarum occurſu vincatur & euaneſcat, ſed ſeſe contra omnis generis externas iniurias tueri poſſit. Plerique omnes viſciditatem quandam ac lentorê & tenuitatem in eo requirunt, vt in minimas partes diuidi, in iis tamen ſuam eſſentiam retinere,& corpora,à quibus recipitur,facilè penetrare & inficere poſſit: eam nimirum compoſitionem auctores plerique in contagij ſeminio eſſe ſtatuunt, qualis in rebus oleoſis eſt. Verùm exacta mixtio & ſpirituoſitas potiùs cauſa eſſe videtur; cùm talia multa videamus,quæ in minimâ quantitate ſuas vires integras retinent,nec tamen lenta ſunt.

Cùm autem contagij ſemina peculiarem in minimâ quoque mole corporis agendi vim habeant: facilè hinc ſecundò apparet, præter manifeſtas qualitates; aliquam occultiorem requiri, quæ ſecundùm variam, quam habet ad diuerſas corporis partes, vel humores,vel ſpiritûs, contrarietatem, corpora peculiariter

culiariter inficit. Hæc autem qualitas à formâ etiam peculiari, plerumque veneficæ & malignæ qualitati conjunctâ, & totâ sui naturâ substantiæ nostræ vel alicui determinatæ parti inimicâ, fluit. Atque hinc fit, vt proüt forma illa in semine contagij non semper eadem est: ita etiam eadem μιάσματα non omnia, sed saltem certa corpora inquinandi vim habeant. Hinc videmus, vaporem exhalantem è boue peste laborante non hominem, sed bouem inficere; & qui halitus è pulmone phthisici emittitur, non cutem inficit & scabiem generat, sed solùm pulmones inficit: Contrà scabiosus cutem alterius, non pulmones inficit.

Ex quibus omnibus apparet, saltem æquiuocatione ludere Pet. Salium Diuersum, dum scribit, Contagij nullam ad morborum procreationem veram & positiuam esse actionem. *Cùm enim*, inquit, *contagium nec substantia sit, nec qualitas, quorum proprium est agere, verè ipsi non competit actio; quare nec in aliquo genere efficientis causæ reponi poterit, sed tantùm contagium ad hoc concurret tanquam causa sine quâ non.* Etenim dictum suprà, aliter ab aliis vocabulum contagij vsurpari; & licèt, si primam originem vocis spectes, nihil nisi contactum seu situm duorum corporum, contagium significet: tamen vsus obtinuit, vt pro ipso corpore, in quo latet vis alia inficiendi, aut pro qualitate alios inficiente vsurpetur. Frustra igitur sejungere videtur contagium ac malignam & venenatam morborum contagiosorum qualitatem. Ita enim docet hac de re: *Cum febres pestilentes fiunt contagiosæ, actio quidem, quâ ab vno alteri communicantur, non contagij erit, sed eius tantùm prauæ qualitatis, quæ cor lacessit, quæ insidet in materiâ corruptâ. Ab hac enim materiâ corruptâ sicut excitantur & eleuantur intra corpus ipsum vapores mali, qui cor petentes eius omnes vires perniciosâ labefactant qualitate: ita & alij extra corpus mittuntur, qui contagio præsente consimilem in altero possunt prauam qualitatem causare.*

Verumenimuerò iterum hîc luditur saltem æquiuocatione vocabuli contagij, quod ille solùm pro situ sumit. Verùm si sumatur contagium, siue pro actione, siue pro qualitate, siue pro ipso μιάσματι, non opus est à subjectis venenatam qualitatem & contagium sejungere. Hoc quidem verum est, quod alia est ratio venenositatis in illâ materiâ, alia contagij. Licèt enim omnis morbus malignus & venenatus contagiosus sit: non tamen omnis contagiosus malignus est; sed malignum esse, est proprietas alicujus tantùm speciei morbi contagiosi, illius scil. qui præter vim ac proprietatem sese multiplicandi in alio, etiam peculiarem cum corpore nostro ἀντιπάθειαν habet. Verùm vbi in eodem morbo maligniias & contagium conjunguntur, non est opus, ea subjectis disiungere, sed tum vtraque qualitas est in eodem subjecto, atque eadem materia ob peculiarem formam sæpe est contagiosa & venenata, neque venenata aliqua materia è corpore egreditur, & demum extra corpus contagio, vt causa sine qua non, juncta aliud inficit, sed vna & eadem materia est è corpore exhalans, & quæ alios inficiendi & malignâ ac venenatâ qualitate offendendi vim habet.

*...genera-...ne conta-...*

Quâ ratione autem istud contagij seminium in corpore contagioso generetur & quomodo in aliis suam actionem exerceat, de eo non omnes idem statuunt. Nonnulli in eâ sunt sententiâ, contagiosa μιάσματα non nisi à re putrescente effluere, & per putredinem solùm generari statuunt. Verumenimuerò si actionem rerum contagiosarum perpendamus, & sine putredine contagium generari, & sine eâdem actionem suam perficere posse, facilè videbimus. Nam cùm ad putredinem inducendam longius spatium & præuiæ alterationes requirantur: videmus contrà, quamprimùm contagij semen haustum est, hominem infici,

*...solùm ...tredine generetur contagium.*

& tantam sæpe inesse efficaciam, vt homo à veneno, quod contagio conjunctum est, jugulетur, antequam vlla putredo in corpore excitetur; eundémque hominem nihilominus alios inficere rursum. Per corruptionem quidem contagij seminarium generatur: sed per putredinem vt fiat, non est necessarium. Siquidem præter putredinem alia etiam corruptionis genera dantur, & tales occultas causas à totâ formâ magis, quàm manifestis qualitatibus agere, iam sæpius probatum est.

Et ad fermentationem quandam omninò rectiùs reducitur contagium, quàm ad putredinem. Fermenti enim quanta vis sit, & quàm breui spatio alia corpora in sibi similem naturam mutet, panis fermentatio, & feces cereuisiæ, quibus eadem cereuisia fermentatur, satis docent, vbi exiguum quid, & quod nullius momenti videbatur, vt cereuisia efferueat, facit. Atque eâdem ratione venena agunt, quæ tamé nec putredine generantur, nec essentiam suam in putredine habent, quorum minimum quid in corpore receptum humoribus similem qualitatem & naturam inducit: quæ tamen actiones venenorum omnes non à putredine, sed alio, qui talibus datur, agendi modo pendent. Et quanquam concedamus, in corporibus, quæ vel peste, vel alio veneno inficiuntur & corrumpuntur, tandem putredinem excitari: hoc tamen fit per consequens saltem. Dum enim calor innatus ita destruitur, vt humores in corpore ampliùs regere non possit, & humores ipsi, qui calidi & humidi sunt, à contagio & veneno corrumpantur: tandem putredo subsequatur, necesse est. Vnde præter rem fecisse putamus Lud. Mercatum, qui statuit, duplex esse contagium, aliud verum & legitimum; atque id solùm per putredinem produci; aliud illegitimum & spurium, quod etiam sine putredine gigni possit. Nullam enim causam reddit, neque etiam reddere potest, cur illud contagium, quod sine putredine per alium corruptionis modum generatum est, minùs proprium contagium sit, quàm illud, quod cũ putredine conjunctũ est.

Nonnulli, vt causam reddant, cur morbi putridi alij contagiosi sint, alij non contagiosi, duplicem constituunt putredinem: vnam quidem simplicem, quâ sola fiat mixti solutio, nullâ tamen nouâ generatione hanc subsequente; aliam verò præter hanc putredinem esse dicunt, quâ non solùm mixtum corrumpitur & interit, sed etiam nouum generatur, quomodo pulices, vermes & similia generari dicunt. Atque per istam putredinem contagium generari statuunt. Verùm vt illud libenter acceptamus, quod hi concedunt, à priori putredine non semper gigni contagium, sed ea solùm, in quâ talia seminaria generantur, quæ forti mixtione ita temperata sint, vt postquam è corpore ægro emanârunt, haud facilè pereant ab externis causis debilitata, sed peculiari firmitate freta diu perdurent perseuerentque, & spirituosâ essentiâ in corpora alia penetrent faciliùs, pertinaciúsque adhæreant; ita an ad istam generationem contagij vlla sæpe putredo necessaria sit, non sine causâ dubitamus. Habet se contagium, vt antea etiam dictum, fermenti instar, quod in corpore analogo receptum similem dispositionem illi inducit; quod tamen non per putredinem, sed peculiarem fermentationem, digestionem & mixtionem generatum est.

*Quâ vi contagium agat.*

Atque vt per putredinem non generantur necessariò ista contagij seminaria; Ita etiam per eandem non necessariò suas actiones exercent, sed vbi portiuncula aliqua materiæ contagiosæ, è corpore ægro emissa, ab alio sano recepta est, occultâ quadam vi, & à totâ substantiâ, vt vocant, potiùs in illud agit, quàm manifestis tantùm qualitatibus putrefaciendo. Id quod ex iis, quę suprà de naturâ pestis dicta sunt, apparet, & in aliis etiam morbis animaduertitur, qui in corporibus infectis se exerunt, vbi nulla adhuc putredo adest.

*Quomodo contagium disseminetur.*

Non vno autem modo ac viâ è corporibus infectis contagij seminium exit. Aliquando enim per exſpirationem & halitum; aliquando per poros cutis & ἄδηλον διαπνοὴν exhalat, ſicut videmus halitûs acres & mordaces ex rapis, raphano maiore exeuntes, & ex rebus incenſis vapores etiam res longè diſſitas afficere & inficere. Principium motionis partim à ſe habent, vt eſt vaporis omnis ſurſum ferri: partim ab aliis, à quibus in latus ſeu deorſum trahuntur. Fit hoc vel ab aëre, vel à ſolido corpore aliquo, à quo repelluntur. Aliquando per ſudores ſordeſque cuti adhærentes; per pus & ſaniem è bubonibus & carbunculis effluentem, pannis aliiſque veſtimentis & ſtragulis communicantur, quibus mediantibus alia poſtmodum corpora inficiuntur.

*Vtrum corpora viuentia, an verò cadauera magis contagioſa ſint.*

Hoc loco non ſine causâ quæritur: *Quanam corpora infecta magis contagioſa ſint, pluſque ſeminis peſtilentis exſpirent, viuentia, an verò mortua?* Rondeletius, *de cur. feb.* in eâ eſt ſententiâ, corpora peſte mortuorum nullum ampliùs venenum conjunctum habere, mortuóque animali perire omne venenum; & ſi aliquando contagium ab iis contrahatur, hoc potiùs ab illorum pannis, quàm ipſis contrahi; narratque ſecuiſſe ſe aliquando corpora mortuorum ex peſte, multis ſpectantibus ſtudioſis, ſine omni damno. Quæ ſententia eo præcipuè nititur fundamento, quòd cadauera nihil vel parùm expirationis de ſe emittant.

Alij quidem non planè venenum cadaueribus adimunt, verùm viuentia corpora infecta longè cadaueribus contagioſiora eſſe ſtatuunt, atque affert pro hac ſententiâ Thomas Iordanus, *de peſtis phœnomenis tr. 1. cap.* 18. præter alias, quæ pro Rondeletij ſententiâ afferri poſſunt, rationes, eam; quòd halitûs, qui è corpore viuente peſte infecto exhalant, majorem habeant cum ſpiritibus corporum viuentium, quæ inficiuntur; cognationem & ſimilitudinem, quàm cum vaporibus è cadauere exhalantibus, habeant ſpiritûs animales; magiſque conuenire viuentem cum viuente, quàm viuentem hominem cum cadauere; contagium autem fieri inter ſimilia.

Laurentius Ioubertus, *lib. de peſt, cap.* 3. contrà ſtatuit; longè majus contagionis periculum imminere à cadaueribus peſte interfectorum, quàm viuentibus: & longè periculoſius eſſe peſte ſublatum, quàm etiamnum ægrotantem, attingere. In corpore enim viuente à calore natiuo venenum hebetari quodammodo, & quantum fieri poteſt, retundi; extincto verò calore natiuo, nullo obſiſtente: vniuerſum corpus à veneno occupari, venenúmque in eo longè ferociùs, quàm antea graſſari; ipſamque quæ mortem ſequitur, putredinem venenum augere & exaſperare. Videntúrque omnes ferè Medici, qui de peſte præcauendâ ſcripſerunt, à Rondeletio diſſentire, dum præcipiunt, peſte interemptorum cadauera quamprimùm terræ eſſe mandanda, & quidem altiùs effodienda eſſe ſepulchra. Quod etiam in omnibus benè conſtitutis Rebusp. obſeruatur, refertque Thucydides, in peſte Atticâ, cùm multa cadauera hominum inſepulta iacerent, ea vel non attigiſſe bruta, quæ cadaueribus victitare ſolent, quæ verò attigerant, periiſſe.

*Controuerſia deciſio.*

Ex hoc dubio vt nos exoluamus, principio diſtinguendum putamus inter eos peſte laborantes, quorum morbus in ſalutem & vitam terminatur, & inter eos, quorum morbus lethalis eſt. Eos, qui peſte laborant, & de vitâ non periclitantur, minùs contagioſos eſſe, quàm pleraque peſte interfectorum cadauera, exiſtimo. Atque in hiſce corporibus verum eſſe credo, quod Ioubertus dicit, calorem vitalem, cui opitulantur & alexipharmaca, ſeſe veneno non tantùm opponere, illúdque hebetare ac retundere, ſed tandem etiam, victoriâ potitum, planè infringere ac abolere, Ac quantum quidem ego memini, non obſeruatum puto, in eâ, quæ ſuperioribus annis hîc graſſata eſt peſtilentiâ, quemquam ab iis, qui conualuerunt, infectum fuiſſe. Hoc certè ſæpius obſeruaui, ſi primus, qui in domo aliquâ peſte infectus fuit, conualuit, neminem præterea in eâ domo infectum fuiſſe. Vbi verò æger de vitâ periclitatur, & tandem moritur, contrario modo ſeſe res habet. A tali enim corpore, præcipuè jam morituro homine, quando ſcilicet venenum, deuicto calore vitali, triumphat quaſi, plus periculi imminere, quàm à cadauere puto. Et experientia teſtatur, quò plures in ciuitate vel domo aliquâ conualeſcunt, eò meliorem de ſalubri ſtatu recuperando ſpem eſſe: Contrà verò quò plures moriuntur, eò peſtem ſæuiorem euadere.

Rectè tamen, quæ dicta ſunt, accipienda: à viuente corpore, quod, venenum ita corrumpit, vt nihil niſi peſtilens ex eo exhalare poſſit, calor natiuus reliquus, quantum quidem poteſt, omni conatu venenum expellit; & per ſe ex tali corpore, cuius humores corrupti ſunt, vapores & halitûs per omnes vias ac ſpiracula, inprimis per exſpirationem, exhalant. Ideóque cum homine tali iam morituro periculoſſima eſt conuerſatio. Verùm vbi homo mortuus eſt, cadauérque calore vitali extincto iam refrixit, poríque clauduntur, & inprimis exſpiratio per pulmones ceſſat, minus, vt rectè in hoc Rondeletius ſtatuit, vaporum exhalat, & tum minus periculi à tali cadauere imminere concedi poteſt; inprimis ſi accedat frigus externum vehementius. Non tamen nihil exſpirare, ipſe odor cadaueris teſtatur: atque id quod exſpirat, non niſi peſtilens eſſe poteſt; cùm omnes talis corporis humores peſtilentem naturam induerint, neque per mortem eam depoſuerint. Et ſi in veſtibus & ſimili ſupellectili peſtilentiæ ſemina aſſeruari queant: cur non etiam in humoribus & corporis partibus, quas occupârunt, aliquandiu hæreant? Et ſi alia venena in cadaueribus aliquandiu deliteſcunt, cur non & peſtilentis veneni reliquiæ in cadauere aliquandiu remanere poſſint, quæ poſtea exſpirent, & alia corpora inficiant? Fernelius, *libro 2. de abdit. rer. cauſ. capite* 14. refert, venatores quoſdam lupum ſæuiorem trucidatum in varia obſoniorum genera apparauiſſe & coxiſſe, & eos omnes quicunque carnes eſitarunt, non multo pòſt tempore rabie correptos, alios periiſſe, alios ſociorum morte prudentes ſibi proſpexiſſe. Et Ioh. Bauhinus, *in tract. de luporum rabie.* è Lycoſthene tradit, in Ducatu VVirtembergenſi olim hoſpitem quendam ſceleſtum carnes porci à cane rabido morſi conuiuis edendas appoſuiſſe, à quarum eſu rabidi facti mutuis morſibus ſe miſerandum in modum dilaniauerunt. Idem ex epiſtolâ quadam Theobaldi Fettichij refert: ruſticum prope Francofurtum ſuem rabidam occidiſſe, occiſamque minùs altè in terram defodiſſe, quam cùm tempore hyberno vulpes olfeciſſent, erutamque voraſſent, in rabiem eas actas fuiſſe, & pecora alia, atque homines morſu impetiuiſſe, & rabiem ita diſſeminâſſe.

Verùm vbi cadauer putredinem concipit, ibi maxima vaporum copia ex eo exhalat, quod vel fœtor oſtẽdit: qui cùm ex corpore peſtilenti exhalent, nõ niſi peſtilentes & contagioſi eſſe poſſunt: imò venenum per illam putredinem procul dubio exaſperatur. Vnde, vt antea dictum, prudenter Medici & Magiſtratus faciunt, qui peſte mortuos quamprimùm, antequam ſcilicet cadauera putredinem concipiant, efferri, & altiùs effodi ſepulchra præcipiunt, ne illi peſtilentes halitûs alios contaminent, & aërem inficiant.

*Thom. Iordani ſententia extermina- tur.*

Nam quod hîc ſcribit Thomas Iordanus, vim peſtiferam vnà cum calore ſolum vertere atque euaneſcere, nouamque putredinem à priore planè differentem ſuccedere; idque ex eo patere, quòd ex putredine peſtilenti nullum animal generari queat, cùm tamen ex peſte interemptorum cadaueribus, vt ex aliis, vermes generentur: in eo non parùm fallitur. Nam vt illud prætereamus, quod malè totam contagij

&

& peſtilentiæ naturam ex neſcio quâ fictitiâ & à vulgari diuersâ putredine deducit, nullam cauſam reddit, cur neceſſarium ſit vt cum calore vniuerſum venenum euaneſcere debeat. Cùm enim in aliis corporibus diu contagij ſemina latere poſſe videamus: quidni etiam in humoribus, in quibus generata ſunt, aliquandiu ſubſiſtere poſſint? Et fieri hoc, maculæ & alia plurima, quæ etiam poſt mortem contingunt, atque in cadaueribus conſpiciuntur, & peſtilentiæ ſigna in defunctis habentur, ſatis docent.

*An à peſtilenti putredine animalia generentur.*

Deinde falſum eſt, à peſtilenti ſeu putredine ſeu corruptione nullum animal generari. Docet enim experientia, & à pluribus annotatum eſt Medicis, in peſte & peſtilentibus febribus vermes non ſolùm per aluum deiectos, ſed & vomitu reiectos fuiſſe. Et ſi poſt bella, militum, qui benè valebant, dum occidebantur, cadauera inſepulta putreſcentia peſtem inducere valent: cur non multò magis peſte interemptorum cadauera, præcipuè putreſcentia, contagioſa ſint? Nam nullius momenti eſt, quod hîc reſpondet Thomas Iordanus: illic aëri aliàs ſincero & puro virus contagioſum à putreſcentibus cadaueribus communicari; in peſte verò aërem iam antea eſſe contagioſum, & propterea ampliùs pollui non poſſe, & ſuperuacaneum eſſe, infecta cadauera peſtem afferre, iam antea in aërem à quauis cauſâ introductam. Quaſi verò id, quod ſordidum eſt, ampliùs defœdari ac pollui, ac venenoſitas augeri nequeat? Deinde non in qualibet conſtitutione peſtilenti vitium in aëre hæret, ſed ſæpiſſimè aër purus eſt, peſtiſque ſaltem per contagium propagatur. Quo in caſu & aërem peſtilentiæ ſemina è cadaueribus recipere, & viuentes è cadaueribus ea haurire, non impoſſibile eſt.

Nec illud vllum habet pondus aut rationem probabilitatis, quod ſcribit: Quemadmodum venena, alimenta, pharmaca, in cadauere, ob caloris actualis migrationem, nullius vſûs ſunt & efficaciæ: ita etiam luem contagioſam nec in cadauere latere, actuari, aut aliquid roboris viriúmque habere à ſemetipsâ, neque affectionem in alium tranſmittere poſſe. Concedimus, non cadaueribus venena eſſe venena, ſed viuentibus; & ſicut purgantia remedia non cadauera purgant, ſed viuentem hominem: Ita etiam venena non in cadauere vtpote cui non aduerſantur, ſed viuente homine, vim ſuam exercere. Interim cur in cadauere latere non poſſint, cauſam nullam video. Si enim in ligno aut lanâ, vbi omnis viuentis calor deeſt, vires ſuas retinere poſſunt & diu deliteſcere: cur non etiam in cadauere poſſint? Sicut & illud nos non mouet, quod dicit, viuentibus corporibus cum viuente, quàm cum cadauere, eſſe maiorem ſimilitudinem. Verum hoc eſt: ſed quid ad rem? Ergóne arſenicum aut alia venena, quia non viuunt, hominem non iugulant? ſed de hoc poſtea.

Ferè eiuſdem momenti eſt, quod ſcribit, venenum, vbi calorem natiuum, cui totâ ſubſtantiâ aduerſatur, deuicerit, vnà commori. Quæ enim cauſa eſt, cur agens, vbi ſuum contrarium vicit, & ipſum interire debeat? Ab actione quidem ceſſat, ſed non interit. Neque fidem meretur, quo hîc effugere conatur, dum dicit veneni illud ſeminarium, quamdiu in veſtibus latet, enerue ac languidum eſſe; à calore autem vires ſuas accipere. Falſum enim hoc eſt: viréſque ſuas omnes retinet in fomite ſemen contagij, ſed in quæ eas exerat, tum non habet: at in corpus viuens receptum, vtpote cui contrarium eſt, mox eas exerit: ad quâ actionem an calore actuâte opus habeat, non parùm dubito.

Narrationem Rondeletij quod attinet, in dubio adhuc eſt, an cadauera illa peſte interfectorum fuerint. Nulla enim ſigna ex iis, quæ euidentia ſunt peſtilentiæ in iis apparuerunt: Et ignotum ſibi inter ſectionem fuiſſe, an cadauera illa peſte interemptorum fuerint ipſe refert, neque addit, vnde poſtea illud reſciuerit. Et fuerint ſanè interfectorum peſte illa cadauera: fieri tamen potuit, vt in cadaueribus illis à frigore hyberno vehementiore contagioſa vis extincta fuerit; ſicut videmus eandem in aliis fomitibus frigore hyberno aboleri.

Porrò ſemina contagij, ſi alteri corpori communicari debent, niſi illud immediatè contingant, id quod in lue venereâ, ſcabie, & ſimilibus accidit, medio aliquo ſeu vehiculo opus habent, quo ab vno corpore in aliud transferantur. Hoc autem vehiculum duplex eſt, aër ſcilicet & fomes, quem appellant.

Aërem quod attinet, teſtatur experientia, non ſolùm à vicinis locis, ſed & inter dum remotioribus, ſemina illa contagij peſtilentis deferri & propagari poſſe: id quod in famosâ illâ peſte Atticâ accidit, quæ, vt teſtatur Thucydides & Lucretius, ex Æthiopiâ vſque Athenas peruenit. Eſt autem paratior & commodior ad deferendum & conſeruandum ſemina contagij aër, ſi omnis qualitatis, actiuæ inprimis, ſit expers. Aliàs enim vis illa μιασμάτων extinguitur, id quod potiſſimùm in hyberno frigore fieri videmus. *Aër.*

Fomitis rationem habere poteſt, quicquid ad contagionis ſemina & excipienda & retinenda, donec iterum alteri corpori communicentur, aptum eſt. Talia ſunt omnia, quæ rara, laxa & poroſa ſunt ſubeuntéſque fumos & vapores, ἀποῤῥοίας & νοτερὰς ἀποκρίσεις promptè excipiunt, ac diu retinent: linum, goſſypium, plumæ, pelles piloſæ animalium, & quæ ex his conficiuntur veſtes. Annotátque Fracaſtorius, *de morb. contag. lib. 2. capite ſeptimo.* Anno 1511. Veronæ ex vnâ veſte pelliceâ 25. Germanos milites obiiſſe, dum vno defuncto alius indueret illam veſtem. Hanc ob cauſam & ob pilos Cardanus *lib. 1. de venen. cap.* 14. hûc refert canes & feles, qui ſuſceptum pilis venenum ſæpe tranſportant in alias ædes eáſque inficiunt. Quanquam & ex terrore quo, conſpecto fele vel cane è domo infectâ egreſſo, percelluntur, nonnullos peſtem contraxiſſe, obſeruatum ſit. Foreſtus, *l. 6. obſeru.* 22. peſte correptum narrat quendam adoleſcentem, cui, cùm manum in ſcrinium quoddam inſeruiſſet, tela araneæ in manum incidit, à quâ peſtilens puſtula oborta eſt. Quin & parietes & muros contagium ſuſcipere poſſe experientia docuit. Quod apud Iudæos frequens fuiſſe, ea, quæ in Sacris de leproſis ædibus dignoſcendis & purgandis leguntur, docent. Tanta enim erat illa lepræ contagio apud Iudæos & tam profundè in ipſos lapides & parietes ſe inſinuabat, vt non ſolùm muros radi & nouâ calcis cruſtâ induci oportuerit, ſed ſæpe tota ædificia deſtrui neceſſe eſſet. Cõtrà verò quæ ſolida & denſa ſunt, cùm vapores & νοτερὰς ἀποκρίσεις nõ facilè admittant, ad contagium etiam recipiendum & ſeruandum minùs apta ſunt; qualia ſunt lapides ſolidiores & metalla. Hinc Hier. Mercur. *de peſte cap.* 12. ſimplices ſibi videri dicit, qui contagij metu monetas tractare recuſant. Monent tamen hîc nonnulli, contagij ſuſpicione non carere eas monetas, quas peſte infectus tractauit, dum ſudore manûs maderent. Adderem & hoc, nummos ſordidos pinguibúſque ſordibus oblitos, quales interdum noſtri minores ſunt, vapores contagioſos recipere poſſe. *Fomes.* *An moneta contagium ſuſcipere poſſit.*

Fomes autem, quicunque demum ſit, diutius iſta ſemina peſtis retinet, ſi in loco ſit neque calido neque frigido nimis, neque tali, qui aëri libero & ventorum flatibus eſt expoſitus. Aliàs enim vel ab exceſſu qualitatum actiuarum vis veneni infringitur, vel ventorum flatu diſſipatur.

Porrò vbi talis fomes vel mouetur, vel excutitur, vel nonnihil incaleſcit excuſſum quaſi è latebris venenũ in obuium quemque transfertur, & idem tunc efficit, quod feciſſet, quãprimùm ex corpore ægro exhalauit. Ita ſæpe cõpertũ eſt à cõcluſis, multóſq; annos reſeruatis veſtimẽtis aut lectis infectis, dũ iã innoxiè tractari poſſe credereñtur, totas familias, imò ex iis tota oppida infectafuiſſe. Narrat

Narrat Alex. Benedictus, *de peſte cap.* 3. ex culcitrâ ob contagium ſuſpectâ, atque in remotiores ædium partes abiectâ, poſt ſeptennium iterum agitatâ peſtem excitatam fuiſſe. Et apud Trincauellium, *lib.* 3. *Conſil.* 17. Francanzanus narrat, Iuſtinopóli poſt maximam peſtem funes, quibus ægri portabantur, mortuique ad ſepulchrum deferebantur, poſt capſam quandam abiectos fuiſſe, atque ibi per annos 20. aut plures latuiſſe; quos cùm ſeruus loco poſtea moueret, incidit in peſtilentialem febrem, contagióque illius reliqui infecti ſunt, vt 10000. homines hac occaſione mortui fuerint.

Anno 1542. Vratiſlauiæ peſte 5900. intra 22. ſeptimanas mortui ſunt, peſtilenſque contagium in linteo annis 14. concluſū hæſit, è quo anno 1553. Laubani explicatū peſtē excitauit, quæ per contagium iterū Vratiſlauiam delata eſt, & hinc Goldbergam; Goldbergâ per veſtes à vigili in turri Lignitium deportata, & poſtea per columbam è turri delapſam, ac à cuſtode portæ exceptam hinc inde per vrbem diſſeminata eſt.

*An contagij ſemina quis in veſtibus ſine noxâ circumferre poſſit.*

Verùm hîc quæritur, an quis in veſtibus ſuis contagium poſſit ſine noxa circumferre, & ipſe non læſus aliis id communicare. Ad quod reſpondemus, ſi primò tali in loco contagij ſeminium in alicuius veſte hæreat, vt cutem eius attingere, & per poros cutis in corpus admitti non poſſit, quamdiu tale μίασμα quietum manet, nullum circumferenti damnum inferet. Quod ſi iam excutiatur, & in aërem ſpargatur, fieri quidem poteſt, vt ipſe, qui illud circumtulit, ſpiritu, quē ducit, in corpus admittat: accidere tamen etiam poteſt pro variâ aëris agitatione, quâ & illa μιάσματα hinc inde mouentur, vt alius illud attrahat; non ille, in cuius veſte aliquandiu delituit. Eius rei in eâ, quæ ſuperioribus annis hîc graſſabatur, peſtilentiâ, aliquot exēpla habuimus, vbi aliquot ex incautâ cum veſpillonibus & aliis, qui ex officio infectos viſitârunt, conuerſatione peſte infecti & mortui ſunt.

*An contagiū aliquandiu in homine deliteſcere poſſit.*

Maioris verò difficultatis eſt quæſtio, quâ controuertitur, An ſemen contagij ab homine hauſtum in eius corpore aliquandiu latere poſſit, antequam ſe prodat; an verò neceſſarium ſit, vt ſuas vires exerat. Diſſentiunt hac de re Medici, atque inter eos Octauian. Roboretus, & Hier. Mercurialis ac Ioan. Ant. Sarracenus. Statuit Octau. Roboretus, *de febre peticul. cap.* 19. venenum hoc non ſolùm per multos ſæpe dies, etiam in ſæuiore peſte, ſed & per menſes, more veneni, quod morſu canis rabidi infertur, latere poſſe; ſibique ipſi, cùm de infectione ſuſpectus eſſet, atque per dies decem à conſortio aliorum ſe ſubtraxiſſet, vix iterum poſtea egreſſo, bubonem erupiſſe ſcribit: exiſtimatque, ſummâ cum ratione in bene conſtitutis ciuitatibus lege ſancitum eſſe, vt qui ex peſte infectis locis veniunt, tamdiu ab aliorum conſortio ſemoueantur, donec omnis contagij ſuſpicio ſit abolita; quod 40. diebus ad ſummum euenire putat. Ioan. verò Ant. Sarracenus, cum quo conſentit Hier. Mercurialis, concedit quidem, aliquandiu hoc peſtilens ſeminarium corpore circumferri poſſe, ſed non tot dierum hebdomadibus, veſtibus mutatis, & corpore loto ac raſo; duriuſque illud, quod laudat Roboretus, ſtatutum, quàm ex æquo & bono eſſe exiſtimat.

Verùm priori ſententiæ potiùs ſubſcribimus eorum, qui ſemina peſtilentiæ in corpore, antequam vim ſuam manifeſtè exerant, non ſolùm dierum, ſed & ſeptimanæ vnius atque alterius ſpatio latere poſſe exiſtimant. Atque vt id credamus, neque pro re impoſſibili habeamus, inprimis illud nos mouet, quòd videmus alia venena, antequam in actum erumpant, aliquandiu in corpore humano deliteſcere poſſe. Diſputatur inter Medicos, an dentur venena, quæ intra corpus aſſumpta, non ſtatim, ſed poſt aliquod temporis interuallum homini noceant, & ſeſe exerant. Et licèt de eo alij aliter ſentiant, atque illud adeò facilè probari non poſſit, venena eſſe, quæ definitis planè menſium & annorum ſpatiis tandem hominem iugulent: hoc tamen certum eſt, malitiam hominum talia venena inueniſſe, quæ hominibus propinata, primò ſe nullo modo produnt, ſed poſt aliquod tempus ſeſe exerere incipiunt, hominemque lentâ morte enecant. Quâ de re Cardanus, *lib.* 1. *de venenis cap.* 26. Et de canis rabidi veneno res extra omnem controuerſiam poſita eſt, illud diu, antequam ſeſe prodat, in corpore humano latere poſſe: annotatumque eſt à Medicis, illud non ſolùm per menſes ſex, ſed & annos duodecim, imò longè plures in corpore delituiſſe. Si igitur in aliis venenis hoc fieri poteſt, cur in peſtilenti id ſit planè impoſſibile? Nimirum ſeminis peſtilentis non eadem eſt ſemper potentia, ſed ab exiguo initio maximas vires acquirit, & vt Galenus, *lib.* 6. *de loc. aff. cap.* 5. de ſputo rabidi canis docet, ab exiguo initio, & venenatâ qualitate praua quædā in corpore diſpoſitio ſenſim augetur, tandemque ad excellentem magnitudinē exurgit.

Quæ omnia cùm talia ſint, vt negari non poſſint, ipsâ nimirum experientiâ atteſtante, venena plurima in corpore aliquandiu deliteſcere poſſe; in hoc nonnulli, inter quos eſt Ioh. Antonius Sarracenus, *de peſte c.* 6. laborant, vt monſtrarent diſſimilitudinem inter venenum peſtilens, & alia venena, inprimis canis rabidi. Ita enim Sarracenus: *Huius*, inquit, *atque illius diuerſa eſt ſubſtantia, nec ſedes eadem. Huius enim (canis rabidi) vis hebetior ac in craſſiore & denſiore materia inhæreſcens, quâ de causâ cohibetur, nec niſi caloris natiui, eiúſque copioſi, magnâ vi excitatur. Quin id ipſum, vt imbecille admodum, ne rara quidē epidermis altiùs penetrare ſinit, niſi forſan vel ſciſſa, vel alioquin lacera ſit. Illud (peſtilens ſc.) contrà multò tenuius, acrius, eiuſque vis ac efficacitas ea, vt non modò ἐπιδερμίδα, ſed & cutem ipſam, quantumuis validam ac dēſam, ocyſſimè permeet, penituſque intrò ſubeat.*

Verumenimuerò hæc noſtræ ſententiæ parum officiunt. Sit enim quædam inter hæc venena differentia, & concedamus, quod libenter facimus, tamdiu, quamdiu canis rabioſi venenum peſtilens in corpore latere non poſſe: interim ex his nullo modo ſequitur, quin peſtilens non dies aliquot occultari in corpore poſſit. Eſt nimirum venenorum in agendo efficacia non eadem; tum etiam patientis nunc minor, nunc maior ad reſiſtendum vis. Stat itaque hoc adhuc firmum, ſi alia venena, atque inter ea venenum rabidi canis, quod non minùs, quàm peſtilens, homini lethale eſt, latere poteſt: aliquandiu & peſtilens deliteſcere poſſe, non impoſſibile eſt. Neque ideò tamdiu in corpore latet venenum canis rabidi, quòd calore natiuo copioſo demum excitetur, ſed, vt ex Galeno dictum, ab exiguo initio, ſputi ſcilicet rabidi canis prauâ qualitate, praua quædam in corpore diſpoſitio ſenſim augetur, tandemque ad excellentem magnitudinem exurgit. Ita etiam ſi ſemen peſtilentiæ in corpus aſſumptum non ſatis forte & efficax ſit, corpuſque reſiſtendi magnam vim habeat, impoſſibile non eſt, venenum illud peſtilens quaſi occultum latere, ſenſimque humores corrumpere, tandémque, vbi incrementum accepit, vim ſuam peſtiferam prodere.

*Veneni peſtilentis aliquandiu in corpore latētis documenta.*

Vt verò ex his manifeſtum euadit, non impoſſibile eſſe, venenum peſtilens aliquamdiu in corpore humano deliteſcere poſſe: Ita non pauca ſunt, quæ ſatis docent, ſæpius hoc ita contigiſſe. Nam non raro accidit, vt peſte aliquis corriperetur, qui tamen nullam omnino recentis infectionis cauſam dare potuit; ſed confiteri neceſſe habuit, ſemina peſtis ſeſe ante plures dies excepiſſe. Teſtatur Octauianus Roboretus, *de febr. peticulari c.* 9. ſibi hoc Conſtantinopoli accidiſſe: & in qualibet peſtilentiâ. vbi cauſa non primariò eſt in aëre, ſed per contagium

gium saltem pestis propagatur, obseruari potest. Sæpe enim accidit, quopiam in domo aliquâ peste extincto, licèt reliqui in alia conclauia fugiant, & omnem supellectilem, quam infectam esse vel suspicantur, studiosè vitent, nihilominus post aliquod temporis interuallum alium eâdem corripi. Imò obseruatum, cùm à me, tum ab aliis certis periodis, nunc 14. dierum, nunc plurium interuallo sese exeruisse hoc venenum. Imò & hoc obseruatum, quosdam, saluti suæ fugâ consulturos, ex locis infectis in tutiora alia se contulisse, nihilque supellectilis infectæ secum abstulisse, nihilominus post temporis aliquod interuallum, peste, etiam in locis iis, vbi tunc ea non grassabatur, correptos fuisse.

Neque sententiam nostram inuertit, quod obiicitur venenum homini pestilens esse infensissimum, & in corpore calido foueri; ac proinde fieri non posse, vt sine damno & manifestâ actionum mox per initia læsione in corpore contineatur. Nam & alia venena homini infesta sunt, & æquè in calido corpore continentur: nihilominus non mox & per initia, vbi vires corpus lacessendi nondum sufficientes habent, homini sensibiliter molesta sunt, sed per cuniculos quasi rem agunt, & tandem subitò sese produnt. Ita etiam venenum pestilens in corpus receptum, nisi mox vel à calore nostro vincatur, vel per media expellatur, nunquam quidem otiosum est: verùm si sit debilius, eius efficacia non mox deprehenditur, sed sensim sese multiplicat, & humores corrumpit, tandémque vbi vires sumpsit, sese prodit; vbi scilicet natura ab hoste iam potentiore lacessita, sese ei opponit & ex pugnâ illâ veneni & naturæ manifesta in corpore Symptomata excitantur.

*Corporis ad recipiendum contagium dispositio.* Tertiò in contagio perpendendum est corpus, quod illud recipit, seu patiens. Vt enim in aliis actionib. non quodlibet in quodlibet agere videmus: sic & in contagio præcipuè pestilenti, idem accidere animaduertimus. Nam non omnis pestis omnibus animalibus contagiosa est, sed quæ ex homine in homines deriuatur, eadem non sues & boues inficit, & contrà. Et à peste, quæ hominibus contagiosa est, non omnes eodem modo lædi videmus. Etsi enim tanta veneni pestilentis in agendo sit potentia, vt nemo ab eo sibi immunitatem facilè polliceri queat, atque id omnis generis corpora omni loco & tempore inficiat, iuuenes, senes, viros, fœminas, sanos, ægros; vere, æstate, autumno, hyeme; in locis calidis & frigidis: tamen corpora alia faciliùs, alia difficiliùs id admittunt. Animaduersum enim est sæpissime, nonnullos leui de causâ, & cùm vix cum vno infecto obiter conuersati fuissent, infectos fuisse, alios verò infectos & viuentes & mortuos plurimos tractâsse, nihilominus à peste immunes euasisse.

*In quo ea consistat.* Causam huius rei non omnes reddunt eandem. Plerique omnes dicunt hoc fieri ob peculiarem similitudinem & ἀναλογίαν, quam habeat contagium cum corpore, quod inficitur; cùm simile facilè simile recipiat, & similia promptè iungantur. Verùm hæc opinio veritati consentanea non est. Omnis enim actio est inter contraria: & agens, dum agit in patiens, agit in illud, vt id sibi simile reddat. Et quamuis similia faciliùs coniungantur: tamen eo fine fit id, vt vnum ab altero conferuetur; quod in contagio locum habere non potest, vbi corpus, quod inficitur à contagio, vt sibi simili & amico, non conseruatur, sed vt à contrario corrumpitur & destruitur. Octauianus Roboretus ergo, *lib. de febr. peticulari, cap. 9.* aliter rem hanc explicat, docétque in contagio tria reperiri. 1. terminum à quo, seu corpus, quod primò infectum est, atque alia rursum inficit; 2. terminum ad quem, seu corpus quod per contagium inficitur; 3. Ipsum affectum, qui per contagium communicatur. Similitudinem igitur in contagio quidem concedit; sed non inter contagium & patiens, quæ potiùs dissimilia & contraria, quàm similia statuit: verùm inter terminum à quo & inter terminum ad quem, seu inter corpus, quod primò infectum fuit, & illud quod deinde inficitur; existimátque, affectionem præter naturam, quæ vni alicui corpori facilè communicatur, alteri quoque, priori simili, facilè communicari posse: rationémque hanc addit; quia sicut affectio illa præter naturam priori est inimica, vt illud lædere possit, ita alteri priori simili quoque erit aduersa, & proinde æquè illud lædet.

Quam opinionem vt non reprehendimus: cùm veræ sententiæ fundamentum contineat: ita non proximam huius rei causam explicare putamus. Nam etsi verum sit, quòd contagium, quod aliquod corpus primò infecit, alteri quoque huic simili faciliùs, quàm alteri dissimili, communicari possit: tamen cùm, vt antè dictum, actionis fundamentum non in similitudine, sed in contrarietate consistat, omnísque actio contrarietatem præsupponat: quæritur porrò; Cur hoc contagium vtrumque horum inficiendi vim habeat & non alia diuersa, v. g. Cur pestis hæc tantùm homines, & non simul boues iugulet: Et cur eadem illa inter homines non omnes eodem modo inficiat. Hîc verum est illud, quod addit; quòd affectio præter naturam, quæ priori ita contraria fuit, vt illud potuerit lædere, alteri quoque huic simili aduersa futura sit. Atque ita actio in contagio potiùs à peculiari ἀντιπαθείᾳ, quàm similitudine cum patiente erit petenda. Nam cùm, sicut se duo similia habent ad aliquod tertium, ita illud tertium habeat se ad vtrumque illorum: sic contagium, dum corpora duo æquè inficiendi vim habet, non solùm necesse est, vt duo illa corpora inter se similitudinem habeant, sed & hoc requiritur, vt contagium vtrumque æquè inficiendi potentiam obtineat: id quod pendet à peculiari ἀντιπαθείᾳ, quam certa venena habent ad certa animalia, & animalium partes, de quo suprà dictum. Vt enim non quodlibet venenum cuilibet animali venenum est: ita etiam res contagiosa non omnibus contagiosa est.

Sicut verò nemo facilè explicauerit, quæ sit pestilentis veneni ratio & essentia, & vnde eius differentiæ pendeant: ita quoque nemo facilè explicauerit, in quo ἀντιπάθεια hæc veneni pestilentis cum certis animalium speciebus & specierum indiuiduis consistat. Hoc quidem certum est, in manifestâ aliquâ qualitate eam non esse quærendam: quæ tamen sit illa occulta qualitas, cur pestis hæc huic saltem animalium speciei sit aduersa, & non omnia eiusdem indiuidua æquè inficiat, in hac naturæ caligine, & formarum ac qualitatum occultarum inde pendentium ignoratione, obscurum est.

Vnde omnino frustra laborant ii, qui in caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate, ætate, sexu, pororum amplitudine, vel angustiâ, corporum puritate vel impuritate, illam dispositionem quærunt. Hoc quidem verum est, eos, qui quocunque modo ad putredinem aptiores sunt, grauiùs ac periculosiùs febre affici: ad pestem verò recipiendam talia facere, experientiæ non consentit.

Itaque existimamus, dispositionem illam nihil aliud esse, quàm peculiarem aliquam cordis proprietatem, cuius ratione veneno pestilenti repellendo minimè par est. Neque enim pestis admittitur, antequam cor de naturali statu deiiciatur. Obseruatum enim est, multos, cùm impunè cum plurimis peste infectis, cum quibus sanguinis nexu deuincti non erant, conuersati essent, postea ex leui cum aliquo sanguine iuncto conuersatione infectos fuisse. Quæ autem illa sit in corde dispositio, explicare facile non est. Si pestilentis veneni ratio, atque

inprimis antidotorum natura nobis nota esset, & verbis commodè explicari posset, facillimum esset, explicare illam ad pestem recipiendam dispositionem. Alexipharmaca enim illa opponuntur morbo; naturæ verò amica sunt. Talis itaque dispositio in corde eius, qui pesti resistere possit, esse debet, qualis in alexipharmacis est: Illâ verò facultate qui destituitur, facilè venenum admittit, & peste corripitur, ac nisi antidotis ipsi succurratur, veneno succumbit & moritur.

Addimus tamen & hoc, quod, cùm illa venenata qualitas non sine subiectò è corpore infecto in aliud transferatur, faciliùs sese insinuabit, eundémque effectum edet, si in corpus analogum & simile recipiatur: vnde accidit, vt consanguinei faciliùs, quàm alij inficiantur, & sæpe integræ familiæ pestiferâ lue deleantur: obseruatúmque est, multos, cùm impunè cum multis peste infectis, quibus sanguinis cognatione deuincti non erant, conuersati essent, postea à consanguineo aliquo infecto leui occasione infectos fuisse. Nam cùm consanguinei similem quandam naturæ proprietatem habeant, accidit, vt pestilens venenum, quod vni noxium est, alteri etiam sit aduersum.

Sunt tandem & alia quædam, quæ vt pestis faciliùs in corpus admittatur, faciunt. Cùm enim aërem, in quo dispersa continentur pestilentiæ semina, per os & nares attrahamus, & inde ille per trachéam arteriam in cor admittatur; ac per externa etiam corporis spiracula seu poros ad arterias via pateat: ij, qui quacunque de causâ copiosiùs inspirant, vt fit post magnum motum & exercitia, quique poros cutis habent amplos & patentes, faciliùs semina pestilentiæ & in aëre & in fomite aliquo hærentia admittunt. Quæ verò de regione & tempore anni dicuntur, quòd scilicet loca maritima, austro obiecta, calida & humida, peste magis infestentur, & magis circa finem æstatis & autumnum eadem grassetur: illud potiùs ad causas pestem generantes, quàm dispositionem in corpore ad pestem suscipiendam pertinet.

*Cur nonnulli cum peste infectis sine periculo cõuersentur.* Hoc loco illud meritò explicandum est: Quî fiat, quòd nonnulli, inprimis vespillones, Chirurgi atque alij, qui ministeria sua peste infectis destinarunt, sine vllo damno cum innumeris ferè peste infectis conuersentur. Sentiunt hac de re alij aliter. Nonnullis, à quorum sententiâ non alienus est Alex. Massarias, tota hæc res suspecta est, dubitántque ij, an ita sese habeat, vt scilicet isti, tanquam caduceatores, incolumes inter pestifera tela versari possint. Verum quidem est, plurimos ex hoc etiam hominum genere (cùm non pauci, parùm ad resistendum huic veneno apti, lucri & rapinæ auiditate, huius generis seruitia aliis locent) interire: obseruatum tamen etiam est, plurimos in plurimis pestilentiis sine vllo damno ægris plurimis ministrâsse.

*An idem homo bis peste corripi possit.* Massarias hanc causam affert, quòd plerique antea peste laborârint: neminem autem bis pestilenti affici morbo. Verùm falsa hæc sunt. Primò enim dubium est, an omnes illi vespillones, Chirurgi & similes peste laborârint. Deinde experientia sæpius testata est, nonnullos non solùm bis, sed & ter peste laborâsse; imò nonnullos cùm primò euasissent, iterum peste correptos, mortuos esse.

Alij in nescio quæ secreta remedia, quibus instructi illi sint, causam huius rei referunt. Verùm vnde illi rudes plerique homines habeant illa secreta remedia, quæ Medici diligentissimi summo labore consequi non potuerunt? Cum prudentissimi Medici fateantur, verum & specificum pestilentis veneni remedium homines latere. Et sæpe compertum, secreta illa remedia, à talibus hominibus aliis communicata, parum ipsis profuisse, & paucos à talibus hominibus interdum sanari.

Probabilius igitur hac de re statuunt, qui docent, in quibusdam indiuiduis esse peculiares corporis atque cordis dispositiones, qualitatésque occultas, quibus pestilenti veneno resistere possint. Etsi enim istas occultas proprietates cùm alij, tum Alex. Massarias, reiiciat, & dispositionem ad pestem faciliùs vel difficiliùs recipiendam referant in corpora, quæ modò excrementis referta sunt, modò iisdem libera: tamen experientia testatur, vespillones illos, & alios huius farinæ homines, præ aliis corpora puriora non habere, sed sæpe vitiosis humoribus scatere, crapulæ, ebrietati, aliísque, quæ vitiosos humores cumulant, deditos esse. Et dari tales naturas, quæ peculiares venenis quibusdam resistendi vires habent, sæpe obseruatum est. Et purgantia saltem remedia id satis ostendunt, quæ sine vllo incommodo in eâ copiâ, quæ omnem dosim vulgarem excedit, assumpta à quibusdam fuisse Medici annotârunt. Narrat. Ant. Musa Brasauolus, *de simpl. medic. examine pag.* 459. se vidisse quendam in officina Iacobi à Columna Pharmacopolæ, qui drachmas duas scammonei præter noxam comedit, quater vel quinquies aluum deiiciens. Et Fallopius, *de simpl. remediis purgant. cap.* 48. scribit, se vidisse Ferrariæ Germanum Scholasticum, qui in Apothecâ à pinceâ accipiebat vnciam vnam scammonéi, & non soluebatur. Talis ergo & veneno pestilenti resistendi vis in quibusdam indiuiduis esse potest.

Etsi verò tanta contagij pestilentis vis sit, vt nemo ab eo immunitatem sibi facilè polliceri possit: accedere tamen huic, de qua diximus modò, causæ duæ adhuc possunt. Primò animus præsens, & qui nullo periculi metu terreatur, quem in præseruatione à pestilentia, si quid aliud plurimùm posse, ipsa experientia docet. Deinde consuetudo quædam, dum tales homines ex crebra cum ægris conuersatione veneno pestilenti quasi assuescunt. Atque id planè impossibile non esse, alia venena docent. Nota est historia de elegantis formæ puellâ, quæ veneno nutrita Alexandro Magno dono missa est. Et Cælius Rhodigin. *lib.* 11. *lect. antiq. cap.* 15. narrat, Coloniæ Agrippinæ puellam fuisse, quæ araneas, in quas incidebat, sine omni damno deuorauit. Et de anu quadam Atheniensi refert Galenus, *lib.* 3. *de simpl. med. fac. cap.* 18. quæ ab exiguâ cicutæ portione auspicata nullo detrimento ad magnam progressa est copiam.

Ex his, quæ hactenus dicta sunt, facile est colligere, Quænam sint contagij differentiæ. Plerique Medici, Fracastorium secuti, triplex contagij genus statuunt, docéntque, alia inficere solùm per contactum; alia per fomitem; alia nec contactu solùm vel fomite inficere, sed etiam ad id, quod distans est, contagium transferre. Atque ita triplex contagium esse; per contactum, per fomitem, & ad distans. Verùm non rectè opponitur contagium ad distans ei, quod per fomitem fit, cùm & quod per fomitem inficit, res longè distantes inficere possit, & in loca longè dissita transferri queat. Sed vtrique opponitur contagium per contactum, & in vtroque hoc contagio, sine contactu corporis contagiosi, per μίασμα & ἰοσφρὸν τινὰ ἀπόρριον affectus præter naturam transferri potest. Modus saltem diuersus est, & vehiculum seminij non idem, nunc scilicet fomes aliquis, nunc verò aer saltem. *Contagij differentia.*

Commodiùs igitur contagium diuidi potest in duo genera: in contagium immediatum, seu quod per contactum solum inficit, & contagium mediatum, seu ad distans. Immediatum, seu quod contactu tantùm inficit contagium est, quando per mutuum corporum duorum contactum affectio præter naturam ab vno alteri communicatur. Atque ab hoc appellatio desumpta, cum sc. corpus *Contagium immediatũ.*

contagio

contagioſum aliud corpus,quod inficitur, immediatè corpore ſuo tangit. Huius contagij ſeminaria in craſſiore reſident materiâ, & ſolùm per ſudores & ſordes corpori adhærentes alteri corpori communicantur, nec tam potentia ſunt, vt ſeſe longiùs diffundere poſſint. Contagium verò mediatum ſeu ad diſtans eſt,quando,aliquo interueniente, duo corpora ſeſe proximè non contingentia ſe tangunt, & per effluuium quoddam ſeu μίασμα affectio præter naturam à contagioſo corpori ſano communicatur. Hîc enim cauſa contagioſa tam potens eſt, vt corporum contactum mutuum non requirat, ſed ſubtile ac ſpirituale aliquid de ſe emittit, per quod corpora, quæ id excipiunt, inficiuntur, ſimilémque labem contrahunt. Ideóque, vt ſuprà dictum neceſſarium eſt, vt μίασμα illud fortem & ſolidam compoſitionem habeat, vt ſeſe aliquandiu integrum conſeruare, & tandem in corpus viuens receptum vires ſuas adhuc integras exerere poſſit.

Hoc autem fit duplici modo: vel enim μίασμα in fomite aliquo, quem appellant, vt lanâ, lino & reliquis, quæ ſuprà explicata, recipitur; vel in aërem ſolùm diſpergitur, & per eum in alia transfertur. Vbi per fomitem contagium communicatur, ſpirituoſum illud,aut corpuſcula illa inſenſibilia & viſum effugientia ſe in poros rerum aliarum inſinuant, tandémque excuſſa aliis viuentibus communicantur. Nonnulli putant ſemina illa faciliùs lædere, ſi infectorum manibus res illæ, quæ fomitem præſtant, fuerint pertractatæ. Verùm cùm halitu viuentium & iam morientium, & per poros aliarum partium æquè μιάσματα illa hinc inde diſpergi, & à fomite etiam ab ægro nonnihil remoto recipi poſſunt.

Hoc contagium mediatum an per eadem principia ac cauſas fiat, à quibus contagium per contactum immediatum, nonnulli dubitant, & ſunt aliqui, qui hoc per ſubſtantiam quandam communicatam; contagium verò, quod ad diſtans, per ſpecies immateriales, aut qualitates ſolùm fieri ſtatuunt. Verumenimuerò, etſi contagium per contactum immediatum à materiâ craſſiore, quæ humoris aut ichoris formam habeat, fiat: reliqua tamen contagij genera, ſiue per fomitem,ſiue per aërem transferantur,non ſolùm in qualitate conſiſtere, ſed & ipſa ſubſtantias eſſe ſtatuendum; cùm accidens non agat, niſi vi ſubſtantiæ; qualitatéſque ſubſtantias præſupponant, & ſuis ſubiectis inſint. Itaque hac quidem in parte nulla eſt inter contagij ſpecies differentia: niſi quòd immediatum corpus craſſius; mediatum & ad diſtans ſubtilius corpus participet,& ſpirituale ſit.

## CAPVT IV.

### *De Signis Peſtis.*

PОrrò cùm Medicus non eo fine de peſtis naturâ tractet, vt quid Peſtis ſit, ſciat, ſed vt imminentem præcaueat, & præſentem tollat; id verò præſtare non poſſit, niſi & imminentem præuideat, & præſentem agnoſcat, & quid de euentu ſperandum ſit, ſciat: neceſſarium eſt, ſigna peſtilentiæ tum imminentis tum præſentis tradere, & quid de euentu ſperandum ſit,docere.

### *Signa diagnoſtica.*

*na peſtis minentis.*

Petuntur autem peſtis imminentis ſigna primò à cauſis, quæ peſtilentiam generare ſolent, ſeu præſentes ſint, ſeu præceſſerint. Inter quas cùm primo loco poſuerimus contagium, peſtis meritò metuenda eſt, cùm in vicinis locis graſſatur; quæ, niſi diligenter præcaueatur, per aërem & ventorum flatûs, per commercia & varios fomites in vicina loca deriuari poteſt: atque tunc quilibet illud ſibi dictum exiſtimet.

*Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.*

Quid & quantum Aſtrologi ex vario ſtellarum poſitu & aſpectu, ex eclipſibus, Cometis & ſimilibus de peſte futurâ prædicere poſſint; ipſorum arti permittimus: hoc loco ſigna, quæ ex cauſis inferioribus petuntur,perſequamur.

Si cauſæ,quæ aërem inficere poſſunt, præceſſerunt, tetri nimirum vapores è terræ cauernis exhalauerint, terra mouerit, maligni vapores in nubes denſati, iterúmque delapſi ſata, arbores, herbaſque infecerint & corruperint, cadauera hominum plurima inſepulta, vel etiam locuſtarum jacuerint, ſimiléſque quas antè recenſuimus, cauſæ præceſſerint peſtem imminere meritò quis ſuſpicabitur. Idem ex annonæ caritate, prauorúmque ciborum vſu vulgò frequentato colligitur, adeò vt Prouerbio feratur; μετὰ λιμὸν λοιμός.

Verùm cùm peſtilens venenum occultum ſit, & cauſæ illæ, quæ peſtem inferre dicuntur, occulto modo id faciant, obſeruatúmque ſit,poſt hyemem etiam aſperrimam ſecutam peſtem in æſtate, & ad tempora anni valdè ſicca & æqualia peſtem ortam eſſe: rectè à Fernelio dictum eſt, 2. *de abdit. rer. cauſ. cap.* 12. atque experientia etiam id teſtatur, peſtilentiam plerumque adeò obſcurè, & furtim inuadere, vt ſenſu internoſci, cauſarúmque eam producentium vis primò vix deprehendi poſſit, & peſtilentiæ ſemina adeò eſſe occulta; vt nos fugiant,inopinataque feriant,nec niſi effectis & euentis deprehendi poſſint.

Quapropter ſecundo loco ex effectibus ferè petita, & quæ, cùm peſtilens venenum ſeſe exerere incipit, apparere ſolent,ſigna ſubjungemus. Imminentis nimirum peſtis indicia ſunt,ſi fungorum,boletorum nimia eſt copia; ſi plantæ marceſcunt, putreſcunt, & in herbâ quaſi ſuffocantur; ſi vermium tinearúmque copiâ eroduntur; ſi ranarum, bufonum, muſcarum, aranearum,papilionum, blattarum,locuſtarum, erucarum, ſcarabæorum, atque ſimilium reptilium & inſectorum ſoboles frequentior eſt;ſi aues nidos & pullos deſerunt,aërémque ſalubriorem quærunt;ſi talpæ,mures,& quæ in cauernis terræ delitеſcunt animalia,cubilia & ſua latebras deſerunt;ſi piſciculi vel ranæ extinctæ vel exanimes aquis ſupernatare conſpiciuntur; ſi oues,ſues,boues paſſim pereunt. Etſi enim peſtis illa, quæ boues vel ſues enecat, rarò hominibus exitialis ſit:tamen venenum illud peſtilens tandem ad eam ſæpe malignitatem peruenit, vt hominibus etiam noxium ſit.Idem & hæc indicant: Si panis aëri nocturno ſub dio expoſitus muceſcat facilè; ſi carnes breuiore,quàm fieri aſſolet,tempore corrumpantur ac putreſcant,ſi prægnantes leuiſſimâ ex occaſione frequenter abortiant. Iſta enim omnia indicant, halitûs venenatos & malignos vel è locis ſuperioribus in hæc inferiora demitti,vel ex terræ cauernis, vel ex aquis exſpirare:qui paulò poſt peſtilentiæ cauſæ euadere poſſunt.

Atque jam malignitatem in corpora humana ſerpere argumento eſt, ſi ἐξανθήματα & ἐκθύματα, variolæ atque morbilli,non modò infantes, ſed & adultiores corripiunt, pluréſque interimunt; ſi anthraces & carbunculi frequentiùs erumpunt. Dictum enim ſuprà eſt, peſtilentiam eſſe ſummum corruptionis humorum gradum, atque eam alios morbos, in quibus minor humorum corruptio, inſequi. Et præcipuè morbi Epidemij, vtpote cauſam communem habentes, in peſtilentiam tandem degenerant, compertúmque, non ſolùm poſt febres petechiales, variolas & morbillos, ſed & poſt dyſenterias & pleuritides epidemias tandem peſtem ſecutam fuiſſe. Quò enim diutius humores vitioſi in corpore latent, eò magis corrumpuntur & pernicioſiores fiunt. Atque quò ſignorum iſtorum; de quibus pluribus agit

Ant.

Ant. Gallus *de peste fascic. 3. à cap. 9. vsque ad* 17. plura cócurrunt, & quò grauiora ac vehementiora sunt, eò magis calamitosus ac pestilens annus metuendus est.

*Pestis signa.* Signa diagnostica quod attinet, etsi, vt modò dictum, pestis sine febre quandoque reperiatur: tamen cùm frequenter ei febris conjungatur, symptomata, quæ à veneno pestilenti prodeunt, cum symptomatibus, quæ à putredine dependent, permiscentur, & ita pestilentiæ signa non rarò obscurantur. Quapropter laborandum, vt pestis signa seorsim cognita habeantur.

Primò autem hoc monendum, pestem, cùm jam plures occupat, & per oppidum vel regionem aliquam dispersa est, non difficulter agnosci; inprimis cùm morbi, qui cum pestilentiâ aliqua signa communia habent, omnes ferè tum cessent. Verùm antequam peste plures inficiantur, vix vllum pathognomonicum signum, etiam è pluribus collectum, datur, è quo quis primum illum, qui peste corripitur, peste laborare certò affirmare posset. Nam licèt, vt jam dicetur, à pestilentis veneni naturâ desumpta signa inseparabilia sint, quòd scilicet pestis plerósque ex iis, quos corripit, jugulat, & summè contagiosa est: tamen hi effectûs deprehendi non possunt, dum malum in vno saltem latet; sed tum demum deprehenduntur, vbi in plures sese diffundit. Reliqua verò signa omnia ferè etiam in aliis, & præcipuè febribus malignis dictis, reperiri possunt. Hinc legimus interdum præstantissimos Medicos de morbis talibus dissensisse. Id quod accidit in peste, quæ Anno 1576. Venetias & Patauium infestauit. Nam, vt *in libro de verâ curandi bubonis atque carbunculi pestilentis ratione*, Ioh. Baptista Gemma, & alij etiam Medici referunt, qui in Patauinâ Academiâ tum temporis primum locum obtinebant, Medici constanter affirmabant, eos tumores, qui à principio circa emunctoria conspiciebantur, non esse pestilentes; cùm nulla pestilens aëris constitutio animaduerteretur: Alij contrà asseuerabant, à Tridentinâ peste, mediante contagio, Venetias pestem fuisse translatam, & tumores hos omninò pestilentes esse: quod & euentus comprobauit, & Hier. Mercurialis, *de peste, c.* 4. defendit. Ita idem Gemma refert, Græcij Styrorum, an. 1589. controuersiam de juuene quodam ægrotante exortam fuisse inter Medicos Archiducales, cùm alij eum peste laborare affirmarent, alij negarent: Euentus tamen postea docuit, peste eum infectum fuisse.

Vbi verò pestis jam in aliquo loco grassari & in plures se diffundere incipit, sequentibus signis non difficulter ita agnosci potest. Imò si in pluribus locis pestis grassetur, & pleraque illorum in aliquo conspiciantur, etsi nullus adhuc eo loci peste interierit: non leuis suspicio pestis tunc præbetur. Et præstat tum nimis cautum & suspicacem esse, quàm temerarium; cùm nisi talibus morbis in principio obuiam eatur, facilè se in plures diffundant.

1. *Pestis plurimos, quos corripit, interimit.* I. Itaque cùm pestis venenatâ, malignâ atque tota substantia cordi inimicâ naturâ agat: Signum pestis proprium & inseparabile ab ejus essentia desumptum est, quod multos inuadit, & plerosque ex iis jugulat. Quod nos docet Hippocrat. qui 3. *epid. com.* 3. *t.* 22. dum eos morbos, qui tum grassabantur, pestilentes fuisse, monstrare vult, ita scribit: *Ex qualibet morborum, quas supra recensuimus, specie, complures ægrotabant & moriebantur.* Quæ verba Gal. ita interpretatur; *cùm dicit*; & complures moriebantur, *pestilentes fuisse morbos, qui vagabantur, demonstrat.*

2. *Pestis est contagiosa.* II. Eandem causam sequitur contagium; morbíque pestilentes ab vno in alium per contagium facilè deriuantur. Inseparabile tamen hoc signum solùm est; non proprium, & quod non soli conuenit. Etsi enim omnes morbi pestilentes contagiosi sint: non tamen quicquid contagiosum est, etiam pestilens est; aliique morbi contagiosi dantur, qui pestilentes non sunt.

III. Etsi plurima in peste in omni genere symptomata appareant: tamen cùm venenum pestilens inprimis cordi aduersetur, & pestilentia cordis morbus sit, inprimis virtus vitalis, plusquam in vllo alio morbi genere, languescit; acceditque cordis palpitatio, lipothymia, syncope, & omnino summa angustia, ob quam quiescere nequeunt, sed de latere in latus corpus voluunt, sæpiúsque situm mutant. Et quidem hæc virium defectio fit nullâ præcedente manifestâ causâ, non aliquâ insigni euacuatione, non vigiliis, non doloribus, aliísque, quæ vires frangere & labefactare solent. 3. *Pestis vires subitò prosternit.*

IV. Ex illa ipsa causâ etiam pulsus fiunt parui, languidi, frequentes & inæquales. Cùm enim alteratiò à qualitate malignâ adhuc in fieri est, & pugna inter causam venenatam & naturam; interdum pulsûs fiunt magni & celeres, mox iterum obscuri atque intercidentes. Vbi verò venenum vires sumpsit, & cor expugnauit, pulsûs fiunt parui & languidi: frequentia tamen aliqua, vtpote quæ facilior est, seruatur, nec non aliqua velocitas. Postquam autem venenum planè jam inualuit, velocitas & ipsa aboletur: etsi propter paruitatem & frequentiam falsam celeritatis speciem præ se ferant. Ex quo patet, solam frequentiam harum febrium esse propriam: Major enim est, quàm pro ratione aucti caloris. 4. *Pulsus in peste.*

V. Si morbus aliquò vsque protrahatur, nec mox veneni vehementiâ vires prosternantur, venenum sese penitiùs in humores & corpus insinuat, ac labes serpit, humorésque putrescunt ac corrumpuntur, atque omnis generis morbi & symptomata inde excitantur, inprimis verò febris. Hæ febres etsi semper non sint ejusdem generis, sed sæpe pro rei occasione extrà & intus ardentes: pleræque tamen extrà sunt mites. Imò nares, aures & extrema pedum nonnunquam ad tactum non sunt calida, vel saltem, non vt aliæ partes, calent: intus maximus sentitur æstus, ita vt neque vestimenta & lintea sibi injici patiantur. Vnde de peste Atticâ refert Thucydides, jucundissimum fuisse pluribus, in gelidam aquam se conjicere, multósque quibus custodes defuissent, in puteos sese præcipitâsse. 5. *Febris.*

VI. Ex istâ humorum corruptione plerumque exanthemata rubra, pallida, nigra, aliorúmque colorum, bubones & carbunculi apparent. Atque hoc loco prætereunda non est, sed discutienda quæstio; An tumores isti, bubones scilicet & carbunculi, perpetuò pestis signa sint. Quod cognitum quidem habere vtilissimum est, ne Medicus hac de re consultus pestilentiæ suspicione aliquos prægrauet; aut ex alterâ parte in culpa sit, vt pestis, quę diligenti adhibitâ præcautione præcaueri posset, disseminetur; inprimis cùm non omnium eadem hac de re videatur esse sententia. Nam refert Ioh. Baptista Gemma, in Italiâ & Venetiis potissimùm sæpissimè grassari febres lenticulares vel peticulares, nihilominus Medicis non interdici, vt eos visitent, sed cùm apparere incipiunt isti tumores, tum domos ægrotantium claudi, & non solùm Medicis sed & aliis prohiberi sub capitali pœnâ, ne tales ægrotos visitent. Contrà certum est, bubones omnes pestilentes non esse, neque etiam carbunculos: etsi hi sine malignitate vix reperiantur. 6. *Exanthemata, bubones, carbunculi. An bubones & carbunculi pestis signum sint perpetuum.*

*Bubones n(on) pestilentes.* Ex hac re vt nos expediamus. Primò hoc sciendum, de bubonibus quidem rem esse expeditiorem. Qui enim bubones pestilentes non sunt, neque lethales existunt, neque grauia, qualia in peste conspiciuntur symptomata conjuncta habent. Et licèt interdum in principio Erysipelatis, Rosam vulgò vocant, antequam natura materiam ad pedes protrudat, primùm in inguine indicia bubonis, cum suspectis quibusdam symptomatibus, appareant: tamen paulò pòst, erysipelate sese prodente, etiam pestis suspicio tollitur.

*Carbunculi nō pestilēt(es).* Carbunculi verò cùm omnes maligni sint, & periculo non careant: quatenus pestilentiæ sint indicia, magis

magis obscurum est. Sciendum igitur, quod etiam suprà dictum, vbi nulla adhuc in loco aliquo de peste grassante suspicio est; neque quisquam tum peste laborauit: neque bubonem neque carbunculum, sufficiens & certum pestilentiæ signum esse posse. Nam cùm illa symptomata, quæ pestilentiam subsequuntur etiam in febribus pestilentibus in specie dictis, & quæ verum pestilentiæ gradum non attigerunt, pleráque dari possint: ex solo carbunculo apparente de peste judicare non possumus; sed fieri potest, vt illa febris saltem maligna vel pestilens in specie dicta, sit sine contagio; licèt grauia habeat symptomata, vel æger etiam moriatur.

*Carbunculi pestilentes.* Verùm si pestilentia etiam in viciniâ grassetur, aut alicubi semina ejus spargi incipiant, atque alicubi carbunculus erumpat, cum grauibus illis symptomatibus, vel etiam hoc accidat, vt æger moriatur: tum non leuis de peste suspicio est: locúmque hîc habet illud Hor. Augenij, qui *lib.* 8. *de febr.cap.* 5. scribit: *Imaginari se vix posse, in constitutione pestilenti non pestilentem nasci carbunculum.* Notissimum enim est, febres alias malignas & pestilentes tum cessare, & omnes pestilentiæ naturam induere. Et licèt ægri aut eorum familiares sæpè judicio Medicorum hac in re se opponant, ægrúmque cum nullo infecto conuersatum fuisse proclament: tamen huic excusationi locus non dandus; cùm insciis sæpè infecti offerantur. Et præstat, hac in re nimis cautum esse, quàm temerarium: estque è Reipubl. salute, paucos potiùs aliquandiu se domi continere, quàm temerariè & cum securitatis persuasione pestilentiam in vulgus disseminari, quæ postea vix vllâ, nisi diuinâ ope, auerti potest.

*Non in omnibus peste infectis apparent exanthemata, bubones, carbunculi.* Illud etiam hoc loco monendum, licèt vix vlla pestis detur, in quâ non exanthemata, bubones, carbunculi appareant: tamen vt in omnibus indiuiduis ea conspiciantur, non est necessarium: neque si nullæ maculæ, nullus bubo vel carbunculus in ægro aliquo apparent, mox cum vulgo concludendum, eum peste non laborare. Sæpe enim accidit, vt antequam illa erumpant, veneni vehementiâ æger moriatur. Sæpe etiam virtus ita debilitata & oppressâ est, vt veneni ad exteriores corporis partes nullam expulsionem instituere possit.

Atque hæc sunt præcipua, quæ pestem comitantur, mala & symptomata; & idcircò magis fida pestilentiæ signa exhibent. Reliqua quod attinet, magis ea sunt cum aliis morbis communia, neque eadem semper aut tam frequenter apparent. Nam licèt nihil mali sit, quod cum peste coniungi non possit, & pestilens hoc venenum nihil in corpore incorruptum relinquat: tamen nón eadem mala omnes affligunt, & in omnibus pestilentibus constitutionibus eadem non apparent; ac in vnâ rarò videas duos eodem contagio inquinatos eadem pati symptomata, sed pro variâ corporis humorumque conditione alios aliis infestari de quib. breuiter aliquid addemus.

*Animalis facultatis symptomata in peste.* Et primò quidem plerumque animalis facultas in consensum trahitur. Hinc delirium frequens est in peste: nonnunquam memoria aboletur, quod in peste Atticâ accidisse refert Thucydides, in quâ tanta rerum omnium nonnullos cepit obliuio, vt restituti necamicorum, nec rerum gestarum memores essent, imò sibi ipsis peregrini quasi & incogniti haberentur. Nonnullis accidunt perpetuæ vigiliæ; aliis contrà veternus & sopor. Oculi plerumque lumen refugiunt; aures tinnitu & surditate afficiuntur. Accidunt tremores, conuulsiones & similia symptomata. Lingua sermoni rectè formando inepta redditur, & non nisi magno ægri conatu mouetur & balbutire quasi videtur.

*Naturalis facultatis symptomata.* Confluente etiam materiâ prauâ ad ventriculum, & à malignitate virtute naturali ferè extinctâ, ventriculus valde labefactatur; vnde in nonnullis accidit inappetentia, nausea, vomitus & similia mala.

*Symptomata in excretis. Vrina.* Deinde etiam plurima præter naturam in Excretis accidunt. Nam primò vrina interdum tenuis apparet, & summè cruda, caloris natiui maximam debilitatem significans: aliquando turbata & iumentorum similis, cùm ob eiusdem caloris imbecillitatem, qui vrinam elaborare non potest, tum ob maximam humorum ebullitionem: aliquando, & quidem frequentiùs, liuidi & plumbei coloris apparet; ob caloris extinctionem; non rarò fœtida: ob maximam corruptionem & putredinem: interdum oleaginosa; interdum etiam vrinæ vrinis sanorum similes apparent: quod fit, quia vel putredo leuis est, & si vel maxima adsit putredo & humorum corruptio, tamen natura à malignâ qualitate nimis labefactata coctionem non aggreditur, & in materiam non agit. Vnde naturâ planè ita quiescente neque cum morbo pugnante, nulla vrinæ mutatio accidit. Itaque cum vrinæ in peste & pestilentibus febribus tanta possit esse varietas, vix ex vrinâ certum aliquod pestis signum peti potest.

*Sudor.* Sudores ob magnam colliquationem non rarò copiosi fiunt, nonnunquam fœtidi. Et sicut sudores in hisce febribus sæpe non solùm superflui, sed & intempestiui ac frigidi sunt, propter naturam iam debilitatam & caloris natiui paucitatem: ita etiam propter materiæ prauitatem & irritationem expultricis, nares stillant sanguine.

*Alui deiectio.* Per aluum denique praua, fœtida, malè colorata excernuntur, nonnunquam per crisin, nonnunquam per colliquationem. Præter colorem autem & odorem in his febribus aliud quippiam ipsis familiare apparet in excretis per aluum, nimirum exigua quædam glutinosa excernuntur, modò albi, modò crocei, modò viridis coloris, plerumque etiam fœtida, non aquosa, sed corpulenta. Quæ à συντήξει & colliquatione partium ortum habent; quæ colliquatio etsi plerumque in pestilentibus febribus accidat; tamen interdum etiam in aliis ardentibus apparet.

Tandem quantum ad qualitates corporis mutatas, de calore iam dictum; dictum etiam de maculis, dicentúrque suo loco plura. Apparent verò & aliæ interdum cutis fœditates, & vlcera, quorum alia ignem sacrum, alia inflammationem, serpigines, impetigines, lepras, scabiem referunt. Linguæ quoque siccitas & asperitas nimia conspicitur. A prauâ enim & intus exurente caliditate lingua sicca, aspera & cōtracta redditur. Inprimis verò oculi pestilentis febris signū suppeditāt, quod quis nō immeritò inter inseparabilia recensere possit, si nimirū oculi viuido colore & splendore destituantur, & flētium ac mœrētium oculis similes appareant. Quod accidit ob spirituum defectum & caloris natiui debilitationem summam. Non etiam contemnendum signum pestilentis febris est, si ægri fœtidum exspirent & sudent; aut etiam totum corpus malè oleat: quemadmodum quoque si ægri in cibo aut potu putridum saporem inesse dicant; quod accidit à fœtidis & putridis exhalationibus ex visceribus effumantibus & linguam inficientibus.

*In mortuis pestis signa.* Apparent autem & signa quædam in mortuis & cadaueribus eorum, qui peste extincti sunt, ac erumpunt in cute maculæ diuersi coloris. Nam facultate retentrice cum anima ablatâ, humores à calore præternaturali agitati huc illuc mouentur; & ob tenuitatem ad cutem perueniunt, atque ibi hærent; quod etiam in iis, qui insigni & vehementiore aliquo veneno sublati sunt, accidere solet.

Hoc tandem monendum, non necessarium esse, vt hæc signa, quæ iam recensuimus, & passim à Medicis & Thucydide in peste Atticâ & graphicè à Lucretio, *lib.* 6. describuntur, in qualibet peste omnia appareant, sed nunc hæc, nunc illa, nunc pauciora, nunc plura, pro veneni pestilentis & corporis, quod inficitur, ratione apparent.

*Prognostica.*

*Prognostica.*

*Prognostica.*

Quantum verò ad Prognostica attinet ; si vllo in morbo verum est, quod Hippocrates, 2.*aph.*19. scribit: τῶν ὀξέων νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες, οὔτε τοῦ θανάτου, οὔτε τῆς ὑγιείης : id in pestilentiâ verissimum est. Nullus enim morbus homines magis ex insidiis aggreditur, & dum maximè blanditur, maximè nocet; & sæpe, cùm omnia rectè se habere videntur, mors insperatò occupat : contra qui sæpe morti addicti videbantur, præter spem euadunt.

Aliquam tamen de futuro hinc coniecturam sumere licet. Ægrum euasurum spes est, si tumores subitò & confestim erumpant ; & ad locum non periculosum ; atque post eorum eruptionem symptomata remittant. Etsi enim tumores magni magnam veneni copiam significent : tamen simul interiorum principúmque partium, & expellentis facultatis ac naturæ magnum robur significant ; atque indicio sunt, vix aliquid materiæ venenatæ reliquum esse, quod non à naturâ victum fugatúmque sit. Ita & minus periculum significant bubones plures, modò promineant, atque ad suppurationem mox tendant, si exanthemata sint boni coloris, atque itidem cum symptomatum remissione : si medicamenta, eaque recta & tempori vsurpentur ; neque vomitu reiiciantur: si cibi item & potûs non euomantur: si per sudores materia discutiatur.

Contrà verò periculum summum adesse, mortémque adeò imminere significatur : si tumores tardiùs erumpant, minorésque sint : si carbunculi cordi proximi sint, aut guttur occupent : si tumores iterum delitescant, atque ad interiora materia recurrat. Est etiam obseruatum, carbunculos plures paucioribus esse periculosiores ; cùm contrà in bubonibus se res habere credatur. Si alienatio mentis continuò perseuerauerit : si conuulsio, perpetuæ vigiliæ, coma, si post somnum labor adfuerit : si æger omnia fœtere dixerit: si tremor cordis & animi deliquia adsint : si vomitu omnia reiiciantur : si extrema frigeant : si sudor sit frigidus. Si aluus varia, nigra, fœtida reiiciat: atque ita si alia symptomata enumerata pejora & vehementiora apparuerint : plerumque ægri moriuntur.

Siue autem ad salutem siue ad mortem terminetur pestis, morbus acutus est, & præcipuè quando lethalis est, hominem citò iugulat, nunc 24. horarum spatio, nunc die tertio, nunc quarto, nunc quinto, septimo, rariùs vltra decimum quartum extenditur.

## CAPVT V.

### *De Præseruatione à Pestilentia.*

QVod circa alios morbos officium gerit Medicus: id vt inprimis in peste diligenter exequatur, operam dare debet. Ideóque non solùm in eo occupetur Medici diligentia, vt peste correptos ab eâ liberet, sed & à peste homines sanos præseruet & custodiat Et proinde nos hoc loco primùm de pestis præseruatione, deinde de curatione eiusdem dicemus.

Primò autem cùm pestilentia Dei ob scelera hominum irati flagellum sit : eius iræ non thura, non hostias, sed preces & vitæ emendationem opponemus, atque ita sub vmbrâ alarum eius securi non timebimus à timore noctis ; à sagitta, quæ volauerit per diem ; à peste, quæ in caligine ambulat ; à peste, quæ vastat meridie. De quibus plura dicere cùm Theologorum partes sint: nos nostras hic agamus.

*Præseruatio à peste in quibus consistat.*

Tota autem præseruandi ratio in duobus consistit. Primum est, vt causæ illæ, quæ pestem inducere valent, vitentur & remoueantur : Deinde cùm causas illas fugere aut tollere non semper in nostrâ sit potestate, & non rarò vel nolentibus, vel ignorantibus offerantur, atque ex improuiso homines adoriantur : vt causarum illarum vis infringatur, & inprimis corpora ad suscipiendam pestem minùs apta, ad resistendum verò fortia reddamus, sedulò laborandum.

*Commercia cum peste infectis vitanda.*

Primò ergo cùm alibi pestis grassatur, omnia cum eius loci incolis commercia vitanda sunt, nihilque mercium & supellectilis, quod de contagio suspectum sit, importandum. Quod quâ ratione fieri possit, Magistratûs est dispicere, & ordinare.

*Pesti incipienti quomodo resistendum.*

Deinde si pestis alicubi grassari incipiat, cùm totius Reipubl. salutem id concernat, cauendum ne in plures disseminetur. Quod sæpe fieri posset, si diligentia, vt par erat, adhiberetur. Itaque si primò vnum vel alterum peste correptum esse constat, infectum cum omni supellectile infectâ & suspectâ extra vrbem in locum commodum transferre, atque ibi curare, & mox, cautè tamen, domum infectam, per hos, quibus id officij demandatum est, expurgare, & à contagio pestilenti mundare conuenit. Quod si ob certas rationes & circumstantias (quod tamen commodissimum esset,) fieri non possit, vt æger extra ædes transferatur : ædes illæ occludendæ sunt, viciniśque, ne quid contagij ex domo infectâ hauriant, vt domicilium aliquandiu mutent, mandandum. Et licèt ex peste ægri conualescant : ad plures tamen septimanas à conuersatione cum sanis arcendi, & ante sex septimanas ad consortium sanorum non admittendi sunt.

*Ædes infectæ quomodo mundandæ.*

Etsi verò infrà etiam, Quâ ratione ædes infectæ mundandæ sint, doceri posset : tamen hoc loco id monstrare placet. Conclaue infectum, patentibus omnibus fenestris, ab omnibus sordibus. & telis aranearũ scopis diligenter mundetur, mẽsæ & scamna ac reliqua in conclaui supellex aquâ cum aceto acerrimo mixtâ semel atque iterum lauetur. Hinc fenestris clausis suffitûs idonei excitentur. Commodum est calcem viuam in conclaui aquâ perfundere, atque eo vix aliud est efficacius Nonnulli suffitûs ex baccis iuniperi, foliis rutæ, quercûs, absinthij; quidam etiam ex rebus fœtidis, vt cornu hirci & similibus excitant.

Vtilis est hic puluis :

℞. *Vitrioli, nitri*, an. ℔.ß. *baccar. lauri, iuniperi*, an. Vnc.j.ß. *myrrhæ* Vnc.ij. *alumin.* ℥.ß. F. Puluis.

Vel aceto rosaceo, rutaceo, aut alio bezoartico aceto lateres igniti perfundantur.

Vel: ℞. *Myrrhæ* ℥.i. *vitrioli* ℥.iiii. *baccar. lauri* ℥.i. F. Puluis.

De quo cochlear vnum lateri ignito injiciatur, & affundatur, aliquid de aceto rutaceo, aut rosaceo.

Valde commendatur & iste puluis, & in pluribus pestilentibus constitutionibus ad infectas domos mundandas vtilis inuentus est ; imò ad domos à peste custodiendas summoperè laudatur, si manè & vesperi ad suffitum vsurpetur.

℞. *Baccar. iuniperi*, M.iiii. *rutæ, radic. helenij, cortic. exteriorum betulæ, sabinæ, cornu hirci*, an. M.ii. *folior. quercus, myrrhæ*, an. ℥ i. F. Puluis.

Vtilis est & hic puluis ad suffitum parandum.

℞. *Myrrhæ, thuris, sulphur. viui*. an. ℥.i *resinæ, picis nigræ*, an. ʒ.x. *baccar. iuniperi, lauri*, an. ℥.i.ß. *rad. angelic. valerianæ, petasit. Zedoariæ, dictamni albi*, an. ʒ.v. *rutæ, absinthij, saluiæ, menthæ, ocymi, rosmarini, maioranæ*, an. ℥.ß. *camphoræ* ʒ.i.

Omnibus dilig. puluerisatis. Adde *olei spicæ*, ʒ. v. *petrolei*, ℥.ß. F. Puluis.

Non inutilis est & puluis bõbardicus cautè accẽsus.

Facto suffitu postridie fenestræ omnes aperiantur, vt à vento conclaue liberè ventilari & perflari possit.

Nec inutile est, vt suffitûs odorati repetantur.

Tandem vtilissimum est, conclauis parietes nouâ calce dealbare.

Vestes lineæ aquâ & lixiuio mũdentur. Quæ cõmodè aquæ immergi nõ possunt, aëre vẽtisque diu exponantur, diligenter excutiantur, & aliquoties suffumigẽtur.

An

*Modus explorandi an ædes perfectè purgata ſint.*

An autem conclaue perfectè ab omni veneno liberatum ſit, quidam ita experiri iubent. Panes recentes è furno extracti & calentes adhuc in duas vel plures partes diuidantur, & haſtæ ſeu perticæ affigantur, & in loco, qui infectus erat, 24. horis detineantur. Si adhuc venenum in conclaui latuerit,eo temporis ſpatio putreſcere illum panem dicunt,& propterea poſtea cautè vel aquis immergendum vel altè ſepeliendum eſſe.

Aliqui concutere iubent aliquot oua recentia,& in conclaui in patellâ poſita 24. horis relinquere. Si quid veneni ſuperfuerit, intra illud tempus oua corrumpentur,ſummumque fœtorem contrahent.

Imò ſunt, qui exiſtimant, ſi inter infectum & ſanum oua ita conquaſſata ponantur,cõtagium non homini ſano communicatum iri;ſed oua illud ſuſceptura; atque hoc modo qui peſte infectos viſitant, ſe ab eâ præſeruare poſſe. Et vt contagium ad adſtantes non deferatur, vel ædes non inficiantur, nonnulli ſuadent, vt morientis ori cruſta panis calida vel calefacta imponatur, vt in illum venenum ſeſe inſinuet. Aliqui iubent, vt in ægri mortui cubiculo aliquot vaſa aquâ calidâ plena ponantur, vt venenum peſtilens in illa ſeſe inſinuet. Nonnulli in eandem aquam M. i. vitriol. & lateres calefactos iniiciunt Aliqui in aquam frigidam vitriol. coniiciunt, & hinc lateres ignitos toties in eam immergunt vt inde aqua valde caleſiat.

Si verò, An aliquis peſte laboret, adeò planum nõ ſit, vt quamprimùm id rectè cognoſcatur, laborandum, & danda diligens opera, ne quid vel per ignorantiam, vel per malitiam occultetur. Et ſi quis de peſte ſuſpectus ſit, etſi ſigna demonſtratiua planè non adſint: præſtat tamen, hac in re nimis cautum & meticuloſum eſſe, quàm temerarium. Et cùm totius Reipub. ſalus hîc agatur, eſt Magiſtratûs, potiùs de totius Reipub. quàm vnius priuati priuato, quod ex peſtis diffamatione periclitari poſſet, commodo eſſe ſollicitum; & Chriſtiana charitas in ſingulis id requirit, potiùs etiam in ſuſpicione peſtis ſaltem aliquandiu ſe domi continere, quàm vel ignorantiâ,vel temeritate in plures,aut totã Remp.ſeu per ignorãtiã, ſeu malitiã hoc fiat,malum tã pernicioſum ſpargere.

*Locus peſte infectus mutandus.*

Si vero iam peſtilentia in plures diſſeminata ſit,& contagium hoc publicè ſerpat: tutiſſimum eſt, ſi per pietatem & honeſtatem id licet, fugere, & locum mutare, iuxta vulgatum verſiculum: *Mox longè, tardè,cede,recede,redi.* Niſi enim mox is, cui fugere libet & licet,ex loco infecto recedat, facilè accidere poteſt,vt etiam inſcius cõtagium aliquod recipiat,è quo poſtea in peregrino loco in peſtem incidat. Longiùs etiam recedendum,cùm in vicina loca contagium propagari poſſit,Tardéque & non niſi omni peſtilentiæ metu ſublato, redeundum. Qui enim peſte nondum extinctâ redeunt, magis periclitantur, quàm ij, qui nunquam abierunt,

Cùm autem omnium rationes non ferant, vt peſtilentem locum cum ſalubri mutent: quâ ratione hi peſtem cauere poſſint, dicendum. Et licèt tutum ſit, omnem cum infectis conuerſationem vitare ſeque quantum fieri poteſt, domi continere, neque populi cœtibus ſe immiſcere: tamen cùm non ſemper integrum ſit, omnium hominum conſortium fugere, imò ſæpe infecti vel ignorantibus occurrant, & facilè fieri poſſit, vt aliquid, contagij per aërem diſpergatur, & ſedulò etiam cauentibus offeratur: Quâ ratione contra illud ſe homo munire poſſit diligenter perſpiciendum.

*Quâ ratione aduersùs peſtilentia contagium ſe quiſque munire debeat.*

Hoc autem quiſque ſibi primò perſuaſum habeat, poſt Deum Optimum Maximum, à re aliâ nullâ quemquam ſibi maiorem ſecuritatem in peſte polliceri poſſe, quàm ab Alexipharmacis. Ea ipſa nimirum, quæ peſtilentiam curant, ab eâ quoque præſeruant. Itaque nec quæ exſiccant, nec quæ euacuant, nec venæ ſectio, nec diæta immunitatem à peſte nobis polliceri poſſunt; cùm omnia illa, ſi quid præſtant, vt mox dicetur, non per ſe ſed per aliud id faciant. Sed cùm aërem continuò inſpirãdo attrahamus, ac cum eo à neſcientibus etiam aliquid contagij diſperſi attrahi poſſit: opus eſt ita corpus roborare, ne à peſtilenti contagio offendatur. Idque Mithridatis Regis exemplo, qui crebro alexipharmaci à ſe nominati vſu ita corpus aduerſus venena roborauit, vt cùm vellet poſtea veneno ſibi mortem conſciſcere, non potuerit. Si quis verò, neglectis alexipharmacis,in aliis ſecuritatis ſpem ponit,is in magno verſatur periculo.

*Alexipharmaca.*

*An omnib. eadẽ alexipharmaca conueniant.*

Atque hinc recentiori cuidam Medico per omnia aſſentiri non poſſum, qui eos reprehendit, qui vnum ſe à peſte præſeruandi modum, vnamque omnibus in vniuerſum indiſcriminatim periculum effugiendi viam monſtrare conantur, eâ de causâ, quòd magna ſit temperamentorum diuerſitas, & quodlibet temperamentum peculiari conditione & tractari & conſeruari poſtulet:Et proinde quæ calidis naturis commoda exiſtunt,ea frigidas lædere, & quæ humidis conueniunt,ſiccis non profutura ſcribit.

Verumenimuerò concedendum quidem eſt, in medicamentis, quæ à peſte præſeruandi gratiâ exhibẽtur, in qualitatibus primis aliquod eſſe diſcrimen, & proinde ſecundùm temperiei, ætatis, ſexûs, anni temporis, cœli ſtatûs & ſimilium condicionem, in iis exhibendis aliquod diſcrimen eſſe obſeruandum,atque operam dandam, vt cuiuſlibet corporis naturale temperamentum conſeruetur & foueatur. Verùm quia peſtilentia non in receſſu à qualitatibus primis conſiſtit, neque alexipharmaca, quatenus talia, primis qualitatibus agunt: in hoc vno omnia iſta alexipharmaca conueniunt; quòd peculiari ac occulta qualitate veneno peſtilenti reſiſtunt. Et proinde eius qualitatis reſpectu vnus præſeruandi modus eſt; licèt inter iſta medicamenta ob alias primas & ſecundas qualitates:pro diuerſitate temperamentorum, meritò quidam delectus haberi debeat & exempli gratiâ, tempore hyberno calidiora tutiùs, quàm æſtate, vſurpare liceat;quod & de ætate,ſexu,& aliis circumſtantiis accipiendum eſt.

*An detur proprium & ſpecificũ peſtilentiæ remedium: ſiue, An venenũ peſtilentiale, etiã habeat proprium antidotum.*

¶ [ Peſtilentiam morbum occultum, malignum & venenatum eſſe, extra dubium eſſe puto. Etſi enim eam quidam ad qualitates primas reducere conati ſint, fruſtra tamen laborarunt. Cùm verò alia venena pleraque habeant ſua peculiaria & ſpecifica antidota, experientiâ inuenta & probata, etiam de peſte quæritur, annon eius venenum peculiare aliquod & proprium habeat antidotum. Vt verò ſtatus controuerſiæ rectè formetur,non quæſtio eſt,an à Deo, à quo peſtilentia ſæpe immittitur hominibus, auxilium ſit implorandũ, an cauſſæ omnes, quæ ad peſtis generationem & propagationem faciunt, ſint remouendæ; de quibus ſuprà dictum; ſed de hoc quæſtio eſt, *An in natura detur aliquod ſeu ſimplex, ſeu compoſitum remedium,quod occultâ proprietate peſtilenti veneno repugnet, vt in qualibet peſtilenti conſtitutione ab omnibus, cuiuſcunque conſtitutionis hominibus, tam ad cor contra peſtilens venenũ muniendum, quàm ad id expugnandum, & è corpore expellendum,tutò vſurpari poſſit,& in quo homo, diuinâ accedente benedictione,certam ſalutis ſpem ponere queat?* De qua re diuerſæ Medicorum ſunt ſententiæ, dum alij affirmant, alij negant id,& vtrique pro ſua ſententia rationes & autoritates adferunt.

*Status controuerſia.*

*Rationes pro affirmatiua.*

Qui affirmatiuam defendunt,primò, adducunt dictum Syracidæ, *cap.* 33. vbi ſcribitur,quòd Deus opera ſua ita conſtituerit, vt duo ſint contra duo, & vnum contra vnum. Ex quo concludunt, & peſti contrarium aliquod in natura eſſe oppoſitum remedium. Idque porrò etiam arguere videntur alia venena, quorũ ſingula

ſingula ferè habent ſua ſpecifica antidota.

Secundò, Dei bonitatẽ prædicant & obtendunt, qui etſi morbis homines affligit: tamen etiam remedia cõtra eoſdem benignè conceſſit, & ita quidem, vt ſingulæ propemodum regiones contra morbos, quibus familiariter affliguntur, ſua habeant remedia.

Tertiò, niſi certum daretur contra peſtilentiam remedium, fruſtranei & irriti tot Medicorum, Principum & Regũ labores fuiſſent, qui in inuenienda contra peſtẽ remedia tantum operæ, temporis & ſumptuum impenderunt. Quantum in eo genere laborauerit Mithridates, Ponti, & Attalus, Pergami Rex, è Galeno, 1. *de antid. c.* 1. & aliis Autoribus notum. Imò non ſolùm in iis inueniendis laborarũt, ſed & inuenta poſteris tradiderunt, & Mithridates ſuæ compoſitioni ſuum nomẽ præſcripſit. Et extant aliorum quorundam Græcorum, Nicandri, Andromachi, Damocratis, & aliorum in hoc genere poëmata.

Quartò. Et niſi certa haberentur contra peſtem remedia, fruſtra ea contra peſtem à Medicis exhiberẽtur. At non fruſtra exhiberi ea, experientiâ conſtat, quæ docet, medicamentorum ope & multos ſe contra peſtẽ muniuiſſe, & plurimos ab ea curatos fuiſſe. Cuius generis medicamenta multa, *hocce lib.* & *in Faſcicul. medicam. contr. peſt. libris his de febribus adiuncto*, & paſſim apud Autores alios plurima extant.

*Cur tã pauci à peſte conualeſcãt, sẽtentia Fallopij.* Quòd verò tam pauci à peſte conualeſcunt, cauſſam eſſe putat Fallopius, *lib.* 1. *de decret. cap.* 185. non quòd remedia idonea deſint, ſed quòd non rectè exhibentur, & quòd omnes ab affectis ferè aufugiunt, vel æger planè deſeritur, vel cura imperitis barbitonſoribus, vel aliis hominibus committitur. Et inprimis puſillanimitatem Medicorum reprehendit Fallopius, qui ob metum peſte infectos curandos ſuſcipere nolunt. Cui ferè aſſentitur Palmarius, qui, *in Præf. libb. de Febb. peſtil.* prolixè hac de re diſſerens videatur. *Palmarij.*

*Pro Negatiua. Autoritates.* Contrà alij negant, vllum vniuerſale & proprium medicamentum contra peſtem adhuc inuentum eſſe. Inter eos eſt Conr. Geſnerus, qui *lib.* 1. *Epiſt. vlt.* ſcribit: *Remedia certa aduerſus peſtem nulla habemus. Fortè etiam non placet Deo, vt contra flagellum ſuum, peccatis noſtris debitum, vllum certum præſidiũ habeamus.* Et Ioan. Crato, Ciuis meus, *conſ.* 266. ſcribit: *Verum peſtis antidotum ſoli Deo notum eſſe, non eſt dubium:* & *Epiſt.* 131. *Antidotus vera peſtilentis veneni in Diuina manu eſt, nec Medicis explorata.* Et Iul. Palmarius, *de febr. peſtil. cap.* 17. dari quidem in natura peſtilentis veneni remedium ſtatuit, & eum, qui peſtilentis veneni nullum alexiterium eſſe contendit, naturalis Philoſophiæ principia ſubuertere ſcribit, quibus omne ex contrarietate per contraria fieri, humanarúmque rerum viciſſitudinem atque inſtabilitatem ex principiorum repugnantia & diſſidio pendere conſtat. Sed alexiterium illud adhuc in naturæ ſinu diliteſcere putat, exiſtimátque, proprium ac peculiare peſtilentis veneni alexipharmacum nos ignorare, & veriſimile eſſe, Maiores noſtros obſcuritate cauſſæ ab eius remedij inueſtigatione deterritos, nihil de peculiari peſtis curatione litterarum monumentis ex profeſſo commiſiſſe, verẽdumque eſſe, ne inſcrutabili Dei Opt. Max. conſilio nobis illius cognitio denegata ſit, vt hoc inſanabili morbo, tanquam flagello, in homines animaduerteret. Ideóque nonnulli ſuadent, & neceſſarium eſſe exiſtimant, vt Medici Doctiſſimi hac in re ſua conſilia cõmunicent, & ſua experimenta in commune conferant, ac de certo contra peſtem inueniendo remedio cõiunctis viribus laborent. Fr. Vlmus, *lib.* 3. *de occultis in re medic. proprietat. cap.* 9. peſtis equidem exitium certum eſſe, remedium tamen nullum inueniri, quod certò ſeruare poſſit, ſcribit, cùm venenorum quodcunque genus ſua peculiaria habeat alexipharmaca, à quibus opportunè adhibitis maligna vis obtundatur & ſuperetur, & in peſte, licèt quædam fortaſſis iuuent incerta tamen ſint omnia. Vnde etiam experientiſſimi Medici ſæpe peſte tolluntur. De quo etiam Ouidius, *Metamorph. lib.* 7. *fab.* 26.

*Nec moderator adeſt, inque ipſos ſæua Medentes.*
*Erumpit clades, obſuntque Autoribus artes.*

*Rationes.* 1. Rationes quod attinet, ex modò allatis prima ratio eſſe poteſt, quòd ſcilicèt nulla peſtis inuenta fuerit, in qua non plurimi ipſique etiam Medici, licèt optima fuerint adhibita remedia, iugulati ſint.

2. Secunda, quòd in remediis non ſolùm ad qualitates occultas, ſed & manifeſtas reſpiciendum ſit. De quo Platerus, *prax. tract.* 2. Quæ aſſumuntur antidota, cùm præter proprietatem illam quâ venenis reſiſtunt, alia inſuper ſint vehementer calida, alia minùs, alia frigida potiùs, quàm temperata, habitâ ratione ætatis & conſtitutionis, hæc illaue potiùs eligenda, nec temerè quæuis, calidiſſima illa præſertim, vt euphorbium, & aquæ vitæ quæ ſiniſtrè vſurpatæ aquæ mortis nonnunquam fiunt, iuuenibus potiſſimùm, exhibenda.

3. Tertia ratio eſt, quæ ex hac ſequitur, quòd, vt Doctiſſimi Medici cenſent, nullum ſit remedium, quod omnibus anni temporibus & conſtitutionibus in hoc morbo præſcribi poſſit.

*Sẽtẽtia Authoris.* Verumenimuerò vt de quæſtione hac noſtram ſententiam exponamus, negatiuam ſententiam rectè explicatam pro veriore habemus, atque ſtatuimus, nullum ſimplex inueniri medicamentum, quod omni peſti propriè & ſpecificè opponatur, & quidẽ talis in ſpecie; compoſita verò inueniri quidem contra multa venena vtilia, quæ ſæpe etiam in peſte profuerunt, nullũ tamen ex iis, quod ſemper vtile, & ſatis efficax inuẽtum fuerit, adhuc inuentum eſſe; idque rationes pro parte negatiua allatæ ſatis probant, & ex contrariarum rationum ſolutione & explicatione id magis patebit.

*Solutio rationũ pro affirmatiua.* Rationes enim pro parte affirmante quod attinet, & primò dictum Syracidæ *c.* 33. accipiendum id eſt ſaltẽ de rebus naturalibus, quas ita cõſtituit Deus, vt certæ inter eas ſint ſympathiæ & antipathiæ. Et ſiquis etiam ad venena hæc extẽdere velit, mox de eo dicetur.

2. Secundò Deus equidem, vt ex iuſtitia ſua hominibus morbos immiſit, ita bonitate etiam ſuâ contra creauit remedia. Peſtis tamen, quia inter eas pœnas eſt, quibus ſingulariter ob peccata homines affligere ſolet Deus, contra eã non tã efficacia & certa, vt contra alios morbos, extare voluit remedia, vt hoc modo homines ad pœnitentiam, & vnius Dei auxilium reuocarentur. Et longè alia eſt aliorum venenorum, alia peſtilentiæ ratio. Venena reliqua, vt animalium & plantarum, ſunt ſimplicia, & ipſis plantis ac animalibus congenita & ipſis non aduerſa, ſed homini ſaltem inimica, & napelli venenum, vt & aſpidis, ac ſerpentis, & viperæ, & ſcorpionis, & tarantulæ, ſemper eſt eiuſdem naturæ, ideóque remedium, quod contra aliquod venenum vtile & efficax repertum eſt, ſemper contra idem vſurpari poteſt. Verùm peſtilentiæ ratio longè diuerſa eſt, & licèt omnis peſtis hominem iugulandi vim habeat: tamen quælibet peſtis peculiare quid habet; id quod ex generatione eius, ſymptomatibus, & curatione patet. Etenim peſtis, cùm ſit ſummus corruptionis humorum gradus, & per varias humorum corruptiones ad eam fiat progreſſus, vt anteà dictum, humorum verò varietas pro ciborum, aëris, conſtitutionis, & ſimilium ſit varietate, non mirum etiam, tandem illum vltimum, ad quem pertingit, gradum, non ſemper eiuſdem eſſe naturæ, ſed, vt rectè ſcribit Mindererus, *de peſtil. cap.* 3. experientiâ conſtat, venenum peſtis eſſe adeò variũ & diuerſum vt ſingulæ propemodũ peſti ſua ſit peculiaris iuncta malitia, inferendæ neci ſufficiẽs; quæ tamen cuiuſlibet peſtis ſpecifica natura ſit ignoratur. Equidẽ nõnulli ad varia venenorũ genera differentias illas reducere conantur, dicúntque, venenum peſtilens modò dipſadis,

dipſadis, modò viperæ, modò circutæ, aut alterius veneni naturam æmulari. Sed analogiam quandam talia habent, ipſam peſtis naturam, & ſpecificam differentiam non ſatis explicant. Nimirum, vt Iul. Cæſ. Scaliger, *exerc.* 118. *ſect.* 8. ait: Talia ſunt hæc, quæ latent animos temperatos, illudunt curioſis. Vnde etiam accidit, vt quælibet ferè peſtis ſua peculiaria habeat ſymptomata: Sudor Anglicus auorum memoriâ ſemel accidit, poſthac ampliùs viſus non eſt. Neque etiam è Medicorum & Hiſtoricorum ſcriptis eum antea graſſatum fuiſſe, notum. Hinc tandem etiam euenit, vt non ſemper eadem remedia in omni peſte proſint, ſed ſæpe obſeruatum ſit remedia, quæ in vna peſte multùm profuerunt, in altera parum profuiſſe. Quæ omnia cùm ita ſeſe habeant, facilè hinc patet, nullũ ſimplex medicamentũ dari poſſe, quod omni peſtilentiæ aduerſetur, ſed tutius eſſe cōpoſitis medicamentis potiùs, quàm ſimplicibus confidere, vtpote quæ è variis medicamentis contra varia venena vtilibus cōponũtur & conſtãt.

3. Vnde tertiò non fruſtrà laborarunt & Principes & Medici Doctiſſimi, in componendis variis medicamẽtis contra peſtem. Cùm enim viderent, vix vnum ſimplex medicamẽtum ad omnia peſtis genera ſufficere, ex omnis generis alexipharmacis compoſita quædã adornarunt, qualia à Galeno, *in lib. de antid.* recenſentur, & paſſim extant: & qualia etiam, *hoc ipſo lib.* recenſebimus.

4. Quartò. Neque etiam medicamenta talia fruſtra exhibentur. Eiuſmodi enim medicamentorum vſu multos & peſtem præcauiſſe, & curaſſe, notiſſimũ eſt. Hoc tamen certè non diffitendum eſt talia medicamẽta nec votis Medicorum ſemper reſpondere. Vnde Iohan. Bœkelius Medicus Hamburgenſis, *de peſte, lib.* 1. *cap.* 1. refert, cùm Anno 1565. peſtis vehementer graſſaretur Hamburgi, accitũ Lubeca à Senatu Hamburgenſi fuiſſe Ioh. Paludarium. Virũ ſenem, & Medicum expertum ac in curanda peſte felicem, Phyſicum Ordinarium vrbis Lubecæ, & ſe coniunctâ cum D. Paludario operâ ſedulò ægris, præſentẽ etiam, inſerviſſe, & omnẽ in iis curandis diligentiã adhibuiſſe. Verùm eos etiã ſæpe mortuos eſſe, quos conualituros certò ſibi perſuaſerant; atq; ita, quacunque etiam diligentiâ adhibitâ, paucos ſeruatos fuiſſe, & hinc D. Paludarium in hæc verba erupiſſe: *Hæc peſtis ridet nos & pharmacæ noſtra.*

*Quod tam pauci à peſte conualeſcant, ſit culpa vel ægrorum,* Interim nec hoc ſubticendum, quòd tã pauci in peſte conualeſcunt, non ſemper medicamentorum, ſed ſæpe vtentium culpâ fieri. Et proinde non negligenda medicamenta, quæ ſæpe profuerunt, ſed de eorum vſu recto diſpiciendum eſſe. Quòd autem finem ſuum non aſſequuntur medicamenta, culpâ inprimis (vt de adſtãtium imperitiâ & negligentiâ nihil dicã) ægrorum & Medicorum accidit. Primò enim cùm vix alius morbus ſit, qui citiùs in corpus penetret, idque de naturali ſtatu deiiciat, quàm peſtilentia; omnino ei maturè occurrendum. Quod tamen ſæpe negligitur, dum ij, qui peſte corripiuntur, neſcio quos alios morbos primò incuſant, & ita neceſſariã agendi occaſionẽ, quæ præceps eſt, negligunt. Non rarò ægri etiã idoneis, quæ in tẽpore exhibeant, & maturè vſurpent, medicamentis deſtituuntur, & iis ad quamlibet occaſionem inſtructi non ſunt. Et omnino ſum in ea ſententia, multos, qui peſte moriuntur, ſeruari potuiſſe, ſi medicamenta neceſſaria maturè vſurpaſſent, & quoties opus, repetiuiſſent. Quamprimum enim quis ſignum aliquod infectionis percipit, ſtatim, & ſine vlla mora alexipharmaca aſſumere, & ſudare debet, atq; ea diei ſpatio vel ter repetere.

*vel Medicorum.* Medicorum verò culpâ non pauci intereunt, dum (de quo & Fallopius & Palmarius conqueruntur) ægri ignaris & imperitis Barbitonſoribus curandi committuntur, qui purgando, venam ſecando, & alia remedia intempeſtiuè adhibendo, plures iugulant, quàm ſeruant.

*An cuiuſuis.* Cùm autem Fallopius hîc etiam timiditatem Medicorum accuſet, quæritur, an cuiuſuis Medici officium ſit, peſte infectos viſitare & curare. *Medici ſit, peſte infectos viſitare.* Equidem ſi quis Medicorum eâ eſt confidentiâ & animo, vt peſtem non metuat, & indicia etiam quædam habeat, ſibi non facilè à peſte periculum imminere, & operam ſuã ægris peſte infectis curandis locare velit, is rectè facit, & ſi prouinciam hanc in ſe ſuſcepit, officium ſuum fideliter facere, & Dei auxilio in viis vocationis ſuę confidere debet. Si quis verò minùs animoſus, & timidior ſit, vel ob alias cauſſas iſtud munus in ſe ſuſcipere non velit, nec is culpandus. Cùm enim hic morbus longè aliter, quàm alij, comparatus ſit, & nullum, vt modò dictum, certum contra peſtem remedium vlli Medico adhuc innotuerit, ſi quis periculo huic, & dubiæ fortunæ ſeſe exponere nolit, is non reprehendendus; cùm charitas à ſeipſo incipiat, & quilibet Medicus non minùs ſuam & ſuorũ valetudinem curare debeat, quàm aliorũ. Præterea cùm alij etiam ægri, qui peſte non laborant, Medico curandi offerantur, eos, ſi peſte infectos viſitaret, & cum iis conuerſaretur, commodè non curare, ſed facilè etiam inficere poſſet. Ex quo ipſo etiam apparet, quòd peſtis inter pœnas diuinas ſit, vtpote cùm DEVS etiã neceſſaria auxilia ſubtrahit, dum nemo Medicorum ſine ſuæ ſalutis (quam negligere, temerarium, & in ſe crudele eſt) periculo, cum ægris conuerſari poteſt. Quale genus pœnæ olim apud Iudæos & lepra fuit, cùm DEVS leproſos ab omni aliorum hominum conſortio excludere voluit. Equidem apud multas nationes, & præcipuè apud Turcas, nullus metus peſtis eſt, ſed ſani cum ægris & infectis liberè conuerſantur, verùm ſæpe magno cum ſuo malo. *Turcæ peſtẽ nõ metuũt.* Cùm enim Turcæ, vt Proſper Alpinus, *lib.* 1. *de Med. Ægypt. c.* 15. refert, ſibi perſuaſum & pro certo habeant, ſingulis hominibus vitæ finem, mortiſque qualitatem, à Deo præſtitutam eſſe, vt in bello moriturum nullo pacto à peſte interimi poſſe arbitrentur: hinc fit, vt peſtẽ planè negligant, nihilque ab ea mali timeant, perſuaſi, ſi ab ea vitã finiendam eſſe à Deo determinatum ſit, eã ſe nullo pacto effugere; contrà, ſi alius vitæ finis prædeſtinatus ſit, peſtem ſibi nihil nocere poſſe. Atque hinc peſte Caïrum & Ægyptum depopulante, nemo eorum fugam arripit, neque cum peſte infectis conuerſari timet, neque veſtibus contagio infectis vti abhorret, ſed veſtes peſte infectorum ſtatim publicè venduntur. Verùm hinc accidit, vt peſtis ſubitò per vniuersũ orbẽ diſſeminetur, ingentémque ſtragem edat, vt anno 1580. ſex vel ſeptem menſium ſpatio 500000. hominum è medio ſuſtulerit. Interim etſi Medici omnes non obligati ſunt, vt peſte infectos præſentes curent: magiſtratûs tamen officium eſt, curare, ne ægri, qui omnino ab aliorum conſortio ſeparandi ſunt, neceſſariis auxiliis deſtituantur, ſed vt ſint adſtãtes, qui ipſis inſeruiant, tũ Medici, qui eos curent, vel certè Chirurgi, qui ipſis neceſſaria auxilia, ſecundùm Medicorum præſcriptum, & medicamenta exhibeant, & adminiſtrent.

Cùm ergo ex his, quæ hactenus dicta ſunt, pateat; nullum medicamentum dari, in quo in omni peſtilentia fiducia poni poſſit, multò minùs nouiter inuẽtis multùm fidendum, ſed omnino medicamenta longo vſu probata vſurpanda. *Nõ nouis, ſed lõgo vſu probatis remediis in peſte vtendum.* de quo infrà *hoc cap.* ampliùs monebimus, quòd efficaciſſima, & vſu probata ſemper medicamenta eligenda ſint; cùm periculum hîc facere ſine periculo non liceat, & in peſte inefficacia & inutilia remedia in vitæ diſcrimen coniiciant, atque exitiales affectus non leuiſſimum quidem errorem ferant, vt eſt apud Galenum *lib.* 10. *meth. med. c.* 11. Ideóque quanuis nonnulli ſua nouiter inuenta medicamẽta ſũmis laudibus extollãt: tamẽ antiquis non facilè præferenda, ſed medicamenta amicorũ in modũ habenda ſunt, è quibus non decet nouos anteferre veteribus, nouitatis gratiã, ſed ſi qui noui accedant, vtendo priùs probare conuenit.

*Probata autē experimenta non occultāda.*

Inprimis verò Medicorum eſt experimenta ſua(cùm ratio in talibus medicamentis inueniendis parum præſtet) in medium conferre, & ſi quis aliquod vſu probatum contra peſtem remedium habeat, id non occultare, & poſteritati inuidere, ſed liberaliter in commune conferre. Contra quod multi peccant, & ſuam conſcientiam lædunt. Contra quos Plinius *lib.25.c.1.* ſcribit: *Nihil intentatum inexpertúmque priſcis fuit, nihil deinde occultatum, quod non prodeſſe poſteris vellent. At nos elaborata iis abſcondere atque ſupprimere cupimus,& fraudare vitam etiam alienis bonis. Ita certè recondunt, qui pauca aliqua nouere, inuidentes aliis: & neminem docere, in autoritatem ſcientiæ eſt. Tantum ab excogitandis nouis, ac iuuanda vita mores abſunt, ſummúmque opus ingeniorū diu iam hoc fuit, vt intra vnumquemque rectè facta veterum perirent.* Rectè etiam, imò Chriſtianè, ſcribit Colleg.Med.Auguſtanor. *in Præfat. ſuæ Pharmacop. In aprico ſunt omnes noſtræ compoſitiones, & patet etiam ad magnalia liber aditus. Celari enim illa non poſſunt, dū Chriſtiani ſumus, quibus proximo bene ſit.*

*An alexipharmaca in forma ſubtili an craſſa ſint exhibenda?*

Hoc loco etiam non prætereunda quæſtio: An medicamenta alexipharmaca potiùs in forma ſpirituoſa & ſubtiliſſima, an verò craſſiore ſint exhibenda? Nonnulli ſubtiliſſima & ſpirituoſa præferunt, vtpote quæ in corpus vniuerſum citò penetrant, & venenum ſubitò, quod neceſſarium eſt, aggrediuntur. Alij contrà talia medicamenta non ſimpliciter approbāt, cùm ob diuerſitatem temperamētorum, ætatum, temporum anni, & regionum, talia calida omnibus non competant. De quo, vt anteà etiam dictum, Platerus, *Pr.tr.2.* ſcribit: Quæ aſſumuntur antidota, cùm propter proprietatem illam alia inſuper ſint vehementer calida, alia minùs; alia frigida potiùs, quàm temperata, habitâ ratione ætatis & conſtitutionis, hæc illave potius eligenda, nec temerè quæuis, calidiſſima illa præſertim, vt euphorbiū, & aquæ vitæ, quas ſiniſtrè vſurpatas aquas mortis nonnunquam faciunt, iuuenibus potiſſimùm, exhibenda. Talia enim calida & ſpirituoſa humores at ſpiritus accendunt, febres pariunt & augent, humores ad caput rapiunt, vnde deliria excitantur. Inprimis verò infantibus & teneris corporibus talia medicamenta non conueniunt. Præterea cùm peſtilens venenum ſit viſcidæ & tenacis naturæ, quod corporibus pertinaciter adhæret & diu, vt ex contagio apparet, non ſolùm ſubitò penetrans in corpus remedium requiritur, ſed tale etiam, inter quod & patiens ſit proportio, quod ſcilicet aliquandiu in corpore hæreat, donec venenum omne expulſum ſit. Medicamenta verò ſpirituoſa ſubitò quidem in corpus penetrant, ſed ſtatim etiam diſſipantur.

*Sententia nōnullorum.*

*Autoris.*

Ergo vt meam ſententiam aperiam, omnino cenſeo, talia medicamenta eſſe exhibenda, quæ in totum corpus facilè penetrant, & veneno peſtilenti ſe ſtatim opponunt. Nec diffiteor, è vulgo multos eſſe, qui ſpiritum vini & frumentorum quotidie potare aſſueuerunt, & non diſſuadeo iis, vt alexipharmaca cum ſpiritu vini præparata, præſeruationis gratiâ, vſurpent. Verùm cùm multi ſint, qui ſpiritibus iſtis ardentibus non aſſueuerunt, imò quibus ſine periculo exhiberi non poſſunt, omnino ſtatuendum, rarò illas aquas vitæ ſolas vſurpari poſſe tutò, ob rationes anteà allatas, aut ſi libeat eas exhibere, acidis diluendas eſſe. Ideóque alia potiùs, quæ *alleg.loc.* propoſita ſunt, medicamenta vſurpanda ſunt. Et dantur multa talia medicamenta, quæ licèt non ſint cum ſpiritu vini parata, tamen ſatis efficacia ſunt: qualia ſunt extracta theriacalia, elixir peſtilentiale Crollij, & ſimilia alia, *loc.alleg.* enumerata. Et ſi quæ ex iis minùs penetrantia, ſed craſſiora videntur, qualia ſunt pulueres, cum liquore aliquo conuenienti, aquis bezoardicis, vt & aceto, exhibenda ſunt. Imò illæ ipſæ aquæ bezoardicæ ac theriacales cōmodiùs parantur, ſi pro ſpiritu vini affundatur vel acetum ſolum, vel aceti & vini partes æquales, vel alia, conuenienti proportione: ſiquidem acetum ſummam figendi, & putredini in febribus reſiſtendi vim habet, & ita omnibus venenis reſiſtit, nimiam caliditatem & inflammabilitatem medicamentorum alexipharmacorum infringit, vapores calidos ad caput aſcendentes ſupprimit, ſudores potenter mouet.

*Aqua Theriacalis Vvittebergenſ.*

Hinc in noſtro Pharmacopolio talis Aqua theriacalis proſtat: *Rad. tormentillæ, bardanæ,* ſeu *lappæ maior. pimpinellæ, ſucciſæ, valerianæ,* an.℥ iiij. *imperatoriæ, angelicæ, gentianæ, ſerpentariæ,* an. ℥ j. *nucum recentium nondum planè maturarum* ℔. j. *folior. rutæ cum flor. acetoſæ, calēdulæ, cardui bened. verbenæ, ſcordij,* an.M.ii. *camphor. in ſpir. vini diſſolutæ* ʒ j. *theriacæ, mithridatij,* an. ℥ j.ß. *diaſcordij Fracaſtor.* ℥ j. *aceti roſac. vini alb. præſtantiſſ.* an.q.ſ. Deſtillentur.

*Syrup. Bezoardicus.*

Ad præſeruationem etiam habetur Syrupus bezoardicus ſatis efficax, & in præſeruatione, & in curatione: ℞. *ſpec. liberant. Auſtr.* q. l. Affunde *aceti* q.ſ. Stent in infuſione diebus aliquot loco calido, donec omnis vis extracta fuerit: Poſtea colentur. Colaturæ *ſacchari ad iuſtam conſiſtentiam cocti* ſ.q. affundatur. F. Syrupus dilutior. Aurum tamen, & ſiquæ ſunt alia, quæ acetum non ſoluit, in confectione tamen vſurpari poſſunt, omittere licet. Syrupus iſte vel ſolus in præſeruatione, vel in curatione cum aq. theriacali, aut puluere aliquo bezoardico vſurpari poteſt. Acida tamen fœminis, quæ affectibus vterinis obnoxiæ, cautiùs, & aliis mixta, ſunt exhibenda.]

Præter iſtam tamen primariam curam & altera meritò ſuſcipienda, vt nimirum corpora ita præparemus, vt peſtilens venenum non facilè recipiant, ſed potiùs ei reſiſtant. Id quod fiet præcipuè quidem, ſi alexipharmacis illa vt dictum, roboremus. Non tamen etiam huc parum facit, ſi detur opera, vt corpora munda ſint, ac quàm optimè conſtituta. Ita enim & peſtilens contagium minimè recipient, & alexipharmaca vires ſuas in iis faciliùs & liberiùs exerent.

Ergo ſumma præſeruationis hæc eſt. Primò & præcipuè, vt quemadmodum Gal. *de theriac. ad Piſonem cap.16.* ſcribit, ſanus frequenter alexipharmacis vtatur, vt exteriùs occurrentibus iniuriis & contagio corpus reſiſtat, & ſi quando paſſum aliquid fuerit, ad ſanitatem facilè reducatur. Deinde vt corpus mundum & ab omnibus excrementis liberum ſit, atque in naturali ſtatu & vegetum conſeruetur.

Atque vt à poſteriore incipiamus, Primò danda opera, vt ſi quæ in corpore ſunt excrementa, ea tollantur: deinde videndum, ne noua cumulentur: quod fiet rectâ diætæ inſtitutione. In quâ ordinandâ in genere obſeruandum, ſi quid alexipharmaci vel cibo vel potui, vel quocunque modo admiſceri poteſt, id non prætermittatur. Hoc enim modo ea in penitiores corporis partes ſeſe faciliùs inſinuant.

*Purgatio.*

Et primò quidem Purgationem quod attinet, purgatione, quam aliàs ſana corpora, monente Hippoc. *2.aph.36.* non ſine damno ferunt, præſertim per fortiora medicamenta, temerè corpus debilitandum non eſt. Si quid tamen vitioſorum humorum in corpore fuerit, ne alexipharmacorum vis ab iis hebetetur, nec venenum peſtilens in corpore facilè radices agat, & poſtea corruptis humoribus grauiùs affligat: lenioribus purgantibus ſenſim illud euacuandum eſt.

*Pilulæ Ruffi ſeu peſtilentiales.*

In vſu frequenti ſunt & commendantur, ac per aliquot ſecula iam experientiæ, medicamentorum probatricis, cenſuram ſuſtinuerunt Pilulæ, ab vſu, peſtilentiales, à numero ſimplicium, è quibus componuntur, de tribus, & ab authore, pilulæ Ruffi appellatæ; licèt formâ potionis ſeu προποτίσματος ille hoc medicamentum exhibuerit. Componebat autem id ex aloës partibus ii. ammoniaci thymiamatis partibus ii. myrrhæ parte i. & cum vino odorato exhibebat, ac de eo prædicat Ruffus, citante eius verba Paulo Æginetâ, *lib.2. cap.36.* ſe haud ſcire, an ſit quis, qui

ex

ex potu hoc non in peſte immunis euaſerit.

*Pilulæ peſtilent. Arabum.* Arabes pro ammoniaco crocum ſubſtituerunt,componúntque hoc medicamentum ex aloës partibus ii. myrrhæ parte i. croci parte ß. & cum vino odorato pilulas inde conficiunt. Atque iſtæ hodie in communi vſu ſunt; vnde & Communes appellantur.

Cur autem Arabes Ruffi compoſitionem mutauerint, cauſa fortaſſe eſt,quod verum ammoniacum thymiama Ruffi vel non habemus, vel ignoramus. Ammoniacum quidem appellatur,quod in Lybiâ ad Iouis *Ammoniacum thymiama.* Ammonis templum naſceretur. Cùm autem à Paulo & Aëtio plerumque thymiama nominetur, quòd Antiqui pro parandis ſuffitibus eo vterentur; idque non competat ei medicamento, quod gummi ammoniacum appellamus: aliud procul dubio fuit Ammoniacum thymiama, quàm eſt gummi ammoniacum. Atque eâ de causâ ſine dubio pro ammoniaco thymiamate crocum ſubſtituerunt Arabes, atque etiam hoc modo pilulas ad peſtem præcauendam ſatis efficaces *Pilularum de tribus vis.* præparârunt. Aloë enim ventriculum & inteſtina à vitioſis humoribus ſine omni corporis agitatione liberat: eadem, ſicut & myrrha, corpora à putredine & corruptione præſeruat: crocus cor roborat & Spiritûs vegetiores reddit. Atque de his pilulis ter in ſeptimanâ ℈. i. vel ʒ. ß. horâ vnâ ante cibum exhibere licet. Hoc tamen obſeruandum, vt ſenibus & grauidis, ac quibus hæmorrhoides fluunt, cautè hoc medicamentum exhibeatur.

Ex iiſdem ſimplicibus, è quibus pilulæ peſtilentiales Arabum conſtant, componitur Elixir proprietatis Paracelſi, niſi quòd oleum ſulphuris additur, & proinde in eundem vſum adhiberi poteſt.

Vbi aloë locum non habet, vtilia ſunt, vt dictum, ſyrupus & ſuccus roſar. ſolutiuus, rhabarbarum; ſicut & agaricus. Et proinde quibus aloë & myrrha non conueniunt, ac ſi hepar calidius iſta non ſint, hæ rotulæ parari poſſunt:

℞. *Extract. rhabarb.* Drach.i. *rhabarb.aq.cinamom. aſperſi.conſeru.roſar.*an Drach.iii.*ſacch. albiſſ. in aq. roſ. diſſol.*℥.iiii.F. rotulæ vel morſuli pondere Drach. iii.

Vel exhiberi poteſt confectio rhabarbari. Interdum rhabarbarum cum aloë coniungitur, vt:

℞. *Aloës roſatæ* Drach. iii. *rhabarb. aq. cinamom. aſperſi* Drach.i.ß.*agarici trochiſc.*Drach.i.*myrrhæ* Scr. ii. *maſtiches* Scr.i. *Cum ſyr. acetoſ. citri*; F. Pilulæ: Doſis Drach.i. Andreas Gallus, *faſciculo de peſte* 5.*cap.*5.laudat pilulas Ioannis Damaſceni,ex betonicâ,pimpinellâ,chamædry,cum myrrhâ,aloë,croco.

Recentiores ex his operoſiùs nobiliores quaſdam compoſitiones præparant, inprimis cum ſulphure, quod & ipſum à putredine valde præſeruat & exſiccat.

*Flor. ſulph. compoſiti.* ℞. *ſulphur.*℔.i. *vitriol.ſalis gemmæ.*an.Vnc.v. *aloës, thuris,myrrhæ*,an.Vnc.iiii. Sublimentur ſ.ar.flores.

Poſtea ℞. *Flor.*🜔*torum* ℔. i. Iterum *tantum vitriol. myrrhæ,thuris, aloës* addatur,& ſecundâ vice *fiat* 🜔*tio*: idque quater vel quinquies repetatur. Tandem,

℞. *flor. horum* Vnc.x. *myrrhæ,croci*,an.Vnc.i.ß.*aloës* Vnc.i. F. Puluis de quo exhibeatur Drach.i.

Cuius vſu 24. horis hominem à peſte & omnibus peſtilentibus morbis tutum eſſe ſcribunt.

Efficacius procul dubio fiet medicamentum, ſi floribus ſulphuris diligenter 🜔tis addatur balſamus aloës & myrrhæ ac tinctura croci: & adhuc efficacius, ſi balſamus ſulph. paretur cum ſpiritu vini terebinthinato (addere licet & ol. iuniperi) & camphorato, cui poſtea eſſentia croci,myrrhæ & aloës admiſceatur.

Grauidis verò medicamenta ex ſulph. parata non conueniunt, ne iis abortus concilietur. Itaque poteſt iis dari extractum rhabarbari, idque vel cum ſyrupo aliquo, vel ſucco roſar, & ſaccharo in tabulas redigi.

*Syrupus rhabarbari.* Nonnulli tincturam rhabarbari, additâ ſ. q. aquæ cinam. cum aquâ roſar. extrahunt,extractámque ad dimidium lentiſſimo igne coquunt, & additâ ſ. q. ſacchari, ſyrupum parant, in quam rhabarbari tabulas coniiciunt, cuius cochlear vnum atque alterum etiam infantibus dari poteſt. Nam non ſolùm à peſte præſeruat, ſed & lumbricos necat: atque exturbat. Iiſdem paſſulæ laxatiuæ cum cremore tartari, vel rotulæ purgantes idoneæ dentur.

Quidam etiam terebinthinam commendant. Laudatur & triphera Perſica, quæ vel ſola ℥ß. vel ʒ. vj. pondere, aut aliis admixta dari poteſt. Vtilis eſt & hæc potio.

℞. *Rad. dictamni, pimpinel.* an. Drach.ii. *acetoſæ. ſcordij,cardui bened.*an.M.ß.*flor.cordial.*an. P.i.*ſem. citri* Scr.i.*rhabarb .agaric.albiſſ.*an.Drach.i.ß. *ſpicæ* Scr.ß. *cinam.Zedoariæ,zingiberis*,an.Scr.i. Infundantur *in aq.ſ.q.* Colat.*Clarificat.*℞. Vnc.ii.ß. Adde *extr.panchymagogi* Scr.ß. *vel* Scr.i. (pro corporis conſtitutione) cremor. tartari Scr.i. *ſyr. roſar.ſol.* Drach. vi. Miſce. Vel F. tale Claretum.

℞. *fol.ſenæ el.* Vnc. i. ß. *mechoacan.* Vnc.ß. *zedoariæ,cortic.citri,galangæ*,an.Drach.i.*flor.cordial.*P.i.*ſacch.* Vnc.i. Affunde *vini Rhenani q.ſ.* & ſtent in infuſione diem integrum,Poſtea colentur,vt fiat potus clarus,de quo Vnc.iiii.vel q.ſ. exhibeantur.

A fortioribus autem purgantibus & vehementibus abſtinendum; cùm in peſtilenti conſtitutione leui occaſione humores cōmoueantur & ad ventrē confluant.

Similiter venæ ſectione corpus temerè non debilitandum, ſpiritûſque diſſipandi ſunt. Si tamen aliqua plethora adſit,quæ periculum minetur,aliquid,ſed parcè,ſanguinis detrahendum. *Venæſectio.*

Deinde danda opera,vt corpus,quod idoneis medicamentis ab excrementitiis humoribus mundatum eſt, tale conſeruetur,eaque victûs ineunda ratio, quæ excrementitios & vitioſos humores nullos in corpore non ſolùm cumulet, ſed & medicamentoſi aliquid habeat,atque alexipharmacis ita condita ſit; vt peſtilenti veneno reſiſtere & cor aduersùs illud roborare poſſit. *Diæta.*

De cibis multa à multis ſcrupuloſè præcipiuntur; quæ tamen à paucis obſeruari poſſunt. Ideò rectè dictum exiſtimamus ab authore,*libr. 2. de natura human. text.*4.victum in peſte,( niſi forſan prauus ſit ) temerè mutandum non eſſe; quoniam peſtis cauſa non eſt,neque, quatenus cibus, peſti reſiſtit. Itaque ſi quis cibo alicui aſſueuit, atque inde nullam vel grauitatem vel læſionem ſentit, eum non facilè mutet, nec ad aliud victûs genus temerè tranſeat. Quorum tamen ratio id fert, ii cibos, quantum fieri poteſt, optimos eligant; prauos verò cibos omnes fugiant. Et quoniam inter cibos panis reliquorum quaſi baſis eſt, ſit ille ex optimo frumento, fermentatus & modico ſale conditus. *Cibus.*

Carnes ſint facilis coctionis, paucorum excrementorum, & quæ non facilè corrumpantur ac putreſcant. Oua recentia & mollia vtilia ſunt. Lac plerique parum probant, quòd corpora lactis vſu humidiora reddantur. Piſces & ipſi bonæ notæ ſint. Cibi verò, qui prauum ſuccum generant, vt terræ tubera & vniuerſum fungorum genus, fugiendi, Minùs etiam conueniunt fructûs fugaces, & qui facilè corrumpuntur, vt perſica, cucumeres, citrulli, pruna recentia,& ſimiles. Nuces iuglandes, maximè ſi cum ficubus, rutâ & ſale miſceantur, pro alexipharmaco habentur.

De allio & cæpis controuerſia eſt,an in peſte conueniant.Galen.1. *de differ.febr.c.*3.inter cibos praui ſucci allium & cæpas refert, atque alij etiam Medici eorum vſum improbant, quòd humores calidos & acres augeant, febriúmque cauſa hoc modo eſſe poſſint. Contrà ab ipſo Galeno allium ruſticorum theriaca appellatur,& contra morſum canis rabidi, ſerpentum & aliorum venenoſorum animalium prodeſſe docetur. *An allium & cæpe in peſte conueniant.*

Verùm controuerſia hæc componi poteſt, ſi dicamus, cæpas & allium vtilia eſſe, non vt alimentum ſed vt medicamentum. Vt enim certum eſt, non ſatis bonum

bonum præstare nutrimentum: ita & illud extra dubium, contra venena plurimùm valere, ac proinde allium, vt & cæpæ, non magnâ copiâ sumendum, vt cibi loco esse possit. Sic enim prauos & acres humores in corpore cumularet: Sed in paruâ quantitate, vt saltem medicamenti loco sit, & ad pestem præcauendam sufficiat. Nec absurdum est, vt aliquid ratione medicamenti vtilissimum sit; prauum verò alimentum præbeat, sicut in cibis medicamentosis multis videre est. Ita Ocymum Galenus, 1. *de diff. feb. cap.* 3. inter cibos praui succi numerat: ad medicinam tamen vtile est; sicut eo nomine contra Chrysippum defendit Ocymum Plinius, *lib.* 20. *cap.* 12.

*Potus.* Potus sit cereuisia tenuis & benè defecata: Vinum item bonum & purum moderatè sumptum.

*Temperantia.* Non solùm autem in cibo & potu eligendo, sed etiam in vsurpando summa diligentia adhibenda; atque inprimis iucundæ salubrísque vitæ mater temperantia colenda: Neque inediâ aut siti vires deiiciendæ sunt; neque plus cibi ingerendum, quàm natura desiderat. Vbi enim, vt Hippocrates, 2. *aph.* 17. habet, cibus præter naturam copiosior ingeritur, morbum inde creari, indicat sanatio. Atque in conspectu habendum est Socratis exemplum, qui, vt est apud A. Gellium, *lib.* 2. *cap.* 1. in illius pestilentiæ vastitate, quæ in bello Peloponnesiaco inprimis Atheniensem ciuitatem depopulata est, temperantiâ salubritatem corporis retinuit, vt nequaquam fuerit communi omnium cladi obnoxius. Itaque hoc loco reiicienda est illorum sententia, qui persuasum habent, crapulâ & ebrietate aliquem à peste præseruari posse. Nam alterutrum ex nimio cibo potúque assumpto fieri necesse est, vt scilicet vel natura à nimiâ cibi potúsque copiâ onerata eum non rectè concoquere & distribuere possit, vnde calor natiuus obruitur, excrementa in corpore cumulantur, obstructiones & intemperies in visceribus gignuntur. Vel si natura cibo illi potúique coquendo par sit, plethora inde gignitur, quam Hippocrates, 1. *aph.* 3. vt periculosam, protinus soluendam esse monuit.

Et cùm facilè fieri possit, vt ex cibo etiam moderatè sumpto aliquid excrementorum in corpore cumuletur, per leuia purgantia, vt dictum, illud sæpius detrahendum. Cui fini inseruiunt etiam Fontanellæ dictæ, quibus nonnulli nihil vtilius aut melius ad præ-

*Fontanella.* seruandam pestem esse dicunt: non quòd fontanellæ veneno pestilenti resistant, sed quòd vitiosos & excrementitios humores è corpore sensim tollant, atque hoc modo apparatum ad pestem suscipiendam demant: referúntque Medici in grauissimis quibusdam pestilentiis plurimos cauteriorum vsu ab omni damno fuisse seruatos. Nemo tamen velim in iis solis aut præcipuè, neglectis alexipharmacis, spem securitatis collocet. Tanta enim vis & efficacia est huius veneni, vt pura quoque & munda corpora inuadere possit.

Naturarum quoque in cibo administrando aliqua habenda est ratio. Cùm enim, qui calidioris humidiorísque naturæ sunt, maximè putredini contagióque suscipiendo apti sint: talia corpora refrigerare & exsiccare conuenit. Vnde cibi iis condiendi acidis, & embammata acida cum cibis apponenda ex succo citri, malorum aurantiorum, acetosâ, ribes, acetos. rosaceo.

*Cibi quomodo condiendi.* Omnes verò omninò, quantum fieri potest, cibi & potus iis, quæ pesti aduersantur, condiendi sunt: Naturarum tamen respectu habito & temperamentorum, vt frigidioribus naturis & temporibus calidiora, calidioribus frigidiora adhibeantur. Conueniunt autem poma citri, aurantia, acetosa, borrago, buglossum, fructus ribes, macis, crocus, saluia, ruta, pimpinella, baccæ iuniperi, absinthium, helenium, Zedoaria, &c. Exempli gratiâ, potus talis paretur.

℞. *Absinthÿ, dictamni Cretic.* an. M. ß. *scordÿ, cardui bened.* an. M. i. *cortic. citri* Vnc. ß. *Zedoariæ* Drach. ii. *radic. pimpinel.* Vnc. ß. *helenÿ*, Drach. ii.

Concidantur crasso modo; & cum linteo albo fiat nodulus vel sacculus, qui suspendatur in vino, de quo singulis diebus sumatur manè haustus post ientaculum, vel in prandio. Pauperes eundem in cereuisiâ suspendant & macerent.

Cibi conspergantur pulueribus, aut cum iis sumantur pulueres conuenientes; quales suppeditant santalum, macis, crocus, margaritæ, corallia, cortices citri, radices angelicæ.

Mediocritas quoque in aliis rebus ad diætam pertinentibus, nimirum in motu & quiete, somno & vigiliâ, atque inprimis Venere & animi affectibus seruanda est, & certò statuendum, illud Hippocratis: πᾶν τὸ πολὺ πολέμιον τῇ φύσει etiam in peste esse verissimum. Atque inprimis metus atque intensior de internecino hoc morbi genere cogitatio intermittenda; cùm certum sit, atque experientiâ probatum, imaginatione talem posse fieri in corpore impressionem, humorumque mutationem, vt eâ ipsâ de causâ multi peste correpti sint. Contrà quantum præsens animus possit, vel ex vespillonibus, Chirurgis & aliis, qui peste infectis & mortuis operas suas locant, videre est. Itaque, spe in Deum positâ, animus pius sibi persuasum habeat, licèt pestilentiâ cadant à latere mille, & decem millia à dextrâ, sibi tamen illam non appropinquaturam.

Atque hactenus, quâ ratione corpori prouidendum sit dictum, ne vitiosi humores in eo cumulentur, sed potiùs illud in naturali & optimo statu conseruetur. Duo tamen præterea adhuc ad pestem præcauendam necessaria sunt. Primum, ne venenatus & pestilens aër seminiúmque contagij attrahatur. Deinde si vel ignorantibus accidat, vt contagium, siue per aërem, siue alio modo corpori communicetur, vt corpus aduersùs illud muniatur, ne quid detrimenti ab eo patiatur.

Primum quod attinet, detur opera, vt aër, in quo versandum est, priuatim & publicè, quantum fieri potest purus sit, & à pestilenti contagio mundus. Vt enim rectè Author libri de flatibus scribit: mortalibus vitæ & ægris morborum causa aër est: tantaque omnibus corporibus spiritûs existit necessitas, vt siquidem ab omnibus alimentis abstineat homo, neque cibum sumat, neque potum, possit tamen dies duos, vel tres, vel plures vitam ducere: si verò spiritûs in corpus via intercipitur, in breui parte vnius diei intereat. Itaque cùm tanta aëris sit necessitas: nullâ re faciliùs, quàm per aërem, contagium pestilens corpori communicari potest. *Aër quomodo mundandus.*

Et proinde primò Magistratûs officium est, curare, vt plateæ, quantum fieri potest, ab omnibus sordibus mundæ sint; inprimis à stercore suillo & anserino, quod propter fœtorem cerebro & spiritibus infensum, præ cæteris ad contagium propagandum multum facit. Vrina, præsertim infectorum, atque aliæ sordes in publicas vias & plateas non proiiciendæ. Et omninò omnia ex publico amouenda, quæ semina contagij augere, fouere, vel excitare possunt. Quanquam enim pestilentis veneni natura in putredine non consistat: tamen contagium pestilens sordida eiusmodi facilè excipiunt fouéntque, & ipsa tandem malignitatem concipiunt: sicut ex corporibus putridis interdum pestem oriri, experientia sæpius docuit. *Publicæ viæ vt mundandæ.*

Neque sibi quispiam persuadeat, fœtores eiusmodi rerum putridarum & corruptarum veneno resistere, & venenum veneno pelli posse. Neque velim aliquem imitari Sarmatas, de quibus Alexand. Benedictus, *de peste* hæc habet: *Quidam nobilis mercator Cretensis, cùm in Dauricâ regione negotiaretur, & sæuissima pestis aëris vitio orta esset, quâ finis moriendi non erat, retulit, in eâ hominum summa strage à se Medicum visum, loci eius incolam, qui canes interemptos passim*

per

*per vias, perque vicos omnes abiici iuffit, qui putridi tetro odore aërem replerent, eoque remedio ftatim ciuitatem fanitati reftitutam effe.* Putatque Alex. Benedictus carnes putrefcentes aëris, qui hominib. faltem exitialis erat, naturam immutâffe, & venenum à veneno debellatum fuiffe.

*An fœtores in peftilentia vtiles fint.* Verumenimuerò, etfi quis de iftâ ex barbaro loco allatâ experientiâ, & quomodo ifta omnia acta fint, dubitare poffet: tamen pofito, rem iftam ita geftam fuiffe, nihilominus vt tale quid imitemur, fuadendum non eft. Licèt enim accidere poffit, vt venenum veneno contrarium fit; & eadem peftis non omnibus animalibus, imò nec hominibus quidem fit exitialis, ficut Cardanus, *lib. 2. de rerum variet.* refert, peftem quandam Bafileæ graffatam fuiffe, in qua folùm Heluetij, non verò Hifpani, Itali aut Galli, qui in eâdem ciuitate erant, affligebantur: Et fortaffe tum fingularem quandam peftem fuiffe, & à fingulari aëris vitio ortum traxiffe, cui occultâ aliquâ qualitate putrefcentium canum vapores contrarij fuerint, tamen cùm peftilentiæ magna fit varietas, nec vnica ifta è loco remoto experientia pluribus & variis exemplis fit confirmata, non tutum eft, fœtida talia in publicis locis relinquere; cùm facilè fieri poffit, vt aëris vitium foueant & augeant.

*Ignis aërem mundat.* Sed cùm longâ experientiâ cõftet, igne putridum & venenatum aërem maximè corrigi, Hippocratis potiùs aliorúmque Medicorum prudentiffimorum exemplum, quàm barbarorum barbaram iftam confuetudinem imitari, igne in locis publicis accenfo aëris vitia corrigere ftudeamus. Inferuiunt hîc inprimis lignum iuniperi, quercus, pinus, picea, laurus, atque aliæ plantæ odoratæ. Ad aërem quoque puriorem reddendum multum valet, fi tormenta bellica præfertim maiora, & præcipuè versùs eam partem, à quâ malum maximè imminet, fub vefperam & auroram difplodantur. Non enim faltem vehementer aërem commouent atque agitant, fed & fulphur ac nitrum maximam vim eum alterandi habet.

*Quâ ratione quifque priuatim fe aduersùs contagium peftilens munire debeat.* Priuatim verò quifque, quantum licet, hominum frequentiam vitet; cùm non femper conftet, qui infecti fint. Qua de causâ rectè à Magiftratu conuentûs illi folemnes & frequentiores in nuptiis, choreis publicis, balneis, fcholis, nundinis prohibentur. Aut fi omninò cum his, qui infecti funt, aut in fufpicionem infectionis venerunt, conuerfandum fit: fiat hoc ore aliquantum auerfo, & vento fecũdo, non aduerfo. Inprimis per feneftras in ædes infectas infpicere periculo non vacat. Nemo etiam in publicum facilè prodeat, nifi horâ vnâ atque alterâ poft Solis ortum, donec aër caliginofus & vapores nonnihil difcutiantur. Et omninò fine alexipharmacis, vel etiam cibo aliquo fumpto, nemo in publicum progrediatur. Et cùm aër per os & nares præcipuè attrahatur, quifque in publicum egreffurus naribus odoramenta admoueat, poma fcilicet odorata, nodulos, vnguenta, linimenta ex rebus odoratis, atque iis inprimis, quæ peculiarem vim veneno peftilenti refiftendi habent. Nares nimirum vngantur theriacâ, oleo vel balfamo rutæ, Zedoariæ, Angelicæ, fuccini, corticum citri, iuniperi, caryophyllorum, nucis mofchatæ; vel aceto aliquo aut aquâ bezoarticâ, vel fpongiæ tali aceto madidæ, pyxidibus ligneis inclufæ, aut poma ambræ dicta manibus geftentur, & frequentiùs naribus admoueantur. Dentes theriacâ illinantur. In ore teneantur angelica, Zedoaria, cortices citri, &c.

Det etiam operam quilibet, vt in ædibus fuis puro aëre fruatur, & peftilentem excludat atque exterminet. Itaque claudantur feneftræ versùs domos infectas; iifdem claufis aër nocturnus excludatur, & demum Sole exorto conclaue radiis Solaribus illuftrandum feneftris apertis exponatur: Aër in ædibus imbuatur iis rebus, quæ veneno peftilenti refiftẽdi & corroborandi vim habent. Suffitûs fcilicet excitentur è ligno iuniperi, fraxini, querno, baccis iuniperi, lauri, rutâ, faluiâ, abfinthio, foliis quercûs, aceto bezoartico lateribus ignitis affufo, vel aquis conuenientibus. Veftes quoque & linteamina in fcriniis contra peftilentem infectionem muniantur facculis ex bene olentibus & veneno refiftentibus plantis compofitis.

Extant alia compofita paffim, quæ partim naribus admoueri, partim ore teneri, partim accendi & carbonibus iniici, aut lateribus ignitis affundi poffunt: pauca faltem, ex. gr. è tantâ varietate eligere libet.

In horum tamen omnium vfu obferuandum, cùm fœminæ, quæ ad fuffocationem vteri procliues funt, fuaueolentia non ferant, loco ambræ & mofchi admifcenda effe caftoréum, galbanum, rutam & fimilia.

*Poma ambra.* Poma ambræ, quæ appellant, parantur ex ladano, benzoë, feu asâ dulci, ftyrace calamitâ, radice iridis, rofis, ligno aloës, corticibus citri, fantalis, caryophyllis, camphorâ, ambrâ, mofcho, zibetho. Fiuntque efficaciora, fi iis addantur olea deftillata, citri, rutæ, angelicæ, caryophyllorum, macis cinamomi, &c. Exempli gratiâ:

♃. *Ladani puriff.* Drach.ii. *Radic. ireos* Drach.i. *Pulu. caryophyll. nucis mofch. cinam.* an. Drach.ß. *camphora* Scrup.fem. *ol. deftill. ruta* gut.vii. *ol. angelica* gut.v. *caryophyllorum* gut.iii. *nucis mofch. expreffi* ʒ.ß. *mofchi, zibethi, ambra,* an.gr.iii.iiii. *vel plura.*

Cum mucilag. tragacanth. aquâ rofar. factâ, F. maffa pro pomis.

Tempore æftiuo talem componere licet:

♃. *Rof. rubrar.* Drach.i. *flor. violar.* P.ß. *fantali citrini, ftyracis calam.* an.Drach.ß. *cortic. citr. macis,* an.Scr.i. *camphora* Scrup.fem. *ol. deftill. ruta,* gut.vi. *Zibethi, mofchi, ambra* an.gr.vi.

Cum mucilag. tragacanth. aquâ rofar. facta. F. maffa.

*Linimenta ad nares.* Linimenta ad nares talia vfurpare licet:

♃. *Theriac. opt. mithridat. el.* an.Drach.i. *myrrha, benzoës, ftyr. calamita, ol. deftill. ruta* an Scrup. i. *angelica. camphora in aq. bezoarticâ diffoluta,* an.Scr.ß. *ol. amygd. dulc. parum.* F. Linimentum.

Vel ♃. *Theriac. opt. mithridat.* an. Drach.i. *myrrha, benzoës, ftyrac. calam.* an. Drach.ß. *fantali citrini, cortic. citr. caryophyll.* an.Scrup.i. *camphora* Scrup.fem. *aqua rofarum, aceti fcordij, vel bezoartici.* an. *q.f.M.* in formam Linimenti.

Vel balfamum feu linimentum, quo nares, tempora, pulfus & regio cordis inungatur, tale parari poteft.

♃. *Ol. diftill. ruta* Scrup.i. *citri, angelica* an.Scrup.ß. *lauendula, caryophyll.* an.gut. vi. *Olei baccar. iuniperi* Scrup.ß. *mofchi, ambra, zibethi* an.gr. iiii. *ol. nucis mofchat. expreffi. q.f.* F. Linimentum.

In primis commendatur oleum Scorpionum fecundùm defcriptionem Matthioli paratum, fi carpis, temporibus, vel etiam regioni cordis inungatur.

Laudatur & oleum viperarum magni ducis Hetruriæ: ficut & linimentum ex adipe ferpentum, fucco citri & theriacâ.

*Balfamum.* Eft qui iftum balfamum commendet, & æthereum nominet, quemque non folùm à pefte hominem præferuare, fi femel de die aliquid carpis & cordis regioni illinatur, verùm etiam venenatorum animalium morsûs curare pollicetur.

♃. *Pingued. ferpentum, ol. rubetarum, fcorpionum,* an. ℥.ß. *ranar. viridium* Drach.iii. *balfami ruta, angelica, fuccini* an.Drach.ß. *nucis mofch.* Drach.i. *citri, imperatoria, faluia, cinamomi, caryophyll. caftorei,* an. Drach.ß. *elixir proprietatis Paracel.* ℥.i.M.

*Acetum.* Acetum, quo vel nares inungi, aut fpõgiæ olfaciendæ imbui, vel filices aut lateres igniti perfundi poffunt, quódque tum ad peftem præferuandam, tum curandam

randam propinari poteſt,hoc modo parare licet.

℞. *Flor. calendulæ* M.i. *ſcordij*, *rutæ*, *roſar. rubr.* an. P.j. *rad.angelicæ,valerianæ,baccar.iuniperi*,an.Drach.ii. *Zedoariæ*, *cortic. citri*, *myrrhæ* an. Drach. i. *camphoræ* Scrup. i. *aceti roſacei* ℔. ii. *vel plures*. M. & vſui ſeruentur.

Vel ℞. *Fol. rutæ. ſcordij*, *ſcabioſæ*, *morsûs diaboli*, *cardui bened. abſinthij*, an.M.i. *Rad. angelicæ. zedoariæ, dictamni albi,imperatoriæ,valerianæ, pimpinellæ, tormentillæ, granor. iuniperi*, an. Vnc. ß. *cortic. citri* Drach. iii. *caryophyll. myrrhæ* an.Drach.i. *camphoræ* Drach. ß. Affundatur *aceti roſacei q.ſ.* & ſeruentur vſui.

Vel ℞. *Scordij* M.ii.*rutæ* M. ß. *ſummit. abſinthij*, Drach. ii. *theriacæ* Vnc. ß. *myrrhæ* Drach. ii. *camphoræ* Drach. i. *zedoariæ*, *caryophyll. macis*, *caſtorei*, *angelicæ* an. Drach. ß. *baccar.iuniperi* Vnc. ß. Affundatur *aceti roſacei canth.*ij.

Et conſentiunt in hoc doctiſſimi quique Medici, aceti, præcipuè in quo medicamenta alexiteria macerata fuerint, cùm extra adhibiti, tum propinati, maximam vim eſſe ad præſeruandum corpus à peſtilentis veneni corruptione. Quib. tamen ſiccius eſt cerebrum, & qui vigiliis moleſtantur, ii aceti odore parciùs omninò vtantur, aut etiam planè ab eo abſtineant.

*Puluere ad ſuffitum.* Puluis ad ſuffiendum ita paratur.

℞. *Ligni iuniperi*,Vnc.iiii.*baccar.iuniperi,lauri* an. Vnc.i.*ſuccini,thuris,myrrhæ.ſtyrac.calamitæ, benzoës* an. Vnc.ß F.Puluis.

Nonnulli addunt etiam flores ſulph.

Vel ℞. *Baccar.iuniperi* M.ii.*cortic.baccar.lauri* M.i. *thuris* ℔.ß.*fol.abſinthij,rutæ,quercus*, an.M.ii.*ſcobis ligni iuniperi*. M. iiii. *ſuccini*. Vnc.i. F. Puluis pro pauperibus.

Eſt & magna in diſcutiendis & abſumendis venenatis vaporibus pulueris bombardici accenſi vis.

Pro ditioribus talis fieri poteſt.

℞. *Baccar. lauri* ℔.i. *thuris*. Vnc.iiii. *ſtyrac. calam. benzoës*, an. Vnc.i.ß. *ſantali citrini*. Vnc.ß. *ligni aloës* Drach.ii. *fol. lauri* Vnc.i.*flor. lauendulæ*, *roſar. rubr.* an. Drach.ii.F.Puluis.

*Candelæ pro fumo.* Candelæ pro fumo tales fieri poſſunt.

℞. *Ladani,ſtyrac.calam.benzoës* an.Drach.i.*myrrhæ, thuris*,an Drach.ß.*radic.angelicæ* Scrup.i.*granor.iuniperi* Drach.ii.*terebinth.*Drac.iii.*pulu. caryophyll.* Drach.ii. *carbon. tiliæ q. ſ.* Incorporentur *cum mucilagine tragacanth.aqua roſar.facta.*F.candelæ vel trochiſci.

Pro diuitibus tales fieri poſſunt.

℞. *Ladani,flor.Stœchad.Arab.*an.Drach.i ß. *Styrac. calam.* Vnc.ß. *rad. iridis Florentinæ*. Drach.i.ß. *benzoës* Vnc.ſem.*Sacch.cand.*Drach.v i .*moſchi* g̃.v.Scrup.ß. *vel q.libet, mucilag. tragacanthæ aquâ roſar. factæ parum.* F. Maſſa,è quâ formentur orbiculi parui.

*Aqua odorata.* Aqua odorata pro ditioribus, quâ facies, manûs, chirothecæ conſpergi poſſunt, aut quæ in ollâ ſuper carbonibus in vapores reſolui, & in aërem diſpergi poteſt.

℞. *Aq.roſar.fragrantiſſ.*℔.i.*benzoës,ſtyracis calamit. cinamomi*, *macis*, *caryophyll. cortic. citri* an. Vnc. ſem. *camphoræ* Drach. ſem. *(quæ ſi aliquib. moleſta eſt, omitti poteſt.)*Coq.vaſe clauſo in B.M.aliquandiu,poſtea colentur,& addatur,*zibethi,moſchi*, *ambræ*. an. Scrup. ß. Seruentur in vaſe clauſo ad vſum.

Vel ℞. *Styrac.calamit.ligni aloës*,an.Vnc. ſem. *benzoës* Drach.ii.*iridis Florent.* Drach.i.*ſacch.*Vnc.ß.

Singula ſeorſim puluerifentur, miſceantur: quibus adde *moſchi,ambræ*,an.Drach.ß.*zibethi*,Scr.i.

Seruentur ad vſum vaſe clauſo. Poſtea, quando libet,ſume,pulueris pauxillum,affunde in patellà aquam roſarum fragrantiſſimam,& ad lentum carbonum ignem in halitum reſoluatur,qui ſuauiſſimum odorem de ſe ſpirabit: qui tamen fœminis vteri affectionibus obnoxiis non conuenit.

*Trochiſci.* Trochiſci ſub linguâ tenendi.

℞. *Zedoariæ*, Vnc.ß.*rad.pimpin.angel.* an.Drach.i. *ligni aloës,cinamom.cortic.citri*,an.Drach.ß. *macis* Scr.i. *ſacch.albiſſ.* Vnc.iiii. *Cum ſ.q.gummi tragacanthæ in aq. roſ.diſſoluti.*Fiant trochiſci ſub linguâ tenendi.

In his tamen omnibus obſeruandum, vt aëris conſtitutionis habeatur ratio, & præterea alexipharmacis potiùs, quàm ſolis odoribus gratis fidamus, quæ idcirco aliis odoratis admiſceri poſſunt.Sunt etiam quidam in eâ ſententiâ,eiuſmodi odorifera ſola peſtiferum halitum ad cor potiùs allicere, quàm à corde remouere. Et cùm in ſano non defectus aliquis ſit in ſpiritibus,ob quem eorum inſtauratio per talia odorifera requiratur: ideò prouidendum potiùs cenſent, ne Spiritûs peſtifero contagio inficiantur. Et cùm contagium peſtilens ſummam vim putrefaciendi habeat, potiùs iis vtendum putant, quæ vim illam retundant. Sicut videmus intenſo frigore contagium extingui; augeri verò & intendi in aëre calido.

Verumenimuerò etſi in ſanis defectûs adhuc non ſit ſpirituum:vtile tamen eſt, ſemper ſpiritûs eſſe maximè vegetos. Ad quod plurimùm poſſunt ſuaueolentia, quæ ipsâ experientiâ teſte, miris modis ſpiritûs recreant atque inſtaurant, & iamiam morituros ſæpe ad vitam reuocant. Itaque rebus ſuaueolentibus, (præcipuè ſi medicamenta peſti aduerſantia admixta ſint)ſpiritûs vegetiores redditi ſeſe alacriùs & fortiùs peſti opponunt. Et quanquam ſpiritûs gratos odores auidè attrahant & arripiant: non tamen ſequitur, quòd ſimul etiam venenatos vapores admittant.

*Sacculus pro veſtibus.* Sacculus,qui in ſcriniis veſtibus apponi poteſt.

℞. *flor.lauend.roſar.rubr.*an.M.i.*violar.nymphææ,meliſſæ,baſilici*,an.Vnc.i.*rutæ*,M. ſem. *roriſmarini*,P.ii. *cortic.citri,ſantali citrini*, an.Vnc.ſem. *rad.ireos*, Drach.ii. *caryophyll.macis,aſæ dulcis*,an.Drach.ß.*moſchi*.gr.i v.*vel q.ſ.* (omittatur pro fœminis.) F.Sacculus.

*Sacculus cordialis.* Sacculus regioni cordis applicandus,

℞. *Flor.bugloſſi,roſar.rub.violar.* an.P.ii.*meliſſæ vtriuſque,roriſmar.* an.P.i. *cinamomi,caryophyll. cortic. citri, ligni aloës*, *ſantali citrini*, *rad. angelic. valerianæ*, *ireos Florent.* an.Drach.i.ß. *ſem.rutæ,Oſſ.de* C.C.an. Scrup.i. *croci,camph.*an.Scrup.ß. *ambr.moſchi*, an.gr.i v. F. Puluis, qui excipiatur ſyndone rubro, & ſ. a. Fiat ſacculus.

Verùm talia multa deſcribuntur ab Horat. Augenio, *lib. de peſte, cap.*26. *&* 28. Ant. Porto, *lib.*2. *de peſte, c.*46.*&* 49.Andr.Gallo,*de peſte, faſciculo* 5. *cap.*19.20. 22.& aliis.

Præter iſta,quæ Hactenus recenſuimus,medicamenta,& alia quædam, de quib. inter Medicos omnes non conuenit, à nonnullis valdè commendantur, qualia ſunt ſacculi & maſſæ,quæ è rebus venenatis, vt arſenico, puluere bufonum, argento viuo & ſimilibus fiunt, & extrà, ad præſeruandum à peſtilentiâ, corpori è regione cordis appenduntur.

*Amuleta ex Arſenico, Mercurio, & aliis.* Amuleta ex Arſenico plurimi commendant;& ſunt, qui iurati aſſerant, nullos peſte fuiſſe infectos ex iis, qui talia ad cordis regionem geſtârunt.Tali autem modo parantur.

℞. *Arſenici cryſtall.q.v.Cum albumine oui vel mucilag. gummi Arabici*, *aut tragacanthæ.* Fiant maſſæ ſeu placentæ,quæ in vmbrâ ſiccentur,& ſacculo ſericeo incluſæ regioni cordis applicentur. Nonnulli & alia addunt; vt

℞. *Pulu.bufon.exſiccati.* Vnc.i.ß.*arſenici citrini,cryſtallini*,an.Drach.v i .*pulu.dictamni,tormentillæ*, an.Drac. i.ß.*margar.præpar.ſantali citrini*,an.Scrup.ii.*croci*,Drac. ſem. *hyacinthi*, *ſmaragdi*, an. Scrup. i. *Cum mucilagine gummi tragacanthæ vel Arabici*.F.maſſa,

Vel ℞. *Arſenici cryſtallini*, Vnc.ii. *Zedoariæ*. Drach. ii. *croci* Scrup.i.*camphoræ*,Drach.ß.*Cum gummi Arabico aq.roſ.diſſol.*F.Paſtilli.

Iohan. Rhenanus hoc,tanquam perfectum Amuletum,

tum,commendat,quo non solùm pestilens contagium, sed & cœlestes impressiones auertantur:

℞. *Pulu.bufon.exsiccator.* Vnc.ii. *arsenici crystallini, citrini,*an.Vnc.sem.Mercur.♎*ti,farinæ tritici,radic.dictamni vel tormentill.* an.Drach.iii. *croci,hyacinthi,smaragdi,*an. Scrup.i. *Omnibus puluerisatis, cum mucilagine tragacanthæ aq.rosf.facta,* Fiat massa, è qua fiant pastilli,de collo suspendendi.

Si autem cælestes impressiones auertere debeant, hoc modo porrò præparandos esse docet.Capsulæ cordis figuram referentes è chalybe formentur, vt massæ istius ℥.i.ß. excipere possit: In istis capsulis, vbi Luna caput Draconis attigerit, insculpere iubet signum serpentis,instar cochleæ in gyrum sese voluentis:in alterâ parte,lunâ in scorpio existente, formam scorpij insculpit:postea, lunâ in scorpione existente, capsulam istam replet massâ prædictâ, eamque siccatam cordis regioni applicat.Atque id etiam de peculiari huius amuleti vsu monet Rhenanus,pastillos illos madefieri,si venenum pestilens præstò fuerit; ideóque igni tum admouendos esse.Ita enim venenum euanescere.

Eiusdem generis ferè est Zenexton Paracelsi à Crollio descriptum.

Alij commendant argentum viuum testæ nucis auellanæ inclusum. Atque istud remedium potissimùm anno 1552. & 1553. in obsidione Metensi vsurpatum & commendatum fuit; vt refert Petrus Droëttus, *Consil. de pestilent.*c.8.& Iac.Theodor.Tabernæmontanus, in *tract.de pestilent.Germanico.* Et est, qui referat, sibi notos esse aliquot, quibus, cùm peste corriperentur per contagium,disruptæ illo ipso momento testæ auellanarum fuerint,quæ hydrargyrum continebant.

*De amuletorum vis.* Sed quo fine talia adhibeantur, & vnde sit ista efficacia,ipsi illi authores, qui talia vsurpant & commendant,diffident.

Sunt, qui existimant, arsenicum venenum siccum esse, & siccitate suâ prauos humores absumere, atque inquinamentum discutere.

Sunt, qui hoc modo venenis cor assuefieri, & consuetudine faciliorem veneni tolerantiam comparari putant, vt qui arsenico assuescant, sine noxâ etiam in pestilenti aëre versentur.

Petrus Droëttus,*in consil. de pestil.* alexipharmacum arsenicum esse dicit,atque admotum cor roborare scribit,quamuis aliàs erodendo noceat.

Heurnius,*de peste,cap.*8.scribit,Cor,dum qualitatem arsenici percipit,sese contrahere,atque inde eius systolem fieri fortiorem diastole,ita vt validiùs eo motu à se expellat,quàm attrahat.

Verùm quis istas rationes parum probabiles esse non videt?Ii probabiliora dicunt, qui totius substantiæ similitudine talia venenum pestilens ad se attrahere dicunt. Nam sicut à scorpione percussi ab eodem imposito sanantur:ita procul dubio seu olea & vnguenta, seu massæ & trochisci,qui amuleti loco gestantur,& ex venenosis rebus parantur, si quid præstant in hoc genere, occultâ qualitate venenum pestilens ad se attrahunt. Et quidem dupliciter, vel venenum pestilens, quod homini appropinquat, antequam in corpus recipiatur,peculiari συμπαθείᾳ ad se alliciunt;Vel si quocunque modo in corpus receptum sit, eâdem συμπαθείᾳ ad se euocant.Ideóque quidam non sine causâ monent,ne alia medicamenta arsenico misceantur, ne eorum admixtione vis eius frangatur.Monent quoque,ne motu incalescant sacculi vel massæ,ne per poros cutis vis illa veneni cordi communicetur.

Verùm ab his dissentiunt Horat. Augenius, Gerardus Columba,& Hercules Saxonia,aliique Medici non pauci, qui statuunt, tantum abesse, vt talia venena hominem præseruent, vt etiam præsens damnum ipsi inferre possint. Cùm enim sint naturæ nostræ aduersissima, si supra cor posita incalescant, vaporésque ad cor penetrent,maximè nocere. Et quamuis multi sint, qui talia sine periculo gestârint, id ideò factum esse existimant,quòd non incaluerint. Contrà verò obseruatum esse, si motu incalescant, hominem in syncopem, & damna, atque adeò vitæ discrimen coniici, neque inde liberari,nisi sacculo amoto.

Imò sunt,inter quos Hercul.Saxon.*lib.de plicâ, cap.* 53.& Io.Baptista Gemma, *de rat.cur.bubones pestil.* qui illam præseruandi vim in istis,quam plurimi ita prædicant, in dubium vocant. Testatúrque vterque se certò scire,cùm in pestilentia Patauina,Anno 1576. Hieron. Capiuaccius multis hæc adhibuisset, nihil egregij præstitisse.

Quapropter,cùm adhuc de experientia dubitetur,& cùm,vt rectè Horat.Augenius,*lib.*3.*de pest.cap.*27.scribit,multa fiant, quæ diuersam habent causam, quàm vulgò creditur; atque ad experientiæ habitum non vnum vel alterum experimentum, sed hominum fide dignorum, magni iudicij, & prudentum longa obseruatio requiratur, rationésque quibus causam huius effectûs reddere conantur,non firmæ sint; vt loca allegata legenti patent:cum eodem Hercule Saxoniâ, remedio hoc quemque pro suo arbitratu vti permittimus: modò ne reliqua maioris momenti,atque inprimis alexipharmaca prætermittat: deinde ne quid damni inde accipiat;quod fiet,si curabit,ne incalescat.

Plus tribuit Saxonia argento viuo, atque existimat, ipsum & minùs periculosum esse,atque etiam non calefactum crassam materiam discutere posse, atque ad exitum parare: quo fine quoque, scilicet crassum sanguinem,qui ob crassitiem in venas & glandulas mammarum penetrare non poterat,attenuando,lactis defectum emendare posse, atque eam ob causam Patauinas mulieres,non infelici successu, hydrargyrum auellanæ inclusum collo appendere, vt lac restituatur:quamuis, vt refert Th. Iordanus. *de peste phanom. tract.*3.*cap.*9. ideò superstitiosè id adhibeant,quòd contra fascinum, quo lactantibus lac adimatur,prosit. *Argentum viuum.*

Verùm maxima salutis, & securitatis spes, vt antea quoque dictum, in alexipharmacis consistit. Eadem enim, quæ pestem curant, ab eadem præseruant. Cùm verò omnia illa alexipharmaca experientiâ potiùs, quàm ratione inuenta sint:nemo suam salutem gloriosis nonnullorum promissis concredat,neque nouis medicamentis,nisi fidâ experientiâ antea probata sint, facilè fidem adhibeat, sed iis, quæ diu à multis probata fuêre,maximè confidat. *Alexipharmaca.*

Simplicia sunt: *Angelica,Valeriana,tormentilla,carduus benedictus,acetosa,dictamnus Creticus, & albus, ruta,vincetoxicum,scabiosa,morsus diaboli,pimpinella, olsenichium,veronica,scorzonera, calendula, absinthium, Zedoaria,imperatoria,gentiana,bacca iuniperi,nuces inglandes,C.C.Os de C.C.bolus Armenus, terra sigillata, smaragdus,hiacynthus.* *Simplicia.*

De lapide Bezoar dicetur postea, Nam de eo varia sunt iudicia.Aliqui summopere eum laudant:Nonnulli parum ei in hoc genere tribuunt. Imò sunt, qui oculos seu lapides cancrorum ei præferunt. Sunt qui nec Opium omittendum censent.Cùm enim summam vim condensandi habeat,si alexipharmacis misceatur,in feruore spirituum extinguendo multum potest, ac spiritûs contagiosi motum sistit, vt ita medicamentum faciliùs eum à corde propellere possit. Sunt quidem aliqui, qui ex his medicamentis quædam suspecta habent,vt radices pimpinellæ,quòd nimis commoueant & calefaciant humores;radicem tormentillæ, quòd nimis adstringat; Bolum Armenum, quòd obstruat, & hoc modo putredinem excitare possit; Baccas iuniperi & alia plurima,quia nimis calefaciant & spiritûs accendant: Verùm modò vim veneno resistendi habeant, qualitatum primarum excessus aliorum admixtione facilè corrigi potest.

*De Theriaca.* Ex compositis vsitatissima & longo vsu iam comprobata sunt Mithridatium, Theriaca Andromachi, Confe-

Confectio liberantis. Et ex his inprimis Theriaca (à qua & multa alia medicamenta, quæ occultà vi ac totà substantià venenis resistunt, Theriacalia nominantur) cuius vim insignem cùm obseruàsset antiquitas, ad hunc vsque diem in bene constitutis Pharmacopoliis & Rebuspub. communis salutis gratià asseruatur: atque Ægyptij, vt refert Prosper Alpinus, *de medicin. Ægyptiorum lib. 4. c. 8.* licèt in aliorum medicamentorum compositione negligentiores sint: tamen iussu Turcarum Imperatoris singulis annis, præsentibus omnibus Medicis, in templo vrbis Cayri, Theriacam summâ diligentiâ componunt.

*Theriaca vis.* Etsi autem & alios effectûs habeat, quos recenset Galenus, *de Theriaca ad Pison. cap. 16.* tamen inter omnes effectûs, & cuius gratià potissimùm inuenta videtur, atque vnde etiam nomen accepit, est, quòd à veneno præseruat, & à veneno læsos pristinæ sanitati restituit. Atque hæc eius efficacia omnibus temporibus perspecta & cognita est. Et vt de aliis venenis nihil dicam, quantâ in pestilentiâ eius sit efficacia, omnes medici fatentur. Galenus, *de Theriaca ad Pamphilian.* refert, se ex Æliano Meccio, omnium, quos audiuerat, vetustissimo, audiisse, Italiam olm pestem inuasisse, quæ celeriter multos interimebat. Tentatis igitur omnibus, vt fit, authorem se fuisse, vt solâ theriacâ vterentur; cùm cætera nihil conferrent. Tunc itaque ex iis, qui ægrotabant, quàm plurimos assumptâ theriacâ conualuisse; paucos in quibus vis morbi inualuerat, occidisse; reliquos omnes, quos pestis nondum occupauerat, non modò periculum euasisse, sed ne in morbum quidem incidisse. Et, *de Theriacâ ad Pis. cap. 16.* docet, Theriacam, instar ignis cuiusdam purgatorij, illos, qui ipsam biberunt, non permittere, vt pestilentiâ prorsus capiantur; illos autem, qui iam ægrotant, sanare posse; cùm aëris inspirati malignitatem commutando, tum corporis temperiei corruptionem prohibendo. Atque ob nobiles hos effectûs, theriaca & summis Imperatoribus in vsu frequenti fuit; præcipuè iis, qui sibi de veneno metuebant. Suetonius, *in Nerone, c. 34.* refert, Neronem, monstrum illud hominis, matrem ter tentâsse veneno, sed frustra; cùm se antidotis (proculdubio Theriacâ) præmunisset, & proinde aliam eius interimendæ viam postea iniisse.

*Cur Theriaca hodie non easdem, quas olim vires habeat.* Etsi verò hodie eas, quas Galenus, aliique prædicant, vires non semper experiamur: falsi tamen aliquid eos scripsisse, non existimamus: sed si quid non respondet, id aut inde euenit, quòd quædam eorum, è quibus Theriaca componitur, vel ignota sunt hodie, vel ad nos non apportantur; aut quòd, qui eam componunt, non eam, quam debebant, diligentiam adhibent, atque vel ignorantiâ peccant, vel publica commoda priuatis suis metiuntur. Olim in Theriacâ componendâ tanta diligentia adhibita fuit, quâ maior vix potuit; cùm ipsi Impp. Romani curam de conficiendâ Theriacâ ad se pertinere existimarent; quod præcipuam imperandi partem arbitrarentur communis salutis procurationem: nullique sumptui, vt quàm diligentissimè componeretur, parcerent. Testatur Galenus, *lib. 1. de antidotis, cap. 2.* Apportari sibi lectissima quæque ad theriacæ compositionem, quædam ex magnâ Syriâ, quædam è Palæstinâ, quædam ex Ægypto, nonnulla ex Cappadociâ, ex Ponto alia, pleraque è Macedoniâ, nonnulla ex Hispaniâ, Galliâ, Mauritaniâ. Quorum exemplum superiore tempore imitatus est Henricus Galliarum Rex, qui, ad Fernelij petitionem, literas dedit ad Turcarum Imperatorem, vt herbarium medicum mitteret, qui optima & lectissima medicamenta, Regis impensis, ad Mithridatij compositioné afferret. Inprimis verò, quod sæpius Theriaca non satis efficax fuit, eâ de causâ ferè accidit, quòd viperini trochisci, qui basis sunt huius antidoti, vel non è veris viperis pararentur, vel effœti, corrupti & viribus exhausti adhiberentur. Patrum certè memoriâ ad annos quingentos ita ignoratæ viperæ creduntur, vt à cæteris serpentibus non discerni possent, & aliud sæpe serpentis genus adhiberetur, vel etiam planè omitterentur, atque alia in earum locum, vt tormentilla, dictamnus substituerentur, vt refert Barthol. Marantha *de Theriaca cap. 4.* donec tandem Nicolai Leoniceni, aliorúmque industriâ veræ viperæ in lucem reuocatæ sunt.

Cæterùm cùm medicorum doctissimorum diligentiâ hodiè effectum sit, vt genuina ad theriacam componendam simplicia omnia verè iam nota sint; effectus tamen non planè respondeat, vnius adhuc & quidem præcipui medicamenti defectum causam esse puto, cur eos effectûs non edat hodie theriaca, ad quos à veteribus tantoperè commendata est, defectum scilicet Opobalsami, cuius vsui, vt Prosper Alpinus, *de Medicinâ Ægyptiorum,* refert, plus fidunt hodie etiam Ægyptij, quàm aliis auxiliis, Neque oleum destillatum caryophillorum, cinamomi, nucis moschatæ, vel aliud defectum eum supplere potest.

Non rarò etiam non tam remediorum vis imbecilla accusanda est, quàm non rectè vtentium imprudentia. Maximè enim in administrandis & vsurpandis hisce alexipharmacis peccatur. Non obseruatur tempus exhibendi, non modus, non numerus. Primò enim plerumque tardiùs Theriaca propinatur, & tum demum, vbi venenum iam altiùs in corpus illapsum radices egit, principésque partes labefactauit. Deinde & in eo grauissimè peccatur, quòd contra expressum Galeni præceptum, nimis parcâ plerumque manu, nec toties, quoties opus erat, exhibetur. In præseruatione quidem parciùs vsurpanda est: sed liberaliùs in curatione, vt docet Galenus, 1. *de antidotis, cap. 2.* Portio *Antidoti*, inquit, *quæ priùs semel hausta, tutum à morte quempiam facilè præstitisset, eadem post venenum sumpta, nonnisi quadrupla, quintupláue, nec tum temporis semel modò, sed etiam bis tértue, quoad videl. veneni vis fracta victáque omnino sit diebus singulis hausta, quicquam iuuat.*

Et vt de causis, & quibus viribus Theriaca nobiles istos effectûs edat, porrò dicamus; dependent Theriacæ effectûs omnes à duplicibus viribus; aliis notis, manifestísque, quæ à caliditate & siccitate proueniunt; aliis occultis & peculiari proprietate veneno aduersis. De illa vi calefaciendi & siccandi, & quæ hanc sequuntur, vt notis, & cum aliis plurimis Theriacæ communibus, nó opus multis verba facere: sed vnde illa vis venenis resistendi Theriacæ insit, inquirere operæ pretium est, præcipuè cùm alij aliter de eo sentiant.

Nonnulli ideò Theriacam omnibus venenis resistere autumant, quòd constet & componatur ex medicamentis calidis, frigidis, humidis, siccis. Verumenimuerò cùm venena non calore, non frigore, non humiditate, non siccitate, sed occultà & peculiari malignitate, vt alibi monstratum est, noceant, alexipharmaca non ex notis qualitatibus, sed occultis æstimanda sunt. Et quidem talia medicamenta multa, vt Opobalsamum præcipuè, scordium, dictamnus, gentiana, valeriana, & alia theriacæ vt & Mithridatio, insunt; sed cur Andromachus iis non contentus carnem viperarum seu trochiscos viperinos addiderit, indagare non inutile fuerit. *Vnde Theriaca vires oriantur.*

Barthol. Maranta, quem sequitur Thom. Iordanus, & alij, eo fine viperarum carnes admisceri docent, vt alexipharmaca ad venenum, quod expelli debet, quasi manu ducant. Cùm enim res per similitudinem, naturâ duce, coniungantur, & quasi naturali instinctu sese mutuò appetant, vt venenum, quod in corpus ingressum est, eiici possit, existimant, aliud venenum propinandum esse, quod illud appetat, atque ad aliud tendat, & ex inopinato veluti succenturiata & inuoluta secum rapiat illa venenum expugnantia medicamenta. Si verò alexiterium aliquod solum adhibeatur, metuunt, ne ad interiora venenum, vt contrarium suum fugiens, repellat, vnde, priusquam vis eò perueniret antidoti, homo *Cur caro viperarum Theriacæ misceatur.*

mo extingueretur. Verùm his aſſentiendum non putamus:docéntque id tum alia,tum ii effectûs,quos etiam præſeruando edit Theriaca, vbi adhuc nullum in corpore venenum præſens eſt. Nam ſi eo fine admiſcetur caro viperarum, vt tanquam venenum reliqua medicamenta ad venenum ſibi ſimile ducat:locum ſaltem haberet in curatione Theriaca,vbi venenum iam præſens eſt in corpore, vbi verò veneni nihil adeſt in corpore, fruſtrà, & non tutò, exhiberetur; atque præſeruationis gratiâ,ſolùm alexipharmaca propinanda eſſent,tutiúſque eſſet in præſeruando Mithridatium,quàm theriaca. Atque Carnem viperarum loco veneni non adhiberi, inde etiam patet, quòd Andromachus & alij, qui de Theriacæ compoſitione ſcripſerunt, partes venenoſas diligenter ac ſtudioſè abſcindere & remouere iubent.

Eſſe venenoſam viperam quidem extra controuerſiam eſt: non tamen omnes eius partes neceſſariò venenoſæ ſunt, quod in aliis animalibus videre eſt, in quorum plurimis venenum ſaltem in vnâ parte hæret, reliquis nihil veneni habentibus. Draconi marino ſpina in dorſo planè venenoſa eſt: reliqua tamen caro iucundiſſimum cibum exhibere fertur. Paſtinaca marina in radio ſaltem venenum habet, non in toto corpore. Ita & in felis capite venenum eſſe creditur, non in reliquâ carne. Habet ſuum pungentem, & venenatum aculeum apis; licèt totum illius corpus plenum ſit & diffluat dulci illo & vtiliſſimo liquore, qui certiſſimum eſt ictûs,qui ab eâ infertur,remedium. Ita & vipera non in toto corpore, ſed in quibuſdam ſaltem partibus venenum habet.Obſeruatum eſt autem, venenum in viperis hærere præcipuè in capite, & in eo maximè in dentibus & gingiuis, tum etiam in veſiculâ fellis. Et qui maius ſtudium in viperarum naturâ inueſtigandâ adhibuerunt, duplex viperis venenum ineſſe exiſtimant:alterum fixum & firmiter à primo ortu dentibus inhærens, quod in mortuis quoque ſuperſit, adeò vt ſi quis ab emortuæ viperæ dentibus tangatur, periculoſum id eſſe animaduerſum ſit; alterum ſpirituoſum, quod in gingiuis tumentibus ſeu dentium veſiculis hæret, & ex veſiculâ fellis duobus meatibus ad eos deriuatur; quod,vbi ictu viperæ corpori immittitur, tanquam ignis per animantis corpus defertur,& celerrimè cor petit;atque hoc morte extingui atque expirare exiſtimant.Generari autem ex animalibus venenoſis, quibus viperæ victitant.Cùm enim viperæ etiam rebus venenoſis,ſcorpionibus terreſtribus,vt docet Ariſtoteles, *6.de hiſtoriâ animalium.capite 29.* & ſimilibus viuant: ſtatim feces venenoſæ per aluum deiiciuntur,& ſi quid relinquitur veneni, id à cæteris membris ad veſiculam fellis, ad id conſtitutam amandatur, è quâ ad gingiuas & dentes per peculiares meatûs deducitur, vnde etiam vis illa venenoſa in dentibus redditur potentior.In felle autem hærere venenum,inde coniicitur,quòd viperæ ictui illitum ſimilitudine ſubſtantiæ venenum ad cor repens retrahit, & ad ſe trahit, non minùs quàm ipſum caput viperæ impoſitum,Carnes autem nihil veneni in ſe continere, tum alij aſſerunt, tum experimento ſe didiciſſe teſtatur Baldus Angelus Abbatius. Cùm enim canibus & felibus fel obieciſſet,celeriter interiiſſe:ſi verò cor,hepar vel carnes,nihil mali ſenſiſſe refert.

*Vipera venenum in quâ parte hæreat.*

*[...]erarum [...]n vit.*

Non ſolùm autem non venenoſas viperæ carnes eſſe, ſed etiam ad expellenda venena comparatas,ex iis,quæ dicentur, patebit. Galenus *in libro 11. de ſimplic. medic.facultat. & libro de ſubfiguratione Empiricâ, capite 12.* ſummum in viperis contra Elephantiaſim, aliis remediis incurabilem, ineſſe remedium docet, idque hiſtoriis & exemplis inſignibus probat. *Erat,*inquit,*in Aſiâ in pago Elephantiaſi vir laborans, cui, cùm aliquot iam contagio inquinâſſet,in edito loco propè pagum tabernaculum habitandum pagani ſtruxerant. Æſtate circa canis ortum colonis vicinam metentibus ſegetem miniſter vini lagenam, quam attulerat, prope agri marginem dimittens abiit. Coloni labore functi cùm ad pocula acceſſiſſent,ac quidam eorum vinum in craterem funderet,ecce! exanimata vipera ſimul elapſa bibituros conſternauit. Ac ipſi quidem aquam potantes,vinum ægrotanti attulerunt, humaniter ſe acturos exiſtimantes, ſi tantam viri calamitatem morte redimerent, quam ex eo veneni hauſtu planè futuram arbitrabantur. At ille nouo prorſuſque admirando euentu ab hoc ipſo potu ſanatus eſt. Excidit enim tota cutis dura & velut lapidoſa,non ſecus,ac ſi cancris locuſtiſue aut cæteris huiuſmodi cruſtaceis animalibus teſtam,quâ conteguntur,abſtraxeris. Nec diſſimile in Myſiâ Aſiæ accidit. Vir erat prædiues Elephanticus: hic ancillam ſuam formoſam deperibat; contra illa fœdum hominem odio habebat. Acceſſerat æger inde ſibi promiſſâ ſalutis ſpe ad quoſdam calidarum aquarum fontes,vbi multa viperarum vis ob loci ſqualorem erat. In vini igitur lagenam paruam diligenter ſeruatam vipera irrepſit,quam cùm ſuffocatam deprehendiſſet ancilla,ratam fore,vt odioſus herus eo veneno facilè interiret,cœnanti alacriter vinum iſtud obtulit:eueneruntque omnia eadem,quæ pagano illi.* Hos caſûs poſtea Galenus imitatus, Philoſopho cuidam hoc morbo vehementer laboranti, vt idem remedium vſurparet, author fuit: qui & vinum ita medicatum bibens, ab Elephantiaſi liberatus eſt.Alteri etiam ſuaſit,vt viperarum carnes anguillarum modo coctas ederet:quod vbi feciſſet, ægritudo diſcuſſa eſt. Tot igitur experimentis confirmatus Galenus, certam ſpem concepit ſanandi Elephantiaſim Theriacâ, ſale viperino, & ipſâ viperarum,capitibus & caudis amputatis,carne. Quæ Galeni Elephanticos curandi ratio ab Oribaſio, Aetio, Æginetâ, aliiſque Græcis & Latinis Medicis approbatur & confirmatur.

Eſt & hoc notatu dignum, quòd vinum corruptum à viperâ viuâ in dolium coniectâ & ſuffocatâ reſtitui affirmatur: factúmque hoc eſſe Romæ in cellâ vinariâ Cardinalis Vrſini,multorum teſtimoniis & colloquiis ſe accepiſſe,refert Baldus Angelus Abbatius, *de viperæ naturâ & facultatibus,capite 11.*

Verùm quâ vi viperarum carnes hos effectûs edant, nondum ſatis liquet. Si ea intueamur, quæ Galenus, *l.11.de ſimpl.medic.facultatibus* habet de carne viperarum,nihil occulti,ſed ſolùm notas & manifeſtas qualitates ipſis tribuere videtur.Ita enim eo loci docet. Caro viperarum exſiccat,vehementer digerit,mediocriter calefacit;Properat autem eius vis ad cutem,per eam videlicet, quæ in corpore ſunt recrementa, exigens. Author libri *de Theriacâ ad Piſonem, c. 9.* vbi præcipuus de vi venenum expellendi ſermo eſt, facultatem illam non definit, ſed ſaltem viperarum carnem ἔμφυτον πρὸς σώζειν δύναμιν & πρὸς τὸ βοηθεῖν ἰσχὺν habere ſcribit.

*Quâ vi viperarum carnes efficaces ſint.*

Sed ſi quis effectûs carnis viperinæ diligenter perpenderit, & in mentem ſibi reuocauerit, quod à Paulo Æginetâ dictum eſt; contagioſum hunc morbum eſſe, non minùs quàm ipſiſſimam peſtem;& ſimul conſiderauerit, ab aliis ſaltem qualitatibus primis agentibus nihil tale præſtari poſſe:is facilè intelliget, non ſaltem vi ſiccandi vel digerendi, ſed inprimis alexiteriâ præditas eſſe viperarum carnes, atque eâ ratione Theriacæ admiſceri,non vt venenum ſint,ſed vt præcipuum alexipharmacum venenum oppugnent atque expugnent; atque animaduerret, ſimúlque mirabitur, & in viperis verum eſſe, quod *Eccleſiaſtici capite 33.* ſcriptum eſt; *Intuere opera Altiſſimi, & bina quæque videbis, quorum alterum repugnat alteri.*

Itaque & hîc meritò recurrimus ad ſalutare illud ignorantiæ aſylum, vt appellatur à Iulio Cæſare Scaligero,occultas qualitates.

Commendatur & illa Antidotus,quæ Regi Mithridati aſcribitur; de quâ Plinius *lib.23.cap.8.* ita ſcribit: *In ſanctuariis Mithridatis maximi Regis deuicti Pompeius inuenit peculiari commentario ipſius manu compoſitionem antidoti è duabus nucibus ſiccis & ficis totidem, & rutæ foliis 20. ſimul tritis,addito ſalis grano. Et qui hoc*

*De theriacâ Mithridatis.*

ieiu

*ieiunus sumat, nullum venenum nociturum ei illo die.* Istam tamen compositionem Recentiores postea, variis additis medicamentis, non parùm mutârunt, vt ex formulis, quæ passim extant videre est.

Extat & Theriaca Diatessaron, item sales quidam theriacales, in hoc morbo præseruando & curando vtiles apud Galenum, *de theriacâ ad Pisonem.*

Et si quis plures antiquis vsitatas antidotos cognoscere cupit, legat duos Galeni libros de antidotis, inprimis verò secundùm librum, in quo maximè celebria antiquorum alexipharmaca à Galeno describuntur.

Recentiores plurima addiderunt, suntque celebria: *Electuarium de croco siue de ouo dictum, Diascordium Fracastorij, Puluis Saxonicus, Antidotus Guidonis de Cauliaco, Puluis Cæsaris rubeus, & gryseus, Electuarium Camphoratum Kegleri*: atque alia plurima, quæ passim describuntur; inprimis à Langio, *lib. 3. epist. medicin. Epistolâ* 1 Horat. Augenio. *l. 3. de peste, c.* 13. Petro Sibylleno, *de peste*, Andreâ Gallo, *de peste, fasciculo* 5. Cratone, *in Consil. de pestil.* Platero, *parte secundâ praxeos, in curat. feb. pestil.* & passim aliis authoribus pluribus. Rari enim sunt, qui, vt & ipsi non minùs quàm antiqui sapere videantur, non aliquid noui medicamenti hîc cōponant; cùm præstaret sæpe, bene inuentis ac probatis vti, quàm noua componere. Vt omnino maioris industriæ sit, è talibus selectiora aliqua eligere, quàm multa colligere.

Vnum tamen atque alterum medicamentum addere licet. Et primò quidem Theriacam Germanorum Iacobi Theodori Tabernæmontani, cuius vires theriacæ Andromachi non inferiores sibi compertas esse testatur.

℞. *Glandium quercûs gentianæ.* an. ℔. ß. *rad. ireos, helenij, rad. angelicæ, pimpinellæ*, an. Vnc. iiii. *leuistici, eryngij, vincetoxici, plantag. tormentill.* an. Vnc. iii. *imperator. sem. anisi, fœnic.* an. Vnc. ii. *radic. Chelidoniæ, saluiæ Romanæ, rad. petasitæ, farfaræ, calami aromat.* an. Vnc. i. ß. *aristoloch. dictamni albi, rubiæ tinctor. pentaphylli, Cortic. aurantior.* an. Vnc. i. *Cardui benedicti, centaurij minor.* an. M. iiii. *summit. pastinacæ syluestris, verbenæ, Chamæpyt. hyperici. scabiosæ. succisæ*, an. M. iii. *alsines, agrimoniæ, origani, pulegij, serpilli, fol. lauri, linguæ ceruinæ, saluiæ* an. M. ii. Coq. omnia in aquæ s. q. s. a. Colentur cum forti expressione in torculari. Remanentiis affundantur xii. mensuræ vini, atque iterum coquantur & colentur. Colat. misceantur. Postea

℞. *Baccar iuniperi el.* ℔. xx. *Sambuci* ℔. iii.

His affunde decoctum colatum, & coquantur ad consumptionem medietatis: postea per setaceum traiiciantur.

Huic adde *succi cortic. iugland. virid. rutæ* an. ℔. iiii. *brassicæ, absinthij, acetosæ, borrag.* an. ℔. ii. *rad. valerianæ, betonicæ, interioris germinis Raparum*, (das hertz) *marrubij sonchi, buglossi, veronicæ, matricariæ* an. ℔. i. *Sapæ & mellis despumati* an. ℔. iiii. Coq. in formam Opiatæ.

Quâ ratione vulgarem theriacam in nobiliorem formam redigi posse putet Quercetanus, videatur in eius Pharmacopæâ restitutâ *lib. 1. cap.* 23.

Nonnulli hoc medicamentum valde commendant,

℞. *Spirit. vini optimi mensur.* i. *theriacæ. opt.* Vnc. vi. *Myrrhæ el.* Vnc. ii. *rad. Petasitæ*, Vnc. iii. *Spermat. ceti, terræ sigillat, hirundinariæ* an. Vnc. i. *dictamni albi, pimpinellæ, valerianæ* an. Vnc. ii. *Camphoræ* Drac. i.

Concisa & contusa misceantur, de qua mixturâ, si interdum ʒ. i. in vino sumatur, magnam vim à peste præseruandi habet.

Ægyptij, vt Prosp. Alpinus. *lib. 4. de medic. Ægypt. cap.* 15. refert, plurimum in huius Electuarij vsu confidunt, quod componunt,

*Ex terræ sigillatæ* Drach. ii. *sem, citri, acetosæ* an. ʒ. i. ß. *boli Armeni, aristolochiæ rotundæ, scordij, zedoariæ, dictamni cretici* an. ʒ. i. *theriacæ antiq, cornu cerui vsti* an. ʒ. i. ß. *margaritar, Smaragdi, hyacinthi, camphoræ, croci* an. ℈. ii. *santalor. omn. corallor. rubr. albor. serici vsti* an. ʒ. ß.

Quæ omnia in puluerem redacta cum syrupo acetosit. citri miscent: Cuius dosis est ab ℨ. sem. ad ℨ. i.

Inprimis verò apud Turcas atque Ægyptios nobiles, opobalsami vsus est frequentissimus, & vt à pestis contagio sese defendant, plus huius liquoris vlui fidunt, quàm aliis auxiliis: cùm succus iste aduersùs omnem humorum putredinē præstet, vt etiam eo inuncta cadauera diu imputria seruet, hominis colorem naturalem foueat & augeat, membra præcipua roboret, atque citissimè totum corpus penetret. Exhibent autem cum aq. è succo aut floribus citri destillatâ, vel vino albo, aut iure pulli. Aut quod valdè celebre apud eos secretum in peste habetur, opobalsami vnciis duabus miscent myrrhæ, carpobalsami, ligni aloës, terræ sigillatæ, boli armeni, margaritarum, lapidis bezoar, croci, an. ʒ. i. sumûntque huius compositi singulis diebus manè drachmam vnam. *Opobalsami vis.*

Electuarium cardiacum satis operosum videri potest apud Libauium, *in Alchymiâ pharmaceuticâ, pag.* 222. Est & hoc efficax.

℞. *Rad. tormentillæ* ʒ. i. *zedoariæ, scordij, cardui bened. acetosæ* an. ʒ. sem. *sem. citri, acetosæ* an. ℈. i. C. C. *vsti præpar.* ʒ. sem. *terræ sigill. Siles. oculor.* ♋ *præpar. boli Armeni veri, oss. de corde cerui* an. ℈. i. F. Puluis.

Vel ℞. *Rad. angelicæ, valerianæ, vincetoxici, tormentillæ, helenij, olsenichij, zedoariæ* an. ʒ. i. *dictamni cretici, terræ sigillatæ Sil.* C. C. an. ʒ. sem.

Puluerisentur subtilissimè & incorporentur, cum *rob sambuci, iuniperi*, ☿ *nucum, mellis despumti* an. *s. q.* addendo sub finem: *conseruæ acetosæ, cardui bened. scordij, rosarum*, an. ℨ. sem. *ol. è baccis iuniperi* ʒ. sem. *balsami sulphur.* ℈. sem. *myrrhæ*. Drach. i. Misce. F. Electuar.

Quâ ratione ex balsamo sulphur. rotulæ ad pestem præcauendam vtiles parari possint, dictum est in Institutionibus. Quæ efficaciores reddi possunt, si iis extractum helenij vel angelicæ, aut vtrumque addatur, & saccharum in aquâ rosarum optimâ soluatur. V. g. *Balsam. sulphur.*

℞. *Extr. angelicæ, helenij*, an. Drach. i. *balsami sulphur.* ℈. sem. *sacch. albi in aq. scabiosæ & rosar. diss.* Vnc. vi. F. rotulæ.

Io. Baptista Gemma *de rat. cur. bubonis & carbunculi pestil.* hanc compositionem pro summo secreto à Rege Hispaniæ haberi scribit.

℞. *Myrrhæ el. Mastiches, boli Armeni, terræ sigill. ligni aloës, caryophyll. macis, croci, part. aq.* F. Puluis, de quo singulis diebus manè Drach. sem. vel q. s. sumatur.

Crato eundem ita describit:

℞. *Myrrhæ, ligni aloës, terræ sigill. boli Armeni*, an. Vnc. ß. *macis aceto præpar. croci*, an. Drach. ii. F. Puluis.

Commendatur etiam maximè puluis cordialis Banisteri pretiosus; & ad pestem, febres pestilentes, & malignas vtilis.

℞. *Succin. albi præpar.* ℨ. ii. *terræ lemniæ veræ* ℨ. i. sem. C. C. Vnc. sem. *rasuræ eboris*, Drach. v. *corall. alb. præpar. margarit. præpar. lap. Bezoar. santal. citrin. semin. citri* an. Vnc. sem. *cornu Vnicor.* Drach. i. sem. *cortic. citri* Drac. iii. *ambr. grys.* Scr. i. *fol. auri & argent.* an. ℈. sem. *moschi* gr. viii. F. Puluis. subtiliss. Dosis g. v. vel x.

Vt & alius Rubeus Alexiterius, cuius descriptionem vide apud Libauium, *Tom.* 1. *Syntagm. p.* 169.

Henrici Stapedij, qui ob dexteritatem in curandâ peste celebris est, medicamenta aliquot circumferuntur.

℞. *Sulph. opt. vel flor. sulphur.* ℨ. ii. *camphoræ* Drach. i. sem. *Spiritûs terebinthinæ*, Vnc. iiii.

In cucurbitâ vitreâ liquescant, & f. Mixtura.

Efficacius fit medicamentum, si post digestionem in retortâ vitreâ eliciatur oleum, cuius gutt. ii. vel iiii. cum vino vel liquore aliquo propinari possunt:

℞. *Balsami huius* Vnc. ii. *Theriacæ* Drach. ii. *croci* Drach.

Drach.i.M. & digerantur per dies 14. quo vngantur arteriæ in carpis & temporibus, & loca sub axillis.

Commendatur & hæc eius aqua:

℞. *Theriach, mithridatij,* an Vnc.vi. *pulu. Electuarij de bolo Iuberti, Bezoartici apud Nicolaum,* an. Drac.ii. *spirit.vin.opt. vini maluatici, aceti rosacei* an. ℔.i. *succi radic.pimpinellæ, limonum,* an. Vnc.vi.

Destillantur in B. Liquori qui exstillauit, iterum admiscentur theriacæ ℥.vi. ad vsum seruantur.

Pro pauperibus idem hoc vsurpauit.

℞. *Granor.iuniperi* Vnc.vi. *caricar. pingu. num* xii. *nucl. nucũ iugland.* Vnc.viii. *conseru.fl.borrag.bugloss.* an. Vnc.iiii. *theriacæ, mithridatij,* an. Vnc.ii. *radic.tormentill. gentianæ, pimpinellæ, angelicæ, zedoariæ,* an. Vnc. i. *Cum Syr. de limonibus* F. Electuarium. Item:

℞. *Conditi vel electuarij huius* ℔.vi. *Spiritus vini rectificati, vini maluatici, aceti rutacei, succi radic. pimpinellæ, limonum,* an. ℔.i.

Destillentur in B. destillato liquori adde Theriacæ Vnc.iiii.

Est & efficax Elixir pestilentiale à Crollio descriptũ.

Nonnulli sequens miris modis commendant:

℞. *Boli Armeni, terræ sigillatæ, sigilli Salomonis, rad. heleny, tormentillæ, pimpinellæ, angelicæ, imperatoriæ, sem. erucæ,* an. ℥. sem. *caryophyll. cinamom. ligni aloës* an. Drach.i. *santali rubri* Scr.i. *Theriac.opt.* Vnc.i.

Affundatur Spiritũs vini mẽs.i. Huius mixturæ si manè guttæ aliquot sumantur, 24. horis hominem à peste præseruare ea prædicatur: Infecto verò cochlear.i. ad sudore m ciendum propinandum.

Vel ℞. *Theriacæ* Vnc.i. *Mithridatij, radic. tormentill. fol. dictamn. cretici, scordij,* an. Drac. sem. *rad. dictamn. alb.* Scr.ii. *boli Armeni, terræ sigill.* an. Drac.i. C.C. *vsti, ramentor. Vnicornu,* an. ℨ.ß. *sem. acet. citri, sancti* an. Scr.i. *camphoræ* Drach. sem.

Puluerisanda puluerisentur, & cum syrup. acetosit. citri, F. Elect.

Ferdinandi Imperat. Electuarium contra pestem hoc celebratur.

℞. *Boli Armeni* Vnc. sem. *rasuræ* C.C. *sem. cit. aurantior.* an. Drac.i. *dictamn. alb. cinam.* an. Drac.i. sem. *rad. angelicæ, tormentill. scabiosæ, gentianæ, aristoloch. spec. Elect. de gemmis, margarit. præp. ras. eboris, camphor. oss. de* C.C. *corallor. præp. nucis mosch.* an. Drac. sem. *santalor. omnium* Drac.ii. *cort. citr. condit.* ℥. sem. *Cum Syr. acet. citr.* F. Elect.

Crebra etiam fit mentio apud authores Electuarij camphorati Kegleri, quod ita paratur.

℞. *Rad. tormentill. dictam. alb. nuc. vomic.* an. ℨ i. C.C. *præp.* Drac.ii. *camphor. sacch. can.* an. ℥. sem. *Zingib. albiss.* Vnc.i. *theriac. Androm.* ℥.ii. Misc. pro electuario.

Alij sic parant: ℞. *Rad. tormentill. dictam. nuc. vomic. oss. de* C.C. C.C. *præp. zedoar. boleti ceru.* an. Drac.ii. *camphor. aq. vit, destill.* ℥. sem. *sacch. cand.* Vnc.i. *Zing.* Vnc.ii. *theriac. Androm.* Vnc.v. *syr. acet. citr. parum* F.s.a. Elect.

Antidotus hæc quoque à Recentioribus laudatur.

℞. *Theriacæ* ℔.i. Extrahatur aqua bezoartica, vel spiritu iuniperi tinctura. Feces calcinentur, & cum aquâ cardui bened. sal extrahatur, liquoriq; qui essentiã Theriacæ attraxit, misceatur. Hinc liquor per balneũ destilletur, vt in fundo essentia seu extractum theriacæ maneat, Syrupi consistentiâ. Liquor, qui extillauit, est aqua bezoartica satis efficax. Extracto adde *essentiam corallorum, perlar.* an. Drac.ii. *lapid. bezoar. veri, vnicornu veri,* an. Drac.i.ß. *ambræ, essentiæ è trochiscis viperæ, myrrhæ,* an. Drach.i. Super igne lentissimo misceantur. Vltimò addantur *Olei citri* gutt.vi. *camphor.* gutt.ii. Misce.

De hac antidoto, præseruandi gratiâ, particula pisi magnitudine datur. In curatione Drac.ß. cum aquâ aliquâ bezoarticâ.

Casp Bauhinus, *in fine lib. de lapide bezoar.* antidotum bezoardicam describit ex Francisco Ponâ, Medico Veronensi, diuturnis cogitationibus ab eo concinnatam, & experimentis euidentibus comprobatam, & quâ nulli locus ad præstantiorem excogitandum relictus sit. Quæ ad Drach. i. (quæ est summa dosis,) contra omnia venena efficacissima sit, scrupuli verò vnius pondere confectio quoque die sumpta aduersus omnia venena tueatur.

Descriptio autem eius hæc est.

℞. *Lap. Bezoar. Orient. legitim. Pauonij siue Thaos, Malacensis ex felle hystricis, vnicornu legitimi,* an. Drach. ß. *margar. Orient. præp.* Drac.v.

Et hæ multiplicentur deficiente Thaos & lapide Malacensi pondere eorum. *fol. aur.* num. *L. terræ sigill. legit. boli Arm. lutei Orient. corall. rubr. præp. smaragdi præp.* an. Dra.ii. *rad. scorzon. Hispan.* Drac.vi. *tormentill. mundæ recentis, anthoræ, bistortæ, pentaphyll. contra hierua, angelicæ, pimpinellæ, eryngij,* an. Drach.ii. *cortic. citr. matur. flor. citr. nondum exolutor. in vmbrâ siccator. sem. citr. recent. præp.* an. Drac.ii.ß. *baccar. lauri, iuniperi,* an. Drac.iii. *rutæ, cardui bened. dictamn. cretic. calaminth. montan. scordij veri Cretens.* an. Dra.ß. *agalloch. legitimi, zedoariæ, galang. minoris, cinam. lecti, caryophyll. select. croci opt.* an. Scr.ii. *sem. ocym. caryophyll. amomi veri, rutæ,* an. Drac.ii. *hyperic. altheæ,* an. Dra.iii. *opobalsami legitimi, theriacæ Andromachi, mithridatij, elect. alcherm. de hyacinth.* an. Vnc.ß. *mellis Attici despumati* ℔.ii. Vnc iii. *Misc.* F. Elect. s a.

Sunt alij, qui non minùs pretiosas & operosas compositiones adornant; & qui que suam prædicat. Materia illorum sunt; Extracta ferè ex omnibus vegetabilibus pesti aduersantibus; Olea eorundem destillata; Solutiones ac magisteria margaritarum, gemmarum & corallorum; atque alia tam à mineralibus, quàm animalibus pe tita. Exempli gratiâ.

℞. *Extracti ãgelicæ, valerianæ, helenij, granor iuniperi zedoariæ, tormentillæ,* an. Dra.i. *croci* Scr.ß. *lactis sulphuris* Scr.i. *ossis de corde cerui* Dra.ß. *solution. perlar. corallor. lapidis bezoar. salis rutæ, absinthij,* an. Scr.i. *ol. destill. citri* Scr.ß. *confect. alchermes* Drac.i. *conseruæ rosar. bugloss, tunicis,* an. Vnc.i. *Cum syr. acet. citr. vel tunicis q.s. admiscendum:* de quo singulis diebus sumatur portio, quæ ii. pisa magnitudine æquet. Minùs operosa & pretiosa ex vno atque altero extracto parantur: vt

℞. *Extr. cardui bened. scord olsenichij,* an. Dra.ß. *ol. dest. angelicæ,* Scr.ß. *sacchar. in aq. scordij dissol. q.s.* F. rotulæ.

Alij, nec sine causâ, aceto extracta parant. Vt:

℞. *Rad. angelicæ, valerianæ, olsenichij, zedoariæ, scorzoneræ, tormentillæ,* an Vnc.i. *fol. scordij, cardui bened. dictamni. veronicæ, rutæ,* an. Vnc.ß. *cortic. citri, baccar. iuniperi,* an. Vnc.i. *sem. citri* Vnc.ß. *Affunde aceti destill. q.s.* F. Extractũ. Cui adde *ol. destill. citr.* Scr.ß. *salis fraxin, absinth.* an. Drac.i. Dosis à Drac.ß. *ad* Drac.i.

Cùm verò infantibus vehementer siccantia, vt & theriacam ac Mithridatium exhibere non liceat, iis conuenient pulueres ex radicibus tormentillæ, C.C. margaritis ac similibus. Vt: *Infantibus commoda medicamenta.*

℞. C.C. *vsti, crudi, boli Armeni,* an Vnc. sem. *terræ sigill.* Drac.ii. *coral. rubr. præp. margarit. præp.* an. Drach.i. *spec. liberant. s. aloë,* Drac. sem. *Cum sacch.* F. puluis vel rotulæ. Vel tales rotulæ pueris parari possunt:

℞. *Sem. sancti* Drach.ii. *cortic. citri, rad. tormentill.* an. Drac.ß. *boli Armeni, terræ sigill.* an. Dra.i. *corall. rubr. præp. oss. de* C.C. an. Drach. sem. *sacch. in aq. scabiosæ vel card. bened. dissol. q.s.* F. Rotulæ.

Pro grauidis, quæ & ipsæ fortia medicamenta non ferunt, tale parari potest. *Grauidis vtilia medicamenta.*

℞. *Rasuræ eboris,* Vnc. sem. *corall. rubr. præpar. margar. præp.* an. Dra.ii. C.C. *vsti præp. spec. diamarg. cal. confect. cordial. temp.* an. Dra.ß. *zedoariæ, nucis mosch.* an. Drach.i. F. Puluis, vel cum sacch. rosar. tabulæ.

Vel ℞. *Conseru. borrag. bugloss. ros.* an. Vnc i. *cort. citri condit.* Vnc. sem. *spec. diamarg. frig.* Dra. sem. *cordial. temperat.* Scr.i. *fragm. lapid. pretios.* an. Scr.ß. *boli Armeni, zedoariæ, tormentill.* an. Dra. sem. *croci* Scr.i. *Cum syr. de cort. citr. s. moscho & syr. de acetositate citri.* F. Electuarium.

Vel ℞. *Aq. cydonior. recens destillat.* ℔. i. sem. in

in quâ bulliant vase clauso *radic. tormentill.* Drac. iiij. in colaturâ dissolu. *conseruæ flor. tunicis*, Vnc. ij. *rosar.* Vnc. i. Iterum colentur. Adde *syr. de cortic. citr. acetos. citri*, an. Vnc. i. sem. F. potio clara.

*De vsu calidorum medicamentorum contra pestem admonitio.*

Verùm cùm talia passim extent plurima, in his immorandum non est. Duo saltem adhuc monenda censemus. Primò, licèt vt antea quoque dictum, medicamenta præseruantia in qualitate, quâ pestilenti veneno resistunt, conueniant: In primis tamen qualitatibus, quæ occultis illis coniunguntur, non paruam esse discrepantiam; Ideóque temporis & ætatis in iis eligendis habendam esse rationem. Experientia enim docuit, eos, qui tempore æstiuo & calido, grassante peste, nimis calidis medicamentis, inprimis ipsi calidioris naturæ, frequentiùs vsi sunt, in autumno, in graues tertianas & quartanas febres aliósque periculosos morbos incidisse. Quapropter vsus calidorum eiusmodi medicamentorum moderatus sit. Et temperata medicamenta omnibus naturis & temperiebus magis accommodata sunt. E quorum numero hoc esse potest.

℞. C. C. *vsti præpar.* Drac. i. *oss. de* C. C. *rasuræ eboris*, an. Drach. ß. *terræ sigill.* Drac. i. *vnicornu, margarit. præpar.* an. Drach. ß. *fragm. hyacinth. smaragdi, rubini præparat. oculor.* ♋ an. Scr. j. *lapid. bezoar.* Scrup. ß. *sem. citri, Acetosæ, rad. dictamni*, an. Drach. j. *santalor. omnium*, an. Scr. i. *sem. ocymi* Drach. ß. *macis in aceto macerati & exsiccati* Drach. i. F. Puluis.

Et cùm calida omnia, nonnullis, quòd spiritûs inflamment, atque incendant, atque hóc modo cum febre pestilenti consentiant, suspecta sint, radices omnes ferè calidas, vt angelicæ, valerianæ, zedoariæ, Imperatoriæ, leuistici, aceto priùs præparant; vel in aceto radices angelicæ, leuistici, zedoariæ, rutam, saluiam, atque alia macerant, & manè cochlear j. tutiùs, quàm aquam theriacalem exhibent.

Vel ℞. *Theriacæ* ℔. i. Extrahatur cum aceto destill. postea destillando acetum separetur. *extracti* Drach. i. Adde *oculorum* ♋, *vnicornu, lapidis bezoar.* an. Scr. ß. Misce.

De hac mixturâ sumendum instar grani tritici manè & vesperi, cùm cubitum itur, & superbibendum cochlear aceti bezoartici.

Eodem modo ex speciebus liberantis & aliis quibuscunque speciebus ac pulueribus, in quibus vis calefaciendi suspecta est, cum aceto extracta parari possunt, & cùm de extracto, tum de aceto præseruationis gratiâ aliquid sumi.

Atque hac ipsâ de causâ commendatur Spir. vitriol. qui aliis quoque calidioribus medicamentis commodè admiscetur, vt:

℞. *Olei macis, nucis mosch. distill. spiritûs terebinth. balsa. Orientalis*, an. Scr. sem. *spiritûs vitriol.* Scr. ii. Misce, *de quo* gutt. i. *vel* gutt. ii. *cum syrupo Granatorũ vel acet. Citri exhibentur.* Et extracta reliqua vtiliter cum aceto præparantur, atque omnia calida acidis corriguntur.

Deinde ne in morbo tam periculoso nouis & inexpertis nimiùm fidamus, sed efficacissima & vsu longo probata vsurpemus, monent nonnulli & hoc, vni alexipharmaco perpetuò inhærendum non esse, sed mutanda interdum alexipharmaca, ne natura vni assuescat, id immutet, atque ita parum ab eo auxilij percipere possit; & vt, (cùm pestilentiæ grassantis definita natura lateat,) si plura vsurpentur ab iis, quod ab vno non potest, sperari possit.

Atque hæc de præseruatione sufficiant. Illud saltem addimus, cùm ea felix habeatur ciuitas, quæ tempore pacis ea, quæ belli sunt, cogitat: quisque dum sanus est, ita & animæ & corpori prospiciat, vt si fortè grauissimo hoc morbo corripiatur, animam, &, si Deo placuerit, ipsum etiam corpus ab omni periculo seruare possit. Itaq; primò à Deo peccatorum remissionem petet, vitam emendabit, & pretiosum illud, vt Ignatius, *in Epistolâ ad Ephesios.* eleganter nominat, φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, καθαρτήριον ἀλεξίκακον sibi comparabit: deinde, vt necessaria ad pestilentis huius morbi curationem remedia semper in promptu habeat, operam dabit.

---

## CAPVT VI.

### *De Curatione Pestilentiæ.*

CVrationem quod attinet, de eâ quoque sunt dissentientes Medicorum opiniones. Nam quidam Alexipharmacis vel solùm vel maximè confidunt: Alij præterea, vt in aliis febribus, venæ sectione & purgatione opus esse censent. Cùm verò, vtra opinio verior sit, scire summoperè vtile sit, & leue aliquod erratum commissum in peste curandâ irreuocabile damnum pariat, diligenter de eâ re disquirendum.

Vt autem id rectè fiat, Indicationes in conspectu habere oportet. Pestis autem per se & quatenus occultus morbus, venenatæ ac malignæ qualitatis ac dispositionis per contrariam qualitatem alterationem ac destructionem: causæ verò internæ veneni per inspirationem aut contactum hausti, tum huius vi generatarum pestilentium ἀποκρίσεων eradicationem & seu per διαφόρησιν seu per sudorem discussionem indicant. Atque hinc patet, pestem per se, neque venæ sectionem neque purgationem indicare: aliis tamen de causis, aliasque ob circunstantias quandoque admitti possunt.

Et primò quantum ad venæ sectionem, testantur plerique doctissimi Medici, qui & ipsi in hac re obseruandâ diligentiam adhibuerunt, & quid alij obseruauerint, fideliter inquisiuerunt, plures, quibus vena non aperta est, quàm quibus secta fuit, euasisse; ideóque censent, minùs peccari in peste curandâ, si venæ sectio omittatur, quàm si incautâ adhibeatur: tutiorémque esse in venæ sectione adhibendâ timiditatem, quàm audaciam. *Vena secti*

Ambros. Paræus, *de peste cap.* 24. refert anno 1565. cùm pestis per totam Galliam ferè grassaretur, se ex omnibus vrbium, per quas Regi Carolo nono Bayonem iter erat, Medicos & chirurgos diligenter & studiosè sciscitatum esse, quid ægris successisset in purgatione & phlebotomiâ: atque omnes vna voce respondisse, obseruâsse se sedulò; omnes peste correptos, quibus liberaliter sanguis detractus fuerat, & corpus valdè purgatum, deteriùs inde habuisse, tandémque interiisse: reliquos, quibus solis alexiteriis prouisum esset, ferè cunctos euasisse. Idem testatur Cornelius Gemma, Fallopius, Conradus Gesnerus, Ioh. Bauhinus. Fatetur & ingenuè Roder. Fonseca *de sanit. tuend. capite* 27. ex multis, quos malignâ febre in hospitali curauerat, plures mortuos fuisse quibus sanguis sectâ venâ missus fuerat; pauciores, in quibus abstinuerat. Et P. Forestus refert, in peste Delphensi, quæ anno 1557. grassata est, eos, quibus post duodecim horas vel diem naturalem vena aperta fuisset, mortuos esse; vel admodum paucos ex iis euasisse. Neque aliter fieri potest. Nam si naturam pestilentiæ consideremus, & contrà naturam venæ sectionis, & cuius gratiâ adhibeatur, perpendamus: liquidò constabit, pestilenti veneno non opponi venæ sectionem, neque per venæ sectionem illud educi posse: imò facilè fieri potest, vt vires, quæ aliàs in hoc morbo valde periclitantur, intempestiuâ venæ sectione labefactentur, naturæque motus in expellendo veneno impediatur, illúdque introrsum rapiatur.

Etsi enim Lud. Septalius *in animaduers. medic. lib.* 5. *num.* 36. scribit, in peste illâ insigni, quæ Mediolani anno 1575. & 1576. grassata est, se cùm aliis medicis primò quidem venæ sectionem auersatum fuisse, verùm cum ex sententiâ curationes non succederent, mutatâ sententiâ aliorum exemplis &

& felicioribus ſucceſſibus excitarum, venæ ſectionem poſtea feliciter adhibuiſſe, tamen id ad omnem peſtilentem conſtitutionem trahi non poteſt. Addit enim ipſe, *ibid.* Septalius quòd peſtis ea non ex vniuerſali aeris corruptione orta fuerit,ſed Contagione communicata, ſalubri alioquin cœlo & anni conſtitutione ſaluberrimâ, & rerum omnium, quæ ad victum faciunt, maximâ abundantiâ,& quòd corpora Mediolanenſium alioqui ſucci plena ſint. Itaque ipſe concedit venam non eſſe ſecandam,ſi peſtis ſit ab vniuerſali aëris corruptione vel victu prauo.

Quapropter non in qualibet peſtilenti conſtitutione, nec in quolibet corpore ſanguis mittendus: ſed ſi ea deprehendatur in corpore aliquo ſanguinis copia, vt metuendum ſit, ne putrida febris vehemens, à quâ æger non minùs, quàm ob ipſam peſtem periclitari poſſit, accedat; aut ſanguinis ad loca inconuenientia impetus animaduertatur, vnde peſtis curatio impediri aut retardari poſſit, aut, quod Fallopius addit, ſi bubo delituerit, viréſque potiùs ſint copiâ oppreſſæ, quàm diſſipatæ: tum demum ſanguinis miſſionem inſtituere licet; tantam tamen, quantam vires ferunt. Et quidem mox in principio inſtituenda eſt venæ ſectio, intra 12. horarum aut non multo plurium ſpatium.Quibus elapſis,venæ ſectio ampliùs non conuenit.

In venâ autem aperiendâ obſeruandum, an dolor aliquis alicubi in corpore appareat, necne. Nam ſi nullus vllibi dolor animaduertatur, vena aliqua in brachio communis aperiatur. Si verò dolor alicubi deprehendatur (vbi bubo vel Carbunculus ſit erupturus) in eo latere vena aperienda, & quidem ea, quæ naturæ motum adiuuet, non impediat. Ideóque ſi parotis poſt aures, vel bubo ſub axillis, aut carbunculus in partibus ſuperioribus erumpat, in brachio eiuſdem lateris vena aperienda. Si autem circa inguina naturam aliquam expulſionem moliri animaduertamus, Saphænam vel aliam pedis venam eiuſdem lateris aperire commodum eſt. Si tamen carbunculus in alterutro crure oriatur, cùm is inflammationem & dolorem vehementiſſimum, quo vires deiiciuntur, excitare ſoleat, commodum eſt, in oppoſito crure venam aperire. Neque enim hoc modo materiæ motus impeditur; ſed ita etiam à partibus ſuperioribus materia versùs inferiora trahitur, ſimul verò nimius ad locum affectum affluxus & inflammationis augmentum prohibetur. Monent etiam quidam, ſi carbunculus vel bubo appareat, antequam venæ ſectio inſtituatur, priùs cucurbitulam tumori applicandam eſſe, ne venenum, quod natura ad exteriora expulit, venæ ſectione ad interiora reuocetur.

*urgatio.* De purgatione in peſte curandâ non minor eſt controuerſia. Verùm ne prolixè hac de re diſputemus. Hoc primò tenendum, Nullo purgante medicamento, vt Cratonis verbis & ſententiâ vtar, ſeminarium peſtis eiici; niſi fortaſſe magnâ naturæ commotione factâ, quod fit ſatis periculosè, cum Antimonio & ſimilibus, quorum vſu natura irritata cum noxiis quoque vtilia eiicit. Nimirum licèt fieri poſſit, vt natura fortioribus medicamentis, præcipuè ex ♁ & ☿ paratis, irritata, humores vitioſos è corpore expellat, atque vnà, quod eos occupauit, peſtilens venenum eiiciat, indéque ægri ſanentur: Hoc tamen ex accidente fit, in naturis quibuſdam fortioribus: Ipſum verò purgans medicamentum primariò peſtilenti veneno non opponitur: Imò ſæpe talia purgantia plurimùm nocent. Nam cùm Natura plerumque venenum peſtilens ad ambitum corporis expellat, purgatione hic motus materiæ impeditur, venenúmque peſtilens ad interiora retrahitur, humoribúſque magis permiſcetur. Ideò & humorum motu concitato periculoſæ, imò lethales, vomitiones & diarrhœæ excitantur. Quapropter inprimis in Alexipharmacis, non in purgatione ſalutis ſpes,poſt Deum,in peſte collocanda: quæ ſi rectè adhibeantur, purgantibus ſæpe opus non eſt. Interdum tamen etiam poſt alexipharmaca,purgantia vſurpanda.

Duo enim hîc perpendenda. 1. diligenter corporis conſtitutio, quod peſte corripitur, conſideranda; & quomodo poſt Alexipharmacum ſumptum ſeſe æger habeat, qualiſque febris peſti accedit, attendendum. Nam ſi corpus purum ſit, nec de febre aliquâ putridâ periculoſâ metus, ſola Alexipharmaca ſufficiunt, atque vnicè danda opera, vt per ſudores peſtilens venenum diſcutiatur, & per ambitum corporis, quæ via eſt commodiſſima, eiiciatur: ſicut ſæpe compertum eſt, homines à peſte vnico ſudore largiore liberatos fuiſſe. Si verò corpus Cacochymicum ſit, & metuendum idem ferè periculum ex febre putridâ atque à peſte: poſt ſumptum Alexipharmacum, medicamentum purgans exhibere inutile non eſt, vt pars aliqua materiæ putredinem concepturæ, febrémque aucturæ ſubtrahatur, vt natura reliquum faciliùs vincere poſſit.

Deinde & illud conſiderandum; An peſtis, quæ graſſatur, magis ab aëris vitio aut contagio ortum habeat, An verò potiùs ab interno humorum vitio dependeat; vt fit poſt annonæ caritatem. Nam ſi ab aëris, qui inſpiratione attrahitur, aut contagij venenoſitate, Spiritûs vitales inficiente, peſtis ortum habeat, purgatione opus non eſt, ſed alexipharmaca ſufficiunt:niſi forſan peſtis in corpus valde cacochymicum incidat.Tum enim interdum Purgatio non inutilis eſt, licèt non peſtis, ſed febris tantùm putridæ ſubſecuturæ ratione.

Si verò, quod interdum fit, ab internâ humorum corruptione Peſtilentia maximam partem ortum habeat: purgationem inſtituere non ſolùm vtile, ſed & neceſſarium eſt. Nam ſi corpora prauis & corruptis humoribus ſcateant, purgatio inſtituenda eſt, ne illi aliorum medicamentorum vſu inflammentur, aut ab humoribus corruptis venenum fortius euadat, ac ſeſe latiùs diſſeminet, aut humores illi copioſi agitati in nobilem aliquam partem irruant, & inflammationem lethalem, pleuritidem, phrenitidem, anginam vel aliud periculum creent, & omninò ne febris putrida periculoſa accendatur. Vnde, ſi purgatio omittitur, licèt peſtilentis veneni vires per Alexipharmaca fractæ ſint, malum non rarò in alium, non minùs periculoſum morbum degenerat.

Qui verò ſolùm purgantibus initiò exhibitis venenum peſtilens è corpore tollere conantur, fruſtra laborant, imò ægrum in vitæ diſcrimen coniiciunt. De quâ re pluribus, dictum in Inſtitut. *lib.5. part.2. ſect. 1. cap. 6.* Quia tamen Lud. Septalius, *animadu. medic. lib. 5. num. 46. & ſeqq.* acriter defendit, in peſtis curatione à purgatione inchoandum, à ſudoriferis verò omninò abſtinendum eſſe; eius opinionem adhuc examinare libet. Vtitur autem mox in principio diſtinctione Septalius, & ſi peſtis per contagium vagetur ac hominibus optimè ſanis communicetur, à purgantibus abſtinendum cenſet; cùm ſi exhibeantur, carnes colliquent, bonos humores euacuent, ſpiritûs exhauriant, & vires vitales deſtruant. Si verò corpus prauis humoribus refertum ſit,omninò purgandum eſſe cenſet, præſertim cùm noſtrâ ætate tot medicamenta purgantia inuenta ſint, quæ neque venena ſunt, neque venenatam naturam participant, neque exceſſu caloris igneum febris æſtum adaugere, neque etiam alui fluorem concitare ſolent.

Et quidem ſtatim initiò aut ſaltem ſecundo die purgandum putat, ídque ideò primò, quòd materia hæc cruda, cuius purgationem prohibet Hippocrat.

pocrat.1.*aphor.*22.non ſit,vtpote quæ coctionem nullam recipere poteſt; (cruda enim ea dicuntur, quæ coctionem recipere apta non ſunt,) ſed ſummoperè corrupta, quæ ad ſtatum meliorem nullum reduci poteſt. Deinde quòd maxima ex parte turgeat, & principes partes impetat, vt ex variis, quas natura tentat, excretionibus, per aluum, vomitum, per ſudores, per vrinas,per cutis efflorefcentias, per carbunculos & bubones videre eſt. Imò etſi non turgeat, ſtatim tamen euacuandum eſſe docet materiam peſtilentem, ne reliquos humores inficiat & corrumpat. Et fruſtra expectari coctionem, quæ nulla futura ſit. Neque etiam vlla mala & incommoda à purgantibus metuenda cenſet, quæ à crudâ euacuatione ſequi docet Galenus, 1. *aph.* 22. & 2. *aph.*9. Alexipharmaca verò fruſtrà exhiberi putat corpore non purgato; cùm vires ſuas, corpore non purgato, ad cor mittere non poſſint, ſi natura ipſa nullum ſudorem mouere tentet, ſed expectandum potiùs eſſe, donec natura ipſa aliquid moliatur.

Verumenimuerò acceptamus hoc primò, quod Septalius concedit in peſte, quæ corpora ſana & vitioſis humoribus non referta per contagium inuadit, à purgantibus abſtinendum eſſe. At peſtem iſtam frequentiſſimam eſſe putamus. Et proinde etiam rectiſſimè tunc ab alexipharmacis,cùm purgantia locum non habeant,eſt faciendum curationis initium.

Ergò quæſtio ſaltem eſt de corporibus prauis humoribus refertis, an ſi ea peſte corripiantur, à ſudoriferis vel purgantibus faciendum ſit initium. Quæ noſtra ſit ſententia, iam antea dictum. Lud. Septalij verò opinio parùm firmis rationibus nititur. Nam ſit ſanè, vt praui & corrupti humores adſint, tamen ab iis, quatenus ſolùm corrupti & putridi ſunt, natura peſtilentiæ non conſtituitur, ſed quatenus venenum coniunctum habent, à quo maius, quàm à putredine, imminet periculum. Venenum autem non indicat purgans, ſed alexipharmacum. Et quia à veneno peſtilenti maximum periculum imminet, ei primùm alexipharmaca opponenda, poſtea de purgantibus, quæ cacochymia requirit, diſpiciendum. Et ſit ſanè, vt humores tales nullam coctionem admittant, tamen non purgantia indicant, quatenus venenati. Sit etiam, vt putridi purgationem indicent, de tempore tamen adhuc quæſtio eſt, & ante alexipharm. ſumpta purgandi ſint. Nihil etiam huc facit aphoriſmus 22. *ſect.*1. Ibi enim tractatur ab Hippocrate de humoribus qui purgatione indigent, docétque humores in febribus putridis acutis crudos non purgandos eſſe initiò, niſi turgeant. At peſtilens humor, quatenus talis, purgationem non indicat, ideóque nec quæri poteſt, an in principio, vt turgens, purgandus ſit; cùm nullo modo purgationem indicet. Et quamuis ſæpe vomitûs, alui profluuia, maculæ, carbunculi & alia in peſte accidant, tamen illi motûs non ſemper naturæ opera ſunt, ſed potiùs à prauitate materiæ, vt in aliis venenis, accidunt. Et vbi naturæ operâ fiunt, ea quidem adiuuanda eſt, ſed per alexipharmaca, non purgantia, quæ humores turbant magis, & venenum cum iis plus permiſcent, ab externis ad interiora reuocant, viréſque deiiciunt, & ſæpè periculoſas & lethales alui fluxiones concitant. Ab alexipharmacis verò tale periculum non imminet, ſed quod venenatum eſt,& mortem acceleraturum erat, impugnant & expellunt, naturámque à ſummo periculo liberant, vt humores poſtea vitioſi faciliùs & commodiùs expurgari poſſint.

*Methodus curandi peſtilentiam.* Tutiſſima ergò peſtilentiam curandi ratio ſummatim hæc erit. Si peſtilentia aliquem inuaſerit, Deo in auxilium primùm inuocato, mox ad alexipharmaca & ſudorifera confugiendum, neque vllo modo curatio differenda. Atque exiſtimo tot homines peſte ſæpe interire, quòd pleríque tardiùs alexipharmaca vſurpent, multóſque poſſe ſeruari, ſi ea citiùs, & antequam venenum humores corrumpere incipit, aſſumerent. Aliquoties enim obſeruaui hic in peſtilentibus conſtitutionibus, quoſdam, cùm ſe infectos ſenſiſſent, ſtatim ſumptis alexipharmacis ad ſudorem ſe compoſuiſſe, & poſtea nihil mali ampliùs paſſos eſſe, ſed poſtridie ad conſueta negotia rediiſſe. Contra ſi curatio protrahatur,& horæ 8. vel 12. iam elapſæ ſint, antequam medicamentum aliquod propinetur, centeſimus vix euadit.

Poſt primum ſudorem porrò diſpiciendum, an corpus ſit plethoricum, & venæ ſectio requiratur. Tum enim ea ſine omni mora intra horas duodecim aut certè ante 24. inſtituenda. Verùm quia plerumque Medici tardè conſuluntur, & inuaſionis principium non ſemper obſeruatur; ac propterea virium lapſus præceps vt plurimum adeſt: plerumque conſultius eſt, venæ ſectionem intermittere, quàm incautè & cum periculo ægri eam inſtituere.

Alexipharmacorũ autem antea, vbi de præſeruatione egimus, magna copia propoſita eſt, è quibus efficaciſſima & vſu probata eligenda ſunt: cùm periculum hîc facere ſine periculo non liceat; & in peſte inefficacia atque inutilia remedia adhibita ægrum in vitæ diſcrimen coniiciant, atque exitiales affectûs ne leuiſſimum quidem errorem ferant, vt rectè Galenus, *lib.*10. *meth. med.cap.*11. ſcribit.

*An lapis Bezoar in peſt. vtilis ſit.* Ac proinde non immeritò quæritur; An in curandâ peſtilentiâ lapidi Bezoar quoque locus ſit? Diſſentientes authorum opiniones collegit Gaſpar Bauhinus, *de lapide Bezoar. capite* 34. & c. 36. hiſtorias plures recenſet eorum, qui lapide hoc feliciter vſi ſunt: Contra c. 37. eorum, qui hunc lapidem non magnifaciunt, ac ſine fructu vſurpârunt, hiſtorias recenſet. Vt inde non facilè videre ſit, vtri parti fides ſit adhibenda.

Ego cùm illorum, qui eum profuiſſe teſtantur, fidem planè in dubium vocare nolim, tres cauſas eſſe exiſtimo, cur idem effectus ab eodem non ſemper proueniat. Primò, quod genuinus ſemper non habeatur. Vt enim de aliis, quæ de adulteratione huius lapidis habentur, apud Bauh. c.25. non dicam, in equis reperiuntur & ab iis excernuntur lapides, qui colore & ſubſtantiâ lapidem Bezoar planè referunt, vt videre eſt apud eundem Bauhin. c. 14. Mindererum, *de peſtil. cap.* 15. Cùm enim ſcriptores rerum Indicarum referant, hos lapides apud ipſos Indos raros & magni pretij eſſe: mirum certè, tantam hodie eorum copiam ſuppetere. 2. Bezoar, ob magnum eius pretium, ſæpiùs exiguâ quantitate, & vix vnius atque alterius grani pondere exhibetur; cùm ad VII. x. & XII. exhiberi poſſit, imò in morbis periculoſis debeat. 3. Quod rerum aliarum admixtione eius effectus impediri poſſit. Sæpè enim rerum occulti, hominibúſque parùm perſpecti diſſenſûs ſunt, ob quos effectûs quos ſingula ſeorſim habent, in mixtione impediuntur.

Ergo vt hæc concludam. Licèt verum lapidem Bezoar non contemnendum cenſeam, ne contra experientiam pugnare videar, tamen niſi forſan lapis iam ante probatus in promptu ſit, in peſte, morbo acuto & periculoſo non facilè huic ſoli fidendum. Nam cùm magni pretij hic lapis ſit, impoſtorum diligentiam in eo adulterando vel falſo ſubſtituendo, occupari probabile eſt, & ſi in promptu genuinus habeatur, tamen pauperiorum res anguſtæ eum non admittunt.

*De recto vſu lapidis Bezoar. Lapis Bezoar ſæpiſſimè non præſtat, quod præſtare debet.* ¶ [ Variè diſputatur à Medicis de efficacia lapidis Bezoar, præcipuè de vi eius in peſte curanda, dum alij eum ſummis laudibus extollunt, alij non adeò magnifaciunt. Sed verum eſſe, quod *lib.* 4. *de Febb. cap.* 6. ſcripſi, quòd nimirum lapis hic non ſemper præſtat, quæ multi pollicentur, cauſam eſſe, primò quòd non ſemper genuinus habetur; deinde quòd ob pretium magnum

magnum plerumque nimis parua quantitate exhibetur, teſtatur hiſtoria, quam refert Zacutus Luſitanus; *de Pr. med. Adm. lib.* 3. *obſ.* 86. vbi narrat, fœminam quandam incidiſſe in febrim maligniſſimam, deterrimis comitatam ſymptomatibus, inter quæ & hoc fuit, quòd tribus diebus ſexaginta duos lumbricos per os excreuit; & ex contagio familiares omnes eodem morbo correptos fuiſſe, atque omnes periiſſe, quibus lapis bezoar in parua quantitate fuit exhibitus: dominam autem, cùm maximam eius aſſumeret quantitatem, interdum vno hauſtu ℥.j. euaſiſſe, licèt periculoſiùs, quàm reliqui, laboraret; atque eodem modo & alios curatos fuiſſe.

*Hiſtoria Zacut. Luſitan.*

Eadem ferè de Vnicornu ratio eſt. Nam quid illud ſit, quod paſſim in Theſauris quaſi aſſeruatur, & in magno pretio, nomine Vnicornu habetur, vix aliquis certò affirmare poteſt. Ideóque vitam & ſumptûs hoc medicamento in periculum adducere, conſultum non eſt, cùm alia non minùs efficacia & vſu probata remedia ſuppetant; quæ ſuprà enumerata ſunt.

*Vnicornu.*

Mindererus magis Smaragdum laudat, doſi gr. vi. vel vij exhibitum, atque hunc puluerem momentaneâ quaſi vi mira præſtitiſſe ſcribit:

*Smaragd.*

℞. *Smaragdi præpar. lapid. Bezoar.* an. gr. vij. *hyacinthi præpar.* gr. iij. F. Puluis.

Non ſine fructu & iſtum olim peſte hîc graſſante exhibui:

℞. *Lap. Bezoar. opt.* gr. xij. *oſſis de corde C.* Scr. j. *Smaragdi præpar. hyacinthi præpar.* an. gr. vij. F. Puluis.

Qui diuidatur in partes duas, atque exhibeatur cum aquâ aliquâ conueniente.

Plurimi & camphoram commendant, quòd valde putredini reſiſtat, & venenoſos halitûs diſcutiat. Hinc celebratur hic puluis D. Heſſo adſcriptus:

*Camphora.*

℞. *Sacchar. cand.* Drach. iii. *zinzib. albi,* Drach. ii. *camphoræ,* Drac. i. F. Puluis. Doſis Drach. i.

Qui cum aquâ conueniente, commodiſſimè verò exhibetur cum decocto Tanaceti, cum aquâ acetoſæ, & dimidiâ parte Aceti parata.

Verùm ſatis efficacia medicamenta, vt dictum, ſuprà ſunt propoſita, Vnum atque alterum tamen adhuc addere libet. Ex theriacâ & flor. Sulphur compoſitis elegans & vtile medicamentum concinnauit Nobiliſſimus & Celeberrimus ille Mathematicus, Tycho Brahé, cuius compoſitionem peculiari Epiſtolâ Rudolph. II. Imperatori Auguſtiſſ. communicauit, quam integram hîc inſerere libet.

### *Auguſtiſſime & Potentiſſime Imperator,*
## RVDOLPHE,
### Domine Clementiſſime.

*Epiſtola Tychonis Brahé ad Rudolph. Imp. continens deſcriptionem Alexipharm.*

DEſcriptio Medicamenti, quod contra morbos Epidemios paſſim nunc graſſantes, Dei dono, efficax eſt, quale Sacra Cæſarea Maieſtas tua clementiſſimè per ſuum Capitaneum Brandeiſenſem à me expetiit, in hunc modum, prout ipſemet adinueni, & comprobaui, ſe habet.*

*Accipiatur primum pro corpore & fundamento Theriacæ Venetæ optimæ & veteris, aut potiùs Alexãdr. lib. vna, cui in vitro oblongo ſatiſque capaci ſuperfundatur Spiritus vini, è generoſo vino, ternâ diſtillatione & rectificatione moderato calore elicitur, vt extet ſupra theriacam ad quantitatem palmæ. Poſteàque bene obturato vitro, ne ſpiritus exhalet, fiat digeſtio in tepido balneo per ſeptimanam. Quâ peractâ materia omnis, quæ in vitro eſt, filtretur per bibulam chartam, vt ſeparetur purum ab impuro, liquórque admodum rubicundus & pellucidus, qui in hac filtratione prouenit, indatur cucurbitæ vitreæ, & ſuprà poſito Alambico cum ſuo recipiente, atque vtrobique bene clauſis de more vitris fiat lenta deſtillatio in balneo mediocriter calido, nec æſtuante, donec ſpiritus vini in receptaculum guttatim euocatus materiam ſiue eſſentiam theriacæ in fundo cucurbitæ vitreæ inſtar mellis liquidi, colorem tamen ad ſubrufam nigredinem tendentem obtinentis, relinquerit. Spiritus autem ille vini Theriacalis per ſe in vitro bene clauſo conſeruari poterit, & parum manè, vbi lubuerit, de eo ſumi, inſtar alterius aquæ vitæ. Habet enim in ſe aliquid de volatili eſſentiâ theriacæ, ideóque præſeruatiui loco eſt, præſertim ſi ex oleo iuniperi ſulphurato, de quo mox dicemus, bis vel ter vlteriùs in balneo exaltatus fuerit. Porrò eſſentia illa Theriacæ, quæ in fundo remanſit, ſic efficacior reddenda. Sumatur ſulphuris è cholcotare puro ter ſublimati, & quartâ ex aloë, Myrrhâ & croco ſemel leuiter ſine aduſtione eleuati quarta pars libræ; huic ſuperfundatur in cucurbitâ vitreâ oblongâ de oleo Baccarum iuniperi, quod purum & in balneo rectificatum eſt, tantum, vt ſupereemineat quatuor digitis. Poteſt etiam addi oleum ſuccini in balneo ter rurſus deſtillatum, & ab odoris vehementiâ liberatum, vt ſit eius quarta pars reſpectu olei iuniperini, éſtque ſic melius: ponatúrque bene clauſo vitro in fornace cinerum, vbi ſtet in tepidâ digeſtione per quatriduum. Eliciet interim oleum iuniperi è floribus illis ſulphuris rubicundiſſimam tincturam & optimam eorum eſſentiam in ſe attrahet. Fiat & hic ſeparatio filtratione, prout antea. De puro autem & rubicundo liquore, qui papyrum bibulam tranſiuit, addatur duodecima pars eſſentiæ Theriacæ priùs confectæ, ita vt hæc duodecim vicibus oleum illud iuniperi ſulphuratum excedat: Mox ſimul digerantur in tepenti balneo in phialâ oblongâ bene obturatâ. Poteſt tamen iis priùs aliquid addi de extracto Rad. Angelicæ, ſale abſinthij puro & eſſentiâ carabis albi, his tribus ſimul mixtis & pro decimâ ſextâ parte priori liquori iunctis, poſteàque vti dictum, ſimul in digeſtione collocatis, idque per octiduum. Superaddere etiam conducit ante digeſtionem de priùs reſeruato ſpiritu vini Theriacali tantum, vt tribus digitis ſuperſtet. Digeſtione hac peracta fiat denuò ſeparatio impuritatum intrinſecarum per filtrationem ſupradictam, & ſpiritus vini additus ſeparetur in balneo, lentiſſimo igne, donec materia in fundo remaneat, inſtar picis liquidæ, quæ, ex Dei benignitate, præſens eſt remedium contra luem Epidemiam, octo, decem, vel duodecim guttis, pro ratione patientis in aquâ aliquâ competenti, vtpote Prunellæ, Angelicæ, aut Cardobenedicti cochleari vno intrò aſſumpta, idque ſtatim ac morbus ſentitur, antequam per ſomnum virus cor occupauerit, poſteàque ſudore per aliquot horas, quò diutius, eò melius, elicito. Si manè quolibet ieiuno ſtomacho de hac medicinâ duæ vel tres guttæ in vino abſinthiaco vel quouis alio appropriato liquore aſſumantur, præſeruatiui eximij loco eſt.*

*Poteſt verò hæc ipſa Medicina, per ſe omni auro præſtantior, adhuc magis exaltari per additionem tincturæ coralliorum, ſapphyri & hyacinthi & margaritarum materiæ reſolutæ, tum quoque auri potabilis, ſi modò verum & genuinum ac corroſiuis rebus non inquinatum & corruptum, haberi poſſit, ita vt de ſingulis hiſce ſcrupulus vnus priùs confecto medicamento adiungatur miſceatúrque.*

*Quin & vniuerſalius vt hoc reddatur medicamentum ad omnes morbos, qui per ſudorem curari poſſunt, qualis fermè eſt tertia pars omnium eorum qui humanum corpus infeſtant, ſic procedendum.*

*Antimonium ſelectum in regulum purum ter vel quater reiteratâ fecum abiectione redigatur, poſteàque contuſo & puluериſato regulo per cucurbitam terream ignem fortem ſuſtinentem ad latus diſpoſitam impellatur forti igne & ſucceſſiuè adaucto alchol antimoniale in aliam cucurbitam terream recipientis loco appoſitam, donec totus fermè regulus Antimonij inſtar pulueris ſubtiliſſimi vas antepoſitum ſubierit. Hoc Antimonij Alchol poſtea in vaſculis quibuſdam reuerberationi idoneis, & ignis vim perferentibus benèque argilla munitis, imponatur in reuerberatorium clauſum, ita vt flamma infrà ac ſuprà tranſeat, ipſa autem vaſcula concluſa non attingat; & fiat reuerberatio*

*successiuè adaucta per sex hebdomadas, donec Antimonium in puluerem album vel subflauum redactum, quodammodo fixum euadat.*

*Hic puluis Antimonij etiam in aliquâ copiâ assumptus non purgat, nec quidpiam corpus molestat; sed solummodò sudorem moderatum nec debilitantem ciet.*

*De quo si priùs præparatæ Medicinæ parum immisceatur, multò adhuc præstantior & efficacior ad omnes morbos Epidemicos redditur. Et insuper febres quascunque ritè administrata curat, obstructionésque aperit.*

*Atque hæc de Medicinâ Epidemicâ, quam Cæsareæ tuæ Maiestati, prout clementissimè voluit, humillimè & fideliter consignaui; vt secretam habeat, sibique soli reseruet, demissè peto. Mitto verò nonnihil de eadem, quatenus hanc iuxta priorem descriptionis partem absoluere licuit, quæ etiam valida est, atque Deo dante, in talibus morbis præsens remedium exhibet.*

*Estque hæc purior & præstantior eâ, quam Cæs. Maiestas tua à suo Capitaneo per me etiam paratam habuit.*

*Hanc vt Cæs. Maiestas tua clementi animo accipere, donec plura huiuscemodi & maiora in eius gratiam parare oportunitas dederit, non dedignetur, subiectissimè oro. Deus Opt. Max. Cæs. tuam Maiestatem ab omni malo tueatur. Datæ ex arce Cæsareâ tuæ Maiestatis Benachiâ, die 7. Septembris, Anni 99.*

Tycho Brahé.

Efficax est & hoc electuarium Cratonis.

℞. *Scordij* Drach.iii.*tormentill.dictamni alb.Zedoar. gentianæ, angelicæ, caryophyllatæ*, an Drach.i. *croci, camphoræ*, an.Drach.sem.

Puluerisentur, aspergantúrque aquâ Cardui bened. in quâ dissolutæ fuerint Theriacæ Drach.ii.& cum sufficiente quantitate Syrupi de succo Cardui bened. F. Electuarium.

Vulgus rob Sambuci cum aceto Theriacali non infeliciter vsurpat.

Mindererus hanc aquam ad exhibenda medicamenta valdè commendat:

℞. *Succi nucum ingland.immatur. limonum, acetosæ, pimpinell.*an.℔.i.sem. *cardui bened. scordij, rutæ*,an.℔.i. *scabiosæ, hederæ terrest. caêldulæ, melissæ* an.Vnc.viii. *chelidon. galegæ, vel in eius defectu veronicæ, aceti de Rubo Idæo, sambucini, rosacei*, an.Vnc.iiii.*rutacei* ℔.i.*radic.tormentill. gentianæ, dictamni alb.*an.Vnc.i.ß.*petasitæ, imperator. angelicæ, Zedoar. cortic. citri* an.Drac.iii.*boletor. ceruinor.*Vnc.ii. *fol. dictamni cretici, scordij cretici, chamædryos* an.Vnc.i.*santali citrini* Drac.iii.*ligni Rhodij* Drac. ii.*Theriacæ Androm.*Vnc.ii.*mithridatij* Vnc.i.*baccar. iuniperi recent.*℔.i.*cortic. medianor. sambuci recent. fraxini recent*,an.M.iii.

Cortices Sambuci & Fraxini contundantur, & cum aceti è floribus Tunicis, aquæ Pimpinellæ, Rosarum an.f.q.extrahatur inde succus. Succi omnes misceantur, addatúrque Theriaca, Mihridatium, & cætera concisa & contusa, macerentúrq; per triduũ, & per balneum aqua inde destilletur. In aquæ destillatæ dimidiâ parte suspẽdatur camphoræ Drach. i. in nodulo. Altera pars etiam seorsim vsui seruetur pro iis, qui Camphorâ non ferũt.

Maximas quoque vires habet, & à plurimis valde prædicatur Elixir pestilentiale, quod Crollius, pag. 228. describit; si adulto ℈.ii. iuniori ℈. i. vel Drach. ß. cum aceti rosacei scordij vel rutacei Drach. i. vel q. s. propinetur.

Ergo si quis peste infectus sit, ex iis, quæ ad manus sunt, efficacissimum sumat medicamentum. E.g. Adulto Theriacæ Drach.i.vel Electuarij de ouo aut diascordij Fracastorij Drach. ii. Salis absinth. Fraxini vel Cardui bened.gr. aliquot cum ℈. i. pulueris Saxonici, aut Cæsaris rubei, cum liquore conueniente propinetur: Vel aqua aut spiritus aliquis contra pestem, vt Elixir pestilentiale Crollij. Exg.r.

℞. *Elect. de ouo* Drach.i.*Theriac.*Drach.sem.*pulueris Saxonici, specier. liberant.* an, Scrup.ß. *syrup. acet. citri* Vnc.i.*aqu. acetosæ, cardui bened.* an.Drach.x. *aceti scordij* Vnc.sem.Misce.

Vel ℞. *Pulu. Saxonici, Cæsaris rubei*,an.Drach.ß.*syr. acet. citri* Vnc.i. *scordij, aceti Theriac.* an. Vnc.sem. *aq. Stapedianæ vel alterius talis.*Vnc.i.sem.

Plurimum etiam commendatur decoctum rad.chelidoniæ maioris, vt ex Matthiolo, *in comm. Germanico in Dioscor. lib. 2. cap.* 10. videre est, quódque feliciter vsurpauit, & modum eius præparandi descripsit Gasp. Keglerus, *in tract. suo de peste.* Grauidis, vt & infantibus detur Electua. diascordij Fracastorij, vel pulueris Montagnanæ infantibus ℈.i.adultis Drach.i.

Laudatur & Bezoardicum minerale & ♁, diaphoreticum. Quæ etsi satis efficacia sunt, tutius tamen est ea cum aliis, puluere Saxonico, Montagnanæ, & similibus miscere.

Atque talia in vsum quotidianum ex aliis compositis facilè misceri possunt.

In horum tamen medicamentorum vsu cautiones quædam obseruãdæ sunt. I. de Theriacâ & medicamentis calidioribus aliis, quod antè etiam monui, obseruandum, vt non temerè, sine vllo morbi naturæ, ætatis, sexûs, anni temporis, atque aliarum circumstantiarum respectu vsurpetur. Vbi vnim febris pesti coniuncta iam corpus occupauit, ea cautè, & non nisi frigefacientibus admixtis exhibenda. Itaq; vbi metus est, ne humores & spiritûs nimis accendantur, spiritúsque dissipentur, ægróque aliquod periculũ inde creetur, rectiùs ij faciunt, qui talia non cũ aquis Theriacalibus & calidis, sed potiùs cum frigidis aquis aut quod commodissimum est, cum aceto vel aquâ aliquâ, quæ acetũ aut acidos succos recipit, qualis est aqua Stapediana, Mindereri, & similes exhibent. Imò sunt, qui in magno calore, vehementi ventriculi dolore & Cardialgiâ, vomitu, similibúsq; symptomatis, Theriacam non planè veterem, sed recentiorem annorum scilicet duorũ vel trium exhibẽt, in quâ vires opij adhuc vegetæ symptomatũ vim tandiu refrenare possunt, donec reliqua Alexipharmaca vires suas exerant, vimque veneni infringant. Sunt alii, qui opiata, vt Philonium (commodior vsus esset Laudani Opiati) Alexipharmacis miscent, vt nimirum motus atque actio veneni pestilentis sistatur & frenetur, symptomatúmque vehementia mitigetur, donec Alexipharmaca vires suas exerere, séque veneno opponere possint. Imò sunt quidam, qui Opio vim sudoriferam tribuunt. Aliàs vbi non vrget calor, causa nulla est; cur Theriaca reiicienda sit; cùm plus commodi venenum expellendo, quàm damni, calorem excitando, afferat.

*De vsu calidorum in peste medicament. admonitio.*

II. Obseruandum, Theriacam, Mithridatium, Electuar. de Ouo, & similia calida ac fortia medicamenta non facilè infantibus & pueris, grauidis & puerperis esse exhibenda, sed alia mitiora substituenda. Conuenit his magis Diascordium Fracastorij, quod sine insigni humorum agitatione veneno resistit, sudores mouet, putredinémque inhibet, Exhibetur autem hoc modo commodissimè.

℞. *Succi acetosell. seu trifolij acetosi* Vnc.ii.*citri* Vnc. i.*diascordij* Drach.i. *spec. cordial. de gemmis* an. Scrup.i. *aceti* Vnc.i. Misce.

III. In Camphorâ ac Camphoratis exhibendis naturarum constitutio consideranda. Qui enim infirmo sunt ventriculo & capite, aut qui aliàs camphoram auersantur, iis alia potiùs, quàm camphorata, medicamenta sunt exhibenda, In tanta enim medicamẽtorum copiâ non opus est, nec necessarium, vt vni medicamento adstringamur. Imò medicamenta variare vtile est.

IV. Quò maiorem veneni vim esse animaduertimus, eò efficaciora, & quæ præsentissimas vires habeant, medicamenta eligenda sunt: quo in genere excellunt Aquæ & spiritûs destillati, quorum mentio antè facta est, quæ mox in totum corpus penetrant, pestilentíque veneno sese opponũt. Facit idem Camphora, quæ

quæ reliquorum medicamentorum quaſi vehiculum eſt. Non magnâ tamen eius copiâ opus, ſed duo vel iii.gr.ſufficere poſſunt.

V. Si æger medicamentum vomitu reiiciat, mox illud repetendum. Imò etſi illud retineat, ſemel exhibere Alexipharmacum non ſufficit, ſed intra 8.horarum ſpatium repetendum. Et ſi primùm medicaméto exhibito Cor non liberetur, fortius exhibendum ſecundum: imò intra 24. horarum ſpatium ter Alexipharmacum exhibendum. Neque ſibi quis perſuadeat, ſi ſemel vel bis ſudauerit, & melius nonnihil habeat, ſe iam extra omne periculum conſtitutum eſſe:cùm venenum iterum, ſi minimæ etiam eius reliquiæ in corpore hæreant,vires poſtmodum ſumat,nouumque naturæ bellum inferat. Itaque neceſſarium eſt,alexipharmaca & ſudorifera talia intra biduū quinquies vel ſexies repetere. Quod cùm ſæpe negligatur, plurimi, qui ſeruari poſſent, intereunt. Medicamento exhibito æger ſeſe,inprimis primâ & ſecundâ vice (ſi enim veneni vis fracta ſit, non multum refert, ſi tertiâ vice non ſudet) ad ſudorem componat, nec frigidum aërem vllo modo admittat; ſed det operam, vt ſudor copiosè fluat, atque ſi poteſt, ad duas horas ſudorem continuet, vt venenum peſtilens planè è corpore eiiciatur. Et ſi medicamento ſatis copiosè ſudor non prolicitur,aliis etiam modis,vt lagenâ aqua calente plenâ, aut lapide calente, linteis aceto vel vino madidis inuoluto, pedibus appoſito, excitetur.

*Sudoris modus.*

In ſudore proliciendo tamen cauendum, ne vires deiiciantur. Cùm enim aliàs morbi huius vehementia vires ſubitò proſternat & corpus exoluat: ſi, quòd nonnulli faciunt, ſtragulis non tantùm æger contegatur, ſed ferè ſuffocetur,ſudórque nimis diu,ad horas ſcil.4.vel 5.continuetur, facile fieri poteſt,vt vires planè deiiciantur.Quare vt dixi,ſufficit,ſudorem horis duabus continuare.

Cenſent præterea docti Medici, vni remedio in peſte non eſſe fidendum, ſed, vt Crato, *epiſt.* 134.hac de re ſcribit, initiò ſingulis propemodum horis,deinde ſucceſſu temporis ſingulis diebus remedia mutanda; cùm vix in vno aliquo antidoto tantum roboris ſit, quantum ad hoſtem tam potentem debellandum requiratur.

*Somnus.*

VI. A ſomno abſtineat æger, donec bis ſudauerit. Iulius quidem Palmarius, aſſumpto Pharmaco, duas horas dormire permittit;cùm per ſomnum ſudor æquè profluat,ac per vigilias:verùm metuendum eſt,ne vis veneni per ſomnum ad interiora ſerpat,ægerque in vitæ periculum coniiciatur.

*Inter ſudādū quomodo æger tractādus.*

VII. Inter ſudandum reficiatur æger Conſeruâ Roſar. Acetoſæ, Rob Rubium, Succo & Syr. Citri. Granator. Aquis Cordialib. & ſimilibus, qualia mox proponentur.Odoramenta etiam ægros valde recreant, atque inſpiratione cor poteſt roborari, vt per expirationem halitum venenatum à ſe fortiùs expellat. Itaque in conclaui Acetum Theriacale lateribus ignitis infundatur: Trochiſci & Candelæ pro fumo accendātur: Odoramenta cùm alia naribus admoueantur, tum in pyxide habeantur ſpecies liberantis, vel alia talis confectio;quæ ſubinde moueantur, vt de puluere illo aliquid naribus attrahatur. Inprimis verò hîc vtiles ſunt Aq.odoratæ ſuprà propoſitæ.

VIII. Præter hæc ſunt & alia, quæ partim Cor roborant, partim venenum è corpore eiicere poſſunt. Nonnulli, dum æger ſudat, panem è furno calentem accipiunt partémque aliquam excauant, cauitatémque Theriacæ ʒ. ii. replent, & vmbilico apponunt, vt venenum à pane attrahatur. Alij Raphanum, in partes orbiculares diſſectum, axillis, & aliis emunctoriis ac plantis pedum applicant. Alij panis medullam aceto madidam cordi applicant. Cordi nonnulli apponunt pannum quadruplicatum, aceto vel ſimplici, vel theriacali aliquo imbutum;vel ſacculum ex ſaluiâ, acetoſâ, rutâ contuſis & aceto madefactis, calidè applicant. Alij alios Cordiales ſacculos adhibent. Poteſt & Electuarium aliquod, cum Oleo Citri & Myrrhæ, vel vnguentum conueniens, regioni cordis, temporibus & pulſibus adhiberi. In humidis tamen & frigidis adhibendis videndum eſt, ne ſudorem impediant, venenúmque ad interiora repellant. Quidam ante ſudorem cum lacte calido Gargariſmum inſtituere iubent; cùm lac calidum halitum venenatum ac peſtilentem ad ſe trahat.

*Poſt ſudorē quâ ratione æger tractādus.*

IX. Finito ſudore corpus linteis mundis moderatè calentibus exſiccetur Diligenter tamen videndum, ne,aëre frigido occurrente, venenum intrò recedat.Et ſi ſudorem rectè ſeſe habere animaduertatur, ac ſymptomata remittant,quod indicio eſt, veneni maximam partem expulſam eſſe:linteamina quoque & tegumenta lectorum mutentur.

Poſt ſudorem æger cibis εὐχύμοις & εὐπέπτοις reficiatur, vt ouis recentibus, iuſculis carnium, ptiſanâ, & aliis, qui ſunt molles, & qui in paruâ quantitate multùm nutriunt. Atque his æger ſæpius reficiendus eſt. Neque enim, vt in aliis morbis acutis, inedia & tenuis diæta conuenit; ſed vires ſæpius refectione opus habent.Cibo tamen multo corpus onerandum & grauandum non eſt. Vtiliſſimum quoque, cibos acidis condire.

Et licèt ſudorem ciere(ſi tamen die Critico erumpat, non impediendus eſt) poſtea opus non ſit: continuanda tamen ea ſunt medicamenta, & ſingulis diebus exhibenda, quæ putredinem inhibent, febri malignæ reſiſtunt, incendiumque in viſceribus extinguunt. E. g.

♃. *Conſeru. roſar.* ℥. ii. *vel.* iii. Diſſoluantur *in aq. acetoſæ* ℔.i Colentur.

Vel: ♃. *Morſulor. de ſucco & cortic. citri* Vnc. i. Diſſol. *in aq.ſcabioſæ* Vnc. iii.Adde *vini granator.*Vnc.i. Miſce.

Vel ♃.*Decocti* C.C.*vſti & crudi in aquâ conueniente vaſe clauſo cocti* ℔. ii. *ſucci citri* Vnc. iii. *ribium vel berber.*Vnc. ij. *iulebi roſacei,* Vnc.i.ſem. Miſce.

Vel ♃.*Aq.acetoſæ, ſcabioſæ,roſar.*an. Vnc.iii.*aceti de rub.Idæo, flor. tunicis, roſar.* an. Vnc.ii. *vini albi* ℔.ſem. *ſucci citri,iulebi roſar.*an.Vnc.i.*cortic.citri recent.* Drach.vi.

Stent ſimul mixta in vitro,donec liquor odorem citri attrahat.

Vel ♃. *Aq.cardui bened.acetoſæ,ſcabioſæ,*an.Vnc.iii. *roſar.* Vnc. ii. *cinamomi* Vnc.i. *ſucci citri, granator.* an. Vnc. iii. *extract. croci* Scr. ſem. *ſolut. margar. corallor.*C.C.an.Scr.i.*confect. Alchermes* Scr.ii.Miſce.

Vel ♃. *Conſeruæ medullæ citri* Vnc.ii. *roſar. acetoſell. borrag.* an. Vnc. i. *ribium. condit.* Vnc.ſem.*confect. Alchermes.*Drach.ſem.*ſpec. el. de gem. frig. cordial. temper.* an.Scrup. i. *Cum ſyr.tunicis & ſpir.*vitrioli,*q. ſ. ad gratam aciditatem,*F.Electuar.

Vel ♃. *Solut.corallor. margarit.*an.Scr. i. *hyacinthi, extr.croci,*an.Scr. ſem.*confect. Alchermes* Scr.i.*ol.de cortic.citri.*gutt.iiij.*ſacch.albiſſimi in aq.roſar.ſ.q.diſſol.q.ſ.* F. Rotulæ.

Poſſunt & alia ex Syr.Acetoſitat.Citri,de ſucco Acetoſæ,Granator.Oxyſaccharâ,Rob Ribium,& ſimilibus parari.

Inprimis verò commendatur ſpiritus vitrioli,qui inſignem vim habet putredini reſiſtendi,obſtructiones aperiendi, febreſque extinguendi.

Vtilis eſt & confectio Alkermes,ſi cum ſucco Citri propinetur.

Vt ♃. *Confect. Alkermes* Drach. ii. *ſyr. acetoſ. citri.* Vnc.ii.*granator.rub. Idæi,*an.Vnc.i.*Aq.acetoſæ* ℔. ſem. *roſar.opt.* Vnc. ii. *ſcabioſæ,* an. Vnc.i.M. Detur ſæpius hauſtus.

Et de talibus alterantibus singulis ferè horis aliquid offerendum, nunc potiùs, nunc Syrupi, nunc Electuarij, nunc Rotularum, nunc aliâ formâ, vt natura roboretur, venenóque resistere possit.

Postquam ita malignitas ac venenositas maximam partem victa est, si humores vitiosi in corpore abundent, aut pestis inprimis ab interno humorum vitio proueniat, Purgatio conueniens non omittenda est. Sint autem medicamenta purgantia leniora, ne vel vires debilitentur, vel humores ad aluum præcipitentur, & periculosum alui profluuium excitetur. Eligantur etiam talia, quæ præter purgandi vim, veneno resistere possunt, qualia sunt, Agaricus, Rhabarbarum, Syr.rosar.solutiuus cum decocto Tamarind. vel Syrup. rosar. solut. præparatus cum Rhab. Pilulæ Pestilential. E quibus ægro conuenientia medicamenta eligere non difficile est. Inter Composita conuenientissima est Tryphera Persica, Syr. Diasereos, &c.

Sunt quidam, qui Purgantia cum Alexipharmacis miscent, atque inter hos Heurnius, qui recipit Cæpam albam excauatam, eamque Theriacæ Drach. i. cum modico puluer. Radicum Dictamni & Tormentillæ replet, ac sub cineribus coquit, coctamque contundit, & affusâ aquâ Cardui bened. Aceto Calendulæ, succum exprimit, additque Trypheram Persicam, idque medicamentum & purgaturum, & mox sudorem excitaturum pollicetur: Contrariósque eodem tempore, quod alij metuunt, motûs non timet; Cùm natura illicò ab hoste hoc liberanda sit, atque vsus, ista probâ esse, docuerit.

Prosper Alpinus, *lib.4. de medicinâ Ægypt. capite 15.* refert, Ægyptios peste infectorum cruribus, brachiis & inguinibus vesicatoria applicare, ex quibus vlcera multa iis in partibus, per quæ humores corrupti à naturâ expurgantur, excitentur. Alij tres longas scarificationes seu vulnera potiùs cruribus infligunt, quæ non sanant, priusquam ægri perfectè à peste sani euaserint.

Cùm autem plerumque Natura magnam humorum venenatorum partem ad emunctoria Cordis, Hepatis, Cerebri expellere, ac Bubones & Carbunculos excitare soleat: Restat tandem, vt de Curatione Bubonum & Carbunculorum pestilentium dicamus.

*Bubonum Curatio.* Et I. *Bubones* quod attinet, alij aliter eos tractandos censent.

*An in Bubonibus maturatio expectanda.* Sunt quidam, qui in hoc naturam planè imitandam esse existimant, & cùm natura non nisi successiuè ac longiore tempore maturationem eorum instituat: etiam Medicum id vnicum hîc operam dare debere existimant, vt maturantibus medicamentis tumor iste ad suppurationem ducatur. Si enim mox in principio vel vesicatoria adhibeantur, vel scarificationes aut incisiones instituantur, non modò magnum inde dolorem, qui inflammationis maioris causa sit, virésque debilitet, excitari: sed id etiam periculi subesse putant, ne venenum, quod à natura ad exteriora protrusum, quietum & quasi sopitum iacebat, hoc modo moueatur atque agitetur, & spiritibus atque humoribus mixtum, iterum cordi, à quo expulsum erat, communicetur. Alij contrà sentiunt. Cùm enim materia hæc pestilens contumax sit, & non facilè in pus mutetur, non solùm maturantia adhibenda & suppurationem expectandam esse censent; cùm metuendum sit, ne humor venenatus, antequam in pus mutetur, iterum spiritibus & humoribus facili de causâ communicetur. Ideóque cùm longè maius hîc, quàm in aliis non pestilentibus Bubonibus, periculum subsit, id vnicè agendum existimant, vt pestilenti veneno exitus, quem natura quærit, aperiatur, reliquúmque postea conuenienti modo maturetur. Vnde non solùm vesicantia mox adhibent, sed scalpello cutem incidunt.

Verùm distinctione hîc aliquâ opus videtur. Nam si perfectè aut certè maxima pars veneni in Bubonem è corpore eiecta videatur; id quod cognoscitur ex eo, si postquam bubo erupit, & febris & symptomata remittant, atque æger meliùs habere incipiat: non peccatur, si concoctio, licèt non perfecta, vt in aliis tumoribus, expectetur, & ea omnibus modis adiuuetur. Si verò vel bubo non satis erumpat, venenúmque à naturâ non satis, seu ob naturæ debilitatem, seu ob veneni copiam, expellatur; vel licèt maxima veneni pars in Bubonem depulsa sit, tamen ob eius copiam moles tumoris nimis augeatur, vnde febris & symptomata non solùm non minuuntur, sed augentur, ægérque meliùs non habeat: nullo modo cunctandum, sed vnicè danda opera est, vt veneno exitus patefiat. Atque tunc frustra expectatur maturatio, quæ in materiâ tam venenatâ ante mortem ægri nulla futura est.

*Vesicantia.* Etsi itaque Cucurbitulæ siccæ etiam versùs ambitum corporis trahant: tamen his vtiliora sunt vesicantia. Et cùm vnicè danda sit opera, vt venenum non solùm à corde auertatur, sed etiam planè è corpore eliminetur, ne vllus ad illud ei regressus detur, commodissimum est, vt cutis scarificetur aut incidatur, vt manifestâ viâ patefactâ non solùm liberiùs expiret, sed & humores pestilentes & corrupti effluere possint. *Scarificatio.* Neque vllus metus est, quod nonnulli existimant, ne venenum per hoc remedium agitatum ad cor regrediatur. Cùm enim via ipsi patefiat, potiùs per illam à natura è corpore eiicitur. Et si simpliciter hoc metuendum esset, etiam in Carbunculo pestilenti maturatio expectanda esset: cùm tamen extra dubium sit, Carbunculum mox scarificandum esse, vt exitus veneno pestilenti detur. Manifestum etiam est, naturam non à loco dolente attrahere, sed ad dolentem locum humores mittere. Neque dolor extimescendus, qui ex vnâ atque alterâ sectione adeò magnus oriri non potest; & licèt dolor aliquis inde oriatur: è duobus tamen malis minus eligendum, præstátque, cum aliquo dolore ægrum seruare, quàm sine dolore venenum in corpore relinqui, à quo mors expectanda sit. Immò dolor leniri potest lacte calente, in quo flores chamæmeli cocti sint, atque aliis, vt mox dicetur.

*Vesicantia.* Vt igitur venenum è corpore tollatur, aut vesicatorium aliquod adhibeatur; vt

℞. *Canthari d. demptis alis & capitibus part. j. fermenti partes* iii, *aceti parum.* Misce.

Vel ℞. *Sem. sinapi, cortic. median. sambuci partes æquales.*

Contundantur, & cum aceto misceantur in formam cataplasmatis, quod inducatur linteo albo.

Vel ℞. *Fol. sambuci, sem. sinapi, nucleorum nucum rancidarum partes æquales.*

Terantur & applicentur, Loco priùs theriacâ circumcircà illito.

Aut Cauterio potentiali, vel ferro cutis aperiatur, vt pestilenti humori egressus detur, ac via fit, per quam natura pestilens venenum è corpore expellere possit. Ac si dolor aliquis ex incisione oriatur, Ouum recens cum oleo rosaceo mixtum buboni imponatur.

Magno etiam cum commodo, licèt incisio facta non sit, pulli gallinacei vel columbini, circa anum deplumati, buboni applicantur: idque sæpius cum nouis pullis repetitur: Hoc modo enim & dolor mitigatur, & venenum euocatur. Nonnulli bufonem exsiccatum vino macerant, dum mollescat, & buboni imponunt.

Postea detur opera, vt materia reliqua per idonea medicamenta maturetur. E. g.

℞. *Rad. althææ* Vnc. iii. *farinæ lini, fœnugræci*, an. Vnc. i. *rad. lilior. alb. sub cinerib. coctar. & contus.* num. vi. *ficuum contus. fermenti*, an. Vnc. ii. sem. *fimi columbini.* Vnc. i. sem. Coquantur *in decocto radic. althææ & flor. chamæmeli in formam pultis*: Postea adde *pinguedinis porci*

*porci.*Vnc.iiii.*olei lilior.alb.* Vnc.ii.ſem.*ſcorpion.* Vnc.i. ſem.*croci.*Scr.i.

Iterum coque in formam cataplaſmatis.

Alij cæpam cum theriacâ ſub cineribus coctam cum Emplaſtro maturante & oleo ſcorpionum miſcent atque applicant.

Nonnulli quidem theriacæ vſum hîc reformidant, quod puris generationem impediat: verùm ſi maturantia admiſceantur, facilè hoc incommodum vitari poteſt,& nihilominùs venenum Theriaca euocat.

Vel ♃. *Rad. althææ, lilior.alb.* an. Vnc.i. Coqu. ad mollitiem,& per ſetaceum traiiciantur. Adde *pulueris dictamni albi, ſcordij,*an.Vnc.i. *caricas pingues* num.iii. *Cum oleo lilior.& chamæmel.*F. Cataplaſma.

Eſt quidam Guilielmus Magiſtrius, vt neque hoc prætercam, qui ſcribit, ex attrahentium hîc genere eſſe & balneum tepidum ex aquâ fontanâ,aut potiùs lacte vaccino, in quo æger duabus horis à cibo ſtare debet, ſpatio trium aut quatuor horarum, ad medias vſque coxas, eoque modo venenum non tantùm ad exteriora allici,ſed etiam vt plurimum integrè reſolui.

*Digerentia, & mundātia.*

In locum inciſione apertum tale digeſtiuum adhibendum.

♃. *Terebinth.* Vnc.ſem. *vitellum oui vnius,olei roſar.* Vnc. ſem. Miſce.

Quòd ſi ob inciſionem minùs profundam bubone maturato pus adhuc concluſum contineatur,ſcalpello aperiendus eſt: Vbi pus iam fluere incipit, hoc vnguentum adhibeatur.

♃. *Terebinth. mellis roſati,* an.Drach.vi.*farinæ hordei q.ſ.* F.linimentum.

Simúlque hoc Emplaſtrum applicetur.

♃. *Empl. diachyli ſimpl.* Vnc. iiii. *ammoniaci,galbani vino ſolut.* an. Vnc. i. Miſceatur in mortario piſtillo calido,addendo:*Rad.cynogloſſ.*Vnc.ß. *pulu.bufon. exſiccati. rad. valerian. ſcabioſæ*, an. Drach. ii. *ebuli.* Drach.i.ß. *leuiſtici.*Drach. i. *olei lilior.& ſcorpion. q.ſ.* F.Emplaſtrum. Poſtea hoc vnguento vtendum.

♃. *Terebinth.*Vnc.i. *mellis roſati, farinæ hordei, ſarcocollæ,thuris,myrrhæ,*an.*q.ſ.* F.vnguentum.

Hoc verò inprimis attendendum ne vlcus citò claudatur, ſed ſtudioſè potiùs apertum ſeruandum,donec, quicquid veneni eſt in corpore, effluxerit.

Nonnunquam accidit, vt bubones non ſuppurentur, ſed diſcuſſo veneno, & tenuiore parte materiæ per inſenſibilem tranſpirationem, craſſior in glandulis relinquatur: ne igitur dolor ſæpe recurrens,ac moleſtia inde ægro creetur, reliquiæ emolliendæ & diſcutiendæ ſunt, id quod fiet emplaſtro de Meliloto, oxycroceo,& ſimilibus.

*[A]n in curatione Bubo[ni]s peſtilentis [v]ena ſecāda, [&] purgandū [ſi]t.*

¶ [ Grauiſſima, & magni momenti eſt quæſtio hæc; cùm in talibus morbis malignis aliquid præter rationem tentare, cum ægri periculo coniunctum ſit. Cùm verò & de venæſectione, & de purgatione ſeorſim quæratur, de vtraque ſeorſim agemus. Et primò quidem venæſectionem quod attinet, nonnulli eam inſtituendam eſſe, planè negant. Ita Fernel. 2. *de abdit. rer.cauſſ. cap.*12. ſcribit,in peſte à venæſectione & valida purgatione abſtinendum eſſe: additque cauſſam, quòd talia mala à venenata qualitate ſcaturiant, quæ antidotis propterea, peſtilenti veneno contrariis, expugnanda,& per ſudores eiicienda eſt. Petr.Sal. Diuerſus etiam, *de peſtil.febr. cap.*21. prolixè hanc quæſtionem agitat,& concludit, in peſtilenti febre venam ſecandam non eſſe.Idem ſtatuit Paræus,*lib.*21.*cap.*21. & alij Medici multi, qui in bubone peſtilenti præcipuè metuunt, ne venæſectione natura ab opere ſuo, quo materiam peſtilentem ad locum ignobiliorem deponere conatur, auertatur,& humor malignus ad interna reuocetur. Præterea vires valde languent in talibus morbis,& propterea non facilè admittunt venæſectionem.

*[D]e Venæſe[ct]ione. [N]egatiua.*

*[Aff]irmati[ua].*

Alij contrà, vt Trincauellius, Maſſarias, *de peſte,* Nicolaus Maſſa, Iohan. Baptiſta Gemma, *de bubonis & carbunculi peſtilentis curatione*, venæſectionem admittunt; cùm ſæpe in peſte infectis magna ſatis ſanguinis naturam onerantis copia adſit, qui facilè inflammationes parere, & febrem augere poteſt, neque alia remedia neceſſaria corpori ita repleto tutò adminiſtrari poſſint,& experientia teſtetur, ſanguinis miſſionem in talibus morbis multis profuiſſe.

*Deciſio.*

Verùm quæ in genere de ſanguinis miſſione in peſte, *ſuprà,hoc cap.* dicta ſunt, etiam de peſte cum bubone coniuncta locum habent: nimirum tum ſaltem venæſectionem locum habere, vbi & ſanguinis copia adeſt, vt metuendum ſit,niſi minuatur ſanguis, febrem putridam periculoſam accedere poſſe;& quidem id maturè & in principio ſtatim faciendum eſſe. In bubone tamen peſtilenti ita venæſectio inſtituenda, vt natura à conatu ſuo nullo modo auocetur, ſed potiùs is eâ adiuuetur, & humor peſtilens, qui ad bubonem à natura protruditur, ad interiora reuocetur. Itaque ſi in aliquo loco bubo erumpat, vel dolor aliquis bubonem erupturum præſagiat, non in loco à parte affecta longinquo vena aperienda, ne materia ad interiora retrahatur, ſed potiùs ita inſtituatur venæſectio, vt motus naturæ adiuuetur. Ac proinde ſi poſt aures parotis,vel ſub axillis bubo eruperit,vel erupturus putetur,in brachio eiuſdem lateris vena aperienda: ſi verò in inguinibus tale quid fiat, ſaphæna, vel alia pedis eiuſdem lateris ſecāda, vt ita ad locum affectum materia potiùs attrahatur,quàm aliò auocetur.

*De purgatione.*

De purgatione maior difficultas eſt. Verùm cùm eâ de re prolixè, *lib.5. Inſtit. part.2. ſect.1. cap.6.* & *ſup. hoc ipſo cap.* egerimus, quæ ibi dicta ſunt,hoc loco repetere nolo. Hoc ſaltem addo, Zacutum Luſitanum, *de prax. Med. Adm. lib.3. obſeru.*119. prolixè defendere, in bubone peſtilenti purgandum eſſe. Verùm nullis rationibus vtitur, ſed ſaltem autoritatibus pugnat, quæ ſine rationibus ad controuerſiam tanti momenti decidendam non ſufficiunt: Nos, vt *locis alleg.* diximus, equidem purgationem in peſte non planè prohibemus, ſed ſuo loco, ac tempore, & maturè eam admittemus: verùm cùm iam bubones & carbunculi eruperint, tutò exhiberi purgantia poſſe, perſuaderi non queo, imprimis fortiora.]

*Affirmatiua Zacuti Luſitani.*

*Sententia Autoris.*

*Carbunculos* tandem quod attinet, ij ſtatim ſcarificandi ſunt, & quidem ſatis profundè, vt humor peſtilens & corruptus ſanguis euocetur: poſtea imponendum eſt Emplaſtrum aliquod conueniens, cuiuſmodi eſt hoc:

♃. *Farinæ lentium, fol. plantagin. vuæ lupinæ*, an. M.i. *medullæ panis ſecalini* ℥. iii. Coqu. in formam Cataplaſ. quod calidum applicetur, ſingulíſque 4.horis renouetur.

♃. *Theriac. mithridat.* an. ʒ.i. *fermenti ac.* ℥.ß. *ficuum.* num.iii. *capam ſub cinerib. aſſatam* num. i. *allij aſſati.*ʒ.i.ß. *fimi columbin.*ʒ. ii. *ſem ſinap.*ʒ.i.ß. *croci* ℈. iiii. *ſapon.Venet.*ʒ.i.ß. *butyr. rec.* ℥.ß. Miſce.

Inprimis commendatur Emplaſtrum de Fuligine, quod ſic paratur.

♃. *Fuliginis camini.* ʒ.x. *fermenti, therebinth. butyri,*an.℥.i. *ſaponis Veneti.* ℥.i.ß. *mellis roſati* ʒ.vi.*ſalis commun.* ℥.ß. *vitellos ouorum.* ii. *theriac. mithridat.* an. ʒ.ii. Miſce.

Vel ♃. *Rad.conſolidæ. ſcabioſæ,* an.℥. ß. *ſalis petræ.* ʒ. ii. *vitellum oui vnius.* Miſce.

Vel quod ſæpe probatum eſt: ♃.*Succi rad.conſolid. ſcabioſæ, pedis columbini,* an. Cochl. vi. *farinæ lentium, hordei,* an. Cochl.iii. Miſce.

Commendatur & Emplaſtrum Angeli Salæ hoc:

♃. *Gummi ſagapeni, ammoniaci, galbani,* an. ℥.iii. *terebinthinæ coctæ, ceræ virgin.* an.℥.iii.ß. *magnetis Arſenicalis ſubtil. pulu.* ʒ.xviii. *rad. Aron.pulu.*ʒ.viii.

*Gummata defecata priùs oportet eſſe aceto ſcillitico, coctáque in formam Emplaſtri & pondere æſtimata.Tum*

*demum*

*demum Emplastrum inde cum aliis speciebus s. a. concinnetur.* Ad foràs alliciendum venenum virúsque in pus conuertendum, excellenti specificaque virtute pollet.

Præparatio Magnetis Arsenicalis supradicti.

℞. *Arsenici Crystallini, sulphuris vini, antimonij crudi, an. part. æqual.*

*Pilo simul subigantur in mortario ferreo, mittanturque in matracium vitreum satis forte in furnum venti, posteà in arenam posita ignem tamdiu subtus habeant, donec vitro bene calefacto dictæ species simul instar picis colliquentur. Id quod cognosces, si, dum filo fundum contigeris, materia adhæreat, trahatúrque instar Terebinthinæ. Postea frange vitrum, refrigeratamque materiam subfuscam quæ repræsentat lapidē, subtiliter tere, & ad vsum custodi.*

Potest & Bufo siccatus vino maceratus imponi. Ad loca vicina verò, & ne venenum versus interiora recedat defensiuum aliquod ex refrigerantibus, siccantibus & adstringentibus adhibetur, vt vnguentum de Cerusâ cum Bolo.

Vel: ℞. *Olei rosacei* ℥. i. ß. *Aceti rosacei* ℥. ß. *Boli armeni q. s.* F. Cataplasma.

Nonnulli cotylam fœtidam contundunt, & circa carbunculum applicant, sæpiúsque renouant. Neque inutile fuerit, si multus sanguis corruptus circa carbunculum deprehendatur, venam sub carbunculo aperire, vt sanguis ille corruptus euacuetur, nec iterum ad cor feratur.

Et, si calor Carbunculi sit nimius, vt non solùm vicinas partes inflammet, sed summum dolorem excitet, applicari potest Emplastrum de Cynoglossâ, vel de pomis granatis, quod fit ex pomis Granatis acidis, ad molliciem coctis, & per setaceum traiectis: idque singulis 4. horis renouandum est. Scribit quidem Petrut Droëttus, malè eos sentire, qui existimant malum punicum ad inhibendum copiosum humorum fluxum adhiberi, cùm potiùs attrahat, & inde in magnum tumorem celeriter bubo (nam de Bubone loquitur: quod tamen etiam Carbunculo applicari potest) accrescat. Sed parum in eo sibi constat. Nam mox addit: Debet autem Cataplasma vicinas Buboni partes contegere: vt ex iis velut humorem exprimat in glandulam tumentem.

Eschara vbi generata fuerit, vnguento adimenda.

℞. *Pingued. porci rec. sine sale* ℥. i. *Vitellum oui vnius farinæ tritici* ʒ. i. Misce.

Vel: ℞. *Pulueris radic. altheæ* ℥ i. ß. *buglossæ* ℥. ß. *farinæ fænugræci. lini* an. ℥. i. ß. *Coqu. & cum Butyro sine sale.* F. Cataplasma.

Eschara, vbi sublata fuerit, mundandum vlcus vnguento de Apio: postea adhibetur vnguentum Basilicum vel aureum, & applicatur emplastrum de Minio.

Nonnulli referunt, si Sapphiro in cute circa carbunculum circulus ducatur, non solùm præcaueri, ne latiùs serpat, sed & venenum extingui. Interim, dum sanatur carbunculus, singulis septimanis bis hæc vel alia conueniens potio offeratur, vt quicquid veneni in corpore reliquum est, per eam expellatur.

℞. *Aq. Scabiosæ, flor. calendulæ* an. ℥. ii. *boli armeni*, vel *terræ sigill.* ʒ. i. Misce.

Atque hæc de præseruatione & curatione pestilentiæ sufficiant. Potuissem equidem plura medicamenta congerere: verùm, vt suprà etiam dictum, talia passim plurima extant, præcipuè apud authores, *cap. præced. p.* 407. allegatos, vt & Vnzerum, *in Antidotario Pestilentiali*, vt potiùs de delectu, quàm copiâ sollicitos esse deceat. Vt tamen etiam iis qui copiâ delectantur, satisfiat, fasciculum remediorum talium in fine huius libri subiungemus.

Quâ verò ratione symptomatibus, quæ peste infectis accidere solent succurrendum sit, ex iis, quæ infrà, *cap. vlt.* huius libri dicentur, patebit.

## CAPVT VII.

### *De Pestilentis ac malignæ febris naturâ, & à peste differentiâ.*

PRæter pestilentiam crebra mentio fit febrium pestilentium & malignarum. Quæ ergo inter hæc tria, pestilentiam scilicet, febrem pestilentem & malignam sit differentia, quæque pestilentis & malignæ febris natura, iam explicandum; cum à paucis genuinam inter hæc tria differentiam monstrari videamus.

*De pestis ac pestilentis febris discrimine variæ opiniones.*

*Ant. Porti.*

Omnium autem hac de re opiniones recensere & examinare longioris operæ foret. Vt quisque de peste sentit: ita eam ab aliis distinguit. Vnam atque alteram opinionem recensere placet. Antonius Portus & nonnulli alij, qui pestem sine febri dari non putant, pestem & pestilentem febrim non distinguunt. Pestem verò & pestilentes febres ab aliis febribus saltem modo & gradu putredinis differre statuunt. Primò quidem à reliquis putridis, quæ nihil pestilens vel magnum habent, hoc modo distinguunt; quòd pestis & pestilens febris non à vulgari putredine, sed largâ, profundâ, sordidâ, conclusâ, ad minima elaboratâ & in lentore quodam constitutâ, à qua semina contagionis emanant, proueniat: reliquæ verò putridæ à vulgari saltem putredine oriantur. A malignis verò febribus pestem & pestilentes febres ita distinguit, quòd illæ quidem à putredine etiam non vulgari proueniát, quæ tamen contagiosa non sit. Quibus addit Portus & differentiam à loco, quod in peste & pestilentibus febribus putredo spiritûs & humores in cordis sinibus existentes, vel ipsum corpus visceris occupet: in aliis verò febribus in partibus à corde remotioribus putrescant humores: statuitque si putredo secùndùm omnes gradûs & conditiones modò descriptas daretur, nisi tamen in contentis in corde extiterit, contagiosam febrem & malignam esse posse; pestilentem tamen non esse.

Verùm suprà sufficienter demonstratum, materiam pestis in sola putredine, quocunque etiam modo describatur & limitetur, quærendam non esse. Et proinde pestis ab aliis febribus discrimen ex solis putredinis gradibus desumi non posse.

Ludouicus Mercatus, *lib. 3. parte* 1. *class.* 1. *art.* 4. *quæst.* 176. satis prolixè hac de re differit. Primò quidem docet, pestilentialem naturam non esse morbi genus specie distinctum ab aliis tribus vulgo notis, puta morbis intemperiei, malæ conformationis & solutæ vnitatis: additâ ratione (sed quæ falsa) quòd nullum morbi genus reperiri queat, præter intemperiem, malam compositionem, & solutam vnitatem: statuitque pestem saltem esse accidens ac modum & conditionem, aut quid extrinsecùs accedens cuiuis horum: pestem nimirum pro materiali esse morbum, cui adhæret venenosa conditio; pro formali verò truculentam & perniciosam naturam illi morbo additam, quæ adeò pestilens sit, vt propriam morbi conditionē obumbret & proprium nomen mutet, vt pestis nuncupetur. Reliqua verò, quæ deinde prolixè hac de re scribit, si expendamus, res eò redit. Tres esse in peste conditiones: 1. vt sit vulgaris. 2. vt sit perniciosa. 3. vt sit contagiosa: Et in quocunque morbi genere hæ conditiones reperiuntur, illum pestem appellari posse scribit; vbi vna vel plures deficiunt, ei pestis nomen non esse tribuendum. Itaque etsi aliquis morbus sit perniciosus & lethalis ac ipsa pestis: tamen si contagiosus non sit, pestilentem non esse appellandum: cōtrà licèt aliquis morbus contagiosus sit: tamen si perniciosus non sit, pestem dici non posse.

Pestem

Pestem itaque ab aliis febribus putridis primò hoc modo discernit, quòd aliæ febres putridæ non habeat tantam putredinem, sed solùm superficialem, & ex communibus causis, obstructione scilicet aut cutis densitate, oriantur; neque de se semina contagij effundant: pestilentes verò etiam citra obstructionem solâ seminarij vi progigni possint; atque eædem contagiosę sint.

Inter pestem verò & pestilentes morbos tale discrimen constituit. Pestilens, inquit, morbus vnus cùm sit, vnúmque solum ad naturæ suæ integritatem requirat, talis haberi debet, si perniciosus sit & contagiosus. Præterea plerumque ex interno corporis vitio prauisque humoribus principium sortitur, & tandem nulli morborum sorti adstrictus est, sed liberè adiungi potest omnibus morbi speciebus, ita vt vno tempore febres tertianæ, continuæ, catarrhi, pestilentes esse possint, pestem tamen non generent, quia scilicet non sint vnius conditionis & speciei, quod necessarium est ad veram pestis naturam. Pestis verò ratio etsi morbis pestilentibus affinis sit, & eodem modo in pernicie & contagio sita sit: tamen aliis modis eam à morbis pestilentibus differre docet. Primò quidem, ait, vt pestis fiat, vna tantùm futura est morbi species omnibus peste correptis, siue ea sit febris, siue dysenteria, aut quiuis alius morbus, ita vt omnes vnâ morbi specie afficiantur; perniciosâ tamen & contagiosâ. Deinde quòd pestis varias sortiatur causas externas, generantes & efficientes, ob quarum diuersitatem variæ oriuntur pestis differentiæ & species.

Etsi verò in hac sententiâ aliquid veri contineatur: tamen multis quoque modis à vero aberrat. Primò enim falsum est, quod statuit, pestilentiam non peculiare morbi genus esse ideò, quod non detur aliquod morbi genus, præter intemperiem, malam conformationem & solutam vnitatem. Nam & propositio peccat & ratio, quæ ad eam conformandam adducitur, falsa est. Rationem enim quod attinet, firmissimis, vt existimo, argumentis monstratum est, *libro 2. Inst. p. 1. capite 4.* dari in similaribus alios morbos, præter intemperiem, cuius generis etiam pestis est. Neque enim pestilentia modus saltem morbi est, vt suprà monstratum, sed peculiaris morbus, cui alij coniunguntur, modò plures, modò pauciores. Nam modus nullam peculiarem indicationem suppeditat, nec curatur; id quod in peste fit, vbi ipsi pestilenti dispositioni remedia opponimus.

*Pestilentia an peculiare morbi genus sit.*

Neque eo quis effugiet, si dicat, pestilentiam saltem in causâ esse, nullum verò peculiarem in corpore humano morbum excitare. Refutatum enim hoc est, *loco allegato, pag.* 151. vbi monstratum, à causis occultâ vi agentibus similes naturæ causæ morbos induci. Et cùm, vt ipse Mercatus docet, ibi necessariò pestilentia existat vbi formales eius effectûs conspiciuntur: certè non saltem in causâ venenum pestilens esse statuendum; sed cùm omnis forma per formales illos, quos appellat, effectûs patienti suam naturam imprimere, illique nouam dispositionem inducere nitatur: etiam hoc in peste fieri, negandum non est. Et cùm alij morbi omnes ob formalem rationem ad certas classes redigantur, & formalis ratio differentias morborum pariat: cùm pestilentiam formalem quandam morborum rationem esse agnoscat, cur non etiam concedat, eam peculiare morbi genus constituere? Præterea pestem non esse simplicem modum, sed morbum principalem & peculiarem, ex eo patet, quod qui eâ corripiuntur & contagium ab alio suscipiunt, non necessariò eundem illum morbum intemperiei, conformationis & solutæ vnitatis accipiunt, quo ille, qui eos infecit, laborabat; pestilentem tamen morbum eundem contrahunt.

Deinde falsa est differentia, quam inter pestem & pestilentem morbum constituit, quòd scilicet peste correptis omnibus eadem sit morbi species, siue ea sit febris, siue alius morbus: vbi verò plures morbi vagantur, non esse pestem, sed solos pestilentes morbos. Nam licet in peste quâlibet, vna veneni pestilentis sit ratio: tamen symptomata & morbi, qui ab eâ excitantur, sæpe sunt plures & diuersi, nunc febres, nunc dysenteriæ, nunc pleuritides, nunc alij morbi. Neque cùm pestis contagiosa esse, eandémque morbi speciem aliis communicare dicitur, id ita accipiendum est, quasi morbi illi noti, & symptomata eadem, quæ peste laborantem infestârunt, necessariò etiam infecto communicentur, sed satis est si venenum idem illi communicetur, à quo occultus morbus similis, similisque venenata in corpore dispositio excitetur; licèt symptomata pro variâ corporis laborantis constitutione non semper eadem sequantur. Id quod cuilibet in quâlibet pestilente constitutione obseruare facillimum est.

*...idē sēper ...bi pestem ...itantur.*

Hercules Saxonia pestem & febrem pestilentem non pernicie aut veneno, sed ita distinguit, quòd pestis sit morbus perniciosus, vulgaris: febris pestifera verò propriè accepta sit morbus perniciosus sporadicus. Verùm nec hoc planè satisfacit. Nam dantur febres plurimæ pestilentes, quæ sunt quidem perniciosæ, sed non sporadicæ, verùm epidemiæ: veræ tamen pestilentiæ nomen non merentur.

*Her. Saxonia.*

Verùm plures opiniones recensere supersedemus, & rem breuiter sic concludimus. Pestis naturam in occultâ quadâ & homini planè aduersâ qualitate sitam esse, eandémque contagiosam esse, ac habere potestatem in alios sese diffundendi, suprà satis explicatum est, & nemo, vt opinor, facilè negauerit. In quocumque ergo morbo hæ conditiones reperiuntur, vt scilicet plurimis perniciosus sit, & facilè in obuios quosque per contagium diffundatur: is pestis appellari potest, siue febrem habeat coniunctam, siue non habeat. Si autem febrem habeat coniunctam, & pestem & pestilentem febrem sine discrimine appellari posse existimamus; modò hoc teneamus, febrem non esse de naturâ & essentiâ pestilentiæ, vt suprà dictum. Et hac ratione febris pestilentialis & pestis nec essentiali causâ, nec proximâ, nec remotis nec subiecto differunt.

*Pestis ac pestilens febris interdum nō differunt.*

Quia autem ab Autoribus non paucis pestilentia à febribus pestilentibus nonnullis secernitur, & nonnulli etiam febres pestilentes sine peste constituunt cum Galeno, 3. *epid. com.* 3. *t.* 57. *& de præsag. ex puls. capite* 4. explicandum est, quænam sint illæ febres pestilentes, quæ à peste differunt. Tales autem sunt illæ, quæ illam formalem Pestis rationem non habent, & ob similitudinem quandam perniciei ac symptomatum ita dicuntur: in quibus scilicet vel pernicies illa, vel contagium, quorum vtrumque in peste conspicitur, & maximum est, deest, vel si vtrumque habent, minùs tamen perniciosæ & contagiosæ sunt, vel quæ licèt valdè quidem malignæ sint, citra tamen constitutionem & statum anni pestilentem, quem pestilentiam quandoque nominari suprà diximus, vagantur. Et omninò pestilentes febres sine peste eæ dicuntur, vbi humorum corruptio nondum quidem summum illum gradum, qui pestilentis veneni naturam constituit, attigit: ipsæ tamen etiam veneni & malignitatis aliquid pestilenti similis obtinent. Hinc has febres plerique sporadicas esse statuunt, & Crato, *consil.* 275. hac vtitur distinctione. *Febris, inquit pestilens alia est priuata, alia publica. Priuata, quæ minùs sæua & contagiosa est, nec omnib. exitialis, internas habet causas, à quibus in corpore putredine ob humorum prauitatem, ortâ, cordis calor non tam à calore putredinali, vt in aliis febribus putridis, quàm malignitate opprimitur. Hæ febres, si eò progressæ fuerint, vt corpora iam morbidam exspirationem habeant, quæ omnibus est contagiosa, non ampliùs pestilentes priuatæ, sed publicæ fiunt. Priuatas autem dicimus, quia vitiosos humores continent, inuadunt, nec nisi conuersantes valdè prædispositos*

*Febres pestilentes sine peste.*

*positos lædunt. Publicæ verò sunt, quæ propter morbidam exspiratione contagiosæ conuersantibus existunt, & in aëre atque vestibus seminaria cōtagij relinquūt.* Hæc Crato.

Hæc tamen dextera & commodâ explicatione indigent. Verum est, febrem pestilentialem in specie dictam & pestem causâ essentiali non conuenire. Quamuis enim vterque affectus à veneno fiat: non tamen fit vterque ab eodem veneni genere. Necessarium tamen non est, vt semper causis efficientibus, præcipuè remotis differant, & pestis à causa solùm communi; aëre scilicet aut victu communi, proueniat; pestilens verò febris ex humorum priuatâ corruptione oriatur; Atque hinc pestis publica sit, pestilens verò febris priuata. Nam fieri potest, vt etiam febris pestilens sine peste, quam appellat, producatur à causâ communi, aëris scilicet vel victus vitio; quæ tamen verâ peste & pestilente febre eo differat, quòd illum venenositatis & contagij gradum non attigerit, & si plures iugulet, non tamen contagiosa sit; aut si vtrumque possit, non tamen nisi conuersantes, & quidem prædispositos inficere, nec etiam contagij semina ad distans spargere, aut per fomitem in loca longè dissita transferre possit.

*Pestis & pestilentis febris discrimē.*

Summa hæc est: pestis & pestilens febris in specie dicta principaliter perniciei & contagionis vehementiâ differunt; quæ non solùm in sporadicis, sed & epidemiis febribus pestilentialibus minor quàm in ipsa peste animaduertitur. In sporadicis tamen febribus differentia illa longè manifestior est. Sporadicæ enim non solùm essentia & veneni ratione, sed etiam causarum diuersitate differunt. Causæ enim febrium pestilentialium sporadicarum, & aliorum morborum priuatorum particulares sunt & priuatæ; pestilentiæ verò causa semper communis est.

*Pestilentium & malignarum febrium discrimen.*

Si quis porrò quærat; quænam inter pestilentes & malignas febres sit differentia: Authores quoque non parùm discrepare animaduertet. Nam si quis solùm eas velit appellare malignas, quæ à Cratone pestilētes priuatæ appellantur, & reliquas, ad harum differentiam, pestilentes: is nullam inter pestem & febrem pestilentem differentiam constituit; cùm tamen à plerisque tria hæc distinguantur; pestis, febris pestilens, & febris maligna. Præterea certum est, etiam malignas strictè appellatas epidemias esse posse; non solùm priuatas. Et cùm in malignis etiam febribus, præter putredinem & calorem, occulta & venenata qualitas adsit: non quidem is peccare videtur, qui omnes febres, quæ à verè & propriè dictâ peste differunt, in quibus tamen maligna & venenata qualitas apparet, seu pestilentes, seu malignas appellarit: Quia tamen non omne venenatum pestilens est; & apud Medicos non solùm febres, sed & tumores, vlcera, aliique morbi maligni appellantur qui ab omni pestilentiæ labe immunes sunt: non immeritò malignus à pestilenti distinguitur, & pestilens opponitur non pestilenti; malignus, benigno.

*Malignus morbus quis.*

Et in genere benignus morbus est, vt *libro. 2. Inst. part. 1. capite. 11.* dictum, qui supra propriam naturam nullum graue symptoma habet. Malignus autem quem peiora, quàm pro suæ essentiæ ratione, symptomata comitantur: seu, vt Galenus *lib. 1. prorrhet. t.* 14. habet, maligni morbi ij appellantur, quicunque periculum minantes, spem salutis non adimunt.

*Febris maligna duplex.*

Si tamen quæratur; vnde illa praua symptomata in malignis proueniant: distinctione opus est. Febris enim maligna duobus modis dici, & præter febris propriam naturam grauiora symptomata habere potest: Primò, cùm omne quidem venenum à febre abest, ob causæ tamen vehementiam & malam aliquam qualitatem, v.g. humoris cruditatem, acrimoniam, vel loci affecti rationem, curatio difficilis redditur, & grauiora apparent symptomata. Deinde cùm ob occultam & venenatam qualitatem grauiora apparent symptomata, morbúsque periculosior euadit. Prior febris malignæ species, quomodo à pestilentibus differat, manifestum est. Sed de illa hîc nobis agere institutum non est; sed de istâ inprimis, quæ ob occultam & malignam qualitatem talis dicitur. Ideóque cùm quæritur, vnde in hisce febribus grauia illa symptomata accidant, causa alia vix reddi poterit; nisi quod materia, à qua febris excitatur, occultam aliquam, & ad venenositatem accedentem qualitatem habeat, ob quam magis læditur æger, quàm ab aliâ eiusdem generis febre, quæ nihil tale obtinet. Itaque res eò redit, vt minor in his sit pernicies quàm in pestilentibus; vt sicut pestilentes à peste differunt, ita malignæ à pestilentibus non nisi gradu perniciei distinguantur. Perniciei gradu dico, non gradu veneni. Nam hîc facilè concesserim sicut venena alia à pestilenti veneno specie differunt: ita & malignam illam in febribus malignis materiam & qualitatem specie à pestilenti veneno differre. Quia tamen, vtriusque ratio nobis ignota & occulta est, & non nisi effectibus nobis innotescit, ac vtrumque homini infestum & noxium est: gradu perniciei differre diximus; quòd scilicet pernicies & contagium in pestilentiâ sint maxima, & summum gradum obtineant; minoris vehementiæ sint in febrib. pestilentialibus in specie dictis; minoris adhuc in febribus malignis propriè appellatis: licèt procul dubio materia, à qua pestis prouenit, ab eâ, à quâ febris pestilens generatur, & à quâ maligna producitur, specie differat. Imò contagium in malignis sæpe planè abest.

*Pestilētis & malignæ febris discrimen.*

Vnde plerique pestem & pestilentes febres à malignis ita discernunt. Primò quòd pestis & pestilens febris ex aëre & contagio ortū trahat: malignæ potiùs ex morboso apparatu proueniant: Quod quò vsque verum sit, iam dictum. Deinde quod pestis & pestilentes febres non solùm plurimos passim inuadant, sed etiam maximam partem eorum, quos inuaserant, interimant: Malignæ autem febres licèt plurimos inficiant: tamen non plurimos, quos inuadunt, è medio tollant, sed plerique eorum conualescant, & qui moriuntur, non tam citò, vt in peste, plerumque pereant. Sicut etiam, vt dictum, febres malignæ non semper contagiosæ sunt. Præterea in peste & in pestilentibus febr. putredo & calor præter naturam non tam ex causis, à quibus aliæ febres putridæ producuntur, excitantur, sed à deleteriâ & venenatâ seminarij contagiosi vi: at in malignis potiùs ex causis aliis, vt in febribus putridis communibus, putredo excitatur, indigentque febres malignæ magis morboso apparatu, qui in pestilentibus febribus sæpe non necessarius est, cùm etiam sine eo pestilens venenum humores corrumpere possit, tandem & symptomatum vehementia in malignis tanta non est, quanta in peste & pestilentibus febribus, neque bubones, carbunculi, & similia in iis conspiciuntur.

*Febrium malignarum natura.*

Nimirum malignæ febres & ipsæ prauæ sunt: mitiores tamen, quàm pestis & pestilentes febres: perniciosiores autem, quàm simpliciter putridæ: & propterea quasi inter pestem & reliquas putridas mediæ, & ad veram pestem via atque initium. In omni enim febre, quæ simpliciter putrida non est, præter vulgatam putredinem, occulta & nobis peculiari ratione aduersa ac venenosa adest materia, nunc tamen magis, nunc minùs perniciosa. Nam vt rem paucis verbis cōprehendam, si ea malignitas ac venenositas illum gradum attigerit, vt plurimi, qui ab eâ ægrotare incipiunt intereant, & obuij quique ab ægris inficiantur, & non solùm in proximos, sed etiam in remotos, vel per aërem, vel per fomitem, contagium propagetur pestis appellatur, siue adsit febris, siue non adsit. Et si adsit febris, nihil obstat, quò minus ille morbus pestilens febris in genere appellari possit. In specie tamen appellatur febris pestilens, vbi minor venenositas, minúsque

minúſque contagium adeſt ; & vel quidem plerique moriuntur, alij tamen non inficiuntur, aut ſaltem maximè diſpoſiti & proximè cum ægris conuerſantes; vel licèt & contagium & pernicies quædam in febre eâdem animaduertatur, contagium tamen & pernicies non ſummum gradum attigerint, ac non pauci conualeſcant. Maligna febris mitior adhuc eſt, & licèt grauia quædam habeat ſymptomata, pauciores tamen inde moriuntur; ſiue tales febres ſint epidemiæ, & ex communi causâ ortum habeant, ſiue ſint ſporadicæ, & ex priuatâ causâ proueniant. Non ſemper etiam ita contagioſæ ſunt, vt peſtilentes verè dictæ. Verùm hac de re ſuprà *in fine cap.*1. pluribus actum.

## CAPVT VIII.

### *Ad quod febrium genus Peſtilentes & malignæ pertineant.*

CVm duo in febribus peſtilentibus & malignis conjungantur, febris ac maligna & peſtilens qualitas: jam porrò quærendum eſt; cum quo febrium genere malignitas hæc conjungi poſſit, an cum omni, an verò certo febrium genere. Sunt autem, vt ſuprà dictum eſt, tria febrium genera; Ephemeræ, Putridæ & Hecticæ. Nonnulli ergo cum qualibet harum febrium differentiâ peſtilitatem & malignitatem conjungi poſſe ſtatuunt, ac peſtilentem nunc eſſe ephemeram, nunc putridam, nunc hecticam. Alij, vt Platerus, ad duo febrium genera peſtilentes & malignas redigunt. Nam Platerus duplex febrium malignarum & peſtilentium genus conſtituit; vnum breue, quod ex ſynocharum purarum non putridarum ſit genere: Alterum longius, quod è putridarum continuarum ſit numero. Alij tantùm in putridarum claſſem malignas & peſtilentes collocant.

*An dentur ephemeræ peſtilentes.* Quam rem ſi quis accuratius perpendat, hoc primò animaduertet, febres peſtilentes nullas ephemeras & hecticas propriè dictas dari. Ephemeras enim quod attinet, definiuntur illæ incendio & efferueſcentiâ ſpirituum; ac tales peſtilentes illæ, quas appellant, ephemeræ non ſunt. Nam licèt ipſa malignitas & peſtilentia aliunde pendeat: febris tamen illa, quatenus talis, plerorúmque authorum ſententiâ à putredine proſtenit. Etenim ſiue concedamus, ſpiritûs poſſe putreſcere, ſiue id negemus, febris peſtilens, quam illi appellant, ephemera propriè dicta non erit. Nam ſi ſpiritûs putreſcere non poſſunt; & febris, de quâ quæritur, eſt ex putredine: nulla dabitur febris ephemera peſtilens. Si autem concedamus ſpiritûs poſſe putreſcere, & ex his putreſcentibus febris accendatur: tamen ea non erit de vulgarium ephemerarum genere, in quibus nulla eſt putredo, ſed tantùm ſpirituum efferueſcentia & calor nimius, ſine eorundem corruptione & totius ſubſtantiæ mutatione.

Neque etiam credibile eſt, ſpiritûs, qui maximè ignei & mobiles, & propterea ad putredinem minùs diſpoſiti ſunt, primùm, & quidem ſolos putredinem concipere; humores verò, qui magis apti ad putredinem ſunt, à putredine planè immunes manere. Et licèt venenum, vt Platerus docet, aliquod inflammans dari poſſit, atque ab hoc peſtilens ſæpe non multum abeſſe concedamus: tamen illam inflammationem & calorem igneum in corpore ſine corruptione ſeu putredine vel humorum vel ſpirituum excitare vix poteſt. Id quod maculæ, bubones & carbunculi in peſtilentibus febribus erumpentes teſtantur. Bubones verò & carbunculos ſine humorum corruptione non erumpere certum eſt: maculæ verò non à portione aliquâ veneni, quod tantillum ſæpe eſt, proueniunt, ſed ab humoribus corruptis oriuntur. Et ſit ſanè, quod non nego, dari venenum peſtilens, quod ſpiritibus inprimis infeſtum ſit: tamen cùm tum non ſolùm ſpiritus incaleſcant, ſed corrumpantur & deſtruantur: febres ephemeræ non erunt, nec ad febrium ephemerarum claſſem referri poterunt, magnâque omnino hîc apparet differentia. Etenim in verâ ephemerâ ſpiritûs ſolùm incaleſcunt; in peſtilenti verò hac febre corrumpuntur. Et quamuis vtraque febris non diu duret, ſed breui temporis ſpatio ſuum curſum abſoluat: tamen hoc planè inæquali exitu accidit; cùm ephemera ſimplex periculo vacet: peſtilens verò, quæ fit ſpiritibus affectis perículoſiſſima ſit, adeò vt pauci euadant, ſed plerique citiſſimè intereant; cuius rei exemplum præbet ſudor Anglicus, de quo ſuo loco dicetur.

*An dentur hecticæ peſtilentes.* Hecticas quod attinet, negandum non eſt, in peſtilentibus febribus quandoque cor ipſum affici & forſan putreſcere & corrumpi. Quamuis etiam hoc in dubium à nonnullis vocetur, An ſcil. cor poſſit putreſcere ob rationem & authoritatem Ariſtotlis inprimis, qui *lib.* 3. *de part. an. cap.* 4. ſcribit: ſolum cor viſcerum atque omnium partium corporis nullum graue vitium pati, vtpote à quo reliqua membra, vt principio, gubernentur, & quod in nullâ beſtiâ cor, vt reliqua viſcera, corruptum inuentum ſit: tamen id ſimpliciter negandum non eſt; cùm ipſa experientia id teſtetur: ſicut hac de re exempla à Fernelio, *lib.*5. *pathol.cap.*12. & Schenk. *obſ. lib.*2. *obſ.* 202. Guilielm. Fabric. *lib.* 2. *obſ. Chirurg.*27. annotata ſunt. Neque id Ariſtotelem latuiſſe exiſtimo; qui id ſolùm ſtatuit, Cor nullum grauem morbum pati poſſe, vt ſcilicet animal viuat & ad ſanitatem redeat. Cùm enim hoſtiæ ſolùm ex ſanis, quantum ad ſenſum, animalibus peterentur: verum eſt, nullum animal corde affecto, ita ſanum videri poſſe, ſicut dum interdum renes, lien, aut aliæ partes corrumpuntur. Ipſum tamen etiam cor, ſed non ſine præſenti animalis damno, affici poſſe, confitetur; dum paulò poſt ſcribit: *At verò, quæ morbo vitiiſque eiuſmodi pereunt animalia, iis diſſectis, affectus morboſi in corde conſpiciuntur.* Ergo licèt concedamus, in peſtilentibus febribus cor affici poſſe, & febres inde oriri, quæ hecticam referant: hecticas tamen propriè dictas eas febres eſſe negamus. In hecticâ enim ſimpliciter dictâ etſi cordis ſubſtantia afficiatur: tamen ille affectus tantùm in calidâ intemperie conſiſtit; in febribus verò peſtilentibus cor non ſolùm incaleſcit, ſed etiam corrūpitur. Vnde etiam lōgè alia eſt ratio harum hecticarum, ſi ita cui eas appellare placeat cum Galeno, 3. *de præſag. ex pulſ. cap.*3. *&* 2. *meth. med. cap. vlt.* quàm hecticarum vulgarium, & longè alia in peſtilentibus, quàm aliis hecticis, conſpiciuntur ſymptomata.

Deinde hæ peſtilentes vix dari poſſunt ſine putredine. Nam cùm humores in corde contenti magis apti & parati ſint ad putredinem, quàm cordis ſolida ſubſtantia, aut eius humores proprij: vix poſſibile eſt, ipſam cordis, à quo hi reguntur & fouentur, ſubſtantiam, aut ejus humiditates proprias putreſcere poſſe, vt humores in ventriculis cordis contenti non ſentiant putredinem. Nam quod à putrido tangitur, & ipſum putreſcit; præcipuè ſi magis diſpoſitum eſt. Atque ita maxima eſt inter hanc febrem peſtilentem & hecticam differentia. In hecticâ enim verâ temperies ſaltem cordis mutatur, & cor præter naturam calefactum eſt: in peſtilenti verò hac ipſa ſubſtantia cordis corrumpitur. Hectica ſine putredine conſiſtere poteſt: hæc vix, ac ne vix quidem. Hectica diu durat, antequam hominem enecet: In peſtilenti hac homo breui temporis ſpatio moritur.

Ex quibus omnibus concludimus, in omni febre peſtilenti & malignâ aliquam ſeu putredinem ſeu corruptionem eſſe, non ſaltem mutationem in qualitatibus primis. Vnde febres malignas & peſtilentes in earum numerum collocamus, quæ ex humorum putredine dependent. Interim tamen quia aliqua inter

eas differentia apparet, & nunc ipsum cor, nunc humores, nunc spiritus afficiuntur: magis propter similitudinem, quam cum aliis propriè dictis habent, cùm aliis nominibus destituamur, ita eas appellare & earum alias ephemeras, alias hecticas, alias putridas nominare liceat.

*An dentur febres malignæ intermittentes.*

Verùm jam porrò quæritur; E quo putridarum genere sint hæ febres. Et primùm: An omnes sint continuæ, an verò aliquæ intermittentes. Etsi autem verum sit, in pestilentibus febribus, præsertim si qualitas venenata prævaleat, & cor labefactet, naturam impeditam & oppressam morbum vel certo ordine aggredi, vel ab humoribus corruptis aliquandiu sese liberare non posse: & proinde febres pestilentes & malignas ferè omnes continuas esse statuamus: distinctione tamen aliquâ vtendum videtur.

*Pestilentes febres omnes sunt continuæ.*

Nam pestilentes febres propriè dictas, & à malignis distinctas, omnes continuas esse censemus; cùm venenatæ putredinis ea sit ἐνέργεια, vt quocunque in loco excitetur, in totum corpus se diffundere, & corruptis in venâ cauâ atque arteriis humoribus, facilè continuò cor lacessere possit, ac debilitatâ virtute certis interuallis humores pestilentes expelli non possint. Neque valet hic argumentum Herc. Saxoniæ quo etiam intermittentes pestilentes dari probare conatur. Datur, inquit, pestilentia sine febre. Ergo magis potest dari pestilens intermittens febris. Consequentiam enim hîc non video. Nam licet verum sit, pestilentis veneni tantam vim esse posse, vt hominem juguIet, antequàm febris & putredo excitetur: tamen si tractu temporis à pestilenti veneno putredo excitetur: fieri non potest, ob causam jam dictam, vt natura certis periodis materiæ putridæ expulsionem instituat. Et quamuis putredo pestilens in humoribus in primis viis contentis primò accendi possit: tamen, propter maximam actiuitatem & vim veneni, humorumque continuitatem, facilè labes illa superioribus quoque venis communicatur.

*Malignæ febres quædam Intermittentes sunt.*

Febres autem quæ in specie malignæ dicuntur, & inprimis quæ ex priuato humorum vitio generantur, Intermittentes interdum esse, ipsa Experientia testatur. Nec ratio id dissuadet. Nam impossibile non est, vt in primis viis putrescentes humores malignitatem concipiant; & cùm in talibus febribus tanta veneni vis non sit, nihil obstat, quin natura statis periodis excretiones aliquas instituere possit. Verumtamen etiamsi hæ febres interdum certos typos obseruent, & quidem plerumque tertianæ sint: tamen, quia natura oppressa ordinem in motibus suis certum seruare non valet, accidit tum, vt febres stato ordine non exacerbentur, sed erraticæ quasi sint.

*Pestilentes & malignæ continuæ quales.*

Porrò quæ è continuarum genere sunt pestilentes & malignæ, nulli continuarum generi addictæ sunt, sed prout putredo & corruptio in sanguinem temperatum vel intemperatum, morbosum apparatum hunc vel illum, hoc vel illo in loco, incidit: ita nunc hæc, nunc illa febris species excitatur. Et febres tales nunc synocharum naturam referunt, nullásque insignes mutationes obtinent: nunc reliquarum continuarum modo cum horrore incipiunt, & quasdam exacerbationes habent ac periodos absoluunt, proüt humorum apparatus sese habet. Neque enim vsus saltem aliquis ex humoribus, sed quilibet illorum, dum putrescit & venenatus redditur, pestilentes febres excitare potest; quod symptomatum diuersitas, quæ diuersorum humorum naturam insequuntur, satis testatur. Nam alios vigiliæ, alios sopor & veternus, alios delirium, alios alia symptomata infestant, quæ non solùm propter partium diuersarum imbecillitatem, & materiæ ad eas motum, sed etiam propter materiæ diuersitatem oriuntur.

*Differentia febrium pestilentium & malignarum.*

Ex his, quæ hactenus dicta sunt; facilè colligi potest, quid de differentiis febrium pestilentium & malignarum sit statuendum. Itaque plura de differentiâ à causis, materiâ putrescente & loco desumptâ, addere opus non est. Hoc saltem notandum est, duo, vt aliquoties jam dictum, in qualibet malignâ & pestilenti febre reperiri: Primò Putredinem, à qua febris oritur: deinde perniciosam & malignam qualitatem, ob quam febris illa pestilens & maligna dicitur. In vtroque reperiuntur quædam differentiæ.

Nam febrem quod attinet, non solùm à causis, materiâ & loco putredinis, vt in aliis febribus, sumuntur differentiæ, sed etiam à vehementiâ putredinis; siquidem putredo nunc maior, nunc minor est. Deinde ipsa pestilens ac maligna qualitas insignem habet latitudinem; vnde accidit, vt febres pestilentes & malignæ aliæ aliis perniciosiores ac sæuiores, aliæ mitiores ac debiliores sint. Nam si & malignitas & putredo summa sit, perniciosissima febris oritur, in quâ & à malignæ & pestilentis qualitatis vehementiâ cor valde debilitatur, & ab insigni putredine ac calore cùm ipsum, tum reliquæ etiam vires valde læduntur. Si autem contingit, vt putredo sit magna, qualitas verò illa maligna non ita vehemens: tum febris magis ad naturam aliarum putridarum accedit, & à febre & à calore quidem, vt in aliis putridis, ægro magna molestia creatur, sed à prauâ qualitate cor non adeò affligitur. Si autem putredo non est magna: qualitas autem maligna vehemens: tum febris apparet mitis, & febrilia multa ac vehementia symptomata non animaduertuntur; nihilominùs à qualitate malignâ cor valde læditur, taléstque febres valde fraudulentæ sunt, & cùm nec ægris, nec Medicis sæpe periculosæ videantur, ægrum, vbi extra periculum constitutus videtur, iugulant. Si denique nec putredo est magna nec qualitas maligna vehemens, febres oriuntur, quæ nec ratione putredinis, nec malignitatis periculosæ sunt.

Cæterùm cùm in hisce febribus non tam putredo, quàm malignitas spectanda sit, differentiæ, quæ à putredine sumuntur, febrium malignarum & pestilentium, quatenus malignæ ac pestilentes sunt, propriæ non sunt, sed iis cum aliis febribus putridis communes. Ideò hoc loco non saltem differentia à putredine, sed inprimis malignitatis differentia spectanda est, in quâ aliquam differentiam occurrere negandum non est. Obseruatum enim est, ea remedia, quæ in vnâ pestilente constitutione vtilia comperta sunt, in aliâ parum profuisse: quod procul dubio ex veneni diuersitate accidit: ac rectè recentiores annotârunt, pestilens venenum modò viperæ, modò cicutæ, modò napelli, modò dipsadis, modò aliud venenum æmulari: quod ad curationem rectè instituendam obseruare vtile est.

Verùm cum, vt aliorum venenorum, ita etiam qualitatis malignæ & pestilentis formalis ratio nobis ignota sit: essentiales etiam differentias constituere difficile est, sed potissimæ desumuntur ex symptomatibus: per quæ malignitas se prodit. Quæ cùm sint varia, hinc variæ habentur febrium pestilentialium & malignarum differentiæ. Interdum enim maculæ quædam varij coloris in cute efflorescunt, vnde febres peticulares & petechiales appellantur: Alia est febris differentia cum quâ variolæ & morbilli conjunguntur: alia est febris, quæ sudatoria & sudor Anglicus appellatur: Alia, quam morbum Hungaricum nominant. Ita dantur nonnunquam febres malignæ pleuriticæ, catarrhales, anginosæ & aliæ cum dysenteriâ coniunctæ, quæ iam ex enumeratione symptomatum & signorum clariores fient, proüt natura veneni cum hac vel illa parte antipathiam peculiarem habeat.

CAPVT

## CAPVT IX.

### De Cauſis febris peſtilentis & malignæ.

*Cauſa febris peſtilentis.* DE cauſis verò peſtilentis febris, & à peſte & à maligna differentis, vix alia, quàm quæ de peſte diximus,afferri poſſunt, ſed eaſdem illas cauſas peſtilenti febri applicare poſſumus. Cùm enim peſtilentis veneni, vt & aliorum natura determinata nobis incognita ſit, etiam cauſarum illud venenum producentium gradum determinatum vix definire poſſumus, & proinde cauſæ febrium malignarum & peſtilentium quærendæ in aëre, cœlo, victu prauo: quibus tandem accedit contagium. Verùm cum videamus venenum veram peſtem conſtituens ab aliis ſymptomatum copiâ, vehementiâ, magnitudine, modo operationis, contagij velocitate, & ad diſtans ſeſe diffundendi potentiâ, ſummáque tandem pernicie differre: Eadem procul dubio ratio etiam in cauſis eſt, vt nimirum ſi cauſæ peſtem aliàs excitantes nondum illum ſummum gradum attigerint,febris peſtilens producatur. Vnde videmus plerumque peſtilentes febres præcedere,& tandem,cauſarum vehementiâ auctâ,aut diutius durante,in veram peſtem abire.

*Cauſa febrium malignarum.* Febres verò malignas in ſpecie dictas quod attinet, plerique earum cauſas ſaltem in morboſo corporis apparatu quærunt. Quod etſi quandoque verum ſit: tamen ſuprà dictum,non omnes febres malignas ſaltem priuatas & ſporadicas eſſe,ſed ſæpe epidemias. Exemplo ſint febres illæ,quæ Anno 1551.& 1580.per vniuerſam Europã,imò omnes ferè mundi regiones, graſſatæ ſunt.Nam cùm febres iſtæ eodem tẽpore in diuerſis regionibus diuerſæ naturæ homines, & quidẽ maximã hominum partem, inuaſerint, priuatas & ſporadicas non fuiſſe,cuilibet manifeſtũ eſt.Cùm verò pauciores ex iis perierint,neque peſtilentiæ, neque peſtilentium febrium in ſpecie dictarum naturam habuerunt, ſed ſolùm malignæ fuerunt. Et cùm maximam hominum partem, & quidem in omnibus regionibus inuaſerint: ex morboſo & priuato corporis apparatu cauſam non habuerunt, ſed ex communi aliquâ cauſâ ortæ fuerunt. Tales etiam fuerunt febres, quæ anno 1616. poſt inſignem illum & hiſce regionibus inſolitum æſtum, vniuerſæ ferè Germaniæ epidemiæ, hìc certè VVittebergæ tam frequentes fuerunt,vt nulla domus reperiretur, in quâ nõ ægri decumberẽt,imò tot ægrotarent, vt in nonnullis ædibus vix vnus vel alter ſanus eſſet, qui reliquis ægrotantibus miniſtrare poſſet. Quanquam verò & epidemiæ eſſent hæ febres & contagioſæ: tamen ſexcenteſimus vix moriebatur, atque ita peſtilentes hæ febres non erant. Neque tamen ex priuato corporis apparatu,ſed cauſâ communi,vt dixi, æſtu ſcilicet inſigni,& procul dubio peculiari aliquo aſtrorum influxu ortum habebant. Itaque & in hiſce febribus communes cauſas admittimus,& ſi epidemiæ ſint,tam ex aëris vitio,quàm victu prauo communi prouenire poſſe ſtatuimus.Vt verò in malignitate propriè & in ſpecie dictâ minor eſt pernicioſitas: ita & minorem in cauſis iſtas febres producentibus venenoſitatem & prauitatem eſſe exiſtimamus.

Quæ verò febres malignæ, vt & peſtilentes in ſpecie dictæ, priuatæ ſunt & ſporadicæ, eas inprimis à cauſis particularibus, à quibus vitioſi ac praui humores ſeu morboſus quidam apparatus in corpore colligitur, prouenire ſtatuimus. Atque huius apparatûs ratione,qui in diuerſis,pro ratione ætatis,ſexûs, vitæ generis,& aliarum circumſtantiarũ,diuerſus eſt,febres hæ & earum Symptomata valde variant,vt rarò eadem accidentia & Symptomata in diuerſis appareant.

Prauus autem hic apparatus, & humorum corruptio oritur primò à cibo prauo & putredini ac corruptioni obnoxio: quales cibi, vt hac de re Galenus, 1. *de diff. febr. capite* 3. ſcribit,quidam naturâ tales ſunt, quorum ſcilicet ea eſt natura, vt ex iis praui ſucci generentur,de quibus videatur Galenus,*libro de cibis boni & mali ſucci*: quidam verò diuturnitate temporis & negligenti aſſeruatione talem labem contraxerunt.

Huc pertinet etiam aqua,quæ computruit, aut rerum putridarum & corruptarum mixtione inquinata eſt. Deinde etiam humores boni in corpore ita corrumpi poſſunt, vt malignitatem, imò venenoſitatem acquirant.De quo alij aliter ſentiunt. Integra illa controuerſia pluribus explicata eſt, *libro* 2. *Inſtit. p.* 2. *capite* 12. monſtratúmque humores in corpore noſtro ita corrumpi, & à naturâ ſuâ degenerare poſſe, vt naturam venenorum induant, à quibus halitûs venenati & maligni ad cor delati periculoſa ſymptomata & mortis periculum inducunt;potiſſimùm vbi nouâ accedente putredine exagitantur, à quâ etiam febris oritur,quæ ob adiunctum venenum maligna eſt.

## CAPVT X.

### De peſtilentis febris ſignis.

*Peſtilẽtis febris ſigna.* DE peſtilentis febris in ſpecie dictæ ſignis peculiariter aliquid addere opus non eſt.Eadem enim, ſed mitiora & pauciora ſaltem in iis conſpiciuntur,atque inprimis illa, quæ eſſentiam veneni peſtilentis conſequuntur, in eâ non eadem, quæ in peſtilentiâ, conſpiciuntur. Neque enim tam periculoſæ ſunt, vt vera peſtilentia,neque etiam tam contagioſæ.

Quantum autem ad ſigna differentiarum, quæ ſuprà propoſitæ ſunt, ſi qualitas venenata ſit ſumma,ſimúlque etiam maxima putredo, vires maximè deiiciuntur,& grauia,ob putredinem,inſequuntur ſymptomata, vt capitis aliarúmque partium dolores, vigiliæ, inappetentia, ſitis magna & inexhauſta, inquietudo,excrementa & vrinæ valde mutatæ ac ſanorum maximè diſſimiles. Si autem putredo ſit ſumma, maligna verò qualitas remiſſior, illa, quæ ex putredine & febre oriri ſolent,ſymptomata, ſunt quidem valde vehementia, non tamen adeò grauia & moleſta, vt in priori differentiâ. Virtus enim vitalis non adeò deiicitur,& propterea meliùs ſymptomata illa perferre poteſt. In hac febre calor etiam in exterioribus ſemper ἀνάλογος eſt putredini, vſque ad ſtatum: circa quem demum, ſi æger non euadet, exteriora primùm tepeſcere & tandem frigeſcere incipiunt. Si enim euaſurus eſt, aliquid quidem remittit, ſed non planè. Si putredo non magna eſt, qualitas autem maligna vehemens; mitia ſunt,quæ febres comitantur, ſymptomata, ſed vires valde deiiciuntur. Si denique nulla ferè adſit putredo, ſed maxima malignitas, peſtis naturam ea febris æmulatur,in quâ ægri ſine morbo ſe mori conqueruntur. Nam nulla putredinis adſunt ſigna, nulla ſitis,nulla alia grauia ſymptomata, ſed tantùm ſumma viriũ deiectio & imbecillitas,ac tandẽ inopinata mors.

*Ephemeræ peſtilentis ſigna.* Alteram deinde differentiã,quod attinet quâ febres peſtilẽtes vulgò diſtinguuntur in Ephemeras,putridas & hecticas:Ephemera, quæ ex ſpiritibus inprimis affectis oritur, cognoſcitur. Primò ex magnâ & ſubitò inuadente imbecillitate, & quamuis interdum vires nonnihil colligi videantur,collectis ſpiritibus: tamen mox iterum concidunt, & ægri in frequentem ſyncopen & animi deliquia incidunt, ac tandem ſuccumbunt. Secundò ſentiunt hi quidem calorem,non adeò tamen mordacem, & qui non diu durat; ſed vno, duobus,aut ad ſummum tribus diebus, vel ad ſalutem, vel ad mortem ægri morbus terminatur. Tertiò pulsûs ſunt inæquales, imbecilles ac languidi.Spiritibus enim deficientibus facultas vitalis munus ſuum

ſuum exequi non poteſt: Vnde ſæpe in mediâ actione deficit, variæque inæqualitatis cauſa exiſtit. Quartò in hac febre non fiunt alui fluxûs colliquantes: Vrinæ non ſunt turbidæ, ſed ferè ſimiles naturalibus & ſanis, non adſunt bubones, carbunculi, parotides, atque alia exanthemata.

In Humoralibus autem peſtilentibus conſpiciuntur bubones, carbunculi, parotides, puſtulæ, maculæ, & alia exanthemata; atque alia adſunt ſigna, quæ in aliis putridis apparere ſolent, vt ſunt vigiliæ, deliria, anhelitus & reſpiratio frequens, cardiogmi, vomitûs, variæ alui excretiones, vrinæ craſſæ, turbatæ, ſitis magna, linguæ ariditas, aſperitas.

*Hectica peſtilentis ſigna.* Hecticæ denique peſtilentis ſigna ſunt: Primò magnus virium languor, pulsûsque debiles ac verè deficientes. Si enim in ſimplici hecticâ vires ita concidunt: certè mirum non eſt, in hecticâ peſtilente, vbi cor non ſolùm aliquâ intemperie laborat, ſed ſimul à qualitate malignâ opprimitur ac corrumpitur, vires maximè deficere. Secundò, vt & in aliis hecticis calor ab ipſis ægris vix percipitur, adeò vt de nullo affectu, niſi de ſummâ virium imbecillitate conquerantur.

## *De Signis febrium malignarum.*

*Malignarum febrium ſigna.* Reſtant ſigna febrium malignarum in ſpecie dictarum, quæ diligenter cognoſcere, ſummè neceſſarium eſt. Nam peſtis & peſtilentium febrium ea eſt vehementia, vt ferè in principio mox ſeſe prodant. Malignæ verò febres in principio latent: vt tamen mox cognoſcantur, nihil vtilius eſt. Nam ſi in principio non mox cognoſcantur, malignitas altiùs radices agit, tempúſque agendi commodum præterlabitur, ac æger in vitæ diſcrimen adducitur. Cùm enim malignitatis, & peſtilentis veneni non tanta ſit vehementia, aliquandiu in obſcuro quaſi deliteſcit, aliámque febrem benigniorem ſimulat, nec ſe prodit, niſi vbi iam vires ſumpſit, & victoriæ ſpem concepit. Quapropter omnia ſigna diligenter perpendenda ſunt, ne vel febris, quæ maligna non eſt, pro tali habeatur; quod nonnulli interdum faciunt, qui vix continuæ aut acutæ febris nomine audito, malignam febrem eſſe pronunciant; vel ſi talis ſit, negligatur. Et licèt vix vnum pathognomonicum datur, quod ſolum febrem hanc certò detegere valeat, tamen ſi vllum ſignum appareat, quod nobis ſuſpectum ſit, & de malignitate nos admoneat, illud non negligendum eſt, ſed eâ ipsâ de causâ reliqua omnia diligentiùs perpendenda; ne ſi de omni periculo ſecuri ſimus, fallax & latens huius morbi natura nobis imponat. Exempli gratiâ, ſi præter febris morem & præter ſolitum ſopor, lipothymia, cardialgia, vel aliquid aliud accidat, omnia diligentiſſimè perpendenda ſunt. Omninò enim in febribus malignis locum habet, quod de peſte præſagiendâ habet Poëta:

----*Sæpe exiguus mus*
*Augurium tibi triſte dabit.*

1. *Symptomatū vehementia.* Primum ergò ſignum, quod ab illâ malignâ qualitate dependet, eſt, quòd omnia ſymptomata maioris, quàm pro febris naturâ, videntur eſſe vehementiæ, & in omnibus ſymptomatibus peculiaris aliqua apparet conditio, quâ à ſeipſis, dum in aliis morbis apparent, differunt, & peculiare omninò quid in hac febre præ ſe ferunt, quod dum in aliis morbis apparent, non obtinent. Vnde ſi quis periculum, quod ex febre eſt, conferat cum periculo, quod imminet ex ſymptomatibus, illud præ hoc negligendum videatur. Inprimis adeſt virium inſignis imbecillitas, ſine causâ manifeſtâ; mox à principio maior, quàm pro febris & caloris febrilis naturâ. Nam ſi quis laborat febre ardente, in quâ calor eſt maximus, eius vires à caloris vehementiâ debilitari non eſt mirum: at ſi quis febri laborat, cuius calor eſt mitior, & vires nihilominùs dejiciuntur, hoc iam malignitatem arguit. Adeſt inquietudo, anxietas, inordinati ſudores, & ſimilia.

Primum hoc ſignum ſequitur alterum, pulſus frequens, paruus, inprimis debilis. Etſi autem in aliis differentiis & circumſtantiis à naturali parùm diſcrepare videatur, tamen ſi vigor ille naturalis ſine manifeſtâ causâ deſit, iam malignitatis ſuſpicionem affert; quæ tamen morbo progrediente ſeſe magis prodit. Nam inter initia ſæpe pulsûs naturalibus ſimiles ſunt, aut non multùm ab iis diſcrepantes apparere ſolent; quod diligenter obſeruandum, & alia etiam ſigna conſideranda ſunt, ne hìc decipiamur. Si enim inquietudo, anxietas, inordinati ſudores, frigidi & intercepti, ac alia praua ſymptomata adſint: falſa illa pulsûs imago & ſimulata bonitas ad febrem benignam indicandam non ſufficit: neque pulſus naturalis cum malis accidentibus conſiſtere poteſt. Eſt etiam interdum in huius febris initio pulſus formicanti ſimilis, minimus & frequentiſſimus, qui ex materiæ malignæ copiâ procul dubio accidit. Varius quoque vt plurimum pulſus eſt in hac febre, & interdum intercidens, tranſactis primis diebus, quod fit, ob pugnam naturæ & materiæ, & illius ſæpè impotentiam, ob quam ordinatè & integrè ſuum officium exequi non poteſt. 2. *Pulſus.*

Tertium, vrinæ primis diebus aliquando ſanorum nimis ſimiles ſunt; quod dum fit, & alia ſigna ac ſymptomata grauia adſunt, certum eſt malignitatis, quæ clam & ex inſidiis naturam oppugnat, indicium. Qualitas enim illa maligna & venenata cùm non in putredine conſiſtat, ſenſim primò & ſine inſigni aliquâ humorum agitatione & perturbatione cor oppugnat. Vnde eius indicia in vrinis quidem non apparent, aliis tamen ſignis ſatis ſeſe produnt. Aliquando etiam vrinæ tenues & crudæ ſunt, nullúmque continent ſedimentum: aut ſi quod habent, illud excremento potiùs ſimile eſt, quàm ſedimento. Etſi enim vrina cruda etiam in aliorum morborum initiis appareat, tamen ſi tenuis ſit & aquoſa ac omninò à naturâ aliena, mox incipiente morbo, & cum leui febre, quæ leuem etiam adeſſe putredinem ſignificat, aliquid aliud præter putredinem adeſſe indicat, nimirum virium & facultatum magnam impotentiam, quæ non ex humorum putredine & calore febrili, ſed potiùs ex malignâ qualitate ortum habet. Conſpicitur quoque interdum vrina craſſa, colorata & turbida, craſſum, rubrum & turbidum ſedimentum habens, quod maximam humorum conturbationem, magnamque putrefactionem & facultatis naturalis impotentiam ſignificat. 3. *Vrina.*

Quartum, calor harum febrium non habet eam acrimoniam, quam in aliis putridis; ſi ſcilicet eiuſdem generis febres malignas & benignas inter ſe conferas. Nam etſi in ardente febre calor ſit maximus, ſummum incendium, tamen ſi eundem & ſymptomata cum ardente ſimplici, quæ nullam habet coniunctam malignitatem, conferas, tùm calor erit, quàm pro naturâ eius febris, minùs mordax; ſymptomata verò, quàm pro ratione caloris, grauiora. 4. *Calor.*

Quintum, facies plerumque ſolet eſſe tetra, & à ſtatu naturali multum mutata, viuidâque illâ vi & ſpiritu deſtituta videtur. Vnde plurimi exiſtimant, febres has ab Hippocrate eſſe aſpectu terribiles appellatas. 5. *Facies.*

His ſignis ſatis quidem cognoſci poteſt peſtilens & maligna febris: ſemper tamen & alia ſymptomata coniunguntur. Nam primò actiones læſas quod attinet, vel ſopore & veterno, vel vigiliis exercentur. Imaginatio multis modis corrumpitur, ſomnúſque variis & abſurdis imaginibus turbatur: memoria debilitatur; vertigo, tumores, conuul-

ſiones,

ſiones , corporis totius inquietudo & anxietas adeſt. Dolores capitis infeſtant, oculi caligant, aures obſurdeſcunt,tinnitibus & ſibilis moleſtantur, odoratus & guſtus corrumpitur ; crura,artûs & omnia membra quaſi confracta & conquaſſata iis putantur, cardialgia accidit, ſitis moleſta eſt, nauſea infeſtat. Ita etiam in Excretis varia accidunt ſymptomata. Vermes enim modò per aluum , modò per os , modò per nares erumpunt. Adſunt fluxûs alui relioſi, colliquantes, fœtidi. Nares ſtillant ſanguine ; quod ſignum vt in morbis acutis aliis malum habet Hippocrates : ita huius morbi naturam non obſcurè arguit,præſertim ſi initio morbi accidat, etiam in maiori quantitate. Experientiâ enim compertum habetur , non ſolùm ſtillicidium narium ; verùm etiam maiorem ſanguinis è naribus effuſionem per initia prauam morbi naturam ſignificare. Indicat enim hoc magnam humorum ebullitionem , prauámque qualitatem, ac virium debilitatem , ob quæ omnia natura ante tempus vacuationem inſtituit. Apparent etiam tumores,modò poſt aures , modò circa alas & inguina , qui ſæpè retrocedunt , & difficulter maturantur. Maculæ rubeſcentes & liueſcentes efflorеſcunt in dorſo , brachiis , cruribus,& thorace,de quibus ſuprà plura. Variolæ etiam & morbilli interdum conſpiciuntur. Denique in qualitatibus mutatis accidunt ſymptomata : Facies eſt liuida , plumbea : apparent hinc inde in cute, vt diximus,maculæ ; lingua eſt ſicca , aſpera & nigra,os amarum : extrema modò refrigerantur , modò incendio vruntur.

*Stillicidium ſanguinis è naribus quid initio febriū ſignificet.*

Et vt hæc concludamus , nihil ferè mali eſt , quod non interdum in hiſce febribus appareat ; ac quò magis extrà omnia tuta apparent , eò magis intus omnia ſunt turbata & mutata.

## *Prognoſtica febrium peſtilentium & malignarum*

*Peſtilentium febrium prognoſtica.*

Peſtilentium febrium in ſpecie dictarum eadem in prognoſticis, quæ in peſte ferè eſt ratio. Quò enim ſymptomata ſint deteriora , vomitus ſcilicet humorum corruptorum , alui deiectiones fœtidæ , atræ,liuidæ,vireſcentes : reſpiratio difficilis , anhelitus frigidus & fœtidus ; cardialgia, lipothymia ; deliria,ſopor grauis ; facies horrida ; pulſus paruus & debilis , extrema frigida & liuida ; maculæ paucæ , violaceæ,liuidæ , nigræ , atque non debito tempore erumpant, cum grauibus accidentibus , & retrocedant, antequam diſcutiantur ; & contrà vires ſint debiles : omnia morbum grauem & periculoſum ſignificant.

Contrà ſi talia grauia accidentia pleraque abſint, & omnia ſymptomata ſint mitiora & moderata, ſi maculæ ſint multæ & magnæ , rubentes , atque erumpant criticè , & quidem cum ægri leuamine , neque retrocedant , & vires ſeſe bene habeant : ſalutis ſpes ſupereſt.

*Prognoſtica malignarum.*

Ex iiſdem ſymptomatis de malignarum febrium exitu aliquid præſagire licet. Verùm cùm de iis ſatis prolixè , *Inſtit. lib.* 1. *part.* 3. *cap.* 4. 5. 6. 7. 8. dictum ſit, facilè ex iis,quid de qualibet malignâ febre ſperandum ſit , colligere licet.

---

## CAPVT XI.

### *De curatione Febrium peſtilentium & malignarum in genere.*

*Curationes febribus peſtilentibus & malignis.*

IN omnibus peſtilentibus & malignis febribus duo adſunt , Venenum & malignitas , ac febris ad quæ tota curandi ratio dirigenda eſt. Et quidem quid febris indicet , & quâ ratione ei occurrendum ſit , ex iis , quæ hactenus de febribus dicta ſunt , patet; quomodo venenum peſtilens & malignitas oppugnanda ſit , ex iis , quæ de peſtilentiâ dicta ſunt, manifeſtum euadit. Verùm in hoc maxima difficultas , cui priùs , cui poſteriùs proſpiciendum ſit , & quomodo venenum peſtilens ac malignitas tollenda ſit , ne febris augeatur ; & contrà febri proſpiciendum , ne malignitas negligatur. Et quidem præcipuè de tribus eſt controuerſia , de alexipharmacis ac diaphoreticis & ſudoriferis , ac inprimis iis, quæ primum caliditatis gradum excedunt ; deinde de venæ ſectione ; tertiò de purgatione.

Etſi verò plerique hîc eodem modo has quæſtiones , vt de peſtilentiâ dictum, tractare , neque etiam inter curationem peſtilentis & malignæ febris in ſpecie dictæ diſcernere ſoleant , tamen hîc diſtinctione opus eſt. Et quamuis in pleriſque febrium harum curatio conueniat , in aliquibus tamen diſcrepat. Cùm enim in vtroque harum febrium genere venenum & putrefactio adſit , nunc Venenum , nunc putredo & febris plus vrget. Ideóque hæc duo , peſtilens venenum & malignitas , ac putredo & febris inter ſe conferenda ſunt , & vnde plus periculi immineat , perpendendum. Ideóque ſi plus periculi immineat à veneno , ea ferè curandi ratio eſt , quæ in peſte propoſita fuit , quæ tamen ita inſtituenda, vt febris non negligatur , multò minùs augeatur. Si verò febris plus vrgeat , ad eam inprimis curatio dirigenda , ita tamen , ne malignitas augeatur.

Quapropter verè & in ſpecie ita dictas febres peſtilentes quod attinet , cùm earum natura ad peſtem propiùs accedat , earum etiam curatio peſtis curationi magis cognata eſt. Ideóque ſi tales febres graſſentur , vel ſtatim vel præmiſſo clyſtere, ad alexipharmaca & ſudorifera confugiendum. In alexipharmacis verò exhibendis id obſeruandum , vt , quantum fieri poteſt , temperatiora eligantur. Inprimis verò hîc efficaces ſunt aquæ deſtillatæ ; vt quæ valdè penetrant. Ideóque alia etiam cum iis exhibenda. Medicamenta autem talia in peſtilentiæ præſeruatione & curatione ſuprà multa ſunt propoſita.

*Peſtilentis febris curatio.*

*Sudorifera.*

Aquæ deſtillatæ.

♃. *Succi ex fol. recent. & virid. galeg. verben. borraginis* , *ſcordij* , *meliſ. Calend. acetoſ. cardui bened. plantagin. è roſis incarn.* an. ℔. i. *limon. matur. ſiue citri* , ℔. ii. *aceti rubi Idæi* , *rut.* an. ℔. i. *ſem. citr. recent.* Vnc. i. *portulac.* Vnc. ß. *flor. nymph. alb. recent.* Vnc. iiii. *cortic. fraxin. rec. manip.* iiii. Pulueriſanda puluerіſentur.

Infundantur per triduum in ſuccis prædictis , poſtea deſtill. ſ. a. per organa vitrea.

Efficax eſt & hæc aqua. ♃. *Radic. & herb. pentaphyll. fol. ſcordij, ſcabioſ. cardui bened. acetoſ. calendul. rad. angelic. morsûs diaboli, contra hierua, tormentill.* an. Vnc. i. *zedoar. ſem. citri*, an. Vnc. ſem. *croci*, Drach. i. *Theriac. veteris*, Vnc. i. *camphor.* Drach. ß. *aceti vini* , ℔. i. ſem. *ſucci citri* , ℔. ii. *ſpiritûs vini opt.* ( aut ſi morbus eum non fert ) *aq. alicujus conuenientis*, ℔. i. Stent in infuſione per dies duos , & deſtillentur , ſ. a.

Ægyptiis familiaris eſt hic puluis. ♃. *ſcordij* , *chamædryos, ſem. citr.* an. Drach. i. *ariſtoloch. long. zedoar. dictamni Cretici, C.C. vſti, boli Armeni, terr. ſigillat. roſarū, calef. ſpic. margaritarum præp.* an. ℈. i. *camphor.* Drach. ß. *corall. rubr.* Scrup. i. *ſacchari candi* , Drach. ii.

Huius ʒ. i. cum theriaca Andromachi, ℈. ii. in Aq. calaf. vel citri exhibent calidè manè ante cibum , & à cibo ſpatio ſex horarum , ægrúmque in lecto pannis cooperiunt, vt ſudet, atque ſudorem omni conatu prouocant, repetúntque hoc ter in die.

Vel ♃. *Spec. liberant. ſine aloë*, Vnc. i. *diamargarit. frigid.* ʒ. v. *diatrion. ſantal.* ʒ. iii. *vnicornu*, Drach. i. *tormentill.* Scrup. iv. *ſem. citri excort. bol. Armen. præp.* an. Drach. i. *terr. ſigill.* dr. dimid. *Zedoar.* Scrup. ii.

*cinamomi*,Drach.j.*croci*,Scrup.i.*camphor*.Scrup.ij.*Manûs Christi ad pondus omnium.*

Dosis drachma vna cum aceto petasitæ, & Angelicæ.

Commendatur etiam valdè diascordium Cornelij Gemmæ, cum aceto bezoardico eiusdem exhibitum:

*Diascordium Cornel. Gemma*

℞. *Scordij recèns collecti, & in vmbrâ siccati*, Drach.x. *dictamni Cret. summit. absinthij Pont. Epithymi Cret.* an. Vnc. dimid. *flor. rosar. Damascen. calendul. bugloss. Ital.* an. Drach.ij. *sem. plantaginis*, Scrup.ij. *melonum excort. & incis. cucumeris excort. cucub. excort.* an. sesquidrachmam. *C. C. vsti præpar.* Drach. iij. *rad. gentian. angelic. Zedoar. diptamni albi* an. Scr. v. *nucis mosch. macis, croci orient. piperis albi, cinamomi, corallin.* an. Drachm. j. *rhabarbari. ligni aloës opt. Rhodij, asæ dulcis, boli Arm. mastich.* an. Scrup. iij. *camphor.* Scrup. ij. ß. *cardamomi. spic. Ind. santal. albi, cortic. citri, rasur. eboris*, an. Scrup. iii. ß. *oss. de corde cerui, moschi*, an. Scrup. i.

Subtilissimè læuigata cum sacchari albissimi, aquâ rosarum, ac vino Cretico despumati quant. suff. coquantur ad iustam Electuarij consistentiam, cui sub finem.

Adde *Extract. rad. tormentill. veronic. Sars. parill*, an. Drach. j. *iuniperini*, Drach. ij. *ol. chalchantini rectificati*, sesquidrachmam. *citri.* Scrup. j. Fiat Opiata.

*Acetum Bezoarticum.*

Eiusdem Acetum Bezoarticum.

℞. *Aceti vini op. florib. caryophyllorum hortensium immacerati, Vini albi*, an. part. iii. *succi fol. Acetos. expressi ac depurati, scabios. aut galeg.* an. part. I.

Destillentur simul multo circuitu.

Efficax etiam est valdè sal volatilis C.C.

Et extant talia medicamenta plurima passim, & possunt etiam in rem præsentem varia parari.

Vt ℞. *Aq. bezoard. alicuius*, Vnc.ij. *diascord. Fracastor.* Drach. i. *terr. sigill.* Scr. i. *syr. acetosit. citri*, Vnc. j. M.

Vel ℞. *Aq. cardui ben. Acetos.* an. Vnc. j. *confect. diascordij*, Drach. ß. *Mithridat.* Scr. i. *terr. sigill.* Scr. ß. *aceti scord. syr. acetos. citri*, an. Vnc. ß. M.

Vel ℞. *Aq. bezoardic.* Vnc. ii. *salis absinthij, cardui ben.* an. Scr. ß. *diascord. Fracastor.* Drach. ß. *spir. vitriol.* Scr. ß. *syr. acetos. citri, iulebi ros.* an. Vnc. sem. M.

Vel ℞. *spec. liberant. s. aloë, pulu. bezoardici*, an. Scr. i. *Cæsar. rubei*, ℈. ß. F. Puluis.

Vel ℞. *pulueris bezoardici* Drach. ß. *spec. liberant. s. aloë*, Scr. ß. *lapid. bezoardic.* g. IV.

Etsi verò de sudoriferis alij aliter sentiant, tamen qui rerum momenta diligenter pensitauerit experientiam consuluerit, facilè hæc quæ diximus vera esse animaduertet. Sunt equidem nonnulli, inter quos Thom. Minadoüs, *in responsione ad quæstionem de diaphoreticorum secundo ordine calidorum, & theriacæ in febribus malignis vsu, & de febribus malignis libro 2. capite 16.* 17. 18. quia diaphoretica illa calidiora & sudorifera in principio exhibita planè reiiciunt, quòd facultas concoquens lædatur noui caloris accessione; quòd calorem natiuum & spiritûs huiusmodi medicamenta dissipent, quòd respectu etiam humorum putrescentium plus noceant calore suo, quàm iuuent digerendo: Et omnino quòd nihil commodi, vt mox dicetur, ex iis sperari possit. Sudorifera verò reiicit Minadoüs, quòd malignæ febris putredo neque semper neque sæpe habeat mineram in totius corporis ambitu, sed vt plurimùm in centro & visceribus. Deinde quod sudorifera ad sensibilem euacuationem pertineant, quæ nisi coctâ materiâ cum commodo ægri fieri non possit, vt passim ex Hippocrate & Galeno patet. Ideóque neque Indicans sudorifera dari in initio malignæ febris, nimirum materiam in ambitu corporis contentam vel naturaliter ad eam partem impetum habentem: neque tempus sudores ciendi adesse, cùm sudores, qui sine coctione accidunt, infidi sint. Et inprimis calida damnat; cùm longè maius ex eorum caliditate damnum, quàm commodum ex sudoris prouocatione, consequatur.

*De diaphoreticorum & sudoriferorũ vsu in febribus malignis.*

Verumenimuerò cùm experientia contrarium testetur, & plurimos febribus malignis laborantes sudoriferis felicissimè curatos fuisse infinitis exemplis probatum sit: rationibus istis ita simpliciter fidem non habendam, sed rem diligentiùs perpendendam censemus.

Principiò verò benè ex Galeno, *lib.* 11. *meth. med. cap.* 11. Minadoüs monet, difficile esse, eiusmodi aliquod auxilium inuenire, quod citra vllam noxam magnificè prosit. Ideóque rationem decidendi hanc quæstionem rectè constituit: perpendendum esse, maiúsne commodum, quàm incommodum, vel contrà maius incommodum, quàm commodum febri malignâ laborantibus accedat ex vsu calidorum diaphoreticorum & sudoriferorum. Si enim maius emolumentum, quàm damnum importent, adhibenda; si verò contrarium præstent, omittenda esse.

Quod, vt rectè perspiciatur, acceptamus & hoc: In quolibet morbo esse quinque consideranda; vrgens, causam principalem, impedimenta, affectum, vires; & ad vrgens, id est, quod vires maximè prosternit, siue sit è symptomatum, siue causarum, siue morborum genere, in quolibet morbo curationem primò esse dirigendam. In febre autem malignâ vrgere duo, febrilem calorem, & malignitatem, inprimis verò malignitatem, quæ in omnibus febribus malignis vires euidenter deiicit, quod febris malignæ calor non semper facit, & proinde huic malignitati inprimis & perpetuò in hac curatione prospiciendum esse, magis vel minùs, pro illius magnitudine & exiguitate.

Verùm ex his, quæ libenter admittimus, præsuppositis ac principiis postea non rectè hanc quæstionem concludit, & suam sententiam deducit Minadoüs. Primò enim cùm quæritur, an quid commodi afferant diaphoretica calida: neque ratione febris, neque ratione putredinis, neque ratione constipationum vel obstructionum, neque ratione redundantiæ, neque ratione virium vllum locum habere prolixè probat, atque hoc modo ex hac controuersiâ sese expediuisse putat. Verùm omittit malignitatem, quam maximè in hac febre vrgere antea dixerat. Etsi enim in omnibus febribus putridis vtilissimum sit, transpirationem esse liberam, tamen in febribus malignis id maximè est necessarium. Et cùm naturam ipsam à visceribus ad ambitum corporis malignam materiam felicissimè expellere videamus: huius gratiâ & diaphoretica & sudorifera exhibentur.

Neque eo se expedit, quòd vrgens in duo genera diuidit; in vrgens, quod dat inducias, & vrgens quod non dat inducias: ac malignitatem aut nunquam aut infrequentissimè in humoribus tantam vim, quæ omnes inducias adimat, habere scribit, sed ferè semper tantum temporis præbere, quò possimus priùs impedimenta remouere. Etenim non semper malignitas dat inducias, sed sæpe breuissimo & paucorum dierum spatio hominem iugulat. Et quamuis nonnunquam dat inducias: ita tamen humores interea corrumpit, viresque sensim deiicit, vt postea nulla salutis spes supersit, & morbus, qui primò curabilis fuerat, malignitate neglectâ incurabilis reddatur.

Neque etiam obstat materiæ cruditas. Cùm enim materia maligna, quatenus talis, vix vllam coctionem admittat; & præterea, nisi mox euacuetur, hominem in certum vitæ discrimen adducat: omninò

ninò in principio morborum valdè malignorum mox ſudorifera exhibenda ſunt; & inprimis ſi febris maligna ex contagio ortum habeat, id faciendum, vt illud μίασμα conceptum diſcutiatur. Et longè alia ratio eſt ſudoriferorum & aliorum purgantium; neque ſudorifera omnes humores vitioſos, ſicut purgantia tollunt: ſed ſufficit, ſi illud μίασμα & putredinale ac malignum fermentum, vt ſic dicam, quod inſtar veneni humores corrumpit, diſcutiatur. Quod ſi diſcuſſum ſit, etſi aliquid vitioſorum humorum adhuc remaneat, tamen ab iis tantum periculum, vt dum malignitas adeſſet, ampliùs non imminet. Neque etiam hoc concedendum, quòd febrium malignarum putredo neque ſemper, neque ſæpe habeat mineram in totius ambitu, ſed vt plurimùm in centro & viſceribus. Hoc quidem concedimus, in ambitu & habitu corporis materiam non contineri, etſi à naturâ plerumque eò detrudi ſoleat: in vena cauâ & arteriis verò continetur; cùm febres peſtilentes, vt & malignæ pleræque continuæ ſint. Si verò in primis viis vitioſi humores multi contineantur, eos omninò etiam euacuandos cenſemus, non, neglectâ tamen malignitate, vt poſtea dicetur.

Itaque vt ex iiſdem principiis quæſtionem hanc concludamus, perpendendum, an ex ſudoriferorum vſu plus commodi, quàm damni in malignis febribus ſperandum ſit: quod ex eo cognoſcemus, ſi conſiderauerimus, an febris, an verò malignitas plus vrgeat. Etenim ſi magnum à malignitate impendeat periculum, quod plerumque accidit: mox poſt primarum viarum euacuationem ad alexipharmaca & ſudorifera accedendum. Vbi quod libenter concedimus, temperata præcipuè, & quæ febrem non augeant vſurpanda. Si tamen illa non ſufficiant: plus commodi ex malignæ materiæ per ſudorifera nonnihil calidiora diſcuſſione, quàm ex aliquali calore accenſo oritur, potéſtque calor ille aliis medicamentis adhibitis iterum facilè temperari. Si verò febris plus vrgeat, vt aliæ putridæ febres quidem curanda: interim ſemper alexipharmaca admiſcenda: & præcipuè talia, quæ ſimul ad διαφόρησιν & ſudores corpus diſponunt, & expulſionem malignorum humorum promouent, vt antea dictum, vt poſtea cocta & victa materia faciliùs Naturæ ſeu artis beneficio per ſudores expelli poſſit.

*Venæ ſectio.* Poſtea, ſi opus ſit, venæ ſectio inſtituenda eſt maturè, antequam ſcilicet omnia in corpore turbata fuerint. Vbi ſcilicet ſanguis vel copiâ peccat, vt vaſa diſtendat, vel viribus oneri eſt, vel motu aliquo concitatur, vt metuendum ſit, ne in principem partem rapiatur. Et licèt commodius ſit, vt ante venæ ſectionem primæ viæ euacuentur: ſi tamen morbus moram non patiatur, etiam ſine iſtâ euacuatione ſtatim venam aperire licet. Ne tamen planè negligatur hæc viarum euacuatio, per clyſteres fieri poteſt, qui nec vires dejiciunt, nec reliquos humores turbant, & citò operantur, nec aliorum medicamentorum vſum remorantur. Sint tamen clyſteres ij lenes.

Vbi verò progreſſum malum fuerit, ac in totam maſſam ſanguineam malignitas diffuſa, ſanguinis miſſione non ſolùm nullum auxilium Naturæ ferimus; ſed vires potiùs debilitamus. Itaque ſi principium jam præterlapſum ſit, tutiùs intermittitur, quàm intempeſtiuè inſtituitur venæſectio.

Si verò ſanguinis euacuatio quædam requiratur: virtus tamen debiliorem eam non admittat, cucurbitulæ, quæ ſanguinem citra inſignem virium jacturam detrahunt, calorémque à partibus internis & ſpiritûs malignitate ac veneno infectos cum ſanguine tenuiore versùs exteriora auocant vſurpandæ. Applicantur autem commodiſſimè partibus inferioribus, cruribus nimirum, vt vnà etiam humores vitioſi quàm longiſſimè à corde & cerebro, nobiliſſimis corporis partibus ad inferiora reuellantur. Adhuc verò commodior multíque vſûs eſt venarum in pedibus apertio.

*Purgatio.* Purgationem quod attinet, alia in initio harum febrium plerumque non conuenit, niſi quæ primas vias, in quibus non rarò multi humores vitioſi, qui febrem vel fouent vel augent, continentur, euacuat, & reliquos humores non agitat: Purgantia ergò mitia ſint, qualia ſuprà in curatione peſtis propoſita. Certum enim & experientiâ confirmatum eſt, fortiorum purgantium vſu in febribus peſtilentibus & malignis plurimos periiſſe, benignorum verò multos ſeruatos fuiſſe. Ipſi enim putridi & maligni humores maximè Naturam ſtimulant; qui ſi paulò vehementius agitentur, validiſſimas deinde euacuationes efficiunt, & non rarò periculoſas diarrhœas excitant. Et compertum eſt, quoſdam cùm purgationem, quâ corpus à morbo præſeruarent, vſurpâſſent, ac fomitem febris malignæ jam circumferrent, humoribus agitatis in febrem malignam incidiſſe, maculâſque erupiſſe, & intra paucos dies mortuos eſſe. Ita memini ſtudioſum cùm de dolore capitis conquereretur, nec de morbillis quicquam ſuſpicaretur, purgatione ſumptâ paulò poſt morbillos erupiſſe, ſed imperfectè, licèt medicamenta diligenter adhiberentur, & ſtatim iterum euanuiſſe ſubſequente alui fluxu, & pertinaci tuſſi. Quapropter lenes clyſteres hîc valdè vtiles ſunt, & tutò applicantur, aut lenia planè medicamenta.

*Vomitoria.* Si materia ad ſuperiora vergat, & nauſea vrgeat, materia per vomitum euacuanda: quem in finem vomitoria ſuprà, *lib. 2. cap. 6.* propoſita conuenientia exhibentur.

Verùm in genere hæc ſatis determinari nequeunt; in ſpeciali de Febribus hiſce tractatione res clarior fiet. Etenim febres tales peſtilentes malignæ interdum per contagium propagantur, vbi tutiſſimum eſt, conceptum quocunque modo inquinamentũm per ſudorifera & alexipharmaca è corpore expellere, & poſtea, ſi opus ſit, purgationem & venæ ſectionem inſtituere. Interdum etiam natura ipſa ad ambitum corporis materiam expellit, vt in variolis & morbillis fieri ſolet. Ac tunc etiam Natura in opere ſuo turbanda non eſt, nec materia, quæ ad ambitum corporis protruditur, purgantibus ad interiora reuocanda, ſed potiùs natura alexipharmacis & ſudoriferis in opere adjuuanda.

Interdum verò febris à vitioſo humorum apparatu ortum habet, aut certè fouetur, & materia vitioſa in ventriculo, circa præcordia, in inteſtinis hærens nauſeâ, dolore, æſtu, amarore, anxietate & aliis indiciis ſeſe manifeſtat, quæ neceſſariò quamprimùm vel vomitu vel per aluum euacuanda. Et ſolet ſæpe in primis viis magna ſaburra vitioſorum humorum contineri præcipuè in febribus peſtilentibus, quæ à victu prauo originem habent, qui febri vel primam originem dederunt, vel ſymptomatum vehementiam augent, quam cùm natura ipſa ſæpe per vomitum excludere cum εὐφορίᾳ ſoleat, Medicus eum adjuuare debet.

Hinc iterum ad alexipharmaca accedendum, quæ tamen talia ſint, ne febris per ea augeatur. Ideóque poſtea ea adhibenda, quæ temperatiora ſunt, ſimúlque febri & putredini reſiſtunt, qualia ſunt; *Acetoſa, poma citri, granata, pentaphyllum, tormentilla, cornu cerui, os de corde cerui, lapis bezoar, bolus Armenus, terra ſigill. roſa, camphora & ſimilia*, & ex his parata medicamenta, quorum ſuprà in præſeruatione & curatione peſtilentiæ facta eſt mentio, & poſtea etiam aliquot recenſebuntur. Ad quæ pertinent & bezoartica mineralia & diaphoretica dicta, quæ Chymici ex ♄. ☿. ☉. parant, quarum deſcriptiones paſſim extant, plurimæ.

Cùm tamen ex his quædam frigida & ſicca ſint, metuendúmque, ne obſtructiones in corpore augean-

tur, fuliginésque malignæ retineantur, crisisque retardetur: alia his admiſcenda ſunt, quæ penetrant & expulſionem humorum corruptorum promouent, vt *Carduus benedictus, ſcordium, ſcabioſa, angelica, pimpinella*, & ſimilia. Inprimis aquæ bezoardicæ ſæpiùs exhibendæ ſunt, quæ ita temperari poſſunt, vt ſimul febri & putredini reſiſtant. Ideóque iis admiſcenda ſyr. acetoſit. citri, granator. acetoſæ, acetoſell. ribes, rubi Idæi, oxyſacch. ſ. &c.

*Illitiones ad ſudores.* Antiqui non ſolùm internis, ſed & externis medicamentis ad ſudores mouendos vtebantur: Et celebris eſt inter alia, inunctio Aëtij, quæ paratur ex aquæ & olei communis an. ℥. iii. nitri ʒ. ii. quæ coquuntur vſque ad aquæ conſumptionem. Quo vnguento totum corpus bis térue leni frictione inungitur, vt pori cutis aperiantur. Loco ol. communis oleo amygdal. dulcium, amararum, chamæmelino, anethino, ſambucino, pro morbi ratione, vti licet: vt & aquæ communis loco aliquâ deſtillatâ conueniente.

Vtuntur & hodie Ægyptij ad omnes corporis partes talibus linitionibus cum leuibus perfrictionibus adminiſtratis: quas præſtant cum oleo rutæ, aut amygdalarum, aut chamæmelino, aut iuniperino & nitro rubeo. Quâ frictione cum linitione hâc in multis ad ſudores aptis largum ſudorem concitant, atque ſic morbum finiunt. Hoc auxilium in peſtilentibus febribus, in quibus exanthemata apparere incipiunt, vel exitura ſperant, plurimâ cum vtilitate exercent, ſemel ad minimum in die probè calidam molientes linitionem, à qua ſtatim febricitantes multis pannis cooperientes ſudorem promouere, venenosúmque humorem à viſceribus ad cutim trahere ſtudent. In pueris etiam atque infantibus variolis ſuſpectis vel malignis exanthematibus nullum præſtantius neque familiarius habent auxilium, vt hâc de re ſcribit Proſp. Alpinus, *lib. 4. de Med. Ægypt. cap.* 15.

*Veſicatoria.* Imminutâ materiâ etiam veſicantia, è cantharidibus, ſynapi, naſturtio, fermento, ranunculo & ſimilibus, nonnulli applicant. Verùm de hoc remedio apud quoſdam altum eſt ſilentium: apud alios grauiſſimæ & prolixæ controuerſiæ, atque de veſicantibus & phœnigmis integri tractatûs ſcripti extant, vt tum apud alios, tum apud Herculem Saxon. *tractatu de phœnigmis*, videre eſt. Verùm vt breuiſſimis hanc rem attingamus, non inconueniens videtur, ſi cruribus vel etiam brachiis, ſuprâ cubiti flexuram extrà, vel paulò ſupra carpum ea imponantur, proüt locus, ad quem materia, quam reuellere & deriuare cupimus, ruit, aut circa quem præcipuè hæret, monſtrat: cum citò, tutò, & ſine multâ moleſtiâ, atque ſine virium debilitatione materiam venenatam ab interioribus, vt & à capite ad ignobiliſſimas corporis partes euocent, atque ipſa experientia teſtetur, multos à grauibus malis hoc modo liberatos fuiſſe.

Cùm verò cantharides in nonnullis naturis incommoda veſicæ afferant, ne quid tale accidat, videndum: & ſi quid tale metuendum ſit, (ſæpiſſimè tamen nihil incommodi ex vſu cantharidum oriri, experientiâ docet) tutiùs ſinapiſmi, quàm veſicantia è cantharidibus, adhibentur. Et in vſu tam veſicantium, quàm ſinapiſmorum hoc obſeruandum, ne mox, vt dictum, in principio, ſed imminutâ, aliquâ ex parte materia, applicentur. Deinde, ſi forſan critica aliqua per aluum euacuatio accidat, ne illa impediatur, & quos ad aluum natura mouet humores, ad ambitum corporis retrahantur. Et proinde nec die critico applicanda, ne Natura fortè κρίσιν inſtituturа in opere ſuo impediatur.

*Malignarum febrium curatio.* Si verò febris maligna ſit in ſpecie ita dicta, idem quod antea de peſtilentibus dictum, perpendendum, & videndum, an malignitas, an verò febris plus vrgeat, & præterea etiam an ab interno humorum apparatu, an per contagium malignitas hauſta ſit, & quò natura ipſa vergat. Nam ſi per contagium contracta ſit febris, vel etiam ipſa natura ad ambitum corporis tendat, tutiſſimum eſt, mox ſudoriferum exhibere morbo & aliis circumſtantiis conueniens, & quidem temperata poſſunt tunc vſurpari, & poſtea reliqua, vt morbus requirit, & de febre peſtilenti dictum, peragenda. Comperíque ſæpè, febres, quæ primo continuæ erant, & malignitatis ſuſpicionem præbebant, leuis ſudoriferi & bezoardici vſu in benignas & intermittentes mutatas fuiſſe. Si verò ex prauo humorum apparatu febris ſit, & non minùs vrgeat putredo, quàm malignitas, non ita ad ſudorifera properandum, ſed primæ viæ primùm euacuandæ ſunt, & non ſolùm clyſteres, ſed & lenientia locum habent, ſyr. roſ. ſolut. manna, caſſia, tamarindi, rhabarbarum, agaricus, tryphera Perſica. *Purgatio.* Et omninò, quod jam ſuprà etiam monui, hîc iterum repetendum eſt; In curatione febrium cùm peſtilentium tum malignarum, diligenter ſtatim initio corporis conſtitutionem & victûs rationem, quæ præceſſit, conſiderandam eſſe. Nam ſi ex iis aliiſque ſignis pateat multos vitioſos humores in ventriculo & vicinis locis abundare, à quibus grauia circa ventriculum ſymptomata oriuntur; ipſaque febris fouetur & augetur, danda eſt opera, vt ij quamprimùm euacuentur. Cùm verò clyſteres eò non penetrent, vel vomitu rejiciendi vel per aluum euacuandi ſunt, vt modò dictum. Vtile etiam hîc eſt ſerum lactis depuratum ℔. ii. menſurâ præter propter acceptum, modico mannæ adiecto, quod & aluum mouet & febrilem calorem temperat. Et licèt aliquid eius retineatur & per venas diſtribuatur: tamen ſanguinis feruorem ſupprimit & mitigat ac calorem febrilem alterat. A fortioribus verò, ſcammonio, colocynthide, turbith, & ſimilibus planè abſtinendum. Tempus tamen hîc diligenter notandum, & perpendendum, quomodo febris ſeſe habeat. Nam ſi putredo ſtatim incrementum ſumat, humorúmque efferueſcentia ſtatim maior ſit, illico, vt in aliis acutis, & præcipuè ſi humores turgeant, purgandum, nec niſi ad tertium diem ad ſummum purgatio differenda. Quod tempus ſi præterfluxerit, quieſcere tutius eſt, aut clyſteribus ſaltem rem agere, quàm medicamenta intempeſtiuè exhibere, & maiorem humorum ebullitionem excitare. Et quidem ſi humores vitioſi multi in primis viis hæreant, ante venæ ſectionem id faciendum: ſi verò vitioſi humores in primis viis multi non ſunt, ſed materia peccans præcipuè in venâ cauâ hæreat, venæ ſectio, præmiſſo tamen clyſtere, priùs inſtituenda. Si verò putredo non citò ſerpat, & febris ſit mitior, purgationem etiam tardiùs, ante ſeptimum tamen, inſtituere licet.

Quæ de vomitu dicta antea ſunt, etiam hîc locum habent. Interim alexipharmacis cor ſemper roborare vtile eſt.

Primis viis vel etiam turgente materiâ euacuatâ ſtatim venæ ſectio, ſi ob cauſas antea enumeratas eâ opus ſit, & quidem ante quartum diem inſtituenda, eo modo, vt ante dictum. *Venæſectio.*

Poſt corporis euacuationem & venæ ſectionem vtile eſt ſudoriferum aliquod, ſed quod febrem non augeat, exhibere. *Sudorifera.*

Vt ℞. *Boli armeni, terræ ſigillatæ, radic. tormentillæ, ſcordij*. C. C. an. Scr. ß. F. Puluis.

Qui exhibeatur in aquâ ſcabioſæ vel cardui bened. Vel exhibeantur pulueris bezoardici noſtri Scr. ij. vel Dra. i. Cuius deſcriptio hæc eſt.

℞. C. C. *ſ. vſtion. præpar.* Drach. i. ß. *oculorum cancri præparat. terræ ſigillat. Sil. ſuccini, margaritar. præparat. corall. rubr. præpar.* an. Scr. i. *oſſ. de cord. cerui, ſmaragdi præparati, hyacinthi præparat. rubini præparat.* an. Scrup. ß. *lap. bezoartici Orient.* Scrupul. i. *fol. aur.* num. iij. F. Puluis.

Cui

Cui in vſu prǽterea lapidis bezoardici gr.iii.vel grana aliquot ſalis C. C. volatilis vel bezoardici mineral. addi poſſunt.

Inprimis verò vtiles ſunt aquæ deſtillatæ, vt antea etiam dictum,ob ſummam penetrandi vim.

Fortioribus verò ſudoriferis vires debilitantur, & cùm humores in hiſce febribus non ſemper ita diſpoſiti ſint, vt per ſudores diſcuti poſſint, diſcutitur tenuius,craſſius relinquitur.

*Alterantia & præparantia.* Quapropter præparatio & alteratio humorum conueniens inſtituenda. Solet enim in hiſce etiam febribus Natura humores adhuc coquere. Quæ propterea adiuuanda iis remediis, quæ aperiunt, humores incidunt, ebullitionem & putredinem ſiſtunt, febris feruorem extinguunt: è quibus ſemper eligenda & admiſcenda, quæ malignitati reſiſtunt. Excellunt in hoc genere, *Acetoſa, ſcordium, carduus benedictus, ſemen citri,radices tormentillæ, ſcorzoneræ, pentaphylli, ſuccus & ſyr.citri,vinum granatorum,oxyſacchara.*

*Spirit. vitrio. vſus in febribus malignis.* Magnus etiam hîc vſus eſt ſpiritûs vitrioli, qui inſignem vim putredinem ſiſtendi, obſtructiones aperiendi,incîdendi,attenuandi,abſtergendi, corrupta ſeparandi, reliquorum medicamentorum actiones intendendi obtinet. Idémque aliis etiam de cauſis commodiſſimè aliis medicamentis admiſcetur. Nam cùm ſyrupus de cichorio,de endiuiâ, violarum, nymphææ & plures alij ſyrupi, ob ſacchari admixtionem ſoli febribus extinguendis vix ſufficiant,& vel in bilem mutentur, vel bilem certè non ſatis doment, nec ſitim extinguant:ſi his ſpiritus vitrioli addatur, vt aciditatem aliquam contrahant, ſitim longè feliciùs ſedant,calorem extinguunt, omnéſque ſuas operationes rectiùs expediunt. In huius tamen vſu id obſeruandum, læſis pulmonibus, vel rupto aliquo vaſe, vel exulceratione internâ aliquâ in phthiſi,ſputo cruento, dyſenteria, ſanguinis mictu, renum ac veſicæ vlceribus, pleuritide, ventriculi inflammatione, & omnibus ferè pulmonis affectibus,niſi forſan à craſsâ pituitâ vaſa pulmonis obſtruente, ortum habeant; vt & ſenibus macilentis ac tabidis,ab eo abſtinendum eſſe.

Vtilis eſt & hic ſyrupus ad alterandum,putredinem inhibendam,ſitim ſedandam,qui,ſi libet,aquis conuenientibus dilui poteſt.

℞. *Aceti tunic.rubi Idæi,ſacch.albi,*an.℔.ß.Bulliant in vaſe vitreo clauſo horâ j.

Factâ reſidentiâ colentur, & in loco tepido ſtent diebus aliquot,& feces, ſi quæ ſubſederint, iterum ſeparentur.

Addatur *ſpiritûs vini* Vnc.iij.*cortic.citri recēt.*Vnc.ij.

Stent iterum in digeſtione:

Poſtea colentur,& addatur.*ſyr.acetoſ.citri.* Vnc.iiij. *ſpir.*vitriol.Scr.ij.& ſi libet,*ol.cinamom.*gutt.vi.

Inſignes etiam in hiſce febribus vires habet compoſitus ille ſpiritus ex ſpir.tartari.vitri.& Aquâ theriacali ſuprà deſcriptus.

Habéntque iſta medicamenta pleraque etiam vim ſimul ſudores mouendi.Et quanquàm non ſemper ſtatim ſudor ſequatur: tamen medicamenta talia continuanda & ſingulis diebus exhibenda ſunt, vt corpus ad ſudores ſenſim diſponatur, & Natura tandem ſponte ſuo tempore humores vitioſos per ſudores expellat;quæ ita comparari poſſunt,vt ſimul febri & putredini reſiſtant.

In hunc vſum ſæpe aquæ contra febres malignas alicuius Vnc.ii.cum ſyr.aliquo conueniente dentur.

Vtilis & hæc eſt. ℞. *Succi citri, acetoſæ,endiuiæ, galegæ. taraxaci, borragin.* an.℔.j.ß. *cardui bened.cardui mariæ,ſcordy.ſcabioſæ,roſar. Prouincial.*an.℔.j.*pomorum citri cum cortic. & ſeminibus conciſorum* num.vj.*raſuræ* C.C. *crudi* ℔.ß.

Stent in infuſione horis 24. Poſtea deſtillentur. F. Aqua contra febres malignas.

In frequenti etiam vſu eſt in peſtilentibus ac malignis febribus Aqua cordialis Herc. Saxoniæ, quam deſcribit *de febribus libro* 8.*capite* 37.

Vel detur ſubinde & ſingulis diebus aliquid iſtius pulueris,cum aliquâ aquâ conueniente.

℞. *Rad. Zedoariæ, angelicæ, heleny, aceto ſcordij præparat.* an.Drach.ii. *tormentillæ* Drach.j.ß. *fol. acetoſæ, ſcordy, cardui bened.* an. Drach.ij. *ſem. citri excortic. acetoſæ, aquilegiæ*, an. Drach. j. *ſantali citrini, ſuccini albiſſ.* an. Drach.j.ß, *terræ ſigillat. boli Armeni, margarit. præpar. corall. rubr.præp.* an.Drach. j.C. C. *vſti præpar.* Vnc.ß. *Oſſ. de* C. C. Drach. j. *croci* Drach.j. Pulueriſatis adde *ſpec. liberant. ſ. aloe. diamarg. fr. de gemm. frig.* an.Drach.i. F. puluis contra febres malignas.

Vbi humores iam ſatis præparati ſunt, niſi natura ſponte eos expellat, per viam conuenientem euacuandi ſunt. Sed & tum lenioribus medicamentis vtendum. Et purgatio vix ante diem decimumquartum inſtituenda; imò ſi humores abundent pituitoſi, vix ante 17. diem tentanda. *Purgatio.*

Si ad vrinam vergat materia, emulſione ſeminum melonum, citri, cardui bened. cum aquis acetoſæ, capillorum ♀, & ſimilibus natura adiuuanda. *Vrinam cientia.*

Toto verò morbi tempore tam in malignis, quàm peſtilentibus febribus, pulſibus & cordi medicamenta cor roborantia & malignitati reſiſtentia applicanda, quæ paſſim extant. *Topica.*

Mouetur quidem hîc à nonnullis quæſtio de vſu epithematum cordis in febribus malignis, petechialibus, variolis, morbillis & ſimilibus, An nimirum locum habeant, necne. Et quidem nonnulli ea ad cor roborandum admittunt, alij verò, vbi exanthemata peſtifera efflorèſcunt, cordi imponenda non cenſent, ne παλινδρομὴ & recurſus humorum ad cor, partem nobiliſſimam, fiat; & ne cutim denſando fuligines & fumoſa excrementa, quæ cor motu ſuo expellit, retineantur, & hinc putredo maior febriſque acrior excitetur, & criſis impediatur. Verumenimuerò ſi epithemata non ſunt valdè adſtringentia & repellentia, ſed in qualitatibus actiuis temperata, (adſtringentia enim & refrigerantia valdè meritò ſuſpecta ſunt) in reliquis moderatè ſiccent, & inprimis peculiari facultate cor roborent: non tantùm ſine vllo periculo, ſed & cum commodo vſurpari poſſunt. Neque enim Natura fuligines malignas ſolùm per cutim cordi ſuperpoſitam expellit, neque epithemata cordis regioni impoſita totius corporis cutim adſtringere & occludere valent: ſed potiùs Natura epithematum auxilio fortior facta promptiùs reliquam materiam vitioſam ad ambitum corporis expellet. *An epithemata cordis in febribus malignis conueniant.*

Diætam quod attinet, Cibus ſit boni ſucci & facilis coctionis; &, cùm vires langueant, cauendum, ne natura copiâ cibi oneretur. Cibi quoque iis rebus, quæ huic febri conueniunt, condiendi ſunt. A vino, niſi forſan Syncope immineat, abſtinendum: Commodior verò eſt potus tenuis Ceruiſiæ: commodè etiam præbetur decoctum Cornu cerui, cum ſpiritûs vitrioli eâ quantitate, quæ ad gratam aciditatem ſufficit: cui etiam iulebi roſarum vel violarum aliquid admiſceri poteſt: Sitim enim ſedat, obſtructiones aperit, putredinem arcet, malignitati reſiſtit. Nec cum iis ſentio, qui C. C. decoctum non plus virium habere putant,quàm aquam, in quâ lateres igniti extincti ſint. Plurimorum enim doctiſſimorum Medicorum obſeruatione deprehenſum eſt, vim inſignem in cornu cerui etiam vſto ineſſe, vt hanc negare ſummæ ſit pertinaciæ, Ægyptij, vt Proſper Alpinus, *lib. 4. de medic. Ægypt. cap.* 4. refert, pulpam tamarindorum & berberis fructum exſiccatum cum ſeminibus fœniculi vel citri *Diæta.*

in

in plurimâ aquâ communi infundunt, potúmque ita parant, quem ægris in febribus malignis & pestilentibus toto morbi tempore concedunt, plurimúmque in huius potûs vsu confidunt: cùm tamarindorum & berberis fructûs febrium putredini maximè resistere compertum habeant. Reliqua commodiùs iam in specie explicabuntur. Etsi enim in malignitate omnes hæ febres conueniant: tamen natura humoris maligni non semper est eadem, quæ etiam curationem in nonnullis variat, vt ex sequentibus patebit.

## CAPVT XII.

### *De Variolis & Morbillis.*

ETsi autem cùm veneni & malignitatis natura sit latens & abscondita, pauca de differentiis eius dici possint: quia tamen effectibus & symptomatibus sese malignitas latens prodit, quædam symptomata & morbos, qui aliquam in hisce febribus differentiam videntur constituere, in specie perpendemus. Et primo loco agemus de variolis & morbillis.

*Variolæ & morbilli.* Notissimum autem hodie morbi genus est, quod variolarum & morbillorum nomine appellatur: Verùm cui variolarum, cui morbillorum nomen attribuendum sit; & an antiquis hoc malum cognitum, ac quo nomine appellatum fuerit, non satis clarum. Græcis vsitata sunt τῶν ἐξανθημάτων καὶ ἐκθυμάτων vocabula; quæ etsi non semper distinguantur, tamen cùm duplex sit τῶν ἐξανθημάτων genus, vnum, quod saltem colorem cutis mutat; alterum, in quo pustulæ quædam eminentiores in cute erumpunt: *ἐκθύματα* Posterius hoc genus ἐκθυμάτων nomine propriè appellari posse patet ex Galeno. 3. *Epid. comment.* 3. *t.* 51.

*An variolæ & morbilli antiquis noti fuerint.* Neque enim credendum est, antiquis Græcis morbi hoc genus planè incognitum fuisse. Nam quæcunque huius morbi causa sit, de quâ inter Medicos, vt postea dicetur, non conuenit, nihilominus etiam apud Græcos illa locum habuit, & descriptiones à nostris non planè discrepant. Ac si Arabum ætate, quod nonnulli volunt, primùm hic morbus cepisset, procul dubio vt noui morbi Arabes in suis scriptis mentionem fecissent. Et licèt sint quædam, in quibus exanthemata Hippocratis, Galeni, Aëtij cum nostris variolis & morbillis forsan conuenire non videantur: tamen sciendum, nec nostras variolas & morbillos semper eiusdem generis apparere; & eiusdem generis morbos aliis atque aliis seculis ex diuersitate regionum & victûs, ex peculiari vi siderum, ex vario hominum vitæ genere, & causis aliis cùm externis tum internis, quasdam mutationes & differentias accipere posse. Interim tamen multa, quæ tum ad naturam horum, tum ad curationem spectant, communia habent. Et licèt seorsim ac singulatim de iis non tractàrint Græci: ideò tamen illis ignotos hos morbos fuisse, dicendum non est. Cùm enim saltem morborum epidemiorum comites sint, & per modum criseos in morbis contagiosis & malignis erumpant, peculiariter etiam de iis non tractàrunt; sicut nec de contagio & aliis, quæ pestilentes morbi comitari solent.

Latini papulas & pustulas appellant. Hodie dicuntur variolæ & morbilli; variolæ quidem quasi parui vari, vel quòd cutem varient, vt nonnulli opinantur. Morbilli verò quasi parua pestis; *il Morbo* enim Italis in specie pestis dicitur: habentque morbilli hoc nomen, quòd pesti magis cognati sint. Sunt enim variolis deteriores.

Qui autem affectus variolarum, qui morbillorum nomine sit appellandus, Authores non conueniunt. Nonnulli pustulas illas eleuatas, quæ in pus mutantur, morbillos dicunt; alias verò, quæ saltem colorem cutis variant, variolas nominant, & hinc etiam variolarum nomen deducũt. *Variolæ vnde dictæ.* Verùm plerique doctiores Medici cõtrario modo has voces vsurpãt, & variolas quasi paruos varos dictos putant, & hoc nomen tribuunt pustulis illis eminentibus, humore plenis, & quæ plerumque suppurantur, quas Germani *die Blattern* & *die Botten* nominant. Morbillos verò vocari maculas in cute efflorescentes seu exigua rubra tubercula, quæ Germani *die Masern* appellant. Verùm si de rebus constat, facilè de verbis conueniri potest.

Notandum tamen hîc, etsi apud Medicos plerosque saltem duorum vocabulorum mẽtio fiat, Morbillorum scilicet & variolarum, tamen plures omninò sunt, aut certè specierum harum differentiæ; quas etiam Germani, vt & aliæ Nationes, vulgò peculiaribus nominibus exprimunt. *Germani.* Sub nomine *Blattern, Botten* equidem variolas comprehendunt, quarum tamen est quædam differentia, & præter communes variolas & morbillos à vulgo nominantur *die Schaffsblattern vnd VVindbotten, die Steinbotten, Ritteln oder Rotteln.* Et rursum variolæ communiter dictæ, *die Blattern vnd Botten*, non planè eiusdem modi sunt. Aliç enim sunt maiores, aliç minores, quædã albicant, quędã liuẽt, vel alterius coloris sunt, quædã statim erũpunt & in altum attolluntur ac maturantur, ac circulo cingũtur rubro & sine grauibus symptomatibus erumpunt & periculosæ non sunt; aliæ sunt liuidæ & tardè erumpunt, vel statim iterum subsident, & habent circulum liuidum, quæ plerumque lethales sunt. *Die Schaffsblattern oder VVindbotten* per Crystallos expressisse videtur Ioh. Ph. Ingrassias *de Tumorib. p. n. tomo* 1. quæ sunt pustulæ per vniuersum corpus dispersæ, lupini ferè magnitudine plus minúsue, albæ, ac instar Crystalli resplendentes, à quibus aquositas, quædam deinde effluit: suntque hæ minùs periculosæ & sæpe citra notabilem febrem infantes prehendunt. *Die Steinbetten* verò sunt tubercula quædam parua, sine multa sanie, sparsim nec copiosè erumpentia, omnium ferè minutissimæ variolæ, quæ penè citra febrem infantes inuadunt, vt rarò decumbant; citissimè etiam sanantur.

Ad morbillos procul dubio pertinent *Ritteln* vel *Rotteln*, à rubore procul dubio sic dicta exanthemata, quæ sunt tubercula pusilla rubea cum calore aut tussi inuadentia ac aliis morbillorum symptomatibus; minùs tamen, quàm vulgares morbilli, periculosa, euanescunt etiam instar morbillorum. Et quandoque sola inuadunt, quandoque morbillis interspergûntur, quandoque sanatis variolis superueniunt. Hoc malum Rubeolam appellare videtur Haly Abbas *lib.* 8. *theoric. c.* 14. *Rubeola.* *Est species*, inquit, *aliqua, quæ vocatur rubeola, quæ ex sanguine fit calido & subtili: & non multum malo, & hæc species cùm ad statum peruenerit, similis fit milij granis* (vnde etiam sub nomine miliarij descripta videtur) *aut paulò maior, & eius color rubeus, nec aperiuntur pustulæ, sed fluunt*, id est, *insensibiliter discutiuntur & euanescunt.*

Præter has differentias adhuc alia est, sed rarior quidem, quam aliquoties obseruaui, quo nomine tamen ab aliis discernerem, hactenus dubius fui. Etsi enim instar erysipelatis totum ferè corpus prehendat; tamen non vidi quod adultos, quod in erysipelate fieri ferè solet, sed infantes solùm corripiat. Malo ergò ad morbillos referre. Et forsan malum est, quod Forestus, *lib.* 6. *obseru.* 59. purpuram & rubores, ac ἐρυθρήματα appellat; Iohan. Philippus Ingrassias, *loco citato*, Rossaniam & Rossaliam à Neapolitanis nominari scribit: *Rossalia.* Maculæ rubræ & quasi ignitæ cum vix effatu digno tumore per vniuersum corpus quasi quædam parua erysipelata erumpunt in principio, seu morbi die quarto vel quinto. In statu verò vniuersum corpus rubrum & quasi ignitum apparet, ac

ac si vniuersali erysipelate laboraret. In declinatione rubor ille imminui, & maculæ rubræ latæ, vt in principio, iterum apparent, quæ tandem septimo vel nono die euanescunt, epidermide squammarum instar decidente. Malum verò hoc graue ac periculosum & sæpe lethale est. Nam calor est feruentissimus, sitis inextinguibilis, & plerumque pulmonum (vnde tusses excitantur) faucium & aliorum viscerum inflammationes, deliria & alia mala vrgent. In declinatione tandem materia ad articulos extremorum transfertur, ac dolorem, & ruborem, vt in arthriticis, excitat. Cutis squammarum instar decidit, mox pedes ad talos & suras vsque intumescunt, hypochondria læduntur, respiratio difficilior redditur, tandémque abdomen intumescit, ægríque non sine magno labore & post longum tempus pristinæ sanitati restituuntur, sæpè etiam moriuntur. Ita obseruauit Clariss. Dn. D. Michaël Doringius, affinis & Compater meus honorandus, vt literis ad me datis scripsit, puerum quendam Vratislauiæ post hunc morbum pedibus, cruribus, scroto, ventre, ac facie intumuisse: cum genarum nonnullo àc perpetuo q. rubore, febriculâ irregulari, tussi quâ paucâ, eâque sputosa saltem & pituitosa reiiciebat, difficultate respirandi summâ. Hic septimo die, antequam moreretur, post summam respirandi difficultatem, ponderis sensum circa pectus, ac stertorem, pulmonis abscessu rupto pus & sanguinem atrum tussi rejecit, & hinc 7. ab illo paroxysmo die, cùm eadem symptomata redirent, mortuus est. Corpore aperto tota pectoris cauitas aquâ citrinâ repleta, pulmonésque ambo toti liuidi & gangrænosi conspiciebantur; & sinister magnum intus abscessum fouebat. Abdomine aperto innatabant intestina tota simili aquæ: omentum prope consumptum videbatur. Hepar, quod pro indiuidui ratione portentosæ fuit magnitudinis, subpallidum. Et talia mala àc symptomata, arthriticos nimirum dolores & tumores, tumorem abdominis, & similia morbo huic succedere, nihil mirum est. Nam cùm variolæ non solùm in externis partibus, sed etiam in omnium viscerum superficie erumpere soleant: idem etiam in Rossaliâ accidere potest; & sicut totum corpus extrà inflammatur, ita etiam viscera interna proculdubio inflammantur; & de pulmonibus res extra dubium est. Idem tamen proculdubio in aliis etiam visceribus accidit; vnde materiæ parte ad extrema protrusâ, primùm fiunt dolores arthritici, hinc tumores hydropici, ac viscera ipsa corrumpuntur.

Cùm verò talis sit horum ἐξανθημάτων differentia, tamen de variolis & morbillis saltem dicemus; reliquæ differentiæ ad has facilè referri poterunt. Et quidem variolarum & morbillorum differentiam quod attinet, morbilli à subtiliore, calidiore & ficciore, cuiusmodi sanguis potissimùm biliosus esse solet; variolæ, à crassiore materiâ proueniunt: magnitudo tanta morbillis non est, quanta variolis: variolæ sunt pustulæ quædam & veficulæ, quales feruenti aquâ àmbustis emergunt; in morbillis verò maculæ potiùs quædam apparent, instar morsûs pulicum, cum cutis asperitate tamen, aut certè exigua tubercula, sed quæ in pustulas sanie plenas non mutantur seu attolluntur, sed post septimum ferè diem sine exulceratione, nullo ferè vestigio ac nullâ fœditate in corpore relictâ, abeunt: in variolis dolor dorsi maior, in morbillis minor: contrà in morbillis maior pectoris angustia, & feruor totius corporis, & lacrymæ etiam plures, tum quia materia est mordacior, tum quia celeriùs & cum majore impetu mouetur: citiùs quoque egrediuntur morbilli & ad statum perueniunt, ob materiæ tenuitatem & calorem.

Etsi verò proculdubio diuersæ, quas hactenus enumerauimus, ἐξανθημάτων differentiæ, à diuersis & peculiari modo corruptis humoribus proueniunt, tamen cùm quæ specifica illa cuiusque humoris natura sit, quíque determinatus corruptionis gradus, vix explicari in hac rerum Naturæ obscuritate possit, & cùm in plerisque aliis, quæ ad signa & symptomata pertinent, conueniant, conjunctim de iis agemus. Si quid tamen occurret, quod alicui differentiæ peculiariter conuenire videbitur, nec illud omittemus.

Et vt primò morbos hos breuiter describamus, variolæ sunt pustulæ in summâ cute, partibúsque cuti proportione respondentibus, cum febre continuâ propter peculiarem sanguinis efferuescentiam & ebullitionem à facultate expultrice excitatæ. *Variola quid.*

Morbilli verò sunt maculæ aut tubercula parua, rubra, in cute erumpentia cum febre continua, itidem à facultate expultrice & sanguinis peculiari ebullitione excitata. *Morbilli quid.*

Subiectum est cutis, ac inprimis externa eius superficies, quæ ἐπιδερμὶς dicitur: sed tamen & membranæ ac partes aliæ internæ variolis vt & morbillis afficiuntur, ita vt in quibusdam post mortem dissectis deprehensum sit, eorum viscera haud secus atque cutem sordidis eiusmodi pustulis obsita atque sordida fuisse, vt etiam infrà ex Fernel. 2. *de abd. rer. caus. cap.* 12. dicetur.

Verùm vt natura tam variolarum quàm morbillorum clarior reddatur duo mox à principio explicanda sunt. *Primò*, Quænam causa sit interna & proxima, à quâ cùm pustulæ tum maculæ in cute efflorescentes proueniunt. *Secundò*, an sine febre, an verò semper cum febre, & quo febris genere erumpant.

De primo aliquid definire difficillimum est, ob discrepantes hac de re Medicorum opiniones. Arabes, qui primi hac de re diligenter scripserunt, causam proximam, & continentem variolarum & morbillorum referunt in immunditiem à primo ortu in sanguine relictam ex sanguine materno, quem menstruum vocant, quo fœtus in vtero matris alitur. Quanquam enim fœtus in vtero matris, quod optimum est, ex sanguine pro alimento attrahit, tamen fieri non potest, quin aliquid impuri, præsertim mensibus posterioribus, vbi copiosiore alimento opus habet, simul attrahat. Miscentur postea cum hoc in corpore mulieris cacochymico vitiosi humores alij, quorum bona pars ad venas vteri, tanquam ad communem sentinam deriuatur: vbi diutius retentum totum illud majorem μοχθηρίαν acquirit. Relicta illa labes in corpore tamdiu delitescit, donec quacunque de causâ impulsa vim suam, tanquam fermentum, in vniuersam sanguinis massam effundat. Tum enim sanguis efferuescit & ebullit, vt quod ex illo inquinamento minutis etiam particulis corporis permixtum erat, secernatur, secretumque ad ambitum corporis propellitur, & has pustulas ac maculas excitat, cum leuiori aliâ segregatione natura id præstare haud possit. *De Causa variolarum & morbillorum.*

A quâ sententiâ non multùm discrepat Rhasis opinio, qui, *de pestil. cap.* 1. sanguinem puerorum & infantum musto comparat, quem natura, cùm adhuc depuratus non sit, elaborare & purgare intendens, in eo ebullitionem excitat, per quam partes heterogeneas ab homogeneis separantur. Atque ideò omnes variollis & morbillis obnoxios esse statuit; quoniam sanguis necessariò ex statu primo in secundum, id est, ex impuriore in purum & defecatum transit: sicut mustum necessariò per ebullitionem in vinum purum mutatur. Quanquam enim expresse sanguinis menstrui mentionem non facit Rhases, tamen cùm puerorum & infantum sanguinem musto comparat, & quasdam impuritates habere statuit, quæ ebullitione separandæ sint: procul dubio innuit, in ipso vtero illam impuritatem & labem infantes contrahere.

Atque vt hæc crederent hi authores, eo præcipuè persuasi sunt, quòd viderunt, variolas & morbillos omnes homines, nisi mors ex aliâ causâ præueniat, inuadere,

inuadere, potissimùm verò infantes & pueros ad annum ætatis vsque septimum, rariùs adultiores: imò infantes in lucem editos fuisse, qui variolis & morbillis in vtero adhucconclusi laborârunt. Deinde quòd animaduerterunt, quòd qui semel vel bis iis laborârunt, postea plerumque ab hoc morbo immunes sunt. Etsi enim accidat interdum vt nonnulli tertiùm hæc mala patiantur, tamen id rariùs euenit.

*Gentilis sententia.* Huic Arabum sententiæ sese opposuit Gentilis, has ob rationes: 1. Quòd infans in vtero sanguine optimo & purissimo nutriatur: 2. Quòd variolis & morbillis non solùm infantes & pueri, sed & iuuenes, imò ætate confecti & senes laborent. In quibus certè videtur impossibile, materiam illam & labem in corpore tamdiu latere potuisse. Inprimis cùm plerique ex iis antea febribus, scabie, & morbis similibus laborârint, per quos quicquid impuri in corpore est, expellitur & secernitur. 3. Quòd fœminæ, quibus menses supprimuntur, his morbis non laborent.

*Fernelij.* Gentilem secutus est Fernelius, *lib. de abd. rerum caus. cap.* 12. & rationes modò allatas ipse etiam contra communem sententiam adducit. Ipse verò ex causâ quadam communi cælesti malum hoc originem habere has ob causas statuit. Primò, quòd non solùm ferè uidiore cælo, sed etiam hyeme interdum grassentur hi morbi. 2. Deinde quòd annos complures sileant, & certis annorum interuallis sæuiant in plebem, aliàs quidem seorsim exanthemata, aliàs ἐκθύματα solùm. Causam autem cur infantibus & pueris hæc magis familiaria sint, quàm adultis, hanc reddit, quòd firmior ætas adultior tantillis malis non lacessatur, nisi cùm fortè constitutio grauior inualuerit.

*Mercurialis.* Mercurialis & ipse Antiquorum sententiæ se opponit, &, *de morb. pueror. cap.* 1. primò ex historiis noui orbis eam refutare conatur, cuius authores scribunt, quarundam regionum incolas ferè extinctos fuisse à variolis vitio aëris infecti. Deinde ex eo probare vult variolas & morbillos ortum non habere à menstruo sanguine, quòd menstrui sanguinis vitium mox ab ortu mundi mulieribus affuerit: Morbus verò hic antiquis fuerit incognitus, & Arabum tempore primùm innotuerit. Ipse verò statuit causam communem internam esse proprietatem & inclinationem à parentibus, qui hoc vitio priùs tentati fuerint, contractam. Statuit enim omnes à parentibus, qui his morbis correpti fuerunt, aptitudinem quandam ad similes morbos concepisse, ac proinde esse illos quasi hæreditarios.

*Mercurialis opinio examinatur.* Atque hæ sunt de causis variolarum & morbillorum discrepantes sententiæ, inter quas, vt ab eâ incipiamus, Hier. Mercurialis opinio minùs probabilis videtur. Nam non esse nouum morbi genus suprà dictum est.

Et si Arabum tempore incepisset, procul dubio in descriptione huius morbi mentionem eius fecissent, nec causam in sanguinis materni impuritatem retulissent. Esse verò morbum hæreditarium, rationi consentaneum non est. Nam cur semel aut bis tantùm homines hoc morbo corripiuntur, si est hæreditarius, non sæpius? Deinde cur qui peste semel laborant, eandem ad pestem inclinationem & aptitudinem soboli non communicant? At hoc non fit. Et quidem meritò. Nam natura vincens venenum pestilens, illud è corpore planè exterminat. Idque eodem modo in variolis & morbillis facit. Et nisi hoc fieret, nemo à variolis & morbillis perfectè sanaretur. Vnde non est accommodatum exemplum macrocephalorum, quod his verbis proponit Mercurialis: *Id perinde accidit, vt id quod scripsit Hippocrates, in libro de aq. aëre & locis, de macrocephalis Indiæ populis. Nam primùm gens illa arte & studio cœpit infantibus capita oblonga facere; vnde cùm parentes eiusmodi capitibus præditi essent, factum est, vt filij ab ipsis similes geniti sint, adeò vt proprietate paternâ tota illa gens facta sit macrocephala. Sic propemodum contingit in variolis & morbillis. Hic morbus cæli vitio omnes tentauit aut ferè omnes, qui deinceps cùm proprietatem paternam filiis communicârint, non est mirum, si longè latéque morbum propagârint, & hæc proprietas facta sit non solum promiscua, sed & naturalis.*

Nam in macrocephalis duplex est causa. Primò imaginatio matrum è conspectu macrocephalorum concepta. Secunda ipsa in corpore cuiusque parentis dispositio. At neutra in variolis & morbillis locum habet. Non imaginatio, vt cuiuis manifestum est. Neque etiam omnes morbi, quibus parentes laborant, necessariò in corpore relinquunt dispositiones, per quas iidem in sobolem deriuentur. Præterea non causam reddit Mercurialis, cur omnes homines morbillos & variolas patiantur. Nam si hic morbus nouus est, & à parentibus in liberos propagatur, atque omnes ferè hodie hunc morbum patiuntur: necessarium est, cùm primùm cœpit, omnes homines eo correptos fuisse, quod impossibile est. Cùm enim actio non fiat nisi in patiens dispositum, fieri non potest, vt vna & æqualis in omnibus ad variolas & morbillos recipiendos fuerit dispositio.

Reliquas duas opiniones quod attinet, habet vtraque suos sectatores; etsi apud vtrosque hoc in confesso sit, vtram etiam opinionem defendas, eam dubitatione non carere. Pro vtraque scilicet sententiâ rationes tam probabiles sunt, vt vix videamus, quomodo alterutri saltem tutò fidem adhibere possimus. Ergo, saluo aliorum iudicio, potiùs vtramque opinionem coniungemus; licèt ebullitionem putredinémque ac determinatam quandam humorum corruptionem variolarum & morbillorum causam proximam agnoscamus: à tribus tamen illam prouenire statuimus, ab aëre maligno, à sanguine materno, & à vitioso alimento. Nimirum variolæ & morbilli proximè proueniunt à quodam naturæ conatu, illud, quod sanguinem inquinat, expellentis. Omnes enim variolæ & morbilli proximè per modum quendam crisis proueniunt, quâ natura seu facultas expultrix excrementitios seu prauos aut malignos humores, quibus sanguis inquinabatur, paulatim, à partibus scilicet internis, per venas primùm maiores, pòst minores, ac demum minimas, quæ ob exilitatem capillarium nomen acceperunt, ad cutem, & quæ cum hac cohærent, aut ei ἀνάλογα sunt, expellit, & bonos à malis separat. Verùm vitium illud sanguinis, ob quod natura sese ad expulsionem accingit, à triplici causâ prouenit; nimirum ab aëre venenato & maligno, humores inficiente; à vitio quodam sanguinis materni, quo infans in vtero alitur; &, quod addimus, etiam à victu prauo. Vnde variolæ & morbilli plerumque duplices constituuntur: aliquando epidemij, aliquando sporadici. Atque hoc modo si vtramque opinionem coniungamus, facilè quasdam difficultates, quibus vtraque opinio, si seorsim defendatur, premitur, euadere poterimus.

*Controuersiæ decisio.*

Atque vt de antiquorum & Arabum sententiâ primò dicamus, etsi Fernelius & Mercurialis eam planè reiiciunt: tamen simpliciter repudianda non est. Nam cùm variolæ & morbilli omnibus hominibus communes sint, vt vix reperiatur, qui non aliquando iis inficiatur, ac ætati puerili hic morbus familiarior sit: causa etiam aliqua communis quærenda est, quæ omnibus hominibus, & inprimis puerili ætati, sit communis. Ad aërem hîc solùm cum Fernelio confugere non possumus. Nam dantur variolæ & morbilli, qui epidemii non sunt, sed sporadici ac sparsim hunc vel illum priuatim corripiunt: quod signum est, variolas & morbillos tum temporis non à communi, sed priuatâ causâ prouenire. Præterea singulis ferè annis reperiuntur infantes variolis ac morbillis laborantes. Ergo si variolæ & morbilli solùm ex aëris vitio prouenirent, singulis annis daretur aër pestilens & malignus;

*Arabum sententia explicatur.*

malignus;quod concedendum non eſt. Itaque cùm in aërem ſolum non poſſimus referre cauſam, in corpore quærenda eſt cauſa communis,& quidem talis,quæ ab ipſo ortu infantibus adfuit; cùm habeatur compertum, infantes variolis aut morbillis laborantes in lucem editos, vel ſtatim poſt ortum ipſis correptos fuiſſe.In vtero autem alia cauſa non datur, quàm ſemen & ſanguis maternus, quo alitur infans. Seminis quidem vitio qui morbi contingant, difficulter tolluntur & eradicantur, ac ſæpe recurrunt. Ex ſanguinis ergo, quo infans in vtero alitur, vitio,cauſa hic petenda eſt. Licèt enim, vt rectè Galenus, 5. *Epid. com.*3. *t.*73. docet, meliorem ſanguinem ad ſe trahat nutrimenti causâ infans, deteriorem autem relinquat, vnde prægnans prauis humoribus impletur, quos in partu natura euacuat: tamen vbi fœtus grandior factus, copioſiore alimento opus habet, impoſſibile eſt, quin etiam aliquid de prauis humoribus attrahat; inprimis cùm in grauidis menſes ſupprimantur, cum quibus aliàs natura ſingulis menſibus id quod vitioſum in corpore cumulabatur, excernere ſolebat. Vnde eo tempore, quo fœtus grandior factus eſt,matres & plenitudine,& vitioſis humoribus minùs laborare deprehenduntur, & ſymptomata, quibus ob ſanguinis copiam & prauorum humorum retentionem antea vexabantur,euaneſcunt.

Atque hæc eſt labes & communis cauſa, ob quam plerique infantes variolis & morbillis corripiuntur. Quæ labes ſi à causâ cæleſti in actum deducatur, & ab aëris vitio natura ad expulſionem ſtimuletur, aut ſi per contagium, quod ſæpe fit, malum hoc diſſeminetur: tum variolæ & morbilli infantibus epidemij ſunt. Si verò natura ſolùm à causâ internâ excitata & ſtimulata hanc expulſionem tentet, nihil obſtat, quin etiam priuatim & ſparſim, morborum ſporadicorum modo, diuerſo tempore,nunc hos,nunc illos infantes variolæ & morbilli inuadere poſſint.

Cur autem iſta labes non mox in primâ infantiâ à natura excutiatur, ſed demum poſt plures annos, vt tertium,vel ſeptimum,iſto malo infantes corripiantur, quærendum eſt. Vtque id breuiter explicemus, ſciendum, iſtam labem non primariò in ſanguine hærere, ſed in partibus ſolidis, neque illam materiam, quæ per criſin in variolis & morbillis excernitur, mox à primo ortu in venis contineri, & ita per plures annos aſſeruari: Verùm in ſolidis partibus totius corporis relinquitur quædam diſpoſitio, ob quam tales humores cumulantur. Vt enim quâ ſemel eſt imbuta recens conſeruat odorem teſta diu, doliúmque ſaporem & odorem, quo eſt imbutum, vino, quod infunditur, communicare ſolet: ita cùm ex impuritatibus illis ſanguinis mẽſtrui in vtero labes quædam & morboſa diſpoſitio in omnibus partibus contracta ſit, etſi alimentum, quo infans vtitur, bonum ſit: tamen ob illam diſpoſitionem malam, labem aliquam contrahit,acciditque, vt ſanguis non vndiquaque purus generetur: Quem vbi natura ampliùs ferre nequit,hanc excretionem inſtituit. Quod autem hoc apud quoſdam citiùs, apud alios tardiùs accidere ſolet: cauſa eſt, quòd pro variâ illâ diſpoſitione & temperamenti diuerſitate, quam plurimum hac in re poſſe certum eſt, non ſemper eâdem copiâ impurior ſanguis generatur, & quòd fermentum illud ſanguinis aut paucum ab ortu fuit, aut ſuam quaſi maturitatem non acquiſiuit, & præterea natura illi quaſi aſſueta eſt, atque hinc obrutum & ſopitum tam diu iacuit benigniori ſanguine. Vbi autem tanta eius copia cumulata eſt,vt naturæ moleſtus eſſe incipiat,tum ſolet ea hanc excretionem inſtituere.Quibus accedit & externarum cauſarum ſtimulus, cùm ſcilicet natura vel ab aëris vitio, vel à contagio aliorum variolis & morbillis laborantium ad excernendum ſtimulatur. Atque hanc ob cauſam omnes homines ſemel variolis & morbillis laborant, ac neceſſariò omnes hanc criticam quaſi euacuationem patiuntur. Si quis verò bis, vel ter iis laborat,iam ad alias cauſas recurrendum.

*Fernelij ſententia explicatur.*

Interim ſecundò Fernelij opinio non planè reiicienda eſt, qui ex peculiari quadam malignitatis ſpecie aërem contaminante hos morbos prouenire ſtatuit. Etenim rationes, quæ eum ad id ſtatuendum adduxerunt, non ſunt leues, quas etiam ſuprà recenſuimus. Nam non eſt credibile, ſi quis anno trigeſimo, quadrageſimo,quinquageſimo,aut ſexageſimo ætatis, variolis aut morbillis laborat, atque interim varios morbos paſſus ſit, labem illam in vtero contractam inter tot naturæ motûs & conatûs, atque ad id ætatis deliteſcere poſſe. Deinde morborum epidemiorum modo interdum graſſantur variolæ & morbilli, certíſque annis ſilent, & peſtilentium morborum ritu per interualla quædam redeunt, & nunc quidem variolæ, nunc morbilli. Quod certè è ſanguinis vitio non accidit. Ex eo enim ſi tantum malum proueniret, ſparſim potiùs, & priuatim infantes corripere deberet, ſicut priuatim quilibet hoc vitium in vtero contrahit. Atque hinc quoque accidit, quòd variolæ & morbilli ſæpiſſime peſtilentiam antecedunt, & peſtis nuncij à Medicis appellantur.

Secundæ huic cauſæ adhuc tertiam addimus, nimirum poſt ortum victum prauum,è quo ſcilicet tale aliquod vitium in ſanguine, quale ex ſanguine menſtruo in vtero, iam poſt ortum contrahatur. Atque hac etiam de causâ accidit, vt homo idem bis vel ter morbillis corripiatur.

Nam licèt illa labes in vtero contracta primùm à naturâ diſcuſſa ſit: fieri tamen poteſt,vt à cauſa ſuperiore & aëris vitio eodem modo humores iterum corrumpantur; præcipuè ſi hoc,de quo modò diximus, ex alimento vitium accedat. Nonnullis tamen iterum ac tertiùm rediit hoc malum,quod in illis de primo fomite aliquid fuerit relictum, ſicut vinum non planè defecatum denuò per feruorem turbidum redditur.

*An variolis & morbillis ſemper febris coniungatur.*

Cùm autem vitium hoc in ſanguine, vndecunque etiam contractum ſit, natura per quandam criticam euacuationem & ebullitionem, vt vulgò vocant, ſoleat diſcutere: quæri ſolet, an ſemper hoc fiat cum febre, an verò aliquando etiam ſine febre. Nonnulli etiam ſine febre variolas & morbillos erumpere poſſe ſtatuunt: citántque pro ſe authoritatem Auicennæ, qui,*primâ quarti, tract.*4. *cap.*6. ſcribit:melius eſſe, vt morbillos antecedat febris, quam vt ſubſequatur. Deinde, aiunt, ſi ſanguis leuiter ebulliat circa cutem, & materia vitioſa per cutem expellatur, calorem cordi non communicari, ſed per cutim & calorem expirare, & materiam vitioſam euacuari: atque ita fieri poſſe,vt toto morbi progreſſu febris non adſit. Imò ad experientiam prouocant. quâ obſeruatum ſit, variolas & morbillos abſque febre interdum erupiſſe.

Alij verò contrà ſtatuunt, & quidem rectiùs, nunquam variolas & morbillos ſine febre fieri. Nam cùm per criſin quandam variolæ & morbilli excitentur, criſis verò & ebullitio ſine febre non fiat: facilè hinc apparet variolas & morbillos ſine febre non prouenire. Incipit enim illa ebullitio, vt illi volunt, non ſolùm circa cutem, ſed in venis maioribus, locis calidiſſimis,è quibus vt calor cordi non communicetur, impoſſibile eſt. Quod verò locum illum Auicennæ attinet, ſciendum, duo genera febrium cum variolis & morbillis coniungi poſſe, vnum, quod propriè ex illâ ebullitione excitatur, cuiúſque ſymptomata & criſis eſt variolarum & morbillorum efflorefcentia; & bonum eſt, ſi, variolis & morbillis erumpentibus, febris hæc ceſſet: Nonnunquam verò poſt variolas febris apparet, & quando illæ ſuppurantur, excitatur: vel quia materia tota primo impetu non fuit expulſa, vel quia pars eius intrò eſt recepta, quod peius indicium eſt. Experientiam quod attinet, cùm pueris & infantibus

infantibus familiaris sit hic morbus, & febris sæpè non adeò magna, ex materiæ paucitate aut lenitate, ebullitionem magnam non producente, de morbo aliquo infantes non conqueruntur, vel etiam conqueri possunt, donec variolis & morbillis erumpentibus eos ægrotare cognoscatur: Atque hinc absque febre eos erumpere, sed falsò, creditur.

*Qualis sit febris, quæ variolis & morbillis cõiungitur.* Sed iam quæritur, è quonam febrium genere sit hæc febris. Cùm variolæ & morbilli per quandam sanguinis ebullitionem fiant, & calor æqualis per totum morbi decursum sentiatur: meritò febris hæc inter febres ex sanguine ortas, quas Synochas, & vulgò cum Arabibus conclusas siue conclusæ caliditatis appellant, refertur. Cùm verò Synocha febris duplex sit, cum putredine & sine putredine: iam porrò videndum, qualis hæc Synocha sit. De quâ re Medici non consentiunt. Nonnulli enim & cum putredine, & sine putredine variolas & morbillos erumpere posse statuunt, & ebullire quandoque illam materiam posse, quæ causa est variolarum & morbillorum, sine omni putredine; sicut per ebullitionem quandam in musto, sine omni putredine, partes heterogeneæ ab homogeneis segregantur. Atque hinc etiam febrium, quæ apparent in variolis & morbillis, quandam esse differentiam dicunt, quòd scilicet quædam grauiores sint, aliæ vix ab ægris percipiantur.

Verùm etsi concedamus, febrium esse talem differentiam, tamen semper adesse putredinem seu humorum corruptionem statuimus. Neque enim saltem est sanguinis quædam accensio, sed humorum quædam corruptio, quam materia in variolis conclusa indicat, qualis nulla est in Synochâ sine putredine. Neque etiam sponte suâ fit talis ebullitio, qualem in musto, cereuisiâ, atque aliis extra corpus humanum rebus, fieri videmus; sed à naturâ seu facultate expultrice, per modum quendam κρίσεως fit ista vitiosorum humorum expulsio, ad quam natura à materiæ putridæ, corruptæ, aut quocunque modo appellare libeat, vitio, vel à causâ externâ incitatur. Quod illa ipsa materia, quæ variolarum & morbillorum proxima causa est, satis indicat. Hæc tamen vt modò diximus modò maior, modò minor est, à quâ etiam febris modò mitior, modò vehementior accenditur. Quæ mitior est, prorsus euanescit inter paucos dies, & propterea ab infantibus & pueris ferè negligitur, nec nisi ab iis, qui diligenter attendunt, cognoscitur. Nonnunquam verò, & quidem sæpius putredo maior est, vnde & in principio, & in progressu febris maior est, quæ, si morbus salutaris futurus est, morbillis & variolis erumpentibus, fit minor. Nonnunquam & pestilentem naturam violæ & morbilli induunt, vnde non pauci infantes extinguuntur.

*Causa procatarctica.* Atque hæ causæ internæ, & hoc modo, ad generationem variolarum & morbillorum concurrunt. Externæ verò & procatarcticæ causæ, à quibus internæ illæ mouentur, quoque plures esse possunt. Primò est aër sanguinem exagitans, siue manifestâ, siue occultâ & malignâ, è sublimi & peculiari vi syderum, aut ex inferioribus suscitatâ qualitate: quò pertinent temporum anni mutationes insigniores, præsertim veris & Autumni constitutio calida & humida, austrina scilicet; regio item calida & humida. De aëre autem hoc sciendum, duplici nomine eum ad generationem variolarum & morbillorum concurrere posse. Aliquando concurrit vt causa principalis, vt antea dictum est, quando scilicet tanta est aëris malignitas, vt per se ad humorum generandis variolis & morbillis necessariorum ortum sit sufficiens, atque determinatam hanc in iis corruptionem, præcipuè in tenellis, qualia sunt infantium, corporibus possit inducere: vnde tunc variolæ & morbilli pestis nuntij sunt. Aliquando verò vitium aëris tantum non est, vt per se humores ita corrumpere queat, tamen qualitatem habet, vt vitiosos illos humores in corpore latentes agitare & mouere possit. Deinde & alia huc pertinent. Balnea nimirum crebra, agitatio corporis nimia, & quæcunque calorem in corpore accendere possunt. Inprimis verò ad hanc rem multum facit contagium. Nam ex corporibus variolis & morbillis laborantibus νοσερὴ quædam ἀπόκρισις, itémque ἀπόῤῥοια νοσερὰ, effluuium morbidum, Hippocrati dicta, *l. de nat. human. com. 2. t. 4.* Aristoteli πνεῦμα φαῦλον καὶ βαρῦ, *s. 7. probl. 8.* Alexandro Aphrodisæo λοιμικὴ καὶ σηπτικὴ ἀπόῤῥοια, effluuium pestilens & putrefaciens, *libro 2. probl. 42. Galeno, lib. 1. de diff. febr.* μίασμα λοιμῶδες καὶ σηπεδονῶδες, effluit, & minutissimis sensumque effugientibus corpusculis diffunditur, quæ vt seminarium malignitatis alteri corpori ἀναλόγως quocunque modo communicata, similem in eo humorum agitationem & ebullitionem excitat.

*Cur nunc morbilli, nunc variolæ erumpant.* Et si verò suprà etiam dictum sit, quomodo variolæ & morbilli differant, tamen & hîc explicandum, cur nonnunquam variolæ, nonnunquam morbilli erumpant. Nam si vitium sanguinis materni & labes in vtero contracta horum morborum causa est, quî fit, cur nunc pustulæ quædam elatæ quæ in pus mutantur, nunc verò saltem maculæ quædam apparent; Causa huius rei primò est varia humorum constitutio. Nam sanguinis in variis corporibus varia est constitutio: Vnde etiam vitium & labes, quam infantes in vtero contrahunt, non est eadem. Deinde fit, vt eadem sit sanguinis constitutio, tamen à causarum sanguinem corrumpentium actione diuersitas aliqua induci potest; & varij corruptionis humorum sunt termini.

*Different. variolarum & morbillorum.* Et vt ad differentias accedamus, secundùm ipsam humorum varietatem etiam quædam variolarum obseruatur differentia, vt & morbillorum; in substantiâ, quantitate & qualitate. Secundùm substantiam quidem aliæ ex hoc, aliæ ex illo humore constant. Secundùm quantitatem, aliæ magnæ, multæ, profundæ sunt; aliæ paruæ, paucæ, superficiales, pro materiæ copiâ maiore vel minore. Secundùm qualitatem variæ animaduertuntur differentiæ; aliæ sunt albæ, aliæ rubicundæ, subflauæ, liuidæ, violaceæ, subnigræ, coloris varij, pro diuersitate humoris, è quo constant, id est, prout humor benignior aut malignior est, ex quo ortum ducunt. *Tactu* aliæ duræ sunt, ob crassitiem & cruditatem materiæ; aliæ molles, humore aqueo vel flatu etiam turgentes. Est & in isto quædam differentia, quod quædam subitò & cum impetu erumpunt, aliæ lentè & tardè seu paulatim; aliæ rursus diu durant & tardiùs dissoluuntur; aliæ citiùs euanescunt, ex quiete materiæ longiore aut breuiore. Reperitur & quædam in loco, in quo erumpunt, differentia. Aliæ enim cutem & extremas vel potiùs externas solùm partes occupant: aliæ verò etiam in internis erumpunt, atque hæ vel euidentes sunt, quæ in oculorum palpebris inuersis, in naribus, & aperto ore in palato, linguâ & faucibus conspiciuntur; vel occultæ seu abditæ & abstrusæ, quæ asperam arteriam seu guttur, pulmones, iecur, lienem intestina, vterum, aliásque internas partes obsident. Id quod Auicen. etiam, *lib. 4. fen. 1. tract. 4. c. 3.* docet. Obseruatúmque est, quibusdam à morte dissectis pulmones, iecur, lienem, omniáque interiora, haud secus atque cutem, sordidissimis papulis scatuisse.

## *Signa diagnostica.*

*Signa diagnostica.* Signa variolarum & morbillorum quod attinet, alia imminentes ac instantes iam variolas & morbillos indicant, alia præsentes; quando pustulæ iam foràs eruperunt, alia humorem, è quo nascuntur; alia partem, quam occupant. Præsentes iam visu agnoscuntur: remanent tamen tum pleraque signa, quæ imminentes demonstrant. Itaque de signis imminentium & præsentium

præsentium coniunctim agemus. Et quidem ea ex actionibus læsis, excrementis, & qualitatibus mutatis petemus.

*Actiones læsa.* Primò actiones variè læduntur: Dolor capitis, oculorum, gutturis, cum temporum & frontis pulsatione percipitur, narium pruritus, sternutatio, terror in somno, paroxismi epilepticis similes, deliria nonnunquam; quæ omnia fiunt à vaporibus & fuliginibus seu fumis acribus, ex sanguinis ebullitione in caput ascendentibus. Ad est dorsi dolor & pulsatio in spinâ ob tensam ibidem à copiâ feruentis sanguinis venam cauam, partésque vicinas. Grauitas præterea totius corporis, ardor, & punctionis quidam sensus in cute sentitur, ob copiam & feruorẽ materiæ eò transmissæ. Difficultas spirandi animaduertitur; ob copiam vaporum, seu feruidarum fuliginum, qui aëri frigido attrahendo vix transitum concedunt; tussis sicca & inanis è vaporibus transeuntibus, vel etiam pustulis eo loci erumpentibus, quæ naturam stimulant. Accidit præterea tremor pedum, oscitatio, pandiculatio; cordis palpitatio; omnia quidem ex ebullientis sanguinis vaporibus excitata.

*Excreta.* Deinde in excretis hæc signa animaduertuntur. Vrina sanorum vrinis non est dissimilis; eam ob causam, quòd natura, quicquid materiæ vitiosæ est in corpore, ad ambitum corporis propellere soleat. Interdum tamen turbidæ sunt, quod magnam humorum ebullitionem & agitationem significat. Hæmorrhagia narium quoque non rarò accidit, ex sanguinis feruore, & acrimoniâ venarum orificia aperiente; quæ si larga sit inter initia, morbum leuiorem reddere solet plerumque. Vomitus quoque ventriculo, seu à materiâ, seu à vaporibus prauis ascendentibus stimulato. Lacrymæ sponte ex oculis solent effluere, aut oculi lachrymabundi apparent, ob acrimoniam vaporum, oculorum tunicas mordicantium & vellicantium, vel etiam ob serosum humorem ad oculos per se humidos transfusum.

*Qualitates corporis mutata.* Tandem adest & in qualitatibus corporis quædam mutatio. Facies vnà cum oculis rubet, ob sanguinis ebullitionem, huiusque vel vaporum ad superiora motum: vox est rauca, siue ob vapores per asperam arteriam transeuntes, siue ob pustulas eo loci enatas: os est siccum; ob feruorem fuliginosi spiritûs è pectore redditi. Aspera est cutis, ex pustulis toto corpore per eam diffusis: febris denique synocha accenditur, ex vehementi sanguinis in intimo corpore ebullitione.

Vbi ergo initiò pleraque signa hæc conspiciuntur, & præsertim circa secundum aut tertium diem augentur, & sparsim quædam maculæ rubentes in cute apparent: imminentium variolarum & morbillorum est indicium. Et tum illæ maculæ, præsertim circa diem quartam, in sublime attolluntur, ita vt quædam quasi tubercula rubentia parum eleuata in cute conspiciantur, vnde variolæ fiunt vel in latum extenduntur, vnde morbilli. Variolæ tamen cum maiore pruritu & dolore emergunt & apparent, primò veluti capita acuum aut grana milij, deinde in pustulas mutantur, sanie repletas, ipsâ febri cæterisque symptomatibus paulatim mitescentibus, quæ tandem suppurantur, exsiccantur sensim & decidunt. Morbilli verò citiùs erumpunt, & postea resoluuntur ac euanescunt.

Arguitur autem de variolis & morbillis suspicio, si epidemij sint, & puer sit aut infans: his enim præcipuè accidit hoc malum; minùs adultioribus; rarissimè senibus; nisi ex aëre corrupto: aut æger cum aliquo variolis aut morbillis laborante sit conuersatus, aut in familia aliquâ vnus ex infantibus, variolis aut morbillis laboret, aliæque causæ externæ præcesserint. Omnibus enim modis contagiosi sunt hi morbi, & præcipuè iis corporibus, inter quæ est analogia, qualia sunt consanguineorum.

Tempus autem, quo variolæ & morbilli frequentiùs grassantur, est ver & autumnus; inprimis si æstas pluuiosa præcesserit, & austri continuò spirauerint, vel hyems tepida & australis fuerit. Hæc enim tempestas maximas humorum agitationes efficit: quibus accedit fructuum vsus, quos copiosiùs pueri solent comedere; æstiuo & hyemali tempore rariores sunt, nisi à temperie suâ naturali deflexerint, vel semina prauitatis à præcedentibus anni temporibus in pueris conceperint.

Signa verò causarum quod attinet, à sanguine ipso nullæ omnino variolæ fiunt, estque humor, qui variolas & morbillos excitat, planè excrementitius. Qualis autẽ sit humor, facilè indicat color. A bile enim cum flauedine rubescunt: & acredinis sensum maiorẽ exhibent: à pituitâ colorem album habent, ac saniè liquidiore abundant. Ab humore melancholico nigricantem, & cum siccitate magis sordescunt. Imò nonnunquam violaceæ, virides, liuidæ & nigræ sunt, si scilicet humores magis corrupti sunt, vehementi æstu exusti, & quidem proût hæc vel illa materia superauerit, eiusque κακοήθεια maior aut minor fuerit. Testantur varietatem causarum & alia signa. Si materia enim sit biliosa, minor quidem dorsi dolor & grauitas adest: maior tamen ardor, inquietudo & sitis. Ab humore crassiore minor quidem est pruritus & ardor, maior autem corporis grauitas. *Signa causarum.*

Loca, quæ ab iis obsidentur, etiam ex actionibus læsis cognoscuntur. Nam, si non solùm in cute, sed & in partibus internis, ventre, intestinis, pulmone erumpant; febris admodum grauis est & molesta, difficultas respirationis, & angustia pectoris magna, tussisque maior adest, dolor ventris & intestinorum vehementer affligit: quibus nonnunquam vrina cruenta & dysenteria accedit.

## *Prognostica.*

*Prognostica.* Pertinent autem variolæ & morbilli ad morbos acutos. Nam vtplurimùm intra diem 14. terminantur. Diuidunt nonnulli tempus variolarum in tempus ebullitionis humorum, & in tempus exitûs variolarum. Tempus ebullitionis plerumque quatuor diebus absoluitur, diesque primus est principium; secũdus augmentum; tertius status; quartus, initiũ declinationis, quo tempore febris & symptomata remittere solent. Idem quartus dies, qui declinatio ebullitionis est, exitûs variolarum principiũ esse solet. Augmẽtum ad septimum protrahitur: status vndecimo die viget: ab vndecimo ad decimum quartum est declinatio; quo tempore morbilli exsiccantur, etsi interdum ad diem 20. vsque exsiccatio protrahatur.

Quemnam autem morbus hic sit habiturus exitum, ex iis, quæ variolas & morbillos comitantur ac sequũtur, cuiusmodi sunt ipsarum variolarum & morbillorum qualitas, magnitudo, numerus, figura, tempus & modus exitûs, locus ac varia symptomata, ac viribus ægri colligere licet. Si etiam initio morbi sãguis è naribus largiter effluat, variolæ & morbilli pauciores erumpere, & æger faciliùs liberari solet. In genere, melius est, variolas & morbillos citò, quam tardè, erumpere. Nam & materiæ obedientiam, & naturæ robur id ostendit. Deinde bonum est, si post earum exitum febris ac omnia symptomata imminuũtur. In specie variolæ meliores sunt albæ & rubræ, magnæ, plures, molles, eminentes, rotundæ, disiunctæ, & sine contiguitate propinquæ, quæ citò & sine magnâ ægri molestiâ maturantur & decidunt, quæque loca externa, ignobiliora præsertim, occupant. Deteriores verò sunt violaceæ, virides, liuidæ, nigræ, siue plures, siue pauciores, siue paruæ, siue magnæ, duræ & verrucis similes, depressæ, propinquæ & contiguæ, aut duplices variolæ, inprimis si in

in earum medio nigra macula apparet, quæque tardiùs erumpunt, tardiúsque maturantur, aut iterum euanescunt subitò; & quæ interna occupant, vel foris faciem tantùm aut pectus. Hæ enim prauitatem & inobedientiam materiæ, calorisque incendium magnum & virium labefactationem portendunt. Et auget malum, si virium debilitas & praua accidentia adiungantur, ac symptomata post apparitionem earum non remittant; vt si post variolarum exitum æger nauseâ, vomitu, stomachi dolore, siti inexplebili molestatur. Peius est, si lipothymia crebra, magna pectoris angustia, angina, fluxus alui viridis, aut cruentus, vrina cruenta vel nigra, extremorum perfrigeratio, vel conuulsio accedat. Malum item, raucedine affici, difficulter loqui, delirare, cibum auersari, deglutire non posse, vigiliis infestari, vel somno nimio detineri. Acqui moriuntur ex variolis vel anginâ plerumque pereunt, interclusâ à pustulis spiritûs viâ; vel syncope, ex spirituum à materiâ malignâ corruptione; vel alui profluuio & dysenteriâ. Et sæpe licèt non statim ægrum iugulent: tamen diuturna vel lethalia mala variolæ inducunt, in internis præsertim corporis partibus. In naribus vlcera diuturna sæpe, & imminutum odoratum; in faucibus, raucedinem, impeditam respirationem; in œsophago difficilem deglutitionem; in pulmonibus, peripneumoniam, tabem & dyspnœam in ventre, hepate, & intestinis periculosos fluxûs ac cruentam deiectionem; in renibus cruentas mixtiones.

Maximè verò infestæ sunt oculis, in quibus ὀφθαλμίαν, lippitudinem, caliginem, albuginem, sæpe & cœcitatem plane efficiunt. Solent & in cute fœdi coloris maculas & foueas ac cicatrices turpes relinquere, potissimùm in facie, vbi partibus eius quibusdam cutis ferè ἄσαρκ☉ seu carnis expers est, & proinde vlcera ibi difficulter coalescunt.

Eadem ferè est ratio morbillorum. Periculosiores hi quidem suâ naturâ sunt, quàm variolæ; cùm ex sanguine feruidiore, qui febrem & omnia symptomata grauiora excitat, constent: citiùs tamen iudicantur, nec oculis ita noxij sunt, seu non ita oculos petunt, vt Variolæ, quòd subtilis illorum materia priùs dissoluatur, quàm figi in iis queat. Inter eos autem rubri & disiuncti salubriores sunt, & qui citò apparent, ac quibus apparentibus symptomata remittunt & mitigantur. Peiores autem virides, violacei, nigri, & qui tardè exeunt, aut mox ad interiora recurrunt, magnamque pectoris angustiam & frequentem syncopen adiunctam habent.

Verùm licèt variolæ & morbilli plerumque in salutem ægri finiantur: ægrum tamen in illorum παρακμῇ seu declinatione quandoque mori contingit: vel quia visæ sunt declinare materiâ intrò raptâ: vel quia etiam verè declinantibus aut resolutis variolis externis pars materiæ siue ex naturæ imbecillitate, siue ex errore ægri, adstantium, incuriâ Medici, intus relicta, magisque deprauata occupauit viscera, & febrim aliáque symptomata grauia auxit.

## *Curatio.*

*Indicationes.* Curationem Variolarum & Morbillorum quod attinet, & Indicationes, quæ eam dirigunt, Primus scopus sit. Naturæ, quæ commodè materiam vitiosam per ambitum corporis expellere in hoc febris genere nititur, opem ferre; quod fit, dum causa, quæ naturam in opere suo impedit, tollitur, & motus naturæ adiuuatur, vires confortantur, & malignitati resistit Medicus.

Vitium materiæ naturam impedientis consistit in humorum copiâ nimiâ, vel eorum malâ qualitate; vel natura ob viarum obstructiones in opere suo impeditur. Itaque Medici est, humores prauos tollere, eorum siue crassitiem, siue tenuitatem & feruorem corrigere, viasque clausas aperire, malignitati resistere, & naturæ humores ad cutim expellentis conatum adiuuare. Præter hoc Medicus symptomatum vehementiam auertere debet, & præcauere, ne pars aliqua, siue interna, siue externa, damnum inde contrahat.

*Vena sectio in infantibus.* Cùm verò morbus hic plerumque in corpora teneriora incidat, venæ sectio, quòd vires eam non ferant, raro admittitur. Amatus equidem Lusitanus, *Centur.* 3. *curat.* 16. puero quinque annorum, dum variolarum indicia adessent, venam internam brachij aperuit, & quatuor vncias sanguinis detraxit. Sicut idem aliàs etiam in sanguine in pueris mittendo audacior fuit, (vt hæc iis quæ *libro* 2. *capite* 5. *diximus*, addamus) & Auenzoarem, quem Auenrois 7. *Coll. capite.* 3. puerulo triû annorum sanguinem detraxisse testatur, imitatus, *Centur.* 1. *curat.* 10. puellæ cuidam 7. annorum febricitanti venam interam brachij aperuit, sanguinisque vncias sex detraxit, & *Centur.* 5. *curat.* 96. puero 8. annorum quatuor vncias emisit & *Centur.* 5. *curat.* 52. puero 5. annorum venam aperuit. In valde tamen teneris, præcipuè in morbillis, malo Trincauellio assentiri, qui *de rat. curandi part. affect. libro* 2. *capite* 10. scribit, se in valde teneris venæ sectionem nunquam probasse, cùm id præter rationem fieri videatur, & sæpè malus eius rei euentus sequatur, & licèt aliquando res bene succederet, id potiùs fortunæ quàm rationi attribuendum sit. Si tamen in ætate, quæ venæ sectionem perferre possit, sanguinis abundantia venæ sectionem postulet, mox in principio, ante quartum diem, aut sane priusquàm variolæ erumpant, dum vires adhuc constant, & sanguinis tanta copia ad ambitum corporis confluxit, vena aperienda, vt natura oneris parte leuata, quod reliquuum est faciliùs vincere possit. Post quartum autem diem, & vbi maculæ erumpere incipiunt, abstinendum à venæ sectione; inprimis si iam æger meliùs habere incipiat, ne materia ad ambitum corporis tendens ad interiora reuocetur.

*Purgatio.* Deinde si aluus sit adstrictior, clystere leui aut blādo aliquo medicamento eluenda, vt quod in primis viis hæret, expurgetur, vt Syr. Rosar. solut. Tamarindis, Mannâ, Cassiâ: Talibus scilicet, quæ non solùm aluum lenire, sed & sanguinis feruorem restinguere refrigerando, partésque internas roborare moderatè adstringendo, viresque tueri valent. Possuntque hæc pharmaca tum inter sese, tum cum conuenientibus aliis, prout res postulat, commisceri. Ab omnibus verò fortioribus purgantibus, non solùm in principio, sed & toto morbi decursu abstinendum, ne eorum vehementiâ vel naturæ conatus in expellendo à centro ad superficiem impediatur, vel profluuium alui periculosum excitetur: & proinde, si in declinatione quid humorum vitiosorum in corpore superesse animaduertatur, idipsum blandè educendum. Alioquin abstinendum purgantibus, si tranquilla omnia in ægro appareant.

Lactentium curatio, quod ad interna remedia attinet, inprimis in lactantium seu nutricum diætâ & medicatione posita est. Nam in lacte facultates ciborum & medicamentorum, præsertim purgantium tot etiam mutationibus præcedentibus conseruantur, 6. *Epid. sect.* 5. *t.* 33.

*Expellenti[a]* Postea, cùm naturæ in hoc morbi genere præcipuæ partes sint, & ipsa sæpe sine vllis medicamentis hoc morbi genus sanet, perpendendum; An natura suum officium faciat, & rectè materiam ad cutem expellat; An verò in opere suo deficiat.

Si satis erumpere naturæ beneficio variolas & morbillos animaduertimus, non opus est eam multis medicamentis adiuuare, ne calefacientium vsu intēpestiuo materia nimis agitetur, febrisque augeatur, Quod si tardè & parciùs erumpant variolæ & morbilli, adiuuanda

adiuuanda natura iis, quæ materiam paulò magis fundunt, meatûſque aperiunt. Iſtis tamen aliquid de refrigerantibus, & modicè adſtringentibus addendum vt partes internæ roborentur,atque ita non ſolùm non afficiantur, ſed fortiùs etiam materiam vitioſam expellant: & ne ſanguis feruorem concipiat, ſemper ea eligenda vel admiſcenda, quæ malignitati reſiſtunt, inprimis ſi de hac ſit ſuſpicio, ingraueſcente, vt eſſe ſolet, peſtilenti temporis conſtitutione, & malo communiter graſſante.

*Expellentia medicamenta.* Ex aperientibus & expellentibus ſunt; *Radices & ſemina fæniculi, ſemen napi, cardui benedict. aquilegiæ, Citri: Radices Dictamni albi, Pimpinell. Capillus Veneris, Flores Calendul. Ius Cicerum rubrorum, Scordium, Scabioſa, Myrrha, & quæ inprimis ad expulſionem hîc faciunt, ficûs, & ſecundùm plurimos, Lentes.* Imò *Theriaca, Mithridatium, & Diaſcordium*, in robuſtioribus dari poſſunt. Et alia quæ malignitati reſiſtunt, vt: *Cornu cerui, lapis bezoar, ſpecies liberantis, Corallia Margaritæ:* Quæ tamen potiùs ad ſequentem claſſem pertinent, reſpectu qualitatum primarum.

*Refrigerantia.* Refrigerant; *Acetoſa, & Acetoſella, Lactuca, Nymphæa, Portulaca, Hordeum, Pruna acida, Endiuia, Cichorium, Plantago, ſuccus Citri, vinum Granatorum, ſuccus Limonum, Oxyſacchara. Rob ribium.* Refrigerantia autem illa & adſtringentia commodiùs initio, primo ſcilicet & ſecundo morbi die exhibentur, antequam natura ſeſe ad expellendum accingat: Poſtea vero, vbi erumpere incipiunt variolæ & morbilli, conatus naturæ adiuuandus: pro morbi tamen naturâ, vario modo hæc miſcenda & adhibenda. Si enim febris & feruor ſit magnus, temperatoria adhibenda, aut frigida admiſcenda. Atque in hoc caſu maximè conueniunt, quæ citra calorem expellere poſſunt, vel quæ frigida ſimul vim aperiendi habent, vt *Acetoſa, Succus citri, vinum granatorum, cornu cerui, Margaritæ, Tormentilla.* Ex his varia medicamenta componi poſſunt. Vſitatæ compoſitiones ſunt ex Auicennâ deſumptæ, quarum prior magis partes internas roborat, poſterior magis expellit.

♃. *Lacc. ablut.* Drach. v. *lentium excortic.* Drach. vii. *gummi tragacanth.* Drach. iii. Coq. *in Aq.* ℔. ß. ad remanentiam. Vnc. iii. *vel* iiii.

Vel ♃. *Ficuum* Drach. vii. *lentium excortic.* Drach. iii. *tragacanth. ſem. fænicul.* an. Drach. ii. Coq. *in Aqua* ℔. i. ß. Colatura potanda detur.

Vel ♃. *Lentium munda.* Vnc. iv. *caricar.* num. x. *vuar. paſſ. mundat.* Vnc. ii. *ſem. fæniculi*, Drach. iii. *croci*, Scr. i. *lacc.* Drach. i. ß. Coqu. *in Aquæ*, ℔. iij ad tertiæ partis conſumptionem. De Colaturâ Vnc. IV. *vel* V. pro doſi propinentur. Aqua expulſiua ad morbillos D. Sigiſm. Kolreuteri.

♃. *Caricar. pingu.* num. xxx. *lentium* M. iii. *ſem. rapar.* Drach. vii. *hordei mund.* Vnc. x. *fænic.* Drahc. x. Conciſa & conquaſſata Coq. in ℔. v. (vel pluribus) aq. ſimpl. ad ℔. j. conſumption. Poſtea omnia ſimul deſtillentur. in. B. Alia.

♃. *Hordei mundi*, Vnc. i. *ſem. fænic.* Drach. v. *rapor.* Vnc. ß. *rad. glycyrrh.* Drach. ii. ß. *herb. ſcord.* M. ſem. *acetoſ.* M. j. *ſem. lentium* M. i. ß. *Caricar. pingu.* num. xii. Inciſ. & contuſ. inf. in aq. puriſſ. ℔. iii. ſtent in infuſ. per diem, poſtea deſtillentur.

Potio ad morbillos.

♃. *Sem. rapor.* Drach. i. *aniſi, fænic.* an. Drach. ii. *hordei, lentium*, Vnc. ß. M. ß. *Caricar.* num. IV. Coq. vaſe clauſo *in aq. Cardui ben. q. ſ.* colentur. pro Vnc. IV.

Atque hæc ſunt remedia compoſita, longo vſu ab antiquis probata, quæ propterea nullo modo reiiciēda, & cum nouis incertis commutanda ſunt. Infantibus autem, qui tales potûs non admittunt, ficûs comedendæ dentur, vinumque Granatorum propinetur. Ficûs enim inſignem vim habent pellendi humores ad cutem. Et ſi quòd ab earum dulcedine incommodum metuitur, id facilè vino granatorum corrigitur. In compoſitis autem his nonnulli de Lentibus & Tragacanthâ dubitant. De lentibus dictum eſt, *in Inſtitut. lib. 4. par. 1. cap. 3.* quibus ſaltem hoc addimus; Cardanum, Amat. Luſitanum & Ioh. Baptiſt. Syluaticum ſequitur Lud. Septalius, *animaduerſ. Medic. l. 5. num. 59.* qui pluribus etiam lentium vſum improbat. Verùm cùm Arabes in medicamentorum facultatibus inueſtigandis diligentiſſimi, medicamenta illa ex lentibus, caricis, laccâ & tragacanthâ valde commendent, atque alij doctiſſimi Medici non ſine fructu illis hactenus vſi ſint, ea quæ contra lentium vſum afferuntur, de iis vt alimento intelligenda ſunt. Et verum omnino eſt, lentes cibum omnino incommodum præbere, in quem vſum, vt ſatis elixentur, diu coquendæ ſunt. Interim nihil prohibet, quin medicamenti loco decoctum, quo ex iis ſaltem quod ſubtilius eſt extrahitur, exhibitum ad promouendam variolarum eruptionem occultâ vi facere poſſit; vnde etiam nonnulli ſignaturâ ſuâ ſeu formâ variolis ſimiles eſſe ſtatuunt. Vt verò in peſte & verè peſtilentibus febribus exhibeantur non ſuaſerim, ſed tunc potiùs ad vera alexipharmaca confugiendum puto. Et omnino ſi adhibendæ ſunt, tutiùs cum aliis, quàm ſolæ exhibentur. Gummi Tragacanthæ verò licèt motum naturæ in expellendo impedire videatur, tamen ſciendum, compoſita illa medicamenta Arabum diuerſos ſcopos reſpicere, ideóque Gummi Tragacanthæ iis admiſceri, ad ebullitionem nimiam humorum præcauendam, parteſque internas roborandas. Efficacia tamen & hæc deprehenſa ſunt.

♃. *Sem. Napi*, Drach. i. *citri*, Scr. i. *aquileg. melon. excortic.* an. ℥ ii. Cum *Aq. Cardui bened. ſcabioſ.* an. Vnc. ii. F. Emulſio, quæ dulcoretur. *iulep i roſar.* Vnc. ß.

Vel ♃. *ſem. Napi, aquileg.* an. Drach. i. ß. *cardui ben. excort.* Drach. i. *melon. excort.* Drach. iii. *Aq. acetoſ. ſcabioſ. cardui bened. fumar.* an. Vnc. ii. F. ſ. a. Emulſio, quæ dulcoretur. *Rotul. manûs Chriſti perl.*

Poſſunt eiuſmodi emulſionibus ſolutiones Perlarum & corallorum addi. Imò pulueres Bezoartici, in peſte curandâ propoſiti, hîc conueniunt, vt:

♃. C. C. *vſti prepar.* Drach. ß. *oſſis de* C. C. Scr. i. *ſem. cardui bened.* Scr. i. *citri*, Scr. ß. *ſpecier. liberant.* Drach. ß. *margarit. præpar. corallor. præpar. vel ſolutionis eorundem*, an. Scrup. ß. F. Puluis.

Cuius Scrupul. i. vel Drach. ß. vel. Scrup. ii. pro ratione ætatis in *Aquâ Acetoſ. Scabioſ. Cardui bened. florum Calendul. Fumar. Fæniculi*, exhibeantur. *Vel detur* gr. ii. iii. vel iiij.

*Lapis Bezoar, cum ſolutionis Perlarum* Scr. ß.

Puluis expulſiuus.

♃. *Boli Arm. Orient.* Vnc. ii. *ſem. caulium. chin. ſel. rad. tormentil. el.* an. Vnc. ß. C C. *vſti præp.* Vnc. ii. *myrrh. el. diptamni alb.* an. Drach. iii. *ſem. napi el.* Vnc. i. ß. *fol. auri*, num. xx. F. Puluis ſubtiliſſ.

Vel ♃. *ſem. naſturt. aquileg.* an. Drach. i. *ſcobis* C. C. Drac. ß. *corall. rubr. præp. margarit. præ.* an. Scr. i. F. Puluis.

Dum verò hæc exhibentur, vnicè danda opera, ne æger frigidum aërem admittat, præſertim hyeme. Itaque æger in aëre calidiore detineatur, diligenter tegatur, ne conatus naturæ impediatur poris cutis occluſis, humoreſque ad interiora recedant, atque materia, quæ expelli debebat, intus coërceatur: vnde anxietas, febris, aliaque ſymptomata cum maximo vitæ diſcrimine in ægro augeantur. Quapropter etiam nulla Epithemata frigida corpori admouenda ſunt.

Non verò ſolùm in eo laborare debet Medicus, vt variolæ & morbilli erumpant, ſed videndum quoque, ne partes ſeu internæ ſeu externæ ab iis lædantur. In partibus internis præcipua pulmonis & inteſtinorum habenda eſt ratio. *Partes quomodo à variolis defendenda.*

*Pulmo.* Pulmoni conueniunt *Looch de Papauere, de Lentibus & Tussilagine; Syrupus iniubinus, violarum, Tragacanthum frigidum, Diapenidium, conserua rosar. violarum.*

*Intestina.* Intestina roborantur *Syrup. Cydoniorum, Myrtillor. Lentibus bis coctis in aquâ Plantaginis, Tormentillâ, semine Plantagin. Acetos. Rob ribium.* Ideóque prior, vt dixi, Auicennæ compositio, potiùs ad roboranda viscera, quàm ad expellendum composita videtur. Lacca enim Hepar & Lienem, Gummi Tragacanthæ pectus, Lentes Intestina respiciunt, & roborant.

In externis Oculi, Nares, os ac fauces roborandæ sunt. Oculos defendunt, humoréſque ad eos ruentes depellunt, Aqua Rosar. & Plantag. in quibus Rhus obsoniorum vel Tutia præparata infusa fuerit, aut additum Sief album vel Camphora.

Vel ℞. *Aq. rosar. plantaginis, euphrag.* an. Vnc. ß. *camphor. croci*, an. gr. ii. M.

Vel ℞. *Pulu. Smaragdi*, Scr. ß. *margarit. præp.* gr. IV. *camphor.* gr. ii. *aq. rosar.* Vnc. iii. Misce.

Ad nares defendendas vtilis est Aqua rosar. cum succ oagrestæ.

Vel ℞. *Santal.* Drach. i. *camphor.* gr. i.

Affundatur acetum rosatum, & sæpius naribus admoueatur.

Si ab ichoribus oculi claudantur, lacte calente seu tepente, vel decocto seminis fænugræci aut lini; cum aquâ rosarum parato, fomententur.

In aures instilletur oleum rosaceum & myrtinum.

*Os & fauces.* Vt Os & fauces præseruentur, collutiones & gargarismi instituantur, ex decocto & aquis Prunellæ, Plantaginis, Rosarum, Balaustior. cum succo Granator. acidorum, Syr. myrtino, de rosi. siccis, melle rosato, Diamoro, Rob nucum.

Pueris, qui gargarisare nequeunt, fauces & palatum sæpius cum linteolo circa bacillum inuoluto liniantur rob nucum, mororum, vino granatorum, & similibus.

Aures, si fluant, curandum est, vt apertæ maneant; si dolore affligantur, spongiam in aq. tepente cum ol. rosato mixtâ immersam iis identidem applicare conuenit.

Nonnunquam nares à pustulis ita obturantur, vt negato per has spiritu os & fauces impensè desiccentur: Quod vt caueatur, iubeātur ægri attrahere naribus oxycratum, poscam, aut vaporem excipere ex decocto rosar. rubr. plantagin. fol. myrtillor. summit. rubi, fol. salicis, pampinorum vitis, & similibus.

Quæ crudæ diu ac duræ manent variolæ, earum maturationem quidam ex Rhase adiuuant vapore aquæ, in quâ chamæmelum sit coctum, aut fotu ex decocto fl. maluæ, rosar. & ficuum.

Variolas, dum maturantur, & materia in saniem cōuertitur, pruritus comitatur. Materia enim ista paulatim acrior reddita dum in cute dissipari mox nequit, tristem eam sensûs perceptionem efficit. *An variola aperienda.* Videndum ergo, ne scalpātur, atque inde turpes cicatrices, præsertim in facie relinquantur. Tutissimum plerumque est, præcipuè vbi sanies alba, & proinde cocta apparet, rem totam naturæ committere; cùm experientia docuerit, eos, quibus variolæ sponte apertæ & exsiccatæ sunt, minore cum deformitate, & minoribus relictis vestigiis, sanatos fuisse. Si tamen magnæ sint, aut plures coniungantur, postquam satis maturatas esse, ex mollitie, albedine, & doloris remissione apparet: id quod post septimum diem ab exitu earum, qui est morbi dies vndecimus, contingit, Arabes eas aperire iubent, nisi suâ sponte aperiantur, ne sanies diutius retenta seu coërcita, vel retrocedat, atque acrior reddita, cutem profundiùs exedat. Aperiantur ergo pustulæ, saniesque molliter abstergatur. Aperiunt autem acu, inprimis aureolâ. Veteres æs magnoperè commendant: non verò forcipe, ne cuticulâ ablatâ vlcus nudum aëri exponatur, & crustæ tenaces relinquantur, quæ ἀνωδυνῶς sine dolore auelli à cute non possunt, ac pluribus locis, duobus aut tribus aperiunt, ne iterum mox occludantur

*Variolæ vt sananda.* Vt verò apertæ variolæ exsiccentur, Arabes Aquâ salis cum pauco croco abluere, vel decocto aut suffitu ex santalis, rosis rubris, foliis tamarisc. myrtillorum fouere: vel si res citiùs expedienda sit, super farinâ oryzæ, milij, fabarum, hordei recumbere iubent. Alij & commodiùs quidem variolas conspergunt farinis, cum puluere thuris, masticħes, myrrhæ mixtis. Verùm plerumque, vt dictum, commodius est, naturæ rem totam committere. Sale enim facilè dolor excitari potest, vel pustulis intempestiuè clausis vlcera deteriora gignuntur: dolor tamen cauebitur, si minores solùm variolæ, non maiores, aut quæ recèns ruptæ sunt saliantur.

Arabes quoque, vt crustæ faciliùs & citiùs exsiccatis probè variolis decidant, oleo vel vnguento rosaceo, aut amygdal. dulc. eas inungere iubent, Verùm, antequam probè arescant. id tentandum non est, ne sordida vlcera reddantur. Si tamen vlcera diutius relinquantur, Vnguento albo Camphorato, de Cerusâ, de Lithargyro, & similibus exsiccentur.

*Vestigia variolarum vt tollenda.* Sanatis variolis color fœdus cutis, & vestigia seu foueæ & cicatrices turpes deformes, in facie præsertim, nonnunquā relinquuntur. Delētur hęc vestigia iis, quę detergunt & Græcis ῥυπτικὰ dicuntur: iis, quæ carnem replent, & σαρκωτικὰ dicuntur: & iis, quæ cutem emolliunt, ac complanant, & dicūtur Galeno λειαντικὰ læuigantia; adhibitâ simul probâ & conuenienti victûs ratione. Color fœdus tollitur frequenti ablutione, quæ fit decocto Lupinorum, fabarum hordei rad. arund. vstar. tanaceti, centaur. min. chelidon. maj. abrotan. succo limonum, Sapone cum nitro & tartaro, Aquâ item sigilli Salomonis, florum fabarum, Schrophulariæ. Pro foueis explendis commendatur pinguedo humana, & asciæ piscis.

## *Diæta.*

*Diæta.* Primùm omni curâ & studio æger ab aëre frigido prohibeatur, vt iam antea monitum, hyeme præsertim. Non tamen nimio æstu torquendus est æger, ne calor naturalis fuliginum feruentissimarum copiâ stranguletur, vel deficientibus viribus materia morbi subsistat, ęgerque odore rerum frigidarum oblato reficiēdus.

Victus rationem quod attinet, cum morbi hi ex acutorum numero sint, victus acutis morbis conueniens instituendus, tenuis scilicet, inprimis morbi primo tempore. Duo enim hîc morbi tempora, quando naturæ cum noxiâ materiâ conflictus ingrauescit, non sine ratione à Medicis constituuntur dierum numero distincta, vnum ebullitionis sanguinis, quod à primo die in quartum vsque extenditur: alterum exitûs, maturationis & exsiccationis quod in morbillis plerumque die septimo, in variolis decimo quarto, finitur: Etsi exsiccatio nonnunquam ob cruditatem & crassitiem materiæ, ad vigesimum diem extendatur. Itaque primis diebus à pleniore victu abstinendum, ab ouis scilicet, iure carnium & carnibus ipsis, quippe cibis εὐτροφίμοις: ita tamen victus attenuandus, vt vires ad statum vsque perdurare possint; ne in statu postea pleniùs nutrire opus sit, quo ipso natura ab opere suo non sine periculo auocaretur. Inprimis cùm sequenti tempore, quo variolæ & morbilli erumpunt, ægri suâ sponte, ob appetitum prostratum, cibos omnes auersentur, & ad sumendos, qui conueniunt, propemodum sint cogendi. Et pueris inprimis hac in parte plus concedendum est, vtpote quorum corpora per se εὐδιαφόρητα sunt, maximè omnium difflabilia perspiratu insensili, & ob copiam innati caloris inediam non facilè tolerant.

Sint

Sint autem cibi non acres, non falsi, non pingues, non dulces, qui ebullitionem & acrimoniam humorum augere possint: sed moderatè refrigerent & adstringant, vt feruorem sanguinis temperent, maximè inter initia, ac partes internas roborent, & ab iniuriâ exanthematum tueantur. Inprimis autem vitandi fructûs ὡραῖοι æstiui, quippe εὐσηπτοι qui facilè in corpore putrescunt. Potus etiam plenus non sit.

Vinum non conuenit, præsertim dulce, præcipuè antequam erumpunt exanthemata. Eius loco danda cereuisia tenuis, vel aqua hordei, in quâ lamina aurea aliquoties sit extincta, aut chalybs ignitus, cui nonnunquam succus citri, granatorum, ribes addi potest. Post exitum tamen, & vbi symptomata remiserunt, parum vini oligophori cōceditur, iis maximè, qui sunt assueti. Quod denique ad res naturales reliquas attinet, toto morbi decursu & *somnus* sit moderatus, ne diutius retento per somnum intus calore æstus ingrauescat, caputque vaporibus magis repleatur, & moderatæ sint *vigiliæ*, ne nimiùm resolutis spiritibus virtus deficiat. Æger corpore *quiescat*, ne calor natiuus dissipetur, qui in expulsionem materiæ incumbit morbificæ. Incipientibus tamen variolis lenes brachiorum & crurum frictiones non improbantur, quippe quibus humoris noxij attractio ad cutem iuuetur. *Aluus*, nisi quotidiè officium suum faciat, lenissimo clystere, aut glande stimuletur. Fugiendæ denique vehementes *animi perturbationes omnes*, ira præsertim ac timor, quorum hic sanguinem prauum ad interiora retractum circa cor detinet; illa æstu maiore sanguinem turbat, & inflammat.

## CAPVT XIII.

### *De Febribus Petechialibus.*

Est deinde aliud febris malignæ genus, in quo maculæ quædam apparent in cute, ab authoribus punctículæ, peticulæ, petechiæ, purpuræ, forsan etiam nominatæ; quæ idcirco variis nominibus insigniuntur & febres peticulares, petechiales, lenticulares, purpuratæ nominantur, appellationibus desumptis à similitudine, quam hæ maculæ habent, cum lenticulis, puncturis & morsibus pulicum, & quod purpuræ colorem referunt. Sunt enim petechiæ nihil aliud, quàm maculæ diuersorum sæpe colorum, inprimis rubræ & purpureæ, pulicum morsibus ferè similes, in cute, præcipuè circa dorsum, collum, pectus, & in brachiis, in malignis febribus apparentes.

*An febres petechiales antiquis fuerint cognitæ.* Primò autem circa has febres à nonnullis in controuersiam vocatur; An febres hæ antiquis fuerint cognitæ. Fracastorius, *lib.* 2. *de morbis contag. capite* 6. Anno 1505. & 1528. in Italia primùm has febres apparuisse scribit, cùm priùs notæ non essent, etsi certis regionibus, vt Cypro & vicinis insulis, fuerint familiares, atque ibi diu cognitæ. Idem & alij statuunt, qui existimant, has maculas non esse easdem cum exanthematibus illis, quorum Galenus, *libro* 5. *meth. med. capite* 12. mentionem facit his verbis: *Qui euasuri erāt, his pustulæ nigræ, quas exanthemata vocant, toto in corpore confertim multæ apparebant, vlcerosæ quidem plurimis, omnibus certè siccæ. Erátque intuenti perspicuum, reliquias eas esse sanguinis, qui in febre putruerat, quas veluti cinerem quempiam natura in cutem trusisset.*

Verùm quamuis concedamus, maculas & febres has ab antiquis, vt alia nonnulla, fusiùs & diligenter non fuisse pertractata, neque etiam pustularum nomina & exanthematum cùm loco allegato tum alibi explicata: tamen antiquis planè incognitas fuisse credibile non est. Hippocrates enim in epid. & Coacis κατὰ τῶν ἀνα-δείγματα & ἐκθύματα nominat, ac Aëtius, *tetrab.* 2. *serm.* 1. *capite* 29. in febribus à prauis humoribus ortis excitari vibices, similes culicum morsibus scribit: & manifestè ibi docet, omnes non exulcerari. Ac certè ratio nulla apparet manifesta, cur non antiqui etiam ab his infestari potuerint; cùm iisdem, quibus hoc tempore, causis apud antiquos locus fuerit. Itaque cùm tempore Hippocratis & Galeni febres pestilentes nostris omnino similes grassatæ fuerint, atque cætera symptomata omnia cum nostris congruant: quid quæso, obstat, cur maculæ istæ etiam non erumpere potuerint?

*Quomodo petechiæ ab aliis maculis discernendæ sint.* Quoniam verò macularum cutis varia sunt genera, sciendum est, quâ ratione petechiæ ab aliis maculis discernendæ sint. Primò à tuberculis & vlceribus discernuntur, quòd in istis quædam cutis asperitas & extuberantia apparet: In petechiis verò solùm maculæ. Ab aliis verò maculis, vt lentigine & similibus, figurâ, magnitudine & febre differunt. Petechiæ enim habent coniunctam febrem, quæ ab aliis plerisque maculis abest. Nec elatæ, longæ vel magnæ sunt, sed rotundæ & pulicum morsibus rectissimè comparantur. Ne tamen pulicum morsûs pro petechiis habeantur, quâ ratione differant, videndum. In morsibus pulicum in medio tanquam punctum quoddam morsûs vestigium inest, quódque compressione non delitescit, etiam reliquo rubore circumquaque euanescente. Petechiæ verò, si digito comprimantur, euanescunt quidem, sed redeunt & nullum puncturæ vestigium in medio conspicitur. Præterea petechiæ in brachiis, cruribus, pectore, & copiosiùs ac frequentiùs in dorso apparent, non autem in facie. Erumpunt nimirum in partibus, per quas insigniores arteriæ ac venæ transeunt. In facie verò rarò apparent; cùm hæc pars semper externo aëri obuia sit, & ab aëris ambientis frigiditate materia facilè repellatur: sicut videmus & in brachiis, in parte illâ, quæ lecto applicatur & eius calore fouetur, eas conspici, in parte verò reliquâ, aëri externo obuiâ, delitescere. Et si apparent in facie, cùm non nisi ex maximâ copiâ materiæ prouenire possint, sine periculo esse non solet.

De materiâ autem, à quâ maculæ istæ excitantur, Authores non consentiunt. Alij eas solùm è vaporosâ materiâ prouenire existimant, & quidem eâ de causâ, quòd hæ maculæ citò fiunt & citò euanescunt, sine omni extuberantiâ, pruritu aut vlcere. Quæ sententia si rectè explicetur, locum habere quidem potest: commodiùs tamen ij loquuntur, qui à parte tenuiore humoris putrescentis & corrupti eas prouenire statuunt. Nam etsi citò oriantur & euanescant: tamen id non arguit, quòd ex humore prouenire non possint, cùm humores tenues & ipsi subitò erumpant & euanescant; sicut hoc in variolis & morbillis fieri videmus. Et licèt sine exulceratione, pruritu ac sine extuberantiâ fiant: tamen eas ab humore prouenire posse, vitiligo & aliæ maculæ testantur. Cum Galeno ergo, *de diff. sympt. c.* 5. in humorum vitium qualitates mutatas corporis, & inter illas & maculas istas referimus. Generantúrque & maculæ illæ à pulicum morsiunculis ex sanguine ad superficiem corporis tracto. Ac licet humor, qui febrium harum causa est, interdum crassior sit: tamen saltem à parte eius tenuiore & subtiliore in cutem expulsâ hæ maculæ excitantur.

*De modo generationis petechiarum.* De causâ etiam efficiente Medici non planè consentiunt. Alij enim criticè, alij symptomaticè eas erumpere docent. De quâ re istud obseruandum in corpore nostro quæcunque præcipuè in ambitum corporis, expelluntur, facultatis expultricis beneficio expelli, quæ à re molestâ stimulata, onere illo se liberare cupit. Excitatur autem ea humorum vel quantitate, vel qualitate vel vtroque. Verùm natura in expellendo ordinem quendam obseruare solet. Nihil enim, dum omnia rectè in corpore fiunt, expellit, antequam coctrix facultas opus suum perfecit. Itaque nulla critica & planè laudabilis euacuatio fit in morbi principio, sed, coctione demum absolutâ, ea perficitur. Si verò in principio eam tentat, coacta id facit.

*Triplex naturæ motus* Atque hinc triplex in corporibus nostris motus ob-

*in expulsione humorum Criticus.*

seruatur,qui etiam in petechiis animaduerti potest. Interdum enim planè bonus & criticus est iste motus, vbi natura,materiâ victâ,die critico expulsionem istam instituit, & vt partes corporis internas prauis humoribus liberet, humores noxios ad superficiem corporis pellit, & hoc modo morbum soluit; id quod rariùs in petechiis euenire solet. Interdum motus est planè symptomaticus,vbi scilicet in principio, crudâ adhuc omnino materiâ, atque die non critico, aliqua euacuatio instituitur:id quod frequentiùs accidit in petechiis. Vt plurimum enim petechiæ ante coctionis signa & antequam materia à naturâ victa sit, apparent: vnde etiam morbum non leniunt, sed potiùs humoris maligni in venis ebullientis, & vel copiâ vel prauitate naturam stimulantis indicia sunt. Interdum medius quidam motus obseruatur;vbi scilicet in progressu morbi,post aliqua coctionis signa, & cum mediocri virium robore, talis excretio instituitur,vnde notabilis quædam morbi remissio, sed liberatio non integra à morbo percipitur, cùm natura adhuc ante tempus debitum ad excretionem stimuletur.

*Symptomaticus.*

*Medius.*

*Petechiæ non critico motu erumpunt.*

Ex quibus apparet, rariùs per modum crisis erumpere petechias. Præterea cùm bonæ crisis & hæc conditio sit, vt notabilis aliqua fiat euacuatio, ista in petechiis non accidit; & per maculas istas materiæ copia, quæ in venis est, plerumque non satis tollitur. E quo manifestum euadit, eos non rectè sentire, qui existimant,bene cum ęgris agi,si magna macularum istarum copia erumpat. Tantum enim abest,vt materiam in venis & visceribus ebullientem maculæ istæ, nisi alia excretio manifesta accedat,tollant,& propterea ægro aliquod commodum insignius afferant,vt potiùs magnam materiæ copiam arguant. Nam licet eius, quod malum est, copiosior euacuatio sit bona: tamen per maculas istas non multum euacuatur, sed copiosæ maculæ potiùs periculum portendunt, ideo quòd magnam prauæ materiæ copiam adesse significant, ex quâ scilicet halitûs attollantur. Neque tamen contrà, quod nonnulli volunt, ex paucitate macularum semper bonam spem concipere licet. Neque enim paucitas macularum semper paucitatem materiæ arguit, sed sæpe etiam naturæ in expellendis humoribus vitiosis versùs exteriora imbecillitatem. Neque obstat,quòd sæpe in periculum incidant,in quibus hæ maculæ delitescunt. Nam hoc quidem verum est, melius esse materiam erumpere, quàm in corpore delitescere,& moueri versùs exteriora,quàm versùs interiora:istæ tamen maculæ, vt dictum, parum de materiâ, quæ in venis delitescit, & febris malignæ causa est,tollunt. Et vbi delitescunt,ideo saltem periculum portendunt;quòd indicio sunt,materiam aliò viam affectare, & ad caput, cor, aut aliam partem internam cum ægri periculo moueri.

*Petechiarum differentiæ.*

Macularum autem istarum differentiæ variæ sunt, Primò colore differunt. Nam proüt hic vel ille humor peccat in corpore:ita etiam huius vel illius coloris maculæ in cute apparent. Etenim si sanguis aliàs bonus ac temperatus putredinem concipiat, & à statu naturali recedat:rubræ apparent maculæ,quæ omnium tutissimæ sunt. Si autem bilis prædominetur,& malignam putredinem concipiat: maculæ flauæ vel virides erumpunt, quæ iam deterioris conditionis sunt. Si denique melancholia vel humor ater & adustus putrescit, puniceæ & nigræ maculæ apparent,quæ omnium deterrimæ sunt.

Deinde & quantitate differunt. Aliàs enim copiosiùs,aliàs parciùs erumpunt;aliæ sunt maiores,aliæ minores:quæ differentia ex materiæ quantitate,crassitie & lentore, ac virtutis robore ac debilitate ortum habet: aliæ etiam alio tempore apparent. Nam aliæ mox in principio erumpunt, aliæ procedente morbo efflorescunt. Vnde,vt suprà dictum,petechiæ aliæ symptomaticè, aliæ criticè erumpunt. Et licèt, quæ citiùs erumpunt, magnam materiæ copiam & malignitatem arguunt: tamen quæ septimo die erumpunt,ægrum extra omne periculum constitutum esse non indicant: sed etiam alia signa consideranda sunt. Si verò tardiùs apparent hæ maculæ, non leue periculum significant. Nam accidit, id aut ob humorum crassitiem, in quam vbi incidit malignitas vel venenositas, non facilè potest separari;aut ob cutis densitatem,quæ in hisce affectibus, in quibus liberâ transpiratione & ventilatione maximè opus est,non leue creat periculum.

Signa harum febrium quod attinet, sunt eadem illa, quæ suprà in genere recensuimus: quibus vbi sese maculæ coniungunt, certius malignitatis argumentum sunt.

## *Curatio.*

*An febres petechiales peculiarem curandi rationem requirant.*

Cùm febres petechiales ad malignas pertineant: etiam earum modo curandæ. Et vix alius,præter P. Peredam, *in Scholiis in meth. medend. Mich. Ioh. Paschalij lib. 2. cap. 2.* id negat, nihilque malignitatis aut veneni in his febribus adesse affirmat: ideóque curandas censet planè,sicut alias febres continuas. Vsum verò Alexipharmacorum hîc nullum esse scribit, imò quocunque tempore noxium, quia sint crassa & obstruentia, neque habeant in hac febre qualitatem contrariam.

Verùm cum ipsâ experientiâ pugnat, quæ satis docet, malignitatem hisce febribus subesse, Symptomatum enim in iis talis vehementia & sæuitia deprehenditur,vt à solâ febri,plerumque miti,illa prouenire non possit,sed latente & occultâ malignitate. Deinde valde errat, dum Alexipharmacorum vsum ideò improbat, quòd crassa sint & obstruant. Non enim omnia talia sunt,sed dantur multa,quæ,quod ipse facere iubet,aperiunt:qualia sunt carduus benedictus,scordium, semen napi, scabiosa & plurima alia. Ideóque communem aliorum Medicorum opinionem sequimur,qui in hisce febribus ob malignitatem peculiari curandi ratione opus esse existimant.

Sicut verò febres malignæ diuersis symptomatibus sese produnt,& peculiari malignitatis gradu differunt: ita eas curandi ratio non planè est eadem. Ac licèt in omnibus ea,quæ malignitati resistunt,sint vtilia:tamen non pauca sunt, in quibus cura secundùm varios illos malignitatis & putredinis gradûs, & membra, quæ læduntur præcipuè differt. In morbo enim Vngarico, vt dicetur,plerumque magna prauorum humorum colluuies circa ventriculum & primas vias hæret, ex cibo prauo contracta,vnde & purgantia & vomitoria necessaria sunt,In petechialibus verò non ita frequenter tanta humorum colluuies est in primis viis.

*Aluum lenientia.*

Itaque has febres Petechiales quod attinet, commodissimum est, primò ventrem saltem lenire mannâ, Syr. rosar. sol. cum Infuso rhabarb. cremore tartari, extracto rhabarbari, quibus aliquid camphoræ addi potest, vel Pil. Pestilen. Drach. j. & alia conuenientia exhibentur.

Vel ℞. *Elect. diacathol.* Drach. iiii. *trypher. Persic.* Drach. ii. *rhabarb.* Scr. i. *Cùm sacch.* F. Bolus. Vel Fiat talis potio.

℞. *Rad. scorzoneræ* Vnc. ß. *fol. acetosæ.* M. ß. *cardui benedi. scordij.* an. P. i. *fol. senæ el.* Vnc. ß. *rhabarb. el.* Drach. ß. *zedoariæ, sem. citri,* an. Scr. ß. *cinamomi* Scr. i. *flor. cordial.* an. P. i. Infundantur *in aquâ s.* In Col. Vnc. ii. ß. *vel* Vnc. iii. *dissolu. mannæ* Vnc. ß. Iterum colentur, & add. *syr. ros. sol.* Vnc. sem. *spir.* vitriol. gutt. ii.

In iis,qui ad vomitum procliues sunt, & cùm materia ad ventriculum vergit,vomitum medicamentis suprà, *lib. 2. capite 6.* propositis mouere licet.

*Vena secti*

Hinc si opus sit, sanguísque abundet, atque vrina turbida totam massam sanguineam infectam esse arguat, venæ sectio instituatur ante quartum diem, aut postea omittatur. Nam vbi omnia in corpore turbata sunt,

sunt, malúmque latè diffusum, venæ sectione & purgatione non solùm naturæ opem non ferimus, sed vires quoque frustrà debilitamus. An autem maculæ iam apparentes venæ sectionem impedire possint, de eo dictum est, *lib. 5. institution.*

Postea cùm videamus naturam ad ambitum corporis tendere, an ille motus promouendus sit, dispiciendum: cùm de eo Medici dissentiant. Alij tum solùm iuuandum hunc Naturæ motum censent, cùm rectè agit, & criticè materiam vitiosam expellit, quod fit post coctionem, die Critico. Si verò natura rectè non agat, id est, nondum coctâ materiâ expulsionem instituat, eam adiuuandam non esse. Alij sunt, qui medios quosdam motûs inter Criticos & malos Symptomaticos constituunt, vbi scilicet natura non quidem criticè, nec tamen cum ægri damno expellit; atque illos etiam motûs adiuuandos esse existimant: & propterea etiam in febrib. petechialibus, vbi materiam ad cutem tendere animaduertimus, cutem laxare, aperire, & omnibus modis malignos humores ad ambitum corporis promouere iubent.

Atque hæc sententia vero magis consentanea est. Sciendum enim, non omnes euacuationes Symptomaticas vitiosas esse, sed inter eas esse quandam differentiam. Quædam enim non solùm tempore, sed & qualitate humorum, qui euacuantur, Symptomaticæ sunt; quando scilicet non, quæ morbum parit, materia, sed alia euacuatur, quæ euacuatio propterea semper noxia est, & cohibenda. Nonnunquam euacuatio quantitate vitiosa est, quæ & ipsa propterea sistenda. Imò nonnunquam accidit, vt tempore, quantitate & qualitate vitiosa sit aliqua euacuatio. Si verò tempore solùm Symptomatica sit euacuatio, in quâ scilicet nihil præter naturam est, nisi quòd ante perfectam coctionem, circa morbi principia accidit: ea potest vtilis esse, & propterea non supprimenda est. Id quod etiam in hisce febribus est faciendum, & quidem eâ maximè de causâ, quòd maligni & pestilentes humores coctionem non ita admittant, sed quamprimùm euacuandi sint.

*[S]udorifera.* Itaque æger in loco mediocriter calido, & ab omni aëris frigidi afflatu munito, detineatur, & medicamentum aliquod sudoriferum & expulsiuum ac malignitati resistens, ei exhibeatur, qualia suprà de peste & curatione febrium malignarum in genere fuerunt proposita. Ea tamen eligenda, quæ calorem febrilem augendo, insigne aliquod damnum non afferunt. Commendantur valdè emulsiones ex semin. napi, citri, cardui bened. acetos.

Vt ℞. *Sem. Napi* Drach. i. *citri, cardui ben.* an. Drach. ß. *Aq. cardui bened.* Vnc. iii. vel iiii. F. Emulsio. Cui addatur *Syr, è succo scordij* Vnc. ß. *vel eidem aliquid confect. liberant. aut puluer.* C. C. admisceatur.

Vel ℞. *Sem. Napi* Drach. i. *citri, cardui ben. cornu cerui vsti præpar.* an. Drach. ß. *ossis de corde cerui. zedoariæ* an. Scr. i. F. Puluis.

De quo detur Drach. i. cum *Aq. Scabiosæ vel similí.*

Vel ℞. *Boli armeni, terræ sigillat. rad tormentill, petasit. pimpinell. scordij,* C. C. *vsti præpar.* an. Drach. ß. F. Puluis.

*Cui etiam aliquid de speciebus Confect. liberant.* addi potest. Vtilis est & puluis Cæsaris rubeus appellatus. Imò in robustioribus naturis, & vbi maior est malignitas, Theriacam exhibere licet. Etsi enim febrem calore suo augere videatur: tamen periculum maius imminet à malignitate, quàm à calore febrili; & calor Theriacæ aliorum admixtione temperari potest. Et tutissimum est, talia calida mox in principio, præmissâ tamen, si opus sit, sanguinis euacuatione, antequam putredo inualescat, exhiberi, vt venenosa & maligna illa qualitas discutiatur. Semper tamen ad malignitatis naturam respiciendum, & si ea sit mitior, non temerè vires fortioribus sudoriferis debilitandæ sunt, humoréſque accendendi. Octauianus Roboretus, cui & alij adstipulantur, scribit, se in hac febre efficacissimum in seipso deprehendisse lapidem Bezoar. Monet tamen, vt non semel tantùm, sed sæpius, & in conueniente quantitate, gr. sci. xij. vel plurium vnà vice exhibeatur.

Cæterùm ferè omnia hîc locum habere possunt, quæ variolarum exitum promouent; & quæ suprà in curatione pestis & febrium malignarum in genere proposita, quæ hîc non repetimus.

Dubium autem hîc occurrit, cùm quæritur, quid agendum sit, vbi maculis istis iam apparentibus alui fluxus superuenit. Licèt verò contrarij isti motûs esse videantur: cùm tamen natura sensibilem humorum euacuationem per aluum instituat, nequaquam ea supprimenda est; nisi fortè quantitate excedat: Et propterea naturæ negotium committendum, ac interim solùm alterantibus conuenientibus cau[s]æ morbificæ occurrendum. *In Alui fluxu cum petechiis quid agendum.*

Postea pro viribus roborandis, margaritæ, cornu cerui, & similia exhibenda, puluerésque ex iis parati iusculis & cibis admiscendi, cibique succo citri condiendi. Vtile est & hoc Electuarium.

℞. *Conseru. rosar. scabios. scordij, veronicæ, cardui ben.* an. Vnc. ß. *theriacæ* Drach. i. *rob ribium.* Vnc. ß. *sem. napi, citri* an. Drach. i. *Syr. acetos. citri. q. s.* F. Electuar. de quo sumantur Drach. ii. *vel* iii. cum *aq. cardui bened. scabios. vel scordij.*

Vel ℞. *Conseru. rosar. incarnat. acetosell.* an. Vnc. i. *tunicis* Vnc. ß. *cortic. citri condit.* Drach. ii. *rob. ribium,* Vnc. ß. *spec. liberant. cum bolo sine aloë, diamarg. frig.* an. Scr. i. *Syr. acetosit. citri, oxysacch. simpl.* an. q. s. F. Electuarium.

Vtilis est, vtpote cordi amicissima, confectio Alchermes, quæ hoc modo commodè offerri potest.

℞. *Confect. alchermes,* Vnc. ß. *terr. sigillat.* Drach. ii. *margarit. præpar.* Drach. i. ß. C. C. *præpar.* Drach. i. *lapid. Bezoar.* Scr. i. *Syr. acetos. citri, granat.* an. Vnc. ii. *aq. acetos. fragor.* an. ℔. ß. M. detur subinde haustulus.

Possent & alia, quæ suprà in peste enumerata sunt, ad confortandum adhiberi.

Extra quoque non sine commodo adhibentur ea medicamenta, quæ venenum à corde auocant: Inter quæ in primis commendatur ol. de Scorpion. Matthioli, & oleum Magni Ducis Hetruriæ; si iis Vnguentum rosac. misceatur, & regio cordis, tempora & pulsus illinantur.

Potest in eum finem adhiberi Theriaca cum succo citri.

Nonnulli quoque, vt & in morbillis, corpus pannis rubeis tegunt, existimántque, eos ratione similitudinis ad sese alliciendi vim habere.

Alij adhibent inunctionem ex hydrelæo & nitro, quæ cutem relaxandi, poros aperiendi, humores euocandi, ac dissoluendi, simulque calorem febrilem contemperandi vim habent, de quo suprà dictum.

Nonnulli vesicatoria, vt etiam suprà dictum, in hisce febribus adhibent. Cùm enim in febribus, in quibus materia maligna in venis putrescit; continuò vapores praui cor petant, illudque offendant; vtile est, vapores & humores illos à nobilioribus partibus ad exteriora reuellere: id quod commodissimè faciunt vesicantia. Habétque Medicus hac in re, quam imitetur, Naturam, quæ ad ambitum corporis materiam malignam protrudit. Iis tamen magis conueniunt, in quibus exteriora frigent, atque interiora vruntur, grauia in capite adsunt Symptomata, vt dolores, deliria, conuulsiones, lethargus, & in quibus habitus corporis est carnosior, ac temperamētum frigidius. Quæ si obseruentur, facilè omnia incommoda quæ alij obiiciunt, euitantur. Cætera roborantia & putredini ac malignitati resistentia medicamenta cum aliis febribus malignis communia habent. *Vesicatoria.*

CAPVT

## CAPVT XIV.

### De Morbo Vngarico.

*Morbus Vngaricus.* Inter febres malignas, & quidem non rarò petechiales, est febris illa, quæ vulgò morbus Vngaricus & lues Vngarica ac Pannonica dicitur. Quod quidem nomen inde accepit, quòd lues hæc Anno 1566. in Hungaria maximè innotuisse videtur. Nam cùm Maximilianus II. Imperator contra Solimannum, Turcarum tyrannum, expeditionem suscepisset ad Camorram; tum primò innotuit hic morbus; ad Iaurinum incrementum sumpsit; postea diffluente exautorato milite, ad Germanos, Gallos, Italos, Belgas, hoc malum propagatum & penè per totam Europam disseminatum est; Et non solùm milites ex Hungariâ redeuntes, verùm etiam per contagium plurimos eorum, qui expeditioni illi non interfuerant, interemit. Diuersoria enim passim ægrotantibus repleta erant, viæ cadaueribus occupatæ; vnde labes illa in vicinas domûs & villas translata, nullâ aëris præcedente corruptione. Maximè tamen afflixit Viennam Austriæ, cùm per illam ferè omnes milites transirent, & recolligendarum virium causâ ibi hærerent. Appellabatur tum vulgò, *die Hauptkranckheit oder Kopffvveh*: Item *die Hertzbrenne*, quasi causus cordis. Vsitatissima appellatio fuit morbi Hungarici.

Nonnulli morbum Vngaricum & febrem petechialem planè pro eodem morbo habent. Sed, vt mihi quidem videtur, non satis rectè. Etsi enim petechiæ & maculæ illæ, quandoque etiam in morbo Vngarico conspiciantur, tamen non semper id accidit, & potest hic morbus esse sine maculis. Contrà verò maculæ in febri petechiali omni inueniuntur; vnde & nomen hæc febris habet. Et si petechiæ non appareant, maligna quidem dicitur febris, sed non petechialis. Ego, si nominis imponendi penès me esset potestas, eum Militarem vel Castrensem appellarem; cùm in castris ex prauorum ciborum & aquarum vsu & omnino prauâ diætâ oriatur, & hinc in alios per contagium diffundatur. Febres verò petechiales vbique grassari possunt, & plerumque vbi sunt Epidemiæ, à cœli influxu & aëris constitutione communi ortum habent. Si quis tamen morbum Vngaricum pro peculiari febris petechialis differentiâ, quam à morboso apparatu accipiat, habere velit: cum eo non pugnârim. Aliæ enim febres petechiales ex humorum in venis vitio solùm prouenire possunt. Morbus verò Vngaricus semper humorum vitiosum apparatum circa ventriculum & primas vias coniunctum habet, & inde ortam cardialgiam, quæ non adest in omnibus petechialibus febribus, vnde etiam curatio nonnihil variat, & vomitoria, quæ in hoc morbo cum commodo ægri exhibentur, non in omnibus febribus petechialibus locum habent.

Etsi verò tum temporis maximè hæc febris grassata sit, tamen non credendum, morbum nouum esse, & tum primùm ortum, sed ante etiam notum fuisse; Etsi appellationem morbi Vngarici tum forsan acceperit. Testatur enim Langius, *lib.* 1. *Epist.* 4. duce Friderico, Comite Palatino, contra Mahometicæ factionis Imperatorem in bellum profecto, in exercitu Romani Imperij, in quo ipse tum Medicum agebat, ita populariter hunc morbum grassatum fuisse, vt ferè tum plures eo morbo, quàm hostis gladio perierint. Atque ipse refert ad causum hunc morbum, duasque eius species describit, quæ cum Hungarico hodie appellato planè conueniunt: Vnam, quæ à siccâ calidâque aëris constitutione χολο-ϖτᾶ oriatur, ab ortu Pleiadum vsque ad solstitium æstiuale, cuius interna causa sit cholera, sanguini permixta in maioribúsque circa cor, hepar, ac non rarò circa pulmonem vasis putrescens, in quâ lingua admodum nigrescat, patientésque sæuissimis symptomatibus, nempe cephalalgiâ, delirio, hæmorrhagiâ, phrenitide, ventris torminibus vexentur: Alteram, quæ ab æquinoctio autumnali vsque ad Pleiadum occasum, si Australis cõstitutio præcesserit, ingrauescat, & ex pituitâ ac cholerâ ortum habet. Et proculdubio idem morbus antiquis incognitus non fuit. Neque enim nouæ causæ in eo inueniuntur, quæ apud antiquos locum habere non potuerint.

*Origo morbi Vngarici.* Hoc tamen negandum non est, in Vngariâ peculiare quiddam ad hunc morbum producendum inueniri, præcipuè in exercitu, quod alibi eiusdem planè generis non facilè reperitur. Nam primò aër ad hunc morbum multum facit. *Vngaria aër.* Aër enim Vngaricus, vt ij, qui eo loci medicinam fecerunt in Castris, referunt, duobus extremis non assuetis infensissimus est. Vel enim extremè crassus est, & nocte nebulis inspissatus; vel iis discussis extremè subtilis, acæstate feruidissimus. Atque inprimis hic aër Germanis infestus est. Nam cùm in Germaniâ Austrina aëris intemperies summis Alpium iugis maximam partem excludatur: vbi in Vngariam, quasi ad zonam torridam, veniunt, subitâ mutatione factâ non parum læduntur. Libero enim & patente tractu à Cyrenaicis & transmarinis Africæ oris Vngariam Auster & Libanotus perflant, & dispositiones in corporibus longè contrarias iis efficiunt, quas Germani ab Aquiloniis & salubrioribus ventis mutuauerunt. Familiares verò Germanorum venti Carpathiis rupibus, quasi obice, excluduntur. Quibus accedunt crebræ paludes; Et quòd amnes ex decliuibus montium iugis præcipitati, nimbis adaucti, aluẽos suos facilè deserunt, & magnas inundationes efficiunt, quæ limosis locis exceptæ fœtorem magnum excitant. Adiunguntur his castrorum sordes ineuitabiles, quibus aër per se crassus magis inquinatur. Talémque teporem, mollitiem & crassitiem aëris illius esse ferunt, vt si linteolum aquâ stagnante præsertim, lotum ad Solem siccandum exponatur, pediculis paulò post scaturire quasi animaduertatur.

Secundò copiosè in victu vtuntur in exercitu carnibus bubulis, crassis, iisque qui statiua iuxta flumina latent, piscibus coctu contumacibus. Quibus accedit, quòd omnia illa parum coquunt, & tantumnon cruda interdum deuorant, vitiúmque coctionis primæ in secundâ vini meracioris potu corrigere conantur. Vescuntur item fructibus fugacibus, quibus regio illa fertilissima abundat, immoderatiùs.

Tertiò non postremas partes in hoc morbo inducendo aquæ insalubris potus sibi vindicat. Sæpe enim militibus aquæ stagnantes & limosæ potandæ sunt. Etsi enim si semper suæ saluti consuleret exercitus, & nunquam ferè à Danubio diuelleretur, facilè aquæ insalubris potum vitare posset, tamen contrarium sæpe fieri, experientia docuit. Cùm enim vbiuis ferè locorum terrâ vix ad paucos pedes effosâ aquæ venæ reperiantur, in his aperiendis milites quidem laborare solent, sed parum curant, an argilaceæ, limosæ vel alterius generis sint. Stagnantes verò aquæ adhuc deteriores sunt. Etsi verò Vngari aquarum cruditatem, fœtorem & omninò omnem noxam allio, tanquam ad omnia venena tutissimo remedio, corrigere soleant, & eo non minùs familiariter, quàm pane vtantur, tamen Germani & alij milites eius vsui non assueti non parum eo læduntur, & sæpe ignem igni addunt. Nonnulli verò vt crudum cibum, ita aquam crudam vini meracioris potu corrigere student. Verùm si iam cruditates ad secundæ coctionis organa sunt protrusæ, vino potentiore malum potiùs augetur, dum crudi illi humores, tanquam vehiculo, ad exiliores venas deuehuntur.

Imò quartò ex vini Hungarici potentis vsu immoderato plurimos sibi hunc morbum contrahere, extra dubium est. Ex vini enim huius, præsertim meracioris, vsu bilis copiosa cumulatur. Et inprimis ij ab eo plurimùm læduntur, qui priùs in regionibus Septentriona-

libus

libus cereuisiis tantùm assueti, vinum solum, idque fortissimum, non bibunt, sed potant, & auidissimi potûs, ad hasce vini generosi delicias delati, in eius vsu nullum modum seruant.

Quibus & aliæ causæ accedunt, de quibus omnibus frequentiùs quàm alibi, hunc morbum excitari, & sæuiùs grassari in Vngariâ, atque inde morbi Vngarici nomen sortitum esse, mirum non est.

Etsi verò in Vngariâ notissimus sit, tamen cùm & in aliis locis eædem causæ, & præcipuè aëris anomalia insignis, aut certè sub dio eius iniutiæ perferendæ, cibus prauus, aquæ corruptæ, & omninò in tot nationum colluuie ad victum inadsuetum transitus & in diætâ errores, alibi etiam in castris dari possint: non mirum, si & alibi idem morbus excitari possit. Id quod in Germaniâ etiam nostrâ accidisse, facilè animaduertet, qui morbos, qui anno 1626. in castris excitati, & in alias regiones etiam contagio diffusi sunt, perpendet.

*Vngarici morbi natura.* Porrò morbi huius naturam quod attinet, apud plerosque Medicos extra dubium est, esse febrem malignam, imo reliquis perniciosiorem, vt penè ad naturam pestis accedat. Apparet enim ea symptomatum vehementia, quæ longè grauior & perniciosior est, quàm vt à simplici putredine prouenire possit. Contagium etiam in eo valde efficax est, vnde longè latéque facilè disseminatur, atque omnis ætatis ac sexûs homines inuadit & non paucos ex iis, quos corripit, iugulat. Langius, vt dictum, ad causum refert. Summus enim in hac febre feruor apparet, à quo salíualis linguæ humiditas exsiccatur, & lingua ab atrâ accensi sanguinis fuligine obfuscatur, vnde affectus hic *die Breune*, à colore linguæ, appellatur. Crato ad synochas putridas refert. Rulandus febres has ex earum numero esse statuit, quas Hippocrates πεμφιγώδεις appellat. Experientia enim testatur, in hac febre magnam semper esse humorum & sanguinis ebullitionem & perturbationem, calorem esse acrem & tactum ferire. Malignitas tamen, vt dictum, non abest, quod vel ipsa Curatio indicat. Nisi forsan quis febres alias ardentiores cum morbo Vngarico confundere velit.

## *Causa.*

*Causa.* Atque ita cùm duo in hac febre cõiungantur, malignitas, imò sæpe pestilentialis constitutio & humorum corruptio: vtrumque hoc vitium ortum habet ex iis causis, quas suprà in genere febriũ pestilentium & malignarum esse diximus. Hoc tamen mihi notandum videtur, cùm morbus Vngaricus, vt ab aliis petechialibus febribus differt, castris proprius sit, vt ex iis, quæ de naturâ eius dicta sunt, patet: non est hîc opus ad causas cœlestes vel aëris toti regioni communem constitutionem recurrere; sed sufficit ille aër, qui castris est proprius, qualem in Vngariâ esse diximus: quæ eius constitutio etsi in aliis regionibus vbique non inuenitur: hoc tamen in exercitu & castris plurimis commune est, sub dio humi cubare, & vapores è terrâ exhalantes, vt & pluuias excipere, & vestimenta pluuiis madefacta cum siccis permutare non posse, tempore verò hyberno angustiis sæpe hypocaustis includi. Iisdem accedit communis victus prauus sæpe, quo in melioris inopia vesci coguntur, & plerumque ij, qui meliori victui adsueti sunt. Vnde praui humores in primis viis primò cumulantur; è quibus cùm sensim aliquid cum chylo ad hepar deriuetur, sanguinem prauum inde fieri necesse est, qui postea in dies redditur deterior, tandémque, accedente inprimis aëris constitutione incommodâ, non solùm putrescit, sed & malignitatem concipit; vnde febris ista tandem excitatur, quæ inquinamentis in alios diffusis hinc inde latè disseminatur, & sæpe etiam eos corripit, in quibus iste prauus humorum apparatus, vt in militibus non inuenitur; vnde etiam symptomata non parum variant. Nonnulli quidem sunt in eâ sententiâ, morbum hunc per contagium primùm ab Italis in Hungariam esse delatum; atque esse febrem petechialem. Is enim morbus familiaris est Italis, & nunquam ferè ibi cessat. Et quamuis in Vngariâ quædam symptomata, ab Italis aliâs non animaduersa, contracta sint: putant tamen, eundem morbum pro regionis, victûs & aliarum circumstantiarum ratione, sæpe diuersa habere accidentia. Verùm si quis morbi huius exortum variis temporibus, & in diuersis regionibus consideret, facilè inueniet, non semper ab Italis eò translatum, sed ab iis, quæ in castris & exercitibus communes sunt, causis contractum fuisse.

*An pituita sit morbi Vngarici causa.* Vnde etiam apparet, quid de febris huius naturâ & proximâ eius causâ sentiendum sit. Etsi alij aliter eâ de re sentiant. Rulandus enim, *de lue Vngaricâ cap. 2.* Th. Iordanum, *de pest. phænom. tract. 1. cap. 19.* secutus, pituitam non tam extra vasa, quàm intra vasa sanguini permixtam & putrescentem morbi huius causam esse statuit, idque istis argumentis probare conatur.

1. Est, quòd phlegmagoga in principio morbi exhibita, quæ primam corporis regionem euacuant, prosint. Sanguinis verò missio initio instituta parum vel nihil vtilitatis afferat.

2. Quòd circa noctem fit exacerbatio, quod pituitosi humoris proprium est.

3. Quòd tempore pluuioso & flante Austro hæc febris maximè grassatur, & eos corripit, qui phlegmat. alimentis vsi sunt, & inde ortis succis abundant.

4. Quòd omnes de ventriculi dolore conqueruntur, ob lacunam pituitæ ibi constitutam: vnde & cerebrum afficiatur.

5. Quòd sudoribus & vrinarum profusionibus maximè tollitur hic morbus.

6. Quòd transit terminum peracutorum, qui est dies 14.

7. Quòd abscessu plerumque finitur.

8. Quòd calor primò tangenti mitis apparet, insistenti verò fit mordacior.

Verùm argumenta hæc non satis firma sunt, nec cum iis, quæ cùm alij Medici docti, tum ipse obseruauit, & experientia sæpe suggerit, consentiunt. Ioh. Langius enim, *loco allegato*, ad causum hanc febrem refert; Crato ad Synochas putridas, & ipse Rulandus passim in historiis narrat, ægros in hac febre æstuare vehementer, & calore totum corpus aduri, linguam esse aridam, scabram, sitim adesse vehementem. Quæ certè omnia febrem continuam, & eam non pituitosam arguunt, sed potiùs biliosam, aut interdum, si in corpus plethoricum incidat, synocham referentem, non tamen ex puri, sed praui sanguinis putredine ortam. Hoc tamen simul facilè concedo, sæpe magnam pituitosorum humorum copiam in ventriculo & primis viis ex victu prauo colligi. Verùm humores illi fomes & causæ febris continuæ, quæ omnium confessione in venâ cauâ accenditur, non sunt, sed à calore febrili agitantur, atque agitati cardialgiæ, æstûs quoque aliorum symptómatum, in principio febris præcipuè, causa sunt, ipsamque febrem augere & fouere possunt.

Vnde facile est respondere ad argumenta Rulandi.

1. Quòd phlegmagoga in principio exhibita prosunt, non causa est, quòd proximam febris causam tollunt, sed quòd pituitam è ventriculo, & proximis viis euacuant, quæ plurimorum malorum ac symptomatum causa esse, febrémque augere potest. Neque tamen illud, quod ventriculum affligit, & vomitu sæpe reiicitur, vel aliàs etiam euacuatur, semper vel saltem pituita est, sed, vt Thobias Coberus, cùm alibi in suis obseruationibus Castrensibus Vngaricis, tum *dec. 2. obseru. 5.* testatur, sæpe etiam cum pituitâ aut post pituitam bilis pallida, citrina, vitellina & æruginosa in maximâ copiâ reiicitur.

reiicitur. Neque etiam venæ sectio semper noxia est, sed ad humores vitiosos in venis contentos euacuandos vtilis & necessaria: id quod ipse *cap. 8. quæst. 14.* concedit, & aliquoties in historiis curationum venam aperuit.

2. Etsi pituita multo sanguini mixta sit, & exacerbatio circa noctem fieri possit, tamen non semper hoc accidit, vt ipsa experientia & obseruationes docent.

3. Quòd tempore pluuioso & austro flante hæc febris grassatur, non causa est, quòd ista aëris constitutio humores febris causam primùm producit, sed quòd occasionem præbet, vt humores vitiosi corrumpantur, & putredinem concipiant, vel poros cutis occludendo, vel aliàs putredinem inducendo; sicut alia humida & austrina aëris constitutio ad putredinem apta est.

4. Dolor verò ventriculi nullum certum pituitosi humoris indicium, sed potius bilis, quæ maiorem dolorem inferre solet, quámque copiosè sæpe in morbo Vngarico vomitu reiici experientia testatur, & æstus sæpe magnus, intensus & vix tolerabilis, ipso fatente Rulando è regione ventriculi percipitur.

5. Neque enim sudor & vrinæ copia pituitam arguit, sed potiùs vitiosos & tenues humores, quos natura à sanguine bono separat & sero dilutos per ambitum corporis expellit.

6. Et quia hæc febris terminum acutorum non transcendit, à calidis potiùs, quàm pituitosis humoribus eam generari indicio est.

7. Licèt etiam aliquando per abscessûs finiatur hic morbus, & id tamen calidorum humorum potiùs, à quibus eiusmodi inflammationes, parotides & bubones fiunt, quàm pituitosorum, indicium est. Raro verò accidit, vt humor ad pedes decumbat, & id potiùs in fine morbi ob errores in victu commissos accidit, neque morbus criticè hoc modo soluitur.

8. Tandem neque calor semper primò mitis, sed satis acris apparet.

## *Signa diagnostica.*

*Signa diagnostica.* Quantum ad signa symptomatum in hac febre magna est varietas, nihilque ferè est symptomatum, quæ in febribus malignis aliis apparent, quod in hoc Vngarico dicto morbo reperiri non possit. Quapropter signa ibi explicata hîc repetere opus non est. Verùm inter reliqua magis molestus est continuò affligens capitis dolor, adeò vt præ doloris huius vehementiâ & continuatione reliqua symptomata ab ægris nonnunquam non sentiantur; vnde *das Hauptvvehe oder Hauptkranckheit*, nonnullis appellari hunc morbum antea diximus.

*An vermes in capite nascantur.* Itaque cùm hoc malum primùm innotesceret, in eâ fuêre nonnulli sententiâ, dolorem hunc ortum habere à vermibus quibusdam in cerebro natis; vnde à quibusdam hæc febris, Vermis cerebri fuit appellata. Súntque in eâ sententiâ non pauci authores, & inter hos etiam Arabum quidam, dolorem capitis à vermibus in anteriore parte capitis supra nares (vbi oues sæpe habent vermes) natis oriri posse. Quibus quidem contradicit Volcherus Coiter, etsi prius eandem opinionem habuerit, & nullos reperiri vermes in capite scribit, sed saltem quædam filamenta esse lumbricis non absimilia, ex albâ pituita conflata, quæ incauti pro vermibus habeant. Verùm nolim ego omnes obseruationes Medicorum hac de re, quæ videri possunt apud Schenckium, *obseru. lib. 1. obseruat. 77. 78. 79. 80.* in dubium vocare, præsertim cùm certum sit, in capitibus ouium, spongiosâ nimirum illâ parte anteriore Cranij, vermes reperiri interdum, quod ipse testari possum. Vide *lib. 1. Practic. Part. 1. cap. 18.* Verùm an in morbo Vngarico ex hac causâ dolor fiat, non facilè dixerim.

*An petechiæ sint pathognomonicum morbi Vngarici signum.* Apparent sæpe etiam in hoc morbo maculæ illæ & petechiæ, quas nonnulli pro pathognomonico signo morbi Vngarici habent: verùm neque in omnibus morbo hoc laborantibus conspiciuntur, neque omnes febres petechiales pro morbo Vngarico habendæ sunt.

De reliquis signis hoc notandum, variari, vt antea quoque dictum, ea sæpe pro regionis & victûs ratione diuersâ; obseruatúmque, cùm hic morbus in Vngariâ ortus esset, eiusque semina primùm per exauctoratos milites in varias regiones essent delata, eum non vbique planè eadem symptomata habuisse, sed in nonnullis regionibus quasi eneruatum mitiorem euasisse.

*Historia morbi Vngarici.* Et vt hæc de signis huius morbi breuiter concludamus, placet eius historiam, cùm primùm innotuit, è Thomæ Iordani lib. *de pestis phænomenis, tract. 1. cap. 19.* hîc addere.

*Circa tertiam*, inquit, *vel quartam à meridie horam inuadebat, eiúsque ἐπισημασία cum leni rigore aut potiùs frigore & horrore obseruabatur. Post horâ quadrantem æstus illum excepit, qui noctes & dies sequentes assiduè eos detinebat. Conquerebantur inprimis de capitis dolore. Deinde manu quoque admotâ ostendebant sub sterno regionem ad cartaliginem mucronatam, vbi orificij ventriculi sedes vulgò creditur: ibi omnibus quadam renitentia & durities obseruabantur, cuius etiam attactum non ferebant. Sitis inexhausta primis statim diebus aderat, postridie, vel ad summum tertio die, deliria adueniebant, quæ sat diu perseuerabant. Exacerbationes erant circa vesperam, & per noctem recrudescebat morbus; lingua erat arida, labia fissa: quibusdam sanguinis sputum superuenit, nonnullis materiâ per aluum euacuatâ salutaris κρίσις accedebat. Plurimis, imò ferè omnibus, materia à capite in aures secessionem faciebat; vnde surditates, eóque sequestrata materia salutis argumentum præbebat. Parotides frequentes erant. Pessima fuit Crisis, quibus tubercula in summo pedis oboriebantur, quæ scalpendo aperta, serpebant, donec negligentibus sphacelus crus occuparet. Salutem recuperabant alij decimo quarto die: licèt aliquibus etiam in vicesimum diem sit producta curatio. Omnes, qui vini potu non abstinuerant, perierunt,*

Et in primis notabile hoc signum est, & quod in aliis petechialibus febribus non reperitur, dolor circa ventriculum vehemens, præsertim si summis digitis comprimatur. Nec enim facilè quemquam reperies, vt Tob. Coberi verba habent; qui non manu quasi ductâ te ad hunc locum affectum sit deducturus. In iis tamen, qui per contagium solùm inficiuntur, nec ex victu prauo eundem apparatum morbosum contraxerunt, & hæc & alia signa variare possunt.

## *Prognostica.*

*Prognostica.* Quid de morbo hoc præsagiendum sit, facilè ex iis, quæ suprà, *cap. 6.* & loco ibi allegato, de signis febrium pestilentialium & malignarum diximus, colligere licet. Nimirum quò vires fortiores, & symptomata mitiora sunt; eò melior morbi euentus sperandus: contrà quò vires debiliores & symptomata grauiora sunt, eò morbus est periculosior. Nam si vires non sint deiectæ admodum, non infestet lipothymia, aut grauior capitis dolor; à vomitu aut alui fluxu æger non debilior reddatur; maculis erumpentibus vomitus & alui fluxus sedetur, ægérque leuetur, & præcipuè die critico meliùs habere incipiat, & hæmorrhagia narium accidat, ægrum conualiturum sperare licet. Contrà si vires subitò collabantur, alui fluxus & vomitus, quibus varij coloris humores fœtidíque reiiciuntur, perseuerent, morbúsque inde non imminuatur; vrinæ nigræ, crassæ subitò tenues euadant, aut vrina retineatur, vel pauciorreddatur; si æger vigilet continuò, vel soporosus euadat, somnum inquietum & terriculamentis plenum habeat, deliret, floccos legat, &

& festucas colligat, conuellatur, tremat, tinnitum aurium sentiat perpetuum, oculis apertis dormiat, torvùm videat, dentibus stridat, manûs pedésque cõtinuò sudet, spiritum altum, frequentem ac cum stertore & clangore ducat, atque alia praua symptomata adsint: morbus lethalis & periculosus indicatur.

*Signa mortis.*

### *Curatio.*

In Morbo Vngarico curando, vt & in aliis febribus malignis, ad tria inprimis respiciendum: 1. vt fomes malignitatis tollatur: 2. vt putredini & malignæ qualitati resistatur: 3. vt symptomatum vires deiicientium vehementia mitigetur.

*Indicationes.*

*Curatio.*

Quâ ratione autem hæc commodè expediri possint Medici non parum, discrepant. Nonnulli, vt Minderetus & alij planè purgationem in principio reiiciunt, vtpote quæ humores plus turbet; & propterea statim ad alexipharmaca & sudorifera confugiunt: nonnulli aluum quidem laxant, sed lenissimis saltem & eccoproticis medicamentis: alij verò paulo etiam fortiora vsurpant, & plerique etiam vomitoria probat.

Verùm distinctione etiam hîc, vt sæpius dictum, opus est. Etenim si corpus aliàs purum sit, & per contagium saltem labem hauserit, primis viis leniter euacuatis alexipharmaca mox exhibenda esse, facilè concedimus. Si verò ex prauâ diætâ & victu morbus hic contractus sit, & ex ventriculi dolore, anxietate, æstu circa præcordia, nauseâ & similibus symptomatibus colligatur, magnam saburram vitiosorum humorum circa ventriculum hærere, ea omnino primò per purgantia vel vomitoria tollenda est. Seorsim enim tales humores ab aliis secreti subsistunt, nullam coctionem & emendationem suscipiunt, quidquid cibi vel medicamenti assumitur, corrũpunt, ac si sudoriferа, iis nondũ euacuatis exhibeantur, in penitiora corporis rapiuntur, morbúmque valdè augent. Neque purgantia tunc exhibentur, vt humores è venâ cauâ euacuent, sed eos saltem, qui in viis obuij sunt magnâ copiâ, tollant.

Itaque in huius febris initio danda est opera, vt primæ viæ, quæ vitiosis humoribus plerumque scatent in hoc morbo euacuentur. Et cùm magna plerumque hîc sit vitiosorum humorum colluuies, qualis ea sit videndum, & hinc pro humorum peccantium varietate remedia varianda.

Clysteres inferiora quidem euacuant: verùm vbi circa ventriculum, quod plerumque accidit, humores hærent, eò non penetrant.

Vbi pituitosi crassi & crudi humores peccant, præcipuorum Authorum consensu vtilissimus est Agaricus. Ex.gr.

℞. *Agarici trochisc.* Scr.iiij. *oxymelit. simpl. conseru. scordij vel rosar.* ana *parum sacchari q.s.* F. Bolus.

Vel ℞. *Decocti folior. senæ, in quo agarici* Drach.i. *ebullierit.* Vnc.iii. *syrupi diasereos* Vnc i Misce.

Vel ℞. *Agaric. trochisc.* Drach.i. *flor. cassiæ* Vnc.i. *vel* Drach.vi. *olei citri* gutt.i. *Cum sacch.* F. Bolus.

Vel si bilis sit admixta, tale fiat medicamentum.

℞. *Pulpæ tamarind.* Drach.ii. *mannæ, cassiæ*, an. Drach. iii. *agarici trochisc. rhabarb.* an. Scr.i. *Cum syr. rosar. solut. & sacch.* F. Bolus.

Solâ cassiâ non vtendum, cùm humectet & putredini non resistat.

Vel ℞. *Rad. scorzoneræ* Vnc. sem. *scordij, acetosæ, flor. cordial.* an. P.i. *fol. senæ el.* Vnc. sem. *agaric. albi* Drach. i. *zedoariæ* Scr.i. Coqu. *in Aq.s.* In collat. Vnc.iii. *dissolu. mannæ* Vnc. sem. Colctur. Adde. *syr. rof. sol.* Vnc. ß. Misce.

In fortioribus naturis, & vbi humores vitiosi in primis viis tenaciùs hærent, vt leniora medicamenta eos vix moueant, paulò fortiora admiscere licet, vt Elect. diaphænicon. el. rosat. Mesue, de succo rosar. spec. diaturbith, & similia.



Non incommodè etiam in hac febre, inprimis vbi molestia circa ventriculum percipitur, vomitus instituitur. Nam sæpe magna copia circa ventriculum hæret humorum pituitosorum, biliosorum omnis generis, qui ventriculum lancinant, tetris fumis & exhalationibus capiti & cordi molesti sunt, omne quod ingeritur corrumpunt, ac medicamentorum vim infringunt. Qui cùm nullam coctionem à natura recipere nec in statum meliorem reduci possint, maturè euacuandi. Etenim si in corpore detineatur hæc Camarina, & calore febrili & medicamentis moueatur, ad penitiora penetrat, & aliis humoribus admiscetur, febrem auget, & pessimorum symptomatum causa est. Commodissimè autem vomitu materia hæc euacuatur. Vnde Thob. Coberus, *obs. Castrens. Vngaric. decade 2. obseruat. 5.* scribit. In morbo Vngarico ad vomitum tanquam sacram anchoram, mox confugiendum esse neminem negaturum, qui curationi huius morbi interfuerit. Habetque ibi exemplum nobilis, qui cùm primò phlegma viscidum, hinc omnes bilis species vomitu reiecisset, roborato paulùm ventriculo sequenti die lustro sospes & sanus interfuerit, cùm priùs per trimestre tempus sensim quasi, licèt non decumbens, languens tamen, ad actiones obtorpuisset.

*Vomitoria.*

Quæ tamen hîc de fortioribus purgantibus & vomitoriis diximus, ea solùm de morbo Vngarico in specie sic dicto aut potiùs Castrensi, & quidem è prauo victu contracto, dictum, nec aliis febribus malignis & petechialibus applicari volo, in quibus tanta humorum saburra circa præcordia non hæret, sed vitiosi humores maximam partem in maioribus vasis continentur: Ibi enim omninò lenioribus medicamentis agendum. Quibus autem medicamentis hoc fieri possit, ex iis quæ de peste & febribus malignis aliis dicta sunt, patet.

Postea, ne sanguinis massa tota inficiatur, in iis corporibus, quorum constitutio eam requirit, & vires ferunt, venæsectio instituenda, Et quidem cùm vires in hoc morbo citò deiiciantur, morbúsque acutus sit, & sanguis facilè inficiatur, maturanda est, & statim initio instituenda venæ sectio: nihilque in hoc morbo periculosius, quàm curationem in principio differre. Obseruatumque est, plerosque, qui venæ sectionem in principio neglexerunt, obiisse. Itaque mox, & si cruditates ac vitiosi humores in primis viis non adsint, vel iàm euacuatæ sint, primo vel secundo die vena aperienda. Plerumque enim vires tam citò collabuntur, vt venæ sectionem postea ferre nequeant. Et licèt nõnunquam in principio huius morbi maculæ in cute appareant, quæ ebullitionem sanguinis, & motum eius ad ambitum corporis indicant: tamen tantum abest, vt venæ sectione motus naturæ impediatur, vt potiùs natura illo sanguinis, quocunque modo grauantis, onere liberata, supràque residuum potentior euadens, reliquos humores rectiùs gubernare, vincere & expellere possit. Si verò dies aliquot iam elapsi sint (cùm principium vltra quartum vix extendatur) viresque iam prostratæ, & malignitas totam massam inuaserit, tutius est venæsectionem omittere. Quæ etiam non tutò instituitur, si vomitus vel alui profluuium adsit.

*Venæsectio.*

Pertunditur autem vena Basilica, quæ confestim multitudinem sanguinis imminuit: aut, si hæc non appareat satis, Mediana. Si verò debiliores fuerint vires, istarúmque venarum sectionem non ferant, commodissimè vena in pedibus aperitur: quam aliàs quoque in hoc morbo prodesse obseruatum est; vt quæ non solùm corpus à copiâ sanguinis liberat, sed & illã venam magnam, per dorsum extensam, in quâ præcipua in hoc morbo putredo est, satis commodè euacuat, & humores versùs superiora ruẽtes reuellit. Cùm summâ vero vtilitate hæc vena in fœminis isto morbo laborantibus aperitur. Et vt hæc in summam, verbis

*Quænã vena aperienda.*

 Iohan.

Iohan. Cratonis, contraham: Si quem hic morbus inuadit, & ventriculum malè affectum deprehendit, illicò vtatur bolo purgante ex agarico trochiſcato,& ſi plethora ſanguinis adeſt ( ſiue ad vaſa, ſiue ad vires ) tertio die venam ſecet ( niſi priùs id fieri poſſit) poſt tertium diem nemo, cui vita chara eſt & ſalus ſua,vel purgatione vtatur, vel phlebotomiâ; quamuis minus periculi in purgatione, quàm in venæ ſectione eſt; minúſque etiam in ſectione venarum pedis,quàm venarum brachij periculum ſit.

Si ergò biduo vel triduo elapſo vires iam labantur, & nihilominus venæ ſectio requiri videatur. Cucurbitulæ venæ ſectionis vicariæ affigi poſſunt.Imò nonnunquam etiam poſt venæ ſectionem eæ applicentur, vt tenuis & ichoroſus ſanguis cum malignis vaporibus à partibus nobilioribus interioribus ad exteriores ignobiles reuocetur. Commodiſſimus autem locus cucurbitulis affigendis ſunt partes inferiores. Ita enim à corde & partibus ſuperioribus ſanguis reuellitur. Dorſo autem vix applicare licet, ne ſanguis versùs cor attrahatur.

Vbi ita natura oneris parte leuata fuerit,neque ampliùs metuendum eſt, ne humorum prauorum colluuies in primis viis cumulata ſudoriferorum vſu, ad internas corporis partes ipſaſque maiores venas & arterias rapiatur, vt maligni humores per ſudores diſcutiantur, laborandum. Ea tamen medicamenta eligenda, quæ feruorem humorum, atque calorem febrilem non augent. Quod tamen iam aliquoties dictum,inter ſe comparanda febris & malignitas. Quò enim maior eſt malignitas, eò potentiora & efficaciora alexipharmaca, poſthabitâ, etſi non neglectâ quodammodo febre, exhibenda; Cùm à malignitate maximum periculum immineat. Conuenit hîc cornu cerui vſtum præpar. Puluis Cæſaris rubeus, lapis bezoar,Species Liberantis,& ſimilia antea propoſita.

♃. *Spec.liberant.*Scr.ii.*diamargar.frig.ſapphiri præpar.* an.Scr.ß. F.Puluis.Detur cum aqua cardui bened. vel acetoſ.

Vel ♃. *Rad.ſcorzoneræ, fœniculi*,an.Vnc.ß. *fol.ſcordij* M ſem. *ſem.Cardui bened.* Drach.i.*citri* Drach. ſem. *granor. chermes* Drach.ii.

Coqu.vaſe clauſo in *aq.card.bened.& acetoſ.*

Colaturæ ♃. ℥.iii. Adde *ſyr. ſcordij vel acetoſit. citri.* Vnc.ß.*vel* Drach.vi.

Vel ♃. *Sem. napi* Drach. ii. *citri, acetoſæ*, an. Scr.i. *camphoræ* gr.iii. F.Puluis.

Emulſiones etiam ex ſemine napi, capite præcedente expoſitæ vtiles ſunt: Decoctum item cornu cerui cum ſucco citri. Eſt & zedoaria & aqua inde deſtillata efficax. Alij hunc puluerem commendant.

♃. *Sacchari candi* Drach.iii.*zingiber* Drach.ii.*camphoræ.* Drach.i. F.puluis.

Cuius doſis Drach.i.cum aq.acetoſæ, ſcabioſæ, cardui bened.petaſit. & modico aceti.Commodius tamen eſſet, pro zingibere, zedoariam, radic. ſcorzoneræ, vel ſimile quid ſubſtituere.

Thomas Iordanus multis, quo tempore hic morbus in Vngariâ innotuit, peculiare quoddam medicamentum,quod Electuarium de zedoariâ nominabat,in vſu fuiſſe ſcribit,quod componitur hoc modo.

♃. *Theriac. Alexandrin. Mithridatij el.* an. Vnc.iii. *zedoar. el.* Vnc.i.*zingiber. albi.* Vnc.ß. *rad. tormentill. ſerpentar.pimpinell.*an.Drac.iii.*myrrh.croci,oſſ.de* C. C. *diptamni.* an.Scr.ii. ß. M.

Doſis erat aurei vnius diſſoluti in pari portione aquæ & aceti. Poſſet etiam miſceri hoc Electuarium cum ſyr.acetoſ. citri.

Verùm cautione opus eſt in Theriacâ & Mithridatio, & aliis ſudoriferis calidis exhibendis,cùm febrem augeant.Ergò ſi metus eſt, ne eorum vſu febris augeatur,vel cum aceto & aquis frigidis exhibenda, vel planè omittenda & tutiora vſurpanda.

Alij hunc puluerem laudant:

♃. *Flor.ſulphur.* Scr.i. *ſuccini albiſſ. cornu cerui*, an. Scr. ß.*terr.ſigill.Sileſiac* Scr.ii.F.Puluis.

Et licèt iſta medicamenta ad ſudorem ciendum ſemel atque iterum propinare ſufficiat, tamen eadem, quatenus cordis vires roborant, malignitatem expugnant, ſæpiùs exhibenda: ſingulis ſcilicet diebus bis vel ter: Minori tamen doſi, quàm antea. Atque tunc vtiles ſunt ſpecies liberantis, Electuar. de gemmis, cordial. temperat. diamar. frigid. & alia, ſupra in curatione peſtis & febrium malignarum propoſita. Conuenit quoque, vt antè dictum, decoctum cornu cerui cum ſemine & corticibus citri paratum, cui ſuccus citri vel ſpiritus vitrioli addatur.

Vel: ♃. *Conſeru.acetoſell.* Vnc.i.ß. *roſar. incarnatar. ſcabioſ.*an.Drach.vi.*flor.citri condit. cortic. citri condit, rob ribium*,an.Vnc.ß.*ſpec.liberant.ſine aloë.cordial. temper.*an.Scr.ii.*terr.ſigill.*Drach.ß. *Cum ſyr. acetoſit. citri.* F. Electuarium.

Nonnulli valde laudant radicem ſcorzoneræ, eamque cum lapide bezoar efficaciſſima contra hunc morbum medicamenta eſſe,ſcribunt.

♃. *Rad.ſcorzoner.*Drach.i.*boli Arm.terr.ſigill. Oſſis de corde cerui,ſcordij,ſmaragd.præpar.*an.Scr.i.F. Puluis.

Cui pro libitu *lapidem bezoar* addere licet.

Vtiles ſunt & aquæ bezoarticæ ſuprà in peſte commemoratæ,præcipuè illæ, quæ cum ſuccis plantarum & aceto parantur. Nam cum ſpiritu vini paratæ in hoc morbo,minus conueniunt,vt

♃. *Theriac.opt.mediæ ætat.*Vnc.i.*ſucci citri,vini granator.*an.℔. i. ß.*aq.acetoſ.ſcabioſ.*an.℔.ii.

Deſtillentur ſ. a.

Vel ♃. *Rad.ſcorzoner.*Vnc.ß. *dictamni alb. tormentill.zedoar.* an.Drach.ii.*roſar.rubrar.*M.ß.*ſem.citri, cortic.citri*,an.Drach.ii.*raſur.cornu cerui crudi*,Vnc.ß.*camphor.*Scr.i.*ſucci citri,aceti roſacei*, an. lib. ß.*aq. ſcabioſ. acetoſ.*an.lib.i.Deſtillentur ſ. a.

Non ſolùm autem aſſumenda ſunt talia Alexipharmaca, ſed & extrà regioni cordis & pulſibus idonea medicamenta applicanda, Formulæ iam ſuprà propoſitæ fuerunt, quas toties repetendas non cenſemus. Commendatur inprimis extractum Cordiale,ſeu Aqua pro Epithemate Cordis in Diſpenſatorio Norimbergenſi deſcripta. *Externa.*

Commendatur etiam in hoc morbo,vt & in aliis febribus malignis,ſequens candela, pro ſpiritibus conſeruandis & malignitate expugnandâ, ſi eius accenſæ fumus ore,naribus, & ſub axillis,imo toto corpore excipiatur.Paratur autem hoc modo. *Candela p fumo in febribus mal gnis.*

♃. *Thuris albi* Drach.vi. *thuris nigri*, Vnc. i. *ſuccini albi,flaui,myrrh.*an.Vnc.ß.*camphor.*Drac.ii.C.C. *Auguſto capti*,Drach.vi.*angelic.pimpinell.*an. Drac.ii.*cer.*℔.i. *fila ex cannabe* num.iii.*ex ſerico, auro,argento*,an.num. ii. F. ſ. a. Candela.

Cùm autem ſæpe accidat, vt primâ vice malignitas tota expugnari non poſſit, humores vitioſi relicti etiam per diuretica expellendi ſunt. E quibus tamen ea eligenda aut admiſcenda ſunt, quæ ſimul malignitati reſiſtere, humoreſque alterare valent. Paranda ſunt ergò ea ex ſemine Napi, Citri, cum ſeminib. Melonum, radicib.fœniculi,ſcorzoneræ, graminis, cardui bened. cum Syr. acetoſitat. citri & limonibus, ſpiritu vitrioli.

Diæta talis ſit, qualis in febribus malignis expoſita, nimirum,vt Galenus, 1.*aphor.*17. ſcribit:Si vires laborantis ſint debiles,& ea quæ in corpore eſt diſpoſitio, ſit ex corruptione humorum vel defectu, parum alimenti talibus ſæpe offeramus. Et quidem ipſa alimenta propter putredinem ſiccent, propter febrem refrigerent, inprimis verò ſint cordi amica, & malignitati reſiſtant. Cibi ergo condiendi ſucco acetoſæ, pomorum aurantior. citri, granatorum, aquâ ſcorzoneræ,acetoſæ, roſarum, aceto tunicis,roſarum. *Diæta.*

Vinum

Vinum huic morbo valde noxium ; vt & cereuiſia potens. Potus conueniens decoctum cornu cerui vel hordei cum citri ſucco,granatorum,oxyſaccharâ, ſpiritu vitrioli. Vel paretur tale Iulapium:

℞. *Aq. fontanæ coct. puræ, vel decocti*, C. C. ℔. iii. *Iulepi roſar.* Vnc.iv. *ſpirit.vitriol. rectific. vel ſucci citri recentis, q. ſ. ad gratam aciditatem.*

Symptomata, quæ in hac febre occurrunt, & de quibus mitigandis nonnulli prolixè tractant,quod attinet,cùm pluribus febribus,non ſolùm malignis, ſed & aliis ſint communia,de iis hoc loco non agimus.

## CAPVT XV.

### *De Sudore Anglico.*

*Sudor Anglicus.*

E Malignarum febrium numero etiam eſt ſudor Anglicus, quem & hydropyreton, ac febrem ſudatoriam, à loco, in quo cœpit, & ſudoribus copioſis, qui has febres comitabantur, appellabant. Nam in Angliâ cœpit Anno 1486.& 40. ferè annis Anglis fuit familiare & perpetuum hoc malum, vt quamuis brumali frigore nonnihil intermitteret, poſtea mox iterum reuerteretur : tantámque in Angliâ, antequam de certo remedio conſtaret, hominum multitudinem è medio ſuſtulit, vt vix crederetur à tantâ hominum copiâ illam Inſulam inhabitari. Ex Anglia per inferiorem Germaniam, Belgium, Holandiam, Zelandiam, Brabantiam, Flandriam, Daniam, Norvvergiam, Galliam, ab anno 1525. vſque ad annum 1530. diſſeminatum eſt hoc malum, & præcipuè autumno ſæuiit. Tanta fuit febris huius malignæ initiò truculentia, vt quamprimùm vrbem aliquam inuaderet, ſingulis diebus quingentos aut ſexcentos occuparet, & ex ægris primò vix centeſimus quiſque euaderet. Correpti enim ſtatim,ſine bubone, carbunculo,exanthematibus,languore diſſoluebantur, & animo deficiebant,cum ſummo virium languore, inquietudine καρδιωγμῷ, capitis dolore, pulſu crebro, celeri, inæquali, cordiſque palpitatione maximâ, quæ nonnullos, qui ex hoc morbo euaſerant, per duos vel tres annos, nonnullos per omnem vitam comitata eſt. Sudore verò diffluebant perpetuo & copioſo, qui non finiebatur, antequam morbus ſolueretur ; quod intra 24. horas contingebat. Nam qui ſudorem non proliciebant, neque cardiacis vtebantur, & qui impatientiùs calorem ferebant, auràmque frigidam captabant, ii omnes ſubitò intra 24. horas moriebantur. Poſtea vbi huius morbi curatio innotuit, vt ægri ſudores elicerent,ac cardiacis ſe munirent, pauciores moriebantur.

*Sudoris Anglici ortus & hiſtoria.*

*De naturâ ſudoris Anglici.*

De naturâ huius febris variæ fuerunt apud authores diſſenſiones. Nonnulli hanc febrem antiquis planè incognitam fuiſſe ſtatuebant ; quorum ſententia planè abſurda non eſt.Etſi enim ad malignarum febrium à Medicis antiquis deſcriptarum ſpeciem aliquam referri poſſit, tamen nulli apud antiquos determinatus hic malignitatis gradus fuit cognitus, aut certè non deſcriptus. Nonnulli ad febres ephemeras referebant, quod 24. horarum ſpatio ſolueretur.

Verùm falſa planè hæc eſt opinio. Namcùm ephemeræ propriè dictæ ſaltem ex ſpirituum incēdio fiant, nullo modo hæc febris ad eas referenda eſt. Cùm enim eam ſudores copioſiſſimi & multa peſſima ſymptomata comitata ſint : inde facilè colligere eſt, ſpiritûs non ſolùm incenſos, verùm & ipſos humores tenues ac calidiores affectos & corruptos eſſe. Et licèt 24. horarum ſpatio hæc febris ſolueretur : non tamen ideò ad Ephemeras referenda eſt ; ſed inde potiùs maxima inter naturam & inter morbum peſſimum colligitur pugna.

Nonnulli ad Cardiacas febres : alij verò ad Colliquatiuas, de quibus mox dicetur, referebant : Quidam non incommodè illis febribus accenſebant, quas Galenus, *aduerſus Lycum.c.2.* ἐλώδεις nominat. Vtut ſit,certum eſt malignitatem in hac febre inprimis obſediſſe & corrupiſſe ſpiritûs & ſubtiliorem ſanguinis partem.Ideóque natura adhuc fortis mox expulſionem illius materiæ aggreſſa eſt, felicitérque eam perfecit: modò illam in opere ægri admiſſione frigidi aëris,non interturbarent.

*Cauſa.*

Cauſa huius febris proculdubio fuit maligna & venenata aliqua aëris conſtitutio, ſpiritibus & ſubtiliori humorum parti ac cordi inimica. Leuinus Lemnius, *libr.2.de Complex.c.2.* ex victu & lautis menſis cibique affluentiâ,& continuo vini Cretici vſu originem habuiſſe ſcribit. Sed parum probabiliter: cùm & alibi cauſæ hæ reperiantur, nec tamen hanc febrem inducant, neque iſtæ cauſæ toti plebi communes ſint. Ergo, vt dictum, potiùs ex peculiari aëris corruptione malum hoc deducendum eſt, quod vel illud arguit, quod in plurimis Belgij locis cum aëre nebuloſo morbus hic homines inuaſit. Sicut ex obſeruationibus Ioh. Tyengij, Medici Amſtelrod. refert Foreſtus. *lib. 6.Obſeruation.obſeruat.7. in Scholio*, Amſtelrodamum, 20. Septembris Anno 1529. poſt prandium, per aërem quendam nebuloſum hoc malum intrâſſe, & ibi tantum per quinque dies graſſatum fuiſſe; poſt quintum verò diem euanuiſſe, neque ampliùs in eâ vrbe viſum fuiſſe. Confirmat idem & illud, quod Ioachimus Schillerus, *de Peſte Britannicâ*, ſcribit, Aues ſub arboribus peſte correptas & interemptas paſſim repertas fuiſſe, & abſceſsûs ſub alis, ciceris inſtar,habuiſſe.

Qualis autem illa corruptio aëris fuerit, aut vnde originem habuerit, non facile inuenire eſt. Hieron. Fracaſtorius, *lib.2.de morb.contag.cap.5.* in ſoli rationē, quod gypſeum eſt,à quo certis conſtitutionibus ſubtiliſſimi & corrupti humores attollantur, cauſam refert. Verùm probabilius eſt, ex præcedente cœli & regionis humiditate morbum hunc originem habuiſſe ; accedente tamen inprimis peculiari aliquo ſiderum ad hanc corruptionem influxu.

### *Febres Colliquatiuæ.*

*Febres Colliquatiuæ.*

Sudori Anglico, vt diximus, cognatæ ſunt febres antiquis Colliquatiuæ dictæ, quæ & ipſæ inter malignas habentur. Etſi enim colliquatio febribus peſtilentibus propria non ſit, ſed etiam aliis ardentibus accidat,neque etiam in omnibus peſtilentibus adſit, tamen valde familiaris eſt peſtilentibus febribus.

*Colliquatio quid.*

Hîc autem notandum, Colliquationis vocabulum hoc loco non ſatis propriè accipi, quod Galenus ipſe non diffitetur. quando 3. *de cauſis Symp. cap. 2.* ſcribit : *Fit quadam* σύντηξις *ſiue* ἀνάλυσις *diſſolutio,aut quomodocunque libet appellare, aliquando totius corporis, aliquando humorum duntaxat, qui in venis continentur.* Ea enim propriè dicuntur liquari, quæ à frigore concreta ſunt, & ex concretis humida & fluxibilia fiunt. Partium autem ſubſtantia, cùm à frigore concreta non ſit,propriè non dicitur colliquari,ſed potiùs extenuari & diſſolui. Calorque æſtuoſus, à quo corpus emaciatur, non ipſam ſubſtantiam liquat, ſed quod partium proximum alimentum eſſe debebat, abſumit. Poteſt & vocabulum colliquare accipi cum Galeno, *de fac.nat.libro 1. capite 13. & 2. aph. 37.* pro eo,quod eſt in humorem ſoluere,quâ ratione medicamenta purgantia,ſi humorem proprium non nanciſcantur,corpus colliquare dicuntur.

Colliquatio autem hæc aliàs fit inſenſibiliter, & id, quod colliquatur per ἄδηλον διαπνοὴν diſcutitur ; aliàs ſenſibiliter accidit, & id, quod diſſoluitur, vel ad ventrem confluit,vt hac de re ſcribit Galenus, *lib.3.* de

*de cauſ. ſympt. capite* 2. vel ad renes vel per ſudores expellitur. Succis quidem, qui in venis ſunt, in ſeroſam ſaniem ſolutis, renes, qui ad excrementum id trahendum ſunt nati, potiſſimùm cùm ſani ſunt, ſeroſum quidem à venis expurgant, fluxionem autem ad veſicam aſſiduè mittunt. Vbi autem renes trahere non valent, aut venæ huiuſmodi ſerum in ventrem mittunt, aut toti corpori id partientes, ſubitaneos, hydropum ſtatûs inducunt. Si verò, quod liquatur, craſſum ſit, quales renes trahere non poſſunt, totum in ventrem neceſſariò confluit.

Calor, qui hanc colliquationem efficit, igneus eſt: cuius duos gradus rurſum conſtituit Galenus. Vnum, quo pinguedo; alterum, quo caro colliquatur aut potiùs extenuatur. Et hic longè eſt vehementior, ille moderatior. Exercet autem calor iſte vehemens vires ſuas faciliùs in corporibus molli carne & adipe præditis: qui verò habent corpus durum, vix ſenſibilem colliquationem patiuntur. Vnde & corpora iuuenum faciliùs colliquantur, quàm ſenum.

## *Curatio Sudoris Anglici,*

Etſi autem morbus iſte ferè intra ſeculum conſpectus non ſit, tamen cùm morbi tales epidemij interdū recurrere ſoleant, quâ ratione curatus fuerit, dicendum. Tota autem curationis ratio in veneno debellando, & ſudore proliciendo, ſita erat. Etſi enim hic morbus ſatis periculoſus eſſet, vt plerique eo morerentur: tamen minùs erat lethalis, iis, qui rectè tractabantur. Etenim in omnibus venenum à naturâ ad ambitum corporis pellebatur, & per ſudorem 24. horarum ſpatio eiiciebatur.] Quâ in re Medici rectè naturam imitabantur, & proinde ea, quæ venenum retunderent, & ſudorem elicerent, exhibebant. Itaque inprimis dabant operam, vt ab omni aëris afflatu ægrum prohiberent, & propterea non permittebant, vrinæ reddendæ causâ è lecto ſe mouere, nec manum pulsûs explorandi gratiâ exerere. Nam quos frigidus aër afflabat, iis venenum ad interiora recedebat, iique ſummopere periclitabantur. Studebant quoque, ne ægri in lecto ſitum mutarent, aut ſe detegerent: aut ſi in lecto ſe mouerent, adſtantes vnicè id agebant, vt vndique corpus ab externo aëre tectum eſſet: quam moleſtiam qui ferebant, Fracaſtorius refert, mercedem laboris reportabant, & euadebant: qui verò ferre non volebant, ſed decubitum mutabant, nouum aërem aucupabantur, impedito ſudore, ſuâ causâ peribant.

Monuerunt tamen docti Medici, vt in corpore tegendo, pro virium & naturarum diuerſitate, modus obſeruaretur, ne nimio lectorum onere & calore ægri ſuffocarentur. Nam ſi vires conſtabant, planiſſimè & copioſiſſimè ſudor erat proliciendus: ſi verò ſummè eſſent languidæ, ita moderandus, ne vires planè deiicerentur. Referunt enim authores fide digni, nimio ſudandi ſtudio magnam hominum partem tum ſuffocatam fuiſſe. Cùm enim maximam in ſudore ſalutis ſpem eſſe, atque eius beneficio 24. horis ægros conualeſcere viderent: ipſi adhuc ſani, ſe mutuò adhortabantur, ne ſe negligerent vrgente morbi vehementiâ, nec, victi precibus, ſe ante tempus liberarent. Hinc factū, vt poſtea ægri violenter operti, etſi miſerè clamarent, obteſtarenturque Deum atque hominum fidem, vt ſeſe dimitterent, ſeſeque ſuffocari iniectis molibus iurarent, aſſiſtentes nihilominùs has querelas ex delirio proficiſci perſuaſi, vrgerent, & lectis continerent ægros vſque ad horam 24. & ita plurimos ſuffocarent.

Et cùm ægri etiam ad ſomnum nimiam inclinationem haberent, ægris, donec ſudor ceſſaret, & ſymptomata remitterent, tumorque manuum euaneſceret, concedendus non fuit: ſed colloquiis & aliis modis auertendus, ne venenum ad cor reuocaretur.

Vtebantur autem ad ſudorem ciendum & malignitatem retundendam feliciter aquâ acetoſ. ſcabioſ. terrâ ſigill. bolo Arm. dictamno, &c. Laudatur & ſequens Electuar. de quo Drach. ij. vel iiij. exhibeantur cum Aq. ſcabioſ. acetoſ. cardui ben. & aceti parte dimidiâ.

℞. *Spec. liberant.* Drach. ij. *Corallor. præpar. Margar. præp.* an. Drach. j. ß. *cortic. citri. rad. tormentill.* an. Scrup. ij. *flor. ſulphur.* Scrup. ß. *theriacæ* Drach. j. ß. *ſyr. acetoſ. citriq. ſ.* F. Electuar.

Tyengio, Medico Amſtelrodamenſi, vt refert Foreſtus, hic potus ad ſudorem ciendum familiaris tū erat.

℞. *Flor. nymph. violarum,* an. M. ß. *cardui ben. pimpinell. borragin. bugloſſ. paſſular. enucl.* an. P. j. *ficuum* num. x. *lentium excortic. laccæ ablutæ,* an. Drach. v, *tragacanth.* Drach. iij. *Zedoar. dictamni, radic. tormentill.* an. Drach. i.

Coq. *in ſ. q. aq. Nymphææ & Bugloſſ.* F. Potus, qui alterat humores, membra inflammata humectat, venenum è corpore per ſudores expellit, ſpiritûs recreat. Ideóque frequenter, & quoties ægri calore nimis vrerentur, potumque appeterent, de eo aliquid propinabat.

Inter ſudandum ægri reficiebantur ſucco & ſyr. citri, granator. acetoſ. & aliis, quæ ſuprà in peſte curandâ deſcripta fuerunt. Odoramenta quoque conuenientia adhibebantur, & naribus admouebantur, vt:

℞. *Aq. roſar.* Vnc. iij. *aceti* Vnc. i. *caryophyll. ſantal. citrin.* an. ʒ. ß. Miſceantur & lento igni in conclaui euaporent. Vbi ſudauerit æger ſatis copioſè, ſenſim de tegumentorum onere aliquid tollendum, ſudorque tandem diligenter abſtergendus.

---

## CAPVT XVI.

### *De Febre maligna cum ſpaſmo.*

Malis hiſce meritò accenſemus & illum morbum, qui Anno 1596. & 1597. in Epiſcopatu Colonienſi, VVeſtphaliâ, Comitatu VValdeccenſi & VVittenſteinenſi, atque Haſſa graſſatus eſt; quem tum vulgò *die Kriebelkranckheit, Kriempffſicht, oder ziehende Seuche* appellârunt, conuulſionibus, veterno, delirio ac mentis alienatione, nunc cum febre, nunc ſine febre, homines grauiſſimè affligens. Qui hoc morbo corripiebantur, vellicationem aliquam in membris extremis ſentiebant, modò in manibus, modò in pedibus, modò in manibus & pedibus ſimul, nunc in vno latere, nunc in vtroque, quaſi membrum formicis plenum eſſet & ſtupore corriperetur. Poſt hanc vellicationem digiti in manibus & in pedibus conuellebantur, & vel contrahebantur vel extendebantur: & hæc conuulſio, ſumpto ita ab extremis partibus principio, ſerpebat quaſi in cubitum, genua, humerum, coxendicem, totúmque corpus, donec ægri inſtar globi alicuius, conuulſi aut rectâ extenſi procumberent; quæ conuulſio nunc vno modo continuò durabat, nunc permutabatur, & nunc breuiùs, nunc longiùs perſeuerabat. Cùm conuulſione & ſpaſmo iſto acerbiſſimi dolores erant coniuncti, qui ægros ita torquebant, vt per longa locorum interualla clamores & eiulatûs miſerrimi audirentur. Tam ſubitò ſæpe hoc malum inuadebat, vt nonnullis menſis aſſidentibus cochlearia vel cultros è manibus excuteret, & ipſi mox conciderent, atque aratores poſt aratrum ſubitò procumberent, cùm antea nihil mali ſenſiſſent. Nonnulli quoque, cùm eos primùm malum inuadebat, vomere ſolebant. Atque hi affectûs per aliquot dies, nonnunquam & ſeptimanas, in membris exterioribus perſeuerabant, neque caput afficiebant, ſi remedia idonea tempeſtiuè adhiberentur. Si verò remedia non adhiberentur,

*Febris cum ſpaſmo.*

rentur, ipſum caput etiam afficiebatur, & ægri Epilepſiâ corripiebantur, & omnem ſenſum amittebant. Poſt paroxyſmum hunc nonnulli ad ſextam vel octauam horam vſque immoti quaſi apoplexiâ correpti, iacebant,vt à nonnullis pro mortuis haberentur: Aliqui amentes reddebantur, alij veternoſi, aliqui delíri; & quidem deliriorum varia erant genera pro humoris abundantis ratione. Durabat autem hæc mentis alienatio in nonnullis quatuor dies, in aliquibus longiori ſpatio: quæ tamen vbi ceſſabat, vel auditûs difficultatem vel viſûs debilitatem relinquebat;alij verò planè paralytici euaſerunt. Ceſſante paroxyſmo fames præternaturalis omnes ferè corripiebat, cibóſque auidè & eos varij generis appetebant, vt vix ſaturari poſſent. Poſtea omnibus ferè fluxus alui ſuperueniebat, & quò parciùs cibo vtebantur, eò copioſiùs aluus fluebat. Pleriſque tandem pedes & manûs intumeſcebant: nonnullis tubercula ſeroſo humore plena erumpebant. Sudores verò non promanabant. Neque contagio carebat hoc malum. Experientia enim docuit, ex iis, qui diu & cum multis ægris in domo aliquâ conuerſati ſunt, rarò aliquem impunè euaſiſſe. Neque tamen malum hoc ſtatim ſeſe exeruit, ſed ſæpe poſt ſex, duodecim, aut plures etiam menſes: obſeruatúmque, nonnullos in domo aliquâ per annum aut duos etiam ſine vllo damno cum ægris conuerſatos, tandem tamen & ipſos iſto morbo correptos fuiſſe. Et vt ſæuiſſimus, ita curatu difficillimus fuit hic affectus. Qui enim epilepſiâ corripiebantur, vix integrè eâ liberabantur, ſed per interualla ſubinde aliquid mali recrudeſcebat. Ita qui amentes aut deliri fiebant, ſtupidi vſque ad mortem permanebant, neque priſtinum mentis vigorem vnquam recuperabant. Et licèt poſt morbum hunc nonnulli ad 15. annum ſuperſtites fuerint: ſingulis tamen annis, menſe Decembri & Ianuario, aliquid mali ſentiebant.

*cauſa.* Ortum autem habuit hoc malum procul dubio ex peſtilentibus ichoribus, & malignis vaporibus neruos & cerebrum inprimis vellicantibus.Nam iſta,quæ modò recenſuimus, ſymptomata non rarò peſte infectis ſuperuenire ſolent, vt docet Cardanus, *lib. 2. de ſubt.* Valleriola, *libro 3. Loco. com. capite* 18. Petrus Salius Diuerſus, *de Peſt.cap.5.* Idem & curatio docet. Nam medicamenta, quæ tùm cum commodo adhibebantur, ex Cephalicis & Alexiteriis compoſita erant. Malignus autem ille vapor & humor ortum habuit ex victu prauo, dum, ob annonæ caritatem, panem non bonum, fructûs corruptioni obnoxios, fungos & id genus alia, ad explendam famem, pauperes deuorabant. Ex quo victu prauo vitioſos humores in corpore colligi neceſſe eſt qui temporis diuturnitate peiores redditi, tandem malignam hanc & inprimis neruoſo generi ac cerebro inimicam vim induebant.

Hiſtoriam autem huius morbi & curandi eum rationem edidit tùm Facultas Medica in Academiâ Marpurgenſi.Ex eo ergò tractatu remedia, quæ cum ægrorum commodo tùm exhibita fuerint, breuiter recenſebimus.

In mali autem huius grauiſſimi Curatione ad duo præcipuè reſpiciendum fuit Medicis, vt vitioſa & venenata materia tolleretur, & nerui debilitati confirmarentur. Quantum ad primum ſcopum, cùm ex certis indiciis deprehenſum fuerit, fontem vitioſæ materiæ circa primas vias, ventriculum ſcilicet, Hepar, & Lienem, & venas partibus hiſce vicinas hærere; purgatio neceſſaria fuit. Quem in finem tale Electuarium Medici Marpurgenſes tùm ordinârunt.

℞. *Diaphœnici ſolidi*, Vnc. iiii. *elect.de ſucco roſar.* Vnc.ii. *pulu. hermodact. mund.turbith.albi, eſulæ mund. & correct.* an.Drach.i.*diagryd.caſtor.*an. Scrup. ii. *coſti zinzib.caryophyll.* an Scrup.i. *ſem. rutæ, cumini, croci,* an Scrup.ß.Cum *Syr.roſar. ſolut.* F.Electuar.

Antidotum autem conuulſiuum hoc eſt.

℞. *Rad. pœoniæ; viſci querni*, an. Vnc. ii. *caſtor. ſaluiæ* an.Vnc.i.*bacc.lauri,cranij hominis præp.* an. ʒ. ii. *theriacæ.mithridat.*an. Vnc.xii. *mellis deſpumati.* ℔. ii. F. Electuar.

De Electuario purgante exhibita fuit Vnc. ß. idque ter repetitum. Quatuor à ſumpto pharmaco horis ſumpſit æger iuſculum, in quo cocta vel macerata fuerunt roſmarinus, ſerpillum,ſatureia, ſaluia. Purgatione peractâ, totum menſem, alternis vicibus, ſequentibus medicamentis vtendum fuit. Primò ſex continuis diebus ſumpſit æger de puluere conuulſiuo ʒ. i. Eſt autem hæc deſcriptio.

℞. *Rad. vincetoxici, helenij, ſucciſæ, caryophyllat. pœoniæ.* an. Vnc. i. ſem. *bacc. lauri.* Vnc. i. *ſummitat. ſaluiæ, ſerpilli, flor.roriſmar.* an.Drach.ii. *ſpec. diamoſchi dulc. pliris archont. dianthos* an.Drach. i.ß.F.Puluis.

Poſtea die poſt quadraturam Lunæ, Plenilunio vel Nouilunio, iterum Electuarij purgantis ℥.ß.ſumpſit. Hinc iterum vſus eſt puluere conuulſiuo, vſque ad proximam lunæ phaſin. Die verò inſequenti rurſum Electuarium purgans vſurpauit; idque, vt dixi, per menſem continuauit, donec meliùs habuit. Poſtea verò ſingulis menſibus, præcipuè Decembri & Ianuario, quibus hoc malum ſemper exacerbatum maximè fuit, ante Nouilunium ſumpſit ʒ.i. de puluere conuulſiuo. Potus fuit medicatus è radicibus helenij, pœoniæ,ſaluiâ, rutâ,baccis iuniperi.

Ipſa verò membra vt roborarentur, tota ſpina dorſi illita fuit oleo Lumbricorum, Vulpino, Caſtorei. Eodem modo vncta omnia membra affecta. Linteo quoque calido fricabantur, & poſtea ſpiritu vini, in quo flores primulæ veris, Lauendulæ, Saluia, Ruta, Betonica, Caſtorium, macerata fuerant; vel ſpiritu vini & aquâ Lauendulæ mixtis illinebantur. Et ſi ſpaſmus in pedibus eſſet vehemens, Lotiones pedum inſtituebantur, ex betonicâ, ſerpillo, floribus chamæmeli,Primulæ veris.

In ipſo autem paroxyſmo membrum affectum ſpiritu vini, modo iam dicto illinebatur, & linteo calido fricabatur: Ac ſi dolor non ceſſaret, vinculo arctè ligabatur, donec vapor malignus, ſpaſmi cauſa, diſſiparetur. Simul verò exhibebatur vel de puluere conuulſiuo Drac.i. vel de Antidoto Vnc.ſem.Die verò ſequenti dabatur Electuarij purgantis Vnc. ſem. & poſtea cura dicto modo continuabatur.

## CAPVT XVII.

### *De Catarrho & tuſſi epidemiâ malignâ.*

IN Febrium Malignarum catalogum meritò & illa adſcribitur, quæ cum catarrho & tuſſi epidemiâ, anno 1580. ſub Sirij ortum,maximè autem circa nouilunium æquinoctij autumnalis, totam penè Europam, imò ferè omnes mundi regiones peruagata eſt, & hinc inde varia nomina accepit. Appellabatur enim catarrhus febrilis, febris catarrhoſa,febris ſuffocatiua, catarrhus epidemius, tuſſis epidemia, cephalalgia contagioſa. Germani nominabant *denziep, den Schafſhuſten, die Schaffkranckheit,das Hünervvenhe,* quòd ægri inſtar gallinarum coryzâ vexarentur.

Inuadebat hoc malum cum dolore capitis & calore febrili, nonnullos infeſtauit perpetua in ſomnum propenſio,vt in peſte fieri ſolet:alios vigiliæ tenebant: mox ſequebatur tuſſis ſicca, dolor pectoris, & præcipuè ſepti tranſuerſi,faucium aſperitas,ventriculi languor, tandem grauis anhelitus, qualis ſolet animaduerti in iis, qui morti ſunt vicini. Et quamuis tuſſis non diu durabat: tamen illa anhelitûs difficultas ad diem 14.extendebatur,nonnullis ſudor ſuperueniebat, qui die 30. vel 40. conualeſcebant: atque hi *Catarrhi epidemij hiſtoria.*

non multum expectorabant, sed materia sudoribus consumebatur, aliis per aluum, aliis per vrinam excernebatur. Et quamuis maxima hominum pars hoc malo corripiebatur: omnes tamen ferè euadebant, & vix millesimus quisque moriebatur: nimirum ij, qui vitia quædam diuturna & latentia in visceribus habebant, & qui sanguinem apertâ venâ mittebant. Experientia enim hoc comprobauit, omnes ferè mortuos esse, quibus vena aperiebatur; fertúrque, Romæ vltra 2000. hominum hoc malo exstincta esse; fortassis & hac de causâ, quòd Itali Medici, (ita enim hac de re scribit VVierus) nimis prompti sunt ad mittendum sanguinem, & saltem ad calorem febrilem, minùs verò ad malignitatem & latens venenum attenti sunt.

*Causa.* Causam huius mali referunt plerique in catarrhum epidemium, qui ortum habuerit ex constitutione humidâ annorum præcedentium, & diuturno Austri flatu. Quantum enim incommodi afferat, & quantum humores corrumpat hæc aëris constitutio, satis ex lib. 3. Aph.& epid. Hipp. atque aliis locis patet.

Non tamen solùm Anno 1580. febrem istam grassatam crediderim: sed si obseruationes superiorum temporum in promptu essent, procul dubio sæpius, etiamsi non semper eodem modo, grassatam esse deprehenderemus. Post illud tempus anno scilicet 1591. in plurimis Germaniæ locis, etsi non eâdem planè facie, conspecta fuit febris catarrhalis.

Similem tussim epidemiam, quæ Anno 1557. populariter grassata est, descripsit accuratè Vallerio. *in App. loc. Comm. cap. 2.* refértque, eundem morbum ante etiam Anno 1510. viguisse. Describit eundem morbum Forestus *lib. 6. obseru. 1.*

Quomodo autem febris ad catarrhum sese habeat, consideratione dignum. Plerique quidem statuunt, materiam catarrhalem in venas per totum corpus diffundi & hinc febrem ex humorum putredine accendi, vel quia humor in venas prolapsus ibi putredinem concipit, vel quia obstructionem in iis efficit. Fieri tamen etiam potest, vt febris sit morbus primarius, eáque sæpe maligna, in quâ sicut in aliis febribus comitatis, ita hîc etiam natura partem humoris, à quo molestatur, per hanc viam è corpore eiicere tentat. Idque in catarrhis epidemiis frequentissimè accidere puto.

*An sint plus quàm tres febrium differentiæ.* De Catarrhis cum febre peculiarem habet opinionem Ioh. Zechius, *consult.* 52. quæ hîc prætermittenda non videtur (etsi potiùs ad febres catarrhales in genere, quàm malignas pertineat) statuitque præter tres vulgares febrium differentias, ephemeram, putridam, hecticam, quartam se inuenisse à nemine hactenus obseruatam, quæ sit febris continua, vniformis sine vllâ exacerbatione, pulmonum, thoracisque immodicum calorem citra putredinem consequens: Calorem autem accendi statuit ob aëris inspirati inopiam culpâ angustiæ vasorum. A calore verò hanc febrem accendi; cùm quia pulmones calefacti calorem cordi immediatè communicant, tum quia aërem quantumcunque frigidum inspiratum ita excalefaciunt, vt cordi quantum satis est refrigerando minimè sufficiat. Verùm vix possibile est, vt hoc modo febris excitetur, cùm etiam in aliquali angustiâ calor in pulmone adhuc ventilari possit, ne febrem accendat; neque videmus in asthmaticis hac de causâ febrem accendi. Et sit sanè, vt hoc modo febris accendatur: tamen non video, cur non ad vulgatas differentias referenda sit. Nam calor ille corpori inhærebit, vel καθ' ἕξιν vel κατὰ σχέσιν. Si prius, erit hectica. Si posterius, vel fouebitur à calore spirituum, & erit ephemera, vel humorum, & erit putrida. Neque enim credibile videtur, vt ob angustiam vasorum pulmonis tantus calor in pulmonibus excitari possit, qui febrem in toto accendat, vt non simul humores putrescant. Etsi enim excrementa, quæ è pulmonibus eiiciuntur, sint alba, id tamen non sufficit ad demonstrandum nullam adesse putredinem, cùm & in pleuriticis sæpe album sputum reiiciatur. Neque ipsam pulmonum substantiam statim putrescere opus est.

Malignæ quoque eæ febres sunt, quas Angina, pleuritis & peripneumonia comitatur populares. Et notissima est ea, quæ Anno 1564. & 1565. plurima Germaniæ inferioris loca Rhenique accolas inuaserat. Ita autem hoc malum ortum habuit. Præcesserat anni præcedentis constitutio humida, hyeme sæpe in cœlo conspectæ fuerunt stellæ cadentes, sagittæ ardentes & similia, quæ & totâ æstate, durante hoc malo, visa sunt. Et primò quidem hyeme oriebantur tumores phlegmatici, in collo sine insigni dolore; Vere postea & æstate superueniebant Anginæ valde periculosæ & pestilentes, quarum malignitate alij primo, alij tertio, alij quarto die moriebantur: qui octauum diem attingebant, omnes euadebant. Adoriebatur autem hoc malum homines cum febre, lingua intumescebat, aëri, cibo, potuique aditus præcludebatur. Vnde ægri miserrimâ morte suffocabantur. Extrà in collo nullus tumor apparebat, præter aliquam rubedinem, similem phlegmonæ illi erysipelatodi, quam Rosam vulgò appellant. Sæpe accidebat, vt tumores illi collo & faucibus desertis ad inferiora tenderent, & interseptimentum illud thoracis occuparent; vnde ex Anginâ oriebatur pleuritis non minore cum periculo coniuncta, quàm ipsa Angina. Nonnunquam etiam in ipsos pulmones irruebat materia; vnde peripneumonia. Interdum & deserto thorace dorsum occupabat, atque in eo intolerabiles dolores excitabat. Præcipuè hoc accidebat fœminis, quæ menstrua patiebantur. Et tales omnes ferè moriebantur. Quod ex eo factum esse videtur, quòd per venam cauam propinquam sanguis infectus fuit, & purgatio illa menstrua agitatis humoribus in totum corpus concitata. Hi morbi epidemij etiamsi asperrimo hyemis frigore superueniente minuerentur: tamen malum hoc in pestilentem pleuritidem est mutatum æstate sequenti. Cum febre continuâ, dolor in vno loco primùm hærebat, postea totum pectus occupabat, præcipuè si topica dolori leniendo applicarentur; & ad pulmones materia serpebat, iisque repletis tussis cum sputo cruento accidebat, & quò copiosiùs ac faciliùs materiam expectorabant, eò magis periclitabantur, & ferè omnes circa finem sexti diei moriebantur. Qui autem nihil sanguinis exspuebant, nonumque diem attingebant, euadebant, nisi in morbum reciderent: tunc enim ante finem tertiæ septimanæ moriebantur.

Idem mali genus sæpius grassatum esse, ex obseruationum Medicarum lectione patet. Anno 1348. sæuissimam pestem cum sanguinis sputo viguisse varij referunt, quam his versibus describit Fracastorius;

*Bis centum fluxêre anni, cùm flammea Marte*
*Lumina Saturno tristi miscente, per omnes*
*Auroræ populos, per quæ rigat æquora Ganges,*
*Insolita exarsit febris, quæ pectore anhelo*
*Sanguineum sputum exagitans, miserabile visu,*
*Quartâ luce frequens fato perdebat acerbo:*
*Illa eadem Assyriæ gentes, & Persidos, & quæ*
*Euphratem Tigrímque bibunt, post tempore paruo*
*Corripuit, ditésque Arabes mollémque Canopum,*
*Inde Phryges, inde & miserum trans æquora vecta*
*Infecit Latium atque Europâ sæuiit omni.*

Peripneumoniam talem pestilentem etiam grassatam esse Anno 1557. mense Octobri, refert Dodonæus, *lib. obs. Med. cap. 21.*

Sed vt hæc concludamus, nihil, vt suprà dictum, ferè Symptomatum & malorum est, quod non cum peste & malignis ac Pestilentibus febribus interdum coniungatur. Vnde accidit, vt illi morbi varia à Sym-

ptomatibus

ptomatibus & affectibus maximè vrgentibus accipiant nomina. Quæ omnia inde oriuntur, quòd materia maligna modò cum hac, modò cum illâ parte maiorem ἀντιπάθειαν habet, aut eadem ad hanc vel illam partem deuoluitur. Ita eâdem ad intestina confluente dysenteria nonnunquam excitatur. Qualem Anno 1583. cum febre longè latéque grassatam fuisse ferunt, atque etiam anno 1626. grassatam nouimus.

*De Febre cum catarrho coniuncta.*

*De generatione febris catarrhalis.*

*Triplex eius iuxta nonnullos modus.*

¶ [Egimus equidem de hac febre, quatenus malignitatem coniunctam habet, *hoc cap.* Sæpe tamen tales febres cùm sparsim, tum populatim grassantur sine malignitate aliqua. De earum ergo generatione sine respectu malignitatis aliquid adhuc dicendum. Nonnulli statuunt triplicem febris cum catarrho generationis modum.

1\. Primum modum esse statuunt, cum catarrhus in ventriculum delapsus, coctionem primam vitiat; vnde ex prauo chylo prauus sanguis generetur in hepate, qui facilè putredinem capiat, & febrem excitet. Secundum modum ponunt, cùm materia catarrhi descendens è capite, venas subit, & in iis putrescit. Tertiò, cùm eadem materia in venas lapsa, eas obstruit, & ita putredinis ac febris caussa est.

*Examinantur.*

Verùm nulla caussarum harum vera esse videtur. Primam enim quod attinet, sit sanè, ex catarrho in ventriculum delabente coctio eius turbari, & prauus chylus generari possit, qui postea in prauum sanguinem mutetur, vt inde febris facilè excitetur: tamen de hac febre hîc non quæstio est, vtpote quæ diu eandem præcedente & durante catarrho generari potest; sed de hac febre quæritur, quæ aut catarrhum statim coniunctum habet, aut interdum etiam catarrhum aliquo tempore præcedit. Reliqui verò duo modi planè falsi esse videntur. Neque enim credibile, materiam hanc excrementitiam seu in cerebro generari, seu per venas à reliquo corpore in cerebrum effusam, per angusta venarum orificia in venas iterum à natura recipi; cùm patentes è cerebro viæ sint, per quas euacuari possit.

*Sententia autoris.*

*Febris comita.*

Mihi probabile videtur, tales febres ex earum numero esse, quas comitatas appellant. Natura enim humores vitiosos febrim excitantes non semper vsque ad coctionem & crisin in venis retinet: sed vt eorum onere se liberet, aliquam eorum partem vel sensibiliter euacuat per aluum, vomitum, hæmorrhagiã; vel in loca aliqua deponit, vnde fit erysipelas, angina, pleuritis, ophthalmia. Id quod fit etiam in hisce febribus. Natura enim aliquam humorum partem ad cerebrum depellit, quæ cùm sit naturæ molesta, à facultate expultrice cerebri expellitur, vnde catarrhi fiunt.]

## *Curatio.*

Verùm febrium harum omnium curatio conuenit in eo, quòd malignitati sit resistendum: in eo verò differt, quòd materia vitiosa nunc hoc, nunc illud membrum petit; vnde diuersa oriuntur Symptomata, Catarrhi, Tusses, & alia. Membris igitur illis singulariter prospiciendum. Et vt ex. gr. eam febrem, quæ anno 1580. cum Catarrho & Tussi passim grassata est, afferam, cùm materia febris & Catarrhi causa in primis viis maximam partem hæserit, medicamenta primam corporis regionem euacuantia, cum summâ vtilitate à Medicis præscripta sunt, vt flores cassiæ, Electuar. lenitiu. diacathol. manna. syr. rosat. solut. Fortioribus dabatur Elect. de succo rosar. Atque accidebat, vt corpore satis purgato, plerique intra triduum vel quatriduum conualescerent, nec vllum graue symptoma ampliùs perciperent, modò bonã diætam obseruarent. Si enim febrilis fomitis maxima pars sublata esset, natura adhuc fortis & parùm debilitata reliquum concoquebat & expurgabat. In quibus tamen corporibus magna vitiosæ materiæ copia erat, ij non ita facilè conualescebant. Opus ergo erat materiam reliquam alterare & præparare aq. acetos. taraxaci, violar. capill. ♀, scabios. syr. acetositatis Citri & similibus. Postea materiâ concoctâ iterum instituebatur purgatio. Et tandem vsurpabantur, quæ materiam in capite contentam & ad pulmones ruentem coquerent, incrassarent, absumerent & educerent, diatragacanth. frig. diamargarit. frig. confect. diaireos, syr. de Iuiub. de papauere errat. & hortensi, cum aq. Tussilag. violar. & similibus. Looch item sanum & expert. Diacodium Montani. Exhibebatur etiam decoctum siliquarum.

Ex quibus exemplum facilè peti potest, quæ & reliquas febres Epidemias & malignas curandi ratio sit. Primò enim, quis humor vitiosus in corpore, qui malignitatis quasi fomes est, abundet, & quo loco hæreat videndum, isque conuenienti modo educendus. Deinde verò malignitati resistendum, humórque reliquus alterandus. Tandémque si aliquod membrum peculiariter afficiatur, & symptomata in eo præcipuè excitentur grauia, appropriatis illis occurrendum: quod quomodo fieri debeat, ex sequente capite etiam aliquo modo patebit.

Atque hæc de Febribus dicta sint. Etsi verò febris ipsa per se grauis morbus non est: vix tamen alius reperitur, cui grauiora accidant symptomata, vt ex iis, quæ hactenus de febrium omnium naturâ & signis dicta sunt, manifestum est. Ac proinde præ aliis morbis, quantum bonum sit Sanitas, monstrare; temperantiam, sanitatis nutricem, suadere; atque à crapulâ, morborum matre, dehortari; imò ad pietatem nos instigare potest. Quid aliis febricitantibus animi sit, ego quidem nescio: mihi quas cogitationes febris suggesserit, ex versibus hisce, quos, ante annos non ita multos, per febrim filio meo dictaui, Lector Beneuole, cognosces; & procul dubio, quicunque pius es, eadem mecum sæpe cogitabis. Rectè enim Marcus Eremita scribit: Σύμβασις ὀδυνηρὰ μνήμην θεοῦ παρέχει τῷ συνετῷ. Et Εἰ μὴ θέλεις κακοπαθεῖν, μηδὲ κακοποιεῖν θέλε.

*Hospitium est Mundus, non Patria: Munde Valeto,*
*Dicendum cunctis mortali lege creatis.*
*Omnibus est calcanda semel lethi via. Verùm*
*Quàm sorte hæc via dissimili calcatur! ad orcum.*
*Quosdam præcipitat Mors; quosdam ad gaudia Cœli.*
*Ducit, & æternæ transcribit ciuibus aulæ.*

*Hoc, mortalis homo, semper meditare, tuíque*
*Conscia corda roga, quò te ductura sit huius*
*Æternæque illius vitæ diribitor Mors.*
*Et si non ardes felicia gaudia cœli:*
*Fac tamen Infernum metuas. Non ludicra res est*
*Infernus. Dicam quid sit, per imaginis vmbram.*

*Vrentis si flamma Febris te forsitan vnquam*
*Vsit: iam statue hoc tecum, atque hoc rere futurum.*
*Vt toto affligat te anno febris ista, nec vllum*
*Solamen sitis implacabilis adsit, & omnis*
*Deficiat liquor, aut si forsan vina, Zythúmque*
*Vndáque circumstent, siccato nulla palato*
*Gutta tamen placeat. Sis solus, & vndique amici*
*Diffugiant, aliique, & te lux splendida nunquam*
*Irradiet, sed nox te terreat horrida, & ipsâ*
*In nocte horrendâ, per flammam pérque tenebras*
*Horrendum mixtas, te spectra immania miris*
*Affligant cruciéntque modis. Non illicò mentem*
*Subuertet dolor, & crudas excrescet in iras?*
*An non cuncta timebis, & anxius omnibus horis,*
*Et sortem duram téque ipsum exosus, acerbos*
*Optabis tandem letho finire dolores?*

*Quòd si tantula ferre nequis; si incerta fugacis*
*Vis morbi in tantum te macerat, & tibi amara*
*Tempora tota fluunt: quid te, quid fiet, vbi omne*
*Æuum vsque infandum æternis cruciabere pœnis?*

*Namque etenim non istud, Homo, non febris Auernus;*
*Sed nec somnium Auerni: imò nec somnium Auerni.*
*Vmbra. O quàm longum æternum hoc! quàm dirus Auernus!*

*Quare, homo, fac memori hæc semper duo mente reuoluas,*
*Atque ita mortalis fugientia tempora vitæ*
*Transfige, vt æternùm potiaris gaudia Cœli.*

## CAPVT XVIII.

### *De Febrium Symptomatibus tollendis.*

SEd vt ad institutum reuertamur, & tandem huic de febribus doctrinæ finem imponamus, Medici officium est nôsse, quâ ratione symptomata illa, quæ in febribus sæpenumerò occurrunt multa, & non minorem, quàm ipsa febris, ægro molestiam exhibent, tolli aut mitigari possint. Etsi enim & aliis morbis talia symptomata coniunguntur, & ab aliis quoque causis oriantur, tamen quatenus a febrili causâ pendent, febriúmque comites sunt, de iis hîc conclusionis loco aliquid secundùm ordinem partium corporis dicemus.

### *Dolor capitis.*

Et quidem primò dolorem capitis quod attinet, oritur, is ex humoribus & vaporibus, vel per venas & arterias, vel ex ventriculo, ipsique subiectis locis, ad caput ascendentibus, & vel copiâ distendentibus, vel intemperie atque acrimoniâ meninges & pericranium vellicantibus & molestantibus. Is nisi tollatur per vniuersalia, quæ febris aliàs requirit, venæ sectionem scilicet, alui per clysteres & purgantia euacuationem, cucurbitulas & similia: aliæ quoque reuulsiones instituendæ, vt frictiones, lotiones extremorum, ex decocto aneth. chamæmeli, verbenæ, betonicæ, lactucæ, saluiæ, violar. &c. In malignis febribus plurimi laudant radices raphani in taleolas incisas, pedibúsque sale & aceto priùs mundatis appositas, quod vim habeant malignitatem ad se attrahendi: Imò nonnulli occipiti etiam applicant: si vehemens capitis dolor adsit. Videndum tamen, ne eius odore caput repleatur. Alij fermentum cum sapone & sale, foliis caulium inductum pedibus apponunt. Vtilia sunt & hîc vesicatoria, partibus infra caput apposita.

Vbi euacuantia & reuellentia præmissa sunt, Topica ipsi Capiti adhibenda, quæ humores & vapores moderatè repellant, simúlque alterent, mitiores reddant, & dolorem leniant.

Sunt tamen quædam ex his, quæ capitis dolorem & æstum leniunt, quæ potiùs halitûs illos & vapores calidos attrahendo, quàm repellendo & refrigerando prosunt. Qualis procul dubio est camphora. Refertur & à nonnullis huc sedum maius, quod in tectis in maximo æstu & siccitate succo & humore turget, aëre verò pluuioso flaccescit, quod procul dubio ex aëre halitûs sicciores & pinguiores, quibus nutriatur, attrahat; sicut & Aloë Americana multos annos in nostrorum hypocaustorum laquearibus suspensa durat & viret. Ideóque & succus attrahendi halitûs illos calidos & siccos vim habet, & linteis applicatus febricitantes refrigerat, & cum pauco lacte muliebri mixtus dolores capitis in febribus sedat. *Sedum maius.*

Vsitatissima sunt Oxyrrhodina dicta, ex aqu. rosar. oleo rosar. & aceto, quæ passim extant.

♃. *Aq. rosar.* Vnc. IV. *fol. salicis*, Vnc. i. *aceti rosar.* Drach. vi. *albumen oui vnius*, F. Epithema fronti applicandum.

Vel ♃. *Aq. rosar.* Vnc. iii. *flor. sambuci, betonic. verben.* an. Vnc. ii. *sem. papau. albi*, Vnc. ß. *nucleor. Persicor.* num. vi. F. Emulsio, quæ suturæ coronali aut fronti applicetur cum linteaminibus.

Vel ♃. *Aq. rosar.* Vnc. iiii. *flor. sambuci, fol. salic.* an Vnc. i. *anethi*, Vnc. ß. *aceti rosar.* Drach. vi. *camphor.* gr. vi. Misce.

Vel ♃. *Aq. Verben. flor. sambuci: acac. salicis*, an. Vnc. i. ß. *rosar.* Vnc. ii. *maioran. anethi*, an. Drach. ii. *nucleor. Persicorum*, num. x. F. Emulsio. Adde *camphor.* gr. v. Misce.

Vel ♃. *Nuc. ingland. excort.* num. x. *Persicorum, amygdalar, amar.* an. num. vi. *sem. cannab.* Vnc. ß. *papaueris albi, lactuc.* an. Drach. ii. Cum *Aq. verben. rosar. flor. sambuci.* an. Vnc. ii. *anethi, aceti rosar*, an. Vnc. i. F. Emulsio.

Si dolor sit vehemens, granum vnum atque alterum Opij addi potest.

Plurimùm commendatur etiam radix Rhodia contusa, & cum aq. rosar. capiti imposita; quæ non solùm dolorem lenit, sed & caput roborat. Vt.

♃. *Radic. Rhod.* Vnc. i. *aq. rosar.* ℔. i. ß.

Coq. ad tertiæ partis consumptionem, atque decocto panni linei madefiant, capitique imponantur.

Vel ♃. *Flor. violar. rosar. nymph.* an Drach. i. *santalor. omn.* an. Drach. i. *sem. papau. alb.* Drach. ii. *flor. chamæmeli* Drach. i. ß.

Contusa irrorentur *aquâ rosar. & Nicotianæ, pauco aceto*, ac sindoni rubræ inuoluantur, frontíque applicentur.

Medicamentis his etiam commodè nitrum præparatum admiscetur.

Vel ♃. *Ol. rosar. violar. nymphéæ*, an. Vnc. ß. *rad. Rhodiæ* Drach. ß. *succi lactucæ, solani*, an. Vnc. sem. *Ceræ q. s.* F. Linimentum.

Efficax est & vnguentum Alabastrinum, inprimis suturæ coronali inunctum, cui aliquid vnguenti populei admiscere licet.

In horum tamen topicorum vsu obseruandum; In principio atque vbi vapores in caput ascendere incipiunt, illud tamen nondum valde replent, & vbi magnus humorum feruor adest, vt periculosa phrenitis metuenda sit, repellentia, corpore tamen priùs euacuato, & reuulsionibus præmissis; tutiùs adhiberi. Hoc enim modo viæ coarctantur, cerebrum refrigeratur; vnde vapores non ita facilè admittuntur. Sunt qui ista repellentia non capiti, sed collo applicant, vt vaporum per venas ascensus faciliùs prohibeatur.

Verùm vbi humores & vapores iam caput & cerebrum occupàrunt, vel humores ipsi adeò tenues & calidi non sunt: Repellentia & refrigerantia, præcipuè sola, adeò commoda non sunt. Metus enim est, ne humores incrassentur, cerebróque impingantur: Vnde soporosi affectûs, catarrhi ad pulmones periculosè descendentes, atque alia mala oriuntur. Anodyna igitur & moderatè calida, ad discutiendos vapores admiscenda sunt, vt Anethum, flores chamæmeli, sambuci, meliloti, betonica, nuclei Persicorum, & similia.

### *Vigiliæ.*

Vigiliæ plerumque doloris comites sunt: nonnunquam tamen etiam sine dolore in febre adsunt. Oriuntur enim vel ex dolore, vel siccitate, quæ ex humore aut vapore calido vel sicco, vel vtráque intemperie prædito dependet. Vnde pleraque medicamenta, quæ dolorem capitis curant, vigiliis tollendis simul idonea sunt. Generalibus ergo præmissis, Repellentia, frictionésque & lotiones pedum adhibeantur, vt: *Vigiliæ.*

♃. *fol. salicis, lactuc. nymph. malu. violar.* an. M. ii. *summit. anethi*, M. i. *capitum papaueris albi incisorum*, ℔. vii. Coq. pro lotione pedum.

Assumenda quoque, quæ ascensum illum vaporum acrium & calidorum impediunt, eóque mitigant, cerebríque siccitatem emendant. Detur iusculum gallinæ, in quo folia lactucæ ebullierint. Vtilis est & emulsio Amygd. dulc. & sem. quatuor frig. maj. & papaueris albi,

albi,cum Aq.hordei, violarum, borrag. vel aliâ conueniente præparata. Possunt eâdem operâ alia quoque vel malignitati resistentia vel refrigerantia & confortantia admisceri,vt iuleb violarum, rosar. rotul. manûs Christi perl.diamargar.fr.&c.

Vt ℞. *Amygd.dulc.*Vnc.ß.*sem.melon.excort.* Drach. vi.*papauer.alb.*Drach.iii. *decocti hordei* ℔.i.ß. *aq. violar. borrag.* an.Vnc.iii.F.s.a.Emulsio. Cui addatur *Iulebi vel Syrupi violar.*Vnc.i.Aut si Electuarium placet:

℞. *Conseru.violar.nymph.rosar.*an.Vnc.i.*caulium lactuc.Ital.condit.*Vnc.sem.*sem.quat.frig.maj.contus.*Drac. i.*Cum Syr.Papau.albi.*F.Electuar.

Vel ℞. *Syr.violar.*Vnc.ß. *papauer.* Vnc.i. *aq. lactuc. violar.*an.℥.i.sem.M.Simul verò adhibeantur Topica,

Vt ℞. *Cortic.hyoscyami,solani, sedi maioris* an. M.i. Coq. *in vini, aceti rosacei* an. ℔. i. ß. ad partis quartæ consumptionem.

In decocto calido panni lintei calefiant & capiti applicentur,in dolore & vigiliis.

℞. *Vng.populei* Vnc.sem.*ol.violar.nymph.* an.Drach. ii.*ol.nuc.mosch.express.*Drach.sem. *opij* Scrup.sem.M.F. Linimentum,quo tempora & nares inungantur.

Vel ℞. *Capit.papau. albi cum sem.* num.iii. *Contunduntur,& cum Aq.Aneth.*Vnc.sem. *rosar.* an.q.s.Misce in formam pultis,& temporibus applicentur.

Vel ℞. *Aq.rosar.opt.*Vnc.i.*lactuc.papaueris,* an.Vnc. ß.*fl.sambuci,anethi,*an.Vnc.i.ß.*nucl.Persic.* num.x. *sem. papau.albi,*Vnc.sem.

Contundantur & misceantur pro epithemate.

Emplastrum de Lactucâ Nicolai Massæ; futuræ coronali applicandum.

℞. *Succi folior.lactuc.*℔.ß.*semperuiui,solani,fl.nymph.* an.Vnc.iii.*rosar.*Vnc.i.sem. *aceti vini albi,* Vnc.i. *farin. hordei,*Vnc.i.sem.*sem.papau.albi,*Vnc.i.*hyoscyam.* Vnc. sem.F.ad ignem Cataplasma.

Vel ℞. *flor.violar.nymph.sambuci,* an.P.i. *cortic. papau.mandragor.*an.Drach.i.*sem.anethi,lactuc.* an.Drach. sem.*croci,* Scr.i. *opij,* Scr. sem. Contusa ligentur in nodulo.

Vel ℞. *Flor.violar.nymph.* an.P.ii. *cortic. mandrag.* Drach.iii. *opij,* gr.vi. *croci*, gr.iv. Ligentur in sindone rubrâ.F.Nodulus; qui naribus crebrò admoueatur. Potest idem priùs madefieri aq.rosar.lactuc.anethi.

Nonnulli & plantas pedum, & volas manuum vnguento populeo,oleo violar.& similibus vngunt.

Si ista non sufficiant, efficaciora medicamenta adhibenda,vt Theriaca recés,Philonium, Requies Nicolai, & quod inprimis laudatur, Laudanum opiatum. Instante tamen crisi, ab opiatis & aliis somniferis medicamentis abstinendum, ne motus naturæ impediatur. Immò vbi imbecillis est ventriculus,tutius est eiusmodi medicamenta solùm ore continere, quàm deglutire. Commodè quoque & minore cum periculo laudanum opiatum clysteribus additur. Ne quoque cerebrum per ista medicamenta nimis refrigeretur, & lædatur, semper aliquid, quod cerebro familiare sit, modicóque calore reliquorum frigiditatem temperet,admiscendum.

*Somnus profundus.*

*Somnus profundus.* Somnus profundus in quibusdam febribus, præcipuè quotidianis,semitertianis,& malignis,oritur à malignis narcoticisque vaporibus cerebrum replentibus, vel nimio narcoticorum in curandis vigiliis vsu. Tollitur is sensuum irritatione & reuulsione ac discussione vaporum illorum. Ægri ergo colloquiis, vellicatione, strepitu à somno excitentur, & arceantur, ac ligaturis, frictionibus, clysteribus, vapores à cerebro auocentur. Naribus autem admoueatur acetum,vel ruta aceto madida. Vtile quoque est ad primam vel secundam vertebram Cucurbitulas,vel Phœnigmos aut vesicantia applicare, & Theriacâ aut Mithridatio palatum ac labia inungere, quibus aliquid Castoréi addi potest. Efficacissima in hoc genere est Confectio Anacardina cum Aceto scillitico, si febris eam admittat. Fomentum autem discutiens tale esse potest.

℞. *Betonic.primul.ver. origani, saluiæ, rutæ,flor. chamæm.sambuci,lil.conuall.meliloti,*an.M.i.

*Insuantur duobus sacculis, qui coquantur in æqualibus vini,aceti, & aquæ partibus & alternatim calidè capiti apponantur.*

Vel ℞. *Rad.angelic.imperator,zedoar.tormentill.diptamn.*an.M.i.*rosar.rubr.*M.ii.*maioran.lauendul.*an.Dra. ii.*aceti,*Mens.ii.ß. Coq.vase clauso,& decocto linteola madefiant,& capiti imponantur.

Hoc modo vbi caput per dimidiam aut integram horam fomentatum fuerit, diligenter linteis calidis abstergatur, & vngatur ol. chamæm. maioran. & similibus.

Licet & sternutationem ciere, quod commodissimè fit radicibus lilij conuallij; vel capiti raso iste puluis inspergatur.

℞. *Zingib.galang.* an.Drach.ii.*piper.albi,longi,nigri, cubebar.cardamon. nucis mosch.macis*, an. Drach.i.sem. *spicæ nardi,castoréi,*an.Drach.i.F.Puluis.

Vel vertici sacculus ex floribus chamæm. stœchad, Arab. cinam. caryophyll. origan. serpill. & similibus calefacientibus & exsiccantibus confectus apponatur.

Si malum sit pertinacius, phœnigmus ipsi capiti raso applicari potest. Et cùm natura soporem grauem per parotides criticè soluere soleat,natura arte adiuuanda est per cucurbitulas & phœnigmos, vel vesicatoria post aures applicata.

*Deliria.*

Deliria quoque non rarò in febribus accidunt, ex calidis,acribus, & malignis vaporibus, aut tenui ac biliosо humore cerebrum occupantibus, quibus nisi occurratur,simplex delirium in phrenitidem conuerti potest.Itaque præmissis vniuersalibus, huic malo obuiam itur per reuellentia & repercutientia, eodem ferè modo, quo in dolore capitis & vigiliis. Reuellunt clysteres, frictiones cucurbitulæ, quæ primò scapulis apponuntur; hinc semper versùs inferiores partes, tandémque ad crura descenditur. Et cùm aliàs febres putridæ venæ sectionem requirant,si immineat, vel accidat delirium,ea multò magis necessaria est.Topica,quæ capiti apponuntur, principiò sint repellentia; procedente verò malo ea admiscenda, quæ calore tepido feruorem cerebri mitigant,& vapores malignos discutiunt,qualia sunt flores chamæmeli, meliloti, betonic. maioran. Aut si metuitur, ne odoratis hisce caput repleatur, vsurpari possunt, malua, semen fænugræci, lini. Plerique hîc valdè commendant pullos gallinarum vel columbarum viuos per medium dissectos & capiti impositos. Alij eodem modo applicant pulmones calidos animalium recens mactatorum:qui si refrigerentur,iterum decocto chamæmeli cum lacte parato calefieri possunt. *Deliria.*

*Conuulsiones Epilepticæ.*

Conuulsiones Epileticæ nonnunquam satis periculosæ, præcipuè in febribus malignis & pestilentibus, à venenatis vaporibus aut humoribus meninges cerebri vellicantibus oriuntur. Quod si fiat, acetum rutaceum crebrò naribus admoueatur. Clysteres conuenientes applicentur, detúrque aliquid de puluere hoc, in febribus malignis cum Epilepsiâ coniunctis efficacissimo. *Conuulsiones Epilepticæ.*

℞.*Rad.Pentaphyl.tormentill.*an.Dra.ß.*ras. vngul. alcis.*Drach.i. *crystalli præparat.* Drach.ß. *corall.rubr.præparat.margar.præparat.ocul. cancr. præparat.* an. Scr.i. *smaragd.Oriental.præparat.*Drach.ß. *rad.pæon. mascul.* Drach.

Drach. i. Fiat Puluis. Pro ditioribus addantur aliquot grana lapidis Bezoar.

### *Hæmorrhagia narium.*

Si hæmorrhagia narium accidat,equidem ſi ſit critica non eſt facilè ſedanda;ſi tamen ſit nimia & vires deiiciat,ei ſuccurrendum, vt in Practicâ dictum, & inprimis malignitas,quæ naturam ad hanc excretionem ſtimulat,impugnanda. Vtilis hîc eſt ſyrupus coralliorum ſæpe ſumptus.

Vel ℞. *Succi granator.* Vnc.vi. *ribes,* Vnc.iii. *aq.plantaginis,tormentillæ* an.℔.i .*roſar.* Vnc.iiii. *manus Chriſti perlati* q.ſ.ad gratam dulcedinem.

Vel ℞. *Succi cydoniorum inſpiſſati lucidi vel minæ cydonior.*℔.ß. *corall.rubr.præp.* Drach.i.ß. *ſantali rubri,citrini* an.Scr.iiii.*ſuccini præp.*Drach.ii.*lapidis hæmatit.boli Armeni,margarit.præp.*an. Scr.i. *cum ſyr.granator.* F. Electuar.

Vtile eſt & compoſitum Sperniolæ pondere gutt. iiii. vel v. cum aquâ plantag. vel tormentill. Laudani etiam opiati gr.i.in pilulâ vel ſyr.granatorum exhiberi poteſt.

### *Tuſſis.*

Tuſſis. Tuſſi , quæ febres quoque comitatur , quâ ratione ſubueniendum ſit maximâ ex parte cap. præcedente dictum. Nimirum conueniunt Syr. papauer. è iuiubis; violar.cum aq.Tuſſilag. ſpec diatrag.frigid. vt in febre malignâ.

℞. *Diacodij Montag.*Vnc.ſem.*ſyr.viol,* Drach.x. *aq. papau.errat.*Vnc.i.ſem.*ſpec.diatrag.frig.*Drach.i.M.

### *Linguæ ariditas.*

Linguæ ariditas. Lingua etiam in febribus ſæpe arida , nigra & aſpera redditur; quandoque inflammatur, quam affectionem Germani *die Breune* appellant ; nonnunquam lento quodam humore obducitur:id quod accidit ex vaporibus & fuliginibus linguam faucéſque adeò exurentibus,vt ſalivalis humiditas abſumatur.Qui quidem vapores ſi minùs calidi minúſque copioſi ſint,ſolùm ſiccitas excitatur ; ſi valdè calidi, ſicci & copioſi , lingua præterea aſpera & nigra redditur. Imò nonnunquam quaſi finditur.Si iidem vapores ex crudo,craſſo, lentóque humore ortum habuerint,circa linguam,dentes ac fauces hærent , & lentore quodam linguam obducunt. Imò hæc mala non ſolùm linguam occupant, ſed interdum & œſophagum totum vſque ad os ventriculi.

Huic ergo malo vt reſiſtatur, ea , quæ refrigerant, humectant & abſtergunt , ſi opus ſit , adhibenda. Ergo ſi malum mitius ſit, ſufficiunt Syr. violar.de Iuiub. granator. portulac.mel.roſat.cum decocto hordei, prunorum , iuiubarum,violar. ſem. cydon. maluæ, pſyllij, althéæ.

Vt ℞. *Muoil.ſem.pſyll.Cydon.Malu.aq.violar. extr.* an.Vnc.ß.*ſyr.violar.*Vnc.i.*ſacch.cand.* Drach.iii.M.

℞. *Sem.cydonior.pſyllij* , an. Vnc. ſem. *tragacanthæ.* Drach.i.Cum Aq.roſar.ſ.q.extrahatur mucilago,cui admiſceatur *Syr.de granatis dulcibus* parum.

Verùm ſi maior ariditas & nigredo adſit, fortiora requiruntur medicamenta.Commendatur hîc aq.Lactucæ,Prunellæ.

℞. *Aq.ſemperuiui.* Vnc.vi. *lactue. prunell. nucum* an. Vnc.ſem. In his diſſolu. *nitri præparat.*Drach.i.ſem.M.

Inprimis verò aq.ſemperuiui,h.m.compoſita.

℞.*Semperuiui* ℔.i.*ſalis ammoniac.*Vnc.ſem.

Reponantur in loco ſubterraneo , donec ſal liqueſcat:poſtea deſtillentur; aquâ deſtillatâ os & fauces abluantur.

Efficaciſſimum eſt & ⊖. præpar. quod ſalem prunellæ vocant , quodque in aq. ſemperuiui diſſoluitur, eóque non ſolùm fauces colluuntur,ſed eius particula aliqua abſorbetur.

Eſt & hoc præſtans remedium.

℞. *Cancrorum fluuiatilium viuorum.* num.vi. *vel* vii. *ſemperuiui.*M.ii.

Contundantur & ſuccus exprimatur,cui addi aliquid nitri præparati vel ſalis ammoniaci poteſt , quo fauces colluantur.Vtile quoque fuerit, extrà collum inungere ol.violar.& aliis refrigerantibus.

Vbi lentore quodam lingua faucéſque obducuntur, inprimis neceſſarium eſt, medicamentis conuenientibus ſæpius linguam mundare , os verò vino diluto vel aq. hordei cum pauco aceto & melle roſato colluere, vel hoc gargariſmo vti.

℞. *Hordei integri,ſaluiæ,hyſſop.*an.M.ſem. *caricarum* num.vii.Coq.in ſ.q.aq.puræ & in decocti lib.ii.Diſſolue *Syr.acet.ſimp.*Vnc.iii.*vel oxymel.*Vnc.ii.M.

Licet & talibus oris collutionibus aliquot guttas ſpiritûs vitriol. addere , qui egregiè huiuſmodi lentos humores incîdit & abſtergit.

### *Sitis.*

Sitis & ipſa plerumque febris indiuiduus comes eſt, & oritur ex nimiâ oris & ventriculi caliditate , & ſiccitate ac humidi defectu.Siccitas autem oritur ex intemperie calidâ totius , & inprimis Hepatis & córdis , ac calidis fuliginibus inde aſcendentibus ; vel ex humore bilioſo,ſalſo qui ventriculum occupat.Itaque ſitibundis aliis circa ventriculum magnus æſtus eſt , aliis pulmones igneum quid quaſi expirant. Qúam diſtinctionem notare vtile eſt. Quæ enim ex pulmonis incendio calidas fuligines cordis excipientis & expirantis oritur ſitis , per eam ventriculus non admodum afficitur;ſed os maximè aridum eſt,& veluti torridum à fuliginibus continuò exhalantibus:eámque qui patiuntur, iis difficilis ſermo eſt,propter trachéæ & laringis aſperitatem & ſiccitatem.Neque hanc ſitim potus facilè ſedat;cùm minima eius portio,quæ bibitur,ad pulmones perueniat , ſed quamdiu fauces irrigantur & potu colluuntur, tamdiu ſolùm ſitis lenitur; poſtea eadem ſtatim redit. Itaque in ſiti , quæ ex pulmone æſtuante oritur,præſtat potius frigidiſſimum aërem inſpirare, quàm bibere.Si verò ſitis ex ventriculo proueniat , rectiſſimè tollitur ſublatis cauſis,à quibus dependet,humore videlicet bilioſo vel ſalſo ventriculum occupante.Cætera vtrique cauſæ communia ſunt.Nam cùm,ſiue ventriculo ſiue pulmone æſtuante, os eandem affectionem contrahat,ob internæ tunicæ communionem, eadem quoque refrigerantia & humectantia ſitim ab vtrâque cauſâ tollent. Ergò vtile eſt , frigidam aquam ore continere,atque illam ſæpius mutare.Etſi verò potus maximè humectat:tamen cùm,ſi ægri,quantum ſitiunt, bibant , alia incommoda incurrere poſſint , ſitis aliis modis fallenda eſt. Sitis.

Ceraſa itaque acida ſeu condita ſeu ſiccata , vel taleolæ ex cucurbitâ,cucumere,caules item lactucæ conditi,ore detineantur. Quæ tamen ſitis cauſâ exhibentur medicamenta ſaccharo condita magis ſitim leniunt, ſi ab iis ſaccharum priùs eluatur. Saccarum enim ſitim non tollit, ſed potiùs auget. Prodeſt item Cryſtallum vel Tamarindos vel ribes fructûs ore detinere,vel ſuccum granatorum ſumere : & quidem ſi tuſſis ſit moleſta,ſumatur granatum pomum dulce;ſi tuſſis non adſit, acidum.Commendantur & folia craſſulæ vel portulacæ detractâ cuticulâ in aquâ frigidâ macerata & linguæ impoſita,aut aquâ fontanâ,in qua momentum ⊖.diſſolutum ſit, os colluere. Valde etiam commendatur ſemen pſyllij,quod in aquâ frigidâ maceretur,vt mucilago extrahatur,& poſtea in ore detineatur.

Vel ℞. *Conſeru.roſar.vel viol.*Vnc.ii.*flor.caſſiæ* Vnc. ſem.*mucilaginis ſeminis pſyllij* Drac.ii.M.

Vel

Vel ℞. *Mucilag.ſem.pſyllij* Vnc.ß. *cydonior.* Drac.ii. *ſpec.diatrag.frigid.*Drach.ß.*ſacch.candi q.ſ.*F.Linctus.

Vel fiat talis potus, qui ſimul aluum laxat, bilémque ſitis cauſam commodè ſubtrahit.

℞. *Caſſiæ extract.* Drach. vi. *mucilag. ſem. pſyllij* Drach.iii.*ſyr.viol.ſolut.* Vnc.i.*aq.hord.cum Tamarin.decoct.*Vnc.iii.M.

Vtile eſt etiam ad ſedandam ſitim ſaccharum candum,violaceum ſpiritu vitriol.admiſto,atque aquâ roſar.madefactum,iterùmque exſiccatum.Si his omnibus ſitis non ſedatur, frigidus potus concedendus eſt, & quidem aſſuetis aquæ frigidæ potus. Verùm quæ conditiones in eo obſeruari debeant,ſuprà dictum.

Aquæ ſimplicis loco varij potûs conficiuntur. Conueniens eſt aqua cocta,cui aliquot guttæ ſpiritûs vitrioli ad gratam aciditatem admixtæ ſint,vel decoctum berber.de quo ſuprà: vel Syr.limonum, granator. oxyſacchara,Syr.& Iulep.violar.Conuenit & aqua hordei. Nonnulli radices acetoſæ in aqua coquunt, quæ inde colorem vini rubri contrahit. Vel coquitur hordeum cum tamarindis, & ſub finem addito ſantalo citrin. & cinam. aromatiſatur, qui potus non ſolùm ſitim ſedat, ſed & aluum laxat,hepar refrigerat, cor roborat.

Vel ℞. *Aq.fontanæ puræ* ℔. ii. *ſaccha. candi* Vnc. i. *ſantali rubr.pulu.*Drach.iii. *cinam.* Drach.ii. *fl. roſarum rubr.*Drach.i.

Infunde in vitro clauſo in loco calido horis 6.

Deinde colentur.Adde *Spir.* vitriol.Scrup.i.*ſucci citri.iulebi violar.roſar.*an.Vnc. 1.M.F.Claretum.

Vel ℞.*Aq.fontan. coctæ* (Nonnulli ei panem à furno calentem iniiciunt) *menſur. vnam, aceti quartam menſuræ partem,ſacchari albiſſimi vel candi,vel rotul.manûs Chr.*Vnc.iii.*vel* iiii.F.Potus clarus.

Vel ℞. *Radic.acetoſæ ceraſor.acidor.exſiccat.*an.Vnc. i.ſem.*pulpæ tamarindor.*Drach.vi.*paſſul.* Vnc.ſem. *fruct. berber.ſiccat.vel condit.* Drach.v. *ſem. Melon.* Drach.iii. *Coq.in aq.hordei ſ.*Col.℞.℔.ii.*ſucci citri* Vnc.iiii.*iulebi violar.vel roſar.q.ſ.*M.

In malignis vtiliſſimum eſt decoctum C.C.cum ſpiritu vitriol.vino granat.iulebo roſato.

Vel ℞. *Decocti* C. C. ℔. iii. *ſyr.de ſucco viol.* Vnc.iiii.

Transfundantur aliquoties de vaſe in vas, & ſpiritûs vitriol.guttæ aliquot,quæ ipſi gratam aciditatem concilient,adiiciantur.

In potu tamen adminiſtrando id obſeruandum, de quo etiam ſuprà dictum,vt potus non ſumatur in principio paroxyſmi, vel in augmento, ſed in vigore, & potiſſimùm febrili acceſſione iam declinante. De nitro ſuprà ſemel atque iterum dictum, quod aliis medicamentis in hoc genere non cedit, ſed ſummam calorem præternaturalem coërcendi, ſitímque ſedandi vim habet.

### *Singultus.*

Singultus accidit in febribus præcipuè, dum ventriculum humores acres & mordaces, nonnunquam & maligni, vel quocunque modo naturæ moleſti, vellicant. Vtiliſſimum autem eſt,primò humorem illum,qui ventriculo moleſtus eſt, vomitu reiicere. Si poſt vomitum ſingultus manet, reliquus conuenienti modo alterandus: in quo conſideranda eſt natura humoris. Nam ſi frigidior eſt humor,tutiùs dantur calida,vt Syr.de menthâ,abſinthio,& ſi febris patitur,vinum abſinthites,decoctum flor.chamæmeli,abſinthij,anethi.In calido autem humore conueniunt lactuca,portulaca,acetoſa,& ſimilia:& bolus Armenus cum aq.Nymph.bugloſſi,roſar.portulac.Vel emulſiones ſem.4.frigid.mai.cum aq. portulac.acetoſ.Conuenit & vinum granat,& conſeru. roſar. viol. Quòd ſi his omnibus ſingultus ſedari non potuerit,danda gr.iii.vel iiii.Laudani opiati; in humore quidem calido cum conſeruâ roſar. acetoſæ; In humore autem frigido cum conſeruâ menthæ vel abſinthij, cui gutta vna atque altera olei deſtillati chamæmeli vel anethi addi poteſt.

Si Laudanum opiatum deſit,Philonium vel Theriaca eodem modo vſurpari poteſt. Extrà verò ventriculo adhibenda eſt cucurbita cum multâ flammâ. Alij verò dorſo è regione ventriculi eandem applicant. Inungatur quoque oleo abſinthij,menthæ,anethi, vel fomentum ex iiſdem inſtituatur.

Vt ℞. *Menthæ.abſinthij* M.ſem.*ſem.aniſi,carui, anethi, radic. cyperi*, an. Drach. ii. *caryophyll. ſeſquidrachmam.*

Infuantur ſacculo, coquant. vino rubro pro fomento.

### *Cardialgia & Vomitus.*

Cardialgia, nauſea, vomitus ex eadem ferè causâ oriuntur,ex quâ ſingultus.Nam quandocunque materia aliqua vitioſa, corrupta, maligna, vel copiâ vel qualitate aliquâ vitiosâ ventriculum irritat & moleſtat, nunc inde dolor ſolùm oritur, nunc ſingultus, nunc nauſea, & inanis vomendi conatus, nunc natura id, quod moleſtum eſt, vomitu reiicit: Ideóque hi affectûs eadem ferè habent remedia. *Cardialgia & vomitus.*

Vomitum quod attinet, non ſemper ſtatim ſiſtendus, ſed nonnunquam etiam promouendus, vt materia vel copiâ vel malignitate moleſta euacuetur. Sublatâ enim materiâ ventriculum vellicante, vomitus ſiſtitur: ſi verò materia diutius detineatur, magis corrumpitur, & maiora ac grauiora poſtea inducit ſymptomata. Poteſt eadem quoque per aluum educi. Etſi ventriculus omnia medicamenta vomitu reiiciat, Clyſtere materia versùs inferiora ducenda. Si tamen vomitus ſit nimius & ita diuturnus, vt cibi exhibendi nulla occaſio ſit, viréſque debilitentur, & metuendum, ne iſto motu & irritatione omnes totius corporis humores vitioſi ad ventriculum confluant, omninò ſiſtendus eſt. Quod fit, ſi aſſumantur medicamenta ventriculum roborantia, humoréſque ſecundùm qualitatem; quâ ventriculo moleſti ſunt, alterantia. Itaque ſi humor calidus & bilioſus, quod plerumque fit, vomitus cauſa ſit, exhibeatur Syrupus acetoſ. rob ribium, ſuccus berber. diacydon. conſerua roſar. præcipuè vitriolata, ſem. acetoſ. portulacæ, Corallium præpar. margaritæ,extract, tormentillæ,ſpir.vitriol.

Si verò bilis ſit acris valdè, qualis eſt praſſina & æruginoſa, ea inprimis medicamenta ex antea dictis eligenda, quæ ſummam vim acrimoniam illorum humorum obtundendi habent, qualia ſunt decoctum hordei cum ſemin. melonum, Syrup. acetoſæ & nymphéæ cum aq. bugloſſ. violar. & ſimil. Hinc, vel etiam priùs rhabarb. Drach. i. ſumere licet, vt materia illa ſubtrahatur. Si verò materia ſit frigidior, nux moſchata, caryophylli, macis, ſem. coriandri, mentha, cortic. citri, ſem anethi, diacydon. compoſit. Theriaca non admodum vetuſta conuenit. Vtile eſt & vinum decoctionis maſtiches. Et ſi humor ſit craſſior, tenacior, vt faciliùs vomitu reiici poſſit, oxymelite ſ. vel ſcillitico incidendus. Vbi materia mixta eſt,mixta medicamenta adhibenda, vt aqua menthæ, cum Syr. ribes: puluis etiam iſte in omni vomitu conuenit.

℞. *cortic. citri, ligni aloës, maſtiches, ſem.coriandri, portulac. ſantal.alb.* an.Drach.i.F.Puluis.

Extrà quoque quæ applicantur ventriculo pro varietate cauſarum moderanda ſunt. Vtilis eſt panis toſtus vino madidus, & puluere coralliorum, nucis moſch. macis,ſpec diarrhod.abba.aromatic.roſat. conſperſus:

ſus:vel imponatur Emplaſtrum de cruſtâ panis,vel emplaſtrum ex fermento, menthâ & maſtiche, quod ita paratur.

℞. *Fermenti*, ℔. i. *fol. menth. ſicc.* M. ii. *maſtiches*, Vnc. i. Terantur & cum *ol. maſtich.* Fiat emplaſtrum vel linimentum.

℞. *Cruſtarum panis parum toſtarum & aceto roſaceo irrigatarum* ℔. ß. *pulpæ cydoniorum vel diacydon. ſ.* Vnc. ii.

Miſceantur affuſo vino rubro, adde *pulu. maſtiches*, Vnc. ſem. *abſinthij*, *roſar. rubr.* an. Drach. ii. *macis*, *fl. chamæmel.* an. Drach. i. *ol. roſac. chamæmel. q. ſ.* F. Cataplaſma.

Vel paretur emplaſtrum ex pulpâ cydoniorum cum pulu. coralliorum & roſarum. Vel imponantur ſacculi aut cataplaſmata ex foliis menthæ, abſinthij, florum chamæmel. meliloti, roſis anetho, radic. cyperi, caryophyll. acori, zedoar. bacc. iuniperi.

Vt ℞. *Abſinthij*, *roſar. rubr.* an. M. ſem. *radic. cyperi*, Vnc. ſem. *maſtiches*, Drach. iii. *caryophyll. macis*, an. Drach. ſem. Cum ſindone rubrâ F. Sacculus.

Vel vngatur ventriculus ol. abſinthij, menthæ, cydoniorum, maſtichino, nardino, nucis moſch. Deſtillata ſunt efficaciora.

Naribus quoque quædam non inutiliter contra vomitum adhibentur odoramenta: vt mentha, ruta, acetum, aqua roſarum, panis item toſtus aceto madidus.

Si iis omnibus vomitus non tollitur, ad laudanum opiat. accedendum, cuius gr. iii. cum Syr. vel conſeru. conueniente exhibenda.

Eſt & hoc obſeruandum, ſi materia ſit maligna, quæ ventriculum vellicat, ea eligenda, quæ ſimul malignitati reſiſtunt, vt C. C. terra ſigillata, bolus Armenus, corallia, margaritæ, cum conſeruâ roſar. acetoſæ, rob ribium, berber. quibus addi poteſt aliquid Theriac. vel Mithridatij.

## *Alui fluxus.*

Alui fluxus in febribus ſæpe oriuntur ob humores ad inteſtina fluentes, & vel copiâ vel qualitate expultricem ſtimulantes; vel quòd virtus ita debilitata ſit, vt excrementa retinere nequeat. Nonnunquam & fluxûs colliquatiui accidunt, cùm ob cauſæ malitiam & magnum æſtum quaſi colliquati humores ad inteſtina fluunt. Ob poſteriores duas cauſas ſi alui fluxus accidat, res cum ſummo periculo coniuncta eſt, raróque ægri conualeſcunt, & tum id vnicè agendum, vt cauſæ vehementiæ & malignitati reſiſtatur. Ob alias verò cauſas ſi fluxus accidat, modò qualia oportet euacuentur, ſi æger bene ferat, ſiſti non debet. Si enim ſiſtatur, & materia, quæ euacuari debebat, retineatur, retenta ea longè peior euadit, & poſtea rurſum fluxum perículoſiorem excitat, vel ad partes nobiles regurgitat, & ſymptomatum peſſimorum author eſt. Si verò ſponte non ſiſtatur fluxus, & ob diuturnitatem, vel virium deiectio, vel dyſenteria metuenda ſit: initiò illi humores acres & inteſtina vellicantes abſtergantur, & per lenia ſoluentia moti humores educantur, & quidem per talia, quæ poſt ſe adſtrictionem relinquunt: qualia ſunt rhabarbar. præcipuè in ſubſtantiâ ſumptum, ſyr. roſar. ſolut. myrobalani.

Poſtea ea exhibeantur, quæ ſeu acrimoniam ſeu malignitatem humorum corrigunt, & adſtringunt. Vtiliſſimum eſt, talia cibis admiſcere. Ergo ſemen acetoſæ, berber. ſumach, quod commodiſſimè cibis admiſcetur; radic. tormentill. nodulo includantur, & in iuſculis ebulliant. Cum cibis etiam ſumantur vel miſceantur Syrupus vel miua Cydoniorum, Syr. ribium, berberis, ſpec. diamargar. frig. corallium, C. C. bolus Armenus, terra Sigill. Vtile etiam eſt lac ex amygdal. dulc. & ſem. 4. frig. maior. ac papauere cum aquis conuenientibus paratum. Eadem quoque extra cibum exhiberi poſſunt. Et præter iſta conſerua roſ. antiqua. conſeru. tormentill. quæ valdè efficacia ſunt, vt & ipſa tormentill. quocunque modo ſumpta, rob ribes, diatragacant. frigid. camphora, vinum granator. cydoniorum, decoctum C. C. Trochiſci de terrâ Sigill. de carabe, de ſpodio: Cryſtallus in bile æruginosâ, quem ſuprà ex Ioh. Langio, *lib. 1. ep. c. 4.* porraceæ & æruginoſæ bilis ac dyſenteriæ alexipharmacum diximus, quod ex eodem etiam repetit Valleriola, *lib. 4. enarrat. cap. 3.* Vterque verò proculdubio, ex Petri Aponenſis libro de venenis ſumpſit. Atque hæc omnia ferè in fluxu bilioſo locum habent.

Si fluxus verò ſit lientericus & à causâ frigidâ, vtiliter ſumitur Maſtiche cum roſatâ nouellâ. Per aluum iniiciantur Clyſteres abſtergentes tantùm, ex decocto hordei, addito ſaccharo & melle roſato. Poſtea adſtringentes vſurpari poſſunt, ex roſis rubris, plantagine, conſolidâ, tormentill. cum ol. menthæ, myrtino, roſaceo. Extrà quoque applicentur, quæ ventriculum atque inteſtina roborant, vt pulpa cydoniorum in aceto cocta, & alia, quæ in vomitu ſunt propoſita. Niſi his fluxus ſedatur, ad laudanum opiatum, Philonium, Theriacam recentem veniendum. Videndum tamen, ne fluxus alui ſit ex obſtructione venarum meſaraïcarum. Tunc enim adſtringentia nocent: vſurpanda verò hordeum, Rhaponticum, diatrionſantalon, ſpica nardi, & alia aperientia & ſimul roborantia.

## *Lipothymia & Syncope.*

Tandem Lipothymia & Syncope in febribus nonnullis, inprimis malignis, ægros infeſtare ſolent, ad quam tollendam medicamenta roborantia Cor, ſuo loco propoſita conueniunt. Exhibenda videlicet Conſeruæ, Syrupi & aq. roſar. borrag. bugloſſ. meliſſæ, Syr. acetoſit. citri, de cortic. citri, de rubo Idæo, tunicis vinum granatorum, confectio Alkermes, ſpec. cordial. temperatæ, Elect. de gemmis, diamargarit. lignum aloës, corallia, margaritæ, emulſio margarit. cum aquâ roſar. borrag. & cinamomi parata, tinctura & ſolutio coralliorum, ſolutio perlarum. *Lipothym. & Syncop.*

Vt ℞. *Conſeruæ roſ. tunicis*, *borrag. bugloſſ. acetoſell.* an. Vnc. i. *margarit. præparat.* Drach. i. *oſſ. de C. C.* Scr. ii. *C. C. ſ. vſtion. præparat.* Drach. ſem. *fol. auri*, num. vi. *confect. Alcherm.* Drach. i. ß. Cum *Syr. acetoſ. citri*, F. Electuar.

Vel ℞. *Ambr. gryſeæ*, p. viii. *moſch.* p. i. *ſacch. albiſſ. parum*, Tere affundendo aliquid *ſpiritûs roſar.* F. inſtar pultis.

Hinc ponatur in vitrum clauſum in cellam in arenâ per menſem. Poſtea iterum aliquid ſacch. & ſpiritûs roſ. affunde, iterum repone. Dotis piſi magnitudine in liquore conueniente.

Extrà applicentur pulſibus & cordi ſacculi ex roſis, ligno aloës, ſantalis, corticibus citri, radic. Ireos, meliſſâ, flor. borrag. bugloſſ. vel linteamina aquis ex eiſdem madida apponantur.

Vt ℞. *Cortic. citri flauor. roſar. rubr. ſantali citrin. galang. macis*, an. Drach. i. ſem. *ſpec. diamoſch. dulc. zedoar. caryophyll. meliſſ.* an. Drach. i. *camphor.* Scrup. ſem. F. ſacculus, qui irroretur aq. meliſſæ & aceto roſ.

Vnguenta itidem cordialia ex vnguento roſaceo, ol. deſtill.

destill. citri, caryophill. cinamomi, rutæ, croco, camphorâ parata.

Odoramenta omnes spiritûs recreant, qualia parantur ex aquâ rosar. cinam. carfunculi, vino, radicibus Ireos. Vtilis est ad hanc rem puluis in dispensat. August. sub titulo; puluis violatus odoratus.

Mulieribus tamen, ea, quæ odoratiora sunt, tutò non semper admouentur. Habenda quoque in hisce ventriculi ratiò, cùm illa animi deliquia non rarò à ventriculi orificio ortum habeant: Quod si fiat; exhibendus panis vino odorato vel vino granatorum madidus, fomentandúsque est ventriculus decocto absinthij, menthæ, flor. rosar. rubr. chamæmel. & aliis, quæ in singultu sunt explicata.

Hæc, quasi obiter & appendicis loco, de quibusdam & frequentioribus, quæ febricitantes infestare solent, symptomatibus dicta sint. Qui plura de horum & aliorum, quæ febribus accidunt, symptomatum causis & curatione cognoscere cupit: eos, qui ex professo hac de re scripserunt, consulat. Vt enim symptomata talia rectè tollantur, causarum, quæ vnius symptomatis non semper eædem, cognitione exactâ omnino opus est. Quàm quia sæpe vulgus & empirici negligunt, non leuiter errant. Dum enim, quæ vni graui aliquo symptomate laboranti, profuisse animaduerterant, aliis, qui simile quid patiuntur, causæ inuestigatione neglectâ, adhibent, sæpe accidit, vt ægris non solùm non prosint, sed & noceant: cùm eadem symptomata à diuersis causis proueniant.

### *Conclusio.*

Atque hæc, Lector Beneuole, sunt quæ de Febribus iam dicere potui, Voluissem plura, & meliora, & forsan potuissem, si otium illud, quo nonnulli abundant mihi quoque concessum fuisset. Verùm hæc pleraque inter morbos epidemios superiorum annorum, & crebras ægrotantium interpellationes, animo hinc inde distracto, conscripta fuerunt. Pro quibus ipsis tamen Deo ter Opt. Max omnium bonorum authori, gratiæ immensæ debentur. Ideóque Hymnum, quem, sub initium anni 1614. Febris quartanæ, quâ laboraueram, & pestilentiæ grassantis periculis liberatus atque ereptus, Deo Seruatori cecini, hîc subiungere, & quasi votiuam tabulam suspendere volui imò debui.

*Ergo iterum desueta diu, iámque obsita longum*
*Spisso plectra situ in numeros animare canoros*
*Inclyta facta iubent, Bonitásque immensa Iehouæ.*

*Eja age Mens, Cor, Lingua, & corpore quicquid in hoc est,*
*Exerere, &, quascunque potes, nunc collige vires,*
*Totúmque in laudes te magni effunde Iehouæ,*
*Mens eja exerere, & meritas Patrique Deóque*
*Clementi grates persolue, atque omnia in vnum*
*Sis conferre memor laudum ornamenta Iehouam.*

*Ille quidem iustus Deus est, abnormia plectens*
*Facta hominum: at facilis veniæ & placabilis idem*
*Non memores durus producit longiùs iras:*
*Sed leuat oppressos vltrò, gemitúsque precantum*
*Audit, nec blandi affectum Patris exuit vnquam,*
*Nam scit, quàm nostra fragilis sit fabrica massæ.*

*Ecce etenim! vrentis me vis longinqua tenebat*
*Morbi; languebam, ceu flos, cui feruidus Auster*
*Abstulit afflatu succum gratúmque decorem:*
*Iam mihi mors atra ante oculos, tenébraque sepulchri*
*Versari. Tum clamaui: ne, quæso, dierum*
*Nunc abrumpe mihi numerum; Pater optime, parce,*
*Audiit orantem, & mea mî peccata remisit;*
*Audiit orantem, & morti tenebrísque sepulchri*
*Me bonus eripuit; cordi, membrísque vigorem*
*Reddidit antiquum; & curas tristémque dolorem*
*Lætitiâ, luctúmque hilari mutauit ouatu.*

*Post cùm præsentem intentarent omnia mortem,*
*Vt tenebras mortis vitarem & mille pericla,*
*Me baculo rexit Pastor bonus: ille sinistrâ,*
*Et dextrâ strages inter morientium, & inter*
*Pestiferi occultè volitantia tela veneni*
*Liberum ab interitu seruauit, méque, sub alis*
*Ceu pullos gallina, manu omnipotente tueri,*
*Et tutum in mediis voluit præstare periclis.*

*Summa; DEVS bonus est, & quàm promittere larga*
*Spes vnquam potuit, largitur plura benignè.*

*Ergo tot toties liber, Deus alme, periclis,*
*Ergo tot toties auctus, Pater optime, donis,*
*Quid faciam? quo te iam gratus munere donem?*
*Nil habeo, DEVS: omne tuum est, quod Pontus & Æther,*
*Quod Tellus habet. Hoc vnum mihi restat egeno,*
*Vt grates tibi persoluam. Quare accipe grates:*
*Verùm quas valeo, non quas tibi debeo grates.*

*Magnus es, ô DEVS, atque tuum mirabile Nomen;*
*Magnus es, & nullis prensandus sensibus, omne*
*Immensum humani ingenij excedis acumen,*
*Principium sine principio, te nulla coërcet*
*Meta, nec vllius te claudit terminus æui:*
*Nil tibi cras, vel Heri; sunt cuncta Hodie, Omnia sunt Nunc:*
*Omnia scis, & cuncta potes: Tu Totus vbique*
*Cuncta reples; præsens sustentas omnia; præsens*
*Cuncta regis, cunctis tua dat præsentia vitam:*
*Omnia habes; nullius eges, mutabile nil est*
*In te: cuncta agitas; nec te tamen omnia agentem*
*Exercet labor; est requies, sunt otia semper*
*Læta tibi; in te vno requies tua; sufficis vnus*
*Ipse tibi: melius nil te: nil omnia præ te:*
*Omnia sunt à te, per te sunt omnia, & in te,*

*Magnus es, ô DEVS, & totus mirabilis idem es.*
*Verùm cuncta tua superat facta inclyta dextra*
*Erga mortales miseros Clementia Amórque,*
*Atque super cunctos Bonitas tua maxima cœlos*
*Eminet immensum. Lapsis peccata remittis,*
*Erigis oppressos, mediáq; in morte iacentes*
*Seruas, & morti ereptos in pristina reddis.*

*Sed quò plura cano, restant mihi plura canenda:*
*Deficiunt vires; dextra benefacta benigna*
*Non obtusa capit mens hæc; mea lingua, meum cor*
*Non laudes æquare tuas, non facta referre*
*O verè miranda potest, lingua hæsitat, & mens*
*Tot donis cumulata stupet, tanto aucta fauore.*

*Ergo cùm desint vires, tibi prompta voluntas,*
*Et grato placeant hæ fusa è pectore grates.*

*Sed, Pater, & porrò antiquo me amplectere amore.*
*Auxiliúmque, à te sperantem rebus in arctis*
*Non sperata ope destitue: spes credula ne me*
*In te confundat fidentem. In corpore sano*
*Da sanam mentem, vt læto te pectore semper*
*Laudare, ac rectè, mihi quæ expedienda dedisti,*
*Officiis fungi, & tua iussa capessere possim.*
*Pestiferi depelle procul contagia morbi,*
*Et tandem depone graues, vt mitis es, iras;*
*Vndique sit nobis salua hæc Sarepta; nec ignem,*
*Nec pestem, nec bella, famemuè, aut quicquid alumnis*
*Nempe tuis Satana minitatur visque dolúsque,*

*Ploret: in excubiis cœli felicis alumni*
*Stent vigiles: saluus sit defensoribus istis.*
*Cum Patriâ Patriæ Pater, & Schola floreat annis*
*Leucorea innumeris serorum ad secla nepotum*
*Vt commissa sibi Diuina oracula, Linguas,*
*Atque Artes, Diæ famæ monimenta, propaget.*

*Sic cor, sic linguam, sic corpore quicquid in hoc est,*
*In laudes animabo tuas; Te luce canam, te*
*Nocte canam, penitæ fibræ te pectoris, & quod*
*In me est cunque tuam Bonitatem almámque fauorem.*
*Perpetuò celebrabunt, & tua facta sonabunt:*
*Inclyta facta, tuæque feram miranda potentis*
*Gesta manûs, viuens dum spiritus hos reget artûs,*
*Quin natis narrabo meis illa omnia, natique*
*Vt natis porrò narrent memoranda iubebo.*

*Verùm quid promitto, Deus? promittere quicquam,*
*Me quando intueor, mea cùm promissa recordor,*
*Ausim ego? quin potiùs sic tendo ad sidera palmas.*

*Qui mentem expromptam, Deus, & qui Velle dedisti,*
*Da quoque posse: etenim sine te mea nulla potestas,*
*Idem fac rectis adsit Constantia factis.*
*Dux operum semper tua sit Sapientia, ab alto*
*Illam mitte throno cœli, scintillula lucis*
*Diuinæ ignigenis radiis emissa pigrantem*
*Fomitem in ingenij mentem hanc accendat, amore*
*Vsque vt inexstincto Verique calescat & Æqui.*
*Vt vitæ, quod restat, iter, pérque auia, pérque*
*Obscuras mundi tenebras, & nubila cœca,*
*Prælucente facem te, recto tramite pergam.*

*Sic erit, vt quondam felici sede receptus,*
*Cum Cherubim, Seraphim, & Cœlestis ciuibus aulæ*
*Omnibus, æterno celebrem tua numina cantu,*
*Et,* Sanctus, Sanctus, Sanctus, Ter Maxime, Térque
Optime, *non cessante canam per secula ouatu.*

FASCICV

# FASCICVLVS
# MEDICAMENTORVM
## PESTILENTIA GRASSANTE,
## DIVERSIS TEMPORIBVS,

*PRO*

Diuerſis Rebuſpubl. à Clariſs. aliquot Medicis præſcriptorum, iuxta ordinem annorum & Reſpub. diſpoſitus.

# MEDICAMENTA CONTRA PESTEM, CONSCRIPTA ET COLLECTA A PETRO SIBYLLENO, REIPVBL. EGRANÆ MEDICO,

Anno 1564.

*Trochiſci fumales* D.Pfeils, *quibus Illuſtriſsimus Saxon. Princeps* Mauritius *vſus fuit.*

℞. **B**ENZOI *mundi in aq. roſar. macerati & rurſus exſiccati,* Vnc,ii. *Styrac. calam.* Vnc.ß. *ſantal.citrin.* Drach. ii. ſem.*lig.aloës,* Drach.i.ſem.*roſar.* Vnc. iii.ſem.

Mixta tundantur in mortario ad horã vnam,pòſt addatur.*ſacch.finiſſ.*Vnc.i.*moſch.*g̃.xv.*diſſoluti in aq.roſar.* contundantur omnia ad horæ dimidiũ:addantur *zibeth.* g̃.vii. *mucilag. tragac.ex aq. roſ.q.ſ.*Fiant Trochiſci.

*Candelæ vel Trochiſci,qui apud Comites & nobiles in Miſnia & Saxonia in vſu ſunt.*

℞. *Benz.* ℔.ß. pulueriſ. craſſiuſculè & infundatur in aq. roſ.per diem naturalem.

Poſtea ℞. *fol. roſ. rub. recent.* Vnc. iv. *ſacch. finiſ.* Vnc.j. piſtentur longo tempore, tandem adde *Benzoë ſupraſcriptum* & rurſum ſimul tundantur per duas horas, his admiſce,*moſchi,* Drach.i.*ambr.* Drach.ß.*zibeth.* Scr.i. M. ritè & formentur troch. parui & inuoluantur foliis roſ. ſiccentúrque in vmbra, & recludantur in ſcatulám mundam.

*Trochiſci alij pro Conſulibus & magnis viris in vrbibus.*

℞.*lign.aloës,*Vnc.ſem.*benz.*Dra.iii.*moſch.*gr.v.*ſacch. cand.*Vnc.iii.F.ſ.*à.cum aq.roſ.*Trochiſci.

*Alij pro iiſdem perſonis.*

℞.*benzoin.*Vnc.ſem.*ſtyrac. calam.*Dra.ii.*lign.aloës,* Scr.ſem.*ſacch.cand.*Vnc.ij.*moſch.*gr.ii.cũ mucilag. tragacanth.ex aq.roſar.formentur Trochiſci.

Vel ℞. *ladan. benzoi, ſacch.puriſſ.*an. Dra,vi. *moſch.* Drac.ß.M.cum infuſ.tragacanth. F.Trochiſci.

*Puluis præſtans carbonibus inſpergendus.*

℞. *alipt.moſch.*Drac.ii.*benzoin.*Drac.iii.*ſtyrac.calam. ſantal.citr.*an.Scr.i.*lign.aloës,* Scr.ß.*caryoph.* Dr.ß.*nucis moſch.*Scr.i.*cinam.acerrim.*Drac.i.M.fiat Pul.pro fumo.

*Candelæ pro ciuibus ſuauiter redolentes & vſitatæ in quibuſdam Bohemiæ vrbibus.*

℞. *Ladan.* Vnc.iii.*alipt.moſch.oliban.*an.Vnc.i.*thymiam.* Vnc.i.ß. *roſ.rub.aſæ dulc.* an.gr.vi. *ſantal. citr. cinamomi opt.* an.Drac.iii.*myrrh.cortic.aurant* an.Drac.ii. *carbon.tiliæ* ℔.ß.Vnc.ii.*ſtyrac.liquid.* q. ſ. M. cum infuſ. tragacanth. & formentur candelæ pro fumo.

*Sacculus pro veſtibus in ſcriniis.*

℞. *fl. lauend. viol. ſpicæ,* an. M. j. *borrag. bugloſſ. nenuph. meliſſ. baſilicon.* an.p.j. *roſ.rub. non explicatarum,* p.ii. *been. alb. & rub.cortic. citri,ſem.citr.* an. Drach.ß. *lign.aloës.* Scr.i.*caryophyl. macis, cinamomi acerrim.* an. Drac.i.*rad.irid. Illyr.* Scr.i.*aſæ dulc.* Drac.ß. *moſch.* g̃.v. M.contundantur groſſo modo, F. Puluis.

*Pomum Ambræ hybernum.*

℞. *lign.aloës,*Drac.i.*calam.arom.*Drac.ß.*caryophyl.* Scr. ii. *cinamomi acerrim.* Scr. j. *ſem ocym. caryophyl. citri,*an. Scr.i.*nucis moſch.* Scr.i.ß. *roſ.rub. maioran.* an. Drac.i.ß.*rad.valerian.diptamn. tormentill.* an. Scr. ſem. *myrrh.*Scr.ſem.*cubebar.* Scr.i.*ſp.diamoſch.*d. *diambr.*an. Scr.i.*ſem. nigell.* g̃.vi. *oliban. maſtich.* an. Drac ß. *rad. angelic.* Drac.ii.*zedoar.* Drac.i. *doronic.* Scr.i.ß. *caphur.* g̃.iiii. *ladani puri, ſtyrac. calam.* an. Drac.i. ſem. cum ſtyrace liquid. & modico olei ſpicæ odorif. F. Pomum cui adde, *ambr.gryſeæ.*g̃.vi.*moſchi.*g̃.vii.

*Pomum ſtiuale.*

℞. *terebinth. cum aq. roſar. ſemel atque iterum lotæ,* Drac.i.*ladan.puri,*Drac.ii.*roſar.rub.* Drac.ß. *ſantal. omnium,* an.Drac.i. *fl.violar.bugloſſ. nenuph.*an.Scr.i. *cort. granator. citri,* an.Scr.i. *caryophyll.croci,macis* an. Scr.i. *zedoar.* Scr. ii. *camphor.* Scr. ß. cum mucilag. gumm. Arabic. cum aq. roſar. extract. & ſtyrace liquidâ F. Pomum. Poſſunt addi gr.vi.Moſch.in aq.roſ.diſſoluti.

*Pro Pauperibus.*

℞. *rutæ recent.* M. i. Contundatur in mortario, adde aceti vini q. ſ. & agitentur inter ſe in mortario, deinde exprime ſuccum per telam lineam raram, hunc ſerua,imbue in eo ſpongiolã,includéque in orbiculum perforatũ ex ligno iuniperino,&alternis diebus renoua.

*Pomum Ambræ pro pauperibus hyemale.*

℞. *fol.rut.* Scr.ii.*maioran.* Scr.ſem.*roſ.rub.* Scr.i. *lign. aloes*, gr. iv. *rad. angelic.* Drach. i. *ſtyrac. calam. ladan. puri*, an. Drach.i. *caphur.* gr. IV.*cera citrin.* Vnc.i. cum aq. roſ.F.Pomum.

Aliud ℞. *fol.rutæ,ſummit. abſint.* an. n°.XXIV. *maioran.* Scr. ſem.*zedoar.* Drach.ſem.*angelic.* Drach.i..

Contundantur & macerentur in aceto, ligentur in telam lineam rubr. & includantur ligneo pomo iuniperino proforato.

*Sacculus cordialis.*

℞. *ſem,acetoſ.citri, cort. citri been. alb. & rub. croci Oriental. integr, ſantal. omn. ſpic. Indic. corall, rub.* an. Drach. ſem. *flor. borrag. bugloſſ. roſmar. roſ. rub.* an.p.i. *Sp. diamoſch. d. latit. Galen. cordial, liberant.* an. Scrup. i.

F. ſ. a. ſucculus quadratus interpaſſatus ex ſindone rubeo duplici.

*Aqua vitæ præſtantiſſima præſeruatiua Cl. Dn. D. Auguſt. Schurf.*

℞. *Vini ſublimati optimi ex optimo vino* ʒ. *vel quater diſtillati* ℔. i. in quo infundantur, *caryoph. piper. nigr. granor. Paradiſ.* an. Drach.i. ß. *Nucis moſch.* Drac.i. *Macis* Drach.ii. *cinamomi, Zingiber. alb. galang.* an. Drach. ii. *Zedoar.* Drach. i. ſem. *Cubebar. lign. Aloës* an. Scr. ii. & gr. ii. omnia craſsè contuſa ſtent in infuſione per d. 8. poſtea diſtillentur ſ. a. in M. B. Deinde,

℞. *illam aq. diſtillatam, & Miſce cum Zedoar. diptam. alb. gentian. angelic. cardui ben. cardopatij* an. Drach. i. *Santal. alb. citr.* an. Drach. ſem. *Moſch.* gr. iii. *caphur.* gr. iiii. *Theriac. Mithridat.* an.Vnc.ſem.

Stent ſic commixta ad dies tres, poſtea iterum diſtillentur,vt priùs.De iſtâ aq. exhiberi poteſt. Vnc.ſem. cum Drah.Theria.& Vnc. iii. aq. acetoſ. vel plus vel minùs, ſecundùm naturam & conditionem infirmi & morbi.

*Electuarium præſeruatiuum eiuſdem.*

℞. *Spec. el. de gemm. liberantis*, an. Drach. ii. *de Hyacinth.* Scr. ii. *ſmarag. rubin.* an. Scr. i. ſem. *margarit. perfor. & non perforat.* an. Scr. ii. *corall. rubr. alb. ſpodij, raſur. Ebor.* an. Drach. ſem. *ligni aloës* Drach. ſem. *oſſ. de C. C* n°. ii. *C. C. vſt. in aq. roſar. extincti, ſem. acetoſ.* an. Scr. ii. *ſantal. omnium* an. Drach. ſem. *rad. diptam. alb. tormentill.* an. Scr. v. *terr. ſigill.* Drac. ſem. *boli Armen. ſem. citri, roſ. rub.* an. Scr. ii. *croci.* Scr. i. *fol. Auri puriſſ.* num. xxx. *moſchi, ambr.* an. gr. iii.

Terantur lapides pretioſi in vino odorifero ſ. a. Deinde add. *Sacchar. cand.* Vnc.xvii. *cinamomi elect.* Vnc. i. ſem. M. F. Puluis. Doſ. ʒ. i. in curatione, verùm in præſeruatione ℈. i.

*Aliud præſeruatiuum & curatiuum eiuſdem.*

℞. *Myrrh. croci* an. Drach. ii. *oſſ. de* C. C. Drach. i. *diptam. alb.* Drach. ii. *Zingib. alb.* Vnc. ſem. *Caphur.* Drach. i. *tormentill.* Drach. v. *Zedoar.* Drach. iiii. ſem. *ſerpent. pimpinell.* an. Drach. i. *theriac. opt. mithridat.* an. Drach. ii. M.cum *Aq.vitæ q. ſ.* F. Electuarium. Doſ. in curationem Drach.i ſem. cum aq. acetoſ. Vnc. iii. In præſeruatione Scr. i.

*Electuarium D. Iouochſu Colonienſis.*

℞. *Cinamomi electiſſ.* Vnc. ſem. *nuc. moſch. rad. tormentill. boli Armen.* an. Drach. ii. *Zedoar. doron. Roman. macis. ariſtolochiæ rotund.* an. Drach. ii. *fol. menth. coriand. præp. aniſi, carui, coralliorum. ſantal. rub. fl. borrag. bugloſſ.* an. Drach. ſem. *rad. Endiu. cichor. taraxac. fol. piloſell. rad. pimpinell. præmorſ.* an. Scr. ii. *oſſ. de.* C. C. *margarit. perforat. fragment. ſapphiri, granati*, an. Scr. i. *xyloaloës*, Scr. ii. *croci* Scr. i. *conſeru. roſ. antiq.* Vnc. i. *ſacchar. albiſſ.* & *mellis deſpumati* an. q. ſ. *ſucci ſcabioſæ & acetoſ.* an. Vnc. i. M. F. ſ. a. Electuarum.

*Puluis D. Caſparis Lindemanni.*

℞. *fragment. Hyacinth.* Drach. i. ß. *ſmaradg. ſapphir. rubini*, Scr. ii. *margarit. non perforat.* Drach. ii. Scr. i. *corall. rub. alb. ſpodij de canna. raſur. eboris. lign. aloës*, an. Drach. ſem. *oſſ. de* C. C. n°. IX. *ſerici crudi.* C. C. *vſt. in aq. roſar. extinct. ſem. portulac. acetoſ. coriandr. præp.* an. Scr. i. *ſantal. omnium* an. Drach. i. *been. al. & rub. rad. tormentill. terr. ſigill boli Armen. roſ. rub.* an. Drach. i. Scrup. ij. *ſem. citri* Drach. i. *caphur.* gr. vj. *fol. auri* n°.XXX. *moſch. ambræ gryſ.* an. gr. vij. M. F. Puluis.

*Puluis eiuſdem, tempore hyberno.*

℞ *Cinamomi electiſ.* Drach. ii *nuc. moſch. caryoph.* an. Drach. i. ſem. *rad. valerian. pimpinell. tormentill. cort. citri, rad. vincetox enul. camp.* an. Drach. ii. *ſantal. citr.* Drach. i. ſem. *corall. vtriuſque* Drach. i. *carab. alb.* Drach. i. ſem. *terr. ſigill. boli Armen.* an. Drach. iii. C. C. *vſt* Drach. i. *caphur.* Drach. ſem. *margarit. orient.* Scr. ii. *ſpec. elect. de gem.* Drach. ſem. *ſem. baſilic. acetoſ. coriandr. citri*, an. Drach. ſem. *fl. ſcabioſ. anthos, roſ. rub. borrag.* an. Scrup. j. *ligni aloes* Drach. ſem.

Pulueriſentur omnia ſubtiliſſ. F. Puluis. Exhibeatur cum vino odorifero, vel cum aq. acetoſ. vel alterius aq. cordial. Drach. i. in curatione, in præſeruatione Drach. ſem.

*Morſelli D. Doct. Iohannis Bohemi.*

℞. *rad. diptam. pimpinell.* an. Drach. i. ß. *ſantal. omnium.* an. Drach. i. *cinamomi, lign. aloës.* an. Drach. i. ß. *oſſ. de* C. C. Scr. i. *raſur. ebor. margarit. ſapphir. rubin. hyacinth.* an. Drach. ſem. *vnicorn.* Scr. ſem. *been vtriuſque, ſem. acetoſ. citri excorticati*, an. Drach. ß. *cort. citri* Dra. j. *ambræ moſch.* an. gr. v. *auri præp.* Scrup. ſem. *ſacch. albiſſ. in aq. acetoſ. & ſcabioſ. diſſ.* ℔. j. ß.

F. Confectio in Morſulis vel rotulis. Huius medius morſulus manè & veſperi ſumitur in præſeruatione.

*Electuar. eiuſdem ex Zedoaria.*

℞. *Myrrh. aloës, croci, oſſ. de* C. C. *diptam. alb.* an. Scr. ii. *Zingiber. alb.* Vnc. ſem. *caphur.* Drach. ſem. *rad. tormentill.* Vnc. i. Scr. ii. *ſerpent. pimpinell.* an. Scr. i. *zedoar. elect.* Vnc. ii. Scr. ii. *Theriac. veræ Andr. Mithridat.* an. Vnc. iii. cum *aq. peſtil. q. ſ.* F. Electuar.

Huius ℞. manè quantit. auellanæ, tempore præſeruationis: ſed in affectione peſtis Drach. i. vel Scrup. ii.

*Electuarium confortatiuum in præſeruatione pro pauperibus, eiuſdem Bohemi.*

℞ *Ficuum rec.* ℔. ſem. *nucleor. iugland.* ℔. ß. *rutæ.* Vnc. ſem. *ſalis communis* Drach. i. ß M. & contund. omnia in mortario, F. inde Electuar. add. *ſucc. acetoſ.* Vnc. ii. *ſyr. acetoſ. citr.* Vnc. i De hoc manè ſume portionem quantitate iuglandis.

*Electuarium,*

*Electuarium, quod in vſu habuit M. Vldaricus Leonorus Medicus Pragenſ.*

℞. *Theriac. Alexand. opt. conſeru. roſ.* an. Vnc. ß. *mithridatij*, Vnc. i. *caphur.* Scr. iii. *zedoar. rad. diptam. angelic. gentian. ariſtol. rot. tormentill. valerian. præmorſ. pimpinell. leuiſtic. veronic. baccar. lauri* an. Scr. ii. *myrrh. rub.* Dra. i. *boli Armen. præp. in aq. acetoſ. abluti. terræ ſigill.* an. Vnc. ſem. *croci* Dra. ſem. *cinamomi electiſſ.* Dra. ii. *Sp. elect. de gem. f. & cal. diamoſch. d. diamarg. f. diatrion ſant. off. de.* C. C. an. Scr. ii. *electuar. regij.* Vnc. ſem. *ſyr. acetoſ. citri* Vnc. ii. *aq. vitæ contra peſtem deſcript. Arnoldi de Villa nouâ.* Vnc. i. M. omnia ſ. a. additis & commixtis *auri foliat. foliis* x. F. Electuarium probatiſſimum.

Vſus huius remedij eſt: tempore præſeruationis magnitudine fabæ particula manè horis 4. ante prandium ſumitur. Tempore verò curationis in comparatione fortis naturæ & adulto viro datur de eo pondere ducati. Mulieri in pondere aurei Rhenani: puero vel puellæ pondere aurei Rhenani medij. Tempore hyemis, ſi peſtis cum frigore aut tremore inuadit, exhibetur cum vino Rhenenſi & prouocatur ſudor: in æſtate cum calore ſi inuadit peſtis, diſſoluitur Electuarium hoc cum aq. acetoſ. aut aceto vini, aut aceto roſ.

*Electuarium aliud familiare, ſed valde præſtans D. Ion. Caſtneri.*

℞. *nucleor. recent, excort.* ex *iugland.* n°. xx. *ficuum. recent.* n°. xv. *fol. rut. ſummit. abſinth. ſcabioſ.* an. M. i. *ariſtoloch. vtriuſque* an. Vnc. ß. *tormentill. pimpinell diptam. alb. baccar. lauri excortic.* an. Drach. iii. ſem. *rad. gentian. valerian.* an. Drach. i. *off. de* C. C. Drach. i. *boli Armen. præpar. terr. ſigill.* an. Drach. iiij. *macis, cinamomi elect. caryoph.* an. Drach. i. *maſtich.* Drach. ſem. *lign. aloës, zedoar.* an. Drach. i. *baccar. iuniper. matur.* Drach. iii. Omnibus contuſis adde deinde. *Theriac.* Vnc. i. ſem. *aceti roſ.* Vnc. ſem. *vini opt.* Vnc. iii. M. &. F. Electuarium, cui adde *ſalis communis* Vnc. i.

De hoc Electuario manè particula quantitate auellanæ ſumatur, horis 4. deſuper ieiunando.

*Alia eiuſdem.*

℞. *fol. rutæ* M. i. *ſaluiæ.* M. ſem. *omnium deſiccatorum & pulueriſator. rad. pimpin. ſicc. & contuſ.* Vnc. i. ſem. *gentian.* Drach. i. *cardamom.* Vnc. ſem. *baccar. iuniper.* Vnc. i. *nucleor. recent. ex inglandib.* Vnc. i. *baccar. lauri excort.* Vnc. ſem. *ſerpental.* Drach. ii. *rad. tormentill.* Drach. ii. ſem. *bol. Armen. præp.* Vnc. ſem. His omnib. contuſis & in puluerem redactis adiice *Theriac. Alexand.* Vnc. i. Mixta cum Vnc. ſem. *aceti roſar.* rurſus mortario contundantur & commiſceantur.

Manè de hoc Electuario 4. horis ante prandium auellanæ quantitas ſumitur.

*Puluis eiuſdem præſtantiſsimus & à multis approbatus.*

℞. *Aloës hepatic.* Vnc. ii. *myrrh. el.* Vnc. ii. *croci oriental.* Vnc. ſem. *cinamomi, coriandr. præp. aniſi.* an. Drach. iij. *rad. tormentill. boli Armen. præp.* an. Vnc. i. ß. *terr. ſigill.* Vnc. ſem. *baſilic.* Drach. ii. *beën alb. & rub.* an. Drach. i. *cortic. caſſiæ lign. matris perlar.* an. Dra. ſem. *off. d.* C. C. *corall. rub. raſur. Ebor. rhabab. el.* an. Dra. ſem. *ſp. el. de gemm.* ℈. i. *aromat. roſ. Gabriel.* Dra. i. *lætit. Galen.* Dra. ſem. *Sacchar. cand.* Vnc. ſem. M. F. Puluis. Doſis eius Dra. ii.

*Puluis Saracenorum ſatis præſtans.*

℞. *rad. tormentill. diptamn. alb. tunic.* an. Vnc. ſem. *ſem. citri, boli Armen. præp.* an. Drach. ii. *off. de* C. C. *corall. vtriuſque*, an. Drach. i. ß. *trium ſantal.* an. Drac. ſem. *rhabarb. el.* Dra. ſem. *ſpicæ* gr. iiij. *caphur.* Dra. i. M. F. Puluis.

*Confectio in Morſellis.*

℞. *ſp. de gem. Meſ.* Drach. ii. *liberant.* Drach. i. *radic. angelic.* Scr. iiii. *zedoar.* Scr. i. ſem. *cardopat.* Drach. ſem. *pimpinell.* Drach. ſem. *caryophyll. cinamom. acerrim.* an. Scr. iij. *croci, cardamom.* an. Scr. ſem. *diptamn.* Scr. j. *beën. alb. & rub.* an. Scr. j. *fol. rut. calament.* an. Scr. ſem. *vnicornu* Scr. ii. *ſmaragd.* Dra. ſem. *margarit. granator.* an. Scr. i. *fol. auri*, n°. xvi. *amb.* Drach. ſem. *ſacchar. q. ſ. cum aq. roſ. & aceto diſſol.* F. Confectio in Morſulis: Doſis pro viris Drach. j. adoleſcentibus, Drac. ſem.

*Confectio alia in rotulis.*

℞. *ſpec. diatrionſant. el. de gemm.* an. Drac. ii. *rad tormentill. diptamni. zedoar. zingiber. cortic. citri, macis, cinamomi acerr.* an. Drac. i. *off. de* C. C. *croci.* an. Scrup. ß. *ſp. aromat. roſ. Gabr.* Drac. ii. *ſaluificantis*, Vnc. ſem. *fragment. lap. pretioſ.* an. Drac. i. *ſacchar. q. ſ. in aq. ſcabioſ. & roſar. diſſoluti*, F. Confectio in rotulis.

*Puluis haud contemnendus D. Doct. Sturciadis pro diuitibus.*

℞. *boli Armen. præp. rad. tormentill. diptam.* an. Vnc. i. *cinamomi acerrim. corall. alb. præp.* an. Drach iij. *rhabarb. elect.* Drach. ß. *terræ ſigill. corticis citri, beën. alb. & rub. ſantal. citrin. raſur. ebor. margarit. ſem. ſancti in aceto per diem infuſi*, an. Drach. ii. *carabe, macis*, an. Drach. i. *ſem. acetoſ. endiu. portulac, ſpodij. lign. aloës. off. de C. C.* an. Scr. ii. *ſerici combuſt. ſmaragd. granat. hyacinth. rubin. ſapph.* an. Drach. i. *auri & argenti foliat.* an. Scr. i. *ſpicæ nardi* gr. iii. *vnicornu* Scr. i.

F. Puluis. Doſ. Drach. i. ſumpta in vino odorifero.

*Cerotum. D. Sturciadis ſub alis & in inguinis applicandum.*

℞. *Aloës epat. myrrh. opt. gall. moſch. alumin. ſucci acac.* an. Drach. ß. *caphur.* Scr. ſem. *roſar. myrtill. corall. rubr. ſantal. omnium* an. ℈. i. *ladani* Dra. i.

F. puluis. M cum oleo lilior. ex florib. parato & cum aq. roſ. omnibus mixtis q. ſ. F. cerotum.

*Iulep præſeruatiuum pro deliciis.*

℞. *Conſeru. roſar. meliſſ. borrag. bugloſſ.* an. Vnc. ii. *ſyr. de acetoſ. citri*, Vnc. i. *aq. acetoſ. ſcabioſ. roſar. pimpin.* an. Vnc. ii. M. F. Iulep.

*Puluis præſeruatiuus pro infantibus.*

℞. *Rhabarb. el.* Drach. i. *C. C. vſt. aloës lot. præp.* an. Scr. i. *ſem. ſancti*, Scr. ii. *ſem. acetoſ.* Scr. i. ß. *caulium* Scr. ß. *citri, pulu. lumbric.* an. Drach. ii.

M. F. puluis. Eius doſis eſt ʒ. i. diſſoluta in aq. ſacchari

*Conditum pro grauidis.*

℞. *conſeru. roſar. borrag. bugloſſ.* an. Vnc. i. ſem. *roriſmar. citri condit.* an. Vnc. ſem. *bol. Armen. præp.* ʒ. ii. *Zedoar. dictamni croci, tormentill.* an. Dra. ß. *Syr. de ſucco*

*Borrag. cortic. citri* an. q. ſ. *fol. auri aliquot.*

M. ſ. a. F. Conditum. Doſis eſt prægnantibus quantitas mediæ auellanæ; hauſtu deſuper exiguo ex vino ſumpto.

### *Alexiterium in formâ electuarij M. Iohan. Bohemi Vvittebergenſis.*

℞. *rad. tormentill. pimpinell. cort. citri*, an. Vnc. i. ſem. *angelic, terr. ſigill, veræ. boli Armen. veri præp.* an. ʒ. ß. *Trochiſc. de caphur.* Dra. i. *myrrh. elect. aloës lot. cum aq. roſ. Zedoar. macis, garyophyl, nuc. moſch. baccar. lauri, zingib*, an. Dra. j. *croci oriental.* Drach. i. ſem. *oſſ. de C. C.* Drach. ſem. *C. C. vſt. ac loti*, Drach. ii. *diptamn, Cretic. ireos, gentian. ſem. cardui ben. citri* an. Drach. j. *ſp. diapliris. c. moſch. diamarg.* an. Drach. j. *diambr, diamoſch. dulc. el. de gemmis* an. Drach. i. ſem. *theriacæ optimæ, Mithridatij*, vel *diaſcordij Fracaſtor.* an. Vnc. i. *ſyr. acetoſ. citri* Vnc. ij. pulueriſanda pulueriſentur diligenter, deinde cum Theriaca & Mithridatio incorporentur, donec omnia bene vniantur & cum ſyr. acetoſ. citri F. Maſſa mediocriter ſolida. Detur Drach. i. ſem cum aq. acetoſ poſt inciſionem venæ, & ſudet ac non dormiat. Puero Drach. ſem. datur. Sed in præſeruatione manè horis 4 ante prandium Scru. i. exhibetur.

### *Alexiterium D. Stephani Vvilde, Medici Zvviccauienſis.*

℞. *rad. Angel. veræ, ariſtoloch. vtriuſque vnicornu, gentianæ, galangæ* an. Vnc ſem. *cortic. citri, croci, cinamomi, pimpinell.* an. Drach. ij. *ligni aloës, ſerici crudi, diptam. Cretic. tormentill. limatur. auri, margaritar.* an. Drach. i. ſem. *oſſ. de C. C ſem. acetoſell. boli Armen. præp. terræ ſigill. veræ, raſur. eboris, doronici, ſantalor. omnium* an. Scru. iiij. *baccarum lauri, abſinth. beën alb. & rub. fragment. 5. lap. pretioſ.* an. ℈. ii. *paſſular. mundat.* Vnc. i. *ſacchar. cand.* Vnc. ii. *caphur.* Drach. ii. M. F. ſ. a. Electuarium ſolidum.

Idem eſt vſus ſeu vtilitas cum ſuperiore.

### *Electuarium ſiue hauſtus Iouis barbarè dictus.*

℞. *Theriac. opt. Alexand. & el.* Vnc. iii. *rad. tormentill. ſubtiliter pulu.* Vnc. i. M. in modum Electuarij. Deinde

℞. *vini ter deſtillati* Vnc. iii. *camphor.* Vnc. ſem. in mortario agitentur, & fiat ſeorſim aqua, quæ ſeruetur in vitro. Signetur aqua pro hauſtu Iouis.

Vſus huius electuarij eſt.

℞. *elect. modò deſcripti* Scr. iiij. *vini ſublimati c. camph.* ʒ. i. *aq. ſcabioſ. & acetoſ.* an. Vnc. i. Detur hæc doſis infecto. Quiſquis enim in peſte hanc medicinam vſurpauerit, eamque retinuerit & deſuper ſudauerit, euadet.

### *Antidotus monachorum.*

℞. *diptamn. Cretic. tormentill. ariſtoloch. long.* an. Drach. ii. *Zingib. alb. Zedoar. cinamomi el.* an. Vnc. ſem. *oſſ de C C, vnicorn. ligni aloës* an. Drach. i. *camphor.* Vnc. ſem. *ſacchar. cand.* Vnc. i. *Mithridat. Theriac. Vet.* an. Drach. ij. F. cum Syr. acetoſ. citri Electuarium.

### *Pilulæ præſeruatiuæ peſtis & ventris lenitiuæ Spirenſes.*

℞ *Oſſ. de C. C. croci, ſpodij, ſem. ocymi* an. gr. xv. *ligni aloës* gr. xii *boli Armen. præp. cum aq. roſ.* Scr. ß. *camphor. beën alb. & rub.* an. gr. vij. *fl. bugloſſ.* Drachm. ſem. *garyophyl. cortic. & ſem. citri, Zingib. el. omnium mundatorum* an. Scr. ſem. *ambr. gryſ.* gr. iij. *Hyacinth. granati* an. gr. v. *agaric. el. rhabarb. opt.* an. Drach. i. *ſpicæ.* gr. v. *aloës* Drach. iij. ſem. & g. iiij. cum *aq. bugloſſ. & ſaluiæ.* F. Maſſa oblonga, quæ in vmbrâ exſiccari permittatur.

### *Pilulæ aliæ cuiuſdam excellentis Medici, eiuſdem virtutis.*

℞. *fol. ſcordij* Drach. j. ſem. *ſummit. centaur. min. agaric. trochiſc. aloës opt.* an. Drach. i. *ſummit. agerati, ſem. ſantonic. nigell. aniſ. garyophyl.* an. Drach. i. ſem. *C. C. vſt. præ. pulu. ſuccin. albiſſ. ſem. acetoſ.* an. Drach. ſem.

Pulueriſentur omnia per ſe, poſtea aſpergantur ſucco aurantiorum, mixto cum acerrimo aceto vini, & aq. roſarum æquis portionibus & permittantur exſiccari, maceretur ſepties, vltimo addendo *croci* gr. xii. *Moſchi, ambr.* an. gr. x. cum *ſyr. de ſucco aurant.* F. Magdaleon vel maſſa.

### *Electuarium præſeruatiuum D. Georgij Curionis.*

℞. *ſucc. Diptam. ſucci folior. rutæ ſylu.* in vere; in æſtate verò ℞. eorum radices exſiccatas, an. Vnc. vi. Deinde.

℞. *Nucleor. ex iuglandib. excortic.* Vnc. iii. *fol. rutæ domeſt.* Vnc. iii. *ſalis gemm.* Vnc. i. *ambræ* Vnc. ſem. vel ad minus Drach. iii. *ficuum ſiccarum* ad pondus omnium, *Theriac. opt.* ſextam partem, *myrr. opt.* Vnc. i. *baccar. lauri* Vnc. ſem. cum melle deſpumato q. ſ. F. Electuarium.

### *Aliud eiuſdem.*

℞. *Nucum recent. iugland.* n°. xx. *caricar.* n°. xvi. *rutæ.* Vnc. iii. *ariſtoloch. long.* Vnc. i. *tormentill. diptam. lauri* an. Vnc. ſem. *ſalis communis* ad quantitatem nucis Gallicæ, *mellis* q. ſ. F. Electuarium.

Sumatur omni manè in quantitate nucis Gallicæ, addendo pro lubitu, *theriac. Andromach.* q. ſ.

### *Puluis præſtans D. D. Spirenſium probatus & in præſeruatione & curatione.*

℞. *Imperat. carlin. phu, enul. ariſtol. rot.* an. Dra. ſem. *pimpin.* Drach. i. *ſem. citri, cordial.* an. Scr. i. *cardui ben.* Scr. i. *ligni aloës, croci, caryophyl. cardamom. macis*, an. Scr. i. *ambr. moſchi*, an. gr. viij. *cinamomi*, Drac. iii. *ariſtoloch. long. zedoar.* an. ℈. i. *gentian.* ℈. ſem. *ſem. meliſſ. maioran. agni caſti*, an. Dra. ſem. *raſur. ebor. C. C. vſt. carabes*, an. Dra. ſem. *vnicornu*, ℈. ij. *tormentill.* Dra. ij. *ſantal. citrin.* Dra. i. ſem. *roſ. rubr.* Dra. ſem. *camphor.* ℈. ſem. *boli Armen. terr. ſigill. ver.* an. Dra. ij. *corall. alb. rub*, an. ℈. i. *limatur. auri, margarit. ſmaragd.* an. Dra. ſem. *ſapphir. Hyacinth. Granat. Rubin.* an. Scrup. ſem. *Sacchar. q.* videbitur.

### *Conditum Peſtilentiale.*

℞. *Conſeru. violar. roſar. borrag. bugloſſ. citri*, an. Vnc. ſem. *ſpec. de gemm. fr. diamoſch. dulc. ſem. citri, acetoſ. verben. gentian.* an. Scrup. ſem. *boli Armeni præp. terr. ſigill.* an. Scrup. iij. *rad. diptamn. tormentil. zedoar. doronic. oſſ. de C. C. Hyacinth. ſapphir. rubin. Granat. margarit. coralliør. rub. ſantal. omnium, raſuræ eboris, ſpodij Vnicornu*, an. gr. vi. *diarrhod. Abbat. diatrag. frig.* an. Drach. ſem. *fol. auri*, n°. iv. *ſyrup. granat. q. ſ.* F. conditum & deauretur.

### *Confectio in Morſellis D. Sommerfelts.*

℞ *gran. iuniper. betonic. cinamomi el. nuc. moſch. macis, caryophyl. Zedoar.* an. Scr. iiij. *ſaluiæ, menth. rutæ,*

cichor.

*cichor. ſerpentar. angelic. ariſtol.long.& rot. enulæ campan. diptamni , gentian. tormentill. baccar. lauri* , an. Drach. ß. *ſantal. amb. croci, doronic. ſem. acetoſ. leuiſtic. citri, erucæ, oliban. maſtich. terr. ſigill. præp. myrrh. ſpodij, raſur. ebor. oſſ. de C. C. vnicorn. margarit. præp. ſapphir. ſmaragd. corall. rub. ligni aloës* an. Scr. i. *boli armen.* Dra. v. *ſacchar.* q. ſ. diſſoluti in *aq. acetoſ.* q. ſ. *camphor.* Scrup. ſem. F. Confectio in morſulis.

*Confectio in Rotulis eiuſdem.*

℞. *Santal. vtriuſque, roſar. rub.* an. Scr. ij. *ſem. acetoſ. citri*, an. Scr. j. *margarit.* Scr. ij. *been alb. & rub. oſſ. de C. C. ſerici combuſt.* an. Scr. j. *ſmaragd. Hyacinth. Sapphir. vnicorn.* an. Scr. ſem. *ſem. baſilicon. doronic.* an. Scr. i. *El. regis* , *diaborrag.* an. Vnc. ſem. *Sacchar. tabarzet* q. ſ. F. diſſoluto ſaccharo in aq. roſ. confectio in Rotulis.

*Sacculi redolentes contra aëris infectionem pro vſu pharmacopolij.*

℞. *maioran. baſilic. lauend. roſar.* an. Vnc. ſem. *cortic. aurant.* Drach. iij. *meliſſ.* Drach. ij. *ſtyrac. calam, cinamomi* , *ſantal. citr. zedoar. macis* , *caryoph.* an. Drach. i. *ſem. acetoſ. coriand. endiu.* an. Drach. ſem. *camphor.* Scr. ſem. *ſpicæ Celtic.* Drach. ij. *croci* gr. v. M. F. Sacculi quotquot volueris & in duplici ſindone exhibeantur.

*Pilulæ præſeruatiuæ peſtis & prauorum humorum in corpore eductiuæ D. Sixti Kolbenſchlag.*

℞. *aloës ſuccot. lot.* Drach. iij. *myrrh.* Drach. j. ſem. *ambræ* Dra. j. *xyloaloës* , *oſſ. de C. C. ſerici crudi* an. Scr. ij. *beën vtriuſque* , *tormentill. boli Armen.* an. Dra. i. *valerian. diptam.* an. Dra. ſem. *croci* Dra. ſem. *rhabarb. el.* Drach. j. ſem. *agaric.* Drach. j. *ſpicæ* Scr. j. ſem. *ſalis gemm. zingib.* an. Scr. j. *cortic. citri* Drach. j. *ſchœnanth. aſari* an. Scr. j. *Nuc. moſch. caryophyl.* an. Scr. ſem. *myrobalan. chebul. Indor. citrinor* , an. ʒ. ß. *diagryd. correct.* Drach. ij. *margaritar. camphor.* an. gr. vi. cum Syr. de acetoſ. citri vel de limonib. F. Maſſa pilular. aut cum ſucco acetoſ. vel aq. abſinthij. Doſis eſt, Drach. j.

*Pilulæ peſtilentiales D. Sommerfelts.*

℞. *myrrh. croci* , *carab. boli Armen. corall. rubr.* an. Dra. j. *terræ ſigill. præp.* Drac. ij. *diptamn. zedoar. ſem. acetoſ.* an. Dra. ſem. *camphor.* gr. vi, *aloës lot.* ad pondus omnium. F. pilulæ ad magnitudinem peſtilentialium cum Syr. acetoſ. citri.

*Electuarium liberantis pro pueris.*

℞. *ſem. ſanton. bol. Armen.* an. Drach. ij. *ſem. caulium, citri*, an. Dra. ſem. *rad. tormentill. enulæ*, an. Scr. ii. *corall. rubr.* Scr. ij. *ſmaragd. Hyacinth. Sapphir.* an. Scr. ſem. *raſur. eboris, ſerici crudi, ſem. Plantag.* an. Scr. j. *ſacch. albiſſ.* Vnc. viij. *aq. acetoſ. ſcabioſ. cardui ben.* an. q. ſ. F. confectio in rotulis.

*Experimentum præſtans in peſte & omni veneno, ſæpe probatum.*

℞. *rad. méu, Olſenichij* an. ℔. j. *angelic.* Vnc. v. *diptamn.* Vnc. iij. *tormentill.* Vnc. ij. *pimpinell.* Vnc. i. ß. *Vnicorn. opt.* Dra. vi. *Theriac. veter. opt.* ℥. ij. ſem. *Mithridat.* Vnc. j. ſem.

Hæ radices omnes debent eſſe recentes & colligendæ circa duo feſta beatæ virginis, quæ collectæ & antè mundatæ, poſtea ſubtiliter incidendæ ſunt, tandem deſuper fundatur *vini optim.* quod emineat duobus vel trib. digitis ſuper præſcripta ingredientia. Stent per diem & noctem in infuſione , tandem diſtillentur cautè & reponantur in vitro, & detur patienti bonus hauſtus , ieiunet deſuper hor. vi. tandem à ſudore detur ei citonium aſſum ad edendum, poſt huius vſum dentur ei cibi facilis coctionis, & parum.

*Contra peſtem mirabile.*

℞. *rad. tormentill. chelidon.* an. Vnc. iiij. *ſcabioſ. rutæ*, an. M. j. ſem. *aceti vini.* ℔. iiij.

Coquantur per quadrantem horæ & dimittantur infrigidari. Huius decoctionis

℞. Vnc. j. in quâ diſſolue , *Theriac.* Drach. ij. *boli Armen. præp.* ʒ. i. ſe. M.

*Hauſtus ſudatiuus optimus.*

℞. *Theriac. electiſſ. elect. liberant.* an. Drach. ſem. *Mithridat. Aure. Alexandr. pulu. diptamn. zedoar. terræ ſigill. croci hortenſ.* an. Scr. j. *boli Armen.* Scr. ij. *aq. ſcabioſ. ſambuc. ſolatri* an. Vnc. ſem. *vini ardentis, aceti* an. Vnc. ſem. M.

*Alius hauſtus expertus.*

℞. *Theriac. el.* Drach. j. *Mithridat.* Scr. j. *elect. de croco* Scr. ſem. gr. v. *ſpec. liberant.* Drach. ſem. *aq. roſar. ſcabioſ. acetoſ.* an. Drach. j. M. Da infecto.

*Aqua vitæ ſaluberrima & vtiliſſima in peſtis infectione.*

℞. *Zedoar. diptam. alb. gentian. angelic. cardui ben.* an. Vnc. ſem. *ſantal. alb. citrin.* an. Drach. ij. *moſch. opt.* gr. v. *camphor.* Scr. ſem. *Theriac, Mithridat.* an. Drach. vj.

Infundatur in noſtrâ aquâ vitæ : Stent in infuſione per iij. dies, poſtea F. diſtillatio in B. M. Deinde.

℞. *caryophyl. piper. nigri, gran. Paradiſ.* an. Drach. ij. *Nuc. moſch.* Vnc. ſem. *macis*, Vnc. j. *cinamomi, zingib. galang.* an. Vnc. j. *zedoar.* Drach. ſem. *cubebar.* Vnc. ſem.

Infundantur in aquâ vitæ noſtrâ , ſtent in infuſione per dies viij. poſtea diſtillentur ſ. a.

*Hauſtus alius.*

℞. *aq. bugloſſ.* Vnc. vj. *margarit.* Scr. i. ſem. *raſur. auri Vngar.* Scr. j. *vnicorn. veri*, Scr. ſem. M. F. Potus.

*Electuarium peſtis.*

℞. *myrrh. croci* , *oſſ. de* C. C. an. Scr. ij. gr. viii. *diptamn.* Drach. ij. *zingib. albiſſ.* Vnc. ſem. *camphor.* Drach. ij. *zedoar.* Scr. viij. *tormentill.* Drach. j. *Theriac. Mithridat.* an. Vnc. iij. M. cum aq. vitæ F. Electuarium.

*Puluis optimus & expertus à quodam ruſtico contra omnia venena.*

℞. *rad. valeriæ.* Vnc. iiij. *vincetox.* Vnc. j. *polypod.* q. Vnc. i. *angelic. ver.* Vnc. j *vrtic. min.* Vnc. j. *angelic. ſylueſtr.* Drach. vj. *alth.* Vnc. ij. *cort. rad. coccognid.* Vnc. i. Hæc ſingula in ollam nouam vitream ponantur, affundendo aceti vini acerrimi tantum , vt duobus vel tribus digitis ſupereemineat, poſtea cooperiatur olla & perlutetur optimè. Bulliant lentè, deinde per mediam horam ſatis bene refrigerentur. Coletur acetum per pannum & abiiciatur. Radicibus verò maceratis

ceratis & coctis addantur baccæ duodecim vuæ lupinæ, & ad ſingulas baccas dena folia vuæ lupinæ. Exſiccentur hæc omnia ſupra fornacem, pulueriſentur, & per cribrum excutiantur. De hoc puluere tempore peſtis propinetur Dra.i.cum vino albo, aut aceto pro diuerſitate temporis.

*Electuarium aliud ſalubre.*

℞. *Fol.ſcordij* Dra.vi. *Zedoar. angelic. garyophyl. tormentill. diptamn. vulg.* an. Dra.ii. *gentian.* Dra.i.ſem. *croci orient.* Dra.i. *theriac. veræ Andr.* Vnc.i.ß. cum *Syr. de ſucco ſcordij*, F. Electuarium.

*Theriaca cuiuſdam D. Norimberg.*

℞. *terræ ſigill. tormentill.* an. Vnc.i. *boli præp. diptamn. zedoar.* an. Vnc. ſem. *ſmaragd. auri finiſſ.* an. Dra. ſem. *ſem. citri mund.* Dra.i. *ambræ* Scrup.i. *croci* Dra.i. F. omnium puluis, qui infundatur in *ſyrup. limon.* ſiue *acetoſ. citri* ℔.i.

Stet tribus diebus in infuſione, deinde.

℞. *Theriac. opt. mithridat* an. Dra.i.ſem. deinde commiſc. & F. Electuarium.

*Hauſtus ſæpe probatus.*

℞. *Vini diſtillati ſepties opt.* Dra.vi. *camphor.* Dra.ſem. *croci* in quantitate mediæ lentis. M. detur infecto poſt venæ ſectionem in aq. acetoſ. aut Borrag.

*Electuarium curatiuum nobiliſſimum contra peſtem D. Hupertij.*

℞. *tormentill. pimpin. angelic. diptam. alb.* an. Vnc. ſem. *valerian. magiſtrant. morsus diab. gentian. ſerpentar.* an. Dra.ii. *ariſtoloc. vtriuſque, chelidon. vngul. caball. plantag. mai. caryophyllat. cort. rad. capp.* an. Dra.ii. *Zedoar.* Dra.iii. *Herb. rutæ, verben. veronic.* an. Vnc. ſem. *ſcabioſ. gran. laur. iuniper.* an. Dra.iii. *cortic. citri, ſem. citri, acetoſ.* an. Dra.ii. ſem. *been alb. & rub. doronic. lign. aloës, cinamomi* an. ʒ.ii. *galang.* ʒ.ii.ſem. *myrrh.* ʒ.iii. *raſur. ebor.* C.C. *vſt. Carabes*, an. Drac.ii.ſem. *bol. Armen. terr. ſigill.* an. Vnc. ſem. *ſalis* Drach. ii. *nucum iugland. ab vtroque cortice mundatar.* nº.xl. *ficuum pingu.* nº.xxx.

Pulueriſanda pulueriſentur, ficus & nuces incidantur. Coquantur demum cum ℔.ſem. mellis deſpumati, inſtar opiatæ. Vltimò add. *Theriac. opt.* Vnc.ii. *Mithrid.* Vnc.iiii. M. ſimul.

*Infuſio contra peſtem D. Aubuſimi.*

℞. *Bol. Armen. terr. ſigill. amborum in aq. roſ. & aceto præp.* an. Vnc.vi. *rad. diptam. alb. pimpinell. tormentill. valerian. zedoar. gentian.* an. Vnc.ii. *angelic. imperial.* Vnc. iiii. *fl. vetonic. herb. ſcabioſ. cardui ben.* an. M.ii.

Herbæ & radices lauentur cum vino alb. deinde incidantur & infundantur in aceto & vini deſtillati an. ℔ vi. Huic infuſioni add. Theriac. veter. lib. i. Doſ. pro ſenioribus Vnc.ii. pro iuniorib. Vnc.i.ſem.

*Electuarium cuiuſdam Bauarici Medici.*

℞. *pulu. ſaluificant.* Vnc. ſem. *ſpec. liberant. lætificant. Raſis* an. Drach.i.ß. *zedoar.* Dra.ii. *rad. angelic.* Dra.iiii. ſem. *cardopat.* Dra.ii. *camphor.* Scr.iiii. *doronic.* Dra.ſem. *fol. rutæ* Scr.ii.ſem. *terr. ſigill. præp.* ʒ.ii. *vnicorn.* ʒ.i. *oſſ. de* C.C. Scr ii. *ſulphur. rub. præp. caryophyl.* an. Dra. iii. *ſpec. lætifi. Galen.* ʒ.i. *diamarg. aromat. roſat. deſcr. Gab.* an. ʒ.i. *ſerici vſti* Scr.ii. *xyloaloës crudi* Scr.ii. *margarit. præparat.* Scr.ii.ſem. *fol. auri* nº.xxii. *manus Chriſti perlat.* Vnc.i. *elect. de ouo* Vnc.ſem. *theriac. veter.* Vnc.vi. *Mithrid.* Vnc. ii. Cum *Syrupo de ſucco acetoſ.* F. Electuarium.

*Trochiſci præſtantes & ſingulares tum in præſeruatione, tum in ipſâ peſte ſub linguâ inter ſudandum tenendi.*

℞. *pimpin. ſcabioſ. tormentill. zedoar.* an. ʒ.i.ſem. *angelic.* ʒ.ii.ſem. *raſur. ebor.* ʒ.i. *ſpec. el. de gemm. diamargar. diamoſch. d.* an. ʒ.ß. *ſem. rutæ, acetoſ. citri* an. Scr.ii.gr.viii. *myrrh. elect.* ʒ.ii.g.v. *alipt. moſch. galliæ moſch.* an. Vnc. ſem. *Theriac.* ʒ.v. *Mithrid.* Vnc.i. *vnicorn.* ʒ. vi. *Sacchar. tabarz.* Vnc.xviii. cum mucilag. Tragacanth. F. Trochiſci, demum inuoluantur in ſpec. liberantis.

*Trochiſci redolentes pro fumo in conclaui ipſius ægri.*

℞. *lign. aloës ladan.* an. ʒ.i. *Styr. calam.* ʒ.ſem. *moſch. opt.* gr. ii. *Sacchar.* Vnc. i. ſem. Cum aq. *roſ.* F. Trochiſci.

*Puluis præſeruatiuus & curatiuus peſtis à Doct. Viennenſibus ordinatus*

℞. *Hyacinth.* ʒ.i. *ſmaragd. Rubin.* an. ʒ.ii. *margarit.* ʒ.i.ſem. *corall. amb.* an. ʒ.iiii *boli Armen.* Vnc.i. *cryſtall.* ʒ.i. *lap. hæmat.* ʒ.i. *diptamn. tormentill. zedoar. angelic. doronic. morſ. diabol. pimpinell. valerian. been vtriuſque, rhabarb. el.* an. Vnc. ſem. C.C. *vſt. præp.* ʒ.iii. *raſur. ebor. ſantal. rub. & citr.* an. ʒ.i. *croci*, ʒ. ſem. *cinamomi elect.* Vnc. ſem. *ſerici* ʒ.ſem. *ſem. acetoſ. portulac. coriand.* an. Scr.i. *fl. violar. borrag. bugloſſ. nenuph.* an. ʒ.i.ſem. *roſar.* ʒ.ii. *camphor.* Drach. i. *fol. aur. argenti* an. num. x. M. F. ſ. a. Puluis.

*Electuarium D. Caſtneri.*

℞. *Conſer. fl. tunic.* Vnc.ii. *acetoſ.* Vnc.i. *Theriac. Venet.* Vnc.v. *Mithridat.* Vnc.ii.ſem. *rad. Angel.* Vnc.ſem. *tormentill.* ʒ. i.ſem. *diptam.* ʒ.ii. *zedoar.* ʒ. iii. *boli Armen. præp.* ʒ.ii. *cardopat.* ʒ. i. ſem. *fol. rutæ* ʒ.i. *croci oriental.* Scr.i.ſem. *camphor.* Scr.iii.ſem. *ſulphur. rub. præp.* Scr.v. *vnicorn.* Scr. ii. ſem. *ſmaragd.* ʒ.i. ſem. *margar.* Scr. ii. ſem. *fol. auri* nº.xv. *ambræ* Scr.i.

Cum *Syrup. acetoſ. citri* & *ſucco acetoſ.* F. Electuarium.

*Aqua Bezoartica multum commendata.*

℞. *Caryophyll. piper. long. granor. Parad.* an. Drach. i. ß. *nuc. moſch.* ʒ.i. *macis, cinamomi, Zingiber. alb. galang.* an. Drach.ii. *zedoar.* Drach.i. ſem. *cubebar.* ʒ.i. *lign. aloës.* Scr.ii.ſem. Conquaſſentur omnia & infundantur ſimul in iuſtâ quantitate ſpir. vini rectif. ad iuſtum tempus digeſtionis, poſtea diſtillentur ſ.a. igne primi gr. Deinde.

℞. *Zedoar. diptamn. alb. gentian. angelic. montan. cardopat. cardui ben. petaſi.* an. Vnc.i. *ſantal. alb. citri* an. Vnc. ſem. *moſch.* gr.iii. *camphor.* Scr.ſem. *Theriac. Alexand. Mithridat. opt.* an. Vnc.i.ſem.

Contundantur & iterum miſceantur cum prædictâ aq. deſtillatâ, ac digerantur ſimul tempore conueniente. Poſtea iterum diſtillentur & vſui ſeruentur in vaſe idoneo.

Doſ. eſt cochl.i.ſem. diſſol. in aq. acetoſæ aut roſar.

*Puluis Bezoarticus pro pauperibus D. Kegleri.*

℞. *Caſtor. baccar. lauri*, an. Vnc.ſem. *ariſtol. rot.* Drac. ii. *gentian. nucis moſch.* an. Drach.i. *camphor.* Scr.i. omnia redigantur in puluerem.

*Puluis*

*Puluis pretioſus tempore peſtis haud contemnendus.*

℞. *rad. tormentill. ſerpentar. leuiſtic. corall. alb. turpeth. ſpermatis ceti*, an. Vnc. ſem. *rad. fœnic. cortic. citri*, an. Drach. i. *margarit. granator.* an. Drach. ſem. M.

Ex hoc puluere da Scr.i.mixtum Theriacæ præſtantiſſimæ Dra.i.& acet.vini vel cum aq.ſcabioſæ.

*Emplaſtrum mollificatiuum & maturatiuum.*

℞. *rad.lilior.alth.valerian.raphani,pirethri, ſem. ſinap.*an.vnc.ſem. *gumm.ammoniac. ſagapen. galban. opopan.*an.Drach.vi.*pulu.ſcabioſ. chamæm.* an.Drach.ii. *caricar.ping.* n°.v.*ſucci cæpæ aſſatæ* Drach.ii. *ol.ſcorpion.lilior.viſci quern.* an. q. ſ. Gummi diſſoluantur & F. ſ. a. Emplaſtrum.

*Emplaſtrum aliud mollificatiuum, maturatiuum & aperitiuum, Doctoris Sturciadis.*

℞. *Emplaſtri diachyl.ſimp.* Vnc.iii. *ammoniac. galban.diſſolut.in aceto* Vnc. ii.*ferment.* Vnc.iii. *ſem.ſinap.* Vnc.i.*cappar.aſſatar.*n°.iii.*ficuum pingu.* n°. viii. *vuar. paſſ.ſine arillis* Vnc.i.ſem.

Contundantur, & diſſoluantur ſingula. F. cum ol. roſ.reſinâ & cerâ,in modum Emplaſtri.

*Aliud.*

℞. *lingu.paſſer.rutæ,ſcabioſ.plantag.cortic. med. ſambuci.ebuli* an.M.i.exprimatur ſuccus,cui adde *butyr.maialis* q.ſ.F.Linimentum.

*Topica Spirenſia.*

℞. *Theriac. Venet.* Drach. i. *ſp. diamoſch.* d. *ladan.* an. Scr. ſem. Fiat cum modico oleò de ſpicâ linimentum.

*Emplaſtrum.*

℞.*cap.aſſ.* n°. iii. *ficuum* n°.x. *Theriac el.* Vnc. ſem. *pulu.caſtor.*Drach.i.F.ad formam Emplaſtri.

*Linimentum mollificatiuum & aperitiuum.*

℞.*Mell.* Vnc.ii. *ſalis communis,alb. Græci* an. Vnc.i. *pulu.gran.iuniper.*Vnc.ſem.F.Linimentum.

*Aliud cuiuſdam periti Medici pro bubonibus curandis.*

℞. *Cæpam, eam repleto ficubus, rutâ & optimâ Theriacâ.* Hanc itaque lino craſſo, vel canabe circumligatam aſſabis, ab aſſatione in mortario contundes, atque calidè buboni impones,idque ſingulis horis renouabis.

*Alia familiaria & vſitata Topica medicamenta pro apoſtematibus curandis.*

℞. *rutæ viridis, raphani in taleolas diſſecti*, an.M.i. *ſinap.cochl.*i.omnib.contuſis ſeorſim,deinde M.omnia,ex illis impone apoſtemati.

*Aliud.*

℞. fimum gallin.M. cum albumine oui in formam emplaſtri, quod applicatum apoſtemati extrahit venenum.

Item ℞. medium corticem ſambuci,tantundem farinæ auenaceæ, coque cum optimo craſſo lacte, ad formam pulmenti,& calidè applicetur,quod citiſſimè maturat apoſtema,vt aperiri poſſit.

*Pro Carbunculis & Anthracibus.*

℞. Vuam lupinam Germ. *einbeern.* ea habet 4. folia & in medio nigram baccam. Ex iis folium vnum puſtulis applica quater in die, ſemper nouum apponendo.

---

# MEDICAMENTA CONTRA PESTEM, PRO REPVB. DRESDENSI, Ordinata

## A D. IOHANNE NÆVIO Elect. Saxonic. Medico.

Anno 1566.

*Puluis Præſeruans.*

℞. *Terræ Armeniacæ Orientalis veræ, & ter ex aq. ſcabioſæ ablutæ*,Vnc.ſem.*rad.Scabioſ.tormentill.valerian. Petaſit.gentianæ,ariſtol.rotund.dictamni noſtratis,Enul. cãpan.Angelic.Briſgoënſis*,an.Dra.xv.*Fol.Dictamni Cretici,ſcordij Cretici*,an.Scr.iii.*cardui bened.* Dra.i. *cinam. interioris opt.acuti ſaporis* Dra.ii.ß.*corticũ mali citri* Dra. ii.*ſeminis eiuſd.excort.*Dra.i.ß. *acetoſ.*Dra.i.*ſancti*,Dra.ß. *cornu Cerui vſti*,Scr.iiii.*ſcobis Eboris*,Dra.ſem.*ramentorum vnicornu veri,ſi haberi poterit*,Drach.ſem. *coral.ambor.præp.*an.Scr.ii. *Margaritar.oriental.præp* Dra.i. *ſantali lutei, croci Oriental. ſeminis endiuiæ* an. Drach. ſem. *camphor.*Scr.i.*ſuccini albi* Scr.ii. *ligni aloës crudi* Drach. ſem.*oſſium ex corde Cerui* Dra.i.*paſtillorum ex Caphurâ.* Drach.i.

Pulueriſentur ſubtiliſſ. & miſceanrur, mixtis adde *Spec.Elect.de gemmis,confectionis cordialis*,an.Scr. ii. *Folior. auri puri ſubtiliſſ. inciſſ.* num. vii. *ſacchar. albiſſ.* Vnc. ii. Singulis bene commixtis fiat puluis. Doſ.p.i.

*Rotulæ Præſeruatiuæ.*

℞. *Spec.pulueris præſcripti* Drach.vi. *Conſeru. Borraginis,Bugloſſi,roſar.*an.Scr.i.*Sacchar.albiſſ.in.aq. acetoſæ & parum Vini Rhenani diſſoluti* Vnc.vii. Fiant Placentulæ.

*Electuarium Præſeruatiuum.*

℞. *Conſeru.Borraginis,Bugloſſ.Viol.Roſar. acetoſ.* an. Vnc.i.*Roſmar.* Drach.vi. *rad. tormentillæ, Dictamni noſtrâtis,Zedoar.elect.Angelicæ Briſgoënſis* an.Dra.i.*oſſis de corde Cerui veri*,Dra.ſem.*Cortic.citri* Scr.ii. *ſeminis mali citri excort.*Dra.ſem. *Terræ Armeniacæ cum aq.acetoſæ ter ablutæ* Dra.ii. *Sigill.Lemnij Turcici* Dra.i. *ſantal.omnium.*an.Scr.ſem. *Croci oriental.* Scr.ſem. *Theriacæ vete. Andromach.*Vnc.i. *Mithridatij boni* Dra.vi. *aceti roſati cochlearia* vi.*Theriaca cum Mithridat.*in aceto diſſoluatur:deinde addantur pulueres & conſeruæ:& omnia diligenter ſubigantur in mortario ad formam Electuarij: quod folio Auri tegatur.

Sumatur manè magnitudine nucis auellanæ vel per ſe, vel ſex cochlear.aq. ſcabioſæ, aut vini Rhenani, ſed calidè

calidè meliùs, si sumitur cum vrinâ propriâ. Potest etiam parari sine Theriacâ & Mithridatio.

### *Sacculus Cordialis Præseru.*

℞. *Flor. Borraginis, Buglossi, rosʃ. rub.* an. M. sem. *fol. Meliss. Basilic. seu ocymi Gariophyll.* an. Vnc. sem. *Dictamni Cretici* Vnc. sem. *Cort. citri recent.* Dra. iii. *zedoar. electæ* Dra. ii. *santali citrin.* Dra. i. *ligni aloës crudi* Scr. ii. *specier. cord. temperat. confectionis liberantis sine bolo & aloë*, an. ℥. i. ß.

Incidantur flores cum foliis & parum conquassentur: redigantur & reliqua in puluerem crassiusculum, & additis speciebus cum cæteris diligenter mixtis impleatur sacculus Cordialis ex serico rubro factus, & intersuatur.

### *Linimentum Cordiale.*

℞. *Vnguenti de nymphæâ luteâ* Dra. i. sem. *Theriacæ Andromach. Mithridatij boni* an. Vnc. sem. *succi borraginis defecati* Dra. iii. *olei de mace.* Dra. sem. *de croco* Dra. ii. *spec. cordial. temperat. pro Epithemat.* Dra. i.

Misceantur omnia diligenter, donec veniant ad formam linimenti.

### *Pilulæ.*

℞. *Aloës rosat.* ℥. iii. *Rhabarb. electi opt. agarici trochiscati boni* ana ℥. i. sem. *Epithymi Cretici* ℥. sem. *Mass. pilular. Ruffi verar.* ℥. i. *Cornu cerui vsti, rad. Angelicæ* an. Scr. i. *Corallinæ, scordij Cretici, fol. dictamni Cretici, zedoar. electæ, rad. tormentill. santal. lut.* an. Scr. sem. *schænantos* gr. iiii.

Puluerisentur singula & cum aq. acetosæ & modico vini Rhenani fiat massa. Ex qua formentur pro qualibet drachmâ, pilulæ 21. Dos. drach. i. vel sem.

### *Pro Infantibus.*

℞. *Spec. Elect. de gemm. frig.* Dra. i. sem. *liberantis cum bolo* ℥. ii. ß. *diarrh. Abbatis* Dra. i. ß. *Corall. rub. prap.* Dra. sem. *oss. ex corde Cerui vel.* Scr. i. *seminis sancti* Dra. i. *rad. Pæoniæ, Granor. eiusdem excort.* an. Scr. ii. *cinamom. inter. opt.* Vnc. ß. vel Dra. iii.

Puluerisa puluerisanda subtilissimè, adde sacchari albiss. Vnc. ii. F. Puluis.

### *Pro grauidis Rotulæ.*

℞. *Margarit. orient. non perforat.* Dra. sem. *Lapid. pretiosor. ingredien. El. de gemmis* an. Scr. sem. *Cornu cerui vsti* an. Scr. ii. *rad. Pæoniæ, grani. eiusdem excortic.* an. Dra. sem. *spec diamargarit. Auicennæ, confectionis cordialis* an. Dr. i. *sacch. rosati veteris* Dra. ß. *sacchari albiss. in aq. acetosæ & rosarum dissoluti* Vnc. vi. ß. F. Confectio in placentulis.

### *Electuarium Curatiuum.*

℞. *Theriac. veteris Androm.* Vnc. i. *Mithridat. boni, Elect. de ouo* an. Vnc. sem. *Antidoti de sanguinib.* Dra. vi. *rad. tormentill. fol. dictamni Cretici, scordij Cretici* an. Dra. ß. *rad. dictamni nostratis* Scr. ii. *terræ Armeniacæ Oriental. sigilli Lemnij Turcici* an. Scr. iiii. *cornu cerui vsti, ramentor. vnicornu, si haberi poterint*, an. ℥. sem. *seminis acetosæ, mali citrij excort. sancti* an. Scr. i. *caphuræ* Dra. sem.

Puluerisanda puluerisentur subtilissimè, & cum Syr. acetositaris citri q. s. redigantur ad formam Elect. tegantur folio auri.

N. B. Infantibus hoc Electuarium non detur.

### *Aqua.*

℞. *rad. dictamni nostratis, gentianæ, zedoar. electæ, angelicæ Brisgoënsis, Carlinæ, Imperatoriæ, cardui bened.* an. Vnc. ii.

Incidantur omnia & bene conterantur. Deinde.

℞. *Santalor. lutcor. alb.* an. Vnc. ii. *moschi Alex. opt.* Scr. i. *caphuræ* Scrup. ii. *Theriac. veteris. Mithrid. bon.* an. Vnc. iii.

Puluerisanda puluerisentur, & simul omnia ponantur in organum vitreum, quibus superfunde spiritum vini, siue vini destillati boni ℔. iiii. stent in loco calido duobus diebus, deinde colentur per pannum lineum, colatura vsui seruetur. Siquis autem totam compositionem per Alembicum, vt vocant, destillaret, haberet aquam palato magis gratam.

Sumatur manè cochl. i. cum aq. cardui bened. vel acetosæ cochl. iii. pro præseruat.

Infecti sumant cochl. iii. vel. iiii. & sudent aliquot horas.

### *Oleum pro cute & pulsibus & bubonibus.*

℞. *ol. tormentill.* lib. i. *laurini, abietis* an. Vnc. vi. *gummi elemi* Vnc. iii. *hederæ* Vnc. ii. sem. *euphorbij* Vnc. sem. *olibani, ligni aloës crudi* an. Vnc. ii. *mastiches, myrrhæ, aloës, ladani, castorëi, serapini* an. Vnc. ii. sem. *galangæ, cinamomi, garyophyllor. nuc. myristicæ, cubebar. zedoar. elect.* an. Vnc. i. *opopanacis* Vnc. i. *resinæ pini, picis naualis* an. Vnc. sem.

Terenda terantur, & in vas vitreum recondantur, & stent diebus octo in fimo. Postea lento igne destillentur, & oleum exiens diligenter colligatur, & vsui seruetur.

### *Si æger sudore defatigatus fuerit, vtatur sequenti Confortatiuo.*

℞. *Conf. borrag. bugloss.* an. Vnc. i. *rosar. acetosell.* an. Dra. vi. *Rob de ribes* Vnc. i. *de berberis, de cerasis* an. Vnc. sem. *sem. citri excort.* Dra. sem. *terræ Armeniacæ Oriental. sigilli Lemnij*, an. Dra. sem. *margarit. Oriental. splendid. & prap.* Dra. sem. *caphuræ* gr. vi. *corall. rub.* Scr. i. *ossis de corde cerui veri* Dra. ß. *specier. elect. de gemm.* Scr. ii. *syrupi acetosit. citri* q. s.

Fiat mixtura ad formam Conditi. Sumatur sæpe magnitudine Castaneæ.

### *Emplastrum ad Apostemata.*

℞. *Fermenti* Vnc. sem. *raphani* Vnc. i. sem. *farin. sem. sinap.* Dra. i. *cepæ assæ* Dra. ii. sem. *allij assi* Drac. i. sem. *theriacæ* Dra. iii.

Misceantur omnia in mortario, & F. cataplasma apostemati imponendum ter de die.

### *Aliud ex Gummatibus.*

℞. *Caricar. non rancidar.* Dra. iii. *passular. min. exemptis nucleis, gummi Ammoniaci* an. Vnc. sem. *Bdellij, Serapini* an. Drach. ii. sem. *succi Apij* Vnc. ii. sem.

Gummata in aceto dissoluantur: Postea in mortario omnia diligenter misceantur, & fiat Emplastrum.

Applicetur calidè, post sex horas renouetur.

MEDI

# MEDICAMENTA CONTRA PESTEM, CONSCRIPTA

A

## D. IOH. SCHROTERO, Profeſſ. Medicinæ in Academia Ienenſ.

Anno 1566.

*Puluis præſeruans.*

℞. *Zedoar. rad. diptam. alb. gentian. herb. ſcord. carduꝰ ben. acetoſæ*, an. Fiat puluis. Doſ. Dra. i. manè in aq. Cardui bened. vel hyeme in vino albo.

*Electuarium de nucibus.*

℞. *Nuc. iuglandium* xx. *ficuum pinguium*, xxv. *ariſtol. long. & rotund.* Vnc. i. ß. *dictamn. alb. rad. tormentill. pimpinellæ* an. Drach. ii. ß. *fol. abſinth. rutæ, ſcabioſæ, aſari*, an. Manip. i. *bacc. lauri* Dra. ii. ſem. *cortic. citri, galang. macis* an. Dra. i. *flor. borragin.* ʒ. ii. *oſſ. de corde cerui, Myrrh.* an. ʒ. i. *mellis opt. deſpumati* menſuram vnam cum dimidiâ F. L. a. Electuarium, de quo ſumatur quouis manè bolus magnitudine Caſtaneæ.

*Morſuli pro ditioribus.*

℞. *Cinamomi elect. bol. armen. præp.* an. Vnc. i. *corn. cerui vſti, ſem. citri, limon. acetoſæ* an. ʒ. i. ß. *diptamni, tormentillæ, angelicæ ſcabioſæ, cort. rad. borrag. ſantal. omnium* an. Drach. i. *roſar. rub. garyophyl. coriandr. præp. ſem. portulacæ, raſuræ eboris* an. Scr. ii. *ſem. aniſi, marathri, ligni aloës, nucis moſch. ſerici crudi, ſem. iunip. in acet. infuſi, ſem. coti* an. Drach. ſem. *oſſ. de corde cerui, fragment. pretioſ.* an. gr. xv.

Pulueriſatis pulueriſandis omnibus ſubtiliter, cum ſ. q. ſacchari optimi diſſoluti in aqua roſ. & acetoſæ. Fiat confectio in morſulis pondere Dra. ii. Doſis nº. i. antequam aëri te exponas.

*Electuarium pro infantibus & grauidis.*

℞. *Cortic. citri, ſem. citri, coriandri præp. garyophyl.* an. Vnc. ſem. *ſpodij, corall. rub. ligni aloës crud. ſem. portulacæ ocymi, ſantal. rub. raſur. eboris, zedoariæ, nucis moſc.* an Dra. i. *ſem. acetoſæ, terræ Lemniæ* an. Dra. iii. *ſerici minutim incisi, corn. cern. præp.* an. Scr. ii. *cinamom. electi* Vnc. i. *oſſ. de corde cerui*. nº. viii. *margarit. præp. fragment. pretioſ.* an. Scr. iiii. *folior. auri fini* num. xxx. *conſeru. borrag. bugloſſ. roſar.* an. Vnc. ii. *ſy. acetoſ. citri* Vnc. iii. *ſacch. albiſſ. q. ſ. diſſol. in aquis Meliſſæ & Bugloſſ.* F. Elect. in formâ opt.

*Electuarium pro grauidis pauperibus.*

℞. *rad. tormentill. Helenij* an. Drach. vi. *ſem. aniſi. carui* Vnc. i. ſem. Fiat cum melle deſpumato Electuarium.

*Rotulæ.*

℞. *Terræ Lemniæ veræ, boli Armen.* an. Dra. vi. *rad. tormentill. diptamni, ſantal. rub.* an. Drach. ii ſem. *Zedoar.* Drach. ij. *cort. citri, margar.* an. Drach. i. *raſur. eboris, croci, ſcordij* an. Scr. ii. *fragment. præp. Smaragdi, Hyacinthi, Rubini, Sapphyri, corall. alb. carab.* an. Scr. j. *cornu cerui præp.* Scr. iiii. *fol. aur.* num. x. *ſacchari diſſoluti* in aq. roſ. & ſcabioſ. Fiat confectio in rotulis.

*Electuarium.*

℞. *Spec. Diatrionſant. conſeru. roſar. borrag. Nymphææ* an. Vnc. ſem. *boli Armeni, terr. Lemn. præpar. Carlin. Zedoar.* an. Drach. ſem. *fragment.* 5. *lapid. pretioſ.* an. Scr. i. *Mithridat. opt.* Drac. j. *fol. auri* num. iii.

Cum Syr. acetoſitatis citri. Fiat Electuarium.

*Electuarium pretioſum & probatum.*

℞. *Tormentill.* Vnc. iii. *cardui bened.* Vnc. iii. ſem. *Carlin.* Vnc. ii. *terr. Lemn. præp. boli Armen. præp.* an. Vnc. i. *caphur.* Drach. ii. *Moſchi, ambr.* an. Scr. ii. *Theriac. elect.* 7. *annor. Mithridat. opt. & rectè diſpenſ.* an. Vnc. iii. ſem. *ſpecier. diamarg. ſecundùm Nicolaum* Dra. ii. ſem. *aq. vit. ex Maluatico deſtill.* q. ſ.

Pulueriſatis omnibus ſubtiliter ponantur in phialâ vitreâ, & ore ipſius bene obturato maneant in infuſione per 24. horas. Poſtea ſuauiter deſtillentur, vſquequò remaneant feces ſiccæ: & aqua ſeruetur. Cui adde *ſacch. albiſſ. & opt.* ℔. i. ſem. *croci* Drach. ii Bulliant ad ſpiſſitudinem ſyrupi & tunc adde *Zedoar.* Dra. ii. *boli Armen. præp.* Dra. iiii. *terr ſigillat.* Drach. iii. *Carlin. corn. ceru. iuſto tempore collecti & præpar* an. Vnc. i. *lap. ſerpentis* an. Scr. i. *Hyacinthi, Sapphyri, Granati* an. Dra. i. *Margarit. Matris perlar.* an. Dra. ii. *Corall. alb. rubr. ſantal. alb. rubr.* an. Dra. i. *cort. citri, oſſis de C. C.* an. Scr. ii. *beën albi, rubr.* an. Dra. i. *fol. auri* num. xxx. *argenti* num. xxxvi. *Syr. acetoſ. citri, de limonib. acetoſell. rob. ribium* an. Vnc ii. *conſ. roſ. borrag. bugloſſ.* an. Vnc. ii. ſem. M. F. Electuarium.

*Elixir vitæ.*

℞. *Cinam. opt.* Vnc. i. *Roriſmarin. acetoſell. ſcordij* an. M. ſem. *rad. Angelic. roſ. rubr. ligni aloës* an. Dra. i. *ſantal. citrin.* Drach. ſem. *maceris, cardamomi vtriuſque, garyophyl. medul. ſem. cardui bened. oxalidis, citri* an. Scr. i. *moſchi* gr. viii. *Aq. vit. ex vino ter deſtillar.* Vnc. xxii.

Per xv. dies quotidie quinquies agitando in vitro obturato repoſita maneant, poſtea colentur, adde *Syr. de cortic. citri, Miu. cotoneor.* an. Vnc. ii. ſem. Miſce.

*Pilulæ.*

℞. *Aloës elect.* Dra. ii. *myrrh. croci* an. Dra ſem. *rhabarb. elect. Agarici trochiſcati* an gr. xiiii. *caphur.* gr. xvi. *roſ. rubr. ſantal. omn. corall. rub.* an. gr. iiii. *zedoar. tormentill. diptamni, gentian.* an. Scr ſem. Cum Syrupo acetoſitatis Citri Fiat maſſa pilularum.

*Pilulæ magis laxantes.*

℞. *Aloës hepatic.* Dra. vi. *myrrh.* Dra. iii. *croci* Dra. i. *rhabarb.* Dra. ii. *agaric.* Dra. i. ſem. *garyophyl. ſpic.* an. Scr. ſem. *cortic. citri* Dra. i. *tormentill.* Dra. ſem. *ſem. citri* Dra. i. ſem. *ſantal. rubr.* Dra. i. *terr. Lemn. præp.* Scr. ii. *caphur.* gr. iii. Cum Syrupo acetoſitatis Citri Fiat maſſa.

*Pilulæ Hyemales.*

℞. *Aloës ſuccotrin. Agarici trochiſcati*, an. Dra. iii. ſem. *rhabarb. elect.* Dra. ii. ſem. *myrob. chebul.* Scr. ii. *zingib. cinamomi, garyophyl.* an. Dra. ſem. *roſ. rub. corall. vtriuſque* an. Scr. i. *ſem. Citri, myrrhæ, croci* an. Scr. ſem. *rad. Pæoniæ, ſem. eiuſd. Zedoar. diptam. alb. pentaphyll. gentian.* an. gr. vii. Cum *Syr. de corticib. Citri* Fiat maſſa.

### Puluis.

℞. Medull.corn.ceru. Monocerotis an.Dra.i.doronici, Zedoar.an.Dra.ſem.Miſce F.Puluis.

### Trochiſci ſublinguales.

℞. Mithridatij opt. Elect.de ouo an.Dra.ii.rad.angelic.Dra.i.ſem, ligni aloes,maceris an. Drach.i. corticis citri, Iréos, an. Dra. ſem. Alipt.moſchat. Gall.moſchat.roſ. rubr. an. Scr.ii. ſacch. opt. Drach. vi. Cum mucilagine Tragacanthi infuſi in aquâ roſ.& angelicæ, Fiant Trochiſci. æſtate addantur bolus Armenus, flores Nymphéa, Violar.

### Vnguentum pro illis, qui infectos viſitant, quo inungendæ nares bis vel ter quotidie item cor.

℞. Vini Maluatici, ol. Hypericonis an.lib.ſem. Scorpion.roſ.an.Vnc. iii.ſpic. Aceti de vino an.Vnc.ii.ſucc. Meliſſ.Borrag.acetoſ.abrotan.roſar. an.Vnc.i. Pulu.chamædryos, ſalu.roſar.meliſſ. cardui bened. an. M. ſem. rut. verben.menth.florum Hyperic. an.p.i. diptamn.albi.gentian. Ariſtoloch:rotund.aloës, myrrh. an. Dra.i.ß. ladani, ſtyrac.calamit.benzoi an.Dra.ii.ſpic.Dra.ſem.

Bulliant ad conſumptionem humiditatis completam, deinde adde ceræ nouæ parum.

Fiat linimentum, cui, quando ab igne aufertur, adde ſpecier.cordial.temperat.ſantal. rubr. an.Drach ii. Galliæ moſch.veræ Drach. i.ſem. myrrhæ, aloës, ladani, ſtyracis calam. an.Scr.iiii. croci caphuræ, zedoar. diptamni albi, cardui benedicti, chamædryos, iréos, gentianæ an. Dra.i. Miſce Fiat ſ.a. vnguentum.

### Ab infectis ad alios regredientes vtantur hoc puluere ſuffumigatorio.

℞. Bacc.iunip.Vnc.iii. Myrrh.aloës an.Vnc.i.ſuccini, ſant.alb.an.Vnc.ſem.thuris, ſtyracis calamit.ladani, thymiamatis an. Drach.ii. Fiat ex omnibus puluis craſſiuſculus.

### Curatio infectorum.

### Puluis alexiterius pro robuſtis.

℞. Gentian.diptam.alb.torment.an.Scr.i.cardopat.terr. ſigillatæ Turcicæ aquâ acetoſ.lotæ, ſantali rubr. cornu cerui vſti, Zedoar:corall.rubr.præp.an.Scr.dimid.camphor.gr.i. ſem. F.Puluis. Detur in Vnciis tribus aquæ Scabioſæ addendo Scrup. vnum Mithridat. vel Theriacæ optimæ.

### Alius.

℞. Diptamn. alb. tormentill. gentian. Cardopat. zedoar. ſcordij, rad. Cardui bened. thapſi barbati an. Scr.i.

Sumatur in aceto vini, tempore æſtiuo; in vino, hyberno tempore.

Si addere volueris Theriacam, minorem pulueris doſim aſſumas.

### Alius.

℞. ſpec. cordial. Drach. ii. carnu cerui raſi iuſto tempore collecti Drach. i. myrrh. rubr. ſem. ſantonic. an. Drach. ſem. Fiat Puluis ſubtil. Detur in aceto vini calido.

### Aqua Mithridatica.

℞. diptamn.alb.℔.i.rad.tormentill.pentaphyl. an.lib. ſem.zedoar.ſcordij, rut. an.Vnc.iii.ſem. cardui ben.carlinæ, valerian.an.Vnc.ii. rad.pœon.ſem.eiuſdem an.Vnc.ii. aq.nucum lib.viii.chamædr. roſar. ſcabioſ. chamæpit. an. lib. i. ſucci ſcabioſ. angelic. chelidon. galeg. an. lib. i. ſem.

Contuſas radices cum aquis & ſuccis macera ſuper cineribus calidis per 24.hor. poſtea adde vini granator. lib.i.ſem. Mithridat.opt.conſeru.acetoſell. an.lib.i.roſar. borrag. bugloſſ. citrangul. an. Vnc. iiii. Spec. diamargarit. fr. Vnc. i. El. de gemm. Vnc. ſem. diamoſch. d. Drach. ii. F. arte per vitrum diſtillatio ſummâ cum diligentiâ.

### Aqua theriacalis.

℞. Theriac.Androm.rectè diſpenſ.pentaphyll. cum toto an.lib.ſem. conſer.acetoſ.citri, acetoſell.roſar. bugloſſ. borrag.an.Vnc.iiii.rad. diptamn.alb. valerian. angelic. cardui ben.morſus diabol. an.Vnc.iii. galang.ſerpentar.pimpinell.tormentill.pœoniæ, an.Vnc.i.ſem. Cort.citri, ſem.citri ramentor.C.C. ſem.pœon. an.Vnc.i. boli Armen. terr. Lemniæ.legit. an.Vnc.ß. ſantal.omnium, Margarit. fragment.lap. pretioſ. præp. in ſucco limon. ſpec. diambr. an. Drach.iii.caphur.Dra.i. Moſch.Dra.ſem.vini ter deſtillati ex vino optimo lib.vi.aq.nucum lib.iiii. angelic. lib.iii. ſuc.ſcabioſ.rut.verben.pentaphyll.lib.i.ß.

Hæc craſſo modo contuſo infundantur ſimul, exceptâ Theriacâ & conſeruis per dies 2.naturales, & poſtea F.arte deſtillatio per vitrum.

### Aqua alia Deſtillata.

℞. Theriacæ Andromach.Vnc.i.ß.pentaphyl.cum toto, ſem. Pœoniæ an. Vnc.i. rad. ſigill. Salomonis, Helenij, tormentill. Pimpinell. Angelic. Oſtrutij, cornu ceru.vngul.alcis iuſto tempore collect.terræ Lemniæ ver.ſem. Erucæ. Garyophyllor.an.Vnc.ſem.ſem.citri, cinamomi, ligni aloës an. Dra.i. Margarit.cum ſucco.limon.præp.ſantali vtriuſque an.Scr.i. Moſchi.Scr.ſem.

Pulueriſatis omnibus ſubtiliter infundantur per 24. horas in lib.vi.aut ſ.q. aquæ vitæ ter de vino opt.deſtillatæ & poſtmodum fiat arte deſtillatio.

### Alia.

### Infuſio vel Deſtillatio.

℞. Succi Galeg.lib. ß. aut eius loco, ſucci Pentaphylli lib.ſem. Theriacæ Andromachi, Mithridatij opt. an. Vnc. iii. Imperatoriæ, Carlinæ, zedoar. diptamni albi. Angelicæ, Gentianæ, Card.ben.an.Vnc.ii. Pentaphylli cum toto Vnc. i.ſem.ſem. Pæoniæ Vnc.i. ſpecier.elect. lætitiæ Galeno adſcript. Diamargarit.frigid. ana.Vnc.ſem. Caphur. Scr.ii. Moſchi Scr.i.fol.auri num.xv.

Terenda conterantur, & fiat vel infuſio vel deſtillatio in ix.libris Vini ter deſtillati.

### Puluis.

℞. Sacch.candi ʒ.i.Zinzib.alb. Scr.ii. Caphur. Scr.i. Detur calidè in vnciis tribus aq. ſcabioſæ, vel angelicæ.

### Electuarium Curatiuum.

℞. Theriac.Andromach.Vnc.i. Mithridat.elect. Vnc. ſem.ſcordij, galegæ an.ʒ.vi.tormentil.zedoar.diptam.alb. Verben. an.ʒ.iii. Angelic. Carlin. Gentianæ an.ʒ. ii. terr. Lemn.præp.an.ʒ.i.ß. Caphuræ ʒ.ii.ſpec. Diamarg. Scr.ii. Diamoſchi dulcis ʒ.ß.Cum ſyr.de ſcordio fiat Electuar.

Potio

*Potio pro Grauidis.*

♃. *Sem. Pœoniæ maris* num. xv. pulueriſentur. & coquantur in *vnc.* iii. *aq. Meliſſ.* vnicâ ebullitione, poſteaaddatur. *Pulu.Card.bened.zedoar.Tormentill.*an. Scr. ii. *Aceti de vino* Scr.i. Miſce Fiat potio. Hyeme pro aceto ſumatur vinum.

*Ad Bubones & Apoſtemata Emplaſtrum attractiuum.*

♃. *Ammoniaci, Euphorbij, Caſtorei, Opponacis, Galbani* an. Vnc.ß. Diſſolutis in *vino adde, ſem. Erucæ, ſinapis, Raphani* an. Vnc. ß. *ſquillæ* Vnc. i. *Fæcum ol.lini.* Vnc. ſem. *ſtyr. calam* Drach. ii. *Cantharid.* num. xij. *Ceræ & ol.lini & vini ſublimati* q. ſ. Fiat. Emplaſtrum.

*Emplaſtrum de Fuligine Camini Iacobi Riccij.*

♃. *Theriac.opt.Mithridat.*an.Vnc.ß.*Fermẽti, Terebinthinæ* an. Vnc. ii. *Mellis roſ.* Vnc. i. ſem. *Butyri recentis* Vnc.i.*ſalis communis* Vnc. i. *Fuliginis camini* Vnc. ii. ß. *ſaponis ſaracenici* Vnc.iii. *Croci*, Drach.iij.*Vitell. ouorum quatuor.* Piſtentur. omnia. & fiat Emplaſtrum.

## MEDICAMENTA IOH. GVINTERII ANDERNACI. Anno. 1566.

*Antidotum ad Peſtilentiam.*

♃. *Fol.abſinth.Cnici agreſtis ſeu Cardui bened.chamædryos, chamæpytios* an.M.ß.*ſiue* Vnc.i.*Flor.Bẽtonicæ altilis, Buglosſi, Scabioſæ, Cyrſij ſeu Borraginis* an. P. i. *ſemin. citri, Acetoſæ, Portulacæ, Petroſelini, Coriand. præp.* an. Drach. ß. *ſemin. aniſi, fœnicul. ammeos*, an. Scr. ii. *Bacc. iunip.* Drach. i. *Garyophyll.* Scr. iiii. *Corticis citri, aurant.* an. Drach. i. ſem. *ligni aloës ſ. agalochĩ. ſantalor. omn.*an.Drach.i.*cinamom.electi.* Drach. iii.*galangæ*, Drach.i.ſem.*rad. Pimpinell.Dictam. alb.Zedoar. tormentill. Angelicæ, Imperatoriæ, Carlinæ, Iridis Illyricæ ſ. Florentinæ Rhabarb. Centaurei, Rhapontic. Gentian.* an. Drach.i.*Myrrh. elect.& odoræ, Thuris* an.Scr. ii. *Stybeos præp.* Scr. ii. ſem. *Croci* Scr.ii. ſem. *boli Armeni veri* Drach. i. *Terræ ſigillat.* Drach. i. *Succin. alb.* Scrup. iii. ſem. *Vnicornus, Oſſ. de corde Cerui* an. Dra. ſem. *Spec. Elect. de gemmis, Diarhodon, Lætificantis Galeni. Liberantis* an. Scr. i. *Hyacinthi, ſapphir. ſmaragdi, Corall. rubr.* an. Scr. ſem. *Ambr. Moſch.* an. gr. viii. *ſucci Berberor. mali punici, citri acidi, abſinthij* an. Vnc. i. *ſacch.Penid.*Vnc.i.*candi* Drach. i.*albiſſ.*q. ſ.
Fiat mixtura inſtar antidoti ſeu Opiatæ.

*Teſſellæ.*

♃. *Radic.Gentian. Angelicæ. zedoar. Helenij, Pimpinell. Tormentill. Iridis Florentin.* an. Drach. ii. *Semin. citri. Oxalidis, Cichorij, aniſi* an. Drach. ſem. *Baccar. iunip.*Dra.i.*Glycyrrh.*Drach.i.ſem.*Corticum mali aurant* Scr.ii.*Cinamomi elect.* Drach. iii. *ſantali rubr.* Drach. i. *Agallochi ſeu ligni aloës* Drac.ß. *Ramenti eboris, Oſſis de corde Cerui* an. Scr.i. *Croci, ambræ* an.Scr. i.*Conſeruæ acetoſell.bugloſſ.*an.Drach.ii.*roſarum* Vnc.ſem.
Cum *Sacchаro & aqua ſcabioſæ* fingantur tabellæ pendentes drach.ſemiſſem. Sumantur manè & veſperi duabus horis ante cibum.

*Tragema.*

♃. *Spec. Diamargar. Aromatici roſati Gabrielis* an. Drach. i. ſem.*rad. Angelicæ, zedoar.* an. Dra. i. *ſeminis citri, Oxalidis* an. Scr. ii. *Cortic. citri, ramenti eboris* an. Scr.i.*Moſchi, Ambr.*an.Scr.ß.*ſacchari roſ.tabulati* Vnc. vij.Miſceantur & fiat puluis.

*Aliud.*

♃. *Rad tormentill. Diptamni* an.Drach.i.*ſeminis acetoſæ, Citri* an.Drach.i.ſem. *Zinzib. albi, cinamomi, Croci, Santali albi, rubri* an. Scr. ſem. *bol. Armeni, Terr. ſigillat.* an. Scr. iiii. Fiat. Puluis.

*Electuarium liquidum.*

♃. *Conſeru. roſar. Bugloſſ. borraginis, Violarum* an. Vnc. i. *ſpecierum Diarhodon. liberantis* an. Drach. ii. *ſantali rubri, xyloaloë, Corall. rub.* an.Drach.ſem.*ſacch. candi, Manus Chriſti* an.Vnc.i.
Miſceantur cum ſyrupo ex corticibus citri ad electuarij liquidi formam.

*Pilul.*

♃. *Cinamomi electi, Garyoph, ligni aloës, Myrrhæ, Croci, Galang. Macis, Nucis moſch. Cardamomi, alipt. Moſchat. Styracis calamit. Zinziberis, zedoar.* an Scr.i. *aloës Hepatic.*Drach. i.*agaric.*Scr.ii.*Rhabarb.*Drac.vj.
Omnia probè trita redigantur ex vino Maluatico in maſſam, & fiant pilulæ.

*Aqua contra Peſtem.*

♃. *Rad. Angelic. Perſonat. maioris* an. ℔.ſem. *Corticis medij fraxini* M. ii. *Cinamomi* Vnc. ii.
Macerentur per dies & noctes deinde diſtillentur in balneo Mariæ celeriter: poſteaiterum paulatim deſtillentur.

*Alia.*

♃. *Imperatoriæ, Angelic. Carlin. valerian. tormentill. zedoar. Iridis, Pimpinell. Enul. campan. Dictamni* an. Vnc. ſem. *Cinamomi* Vnc. i. ſem. *fol. ſalu. Rutæ, agrimon. Cardui bened. Betonic. ſcabioſ. acidul.* an M.ſem.
Omnia minutim inciſa macerenturin vino generoſo per per biduum, deinde inferueſcant ad ignem in fictili vaſe vitreato bene operto, lutóque obducto, ad horam vnam: poſtea per linteum pannum ſenſim colentur, & deſtillentur.

*Trochiſci pro fumo,*

♃. *Laſerpitij ſeu aſæ dulcis, Styrac calamit.*an Dra. ii. *ligni aloës* Drac. iii. *radic. ireos* Drac. i.ſem. *Moſchi* gr. v.*ſacch.* Drach.iii. Ex aquâ roſaceâ fiant Trochiſci.

*Aqua odorata ad veſtes.*

♃. *Iridis Florentin. zedoar. ſpic. nard.* an. Vnc. ii. *Maſtichis, Cinamomi, Nucis Moſch. Garyophyl* an.Vnc. ſem. *Baccar.iuniperi* Drach.iii.*Beën, Ambr Moſchi* an. Scr. ſem.
Omnia ex vino Maluatico ex Gallia Narbonenſi, aut Alſatiâ macerentur dies decem aut viginti, poſtea in duplici vaſe deſtillentur.

*Puluis odoratus ad veſtes.*

♃. *Roſar. rubr. Violar.* an Vnc. iii. *Corticis citri, Myrtorum, Xyloaloës, ſantali citrini* an.Vnc.i. *Camphor. Ambr.* an. Scr. ſem.*Beën, Moſchi* an. gr.v. F. Puluis, Qui aquâ roſarum mixtus veſtibus aſpergatur

### Alia Aqua odorifera.

℞. *aq. rof.* ℔. iiii. *aceti generofi* ℔.i.*rofar. rubr.* M. i. fem. *fantal. omnium* an. Drach.i. *Camphor.* Drach. fem. *Mofchi* gr.vii. *Specier. Diamb. Ireos* an.Vnc. i.

Omnia in mortario terantur, exceptis fpeciebus Diambræ, mofcho & camphora, ac diffolutis in aquâ rofaceá adduntur fpecies & mofchus: impofito alembico cœco digeruntur per dies nouem in ftercore equino, poftea deftillantur.

### Curatio.

### Aqua Sudatoria.

℞. *Pimpinell. Tormentill. Diptamni albi, ferpentariæ, gentian. zedoar. galang.* an.Vnc.fem.*Piperis longi, Garyophyllor. Macis* an. Drach.j. *Theriac. Venet. boli Armeni, terr. Sigill.* an. Drach. ij. Macerentur per duos dies in vino generofo mufcatellino & deftillentur. Dofis Vnc. iij. calidè.

### Alia.

℞. *Radicum Angelic. Pimpinell. Galang.* an. Vnc. fem. *Thuris, Myrrha, aloës*, an. Drach. i. *Macis* Drach. fem. *Theriac. Venet.* Drach. ii. fem.

Ex aquæ fumariæ, Teucrij & Cardui benedicti, fingulorum vnciis quatuor, vini felibrâ deftillentur. Sumantur vnciæ tres cum Theriacæ vel electuarij de ouo drachmæ femiffe.

### Pro Pauperibus.

℞. *rad. angelic. galang. ligni Guajaci, Cinamomi, Bacc. iunip.* an. Drach. i. Coquantur in menfurâ dimidiâ vini albi optimi vfque ad tertias. Dentur vnciæ tres, & fudet.

### Vel.

℞. *Vincetoxici* Vnc.i.fem. *Fumar.* Vnc. i. fem. *Rut.* Drach. vj. *Bacc. iunip.* Vnc. fem.

Coquantur omnia in duab. menfuris aceti generofi ad dimidiæ partis confumptionem, & fine refrigefcere, poftea cola. Dentur vnciæ ii. vel iij. calidæ.

### Ad Apoftemata Cataplafmata.

℞. *Vitell. ouor.* q. v. *Salis, Mellis, farin. hord.* an. q. pl. F. Cataplafma.

### Vel.

℞. *Lil. alb. el. cæp. affat.* q. v. *malu. & bifmalu. contufar.* an. part. æq. *Fermentum nucis iugland. magnitudine.* Fiat Cataplafma, quod calidè applicetur.

### Ruptorium mirabile.

℞. *Vitr. ad rubedin. calcin.* lib. ij. *Salis Vrin.* Vnc. i. fem. *fulphuris.* Vnc. i. fem.

Fiat puluis fubtil. qui trajiciatur per cribrum. Poftea injiciatur retortæ vitreatæ benè lutatæ cum Recipiente appofito, & oleum deftilla, quod per inclinationem à Phlegmate fepara. Hoc oleo illine lignum mucronatum & circulum circa apoftema eodem finge, tunc fponte excidet.

## MEDICAMENTA PRO REPVB. TORGENSI, ordinata à D. Ioh. Kentmanno, Anno 1568.

### Electuarium pro familia.

℞. *Fol. acetof. contuf.* Vnc. i. *rad. Tormentill.* Vnc. fem. *angelic. Valerian. Diptamn. Pimpinell.* an. Drach. ii. *Bacc. iunip. recent.* M. ij.

Contufa omnia cum fucco acetofæ vel aceto rofac. mifceantur in formam Electuarij. De quo fumatur manè & vefperi inftar caftaneæ boli forma.

### Aliud.

℞. *Nucleor. nucum iugland.* Vnc. ij. *ficuum octauam libr. partem, fol. rut.* Vnc. j. *Bacc. iuniperi quartam lib. partem. lauri* Drach. x. *zedoar. ariftoloch. rotund. valerian. rad. Helenij* an. Drach. ii. *falis* Drach. fem.

Contrita cum aceto mifceantur ad confiftentiam Electuarij, de quo fumito tantum, quantum de priori.

### Puluis pro fanis & infectis.

℞. *Seminis citri excortic. plantag. acetof.* an. Drach. fem. *fol. fcord.* Drach. ii. *fcabiof.* Drach. fem. *acetof.* Drach. i. *Cortic. citri* Drach. fem. *Cinamomi interioris opt. & acutiff. faporis* Drach. iii. *rad. Tormentill.* Drach. ii. *ferpentar. Pimpinell. valerian. angelic. Zedoar. dictamni* an. Drach. j. *boli Armeni præp.* Drach. i. *cornu Cerui vfti, Corall. rubr. Margarit. puriff.* an. Drach. fem. *Croci Orientalis* Scrup. i. Puluerifentur fingula fubtiliffimè & mifceantur. Dofis huius drach. fem.

Poffunt etiam de hoc puluere Morfuli aut rotulæ confici, accipiendo huius pulueris Drach. iiii. add. facch. alb. Vnc. fex diffoluti in aq. rof.

### Electuarium.

### Ex Præcedenti puluere, pro fanis itidem ab infectis.

℞. *Pulu. præfcript.* Vnc. iij. fem. *Mitridat. opt.* Vnc. i. *Theriac. veteris* Vnc. j. fem. *Camph.* Scr. fem.

Mifceantur & cum *fyrupo* de *fucco acetof.* q. f. rediggantur ad formam Electuarij. Dofis Scr. i.

### Trochifci.

℞. *Electuarij præfcript.* Vnc. j. fem. *Alipt. mofch.* Drach. i. *gall. mofch.* gr. iij. *facchari albiff.* Drach. iii. *Camphor.* gr. ij. Cum mucilagine tragacanthæ fiant paftilli inftar Bechicorum, inuoluantur fpeciebus liberantis.

### Electuarium aliud.

℞. *Conferu. rofar. Borraginis, violarum, acetof.* an. Vnc. fem. *Folior. Scordij, Rut.* an. Drach. ii. *Amygd.* Vnc. fem. *Ficuum* num. iij. *Cortic. citri* Drach. vj. *Cinamomi interioris acutiff. fapor.* Drach. i. fem. *rad. zedoar.* Scr. j. fem. *dictamn. iréos, angelic. pimpinell. enul. camp.* an. Drach. fem. *tormentill.* Drach. ii. *tunic.* Scr. ii. *rafur. eboris, cornu cerui vfti*, an. Drach. fem. *conf. liberantis cum bolo,* Vnc. j. *fpec. cordialium de gemmis Mefuæ* an. Vnc. fem. Incorporentur omnia cum *Syrupo acetofitatis citri & aceto rofarum* an. q. f. Fiat electuarium ad formam opiat. Dofis Drach. fem. ieiuno ftomacho.

Pomum

*Pomum ambræ hyberno tempore vsurpandum.*

℞. *spic. nardi*, Scr.i. *ros. rubr. sem. basiliconis*, *nucis mosch.* an. Scr. sem. *garyoph.* Scr. i. *cinamomi*, *ligni aloës*, *santali citrini*, *thuris alb.* an. Scr. ii. *styracis calamit.* Drach. i. sem. *succini albi*, Scr. i. *asæ dulcis*, Drach. i. sem. *ladani purissimi*, Drach. i. Cum aquâ rosarum Fiat pomum ambræ; deinde addatur ambræ & moschi ana q. s.

*Aliud quouis tempore conueniens.*

℞. *flor. Lauendul.* gr. xv. *ros. maioran.* an. Scrup. i. *Rorismarini*, gr. xv. *nucis mosch. corticum citri* an. Scr. i. *cinamomi interioris*, Drach. i. sem. *ligni aloës*, Drach. ß. *santal. citr.* Drach. i. *ladani puriss.* Drach. j. sem. *styrac. calamit.* Vnc. sem. *Galliæ mosch. vulgaris*, *Alipt. moschat.* an. Drach. sem. *specierum diamoschi dulcis*, *diambr.* an. Scr. i. Misceantur cum aqua rosarum, in qua dissolutum fuerit tragacanthum, deinde bene incorporentur, Fiat massa pomi ambræ, cui adde. *Asæ dulcis*, Vnc. i. sem. *styrac. liquid.* Drach. ii. Misce.

*Pomum ambræ æstiuum.*

℞. *flor. nymph. violar.* an. Scrup. sem. *rosar.* Scr. i. *corticum citri*, *radic. iridis Illyric. santali citrini*, an. Drach. i. *Galliæ moschat.* Scr. i. sem. *camphor.* gr. ij. *ambr.* gran. iij. Misc. & cum Tragacanth. in aqua ros. Fiat pomum ambræ.

*Curatio.*

*Electuarium probatum.*

℞. *Rasur. vnicornu*, *ossis de corde cerui*, an. Vnc. sem. *camph.* Vnc. i. *dictamni Cretici*, *radicis tormentill.* an. Drach. i. sem. *Zedoar.* Vnc. ij. *sacchar. cand.* Vnc. j. ß. *Theriac. ver. ac bon.* Vnc. vj. *Syrupi acetos. citri* q. s. Miscendo fiat Electuarium.

*Potio confortans cor & reliqua viscera, simúlque à veneno præseruans.*

℞. *Flor. borrag. bugloss.* an. pug. iij. *fol. acetos. flor. ros. rubr. violarum*, *cichor. endiu. syluestr.* an. M. j. *sem. citri*, *acetos.* an. Drach. ij. *rad. Valerian. tormentill.* an. Vnc. sem. *beën albi*, *rub.* an. Drach. i. *santal. alb. rubr. serici crudi*, *ossis de corde cerui* an. Scr. i. *trochisc. de camphor.* Drach. sem. Coquantur s. a. in s. q. aquæ fontis puræ ad casum tertiæ partis, stent in infusione per 12. horas. Fiat expressio fortiss. coletur. Colaturæ ℞. lib. 1. sem. In quâ dissolue, *Syrupi acetosit. citri. succi limonum*, *Pomor. dulcium* an. Vnc. i. sem. *vini granatorum* Vnc. iij. Misc. Fiat Potio. Dentur Vnc. ii. vel iij. manè.

*Aliud confortans.*

℞. *Conseru. borragin. bugloss. violar. rosar. acetos.* an. Drach. iij. *citri conditi* Vnc. sem. *rob de berberis* Drach. vj. *specier. cordialium temperat. diamoschi*, *Electuar. de gemmis*, *diamarg. frig. diatrionsantal.* an. Scr. sem. *Syrupi acetositatis citri* q. s. Fiat conditum.

*Puluis post sudorem alternis diebus exhibendus.*

℞. *Fol. scordij* Vnc. sem. *dictam. Cretici* Drach. i. *seminis citri* Drach. sem. *acetos. endiu. portulac.* an. Scr. i. *corian. præp.* Drach. i. *macis* Scr. i. *cinam. electi* Drach. ii. *spic.* gr. iiij. *radic. angelic. rhapontic.* an. Drach. sem. *tormentill. diptamni* an. Drach. j. *rhabarb. electi* Drach. sem. *beën alb. rub.* an. Drach. sem. *sericicombusti*, *ossis de corde cerui*, *spodij* an. Scr. i. *limatur. eboris* Drach. sem. *ligni aloës* Scr. i. *santali citrini*, *margar. splend.* an. Drach. sem. *carabes* Scr. i. *boli Armen.* Drach. iij. *terr. sigillat.* Drach. sem. *fol. auri* n°. vii. *ambr.* gr. ij. *moschi.* gran. j. *fragment. Sapphiri*, *smaragdi*, *Hyacinthi*, *Granati*, ana. gran. v. Misc. F. puluis. Quo etiam sani vti possunt cum buccea panis aceto madefactâ.

*Ad bubones & apostemata Emplastrum.*

℞. *Cep. allium*, *althéam*, ana par. æq. minutim incisa coque in aquâ fontanâ purâ ad mollitiem pulmenti instar, adde. *fœnugreci puluerisati*, *adip. porcin. veteris* parum. Omnia rursus calefiant, & pistillo ligneo subigantur, vt fiat s. a. Emplastrum.

*Aliud Emplastrum maturatiuum.*

℞. *Fol. sambuc.* Manipul. j. *fimi columbini*, *sem. sinap.* an. Manip. j. *Theriac. vet. opt.* Vnc. i. Fiat cum vrinâ humanâ vel vino albo Emplastrum.

*Aliud,*

*Fortius & calidius prioribus.*

℞. *Ammoniaci*, *Euphorbij*, *castorei*, *opopanac.* an. Drach. ii. sem. cum vino in mortario dissol. adde *sem. erucæ*, *sinapis*, *raphani* an. Drach. ii. *scillæ* Drach. vj. *fecis olei lini* Drach. i. sem. *styrac. calamit.* Drach. iii. *cantharid.* n°. x. *fermenti veteris* Drach. ii. *ceræ & ol. lini* q. s. Fiat Emplastrum.

*Vnguentum mundificans & exsiccans.*

℞. *Farin. tritic. parum*, *vitell. oui vnius.* Misce & cum linteolis apostemati iniiciatur.

# MEDICAMENTA D. IACOBI THEODORI TABERNÆ-MONTANI,

Anno 1582.

*Electuarium exhilarans, pro formidolosis nimiùm in peste.*

℞. *Conseru. ros. borraginis*, *bugloss. flor. garyophyl. hortens.* an. Vnc. i. *florum aurantiorum condit. citri condit.* an. Vnc. sem. *Pulu. lætitiæ Galeni* Drach. ij. *cinam. electi*, *pul. corticum citri*, an. Drach. j. *Zedoariæ*, *doronici Romani*, an. Scr. i. sem. *croci electissimi*, Scrup. sem. *syrup. corticum citri & pomor. dulcium redolentium*, an. q. s. Fiat Electuarium.

Sumatur vesperi & manè magnitudo Castaneæ dimidiæ.

*Rotulæ.*

℞. *Pulu. lætitiæ Galeni* Drach. ij. *cortic. citri*, *cinamomi electi*, an. Dra. i. sem. *Fol. melissæ*, *basilici* an. Dra. i. *doronici*, *zedoar.* an. Scrup. i. sem. *ligni aloës*, *flor. borraginis*, *bugloss. echij veri*, *macis*, an. Scr. i. *croci oriental.* Scrup. sem. *sacch. opt.* Vnc. x. dissoluti cum stillatitiis liquoribus *corticum Aurantiorum*, *Cinamomi* & *buglossi*, an. q. s. Fiat Confectio in Rotulis vel Morsulis.

*Puppa pro diuitibus.*

℞. *Trium florum cordialium* an. p. j. *cort. citri* Drach. ii. *rad. buglossi* Scr. i. sem. *echij ligni aloës*, *doronici Romani*,

*Romani, zedoariæ, cinamomi* an. Scr. i. *croci, granorum chermes, angelicæ, macis, meliss.* an. Scrup. sem. Cum sindone rubrâ fiat puppa, quæ ponatur in potu.

### *Præseruatiua vniuersalia.*

### *Antidotum de ouo expertißimum D. Theodori.*

℞. *Ouor. recentium vnius diei* n°. iiij. Quotum albumina abiicito, & testas eorum *Croco optimo Orientali* impleto, deinde in cinere calidissimo tamdiu, donec in tenuissimum puluerem redigi possint, assato, postea.

℞. *Seminis Thlaspi veri*, ad pondus omnium. *angelicæ, rad. Imperator.* an. Vnc. i. sem. *bacar. hederæ, scordij veri* an. Vnc. ij. *rad. pimpinell. boli Armen. terræ Lemniæ, rad. pulsatill. sanguisorb. montan. pulu. cordialis descript. Brassauoli* an. Vnc. i. *Zedoar. rad. antithor. tormentill. dictamni Cretici, rad. fraxinel. s. dictamni albi, monophylli, fol. & summitatum rut. caprar. cardui sancti, rad. vincetoxici seu hirundinar.* an. Dra. vj. *pulu. latit. Galeni, corticum citrei mali, chamædryos, succini albi veri* an. Vnc. sem. *pulu. cordialis temperat. diambr. sem. citri mundat. grani infectorij, pulu. diamoschi*, an. Drach. iii. *antidoti Theriacalis Matthioli*, vel eius loco, *antidoti Mithridatici, Theriac. Andromachi*, an. Vnc. xii. *Syrup. cortic. citri.* Vnc. iv. Terantur omnia & commisceantur ad minimum per spatium vnius horæ, fiatque electuarium solidum more solito.

### *Puluis præseruatiuus.*

℞. *summitat. absinth.* Vnc. sem. *rad. tormentill.* Drac. ii. *flor. cẽtaurei minor. rad. valerian. pimpinell. calaminth. Italic. angelic.* Drach. ß. *caryophyllorum*, n°. xv. Fiat Puluis. Detur Drac. ß. in vino generoso manè ieiuno ventriculo.

### *Alius Puluis.*

℞. *Petasitis.* Drach. vi. *rad. angelic. gentian.* an. Vnc. i. ß. *glandium decorticat. cruciat.* an. Drach. ii. Fiat Puluis.

### *Puluis pro diuitibus.*

℞. *Doronici Romani s. Alpini*, Vnc. i. *Boli leuantici cum optimo vin. & liquoribus, stillatitiis melissæ & scabios.* loti, Drach. iii. *seminis Oxalides*, Drach. i. sem. *rad. tormentill. fraxinel. cinamomi electi, caryophyll. maceris, spic. zedoar. croci, Agallochi*, an. Drach. i. *coriandri præparati*, Drach. sem. *sacchari rosacei tabulati*, Vnc. ii. Misce & F. Puluis subtilissimus.

### *Puluis grossus.*

℞. *Granorum iuniperi maturorum noctem in aceto fortissimo maceratorum, rursúsque exsiccatorum, Confect. coriandri, fœniculi*, an. Vnc. iiii. *coriandri præparati*, Vnc. iii. *confect. carui, anisi, acori veri, id est, calami aromat. nucleorum nucum iugland. confect. liberantis in tabulis.* an. Vnc. ii. *seminis anisi, carui, fœniculi omnium mundatorum & in aceto rosaceo per noctem maceratorum, rursúsque exsiccatorum*, an. Vnc. j. sem. *seminis citrij mali excorticati, radicum Helenij. tormentill.* an. Vnc. sem. *pimpinell. alb.* Vnc. i. *angelic. Imperator fraxinel. seu diptam. albi*, ana Vnc. sem. *zinziberis albi, cinamomi electi, cass. lign. ver. aut eius loco cinamomi crassioris*, an. Vnc. i. *Zedoar. doronici*. an. Dra. iii. *corticum citrij mali, caryophyllorum*, an. Drach. ii. ß. *maceris, cyper. Babylonici, nucum moschatar.* an. Drach. i.

Incidenda omnia minutim tessellatimque incidantur, misceantur omnia instar pulueris grossi: De quo sumatur manè & vesperi cochleare vnum singulis vicibus.

### *Alius eiusdem vsus.*

℞. *Confectionis liberantis Guidon. in tab.* Vnc. iiii. *confectionis coriandri, anisi, fœniculi, carui*, an. Vnc. iii. *granorum iuniper. in aceto maceratorum, nucleorum nucũ iuglandiũ mundat.* an. Vnc. ii. *doronici Romani s. Alpini*, Drac. vi. *cinamomi, cass. lign. ver.* an. Vnc. sem. *galang.* Drach. iii. *tormentill.* Scrup. vii. *centaurij magni, rhapont. dicti, rhabarbari*, an. Drach. ii. *pimpinell. hircin.* Scrup. v. *rad. Imperator. dictamni albi, angelic. gentian. zedoar.* an. Scrup. iiij. *sem acetos. pimpinell. fœniculi*, an. Scr. ii. sem. *cubebar. crassiusculè fract. nucis moschat. acori veri, caryophil. maceris.* an. Drach. i. Incidenda incidantur. & cum reliquis misceantur. Fiatque puluis grossus secundùm artem.

### *Puluis pretiosus, pro diuitibus.*

℞. *Boli Armeni veri*, Vnc. i. *rad. heptaphylli caryophylli hortensis, dictampi albi, santali citrini*, an. Drach. i. *margarit. præparat.* Scr. ii. *eboris, cornu monocerotis, spodij, cortic. citri, antithor.* an. Scr. i. ß. *fragment. lap. pret.* an. Scr. i. ß.

Fiat omnium puluis subtilissimus. De quo manè ieiunus sumat magnitudinem auellanæ dimidiæ, æstate cum aq. cichorij, hyeme cum aquâ melissæ, vel corticum aurantij, citri, aut vino generoso.

### *Pilulæ præseruantes quotidie sumendæ.*

### *Pilulæ pestilentiales Theodori pro diuitibus.*

℞. *Cornu monocerotis, rad. antithor.* an. Drach. i. ß. *zedoar. pulu. cordialis, liberantis Guidonis, rhabarb. electissimi sphragidis Lemniæ, luti Armeniaci, scordij, croci Orientalis*, an. Drach. i. *coc. infectorij*, Scr. ii. sem. *fragmẽtorum smaragdi, myrrh. elect. benzoi*, an. Drach. i. ß. *margarit. prap.* Scr. ii. *fragmentorum rubinorum, hyacinthorum, sapphirorum, granatorum veror. ossium de corde cerui, foliorum auri meri, argenti meri*, an. Scr. i. *aloes sincerissim. cum stillatitiis corticum citrij mali, & rosarum liquoribus lotæ, succi castracan. seu giarg. ad spissitudin. cocti*, an. Vnc. ß. Cum syrupo corticum citri q. s. Fiat massa Pilularum.

### *Pilulæ pestilentiales eiusdem pro pauperibus.*

℞. *Aloës succotr. lot.* Vnc. i. sem. *myrrh.* Drac. iv. *croci electi.*, Drach. i. ß. *terr. sigillat. agarici trochisc.* an. Drac. i. *boli leuantici, benzoi*, an. Scr. i. sem. Cum *succo Castracanæ* Fiat massa pilularum. Formentur pilulæ magnitudine pisi minoris. Dosis n°. viij. vel. ix.

### *Aliæ Pestilentiales Pilulæ.*

℞. *Aloës lot.* Drach. iii. *boli Armeni Orientalis, terr. sigillat. croci, antithor. benzoi*, an. Drach. i. Fiat massa pilularum cum syrupo corticum citri.

### *Pilulæ liberantes dictæ.*

℞. *Pulu. liberant.* Scr. viii. *cinamomi, zedoar. rad. angelic. antithor. tragoselini, tormentill.* an. Scr. iiij. *boli leuantici*, Drach. i. *Imperator. rad. morsus diaboli, granor. iuniperi, rad. vincetoxici*, an. Scr. ii. *chelidon. maior. echij, galang. caryophilli hortulani*, an. Scr. j. sem. *doronici, caryophyllorum, nucis mosch.* an. Scr. j. *aloës lotæ* ad pondus omnium. Cum *syrupo de succo Oxalidis* confice massam. Detur manè Scr. i. vel Drach. dimidia.

### *Pilulæ de cornu Monocerotis.*

℞. *Cornu Monocerotis*, Drach. ij. *seminis citri*, Scr. ii. sem.

ii. ſem. *boli Armeni veri, terr. Lemn. ver. tormentill. radicum dictamni, pimpinell.* an. Scr.ii. *antithor.* Scr. ii. ſem. *doronici, rad. biſtort.* an. Scr. i.ſem.*paſtillorum de ſpodio,* Scr. i. *aloës cum ſtillatitio liquore lota* ad pondus omnium.

## *Pilulæ Theriacales.*

℞. *Salis Theriaci deſcr. Aëtij, theriac. Andromachi. mithridat.* an. Drach. iij. *caryophyllor.* Scr.iii.ſem. *ſigilli Lemnij, gleb. Armen. Anthor. ſ. antithor. cinamomi, galang.* an. Scr.iii. *maceris,* Dra. i. *tormentill. agallochi, roſar.rubr.*an. Scr. ii. *cubebar.ſantali citrini rubri,* an. Scr. i. *aloës lotæ* ad pondus omnium. Cum Syrupo acetoſitatis citri F. maſſa.

## *Electuaria.*

### *Electuarium aureum D.D. Achillei, Illuſtriſſimor. principum Saxoniæ Medici.*

℞. *Zedoar. boli Armeni, ſphragidis Lemn. cinamomi acutiſſimi,* an. Drach.i. *ſulphuris virginei,* Scr.ii. ß. *caphur.* Scr. ii. *dictamni albi, gentian. angelic. ariſtoloch. rotund. veræ, tormentill. rad. Valer. morsûs diaboli, leuiſtici, pimpinell. Germanic. betonic. baccar. lauri mundatarum, oſſis de corde cerui,* an. Scr.i. *myrrh. ver. & elect. ſeminis citri,* an.Scr. i.ſem. *fol. rut.* gr. xv. *croci,* gr. vii. *Pulueris Electuarij de gemmis frigid. de gemmis calid. diamoſch. dulcis. diamargariti Nicolai, diatrionſantalon.* an. ſcr. i. ß. *conſeru. roſar.* Drach. vj. *theriac. prob. mithridatij antidoti, electuarij de ouo,* an. Vnc.ß. *auri meri foliati fol.* n°. viii. *ſyrupi corticum citrij mali, aq. vit. rectificat.* an. q. ſ. F. *Electuarium ſolidum inſtar Electuarij de ouo.*

Præſeruatiui loco manè ieiunus ſumat magnitudinem duorum piſorum, aliquot horas poſtea ieiunando. Sumitur vel per ſe, vel in vino albo, aut liquore conueniente.

Curationis vice dantur Drach. ii. in aceto vini, aq. roſar. aut acetoſæ, calidè: ad minimum tres vel quatuor horas ſudando. Quod ſi cum horrore malum inuaſerit, detur in aquâ Meliſſæ, vino Maluatico, aut aliàs generoſo.

### *Electuarium de Galega.*

℞. *Summit. & folior. rut caprar.* Dra.x. *rad. & ſem. Pimpinell. boli Armeni veri, terr. ſigill. ver. cortic. caſſ. lign. ver.* an. Vnc.ſem. *petaſitis, rad. angelic. tormentill.* an. Drach. v. *croci, rad. Anthor.* an. Drach. iii. *theriac. Andromach. opt. mithridat. probat* an. Vnc. i. Pulueriſanda pulueriſentur ſubtiliſſimè, & cum *nouemdecim vnciis mellis deſpumati,* Fiat Electuarium. Vltimò adduntur theriaca & mithridatium. Detur manè magnitudo auellanæ.

## *Confectiones.*

℞. *Boli Armeni veri cum ſtillatitiâ roſar. aq. loti.* Vnc. ſem. *luti ſigillati, ſeu luti Lemnij,* Drach.iii. *rad. antithor. zedoar* an. Drach. iii. *agallochi, doronici Romani, diptamni albi, tormentill. pulu. diamargarit. Nicolai* an. Drach. i. ſem. *ſeminis Oxalidis, citri mundati, corticum citri, cartilagin. è cordibus ceruorum, ſeminis ocymi,* an. Drach. i. *ramenti eboris,* Scr.i. *vnicornu, fragmentorum quinque geminarum,* an.Scr.i. Sacch.q. ſ. diſſoluti in ſufficienti quantitate liquorum ſtillatiorum bugloſſæ & roſ. F. confectio in rotulis vel morſulis.

### *Alia Confectio.*

℞. *boli Armeniaci, zedoar.* an. Vnc. i. ſem. *tormentill.* Drach. v. *rad. pentaphylli, vincetoxici,* an. Vnc. ſem. *ſigilli Lemnij,* Drach.iii. *Phu Pontici, coralliorum rubr.* an. Scr. iiij. *margaritarum,* Drach. i. *gall. moſchat. ver.* Scr.ii. *ſantali citrini, ſpodij,* an. Scrup. i. ſem. *Sacchari* q. ſ. diſſoluti cum liquoribus ſtillatitiis cordialib. fiat confectio, vt dictum eſt. De hiſce vel ſuperioribus rotulis manè ieiunus ſumat num.ii. vel iii.

### *Electuarium Bezoarticum in tabulis D. Theodori.*

℞. *terr. lemn. ver. boli leuantici optimi & loti, tormentil.* an. Vnc. ſem. *rad. caryophylli hortenſis, rad. ſolba. ſtrell.* an.Dra. iii. *ſpodij,* Scr. iii. *corallij vtriuſque cinamomi electi, caſſ. lign. ver. rut. caprar.* an Dra.ii. *cornu Monocerotis, ſantalorum omnium,* an. Scr. v. *margaritarum præparatarum, dictamni cretici, ſpic. Indic. antithor.* an. Scr. iv. *ramentorum cornu cerui, zedoar. Phu Pontici, macis,* an. Scr.iii.ß. *doron. Europ. ſ. Alpini, ſuccini albiſſimi, croc. opt. diptam. alb.* an. Drach. i. *ſem. citr. mali, angel.* an Scr. ii. ß. *cocc. infector. ſeu cherm.* Scr. ii. *agallochi, fragmentorum pretioſorum omnium,* an.Scr.i.ß. *gall. moſch. ver. ambr. cinerit. moſch. odoratiſſ.* an Scr. i. *fol. auri fini, fol. argent. fini,* fol. n°. xv. *ſacch. albiſſim. in ſtillatitiis liquoribus bugloſſ. & roſ. diſſoluti,* an. q. ſ. Fiat confectio in morſulis, ſiue in Tabulis.

## *Potiones.*

℞. *Nucum iugland. bacc. iunip. rut.* an Vnc. ſem. Incidantur & contundantur in mortario: affundatur acet. de vino ad eminentiam duorum digitorum, reſeruentur in vitro benè obturato. Et ſi libet, bene agitentur, manéque cochleare vnum aſſumatur. Præſeru. 24. hor.

### *Alia.*

℞. *Theriac. diateſſ.* Drach. i. *pulu. angel.* Drach. i. *acet. roſac.* an. Drach. ſem. *aq. cardui bened.* Vnc. ii. Miſce. Hac potione quolibet octiduo vtere ſemel aliquot horas poſtea ſudando.

## *Aquæ Deſtillatæ.*

℞. *Scabioſ. cum toto, cruciat. rad. ſerpentar.* an. M. i. *abſinth. ſigill. Salomonis, tuſſilag. cum toto.* an. M. ſem. Incidantur & vino fermententur, poſtea deſtillentur.

### *Alia.*

℞. *Centaur. minor.* ℔. i. *rad. gentian.* ℔. ſem. Incidantur & contundantur ad formam pulmenti & quinque vel octo diebus in vino generoſo macerentur, poſteaque deſtillentur.

### *Alia.*

℞. *Rad. valerian.* Vnc. xii. *allij capita,* num. iii. *chamedryos.* Vnc. iiii. *fol. ling. ceruin.* num. xx. *rad. pimpinell.* Vnc. iii. ſem. *nuc. iugland. virid. immatur.* num. xx. Incidantur & contundantur minutiſſimè. Affunde poſtea *vini ſublimati menſur.* i. *aq. chelidon. maior.* ℔. i. *bugloſſ. centaur. minor.* an. Vnc. xii. *ſalu.* Vnc. vi. *rut.* Vnc. vi. ſem. *abſinth.* Vnc. iv. ſem. *roſar.* Vnc. iv.

Digerantur omnia triduo vel quatriduo in loco calido, vel exponantur ſoli. Deſtillentur poſtea in M. B. lento calore. Reſeruetur aqua in vaſe vitreo in quâ diſſolue *Theriac opt.* Vnc. xii. & per menſem ſoli ruſus exponatur. Trajice per Filtrum. De hac aquâ ſumat ieiunus manè Vnc. ſem. Eſt præſeruatiuum excellens hyemali tempore.

*Alia.*

℞. *Rut.herb. chelidon.maior. cum toto, salu. ingland. nuc.immatur.* num.xxx.

Incisis & contusis minutissimè infunde *vini sublimati, aq.acetos.* an Mensur.i.sem.

In vase vitreato biduum soli exponantur: destilla postea in M. B. & quotidie manè cochleare vnum assume.

*Præseruatiua Grauidarum, Electuarium D. Theodori.*

℞. *Succi granator.* Vnc. iii. *pomorum redolentium ac dulcium,* Vnc. i v. *facch.opt.* Vnc. xii.

Decoquantur ad lentum ignem, donec ad syrupi consistentiam peruenerint, adde. *conseru.borrag. bugloss.* an. Vnc.ii.sem. *rut.caprar. aut florum caryophyll.hortensis, cichor.* an Vnc.i.

Commisceantur omnia probè cum prædicto syrupo, & postea insperge sequentes pulueres. *pulueris doronici Roman. fragmentor. pretiosor. omnium, corall. rubr. præpar. margarit. præpar. pulu. cordial. granor. tinctorior. pulu. liberantis* an.Dra.i. *cornu monocerotis, boli armen. veri, terr. sigillat. ver. rad. anthor.* an. ʒ. i. *gall. mosch. Mes.* Scr.i. sem. *moschi, ambr.* an. Scr. i. Fiat omnium puluis subtilissimus, qui suprà dictis probè commisceatur, vt electuarium inde fiat: de quo manè detur magnitudo castaneæ dimidiæ, aliquot horas postea ieiunando.

*Aliud.*

℞. *Pulu.cordialis diamargariti, lætit. Galeni, serici crudi torrefacti,* ana.Dra.ii. *ossium de cordibus ceruorum,* Dra. i.sem. *fragmentor. hyacinthi, granat.* an.Scr.iii. *margarit. prep. doronici Europ. agallochi, sem. oxalidis,* an. Drach.ii. *boli Armen. pulu. croci,* an .Scr.i.sem. *citr. condit. conseru. flor. bugloss.* an.Dra.iii. *rosar. Melissophylli, condit. cidonior.* an. Dra. ii. *facchar. candefacti,* Vnc.viii. Dissoluti cum *stillatitio rosar. liquore odoratissimo,* q.s. *Syrupi de limonib. seu de acetositate citri,* q.s. Fiat Electuarium iustæ spissitudinis. Detur quantum prioris.

*Aliud.*

℞. *Rad.tormentill.* Vnc.i. *Pulu.cordialis, cinamomi electi,* an.Dra.ii. *spec. diamargar. Auicen.* Dra.i. sem. *cornu Monocerotis, sphragidis Lemn.boli Orientalis,* an. Dra.i. *Quinque fragmentor. pretiosor.* an.Scr.i.sem. *conseru. rosar.* Vnc.iii. *rut. caprar.* Vnc.ii. *bugloss. borrag.* an Vnc.i. sem. *Syrupi corticum citri,* q. s. Fiat Electuarium secundùm artem. Sumatur manè magnitudine duarum auellanarum.

*Manus Christi cum gemmis D. Theodori.*

℞. *Margarit. præparat. corall. rubr. præparat.* an. Drach. ii. *eboris combusti,* Drach. i. *Quinque fragmentorum pretiosor. cornu Monocerotis, succini albi,* an. Scr. ii. *boli Armeni veri, terr. sigillat.* an. Scrup. i. *fol. auri,* num. ii. *Sacchari albiss.* Vnc. xii. Dissoluti *in liquoribus stillatitiis rosar. & buglossi* an.q.s. F. confectio in tabulis.

Manè & vesperi, qualibet vice sumantur num.ii.

*Confectio præseruans, pro Mulieribus Pauperibus.*

℞. *Pimpinell. albi, Galeg.* an. Drach. ii. *Gran. iuniperi, Cass. lign. ver.* an. Scrup. iv. *dictamni Cretici,* Scrup. ii. sem. *rad. Phu* Drach. i. *caryophylli hortulani,* Scrup. ii. *chamædrios* Scrup. i. sem. *rub. tinctor. cyperi rotundi, cinamomi, nucis moschat. rosmarini coronarij, melissophylli* an. Scrup. ii. *Sacchari* q. s. dissoluti in aq. stillatitiâ radicum nardi, caryophyll. q. s. Fiat confectio in morsulis vel rotulis.

Sumatur manè duabus horis ante pastum num ii. vel iii. Vesperi v. cubitum eundo.

*Præseruatiua pro Infantibus.*

*Rotulæ.*

℞. *Tormentill.* Drach. ii. *rad. vincetoxici, antithor. boli Armeni, terr. sigillat. cornu cerui vsti* an. Drach. i. *corticum citri, diptamni albi, scordij veri,* an. Scr. ii. *corall. rub. margarit. præparat. succini albi, sem. citri mundat.* an. Scr. i. *facchari optimi,* Vnc. viii. Dissoluti cum stillatitiis liquorib. oxalidis & rosar. an. q. s. Fiat confectio in morsulis.

*Confectio liberans à Peste pro Infantibus, D. Huperti Streitteri.*

℞. *Seminis santonici, boli Armeni veri* an. Dra.ii. *rad. Heptaphylli, enul.campan.* an.Scr.ii. *sem. caulium, citri excortic.* an.Scr.i.sem. *Corall. rubr. præpapati, serici crudi, limat. eboris. sem. Plantag.* an. ℈.i. *sapphirorum, Hyacinthorum* an.Scr.sem. *Sacchari albissimi* q.s. Dissoluatur saccharum cum stillatitiis scabiosæ, oxalidis & cardui benedicti liquoribus an. q. s. Fiatque confectio. Dentur quotidie manè num.ii.vel iii.

*Puluis D. Theodori.*

℞. *Scordij veri* Dra.ii. *feminis santonici, Corall.* an.Dra. i.sem. *Tormentill. Dictamni albi. Fol. sen.* an.Dra.i. *Agaric. trochisci. Rhabarbari elect. Ramentorum corn. ceru.* an. Dra.ii. *feminis citri mundati* Scr.i. ß. *corn. Monocerotus, trochiscorum Alhandar, Cinamomi* an Scrup.i.

Misceantur secundùm artem, & fiat omnium puluis subtilissimus. De quo datur puero vel puellæ 12. annorum Drach. i. cum melle vel syrupo quodam. Octauo annorum infanti, Drach. dimidia. Quatuor vero annorum Scr.i.

*Curatiua.*

*Oleum citrangulorum aduersùs pestem & venena omnia D. Theodori, quo statim, quamprimùm malum inuaserit, nares & pulsus arteriarum, item Apostemata inungi debent.*

℞. *Pomorum citrangulorum* n°.vi.

Terantur cum corticibus & nucleis ad modum pulmenti, quib. superinfunde *olei recentis & loti* lib.iii. Misce & pone ad solem per dies octo, deinde in balneo Mariæ, vel in diplomate per duodecim horas coque, postea fortiter exprime & cola, mox adde *Flor. borrag. recentium, bugloss. recent.* an. Vnc. iii. *Caryophyll. hortulani, summitat. Hyperici,* an. Vnc. i. sem. *rut. capraria, Cardui benedict. Scordij veri & recentis* an. Vnc. i. *rad. tormentill.* Drach. i. *Verben.* Vnc. sem. *Dictamni Cretici, Gentian. Dictamni albi* an. Drach. ii.

Contundantur omnia minutissimè & rursus ad solem per octiduum relinquito: deinde in Diplomate seu balneo Mariæ, vt suprà dictum est, coquito, fiatque fortis expressio, aspergendo super aliquantulum vini Cretici. His factis expressioni addatur, *boli Armen. veri, Theriac. Andromac. Antid. Matthiol.* an.Vnc.i. *Angelic. gummos. santalor. omnium, Benzoi* an. Vnc.

Vnc. ſem. *Rhabarbari electi, cinamomi electi* an.Drach. iij. *Myrrhæ puræ, corticum citri, ſeminis citri, Zedoar. Doronici, caryophyl.* an. Drach. i. ſem. *Gran. chermes, ligni aloës, ſpic. nard. macis* an.Drach.i.

Contundenda contundantur minutiſſimè, omniáque cum reliquis probè miſceantur: *Terra ſigill. bolus Armenus, Theriac. Andromachi, & antidot. Matthioli* cum vnciis quatuor vini ſublimati, & totidem vini Græci ſeu Maluatici diſſoluantur, miſceanturque denuò, & vt ſuprà dictum eſt, in Sole relinquantur, deinde in diplomate bulliant, donec humiditas vinorum prædictorum abſumatur, fiatque poſtea expreſſio, cui miſceantur *Zibethi optim.* Scrup. i. *Moſchi Alexandrini, Ambr. cinerit.* an. Scr. ſem.

Diſſoluantur probè in oleo, ipsúmque oleum in phialâ vitreâ ſeduló obturatâ ad vſum tanquam theſaurus ſecretus reponatur. Oleo hoc inungantur pulſûs in manibus & temporibus; item regio cordis & ceruix.

*Potio ſudorifera pro robuſtis.*

℞. *Electuarij de ouo* Scrup. ſem. *boli Armeni veri* Scrup. j. ſem. *Theriac. Andromach. Antidot. Matthiol. ſeu Mithrid.* an. Scrup. i. *Aq. bezoartic.* Scrup. ii. *Aq. oxalid.* Vnc.i. M. Fiat potio.

*Alia pro imbecillioribus.*

℞. *Electuarij de ouo* Scr. iiij. *boli Armeni* Scrup. i. ſem. *Theriac. Andromachi, Mithridat.* an. Scrup. ſem. *Aqu. bezoartic.* Vnc. ii. *Aq. ſtillatic. acetoſ.* Vnc. i. M. Fiat potio ſudatoria.

*Aqua Bezoartica mea.*

℞. *Rad. Angel. Valerian.* an. Vnc. iiij. *Granorum iuniperi, Dictamni albi, Tormentill. ſerpentar. Gentian. Pimpinell. alb. Ariſtoloch. long.* an. Vnc. ij. *rad. Helenij Aſclepiad.* an. Vnc. i. ſem. *Corticum citri, boli Armeni* an. Vnc.i. *Croci, zedoar. Doronici, ſphragidis Lemniæ,* an. Vnc. ſem. *Corall. albi & rubri, ſeminis Thlaſpi, oxalidis*, an. Drach. i. *Myrrhæ elect.* Drach.ii. *cornu cerui vſti*, Scrup. ij. *herbarum Salu. Rutæ, Pulegij, calaminth. Italic. ſcabioſ. Baſilici, Veronic. Maioran.* an.M.ij. *Fumar. Scordij*, an. M. j. ſem. *Florum borraginis, bugloſſ. Violarum* an. P. j. *Roſmarini.*

Terantur omnia in puluerem craſſiuſculum & ponantur in vaſe vitreo mundo addendo. *Theriac. Andr.* Vnc.iiii. *Mithridat.* Vnc.iii. Miſceantur probè & ſuperfunde *vini ſublimati rectificati* lib. viij. *Aquarum ſtillatitiar. oxalidis, Cardui benedict.* an. ℔. iiij. Miſce & pone ad Solem per quatuordecim dies, deinde deſtillentur per veſicam magna diligentia, vel in balneo Mariæ. Poſtea.

℞. *Cinamomi electi* Vnc. ſem. *Pul. Diamargarit. frig. Macis, nucis Moſchat.* an.Drach. ij. *ſantali rubei & citrini, zedoar.* an. Drach. i. *caryophyl. ligni aloës, Pul. Lætit. Galeni, Lætificantis Almanſoris, El. de gemm. frigid.* an. Scr. j. *Moſchi, Ambr.* an. gr.ii.

Terenda craſſiuſculè terantur, ac probè cum reliquis miſceantur, in ſyndone rubro colligantur, & à filo in aquam prædictam dimittantur.

*Aqua Bezoartica aurea Theodori.*

℞. *Electuarium de ouo cum cornu monocerotis*, Vnc. j. *Theriac. Andromachi, Antidoti Matthioli, Mithridatis, boli Armeni veri* an. Drach. vj. *Pul. Scordij veri* Vnc. ſem. *Angelic. verben. bacc. heder. antithor.* an. Drach. ii. ſem. *Tormentill. cardui benedicti, Zedoar.* an. Drach. ij. *granor. chermes, dictamni albi, calaminth. Italic.* an. Drach. i. ſem. *terr. Lemn. Caphur.* an. Scrup. iiij. *Spec. cordial. temperat. rad. Vincetoxici*, ſem. *Thlaſpi* an. Drach. i. *Spec. liberantis* Scrup. ii. ſem. *Doronici Romani ſeu Alpini, Cinamomi* an. Scrup. ij. *cornu monocerotis, croci optim.* an. Scrup. i. ſem. *nucis Moſchat.* Scrup. i. *ſpec. lætit. Galeni* Scrup. ſem. *Aqu. bezoar. Theodori præcedentis* lib. ij. *Vini maluatici optimi*, lib. i. ſem. *Aq. roſar.* Vnc. v. *oxalidis, angelic.* an. Vnc. iiii. *cardui bened. Scordij, Helenij, Tormentil.* an. Vnc. iij.

Miſce, & pone in cucurbitam vitream bene obturatam per biduum, deinde lento igne per Alembicum deſtilla.

Doſis huius aquæ maxima Vnc.ij.

*Potio ſudorifera pro robuſtis.*

℞. *Electuarij de ouo* Drach. ß. *boli Armeni, Theriac. Andromachi*, an. Drach. ſem. *Pul. ſcordij veri, Radicum Angelic.* an. Scrup. i. *ſpec. Cordial. temperat. liberantis* an. Scrup. ſem. *cornu Monocerotis* gr.v. *Aq. Angelic. Cardui benedict.* an. Vnc. i. ſem. M. Fiat Potio.

*Alia pro iiſdem.*

℞. *Electuarij de ouo* Drach. j. ſem. *boli Armeni, Mithridat.* an. Scrup. ſem. *Pulu. baccarum hederæ, Radicum Antithoræ* an. Scrup. j. *ſpec. lætit. Galeni, pul. Doronici Romani* an. Scrup. ſem. *Liquorum ſtillatitiorum ſcordij, Helenij* an. Vnc.i. ſem. M. Fiat Potio ſudorifera.

*Alia pro robuſtis, quos æſtu aggreſſum eſt malum.*

℞. *Electuar. de ouo* Drach. i. ſem. *Pulu. boli Armeni veri* Scrup. i. *Mithridat. electi, antidoti de ſanguinibus, Pulu. radicum tormentill. terr. Lemn. veræ* an., Scr. j. *Pulu. cordialis* Scr. ſem. *aqu. oxalidis, roſarum, aceti florum caryophyll. hortenſ.* an. Vnc. i. ſem.

*Alia eiuſdem vsûs.*

℞. *Electuarij de ouo* Scrup. v. *Pulu. boli Armeni* Scr. ii. ſem. *ſphragidis Lemn.* Scrup. i. ſem. *Theriac. Andromachi, antidoti Matthioli, Pulu. cordialis, antithoræ*, an. Scrup. ſem. *cornu monocerotis* gr. v. *aqu. ſtillatit. oxalidis, aceti roſarum, vel florum caryophyllorum, aq. tormentill.* an. Vnc. i. Miſce. Fiat potio ſudorifica.

*Potio ſudorifica, hyeme, vel ſi aliàs horrore malum inuaſerit.*

℞. *Electuarij de ouo* Scr. iiij. *Theriac. probat.* Scr. ii. *Pulu. boli Armeni veri* an. Scrup. j. ſem. *baccarum heder. ſcordij veri, angelic. ſpec. cordial.* an. Scrup. ſem. *cornu monocerotis* gr. iiij. *aq. angelic.* Vnc. i. ſem. *vini Maluatici* Vnc. i. Miſce. Fiat Potio.

*Potio Æſtiua, ſi calore inuaſerit malum, ſumenda.*

℞. *Electuarij de ouo* Scrup. iiii. *Theriacæ Andromachi* Scr. i. ſem. *boli Armeni præparati* Scrup. ii. *Pulu. tormentillæ, terr. ſigillat.* an. Scrup. i. *ſpec. cordial. temperat.* Scrup. ſem. *cornu monocerotis* gr. iiii. *aquæ ſtillatitiæ tormentill.* Vnc. i. ſem. *aceti florum Caryophylli hortulani* Vnc. i. Miſce. Fiat potio ſudorifera.

*Potio pro pueris duodecim & vltra annorum.*

℞. *Electuarij de ouo* Scrup. iii. *Pulu. boli Armeni* Scrup. i. *Angelicæ, ſpec. liberantis* an. Scrup. ſem. *cornu monocerotis*

*monocerotis* gr. iiii. *aquæ stillatitiæ angelicæ* Vnc. ii. Misce, Fiat. Potio. Sumatur, si horrore aggressa sit pestis.

Quòd si calore, vel æstiuo tempore, detur sequens.

℞. *Electuarij de ouo* Scrup. ii. sem. *Pulu. boli Armeni veri* Scrup. i. sem. *tormentillæ. spec. liberantis* an. Scr. sem. *terr. Lemn. veræ* Scrup. i. *aq. oxalidis* Vnc. i. *tormentill.* Vnc. i. sem. *aceti florum Caryophylli hortensis* Vnc. sem. Misce. Fiat potio sudorifica.

*Electuarium Theriacale pro pauperibus.*

℞. *Theriac. diatessar.* Vnc. iiii. *Angelic. puluerisat.* Vnc. i. sem. *baccar. heder.* Vnc. i. *scordij*, *boli Armeni præparati & loti.* an. Vnc. sem. *rad. ostrutij* Dra. ii. Puluerisanda subtilissimè puluerisentur, postea Theriaca addatur, & cum Syrupo de corticibus Citri, Fiat Electuarium.

*Electuarium Theriacale pro prægnantibus.*

℞. *Theriac. Alexandrin.* Vnc. ii. *rad. tormentill.* Vnc. i. *boli Armeni rubri* Vnc. sem. *serpentariæ*, *rad. pimpinell. rubræ* an. Drach. ii. Puluerisentur, & cum Syrupo de corticibus Citri, fiat Electuarium.

*Puluis pro pauperibus.*

℞. *Rad. tormentill.* Vnc. i. *boli Armeni. flor. Centaurei minoris* an. Vnc. sem. *rad. pimpinell. croci* an. Drach. ii. Misce, & fiat omnium puluis.

*Alius.*

℞. *Rad. Pimpinell. fol. acetosæ* an. Vnc. i. *rad. tormentill. sigillatæ* an. Dra. ii. *diptamni albi* Drach. i. sem. *boli Armeni* Drac. i. Misce. Fiat Puluis.

*Alius.*

℞. *Diptamni albi* Vnc. i. *meliss. Angelicæ*, ana Vnc. sem. Fiat omnium Puluis.

*Puluis Bezoarticus curatiuus D. Theodori.*

℞. *Angelicæ probè mundatæ & lot.* Drach. x. *calaminthæ Italicæ* Drach. vi. *anthor. Myrrh. Melissæ* an. Drach. v. *granorum heder. cornu monocerotis* an. Dra. iii. *scordij veri*, *boli Orientalis*, *sphragidis Lemniæ*, *rad. ari*, *tormentill. sanguisorbæ*, *Aristolochiæ rotund. ver. doronici Alpini* an. Drach. ii. *croci*, *zedoariæ*, an. Dra. i. Fiat omnium puluis subtilissimus, & sedulo probèque misceantur.

*Puluis alius pro diuitibus.*

℞. *Rad. Imperatoriæ* Drach. x. *fraxinellæ*, *tormentill.* an. Drach. vi. *florum centaurei parui*, *Cardui benedicti* an. Vnc. sem. *fragmentorum Hyacinth. cornu monocerotis*, *antithoræ* an. ad Drach. j. Fiat Puluis secundum artem. Dos. Drach. i. ad Drach. i. sem.

*Alius.*

℞. *Scordij veri* Drach. vi. *chamædryos*, *Cardui benedicti*, *rad. fraxinel. Pulegij ceruini*, *Zedoariæ*, *tormentill. granorum hederæ* an. Vnc. sem. *summitatum rut. caprariæ*, *Aristolochiæ rotundæ ver. boli Armeni, sphragidis Lemniæ, croci, Antithor. Angelic. Imperatoriæ* an. Dra. ii. Fiat puluis secundùm artem.

*Alius.*

℞. *Zedoariæ*, *corticum citri*, *rad. Imperatoriæ*, *Angelicæ*, an. Vnc. sem. *scordij*, *chamædryos*, *boli Armeni, sigilli Lemnij* an. Drach. iii. *granorum iuniperi*, *heder. Antithor. cornu monocerotis* an. Drach. ii. *betonicæ*, *ligni aloës* an. Drach. i. *sem. hyperici*, *doronici*, *croci* an. Drach. sem. *Ambr. cineritiæ*, *moschi odorati* an. Scr. sem. Fiat Puluis subtilissimus secundum artem.

*Aquæ destillatæ.*

*Aqua pro pauperibus.*

℞. *Sigilli Salomonis*, *rad. serpentariæ*, *pimpinell. rubr. angelicæ*, an. Vnc. ii. *tormentill.* Vnc. i. sem. *herb. betonicæ* Drach. x. *petasitis* Vnc. i. *Scabios.* Drach. vi. *garyophyllat. verben.* an. Vnc. sem. *baccar. heder.* M. i.

Contundantur omnia & affundatur. *aquæ bugloss. borraginis* an. lib. i. *vini sublimati* lib. ii. sem.

In vitro bene obturato exponantur Soli, vel alij calori per octiduum. Postea destillentur cum summâ diligentiâ.

*Alia.*

℞. *Radic. gentian. recent.* lib. i. Incidatur & contũdatur minutissimè, eique affundatur in vase vitreo aquæ absinth. ad digiti vnius eminentiam. Stent in loco calido per triduum. Adde *Theriac. opt.* Vnc. i. sem. *Aq. Menth. crispæ*, *Flor. chamæm.* an lib. i. *succi rut. absinthij.* an lib. i. *nucis moschat.* Vnc. sem.

Destilla per cucurbitam in cineribus collocatam; exibit aqua pro dissolutione electuarij de ouo, vel aliorum. Vsurpatur etiam per se.

*Alia non destillanda.*

℞. *Rad. tormentill.* Vnc. j. *angelic.* Drach. vi. *pimpinell. sanguisorb. cinamomi* an. Vnc. vi. *rad. Valerian. zedoar. boli Armeni veri*, *terr. sigillat. ver. verben. Bacc. iuniperi*, *heder.* an. Drach. ii. *flor. bugloss.* p. i. *nuc. vomic. flor. sambuci*, *saluiæ Roman.* an. Drach. i. *Theriac. prob. Mithridat. opt.* an. Vnc. ii.

Puluerisanda grosso modo puluerisentur, & in vitro affundatur spiritûs vini quater rectificati, vini maluatici ana lib. i. sem. Syrupi de succo acetosæ, acetositatis Citri ana vnc. iiii. Theriaca postea & Mitridatium in aq. rosar. & borrag. ana vnc. vi. dissoluta addantur, benéque agitentur, & Solis vel hypocausti calori quatuordecim dies exponantur. Quod clarum erit, effunde & in vitro benè obturato reserua. Dantur vna vice vnciæ tres, absque admixtione aliorum.

*Alia aqua pretiosa.*

℞. *Summitat. hyperici* M. iii. *chamædryos*, *Ital. calaminth. cardui benedicti* an. M. i. *scordij* M. i. sem. *centaurei minoris*, *verben. dictamni Cretici* an. M. sem. *albi*, *gentianæ*, *tormentill. Aristolochiæ rotund.* an. Vnc. sem. *baccar. iunip. heder.* an. Drach. v. *rhabarbari* Drach. iii. *Trochiscor. de caphurâ* Drach. ii. sem. *caphur.* Drach. ii. *croci* Drach. i. Arida contundantur, herbæ minutissimè incidantur, misceantúrque. His factis superinfunde

*Vini sublimati* lib. vi. ponantur per octiduum continuum ad Solem, deinde in balneo Mariæ probè destillentur. Postea feces sume & puluerisa, rursúsque in Cucurbitam ponito ac superinfundito

*Aq. hyperici* lib. vi. *borraginis*, *buglossi*, *melissophylli* an. lib. i. *pimpinell. cardui benedicti*, *scabiosæ caryophyllatæ*

*phyllatæ* an. lib. ſem. Miſceantur probè omnia, & in M. B. vt priùs deſtillentur, priorique deſtillationi addantur. adde *Syrup. cortic. citri* lib. i. *ficuum pinguium* lib. ſem. *vuarum zibebarum exarillatarum Paſſularum* an. Vnc. iii. *zedoariæ* Vnc. ſem. *cinamomi*, *caſſiæ odorat.* an Drach. v. *Theriacæ Andromachi*, *Mithridat.* an. Vnc.vi. *vini Maluatici generoſi* lib.ii.

Contundẽda contundantur craſſiuſculè, reliqua diſſoluantur cum vino Maluatico, ſedulóque commiſceantur, & in vitrum mundum ſtricti orificij probè reponantur per menſem ad ſolem. His omnibus peractis per filtrum traiiciantur.

Poſtea. ℞. *Spec Diamargarit. diamoſchi*, *diambr. Elect. de gemm. frigid.* an. Drach. ii.ſem. *Margaritarum preparatarum*, *fragment. Smaragdi*, *Hyacinthi*, *Corallij rub.* an. Drach. i. ſem. *Ambr. cineritiæ*, *moſchi* an. Scr. i. Colligantur omnia in ſyndone rubro, & à filo in aquam prædictam dimittantur. Dantur robuſto Vnc. ii.ſem.

## *Electuaria.*

### *Antidotum Curatiuum, Antidotum vitæ nuncupatum.*

℞. *Boli leuantici optimi* Drach. xxii.*rad. tormentill. dictamni albi* an. Drach. xi. *Helenij*, *biſtortæ* an. Dra. x. *limatur. cornu cerui* Dra. vii. *cinamomi*, *rad. pimpinella*, *granor*, *iuniperi*, *heder.* an. Drach. vi. *Antithor. ſeminis thlaſpios*, an. Drach. v. *nucis moſchatæ*, *rad. caryophyllatæ*, *agarici trochiſcati*,*galangæ*, *acori veri*,*cyperi*,*cornu monocerotis*,*rad. centauréi magni* an.ʒ. iiij.*rhabarbari electi*.ʒ viii.*zedoar.angelic.* an. Scr. viij. *caryophill.*ʒ.ii.*aurilaminati*, *Margaritarum*, *foliorum meliſſ. ſcordij veri* an. Scr.v. *quinque lapidum pretioſorum*, *paſtillorum de terrâ ſigillatâ*, *de ſpodio*,*de caphurâ* an.ʒ.i.ß. *macis*, *granorum tinctoriorum*, *gall.moſchat.ver.rad.pæon. croci* an. Drach.i.*ſantal.omnium moſchi electiſſimi*,*ambr. gryſ.* an. Scr.ij. ſem.*agallochi*, *doronici Europæi*, *rad. chelidonij*, *ſem. ocymi*, *limatur. eboris*, *origani Cretici* an. Scr. ii. *Corall. vtriuſque*,*cardui benedict.Calaminth. Italic. chamædryos* an. Scr. i. *mell. optimi* lib. ii. ſem. *conſeru. oxalidis*, *ſyrup. de corticibus Citri* an. lib. ſem. *granatorum acidorum*, *acetoſitatis citri*, *conſeru. meliſſ. flor. caryophyl.* an. Vnc. iiii. Miſce probè & ſecundùm artem fiat antidotum inſtar Theriacæ.

## *Apoſtemata.*

### *Diarhabarbarum Theodori*, *intus ſumendum*, *ſi vlcus iam ſit mundificandum*, *expellens venenatas impuritates & curationem mouens.*

℞.*Rhabarb. electi*.Drach.vi. *agarici trochiſcati* Dra. v.*pulu. baccar. hederæ* Dra. ii. ſem. *diamarg.frig.*Dra.ij. *turpethi electi* Drach. i. ſem. *zinziberis albi*, *doronici* an.Scr.ſem.*zedoar.* Scr.i.*ſpic.Indic.*gr.xv.*conſeru. roſar. bugloſſ.* an. Dra.vi.*Syrup. roſar. ſolutini cum Rhabarb.* q.ſ. Fiat Electuarium.

### *Emplaſtrum attractiuum.*

℞. *Mercurij ſublimati* Dra. ſem. *canthar id.* n°. xii. Puluerifentur & *cum oleo roſar.atque farinâ hordei*.Fiat Emplaſtrum.

### *Vel.*

℞.*Vnguenti roſati Meſués*,*diachyli ſimplicis* an.Vnc. ii. *Mercurij ſublimati* ʒ.i. *canthar idum craſſiuſculè pulueriſ.*n°. x, Incorporentur inſtar ceroti,ſ.Emplaſtri.

### *Vnguentum Cauſticum Theodori.*

℞. *Arſenic. rubr. alb.*an.Vnc.i.Macerentur per noctem in aceto generoſo, poſtea defunde acetum, & maceratis adde *maſtich. ceruſſ.* an.Vnc.i. *vitrioli calcinati* Vnc.ſem.

Fiat Puluis omnium, & macerentur per triduum in ſucco Plantaginis in loco calido, pòſt in vmbrâ exſiccentur, & ſubtiliſſimè pulueriſentur:poſtea

℞. *adip. porcin*, *aqua ſcabioſ.lot.* q.ſ.vt fiat vnguentum. Ad quod requiritur ſequens.

### *Emplaſtrum defenſiuum.*

℞.*Ceruſſ.pulueriſ.*lib.ß.*lithargyr.argent.auri* an.Vnc. ſem.*olei oliu.* tres libr. quadrantes. Miſce & lento calore coque ad aliquam ſpiſſitudinem, tunc adde ceræ vncias vi. vt Fiat Emplaſtrum.

### *De Carbunculis*, *Vnguentum defenſiuum Theodori.*

℞.*Olei roſarum omphacini*,*myrthini veri* an.Vnc.iii i. *ſucc. plantaginis morell.* an Vnc. ii. *vini granatorum*, *aceti ſt.caryophyll.* Vnc. i. Decoquantur ſimul ad lentum ignem, donec prædicti ſucci abſumantur: deinde colo transfundantur,& adde ceræ lotæ q. ſ. *Pulu.Terr. Lemn. veræ*, *boli Armen.veri* an. Vnc.ß.*caphur.* Scr. ii. ſ.Fiat ſ. a vnguentum.

### *Vnguentum incarnatiuum eiuſdem.*

℞, *Terebinth.* Vnc iij. *mellis optimi* ʒ.vi. *pulu ſarcocoll. thuris* Scr. ii. *myrrh.* Scr. ii. ſem. *aloës ſuccotrin. ſang. Dracon.* an. Scr. i. ß. *croci optimi*, *maſtiches* an. Scr. j.*Ceræ virgineæ* q. ſ. Fiat ſ. a.vnguentum.

---

# MEDICAMENTA CONTRA PESTEM,

## *A* D. SIGISMVNDO KOLREVTERO, PRO Republ.Dreſdenſi ordinata. Anno 1583.

### *Alexiterium.*

℞. *ſucc. fol. Calend.acetoſ. betonic.* an. lib. ii.*cichor. puleg.ſcabioſ. rut.* an.lib. i. *verben.* lib. ſem.*agreſt.*Vnc. iii. ſem. *Mell. opt. deſpum.*℔.iii. *ſucc. ribium*, *berberor.* an. Vnc. iii.ſem. *vini Rhen. opt.* lib. i. *Cret. aut Maluat.* Vnc.x. Miſc. decoq. poſtea lento igne in vaſe cooperto ad conſiſtentiam Syrupi,& adde permiſcendo *Syr. infuſion. roſar. acetoſ. citri*, *limon.* an. Vnc. ii. ſem. Deinde in tenuiſ. puluerem priùs redactis ſimul mixtis inſperge, ſemper agitando, vt formam Elect. ſolidioris acquirant,q. ſ. de ſubſeq. ſpec. *Aloës ſuccotr.* Vnc. ij. *Myrrh. elect.*Vnc. ſem.*croci* Vnc.i.*boli Armen.*ʒ.iii. ſem. *terr.ſigill.* ʒ.ii. *caſtor.*ʒ. i.*nuc.vomic.* ʒ. iii. *vnicornu* ʒ. iii.ſem. *cinamomi* ʒ. ſem. *ſantal. alb. rub. citrin.* an. ʒ. ii. *fol*, *auri* n°. xxi. *ligni aloës* ʒ.ii.ſem. *viſci qu.* Vnc. i. *cort. citri*, *limon.aurant.*an.ʒ.iii.*margarit. ſplendid.* Vnc. ſem. *Corall. alb. rubr.* an.Scr. iiii. *raſur. dent. apri* Drach. v. *C. C. vſti* Vnc.i. ſem.*ſem.erucæ* Vnc.i. *cardui ben.* Drach. vij. *baſilic.* Dra. ii. *citri*, *limonum*; *aurant. rapi* an Dra. i. *acetoſ. napi* an. Dra.iii. *nucl.iugland. excort. aceto per noctem macer.* lib.i.ſem. *caricar. pingu.* n°. xv. *bacc. lauri*, *iuniperi* an. Vnc. i. *rad. tormentill.* Vnc. ſem. *doronici* Drach. iii. ſem. *diptamn.*

diptamn.Dra.iii.angelic.domeſt.ſylueſtr.pimpinell.ſorbaſtrill.an.ʒ.i.ß.zedoar.biſtor.Valerian.Oſtruc.phu.veri, ariſtol.long. & rot.an.Drach.ii.ſem.gentian.Drach.iii.ſem.vrtic.alth.an.Dra.i.ſem.Meu,Zingib.leuiſtic.ſigill.Salom. an. Drach.i.petaſit. Vnc.i.helenij Drach.vi.Aſclepiad. Vnc.i. Aron.Vnc.i.ſem. Aſari Drac.ii. cruciat. Vnc.i.ſem. ſuccíſ. Vnc.iii.ſem. Olſnitij Vnc.i. fol. diptamn.ſalu. gratiol. Calend. Ononid. cardui bened. Veron.Carlin.an.Dra.ii.ſem.

Quod remanet de ſpeciebus, reſeruetur in vaſculo mundo, & ſeponatur.

### *Aqua alexiteria.*

♃. Puleg.acetoſ.cichor.ſcabioſ.rut.ſalu.fumar. cardui bened.an.M.viii.galeg.M.v.Calend.M.xiii.

Sint plantæ virides & modò collectæ; conciſæ parumper humectentur. Vini Rhen.puri ℔.iii.aq.ſcabioſ.fumar.meliſſ.cichor.verben.betonic.an.lib.ſem.Aceti vini acerr.lib.i.Deſtill.ſ.a.in B.

### *Electuarium ſudoriferum.*

♃. C.C.præpar.Vnc.ſem.ſucc.rut.millefol. an.Vnc.ii. Caricar.num.vii.Lentium Dra.i.fœniculi Dra.i.ſem.baccar.lauri Dra.ii.raſur.dentis apri,ligni viſci q.an.Dra.iii.rad.apij Dra.ii.ſem.rut. rapar. cardamomi vtr. an. Dra.i. Cum oxymel. comp. & conſeru. fumar. F. Electuarium.

### *Puluis ad ſacculos.*

♃. Rad.ireos Dra.i.ſem.plantag. cichor. hierac. lap. mai.an.Dra.iii.valerian.petaſit.angelic.helenij,leuiſt. an. Dra.vi.fol.baſilic.roriſmar.coron.Puleg.meliſſ.ſerpill. maioran.origani,hyſſopi,rut. an.M.i.fl.millefol.roſar.rubr.an. M.iii.ſtœchad.arab.rad.pœon.an. Vnc.i.ſpic. Cel. Dra.ii. Ind.Dra.ii.

Conciſa & contuſa mediocriter reſeruentur in vaſe ligneo mundo.

### *Electuarium præſeruatiuum.*

♃. nucl. iugland. per diem naturalem aceto macerat. poſt mundator. exquiſitè. lib.i.Tritis adde fol. rut. virid. minutiſſimè conciſ.Vnc.iiii.puleg.virit conciſ.Vnc.ii.Conſeru. euphraſ. borrag. bugloſſ. roſarum violar. meliſſ. an. Vnc.i. betonic. Vnc.iii. rad.pimpinell.cond.cichor. cond. an.Vnc.ii.ſem. Hæc bene mixta reſeruentur ſeorſim. Rurſus.

♃.Zedoar.Vnc.iii.myrrh.Vnc.ii.ſem. rad.aſclepiad. hierac.olſnit.rad.angel.tormentill. cichor.ana.Drach.ſem. ſem.citri,limon.aurant. an.Dra.i.baſilic.acetoſ. an.Dra.i.ſem.Corall.alb.rub.Margarit.præp. Carabes alb. an.Dra. i.ſantal.omnium an. Scr.iiii. boli Armeni Vnc. ſem. Coriandri præpar.Dra.vi.

Ex his omnibus f.puluis tenuiſſ. & huius medietas commiſc. reſeruatæ iam mixturæ, & ſyr. acetoſ. ſimpl.q.ſ.

Efformetur Electuarium.

### *Rotulæ è zedoaria.*

♃.Reſid.mediet.pulueris,cui adde Myrrh.Vnc.i.ſem. Zedoar.Vnc.i.ſem.Sacch.in aq.roſar.betonic.acetoſ.an.q.ſ.diſſol.F.ſ.a.Rotulæ trochiſcorum inſtar.

### *Puluis pro fumo.*

♃. Styr.calam. Vnc.ii. ladani Vnc.i. baccar.iuniperi M.v. putam.bacc.lauri M.i.fol.quer. Vnc.ii. Origan.maioran.ſerpill.hyſſop.puleg.an.Vnc.i.ſem.cortic.citri Vnc.i. Thymiam. Vnc.ii. Thuris Drach.vi. Sabin. Vnc.ii. fol. ſpic.vulg. M.iii. ſummit. hypericon.Vnc.i.roſar. alb. M.xii.

Conciſa & mediocriter contuſa dentur in vaſculo ligneo bene cooperto.

### *Emplaſtrum ad Bubones.*

♃.fol.betonic.ſalu.Calend.rutæ virid.an.M.ii.rad.armorac.raphani an.M.ii.ſem. lil.alb.Vnc.iii. cæpæ Vnc.i. caricar.num.vi.farin.tritici Vnc.i.

Conciſa & contuſa coq.in ſ.q.aq.ad mollitiem, optimè deinde contuſis adde ſinap.Drac.ſem.ſalis Dra.iii. fermenti.Vnc.iii. Ammoniaci aceto diſſol. Vnc.i. Mellis q.ſ.Coq.ad Empl. conſiſtent.

### *Vnguentum mundificans.*

♃. Vitell. ouor. num. vi. fungi muſc. aceto macerati, poſtea triti Vnc.i. fol.betonic.calend.chelidon.an.M.ſem. fermenti Dra.ii. Miſce ſimul in vnam maſſam, contuſ. adde.Galbani in aceto diſſol.Vnc.ß. Aſæ fœtidæ Dra.i.farinæ ſilig.Dra.i.ſpec.alexit.Dra.i.terebinth.aq.ſcabioſæ.lotæ, Drach.vi. Mellis roſati q.ſ. Subigantur in Vnguentum.

### *Electuar.amarum.*

♃. Aloës ſuccotr. Vnc.iii. ſpec.alexiterij Vnc.i.Myrrhæ Vnc.i.ſem. Maſtich. Dra.vi. Diagryd.ritè præpar. Dra.i. Cum ſyr.acetoſ.q.ſ.

### *Aliud lenius.*

♃. Elect.lenitiui, diaſebeſten ſine diagryd. ana.Vnc. iii.trypher.Perſic.Vnc.i.Miſc.

### *Vnguenta.*

♃.Thur.maſtich.myrrh.ſarcocoll.an.Dra.i.farin.hord.fabar.an.gr.xv.ſangu.dracon. boli Armeni an.Dra.ſem. reſin.colatæ,terebinth.pur.colophon.pic.naual. an. Dra.vi, ſeui ceruini Drach.iii. Ol. hyperici Vnc.i.ſem. Ceræ q.ſ. Fiat Vnguentum.

### *Morſuli è zedoaria.*

♃.cort.citri cond.Dra.vi. aurant. Scrup.ii. rad.eryng. cichor.pimpinell.omn.condit.ana Dra.ii. & abſterſo bene ſaccharo craſſiuſculè conciſorum.Corall.rub.& alb.præpar.an.ſcr.i. ligni aloës Dra.ſem. Myrrhæ Scr.i. Fol. auri num.iiii.zedoar.Drac.ii. boli Armeni loti aliquoties aquâ roſar.& cinamomi q.ſ.F.ſ.a.Morſuli.

### *Puluis pro fumo.*

♃.Roſar.rubr.Dra.ii.ſem. Styrac.cal. Dra.i.ſem. benzoës Scrup. ii. ligni aloës, cort. citri Dra.ſem. ſtœchad. Arab.gr.v.Hiſce mediocriter contuſis add.ſcobis tenuiſſ. ligni roſ.Scr.ii.Moſch.gr.iii.ambr. gr.ii.M.detur in pyxide ligneâ mundâ.

### *Rotulæ tempore peſtis.*

♃. Zedoar.Drach.ii. Myrrh. Drach.ſem. ligni aloës gran.xv.Rad.Cichor.angelic.helenij,pimpinell.omn. cond. an.Dra.i.gentian.gr.x.Margarit.præpar. gr.vii.ß. Conſ. roſar.rubr.Dra.ii.ſacch.diſſol.in aq.beton. q.ſ. Fiant Rotulæ.

### *Puluis pro fumo communis.*

♃.Cort.bacc.lauri,bacc.iuniperi,an.M.ii.fol.querc.fagi an.M.iii.ſummit.hyperici,ſerpilli,pulegij,origani,ſabin. roſar.

*roſar. alb. rub.* an. M. ii. Conciſa & mediocriter conquaſſ. commiſc. F. Puluis

## *Aqua pro ſuffumigio*

℞. *Boli Rom.* lib. ii. *alum. boli vulg.* an. Vnc. iii. *acetoſ. roſar. rub. ſcabioſ.* an. M. iiii. *galegæ, abſinth. Rom.* an. M. i.

Hæc omnia conciſa & conquaſ. coq. optimè in canth. vi. aq. & aceti acerr. ad canth. conſumpt. tranſcolatum reſeruetur.

## *Trochiſci pro fumo.*

℞. *Styrac cal.* Drac. xi. *ladani, benzoës, caryoph.* an. Dra. i. ſem. *roſar. rubr.* Dra. ii. *ligni aloes* Scr. ii. *ſacchari* Dra. vi. *lign. roſei*, Dra. iii. *trochiſc. alipt. moſch. rec. præp.* Drach. ii. *mucilag. tragacanth. cum aq. roſ.* q. ſ. F. ſ. a. trochiſci.

## *Species pro ſacculis.*

℞. *hyſſop. puleg. baſilic. meliſſ. maioran. rut.* an. M. iii. *rad. angelic. valerian. Cichor. ireos. lap. mai. pœon. aſclep. petaſit. leuiſtic. oſtrut.* an. Vnc. i. *fl. mille fol. roſar. rubr.* M. ii. *ſtœchad. Arab.* Dra. ii. *ſpicæ Celt. pug.* 1. Hæc omnia mediocr. conciſa & mixta reſeruentur.

## *Electuarium amarum.*

℞. *Dictamni albi, gentian. aſclep. pimpinell. zedoar. tormentill. pœon. bryon. eryng.* an. Vnc. ſem. *boli. Armen.* Dra. iii. *Myrrh.* Dra. ij. *Cort. citri* Drach. vi.

Hæc ſingula minutiſſimè puluer. commiſ. melli decocto galegæ, rutæ & puleg. in aceto deſpum. ad formam & conſiſtent. Electuarij. Reſeruetur, in fictili.

## *Puluis odoratus.*

℞. *ligni aloës* Drach. ii. *ladani* Drach. vi. *ſantali citrin.* Drach. iii. *ſtyrac. calam.* Drach. v. *benzoes* Dra. i. ſem. *raſur. cort. citri exter.* Vnc. ſem. *roſar. rubr.* ʒ. x. *caryophyll.* ʒ. i. *Moſchi, Zibeth.* an. Scr. ſem. Mediocriter conciſa & conquaſ. reſeruentur

## *Syrup. alexiterius.*

℞. *fol. Calend. galeg. verben. myrrhid. cichor. beton. ſcabioſ.* an. M. i. *rad. angelic. olſnit. pimpinell. diptamni albi, petaſit. biſtort. tormentill. oſtruc. aſclep.* an. Vnc. i.

Coq. conciſa & conquaſ. in vi. vel. viii. canth. aq. communis ad ſufficientiam, tranſcol. cum lib. ii. mellis ad ipſius deſpumationem ebulliant in fictili mundo.

# MEDICAMENTA PRÆSCRIPTA COLLEGIO MEDICO, IN Academia VVittebergenſi,

Anno 1598. 1609. 1610. 1611.

## 1. *Puluis ad ſuffiendum pro pauperibus.*

℞. *Baccar. iuniperi* M. ii. *Cortic. baccar. lauri* M. i. *Thuris* libr. ſem. *Fol. abſinthij, rutæ, quercus* an. M. ii. *Scobis ligni iuniperi* M. iiii. *Succini* Vnc. i. F. Puluis pro fumo.



## 2. *Candelæ pro fumo.*

℞. *Styrac. calamit. benzoës, thuris elect.* an ʒ. ii. *cinamomi, caryophyll. macis, nucis, moſch. radic. angelic. roſar. rubr. ſiccarum, ſantal. citrin. ligni aloës, cortic. citri ſicc.* an. Scr. i. *moſchi* gr. ii. *carbonum tiliæ duplum ad ſpecies tragacanth. in aq. roſar. camphorata diſſol.* q. ſ. F. Candelæ pro fumo.

## 3. *Alius puluis pro ditioribus.*

℞. *Baccar. iuniperi* ℔. i. *thuris* Vnc. iv. *ſtyrac. calamit. benzoës* an. Drach. i. ſem. *ſantal. citrin.* Vnc. ſem. *ligni aloës* ʒ. ii. *fol. lauri* Vnc. i. *flor. lauendul.* ʒ. ii. *roſar. rubr.* Vnc. i. ſem. *ſcobis ligni iuniperi* M. iii. F. Puluis groſſo modo pro fumo,

## 4. *Puluis præſeruans.*

℞. *Boli armeni veri præp. terr. ſigillat. ver.* an. Dra. ii. *rad. tormentill. pimpinell. angelic. petaſit.* an. ʒ. ſem. *valerian. oſtrutij* an. ʒ. i. *ſem. acetoſ. citri, endiuiæ* an. Scr. i. *fol. ſcordij, dictamni cret. cardui ben. acetoſ.* an. Dra. i. *cinamom. interni, caryophyll. zedoar. ligni aloës, ſantal. citrin. corall. rubr. præp. C. C. uſti & præp. margaritar. orient. præp.* an. Scr. ij. *croci oriental. trochiſc. de camph.* an. Scr. i. *ſpec. electuar. de gemmis* ʒ. i. M. F. Puluis.

## 5. *Electuarium Præſeruatiuum.*

℞. *Conſeru. acetoſ. acetoſell. roſar.* an. Scr i. *anthoſ.* ʒ. ij. *ſem. citri excort. cortic. eiuſdem*, an. Scr. j. *boli armeni veri* ʒ. i. *terr. ſigill. veræ* ʒ. ſem. *mithridatij elect.* Vnc. ſem. *theriac. optim.* ʒ. ii. *croci orient.* Scr. ſem. *aceti vini roſar. cochl.* iii

Theriaca cum Mithridatio in aceto diſſoluatur, addanturque pulueres cum conſeruis, & diligenter in mortario ad formam Electuarij ducantur. Doſis ſit adultis ʒ. i. infantibus Scr. i. vel. ii.

## 6. *Morſuli præſeruantes.*

℞. *Boli armeni veri cum aquâ acetoſ. præpar.* Scr. iiii. *rad. tormentill. dictamni albi, pimpinell. ſemin. citri excort.* an. ʒ. i. *electuar. de ouo* ʒ. i. ſem. *ſpec. liber. ſ. aloë* ʒ. i. *conſeru. flor. acetoſ.* Vnc. ſem. *ſacch. albiſ. diſſol. in aquâ acetoſ.* lib. i. F. ſ. a. Confectio in morſulis.

## 7. *Electuarium pro familia.*

℞. *Fl. acetoſ.* Vnc. i. *radic. tormentill. angelic. valerian. dictamni albi, pimpinell. baccar. iuniperi recent.* an. M. ii. Contuſa cum aceto roſarum, M. & adde *rob ſambuci* Vnc. iii.

## 8. *Puluis præſeruans pro pueris.*

℞. *Spec. elect. diamarg. frigid. diarrh. Abb. liberant. cum bolo* an. ʒ. i. ß. *corall. rubr. præp.* ʒ. ſem. *oſſis de corde cerui veri* Scr. i. *ſemin. ſanton.* ʒ. i. *rad. pœoniæ, granor. eiuſdem excort.* an. Scr. ii. ſem. *cinamom. interni optimi, cortic. citri* an. ʒ i. ß. Pulueriſatis pulueriſandis add. *ſacch. albiſſ.* Vnc. ii. M. F. Puluis.

## 9. *Rotulæ præſeruantes pro grauidis.*

9. ℞. *Margar. orient. non perfor.* Scr. ß. *frag. lapid. pretioſ.* an. Scr. ſem. *ſem. acetoſ. C. C. uſti & præp.* an. Scr. ii. *rad. pœoniæ, granor. eiuſdem excort.* an. ʒ. ß. *ſpec. diamarg. cal. confect. cordial.* an. ʒ i. *ſacch. roſar. veteris* ʒ. ß. *ſacch. albiſſ. in aquâ acetoſæ & roſarum odoratiſſ.* an. *diſſolut.* Vnc. vi. ſem. F. Confectio in rotulis.

10. *Acetum pro spongiis.*

℞. *Granor.iuniperi* Vnc. i. *fol.rutæ recent.* Vnc. ſem. *ſcordij* Dra.ii. Inciſis iis & contuſis adde *rad.angelic.* ʒ. ii. *Zedoar.* Dra.i. *ariſtoloch.longæ, valerian.* an. Dra.i.ſem. Pulueriſentur groſſo modo & affundantur aceti vini fortis lib.iiij.

11. *Lingualia.*

℞. *Zedoar.* Vnc.ſem. *rad.pimpinell.angel.* an. Drac..i. *ligni aloës, cinamom.elect.cortic.citri* an.Scr.ii. *macis* Scr. i. *ſacchari albiſſ.* Vnc.iii. Cum *ſ.q.tragacanth.in aq.roſarum diſſolut.* formentur Hypoglottides.

12. *Pomambræ pro viris.*

℞. *Flor.roſarum rubrarum, violarum* an.Drach.ii. *anthos, ſummit.maioranæ, lauendul.* an.Dra.i. *cortic.citri ſiccor.nucis moſch.cinamom.interior.* an.Dra.iii. *ligni aloës, ſantal.citrin.* an. Dra.i. *ſtyrac.calamit.benzoë* an. Dra.ii. Cum *ſ.q. tragacanthæ in aqua roſarum diſſolut.* F. Maſſa pomamb. pro viris. Doſis ſint Dra.iii. quæ aromatiſentur cum *moſchi, ambr.* an.gr.ii. & Syndoni rubræ includantur.

13. *Pro mulieribus.*

Aromatiſentur *cum caſtorei* gr. iii. includantur Syndoni.

14. *Sacculi Cordiales pro viris.*

℞. *Roſarum rubrar.* ʒ.iii. *flor. violar. purpur. nymph. albæ, fol.maioranæ, ſcordij, ſantali citrini* an. Dra.i.ß. *rad. iridis, cortic.citri* Vnc.ſem. *zedoar.* Scr.iiii. *cinamomi, caryophyll.macis* an.Dra.ſem. *ſtyrac.calam.* an.Scr.iiii.

Conciſa & tuſa craſſo modo ſeruentur ad vſum. Doſis Drach. iii. includantur Syndoni. Pro viris adde *camphoræ* gr.ii. *moſchi* gr.i.F.Sacculus.

15. *Pro mulieribus.*

Adde caſtorei gr.iii.

16. *Linimentum ad nares.*

℞. *Theriac.optim.mithridat.elect.* an.ʒ.i. *myrrh.elect. benzoës, ſtyrac.calam.* an.Scr.i. *ſantal.citrin.ſpec. cordial. temper.* an.Scr.ii. *ol.nuc.moſchat.* Drac.i. *vini maluatici, aceti roſarum, ſcordij* an.q.ſ.F.Linimentum.

17. *Electuarium Curatiuum.*

℞. *Theriacæ Andromachi veteris* Vnc.i. *Mithridat. elect. Electuar.de ouo, diaſcord.Fracaſtor.* an.Vnc.ß. *rad. tormentill.* Scr.iiii. *dictamn.alb.* Scr.ii. *fol. dictamn. Cret. ſcordij* an.Dra.ſem. *boli armen.ver.terr.ſigill.* an. Scr.iiii. *C.C.vsti & præp.* Dra.i. *ſem.acetoſ. citri excort.* an.ʒ.ſem. *ſancti* Scrup.i. *camphor.* gr.xxiv. Puluériſentur ſubtiliſ. & cum ſ. q. Syrup. acetoſ. citri redigantur ad formam electuarij.

18.

℞. *Electuarij huius* Scr.iiii. *aq.ſcordij* Vnc.iii. *aceti vini* Vnc.i.M.F.Hauſtus ſudorifer, pro adulto.

19.

℞. *Elect.præſcr.* ʒ.ß.vel Scr.ii. *aq.ſcordij* Vnc.ii.ß. *aceti vini* Vnc. ß. M. F. Hauſtus ſudoriferus pro pueris ab anno 7.ad 14.

20.

℞. *Electuar.præſcr.* Scr.i. *aq.ſcordij* Vnc.i. *aceti vini* ʒ. ii.M.pro minoribus.

21. *Syrup. refrigerans & confortans.*

℞. *Syr.de ſucco acetoſ.acetoſell. acetoſitat. citri, oxyſacch.ſ.* an.Vnc.i. *rob ribes, ceraſor.* an.Vnc.ß. *vini granat.* Vnc.i.vel.q.ſ.Miſce.

22. *Electuarium refrigerans & confortans.*

℞. *Carnium citri condit.* Vnc.i. *conſeru.flor.citri, acetoſell.borragin.roſar.* an.Vnc.ſem. *manus Christi perlatæ* ʒ.ii. ß.cum *Syrup.acetoſitatis citri* q.ſ.F.Electuarium.

23. *Potus purgans pro adultis.*

℞. *Decocti communis flor.& fruct.in quo ſem. citri* ʒ. ſem. *acetoſ.portulac.* an.Scr.i.bullierint, Vnc iii. Diſſolue in his *Elect.diacathol.lenitiu.ſ.* an.ʒ.iii. *roſati Meſſ.* Dra. ſem. *trypher.Perſic.* ʒ.i. adde *Syr.de cichor.ſ. oxyſacchar.* an.Vnc.ſem.M.Fiat hauſtus pro adultis.

24. *Pro iunioribus ab anno 7.ad 14.*

Paretur dimidia pars.

25. *Pro infantibus.*

Paretur pars tertia.

26. *Clyſter pro adultis.*

℞. *Fol.malu.vtriuſque, mercurial.violar.* an M.i. *flor. chamam.* M.ſem. *ſem.lini, fœnugr.* an.ʒ.ii. *rad.alth.* Vnc. ſem. Coquantur in ſufficienti quantitate aq.ad tertias, pro ℔.i.colat.adde *Elect.diacathol.* Vnc.ſem. *diaprun.lenitiu.* ʒ.ii. *roſati Meſ.* Dra.i. *ol.viol.* Vnc.ii. *mellis roſat.colat.* Vnc.i. *vitell.oui* n°.i. *Salis communis* Dra.ſem.M.Fiat clyſt.pro adulto.

27. *Pro iunioribus.*

℞. *Decocti ſuprà ſcripti,* Vnc.viii. *Elect.diacathol.* ʒ.ii. *lenitiu.ſimpl.* ʒ.i. *roſ.Meſ.* ʒ. ſem. *ol.violar.* Vnc.i. *mellis roſ.colat.* Vnc.ſem *vitell.ouor.* n°.i. *ſalis* Scr.i.M.

28. *Pro infantibus.*

℞. *Decoct.ſuprà ſcripti,* Vnc.iv. *Elect.diacathol.* ʒ.i. *lenit.ſimpl.* ʒ. ſem. *roſati Meſ.* Scr.i. *ol. viol.* Vnc i. *mellis roſati colat.* Vnc. ſem. *vitelli oui* n°. $\frac{1}{2}$. *ſalis* Scr.ß.M.

29. *Emplaſtrum ad bubones mitius.*

℞. *Radic.malu.alth.fol.malu.viol.* an.M.1.Coqu.ad mollitiem Poſt tuſis iis adde. *Butyri recent. non ſaliti* Vnc.ii. *adipis gallin.* Vnc.i. *fermenti* Dra.i.ß. *ol.roſat.* q.ſ. M.Fiat Vnguentum.

30. *Fortius.*

℞. *Cæpar.magnar.rubr. ademptis tunicis exterioribus aſſatarum in puppâ cannabinâ ſub cinerib.* n°. viii. *Fermenti acerrimi ad magnitudinem* IV. *cæparum, ficuum pinguium* n°. viii. *paſſular. magnar.* n°.xx. *theriac. veteris* Vnc.ii. *ammoniac. in acet. diſſolu.* Vnc.i.ſem. *cantharid. abiectis alis & capitibus* Scr.ii. Pulueriſatis pulueriſãdis ad formam Emplaſtri redigantur.

31. *Emplaſtrum ad carbunculos.*

℞. *Theriac.opt.mithridat.elect.* an.ʒ.ii. *fermenti, terebinth.* an.Vnc.i. *mell.roſat.* Dra.vi. *butyri recent.* Vnc.i. *ſalis communis* Vnc.ſem. *fuligin. camini* ʒ.x. *ſaponis veneti* Vnc.i.ſem. *croci* ʒ.i.ſem. *vitell.ouor.* n°.ii. Contundantur omnia, & F.Emplaſtrum.

32. *Puluis*

32. *Puluis ad infectas domos.*

℞. *Vitrioli, nitri* an. ℔. sem. *baccar. lauri recent.* Vnc. ii. ß. *myrrh. rubr.* Vnc. ii. *alumin.* Vnc. sem. *sulphur.* Dra. i. Pulverisata misceantur.

33. *Alius.*

℞. *Vitrioli* Vnc. v. *nitri* Vnc. i. *myrrhæ rubr.* Vnc. v. Puluerisata infundantur in aceto vini q. s. de hoc infunde in lateres ignitos, ad faciendum fumum qui venenatam auram in locis infectis consumit, vestésque quibus adhæret, à veneno liberas facit.

---

# MEDICAMENTA AB EODEM COLLEGIO PRÆSCRIPTA

## Anno 1626.

### *Præseruantia.*

1. *Puluis ad suffiendum pro pauperibus.*

Idem, qui suprà ab eodem Collegio præscriptus, n°. 1.

2. *Puluis ad suffiendum pro diuitibus.*

Idem, qui suprà, n°. 2.

3. *Candelæ pro fumo.*

Eædem, quæ suprà, n°. 3.

4. *Species pro vino.*

℞. *Absinth. vulgar. scordij, cardui bened.* an. M. i. *dictamni Cretici* M. sem. *rad. helenij, pimpinell.* an. Drac. vi. *cortic. citri*, Vnc. sem. Dentur. in chartâ.

5. *Puluis præseruans.*

Idem qui suprà num. 4.

6. *Puluis Montagnana.*

℞. *Sem. citri, acetos.* an. Drach. ii. *rad. dictamni albi, gentianæ, tormentill.* an. Drach. ii. ß. *boli Armeni, cinamon. elect.* an. Vnc. i. *margarit. præpar. sapphir. præpar. oss. de C. C.* an. Drach. i. *santal. omnium, semin. ocymi*, an. Dra. i. sem. F. Puluis præseruans, de quo scribit Montagnana, quòd nunquam viderit aliquem mori, qui illo vsus fuerit.

7. *Rotulæ liberantis.*

℞. *Spec. liberant. s. aloë*, Vnc. sem. *extract. angelic. zedoar.* an. Scrup. i. *facch. in aq. rosar. dissol.* Vnc. v. F. Rotulæ.

8. *Rotulæ cordiales.*

℞. *Spec. confect. de hyacinth.* Vnc. ß. *confect. alchermes* ℥. i. sem. *extract. angelic.* ℥. sem. *zedoariæ* Scr. i. *scordij* gr. vii. *magisterij corallior.* Scr. sem. Cum *sacchar. in aquâ galegæ & acetosæ dissol.* F. Rotulæ.

9. *Rotulæ præseruantes.*

℞. *Balsam. sulphur.* Scrup. sem. *extract. helenij* Scrup. i. *ol. angel.* Scrup. sem. *facchar in aq. scabios. dissolut.* Vnc. iv. vel v. F. Rotulæ.

10. *Rotulæ pro infantibus.*

℞. *Pulu. bezoartic.* D. Sennerti, *spec. liberant. s. aloë* an. Drach. i. *extract. tormentill. boli Armeni* an. Scrup. i. *facch. in aq. rosar. dissol.* q. s. F. Rotulæ.

11. *Rotulæ pro grauidis.*

℞. *Marg. orient. non perfor.* Dra. sem. *fragm. 5. lap. pretios.* an. Scr. ß. *semin. acetos. C. C. vsti & præp.* an. Scr. ii. *rad. pæoniæ, gran. excort. eiusd.* an. Dra. ß. *spec. diamargar. calid. confect. cordial.* an. Dra. i. *facch. ros. veteris* Dra. sem. Cum *facch.* Vnc. vi. sem. *in aq. acetos. & rosar. dissolut.* F. Rotulæ.

12. *Electuarium præseruans.*

℞. *Conser. scordij, galegæ, rut. scabios. tormentill. acetos. acetosell. rosar. flor. calendul.* an. Vnc ii. *rad. pimpinell. condit. helenij condit. scorzon. condit.* an. Vnc. ß. *boli Armeni, terr. sigillat.* an. ℥. ii. *rad. bistort. succis. angel. Zedoar.* an. ℥. ii. *cortic. citri condit.* Vnc. i. *theriac. opt. mithridat.* an. ℥. vi. Cum *syr. de succo citr. scordij, galeg.* an. q. s. F. Electuarium.

13. *Electuarium de zedoaria.*

℞. *Pulu. rad. zedoar. torment. pimpinell. helenij, olsnitij, angelic.* an. ℥. ii. *myrrh.* ℥. i Incorporentur *aceto bezoartico* ac addatur *Rob. sambuci*, Vnc. iiii. *iunip.* Vnc. ii. Misce.

14. *Electuarium pro familia.*

Idem quod suprà, num. 7.

15. *Syrupus & Morsuli præseruantes.*

℞. *Spec. confect. liberantis Austriac.* Diuidantur in partes duas æquales, ex vnâ cum *Sacch. in aq. acetos. scabios. cardui bened. dissolut.* q. s. F. Morsuli.

16.

Alteri parti affundatur acetum vini optim. q. s. stent in infusione per dies aliquot in loco calido, donec omnis vis attracta fuerit: postea acetum colatum cum facch. coqu. ad Syrupi consistentiam. Fiat Syrupus.

17. *Acetum Bezoarticum.*

℞. *Fol. rut. scord. flor. tanaceti lutei, rosar. rubr.* an. M. ß. *rad. Angelic. succis. olsnitij, dictamni albi, Zedoar.* an. Vnc. sem. Affunde aceti q. s.

18. *Puluis pro infantibus.*

Idem qui suprà num. 8.

19. *Acetum ad odorandum.*

Idem, quod suprà num. 10.

20. *Pomum ambræ.*

Idem, quod suprà num. 12. 13.

21. *Noduli ad odorandum.*

℞. *Flor. rosar. rub* M. sem. *melis. lauendul. fol. rut. cortic. citri sicc.* an. ℥. i. *santal. citrin. macis, ligni aloës, caryophylli, rad. angelic. zedoariæ, sem. nigell.* Scr. ii. *camphor.* gr. iiii. Puluerisentur grosso modo, insuantur nodulo, pondere Vnc. sem. vel Dra. vi.

Qui volunt, possunt moschum vel ambram addere.

22. *Trochisci sublinguales.*

Iidem, qui suprà numero 11.

23. *Balsamum.*

℞. *Ol. angelic. rut.* an. Scr. i. *citri destill.* Scrup. sem. *moschi*, *ambræ* an. gr. ii. *Ol. macis express.* q. s. Fiat Balsamum.

24. *Amuleta.*

℞. *Arsenic. alb.* Vnc. sem. *auripigment.* Dra. i. sem. *pulu. bufon. sicc.* Vnc. ii. *santal. rubr.* Drach. sem. Cum *mucilag. tragacanth.* F. Amuleta formâ consuetâ.

25. *Puluis ad infectas domos.*

Idem, qui suprà n°. 32.

26. *Electuarium Alexipharmacum curatiuum.*

℞. *Rob sambuc.* Vnc. ii. *Theriac.* Vnc. i. sem. *Sal. cardui benedict. absinth. fraxini* an. Drach. i. *Spir. vitrioli* Scr. iiij. *puluer. corall. rubr.* Drach. ii. Cum *syrup. Scordij*. F. Electuarium.

27. *Electuarium Curatiuum aliud.*

Idem, quod suprà, num. 17.

28. *Aqua Theriacalis.*

℞. *tormentill. lapp. maior. s. bardan. pimpinell. succisæ, valerian.* an. Vnc. iiii. *Imperator. angelic. gentian. serpentar.* an. Vnc. i. *capar. mundatar. à cortice, Nucum recent. nondum planè maturarum* an. Vnc. vi. *fol. rutæ cum floribus, acetos. cardui benedict. lauendul. verben. recent.* an. M. ij. *camph. in sp. vini dissoluti* Drach. i. *Theriac. Mithridat.* an. Vnc. j. sem. *aceti rosar.* Vnc. vi. *Vini albi præstant.* q. s. Destillentur.

29. *Syrupus refrigerans & confortans.*

℞. *Syrup. de succo acetos. acetosell. galeg.* an. Vnc. i. *succi citri* Vnc. i. ß. *Vini granat.* Vnc. ii. sem. *succi ribium, rubi Idæi, berber.* an. Drach. vi. *Aqu. Lauendul. fragor. s. vino, acetos. cerasor.* an. Vnc. iii. *rosar.* Vnc. i. sem. *Spir. vitrioli* Scr. i. Misce.

30. *Electuarium refrigerans & confortans.*

℞. *Carnis citri condit.* Vnc. i. *Conseru. acetos. acetosell. galeg. borragin. rosar.* an. Vnc. sem. *spec. diamargar. frig.* Drach. i. *confect. Alcherm.* Drach. sem. *cortic. citri condit. Manus Christi perlat.* Drach. i. sem. Cum *Syrup. acetositat. citri* q. s. F. Electuarium.

31. *Linimentum ad nares.*

Idem, quod suprà, num. 16.

32. *Vnguentum ad bubones.*

Idem, quod suprà num. 29.

33. *Fortius.*

Idem, quod suprà num. 34.

# MEDICAMENTA CONTRA PESTEM,

## A MEDICIS VRATISLAVIENSIBVS PRÆSCRIPTA,

Anno 1607.

### Præseruantia.

1. *Pilulæ Pestilentiales.*

℞. *Aloës succotr. Gummi Ammoniaci puriss.* an. Vnc. i. *Myrrh. elect.* Vnc. sem. *Salis absinthij* Scr. ii. Ammoniacum soluatur aceto scordij. Coletur & concoqu. ad spissitudinem aliquam. F. Massa. Dosis Scrup. i.

2. *Electuarium Præseruatiuum, quod in Peste anno 1599. mirè profuit.*

℞. *Rad. bistort. tormentill. succis. thapsi barbati, valdè bon. scabios. absinthij, pimpinell. Helenij, angelicæ,* an. Vnc. sem. *Fol. rut. verben. scordij*, an. Drac. ii. *Sem. acetos.* Drach. i. sem. *card. bened. meliss.* an. Scr. iv. *myrrh. zedoariæ*, an. Scr. j. *camphor. aceto destill. solut.* Drach. vi. *Syrupi de succo scordij & acetos.* q. s. Fiat Electuarium.

Pro mulieribus, in quibus est caput debile imminuto camphoræ pondere, adde Ol. garyophyll. destill. gutt. aliquot.

3. *Rotulæ liberantis compositæ.*

℞. *Spec. liberantis* Drach. vj. *Extract. tormentill.* Drach. ß. *angelicæ Zedoariæ* an. gr. xv. *Sacchar. aqu. tormentill. scabios. & angelic. soluti* lib. sem. F. Rotulæ.

4. *Species pro sacculis.*

℞. *Rad. Valerian. angelic.* an. Vnc. i. *baccar. iuniperi* Vnc. ii. *fol. scordij* Vnc. ii. sem. *rutæ* Drach. vi. *Macis in aceto infus.* Drach. ij. M. Fiat Puluis crassiusculus.

5. *Puluis pro fumo purarum ædium.*

℞. *Bacc. iuniperi* M. iv. *rut. virent. absinth. rad. helenij, Cort. betul. infer. circa caudicem* an. M. ii. *fol. querc.* Vnc. i. *myrrhæ rubr.* Vnc. iiii. Exsiccata puluerisentur. Dosis pro ratione ædium.

6. *Amuletum.*

℞. *Arsenici Crystallini, rubri, lapid. Magnet. part. æqual. santali rubri modicum pro colore.* Cum *mucilag. gummi tragacanth. aquâ rosar. extr.* q. s. F. Amuletum formâ consuetâ.

# MEDICAMENTA CVRATIVA.

1. *Electuarium Curatiuum.*

℞. *Theriac. Germ.* lib. sem. *Salis card. bened. absinthij, scabios. fraxini* an. Drach. i. *spir. vitrioli* Dra. ii. M. Fiat Electuarium. Dosis à Drach. sem. ad Dra. ii.

2. *Aqua*

2. *Aqua fudorifera.*

℞. *Nucum iugland. immat.* n°. 100. *vel maturefcentium autiam maturatarum cum toto nempe viridi lignofo cortice*, incidantur & contundantur minutim. Contufis adde. *fcabiof. verben. folani, femperuiui* ana. M. j. Mifce & affufo aceto optimè bulliant. Stent per noctem in infufion. Poftridie deftill. lento igne. Dofis ab Vnc. fem. ad Vnc. ij.

3. *Puluis fudoriferus.*

℞. *Rad. pimpinell.* Vnc. fem. *dictamni albi, valerian.* an. Drach. ii. *Tormentill.* Drach. vi. *Angelic.* Drach. ii. *C. C. Oculor, cancri prep*, an. Drach. iii. *Succini albi* Drach. ii. *fem. napi* Scrup. iv. *Card. benedict.* Scrup. viii. *terr. figill. Strig.* Vnc. ii. *boli Armeni prapar. Flor. Sulph. myrrhat.* an. Scr. iv. *Salis fraxini, fcabiof. card. benedict. iuniperi, abfinthij, valerian, artemif.* an. Scrup. i. fem. *Macis aceto macerat. Croci* an. Scrup. i. Mifce. F. Puluis fubtilif. Dofis à Scrup. i. ad Scrup. iv.

4. *Syrupus roborans.*

℞. *Syrup. de fucco Rubi Idai, acetofi fimpl. de fucco Ribium*, an. Vnc. ii. *Aqu. tormentill. veronic. fcabiof. card. benedict.* an. Vnc. i. fem. *Spir. Vitriol.* Scrup. i. M. pro dofibus iv.

5. *Puluis pro domibus infectis.*

℞. *Baccar. iuniperi* M. iv. *rut. virentis, abfinthij, rad. helenij. Cort. betul. infer. circa caudicem. Cornu hirci rafpati non caftrati, Sabina, Capill. hirci caftrati.* an. M. ij. *fol. quercûs* Vnc. i. *myrrh. rub.* Vnc. i. Exficcata puluerifentur. Dofis. cochl.

6. *Flores Sulph. myrrhati.*

℞. *Sulph. purific. & pulverif.* lib. i. *Vitriol. calcinati, Sal. gemma calcin.* an. lib. fem. *aloës* Vnc. i. *myrrh. thuris* an. Vnc. ii. *Croci* Drach. iii M. F. f. a. Sublimatio.

---

# MEDICAMENTA CONTRA PESTEM, SELECTA PRO REPVB.

Francofurtenfi ad Viadrum, Anno 1611.

## AD PRÆSERVATIONEM.

1. *Puluis pro fumo communis.*

℞. *Rad. iréos Florentin.* Drach. iii. *Caryophyll.* Scr. v. *Scobis ligni iuniperin. fraxini* an. Drach. i. *Cortic. tamarif. Limonum, aurantiorum, Citri, Flor. genift. rofarum rubrarum, anthos.* an. P. f. *Baccar. iuniperi cum fummitatibus ramulorum, baccarum Lauri cum corticib.* an. Drach. j. fem. *Nuc. cupreffi* Scrup. ii. fem. *Fol. querc. abfinthij, faluia, maioran.* an. P. f. *Myrrh. elect. Olibani, gummi Arabici* an. Scrup. iiii. *Refin. abietin.* Drach. ii. Groffo modo incifa feruentur ad vfum.

2. *Alius pro pauperibus.*

℞. *Cortic. baccar. lauri*, vel *Fol. lauri* M. i. vel vtriufque M. fem. *Gran. iuniperi felect.* M. ii. *fol. querc.* M. i. *fl. rofar.* M. j. *Sabin.* Vnc. fem. *Olibani*, Vnc. i. *myrrh. rubr. Carab.* an. Dra. ii. *rad. irid. angelic. enul.* an. Drach. ii.

3. *Puluis pro fumo pro diuitibus.*

℞. *Specier. puluer. communis pro fumo q. f. adde Ligni guaiaci* Drach. j. *fantal. citrini odorati, ligni aloës*, an. Scrup. i. *Garyophyll. Cinamomi electi*, an. Drach. i. fem. *fl. Lauendul.* P. fem. *fol. Rorifmarini, lauri* an. Drach. fem. *rament. fuccini* Scrup. ii. fem. *Thymiamatis* Scr. ii. *Terebinth. Cypr.* Scrup. v. *Styracis calamit.* Scrup. iii. fem. *ladani puriff.* Drach. fem. *alipt. mofch.* gr. xvij. *camphor.* Drach. i. *afa dulcis* Drach. ij. F. Puluis groffo modo.

4. *Trochifci pro fumo communes.*

℞. *Thuris, Maftich. gran. iuniperi, myrrh. elect. carab. alb.* an. Drach. j. *nuc. mofchat. garyophyll.* an. Dra. fem. *ligni cupreffi, calami aromat.* an. ℥ i. ß *ladani, Thymiamatis* an. Drach. i. fem. *Benzoin* Drach. ii. *Styracis liquid.* Dra. fem. *Terebinth. Cypr.* Drach. ii. *mofchi* gr. ii. Cum mucilagine tragacanthæ aquâ rofar. extractâ q. f. Fiant Trochifci parui.

5. *Trochifci pro magnatibus cum mofcho.*

℞. *Radic. angelic. Zedoar.* an. Drach. i. fem. *galang. diptamni albi* an. Scrup. iiij. *Styracis calamit. afa dulcis odorat. ladani puriff.* an. Drach. ii. *thuris* Dra. i. fem. *alipt. mofchat. Gall. mofchat. ver.* an. Scr. i. *Gran. iuniperi* num. ix. *Myrrh. elect. Succini albi, ligni aloës*, an. gr. vii. *Camphor.* Scr. fem. *flor. Lauendul. rorifmarin.* an. gr. iiij. *Sacchar. candi albi* Drach. ij. *ambr. gryfea* gr. iii. *mofchi* gr. viij. *Zibethi* gr. iii.
Diffoluantur ambra, mofchus, camphora & ladanum cum aquâ rofarum & cum mucilagine tragacanthæ in aquâ rofar. extract.
Fiant f. a. Trochifci afpergendo oleum fpicæ.

6. *Electuarium ex Scordio praftantiffimum.*

℞. *Pulueris fcordij* Vnc. i. fem. *rad. Tormentill. diptamn. albi. angelic. valerian. Biftort. Pimpinell.* an. Vnc. i. fem. *Caff. lign.* Vnc. i. *Styrac. calamit.* Vnc. fem. *boli noftratis praparat.* ℥. i. ß. *Conferu. rofarum, calendul.* an. Vnc. viij. *Piperis longi, Zingiberis* an. Vnc. ii. *Mellis defpumati* lib. ii. *Vini Maluatici vel Hifpanici aromatici* lib. i. Mifce. Fiat f. a. Electuarium.

7. *Conditum pro familia Stapedij.*

℞. *Gran. iuniperi*, Vnc. vi. *Caricarum.* num. xii. *nucleorum nucum iuglandium* Vnc. viii. *Conferu. flor. borrag. citri vel bugloff.* an. Vnc. iiij. *Theriac. veter. rad. tormentill. gentian. pimpinell. angelic. zedoar.* an. Vnc. i. Cum Syrupo de Limonibus. Fiat f. a. conditum.

8. *Electuarium nucum Mithridatis vulgare.*

℞. *Nuc. iugland. excortic.* lib. i. *Fol. rut. mundat.* Vnc. ii. *Caricar. pinguium* lib. ii. *Salis triti* Drach. vi. Puluerifatis puluerifandis, cum Syrupo acetof. citri, rob ribium & berberorum, atque aceto vini fcordiato vel rofato, Fiat f. a. Electuarium.

9. *Idem aliter cum puluere Scordij.*

℞. *Nucum iuglandium, ficuum* an. num. iij. *fol. rut.* num. xxx. *Pul. fcordij* Drach. ii. *fem. citri. excort.* Drach. j.

Drach. i. *cort. citri* Drach.ſem.*ſalis nitri depurati.* Scr.i. *boli Armeni ver.* Drach.i. *condit.citri* Drach. i.*Theriac.* Drach. i. ſem. *Mithridat.* Drach. i. Cum ſucco citri q. ſ. Fiat. ſ. a. Electuarium.

10. *Tabulæ Bezoarticæ.*

℞. *Spec. diamarg. cal.* Drach.ij. *Liberantis* Scr. iiij. *Zedoar. elect.cortic.citri, cornu cerui præpar.* an. Scr. i. *ſantal. citrin.rub.* an. Drach.ſem.*Fol. auri fini* num. v. *Magiſterij perlarum, Smaragdi præparat.* an. Scr. ſem. *Caryophyllorum* Drach. i. *rad pimpinell.* Drach. ſem. *Extract.angelic.* Scr. ii. *Cinamomi electi* Scr.iiii. *Sacch. albi* Vnc.ix.

In aquâ cardui benedicti & roſarum ſoluti. Fiant ſ. a. rotulæ. In fine adde olei è cortic. citri deſtillati gutt. viii.

11. *Rotulæ, ex extracto Zedoariæ.*

℞. *Sacch. alb.* Vnc. iii. *diſſolue in aquâ. pimpinell.* inſpiſſatóque Saccharo adde *Extracti zedoar.* Drach.i. vel Drach.ſem.*vel olei ex zedoar. arte chymic. ritè extracti gutt.*xv.Fiant Rotulæ.

12. *Rotulæ Zedoariæ communes.*

℞. *Pulu. zedoar.* Drach.ij.*Sacchari optimi, in aquâ pimpinell. diſſoluti.*Fiant ſ.a.Rotulæ.

13. *Confectio Saccharata pro pueris.*

℞. *Rad.gentian.angelic. zedoar.pimpinell.*an.Dra.j. Emolliantur in aceto roſarum per horas iii. Poſtea diuidantur in taleolos quadratos minores,ſaccharóque obducantur & exſiccentur in cribro.

14. *Electuarium præſeruatiuum pro grauidis Andernaci.*

℞. *Cinamomi electi,ligni aloës, ſantal,omnium,Nuc. moſchat.* an.Dra.i.*angelic.Zedoar.enul.* an.Dra.ſem.*ſemin.citri, aniſi, cichorij* an.Scr.i.*flor. borrag. bugloſſ.*an. P. i. *Margaritar.Rament. eboris, Sapphiri, Corall. rubror.* an.Scr.ſem. *Conſeru. roſarum, borragin.flor. citri.* an. Vnc.ſem. Cum *ſucco acetoſ. & ſaccharo* q. ſ. Fiat Electuarium.

15. *Aliud electuarium grauidarum.*

℞. *Cortic.citri tenuiſſimè inciſorum, aurantiorum inſorum. Seminis citri, coriandri præpar. Caryophyll.* an. Drach.ii. *Corall. rubror. ligni aloës, ſantal. rubror.raſur. eboris, Zedoar. Nuc. moſchat.* an. Drach.i. *terr. ſigill.* ʒ. i.ſem. *C.C.præpar.* Scr.i.*Cinamomi elect.* Vnc. ſem. *oſſis de corde cerui* num.ii.*Margar.præpar.* Scr.ii. *Fragment. hyacinth. Sapphiri Smaragd.granat.præpar.* an.Scr.ſem. *ſem. pœon. excortic. acetoſ.*an.Drach.ſem.*fol.auri* num. vij. *conſeru. borrag. bugloſſ. roſar.incarn.meliſſ.* an.Vnc. i. Cum *ſyrupo acetoſ. citri & de corticibus citri.*M. Fiat Electuarium.

16. *Rotulæ pro grauidis*

℞. *Rad. Tormentill. zedoar.* an. Scr. ii. *ſem. pœon. excortic. acetoſ.* an. Drach.ſem. *ſpec. diamarg. frig.*Dra. i.*Fragment.pretioſ.*omn. an. Scr. ſem. *C. C. præpar.*ʒ.ß. *Corall.rubror.præpar.* Scr. j. *Ol.Nuc. moſch.*gr.v.*Caryophyll* gutt.ii. *Cinamom.* gutt. iii. *Sacchari Cryſtall. in aquâ acetoſæ diſſoluti,*Fiant ſ. a.Rotulæ.

17. *Puluis Bezoarticus pretioſus.*

℞. *Boli Armeni veri, oſſium è corde ceru. præpar.*an. Drach.j.*ſantal. omnium* an. Scr. i. *terr. ſigillat.* Scr.iiii. *lapid. Bezoar.* gr.ix. *camphor.* Scr. ſem. *Cinamomi* Scr. ii. ſem. *Croci orientalis* gr. ix. *ſemin. citri excortic.* Scr. ſem.*Hyacinthi præparati* Scr. ſem. *Moſchi, Ambr.gryſeæ* an.gr. v. *rad. diptam. alb. tormentill. zedoar. been vtriuſque* an.Scr.ii. *fol.auri* num.iii.M.Fiat puluis ſubtiliſſimus.

18. *Puluis Præſeruatiuus pro familia.*

℞. *Pulu. fol.acetoſ. abſinthij, ſcordij, rut. cardui benedicti, ſcabioſ.* an.Drach.i. *rad. valerian. enul. Olſnicij,tormentill.biſtort. ſerpentar.* an. Scr. iii. *vincetoxici, gentian.pimpinell. polypodij* q.an.Scr.ii.*Angelic.Diptãni albi, zedoar.* an. Scr. i. ſem. *ſem.acetoſ.citri.excortic.* an. Scr.i.*rut.cardui benedicti* an.Scr.ii.ß. *Gran. iuniper.* Scr.v. *Baccar.lauri* num. vii.*Sacchar.albiſſ.*Vnc.v.Miſce Fiat Puluis.

19. *Puluis pauperum de acetoſa.*

℞. *Fol. acetoſ. Rad.valerian.æq.part.*

Macerentur in aceto, rurſumque in vmbrâ exſiccentur, ſeruenturque ad vſum. Poſſunt alia addi, vt Scordium, verbena, carlina, &c. Miſce, Fiat puluis.

20. *Tragéa Bezoartica pretioſa.*

℞. *Cornu cerui præparati, Margarit. præparat. Eboris vſti, cinamomi, tormentill. boli Armeni, vnicornu veri,* an. Drach.i.*Cortic. citri* Scr. ii. *trium ſantal.* an.Scr. i. *Raſur. ebor. Hyacinthi, Sapphiri, Corall. rubror. & albor. Succini albi orientalis, rad. valerianæ, zedoariæ, xyloaloës* an. Scr. i. *terræ ſigillatæ*, Scr.i. & gr. xi.*Serici crudi torrefacti* g. xii. *Spec. diamarg.frigid.diamoſch. dulc.* an. Drach. ii. *Been albi & rubri* gr. xii. *fol. auri* num. iiii. *Sacch. albiſſ.* lib. i. Miſce, Fiat Tragéa.

21. *Alia Tragéa præſtantiſſima ex flor. Sulphuris myrrhatis.*

℞. *Flor. Sulphuris myrrhat.* Vnc. i. *Sacchari cand. alb.* Vnc. ſem. *Spec. liberantis cum vel ſine aloë* Drac.i. Miſce.

22. *Flores Sulphuris myrrhati ſic parantur.*

℞. *Sulphur. flauiſſ. Goſlarienſis.* i. *Salis fuſi, vitrioli Goſlarienſis purificati & calcinati* lib.i.vel lib.ſem.

Pulueriſata coniiciantur in cucurbitam vitream, & ſublimentur gradato igni, ſublimatum Sulphur denuo cum ſale & vitriolo ſublimetur. Idque tertiò cum ſacch. cando. Horum florum partem vnam ſeruato ad affectûs thoracis magnum auxilium.

℞. *Horum florum alteram partem:adde myrrhæ æqualem portionem, & aloës tantundem, cum quartâ parte croci Auſtriaci, miſce, & quartò ſublimato.* Flores ſublimatos ſerua:in peſte & pulmonum affectibus nobile remedium.

℞. Hoſce *flores myrrhatos* quantum libet, verbi gratiâ Vnc. i. adde illis *Spiritûs terebinthinæ rectific. in cucurbit. vitrea* Vnc. iii. Munito ſigillo Hermetico & collocato in aqu. cal. vel Bal. M. vaporoſo per dies ix. & Spiritus fit rubicundiſſimus.Huic rubicundo liquori affunde ſpiritum vini probè rectificatum & paruo alembico ſeparato aquoſitatem in B. M. manebit in fundo Balſamus ſulphuris præſtantiſſimus.

Spiritus terebinthinæ deſtillatione euaneſcit.

22. *Aqua*

### 23. *Aqua Theriacalis ſiue expulſiua temperata.*

℞. *Rad. gentian, cyperi, tormentill. enul. campan.* an. Vnc. i. *Fol. tapſi barb. cardui benedicti, morſus diaboli, pimpinell. ſcabioſ. oxalid. agreſt. min.* an. M. ſem. *ſummit. rut.* P. i. *baccar. myrti* Vnc. i. *roſar. purpur. flor. bugloſſ. borraginis, hyperici* an. Vnc. i. mundentur omnia, piſtentur, & macerentur 24. hor. in vini maluatici, aq. roſar. & oxalid. an. lib. i. Deinde reponantur in vaſe vitreo, addantur theriac. & Mithridatij an. Vnc. iiii. Fiat Deſtillat. in B. M. Aqua deſtillata phialâ vitreâ excipiatur, eique rurſum addatur croci Drach. i. terr. ſigillat. boli armeni, Santal. citrini, raſuræ eboris, limaturæ cornu cerui iunioris prope caput aſſumpti an. Vnc. ſem. Obſerata phiala ſoli exponatur octo vel decem dierum ſpatio. Seruetur pro communi vſu.

In ſummis ardoribus tutò datur & ſudores tamen copioſè ſatis mouet. Optima paratur menſe Iunio: innoxiè propinatur etiam lactentib. puerulis in peſte, variol. & morbill. Item grauidis, pro quibus & ſimilibus delicatis perſonis, quò gratior ſit, colari debet per manicam addito ſaccharo & cinamomo conquaſſato.

### 24. *Linimentum pro naribus.*

℞. *Theriac. Mithridat.* an. Drach. ſem. *Sem. acetoſ.* Scr. ii. *Santal. citrini odorat.* Drach. i. ſem. *Ol. nucis moſchat. deſtillat. Angelic. Succini albi* an. Scr. ſem. *Camphor. myrrh. ſelect.* an. Scr. i. *moſch.* gr. iii. *aceti roſacei.* q. ſ. F. Limentum.

### 25. *Aliud.*

℞. *Olei nuc. moſchat. expreſſ.* Drach. j. ſem. *deſtillat. maior.* gutt. vi. *Myrrh. Succini albi* an. gutt. iii. *Theriac. optim.* Scr. i. *Extract. ligni aloës* Scr. ſem. *moſchi, ambr.* an. gr. iiii. Cum aqua vitæ pretioſa q. ſ. F. ſ. a. Linimentum.

### 26. *Pomum odoriferum.*

℞. *Nucem moſchatam dimidiam, Rad. angelic. leuiſtici, gentian.* an. Scr. ſem. *ligni aloës, ſantal. citrini odorat. roſar. rubrar. fol. myrtill. veror. cortic. citri fragrantiſſ. Aurantior. Caryophyllor.* an. ſem. i. *ladani puriſſ.* Scr. ii. *Succini albi* Drach. ſem. *myrrh.* gr. vii. *Camphor.* gr. ii. *Croci orientalis* gr. iii. *aſæ dulcis odorat.* Drach. ſem. *moſchi diſſoluti cum ladano in aqua roſar. redolentiſſ.* gr. ii. *ambr. griſea* gr. iii. *Diſſoluta cum ladano & moſcho in mortario calido.* Poſtea adde reliqua, & fiat ſ. a. maſſa exteriùs Zibethi gr. ii. inungenda pro pomo odorifero includendo orbiculo aureo vel argenteo.

### 27. *Noduli odoriferi, pro Orbiculis ex ligno iuniperi vel ſuccino factis.*

℞. *abſinthij, rut. meliſſ. Salu. maioran. lauendul. roſar. rubr.* an. P. ſem. *caryophyll.* num. v. *nucis moſch.* num. *Cinamomi, macis,* an. Scr. ſem. *gran. iuniperi* Scr. i. *caſtorei* gr. ix. *rad gentian. leuiſtici, angelic. oſtrutij* Drach. i.

Macerentur per noctem in aceto acri roſato in loco tepido. Manè in fornace tepida cautè iterum exſiccentur: exſiccata pulueriſentur, aſperganturque *aquâ vit. optim. aquâ roſar.* q. ſ. & adde *Theriac. Mithridatij* an. Drach. ſem.

Miſce omnia & ſyndone excepta formentur in nodulos ex qualibet Vncia, vel Vncia ſem. nodulus vnus includendus orbiculo ex iunipero facto.

### 28. *Pomum ambræ pro Peſte.*

℞. *Ladani electi* Vnc. ſem. *camphor.* gr. iii. *moſch. elect.* gran. vi. diſſoluantur in mortario calido cum aquâ roſarum q. ſ. Diſſolutis adde *alypt. moſchat. ſtyrac. calamit,* an. ʒ. ii. *ſuccini albi* Drach. i ſem. *maſtich.* ʒ. ſem. *Sem. nigell. Roman. toſti* Scr. i. *cortic. citri, caryophyll. nucis moſchat. macis. Myrrh. elect.* an. Drach. ſem. *Rad. iréos Florentin. Xiloaloës, ſantal. citrin.* an. Scr. ii. *flor. roſar. rubr. lauendul.* an. P. ſem. *Olei angelic. Zedoar. rut.* an. gutt. ix. *è baccis iuniperi* Scr. i. *ſpic. fœnicul.* an. gutt. v.

Olea arte chymicâ extracta cum cæteris incorporentur in maſſam: vnde fiant Poma ambræ inungenda zibetho nobiliſſimo, & obducenda ſyndone rubro, includantur nodulo.

### 29. *Species pro ſacculis odoriferis,*

℞. *Rad. valerian. iréos Illyric. oſtrucij, angelicæ* an. Dra. iii. *phu pontici olſnicij, zedoariæ* an. Drach. ii. ß. *cortic. citri, ſantal. citrin.* an. Drach. i. ß. *ligni aloës* Drach. i. *baccar. iuniperi* Drach. iv. *Fol. meliſſ. roriſmarin. thymi, rutæ* an. M. ſem. *abſinthij, maioran.* an. P. ii. *Flor. roſar, rubrar. ſpicæ, lauendul. roriſmarin.* an. P. iii. *camphoræ* Drach. i. ſem. *nuc. moſchat.* Scr. ii. ſem. *caryophyllor.* Scr. iiii. *ſem. nigell. toſtæ* Scr. iiii. ſem *Myrrh.* Scr. ii. Inciſa omnia groſſo modo & tuſa repone.

### 30. *Acetum contra Peſtem.*

℞. *Rad. tormentill. ſerpentar. gentian. pimpinell. angelic.* an. Drach. vi. *Fol. rutæ, abſinthij, ſcordij* an. Vnc. ſem. *Bacc. iuniperi, lauri* an. Drach. v. *zedoar.* Drach. ii. *nuc. moſchat. nuc. Indicæ minutim inciſ.* an. Drach. iii. ſem. *Theriac. optim. Mithridatij elect.* Drach. ii. ſem. *aceti ſcordij vel flor. tunic.* q. ſ. Seruetur.

### 31. *Amuletum ex Hydrargyro.*

℞. Nucem auellanam excauatam, vt moris eſt, immitte in illam cauitatem hydrargyri tantum, quantum capit dimidia excauati putaminis capacitas, obſignatóque foramen diligenter cum cerâ Hiſpanicâ. Poſtea iſtum nucleum include ſacculo cordiali ex ſyndone rubrâ duplicatâ, & adde *Rad. angelic. zedoar. olſnit. in aceto maceratar. zedoariæ,* an. Dra. ſem. *camph. opt. cortic. citri, aſæ dulcis* an. Dra. ſem *flor. roſar. rubr. ſpicanardi, lauendul.* an. P. ſem.

Omnia cum nucleo illo includantur ſacculo cordiali minori, & benè interpaſſato, ne nucleus loco moueri, aut ad imum delabi poſſit.

## AD CVRATIONEM.

### 1. *Electuarium Diaſcordium Fracaſtorij.*

Paſſim deſcriptum habetur.

### 2. *Electuarium Bezoarticum Curatiuum & Præſeruatiuum.*

℞. *Theriac. Andromachi* Vnc. ß. *Mithridatij* Drach. iii. *Rad. angelic. pimpinell. cinamomi elect.* an. Scr. ſem. *Flor. ſulph. myrrhat.* Scr. ii. Cum *Syrupo acetoſ. citri* q. ſ. F. Mixtura.

### 3. *Aqua Stapediana prima pretioſa pro diuitibus.*

℞. *Theriac. Andromachi, Mithridatij Damocratis* an. Vnc. vi. *Pulu. Elect de bolo Ioubert. bezoartici. Nicolai* an. Vnc. ii. *Aquæ vitæ per balneum bis deſtillat. vini maluatici, Aceti, rutacei* an. lib. i. *ſucci rad. pimpinell. limo-*

*num.* an.Vnc.vi. Deſtillentur in Balneo rorido, lento igne. Huic deſtillato liquori conſeruato in phialâ vitreâ adde *Theriac.veter.* Vnc.vi. maneántque ſic ſimul omnia, vt in fundo theriaca quieſcat. Hæc Aqua quò vetuſtior, eò melior. Sed eſt valde calida; ideóque ſi peſtis inſignem calorem comitem habeat & febrim, vt & aliàs tempore æſtiuo, eius loco commodè & tutò ſubſtituitur aqua Theriacalis temperata Paræi, quæ quouis tempore innoxiè ſumi poteſt.

### 4. *Aqua ſtapediana ſecunda ſiue ſudorifera communis.*

℞. *Conditi pro familiâ Stapedij* lib.ii. *Aquæ vit.ſemel in Balneo extract. Vini Maluatici, Aceti rutacei, ſucci radic.pimpinell.limonum* an. lib. i. In Balneo, vt de priori dictum, liquor extrahatur, cui adde *Theriac.veteris* Vnc. iiii. reſideátque per quietem in fundo theriaca.

### 5. *Aqua Bezoartica Langij.*

℞. *Herb.Chelidon.cum radicibus* M.iii.ſem. *rutæ* M.i. *ſcordij* M.ii. *dictamni Cretici, card.benedict.* an. M.i.ſem. *zedoariæ, angelic.* an.Dra.iii. *cortic.citri, limonum,* an.Dra. ii.ß. *flor.tunicæ, borragin.* an.Drach.iii. *cinamomi opt.* Dra. ii.ſem. *caryophyllor.* Dra.ii. Inciſis incidendis & contuſis contundendis fiat infuſio in

℞. *vini ſublimati ter deſtillati* lib.viij. *vini Maluatici, aceti ſcordij* an.lib.i. *Aquæ roſar.ſcabioſ.* an lib.ii.

Macerentur per biduum. Poſtea lento igne in organis vitreis deſtillentur. Huic deſtillato liquori adde *Theriac.* Vnc.iii. *Mithridatij* Vnc.i.ſem. *camphor.* Scr.ii. *macis* Dra.i.ſem. *cinamomi* Dra.iii. *ligni aloës* Scr. ii. *ſantâli citrini* Dra.ii.ſem. *caryophyllor.* Dra.i.ſem. *conſeru.flor.tunic.* Vnc.ii. *card. benedict.* Vnc.i. *cornu cerui præpar.* Dra.i.ß. *ſpec.liberantis* Scr.v.

Macerentur in priori deſtillatione & ita ſeruentur ad vſum.

### 6. *Puluis Bezoarticus Curatiuus.*

℞. *Semin.acetoſ. Citri excortic. rad.tormentill.* an.Dra. ii. *Margarit.præpar. Cornu cerui præpar.* an.Dra.i. *ſantal. omnium, ocymi* an.Dra.i. *Antidoti Saxonici* Dra.vi. Miſc. Fiat Puluis.

### 7. *Puluis ex ſcordio viridis præſtantiſſimus.*

℞. *Scord.* Vnc.ii. *Card. bened. cornu cerui vſti & cum ſucco Scordij præpar.* an.Vnc.i.ß. *Sem.citri, veronic, pimp.* an.Dra.iii. *Rad petaſitidis, ſarſ.parill.* an.Vnc.i. *corall.rubr.præpar.* Drach.vi. *flor.Sulph. myrrhat.* Dra.ii.ß. *camphor.* Scrup.i.ſem. Miſce. Fiat Puluis diligenter mixtus.

### 8. *Puluis Euphorbiatus VVildij.*

℞. *Euphorbij electi* Drach. i. *maſtich.* Scrup. ii. *croci* Drach. ſem. *ſacchar. opt.* Drach. iii. Miſce F. Puluis.

### 9. *Alexiterium VVildij.*

Ex iiſdem ſpeciebus cum Theriacâ & mithridatio additis conſeruis, &c. vt notum eſt, fit Electuarium præſtantiſſimum pro robuſtis.

### 10. *Potio corroborans.*

℞. *Syrup.acetoſ.citri, de ſucco limonum, de pomis, Rob ribium, berberorum* an. Drach. ii. Solue *in aquâ acetoſ. cardui bened.* an.Vnc.i. *ſcabioſ.* Vnc.ſem. add. *manûs Chriſti perlatæ* Dra.vi.

### 11. *Aqua Perlata pro infectis.*

℞. *Tab. manûs Chriſti perlat.* Vnc. i. *ſuccini albi orient.pell.* Scr.i.ß. *Magiſter.perlar.* Scr.i. *Aqu.borraginis, acetoſ.card. benedict.ſcabioſ.* an. Vnc.i. *Syrup.è ſucco ribium* Vnc.i.ß. *Iulepi roſacei* Drach.vi. *ſpir. vitrioli* q.ſ. vt iucundum acidulúmque ſaporem percipias.

### 12. *Alia potio confortans.*

℞. *Conſeru.flor.roſar. incarn. borraginis. bugloſſ.* an. Vnc.ſem. *acetoſ.* Drach.i. *meliſſ.* Dra.ii. *cort.citri conditi. Rad.cichor.condit.* an.Vnc.ß. *Flor.citri, myrobalan. chebul.condit.* ana.Dra.iii. *Aq.borragin.* Vnc.vi. *ſcabioſ.roſarum, endiuiæ, card.bened.* an.Vnc.iii Bulliant parum: Colentur & exprimantur, clarificentúrque cum albumine oui: adde *ſucci citri acidi* Vnc.ii. *tinctur corallior.* Scr.ſem. Miſce & repone in loco frigido.

### 13 *Syrupus confortans.*

℞. *Syrup.de ſucco acetoſ.Limonum, acetoſit.citri, acetoſell.rubi Idæi* an.Vnc.i. *Succi violar.purpur. Robribium, berberor.oxyſacchar.Iulepi roſacei, violacei, miuæ cydonior.* an.Dra.vi. *manûs Chriſti perlat.* Dra.x. *cortic.citri condit. & minutim inciſ.* Vnc.ſem. *aqu. Endiuiæ, cinamomi tenuioris* an.q.ſ. pro aromatiſando. Miſce.

### 14. *Electuarium reſumptiuum.*

℞. *Condit.cortic.citri* Vnc.ii. *aurant.* Vnc.i. *Conſeru. roſar.acetoſ.acetoſell.* an.Vnc.ii. *Flor.borraginis, violarum* an.Vnc.i.ſem. *boli Armeni* Dra.i. *terr.ſigillat.Strigenſis, corallior.rubror.præpar.cornu cerui vſti & præp.* an. Dra. i.ſem. *Margarit.præparat.* Dra.ii. *Santali citrini* Scr.ii. *ligni aloës* Scr.i. *Fol.auri* n°.iiii. *confect.Alckermes* Dra.ii. Cum *Syrup. acetoſitat. citri* q.ſ. Fiat Electuarium.

### 15. *Morſuli confortantes pro infectis.*

℞. *Sacch. Cryſtallini* Vnc. iiii. diſſol. in aquâ roſarum, & ad iuſtam conſiſtentiam cocti, agitetur donec incipiat inſpiſſari: & tum adde *cortic. citri minutim inciſ.* Vnc.i.ſem. *Olei cinamomi deſtill.* gutt.v. *macis* gut.iii. *è cortic.citri, caryophyllor.* an. gut.iiii. *ſucci citri recenter expreſſ.* q.ſ. pro aciditate euidenti. Fiant ſ.a. Morſuli.

### 16. *Tabulæ confortantes pro Infectis.*

℞. *Boli Armeni* Drach.i. *Magiſterij perlar. corall. rubror.præpar.* an.Drach. ſem. *terr.ſigillat. Strigenſis, cornu cerui vſti præpar.* an.Scr. i. *Pulu. cinamomi opt.* Scr. ſem. *Nucis moſchat. macis* an. gr. v. *Olei garyophyll.* gutt. iii. *Sacchari Chryſtallini* Vnc.ii. Diſſolue Saccharum in aqua roſar. addendo in fine foli.auri.n°.iii.

### 17. *Epithema Cordiale.*

℞. *Spec. de gemmis* Drach. j. *Santal.rubror.cortic.citri, xyloaloës, macis* an. Drach. ſem. *beën albi & rubri, camphoræ, croci* an. Scr.ſem. *moſchi* gr. iiij. *Aq. roſ. fragrantiſſ.* Vnc. iii. ſem. *Carfunculi* Vnc. ſem. *Vini generoſiſſimi* Vnc. iii. *aceti roſacei* Vnc. ii. Miſce pro Epithemate.

### 19. *Linimentum Cordiale.*

℞. *Theriac opt.* Vnc. ſem. *Succi Limonum vel Citri* Vnc. ſem. *aceti roſacei* ʒ.ii. *Confect.Alckermes* ʒ.ß. *camphor.* Scr.ii. *croci* Scr.ſem. *moſchi* gr.iii. Miſce pro Linimento.

*Aqua*

*Aqua hordei pro infectis.*

℞. *Hordei mundi* M. i. *Rad. Caryophyllat. mundat.* vel *acetoſ. ſcorzoner.* an. Drach. ii. ſem. Coquantur in aqu. pluuial. menſ. ii. ad crepaturam hordei. Colaturæ adde *Syrup. è ſucco rubi Idæi* vel *Syrup. Limonum*, vel *Rob berberor.* Vnc. iiii. *aceti ſcordiati* Vnc. ſem. Coletur iterum per manicam Hippocratis.

20. *Vnguentum ad bubones primùm apparentes.*

℞. *Vnguenti dialthææ ſimpl.* Vnc. i. *Flor. chamæmeli, meliloti citrini, Fol. Scabioſ.* an. Scrup. ij. *Mithridatij* Scrup. ſem. *pinguedinis gallin.* Scrup. i. ſem. *caricar. pingu.* n°. ii. *Olei lilior. alborum* Drach. ij. *Scorpionum* Scrup. iiii. Cum ſ. q. *aqu. vit.* F. linimentum.

21. *Emplaſtrum validè attrahens ad bubones.*

℞. *Cæparum aſſatarum ſub cineribus, alliorum ſimiliter coctorum ſub cineribus* an. Vnc. i. ſem. *Fermenti acris* Vnc. i. ſem. *Theriac. veteris* Drach. ſem. *Mithridatij* Drach. ii. *Axung. ſuillæ vet.* Vnc. ſem. *ſtercoris columbini* Drach. i. *corporum cantharidum ablatis alis & pedibus* Scrup. ſem. *ammoniaci, Euphorbij, caſtorei, opopanacis, galbani in aceto vini diſſol.* an. Drach. i. *rad. diptamni albi, pimpinell. ari, vincetoxici* an. Drach. i. ſem. *Pulu. fol. ſcabioſ. rut. centaurij minoris* an. Scrup. i. *Sem. eruc. ſinapis, raphani* an. Drach. i. *ſquill. præpar.* Drach. ii. *Croci, camph.* an. gr. vi. *farin. hordei* Drach. iii. *Olei lini, reſin. abietin. therebinthin. Cypriæ, cer. citrin.* an. q. ſ. Fiat ſ. a. Emplaſtrum.

22. *Alij idem minore labore ſic parant.*

℞. *Cæparum ſub cineribus coctarum* Vnc. iiii. *Fermenti acris* Vnc. i. *ſtercor. columbini* Vnc. ii. *Axung. ſuill. & gallin.* an. Vnc. i. Contunde & Fac ſ. a. Emplaſtrum.

23. *Emplaſtrum ad Carbunculos.*

℞. *Mithridatij opt. Theriac.* an. Drach. i. *Saponis Veneti* Drach. ii. *Butyri recentis, Fermenti acris*, an. Dra. iii. *Mell. roſati* Drach. ij. *Croci Oriental.* Drach. j. *Cæpam ſub cineribus aſſatam.* n°. i. *Allij itidem pro cineribus toſti* Drach. i. *ficuum pinguium* n°. ii. *fimi columbini, Sem. ſinapis* an. Scrup. ii. ſem. *Cantharid. ablatis alis & pedibus* Scr. i. Miſce pro Emplaſtro ſ. a.

24. *Emplaſtrum Defenſiuum in ambitu Carbunculi.*

℞. *Boli Armeni* Vnc. iiii. *terr. ſigillat.* Vnc. ii. *C. C. vſti & præparati, Eboris præparat.* an. Drach. ii. *camphor.* Drach. iii. *cer.* Vnc. iiii. *Olei roſacei* Vnc. ii. *album. ouorum duorum.* Miſce pro Linimento.

25. *Aliud.*

℞. *Boli Armen. terr. ſigill. Strigenſ. ſantal. rubr.* an. Drach. i. *Vnguent. Roſacei.* Cum ſ. q. *ſucci plantaginis.* F. Limentum.

***

# MEDICAMENTA CONTRA PESTEM,

*A*

## MEDICIS BERLINENSIBVS & Colonienſibus præſcripta,

Anno 1625.

1. *Puluis pro fumo.*

℞. *Benzoi puriſſ.* Vnc. iii. *rament. ſuccini*, Vnc. i. ſem. *ſtyrac. calamit.* Drach. vi. *ladani mundi, ligni aloes, roſar. rubrar. Sacchar. albiſſ.* an. Drach. ii. *Caryophyl. Santal. citrini odorati, cinamomi, cortic. citri, granor. iuniperi, Thuris* an. Drach. ſem. *Alipt. moſchat.* Scrup. ſem. Craſſo modo inciſa & probè permixta aſſeruentur in ſcatulâ.

2. *Trochiſci pro fumo.*

℞. *Benzoës, ladani mundi* an. Vnc. ſem. *Thuris, ſtyracis calamit. granor. iuniperi* an. Drach. ii. *Myrrh. elect. ligni aloës, garyophyll. maſtiches, Rad. angelic. garyophyll.* an. Drach. ii. *ſantal. omnium, cortic. citri cinamomi* an. Drach. ſem. *Ambr. Moſchi* an. gr. vi.

Cum *mucil. Tragacanth. aqu. roſarum extract.* & paucâ ſtyracis liquidæ quantitat. F. ſ. a. Trochiſci intra duo fol. roſar. purpurear. recentia reponenda.

3. *Candelæ pro fumo.*

℞. *Ladani mundi, Thymiamatis* an. Vnc. ſem. *Thuris* Vnc. i. *ſtyrac. calamit.* Vnc. ſem. *Myrrh.* Drach. ii. *benzoi* Drach. i. *garyophyll.* Scrup. i. *cinamomi, ligni aloës, ſantal. citrini, Fol. lauri, Roſar. rubrar. cortic. citri, ſem. ocymi, baccar. iuniperi* Drach. i. ſem. *Gall. moſchat.* Scrup. i. *Moſchi* gr. iiii.

Ladanum & Moſchus aqu. roſar. fragrantiſſ. diſſoluantur, addatur Carbonum tiliæ ſ. q. pòſt incorporentur cum mucilagine Tragacanth. aquâ. roſar. extracta & fiant ſ. a. Candelæ.

4. *Puluis pro fumo communis.*

℞. *Baccar. iuniperi* Vnc. iii. *lauri* Vnc. iii. *Fol. Rut. meliſſ. tormentill. abſinthij, Roſar. rubrar.* an. Vnc. ii. *Thuris* Vnc. i. F. groſſo modo Puluis ſ. a.

5. *Puluis pro ſuffitu in Templis, æſtiualis.*

℞. *Sem. coriandr. præpar.* lib. i. *Flor. roſar. rubr. exſiccat. ligni iuniperi* an. lib. ſem. *thuris* Vnc. vi. *thymiamatis, ladani* an. Vnc. ii. *Maſtichis, Styracis calamit. ſantali albi, citrini, Myrrh.* an. Vnc. i. ſem. *Camphor. Benzoi* an. Drach. vi. *fol. quercûs, Nymphææ albæ*, an. M. iiij. *fol. acetoſ. flor. lilior. conuall.* an. M. ii. *Granor. iuniperi* Vnc. iiii. Incidenda incidantur & contundenda contundantur. F. Puluis pro ſuffitu.

6. *Puluis pro ſuffitu in templis, Hyemalis.*

℞. *Ligni iuniperi* lib. ii. *Granorum eiuſdem contuſ.* lib. i. *Thymiamatis, Myrrh. thuris albi* an. Vnc. vi. *ſemin. coriandri, nigell. Iridis Florentin. ladani, ſandarach.* an. Vnc. iiij. *cortic. aurantior. Styrac. calamit.* an. Vnc. iii. *Maſtichis* Vnc. ii. *Garyophyllat. Abſinthij* an. M. v. *Meliſſ. Salu. Spic.* M. iii. Incidenda incidantur & contundenda contundantur. F. ſ. a. Puluis.

### 7. *Rotulæ Extractionis Cardui benedicti.*

℞. *Extr. cardui benedict.* Drach. i. ſem. *Sacchar. albiſſ.* Vnc. iiii. *aquâ pimpinell. diſſoluti* F. ſ. a. Rotul.

### 8. *Rotulæ Extractionis Angelicæ.*

℞. *Extract. Angelic.* Dra.. ſem. *Sacch. albiſſ.* Vnc. iiij. aquâ ſcordij diſſoluti F. ſ. a. Rotul.

### 9. *Rotulæ Extractionis Zedoariæ.*

℞. *Extr. zedoariæ* Drach. ß. Sacchar. albiſ. aquâ roſarum diſſoluti, F. Rotulæ Vnc. iiii.

### 10. *Puluis Præſeruatiuus ſuauiſsimus pro delicatis.*

℞. *Smaragdi, Cornu cerui, Alcis, Margarit. Corall. rubr. omnium aquâ ſcordij præpar.* an. Drach. ß. *Hyacinthi, Granati, Rubini omnium aquâ ſcordij præpar.* an. Scr. i. *Raſur. eboris* Drach. ſem. *oſſis de corde cerui. Oculorum cancrorum. Lapidis Bezoar veri* an. Drach. ſem. Miſce F. ſ. a Puluis ſubtiliſſimus.

### 11. *Electuarium ex citro Prophylacticon.*

℞. *Poma citria recentia optimi coloris, num. iii.* Diſcindantur in fruſta & coquantur in ſ. q. aquæ roſar. fragrantiſſimæ ad pultis conſiſtentiam, & traiiciantur per cribrum, vt fiat maſſa ferè impalpabilis, cui adde *Conſeru. Roſar. prouinc. Borraginis, violar. purp.* an. Vnc. ſem. *Spec. Liberant. ſine aloë. Cordial. temper. de gemm. frigid.* an. Scr. i. *Corall. rubr. præpar. Margarit. præpar. ſuccini albi præpar.* an. Scr. ii. *Cornu cerui præpar.* Dra. i. *Sacchar. albiſſ. vnc. vi. in aquâ roſar, fragantiſſ. & Cinamomi, an. q. ſ.* diſſoluti. F. ſ. a. Electuarium, cui admiſce *Confect. Alchermes* Drach. i. ß. *Olei cinamomi* gutt. vii.

### 12. *Electuarium ex Nucibus commune*

℞. *Nucum iuglandium recentium, vel harum defectu ſiccarum aceto rutaceo maceratarum, vt excorticari poſſint,* lib. i. *Fol. rut.* Vnc. ii. *ficuum pinguium* lib. ii. *Salis abſinthij* Drach. vi. *Cum ſyrupi de ſcordio* & aceti rutacei *ſ. q.* F. ſ. a. Electuarium.

### 13. *Puluis Bezoarticus Aureus pro diuitibus.*

℞. *Boli Armeni veri aq. ſcordij præparat. Rad. Carlin. in aceto flor. tunicis per triduum macerata, Diptamni albi, tormentill.* an. Scr. iiii. *Angelic. Zedoariæ, Gentian. morſus Diaboli, Tunic. ſcabioſ. Serpentariæ, Cinamomi acutiſſ.* an. Vnc. ß. *rad. pæoniæ, galang. calami aromatic. Doronici Romani, Ari, Petaſitidis, Oſtrucij, valerian. zinziber. albiſſ. macis* an. Drach. ii. *Cort. citri, nucis Moſchat. Cubebarum, Baccar. Lauri, Iuniperi, ſem. Aurantior. Coriandr. præpar. Santonici, Acetoſ. Ocymi, cardui benedict.* an. Drach. i. *Fol. Chamædryos, Scordij, verben. Menth. Meliſſ. rutæ, Cardui benedict. Saluiæ minor. Dictamni Cretici, Flor. Roſar. rubr.* an. Scrup. ii. gr. v. *vnicornu veri, Fragment. lapid. pretioſor. omnium, Oſſis de corde cerui, Eboris vſti, Corallij vtriuſque, Margaritar. præparat. ſantalor. omnium, terr. ſigill. ver. vel Strigenſ. Succini albi, Cornu cerui vſti* an. Drach. i. *Myrr. elect. Croci oriental.* an. Drach. i. ß. *fol. auri puriſſimi* num. xv. *Aceti vini acerrimi,* Vnc. i. ß. *vel q. ſ. pro aſperſione*, Miſceantur, & fiat puluis ſubtilis.

Poteſt etiam aliquid Sacchari addi circiter partem quartam.

### 14. *Puluis Bezoarticus communis.*

℞. *Pulu. Bezoart. aurei.* Vnc. i. ß. *ſem. acetoſ. ſantonici* an. Vnc. ſem. *Myrrh. elect. fol. dictamni Cretici, Chamædryos, Betonic. Cardui benedicti, Rutæ, Verbenæ, Scordij*, an. Drach. vj. *rad. Zedoariæ, Liquiritiæ raſ. Carlin. præpar. Petaſitidis, Tormentill. Diptamni albi, Rhapontici, Gentian. Oſtrucij, Angelic. Helenij, Pimpinell, ſem. Coriandr, præparat. Aniſi, Terr. Sigill. Strig. Baccar. lauri excortic. iuniperi.* an. Vnc. i. ſem. Miſce F. ſ. a. Puluis ſubtiliſſimus.

### 15. *Confectio Rotularum liberantis.*

℞. *Spec. Liberantis ſine aloë.* Drach. i. *Sacchar. albiſ.* Vnc. iii. *Aqu. roſar. fragrantiſſ. diſſolut.* F. Rotulæ.

### 16. *Rotulæ ex oleo Citri.*

℞. *Spec. Diamarg. frigid.* Scr. ii. *De gemmis* Scr. i. *Margarit. præpar. Cornu cerui præpar. Smaragdi præpar.* an. Scr. ſem. *Ol. è cortic. citri* gut. iiii. *Sacch. albiſſ.* Vnc. iii. *in aquâ roſarum diſſolut.* F. Rotulæ.

### 17. *Morſuli è Citro.*

℞. *Succ. citri. recent. expreſſ. & per reſidentiam depur.* Vnc. i. ſem. *Cortic. citri recent. inciſ.* Vnc. i. *Margar. præpar.* Drach. i. *Smaragdi præpar. Cornu cerui vſti prap.* an. Scr. ii. ſem. *Macis* Scr. i. *Ol. ſtill. aurantior.* gut. vi. *Sacchar. albiſſ. in aquâ roſar. diſſolut.* Vnc. vi. F. ſ. a. Morſulis.

### 18. *Aqua Præſeruatiua pro pueris & Infantibus.*

℞. *Poma citria recentia integra,* n°. ii. Diſcinde in fruſta, & contundantur cum totâ ſubſtantia & ſeminibus, adde *Rad. Tormentill. recent. contuſ.* Vnc. ij. *Macis aceto roſar. per noctem macerat.* Vnc. j. *Conſeru. flor. tunic.* Vnc. iiij. *Zedoariæ* Drach. ii. *Cinamom. acutiſſ.* Drach. vi. *Aqu. roſar. fragrantiſſ.* lib. ii. *Scordij Cardui benedicti* an. ℔. i. Stet in infuſione ſuper cineres calidos per horas 24. deinde deſtillentur in alembico vitreo.

Si vis dulcoretur Iulepo Roſaceo.

### 19. *Puluis Præſeruatiuus pro grauidis.*

℞. *Spodij præpar.* Drach. i. *Corall. rubr. præpar. Margarit. præpar. Oſſis de corde cerui* an. Scr. ii. *ſem. fœniculi,* Drach. ſem. *Fragment. Lapid. pretioſor. omnium* an. Scrup. ſem. *Ol. nucis moſch. deſtill.* gutt. iii. Miſce. F. Puluis ſubtiliſſimus.

### 20. *Electuarium Præſeruatiuum pro grauidis.*

℞. *Conſeru. flor. Tunic. Meliſſ.* an. Vnc. ii. *Roſar. rubr.* Vnc. i. *Spec. Liber. ſine aloë* Drach. iii. *Corall. rubr. præpar.* Dra. ii. ß. *boli Armeni præpar. Terr. Sigill. Strig.* an. Drach. i. ſem. *ſantali citrini, Spodij de Ebore,* an. Drach. ß. *Succini albi præpar.* Drach. i. *Margarit. præpar.* Drach. ß. *Syrup. acetoſ. citri & de ſucco acetoſell. q. ſ.* F. ſ. a. Electuarium.

### 21. *Herbæ pro vino medicato.*

℞. *Herb. abſinthij* M. ii. *Card. benedict.* M. iii. *Scordij.* M. ii. *Radic. Scorzoner. zedoar.* an. Vnc. i. *Cortic. citri* Vnc. ii. *Granor. iuniperi* Vnc. ſem. Inciſa & contuſa dentur in chartâ.

### 22. *Radices ſublinguales.*

℞. *Rad. Oſtrucij. Angelic. zedoariæ , Pimpinell. Helenij , Tormentill. valerian.* an. q. v. Macerentur per horas 24. in aceti vini ſ. q. & rurſus exſiccentur.

### 23. *Rotulæ vel Trochiſci ſublinguales.*

℞. *Extract. Lign. aloës* Scrup. ſem. *Ol. è cort. citri , Angelicæ* an. gutt. iii. *zedoariæ* gutt. ii. *Sacchar. albiſſ.* Vnc. i. ſem. *Cum mucilagine Tragacanth. aqu. roſar. moſchat. extractâ F. ſ. a. Rotulæ.*

### 24. *Aqua vitæ Citria.*

℞. *Spirit. vini optimi* lib. xii.
In hoc per biduum infundantur.
*Poma citria cum ſucco & ſemine in fruſta diſciſſa* num. vi.
Pòſt deſtillentur in alembico vitreo per B. M. dulcoretur deſtillatum Iulepi roſarum ſufficienti quantitate.

### 25. *Species pro Saccul. odoratis.*

℞. *Rad. Zedoariæ, valerianæ, Angelic. Oſtrucij, Iridis Illyr.* an. Drach. ii. *Cortic. citri , aurantior. Fol. Meliſſ. Roriſmarin. Maioran. Rutæ* an. M. ſ. *Flor. roſar. rubr.* M. i. *lauendul. Spic.* an. M. ſem. *Ligni aloës ſantal. citrini odor. Myrrh. elect.* an. Drach. i. *ſemin. nigell. torrefact. Baſilici* an. Drach. ii. *Caryophyllor. Cinamomi acutiſſ. nuc. moſchat.* an. Drach. i. ß. *Camphor.* Drach. ſem. *Alipt. Moſchat. Galliæ Moſchat.* an. Drach. i. *Styrac. calamit. Benzoës* an. Dra. i.
Incidenda incidantur & contundenda contundantur.

### 26. *Pomum Ambræ.*

℞. *Rad. Iridis Illyric. Santali citrini odoratiſſ.* ana Drach. i. *Ligni aloës opt. Cinamomi opt. Caryophyllor. Cortic. citri. aurantior. Rad. Angelic.* an. Scrup. ſem. *ladani puriſſ.* Vnc. ſem. *Styracis calam. Benzoes* , an. Drach. ii. *Moſchi , Ambr.* an. gr. iii. *Ol. Maioranæ, Spic. Lauendul.* an. gutt. ii. Cum *mucilag. Tragacanth.* aqu. roſar. & vitæ albæ pretioſæ ſ. q. extractâ , fiat ſ. a. pomum : vt tenaciùs cohæreat , poteſt aliquid terebinthinæ addi , ac inuoluatur ſerico rubro duplicato.

### 27. *Amuletum Cordiale Hydrargyricum.*

℞. *Nucem auellanam Longobardicam excauatam, quam imple Hydrargyri ſ. q. ad medietatem ; foramen arctiſſimè occludatur cerâ Hiſpanicâ. Nux poſtea includatur in ſacculum cordialem ex ſerico rubro duplicato , cui adiunge ſpecierum pro ſacculis odoratis* Dra. iii. *& interpaſſetur, ne nux ſacculi fundum petat.*

### 28. *Amuletum Cordiale Arſenicale.*

℞. *Bufonis torrefacti & puluer.* ℥. iii. *Arſenici albi* Vnc. ſem. *rubri , Diptamni albi , Tormentill.* an. Dra. ii. *Margarit. non perforat.* Drach. i. *Corall. rubr. Smaragdi , Hyacinth.* an. Drach. ſem. *Croci* Scr. ii. *Cum mucilagine Tragacanthi aqu. roſar. extractâ , fiat* maſſa, ex quâ formentur placentulæ ad formam cordis , quæ obducantur primò telâ lineâ . pòſt ſerico duplicato.

### 29. *Vnguentum Cordiale.*

℞. *Vnguenti è Nymph.* Vnc. i. ſem. *Roſati Meſ. recent.* Vnc. ſem. *Specier. Liber.* Drach. i. *Theriac. Mithridati* an. Drach i. *olei ſcorpion.* Drach. i. ſem. *Confect. Alchermes,* Drach. ſem. *Ol. Citri , angelic.* an gutt. iii. *Cum aqua roſar. & aceti Bezoartici ſ. q. fiat ſ. a.* Linimentum.

### 30. *Vnguentum Naſale.*

℞. *Ol. moſchat. expreſſ.* Drach. i ſem. *Deſtill. maior.* gutt. vi. *Myrrh. Succ. albi* an. gutt. iii. *Theriac. optim.* Scrup. i. *Extract. ligni aloës* Scrup. i. *Moſchi , Ambr.* an. gran. iiii. *Cum aqu. vit. alb. pretioſ. ſ. q. fiat ſ. a.* Linimentum.

### 31. *Acetum Bezoarticum.*

℞. *Bacc. Lauri, iuniperi* an. Vnc. ſem. *rad. Angelic. oſtrucij. Zedoar. Pimpinell. dictamni , Tormentill. valerian.* an. Drach. vi. *Fol. rut. Scordij , Flor. roſar. Lauendulæ* an. Vnc. ſem. *Cortic. citri, aurantior.* an. Drach. iii. *Macis Garyophyll. Myrrh.* an. Drach. ii. *Aceti flor. tunicæ q. ſ. pro infuſione.*

### 32. *Oleum ſcorpionum compoſitum.*

℞. *Flaued. cortic. citri* Vnc. ii. *Flor. roſar. rubr. recent. Tunic. Meliſſ* an. Vnc. i. ſem. *Succini albi* Vnc. ſem. *rad. zedoar. angelic. Anthor.* an. Drach. ii. *Camphor.* Drach. i. ſem.
Inciſis incidendis, & contuſis contundendis affundatur *Olei Scorpionum* lib. i. *vini maluatici* Vnc. iiii. *Aq. roſar. fragr.* Vnc. ii.
Commiſceantur diligentiſſimè & ſtent in infuſione ſuper cineres calidos per horas 24. pòſt coquantur in duplici vaſe & exprimantur. Expreſſioni adde *Camphor.* Scr. ii. *Moſchi opt.* Scr. ſem. Miſce diligenter & aſſeruentur in vitreo bene clauſo : poteſt etiam maioris efficaciæ causâ theriaca addi.

### 33. *Potio ſudorifera pro infectis diuitibus cum lapide Bezoar & vnicornu.*

℞. *Aqu. ſcordij. Calendul.* an. Drach. vi. in his diſſolue *Antidoti Matthioli. Alexiterij* an. Drach. i. ſem. *Theriac. opt.* Scrup. i. *Pulu. Bezoart. aurei, Vnicornu veri , Lapid. Bezoar.* an. Scr. ſem. *Syrup. de acetoſ. citri , De ſucco acetoſ.* an. Drach. vi. *Aceti cortic. citri* Vnc. ſem. *Ol. ſulphur. acidi* gutt. iiii. Miſce.

### 34. *Alia pro diuitibus ſine lapide Bezoar & vnicornu.*

℞. *Aqu. Acetoſell. Nucum* an. Vnc. i. In his diſſolue *Electuar. de ouo. Alexipharmaci* an. Drach ß. *Mithridatij opt.* Scrup. i. *Pulu. Cordial. pretioſ. Spec. Cord. temper. De gemmis frigid.* ana. Scrup. ſem. *Eſſentiæ Margaritar.* gr. vi. *Syrup. de Limonibus* Vnc. i. *De ſucco ſcordij , De ſucco acetoſ.* an. Vnc. ſem. *Aq. Alexiter. Aceti flor. tunic.* an. Drach. i. *ſpir. Vitriol.* gutt. iiii Miſce.

### 35. *Alia pro pauperibus.*

℞. *Aqu. Cardui benedicti Scabioſ.* an. Vnc. i. ſem. In his diſſolue *Diaſcord. Theriac. opt.* an. Scrup. ii. *Pulu. Bezoar. comm.* Drach. ſem. *Aceti rutac.* Vnc. ſem. M.

### 36. *Alia pro Grauidis.*

℞, *Aq. è cort. citri*, *Cornu cerui* an. Vnc. i. In his dissolue. *Elect. diascord.* Drach. j. *Spec. Diamarg. frig. boli armeni præpar. Ter. sigill. Strig.* an. Scrup. sem. *Syrup. de rubo Idæo* , *Succi citri recent. express.* an. Vnc. sem. *Aceti flor. Tunic.* Drach. ii. *Tinctur. corall.* gutt. iii. Misce.

### 37. *Alia pro pueris.*

℞. *Aqu. præseruat. pro pueris* Vnc. i. sem. In his dissolue. *Elect. diascord.* Drachm. sem. *Spec. Liberant.* Scrup. sem. *Syrup. de Limonibus* Vnc. sem. *Magister. Corall. Margaritar.* an. gr. iii.

### 38. *Emulsio Margaritarum pro Infectis.*

℞. *Aqu. Rosar. fragr.* Vnc. sem. *Acetos. Bugloss.* an. Vnc. i. *Vini maluatici*, *vel huius defectu Rhenani optimi*, *vel aqu. cinamomi* Vnc. sem. *Manus Christi perlat.* Vnc. i. *Succini albi præpar.* Drach. sem. *Margarit.* Scrup. i. *auri puriss. fol.* nº. iii. Misce. Fiat s. a. Emulsio.

### 39. *Aqua cocta pro potu quotidiano.*

℞. *Hordei mundi* M. i. *Rad. mund. tunic. Scorzoner.* an. Drach. ii. Coquantur in duabus mensuris aqu. fontis ad crepaturam hordei. Colaturæ adde *Rob. de Ribes* Vnc. iiii. *Aceti rosac.* Vnc. sem. Coletur iterum per manicam Hippocratis.

### 40. *Iulepus confortans pro Infectis.*

℞. *Aq. acetos. Fragorum* , *Scordij*, *Borrag.* an. Vnc. j. sem. *Vini Granat. acidor.* Drach. vj. *Syrup. de succo acetosell. de Limonib.* an. Drach. ij. *Iulep. rosat.* Drach. ii. *Margarit. præpar.* Scr. i. *Spiritûs vitriol. q. s.* pro conciliandâ aciditate iucundâ.

### 41. *Potio Refectiua pro Infectis.*

℞. *Aq. Endiuiæ Violar. Rosar. frag. Bugloss.* an. Vnc. i. *Syrup. de acetos. citri*, Drach. vj. *de rubo Idæo*, *Rob de Ribes* Drach. ij. *Succini albi præp.* Scr. i. *Olei sulphuris acidi* q. s. pro suaui acore. Misce.

### 42. *Emplastrum attrahens bubones.*

℞. *Flor. Camomill. nostr. Sem. fœnugræci* , *Lini*, *Maluæ contusorum* an. Drach. i. *Rad. Lilior. albor. Cæparum sub cineribus assatarum* , *Alliorum itidem sub cineribus coctorum* an. Vnc. ii. *Ficuum pinguium* num. vi. *Fermenti acris* Vnc. i. *Rad. & herb. Tormentill. Valerian. dictamni* an. Dra. iii. *Vincetoxici* Drach. ii. *Sem. sinapi* , *fimi columbin.* an. Vnc. sem. *Mithridatij opt.* *Theriac. opt.* an. Drach. i. sem. *Emplastr. Diachylon* Vnc. i. sem. *Ol. lilior. albor. Scorpionum* , *Terebinthin. Resin. cer. aqu. scabios. lot.* an. q. s. F. s. a. Emplastrum.

### 43. *Emplastrum Maturatiuum ad bubones.*

℞, *Rad. lilior. albor. Althéæ mundat.* an. Drach. vi. *Fol. malu. bismalu.* an. M. i. *Sem. Fœnugræci*, *Lini*, an. Drach. ij. *Flor. camomill. Summitat. Anethi* an. M. s.

Coquatur in s. q. aqu. ad modum pultis , cui adde *Butyri recentis non saliti* Vnc. i. sem. *Pingued. gallin.* Drach. ii. *Olei Lini*, *Scorpionum* ana. Vnc. iii. sem. F. s. a. Cataplasma.

### 44. *Emplastrum ex Bufonibus Guiliel. Fabricij.*

℞. *Pulu. bufonis exsiccati* Vnc. i. *Fermenti acris* Vnc. iii. *Theriac.* Vnc. i. *Fol. Rut. viridis* Vnc. i.

Commisceantur omnia in mortario cum mellis s. q.

### 45. *Emplastrum ex fuligine.*

Habetur suprà lib. 4. cap. 6.

### 46. *Linimentum Defensiuum pro Carbunculis.*

℞. *Vng. Albi Camphorati*, *Rosacei*, an. Vnc. sem. *boli Armeni*, *Terr. sigill. Strig.* an. Drach. i. *Ol. Rosacei q. s.* M. pro linimento.

---

# MEDICAMENTA CONTRA PESTEM A COLLEGIO MEDICO TVBINGENSI ordinata , Anno 1626.

## PRÆSERVANTIA.

### 1. *Electuarium præseruatiuum acidum.*

℞. *Rob ribium inspissat.* lib. i. *Antidot. Matthiol.* Vnc. iiii. sem. *boli Armen. Orient. aquâ Theriacali præparat.* C. C. *vsti præpar. succo scordij* an. Drach. ii. *Ol. sulphur. acidi* q. s. Misce. Fiat. Electuarium.

### 2. *D. D. Horstij Electuarium præseruatiuum.*

℞. *Conseru. flor. bugloss. rosar.* an. Vnc. i. *Pulueris ligni Indici subtilissimè puluerisati*, *& per noctem in* s. q. *aceti scordij macerati hac ratione* , *vt acetum totum à puluere absorbeatur* Drach. x. *Extract. zedoar. angelic.* an. Drach. i. *camphor.* Scrup. i. *Cum Syrupo acetositatis citri* q. s. Fiat Electuarium , addendo pro fermentatione , *spiritûs vit.* Scrup. i. vel q. s. M. Seruentur in fictili amplo.

### 3. *Aqua vitæ Paracelsi.*

℞. *Spir. vini bis destillati mensuras duas* , *Theriac. Andromach.* Vnc. vi. *Myrrh.* Vnc. ii. *Rad. vngul. caball.* Vnc. iii. *spermat. ceti* , *terr. sigillat.* an. Vnc. sem. *Radic. hirundinar. dictamni albi* . *pimpinell. valerian.* an. Vnc. sem. *camphor.* Drach. i. sem.

Incisa & contusa indantur vitro, & stent clausa post fornacem per mensem.

### 4. *Puluis Bezoarticus.*

℞. *Lactis sulphuris* Vnc. i. *croci Orientalis* Drach. sem. *zedoar. myrrh. rub.* an. Drach. i. *Sacch. rosat. tabul.* Vnc. ii. *Ol. stil. angelic.* guttas iiii. Misce , Fiat Puluis.

5. *Vel huius loco.*

♃. *Florum ſulphuris ter ſublimatorum* (*meliùs cum aloe, myrrhâ & croco*) Drach. ii. ß. *cornu cerui præparat. terr. Lemnia ver.* an. Scrup. ii. *myrrh. elect.* Drach. i. *croci Orientalis* Scrup. i. *Sacchari fini ad lubitum.* F. Puluis.

6. *Rotulæ.*

♃. *Extract. angelic.* Scrup. i. *zedoariæ* Scrup. ſem. *Confect. Alckermes* Scrup. i. *eſſentiæ croci* gr. vi. *Ol. ſtill. citri* gutt. iiii. *ſuccini* gutt. ii. *lapid. bezoar. Orient.* Scrup. ſem. *Sacch. fini* Vnc. iii. ß. *Diſſolut. in aqua Theriacalis* Vnc. i. *cinamom. roſarum* an. q. ſ. F. Confectio in Rotulis.

7. *Rotulæ pro infantibus.*

♃. *Myrrh. rub. elect.* Drach. i. *ſpecier. liberantis* Drach. i. ſem. *lapid. Bezoar. Orient.* Scrup. ß. *Margarit. præp. corall. rubr. præpar.* an. Scr. i. *Sacchari albiſſ. in aqu. citri & roſarum diſſoluti* q. ſ. F. Confectio in Rotulis.

8. *Puluis præſeruatiuus pro infantibus.*

♃. *Cornu cerui preparat. ſucco ſcordij, cortic. citri odoratiſſ. Rad. tormentill.* an. Drach. i. ß. *lactis ſulphuris, ſuccini albi præparat. boli Armen. Orient. præparat.* an. Drach. ß. *Sacchari candi* Drach. vi. M. F. Puluis; vel cum ſaccharo ſuffic. in aquâ roſarum & cinamom. diſſolut. F. Rotulæ.

9. *Puluis pro grauidis.*

♃. *Boli Armeni Orient. cum aquâ veronic & cum vino deſtillat. decies lot.* Scrup. iiii. *Rad. tormentill.* Drach. i. ſem. *zedoariæ, macis moſchat. granor. alkermes recent.* an. Drach. i. *raſur. eboris* Dra. i. ſem. *corall. rubr. præparat. margarit. præparat.* an. Scrup. ii. F. Puluis.

10. *Amuleta.*

♃. *Theriac. Andromach.* Drach. i. ß. *Radic. zedoariæ, angelicæ, enulæ, dictamni* an. Drach. ſem. *caſtorei* Drach. i. *camphor.* Scrup. i. ſem. *croci* Scrup. ſem. *Thuris* Drach. ſem. *Ol. ſtill. ſuccini, angelicæ, iuniperi* an. gut. iii. *cum infuſione gummi Tragacanth. in aceto rutaceo factâ* F. Maſſula, cuius vncia ſenis vel vncia vna ſerico rubro incluſa pro periammate de collo ſuſpenſa geſtetur.

11. *Species pro globulis ex ligno iuniperino tornatis.*

♃. *Folior. rut. ſaluiæ, ſcordij, roriſmarini, Rad. angelic. zedoar.* an. Vnc. ſem. *cortic. citri, aurantiorum* an. Drach. ii. *Flor. roſar. rubrar. ſemin. nigell.* an. Drach. i. ſem. *baccar. iuniperi* Vnc. ſem. groſſo modo inciſa & contuſa dentur drachmæ duæ in ſyndone ligatæ pro vno globulo.

12. *Linimentum ad nares pro ditioribus.*

♃. *Balſam. roſar. incarnat.* ſcrup. ii. *Ol. deſtillat. citri, cinamom.* an. gutt. iii. *ſtyrac. liquid.* ſcrup. i. *Extract. angelic.* ſcrup. ſem. *Moſchi, Zibeth. opt.* an. gr. ii. M. pro Balſamo.

13. *Pro pauperibus.*

♃. *Rut. Saluiæ, abſinth. galeg. angelic. ſcordij* an. M. ſem. macerentur inciſa *in Olei oliuar.* Vnc. iiii. *aceti rutacei* Vnc. ii. per horas duodecim: poſtea lento igne coquantur ad aceti conſumptionem: adde colaturæ expreſſæ. *Olei iuniperi ex granis* Vnc. ii. Miſce & ſerua.

14. *Trochiſci ſublinguales.*

♃. *Mithridat. optim. Electuar. de ouo* an. Drach. i. ß. *zedoariæ, xyloaloës. cortic. citri, Iréos odorat.* an. Scrup. i. ſem. *roſar. rubrar.* Scrup. ii. *flor. ſulphur.* Drach. i. *Sacchar. albiſſ.* Vnc. viii. cum *mucilagine gummi Tragacanth. aquâ roſar. extracta.* F. Trochiſci ſublinguales; poſſunt etiam præparari cum moſcho & ambrâ.

15. *Trochiſci pro fumo.*

♃. *Myrrh. ladani puri, flor. ſulphur.* an. Drach. i. *camphor.* ſcrup. i. *ligni aloës ſucculent. fragment. ſuccini* an. Drach. i. *Sacchar. albiſſ.* Vnc. iiii. cum *mucilagine Tragacanth. aquâ roſar extract.* q. ſ. F. Trochiſci.

16. *Puluis pro fumo.*

♃. *Ligni iuniperi tornati* lib. ſem. *Radic oſtrucij, baccar. lauri* an. Vnc. ii. *fragmentor. ſuccini, maſtiches, myrrh. thuris, ſtyrac. calamit. benioin.* an. Vnc. i. *flor. ſulphuris* Vnc. i. ſem. Groſſo modo inciſa Miſce.

17. *Pilulæ Peſtilentiales compoſitæ.*

♃. *Myrrh. elect.* Vnc. ſem. *Radic. angelic. ſuccin. albiſſ. croci Oriental.* an. Drach. ſem. *agaric. trochiſc. Rhabarb. veri* an. Drach. i. ß. *Aloës ſuccotrin. aquâ roſarum decies lota & exſiccat.* Vnc. i. *Ol. ſtill. angelic.* gutt. iiii. *Syrup. maſtichin.* q. ſ. F. Maſſa Pilularum.

18. *Vel pro Ditioribus.*

♃. *Extract. aloës* Drach. ii. *Rhabarbar.* Drach. i. ſem. *ligni guaiaci* Drach. ii. *zedoar. angelic.* an. Scr. i. *Eſſent. croci* Scrup. ſem. *Salis abſinthij, ligni guaiaci* an. Scrup. i. *camphor.* Scrup. i. *Ol. ſtillat. citri, ſuccini* an. gutt. v. *macis* gut. iii. F. ex his maſſa. Doſis à Drach. ß. ad ſcrup. ii.

19. *Medicamentum D. Heurnij, quod ſimul purgat, ſudorem prouocat, veneno reſiſtit, cor firmat.*

Eius deſcriptio habetur ſuprà *lib. 4. cap. 6.*

## CVRATIVA.

20. *Electuarium Curatiuum D. Bloſſij.*

♃. *Theriac. Andromachi, Mithridatij optimi, Electuarij de ouo*, an. Vnc. ii. *Diaſcordij Fracaſtorij* Vnc. i. ß. *Extract. zedoariæ, angelic. Card. benedict.* an. Vnc. ß. *Spec. liberantis* Drach. iii. *diamargar. frigid. de gemmis frigid.* an. Drach. ii. *cornu cerui vſti* Vnc. ſem. *citri condit.* Vnc. i. *pulu. radic. angelic. zedoariæ, chamæleont. ſeu Carlin. chelid. maior. enul. ſcorzoneræ, Dictamni albi, Pimpinell. Leuiſtici. Petaſit. Gentian. tormentill. biſtort.* an.

Vnc.ſem. *Salis abſinthij,arthemiſiæ*, ana Drach. ii. *prunell*. Drach.ii. ß. *Camphor.Lactis ſulphur*. an.Vnc. ſem. *Spiritus ſulphuris,Vitrioli,Salis* an.Scrup.iiii.*Cum Syrup. acetoſitatis citri* q.ſ.Fiat Electuarium.

### 21. *Emplaſtrum ad bubones*

℞. *Cæparum,indito prius croco,toſtarum, Alliorum aſſatorum* an. Vnc. iii. *caricarum pinguium* n°. xx. *fermenti* , *Semin.ſinapi* an. Vnc. ſem. *malu. radic. alth.* an. Vnc. i. *Salis nitri* , Drach.ii. *galbani,ammoniaci* an. Drach. iii. ſem. *ceræ* , Vnc. i. *Theriac. optim.* q.ſ. *pulu. bufonum* Drach. i. ſem. M. Fiat Emplaſtrum.

### 22. *Emplaſtrum de fuligine.*

℞.*Theriac.optim.Mithridatij* an.Vnc.ſem.*fermenti, Terebinth.* an. Vnc. ii. *mellis roſat.* Vnc. i. ſem. *Butyri recentis* Vnc. ii. *Salis communis* Vnc. i. ſem. *fuliginis camini* Vnc. ii. ſem. *Ol.ligni Indici* Drach.i. *Saponis Veneti* Vnc.iiii. *Salis nitri* Drach. ii. *Croci* Drach. iii. *vitellor.ouor.* n°. iiii. *mucilag. ſem. cydon. cum aquâ ſcabioſæ extract.* Drach. vi. Impaſtentur in vſum Emplaſtri.

DANNIELI

# DANIELIS SENNERTI D. ET MEDICINÆ PROFESSORIS, PRACTICÆ MEDICINÆ LIBER PRIMUS.

Illustrissimo & Celsissimo Principi ac Dn.

# D. FRIDERICO,

## HÆREDI NORVVEGIÆ,

## DVCI SLESVVICI, HOLSATIÆ,

Stormariæ atque Ditmarsiæ, Comiti in Oldenburg, & Delmenhorst, &c.

## DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

*Salutem & Felicitatem perpetuam* P.

VITAM hominis breuem esse, artem verò Medicam longam, tam verum est, vt hanc sententiam aphorismorum suorum initium esse voluerit Hippocrates; totius v. Medicinæ proœmium constitui posse, plurimi doctissimi Medici iudicârint. Etenim si vitæ humanæ spatium & curriculum perpendamus, infantia & pueritia nugis, adolescentia voluptatibus maximam partem consumitur: tantulum, quod restat, ætatis, neque id totum, seriis negotiis impenditur, & vbi vix rectè discere incepimus, plerique è vita abripimur, & lampada aliis tradere cogimur. Ars medica contrà tam longa & ampla est, vt ferè infinita videatur. Nam, præter variarum linguarum & artium notitiam, primum illa admirabilis corporis humani fabrica omniúmque in ea partium structura, vsus & officia exactè Medico cognoscenda veniunt. Morborum deindè hanc violantium & destruentium genera, eorúmque caussæ, cum suis signis, discenda sunt: quorum omnium tantus est numerus, vt iam ante multa secula trecenta fuisse scripserit Plinius, exceptis generum speciebus, quarum quanta sit multitudo, facilè intelligit is, qui tantùm quas Febris nomen sub se differentias comprehendat, nouit. Præterea Medico vastissima illa remediorum sylua, in tres partes, fossilium & mineralium, plantarum, atque animalium distincta, perlustranda; quarum quælibet quàm latè pateat, vel plantarum innumerus numerus docere potest. Tandem cognitam & perspectam Medico esse oportet methodum, qua instructus suum cuique morbo remedium dextrè opponat, virésque corporis humani conseruet: abs quo si fit, quod remedium esse debebat, venenum erit. Neque ignorare decet, qua ratione simplicia medicamenta ad vsum medicum commodiorem præparanda, & ex iis composita miscenda sint. Quæ sola pars tàm ampla est, vt hodie peculiarem quasi artem, quæ Pharmacopœia dicitur, constituerit; quæ ipsa iterum maximam Chymiæ partem, eámque satis difficilem & laboriosam, complectitur.

Quò autem vita breuior & ars medica longior est: eò magis annitendum iis, qui animum ad Medicinam appulerunt, vt breuissimo isto vitæ humanæ spatio artis longissimæ, quantum fieri potest, cognitionem sibi comparent. Qua in re cum meritò ij, qui in publicis scholis, quas Vniuersitates & Academias vocant, docent artis medicæ tyronibus facem prælucere debeant: ego etiam, postquam ante hos viginti sex annos, diuinâ prouidentiâ à Serenissimo Saxoniæ Electore ad munus docendi publicè medicinam in Academia hac vocatus sum: mearum partium esse existimaui, eò labores meos dirigere, vt Studiosis artis huius monstrarem, qua ratione breuissimum vitæ spatium in arte longissima discenda benè collocare possint. Idque primò docere conatus sum in Institutionum Medicarum Opere, deinde in Introductione ad lectionem autorum Chymicorum, quam de consensu & dissensu Chymicorum cum Aristotelicis & Galenicis inscripsi; vt & in tractatu de febribus. E quibus si quid commodi & vtilitatis ad artis Medicæ tyrones redundauit, est, quod gaudeam. Hoc certè meum propositum, hic scopus fuit. Cùm autem inventi aliqui sint, quibus ea non displicuisse animaduerti, idem in Practico opere

paulò μεθοδικωτέρως & plenius conſcribendo tentare cœpi. Cuius librum primum cùm amici penes me eſſe intelligerent,atque vt eum publici iuris facerem hortarentur: ego equidem mihi in mentem reuocaui, multa adhuc in eo lima indigere: quia tamen ex eo aliquid vtilitatis ad artis Medicæ ſtudioſos redundare poſſe exiſtimarent, ipſorum voluntati obſecutus eum in publicum nunc prodire patior.

Cùm verò operi huic, pro more huius ſeculi, Patronus aliquis quærendus eſſet, non prætet rem me facturum exiſtimabam, ſi illuſtriſſimo nomini tuo, *Celſiſſime Princeps*, illud inſcriberem & dedicarem. Nam præterquam quod omnibus intereſt, qui nati homines, aliquam Medicinæ cognitionem habere: tam falſum eſt, ſeruilem eam atque indignam inſinuati Principibus, quàm verum ac certum, eorum antiquitus propriam fuiſſe. Quod (vt Poëtarum fabulas & illorum fictos heroas prætercam) ſatis, opinor, teſtari poſſunt tot maximorum regum nominibus appellata medicamenta. Quid quod Princeps bonus quilibet boni Medici refert imaginem. Nam quid ille aliud agit, quàm vt aut ſartam tectámque ſeruet publicam rem, aut, ſi quid ea detrimenti paſſa ſit, maturâ ope ſuccurrat? non aliter ac Medicus, cuius omne officium vel in tuenda hominis ſanitate, vel recuperanda occupatur. Sed ſunt & peculiares mihi huius mei inſtituti cauſſæ. Quarum prima ſingularis ille, &, vt ſic dicam, meliore quodam aſtro Celſ. T. velut impreſſus erga literas, earúmque cultores amor, & incredibilis beneuolentia; quam & pro mea virili commendandam mihi ad poſteros hac qualicunque dedicatione exiſtimabam. Deinde quia natum hoc opus in Electorali Saxonicâ Academiâ, iure quodam id Celſ. T. cui cum eâ longè Illuſtriſſima domo tam arcta intercedit cognatio atque affinitas, videbatur deberi. Accipe igitur, *Illuſtriſsime Princeps*, hoc quicquid curæ ac laboris noſtri eſt, ſerena, hoc eſt, tua fronte, & meis conatibus bonus ades ac felix. Sic T. Celſ. Deus ſemper incolumem, ſemper florentem, & quantum ipſa velit felicem præſtet. VVittebergæ Idib. Aprilis, anno Chriſti M. DC. XXVIII.

*Illuſtriſſ. Tuæ Celſ.*

Subjectiſſimus

DANIEL SENNERTVS D. Facult. Medicæ Profeſſ. & Senior,ac Sereniſſ. Elect. Sax. Medicus.

# LECTORI BENEVOLO. *S.*

*NON eandem, Lector beneuole, qui Medicinam ſcriptis explicandam ſuſceperunt, methodum ſecuti ſunt. Galenus equidem, cum plures Medicinæ partes ſint, ſingulas ſeorſim explicauit, & de ſingulis plurimos libros edidit, de corporis humani nimirum conſtitutione, omnium partium natura, vſu, & actione, de morborum & ſymptomatum differentiis ac cauſis, de vrinis, pulſibus, morbis, & locis affectis cognoſcendis, & de prognoſticis, de alimentorum facultatibus, de ſimplicibus & compoſitis medicamentis, de ſanitate tuenda, de methodo medendi, & huius generis alios. Cuius veſtigiis inſiſtentes plurimi ſuperioribus ſeculis & noſtra ætate docti viri, iſta, quæ prolixè & diffuſè Galenus deſcripſit, in compendium redigere, quæ obſcurè tradidit, explicare, quæ non ſatis perfectè docuit, ſupplere conati ſunt. Alij verò, præcipue Arabes, & Latini hos ſecuti, prætermiſſis illis generalibus methodis, ſecundum partium corporis ordinem à capite ad calcem omnes humani corporis præter naturam affectus, cum ſuis cauſſis, ſignis, & curatione tradiderunt: quod genus ſcriptorum vulgò Practicos nominant.*

*Etſi verò vtrique ſuam laudem merentur: tamen non parùm refert, vtrorum ſcripta prius legat, qui ad Medicinam diſcendam accedit. Sunt quidem non pauci, qui ſe operæ compendium facturos putant, ſi, neglectis generalibus Methodis, mox ad Practicorum lectionem ſeſe conferant. Atque hic plurimos in deſcribendis & congerendis medicamentorum formulis præcipuè occupatos videas, qui ſe ſatis inſtructos ad faciendam Medicinam accedere opinantur, ſi magnam ferraginem eiuſmodi formularum, Receptas dicunt, congeſſerint. Verùm ſummopere falluntur, neque, ſi iſti viæ inſiſtere pergant, vnquam ad ſolidam Medicinæ cognitionem peruenient, ſed cùm generalibus methodis deſtituantur, perpetuò fluctuabunt; & cum morbi non ſemper ſimplices facie, quæ à Practicis deſcribuntur, ſed compoſiti, variéque complicati ac confuſi ſæpe occurrant, incerti hærebunt, &, quid agendum ſit, ſæpe neſcient. Neque tamen ideò Practicorum libri reyciendi ſunt. Nam cum ſecundùm partium diuerſitatem ea, quæ in generalibus methodis traduntur, non parum varient, & ſecundum diuerſas partes limitentur & determinentur; neque eadem planè ſit ratio curandi inflammationem, exempli gratiâ, oculi & pedis: qua ratione generalis doctrina & curandi ratio cuilibet parti applicanda ſit, docendum. Quod cum Galenus integrè & abſolutè expeditum non dederit, neque curandi varietatem omnem, quæ à natura partium, ſitu, & aliis circumſtantiis oritur, oſtenderit (etiamſi exempli loco multa attulerit) omnino id tradere & explicare neceſſarium eſt.*

*Quâ ratione tamen id fieri debeat, non omnes idem ſentiunt. Quidam enim generalem methodum ſecuti, cùm tria ſint morborum genera, & vniuſcuiuſque differentiæ multæ, ſingularum differentiarum curationem per ſe tradendam eſſe cenſent, à prima vſque ad vltimam, indicando ſemper varietatem illam curandi, quæ à natura partium, ſitu, & aliis oritur. Et hâc via curandi omnes morbos*

morbos rationem traditurum fuisse, nisi morte præuentus fuisset, Franciscum Frisimelicam, sui seculi Medicum clarissimum, scribit Comes Montanus, in præfatione de morbis. Tentârunt idem cùm alij nostro seculo, tum Ioh. Paul. Pernumia, & Godofredus Steghius, Medici clarissimi; etsi non planè eodem modo. Alij verò, & plures, eam, quæ hodie in Practicorum libris occurrit, Methodum vsurparunt. Est tamen, quod in vtrisque docti viri desiderent. Nam quamuis prior modus μεθοδικώτερος videatur, & in simplicibus quidem morbis satis bene succedat: tamen in compositis & complicatis affectibus, & vbi plures morbi ac symptomata ad vnius affectus naturam constituendam quasi conspirant, nescio quid perplexitatatis & obscuritatis habere videtur; cum vnus affectus, qui vno nomine in scholis Medicorum notus est, in diuersissima sæpe genera distribuendus sit. Vnum enim symptoma sæpissime à plurimis & diuersis caussis oritur; & affectus præter naturam non semper ita simplices, vt in doctrinâ de differentiis morborum ac symptomatum proponuntur, occurrunt, sed compositi affectus sese frequenter obiiciunt. Inuenias nimirum morbos & symptomata ab autoribus, qui hanc methodum sequi volunt, in locis diuersissimis posita, & quidem iis, vbi ea, nisi indicis operâ adiutus, nunquam quæsiueris: cum tamen in praxi Medica vtile sit, caussas symptomatum omnes in conspectu & numeratò, ac quasi in tabula habere. Altera verò Methodus hoc præcipuè habet incommodi, quod eadem toties repetit, & quæ semel ac generatim præcipi poterant, sæpius in species iterat, &, quod exempli gratia affero, quæ semel doceri poterat ratio caput alterandi, purgandi, humores ab eo reuellendi, & quæ sunt huius generis alia, in omnibus affectibus capitis ferè repetitur.

Quæ cum ita sese habeant, commodissima Medicinam & docendi & discendi ratio videtur illa, si partes Medicinæ omnes ordine primùm ad Galeni exemplum tradantur & cognoscantur, partiumque corporis humani omnium natura, vsus & officium, morborum & symptomatum differentiæ, caussæ & signa, alimentorúmque ac medicamentorũ facultates & præparationes, & per hæc sanitatem præsentem conseruandi, amissam verò restituendi, morbósque omnes, eorum caussas & symptomata, è corpore depellendi ratio in genere cognoscatur: deinde verò hæc per vniuersalia theoremata Methodus per omnes corporis humani partes diducatur, &, qui in qualibet morbi, & à quibus caussis oriri possint, quæque inde symptomata proueniant, inuestigetur, &, quæ in singulis partibus ab earum natura, situ, & aliis circumstantiis curandi occurrat varietas, & quomodo vniuersalis methodus singulis partibus applicanda sit, doceatur & discatur.

Priorem illam Medicinæ seu partem, seu Methodum cùm in Institutionibus tradere studuerim; nunc, postquam ad Practicam Medicam scribendam animum adieci, vsitatum equidem Practicorum ordinem obseruabo, &, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, à capite ad calcem omnes corporis humani præter naturam affectus tradam: ita tamen, vt perpetuò vniuersalis Methodi vestigiis insistens, omnia, quantum fieri potest, ad eam reuocem. Ideoque cum symptomata à morbis & eorum causis pleraque dependeant, & remotis, à quibus pendent, causis sponte euanescant: ordine à capite inchoato, quas qualibet pars morbos cùm in similari, tum organicâ constitutione, & quæ vtrique communis est, vnitate pati possit, docebo, eorúmque omnium caussas, signa, curandique rationem tradam. Postea, quæ ex his morbis & eorum caussis symptomata in qualibet parte oriantur, monstrabo; &, quomodo horum ablatio ab illorum remotione pendeat, docebo. Sicubi tamen symptoma aliquod ob vehementiam ad se curam trahere poterit, quænam eius vel mitigandi, vel tollendi sit ratio, non præteribo. Etsi verò vulgo apud Practicos morbi solutæ vnitatis, & Chirurgia, quam appellant, planè omittatur: tamen cum eorum Curatio non minus, quam aliorum, à Medico requiratur, & ad eorum curationem non solùm manus opera, sed & medicamenta plerumque requirantur, eos omittendos non putaui.

Commodissimè autem sex libris tota hæc tractatio absolui posse videtur: Si nimirum agatur, In primo, de morbis cerebri & organorum sensuum externorum, & symptomatibus, quæ sensibus cùm internis, tum externis accidere possunt: In secundo, de Pectoris, pulmonis, ac cordis morbis ac symptomatibus: In tertio, de morbis ac symptomatibus, quæ visceribus infimi ventris accidunt: In quarto, de morbis mulierum & infantium: In quinto, de partium externarum morbis & symptomatibus: In sexto, de venenatis ac malignis morbis.

Quam methodum & ego sequar, & isto ordine in Practico hoc opere scribendo progrediar, quousque Deus voluerit, vitámque & vires mihi cõcesserit. Tantum autem abest, vt hoc meo labore artis Medicæ Studiosos ab antiquorum & probatorum autorum lectione auocare velim, vt potius ad illam eos adducere cupiam. Ideóque non solum magis necessaria è probatioribus autoribus, antiquis & recentioribus selegi, sed etiam autores illos subinde citaui, vt vberiorem explicationem ab iis petere possint. Atque hîc dissimulare non debeo, socerum meum p.m. Dn. D. Andr. Schatonem, olim in hâc Academia Medicinæ Professorem clarissimum, & meum Antecessorem, non pauca vtilia in lectionibus in 9 Rhasis, quas tamen morte præuentus non absoluit, collegisse. Quâ operâ cum me labore nonnullos autores legendi subleuarit, ex iis quædam, quæ meo & aliorum vsui commoda visa fuerunt, hinc inde inserui.

Ex hoc verò meo labore si, quod vnicè opto, aliquid commodi ad aliquos redundauerit, est, quod gaudeam. Omnibus placere impossibile est. Et licet forsan in reliquis exspectationi plerorumque satisfacerem: in materia tamen Medica me omnibus non satisfacturum, etiam non monitus, intelligo. Ita enim hodie res comparata est, vt non solùm tot sint Dispensatoria, seu Antidotaria, vt appellant, quot Pharmacopoliâ, sed ferè quot Medici. Quamuis enim Medici de morbo eodem curando conueniant: tamen de materia medica plerumque dissentiunt; cum quisque sua medicamenta, quæ aliis præferat, habebeat. Quod an cum rei Medicæ incremento, ægrorumque commodo vel damno coniunctum sit, aliis iudicandum relinquo. Deo equidem benignissimo debentur gratiæ, quod hâc etiam in parte vberem suppellectilem materiæ medicæ suppeditat: interim ambigo, an neglectis medicamentis, quæ multorum seculorum vsu probata sunt, & multos à grauissimis morbis liberarunt, ad noua, & sæpe nondum satis probata, tam procliues esse deceat, & ita materiam medicam mutare, vt, si Hippocrates & Galenus, imò, qui ante hos quinquaginta annos vixerunt, Medici ad viuos redirent, vix vnã nonnullorum formulam intelligerent. Rectè & prudenter Forestus, lib. 9. obseru. 23. Temerarium, inquit, & insignis stultitiæ argumentum est, in ancipiti medicamento periculum facere; cum nulla cogit necessitas, & meliorum copia suppetit. Ideoque adduci non possum, vt cum illis sentiam, qui, vbi res etiam foliis senæ vel leni aliquo medicamento transigi potest, Mercurialia & Antimonialia medicamenta vsurpant.

Non equidem sum nescius, à multis talia commendari, quasi puerperis & infantibus etiam inoxia sint: verùm credat id, qui volet. Manus nostræ sunt oculatæ, credunt quod vident. Me vestigia terrent; cum sciam, quàm multis croci metallorum nominati, & inde aquæ, quam appellant, Benedictæ, Mercurij vitæ dicti, vt horum saltem mentionem faciam, etiam diligentissimè præparatorum, vsus infeliciter cesserit, eorúmque vsu aliquos non solùm in vitæ discrimen coniectos, sed & plane vitâ priuatos mecum multi norint. Ideóque etiamsi interdum in quibusdam grauissimis morbis talia medicamenta locum habere concedam: tamen vt tam familiariter vsurpanda esse credam, sicut folia senæ, vel agaricum, imò manna, quod nonnulli faciunt, persuaderi non possum.

De formulis etiam medicamentorum aliquid monendum videtur. Et licet primò dubius essem, an vllæ, vel certè tot formulæ medicamentorum inserendæ essent; cum

qui methodum medendi callet, & materiam medicam simplicem notam habet: facilè cuiuis morbo accommodata remedia parare possit: tamen vt tyronibus inseruirem, non solum simplicem materiam medicamentorum, sed & certis formulis comprehensam addere volui, vt viderent artis Medicæ Studiosi, quomodo illa, quæ in Institutionibus de compositione medicamentorum tradidi, in vsum trahi possint. Scio equidem, Practico illi experientissimo, Felici Platero, vitio à quibusdam versum fuisse, quod tot formulas, & in eodem sæpe morbo varias, suæ Practicæ inseruerit, qui idem procul dubio in me reprehendent. Sed habuit ille proculdubio sui instituti caussas graues, de quibus hîc non dispuito. Habui & ego easdem, & exemplum etiam Galeni, qui, in libris de compositione medicamentorum sec. loca & genera, multa antiquorum medicamenta collegit: vt de aliis Græcis, Aëtio, P. Ægyneta, & reliquis non dicam. Neque enim tot formulæ ideo præscribuntur, vt quilibet quamlibet arripiat, sed vt pro re natâ, & ægri conditione formulas variare sciat. Hoc enim præsuppositum volo in Medico, qui vel ipse formulã aliquam medicamenti præscribit, vel ab alio præscriptam mutuari volet, vt materiæ simplicis, & methodi medendi cognitionem habeat: qua qui instructus est, non facilè magnis encomiis & titulis medicamentorum se falli patietur. Et omnino ægrorum etiam caussâ formulas variare opus est. Si enim vnum medicamentum, & quidem eodem modo, sæpius exhibeatur, plerũque ægris nauseam cõciliat.

Deinde non ignoro, non paucos futuros, quibus minus rem gratam fecisse videbor, quod inter medicamenta cum alterantia, tum purgantia pleraque ad Galenicorum & vulgatum modum præparata proposui; cum medicamenta expectassent, quæ paucorum granorum pondere, aut guttarum quantitate, sine nausea ægris exhiberi possint. Verum suauitas, vbi haberi potest, vt non auersanda, ita ob suauitatem solam medicamenta non semper aliis præferenda; sed ad Indicationes semper respiciendum, & videndum, vt iis medicamenta exactè respondeant. Contra quod peccãt, qui non ad humoris peccantis naturam respiciunt, & aphorismi illius Hippocratis, qui talia, qualia opus, purgare præcipit, obliti, siue bilis, siue pituita, siue melancholia abundet, sine discrimine gummi Gotte, extractum scammonij, Antimonium Mercurium exhibent, saltem vt palato ægri blandiantur. Vt & illi, qui, vt itidem ægro blandiantur, iulebum aliquem colore rubicundo, sapore acidulo exhibent, etsi ad morbum pellendum nihil faciat, forsan etiam obsit. Et omnino sum in eâ sententia, eos minus peccare, qui medicamenta Indicationibus quidem respondentia, sed paulo ingratiora exhibent, quam eos, qui exhibent quidem medicamenta ægri palato non ingrata, sed suauia, verum si facultates eorum examines, & cum morbo conferas, parum, vel nihil Indicationibus respondentia: etsi interim non nego, vbi nausea in medicamentis euitari potest, id studiosè faciendum esse. Imo res eò hodie rediit, & quidem Medicorum nonnullorum, qui sua medicamenta vltra modum laudant, culpâ, vt ægri, si iis consilium petentibus medicamenta, quæ morbi natura postulat, nomines, ea tanquam vulgaria fastidiant, & in morbis etiam grauissimis, arthritide, affectione hypochondriaca, hydrope, specifica saltem expetant, & quidem talia, quæ exiguâ dosi morbum radicitus statim tollant. Cum tamen, si μεθοδικῶς & non empeiricorum more morbos curare libeat, nulla alia dentur specifica medicamenta, quàm quæ specificum Indicans suggerit. Aut si per specifica quis occultâ qualitate agentia accipere velit, frustra in morbis notis, & à manifestis caussis pendentibus, ad occultas qualitates confugimus.

Interim verum est, in materia medica magnam esse differentiam, & medicamenta alia aliis esse efficaciora: & propterea selectissima & efficacissima semper eligenda sunt. Nec hæc etiam mea mens, quod medicamenta, quæ è vulgatis Practicorum libris, vel etiam eorum obseruationibus propono, semper vulgari modo præparata vsurpari velim. Materiam potius medicamentorum ab antiquis hactenus non infeliciter vsurpatam, & certa poportione mixtam, propono, quam quilibet, quomodo potest, artificiosissimè præparet. A Recentioribus multæ medicamentorum formæ, extracta spissiora & liquida, quæ essentiæ & tincturæ nominantur, aquæ artificiosius præparatæ, syrupi sine longa coctione, & alia multa inuenta sunt.

Exhibeo autem nunc Librum Primum huius operis, qui equidem ad nonum annum, quod poemata scripturis Horatius præcipit, premendus forsan, &, quod ipse agnosco, multis in locis magis exornandus videbatur. Verùm cùm Vitæ summa breuis spes nos vetet inchoare longas, & soli Deo sit notum, quid post annum nonum vel de me, vel de aliis futurum sit, Amicorum, qui editionem vrserunt, monitis obsequi volui. Habes, Lector Beneuole, si nihil aliud, tamen Locos communes, in quos, quæ lectio autorum quotidie suppeditauerit, commodè & ordine referre poteris. Quod meum institutum si Tibi non ingratum fore intellexero, paulò post etiam librum Secundum publici iuris faciam, & nulli labori parcam, vt & reliquos libros, cum Deo, adiiciam. Interim Bene Vale. VVittebergæ Cal. Martij Anno Christi 1628.

ΣῪΝ ΘΕΩ͂.

# MEDICINÆ PRACTICÆ
## LIBER PRIMVS.

*De Capitis, & Sensuum cùm internorum, tùm externorum, motúsque spontanei p. n. affectionibus.*

### PROOEMIVM.

CVM omnium totius corporis humani præter naturam affectuum, morborum nimirum, caussarum morbificarum & symptomatum, quæ ei præter naturam accidunt, curandi rationem tradere, si Deus voluerit, nobis propositum sit: vsitatum Practicorum ordinem secuti à Capite facimus initium. Caput autem supremo corporis loco positum, sensus & motus organa continet, atque in cerebro, parte eius præcipua, sensuum internorum seu facultatum principum actiones perficiuntur, spiritúsque animales elaborantur, & hinc in sensuum externorum & motus organa, vtpote sine quibus ij non perficiuntur, per neruos distribuuntur.

Vt ergo delineatam in Præfatione methodum sequamur, dicendum primò erit, quos morbos cerebrum patiatur, quotque modis spiritus animales, qui in eo generantur & continentur, vitientur: quibus etiam morbis, quæ cerebro & tegumenti & munimenti loco sunt,

funt,meninges & cranium affici poffint ; & à quibus caufis morbi harum partium omnes proueniant; quâ ratione cognofci,& quomodo curari queant.

Poftea explicandum,quæ ab harum partium & fpirituum vitiis actiones læfæ, & fymptomata ortum habeant. Et cum in cerebro perficiantur, & ab eo originem habeant omnes fenfus interni, fenfus nimirum communis, ejusque affectiones, fomnus & vigilia; Phantafia,ratiocinatio;item memoria ac motus animalis: dicendum primò, quæ circa fomnum & vigiliam, quæ in phantafia ac ratiocinatione, quæ denique in motu animali fymptomata & læfæ actiones occurrant, & fingularum læfarum actionum cauffæ inueftigandæ.

Tandem de fymptomatibus, in quibus cum fenfibus internis ac ratiocinatione & motu animali etiam fenfus externi, & ita omnes vel pleræque actiones animales læduntur;tractandum erit.

Poft actiones læfas alterum fymptomatum genus (nam tertium fymptoma qualitatum mutatarum locum hîc non habet) explicandum, excretorum fcilicet & retentorum in cerebro vitium; vbi duo fymptomata præcipuè occurrunt,prius in excrementorum copiâ, quod vitium vulgò catarrhi nomine venit; & alterum in excrementorum cerebri retentione & fuppreffione.

Deinde fimiliter quot morbis fenfuum externorum organa;nimirum tactus organum, oculi, aures,nares, lingua,corripi, & qua ratione illi curari poffint, tradendum. Pofteàque docendum, quæ actiones læfæ in his partibus accidant, & quæ fint earum cauffæ. Vbi agendum erit de Dolore in genere, & qui infignis fæpe eft,de Dolore Capitis in fpecie;de læfionibus actionum,quæ in vifu,auditu,olfactu,guftu obtingunt,& fi quæ alia funt circa has partes fymptomata. Ac fi aliquod fymptoma ob vehementiam curationem, non minus, vt alia Indicantia poftulet & ad fe trahat, quo modo illud tollendum vel mitigandum fit, monftrabimus.

Etfi verò & cutis capitis & capilli in eâ fua vitia habent: tamen quia cutis commune totius corporis tegumentum eft, de ejus & capillorum vitiis fuo loco inter externos corporis affectus dicemus.

# LIBRI PRIMI
## PARS I.
### *De morbis capitis.*

## CAPVT I.
### *De intemperiebus capitis fine materia, & primo de calida.*

CEREBRVM primaria capitis pars eft: id duplex membrana circumdat: Exterior quidem & Cranio propior illa,craffior & durior,quæ vulgò Dura mater; Interna verò, & proximè cerebri fubftantiam ambiens, tenuior, quæ vulgò Pia mater nominatur. Membranas cranium tegit: hoc pericranium: pericranium tegitur à membranâ carnosâ: omnes tandem has partes cutis. De cutis morbis & vitiis,vt antea dictum, cùm fuo loco acturi fimus, de cerebri, membranarum ejus, cranij & pericranij morbis hic agendum, & quos quælibet harum partium morbos pati poffit,inquirendum.

*Ide intemperiei capi[tis]* Sunt autem harum partium, vt & aliarum, morbi trium generum, intemperiei feu partium fimilarium, organici, & vtrifque communes. Et primò quidem quod morbos intemperiei, & qui his partibus,quatenus fimilares funt, competunt, attinet;Cranium, vt offeum & durum, quodque externas alterationes non ita facilè admittit, vix ipfum infignem intemperiei morbum patitur, quandiu pericranio, membrana carnosâ & cute tectum eft: verùm fi propter vulnera fit denudatum, ab externo aëre alteratur & corrumpitur. Cerebrum verò & meninges intemperiei morbis fæpe corripiuntur. Etfi verò intemperies aliqua nonnunquam in alterutra harum partium primùm excitari, & vna earum plus,alia minus affici poffit, & actionum quoque læfiones aliæ atque aliæ accidant, prout cerebrum & ejus membranæ plus afficiuntur: tamen quia tanta eft harum partium connexio, tantúfque confenfus, vt fi vna infigni aliquâ intemperie laboret, fieri nequeat, quin & altera ejufdem fiat particeps; curandi etiam ratio ferè fit eadem: de intemperie harum partium conjunctim agemus. Si quid tamen, quod alterutri peculiare fit, occurret, & illud attendemus.

Cùm verò cum Galeno, *de differ. morb. cap.* 1 docuerimus, *libro* 2. *Inft. part.* 1. *cap.* 3. quod intemperies alia fit fimplex; calida fcilicet, frigida, humida, ficca; alia compofita, calida humida,calida ficca, frigida humida, frigida ficca; & hæ omnes rurfus vel fine vel cum materia: de his intemperiebus omnibus ordine hîc etiam inter morbos capitis dicendum. Quanquam enim intemperies fine materia rarò dantur; & cum dantur, ferè à cauffis euidentibus & externis, (nifi morbus hæreditarius fit) ortum habent; plerumque verò cum intemperie humor fimilis qualitatis conjunctus eft: tamen vtile eft, fcire, quam curationem intemperies quælibet per fe & quatenus talis requirat; cum alio modo curetur intemperies fine materia, quàm quæ cum materia conjuncta eft. Quapropter ordine de iis in fpecie agemus, fi pauca quædam de morbis capitis & intemperiei in eo in genere præmiferimus.

### *De affectibus capitis in genere notanda.*

Primò omnes cerebri morbi multa figna communia habent, quæ Galenus, *in art. Med. c.* 76. defcripfit: *Signa cerebri p.n. affecti.* *Quæ funt*, inquit, *in cerebro difpofitiones, ea cognofcuntur aut ex dementiæ fpeciebus, aut ex fenfuum vel imaginationum læfionibus, aut ex actionum, quæ fecundum electionem & voluntatem funt, aut ex iis, quæ excernuntur per palatum, aures, nares, aut per differentias dolorum.*

Deinde in curatione affectuum capitis hoc in genere eft notandum, cùm caput fupremo corporis loco pofitum fit,& præterea venæ & arteriæ multæ, fubtilem ac tenuem fanguinem & fpiritus, quibus facilè fubtilia & vaporofa excrementa permifcentur, cum pro nutritione ejus,tùm pro fpirituum animaliú generatione deferentes cerebrum ingrediantur, atque in id definant,cerebrúmque,vtpote frigidum & humidum,ac molle,vapores illos facilè imbibat,retineat, ac difficulter difcutiat, imo potiùs condenfet: in omni affectu capitis effe operam dandam, ne id à vaporibus adfcendentibus lædatur. *In curatione capitis in genere obferuanda.* Ideoque non folùm ipfum caput roborandum; fed inprimis cauendum,ne vapores in partibus inferioribus generentur, aut geniti ad caput eleuentur. *Capiti nocētia.* Quapropter in capitis affectibus abftineat æger à cibis & potu, qui multum vaporum emittunt,quale eft vinum potens, vt & cereuifia fortis, imprimis multo lupulo condita; & maximè vitandus talis potus ab exercitio & motu corporis vehementiore. Calefacto enim corpore caput vaporibus repletur, & corpore ab exercitio exinanito,fpiritibúfque & animalibus & vitalibus deperditis,natura inftaurationem eorundem appetit, & proinde fit potulenti adhuc fe-micrudi, in vapores refoluti, in venas & arterias raptus & tranflatio: vnde & cerebrum vehementer turbatur, & excrementa multa cumulantur. Inter cibos, qui

qui caput replent, eſt præcipuè lac, quod facilè corrumpitur in ventriculo, vnde etiam Hippocrates, 5. *aph.* 64. Lac nocere caput dolentibus, ſcribit. Caput etiam replent ipſique noxia ſunt *Semen cannabis, lini, crucæ, ſinapi, daurus, cœpæ, baccæ juniperi, dactyli.* Et quæ Galenus. 2. *de comp. med. ſecund. loca cap.* 1. *in fin.* & ex eo Aëtius, *tetrab.* 2. *ſerm.* 2. *cap.* 46. in omnibus capitis affectionibus vitare jubet, quod capitis dolorem inducant; *Viticis ſemen, abſinthij ſuccus, lactis potus, glandes quercinæ comeſtæ, oliuæ nigræ, arbuti fructus, mæmecylon Græcis appellatus, eruum,* quod etiam articulos exſoluit, *myrrha, thus, hederæ corymbi,* & quæ mentem perturbant, *Lentiſci fructus, crocus, peucedanum, cyclaminus ſicca cum vino pota, ſtyrax,* qui modicus quidem potus triſtitiam diſcutit, multus autem turbulentos ſomnos efficit. Alij inter ea, quæ capite laborantibus minus commoda ſunt, recenſent etiam *auellanas, nuces juglandes, caſtaneas, ſchœnanthum,* quod capiti multum nocere, ſcribit Savanorola, *tract.* 1. *cap.* 32. *rubric.* 1. Damnat etiam *columbas* Vega, ſcribitque ſe obſeruaſſe, eas peculiari ratione caput affligere, de quibus videatur Valleriola, *Enarr. medic. lib.* 5. *Enar.* 10. Caput quoque replet alvus concluſa, inedia. Sicut & noxium capiti eſt calceatis pedibus dormire.

Ne autem genitus vapor adſcendat, exercitatio vehementior poſt cibum vitanda, vocis intentio, & ſpiritus efflatio vehementior, ſomnus meridianus in non aſſuetis, & ſtatim à cibo initus, vel longior, vomitus, tuſſis.

## *De intemperiebus capitis ſine materia in genere.*

*Intemperies capitis ſine materiâ.*

Poſtea de intemperiebus ſine materiâ hæc in genere tenenda: Primò *cauſſæ* intemperiei ſine materiâ omnia eſſe poſſunt, quæ vel extra vel intus quoquo modo cerebrum calefaciendo, refrigerando, humectando, ſiccando afficere poſſunt, quæ poſtea in ſpecie patebunt.

*Signa* quod attinet, primò opera danda, vt cognoſcatur, an intemperies ſit cum vel ſine materia. Inueſtigandum nimirum, an cauſſæ aliquæ euidentes præceſſerint: quod ſi factum, intemperies plerumque eſt ſine materiâ. Verùm poteſt etiam eſſe cum materiâ. Poteſt, inquam. Nam ſi cauſſa procatarctica plenum corpus inuenerit, aut fundendo humores, aut exprimendo, aut attrahendo intemperiem cum materia excitare poteſt. Si verò talis cauſſa abſit, conjecturam facere oportet, à cauſſa aliqua interna malum extitiſſe, & ita cum materia conjunctum eſſe. Intemperies quoque ſine materia eſt ſine ſenſu grauitatis, tenſionis, punctionis, morſus.

Tertiò quoad *curationem*, intemperies ſine materia hanc communem rationem obtinet, quòd ſicut citra materiam eſt, & in ſola qualitatum ac intemperiei mutatione conſiſtit: Ita etiam quatenus talis ad priſtinum & naturalem ſtatum reducitur, ſolâ alteratione ſine vllâ euacuatione. Etſi verò in intemperiebus capitis ſine materiâ quandoque euacuandum ſit: tamen id non poſtulat intemperies per ſe, & quatenus talis;

*In intemperie capitis an purgandum.*

neque intemperiei opponitur euacuatio: Sed ideo euacuamus, quia metuimus, ne, ſi corpus ſanguine aut vitioſis humoribus plenum ſit, caput ex intemperie debilitatum, & imbecillius redditum, abundantes in corpore humores facilè admittat, atque ita affluentibus ad caput humoribus, ex intemperie, quæ ſine materia eſt, intemperies cum materia euadat.

## *De Capitis intemperie calida ſine materia.*

*Intemperies capitis calida.*

Intemperies hæc etſi in noſtris regionibus non ita frequens ſit: tamen in regionibus calidioribus non infrequens eſt, ob æſtum ſolis & aërem feruidiorem.

### *Cauſæ.*

*Cauſa.*

Quæ autem intemperiei calidæ cauſæ ſint, *lib.* 2. *Inſtit. part.* 2. *c.* 10. è Galeno, *de cauſ. morb. cap.* 2. docuimus. E quibus patet, cerebrum partéſque vicinas in capite præter naturam calefieri poſſe, ſi homo in aëre calidiore, ſub radiis Solis, præſertim nudo capite, vel in aëre ab igne aut frequentia hominum calefacto commoretur, ſi calidis tegumentis caput ſupra modum vel diutius inuoluerit; ſi medicamentis caput calefacientibus ſeu externis, vt fomentis, lotionibus, embrochis, oleis, linimentis, odoramentis & ſuffitibus calidis, præcipuè ambra & moſcho, & hujus generis aliis, ſupra modum vſus fuerit; ſeu interna vſurpauerit, aut cibos & potiones calefacientes, aromatibus multis conditas, vinum antiquum & generoſum, Hippocraticum, mulſum & id genus alia immoderatius ſumpſerit; ſi perturbationibus animi vehementioribus, vel diuturnioribus, irâ præcipuè, correptus fuerit: ſi diu vigilauerit; ſi cogitationes, quæ ſpiritus ad caput reuocare, eoſque variè mouere ſolent, diu intenderit. Quæ cauſſæ omnes eò facilius capiti calidam intemperiem inducere poſſunt, ſi homo cerebrum ſua naturâ calidius obtineat.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa Diagnoſtica.*

Percipitur calor tactu in cute capitis, præcipuè in fronte & temporibus, cutiſque primâ manus injectione ſtatim aridior, quàm ante apparet; intra cranium agitatio quædam percipitur & pulſatio in temporibus; facies & oculi apparent rubicundiores, lucem & ſplenborem refugiunt. Somnus eſt breuis & perturbatus, non profundus, à quo homo facilè excitatur: vel etiam vigiliæ infeſtant. Æger facilè iraſcitur. Inquietus eſt in motibus, in cogitationibus & imaginatione mutabilis; quorum vtrumque ex ſpirituum leuitate & mobilitate à calore contracta prouenit. Præceſſerunt cauſſæ antea enumeratæ vel omnes, vel vna. Delectant & iuuant, quæ refrigerant: nocent, quæ calefaciunt & exceſſum caloris augent. A qua verò causâ intemperies iſta contracta ſit, ſermones ægri docebunt. *De numero ſignorum intemperiei capitis calidæ controuerſiam vide in fine Capitis, quæſt.* 1.

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.*

1. Quò minor exceſſus caloris fuerit, eò malum tutius: quò major, periculoſius: & metuendum tunc, ne inflammatio, delirium, aut alia mala attrahantur.

2. Curatio ipſa ſatis facilis eſt. In refrigerantibus tamen adhibendis cautè procedendum, ne cerebro aliquid damni afferatur; præſertim in pueris, mulieribus, & iis, qui corpus mollius & tenerius habent, ac in otio viuunt; in ſenibus item; & iis, qui catharrhis obnoxij ſunt. In talibus enim corporibus medicamenta facilè penetrant, & caloris natiui vis non eſt tanta, vt maiori frigori reſiſtere poſſit: ideoque inſigniter refrigerantium vſu cerebrum facilè offenditur, & in contrarium malum deducitur.

### *Indicationes.*

*Indicationes.*

Intemperies capitis calida refrigerantia indicat; & quidem major frigidiora, minor mitiora.

Et cum caloris tanta vis ſit, vt etiam in corpore puro aliquid ab inferioribus ſurſum trahat, multóque facilius id præſtet, ſi corpus plenum ſit, atque ita caput repleatur, & intemperies, quæ à primo ortu ſine materia eſt, in eam, quæ cum materia eſt, facilè tranſeat; ac præterea humiditates, quæ in capite ſunt, à calore fundantur, partéſque capitis à calore laxiores & imbecilliores reddantur: neceſſarium eſt, vt

medica

medicamenta, quæ ad refrigerādum caput in principio adhibentur, aliquam adſtringendi vim habeant. Adſtringendi tamen illa facultas ſit moderata. Nam ſi inſignem vim adſtringendi haberent talia medicamenta, & topicis vim ad inferiora penetrandi occluderent, & poros ac meatus adſtringerent, vaporeſque, qui perſpirare deberent, clauſis meatibus retinerent, caput replerent, & malum augerent. Et ſi refrigerantium, quæ leuiter adſtringunt, copia nobis deſit, ea ſumamus, quæ citra adſtrictionē refrigerant, & aliquid adſtringentium miſceamus. Et cum iſte humorum verſus caput raptus ac motus facilius fiat in corpore plethorico vel bilioſo: ſæpe ſola refrigerantia & adſtringentia non ſufficiunt, ſed vt affluxus humorum ad caput præcaueatur, neceſſarium eſt, ſicut antea etiam dictum, vt ſanguis, ſi is in corpore abundet, imminuatur, & à capite auertatur venæ ſectione vel cucurbitulis: Bilis verò, ſi adſit, idoneis medicamentis, de quibus poſtea dicetur in intemperie capitis cum bile, euacuetur.

Quia verò cerebrum membrum nobile eſt, facultatum principum ſedes, ſenſus & motus fons atque origo, ſpirituumque animalium officina, & minimam noxam facilè percipit: non licet tàm audacter refrigerantia, vt in partibus ignobilibus adhibere, caloremque eius obtundere, neque in eorum vſu diu perſiſtere, aut ea frequenter applicare, ſed per vices caput linteo ſicco abſtergere & ſiccare, aut leniter fricare oportet. Et cùm ex refrigerantibus quædam ſtuporem inducant iis non vtendum, niſi dolor aut vigiliæ inſtent. In declinatione quoque ſola refrigerantia non vſurpanda, præſertim in corporibus impuris, & quibus grauitatis aliquis ſenſus in capite percipitur. Cum enim per calorem p. n. vt dictum, caput facilè aliquid ſuperflui ad ſe, tanquam cucurbita, trahat, illud in fine reſoluendum & diſcutiendum.

*[margin: Topi- … put re- … rantia … bſeruā- …]*

Præterea circa externorum & topicorum vſum hîc notandum, quod, cum cerebrum cranio, oſſe ſatis craſſo, tegatur, 1. ea ſunt admiſcenda, quæ tenuitate ſubſtantiæ facilius penetrant, & alia medicamenta ſecum rapiunt, qua de cauſſa acetum plerumque admiſcetur. 2. Medicamenta eo loco applicanda, quo faciliùs penetrare ad cerebrum poſſunt. Ideoque cùm cranium minus craſſum ſit circa frontem & tempora, & peruiū etiam circa ſuturas: circa frontem, tempora, ſuturam coronalem & ſynciput medicamenta topica applicanda ſunt. Poſteriori verò capitis parti ſine fructu adhibentur refrigerantia; imò ſi ibi applicentur, neruos lædere poſſunt. 3. Et vt topica medicamenta ſuo munere rectiùs fungantur, abradere pilos ſæpe vtile eſt. Sunt quoque topica, ſi capitis calor ſit inſignior, actu frigida applicanda; Et vbi paulum incaluerint, iterum mutanda. Qua de cauſſa etiam non craſſa & multiplicia linteamina, è quibus caput incaleſcat, vſurpanda. In corporibus verò mollibus, in quibus fortius refrigerantia ſuſpecta eſſe diximus, aliquid olei chamæmelini, anethini, ſambucini admiſceri poteſt. Topica quoque ratione ætatis moderanda, cum inſigniter refrigerantia non ferant pueri, ſenes, & corpora mollia, ac qui catarrhis ſunt obnoxij.

Neque ſolùm topica extra applicanda; ſed cū per nares rectâ via ad cerebrum aër penetret, odoramenta quoque vſurpare licet. Præterea cum magnus pedum & capitis conſenſus ſit, pedum lotiones vtiles ſunt, ſicut nec manuum inutiles.

### *Medicamenta ſimplicia interna.*

*[margin: …cia …mēta …refri- …a in- …]*

FOLIA; *Lactuca, portulaca, plantaginis, ſolani*, quod fortius eſt & ſtuporem facilè inducit.

Flores; *Roſarum, violarum, nymphaæ, papau. albi, borraginis.*

Semina; *Lactucæ, papaueris albi, melonum, cucumeris, cucurbitæ, citrulli, hordei.*

Fructus; *Cucurbitæ, poma dulcacida, baccæ myrti & myrtillorum.*

E lignis; *Santalum.*

Quibus & alia refrigerantia commodè admiſcere licet, vt: *Acetoſam, endiuiam, ſuccum citri, acetum.*

### *Externa.*

Eadem & extra adhiberi poſſunt: Quibus accedunt *[margin: Externa.]*

Folia; *Semperuiui, ſalicis, vitis, vmbilici Veneris, myrti, cucurbitæ, nymphaæ, lenticulæ paluſtris.*

Semen; *Pſyllij, lactucæ, papaueris.*

Radix; *Rhodia, radix & cortex mandragoræ.*

Succi; *Foliorum ſalicis, vitis, ſemperuiui, nymphaæ, plantagin. ſolani.*

Mucilagines; *ſem. pſyllij*, præcipuè cum aceto paratæ. De qua monet Matthæus de Grad. *lib. 1. pract. c. 1.* aduertendum eſſe, ne ſemen rumpatur; cum ea ſaltem pars, quæ in ſuperficie eſt, & à qua per agitationem cum aceto parum calido prouenit, ſit frigida & humida intima verò acuta & ignea. *Lac.*

E quibus parantur variæ medicamentorum formæ, quæ omnes capiti alterando vtiles ſunt, vt *lib. 5. Inſtit. part. 3. cap. 1.* dictum, è quibus nunc his, nunc illis, prout commodum fuerit, vtemur.

De externis medicamentis etiam hoc monendum, etſi vulgò habeantur ſaltem pro frigidis ſimpliciter, tamen pauca eorum partes aliquas admiſtas habere calidas, quibus minima illa corpuſcula calida, quæ cum intemperie calidâ coniuncta ſunt, euocant, qualia ſunt flores roſarum, violarum, nymphææ luteæ, ſambuci, radix rhodia, ſemen pſyllij & ſimilia, quæ propterea etiam maiore cum commodo & tutius adhibentur, quàm ſimplicia frigida; etiam eâ de causâ, quod anodyna ſunt, & dolores capitis, qui intemperie calidá capitis laborantibus familiares ſunt, mitigant.

### *Medicamenta compoſita Interna.*

Aquæ deſtillatæ; *Roſarum, violarum, lactucæ, portulacæ, nymphaæ, ſolani, cucurbitæ.* *[margin: Compoſita interna.]*

Conſeruæ; *Roſarum, violarum, nymphaæ, citri.*

Syrupi; *Violarum, roſarum, nymphaæ.*

Condita; *caules*, lactucæ.

Iulepi & Potiones; *Iulepus roſarum, violarum*; & quæ fiunt ex ſyr. & aquis modò enumeratis: vt:

℞. *Syr. violar.* Vnc. j. ß. *oxyſacchar. ſimpl. Iulep. roſar. an.* Vnc. ß. *aq. hordei ſimplicis* Vnc. x. *vel aq. lactucæ, endiuiæ, acetoſæ an.* Vnc. iij. Miſce pro duabus vel tribus doſibus.

Vel ℞. *Syrup. violar.* Vnc. i. ß. *nymphaæ de endiuia an.* Drach. vi. *aq. lactucæ cichor. endiu. an.* Vnc. ij. F. Iulep pro duabus doſibus.

Monet hic rectè Matthæus de Gradib. *pract. lib. 1. cap. 1.* vt in dolore capitis, & febribus quoque, non ſimus nimis parci in exhibendis ſyrupis & potionibus; ſed in adultis ad ℥ x. potiones illas ex ſyrupis & aq. deſtillatis mixtas exhibeamus: cum in minore quantitate ad omnia membra & caput facilè non penetrent. Cui libenter ſubſcribo; modò ægros obſequētes habeamus.

Emulſiones: *ex ſem. quatuor frigid. maior. papau. lactuc. vt:*

℞. *Sem. quatuor. frig. maior. excortic.* Vnc. ß. *papau. alb.* Drach. ij. *Aq. hordei ſ.* ℔. ß. *lactucæ* Vnc. iij. *nymph.* Vnc. ii. *roſar.* Vnc. i. F. Emulſio. Adde *Iulep. vel ſyr. viol.* Vnc. i. ß. M. Species; *elect. de gemm. frig. diamargar. frigid. diatrion ſantal.* Electuaria.

℞. *Conſeru. violar. roſar. an.* Vnc. i. *nymphaæ Lactuc. conditæ an.* Vnc. ß. *Specier. diamarg. frig.* Dra. ß. *Cum ſyr. violar.* F. Electuar.

Vel ℞. *conſeru. roſar. borrag. an.* Vnc. ii. *ſem. quatuor frig. maior. excortic, an.* Drach. i. *ſpecier. diamarg. frig.* Drach. ß. *Cum ſyr. violar.* Fiat Electuar.

Rotulæ

Rotulæ & Morſuli; *Diacodium album ſolidum Auguſtanorum : Rotulæ ex ſpeciebus ante enumeratis cum ſextuplo ſacchar. in aqua conuenienti diſſoluto.*

Monet hîc etiam non ſine cauſſa Matth. de Gradib. *part.*1.*pract.cap.*1.in morbis cerebri calidis, & omnino omnibus morbis,in quibus refrigeratione opus eſt,ſacharo non niſi albiſſimo vtendum eſſe;cum ſaccharum minus purum & defecatum multum vnctuoſi vaporabilis & calidi participet.

## *Externa.*

*Compoſita Externa.*

*Epithemata, irrigationes, embrochæ, lotiones capitis* fiunt ex ſimplicibus ſupra enumeratis decoctis,vel ſuccis eorum aut aquis,vt & lacte. Et quidem liquida medicamenta, ſi frigida actu applicentur, plus refrigerant. Ac licet omnibus formis iam dictis applicari poſſint: tamen ſi à loco altiore decidant, plus refrigerant. Vt autem (vt & oxyrrhodina)non facilè diffluant,ſed diutius morentur, corona ex panno lineo vel lanâ conuoluta anteriori capitis parti imponatur, & ita applicetur,vt caput circundet parte anteriore, vbi capilli deſinunt,ex lateribus ſupra aures,in parte autem poſteriore verſus occiput;quo modo ſimul partes inferiores,facies & oculi,non inquinantur,cum caput ſaltem in loco intra coronam mediam irrigetur : non verò,vt vult Altimarus,*cap.*10.iuxta frontem, vbi pars piloſa deſinit, & iuxta vtrumque eius latus, locum applicandæ coronæ laneæ, pro loco oxyrrhodinis perfundendo ex Galeno malè intellecto accipiens.Exempl.gr.

*Epithemata & Embrochæ quomodo capiti applicanda.*

℞. *Flor.roſar.nymph.*an.M.ß. *ſambuci* P.i.*Fol.ſalicis, vitis, lactucæ, hordei* an. M. i. Coq. ad conſumptionem tertiæ partis. Adde *aceti* Vnc.i. ß. Colatura frigida vel tepida fronti & ſyncipiti panno lineo imponatur, aut eâ caput perfundatur,aut ex alto irroretur.

Vel ℞.*aq.roſar.*Vnc.iiii. *ol.roſar.* Vnc.ii. *aceti roſar.* Vnc. ß. *album ouor.* num.ii. Conquaſſata miſceantur & linteo multiplicato ſyncipiti & temporib. imponantur.

Vel ℞. *olei violar.roſar.nymph.* an.Vnc.ß. *aq. roſar. lactucæ,ſemperuiui* an.Vnc.ii.*aceti* Vnc.ß Miſce pro epithemate frontis.

Vel ℞. *ſucci lactucæ,portulacæ, ſolani, vmbilic.* ♀ an. Vnc.ii. *ſemperuiui* Vnc. i. Excipiantur ſpongia vel linteo & fronti applicentur.

Vel ℞.*aq.roſar.*Vnc.iiii.*fol.ſalic.lactuc.*an.Vnc.i.*flor. ſambuci* Vnc.ß.*olei violar.roſar.*an Drach.vi.*aceti* Vnc.i. Miſce.

Vel ℞. *mucilag.ſem.pſyll.* Vnc.i. *olei roſac.* Vnc.i.ß. *aceti* Vnc.i.ß. M. Valeſcus de Taranta, *lib.*1.*cap.*1. hoc commendat:

℞. *ſumm.vitis,fol.ſalicis recent.violar.roſar. nymph. ſem.papau.lactuc.portulac.vmbilici* ♀ an.Vnc.ii. *ol. viol. roſar.*℔.ß.*vini auſteri* Vnc.iii.

Coquantur & colentur ac liquor capiti Epithematis loco imponatur.

*Oxyrrodina.*

*Oxyrrhodina* hûc pertinent,quæ antiquis in magno vſu fuerũt, & omnibus aliis huius generis topicis præferuntur à Galeno, 2 κατὰ τόπ. *cap.*1. qui ſcribit, ſe vbi eius copiam haberet, nullo alio vſum fuiſſe medicamento, ſed hoc omnes curaſſe. Componuntur autem oxyrrhodina ex oleo roſarum & parte aliquâ aceti. Oleum autem illud ſit eo anno factum, & omnis alterius miſturæ expers : & ſi ex omphacino componatur, eſt initio morbi, quo tempore nonnihil repellendum, commodius;cum ſit & frigidius,& adſtringendi aliqua facultate præditum magis,quàm quod ex maturis conficitur,quod iam caloris alicuius eſt particeps,& in declinatione vtilius adhibetur. Additur autem aceti aliquid,vt partium tenuitate faciliorem roſaceo tranſitum præſtet, quo inprimis indiget omphacinum, quod eſt craſſioris ſubſtantiæ,magiſque adſtringit, & propterea ad penetrandum ineptius eſt. Miſturam autem aceti Galenus,*in lib.de med.facil.parab.cap.*1.definit,vt quarta pars aceti addatur;quæ tamen menſura non eſt ſtrictè obſeruanda,ſed aliquando plus,aliquando minus aceti addendum. Qui enim tenerum & minus ſolidum corpus habent,iis vehiculo multo oleum non indiget,maiore copia verò, quibus corpus denſius eſt. In cerebro quoque humido plus aceti tutius admiſcetur (quia valde ſiccat)minus admiſcendum in ſicco. Siccat enim acetum & vigilias inducit. Dictum etiam de oxyrrhonis in Inſtitut.*lib.*5.*part.& ſect.vlt.cap.*39. dicetúrque etiam de iis aliquid infra.*cap.*5.

*Olea;*violarum,roſaceum,nymphææ,myrtinum, cydoniorum,cucurbitæ,ex floribus mali,ſem.papau.quod tutius adhibetur,quàm ſuccus papaueris,ſem. lactucæ, de ſalicibus. *Olea.*

*Linimenta;*vt

℞. *ſucci lactucæ vel plantag.* Vnc. ß. *mucilagin. ſem. pſyllij aq.lactuc. extr.* Vnc.i. *ol.roſar.violar. nymphææ* an. Vnc.iß.Coquantur ad ſuccorum conſumptionem, Fiat linimentum. *Linimenta.*

*Vnguenta;* Roſaceum,refrigerans Galeni,populeum; album camphorat.

Vel ℞. *olei violar.roſar.*an.Vnc.iß.*papaueris* Vnc.ß. *ſucci ſemperuiui,ſolani* an.Vnc.i. *aceti* Vnc.ß. Coquantur ad ſuccorum conſumptionem.Adde *ſantali albi,rubri an.* Drach.ß. *mucilag.ſem.pſyllij* Vnc.ß. *camphoræ in aq.roſ.diſſol.*gr.vi.*ceræ q.ſ.*F.vnguentum. *Vnguenta.*

Vel ℞.*cerat.albi Galeni* Vnc.ii.*ſucci ſolani vel cucum.* Vnc.i.Ducantur ſimul in mortario.F.vnguentum.

Vel ℞.*ol.roſar.*Vnc.i.*mucilag.ſem.pſyll.cydonior cum aq.roſ.ext.an.*Vnc ß. *ceræ parum liquefactæ ad ignem.*M. F.vnguentum.

Vel ℞. *mucilag.ſem.pſyllij malu. ſucc.portulac. ſemperuiui an.*Dra i.*ol.roſar.nymph. an.*Vnc.ii. *ceræ* Dra.iii. F.Vnguentum.

Vel ℞. *olei roſar. omphacin. an.*Vnc.iiii. *ſantali albi, myrtillor.rad.rhodiæ an.*Dra.i.*ceræ albæ aq.roſar.lotæ q.ſ.*F. Vnguentum.

*Cataplaſmata :* Emplaſtrum vel potius cataplaſma Haly. *Cataplaſmata.*

℞. *Flor.roſar.rubr.viol.nymph.ſem.maluæ.farinæ hordei an.* Dra.iii.*ſantal.albi & rubri ſem.papau. & cortic. papau.ſem.lactuc.an.*Dra.ii.*meliloti* Dra.i.

(Ad temperandum frigus reliquorum) F. puluis. & incorporetur cum oleo roſaceo, ſucco lactuc. & aceto.

Vel ℞. *olei violar.roſar. papaueris an.* Vnc. ß. *farinæ hordei,ſem.papau. albi contuſi q.ſ. camphoræ* Scr. ß. Miſceantur cum albumine oui,Fiat cataplaſma.

Vel folia pſyllij contundantur & cum oleo roſaceo & pauco aceto in formam cataplaſmat. miſceantur.

Vel fl.violar.purpurear.rec.contuſi fronti & temporibus imponantur.

Vel ℞. *Sem. papaueris albi* Vnc.ß.*flor. roſar. rubrar.* P.ii.*farinæ hordei* Vnc. i. Cum lacte muliebri & oleo roſaceo, Fiat cataplaſma;quod inter duo linteamina tenuia applicetur fronti.

Vel ℞. *Fol.lactucæ* M.ii. *flor.roſar.* M.ß. *ſem. papau. albi* Vnc. ß. Coquantur ad mollitiem. Contuſis adde *farinæ hordei* Vnc.i.*olei violar.q.ſ.* Fiat cataplaſma.

Vtile eſt & cataplaſma ex foliis ſalicis & capreolis vitis cum pauco aceto.

Vulgus non incommodè placentas illas poſt deſtillationem aq. roſar. in balneo relictas capiti applicat; quod medicamentum fit efficacius, ſi aq.roſar. vel alia conueniente irroretur.Nonnulli cataplaſmatis loco & conſeruas refrigerantes vſurpant, vel eas cataplaſmat. admiſcent; quod eo tempore tamen poteſt fieri, cum herbæ recentes & ſucci earum deſunt.

*Cerota & Emplaſtra*, & quæ ſolidiorem formam habent, applicanda ſunt abraſis capillis, & quotieſcunque incaluerint, debent permutari. Tale eſt cerotum ſantalinum. *Cerota & Emplaſtra.*

Vt

Vt ♃. *ceroti santal. diu cum lactucæ succo in mortar. subacti* Vnc.i.ß. F. Emplastrum.

Vel ♃. *pulu. rosar. rubrar. cap. papau. sem. lactucæ* an. Drach.ii. *camphoræ gr.* vi. *olei violar. ceræ an. q. s.* Fiat cerotum.

Monet verò Trallianus, *lib.* I. *cap.* 10. vt cera semper lauetur aqua frigida adiecta.

*Sacculi.* *Sacculi;* qui tamen, quia ex herbis & floribus exsiccatis parantur, vbi subita alteratione opus est, non ita efficaces sunt, nisi aquis refrigerantibus conspergantur; aliàs in diuturnis morbis & catarrho obnoxiis satis commodi sunt.

Vt ♃. *Flor. violar. nymph. rosar. fol. salic. ana M.ß. sem. papau. alb. lactucæ santali citrini ana* Drach.i.

Incisa & contusa crasso modo insuantur sacculo vel pileo linteo, qui capiti imponatur.

*Pulueres.* *Pulueres.* Licet quoque à capitis lotione puluere ex rosis, violis, santalo & similibus parato caput conspergere: sed & pulueres ob crassitiem tardius operantur.

*Odoramenta.* *Odoramenta.*

♃. *Flor. rosar.* p.ii. *violar. nymph. ana* p.i. *santali citrini* Scrup.i.

Ligentur in nodulo ex linteo albo vel sindone rubrâ, qui aq. rosar. aut pauco aceto adspergi potest.

Vel ♃. *santal. citrini flor. rosar. nymph. an.* Drach.i. *camphoræ* Scrup.ß.

Affundatur in vase angusti orificij aq. rosar. & supra ignem ebulliant, vapórque naribus excipiatur. Vel in aq. rosar. camphora dissoluatur, & aquâ spongiola vel gossypium madefiat, & sæpius naribus admoueatur. Camphora tamen cum per se non frigida sit, sed per accidens refrigeret, eiúsque odorem non omnes ferant, & vigilias quandoque excitet, & caput grauet, cautè vsurpanda. Quod & de aliis odoramentis accipiendum, quæ, quia talia sunt, ob vapores calidos, seu vt chymici loquuntur, partes sulphureas, caput facilè replere possunt; & in intemperie capitis calida, non tàm frigiditatem inducendo, quàm spiritûs animales suauiter demulcendo, dolorémque, qui calida capitis intemperie laborantibus familiaris est, leniendo prosunt.

*Odoramenta cerebrum refrigerentne pro quæstiona.* ¶ [Equidem Practici inter medicamenta, quæ ad intemperiem cerebri calidam temperandam adhibentur, etiam odoramenta vsurpant, flores rosarum, violar. nymphææ, & similia. Verùm res ista non parum dubia est, an nimirum odoramenta ista per se cerebrum refrigerent. Nam I. omnes odores non à frigiditate, sed à caliditate proueniunt, vt res ipsa loquitur. 2. Vnde etiam odoramenta eiusmodi caput replent; ac sunt multi, quibus odor rosarum dolorem capitis excitat. 3. Opinio ista ex falso principio nata est, nimirum camphoram, rosas, & similia, esse simpliciter frigida; cùm tamen vel calida sint, vel, licèt quidem frigida ex parte sint, partes tamen calidissimas, è quibus spiritus ardens paratur, admixtas habeant: vt in rosis, floribus sambuci, & aliis manifestum. A quibus partibus calidis cùm odores pendeant, certè refrigerare non possunt. Cùm tamen *Responsio.* experientiâ constet, eiusmodi medicamenta aliquid commodi in doloribus capitis, etiam à caussa calida, præstare, id verò non faciant frigiditatem inducendo ad calidam intemperiem; alia huius rei caussa quærenda est, quæ est quòd huiusmodi medicamenta dolorem leniunt, qui calidâ intemperie capitis laborantibus familiaris est. Habent enim eiusmodi sulphurea & spirituosa vim narcoticam quandam, vt in spiritu vini, sambuci, & similibus manifestum est; vel certè spiritûs animales suauiter demulcendi, vel discutiendi, vel calidos vapores euocandi; vt in camphora id patet.]

*Globuli & Poma odoramenta.* *Globuli quoque & Poma odorata* fieri possunt ex *floribus rosarum, nymphææ, sem. papau. lactucæ, hyoscyami, si cum tragacantha in aq. rosar.* soluta excipiantur.

In nares quoque liquores refrigerantes actu tales attrahere vtile est: Inter quos præcipuè commendatur lac muliebre cum oleo violar. nymph. vel emulsio sem. lactuc. papauer. facta cum aq. lactucæ.

*Oris collutiones.* *Oris collutionem* fieri iubet Forestus, *lib.* 9. *obs.* 3. ex lacte ebutyrato acido incoctis prius thyrsis vitis & acetosellæ.

*Lotiones extremorum.* *Lotiones pedum & manuum.*

Vt ♃. *Fol. violar. malu. salic. vitis nymph.* an. M.ii. *Flor. nymph. rosar.* an. M.i. *cap. papauer. num* x. Coq. pro lotione pedum & manuum.

*Olei Chamæmelini vires.* In declinatione, ob caussam supra in indicationibus dictam, addantur ea, quæ modicè resoluunt & discutiunt; vt oleum Chamæmelinum, vel solum, vel cum oleo rosar. mistum. Nam temperatum calorem obtinet, qui etiam calidis non multum obest, si actu frigidum adhibeatur; cum actuali frigiditate calidam intemperiem tollere statim pòssit: mox autem cum in actum deducitur à calore capitis moderato suo calore, si quid superflui est, discutere potest.

Vel ♃. *Mucilag. sem. althéæ cum aq. flor. chamæmel. extractæ, olei chamæmel.* an. Vnc.i. *rosacei* Dra.vi Misce pro linimento.

Vel *Vnguentum alabastrinum* fronti & temporibus illitum. Videatur quoque Galen. 2. de compos. med. κατὰ τόπ. cap. I.

## *Diæta.*

*Aërem calidum corrigendi ratio.* *Æger* in loco frigidiusculo vel temperato versetur, vel aër, si calidus sit, corrigatur stratis in pauimento *foliis salicis, vitis, rubi, lactucæ, floribus rosarum, violar. nymphææ*, & lectulus ramulis earundem circumdetur, vel aq. rosar. aut communi frigida pauimentum irroretur; vel linteamina aqua frigida vel rosacea madida in cubiculo suspendantur, vel aqua frigida de vase in vas transfundatur, vel flabellis aër ventiletur. Contra vitentur radij Solares, Balnea, hominum turba, quæ expiratione & transpiratione aërem calefacit, & omnino aër calidior, & quæ aërem calefacere possunt. Aër non sit lucidus valde, sed tenebricosus nonnihil: Lumen enim spiritus, hi verò agitati humores commouent. Qua de caussa vitetur quoque aspectus rerum rubrarum & aliarum coloribus lucidis præditarum; odor aromatum & ipse noxius est. *Cibi* sint frigidi, vt hordeata, aut frigidis condiantur, vt *lactucâ, acetosâ*, cuius folia cum butyro cocta gratissimum præbent cibum capiti & cordi, *portulacâ, endiuiâ, cichorio, sem. frigid. maioribus; succo vuarum immaturarum, citri, cerasorum, ribes, aceto, aq. rosarum.* Abstineat ab omnibus iis, quæ supra caput replere, eique noxia esse diximus. *Potus* sit aqua simplex assuetis, cui aliquid iulepi rosarum & violarum admiscere licet: Aq. hordei, cui etiam sem. quatuor frig. maiora addi possunt, vel cum aq. hordei ex iis emulsio fiat. Adiicere etiam licet sem. papaueris, si aq. hordei somnifera expetatur, vel cereuisia hordeacea tenuis. Auicennas quoque commendat acetum cum aqua multa mistum, si æger habeat sana viscera, sit sanguineus naturâ, & assuetus aquam frigidam bibere.

Vt ♃. *aceti vini* Vnc.i. *aq. frigid.* Vnc.v. Misc. pro vno haustu.

Commodè aliquid iulepi rosar. vel violar. addi potest.

A vino, præsertim generoso, planè abstinendum; cum præ cæteris caput tentet & calefaciat. *Aluus* sit laxa, ne vapores acres ad caput adscendant, & si fit ignauior, vel cibis aluum lenientibus in prima mensa exhibitis, vel clysteribus laxetur. In secūda verò mensa cibi sumpti adstringendi aliqua vi præditi sint, vt adscensum vaporum ad caput prohibeant. Quod præstant, cùm superius ventriculi orificium claudendo, eiúsque vim retentricem, ne vapores & partes chyli spirituosas nimis citò defluere sinat, roborando; tum, quando crassâ suâ substantiâ se cibis immiscent, prohibendo, ne chyli spiritualscentis pars tenuior nimis citò & confertim in ve-

nas & arterias mesaraicas diffundatur, sed in ventriculo tamdiu moretur, donec cum crassiore chyli parte probè mixta sensim in reliquum corpus commigret. *Otium, quies, ac somnus* ægro vtilis est. Vitentur omnia, quæ spiritus & cerebrum turbant, agitant & calefaciunt; vt animi perturbationes, ira præcipuè, strepitus & clamor, sonique omnes vehementiores, Venus ac corporis motus vehemens, inedia.

## QVÆSTIO I.

### *De Signis.*

Videtur quædam diuersitas in Autoribus in recensendis signis intemperiei calidæ. Paulus, *lib. 3. cap. 4.* tria tantum signa intemperiei calidæ ponit, cutem primâ manus iniectione aridiorem, rubentes oculos, quod iuuentur frigidis, lædantur calidis. *Auicen. lib. 3. Fen. 1. tract. 1. cap. 19.* & eum secuti Practici plura addunt, quæ nos etiam recensuimus. Neque omnia calori per se competere videntur. Verùm etsi Medicus distinguere debeat inter communia & propria, & ea quæ per se & per accidens fiunt: tamen omnia Medico nota esse debent. De quo Costæus in annotat. in Auicennam, *lib. 3. Fen. 1. tract. 1. cap. 23.*

## QVÆSTIO II.

### *An in Calida Intemperie Capitis calida extra applicare liceat?*

*Calida topica an in Intemperie. Capitis Cal. conuenient.*

Ab Antiquioribus equidem id tentatum non memini. Sunt verò ex recentioribus Medicis, Chymicis præsertim, qui in doloribus capitis, etiam à caussa calida spiritum vini subtilissimum extra adhibere iubent. Quod etsi plurimis absurdum videatur, quibusdam tamen non displicet; cum hoc modo pori aperiantur, spiritúsque feruidi ratione similitudinis attrahantur. Neque res videtur esse de nihilo; inprimis si à caussa calida externa intemperies illa inducta sit (Neque enim in omni intemperie capitis calida sine periculo id fieri potest.) Nã idem de Camphora quæri potest, quæ etsi vulgo frigida esse statuatur: tamẽ doctissimi hodie Medici rei euidentia edocti, quique eius inflammationem, partium tenuitatem, odorem, saporem considerarunt, calidam esse rectè statuerunt. Maximè enim inflammabilis est Cãphora partiúmque summa tenuitate prædita, sapore acri, odore maximè penetrante, vigilias inducit: quæ omnia caliditatis argumenta sunt. Quibus omnibus persuasi ad intemperiem capitis refrigerandam nonnulli planè ineptam censent, veteréfq; de alio succo vel gummi locutos putant; alij verò in capitis intemperie calida corrigenda ideo saltem adhiberi putarunt, vt partiũ tenuitate reliquis medicamentis viam muniat. Verùm probabilius est, ratione similitudinis calidos vapores euocare; sicut combustis non frigida, sed calida, refrigeratis tempore hyberno membris non calida, sed nix & aqua frigida adhibentur, eadem de caussa. Imo illam ipsam ob caussam etiam humida humiditates è corpore euocare valent, sicut cochlearum caro extra applicata ex intimis quoque corporis partibus humores euocat, vt Galenus, 11. *de simp. med. facult.* docet; & experientia id testatur.

*Camphora temperamentum.*

## CAPVT II.

### *De Intemperie Frigida Capitis sine Materia. Caussæ.*

*Intemperies Capitis frigida.*

INtemperiem frigidam capiti inducunt, inprimis aër frigidus, siue ob anni tempus talis, siue ob peculiarem constitutionem, vt ventos frigidos, quales sunt boreales, siue ob regionem. Is enim cum & per nares admittatur, & extra caput ambiat, illud, præcipuè nudum, vel non satis coopertum alterare potest. Lotiones item & medicamenta refrigerantia extra immoderatius adhibita: Medicamenta quoque & alimenta refrigerantia, vt lactuca, portulaca, endiuia, papauer, &c. Nimiæ itẽ sanguinis euacuationes, gaudium nimium, Venus immoderata, quæ spiritûs absumunt; quies nimia & somnus, tristitia ac timor, quæ calorem & spiritus quasi suffocãt. Nonnulli etiam lacrymarum profusionem nimiam addunt. Et facilius istam intemperiem ii contrahunt, qui antea cerebrum frigidius habent. Reliquæ caussæ refrigerantes vix solam intemperiem inducunt, sed ferè materiam simul accersunt. Et facilius intemperie frigidâ capitis pars posterior afficitur, calidâ contra syncipu: Vnde in affectibus capitis frigidis nonnulli maximè occipiti calefacientia medicamenta adhibent.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa Diagnostica.*

Caput tangenti frigidius apparet; facies pallet; venæ in fronte & temporibus minus sunt conspicuæ; oculi subtument, non rubent, sed pallore potius deformantur: grauitas tamen capitis manifesta non adest: Alioquin simplex intemperies non esset, sed cum materia coniuncta. Æger ad somnum est propensior, animi vigor minus acris est; quia spiritus etiam refrigerantur. Eadémque de caussa torpor & pigritia quædam in membris motui dicatis percipitur. Præcesserunt caussæ refrigerantes. Nocent frigefacientia, prosunt calefacientia.

### *Prognostica.*

*Prognostica.*

I. Intemperies cerebri frigida sine materia equidem non ita difficulter curatur. Et tutius adhibentur cerebro calefacientia, quàm refrigerantia. Cauendum tamen & hîc, ne quid in excessu peccetur; cum nimium calefacientia vigilias, deliria, & similia mala inducant.

II. Recens tamen si sit intemperies frigida, facilius curatur, ideóque ei statim occurrendum. Nam si diutius duret, & in habitũ quasi conuertatur: curatur difficilius.

### *Indicationes.*

*Indicationes.*

Intemperies cerebri frigida calefacientia indicat: Et si hæc recens, leuioribus primò tractanda; Inueterata verò calidorum continuatione opus habet. Tutius tamen applicantur calefacientia occipiti, ob neruos, qui eo loci habent originem, quibúsque frigida inimica, calida amica, quàm syncipiti, vbi plures sunt arteriæ calidos vehentes spiritus, qui facilè incalescunt.

Si tamen corpus sit impurum, illud prius euacuandum, vt calefacientia medicamenta tutius vsurpentur, & ne à cacochymia alicubi hærente affectus augeatur, & ex intemperie sine materia fiat intemperies cum materia. Quod quomodo fieri debeat, postea de intemperie capitis frigida cum pituita dicetur: Hic intemperiei frigidæ sine materia curationem subiungemus.

### *Medicamenta simplicia caput Calefacientia interna.*

*Caput calefacienti.*

Radices; *Pæoniæ* Lunâ decrescente collectæ, *Fœniculi, ireos, caryophyllatæ, heleny, aristolochiæ, angelicæ, dictamni albi, valerianæ.*

Folia; *Rorismarini, maioranæ, rutæ, betonicæ, saluiæ, hyssopi, melissæ, calaminthæ, origani, pulegij, primulæ veris, euphrasiæ, satureiæ, scarleæ, fœniculi, lauendulæ, lauri, centaur. minoris*, quod neruis dicatum est, *mari, chamæpithyos, thymi, serpilli, ocymi.*

*Stœchas Arabica.*

Flores; *stœchad. Arabicæ*, quæ, vt *Mesue, cãpite de stœchade*, habet, educit cholerã nigram & phlegma, & mundificat cerebrum ac neruos & organa sensuum, ac con-

fortat

fortat ea,& valde confert ægritudinibus factis in ipfis, fecundū omnem modum vfus eius, fiue in potu fiue in fomentis & lauacris, *Rorifmarini, lauendulæ, lilij conuallium, faluiæ, fcarleæ, betonicæ, pœoniæ, primulæ veris, tiliæ, tunicis*, qui contra vertiginem, Epilepfiam, paralyfin, conuulfiones & tremorem commendantur.

Semina; *Pœoniæ, anifi, fœniculi, fileris montani, carui, bafilici, coriandri præparati, paftinacæ fylueftris, cumini, dauci, finapis, erucæ.*

Ligna; *Aloës, vifci querni, coryli, iuniperi fraxini, guajaci.*

Fructus; *baccæ lauri, iuniperi, anacardia, carpobalfamum.*

Aromata; *Cubebæ, cardamomum, grana paradifi, nux mofchata, macis, calamus aromaticus feu acorus, caryophyll. cinamomum.*

Succi & liquores; *Opobalfamum, vinum.*

Gummi; *Thus, maftiche.*

Marina; *Succinum, ambra.*

Ab animalibus petita; *Caftoreum*, quo vix aliud inter fimplicia in calefaciendo cerebro efficacius & potentius eft, *mofchus, zibethum.*

### *Externa.*

Eadem & extra adhibere licet, quibus addi poffunt. Folia; *Verbenacæ rectæ*, quam omnium maximè dif- cutere & perfectè caput roborare, maximè viridem, imò & acidam cum radicibus ac fimul cum ferpillo oleo incoctam, fcribit Galenus, 2. *de compof. med. fec. loc. c.2. Lauri, Nicotianæ, afari, abfinthij.*

Radices; *Afari.*

Flores; *Chamameli, meliloti.*

Semen; *Nigellæ.*

Gummi; *Iuniperi, tacamahaca, euphorbium.*

Succi; *Ladanum.*

*Animalia*; Afellos quoque fub aquario vafe nafcentes, qui millepedæ appellantur, maximè prodeffe, fi oleo incoquantur, teftatur Galenus *loco allegato. adeps vrfi.*

Ex quibus parantur & componuntur Interna & Externa.

### *Compofita Medicamenta Interna.*

### *Decocta.*

*Decocta cephalica calida.* Cephalicum Langij in ep. p. 740.

♃. *Fol. betonicæ, faluiæ, flor. ftœchad. Arab.* an. M.ß. *rad. pœoniæ, fem. fœniculi* an. Drach. iij. *nucis mofch.* Drach. ß.

Coquantur in aq. fimpl. ℔. ij. ad tertiæ partis confumptionem: colatura, fi libet, dulcoretur faccharo.

Vel ♃. *rad. pœon. caryophyl.* an. Drach. ij. *maioranæ, betonicæ, faluiæ* an. M. j. *flor. ftœchad. Arab.* p. ij. *rorifmarin. lauend.* an. p. j. *fem. anifi, fœniculi* an. Dra. j.

Coquantur in aqu. puræ ℔. ii. ad tertiæ partis confumptionem. Poft coctionem ftent horis tribus in loco calido: deinde colentur.

Colaturæ adde *Sacchar.* Vnc. iij.

Clarificentur & ad Iulepi formam coquantur. Atque inter coquendum in nodulo fufpendantur *caryophyll. macis, cinamomi*, an. Drach. ß. *nucis mofchatæ*, Scrup. ij.

Vel ♃. *radic. acori veri, galangæ*, an. Drach. ij. *pœoniæ* Vnc. ß. *primulæ veris, faluiæ minor. maioran.* an. M. j. *hyffopi* M. ß. *fem. anifi. fœnicul. fefelios* an. Dra ij. *Flor. ftœch. Arab. rorifmarin. falu.* an. p. j. Coq. in aq. f. Colaturæ

♃. *libr.* j. *Sacchar.* Vnc. iij F. potio clarificata, quæ aromatifetur puluer. nuc. mofch. & fpecier. diamofch. dulcis, ana Vnc. ß. Sumat æger mane Vnc. iv. vel v.



### *Vina Medicata & Clareta.*

*Vinum & claretum cephalic.* *Vinum meliffatum, faluiatum, rorifmarini, ftœchad. Arabic. betonic.* Claretum *in Inftit. lib. 5. part. 3. fect. 3. cap. 4.* defcriptum.

Vel ♃. *Nucis mofcha. macis, caryophyll.* an. Vnc. j. *cardamomi, cubebar.* an. Vnc. ß. *fem. anifi. fœnicul.* an. Drach. ij. *conferu. rorifmarin. bugloff.* an. Vnc. j. *fpec. aromat. rofati dianthos* an. Drach. j.

Affunde vini albi vel Maluatici menfuras iij. Stent per tres dies in infufione: poftea colentur aliquoties per manicam Hippocratis. Fiat Claretum.

Vel. ♃. *Cinamom.* Drach. vj. *caryophyll. nucis mofch. galangæ, cubebar. cardamom. granor. paradifi, fem. fœniculi* an. Vnc. ß. *Vuarum paffarum* ℔. j. *rofar. rubrar.* Vnc. iij. *rorifmarini, ferpilli* an. Vnc. ij.

Indantur facco & fufpendantur in vafe capiente menfuras xx. & affundatur vinum vel muftum, fi haberi poteft, quod eft commodius.

*Cereuifia* eodem modo condiri poteft *Saluiâ, meliffa, roremarino, betonica.*

Vt ♃. *Zingiberis, cinamom.* an. Vnc. j. *rad. caryophyllatæ* Vnc. ß. *helenij, baccar. lauri* an. Drach. ij. *macis, nucis mofchat* an. Drach. ß. *cardamomi* Drach. j. F. puluis, qui ligetur in nodulo raro.

### *Mulfum.*

*Mulfum cephalicum.* ♃. *Cinamom. elect.* Drach. j. *caryophill. nuc. mofch.* an. Drach. ij. *calami aromatici, cardamomi, granorum paradifi, coriandri præparat.* an. Drach. j. Affunde *vini menfuras* iij. *vel* iiij. *Mellis defpumati* ℔. j.

Bulliant in vafe claufo in balneo per dimidiam vel integram horam: poftea colentur per manicam Hippocratis.

### *Hydromel.*

♃. *Mell. opt.* ℔. x. *aq. puræ* ℔. lx. *Coquantur & defpumentur f. a.* Poftea in facculo conclufa imponito. *Saluiæ, origani, artemifiæ, hormini, hyffopi, betonicæ* an. M. i. Item in alio facculo, *baccarum Lauri conquaffatarum* ℔. j. *flor. lupuli.* M. iij. *hordei integr.* P. ij.

Omnia coquantur & defpumentur ad tertiæ partis confumptionem, donec liquor ouum in fuperficie fuftineat. Colentur, & in vafculis liquor concipiatur, in quib. fermenterur: Feruore aliquâ parte peracto in nodulo fufpendantur hæc aromata.

♃. *Cinamomi caryophyll. galangæ piperis granor. paradifi* an. Vnc. ß.

Feruore plane abfoluto vafcula tota repleantur, tribus menfibus elapfis mulfa ad capitis affectus frigidos efficax exhibetur.

Extat etiam hydromel *in Inftit. lib. 5. part. 3. fect. 3. cap. 4.*

### *Aquæ Deftillatæ & Spiritus.*

*Aqua deftillata cephalica calida.* Simplices; *Rorifmarini, faluiæ, maioranæ, betonicæ, lauendulæ, meliffæ, primulæ veris, lilij conuallium, flor. ftœchados Arab. flor. tiliæ, pœoniæ, origani, calaminthæ, iuniperi, ferpilli, cinamomi, tunicis, angelicæ, caryophyllatæ, macis, cubebarum, pulegij, rutæ.*

Compofitæ; *Cephalicæ duæ in Inftit. lib. 5. part. 3. fect. 3. cap. 5. Lauendulæ* compof. *ibid.* & aqua *infufionis Lauendulæ Auguftini Schurffij*, quæ paucis mutatis ita componitur.

♃. *flor. lauendul.* M. ij. *nuc. mofch. zinzib. cubebar.* an. Drach. iij. *cinamomi opt. galangæ macis calam. aromatici fem. erucæ* an. Drach. i. ß. Infundantur in vini Rhenani lib. iiij. per dies aliquot, poftea in arena deftillentur. Aqua Cephalica Langij, quæ hæc eft.

♃. *Flor anthos, rofar. rubrar. maioranæ* an. M. ij. *flor. bugloff.*

*bugloff.* M. j. *ſpec. confect. anacardinæ* Vnc. ij. *aq. bugloſſ. betonicæ, flor. tiliæ* an. ℔. i. *lauendulæ* ℔. ß. *ſpiritus vini* ℔. j. ß. Infundantur per menſem, poſtea deſtillentur.

Aqua Cephalica Quercetani.

℞. *Flor. primul. veris Roriſmarin. Maioran. Betonic.* an. M.i. *ſpec. diamoſch. dulc. diambræ* an. Drach.vi. *confectionis anacardinæ.* Vnc. ß. *Cubebar. Ligni aloës nuc. moſch. caryophyllor. piperis longi, carpobalſami* an. Drach.i. *rad. acori, ariſtolochiæ rotundæ, ireos* an. Vnc.j.ß. *gran. iuniperi* Drach.ij. *ſem. ſiler. montani, aniſi, fœniculi an.* Drach.j. *aq. primul. veris, betonicæ, ſaluiæ* an. *q.ſ.( aut, quod commodius : vini generoſi q. ſ.)*

Infundantur diebus 8. poſtea deſtillentur in cineribus calidis. Fiat aqua, cuius cohlear exhibeatur.

Vel ℞. *Flor. lilior. conuall.* M. j. *ſaluiæ* M. ij. *roſar.* M.iii. *lauendul. meliſſæ* an M.ij. *nucis moſchat.* Drach.ij. *caryophyll.* Vnc. j. ß. *macis* Vnc. ß. Affundantur vini q. ſ. ſtent in loco frigido tribus ſeptimanis, poſtea deſtillentur.

*Olea deſtillata Cephalica.* Olea deſtillata; *Roriſmarini, maioranæ, lauendulæ, meliſſæ, ſaluiæ, caryophyll. macis, nuc. moſch. cinamom. fœniculi, angelicæ, pulegij, aniſi, rutæ, carui, iuniperi, ſuccini.* E quibus etiam fiunt balſama, de quibus infra.

*Tinctura Cephalica.* Tincturæ, Extracta, Eſſentiæ Chymicis dictæ; *Rutæ calami aromatici, pœoniæ, roris marini, ſuccini, meliſſæ, &c. Extractum Cephalicum Quercetani, Matthiol. in Inſtit. vel Hoc:*

℞. *Rad. acori; pœon. viſc. querc. lign. aloës bacc. iunip.* an. Vnc. i. *ſem pœon.* Drach. vi. *cinamom. caryophyllor. macis cardamom. fruct. anacard.* an. Drach. ii. ß. *flor. anthos, ſalu. primul. veris, pœon. calendul. betonic. lauendul. ſtœchad. Arab. lilij conuall. euphrag. tiliæ* an. P. j.

Incidenda incidantur, cõtundenda cõtundantur, & affundatur *Spiritus vini*, vt digitis quatuor emineat, Digerantur in balneo diebus 8. Inde fiat colatura, liquorque per deſtillationem ad extracti liquidi conſiſtentiam ſeparetur, cuius doſis ʒ.i. Deſtillatum etiam pro aquâ cephalicâ vſurpari poteſt ad Vnc.ß.

*Syrupi Cephalici calidi.* Syrupi; *De ſtœchad. ſimpl. & compoſ.* qui Epilepſiæ, ſpaſmo, paralyſi, tremori & omnibus cerebri & neruorum frigidis affectibus vtilis eſt, niſi fluxus catarrhi obſtet: tunc enim aliquid ex aſtringentibus addi debet; *Betonicæ, rutæ, pœoniæ, meliſſæ, de calamintha, mel anthoſatum, anacardinum.*

*Conſerua.* Conſeruæ; *Betonicæ, ſaluiæ, lauendulæ, meliſſæ, anthos, maioranæ, flor. tiliæ, lilij conuall. primulæ veris, ſtœchados, pœoniæ, tunicis.*

*Condita.* Condita: *Nux moſchat. calam. aromaticus, myrobalani, chebulæ, nux iuglans, cum aromatibus radic. pyrethri, cortic. citri.*

*Cõfectiones.* Confecta; *Cubebarum. ſem. aniſi, fœniculi, coriandr. carui, caryophyll. cinamomi.*

Rob; *Iuniperi.*

*Pulu. cephalici calidi.* Species & Pulueres; *Diambræ, diamoſchi dulc. aromat. roſat. caryophyllati, diaxyloaloës, dianiſi, lætitiæ Rhaſis.*

Vel. ℞. *Rad. acori* Drach. iij. *flor. ſtœchad. Arabic. coriandri præparati, cinamon.* an. Drach. ij. *ſem. fœniculi, ſileris montani*, an. Drac. jß. *corall. rubr. præparat.* Dra.i. *flor. roriſmarini*, Drach.ß. *nucis moſchat. ſem. aniſi, pœon. cardamomi* an. Drach.i. *ſacchari antoſati ad pondus omnium*, F. puluis.

*Langij puluis cephalicus.* Vel qui Langio tribuitur puluis capitalis:

℞. *Majoranæ, ſaluiæ, lauendul. ſtœchad. arabic.* an. Scrup.i. *cinamom. cubebarum, galangæ, ſeminis callitrichi, caryophyll. zedoariæ, ſem. fœniculi, xyloaloes*, an. Drach. ß. *betonicæ, roriſmarini, meliſſæ, nucis moſch. coriandri præparat.* an. Drach. iij. *cardamomi, piperis longi, granorum pœon.* an. Drach. i. *macis, zinziberis*, an. Drach ß. *ſacchari* ℔.j. F. puluis.

Puluis ad omnes frigidos capitis affectus habetur apud Quercetanum, *in pharmacop. dogmat. reſtit. c.* 40.

Vel ℞. *Nucis moſchat. macis, zingib. caryophyll. galangæ, ſem. aniſi, fœniculi, rutæ, carui, thuris, ſaluiæ minoris, cinamom.* an. Drach.ii. *ſacchar.* ℔ ß. Fiat puluis.

Vel ℞. *Sem. cumin. coriandr. præparat.* an. Drach.ß. *fœniculi, macis, zingib. cubebar. radic. pœon.* an. Drach.ii. *cinamom.* Drach.i. Fiat puluis.

Vel ℞. *Radic. Ireos Florent.* ℥.ß. *zingiberis, galang. maioran. calam. aromat.* an. ʒ.ß. *piper. longi* Scr. i. *ſacchari albi ad pondus omnium.*

Fiat puluis, non ſolùm caput calefaciens, ſiccans ac confortans & catarrhos abſumens, ſed & reliqua membra roborans.

Vel ℞. *Nucis moſchat cardamomi, cinamom. ligni aloës*, an. Drach. i. *ſem. pœon. coriandri præparat.* an. ʒ. ii. *ſpecies diambræ, diamoſch. dulcis* an. Drach.i. *ſuccini albi* ʒ.ß. Fiat puluis.

*Boli.*

*Boli.* ℞. *Conſer. betonicæ, ſaluiæ*, an. Vnc. i. *Mithridat.* Scr. ij. *Cum ſacchar.* Fiat Bolus, qui diuiſus ſumendus in introitu lecti, duabus vicibus.

Vel ℞. *Conſeru. roſar.* Vnc.ß. *anthos* Vnc.i. *theriacæ, mithridat.* an. Scr.i. *Cum ſacch.* Fiat Bolus, cubitum ituro ſumendus.

*Electuaria cephalica calida.* Electuaria; *confectio anacardina, theriaca, Mithridatium, aurea Alexandrina, diacorum, diacaſtoreum, & quale habetur in Inſtit.* lib. 5. part. 3. ſect. 3. cap. 11. *confectio alchermes.*

Langij hoc.

℞. *Diacori* Vnc.i ß. *conſeru. maioranæ, lauendulæ, roriſmarini* an. Vnc. i. *ſtœchad. arabic.* Vnc. ß. *ſpecier. diambræ*, Scr. v. *caryophyllor. cardamomi, cinamomi*, an. Scr.ii. *cubebar. nucis moſchat. galangæ*, an. Drach.ß. *viſci querni* Scr.ii. *corall. rubr.* Scr.i. Cum ſaccharo in aqua lauendulæ diſſoluto. F. Electuarium.

*Rotulæ & morſuli.* *Rotulæ & morſuli*, Fiant ex ſpeciebus modò enumeratis, quibus & olea deſtillata & extracta addi poſſunt; vt.

℞. *Specier. aromat. roſat. diambræ*, an. Drach. i. *olei caryophyll.* gutt. iiij. *ſacchar. in aqua lauendulæ diſſoluti* Vnc. ij F. rotulæ.

Vel ℞. *Sacchar. in aqua betonicæ diſſolut.* Vnc.iii. *olei aniſi* gutt.vij. *roriſmarini* gutt.iij. *ſaluiæ* gutt. ij. *ambræ gryſeæ* gr.v. F. rotulæ.

Throchiſci; *De Gallia moſchata, dianiſi, de ſuccino.*

De internorum medicamentorum omnium vſu & hoc notandum, ſi totum corpus ſimul calefacere animus eſt, ventriculo vacuo ea eſſe aſſumenda: Ita enim promptius in totum corpus diſtribuuntur. Si verò tantum caput calefaciendum, commodius ſumuntur poſt cibũ: ſic enim diutius circa os ventriculi hærentia efficacius caput afficiunt. Modò non ſint ex iis compoſita, quæ ad diſtributionem cibi vehementiorem faciunt. Talia enim poſt cibum exhibere prohibet Galen. 4. *de ſanit. tuend. cap.* 7.

*Externa.*

*Externa medicamenta caput calefacientia.* Inter quæ liquidiora omnia actu calida admoueantur, & eligantur primò ea, quæ minus calida ſunt: quæ verò calidiora ſunt, admoueantur, dum ventriculus vacuus eſt; ne, ſi pleno eo admoueantur, vapores ſurſum ad caput alliciantur.

Validiora quoque non tutò, niſi poſt totius corporis euacuationem, applicantur.

*Epithemata.* *Epithemata, fomenta, embrochæ, lotiones.*

Exemplum eſt in Inſtitut. *lib.* 5. *par.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 41.

Vel ℞. *Flor. lauendulæ chamæmel.* an. M. i. *Folior. lauri, hyſſopi, betonic. maioran.* an. M.ii.

Coquantur in ſufficiente q. lixiuij vel aq. pro lotione capitis.

Vel ℞. *Flor. betonic. ſerpilli, maioranæ, origani, lauri,*

*lauri*, *flor. chamæmel.* an. M. ij. Affundatur lixiuij q.f. Inter lauandum vſurpetur Smegma odoratum.

Vel ℞. *folia ſaluiæ,majoranæ,roriſmarini,lauri,calaminthæ* an.M.ſem.*betonic.*M.j.ſem. *flor. Chamæm. melilot. ſtœchad Arabic.lauendul.*an.P.j.Coquantur in aq.ſ.

Colatura calida per clepſydram vel gutturnium capiti inſtillerur vacuo ventriculo. Vel decoctum per pannum linteum vel ſpongiam capiti calidè applicetur.

Epithema ex cineribus & aceto ex Auicen. *lib. 3. fen.1.tract.2.cap.* 12. commendat Iacobus de Partibus ſcribítque experientia conſtare,illud ſæpè profuiſſe.

℞. *cineris* Vnc. ij. *aceti* Vnc. vj. Miſc. in forma lixiuij; In quo calefacto intingantur panni lintei, expreſſique epithematis loco capiti applicentur.

Aquæ quoque deſtillatæ,& ſpiritus,ſi iis caput irroretur, potenter id alterant. Thermæ quoque ſulphureæ caput calefaciunt. Quæ ſi deſint,ſuccedaneum tale parat Capiuaccius.

℞. *Sulph. viui* ℔. j. *ſalis* ℔. ß. *majoran. ſerpill. ſtœchad. arabic. calaminth. montan. ſaluiæ, betonicæ, roriſmarini,pulegij,meliſſæ* an. M. j. *aquæ communis* ℔. 100.

Fiat decoctio ad partis tertiæ conſumptionem pro ſtillicidio.

Olea; præter deſtillata antea inter Interna enumerata; *Rutaceum,nardinum,ſerpillinum,coſtinum,ſampſuchinum,de caſtoreo,de euphorbio,de lateribus,oleum Magni Ducis Hetruriæ*, quod veluti miracula facere videtur, vt ſcribit Capiuaccius,*oleum irinum,laurinum*, cui ob odorem grauem alia admiſcenda, *de pulegio*, *de ſpica.*

Balſama magiſtralia & artificialia, quæ temporibus & vertici illini poſſunt; *Arabicum ſeu Iudaicum*, ſi haberi poteſt, *è Peru & Tolu*; *roriſmarini,majoranæ, rutæ,lauendulæ,nucis moſchatæ,caryophyll.ſuccini*,Compoſitum eſt in Inſtitut.*lib.5.part.3.ſect.3.cap.31.*

Vel ℞. *Stœchad. Arabicæ,lauendul.ſaluiæ,roriſmarini,majoran. origani.fol.lauri,ſerpill.hyſſopi* an.M.i. *ſem. aniſi fœnicul.* an. Drach. ij. *rad. caryophyllat. angelicæ.* an.Drach.iij. Contuſis adde *ſpiritus terebinthinæ*, *aquæ aniſi*, ℔. j. *caryophyll.*an.q.ſ. Deſtillentur per veſicam. Deſtillatæ aquæ adde *ſtyracis liquidi* Vnc. iii. Iterumque deſtillentur.

Poſteà ℞. *Styrac.calamitæ* Drach.ij.*myrrhæ*, *gummi juniperi* an.Vnc.j. *ſuccini albi,thuris,aſæ dulcis* an.Vnc. j.ſem.

Quibus affunde aquam & oleum proximè deſtillatum,aut ſi non ſuffecerint,aliquid aq. roriſmarini,granor.juniperi,vel aniſi adde,iterúmque deſtilla in cineribus.

Aquæ & oleo deſtillatis adde *Cubebarum,calami aromatici* an.Drach.ij.*caryophyllor. nucis moſchat. cinamomi* an. Vnc. ſem. *croci* Drach. ſem. Vltimóque deſtilla.

Tandem ſepara oleum ab aqua, & ſerua oleum inſtar balſami,cujus non ſolùm in externis vſus eſt, ſed etiam in vino vel alio liquore octo vel decem guttæ exhiberi poſſunt.

Vel ℞. *Terebinth.*℔.j.*thuris* Vnc.j. ſem. *ſtyracis calamitæ* Vnc.j. *ligni aloës* Vnc. ſem. *nucis moſch.* Vnc. j. *cubebarum*, Vnc.ſem.*cinamomi,caryophyll.ſem. carui* an. Drach. vj. *flor.lauendulæ* Vnc.ij. *croci* Drach.j.ſem.*moſchi*,ſi libet.& *ambræ* an. Scrup.j.vel *trochiſc. galliæ moſchatæ*, Drach. ſem.

Affunde *ſpiritus vini optimi* ℔. iij. Stent in vaſe diligenter clauſo octo diebus in digeſtione;poſtea in cineribus deſtillentur. Primò deſtillat aqua cum oleo crocei coloris; Continuetur deſtillatio, donec color ad nigredinem mutari incipiat,& tùm ſtatim mutetur recipiens: cauendum enim ſedulò, ne oleum vllum ἐμπύρευμα contrahat. Separetur oleum ab aqua & ſpiritu.

Vnguenta & Linimenta; *Marciatum, Aregon.*

℞. *Olei rutacei,nardini* an.Vnc. ſem.*nuc.moſch.expreſſ.* Drach. ſem. *pulu.caryophyll.* Scrup. j. *olei deſtillati majoran.* gutt. iiii. Fiat linimentum,quo ſyncipur & tempora inungantur.

Vbi majori calefactione opus eſt, olea calidiora eligimus, iiſque *ſtyracem*, *calamitam*, *benzoen*, *euphorbium,mithridatium*, *theriacam*, *ſpir. vini* admiſceemus, vt:

℞. *Vnguenti martiati* Vnc. ſem.*ol.nuc.moſch.expreſſ.* Dra.ſem. *deſtill.lauendul.* Scrup.ſem.*caryoph.* gutt.iiii. M. Cataplaſmata;

℞. *Farinæ lupinor. pulueris ſerpilli. flor. chamæmel. ſtœchad. arabic. majoran.* an. Drach. i. Miſc. ſ. a. cum vino ad ignem.Adde *Olei rutacei,ſampſuchini* an.Vnc. ſem. Fiat cataplaſma.

Vel ℞. *Farinæ fœnugræci,lupinor.* an.Vnc.i. *fol.lauri.* Vnc. ſem. Coquantur in mulſa & addatur *olei irini, ſampſuchini* an. *q. ſ.* Fiat cataplaſma.

Vel ℞. *Baccarum laur. origani* an. Vnc. i. *thuris, maſtich.* an. Dra. ii. Cum ſucco *betonicæ vel ol. conueniente* Fiat Cataplaſma.

Commendatur & radix panacis contuſa, & cum oleo miſta applicata. Guainerius laudat cineres calidos modico vino albo conſperſos cum panno lineo impoſitos. Plura Epithemata & Linimenta videantur apud Auicenn. *lib.3.fen.1.tract.2 c.13.*

Emplaſtra & Cerota; *de betonica*; *de euphorbio.*

Fortiora tamen medicamenta calefacientia, quale eſt euphorbium,ſatius eſt adhibere in intemperie cum materia,quàm in intemperie nuda & ſine materia.

Vel ℞. *gummi juniperi*, *ſtyrac. calamitæ*, *thuris* an. Dra.i. *ſtercoris columbini* Dra. ii. *nigellæ parum torrefactæ* Dra. i. *nucis moſchat. caryophyll.* an. Scrup. i. *olei nardini,terebinthinæ & ceræ q. ſ.* Fiat emplaſtrum bregmati imponendum.

Aliud ℞. *Farinæ lupinorum,pulu. ſerpilli, flor. ſtœch. Arab. majoran.* an.Dra.ii.*gumm.tacamahacæ* Dra. ſem. *olei nardini,ceræ* an.*q. ſ.* Fiat Emplaſtrum.

*Pulueres*; poſt lotionem capitis pulueres rectè & commodè capiti inſperguntur; vt.

℞. *Nucis moſchat. majoran. caryophyll.* an.Drach.i. *flor. ſtœchad. Arabic. roriſmarini*, *ligni aloës* an. Scr.i. *moſchi. ambræ* an. gr.iii. Fiat puluis.

Vel ℞. *Nucis moſchat.caryophyll.granorum tinctorum ſe.kermes* an. Drach. i. *cort. citri* Dra. ſem. *ligni aloës* Scrup. j. Fiat puluis.

Si pulueres Caluariæ affricentur & poſteà aliquid ſpiritus vini optimi, vel potius aquæ vel ſpiritus cephalici irroretur,facilius ad cerebrum eorum vis penetrabit & id roborabitur.

Sacculi & Pilei; *pulueres, ſi linteo aut ſindone aut ſerico includantur*, Fiunt ſacculi & pilei.

Guainerius hunc commendat:

℞. *Flor.chamæmel.betonicæ,verbenæ*, *majoran.abſinthij,roſar.rubr. flor.ſtœchad.Arab. roriſmar.* an.P.j.*gummi juniperi* Vnc.ſem. *folliculor. ſenæ*, *granor.tinctorum* an. Drach. ſem. *ligni aloës* Drach. iii. *ambræ quantum libet.*

Cum ſindone rubra Fiat ſacculus vel pileus,qui diu geſtetur.

Vid. etiam Fernel. *l.5.M.M.cap.19.*

Vel ℞. *Thuris* Drach.i. *ſuccini* Scrup.i.*majoranæ,roriſmarini*, *betonic.* an. Drach. iii. *flor. ſtœchad. Arab.* ʒ. i. *lauendulæ* Drach. ß. *caryophyll. nucis moſchat.* an. Scrup.ij. Cum ſindone rubra F.ſacculus.

℞. *Rutæ,ſerpilli,hyſſopi* an. Dra. i. *majoran.betonic.* an. Dra. iii. *flor. ſtœchad. Arab.lauendulæ*, an.Dra.i.ß. Fiat pileus.

℞. *Flor. ſtœch. Arab.* M. ß. *beton. majoran. verbenæ*, *flor.chamæmel* an, P. ij. *lauend.*P. j. *nucis moſchat. caryophyll.*an.Drach.ij.*gumm. juniperi* Scr.ii.*thur.* Dra. iii.*gall.moſch.* Scr. ß.

Cõtuſis omnibus craſſo modo F.ſacculus vel pileus.

Vel ℞. *Maioran.ſerpilli,meliſſæ,roriſmarini,ſtœchad. Arabic.lauendulæ* an.M.ß.*cort.citri,granorum kermes* an. ʒ.iii. *cubebar. caryophyll. nucis moſch.* an.ʒ.ß. F. puluis craſſus & ex eo pileus

*Coronas* quoque ex herbis Cephalicis,vt *maiorana,roremarino* &c. paratas capite geſtare vtile eſt.

*Smegmata*;Smegmatum exempla vide in Inſtitutionibus,*lib.5.part.3.ſect.3.cap.31.*

Vel ℞.*Saponis Veneti* Vnc.ii.*ladani,ſtyracis calamit. ligni aloes. thuris* an. ʒ.i. *caryophyllor. ireos* an.Dra.iß. *moſchi,ambr.*an q.ſ.Fiat Smegma.

*Pulueres trochiſci & candelæ ad ſuffitus*;qui tamen in dolore capitis vel intermittendi vel parcè vſurpandi. Pulueres & trochiſci carbonib. accenſis inſperguntur; candelæ accenduntur. Fumus ex his & naribus attrahi & pileis nocturnis excipi poteſt.De quibus tamen omnibus obſeruandum,ne accendantur.Sine flamma enim ſuauiorem & fortiorem odorem ſpirant: flamma verò eorum vires & odorem facile abſumit & diſſipat.Exempla ſunt in Inſtitut.*loco modò allegato.*

Vel ℞.*Styracis calamitæ,benzoës,ladan.*an.ʒ.ii.*gummi iuniperi.thuris* an.Dra.ß.*gran.iuniper.*ʒ.ii.*caryophyll.* Dra.i.ß. *pulu. carbonum tiliæ q.ſ.* Cum mucilagine tragacanthæ aq.roſar.extracta F.candelæ.

Vel ℞. *Gummi hederæ,thuris,gr.iuniperi* an.ʒ.i.*nucis moſchat.caryophyll. ſtyrac. calamit.* an.Scr.ii. *nigellæ parum torrefactæ* ʒ.ß.*galliæ moſchatæ* Scr.i. Cum ladano & maſtiche diſſol.in in aq.ſalu.F.trochiſci pto fumo.

Vel ℞. *Gumm.hederæ.coriandri,nigellæ aceto maceratæ & ſiccatæ* an.Dra.ß. *thuris,maſtiches,granor. iuniperi* an.ʒ.ii F.puluis pro ſuffumig.

Vel ℞.*Saluiæ,maioran.roſmarin.caryophyll.cinamomi* an.ʒ.i. *fol.lauri* ʒ.ß.*ligni aloes* Scr.i. *thuris* ʒ.i.ß. *galliæ moſchat.*ʒ.ß.*F.puluis.*

Pertinent huc & odoramenta,quibus vel veſtes conſpergi,vel manus & nares illiniri poſſunt, quæque ſupra ignem in vaporem reſoluuntur,ex aquis & aliis cephalicis calidis præparata, de quibus etiam in Inſtit. *l. allegato.*

*Balſama*;Ex oleis deſtillatis ſupra enumeratis,etiam ad odorandum, vt & tempora inungenda, vt antea dictum, balſama parari poſſunt, *Roriſmarini, maioranæ, ſaluiæ meliſſæ,rutæ,lauendulæ,nucis moſchatæ, caryophyll. ſuccini* Compoſiti exemplum eſt in Inſtitut. *l. modò allegato.*

Vel ℞.*Olei maioran.*Scr.ß.*ſaluiæ,macis,caryophyllorum* an.gutt.vi.*meliſſæ,lauendulæ, ſuccini* an.gutt.iii. *ol. nucis moſchat. expreſſi q. ſ.* F. balſamum. *Pomambræ ſeu Poma odorata.*Exemplum eſt in Inſtitut. *loco modo allegato.*

Vel ℞.*Ladani* ʒ ii.*ſtyrac.calamit.* Vnc.ß. *nucis moſchat.mac.* an.Scr.ii.*roſar.*ʒ. ß. *cinamomi, ligni aloes* an. Scr.ß.*zibethi,moſchi* an.gr.iiii.*ambræ* gr.ii.*olei deſtillat. caryophyll.*gutt.v.*mucil.tragacanth.aq.roſar.extract.q.ſ.* F.Pomamb.

Vel ℞. *Semin.nigellæ,caryophyll.nucis moſchat.roſar. rubrar.*an.ʒ.i.*lauendul.*ʒ.ß *ladan.* ʒ.iii. *benzoes,ſtyracis calamit.*an.ʒ.ß.*moſch* gr.v. *zibeth.* gr.iiii. *ambræ.* gr.iii. *mucilag.tragacanth.aq.roſar. lauend. extract. q.ſ.* F. Pomambr.

Vel ℞.*Benzoes,ſtyrac.calamit.*an.Dra.ii. *cinamon. ligni aloes* an.ʒ.ß. *ol.deſtillat.caryophyll.* gut.iiii. *nuc.moſchat.expreſſi* Scr.ii. *olei deſtillat maior.* gutt.vi. *ambræ. moſch.*ana gr.iii.

Excipiantur ladano agitato in mortario cum oleo coſtino vel de ſpica.

Vel ℞. *Styrac. calamit.* ʒ.ii. *caryophyll. macis, ligni aloes* an.ʒ.ß.*lauend.*℥.ii.*gall.moſchat.*ʒ.iß.*moſch.ambræ.* an. gr.iii. Cum ſucco maioranæ & ſtyrac. liquida. Fiat Pomum.

*Noduli odorati* Fernelius *lib. 5. method. medend. cap.19.*

℞.*Caryophyll.*ʒ.ß.*macis* ʒ.i.*nigellæ præp.*Vnc.ß. *flor. ſtœchad. Arab.maioran.*an. ʒ.ß. Ligentur in nodulo ex ſerico ad odorandum.

Vel ℞.*Troch.Galliæ moſch.*Scr.i.*fol.maioran.roriſmarini,flor.ſtœchad.Arabic.*ana Dra.ß.*macis* Scrup.ß. *nucis moſch.caryophyll. cinamomi, ligni aloes* an.Scr.i. *moſchi, ambræ* an.gr.ii.F.puluis,qui ſindone rubra vel ſerico includatur.

Moſchus tamen, quod ſemel monuiſſe ſufficiat, in mulieribus, quæ hyſtericis affectionibus ſunt obnoxiæ,omittatur.

*Maſticatoria.* Caput quoque calefaciunt, quæ maſtiicantur,vt:*Cubebæ,nux moſchata, cardamomum. pyrethrum, ſem. erucæ & ſimilia.* Reſoluuntur enim ex iis halitus,qui ad cerebrum penetrant,idque calefaciunt.

Vt ℞. *Cubebar.*Vnc.i. *cinamomi,caryophyllor.macis, nucis moſchat.* an. Scr. i. *ſemin. carui* Vnc. i. *maioranæ* Drach.i.

Concidantur & contundantur craſſo modo & maſticet æger tantum, quantum pugillo comprehendere poteſt.

*Auribus immiſſa vel applicata.* Cum in auribus in actum deducuntur hæc medicamenta,in vapores reſoluuntur,qui cerebrum calefaciunt;qualia ſunt:*oleũ rutaceum,coſtinum,de caſtoreo,moſchus & ſimilia.*

Vel ſi ſacculi ex calidis cephalicis parati,& vino generoſo calido vel ſpiritu vini adſperſi, auribus applicentur, vapores, qui inde eleuantur, per aures ad cerebrum penetrant.

*Inunctiones* etiam volarum pedum & manuum cum oleis calidis ad caput calefaciendum proſunt, vt docet Galenus, *2.de comp.med.ſecundum loc.cap.1.*

*Phœnigmi* tandem in malo contumaci vtiles ſunt, de quibus Galenus, *1.de comp. med. ſecundum loc. c.2.* & nos *in Inſtitut.lib.5.* Qualis apud Trallian eſt, *lib.1.* cae.16.

Vel ℞.*Fimi columbin.*ʒ.iiß.*piper.albi* ʒ ii.*caſtorei* ʒ. ß.*croci* ʒ.i.Cum aceto & oleo nardino Miſceantur.

Præter hæc multa medicamenta ad caput calefaciendum vtilia deſcripſit Galenus, *2.κατὰ τόπ.cap.1.& 2.*

*Diæta.*

Vitetur aër frigidus,ſubterraneus,caliginoſus, venti frigidi: eligatur contra aer calidus & purus: vel paretur talis arte,ſtratis per conclaue herbis calidis odoratis,ſaluia,maiorana,roremarino,lauẽdula,pulegio, ſerpyllo,vel iunipero,baccis iuniperi:Et modò dictæ plantæ carbonibus iniiciantur:aut ſuffitus modo antè dicto excitentur:modò his æger non offendatur,ſicut hyſtericæ mulieres non quoſuis gratos odores ferre poſſunt: aut accendatur ignis ex ligno iuniperi,roriſmarini,lauri,lauendulæ ſtipitibus.In noſtris regionibus aër ſat cõmodè in hypocauſtis igne in fornace accenſo alteratur. Diligenter quoque cauendum, ne manus,& inprimis pedes refrigerentur. *Aer vt ar calefaciendus.*

Cibi condiantur ſaluia,roremarino,maiorana,hyſſopo, ſatureja, aromatibus. Auicennas, *lib.3.fen.1.tr.2. c.12.*etiam allij eſum commendat. Vitentur piſces. Vinũ bibatur album,tenue,quod caput non replet.Etſi enim antiquum & generoſum ad frigidam intemperiem corrigendam eſſet potentius; tamen quia caput replet, & tentat, ab eo abſtinendum: vel bibatur tenue vinum medicatum,vel mulſum ac hydromel ſupra deſcriptum. Vel paretur talis cereuiſia:

℞.*cinamom.zinziber* an.℥.j.*galang.*℥.ß. *baccar.lauri* ʒ.ß.*caryophyll.nucis moſchatæ, granorum paradiſi, cubebarũ* an.ʒ.i.

Pulueriſata includãtur linteo raro,& in vas cereuiſiæ amphoras ii.vel iii. capiens coniiciantur. Vigiliæ ſomnum ſuperent, quemadmodum & corporis motus & exercitium quietem. Fricentur manè crura & pedes, ac veſperi cubitũ iturus lauet pedes aquâ,in qua herbæ cephalicæ calidæ coctæ ſint. Venus,vt & triſtitia, timor,ac

ſollici

follicitudo nocent, gaudium moderatum vtile eft. Exemplum talis intemperiei curatæ habetur apud Foreftum.*lib.9.obferu.6.7.*

## CAPVT III.

### *De Intemperie Cerebri Humida fine Materia.*

#### *Cauffæ.*

*Intemperies cerebri humida.* HVmidam cerebri intemperiem excitant mora in aëre humido, pluuia & nix, fi iis caput minus probè tectum objiciatur: præfertim fi caput poft lotionem & madefactionem non exficcetur: Lunæ radij, balneum aquæ dulcis, vita otiofa & quies. Medicamenta humectantia tùm externa, tùm interna: vt & cibus ac potus plurimum humectans: Somnus longus. Atque inducitur hæc intemperies facilius iis, qui cerebrum natura humidius obtinent.

Verùm humida intemperies capitis diu fola non perfiftit: fed humores fuperfluos colligit, catarrhífque caput obnoxium reddit.

#### *Signa Diagnoftica.*

Frons & facies eft mollis, nares humidæ, & excrementa narium & oculorum plura. Actiones animales omnes hebetantur, præcipuè fi adfit vnà frigoris exceffus, memoria inprimis eft labilis, adéftque in fomnum propenfio, è quo non ita facile expergifcuntur: Humiditas per fe nullum delirium parit: Præcefferunt etiam caufæ modò enumeratæ: Delectant & juuant ficcantia, nocent humectantia.

#### *Prognoftica.*

Deterior eft exceffus humiditatis, quàm ficcitatis. Facilius verò curatur humiditas cerebri, quàm ficcitas. Siccantia enim tutius adhibentur capiti.

#### *Indicatio.*

Cerebrum humidum ficcantia requirit.

#### *Curatio.*

*Cerebrum ficcantia.* Quia verò humiditas plerumque frigiditati conjungitur, aut cum materia copulatur, & calefacientia cerebrum fupra propofita omnia quoque idem ficcare valent: Calefacientia ea etiam hîc in intemperie humida profunt; & quidem omnia; fi frigiditas cum humiditate conjungatur. Si verò caliditas conjuncta fit, temperata eligenda, aut calida frigidis admiftis, vt, rofis, myrobalanis, coralliis, cornu cerui, fmaragdo, radicibus quinque fol. tormentillæ; fantalo, myrtillis, nuce cupreffi, & fimilibus temperanda: Pauca ex iis hîc quoque fubjungemus. De quibus & hoc notandum: non nimis odorata vfurpanda effe, quæ caput vaporibus replendo καρηβαρίας inducunt.

#### *Medicamenta Interna.*

*Interna.* Plurimùm hic valet *decoctum ligni Guajaci & Saffafras & radicis Chinæ* cum modico vifci querni. (Alij in capite ficcando non minorem efficaciam tribuunt *decocto radic. quinque folij & tormentillæ*, fi ad modum decocti radic. Chinæ paretur & exhibeatur; vt & vino, in quo rad. pentaphylli & tormentillæ maceratæ fuerint) *caftoreum, fpecies diambræ, aromatici rofati, theriaca, Mithridat. fales theriacales, confectio anacardina.*

#### *Externa.*

*Externa.* Præterea calefacientia fupra propofita, herba & femen paftinacæ filueftr. radix Imperatoriæ, myrtus, myrtilli baccæ, cineres calidi vino madidi commendantur. Lotiones & Embrochæ;

*Lotiones.* ♃. *Betonicæ, majoran. rofar. rubrar. calaminth.* an. M. i. *fem. paftinacæ fylu.* Vnc. fem. *radic. cyperi* Dra. ii. *flor. ftœchad. Arab.* P. ij.

Concludantur in facculo, qui coquatur in lixiuio pro lotione capitis.

*Embrochæ.* Inprimis ficcant Embrochæ ex thermis fulphureis & bituminofis, quæ non folùm cerebrum ficcant, fed & ita roborant, vt fuperflui aliquid facilè non admittat. Vbi calefacientia minus tuta funt, caput lixiuio, in quo flores rofar. rubrarum & folia myrti cocta funt, abluatur, & poftea pannus fumigatus puluere rofar. rubrarum & ftyrace imponatur.

*Cataplafma.* *Cataplafmata*; Vbi ob calorem ficcantia calida adhibere non licet, commodiffimum eft cataplafma ex cochlearum carne, (licet & totas cum teftis contundere) in mortario minutim contufa, addito momento thuris & myrrhæ. Cochlearum enim caro fuperfluitatem ab intimis ad externa euocat, & ita internas partes quocunque humore grauatas ficcat: vt etiam docuit Galen. 11. *de fimpl. med. facult.*

*Pulueres Cephalici*, qui & capiti infpergi & facculis conficiendis materiam præbere poffunt.

Vt ♃. *Pulegij, calaminthæ. majoran. flor. ftœchad. Arab. betonic. cortic. citri, gummi juniperi, caryophyll.* an. Drach. j. F. Puluis.

Vel ♃. *ftœchad. Arabic. betonic. rad. pœoniæ, majoran. ligni aloës, caryophyll. nucis mofchat.* an. Dra. i. fem. *mofchi, ambræ*, an. gr. iii. F. Puluis.

Vel ♃. *Gumm. juniper. tacamahac.* an. Dra. i. *rofar. rubrar. corticum thuris, citri, caryophyll. maftich. fantalor. omnium, myrtill.* an. Dra. fem. Fiat Puluis.

Antequam Pulueres infperguntur, commodum eft caput prius ftyrace liquidâ inungere. Sacculi & Pilei;

♃. *Betonicæ, majoran. rofar. origan.* an. Dra. fem. *gummi. juniperi, tacamahacæ, thuris, maftich.* an. Dra. j. *caryophyll. nucis mofchat. cupreffi*, Drach. fem. F. Puluis craffus & cum findone rubrâ cucupha. Vbi calefacientia locum non habent, fiat facculus ex rofis rubris, myrto, fantalo rubro & corallis rubris.

Vel ♃. *Salis torrefacti*, ℥. ii. *milij torrefacti*, ℥. iiii, *femin. melanthij*, ℥. i. fem.

Infuantur duobus facculis lineis, qui capiti imponantur.

Et reliqua fupra de intemper. Cerebri frigidâ propofita olea, linimenta, vnguenta, emplaftra, inprimis *Emplaftrum de betonica; ceratum cephalicum, de euphorbio*: Et quæ infra in capite de Intemperie cum pituita proponentur.

#### *Diæta.*

Aër eligatur naturâ ficcus, qualis eft montanus, vel talis arte efficiatur. Idem fit lucidus & ferenus: vitetur verò humidus, craffus, nebulofus, qualis eft in conuallibus, circa paludes, & in locis fubterraneis: caput à ventis muniatur. Inprimis venti auftrales vitentur, qui caput replent, 3. *aphorif.* 17. Vitentur & Lunæ radij.

Cibus vim ficcandi habeat: eligantúrque affa potius, quàm elixa: condiatur aromatibus & herbis ficcantibus cephalicis. Abftinendum à carne vitulina, agnina, & juniorum animalium, cerebro, fructibus fugacibus.

Potus fit pauciffimus. Præftantiffima eft in tali capitis affectu ea victus ratio, quæ præfcribitur iis, qui decocto Guajaci, farfæparillæ aut faffafras vtuntur.

Imò & ipſum decoctum vtile eſt, cerebrumque valde ſiccat. Vigiliæ, quæ inſigniter ſiccant, & eâ de cauſſa edaces ab Hippocrate, *6. Epid. ſect. 4. t.* 18. aliis 20. nominantur, ſomnum, qui corpus & caput humectat, ſuperent. Motus & exercitium corporis otio præferatur. Caput diu pectinandum. Exemplum talis intemperiei curatæ eſt apud Foreſt. *lib. 9. obſeru. 9.*

## QVÆSTIO.

### *An detur intemperies humida ſine materia.*

De humida intemperie in genere & in ſpecie cerebri nonnulli, vt Phyloth. Ælian. Montaldus, *tract. 1. de dolore cap. c.* 15. dubitant; an detur idque negant; eâ ratione, quia mixtum humeſcere non poſſit, niſi humidum corpus imbibat. Verùm hi non ſatis capiunt, quid ſit humida intemperies ſine materiâ & cum materiâ. Quod explicandum. Humida enim intemperies ſine materiâ non eſt qualitas ſine ſubiecto, ſed cum ſubiecto; ita tamen, vt qualitas illa ſit in ipſa parte ſubſtantiæ, & à nullâ aliâ ſubſtantiâ humidâ à ſubſtantiâ partis diuerſa foueatur. Talis humida intemperies cerebri contrahitur, cùm cerebrum nutritur alimento nimis humido, & humidum ipſum (vt ſic dicam) ſubſtantificè ei vnitur; vel etiam cauſſa externa, vt ſi aëre humido vel aquâ atomi humidæ cerebro communicantur: ita tamen, vt ſub formâ inſenſibili ferè exſiſtant in ipſo cerebro, nullus verò humor adſit, qui eam foueat. Et propterea nullam peculiarem curam præſeruatoriam inſtituere opus eſt. Humida autem intemperies cum materiâ eſt, vbi humida ſubſtantia à parte ſubſtantiæ diuerſa adeſt, quæ intemperiem à parte excitat & fouet. Id quod faciunt humores præternaturales.

*An detur humida & ſicca intemperies ſine materia. Montaldus negat.*

¶ [ Philot. Ælian. Montaldus, *tr. 1. de morb. capitis, cap.* 15. negat, dari intemperiem humidam & ſiccam ſine materiâ; idque & ratione, & authoritate Ariſtotelis ac Galeni probare conatur. Ratio hæc eſt, quòd mixtum aliquod humeſcere non poteſt, niſi humidum naturâ corpus in ſe imbibat; neque exſiccari, niſi per humidæ ſubſtantiæ deperditionem. Verùm non videtur ſatis intelligere Montaldus, quid per nudam intemperiem humidam intelligendum ſit. Quæ res propterea explicanda. Quando corpora prima ſimplicia mixti compoſitionem ingrediuntur, ſi principium humidum abundet, fit inde temperamentum humidum. Vnde etiam in morboſis conſtitutionibus & intemperiebus, ſi pars aliqua, cerebrum putà, alimento tali nutriatur, quod plurimùm humectet, in reliquis autem ſit temperatum, & naturæ partis conueniens, cerebrum ex tali nutrimento humido contrahit intemperiem, quia partium ſolidarum ſubſtantiam humida illa alimenti ſubſtantia ingreditur, illique intermiſcetur, aſſimilatur, & ſubſtantificè, vt ita dicam, vnitur. Hinc poſtea talis pars rectè intemperata & humida nominatur. Ergo humida intemperies partium ſine materia non notat qualitatis humidæ præſentiam ſine omni ſubiecto: hac tamen lege, vt vnà cum aliis principiis ad partis totius conſtitutionem faciat, licèt aliquam diuerſitatē habeat, hæc tamen formam, vel, vt Ariſtoteles loquitur, totum non mutat. Humida autem intemperies cum materia denotat non ſaltem ſubiectum, ſed tale ſubiectum, quod à ſubſtantia & forma partis multùm ſit diuerſum: & intemperiem parti viuenti inducat & foueat; quale eſt humor aliquis præternaturalis, & ſubſtantia à partium corporis noſtri natura notabiliter differens, ſuaque peculiari formâ ſubſiſtens, ſuámque temperiem partis ſubſtantiæ imprimens. Hoc modo ſi res explicetur, ad Ariſtotelis & Galeni loca facilè reſpondere eſt. Hoc enim rectè docent, (de intemperie tamen ſine materia loquendo) humidum corpus non dari, niſi aquam, aut aliud humidum corpus. Interim non negant, corpus aliquod humidum, à partis ſubſtantia diuerſum, extra eam conſiſtere, ſuámque temperiem corpori communicare poſſe.

*Pro intemperie humida.*

Eadem eſt ratio ſiccæ intemperiei. Etenim humidū ſubſtantificum partis à calore diſſipari & exſiccari poteſt, & quidem à tali calore, qui in ipſa partis ſubſtantia, & non in humore aliquo præternaturali inhærens, conſiſtat. Et licèt nullus humor præternaturalis exſiccans parti accedat: tamen quod illa ſiccitas, quæ abſumptionem partium humidarum ſequitur, intemperies, & quidem ſine materia dici non poſſit, cauſſa nulla eſt. Nam ſiccitas eſt accidens corporis ſicci. Iam ſi ſiccæ partes, abſumptis humidis, dominium obtineant in mixto, dicitur mixtum ſiccum, illaque ſiccitas abundans facit intemperiem ſiccam, & quidem ſine materia. Imò nec hoc concedendum, ſiccitatem nihil aliud eſſe, quàm naturalis ſubſtantiæ humidæ deperditionem. Fieri enim poteſt, vt, quod antea de intemperie humida diximus, alimentum ſiccum aſſumatur, idque parti aſſimiletur. Tum equidem naturali humido nihil decedit; quia tamen partes ſiccæ humidas ſuperant, temperamentum illud meritò ſiccum appellari poteſt. ]

*Pro intemperie ſicca.*

## CAPVT IV.

### *De Intemperie Sicca ſine Materia, & intemperiebus Compoſitis.*

#### *Cauſſa intemperiei Siccæ.*

Cerebrum ſiccant calor Solis, ignis, thermarum, cibi ſiccantes, omnes immoderatæ corporis euacuationes, per hæmorrhagias quaſcunque, alui fluxum, ſudorem, Venerem: vigiliæ nimiæ, inedia, animi perturbationes vehementiores, inprimis mœſtitia & triſtitia, animi intentio & ſtudia nimia, labor, medicamenta ſiccantia immoderatè adhibita.

*Intemp. ſiccæ cau.*

#### *Signa diagnoſtica.*

Capitis cutis eſt aridior, ſenſus acres, motus celeres, excrementa è naribus vel palato pauca profluunt oculi caui ſunt & aridi, tempora adſtricta, frons intenta, facies tota ſqualidior; adſunt vigiliæ: præceſſerunt cauſſæ cerebrum ſiccantes, iuuant humectantia, nocent ſiccantia.

#### *Prognoſticum.*

Siccitas cerebri, ſi non multum à mediocritate recedat, cæteris intemperiebus minus damni infert: ſi verò magnus ſit ſiccitatis exceſſus, omnium deterrimus eſt, & difficulter curatur.

#### *Indicatio.*

Cerebri ſiccitas humectantia requirit. Attendendum tamen an caliditas vel frigiditas ſiccitati coniungatur, & pro qualitatum harum ratione medicamenta varianda: ſimul etiam ad cauſſam, à qua ſiccitas inducta eſt, reſpiciendum. Si enim à triſtitia & vigiliis ortum habeat, optimè ei opitulabitur ſomnus & animus hilaris ac curis vacuus: ſi ab inedia, Venere, vel nimia euacuatione, ſuccurret rectiſſimè plenior & boni ſucci victus.

#### *Curatio.*

#### *Medicamenta Interna.*

*Medicamenta ...*

Folia; *Borraginis, bugloſſæ, lactucæ, maluæ.*

Flores;

Flores; *Violarum, borraginis, bugloſſæ, nymph.*

Semina; *Papaueris, quatuor frigida maiora, lactucæ, malu.*

Fructus; *Poma dulcia & dulcacida, amygdalæ dulces.*

### Externa.

Interna enumerata etiam extra adhibere licet: quibus, accedunt Folia & ſemen *Maluæ, violariæ, althéæ,* ſemen *Cydonior. fœnugraci, lac, pinguedo gallinæ, butyrum recens ſine ſale.*

Medullæ *crurum vituli; ſpuma ex ſero lactis, omentum agninum vel veruecinum in oleo chamæmelino vel ſambucino coctum & capiti impoſitum, pulmo arietis calens & catulus diſſectus capiti impoſitus, omentum veruecis.* E quibus liquida tepida applicentur, ſemel vel bis de die, manè & veſperi, pluribus diebus, prout ex vigiliis & aliis ſymptomatib. id opus eſſe coniicimus.

E quibus fiunt.

### Interna.

Decocta *è plantis modo enumeratis.*

Aquæ deſtillatæ; *Violar. borragin. bugloſſæ, lactucæ, nymph.*

Syrupi; *Violar. borragin. bugloſſæ, nymph. papaueris.*

Iulepi; *Violarum.*

Conſeruæ; *Violar. borragin. bugloſſæ, nymph.*

Condita; *Caules lactucæ, radic. ſatyrij.*

Emulſiones; *Amygd. dulc. ſeminum quatuor frigid. major papauer.*

Vt ℞. *Amygdal. dulc.* Vnc.ß. *ſem. quatuor frigid. maior.* an. ʒ.i. *papaueris* ʒ.i.ß. *aq. hordei ſimplicis* ℔.ß. *borragin. bugloſſ.* an. Vnc.iii. F. Emulſio. Cui adde *Iulepi violar.* Vnc.iß.

Species; *Diamargarit. frigid. diatragacanth. frigid.*

Electuaria.

℞. *Conſeru. violar. bugloſſ.* an. Vnc.i. *lactucæ Italicæ conditæ,* Vnc.ß. *ſpecierum diamarg. frigid.* Scr.i. Fiat Electuarium.

### Externa.

E quibus liquida tepida applicentur.

Epithema; *Ex ſucco vel decocto malu. althéæ, borragin. ex emulſione ſem. papau. lactucæ, lacte, aquis humectantibus cephalicis.*

Vt ℞. *Olei viol. amygdal. dulc. lactis muliebris,* an. ʒ.vi. *ſucci lactucæ* Dra. iii. Miſceantur pro Epithemate frontis.

Vel ℞. *Semen. papau. albi* ʒ.vi. *lactucæ, cucurb.* ana Drach.iii. *aq. violar.* Vnc.vi. Fiat emulſio, cui adde *Mucilag. ſemin. pſyll. aq. viol. & lactuca extracta,* Vnc. ß. Miſce.

Vel ℞. *Olei viol.* Vnc.ii. *aneth.* Vnc.ß. *album. ouorum bene conquaſſatorum,* num.ii. *Lactis mulieris vel alterius* Vnc.iiii. Miſce.

*Lotiones & Irrigationes;* cum decoctis humectantium herbarum ante propoſitarum, vel etiam lacte dulci.

Non vtendum hîc lixiuio in lotionibus capitis, quia ſiccat, ſed lacte potius, quod humectat.

Vt ℞. *Radic. althéæ,* Vnc.i. *fol. althéæ, maluæ, violarum, lactucæ,* ana M.i. *flor. Violarum, nymph. borragin. chamæmel.* an. p.i. *ſem. lini* Vnc.ß. *papauer.* ʒ.vi. Coque in aqua ſ. pro lotione vel irrigatione capitis.

Oleum; *Oliuarum maiur. violarum, amygdal. dulc. nymphææ, ſeſaminum.*

### Linimenta.

Vt ℞. *Olei violar.* Vnc. ß. *amygdal. dulc.* Dra. ii. *pingued. gallin.* Vnc.ß F. Linimentum.

Vel ℞. *Mucilag. ſem. malu. lini, fœni græc. pſyll.* an. Vnc i. *butyri recentis ſine ſale* Vnc. iß. *medullæ crurum vituli* Vnc.ij. *ceræ quantum ſatis,* Fiat Vnguentum molle.

Vel ℞. *Radic. althéæ* Vnc.ß. *fol. violarum, brancæ vrſinæ, maluæ* ana M.i. *flor. roſar. albar. violar. nymphææ. albæ* an. p.i. *ſem. cydon.* ʒ. ii. Coquantur in aqua ad mollitié, & probè contuſa per ſetaceum traiiciantur. Adde *medullæ crurum vituli, butyri ſine ſale, olei violar.* ana Vnc.ß. *ceræ parum.* Fiat Vnguentum molle.

Odoramenta; *Ex florib. violar. roſarum, nymphææ.*

Errhina; *ex iiſdem, lacte, ol. violar.*

In aures inſtillentur; *Oleum violar. roſar. nymphææ, amygd. dulcium, ſeſaminum.*

Lotiones pedum; *Ex ſimplicibus modò dictis decoctis.*

### Diæta.

Vniuerſa Diætæ ratio ad humidum vergat. Aër eligatur humidus, qualis eſt in conuallib. iuxta flumina, aut ſi talis naturâ non detur, plantis humectantibus ſparſis concilietur.

Cibi ſint boni & facilis concoctionis: oua ſorbilia, pinguia iuſcula: carnes pullorum gallinaceorum, vitulinæ, hædinæ, elixæ potius, quàm aſſæ, piſces, butyrum recens: cibíque alterentur lactucâ, flor. violar. borragin. malua & ſimilibus. Salis verò & aromatum condimenta, quantum fieri poteſt, vitentur. Conueniunt etiam amygdalæ dulces, paſſulæ, pruna, rapum. Vinum ſit tenue & oligophorum, vel decoctum hordei cum glycyrrhiza & iulepo violar. aut cereuiſia aliqua humectans.

Somnus ſit longior. Vt n. vigiliæ caput & vniuerſum corpus ſiccant: ita ſomnus illud madefacit & humectat. Hinc non inutile fuerit, in tali intemperie à cœna lenia ſomnifera exhibere, vt lactucam, amygdalas dulces, vel earum lac, ſem. papaueris.

Nec vtile eſt balneum aquæ dulcis. Vitetur Venus, labores nimij, ira, triſtitia, nimia animi intentio: animum potiùs laxet æger.

Exemplum talis intemperiei habet Foreſt. *lib.9. obſ.8.*

### De intemperiebus capitis compoſitis ſine materia.

Vt de Intemperiebus compoſitis multa in ſpecie addamus, opus non eſt: cùm ex iis, quæ de ſimplicibus dicta ſunt, facilè, quæ cauſæ, ſigna, curandíque ratio compoſitarum ſine materia ſit, pateat.

Quæ enim cauſſæ calefaciendi & ſiccandi vim ſimul habent, calidam & ſiccam intemperiem inducunt; quæ refrigerandi & humectandi, frigidam & humidam: quæ refrigerandi & ſiccandi, frigidam & ſiccam. *De Intemperiebus capitis compoſitis ſine materia.*

Cognoſcuntur quoque hæ Intemperies eodē modo ex effectibus, cauſſis, quæ præceſſerunt, diſpoſitione cerebri naturali, iuuantibus ac lædentibus. Nam ſi quis cerebrum ſua natura frigidum & humidum habeat, eíque cauſſæ amplius refrigerantes & humectantes occurrant, & effectus ac ſymptomata adſint, quæ ſeorſim in vtraque intemperie ſæpè diximus, v. g. ad ſomnum, eúmque profundiorem, propenſio, mentis ſtupor & ingenij tarditas, ſenſuúmque inertia, calefacientia & ſiccantia proſint, humectantia & refrigerantia noceant: ex his facilè colligere eſt, adeſſe cerebri humidam & frigidam intemperiem. Contraria apparebunt, ſi calidum & ſiccum fuerit.

Curandíque ratio quoq; ex ſuperioribus patet. Prout enim hæ vel illæ qualitates coniunguntur: ita medicamenta contrariis qualitatibus prædita eligenda &

miſcenda

miscenda sunt. Et prout vtraque qualitas vel vna magis excedit: ita contraria vsurpanda,quæ vel æqualem vim obtinent,vel ita temperanda,vt medicamenta cōtra eam qualitatem,quæ magis excedit,magis pugnēt, & reliquam non augeant. Ideóque in intemperie humidâ cum caliditate conjunctâ siccātia calida nō semper tuta sunt. Sæpe tamen medicamentum vnum duabus qualitatibus resistit simul,& quæ calefaciunt, ferè omnia etiam siccant. Exemplum intemperiei cerebri frigidæ & humidæ, cum pituita habetur apud Solenandr. *sect.* 1. *consil.* 2.

## CAPVT V.

### *De Intemperiebus capitis cum materia in genere.*

*Intemperies capitis cum materia.*

PLerumque verò cum Intemperie materia conjungitur,quæ eam vel excitat,vel fouet : eáque est vel humor vel vapor.

*Caussa.*

Materia autem hæc in capite vel generatur & cumulatur,vel aliunde trāsmittitur. Cumulatur in capite ex imbecilla vel vitiosa nutrimenti concoctione ob cerebri partium & capitis ἀσθένειαν & δυσκρασίαν, quâ plura, quàm par est,excrementa proueniunt. Nam etsi alimētum,quod ad caput alendum distribuitur, bonum sit: tamen si coctio in capite rectè non fiat,multa excremēta cumulantur;aut quod excrementa ob crassitiem,copiam,meatuum angustiam,expultricis debilitatem expelli non possint. Materia verò extra caput genita, seu ob cibos vitiosos, seu ob errorem coctionis primæ aut secundæ,ob quem multa excrementa generātur,ab inferioribus ad caput fertur,vel transmissa à partibus aliis robustioribus ad caput imbecillum,præcipuè frigidum & humidū;vel eò attracta à calore aut dolore,vt & vocis intentione & clamore,tubarum inflatione,vomitu, quæ omnes caussæ humores & vapores ad caput alliciunt,idque replent. Nimirum omnes ferè capitis affectus proueniunt,vel à capitis imbecillitate,vel à partiū inferiorū repletione & cacochymia. Si enim caput vel à primo ortu imbecillum sit, vel ex aliquo incōmodo, vt vulnere,casu,contusione, externisque aliis injuriis, vigiliis,animi affectibus debilitatum sit : facilè ex affluente alimento etiā bono multa excremēta cumulat.

Deinde ob prauam victus rationem,ob viscerū,ventriculi,epatis,lienis,vteri,&c. intemperiem,& hinc dependentem vitiosam alimentorum concoctionem,praui humores in corpore cumulari solent, qui facili de causâ ad caput,præcipuè verò si debile fit,feruntur.

Quò etiam faciunt suppressæ cōsuetæ euacuationes mensiū,hæmorrhoïdum,vel quod vlcus,aut fistula aliqua,quæ diu vitiosos humores effuderūt,suppressa est.

*Luna in cerebri morbis vis.*

Non prætereundum & hoc de morbis intemperiei cum materia,cùm ex Astrologorum sententiâ Luna cerebro maximè præsit, & ipsâ experientiâ teste, secundum luminis Lunæ augmentum & decrementum,humores decrescant vel augeantur,morbos cerebri secundum Lunæ φάσεις non parum mutari, & nunc augeri nunc minui.

### *Signa Diagnostica.*

Qua ratione à.intemperies cū materia ab intemperie sine materia discerni possit,supra,*cap.* 1. dictum. Forestus equidem *lib.* 9. *obseru.* 10. etiam quædam signa communia intemperiei cum materia recenset : verùm non capitis illa propria sunt,sed intemperiei cum materia in toto corpore.

Signa autem, quibus an per se,an verò per consensum afficiatur cerebrum, discernere licet, nonnulli ex Galen. 1. *de loc. affect. cap* 9. & 1. *prorrhet. comment.* 1. *text.* 3. ad tria capita redigunt.

*An cereb[rum] per se, an [per] consensum afficiatur*

Primò considerare jubent, an omnia symptomata, quæ affectum illum comitari solent, quæque sunt veluti characteristica, exactè adsint. Si enim adfuerint, proprium esse capitis affectum indicio est: Si non omnia affuerint,per consensum esse argumento est.

Deinde considerare jubent,an ea symptomata, quæ affectum illum significant, sint perpetua & continuò molestent. Hoc enim si fiat, signum est primarium esse capitis affectum : Si verò interdum intermisserint,per consensum caput affici significatur.

Tertiò perpendendum monent, an alia pars prius fuerit affecta,antequam caput laborare cœpit. Nam si nullus præcessit alterius partis affectus,primariò caput affici putandum est.

His tamen alia quædam addi possunt;& signa, quibus discernitur, an caput primariò, an per consensum afficiatur, omnia hæc sunt. Si per se caput afficiatur, natiua ad tale malum est propensio ; nullum in aliis partibus,quæ cerebrum in consensum trahere possunt, adest vitium ; Antecesserunt caussæ , quæ potissimùm caput afficere aptæ natæ sunt ; ea , quæ capiti soli adhibentur & applicantur, prosunt vel nocent ; & symptomata & affectus in cerebro primariò conspiciuntur; affectúsque ferè continuus est. Fieri enim potest, vt, licet materia semper,causâ præsente ; præsens sit : tamen interdum quieta sit , atque ita affectus, qui inde dependet,non continuus sit ; idque propterea Medicum , si ex aliis signis certus sit , intemperiem cerebri per se adesse, turbare non debet. Contrà si genita extra caput in reliquo corpore materia continuò ad caput feratur, atque inde continuus affectus excitetur, perpendendum quandiu ille affluxus durauerit. Si enim non diu durauerit,fieri potest,vt, licet affectus continuus sit,verbi gratia, dolor capitis in febre continuâ ipsum tamen cerebrum permanentem intemperiem nondum contraxerit ; si verò diu jam durauerit, fieri non potest, quin ipsum cerebrum jam intemperie laboret,atque ita affectus complicatus sit, scilicet per se, & per consensum. Si verò antecesserunt caussæ , quæ vel totum,vel partem aliquam læserint,& in toto, vel ventriculo,hepate, corde , vtero, vel alia parte aliquis morbus apparet,ad cujus ortum,augmentum & decrementum etiam morbus in capite initium trahit,augetur & decrescit , ac proinde non semper continuus est, sed si morbus vel remittit vel intermittit,& ipse remittit & minuitur,vel cessat,ac iisdem præsidiis & morbo capitis , & parti in reliquo corpore affectæ succurritur, & symptomata non solùm in facultate animali læsa,sed & alia partis illius , à qua cerebrum in consensum trahitur , adsunt ; cerebrum per consensum affici indicatur.

Notandum tamen hîc quoque,aliquando fieri posse, vt capitis affectus cum alterius partis affectu inualescat & cum eo leuetur , nec tamen ab illa parte per consensum afficiatur. Quod accidere potest , si ex eâdem parte & fonte materia in partes plures simul influat ; dolor tamen in parte,quæ materiam mittit,non percipiatur. Ita , 6. *Epid. comm.* 4. *text.* 4. Agesij Filia cùm doleret ipsi coxendix,correpta fuit Asthmate ; dolore sedato suspirium sedabatur : nulla tamen hîc inter thoracem & coxendicem fuit sympathia , sed ab eodem loco,eodem tempore,in vtramque partem humor influebat,& ibidem eodem tempore dissipabatur & retrò cedebat. Ideoque hic diligenter inquirendum, an pars illa,quæ simul cum capite affligitur,primariò affecta sit , & materiam capiti communicet , an verò illa aliunde eam suscipiat.

Obseruandum & hoc,non semper statim affectu,cujus consensu caput afficitur, remittente, etiam materiam & dolorem in capite euanescere. In febribus enim intermittentibus quandoque,cessante paroxysmo, nihilominus per aliquot horas adhuc dolor in capite perseuerat ; quod accidit,quòd propter cranij densitatem

tem in capite tardius materia, quàm in reliquo corpore, discutitur. Summa: per essentiam, vt loquuntur, caput afficitur, si nullum extra caput est vitium, & adsunt signa capitis per se affecti; per consensum verò, si nullum vitium sit in capite, ob quod materia generetur, sed solùm extra caput.

Transmittitur autem illa materia, quâ cerebrum per consensum afficitur, vel à toto corpore, vt in febribus vapores, in plethorâ sanguis, in cacochymiâ praui humores: vel ab aliquâ parte; & frequentissimè à ventriculo, è quo per œsophagum vapores sursum ad caput adscendunt: ab hepate item, corde, liene, pulmone, vtero, renibus, vesicâ, intestinis; imò externis artubus per venas, arterias, neruos, & occulta quoque corporis spiracula. Caput enim veluti tectum fumosæ domui impositum, excipit quæcunque ab imò effumant, sursúmque feruntur. Cum autem materia hæc, vt dictum, sit vel humor vel vapor, & humor rursum vel sanguis vel bilis, vel pituita, vel bilis atra, vel melancholia: de iis ordine dicemus, quatenus quidem intemperiei solùm cum materiâ caussæ sunt.

*[Hum]ores [quot] modis [cerebr]um p. [pe]cčant.* Nam humores cerebrum & membranas occupantes quadruplici ratione iis damnum inferre possunt, vel dum ipsa saltem quasi irrigant, ac hoc modo eorum temperamentum immutant, dum scilicet per venas delati, cerebro eas, quas habent, qualitates imprimunt; vel dũ humores vitiosi sanguini permisti, quando ad alendum cerebrum confluunt, ejus temperiem simul mutant; vel quando succo alimentario laudabili existente, ob debilitatem cerebri is non rectè coquitur, atque inde humores excrementitij generantur, qui in cerebro subsistentes, illi suas qualitates imprimunt, & sæpe per os ad nares euacuantur; vel dum magnâ copiâ extra vasa elapsi, in spatia inania & poros ac meatus cerebri & membranas ejus effusi, ea in tumorem attollunt. De postremo suo loco: jam de intemperie solùm, quam humores excitant, dicemus.

Priùs tamen generatim quædam præmittenda, & primò quidem dicendum, quâ ratione, an cum flatu & vapore, an verò cum humore sit intemperies, cognosci possit, & quæ generalis intemperiem capitis cum materia curandi ratio sit.

*...ri à ...ffecti.* Primum quod attinet, si cum flatu vel vaporibus sit intemperies capitis, adest tensio capitis sine grauitate, & punctio per interualla, sonitus aurium, & sæpe vertigo, præcessit diæta flatûs generans, ægérque ab iis, quæ flatus discutiunt, emolumentum percipit.

*...ri ab ...e affe-...tu.* Cum humore si sit intemperies, percipitur sensus grauitatis, tensio est stabilis, nec ita de loco in locum mouetur.

Si vapore aut flatu caput afficitur, cùm is mobilis sit, ab inferioribus partibus eum capiti communicari, idque per consensum ferè affici, suspicio est: quanquam interdum etiam flatus in ipso capite, sine affectu partium inferiorum, generari possit.

Si caput ab humore crasso, pituita aut melancholia afficiatur, cùm hi humores non ita mobiles sint, neque ab inferioribus ad superiora facilè adscendant, in ipso capite genitos fuisse & cumulatos, plerunque est indicio. Tenues verò, vt sanguis & bilis, plerunque ab inferioribus transmittuntur.

### *Curatio.*

*...io in-...riei ce-...cũ ma-...riâ.* Curatur intemperies cerebri cum materia, materiæ euacuatione, & intemperiei, seu simplex sit, seu composita, per contraria alteratione. A materiæ tamen euacuatione semper incipiendum: cùm impossibile sit, intemperiem capitis tollere, materiâ, quæ eam fouet, adhuc in eo hærente.

Semper tamen totius corporis prius habenda est ratio, neque caput commodè euacuatur, nisi priùs totum corpus euacuatum sit. Ideóque à corporis vniuersi euacuatione, si necessaria ea sit, curatio inchoanda, & vel sanguis, si abundet, imminuendus, vel cacochymia euacuanda, ne materia superflua ad caput affectum, quod facilè fieri potest, affluat. Et clysteres nunquam in morbis capitis sunt prætermittendi: quia non tantùm fumos & vapores reuellunt, sed etiam à cerebro ipso consequutione quâdam attrahunt.

De vniuersi tamen corporis purgatione ex iis, quæ in genere de purgatione rectè instituenda præcipi solent, hoc repetimus & monemus, semper attendendum esse, an affectus sit sine febre, an verò cum febre, atque ita cruditatem conjunctam habeat. Nam si sit sine febre, quouis tempore (præparantia tamen quædam præmittere nihil prohibet) purgantia exhibere licet, & quidem etiam paulò fortiora. Si verò febris conjuncta sit, attendendus aphor. Hippocr. 22. *sect.* 1. *Concocta medicari oportet, non cruda, nisi materia turgeat.*

Postea videndum, An materia in cerebro cumulata & genita sit, an. v. aliunde transmittatur. Quid agendum sit, si aliunde transmittatur materia, sequenti capite dicetur. Si materia in ipso capite cumulata sit, primò ea ipsa euacuanda, postea caput roborandum.

Euacuatur autem caput priuatim; aut per modum & vias sensibus manifestas, aut insensibiliter. Sensibilis euacuatio fit per duas præcipuè vias, per palatum & nares, per quas natura, quam sequi decet, & ipsa caput plerunque expurgare solet. Nam quamuis Natura quandoque etiam per aures caput purget: tamen id rarius est, & plerunque non nisi in grauissimis morbis accidit, vt in internis inflammationibus, sanguine & pure circa cerebrum collecto. De his viis omnibus Hippocr. 6. *aph.* 10. *Caput*, inquit, *dolenti & vehementer laboranti, pus vel aqua vel sanguis per nares, aut os, aut aures effluens morbum soluit.* Obseruatum tamen etiam est, naturam in quibusdam per aures caput expurgasse, & citra vllum grauem morbum, nullo sanguine & pure circa cerebrum collecto quotannis aliquoties aurium doloribus præcedentibus, notabilem ichorum copiam per eas effudisse, idque familiis quibusdam hæreditarium fuisse. Multò minus per oculos euacuare licet, quam viam natura vel errans, vel vt majus malum præcaueat, quandoque eligit, ne cæcitatem, aut aliquod aliud visus vitium inducamus; cerebro verò parùm prosimus. *Quot modis caput euacuari poßit.*

Inter istas tamen duas vias, nisi quid obstet, ea quæ per palatum fit, commodior est. Natura enim ipsa solâ hanc viam molita est, & in sano homine per infundibulum in palatum euacuatio cerebri ferè sufficere potest. Nasus verò naturæ consilio odoratus & respirationis gratia pręcipuè factus est. Vbi tamẽ major est excrementorum cerebri copia, natura hac via sæpe abutitur. Præterea per palatum via securior est, neq; ita istâ euacuatione cerebrum concutitur, ac eâ, quæ fit per nares, cerebrúmq; cõmotum majoris sæpe mali caussa esse potest, dum in cerebro euacuando aberrans natura ad partem aliquam principalem humorem transmittit.

Potentiùs tamẽ, vbi iis tutò vti licet, errhina humores commouẽt, cùm non solùm medicamenti qualitas, vel vapor, vt in apophlegmatismis, sed & ipsa ejus substantia cerebrum stimulet. Neque tamẽ hi duo modi caput priuatim euacuandi in quouis humore, & eâdem ratione locum habent. Nam apophlegmatismi, vt ipsum nomen indicat, iis affectibus inprimis competunt, qui à pituita & frigido humore ortum habent. Ideóque de Apophlegmatismis suo loco, vbi de intemperie capitis cum pituitâ agemus, dicetur. Hoc saltem hic in genere de iis monemus, vt ad masticatoria, sic & ad apophlegmatismos ea eligantur, quæ nec odore, nec sapore sunt insuauia, nihilque maligni habent, ne vel cerebrum vel œsophagum offendant.

Errhina verò in pluribus humoribus locũ habent: alia

alia tamen in alio,vt suo loco patebit.Quare de Errhinis hic in genere aliquid adhuc addemus.

### *Errhina.*

*Errhina.* De Errhinis autem in genere in Institut.*lib.*5.*part.* 3.*sect.* 3.*c.*30.diximus; hic saltem de iis, quatenus caput euacuandi vim habent,agedum.Euacuant verò Errhina præcipuè excrementa circa anteriorem cerebri partem hærentia, & quæ circa cerebrum eiusque meninges colliguntur:non verò ea, quæ in posterioribus ventriculis;nisi forsan sternutatoria cerebrū totum vehementiùs concutiant. Hinc Errhina in omnibus soporosis affectibus & sensuum stupore vtilia sunt,& internis doloribus prosunt,& sternutatoria catarrhos,qui in fauces irruunt,potenter reuellunt.

Medicamenta autem Errhina duplicia sunt: alia peculiari vi humores trahunt; alia facultatem expultricem solùm irritāt, vt ipsa sponte cerebro concussio humores vitiosos eiiciat, quæ in specie ptarmica & sternutatoria dicuntur. Prioris generis rursum duplicia sunt:quædā enim calore aperiūt funduntque humores, ac detergent, vt *succus betæ,succus calaminthæ montanæ, succus hederæ, semen nigellæ, maiorana,pulegium*,& alia odorata,Quibus tamen vtendum non est in ea catarrhi specie,quæ Coryza appellatur, ne dilatatione maiore partibus, & tenuitate humoribus inductâ, maior fiat fluxio, humorque tenuior & acrior reddatur.Alia non solùm acrimoniâ & calore, sed etiam totâ substantiâ excrementa à cerebro alliciunt, vt *agaricus, turbith, colocynt.cyclamen, elaterium, elleborus albus & similia.* Quæ verò cerebrum irritādo euacuationis caussa sunt, cum dictis quidem modò multum conueniunt, acriora tamen sunt & tenuiora, vt ad ipsum cerebrum penetrare possint, qualia sunt *saponaria, radix ari, piper album, zingiber, pyrethrum, castoreum, euphorbium, helleborus albus*, qui vtramque vim habet. Quomodo autem in specie parentur Errhina, in Institu*loc.alleg.* dictum.

Liquida in nares ex volâ manus attrahuntur,vel supino corpore naribus infunduntur; ore tamen prius vino vel aqua impleto,ne liquor per palatum in os influat: quanquam, quod sic influit, etiam humores efficaciter per fauces educit. Formulæ verò postea suis locis proponentur.

*Ab errhinis quando abstinendum.* Cauendum tamen ab errhinorum vsu,dum oculi sunt affecti, vel nares vlceribus obnoxiæ: (errhinis scilicet, quæ vim euacuandi habent:vlceribus enim dicata tunc prosunt.) dum orificia venarum in naribus laxa sunt, vt hæmorrhagia ex irritatione metuenda sit, aut dum vertigini homo est obnoxius: cùm sternutatoriis cerebrum vehementius concutiatur, & facilè vertigo excitetur;& tunc potius Apophlegmatismis vtendum.Post errhinorum verò vsum lacte vel oleo violarum nares eluere non inutile est, vt tollatur,si quid acredinis & acrimoniæ est relictum.

Nisi tamen hæ viæ sufficiant, & malum pertinacius sit,ad materiam euacuandā adhiberi possunt sinapismi,& vesicatoria capiti applicata,quibus cutis exulceratur & sensibiliter humor effunditur. Et tandem, vbi reliqua non sufficiunt, cauteria, quæ vel in vertice ad futuram coronalem, vel inter primam & secundam ceruicis vertebram, vel medicamento caustico,

*Fonticuli in morbis capitis.* vel ferro ignito excitantur. De quo mox,*quæst.*3.dicetur. Sunt enim cauteria aut fonticuli potius per cauteria excitati materia auxilij sensibiliter euacuantis, quod indicatur ab humore,qui sensim gignitur & morbum diuturnum excitat.Talem materiam fonticuli cōtinuò euacuant; modò vnus, modò plures, prout materia paucior vel copiosior fuerit. Et quidem prout materia est euacuanda, vel reuellenda, vel deriuanda ita etiam in hoc vel illo loco fonticulus excitandus. Nam si simpliciter reuellenda est materia, in partibus infra caput,vt capite sequenti dicetur,fonticulus excitandus. Si euacuanda,reuellenda seu deriuanda, in occipite; si simpliciter euacuanda,in futura coronali;modò id sine periculo fieri possit, de quo *quæst.*3. dicetur Neque solùm è capite materiam euacuat vlcus cauterio in occipite excitatum,sed etiam quæ ad pectus ruit, intercipere valet.

*Setaceum.* Cauterio non minorem vim euacuandi habet setaceum: imò verò maiorem,cùm per foramina duo plus euacuet, quàm per vnum; neque ita commodè pila eo loci in fonticulo gestari possit. De quo in Instit. *lib.* 5.*part.* 1. *sect.* 2. *cap.* 7. satis dictum. Videatur Hieronym. Fabriç. *de operat. chirurg. tit de setaceo parando.*

*Arteriarum incisio.* Auicennas,*lib.*3.*fen.*1.*tract.*2.*c.*33. etiam ad interceptionem vaporum, qui per arterias cum sanguine arterioso adscendunt, proponit incisionem arteriarum in temporibus vel adustionem earum per cauteria,modumque & ea,quæ in tali operatione necessaria sunt, pluribus describit. Idem eodem in loco plura cauteria præscribit, & præcipit, vt tria cauteria supra medium capitis applicentur, vt à cerebro humores extrahantur; duo super tempora, quibus via humoribus & vaporibus ab inferioribus ad superiora adscendētibus intercipiatur; vnum in nucha seu posteriore capitis & colli parte.Verùm non sine caussa addit *in comment.*Iacob.de partibus, cùm plerique ægri vix suaues medicinas admittant,quis toties se vstulari sineret?ideóque cōsulit,ne Medicus tot cauteriis vti attentet; nisi instanter ab ægro & amicis postulentur:cùm incertum sit,an eorum vsu malum sit cessaturum,& metuendum sit ne sanatis vlceribus malum recrudescat.

Insensibilis capitis euacuatio fit per inconspicuos tū cutis, tum partium subiectarum meatus præsertim verò per suturas:fitque adhibitis eo loci topicis remediis, digerendi, discutiendi & exsiccādi vi præditis;quæ supra,*c.*3.*de Intemperie capitis humida* proposita sūt.Eligenda tamen semper ea,quæ natura humoris, & intēperies coniuncta postulat:& in intēperie humidâ & frigidâ,siccantia,calida;in materia verò calidâ, quæ sine calore siccant,vsurpanda.Atque ita humor,qui in capite hæret,euacuandus apophlegmatismis,errhinis,sternutatoriis,sinapismis,vesicatoriis,cauteriis, reliquusque insensibiliter discutiendus,& exsiccandus.

Tandem dum caput euacuatum est vel etiam dum euacuatur, intemperies, quæ superest,vel quæ materiæ coniuncta est, corrigenda per contraria. Vbi semper cephalica supra proposita in intēperie sine materia eligenda;sicut eadem quoque purgantibus immiscenda sunt.Quomodo autē capitis per contraria alteratio fieri debeat, ex superioribus, quæ de intemperiebus sine materia dicta sunt,patet. Ideoque quæ intemperiei, quatenus talis, debeatur curatio, ex superioribus petatur: In sequentibus verò præcipuè, quid materia intemperiei coniuncta requirat, docebimus.

Faciemus autem initium de Intemperie capitis cum materiâ per consensum;vbi generales reuellendi,deriuandi,repellendi à capite leges trademus:reliqua,quæ materiæ in capite contentæ debetur curatio, communis est in capite genitæ vel cumulatæ, & aliunde communicatæ.

## QVÆSTIO I.

### *An pilulæ commodius, quàm aliæ formæ medicamentorum, ad caput euacuandum vsurpentur.*

*An pilulæ commodius capite euacuent, quā alia medicamenta.* Vulgata apud plurimos practicos est sententia,pilulas commodius, quàm electuaria, vel potiones,in capite purgando exhiberi, quòd fortiùs à capite & remotioribus attrahant,idque ideo,quod diutiùs in ventriculo

triculo morentur. Verùm hoc quidem concedimus, pilulas ad caput purgandum efficaciter exhiberi, sed nō faciunt hoc propter formam, verùm quia è fortioribus medicamentis constat. Quod autem propter formam ad caput purgandum, quàm aliæ medicamentorum formæ vtiliores sint, parùm rationi consentaneum est, & ex falsâ hypothesi nata est hæc opinio, quòd scilicet medicamenta in ventriculo hærentia, vitiosos humores è reliquo corpore ad se trahant. Neque enim medicamenta purgantia ad se ib ventriculo humores trahunt, (aliàs enim extra vmbilico & ventri applicata, manibus tractata, aut naribus ad olfaciendū admota non purgarent) sed quia sui aliquid in corpus transmittunt, quod humores peculiari vi, & ad singulos humores determinatâ fermentat quasi & quietos commouet; vnde facultas expultrix irritata & stimulata humores vitiosos cum medicamento purgante per aluum expurgat. De quo videantur Institut. *libr.* 5 *part.* 1. *sect.* 1. *cap.* 11.

## QVÆSTIO II.

### *Quo tempore pilulæ ad caput purgandum sint vsurpandæ?*

*Quo tempore pilulæ ad caput purgandum exhibēdæ.*

Non omnium eandem de tempore exhibendi pilulas fortiores ad caput euacuandum esse sententiam, qui scripta Medicorum seculorum superiorum legit, facilè animaduertit. Plerique in eâ fuerunt sententiâ, quā etiam in praxi ipsa secuti sunt, pilulas, quæ ex capite fortiùs trahere debent, (nam de lenioribus, & quæ saltem primas vias euacuant, hìc quæstio non est, eæque citra controuersiam hora vna ante cibum sumi debent) vna atque altera hora post cœnam exhibendas esse, eâ procul dubio ratione persuasi, quod crediderunt, cum cibi vaporibus vim medicamenti faciliùs ad caput ascendere, atque ita fortiùs à capite attrahere. Verùm posteriores Medici non sine caussa huic opinioni contradixerunt, & rectè olim iam etiā Paulus Ægineta, *lib.* 7. *cap.* 4. scripsit; qui vesperi medicamentum purgans exhibent, aut à cibo, noxam inferunt; quippe alimentum corrumpunt, minusque euacuant. Et reuera, si coctio nondum sit absoluta, alimentumque distributū, concoctio turbatur, minusque, quàm par est, operatur medicamentum, cibo à quo eiùs vis retunditur, permistum. Cibus quoq; nondū integrè coctus ad venas cum medicamēto purgante rapitur humoresq; vitiosi, qui purgante medicamento attrahuntur, chylo permiscentur, eumque inquinant. Ideóque commodissimum tēpus exhibēdi tales pilulas, vt & alia purgantia medicaméta, est matutinum, vbi concoctio iam absoluta est. Neque ratio, quæ illos mouit, alicuius momenti est. Nā humores vitiosi à purgante medicamento moti ad vias euacuationis non per œsophagū, per quē vapores ad caput præcipuè adscēdūt, sed per venas perueniunt: ideoque commodissimū purgationis tēpus est, siviæ illæ ómnes liberæ sint, & coctio in ventriculo absoluta.

## QVÆSTIO III.

### *Cui loco ad caput euacuandum cauteria in capite applicanda sint?*

*[...] cauteria [...]ura coro- [...]i adhi- [...]da.*

Duo loca, in quibus cauteria ad materiæ in capite euacuationem applicantur, à plerisque Medicis nominantur; occiput & syncipat, seu sutura coronalis; & de priore quidem loco nulla lis est, etsi, vt antea dictum, non ita commodus videatur, & setaceum ei præferendum sit. De loco verò in syncipite seu suturâ coronali Medici dissentiunt. Plurimi quidē fonticulos, qui in capite ad suturam coronalem, qua sagittali committitur, excitantur multùm facere ad eliciendos, reuellendos, euacuandosque humores, qui intus in capite sunt, ne detenti, aut deorsum descendentes varias corporis partes afficiant, statuunt; & hinc inprimis ad capitis morbos frigidos & humidos, vt dolorem capitis, vertiginē somnum profundum, paralysin, & ad morbos, qui ex detentis in capite humoribus, & ex fluxu eorū ad oculos, nares, aures, columellam, fauces, dentes, pectus, articulos vtiles esse tradunt, & quidem quinq; de caussis, vt Hieronym. Fabricius ab Aquap. *de operat Chirurg. c. de fonticulo in sutura coronali*, docet. Primò, quia hoc in loco faciliùs detinentur gestanturque fonticuli: Secundò, quia anterior capitis pars humidior est posteriore, & propterea maiore humorum euacatione indiget: Tertiò, quia hic locus minus durus & ad exhalationem humorum aptior est: Quartò, quia laxior & rarior est quàm cæteræ partes: Quintò, quia ibi adest vena interius per suturas penetrans, in nonnullis per caluariam, insculpto in eâ foraminulo; & proinde caluariâ eo loci combustâ & apertâ humores multi è penitioribus partibus profluunt: cuius rei exemplum *ibidem* adducit Fabricius, & propterea de loco illo exactè inueniendo *ibidem* pluribus agit. Alij, inter quos Montanus, *consil.* 36. 143. 170. Hieronym. Mercurialis *tom.* 3. *cons.* Fab. Pacius, *in lib.* 5 *method medendi, cap.* 13 & *in appendice ad libr.* 7 Ludou. Septalius, *animaduers. medic. lib.* 6. *num.* 107. (qui testatur, se 40. annis, quibus medicinam Mediolani fecit, nullum vidisse, qui ex hac cauterij applicatione quid commodi perceperit, aliquos verò in periculum, inflāmatione excitata, coniectos fuisse.) Zechius, *in consultationibus medicis, consultat.* 75. & alij cauteria huic loco applicata improbāt, ideo præcipuè, quòd cum summo periculo coniunctum sit hoc auxilium. Cum enim os hoc loco sit tenuissimum, & durior membrana per fibras, neruos, arterias, venas, pericranio connectatur, ignito ferro facilè inflammari, & cerebrum in consensum trahi potest. Refert idem Zechius, *consultat. prima*, pistorem quendā Bononiæ ab inustione hoc loco factâ, in phrenitidem eâdem die incidisse, ideóque idem in loco cauterij applicandi inueniendo manûs radicem summis naribus, non autem ad superciliorum intermedium applicare iubet. Secundò, quod difficile sit, humores in capite latentes, suaptè natura deorsum inclinantes sursum per suturas euocare. Et omninò hisce autoribus subscribo, & cum Zechio sentio, si ob euocandam ex alto materiam in cerebro hærentem, & cerebrum siccandum roborandumque, destillationem, quæ ἀθρόως in fauces aut thoracem ruit, cohibendam, aut symptoma aliquod quod subitò exsiccare iubet, quemadmodum in apoplexia & lethargicis affectibus fieri solet, vstio necessaria sit, vnicam eamque superficiariam & cutaneā sufficere; & tum tamen etiam cum summâ cautione, ne cerebrum vstione illâ lædatur instituendam esse. Vbi verò fonticulum excitare, eumque diutiùs apertū seruare animus, quò humores vitiosi à cerebro auertantur, potiùs in capitis parte posteriore, inter secundam & tertiā vertebrā cauterium applicari potest; cùm eundem vsum præstare possit, & sanè minore periculo applicari queat. Etenim cauteriū anteriori parti capitis applicatum, non tàm ex ipso cerebro, quàm ex illa venā, quæ eo loci ad cerebrum tendit, cuius mentionem fecit Hieronym. Fabricius ab Aquapendente, euacuare, atque ita humorū affluxum ad cerebrū potius impedire quàm è cerebro euacuare videtur. Cùm verò idem fonticulus in occipitio, vel setaceum excitatum, & quidē cum minore periculo præstare possit: meritò ad ista potius, vbi necessitas postulat; confugiendum videtur.

# CAPVT VI.

## *De Intēperie Capitis cū Materia per Consensum.*

*Intemperies capitis per consensum.*

Satis autē frequens est hæc intemperies, & hoc nomine omnem illā intelligimus, vbi caput à materia in

in partibus inferioribus generata, & ad caput adscendente afficitur. Capiti nimirum supremo corporis loco posito idem accidit, vt supra quoque dictum, quod in tuguriis tecto, ad quod fumi & vapores omnes feruntur & præterea per venas, arterias, vt & neruos, quos in omne corpus distribuit, cum omnibus ferè partibus consentit. Nã quidquid vaporis vel humoris in venis & arteriis est, vel ab aliis partibus, hepate, liene, corde, vtero, in eas effunditur, id omne liberè ad caput moueri potest. *Capitis cum ventriculo consensus.* E ventriculo verò non solùm per latam & patentẽ viam vapores ad caput adscendunt, sed & per neruos sextæ coniugationis cerebrum cum ventriculo consensum habet maximum. Rondeletius, *method.curand. morb.cap.5.* etiam per arterias & venas, quæ à vena porta originem trahunt, & exteriori ventriculi tunicæ inseruntur, materiam ad caput ferri posse docet. Et quidẽ cùm è ventriculo materia cerebro cõmunicatur, fit hoc, vel quia cibus est copiosus, & crudus, vel corruptus in eo continetur, vel quia humores vitiosi in eo abundant, vel quia venenum sumptum est.

*Cum intestinis.* Ab intestinis etiam materia quandoq; capiti communicatur, cùm scilicet vel vermes in iis delitescunt, vel humores vitiosi in iis hærent, vel feces & excrementa præter modum & tẽpus retinentur, vnde vapores multi ad caput eleuantur. *Cum Liene.* A Liene per arteriam magnam imprimis materia ad caput transmittitur. *Cum Renibus.* A Renibus per arterias & venas. *Cum Pulmone.* E pulmone per asperam arteriam halitus & vapores ad caput adscendunt. *Cum vtero.* Vterus quoq; præter vasa, per quæ cum cerebro consentit, vinculis spinæ dorsi robustissimis alligatur, & per ea cerebrum facilè in consensum trahit. *Cum diaphragmate.* Consentit quoque cerebrũ cum septo transuerso. *Cum extremis partibus.* Ab extremis etiam partibus per neruorum ductũ sæpe materia ad caput adscendit. Materiã tamen potiùs per vasa, venas & arterias communicari, cum verò, qui per neruos & spinalem medullam fit cõsensus, potiùs propter condolentiam fieri, nonnulli cẽsent: cùm pars ab acrimoniâ vel multitudine humorum vellicata, eam, cum qua communicationem habet, in consensum trahit. Quod vt facilius & expeditius fieri posse, omninò concedendum: Ita planè negandum nõ putarim, aliquid materiæ per neruos sextæ coniugationis & spinalem medullam cerebro quoque communicari: cùm manifestè in epilepsia id fieri videamus in quâ aura venenata sæpe ab extremis partibus per neruos vsque ad cerebrum adscendit,

## *Signa Diagnostica.*

*Signa capitis per consensum affecti.* Quomodo in genere, an cerebrum per consensum afficiatur, cognosci possit, præcedenti capite explicatũ est. In specie, si afficiatur consensu totius corporis, totius corporis affecti signa aderunt, vt plenitudo; & suppressa aliqua euacuatio, febris, crisis, mẽstrua purgatio, In hisce n. omnibus cùm humores in corpore turbentur, caput aut vaporibus, aut sanguine & sæpè cùm eo vitiosis humoribus repletur, & hisce malis sublatis capitis affectus cessat.

*Signa cerebri à ventriculo affecti.* Si à ventriculo cerebrum in consensum trahatur, eius affecti signa adsunt; praua concoctio, ob ventriculi debilitatem, aut cibum ac potum vel copiosum, vel vaporosum assumptum, cibi fastidium, nausea, ructus, ventriculi morsus & conturbatio. Interdũ diaphragmatis compressio & anhelitus difficultas, ex materia flatulenta in ventriculo contẽta. Et quidem si cibus crudus & copiosus sit in ventriculo, ex antecedente diæta id cognoscitur. Si verò cibus corruptus sit in ventriculo, adest nauseabunda satietas, ructus fœtidus, fumosus acidus, vẽtriculi morsus & circa præcordia dolor & anxietas, appetitus deiectio. Si materia biliosa sit, & in vẽtriculũ aliunde effundatur, vt in picrocholis, ascẽsus ille vaporum in caput sedatur humore prauo benigniore cibo depresso & mitigato. Augetur verò, cũ ventriculus cibo est vacuus, & post somnum, ac præcipuè inedia, cùm tum temporis bilis liberè ad ventriculum effundatur, & ad caput fumos mittat; à cibo verò vapores illi deprimantur, & acrimonia mitigetur; modò æger cibis boni succi, non acribus, qui acrimoniam bilis augere possunt, vtatur. Ructus, si accidunt, sunt fumosi, & amari, bilis quandoque vomitu reiicitur, oculis μαρμαρυγαὶ interdum obuersantur. Qui verò à pituitâ excitatur affectus, ventriculo vacuo & per famem sedatur; cùm ventriculus vacuus & à cibo liber, frigidos & crudos humores concoquere tentet: post cibũ verò magis inualescit, cruditate auctâ, dum ventriculus simul à cibo & pituitâ grauatur, & dum cibum & pituitam concoquere perfectè nõ valet, & debiliter in eos agit, multi vapores & flatus ad caput eleuantur, vt dũ ignis debilis in viridia ligna agens multos fumos excitat. Quãdoque tamen accidit, vt ventriculo vacuo & per inediã plurimi vapores ex pituita in ventriculo excitentur, & inde dolor capitis & vẽtriculi excitetur: quod fit, quando humor frigidus in ventriculo est copiosus, vt calor ipsum vincere & concoquere non possit, sed vapores & flatus multos ex eo excitet. Et tum cibus assumptus non integrè sedat dolorem ventriculi & capitis, vt in bile accidere solet, sed eum potius auget. Ea, quæ ventriculo prosunt, etiam caput iuuant, vt vomitus & alia & quæ ventriculi affectum augent, ea etiam capitis morbum augent. Et id, quo vomitu reiicitur, qualis humor sit, qui per consensum caput afficit, docet.

Interdum tamen accidit, vt cerebrum & stomachus simul afficiantur, & reciproca quasi fiat materiæ communicatio. Vbi diligenter attendendum, quæ pars primò afficiatur. Fieri enim potest, vt in cerebro leue aliquod, & nisi quis diligenter attendat, sensibus vix obuium vitium sit, & à cerebro debili materia in sanum ventriculum defluat, cuius continuo affluxu ipse ventriculus tandem delitetur, eius coctio lædatur, vnde vapores multi ad caput eleuantur, idque lædunt. In quo casu licet malo ventriculi remittente etiam caput melius habeat: tamen pars primò affecta non est ventriculus, sed cerebrum. Itaque diligenter perpendendum, an cerebri, an verò ventriculi affecti signa prius adfuerint. Si enim mali initium in capite est, principiò nullũ in actionibus vẽtriculi vitium apparuit, sed in capite potius ea præcesserunt, & capitis grauitas, somnus, vel aliarum capitis actionum debilitas vel vitium aliquod apparuit. Si venenum sit in ventriculo, eius signa aderunt, quæ suo loco proponentur. De quibus omnibus, plura de morbis ventriculi dicentur. Si ex vermibus caput afficiatur, signa vermium adsunt. Si humores vitiosi in intestinis hæreant, vel feces retineantur, etiam suis signis id facilè cognoscitur.

Si ex Vtero caput afficiatur, vel menses suppressi sunt, vel viduis ac cœlibem vitam agentibus semen retinetur, & alia signa vteri affecti adsunt. Caput verò imprimis in vertice afficitur, & quæ vtero prosunt vel obsunt, ea etiam capitis affectum minuunt vel augent. *Ab Vtero.*

Si ab hepate caput per consensum afficiatur, affectus is plerumq; occupat dextram partẽ capitis excrementa capitis sunt salsa & calida: Hepatis affecti signa adsunt, & ad hepatis morbum curatum vel diminutum capitis affectus imminuitur vel tollitur. *Ab hepat.*

Si à Liene, sinistra capitis pars magis afficitur & dolor, si adest, magis à cibo infestat, & eadem circa lienem occurrunt. *De quo vide quæstionem in fine capitis.* *A Liene.*

Si à Corde & arteriis caput in consensum trahatur, sanguinis feruidioris in corde & arteriis signa adsunt, & feruor in capite, & rubor in facie atque oculis apparet, & arteriæ in capite vehementius pulsant, & quæ feruorem sanguinis temperant, præcipuè prosunt. *A Corde.*

Eodem modo si à Pulmone sit affectus capitis, affecti pulmonis signa adsunt, & quæ pulmoni cõmoda vel incommoda sunt, eadem simul capiti prosunt vel obsunt. Simul etiam, si ex vesicâ vel renibus materia communicetur, earum partium affectarum signa aderunt. *A Pulmo.*

*Progno*

### *Prognoſticum.*

Facilius curatur, cæteris paribus, Intemperies hæc per conſenſum, quàm quæ per eſſentiam.

### *Indicationes & Curatio.*

*Capitis per cõſenſũ affecti curandi ratio.*

In omni capitis per conſenſum affectu hoc generale præceptũ eſt, vt partis mandantis, materiæ, quæ trãſmittitur, & capitis, partis recipientis ratio habeatur: niſi à criſi is proueniat. Nam ſi à critico humorũ motu aliquis affectus in capite excitetur, ſi natura rectè agat & humorem vitioſum è corpore euacuare conetur non verò errans ad caput traſmittat, de conſilio Hippocrat. 1. *Aphor.* 20. ad Galen. 1. *ad Glaucon.* c. 15. nullo modo criſis turbanda, neque repellẽtia, neq; alia adhibenda; ſed totum negocium naturæ rectè agenti committendum. Criſi n. abſolutâ affectus ille facilè euaneſcit niſi forſitan ex vehemẽti humoris ad caput motu præſentiſſimũ periculum, inflammationis ſcilicet cerebri & delirij lethalis immineat; quod ex vehemẽtiſſimo dolore, calore, & inſtante delirio cognoſcitur. Tum n. ne ob ſanguinis cum impetu ad caput ruentis copiã criſis vel nulla fiat, vel imperfecta, mediocriter repellentia adhibere vtile eſt, quæ affluxũ humoris ad caput non tollant penitus, ſed moderentur. Rarius tamen hoc accidit & cautè hîc agendum. Quòd ſi criſis nondum ſit præſens; ex motu tamen materiæ, quem natura criſin moliens inſtituit, vapores vel humores ad caput mittantur, perpendendum, per quæ loca natura criſin ſit inſtitutura, de quo in Inſtit. *lib.* 3. *part.* 3. c. 16. dictum. Et ſi natura ſit ignauior, ei ſubueniendum, vt per conuenientia loca humores vitioſos faciliùs expellat.

Si verò extra Criſin ſit, & partis mandantis & capitis recipientis habenda eſt ratio. Curandi verò ratio ſemper à parte inchoanda, quæ materiam ad caput tranſmittit, & pars mandans vulgò appellatur; niſi affectus ipſe tantus ſit, vt ad ſe curationem mox ab initio conuertere iubeat. Nam ſi multa materia in toto corpore, vel in parte aliqua contineatur, à quâ ea, quæ in capite eſt, foueatur, niſi prius totum vel pars, quæ materiam capitis morbo ſubminiſtrat, euacuetur, fruſtra in capite vel euacuando vel alterando laboratur.

*Reuellentia à capite.*

Deinde caput non negligendum, ſed eius ſimul habenda ratio eſt, ne humores ad id affluant, vel ab eo facilè recipiantur, vel in eo ſedem figant. Quod fit reuulſione, deriuatione, interceptione. Reuulſio fit venæ ſectione in brachiis vel cruribus inſtituta: cucurbitulis, dorſo, ſcapulis, brachiis, coxis ac cruribus admotis, tàm ſcarificatis, quæ fortiùs reuellunt, quàm non ſcarificatis, vel hirudinibus partibus inferioribus appoſitis: clyſteribus iniectis, purgantibus exhibitis, frictionibus crurum ante cibum, coxarum, dorſi; vinculis cruribus iniectis; lotionibus extremorum, veſicatoriis collo ac cubito applicatis; fonticulis item ſeu cauteriis. Cauteria autem ad excitandum fonticulum applicanda cruribus quatuor digitos infra genua, ſi à toto corpore materia capiti communicetur. Hoc n. modo & totum corpus euacuatur & à capite materia reuellitur. Quod etiã faciendum, ſi à partibus infra renes ob menſes vel hæmorrhoides ſuppreſſos, ad caput materia tranſmittatur. Nam ita & materia reuellitur, & menſtrua ac hæmorrhoides prouocantur. Si verò partes ſupra renes, vt & hepar & lien capiti materiam ſuggerant, in brachiis fonticuli excitandi, dextro quidem, ſi ab hepate, in ſiniſtro verò, ſi à liene.

*Intercipientia & Repellentia materiam ad caput tendentē.*

Intercipitur materia adſtringentibus collo adhibitis.

Repellitur à capite materia, & caput, ne facilè admittat, roboratur oxyrrhodinis & aliis repellẽtibus, refrigerantibus ac adſtringentibus adhibitis. Deriuatur materia, quæ in cerebro & eius mẽbranis eſt, apertis venis poſt aures, in fronte, ſub lingua, in naribus. Si quæ tandem materia in cerebro ſedem fixerit, euacuatur ea cùm ſenſibiliter, tùm inſenſibiliter, iis modis, qui capite præcedente propoſiti ſunt.

*Repellentia à capite.*

Quæ omnia qua ratione fieri debeant, poſtea in ſpecie patebit: de repellentibus ſaltem, & quæ humorum ad caput affluxum prohibent, in genere adhuc quædam addemus.

Cum reuellere incipimus ſeu ſanguinis miſſione, ſeu quocunque modo alio, ſtatim ſubiungenda repellẽtia. Si enim & reuellentia materiam à capite auertãt, & repellentia eandẽ repellant, faciliùs ſcopum noſtrum aſſequimur, caputque roboratur, ne tam facilè affluentem aliunde materiam admittat. Excipiunt tamen aliquos caſus Medici, in quibus non liceat adhibere repellentia, nimirum in febribus, cùm vaporibus exitum intercludant, & dolorem capitis ita augeant; quando euaporatio fit à toto in corpore plethorico; & quando catarrhus coniungitur, ne repercutientium vſu is augeatur. Matthæus de Grad. tamen, *in* 9. *Rhaſis in fin.* c. 1. Catarrhum nõ ſemper ſufficere putat ad prohibẽdũ repellentia, ſed monet, ſi materia biliosa ad caput tẽdat, vt de phreneſi ſit metus, ad prohibendam phreneſin & maius malum, non attendendum eſſe catarrhum, & minus malum, quod ex repellentium vſu euenire poſſet, ſed repellentia adhibenda eſſe. Imò & in reliquis caſibus idem obſeruandũ puto, & ſi ex motu materiæ ad caput graue aliquod malum metuendum ſit, nõ omittenda ſunt repellentia. Præſtant autem hoc medicamẽta refrigerantia & nonnihil adſtringentia, qualia ſunt *ſuccus portulacæ, ſemperuiui, polygoni, aqua roſacea, cui oleum roſaceum & aceti aliquid admiſtum ſit, ſuccus cucumeris, cucurbitæ, quibus etiam aliquid aceti, vel alterius adſtringentis medicamenti miſtum ſit.* Vbi nihil aliud ad manus eſt, poſca, id eſt, aqua frigida aceto mixta ſcopo huic ſatisfacere poteſt. In omnibus tamen capitis affectibus hîc commendatur oxyrrhodinum appellatum, quod conficitur ex oleo roſaceo, cui aliquid aceti admiſcetur, & quod ob adſtrictionem commodius ex oleo recenti, & quod annum vnum non exceſſerit, de quo *ſupra cap.* 1. plura dicta ſunt, quæ & huc referantur.

*De oxyrrhodinis notãdũ.*

Hoc ſaltem hîc addimus, in aceti electione hoc attendendũ eſſe, vt in bilioſâ & calidâ materiâ, ac vbi vigiliæ vrgent, acetum minus acre (acre enim caloris particeps eſt) eligatur, aut ſi acre ſit, minor eius portio admiſceatur: ſi autem materia ſit craſſior, acri & copioſiore vti licet.

Hoc quoque monendum ex Galeno, 2. κατ' τόπ c. 1. Si cranium vel cerebrum, vel eius membranæ vulnere aliquo detectæ ſint, acetum planè omittendum eſſe; quia, cum acre & mordax ſit, excitato dolore maiorem fluxum concitare poteſt. Conueniunt & alia refrigerantia & repellentia ſupra c. 1. propoſita.

Tandem quod in genere alibi in Inſtit. de repellentium vſu dictum, id in affectionibus capitis omnibus quoque obſeruandum, vt inter prima initia ſola repellentia adhibeantur; poſteà verò cum aliquid materiæ affluentis in capite receptum, quod ampliùs repelli nõ poteſt, mixta oritur indicatio; & materia, quæ adhuc fluit, repellenda, quæ verò iam influxit, diſcutienda digerentibus; atque ita mixta remedia adhibẽda; & quidem vbi à ſtatu remotior eſt morbus, repellentia præualere debent; vbi ſtatui propinquior, vel in ſtatu eſt, æquales vires habere debent medicamenta, & in declinatione, ac vbi materia iam ampliùs non affluit, ſola laxantia & diſcutienda adhibenda, atque vbi fluxus iã ceſſauit, materia, quæ in capite ſubſtitit, iis modis, qui capite præcedente propoſiti ſunt, tollenda.

*Materia à toto ad caput ruens quomodo reuellenda.*

Poſtquam hæc in genere de affectibus capitis per cõſenſum dicta ſunt, quædam adhuc in ſpecie addenda. Primò ſi caput per conſenſum totius afficiatur, quod ſæpe accidit in febribus, vnde dolor capitis & deliria excitantur: tum, quia in capite permanens cauſſa non eſt, magis incumbendum euacuationi & reuulſioni affluentis

affluentis materiæ, capútque per repellentia defendendum. Ideoque materia ad caput ruens venæ sectione in brachiis, vel talo & pedibus, clysteribus, purgatione, cucurbitulis, frictionibus, ligaturis, cruribus, brachiis, & dorso adhibitis, reuellenda; quem in finem etiam cubito extra applicantur vesicatoria ex cantharidibus & fermento, plantis pedum imponitur raphanus cum sale, ruta item contusa cum sale & fermento applicatur, vt extremitates venarum arteriarumque laxatæ ad se vapores proliciant, & à capite retrahant.

*Repellentia.* Interim dum hoc modo reuulsioni materiæ à capite studemus, simul repellentia & caput roborantia oxyrrhodina & alia supra *cap.* 1. & modò proposita applicanda.

*Intercipientia.* Ad intercipiendam verò materiam collo circa arterias & venas carotidas linteola succo lactucæ, vel aqua rosarum cum aceto madida, vel oleo rosarum, nymphææ, myrtino imbuta apponere licet.

Reliqua curatio ad ipsum principalem morbum dirigenda. Intus tum ea exhibere vtile est, quæ vapores, qui sursum feruntur, deprimant, conseruam rosarum, rob ribes, succum citri, granatorum, species diamargariti frigidi & similia. Quæ omnia locum habent, si, vt antea dictum, affectus capitis non à critica euacuatione proueniat. Tùm enim nihil agendum, sed totum negotium naturæ committendum. Si tamen natura nondum crisin tentaret, sed aliquam eius significationem præmitteret, vnde caput afficiatur, natura adiuuanda est, & leni aliquo medicamento ad conuenientia loca, quò natura tendit materia ducenda.

*Capitis per consensum ventriculi affecti curandi ratio.* Si ventriculo affecto caput in consensum trahatur, & quidem, si cibus vel potus plus nimio in ventriculo redundet, procuranda eius coctio, & inedia imperanda, vel si malum vrgeat, cibus vel potus statim vomitorio leni exhibito per os reiiciendus; vel vt maturè per aluum descendat, clystere aluus irritanda. Ita si cibus corruptus sit in ventriculo, similiter vel vomitorio eiiciatur, vel, si homo ad vomitum aptus non est, leni purgante exhibito, vel clystere iniecto per aluum educatur. Et quantum fieri potest absque cibo æger somno & quieti se dedat, aut si dormire non possit, leniter ambulet, donec cibus vel coquatur & à natura superetur, vel ad intestina descendat. Cibo vomitu eiecto vel per aluum euacuato, ventriculus internis & externis roboretur, &, vt suo loco dicetur, curetur.

*Nidorosæ cruditatis remedia.* Inprimis verò considerandum, an in ventriculo cacochymia & cruditas sit nidorosa vel acida. Si enim nidorosa cruditas & humores biliosi ac mordaces in ventriculo abundent, & vapores congeneres ad caput inde adscendant, euacuandi illi syrupo rosarum solutiu. mannâ, cassiâ. Ad vapores verò reprimendos & extinguendos, ac præterea vias coarctandas aq. frigidæ potus in assuetis vtilis est. Item syrupus de rosis siccis, granatorum, acetositatis citri, myrtillorum, cum aqua plantag. lactucæ, portulacæ.

*Acidæ cruditatis remedia.* In acida verò cruditate & pituitosis humoribus conuenit mel rosarum solutiuum, hiera simplex Galeni, diaphœnicum. Ad flatus verò ab hoc humore natos discutiendos vtile est anisum, cuminum, chamæmelum, mentha, cortices citri, diagalanga, dianisum. Mercatus ad flatus in ventriculo discutiendos commendat aquâ calidissimam, quæ præterquam, quòd malitiam humorum retundat, coctioni etiam plurimum prosit, ventriculum abluat, & ad euacuationem non parum iuuet, & actuali caliditate flatûs, antequam in ventriculum irruant, mirum in modum discutiat. Idem in vtraq; caussa, & in quacunq; intéperie, quæ ex inferiorum viscerũ consensu oritur, se feliciter vsũ fuisse his pilulis scribit:

℞. *Folior. senæ* Vnc. vi. *passular. mundatar.* ℥. iii. *glycyrrhiz.* ℥. iß. *folior. fumariæ, borrag. betonic. cichorij, absinthij*, an. ℥. i. Coque in vase clauso in aqua borragin. fumar. aut absinthij.

Decocti ℞. Vnc. viij. In iis macerato *rhabarbar.* ℥. iß. *schenanth.* Scr. i. Colat. adde *specier. hieræ Galeni* Vnc. j. agitentur donec puluere s humorem assumpserint, & additâ syrup. ros. solutiu. f. q. F. Massa.

A cibo exhibeantur, quæ adscendentes vapores reprimunt, & os ventriculi claudunt:

Vt ℞. *Coriand. præparat.* Vnc. iii. *cinamom. sem. anisi* an. Vnc. ß. *fœniculi*, ℥. iß. *cumin. aceto præparat. carui* an. ℥. ß. *rosarum rubrar.* ℥. i. *mastich.* Scr. i. *sacchari albissimi vel manus Christi per lat.* Vnc. i. F. puluis, in cruditate acidâ & humore frigido.

Vel ℞. *Conseru. rosar.* Vnc. ii. *betonic. carnis citri conditæ* an. Vnc. i. *myrobal. emblic. condit.* Vnc. ß. *diacydon. sine speciebus. sem. coriand. præpar.* an. ℥. i. *corall. rubr. præparat.* Scrup. ii. *mastich.* Scrup. i. Cum syrup. cydoniorum. Fiat Electuarium, in cruditate nidorosa.

℞. *Coriand. præparat* Vnc. ii. *sem. anisi* Vnc. ß. *cinamom. specier. diarrhod. glycyrrhiz.* an. ℥. ii. *sacchar. rosat. tabulat. ad pondus omnium.* Fiat puluis post pastum.

Reliqua, quæ huc faciunt, patebunt ex doctrinâ de ventriculi intemperie cum materiâ.

Vermes, si tetros vapores ad caput mittunt, interficiantur, & è corpore exturbentur, vt suo loco dicetur.

Eadem ratione & aliæ partes, à quibus cerebrum per consensum afficitur, hepar, lien, renes, vterus, curentur, vt de singulis suo loco dicetur. Quòd dum fit, id quod antea in genere præceptum est, semper obseruandum, vt caput, quod pars recipiens est, non negligatur, sed ab ipso materia reuellatur, repellatur, ipsumque, ne humores & vapores admittat facilè, roboretur, & materia, quæ in id affluxit, modis antea dictis euacuetur, tandémque intemperies, si quæ reliqua est, contrariis alteretur.

*Ab Vtero.* In specie si ab Vtero materia cerebro cõmunicetur, cucurbitulæ spinæ propè anũ & intra coxas versus pudenda admotæ reuellendo plurimum præstant. Si materia, præcipuè vaporosa & calida in venâ cauâ & arteriâ magnâ lateat, vel per eam adscendat, spina secundũ longitudinem, sub quâ trunci venæ cauæ & arteriæ magnæ latent, refrigerantibus inungenda est.

## QVÆSTIO.

### *An cerebro consensu Hepatis affecto dolor & molestia in dextrâ capitis parte; Lienis in sinistra; Vteri in vertice & syncipite percipiatur?*

Communis ferè Practicorum sententia est, si caput hepatis consensu afficiatur, in dextra parte dolorem & molestiam magis percipi; si ob Lienem afficiatur, in sinistra; si ob vterum, magis in vertice. Dissentit verò ab hâc sententia Rondeletius, *method. curand. morbos, c.* 5. statuitq; dolorem, qui ex consortio hepatis & Lienis in capite suboritur, non dextram potius, quàm sinistram partem occupare, nec aliã partem præter anteriorem ei assignandã in qua omnis materia, quæ ab inferioribus partibus sursum fertur, subsistit, ob causas quæ postea ex Galeno 1 *Epid. comm.* 1. *text.* 2. afferentur. (quo loco etsi Galenus tantum de dolore per vteri consensum agat, causæ tamen, quæ ab eo afferũtur, communes sunt omni dolori; qui per materiæ ab inferioribus transmissionem fit) Etsi enim ab hepate facilius per venã cauam, à Liene per arterias materia sursum ad caput feratur: tamen cùm vena caua arteriaq; magna tantùm iuxta iugulũ diuidantur, dextrámq; & sinistram arteriam & venam in caput mittant, caussam esse nullam putat, cur, quod à iecore & liene demandatur per hanc potius, quàm per illã viam ad caput perueniat, & in dextrâ potius, quàm in sinistrâ parte dolorem excitet; nisi forsitã casu vel aliquã aliã læsione pars vna debilior sit quàm altera, vt faciliùs id, quod ab inferioribus transmittitur, suscipiat.

ſuſcipiat. In conſenſu verò per vterum diſtinctionem adhibet. Caput in vertice & ſyncipite ab vtero magis affici, tum tantùm verum eſſe putat, cùm materia per arterias & venas ad caput tranſmittitur. Nam, vt Galenus, 6. *Epid. comm.* 1. *text.* 2. docet, vapores calidi per arterias ad caput eleuantur, arteriæ verò per collum ab vtráque infundibili parte rectà in ſynciput diſcurrunt. Præterea & ſanitatis tempore tenuia ac calidiora cerebri excrementa maximè per ſyncipur difflari ſolent: ſiquidem eò loci ſuturæ ſunt laxiſſimæ & ipſa caluaria ſubtiliſſima, plurimíſque meatibus peruia. Adhæc multa ſéſu prædita corpora per ſuturas euadũt, quæ ad dolorem percipiendum ſunt aptiſſima. Imò non per arterias ſolùm ad caput vapores mittuntur, ſed & per venas, ac in ſyncipite & vertice ſedem figunt, & diſtẽſionẽ faciũt, eò quòd venæ, quæ ſinus duræ meningis cõſtituunt, ibi deſinãt, potiſſimúmque tertius & quartus. Si verò cerebrum ab vtero in conſenſum trahatur, non per fumos & vapores per vaſa tranſmiſſos, ſed per condolentiam, quæ fit ob connexionem ſpinæ cum vtero, tum dolor & moleſtia magis in occipite percipitur; & hoc vnum peculiare habent hi dolores, qui ab vtero per cõſenſum ſpinæ fiunt, quòd in occipite magis percipiuntur & initium faciunt, cùm reliqui omnes, qui per fumos & vapores tranſmiſſos, imò & per humores in capite collectos fiunt, ob cauſſas à Galeno modò allegatas in ſyncipite & vertice magis percipiantur.

Et quidem vterum quod attinet, facilè Rondeletio aſſentimur, & conſiderandum putamus, an conſenſus capitis & vteri fiat per venas & arterias, an per ſpinam. In priori enim magis verticem & ſyncipur, materiâ ad caput per venas & arterias tranſmiſsâ, in poſteriore occiput, capite per ſpinam in conſenſum tracto, affici putamus. Et quidem cùm cerebrum per ſpinam conſentit, quia vterus membranosâ conſtat ſubſtantiâ & nerueâ naturâ intextâ, ſeu per condolentiam neruoſum genus in conſenſum trahere poteſt, ſeu per materiæ alicujus communicationem. Etſi enim corpus totum eſt ξύῤῥοον καὶ ξύμπνοον: tamen neruoſa neruoſis & cerebro facilius aliquid communicant, quàm aliis partibus, vt in Epilepſia, quæ fit à partibus extremis, fieri videmus, vbi aura illa maligna per neruos cerebro, non cordi vel alteri parti communicatur.

Hepar verò & Lienem quod attinet, etſi verum eſſe concedimus, plerumque per vaſa, arterias & venas materiam ab hiſce viſceribus communicari, & non magis ad dextram quàm ſiniſtrâ ferri, & inde dolorem in ſyncipite excitari: tamen experientia ipſa teſtatur, ſæpiſſimè in dolore per conſenſum, nunc partem dextram, nunc ſiniſtram affici; quod non ſolùm fit, quòd hæc vel illa pars debilior ſit, ſed ob Hepatis & Lienis cũ dextrâ & ſiniſtrâ conſenſum. Si autem porrò quæratur, quomodo ille conſenſus fiat, vix alia cauſſa dari poteſt, quàm ξύῤῥοια & ξύμπνοια Hippocratis, quæ fit κατ' ἴξιν, quâ dextra dextris, ſiniſtra ſiniſtris reſpondent.

---

## CAPVT VII.

### *De Intemperie cum vapore & ſpiritu flatulento.*

*Intemperies capitis à vapore & flatu.*

POſtquam iſta in genere de Intemperie capitis cum materiâ, ſeu in eo genitâ & cumulatâ, ſeu aliunde tranſmiſsâ diximus: Proximum eſt, vt pro diuerſitate materiæ caput afficientis, iſta in ſpecie explicemus. Initium autem facere libet de Intemperie cum vapore & ſpiritu flatulento.

### *Cauſſa.*

*Cauſſa.*

Flatus autem & vapores vel in ipſo corpore generãtur, vel extra in caput admittuntur. Primò ſi in corpore generatur flatus & vapor, Intemperiem hanc excitant; quæcunque flatum vel vapores gignendi aut concitãdi vim habent. Flatus autem generantes cauſſæ duæ ſunt: Agens, ſcilicet calor imbecillis, qui materiam quidem rarefacit, diſcutere verò nequit; & materia ad flatum generandum apta, vt cibi flatulenti & humor pituitoſus ac melancholicus. Pro natura tamen humorum, è quibus eleuantur, eſt flatuum & vaporum differentia. Flatus equidem ex humoribus frigidis, craſſis & viſcidis ac glutinoſis eleuãtur, & proptereà difficilius reſoluuntur: vapores verò & à frigidis humoribus, & à calidis, ſanguine & bile excitantur. Vapor verò is vel ſpiritus flatulentus aliquando in ipſo cerebro generatur, ob aliquam ejus intemperiem, ob quam alimentũ, ex quo alendum erat, ex parte in flatum conuertitur; quò etiam faciunt venti, qui per aures & nares admiſſi cerebrum afficiunt, vt & frigus externum: vel in reliquo corpore generatus ad caput mittitur, idque fit, vel ex toto corpore, vel aliqua parte. Humores quoque commouet, & vt inde vapores ad caput eleuentur, facit ira, exercitium corporis nimium, aër calidior, balneum à cibo.

Secundò etiam extrinſecus flatus & vapores in caput admitti poſſunt. Primò quidem venti cùm auſtrales tum boreales, per aures & nares in caput admiſſi, id replent. Deinde vapores aliarum rerum frigidi, calidi, humidi, interdum etiam maligni, vt vapores ex locis paluſtribus & limoſis, vapores rerum, quæ ſuauem quidem habent odorem, ſed fortem, vt camphoræ, moſchi, croci, ſcarleæ, menthæ, & ſimilium; vapores rerum fœtidarum, vt allij, caulium, folior. nucum, cannabis, lini & ſimilium, carbonum item fumus, & candelarum exſtinctarum; maligni, ex cadaueribus, interdum & fodinis metallicis.

### *Signa Diagnoſtica.*

Cognoſcitur flatus vel vapor in cerebro, quòd ſenſus tenſionis ſine grauitate percipitur; quòd affectus, quem excitat, ſubitò naſcitur & remittit, quòd facilè de loco in locum mutatur. Vapores etiã & flatus in capite præter dolorem, quẽ diſtendendo membranas pariunt, ſonitum & ſibilum in auribus, vertiginem, incubum, ſopotem, epilepſiam, apoplexiam etiam excitare poſſunt. Sæpè quoque venæ in collo intumeſcunt, & inflatæ apparent, pulſatio arteriarum capitis eſt fortior, maximè ſi in arteriis ſit materia peccans; quandoque etiam imaginatio, ſpiritibus turbatis, corrumpitur & deprauatur; excrementa è capite ferè nulla excernuntur, niſi vapores tandem in humorem degenerent. Præceſſerunt cauſſæ flatus generantes modò dictæ, vt materia craſſa & flatulenta, ac calor imbecillis; vini potentioris, aut cibi flatulenti aut vaporoſi vſus; adeſt febris; inſtat criſis vel menſtrua purgatio. Quòd autem flatus vel vapor in ipſo capite ſit genitus, & non aliunde tranſmiſſus, ex eo cognoſcitur, quòd nullus ſonitus aut inflatio in ventriculo aut partibus vicinis percipitur, & neque propter ciborum repletionem, neque inanitionem, vel ſymptomatum, quæ flatus in capite excitant, remiſſio, vel augmentum percipitur. Præceſſit capitis grauitas, & aliquis ſenſuum ſenſim læditur, leuíque de cauſſa malum inde excitatum recurrit. Si autem flatus & vapor ab aliis partibus ad caput feratur, partium affectarum notæ indicabunt locum, à quo flatus attollitur. Venæ in collo ſæpe tenduntur, vrinæ in ſuperficie bullis repletæ ſunt.

*Vaporum & flatuum caput afficientium ſigna.*

Et cùm flatus non ex ſeipſo originem habeat, vidẽdum, quæ ſit materia, à qua reſoluitur, & an cum caliditate vel frigiditate ſit conjunctus, id quod ex iis cognoſcitur, quæ de ipſis humoribus poſtea tradẽtur. Ipſi tamen vapores etiã, cujus humoris ſoboles ſint, produt. Pituitoſi enim flatus & vapores tardiùs mouẽtur quàm bilioſi, grauitas capitis major adeſt, cum quâdam in ſomnum propenſione, tenebræ ſi oculis oborian-

tur,diutius durant: biliosi mordaces ſunt & acres,citò euaneſcunt:melancholici triſtitiam excitant,fixi ſunt. Melancholia enim ad euaporandum minùs apta. Qui à ſanguine ſunt,mites ſunt,temperati caloris,& magis quantitate quàm qualitate moleſti,ſomnum excitant.

Sunt quoque ſigna,quæ docent,per quas vias vapor & flatus ad caput adſcendant.Nam ſi per partem anteriorem adſcendunt,percipitur tenſio thoracis,& quidē, ſi per arterias latentes in profundo, quaſi chorda cum pulſatione tendens apparet,ſi per venas, ſine pulſatione id fit. Si per partem poſteriorem,tenduntur venæ & arteriæ in eâdem parte. Si fiat aſcenſus per venas & arterias manifeſtas in collo vel facie, tenſio vel pulſatio ibi deprehenditur.

### *Prognoſticum.*

Non ægrè curatur à vaporibus & flatibus orta intemperies,modò materia & pars,vnde proueniunt, cognoſcatur,& facilè curari poſſit. Tamdiu enim durant, quàmdiu humor,à quo attolluntur.

### *Indicationes.*

Materia,è qua flatus eleuatur,ſiue ſit in capite, ſiue in reliquo corpore,euacuanda; flatus & vapor à capite auertendus,repellendus,intercipiendus, diſcutiendus; caputque alterandum & roborandum:Si tamen vaporum & flatuum commotio valdè vrgeat, vt ea ſedetur quamprimum opera danda:ſi extra flatus in caput admiſſus ſit,is diſcutiendus & caput alterandum.

### *Curatio.*

Ideóque primum videndum, qualis materia ſeu in toto ſeu in capite abūdet, & flatibus ac vaporibus materiam ſuppeditet,eáque euacuanda,vt ſequentibus capitibus dicetur,tùm venas ſecando,tum purgando,tum etiam particulares capitis euacuationes inſtituendo.

*Vapores in capite diſcutiendi.* Quibus expeditis, ſi in capite flatus ſit genitus, ex materiâ frigidâ & humidâ,caput fouēdum decocto *florum chamameli,anethi,rutæ,folior.lauri,flor.meliloti. ſem. cumini,fœniculi*,vel inungendum *oleo anethino, chamæmelino,irino,rutaceo*: vel imponatur ſacculus ex milio, ſale & dictis modò plantis.

Vt ℞. *Milij torrefacti* M.ß.*flor.cham.melilot.roriſmarini,ſtœchad. Arabic.pulegij*,an.P.j. *ſem.cumini, anethi*, an.Drach.j.Fiat ſacculus.

Olfacienda exhibeantur; *Majorana,roſmarinus,radix ireos,caryophylli,caſtoreum,ol.ſaluiæ*.Auribus inſtilletur *oleum rutaceum,ſaluiæ, chamæmelinum,anethinum, amygdalar. amarar.* vel moſchus & caſtoreum lanæ bombicinæ inuoluta aurib. indantur. Et alia, quæ in Intemperie cum Pituita proponentur, vſurpentur,vbi flatus eſt à materia frigidâ.

*Vapores à capite auertendi.* Si verò aliunde flatus vel vapor ad caput eleuetur, curatio ab iis inchoāda,quæ materiam,quæ flatus ſuppeditat,euacuant, & quæ flatus & horum materiam à capite deorſum trahunt, quæque humores & vapores ad caput tendentes repellunt. Ideóque commodiſſimè initio vſurpantur clyſteres paulò fortiores, qui materiam, quæ in inteſtinis & circa meſenterium eſt, euacuant,& ne ad caput feratur, potenter reuellunt. E.g. fiat talis Clyſter:

℞. *Mercurial.betom.*an.M.ij.*flor. chamæmel.*M.j.*meliloti*,M.ß. *ſem.fœniculi,cumini,carui*,an.Drach.ij. Coquantur in aqua ſimplici. Colat. ℞.℔.j. *Benedictæ lanat.* Drach.ſem.*elect.diaphœnic.hieræ ſimpl.*an.Drach.ij. *olei chamæmel.anethini* ana Vnc.i.Fiat Clyſter.

Si Intemperies capitis calida adſit quæ motū ad caput vaporum adjuuat,eóſque attrahit, oxyrrhodina vel alia repellentia, ſuprà *cap.* 1. propoſita, vſurpanda, quæ intemperiem capitis corrigant;idque roborent,ne eos facilè recipiat.Imò collo eadem ad inhibendum vaporum adſcenſum, applicare vtile eſt. Vt & ligaturas in partibus adhibere,à quibus vaporem adſcendere cognitum eſt.

Neque inutile fuerit medicamēta.quæ vapores ſupprimunt,adhibere:inter quæ ſunt conſeruæ roſarū,rob ribes,myrobal.conditæ,corallia,ſpiritus vitrioli,ſalis,& ſimilia. Reliqua etiam curatio eo modo, qui mox de humoribus tradetur,perficienda,& humores,qui vel in ventriculo,vel venis meſaraicis, vel circa vterum, vel in habitu quoque corporis continentur, à quibus vapores hi attolluntur,expurgandi,& vnà cum vaporibus à capite auertendi ſunt,per venæ ſectionem, ſcarificationem,frictiones, purgationes, vomitus & alia,quæ deinceps proponentur. Hoc ſaltem obſeruato, vt medicamentis ea admiſceantur,quæ flatus diſcutiunt,cujuſmodi ſunt *Semen aniſi,fœniculi,carui,cumini, dauci, ſeſeleos,ammeos,anethi,rutæ,acorus conditus, cubebæ,galanga,juniperi baccæ,leuiſticum, baccæ lauri, ſpecies diacalaminthæ,diacymini,dianiſi,aromatici roſati,diamoſchi amari,diagalangæ*,& alia. quæ flatus craſſos in inteſtinis & ventriculo diſcutiunt.

Videndum tamen,qualis ſit materia.Si enim ſit calidior,& ab humoribus bilioſis & mordacibus vapores eleuentur, à calidis abſtinendum, & vtendum ſyrupo granatorum, limonum,citri, acetoſellæ, quibus vaporum ad caput adſcenſus prohibeatur.Caput quoque oxyrrhodino tunc fouendum. Tandem flatus diſcutiendi medicamentis modò enumeratis.

Et cùm ex ventriculo ſæpius vapores ad caput adſcendant,illúdque repleant,ejus tum inprimis habenda ratio, ac medicamenta, quæ vapores è ventriculo adſcendentes ſuppriment, exhibenda: de quo *cap.præcedente* dictum. De coriandro ad vapores è ventriculo adſcendentes ſupprimendos vſurpando vide paulò poſt *quæſtionem.* Auicennas *prima tertij, tract.* 2. *cap.* 19. & Meſues *diſtinct.* 12.*Antidotarij*, ſi cauſſa mali ſint flatus in ventriculo, valde commendat *oleum de kerua*, ſeu granis cataputiæ majoris,vtpote quod craſſos flatus diſcutit & phlegma craſſum attenuat, ac propterea dolori ſtomachi, vt & capitis, ex hâc cauſa orto prodeſt, ſeu ventri inunctum ſeu bibitum, ſeu clyſtere injectum. Auicennas *loc. alleg.* ad flatus diſcutiendos etiam adhibet balneum ſiccum,præcipuè jejuno ſtomacho vſurpatum.

Tandem ſi flatus & vapor extrinſecus in caput penetrauerit,& quidem ſi vetus cauſa mali ſit,cōſiderandum,an fuerit auſtrinus & calidus, an verò frigidus & borealis;& an per nares,an verò per aures magis ad caput penetrauerit.Si calidus, in aures inſtilletur oleum chamæmel.anethin.cum roſac.mixtū tepidè,vel ex iiſdem medicamenta naribus admoueatur.Etſi enim cauſa ſit ventus calidus:tamen cùm animus ſit flatum diſcutere,non aures ſtipare & concludere, moderatè calidis vtendum. Si verò ventus fuerit frigidus, calidiora adhibenda,ea ſcilicet, quæ ſupra in Intemperie capitis frigida,& anteà in hoc ipſo capite ſūt propoſita,& modis ibi explicatis. *Intemperies capitis à vento.*

*Caput ab odoribus repletum.* Si à bonis odoribus caput ſit repletū, qualitates odorum perpendendæ,& frigida calidis,humida ſiccis opponenda.Si verò odores mali & graueolentes fuerint,etſi ferè calidi ſint; cùm euaporabilia ad caliditatem inclinent;tamē ſimpliciter frigida olfaciēda non ſunt;cùm vapores in capite retineant & eorum diſcuſſionem prohibeant: ſed moderatam caliditatem habere debent; niſi forſan magnus caloris exceſſus ſit: tum enim oleum cucurbitæ, violar.& ſimilia narib.attrahenda,& aër ipſe,qui inſpiratur,refrigerandus,vt ſupra,*c.*1.dictum.Si vapores maligni ſint,non ſolùm contrariis qualitatibus prædita naribus ſunt attrahenda, verùm cùm maligna qualitas plerumque altius in corpus ſeſe inſinuet,ea quoque,quæ peculiari vi malignitati illi reſiſtunt,exhibeantur.

*Caput à v...* Cōtra vapores metallicos,mercuriales & arſenicales commendatur

*poribus metallicis affectum vt curandum.* commendatur Zedoaria; item hoc Electuarium, de quo mane portio auellanæ magnitudine sumenda, & naribus quoque aliquid illinendum.

℞. *Ally, nucum juglandium* an. M.ß.

Contundantur & super igne cum melle despumato misceantur; addantúrque *theriac. optima* Dra.ii. *zedoariæ, garyophyll. macis* an. Drach.j.F. Electuarium.

De his vide Auicennam, *prima tertij, tract.2.cap.*20. 22. 23.

*Suffocati à fumo carbonum.* Tandem vapores illos quod attinet, qui ex carbonibus accensis periculum suffocationis inferũt, etsi & illi intemperiem cerebri & spirituum procul dubio etiã aliquando mutant, & procul dubio narcoticã vim cõjunctam habẽt: tamen quia etiam replendo, & angustiam pariendo nocent, dicemus de curatione à vapore carbonum penè suffocatorum infra, *c.17. de angustia cerebri.*

Quantum ad curandi rationem attinet, danda opera, vt quãprimùm illi vapores discutiantur. Itaque æger statim in aërem liberum deducendus vel deportandus est, & aliqua vitæ aqua præstans, quæ vapores illos discutiat, adhibẽda, cui aliquid theriacæ addi potest. Hinc vomitorium cum oxymelite exhibendum, & tandem sternutatorium naribus inflandum & oleum destillatum, vel balsamum rutæ, saluiæ, vel aliquid simile naribus inungendum; neque omittendæ reuulsiones per clysteres, frictiones & similia.

### *Diæta.*

Abstineat æger à cibis flatulentis, & iis omnibus, quæ caput replere possunt, & supra, *c.1.* proposita sunt. Si causa aliqua euidens, quæ humoribus & spiritibus in capite & corpore commotis, vapores & flatus excitauit, adsit, vt Solis radij & æstus, motus violentus, ira, vini potentioris vsus, odores vehementes, capitis agitatio, inspectio rerum, quæ velociter mouentur: causæ hæ omnes remouendæ sunt. Caput muniendum à frigore, ne vapores concludantur & retineantur; fugienda crepusculi aura, & venti australes, aërque nebulosus & crassus, lunæ ac Solis radij. Si à pituita sit flatus, cibi condiantur flatus discutientibus. Aluus seruetur aperta, cœna sit frugalis, & post cibum non bibatur, nec à cœna statim dormiatur. Nihil enim æquè caput replet ac somnus & potus post cibum. A cibo studia grauiáque negotia ac seriæ cogitationes omittantur, ira & tristitia vitetur. Caput sit quietum, nihílque capite inclinato agendum vel adspiciendum.

### QVÆSTIO.

### *An coriandrum ad supprimendos vapores è ventriculo adscendentes sit vsurpandum?*

*An coriandrum vapores supprimat.* Apud plerosque Practicos ad supprimendos vapores è ventriculo adscendentes & coctionem ventriculi adjuuandam coriandrum dari, notissimum est. Sunt tamen quidam, inter quos P. Salius Diuersus, *in annotat. in Altim. cap.*18. qui ejus vsum improbant, ideo quòd non tantùm non prohibeat ascensum vaporum ad caput, sed & suâ naturâ maximè caput petat, vapores alios secum ad caput ducat, & si largius sumatur, delirium inducat, vt Dioscor. *lib.6.cap.9.* docet. Et de aliis quoque Coriandri facultatibus Medici discrepant, aliique calidum, alij frigidum esse putant: de quo Matthiolus, *in Diosc. lib.3.cap.*57. Verum enimuerò si quis odorem, saporem, aliásque coriandi qualitates perpendat, facilè animaduertet non frigidum, sed calidum esse; de quo tamen hic controuersia præcipua non est. Verùm ejus vim, quâ caput petit, quod attinet, est ea, si immoderatè sumatur, cum croco, nuce mosch. thure & similibus ei communis. Moderatè tamẽ sumptum propterea non rejiciendum, præcipuè præparatum. Vaporosum enim illud & volatile, vt loquuntur Chymici, quod est in Coriandro, quódque caput immoderatè sumptum instar veneni lædit, ab aceto figitur & corrigitur, vt vtile ad ventriculum roborandum, concoctionem adjuuandam, cor & cerebrum mundandum fiat remedium, quod ipsa experientia testatur. Quod cùm non attendunt Chymici quidam, qui oleum coriandri destillatum quasi egregium confortans exhibent, illud ipsum, quod cerebro adeo noxium esse, non sine caussa scripsit P. Salius Diuersus, propinant.

## CAPVT VIII.

### *De Intemperie Capitis cum Sanguine seu Plethora.*

### *Caussæ.*

*De Intemperie capitis cum sanguine.* INtemperies hæc calida & humida est, qualis sua natura est sanguis: Ad sanguinis autem in capite copiam cumulandam faciunt omnes plethoræ & sanguinis in corpore abundantiæ caussæ, quas *lib.2. Institut. part.2.c.3.* recensuimus. Ad caput verò copiosiùs fertur & attrahitur sanguis calore, dolore, ira, mentis nimiâ intentione, corporis exercitatione nimia, vini generosi potu, acribus calidísque fumis & odoribus; & faciliùs affluentem sanguinem caput admittit, si laxius sit vel debilius.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa sanguinis in capite abundantis.* Adest capitis grauitas & tensio, præcipuè flante austro; vasa in capite distenduntur, oculi & facies inflantur, rubent, venæque in iis conspicuæ sunt; calor capitis mitior est: quæ omnia certum signum exhibẽt, modò non ab alia causa externa proueniat. Nam ira & erubescentia, corporis item motus vehementior, potus vini potentioris, febris, calor externus, balnea, & quæcũque alia sanguinem calefaciunt & fundunt, eum ad exteriora mouere possunt, licet sanguis in corpore non abundet. Contra timor, mœstitia, externum frigus, sanguinem, quamuis ille subsit multus, ad interiora reuocant. Vt igitur certum ex calore & colore corporis & capitis peti possit signum, expectandum, secundum Galeni consilium, donec animi & corporis motus sedentur, antequam feramus inde aliquod judicium.

Notandum & hoc, etsi interdum sanguis in capite non peccat, sed alius humor, bilis, pituita, melancholia: tamen si à tali humore dolor diuturnior excitetur, fieri potest, vt doloris occasione tenuior sanguinis pars ad caput attrahatur, ad cujus præsentiam rubeat & caleat. Verùm symptomata isthæc tum non sunt diuturna, & quis humor adsit, ex aliis quoque signis discernere non difficile est.

Sanguinis etiam in cerebro copia interdum somnum longum, interdum deliria, eáque cum risu & hilaritate aliquâ, insomnia cum spectris & visis rubris: si tamen sanguis est tenuis, in vigilias propensionem excitat, & proinde modò in somnum ruunt, modò mox expergiscuntur; pulsus arteriarum in temporibus magnus est & plenus.

Dolor, qui adest, magis in parte anteriore percipitur, & præcipuè ab hora nona noctis vsque ad tertiam diei; nonnunquã & sanguis è naribus effunditur: vrinæ, si in toto simul sit plethora, sũt subrussæ & crassæ: excremẽta, quæ à cerebro proueniũt, probè cocta sunt, moderatè crassa, nõ salsa, sed potius dulcia. Præcessit victus ratio sanguini copioso gignendo apta, cõsuetæ sãguinis euacuationis suppressio; ætas & temperamentum ad sanguinẽ copiosũ gignẽdum apta sunt, & aliæ plethoræ caussæ præcesserũt. Ab euacuatione sanguinis æger melius habet, vt & inediâ & victus ratione frigidiore. Nocet satietas, crapula, ebrietas, sãguinis euacuationis consuetæ suppressio, & capitis ac totius calefactio.

### *Prognoſticum.*

Non contemnendum hoc malum eſt, ſed ſtatim curandum;etſi ſit ſine febre:quia facilè ſanguis in iſta plenitudine extra vaſa lapſus inflammationem cum febre,vel graues capitis dolores,vel alias graues affectiones inducere poteſt. Et ſi pulſus inualeſcat, inflammationem inſtare indicio eſt.

### *Indicationes.*

Sanguinis copia eſt imminuenda,& ſi is ab inferioribus ad caput mittatur,eſt reuellendus, repellendus, intercipiendus;qui influxit,deriuandus,euacuandus & diſcutiendus. Intemperies verò ipſa contrariis alteranda. Vnâ ſæpe tamen operâ & ſanguis repelli,& intemperies emendari poteſt.

### *Curatio.*

*Plethora in capite curatio.* Præmiſſo ergo clyſtere, vel aluum leniente medicamento,ſanguis imminuendus & reuellẽdus.Cum verò quæ ſanguinem euacuant & imminuunt,vt & reuellũt, alia tardè & inſenſibiliter, alia ſubitò & ſenſibiliter id faciant,vt *lib.5.Inſtitut.part.2.ſect.1.cap.16.*dictũ; qui verò à ſanguinis copia in capite fiunt morbi,aut ſtatim in principio ſint magni, aut in magnos morbos tranſire facilè poſſint;imminentis periculi ratio ſubitam requirit ſanguinis euacuationem,qualis fit venæ ſectione,modò vires ferant.

Itaque aperiatur cephalica vel dextra, vel ſiniſtra, prout ſecundum hanc vel illam capitis partem major moleſtia percipitur, vel ſi caput totum dolor æquè occupet, in dextro brachio;aut etiam mediana,aut interna,prout in toto,vel aliqua parte ſanguis abundare videtur.Extrahatur autẽ ſanguis, pro ratione plenitudinis & viriũ,ſemel,aut iteratò,vt *loco alleg.*dictũ. Quod ſi ex menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſione ſãguis ad caput feratur, major tamen ſit ſanguinis copia;primùm ad plethoram minuẽdam vena in brachio aperiatur:hinc reuulſionis gratia in malleolo ſecetur:ſi verò non ita magna ſit ſanguinis copia, vnâ operâ ſanguis minui,& reuelli poteſt, venâ in talo apertâ: deturque opera,vt conſueta euacuatio reuocetur.

Si tamen vires,ætas,& alia,quæ vires definiũt,venæ ſectionem prohibeant, cucurbitulæ cum ſcarificatione primùm lumbis,deinde ſcapulis & brachiis,tandẽ ceruici imponantur: modò menſium ſuppreſſio non præceſſerit;& ſi major ſit ſanguinis copia,à tibiis inchoare oportet. Sunt quidem nonnulli, qui ob ſolam animi mollitiem venæ ſectionem renuũt,atque his quidẽ aliquando indulgere, & ea,quæ modò diximus, auxilia ſubſtituere poſſumus,modò morbus det inducias, nec ob longiorem curationem aliquod immineat periculũ: ſi verò morbus ſit acutus,& qui,ſi curatio protrahatur, præſens periculum minetur,nihil ægro indulgendum, ſed quod Hippocrates,*4.aph.10.*de purgatione monet, etiam hic locum habet. In acutis morbis eadem die, quâ incipiunt,eſſe medendum: ſi enim differatur,morbus interim naturam ſuperabit. Non omittantur quoque aliæ reuulſiones per clyſteres, ligaturas & frictiones extremorum, aut per lotiones crurum & brachiorum, ante cœnam inſtitutas.

Neque inutile fuerit etiam poſt venæ ſectionem lenes illas purgationes,præcipuè bilem ſpectãtes, ex ſyrupo roſarũ ſolutiuo,manna, tamarindis &c.repetere. Etſi enim ſanguinem non euacuãt:tamen bilẽ,in quam ſanguis calidior facilè degenerat,tollunt,& inteſtina ac primas vias ab excrementis,à quibus vapores ad caput eleuantur, liberant. Inprimis vtiles ſunt myrobalani, cùm non ſolùm bilem euacuent, ſed & ſanguinem alterent,vtpote quæ ſunt frigidæ in ſecundo, & ſiccæ in tertio. Quod etiam præſtant,ſimulque euacuant & alterant,tamarindi,qui ſunt frigidi & ſicci in ſecundo.

*Repellentia ſanguinem ad caput fluentem.* Deinde ad ſanguinis ad caput motum impediendum vſurpentur repellentia,poteſtate & actu frigida tempore æſtatis,& ſi æger ſit juuenis: poteſtate verò tantùm frigida tempore hyberno,& in ſenibus. De quibus cum *cap.1.& cap.5.*dictum ſit,ea hic non repetimus.

*Intercipientia.* Intercipientia etiam venis & arteriis temporum applicari poſſunt,vt:

℞. *Maſtich.* Drach.iij.*myrtill.corall.rubr.* an.Dra.ß. *olei myrtini* Drach.ij. *ſucci plantag.* Drach.iij. *ceræ q.ſ.* Fiat Ceratum.

Vel ℞. *boli armeni* Dra.ij.*maſtich.*Drach.i. *ſanguin. draconis* Scrup.ij.*balauſtiorum* Drach.ß.

Excipiantur albumine oui & aqua roſarum. Applicentur temporibus.

Si verò ſanguis ad caput jam fluere deſiit, repellentibus opus non eſt; ſiquidem illum ibidem figerent & retinerent.Abſtinendum quoque ab iis,ſi catarrhus adſit frigidus;quia ejuſdem fluxum per compreſſionẽ cerebri magis commouent: atque tunc frictionibus potius à vertice ad humeros deorſum factis vtimur.

*Sanguinem è capite euacuantia.* Materiam autem,quæ influxit,quod attinet,ea euacuanda eſt ex capite,quod fit primò:Sẽſibiliter;aut venis narium cum recentibus ramulis herbæ millefolij, flor.graminis, vel aliis foliis nonnihil aſperis, vel ſetis porcinis reſeratis; (nam licet quidem etiam ſcalpello, vel hirudinibus appoſitis eas reſerare jubeant: tamen id tutum non eſt,vt poſtea.*in quæſtione tertia*, dicetur) aut venâ frontis apertâ,aut hirudinibus narium apicibus appoſitis, aut cucurbitulis ceruici affixis: vt & errhinis ex ſucco betæ,majoranæ &c.

*Quæ vena in cap.affect. aperienda.* Intereſt tamẽ aliquid,quę vena aperiatur.Nariũ enim venæ apertæ euacuant ex ipſo capite, quacunque parte dolor fuerit; ex capitis parte v.poſteriore laboranti rectè in frontẽ excurrens vena inciſa prodeſt, vt habet Hippocrates,*5.aph.68.* quæ, vt Galenus habet *in commẽtario* nõ ſolùm vacuat,ſed etiã cũ reuulſione vacuat; cùm antè & ponè opponantur:ſicut cùm anterior pars capitis laborat,in occipitio vena aperta,vel cucurbitulę admotæ proſunt.Laudantur & inciſiones venarũ, quæ ſunt in tẽporibus;in dextro quidẽ latere, ſi ſiniſtra pars ſit affecta;in ſiniſtro,ſi dextra. Nonnulli venas, quæ ex vtraque parte colli adſcendunt,& Arabibus Guidez dicuntur,aperiunt,& in extremis à ſanguine ortis in capite morbis præſentaneum remediũ eſſe ſcribũt.Et procul dubio plurimũ cõmodi afferret harũ venarũ ſectio, ſi non periculũ immineret,quod ob amplitudinem, & quia in valida ſpiritus retentione, & vocis intentione admodum tument,ægrè ſanguis ſiſti poſſit. Itaque tutius eſt,minores ipſius ramos,cutẽ capitis in temporibus & fronte perreptantes,vt modò diximus, aperire. Licet & venas ſub lingua aperire, quæ jugularis interioris os perreptãtis ſunt propagines.Galenus,Aëtius, Paulus Ægineta,Auicennas & antiqui plerique, ſi ſãguis calidus & vaporoſus in capite morbũ diuturnum, qui aliis remediis nõ cedit,excitet,ſecare jubẽt arterias, quæ in tẽporibus,in frõte,& poſt aures ſũt:eas ſcilicet, quæ raſo capite ſi tãgãtur,calidiores apparẽt,& pulſum majorẽ excitant,de quo poſtea, *quæſt.3.*plura dicentur.

Secũdò:Inſenſibiliter euacuant diſcutientia & reſoluentia. Itaque poſt principiũ addenda reſoluẽtia repellentibus vſque ad ſtatum:in declinatione ſola reſoluentia,ſed moderata,cùm intemperies ſit calida,cõueniũt. Diſcutiunt autẽ medicamẽta ex flor.chamæm. meliloti,ſem.althéæ,lini,fœnigræci.Nonnulli pulmones animalium recenter mactatorum in aq.calida,vel decocto chamæmeli,meliloti,anethi applicant: alij etiam catulos vel pullos columbarum per medium diſciſſos. Verùm hæc ſæpius permutanda ſunt; cum facilè corrumpantur,& corrupta prauum odorem exſpirent.

Dum hæc fiunt, non negligenda caput alterantia, qualia ſupra, *de Intemperie capitis calida ſine materia*, propoſita ſunt, iiſque ſi

intem

intemperies quædam reliqua ſit,ea corrigenda. E quibus eligenda ea, quæ refrigerant & minus humectant, vt:ro:æ,plantago,ſantalum, margaritæ, corallia, & eorum ſolutiones.

Cæterùm ſi his præſtitis capitis grauitas & dolor adhuc perſeueret, indicio eſt,ſanguinem amplius purum non eſſe:ſed bilem vel melancholiam admiſtam; cùm ſanguis copiâ peccans facile inflammetur,& quod ſubtile eſt,in bilem,quod craſſum,in melancholiam vertatur. Itaque reliqua curatio ad bilis & humoris melancholici præparationem & purgationem dirigenda de qua poſtea.

*Diæta.*

Victus ratio & intemperiei calidæ & humidæ,& plenitudini ſit contraria. Aër ſit moderatè frigidus,in paſſiuis parùm declinans ad ſiccitatem,qui ſi talis non detur,parandus, vt ſupra, *cap.* 1. dictum. Vitentur venti, præcipuè auſtrini. Cibus ſit refrigerans,& tenuior,vergens ad ſiccitatem, & vitentur ea vſque ad declinationem, quæ plenius nutriunt,vt ouo ſorbilia, & carnes, quæ multum nutrimenti præbent, vt pulli gallinacei, gallinæ,capi,carnes vitulinæ,hædinæ,veruecinæ. Vitetur quoque lac, & omnia cum lacte parata, ac multò magis ea,quæ ad caput effumant, idque vaporibus replent;quales ſunt fructus oleoſi,cœpe & ſimilia, ſupra, *cap.* 1. propoſita.

Conceduntur hordeata,piſces ſaxatiles,pruna,& huius generis alia:cibi condiantur refrigerantibus, ſuprà, *cap.* 1. propoſitis. Vino planè abſtinendum, aut tenue aquoſum oligophorum aut dilutum bibendum,aut aliquid aquæ ſuperbibendum; ita enim vapores ſupprimuntur: aut bibatur cereuiſia tenuis, vel ab aſſuetis aqua. In prima menſa quæ aluum lubricam reddunt,vt pruna Damaſcena, iuſcula gallinarum aut pullorum, aut aliarum carnium,cum herbis emollientibus,ſpinachia, malua, borragine, lactucâ parata; in ſecunda verò menſa ſumantur quæ aſcenſum vaporum prohibent, claudendo os ventriculi; vt caro cydoniorum condita ſaccharo,pyra cocta, vel toſta, ſemen coriandri præparat. ſaccharo obductum. Æger non valde exerceatur,vitétque iram, & animi affectiones vehementiores, & ſtudium atque animi intentionem à cibo. Neque caput multis tegumentis inuoluatur, ne humores & vapores ab inferioribus ad ſuperiora rapiantur. Membra inferiora fricentur poſt vniuerſales euacuationes, ſomnus non ſit prolixus. Aluus, vt dictum, ſit lubrica, ne ab excrementis in inteſtinis morantibus vapores ad caput eleuentur. Exemplum talis morbi curati eſt apud Foreſtum, *lib.* 3. *obſ.* 9. *& ſeqq. vſque ad* 13.

## QVÆSTIO I.

### *Quænam vena in capitis affectibus aperienda ſit?*

uænam venæ in affe- ionibus ca- is aperien-

Non idem hac de re ſentiunt Medici. Galenus equidem,quem reliqui Græci ſequuntur, vt è *lib. de curand. rat. per venæ ſectionẽ, c.* 7. & alibi paſſim videre eſt,venam humeralem ſeu cephalicam dictam, modò in conſpectum veniat, aperiendam cenſet: Auicennas verò & alij Arabes non ſine diſtinctione hanc rem definiunt. Si enim abundantia ſanguinis,quæ morbum in capite parit,ſolùm in capite ſit,& partibus capiti vicinis,aut etſi in reliquo corpore fuerit, iam tamen ad partem affectam omnino affluxerit, neque metus vllus amplius ſit, ex reliquo corpore ſanguinem ad caput affluxurum, ſolas venas capiti proprias incidendas docent,vt venam frontis, vel in occipite, vel poſt aures cucurbitulas apponendas cenſent. Si verò etiam in reliquo corpore ſanguis abundet,& fluxus adhuc duret,vel ſanguinis fluxus metuatur, tunc venam cephalicam aperiendam exiſtimant, quâ apertâ & partes capiti vicinæ euacuentur, & ſanguinis ad caput affluxus reuellatur: vel etiam ſi viſcera & partes infimi ventris ſint repletæ, baſilicam aperiendam putant, quæ, vt Galenus, 4. *de rat. vict. in acut.* docet, præcipuæ membra, quæ infra collum & clauiculam ſunt, facilius & expeditius euacuat. Quòd ſi & caput & inferiora repleta videantur, venam,quæ media ſeu mediana dicitur, ſecandam ſtatuunt, quæ ex coalitu humeralis & axillaris fit, & caput, ac ſub eo partes, euacuare poteſt. Auicennas hoc præterea addit, ſi plus euacuare voluerimus, venam prope talum vel ſaphenam ſecandam eſſe. Meſues etiam in omnibus capitis morbis hæmorrhoidum prouocationem plurimum poſſe ſcribit.

Et omnino diſtinctione hic quadam opus eſt, & quid leges euacuationis ex toto, quid reuulſionis, & ex parte affecta euacuationis requirant, attendendum. Etenim in principio morbi non ſolùm ad caput, ſed etiam ad totum corpus, & partem, à qua ſit affluxus ſanguinis, reſpiciendum, & ita venæ ſectio inſtituenda, vt capiti proſimus, non noceamus, id eſt, ſanguinis ad caput affluxum prohibeamus. Ideóque in principio talis vena aperienda, quæ ſimul ſanguinem abundantem poſſit euacuare, & à capite reuellere: nullo verò modo vena in ipſo capite in principio aperienda: ſed ſi plenitudo proueniat ab hepate, & partibus ad illud attinentibus,& ſit in toto corpore, vena interna vel mediana ſtatim aperienda.

Si verò à menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſione ſanguinis abundantia & capitis morbus proueniat, quæ vena primùm aperienda ſit, autores diſſentiunt.

Alij enim ſtatim in principio, dum fluit adhuc ſanguis, venas in cruribus & pedibus ſecandas, aut loca illa ſcarificanda putant; cùm, ſi in partibus ſuperioribus vena aperiatur, ſanguinis motus ad caput magis conciteur. Alij plenitudinem primò demere, venâ communi in brachio apertâ, poſtea ſanguini motum ad inferiora reuocare, venâ in pedibus ſectâ, iubent.

Verùm hic quantitas ſanguinis abundantis, & morbi capitis hinc dependentis magnitudo attendenda. Etenim ſi ſanguinis copia ſit minor, & morbus det inducias, venas in pede primùm, & quidem ſæpius, ſi opus ſit, aperire licet; cùm venæ hæ & ſanguinem minuant, & reuellant; ſiquidem vena vbicunque aperta ſanguinem imminuere poteſt. Cum verò hæ venæ in pedibus, vt minores, ſanguinem tardius euacuent: ſi magna ſit eius copia, & morbus vehemens, ac præſens propterea auxilium requiratur, in cubito vena primùm aperiri poteſt, ſeu externa, ſeu mediana. Hinc deinde danda opera, vt naturalis fluxus iterum concilietur. Si verò in toto corpore nulla, vel non magna ſit ſanguinis abundantia, affluxus tamen eius ad caput metuatur, ſtatim cephalica aperiri poteſt. Tandem verò & corpore euacuato, & fluxu ceſſante, niſi malum ceſſet, venas in capite aperire licet. Videatur & Iachinus, *in* 9. *Rhaſ. cap.* 3. Inualuit quidem apud vulgus, & apud tonſores noſtros opinio, in affectibus capitis plurimùm prodeſſe venæ, quæ eſt inter pollicem & indicem, quam ideo cephalicam appellant, ſectio. Verùm nullis fundamentis iſta opinio nititur. Nam nullus ramus ex cephalica ad manum tendit,ſed omnes rami venarum in manu ſunt vel rami baſilicæ, vel communis.

QVÆ

QVÆSTIO II.

*An arteriæ in affectibus capitis à ſanguine ſecandæ ſint?*

*An arteriæ in affectibus capitis aperiendæ.*

Veteres,vt ex Galeno,3.*de loc.affect.cap.*8.6.*de tuenda ſan.cap.*9.l.*de curand.ratione per ſang. miſſionẽ,capp. duobus vltimis*,Aetio,Ægineta,Auicenna,Rhaſe videre eſt, vbi ſanguis calidior & feruidior ad caput fertur, & in eo abundat,& ſæpe diuturnos capitis dolores, vertiginem & alia mala diuturna, quæque aliis remediis non cedunt,excitat,ad arteriarum ſectionem,tanquam præſentiſſimum remedium, accedere ſolebant. Et quidem in temporibus, infeſtantibus oculos fluxionibus calidis; poſt aures verò in vertiginoſis maximè, & iis, qui diuturnis doloribus capitis ac ſpirituoſis affliguntur. Experientiáque comprobatum eſt, poſt varia diu fruſtra tentata remedia hoc auxilij genus tandem profuiſſe. Verùm plerique hodie eam tentare metuunt:1. cùm noſtris chirurgis ratio eas ſecandi non ſit cognita. 2. (quæ duæ rationes etiam à Galeno, *lib.*3. *de curandi ratione per ſanguinis miſſionem,cap.*2.attinguntur) quòd difficile ſit,erumpentem ex arteriis ſanguinem compeſcere & ſupprimere. 3. quòd, etiamſi ſiſtatur, & vulnus ad cicatricem perducatur, nihilominus ἀνεύρισμα fiat.

Verùm enim verò perīculum & hæmorrhagiæ & aneuriſmatis vitari poteſt, ſi arteria tota præcidatur, vt ex Galeno,*loc. allegat. cap. vltim.* patet. Aliàs enim, vt Galenus,5. *meth.med.cap.*7. docet, difficulter ſanguis ſiſti arteriâ ſectâ poteſt. Platerus prius etiam arteriam denudare iubet, vt ligari poſtea poſſit. Sed nec planè impoſſibile eſt, etiamſi tota non diſſecetur, ſed ſic vt vena aperiatur, ſanguinem ſiſtere,modò deligatio rectè fiat,neque ea citò ſoluatur, vt Ambroſius Paræus, *lib.* 16. *chirurg. c.*4. docet, qui in diuturnis capitis affectibus, à ſanguine feruido, tenui & vaporoſo, iſtam ſectionem non ſolum in ſeipſo, ſed & in aliis feliciter & cum commodo inſtituit. Verùm niſi aliis omnibus fruſtra tentatis,ad hanc ſectionem non accedendum.Diligenter etiam perpendendum eſt, quibus in caſibus ea neceſſaria ſit Plerique ſtatuunt,id tentandum eſſe,cum certi ſumus, cauſam in arteriarum ſanguine ſpirituoſo eſſe, idque ex arteriarum pulſu vehementiore & calore ad tactum agnoſci:id quod verum etiam eſſe credimus. quanquam enim multa hac de re argutetur Theodorus Collado,*in obſeru.in Holler.methodum, cap.*9. & probare conetur, primò, aliquem dolorem capitis ac oculorum pulſatilem, etiam materia fluente per arterias exteriores, non requirere hoc remedium, imò id, ſi adhibeatur,malum eſſe;ſecundò,in aliquo affectu ſeu dolore capitis aut oculorum, cuius materia fertur per venas & arterias internas,arteriotomiam vtilem eſſe: tamen quæ affert non magni momenti ſunt. Ludit enim procul dubio æquiuocatione doloris pulſatilis. Neque enim credo,Hollerium,cum dicit,in omni dolore capitis pulſatili ſingulare remedium eſſe arteriotomiam, dolorem pulſatilem propriè dictum intelligere,qui eſt proprius partium inflãmatarum, vbi ob partes inflammatas tenſas pulſatio arteriæ vehementior percipitur, ſed eum, qui fit ſine inflammatione, cum ſcilicet ob ſanguinem arterioſum, ſpirituoſum & flatulentum, qui dolorem capitis diuturnum excitat,arteriæ in temporibus vehementius pulſant, & tactæ calidiores percipiuntur, qui dolor ſæpe tam pertinax eſt, vt niſi ſectâ arteriâ vix tolli poſſit. Neque, quod ſe demonſtraturum promittit, demonſtrat Collado, ſcilicet aliquem dolorem etiam materiâ fluente per arterias externas non requirere hoc remedium; ſed hoc probat, aliquem dolorem eſſe pulſatilem, materiâ non exiſtente intra arterias, ſed etiam aliquando intra venas:& ita concedit, materiam tum non exiſtere intra arterias,ſed venas;cum tamen ſe demonſtraturum promiſerit, materia intra arterias exiſtente aliquando arteriotomiam non ſolum inutilem, ſed etiam noxiam eſſe. Alterum quod attinet, contrarium ſtatuit Galenus, & non ob quoſuis capitis affectus arteriotomiam inſtituendam, ſed ob eos ſolùm, cum ſanguis feruidus per arterias externas fertur, clarè docet,3.*de loc.aff.cap.*8. cum ſcribit; *Non omnes huius auxilij beneficio fuiſſe curatos, eos nimirum, vbi vapor ille ſpirituoſus per arterias internas ad caput adſcendit.* Addit enim: *Etenim aliæ arteriæ iis maiores ad cerebrum ex ipſius baſi per retiformem plexum adſcendunt*, per quas huiuſmodi affectionem fieri conſentaneum eſt, elato per ipſas vaporoſo calidóque ſpiritu.

QVÆSTIO III.

*An venas narium ſcalpello vel hirudinibus aperire liceat?*

*An venas narium ſcalpello vel hirudinibus aperire liceat.*

Plurimi quidem Medici etiam venas narium ſcalpello & hirudinibus aperire iubent, ſed neuter modus tutus eſt. Nam cum venæ illæ viſui non pateant, quâ ratione etiam ſcalpello apariendæ ſint, Chirurgus non videre, & facilè hic aliquid peccare, neque etiam vulnus ita obligari poteſt,ſicut in venis ſubcutaneis. Refértque Alexander Benedictus, *in Proœm. lib.*14. *pract.* tonſorem quendam in naribus pilos incautè tondentem venulam ſecuiſſe, nec cõtinuato ſanguinis profluuio ſiſtendi modum fuiſſe,ita, vt ſequenti die vulneratus exſpiraret. Neque eſt, vt quis arteriam vulneratam dicat. Id ipſum enim ſatis in naribus cauere non poteſt chirurgus, nec diſcernere, an venam vel arteriam ſecet. Imò,vt ibidem monet Alexander Benedictus, in toto corpore venæ & arteriæ orificiis conueniunt. Multò minus tutum eſt, hirudines naribus immittere; cum facilè penitus irreperé & pertinacius hærere queant,vt non facilè extrahi, ac magnæ hæmorrhagiæ cauſæ eſſe queant: cuius rei exemplum annotauit Herc. Saxonia, *lib.* 1. *pract. c.* 2. de quodam Patritio Veneto, cui hirudo naribus appoſita adſcendit in caput, ita, vt nullo modo vel extrahi vel necari poſſet, vnde æger nimia ſanguinis effuſione extinctus eſt. Et ſimile quid etiam Venetiis accidiſſe refert.

QVÆSTIO IV.

*Cui loco cucurbitulæ reuulſionis gratia ſint applicandæ?*

*Cui loco cucurbitulæ in affectibus capitis applicandæ.*

Diximus cucurbitulas ſcarificatas, venæ ſectionis vicarias, primùm lumbis, deinde ſcapulis & brachiis, tandem ceruici imponendas eſſe. Contrarium ſentire videtur Platerus, dum, *pract. tract.*2.*p.*257. ſcribit: Cucurbitulas colli lateribus,ſummo humero, ſcapulis, brachiis,coxis, ſuris,naribus quoque applicandas eſſe: ſenſim à ſuperioribus verſus inferiora cucurbitularum applicatione procedendo, repetendóque eodem, vel etiam ſequentibus diebus:adhibitâ poſtmodum ſcarificatione,ſi validius à parte trahere velimus.

Verùm nulla eſt hîc repugnantia. Nos enim tantùm de cucurbitulis ſcarificatis locuti ſumus, quas meritò primo partibus remotioribus applicamus. Platerus verò & de ſcarificatis & non ſcarificatis loquitur, & non ſcarificatas primo loco propinquo applicat, hinc ſenſim remotiori, vbi demum & vltimò ſcarificationem adhibet, atque ita non ſcarificatis ſaltem ſanguinem verſus locum ſcarificandum deducit.

CAPVT

## CAPVT IX.

### De Intemperie capitis cum Bile.

#### *Caussæ.*

*De Intemperie capitis cum bile.* INtemperies hæc calida & ſicca eſt, bilémque coniunctam habet: quam quæ cauſæ generent, in Inſtitut. *lib. 2. part. 2. cap. 5.* explicatum eſt. Eæ autem & hic locum habent: nimirum aër calidior, anni tempus calidum, vigiliæ nimiæ, exercitatio corporis nimia, & vitæ genus laboribus deditum; inedia, cibi, qui facilè in bilem vertuntur, vinum potens, medicamenta calida & ſicca, & id genus alia. Idque facilius iſta præſtant, ſi hominis temperatura ſit calidior & ſiccior, habitus corporis gracilis, ætas iuuenilis.

#### *Signa diagnoſtica.*

*Signa bilis in capite.* Senſum mordacitatis, & dolorem acutum mordacem & pungentem ob acrimoniam & feruorem totius capitis, excitat humor bilioſus: vnde caput totum calidum tangenti deprehenditur, dolórque, etſi vehemens, eſt ſine inſigni grauitate, quia ſuâ tenuitate poros ſubit, nec inflat, dolórque magis in dextrâ parte percipitur, quod procul dubio intelligendum eſt, cùm caput ab hepate κατ' ἴξιν afficitur. Facies pallet, vel potiùs flauet, & ad citrinum colorem tendit, vt & oculi. Actiones cerebri potiùs deprauantur, quàm abolentur, vel imminuuntur. Aliter enim ſæpe imaginantur, & ratiocinantur quàm par eſt, biliſque in cerebro abundans delirium ſæpe, cum quadam ſeueritate & iracundia, excitat; vigiliæ infeſtant, quas interdum leuiſſimus & breuiſſimus ſomnus interrumpit, obuerſantur ante oculos, præſertim dum æger obdormiſcit, imagines flammarum & incendij, pugnarum & dimicationis, volatûs. Excrementa cerebri ſunt pauca, aurium verò multa, & flaueſcunt, adéſtque linguæ, narium & oculorum ſiccitas, os amareſcit. Non quieſcunt ægri, ſed inæqualiter variè & inordinatè corpus mouent: Pulſus, ſi in corpore reliquo bilis abundet, eſt magnus, velox, frequens: Vrina citrina, ignea, & tenuis: ac ſymptomata, quæ coniunguntur, per periodos affligunt, & plerumque circa meridiem ingraueſcunt. Referǽtque Iachinus, *in 9. Rhaſ. c. 4.* Iuuenem quendam dolorem capitis ex bile adeo grauem quotidie circa meridiem paſſum eſſe, vt fureret. Solétque tunc accidere, ſicut & in febribus, vt vrinæ tenues & aqueæ quaſi mingantur, bile ad caput tendente; circa veſperam verò iterum tinguntur, dum eadem in venis humoribus permiſcetur; & cum vrina excernitur.

Præceſſerunt cauſſæ bilem generantes, vt hepar calidum & ſiccum, ætas iuuenilis, cibi & potus ad bilis generationem facientes, & reliquæ bilem cumulantes cauſſæ. Iuuant quæ refrigerant, bilem euacuant, à capite auertunt, alterant, eiúſque generationem prohibent: contrà nocent quæ calefaciunt, bilem generant, retinent, augent, eámque ad caput concitant. Lux etiam vehementior moleſta eſt.

#### *Indicationes.*

Humor bilioſus eſt euacuandus, à capite auertendus; repellendus; ſi aliunde affluit. Intemperies verò tam cerebri, quàm humorum coniuncta, calida & ſicca, contrariis alteranda, capútque roborandum. Et quidem ſi febris adſit, coctio prius expectanda; niſi materia turgeat: ſi verò febris abſit, quocunque tempore purgationem exhibere licet, modò viæ apertæ ſint. Hæ enim ſi apertæ nō ſint, aperiendæ prius, de quo in Inſtitut. *lib. 5. part. 2. ſect. 1. cap. 6.* & de febribus, *lib. 2. cap. 6.* dictum. Ideóque fruſtra nonnulli ad bilem digerendam multa medicamenta propinant. Etſi enim illa, quæ præſcribunt, medicamenta vtilia ſint tamen potius purgationem, ad intemperiem alterandam, quam ante purgationem, ad bilis coctionem, quâ hîc, in morbo non febrili, nulla opus eſt, conducunt.

#### *Curatio.*

Iniicitur ergo primùm clyſter ex refrigerantibus & emollientibus.

Vt ℞. *Fol. maluæ, violariæ, parietariæ, mercurialis, betæ*, an. Mi. *prunor. damaſc.* num. x. *hordei* M. ß. Coquantur in aq. ſimplici. Colat. ℞. ℔. i. *caſſiæ vel elect. lenitiui, aut diacathol.* Vnc. i. *olei violar.* Vnc. iii. *ſacchari rubri* Vnc. ß. *ſalis* ʒ. ß. Fiat clyſter.

Vel ℞. *Maluæ, violar. endiu. lactuc.* an. Mi. *flor. nymph.* P. ii. *ſem. quatuor. frigid. maior.* Vnc. ß. *prunor.* num. XII. Coque in aqua hord. ſ. Colat. ℞. ℔. j. *flor. caſſiæ* ʒ. vi. *elect. diacathol.* Vnc. ß. *olei violar.* Vnc. ii. *mell. roſati colat.* Vnc. j. Fiat clyſter.

Vel exhibeantur ſyrup. violar. aut roſar. ſolutiu. Vnc. ii. vel iii. cum aqua vel decoctione endiuiæ, vel decocto florum & fructuum.

Vel ℞. *Caſſiæ, elect. lenitiu.* an. Vnc. ß. *pulpæ tamarindorum* ʒ. ii. Cum ſaccharo F. bolus.

Vel in decocto aut aqua calidos humores alterante diſſoluatur *caſſiæ* Vnc. i. & addatur *ſyrup. ſolutiu. roſat. aut violar. ſolutiu.* Vnc. ß. F. hauſtus.

Poſtea ſi bilis miſta ſit cum ſanguine, vtilis eſt ſanguinis miſſio, ſed parcior, ad ſanguinis copiam imminuendam, eundémque refrigerandum: mittendus etiam reuulſionis gratia ſanguis, vbi inflammatio metuitur. Si verò nulla copia ſanguinis adſit, nihilque tale metuatur, venæ ſectione opus non eſt. Cenſent autem Medici, venam potius in dextro, quàm in ſiniſtro brachio aperiendam eſſe; quia ſedes bilis potiſſimum ſit in dextro latere: & aperienda eſt vena vel mediana vel humeralis.

Poſtea bilem præparantia exhibenda, quæ ſcilicet eius feruorem & acrimoniam attemperant, vt ſine moleſtia per conuenientia loca euacuari poſſit, refrigerantia ſcilicet, & humectantia, è quibus cephalica eligantur. Si tamen id conditio humoris poſtulat aliàs, & ſi bilis ſine vllo incommodo euacuari poteſt, ſtatim ad purgationem accedendum, vt antea dictum. Conueniunt ergo hic, ſi opus eſt, caput humectantia, & refrigerantia ſupra propoſita; quibus & alia bilem præparantia, vt endiuia, acetoſa, cichorium & ſimilia miſceantur. Et ſi bilis ſit tenuior & cum multis vigiliis, lactuca, nymphæa, papauer. *Præparantia bilem in affectibus capitis.*

℞. *Syrup. papau.* Vnc. i. *de nymphæa* Vnc. ß. *aq. lactucæ, violar. nymph.* an. Vnc. i. Miſce.

Vel ℞. *Syrup. granatorum, de agreſta, nymph.* an. ʒ. vi. *aq. portulac. lactuc. roſar.* an. Vnc. i. Miſce.

Si bilis ſit craſſior.

℞. *Aq. endiu. cichor.* an. Vnc. iß. *ſyrup. acetoſ. ſ.* Vnc. i. *endiu.* Dra. vi. Miſce.

Etenim natura bilis ſemper perpendenda. Quò enim bilis calidior, eò fortiora refrigerantia adhibenda. Vt ſi bilis ſit pallida, fiant medicamenta ex hordeo, cichorio, endiuia, roſis, acetoſâ: ſi flaua, & præſertim vitellina, illa ſcilicet ex aduſtione bilis pallidæ orta, nymphæa, papauer addenda: ſi ſit viſciditatis particeps, vt vitellina illa Guainerij ita dicta, quæ pituitæ aliquid admiſtum habet, ſyrup. acetoſus & acetum addendum: de qua re prolixius agit Sauanarola, *pract. tract. 4. cap. 30.*

Obſeruandum etiam hic in vſu iſtorum medicamentorum, quod aliàs in genere percipitur; cùm dulcia facilè in bilem mutentur, ſyrupos & alia dulcia in parua quantitate eſſe vſurpanda, & aquis ac decoctis refrigerantibus bene diluenda. Acida potius, præcipuè vbi inciſione aliqua opus eſt, conueniūt, & ſi bilis ſit craſſior.

Deinde

*Purgantia bilem in affectibus capitis.* Deinde purgetur humor biliosus, verùm non admodum validis & calefacientibus medicamentis, quibus sanguis magis calefit, & ad superiora fertur, sed lenioribus, & quæ simul feruorem sanguinis tollunt, blandéque euacuant; qualia sunt *syrup. rosar. & violar. solutiuus. aloë* cui, vt fortius purget, pauxillum scammonij, ad Vnc.i.ß.gr.vIII. vel x. prout natura corporis, & humoris copia id requirit, addi potest, & Gal. *hiera picra, myrobalani citrin. tamarindi, manna*, cui, quia facilè bilescit, refrigerantia, & quæ eius in bilem mutationem prohibeant, addi possunt; vt syrup. rosar. solutiu. cremor tartari, aqua endiu. violar. &c. *Rhabarbarum*. De quo tamen notandum, quod quidem ad bilem euacuandam vtile, & admodum familiare est medicamentum; quia tamen siccat ac fumosum est, & facilè exhalat, solum non dandum, sed cum aqua endiuiæ, violar. & similibus frigidis, addendúsque *syrup. rosar.* vel *violarum solutiuus, electuarium lenitiuum, diaprunis lenitiu. diacatholicum*. Et fortiora, *electuar. de psyll. diaprunis solutiuum, de succo rosarum, pilulæ aggregatiuæ, aureæ*, quæ vsurpanda, si bilis sit crassior & ob lentorem pertinacius adhæreat, vel pituitæ aliquid admixtum habeat:

*Haustus.* ℞. *Specier. decocti flor. & fructuum* Vnc.ß. *sem. quatuor frigid. maior.* an. Dra.i. *tamarind.* Vnc.ß. Coquantur in aqua simpl. *In colat. s.q. Infund. rhabarb.* Dra.ß. *cinamomi* Scr.ß. *spicæ* gr.vi.

Colat. ℞. Vnc.iii. in iis dissolue *manna* Drach. vi. vel Vnc i.

Iterum colentur. Adde *syr. rosar. solutiu.* Vnc.ß. Fiat Haustus.

Decoctum etiam vel syr. flor. & fructuum hic, quod bilis feruorem reprimit, sanguinem mundat, & bilem leniter educit, vtilis est.

*Syrupus.* ℞. *Prunor.* num.xL. *iuiubarum, sebesten*, an.num.xxx. Coque in aq. ℔ iii. ad remanentiam ℔. i. In colatura dissolu. *pulpæ tamarindor. cassiæ extract.* an Vnc.iii. *mannæ* Vnc.i. Si libet, adde saccharum. Fiat syrupus pro iiii. dosibus, quarum quælibet scammonij gran. iiij. acuatur.

Vel ℞. *Rhabarbari* Scr.iiii. *cinamomi* Scr.i. *flor. cordial.* P.ii. Infundantur in aq. endiuiæ.

Colat. ℞. Vnc.iii.ß. In iis dissolu. *pulpæ tamarind. el. de succo rosar.* an. Dra.ij. *syrup. violar. solut.* Vnc.ß.M.

*Bolus.* Delicatis talis Bolus exhiberi potest.

℞. *Conseru. violar. vel rosar. cum manna parata* Vnc. ß. *extracti scammonij* gran. vi. *vel diagrydij* Scr.ß. *cinamomi, macis, mastiches*, an.gr.iii. Fiat Bolus.

Vel ℞. *Cassiæ* Vnc.ß *elect. rosat. Mes.* Dra.i. *rhabarbar. elect.* Scr.ii. *spic.* gran.vi. *trochisc. de viol. cum scamon.* Scr.i. Cum sacchar. Fiat Bolus.

*Puluis.* ℞. *Rhabarbari*. Dra.ß. *spec. diaturbith, cum rhabar.* Scr.i *diagrydij* gr.iiii *macis, santal. citrin.* an. gr.iii. Fiat Puluis.

Et quidem bolis & liquidis medicamentis bilis commodius purgatur; cum iis refrigerantia & humectantia commiscere liceat, pilulæ verò magis siccant. Si tamen alicui pilulæ arrident, & præcipuè si bilis sit crassior, tales exhiberi possunt.

*Pilulæ.* ℞. *Pilul. aggreg.* Scr.ii. *de rhabarbar.* Scr.i. *diagryd.* gr. iiii. *cum aq. endiu.* Fiant pil.xxI.

Vel ℞. *Rhabarb.* Dra.ß. *spicæ* gran.iii. *specier. hieræ s.* Scr i. *agarici trochisc.* Scr.ß. *diagrydij* gr.iiii. *Cum syr. violar.* Fiant Pil.xxv.

Notandumque hîc illud, quod Galenus, *lib.* I. κατὰ τόπ. *cap.* 2. monet, in omni capitis morbo, à quocunque humore fiat, admiscenda esse phlegmagoga.

*Clyster.* Clysteres etiam refrigerantes & humorem biliosum euacuantes sæpius inicere vtile est.

Vt ℞. *Maluæ, althéæ, violariæ, parietariæ*, an M.i. *hordei* M.ß. *semin. quatuor. frigid. maior.* ana ℥.iii. *prunor.* num.x. Coquantur in aqua simplici.

Colat. ℞. ℔ j. *cassiæ pro clysteribus* Vnc.i. *elect. de psyll.* Vnc.ß. *olei violacei* Vnc.ii. *mellis rosati colati* Vnc.i. *salis* Dra.i. Fiat Clyster.

Si bilis ad ventrem confluat, atque inde vapores ad caput eleuentur, ægérque ad vomendum facilis sit, vomitoria etiam lenia exhiberi possunt. Si verò æger ad vomendum difficilis sit, ne caput magis repleatur, omittenda vomitum cientia, & bilis per aluum educenda. *Vomitoria.*

Neque solùm ista electiuè purgantia vsurpanda, sed & ea, quæ abstergendo potius eandem cùm per aluum, tum vias vrinæ educunt qualia sunt decoctum lupuli in sero lactis, & fumaria cum sero lactis exhibita. *Vrinam cientia.*

Postquam humor biliosus ita euacuatus, qui restat, alterandus, & intemperies inducta corrigenda contrariis, frigefacientibus scilicet & humectantibus, supra, *cap.* I. & 4. propositis, quæ hic repetere opus non est. Quibus & alia ad bilem temperandam vtilia addere licet, vt *dentem leonis, sonchum, portulacam, syrup. de portulaca, de aggresta, oxysaccharum*, & si vigiliæ infestent, præcipuè vsurpanda *lactuca, nymphæa, papauer*, & ex iis parata medicamenta. Simul etiam & postquam humor biliosus per aluum aliquo modo euacuatus fuerit, ab initio etiam hîc repellentia conueniunt, quæ supra de intemperie capitis calidâ & à plethorâ proposita sunt. Et licet repellentibus opus non sit: refrigerantia tamen adhibeantur tùm interna, tùm externa, *cap.* I. proposita. Inter quæ odoramenta reliquis præferuntur, quòd satis refrigerant, exitum tamen vaporum è capite non prohibent. Topica, quæ adhibentur, non sint humida, & & sanguinem ad putrefactionem disponentia, sed eligenda adstringentia, succ. granat. berber. Ideóque Forestus, *lib.* 9. *obseru.* 12. sacculis potius, quàm lotionibus vtendum censet.

Camphora tamen hîc, quia siccat, & vigilias inducit, vel omittatur, vel cautè adhibeatur; cum somnus in hac intemperie capitis commodissimus sit. Ideóque & quia bilis siccat, & plerumque vigilias inducit, somnum conciliantibus sæpe opus est, vt lotionibus pedum, medicamentis, quæ acrimoniam bilis retundunt, & cerebrum humectant, ex foliis lactucæ, flor. violar. capitibus & seminibus papaueris, & similibus, de quibus suo loco dicetur. *Camphora in affectibus capitis.*

Neque omittantur reuulsiones per cucurbitulas sine scarificatione, per frictiones, ligaturas, lotiones extremorum. Vtile etiam hic est balneum aquæ dulcis.

Hinc particulares euacuationes instituantur. Apophlegmatismi quidem pituitæ propriè conueniunt. Masticari tamen & hîc possunt grana mastiches cum passulis, & saliua crebro expui. Et si aliquid pituitæ admistum sit, aliquot grana piperis vel cubebarū, vel parum corticradic. cappar. addi potest. Errhina parentur ex succo betæ; aqua tamen hordei admixtâ. Vel fiat Gargarismus ex decocto hyssop. hordei & oxymel. simpl. *Euacuantia bilem è capite.*

Vel ℞. *Succi rosarum* Vnc.ii. *diagryd.* ʒ.i. *extract. rhabarb.* Scr.i. *succi betæ* Vnc.iii. *mellis* q.s. F. Errhinum.

Vel ℞. *Succi rosarum* Vnc ß. *diagryd.* Scr.i. *mellis parum*. Misce.

Vel *Scammoniam aut elaterium cum lacte* misceatur, quod naribus attrahatur.

Vel ℞. *aq. maioran.* Vnc. ii. *mannæ* Vnc. sem. Misce.

Rhabarbarum quoque vsurpare licet. Sternutatoria cum ex solis frigidis, vtpote quæ naturam sufficienter non stimulant, parari non possint, parantur, si iis opus, ex frigidis & calidis simul mistis, vt ex succo violarum vel rosarum, quibus aliquid piperis aut helleb. addi potest. Aut vapor aceti, in quo castoreum dissolutum sit, naribus attrahatur.

Et si bilis sanguine permixta sit, sanguísque biliosus, tenuis, feruidus ac vaporosus mali causa sit, ad arteriatum

teriarum sectionem, aliis remediis non iuuantibus, accedere quoque necessarium est, de qua *capite praecedente* dictum.

Tandem etiam digerentia ex chamaemelo, meliloto, sem. lini, foenigraeci adhibenda; vt & vnguentum alabastrinum, eodem modo, vt in Intemperie cum sanguine, de quo postea etiam, *in quaestione*, dicetur. Et quia cochlearum caro citra calorem redundantem humorem euocat, etiam hic nonnulli cataplasma; quod paratur ex cochlearum carne contusa, cum modico thuris commendant.

*Diaeta.*

Aër, in quo aeger degit, sit frigidus & humidus, vel talis arte pareretur, vt supra, *c.* 1. dictum. Victu vtatur aeger refrigerante & humectante, (supra, *eodem capite*, proposito & descripto, quo generatio bilis prohibeatur, & genita temperetur. Abstineat vino, potúsque assuetis aqua cocta & praeparata, vel aqua hordei aut cereuisia tenuis. Assueti cubitum ituri haustum aquae frigidae bibant. Somnus sit longior: perturbationes animi & corporis motus vehementiores, vt & inedia, vitentur.

## QVAESTIO

### *An in Intemperie cum humore bilioso etiam locum habeant discutientia & resoluentia.*

Videntur quidem minus conuenire discutientia, 1. Cum sint calida, & intemperiem augeant, ac facilè putrediné humori inducere possint 2. Quia attrahere valent humores ad caput. 3. Quia bilis sponte & facilè exhalat, & vix vllas sui reliquias in capite relinquit.

Verum enim verò in declinatione non sunt planè omittenda discutientia. Si enim locum habent in inflammatione, vt docet Galenus, 13. m.m. *c.* 6. 8. & 9. & 1. ad Glauc. *c.* 15. & 2. *κατὰ τόπ.* *c.* 2. omnino etiam in humore bilioso adhiberi possunt. Tantum verò abest, vt intemperiem augeant, vt potius refrigerent. Digerentia enim, vt vult Galenus, 1. *de simpl. medicam. facult.* *c.* 4. & 2. ad Glaucon. *c.* 2. refrigerant ex accidente, quatenus materiam calidam discutiunt. Neque metus est attractionis; cùm non nisi vniuersalibus praemissis, & post vsum repellentium adhibeantur; vbi verò metus adhuc est de affluxu, compositis ex repellentibus & discutientibus vtendum. Et quanquam humor biliosus sit tenuis & facilè exhalet, tamen facilè fieri potest, vt in capite haerens crassescat, & hinc non totus exhalet. Interim non diffiteor, cautione opus esse in discutientibus in hac intemperie adhibendis, videndumque esse, ne istis intemperies calida augeatur.

---

## CAPVT X.

### *De Intemperie Capitis cum Pituita.*

*Caussae.*

*Intemperies capitis cum pituita.* QVae cum pituita coniuncta est intemperies frigida & humida est. Generatur autem & cumulatur pituita in cerebro hyeme, & cõstitutione aëris frigidâ, locísque palustribus & vliginosis, aetate senili, inprimis vbi cerebrũ frigidius & humidius est, vel à morbo aliquo, aut nimiâ Venere, aut immoderato sanguinis è naribus fluxu, debilitatũ est, aut ob meatuũ angustiã, excrementorum crassitiẽ, facultatísque expultricis debilitatẽ excrementa expellere non valet. Aliunde verò ad caput transmittitur, si in vniuerso corpore, aut determinata aliqua parte abundet, & causae accedant, quae ipsã ad caput allicere valẽt, vt dolor capitis, calor, & similia. Non parum etiam saepe ad hanc intẽperiem generandam facit hepar calidum & humidũ, à quo sanguis vaporosus materiam multis vaporibus, qui in caput eleuantur, praebet, quae ibi haerentes cerebrum debilitant & materiã pituitae praebent. Et omnino huc faciunt causae omnes pituitam generantes, *lib.* 1. *Instit.* enumeratae.

*Signa Diagnostica.*

Adest capitis grauitas & tensio, sensuum cùm internorum tùm externorum inertia, mentisque stupor & tarditas, in somnum propensio, idem est longior & profundior; nisi moeror & sollicitudines, vel aliae causae interrumpant, ac vigilias excitent. Somnia sunt de rebus albis, aquis, pluuiis. Coelo sereno melius habent aegri; nubilo, & aëre frigido habent peius: circa Lunae *φάσεις* peius: Lunã ab aspectu Solis vacuã meliùs. Si tamen in parte capitis anteriore pituita abundet, soporosus magis affectus extat; si in medio vel posteriore, fatuitas & memoriae laesio magis excitatur. *Signa pituitae in capite.*

Os saliuã multã humet, lingua est mollis, sitis adest nulla, & pituita copiosior è naribus & per palatum excernitur, quae sapore est vel dulci, vel acido, vel salso, pro natura & differẽtia pituitae. Facies pallet, nisi forsan doloris vehementia aut diuturnitate tenuior sanguinis pars ad caput rapiatur, cuius praesentia id rubeat & caleat; oculi subtumẽt. Caput si tangatur, non est ita calidũ, sed potius frigidum, & quod non nisi regumentis multis adhibitis calefieri potest. Nonnullique conqueruntur, se frigiditatẽ instar niuis & glaciei in capite percipere. Molestia, quam parit, ferè magis in occipite sentitur, praesertim iis horis, quibus pituita dominatur, à tertia scilicet hora noctis vsque ad nonam. Vrina, si simul in reliquo corpore pituita abundet, est cruda, crassa, alba; pulsus paruus, mollis, tardus, rarus; affectus, qui inde excitatur, est diuturnus. Quod si cum his tẽperamentum aegri, aetas, anni tempus, aëris constitutio, diaeta praecedens, & omnino causae, quae caput frigefacere & humectare, ac pituitam in eo cumulare solent, consentiant, certiora omnino erunt ista signa. Iuuant quae pituitam alterant & euacuant, capútque calefaciunt & siccant; nocent quae pituitam nimiùm augent, capútque frigefaciunt & humectant.

*Prognostica.*

Intemperies haec curatu non ita facilis est, & saepe in stuporem, paralysin, apoplexiam, & soporosos affectus degenerat; & quò diuturnior est, eò difficiliùs curatur, vt & in corpore senili. Tempus hybernum quoque, quòd morbum augeat, minus aptum est ad curationem; commodior est calida & sicca aëris constitutio, qualis est aestiua.

*Indicationes.*

Cùm intemperies tolli non possit, nisi causa prius tollatur, pituita primùm euacuanda, & si ad caput moueatur, reuellenda, Intemperies verò frigida & humida per calefacientia & siccantia corrigenda.

*Auxilia & Curatio.*

Itaque sanguinis euacuatione ob pituitam equidem nullã opus est Si tamen in reliquo corpore, quod fieri impossibile nõ est, praecipuè si hepar sit calidius, sanguis abundet, eum in aetate florente vel consistente etiã detrahere inutile non est. Hoc enim modo & vaporũ ad caput exhalatio impeditur, & superfluũ alimentum demitur, vt natura postea quicquid crudum & pituitosũ in sanguine est faciliùs & exactiùs cõcoquere possit, & medicamenta postea tutius vsurpantur. Sanguine euacuato, aut si sanguis euacuatione opus non sit, statim ad ipsius

ipſius humoris pituitoſi euacuationem ſe accingat Medicus.

Primò ergo, præcipuè ſi ab inferioribus humor ad caput feratur, iniiciatur clyſter.

Clyſteres enim non ſolùm ex primis viis materiam ſuperfluam euacuant, ſed & à membris principalibus ſuperioribus, & maximè cerebro, humores ſuperfluos verſus inferiora trahunt. Primò talis ſufficit:

*Clyſteres.* ℞. *Maluæ, althéæ, betæ, parietar. betonic. hyſſopi*, an. M.i. *flor. ſtœchad. chamæmel. melilot.* an. p.ii. Coq. in aqua ſ.

Colat. ℞. ℔ i. in qua diſſolue *hieræ ſimpl.* Galen. *benedict. laxatiu.* an. Vnc ß. *mellis anthoſati, roſat. colati*, an. ℥.i. *ſucci betæ* ʒ.x. *olei lilior. alb.* ℥.ii *ſalis* ʒ.ß. F. Clyſter.

Vel ℞. *Rad. ireos, pœoniæ*, an. ℥.ß. *mercurial. betæ, ſaluiæ, rutæ, betonicæ*, an. M.i. *roriſmarin. flor. chamæmel.* an. p.i. *ſem. aniſi, fœniculi*, an. ʒ ii. *agaric. albi in petia ligati* ℥.ß. Coquantur in aq. ſimplici.

Colat. ℞ ℔.i. adde *benedict. laxat.* Vnc. ß. *diaphænici* ʒ.ii. *mellis roſat. ſolut.* Vnc.i. *olei rutacei* Vnc. iß. *laurini* ℥.i. *ſalis* ʒ.i. F. Clyſter.

Si in ventriculo ſit materia fluitans aut nauſeam excitans, ægérque ad vomitum facilis ſit, vomitus concitetur: aliàs vomitus inutilis, cum caput repleat.

## *Præparantia pituitam in capite.*

*Præparantia pituitam in capite.* Deinde humor pituitoſus, niſi ſit ſalſus, cùm magna ex parte ſit craſſus & viſcidus, præparandus & attenuandus incidētibus & abſtergentibus, *hyſſopo, ſalnia, origano, maiorana betonicâ, verbenâ*, quæ ſiue aſſumpta, ſiue extra vſurpata in morbis capitis à materia frigida multū prodeſt, *rutâ, roremarino, ſtœchade, pœoniâ, matricariâ*, in mulieribus, & aliis cephalicis calidis, ſupra, *c.* 2. propoſitis, tum ſimplicibus tum compoſitis; quibus & alia medicamenta incidentia & abſtergentia addi poſſunt. Magna ex parte pituitam craſſam & viſcidam eſſe diximus. Quando enim pituita fluida eſt, & catarrhus coniunctus, ac materia euaporationi apta, quæ nimia attenuatione redderetur fluidior, & plures vapores ſuppeditaret, vſurpāda calefacientia & ſiſtentia nonnihil, atq; incraſſantia, vt; *ſaluia, mentha, abſinthium, maſtiche, nux moſchata, nuces cupreſſi, thus, mel roſatum*, & ſimilia. Vbi verò materia eſt frigida, craſſa, viſcida, ab attenuantib. mitioribus inchoandum; qualia ſunt oxymel ſimplex, aqua maioranæ, hyſſopi, betonicæ: poſtea ad fortiora aſcendendū; qualia ſunt oxymel compoſitum, ſcilliticum, ſyrup. ſtœchad. Arabic. aq. maioranæ, rutæ, roriſmarini, decoctū radicum pœoniæ, acori; & prout viſciditas maior, vel minor eſt, ita etiam incidentium & abſtergentium, vt oxymel ſimplicis & compoſiti plus vel minus admiſcendū. Omnino enim in præparātibus iſtis medicamentis hoc obſeruandū, vt à lenioribus incipiamus; ne, ſi nimis calida ſtatim initiò vſurpantur; materia fundatur & morbus vehementior reddatur. Ideo Matthæus de Gradibus reprehēdit eos, qui in dolore capitis à cauſa frigida à principio exhibent ſyrup. de ſtœchade, qui eſt valde calidus. Quapropter rectiſſimè fit, ſi, cùm materia eſt multa, primò leniora vſurpentur, hinc pars materiæ euacuetur, & poſtea ad fortiora fiat progreſſus. Si pituita ſit ſalſa, ſemper addenda cichorium, endiuia, ſcariola.

*Potiones.* Vt ℞. *Radic. fœnicul.* Vnc. ß. *fol. betonicæ. hyſſop.* an. M. i. *ſemin. fœnicul.* ʒ.i. *flor. roriſmarini, ſtœchad. Arabic.* an. p.ii Coquantur in aq. ſimplici.

Colat. ℞. Vnc.vii. *ſyrup. de betonica, de ſtœchad. ſimp.* an ʒ.vi. *oxymelitis ſimpl.* Vnc.i. Miſce pro duabus doſibus.

Vel ℞. *Radic. calam. aromat. pœoniæ, galangæ*, ana Vnc. ß. *betonic. ſaluiæ, roriſmarin.* an. p. i. *ſem. pœon.* Vnc. ß. *aniſi, fœnicul.* an Drach.ii. *flor. ſtœchad. Arabic. ſaluiæ, ſambuc, roſarum*, an. p.i. Coquantur in aqua pura.

Colat. ℞. ℔. iß. *ſacchari* Vnc.iii. Fiat potio clara, Quæ aromatiſetur *ſpecier. diamoſch. dulcis* Dra.i. Pro 3. vel 4 doſibus.

Vel ℞. *Hyſſopi, betonicæ, ſaluiæ*, an. M.i. *flor. ſtœchad. Arab.* M.ß. Coquantur in aq. ſimpl.

Colat. ℞. Vnc.viii. *ſyrup. de hyſſop. de ſtœchad. ſimpl.* an. Vnc.i. Miſce pro duabus vel tribus doſibus.

Vel ℞. *Syrup. ſtœchad.* Vnc.i. *oxymel. ſimpl.* Vnc.ß. *decocti cephalici* Vnc.iii. vel iiii. F. Hauſtus.

Vel ℞. *Radic. fœnicul.* Vnc.i. *pœoniæ, angelic. ireos Florentinæ*, an. ℥.ß *ſaluiæ, maioran. betonic. calaminth. hyſſopi*, an. M.ß. *ſem. fœnicul. ſileris montani*, an. ʒ.ii. *carui* ʒ.i. *flor. ſtœchad. Arabic. anthos, lauendulæ*, an. p.i. Coquantur in aq. ſimplici.

Colat. ℞. ℔. iß. Dulcoretur ſaccharo & clarificetur. Adde *aq. cinamomi* Vnc. ß. Fiat potus pro quatuor doſibus.

Vel ℞. *Rad. fœnicul. petroſel.* an. Vnc. ß. *pœoniæ* Dra.ii. *betonic. hyſſopi, calaminth. capill. Veneris, meliſſ. maioran.* an. M. i. *flor. ſtœchad.* Arabic. p. i. Coq. in aqua. ſ.

Colat. ℞. ℔.i. *mellis anthoſati, ſyrup. de betonica, oxymel. ſ.* an. Vnc.i. Fiat potio pro 4. doſibus, Quæ aromatiſetur *ſpecier. aromat. roſat.* Dra. ß.

℞. *Rad. fœnicul. pœon.* an. Vnc. ß. *hyſſop. calaminth. betonic. capill. Veneris, maioran. roriſmarin. ſtœchad. Arab.* an. M.i. *flor. ſambuc.* M. ß. *ſem. pœon.* Drach. ß. Coq. in ſ.q. aq. puræ.

Colat. adde *mellis* ℔.ii. *aceti ſcillitici* ℔.ß. Fiat Syrupus, Qui aromatiſetur *pulueris nuc. moſchat.* ʒ i. Quæ conquaſſata in nodulo ſub finem decoctionis addātur. Syr. huius datur Vnc. iß. cum *aq. beton. fœnic. hyſſop.* an. Vnc i.

Vel ℞. *Syrup. de ſtœchad. ſimpl. de betonica, de hyſſopo*, an. ℥.i. *oxymel. ſcillit.* ʒ.vi. *aq. betonic. roriſmarin. hyſſopi*, an. Vnc.iii. M. pro tribus doſibus.

Et reliqua, quæ ſupra, *c.* 2 de intemperie capitis frigida ſunt propoſita.

## *Purgantia pituitam è capite.*

Poſtea purgatio inſtituatur *agarico, turbith, trochiſc. albandal. foliis ſenæ, aloe, pilulis aureis, cochiis, Arabicis, lucis, de agarico, aſſajeret, ſpeciebus diaturbith, electuario diaphœnic.* & ſimilibus. *Purgantia pituitam è capite.*

℞. *Aloes lotæ cum aq. maioranæ, agaric. trochiſcat.* an. Drach. j. *maſtiches, cubebar.* an. gr. vi. *trochiſcorum albandal.* Scrup.i. Cum ſyr. betonicæ. Fiant pilulæ. Doſis Drach.i. *Pilulæ.*

Vel ℞. *Pilul. cochiar.* Scr.ii. *aurearum* Scr.i. *trochiſcorum albandal.* gr.iii. Cum aqua betonicæ. F. Pilul xviij. vel plures.

Vel ℞. *Pil. cochiar.* ʒ.i. *aurear.* ℈.ß. *trochiſcor. albandal.* gr.ii. Cum oxymel. ſcillit. F. Pilul. xvii. vel plures.

Vel ℞. *Pilul. cochiar.* ℈.ii. *aurear. aloephangin.* an. ʒ.ß. *agarici trochiſcat* ℈.ii. *turbith electi* gr.xv. *maſtich, cinamom. cubebar.* an gr.vi. *trochiſcor. albandal.* gr.vii. Cum aq. roriſmarini. F. Pilul. è Drach.j. xv. vel xvi. vel xvij. vel quot libet. Detur Drach.j.

Vel ℞. *Pilul. cochiar.* Scr ii. *de hiera cum agarico* Scr. i. *trochiſcorum albandal.* gr.iii. Cum aqua maioranæ. Fiat Pilul. xx I. Zechius has Pilulas laudat:

℞. *Agar. elect.* ʒ.ii. *colocynth.* ʒ.v.ß. *myrobal. chebulor.* ℥.i. *ſemin. maioran. rutæ, pœoniæ, aſari, piperis, zingiber.* an. ℈.i. *nuc. moſchat. cubebar. caryophyll. xiloaloes, maſtich. cardamom. ſpicæ nardi*, an. ʒ.ß. *hellebor. nigri* ℈.ii. *ſalis gemmæ, nitri*, an. gr.v. *aloes hepaticæ pondus duplum.* Fiant Pilulæ cum benedict. laxatiu. Quarum ʒ.i. bis terue in menſe, vel ℈.i tertio quoque die ſumatur.

℞. *Elect. diaphœnic.* ℥.ß. vel ʒ.v. vel vi. *pulu. ſtœchados Arab. rad. pœoniæ* an ℈.ß. Cum ſaccharo. Fiat Bolus. *Boli.*

Vel ℞. *Agarici trochiſcat.* ℈.iiii. *elect. diaphœnic.* ʒ.ß. *fl. ſtœchad. Arab. ſemē aniſi*, an. ℈.ß Cū ſaccharo F. Bolus.

℞. Pulue

*Pulueres.* ℞. *Pulueris senæ præparatæ* ʒ.i.*mechoacannæ* ʒ.ß.*turbith*.Scr.i.*cremor.tartari, rad.ireos Florentinæ, diagrydij*, an.gr.vi.*ambr*.gr.ii.F.puluis pro ii.dosibus.

Vel ℞. *Turbith.elect*.ʒ.i.*Zingiber.flor.stœchad.Arab*. an.Scr.ß.*sacchari* ad pódus omnium. F.Puluis.Vel iste.

℞. *Fol.senæ* Vnc.ß.*agaric.trochisc*.ʒ.iß.*turbith.gummosi,infusi in lacte,& exsiccati* ʒ.ii.*Zingiber.salis gemmæ, mastiches*,an.ʒ.ß. *cremor.tartar*.ʒ.ii.*cinamom.cubeb*. an. Scr.ii.*summitat.thymi* ʒ iii.*sem.violar*.ʒ.ß. *medullæ sem. carthami* ʒ.i.*sacchar.candi* parum.Fiat puluis.

Simul alterat & purgat. Dosis ʒ.ii. Quæ dosis si videatur maior,purgantia augeri poterunt.

℞. *Agaric. trochisc*. ʒ.ii. *zingib. albissimi* ʒ.i.*salis gemmæ* Scrup.i.

*Potiones.* Incisa infundantur in s.q.oxymelitis simplicis horis octo.Postea ebulliant,colentur & exprimantur.

Expresso liquori adde *decocti foliorum betonicæ,hyssopi.flor.stœchad. Arabic*. Pro haustu, in quo dissoluantur *elect. diaphœnici* Drach. iiß. *mellis anthosati* Vnc.ß. Iterum coletur.Fiat haustus.

Vel ℞.*Rad.fœnic*.℥.ß. *pœoniæ* ʒ ii. *hyssopi* M.ß. *agaric*.ʒ.i.ß. *fol. senæ elect*.ʒ.iii. *sem.carthami contusi* ʒ. iß. *anisi,fœniculi*,an.ʒ.i Coquantur in aq.simpl.

Colaturæ ℞.℥.iiii.ß.*mellis rosati solutiui* ℥.ß. Misce.

Sed quia humor pituitosus plerumque cõtumax est, & vna vice vix educi potest,ex interuallis repetere vsũ præparantium & purgantium conuenit , sintque semper posteriora medicamenta prioribus fortiora:vt si primò mel rosatum exhibitum sit , postea vsurpetur syrupus de duabus radicibus, de stœchade simplic. oxymel simplex, tandem syrup. de stœchad. compositus , oxymel scilliticum cum decoctis & aquis herbarum cephalicarum,saluiæ,rorismarini,stœchadis. Si primò exhibitæ pilulæ Assajeret , postea exhibeantur pilulæ aureæ, tandem cochiæ,fœtidæ.

℞.*rad.fœnic.pœon*.an.Vnc.ß.*ireos,calami aromat*.an. ʒ.ii.*sem.carui* ʒ.i.*anisi,sileris montani*,an.Dra.iß.*fol.betonic*.M.j.*maioranæ,hyssopi,rutæ*,an.M.ß. *flor.stœchad.rorismarin.lauendulæ* an.P.i. Coquantur in aq. simplic.ad consumptionem tertiæ partis,pro ℔.i.

Colat.adde *syr. de hyssop.de stœchad.compos*.an.ʒ. iß. *mellis antosati*.Vnc.ii. *oxymel.simpl.vel scillit*. Vnc.i. *aq. cinamom*.ʒ.iii.M.pro quatuor dosibus.

Vel ℞.*Betonic.menthæ,saluiæ,flor.rorismar*.an P.j.*caryophyll.cinamom*.an.Scr.i.*corticum citri* Vnc.ii. Coq.in s.q aq.betonicæ,ad quartæ partis consumpt.

Colat.adde *mellis & aceti* q.s.Fiat oxymel.

De quo manè,tribus diebus continuis,sumantur cochlear.2.vel 3.

Hinc iterum purgatio instituatur.

Vt ℞. *Pil.cochiarum,aurearum,fœtidarum*, an. Scr.i. *agarici trochischat*. Scr. ß. *trochiscorum alhandal*. gr.iii. Cum aq.saluiæ F.Pil.xxj.

Vel ℞. *Agaric.el*.ʒ.ii.*Zingiber*.ʒ.ß. Infundantur *in s.q.hydromelitis & aq.hyssopi* per horas septem.

Colat.express.℞ ℥.iiii.In iis dissolue super igne *electuar.diacatholic.Indi maior*.an.ʒ.iiß. Iterum colentur. Adde *mellis rosat.sol*.Vnc.ß.F.haustus.

Vel ℞.*Elect.diaphœnic*.ʒ.iii.*Indi* ʒ.iiß.*diacarthami* ʒ.ß.*pulu.flor.stœchad. Arab.sem.pœoniæ*, an. Scr.ß. Cum saccharo.F.bolus.

Vel ℞. *Turbith.elect*.ʒ.i.*agaric.trochiscat.flor.anthos, stœchad.Arab.zingiber*.an.Scr.ß F.puluis.

Efficax est in hunc vsum etiam medicamẽtum,quod nonnulli Hippocratis Theriacam appellant , & ita paratur.

℞. *Absinthij,marrubij,stœchados, mastiches, rhabarb. chamæpith.chamædryos* an.Dra.iii.*hyssopi* Drac.i. *agarici boni ad pondus omnium.*

Puluerisentur & cum melle cocto excipiantur.

Detur manè à ʒ ii.ad ʒ.iii.in decocto stœchadis, vel alio conueniente liquore.

Vtile etiam est sæpe clysteres repetere & iniicere, & si ab inferioribus aliquid adscendat,frictiones,cucurbitulas,& similia reuulsoria auxilia adhibere.Clyster fortior talis parari potest:

℞. *Rad.ireos recent.angelic.pœoniæ*,an.℥.ß. *fol.lauri, rutæ*,an.M.i.*origani,calaminthæ*,an.M.ß.*flor.stœchad.Arabic.anthos*, an.p.i. *sem.carui,fœniculi*.an.ʒ.iß *baccar. laur. sem. carthami, agaric. in petia ligati*, an.ʒ.ii. Coquantur in aqua pura.

Colat.℞.℔.i.*elect.benedict.laxatiu*.℥.ß.*hieræ diacolocynth. vel hieræ Logadij* ʒ.ii. *pilul. aurearum* ℈.i. *mellis anthosati,succi betæ, vel mercurial*. an.℥.i. *olei rutacei* ℥. iß.*decastoreo* ʒ.vi.*salis* Dra.i.Fiat clyster.

Post purgationem,vt caput alteretur ac roboretur,& purgantium noxa eluatur,sumat æger *Mithridatij*.Scr. ij.*conseru.rosarum,anthôs*,an.ʒ.i.Misce. *Caput confortantia Calida.*

Vel ℞.*Theriac. Mithrid*.an.℈.ii.*conseru.flor.saluiæ* ℥. ß.*ros*.℥.i.*Cum melle anthosato* F.electuarium.Dosis ʒ ii.

Aut alia caput frigidum alterantia supra proposita vsurpentur.Et quia malum hoc sæpe pertinax est,& generosis etiam remediis non semper cedit , non inutile fuerit,corpore purgato aliquot diebus decoctum ligni Guaiaci exhibere.Nam corpus & caput calefacit ac siccat , & crudos humores in vniuerso corpore coquit, crassos attenuat, viscidos incidit , lentos abstergit , & quicquid aquosum est,per vrinam educit , ac per habitum corporis digerit & discutit:ad quæ omnia multum etiam facit tenuior illa victus ratio, quæ cum potu decocti ligni adhiberi solet.

Purgationibus vniuersalibus hisce si materia tota nõ tollatur,particularibus euacuationibus quod reliquum est,per conuenientes vias,per nares scilicet & palatum, educere , tandem per insensibilem perspirationem resoluere,& medicamentis , quæ ex alto quoque attrahunt,discutere & dissipare necessarium est.

Per nares pituitam euacuant errhina , quorum quæ simul sternutationem cient ptarmica dicuntur.

In os & fauces pituitam proliciunt apophlegmatismi in genere dicti ; masticatoria scilicet , collutiones oris & gargarismi,faucium seu palati illitus.

Medicamenta hæc, quæ caput euacuant,seu per palatum,seu per nares id fiat,sunt,vt Galen.2. κατὰ τόπ.c. 2.& 6.κατ.τόπ.c.1.docet,calida,tenuis substantiæ,acria, detergentia,odoris & saporis non ingrati,& malignitatis ac venenositatis expertia.Quatenus autẽ calida sunt, attrahunt & fundunt materiam in capite;tenuitate penetrant;acrimonia facultatem expultricem irritant;detergendo faciunt,ne materia viscida adhæreat;odore & sapore carere debent ingrato ; cùm ore & naribus excipiãtur.Et eâdem de causâ,ac quia facilè aliquid ad œsophagum vel asperam arteriam peruenire potest , venenatæ qualitatis expertia sint.Si tamen aliqua vel nimia acrimonia, vel sapore, vel odore insuaui offendere possunt,corrigentia addenda;propter acrimoniam,fœnum græcum,caricæ pingues,passulæ,ol.violarum,amygdalarum dulcium;propter odorem,aromata,moschus,ambra,gallia moschata,asa dulcis,styrax calamitha; propter saporem,dulcia,mel,saccharum, vinum dulce, passulæ, caricæ.Commodissimum tamen est,vt talibus qualitatibus ex se ista medicamenta prædita sint. *Caput euacuantia medicamenta.*

Sunt autem horum medicamentoram gradus quidam, Alia sunt debilia, vt, *mastiche,thus,manna,oxymel simplex*:alia mediocria.vt; *origanum,hyssopus,maiorana, saponaria,nasturtium,semen nigellæ,radic.capparum,semen erucæ, sinapi, nasturtij , calaminthæ montanæ , dictamnus creticus,acorus,fol.lauri,piper,zingiber,pyrethrum,succus betæ,iridis,oxymel scilliticum* : alia fortia, vt ; *purgantia, agaricus,sena,scammonium,turbith,colocynthis,helleborus albus,niger,elaterium,euphorbium.*

Quorum omnium cùm alia sint mitiora, alia volentiora, semper à benignioribus inchoandum, & subinde paulatim vim medicamenti augendo tentandum,quãtum ferre possint ægri;nihilque incõmodi habent leniora, quàm quod parùm prosunt , quod tamen augendo

Medicamenti vires corrigere possumus: contra verò valentiora incautè vsurpata plurimum nocere possunt. Sensibiliter quoque euacuant vesicatoria, & cauteria. Ad insensibiliter verò resoluendam & digerendam materiam capiti applicantur lotiones, embrochæ, vnguenta, cerota, emplastra, ac denique quæ ex profundo materiam attrahunt, dropaces, & sinapismi, vt supra etiam dictum.

De tempore autem errhinorum, vt & apophlegmatismorũ vsurpandorum notandum hoc in genere: Vsurpanda ea esse tempore matutino, & ieiuno stomacho.

## *Errhina.*

Errhina. De Errhinorum & Ptarmicorum varietate dictum est in Instit. *lib.* 5. *p.* 3. *sect.* 3. *c.* 39. vt & in genere supra, *c.* 3.

Materiam errhinis præbent *folia maioranæ, rutæ, Nicotianæ, flores lil. conuallium, sem. nigellæ, rad. betæ, pyrethri, cyclaminis, cucumeris syluestris, hellebori: succus betæ, bliti, brassicæ, maioranæ, anagallidis, cyclaminis: mel, manna, saccharum rubrum, piper, euphorbium, castoreum: aqua maioranæ, Nicotianæ:* nonnulli *& fel anseris*, & aliorum animalium admiscent.

Vt ℞. *Caulem betæ vel radic. iridis. vel cyclamini, vel gentianæ.* Formentur inde styli pyramidali figura, alligentur filo, & macerati in aqua maioranæ indantur in nares manè, ieiuno stomacho, vel etiam vesperi, ante cœnam.

Vel ℞ *Ladani* Vnc. ß. *pulu. maioran.* Dra. iß. *sem. nigellæ* Dra. i. *styracis liquidæ* q. s. F. Nasalia iustæ magnitudinis, & inuoluantur puluere, qui fit *ex maioran.* Dra. ß. *rad. nigell.* Scr. ß.

Vel ℞. *Succi betæ, maioran. rutæ*, an. ℥. ß. *mãnæ electæ, vel mellis anthosati*, ℥. iß. M. Attrahatur liquor in nares.

Vel ℞. *Succi betæ, maioranæ, rutæ*, an. Vnc. i. *vini albi* Vnc. iii. *facchari rubri* Vnc. ß. M. Addi etiam potest semen nigellæ torrefactum.

Vel ℞. *Succi betæ rubræ* Vnc. ii. *aq. mellis* Vnc. iii. *vini alb.* Vnc. ß. *pulu. sem. nigell. macis, cubebar.* an. Dra. ß. Misc. pro Errhino.

Vel ℞. *Succi cyclamin. betæ, brassic. maioran.* an. Vnc. ß. M.

Si herbæ vel radices virentes & succulentæ desint, è quibus succi exprimi possint, illorum decoctum vel aqua vsurpetur.

Vt ℞. *Rad. ireos* Vnc. ß. *maioranæ, saluiæ, rutæ*, an. M. ß. *rad. cyclam.* ℥. i. Coqu. in aq. simplici.

Colat. ℞. Vnc. viii. *mellis rosati colati, spiritus vini*, an. Vnc. i Misce.

Vel ℞. *Rad. pyrethri, ireos*, an. Drach. ii. *pulegij, origani, betonicæ, maioranæ*, an. M. ß. *agarici trochiscati* Drach i. *flor. stœchad. Arab.* P. i. Coq. in sufficient. q. aq. simpl.

Colat. ℞. Vnc. vi. In iis dissolue *mellis anthosati* ℥. i. *scillitici* Dra. ii. Misce.

Vel ℞. *Agaric. trochiscat.* Vnc. ß. *betonicæ, anagallid. flore rubro.* an. P. ii. Coqu. in hydromelite pro Errhino.

Efficacissima etiam sunt Errhina, si scammonij modicum admisceatur.

Linimenti formâ.

℞. *Sem. nigellæ præpar. piperis albi: myrrhæ*, an. Scr. ii. *rad. cucumer. syluestr.* Scrup. i. Trita excipiantur *oleo irino*. F. Linimentum.

Vel ℞. *Piperis albi, cubebar. caryophyll. nuc. moschat. sem. nigellæ, pyrethri*, an. Scrup. i. *diagrydij, elaterij*, an. Scr. ß. *moschi* gr. ii.

Trita excipiantur s. q. *olei irini*, & ducantur in formam linimenti naribus inungendi, & post illitionem aër attrahatur.

Trallianus, *lib.* 1. *c.* 11. ad varios capitis affectus hoc commendat:

℞. *Melanthij* Drach. viii. *salis ammoniac.* Dra. i. *elaterij* Drach. iiij.

Trita excipiantur *oleo sicyonio vel irino*, vt cerati habeant consistentiam, quo nares illinantur.

Loco Errhinorum etiam vsurpari possunt turundæ ex gossypio paratæ, & madefactæ succis, decoctis, vel aquis supradictis, pulueribúsque idoneis conspersæ, & naribus immissæ.

Videatur quoque Galenus, 2. *κατὰ τόπ. cap.* 2. Paulus, *lib.* 3. *cap.* 3.

## *Ptarmica*

Ptarmica. Ptarmica ex iisdem ferè medicamentis fiunt, ex quibus errhina, acrioribus tamen, quæ suo calore & acrimoniâ cerebrum ita feriunt & percellunt, vt ad sensum illum molestiæ quasi refugiens sese contrahat, suique concussione superuacanea simul cum immisso medicamento à se repellat, & extrudat.

Præstat id herba *ptarmica* ab effectu sic dicta, solo etiam odore, si eius flores & folia terantur; & *ellebori albi* radix in spiritu vini macerata, si sola fibra radicis in nares immittatur, iterúmq; extrahatur. Nam puluerem solum insufflare, nisi veterno comopitis, aut apoplexia detentis, tutum non est, ob ingentem, quam efficit in cerebro, agitationem, *Lilij conuallium flores* Puluerisati etiam sternutationem cient.

℞. *Piper. albi, pyrethri, hellebori albi, castorei, caryoph.* an. Scrup. i.

Trita macerentur in suff. q. hydromelitis, in quo intinctum linteum naribus indatur.

Vel ℞. *Ellebor. albi* Dra. i. *piper. longi, sem. staphidis agriæ, nuc. moschat.* an. Scr. i. Cum tragacantha in aq. maioranæ dissolutâ. F. Nasalia.

Vel ℞. *Fol. maioranæ, sem. nigellæ, caryophyll. zingiber. rad. pyrethri, acori, cyclamini*, an. Scr. ß. F. Puluis.

Vel ℞. *Sem. nigell.* Scr. ii. *piperis albi, ellebori albi*, an. Scr. ß. *maioran.* Scr. i. F. Puluis sternutatorius.

Pertinet hûc & puluis, qui hodie è Nicotiana, macere, maiorana, moscho, ambra paratur.

Si catarrhus coniunctus sit, errhina & ptarmica fortiora vitentur; cum caput vehementius agitent, & humores commoueant. Ac tunc potius odoramenta exsiccantia conueniunt.

Si post errhinorum & ptarmicorum vsum ardor aliquis intra nares percipitur, aqua tepidâ simplici, vel oleo violarum, vel lacte tepido attracto is lenitur.

## *Apophlegmatismi.*

Apophlegmatismi. De iis actum est in Institut. *lib.* 5. *sect.* 3. *part.* 3. *c.* 28. Detrahunt verò à capite pituitam, & è crebro per palatum in os alliciunt, gargarismi, collutiones oris, masticatoria, inunctiones palati. Quocunque autem modo vsurpentur, duplici ratione vim suam exserunt.

Vel enim caliditate & acrimonia humores fundendo id præstant, vel simul tota substantia id perficiunt.

Prioris generis sunt *semen anethi, hyssop. origan. rad. capparum, pyrethri, valerianæ, sem. erucæ, sinapis baccæ lauri, cubebæ, cardamomum, grana paradisi, galanga, mastiche, passulæ, ficus.*

Posterioris generis sunt quæ purgant; vt *radix iridis recens, sem. staphidis agriæ*, & similia.

Ideóque pro humoris peccãtis & affectus natura & differentia etiam medicamentorum quendam delectum habere oportet.

Prioris generis medicamenta, vt leniora, in affectu leuiori vsurpari poterunt: vbi verò humores altius in cerebro, delitescunt, & magnum instat periculum, valentiora eligere conuenit.

Cautè tamen vsurpentur apophlegmatismi in iis, qui fluxioni ad pectus, & tabi obnoxij. His enim magis conueniunt Errhina, quæ nonnulli Caput purgia in specie appellant: cum tamen hoc nomen iure optimo etiam apophlegmatismis competere possit.

*Masti*

### *Masticatoria.*

*Masticatoria.* *Mastiche* mansa vel sola, vel cum passulis, blandè & leniter pituitam è cerebro elicit: *Passulæ* item cum pipere masticatæ.

Valentiora sunt *radix iridis, agaricus, semen sinapi, nasturtij, staphidis agriæ, radix pyrethri, cyclamini.*

Vt ℞. *Mastiches* Drach.ii. *pyrethri, staphidis agriæ,* an. Drach.ß.

Contusa grosso modo masticentur, crebrò expuendo, aut cum s. q. mellis, vel pulpa caricarum pinguium & cera figurentur pastilli mansiles, instar lupinorum.

Vel ℞. *Pyrethri, cubebar. staphidis agriæ,* an. ʒ.ß. Excipiantur mastiche & cerâ an q. s. F. Pastilli mansiles.

Vel ℞. *Agaric.* Dra.ß. *specier. diambr.* Scr.ß. *pyrethri, cubebar. ligni aloeos,* an. Scr.i. *mastiches* Scr.ii. Cum aqua iridis Fiant Trochisci mansiles, & in Sole siccentur, qui mansi manè caput purgant & roborant.

Vel ℞. *Piperis longi, nucis moschat.* an. Dra.ii. *staphidis agriæ, pyrethri,* an. Scr.ii. *sem. sinap.* Scr.i. Cum melle F. trochisci mansiles.

Vel ℞. *Vuarum passarum* Dra.iii. *hyssopi, pyrethri* an. Dra.ii. *mastiches,* Dra.iii. Cum melle & cera Fiant trochisci mansiles.

Vel ℞. *Cubebarum, piper. albi,* an. Dra.ß. *pyrethri* ʒ.i. *mastiches* Vnc.ß.

Contusa & conclusa nodulo vel sacculo lineo raro masticentur. Vtilissimum etiam est agarici Scr. i. vel ii. diu masticare.

Masticatoria tamen non omnes admittunt, vt quibus dentes cariosi aut exesi sunt, au exciderunt, & masticare non possunt. Non quoque conueniunt, cum adsunt vlcera circa fauces, vel tussis adest, aut affectus pulmonum. Nam materiam versus eas partes trahunt. Videatur etiam Galenus, 2. κατὰ τόπ. c. 2.

### *Inunctiones palati.*

℞. Theriacæ, vel Mithridatij q. s. dissoluanturq; in oxymelite scillitico, & addatur aliquid sinapis vel pulueris castorei, & misturâ illâ palatum inungatur.

Vel ℞. *Pulu. nuc. moschat. caryophyll. sinapis, piper. albi, pyrethri, zingiber.* an. Scr.ß. *mellis anthosati* Vnc.ß. M. & inungatur palatum.

Fortius erit medicamentum, si aliquid de staphide agria, vel elaterio addatur.

### *Gargarismi & Collutiones oris.*

℞. *Fol. betæ, maioran. hyssopi, calaminthæ* an. Mß. *cort. rad. cappar.* Dra.i. *sem. sinapis, rad. pyrethri, pip. alb.* an. Scr.ii. *caricarum pinguium* num.iii. Coquantur *in suff. q. aq. vel hydromelitis,* pro ℔j.

Colat. adde *mellis anthosati, oxymelitis,* an. Vnc.iß. *vel oxymel. scillit.* Vnc.ii.

Misceantur. Tepidum ore diu contineatur mane ante pastum cum, vel sine gargarisatione.

Vel ℞. *Origani, pulegij, maioranæ, betonicæ, rutæ, zingiber. piperis, stœchad. Arab.* an. Vnc. ß. *mastiches, staphidis agriæ, nuc. moschat.* an. Drach. iß. *sem. sinap.* Drach.vi.

Contusa coquantur in *suff. q. vini* ad tertiæ partis consumptionem,

Colatura vsurpetur pro Gargarismo.

Vel ℞. *Agarici trochiscat.* Vnc.ß. *hyssopi, origani, calaminthæ,* an. Mß. Coquantur in aq. s.

Colaturæ ℞. ℔.ß. *oxymel. simpl.* ℥.i. F. Gargarismus.

Dodonæus quoque lac ex amygdal. amaris, aut ex nucleis persicorum, cum aq. pulegij factum non inutiliter apophlegmatismi loco vsurpari posse scribit; cùm & pituitam detrahat, & eam expediat, præsertim erucæ & sinapis semine addito.

Apophlegmatismi etiam in Errhina mutari possunt, si capite supino naribus hauriantur, vt per summum palati relabantur in fauces. Hoc enim modo dum basin cerebri transeunt, viam, per quam excrementa cerebri decurrunt, abluunt, & ex ventriculis cerebri excrementa validius extrahunt.

Ad Apophlegmatismos meritò etiam refertur fumus ille, qui ex Nicotiana accensa canalis beneficio, à Belgis præcipuè, per fauces & palatum attrahi solet, & pituitam è capite elicit; de qua re consulantur libelli à recentioribus de Nicotiana scripti. Commodior tamen est puluis, cuius supra inter ptarmica facta est mentio.

De apophlegmatismis quoque agit Aëtius, *tetrab.* 2. *serm.* 2. *cap.* 53. vbi & sequentem recenset, ac de eo scribit, quòd, qui eo vtitur, neque capitis dolore, neque oculorum caligine, neque aurium & dentium affectibus corripitur:

℞. *Sampsucci sicc. irid. Illyricæ, pyrethri, hyssopi, nitri, piperis, semin. apij, rad. panacis, staphydis agriæ,* an. ℥.ß.

Si verò vim eius intendere voles, adde *myrrhæ* ʒ.iii.

Singula primũ seorsim, deinde simul terito cum aqua, & formato pastillos, pauco melle admixto. Vsus autem tẽpore melle & aq. diluito, ac pro gargarismo vtitor.

*Errhina* supra, *c.* 5. fuerunt enumerata. Recenset etiam quædam Aëtius, *tetrab.* 2. *serm.* 2. *cap.* 52.

### *Topica.*

*Topica cephalica in pituita.* Topicorum, quæ vim habent reliquias discutiendi, & caput roborandi, calefaciendi & exsiccandi, formulæ supra, de Intemperie capitis frigidâ & humidâ, traditæ sunt, quæ huc transferantur. Inter quæ cùm à Galeno, 2. *de comp. medicamentor. sec. loc. c.* 2. tum ab Aëtio, *tetrab.* 2. *serm.* 2. *c.* 48. valde commendatur *verbenaca recta,* vt quæ omniũ maximè discutiat, & mirificè roboret, omnique capitis dolori ex frigiditate aut crassis humoribus orto medeatur, præsertim viridis, imò & arida, cũ radicibus, & cũ serpillo oleo incocta, & inprimis si crocodiliadis maximè circa aquas nascentis radix addatur. *Verbenacæ vis.*

℞. *Vini albi fortis* Vnc.v. *salis communis* Vnc.i. *Fomenta.*

Liquefiat sal cum vino bulliendo. Postea addo *spirit. vini vel aquæ alicuius cephalicæ* Vnc.v.

Madefiat eo linteum, quod capiti imponatur.

Vel ℞. *Fol. lauri, maioran. flor. stœchad. Arabic.* an. M.i. *chamæmeli, meliloti, fol. senæ,* an. M.i. *agarici albi* ʒ.ii. Coquantur in lixiuio pro lotione capitis.

Vel ℞. *Lixiuij ex sarmentis vitis* q. s. ad vnam lotionem. In eo coq. *maioranæ, bacc. lauri, pulegij, calaminthæ, ocymi,* an. M.i. *agaric. elect.* ʒ.ii. Addatúrque pars tertia vini, & Coquatur ad quartæ partis consumptionem.

Postea colentur, & lixiuio isto ac sapone odorato caput lauetur.

Vnguentum hoc, quod

℞. *euphorbij* ʒ.i. *ceræ quadrantem, olei dulcis* ℔.i. commendat ad temporum & frontis inunctionem Aëtius, *tetrab.* 2. *serm.* 2. *c.* 49. & sæpe vnico eius vsu ante balneum frigidas capitis affectiones cessare scribit. *Vnguenta.*

Prodest & *oleum* ex *euphor.* Drach iii. & *olei* ℔.i. paratum, in aurem instillatum. Paul Ægineta, *lib.* 3. *cap.* 5. valde laudat vnguentum ex euphorb. & castoreo. Vbi & alia externa medicamenta habet ad capitis affectiones frigidas.

℞. *Radic. cucumer. syluestr. minutim concisæ, & crasso modo contusæ* Vnc.i. Coq. *in olei cheiri,* Vnc.x. ad consumptionem quintæ partis. *Emplastra & cerata.*

Colentur cum forti expressione. Col. adde *pulu. castorei, absinth.* an. Dra.ß. *euphorbij* Dra.i. *spicæ nardi* Scr.ii. *Ceræ* q. s. F. Emplastrum.

Quo solo inueteratos capitis dolores diuturnos internos & externos, etiam contumacissimos, se sanasse scribit Zechius, *cons.* 3.

℞. *Styrac. calamitæ* Vnc.i. *olei irini* ʒ.ß. *de euphorb.* ʒ.ii. *theriacæ veteris* ʒ.i. *ceræ* q. s. Fiat Ceratum.

*Aliud ceratum,* eiusdem Zechij, ad intemperiẽ cerebri frigidam

frigidam & humidam,& inde pendentes catarrhos diuturnos efficaciſſimum.

℞.*Garyophyll.thuris,macis*,an.Scrup.ii. *corallior.ambor.ſpodij,ambari*,an.ʒ.ß.*nucis cupreſſi* ʒ.i. *ſtyracis calamita,vernicis* an.ʒ.iß.*ladani* ʒ.vi.*reſina* Vnc.i.

Soluatur ladanum cum reſina in vino veteri, & coquantur ad iuſtam conſiſtentiam.

*Aqua cephalica ad extra.* Inprimis verò iſta aqua valde commendatur ad pituitam & flatus in capite abſumendos,& catarrhos exſiccandos, ad cerebrum & memoriam roborandam, ad dolores capitis è cauſa frigida;ſi cochleare vnum capiti infundatur & tempora ac frons ea illinantur.

℞. *Saluia,roriſmarin.betonica,ſerpilli,maioran*.an.M.ii.*flor.chamameli,meliloti*,an.M.i. *lilij conuall. lauendula, ſummit.anethi*,an.Vnc i. *ſem.ſileris montani, carui, cinamomi,nucis moſchat.caryophyll.granor. Paradiſi, cubebar. baccar.lauri*,an.Vnc.ß.Conciſis & contuſis affundantur in vitro vini Rhenan. optim. Menſ. ii. Hinc adde *ſucci roſar.alb.plenar.aq.fl.cheiri*,an ℔.iß.

Stent in digeſtione octo diebus, hinc deſtillentur.

*Sacculus.* Aut paretur talis ſacculus: ℞. *Milij, furfuris macri, ſalis communis*,an.Vnc.ii. *ſem.fœniculi* Vnc.i. *bacc.lauri contuſarum* Vnc.ß.

Torrefactis omnibus in ſartagine fiant ſacculi duo ex linteo, qui manè capiti calidi applicentur per dimidiam horam & per vices permutentur.

Aut *Pileolus* vel *cucupha* ita fiat: ℞. *Flor. roriſmarin. ſtœchad.Arab*.an.P.i *fol.ſaluia,maiorana,verbena,origani*,an.M.ß.*macis,nuc.moſch.caryophyll*.an.ʒ.i.

Tria omnia Pileolo ex ſindone rubra inſuantur, qui aliquot ſeptimanis in capite geſtetur.

Eadem medicamenta, vel his ſimilia, ſacculo lineo incluſa in lixiuio coquantur,pro capitis lotione.

Aut ℞.*Flor.chamamel.fol.betonic.ſaluia,aſari*,an.M.i.

Subiiciantur cineri ſarmentorum vitis in fundo vaſis,& aq. ſuperfuſa fiat lixiuium. Poſtea, antequam caput lixiuio illo lauetur, madefcat eo ſacculus lineus continens *maioran.ſaluia,roriſmarin.flor. lauendul.ſtœchad.Arab.roſar.rubrar*.ana Mß,*agarici albi* Vnc.ii.Caput mane ante prandium lauetur,adhibito,ſi placet,ſapone odorato.

Commendatur & ſequens medicamentum:

℞.*Cucumeris agreſtis* q.ſ.Coqu.in ſ.q.aq.addita parte ſextâ olei communis.

Colaturâ caput vngatur, & radices contuſæ inſtar cataplaſmatis capiti applicentur.

Guainerius hòc præcipuè laudat:

℞.*Bacc.lauri,origani*,an.Vnc.i. Fiat Puluis, & cum ſucco foliorum betonicæ F.Cataplaſma,Si addatur cera & oleum irinum,Fit Emplaſtrum.

*Puluis pro fumo* ad cerebrum ſiccandum:

℞.*Benzoes* Vnc.ß.*ſtyrac.calamita* ʒ.iii.*thuris* Vnc.ii, *flor.lauendula* ʒ.ii. *caryophyll*.ʒ.iii.*gran.iuniperi* Vnc.ß. *trochiſcorum gallia moſchata*,ſi libet, Scr.i. qui in fœminis omittantur. Fiat puluis craſſus carbonibus ignitis inſpergendus.

*Trochiſci.* ℞.*Ligni aloes,coſti*,an.ʒ.i. *gallia moſch.thuris,gummi iuniperi*, an.Scr.ß.Cum ſtyrace liquid. Fiant pilul. vel trochiſci carbonibus iniiciendi.

Odoramentorũ tamen vſus nec continuus ſit,nec frequens,verùm moderatus:aliàs enim capitis grauedinem inducunt.Non etiã,niſi corpore purgato,vſurpentur.

Reliqua etiam topica,quæ ſupra,in intemperie capitis frigida & humida, propoſita ſunt, etiam hìc locum habent. Inter quæ magis commendãtur ſacculi, & pulueres, inunctiones, cerota, emplaſtra, quàm fomenta, embrochæ & lotiones, quæ actuali ſuâ humiditate caput offendere poſſunt.Ideóq; ſi vſurpẽtur,calefaciẽdi & ſiccãdi vis humectandi vim actualem ſuperet; & proinde pro aqua ſimplici vſurpetur lixiuium. Aquarũ tamẽ & ſpirituum cephalicorum deſtillatorum vſus nihil incommodi habet,ſed potiùs plurimũ vtilitatis præſtant, ſi iis caput allinatur.Exempla ſupra propoſita ſunt.

Quod ſi hæc non ſufficiant in affectibus grauioribus, vt lethargo,caro,ad ſinapiſmos ex ſinapi,pyrethro, caſtoreo, euphorbio, columbarum ſtercore & ficubus paratos adſcendendum.

Vt ℞. *Pyrethri,ſinapi.ſcilla*, an.Vnc.i. *euphorbij*, an. ʒ.ß. Miſce omnia cũ ſucco aſphodeli & maioranæ. Fiat Emplaſtrũ in lethargo & caro vtile,& à ſomno excitans.

Vel ℞.*Ol.nardini,coſtin*.an. Vnc.ß *caſtorei,euphorbij, pyrethri*, an.ʒ.ß. *ſcilla* Vnc.iß. F.Linimentum.

Topica talia etiam proponit Paulus Ægineta,*lib.3.c.5.*

## *Interna caput roborantia.*

*Caput calefacientia & roborantia interna.* Neque negligantur medicamenta interna caput calefaciẽtia,ſupra,*c.*2.enumerata, quæ intemperiem corrigunt,caput roborant;ne aut aliunde tranſmiſſa ſuperflua recipiat,aut intra ſe generet & cumulet,quibúſque reliquiæ pituitæ conſumuntur & diſcutiuntur. Inter quæ multum laudatur decoctum rad.ſarſæ parillæ,Chinæ,& ſi maiore exſiccatione & calefactione opus ſit,ligni Guaiaci.E.g.paretur tale decoctum:

℞.*Rad.China tranſuerſim in tenues taleolas inciſa* Vnc. ii.*fol.betonica,calaminth*.an.M.i.*flor.ſtœchad.Arab*.M.ß. *rad.pœon*.Vnc.ß.Inciſa omnia infundantur.*in aq*.℔.xii, vaſe clauſo,horis xiiij.in loco calido.

Poſtea lento igne ſecundum artem coquantur ad dimidiæ partis conſumptionem.

Sub finem adde *cinamomi* Vnc.ß.

Sumat æger quotidie manè Vnc.v.horis v.ante prandium,& Vnc.iiii.horis ii.ante cœnam.

Bene purgato corpore etiam ſudor ægro manè præcipi poteſt.

*Embrocha.* Quod ſi his omnibus tentatis & adhibitis malũ perſeueret,vt de cœcitate,vel aliis grauioribus malis periculum immineat, repetitis euacuationibus vniuerſalibus & particularibus,intermixtíſq; roborantibus,expedit adhibere embrochas, ex thermis naturalibus vel artificialibus actu calidis,quarum aquæ manè ex alto pluuiæ inſtar demittantur ſupra ſuturam coronalẽ,ad horæ quadrantem vel ſemiſſem,continuando per ſeptem aut plures dies,prout vires & vſus ægri poſtulat.

*Sinapiſmi.* Vel Sinapiſmi ex ſinapi,ſtercore columbino, caprillo,ruta ſylueſtri,radicibus pyrethri,bryoniæ,coſto, euphorbio, incorporatis cum caricis pinguibus, vel alio modo,applicentur,inchoando ſemper à mitioribus : de quibus in Inſtitut.*lib.5.p.3.ſect.3.c.*28.

Vt ℞.*Caricarum pinguium* q.ſ. Macerentur per diem in aqua.Deinde addatur dimidium vel æquale pondus. vel duplum ſinapis,prout lenior, vel acrior ſinapiſmus expetitur.

*Acetum an ſinapi miſcendum.* Monent hìc nonnulli,nec abs re,quòd,licet antiqui quidam acetum adhibuerint;experientia tamen docuerit,ſinapis vires aceto exoleſcere,quod non aliunde accidit,quàm quod ſal volatilis, à quo tota vis mordicãdi in ſinapi & ſimilibus pendet,ab aceto figitur.

*Cauterium.* Aut applicetur cauterium,vel ad ſuturam coronalem, quâ parte extremitas medij digiti verticem capitis attingit,poſita radice manus circa carpum ad radicem naſi, idque exſiccationis cauſa; vel, quod tutius, ad colli vertebras, quâ capiti committitur, deriuationis gratiâ. Eodem modo ad euacuationem & exſiccationem materiæ Dropax vſurpari poteſt : & ad ſenſibilem euacuationem Setaceum in ceruice, quo ſolo ſæpe graues & diuturni capitis affectus curantur. *Dropax. Setaceum.*

## *Diæta.*

Victus ratio ad calidũm & ſiccum vergat. Itaq; aër talis ſit,ſiue natura,ſiue paratus arte, iis modis, qui ſupra,*c.*2.ſunt propoſiti.Videndum tamen,ne odore æger offendatur. Valde etiam calidus aër cauendus ; cum & caput repleat,& humores in eo cõtentos liquet & fundat, flatúſq; excitet, & ſæpe malum hoc,quod latebat,

detegat,

detegat. Hinc etiam videmus, eos qui hâc intemperie cerebri laborant, si sub Solis radiis morentur, vel caput ad ignem calefieri sinant, peius habere. Ideoque commodissimus est aër siccus, qui in alterutra qualitate actiuarum non multùm excedat, ad calidum tamē plus quàm ad frigidum vergat. Vitandus aër crassus & nebulosus circa fluuia, stagna, lacus, paludes: in locis subterraneis non diu morandum.

Caput æstate leniter tegatur, & radiis Solis nudum non exponatur, vt nec Lunæ radiis; hyeme bene tegatur, sed non oneretur. Si aërem morbi caussam fuisse constet, is mutetur.

Victus sit parcus, inprimis cœna. Alimenta sint boni succi, facilis coctionis, nec frigida, nec excrementitia, nec vaporosa, sed attenuandi vi prædita. Alimentorum diuersitas inprimis vitanda. Abstineat æger à multo piscium esu, præsertim eorum, qui carnem molliorem habent; à lacte item & lacticiniis, carne suillâ, & similibus; leguminibus item, & oleribus & fructibus, præter vuas. Panis sit bene fermentatus, coctus cum semine carui & anisi, & modico salis: vtilis est & bis coctus. Reliqui cibi condiantur saluiâ, majoranâ, rosmarino, pipere; caryophyllis, cinamomo, nuce moschatâ. Carnes assæ potiùs sint, quàm elixæ. Potus sit parcior. Vinum post corporis purgationem concedi-tur, sed parcè. Commodissimus potus est hydromel medicatum saluiâ, hyssopo, roremarino &c. Corporis exercitatio sit paulò vehementior, ieiuno stomacho, & excrementis prius depositis. Somnus moderatior, parcior potiùs, quàm nimius, qui horas 7. non excedat; nocturnus, non diuturnus; nec ineatur; nisi duabus à cœna horis exactis; ante quem leuis deambulatio vtilis. Decubitus in somno sit in alterutrum latus, non supinus. Dormiatque æger capite elato & tecto.

Post somnum, antequam æger è lecto surgat, pedes, crura, & brachia diligenter fricentur, qua frictione & calor naturalis excitatur, & fit à capite auersio. Venus vitetur, vel sit parcissima; quæ immoderata mirum in modum capiti noxia est. Animi affectus, qui spiritus agitare, & turbidiores reddere possunt, vitandi, & maxime mœror, & tristitia; quæ caput frigidius reddunt, & debilitant. In multam noctem non lucubrandum. Aluus sit laxa, & nisi respondeat, sollicitetur subinde pilula vna atque altera ex aloë ante cibum assumpta, aut terebinthina Cypriâ auellanæ magnitudine eodem tempore deglutita, vt primæ viæ mundentur, & vapores ad caput tendentes reuellantur. Commodæ sunt in hunc vsum hæ pilulæ:

℞. *Terebinth. Cypr. vel Veneta* Vnc. ß. *aloës rosat.* Drach. iij. *agaric. trochisc.* Drach. jß. Fiant Pilulæ mediocres.

## QVÆSTIO

### *An odorata in hoc affectu conueniant?*

De aromatum & aliarum rerum bene olentium ad olfaciendum vsu alij aliter sentiunt. Quidam ea admittunt, quòd caput exficcent; quidam improbāt, quòd vaporibus & exhalationibus caput repleant. Mesues, vt hanc controuersiam dirimat, dixit, immoderatum vsum aromatum cerebro nocere, moderatum verò prodesse; quia siccet. Malim tamen dicere, odoratas res, quæ moderatum odorem spirant, prodesse; quòd cerebrum siccant, & spiritus animales recreant; quæ verò vehementiorem odorem spirant, nocere; quia caput repleant, & humores sæpe fundant. Ita ambræ odor frequens capiti non nocet, sed plurimum prodest; moschi non item, quia vehementior.

Exempla huius intemperiei sunt apud Montanum, *Consil.* 31. Solenandrum, *sect.* 1. *consil.* 2. Forestum, *lib.* 9. *obseru.* 17. 19. Zechium, *consil.* 12. 72.

## CAPVT XI.

### *De Intemperie Capitis cum Humore Seroso.*

ETsi non leuis pituitæ & humoris serosi sit cognatio: tamen non planè eiusdem naturæ esse, vel ex iis, quæ de naturâ serosi humoris in Institut. *lib.* 2. *part.* 2. *cap.* 7. dicta sunt, patet. Pituita enim plerumque crassior est; serum verò tenue & aquosum. Non tamen serum pura puta aqua est, quod vult Carolus Piso, qui puram putam aquam, seu aqueam humiditatem, siue cum cibo & potu ingestam, siue partem chyli aqueam serum esse dicit, idque ab ichore discernit; qui scilicet sit cuiusque humoris pars fluxa, eiusdem coloris & naturæ cum propriis humoribus. *Intemperies capitis cum humore seroso.*

Quanquam autem autores quandoque has voces discernunt, vt Ichor vel sanguis crudus, vel imperfectus sit, vel tenuior pars massæ sanguineæ corruptæ & colliquatæ; ὀῤῥὸς verò, seu serum, ὄχημα τῆς ϱοφῆς: tamen duo hæc vocabula sæpe sunt synonyma, vt ostendit Dn. Caspar Hofmannus, *in collectaneis de Ichoribus, num.* 12. *&* 13.

Duo autem seri seu ichorosæ materiæ sunt genera: Vnum mite, quod est sanguinis pars aquea eū diluens, vel aquea humiditas cibo & potui admixta; alterum acre & salsum, quod suam acrimoniam ex colliquatis seu corruptis, seu quacunque de causa salsis & acribus acquirit. Serum enim quod purà puta aqua sit, in corpore vix reperitur, sed quod ipse Piso, *in præfatione*, fatetur, dū per vasa decurrit; ex iis ichoribus, qui in sāguine redundant, partem aliquam secum transportat, quocunque fertur. Neque etiam, vt pituita, in corporibus pituitosis tantùm reperitur serum copiosius; sed in iis præcipuè, qui corpore sunt graciliore, & ad caliditatem & siccitatem vergunt, & sanguinem æstuosum atque atrescentem habent. Atque si quis ea, quæ in nonnullis morbis accidunt, diligenter perpendat, in nullam aliam causam, quàm humorem serosum, referri posse animaduertet. Affectus enim illi sæpe fugaces & momentanei sunt; ac facili de causâ recurr quod neque ex pituitoso, neque ex alio humore a dere potest, neque aliorum humorum signa tum ad Vnicum verò serum eius est naturæ, vt vbicunq corpore redundat, facilè hinc illic moueatur, ab al calore efferuescat & ebulliat, ac feruens atque a tum in varias partes feratur, easque afficiat; facilè etiam discutiatur & euanescat.

Vt autem in aliis partibus variorum malorum sæ est causa humor iste serosus: ita in capite quandc plura mala excitat; de qua re inter recentiores diligentius monuit Carolus Piso, *in lib. de morbillis à colluuie serosa*. Cum enim ad caput venæ & arteriæ plures tēdant, & per id disseminentur, ac inprimis cum spiritu vitali, qui vnâ cum sanguine arterioso ad caput, ad spiritū animalem generandum, mittitur plurimus, etiam serum multum, quo sanguis arteriosus abundat, ad caput mittatur, & sanguis quidem in nutrimentum capitis absumatur, serum verò ad illud ineptum sit, neque etiam per vasa, per quæ adscendit; recurrere, neque per partis calorem debilem transpirare insensibiliter possit, neque ob cranij dēsitatem exsudare sensibiliter; vel in capite cumulatur, vel pondere suo deorsum secundum ductum membranarum & neruorum descendit: vnde & in capite & partibus capiti subiectis, & cum eo cōsentientibus, variorum affectuum caussa est; doloris capitis, dentium, aurium, & aliarum partium & præcipuæ vagorum illorum in externis partibus, scapulis, dorso, thorace, brachiis, cruribus; epilepsiæ, cōvulsoriorum motuum, paralysis, tussis, thoracis doloris, & similium. *Seri in capite collectionis caussa.*

### *Caussæ.*

*Seri generatio.*

Non generatur autem serum in capite, sed præcipuè in secundæ concoctionis instrumentis, ac inprimis vitio lienis in toto corpore cumulatur; de quo alibi dictum, atque inde ad caput fertur, ibique cumulatur. Et quò maior serosi huius humoris in toto est abundantia: eò facilius ad caput conuertitur. Colligitur autem in toto vel ob nutrimentum tali humiditate abundans, vel densatis in toto habitu corporis, vt & in capite, poris cutis, ab aëre frigidiore, aut alia de caussa, retentoque sudore; vel vitio lienis, vt iam dictum. Corriuatur autem ad caput serum, vel sensim, dum cum ipso sanguine, qui nutrimenti gratia attrahitur, & præcipuè cum arterioso, affluit, & copiosè ad caput fertur, si accedat hepatis caliditas, venosumque genus sit amplum; vel confertim ad caput mouetur ob caussas,quæ feruorem in sanguine excitare possunt,& faciunt, vt tenuior & serosior sanguinis pars sursum feratur; quod fit quando corpus motu,calore febrili: animi affectibus, aëris æstu,vel alia de caussa incalescit;vnde quoque accidere solet, vt plerumque cum catarrhis & morbis à motu serosi humoris ortum habentibus febricula coniungatur,ex agitatione & feruore seri in arteriis proueniēs. Facit huc multum etiā Luna,quæ secundum φάσεις suas humores in corpore mouere solet: præcipuè verò mouent serum radij Lunares, si nudo capite excipiantur. Atque hinc accidit,vt perturbationes & commotiones serosi humoris, cùm in toto corporis habitu, tùm in capite præcipuè euenientes, instantium Lunæ φάσεων & mutationum tempestatum mox futurarum sint prænunciæ.

### *Signa Diagnostica.*

Dolor qui inde oritur plerumque non est admodum acris aut pungens,sed grauis potius,cum tensione. Interdum tamen accidit,vt acerbissimi dolores in brachiis & cruribus ab humore seroso excitentur:vbi scilicet ille acris,ac prauæ qualitatis est particeps. Mala, quæ ab hoc humore oriuntur, non sunt continua, & sæpe locum mutant.Vapor enim & humor hic quoquò versum variè moueri & impelli possunt.Vaporem tamen à sero discernere non ita difficile est.Vrina plerumque est paucior,nec sudores matutini fluunt.Ea etiam, quæ de caussis modò tradita sunt,in notitiam huius humoris deducere possunt.

### *Indicationes.*

Humor serosus è toto corpore & capite euacuandus, à capite auertendus & repellendus,intemperies adiuncta corrigenda,& partis,quæ eum generat,intemperies emendanda.

### *Curatio.*

*Euacuatio humoris serosi.*

Primò autem euacuatio eius per aluum instituenda est:ad quam ( modò viæ sint apertæ) nullâ præparatione opus est; cum serum per se satis fluidum sit. Ideoq; exhibenda medicamenta serosos & aquosos humores educentia; qualia sunt manna,syrupus & mel rosatum solutiuum,syrupus de spina ceruina, mechoacāna,agaricus,semen carthami, ebuli, gummi gotte, extract. esulæ,cortic. ebuli,sambuci,flor. persicorum, prunor. syluestrium,folia senæ;quibus quoque rhabarbarum & diagrydium addi possunt,quæ bilem, seri stimulum & vehiculum,expurgant,

Vt ℞.*Polypod quern.* Vnc. ß. *cuscutæ, betonicæ,summitat. lupuli, hyssopi*.an.P. ii. *fol. senæ elect.* Vnc.ß.*sem. cathami contus.* Drach. iii. *rhabarb.* Scr. i. *passularum.* Vnc. ß. Coquantur in aq. simpl. In Colat. Vnc. iii. dissolue *mannæ* Vnc.ß.Iterū coletur. Adde *syrup. rosar. solutiui, vel de spina, ceruina,* Vnc. ß. F. Haustus.

Vel fiat talis Syrupus:

℞. *Radic. pœoniæ, ireos Florentinæ*,an.Vnc.ß. *mercurialis, cuscutæ, capillor. Veneris, betonic. summitat. lupuli, flor. sambuci*, an. M. ß. *sem. ebuli, carthami contusi*,an. Drach.vj.*fol. senæ elect.* Vnc. iii. *sem. fœnicul.* Drach. ij. *flor. bugloss. anthoûs*,an.P.ij.

Coquantur in aq. vel hydromelite. Colaturæ ℞.℔.j. Infundantur in ea *agarici* Vnc. ß.*mechoacannæ* Drach. iij.*zingiber. galangæ*,an. Drach.j.

Iterum coletur.

Adde *sacchari* q. s. *succi rosarum* Vnc. ii. F. secundum artem Syrupus, de quo cochlearia tria vel quatuor manè exhibeantur.

Vel ℞. *Mechoacan.* Scrup. ij. *specier. diacarthami, vel diaturbith. cum rhabarb.* Scr. j.*diagrydij, gummi gotte*, an. gr. ii.

Fiat puluis,qui sumatur in iusculo carnis,& postea superbibatur serum lactis.

Si tamen feruor aliquis sanguinis percipiatur, qui occasionem præbuerit, vt serum ad caput moueretur; aut sanguis copiosior sit, vel consueta euacuatio suppressa,præmisso leniente medicamento venæ sectio primùm instituenda,quæ feruorem sanguinis sistit, eiusque copiam imminuit;cùm magna serosi humoris copia sæpe cum sanguine educi soleat.

His peractis reliqua serosi humoris copia per vrinas & sudores euacuanda. Eligenda autem hîc ex diureticis ea,quæ lieni prosunt, eiusque obstructiones aperiunt,& intemperiem calidam non augent, sed potius corrigunt.

*Sudores in morbis à seroso humore vtilissimi.*

Inprimis verò vtilia sunt sudorifera,sudoresq; certissimum sunt & prophylacticum,& curatiuum remediū doloris capitis,& aliorum morborum,qui à seroso humore à capite defluente ortum habent. Ideóque danda opera, vt æger sæpe manè sponte in lecto sudet,& nisi sudores sponte proueniant,medicamentis prouocandi. In quibus eligendis cauendum ab iis, quæ valde calefaciunt & siccant; cum etiam calidæ & siccæ constitutiones seroso humore abundare possint; sed temperatiora eligenda: aut si ligno Guaiaci,sarsa parilla, & similibus vti libeat, cichoracea & humectantia addenda. Vtile est & vinum chamædrytes, & diaphoreticum.

Deinde particulares euacuationes fiant per masticatoria è mastiche & passulis, apophlegmatismos capite præcedente propositos.

Vesicantia quoque & cauteria occipiti & brachiis, vel setaceum ceruici applicetur.

*Pulueres Arthritici.*

Ad absumendos quoque,& exsiccandos,vt & per sudorem & insensibilem transpirationem discutiendos serosos humores, non inutiles videntur ij pulueres, (qui tamen facilè etiam in pilulas & electuaria redigi possunt )qui quidem ad arthritidem præcipuè commēdantur,sed tamen ad omnes generis affectiones ab humoribus serosis ortas vtiles sunt,& quidem sub nomine Cratonis,Erasti, Monauij,Donzellini,& aliorum circumferuntur, sed,vt ex consiliis Cratonis à Scholzio collectis, *Consil.216.* patet, medicamenta sunt à veteribus excogitata, quibus arthriticos sanari posse affirmant,si per integrum annum eorum vsus continuetur, vt per Ianuarium mensem Scr.ij.per quinque dies, in Februario totidem per totidem dies,in Martio & Aprili per duos dies,in Iunio vno die,in Iulio duobus,in Augusto vno,in Septembri, Octobri, Decembri duobus sumantur. Quanquam putarim neminem ad dies istos ita planè adstrictum esse, sed vel vno mense per dies viginti,aut plures, prout vsus postulat, vsurpari posse. Cratonis descriptio hæc est:

℞. *Aristoloch. rotund.* Vnc. j. *centaur.*Drach.iij.*gentianæ* Drach. vj.*mei* Drach.v.*hyperici* Drach. vj. *petroselini Macedon.* ℥. ß. *agaric. albiss.* ʒ. ij. *rhapontic. veri* ℥.j.F.Puluis.Alia antiqua descriptio hæc est:

℞. *Rhapon*

℞. *Rhapontic. veri* Drach. j. *agarici* Drach. ij. *valerian.* Drach. iij. *petroſelin. Macedonic. mei*, an. Drach. v. *gentianæ, ariſtolochiæ rotundæ*, an. Drach. vij. *chamædryos* Drach. viiij. F. Puluis.

Alia: ℞. *chamædryos, dictamni, Cretici, iuæ arthetica, centaur. minor. gentianæ, ariſtolochiæ rotundæ*, an. Vnc. ij. *cort. interior. iuglandium* ℔. j.

F. Puluis; cuius doſis Drach. ß. per dies triginta vel quadraginta. Eiuſdem generis eſt diacorallium Alexandri, quod Capiuaccius, *de Arthrit.* omnibus in arthritide curanda anteponendum cenſet.

℞. *Corallij noſtri* ſeu *Anagallidis* Drach. ij. (forſan Vnc. ij.) *myrrhæ* Vnc. iiij. *caryophyll.* Vnc. ß. *rhapontici* Vnc. j. *folij* Vnc. ß. *ariſtoloch. vtriuſque*, an. Vnc. ij. *ſpicæ nardi* Vnc. iiij.

F. puluis. Exhibetur manè, hor. 6. ante cibum, Scr. j. per centum dies, poſtea triginta diebus intermittitur; rurſum centum diebus exhibetur, iterum 30. dies intermittitur; hinc per dies centum ſexaginta alternis diebus exhibetur; inde rurſus tertio quoque die: de quo plura in doctrina de Arthritide dicentur.

Cuius generis & alia ad ſeroſos humores abſumendos, & inſenſibilem tranſpirationem promouendam, parari poſſunt; *ex cineribus oſſium humanorum, equorum ceruorum*; *ex cineribus & ſale miluij, ciconiæ, hirundinum*; *ex herbis*; *primula veris, piloſella, ruta, ſaluia, aſaro, betonica, hyperico, acoro*; *floribus conſolidæ regalis, ſuccino, vngula alcis*. De quibus plura ſuo loco de Arthritide: qualia etiam habet Platerus, *tract. 2. pract. pag.* 721. 722.

Neque omittantur caput ſiccantia & roborantia ſupra propoſita. Quibus hoc addi poteſt:

℞. *Maſtich. gumm. iuniperi, nuc. moſch. parum toſtæ*, an. Scr. j. *caryophyll. ſubtiliter puluериſatorum* Scr. ß. *ladani puri* Drach. vj.

Ducatur ladanũ in mortario calido, addanturque pulueres cum pauxillo oleo maſtich. F. Maſſa, quæ extendatur ſupra alutam. tegatur ſindone rubra. F. Emplaſtrum vertici imponendum.

Pila quoque è ſuccino ſi manibus geſtetur & verſetur, vt incaleſcat, ac ſubinde naribus admoueatur, ſine offenſione excrementitios humores in capite abſumit, idque roborat.

### *Diæta.*

Victus ratio ſit ſiccans, aër ſiccus & calidus moderatè, & cibi tales, qui minimum aquoſi & ſeroſi humoris ſuppeditant. Cum autem, vt in Inſtit. *loc. allegato*, dictum, ſeroſus humor partibus duabus conſtet; vna aquea, altera ſalſa: quando dicitur cibum ſiccum eſſe debere, non tale alimentum intelligendum, quod ſiccæ & terræ naturæ ſit; quales ſunt carnes ſale & fumo induratæ, piſces ſale conditi, & quæ terreſtrem ſuccum generant; (hæc enim potius augent ſalſedinem ſeroſi humoris, quàm minuunt) ſed hic eum ſubſtantiæ modum intelligimus, & tale alimentum, quod non multum aquoſi humoris, nec ſalſi, ſuppeditat, ideóque bonum & vtilem ſuccum præbet; quales ſunt carnes, tum quadrupedum animalium, tum auium plerarumque; vt carnes gallinaceæ, hædinæ, vitulinæ, perdicum, & ſimiles, quæ & bonum alimentum præbent, & viſcerum, præcipuè lienis, feruorem & ſiccitatem corrigere poſſunt: imò hac ipſa de cauſa iuſcula, præcipuè carnium non reiicienda, moderatè ſumpta; cum ſubſtantiam alimentorum multam participent. De liquidis verò aliis non plus ſumendum, quàm diſtributio alimenti in totum corpus, & correctio caloris & ſiccitatis in viſceribus, præſertim liene, ſeri plus, quàm par eſt, ad ſe trahente, poſtulat. A fructibus horariis, prunis, pyris, pomis, & ſimilibus abſtinendum; cum ſeroſam humiditatem augeant. Paſſulæ verò vtiles ſunt. Vino etiam parcè vtendum, eiuſque non plus, quàm cibi concoctio & diſtributio requirit, bibendum. Etſi enim ſpiritum ardentem in ſe contineat: tamen is paucus eſt, maxima verò pars aquea; & præterea vinum ſeroſos humores ſecum ad caput rapit, atque illis, qui iam in capite hærent, feruorem inducit, eóſque cõmouet. Aluus aperta ſeruetur, &, niſi ſpõte officium faciat, arte laxetur. Animi motus vehementes, & meditationes atque animi intentiones nimiæ vitentur; cum vnà cum ſpiritibus ſanguinem arterioſum, & cum eo ſerũ, ad caput rapiant, naturaque meditationibus & cogitationibus intẽta excremẽta minus rectè expellat. Vtilis verò eſt corporis exercitatio ieiuno corpore facta, quæ ſeroſos humores diſcutit, vel ſẽſibiliter, ſudoris forma, vel inſẽſibiliter, per ἄδηλον διαπνοήν. Veſtibus ita corpus tegatur & muniatur, vt pori cutis aperti ſeruentur, iiſque patentibus vel ſudor erumpat, vel vapores liberè tranſpirent. Qua de cauſa etiam corpus noctu plumeis culcitris probè tegatur, vt ſub ſomni finem manè ſudor erumpat, quem ad præſeruandum à morbis à ſeroſis humoribus ortis, optimum prophylacticum eſſe ſupra diximus, ipsâ aſtipulante experientia. Venus vitetur.

---

## CAPVT XII.

### *De Intemperie capitis cum humore Melancholico.*

### *Cauſſæ.*

INtemperies, quæ cum hoc humore coniungitur, eſt frigida & ſicca. Quæ autem humoris malancholici cauſſæ ſint, Inſtitut. *lib. 2. part. 2. c. 6.* dictum, quæ omnes hîc locum habent: præcipuè verò in capite ipſam cumulant, & ad id trahunt, mœror, triſtitia, animi ſollicitudo, curæ, meditationes nimiæ, vigiliæ immoderatæ, medicamenta deſiccantia nimiùm capiti adhibita. *Intemperies capitis cum Melãcholia.*

### *Signa Diagnoſtica.*

Grauitatis ſenſus eſt cum vigiliis & viſis in ſomno triſtibus, pauores ſine cauſſa; cogitationes ſunt aſſiduæ, ſæpe etiam deliria cum timore & mœſtitia. Punctiones quaſi circa oculos; facies eſt macilenta & horrida, maximè ſi humor melancholicus ad atram bilem vergat; color faciei eſt liuidus & plumbeus: nonnunquã accidit repentinà motus amiſſio, in qua ægri oculis apertis fixo obtutu res aſpiciunt, ac licet taceant, ferè omnia animaduertunt: quæ circa ipſos fiunt; excremẽta ferè nulla eiiciuntur è capite. Moleſtia, quæ percipitur, magis eſt in parte ſiniſtra, & ſentitur illa magis horâ, quâ melancholia moueri ſolet; ſcilicet ab horâ nonâ diei vſque ad tertiam noctis. Cum quibus ſi ægri temperamentum, ætas, vitæ ratio præcedens, tempus anni autumnale, & cauſſæ aliæ melancholiam generãtes prægreſſæ conſenſerint, certius de hac intemperie iudicium habetur. Vtilitatem adferunt quæ melancholiam euacuant, temperant, & à capite auertunt. Nocent quæ humorem hunc generant & augent.

### *Prognoſtica.*

1. Longus & curatu difficilis hîc morbus eſt, ſicut omnis affectus melancholicus; præcipuè ſi diuturnitate temporis radices egerit: circa initia verò curatu facilior eſt. Ideoque circa initia curatio eius non negligenda, ſed maturè medicamenta adhibenda.

2. Faciliùs quoque curatur hæc intemperies cerebro per conſenſum laborante, quàm ſi per ſe afficiatur: modò affectus primarius, à quo dependet, ſit curabilis.

3. Malum

3. Malum à suppressâ aliqua euacuatione profectum reductâ illa non ita difficulter tollitur.

*Indicationes.*

Melancholicus humor præparandus & euacuandus est: & si ad caput moueatur, reuellendus. Intemperies frigida & sicca corrigenda, & ne humor melancholicus iterum generetur; præcauendum.

*Curatio.*

Itaque si cerebrum primariò afficiatur, nihil opus est, quantum ad ipsam rationem affectus attinet, sanguinis detractione: quod si aliquando mittendus sanguis, aliquâ aliâ ratione mittendus est, vt Galenus, 3. *de loc. aff. c.* 7. scribit. Quæ autem illa sit, docet Aëtius ex Posidonio; si scilicet sanguis multus sit in toto, aut aliqua euacuatio consueta suppressa fuerit. Quapropter si plenitudinis cuiusdam signa affuerint, & cætera consentiant; primæ viæ primùm euacuentur.

Paretur ergo & iniiciatur talis clyster.

℞. *Rad. althéæ, polypod. quern.* an. Vnc. ß. *maluæ. althéæ, mercurial.* an. M. j. *betonicæ, maioran.* an. M. ß. *fol. senæ elect.* Vnc. ß. Coqu. in aq. simpl. vel iure carnis Colat. ℞. ℔. j.

*Cassiæ pro clysteribus* ℥. j. *elect. diacathol*, ℥. ß. *mellis anthosati* Vnc. j. *olei chamæmel.* Vnc. iij. *salis* Drach. ß. F. Clyster.

Vel exhibeatur hic Bolus:

℞. *Cassiæ recens extract.* Drach. vj. *elect. diacathol.* Drach. iij. *confect. Hamech.* Drach. ß.

Cum saccharo fiat Bolus. Vel dissoluatur in seri lactis Vnc. iiij F. Haustus.

Vel purgentur primæ viæ cassiâ, syrup. rosar. vel violar. solutiu. elect. lenitiuo, diacatholic. fol. senæ, vel decocto fol. senæ, secundum Augustanos.

Vel ℞. *Meliss. flor. borrag. bugloss.* an. P. ij. *passul.* Vnc. ß. *fol. senæ elect.* Drach. vj. *galangæ* Drach. ß.

Infundantur per noctem in s. q. aq. ℞. Colat. Vnc. iii. ß. In quibus dissolue *mannæ* Vnc. ß. Iterum coletur. Adde *syrup. violar. vel ros. solutiu.* Vnc. i. Misce.

Imò etiamsi venæ sectione opus non sit: tamen à primarum viarum ejusmodi euacuatione curam inchoare necessarium est.

Hinc, si opus, aperiatur cephalica sinistri brachij, & sanguis ad Vnc. iiij. vel plures, educatur, præsertim si niger ille fluxerit; alioquin, si lucidus & purus, vena citò constringatur, vt Galenus iubet, 3. *de loc. aff. cap.* 1. Quia autem sanguis melancholicus crassior esse solet, frictio vel corporis exercitatio, vel brachij aquâ tepidâ fomentatio, vt attenuetur, præmittenda, & vulnus latius infligendum.

Si verò menses vel hæmorrhoides suppressæ sint, vena in talo aperiatur. Postea humor præparetur, & purgetur medicamentis conuenientibus, ita vt attenuantibus semper addantur humectantia; cum humor melancholicus per se sit siccus & terrestris.

*Humorem melancholicum in capite præparantia.*

Præparant humorem melancholicum medicamenta, quæ humectant & calefaciunt, eumque liquant, atque attenuant, sed non siccant admodum, aliquot diebus continuanda; & maximè victus talis.

Radic. *Buglossi, borraginis, fœniculi, filic. polypod. gramin. cappar. helenij, glycyrrhizæ, scorzoneræ.*

Folia; *Melissæ, lupuli, scolopendr. cuscutæ, rorismar.*

Flor. *Borrag. bugloss. stœchad. Arabic. violar. rorismar.*

Cortices *citri.*

Serum *caprinum.*

Vnde fiunt; *Syrupus de melissa, de borragine, de lupulis, de buglossa, tunicis, de thymo, de corticib. citri, de pomis.*

Conseruæ; *Bugloss. borragin. meliss. maluæ.*

Condita; *Cortic. citri, caro citri.*

Confectio; *Alchermes, de hyacyntho.*

Vel ℞. *Rad. fœnicul. polyopd. querni,* an. Vnc. i. *glycyrrhizæ* Vnc. ß. *bugloss. cort. rad. cappar.* an. Drach. ij. *melissæ, betonicæ, summitat. lupuli,* an. M. j. *flor. borrag. bugloss. stœchad. Arabic.* an. P. j. *sem fœniculi, citri, ocymi,* an. Drach. j. *passul. exacinatar.* Vnc. j. Coquantur in aq. simpl. Colat. ℞. ℔ j. Vnc. ij. Dulcorentur saccharo pro quatuor dosibus.

Vel addantur *Syr. de pomis & de borragine,* an. Vnc. ij.

Vel ℞. *Rad. fœnicul. asparag. polypod. quern. glycyrrh.* an. Vnc. ß. *capill.* ♀. *thymi*, an. M. i. *rorismar.* M. ß. *flor. borrag. bugloss.* an. M. i. *violar. stœchad. Arab.* an. M. ß. *santalor. citrinor. cortic. citri.* an. Drach. j. *passular. minor.* Vnc. j. Coqu. in aq. s. Colentur, & cum saccharo F. Syrupus, cuius Vnc. ij. dentur cum sero lactis caprini. Vel Colaturæ clarificatæ dentur Vnc. iiij. cum Syrupi de pomis Vnc. jß. pro dosi.

Vel ℞. *Rad. borrag. fœnicul, cichorei, cortic. rad. cappar,* an. Drach. ij. *radic. asari* Drach. j. *fol. meliss. serpill. maioran. betonicæ, chamædryos, pulegij,* an. M. ß. *flor. stœchad. Arabic. schœnanth.* an. P. j. *fol. senæ. epithymi,* an. Drach. iij. *sem. anisi, fœnicul. cortic. citri,* an. Scr. j. *flor. cordial.* an. P. ij. *passul. maior. exacinatar.* Vnc. j. Affundantur aq ℔. iiij. & coquantur in vase duplici clauso in aqua. Colaturæ adde succ. fumar. pomor. borrag. rosar. an. Vnc. vj. sacch albi ℔. jß. F. s. a. potio, de qua sumat æger manè & vesperi Vnc. iiij.

*Euacuantia melancholicum è capite affecto.*

Purgant. *fol. senæ, polypod. quern. epithym. myrobolani Ind. elleborus niger & albus; lapis Armenus & Lazuli,* de quibus videatur in Institutionibus, *lib.* 5. *part.* 1. *sect.* 1. *cap.* 11. Et cum, vt ibi dictum, Alexand. Trallianus lapidem Armenum elleboro albo præferat, autoritate Tralliani confisus Guainerius sæpissime eo vsus, & diuersimodè quidem, ac nunquam optato fine frustratus est, vt scribit *tract.* 15. *cap.* 6. pulueremque, quem mox subiiciam, inde parat; *electuarium diacathol. diasenæ, confect. Hamech, pil. de fumar. de quinque generib. myrobolan. Indæ, de lapide Lazuli, extractum hellebori nigri, antimonium.*

In quorum vsu obseruandum, ne in principio fortiora exhibeantur, ne humorem agitent, & per se pertinacem contumaciorem reddant, fortioribusque semper blanda & leniora quædam, & humectantia admiscenda. Ideoque medicamenta in forma liquida cõmodiora sunt. Et omittenda quoque sunt omnia siccantia, vt aloë, hiera, pilulæque raro vsurpandæ.

Vt ℞. *Rad. fœnicul. polypod. quern.* an. Vnc. ß. *betonic. melissæ, capill. Veneris,* an. M. i. *ceterach. flor. borrag. bugloss.* an M. ß. *sem. anisi, fœnicul.* an. Drach. i. *fol. senæ elect.* Drach. x. *hellebori nigri præp.* Drach. jß. *epithymi* Drach. ij. *passul. maior. enucleat.* Vnc. i. *glycyrrhiz.* ℥. ß. Coq in. s. q. seri lactis Colaturæ ℞. ℔. j. *syrupi è stœchade simpl. violarum solutiui, de pomis,* an. Vnc. j. Misce pro tribus dosibus.

Vel ℞. *Fol. senæ elect.* ℥. ß. *polyopod. querni, epithymi, rad. gialapæ,* an. Drach. i. *cremor. tartari* Drach. ij. *diagrydij* Scr. j. *sem. anisi, fœnicul. spicæ, caryophill. macis,* an. Scrup. ß. Dosis Drach. j. Si libet, potest addi saccharum.

Vel ℞. *Fol. senæ mundat.* ℥. j. *cremor tartari* ℥. ß. *cinamomi* Drach. ij. *caryophyll. diagryd.* an. Drach. ß. F. Puluis. Dosis Drach. i.

Puluis Guainerij:

℞. *Lapid. Armeni* Scrup. ij. *croci* Scrup. ß. *macis* Scrup. j. F. Puluis. Alij de lapide Lazuli talem parant.

℞. *Lap. Lazuli sæpius loti* Scrup. ij. *epithymi* Scrup. j. *croci* Scrup. ß. *sacchar.* Drach. i. F. Puluis.

Vel ℞. *Elect. diacathol.* Vnc. ß. *diasenæ* Drach. ii. *cõfect. Hamech.* Drach. j. Cum saccharo F. Bolus. In morbi progressu hæ Pilulæ exhiberi possunt:

℞. *Pil.*

℞. *Pil. Indarum* Scrup. ij. *cochiar.* Scrup. j. *extracti hellebori nigri* gr. vj. Cum aq. meliss. F. Pilulæ xxiiij.

Et quia humor hic pertinax est, & semel nunquam plenè euacuatur, præparantia & purgantia repetere & continuare opus est.

Inter omnes syrupos hic primas tenere syrupum de de pomis compositum, descriptum à Mesue, *cap. de soda frigidâ à melancholia*, scribit Rondeletius, *method. curandor. morbor. cap. 9.* vt qui non solùm concoquit, sed & educit humorem melancholicum ac pituitosum; idque sine noxa ventriculi & aliarum partium.

Paratur autem hoc modo:

℞. *Capillor. Veneris, radicum buglossæ domesticæ & syluest. florum bugloss. polypodij, epithymi*, an. Vnc. j. *folior. senæ, chamæmel. stœchad.* an. Drach. vij. *chamædryos, schœnanthi, hellebori nigri*, an. Drach. iij. *fumi terræ* Drach. vij. *eupatorij* Drach. iiij. *succi pomorum dulc.* Drach. viij.

Omnia præter epithymum & succum pomorum, bulliant in ℔. iij. aquæ vsque ad ℔. ij.

Deinde bulliat in iis ebullitione vna epithymum, & coletur, & cum succi pomorum ℔. ij. sacch. q. s. Fiat Syrupus.

Non tamen vsurpari debet in principio, sed in progressu morbi, & præcedente totius capitis vniuersali purgatione.

Iacchinus decocto hellebori nigri vtitur, hoc modo parato:

℞. *Cortic. helleb. nigri* Vnc. ß. Contusi leniter infundantur in ℔. ij. aq. horis vj. Postea adde adde *cinamomi, sem. dauci, epithymi*, an. Drach. j. *passular.* Vnc. ß. *flor. bugloss.* M. i.

Coqu. ad dimidiæ partis consumptionem, dulcorentur sacharo, propinentur pro duabus dosibus.

Post vniuersales istas corporis euacuationes particulares, euacuationes per errhina & gargarismos supra propositos instituendæ; quibus hic polypodium, thymum, epithymum, elleborum addere commodum est.

Si morbus sit pertinax, & æger sanguine simul abundet, etiam frontis vel narium venas aperire vtile est.

Per insensibilem etiam transpirationem discutienda materia: medicamentis verò, quæ hoc præstant, semper admiscenda humectantia. Vtendum nimirum *oleo irino, anethino, lilior. albor. amygdal. dulc. chamæmelino, vnguento alabastrino; vel lotione ex decocto florum chamæmeli, borraginis, rosarum, flor. stœchad. Arab. fol. betonicæ, melissæ, sem. anethi. fol. senæ adiectis.*

Decoctum hoc Embrochæ modo per plures dies capiti instillare commodum est:

℞ *Folior. maluæ, althéæ, bugloss. summ. aneth.* an. M. ij. *fl. chamæm. viol.* an. M. j. *sambuci* P. j *capit. papau.* num. vj. Coquantur in aquæ ℔. xxj.

Si humor melancholicus ab inferioribus, præcipuè liene & hypochondriis, communicetur, frictiones & alia reuulsionis media non omittenda; de quo plura dicentur suo loco de melancholia hypochondriaca.

*Caput & cor roborantia in melancholia.* Peracta purgatione, imò dum adhuc peragitur, ea exhibenda, quæ caput & cor alterant, roborant, & simul exhilarant: *ex conseruis; borraginis, buglossi, violarum, melissæ, anthous, cort. citri conditis, radic. condit. helenij*, quod Rondeletius, *in meth. curand. morbor. cap. 9.* miram vim & proprietatem ad hilaritatem & gaudium excitandum habere, & à nonnullis pro secreto haberi scribit; *confect. alchermes. de hyacintho, elect. de gemmis, lætificante Rhasis & Galeni, dianthous, diamoschi dulcis, item lapid. Bezoar*, aduersus omnes melancholicos morbos valde vtili, *corallis, margaritis.*

Vt ℞. *Conseru. bugloss borraginis*, an. Vnc. j *rosarum* Vnc. ß *margarit prep.* Drach. ß. *hyacinthi, sapphiri, smaragdi, corallij vtriusque*, an. Scrup. ß. *cinamomi, macis galangæ, nuc. moschat.* an. Scrup. j. *caryophyll. cubebar, ligni aloës, styrac. calamitæ, sem. Basilici*, an. Scrup. ß. *croci* Scrup. j. *moschi, ambræ*, an. gr. iiij. *carnis. vuar. passar.* Vnc. ij. *aq. rosarum moschatæ* Vnc. j. *sacchari* q. s. F. Electuarium. De quo mane sumat. Drach. iij. cum aquæ bugloss. Vnc. iij.

Vel ℞. *Conseru. bugloss. borragin. melissæ.* an. Vnc. j. *anthous, violarum*, an. Vnc. ß. *cort. citri condit.* Drach. iij. *species. diamoschi dulcis, lætitiæ Galen.* an. Scr. i. *confect. alchermes* Drach. ß. Cum Syrupo tunicis. F. Electuarium.

℞. *Conseru. bugloss. violar. rosar.* an. Vnc. jß. *tunicis* Vnc. j. *species. dianthos, diambr. diamarg. frig.* an. Drach. ß. Cum syrupo de pomis & corticib. citri F. Electuarium.

Vtile est & semel in septimana sumere Drach. ß. vel Scrup. ij. Mithridatij, cum Vnc. ß. conseru. flor. borragin. vel buglossæ.

Vel ℞. *Conseru. bugloss. violar.* an. Vnc. jß. *meliss. cortic. citri conditorum*, an. Vnc. ß. *species. diambr. diamosch. dulc. diamargarit. frigid.* an. Drach. ß. *lapid. Bezoar.* Scrup. ß. Cum syrupo de pomis. F. Electuarium.

Vel ℞. *Conseru. bugloss. meliss. violar.* an. ℥. ij. *cort. citri conditor.* Vnc. j *species. diambr. diamosch. dulc. diamargarit. calid.* an. Drach. ß. *confect. alkermes* Drach. j. *lapid. Bezoar.* Scrup. j. Cum syrupo de pomis. F. Electuarium.

### *Diæta.*

Aër ad calidum & humidum vergat, sit lucidus, non tenebricosus, non fœtidus, sed suaueolens. Victus ratio instituatur ita, vt præter caliditatem magis inclinet ad humidum: cibusque talis sit, vt bonum sanguinem suppeditet. Sæpe enim, præcipuè si malum recens sit, solâ victus ratione bonâ, qua probus, tenuis & clarus sanguis, qui omnem humorum malitiam corrigit, gignitur, & corporis humectatione malum hoc curatur. Ad bonum sanguinem gignendum faciunt panis ex bono frumento, bene coctus, oua recentia, carnes animalium iuuenum, præsertim pullorum gallinaceorum, hædorum; vinum bonum, & similia. Conuenit & ptisana hordeacea. Ex oleribus conueniunt malua, buglossa, borrago. Ex fructibus, vuæ & mala dulcia, vuæ passæ. Vitet æger omnem cibum, qui succo melancholico materiam præbet, qualia sunt legumina, porrum, cæpe, caules & similia, quæ Galenus *3. de loc. affect. cap. 9.* recensuit. Cibi quantitas etiam moderata sit, nec abstinentia se maceret æger. Vinum tenue bibat, conditum melissa, flor. bugloss. borrag. cort. citri. Modus & exercitia corporis sint moderata, & quæ ad excrementa discutienda sufficiant, non verò corpus resoluant & exsiccent: animus à mœrore abducatur, & omnibus, quantum fieri potest, modis ad lætitiam componatur. Somnus sit longior, omnique modo prouocandus; cum in eo maxima curationis spes sit, vtpote qui cerebrum maximè humectat: vigiliæ verò nimiæ sunt interdicendæ. Balneum aquæ dulcis in hac intemperie vtile est. Omnia, quæ metum & tristitiam conciliare possunt, vitentur. Animus contrà, quibus potest modis, ad hilaritatem componatur.

## QVÆSTIO

### *An acetum melancholicis vtile sit?*

Donatus Antonius ab Alto Mari, *de medend. corp. human. morb. cap. 7.* ex Aëtio & Paulo Ægineta, qui hoc ipsum è Posidonio mutuati sunt, extollit aceti acerrimi sorbitionem post omnem cibum, vbi iam dormire velit æger; vel quod attenuet, succumque melancholicum discutiat, vel quod sumptorum ciborum vapores humidos confestim ad caput deferat, somnúque propterea conciliet: tantorúmque virorum, siue his, siue aliis rationibus moti fuerint, consilium sequêdum

dum censet. Verùm maioris ponderis nobis sit Hippocratis & Galeni autoritas, ratione & experientia munita, qui in affectibus melancholicis aceti vsum improbant. Hippocrates, 3. *de ratione victus in acut. cap.* 38. scribit: Nigra ab aceto fermentantur, attolluntur & multiplicantur, & exaltat nigra acetum; & Galenus *ibidem*, acetum melancholiæ aduersissimum esse dicit. Qua de re etiam diximus *de Febrib. lib. 2. cap.* 19. vid. etiam infrà *part. 2. cap.* 8.

*An acetum & acida, in melancholicis morbis conueniant?*

¶ [ Equidem non infrequens est apud multos, acidos liquores in melancholicis morbis exhibere; vnde nonnulli in frequenti vsu habent spiritum Vitrioli, tinctur, rosar. & violar. Vitriolat. syrup. rosar. Vitriolat. conseru. rosar. Vitriolat. quæ omnia hypochondriacis etiam frequentissimè exhibentur. Verùm an rectè, dubium.

*Negatiua.*

Hippocrates certè 3. *de rat. vict. in acut. text.* 38. scribit: ἀπὸ ὀξέος τὰ μέλανα ζυμοῦται καὶ μετεωρίζεται, καὶ πολλαπλασιοῦται. ἀναγωγὸν γὰρ μελάνων ὄξος, id est, *Nigra ab aceto fermentantur & in sublime attolluntur, & multis partibus augentur. Acetum namque nigra exaltat.* Vbi notandum vulgo malè verti hunc locum: *Educit nigra acetum*. Et *ibid.* Galenus acetum melancholiæ aduersissimum esse statuit. Et licèt humor melancholicus, non sit ita acidus, vt bilis atra: tamen aliquam aciditatem etiam melancholiæ tribuit Galenus, *lib. 14. meth. med. cap. 9. libr. 3. de loc. aff. cap. 7. lib. de placit. cap. vlt.* Ergo si humor melancholicus aliquo modo est acidus, acidis corrigi non potest, cùm contraria contrariis curentur.

*Affirmatiua.*

Contrà alij ad experientiam prouocant, & in morbis melancholicis spirit. Vitrioli Martis & Veneris se magnum vsum comperisse iactitant, & eos penè pro Panaceis habent.

*Decisio.*

Quà de re vt meam sententiam aperiam, omnino certum esse puto, acida per se humorem melancholicum non corrigere, sed potiùs eum augere, & deteriorem reddere, &, vt in atram bilem degeneret, facere, & propterea ab eorum vsu in alteratione humoris melancholici meritò abstinendum esse. Quòd verò interdum prodesse videntur, caussa hæc est: Humor melancholicus, quandiu in hypochondriis quietus hæret, molestus non percipitur, ægroque nihil mali inferre videtur. Tum autem, quando mouetur, & in alias partes principes transfertur, vel vapores, & sui generis noxios ichores à se mittit, molestus esse incipit, variaque grauissima symptomata producit. Tunc ergo omne illud, quod commotionem illam sentinæ melancholicæ, humorisque huius motum ad partes principes inhibere, exhalantes inde halitûs compescere, & ita disponere ac figere potest, ne quid ampliùs ichorũ prauorum è se fundat, symptomata quoque ab humore melancholico profecta tollere potest. Et proinde pro salutari remedio habendum, & ægri & medici (ab ægris rectiùs post horum vsum iam habentibus persuasi) censent. Et non negandum, acetum, & inprimis acidos succos minerales assumptos, qui fixo Sale constant, humores quoque salsos figere, & , vt in hypochondriis quietè coërceantur, nullamque homini molestiam creent; nec sui generis vapores & ichores de se fundant, præstare. Et hoc ipsum est, quod Paracelsus scribit, nihil esse salutarius & melius, quàm morbum in centro suo retinere (quod ipsum tamen etiam de narcoticis accipiendum videtur, quæ ad paroxysmos febrium tollendos exhibentur) id est, fumos illos noxios ita figere, vt molesti ampliùs esse desinãt. Verùm nec hæc regia & tuta via curandi morbos est. Nam salutare illud præceptum; ad caussam morbi, & morbum ipsum, magis quàm ad symptomata, nisi valde vrgeant, respiciendum esse, hîc negligitur, ægérque palliatiuâ hac curâ deceptus, in maius periculum conijcitur. Et hæc ipsa con uetudo, acidos eiusmodi spiritus in omnibus ferè morbis exhibendi, inter alias plures etiam forsan vna est, cur hypochondriaca affectio ita frequens & diuturna sit. Et obseruatum est, ex nimio spirituum acidorum vsu quosdam planè melancholicos factos. ]

## CAPVT XIII.

### *De Intemperie Capitis cum Bile Atra.*

#### *Caussæ.*

*Intemperies capitis cum atra bile.*

Bilem atram è sanguine, bile flaua, vel humore melancholico adustis prouenire, Institut. *lib. 2. part. 2. cap.* 6. dictum. Eædem caussæ & hîc locum habent. Caussæque, quæ sanguinem, vel bilem, vel melancholiam, seu in capite, seu in hypochondriis, seu in toto adurunt, vbi ille humor adustus capiti communicatur, intemperiei calidæ & siccæ cum materia, quæ est atra bilis, caussa esse possunt. Vnde malum hoc (quæ remotiores caussæ sunt) sæpe incalescenti melancholiæ succedit, & ira, mœstitia, nimia animi intentio, ac studia, sollicitudo, vigiliæ; præcedentes capitis dispositiones calidæ, inflammatioque, vini potentis nimius vsus, medicamenta immoderatè calefacientia, intemperiem hanc producere possunt. Præcipuè verò in biliosis, extenuatis, & iis, qui hepate ac corde calido & sicco præditi sunt: obesi verò & pituitosi ad hunc morbum minus sunt dispositi.

#### *Signa Diagnostica.*

Adest dormiendi impotentia, & vigiliæ pertinacissimæ; sæpe etiam accedit delirium. Pro humorum tamen, è quibus atra bilis gignitur, diuersitate hîc etiam est quædam differentia. Nam si ex sanguine adusto bilis atra sit generata, hilariores nonnihil sunt, & ad risum procliues, ac præcesserunt signa sanguinis abundantis. Si ex bile flaua profecta sit, ferinum est deliriũ, cum iracundia & temeritate, ac quod Hippocrates *6. aphor. 23.* μετὰ σπουδῆς appellat, audaces sunt & violẽti. Si ab humore melancholico sit atra bilis, mœsti sunt & taciturni, & cum per interualla loqui incipiunt, garruli sunt, neque loquendi finem faciunt. Omnibus tamen ferè hoc commune est, vt aspectus sit horridior & truculentior; de quo suo loco de Mania plura.

#### *Prognostica.*

1. Curatu difficile hoc malum est, & tempus ad curationem satis longum requiritur. Cum enim cerebrũ naturâ sit frigidum & humidum, longè à naturali sua constitutione recessit, & valentiora medicamenta; ac longius tempus, vt ad pristinum statum reducatur, postulat.

2. Facilior curatu est in iuuenibus, ac mediæ ætatis hominibus: difficilis verò in senibus.

3. Melancholicis & nephriticis hæmorrhoides superuenientes bono sunt.

#### *Indicationes.*

Intemperies hæc calida & sicca refrigeranda & humectanda est. Materia ipsa eodem modo alteranda, tẽperãda, attenuanda & euacuanda est, eiusque generatio inhibenda. Et quidẽ si humor ater prouenit à bile flaua exusta, calidior est, & magis refrigerantibus indiget: si verò ab humore melancholico, minus calidus est, minusq; refrigerantia requirit, vterque tamen humida postulat. Qui autẽ à sanguine exusto est, mediocrẽ cõditionem obtinet. Et si in toto, vel partibus inferioribus generetur, & ad caput trãsmittatur, à capite reuellatur, repellatur, & quod reliquũ, euacuetur. Et quò eius generatio prohibeatur, intemperies visceris, à qua producitur,

ducitur,corrigenda,& cùm plerunque à caliditate & ſiccitate hepatis,vt & lienis,ortū habeat, ea viſcerum intēperies refrigerantibus & humectantibus alteranda.Et quia vigiliæ in hoc morbo vrgent,eúmque augēt,danda diligenter opera, vt ſomnus omnimodo concilietur.

*Curatio.*

Itaque primò clyſter aliquis humectans, ex althéa, malua, parietaria, borrag. bugloſſ. violis, cum caſſia & electuario diacathol.paratus,iniiciendus,

Vt ♃. *Rad.althéæ,polypod.querni*,an.Vnc.ß. *parietariæ,brancæ vrſin.fumariæ,lactucæ,borrag.* an.M.i.*fol.ſenæ* ʒ.vi.*prunor.*num xij.Coquantur in aq.ſimpl.

Colat.♃.℔.i.*caſſiæ pro clyſteribus* ℥.i.*elect.diacathol.* ʒ.vi.*olei oliuar.chamamel.*an.ʒ.iß.F.Clyſter.

Hinc ſi ex ſanguine aduſto bilis atra prouenerit,vel in capite,aut toto ſanguis aduſtus & feruidus redundet, communis,baſilica,vel cephalica vena,prout opus,aperiatur:ſanguiníſque miſſio præſentiſſimum in hoc morbo eſt remedium. Et quidem ſi in capite redundat ſanguis,ſtatim cephalica aperiatur; ſi in toto ſimul, primò cōmunis vel baſilica,deinde cephalica ſecetur,& præcipuè in ſiniſtro latere.Reuulſionis quoque gratiâ ſaphena aperiri poteſt;præſertim in mulieribus,cum menſes ſuppreſſi huic malo originem dederūt, vt & ſi hæmorrhoides ſuppreſſæ morbi cauſſa ſunt. Quandoque etiā in viris natura κατὰ μετάστασιν humorem, huius morbi cauſſam, à capite & nobilioribus partibus ad crurales venas detrudere,& varices in cruribus excitare,morbūque hoc modo diſſoluere ſolet.

Neque inutile fuerit hirudines circa tempora & poſt aures, vel etiam ani venis applicare, ſi hæmorrhoides ſuppreſſæ ſint.

*Atram bilem in capite reparantia.* Hinc materia præparanda refrigerantibus & humectantibus,vt:

Radicibus; *Borrag.bugloſſ.gramin.aſparagi, polypod. glycyrrhizæ.*

Floribus;*Borrag.bugloſſ.violar.nymphææ.roſarum.*

Foliis;*Lactucæ,borrag.endiuiæ.*

Seminibus;*Quatuor frigidor.maior.papau.lactuc.*

Fructibus; *Paſſul.iuiubar.ſebeſten,pomor.prunor.*

Et,quæ hinc fiunt,

Aquis;*Borrag.bugloſſ.violar.roſar.endiu.fumariæ.*

Syrupis;*Viol.de borrag.bugloſſ.nymphææ, byzantin.ſimpl.*

Conſeruis;*Borrag.bugloſſ.roſar.violar.nymphææ*, quibus cordialia ob affinitatem adiicere licet: Conſeru. *Anthoſ.meliſſ.cortic.citri.*

Et quidem medicamenta ex his,pro natura humoris, è quo humor hic ater generatus,eligenda ſunt.Nam ſi ex ſanguine feruido atra bilis fit genita, ea eligenda, quæ de intemperie capitis cum bile propoſuimus; ſi ex humore melancholico,ea ferè conueniunt, quæ capite præcedente de intemperie cum humore melancholico tradita ſunt,

Vt ♃. *Aq borrag.bugloſſ.fumar.*an.℥.ii. *ſyrup.borrag. bugloſſ.violar.*an.℥.iß.M.F.Potio pro ii.doſibus.

Vel ♃.*Rad.bugloſſ.glycyrrh.polyp.querni*,an.ʒ.vi.*fumar.ceterach.*an.M.ß.*fl.cordial.*M.i.*epithym.*ʒ.ii.Coqu. in aq.pura.

Colat.♃.℥.vi. Adde *ſucci pomor.*℥.vi. *ſacchari* ℥.iß. Ebulliant & depurentur, vel addatur *ſyrup. de pomis, violis*,an.Vnc.i.

Vel ♃. *Conſeru.bugloſſ.borrag.violar.* an.℥.i. *nymph. roſar.*an.℥.ß.*ſpecier.diamarg.frig.* ʒ.ß. Cum ſyrupo de pomis.F.Electuarium.

*Atram bilem capite purgantia.* Purganda poſtea eſt materia *ſyr. viol.ſolut. diapruno ſolutiu.decocto ſenæ,epithymo,polypod. diacathol.* quibus deinde *hellebor.niger* adiici poteſt, *confect. Hamech & diaſenæ,lapide Armeno,Lazuli,pilulis de fumaria, de lapide Lazuli.*Vbi notandum,vt purgantibus iſtis ſemper ex humectantibus & præparantibus antea enumeratis aliquid admiſceatur, & purgantia non vſurpanda, niſi corpus prius humectatum fuerit,

Vt ♃.*Flor.caſſ.elect.diacath.*an.℥.ß.*confect.Hamech.* ʒ.i.Cum ſaccharo.F.bolus,vel diſſoluantur in aq.fumariæ & bugloſſ.an.℥.ii. & addita ſyrup. violar. Vnc.ß.F. Hauſtus.

♃. *Fol.ſenæ* Vnc.ß.*epithym.*Dra.ii.*flor.violar.borrag. fumariæ*,an.P.ii.*paſſular.exacinatar.glycyrrhizæ*,an.℥.ß. Coqu.in aq.hordei ſimplici.

Colat.♃.℥.iiij.In iis diſſolue *mannæ elect.*Vnc.i.Colentur,adde *ſyr.violar.ſolutiu.*℥.ß.

Vel ♃. *Rad.bugloſſ.graminis*,an.℥.ß. *polypod.querni* ʒ.ii.*glycyrrhiz.*℥.ß.*cortic.fraxin.tamariſc.* an.ʒ.iii. *meliſſ.linguæ ceruinæ,ceterach.capillor.*♀ an.M.i.*fol.ſen.elector.*℥.ii.*epithym.*℥.ß. *hellebor.nigri prap.* ʒ.ii. *ſem.4.frigid.maior.*an.ʒ.i. *ſem.portul,*ʒ.ii. *ocymi,fœnicul.zedoar.* an.ʒ.i.*iuiubar.ſebeſten*, an.num.x.*paſſul. exacinatar.tamarind.*an.Vnc.iß.

Infundantur per noctem in aq. pura, poſtea ebulliant & colentur.

In colaturæ ℔.ij. infundatur *rhabarb.* ℥.ß. *cinamom.* Scr.iiii.*flor.cordial.*an.P.ii.

Colat.adde *ſucci pomor.Borſtorfianor.vel aliorum odoratorum* ℔.i.

Iterum parum coquantur,ſaccharíq; q.ſ.ad dulcorādum addatur,& clarificentur.F.Potus ad dies 5.vel 6.

Vel addatur ſacchari q.ſ.Coquantur ad ſyrupi conſiſtentiam,de quo 2.vel 3.cochlearia propinentur.

Licet & in grauioribus malis antimonio & medicamentis ex eo præparatis vti.

Poſt purgationem alterantia ſupra propoſita repetenda,quibus addi poſſunt margaritæ,fragmenta lapidū pretioſorum,lapis Bezoar, corallium, bolus Armenus, quæ non ſolùm,vt nonnulli putāt,vim habent exſiccādi ichores,qui in arterias penetrarūt,ſed & ſalſis illis ac aduſtis humoribus (quo modo etiam acetū acrimoniā amittit)acrimoniā adimunt,& ita ad illa,quæ ſolēt,ſymptomata excitanda ineptos reddunt,vel etiam peculiari vi ſpiritus defecandi & illuſtrandi prædita ſunt. *Atram bilem in capite alterantia topica.*

Poſt ſanguinis miſſionem & purgationem fronti & ſuturæ coronali frigida humectantia applicanda ſunt.

Vt oleum *roſac.violaceum,nymph.amygdal.dulc.*quibus oleum *anethinum* & *chamæmel.*admiſceri poteſt.

Aqua *roſar.lactuc.viol.& aliar.plantar.refrigerātium,*

Epithemata *è refrigerant. & humectantium aquis & decoctis.*

Vt ♃. *Ol.viol.nymph.roſar.*an.℥.i. *aq.lactucæ,ſolani, roſar.aceti*,an.℥.ß.Miſce.

Vel ♃. *Fol.lactucæ,borrag.endiu.* an. M.i. *flor. roſar. borrag. bugloſſ.nymph.* an.P.ii. *capit. papau. cum ſemine* num.x.Coquantur in aq.

Colaturæ ♃ ℔.i.Adde *ol.violar.roſar.* an.Vnc.ii.M. pro Epithemate.

Vel ♃.*Fol.malu.flor.violar.nymph.*an.M.ii. *capit.papauer.albi cum ſeminibus* num.vi. *flor.chamæmel.melilot. ſummitat.anethi*,an.M.i.*fol.ſenæ* ʒ.ii.

Coqu.& decocto caput abluatur, & hinc ol. viol. & de nymphæa cum lacte muliebri irrigetur: vel ſi aſcenſus vaporum metuatur,cum oleo roſaceo.

Linimentum:

♃. *Ol.violar.ſeu cucurbitæ*, an. Vnc.i. *papauer.aneth.* an.Vnc.ß. *mucilag.ſem.pſyllij aq.violar. extractæ* Dra.v. *ſem.lactucæ,hyoſcyam.*an.Drach.ß.*croci* Scrup.ß.Miſc.F. Linimentum.

Emulſiones;*ſem papau.lactuc.amygd.dulc.*

Sacculi fiunt ex *roſis,flor.violarum nymph.ſem.papau.*

Lotiones pedum & manuum ex *refrigerantibus & humectantibus ſupra propoſitis.*

Balneum aq.dulcis vtile eſt, cum decocto earundem plantarum paratum.

Tandem poſt euacuationes vniuerſales inſtitutas & abſolutas ad particulares cerebri euacuationes perueniendū,quæ fiunt apertione venarum frontis,nariū,aut ſub lingua, aut applicatione hirudinum ad venas poſt aures,errhinis item,vt capite præcedente dictum.

Si malum non cedat, Zechius, *Consult.* 80. ad tria tanquam generosa remedia confugiendum censet, si humor adustus in toto corpore simul redundet Sunt autem ea, lactis serum, cum succo cichorij & fumariæ largâ copiâ quindecim diebus hor. 5. ante prandium haustum; aquæ thernales, quarum minera sit ferrum, epotæ; & aquæ dulcis tepidæ balneum, pluribus diebus vespere, duabus horis ante cœnam, vsurpatum: cuius vsu & vniuersum corpus humectatur, & obstructi & adstricti meatus aperiuntur.

*Cauterium in mania.* Si reliqua non prosint, etiam ad cauteria bregmati, modo supra explicato, nonnulli deueniendum, & cauterium per menses aliquot apertum tenendum censent. Scribitque Guainerius, *tract.* 11. *c.* 9. se nobili cuidam fœminæ maniâ laboranti cauterium potentiale syncipiti applicasse, quo cutis ad cranium vsque absumpta sit: hinc in coniunctione Lunæ & Solis cranium trepano aperuisse, & foramen per mensem apertum seruasse, atque ita fœminam illam, quæ plus quàm duobus annis maniâ laborauerat, sanitati restitutam fuisse. Vtilissimum etiam est ægrum in balneum aq. dulcis calidæ sæpius inducere.

### *Diæta.*

Aer in caliditate sit temperatus, ad humiditatem vergens. Cibus sit in quantitate mediocris refrigerans & humectans, vt: ptisana, jusculacarnium, carnes pullorum gallinaceorum, gallinar. agninæ, hædinæ, vitulinæ, perdicum, oua sorbilia. Abstinendum verò ab iis, quæ bilem gignunt, iisque, quæ crassum succum suppeditant; quales sunt, caro bubula, ceruina, hircina, & fumo indurata. Ex piscibus conueniunt saxatiles & friabiles. Grandes verò pisces, duri & viscidi, salsi, & fumo vel aere indurati nocent. Cibi condiantur borrag. malua, lactuc. asparago Panis sit similagineus. Vino æger planè abstineat, nisi à metu aut melancholia adusta hoc malum originem habeat. Tum enim vinum album tenue concedendum, aut si fortius sit, diluendum aq. borrag. violar. endiuiæ & cichorij. Huiusmodi enim vinum ad excrementa biliosa temperanda & expellenda, partiumque solidarum siccitatem corrigendam est aptissimum. Vel bibat æger aquam hordei cum succo granatorum dulcium, aut serum lactis, in quo epithymum maceratum sit; vel etiam lac calidè emulsum cum saccharo potet. Exercitium sit mediocre. Somnus sit consuetudo longior, qui propterea medicamentis cùm externis, tùm internis conciliandus. Aluus laxa sit, & nisi sponte officium faciat, clysteribus vel lenientibus medicamentis aperta seruetur Animus ad hilaritatem componatur, & omnes, quæ iram & tristitiam commouere possunt, occasiones vitentur.

## CAPVT XIV.

### *De Venenatis & malignis, & tota Substantia cerebro contrariis morbis.*

*Venena cerebro aduersa.* PRæter intemperies hactenus enumeratas cerebrum quoque morbos quosdã malignos, venenatos, quos totius substantiæ vocant, quandoque patitur. Talis est illa διάθεσις quam imprimit aura vel vapor, vel materia venenata, quæ epilepsiam excitat seu ea in cerebro generetur, seu ab inferioribus transmittatur. Tales sunt dispositiones, quas imprimunt venena cerebro peculiariter infensa; solanum furiosum, hyoscyamus, herba Sardonia, seu apium risus, virus caninum, torpedo, mẽstruus sanguis malignus, vinum fulmine tactũ, cicuta, napellus, vmbra arboris iuglandis, taxi, cocculi de Leuante, & pisces iis capti, aconitum; thus cùm vino, sanguis humanus potus, lolij semen, flores colchici; quorum alia somnũ p.n. inducunt; alia imaginationem & raliocinationem lædunt, ac deliria excitant; nonnulla conuulsiones aut paralysin inducunt. Refertur inter ea etiam cerebrũ & sanguis felis; de quo memorabilis historia est apud VVeinrichium, *de mõstris c.* 15. quæ ita sese habet: Puella quædam Vratislauiæ mollior, non multorũ annorum, cùm publicè spectaret à carnifice latronem capite truncari, territa spectaculi fœditate in epilepsiã incidit. Multa, vt fit, pro remedio tentata, sed frustra omnia. Ex vulgo quispiam suasit, felium sanguinem porrigi vtile esse, quo ebibito malum non difficultet cessaturum. Offertur, accipit misera infelici euentu admodùm. Paulò pòst enim felis naturam induit ex interuallo, & quod id animal in ædibus solet, id illa imitatur, voce, saltu, gestũ, vestigiis, cùm mures in silentio venatur in angustissimis etiam quibuscunque potest foraminulis, idque ita diu, dum paroxismi vehementia remiserit. Hactenus VVeinrichius. De quibus omnibus vide etiam *lib.* 6. *pract. part.* 6. 7. 8. Ita in mania peculiarem malignitatem statuit Platerus.

Verũenimuerò cum, vt modo dictum, alia alias actiones lædant, ac de epilepsia, sopore graui, & deliriis, quæ ab huiusmodi venenis proueniunt, suo loco dicendum sit, & vix aliquod venenum sit, quod, etiamsi cerebrum primò afficiendi vim habeat; non tamen reliqua membra in consensum trahat: in enumeratis symptomatibus de iis aliquid dicetur; reliqua suo loco, vbi de venenis in specie agetur, explicabuntur.

## CAPVT XV.

### *De Vitiis Spirituum Animalium.*

*Spirituum animalium vitia.* AN spiritus animales partes sint corporis, nec ne, hic non disquirimus: satis est, si sciamus, eos ad actiones animales omnino necessarios esse, neque sine iis eas perfici; & si actiones hæ rectè perfici debent, requiri, vt ipsi non minus, quàm cerebrum suam naturalem temperiem & constitutionem habeant.

Generatur spiritus animalis in cerebro, quod eius fons & origo est; & ea de caussa præter facultatem altricem, quæ ipsi cum omnibus partibus viuentibus cõmunis est, peculiarem substantiam, ab omnibus aliis corporis partibus diuersam, habet, & potentias, quibus & retinet materiã, è qua spiritus animalis generatur eamque alterat & coquit, & in spiritum animalem mutat.

*Spiritus animalis generatio.* Generatur autem spiritus animalis ex subtilissima spiritus vitalis parte, & aere attracto, ab ipsa cerebri substantia, quæ animæ, vt agentis principalis, proximũ instrumentum est, cui in toto corpore simile reperire non est. Ea enim animæ sedes est, non verò ventriculi, & ab ea spiritus animales elaborantur, atque in ea, nõ verò in ventriculis, quorũ alius vsus est, vt alibi dictum, continentur. Cerebri verò substantia ad actionẽ hanc concurrit præcipuè per suum calidum innatum & peculiarem temperiem, ac pro huius variatione etiam spiritus animales variant. Est tamen etiam necessaria peculiaris cerebri conformatio, quæ in magnitudine, figura, & cauitatibus consistit, quæ non solùm in spirituum generatione & conseruatione, sed ad motum, necessaria est; & præterea cerebrum suam temperiem & calidum natiuum debito modo dispositum habere debet. Hoc enim modo cerebrum constitutum spiritûs animalis origo, fons & domicilium est.

*Spirituum animalium naturalis constitutio.* Plura autem ad naturalem constitutionem spirituũ requiruntur. Primò vt habeant suam temperiem, quæ est quidem calida, sed longè temperatior, quam spirituũ vitalium. Secundò vt sint tenuissimi & subtilissimi: qua de causa rerum Creator sapientissimus innumeros arteriarum plexus in cerebro collocauit, vt per minutissimarum arteriarum insensibilia orificia spiritus vitalis in cerebrum exactè tenuissimus quasi percolaretur, &

& à sanguine arterioso separaretur. Tertiò vt sit purissimus, lucidissimus & splendidissimus: quâ de caussa spiritus animalis è spiritu vitali, à sanguine arterioso separato, & in cerebro, omnis ferè coloris experte, recepto gignitur, & ibi vlteriorē elaborationem adsequitur. Idem nimirum hic fieri credendū est, quod in igne, qui quò magis in flamma à fumo separatur, eò fit clarior & lucidior. Quartò vt sit copiosissimus: quam ob causam cerebrum amplissimum, mollissimum, innumerisque poris & cauitatibus præditum est, & ad illud innumeræ ferè arteriæ decurrunt. Quintò vt naturalem suum motum in cerebro habeant.

Quæ naturalis spirituum animalium constitutio si lædatur quocunque modo, etiā actiones animales, quæ per ipsos, vt instrumentum proprium, obeuntur, vitiari necesse est. Etenim si spiritus animales nimium incalescāt & feruidiores reddātur: id quod fit in febribus acutis, & partium internarum inflammationibus, vaporibus calidis caput petentibus, spiritibúsq; sese permiscētibus, item in cerebri & membranarum inflammationibus, & intemperie calida p.n. in phrenitide, in mania; aut dum à caussis externis, vt æstu Solis, aliisque, supra, c. 1. enumeratis, cerebrum incalescit, vigiliæ immodicæ & deliria accedere solent. Frigidus contra spiritus animales actiones omnes hebetat, & stoliditatis ac amentiæ caussa est.

*Spiritus animales calidiores.*

*Frigidiores.*

Si spiritus animales suam naturalem tenuitatem nō obtineant, sed crassiores iusto sint, animales actiones quoq; rectè sese non habent, sed torpidiores quasi sunt. Negat quidem Platerus planè, vbi de læsâ visione tractat, spiritus animales crassescere; cum sint ætherei penè, & tales mutationes non patiātur: verùm id ita simpliciter admitti non potest. Etenim spiritus animales duobus modis crassiores esse possunt; vel dum tales generantur, vel dū vapores aliqui ipsis admiscentur. Primò enim si spiritus vitalis, & aer, è quibus spiritus animales generantur, crassiores sint, spiritus etiam animales inde crassiores fiunt. Atque inde accidit, vt ob aeris & spirituum vitalium subtilitatem nonnullarum regionum incolæ ingeniosiores sint, quàm in aliis; aliarum verò stupidiores, ob aerem, in quo viuunt, crassiorem. Sic Bœoti apud antiquos stoliditatis & stupiditatis nomine male audierunt; de quo Horatius, *in Epistolis:*

*Crassiores.*

*Bœotum in crasso iurares aere natum.*

Si spiritus animalis tenuitas & puritas propter vaporis alieni admistionem perturbetur, actiones animales etiā variè læduntur. Si enim vapor frigidus & humidus ipsi admisceatur, spiritus animalis quasi torpidus & iners redditur; vnde sæpe post cibū propter vaporū in cerebrū adscensum, hominē ad actiones illas cerebro proprias minus aptū esse animaduertimus. Si vapor obscurus & nebulosus quasi, qualis cùm ab internis humoribus, tū ab aere externo cerebro cōmunicatur, & spiritui animali permiscetur, homines non ita alacres, sed quodāmodò tristes esse animaduertimus. Si vapores sint calidi, quales in ebriis à vino, vel potus alterius largiore vsu eleuari solent, variæ animi mutationes, & quasi deliria, pro cerebri & humorū in corpore variā dispositione excitātur; de quo Horatius, *lib. 3. Carm. Od. 21.*

*Impuriores.*

*O nata mecum Consule Manlio,*
*Seu tu querelas, siue geris jocos,*
*Seu rixam, & insanos amores,*
*Seu facilem, pia testa, somnum.*

Si enim vini vel alterius potus vim inebriandi habētis vapor cū sanguinis abundantis vapore permiscetur, iocos & hilaritatem excitat; si caput humidū sit, propēsionem in somnū inducit; si vasa seminaria semine sint referta, insanum amorem producit; si pituitâ caput refertum, somnum: si bilis vapor permiscetur, rixas & iram excitat; si melancholiæ vapor, tristitiam & querelas.

Si spiritus animalis naturalem illam luciditatem & splendorem amittat, & opacus, tenebricosus, ac niger quasi euadat: quod præcipuè fit à vaporis melancholici admistione; metus & tristitia sine caussa, & affectus melancholici excitantur. Nam vt Galen. 2. *de sympt. caus. c. vlt.* scribit, cum nihil eorum, quæ extra corpus sunt, nos æquè perterreat, ac tenebræ; si eæ ipsi rationalis animæ parti sint circumfusæ, necesse est hominem timere, vt qui semper vnà cum corpore timoris causam circumferat.

*Tenebricosi.*

Si spiritus animales sint pauciores, quàm par est, & deficiant, omnes animales actiones languent, & ex defectu spirituū, & caussis spiritus dissipantibus actiones principis facultatis non solùm imminuuntur & abolētur, sed & deprauantur quandoque, & delirium excitatur, vt docet Galen. 7. *aph.* 9. eodem modo, quo tremores artuum. Vt enim dum pondus nimium facultati mouenti imbecilli offertur, tremor excitatur, ita dum obiectum sensibile principi facultati debili offertur, imaginatio & ratiocinatio obiecto non satis proportionatæ & debiles vacillant quasi.

*Pauci.*

Deficiūt autem in cerebro spiritus animales, vel quia absumuntur, & non generātur in cerebro, vel quia in reliquum corpus diffunduntur. Absumunt spiritus in cerebro sanguinis nimia profusio, nimia euacuatio, Venus nimia, morbi diuturni, præsertim maligni, nimia animi intentio & studia, vigiliæ, curæ. Non verò generantur, si spiritus vitales non suppeditentur. Effunduntur etiā nonnunquam spiritus in sensuum externorum organa, vt in cerebro deficiant. Vt enim in magnis animi affectibus spiritus vitales è corde in reliquū corpus interdum effunduntur, vt animi deliquium inde accidat: ita quoque spiritus animales in externorum sensuum organa effundi possunt, vt veluti attoniti homines fiant.

*Defectus spirituum animalium caussa.*

Præter has caussas & aliæ sæpe dantur, occultæ nimirum, spiritus maligna vi afficiētes; quales sunt venena, quæ cerebro tota substantia infesta esse antea diximus, & inter ea, quæcunque narcosin quandam, & temulentiam quasi inducunt, vt lolium, semen hyosciami, cortex mandragoræ, solanum, venenum canis rabidi, & quod ab aliarum quoque bestiarum venenatarum ictu communicatur.

Imò etiam vapores maligni spiritus animales afficientes intra corpus generantur: hinc in epilesiâ ægri in fine paroxysmi sopore corripiuntur, & stupidi aliquandiu iacent; quod, vt Platerus docet, non accidit, quia cerebrum nimiâ agitatione defatigatum est, sed quia vapores maligni, qui prius aeruosum genus afficiendo conuulsiuos motus excitabant, cerebrum & spiritus iam labefactant, soporémque & stupiditatem, donec discussi sint, excitant.

Si tandem spiritus nimium agitentur, per iram, gaudium, terrorem, & alios animi affectus; vel à vaporibus ab inferioribus partibus ascendētibus, aut etiam in ipso capite, è putridis humoribus, vt in membranarum corruptione, & vermibus in capite, eleuatis perturbētur; vel à nimia corporis circumgyratione & agitatione, aut rerum motarum aspectu, casu & ictu vehementi, cranij depressione, calore & Lunæ radiis, doloribus vehementioribus, cerebri intemperie calida, & ipsi agitentur, & motu quodam inordinato cieantur, vertigo & alia symptomata oriuntur.

*Agitati & moti.*

Facit huc & simulata ac diu continuata stultitia, quæ spiritus continuò & deprauatè agitans prauam dispositionem ad continuum talem motum per consuetudinem inducit, vt suo loco dicetur. Contra si non moueantur, &, vt debent, in organa sensuum non influant, etiam animales actiones læduntur; quod fit in affectibus soporosis, & catalepsi.

### Curatio.

Cum ergo tot sint spirituum vitia, quæ ex effectibus & symptomatibus modò enumeratis, & signis etiā hu-

morum cognoscuntur: non vna erit spirituum vitia emendandi ratio; sed quodlibet vitium peculiari modo ad naturalem constitutionem reduci postulat. Si enim sint nimis calidi spiritus,sunt refrigerandi;si frigidi,calefaciendi;si crassi,impuri,attenuandi & purificandi,iisque naturalis tenuitas & claritas restituenda, & vapores,qui eos inquinant,discutiendi & ab iis separandi.Si malignis qualitatibus inficiantur,iis resistendum.Si defi nt,reficiendi.

Verùm cum ista vitia spiritibus cum cerebro sint cómunia,& ab humorum vitiis pendeant: plura de curatione non addimus; cum materia medica, quibus hisce indicationibus satisfieri potest, præcedentibus capitibus proposita sit. Si quæ tamen restant peculiaria, ea postea explicabuntur,vbi de actionibus læsis,quæ à spirituum horum vitio proueniunt,agetur.

*Spiritus animales roborantia & augentia.* Hoc saltem addimus,ad cerebrum roborandum,spiritus reficiendos & augendos,plurimum posse vinum, vt & oua sorbilia cum saccharo & cinamomo,si bonum vinum superbibatur;plurimum etiam ambram griseam orientalem,cũ saccharo in iusculo vel ouo sorbili sumptam;si scilicet ad Dra.ß.ambræ addatur ℔.ß. sacchari, vel rotularum manus Christi perlat.vt & moschũ, hyacinthum,margaritas,& aromata pleraque.Inde ad spiritus animales roborandos & recreandos vtiles sunt trochisci Moscardini dicti:

℞. *Ambræ,moschi*,an.Dra.ii.*Zibethi* ʒ.ß.*tragacanthæ in aq.flor.naphæ odoratiss.solutæ* q.s.*sacchari* ℔.iii.vel iiii. Contundantur omnia in mortario,& f.a.misceantur.

F.Pasta,è qua formentur pastilli parui, figura rhomboide,vel alia,qui exsiccentur,quorum vnus si in mensuram vini iniiciatur, ei suauissimum odorem & saporem conciliat.Commendantur & lapis Armenus ac Lazuli, vt fuligines, quibus spiritus inquinantur, discutiant;item myrobolani emblicæ & chebulæ, quòd spirituum dissipationem prohibeant.

Spiritus quoque instaurat confectio Alchermes. Ad eosdem confortandos commendatur succinum.Magna quoque vis est,ad spiritus instaurandos & reficiendos, spiritûs ex vino maluatico vel alio optimo destillati:& maior adhuc Aquæ vitæ dictæ, quæ si rectè paretur, sæpe cum admiratione vires languentes,& iam ferè collabentes reficit;quarũ passim multæ extant descriptiones.

*Aqua Carfunculi.* Nobilis est illa,quæ vulgò aqua Carfunculi dicitur,cuius descriptio in Institutionibus,*lib.*5.*part.*3.*sect.*3.*c.*5. habetur:vt & illa aqua,quam Matthiolus,*lib.*5.*in Dioscorid.c.*7.describit.Alia minus sumptuosa: *Aqua vitæ Matthioli.*

℞. *Granorum Paradisi,cinamom.cubebar.styrac.calamitæ*,an.Vnc.i.*macis,nucis moschatæ,cardamomi,caryoph.* an.ʒ.ß.*flor.lilior.conuall.*M.ii. *rosar.rubrar.* M.vi. *lauendulæ* M.j. *borrag.bugloss.* an.M.ii. *melissæ,saluiæ*, an.M.i. *menthæ crispæ* M.ß.Contusis adde *vini maluatici*, *aq.rosf.* an.Canth.ii.Digerantur & destillentur suspendendo in nodulo,in collo alembici, ambræ & moschi, an. Scr.i. vel quantum libet.

Extãt passim etiam multa electuaria,ad spiritus multiplicandos & confortandos vtilia,vt illud Mesue,quod ad lætificandum, gaudium generandum, iuuentutem conseruandam,coloris pulchritudinem,& odoris bonitatem conciliandam prædicatur,& ita paratur:

℞.*Rosar.*ʒ iii.*cyperi* ʒ.ii. *caryophyll. mastiches, ligni aloes, spicæ Indic.asari*, an ʒ.iß. *cinamomi, croci, melissophylli,ocymi minoris,margaritar.fol.Indi,macis,cardamomi minoris,nucis moschatæ,corticum citri,galliæ moschatæ, doronici,ocymi maioris*, an.ʒ.i. *moschi* ℈.ß. Cum mellis myrobalan.emblicar.vel belliricarum quantitate ad species quadrupla. F.Electuarium,hyeme præsertim vtile.

Vel ℞.*Hyacinth.sapphir.smaragd.doronici,corall.alb. rubri*,an.℈.i.*cinamom.macis,galãgæ,nucis mosch.*an.ʒ.ß. *caryoph.cubebar.lign.aloes.styrac.calamitæ,sem.ocymi*,an. ℈.ß.*croci* ʒ.ß.*moschi,ambræ*,an.gr.vi. *cort.citri conditorũ* ℥.ß *glycyrrhiz.* ℈.ii. *passul.pinguium,sacchar.candi*, an. ℥.i.*conseru.bugloss.borrag* an.℥.iß.*succi pomor.dulc.depurati* ℥.ii. *aquæ rosar moschatæ* ℥.i. *sacchari optimi* ℔.i.F. secundum artem Electuarium.

Videantur etiam Actuarij *de spiritu animali libri duo.*

## CAPVT XVI.

### *De Morbis Cõpositionis,& primò de morbis figuræ.*

Cvm hactenus morbos,qui cerebro,quatenus similare est, competunt, explicauerimus: proximum iam est,vt de morbis organicis eiusdem dicamus. Cum verò, vt ex Galeno, *lib.de morbor.different.* & Institut. *lib.*2.*part.*1.*c.*5.patet,morbi organici in morbos numeri,magnitudinis,conformationis, compositionis, & situs diuidantur: quinam ex his in cerebro & capite inueniantur,videndum.

Et primò figuram quod attinet,naturalis capitis figura,quæ optima est, vt Galenus, *lib. de ossibus.*9. *de vsu part.c.*17.& *art.med.c.*11.describit,sphæræ assimilatur, ad latera vtrinque leniter compressæ,quæq; in temporibus rectior,& quodammodo plana;in parte verò antica & postica plus,quàm in sphæra,prominet:hac tamen plus protuberat,quàm illâ; in vertice verò sphæræ curuitatem seruat.Quibus ergo hæc capitis figura cum decente magnitudine obtigit, ij vigorem & alacritatem habent sensuum,pollent ingenio, iudicio & memoriâ, & robore corporis præstant. *Capitis figura optima quæ.*

*Figura capitis vitiosa.* Quæ verò capita à naturali figura recedunt, ea φοξὰ generaliter à Galeno vocantur, dicuntúrq; ita non solùm ea,quæ fastigiata sunt,sed etiã in quibus vel antica, vel postica,vel vtraque ἐξοχὴ, seu eminentia,deest,vel plus,quã par est,eminet,vt vel retrò solùm vel ante,vel sursũ fastigiata capita appareant. Etenim vel synciput, seu anterior cranij pars plus iusto eminet,occipite cótra quasi euanescente & nõ extuberante;vel occiput p.n.prominet;vel neque antica,neque postica eminentia protuberat:& si in lateribus depressũ non sit,quasi perfectã sphæram exhibet;quod si in temporibus depressũ sit,in vertice caput eminere potest,& acuminatum esse. Cuiusmodi Therfitæ caput fuit,quod,vt Homer. *Iliad.* β.scribit,ὑπὲρ δὲν φοξὸς ἔην κεφαλὴν, quod interpretes per ὀξυκέφαλον rectè explicant. Galenus eam capitis figuram,quã longitudo in latitudinem,& latitudo in longitudinem mutetur,dari negat,& propter deprauatam cerebri constitutionem talem hominẽ viuere posse inficiatur,quod in ea tota cerebri constitutio peruertatur, eaque à paucis,cum rarissima sit,animaduersa. Vesalius tamen illam se vidisse,*lib.*1.*anatom.c.*5 testatur,& ante eum Conciliator,*diff.*79.& Hugo Senens.*in com.in art. med.Galen.*

### *Caussæ.*

Ortum habent figuræ hæc vitia plerumque in vtero ante natiuitatẽ,vel ob materiæ vitium,vel ob facultatis formatricis errorẽ;nonnunquam & post ortum inducũtur,dum tenella infantium capita ab obstetricibus & nutricibus vario modo formantur,quando fasciis inuoluuntur,& manibus tractantur;aut dum,quæ in vtero vel partu contracta sunt vitia, ab iis non rectè emẽdantur. Nonnunquam tamen tum pueris,tũ adultis figura capitis vitiatur, dũ ex casu vel percussione caput deprimitur; quod & cũ, & sine fractura fieri potest. De quo vitio emendando cum in Instit.*lib.*5 *part* 1.*sect.*2. *c.*5.sit dictum,& suo etiam loco de fracturis cranij eius mentio sit facienda,de eo hîc nihil addimus.

### *Signa Diagnostica.*

Figura vitiosa visu cognoscitur,quæ etsi cranij conformationem præcipuè indicet:tamen & cerebrũ quod cranio concluditur,eandem figurã participare,vero cósentaneũ est.Effectibus tamen sese etiam prodit,& stultitiam

titiam quibuſdam innatam facilè ex capitis figura vitioſa cognoſcere eſt.

### *Prognoſtica.*

Figuræ vitium,quod vel à conformatione praua,vel ex partu difficili, vel obſtetricum imperitia inductum eſt, ſi recens ſit, & non procul ab ortu, aliquantiſper corrigi poteſt, dum adhuc oſſa mollia & flexibilia ſunt. In adultis verò,vbi oſſa iam indurüerunt, incurabile eſt.

### *Indicatio & Curatio.*

Si quâ parte caput præter naturam eminet, ibi deprimendum,quod nullo alio modo fieri poteſt,niſi manuum operâ;vt ſcilicet obſtetrix vel nutrix manibus caput ſæpius leniter tractando,& faſciis inuoluendo,eam figuram,quæ præternaturalis eſt,aboleat,& eam,quæ experitur,ipſi inducat.

### *De Suturis Capitis.*

*Sutura capitis.* Suturas capitis,quarum tres eſſe;coronalem,lamdoidem & ſagittalem,ex anatomicis patet,pro varietate figurarum capitis variare,docet Hippocrates,*in initio libri de vulneribus capitis*. Idq; aliquando quidem verum eſſe obſeruationes docent, qualẽ & Volcherus Coiter, *in obſeru.anatom.* habet.Non tamen ſemper ſuturas variare propter eminentiarũ cranij defectũ vel exceſſum, doctiſſimi Anatomici teſtantur.Reperta quoque capita eſſe,quæ omnibus ſuturis deſtituta fuerunt, obſeruatũ eſt. Verùm quia iſta ipſam conformationem ſequuntur, neque à Medico corrigi poſſunt,plura hîc addere ea de re non libet. Videantur Veſalius, *de human.corp.fabr. lib.1.c.6.* Syluius,*in comment.ad lib.Galen.de oſſ.* Colũbus,*lib.1.anatom.c.6.& l.15.* Euſtachius,*de oſſ.* Ambroſius Paræus,*lib.4.Chirurg.c.3.* Riolanus,*anatom.c.19.& in commentar.de oſſib.c.8.* Bauhinus.

## CAPVT XVII.

### *De Morbis meatuum & Cauitatum Cerebri.*

IN ſuperficie cerebri nulli morbi occurrunt, & ſi qui in cranio interdum reperiuntur, cùm in fracturis interdum exaſperatur, & feſtucæ quaſi prominentes mẽbranas comprimunt,de eo ſuo loco,cum de vulneribus capitis,& fracturis cranij agetur,mentio fiet.Sequuntur ergo morbi in meatibus cerebri.

*Meatus & cauitates in capite.* Sunt autem cauitates & meatus hi triplices: alij in cerebro,alij ad cerebrum,alij à cerebro.

*Cerebrum eſt poroſum.* Primò enim cerebrum ipſum poroſum eſt,& in poroſa & fungoſa quaſi eius ſubſtantia ſpiritus animales generantur, continentur & mouentur; quod vel ſpatium illud docet, quod in mortuis inter tenuem & craſſam meningem interiectum eſt ſatis magnum.

*Cerebri ventriculi.* Deinde ſunt in cerebro ventriculi, excrementis eius euacuandis parati; qua de cauſſa in iis etiam glandulæ quædam locatæ ſunt,quæ veluti ſpongiæ per vaſa à cerebro vel cerebello eò trãſmiſſa excrementa cerebri exſugunt;ideóq; omnes etiam in infundibulũ,cui glandula pituitaria ſubſtrata eſt,deſinũt.Ad corporis enim calloſi latera duo ſuperiores ventriculi cerebri tenui quodam corpore,quod ſpeculum lucidum dicitur, inferius diſtincti poſiti ſunt.Ab horũ tergo apparet corpus concameratũ ſeu fornix,ſub quo tertius eſt ventriculus, ex priorũ concurſu proueniens,in quo duplex eſt meatus: anterior deſinit in palatum,ſeu infundibulum dictum, quod finit in ſellam oſſis ſphenoidis,vbi glãdula pituitaria eſt,& plexus retiformis,ſeu rete mirabile,vt Galenus vocat; poſterior verò in quartum ventriculum delabitur.Cerebello etiam ſuum ventriculum recentiores quidam attribuunt. De quo infra, *part.2.c.33.quæſt.3.* dicetur.

*Ad cerebrum tendentia vaſa.* Ad cerebrum tendunt, quæ è ſinubus cerebri egrediuntur venæ & arteriæ,quas ὀχετοὺς,ductus, vulgò vocant,quæ à tenui meninge ſuſceptæ, in ipſam cerebri ſubſtantiam diſpergũtur,quæque rubra illa puncta,quæ diſſecto cerebro conſpiciuntur,conſtituunt,& ſanguinem arterioſum ac venoſum, ſpiritúſque vitales, cùm ad cerebri nutritionem, tùm ad ſpirituum animalium generationem,aduehunt.

A cerebro & ſpinali medulla, quæ & ipſa à cerebro ortum habet,nerui omnes ſuam originem habent;quorum συζυγίαι ſeu paria triginta ſeptem, ſecundum vulgatam opinionem, recenſentur: ſeptem ſcil. à cerebro orta, triginta à ſpinali medulla. Recentiores verò quadraginta numerant: decem à medulla oblongata intra cranium, triginta à ſpinali medulla, vulgo ita dicta, extra cranium ortum ducentia; de quibus conſulantur Anatomici.

Pertinent & ad vias è cerebro ſuturæ cranij,per quas vapores & fuligines è cerebro exhalant.

### *Cauſſæ.*

Hi ergo meatus & cauitates vt ad cerebri nutritionẽ, ſpirituum animalium generationem, conſeruationem,motum,& in totum corpus diſtributionem neceſſariæ ſunt: ita iis anguſtioribus redditis iſtas actiones lædi neceſſe eſt.Etſi verò anguſtiæ plures cauſſæ ſint:tamen anguſtia meatuum horum omnium prouenit vel ab obſtructione,vel à compreſſione.

Obſtructio fit à vaporibus,vel humoribus.Compreſſio vel à cranio depreſſo, vel à ſanguine, aut humore, aut tumore;aut ipſa cerebri ſubſtantia, anfractus eius & neruorum principia comprimente.

*Meatuum cerebri obſtructio,eiúſque cauſa.* Obſtructionem quod attinet,fit illa primò à vaporibus craſſis. Si enim hi confertim & copiosè ad caput ferantur, meatus cerebri opplere & obſtruere poſſunt. Tales vapores eleuantur à cibo vel potu pleniore vel vaporoſo, vel humidiore, ab humoribus item & excrementis vaporoſis in ventriculo, inteſtinis; à vermibus in vtero,in venis cùm meſaraicis,tùm venæ cauæ ramis: quod non rarò in principiis & inuaſione febrium cùm intermittentium,tùm continuarum fieri ſolet,vbi à materia calore attenuata & agitata vapores ad caput copioſi feruntur,meatúſque obſtruunt, & ſomnum inducunt.Poſſunt quoque meatûs cerebri obſtruere fumi & vapores craſſi extrà admiſſi:id quod ii, qui ex carbonibus accẽſis in conclauibus concluſis exhalant;præſtare poſſunt;quibus non diſſimiles ſunt, quià muſto & cereuiſia feruente attolluntur. Cuius rei exempla habet Marcell.Donatus, *de hiſt.medic.mirab.lib.1.c.6.* & Platerus,*obſeru.lib.1.pag.16.17.*

Deinde idem præſtãt humores craſſi,qui in ipſa ſubſtantia cerebri cumulati eius meatus obſtruũt,& præcipuè ſi exortum neruorum, & vias illas, per quas ſpiritus animales in totum corpus influunt, occupant, & varia,pro modo obſtructionis,& natura humorũ,actionum læſarum genera inducunt. Si enim obſtructio illa ſit leuior,affectus ſoporoſi excitantur;ſi verò grauior & integra,apoplexia generatur.

Tertiò idem fieri poteſt à ſanguine extra vaſa ſua effuſo, ſi non inflammationem parit,ſed anfractus eius obſtruit:id quod non ſolùm in percuſſionibus & lapſu fieri poteſt,vbi interdum,cerebri ſubſtantiâ etiam non vulneratâ,vaſa aperiuntur & rumpuntur;ſed etiam interdum ob plethoram quoad vaſa: vnde & viuentibus & mortuis quandoque magna ſanguinis copia per os & nares erumpit.

Anguſtiores etiam redduntur illi meatus ad cerebrum tendentes in φλεγμονώδει illa diatheſi; de qua poſtea.

*Compressio meatuum cerebri, eiúsque caussa.* Compressio fit à causis vel internis, vel externis. Inter internas sunt primò humores crassi & pituitosi, qui basin cerebri, vbi neruorum principium est, occludere, & spirituum animalium in corpus reliquum distributionem impedire possunt.

Deinde sanguis ex vulnere, vel contusione, vel etiam sine cerebri vulnere, ex eius vehementi concussione, vel ex venæ alicuius, ob plethoram ad vasa, & ob sanguinis, per menses, hæmorrhoides, nares, euacuationem suppressam, ruptione, aut in cerebri substantiam, eiúsque poros, anfractus & meatus, aut ad basin cerebri effusus, comprimendo sensum & motum omnem abolere potest.

Tertiò idem accidere potest, vbi vasa ad cerebrum tendentia φλεγμονώδει διαθέσει laborant, & ita replentur ac distenduntur, vt sanguis ab iis vix capi queat, & propterea substantiam cerebri, eiúsque meatus grauet, comprimat, ac angustiores reddat, vt nec spiritus vitales liberè à corde adscendere, & in cerebrum distribui, nec animales liberè in cerebro moueri, & in neruos influere possint.

Quartò Platerus neruorum principium, seu basin cerebri, ab ipso etiam cerebro comprimi posse, statuit, dum scilicet vel eius substātia ab humore pituitoso in eo immoderatius cumulato, vel etiā ab aëre humido & crasso, vt vult Matth. de Gradibus, ita irrigatur, vt mollior laxiórque facta subitò subsidat, neruorumque principia comprimat; vel ventriculi seu cauitates cerebri ita subitò replentur, vt non ob obstructionē spiritibus animalibus transitum denegent, (neque enim spiritus animales in ventriculis cerebri, sed in cerebri substantia & neruis sedem suam habere statuit) sed basin cerebri grauent, & principium neruorum comprimant.

Quintò idem addit tumorem durum, qui pondere suo meatus cerebri comprimat, & angustiores reddat.

Inter externas verò caussas est cranij cerebrique à caussis externis compressio. Si enim ictu vel casu vehementiore fractâ vel depresâ caluariâ cerebrum simul comprimatur, poros & meatus in eo angustiores fieri, & hominem subitò sensu & motu priuatum concidere necesse est.

*Suturarum capitis defectus.* Suturarum augustiam quod attinet, potest illa fieri à vaporibus multis & lentis eò loci hærentibus. Interdū etiam planè deficiunt suturæ, & inuenta sunt capita omnibus suturis carentia. Quod cum antiquis, Aristoteli, *de histor. animal. lib. 3. c. 7.* Herodoto & Arato notum fuit, tum recentiores plures idem obseruarunt. Fallopius, *in comm. in lib. Gal. de ossib. & in obseruat. anatom.* Volcher. Coiter. *in obseruat. anatom. & Chirurg.* Reald. Columbus, *lib. 1. anatom. cap. 5.* Iohan. Andreas à Cruce, *lib. . Chirurg. sect. 1. cap. 2.*

*An valetudini commodus sit.* Capita talia sanè firmissima & à dolore tutissima esse, & quò suturæ sunt pauciores, eò capitis valetudinem commodiorem esse scribit Celsus, *lib. 8. de medic. cap. 1.* Verùm etsi hæc Celsi sententia vera sit de externis iniuriis, quæ capiti occurrere possunt: tamen vaporibus & fuliginibus retentis multa incommoda cerebro accidere possunt; ac si de iis etiam accipiatur, falsissima est. Obseruationes enim (qualem etiam habet Reald. Columbus, *loc. alleg.*) docent, nonnullos diuturno & incurabili capitis dolore fuisse vexatos, non aliâ de causa, quàm ob suturarum defectum, ob quem vaporibus & exhalationibus nullus datur exitus.

## *Signa Diagnostica.*

*Angustia meatuum cerebri signa.* Cognoscuntur hæc meatuum cerebri vitia ex operationibus cerebri læsis, præcipuè imminutis & abolitis. Cum enim ad actiones animales obeundas spiritus animales liberè per cerebri substantiam moueri, & in neruos influere debeant: si angustioribus illis meatibus redditis, & occlusis liberè moueri & in neruos influere non possint, fit inde somnus nimius, stupor, apoplexia, paralysis, pro vitij magnitudine. Nam si vitium sit leuius, ob id sensus saltem aggrauantur, quod fit in sopore, vel in stupore leuiore, motúsque tunc manet, etiamsi in sopore quiescat. Si verò vitium hoc magnum sit, sensus omnes & motus abolētur vt in sopore & stupore grauiore, caro; aphonia & apoplexia accidere solet.

A quibus verò causis meatuum hæc angustia proueniat, porrò inquirendum. Caussæ externæ, ictus, percussio, lapsus, ex aliorum relatione cognoscuntur: quæ eadem etiam, an sanguis extra vasa sua effusus mali huius caussa sit, docere potest.

Internas caussas quod attinet, patent eæ ex iis, quæ antea de signis intemperierum capitis cum materia diximus. Si à vapore, eius signa aderunt, & cibus ac potus vel copiosus, vel vaporosus adsumptus est; vel alius morbus vel in toto, vel parte aliqua deprehenditur, ex cuius causâ agitatâ sursum multi vapores ferri possunt. Vapores soli nisi narcoticam vim habeant, stuporē vix excitant, soporem verò frequenter pariunt, imò & apoplexiā excitare possunt, sed quæ leuior est, & quæ sola corporis agitatione & concussione sanatur. Si à pituitâ proueniat angustia cerebri, cognoscitur ex præsēte corporis constitutione, ætate senili, ex anni tēpore, cœlique constitutione, & aliæ caussæ pituitā generantes præcesserunt: pituitæ per nares faucésque euacuationes consuetæ suppressæ sunt, ægérq; prius de capitis grauitate ac pondere, pigritia in motu, oculorum obtenebratione est conquestus, & cum multo stertore dormiuit.

A sanguine si ortum habeat, dolor capitis plerumque præcessit, & rubor in facie, atque alia plethoræ, tum in toto, tum in capite præcipuè, signa adsunt, sanguísque per os & nares interdum erumpit. Cum à tumore est angustia, vix viuente homine is satis cognoscitur; diuturnus tamen stupor adest.

## *Prognostica.*

1. Quò minor causæ seu obstruendo, seu comprimendo angustiam parientis vis est, eò malum leuius est; quò potentior, eò grauius.

2. Hinc quæ à vapore fit obstructio, leuior est & facilius vapore discusso curatur, quàm quæ ab humore.

3. Et quò maior humoris copia, eò malum periculosius est. Hinc nisi pituita per emunctoria sua euacuetur, & è meatibus, quos obstruit, aut comprimit, excutiatur; vel in spinalis medullæ principium delapsa paralysin excitat; vel circa principium neruorū hærens, motúmque auferens cessante tandem etiam thoracis motu, & respiratione penitus sublata, ægrum suffocat.

4. Quæ à sanguine prouenit angustia, si sanguis adhuc in vasis suis hæreat, facilè curatur: si verò è vasis effusus sit, nisi per aures, nares, & os effundatur, aut tanta eius saltem copia sit, quæ insensibiliter discuti possit; putrescit, & inflammationem, febrem, conuulsionem, & tandem mortem accersit.

5. Quæ à tumore est angustia, incurabilis est; cum tumor in cerebro abditus emolliri & discuti non possit, & si quid curationis admittit, ea non alia erit, quàm quæ intemperiei cum pituitā debetur.

6 Quæ à compressione cranij fit angustia, prout ea vel maior, vel minor, & cum minore, vel maiore cerebri & vasorum eius læsione coniuncta est, & prout facilius cranium eleuari potest, vel non potest, eò periculosior, & difficilior, vel minus periculosa, & facilior curatio est.

7. Defectus suturarum incurabilis.

## *Curatio Angustiæ cerebri à vapore.*

Vapor, qui continens obstructionis meatuū cerebri caussa est, discutiendus, & ne extra cerebrum generetur, & ad id mittatur, præcauendum. Itaque materia, à qua suppeditatur, euacuanda, & partis mittentis ratio ha- *Vapores caput infestantes vt amoliendi.*

benda,

benda, vt supra, *cap.* 7. dictum. Proinde si à venoso genere; quod in febribus accidit, & quidem mox cum febre incipiat, ad febrem præcipuè curatio dirigenda: capitis tamen & cerebri, quod vapores recipit, ratio habenda, & ea, quæ vaporum ascensum impedire possunt, eosque deprimere, repellere, discutere valent, vsurpanda, vt supra, *de intemper. capit. per consens. c.* 6. & 7. dictum. Si à ventriculo, vel vtero, vel alia parte vapor ille eleuatur, pars illa euacuanda, roboranda, & vapores à capite reuellendi, atque in eo discutiendi.

### *Curatio eorum, qui à Carbonum fumis, & similibus vaporibus suffocantur.*

*A carbonum fumis suffocatio vt curanda.*

Pertinent huc vapores illi, qui ex carbonibus accensis, vt & illi, qui è musto ac cereuisia feruescente attolluntur, & quibusdam periculum suffocationis intentarunt, quosdam planè suffocarunt. Qui qua ratione noceant, alij aliter sentiunt, vt apud Marcellum Donatum, *de histor. medic. mirab. lib.* 2. *cap.* 6. Forestum, *lib.* 15. *obseru.* 26. Paræum, *tractat. de renunciationibus*, & Institut. *lib.* 2. *part* 3. *sect.* 2. *cap.* 6. videre est: quin tamen etiam crassitie suâ cerebri meatus oppleant, negari non potest.

Quantum ad curandi rationem, danda opera, vt quamprimum vapores illi discutiantur. Itaque ægri statim in aërem liberum deducendi vel deportandi sunt, & Aqua vitæ aliqua præstans, quod vapores illos discutere potest, instillanda, cui aliquid theriacæ addi potest. Hinc vomitorium cum oxymelite exhibendum, & sternutatorium naribus inflandum, atque oleum destillatum vel balsamum rutæ, saluiæ, vel simile quid naribus inungendum. Neque omittendæ reuulsiones per clysteres, frictiones, & similia.

### *Curatio Angustiæ cerebri à pituita.*

*Angustiæ cerebri à pituita curatio.*

Si à pituita cerebri meatus obstruente siue comprimente angustia in eo fiat, & inde seu somnus grauis, seu stupor, seu apoplexia, seu paralysis fiat, eo modo curanda, qui supra, *cap.* 9. *de intemper. capit. cum pituita*, propositus est: nimirum ex vniuerso corpore pituita euacuanda, eadem à capite reuellenda, per os & nares euacuanda, & medicamentis tum internis sumptis, tum extra adhibitis discutienda, caputque calefaciendum & roborandum, vt *ibid.* dictum.

### *Curatio Angustiæ cerebri à sanguine.*

*Angustiæ cerebri à sanguine curatio.*

Ita si à sanguine, siue obstruente siue comprimente, angustia est, sanguis venæsectione, cucurbitulis, & aliis modis euacuandus & reuellendus, ac repellendus vt supra, *cap.* 8. *de intemper. cum sanguine*, dictum. Et quidem si sanguis extra venas illapsus sit, & vena aliqua seu causâ violentâ, seu quocunque modo aperta; præter ea, quæ ibi tradita sunt, & venæ frontis, & nasi, & sub lingua, deriuationis gratia, aperiri possunt sanguisque, ne confertim affluat, repellendus, & qui iam extra vasa exstitit, euacuandus & discutiendus, vt postea, *cap.* 20. dicetur.

### *Curatio Angustiæ à cranij compressione.*

Si à cranij depressione fit angustia; cranium eleuandum, vt Institut. *lib.* 5. *part.* 1. *sect.* 2. *cap.* 6. dictum, & postea etiam suo loco de fracturis & compressione cranij dicetur. Quamuis verò in infantibus etiam sine fractura deprimi possit: curandi tamen ratio est eadem.

### *Curatio Angustiæ Suturarum.*

Si Suturæ à vaporibus vel humoribus obstructæ sint, discutiendi illi fomentis ex chamæmel. meliloto, betonica, stœchade, serpillo, & similibus, quæ ex superioribus nota sunt. Cauendum verò hîc à repellentibus & adstringentibus, quæ malum augent.

Vt meatus & cauitates in cerebro & capite plures sint, vel maiores, id non facilè accidit, nisi forsan à prima conformatione; quæ mala incurabilia sunt; quale exemplum anno 1622. Mense Augusto, in oppido vicino, Kemberga, sese obtulit; vbi infans natus est, qui in capite foramen habebat; quod ab ore sursum ad occiput patebat, ita vt ore aperto per totum caput, quasi tubum vel canalem, transpicere liceret.

---

## CAPVT XVIII.

### *De Morbis in Numero, & de Vermibus ac Calculis in Capite.*

Morbos Numeri quod attinet; etsi nullos in cerebro statui vel dari nonnulli statuunt; suo tamē modo dari & concedi possunt. Nam vt de iis, qui Bicipites nati sunt; quorum historias recenset Schenckius, *lib.* 1. *obseru.* 15. & 16. Platerus, *obseru. lib.* 3. *p.* 550. nihil iam dicam: Cornutos etiam natos fuisse, atque ita hac parte in capite quosdam abundâsse, idem Schenckius, *lib.* 1. *obseru.* 24. & Guilelmus Fabricius *cent.* 2. *obseru.* 25. testantur. Verùm cum hæ monstrosæ sint à primo ortu capitis constitutiones, nec curationē admittant, eas prætermittimus. Hoc tamen prætereundum non censemus, Bartholomæum Cabrolium, *obseru.* 11. referre, se cuidam cornu in fronte natum, cuius lōgitudo erat dimidiati pedis, crassities pollicis, serra resecuisse. *Bicipites.* *Cornuti.*

Quoniam verò Galenus, *lib. de diff. morb.* inter morbos numeri refert non solùm id vitium, quod à rerum naturalium, verùm etiam illud, quod à præternaturalium abundantia accidit, atque inter ea etiam vermes recenset; eum secuti, inter morbos in numero, seu rerum p. n. in cerebro abundantium hîc vermes recensebimus. Etsi enim alij aliter hac de re sentiant, vt Institut. *lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 7. dictum, & in re obscura quiuis per me quidlibet sentire possit: tamen quia de vermibus capitis commodiore loco, quàm isto, tractari vix potest, hoc capite de vermibus agemus.

Vermes in capitis parte anteriore, ad nasi radicem, vbi oues & capræ frequenter, eos habent, nasci, Auicennas, *lib.* 3. *fen.* 1. *tr.* 2. *cap.* 3. ex Medicorum Indorum relatione narrat. Idem tamen & in aliis regionibus ac seculis accidere annotatum, & cuidam Italo ex frequēti odoratu basilicæ herbæ natum scorpionem in cerebro dolores vehementes & longos, & mortem denique attulisse, Hollerius, *lib.* 1. *de morb. intern. cap.* 1. refert. Et è capitibus eorum, qui febre Vngarica Theriode mortui sunt, vermes confertim prorupisse; testatur Conradinus, *cap.* 11. *de febr. malign.* Quod confirmat Volcherus Coiter, *in append. obseru. anatom.* & *Chirurg.* Et Cornel. Gemma, *in append. oper. Cosmocritici*, in matronæ cuiusdam, pestilenti hemitritæo extinctæ, capite aperto magnam putredinem circa cerebri substantiam, & inter meninges cum vermiculos, tum cimicum copiam incredibilem repertam fuisse. Valescus de Taranta quoque, *lib.* 4. *cap.* 30. refert, se vidisse in iuuene febrem habente acutam duos tresuè vermes, ad formam granorum pini expulsos, & iuuenem sanatum fuisse. Narrat quoque Forestus, *lib.* 9. *obseru.* 1. *in schol.* Beniuentis cum multi morbo quodā ignoto è vita decederent, tandem Medicos hoc morbo interemptum incidisse, & in eius cerebro inuenisse vermem rubrum, breuem; quem cum multis medica- *Vermes in capite geniti.*

mentis vermes occidendi vim habentibus occidere nō possent, tandem frusta raphani incisa in vino Maluatico coxisse, quo medicamento vermis occidebatur, atque hoc remedio postea simili morbo, quasi epidemio, affectos omnes curasse. Refert *ibidem*, Forestus, se quendam nouisse lue Gallicâ infectum, qui cùm longo & diuturno capitis dolore affligeretur, nec vllis remediis curari posset, tandem Bononiæ cranium eius in frontis parte superiore, quâ dolor hærebat, perruptum, & vermem sub eo, supra duram matrem, nigriusculum, instar gurgulionis, inuentum esse, quo ablato dolor cessauerit. Ita narrat Ambr. Paræus, *lib.9.cap.10.* cuidam ex cranij putredine & carie supra ipsam crassam meningem vermes plures natos fuisse. Notabilis quoque est historia, quam Franciscus Hildesheimius, *specileg. lib.1.pag.41.* recitat, de quodam, qui vermes tredecim oblongos, lanuginosos, viuos, instar erucarum seu onisicorum, quos auriculares vocant, in capite continuit, quique per fauces, nares & aures prodierunt.

*Historia ex Alsar. Cruzio, de verme è naribus excreto.*

¶ [ Vermes è capite excretos fuisse, variæ testantur historiæ, quarum aliquas, modò recensuimus: quibus addenda est historia, quam habet Vincentius Alsarius Cruzius *de quæsit. per Epist. Centur.3.* & disputatio de loco, in quo generatus fuerit, quæ *ibid.* habetur. Quidam Fuluius Angelinus, ad Vincent. Alsar. Cruzium scribit, quendam febre malignâ epidemiâ laborasse, & octo noctes insomnes duxisse. Tandē cùm conualesceret, sensisse quendam pruritum in dextra nare, & statim elapsum esse vermem, qui medij digiti longitudinem æquaret, crassiusculo corpore, rubrum nigro capite & duro, duobus acutis brachiis, instar scorpionis mordentem, nonnullis pilis rubeis præditum, sex pedes versus caput, nonnullos verò paruos versus caudam habentem, quibus placidè gradiebatur. Vixit quatuor dies sine cibo.

*De loco in quo generatus, sententia Fulu. Angelini.*

De huius vermis generatione statuit Fuluius Angelinus, eum in ventre inferiore generatum fuisse, atque inde in ventriculi capacitatem regurgitasse, è quo dum æger somnum per noctem caperet, per œsophagi viam leniter gradiens, in amplitudinem buccæ peruenerit, & ore clauso, vt per noctem fieri solet, in nariū cauitatem se absconderit, inuento narium satis capaci foramine; ibique quietus eò vsque permanserit, donec vel grauans, vel vellicans ægrum ad emungendas nares, stimulauerit: idque vt statuat, istis rationibus vtitur. Prima est, quòd nullum graue symptoma circa cerebrum apparuit; quod fieri solet dum vermes in cerebro, vel loco vicino generantur. Deinde quòd aliàs compertum sit, vermes intestinorum per nares exiisse. Verùm non credibile est, vermem tam magnum, & taliter figuratum, è ventriculo in palatum, & hinc in nares irrepere potuisse, vt æger id nullo modo perciperet, neque rationes allatæ satis firmæ sunt. Neque enim æger planè fuit sine omnibus grauibus symptomatis, sed octo ferè noctes duxit insomnes, & mente aberrauit. Possunt etiam tales vermes, si quieti degant, id quod accidit, cùm alimentum habent, diu latere, vt nullum graue symptoma afferant. Deinde vermes, qui interdum ex ore, & quandoque etiam è naribus, ex vētre inferiori eò progressi, erumpunt, veri lumbrici sunt, nec adscendunt tales vermes, vt id ab ægro non percipiatur.

*Alsar. Cruzij.*

Rectiùs sentit Vincent. Alsarius Cruzius, *d.l.* vermem hunc, si non in ipso cerebro, tamen prope cerebrum, circa colaturam nasi, genitum fuisse; & docent hoc aliæ etiam historiæ vermium in capite generatorum, qu videantur apud Auicennam *fen.1. tr. 2.cap.3. de Soda,* Arculanum, *in 9. Rhas.* Forestum, *lib.9.obseru. 4.in schol.* Guilhelm. Fabricium. Hildan. *centur. 1.obseru. 8.& 16.* Et omnino isto in loco nec materia, nec caussa efficiens deest: de quo suo loco dictum. ]

*Caussæ.*

Possunt quandoque in caput irrepere eiusmodi vermes; id quod seruus ille apud Hildesheimum suspicatus est, qui cum sæpius bene potus in gramine dormiuisset, vermem eiusmodi vnum atque alterum in aurem irrepisse, à quo reliqui deinceps generati fuerint, credidit. In capite tamen etiam generari, ex corruptione humorum, præcipuè malignorum, certum est: id quod in malignis & pestilentibus febribus, & nonnunquam in putredine ac corruptione cranij accidit.

*Signa Diagnostica.*

*Vermium in capite signa.*

Cognoscuntur vermes ex dolore diuturno, qui nullis remediis cedit, vehementi, maximo; præsertim cum caput mouetur, & ferè lancinante fœtore, qui per nares & os exhalat, sternutatione, & frequenti vertigine, quæ ægrum corripit.

*Prognosticum.*

Malum hoc satis periculosum est, & curatu difficile, ac quod sæpissime ægris exitium affert.

*Indicationes.*

Vermes seu viui, seu mortui, exturbandi sunt ex capite. Ideoque præmissis vniuersalibus, vermibus aduersantia, eosque necantia, & errhina, & sternutatoria ad eorum expulsionem vsurpanda.

*Curatio.*

*Vermes è capite tollētia.*

Errhina & sternutatoria ex superioribus nota sunt: iis tamen talia admiscenda, quæ vermes hos necare vi peculiari comperta sunt, vt *succus raphani, hiera, aloë, succus fol. persicorum, abrotani, absinthij, ol. amygdal. amarar. ol. persicorum.*

Vel excipiatur naribus & ore hiante talis fumus:

℞. *Centaur. minor. marrub. betonicæ,* an. Drach. ij. *zedoariæ* Drach.ß. *angelic. succini,* an. Drach. ij. *antimon. crudi* Vnc.i. *minij* Drach.jß. *boli Armeni* Drach.i. *aristolochiæ rotundæ* Drach.ij. *absinthij* Drach.iii. Fiat puluis carbonibus inspergendus.

Loco verò dolenti applicetur hoc Emplastrum:

℞. *Aloës, puluer. lumbricor. cuiuscunque descript.* an. Drach. ij. *fellis taurini* Drach. j. *olei absinth. ceræ,* an. q.s. F. Cerotum.

Quod emplastrum cum applicauisset, & fumum naribus ter quaterve excepisset seruus ille apud Hildesheimium, vermes lanuginosi viui tredecim per fauces, nares, & aures prodierunt, atque dolores remiserunt: post menses tamen aliquot adhuc duo prodierunt.

Marquardo tamen, *pract. lib. 1. cap. 1. corollar. 64.* suspecta est vermium interfectio. Ideóque hoc Emplastrum imponit capiti raso:

℞. *Amygdal. amarar. contusar. succi folior. persicor. abrotani, absinthij,* an. Vnc. j. Misce, & capiti imponatur.

Per nares verò excipiatur vapor è lacte, vt ita vermes exeant. Commendatur & Tabaci succus, & fumus naribus attractus, ad vermes in capite occidendos.

*Calculi in capite gen.*

Calculos etiam quandoque in cerebro nasci, obseruatum est à Medicis; cuius rei historias collegit Schenckius, *lib. 1. obseru.* 81. Exemplum etiam extat apud Guilelm. Fabricium, *cent.1.obseru.* 11.

Cognoscunturque ex dolore, qui est fixus, & nullis cedit remediis, adest grauitas, sine excrementis tamen. Sed malum id incurabile est.

Annotauit etiam Guilelmus Fabricius, *cent. 2. obseru. 2.* globulum plumbeum sclopeto emissum in caput

put iuuenis adactum fuisse, ibique, vulnere etiam sanato, sex mensibus inter cranium & duram matrem ad latus suturæ rectæ, nullo superueniente symptomate, remansisse.

Possent & huc referri fungi cerebri, verùm cum ij saltem in vulneribus cerebri nascantur, suo loco, vbi de vulneribus cerebri agemus, de iis dicemus.

## CAPVT XIX.

### *De Morbis Magnitudinis in Capite.*

*Capitis magnitudo vitiosa.*

Ad morbos Magnitudinis vitiatæ in capite pertinet hydrocephalus, & tumores cerebri, ac membranarum eius. Verùm cum ij morbi compositi sint, & cum magnitudine aucta concurrat intemperies cum materia, de iis seorsim in fine huius libri dicemus.

Pertinet hûc & illa prodigiosa capitis magnitudo, quam ex Fincelio *de miracul.* refert Schenckius, *lib. 1. obseru.* 32. de infante quodam, cui ad quintum mensem capitis magnitudo ita aucta est, vt in circumferentia vlnam æquaret. Et occurrunt similia interdum etiã capita prodigiosæ magnitudinis: sed cum ista vitia à prima conformatione sint, incurabilia sunt. Eodem modo sese res habet de nimia capitis paruitate.

## CAPVT XX.

### *De Commotione cerebri.*

*Commotio cerebri.*

Situs totius cerebri in homine viuente mutari non potest: in partibus verò cerebri eiusmodi affectio fieri potest, vbi ob depressionem ossis, ab ictu aliquo validiore, vel etiam sine ossis depressione, ab ictu vel collisione capitis quacunque vehementiore, partes cerebri, præcipuè superiores, quæ alioquin ab inferioribus disiunctæ seruari debent, p. n. cum ipsis coniunguntur, cerebrique partes quasi loco naturali dimouentur. Agendum ergo hîc de illa affectione, quæ vulgo Cerebri commotio nominatur. Etsi verò & angustia ferè cum ea coniungatur, & nonnunquam etiam vasa quædam rumpantur, & proinde in diuersis locis de ea agi posset: tamen non incommodè inter morbos in situ, & ante vulnera capitis, hoc loco, de ea agi posse videtur.

Facit huius affectionis mentionem Hippocrates, 7. *aph.* 58. & Galenus, *in comm.* Paræus, *lib.* 9. *Chirurg. c.* 9. & 22. Guilelm. Fabricius, *cent.* 1. *obseru.* 11. 12. *cent.* 3. *obseru.* 9. & alij. Hippocrates de ea ita scribit: *Quibus occasione aliqua cerebrum vehementius fuerit concussum, mutos protinus fieri necessum est.* Recentiores appellant cerebri commotionem: quo nomine malum id præcipuè intelligunt, vbi sine externo aliquo vulnere, sine cranij fractura, vel depressione, ex percussione vel lapsu vehementiore, vel cranij modiolo perforatione, vel manus illisione, vel bombardarum & tonitrui fragore talis consternatio accidit, vt ægri neque loquantur, neque agant aliquid, sed ferè apertis oculis immoti maneant, similes iis, qui motu & consternatione perculsi sunt, atque attoniti. Accidere ista symptomata statuit Galenus, *loc. alleg.* quia virtus animalis retracta in cerebrum cogatur, per tales affectiones commotione vehementiore offensa; & propterea quietem agat, & feriêtur, atque inde organa sensuum & motus suo officio non fungantur. Et quidem hoc ita sese habere, in leuiore modo facilè concedi potest; in grauiore tamen credibile est, non solùm spiritus in cerebrum reuocari, sed & conturbari, & ob cerebri situm mutatum, & angustiã, motu eorum impedito, symptoma eiusmodi excitari. Vbi enim cerebrum vehementius concutitur, non solùm spiritus commouentur, & conturbantur, sed & cerebri partes à naturali situ dimouentur, & meatus cerebri concutiuntur, imò vasa ad cerebrum tendentia, & per eius substantiam sparsa, vt & nerui, non solùm comprimi & contorqueri, sed & rumpi possunt, si vis maior sit, & inde sanguis in cerebrum effundi potest: quod sanguis per os & nares sæpe effusus testatur, à quo meatus cerebri tum obstrui, tum comprimi possunt. Et quidem, vbi cranium frangitur vel deprimitur, fit hoc facilius: integro tamen etiam eodem manente, imò capite galeâ ferrea tecto, vehementiore ictu cerebrum grauissimè concuti; & venæ ac arteriæ in eo rumpi possunt. Ideóque quæ hîc de isto malo dicentur, tam in commotione cerebri cum fractura cranij, quàm sine fractura eiusdem locum habent. Facilius autem ista commotio fit syncipite percusso, quàm alia capitis parte, vt historia de Nerei filia, quæ mox recitabitur, docet.

### *Signa Diagnostica.*

Ex adstantium relatione, an æger grauiter percussus vel lapsus, vel simile quid passus fuerit cognoscitur. Symptomata autem, quæ cerebri commotionem sequuntur, hæc sunt: Si concussio minus violentã est, non statim muti redduntur, sed sopore quasi corripiuntur, non adeò tamen profundo, quin excitari possint; vel vertigo corripit: sin concussio fit vehementior, ἀφωνίη & ἔκπληξις, vt Hippocrates 7. *aph.* 14. nominat, accidit, & auditus, visus, motusque abolетur; delirium etiam quandoque accedit, sanguis per os & nares effunditur, oculi inflammantur, & sæpe inflantur; plerique hoc modo affecti vomunt, cõsentiẽte cum cerebro ventriculi orificio per neruos sextæ coniugationis. Et primò quidem quicquid in eius capacitate reperitur, euomitur: hinc quicquid à vicinis paribus affluit, inprimis bilis flaua, quæ ad motum aptior, vesiculâ fellis lacessitâ, in ventriculum infunditur. Vbi sanguis corruptus putrescere circa cerebrum & membranas eius incipit, cerebri & membranarum eius inflammatio excitatur, calorque cordi communicatur; vnde febris continua oritur, delirium, conuulsiones, & tandem, nisi materia euacuetur, cerebri corruptio & sphacelus.

Rei huius historiam narrat Hippocrates, 5. *Epidem. Pulchra, inquit, erat virgo, Nerei filia, & ferè annos nata viginti, cui à fœmina ludente latâ manu syncipput percussum est. At tum quidem oculorum caligo corripuit, & sine respiratione erat, cumque domum peruenisset, ilicò febri vehementi correpta, & capitis dolore tentata est, cum faciei rubore. Septimo autem die ad aurem dextram pus graueolens aliquantùm, rubrum, cyatho vno amplius, prodiit, meliúsque habere, & alleuiari visa est. Rursus inualescente febre in somnum propensa erat, neque loqui poterat; faciei pars dextra contrahebatur, difficultas spirandi, & conuulsio cum tremore aderat, & lingua impediebatur, oculusque stupidus factus est; nono mortua est.*

### *Prognostica.*

1. Duplicem hîc affectus euentum habet. Aut enim redeunt ad se ægri; aut non redeunt, sed moriuntur. *Prognostica.*

2. Et quidem dum ad se redeunt, atque iterum loqui & moueri incipiunt; id fit quandoque sine grauibus symptomatibus, postquam facultas animalis ad se redit, spiritúsque explicando partibus communicat, meatus aperiuntur, spiritibusque naturalis motus restituitur, præcedente interdum quodam leui delirio; quod accidit, vbi nulla vasorum, neruorum aut membranarum cerebri facta est disruptio.

3. Quandoque verò ad se quidem redeunt, & loqui incipiunt ægri, sed grauissima tamen patiuntur symptomata.

symptomata. Vasis enim ruptis, & sanguine circa cerebrum, vel in cerebri substantiam effuso, febris acuta, delirium, vel, cerebro repleto, sopor grauis, stupor & paralysis sequitur. De quo Hippcrates, 7. *aphor.* 14. *Ex ictu capitis* ἔκπληξις ἢ παραφροσύνη, *stupor aut desipientia, malum.* Si materia è capite eiiciatur, & ad neruos detrudatur, sequuntur & alia interdum symptomata, vt colli relaxatio, tumores periculosi in capite, cæcitas, ab obstructione neruorum opticorum, conuulsiones. Cuius rei historias habet Guilelm. Fabricius, *cent.* 1. *obseru.* 11. & *cent.* 3. *obseru.* 9. 36.

4. Interdum verò ægri ad se non redeunt, sed moriuntur; & si symptomata enumerata permaneant, vel alia accedant, quo tempore omnia remittere oportebat, periculum portenditur, & ob inflammationem, putredinem & gangrænam, ac sphacelum cerebri, conuulsio & apoplexia, & tandem mors sequitur. Quod si cerebri portione abrupta, vel nerui, vel membranæ auulsæ, vel vasa disrupta insignia sint: quod in corporibus senilibus facilius accidit, in quorum capite minor est cerebri motus, spatiumque inter cerebrum & cranium maius, quâ de caussâ cerebrum magis concuti potest; sic affecti breui, & plerumque intra triduum moriuntur. Eius rei historia fuit modò ex Hippocrate, 5. *epid.* relata. Habet etiam similes *Valleriola, lib.* 3. *obseru.* 1. & 8. Dodonæus, *obseru. med cap.* 12. Guilelm. Fabricius, *loc. alleg.*

5. Si cerebrum vehementius loco suo motum sit; nihil tamen in eo ruptum, fatuos reddit, qui nullo modo restitui possunt.

### *Indicationes.*

Principiò curandũ, ne sanguis ad caput affluat; quod expeditur reuellentibus & repellentibus. Sãguis è vasis effusus, saniésque ex eo genita, circa membranas cerebri hærens, euacuanda; quod fit vel sensibiliter, cranio aperto, vel insensibiliter, dum medicamentis attractiuis foras elicitur, & discutitur. Si quid verò læsum est, sanandum.

### *Curatio.*

*Curatio cõmotionis cerebri.*

Ideóque statim vena in brachio aperienda; simulque caput, crinibus abrasis, oleo rosaceo, vel myrtino inungendum, aut tale Cataplasma capiti imponendum:

℞. *Farin. hordei, fabarum*, an. Vnc. vi. *olei rosar.* Vnc. iij. *aceti.* q. s.

Fiat Cataplasma; quod capiti applicetur, & sæpius renouetur. Sicca verò, & vehementius adstringentia vitanda sunt; cùm poros obstruant, & transpirationem prohibeant, ac proinde inflammationem non arceant, sed potius accersant.

Clysteres quoque iniiciendi, & repetendi; & vapores à capite auertendi, atque aliæ reuulsiones per frictiones partium extremarum, cucurbitulas scapulis appositas, instituendæ.

Die altero Paræus venam puppis, quæ supra lambdoidem est, aperit, obturatis, vt id commodius fiat, ore & naribus, & spiritu magno conatu eliso, vt membranæ cerebri hoc modo intumescant, & sanguis extrudatur: & paucis diebus pòst etiam venam frontis, & sub lingua, vt sanguis omnibus viis è capite eliciatur.

Post quartum diem repellentibus discutientia admiscenda sunt; quale est hoc Cataplasma:

℞. *Absinthij* M. j. *flor. rosar, rubr. chamæmel*, an. P. j. *farinæ fabarum* Vnc. j. *sanguinis draconis* Drach. ij. *mumiæ* Drach. iij. Cum *oleo rosaceo* F. s. a. Cataplasma.

Vel hoc. Fomentum:

℞. *Rad. althéæ* Vnc. iij. *ireos, cyperi, calami aromatici*, an. Vnc. j. *fol. saluiæ, maioran. betonic. flor. rosar. rubr. stœchad. Arab.* an. M. ß. *salis communis* Vnc. j.

Coquantur in vino rubro, & aqua fabrorum.

Decocto spongiâ excepto foueatur caput, vt tamen non nimis incalescat.

*Ceratum Vigonis.*

Inseruit etiam huic scopo *Ceratum Vigonis*, vsu comprobatum, quod ita paratur.

℞. *Furfuris* Vnc. iij. *farinæ lentium* Vnc. ij. *rosarum, fol. & granor. myrti*, an. Vnc. j. *calami aromat.* Dra. x. *chamæmel. meliloti*, an. M. ß. *nuc. cupress.* num. vi. *olei rosacei, chamæmel.* an. Vnc. iij. *ceræ albæ* Vnc. ijß. *thuris, mastiches*, an. Drach. iij. *myrrhæ* Drach. ij.

Puluerisandis puluerisatis, & liquefactis oleis cum cera, F. Emplastrum.

Tandem sola discutienda vsurpantia, ex radicibus althéæ, cyperi, calami aromatici, fol. saluiæ, maioran. betonic. flor. stœchad. chamæmel. quibus ad caput roborandum flores rosarum rubrarum addantur.

*Emplastrũ à gummi hederæ.*

Alexander Benedictus, *lib.* 1. *meth. med. morb. cap.* 5. *Emplastrum ex gummi hederæ* valde commendat, eoque senem decrepitum octogenarium, qui ex capitis percussione obmutuerat, præter omnem opinionem, se sanâsse refert; idque etiam fracta caluariæ ossa, plusquàm credibile sit, ferruminare scribit. Paratur autem hoc modo:

℞. *Gummi hederæ* Vnc. iij. *resinæ puræ* Vnc. ß. *ceræ* ℥. iij. *olei rosacei* ℥. ij ß. *ammoniaci* ℥. ij. *terebinth.* ℥. iij. *succi corymb. hederæ* Vnc. iiij. *farinæ fabarum* q. s. Misceantur.

Pulli quoque columbini, vel gallinacei, vel catuli per medium dissecti, vel pulmones animalium calidi, capiti admoti insignem discutiendi vim habent.

### *Diæta.*

Diæta sit tenuis, & æger vino ad diem 14. abstineat; vt & carne ferè, & pane ac ptisanâ, vel alio tenuiore cibo sit contentus. Acida, salsa, & acria vitanda; ægerque in quiete & tranquillitate continendus.

Exempla videantur apud Hippocratem, 5. *Epid. num.* 55. & 7. *Epid. num.* 85. Forestum, *lib.* 9. *obseruat.* 30. 32. Exempla commotionis cerebri etiam habet Schenckius, *lib.* 1. *obseru.* 47.

## *De Cranij depressione sine fractura.*

*Cranium depressum.*

Cum hactenus depressionis cranij aliquoties mentio facta sit, &, si cranium deprimatur, cerebri, quod vnà comprimitur, meatus angustiores reddantur, capitis figura vitietur, & in situ etiam vitium accidat; de ea etiam aliquid hoc loco dicendum.

### *Caussæ.*

Fit autem compressio illa à caussa violenta, percussione, casu, & quidem nunc cum fractura cranij, de quâ suo loco, vbi de fracturis cranij agemus dicetur; nunc sine fractura, de qua hoc loco. In infantibus enim, & qui ossa cranij molliora habent, caluariæ ossa absque vlla fractura comprimi possunt, idemque patiuntur, quod plumbea, stannea, & cuprea vasa.

### *Signa.*

Digitis fouea & depressura deprehenditur; & si depressio paulò sit maior, muti fiunt, vomitus bilis adest.

*Quomodo curandum.*

Modum curandi tradidimus in Institut. *lib.* 5. *part.* 1. *sect.* 2. *cap.* 6. quibus hoc addimus, in infantibus nulla violentia opus esse, nec aliam curam requiri, quàm vt derasis capillis ceratumali quod cephalicum, ad depressa ossa eleuanda idoneum, adhibeatur. Mollia enim infantium ossa, natura cooperante, facilè iis in pristinam sedem restituuntur.

Vt ℞. *Resinæ pini, ceræ flauæ*, an. Vnc. iiij. *terebinth. claræ, gummi elemi*, an. Vnc. iij. *olei rosacei* Vnc. ij. *ammoniaci*

*ammoniaci* Vnc.jß.*farinæ volatilis* Vnc. j.*vini nigri* q.ſ. F.Emplaſtrum.

Vel applicetur *Emplaſtrum de gummi elemi Conciliatoris*,aut *Guidonis de centaureo.*

Vel hoc: ℞.*Maſtiches,terebinth.*an. Vnc. j. *gummi elemi* Drach.x.*colophoniæ,reſinæ pini rec.* an.Vnc.ß.*ammon.*Drach. j. *ſucci betonicæ, conſolidæ maioris*, *minoris*, an. Vnc.i.*apij* Drach. vj.*vini odorati* ℔.ß.

Bulliant ad conſumptionem ſuccorum & vini. Poſtea fortiter colentur:

Colaturæ adde *ceræ albæ*, *olei maſtich.*an.q.ſ.

F. Ceratum ſuper ignem,quod cranium depreſſum ſuum in locum reducit.

*Siriaſis.* Præter hanc, quæ à cauſſa violenta fit cranij depreſſionem, alterius adhuc mentionem faciunt Autores;quæ à cauſſa interna ortum habet in infantibus. Aëtius, *tetrab.* 1.*ſerm.* 4.*cap.* 13.Siriaſin appellat,quod in ſyncipite cauitas quædam apparet. Σιρὸς enim, &, vt nonnulli legunt, σειρὸς, apud Græcos dicitur foſſa & fouea, in qua ſemina feruntur. Etſi verò Aëtius, *loco allegato*, ſaltem ab inflammatione cerebri ac membranarum id accidere dicit: tamen & in aliis morbis os bregmatis in infantibus nonnunquam ſubſidet. In Germania mulieres appellant*das Blat fallen oder ſchießen*. Oſſa enim ſyncipitis parte ſuperiore, vbi coronalis & ſagitalis futura coëunt, in infantibus non dura ſunt, ſed cauitatem quandam efformant, quam membrana quædam,quæ omnium poſtrema ſicceſcit, & oſſea euadit, quamque Arabes Zeudech, nonnulli Fontanellam,Germani *das Blat* appellant, tegit.Id os ſeu membrana potius, vt diximus, interdum in infantibus ſubſidet, & à mulieribus pro lethali plerúmque ſigno habetur: quod procul dubio accidit, cum ipſum cerebrum in morbo aliquo graui in motu deficere incipit,nec ſatis dilatatur.

## CAPVT XXI.

### *De Morbis ſolutæ Vnitatis in capite & Cerebro; & primò de Contuſione capitis.*

*Suturarum cranij ſolutio.* Eſtat tertium morbi genus, ſoluta Vnitas,quæ vt plurimum à cauſſis externis & violentis accidit: aliquando tamen à cauſſis internis ſuturæ capitis,quæ aliàs contiguæ ſunt, diſiunguntur, vt euidens inter eas fit diſtantia; (niſi quis hanc ſuturarum diſtantiam ad morbos compoſitionis referre malit) quod euenit ab humorum vel vaporum copia, qui diſtendendo faciunt, vt ſuturæ magno ſpatio diſtent; vt docet Paulus Æginera;Et tale exemplum recitat Iacob. Fontanus, *pract.l.*1.*cap.*3.de quodam Iuuene Aquenſi, in cuius capite diſſecto ſuturæ ferè quatuor digitis inuicem diſtabant, & è quo ingens copia ſeroſi humoris, qui in ventriculis & tota ſubſtantia cerebri continebatur, effluebat. Scripſit etiam nuper ad me Medicus quidam è Sileſia, peſtis, quæ anno 1622. in Polonia graſſata eſt,tantam fuiſſe ſæuitiem, vt eâ extinctis cranium rumperetur. Verùm rariora hæc ſunt, & incurabilia. Itaque de ea vnitatis ſolutione, quæ à cauſſis externis & violentis accidit, dicamus.

Sunt autem ſolutæ vnitatis plures differentiæ, de quibus in Inſtitut, *lib.*2.*part.*1.*cap.*10. dictum:hîc inprimis dicendum erit de contuſione, vulnere, fractura, & carie. Et quidem ſoluta vnitas in capite, eſt vel in cute tantùm & carne, vel ſimul in pericranio, vel etiam cranio. Et quæ in cranio eſt, vel cranium totum penetrat, vel non; & quæ penetrat, eſt vel ſine duræ matris læſione, vel cum eâ; & quæ cum duræ matris læſione eſt:aliquando ad piam matrem & cerebrum penetrat,aliquando non.

Non autem hîc dicemus de vulnere in genere, ſed quæ de eo dicenda ſunt, ſuo loco, vbi de partium externarum, & habitus corporis morbis agetur, explicabuntur. Hîc ſaltem ea, quæ capiti propria ſunt, perſequemur; ſicut & Hippocrates, *in libr.de vulneribus capit.*de iis agit. Dicemus autem primò

### *De Contuſione.*

Contuſio autem eſt interna membri continui ſolutio & colliſio, extrinſeco plerumque integro apparente,quæ fit à re graui, dura & obtuſa, quam ſequitur ἐκχύμωσις, ſeu ἐκχύμωμα, ſanguinis ſcilicet ſub ter cutem effuſio. *Contuſio capitis.*

### *Cauſſæ.*

Hæc fit, cum caput vel fuſte, vel aliâ re obtusâ percutitur: vel ex lapſu caput rei duræ, non acutæ allidi-ditur,& cute plerunque integrâ venæ exiguæ ſub cute te aperiuntur,ſanguiſque ex iis effunditur,& inde tumor mollis,liuidus,abſque magno dolore,excitatur.

Fit autem duplici modo; vel cum cutis vulnere,vel ſine eo. De eâ,quæ fit cute integrâ; primò dicemus;de altera *capit.ſequent.*

### *Prognoſtica.*

1. Malum hoc,ſi nimirum & cutis & cranium ſalua ſint,ſi rectè tractetur,periculo vacat.

2. Si tamen muſculi temporales contundantur,delirium, paralyſis,conuulſio,& mors inde ſequi poteſt. Cuius rei exempla ſunt apud Glandorpum. *in ſpeculo Chirurg.cap.*10.11.12.

### *Indicationes.*

Danda autem opera,vt humorum affluxus prohibeatur dolorque,ſi adſit, mitigetur, & ſanguis,qui ſub cutem effuſus eſt,euacuetur, & vaſorum orificia iterum claudantur.

### *Curatio.*

Ideóque ſtatim initiò repellentia & adſtringentia adhibenda, eaque ſæpius, ne incaleſcant,remouenda, Ac proinde ſtatim capillis,ſi in loco capillato contuſio ſit, prius abraſis, adſtringentia, ſupra, *cap.* 1. *& cap.* 8. propoſita applicanda,& oleo roſaceo locus inungendus;deinde oui albumen bene conquaſſatum, vel ſolum,vel aquâ roſaceâ & aceto miſtum,& ſtuppâ exceptum imponendum. *Curatio.*

Vel tale Repellens applicetur:

℞. *Olei roſacei* Vnc.iij. *album.ouor.* Vnc.ij.*pulu.nuc. cupreſſi, balauſtiorum,alum.rochæ, roſarum rubrarum*,an. Drach.j.Miſce, & imponatur.

Vel ℞. *Farinæ hordei, fabarum*, an.Vnc.vj.*olei roſacei* Vnc. iij.*aceti* q.ſ. F.Cataplaſma.

Locus ipſe paulo arctiùs ligetur,ſitque ligaturæ initium in loco affecto, & deſinat eo loco, è quo fluxum imminere metus eſt. Ligatura enim arcta fluxiones arcet.Medicamenta autem talia ſæpius renouentur.

Secundo die vinum auſterum, in quo roſæ,myrtus betonica, & aliquid florum chamæmel. cocta ſint,tepidum imponatur, & ſi dolor aliquis appareat, medicamentum bis de die mutetur,& locus oleo roſaceo tepido foueatur.

Si contuſio maior ſit, & ob dolorem affluxus maior metuatur,vena ſtatim aperienda, & ſi corpus impurum ſit, medicamentum bilem purgans exhibendum, vel etiam clyſter iniiciendus,& tenuis victus imperandus. Et ſi dolor vehementior ſit, lanâ oleo roſaceo & chamæmelino madidâ locus fouendus, vel decocto, roſarum, radicis althéæ, lini, fœnugræci: betonicæ,vel vnguento Alabaſtrino inungendus.

Vbi

Vbi iam dolor ſedatus, & de affluxu amplius non metus eſt, danda opera, vt ſanguis extra vaſa effuſus euacuetur: quod fit vel inſenſibiliter, per ἄδηλον διαπνοὴν, vel ſenſibiliter, materiâ in pus conuersâ,& tumore aperto.

Tutius verò longè eſt materiam inſenſibiliter diſcutere, quàm permittere,vt in pus vertatur.

Quapropter paretur tale Cataplaſma.

℞. *Sum.abſinthi*, M.jß.*roſar.rubrar.flor.chamæmel,betonicæ,ſertulæ campanæ*,an.M.ß.

Coquantur in vino ad mollitiem.Poſtea contundãtur,& addatur *farinæ hordei,fabarum*, an.Vnc.jß.*pulu.ſem. cumin.*Drach. ij. *olei roſar.* q.ſ.F.Cataplaſma.

Vel imponatur emplaſtrum, quod capite præcedente ex Alexandro Benedicto recenſuimus; aut *emplaſtrum de betonica, aut de gummi elemi, aut ceratum Iſidis,* deſcriptum à Galeno, 5.κατὰ γένη, *cap.* 2. *ceratum de matriſylnia,emplaſtrum de Ianua Fernelij,emplaſtrum de gratia Dei Fernel.lib.7.method.*

Vel ℞. *Emplaſtr.diachyl.*Vnc.ij. *oxycrocei,de meliloto*,an.Vnc.j.*olei chamæmel.anethini*,an.Vnc.ß. Malaxentur. F. Emplaſtrum.

*Cerotũ Vigonis de minio.* Vel vſurpetur, *Cerotum Vigonis de minio*, quod emollit & diſcutit, & ita paratur:

℞. *Olei chamæmel. lilior. albor.* an.Vnc. x.*maſtichini* Vnc. ij, *pingued.veruecis* ℔.j.ß.*lithargyri auri* ℥.viij. *minij*.℥.ij. *vini boni* cyathum j.

Bulliant omnia ſimul agitando, primùm lento,hinc fortiore igne,donec maſſa colorem ſubnigrum contraxerit, tum adde *terebinthinæ* ℔.iij. *pulu. maſtiches* ℥.ij. *gummi elemi* ℥. j.*ceræ* q.ſ. Iterum coquantur. Fiat Emplaſtrum.

Vel Fomentum tale paretur.

℞. *Nuc. cupreſſi contuſar.* num.x.*myrtill.* ℥. j. *roſar. rubr. abſinthij, fol. ſalu.maioranæ,ſtœchad. flor. chamæmel.*an.M.ß. *aluminis rochæ, rad.cyperi, calam. aromat.* an.Vnc.ß. Coquantur in *vini rubri* ℔. iiij.*lixiuij communis* ℔. ij.

Decocto caput foueatur, & poſt fomentationem exſiccetur, & emplaſtrum aliquod imponatur.Foreſtus *lib.9.obſeru.* 32. hoc emplaſtrum Helidæi, quòd mirum in modum humiditatem in contuſionibus diſcutiat, commendat:

℞. *Flor. roſar. rubrar. chamæmeli, abſinthij, betonicæ*, an.M.j.Coquantur ad mollitiem, & contundantur, adde *farin. fabar.* Vnc.iij. *ol. roſac. vini nigr. ſtyptici.* an. q. ſ. Fiat. Emplaſtrum, ſeu potius Cataplaſma.

Si verò ob humoris effuſi copiam is totus diſcuti nequeat, & ſuppuratio impediri non poſſit, medicamentis maturantibus ſuppuratio promouenda,vt oleo dulci tepido, vel decocto maluæ, althéæ, caricarum; vel parando ex his cataplaſma, cum farina hordei,adipe gallinæ,oleo communi; vel imponendo emplaſtrũ triapharmacum, quod fit olei dulcis parte vna, aquæ communis partibus duabus;& triticeæ farinæ ſ.q. quibus vitellum oui addere licet.

Vbi ex dolore & loci mollitie materiam in pus conuerſam eſſe cognitum fuerit, extrahenda ea; idque ocyus faciendum, ne pericranium, & quæ ei connectitur, duram matrem corrumpat. Quod fit ſectione factâ in loco decliuiore, & ad materiæ euacuationem commodiore. Si temporalis muſculus eſt contuſus,ſectio non in ipſo muſculo,ſed in loco propinquo inſtiſtituenda; aut ſi in ipſo muſculo ſectionem inſtituere libeat, ſecundum longitudinem fibrarum fiat; ferrum tamen non nimis altè alligetur:vitandíque muſculi caput mouentes.

Abſceſſu aperto, & materiâ euacuatâ, vlcus detergendum tali,vel ſimili medicamento:

℞. *Syr.de abſinth.ſimpl.roſarum*,an.℥.j.*terebinth.*℥.jß. *pulu. ireos, aloës maſtiches, myrrhæ, farinæ hordei*, an. Drach. ſem.

Vlcere mundato cauitas implenda,& cicatrix inducenda. Carnis tamen excreſcentia ſeu ὑπερσάρκωσις,quæ in hiſce contuſionibus frequẽter ſuppullulat, depaſcẽda pulueribus καθαιρετικοῖς aut liquore illo viridi, qui in ὑπερσαρκώσει quacunque vtiliter,& ſine omni dolore, adhibetur; qui Inſtitut.*lib.*5.*part.*1.*ſect.*2.*cap.* 13.deſcribitur.

### *De Contuſione Capitum Puerorum.*

*Contuſio capitũ puerorum.* Quia verò inprimis pueri & infantes, propter capitis molem, tibiarumque imbecillitatem ſæpius labuntur, caputque grauiter offendunt, & contundunt, ſanguíſque ex contuſione collectus ſub cute tumorem excitat; de hac in puerorum capitibus contuſione in ſpecie aliquid addemus ex Iulio Cæſare Arantio, qui, *in fine comment.l. Hippocr. de vulnerib. cap.* ſcribit, ſe iuniorem, minuſque exercitatum, metuiſſe, ne ſanguis ſub cutem effuſus ibi putreſceret.& ad membranam deſcenderet;& idcirco ſectionem cuti adhibuiſſe vt ſanguis educeretur: ſed hoc modo in maximum diſcrimen infantes adduxiſſe; cum & ob ſanguinem affluentem vires reſoluerentur, & dolore, ac clamore & eiulatu infantum, fluxio, & tandem inflammatio excitaretur: ideóque longo rerum vſu ſe oculatiorem factum,tandem à ſectione planè abſtinuiſſe,ac ſequenti curandi modo graues etiam contuſiones feliciter curâſſe.

*Curatio.* Ab accepta contuſione protinus, vbi opus, abraſo, aut,ſi raſio ob dolorem fieri non poſſit, forfice detonſo capillo, linteum,vel ſtuppa, oui albumine, & aceto roſaceo madida, imponenda, & deligatione factâ,integro die naturali linteum extrinſecus iiſdem madefaciendum, ne exſiccetur. Ita enim humorum confluentium impetus prohibetur, & aliqua pars reſoluitur.

Sequenti die ſequens Cataplaſma imponendum:

℞. *Pulu.roſar.rubrar.fol.& baccar.myrti*,ãn.Vnc.ij. *farinæ fabarum, hordei*, an Vnc. j. *abſinthij*, *betonicæ*, an.Vnc.ß.*ſem.cumini* Drach j *mellis albi* Vnc.ij. Cum vino nigro auſtero F. Cataplaſma. cui adde *olei roſar. chamæmel.*an.Vnc.j.

Hoc medicamentum, quod appellat Benedictum, bis ſingulis diebus tepidè imponendum eſt, vt non ſolùm contuſam partem, ſed & circumſitas complectatur; ſitque eius quantitas, quæ vnâ vice adhibetur, mediocris. Si enim ſit exigua, parum habet virium, & à partis calore facilè exſiccatur: ſi nimia,locus affectus comprimitur.Atque in iſtius medicamenti vſu ad diem vſque nonum vel decimum perſeuerandum eſt. Indies enim partem detumeſcere, & collectum ſanguinem reſolui, ac per poros cutis euaporare animaduertetur; ac ſi caluaria etiam contuſa ſit, ad priſtinum ſtatum reducetur.

Cum verò dies vndecimus præterierit, *Emplaſtrum diapalma Galeni*, corio tenuiſſimo illitum, imponendum,& tertio quoque die immutandum.

Poſt vigeſimum diem ad reliquias humorum abſumendas, & colliſam caluariam in ſuum naturalem ſtatum reducendam, *emplaſtrum Barbarum* corio illitum applicandum. Et quamuis curatio protrahatur,& collecti,& effuſi ſub cutem humores tardius diſſipentur,tamen curatio hoc modo feliciter expeditur.

Foreſtus ad tumores, qui pueris ex lapſu in capite oboriuntur, *oleum aniſi* commendat, ſi eo tumor illinatur. Victus interim ætati ſit ſufficiens, non nimis tenuis.

Eadem curatio adhiberi poteſt,ſi infanti recens nato in partu difficili, caput contuſum & tumidum, ob ſanguinem effuſum,ſit:ſed ſimplicior.Solum enim diaphænicum ex roſaceo confectum tumores hos diſcutit.

## CAPVT XXII.

### *De Vulneribus Capitis (sine cranij, membranarum & cerebri læsione.*

### *Et primò*

### *De Vulnere sine Contusione.*

*Vulnus cutis capitis simplex.* PRimò vulneratur caput sæpe, cranio integro manente; vbi scilicet solùm cutis, pàniculus carnosus, musculi, & nonnunquam etiam pericraniũ vulneratur.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa diagnostica.* Signa diagnostica quod attinet, vulnera capitis, quæ partibus cranio superpositis accidunt, & cutis carnisue vulnera dicuntur, vel ipso obtutu, vel saltem specilli indagine patefiunt. Cæterarum verò partium læsiones non ita facilè innotescunt.

### *Prognostica.*

Quæ vulnera etsi per se periculosa non sunt; præcipuè cuti & panniculo carnoso inflicta, nemoq; ex iis, si rectè tractentur, moriatur: tamen nec illud malè dicitur: nullũ capitis vulnus contemnendum esse; quod Hippocrates, *in proœmio libr. de vulner. capit.* monuit. Ideóque in iis curandis, quàm in aliarum partium cutaneis & non profundis vulneribus, plus diligentiæ adhibendũ: cùm, si quid negligatur, sæpe magnũ periculũ accersatur. Etenim etsi cutis solùm vulnerata fit: tamen nisi diligentia debita adhibeatur, vlcus incrudescens non parùm molestiæ exhibet, & à pure partes subiectæ corrũpuntur: aliquãdo febris inducitur; vnde Medico quidẽ negotium, ægro verò periculũ affertur: Exẽplũ notabile est apud Schenckium, *lib. 1. obseruat. 35.* de Carolo Regis Hispaniæ filio, qui ob vulnus capitis non periculosum negligenter tractatum in vitæ periculũ adductus est & alterũ, *ibid. obseru. 36.* de quodã, cui ob vulnus capitis etiã non graue, sed non rectè curatũ, cranij os vitiatum fuit, & hinc diuturnus & longus capitis dolor exortus, vt & apud Valeriolam, *lib. 3. obseru. 1.* Guilelmum Fabricium, *cent. 1. obser. 21.*

### *Curatio.*

*Eius curatio.* Primò ergo videndum, quousque vulnus penetret. Nã si cutis sola læsa fit, nulla alia curãdi ratio est, quàm quæ aliis cutaneis vulneribus debetur. Nimirũ sanguis, si copiosius fluat, sistendus, capilli circa vulnus abradendi, & labia vulneris coniungenda, ac coniuncta seruanda, & ne quid labiis vulneris intercidat, neque accidẽs aliquod superueniat, cauendum. Quod potissimum fit, si interna caussa, quæ est δυσκρασία partis calida & dolorifica, quæ grauia concitat symptomata, cùm caloris, tum doloris vi, & humores tenues ac mobiles, à quibus φλεγμονῆς metus imminet præsentissimus, attrahit, submoueatur. Submouetur autem, si dolori & calori, attractionis caussis, resistamus Dolori succurrimus eo, qui infra exponetur, modo; calida verò & flãmea partis affectæ intẽperies corrigitur refrigerantibus, nẽpe rosis rubris, plantagine, albumine oui: è cõpositis autẽ, vnguẽto de cerussa, vnguento de alabastro, vnguento rosaceo Mes. vnguento infrigidante Galeni, vel linimento simplici, quod confit ex æquali portione vnguenti rosacei Mes. & ceroti de succo solatri. Labia vulneris solã deligatione hîc facilè coniunguntur. Si enim capitis cutis sola incisa fit, propter capitis rotunditatem vulnus non est adeò longũ, (nã si longum fuerit; procul dubio cranium simul læsum erit) neque labia eius ita distant, vt non facilè vniri possint. Si tamen solã deligatione hiãtia vulneris labia satis coniungi non possint, suturã incruentã vel siccã ad mutuũ cõtactum adducenda. Vulneri verò vsitatum aliquod medicamẽtum digestiuum, quod vocant, imponendum; quale fit ex *terebinth.* Drach. vj. *olei hyperic.* Drach. iij. *thuris puluer.* ℥. j. *oui vitello* j. Mistis.

Vel ℞. *Resinæ abietinæ* ℥. vj. *vitellum oui* j. Misce.

Vel hoc, quod valde efficax:

℞. *Terebinth. claræ, gummi elemi*, an. ℥. jß. *pingued. castrati* ℥. ij. *porci antiquæ* ℥. j. Liquefiant ad ignem, Fiat Vnguentum.

Pure bono apparente; quod tridui vel quatridui spatio accidit, digestiuo addi potest aliquid mellis rosati colati, ad vulnus detergendum, etiam mel crudum, aut despumatum; vel resinarum & thuris dosis augeri.

Vel tale Vnguentum vsurpetur:

℞. *Terebinth. Venetæ* ℥ ij. *syr. rosa. vel mellis rosarum* ℥. j. *puluer. aloes, myrrh. mastich.* an Drach. ß. Misc. F. Vnguentum.

Hinc Sarcoticis & Epuloticis vulnus claudendum.

Interdum tamen accidit, vt capitis cuti vulnus non pũctim vel cœsim infligatur, sed lapsu, vel simili violẽtiã cutis pars maxima à cranio, sine eius læsione, auella, tur, vt in frontem vel latera dependeat; atq; tũ, nisi alio modo suo in loco contineri possit, cutẽ suere nihil prohibet, vt cranium ab aëre defendatur. Toti verò capiti repellens cataplasma, quale *capit. praced.* propositum, imponere necessum.

Si verò vulnus vsque ad pericraniũ penetrauerit, illudq; læserit, danda & tunc quidẽ opera, vt labia vulneris coniungantur; quoniam quæcunque cute deteguntur & denudantur, ægrè ad curationem perducuntur: & sæpe accidit, vt si vel pericraniũ, vel craniũ denudetur, etsi primò simplex fuerit vulnus; partibus tamẽ subiectis alteratis à sua natura degeneret, & facultate alteratrice læsã humiditates crudæ in vulnere generẽtur, & postea maiore labore ad pus generandũ opus sit. Potest tamen & hic labiorũ vulneris cõiunctio solã deligatione fieri, nec facilè sutura instituenda. Cũ enim pericranium arctissimè cranio cohæreat, fieri vix potest quin læso pericranio & cranium lædatur, & vulnerato pericranio os ab aëre alteretur. Ideoq; cũ craniũ deradendum sit, tum ob has caussas, tum vt cranio ad exsudationẽ sanguinis vsque deraso sãguis ad carnis generationem facilè suppeditetur, sutura, ob quã derasio cranij impeditur, vix hîc locũ habet. Si tamen vulnus tã amplũ sit, & labia latius distent, ac magna cutis pars, siue sola, siue cũ subiectis partibus, vt tẽporali musculo resecta & auulsa sit: si cui vulnus tale suere libeat, videat tamẽ, vt solã cutẽ suat; nõ verò simul subiectũ pericraniũ. Nã cũ pericraniũ sit mẽbranosum, & sensus maximè particeps, magnus dolor ex sutura ista excitaretur & facilè inflãmatio suboriri, ac dura mater in consensũ trahi posset. Cauendũ quoque, ne labia vulneris cum violentia attrahantur: quod si faciendum esset, & cum labia vulneris sint tumida, potius sutura omittenda.

*Vulnus cutis capitis cum pericranij læsione.*

*Cutis capitis vulnera non facilè suẽda.*

*Pericranium suendum.*

Attendendũ & hoc in sutura, vt ita instituatur vt saniei detur liber exitus, ne supra cranium colligatur, & cranium corrumpat. De sutura in vulneribus capitis vide *cap. 24. quæst. 1.*

Verùm siue vulnus suatur, siue non suatur, pericranij diligẽs habẽda est ratio. Cũ enim sit substantiæ mẽbranææ, & per suturas duræ meningi adnexum, dolorẽ, inflãmationem, febrem, conuulsionem, si malè habeat, accersere potest. Ideoq; vniuersalibus corporis euacuationibus, si opus, præmissis, & circa vulnus capillis, vt antea dictũ, derasis, si dolor adsit, vulnus oleo rosaceo circũcirca inungendũ. Vel cataplasma ex vitello oui, & oleo rosaceo imponendũ. Et cum dolor ex pericranij læsione excitari, & sanies sub eo colligi, ac craniũ corrũpere possit, pericranium, nisi satis pateat, incidendũ, & os radendum, vt sanguine quasi exstillante idoneã carni generandæ suppeditetur materia. Temerè tamen, & sine necessitate pericranium non secandum, neque sine caussa doloribus æger infestãdus; sed tũ solũ, cùm suspicio

ſuſpicio eſt læſi cranij,aut inſignis eſt contuſio,ſanguinem cruentum continens. Inprimis in pueris non facilè ad hanc ſectionem veniendum,ne vires in ea ætate imbecilliores dolore & ſanguinis profuſione deiiciantur,& vaſa capitis clamore & eiulatu diſtendãtur;vnde inflammatio & alia ſymptomata oriri poſſunt:ſed potius Topicis materiam reſoluere conandum.

*Cranio denudato quæ medicaméta imponendã.* Cranio verò ipſi denudato & raſo non vnguenta,ſed medicamenta actu & potentia ſicca cũ linamentis ſiccis imponenda , vt temperamento oſſis ſimilima, ex doctrina Galeni,6.*meth. med.c. 6.* pulueres nimirũ cephalici dicti, qui parantur *ex aloë, thure, cortic. thuris, maſtiche,myrrha,ſarcocolla,bolo Armeno, ſangu. dracon. farina hordei, orobi,rad.irid.Florent.vel Illyricæ,ariſtolochia* Et quidem in mollioribus corporibus minus ſicca eligenda ſunt , poteſtque ſolum thus ſufficere:in ſiccioribus magis ſiccantia vſurpentur:

Vt ℞. *Aloës,ſarcocollæ , myrrhæ,* an. ℥. iij.*thuris* ℥.ij. *ſang.dracon.*℥.ß.F.Puluis.

Vel ℞. *Myrrhæ , aloës,cortic.thuris, ariſtoloch. ireos ſarcocollæ,*an. Drach.j. F. Puluis.

Vel ℞. *Aloës hepaticæ* ℥.iij.*myrrhæ* ℥.j. *thuris* ℥.ß. F. Puluis.

Vel ℞. *Aloës hepaticæ,rad.irid.ariſtoloch. rotundæ* an. ℥.ij.*myrrhæ,thuris* an.Drach. j *ſanguin.dracon.*Drac.ß. F.Puluis.

Ipſis verò vulneris labiis vnguentum aliquod digeſtiuũ & ſarcoticum adhibẽdũ, qualia paulò ante propoſuimus. Omnino enim primis diebus , vt pericranij dolor ſedetur,illico pus mouendũ vnguentis,quæ Chirurgi digeſtiua vocant.Eorum tamen vſus cum in omnibus,tum vel maximè capitis vulneribus, ita moderãdus eſt , ne vulnus recens & ἀπρόσβλητον in vlcus diutinum & ſordidum faceſſat,Poſtea vulnere ſatis purgato protinus ad σαρκωτικὰ deueniendum ; qualia fiunt è thure & cortice thuris , myrrha , radic. ariſtolochiæ, ireos Illyricæ,aloë,ſanguine draconis;& vulnus,vt dictum,conſolidandum,& cicatrice claudendum. Inſeruit huic vſui & hoc Emplaſtrum:

℞. *Olei roſacei omphacini completi* ℥.iij. *maſtichini, myrtini*,an.℥ j.*ſucci betonicæ* ℥.ij.*pingued.hircin.*℥. jß.

Coquantur ad ſucci conſumptionem, & poſtea coleutur. Colat.adde *maſtiches* ℥.x.*gummi elemi* ℥.vj.*terebinth.*℥.ijß.*ceræ albæ* q.ſ.

Iterum ebulliant,& fiat Cerotum.

Hiſtoria curati vulneris,in quo tota muſculoſa capitis cutis vſque ad pericranium diuulſa erat, vt tota ab occipitis initio in frontem & faciem dependeret, exſtat apud Ambr.Paræum,*lib.9,cap.*15.

In omnibus autem capitis vulneribus & hoc attendendum,an vulnus telo venenato inflictũ ſit. Si enim venenum telo vulneri illatum ſit, illud extrahendum, & alexipharmacis oppugnandum & infringendum, vt ſuo loco de vulneribus in genere dicetur.

## *De Vulnere cum partium externarum contuſione.*

*Vulnus capitis cũ cutis contuſione.* Sæpe etiam accidit,vt telũ,vel aliud quid,quo æger vulneratur,ſimul obtuſum & inæquale ſit;& tum vulnus quidem infligitur, ſed cum partium ſubiectarum, cranio tamen integro manente contuſione ; quæ cum in pus abeant paulò pòſt vlcus latum &profundum efficitur : quod genus vulneris ita curandum:

Primò diligenter diſpiciendum,ne in vulnere lapillus,feſtuca,capilli,vel ſimile quid inſit,& relinquatur, & an cranium ſaluum ſit.Et ſi cranium ſit ſaluum,abraſis per vulneris ambitũ capillis,ſanguis,ſi immoderatiùs fluat, ſiſtẽdus,atque opera dãda,ne pars vel dolore, vel inflãmatione corripiatur;cũ hoc generale axioma ſit:Nullũ vulnus ſanari poſſe,niſi partis,quæ vulnerata eſt,tẽperies ſeſe rectè habeat.Itaque,ſi opus eſt,ſanguis euacuandus,humores vitioſi expurgãdi,& fluxio à capite auertenda,victuſque tenuis imperãdus, neque ægro oua,carnes,vinum concedenda,vulnuſque in ambitu,vt dolor arceatur,oleo roſaceo inungendum.

In ipſum verò vulnus, quæ pus mouent , digeſtiua appellata,imponenda,(cum carnes cõtuſas in pus mutari ſit neceſſarium)vt ſuppuratio quàprimùm promoueatur , & cruditas illa in labiis vulneris,quæ ab aëre alterante inducta eſt, quæq; Medico moleſtiã ſæpe exhibet,ægro verò periculũ affert,auertatur. Omne enim vlcus exſiccationẽ requirit,præter id, quod contuſum quod humectari & emolliri poſtulat. Videdũ tamẽ,ne medicaméta illa ſint nimis humectãtia & putreſcẽtia; ſed ita conſtituta,vt partis calorem naturalem à contuſione,externo aëre,medicamentis debilitatum, foueãt, & humores in labiis vulneris cõgeſtos attenuẽt:quod præſtãt tẽperatæ caliditatis,& paucæ humiditatis medicamenta,& quæ alicuius abſterſionis participia ſunt ac dolorem leniendi vim habent.In quem finẽ in principio vtendum oleo roſaceo maturo,vel ſolo,vel cũ vitello oui,in corporibus mollioribus, quod præſtantiſſimũ eſt medicamentum, & requiſitas cõditiones omnes obtinnet. In durioribus verò corporibus *reſina laricina*,vel aliud digeſtiuum vſurpandum.

Et omninò hîc vtiſſimum medicamentum eſt Terebinthina,omnibus vulneribus commoda , præſertim partium neruoſarum,qualis pericranium eſt.Præſeruat enim contuſa à corruptione & putredine, ea corroborat,dolores ſedat,vlcera mundat,& ſi acrimoniam aliquam præ ſe ferat,ea facilè tollitur ablutione cum aqua betonicæ vel conſolidæ.Et cùm in paſſiuis ſicca ſit,ſiccitas temperatur humidis,vt oui vitello,& olei roſacei modico adiecto. *Terebinthina vſus in vulneribus.*

Efficax eſt & hoc:

℞. *Olei roſacei,terebinthinæ*, an. ℥. jß.*ceræ* ℥.ß *croci* Scrup.ß.

Si inflammationis metus adſit, addatur *farinæ hordei* Vnc. ß.

Et vt fiat ſarcoticum,addatur *corticum thuris.*℥.j.*aloës* Drach. ß.

Si dolor vrgeat , reliquis medicamentis cataplaſma ex radicibus althéæ , hordei farina , floribus meliloti, oleo roſaceo, vitello oui, & croci momento paratum imponatur.

Coctione ſeſe oſtendente,& pure optimo apparente;quod fit circa diem ſeptimum , vulnus abſtergatur melle roſato,terebintha,ſucco apij,& ſimilibus,vel per ſe,vel cum digeſtiuis miſtis. Vlcere purgato ſarcotica adhibenda, & humida omnia dimittenda.Cui vſui inſeruiunt pulueres cephalici. Vel vſurpentur hoc vnguentum, in vulneribus capitis vtile :

℞. *Artemiſiæ , betonicæ , ſcabioſæ , caudæ equinæ, pimpinellæ*,an.M. j.

Contundantur,& ſuccus exprimatur ;

Cuius ℞.℥.vj.*olei roſacei, maſtichini, myrthini.* an. Vnc.ij Coquantur ad ſuccorum conſumptionem.

Poſtea adde *aloës,thuris,maſtiches,ſanguinis draconis, gummi elemi,myrrhæ*,an. ℥.ij.*ceræ* q.ſ.F.Vnguentum.

Cicatrix tandem emplaſtro diapalma,vel de betonica inducatur.Si os caluariæ detectum ſit,diligenter inquirendum,an & ipſum aliquid damni acceperit. Etſi enim fractũ non ſit:tamen contundi poteſt;vnde paulò pòſt,cùm ſanies in eo colligitur,maculæ & puncta ſubrubea in eo apparent , quæ poſtea in colorem liuidum & plũbeũ mutantur, ipſumq; cranium deinde nigreſcit,non nutritur, & emoritur , vt cum eo pericranium vniri,& caro ſuper eo generari non poſſit.Tũ ergo abradendum os eſt eo vſque , donec rubeus color appareat,& ſanguis inſtar lacrymarũ rubearũ exſtillet.

Tandem vnũ adhuc circa iſta cutis capitis vulnera monet Paræus,*lib.9.c.*15.nimirũ,ſi à ferarũ, vel hominis etiam morſibus tale vulnus infligatur,aliter tractãdũ eſſe,quàm ſi à gladio,vel alio telo inferatur;& qua ratione tractandum ſit exemplis ibidem docet. Statuit

ſcilicet

ſcilicet,omnia ferarum,imò & hominis, morſu inflicta vulnera maligni aliquid coniunctum habere:quod niſi aliquis in contuſionem, quæ à dentibus fit, referre velit,procul dubio à ſaliua coniuncta eueniet;& proinde eius etiam rationem habendam. Quapropter etiam labia vulneris ſcarificat, & ſaniem ſanguiſugis extrahit,vlcuſque abluit medicamento:

℞. *Mithridatij* Vnc.j. *theriacæ* Vnc. ij. *vnguenti Ægyptiaci* ℥.ß.*aq.vitæ,cardui benedict*.an.q.ſ.M.

De quâ re infra etiam,*lib.5.par.4.cap.19*.dicetur.

## CAPVT XXIII.

### *De Soluta vnitate cranij,ſine meningum & cerebri vulnere.*

*Cranij vulnera ſine meningum & cerebri læſione.* HActenus de ea continui ſolutione in capite egimus,in qua tantùm cutis & pericraniũ,cranio integro & ſaluo,læſa ſunt:iam de ea agendũ; in qua cranium læſum eſt;& primò quidem de Vnitate ſoluta,in quâ cranio læſo meninges & cerebrum ſalua manent.

### *Differentiæ.*

*Fracturæ cranij quot.* Autores autẽ alij aliter ſolutæ vnitatis in cranio differentias recenſent,& alij aliis nominibus vtuntur:nos Hippocratem,*in libro de vulnerib.capit*.ſecuti,qui ante omnia hac de re diligenter cognoſcendus:ſiquidẽ neq; ſuperfluas,& minus vtiles recenſuit,nec neceſſarias, & quæ frequẽter accidunt omiſit;quinque,& quidẽ Hippocratis nominibus,recenſebimus ,aliis tamen aliorũ autorum appellationibus nõ omiſſis:nimirum,ῥωγμὴ, φλάσιν, ἐσϑλασιν, ἕδρην, ξυμφορὴν. Ægineta,*lib.6.c.90*. plures habet differentias.

### *Fiſſura.*

*Fiſſura cranij.* Fiſſura & fiſſio,ῥωγμὴ & ῥηγμὴ & ῥῆξις,Latinis etiã rima dicitur.Accidit autem fiſſura vel fiſſio,cum à graui & contundente telo,vt lapide,ligno,caſu ab alto,& in rẽ durã impulſu,cranium ita læditur,vt vaſis teſtacei in modum findatur,ſeu rimã agat,ita tamen, vt craniũ ſitum ſuum naturalem ſeruet, & partes eius loco non moueantur:Et ſemper quidẽ à re graui & contundente rima prouenit;nonnunquã tamen ſimul ab incidẽte & acuta,vt gladio acuto,ſed graui ſimul.Quantò verò oſſa ſunt duriora,tantò ſunt aptiora ad rimam contrahẽdam ; quantò molliora,ad contuſionem ſunt aptiora. Sunt tamen qui rimam à fiſſura diſtinguunt, & ſub rima fracturam,ſub fiſſura ſedem comprehendunt.

*Fiſſuræ cranij quot.* Fiſſurarum autem, ſeu rimarum rurſus ſunt differẽtiæ,ſeu modi:& quatuor præcipuè:à latitudine ſeu anguſtia:à longitudine vel breuitate:à rectitudine & curuitate:à profunditate deſumpti.Alię enim fiſſurę cõſpicuæ ſunt,quæ oſſe denudato oculis cõſpici, & ſpecillo tangi poſſunt;aliæ verò inconſpicuæ & cœcæ, quæ viſui obuiæ nõ ſunt;præcipuè circa initiũ,antequã ſaniẽ contraxerunt.Non verò cœcæ eæ dicuntur,vt nonnulli putant,quando non is,in quem ictus incidit, locus, ſed alius in cranio finditur. Hæc enim alia fracturæ differentia eſt, vt mox dicetur:alia media, quæ capillaris, τριχοειδὴς ῥωγμὴ, & τριχισμὸς appellatur , anguſtiſſima & arctiſſima fiſſura,& inſtar capillorum ſeſe habens,ſẽſum q; ferè latens;quæ tamen,ſi ad interiora penetret, grauiſſimorum ſymptomatum,& mortis ſępe cauſſa eſt. Cum enim & oculorum obtutum effugiat,nec ſpecillo inueſtigari queat,læſi oſſis abraſio , aut perforatio negliguntur , ſanguis contra,ruptis effuſus vaſis,intus coercitus putreſcit,

Aliæ rurſus fiſſuræ non per totum cranium,ſeu vtrãque laminã, penetrant;aliæ totum penetrant:vbi ſcilicet vtraque lamina ad meningem durã vſque finditur; cui fiſſuræ interdum & hoc accedit , quod meninx ab interna caluaria ſeparatur,ex qua ſeparatione vaſa diuulſa ſanguinẽ effundunt,qui ſub cranio collectus,niſi ipſi via ad exitum pateſiat;ægro exitium affert.Aliquãdo ſolùm externa lamina finditur,internã integrã manente:aliquãdo contrà accidit,vt externa lamina integra maneat,interna verò rimam ſeu fiſſuram contrahat. Cuius rei exemplum recitat Fallopius, *in lib. Hipp. de vuln.capit.cap.13*.

Aliæ rurſum fiſſuræ breues ſunt,aliæ longæ,aliæ rectæ, aliæ curuæ.Quibus addere poſſumus differentiã à Numero,quod nunc vna rima eſt,nũc duæ, vel plures.

### *Contuſio.*

*Contuſio cranij.* Secunda differẽtia eſt φλάσις,Galeno,& Paulo Æginetæ,θλάσις, contuſio & colliſio,cum ſine rima & fiſſura,ab irruente & illiſo extrinſecus violenter,aut obſtãte duro aliquo & obtuſo corpore, os ita contunditur, vt etſi externa eius facies ad ſenſum permaneat integra;in profundo tamen fit continui ſolutio,dũ os intus deprimitur,& in ſe cogitur,vt idẽ ferè oſſi contingat, quod canibus,dũ à re dura non acuta læduntur,accidere ſolet.φλᾶν enim contundere,& cõtundẽdo emollire ſignificat:& vſurpatur hoc vocabulum de piſcibus & carnibus duris,quæ plagis emolliuntur. Et neceſſariũ omnino eſt,vt ſub ipſo ictu os in ſeipſum impellatur,& cauum fiat id,quod colliditur;alioquin nõ collideretur:vt verò ceſſante ictu cauũ & cõpreſſum maneat non eſt neceſſarium. Maxima enim ex parte mollia ad naturalem ſitum regrediuntur,vbi percuſſio & vis externa ceſſauerit. Itaque eorum ſententia mihi non videtur probabilis,qui φλάσιν per depreſſionẽ cranij explicant,ita vt tangẽtibus & intuẽtibus fouea appareat, rẽque explicant ſimilitudine vaſorum cupreorũ,ſtãneorũ,plumbeorum,quæ rebus duris alliſa introrſum pelluntur,abſque ſolutione cõtinui,& foueã contrahunt. Hæc enim fracturæ cranij ſpecies non eſt,neque ad fracturas pertinet,ſed figuræ ſaltem fit vitium,cũ nihil neque fiſſum,neque fractum,neque colliſum ſit,ſed os ſolummodò depreſſum:etſi quandoque fractura cnoiungi poſſit. Clarum verò eſt, & ex Hippocrate apparet, eum de contuſione loqui,quando os nunc plus, nunc minus collidi,& nunc altius,ac totum os,nunc ſaltem in ſummo ſtatuit;quod depreſſioni non competit , ſed contuſioni.Niſi quis fortè Hippocratem vtraque cranij læſionem,depreſſionẽque & contuſionem ſub nomine φλάσεως comprehendiſſe dicere velit. Vtrumque enim fieri poteſt, vt ſcilicet cranium contundatur, ſimulque deprimatur.

*Contuſionis cranij ſpecies.* Atque ita duæ contuſionis ſeu colliſionis cranij ſpecies conſtitui poſſunt:vna,cum cranium ſolummodò in ſeipſum cedit,ac ſubſidet,ſicut ſpongia,vel caro cõpreſſa,& locum, ac figuram naturalem non mutat ; altera, cum cranium ſimul deprimitur , & figuram mutat , ac foueam acquirit. Verum contuſio hæc ſimplex non eſt, ſicut & reliquæ,cum quibus aliæ læſiones concurrunt: & cum fractura hæc ſpecies ſæpe coincidit. Interdum enim cranium contunditur ſine rima & fiſſura,quod in puerorum capitibus,quorum oſſa ſunt molliora , ferè accidit;aliquando rimam contrahit.Quorum enim oſſa ſunt duriora , in iis vix contundi poteſt cranium, quin ſimul frangatur.

Cõtuſio rurſum aliquando eſt ſine eorum,quæ ſunt intra cranium,læſione;aliquando verò cũ eorum læſione.Etenim nonnunquam ex graui capitis contuſione non ſolùm venæ,ſed & arteriæ,ac nerui,qui ſunt intra cranium,rumpuntur;quæ contuſio periculoſiſſima eſt. Et quidem venulæ & arteriæ,quæ ſub cranio rumpuntur,non ſemper ſub loco cranij,in quo fit contuſio,rũpuntur,ſed etiã in parte cõtuſioni oppoſitã vel vicinã. Fieri quoq; poteſt,vt cranio in vna parte cõtuſo vel percuſſo , in aliã parte aliqua ſutura diſſoluatur , & oſſa, quæ

quæ per suturam vnita erant, disiunguntur & hient; imò etiam cranium integrum in alia parte rumpatur & rimam contrahat.

*Depressio.*

*Depressio cranij.*

Tertius modus, seu differentia est ἐσφλασις, Latinis depressio, deſessio, introcessio, contusio, effractura Paræo; cum scilicet os finditur, sed nō, vt in fissura simplici, in suo loco manet, verùm intrò cedit: id quod fit ex validis telorum obtusorum, lapidum, fustium ictibus, vel capitis ex lapsu ad rem duram obtusam vehementiore allisione. Quanquam enim depressio cranij etiam dicatur, cū cranium integrum manens intro saltem deprimitur, sicut dum cuprea, vel stannea vasa comprimuntur: tamen inter vulnera, & vnitatem solutam illa læsio non est referenda, ac osse in suum locum reducto, nihil mali amplius superest. Hîc verò de ea saltem compressione loquimur, quæ cum fractura & ossis comminutione est coniuncta, atque ita non simplex fractura est, sed coniuncta cum rima vel sede.

Differentiā hanc fracturæ aliqui non rectè explicāt, & plurimi ita solùm fieri docent, cum os prædictus vehementia non solùm finditur, ac intrò truditur, verùm insuper frangitur, fragmentumq; cranij secedens sub oram siue limbum ossis vicini integri truditur. Quod vt aliquando fieri posse concedimus, & vnum ἐσφλάσεως modū hunc esse admittimus: ita non semper necessariū esse putamus, vt particula ossis effracti sub os, quod integrū manet, detrudatur, & sub eo lateat. Sufficit enim ad ἐσφλασιν constituendam, vt aliquod ossis fragmentum à toto separatum interiora, & cerebri membranas versum detrudatur, & vel aliquibus angulis & extremitatibus acutis, quasi spiculis, meningem, lædat vel planā superficie seruatā cerebrum comprimat, eiusq; motū impediat. Ego hanc læsi cranij differentiam commodissimè fracturam in specie appellari posse existimo.

Εσφλάσεως etiam peculiaris differentia est, quæ Galeno, *6. method. medend, c.6.* Paul. Æginetæ, *libr. 6. c. 9.* καμάρωσις & καμάρωμα dicitur: cum scilicet fragmenta cranij deorsum compulsa simul cum telo feriente, dum illud educitur, sursum trahuntur, ac reliquis subalimiora fiunt, ita tamen, vt Galenus, *loco allegato* scribit, vt, quàprimū ab integris fracturæ partibus deduci cœpit ægra, intrò magis recedat, & membranæ innitatur.

*Sedes.*

*Sedes fracturæ cranij species es*

Quarta solutæ in cranio vnitatis species est ἕδρη, Latinis sedes, sessio, vestigium. Erotianus per διακοπὴν explicat, & alij ἐγκοπὴν, διακοπὴν, καὶ ἕδρην pro eodem habent. Incisio etiam Latinis commodè dici potest. Interpretes Hippocratis etiam hîc varij sunt. Planissimè rē explicari posse puto, si dicatur, ἕδρην seu sedē, & vestigium esse, cum à telo acuto craniū læditur, ita vt aciei teli impressi vestigium, & sedes, quā scilicet parte telum insedit, manifestè appareat. Aduenit autem ἕδρη perpetuò cum cutis & pericranij vulnere.

Verùm varij huius læsionis rursum modi sunt. Primò enim huc pertinet simplex illud vulnus, cùm pugione, cultro, stylo, vel alterius rei acutæ cuspide cranium læditur, quæ Punctura rectè appellatur, quæ pue nunc externam solùm, nunc vtramque tabulam cranij penetrat. Deinde illud simplex vulnus, cum à telo leui, acuto, & bene scindente secundum longitudinē scinditur, ita vt suum naturalem situm adhuc retineat, & vestigium in osse inciso appareat, quæ Incisio appellari potest: fitq; ea nunc ita, vt extrema saltem lamina, nunc v. vt vtraq; discindatur. Tertius simplex modus est, si cum incisione aliquid ossis deperdatur, quam διακοπὴν καὶ ἐκκοπὴν in specie, & dedolationem siue excisionem nominant; dum scilicet sicut, quando asseres asciā vel dolabellā complanantur, aliquid ligni abscinditur: ita hîc etiam aliquid de superficie cranij abscinditur. Huc referunt nonnulli etiam id vulnus, quando bombardarum & sclopetorum glandibus aliquid cranij interdū aufertur.

Compositi modi sunt, cum quidem ipsum telū acutum est, sed non satis acutum, nec leue, sed aliquo modo obtusum, vel graue; vnde accidit, vt cranium non solùm scindatur, sed etiam rimam contrahat, aut contūdatur, imò deprimatur, & cranium effringatur. Et quidem si cranium sit durius, cum incisione facilius fractura coniungitur; si verò sit mollius, contusio.

Fieri quoque potest, vt in exteriore cranij superficie solum incisionis vestigium sese ostendat; intus tamen rima sit.

*Contrafissura.*

*Cōtrafissura cranij.*

Vltima differentia est, quam Hippocrates ξυμφορὰν seu infortunium, Paul Æginet a ἀπήχημα, Latini contrafissuram, seu resonitum appellant. Neque sine caussa hoc nomen indidit huic malo Hippocrates. Reuerà enim infelices & infortunati sunt, qui nec ipsi sciunt, quo loco læsi sint, neque Medicus satis certus hac de re fieri potest, nisi cū res ferè iā desperata est. Accidit autē contrafissura ex resultu ictus in partē à plaga distantē, & ad resistendum minus aptā. Dum enim aër in diploë vocata, hoc est, in meditullio cranij, seu inter vtramque laminam, conclusus vehementer ex ictu alterius loci agitatur & impellitur vndique, fit, vt loco alter caluæ solidæ allisus ipsam perfringat.

*Cōtrafissuræ quo loco fiat.*

Etsi verò de hac fracturæ specie alij aliter sentiunt, & nonnulli eam ad oppositam plagæ partē simpliciter restringunt; alij verò, vt Paulus Ægineta, *lib.6.c. 90.* hoc negant, & si quid tale accidat, etiam in contraria parte cranium collisum esse dicunt, similitudinemq; vitri, vtpote quod vacuū est, rejiciunt: tamen controuersia hæc facilè decidi potest, si verbis Hippocratis adhæreamus, qui non in parte opposita semper cranium frangi dicit, sed alio, quam quo vulnus est, osq; nudatum fuit, loco; & addit, non scire posse Medicum, vbinā malum hæreat, & quanam parte vulneratus sit æger: cum tamen facilè id sciri posset, si in contrariā semper parte læsio esset; siquidē æger facilè significare potest, quo loco percussus & læsus sit. Itaque satis est ad hāc differentiā cōstituendam, si rima non in loco sit, cui ictus inflictus est, sed alio, seu vicino, seu opposito. Sunt quidē nōnulli in ea sententia, rimam nunquā egredi extra os, in quo plaga facta est: sed contrarium docet experiētia. Testatur enim Nicolaus Florentinus, *serm.7. sum. 2. tract.4. c.1.* se hoc obseruasse in quodam artifice, qui funes faciebat, qui cum in capite fuisset percussus, factā in loco cōtusionis incisione, nihil læsū repertū fuit; tertia post ea die cum febris fuisset subsecuta, apertā parte oppositā copiosa sanies fuit inuenta. Refert quoq; Petrus Pavv, *in anatomico succenturiato*, se vidisse ictū bregmatis os sinistrū, quo loco λαμβδοειδεῖ iungitur, fisso syncipitis osse, dextro idque propè bregma, loco ita vicino coronariæ suturæ, vt in ipsā rimæ pars sese extenderet.

Præterea interdum accidit, vt in externam laminam cranij ictus incidat, eàque integra maneat, altera verò non solùm rimam contrahat, sed & fragmenta, quæ meningem & cerebrum pungunt, de se emittat; quod malum longè periculosissimum est: imò præter cranium & venulæ cerebrum ambientes ex aduersā ictus parte rūpi, & aperiri possunt. Inde sanguis effluit, & breui in pus mutatus cerebri substantiam putrefacit & corrūpit: id quod se deprehendisse testatur Amatus Lusitanus, *centur.6.curat.110.*

Ex his, quæ dicta sunt, patet, tres posse constitui contrafissuræ modos. Primus est, cum locus fissus & locus percussus sunt in vno eodemque osse. Secundus, cū eiusdem ossis percussa tabula externa, eàque integrā manente, interior dehiscit. Tertius modus est, vbi os percussum ab osse fisso suturā disterminatum est.

Potest

Poteſt huc & alius caſus referri, vt ictus ſcilicet in aliqua parte capitis infligatur, vas autẽ aliquod in meningum alterutrã, (ſæpius autem in pia matre, ob vaſorum eius tenuitatem) non eã regione, quã ictus illatus eſt, ſed aliã etiã, ad quã ictus non pertigerit, diſrũpatur ob concuſſionis vehementiã. Sic vbi occipitio grauiter percuſſo ſanguis manaſſet è naribus, conualuiſſe percuſſos obſeruauit Fallopius. Et contra fronte percuſſã ſanguis ſub occiput, ruptis vaſis, effundi, ægroq; malum lethale afferre poteſt. Exempla cõtra fiſſuræ recenſent Nicol. Florẽtinus, *ſerm.7.ſum.7.tr.4.c.1.* Fallopius *in com. in lib. Hippocr. de vuln. capit, cap.14.* Paræus, *l.9.c.8.* De loco contrafiſſuræ vide *c. ſequent. quæſt. 2.*

*Fracturarũ crany differentia vnde.* Atque hæ ſunt differentiæ fracturarum cranij; quas licet alij aliter recenſeant & explicent: tamen ſi Hippocratem & ipſam rei euidentiã conſulimus, res plana eſt, Pendent enim, vt breuiter iſta contrahamus, omnes vulnerati & fracti cranij differentię tum à telorum, quibus cranium læditur, varietate; tum ab oſſis, quod læditur, ratione.

Etenim ſi telum acutum ſit & leue, eóque, ſeu punctim, ſeu cæſim cranium vulneretur, fit ſimplex Inciſio, quæ ἕδρα, & veſtigium dicitur, quã nunc cranium perforatur; quæ in ſpecie Punctura dici poteſt, nũc cæſim læditur, quæ Inciſio dicitur; nunc etiam particula, ſi ad angulum obliquum vulnus infligatur, abſcinditur. quam Dedolationem appellant: cui læſioni vicina eſt ea, quæ ſclopetorũ & bombardarũ fit glandibus, quibus interdũ aliquid de externa lamina tollitur. Si obtuſum ſit telum & graue, idque incidat in cranium mollius, vel ictus non ſit admodum vehemens, cranij Contuſio accidit: ſi verò cranium ſit ſolidius & durius, & ictus grauior; vel rimam contrahit cranium, vel frangitur, & pars aliqua de eo abrumpitur: ſi autem telum non admodum acutum ſit, ſimulque graue, poteſt fieri aliqua inciſio, ſimulque cranium contundi, deprimi, frangi.

## *Cauſſæ.*

*Fracturarũ crany cauſſæ.* Cranij iſtæ fracturæ, & læſiones omnes à cauſſis euidentibus & violentis ortum habent; quæ etſi Indicationibus non conſiderentur: nonnihil tamen in fracturis determinandis, & ad earum quantitatem, & qualitatem definiendam faciunt.

Cum enim iſtæ, de quibus hactenus diximus, læſiones omnes ſectione, contuſione, tenſione fiant, in telo conſiderandũ põdus, prout graue vel leue; figura, prout latum vel anguſtum, acutum vel obtuſum eſt. Ab acuto enim fit inciſio vel punctura; à lato & obtuſo contuſio vel fractura: quæ omnia curioſè planè perſequitur Paulus Ægineta, *lib.6.cap.88.*

Conſiderandus etiam eſt modus ictus & læſionis, & quod de telo dictum, idem etiam fit, ſi lapſu ab alto caput rebus duris illidatur. Si enim id acutum eſt, inciſio fit: ſi obtuſum, fractura, rima, vel contuſio. Et plerunque à lapſu fit cõtuſio, rima vel fractura, eaq; maior vel minor, prout caſus ex loco alto, vel humiliore eſt, reſq; cui caput alliditur, dura vel minus dura. Modus, vt dictũ, ictus læſionem variat. Si enim æger rectã telo occurrat, ſiue manu iaciatur, ſiue feriatur, ſiue quid in ipſum illabatur, ſiue lapſus in rẽ durã impingat, grauius læditur; minus verò grauiter, ſi ictus obliquus ſit.

Neque hîc ſolùm teli & ictus conditio, ſed & oſſis habilitas cõſideranda. Nã licet nullũ os tã firmũ ſit, quin à cauſſa violenta poſſit frangi: plurimũ tamen intereſt, an ſit validũ vel infirmũ, durum vel molle. Quod enim validum eſt, non niſi ab ictu vehementiore & telo grauiore frangitur; quod infirmum, etiã ab ictu & telo nõ admodum graui læditur: quod molle, facilius cõprimitur; difficilius, quod durum. Conſiſtit autem oſſis robur in craſſitie, duritie, ſoliditate, tegumento: quæ omnia cùm clariſſimè Hippocrates explicet, ea *ex libro de vulner. capitis* hîc recitare libet. *Caluaria*, inquit, *media duplex eſt, oſſaq́, eius & in ſumma parte, quã carne tegitur, & ab ima, quã cerebrum membrana contegit, duriſſima ſunt; maximè denſa & leuia, ſed cum à ſummo ad ima diſcedis, ex duriſſimis & maximè denſis minus denſa, mollia magis, & caua inuenies, vſque ad interiorẽ partem, quã inter ſe connectuntur. Hæc autem maximè caua eſt, molliſſima, & ſpõgiæ ſimilis. Quin & vniuerſa caluaria à ſũmo & ab imo, parte exiguã exceptã, ſpongiã repræſentat, pleraque eſt caruncula ſimilis, madẽtiſq;, quæuè, ſi digitis teratur, in ſanguinẽ vertitur. Diſcurrunt etiã in oſſe venulæ tenues ſanguinis plenæ. Quod igitur ad duritiẽ, mollitudinẽ, & cauitatẽ, caluaria ſic ſe habet. Quod verò ad craſſitudinẽ & tenuitatẽ, ex vniuerſo caluariæ oſſe id tenuiſſimũ eſt & infirmiſſimũ, quod inter frontẽ & verticem eſt, idẽque pauciſſima & tenuiſſima carne tegitur. Hac etiam parte plurimũ cerebri ſubeſt. Quamobrem vbi vulnus & telum æquale ſit, vel etiam minus, ab hac parte magis colliditur, finditur ac deſidet: in quo caſu res magis ad interitum præcipitat, maiori negotio curatur, & vitatur mors, quàm cum id incidit qualibet aliã capitis parte. Ex pari itẽ vulnere, pari ictu, vbi alioquin plaga lethalis ſit, homo celerius moritur, cum hâc parte caluariæ percuſſus eſt, quàm cùm aliã quauis; quoniam cerebrum inter frontem & verticem celerrimè ac maximè ſentit id malum, quod accepit os & caro: ex cæteris os temporis infirmiſſimum eſt; quod maxilla in tempore cum caluaria committatur, & ſurſum ac deorſum moueatur articuli modo; quod iuxta ſit item, per quod facultas audiendi eſt, quod vena caua & valida per tempus tranſit. Ex vniuerſa caluaria id, quod poſt aures & verticem eſt, robuſtius eſt, & carne continetur copioſiore & altiore, quàm omne id, quòd à parte priore eſt. Quocirca, vbi vulnera ac tela paria ſimiliaq; omnino ſunt, atque homo æqualiter, vel etiã grauius percutitur hac parte caluaria minus finditur & colliditur. Ac ſi alioquin ex vulnere homini intereundum ſit, noxa in poſteriore parte exiſtente diutius trahitur; cùm os ob craſſitudinem diuturniore tempore pus contrahat, & inferius ad cerebrũ transfundat. Præterea hac parte minus cerebri ſubeſt, & plerique ex iis, qui poſteriore caluariæ parte vulnerantur, plures mortem euadunt, quàm ex iis, qui priori.* Hactenus Hippocrates.

Neq; ſolùm oſſa pro diuerſo ſitu: verùm ætatis etiam & temperamenti ratione differunt; & in aliã ætate & temperamento molliora, in alio duriora & ſolidiora ſunt, atque hinc facilius contunduntur & franguntur.

## *Signa Diagnoſtica.*

Signa hîc petuntur primò ab affectibus ſeu ſymptomatibus, quæ plagæ ſuperuenire ſtatim ſolẽt: ſecundò à cauſſis: tertiò ipſe ſenſus conſulendus. Primùm frontem quod attinet, caluaria ipſa, cum oſſea planè ſit, ſenſuſq; per ſe expers; neque dolorẽ, neque aliud graue ſymptoma excitare poteſt, ſed tantùm è membranarum & cerebri compreſſione, puncturã, lancinatione, grauia ſymptomata oboriri ſolent: de quibus Celſus, *lib. 8. cap. 4.* *Pertuſã*, inquit, *caluariã protinus requirendum eſt, num bilem vomuerit, num oculi eius obcæcati ſint, num obmutuerit, num per nares aureſuè ſanguis ei effluxerit, nũ conciderit, num ſine ſenſu quaſi dormiens iacuerit. Hæc enim non niſi oſſe fracto eueniunt.* Quibus addi poteſt oculorũ rubedo, vertigo tenebricoſa. Augetur ſuſpicio, ſi æger in percuſſionis actu ſtridoram quaſi fracti oſſis perceperit. De his ſunt aphoriſmi Hippocratis: *Quibus diuiſum eſt cerebrum, his febrem & bilioſum vomitum ſuperuenire neceſſe eſt*, 6.aphor. 50. *Quibus occaſione aliquã cerebrũ vehementer fuerit cõcuſſũ, mutos protinus fieri neceſſe eſt*, 8.aph.58. *Propter plagam in capite acceptã ſtupor & deſipientia, malum*, 7.aph.14. *Ab oſſis vulnere deſipientia, ſi in vacuum vſque penetrauerit.* 7.aphor.24. Quæ ſymptomata omnia eueniunt cerebro & eius mẽbranis affectis. Etenim cum cerebrum facultatis animalis ſedes ſit, & ab eo ſpiritus animales omnia ſenſus & motus

*Fracti crany ſigna & exploratio à ſymptomatibus.*

motus organa accipiant, si cerebrum comprimatur & concutiatur;& spiritus animalis motū turbari,eiusq; in organa sensus & motus influxum inhiberi necesse est, Hinc ex spirituū animali turbatione vertiginē,ex influxu ac motu denegato lapsū,&spontanei motus abolitionem,obcœcationem; obmutescentiam,stuporem, somnumque quasi profundum fieri necesse est.Atque vbi membranæ cerebri lancinantur,trahitur ventriculus in consensum, ob neruos sextæ coniugationis, atque facultas eius expultrix irritatur, vt primū ea,quæ in ipso continentur,deinde bilis (quæ ad motum aptissima, vesiculā fellis membranaceā eâdem de causâ in consensum tractā,facilè reiicitur.)euomantur.Et cum venæ & arteriæ ad cerebrum tendentes violenter rumpuntur, sanguis ex iis effunditur,qui interdū per os,aures,nares effluit.Signa tamen hæc etsi propria sint: non tamen semper sunt inseparabilia,atque accidere potest, vt etsi cranium fractum sit; nihil tamen istorum appareat: si scilicet fractura sit parua, caput robustum. Quædam etiam horum symptomatū statim inuadunt, vt subitus in terram lapsus,vertigo,caligo oculorum,biliosus vomitus, sanguis è naribus, auribus,palato fluens ἀφωνία; alia postea superueniunt, vt conuulsiones & epilesia, febris, delirium,torpor,paralysis,

*Ab ictus cōditione.* Ideóque etiam secundus fons signorum consulendus,& ictûs conditio perpendenda. In quo considerāda:Percutiens,capitis ictū recipientis dispositio,& instrumenti conditio.Inquirendum nimirum,an is,à quo percussus fuit æger,robustus vel imbecillis fuerit;num de industria,vel de improuiso,cū vehementia,vel obliquè ictum intulerit;num ex alto vel minus alto loco;nū ex propinquo,vel minus propinquo percusserit.Nam si qui vulnerat, est fortior,& de industria ac præmeditatus,aut ex loco altiore & rectà percutit,is grauius ferit, & os facilè rumpit,contundit,& intrò deprimit.Et qui ex loco altiore in rem duram cadentes impingunt, iis & facilè os rumpitur,& contunditur,& introcedit.Qui verò in loco plano cadit, & in rem minus duram impingit,cranium minus affligit.

*A subiecto.* In eius verò,qui percussus est,capite perpendendū, an debile & robustum sit,durum vel molle,sanum,antequā percuteretur,vel morbosum fuerit;an æger sit senex,vel iuuenis;item:quā parte vulnus inflictum sit,& inde de læsionis vehementia coniectandum, vt modò in caussis dictum fuit.

Instrumentum tandem considerandum,an nimirum lapide,ligno,ferro,telo percussus sit, & an telum leue vel graue, acutum vel obtusum,durum vel minus durum,æquale vel asperum fuerit. Tela enim rotunda, orbiculata,& plana,obtusa,dura,grauia cranium maximè rumpunt,contundunt,& intrò deprimūnt.Tela verò oblonga,tenuia, acuta,& leuia magis secant,quàm contundunt.

*Per visum.* Tertiò sensus ipse,fidelissimus testis, fracturas detegit,& hîc Hippocrates iubet,vt Medicus,antequā quid tentetur,quò ægrū & astantes sibi confidentiores reddat,primò capillos cōsideret.Si enim hi telo sunt dissecti,& in vulnere ipso continentur,ossis denudati & læsi signū id esse docet.Etenim à lapide,vel alio telo cadente proiecto,si extremitas eius in angulū acutū abiecerit,pili sæpe & conscinduntur,& in ipsam ossis substantiā impinguntur:vt citra rimę abrasionē euelli non possint.Deinde vulneris conditio attendenda. Nam si vulnus longū sit in syncipite,quia ibi cutis est tenuis,& os rotundum,de cranij fractura meritò suspicio suboritur.In temporibus verò etsi vulnus sit longius, tamen quia os ibi depressum & planum est,& caro multa, os ibi fractum esse,non ita facilè suspiciandum.

*Per specillū.* Verùm certior explorandi modus est per specillum. Itaq;quà plaga est,specillum immittere oportet,neque nimis tenue & acutum,ne, cùm in naturalem quandā foueam inciderit, opinionem fracti ossis frustra exhibeat;neque nimis crassum,ne exiguæ rimulæ fallāt.Vbi specillum os attigit,si nihil asperum, sed omnia leuia apparent,integrum os habetur Si verò eò loci extra suturas asperi quid occurrat,fractū os esse indicio est.Sutura verò,quæ & ipsa aspera est,fallere potest,& pro rima haberi.Et quāmuis suturæ plerumque naturalē suū locum habeant:tamen cùm is non sēper sit ita planè certus,ne fallamur,& suturā pro rimā,vel cōtra habeamus, tutissimum est,os nudare,& plagā diligenter explorare.Verùm si in ipsis suturis sit vulnus,longè difficilimum est fissuram cognoscere,vt pluribus Hippocr. *lib.de vulnerib.capit.*& suo exemplo,qui,*l.5. epidem.* se hoc modo deceptum,idque cum vulnerati pernicie,ingenuè fatetur. Suturarum enim loco cranium naturâ suâ fissum est: Itaque si his locis leuior inciderit fissura,facilè pro naturali suturæ fissurâ plaga habetur, seu visu,seu specillo id explores. Ideoque diligenter omnia animaduertere oportet,& teli conditionem attendere; cum à simili telo,eiusdemque magnitudinis,aut etiam minori ictu,atque graui;vel etiam leuiori,multò magis homo læditur,si telum suturas attigerit,quàm si alias partes.

*Per atramētū scriptoriū.* Celsus specillo contentus non est,& licet nec minima rima appareat:tamen si ex tali,vel ictus conditione,& symptomatibus superuenietibus de fractura cranij suspicio sit, ossi atramentum scriptorium (quod ex sola galla fieri potest, si vitrioli acrimonia metuatur) medicamento mistum inducere iubet; & postea os radere.Quod enim fissum est,quia nigrum colorem in se recipit,nigrum manet,reliquum album naturalem colorem rasurâ acquirit.

Hanc autem fissuram hoc modo deprehensam porrò secundum profunditatem radere oportet.Si enim rasione nigredo omnis eximitur,indicio est,fissurā minorē esse;si verò deleri non potest,ad profundiora peruenit. Quæ ex Hippocrate mutuatus est Celsus.*lib.8. cap.4.* qui vult,vt primò ossi nigrum aliquod medicamētum imponatur;secundò linteum oleo imbutum supra extēdatur;tertiò cataplasma ex maza superponatur, & postridie,resoluto vulnere,caluaria radatur,Nonnulli hoc modo fracturam explorant:

℞. *Thuris,ladani,ceræ*,an.Vnc.iiij.*terebinthinæ,farinæ fabarum*,an. Vnc ij.

Omnia simul imponantur.Si postridie aliquo in loco medicamentum fuit exsiccatum, ibi fracturam esse censent.Alij hoc imponunt:

℞.*Ceræ nouæ flauæ,thuris,santali*,an.℥.ij.*terebinthinæ, aceti,farinæ fabarum*, an. Vnc.j. Misc. ad ignem. Fiat Emplastrum.

Fallopius scribit,eò loci,vbi cranium contusum est, quasdam maculas,seu puncta alba,instar eorum,quæ in vnguibus apparent,conspici. Os enim contusum post duos vel tres dies adhuc viuit & nutritur:post tertium autem diem sanguis,qui in partibus contusis est,exhalat,ideóque cessat rubedo.

His addiderunt alij & alia.Iubent nimirū,vt æger filum vel funiculū dētibus apprehensum alterā extremitate teneat,alterā verò Chirurgus eū fortiter intēdat,& intentum manu percutiat;aut vt aliquid, quod durum est,frangi tamē facilè non potest,dentibus frangere conetur. (Hippocrates, *in Coacis*,caulem asphodeli, vel ferulam masticare iubet. Videatur Duretus in Coacis, *l.3.tract.2.aph.6.*) Dum enim hoc modo vel funiculus percutitur, vel in frangenda dentibus re dura laborat æger, ipsum facilè locū affectum & cranij partem fractam deprehensurum,atque ibi stridorem, vel strepitū percepturum existimant.Scribit tamē Ambros. Paræus, *lib.9.cap.2.*etsi vtrumque sæpius tentauerit,signorum tamen horum veritatem experientia comprobare non potuisse.

*Signa contrafissuræ.* Signa verò Infortunij ab Hippocrate appellati, seu cōtrafissuræ quod attinet,si quis grauiter percussus,vel lapsus sit,& symptomata suprà enumerata adsint,rima tamen nulla in parte læsa appareat; in parte vicina vel opposita

oppofita diligenter inquirendum. Etenimin aliis partibus vulnus cicatrice obducitur, in ea verò, in qua eft latens fractura,nullo modo: caro quoque ibi mollior, tumidior, & flaccidior apparet; fanies, quæ è vulnere effluit, copiofior eft, quàm pro vulneris magnitudine. Per interualla febricula quædam percipitur; & fi ftylus immittatur, cutis à cranio feparata reperitur. Imò, etfi cutis fub loco fracto integra fit: tamen fi rafo diligenter capiti emplaftrum ex pice,cùm liquida, tum nigra, cera, terebinthina, puluere ireos & mastiches imponatur;locus cutis,in quo fractura eft,humidior & mollior apparet:æger etiam nihil tale cogitans cogitur fubinde manus ei cranij parti admouere.

An autem vtraque lamina cranij fiffa fit, vel externa folùm,hoc modo præter rafuram deprehenditur:Primò æger ore ac naribus obturatis fpiritum comprimat; fi vtraque lamina eft fiffa & fracta, humor, vel fpiritus cum ipfo mixtus per rimam egreditur; quod tamen in offe nudo faltem locum habet. In tecto verò ex auditu id cognofcitur, cum mandendo fortiter ftrepitus exauditur,vtraque offis parte diuisâ.

Deinde iubent, vt puluis mastiches albumine oui excipiatur, & in linteo extenfus rimæ applicetur. Si enim poftridie medicamentum ea parte, quâ rima eft, fit magis, quàm alibi, ficcum, indicio eft, rimam ad membranas cerebri penetrare;cum calor expirans medicamentum ficcet.Si non penetrat, etiam tale nihil adeft. Tandem fi,vt dictum, atramentum fcriptorium rimæ illinatur, & cranium abradatur, quamdiu nigredo apparet, facilè, quoufque rima penetrat, deprehenditur.

Si dura mater fit vulnerata, aut ab aliquo officuli fragmento pungatur,præter bilis vomitum, cafum,occæcationem, vertiginem, torpor accidit, mens non conftat, neruorum refolutio, vel conuulfio fequitur,febris adeft continua. Videatur etiam Celfus,*lib.5. cap.26.*

### *Prognoftica.*

*Fracturarum cranij prognoftica.*

1. Si cranium quocunque modo læfum fit,periculo non vacat,nec contemni vulnus debet; etiam vbi omnia bene fefe habere videntur. Scribitque Ambrof. Paræus, *lib.9. cap.13.* & à veteribus proditum, & experientiâ confirmatum effe, in cranij fractura neminem extra periculum pofitum cenferi debere, nifi poft exactum diem centefimum:quod & Hippocrates,*in proœmio libr.de vulnerib.capitis*,monuit. Minus tamen periculi eft,fi externa faltem tabula læfa fit;& minus adhuc, fi incifa folùm: contufio verò maius periculum coniunctum habet.

2. Si verò vtraque lamina diuifa fit, & tota caluaria aperta, maius periculum adeft. Minus tamen periculi eft,fi fedes fit,aut fiffura lata & ampla: maius, fi fit augufta; adhuc maius,fi fit contufio & rima; & præcipuè fi fit rima angufta;maximum,fi rima fit in alia parte ab ea, quæ ictum excepit. Etenim etfi rima fæpe fit tam angufta,vt fenfum exiguitate fallat: tamen pluribus mortis cauffa fuit, tefte Ægineta; cuius rei hiftoriam recitat Valleriola, *in appendic. loc. comm. cap.15.* Quanquam non tam ob rimam ipfam,quàm ob fanguinem fupra cerebrum effufum ægri periclitentur. Periculúmque auget, fi non conftet, qua in parte fractura fit, & quod fæpe offe extra integro, nihilominus offis aliquod fragmentum ab interna tabula feparatum fit, quod dum membranas pungit,grauiffimorum fymptomatum,& fæpe mortis cauffa eft.

3. Maius adhuc periculum eft, fi præter cranium & dura mater;maximum fi fimul tenuis membrana & cerebrum læfa fint:& quò vulnus profundius penetrat,eò periculofius eft.

4. Vt autem hæc clarius pateant,& quantum periculi quodque vulnus habeat, appareat, aëris ambientis conditio & regio,locus vulneris,vulneris conditio,capitis difpofitio,& ea, quæ fuperueniunt, fymptomata confideranda.Et aërem quidem quod attinet;æftate capitis vulnera funt periculofiora, propter inflammationis imminentis metum: hyeme quidem etiam, ob frigus;quod tamen aëre igne temperato facilè euitari poteft. Et fi homini ex vulnere moriendum eft, hyeme, quàm æftate viuet diutius. Calor enim tempore hyberno vegetior eft, ac æftate humores citius incalefcunt,& putredinem concipiunt.

5. In humida regione plus periclitantur ægri,quàm in ficca, cum cerebrum ab humidis facilè offendatur. Hinc in nonnullis regionibus vulnera capitis etiam à Chirurgis non fatis peritis feliciter curantur; id quod fæpe in Germania accidit. In aliis verò etiam à peritiffimis Chirurgis tractata ferè omnia funt lethalia: id quod Neapoli, Florentiæ, & Bononiæ accidere folet. Fracturæ etiam,& vulnera capitis in plenilunio inflicta periculofiora funt;cùm tum corpus & caput magis humoribus abundet.

6. Vulnus quò cerebro vicinius,eò periculofius: & ex cerebro vulnerato maius,quàm ex vllâ capitis parte, periculum imminet.

7. In occultis rimis & contufionibus etiam non parum periculi affert, quod, quæ inter duas tabulas eft medulla compreffa,aliquid fanguis effundit,qui eò loci putrefcens, offis inflammationem & corruptionem affert, vt interdum non folùm aliquot poft acceptum ictum feptimanis,fed & menfibus,nihil malè fufpicans æger moriatur:cuius rei notabile exemplum habet Petrus Pavv,*in comm.in.lib.Hippocrat.de vulner. capit.* de quodam,poculo ftanneo in capite percuffo,in quo nihil fiffi deprehenfum eft; confolidatóque vulnere æger bene fe habere perfuafum habens,poft decimum menfem inter deambulandum vertigine correptus concidit, neque diu pòft obiit.Aperto cranio deprehenfum eft,os loco ictus planè computruiffe, & meningem in confenfum traxiffe.

8. Vulnera in fyncipite & bregmate valde periculofa funt.Nam os illud debilius & tenuiffimum eft,carne tegitur pauciffima,& cerebrum eò loci copiofius;vt Hippocrates, *libr.de vulnerib.cap.* habet.Reuerà tamen cerebrum hoc loco,quàm alio,magis abundare non videtur:fed hîc magis arcuatur & attollitur,vt conuexam cranij partem repleat, (quod forfan etiam intellexit Hippocrates)vicinius etiam eft cranio, ac proinde hoc loco facilius, quàm aliis, ab externa violentia lædi poteft,Præterea quocunque modo æger decumbat, faniei non datur commodus effluxus. In pofteriore capitis parte vulnera fe contrario modo habent;quia ibi os eft firmius.Quæ in anteriore funt parte, medio modo fefe habent,cæteris paribus. Licet enim & ibi cerebrum fit copiofum, os tamen fatis craffum eft, & præterea viæ adfunt expurgandæ materiæ per nares & aures. Ideóque etfi tela æqualia funt,& vis æqualis:tamen femper grauius afficitur os capitis anterius, quàm occiput. Et vulnerato occipite plures euadunt,quàm in aliis capitis partibus.Et fi ex occipitis vulnere homini moriendum eft,vitam diutius trahit. Nam propter offis craffitiem noxa tardius cerebro communicatur, & longiore interuallo pus generatur & colligitur.

9. Sicut ipfius offis læfi ratione nulla periculofiora funt vulnera, quàm quæ bregmati infliguntur: ita in temporibus vulnera valde periculofa funt,ob mufculos temporales, in quibus venæ, arteriæ, & nerui diffeminantur, quibus arctè cerebro tempora connectuntur; & propterea iis læfis hæmorrhagia, conuulfiones, deliria, carus, & alia fymptomata accidunt. Neque propter mufculos os ibi commodè nudari & fecari poteft. Quibus accedit, quod maxillæ inferiori detrimentum affertur, eiúfque motus impeditur, ob læfum temporalem mufculum,qui maxillæ motui addictus eft; & auditus organo vicino damnum facilè afferre poteft. Videatur

deatur historia huius rei apud Guilelm. Fabricium, *cent.2.obseru.8.*

10. Sunt quoque vulnera periculosa in suturis, cùm propter cranij eo loci imbecillitatem, tum propter duram meningem, quæ fibris ibi annectitur. Et sanies per suturas e vulnere facilè in duram matrem destillat.

11. Minus periculosum vulnus est, quod cæsim factum; magis, quod punctim; maximè, quod cum contusione. Contundentia enim præterquam, quod osse depresso cauitates cerebri comprimunt, etiam complura alia mala inferunt, quæ ob cutis integritatem oculis non sunt obuia; qualia sunt, totius medullaris cerebri substantiæ concussio, squammulæ alicuius ex cranij interna parte,membranas cerebri pungentis abscessus, ruptio denique nerui alicuius molliusculi, vel venæ,vel arteriæ.

12. Rima quò latior est, & statim primis diebus apparet,eò minus periculosa: angustæ verò rimæ, & quæ non apparent, magis periculosæ sunt. Etsi externa saltem lamina findatur, rima periculo vacat: periculosum verò est,vbi vtraque lamina fissa est; cum sanies tum in duram matrem decidere possit: periculosissimum est, si solùm interna lamina findatur; cum rima illa lateat, & in conspectum non veniat; præcipuè si festuca aliqua membranas pungat. Valde etiam periculosa est fissura,si cum depressione coniuncta sit, & ossis pars auulsa subiectum cerebrum premat. Periculosissimum vulnus est, si rima in aliâ parte sit, quàm quâ percussa est, & vas aliquod intus in parte aliqua, quam ignoramus, rumpatur.

13. Periculosæ etiam sunt cranij depressiones,& sæpe neglectæ mortem afferunt;cuius rei exempla annotauit Guilhelm. Fabricius, *cen.2.obs.3.* vbi etiam rectè Felicem VVirtz refutat, qui in sua Chirurgia, *cap.* 7. statuit, non multùm laborandum in cranio depresso eleuando,sed negotium totum naturæ committendum esse,& parùm referre, etiamsi fouea remaneat.Etsi enim in infantium & mollioribus capitibus hoc locum habere possit,& idoneis emplastris adhibitis, vt supra dictum,cranium naturâ coopitulante restituatur: tamen in siccioribus & durioribus ossibus omnino eleuatione cranij opus est. Spatium enim inter cranium & membranam est satis exiguum, vt eo depresso & cerebrum lædi, & motus eius impediri possit. Imò etsi ab initio grauiora symptomata non superueniant: tamen curatione neglectâ, & cranio depresso incuruato manente,stupiditas ingenij incurabilis sequi potest: vt id obseruatione peculiari docuit Guilelm.Fabricius, *cent. 3.obseru.*21.

14. Maius adhuc periculum est, si præter cranium etiam dura membrana,quacunque sui parte, præcipuè autem mediâ capitis parte, vbi sinum illum sanguine refertissimum(torcular vocant)constituit, læditur;quo loco sauciata omnem illam intercapedinem, quæ inter cerebrum & duram matrem interiacet, adimplet, cum præsentaneo mortis periculo.

15. An autem ex vulnere cerebri conualiturus sit æger, ex virtutis robore, & morbi vehementia diiudicandum.Si enim naturæ robur sit magnum,& calor innatus sese rectè habeat, sæpe etiam periculosa capitis vulnera præter spem sanantur: contrà vbi vires deficiunt,& calor est imbecillis,malum est indicium, præsertim si praua symptomata statim accedant. Et quò pars, quæ læditur, est nobilior, & quò læsio maior, eò vulnus periculosius est.

16. Quò caput, vel naturâ, vel ex morbo, vel ex ætate, est debilius, eò vulnus est periculosius. Hinc in senibus vulnera capitis sunt periculosiora;minus iuuenes & mediæ ætatis periclitantur.Nam & calor in senibus est debilior;sanguisque minùs laudabilis,& serosus minus aptam vnioni & adglutinationi materiam præbet.Infantes verò,& pueri,etsi ossa habent molliora,& sanguine bono humentia; ac propterea ex sese facilius sanantur: superuenienientium tamen symptomatum ratione, & quod putredo in corpore calido ac humido facilè excitatur, satis suspecta sunt.

17. Si caput destillationibus obnoxium, aut æger erysypelata in capite pati soleat, aut corpus lue Venereâ infectum,aut omnino cacochymicum sit,aut hecticâ febre,vel tabe,vel alio morbo consumptum; vulnus periculo non vacat. Cum enim ad vulnus vniendum naturæ robur, & bonus sanguis requiratur; vtrumque deest in hecticis, & morbo vel tabe consumptis; bonus verò sanguis in cacochymicis. Periculosum etiam est,si quis in capite post Veneris actum vulneretur.

18. Symptomata quod attinet, duo eorum genera sequi solent: vnum eorum, quæ affectûs cerebri substantiæ, & partium vicinarum sequuntur, qualia sunt, conuulsio,paralysis,delirium,sopor,stupor,febris, & similia, quæ in toto apparent;alterum eorum,quæ ob repentinam spirituum animalium agitationem,turbationem, & dissipationem proueniunt, qualia sunt voce priuari,non videre,non audire.A quibus symptomatibus aliquando ad se redeunt ægri, sine vllis grauibus symptomatibus superuenientibus; quando scilicet nec cranium fractum,nec neruus,venæ, aut membrana aliqua cerebri rupta est: aliquando verò ad se non redeunt, vel si ad se redierint, in grauissima symptomata incidunt; vbi nimirum partium harum aliqua læsa est.

19. Itaque quæ initio vulneratis accidunt symptomata,minus terrere debent,quam quæ perseuerant,vel postea superueniunt. Cum enim fiant saltem ob dolorem,hæmorrhagiam, aut spirituum animalium turbationem, lethale vulnus nón significant. Quæ verò vel permanent,vel quarto, septimo die, aut deinceps, quo tempore omnia in melius mutari oportebat, accidunt, periculum portendunt,& saniei collectionem,putredinem,vel simile quid adesse significant.

20. Si nullum prauum symptoma adsit,vulnus quidem periculosum dicendum est, non tamen lethale, modò Medicus & ægro adstantes singuli suum officium faciant.Et quod de aliis morbis acutis dicitur, id & hîc locum habet.Si æger quiescat, mente constet, somnum capiat, facilè spiret, siti non vrgeatur, cibum non fastidiat, non doleat; si febris absit, vel desierit, pus album sit,leue,æquale,non fœtidi odoris,conuenientis quantitatis; si ægri facies sit similis bene valentis, & sui potissimum;si membrana sit mollis,sui coloris,liberè moueatur,caro increscens rubicunda,ac ceruicis & maxillæ quietus & facilis motus:bene præsagire licet, etsi vulnus magnum sit.

21. Si per vulnerum capitis initia febris oboriatur quarto,aut septimo die,id à puris generatione fieri putandum est, nec adeò periculosum est. Dum enim pus fit,dolores,ac febres accidunt, 2. *aphor.*47. Si verò post septimum,& eo tempore,quo iam terminari debet,incidat, periculosum; cum putredinis in cerebro, meningibus, aut cranio sit indicium: præcipuè si alia etiam adsint signa, quæ putredinem adesse simul attestentur, vt pallidus & subflauus vulneris color. Perpendendum tamen hîc,an febris sit ab erysipelate:tum enim minus periculum coniunctum. Cognoscitur autem ab erysipelate, & biliosæ materiæ confluxu febrem ortam esse, si cum rigore inuadat, tertianæ typum obseruet, atque sudore terminetur paroxysmus; si vulneris labia subtumida sint, vnâque tota facies; si ceruix & maxilla adeò rigeant,vt vix caput moueri,& os deduci possit;si mordicans & pungens dolor, & calor maior, quàm ab inflammatione.

22. Si vulnus aridum & siccum, salitarum carnium instar,appareat,& vulneris labia depressa,& non tumida sint, nihilque saniei vulnus emittat, & liuidum ac citrinum appareat,periculosum est.In vulneribus enim magnis,

magnis,si tumores non superueniant,malum: Hippocrates, 5.*aphor.66*.

23. Si capitis vulneri tumor superueniens statim euanescat,malum:nisi fiat id ob euacuationem aliquam per purgationem, phlebotomiam, aut resolutionem: Hippocr.5.*aphor.56*.

24. Si os initio nigrum euadat,mors prædicenda & timenda.

25. Propter plagam in capite acceptam stupor aut desipientia,malum,7.*aphor.14*.

26. Si os purulentum euadit, & pustulæ per linguam exoriuntur, linguáque præ siccitate finditur & denigratur, ex acris saniei per palati foramina in linguam delapsu,rarò euadunt ægri.

27. Si æger delirat,si memoria aboletur,si lingua est incontinens, si caligant & obscurantur oculi, si aures obsurdescunt, si æger in lecto iacet immobilis, vel ex eo se præcipitem vult dare, si vrina & alui excrementa supprimuntur,si paralysis aut conuulsio accedit:omnia ista vulnus lethale indicant.

28. In omnibus capitis partibus facilè caro regeneratur & inducitur, exceptâ frontis eâ parte, quæ paulum est super interstitium superciliorum; vt interdum per omnem ætatem vlcus ibi maneat. Est enim eò loci cauitas, quæ ad nasi cribrosa ossa pertingit, & excrementa, quæ alioquin per nares & oculos efferuntur,eò confluunt: Ambros.Paræus *lib.9. cap.12*.

29. Vrinæ quoque perturbatæ,quales iumentorum, cùm maximam humorum corruptionem ostendant;nec non albæ & perspicuæ,vtpote bilis flauæ ad caput motum significantes, periculosæ sunt. Obseruauit etiam Ioh.Andr.à Cruce,vt, *tract.2. de vuln.lib.1.c.5*. refert, eos, quibus diarrhæa, dysenteria sponte superuenerit, ferè omnes periclitatos fuisse; ac quàm plures etiam, qui pollutione vexantur.

### *Curatio.*

*Cranij fracti curatio.* Si cranium læsum sit, quocunque etiam modo, corpus euacuandum,in corporibus plethoricis & cacochymicis. In eiusmodi enim corporibus etiam quæ leuia sunt vulnera, ob humorum copiam praua attrahunt symptomata; multò magis verò id accidit in magnis. Imò in omnibus vulneribus capitis euacuatio necessaria est, in quibus sectione, dilatatione, ossis abrasione opus est, & caussa adest, ob quam affluxus humorum meruatur.

Ideóque primùm, & protinus primâ die vena aperienda,cephalica vel communis,modò vires id permittant; vt affluxus tenuioris sanguinis ad caput impediatur, & sanguinis tantum euacuandum, quantum eius copia requirit, & vires ferunt, & prout ex vulnere parcè vel copiosè effluxit; aut si venam aperire non liceat, cucurbitæ scarificatæ dorso applicentur, & scapulis,vel etiam lumbis.

Deinde corpus euacuandum medicamentis idoneis,& inprimis bilem ac serum,quæ, vt mobiliora, facilè ad caput feruntur,purgantibus;plurimumque omnino vtilitatis in vulneribus capitis purgatio rectè instituta habet.Conueniunt hîc syrup.rosar. & violar. solutiuus,pulpa tamarindor. myrobolani;præsertim citrinæ,infusæ vel decoctæ;cùm humorum ad caput motum impediant, & caput roborent. Neque inutile est rhabarb.(alioquin quidem vaporosum,& capitis affectibus minus commodum)infusum in decocto myrobolan.citrinar.& admisto syrupo rosarum solutiuo,vel pulpâ tamarindorum.

Vel iniiciatur hîc Clyster:

℞.*Rad.pœon*.Vnc.i.*parietar.maluæ,althéæ,betonic*.an. M.i. *sem.pœoniæ*, Drach.ii.*flor. borragin*. P.ii. Coquantur in aq.s.mpl.

Colat. ℞. ℔.i. *elect.diacathol.Indi maioris*,ana ℥.vi. *olei lilior.alborum* Vnc.ii.*rutacei,mellis anthosati*,an.℥.i. *salis* Drach.ß.F.Clyster.

Non tamen medicamenta purgantia sint nimis lenia; cum ob humorum ad caput motum in vulneribus capitis aluus plerumque adstricta sit. Ideóque syrupo rosarum vel violarum solutiuo, & lenibus istis medicamentis in robustioribus ℥. i. vel ℥. ii. electuarij rosati Mesuæ,vel de succo rosarum addere vtile est,cum aqua vel decocto cichorei.

Clysteres quoque sæpius repetere conuenit, vt vapores à capite reuellantur.

Exhibenda præterea biliosos humores alterantia, & quæ calidorum vaporum ad caput motum impediunt, capútque roborant, vt *syr. rosar. myrtinus, de endiuia, granatorum,de betonica*,quæ simul serum sanguinis subducit, vrinámque mouet, *cum aquis vel decocto hordei, betonicæ, cichorij, plantaginis, conserua item rosarum*.

Ipsum verò vulnus quod attinet,potest,vt ex superioribus patet,id variis modis fieri. Si enim vulnus fiat ab instrumento incidente, vel pungente, non potest cranium lædi, nisi cum vulnere cutis:si verò à contundente,potest id fieri etiam sine cutis capitis vulnere, & cum eo:potest quoque vulnus vtramque laminam penetrare, vel alteram tantùm. De his ergo ordine dicendum.

Et primò quidem si cutis vulnerata sit, & satis pateat,labiáque,quantum opus, diduci possint, sectione nulla opus est; sed aut digito,aut vnguibus,aut instrumento obtusam aciem ex altera parte habente membrana ab osse diuellenda,sic,vt labia æqualiter,& quantum satis,distent.

Si verò cutis non satis pateat, latius aperienda, donec fissura tota in conspectum veniat: & inprimis hîc cauendum, ne quid de pericranio integrum relinquatur. Terebrâ enim vel scalpello postea laceratum dolores & inflammationem excitat,& malum facilè cerebro communicat. In pericranij autem sectione id monendum, tunc eam solùm tentandam, cum suspicio est læsi cranij,aut insignis est contusio, sanguinem concretum continens. Aliàs verò non sine causâ doloribus affligi æger debet. In pueris etiam non facilè hæc sectio tentanda, & sanguis profusione ac dolore vires ea ætate debiles deiiciendæ; sed potius opera danda, vt conuenientibus topicis materia discutiatur. *Pericranij sectio.*

Sectio verò cutis ea plerunque commodissima est, si Chirurgi operâ fieri debet,(Nam quæ ex vulnere est, necessariò talem habemus,qualem accipimus)quæ duabus transuersis lineis crucis, siue litteræ X. figuram exprimit;præsertim cum fractura aut depressio magna est. Aliàs hæc sectio non semper necessaria est,sed etiam rectam à latere vulneris, versus ipsum vulnus, ita vt anguli recti constituantur, ex linea recta ducta supra rectam, inprimis si vulnus sit rectum vel oblongum, instituere licet,hoc modo: ⊣ vel trigonam ⋖.Sanguinis postea fluxui & dolori succurrendum linamentis vel albumine oui,vel vino austero madidis. *Sectio cutis capitis quo modo instituenda.*

In sectione autem musculi temporales vitandi,quantum fieri potest;cùm & neruosissimi sint, & cerebro vicini,& inflammationes,deliria, & conuulsiones afferre soleant.Vitandæ quoque sunt suturæ; cùm eò loci fibræ duræ matris pertranseant:& ad latera suturarum sectio facienda.Scribit tamen Iohannes Andr. à Cruce, *tract. 2. de vulner.lib.1.c.11*.se necessitate cogente,& in temporibus, & in suturis felici euentu sæpe sectiones molitum esse;statuítque consultius esse, aliquid nonnullâ cum fiduciâ,vel cum periculo facere:secutúsque est hac in re Celsum,qui scribit, vrgente necessitate, & si accidentium magnitudo impellat,etiam temporum incisionem faciendam,sed iuxta villorum progressum.

In vulnere etiam frontis cauendum, ne sectio fiat per transuersum.Etenim si musculus,qui palpebram attollit, per transuersum secetur, palpebra decidit, nec oculus

oculus aperiri potest; atque hoc modo visio læditur: sed sectio à parte inferiore sursum versus facienda. Neque etiam sectio nimis ampla facienda; non solùm quia turpitudo ex cicatrice maiore oritur, sed pars denudata etiam imbecilla redditur. Ideóque tanta solùm, quanta ad plagam detegendam opus est, sectio facienda.

Hinc ad os læsum accedendum. Cum verò cranium variis modis lædi possit, vt supra dictum, de iis ordine dicemus;

### *Et primò de fissura, in qua externa solùm lamina læsa, internâ integrâ manente.*

*Fissura cranij in externa solùm lamina.*

Fracturâ detectâ & denudatâ, scalpro, seu plano, seu incuruo, seu cauo os deradendum, quamdiu vestigium aliquod fracturæ apparet: de quo In Institut. *lib.5. part. 1. sect. 2. cap.* 8. dictum. Quia enim in rima necessariò aliqua sanies colligitur, quæ è superpositis partibus defluit, & os atque subiectam membranam facilè corrumpere potest; derasione ossis eiusmodi saniei collectio impeditur. Deinde quia labia in osse plerumque inæqualia & aspera sunt, ac dolorem pariunt, neque caro cum iis facilè vnitur; asperitas omnis deradendo tollitur. Tertiò etiam in cognitionem fracturæ peruenimus, & quàm profunda sit, radendo cognoscimus.

Vt autem de profunditate fissuræ certius constet, primò super os aliquod nigri coloris medicamentum liquidum, vel atramentum scriptorium imponendum, ac vulnus siccis linamentis implendum, & cataplasma dolorem leniens imponendum; postridie soluto & purgato vulnere os deradendum. Tum enim fissura, quæ nigrum medicamentum in se suscepit, nigra apparet, os verò reliquum album. Os ergo tamdiu, vel vnâ vice, vel pluribus vicibus deradendum, donec tota rima aboleatur, & os totum album appareat, & sanguis instar lacrymarum extillare incipiat.

*Cranium in fractura quomodo radendum.*

Non tamen sine caussa quis hic dubitare posset, an opus sit (præcipuè in nostris regionibus, in quibus capitis vulnera non ita periculosa sunt, vt in multis locis in Italia) ita curiosè semper fracturas rimari; præcipuè non penetrãtes, & tam accuratè radere. Si enim, vt postea dicetur, Galenus, *6. meth. med. cap. 6.* rectè monet, & ipsa experientia confirmat, fragmenta ossium longius excurrentia vsque ad finem prosequenda non esse; cùm nulla inde noxa sequatur, & tales ossium rimas natura sponte, vt in aliis ossium fracturis, consolidare soleat: cur non etiam in his fracturis, vbi non totum cranium, sed superior saltem lamina fracta est, idem fieri possit? Vid. *quæst. 3. cap. frequent.*

Figuræ scalprorum videantur apud Iohan. Andr. à Cruce, & Ambros. Paræum, *lib. 9. cap.* 4.

Antequam autem os radere incipimus, vulnerati aures aut lanâ, aut gossypio, aut carptis linamentis obturandæ sunt, ne ex rasurâ molestiam aut strepitum æger percipiat: ægri quoque caput ab astantibus immobile tenendum. Dum verò raditur, vulneris labia puris linamentis munienda, ne à scalpro vel aere lædantur.

Scalptum verò, ne attritu longo incalescat, & os inflammet; vel in oleum rosaceum, vel aquam rosaceam sæpius immittere, vel, quod commodiùs, immutare oportet; cum aliàs etiam scalpra permutanda sint. Ideóque scalpella & numero multa, & magnitudine differentia in promptu habere oportet.

Post rasuram, & ossis & cutis vulneratæ ratio habenda. Etsi verò & regeneratio partis deficientis, & rimæ, & cutis coalitus naturæ opus sit: adiuuanda tamen ea medicamentis. Et primò quidem pulueres cephalici supra propositi imponendi, nec pingue quid cranio imponendum. Delectus tamen hîc medicamentorum habendus. In vulnere enim exiguo, & corpore humidiore & molliore, sufficit thus: in maiore & ficciore, manna thuris vsurpanda: si vulnus sit sordidum, & corpus valde siccum, myrrha, & alia valentius siccantia vsurpanda. Et tempore quidem frigido calida vsurpanda; iris, aristolochia: tempore verò æstiuo sanguis Draconis, cornu cerui. Supra os pulueres, linamenta sicca imponenda: (quæ etiam in principio, si pulueres illi non in promptu sint, semper cranio imponenda) supra linamenta verò tandem digestiua vnguenta dicta, cutis & labiorum vulneris gratiâ, applicanda; inprimis verò in capitis vulneribus laudatur resina abietina cum modico oleo rosaceo: & sunt suprà etiam talia proposita.

Vt verò post rasionem inflammatio aliqua non excitetur, interdum anodynis vti oportet, & proinde partes circa vulnus oleo rosaceo calido fouere: deinde linteum vino calido, in quo rosæ & betonica cocta sint, madidum imponendum, quod totam partem oleo inunctam complectatur. Aut, si inflammatio iam immineat, cataplasma ex farina hordei & rosis cum posca imponendum. Apparente iam pure ad detergendum vnâ & alterâ vice melle rosaceo, vel solo, vel cum dicto vnguento misto, vtendum, prout puris maior vel minor copia est. Nam si copiosum sit pus, solo melle rosaceo vtendum. Vulnere deterso sarcoticum medicamentum supra pulueres imponendum, vt vnguentum Basilic. de betonica, de matrisyluiâ.

Tandem vulnere carne repleto, vel siccis linamentis, vel emplastro diapalma, vel alio conuenienti cicatrix inducenda.

### *Curatio fracturæ Cranij, quæ vtramque laminam penetrat, sine tamen membranarum læsione.*

*Fractura cranij lamina vtriusq.*

Si verò maior sit cranij læsio, quàm vt extrema solùm lamina fissa sit, videndum, qualis sit fractura. Potest enim tantùm esse fissura, vel simul ossis depressio & fractura; vel etiam contusio. Si sit simplex vtriusque laminæ fissura, sed sine membranarum & cerebri læsione, curanda est vt mox dicetur. Si v. cranium simul depressum sit, eleuandum, vt in Institut. *lib. 5. part. 1. sect. 2. c. 5.* dictum, & Ambr. Paræus, *lib. 9. c. 5.* tradit. Si ossis aliquid effractum, & in multas testas defractum sit, & ita auulsum, vt facilè eximi possit, forcipe vel volsellà extrahendum: si pertinacius autem adhæreat; & præcipuè si membranas pungat, vel premat, vectibus, forcipibus excisoriis, scalpris eximendum: de quibus Paræus, *lib. 9. cap. 6.*

In ossibus tamen extrahendis nulla violentia adhibenda; sed si extractioni resistant, opus totum naturæ committendum; (modò ab iis membranæ non lædantur) quæ id, quod instrumentis nullis consequi licet, facilè suo tempore expedit. Multò minus cranij pars, quæ cuti vel pericranio adhuc cohæret, (etsi à reliquo cranio auulsa sit) extrahenda, & cerebrum ac membranæ eius, suo tegumento spoliata, nuda relinquenda, sed suo loco restituenda, & naturæ negotium committendum; quæ ipsa vel separabit, vel reliquis ea agglutinabit. Vt Paræus, *lib. 9. cap. 7.* monet, & historia curationis comprobat.

*A fractura cranij quæ pericula immineant.*

Si verò simplex rima sit, sed sine cerebri & membranarum læsione, ita curatio instituenda. Duo pericula hîc præcipuè imminent. Primum est, quod sanies ad duram matrem destillat. Cum enim ex fractura os debile effectum sit, alimentum affluens debito modo concoquere non potest; vnde excrementitia quædam humiditas in loco fissuræ nascitur, & etiam in partibus incumbentibus, quæ per rimam in membranam duram destillat: vnde metuendum, ne humor hic putrescens membranam corrumpat, & inflammet; vnde febres, conuulsiones, deliria, & sæpe mors ipsa sequitur: atque hæc vulgatissima interitus eorum, qui ex vulneribus capitis moriuntur, caussa est. Secundò interdum accidit,

cidit, vt festuca quasi, & frustulum ossis intus separetur, ac duram membranam pungat, vnde dolores, acutissimi, & conuulsiones oriri possunt. Itaque præcipuus hic curationis scopus est, vt saniei huic exitus pateat, vel paretur, &, si festuca aliqua cerebrum pungat, illa dematur. Ac proinde si foramen inflictum vulneri expurgando & curando non sufficiat, vel quia ex depressione ossis nimium comprimitur membrana dura, vel quia nigrescit; alterum foramen adhuc, priori vicinum, moliendum est prominentibus interstitiis cuspidibus resectis.

Quapropter curandum, vt cutis loco affecto, vel ex vulnere pateat, vel dicto antea modo aperiatur. Si verò fractura tam ampla non fit, vt per eam sanguis vel sanies, quæ ab osse & cute continuò separantur, inque duram matrem destillant, euacuari possint; cranium maturè, &, quàm potest fieri citissimè aperiendum, vt saniem expurgare, & duram membranam ab ea mundare liceat.

*Cranium quomodo aperiendum.* Quomodo verò cranium aperiendum sit; Instit. *lib.5.part.1.sect.2.c.*8. dictum; & tractat hac de re diligenter Iohan. Andr. de cruce, *de vulner. lib.1.tr.2.c.*13. Aperitur autem cranium vel scalpris, vel terebra, vel modiolis. Neque enim, vt verbis Petri Pavv, *in comm. in Hippocr. de vuln. capitis*, vtar, semper per prisin exsectio, quæ trepano fit intelligenda. Tentandum delere fissuram; planandæ ossis fracti oræ; si angustæ sint valde rimæ, dilatandæ, vt superfluis exitus detur; idque accommodatorum scalprorum vsu. Abradentes scalpri si non suffecerint, etiam ad cycliscum accedendum. Breuiter: omnia tentanda, priusquam modiolus in vsum trahatur. Periculo enim non vacat. Vnde nisi summâ vrgente necessitate eo non vtendum. Nimirum scalpra locum habent, vbi magna fractura est, & ossa fracta vacillant, vt & in ossibus mollioribus: si verò os firmius sit, terebrâ vel modiolo opus est. Si enim os non solùm fractum, sed & effractum & depressum sit, nec terebram, nec modiolum adhibere conuenit, ne osse magis compresso subiectæ membranæ lædantur; sed sano ossi tunc; proximè tamen, quantùm fieri potest, versus fracturam, imponenda, & cranium, quantum ad saniei exitum necessarium est, aperiendum, ossisque quàm minimum eximendum, ne membranæ valde denudatæ aliquid incommodi patiantur; sed satis est, si, quod membranas pungebat, eximatur.

Monet & hoc hîc Galenus, 6. *meth. med. cap.6.* Si ossium fragmenta quædam longiùs excurrant, ne ea vsque ad finem prosequamur; cùm nulla ex eo, modò reliqua rectè peragantur, noxa sequatur, ipsâ experientiâ teste; ad quam etiam prouocat Amatus Lusitanus, *cent. 6. curat.*100. qui tales ossium rimas longiùs procurrentes consolidari & ferruminari vidit. Vt enim in aliis ossibus; ita etiam in cranio natura callum obducere solet.

In scalpris verò eligendis hîc alio modo res sese habet, ac in rima, quæ externam tantùm cranij laminam penetrat. Ibi enim latiora scalpra primò vsurpanda, deinde strictiora & angustiora: hîc verò ab angustioribus incipiendum, & ad latiora progrediendum.

*Dura mater nonnunquam aperienda.* Notandum etiam hîc, quod obseruauit Guilelm. Fabricius, *lib.1. obseru.*7. duram matrem, inter quam, & cranium plerunque spatium est, quandoque arctè totam cranio adhærere: quo in casu perforatio ferè inutilis est; cum sanguis non inter ipsum & membranam duram, sed infra duram membranam, seu matrem, quam vulnerare ita non licet, contineatur. Si tamen necessitas id postulet, ea ipsa potius aperienda, quam permittendum, vt æger sine auxilio moriatur. Cuius rei historia extat apud Glandorpium, *in speculo Chirurgia, obseru.*4. de quodam pugili, cui cùm grauiter in capite vulnerato tertia die grauia symptomata superuenirent, vt suspicio esset, materiam intra cranium collectam esse, cranium apertum est; verùm nihil effluxit, sed dura mater in tumorem elata in conspectum venit; quæ cùm scalpello incuruato, ne pia mater lædere-tur, aperiretur, maxima copia saniei effluxit, quæ non intra cranium & piam matrem, sed intra duram & piam matrem latuerat; quâ euacuatâ, & idoneis medicamentis adhibitis, æger sanitatem recuperauit.

*Quo loco aperiendum.* In apertione cranij & hoc obseruandum, vt in decliuiori, quantum licet, parte apertio fiat, (modò per suturas aut per ossis tenuitatem aut crassitiem liceat, & cerebrum vulneratum non sit, quod tunc per decliuiora loca aperta exire solet) vt saniei facilius exitus detur. Neque etiam perforatio in suturis facienda est: nam quia eò loci venæ & membranæ transeunt, ferro facilè lædi possunt. Et quia cranium ibi imbecillius est, facilè fieri posset, vt in terebrando ferrum præter opinionem descenderet, & membranam, ac cerebrum læderet. Præterea suturæ factæ sunt, vt per eas vapores capitis exhalarent: si ergo callus ibi post apertionem generaretur, exspiratio impediretur. Si tamen aliter euacuatio saniei fieri non potest, minus periculi è suturarum apertione, quàm ex retentione saniei est. Nec etiam in osse temporum, etsi id læsum sit, perforatio instituenda; cum musculos temporales secare non liceat, ob pericula *prognost.9.* proposita. Nec tamen æger sine auxilio relinquendus, sed, si necessitas id postulet, loco vicino, in osse syncipitis, sectio instituenda; vt docet Galenus, 6. *meth. med. cap. vlt.* & Ambros. Paræus, *lib.9. cap.*15. Imò si necessitas summa expostulet, etiam tempora diuidere, & ægrum omni ope non destituere iubet Petr. Pavv. *in comm. in Hippocr. de vulner. capit.* refértque, se vidisse alâ molæ puero ita contusum tempus dextrum, vt aliquot ossis pertusi fragmenta per vulnus eximerentur; nihil tamen incommodi toto curationis tempore patiente puero; imò tempora aperiri manu Chirurgi non semel vidisse, absque vllo symptomate. Duo tamen monet: primum, vt non, nisi summa exposcente necessitate, tempora diuidantur, deinde vt nouacula semper secundum ductum fibrarum temporalis musculi ducatur.

*Tempus aperiendi cranij.* Tempus aperiendi quod attinet, dierum numero id definiri non potest; sed quò citius, eò melius, &, si fieri potest, ante quartum aperiatur. Neque expectandum, donec grauia symptomata superueniant; sed si malum tantum sit, vt grauia superuentura symptomata metuendum sit, quamprimum apertio cranij instituenda. Si tamen Medicus in principio non vocatus, vel alia de causa apertio dilata sit, quandocunque opus & necessitas id postulat, apertio instituenda; cùm experientia docuerit, sæpe satis longo, ab accepto vulnere, tempore, cranium feliciter fuisse apertum, & ægros à grauissimis symptomatibus liberatos. Et satiùs est, tardius occurrere remediis malo, quàm iis omissis sine auxilio ægrum mori sinere. Itaque quantum fieri potest citissimè, vel ante quartum diem, apertio instituatur; præcipuè tempore æstiuo, quo humores facilius putredinem concipiunt. Imò Celsus nec tertium diem expectari voluit; cum humores interea temporis ad membranam descendentes, & exitum non habentes, grauissima symptomata excitent.

Si tamen fractura ita pateat, vt saniem per eam euacuari posse spes sit: vel si materia exigua & benigna fuerit, quæque à calore natiuo facilè regi & discuti possit, regióque sit temperata, aër non æstuans, ægri constitutio robusta, nec is prauis humoribus scateat, neque accidens vllum appareat; potest apertio nonnihil differri, an forsan naturæ operâ, sine sectione, æger conualescere possit.

Post perforationem si sanguis copiosius fluat, medicamento aliquo sanguini sistendo apto cohibendus: quale est, quod à Galeno, 5. *meth. med. cap.*4. describitur, quod paratur ex thuris parte vna, aloës parte vna & dimidia; & cum vtendi tempus instat, oui albumine ad mellis crassitiem subigitur, & mollissimis leporis pilis

excipitur,

excipitur, ac vulneri imponitur. Et oræ foraminis radendæ ac læuigandæ ſunt inſtrumento lenticulari, ne aſperitas in carne ſuccreſcente aliquem dolorem excitet; & ſi quid ſcobis in dura membrana collectum eſt, id omne detergendum.

*Capitis vulnera, patente membrana, quo modo curanda.*

Oſſe patente vel aperto, vt iam ſaniei exitus dari poſſit, de medicamentis idoneis diſpiciendum, quæ patenti iam duræ membranæ imponenda ſunt. De quibus Medici, cùm antiqui, tum recentiores, valde diſſentiunt; vt poſtea, in *quæſtione* 4. *poſt caput ſequens*, dicetur. Vt igitur rem in pauca contrahamus, feliciter vulnera talia curantur, ipsâ experientiâ teſte; vt ex Valleriola, *lib.*4. *obſeruat.*19. *lib.*5. *obſeru.*9. *lib.*6. *obſeru.*4. Guilel. Fabricio, *cent.*4. *obſeru.*4. & aliis videre eſt, ſi mel, vel ſyrupum roſaceum (pauxillo olei roſacei addito, ſi dolor vrgeat) panno ſericeo vel ſyndoni illitum membranæ imponamus, vulnus verò cephalico aliquo vnguento repleamus, cranióque puluerem cephalicum inſpergamus, tandémque emplaſtro de betonicâ, vel ſimili cephalico id muniamus, caput verò totum oleo roſaceo inungamus. Sedato dolore & inflammatione, melli roſaceo, quod membranæ imponendum, guttula vna atque altera aquæ vitæ admiſceri poteſt.

Cephalicum Conciliatoris celebre, quod, *different.* 181. deſcripſit, vnguentum ita paratur:

*Vnguenta & Emplaſtra ad vulnera capitis.*

℞. *Gummi elemi* Vnc.iii. *reſinæ puriſſ.* Vnc. iiii. *ceræ* Vnc.vi. *ol.roſac.* Vnc.iii.ß. *ammoniac.* Vnc.ii. *terebinth.* ℥. iij. F. Vnguentum.

Aliud eiuſdem:

℞. *Gummi elemi* Vnc.iii, *opopanac.* Vnc.ii, *bdelli* ℥.ß. *reſinæ pini* ℥.i. *ceræ* q.ſ. F. Vnguentum.

*Gummi elemi vtilitas.*

Inprimis enim in capitis vulneribus vtile eſt *gummi elemi*, quod, vt, *ibidem*, Conciliator ſcribit, attrahit, dolorem mitigat, malam intemperiem propter familiaritatem, quam cum corpore habet, corrigit.

Guilelmus Fabricius hoc primò vtitur.

℞. *Terebinth.aq.beton.& ſalu.lotæ* Vnc.i. *olei roſac.* ℥. iß. *è vitell. ouorum* Drach. i. *gumm. elemi cum oleo ſuper igne lecto diſſoluti & colati* Vnc.ß. *croci* Scr.i. *vitellos ouorum* num.ii Miſce.

Vtile eſt & hoc:

℞. *Reſinæ pini* ℔.ß. *terebinth.* Vnc.iij. *ceræ, thuris, gummi elemi*-an. ℥.ß Miſce. F. Vnguentum.

Dolore ſedato ad mundificationem hoc vtitur:

℞. *Pulu.caryophyllat. angelic. ariſtolochiæ rotundæ, ireos Florentin.* an ʒ.i. *extract. ſaluiæ, betonicæ* an ʒ.ii. *gummi elemi, oleo roſaceo diſſolut.* ʒ.ii. *mellis roſati* q.ſ. *aquæ vitæ parum*, Miſce in mortario, F. Vnguentum.

*Emplaſtrum de betonica.*

Emplaſtrum de betonica ita paratur:

℞. *Betonicæ* M.ii. *matriſyluiæ, ſaluiæ, hyperici, millefolij, piloſellæ, conſolid.minor.* an. M.i. *centaur. minor. maior. pimpinell. verbenæ*, an M.ß. *terebinth.claræ* Vnc.xx. *olei roſac.* Vnc.x *reſinæ pini, gummi elemi.* an. Vnc.iß.

Herbæ contundantur & terantur, ac affundantur vini albi ℔.ii. Digerantur per dies viii. vel plures, ac quotidie agitentur. Hinc coq. ad tertiæ partis conſumptionem, colentur, exprimantur. Pòſt reliqua, & *ceræ* q.ſ. addantur, & ſ.a. Fiat Emplaſtrum.

Alij hac deſcriptione Emplaſtri de betonica vtuntur.

℞. *Betonicæ viridis, pimpinellæ, agrimon. ſaluiæ, pulegij, millefol. conſolidæ maioris, matriſyluiæ*, an. Vnc.vi. *thuris, maſtich.* an. Drach.iii. *ireos, ariſtoloch.rotund.* an. Drach. vi. *ceræ albæ, terebinth.* an. Vnc.viii. *gummi elem.* Vnc.ii. *reſinæ pini* Vnc.vi. *ol.abietini, vini albi* an.q.ſ.

Herbæ in mortario contuſæ octo diebus in vino albo macerentur, & ſæpius agitentur, tandémque ebulliant. Expreſſum & colatum vinum coquatur ad tertiæ partis conſumptionem, & addatur ol. abietinum, poſtea cera liquata, & hâc fusâ, reſina & gummi, deinde terebinthina; quibus paulùm refrigeratis reliqua trita, & creta: & manibus aſſiduè ſubigantur, dum totus humor exeat. Tandem ad formandam maſſam additur lac caprillum, iterúmque manibus continenter medicamentum ſubigitur.

*Emplaſtrum cephalicum Baſilicum.*

Emplaſtrum cephalicum Baſilicum ita paratur:

℞. *Herbar. viridium; betonicæ, plantag. matriſylu. pimpinell. roriſmarin.* an. M.ß.

Contuſa macerentur per diem in *olei roſac.* Vnc.iii. *maſtich.* Vnc.i. *pinguedinis recentis vitulinæ, porcinæ*, an. Vnc.ii.

Deinde adde *vini* Vnc. vi. Coquantur ad vini conſumptionem.

Colentur. Poſtea adde *maſtich. gummi elemi, reſinæ pini, lithargyri*, an. Vnc.ß.

Rurſum coquantur, donec ſubnigrum acquirant colorem, ſemper agitando, tandémque addantur *terebinth. claræ* Vnc ii. *ceræ* q.ſ. Fiat Emplaſtrum.

Guilelm. Fabricius tale parat:

℞. *Emplaſtri de betonica* Vnc. iiii. *gummi elemi oleo roſaceo diſſol.* Vnc.i. *pulu.roſar.rubr.myrtillor.* an. Drach.i. *maſtiches, calami aromatici, angelicæ, caryophyllor.* an. ℥.i. *olei & ceræ* q.ſ. F. Emplaſtrum.

Emplaſtrum Fr. Arcæi:

℞. *Ol. roſac. omphacini & completi* Vnc. ii. *maſtich. myrtin.* an. Vnc.i. *pingued.hirci* Vnc.iß. *ſucci betonic.* ℥.j.

Coqu. ad conſumptionem ſucci. Adde *maſtiches* ʒ.x. *gummi elemi* ʒ.vi. *terebinth.* ℥.iiß. *ceræ alb.* q.ſ. Iterum ebulliant, F. Emplaſtrum.

Eſt & hoc vtile;

℞. *Gummi elemi, reſinæ puræ*, an. Drach.ii. *ceræ* Vnc. iß. *ol.roſat.* Drach.vii. *ammoniac.* Vnc.ß. *terebinth.* ʒ. vi. *ſucci betonic.* ʒ.x. F.ſ.a. Emplaſtrum.

Habet & hîc locum Emplaſtrum Alexandri Benedicti, quod *lib.*1. *cap.*5. deſcribit, quod ſuprà, *cap.*20. propoſuimus.

Felix VVirtz hoc ſuum laudat Vnguentum:

℞. *Seui ceruini, mellis deſpumati*, an. Vnc.ß. *aloes hepaticæ puluerìſat.* ʒ.i. Miſce. Ioh. Andr. à Cruce hoc feliciter vſus eſt.

℞. *Vini* Vnc.xx. *ſucci betonic.* Vnc.iiii. *calaminthæ* ℥. ii. *myrrhæ, thuris, aloes, ſanguinis draconis, centaur. minor. granor. hyperic.* an. Drach.i.

Pulueriſanda pulueriſentur, ac omnia miſceantur, & per biduum macerentur.

Poſtea lento igne ad tertiæ partis conſumptionem coquantur.

Addantur *mellis roſac.* Vnc. iiii. Iterum parum bulliant: vaſe ab igne remoto adde *aquæ vitæ*, vel *ſpiritus vini* Vnc.vi. Colentur:

Tandem adde *olei terebinth.* Vnc.iiii. & in vaſe vitreo clauſa ſeruentur.

De betonica Vnguentum Hieron. Fabricij ab Aqua pendente.

℞. *betonic.viridis* M.viii. Contundantur: contuſis addantur *ol.communis* ℔.iiii. *ceræ, terebinth.* ℔.i.

Coquantur & exprimantur.

Expreſſo ſucco iterum adde *betonic. viridis contuſæ* M.viii.

Iterum coquantur & exprimantur.

Plura talia vnguenta & emplaſtra videantur apud Andream à Cruce, *lib.*1. *de vulner.tract.*2. *c.*16.

*Aqua & ſpiritus ad vulnera capit.*

Sunt nonnullis; præcipuè vbi dolor & inflammatio non adeſt, (Nam dum pars præter naturam calet, & ſanguis ac ſpiritus ad locum affectum confluunt, non ita tutò adhibentur) aquæ vitæ in vſu; & quod Galenus de Eudemi medicamento teſtatur, idem etiam multi de aquis & ſpiritibus iſtis prædicant, quæ propterea apud plures nationes in vſu ſunt, videntúrque membranarum cerebri naturæ ſiccæ optime conuenire: ideóque vnam & alteram formam adſcribemus.

Iohannis de Vigo hæc eſt:

℞. *Aq.ardentis* ſeu *ſpiritus vini* ℥.x. *myrrhæ* ℥.i. *aloes* ℥.ii *ſarcocollæ, thuris*, an. ʒ.ii. *croci* Scr.i. Miſce.

Imum

Imum vulneris linamento isto liquore imbuto repleatur,& hinc emplastrum de betonica, vel aliud applicetur.

Iacob.Carpensis hæc est:

*♃.Aq. vitæ* ℔.v.*vini Maluatici* ℔.ij.ß. *aloës, myrrhæ,thuris*,an.Vnc.jß.*pulu.rad. consolid. maior*. Vnc.ij. *centaur. minor*.Vnc.jß.*hyperici* Vnc.ß.*terebinthin. claræ* ℔.j.

Omnia misceantur,& per mensem stent in vase vitreo optime obturato.Postea colentur & exprimantur. Expressum vsui seruetur,in quo lintea pura madefiant, & vulneri imponantur.

Alia: *♃.Spiritus vini* ℥.j.ß. *aloës hepatic*. ℥.j.*myrrhæ* Drach.iij.

Super lento igne misceantur.

Alia: *♃.Spiritus vini rectificati* ℔.ij. *mastiches,myrrhæ, thuris, gummi elem. hederæ, ammoniac. opopanac. bdellij,matrisylu.betonic*.an.Drach.j.*theriacæ*,℥.ij.

Contundenda contundantur, & omnia misceantur simulque stent in infusione vitro clauso per triduum: inde destillentur in B. M.Destillatum vsui seruetur:vel potiùs,vbi in spiritu vini soluta fuerint soluenda, colentur. In destillato,seu liquore,linteamina pura madefiant,iisque vulnus repleatur;& deinde emplastrum de betonica, aut de matrisylu. imponatur.

Monet hic etiam Ambrof. Paræus, *lib.9.c.18.* quod os,quod terebra attigit,vel aër afflauit,squammas semper emittit;ad quam desquammationem celerius promouendam aspergit puluerem ex eruca, pœonia,cucumere syluestri,& aristolochia. Prohibet verò, ne squãmam detrahat Chirurgus,sed totum negotium naturæ committat. Desquammato ossi cephalicum puluerem adspergit.

*Defensiua in vulneribus capitis.* Neque solum vulneris,sed & partium vicinarum habenda ratio est. Ideóq; in principio opus est repellentibus & exsiccantibus,vt materiæ influxus prohibeatur, &, quod influxit,exsiccetur:partésque vicinæ roborentur.

In hunc vsum Hippocrates,*libr.de vulner. cap*.cataplasma cõponit ex farina hordei,& oleo rosaceo;quod omnibus medicamentis reliquis vltimò, vt & vulnus, & partes vicinas complectatur, superponendum.

Vel fiat tale,tempore æstatis:

*♃. Farin.hordei* ℥.viij.*olei rosacei* ℥. iiij.*poscæ, seu oxycrati* q.s.F.Cataplasma.

Hyeme verò farinæ hordei & oleo rosar. addantur *pulu.rosar*.Vnc.ij & cum vino formetur cataplasma.

Si contusio aliqua adsit, ea, quæ supra proposita, vsurpanda vel tale Cataplasma:

*♃ Farin. hord*. Vnc. vi. *myrtill*. Vnc. ij. *olei rosac*. Vnc. iiij.*pulu.betonic* Drach. vj. *oxymel.simpl*. Vnc.iij. *vini, albi generosi* q.s.F. Cataplasma.

Simul vtile fuerit caput magnâ ex parte,vt & ceruicem,& collum, & inprimis venas iugulares,oleo rosaceo calido inungere,ad dolorem,si adsit,leniendum,& ad sanguinem,qui ad caput affluit, moderatè refrigerandum & repellendum.

Notandum & hoc,quod monet Iohan. Andreas à Cruce, quod post caluariæ perforationem membrana intacta colorem & motum naturalẽ seruare solet;postmodum eo amisso,amplius non mouetur, nec ob id aliud nouum symptoma superuenit:paucis pòst diebus superficies eius alba & tenuis ad modum in squamas resolui incipit,& pellicula quædam prætenuis araneæ telæ modo eleuatur, inde noua caro oriri incipit. Vt enim ob aëris externi,& medicamentorum topicorum contactum externa cranij superficies emoritur, & ab humido suo natiuo derelictum,ab osse reliquo separatur, & quasi piscium squamas de se emittit : ita duræ matri idem iisdem de caussis euenit:& Chirurgos non exercitatos sæpe timidos reddit, vt membranam illam corruptum iri metuant; cum tamen nihil periculi

*...uram me-...ingem mũ-...ficantia.*

subsit, sed superficialis illa corruptio solo melle rosaceo amoueatur.Cui si non cedit, hoc Vnguentum imponendum.

*♃.Terebinth.claræ,vin.alb.lotæ* ℥.ij. *mellis rosati, aq. vitæ, farin.hordei cribratæ*,an.℥.j.*myrrhæ,aloës, sacchari albi*, an.Drach.ij.Misce.

F. Vnguentum;quo vtere donec membrana iterum pura & sui coloris appareat.

Solet interdum & fœtor quidam in separatione istius membranæ apparere, qui tamen nihil periculi coniunctum habet;cum saltem in externâ superficie sit vitium; nisi alia praua symptomata adsint.

Neque sine fructu est,si cephalica interna etiam exhibeantur,nunc calidiora,nunc frigidiora,& téperatiora;prout febris,& alia,quæ coniuncta sunt, id requirunt.Valleriola etiam aureæ Alexandrinæ, vel Mithridatij Drach.j. cum diamoscho dulci, & pœoniæ semine exhibet. Ipsum verò cranium quod attinet, etsi rimæ coalitus, & cranij per callum ferruminatio, vt capite præcedente dictum, naturæ opus est:adiuuanda tamen ea medicamentis,& cranio pulueres cephalici, ita veteribus dicti,quòd cranij fracturis sint idonei,supra enumerati, inspergantur & imponantur. Callus autem,quo cranij ossa ferruminantur, ferè 40. aut 50. dierum spatio perfectionem suam acquirit : quanquam propter corporum diuersam constitutionem ita certus dierum numerus definiri non possit ; cum in iuuenibus citius, in senioribus tardiùs absoluatur.

Exemplum talis vulneris curati est apud Guilelm. Fabricium, *cent.4. obseru.4.* Glandorpium.*spec.chirurg. cap.20.obseru.3.* *Calli in cranio generatio.*

## *De Cranij fractura,cute integra manente.*

Interdum accidit, vt cranium frangatur,cute ad sensum integrâ manente.Etsi enim contusio etiam tũ in cute sit:eius tamen externa superficies est integra,nullumque vulnus in ea apparet.Nã cũ sit mollior, cedere potest, vt nõ vulneretur:os verò subiectũ,quia durum, ictui resistit, & ab impetu eius frangitur; id quod ex ictus ratione, superuenientibus symptomatibus, tactu, dignóscitur, Tum ergo inquirendum, an fracturæ cranij aliquid annexum sit, quod neque à natura, neque à medicamentis curari possit; quorum tria præcipuè sunt : nimirum magna sanguinis copia intra cranium & membranam cerebri effusa, ossis particula vel festuca membranam pungens, & ossis depressio, cerebrum comprimens. Sanguinis effusi copia cognoscitur ex sanguine per nares & aures etiam effuso ex capitis grauitate, ex sopore, stupore.Os depressum tactu cognoscitur, & fouea digito deprehenditur. Cerebrum comprimi & pungi ex eo colligitur,quod,dum æger nasum emungit, puncturam percipit : aut post puncturæ signum succedit delirium. *Cranij fractura cute integra manente.*

Si itaque horum aliquod adsit, omnino cranium aperiendum, &, si depressum sit,eleuandum, & sanguis è venis effusus euacuandus, ac fragmentum cranij eximẽdum.Si verò horum nihil adsit,& symptomata mala absint, præmissa venæ sectione, & medicamento purgante bilem exhibito, ea ferè curatio instituenda,quæ *cap.21.de contusione capit.* proposita est, Nimirum capiti raso tale Repellens imponendum :

*♃. Farina hordei* ℔.ß.*ladani, pulu. rosar. myrtill. mastiches*,an.Drach.j. *olei rosac.oxycrati*, an.q.s.

F. Cataplasma,quod manè & vesperi renouetur.

Particulares quoque capitis euacuationes instituantur : quarto die gargarismus paretur ex decocto hordei, in quo passulæ & hyssopus cocta sint, & mel rosatum dissolutum.Nares quoque intus oleo amygdal. dulcium inungantur.Post quartum diem vsque ad septimum caput hoc vnguento illinatur :

℞. *Pulu.rosar. rubrar. myrtill. nuc. cupressi, santal. rubr. albi, absinth. ladani, schœnanthi, asari*, an. Drach. j. *olei rosati completi, myrtini*, an. Vnc. iij. *ceræ* Vnc. ij. ß. F. Vnguentum.

Post septimum vel nonum dissoluentia siue discutientia applicentur, vt emplastrum de betonicâ, cerot. de gummi elemi, emplastrum sacrum, cum æquali portione diapalmæ. Vtile est & hoc Emplastrum:

℞. *Opopanac.* Vnc. ß. *gummi hederæ* ʒ. vj. *bdellij* ℥. ß. *resinæ* Vnc. ij. *ol. rosar.* Vnc. iiij. *terebinth.* Vnc. vj. *ammoniaci* Vnc. ij. *ceræ* q. s. F. s. a. Emplastrum.

Linimentum extrahens saniem & materiam contentam sub cranio.

Vel ℞. *Ol. lentisci, laurini, gummi elemi, resinæ pini*, an. Vnc iij. *succi saluiæ* Vnc. ij. *ammoniaci, opopanac. galbani* an. Vnc. ß.

Dissoluantur gummi in aceto, postea bulliant in succo saluiæ ad succi consumptionem, & refrigerentur.

Si verò post septimum mala accidentia superueniāt, quæ saniem collectam indicent, tunc cranium aperiendum, & producendum vt supra dictum. Videatur etiam infra post *caput seq. cap.* 5.

Facta etiam inter solutæ vnitatis in cranio differentias contusionis mentio. Verùm ad eam curandam eadem ferè medicamenta vsurpanda, quæ supra, *cap.* 2. de contusione capitis, proposuimus: quibus saltem hoc multiplici vsu probatum, *è* 59. *Epist.* à Scholtz. *collect.* addimus.

℞. *Farinæ hordei, fabarum*, an. Vnc. ij. *pulu. betonicæ, chamæmeli, meliloti, rosar.* an Drach. j. *calami aromat.* ʒ. ß. *oxymel* ℥. j. *olei rosar. hyperici*, an ℥. ß. *vini boni* q. s. Misce. F. Cataplasma.

*Obseruatio Fabr. Hild.* ¶ [Guilh. Fabricius *Centur.* 2. *obseru.* 2. quendam Geneuensem ictu sclopeti in fronte cum insigni fractura cranij vulnus accepisse refert, & Geneuæ curatum, globum tamen inuentum non fuisse, & semestre post sanationem incolumen vixisse. Cùm verò morbo acuto tandem obiisset, cranium eius apertum, & globulum è regione verticis inter cranium & duram matrem ad suturæ rectæ lactus inuentum fuisse, membranâ tamen planè à globulo illæsâ.

*Zacut. Lusit.* Et Zacutus Lusitanus, *de Pr. Med. Adm. lib.* 1. *obseru.* 5. refert, Meretrici cuidam vulnus profundum per verticem capitis acuto cultello inflictum fuisse, somnolentā pluribus diebus sine sensu & motu remansisse, magno tamen labore euasisse, & domestica negotia iterum obiisse, neque vnquā de animali actione læsa conquestam fuisse. Cùm verò annis octo post febre malignâ mortua esset, & cranium apertum fuisset, inter duram matrem & cranium, dimidium cultelli, quo fuerat vulnerata: ferrugine obsitum inuentum fuisse.]

## CAPVT XXIV.

### *De Cranij Fractura cum meningum & cerebri læsione.*

### *Et primò*

### *De Vulnere meningis duræ saltem.*

*Vulnus duræ meningis.* SI vulnus tam altum sit, vt etiam simul dura meninx sit læsa, vulnus hoc id peculiare habet, vt sanguis copiosè effluat; cum plurima vasa per eam disseminētur, & dolor in parte membranosâ valde vrgeat; ac proinde sanguis sistendus, & dolor leniendus. Et quia cum membranâ & cranium & cutis læsa sunt, quæ & cutis & cranij vulnus requirunt, peragenda, & videndum, ne membrana ex sanie ab hisce partibus destillante lædatur; tandémque vulnus duræ matris sanandum.

Ideóque si sanguis copiosè fluat, os, nisi antea ex vulnere pateat, statim aperiendum, & membrana detegenda. Osse aperto statim imponēdum aliquod medicamentum sanguinem sistens; inprimis illud celebre Galeni quo 5. *m. m. cap.* 4. se ad sistendum sanguinem, etiam in vulnere capitis, & sanguine à durâ matre fluēte, feliciter vsum scribit: quod ex aloë, thure, & oui albumine: mollissimisque pilis leporis componitur.

Nonnulli tamen ante hoc medicamentum imponunt prius puluerem ex aloë, & manna thuris compositum.

*Dolorē leniētia in vulneribus meningū.* Ad dolorem leniendū, ne inflammatio & conuulsio excitetur, nihil commodius est oleo rosarum tepido, quod & leniendi & repellendi vim habet. Alij instillant sanguinem ex alâ turturis & columbæ recens effusum: in quibus sanguinibus præter doloris mitigationem etiam vis detersoria inesse deprehenditur; & illam curationem ad septimum diem continuant.

Iohan. Andr. à Cruce ita in curando progreditur, Præmissis vniuersalibus in secunda visitatione hoc medicamentum imponit:

℞. *Olei terebinth.* Vnc. j. *spiritus vini, syr. de rosis sic.* an Vnc. j. Misce.

Postea totum vulnus tali puluere replet:

℞. *Myrrh. aloës, mastich. sangu. dracon. rhabarb. corall. rubr.* an. Drach. ij.

F. Puluis subtilis, qui per pannum lineum rarum traiiciatur; & imponatur emplastrum de betonicâ. Et quia hic autor oleo terebinthinæ spiritum vini miscet, possent etiam hîc aquæ cephalicæ, *cap. præcedente* descriptæ, locum habere, vt & vnguenta cephalica ibidem proposita.

*Duræ meningis corruptio.* Si autem corrumpi & purulenta euadere incipiat membrana, detergenda, ne putrescat, melle rosato, vel melle cum farina hordei, & succo apij. Ioh. Andr. à Cruce etiam Isidis medicamento vtitur ad incipientem membranæ corruptionem; vt & Ægyptiaco vnguento initium sphaceli feliciter curasse se scribit.

Matthiolus oleum è vitellis ouorum ad membranas cerebri putrescentes cōmendat, & eas putrilagine confectas à sanis mirum in modum separare, idque se in quāplurimis magno cum honore expertum esse, testatur. Ambros. Paræus, *lib.* 9. *cap.* 2. hoc Iohan. de Vigo proponit.

℞. *Aqua vitæ* ℥. iij. *mell. rosar.* ʒ. ß.

Quod si leniore isto remedio contumacius malum corrigi nequeat, hoc vtitur:

℞. *Aq. vitæ* Vnc. ij. *mell. rosar.* ʒ. j. *puluer. mercur.* Drach. ij.

Misce super ignem.

℞. *Aq. vitæ* ℥. jß. *syrup. absinth. mell. rosar.* an. ʒ. ij. *vnguent. Ægyptiac.* ʒ. ijß. *sarcocollæ, myrrhæ, aloës*, an. ʒ. j. *vini albi boni* Vnc. j.

Bulliant leniter, & colentur.

Quod si putredinis tanta vis sit, vt istis remediis non cedat, Ægyptiaco cum aqua plantaginis, aceti loco, composito solo ad id profligandum vtitur, vel solo Mercurij puluere, vel cum alumine misto.

Quod si dolor non valde vrgeat, aut iam mitigatus sit, vt materia, quæ è vulnere segregatur, rectè concoquatur, oleum hyperici, mastichinum, vel abietinum imponendum, vel cephalicum aliquod vnguentum.

Pure laudabili apparente olea omittenda, & ad detergendum syrupo vel melle rosato vtendum.

Tandē ipsam duram matrē quod attinet, vulnus quidē eius vnionem postulat, sed quia & dura est, & labia eius adduci nequeunt, vnio eius per carnis, vel substantiæ ei analogæ generationē procuranda, Archigenes in hunc vsum succum calaminthæ supra durā matrem effundit, & farinam milij inspergit, vt vulnus siccetur, detergatur, & caro generetur. Habent & hic locum medicamenta cephalica. Reliquis partibus vulneratis pulueres, vnguenta, & emplastra cephalica imponenda.

Pertinet

*Dura meningis contusio.* Pertinet huc & duræ matris contusio. Nonnunquã enim membrana dura,vt crassior,contusa, & concreto sanguine resperſa eſt.Et tum ſanguis concretus abſtergendus eſt *oxymelite ſ.ſyrup.roſato,melle roſato,ſyrup.de abſinthio, ſyrup. de marrubio*, quibus *reſina terebenthina* aut *abietina*, vel *ſanguis columbinus* immiſceri queunt.

### *De vulnere tenuis meningis,& cerebri.*

*Cerebri & tenuis meningis vulnus.* Tandem ſi pia mater,ſeu tenuis membrana,cum cerebro cui arctiſſimè annexa eſt , vulneretur ; & ſanguinis profluium, & inflammatio metuenda eſt, propter innumera vaſa, quæ per tenuem meningem diſſeminantur, & propter vtriuſque membranæ ſenſum exquiſitum.

Quâ de cauſſa etiam vulnera capitis valde periculoſa ſunt,ſi non ſolùm cranium, & dura membrana, ſed ſimul & tenuis,& cerebrum læſa ſint : & quò vulnus profundius penetrat,eo periculoſius eſt.Cerebrum enim aëri expoſitum facilè corrumpitur, & à ſanie defluente læditur, ac putreſcit. De quo Hippocrates, 6. *aph.* 18.*Veſica diſciſſa,aut cerebro,aut corde, aut ſepto tranſuerſo,aut aliquo ex tenuibus inteſtinis,aut ventriculo aut iecore,lethale eſt.* Vbi, vt Galenus, *in comment.* monet lethale non mortem neceſſariò inferens ſignificat, ſed etiam periculoſum.

*An cerebri vulnera omnia ſint lethalia.* Neque enim omnia vulnera cerebri neceſſariò mortem afferunt;ſed ea ſolùm,quæ profundiora ſunt. Ac vt in aliis,ita etiam in capitis vulneribus ſæpe quaſi miracula fiunt, & qui planè deſperati videbantur, præter ſpem conualeſcunt. Ideòque vulnerati ſine auxilio nunquam relinquendi, nec deſerendi. Vidit ipſe Galenus vulnera talia curari.8.*de vſu part.* 10. 6.*aph.*18. Exempla quoque habentur apud Valleriolam,*lib.*4.*obſeru.* 10.*lib.*5.*obſeru.*9. *lib.* 6. *obſeru.* 4. Guil. Fabriciũ, *cent.*4. *obſeru.*1. 2. 3. Et longum catalogum Medicorum,qui vulnera cerebri ſanata viderunt,recenſet Ioh. Andr.à Crũce, *de vulnerib.lib.*1.*tract.*2.*cap.*14.*de cerebro ſauciato.* Imò obſeruatum eſt, particulâ cerebri amiſſa ægrum nihilominus conualuiſſe: cuius rei hiſtoriæ variæ annotatæ à Medicis Anton. Muſa Braſſauola,*comment. in Hipp. aph.*18.*libr.* 6. Nicolao Maſſa, *lib.* 1.*epiſt.*11.Fallopio , *de curand vuln.c.*45. Franciſco Arcæo,*de curand.vulner.lib.*1.*c.*6.Iohan. Andr.à. Cruce *lib.*1. *de vulner. tract.* 2. *cap.* 14. Ambroſio Paræo, *lib* 9.*cap.*22. &aliis , quæ pleraque collegit Schenckius,*lib.*1.*obſeru.*40.42.Notatu etiam digna ſunt hiſtoriæ de periculoſiſſimis cerebri vulneribus,quę extãt apud Cabrolium,*obſeru.*16. 22.*&* 34.Henric.Petræum *tom.* 2. *Diſput.at.harmoniac. diſput.*16. *quæſt.* 10.Dum hæc ſcribo, offertur mihi & Chirurgo faber lignarius curandus,qui in oſſe ſiniſtro,ad ſuturam coronalem,ſecuris ex alto proiectæ acie vulnus pollicis ferè longitudine in cerebrum penetrans acceperat,ita vt particula cranij effracta ſtatim eximi poſſet, & cerebri portio nucis iuglandis ferè magnitudine propenderet. Conualuit tamen , cerebri illa portione extra propendente ſenſim abſcedente.Et, quod mirum eſt, toto morbi decurſu nec de dolore capitis , nec de vllo ſymptomate conqueſtus eſt, & ambulare ſine vllo impedimento potuit. Ad vulnus curandum vſurpatum vnguentum Guilielmi Frabricij,quod infra deſcribetur,cui Chirurgus aliquid interdum pulueris cephalici admiſcuit; & emplaſtrum de betonicâ.

*An ſine Cerebro homo viuere poſſit. Hiſtoria Zacuti Luſitan.* ¶ [ Zacutus Luſitanus, *de prax. Med. Ad lib. obſ.* 4. ſcribit, quòd decennis puer enſe percuſſus fuerit in poſtica parte capitis, & vulnus ſatis magnum acceperit,cum læſione oſſis , membranarum, & deperditione ſubſtantiæ cerebri. Nam ex illo cerebrum quantitate nucis iuglandis exiuit. Additque quòd hic puer poſt tres annos, confluentibus humoribus ad partem debilem , hydrocephalo correptus ; & mortuus fuerit,apertumque craniũm ſine cerebro inuentum ſit,& dura membrana duplicata fuerit.

*An etiam vera.* Quæ hiſtoria mira modò vera ſit. Ego de veritate eius non parum dubito. Neque video,quomodo homo ſine cerebro,membro tam nobili, & tam neceſſariis actionibus deſtinato , vel momento temporis viuere poſſit. Equidem aliquid de cerebri ſubſtantia exemptum fuiſſe , homine ſaluo , & alij obſeruarunt, & ipſe vidi, vt ſuprà annotaui : Et Volcherus Coiter, *in obſeru. Anat. & Chirurg.* refert, cùm quidam ab equo calce in capite iuxta coronalem ſuturam percuſſus , & grauiſſima ſymptomata paſſus , & tandem mortuus eſſet , inuentum fuiſſe , poſtquam cranium apertum fuit , putredinem dimidiam cerebri partem in eo occupaſſe. Verùm quod aliquis eò vſque viuere potuerit , donec tota cerebri ſubſtantia abſumeretur , hactenus à nemine annotatum. Ergo vel hæc hiſtoria falſa eſt, vel ſi vera eſt, non cerebrum erit officina ſpirituum animalium ſed alius eorum generationis locus inquirendus erit. Optârim , tempus , locum , & teſtes huius obſeruationis , quæ magni momenti , adſcripti fuiſſent. ]

*Curatio.* Curationẽ quod attinet,vt ſanguis ſiſtatur, medicamentum ex Galeni 5.*meth.* 4.antea propoſitum , cui bolus Armenus addi poteſt vel aliud cõueniens,vſurpandum. Et ſi quid cranij fractum, quod euelli queat, maturè extrahendum : ſi verò ſine violentiâ euelli nequeat,naturæ totum negotium committendum , ne, ſi violentia adhibeatur , æger in manibus Chirurgi moriatur,atque ita ægro Medicus nihil proſit,ſibi verò infamiam pariat.

Hinc cauendum,ne ſanies ex partibus cerebro incũbentibus vulneratis in cerebrum deſcendens,illud,vtpote frigidum & humidum , labefactet,alteret,& corrumpat,ideòque ſanies illa quamprimum abſumenda; & exſiccanda;ad quam rem calore & ſiccitate opus eſt, & proinde digeſtiua humida hic locum non habent, & omnia oleaginoſa,vnctuoſa, pinguia , etſi potentia ſicca ſint,fugienda;cum cerebri corpus molle ab iis facilè corrumpatur ; ſed ſiccantia vſurpanda. Nonnulli quidem olem abjetis , ol. terebinthinæ deſtillatum, balſamum Orientalem adhibere ſolent:ſed iſta propriè pinguia non ſunt.

Quapropter dum vulnus ſoluitur,aër cubiculi calidus ſit,vel candelis circa ęgrum accenſis,aut ſimili modo alteretur, & linteola vino Cretico , vel alio potenti,in quo roſæ & betonica cocta ſint, imponenda,aut ſanguis columbæ calidus inſtillandus. In ſicciori-bus etiam corporibus,& tempore hyberno, aquis vitæ ſupra deſcriptus vti licet.Alij ſuccum nepethæ laudant: alij thuris puriſſimi puluere vtuntur, vſque ad ſeptimum.donec caro incipiat ſucereſcere.

Hieron.Fabricius ab Aquapendente ſe in magno cerebri vulnere feliciſſimo ſucceſſu hoc vſum ſcribit.*lib.* 2.*Chirurg.c.*20.

℞. *Farin. milij* ℥.ß.*olei Hiſpani* ℥.j. *Mithridatij* ʒ.vj.*balſam.nigri,quod è Portugalia affertur,* Drach.iij.*aq. vitæ* ʒ.v.*olei de calchanto* ʒ.jß.(quod ego tamen non facilè adderem) Miſce.

Supra verò imponit hoc Emplaſtrum:

℞. *Farinæ hordei* ℥.viij.*pul flor.chamamel.* ℥. iij *ſpicæ.ſchœnanth.*an. ʒ.iij.*betonic. ſtœchad* an.℥ ß.*olei maſtich* ℔.ß.*roſac.complet.*℥.iij.*oxymelit.ſimpl.*℥.v.*vini albi* q.ſ, ad emplaſtrum formandum,

Oleum autem Hiſpanum,quod ad vulnera breuiſſimo tempore ſananda valde commendatur, ita paratur:

℞. *Olei vetuſtiſſimi* ℥ iij *terebinth.puræ* ℥.ii.*frumenti*, id eſt, *tritici integri* Vnc j. ſem. *hyperic.* Vnc. ij.*rad, cardui benedict. valerian.* an. Vnc.j.*thuris puluériſat.*Vnc.ij.

Rad.& herbæ craſſo modo contundãtur , & in vino immergantur,& per biduum macerentur.Hinc oleũ &

frumentum adiiciatur, & coquantur ad vini consumtionem, & colentur: Colaturæ addatur terebinth. & thus, & iterum parum ebulliant.

Iohan. Andr. à Cruce cum sindone rubra imponit oleum terebinth. cum melle rosato mistum. Reliquum vulneris replet tali medicamento:

℞. *Myrrh. aloës mastich. sanguin. dracon* an. ʒ. ij. *terebinth.* ℥.ij *spiritus vini* ℥.j. Misce.

Vel ℞. *Therebinth. aq. consolidæ lotæ* Vnc. j. *spiritus vini. syrupi rosacei,* an Vnc. j. *pulu. thuris, mastich. myrrhæ,* an. Dra.ij *mumiæ ex cranio, sem. hyperic. sanguin. dracon.* an. Drach. j. Misce.

His emplastrum de betonicâ, vel gummi elemi imposuit, totumque caput oleo rosaceo omphac. inunxit, superpositis spleniis vino, in quo rosæ & betonic. cocta fuêre, madidis Puellam quoque, quæ cuspide falcis vulnus in capite cũ cerebri læsione acceperat, atque è cuius capite cranio aperto notabilis portio cerebri exierat, curauit ad diem vsque 14. solo oleo terebinth. & aq. vitæ, vel spiritu vini mistis: inde in vulnus guttatim instillauit istum liquorem:

℞. *Vini* ℥. xx. *succi betonic.* ℥. iiij. *calaminth.* ℥. ij. *myrrhæ, thuris, aloes, sanguin. dracon. centaur. minor. granorum hyperici,* an. ʒ. j.

Contusis contundendis infundantur per triduum vase clauso. Postea coquantur ad tertiæ partis consumtionem, & addantur *mellis rosacei* Vnc. iiij. iterúmque parùm ebulliant. Ab igne remotis addatur *spiritus vini* Vnc. j. Colentur: Colaturæ addantur *ol. terebinth.* Drach. iiij.

Et in vase vitreo diligenter clauso vsui seruentur.

Reliquum vulnus repleuit puluere cephalico, & emplastrum cephalicum imposuit.

Feliciter etiam ad vulnera cerebri sananda vsurpatur balsamum Orientale; cui & artificiale hoc substitui potest:

℞. *Terebinth. claræ* lb. ij. *resinæ pini* ℥. iij. *thuris, myrrhæ, mastiches,* an. ℥ jß. *gummi elemi* ℥ j. Destillentur s.a.

Quod si dolor & hîc vrgeat, oleum rosaceum cum vino miscendum, & imponendum. Extra verò, dum dolor molestus est, conuenientia fomenta imponenda; inprimis emplastrum vel cataplasma de farinâ hordei.

### *Potiones Vulnerariæ in Capitis Vulneribus.*

*Potiones vulnerariæ in vulneribus capitis.*

Potionum vulnerariarum nonnullum vsum esse, in Institut, *lib. 5. part. 1. sect. 1. cap. 9.* dictum, & docet id experientia. Non tamen eædem in omnibus partibus æquè conueniunt; sed secundum partium diuersam materiam variandæ sunt. In vulneribus capitis ergo, si cranium, vel cerebrum, aut eius membranæ vulneratæ sint eligendæ plantæ, quæ aliàs capiti conueniunt, vt *betonica, primula veris, artemisia, lilium conuallium, caryophyllata, saluia, carduus benedictus, hypericum, nux moschata,* quibus *plantago, veronica,* & alia loco allegato enumerata addi possunt: quæ coquẽda sunt in vino, vel, si vinum locum non habet, in vino & aqua, aut cereuisiâ: & sumitur plerumque pulueris ex plantis ℥. ß. vel paulò plus, & coquitur in vini vel cereuisiæ mensf. 1. ad tertiæ vel quartæ partis consumptionem. Et colatura, si libet, melle vel saccharo edulcoratur, & exhibẽtur manè & vesperi Vnc. ij. vel paulò plus.

Vt ℞. *Betonicæ, primul. veris, cardui benedicti, pyrolæ. consol. Sarracenic. artemisiæ rubræ, sanniculæ* an. ℥. ß.

Puluerisatis omnibus, ℞. tantum, quantum cochleari capi potest. Coquantur in vini vel cereuisiæ mẽs. 1. ad partis tertiæ consumptionem, dulcorentur melle vel saccharo, & vesperi & manè ℥. ij. propinentur.

Vel ℞. *Plantag. rosar. rubrar. caryophyllat. hyperic. veronicæ,* an. Vnc. ß.

Coquantur in vino:

Colaturæ addantur *magisterij oculorum cancri* Scr. ij.

Vel ℞. *Artemisiæ rubræ, betonicæ, primulæ veris, verbenæ, rad. caryophyllat.* an Vnc. ß. Coq. in mensura vini vna.

Vel ℞. *Saniculæ, artemis. betonic. veronicæ,* an. ℥. j. *conseru. rosar. rubrar.* Vnc. ij. *caryophyllat.* ℥. ß. *tormentill.* ʒ. ij.

Coq. in aq. puræ, & vini Rhenani, an. lb. ij. vase clauso, in B. M. Colentur per manicam Hippocratis.

Vel ℞. *Fol aquilegiæ* M. vj. *consolidæ Sarracenic.* M. iiij. *betæ* M. iij. *betonicæ.* M. ij.

Omnia viridia conscindantur & contundantur, & in vase duplici clauso, nullo liquore addito, in balneo bulliente coquantur horis 4. Postea sponte sinantur refrigerari, & liquor percoletur: de quo mane & vesperi ægro duo cohlearia exhibeantur.

Potionum loco quoque conseruæ exhiberi possunt, vel pulueres.

Vt ℞. *Conseru. betonic. primul. veris, rosar. rubrar.* an. ℥. j. *margarit. præpar. oculor. cancri. præpar. macis.* an. ℈. j.

Cum *syrupo betonicæ* Fiat Electuarium, de quo manè & vesperi ℥. ß detur.

Vel ℞. *Nuc. mosch.* ℥. ß. *oculor. cancri præpar.* ʒ. iij.

F. Puluis. Detur Drach. j.

Vel *Corall. rubr. præpar. margar. præpar.* an. ʒ. j. *spodij* ʒ. ij. *oculor. cancri* ʒ. j.

F. Puluis; cuius dosis Drach. j.

### *Diæta.*

*Diæta in vulneribus capitis.*

Aër sit temperatus, ad calidũ vergens, &, nisi talis sit, arte paretur; ita tamen, vt ignis longius ab ægro accendatur. Calidum enim vt est 5. *aphor. s* 2. in vlcere pûs mouet, & maximum securitatis præbet indicium, cutẽ emollit, extenuat, dolorem lenit, rigores, conuulsiones mitigat, capitis grauitatem soluit, ossibus fractis plurimùm prodest, maximè si nudata, multoque magis, si in capite. Aër verò frigidus in vulneribus capitis, præsertim cum cranij fracturâ, & meningum læsione, vitandus. Frigus enim conuulsiones, tetanos, rigores ac horrores febriles affert: Hippocrates, 5. *aph.* 17. Proinde vulnus diligenter regendum, aër cubiculi temperandus, & dum vulnus detegitur, calefaciendus. Imò, vt Ambros. Paræus, *lib. 9. c.* 13. testatur, multi ex vulneribus capitis sauciati frigore imprudenter admisso in discrimen vitæ adducti sunt.

Aër tamen nimis calidus, æquè ac frigidus, vulneribus capitis inimicus. Ideoq; etiã plumis, linteaminibus, fasciis, pellibus, medicamentis calidis, aliisq; calorẽ augentibus caput non est onerandum, sed, vt Hippocrates, *de offic. Medici*, ait, fasciæ mundæ sint, leues, molles, tenues, ne locus vulneratus oneretur, neuè vaporũ trãspiratio prohibeatur, & calor augeatur. Imo si magnus æstus sit, qualis sub Cane, & tempore æstiuo, aër etiam refrigerandus, vt suprà, *c.* 1. dictum. Aër quoque sit obscurior, non valde lucidus, qui spiritus commouet, & dolorem auget.

Victus sit tenuior, ne vapores multi ad caput adscẽdant, & humores ad caput moueantur. Et si sanguinem humorésq; tenues ad partẽ vulneratam affluxuros metus sit, cibus refrigerans, & sanguinem nonnihil incrassans, ac vasa constringens esse debet. Ideóque ægri primùm panatellâ, vel ptisanâ hordeaceâ sunt alendi. Non improbantur tamen etiam cichoracea, malua, lactuca, quæ & somnum conciliant, & vapores calidos caput petentes temperant ac incrassant.

*Cerebri gallinarum in vulneribus capitis vsus.*

In mensa vltima cydonia vtilia sunt. Nonnulli hîc cerebrum gallinarum commendant; vt quod ob substãtiæ similitudinem cerebro vulnerato multum profit. Scribit quidem Iohan. Andr. à Cruce, *de vulner. lib. 1. tract. 2. cap. 6.* se nunquam ob cerebri gallinarum exhibitionem cerebrum vulneratum sanitati restitutũ videre potuisse; licet interdum ob tenuem victũ, & medicamenta idonea id acciderit. Ad negandum tamẽ

hoc

hoc non sufficit. Scribit contrà Cardanus. gallinæ cerebrum & memoriam iuuare, adeóque, vt aliquos, qui delirare inceperint, resipiscere fecerit. Amygdalas dulces quidam etiam non exhibendas censent; quòd caput grauent.

Vini potus ad diem 14. vsque planè intermittendus; cum caput petat, & vaporibus repleat, neruisque noceat: sed cereuisia tenui, & aq. hordei bibenda. Si sitis molesta est, succus malorum granatorum vtilis est. Feruorem enim bilis reprimit. Somnus sit moderatus. Interdiu æger non dormiat; quoniam caput somnus diuturnus replet; nisi noctu nō dormiuerit. Si tamē phlegmone cerebrum aut meninges inuaserit, etiam interdiu, præsertim ab aurora ad meridiem, somnum inire suadet Ambros. Paræus, *lib. 9. cap. 14.* cum eâ diei parte sanguis in corpore dominetur; qui cum per vigilias in habitum & superficiem corporis effundatur, somno cōtrà intrò ad partes corporis nobiles, cor & hepar reuocetur: si cum ortu Solis in habitum corporis effunditur, etiam vigiliarum motu magis magisque effunderetur, inflammatioque augeretur. Si vigiliæ sint immoderatæ, somnus concilietur lenioribus medicamentis, vt *part. 2. c. 1.* dicetur. Decubitus sit in ea parte quę minus dolet, donec pus sit genitum; postea in affecta parte æger iaceat, vt pus effluat, nisi dolor prohibeat. Quies animi & corporis imperanda. Exercitij tamen loco lenes frictiones in partibus inferioribus ante cibū instituantur. Oculorum acies non intendenda; & proinde, vt dictum, lumen intensum vitandum, & potiùs mediocres tenebræ eligendæ.

Vitandus quoque sonus & strepitus vehemens, vt tympanorum, tubarum, serrarum, & similes. Compertum enim est & hunc quibusdam mortem attulisse, vt refert Guilel. Fabricius, *cent. 1. obseru. 20.* Æger pauca loquatur, abstineat risu, clamore, & inprimis sternutationem caueat: nihil duri etiam masticandum.

Animi symptomata, vehementiora præsertim, ira & metus, valde capite vulneratis noxia sunt, vt mortem quandoque afferant; sicut id obseruauit Guiliel. Fabricius, *cent. 1. obseru. 17.*

Nocentissima quoq; est Venus, adeò, vt quidam penè sanitati restituti ex vsu Veneris mortui sint. Exemplum annotauit idem Fabricius, *cent. 1. obseru. 84.*

Aluus singulis diebus reddatur, & nisi spontè officium faciat, arte mouenda, ne fæces retentæ vapores ad caput mittant.

## QVÆSTIO I.

### *An vulnera capitis per agglutinationem seu suturam, an verò per carnis generationem sananda sint?*

*An vulnera capitis sanā-da sint per suturā, an per carnis generationē.*

Inter chirurgos agitatur controuersia de curatione vulnerum capitis sine cranij fractura, an capitis cutis vulnerata per suturam & agglutinationem, vt loquuntur, an verò per carnis generationem curanda sit. Alij enim per agglutinationem curari volunt, eâ de causâ, ne caput ab externo aëre offendatur: alij verò vulnera capitis consui nolunt: 1. quia cutis capitis durior. &c, vt aliarum partium, non agglutinatur, 2. quod periculum immineat, ne sanies sub sutura retineatur, & retenta pericranium & cranium corrumpat & dolorem, inflammationem, & alia mala excitet 3. quod metuendum sit, ne suendo pericranium lædatur. Ab externis verò aëris iniuriis, etiam sine sutura, tegumentis caput defendi posse aiunt.

Verùm enimuerò quod ipsam suturam attinet, dictū iam ante est, omittendā omnino esse, nisi necessitas summa id postulet, & vbi necessaria est, cauendum, ne pericraniū simul lædatur. Et præstātissimi chirurgi ferè eam omittunt: poteftq; alterario capitis ab aëre frigido tegumētis caueri. Et si tota cutis incisa est, omnino metuendum, pericranium simul læsum esse; quo vulnerato tutius est suturam omittere, quàm adhibere. Malè verò puto opponi suturām carnis generationi, atque curationem per agglutinationem & suturam pro eodem haberi. Etsi enim negandum non sit; cùm experientia id testetur, etiam cutem capitis (quamuis tardius, cùm crassior sit & siccior) conglutinari: tamen vix fieri posse puto, vt illa agglutinatio fiat sine omnis carnis generationē; præsertim cùm longiore tempore ad cutis agglutinationem opus sit. Et licèt tardè generetur: omnino tamen & conglutinationem cutis fieri necessarium est; cùm non ex carne cutis, neque ex cute caro crescat, aut cutis per carnem conglutinetur; sed ex cute solum cutis generetur, & cutis per cutem seu cicatricem coalescat. Ideóque satis esse puto, si chirurgus de hoc primùm sollicitus sit, vt necessaria medicamenta adhibeat, & vulneris labia per deligationem cōiungat, reliquum naturæ committat. Nam vt simul aliquid carnis succrescat, ipse vix prohibere poterit; cum non sit possibile, vt sine omnis puris generatione & prouectu tale vulnus sanetur. Alteratur enim tum à telo, tū ab aëre externo, cruditatéque quandā contrahit, quæ non nisi coctione, & puris aliquâ generatione emendatur. Vnde in eius, quæ in pus vertitur, locum alia noua succrescat necesse est.

*Vulnera frōtis an sint suenda.*

Vulnera frontis nonnulli etiam per suturam coniūgi debere docēt, vt deformitas vitetur; idq; ideò, quod primò statim sutura sicca, vel per glutinum adhiberi nō possit; quapropter suendum censent vulnus, & secundo & tertio die suturam remouendam, & glutinum adhibendum putant. Verùm hoc modo deformitas nō euitatur. Puncta enim semel facta cōspiciuntur; neque sutura vsque ad vulneris consolidationem durat. Neque refert, etiamsi in prima deligatione sutura sicca non adhibeatur. Sufficit, si in secunda id fiat.

## QVÆSTIO II.

### *Quo in loco contrafissura fiat.*

*Cōtrafissura quo in loco fiat.*

De contrafissuræ loco non omnes idem scribere, supra dictum est. Nonnulli in eâ sunt sententia, fieri hâc fracturam in aliâ quidem ossis parte ab ea. quæ ictū excepit, in eodem tamen osse, nullo modo in opposita parte. Sententiæ huius est Paulus Ægineta, *lib. 6. cap. 90.* vbi aduersus Soranum disputat: cui assentiuntur Guido de Gauliaco, Vidus Vidius, Gabriel Fallopius. Idq; ex vsu suturarum probare conantur, quas inter alias caussas ideo etiam datas volunt, vt, si parte aliquâ cranium frangeretur, reliqua indemnis seruaretur, terminúsq; læsionis esset sutura ipsa. Ideóque etsi vitra & cucurbita exsiccata in parte oppositâ frangantur: in cranio tamen aliter se rem habere statuunt. Vitrea enim vasa & cucurbitæ exsiccatæ vacuæ sunt; & agitato ex percussione in iis aëre, nec exitum inueniente; in aliâ, vel oppositâ parte fit fractura: cranium verò vacuū non est. Vitra etiam & cucurbitæ continua corpora sunt; cranij verò partes inter se saltem contiguæ, & suturis distinctæ,

Alij verò, & quidem ipsâ experientiâ edocti, in aliâ cranij, quam quæ percussa est, parte; immò in oppositâ fracturam fieri posse statuunt. Dux horum procul dubiò Hippocrates, qui, in *libr. de vulnerib. capitis*, scribit: Frangitur caluaria sub vulnere aliâ parte, quàm vbi plaga est. Idem post Hippocratem Soranus, *lib. 8. de affect. cap. 4.* & Cornelius Celsus, *lib. 8. cap. 4.* Galenus, *lib. 6. meth. med. cap. vltimo.* Auicennas, *quinta quarti tract. 3.* Nicol. Florentinus, Iohan. de Vigo, Io-Andr. à Cruce, statuunt, qui omnes in aliâ, quàm vbi plaga est, cranij parte fracturam fieri posse afferunt, & obseruarūt. Ideóq; ob rationes quasdā sensum dimittere nō licet, vt Aristoteles, *1. de generat. & corrupt. text. 58.* habet; & in morbis externis sensus omnibus rationi-

bus præferendus. Neque experientia hæc elidi poteſt, quod Amatus Luſitanus, *cent.* 3. *curat.* 42. & alij quidam aſſerunt, fieri poſſe, vt vnâ parte caluariæ læſâ, alia longè diſtans afficiatur, nõ quod os fiſſum ſit, ſed quòd ſub eo cerebri meningum, venula aliqua rupta ſit, ex qua ſaguis effluit, & ſanies fit, ac putredo oritur. Experientia enim contrarium docet, obſeruatumque, vt ex locis allegatis patet, non ſolùm venas, ſed ipſum craniũ in parte oppoſita, vel diſtanti ruptum fuiſſe. Et quamuis cranij oſſa non continua ſint, ſed contigua ſaltem: tamen quod aliis corporibus accidit, & cranio accidere poteſt. Dum enim aër in cranio ex ictu commouetur, & per totam cranij ſubſtantiam fertur, vbi in concurſu cranij parti oppoſitæ alliditur, renitens frangit. Et ſit ſanè, quod etiam Galenus, *9. de vſu partium cap.* 17. vult, vt hanc quoque ſuturæ vtilitaté habeãt, ne, ſi fractura accidat, ea nimis lõgè protrahatur, ſed ad ſuturam terminetur: tamen nihil obſtat, quin in oppoſitã etiã aliã parte fractura fieri poſſit, ob cauſſam modò dictam. Fracturæ quidem ad proximum os continuationem prohibent ſuturæ: vt verò in alio oſſe fractura peculiaris fiat, prohibere non poſſunt. Nõ tamen neceſſarium eſt, vt quoque ſupra diximus, vt cõtrafiſſura ſemper fiat in parte oppoſitã, ſed ſatis eſt, ſi fiat in aliã, quàm quæ percuſſa eſt.

## QVÆSTIO III.

### *An cranium fiſſum ſtatim & ſemper radendum ſit?*

*Craniũ fiſſũ an ſemper radẽdũ ſit?*

Celſus, *lib.* 8. *cap.* 4. quo de vulneribus capitis diligenter tractat: antiquiores quidẽ Medicos in omni fiſſo fractóue oſſe protinus ad ferramenta, quibus id exciderent, veniſſe ſcribit. Ipſe verò melius eſſe putat antè emplaſtra experiri, quæ caluariæ cauſsâ cõponuntur, eorúmque aliquod ex aceto mollitum per ſe ſupra fiſſum fractũq; os imponere, deinde ſuper id aliquando latius, quàm vulnus eſt, eodem medicamento illitum linteolum, & præterea ſuccidam lanam aceto tinctam imponere iubet, & hoc modo vſque ad diẽ quintum curare. Quod ſi caruncula increſcere cœperit, & febricula aut ſoluta erit, aut leuior, & cupiditas cibi reuerterit, ſatiſq; ſomni accedat; in eodem medicamento perſeuerandũ eſſe cenſet. Hac enim ratione ſæpe rimas callo quodam, qui veluti oſſis cicatrix eſt, impleri ſcribit; qui callus aliquando melius ſit velamentum cerebro, quàm caro, quæ exſciſſo oſſe increſcit. Si verò ſub prima curatione febris intenditur, breuéſque ſomni, & iidem per inſomnia tumultuoſi ſunt, vlcus madet, neque alitur, & in ceruicibus glandulæ oboriuntur, magni dolores ſunt, cibique ſemper faſtidium increſcit: tum demum ad manum ſcalprúmque veniendum cenſet.

Hieronym Fabricius ab Aquapendente verò, *lib.* 2. *chirurg. c.* 17. Celſi ſententiam, quam etiã Petrus Pavv, *in comment. in hunc locum*, paradoxam appellat, improbat, ob ſequentes rationes: 1. quia in vulneribus capitis quæ ſuâ naturâ admodum periculoſa ſunt, peſſimum eſt, expectare praua ſymptomata, ac tum demum prouidere, cùm forſan occaſio præteriit. 2. quia, ſi rima non deradatur, vt plurimùm nigritiem contrahit, ob quã deinde ad os radendum cogimur. 3. quia cranium, etiam non læſum, ſi denudatum ſit, deradendum eſt, vt raſurâ faniei collectio, quæ ad ſubiectam membranam deſtillare poteſt, & eam corrumpere, præcaueatur. Labia, quæ in oſſe inciſa ſunt, inæqualia & aſpera læuiganda ſunt, & raſurâ in exactam cognitionem profunditatis rimæ perueniendum.

Verumenimuerò Celſi, vtpote viri in Chirurgia peritiſſimi, ſentẽtiam, præſertim vbi externa ſaltẽ lamina fiſſa eſt, non planè reiiciendam puto. Etſi enim in iis regiõnibus, vbi periculoſa ſunt capitis vulnera, nemini ſuaſerim, vt raſionem differat: tamen in noſtris, & aliis regionibus, vbi minus periculoſa ſunt capitis vulnera, ex Celſi ſententia curationẽ inſtitui poſſe puto; cum certum ſit, & experientia id teſtetur, natura, vt in aliis partibus, ita & in capite, ſæpe oſſa conſolidare, ſine omni raſura; quod vel fiſſuræ illæ, quæ longius procedunt, teſtantur, quas ad extremum vſque inueſtigare, Galenus, *6. m. m. cap.* 6. & omnes Medici prohibent, quaſque natura ſine raſura ſanat. Itaque hic vulneris conditio diligenter perpendenda. Si enim eius labra non ſint aſpera & inæqualia, & vulnus tale ſit, vt non ſit metuendum, grauia ſymptomata ſuperuentura: naturæ negotium committere, & pulueres cephalicos atque alia neceſſaria medicamenta adhibere licet. Et quamuis negari non poſſit, multos ſatis commodè viuere, quibus magna pars cranij dempta eſt: tamen quod Celſus habet negari non poteſt, melius & fortius velamen cerebro eſſe callũ, quiin rimâ cõcreſcit, quàm carnem, quæ concreſcit, vbi os deraſum eſt. Poteſt etiam ſine raſione vulnus mundari. Si verò vulnus ſit inæquale & aſperum, aut ob grauia ſymptomata imminentia malum metuimus, ad raſuram ſtatim accedendum. Neque hic ſemper ad ſeptimum vel octauum vſque diem naturæ negotium committendum, & grauiſſima ſymptomata expectanda ſunt; ſed quid ſub primâ curatione, vt Celſus loquitur, & primis ſtatim diebus fiat, attendendum. Facilè enim ex ſignis à Celſo traditis cognoſci poteſt, an morbus in peius vel melius vergat.

## QVÆSTIO IV.

### *An duræ meningi denudatæ ſiccantia, an verò humectantia medicamenta imponenda ſint?*

*An duræ meningi ſiccantia: an humectantia imponenda.*

Non eadem medicamenta membranæ duræ denudatæ chirurgos, vel olim, impoſuiſſe, ex Galeno, *6. m. m. c.* 6. patet: ſed aliquos blandiſſima, quæ hodiè digeſtiua vocantur; alios vehementer ſiccantia. Meges Sidonius, vt, *ibidem*, refert Galenus, vehementiſſimis ſiccantibus vtebatur, vt & ciuis quidam ipſius, Eudemius vir ſatis exercitatus in hâc artis parte, ſic, vt emplaſtrum, quod Iſin vocant, nudatæ membranæ imponerent, & ſuper hanc fotus oxymel. Emplaſtrum autem Iſis cephalicum *lib.* 5. *de comp. medicamentorum ſec. gener. c.* 2. deſcribitur, paraturque *ex ceræ* ℥. 100. *terebinth.* Drach. 200. *ſquammæ æris rubri, æruginis raſæ, ariſtoloch. rotund. thuris, ſalis Ammoniac. æris vſti, rad. dracunculi*, ana, Drach. viij. *aluminis vſti* Drach. xij. *olei veter.* Vnc. x. Terenda terantur, adiecto aceto acerrimo, &, vt conuenit, coquantur, quouſque nõ inquinẽtur manûs, & fiant paſtilli, manibus aceto acerrimo intinctis, qui per decẽ dies in aceto acerrimo macerẽtur. Nullũ verò alium his vſum ſe vidiſſe ſcribit Galenus: hoc tamẽ teſtatur, magis ſanatos fuiſſe eos, qui ab Eudemo illo curabantur, quàm ab aliis, qui blandis vtebãtur. Neque ea curandi ratio Galeno diſplicet; hanc ob cauſam, quod auditorius meatus, qui non ſolum vſque ad durã cerebri membranam pertingit, ſed etiã neruum attingit, qui in ipſum à cerebro deſcendit, etiam vehementiſſima medicamenta tolerat: qualia propterea etiã duræ membranæ, vt naturâ ſicciſſimæ, conuenire poſſunt: atque ita Eudemi curationem approbare videtur Galenus. Eandem curandi rationem & Celſus obſeruauit, qui perforatione peractâ duram matrem aceto acerrimo vult inſpergi, vt, ſi cruor aliquis ſuper ipſam ſit concretus, diſcutiatur. Deinde vſurpat emplaſtrum viride, vel Iudæum, quæ valde ſiccant, & ab eo *libr.* 5. *cap.* 19. deſcribuntur. Atque hæc curandi ratio petita videtur ab Hippocrate, qui, *lib. de vulnerib. capit.* iubet, vt exciſo oſſe, & membranâ patefactâ, valdè ſiccãtibus & detergẽtibus ea purgetur, ne diutius

madens

madens sub aliis medicamentis hebes fiat, & putrescat.

Ex posterioribus verò Medicis sunt, qui membranæ duræ denudatæ spiritum vini, seu aquam vitæ aliquam, præcipuè cum cephalicis, vel solam, vel cum melle rosaceo, aut terebintina, aut vnguentis cephalicis siccis mistam imponunt. Neque hic curandi modus per siccantia rationibus destitui videtur. Primò enim vlcera omnia exsiccatione indigent; anodyna verò & humida facilè putredinem excitant. 2. Oleum est neruis inimicum. Meninx autem dura est neruosæ substantiæ. 3. Frigida sunt neruis inimica; quale est oleum rosaceum, quod plerique adhibent.

Qui verò Romæ viuebant Medici tempore Galeni, contrariam rationem sequebantur, ac humectantibus, & præcipuè oleo rosaceo vtebantur: alij columbæ sanguinem calidum supra membranam instillabant. Et de oleo rosaceo quidem scribit Galenus, 11. *de simpl. medic. facult. cap. 2. de sanguine columb.* se sexcentos nouisse eorum, quibus Romæ persanata fuerint, capitis ossa, nec quidquam ab vsu rosacei citra columbæ sanguinem offensos: statuitque, nihil melius inueniri posse, quàm vt osse perforato optimo rosaceo vtaris. Galeno adstipulatur Aetius, *lib. 2. cap. 85.* & Paulus Ægineta, *lib. 6. c. 90.* Sequuntur hanc curandi rationem & hodie plurimi, qui tum oleo rosaceo, tùm digestiuis medicamentis vtuntur, scribúntque non dari aliquod medicamentum, quod ita nobis similis temperaturæ naturalem & innatum calorem foueat & corroboret, fluxiones inhibeat, intemperiem remoueat, causis dolorem parientibus resistat: & proinde cum præcipua cura Medici esse debeat, inflammationem prohibere; nihil verò magis ad inflammationem excitandam faciat, quàm dolor, medicamenta dolorem sedantia, & præcipuè oleum rosaceum, semper esse necessaria. Præterea quia vulnus incrudescens non parum molestiæ exhibet; incrudescit autem siccis medicamentis: potiora putant humectantia & lenientia.

Sunt tandem, qui vtramque curandi rationem probant, ac parùm referre putant, vtram sequamur.

Verùm enim verò cum siccantia & humectantia medicamenta valde differant, & contrarios planè effectus edant, non parùm refert, an his, an verò illis vtaris. Itáque hac in re & vulneris, & corporis, & regionis conditio consideranda. Etenim si membrana sine inflammatione sit alba, illæsa, ac pura appareat, dolórque absit, medicamenta siccà cephalica vsurpanda. Accidit verò sæpe hoc, vbi à telo membrana detecta est: quæ si mollis, illæsa, alba, & pura appareat, mel rosatum, vel solum, vel cum siccāte aliquo mistum adhiberi potest. Scribitque Iohannes Andreas à Cruce, se longo experimento compertum habere, in athlethis & exercitatis corporibus mel rosatum cum guttis iiii. aquæ vitæ immo vulneri, seu membranæ detectæ feliciter cum sindone imponi, & residuum vulnus puluere vel vnguento cephalico repleri. Neque omnino aquæ vitæ illæ in tali vulnere planè reiiciendæ videntur; cum neruosis partibus amicæ sint, à putredine præseruēt, & in omnibus vulneribus vlceribúsque detergendis, siccandis, & ad bonum exitum perducendis, mirabilem vim habeant: id quod quadraginta annorum experientiâ se obseruasse scribit Valleriola, *lib. 5. obseru. 8.* Si verò dolor & inflammatio metuatur, & membrana non planè illæsa sit; id quod plerumque accidit, cùm artificis manu ac instrumentis cranium aperitur, & vel agitatione nimiâ, vel ossis eminentiâ, vel quocunque modo membrana læditur, & non rectè sese habet: commodissimum est oleum rosaceum omphacinum, quod ex immaturis oliuis expressum est, & cum rosis non planè apertis paratur, quod & adstringendi vi aliquâ roborat, & temperatâ frigiditate inflammationes prohibet, & suppurationem, quæ in principio vulneris statim procuranda, citat. Cùm enim inflammationem penitus euitare non possimus, mitiorem eam fore docet Hippocrates, *lib. de vlcerib.* si quàm celerrimè vulnus suppurare fecerimus. Non tamen nimis diu, & vltra septimam, præter propter, quod fit tertiô die, deligationem, (neque etiam certo dierum numero hoc definiri potest) in huius vsu persistendum, ne putredo aliqua excitetur, & membrana tum à frequenti oleorum impositione, tum è puris longiore morâ hebes fiat; præsertim æstate, quo tempore citius pus generatur: hyeme autem ad septimum vsque diem nunquam medicamentis suppuratoriis vtendum. Ideóque quamprimum pus bonum apparere incipit, oleo rosaceo mel rosaceum addendum, aut syrupus rosaceus, vel etiam oleum de vitellis ouorum. Hinc ad magis siccantia accedendum, & cranio pulueres cephalici inspergendi. Ad quam rem Meges Sidonius Iside solo vtebatur in capitibus Persarum durissimis & robustissimis, & his, qui in Asia degebant. Itali non nisi duplo rosaceo adiecto vti audent. Neque verò siccantia eiusdem planè modi in omnibus corporibus vsurparunt antiqui; sed in mollioribus corporibus vtebantur emplastro, seu vnguento Isidis, à Galeno descripto; quod fit ex vna parte emplastri Isidis, & duabus partibus cerati rosacei: in mediocri tempe amento, vnguento composito ex æquali horum portione. In robustissimis corporibus, qualia sunt nautarum, agricolarum, emplastrum Isidis solum locum habere potest.

*Spiritus vini in vulneribus vlceribúsque à putredine præseruandis vtilitas.*

Eodem modo temperaturæ & corporis constitutionis ratio habenda est in lenioribus, & anodynis illis adhibendis. Etenim in corpore molliore & humidiore, qualia puerorum, sufficit solum oleum rosaceum. Sin caput sit siccius, vt in adultis, & præcipuè crispos capillos habentibus, resina abietina admiscenda, vel oleum hyperici. Sin adhuc siccius, plus resinæ, quàm olei rosarum sumendum. Ita & æstate vtilius est oleum rosaceum, hyeme resina abietina.

Hodiè ferè vtuntur vnguentis cephalicis, de gummi elemi, de betonic. de mattisylu. quæ ita pleraque sunt composita, aut aliorum admistione ita facilè temperari possunt, vt dolorem leniant, inflammationem prohibeant, putredinem arceant. Vbi maiore siccatione opus est, adhibent, vel admiscent aquas vitæ supra propositas. Exempla talium curationum videantur in locis supra allegatis.

## QVÆSTIO V.

### *An Cranio fracto, cute verò integrâ manente, cutis secanda sit?*

*An Cranio fracto cutis integra secanda sit.*

Est Pauli Æginetæ, Celsi, & plerorumque Chirurgicorum opinio, si cranium fractum, cutis verò integra sit, cutem capitis secandam esse, vt fractura pareat, & reliqua, quæ debent, commodè peragi possint. Refert tamen Vidus Vidius, *in comment. in lib. Hippocr. de vulneribus capit.* Iacobum Perusinum, Romæ Medicum & Chirurgum suo tempore celebrem, longo vsu obseruasse eós magis seruari, qui sine cutis incisione, partim lenientibus, partim siccantibus medicamentis curantur, quàm quibus cutis inciditur, & os aperitur; atque is longè aliam esse rationem cranij fracti denudati, quàm cute intecti docet. Etenim si cranium detectum sit, si absque sectione relinquatur, humor, qui supra membranam cerebri delapsus est, à calore, qui exspirat, discuti non potest; quocirca putrescens hominem iugulat. Vbi verò cutis integra est, calor non exspirat; ideóque saniem digerere, & ossa solidare potest; id quod in aliis etiam fracturis, quæ carne & cute teguntur, quotidiè fieri videmus.

Verùm sententia hæc absolutè vera non est. Facilè quidem eam recipimus, si neque magna sanguinis copia sub cranium effusa sit, neque os fractum membranas pungat, neque cranium depressum cerebrum comprimat, vt supra dictum. Vt enim alia ossa fracta à natu-

ta consolidantur:ita in cranio idem accidit;sicut manifestè in fracturis longius progredientibus euenit, quas ad extremum vsque inuestigare Galenus prohibet. Et si nec vasa nec cutis valde læsa sit, sanies illa exigua à natura facilè discutitur.

Verùm si sanguinis magna copia sub cranium effusa sit, & partium subditarum corruptio à pure metuatur, membrana ab osse fracto, vel depresso pungatur, aut comprimatur; id quod ex signis supra traditis, & symptomatibus grauibus superuenientibus apparet: cum natura ista vitia corrigere non possit, omnino cutis sectio,& cranij apertio necessaria est. Præterea cum cutis sectione neglectâ nec fractura ossis,neque modus eius, neque terminus satis cognosci possit, cautus hîc sit Medicus, ne in aliquod periculum ægrum coniiciat.Et sit,vt saniem per cutem exhaurire possit:ossicula tamen & squammæ in profundo hærentes non ita facilè extrahuntur.

## QVÆSTIO VI.

### *An in cranij fractura, etiam internam laminam penetrante, semper cranium aperiendum sit?*

*An in cranij fractura cranium semper aperiendum sit.*

Communis est opinio, quam supra proposuimus, si cranij vtraque lamina fissa sit,cranium aperiendum esse, vt saniei, quæ colligitur, & deligatione non exprimi, nec alio modo euacuari potest,exitus patefiat. Sunt tamen nonnulli, qui contrarium sentiunt, & breuiùs ac tutius emplastris, ceratis, & aliis medicamentis extra appositis, quàm manuum & ferri operâ cranium hoc modo fractum curari posse putant; ideò, quòd 1. per medicamenta nihil ampliùs destruitur; quod fit manuum opera, sed quod fractum est statim reficitur. 2. quod cranij apertione sæpe inflammationes & alia symptomata accersuntur. 3. quod membranarum cerebri inflammationes solis medicamentis,non verò manuum operâ sanantur. 4. quod dantur medicamenta, quæ sagittas,spinas,& alia è corpore extrahunt,quorum sylua est apud Galenum,*6.de compos.med.sec.gen.*Scribonium Largum, *de compos.med.cap.*201. Celsum, *lib.*5. *cap.*9. quibus etiam sanies sub cranio contenta extrahi posse videtur. Et 5. tandem, quod ipsa experientia testatur, plurimos sola medicamentorum applicatione,sine manuum operâ,sanatos fuisse.

Verum enim verò eadem ferè huius quæstionis solutio est,quæ tertiæ.Etenim si certò constet,neque cranium depressum esse,neque quicquam effractum,à quo cerebrum lædatur,& saniei tam paruam copiam esse, ac naturæ robur tantum, vt medicamentis adiuta saniem absumere & dissipare possit; id quod ex symptomatibus apparet:apertione cranij opus non est. Verùm si sanies sit paulò copiosior,aut à cranio cerebrum, aut membranæ eius lædantur; nullo modo omittenda sectio. Et cum semper satis certi esse non possimus,quanta saniei copia collecta sit sub cranio, & quantum naturæ robur sit:tutiùs ferè semper videtur, maturè cranium aperire, antequam symptomata grauia superueniant,quæ postea apertionem difficiliorem & periculosiorem reddunt. Neque enim, si vtraque lamina rupta sit, per medicamenta semper sanies omnis discuti, neque membrana abstergi, & à corruptione seruari potest. Et quamuis in partibus carnosis ad extrahendum aliena talia medicamenta adhibeantur: tamen quia id tardius præstant, & interea temporis inflammatio,& alia mala excitari possunt; his solis non fidendum. Inflammationum etiam membranarum cerebri sine vulnere & fractura cranij alia ratio est,quàm eius,quam hîc metuimus. Ibi enim humor adhuc in venis, & partium poris est: non verò extra parti incumbit;& propterea faciliùs à naturâ regi potest;hîc verò,extra parti incumbens,si putrescat,eam necessariò corrumpit. Neque etiam omnes à membranarum cerebri inflammationibus conualescunt. Et quamuis interdum in robustioribus naturis, in quibus sæpe in vulneribus quasi miracula fiunt, fracturæ tales sine cranij apertione curentur;tamen idem de aliis omnibus polliceri non licet.

---

## CAPVT XXV.

### *De Fungis Cerebri.*

*Fungi cerebri.*

E Membranis cerebri vulneratis interdum caro quædam mollis,& radice subnixa,instar fungi,pullulat; quæ idcircò etiam fungus appellatur. Vt enim per arborum cortices interdum humor quidam vitiosus exstillat,qui in fungum concrescit: ita si membranæ cerebri lædantur,humor quidam exstillans in carnem mollem,quæ fungi instar est,mutatur, & breui tempore sæpe magnum incrementum sumit. Natura enim nunquam otiosa est, ac si humores affluentes, ob eorum ineptitudinem,vel etiam partis debilitatem,in eius alimentum vertere non possit,in eam,quam potest,naturam conuertit;quo modo etiam alibi in corpore verrucæ & similia generantur.

Subiectum,vt *in Epist.ad Guilelm.Fabric.cent.*1.*obseru.*35.scripsi, membranam esse puto,eamque non integram, sed vulneratam, seu contusam, ita vt humores affluentes ex eâ læsâ exstillent,& in talem fungosam ac mollem substantiam conuertantur.Ideoque non solum in cerebro, sed etiam in aliis partibus membranosis contusis,tales fungi oriuntur.

Discernendos autem esse puto istos fungos propriè ita dictos,à carne illâ vtili,quam natura prouida interdum ad cerebrum & membranas nudatas tegendas ex vtili alimento,ex humoribus secundariis,quos vocant, generat, quamque nonnulli etiam fungum appellant. De quo proculdubio intelligendum est,quod Volcherus Coiter, *in obser.anat.* scribit, se in omnibus capitis vulneribus,quæ tum ipse curauit,tum à Fallopio,& Iulio Cæsare Arantio curata vidit, animaduertisse, substantiam quandam fungosam, duram, & ita tenaciter partibus subiectis annexa, vt spatula auferri nequiuerit,suppullulasse.Fungos enim propriè dictos, qui plerunque lethales sunt,in capitis vulneribus ita frequenter nasci, credibile non est.Ista quoque caro non ita subitò generatur, nec valde exuberat. Fungi verò propriè dicti ex humoribus vitiosis affluentibus,instar fungorum,citissimè generantur,vt sæpe vno die magnitudine oui gallinacei excrescant; & licet aliqua pars dematur,paulò post maior repullulat.

### *Symptomata & Signa.*

Visu facilè huiusmodi vitium cognoscitur. Ex contusâ enim, seu vulneratâ membranâ cerebri breui temporis spatio fungosa pallida caro subitò excrescit & pullulat,vt sæpe etiam supra cranium & cutem emineat.

### *Prognosticum.*

Fungi hi periculosi sunt, & plerúmque lethales; cum ab humorum vitiosorum ad cerebrum affluxu proueniant, & tandem putrescentes gangrænam attrahant.

### *Indicationes.*

Cùm ab humorum vitiosorum ad cerebrum affluxu gignentur fungi; humores illi è corpore euacuandi, & à capite reuellendi sunt. Ipse verò fungus siccantibus & exedentibus medicamentis absumendus: acriora tamen hîc vitanda. Excisio verò, quæ ferro fit,vt & quæ ligatura

ligaturâ,& filo ſerico, adeò tuta non eſt; cum grauia ſymptomata ſuperuenire ſoleant. Si tamen fungus nimium incrementum ſumat, filo ſerico ad radicem ligandus arctius, vt decidat; reliquum medicamentis ſiccantibus abſumendum. Si etiam durities aliqua, & malignitas adſit, quæ cancri naturam referat, tum lenioribus medicamentis non cedit fungus; acrioribus verò magis irritatur;& proinde niſi radicitùs exſcindatur, vix tuto, citò,& ſine dolore curari poteſt, vt ſentit Guilelm. Fabricius.

### *Curatio.*

*Fungorum cerebri curatio.*

Qua ratione corpus vniuerſum à vitioſis humoribus euacuari debeat, ex ſuperioribus patet Ad fungum verò exſiccandum & abſumendum inſeruiunt ſabina, hermodactyli combuſti, rad. caryophyllat. angelicæ, ariſtoloch. rotundæ, irid. Florent. roſmarinus.

Ambroſius Paræus hoc puluere vtitur:

℞. *Sabinæ* ʒ. ii. *ochræ* ʒ. i. F. Puluis.

Guilelm. Fabricius iſto:

℞. *Rad. caryophyll. angelic. calami arom.* an. Drach. ß. *ariſtolochiæ rotundæ, iridis Florentin. ligni Guaiaci*, an. Drach. ii. *flor. ſalu. ſumm. maioran. flor. roriſmarin.* an. P. i. F. Puluis ſubtiliſſimus.

Deinde hoc Emplaſtrum imponit:

℞. *Emplaſtri de betonic.* Vnc. iiii. *gum. elemi diſſol. in ol. roſ.* Vnc. i. *pulu. roſar. myrtill. maſtiches, calami arom.* an. Drach. iß. *Cum* ſ. q. *olei roſarum.* M.

Videatur Paræus, *lib.* 9. *c.* 19. Guilelm. Fabricius, *cent.* 1. *obſ.* 14. 15. *cent.* 2. *obſeru.* 35. 36.

---

## CAPVT XXVI.

### *De Carie Cranij.*

*Cranij caries.*

Continui ſolutio in oſſibus, quam eroſio ab humoribus acribus gignit, caries appellatur. Ea quandoque etiam cranio accidit; cum ſcilicet per vulnera aut vlcera ſanies defluens oſſis ſubſtantiam corrumpit. In quo humore interdum eſt peculiaris proprietas, quæ oſſi aduerſatur, vt obſeruatum ſit, cranium corruptum & carioſum euaſiſſe, cute capitis integrâ manente.

### *Signa Diagnoſtica.*

Cognoſcitur viſu, & os nudatum à naturali colore in liuidum & nigrum mutatum eſt; actu quoque, ſpecillo immiſſo, deprehenditur: cum ſcilicet inæquale & aſperum quid occurrit,& ſpecillum leuiter adactum, in oſſis ſubſtantiam, tanquam lignum carioſum penetrat. Cariem oſſis indicat etiam ſanies liquidior, tenuior, & fœtidior, quàm quæ à ſimplice carnis vlcere prouenire poſſit. Caro inſuper eſt laxa & mollis, vlcúſque, ſicut accidit, eſt rebelle, nec facilè cicatricem contrahit.

### *Prognoſticum.*

Si caries non admodum magna ſit,& medicamenta, vel ferrum commodè adhiberi poſſit, malum incurabile non eſt,

### *Curatio.*

Quicquid oſſis corruptum eſt, à ſano ſeparandum. Fit hoc dupliciter: medicamentis, vel manus operâ. Si enim caries minus profunda ſit, ſufficiunt medicamenta, quæ inſigniter exſiccant; quo fit, vt glutine, quo cum oſſe ſano cohærebat, abſumpto abſcedat, & ſeparetur: vel natura roborata,& vitioſo humore abſumpto, ſponte, quod corruptum eſt, ſeparat. Inſeruiunt huic vſui pulueres cephalici dicti, ſupra enumerati, quibus & alia exſiccantia addi poſſunt. Ex iis ſunt alia mitiora, alia fortiora.

Mitiora, in corporibus mollioribus, & ſi corruptio oſſis non ſit magna, vſurpanda, ſunt, *Radix ireos, ariſtolochiæ rotund, peucedani, myrrha.*

Fortiora, quæ in corporibus durioribus, & ſi corruptio maior ſit, locum habent, ſunt, *rad. draconti, cortices pini, ſcoria æris*; inter fortiſſima eſt, *euphorbium, & vitriolum.*

Exempli gratia:

℞. *Pulu. aloes, pumic. vſti, pompholyg.* an. Drach. ii. *rad. ireos Florentin. ariſtoloch. rotund. myrrhæ,* an. Drac. i. *oſtreæ combuſtæ* Drach. ß. F. Puluis ſubtiliſſimus, qui vel ſolus, vel melle roſato, & ſpiritu vini miſtus applicetur, & hoc emplaſtrum apponatur:

℞. *Ceræ nouæ, reſinæ pini, gummi ammoniac. elemi,* an. Drach. vi. *terebinth.* Vnc. iii. *pulu. maſtiches, myrrhæ, ariſtolochiæ rotundæ, ireos Florentin. aloes, opopanac. euphorbij,* an. Drach. i. *olei roſacei* q. ſ. F. Emplaſtrum.

Vel imponatur emplaſtrum de betonica.

Quod ſi maior ſit oſſis corruptio, quàm vt medicamentis emendari poſſit, os radendum, donec integrum & album appareat, ac aliquid ſanguinis exſtillet; vel ſcalpro, aut alio inſtrumento carioſum exſcindendum: aut ſi corruptio maior ſit,& maligna, vt nec ferro tolli poſſit, cauterio os adurendum. De quibus plura dicentur, vbi in genere de oſſium carie curandâ tractabitur. Videatur interim Celſus, *lib.* 8. *cap.* 2. Ambroſ. Paræus, *lib.* 9. *cap.* 20. *& lib.* 18. *cap.* 26 27. Hieron. Fabricius ab Aquapendente, *lib.* 3. *c.* 10 Chalmeteus, *ench. Chirurg. cap.* 8.

---

## CAPVT XXVII.

### *De Tumoribus Cerebri:*

### *Et primò*

### *De cerebri & meningum eius inflammatione.*

Abſoluimus hactenus tria morborum ſimplicium, quæ capiti accidere poſſunt, genera: ſuperſunt quidam morbi compoſiti; tumores nimirum, in quibus intemperies cum materia coniungitur, cum magnitudine auctâ, & quandoque etiam cum vnitate ſolutâ: quorum duo explicanda ſunt, inflammatio ſcilicet, & hydrocephalon.

*Cerebri & meningum eius inflammatio.*

Et primò quidem inflammationem quod attinet, cum ad cerebrum & eius membranas plurima vaſa ſanguinem vehentia tendant,& per has partes diſſeminentur, ſi ſanguis ex iis excidat,& in poros, & ſpatia partis effundatur, atque ibi corrumpi, & putreſcere incipiat, inflammatio excitatur, quæ Græcis φρενῖτις nominatur, ἀπὸ τῶν φρενῶν, quod ratio lædatur,& delirium ab hac inflammatione excitetur, vt infra, *part.* 2. *cap.* 7. dicetur: vbi etiam, *quæſt.* 1. an cerebrum inflammari poſſit, explicabitur.

### *Cauſſæ.*

*Cauſſa inflammationis in cerebro.*

Cauſſa nimirum inflammationis cerebri eſt ſanguis iſque vel purus, vel pituitoſus, vel bilioſus. Vt autem ſanguis ille p. n. ad cerebrum & membranas eius effundatur, faciunt quæcunque ſanguinem nimis calefacere, & ad caput conuertere poſſunt, vt aëris feruor, quo cerebrum incaleſcit, humoréſque feruidi è toto corpore ſurſum trahuntur, ictus & capitis vulnera, ac dolor inde ſequens, vigiliæ diuturnæ, ira, victus ratio calidior, ac inprimis vini meracioris potus, à quo ſanguis accenditur, & ad caput mouetur, tandémque motus humorum ſymptomaticus in febribus.

Inprimis,

In primis verò duobus modis cerebri & membranarum eius inflammatio generatur;vel febre præcedente, vel ſine febre,ex cerebri & membranarum eius læſione, aut nimiâ calefactione.

Primò enim vt in febribus quibuſdam continuis,ſæpe malignis, materiæ febrem parientis pars aliqua à natura mox ſub initium ad partem aliquam,vt pleuram, pulmones, fauces detrudi ſolet, vnde pleuritis, peripneumonia,angina oritur: ita ſi eadem ad cerebrum,aut membranas eius detrudatur, inde inflammatio cerebri & membranarum eius excitatur; quæ febris propterea vulgò quidem ſymptomatica appelletur, ſed rectius à Platero comitata dicitur;cum febris iſta non inflammationem cerebri,ſed inflammatio cerebri febrem ſequatur,& à febrili materia ortum habeat.

Deinde aliquando ex cauſſis euidentibus, vt vulnere,percuſſione,contuſione capitis,morâ ſub radiis ſolaribus, & ſimilibus cauſſis ſanguis ad cerebrum, eiúſque membranas concitatur,& confluit, ibique inflammationem excitat.

Pars affecta nunc eſt cerebrum ſecundum membranas eius:aliquando cerebrum ipſum.Etenim cum vaſa, quæ ſanguinem ad cerebrum deferunt, membranis cerebrum inueſtientibus inſerantur;ſi ſanguis eò effundatur,ipſæ inflammationem concipiunt,& ſangunis parte in cerebrum effuſâ ob vicinitatem ipſum quoque calorem concipit, & inflammatur. Et cùm cerebrum ipſum etiam alatur, & ad ſpirituum animalium generationem arteriæ ſanguinem aduehant,ſi ſanguis conſertim in eius ſubſtantiam & poros effundatur, ibi calorem p. n. concipit, putreſcit, & inflammationem parit.

*An cerebri inflammari poſſit.* Vocatur quidem à nonnullis in dubium, an cerebri ſubſtantia inflammari poſſit:ſed nihil obſtat,quin id accidat;cum & illud ſanguine nutriatur: de quo plura in Inſtitut. *lib.2.part.2.ſect.2. cap.4. de phrenitide* dicta ſunt. Videatur etiam Petrus Salius Diuerſus, *de affectibus particul.cap.1.*

Siue autem cerebrum, ſiue membranæ eius inflammentur;& generationis ratio, & curandi modus idem eſt.Quamuis ſi cerebrum inflammetur,cum maiori periculo coniunctus morbus ſit; cum phlegmones magnitudinem gangræna ſequi ſoleat, de quâ interpretatur Galenus aphoriſmum 50.ſect.7. *Quibus cerebrum ſyderatum eſt,intra tres dies pereunt: ſi verò hos ſuperuixerint,ſani fiunt.* Et cum inflammatio cerebri plerumque in gangrænam abire ſoleat, inflammatio iſta cerebri ſub nomine ſphaceli cerebri plerumque à Medicis proponitur:de quo etiam Hippocrates, 3.*de morb.in init.*& 2.*de morb.*

Etſi verò curandi ratio parùm aut nihil variet, ſiue cerebrum, ſiue membranæ eius inflammentur: tamen ſymptomatibus non parùm differunt;de quo mox in ſignis dicetur.

### *Differentiæ.*

Differt hæc inflammatio:I.vt dictum,ratione ſubiecti,quod nunc ſunt membranæ ſolùm,nunc verò ipſum etiam cerebrum. II. ratione cauſſæ, quæ nunc eſt ſanguis purus, nunc ſanguis cum multa bile miſtus, vel etiam ſanguis ſeroſæ humiditatis, aut pituitæ aliquid participans. Etſi verò ſanguis & bilis aduri poſſint, vt in atram bilem vergere incipiant, & tum etiam grauiora deliria excitentur: tamen cùm bilis in atram bilem iam abiit, potius mania, quàm phrenitis oritur, & vix atra bilis putreſcere, ac febrem excitare poteſt, ſicut id in cancro videmus.

Verùm differentiæ hæ cum curationem non multum diuerſam habeant, inflammationes cerebri & membranarum eius ſimul proponere voluimus. Quia tamen ſignis & ſymptomatibus non parùm diſcrepat inflammatio cerebri ab inflammatione membranarum eius, ſigna vtriuſque ſeorſim propònemus.

### *Signa Inflammationis Membranarum Cerebri.*

*Membranarum cerebri inflammatarum ſigna.* Inflammatis cerebri membranis adeſt febris continua,& delirium perpetuum, ac vigiliæ; quæ propterea ſigna inflammationis membranarum cerebri ſunt pathognomonica.Primò febris acuta & continua ſemper coniuncta eſt:ſiquidem aliquando febris inflammationem procedit,aliquando,ob magnum cordis & cerebri conſenſum, ſtatim inflammationem cerebri ſequitur, quæ de tertio in tertium exacerbatur;vt etiam in pleuritide accidere ſolet, quòd bilis ferè ſemper coniuncta ſit.Et licet prior differentia inflammationis cerebri à febre ortum habeat: tamen rurſus inflammatio capitis & cordis conſenſum augere poteſt. Deinde adeſt delirium perpetuum; ſed id ſenſim, & paulatim inchoat, & inflammationis huius præludium eſſe ſolet: quoniam in incendio illo, ſpiritibus animalibus continuò agitatis & impulſis, mentíſque officinâ turbatâ, imaginatio & ratio ſuo munere, vt par eſt, fungi non poſſunt. Tertiò vigiliæ plerumque vrgent & moleſtæ ſunt.

His accedunt & alia: ſæpe ægri floccos & feſtucas legunt,ob turbatam ſpectris inanibus phantaſiam. Dolor capitis & ceruicis percipitur,quem ſucceſſu temporis ægri non percipiunt;quoniam mens ægrotat: ægri ad iram proni ſunt, ſtrident dentibus, oculi rigent, accidunt tremores, & totum corpus inordinatis motibus concutitur:obliuiſcuntur ægri meiere petitâ matulâ,vel linguam intra os retrahere, vbi exſeruerint, memoriâ varietate ſpectrorum & imaginum à munere ſuo auocatâ. Pulſus eſt tardus & durus;reſpiratio magna & rara; quia ſpiritum etiam ægri ducere obliuiſcuntur, & raritas magnitudine in illo febrili incendio ſuppletur. Æger fit βραχυπότης, id eſt, ſitim etiam præſentem non ſentit;quia mens læſa eſt.Facies & oculi rubent;attracto per calorem ſanguine ad caput; oculi ſqualent, ob ſiccitatem cerebri;& viuidi amplius non ſunt,quod ſpirituum animalium vigore deſtituuntùr;& lumen refugiunt, quo ſpiritus agitati magis diſſipantur. Aſpectus eſt toruus, ob conceptam animi ferocitatem; lacrymæ excernuntur acres, paucæ oculorum angulis adhærentes. Lingua aſpera eſt,citrina vel nigra,vaporibus feruidis humiditatem linguæ abſorbentibus, eiúſque tunicam corrumpentibus: ſanguinis ſtilla fit è naribus,naturâ conante quod moleſtum eſt expellere, ſed præ virium imbecillitate ſuccumbente:quod ſi ſtilla nigra ſit, lethale eſt;ob exuſtum in venis cerebri ſanguinem. Interdum lacryma acris ex altero oculorum fluit ob diſſolutionem humorum ab immodico calore,vnde & luemæ ſiue ſordes in oculis exiſtunt. Vrina ſupprimitur, quia ſenſus interiores laborant, & ægri neque pondus, neque actimoniam vrinæ percipiunt. Dum autem emittitur,alba plerumque eſt, & perſpicua, quod bilis, quæ vrinam tingere ſolet,ad caput rapitur.Imminentis quoque inflammationis cerebri ſignum ex vrina haberi poteſt.Si enim circularis ſpuma in vrina appareat, in morbo,qui in inflammationem cerebri abire poteſt,flatuum copiam ſignificat, qui humores ſecum ad caput rapere, & inflammationem ibi parere poſſunt. Vbi verò iam vrina, quæ antea erat valde tincta, vel etiam turbida, clarior & remiſsè colorata apparet, ſine ſignis coctionis,& morbi diminutione; moueri humores ad caput, & iamiam inſtantis cerebri inflammationis indicium eſt; præcipuè ſi vigiliæ infeſtare, & æger delirare incipiat.Aluus eſt adſtrictior.

An autem inflammatio ſit à ſanguine puro vel bilioſo,ex ſignis intemperierum capitis ſupra traditis cognoſcendum. Hoc ſaltem hîc addimus, ſi ex ſanguine puro ſit inflammatio,vel cum humore ſeroſo aut pitui-

toſo

toſo mixto; deliria ſunt mitiora, & cum riſu: ſi verò à flaua bile; delirium eſt grauius, & cum iracundià & truculentià: quæ ſi aduratur, grauiſſimum fit delirium.

### Signa Inflammationis Cerebri.

*Cerebri inflammati ſigna.* Si verò ſanguis confertim & ſubitò in ipſum cerebrum effundatur, ſymptomata non parùm variant. Febris quidem continua vtrique inflammationi communis eſt: reliqua tamen non parum differunt. Nam in inflammatione cerebri, primò quidem, cùm ſanguis per membranas affluit, ægrum apprehendit ingens capitis dolor, qui per occiput collo & vniuerſæ ſpinæ communicatur. Hinc ſenſus omnes amittuntur, tum externi, tum interni. Et ægri nec dolorem, nec quicquam moleſtiæ percipiunt, nec delirant, & interrogati non reſpondent, & parùm aut prorſus non loquuntur: quod non accidit in inflammatione membranarum cerebri, in qua adeſt delirium, dolor perſeuerat, & ſenſus non amittuntur, ſed ſolùm deprauantur, ſolúſque motus in inflammatione cerebri remanet, qui adeò interdum validus eſt, vt vix loco contineri queant ægri, qui nonnunquam etiam in proprium corpus ſæuiunt, & capillos ſibi euellunt, vel vnguibus faciem dilaniant; quod procul dubio prouenit irritatà naturà, ab æſtuante intra corpus maximo incendio. Facies in principio rubet, vt & oculi. Morbo verò procedente corpus langueſcit, & ad motum impotens redditur, vt decubitum rarò mutent ægri, ac dormitare quaſi videantur; manus tamen ſæpiùs mouent, quaſi aliquid quærere vel apprehendere velint; manus etiam ſunt tremulæ.

### Prognoſtica.

*Inflammatio cerebri quot diebus terminetur.* 1. Inflammatio cerebri & membranarum eius morbus eſt acutus & periculoſiſſimus; quæ ſi ſit acutiſſima, quale exemplum eſt 3. *Epidem.comm.*3. *ægrot.*4. tertio die hominem iugulare poteſt. Plerique ita affecti intra ſeptimum diem moriuntur; perpauci; hique rari, hunc ſuperant. Galenus, vt, *loc.allegat.* teſtatur, acutà à prima die ſtatim phrenitide correptos, quarto & quinto die vidit exanimatos fuiſſe, tertio non vidit. Auicennas, *lib.*3.*fen.*1.*tract.*3. vnicà die phrenitide extinctos narrat. Proſper Alpinus, *lib.*1.*de med.Ægypt.cap.*13. refert, in Ægypto ſe vidiſſe phreniticos mortuos tribus vel quatuor diebus. Nonnunquam tamen ad diem 23. & 24. & plures extenditur: mutatà morbi naturà ex acuto ſimpliciter in acutum ex decidentià; vt ex Hippocrate, *loc.allegat.t.*84.*& ſeqq.* videre eſt.

2. Longè tamen periculoſius malum eſt, ſi ipſum cerebrum, quàm ſi membranæ tantùm inflammentur. Cerebri enim inflammatio plerunque in gangrænam & ſphacelum deſinere ſolet; de quo Hippocrates, 7. *aphor.*50. *Quibus cerebrum ſphacelo correptum eſt, intra dies tres moriuntur: ſi verò hos ſuperant, ſani fiunt:* qui verò conualeſcunt, nec morbi, nec alterius rei ad morbum pertinentis recordantur.

3. Inflammatio cerebri & membranarum eius, quæ à puro ſanguine eſt, minus periculoſa eſt, quàm cum bilis ſimul mixta eſt.

4. Quò functiones plures ſunt læſæ, & grauiora ſunt ſymptomata, eò malum periculoſius eſt.

5. Lingua contremiſcens hic malum. Significatur enim magna animalis facultatis imbecillitas, ex immoderata cerebri caliditate & ſiccitate.

6. In inflammatione membranarum cerebri alba deiectio mala; quia ſignificat motum bilis ad caput. Galenus, 1.*prorrhet.com.*1.*t.*12.

7. Vrina pellucida & alba, veluti aqua, in inflammatione cerebri, & membranarum eius, malum; quia morbum maximè crudum eſſe, bilemque omnem ſurſum rapi oſtendit. De quo Hippocrates, 4. *aphor.*72. *Quibus pellucidæ & albæ ſunt vrinæ malum: maximè verò ſi in phreniticis appareant.* Scribitque Galenus, *in commentar.* nullum ſe phreniticum ſeruatum vidiſſe, in quo talis apparuiſſet vrina.

8. In inflammatione adhuc cruda rigor ſignum peſſimum eſt; id eſt, ſi accidat rigor ille, materià biliosà adhuc in corpore exiſtente: quod ex eo cognoſcitur, quòd alba per aluum deiiciuntur. Eſt enim rigor ille ſymptomaticus, 1.*prorrhet.tom.*1.*aphor.*13.

9. Vt in aliis febribus acutis: ita in inflammatione cerebri, & membranarum eius, ſanguinis è naribus ſtilla mera, id eſt, nigra ſincera, peſſima eſt, exuſtionem ſcilicet ſanguinis in cerebri venis ſignificans, quem natura morbo ſuccumbens fruſtra expellere nititur. Nam, vt Galenus addit, rubri ſanguinis ſtilla in morbo exitiali haud vnquam viſa eſt, ſed nigri ſemper, 1.*Epid.comm.*3. *ægroto.* 1. Si verò copioſiùs ſanguis fluat, indicio eſt, ægrum ex morbo conualiturum.

10. Si quis in tali morbo dentibus ſtridat, non conſuetus id facere à pueritia, futuri delirij indicium eſt: quod ſi verò iam deliret æger, & ſimul ſtridat dentibus, mors in propinquo eſt. Nam conuulſio ſignificatur muſculorum in temporibus & maxillis, 2.*prognoſt.*1.*&* 1.*Epidem.com.*2.*t.*53.

11. In inflammationibus cerebri, in quibus tremulæ, obſcuræ, & contrectabiles deſipientiæ ſunt, vt Hippocrates, 1. *prorrhet.*33. nominat, longè periculoſiores ſunt, quàm quæ ſunt θορυβώδεις, & tumultuoſæ, ob membranarum inflammationem, & ob ſimulatam manſuetudinem minimè contemnendæ; quòd tam cerebrum ipſum, quàm membranæ ipſæ inflammatæ ſint. Non rarò enim accidit, vt Galenus, *in comment.* ait, vt ægri tales quieti iaceant, neque ſolùm non tumultuoſè exclament, exſiliantque, vt antea, vel aliàs fieri videmus, ſed neque prorſus loquantur, neque figuram decubitus permutent, ita vt familiaribus præbeat opinionem, quod mox ſint dormituri; imò dormire putentur, quod neque loquantur, neque moueantur, & clauſas etiam palpebras quidam habeant, & ſi quis accedens cum iis colloquatur, alij palpebras non aperiant, alij, poſtquam aperiunt, ſtatim claudant. Vnde Hippocrates obſcuras deſipientias appellat, quòd non ſolum Idiotis, ſed etiam Medicis cognitu ſint difficiles. Galenus tales φρενίτιδας hecticas appellat; quod ipſum cerebrum humorem acceperit, & quaſi imbiberit. *Deliria in inflammatione cerebri qualia.*

12. Peſſimum etiam ſignum eſt, ſi phrenitidi ſuperueniat conuulſio; vt Galenus, 12.*meth.med.cap.*8. teſtetur, ſe nullum vidiſſe, aut audiuiſſe vnquam, qui hoc modo affectus euaſerit.

13. Qui in febre acuta, aut phrenitide (quæ omnis eſt vel inflammatio cerebri, vel membranarum eius) aut peripneumonia, aut capitis dolore manus ad faciem ſubinde ferunt, aut fruſtra venantur muſcas, aut colligunt feſtucas, aut de veſte pilos euellunt, aut de pariete feſtucas carpunt; id omne malum exitiale eſt. Affectus enim tanta vis ſignificatur, vt mentis etiam ſedem inuaſerit, & perturbauerit. 1.*prognoſt.text.*23.

14. A peripneumonia inflammatio cerebri, malum. Nam materiæ à loco ignobiliore ad nobiliorem tranſlatio ſignificatur, ob morbi magnitudinem; & virium imbecillitatem. 7.*aphor.*12.

15. Inflammationem cerebri & membranarum eius, & inde prouenientem phrenitidem iudicat ſudor bonus; & præcipuè ſi à capite multus & calidus fluxerit, ſudante ſimul reliquo corpore. Contingit autem nonnunquam etiam per ſanguinis è naribus fluxum eandem iudicari. Galenus, 3. *de criſib.cap.*3. Nonnunquam & per aluum ingens copia bilis poſt ſummum morbi vigorem à natura euacuatur.

16. Quæ verò ad ſuppurationem tendunt, omnes ferè ſunt lethales; cum pus intra membranam & cranium euacuari non poſſit. Refert tamen Hercul. Saxonia

nia, *capite proprio*, se vidisse seruatum, cui sanies erumpebat per os & aures: sed ipse hoc pro raro & tantùm non pro miraculo habet. Ducit autem morbus ad interitum per virium resolutionem, tremorem, conuulsionem, veternum.

### *Indicationes.*

*Cerebri inflammatio quomodo curanda.*

Quæ in aliis inflammationibus dantur indicationes, eæ & hîc locum habent: nimirum sanguis & humor, qui ad caput affluit, euacuandus, reuellendus, deriuandus, repellendus, intercipiendus: qui verò iam affluxit, & in capite hæret, vel sensibiliter euacuandus, vel insensibiliter discutiendus. Et si per attractionem ipsius capitis eò confluat, ob intemperiem capitis calidam, refrigeranda illa est; si ob dolorem, is mitigandus. Si verò per transmissionem eò feratur materia, siue à toto, siue à parte aliqua; ratio habenda cùm mittentis, siue sit pars aliqua, siue totum corpus, & ea euacuanda, & alteranda; tùm recipientis, hoc est, capitis, quod propterea roborandum, ne materiam affluentem admittat. Et cum febris semper coniungatur, totius corporis simul ratio habenda, & inprimis si à febre ortum habeat hæc inflammatio, curatio febris, vt decet, instituenda. Ipsa tandem intemperies capitis alteranda. Vires quoque corporis custodiendæ, alimento iusto modo & quantitate adhibito, & somno ac quiete conciliatâ.

### *Curatio.*

Quâ ratione autem istis indicationibus satisfieri possit, maximam partem ex iis, quæ suprà, *cap.* 8. *de Intemp. cap. cum sanguine curandâ*, dicta sunt, patet. Nimirum cum inflammatio cerebri sit morbus valde acutus, & breui tempore ita inualescat, vt curationem postea non admittat, subitum auxilium requirit; quale est venæ sectio, quæ sanguinem, inflammationis caussam, euacuat, alio reuellit, deriuat, atque ita quod in inflammatione adhuc fit, prohibet, quod verò factũ est, tollit.

*Venæ sectio.*

*Quæ vena aperienda.*

Itaque si vires id ferant, præmisso leni clystere, sanguis mox detrahatur ex cephalica, aut si magna adsit sanguinis copia, ex hepatica vel mediana primùm, & post aliquot horas è cephalica, quæ non solùm reuellit, sed etiam deriuat, & è venis, per quas sanguis ad caput proximè fluit, euacuat. Si tamen ex mensium vel purgationis post partum, vel hæmorhoidum suppressione malum originem habeat, saphena in pede aperienda. Quia tamen verò consentaneum est, iam aliquid in capite receptum esse, vel proximè in id moueri; nec cephalicæ sectio postea omittenda. Nisi enim sanguinis ad caput fluentis impetus sistatur, & ille, qui in venis, per quas ad caput defertur, fluctuat, deriuetur, sine fructu repellentia adhibentur; cùm humores, dum vasa plena sunt, repellentibus non cedant. Etsi verò nonnulli dubitant, an in inflammatione cerebri & membranarum eius præsertim à sanguine bilioso, sanguis mittendus sit: tamen caussas dubitandi sufficientes non habent; cum certum sit, bilem sine sanguine inflammationem non parere, & non nisi sanguine commixtam ad cerebrum ascendere: idque inprimis verum est, si inflammatio cerebri per se, sine febre, incipiat. Etsi verò quandoque accidat, vt natura errans, vel in augmento, vel in statu febrium biliosos & vitiosos humores à sanguine separare conetur, eósque ad caput mittat: tamen nec tunc id sine sanguine fit, & tunc vena, vt mox dicetur, aperienda.

*Quando vena aperienda.*

Aperiatur autem statim ab initio, quacunque etiam diei horâ; cùm tutum non sit in inflammatione cerebri phlebotomiam ad tertium diem differre, donec tota materia influat, & in capite figatur. Si verò febris inflammationem aliquandiu præcesserit, nec ab inflammatione febris illa ortum habeat, & iam ratione febris sanguis missus sit, nihilominus repetenda venæ sectio, & pro virium, quæ procul dubio febre iam debilitatæ sunt, ratione parcius sanguis mittendus. Si verò sanguis antea non sit missus, & vires constiterint, audacius sanguis emittendus. Itaque tunc cephalica mox aperiatur, vel, si vires id non ferant, vena in manu, aut, quod commodissimum est, saphena in pede vno, vel vtroque; cuius venæ in talibus morbis apertio plurimum vtilitatis affert. Cum verò delirium aut imminet, aut iam adsit, foramen non amplum fiat, vt vulnus citò coalescat: accuratè quoque vulnus obligetur, ne ab ægro reuellatur. Quam ad rem linimentum vtile est ex aloë, albumine oui, & pilis leporinis paratum.

*Quantum sanguinis euacuandum.*

Quantum sanguinis euacuandum sit, tum ex viribus ægri, tum ex humoris inflammationem parientis copia & conditione æstimatur. Minus enim educitur, si humor ad bilis naturam propius accedat, plus si ad sanguinis, & si sanguis sit copiosior, & inflammatio incipiens, nec ex alio morbo orta. Non tamen, vt Arabes quidam volunt, vsque ad deliquium animi sanguis emitti debet, ne vires collabantur, quæ per se ob vigilias, & iactationes perpetuas, mentémque turbatam imbecilliores sunt, & à victu paulò pleniore auxilium in hoc morbo expectare non possunt. Et tutius est, bis potius eodem die, vel bidui spatio venam aperire, quàm semel copiosâ nimis euacuatione vires deiicere,

*Cucurbitulæ.*

Si verò venam aperire non liceat, cucurbitulæ cum scarificatione iteratâ & profundâ applicentur primò partibus inferioribus, postea superioribus; nec omittatur alia reuulsionum genera, per frictiones crurum, cucurbitulas, etiam non scarificatas, cruribus applicatas, vbi sanguinis euacuatione ita non opus est. Nam si plenitudo adhuc adsit, scarificatio, vt dictum, simul adhibenda: quod inprimis faciendum, vbi suppressis mensibus, vel hœmorrhoidibus malum originem ducit. Vtile quoque fuerit, vesicatoria ex cantharidibus scapulis & brachiis apponere.

Clysterum vsus etiam post phlebotomiam conuenit; ac inprimis, si phlebotomia omissa sit, frequentius iniiciantur ex humectantibus & refrigerantibus parati; quibus præterquam, quod aluus emollitur (ventris enim adstrictio hîc summoperè cauenda est, vt quæ malum & caussam eius auget & confirmat) humorum etiam acrimonia temperatur.

Vt ℞. *Rad. althéæ* Vnc. i. *fol. malu. violar. lactuc. parietar. betæ*. an. M. i. *centaur. min. flor. nymphææ*, an. p. i. *prunor. Damascen.* num. x. Coquantur in aqu. hordei simplic.

Colat. ℞. ℔. i. adde *elect. lenitiu. simpl. vel diacathol. cassiæ pro clysterib*. an. Drach. vi. *olei violar*. Vnc. ii, *syrup. rosar. solut*. Vnc. i. *salu*. Drach. ß. F. Clyster.

Et quod clysteres præstant, idem commodè mitiora lenientia efficere possunt, quæ propterea commodè intrò exhibentur; cum non solùm primas vias euacuent, sed & feruorem humorum temperent ac refrigerent, qualia sunt *syr. rosar. & violar solutiu. cassia, tamarindi, diaprun. simplex, lenitiu.*

*An electiuè purgantia inflammationi cerebri conueniant.*

An autem electiuè purgantia inter initia exhibere liceat, de eo inter Medicos non conuenit, vt postea, *in quæstione prima*, dicetur, quorum summa hæc est. Si inflammatio hæc febrem sequatur, & materia errabunda sit, vt pro turgente haberi possit, & magna sit cacochymia, vt sanguinem copiosiùs mittere non liceat; lenientibus antè enumeratis rhabarbarum vel etiam aliquid Trypheræ Persicæ elect. rosat. Mesue, de succo rosarum, aut aliquot grana diagrydij addere licet.

Vt ℞. *Rhabarb. opt.* ℥. iß. *flor. cordial.* an. P. j. *cinamomi, spicæ*, an. Scr. ß. Infundantur *in aq. endiuiæ*.

Colaturæ ℞. Vnc. iij. In quibus dissolue *elect. rosati Mess*. Drach. ii.

Iterum colentur. Adde *pulpæ tamarind. syr. rosar. solut.* an. Vnc. ß. Misce.

Si verò inflammatio sine febre ex vulnere, vel simili caussâ

caufsâ inceperit,quamdiu febris abeſt,purgare licet:vbi verò febris accedit,à purgantibus abſtinendum.

Videndum tamen hîc,an maior ſit ſanguinis copia, an verò cacochymia. Cùm enim in tali caſu vtróque auxilio ſit opus, ſi ſanguinis maior copia adſit, liberalius is euacuandus. Et tunc leniora purgantia exhibenda, ſufficítque in tali inflammatione rhabarbarum. Si verò maior adſit cacochymia,& ideo ſanguinem copioſiùs emittere non liceat, copioſiùs purgandum, & tum rhabarbaro, vt dictum,aliquid Trypheræ Perſicæ, vel elect. roſati Meſue, vel de ſucco roſarum addendum.

*Repellentia in inflammatione cerebri.* Quamprimum autem vena aperta eſt, ad ſanguinis motum in caput impediendum,& caput,ne nimis incaleſcat,temperandum,vſurpanda repellentia; de quibus ſupra,*cap.* 1.5.8.dictum eſt.

*An tepida vel frigida ſint adhibenda.* An verò vel tepida,vel frigida ſint adhibenda,morbi natura & tempus, ætas, & anni conſtitutio definient. Nam in inflammatione legitima incipiente, ſi æger ſit iuuenis,& anni tempus calidum,refrigerantia actu frigida adhibeantur;imò Auicennas niue ea refrigerare iubet: ſi verò inflammatio ſit notha, æger ſenex, tempus anni frigidum, tepida admoueantur. Ita Galenus,2. *de compoſ.med.*1.hyeme actu calida vel tepida;æſtate frigida applicare iubet.

Si etiam æſtus ſit vehemens,& ipſum cerebrum inflammatum, actu frigida adhibeantur, & quoties incaluerunt, renouentur, & raſo eâ parte capiti hæc topica imponantur; cùm vt vis medicamenti melius penetret, tum vt capite onere capillorum leuato fumi faciliùs diſcutiantur. Non enim, quod Archigenes metuit, tam breui tempore detonſa capillorum ſeges ita largè fruticare poteſt, vt plus materiæ hac ratione ad caput trahatur. Vbi autem capilli per ſe breues aut rariores ſunt, etiam intonſo capiti rectè applicari iſta medicamenta poſſunt.

Non quoque nimis diu horum vſus continuetur,ſed circiter dies tres ſaltem. Aceti etiam portio minor ſit, propter vigilias,quæ vrgent.

Si verò,quod nonnunquam accidere ſolet,inflammatio ad cutem,& verſus capitis partes exteriores vergere videatur,ne materia intrò, & ad cerebrum repulſa grauius malum inducat, à repellentibus, inprimis fortioribus abſtinendum.

Odoramenta quoque vtilia ſunt, quæ cerebrum refrigerant;quæ ſupra, *cap.* 1. propoſita ex flor.roſar. violar.nymph. aq. roſar. Nec omittantur lotiones crurum ex decoctis herbarum refrigerantium cephalicarum: ſed quæ actu calidæ vſurpentur. Ita enim actuali caliditate reuellunt: potentiali autem frigiditate refrigerant, humores temperant; quibus aliquid florum chamæmeli & meliloti addi poteſt, ad aliquam diſcuſſionem.

Vt quoque impetus humoris ad caput fluentis intercipiatur, inter initia faſciæ aquâ roſarum & aceto madidæ collo circumiiciendæ. Imò nec abs re fuerit, dorſum vnguento roſaceo aut aceto, ad feruorem humorum in vaſis temperandum,inungere.

Dum hæc peraguntur, & capiti extra applicantur, non omittenda interna medicamenta, quæ humores alterant, eorúmque calorem remittunt, ſupra, *cap.* 1. propoſita.

Et quia æſtus non ſolùm eſt in cerebro, ſed in toto ſimul corpore, nonnulli epithemata ex refrigerantibus aquis, & aliis medicamentis cordi imponunt.

*Somnum conciliantia in inflammatione cerebri.* Quia etiam in hoc morbo vigiliæ pertinaces ſunt, quæ morbū miris modis augent,vires deiiciunt,coctionémq; humorum,quæ in ſomno fit,impediunt,mox ab initio medicamenta ſomnum conciliantia, vel repellentibus miſcenda, vel ſeorſim adhibenda, formâ epithematum,inunctionum, lotionum, odoramentorum. Pleraque tamen ex iis,quæ ſomnum conciliant,etiam repellendi,& calorem cerebri temperandi vim habent.

Vt ♃. *Fol. lactucæ, ſalic. vitis*, an. M. ii. *flor. nymph. violar. roſar. albar.* an. M. j. *chamæmel.* M. ß. *capit. papauer. albi cum ſem.* num xv. Coq. in aq.ſ.q.

Decocto tepido ſpongia imbuatur,quæ capiti applicetur, atque eodem extrema abluantur; cum lotiones extremorum magnam ad ſomnum conciliandum vim habeant.

Vel ♃. *Capit.papauer.alb.cum ſem.*n.vi. *flor. nymph. luteæ* P.ii.*ſem.lactucæ* Drach.ii.

Contundantur minutim, & affundendo *aquæ anethi* Vnc.ß.*roſar.lactucæ*,an.q.ſ.

Miſceantur in formam pultis, ſeu cataplaſmatis, & fronti imponantur.

Poſt lotiones inungatur frons & tempora tali Linimento:

♃. *Olei violar.nymph.vnguenti populei*, an.ʒ.iii.*opij, ol.nuc.moſch.expreſſ.*an.gr.iii.Miſce.

Vel ♃. *Fol.lactuc.*M.iß. *flor.roſar.*M.ß. *ſem.papauer. alb.* Vnc. ß. Coq. in aq. ad mollitiem. Contuſis adde *farina hordei, lactis mulieb.* an. Vnc. ß. *olei violacei* q.ſ.

Fiat Cataplaſma ad frontem.

Si delirium & vigiliæ valde vrgeant, quomodo iis occurrendum ſit, dicetur *part.* 2. *cap.* 1. Exhibeantur laudani opiati gr.ij. vel iij. In opiatorum tamen vſu Medicus cautus ſit, & circumſpectus, ne exhibeantur, ſi vires valde debiles ſint,ne ſpiritus ac calor ab iis extinguantur.

*Sanguinem à capite euacuantia. Vena narium aperienda.* Vt autem materia,quæ influxit,euacuetur,cùm ſenſibiles,tùm inſenſibiles euacuationes inſtituendæ.Senſibiliter euacuatur ſanguis,qui influxit,venis in capite apertis; de quibus ſupra, *cap.*8. dictum. Inter eas verò maxima cum vtilitate aperiuntur venæ narium, & ſi vllo modo morbus eſt ſanabilis, hoc modo curari poterit, ſanguíſque ſatis copiosè per eas emittendus. Idque ſatis maturè, & ſtatim poſt vniuerſales euacuationes faciendum. Suadent quidem nonnulli etiam, vt venæ ſub lingua aperiantur; neque ſine fructu id fo-ret: verùm in iis, qui mente non conſtant, id præſtare non ita facile eſt. Poſſunt & hirudines poſt aures applicari;vt & cucurbitulæ cum ſcarificatione occipiti apponi. *Vena ſub lingua an hic aperienda.*

*Diſcutientia.* Quo tempore,& dum hæc fiunt,remittantur illa repellentia & refrigerantia, & quoad actualem, & quoad potentialem frigiditatem.Itaque in morbi progreſſu repellentibus aliquid diſcutientium addendum, ſecundum notiſſimam communem illam curandi inflammationes legem. Et primò quidem parum addatur de reſoluentibus: quò verò morbus ad declinationem propius accedit, eò plus addatur. Et tandem in declinatione reſoluentia ſola vſurpentur, vt reliquiæ humorum in cerebro diſcutiantur. Ideóque oleo roſaceo addatur ol.chamæmel vel anethin.

Vel ♃.*Flor.roſar.rubr.*M.i.*ſum. anethi,flor.chamamel.* an.M.ß.

Coquantur,& loco fomenti adhibeantur.

Eſt & vtile tum vnguentum Alabaſtrinum.

Applicantur quoque ſuturæ coronali pulli columbarum, vel catuli per medium diſſecti, vel pulmones agnorum calentes;quæ omnia efficaciter reſoluunt,ſine nouæ materiæ attractione,vt etiam ſuprà,*c.*8.dictum Et quidem à lenioribus ad efficaciora ſenſim adſcendendum;nec fortiora primò adhibenda,ne tenuior pars humoris diſcutiatur,& craſſa relinquatur,& graue aliquod delirium excitetur.

*Cucurbitula an vertici affigenda.* Si verò ex hiſce medicamentis parum commodi ſequatur, conſultiſſimum cenſet Ludouicus Mercatus, ſummo capiti cucurbitulas affigere, quibus per ſuturas aliquid exhalatur & euocetur;& , ſi rubor ac tumor appareat, cutem ſcarificare: ſcribítque, hoc auxilio Medicum conſequi poſſe, quod reliquis omnibus non valuerit; maximè ſi mox adhibeatur lauacrum

aq. dulcis, in quo aliquid ex discutientibus coctùm sit. Monet tamen, hoc saltem in eâ inflammatione esse faciendum, quæ sine febre per se incepit: in febribus verò malignis & acutis id non tentandum esse, nisi multæ euacuationes præcesserint, vt nulla plenitudo, vel vitiosi humoris in corpore sit redundantia, sed materia solùm in capite hæreat.

Interea verò, & toto morbi tempore, alterantia, quæ calorem in cerebro & toto corpore temperant, simúlque vires conseruant, vsurpanda & continuanda; qualia supra, *cap.* 1. proposita sunt; præcipuè in ea inflammatione, quæ à febre continuâ, vt morbo primario, ortum habet.

Vt ℞. *Conseru. rosar. violar. borragin. nymph. acetos.* an. Vnc. i. *spec. diamargar. frigid.* Scrup. ii. *fragmentorum* 5. *lapid. pretiosor.* an. gr. iii. *sem. acetosæ, portulac.* an. Scrup. i. Cum *Syrup. acetosit. citri,* vel *granat,* F. Electuarium.

*Diæta.*

*Diæta.* Aër, in quo continetur æger, sit temperatè frigidus. Calidior enim morbum auget: nimis verò frigidus cutem densando, & insensibilem transpirationem prohibendo nocet. Æstate ergo, vbi calidus est nimis, refrigeretur iis modis, qui supra, *c.* 1. sunt propositi.

Victus sit tenuis & refrigerans, ac quò morbus est acutior, eò sit victus tenuior. Conuenit autem, vt in aliis calidis & acutis morbis, ptisanæ cremor. Olera itē, quæ refrigerandi vim habent, vt lactuca, endiuia, & alia, supra, *c.* 1. proposita. Non diu ieiunet æger. Cibus enim acrimoniam humorum demulcet. Cibúsque paucus, sed sæpius offeratur. Potus sit aqua hordei, vel julepus ex *aqua fragorum sine vino, endiuiæ, acetosæ, violarum, iulepo rosar. violar. vino granatorum,* aut decoctum radic. acetosæ cum syrupo violarum. Nec inutilis est emulsio sem. quatuor frigid. maior. & papaueris albi. Vel coquantur sem. quatuor frigid. maior, nodulo inclusa in aqua, & colatura, vel sola, vel cum iulepo rosarum, vel violarum exhibeatur. In nostris regionibus commodus potus est cereuisia tenuis, quæ non multum lupuli habet. Vino omnino abstinendum in principio, ne malum exasperet, vt postea, *quæst.* 2. dicetur. Æger, quibus fieri potest modis, in quiete contineatur; cum motus ille varius, & vires deiiciat, & somnum impediat. Somnus verò omnibus modis concilietur.

*Cerebri sphacelus.* De sphacelo cerebri exstat historia apud Amat. Lusitanum, *cent.* 1. *curat.* 9.

## QVÆSTIO I.

### *An electiuè purgantia in principio inflammationis cerebri, aut membranarum eius exhibenda sint?*

*An electiuè purgantia in inflammatione cerebri conueniant.* De hac re inter Medicos non conuenit, aliíque ea vsurpanda; alij verò ab iis abstinendum censent. Qui ab iis abstinendum putant, eâ ratione ducuntur; quod materia cruda sit, humórque vitiosus à bono nondum separatus: ideóque si agitetur purgantibus, futurum existimant, vt citius, & maiore cum impetu ad caput affectum ruat.

Alij contra plus commodi sperant ex humorum euacuatione, quàm damni ex agitatione. Quanquam enim negare non possint, humorem plerunque adhuc esse crudum; tamen eandem conditionem turgentis materiæ habere existimant, & errabundum caput petere; ideóque quamprimum purgandum esse, ne ad caput ruat, & malum tam periculosum generet: imprimis cum venæ sectione totus euacuari non possit.

Verùm distinctione hîc opus est, & perpendendum, vt supra dictum, an inflammatio ortum habeat à febre, an febris ab inflammatione, vt morbo primario, proueniat. Si enim morbus primarius febris sit, atque ex humorum vitiosorum, qui per eam in venis agitantur, motu excitetur inflammatio, non immeritò talis materia ad turgentem refertur; ideóque de consilio Hippocratis, 1. *aph.* 22. per initia statim euacuanda est. Etenim errabunda est materia, & natura eâ liberari cupit, eamque propterea è venis expellere conatur; quod non facit in materia quieta, & non turgente. Et quanquam natura ad certam partem eam pellat: tamen tam immobilis non est materia, quin ductum medicamenti purgantis facilè sequatur. Atque errabundam esse, & turgentem, vel ex eo patet, quod materia talis primò in hanc partem moueri videtur, mox ad aliam fertur. Vnde ex pleuritide fit nonnunquam angina, vel peripneumonia, ex peripneumonia phrenitis. Si verò materia iam fuerit in cerebrum recepta, & principium morbi præterierit, frustra adhibentur purgantia. Ad declinationem etiam, quod vult Massarias, cum periculo differtur purgatio; cum hic morbus occidat vel in principio, vel in augmento, vel statu: si verò conualescat æger, ad periculum auertendum post statum purgatione amplius opus non sit. Alia verò longè est ratio inflammationis, quæ sine febre præcedente à cerebri vel membranarum eius læsione, aut ab efferuescentiâ sanguinis in capitis venis prouenit. Ibi enim omnino Hippocratis consilium, 2. *de fract. t.* 20. & 22. sequendum, qui in talibus inflammationibus purgat quidem in principio, dum febris abest; si verò febris accedat, ampliùs non purgat. Non enim tum turgens est materia, qualis est, quæ per febrium initia ad partem aliquam ruit; neque morbi initium est ex venis totius, sed ex peculiari parte incipit.

## QVÆSTIO II.

### *An vini potus in inflammatione cerebri, & membranarum eius conueniat.*

*An vini potus in cerebri inflammatione conueniat.* De hoc etiam Medici non consentiunt. Nonnullis à vino in hoc morbo omnino abstinendum esse, atque id tanquam venenum fugiendum censent; cum humorum ad caput motum adiuuet, & delirium, quod coniunctum est, augeat. Alij verò vinum concedunt, si vigiliæ pertinaces sint, virésque concidant, vtpote quod vires instaurat, vigilias temperat, & insaniam demulcet.

Verùm prior sententia vero magis consentanea est, ob rationes allegatas. Nam quod vigilias moderari, & animum demulcere dicitur vinum, hoc de melancholicis deliriis & vigiliis potius verum est, quàm isto, quod ex humore calido, & inflammatione oritur, quæ vini vsu potiùs exasperantur. Ideóque in principio à vini vsu planè abstinendum, Postea verò, vbi morbus id admittit, virésque requirunt, in assuetis ὀλιγοφόρον saltem concedendum; præcipuè iis, qui aliàs meraciore vti consueuêre.

---

## CAPVT XXVIII.

### *De Hydrocephalo.*

*Hydrocephalon.* Aliquando serosus humor in capite tantâ copiâ colligitur, vt illud in tumorem attollat, qui affectus Græcis ὑδροκέφαλον & Hippocrati, 2. *de morb.* ὕδωρ ἐπὶ τῷ ἐγκεφάλῳ, Latinis Hydrops capitis appellatur; magnitudo scilicet capitis aucta ab humore seroso. Autor *Defin. Medic.* definit hydrocephalum, quod sit collectio humoris aquosi, vel cruenti, vel feculenti,

in parte aliqua corporum eorum, quæ caput conſtituunt. Ita enim legendum videtur, ἀπὸ τοῦ ὑγροῦ ὑδατώδους, ἢ αἱματώδους, ἢ τρυγώδους. Nam ſic etiam Aëtius habet, qui procul dubio hunc locum in ſua ſcripta tranſtulit.

### *Cauſſæ.*

*Hydrocephali cauſſa.*

Cauſſa huius morbi continens eſt humor ſeroſus, quo nomine omnes humores, quos Medici inter cauſſas hydrocephali ponunt, complectimur. Celſus ſolum ab aqua fieri; Autor *definit. Med.* vt & Aëtius, *tetrab. 2. ſerm. cap. 1.* ab humore aquoſo, vel cruento, vel feculento fieri ſcribit; vbi malè Cornarius vertit, fieri ab humore lento; cum hoc ſaltem velit Aëtius, tardè & lentè, non ſubitò hunc tumorem generari; non verò ab humore craſſo, vel lento. Auicennas non ſolùm ab aqua, ſed & aliis humoribus fieri ſcribit. Nimirum vt ſerum, à quo hydrops in abdomine generatur, non ſemper eſt eiuſdem modi, ſed nunc ſimplici aquæ planè reſpondet, nunc feculentum eſt, & plus de hoc vel illo humore participat: ita quoque ſe res habet in hydrocephalo, in quo aqua illa nunc pura & limpida eſt, nunc feculenta, nunc etiam cruenta, ſanguine tenuiore, ex venarum orificiis apertis effluente, permiſto.

*Quo loco aqua in capite colligatur.*

Locum affectum quod attinet, non ſemper vno in capitis loco ſeroſus ille humor colligitur, ſed coaceruatur nunc inter cutem & pericranium, nunc inter pericranium & cranium, nunc inter cranium & cerebri membranas, nunc inter membranas & cerebrum: & tum, vbi ſcilicet aqua eſt intra cranium, ſuturæ cranij ſæpe dilatantur, ipſúmque cranium, quod in infantibus adhuc molle eſt, diſtenditur. Veſalius, *de corp. hum. fabric. libr. 1. cap. 5.* aliam adhuc differentiam obſeruauit in puella bienni Auguſtana, cuius caput in menſibus plus minus ſeptem ita increuit, vt viri caput quoduis mole excederet, ob aquæ nouem libras in ipſius cerebri cauitate, & quidem dextro, ſiniſtróque ventriculo collectas, quorum amplitudo & cauitas valde extenſa erat; cerebrum verò in capitis vertice, membranæ quaſi modo, tenue, & quodammodo continuum cum ſua tenui membrana corpus: caluaria quoque prorſus membranea erat; in reliquo capite nihil aquæ erat. Et, quod mirum, ad mortem vſque ſenſibus integris vſa eſt. Qualis hiſtoria etiam eſt apud Guilelm. Fabricium, *Cent. 1. obſeru. 12.*

Colligitur iſta etiam aqua nunc in toto capite, nunc in parte aliqua præcipua; ſicut in anteriore id obſeruauit Epiphan. Ferdinandus, *hiſt. medic. 21.* Quocunque autem in loco aqua continentur, effunditur in eum, cum è venis, vel anaſtomoſi, vel diapedeſi patefactis effluit, idque, quod vel à reliquo corpore ad caput mittitur, vel, quod frequentius accidit, quia ibi ſenſim coaceruatur. Cuius rei cauſſa eſt calor cerebri debilis, & cerebrum nimis refrigeratum & humectatum, quod alimentum rectè elaborare, vel ab inferioribus tranſmiſſos humores diſcutere nequit. Facit hûc inprimis ſanguis, quo infans in vtero alitur, aquoſus & ſeroſus, quem mater vel ex nimio aquæ potu, vel ex vſu fructuum, aliorúmque ciborum, qui copioſum ſerum gignunt, cumulauit.

*Hydrocephalon infantibus frequentius obtingit.*

Accidit autem malum hoc frequentius infantibus, quàm adultis; & quidē, vel in vtero, vt obſeruauit Epiph. Ferdinandus, *hiſt. med. 21.* vel extra vterum, dum circa partum caput ab obſtetricibus incautè comprimitur, vel, etiam ſine errore obſtetricis, natura ſeroſum humorem multum in capite collectum ex venis pellit. Nonnunquam tamen & adultiores hoc morbo corripiuntur; ſicut rei huius hiſtoriam habet Carolus Piſo, *de morbis à colluu. ſeroſi humor. obſeru. 1.* de quadam puella temperamenti calidi & ſicci, (in quo ſeroſi humores faciliùs colliguntur) quæ ex menſtrua purgatione ſuppreſſa, & aquæ liberaliore potu hoc malum contraxerat; vt & alterum viri cuiuſdam, *obſeru. 2.* Guilelm. Fabricius, etiam iuuenis 18. annorum, hydrocephalo laborantis hiſtoriam annotauit, *cent. 3. obſeru. 19.*

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa diagnoſtica.*

Facilè viſu hoc malum cognoſcitur. Quo autem capitis loco ſeroſus humor contineatur, ex ſignis diſcendum. Si extra cranium, & quidem inter cutem & pericranium, contineatur humor, tumor eſt euidens, mollis, eiuſdem vbique coloris, pellucidus plerumque, vt poſitâ ex aduerſo candelâ, vel ad radios Solis capite collocato, aqua conſpici poſſit: tumor eſt doloris expers, in altum incuruatus, qui tactui cedit, & rurſus aſſurgit, compreſſúſque aquæ fluctuantis motum exhibet. Atq; iſta ſigna apparent, vbi per ſe incepit hic tumor: at ſi ex contuſione vel percuſſione prouenit, initiò quidem rubet, & dolet tumor, poſtea verò concolor, & ſine dolore euadit. Cum autem inter cranium & pericranium aqua continetur, cætera quidem eodem modo ſeſe habent, & figura ferè ſunt eadem; niſi quod doloris aliquis ſenſus adeſt, propter pericranij diſtenſionem, tumórque eſt durior.

Si verò inter cranium & cerebri membranas aqua contineatur, tumor is ad tactum mollis non eſt, niſi valida fiat compreſſio. Tum enim impulſus cedit; cum cranium infantum adhuc ſit mollius, & maximè ſuturis dilatatis. Dolor etiam in iis maior eſt, & totum caput tumidius, & frons ipſis extra proiecta eſt, ac intentis oculis vident, & frequentius lachrymantur, ſenſus ferè hebetantur, ac ſopore afficiuntur.

### *Prognoſtica.*

1. Si aqua extra cranium contineatur, affectus curationem recipit. Neque tamen etiam tum periculo vacat, cum adſit magna intemperies, & ætas plerumque tenera ſit, quæ neque morbum, neque remedium ſuſtinere poteſt; præcipuè ſi aqua ſit copioſa. Tum enim lenia medicamenta parùm iuuant, fortia ætas non fert. Si verò aqua intra cranium collecta ſit, plerumque incurabile malum eſt. Nec tamen tum planè æger deſerendus ſed exſiccantia medicamenta vſurpanda, & cauteria applicanda.

2. Si lethargus vel apoplexia accedat, mors in propinquo eſt.

### *Indicationes.*

Aqua, quæ in capite quocunque loco continetur, euacuanda, &, vt in eo amplius non colligatur, præcauendum; quod fit, totum corpus, ſi opus eſt, euacuando, cerebrúmque frigidum & humidum calefaciendo & ſiccando, & vitium, cuius ratione generatur & colligitur aqua, corrigendo.

### *Curatio.*

*Aquam à capite euacuantia.*

Euacuatur autē aqua è toto corpore hydragogis, ſudores & vrinam mouentibus. E capite verò, vel inſenſibiliter, per medicamenta diſcutientia & exſiccantia; vel ſenſibiliter, veſicatoriis, cauteriis, cutis capitis ſectione. Humor, qui paucus eſt, inſenſibiliter diſcuti poteſt; qui verò multus, ſenſibiliter educendus. Nihil tamen tum prohibet, quin cum euacuatione ſenſibili etiam diſcutienda & exſiccantia adhibeantur.

Vniuerſalem corporis euacuationem quod attinet infantibus vix tutò hydragoga dantur; & alia remedia, quàm externa, vix iis commodè adhibentur. Si verò nutrix prauis humoribus ſcateat, corpus eius purgandum. Si tamen puer tam adultus eſt, vt ſuſtinere medicamenta poſſit, exhibendum mel roſar. ſolutiu. vel ſuccus irid. & ſambuc. ſed paucâ quantitate, & cum ſyrupo roſar. ſolutiuo.

Vel ℞. *Rad.ireos* Drach.vi.*ſem.fœnicul.aniſi,coriand.* an.Drach.ß.*paſſular.* Vnc.ß. Coqu.in aq.pura. In colaturâ infunde *mechoacan.agarici*,an.Dra.ii.

Colaturæ adde *mellis roſat.ſolutiu.* Vnc.ii. Detur cochlear.

Adultioribus pil.cochiæ exhiberi poſſunt;vel ſuccus iridis,vel gr.ii.elaterij cum pil.conuenientibus.

Per ſudorem ſeroſum humorem euacuant decoctum ligni Guaiaci,ſarſæ parill.ſaſſafras,vel balneum Laconicum & ſudatorium.

Per vrinam euacuant decoctum betonicæ,rad.fœniculi,aſparagi,ſem.aniſi,& alia.

Vniuerſalibus euacuationibus præmiſſis,ſi opus eſt, prius tentanda inſenſibilis euacuatio, quæ tutior eſt, quàm ſenſibilis. Quia autem cutis denſitas ad aquæ retentionem & collectionem non parum facit, primò cutis rarefacienda & mollienda decocto maluæ, chamæmeli, meliloti, parietariæ. Hinc exſiccantia & diſcutientia vſurpanda; in quem finem vſurpari poſſunt, *oleum chamæmel. anethin. rutaceum, laurinum, irinum.*

Cataplaſma item *ex farinæ fabarum,lupinorum, orobi, rad.iridis,abſinthio,ac melle.*

Ceratum *de betonica,* Emplaſtrum *ex ſtercore columbino,caprino,thapſiâ.*

*Cochlearum in hydrocephalo vſus.*

Auicennas vſurpat.cochleas,quas coquit in decocto artemiſiæ,ſtœchadis,calaminth.montan.vel cucum.aſinini,vel ebuli,eaſque ita coctas contundit,& calidè capiti raſo applicat.

Amatus Luſitanus,*cent.1.cur.69.*infantem hydrocephalo laborantem intra tres dies hoc medicamento ſe curaſſe ſcribit:

℞. *Pulu.abſinthij,chamæmel.meliloti*,an.Vnc.ii. *butyri recentis,olei chamæmel*,an.Vnc.iiij.*ceræ* parum,Fiat ad ignem vnguentum.

Idem & hoc,vt vſu comprobatum,laudat:

℞. *Mell.*lb.ß.*ſalis* Vnc.ß.*pulu.origani* Vnc.iii.Miſce, & calidè caput inungatur. Exſiccat & thermæ ſulphureæ, vbi earum eſt copia, ſi ſpongia in iis madefiat, & capiti imponatur. In defectu verò coquantur in aqua ſal, ſulphur, & alumen, & eodem modo applicentur.

Vel ℞. *Sem. coriandr. aniſi*, an. Drach.ii. *artemiſiæ origani,pulegij*,an.M.ß.*ſulphur.* Vnc.ß.

Coquantur in lixiuio. In colatura ſpongia madefiat, & calida capiti applicetur.

*Aqua calcis viuæ in hydrocephalo.*

Hieron. Fabricius ab Aquapendente in pueris, qui infantiam exceſſerunt,in hydrocephalo maximo,vt remedium efficaciſſimum, laudat aquam calcis viuæ(abiectâ calce)ſi eâ calidâ ſpongia imbuatur, & capiti imponatur;ac hoc ſolo remedio ſe hydrocephalum curaſſe ſcribit.

Idem commendat ſpiritum vini primæ deſtillationis, cum parte quarta aquæ ſcabioſæ cum ſpongia impoſitum. Monet autem hîc ſpongiam nouam eſſe recipiendam, & arctè faſciâ capiti alligandam, ac, ne refrigeretur,calido linteo ſuperpoſito moderate calefaciendam eſſe.

Vel ℞.*Ol.irini,rutac.chamæmel.*an.Vnc.iß.*pulu.rad. ireos, ſulphur.* an. Drach. ij. *ceræ* parum Fiat Linimentum.

Vel ℞.*Ol.Chamæmel.vel rutac.*Vnc.iiii.*ſulphuris* ʒ.i. M.F.Vnguentum,quod diu continuetur.

Poteſt & hîc locum habere Balſamus ſulphuris cum aliis mixtus.

Vel ℞. *Emplaſtri cephal.*Vnc.ii.*pulu.cumini* ʒ.i. *abſinth.aneth.ſpecier.aromat.roſat.* ana ʒ.ß. *olei chamæmel.* parum,Miſce.F.Emplaſtrum.

Vel ℞. *Farinæ fabar. lupinor.* an. M.ii. *ſulphur. flaui* Vnn.iß.*cumini* Vnc ß.

Coquantur in ſuff.q.lixiuij non fortis,addantur *olei aneth.vel rutac.* Vnc.ii F.Cataplaſma.

Carolus Piſo ægram illam puellam hoc modo curauit: primò ſyrup. roſat. ſolutiu. cum diacatholico exhibuit; hinc ſanguinem è talo detraxit, pilulas aggregatiuas ſeptimo quoque die exhibuit, caput verò fouit lixiuio cum herbis cephalicis, ſemine carthami,& agarico parato,atque impoſuit cataplaſma ex abſinthio in vino cocto, & emplaſtro è cochleis ſupra propoſito.

Quod ſi ex vaſorum contuſione non ſolùm aquoſus humor,ſed & feculentus ſanguis collectus ſit, ſanguinem primò incidere & attenuare, inde diſcutere & euacuare oportet.

Quod præſtat ſpongia aut ſtuppa poſcâ madida, in æſtate, vino verò cum aceto miſto in hyeme. Vtilis eſt & farina hordei cum oxymelite.

Si his remediis non cedat malum, ad ſenſibilem euacuationem accedendum. Celſus antequam ad ſectionem accedit, prius ſinapiſmo rem tentandam ſuadet,dum,*lib.4.c.2.*ſcribit: In hydrocephalo tonderi ad cutem neceſſarium eſt: deinde imponere ſinapi, ſic vt exulceret. Si id parùm proficit, ſcalpello vtendum eſt. Euacuant & cauteria aquam ſenſibiliter. Ita Carolus Piſo virum illum curauit, cauterio occipiti impoſito, quo aqua ſubuiridis quædam per multos dies euacuata eſt,ægérque inde conualuit.

*Sectio in hydrocephalo.*

Sectionem tandem quod attinet,ſi reliqua non proſint, in eâ, modò morbus ſit curabilis, maxima ſalutis ſpes eſt.Paulus Ægineta,*lib.6.c.3.*ſi inter cutem & pericranium aqua ſit, vnam diſſectionem per medium tranſuerſam facere iubet: ſi verò inter pericranium & cranium, & tumor ſit maior, duabus diſſectionibus per medium ſeſe mutuò ſecantibus vtitur. Si maximus ſit tumor; tribus vtitur, literam H. referentibus. Facienda autem eſt ſectio in loco vbi maior eſt aquæ copia, & in loco decliui. Vitandi tamen ſunt muſculi temporales. Aetius, *tetrab.2. ſerm.2.cap.1.* ſi paruus eſt tumor, apicem ipſius vnicâ ſectione diuidit; ſi verò magnus, duas aut tres, aut plures ſectiones facit iuxta magnitudinis proportionem, in locis ad effluxum commodis. Vbi autem ſub cranio hæſerit humor, tamdiu expectandum eſt, donec è capite per cranium redundet humor, ſuturæque diſtendantur, & tumor appareat.

*Aqua ex hydrocephalo eductio.*

Sectione peractâ aqua non ſemel,ſed paulatim euacuanda. Si enim confertim educatur, non minus periculo id vacat,quàm ſi hydropicorum aqua ἀθρόως euacuetur;cuius rei hiſtoria eſt apud Guilelm. Fabricium, *cent.3.obſeru.17.*

Hinc Hieron. Fabricius, cùm ſenſibilem euacuationem propter infelicem,qui ſæpe accidit,euentum pertimeſcat,vtramque euacuationem inſtituit,& ſenſibilem, & inſenſibilem. Facit primò exiguum vulnus, cui immittit cannulam argenteam nonnihil incuruam, exactè vulneri reſpondentem,ita vt nihil humoris effluere poſſit, niſi cannula ſit aperta. Hinc parum humoris emittit, & cannulam ligno ſtuppâ inuoluto obſtruit, ac capiti medicamentum aliquod ſiccans & diſcutiens imponit, & ita ſenſim humorem tum ſenſibiliter emittit,tum diſcutit.Euacuatâ aquâ vulnus debito modo,& vt aliàs fieri ſolet, ac de cutis capitis vulnere dictum eſt, conglutinandum & ſanandum.

Tandem cerebrum refrigeratum & humectatum calefaciendum & ſiccandum. Verùm eâdem operâ id per medicamenta aquam exſiccantia & diſcutientia expediri poteſt:poſſuntque medicamenta calefacientia & ſiccantia etiam poſt aquæ aſſumptionem & euacuationem aliquandiu continuari, vt cerebro ſua temperies reſtituatur. Hoc ſaltem attendendum, facilius in calefaciendo errorem, quàm in ſiccando committi poſſe.

Hiſtoria Hydrocephali etiam exſtat *in Spicileg.* Fr. Hildesheimij,*pag.780.*

*Inflatio Capitis.*

*Inflatio capitis.* Non tamen ſemper ab humore ſeroſo caput intumeſcit, ſed quandoque etiam flatûs admiſcentur, ſicut in hydrope tympanite, qui tumor ad ἐμφυσήματα, de qui bus *lib.5.part.1.cap.41.* dicetur, pertinent.

Curatu autem tumor hic eſt facilior;niſi illum cauſſa antecedens foueat. Taliſque forſan fuit tumor, qui ab Amato Luſitano intra triduum medicamentis flatûs diſcutientibus curatus fuit.

# LIBRI PRIMI PARS II.

## DE ACTIONIBVS CEREBRI LÆSIS, Senſuum Internorum ſcilicet, & Ratiocinationis; Motus item animalis ſymptomatibus,ac Excretorum & Retentorum in cerebro vitiis.

### Præfatio & ſumma huius partis.

*ABSOLVIMVS hactenus omnes cerebri, vt & partium,quæ cerebrum muniunt & tegunt, morbos:proximum iam eſt,vt de ſymptomatibus, quæ homini cerebri ratione accidunt, dicamus. Etenim ex morbis his, & eorum cauſſis, ſymptomata omnia, de quibus dicemus, originem habent, iiſque ſublatis euaneſcunt. Nam cum ad actiones, quæ à cerebro, & in cerebro fiunt, cerebrum benè & naturaliter conſtitutum,ac diſpoſitum,id eſt,ſuam temperiem, calorem innatum,& ſpiritus,& præterea ſtructuram, ac naturalem conformationem,ac vnitatem obtinens requiratur: ſi quid horum à naturali conſtitutione degenerat, actiones, quæ à cerebro,& in cerebro eduntur,lædi neceſſe eſt,& varia ſymptomata excitari.*

*Sunt autem illa ſymptomata duorum generum: Actiones læſæ, & Retentorum ac Excretorum à cerebro vitia. Symptomata enim qualitatum mutatarum hîc vix vlla Medico occurrentia dantur. Et ſi enim à cerebro vſu fumi Tabaci,vt & cauſſis internis,maculæ aliquæ contrahi poſſint, eæque in Anatome conſpiciantur: tamen in viuis ſenſibus obuiæ non ſunt.*

*Actiones cerebri, præter nutritionem priuatam, quæ ipſi cum omnibus partibus eſt communis,duæ ſunt: Vna,quæ ab ipſo fit, cerebróque propria eſt;Spiritus nimirum animalis generatio:altera,quæ in ipſo perficitur;Senſus nimirum interni, & Ratiocinatio, Spiritus animalis generationem quod attinet, cum ille à cerebro, quatenus calido innato & propriâ temperie præditum, perficiatur, & vix alia, quàm quæ ſupra de Intemperiebus Cerebri dicta ſunt, hîc dici poſſint: vitiis, quæ circa ſpiritus animalis generationem accidunt, de quibus etiam* part. 1. cap. 5. *dictum eſt, miſſis, ſaltem hîc de Symptomatibus Senſuum internorum ac Ratiocinationis agemus: quibus coniungemus Motus animalis, qui quoque à cerebro prouenit, vitia.*

Et proinde hîc agendum erit,

1. De Symptomatibus, quæ in ſenſu communi accidunt, nimirum de vigiliis nimiis,de Somno p.n. Cataphorâ,& Comate,de Inſomniis p.n.immoderatis & grauibus,
2. De Imaginationis ſymptomatibus;vbi dicendum erit de Vertigine.
3. De Symptomatibus, in quibus Imaginatio & Ratiocinatio læditur; ſiue imminuatur, ſiue deprauetur: cuiuſmodi affectus ſunt, Mentis imbecillitas & hebetudo, Tarditas ingenij, Stupiditas & Torpor mentis, Fatuitas, Stultitia & Amentia, (vbi ſimul de Memoriâ imminutâ & abolitâ, ſeu obliuione agetur,) Temulentia, Delirium, Παραφροσύνη, Phrenitis, & Sabare Arabibus dicta affectio, Melancholia, Amor inſanus,Melancholia errabunda, Arabibus Cutubuth, Mania, Lycanthropia, Rabies; quò pertinet Inſania canina, lupina, felina, Tarantati,Chorea S.Viti.
4. De Symptomatibus,in quibus plures ſenſus interni læduntur:qualia ſunt Coma vigil. Typhomania, Sopor grauis,dæmoniacus, ſopor ecſtaticus, Somnambulatio,Lethargus.
5. De motus animalis ſymptomatibus, & læſionibus,quales ſunt,Laſſitudo, Pandiculatio, Inquietudo, Horror, Rigor, Tremor, & Motus impotentia, ac Paralyſis, Conuulſio, & Motus conuulſiui.
6. Tandem de ſymptomatibus, in quibus ſenſus interni, & Ratiocinatio, & Motus, ac ſenſus externi ſimul læduntur, vel certè plures animalis facultatis actiones; qualia ſymptomata ſunt, Incubus, Catoche,& Catalepſis, Stupor manente auditu, vel motu ecſtaticus, Epilepſia, Carus; Apoplexia.

Quæ verò ſenſibus externis ſeorſim & priuatim, ſine ſuperiorum facultatum læſione, accidunt ſymptomata, de iis parte ſequenti tractabimus.

Tandem explicandum erit & alterum ſymptomatum genus in Excretis & retentis, vbi dicetur de Catarrho,& Excrementis cerebri p.n.retentis, & Sternutatione.



## CAPVT I.

### *De Vigiliis nimiis.*

### *Et primò*

### *In Genere.*

*Vigiliæ nimiæ.* VT ergo de ſymptomatibus, quæ ſenſui communi accidunt, primò agamus; affectiones ſenſus communis ſunt Somnus & Vigiliæ: atque ita animalia,& inter ea homo, comparata ſunt, vt per vices vigilent & dormiant. Etſi enim ad actiones, quæ per vigilias fiunt, condita ſunt: tamen quia ſpiritus animales, & conſequenter etiam vitales, ac calor innatus per eas abſumuntur, eorum inſtauratio, quæ in ſomno fit, neceſſaria eſt. *Somni finis & utilitas.* Itaque homo ſanus actiones ſuas per vigilias quidem obire; vbi verò ſpiritus aliquo modo abſumpti ſunt, ſe quieti dare, ſomnúmque capere debet: id quod commodiſſimè fit horis duabus vel tribus poſt cœnam exactis. Quod vbi fit, corpus ad actiones per vigilias rurſum obeundas redditur vegetius, alacrius, mens acuitur, & ad omnia peragenda habilior redditur homo; cum per ſomnum ſpiritus abſumpti inſtaurentur, calor augeatur, cibi crudi, & humores concoquantur, corpus humectetur, & ita in ſanitate conſeruetur,atque ad ſenectutem traducatur.

Si verò modum ſomnus & vigiliæ excedant,malum, vt eſt 2.*aphor.*3. Et vt Galenus, 2. *de ſympt. diff. cap.*3. ſcribit: Duo egregia circa primum ſenſorium, quod omnium ſenſuum eſt commune adſunt ſymptomata; Sopor & Peruigilium.

*Vigiliarum nimiarum incommodum.* Et primò quidem vigilias quod attinet, ſi eæ modum excedant, quando nimirum omnino homo non dormit per aliquot dies, vel non ſatis diu, ſcilicet non 7. vel 8. horarum,vel plurium ſpatio, pro naturæ conſtitutione, (Infantes enim diutius dormiunt, quàm ſenes)noxa corpori infertur.Cum enim in iis calor ad exteriora moueatur, ſenſúſque ſint in continuo exercitio,ſpiritus ac tenuior ſanguinis pars abſumitur,

 carnes

carnes colliquantur, corpus, & præsertim cerebrum, ſiccatur; vnde plurima incommoda oriuntur. Spiritibus enim animalibus abſumptis, & cerebro exſiccato, ſpiritus obtunduntur, mens perturbatur: & cùm conſequenter etiam ſpiritus vitales, qui animalibus præbent materiam, abſumantur, imò ipſi etiam per ſe in vigiliis cum labore coniunctis imminuantur & diſſipentur; languor totius corporis ſequitur, naturaléſque actiones, quæ, vt rectè perficiantur, ſpiritu & calore plurimo indigent, ſimul offenduntur. Et ſi homo vtatur alimento ſolido, aut copioſo, corpus cruditatibus, & ſuperfluis humoribus repletur, & ad cachexiam deducitur; ſi verò minore, & tenuiore victu vtatur, ad tabem diſponitur, ſenectuſque acceleratur. Et quia ſpiritus ac humores, præcipuè ſanguis & bilis, per vigilias incaleſcunt, & accenduntur, dolor capitis, oculorum rubedo, ventriculi roſiones, vertigo, febres, & deliria excitantur, variiſque malis corpus obnoxium redditur. Ideóque etſi vigiliæ nimiæ in ſymptomatum numero ſint, ac ſublatis cauſſis, à quibus pendent, tollantur: tamen ſi nimiæ ſint, ita interdum vires deiiciunt, & tot incommoda ſecum afferunt, vt Medici in iis temperandis, & inducendo ſomno, qui auxilium eſt in multis morbis, ſupra gemmas & lapides pretioſos æſtimandum, vt quidam ait, opera neceſſaria ſit.

*Vigiliæ nimiæ quid.* Cum autem ſomnus & vigiliæ contrario modo ſeſe habeant, & ſomnus naturalis ſit ceſſatio naturalis ſenſus communis & primi, ac ſenſuum externorum, ſalutis animalis gratia facta; Vigiliæ contrà ἐνέργεια ſeu λῦσις ſenſus communis, & externorum: vigiliæ immodicæ, & p. n. Græcis ἀγρυπνία, ſunt ſenſus communis, & externorum, præter modum, ac tempus conſtitutum, ſolutio ac exercitium, & durans ἐνέργεια. Nihil enim in vigiliis, quæ in ſymptomatum numerum veniunt, p. n. eſt, quàm quod vltra debitum tempus extenduntur, &, dum dormiendi tempus eſt, in officio & ἐνέργεια ſenſus perſiſtunt. Quod tamen non de iis vigiliis intelligendum eſt, quando homines ex propoſito, & de induſtriâ, negotij alicuius expediendi gratiâ, vigilias protrahunt, & ſomnum quaſi arcent; ſed iis, cum homo, qui dormire debet ac cupit, dormire non poteſt, ſenſuúmque externorum actiones præter voluntatem perſiſtunt, atque ita vigiliæ homini moleſtæ ſunt.

### *Cauſſæ.*

*Vigiliarum nimiarum cauſſæ.* Cùm verò hæ vigiliæ, ſomno naturali contrariæ ſint, ſomnique naturalis defectus; contrarias ſomno naturali cauſſas habebunt. Cum autem, vt in Inſtitut. *lib.* 1. *c.* 14. dictum eſt, ſomni proxima cauſſa ſit ſpirituum animalium à cerebro in organa ſenſuum influentium in cerebro detentio & quies, ac quaſi feriatio: vigiliarum nimiarum cauſſa proxima erit quies eorundem denegata, & continuus in organa ſenſuum externorum influxus.

Cauſſæ verò mediatæ variæ eſſe poſſunt. Auicennas, *fen.* 1. 3. *tract.* 4. *cap.* 4. ponit octo. 1. Intemperiem ſimplicem calidam vel ſiccam, vel intemperiem compoſitam, calidam & ſiccam, & quidem cum, vel ſine materiâ. 2. Salſedinem ſeu nitroſitatem humoris ſeroſi, miſti cum ſanguine & ſalſa pituita, vellicantem cerebri membranas. 3. Dolorem. 4. Intentam cogitationem & curas. 5. Lucem nimiam & ſplendorem. 6. Apoſtema aliquod in partibus cerebri, aut cerebro propinquis, à quo eleuantur vapores ſicci & mali. 7. Malam digeſtionem & repletionem, ex acribus vel corruptis cibis, aut multo potu. 8. Febrem putridam, è qua vapores multi eleuantur: quas tamen ita ad methodum commodiſſimè redigi poſſe putamus.

Vigiliæ p. n. accidunt, vel quia vapores illi, qui ſpiritus animales in ſtatu ſ. n. ſopiunt, aut, vti aliis placet, qui principia neruorum obſtruunt, deſunt; vel quia ſpiritus in cerebro turbantur, agitantur, commouentur. Ob vaporum illorum, qui ſpiritus ſopiunt, vel principia neruorum obſtruere dicuntur, defectum, vigiliæ p. n. accidunt inedia nimia, aut cùm cibi, qui aſſumuntur, nullam ferè talem exhalationem ſuauem præbent; aut quòd vapores à cauſſa calida vel ſicca abſumuntur. In ſenibus & decrepitis vigiliæ accidunt ob cerebri ſiccitatem, & imprimis ob defectum ſuauium exhalationum, prouenientem à debili & difficili coctione, & contrà vellicationem cerebri ab acribus & ſalſis humoribus ac vaporibus, &, vt Practici quidam loquuntur, humoris nitroſitatem. Hinc vini potus ſenibus ſomnum conciliat, non tantùm vi narcoticâ, ſed & quod coctionem & diſtributionem ciborum adiuuat, & facit, vt vapores ſuaues ad cerebrum eleuentur. Contra refrigerantia & humectantia ad ſomnum conciliandum ſenibus non ſunt vtilia. Vide Langium, *lib.* 1. *epiſt.* 26.

Spiritus turbantur ac commouentur, & inquietiores redduntur variis modis: 1. ab intemperie cerebri calida vel ſicca, vel calida & ſicca, cum, vel ſine materia. 2. ab externis ſenſuum obiectis vehementioribus, vt ſtrepitu, ſomno, punctionibus. 3. in ſpecie ab obiectis tactus vehementioribus dolorem parientibus, ſeu doloribus magnis, quacunque in parte. Quò pertinent eorum affectus, qui diſpnœam in morbis pectoris, vel hydrope patiuntur. Hi enim vel dormire nequeunt, vel, ſi obdormiant, ſuffocationis periculum incurrunt, 4. in animi affectibus nimiis, irâ, mœſtitiâ, ſollicitudine & curis, timore, gaudio, amore, inſomniis grauioribus. 5. à vaporibus acribus, inprimis bilioſis, & melancholicis.

### *Differentiæ.*

*Differentiæ vigiliarum.* Vt ita cauſſæ omnes, quæ vigilias p. n. excitare, quæque curationem variare poſſunt, & hîc vigiliarum p. n. aliquot differentias conſtituunt, hæ ſint.

1. Vaporum ſpiritus animales ſopientium, vel, vt alij loquuntur, principia neruorum obſtruentium, defectus.

2. Cerebri intemperies calida, vel ſicca: vel calida & ſicca cum, vel ſine materia, vt bile, pituitâ ſalſa, humore melancholico, atrâ bile.

3. Dolor vehemens in quacunque corporis parte diſpnœa, & omnino omnium ſenſuum externorum obiecta vehementia.

4. Vapores acres turbantes ſpiritus.

5. Animi affectus nimij: de quibus iam ordine dicemus, ſi prius, quæ in genere de vigiliis p. n. dicenda ſunt, expediuerimus.

### *Signa Diagnoſtica.*

Quâ ratione vigiliæ cognoſcendæ ſint, ſignis opus non eſt; cum ipſæ ſeſe ſatis manifeſtent, & ægri de iis conquerantur. Et quamuis ægri id non referant: tamen, vt Galenus, 1. *prognoſt. t.* 8. docet, vigilias longiores præceſſiſſe cognoſcitur ex eo, quod oculi appareant ſqualidi, licèt nulla immodica euacuatio præceſſerit, ægri palpebras difficulter attollunt, eæque inſtabiles ſunt. Quâ ratione autem cauſæ cognoſcendæ ſint, poſtea in ſpecie de ſingulis dicetur.

### *Prognoſtica.*

*Vigiliarum nimiarum incommoda.* 1. Vigiliæ nimiæ non contemnendum malum ſunt, quæ præter id, quod homini eam, quæ ipſi naturaliter ex ſomno debetur, refectionem ſubtrahunt, etiam, vt Galenus, 1. *prognoſt.* 8. & 12. *meth. med. c.* 1. & 5. docet, non minus vires exſoluunt, ac deiiciunt, quàm ſenſibiles euacuationes. Vnde ab Hippocrate, 6. *Epid. comm.* 4. *t.* 20. vigiliæ edaces appellantur. Et quot incom-

incommoda immodicæ vigiliæ homini afferant, antea, in initio huius capitis dictum.

2. Vigiliis, qui sunt ætate consistente, plus offenduntur, quàm iuuenes. Galenus, 3. *aph.* 30.

3. Corpora vigiliis assueta minus læduntur. 2. *aph.* 50.

4. Quò maior caussarum, à quibus vigiliæ p.n. excitantur, vis est, eò periculosiores sunt vigiliæ: & quò facilius caussæ tolli possunt, eò etiam minus periculi coniunctum habent vigiliæ. Atque ideo à caussa interna periculosiores sunt vigiliæ, quàm ab externa, & euidente.

5. A vigiliis conuulsio aut delirium malum, 7. *aph.* 18. Videatur Galenus, & alij commentatores in hunc aphorismum.

6. Si à vigiliis nimiis proueniat tussis, malum. Siccitatem enim organis respirationis communicari significat.

7. Breue autem plerunque tempus est, quo siue ad salutem, siue ad mortem vigiliæ terminantur; cum vires diu sine somno consistere non possint. Et quidem via ad mortem est per virium dissolutionem; via verò ad salutem & sanitatem, per somni restitutionem.

*Vigiliarum diuturnarũ historia.* Obseruatum tamen est, nonnullos satis diu sine vitæ dispendio vigilasse. Seneca, *in libr. de prouident.* refert, Mecœnatem tribus annis integris sine somno permansisse, & tandem ab hac ægritudine liberatum fuisse solâ placidâ & leni harmoniâ. Sicut & de eodem Plinius, *lib.* 7. *natur. hist. cap.* 51. narrat, quod ei triénio supremo nullo horæ momento contigerit somnus. Fernelius. *Patholog. lib.* 9. *c.* 2. mente quendam captum menses 14. insomnes duxisse refert. Montuus, *de morbis, lib.* 1. *cap.* 27. scribit, se nouisse mulierem, quæ per 35. annnos insomnis permansit sana, & citra noxam. Heurnius, *de morb. capit. cap.* 16. refert sibi in Italia narratum esse, Nizolium, illum Ciceronianum, decennium somnum non vidisse.

## *Indicationes.*

Vigiliis nimiis quidem commodissimè succuritur, si caussæ, à quibus eæ pendent, tollantur: quod quomodo fieri debeat, postea in specie dicetur. Verùm cum caussæ illæ sæpe statim & breui tempore tolli non possint, ac interim vigiliæ vrgeant, & vires deiiciant, atque ob vigilias tum periclitetur æger: vigiliæ tunc curam ad se trahunt, & remedia postulant. Vigiliæ auttem nimiæ somnum indicant, vt sibi contrarium, seu remedium somnum concilians.

Interim si etiã caussæ succurri possit, facilius somnus conciliabitur. Et quia plerumque vigiliæ nimiæ fiunt à vaporibus biliosis; bilis euacuanda, si morbi natura id admittat, & téperanda. Venæ sectioni verò hic nullus per se locus est; cum sanguis per se non inducat vigilias. Et si interdum, vbi vigiliæ vrgent, venæ sectio requiritur, id non fit ob vigilias, sed ob adiunctum alium affectum. Vide Benedict. Victor. Fauentinum, *tom.* 1. *cap. de vigiliis.* Forestum, *libr.* 10. *obseru.* 36. *in schol.*

## *Curatio.*

Quia verò somnus conciliatur, cum spiritus animales ad sensus necessarij sopiuntur, vt quiescant, & in organa sensuum non influant; seu, vt alij volunt, cum meatus, per quos in organa sensuum spiritus animales influunt, clauduntur, & nullum obiectum vehementius in sensuum organa agit; (cum vnus saltem sensus excitatus vigilias excitare possit) quatuor modis

*Somnus quot modis conciliatur.* somnus conciliari potest: Si primò, remoueantur omnia, quæcunque sensum aliquem ad operandum excitare possunt, 2. Si ab externorum sensuum actione animus auocetur, & spiritus animales à motu ad quietẽ placidè inuitentur. 3. Si ea, exhibeantur, quæ calidos, siccos, & acres vapores temperant, & suaues vapores, ac ἀναθυμιάσεις in cerebrum mittunt, quibus id humectatur, & spiritus animales quasi sopiuntur; quæque vapores acres à cerebro auocant: vt frictiones extremorum. 4. Si ea exhibeantur, quæ peculiari vi spiritus animales sopiunt, ac torpidos reddunt; quæ in specie ὑπνωτικὰ, & ναρκωτικὰ dicuntur. De quibus ordine dicendum.

Primò ergo danda opera, vt omnia obiecta, quæ sensum quemcunque excitare possunt, remoueantur: lux nimia, strepitus, & sonus vehementior omnis, odores item fortes, & inprimis quæ tactum afficiunt. Ideóque æger in molli lecto cubet, à quo absint culices & pulices; claudantur fenestræ, æger ipse oculos claudat, omnis strepitus & sonus vehementior absit, ac silentium adstantibus imperetur.

Secundò facultas ad vnum aliquem sensum blandè diuertatur, & ab aliis auocetur blando aliquo, non vehementi obiecto, (cum vehemens obiectum potius excitet sensus, quam sopiat) vt spiritus à reliquis sensibus auocati blandè sopiantur, & quieti tradantur; id quod fit cantu suaui, & Musicâ vniformem sonum edente, auium cantillatione, susurratione submissè loquentium, strepitu aquæ ad modum riui blandè fluẽtis, vel aquæ in peluim per gutturnium, vel filtrum, quod Chymicis dicitur, stillantis sonitu, motu in lecto pensili, scalpturâ cutis capitis leni, plantarumque pedum blandâ titillatione.

Tertiò somnum conciliant quæ suaues ἀναθυμιάσεις ad caput mittunt, & calidos, siccos, atque acres vapores temperant, aut propter cognationem euocant; & tum maximè conueniunt, vbi à vaporibus calidis, siccis, & acribus vigiliæ proueniunt. Quæ tamen ipsa pleraque peculiarem aliquam, sed leuem omnino spiritus animales sopiendi quasi vim habere credibile est. Cuiusmodi sunt: *sem. & fol. lactuc.* cuius frequens tempore vespertino comestio familiare antiquis erat ad somnum conciliandum remedium; *flores violar. nymph. rosar. sem. frigid. maiora, anethum, amygdal. dulc. nuclei Persicor. quibus & sem. papau. alb. addere licet,* *Somnũ conciliantia medicamenta.*

E quibus fiunt,

## *Interna.*

AQVÆ, *violar. nymph. lactuc. portulacæ, solani, rosar. hypnotica Dorncreilij.*

EMVLSIONES:

Vt ℞. *Amygdal. dulc.* Vnc. ß. *sem. papau. alb.* Dra. iii. *aq. rosar.* Vnc. i. *lactuc.* Vnc. vi. Fiat s.a. Emulsio. Cui adde *iulepi, vel syrup. violar.* Vnc. i. Misce.

Vel ℞. *Sem. papau. alb.* Vnc. ß. *lactuc.* Drach. i. *amygd. dulc. excort.* num. vii *aq. lactuc.* Vnc. iii. *nymph. violar.* an. Vnc. ii. F. s. a. Emulsio, cui adde *iulepi violar. rosar.* an. Vnc. ß.

Possunt etiam addi species diamarg. frigid. vel aliæ, pro morbi naturâ.

SYRVPI, *violarum nymph. papau.* qui ad Vnc. i. & plus, post cœnam exhibetur.

CONSERVÆ; *violar. nymph.*

CONDITA; *caules lactucæ Indicæ conditi.*

POTIONES vel IVLEPI.

Vt ℞. *Syrup. violar.* Vnc. i. *nymph. papau.* an. Vnc. ß. *aq. lactuc. nymph.* an. Vnc. iii. *rosar.* Vnc. i. Misce pro 2. vel 3. dosibus.

Vel ℞. *Syrup. de papau. de nymph.* an. Drach. vi. *aq. lactuc. portulac.* an. Vnc. iß. *specier. diamarg. frig.* Scr. ß. Misce.

Vel ℞. *Syr. papau.* ℥. j. ß. *aq. lactuc.* ℥. ij *vini albi* ℥. j. Misce.

Vel ℞. *Aq. violar. lactuc,* an. Vnc. jß. *confect. alkerm.* ℈. ß. *spec. diamarg. frig.* ℈. j. *syr. de papau. de violis,* an. ℥. ß. Misce pro haustu.

DECOCTA:

Vt ℞. *Fol.lactuc.* M.j. *flor.violar.borrag.bugloss.nymph.* an.M.ß. *passular.* ℥.ß. Coq.in aq.s. Colaturæ ℞. ℔. ß. add. *syrup.violar.* Vnc.jß. *nymph.* ℥ j. Misce pro duabus dosibus.

Vel coq. in iure pulli, vel gallinæ, iij. vel iiij. capita papau. aut folia aliquot lactucæ. Iusculum hoc detur sub horam somni. Cum quo etiam hordeatum fieri potest.

ELECTVARIA; *diacodium simpl.* Vnc. j. exhibitum.

Vel ℞. *Conseru.violar. rosar.nymph. caulium lactuc. cond.* an Vnc.ß *Cum syrup. de papauer.* F.Electuarium, de quo datur Vnc.ß. vel Drach.vj.

Vel ℞. *Conseru.nymph.* Vnc.j. *violar.syrup.papau.* an. Vnc.ß. Misce.

PVLVIS; *ex semine papauer.& saccharo.*

ROTVLÆ, *diacodium album*, in forma solida, de quo ℥.ß exhibetur.

Sunt autem ista omnia medicamenta exhibenda sub tempus somni.

*Externa.*

*Externa.* Quæ fronti, temporibus, naribus, suturæ coronali, vel toti capiti, pedibus item, ac manibus applicantur.

LOTIO CAPITIS; fiat cum decocto *fol. lactuc.* & imponantur fol.lactucæ, quibus sæpe renouatis in febribus, vbi ne opiata quidem contulerunt, somnum se conciliasse scribit Nicol. Massa. Possunt & addi *fol. nymph.solani, vitis, violar.* & alia, quæ supra, *part.* 1. *c.* 1. sunt proposita.

EPITHEMATA; fiant ex earundem plantarum decoctis, *succo lactucæ, nymphææ, solani, lacte muliebri, emulsione sem.papau.alb. & lactuc.*

Vt ℞. *Sem.lactuc.* ʒ.ij. *papau.alb.* ʒ. v. *nucleor. Persicor.* ʒ.ij. *aq.lactucæ, papau.* an. Vnc ijß. *anethi* Vnc. j. F. Emulsio pro epithemate.

Vel ℞. *Nucleor.Persicor.* ℥ ß. *sem.papau.albi* ʒ.ij. *aq.solani* ℥.iij. *rosar.* Vnc.j. F. Emulsio pro epithemate.

Nonnulli aq.anethi cum zedoaria puluerisata vtuntur, eamque temporibus apponunt.

Vel ℞. *Mucilag.sem.psyllij aqu.violar.extract.emuls. sem. papau.alb.* an. Vnc.ß. *nucum iugland.nucl.Persic.* an. ʒ.jß. *lap.alabastr.præpar.* Drach.ß. Misce.

Parari etiam possunt SACCVLI ad tempora. E.g.

℞. *Flor. violar.rosar.nymph.* an. ʒ.ij.

Fiat Sacculi duo ex sindone rubra, qui conueniente liquore aliquo humectentur, & temporibus applicentur.

Vel ℞ *Fol.lactucæ* P.iij. *solani* P.ij. *sem.papau.albi* ℥ j. *nucl.Persicor.* num.x. *flor.rosar.* M.j. *nymph.* M.ß.

Concidantur & indantur sacculo, qui ebulliat in aqua, & expressus capiti imponatur.

CATAPLASMATA:

℞. *Amygd.dulc.* num.vj. *nucleor.Persicor.* num. v. *sem. papau.albi* ℥.i. *lactuc.* Drach.ij. *thuris* ʒ.j. *nuc. moschat.* num. j.

Omnia contusa cum medulla panis albi, aq.rosar. & lacte muliebri subigantur, & misceantur. Vide Institut. *lib.* 5. *part.* 3. *sect.* 3. *cap.* 39. in fine.

OLEA; ad inungendum frontem, tempora, & plantas pedum: *Ol. violar.nymph. papau.alb.amygdal. dulc. anethinum.salicis, mandragora.*

MEDVLLA; crurum vituli, cerui.

VNGVENTA; *populeum recens, somniferum* Vnde variæ illitiones & inunctiones fiunt.

℞. *Ol. amygdal.dulc.* ʒ.j. *violar.nymph.papau.* an. ʒ. vj *vnguent.populei* ℥.ß. Misce.

ERRHINA & quæ naribus admouentur, vel naribus attrahuntur, iisque illinuntur; vt *aquæ destillat.rosar.lactuc. solani, nymph. lac muliebre, ol. papau. violar. nymph.* Vel odoranda exhibentur ex *flor.rosar. violar. nymphææ, papau.*

Vt ℞. *Papau.alb.* cap.ij. *flor.rosar.alb. violar. nymph. sem.coriand. non præparati* ʒ.jß. *oculor. populi, santali citrin.* an. Drach.j.

Conquassentur, & ligentur in nodulo, qui irroretur aq.rosar. & lactuc. & sæpius naribus admoueatur Flores quoque ligustri odore somnum conciliant.

LOTIONES extremorum; cum *decocto fol. lactuc. malu.violar. althéæ, salicis, vitis, flor.nymph.summit. aneth. flor.chamæmel.* quæ actu calida adhibeantur, vt faciliùs penetrent.

Vt ℞. *fol. lactuc.salicis, violariæ, maluæ, vitis,* an.M.iiij. *flor. nymph.summit.anethi,* an.M.ij. *capit.papau.albi cum sem.incisor.* num.xij. vel xv.

Coq.pro lotione pedum.

Vel ℞. *Fol.maluæ, violar.lactuc.* an.M.ij. *flor. chamæmel.* M.j. *summit.anethi* M.ij.

Incisa coquantur pro lotione pedum.

Vel ℞. *Flor.nymph.* M.iij. *rosar. alb. fol. vitis, violar. lactucæ, summit. anethi.* an M.j.

Coq.in aqua pro lotione pedum.

PVLVINARIA quoque è plantis viridibus, vt *fol. lactucæ, salicis, vitis, flor.nymph.violar.* parare licet: quibus ob odorem suauem, & penetrationis gratiâ, aliquid melissæ addere commodum est.

Quartò somnum conciliant, quæ spiritus animales torpidos reddunt, & sopiunt quasi. Quod (etiamsi calida sint) peculiari vi præstant, & idcircò ὑπνωτικὰ, aut potius ναρκωτικὰ dicuntur: quem effectum hactenus malè nimiæ frigiditati attribuerunt. De quo *quæst.* 1. dicetur. *Narcotica & Hipnotica.*

*Talia sunt.*

Rad. *Mandragor. hyoscyami.*
Fol. *Solani, hyoscyami, mandragoræ, tabaci.*
Flor. *Hyoscyami, papaueris, croci.*
Sem. *Papau.albi, nigri, hyoscyami, lolij.*
Fruct. *Mandragoræ.*
Cortic. *Papau.& mandragoræ.*
Succ. *Mandragoræ, hyoscyami, opium.*
Gumm. *Styrax.* Neque refert, quod styrax aliàs inter calida medicamenta refertur. Est enim ipsi hoc cum opio commune. Interim experientia edocti styracem ad somnifera medicamenta referunt, Dioscorides, *libr.* 1. *cap.* 69. & Galenus, 2. *de compos. med. s. loca cap.* 1. *in fine.*

E quibus leniora sunt *sem. & cortic. papau. solanum.* quò etiam referri possunt, (nisi quis in tertiam classem ea referre velit,) absinthium, sem.coriand. crocum; fortiora, *hyoscyamus, mandragora*; fortissimum *Opium*, quod hactenus 4. gradu frigidum habitum est. Vnde autem reuera ea efficacia proueniat, dicetur *quæst.* 1.

Ex his parantur varia medicamenta somnifera,

*Interna.*

AQVÆ DESTILLATÆ:

℞. *Allij, opij.* an. Vnc.ii. *aq. solani* ℔.j.

Destillentur, & aliquot guttæ aquæ exhibeantur.

Alia: ℞. *Opij* Vnc.j. *allij* capit.ij.

Simul contundantur, & in B. M. per alembicum destillentur. Aquæ vna vel altera gutta in vino data somnum mirabiliter prouocat. Langius, *libr.* 3. *Epist.* 1. *cap.* 1.

Alia: ℞. *Sem.papau.alb.nigr.* an. Vnc. ß. *vini albi, fellis leporin.* an. ʒ.ij *aq.lactuc.* ʒ.iiij.

Macerentur per 3 dies: Postea destillentur in B M.

Huius aquæ gutta vna somnum ad horam 1. conciliare dicitur.

Alia, quæ Helidæo Paduano attribuitur:

℞. *Lolij* ℔. j. *opij.* ʒ.j. Infund. *in vini Maluat.* ℔. vj. adde *salis commun.* ʒ.ij. *papau.* ℥.ß. *hyoscyam. alb. lactuc.*

*ctuc.* an. M. ß. Destillentur, & aqua à Drach. ß. ad Drac. j. exhibeatur.

PILVLÆ; *de cynoglosso*, quæ dantur à. ℈. ß. ad ℈. j. *pilulæ narcoticæ Plateri*, quæ parantur hoc modo:

℞. *Opij* Drach. j. Dissoluantur sensim, & rursum exsiccetur. Deinde nouo spiritu vini affuso opium dissoluatur, & add. *ol. cinamomi* gutt. ij.

Postea ℞. *cinamom.* ʒ. ij. *sacchari candi* Vnc. j. *piper.* Drach. j. *sem. coriandr.* Scrup. ii. *croci* Drach. ß.

Subtilissimè puluerisatis addatur opium dissolutum, & sensim misceantur, ac cum syrupo papau. redigantur in massam; addendo *moschi* Scrup. ß. Massa diligenter in mortario agitetur. Ne verò massa exsiccetur, oleo de been subigatur. Dosis pilulæ duæ paruæ.

Possunt inde etiam fieri tabulæ, si sacchari dosis augeatur: sed tum dosis etiam est augenda.

Aliæ eiusdem: ℞. *Opij* Scrup. j. *sem. hyoscyam alb.* Scrup. ij. *piper.* Drach. ij. *castor.* Drach. sem. *croci* Scrup. j.

Dissoluatur opium in vino Maluatico, vt fiat massa, quę exsiccetur, rursumque puluerisata cum syrup. papau. redigatur in massam, de qua in forma pilular. detur Scrup. ß. vel, si parum operetur, plus.

Sequentes Dorncreilio attribuuntur:

℞. *Opij purificati* Drach. j. *magist. perlar. corall.* an. Scrup. j. *sal. sedæ. maioran.* an. Scrup. ß. *Cum confect. alkerm.*

F. Pilulæ num. xviij. inaurandæ.

Dosis pilula j. vel sola, vel cum aq. lactuc. Vnc. ij. & syrup. de papau. Vnc. ß.

Sal. Albertus sequentib. frequentissimè vsus esse dicitur:

℞. *Philon. Rom. confect. alkerm.* an. Drach. ß. *pulu. croci* Scrup. j.

Fiat Pilulæ xviij. quæ diuidantur in duas partes, & vna pars circa medium noctis sumatur.

TROCHISCI ex Mesue laudati, ad vigilias & delirium in febre:

℞. *Sem. lactuc. portulac. papau. cucurbit. melon. cucumer.* an. Drach. v. *succi glycyrrhiz. amyli, tragacanth. opij*, an. Drach. jß.

Terantur omnia subtiliter, & cum mucilag. sem. psyllij F. Trochisci. Dantur ad. Drach. ij.

Plateri: ℞. *Species pro electuario opiato*, (cuius descriptio paulò pòst proponitur.) add. *gum. tragacanth. in vino Maluat. dissolut.* & cum saccharo F. Trochisci, ad Drach. ß. exhibendi.

Alij, qui etiam Tabularum narcoticarum Plateri nomine circumferuntur:

℞. *Opij* Drach. ij. Infund. in vini Maluatic. Vnc. iij. & postquam dissolutum, ac bene agitatum fuerit, rursumque subsederit, liquor clarus à fecibus effundatur, & filtretur: cui adde *sacchari* Vnc. ij. *cinamom.* Drach. ij. *moschi* Scrup. ß. *mucilag. tragacanth. cum aq. rosar. factæ* q. s.

Misce instar pastæ, siccenturque, donec in tabulas formari queant, quæ exhibentur ad Scrup. ß.

Habuit & sequentes alias in vsu, quas etiam ad sedandam tussim vehementem exhibuit:

*Specier. diatrag. frig.* Drach. jß. *pulu. sem. hyoscyami albi* Scr. j *opij vino dissoluti* gr. vj. *sacchar. penidij* Vnc. j. *gum. tragacanth. aq. rosar. dissolut*, q. s. Fiant Trochisci parui.

PVLVIS:

℞. *Cinamom. myrrh.* an. gr. vj. *opij, croci*, an. gr. iiij. F. Puluis, qui diuidatur in partes. 3.

Laudanum. LAVDANA, quæ ferè reliquorum omnium instar esse possunt; de quorum compositione, & variis variorum autorum descriptionibus prolixè agit Libauius *Syntagm. arcanorum Chymic. lib. 8. cap. 44.*

Nostrum, quo hactenus vsi sumus, hoc est:

℞. *Opij s. a. purificati* ℥. j. Affunde *spir. vin. optimè rectif.* vt digitis tribus superemineat, stent diebus 14. sæpius agitando: Postea quod clarum est sensim effundatur, & spir. vin. lento calore separetur, ad syr. liquidioris consistentiam.

Seorsim infundantur in spir. vin. etiam dieb. 14. *specier. diambr.* Vnc. ij.

Et tinctura clara separetur.

Hinc extracto Opij affundatur *tincturæ diambræ* pars dimidia, & *succi citri recentis purificati* Vnc. j. Sténtque in digestione, seu calore tepido, dies 20. sæpiusque agitentur.

Vbi spir. vin. maxima pars exhalauerit, adde *extract. castor. solut. corallior. margarit.* an. Drach. ß. *essent. croci* Scrup. j.

Affunde *tincturæ spec. diambræ* reliquum: in lento igne spiritus vini exhalet. Sub finem adde *ol. citri, cinamomi, caryophyll.* an. gut. vj. F. Massa instar extracti: Dimidiæ parti adde *moschi, ambræ*, an. gr. vj.

Reliquum reseruetur pro fœminis.

Laudanum Opiatum D. Andr. Donreri.

℞. *Essent. opij debito modo purgati, atque aceto opt. extr.* ℥. j. *croci aq. limonum stillat. extract.* ℥. ß. *styrac. liquid. puriss.* Scrup. j. *spec. diambr. diamosch. dul.* an. ʒ. iij. *terr. sigill. Turc.* Scrup. ij. *pulu. oss. de C. C. magist. succini*, an. Drach. ß. *corallior. perlar.* an. Scrup. ß. *ol. anisi* Drach. ß. *nucis mosch. expr.* Scrup. j. *citri, aurantior*, an. gutt. v.

Essentiæ cum styrace primò vniantur ad lentum ignem.

Postea addantur species cum reliquis speciebus atque oleis:

Diuidantur in partes duas æquales: Vni part. adde *essent. castorei* Scrup. j. atque cum *syrup. papau. simpl.* q. s. redigatur in iustam Electuarij consistentiam. S. Laudanum Opiatum pro mulieribus. Parti alteri adde *ambr. mosch.* an. gr. vj. Cum *syrup. papau. simpl.* q. s. F. Electuarium. S. Laudanum opiatum pro viris.

Possunt tamen ista Laudana etiam forma liquida, seu extracti liquidi exhiberi; quale est illud, quod in *Epist. à. Scholtzio collect. epist. 61.* commendatur, & in maniâ, in vigiliis extremis, colicâ in febribus ardentibus, phrenesi, peripneumoniâ desperatâ, cum commodo exhibitum fuisse prædicatur.

℞. *Spec. diambræ* Vnc. ij.

Infundantur in vino destillato quatuordecim diebus, vt latum digitum superemineat.

Adde *opij* Drach. vj. *mumiæ* Drach. ß. *succi hyoscyami* Vnc. j. *corall. rubr. carabæ*, an. Drach. ij. *croci* Scrup. j. *moschi* gr. xvj. *ambr.* gr. xij.

Affuso rursus spiritu vini, vt supereemineat latum digitum, digerantur per mensem, quotidie agitando. Dosis Scr. ß. pro ægri constitutione.

Et quia Laudanum Opiatum instar omnium, vt diximus, esse potest, & frequentissimè vsurpatur, varium eius vsum monstrare libet.

POTIONES.

℞. *Aq. rosar. borragin.* an. Vnc. j. *cinamom.* ʒ. ij. *syr. violar.* ʒ. iij. *margarit. præparat.* ℈. ß. *laudani opiati* gr. ij. vel iij. Misce.

Vel ℞. *Aq. papau. solani*, an. Vnc. j. *succini præparat.* ℈. ß. *essent. papau.* Drach. ij. *laudan. opiati* gr. ij. *syr. violar.* Drac. iij. Misce.

SIRVPVS.

℞. *Syr. de papau.* ℥. ß. *de nymph.* ʒ. ij. *pulu. croci* gr. iij. *laudan. opiati* gr. ij Misce.

EMVLSIONES.

℞. *Amygdal. dulc.* ʒ. ij. *sem. papau. albi* Drach. j. *aq. violar. nymph.* an. Vnc. j. ß. F. s. a. Emulsio; in qua dissolue *laudan. opiat.* gr. iij. *iulebi violar.* ℥. ß. *margarit. præparat.* gr. v. Misce.

PILVLÆ.

℞. *Laudan. opiat.* gr. ij. vel iij. *magist. perlar* gr. ij. Cum *aq. violar.*

Fiant Pilulæ ij. inaurandæ.

Vel

Vel: ♃. *Laudan. opiati* gr. ijß. vel iij. *magist. corall. rubr.* gr. iij. F. Pilulæ num iij.

Electuaria, vel MISTVRÆ:

♃. *Conseru. violar.* Drach. ij. *laudan. opiati* gr. iij. Misce.

Vel ♃. *Conseru. flor. nymph.* Drach. ij. vel iij. *laudan. opiati* gr. ij. *spec. diamarg. fr.* ℈. ß. Cum *syrup. de papau.* Misce.

Vel ♃. *Conseru. rosar. albar.* Drach. ij. *laudan. opiati, magist. perlarum*, an. gr. ij. Misce.

ELECTVARIA: Philonium, à Philone medico Tarsensi, ita dictum; cuius descriptionem habet Galenus, 5. *de comp. medic. s. loc. cap.* 4. Aëtius, *tetrab.* 3. *serm.* 1. *cap.* 37. Ægineta, *lib.* 7. *cap.* 11. & alterum, quod maius, seu Romanum (Arabes enim res Græcas Romanas appellare solent) appellatur, descriptum à Nicolao: quæ à Scrup. j. ad Drach. j. ad summum exhibentur: *Requies Nicolai, theriaca recens*, & aliæ antiquis vsitatæ compositiones.

Plateri Electuarium Opiatum:

♃. *Specier. diambr. vel diamosch. vel aromat. rosat.* ʒ. ij. *cinamom.* ʒ. jß. *santali rubr.* ʒ. ß. *sacchar.* ℥. ß. *opij in vino Maluatic. dissol.* ʒ. ß. *ol. caryophyllor. vel cinamom.* gutt. aliquot: additàque *syrupi cydonior. vel conseruat. citri* f. q.

F. Electuarium, quod exhibetur ad Drach. ß.

Commendatur & hoc:

♃. *Conseru. nymph. violar.* an. Vnc. j. *diacodij* ℈. ij. *requiei Nicolai*, ʒ. iij. *specier. diarrhod. abbat.* ℈. ij. *sem. frigid. maior. papau. alb.* an. ℈. j. *lactuc. scariolæ, coriandr.* an. ℈. ß. *croci* gr. v. Cum *syrupo de papau.* Fiat. Electuarium.

Vel ♃. *Spec. pil. de cinoglossa* ℈. j. *philon. Mes.* ʒ. j. *requiei Nicol.* ʒ. j. ß. *conseru. rosar.* ℥. iij. *violar.* ℥. ij. *borragin. bugloss.* an. ʒ. j. *Mithridat. opt. recent.* ℥. ß. Cum *syr. de papau.* q. s. F. Electuarium; cuius dosis ℥. ß.

## *Externa.*

Quæ, vt antea etiam dictum, vel temporibus, syncipiti & fronti imponuntur, aut inunguntur, aut in lotionibus capitis adhibentur; vel naribus odoranda admouentur; vel etiam volis manuum & pedum inunguntur. Mitiora equidem futuræ coronali applicari possunt Opiata verò non item.

EPITHEMATA, & CATAPLASMATA ad tempora, & frontem:

♃. *Rad. mandragor. aut hyoscyam. capit. papau. alb.* an. part. æq.

Torreantur, & deinde terantur cum vino; & ol. rosacei q. s. apponanturque fronti, & temporibus.

Vel hoc Dominici Leoni:

♃. *Farin. hordei* ℥. jß. *cort. rad. mandrag. sem. hyosciam. alb. cort. papau.* an. Vnc. i. *sem. lactuc. portulac. flor. violar. nymph.* an. Drach. ß.

Coqu. omnia *in succo solani, hyoscyam. & mucilag. sem. psyllij.*

Deinde addatur *ol. de mandragor. de nymph. de papau. amygdal. dulc.* an. Vnc. sem.

Iterum coquantur ad formam pultis, & tandem addatur *lac muliebre*, in quo *opij* Drach. i. fuerit dissoluta. F. Cataplasma.

Vel ♃. *Sem. papau. alb.* Vnc. j. *opij* gr. iiij. *croci* gr. vj. *nucleor. Persicor.* num. x.

Contusa cum aqua anethi misceantur in formam pultis, vel cataplasmatis; ac extendantur super pannum lineum, qui fronti & temporibus applicetur.

Vel ♃. *Sem papau. albi* Vnc. ß. *lactuc.* Drach. iij. *nucleor. Persicor.* Drach. j. *aq. papau. alb.* ℥. ß. *lactuc. anethi*, an. Drach. jß. F. Emulsio, cui adde *requiei Nicolai* Drach. j.

Epithematis loco capiti applicetur.

Fieri quoque pòssunt SACCVLI ad tempora:

Vt ♃. *Flor. nymph. violar. enulæ*, an. Drach. j. *sem. hyoscyami, croci.* an. Scr. j.

F. Sacculi duo interpassati, temporibus admouendi.

INVNCTIONES, quibus non solùm tempora, sed & plantæ pedum, volæ manuum, pulsus, nares inungi possunt:

Vt ♃. *Ol. violar. nymph. vnguenti popul.* an. Drach. j. *opij, croci*, an. gr. vj. Misce.

Vel ♃. *Ol. violar, vnguenti popul.* an. Drach. j. *ol. hyoscyam. mandragor.* an. Drach. ß. *opij, croci*, an. gr. vj. *ceræ* parum.

Fiat Vnguentum.

Vel ♃. *Nucleor. Persicor. sem. aneth.* an. ʒ. j. Contusis affunde *aq. lactuc.* Drach. iij.

Exprimatur succus, in quo dissolue *opij* gr. vj. adde *ol. papau. vnguent. popul.* an. Drach. ij. *ceræ* parum.

F. Vnguentum.

Vel ♃. *Vngu. populei* Drach. ij. *sem. hyoscyam. cort. mandragor.* an. Scr. j. *ol. nuc. moschat. express.* Drach. ß. *opij* ℈. ß. Misce cum ol. papau.

F. Vnguentum.

Aliud: ♃. *Vngu. rosac. alabast.* an. Drach. iij. *croci* gr. v. *opij* gr. iij. Cum *oleo rosar.*

F. Linimentum.

Aliud: ♃. *Vnguenti popul.* Drach. iij. *ol nuc. moschat. expr.* Scrup. j. *laudani opiati* gr. vj. *extr. croci* gr. iiij. *spec. diambræ* gr. iij. Misce.

Vel ♃. *Vnguenti popul. rec.* Drach. ij. *ol papau.* Drach. iij. *sem. hyoscyami* gr. v. *cort. mandragor.* gr. x. *opij* gr. iij. *croci* gr. vij. *ceræ* Drach. ß. *styracis* Scr. j. Misce & F. Vnguentum molle.

Vel ♃. *Ol. violar. nymph. vnguenti popul.* an. Vnc. ijß. *cort. mandrag.* Drach. ij. *croci* Scrup. ij. *opij* Scrup. j. *ceræ* Drach. vj. Misce & F. s. a. Vnguentum.

Vel ♃. *Ol. hyoscyami, papau. nymph. mandrag. violar.* an. Vnc. j. *vnguenti popul.* Vnc. iii. *puluer. cort. mandragoræ, opij*, an. Drach. ii. *croci* Drach. ß. *ceræ* q. s. M. & F. Vnguentum.

Hisce addenda sunt *Balsama*, quæ pro delicatioribus, vt qui grauem & ingratum vnguentorum istorum odorem fere non possunt, vel nolunt, adhiberi solent.

♃. *Ol. nuc. mosch. expr.* Drach. j. *extr. croci* gr. iij. *laudan. opiati* gr. iiij. *styracis calamitæ* Scr. ß. Misce.

Aliud: ♃. *Balsam. anethi* ʒ. jß. *ol. nucis mosch. expr.* ʒ. ß. *tinct. croci* guttul. v. *extract. opij* gr. vi. *moschi* gr. ii. *camphor.* gr. i. Misce.

Vel ♃. *Bals. chamæmeli* Drach. j. *anethi* Drach. sem. *ol. thuris destill.* gr. v. *opij, croci*, an. gr. vi. Misce.

EMPLASTRA:

♃. *Capit. papau. alb. cum semin.* ℥. ii. *cort. mandragor. hyoscyam* an. Drach. vj. *fol. lactuc. salicis, flor. nymph. rosar.* an. M. i. *ol.* ℔. i. *vini* ℔. ß.

Coqu. ad vini consumptionem. Colat. ♃ ℔. ß. *sem. lactuc.* ʒ. ii. *opij* ʒ. iß. *croci* ℈. ii. *ceræ* q. s. F. Emplastrum pro fronte, & temporibus.

Aliud: ♃. *Vnguenti popul.* ℥. i. *sem. hyoscyam.* ℈. iiii. *opij, croci, ol. nuc. mosch. expr.* ℈. ß. *rad. mandrag.* ℈. ii. *ol. de papau.* ℥. ß. *ceræ* q. s. F. Emplastrum.

PEDVM LOTIONES:

Vt ♃. *Herb. violar. lactuc.* an. M. iiii. *solani, nymph.* an. M. ii. *capit. papau. alb. cum semin.* n. iiii. *flor. verbasci, melilot. rosar. hyoscyam. cum sem.* an. M. i. *rad. hyoscyam.* Vnc. i. Coq. in aq. pro pedum lotione.

Vel ♃. *Fol. lactuc. alkekengi, solani, malu. violar.* an. M. ij. *flor. rosar. nymph.* an. M. i. *melilot.* M. ß. *capit. papau. alb.* num. xii. *summit. anethi* M. i. *cort. mandragoræ* Vnc. i. Coq. in aq. pro lotione pedum.

Vel ♃. *Fol. salic. lactuc. cucurbit. vitis* an. M. ii. *flor. nymph. summit. anethi*, an. M. i. *capit. papau. alb. viridium cum sem. concisor.* num. vii. *cort. mandragor.* Vnc. ii. Coq. pro lotione pedum.

Vel

Vel ♃. *Fol.falic.folani,lactuc.*an.M.j.*flor. anethi,chamam.*an.M.jß.*cort.mandragor.*Vnc.j.*capit. papau.* num. vj. Coq.pro lotione pedum.

Errhina, quæ fiunt ex opio, & croco, dissolutis in ol. violar. mandragor.

Odoramenta & Svffitvs ex styrace, & opio.

Nodvli ad odorandum:

♃. *Fl.violar.nymph.rosar.* an. P.i. *sem. lactuc. papau. alb.* an. Drach.j. *hyoscyami* Drach.ß. *cort. papau. alb. mandragor.*an.Drach.ß.*opij* gr.iiij.*croci.*Scrup. ß. Cum sindone rubra,vel linteo albo.F. Nodulus naribus sæpius admouendus;qui etiam intingi potest in aq.rosar. lactuc.solani.

Vel ♃.*Flor.nymph.violar.*an. P.j. *cort.papau. mandragor.*an.Drach.j.*opij* Scr.j. *croci* Scr.ß.

Cum linteo,vel sindone rubra F.Nodulus.

Alius: ♃.*Flor.nymph.violar.*an.P.ii.*sem.lactuc.*Ə.ß. *cort.mandrag.*Scr.jß.*sem.anethi* Scr.j.*croci* gr.viij

Ex concisis. F. Nodulus.

Alius: ♃.*Capit.papau.flor.violar.nymph,*an.P.j.*sem. lactuc.portul.* an.Drach.j.*cort.mandragor.sem.hyoscyami* an.Scr. ß.*anethi, croci,*an gr.iij.vel iiij. M.& F. Nodulus.Parari etiam possunt.

Poma Somnifera:

♃.*Flor.violar.sem.cicutæ, hyoscyam.* an. Drach.j.*opij* Ə. j. *camphor.* Ə. ß, *cinamomi, caryophyll.* an. ʒ. ß. *asæ dulcis* Ə.ij *ladani, styrac. liquid.* an. Drach.ij. Cum aq. hyoscyami F. s. a. Pomum.

Commodum quoque est, vt plantis hactenus enumeratis,& odorem spirantibus pauimentum conspergatur.

Glandes ex Opio, & ol. violac. ac melle. Verùm cum facilè ex his damnum aliquod ægro afferri queat, filum alligandum,si iis vti placet,vt, quando libet,extrahi possint. Tutius est,grandem parare ex cort. mandrag.& melle.

## *De Vsu Opij & Opiatorum Medicamentorum.*

*De vsu opij & opiatorū medicamentorum.*

De vsu tamen Opij, & Opiatorum quædam monēda sunt. Magnam omnino Opiatorum medicamentorum esse vim, certum est. Cum enim vix aliud vires corporis humani magis deiiciat, quàm dolor, & vigiliæ nimiæ;somnus contrà vires reficiat, & calorem ac spiritus instauret:Opiata certè,quæ vnà operâ & somnum concilient,& dolorem tollunt, vtilissima sunt: & propterea valde à Medicis commendantur.

Aëtius, *tetrab.4.serm.1.cap.* 102. Antidotum Pœoniam opiatam valde commendat,& multos ex ægris ab eius vsu à somno surrexisse scribit, adeò concoquendi facultate præstantes,vt obliti sint, an vnquam aliquid à principio doluerint. Nostro verò seculo in opiatorum vsu & laudibus multus fuit Felix Platerus, Medicus Experientissimus. Interim cùm plurimùm etiam Opiata nocere possint, non equidem, vt antiqui crediderunt, refrigerandi supra modum vi, sed quia spiritus torpidos reddunt,soporemque sæpe grauem, stuporem,spiritus difficultatem inducunt,&interdum ipsam mortem afferunt,vt videre est apud Schenckium, *lib.7.obseru.* 186.Forestum, *lib.10.obseru.6.in Schol. & obseru.35.in fine Scholij,*Platerum,*lib.1.obseru.15.* Guil. Fabricium, *in responsoriâ ad D. Doringium Epistola,de Hernia vterina,* cautus omnino in opii,& opiatorum vsu sit Medicus. Tutiusque est, extrà primò ea capiti adhibere,& videre,an extrà applicatorum vsus sufficiat, antequam intra corpus exhibeantur. Sunt tamen & ipsa topica cautè adhibenda, ita vt & morbi, & naturarum ratio habeatur, ne scilicet ea ante vsum vniuersalium applicemus, vel fortiora pueris, & mollioribus corporibus adhibeamus. In hisce enim stuporem inferunt, memoriamque lædunt in reliquam vitam, vel alios affectus procreant.Sic refert Forestus, *lib. 7. obseru.22.*de sorore suâ Gertrude,quòd ex morbo conualescens ab vnctione opij ad vigilias vrgentes adhibitâ,circa tempora perpetuo vrgens frigus senserit, tanquam gelu fuisset. Multos quoque ob intempestiuam stupefacientium tam applicationem, quàm exhibitionem lethargum incurrisse; idem Forestus obseruauit, ita,vt illi,qui prius vigiliis vexati fuerant, postea somnolenti & lethargici euaserint,vt videre est ex *scholio obseruationis sequentis 23.citati lib.7.*

Quæ autem cautio hic necessaria sit,docet Galenus, 12.*meth.med.cap.1.Committunt,*inquit, *Medici eiusmodi excessus, in aliis quoque remediorum generibus non paucis,tum vel maximè in iis vocatis Anodynis, quæ ex papau.succo, vel alicrci semine, vel mandragoræ rad.vel styrace,vel tali quopiam fiunt. Nam & qui ægris gratificantur,in eorum medicamentorum vsu modum excedunt; & qui intempestiuè immodicéque sunt animosi, dum prorsus horum vsum refugiunt, doloribus ægros iugulant. Ergo veluti in omni totius vitæ tum habitudine,tum actione: ita hic quoque consilium illud sapientis, qui, Ne quid nimis dixit, amplectimur, habentes pro fine, quò tendamus, ægri vtilitatem. Quippe si fas est, iis remediis, quæ morbum sanent, vtendo, quod optamus,efficere, abstinendum à sopientibus medicamentis.Sin ex vigiliis & viribus resoluendis ad mortis discrimen æger tendat, tum profectò tempestiuè eiusmodi medicamentis vtare,scilicet non ignarus,corporis habitum nonnihil ex iis lædendum, læsionem tamen,quàm mortem, potius eligendam.* Hæc Galenus. Omnino enim hoc præcipuè attendendum,an vires tam diu morbum sustinere possint, donec caussa vigiliarum, vel doloris, ordinariis medicamentis tolli possit, neque prius ad opiata accedendum, antequam periculum aliquod ægro ex vigiliis, vel dolore imminere videatur. Perpendendum & hoc, an vires à morbo nondum valde deiectæ sint, sed saltem ob dolorem, vel vigilias periclitari incipiant. Tum enim tuto, reliquis nihil iuuantibus, opiata exhibere licet, quæ cum somnum inducunt, fit, vt dolor etiam non percipiatur, & in somno spiritus ac calor reficiantur,ac materia morbifica rectiùs concoquatur,& vincatur. Verùm, reliquis nihil iuuantibus dixi.Primò enim semper leniora vsurpanda; & primò quidem cibi medicinales somnum inducentes, hinc medicamenta leniora, & tandem ad opiata adscendendum. Si verò non solùm ob vigilias & dolorem æger periclitetur, sed ab ipso quoque morbo vires iam deiectæ sint, vt ferè de ægri vita dubitetur, tum non facilè opiata exhibenda, quæ eo in casu nihil aliud efficiunt, quàm dum spiritus sopiunt, torpidosque reddunt & ignauos, vt mortem accelerent, &soporem perpetuum inducant. Quod innuere videtur Auicennas,dum,*lib. 5. summ.1. tr.1.*quasi sub persona Philonii loquens scribit:Et meū iuuamentū ad eum,cui dimissa mors est, est iuuamentum maximum.Frequens etiam nimis opiatorum vsus fugiendus,ne cerebrum lædant, & ipsi dispositionem prauam inducant, vel etiam ventriculo noceant.

Infantibus quoque & pueris parcè admodum somnifera,præsertim opiata,exhibenda.Solent enim ingenium & memoriam labefactare. Imò nec concedendum nutricibus, vt sæpe syrupum papaueris infantibus nimis vigilantibus exhibeant, vt & infantibus, & sibi inprimis quietem concilient. Hebetat enim & is sæpius sumptus ingenium ac memoriam.

*Tempus exhibēdi opiata.*

Tempus exhibendi somnifera medicamenta quod attinet,si leuiora sint, ex violis, nymph. lactuc. sem. papau. alb. amygdal. cum cibis exhiberi possunt. Ita enim suauis illa exhalatio cum cibi euaporatione permista in caput fertur, & exhalationes calidas & siccas in eo,ac siccam cerebri intemperiem temperat, ac demulcet.Quæ verò fortiora sunt, vt opiata, cum planè medicamentosa sint, cibo permisceri non debent, sed

vel

vel cibo concocto, vel vnâ atque alterâ horâ post cibum sumptum exhiberi.

Non etiam in principio paroxysmorum, aut crisi instante exhibenda. Cum enim tum calor expandi ad exteriora debeat, & expulsio spirituum beneficio fiat; in somno verò calor ad interiora reuocetur, & spiritus sopiantur: naturæ ille conatus, ac motus impediretur.

*Læsio à narcoticis inducta vt corrigenda.* Si quis etiam torpor capiti, & læsio aliqua inducta videatur, corrigatur lotione cũ decocto fol. beton. maiũ, flor. chamæmeli: & si præter opinionem æger profundiùs, ac diutiùs dormiat, naribus admoueatur spongia, vel linteolum aceto acerrimo madidum, vel puluis nigellæ & rutæ aceto maceratus naribus indatur.

## *Diæta.*

Cibus sit talis, qui suaues vapores generet, & qui vim habeat vapores ex alimento adscendentes densandi, vt spiritus sopiantur. Talis est ptisana hordeacea: inprimis si alteretur lactucâ coctâ, oua sorbilia, carnes gallinac. vitulina, hædina, panis cum amygdalis & sem. papau. alb. paratus, iuscula, & alij cibi ex amygdalis parati. Ex oleribus vtilia sunt lactuca, malua. Vinu, si morbus id ferat, dilutum liberalius bibatur. Antiquum verò, & generosum potius vigilias excitat. Neque inutile fuerit, antequam quis cubitum eat, haustum aq. destillatæ lactuc. aut violar bibere. Si morbus id ferat, ad somnum conciliandum etiam valet aq. dulcis tepida bibita. Nã & corpus vniuersũ refrigerat, & succos acres temperat. Antiqui ad somnum conciliandum post cœnam lactucâ frequenter vtebantur: cum hodie, imò & apud Romanos, iam appetitus potiùs excitandi gratiâ ante cibum, vel cum cibo exhibeatur; de quo Martialis, *lib.* 3. *Epigram.*

*Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,*
*Dic mihi cur nostras inchoet illa dapes?*

Abstineat æger à cibis salsis, acribus, acidis, exsiccãtibus. Reliqua quod attinet, vt supra de somnum conciliantibus dictum, cubile non sit lucidum, absit omnis strepitus & sonus vehementior, æger ipse quietus sit, & taciturnus, oculos clausos habeat. Hoc etiam non prætereundum, quod Galenus ad somnum conciliandum habet, 6. *Epidem. comm.* 4. *text.* 17. *Quos arctè dormire volumus, eos eatenus vigiles seruare debemus quatenus stare iam nisi conniuentes non possint. Ego enim multis, qui se celeriùs quieti dederant, cum vigilare diutius eos cocgissem suauem somnum conciliaui.*

## *De vigiliis præter naturam in specie.*

## *Et primò*

## *De vigiliis nimiis ob vaporum spiritus sopientium defectum.*

Postquam hæc ita in genere de vigiliis p. n. dicta sunt, iam in specie de iisdem, secundum caussarum supra enumeratarum differentias, dicemus. Et primò quidem vigilias, quæ ob vapores ad somnum necessarios deficientes fiunt, quod attinet, suaues illi vapores somno conciliando necessarij deficiunt, vel quia ad cerebrũ non feruntur, vel quia ad cerebrum eleuati ibi non cõseruantur, sed dissipantur. Non feruntur ad caput, non solùm cum non generantur: vt in inedia, & dum cibus, qui tales vapores nõ suppeditat, est assumptus, aut ob nimiam copiam non coquitur, aut quia coctio debilis est; quod in senibus, & frigidum ventriculum habentibus fieri solet: verùm etiam quia à calore p. n. absumuntur, & dissipantur vapores, in intemperie totius corporis, calidâ præcipuè, vt & siccâ; quod fit in febribus acutis & biliosis, aliisque ægritudinibus biliosis; aut tales vapores generantur, qui ad spiritus sopiendos idonei non sunt, sed potius eos turbant; de quo mox dicetur. Ad cerebrum verò eleuati vapores non conseruantur, sed dissipantur ab intemperie cerebri calida & sicca; quod in inflammatione cerebri præcipuè accidere solet.

*Febres quomodo vigilias inducãt.* Ideóque febres pluribus modis vigilias inducere possunt; nimirum, quia nec vapores idonei ad somnum inducendum in iis ad caput eleuantur, sed tales; qui spiritus potiùs turbant, & agitant: & si qui blandi vapores è cibis eleuantur, à calore febrili absumuntur.

## *Signa Diagnostica.*

Vapores somno conciliando necessarios deficere ob inediam, cibum iis suppeditandis ineptum, copiam cibi & cruditatem; ex diætâ ægri, quæ præcessit, & ætate senili cognoscitur.

Absumptos ac dissipatos esse, & adhuc dissipari, cognoscitur ex intemperie calida & sicca totius corporis, ex febre acuta & biliosa, ex immoderato vini generosi potu, aut medicamentorum calefacientium & siccantium vsu.

## *Prognostica.*

1. Si ex inedia, vel diætæ vitio vigiliæ proueniant, cibo exhibito, & diætæ errore correcto vigiliæ facilè tolluntur.

2. Prout febris est vehementior, vel minus vehemens, ita etiam vigiliæ magis vel minus pertinaces sunt.

## *Indicationes.*

Si ob inediam sit hic vaporum defectus, vel in diæta aliquem errorem, vt multum nocet perseuerantia in iisdem caussis: ita plurimum prodest transitus ad cõtrarias. Et proinde cibus boni succi suppeditandus, vt & potus; qui multos suaues, & benignos, somno conciliando aptos vapores suppeditat. Si cibus minus cõmodus sit, melior substituendus; si copiosiùs sumptus; paucior præbendus; si cruditas adsit, corrigenda: vt de morbis ventriculi dicetur. Si calor febrilis vapores illos absumat, curatio ex doctrina de febribus petenda.

## *Curatio.*

Materia remediorum ex iisdem locis depromenda. Hoc saltem hîc monendum, vt ex medicamentis, quæ ad calorem febrilem alterandum vsurpantur, ea eligantur, quæ simul suaues & somniferos vapores ad caput mittunt, & calidos vapores temperant, qualia sunt, *lactucæ, nymphææ, violæ, sem. papau. alb. lactuc. quatuor frigid. maiora, amygdal. dulces,* & quæ ex his fiunt.

Ex cibis similiter eligendi, qui probè coquuntur in ventriculo, suaues illos vapores plurimos suppeditant; quales antea in diæta in genere enumerauimus.

## *Secundò.*

## *De vigiliis ex caliditate, & siccitate cerebri.*

*Vigilia ex caliditate & siccitate cerebri.* Etsi verò idonei vapores ad caput eleuantur: tamen ibi dissipantur ab intemperie cerebri calida, vel sicca, vt Galenus. 1. *prorrhet. comm.* 2. *text.* 29. & 2. *aphor.* 3. docet. In vigiliis verò producendis primas tenet caliditas, secundas siccitas. Caliditas enim maioris actiuitatis est, & vapores ab inferioribus adscendentes facilè dissipat, ipsosque spiritus agitat, ita vt caliditas duobus modis ad vigilias producendas concurrat. Siccitas tamen eosdem etiam absumit, & maximè hoc fit, si caliditas & siccitas coniungantur.

Intemperies autem hæc vel est cum materia, vel sine materia:

materia: quorum prius sæpe accidit in febribus putridis ardentibus, inflammatione cerebri & membranarum eius, melancholia, mania, intemperie, cum pituita salsa, & humore seroso. Nonnunquam & à potu vel medicamentis calidis, & siccis contrahitur. Ita Galenus, 2. *de loc. affect. c.* 9. refert, puerum apud Grammaticum agentem ex meraci vini potu vigilem permansisse, ac postea febre correptum periisse.

Vnde autem intemperies istæ cerebri originem habeant; quomodo cognoscātur; quid periculi portendāt; quid indicent; & quomodo curandæ sint, dictū est *parte* 1. huius libri, quæ omnia inde petenda. Hoc saltē hic iterum repetimus, quod antea etiam monuimus, vt ex medicamentis, quæ ad intemperiem cerebri corrigendā vsurpantur, ea eligantur, quæ simul suaues vapores ad caput mittunt, & vim aliquam soporiferam obtinent.

*Interna.*

E. g. ℞. *Conseru. nymph. violar.* an. Vnc. ʒß. *lactuc. Italic. condit.* Vnc. ß. Cum *syrup. de nymph. vel papau.* F. Electuarium in vigiliis ab intemperie calida & sicca.

Vel ℞. *Aquæ lactuc. violar.* an. Vnc. iij. *syrup. violar. papau.* an. Vnc. ʒß. F. Potus pro 2. dosibus.

*Externa.*

Si intemperies sit calida, vsurpentur *ol. violar. rosar. nymph. papau. mucilago sem. psyllij, semperuiuum, lactuca, papauer.* è quibus vel epithemata, vel lotiones capitis fiant. Si intemperies sit sicca, cōuenit *ol. amygd. dulc. lac.* Si siccitati iungatur frigiditas, quod in melancholia accidit, prosunt *chamæm. aneth. fœnugræcū, malua, althéa, melilotus, & ea,* quæ supra, *c.* 12. sūt proposita.

Si peccet bilis, humectātia & refrigerantia conueniūt, quæ supra, *c.* 1. & *cap.* 9. *de intemperie capit. cum bile,* sunt proposita, inprimis *lactuca, viola, papauer, nymphæa, cucurbita.*

Si caussa vigiliarum sit pituita salsa, calida simul admiscenda, & attenuantia, vt *aneth. chamæmel. melilot.* & vsurpanda *ol. amygdal. dulc. commune,* in quo cum aq. hordei, & vino albo subdulci sit parum chamæmeli, meliloti, serpilli, coctum.

Exempl. grat.

*Flor. rosar. violar. nymph. fol. salicis,* an. Vnc. j. *santali* Vnc. ß. *cort. papau.* Drach. vij.

Iniiciantur in vas vitreum, & affundatur aq. rosar. q. s. Bulliant in cineribus calidis, vaporesque exhalantes ore & naribus excipiantur in vigiliis ex intemperie cerebri calida & sicca.

Exemplum vigiliarum ex intemperie cerebri calida & sicca sine materia est apud Forestum, *lib.* 10. *obseru.* 35.

*Tertiò*

## *De vigiliis à vaporibus calidis, siccis, & acribus.*

*Vigiliæ à vaporibus calidis & siccis.* Si vapores calidi, sicci, acres, ab humoribus biliosis, salsis, melancholicis, prauis, ad cerebrum attolluntur, spiritus etiam turbantur, & vigiliæ excitantur.

Attolluntur autem illi vel à toto, vt in febribus ardentibus, vel ab hepate, liene, vtero, vt supra, *c.* 6. *part.* 1. dictum. Accidit etiam hoc sæpissime à generosi vini potu, à calidis & siccis medicamentis; aut cum in ventriculo fit praua concoctio & à cibo vel potu copioso, aut corrupto, aut cibis flatulentis, & prauis; quales sunt lentes, fabæ, fungi, & tubera.

Neque solùm à reliquo corpore vapores illi in caput mittuntur, sed sæpe etiam in ipso capite ex apostemate aliquo, vel vlcere, in partibus cerebro propinquis ad cerebrum eleuantur; sicut & in inflammatione cerebri & membranarum eius vapores tales calidi attolluntur, & spiritus animales agitant.

*Signa Diagnostica.*

Signa humorum & vaporum caput molestantium supra, *part.* 1. tradita sunt. Pituita salsa, & ventriculi debilitas plerumque in senibus vigiliarum caussa est.

*Prognostica.*

1. Quantum periculi hoc genus vigiliarum habeat, ex morbificis humoribus, à quibus pendent, coniectandum.

2. Vigiliæ, quæ senibus ab humoribus salsis eueniūt, difficulter curantur; cum materiæ istius generatio ob ætatis constitutionem præcaueri non possit, nec ætas fortiora, vel crebriora purgantia sustineat.

*Indicationes & Curatio.*

Parti, quæ vapores ad cerebrum mittit, conuenientibus medicamentis succurrendum, humorque peccans euacuandus, & post cœnam exhibenda ea, quæ vapores illos demulceant; qualia supra de curatione vigiliarum in genere, *numero* 3. recensuimus. Febrē quod attinet, & totius corporis intemperiem calidam, temperanda ea refrigerantibus, aq. hordei, lactuc. sero lactis caprini, cum emulsione sem. papau. & melonū. pira verò cum cautione suprà proposita exhibenda.

Ad intemperiē frigidam & siccam hoc cōmendatur:

℞. *Spec. diambræ* Scrup. ij. *diamosch. dulc.* Drach. ß. *succini alb.* Scrup. j. *ambræ gryseæ* gr. iij. Cum *syrupo de cort. citri.*

F. Pilulæ num. xxiiij. Capiantur tres hora somni.

*Quartò*

## *De vigiliis à frigida & sicca intemperie, & de vigiliis senum.*

*De vigiliis à frig. & sic. intemperie.* Nonnunquam & à frigida & sicca intemperie excitantur, & non solùm vapores calidi & sicci, sed & frigidi atque acidi vigilias pariunt; quale quid melancholicis & senibus accidit. Fit hoc quandoque è serosis humoribus, & pituita salsa, quæ humores, & ipsi membranas cerebri vellicant, & sui generis vapores emittunt, quibus spiritus turbantur: quæ non minima caussa est vigiliarum in senibus; etsi & aliæ concurrant: quod scilicet cerebrum ipsum euadat siccius, coctio debilior, & pauci suaues vapores in cerebrū eleuentur; de quo vide Langium, *lib.* 1. *epist.* 26. vbi de senum vigilia agit. Neq; solùm in senibus, sed & aliis, vigiliæ ab humoribus, seu salsis, seu acidis, generantur. Dum n. vel ob cibi copiam vel calorem debilem, fit cruditas acida in ventriculo, vapores & fumi similes in cerebrum eleuantur, & vigiliarum caussæ sunt.

*De vigiliis senum.* Et omnino senum vigiliæ aliquid peculiare habent. Etenim in senibus vigiliarum caussa est suauiū illarum exhalationum, ad somnum inducendum necessariarū, & in iuuenibus abundantium defectus, à debili coctione in ventre inferiore proueniens; & contrà copia serosorum, salsorum, & nitrosorum humorum, qui alimentum spiritualscere, vt sic dicam, non sinunt, & suaues ac volatiles vapores figunt ac supprimunt, atq; ita impediunt, ne suaues ἀναθυμιάσεις in cerebrum eleuentur, aut si quæ ascendunt, iis permiscentur, & cerebro ac mēbranis eius molestæ sunt, atq; ita vigilias & inquietudinē nocturnā potiùs, quàm somnum pariunt & proinde vigilias hoc modo excitatas nullo modo frigida curant, vtpotè quæ coctionē ampliùs debilitāt, & cruditatē illam acidam augent, sed potiùs moderatè calida,

calida, vinum nempe dulce, aqua vitæ, & aromata ac medicamenta coctionem iuuantia, quæ quò meliùs sese habet, eò plures vapores suaues somnum conciliantes ad cerebrum eleuantur.

Curatio autem harum vigiliarum difficilis, & vt Crato, *consil.* 118. monet, vigiliis senum, ac præcipuè eorum, qui in summis curis versantur, & quos iamdiu hoc malum vexat, vigiliis mederi, difficile est.

Curandi etiam ratio ab aliarum vigiliarum curatione diuersa est. Etenim quibus calor est debilis, vt in senibus, ab his, vtpote frigidis, abstinendum, & contrà calida ac spirituosa exhibenda, quæ non tantùm coctionem adiuuare, sed & spiritûs ac vapores suaues emittere valent; quale est vinum dulce. Et proinde, vt idem Crato monet, lotiones, inunctiones, præsertim frigidæ, nihil prosunt, imò frigida plurimum lædunt. Itaque calidis & odoratis vapores potiùs contemperandi, & propterea horâ decubitûs vna atque altera pilula ex sequentibus sumenda:

℞. *Spec. diambræ* ℈. ij. *diamoschi dulcis* ʒ. ß. *succin. albi* Drach. j. *ambræ gryseæ* gr. iij. Cum *syrup. de cortic. citri* F. Pilulæ xxiiij.

*Quintò*

*De vigiliis à dolore, pectoris angustia, ac sensuum externorum obiectis.*

*Vigilia à dolore.* Cum cuiusque sensus externi obiectum vehemens sensum communem in consensum trahat, vnusq; sensus excitatus reliquos commouere, ac vigilias excitare possit: frequentissimè vigilias excitant tactus obiecta, quæ dolorem gignunt, dolorque in quacunque parte corporis, si sit magnus, vigilias excitat.

*Quomodo à dolore vigiliæ fiant.* Cum enim sensus communis simul afficiatur eo commoto omnes reliqui sensus commouentur, atque ita vigiliæ suboriũtur. Capiuaccius quidem existimat, dolorẽ excitare vigilias, quia nõ permittat alimenti vaporẽ in caput ferri; cum propter dolorem fluat materia in partem, quæ primò afficitur. Verùm ratio prior probabilior est. Neque enim omnes vapores à cibo ad partem dolentem confluunt. Et licet vaporum satis sit in capite, ægérque dormire incipiat, tamen ab obiecti vehementia iterum excitatur, non secus ac si æger vellicetur, aut pungatur, aut clamore excitetur.

Quomodo autem dolori succurrendum sit, dicetur *in part.* 3. *sect.* 1. huius libri, *c.* 2. vbi de symptomatibus tactus agetur. Hoc saltem hîc addimus, si dolor grauis somnum turbet, neque aliâ ratione leniri possit, narcotica vsurpanda esse, quæ vnâ operâ & somnum conciliant, & dolorem leniunt: de quibus antea de vigiliis in genere diximus.

Pertinent hûc & illæ vigiliæ, quæ sitientibus accidũt, vt & quæ fluxu alui, & dysenteria laborantes infestant; nec non quæ dispnœa in morbis pectoris, & hydrope laborantibus molestæ sunt, quibus accidit, vt dormire nequeant, vel, si dormire incipiant, suffocationis periculum immineat. Ideóque sitis lenienda, & morbi, à quibus vigiliæ pendent, tollendi.

Et quod obiecta tactus præstant, idem & aliorum sẽsuum symptomata præstare valent, vt lux nimia, strepitus, & sonus, quæ omnia dormientes inquietos reddunt & excitant; ideoque amouenda sunt.

*Sextò*

*De vigiliis ab animi affectibus.*

*Vigiliæ ab animi affectibus.* Tandem etiam animi affectus vehemẽtes, ira, timor, mœror, curæ, & sollicitudines, amor, gaudium, spiritus concitare, & vigiliarum caussæ esse possunt. Quò referenda & consuetudo. Vt enim in excrementis reddendis natura sua tempora obseruat: ita consuetudo facit, vt homines certis horis noctu excitentur & vigilent; inprimis si curæ & cogitationes variæ accedant; quod senibus familiare est.

Caussæ hæ ex ægris, vel adstantibus facilè cognoscuntur.

*Prognostica.*

1. Ab animi affectibus, & caussis euidentibus, vigiliæ non sunt ita periculosæ, quàm quæ ab internis proueniunt.

2. Consuetudo, tanquam altera natura, non facilè mutatur.

*Curatio.*

Animi affectus corrigantur, & ad lætitiam moderatã æger disponatur, quæq; eam excitant, & somnum conciliant, exhibeantur; vt vinum, sed moderatum. Ac si de re aliquâ intenta cogitatio vigiliarum caussa sit, mẽs aliò auocanda. Et cum affectus, si diu durent, tandem intemperiem aliquam capiti concilient, ei occurrendũ, & biliosorum, ac melancholicorum humorum prouentus præcauendus, &, si quid eorum genitum iam est, euacuandum, vt *part.* 1. diximus. Consuetudo contrariâ consuetudine sensim mutanda, & cogitationes omnes à cubitum ituris seponendæ.

QVÆSTIO I.

*Qua vi ὑπνωτικὰ & ναρκωτικὰ somnum conciliente?*

*De vi narcoticorum.* Quâ vi medicamenta, quæ somnum conciliant, id præstent, Autores non parùm dissentiunt. Nonnulli in ea sunt sententia, caussam vigiliarum proximum esse immoderatam canalium, per quos spiritus animalis ad singula organa sensuum influit, apertionẽ, ob defectũ vaporum, qui eosdem canales certis quibusdam horis obstruere debebant. Ideoque eorum occlusionem per tales vapores esse proximam somni caussam: & propterea ad somnum conciliandum, si vigiliæ vrgeant, requiri medicamenta frigida, crassos, ac frigidos vapores, eosq; plurimos, ad caput exhalantia. Capiuaccius verò statuit, quod talia medicamenta narium calorem sensorij iudicantis dissipent. Atque ita existimat, talia soporifera & anodyna non reuera talia esse, sed saltem secundum dici, quod partem quasi sensu priuent. Cum enim quò pars calidior est, eò sensum habeat exquisitiorem, si medicamentum calorem natiuum sensorij dissipet, & remoueat; & stuporem induci, & somnum conciliari.

Alij frigoris excessu spiritui animali ad partem aditũ intercludi dicunt. Atque ita secundum has opiniones ὑπνωτικὰ & ναρκωτικὰ valde frigida statuuntur. Vnde etiam secundum hanc communem opinionem ad narcoticorum correctionem adhibentur calida, piper, cinamomum, pyrethrum, costus, euphorbium, castoreum, crocus, nux moschata, sem. petroselini, dauci, fœniculi.

Verùm, vt liberè dicam quod sentio, nulla vnquam in Physicis introducta fuit perniciosior opinio, quàm eorum, qui omnia ad qualitates primas reducere conãtur; qui error hactenus & in ista controuersia cõmissus est, dum omnes ferè Medici facultatem somnum inducendi frigiditati principaliter attribuerunt; cum tamen, si rem diligenter perpendamus, longè aliter sese res habeat. Nam tantum abest, vt ὑπνωτικὰ illa & ναρκωτικὰ medicamenta propriè dicta valde frigida sint, vt contrarium potiùs verum sit, & calida deprehendantur. Vinum vim narcoticam habere rectè statuit Platerus, *prax. tract.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 31. & 107. & testatur id experientia. Eadẽ vis inest lolio, quosdãq; à panis è lolio confecti esu primò in leuem quandã amẽtiã, hinc *Narcotica sunt calida.*

in-

in somnum profundū,longumq; incidisse,refert VVierus,*de præstig. Dæmon.lib.7.cap.13*. Styracem calefacere,extra controuersiam est;& tamen soporē afferre docet Dioscorides, *lib.1. de mat.med.c.68.&* Galenus.20. *de compos,med.sec.loc.cap.1.in fine,& 6. Epidem. comm. 5.t.13*.Anethum calidum est,& nihilominus somnum conciliat , teste Galeno,*6.de simpl.med.facult*. Eodem modo sese res habet de sem.cannabis , nuce moschat. nucleis Persicor. amygdalis amaris, absinthio, lupulo, allio;quæ omnia calida sūt omniū confessione,& tamē somnum conciliant.Reliqua etiā,quæ frigiditate somnum inducere creduntur , omnia frigida non sunt. Nā vt de papauere vulgari,cuius semen frigidum esse creditur ; cùm tamen oleum ex eodem exprimatur, quod flammam alit,& ad lucernas eodem modo , vt ol. oliuar. lini , cannabis , adhiberi potest , nihil dicam: opium vulgò frigidum, & quidem vltra tertium gradum,statuitur. Verùm si eius qualitates & vires diligēter perpendamus, calidū esse animaduertemus, vt prolixè & accuratè id demonstrauit Cl.Dn. D. Doringius, *tract.de opio sect.2*.Est enim amarum,acre , vt linguam vellicet,fauces incendit,sitim excitat, odorem grauem habet , facilè inflammatur , animum efferat, Venerem concitat,pruritū excitat,sudorem ciet, dura emollit & discutit;de quibus omnibus D. Doringius,*loc. allegat.* videatur,ne actum agere hîc opus sit.

*Opium est calidum.*

Ex quibus omnibus patet,frigida non esse,quæ ὑπνωτικὰ & ναρκωτικὰ dicuntur. Quibus accedit & hoc,quod tantulâ quantitate,gran.scilicet ij. vel iij pondere,quo Opium,& Laudanum opiatum (quod tamen purū putum opium non est) exhibentur,corpus tam insigniter refrigerare,& tot crassos ac frigidos vapores , qui ad meatus cerebri omnes obstruendos sufficiant, emittere non potest. Quis enim, nisi qui opinionibus præcōceptis obcœcatus est,credat,ab opij gr.ij.vel iij. assumptis corpus etiam febre æstuans ita refrigerari posse, vt illa refrigeratio vsque ad cerebrum penetret?Quod ne à satis magnâ aquæ quantitate fieri potest. Cùm ergo in tàm parua quantitate exhibitum non solùm somnū profundū,& stuporem inducat, sed & paulò liberalius exhibitū enecet:rectius qualitati alicui occultæ , & peculiari proprietati quæ in spiritu quodam sulphureo consistit,vt ex odore & inflammabilitate,ac resolutione patet,vim hanc tribuimus. Hic enim spiritus , seu odore in cerebrū admissus,seu per poros cutis penetrās, seu intra corpus sumptus, in cerebro spiritus vi peculiari sopit,& torpidos,ac quasi immobiles, atque ita ad actiones animales edēdas ineptos reddit.Quod id etiā confirmat,quod Platerus, *tract.1.lib. 1.cap.5.pag.185*. scribit,se nunquam deprehendere potuisse,quod à narcotico extrà cuti applicato,ea stupida,& indolens redderetur;licet, vt certi aliquid cognosceret , massam opij emollitam podagrâ laboranti extra explicarit.

## QVÆSTIO II.

### *Quomodo opium præparandum & corrigendū sit?*

*Opium quo modo corrigendum.*

Antiquos,qui Opium frigiditate excedere,& nocere putabant,calidis planè medicamentis,pipere,pyrethro, croco,castoreo,euphorbio, & similibus ad eius correctionem vsos fuisse,anteà dictum. Verùm falsâ hypothesi ad istam opium corrigendi rationem adducti sūt. & medicamenta non satis commoda præparârunt. Vt saltem de Philonio Romano dicam, olim satis vsitato medicamento,experientia docuit, ob tot medicamentorum calidorum admistionem vix posse deglutiri,quin fauces accendat ; & in iis ardorem excitet;clysteribus etiam,vel pondere sesquidrachmæ admistum,nonnullis ingentem ardorem in imo ventre,& intestino recto excitasse.

Hodie satis vsitatum est,vt Opium cum spiritu vini spec.diambr.aromat.rosat.vel similibus imprægnato extrahatur, vel spiritus vini eiusmodi extracto opij addatur,vt & olea destillata,atque alia cordialia,vt ex variis Laudani Opiati (ita enim medicamentum hoc appellare libuit Paracelso) descriptionibus, quas collegit Libauius, *Syntagm. arcan. Chymicor. lib.8.cap.84.* videre est.

Reprehendunt tamen hanc Opij præparationem Recentiores quidam,quòd,vt Petræus *in Nosolog.harmon. tom.1.disput.5.quæst.9*.habet, fœtidum , & venenosum suum sulphur, quod etiam post ignis examen adhuc superest in opio,in spiritum vini æquè deponat , imò à spiritu vini magis attenuatum malignitatem suam citiùs exserat,& in partes penitius insinuet.Quibus addunt & hoc,quod vino vis quædā narcotica inest, quâ de caussa Platerus,*pract.tr.1.lib.1.cap.2.p.66*.in sopore & stupore vini vsū improbat.Præterea Turcos & Ægyptios vino, quasi opij succedaneo,in eius defectu vti, patet ex Christoph. à Costa,*de arom.lib.1.cap.de Opio.* & Prosper.Alpino,*de Medic. Ægypt.lib.4.cap.1*.

Isti igitur aliam Opium præparandi,& corrigendi rationem ineunt. Opium in exiguâ frustula concidunt, & in patellis aliquot super leni cinerum,vel alio calore tam diu siccant,donec sulphur fœtidum exhalet, ac opium suauiorem,& gratiorem odorem spiret,ac digitis in pulnerem teri possit;quod ferè 6. vel 7. dierum spatio accidit.Inde tincturam aceto destillato extrahūt. Acida autem , vt acetum, succus citri,& limon. ea de caussa eligunt,quòd,sicut acrimoniam humorum , ita, & narcoticam vim acida hebetant,& spiritus narcoticos figunt,ac supprimunt:vnde in soporiferis affectibus,venenisque soporiferis commodus est aceti vsus, ipsiusque ebrietatis acetum & acida sunt remedium.

Verum enimuerò, vt, quid mihi hâc de re videatur, liberè aperiam:primò illam Opij siccationem, & leuem quasi tostionem quod attinet, si , de quo tamen certò constare prius debet,quædam heterogeneæ partes sunt in Opio,quarum aliæ aliis magis sunt noxiæ,torreatur sanè , me non obstante , Opium, sed ita, ne illud sulphur narcoticum,cuius vis expetitur,dissipetur,& corpus inefficax relinquatur.Ipse tamen Petræus,vt antea dictum, etiam post ignis examen sulphur illud fœtidum,& malignum superesse scribit.

Quantum ad reliquam præparationem , rectissimè opium extrahitur , seu vtilis eius substantia à reliquis inutilibus partibus separatur,spiritu vini.Hic enim sulphurea corpora & substantias facilè recipit & imbibit. Correctionem verò quod attinet, illa antiquorum per calida,& quidem vehementer calefacientia,falsâ nititur hypothesi , vt antè dictum, neque opium summè frigidum calefacientibus corrigendum:nisi forsan talia sint, quæ occultâ proprietate vi narcoticæ opij resistūt, qualia sunt inprimis asa.& castoreum,quod oppositam opio facultatem habere,Galenus,*de compos.med.sec.loc. cap.3*.scribit,& quæ opij theriacam ac Bezoar esse dicunt Auicennas & Guainerius,*locis propriis*. Acida verò quod attinet,quæ hic à plurimis ad vim narcoticam refrænandam admiscentur , imò quibus à nonnullis opium extrahi diximus;equidem libenter concedo,acida narcoticorum vim infringere, & soporosis affectibus prodesse:verùm id non expetitur,sed vis soporifera quæritur.Si tamen quis metuat,ne illa nimis vehemēs sit,& aliquid periculi homini afferat,illi acida,inprimis succum citri & limonum,addere fas esto.Et tùm etiam, additis scilicet acidis,laudanum opiatum in maiori dosi exhibere licet , & cùm laudanum opiatum, sine succis acidis paratum,vltra grana iij. vel iiij.vix exhibeatur,illud,quod cum acidis paratum est,ad vj.vij.viij.vel plura etiam grana propinare licet.Tandem,quia cū vi narcoticâ qualitas corpori nostro , & spiritibus inprimis, aduersa coniuncta est,vt illa corrigatur, &, ne quid dāni spiritûs patiantur,aromata,& eorum olea,moschus, ambra,margaritæ,corallia,& similia adduntur.

## CAPVT II.

### *De Somno p. n. ac Comate & Cataphora.*

*Somnus quotuplex.*

VIgiliis opponitur Somnus,qui & ipſe nimius eſſe poteſt,ſi nimirum homo diutius,quàm par eſt, & profundius dormiat, quàm ſ. n. ſolet. Vt autẽ ſomni nimij natura & cauſſæ rectius cognoſcantur, afferenda ex Auicenna,3. *Can.ſen.* 1. *tr.*4.*c.de Suboëth & Caro*, ſomni diſtinctio, quâ alium naturalem facit, eumque vel abſolutè talem,vel non abſolutè;alium p. n. Abſolutè naturalis eſt,qui poſt moderatas & vſitatas vigilias quotidie hominem apprehendit noctu,à cibo , vt calore & ſpiritibus intrò reuocatis alimentum rectius concoquatur, ſpiritúſque per vigilias diſſipati inſtaurentur.Non abſolutè naturalis eſt,qui & naturalis grauior dicitur, qui nimiã corporis exercitationem & laborem,ſanguinis vel alui profluuium dolorẽ, ſimileſq; cauſſas ſequitur,calore naturali,& ſpiritibus ſupra modum abſumptis;vel vbi halituoſo quodã vapore caput repletur , id quod ebriis euenit. Diuturnior enim,& profundior ſomnus ex his cauſſis abſolutè quidem naturalis non eſt : non tamen etiam p.n. Pertinet huc & ille ſomnus profundus , cuius Galenus,2.*Prorrhet.* *t.*29. mentionem facit, qui ægrotantes interdum prehendit poſt tridui,vel quatridui vigilias , magno cum ipſorum commodo ; ſicut & pueris interdum idem accidit , eoſque à morbis tum præſeruat , tum liberat.Hic enim ſomnus à ſpirituum & caloris ad interiora retractione ſaltem ortum habet. Nam natura defectum ſpirituum ſentiens,tam diu calorem & ſpiritus animales in cerebro retinet,donec reparati ſufficiẽter fuerint; & calore ad interiora retracto coctio fit felicior. Vnde multi ſuaues & halituoſi vapores ad cerebrum adſcendunt,ſomnumque longiorem & profundiorem excitant.

Præternaturalis tandem,& morboſus , vt appellant, ſomnus , de quo hoc loco nobis agendum , eſt , qui à cauſſa p.n.& morbificâ prouenit,ſpirituſque ita vincit & detinet,vt difficilis ab eo fiat expergefactio;neque ad ſpirituum,& virium inſtaurationem,ſanitatiſque commodum aliquod emolumenti affert. Is autem, etſi varius ſit,& ſub ſe complectatur Cataphoram & Coma, Lethargum, ac Carum,& nonnulli coniunctim de his agant:tamen,quia , quia in Comate vigili , Lethargo, Caro non ſolùm ſenſus communis,ſed & aliæ actiones animales læduntur;de his ſuo loco agemus : hîc verò vbi de ſymptomatibus ſenſus communis tractamus, ſaltem de Cataphora,& Comate ſomnolento , in quibus ſenſus communis primariò afficitur,dicemus,

### *Nomen.*

*Coma, Catapohra.*

Quod malum Mauritani ſuâ linguâ Subeth nominãt,id Græcis eſt κῶμα,vel καταφορά. Etſi enim Galenus 4.*de ſanit.tuend. cap.* 4. etiam ſanis Comata accidere ſcribit : tamen non propriè Comatis voce tum vtitur, ſed abuſiuè, pro ſomno naturali profundiore. Et quidem κῶμα dicitur quaſi κοίμημα , à κοιμᾶν,quod eſt profundiùs,& prolixè dormire.Alij ἀπὸ τοῦ κωμάζειν , id eſt, commeſſationibus indulgere , deducunt hanc vocem , ſiue quod tales communiter ſymptomate ſoporis profundi teneantur , ſiue quod κωμάζοντες omnium facilimè in hunc morbum incidant. Καταφορὰ verò dicitur , quod vehemens ſit in ſomnum propenſio. Vocabulum enim καταφορᾶς & κώματος , vt mox dicetur,non ſolùm de ſomno profundo accipitur, ſed etiam de propenſione in ſomnum,qualis eſt in Comate vigili. Etſi autem nonnullis καταφορὰ minus malum eſt, quàm κῶμα ; ſicut κῶμα minus rurſum , quàm Carus : tamen exquiſitâ hâc vocabulorum diſtinctione opus non eſſe , ex Galeno intelligimus, qui, *in libell.de Comate , & in* 1. *prorrhet. comm.*1 .affirmat , ab Hippocrate quamlibet καταφορὰν Coma nuncupari, vt promiſcuè his vocabulis ille vſus fuerit. De quo etiã videatur Anut. Foëſius , *Oeconom.Hippocrat.ad vocem* κῶμα Interdũ & Carus nominatur;ſed nõ propriè:quoniam hoc vocabulo malum multò grauius ſignificatur quod à leui apoplexiâ non multùm diſtat.

Eſt autam Coma duplex , ὑπνῶδες, ſeu ſomnolentũ, & ἄγρυπνον , ſeu vigil.Coma ὑπνῶδες,quod & ſæpe abſolutè Coma appellatur, eſt , cum ægri oculos aperire nequeunt,& non ſolùm in ſomnum propenſionem cõtinuam habent,ſed & profundiùs dormiunt.Coma verò οὐκ ὑπνῶδες, ſeu , non ſomnolentum , & ἄγρυπνον, ſeu vigil eſt , cum ægri quidem in ſomnum propenſionem habent,nihilominus dormire non poſſunt, ſed ſaltem oculis clauſis & conniuentibus inani dormiendi cupidine tenẽtur,ipſiſque variæ imagines obuerſantur,quæ & ſomnum impediunt , & , vt nonnihil delirent ægri, in cauſsâ ſunt. In Comate vigili cum plures actiones animales lædantur,dicetur de eo ſuo loco: hoc capite ſaltem de Comate ſomnolento nobis agere propoſitum eſt.

### *Definitio.*

*Coma quid.*

Eſt autem Cataphora ſeu Coma ſomnolentum ſopor grauis , ſeu ſenſus communis quies,à cauſſa , quæ facit, vt ſpiritus animales ad ſenſuum organa non ſine difficultate influant,ortum habens : ſeu ſymptoma in imminutâ actione ſenſus communis,dum is veluti torpet,& neque ſpiritus animales ad externos ſenſus diffunduntur,neque is ab iis accepta obiecta agnoſcit, & diiudicat.

### *Cauſſæ.*

Cauſſam huius mali eſſe ea,quæ ſpirituum animaliũ ad ſenſus organa influxum prohibent,eoſque ad actiones animales ineptiores reddunt, iam antè dictum.Etſi verò à frigiditate & humiditate,vel à repletione,& obſtructione canalium , per quos ſpiritus animales influunt,id fieri plerique doceant;vt ex Galeno.3. *Epid.* *comm.*1.*aphor.*7. 2.*prorrhet.t.*29. 3.*prorrhet.t.* 1. videre eſt:tamen,vt poſtea dicetur , *in quæſtione*, probabilius eſt , à peculiari vi narcoticâ ſpiritus animales torpidos & ad actiones animales ineptos reddente , ac in vapore quodam reſidente, id fieri, qui à venis & toto , in febribus,malignis præcipuè, & quæ κωματώδεις appellantur,vel à parte aliqua,vt à ventriculo , ab humoribus vitioſis, vini nimio potu,( cuius rei exemplum eſt apud Foreſtum *lib.* 10.*obſeru.*34.*& tria in Scholio*)inteſtinis,& vermibus in his , vterero,vt in hyſtericis ſæpe euenit,ad caput eleuantur. Pertinent & huc medicamenta,ac venena narcoticâ vi prædita,vt lactuca,papau. ſolanum,lolium,fungi quidam,opium.Si tamen vapores ſunt craſſiores,&copioſiores,vel vapores,qui ad caput exhalãt,in craſſum & lentũ humorẽ conuertantur meatus cerebri ab iis obſtrui poſſe , non negauerim: quæ ſi ſit leuior, Coma eſſe poteſt;ſi verò grauior,Carum vel Lethargum excitat. Vapores tamen illi vix qualitatis narcoticæ expertes ſunt. Ita etiam compreſſio cranij à percuſſione,& percuſſio in temporibus Coma inducere poteſt.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa diagnoſtica.*

Æger diu & profundè dormit,demiſsâ ferè inferiore maxillâ,& hiante ore,cum difficultate excitatur , oculos,ſi excitetur, aperit ,ſed mox iterum profundè dormit,& palpebras non ſine difficultate attollit.Quis autem humor peccet,ex febre præſente, vel aliis indiciis, quæ ſupra *part.*1.tradita ſunt,patebit.

Differt

Differt à Comate vigili, quòd in Comate vigili solùm est in somnum propensio, non verò dormiunt ægri:à Caro, quod in Comate interrogati respondent, in Caro verò non respondent; ab Apoplexiâ, quod in hâc non sentiunt,immoti iacent, & stertunt:à Syncope, quod in hâc facies est mortuis similis, & pulsus paruus & languidus: ab Vteri suffocatione, quod ad interrogata ferè non respondent, & oculos non aperiunt, licet interdum audiant: in graui verò somno omnibus his contraria accidunt.

*Prognostica.*

1. Somnus & vigiliæ vtraque, si modum excesserint,malu, 2.*aph.*3. Ac somnus immoderatus malus est, non solùm vt signum; quod scilicet cerebrum p. n. affectum significat,sed etiam vt caussa,eò quod spiritus & calorem naturalem obtundit,actiones animales torpidas reddit,cruda excrementa in capite,& toto corpore cumulat, & denique destillationum ac frigidorum morborum autor est.

2. In quo morbo somnus laborem facit,malum est, 2.*aph.*1. Cum enim somnus naturaliter vires instaurare debeat, si id non fiat,malum indicium est,tantùque humorum vitiosorũ ac prauorum copiam adesse significat,quam calor in somno retractus & collectus cōcoque,& superare non potuerit:aut somnum illum non à naturali,sed malignâ caussâ inductum esse,indicio est. Contra si delirium adsit, illudque somnus sedet, bonũ.

3. Exitiosum est Coma,cuius morbi calidi & sicci autores sũt teste Galeno, 3. *Epidē comm.*1. *text.*7.cuius caussam esse putant vulgò,quod insignem in cerebro refrigerationē in morbo calido esse oporteat. Sed cum in morbo calido & sicco simul insignis intemperies frigida adesse non possit: probabilius est,potius à maligno & narcotico vapore in eiusmodi febribus talem somnum nimium excitari.

Periculosum quoque est,quod virium magnam imbecillitatem sequitur,ex acutissimo aliquo mobo, vel graui cerebri affectione. Galenus, *ibid.*

5. Minus periculosum est, quod ob consensum fit, siue ventriculi,siue intestinorum,siue vteri;modò caussa tolli possit.Sublatis enim illis caussis, Coma etiam tollitur:si tamen caussa illa maligna sit, etiam suo periculo non vacat.Magis verò periculosum est,quod ipsius cerebri affectus sequitur.

6. Periculosius,coma est,quod in continuis febribus accidit,quàm quod in intermittentibus. In intermittentibus enim ad remissionem, aut intermissionem cum ipso paroxysmo desinit:in continuis verò etiamsi primo accessu leue,& non magni momenti videatur: tamen indies crescit, & sæpe in Carum ac Lethargum permutatur.

7. Tempus,quo, siue ad salutem, siue ad mortem terminatur, semper breue est. Neque enim cerebrum membrum nobile, tam diu grauem affectum tolerare potest.

8. Ad salutem terminatur per discussionem caussarum à quibus prouenit,quando natura per hæmorrhagiam narium,alui fluxum,sudorem, sæpe etiam insensilem transpirationem,nonnunquam & per abscessus,& tumores,præcipuè post aures,materiam euacuat:artis verò beneficio,cum medicamentis euacuetur. Ad mortem verò terminatur per virium dissolutionem,reliquis visceribus in consensum tractis, vel suffocationem, vbi malum ita ingrauescit, vt sensus & motus, atque ipsa adeò respiratio tollatur.

*Indicationes.*

Intemperies cerebri,humoris & vaporis alteranda, aut potius vis ἀγρυπνικὴ & ναρκωτικὴ per contraria expugnanda. Materia,quæ in capite proxima Comatis caussa est, euacuanda,& discutienda; si aliunde capiti cōmunicetur,reuellenda;è toto,vel parte è qua communicatur,tollenda,ac, ne ampliùs generetur, præcauendum. Sensibus verò omnibus obiecta vehementiora,quæ ipsos excitent,offerenda; viresque simul alimentis instaurandæ.

*Curatio.*

Quâ ratione totius ratio habenda, & quomodo vapores ad caput adscendentes reuellendi & pellēdi sint, patet ex iis, quæ suprà, *part.*1. diximus. Et cum plerumq; Coma in febribus accidat, ad duo tum omnino respiciendum;ad ipsam febrim,quæ caussæ rationē habet,& ad somnum;atque ita curatio instituenda, ne ea, quæ somno depellendo exhibētur, febrem augeant. Hoc tamen cùm febris,tum Coma requirit, vt humor vitiosus,& febris,& somni p. n. caussa euacuetur. Ideóque etsi febris caussâ iam sanguis euacuatus sit: nihilominus venæ sectionem, si opus sit, repetere licet: vt fluxio inhibeatur, & materia à capite auertatur; quod commodissimè fiet vena in cruribus apertâ. Sicut & clysteres sæpiùs iniicere,aut materiam leniter euacuare vtile est. *Curatio Comatis.*

Et licet coctionis perfectæ signa non adsint: tamen si magis magisque materia in caput repere videatur,vt malum maius præcaueatur,materia vitiosa euacuanda est. Et aliis quoque modis, frictionibus, cucurbitulis, vinculis reuellenda. Quod etiam faciendum,si à ventriculo, vtero, vel alia parte inferiore materia ad caput adscendat; & partium,à quibus vapores eleuantur,curatio debito modo instituenda.

Si à nimio vini potu, eoque adhuc in ventriculo hærente, sit coma, oxymelite in os infuso, &penna oxymelite ac oleo intinctâ in fauces demissa vomitus excitandus

Oxyrrhodina, quæ repellendi gratiâ,&, ne vapores in caput admittãtur,si materia per partes externas fluat, vsurpantur, actu calida vsurpentur, & suturæ coronali applicentur,ac liberalius acetum iis admisceatur,ita,vt ad vnam partem olei rosacei aceti partes duæ sumantur. Quia tamen vapores, vtpote tenuiores, repellentium medicamentorum vim sæpius subterfugiunt,discutientia potius vsurpanda, post capitis vniuersalem euacuationem.

Caussam somni proximam quod attinet, cùm eam frigidam esse hactenus creditum sit,ad eam expugnandam etiam calida exhibenda esse traditum. Verùm etsi quædam calida ad somnum p. n. expugnandum vtilia esse certum sit: tamen cùm non omnia id præstent; & vis illa narcotica à peculiari proprietate, quæ etiam in minimâ portione maxima est,consistat;ea medicamenta eligenda, quæ peculiari proprietate hypnoticorum vim expugnare obseruatum est: qualia sunt ruta, nigella,castoreum, acetum & acida. Quòd verò Platerus scribit, narcoticorum vires debilitare ea, quæ leniendo temperie quâdam ipsorum caliditatem potiùs, quàm frigiditatem emendant;id commodâ interpretatione indiget. Equidem frigida specificæ facultati narcoticorum non opponuntur: quia tamen occulta illa qualitas in subiecto tali, quod manifestis quoque qualitatibus præditum est, plerumque hæret, non infrequens est, vt mutato subiecto occulta qualitas suam naturam ex accidenti quasi mutet, & amittat; id quod acetum & acida commodissimè præstant.

Ideóq; acetum,& acida,vt succus citri,limonũ,ruta, castoreum,& ex his parata exhibenda, atq; aliis medicamentis morbo conuenientibus admiscenda; & naribus admouenda ruta cum aceto,vel balsamum rutæ,castoreum cum aceto,nigella cum aceto. Efficax etiã remedium est in Comate ac cataphora,si acetũ acerrimũ supra laminam ferream ignitam fundatur, & vapor aceti *Narcoticorũ vim qua infringant.*

aceti ab ægro naribus excipiatur. Adhuc efficacius erit, si aceto addatur sem. nigel. rutæ, & castoreum. Excitat etiam à somno suffitus ♃. Nonnulli theriacam exhibent: sed cum theriaca ob opium vim narcoticam potius augeat, ab ea abstinendum, præcipuè si non planè vetus sit.

Apophlegmatismis, & Errhinis, quæ ad particulares capitis euacuationes adhibentur, & Topicis, quæ ad vapores in capite discutiendos vsurpantur, addantur etiam ruta castoreum, acetum. Sternutatoria quoque adhibere licet. Sicut & alia medicamenta, quæ ad vapores illos discutiendos ab antiquis vsurpata sunt, eaq; pleraque calida, quod somnum nimium, & p.n. ab humore frigido semper prouenire crediderunt. Verùm cũ & calidi humores ac vapores somnum talem inducere possint, videndum, an natura morbi ista medicamenta admittat. Si ergò humor pituitosus peccet, exhibeantur diabra, diamosch. conserua betonic. & vngatur caput ol. rutac. laurino, costino, de castoreo; vel foueatur decocto serpilli, rutæ, pulegij, calaminthæ, betonic. & aliis, quæ supra, *part.* 1. *c.* 2. & 10. sunt proposita.

### *Diæta.*

Diæta caussæ respondeat. Aër sit lucidus. Potus diluatur aceto, & acidis. Cogitationis, & ratiocinationis exercitium in soporosis affectibus, quæ πάθη sunt ναρκοῦντα τὸ λογικὸν, καὶ τὸ μνημονευτικὸν, vtile esse docet Galenus, 6. *Epid. comm.* 5. *aphor.* 11. Vt enim Hippocrates, *ibid.* habet: ψυχῆς περίπατος φροντὶς ἀνθρώποις: Animæ quasi deambulatio est cogitatio, & meditatio hominibus. Ideoque ægris subitò iucunda, vel molesta nuncianda sunt. De quo Horatius, *serm. libr.* 2. *satyr.* 3. de quodam auaro Opimio scribit, qui

*Quondam lethargo grandi est oppressus, vt hæres*
*Iam circum loculos, & claues lætus ouansque*
*Curreret: hunc Medicus multum celer, atque fidelis*
*Excitat hoc pacto: Mensam poni iubet, atque*
*Effundi saccos nummorum, accedere plures*
*Ad numerandum; Hominem sic erigit: addit & illud:*
*Ni tua custodis, auidus iam hoc auferet hæres.*
*Men' viuo? Vt viuas igitur, vigila.*

Et omnino sensibus omnibus obiecta vehementiora, & quæ iis molestiam aliquam exhibent, offerenda. Excitãdus æger clamore, sonitu & strepitu, inprimis proprio nomine magnâ voce sæpe appelletur: naribus acria, vt ruta, castoreum acetum, vt modò diximus, obiiciẽda Ori & palato itidem acria iniicienda Oculi radiis solaribus, & luci splendidæ obiiciendi.

Tactus frictionibus, vellicationibus, pilorum euulsionibus, & aliis huiusmodi irritandus.

Historia huius mali curati habetur apud Forestum, *lib.* 10. *obseru.* 33. & 34.

## QVÆSTIO.

### *Quænam Comatis, & Cataphoræ caussa sit?*

*Caussa comatis & cataphoræ.* Caussam Comatis & cataphoræ esse ea, quæ spirituũ animalium ad sensuum organa influxum prohibent, iam dictum: quænam autem caussæ id præstent, non ita planum nec omnes eodem modo hîc sentiunt, vt in Institut. *l.* 2. *part.* 3. *sect.* 2. *c.* 4. dictum, vbi de caussa Comatis & cataphoræ egimus. Vt rem breuiter hîc complectamur, caussæ Comatis somnolenti non sunt quæ calorem & spiritum ad interiora reuocant, ibique detinent, donec instaurati sint: sed quæ prohibent, ne iterum iusto tempore, imò etiam externâ vi stimulati organa sensuum influere possint.

Caussas huius rei antiqui duas posuerunt, vel intẽperiem frigidam & humidã, spiritus animales quasi stupidos reddentem, vel materiam canales per quos spiritus animales ad organa sensuum influunt, obstruẽtem; caussamq; comatis somnolenti & cataphoræ posuerũt intemperiem frigidam, aut humidam, vel frigidam & humidam, cum, vel sine materiâ: refrigerationemque & humectationem nunc à caussa externa, vt aëre ambiente, pluuiis, medicamentis, & alimentis tali qualitate præditis, præsertim vaporosis prouenire, nunc ab interna, vt humoribus, & vaporibus in corpore. Plerique tamen statuunt, intemperiem esse cum materia coniunctam, quæ vapor sit; (nam si sit humor, iam grauiorem affectum, carum scilicet, sequi ab humore sui generis ad caput eleuatus. Vtramque enim enumeratam qualitatem vim habere calorem, & spiritus densandi, cohibendi, & ad motum, actionesq; minus idoneos reddẽdi, (quamquam frigiditas id magis præstet) non tamen solùm à refrigeratione & humectatione cerebri coma produci, sed & à repletione, quæ etiam fiat à copia calidorum & putridorum vaporum, exhalantiũ, vel à toto vt in febrium, præsertim pituitosarum, accessionibus, & inprimis iis, quæ propterea κωματώδεις nominantur; vel à parte aliqua, vt ventriculo, intestinis, & vermibus in iis. Sunt tamen quidam, qui negant, coma produci à materia meatus cerebri angustiores reddente, & obstruente, (hanc enim non coma, sed carum producere) sed solum cerebrum irrorando, & refrigerando. Ideoque soporem illum profundum, qui vel ictum capitis grauiorem, vel cerebri compressionem in cranij perforatione minus dextrè instituta, vel musculi temporalis inflammationem sequitur, potius ad Carum, quam Coma referendum censent.

*Hypnotica qualia.* Recentiores verò & Galenici, & Chymici rem clarius explicare videntur. Nam in hoc quidem cum antiquis consentiunt, quod ea, quæ vim habent spiritus cohibendi, torpidos, & ad motus, actionesque animales minus idoneos reddendi, Coma producant; verùm quænam vis id præstet, in eo ab antiquis dissentiunt, neque solũ in frigiditate & humiditate acquiescendum esse censent; cum multa sint frigida, quæ somnum non inducunt, contrà verò etiam calida, quæ sunt hypnotica. Ideóque etsi non planè negent, frigiditatem cum humiditate ad somnum facere posse: non tamen hanc solam, & vnicam huius mali caussam esse, & qualitates has somnum aliquem naturalem profundiorẽ paulò quàm illum p. n. de quo hîc sermo est, inducere; sed malum hoc à peculiari qualitate ὑπνωτικῇ & ναρκωτικῇ prouenire putant. Et videtur eorum sententia rationi consentanea. Etenim videmus eos, qui vinum fortius, aut spiritum vini immoderatius biberunt, quasi soporiferum medicamẽtum sumpsissent, profundius dormire. Et vt, *c. præced. quæst.* 1 demonstrauimus, medicamenta, quæ somnum grauem conciliant, non frigiditate, sed peculiari vi hypnoticâ & narcoticâ id præstant; quâ & venena quædam prædita sunt, eaque procul dubio non carent humores, qui in febribus malignis, & iis, quæ κωματώδεις nominantur, somnum profundum inducunt. Cum enim humores sæpe satis calidi in iis sint, frigiditate id præstare credibile non est. Et sunt multæ febres, in quibus longè maior vaporũ, & quidem crassiorum, copia in cerebro est, quæ tamen κωματώδεις non sunt. Non tamen planè negauerim, vapores interdum posse tàm crassos & copiosos esse, aut in humorem crassum degenerare, vt angustiam aliquam, & obstructionem in meatibus, per quos spiritus animales in organa sensuum influunt, excitare possint: verùm tum plerumque Carus, vel Lethargus sequitur.

## CAPVT III.

### *De Insomniis immoderatis.*

*Insomnia immoderata.* Etsi in somno profundiore, qui ex copiosiore alimẽti vapore excitatur, sẽsus & externi & interni quiescunt;

ſcunt; vnde ſtatim à cibo, vt ſenſus externi fortius ligantur, ita etiam ſomnia rarius obueniunt: tamen in ſomno ex moderatis vaporibus obrepente, etſi ſenſus externi quieſcant; interni tamen ſæpe ſeſe exſerunt, & phantaſia quidem ex parte libera manet, vt ex rebus, quas vigilans geſſerit, ſenſerit, cogitaueritque ſpectra plurima compareant, quæ ceu vera intuetur, iiſque fidem adhibet, neſciens ſe dormire, quæ operatio in ſomno Somnium appellari ſolet. Iſta tamen operatio minus perfecta eſt, ſed, vt in delirantibus phantaſia malè cohærentia coniungit: ita & in ſomno minimè cohærentia coniunguntur. Vnde rectè dicitur, quod ſomnia ſint dormientium deliria, deliria verò vigilantium ſomnia. & ad iſtam inconcinnam & ineptam imaginum coaptationem non parùm faciunt vapores mobiles, ſpiritúſque turbantes; quales cum in febribus ſæpe ſint ſatis copioſi, etiam febricantes inſomniis huiuſmodi maximè moleſtantur, vnde etiam prouerbium natum: *Per febrem ſomniare.*

Compertum tamen eſt, vt Ariſtoteles, *de hiſtoria animal. lib. 4. cap. 10.* & Plinius, *libr. 10. hiſtor. nat. in fine*, refert, & mulieres, & viros fuiſſe, qui nunquam quicquam ſomniauerint, quorum nonnullis in proceſſu ætatis accidit, vt viſo ſomnio mutarentur habitu ſui corporis, vel in morbum, vel in mortem, Atlantes etiam non ſomniare fertur. Etſi verò plerumque inſomnia ſine hominis incommodo ſint, & propterea naturalia habeantur: tamen ſi immoderata, grauia, & cum terrore ſint; cum ſpiritus exagitent, hominé ſque delaſſent, vt excitati plus defatigationis, quàm refectionis, & refocillationis à ſomno percipiant, & ita plus incommodi, quàm commodi à ſomno habeant: de hiſce inſomniis inter actiones ſenſus communis læſas agendum. Etſi enim phantaſiæ, ac memoriæ propria ſint: tamen quia non vigilantibus, vt alia deliria, ſed dormientibus accidunt, & cum vigiliis p. n. ferè communes cauſſas habent; de iis hoc loco dicemus.

*Somnia naturalia quid ſint.* Cum autem ſomnia naturalia nihil aliud ſint, quam viſa homini in ſomno apparentia, ſeu operatio imaginationis circa phantaſmata per ſomnum oblata: inſomnia illa, de quibus hîc agendum, ſunt ea, quæ vel præter conſuetudinem longiùs, & totam ferè noctem durant, vel animum ita exercent, ſpiritúſque exagitant, vt, quamuis omnia falſa & ficta ſint, tamen non minus hominem moueant, & turbent, ac ſi verè acciderint. Vnde vel ſubito terrore percuſſi homines excitentur, &, ſi euigilare non poſſunt, in ſomno anxietatem ſummam percipiunt, corpus variè iactant, præ angore ſudant, vt excitati ita laſſi ſint, ac ſi maximos labores ſuſtinuiſſent.

## *Cauſſæ.*

*Inſomnia grauia quæ excitent.* Etſi verò & à Deo, & à Dæmone, qui, permittente Deo, falſis ſpectris, etiam per ſomnum, homines terret, talia ſomnia immitti extra dubium ſit; atque illud etiam ſit certum, ab actionibus diurnis, quas memoria per ſomnum ſuggerit, ſomnia multa excitari, de quibus Claudianus:

*Omnia, quæ ſenſu voluuntur vota diurno,*
*Tempore nocturno reddit amica quies:*

Tamen illa non ſunt ea, quæ Medico conſideranda veniunt; ſed illa, cum à cauſſa interna homo grauioribus, & immoderatis ſomniis vexatur. Vnde nec hûc pertinent inſomnia illa grauia, quæ à mœrore, timore, ſollicitudine, & ſimilibus cauſſis ortum habent, illiſque ſublatis ceſſant.

Cauſſæ autem illæ ſunt vapores impuri, tetri, melancholici, à cibis vel humoribus eiuſdem naturæ copioſiùs exhalantes, ſpiritúſque animales inquinantes, & exagitantes; vel intemperies cerebri, vapores ab inferioribus adſcendentes, & ſpiritus in cerebro agitantes.

Primò enim cibi, & aſſumpta quædam terribilia ſomnia faciunt, vt fabæ, lentes, lolium, phaſeoli, braſſica, paſtinaca, ſ. erucæ, allium, ſmilacis ſemina. Pertinet hûc & vinum, quod ſæpe copioſiùs ſumptum ſomnū inquietum, & ſomnia grauia facit; vt & narcotica pleraque Vide Proſper. Alpinum, *de med. Ægypt. lib. 4. cap. 2.* vbi refert, Ægyptios certò affirmare, ſi aſſium, vel aſis, vel boſa, vel bernaui, vel bers (deſcriptio horum medicamentorum narcoticorum allegato loco habetur) aſſumant, ſe in ſomno multa & varia, quibus delectantur, obiecta, vt viridaria, & hortos, puellas, & milites, bella videre: quod procul dubio accidit, vapore medicamentorum illorum narcoticorum ad cerebrum delato, ſpiritúſque turbante, ac phantaſmata varia obiiciente, accedente inprimis forti deſiderio cum imaginatione huiuſmodi res in ſomno videndi.

Secundò humores praui, corrupti, melancholici. Hinc ii, quibus cibo ventriculus nimium repletur, vel quibus cibus in ventriculo corrumpitur, vt inde multi vapores ad caput adſcendant, inquietè dormiunt. Accidit hoc ſæpiſſimè infantibus, qui, cum lac copioſius, quàm par eſt, ſugunt, id ipſis in ventriculo corrumpitur; vnde vapores praui & acres ad caput eleuantur, ſpiritibúſque permiſti eos turbant, vnde vel excitantur, & nimis vigilant, vel grauibus inſomniis terrentur. Quandoque etiam ex toto corpore & venis vapores tales ad caput copioſiùs attolluntur; id quod ſæpe accidit in febribus, vnde prouerbium ortum: *Per febrem ſomniare*, quod ſcilicet plura abſurda febricitantibus in ſomno, quàm ſanis occurrant. Idque hominibus magis in ſupino decubitu accidit, cum in eo vaſa magna in dorſo incaleſcant, & vapores copioſos ad caput mittant. Nonnunquam ex parte aliqua priuata tales vapores eleuantur; quod ex liene & hypochondriis fit frequenter in melancholicis, nonnunquam ex vtero.

Tertiò ſi cerebrum ſit calidum, vapores adſcendentes, & ipſos ſpiritus animales turbat. Vnde homo vel vigiliis p. n. vel inſomniis grauibus vexatur.

## *Signa Diagnoſtica.*

*Signa diagnoſtica.* Ipſi homines hac de re, & de ſomniorum grauitate conqueruntur, & ſomno laſſitudinem percipiunt. In infantibus ex eo id cognoſcitur, quod inter dormiendum gemunt & concutiuntur, excitati clamant & plorant, nec placari poſſunt, fœtidus odor ſæpe ex ore exhalat, calor percipitur in iis.

Cauſſæ etiam ſuis ſignis facilè cognoſcuntur. Si è ciborum, vel copia, vel qualitate malum proueniat, id ex diæta, & cibis, quibus æger vſus eſt, cognoſcitur. Humores ſeu in toto, ſeu in parte aliqua abundantes etiam ſuis ſignis deprehenduntur. Cerebrum nimis calidum ex ſignis ſupra, *part. 1. c. 1.* propoſitis innoteſcit.

## *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.* 1. Vt iucunda & læta ſomnia hominis ſanum, & bonum ſtatum indicant: ita triſtia & horrenda plerumque morbi imminentis ſunt indicia, & melancholicam conſtitutionem ſignificant.

2. Somnia grauia & terribilia corpus debilitant.

## *Indicationes & Curatio.*

*Curatio inſomniorum grauium.* Si æger cibis, vel flatulentis, vel prauis vſus eſt, pro iis melioris ſucci ſubſtituendi. Si nimia copiâ ſint ingeſti, cœna parca & ſobria vitium hoc emendat; inprimis ſi æger non ſtatim à cœnâ ſe cubitum conferat.

Humores, vel in toto, vel in parte aliqua abundantes, & vapores, qui ſpiritus turbant, ſuppeditantes, euacuandi, vel venæ ſectione, vel purgatione; & diſpoſitio vitioſa corporis, quæ humores illos generat, emendanda, de quo ſupra, *part. 1. cap. 5. & ſeqq.* dictum.

Poſt cœnam etiam exhibenda ea, quæ vaporum ad caput adſcenſum prohibent, quæ etiam ſupra, *part.* 1. *c.* 6. ſunt propoſita.

Calida euaporatio à cibo vel potu, vino præſertim, adſcendens, inſomniorum cauſſa, frigidâ in fine cœnæ, vel aceti potu ſupprimenda. Vnde nonnulli, ſi dormitum ituri hauſtum aquæ frigidæ ſumant, præſertim poſt vini vſum, ſuauius dormiunt. Vitandus quoque decubitus ſupinus.

Si ab intemperie cerebri calida ſit malum, alteranda ea, & curanda, vt ſupra, *part.* 1. *c.* 1. dictum.

Simul ea vſurpanda, quæ tetros illos vapores, ſpiritus turbantes, diſcutiant. Meliſſa in cœna comeſta contra moleſta inſomnia commendatur; vt & rad. bugloſſ. pulueriſata cum aq. fl. tiliæ. Laudatur etiam oleum aniſi, ſi eius gutta vna atque altera linguæ, vel naribus illinatur; modò malum non ſit ab intemperie cerebri calida.

Puluis, qui ſomnia horribilia arcet, & ſomnum inducit:

℞. *Smaragd. hyacinth. margarit. corall.* an. q. ſ. F. Puluis. Sub noctem detur Scrup. i.

Si in infante malum proueniat à lactis in ventriculo corruptione, videndum, an lac à nutrice non bonum ſuppeditetur; ideóque vel nutrix mutanda, vel danda opera, vt lac corrigatur. Si copioſius ſumpſerit infans lac, parciùs præbendum. Si ob ventriculi debilitatem corrumpatur, extrà oleo abſinth. menthæ, maſtichino ventriculus inungendus, vel emplaſtrum aliquod ſtomachale imponendum. Lac verò corruptum è ventriculo abſtergendum melle, vel ſimplici, vel roſarum ſolutiuo.

## CAPVT IV.

### *De Vertigine, & primò in genere.*

### *Nomen.*

*Vertigo.* VErtigo affectus eſt à ſymptomate ſic denominatus. Qui enim hoc malo corripiuntur, iis omnia in gyrum circumagi videntur. Diciturque Latinis vertigo, Græcis δῖνος, παραδίνησις, ἴλιγγος item, & ἴλιγξ, σκότωμα, σκοτόδινος, σκοτοδινία, σκοτωματικὸν πάθος: quibus nominibus non ſpecies diſtinctæ, ſed mali eiuſdem diuerſi gradus ſignificantur, ac diſcernuntur.

Nam cum ſolum circumagi corpus, vel exteriora videntur, δῖνος & ἴλιγγος vocatur: quando verò ſimul oculi veluti offuſâ caligine, obſcurantur, σκότωμα & σκοτόδινος, ſeu vertigo tenebricoſa appellatur, quæ ſæpe ita ingraueſcit, vt æger protinus concidat, niſi prehenſis proximis adminiculis ſeſe fulciat, ac ſuſtentet. Barbari verò Scotomiam appellant, & hoc nomine etiam in genere Vertiginem intelligunt; ſed minus rectè. Neque enim omnibus, qui Vertigine laborant, tenebræ (quod σκοτώματος vox propriè innuit) offunduntur; etſi omnes, qui σκότωμα patiuntur, etiam vertigine *Scotoma.* laborent. Nonnulli tamen inter σκότωμα & σκοτόδινον diſtinguunt, & σκότωμα adhuc lenius malum, quàm ſit σκοτόδινος, eſſe volunt, ita vt σκότωμα ſit, cum ſine circumactione, aut illâ ſanè leui, tenebræ offundi videntur, aut ſolum fumi, nubes, muſcæ, volitare ob oculos putantur; vt ita σκότωμα ſit σκοτόδινος incipiens.

Aliud verò à Scotomate malum eſt ὑπόχυμα impropriè ſic dictum, quando è ventriculo fumis ad caput adſcendentibus, aut per ardentium febrium vigorem, aut phrenitidem, fumis è calido humore elatis, & ſpiritui optico permiſtis, pupilla nonnihil occluditur, viſúſque obtenebratur, quod etiam inſtante criſi per hæmorrhagiam narium fieri conſueuit. Illud enim omne abſque circumgyrationis phantaſiâ accidit.

### *Definitio.*

Etſi verò certum ſit, animalis functionis læſionem in vertigine accidere: tamen quæ actio lædatur, non ita planum eſt. Alij enim viſum, alij ſenſum communem, alij imaginationem, alij motum, & ſenſum deprauari exiſtimant. Verùm cum iſta controuerſia in Inſtitut. *libr.* 2. *part.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 9. explicata ſit, breuiter hic omnia complectimur, ſtatuimúsque principaliter, & ſemper imaginationem, & ſenſum communem in vertigine lædi. *In vertigine quæ actiones animales lædantur.* A viſu quidem plerumque huic malo occaſio primùm præbetur, & tum ſenſus communis, & hinc phantaſia etiam afficitur: attamen & oculis clauſis à motu vertigo excitatur; imò ebriis idem accidit. Et vertigine nonnunquam homo corripitur, etſi nulla vel à viſu, vel à motu, aut certè leuis occaſio præbeatur. Et præcipua læſio eſt phantaſiæ, ac Vertiginoſi ea, quæ quieſcunt, in orbem circumgyrari exiſtimant, idque in omni vertigine accidit, ſiue occaſio per viſum præbeatur; ſiue abſque tali occaſione ab interna cauſâ excitetur. Neque tamen hinc ſequitur, quod vertigo ſit delirium, de quo cum Altimaro diſputat Maſſarias, *cap. de vertigine*; cum non quælibet functionum principum deprauatio delirium ſit, ſed ſolùm, quæ in compoſitione aberrat, non verò, quæ in apprehenſione ſimplici; id quod hic accidit, cum obiectum quietum pro moto apprehenditur.

Et quidem ſi à viſu occaſio Vertigini præbeatur: & ſenſus communis ac phantaſia afficitur, & vterque rem, quæ quieſcit, quaſi motu agitatam apprehendit. Cum enim ſpiritus animalis obiecta ſenſuum recipiat, & ad ſenſum communem ac phantaſiam deferat, ſi ille p. n. moueatur, obiecta quoque moueri videntur. Habétque ſe res, vt in aliis rebus viſibilibus. Etenim vt, ſi rei albæ ſpecies per vitrum flauum, aut rubeum in oculum admittatur, res rubra, vel flaua apparet: ita etiam res quieſcentes moueri videntur, ſi ſpiritus animales non rectè in oculos, ſed circulariter agitati, influant. Si verò ab internâ tantùm cauſâ excitetur Vertigo, & oculi ſint clauſi, ſolùm imaginatio afficitur, non verò ſimul ſenſus communis vtpote qui non agit, niſi ab externo ſenſu motus, & externorum ſenſuum obiecta mediis ſenſibus exterioribus percipit. Secundariò poſtea motus, & viſus ſæpe læditur. Cum enim à phantaſia greſſus animalis regatur, accidit, vt læsâ imaginatione conſequenter lædatur motus, & ægri concidant: aut quia ſpiritus animales in anteriore cerebri parte p. n. moti etiã eos, qui ad organa motus influunt, turbãt, ac, vt inordinatè moueantur, efficiunt, vnde fit, vt, ſpiritibus animalibus non, vt par eſt, in organa motus influentibus, ægri collabantur; aut, vt aliis placet, cum omnia circumagi videantur, non habent, vbi greſſum figant ægri.

Et quia ſpirituum hoc vitium oculis quoque communicatur, tenebræ ſimul oculis oboriuntur. Vtrumque tamẽ etiam euenire poteſt, vt & aliorum ſenſuum læſio, quòd ſpiritus animales in organa ſenſus ac motus non influant. Etenim cum ſpiritus animales rectâ lineâ in neruos influant, ſi hi circulariter moueantur, neruos præterlabuntur; ſicut aqua, quæ in vaſe aliquo circulariter mouetur, è vaſe non effluit; etſi illud perforatum ſit.

Sed & auditus nonnihil deprauatur interdum, vt leuis fluctuatio obaudiatur, ſpiritu illo flatulento, ſpiritûs animales turbante, etiam ad neruum ἀκουστικὸν pertingente.

In nonnullis etiam olfactus, in aliis guſtus læditur, teſte Ægineta, *libr.* 3. *cap.* 12.

Ratiocinatio autem, & memoria ſalua eſt: cum Vertiginoſi in ipſo paroxiſmo agnoſcant, ſe errare, & poſt paroxyſmum omnium recordentur.

Quandoque tamen etiam ſine Vertigine oculi obtenebrantur, & varia corpuſcula, ac colores iis falsò offeruntur, & in auribus ſibilus, & motus quidam percipitur,

pitur, si agitatio, & circumgyratio ea spirituum in cerebro non fiat, sed sola vaporum cum illis permistio. Quæ symptomata cum veram vertiginem præcedere soleant, vt docet Aëtius, *tetrab. 2. serm. 2. in princip. cap. 7.* Rhases, *cap. 3.* sub nomine Vertiginis hunc affectum comprehendit, eundémque describit Auicennas, *prima tert. tr. 5.*

*Locus affectus in vertigine.* Locus affectus est cerebrum, & quidem quatenus pars organica, & spiritus animales continet, ac quibusdam meatibus, in quibus illi mouentur, est præditum; & quidem secundum partem potissimùm anteriorem, quæ organis sensuum externorum propior est: quanquam & reliquis postea communicetur, quod ex motu deprauato colligitur.

*Caussa proxima vertiginis.* Caussam huius mali proximam quod attinet, etsi de ea alij aliter sentiunt: tamen si non solùm perpendamus, quod vertiginosi omnia in gyrum circumagi imaginantur, sed &, quod ex corporis circumgyratione Vertigo sanis quoque oboritur, facilè colligere est immediatam & proximam caussam esse inordinatum, & quidem circularem spirituum animalium motum, quem alij vndosum appellant, quod tale quid in spiritibus in cerebro fiat, quale in vorticibus aquarum. Cum enim visio fiat speciebus non solùm colorum, sed & reliquorum sensibilium, vt quietis, motus, & huiusmodi aliis per oculos receptis, atque à spiritu animali ad sensum communem, & phantasiam deductis: si spiritus illi, qui species oculo receptas ad sensum communem, & imaginationem deferunt, p. n. & circulariter mouentur, motus ille speciei imprimitur, non aliter, vt antea etiã dictum, ac dum res alba per vitrum coloratum adspicitur, atque ita res quiescens moueri putatur. Omne enim, quod recipitur, per modum recipientis recipitur.

*Vertigo quid.* Atque ita Vertigo est imaginationis, ac sensus communis læsio, ac deprauatio talis, vt omnia in gyrum circumagi videantur, à circulari spirituum animalium motu in cerebro ortum habens. Nonnunquam tamen, vt dictum, etiam sensus externi simul afficiuntur.

### *Caussæ.*

*Caussa vertiginis.* Inordinatus autem ille, & circularis spirituum animalium motus, quem modò Vertiginis caussam proximam & continentem esse diximus, non ab vna caussa proficiscitur; vnde accidit, vt alij aliter de causis vertiginis sentiant. Cómodissimè a. caussæ hæ ita diuidi possunt: Caussæ circularis, & inordinati spirituum animalium motus, sunt vel internæ, vel externæ. Internæ, vel in capite hærent, & vertiginem per essentiam pariunt, vel aliunde adueniunt, & vertiginem per consensum pariunt; qui fit vel ratione totius, vel partis alicuius, vt ventriculi, intestinorum, hepatis, lienis, vteri.

Primò nimirum, & plerunque illam circumgyrationem parit κίνησις ἄτακτος ουσώδους πνεύματος, inordinata motio spiritus flatuosi per venas, & potissimum per arterias, in cerebrum effusi. Πνεῦμα enim hoc ἀτμώδες καὶ φυσῶδες cum ἀτάκτως in cerebro mouetur, spiritus animales quoque agitat, & impedit, vt in illis angustiis occlusi in sese motu circulari conuertantur, & phantasiæ falsam hanc rerum externarum, vel proprij etiam corporis, speciem exhibeant. Atque hinc, qui imbecillo sunt capite, & qui flatibus abundant, facilè vertigine tentantur, etiam ob externam aliquam leuem caussam; & propterea Vertigo malum est senibus familiare, ob spiritũ vaporosum, ex imbecillitate caloris naturalis & pituitæ copiam redundantem, motúque inordinato impulsum: 3. *aphor. vlt.* Chymici quidam vapores hos resinosos, ac sulphureos esse statuunt, non salinos, qui dolores capitis, vigilias, epilepsiam, & deliria excitant, ac proinde citra acrimoniam esse, & nullos dolores inferre, sed saltem spiritus turbare, iisque tenebras offundere. Verum vapores omnis generis caussa vertiginis esse possunt, modò ita sint dispositi, vt spiritûs animales in gyrum agere valeant.

Initium autem motionis sumit πνεῦμα φυσῶδες, vel extrinsecus à leui aliqua occasione, vel intus à seipso, vt est vaporis, & spiritus omnis natura fluxa, ac mobilis, præsertim calidi ac tenuis. Hinc accidit, vt, qui in arteriis cerebri spiritus feruidiores habent, facilè per se, vel etiam leui accedente occasione, vertigine corripiantur, quæ diu multúmque, & facili de caussa, sæpe etiam cum dolore capitis hominem infestat, vt & aurium tinnitu, & arteriarum in capite, & auribus præcipuè, pulsu, ac vix, nisi arteriarum apertione, curatur.

Hinc caussæ antecedentes sunt omnes humores, è quibus vapor suscitari potest, sanguis nimirum, bilis, pituita, melancholia, & humor serosus; cum tam calidus, quàm frigidus vapor vertiginem excitare possit, vt docet Galenus, 3. *de loc. affect. cap.* 8. & 3. *aph.* 23.

Caussæ istæ, & humores, vel in cerebro hærent, & calefacti, vel agitati vertiginem per essentiam generant; vel extra cerebrum geniti aliunde ei communicantur, ac vertiginem per συμπάθειαν excitant: quò pertinet & Ebrietas, quæ corpus vaporibus replet; vnde ebrij non rarò vertigine corripiuntur, & ebriosi vertigini sunt obnoxij.

Caussæ verò προκαταρκτικαὶ sunt omnes aeris in qualitatibus excessus; præcipuè austrina constitutio, teste Hippocrate, 3. *aphor.* 17. æstus & mora sub Sole, & quæcunque alia foris incidentia subitò humores fundere, agitare, & in vaporem dissoluere possunt; vt immoderata corporis exercitatio, præsertim à repletione, balneum, ira, & aliæ animi perturbationes, Venus nimia, inædia in iis, qui eam ferre non possunt, ob bilem in ventriculo, qui ab Hippocrate πικρόχολοι ἄνω dicuntur; corporis item in gyrum conuersio, vel rerum externarum circumrotatarum adspectus, aut velox motus, vel aquarum vorticosarum adspectus, prospectus ab alto, adspectus rerum lucidarum, & Solis inprimis, sonus vehemens, vt tonitru, & bombardarum, percussio capitis & dorsi. Quorum quædam cum tam potentia sint, vt in sanis etiam vertiginem excitare possint, multò magis in ægris, & iis, quibus caput ab internis caussis malè dispositum est, præstare valent. Inducit & vertiginem nonnunquam purgatio. Nam à medicamento purgante humores vitiosi, si adsint, agitantur; &, qui sani purgantur, vertigine corripi solent, teste Galeno, 2. *aph.* 22. & *libell. quos purgare oporteat.* Vapores enim ex colliquatione humorum etiam bonorum excitati, spiritus animales in cerebro motu inordinato turbare possunt.

II. Eandem spirituum circumgyrationem producit vasorum, & meatuum cerebri angustia. Nam si spiritus animales per loca impedita mouentur, retrocedunt, ex quâ retrocessione fit motus circularis.

III. Spirituum illam circumgyrationem excitant omnia illa, quæ spiritus, etiam sine vaporis admistione, agitare, mouere, ac perturbare possunt. A caussis tamen his facilius excitatur vertigo, si cerebrum sit debile, quod spiritus animales continere, &. vt par est, ac s. n. fieri assolet, distribuere non potest, sed caussarum violentiæ facilè cedit.

### *Differentiæ.*

*Vertiginis differentiæ.* Est quidem aliqua Vertiginis secundum gradus differentia, vt ex iis, quæ antea dicta sunt, patet, quod nunc περιστροφῆς seu circumgyrationis species offertur sine visus obtenebratione; nunc visus simul quasi caligine offusâ hebetatur; nunc malum adeò inualescit, vt spiritus animalis in organa sensus ac motus voluntarij distributio impediatur atque ita homo concidat. Maximi verò momenti est illa differentia, quæ à caussarum modò enumeratarũm varietate sumitur, quod scil. vertigo

go generatur 1. à vapore ſpiritus animales turbante, qui quidem, ſi in ipſo cerebro generetur, Vertiginem per primarium cerebri affectum conſtituit; ſi verò aliunde in cerebrum eleuetur, per συμπάθειαν; quæ rurſus varia eſt, pro locorum, quæ vaporem illum ſubminiſtrant, varietate. 2. à vaſorum & meatuum cerebri anguſtia, quæ fit ab eorum compreſſione, obſtructione, coalitu. 3. à ſpirituum, ſine vaporum permiſtione, à cauſſis euidentibus, & externis agitatione. Quæ differentiæ cum ob curationem attendendæ ſint, de ſingulis in ſpecie agemus: priùs tamen de vertiginis ſignis diagnoſticis, prognoſticis, & curatione in genere dicemus.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Vertiginis ſigna.*

Si cui omnia in gyrum circumagi videntur, quæ reverâ quieſcunt, aut homo ipſe circumrotari videtur, is vertigine laborat: quod tamen plurimis modis accidit. Aliis enim hoc ſolùm contingit; aliis præterea & viſus obſcuratur; nonnullis ſibilus quidam, vel tinnitus in auribus percipitur; quidam, niſi proxima adminicula præhendant, planè concidunt. Non tamen vlli, qui vertigine ſaltem laborant, voce & ſenſibus priuantur, neque conuulſione tentantur: quâ ratione ab apoplexia & epilepſia vertigo differt.

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.*

1. Vertigo, quæ citra externam & euidentem cauſſam non accidit, leuior eſt, quam quæ etiam ſine euidente cauſſa inuadit.

2. Vertigo, præcipuè grauior & diuturnior, eſt affectio epilepſiæ & apoplexiæ proxima, & ad has quaſi via, teſte Galeno, *2. aphor.* 17. *&* 23. Si enim cauſſa illa augetur, tandem grauiſſima ipſa ſymptomata accerſit.

3. Vertigo in ſenibus magis periculoſa; quia ipſorum cerebrum debile eſt, & calor in eo paucus, pituita verò abundans. Et ſi frequentius ſenibus malum accidat, præſertim cum magna ſenſuum perturbatione, apoplexiam tandem affert.

4. Periculoſior eſt Vertigo, in qua caput, vel corpus circumagi videtur, quàm in quâ ſaltem externa, & in qua fit vehemens viſus læſio, ob cauſſæ vehementiam. Et ſi Vertigo adeò inualeſcat, vt homo concidat, apoplexiæ & epilepſiæ prænuncia eſt.

5. Vertigo à calidis humoribus citius ſoluitur, quàm à frigidis.

6. Quibus in vertigine viridis aut purpureus color obuerſatur, ad epilepſiam; quibus ater, ad apoplexiam; quibus rubeus, ad maniam magis proni cenſentur.

### *Indicationes.*

*Indicationes.*

Cum vertigo fiat ab inordinato, & circulari ſpirituum animalium motu, danda opera in paroxyſmo, vt ſpirituum animalium motus ille ſedetur, & cauſſæ, quæ ſpiritus agitarunt, ſi adhuc præſentes ſint, tollantur. Extra verò paroxyſmum ad præcauendum, ne malum recurrat, ſingulæ cauſſæ, prout natura earum id requirit, & poſtulat, tollendæ. Diæta quoque pro varietate cauſſarum idonea inſtituenda, ac vitanda omnia, quæ caput replent.

### *Cura in Paroxyſmo.*

*Cura vertiginis, in paroxyſmo.*

Itaque vt in Paroxyſmo inordinatus ſpirituum animalium motus ſedetur, æger ad quietem componatur: & ſi ab inferioribus humores & vapores ad caput tendant, reuulſiones, ac diuerſiones, inſtituendæ, & proinde inferiores partes ligandæ, & fricandæ, quod in plantis pedum ſale & aceto fieri poteſt, donec, ſi fieri poſſit, ſomnus ſuperueniat; facies vino adſpergenda. Si inſignis ſit Vertigo, non ſolùm frictiones inſtituendæ, ſed & glandes, ac clyſteres indendi. Hinc odoramentis vtendum, cauſſæ tamen adhibitâ diſtinctione. In calidâ ex aceto cum aq. roſar. in frigidâ fiant odoraméta ex aceto cum moſcho, ambra, ſpec. diambr. ſem. nigellæ. Narium foramina inungantur oleo deſtillato nucis moſchatæ, aut maioranæ, aut galbani. Tépora & manuum carpi fortiter fricentur aquâ, & aceto roſaceo, additâ pauculâ aquâ cinamom. ori indatur momentum ſalis, aut cinamomum, & macis maſticanda dentur. Si ex fame ſit Vertigo, quod in picrocholis fieri ſolet, mica panis in ſucco cydonior. granator. vel vino auſtero intincta exhibenda. Marcellus, *de medic. cap.* 3. ſcribit, Vertiginem citò tolli, ſi betæ nigræ ſucco tempora illinantur: item ſi abrotonum tritum in vino tepido bibatur, vel cum oxymelite non acri exhibeatur: vel applicetur fronti ſerpillum, aut aqua eius; temporibus ac ceruici affricetur aqua roriſmarini.

Interdum tam vehemens eſt vertigo, & tam diu durat, vt apoplexia & epilepſia metuenda ſit. Ideóque tum, ægro reclinato, & clyſtere præmiſſo, venam aperire, aut cucurbitulas cum ſcarificatione applicare, & palatum theriacâ vel Mithridatio inungere opus eſt.

Etſi verò de venæ ſectione in tempore paroxyſmi inſtituendâ in vertigine controuerſia ſit, atque eandem nonnulli diſſuadeant, metuántque, ne vires, quæ tum debiliores ſunt, magis debilitentur: tamen ſi diuturna, & vehemens ſit vertigo, & ea ſit ægri conſtitutio, vt omnino, ſi apoplexia illum inuadat, venæ ſectio inſtituenda ſit; hîc verò apoplexiæ periculum immineat: cauſſa nulla eſt, cur non admitti debeat venæ ſectio, ſi adſint Indicántia, quæ eam poſtulent.

Nonnulli, ſi vertigo per conſenſum à partibus inferioribus fiat, intercipientia quoque vſurpant, & medicamenta ſiccantia, atque adſtringentia venis, atque arteriis iugularibus apponunt.

*Præſeruatio vertigine.*

Quæ verò extra paroxyſmum inſtituitur curatio, tota ad præſeruationem, ne malum recurrat, dirigenda: quæ cum varia ſit pro cauſſarum varietate, de ea poſtea in ſpecie dicetur.

Hoc ſaltem hic addo, ad præſeruationem commendari ſemen carui maceratum in vino, & poſtea ſiccatum, ſi quotidie ſub horam decubitus cochlear dimidium diu maſticetur, tandémque deglutiatur, ídque per dies aliquot continuetur.

### *Diæta.*

*Diæta in vertigine.*

In diæta ea conferunt, quæ humorum & ſpirituum inordinatum motum ſiſtunt, & nullo modo motui iſti cauſſam præbent. Aer ſit temperatus, non admodum lucidus, tempore paroxyſmi: fugiendus craſſus, humidus, nebuloſus, qui vertiginem excitat, vt eſt apud Hippocratem, 3. *aphor.* 17. Caueat æger ventos, vitet quoque radios Solis & Lunæ: cibus ſit cauſſæ vertiginis aduerſus: nocent omnia alimenta difficilis coctionis, & praui ſucci, ac quæ vapores, & fumos multos ad caput mittunt, vt fabæ, piſa, & alia legumina, lac, piſces viſcoſi, conchylia omnia, caſtaneæ, auellanæ, nuces rancidæ, allium, porrum, cepæ, raphanus, & omnia huiuſmodi ſuprà; *part.* 1. *cap.* 1. propoſita. Vitet æger etiam ciborum varietatem, & nimiam repletionem. Potus non ſit vaporoſus; ideóque vinum non bibendum, niſi ventriculus ſit imbecillis ex frigiditate, aut vires in toto corpore deficiant: vel parcè bibatur, & tenuius, non vinoſum.

Cereuiſia non multo lupulo ſit condita, quæ caput replet. Poſt cibum ſumenda, quæ os ventriculi claudunt, & adſcenſum vaporum ad caput impediunt, vt coriandr. præpar. cum nuce moſchata, cydonia condita, vel diacydonium. Nonnulli cryſtallum appenſum vertiginoſis prodeſſe cenſent, atque ex poculo inde parato bibere, vel potui cryſtallum imponere iubent.

Motus, qui fit ventriculo vacuo, moderatus non eſt

incom

incommodus,modò non fiat capite, vel dorfo inclinato:vite exercitij fint frictiones,quæ à fupernis partibus ceptæ definunt in inferiores.

A cibo non ftatim dormiendum. Vitandus adfpectus rerum, quæ circumrotantur, & in gyrum aguntur, vel celeriter mouentur, vt rotæ, & impetuofa flumina. Æger ex alto non defpiciat, turbam etiam hominum, qui hinc inde ambulant, & mouentur,vitet. A Venere abftinendum,nifi à menfibus fuppreffis, vel femine retento fiat vertigo. Cauendæ animi perturbationes nimiæ,ira,mœftitia, aluus fit aperta, &, nifi fingulis diebus officium faciat,arte irritetur.

*Secundò.*

*De Vertigine in fpecie,*

*Et primò*

*De Vertigine per effentiam.*

*Cauffæ.*

*Vertigo à flatu.* Si in capite flatus ille, vel vapor generetur,fit vertigo κατ' ἰδιοπάθειαν, eàque ab omnibus cauffis, quæ flatus, & flatuum materiam in capite generare poffunt; quales funt fanguis fpirituofus & feruidus, ac alij humores,è quibus flatus,& fpiritus eiufmodi eleuantur in capite cumulati:plerumque verò iis accidit,quibus confuetæ cerebri euacuationes fupprimuntur;idque Galenus exemplo oftendit eorum,qui,cum foliti effent purgari per aures ab excrementis cerebri, euacuatione illâ fuppreffâ facti funt vertiginofi, & auribus reclufis,exitúque iterum patefacto à vertigine liberati funt,*comm. 2.in 6.epid.text.29.*

*Pifonis vertigo.* Carolus Pifo,*in libr.de morb.ex collun.ferofa* in Vertigine animalem fpiritum tumultuari,ac moueri fcribit à feruente fero in capite;& ad fuam fententiam probandam affert locum Hippocratis, 2. *de morb.* vbi hæc habentur: *Aqua fi in cerebro oborta fuerit,dolor acutus fyncipnt,& tempora, interdúmque alia capitis parte detinet, fubindéque rigor,ac febris, oculorum regiones dolor occupat,itque caligant, pupilla fcinditur,ac, fi furrexit, ipfum Vertigo tenebricofa prehendit*, &c. Neque hîc de hydrophobia, quæ Mercati fententia eft, fed de hemicraniâ Vertiginosâ agere Hippocratem ftatuit. Quod vt fæpiffimè verum effe exiftimo:ita nihil obftare puto,quin & ex aliis humoribus eiufmodi vapores eleuari poffint: ficut & vapores ex inferioribus adfcendentes, ac vertiginem excitantes non omnes à ferofis, fed & ab aliis humoribus proueniunt.

*Signa Diagnoftica.*

*Signa vertiginis flatulentæ.* Per affectum primarium,& à fpiritu flatulento in ipfo cerebro genito Vertiginem produci, cognofcitur ex præcedente capitis dolore, & grauitate, ex aurium tinnitu diuturno, ac fenfuum externorum quadam læfione;in nulla verò alia corporis parte aliquid mali, quod vertigini cauffam præbere poffit,deprehenditur. Malum ipfum frequens eft,vel continuum; nec citò difcutitur: & ex leui caufsâ atque ἀφορμῇ homo vertigine corripitur,& præcipuè cum imaginationem in aliquid intendit. Vide Galenum, 3.*de loc affect. cap.8.* Et quidem fi vapor ille(quod plerumque fit,imò à nonnullis femper fieri creditur) fit calidus, & à fanguine feruidiore ortum habeat, cognofcitur id ex temperamento corporis calido,ex tumore & pulfatione arteriarum in capite,ex rubore,& colore faciei,& fignis aliis,*part.1.cap.8.*fuprà propofitis. Alij etiam humores, qui flatibus & vaporibus præbent materiam in capite abundantes, fignis, *ibid.cap.fequ.*propofitis cognofcuntur.

*Prognofticum.*

1. Periculofior eft Vertigo, quæ fit per ἰδιοπάθειαν, quàm quæ per συμπάθειαν. *Prognoftica.*

2. Si vertigo hæc adeò inualefcat, vt homo concidat,apoplexiæ prænuncia effe folet,vt antea dictum.

*Indicationes.*

Quid in paroxyfmo agendum fit, antea in genere dictum. Extra paroxyfmum verò primò materia illa, è qua vapores illi generantur, conuenienti modo tollenda, & euacuanda: deinde vapores difcutiendi:tandem ille cerebri morbus, ob quem materia, & vapores illi generantur,tollendus,& cerebrum roborandum. *Curatio vertiginis à flatu.*

*Auxilia.*

Itaque fi fanguis fiue in toto, fiue in capite abundet,vena aperiatur,& fanguis per interualla educatur, capite reclinato, cum vertiginofi facilè ex qualibet occafione vertigine corripiantur,& concidant. Aperiatur autem,fi fanguis in toto fimul abundat,primò bafilica, vel communis, hinc cephalica:fi verò in capite præcipuè;ftatim cephalica. Et omnino in venæ fectione, fi cauffa mali fit fanguis nimis fpirituofus, aut flatuofus curationis maxima fpes eft fita;cùm fanguis arteriarum & venarum in cerebri finubus confundatur, atque ita venâ apertâ fanguis fpirituofus euacuari poffit.

Poft cephalicam Rhafes,& Auicennas venas poft aures incidunt. Non incommodè quoque vena in fronte aperiri poteft. Galenus, 3.*de loc.affect.c.8.& 9.de tuend. fanit. cap.9.* arterias quoque aperit, fi fcilicet vafa illa multo fanguine calido turgeant, & malum vehemens fit. Verùm quid de arteriarum fectione ftatuendum fit, fuprà,*part.1.cap.6.quæft.2.*dictum:hoc faltem hîc repetimus,experientiam non rarò docuiffe,poft varia remedia fruftrà adhibita arteriarum apertionem tandem profuiffe, vbi fcilicet in fpirituofo fanguine in arteriis cauffa mali hæret.Res igitur diligenter exploranda, &, fi certi fimus, fanguinem in arteriis cauffam mali effe, fectio arteriarum nonnunquam neceffariò inftituenda. Præcaueturautem omne periculum,fi tota arteria tranfuerfim incidatur.Reuulfis enim vtriufque partibus diffectis,ad fibi continuas vulnus facilius coalefcit.Quod tamen fuprà etiam monuimus, diligenter hîc perpendendum,quænam arteriæ vapores,& humores ad caput deferant. Derafo nimirum capite,vbi opus eft, arteriæ tum quæ retrò, tum quæ fecundum vtramque aurem funt, propterea in fronte, & temporibus curiosè tangendæ funt, quarum quæ calidiores aliis apparent, & maiorem pulfum exhibent,incidendæ funt.

Si enim in arteriis internis fpiritus ille flatulentus contineatur, (id quod ex eo cognofcitur, quod abeft tenfio & pulfatio vaforum externorum;adeft verò colli dolor fortis, non tamen ex neruis affectis: nec vertigo remittitur per compreffionem vaforum externorum,fiue per fafcias,fiue per laminam plumbeam,fiue digitis factam,neque per compreffionem adftringentium)fruftrà externæ fecatur. Atque in eo cafu Rhafes iubet cucurbitulas fcapulis apponere,quæ fint quafi vicariæ fectionis vaforum internorum latentium. Vide Galenum, 13.*meth.med.cap.vlt.* Scarificationes etiam loco venæ fectionis, vel poft illam, ad deriuationem faciendam, in fcapulis, & collo cucurbitulis applicatis profunt.

Si verò alij humores abundent, purgatio conueniens fecundum fingulas humorum fpecies inftituenda: quod quomodo fieri debeat, fuprà, *part.1.* propofitum. Et inprimis in humore pituitofo vtile eft electuarium fuprà, *part. 1. cap. 10.* propofitum, quod nonnulli Thariacam Hippocratis nominant: de quo hoc notandum: nonnullos pro abfinthio, marru

marrubio, stœchade, siccis, eorum succum sumere.

Medicamentis suprà enumeratis pilulas istas addere libet.

♃. *Agaric.el.*Vnc.ß.*myrobal.chebul.cubebar.* an.℥.ii. *rad. asari, sem.pœon.ligni aloës, Zingiber.* an.Scr.ß.*mastich.cardamom.spicæ nard.*an.gr.xv.*trochiscor. alhandal.* Drach.ß.gr.xv.*extract.hellebor.nigr.pœon.*an.gr.v.*ol.maioran.rutæ,caryophyllor.*an.gut.j.*aloës rosat.*Vnc.iß,Cum *benedict.laxatiu.*F.Pilulæ,quarum Scrup.ii.vel Drach.j. bis in mense,vel singulis septimanis sumatur.

Aliæ:♃. *Pil.cochiar.*Scr.ii.*extr.solutor.*Scr.ß.*pulu.cubebar.*gr.iii.Cum*aq.salu* F.Pil.num.xx.

Vel hoc Decoctum propinetur:

♃. *Rhabarb.elect.*Scrup.ii.*agaric.alb.*Drach.i.*fol.senæ elect.*Drach.iii.*sem.fœnicul* Scr.i. *carui* Drach.ß. *zingiberis* Scr. ß. *schœnanth.* gr. vii. *herbar. beton. meliss.* an.P.ij.

Infunde per noctem in aq. betonic. Manè decoq.pro Vnc.iß.

In quibus dissolue *syrup.rosar.sol.*Vnc.ß.*extract.panchymag.*gr.v.*aq.cubebar.*Drach.i.Misce.

Vel hæc potio:

♃. *Aq.rorismarini,meliss.*an Vnc.i.*flor.lauendul.*Dra. ii.*extract.helleb.nigri.*Scrup.ß.*panchymag.* gr.xii. *syrup. cichorij cum rhabarb.* Drach.iii.*spir.*🜍. gutt.ii. *aq.pœon.* Drach.i.Misce.

Postea ad particulares capitis euacuationes per sternutatoria, errhina, masticatoria, apophlegmatismos deueniendum, quæ etiam suprà sunt proposita. Errhina quidem nonnullis suspecta sunt, quod metuunt, ne eo motu humores & spiritus in cerebro magis agitentur, & vertigo excitetur. Verùm si capitis euacuationes conuenientes præcesserint,nihil tale metuendum.

Fiant & deriuationes omnis generis,per vesicatoria, setacea, cauteria, si opus sit; de quibus etiam suprà dictum.

Vaporum quoque impetus reuellendus est frictionibus, à collo per spinam ad inferiora sensim ad extremitates perueniendo,eaque fricando. Post has frictiones,quod in capite collectum est, discutiatur,caput panno fricetur,non tamen calefacto.

Tandémque adhibenda, quæ vapores illos discutiunt,& caput roborant,tam interna,quàm externa medicamenta.

Inter interna sunt cephalica calida, suprà proposita, *part.*1.*cap.*1.& ex iis præcipuè *rosmarinus,betonica,saluia,melissa,maioran,euphrasia, flor. stœchad. Arabic. lauendul. sem. pastinac. syluestr.* Inprimis verò commendantur *radices Doronici*, quas comedere solent contra Vertiginem,qui in alpibus damas persequuntur; vt & *auriculæ vrsi*; quam similiter venatores contra vertiginem vsurpant, & inde *Schvvindel-oder Krafftvvurkel.* nominât, teste Bauhino, *in Tabernæmont.tom.2.pag.*40. Commendant etiam nonnulli stercus pauonis, idque (& quidem masculi masculis,fœminis fœmellæ)puluerisatum à Scr.vno ad Drach.ß,cum saccharo formâ pulueris mixtum exhibent: alij Drach.j. per noctem vino albo macerant, & per linteum colant, & propinant; huiúsque vsu etiam inueteratam vertiginem curatam fuisse testantur. Exhibentur etiam *margaritæ,succinum, corallium.*

Commendatur & *oleum succini,anisi,fœniculi, cumini,caryophyllor.lauendul. nucis mosch.maioran. rosmarin. balsama* ex iisdem.

Composita:*diambr.diamosch.theriaca,Mithridatiū.*

Vtilis est & hic Puluis:

♃. *Macis* Drach.ii. *cinamom.* Drach.i. *fol.euphragiæ* Vnc. i.*stœchad. Arab. flor. lauendul.* an. Drach. ß. *sacchar.*ad pondus omnium.F.Puluis,cuius dosis ad ʒii.

Vel ♃. *Sem.cumini,carui,anisi,fœnicul.* an.Drach.ij. *flor.lauend.*Drach.iß.F.Puluis.

Vel ♃. *Euphragiæ cum floribus* Vnc. ß. *macis aceto præpar.*Drach.i.*coriand.præpar.*Scrup.iii.*cubebar.*Dra.ß. *sacchari candi* Drach. vi. F. Puluis, de quo sumatur Drach.j.

Efficaces sunt & sequentes Pulueres:

♃. *Cardamomi vtriusque* Drach.iß.*cubebar.* Scrup.ij. *carui* Scrup. iiii. *cumini* Drach. iß. *cinamom.* Drach. iij. *cort.myrobal.chebul.*Drach.iiß.*rad.bryon.* Drach.iii.*sem. papau.albi* Drach.ii.*fol.veronic.euphrag.lauendul.* an.P. i. *cap. stœchad. Arab.* num. iii. *sacchari albi* Vnc. iß. F. ex omnibus Puluis tenuissimus, qui Dresdæ in vsu est.

vel ♃. *Cubebar.* Drach.ii.*cardamon.sem.sinapi,cinamom.macis,ligni aloës,* an.Drach.iii. *spec. dianthos* Scr.i. *diamosch. dulc.*Scr.ii. *ambr. gryseæ. ver. zingiber. albi, maioran.* an. Drach. ß. *sacchar. albiss.* Vnc.v. M. F. Puluis.

Vel ♃. *Sem.pœoniæ,nuc.moschat.coriandri præpar.visci q.* an. Drach.iß. *cubebar. galangæ, piperis, tormentill. zingiber.* an.℥.ß.*flor.rorismarin.* Drach.i. adde *sacchari.* Vnc.iii F.Puluis subtilissimus.

Vel ♃. *Spec.arom.*Drach.ß.*pulu.nuc.moschat.succin. albi præpar.margarit.præpar.*an.Drach.i. *macis* Drach.ß. *ligni aloës* Scrup.ß.*ol.carui fœnicul.*an.gut.iii.*nuc.mosch.* gutt.ii.*sacchar.*Vnc.iiiß.M.pro Tragea.

Commendatur à nonnullis etiam contra vertiginem, vt & contra epilepsiam, (etenim epilepsiæ ac vertiginis ferè eandem curandi rationem statuit Rondeletius) Puluis ex cinnabari natiua:

♃. *Cinnabaris mineral.ver.*Vnc.ß. *margaritarum,coralliorum.* an.Scrup.ii. *croci* Scrup.i.*fol.auri* x. F. Puluis subtilissimus,cuius Scr.ß.vel Scr.i.detur cum aq.lilior. conuall.

Vel ♃. *Nucis mosch.*Vnc.ß.*euphragiæ* Vnc.ii.F. Puluis magnæ in vertigine efficaciæ,qui detur manè à ℥.j. ad Drach.iij.

Efficax est etiam Confectio capitalis contra vertiginem D.Casp.Kegeleri:

♃. *Sem.pœon.excort.*Vnc.iß.*nucl.auellanar. Lampert. excort. & parum incisar. prius in aquâ maceratur. & lotar.postea exsiccat.*Vnc.iiii.*granor. Paradisi,cardamomi,* an.Vnc.ii. *cubebar.* Vnc.iiii. *sem.anisi,fœniculi,* an.Vnc. iii. *carui.cumini aceto macerat.erucæ,acori, siler. montan. nucis moschat.macis,* an.Vnc.iiß. *caryophyll.cinamom.optim.*an. Drach.iß.*Zingiber.*Vnc.ß.*flor.tiliæ.rorismarin.lauendul.*an.Drach.iii.*stœchad.Arab.*Vnc.ß.Cum *sacchara albissimo* F.s.a.Confectio.

Vel ♃.*Granor.pœon.excort.coriandr.præpar.nucis mosch.galang.visci quern.cubebar.piper.long.cardamom.* an. Drach.ii. *zingiber. rorismarin.* an.Drach.i. *sacchar. alb.* Vnc.iß.F.Tragea.

Possunt etiam ex pulueribus Rotulæ fieri:

Vel ♃.*Zingiber.alb.caryophyll.*an.Drach.iß.*cubebar, cardamom.macis,* an.Drach.i.*sem.pœon.excort.nucis moschat.*an.Drach.ß. *seu. ocymi caryophyllat. maioran. spicæ Indicæ,galang.*an.Drach.i.*sacchar.albi* vnc.viii.Dissoluatur saccharum cum *syrup.stœchad.* & add. *conseru.lauendul.*Vnc.i.Misce.F.Electuarium.

Vel ♃*Conseru.stœchad.betonic.* an.Vnc.i. *tunicis,anthos,*an Vnc.ß. *spec.diambr.diapliris,theriacæ,* an.Drac.i. cum *syrupo de stœchade.*F.Electuarium.

Vel ♃. *Conseru.anthos,lauendul.* an Vnc ß. *maioran.* Vnc.ii.*euphrag.rosar.*an.Vnc.i.*calam.aromat.condit.myrobolanor.chebul.condit.* an.Vnc.ß. *spec.diambr.* Drach.i. *ol.destill.fœnicul.carui,*an. gutt.vi *caryophyll,nuch.mosch,* an gutt.ii. *Cum syrup.de stœchad.*F.Electuarium.

Vel ♃. *Conseru. flor. rorismar. lauendul. betonic.* an. Vnc.ß. *Mithridat.*Drach.ß.*elect.diacor.*Vnc.ß.*pulu.nuc. moschatæ,macis,caryophyll.cubebar.cardamomi,*an.Drac. ß.*sem.carui,fœniculi,seselios,eruc.* an.Scrup.i. *extr.pœon. visci querni* gr.v.*enulæ* gr.viii.*spec.diaplir.* Scr.ii. *diamoscat.dulc.* Drach.i. *diagalangæ* Drach.ß.*aq.theriac. apoplect.*an.Vnc.ß.*spirit.* 🜍 Drach.ß. *Cum syrupo de cortic.* citri

citri & miuâ cydonior.arom.an.q.ſ. F. Electuarium, ſeu Conditum,de quo manè & ſerò doſis nucis moſchatæ magnitudine capiatur.

Aut ſumantur manè ſem.fœnic.carui, grana juniperi,cubebæ,vel horum condita, & confectiones.Præcipuè commendatur ſem.paſtinac. ſylueſtr. & aquilegiæ ſaccharo obductum.

Vel ℞. Pulu.rad. pœoniæ, ireos, margarit.præparat. an.Scrup.1.ol.deſtill.ſuccin.cinamom.caryophyllor. carui, nucis moſchat.an.gutt.iij.ſacchar. in aq.lauendul. diſſolut.Vnc.iij.F.Rotulæ.

Vel ℞. Spec.diambr.diamoſch.dulc. an.Scr.j.aromat. roſat. Scr.ij. corall.rubr.ſuccin.alb.an.gr.xvj. cardamom. nucis moſchat.ſantali citrini,an.Drach.ſem.cubebar. Scr. j.cinamom.macis.an.Dra.ſem.ſacchar.Vnc.vj.Diſſolu.in aq.roſar.& F.Rotulæ,quæ inungantur ol.aniſi,vel fœniculi.

Vel ℞. Margarit.præparat, corall.rubr. præparat.an. Scr.j.ol.caryophyllor.nuc.moſchat.aniſi, an.gutt.iiii.ſacchari in aq.roſar.diſſ.Vnc.ij. F. Rotulæ.

Vel ℞. Spec. dianthos, diamoſch. dulc. arom. roſ. an. Drach.ß. extr.pœon.Scrup.j.ol.nuc.moſch.deſtill. gutt. x. fœnicul.gutt.vj.ſacch.in aq.lauend.diſſ. Vnc.iii. F. Rotulæ.

Vel ℞. Sem.pœon.paſtinac.ſylueſtr.carui,an. Scrup.j. rad. pœoniæ, viſci querni, cubebar.cranij human.præpar. granor.Paradiſ.an.Drach.ß.ſpec.diamoſch.dulc. Scru.ij. ſacchar. albiſſ. in aq. roſar. & roriſmar. diſſol. q. ſ. F. Morſuli.

Alij: ℞.Conſeru.flor.beton. Drach.ij.myrobal. chebul. condit. Drach.i cortic.citri condit. Drach.ii.ſpec.diambr. Scrup.j.dianthos.Scrup.ß.pulu.puleg. Scrup.ii. cubebar. caryophyll.cardamom. an.Dr.ß. calami aromat. Scrup.i. extr.pœon. Scrup.ß. galangæ gr.vii.ſmaragdi præparat. Scrup.ß.ſolut.margarit. Scrup.ij. corall.rubr. Scrup.i.ol. carui,macis,an.gutt.v.nuc.moſch. gutt viii. ſacchar. opt. in aq.lilior. conuall.diſſol. q.ſ.F.Morſuli Drach. ii. pondere,de quibus manè & ſerò vnus atque alter capiatur.

Vel ℞. ſpec.diamoſch.dulc.Scrup.ii.diambr.dianthos, diagalang.diaplir.an.Drach.ß. pulu.cubebar. cinamomi, cardamomi,an.Scrup.i.conſ.anthos Vnc.ſem. ſacchar.albiſſ.in aq.beton.diſſol.Vnc.iiij.ſem.In fine adde ol.caryophyllor.gutt.iij. F.Confectio in morſulis.

Vel ℞.ſacch.roſ.tabul.in aq. ſcorzoner. diſſolut. Vnc. iiii.rad.pœoniæ, ireos, ſcorzoner. an.Scrup.ſem. Doronici Drach.i.ſpec.dianthos,arom.roſat.diatrion.ſantal.an.Scr. i.extr. pœon.gr.x.ol.nuc. moſch. macis,an.gutt.iiii.cortic. citri,fœnicul.an.gutt.ii.F.Morſuli.

Alij: ℞.Sacchar.albi ℔.j.cinamomi,zingiberis,ireos, macis,nuc.moſch. cardamomi,cubebar.caryophyll. an.Dr. i.fol.euphrag.℥. ſem.amygd.dulc.mundat. ℥.i. Cum aq. euphraſ.q.ſ.F.ſ.a.Morſuli.

Vel ℞. Cubebar.cardamom.fl.lauendul. an.Drach.ß. macis,piper.longi,pyrethr.an.Scr.ſem. moſch.ambræ, an. gr.ii. Cum mucilag.tragacanth.aqu.cinamom.factâ.

Fiant Trochiſci, qui in ore detineantur, & ſenſim deglutiantur.

Efficax eſt ad vertiginem depellendam Aqua vitæ rubra, Electoris Saxoniæ vulgo dicta, quæ hoc modo paratur:

℞. Cinamom.opt.Vnc.i.ſem.zingiber.alb.caryophyll. ſantal.rubr.an.Vnc.ſem.macis,nucis moſchat.piperis,galangæ, cardamom.cubebar. ſpecier.aromat.roſat.diambr. dianthos, an.Dra.ii.ſem.aniſi,coriandr.præp.maioran.baſilici, flor. lauend.anthos,ſpicæ nardi, an. Drach.ii.roſar. rubr.M.j.Inciſa craſſo modo infund.in ſpiritus vini opt. ℔.v. aq.roſar.moſchat.Vnc.ix.caryophyllor.cinamom. an. Vnc.i. (Caryophylli aq.borrag. macerantur, & poſtea deſtillantur; hæc eſt aq.caryophyll.) vini maluatic. ℔. i. ſem.

Macerentur omnia per dies iiii. Poſtea exprimantur, & colentur per manicam Hippocratis.

Colaturæ add. ſacchar.cand. ℔.ii. Sinantur per biduum ita ſtare, deinde bis vel ter colentur, donec liquor clareſcat.

Commendatur etiam valde aqua, vel ſpiritus roriſmarini in Vertigine continua, præcipuè à cauſſa frigida,& hyeme, ac aëre frigido, cujus Vnc.ß.exhibeatur; vt & aq.cinamomi,vel aq.& extract.ſcorzoneræ, quæ peculiari proprietate contra Vertiginem opitulatur.

Eſt & hæc Aqua efficax:

℞. Saluiæ,menthæ criſpæ, an.M.i.flor. lauendul. M ii. majoran.rutæ,roriſmarin.an.M.ß.nucis moſch.caryophyll. macis,an.Vnc.ß.granor. Paradiſ. cinamom.granorum juniper.ſem.pœon.an.Vnc.ß

Infundantur in ſ.q.vini Rhenani vel Maluatici per dies aliquot,poſtea deſtillentur.Aqua hæc ad vſus tam internos,quàm externos commoda eſt.

Aliæ aquæ compoſitæ ad vertiginem deſcriptæ habentur in Inſtitut.Efficaces ſunt & ſequentes,quarum prior Dreſdæ in vſu eſt:

℞. Veronic.M.iiii.euphrag.M.iii.flor.maluæ M.ij. lauendul. roriſmarin. cardui benedicti, an.M.ß. ſtœchad. Arabic.M.j.rad.bryon.Vnc.iij.caſtorei Drac.ß.cinamom. Dra.i.ſem.vini veteris optim.℔.iii. aq.lauendul.veronic. tiliæ,lilior.conuall.betonic.an.℔.ſem.

Stent infuſa in loco calido per biduum, poſtea ſ.a. deſtillentur. Doſis cochleare manè & veſperi, vel per ſe,vel cum pulueris contra vertiginem Dreſdenſis, ſupra deſcripti,Drach.j.

Vel ℞.Radic.bryoniæ,ſcorzoneræ,an.Vnc.ii.ß. pœon. Imperat.an.Drach.vj.herb.veronic.betonic.ſaluiæ, cardui benedicti,an.M.ii.ſem.majoran.M.i.ß.flor.anthos, lauendul.euphragiæ,an.M.ſem.confect.anacardin.Drach.vi cinamomi elect.Vnc.i.cubebar.Drach.ii.ligni aloës Drach. i.ſem.caſtor.elect.Drach.ß.aq.veronic.lauendul.flor.tiliæ, an.Vnc.x.ſcorzoner.vel ſaluiæ ℔.ß. vini Hiſpan.℔.ii.

M. & infunde per dies 14.in loco calido. Poſtea deſtillentur.

Vel ℞.flor.lilior.conuall.℔.i.ſem.lauendul.tiliæ,an ℔. ſem.pœon.fol.beton. an.Vnc.ii. viſci querni Drach. i. ß. rad.pœon.Drach.ii.cubebar.caſtorei,an.Drac.ſem. macis, cardamomi,cinamomi,an.Drach.iii.vini generoſi Rhenani ℔.v. Macerentur per dies 7. vel 8. Deinde deſtillentur per B.

Et ne poſt paſtum vapores multi ad caput adſcendant,idque debilitent,talis Tragæa parari poteſt:

℞. Confect.ſem.coriandr.aniſi,fœnicul.carui,cubebar. an.Vnc.ß.cinamomi Drach.ii.macis Drach.j. ſacchar.roſat.tabulat.Drach.i.F.Tragæa.

Vel ℞.Pulu. cydonior.exſicc. Drach. j.ſem. coriandr. Drach.ſem.nuc.moſchat.macis, an.Drach.i.maſtich.ſem. aniſi, fœniculi, an.Drach.ſem.cinamom.cortic.citri, ana Drach.j.ſacchar.roſat.tabul.Vnc.v.Miſce.

Inter externa ſunt odoramenta; ex nigellâ, majoran.caſtor.menth.& puleg.cum aceto.

Vel fiat tale Pomum:

℞. Ladani puri Drach.ii.ſtyracis calamit. Drach.ß. benzoes Scrup.j.ol.deſtillat.caryophyllor.macis, an.gutt. iiii.galliæ moſchat.Scrup.j. F.Pomum.

Vel paretur ſequens Nodulus,& odorandus in manibus teneatur:

℞. Summit.maioran.ſtœchad.Arab.an.P.i.flor.lauendul. roriſmarini, an.P. ſem. nucis moſchat. Drach. ſem. caryophyllor. cubebarum. an. Scrup.ſem. ſem. nigell.in aceto quinquies macerati Drach.ii. erucæ Scrup. ii. caſtor. gr.iij.

Ex conciſis fiat Nodulus rotundus, ex ſerico rubeo cum ſtylo,qui manibus,vti dictum,teneatur.

Vel in aqua ſequenti intingatur, naribúſque ſæpius admoueatur:

℞. Aq. multipl. infuſ. flor.lauendul.Vnc.ii. apoplect. Vnc.ſem.maioran,rutæ,ſaluiæ, an.Vnc.i.cinamom. Drac. ii. Miſce. Balſamum.

℞.Nuc.moſch.expreſſ.Dr.i.ſtyrac.calamit.gr.v.ladani gr.iii.ligni aloës gr.ii.moſch.gr.iii.ambræ gr.j.ol.lauẽd.

*majoran.*an.gutt.ij.*croci,caryophyll.* an.gutt.j. Cum *aq. rosar.* q.ſ.F.Balſamum.Inunctiones ſint *ol.rutac.laurin. nucis moſchat.ſuccin.balſam.apoplect.*

Vel ♃. *Ol.nuc. moſch. expreſſ.* Drach.i. *ol.deſtill. caryophyll.majoran.roriſmar.*an.gutt.iii.*ſuccini* gutt.ii.

Miſce,& eo tempora,nares,occiput inungantur,vel exceptum goſſypio auribus indatur.

Vel ♃. *Ol.nuc.moſch.expreſſ.*Drac.i.*ſpec.diambr.diamoſch.dulc.*an.Scr.ß.*ol.ſuccini* gutt.vi. *moſchi* gr.ii.M.

Vel ♃.*Balſami ſaluiæ,roriſmarin.*an.Scrup.ß,*caryophyll.* gr.vii.*ol.nucis moſch.expreſſ,*Drac.i.*lauendul.*gutt. iiii. *ſuccini* gutt.ii. *ambræ* gr.iii. *moſchi* gr. iiii. *zibeth.* gr. v.

Miſce pro Balſamo, quo nares & tempora ſæpius inungantur.

Nonnulli commendant pinguedinem damarum temporibus illitam.

Lotiones fiant ex decocto *pulegij, hyſſop.ſerpilli,roſar.betonic.ſtœchad.majoran.ſaluiæ,rad.ireos,bacc.lauri.*

Valde commendatur bombyx exſiccatus, & puluerisatus vertici inſperſus,quo Carolum V.frequentiſſimè vſum ferunt.

Puluis etiam ſequens capiti inſpergi, vel cucupha inde parata capiti imponi poteſt:

♃. *Herb. roriſmarini,majoranæ, ſaluiæ,*an.P.iii.*flor. chamæmel.* P. ii. *ſerici crudi* Drach. ß. *rad. Imperator.* Drach.i. Miſce,F.Puluis groſſus.

Poſſunt & ſacculi capiti imponi, ex plantis modò enumeratis parati.

Auribus immittatur *ol.caryophyll.cinamom.*

Ex periaptis commendantur,præter cryſtallum, corallia rubra, vt & ſuccinum,ſiue de collo geſtetur, ſiue pocula inde parentur, ſiue in potu ſuſpendatur. Montuus,*in anaſc.morb.lib.*1.*cap.*12.ex Nicolo virgam vulpis capiti alligatam vertiginem tollere ſcribit. Ruellius corollam ex foliis vlmi paratam capiti imponi jubet.

*Puluis ab apoplexia præſeruans.* Et cum Vertigo iſta per eſſentiam ſæpe in apoplexiam degeneret, ad præſeruandum ab apoplexia apud multos in vſu eſt hic Puluis; cuius Drach.i. ſingulis menſibus ante nouilunium cum aqua lauendul. aut ceraſorum datur.

♃. *Succin.præpar.*Drach.ij.*ſpec.diarrhod.abbat.* Dra, ß.*rad.pæon.* Scrup.ii. F.Puluis.

Exemplum eiuſmodi Vertiginis exſtat apud Solenandrum,*ſect.*1.*conſil.*2.Foreſtum,*lib.*10.*obſeru.*

## *Secundò.*

## *De Vertigine per Conſenſum orta.*

### *Cauſſæ.*

*Vertiginis per cõſenſum cauſſæ.* Vapor verò,qui Vertiginem per conſenſum excitat, ex variis locis eleuari poteſt.Frequenter excitatur Vertigo per conſenſum è ventriculo,vaporibus ab humore bilioſo, vel pituitoſo, vel cibis corruptis ad caput adſcendentibus.

Primò enim cum bilis per inediam in eo efferueſcit, & hepar excrementa ſua ad ventriculum mittit, vapores copioſi ad caput eleuantur,& vertiginem excitant: quod picrocholis imprimis accidere ſolet. Deinde idem ex pituita interdum euenit; vt & ob ventriculi imbecillitatem,propter quam ex cibo & potu vaporoſus & flatulentus ſpiritus gignitur,& cibus in eo corrumpitur. Feruntur autem hi vapores ad caput facilius,cum agitantur:id quod fit ab inedia, motu nimio, vt vectione,aut nauigatione; cujus rei exemplum habet Foreſtus, *lib.* 10. *obſeruat.* 49. *in Schol.* de quodam Iuuene,qui,ſi curru veheretur,vertigine, nõnunquam & ſyncope, corripiebatur;cum pedes ſine incommodo magnum iter conficere poſſet.

Iidem vapores ab aliis quoque partibus,hepate,liene,vtero,venis meſaraicis, inteſtinis item & vermibus in iis communicari poſſunt: ſicut & à parte aliqua interna. Vt enim vapor malignus à pede, vel alio membro externo auræ alicujus inſtar eleuatus, epilepſiam quandoque excitat: ita & ab eodem Vertigo generari poteſt. Vnde & Vertigo interdum epilepſiam præcedit,ejúſque mox ſecuturæ præſagium eſt.

Aliquando & per totius corporis & venoſi generis conſenſum accidit vertigo, vt in febribus, quæ ἰλλιγγώδεις ab Hippocrate, *in Coac.* dicuntur. Vbicunque enim in corpore tales vapores generantur,ſi per venas, & arterias,vel etiam per vias apertas,vt œſophagum,& aſperam arteriam, ſurſum adſcendunt, & ad cerebrum penetrant,ſpiritúſque agitant, vertiginem excitare ſolent,Id quod & ebriis interdum euenire ſolet,quibus à potu,vel multo,vel potenti, & ſpirituoſo caput vaporibus repletur.

### *Signa Diagnoſtica.*

Si per conſenſum oriatur Vertigo, malum per vices affligit, nulla capitis p. n. affectio, aut ſenſuum læſio præceſſit, aliarúmque partium affectarum ſigna adſunt;& Vertigo creſcit,aut imminuitur, prout ipſe affectus partis,quem ſequitur,minuitur vel augetur. *Vertiginis per conſenſum ſigna.*

Et quidem ſi ſit à ventriculo, aderit cruditas, nauſea,oris amaritudo;quia linguæ tunica ventriculi tunicæ continua eſt: καρδιωγμὸς, teſte Hippocrate,4.*aphor.* 17. & quidem jejunos maximè, infeſtat; quia bilis in eo tum efferueſcit, & ad eum vndique alimenta attrahentem hepar excrementa ſua tranſmittere ſolet.Sumpto cibo minuitur,vel ceſſat;ceſſat quoque poſt vomitionem:& alia affecti ventriculi ſigna adſunt.

Si ab aliis partibus malum originem habeat, earundem affectarum ſigna aderunt; vt ſi ab vtero Vertigo proueniat,menſium ſuppreſſio,vteri ſtrangulatio, vel alia ejuſmodi aderunt.

Si per conſenſum totius Vertigo accidat, affecti quoque totius corporis ſigna aderunt; vt in febribus fieri ſolet.

Et quidem ſi ſigna coctionis præceſſerint, hæmorrhagia critica ſequitur;ſi nulla,à febris potius malignitate prouenit.

Si verò abſque febre ſit, & à ſanguine calido & flatuoſo in venis proueniat,inprimis poſt motum corporis vehementem Vertigo excitari ſolet.De quibus omnibus etiam ſuprà,*part.*1.*cap.*6. dictum.

### *Prognoſtica.*

1. Vertigo,quæ accidit per conſenſum alicujus mẽbri ſtupore affecti,epilepſiæ,vel apoplexiæ indiciũ eſt.

2. Si vertigo accidat in febre ob criſin inſtantem, ſalutem indicat;modò vires conſtent. Si ante ſigna coctionis accidat, periculum portendit. Si medio modo ſeſe res habeat,criſin imperfectã,& malam denunciat.

### *Indicationes.*

Vt Vertigo per conſenſum rectè tollatur, neceſſarium eſt humorem, qui vaporem illum ſubminiſtrat, præparare,ſi opus ſit,& euacuare,vaporem ipſum, qui ad caput adſcendit,reuellere,intercipere,(quam ad rem clyſteres vtiliſſimi ſunt)& repellere, ſi per vaſa externa feratur; eum verò,qui jam caput occupauit, diſcutere, & partem ipſam mittentem roborare, eique naturalem diſpoſitionem reſtituere,ne in eâ materia vitioſa vapores tranſmittens generetur; ſimul & ipſum caput roborare,vt vapores non ſuſcipiat, aut facilè diſcutiat, & ii,qui adſcendunt,non ita facilè ſpiritus commouere poſſint. Et quidem ſi affectus non vrget,à cauſſæ, à qua is pendet, remotione curatio inchoanda: ſi verò malum vrgeat, ipſi primò prouidendum, vt ſuprà, de curatione paroxyſmi,dictum. *Vertiginis per cõſenſum curatio.*

*Auxilia*

*Auxilia.*

In sanguinis missione, si ille euacuandus sit, attendendum, vt præseruationis gratia venę in cruribus potiùs aperiantur, quàm in brachio, vt Galenus, *de missione sangu. cap.* 19. docet; vtpote quæ non solùm sanguinem euacuare, sed & reuellere, & ad partem contrariam trahere potest. Atque id præcipuè faciendum, si menses vel hæmorrhoides suppressæ vertiginis caussam præbeant.

*Si à Ventriculo sit Vertigo.*

*Vertiginis à ventriculo curatio.* Humor in ventriculo contentus vomitu, nisi quid prohibeat, aut purgatione per aluum euacuandus, prę missâ, si opus est, præparatione. Quanquam enim Hippocrates, *in libr. de loc. in homin.* vomitum, vbi oculi affecti sunt, damnat: tamen de eo solùm oculorum affectu id intelligendum est, qui ex primaria in cerebro caussâ est, non verò per consensum ventriculi ortus. Et ne in vomitu æger vertigine corripiatur, capútque lædatur, vtile fuerit, fasciâ caput, dum æger vomit, constringere, aut oculos obuoluere, & ad futuram coronalem aliqua medicamenta adstringentia adhibere, quæ cerebrum à vaporibus adscendentibus tueantur; qualia sunt flor. rosar. rubrar. myrtilli, balaustia, nux moschata, acetum; vel vaporum ad caput adscensus clystere iniecto prohibendus. A vomitu verò statim aliquid aromatici rosati, vel myrrhæ, vel syrupi de mentha, vel de cortic. citri propinandum, ad ventriculum roborandum, & vaporum adscensum prohibendum. Si verò euacuatis cruditatibus affectio non cesset, aluus leniter purganda, & quidem in purgatione inchoandum à lenioribus, vt mannâ, syrup. rosar. solut. pilul. ex aloë paratis, & similibus; quæ si non suffecerint, humore præparato ad fortiora deueniendum.

Si æger sit picrocholus, non diu jejunet, sed cibum sumat maturius, vt vertiginem præcaueat; aut si jejunum paroxysmus inuadat, statim cibus exhibeatur.

Tandem quæ ventriculum roborant, & confortant, & halitus adscendentes compescunt, aut in ventriculo discutiunt, vsurpanda, cùm interna, tum externa. Et quidem considerãdum, an cruditas sit nidorosa, & humores calidi & acres in ventriculo abundent; an verò acida: &, prout opus, cura instituenda; sicut hac de re suprà, *part.* 1. *cap.* 6. dictum. Ne post cibum etiam sumptum multi vapores ad caput adscendant, vertiginemque renouent, trageæ antea propositæ vsurpandæ, quæ hic vtilissimæ sunt, vel hoc Electuarium:

℞. *Conseru. rosar.* Vnc. ij. *maioran.* Vnc. j. ß. *cydonior. condit.* Vnc. j. *cort. citri condit.* Vnc. ß. *myrobalan. chebul. condit.* n. ij. *sem. coriandr. præpar. corallor. rubr. præp.* an. Drach. j. *mastich.* Drach. ß. Cum *syrup. cydonior.* F. Electuarium.

*Si ab hepate, Liene, Vtero, vel toto Corpore*

*Vertiginis ab hepate, liene, vtero, toto, curatio.* Vertigo ortum habeat, curatio & ad partem mittentem, & recipientem dirigatur. Pars nimirum, cujus συμπαθείᾳ vertigo oritur, euacuetur, seu venæ sectione, seu purgatione, prout natura humoris peccantis requirit. Per venæ sectionem, cucurbitulas, scarificationes, frictiones, reuulsio instituatur: si consueta aliqua euacuatio suppressa sit, reuocanda ea, & pars cùm mittens, tum recipiens roboranda. Si reliqua auxilia non prosint, nonnulli arterias post aures scindere jubent, vt ita via, per quam à toto, vel ab aliqua parte ad caput feruntur vapores, intercludatur.

Verùm de arteriarum sectione antea, vbi de Vertigine per primarium capitis affectum, cui præcipuè competit, egimus, dictum. Tutius hîc venæ frontis, vel temporum, si eæ turgeant, vel venæ sub linguâ aperiuntur, vel in brachio fonticulus excitatur. Si tamen ex hepate, vtero, suppressis hæmorrhoïdibus, vlcere, aut fistulâ aliquâ in locis inferioribus, malum originem habeat, fluxio antiqua reuocanda, vel loco ejus fonticulus in cruribus aperiendus.

Vteri etiam regioni applicari potest *emplastrum de galbano*, seu *matricale*, & *emplast. de mastich.* modò retentio mensium id non prohibeat.

In critica in febribus Vertigine nihil agendum, capitique nihil applicandum, neque natura in opere suo turbanda. Si tamen crisis non rectè procedat, promoueri potest; vt alibi dictum.

*Tertiò.*

*De Vertigine à Meatuum Cerebri angustia.*

*Caussæ.*

Non solùm verò à vaporibus spiritus animales in cerebro agitantur, sed & cerebri meatuum angustia ejusdem motus caussa esse potest; cùm scilicet spiritus animalis per loca impedita mouetur, & retrocedit. Angustia tamen hæc non est integra. Aliàs enim apoplexia sequeretur. *Vertigo à meatuum cerebri angustia.*

Fit autem hæc angustia

1. Ab obstructione, quam pariunt vapores crassi; quæ non diu durat. Vt enim subitò oritur: ita etiam subitò resoluitur vapor. Quandoque & aqueus, serosus, atque pituitosus humor, qui cerebri anfractus, spatiaque adimplens, & flatuum copiam simul generans, in eo fluctuat, & Vertiginem illam, quæ apoplexiam & carum præcedere, ac minari solet, & frequens, ac diuturnior est, excitat; vt hac de re Platerus docet.

2. Ex cranij fractura, ac cerebri compressione eadem angustia, & hinc sequens Vertigo excitari potest.

3. Angustiam hanc productam fuisse à vase venoso cerebri, omnibúsque illius arteriis ab exortu, & ingressu in caluariam vniuerso per cerebrum ductu coalitis, induratísque, glandulísque paruis toto processu distinctis, obseruauit Platerus sectione in quodam mercatore, qui multis annis Vertigine laborans, nec ambulare, nec è lecto ampliùs surgere, quin corrueret, poterat. Ab angustiâ enim vasorum cerebri spiritus impediti retentíque in cerebro ex leui corporis motu circumducti incurabilem Vertiginem pepererant.

Potuit ad vertiginem hanc etiam facere humor aliquis corruptus in glandulis illis hærens, qui moto corpore, & sanguine spirituoso arteriarum & venarum, simul excitatus, tetros emisit halitus, qui spiritûs animales peculiari vi turbare valuerunt. Cui rei fidem facit Fernelius, qui refert, occasione alicuius particulæ in occipitio dolentis, & post leuem contrectationem, noxium vaporem in cerebrum efflantis, vertiginem concitatam fuisse.

Nonnulli & subsidentiam addunt, eámque fieri statuunt à veneno, aut humore acri, vellicantę ventriculos cerebri, aut ex nimio dolore in quacunque corporis parte; vt in morsu oris ventriculi, in fame item sine vapore aliquo sursum misso. Verùm non probabile est, ex istis caussis cerebrum ita moueri posse, vt subsideat. Vero magis consentaneum est, à spirituum perturbatione & agitatione ex istis caussis, quæ & materiâ aliquâ communicatâ, & sine materiæ communicatione fieri potest, Vertiginem produci.

*Signa Diagnostica.*

Si vertigo sit ab obstructione, signa adsunt vaporum & humorum illam inducentium, & pituitæ præcipuè in cerebro redundantis. Et quidem quæ ex vapore obstruente fit Vertigo, citò soluitur: quæ verò ab humore, pertinacior est.

Si humor aliquis extra vasa hæret quandoque etiam ægri de fluctuationis quodam sensu in capite conqueruntur; estque hæc etiam vertigo frequẽs, & diuturna.

Si à compressione, ictus, aut compressio, aut fractura cranij præcessit.

Si à coalitu vaſorum ſit Vertigo, grauiſſima illa eſt, & diuturna, vt hiſtoria antea à Platero adducta docet. Vix tamen in viuente homine de cauſſa hac aliquid certi ſtatui poteſt, ſed ſectio demum poſt mortem Medici conjecturam confirmat.

*Prognoſtica.*

Difficilis curatu eſt Vertigo, quæ à compreſſione, ac obſtructione prouenit, & apoplexiam, aut carum præcedere, ac minari, &, niſi præcaueatur, tandem in hæc mala terminari ſolet. Coaleſcentia verò vaſorum cerebri incurabilem vertiginem gignit.

*Curatio.*

Cum autem quâ ratione anguſtia cerebri à quacunque cauſſa curanda ſit, ſuprà, *part.* 1. *cap.* 17. dictum ſit: nihil ampliùs hic de ea addere opus eſt; ſed quæ ibi dicta ſunt, in vertigine ex anguſtia meatuum cerebri curandâ omnia locum habent.

*Quartò.*

*De Vertigine à Spirituum ex Cauſſis euidentibus agitatione.*

*Cauſſa.*

*De vertigine à ſpirituum à cauſſis euidentibus agitatione.*

Spiritûs, præter dictas hactenus cauſſas, etiam euidentes cauſſæ agitare poſſunt. Faciliùs tamen id præſtant, ſi interna diſpoſitio, & debilitas cerebri adſit.

Et primò quidem ſpirituum circumrotationem excitant cauſſæ externæ, vt corporis in gyrum conuerſio, rerum externarum circumrotatarum, & variè motarum, vel aquarum vorticoſarum adſpectus, ab alto proſpectus, item ambulatio per pontem anguſtum, & tremulum, adſpectus rerum inſigniter ſplendidarum, vt Solis, exercitium intempeſtiuum, & motus corporis: vnde conualeſcentibus ſurgentibus, vel ſe mouentibus Vertigo obrepere ſolet; vehemens fragor tonitrui, bōbardarum, capitis percuſſio, & caſus in caput, percuſſio in dorſo; quæ & ipſa quandoque ob conſenſum ſpinalis medullæ vertiginem excitat.

Deinde internæ, vt Imaginatio. Si quis enim fortiter imaginetur objectum in gyrum motum, ſpiritibus animalibus, vt etiam in gyrum moueantur, occaſio poteſt præberi. Ita animi perſeuerantes vel inhærentes commotiones ſpiritibus ſæpe, & validè in cogitationibus illis profundis, & aſſiduis, vt & vigiliis, exagitatis vertiginem pariunt.

*Signa Diagnoſtica.*

Cognoſcitur hæc Vertigo facilè ex ægri & adſtantium relatione, qui cauſſas, quæ præceſſerunt, & vertiginem inducere valent, patefaciunt.

*Prognoſtica.*

Non adeò periculoſa hæc eſt Vertigo, nec diuturna, vt reliquæ differentiæ.

*Curatio.*

Cauſſis enim illis ceſſantibus, ceſſat Vertigo; accedente inprimis quiete, & ſomno: ac proinde aliâ curatione opus non eſt. Si tamen non planè ceſſet, frictiones extremorum vtiles ſunt.

## QVÆSTIO I.

*An Vertiginis, quæ dantur, differentiæ ſint ſaltem ſecundum gradus, an verò etiam ſecundum ſpeciem?*

*An vertigo differat ſecūdum gradus an ſecundum ſpeciem.*

Vertiginis non eandem eſſe rationem, ſed aliquando ſolam imaginationem, interdum & viſum lædi, ac tenebras oculis offundi, interdum præterea etiam ægros concidere, notum eſt. Sed an hæ vertigines gradu tantùm, an verò ſpecie differant, controuertitur. Gradibus ſaltem differre, plerique ſtatuunt. Ludouicus Mercatus verò; *tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 9. non gradu tantùm, & ſecundum magis & minus; ſed ſpecie diſtinctas eſſe has tres differentias, ſtatuit; hac inprimis ratione ductus, quòd differre eas videmus non ſolùm ratione partis affectæ, ſed & facultatis læſæ, & morbi, à quo oriuntur. In vertigine enim ſimplici anteriorem cerebri partem affici, lædíque facultatem imaginatiuam, ob deprauatum ſpirituum motum: in tenebricoſa etiam oculos pati, læſa facultate viſiua, ab obſtructione facta à vapore in neruis opticis commorante: in caduca deníque poſticam cerebri partem, & locomotiuam facultatem lædi per conſenſum, à deprauato motu ſpirituum in parte cerebri poſteriore. Verùm controuerſia hæc non difficulter ſolui poſſe, & vtrumque rectè dici mihi videtur; modò res rectè explicetur. Gradibus differre has vertiginis differentias exiſtimo ratione cauſſæ, cujus minor eſt vehementia in vertigine ſimplici, major in tenebricoſa, maxima in caduca. Si enim cauſſa ſit leuior, vt ſaltem prauus ſpirituum motus, isque leuior inde excitetur, imaginatio ſaltem deprauatur: ſi verò ſit grauior, &, ſeu à vapore copioſiore nerui obſtruantur optici, ſeu motus ille ſpirituum ſit tantus, vt liberè in neruos opticos influere non poſſint; tenebræ etiam oculis offunduntur: ſi verò cauſſæ ejuſdem vis ſit tanta, vt etiam influxus ſpirituum in neruos motui inſeruientes prohibeatur, ægri concidunt. Si autem vertigo vt actio animalis læſa conſideretur; omnino ſpecies hæ tres vertiginis differre videntur. Nam in ſimplici vertigine vnica ſaltem actio, imaginatio, læditur: in tenebricoſa duæ, imaginatio & viſus: in tertia tres, imaginatio, viſus, & motus animalis. Etſi autem ad vertiginis eſſentiam conſtituendam ſufficiat ſola imaginatio læſa, & neque viſus, neque motus læſio ad eſſentiam vertiginis pertineat, & poſteriores duæ differentiæ affectus compoſiti ſint, in quibus plures actiones animales læduntur; quia tamen ferè eadem curandi ratio eſt, & à communi cauſſa, gradibus ſaltem differente, pendent, eáque ſublatâ ceſſant, Medici, quos & ego ſecutus ſum, has differentias non ad eos affectus, in quibus actiones animales plures læduntur, ſed ad eos, in quibus vna animalis actio læditur, referunt.

## QVÆSTIO II.

*An intemperies, vel humor ſine vapore Vertiginem producere poſſit.*

*An ſine vapore poſſit vertigo excitari.*

Dubitant equidem nonnulli, an ſolus vapor, an verò etiam humor poſſit inordinatum hunc motum ſpirituum inducere: imò nonnulli affirmant, ſolam intemperiem calidam ſine humore & flatu Vertiginem inducere poſſe, atque exemplo aquæ feruentis id probare conantur, quæ mouetur in gyrum à calore ignis. Rem tamen planam eſſe puto. Humor certè, niſi ex eo flatus excitetur, ſpiritus ita agitare non poteſt. Neque caliditas id per ſe præſtat; cum in multis affectibus capitis ſpiritus incaleſcant ſine Vertigine. Neque exemplum aquæ feruentis id probat. Quod enim aqua feruens agitatur, & mouetur, cauſſa ſunt partes illæ aquæ, quæ vi caloris aëreſcunt; aut, vt aliis placet, partes ignis

ignis permistæ, quæ cum, vtpote leuiores, sursum tendant, & exitum quærant, aquam simul mouent.

## QVÆSTIO III.

### *An repellentia locum habeant in Vertigine per consensum partium inferiorum?*

*An repellentia in vertigine locum habeant.* Respondet quidem Massarias, quamlibet materiam repellendam esse; & quanquam huiusmodi repellentia præsidia aliquo incommodo non careant: tamen longè maiorem vtilitatem afferre. Verùm in omnibus affectibus capitis per consensum tutiùs semper reuellentia & intercipientia, quàm repellentia adhibentur.

## QVÆSTIO IV.

### *Quâ ratione prospectus ab alto, & in profundum Vertiginem excitet?*

*Quomodo prospectus ab alto vertiginem excitet.* Cur ab obiectis externis circumrotatis, & variè motis Vertigo excitetur, res non ita difficilis est. Ad obiecti enim talem motum per species visibiles spiritus optici speciei visibilis in oculo receptæ celeritatem veluti sequentes simili modo concitantur, & agitantur. Hinc ij, qui Vertigini sunt obnoxij, ad rerum talium adspectum oculos claudunt, vel obuelant, & iumentis, quæ molas in gyrum circumducunt, oculi obuelari solent, aut cœca in hanc operam eligi. Quomodo verò rerum profundarum & ab alto prospectus Vertiginem generet, non ita planum est. Theophrastus caussam refert in titubationem, & dissipationem spirituum externorum, qui interiores agitent. Cum enim spiritus visorij, vbi res profundæ spectantur, in immensum quasi protendantur, in tantâ spatij longitudine firmos manere non posse, sed titubare quasi, & tremere, eúmque tremorem radiorum communicatum spiritibus cerebri eos similiter mouere existimat. Verùm malè præsupponit visionem fieri radiorum, & spirituum emissione, & spiritus continuò ab oculo ad rem visam extendi, & quasi baculum, vel funem tremere posse. Et si saltem longitudo spatij esset in caussa, cur non etiam prospectus in altum, & stellarum adspectus vertiginem moueret.

Hercul. Saxonia ex adspectu rei profundæ spiritum animalem ita consumi putat, vt propter eius defectum, ne vacuum detur, postea attrahantur vapores, qui vertiginem excitent. Verùm enim verò non plus spirituum in rei profundæ, quàm propioris adspectu consumitur. Et si hæc huius rei caussa esset, etiam res longinquæ è directo in plano, vel alto positæ, æquè ac res profundæ, vertiginem excitare deberent.

Probabilius est, ex rei quasi horrendæ, & metuendæ, ac periculosæ adspectione terrorem & metum excitari; & spiritûs primùm vitales, & ab his naturales, vtpote qui ex illis generantur, agitari, & ab illorum cursu & recursu & hos inordinato motu moueri. Vnde qui assueti sunt in alto versari, neque metuunt sibi, si ex alto prospiciant, Vertigine facilè corripi non solent. Ita capite deorsum inclinato, spiritibúsque tunc ab eo ad principium neruorum vergentibus, cum illud rursum erigitur, iisdem spiritibus impetu ad propriam sedem remeantibus, Vertigo excitari solet. Quanquam & à sanguine venoso atque arterioso spiritus vitales continente deorsum fluente, & spiritus animales turbante ac mouente idem, & forsan facilius, accidere possit.



## CAPVT V.

### *De Phantasia, Ratiocinatione, & Memoria imminuta, atque abolita.*

POst sensus communis symptomata, de quibus hactenus egimus, explicanda veniunt symptomata, quæ Phantasiæ, Ratiocinationi, & Memoriæ accidunt; de quibus in Institut. *lib. 1. p. 1. s. 1. c. 7. & s. 2. cap. 4.* tractauimus.

*Phantasia, Ratiocinatio, Memoria læsa.* Læduntur autem functiones istæ triplici modo: vel dum imminuuntur, vel dum abolentur, vel dum deprauantur. Imminutæ Phantasiæ & Ratiocinationis symptomata sunt, Mentis imbecillitas, & hebetudo, Tarditas ingenij, Stupiditas, & Torpor mentis abolitæ, Amentia. Ad deprauatas has actiones pertinent omnia deliriorum genera. Memoria verò, cuius officium est non iudicare, sed saltem imagines recipere, & retinere, debilitari & aboleri, deprauari non potest, vt plerique sentiunt.

De his itaque actionum principum læsionibus, quæ sine aliis, vt soporosis, & aliis, in quibus omnes animales functiones læduntur, affectibus contingunt, iam dicendum. Et primò quidem de imminutis & abolitis. Agemus autem de his coniunctim; quia communes caussas, & communem curandi rationem habent. Præterea læsa memoria plerumque stoliditatis caussa est. Cum enim memoria species rerum non retinet, neque eas, vt debet, phantasiæ, & intellectui suggerit, facultates hæ obiecta, quibus exerceantur, non habent. Atque ita solùm occupantur circa species ab externis obiectis oblatas; ac in operatione non persistunt; & homines dicuntur stolidi, infantibus similes, qui non discurrunt circa species reseruatas, sed prout hoc vel illud ipsis offertur, ita iudicant, statímque & rei, & iudicij facti obliuiscuntur, & modò vnum, modò alterum appetunt & statuunt.

*Phantasia & Ratiocinatio imminuta & abolita.* Primò ergo quod imminutas & ablatas has functiones attinet; pertinent hûc omnes, qui adultiores facti, istas actiones, quæ homini maximè propriæ sunt, vel nullo ferè modo, vel debiliter certè exercent. Quod malum longè maximum est. Cum enim solis hisce functionibus homo à brutis differat, si iis destituatur, & priuetur, ferè ad brutorum classem detruditur. Sunt tamen talium quidam gradus.

Quidam enim omni ferè ingenio destituuntur, & facultas imaginatrix, præcipuè verò ratiocinatrix, ita à caussis p. n. impedita est, vt nullos conceptus gignere possit, qui ad sapientiam spectent, nec illa ipsa principia, quæ ad disciplinas omnes in vniuersum discendas præsupponuntur, & præcognoscenda sunt, assequi queant. Qua de caussa omnis via, & ad sapientiam aditus ipsis præcluditur, atque in istis instituendis oleum & opera perditur. Qui Amentes & Stolidi dicuntur; vitium ipsum ἄνοια, Amentia, & μώρωσις, Stultitia nominatur. Alij sunt, qui primorum quidem principiorum cognitionem assequuntur, atque hinc aliquas conclusiones deducunt, sed magno cum labore: qui ingenio Tardi, Hebetes, Stupidi appellantur; vitium ipsum Mentis hebetudo, Stupiditas, Torpor ingenij. Etsi enim symptomata ista, præcipuè apud Latinos, nominibus non semper accuratè distinguantur; vsus tamen ferè obtinuit, vt in Institut. *loc. alleg.* dictum, vt ἄνοια dicatur, cum Imaginatio, Ratiocinatio, & Memoria ferè abolentur: μώρωσις, vt & Galeno, 1. *prorrhet. comm.* 2. *t. vltim.* patet, cùm sine delirio homo parùm ratiocinatur; à quo vitio gradibus saltem differunt, Stupiditas, Tarditas, & Torpor ingenij. Cum verò actio imminuta, & deprauata concurrunt, & homo parùm, ac malè iudicat, Stultitia appellari potest. Memoria, vt diximus, non deprauatur, sed vel imminuitur, vel

aboletur. Læduntur autem actiones hæ vel ſeorſim, vt ſola interdum ratiocinatio, interdum ſola phantaſia, interdum ſola memoria; vel plures ſimul.

Dicemus verò inprimis de Memoriæ læſione. Hâc enim læsâ, vti diximus, læditur conſequenter phantaſia & ratiocinatio; & læſæ memoriæ exempla ſæpius offeruntur. Phantaſia verò & ratiocinatio cum plerumque vel à primo ortu lædantur, & homo ſtupidus, aut fatuus naſcatur; vel ætate aboleantur, aut debilitentur, vt fit in ſenibus; vitia ea ferè incurabilia ſunt.

*Memoriæ læſæ exempla.*

Paſſim autem Memoriæ læſæ notabilia exempla occurrunt, quæ collegit Schenckius, *lib.* 1. *obſeru.* 128. *& ſeqq.* Inter reliqua notatu digna ſunt, quod Plinius, *natur. hiſtor. lib.* 7. *cap.* 34. narrat, quendam ex prǽalto tecto lapſum, matris, & affinium propinquorúmque cœpiſſe obliuionem: alium ægrotum ſeruorum etiam; ſui verò nominis Meſſalam Coruinum, Oratorem. Et Chriſtoph. à Vega, *libr.* 3. *art. Med. cap.* 10. refert, Franciſcanum quendam ex acuta febre ita memoriam amiſiſſe, vt, etſi prius peritus eſſet Theologus, poſtea nec litteras agnoſceret, neque nomina rerum, quæ ſibi aſſiduè in vſu erant, memoria teneret. Et quod Baſſianus Landus, *de human. hiſtoria*, recitat; Franciſcum Barbarum, Hermolai amicum, Græcarum literarum, quarum erat doctiſſimus, in extrema ſenectute oblitum eſſe; quanquam diiudicandi, & commentandi facultate polleret. Et quod de Studioſo quodam Mompelienſi ex Rondeletij narratione Thom. Iordanus, *de peſt. Phænom. tract.* 2. *cap.* 2. habet, qui ex vulnere ita rerum omnium oblitus eſt, vt inſtar infantium Lutetias retrogredi, & prima pueris tradi ſolita elementa diſcere denuo neceſſe habuerit.

## *Cauſſæ.*

*Cauſſa læſæ Phantaſiæ, Ratiocinationis, & Memoriæ.*

Ad cauſſas horum ſymptomatum rectè inueſtigandas neceſſarium eſt, quærere, quomodo, & quibus inſtrumentis hæ actiones in ſanis perficiantur. Videmus enim homines etiam ſanos ſecundum ætatis differentias diuerſimodè has actiones edere. Primò enim infantes parùm valent hiſce functionibus, & à brutis non multum differunt: poſtea ætatis progreſſu magis magiſque & memoria, & ratiocinatio, & phantaſia ſeſe exſerunt, donec in adoleſcentia, & virili ætate ad ἀκμὴν perueniant, & quidem mirabiles & ſtupendos effectus homo edat. Hinc rurſum declinante ætate vigor ingenij & memoriæ imminuitur, & tandem in decrepita ætate quaſi repueraſcunt plerique ſenes. Hæc in hiſce ætatibus actionum iſtarum varietas animæ adſcribi non poteſt, quæ ipſa ſemper eadem manet, nullámque alterationem, & mutationem recipit, ſed diuerſitas iſta omnis ex organorum, cerebri puta, & ſpirituum animalium diuerſa diſpoſitione prouenit. Cerebrum certum caliditatis & humiditatis gradum requirere ad has actiones, extra controuerſiam eſt; idque vel ex eo patet, quod infantes ob nimiam humiditatem in hiſce actionibus minus valent, quâ abſumptâ, & corpore indies ſicciore euadente, facultates hæ magis ſeſe exſerere incipiunt.

Quis autem ille gradus ſit, in hac humanæ mentis caligine determinare difficile eſt, imò impoſſibile. Ne dicam de occultis illis qualitatibus, quæ cerebro non denegandæ, ac modo ſubſtantiæ; vt nec de eo, quænam diſpoſitio ad memoriam, quæ ad phantaſiam, neceſſaria, & aptior ſit. Videmus enim homines ſecundum has facultates variare, & rariſſimè vnum aliquem hiſce omnibus eminere. Id quod procul dubio à cerebri, & ſpirituum conſtitutione peculiari prouenit. Neque enim eadem omnibus actionibus æquè apta eſt. Primæ ætatis conſtitutio vegetatiuæ, ac ſenſitiuæ actionibus apta eſt, non verò actionibus mentis; contra ſenum conſtitutio ad has apta, ad illas verò inepta. Atque inde etiam accidit, vt in affectibus p. n. qui diſpoſitionem cerebri, & ſpirituum mutant, quales ſunt phrenitis, melancholia, mania, in momento quaſi omni ſapientia, & ſcientia, quâ antea præditus fuit homo, priuetur. Contrà etiam obſeruatum, ſtolidos & ſtupidos plus ingenij ex morbo acquiſiuiſſe. Ariſtoteles, *ſect.* 30. *problem.* 2. refert de Marco quodam Syracuſano, quod, dum mente alienaretur, præſtantior Poëta erat. Notabilia verò huius rei exempla duo recitat Ianus Huartus, *Serutinÿ ingenior. cap.* 7. Primum: Cordubæ, anno 1570. in aula Regia fatuus quidam erat, Ludouicus Lopezius, qui ob iocos & ſales in gratia aulicorum erat. Is cum febre maligna corriperetur, in medio morbo ad tantum iudicij & diſcretionis acumen peruenit, vt vniuerſam aulam in admirationem raperet; & toto vitæ, quod reliquum habuit, tempore prudentiſſimus perſtitit. Alterum eſt hoc: Puer nobilis, ſatrapæ cuiuſdam in Hiſpania pediſſequus, ſanus ingenij ſtupidi, & pauci intellectus, poſtquam in maniam (melancholiam fuiſſe exiſtimo) incidiſſet, tam aptè, tam prudenter ad interrogata reſpondit, támque acutas & ingenioſas edidit regulas de adminiſtrando regno, cuius ipſe ſe Dominum eſſe imaginabatur, vt prodigij inſtar videndi, audiendíque eius cauſſa complures confluerent. Ille ipſe, cui inſeruiebat, herus rarò à lecto diſcedebat, DEVM rogans, ne mentis ipſi reſtitueret Medicus ſanitatem. Et cum ipſum priſtinæ ſanitati reſtituiſſet, malè id habuit herum, doluítque, ex ſapienti & ingenioſo rurſum ſtolidum reddidiſſe. Imò ipſe puer ægrè tulit, ſe priſtinam ſanitatem recuperaſſe. Cum enim in delirio viueret, eius animus ſubtiliſſimis mundi cogitationibus paſcebatur, cuius Monarcham ſe eſſe imaginabatur, omnéſque Reges, quaſi Vaſallos, ſe Dominum agnoſcere credebat. Quod licet falſum eſſet, nihilominus tantam inde delectationem habebat, ac ſi reuerà talis eſſet.

*Ex morbo acquiſitum ingenium.*

Galenus hac de re peculiarem libellum ſcripſit, quo monſtrat, quod animi mores temperamentum corporis ſequantur. Cui ipſa experientia adſtipulatur, quæ ingens diſcrimen ingeniorum ſecundum regiones, & in ſingulis regionibus ſecundum temperamentorum varietatem nobis oſtendit.

Naturalis autem hæc conſtitutio requirit tria: 1. bonam temperiem; quò & occultas qualitates, & modum ſubſtantiæ referimus. Cerebrum enim non ſolùm bonam temperiem habere debet, ſed & conſtare ſubſtātia ſuo modo tenui, ac ſubtili, non craſsâ. 2. debet habere iuſtam quantitatem, figuram, & cōformationem. 3. vnitatem. In his ſi quid mutetur, actiones, quæ in eo, & ab eo fiunt, mutari neceſſe eſt.

Neque ſolùm ipſum cerebrum bene diſpoſitum ſit oportet, ſed & ſpiritus animales, qui proximum animæ in hiſce actionibus obeundis ſunt inſtrumentum. Et cum ſpiritus animales ex vitalibus fiant, & hos bene diſpoſitos, ſubtiles, rectè temperatos eſſe oportet. Vnde etiam in ſacris litteris prudentia & ſapientia cordi adſcribitur. Deúſque Salomoni cor prudens & ſapiens largitus eſſe dicitur.

Cum autem diuerſæ ſint facultates, phantaſia, ratiocinatio, & memoria, & videamus etiam homines ſanos alios memoriâ, alios phantaſiâ, alios intellectu pollere: ſi, quæ conſtitutio memoriæ, quæ phantaſiæ, in ſpecie magis inſeruiret, notum haberemus; & in cauſſis harum læſarum functionum inueſtigandis faciliùs progredi poſſemus. Nam intellectum quod attinet, eius operationes quidem ſine corporeo organo perficiuntur; quia tamen in corpore perficiuntur, & anima, dum eſt in corpore, non ſine phantaſmate intelligit, & ante operationem propriam ſubordinatis actionibus vtitur, quæ cerebri & ſpirituum beneficio perficiuntur: his læſis & ipſa etiam Ratiocinatio læditur.

Tentarunt quidem in hac re aliquid cum alij, tum Ianus

*Ad memori-*

*Quæ cerebri cõstitutio sit commoda.* Ianus Huartus, *in scrutinio ingenior.* Et memoriam quod attinet, vulgata equidem sententia est, ad apprehensionem vtilem esse humiditatem; cuius rei signum sit in pueris, qui feliciùs res memoriâ apprehendant, quàm senes, cum cerebrum habeant humidius. Idque ideo, quod cum memoria per viam quandam impressionis fiat, in cerebro molli facilius figuræ inprimantur, in duro difficilius. Ad species verò firmiter retinendas, necessariam esse cerebri duritiem, & siccitatem statuunt, & exemplo rerum externarum, ceræ præcipuè, id declarant, quibus, si molles sint faciliùs figuræ inprimuntur, facilè tamen obliterantur: si verò duriores, difficilius quidem signa inprimenda recipiunt, inpressa verò fortiter retinent. Verùm si ea, quæ I. C. Scaliger, *exerc.* 307. *sect.* 28. hac de re habet, diligenter consideremus, vix admitti potest hic memoriæ modus. Cum enim memoria sit penè infinita, quibus spatiis continentur illa, quibus sedibus ita disposita, atque etiam ordinata, vt & vnumquodque separatim, & cuncta confertim, & singula ordinatim promere, statuere, digerere possimus? Et si, qua ratione actiones sensuum externorum perficiantur, diligenter consideremus, atque attendamus, species illas sensibiles non recipi in materia, sed à spiritibus ad animam deferri: tota huius rei caussa in spiritibus proximè quærenda videtur; secundariò verò in cerebro.

*Læsæ memoriæ caussæ.* Ac si porrò caussas omnes, quæ memoriam, & intellectum tardant & iuuant, perpendamus, inueniemus, siccitatem cum moderato calore coniunctam memoriæ & intellectui esse aptissimam; id est, cerebrum, quod nec calore destituitur, nec humiditate abundat, esse ad has actiones aptissimum. Vnde Heracliti illud, quod Galenus, *in lib. quod anim. mores, cap.* 5. recenset: *Splendor siccus, animus sapientissimus*, id est, spiritus calidi & sicci, sed moderatè, tam ad memorandum, quàm ad ratiocinandum sunt aptissimi. Ideóque contrà & frigidum, & humidum, & siccum cerebrum, ad has actiones ineptum redditur. Abolet memoriam frigiditas, imminuit frigiditas aut siccitas. Et quidem frigiditas, vel sola, vel cum humiditate aut siccitate coniuncta. Hinc cùm infantes, tum decrepiti senes parùm hisce actionibus valent. In infantibus quidem calor est copiosissimus; verùm multa humiditate obruitur. In senibus & calor deest, & multa adsunt excrementa, seu, vt Scaliger, *loc. allegat.* loquitur: in puero sunt multa excrementa; in sene etiam aliena. Et in humido cerebro multi spiritus commeantes sese tanquam circuli in aqua secant, & in humido cerebro multa inter intellectum, & species seruatas interponuntur, quæ si fuerint crassa, fit obliuio; si mobilia, dilatio recordationis; atque ibi reminiscentia, cum remouentur intercedentia impedimenta. Ideóque cum à frigiditate & humiditate cerebri spiritus animales ad has actiones inepti reddantur: frigiditas, & quæ hanc, ferè vt indiuidua comes, sequi solet, humiditas, & excrementorum copia, imminutæ & abolitæ phantasiæ, memoriæ, ac ratiocinationis caussa meritò statuitur. Sufficit tamen etiam sola frigiditas, & calidi natiui defectus, vt Galenus, 2. *de loc. aff. cap.* 7. & 3. *de loc. aff. cap.* 5. docet.

Calida tamen & sicca etiam intemperies, vt dicetur, memoriæ obesse potest. Sicut & conformatio cerebri vitiosa hisce actionibus impedimento esse potest.

Et quod frigiditatem, quam plerumque humiditas sequitur, attinet; ad eam producendam faciunt omnes causæ, quæ suprà, *part.* 1. *cap.* 2. 3. 10. sunt propositæ. Quas vt hic coniungamus, & huic loco applicemus, sciendum, quod frigiditas cerebri est vel simplex, vel composita, cum, vel sine materia, à caussis, *loc. alleg.* propositis inducta. Non tamen hic saltem ad misti temperiem & qualitates elementorum respiciendum, sed etiam ad ipsum calidum natiuum, cuius copia actiones omnes vegetiores reddit, defectus debiliores. Deficit autem calidum natiuum vel à primo ortu, vel post ortum. Calor natiuus à primo ortu deficit, dum cerebrum est nimis paruum, & ita in paruo cerebro paucus calor, aut dum cerebrum est nimis magnum, cui caloris innati quantitas non respondet, sed, propter magnam cerebri molem exiguus calor quasi dispergitur. Vnde plerumque Capitones parùm ingenio valent. De quo vide Institut. *lib.* 3. *part.* 1. *sect.* 2. *cap.* 5. Infantes verò etsi quoad molem & quantitatem satis caloris habent: tamen ad ratiocinandum non apta est eorum cerebri dispositio: quia calor iste à nimiâ humiditate obtunditur, quâ postea absumptâ calor acrior & efficacior redditur, & indies homo ad has actiones aptior euadit. Siccitas enim ad prudentiam, humiditas ad dementiam animum deducit, vt Galenus, *in libr. quod animi mores, cap.* 7. scribit. Transfertur autem hoc vitium sæpe à parentibus in liberos, & vt aliarum partium imbecillitas sæpe hæreditaria est; ita & cerebri vitium istud in sobolem transit. Et quod in infantibus accidit, idem etiam in adultis potest fieri, vt in iis nimiâ humiditate calor obruatur, vel etiam à primo ortu nimis paucus sit; vnde homines, cum adolescunt, stupidi, vel amentes manent.

Si autem post ortum calor natiuus deficiat, vel ab humido obruatur, causæ eius rei variæ esse possunt. Primò est ætas, ob quam in senectute calidum deficit, senésque, etsi siccissimi sint; tamen quia humidum radicale, & calidum innatum in iis ferè absumptum fuit, ideo & ad ratiocinandum, & memorandum minùs apti sunt, &, vt Galenus, *in lib. quod anim. mores, cap.* 5. habet, multi decrepiti senes amentes fiunt, seu, vt in prouerbio dici solet: *Bis pueri senes.*

Deinde Aër. Vt enim aër tenuis & purus subtilia reddit ingenia: ita crassus & impurus contrà tarda ac obtusa. Hinc, vt Galenus, 6. *Epid. comment.* 6. *t.* 8. scribit, Athenienses acuto sunt ingenio, propter aërem tenuem, in quo degunt: Thebani verò stupidi, quia Thebis, & in tota Bæotia crassum est cœlum; vnde Horatius, *in epist.*

*Bæotum in crasso iurares aëre natum.*

Tertiò ciborũ, & potus frigidi ac humidi frequẽs vsus, & præcipuè eorum, quæ vim quandam stupefacientem habent, vt papau. vsus frequẽs, crapula & ebrietas; quæ maximæ ingenij & memoriæ pestes sunt. Et inprimis si duæ hæ caussæ, aëris nimirum, & cibi ac potus vitium concurrant, ingenium ac memoriam valde debilitare solent. Ita refert Eustach. Rudius, *lib.* 1. *Pract. cap.* 6. se in Tirolensi quodam Comitatu amentium, stultorum, fatuorúmque frequentissimum numerum vidisse, caussamque mali agnouisse aëris frigiditatem & humiditatem, aquarum cruditatem; id quod ex gutturis bociis deprehendit; vini penuriam, & vsum frequentem panis cum semine papau. confecti. Quod etiam obseruauit Platerus, vt refert *tract.* 1. *Pract. c.* 3. in Carinthiæ valle, *Bink gerthale* dicta, in qua multi reperiuntur stulti & stupidi, capite informi, linguâ magnâ, & tumidâ, muti, strumoso gutture, aspectu deformi.

Quartò morbi, & caussæ morbificæ eorundem symptomatum caussæ esse possunt, si calidum innatum cerebri destruant, idque humidius reddant. Ita post morbos diuturnos, malignos, cerebri abscessus, vulnera, contusiones capitis, stupiditas & stoliditas interdum sequi, ac memoria amitti potest. Sic in peste illa famosa Attica, quam Thucidides, *lib.* 2. & Lucretius, *in fine lib.* 6. describunt, homines tanta omnium rerum cœpit obliuio, vt & familiares, & seipsos non agnoscerent; & memoriæ ex febre, & vulnere, ac capitis percussione amissæ exempla suprà recensuimus.

Venena quoque, & philtra ex ingeniosis stolidos, & amentes reddidisse, notum est. Et inter ea cerebrum felis comestum memoriam abolere dicitur. Quò pertinent & narcotica capiti & ceruici incautè applicata. Idem præstare possunt medicamenta calidũ natiuum

abſumentia, vel extinguentia. Humores etiam vitioſi, intemperiem frigidam, vel frigidam & humidam cerebro inducentes, calorem natiuum ſuffocant, ſpiritusque ineptos ad haſce functiones reddunt. Pertinent hûc & nimia ſanguinis profuſio, labores nimij, vigiliæ immodicæ, ſtudia nimia, & omnia huiuſmodi, quæ calidum natiuum cerebri poſſunt abſumere.

Calida tamen & ſicca intemperies etiam memoriam labefactare poteſt, dum inordinatum ſpirituum animalium motum facit; vt teſtatur Galenus, 3. *de loc. affect. cap.* 5. vbi ſcribit; nouiſſe ſe quendam, qui ob labores in ſtudiis, atque vigilias memoriam penè amiſerat, læsâ etiam ratiocinatione: item agricolam, qui ob labores, quos vites colendo ſubierat, ac tenuem victum, eodem malo affectus ſit. Et Scaliger, *loc. alleg.* ſcribit, quod etiam in ſiccis cerebris, ſi ſint bilioſa, propter ſpirituum mobilitatem memoria lædatur. Quæ intemperies etiam à medicamentis induci poteſt; nouimúſque aliquos, qui, dum medicamentis calefacientibus, & ſiccantibus memoriam roborare vellent, cerebro nimium exſiccato, & calido natiuo abſumpto, fatui ferè euaſerunt.

Nocet quoque memoriæ & ingenio, ſi mens diuerſis ſtudiis diſtrahatur, &

*Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.*

dum plurimæ imagines ſeſe inuicem turbant, obfuſcant, ac confundunt.

Præter intemperiem etiam Conformatio, quæ ad ſpiritus capiendos, eorúmque motum neceſſaria eſt, ingenio, ac memoriæ obeſſe poteſt. Quò referri poteſt & ſubſtantiæ cerebri modus; de quo in Inſtitut. *lib.* 3. *part.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 3. Qui enim tenuitate cerebri deſtituuntur, & cerebrum craſſius habent, ij procul dubio ad has actiones omnes non ita apti ſunt. Etenim in tenui ſubſtantia cerebri ſpiritus animales mouentur expeditius, in craſſa verò impediuntur. Et quò cerebri ſubſtantia, ac calidum, & ſpiritus innatus ſunt tenuiora, & puriora, eò etiam puriores & tenuiores ſpiritus in eo generantur. Figura cerebri imitatur cranij figuram, & plerique, qui minus decentem capitis figuram habent, ſtupidi ſunt, aut malitioſi, quale caput Therſites, ob id famoſus, habuit. Quò pertinet & caſus ex alto, & percuſſio, quibus procul dubio cerebri conformatio læditur; vnde quoſdam memoriam amiſiſſe, ſuprà ex Plinio diximus. Et Guilhelm. Rondeletius, *in fin. lib.* 1. *meth. cur. morb.* refert, quendam valde eruditum, cui gladius in oculum altius adactus fuerat, ob vulnus illud memoriam ita amiſiſſe, & rerum omnium ita oblitum fuiſſe, vt Lutetias repetere, & prima literarum elementa iterum diſcere coactus fuerit.

## *Signa Diagnoſtica.*

*Læſæ memoriæ ſigna.* Ipſum malum ex actionibus ægri læſis facilè cognoſcitur. Cum enim memoriæ officia ſint, facilè arripere, fideliter retinere, expeditè expromere, & reddere; ſi horum aliquid deſit, & inprimis, ſi imagines ſenſibilium rerum, quæ prius animum mouerunt, in mentem, vbi opus eſt, non veniant, imaginatione & ratiocinatione ſaluâ: potiſſimum memoriæ vitiatæ ſignū eſt.

Cauſſas quod attinet, ſi conformatio cerebri & capitis vitioſa horum malorum cauſſa ſit, ea in oculos incurrit, & vel ab ortu homini contigit, vel homo percuſſus & lapſus eſt.

Hæc ſi abſit, defectus calidi natiui, & frigiditas ac humiditas abundans ex cauſſis calidum innatum cerebri abſumentibus, & cerebrum refrigerantibus, ac humectantibus, vel etiam ſiccantibus, (quæ & ipſæ conſequenter calidum natiuum abſumunt) aut ex actionibus læſis, vel excretis, iuuantibus item, & nocentibus cognoſcitur; vt ſuprà, *part.* 1. *cap.* 2. 3. *&* 10. dictum. Nimirum ſi intemperies cerebri ſit frigida & humida, ſomnus eſt longus & profundus: ſi humida tantùm eſt ſomnus longus, ſed non profundus: ſi frigida tantum, moderatè ſomnolenti ſunt: ſi frigida & ſicca, non ſunt ſomnolenti. Ita & copiâ, vel paucitate excretorum frigiditas, vel ſola, vel cum humiditate, aut ſiccitate coniuncta cognoſcitur. Qui enim frigidum & humidum habent cerebrum, multa excrementa per palatum & nares emittunt; qui frigidum & ſiccum, pauca; ſi frigidum tantùm, moderata; ſi cerebrum ſit calidum & ſiccum, cum memoriâ læsâ adeſt deliriū ac rationis læſio.

## *Prognoſtica.*

1. Euentus mali talis exſpectandus, qualem cauſſæ promittunt. Ipſa enim ſymptomata ex ſe eum non indicant: ſed vt à cauſſis ſuis pendent, ita non tolluntur, niſi iis ablatis.

2. Si abſque cauſſa externa memoria ſubitò lædatur, imminentis apoplexiæ, epilepſiæ, paralyſis eſt indicium, ſi homini ſaluo aliàs id accidat. Si verò ægroto viribus deſtituto memoria deficiat, certiſſimum eſt propinquæ mortis indicium.

3. Mentis imbecillitas & ſtupiditas ab ortu contracta, & quæ à conformatione prima capitis vitioſa prouenit, incurabilis eſt.

4. Incurabilis eſt & illa, quæ ætatis ratione accidit.

5. Nec curatur, quæ ab inueterata epilepſia pendet. Vt enim illa vix curatur: ita & ſymptoma inde excitatum.

6. Difficulter & illa curatur mentis imbecillitas, & memoriæ læſio, imò plerumque incurabilis eſt, quæ à malignis morbis, venenis, ac philtris ortum habet.

7. Quæ à frigiditate & humiditate, ac humore pituitoſo ortum habet, & cum lethargo, caro, apoplexia accidit, etſi & ipſa curatu ſit difficilis: tamen interdum curatur, præcipuè dum ætas viget, & vires conſtant.

8. Obliuio à caliditate & ſiccitate contracta curatu difficilior, quàm à frigiditate & humiditate; quia talis conſtitutio à cerebri conſtitutione remotior eſt, & facilius & tutius eſt caput calefacere, quàm frigefacere & humectare.

9. Obliuio ſub acceſſiones periculoſa. Hippocrates, 3. *epid. comm.* 3. *text.* 37.

## *Indicationes.*

Intemperies cerebri & ſpirituum, quæ adeſt, & cauſſa horum malorum eſt, corrigenda per contraria; & materia, quæ cum ea coniuncta eſt, euacuanda; vt *part.* 1. dictum; calidum natiuum inſtaurandum, & ſpiritus torpidi excitandi. Quæ tamen immodicas corporis euacuationes, & inanitiones ſequitur memoriæ læſio, requirit tantùm commodam refectionem per cibum, & calidum natiuum ac ſpiritus inſtaurantia ac roborantia; ſicut & illa, quæ ſenibus accidit. *Memoria læſæ, & Ingenij debilitatis curatio.*

## *Auxilia.*

Quâ ratione autem hiſce Indicationibus poſſit ſatisfieri, dictum etiam ſuprà, *part.* 1. *cap.* 2. 3. & 10. vbi monſtratum, quâ ratione intemperies frigida & humida calefacienda, & ſiccanda ſit, & pituita caput obſidens præparanda & euacuanda. Pauca ſaltem hîc illis adiungimus.

Alterantia quod attinet, quæ eadem humorem pituitoſum præparant, proponentur etiam poſtea inter roborantia. V. g. materia pituitoſa ſic præparanda:

℞. *Rad. ireos Floren. acori veri, valerian. pyrethr.* an. ʒ.ß. *galang.* ʒ.ii. *betonic. majoran. meliſſ. thymi, flor. lilij conuall.* an. M.ß. *lauendul. ſaluiæ, ſtœchad. Arab.* an. M.ii. *ſem fœnicul.* ℥.ß. Coqu. in ſuf. aq. q.

Colat. ℞. ℔.jß. adde *mellis* q. ſ.

Deſpumentur, & aromatiſentur *nuc. moſchat. & cinamom.* pro 4 vel 5. doſibus.

Vel

Vel ℞. *Rad.pæon.acori veri*,an.Vnc.ß.*betonic.maiorana.serpill.hyssop.saluiæ,stœchad. Arabic.rorismarin.* an.M:ß. *sem. carui, fœnicul. sileris montan.* an.Vnc.ß. *cinamomi, nuc.moſch.macis*,an.Dra.ij.

Concisa & contusa indantur in vas vitreum,& affund.*hydromelit*.℔.iii.vel q.s. & vase clauso in B.horis 2.coqu.postea colentur.

Colaturæ,si libet addantur *oxymelit.scillit*.℥.iij.

Dentur singulis diebus manè,& vesperi ℥.iiij.

Vel ℞. *Aq.beton.salu.*an. ℥.iß. *essent.salu. meliss.* an. Scr.ß.*syrup.de stœchad.*℥.i.*aq. cinamomi* ʒ.ii. Misce pro haustu,qui cubitum ituro exhibeatur.

## *Purgantia.*

Purgantia ex prima parte nota sunt.Exempl.gr.

℞. *Pilular.aurear.Arabic.*an.ʒ.ß.*trochiscor.alhandal.* gr.iii.*extract.castor.*gr.ii.F.Pilulæ xxv.

Vel ℞. *Extract. solut. Andern.* Scr. i. *hellebor. nigri* Scr.ß.*gummi gotte* gr.i.vel.ii. *extract. castor.* gr.ii. Cum *aq.lauend.*F.Pilulæ xxi.

Commendantur & hæ,quæ tamen potius caput roborant,quàm purgant:

℞. *Aloës,agaric.*an.Dra ii.*sal.gemmæ* ʒ.iß.*caryophyllor.cinamomi,macis,nuc.condit.ligni aloës,thuris,mastich. myrrh.el.cubebar.absinth.croci, bacc. lauri, iuniperi, stœchad. Arab.calam,arom.*an.Dra.ß.

Puluerisata cum vino odorifero Misc & F. Massa pilul.Dosis Drach.i.

Vel ℞. *Agaric.albiss.*ʒ.iß.*fol.senæ el.*ʒ. ii. *zingiber. alb.sem.carui*,an.Scr.i.

Macerentur per noctem in *aq.beton.& hydromelit.*an. Vnc.iij.

In Colatura dissolu. super igne *diaphœnic.*ʒ.iii. vel Vnc.ß.Iterum coletur.F.Haustus.

Antiqui fortioribus,vt hierâ compos. hierâ Logadij, hierâ Ruffi vtebantur.

Si ex intemperie frigida & sicca sit vitium,præparatio & purgatio fit vt suprà,*part.*1.*de melancholia* dictū.

Particulares quoque euacuationes per errhina,masticatoria, gargarismos, apophlegmatismos fiant; de quibus etiam supra dictum.

Vtiles quoque sunt reuulsiones per cauteria & fonticulos,qui in cruribus,vel brachiis excitari possunt.

## *Roborantia.*

Roborantia,quæ scilicet intemperiem cerebri emendant,& reliquias materiæ absumunt,cerebrúmque confortant,etiam ex superioribus patent.

Sint autem fortiora; cum temperamentum cerebri hisce affectibus valde mutatum sit, & difficulter in pristinum statum reducatur.

### *Interna.*

*Medicamenta memoriam & ingenium confirmantia.* Inter simplicia cephalica hic magis vtilia sunt, *lilium conuall. melissa*, quæ memoriam confortat, ingenium acuit, & animi tranquillitatem, ac hilaritatem præstat,& ad curas pellendas vtilis est, *beton.fl. stœchad. Arabic.lauend. primula veris, maiorana,saluia,rosmarin. rad. acori veri, pirethr. semen hormini, zingib. nux moschata*, quæ non tantùm ob manifestas, sed & occultas qualitates ad caput roborandum, & memoriam confortandam commendatur,si sæpe ieiuno stomacho masticetur, vel alio modo vsurpetur, *cubebæ,thus item*, Scrup.ß. pondere cum vino, aut liquore conueniente sumptum, *sem.sinapi myrobalan. castoreum, ebur.* & alia suprà,*part.*1.*c.*2 proposita.

Ex quibus parantur:

Aqua; *lilij conual.melisf.primulæ veris,maioran.saluiæ, rorismarin.*

Conseruæ; *lilij conuall.meliss. lauendul. betonic. stœchad. Arab.anthos.*

Syrupi;*stœchad.simpl.& compos.de betonica,mel anacardinum.*

Benedictus Victor. Fauentinus syrupum suum de aromatibus commendat,quem ita describit:

℞. *Herb.& flor.sampsuchi,thymi,pulegij,serpilli,menthæ,calaminth.hortens.sisymbrij. rorismarini, saluiæ, betonic.*an.M.ii. Coquantur in suffic. quant. aquæ ad consumptionem tertiæ partis.

Colat.in sindone ligatæ infunde *cinamom.nuc.mosch. macis,spicæ nardi,Celticæ,folij,Zingiberis*,an. Scr.i. *ambr. moschi*,an.gr.ij.

Bulliant ad 4.partis consumptionem,& cum s.q.sacchari F.s.a.Syrupus;cuius ℥ ß.cum aquæ flor.citri ʒ.iii. misceantur pro dosi vna,& sic pro aliis 5.vel 6.

Extracta & Essentiæ; *melissæ,saluiæ,rorismarini, ligni aloës,cinamomi.*

Condita; *Zingiber*, præsertim si cum modico thure sumatur,*rad.pyrethr.acori,myrobolani.*

Confectio;*sem.sinapi.*

Olea destillata; *nucis moschat.meliss maioran. saluiæ, rorismarin.*

Species aromaticæ; *diambr. aromatic. rosat. diamosch.dulc.*

Vina medicata:

℞. *Ligni aloës,Zingiberis,piper.long.galang.*an.ʒ.i.*caryophyllor.cubebar.*an.Vnc.ß.*nuc.mosch.*Vnc.ij.

In sacculum includantur, & affund.musti ℔.xij.vel etiam plures.

F.Vinum medicatum.

Electuaria;*Confectio anacardina*, quæ ad frigidam & humidam intemperiem cerebri corrigendam est efficacissima, vnde etiam confectio sapientum appellatur, quæ,vt gratior sit,sine castoreo parari potest. Scribit tamen de ea Ianus Huartus, *in scrutinio ingeniorum, cap.* 22. compositione istâ, quia valde calida & sicca, intellectum & memoriam perire, etsi imaginationem exacuat, vt quis loquendo & respondendo per dicteria & comparationes excellat, & malitias ad dolos fingere calleat. Verùm præsupponit ille vulgarem doctrinam, nimirum ad memoriam opus esse cerebro molli. Cum autem certum sit, siccitatem cum moderato calore ingenium ac memoriam acuere, non est de nihilo, quod de compositionis huius efficacia dicitur; & obseruatū, quosdam eâ mirabilem sibi memoriam comparasse, & proinde etiam in imminuta à caussis p. n. memoria vsurpari potest. *Confectio anacardina.*

Caute tamen ea exhibenda, præcipuè in sanis, ad memoriam roborandam.Vnde nonnulli eius Drach.ß. vel minus,cum aq.calida exhibent,vt nimia eius exsiccatio remittatur.Iis verò,qui membra principalia calida habent,nullo modo exhibenda.Docuit enim & hoc experientia, nullos quidem memoriam admirabilem sibi hac confectione comparasse, sed parùm vitales fuisse, & in ipso ætatis flore, corpore nimis exsiccato, extinctos.

Et rectè de hac confectione hoc etiam monet Mercatus, prodesse quidem eam sæpe iis, qui memoriam, quam à natura felicem obtinuerunt, vi caussarum præternaturalium læsam habent:iis verò,qui à natiua constitutione debilem memoriam habent,maximopere obesse,& ex eius vsu nonnullos iudicium,alios memoriā planè amisisse, & capitis dolores ingentes contraxisse. Natiua enim partium temperies, si in meliorem statum mutari debet,sensim,& paulatim mutanda est,non vehementibus medicamentis, quale est Confect. anacardina, calidum & humidum natiuum absumendum & exiccandum est. Ideóque iis qui debilem habent à natura memoriam, victu idoneo, & inprimis frequentioribus studiis, & memoriæ exercitatione subueniendum. Abs quo si sit, medicamenta parum proderunt.

Forestus hoc Electuario in muliere, quæ post apoplexiam memoriam ferè amiserat, feliciter vsus est:

℞. *Rad.*

℞. *Rad.acori veri*,ſeu *galang. minor. condit. conſeru. fl.betonic.roriſmar.*an.Vnc.j.*fl herbæ paralyſis* Vnc.ß.*cubebar.nucis moſch.cinamom.puluериſat*,ana Drac.j. Cum *ſyrupo de ſtœchad.* F.Electuarium de quo ſingulis diebus manè ſumebat inſtar caſtaneæ,& nucham,occiput, & frontem aq.hederæ arboreæ,ter,vel quater in alembico deſtillatæ inungebat.

Laudatur & hoc Meſue tanquam expertum, & ſatis vtile.

℞. *Mellis anacardin.thuris, rad. cyperi, acori*, an. Vnc.j.*piperis, macropiper*.an.Vnc.ß. *myrobalan.chebular.Indar*.an.Vnc.i.*mellis* q.ſ.F.Electuarium, cujus doſis à Drach.j.ad Drach.ij.

Vel ℞.*Conſeru.lilij conuall.betonic.ſaluiæ,roriſmar*.an. Vnc.j.*lauendul.* Vnc.ß.*ſpec.diambr. diamoſch.dulc*. an. Drach.i *ſem.carui,caryophyllor.cubebar.nuc.moſchat*. an. Drach.ß.*ol.cinamom* gutt.vj.Cum *ſyrup.de ſtœchad*,vel ſ.q.*ſacchari in aq.roſar.diſſolut*.F.Electuarium.

Vel ℞. *Conſeru. betonic.meliſſ.lilij conuall.anthos*,an. Vnc.i. *mellis anacardin.* Vnc.ß. *ſpec. diambr.diamoſch. dulc*.an. Dra.j.Cum *ſyrup.ſtœchad*.vel *conſeruation.myrobalan.chebular.* F.Electuarium.

Vel ℞.*Cinamomi,ſpicæ nardi,caryophyllor* an.Vnc.ß. *macis, zedoar*.an.Dra.ij Scrup.ij. *moſchi* gr v.*ambræ* gr. vj.*confect.anacard.*Dr.ij *ol.nuc.moſchat*.Dra.ij.Cum *ſyrup.de beton*.q.ſ.F.Electuariũ.Platerus hoc præſcribit:

℞. *Confect.anacardin.* Drac.ij.*conſeru.majoran.roriſmarini*, an.Vnc.ß Miſce, & Fiat Electuarium, de quo quantitas nucis moſchat.manè & veſperi ſumi poteſt.

AQVÆ COMPOSITÆ:

℞. *Rad.ireos,valerian*.an.Vnc.j.*meliſſ.betonic.origan. roriſmarin*.an.M.j.ß.*flor.primulæ veris,lilij conuall.lauendul.roſar.rubr*.an M ij.*ſtœchad. Arabic*.Vnc.ß.*cinamom. opt*.℥.ij.*galangæ,macis,caryophyllor.nuc.moſchat*.an.℥.ß. *cubebar.cardamom*.an.ʒ.vi.*ligni aloës* ℥.ß. *ſpec. diambræ* ℥.i. *aſæ dulcis* ℥.ß. Inciſis & craſſo modo contuſis affunde *vini Maluatic*.vel *Rhenani*,℔.vj.vel viij.

Stent in digeſtione per octiduum, poſtea deſtillentur.Aquæ in vſu ſpir.roſar.& julebus roſar.addi poſsũt.

Alia: ℞.*Aq.betonic.bugloſſ.flor.tiliæ*,an.℔.i.*ſpir.vini opt*.℔.ß.*flor.roriſmarin.roſar.rubr.majorã.flor. bugloſſ.* an.M.i.*ſpec.confect.anacardin.*Vnc.ij.Stent in digeſtione per menſem,hinc deſtillentur.

Vel ℞.*Flor.lilij conuall*.M.ii.*ſpirit*,ſeu *aq.deſtillat.de baccis iuniper*.℔.iiii.

Stent in digeſtione per dies 14. Hinc colentur, & exprimantur.Suo tempore adde *flor.ſaluiæ,roriſmarini, lauendul*.an.M.i.*ſpec.diamoſch.dulc.diambr*.an. Drac.ii. Macerentur per menſem,& hinc in vitro in Balneo deſtillentur.Huius aq.cochl.j.ter in ſeptimana ſumptum memoriam roborat, ſpiritus animales illuſtrat, & ab apoplexia & epilepſia præſeruat.

Vel ℞. *Flor.recentium & ſucculentor. roriſmarin. bugloſſ.meliſſ*.an.q.v.

Minutim incidantur, & add.ſacchar. albi q. ſ. & in Sole aqua ſucculenta deſtilletur, de qua ſingulis diebus mane cochlear.j.hauriatur.

Præſtat tamen hanc aquam in M.B.parare.

Vtilis eſt & Aqua ſophorum Dorncreilij,vt & Aqu. ſequens Vidi Vidij,quam *libr. 7. de Medic.cap.5*. deſcribit, & mirificè memoriam confortare, & ingenium acuere ſcribit,ſi manè Drach.ij.ſumantur:

℞. *Spir.vini opt*.℔.v.*aq.bugloſſ.meliſſæ,betonicæ,ſtœchad.flor.lilij conuall*.an.℔.ß.*flor.anthos, roſar. rubr.bugloſſ.majoran*.an M.i.*ſpec.diaplir.diacaſtor*. an.Drac. iii. *confect.anacard.*Vnc.i.

Infundantur priùs flores,pòſt ſpecies.Stent in digeſtione per menſem 1.Poſtea deſtillentur.

Sequens Aqua ſapientiæ nonnullis dicta etiam commendatur;quæ tamen inutilia quædam recipit. Neque enim radices bugloſſæ, pœoniæ,myrobalani, anacardi vires aliquas aquæ communicant; cùm nihil de iis in alembicum eleuetur:

℞.*Rad.bugloſſ*.℥.ij.*coſti amari & cand*.℥.j.*cyperi rotundi* ʒ.ij.*pæon.maris* ʒ.iij.*ſummitat. maioran.verbenæ, euphraſ.flor.anthos, betonicæ,primulæ veris*,an.M.iij.*meliſſ*.M.ij.*lauendul.* M.j. ß.*ſtœchad. Arabic*.ʒ.vi. *ſantal. albi,rubri,citrini*,an.ʒ.v.*myrobolan.chebular.bellyric.Indar. citrinar. piperis longi & nigri, caſtorei cardamomi, nuc.anacard* an.ʒ.j.*cubebar*.ʒ.ij.*bacc.lauri excort*.an.ʒ. iij.*nucis moſch*.ʒ ij. Pulueriſentur ſubtiliſſimè, flores autem incidantur. Affunde *aq. lilij conuall.* vel *bugloſſ. Italic.flor.tiliæ,roriſmarini,aureæ Langij*,an.Vnc.ix.*vini maluatici* ℔.xj. Adde *ſpec.lætif.Rhaſis,lætif. Galeni*,ana. ʒ.i.*trochiſc.Galliæ moſch*.Scrup.ii.

Stent in infuſione in loco calido per 8.dies.Deinde deſtillentur igne lentiſſimo in M.B.addẽdo poſtea *magiſter.perlar*.ʒ.ii.*tinctur.corall*.ʒ.i.*eſſent.croci* ℈.ß.*ſolut. ſapphiri* ℈.i.*tinctur.*☽.Scrup.i.Miſce.

Vſus Hæc aqua ingenium ob nimiam humiditatem & frigiditatem ſtupidum acuit,memoriam eandem ob cauſſam labilem,debilémque mirificè confortat,ſenſus omnes ſpiritúſque viuificat, atque exhilarat, melancholiam reprimit. Doſis eſt Vnc.i.alternis diebus.

Aquæ vitæ duæ pretioſiſſimæ,quas Caſparus Peucerus deſcribit, in ſuo tractatu de memoria, & ex aulis principum accepit:

*Prima.*

℞.*Vuarum Creticar*.vel *Damaſcen.grand*. (officinæ Cybebas vocant Vnc.ii. Concid.minutim, & infund. vini ſublimati ℔.i.ß.aut dimid.canthar. (vel etiam ℔. ij.)Inſolentur autem calido loco, reponantúrque octiduum vaſe vitreo bene obturato,adde *flor.ſalu.minoris, roriſmarini,borraginis,bugloſſ.* an.ʒ.ii. *roſar.rubr.exarefact.lilior.conuall*.an.℥.ß. *meliſſ.cortic.citri.recent. betonicæ,flor.tunicis*,an.ʒ.ß.*ſantal.citrin.rubr*.an.Drach.ij.

Deducantur omnia in tenuiſſimum puluerem, & ſic infuſa tepido loco aſſeruentur, macerẽtúrque tamdiu, donec liquor iniectorum vires omni ex parte exſorbuerit ac combiberit, quod ſapore deprehenditur, fitque ferè ſpatio 2.menſ.Nihil obfuerit,ſi integrã æſtatem Solis radiis expoſueris. Tandem per manicã Hippocrat. traiiciantur. Si libet, adiici poſſunt, *moſchus, ambra*, vt aqua tantò fiat fortior. Doſis cochlear. i. aut ß. ieiuno ſtomacho.

*Altera Aqua:*

℞. *Cinamomi* ℥.ß.*zingiberis* ʒ.ii.*ſantal.omnium*,an. ʒ.iii.*caryophyll.galangæ,nucis moſchat*. ana.℈.iv. *macis, cubebarum*,an.ʒ.ß.*cardamomi* ʒ.i.ß.*Zedoariæ,ſem.nigellæ*, ana.ʒ.i ß.*aniſi,fœniculi,paſtinac.ſylueſtr.ocymi,rad. angelic.caryophyllat.glycyrrhiz.calami aromat. valerianæ minor.fol.ſcarleæ,thymi,calaminth.puleg.menthæ,ſerpill.majoran*.an.ʒ.i.*flor.roſar.rubr.ſaluiæ,betonicæ, roriſmarini,ſtœchados,bugloſſ.borraginis*,ana.ʒ. ii.*cortic.citri* ʒ.i. ß. *ſpec.diambræ* ʒ.iii. *aromat.roſat. diamoſch. dulc. diarrhod.Abbat*. an.Drach ii.

Terenda terantur,& infund.libris aquæ vitæ præſtãt. vi.hoc eſt,duobus canthar.Sinantur in vitreo vaſe 15. dies cõtinuos ſtare,occluſo ſubinde vaſis oſculo.Deinde deſtillentur per alembic.in B M.arctè occluſis commiſſuris. In aq. exſtillatam ponantur *ſantal.teſſeratim inciſ.*Drach.i.*moſch.ambræ in pet.lig*.an gr.iiii.vel v.*julepi roſati clariſſ*.℔.ß.

Sténtque ita per dies 15.poſtea aqua ſeparetur.Præſentanea auxilia ſunt aquæ hæ ad reparandã memoriã.

PVLVERES:

℞. *Rad.cyperi,croci,myrrh.thuris,piper.alb*.an.Drac. i.F Puluis:Detur à Scr.i.ad Drach.i.

Vel ℞. *Raſur.eboris, C.C.caſtorei*, an.Drach.i.*moſchi ambr*.an gr.iii.F.Puluis.

Antiquitus valde celebratus eſt Puluis ſequens:

℞. *Thuris maſculi* Drach.i.*piper longi vel albi* Scr.ß.

Deducta in puluerem propinentur ieiuno ſtomacho,aliquot diebus ſub aurorã,cũ vino,vel aqua mellis.

℞. *Nuc.*

℞. *Nuc.moschat.thuris,ligni aloës,rasur.ebor.*an.Dra. ß.*sem.anisi,sinapi,coriandr.præparat.cubebar* an.Scrup.i. *cinamom.*Drach.ii.*margarit.præpar.* Dra.ß. *mosch.ambr.* an.gr.vi.*manus Christi perlat.* Drach.vi. F. Puluis, de quo cum pane albo, vino subdulci madido, cubitum ituus bis in septimana Drach.i.vel Drach.i.ß.sumat.

Multum etiam prodest,præsertim apud senes,in memoria deperdita instauranda puluis Thrithemij,qui ita paratur:

℞. *Macis, cubebar.caryophyll.*an: Drach.vi.*fol. senæ eleci.chamæpyt.zingiber.albi,crystallor.tartari*, an.Drac. v.*rad.calami aromat.gentianæ,sem. cumini,sileris montani,anisi,petroselini,spicæ Indic.Spicæ nardi*, an.Vnc.sem. *magister.corallior.perlarum,*an.Drach.ii.

Redigantur secundum artem in puluerem. Dosis est Drach.i. Hunc accipiat per primum mensem manè & vesperi ante cibum horis tribus,in vino,vel etiam brodio; secundo mense tantum manè; tertio mense manè ter in septimana; quarto mense bis in septimana; & sic deinceps per aliquot menses.

Valde commendatur sequens Tragea, de qua manè & vesperi tantum, quantum duo vel tres cuspides cultri capere possunt,sumatur:

℞. *Sem.leuistici,petroselini,ammios,anisi,apij,*an.Dra. sem.*thymi,epithymi,hyssopi,origani,*an.Drac.i.*Spic.Celt. cinamomi,sem.rutæ,*an.Drach.ii.*piperis albi & nigri,chelidon.*an.Drach.i.sem.*myrobal.omnium*, an.Scrup.ii.*sal. gemmæ,chamædryos,centaur.vtriusque,marathri,*an.Dra. ii. Cum *pauco saccharo* F. Tragea.

PILVLÆ:

℞. *Puln.cubebar.calament.nuc.moschat.caryophyll.thuris*, ana.ʒ.ß. *ambræ* Scr.i.*moschi* gr.v.Cum *succo,& aq. majoran.*vel *saluiæ,*aut *syrup.de stæchad.* F.Pilulæ è Dr. xii.& conspergantur spec.diambr.& sumantur hora decubitus 4.vel 6.quotidie,per integrum mensem.

Marsilius Ficinus,*lib.2.de studios. sanit.cap.9.* è tribus illis muneribus, quæ Magi Christo obtulerunt, confectionem auream parat memoriæ conseruandæ, ingenio acuendo,sensibus vegetandis,spiritibúsque fouendis & roborandis vtilem:

℞. *Thuris* Vnc.ii.*myrrhæ* Vnc.i.*auri foliat.* Drach.ß. Cum vino fiant Pilulæ, quarum aliquot sub auroram sumantur.

Vel ℞.*Succini odorati* Drach.i.(posset ambra sumi) *cubebarum,thuris,myrrhæ,*an.Drach.ß.*ligni aloës* Scru.i.

Cum vino F.Pilulæ mediocres,quorum duæ vel tres alternis diebus ante cubitum dentur.

ROTVLÆ & MORSVLI:

℞. *Nuc. moschi* num.ij.*caryophyll.*num vi.*ligni aloës* Drach.j *sacchar.in aq.ma oran.dissol.*q.s.F.Rotulæ.

Vel ℞. *Spec.diamosch.dulc.diambr. flor. lauendul.rorismarin.*an Drac.ß.*cubebar.sileris montani,flor.stæchad. Arab.ligni aloës,*an.Scr.j.*spec.confect.anacard.* Drach. i. *moschi,ambr.*an.Scr.ß.*ol.destill.cinamom. nucis moschat. caryophyll.*an.gutt.iiii.*sacch.in aq.rosar.dissol.*q.s. Fiant Rotulæ.

Claudinus sequentes Tabulas commendat:

℞. *Ligni aloës* Scr.ij.*cardamomi,galangæ.*an.Drach. j.*cinamomi* Drach.ß.*galliæ moschat.*Scr.j.*sacchari in aqu. flor.citri dissolut.* Vnc. vj. F.Rotulæ, de quibus 3. vel 4. manè sumantur.Vel parentur hi Morsuli:

℞. *Sacchar.clarificat.*℔.ß.*aq.lauendul.borragin.*ana. Vnc.ß Coq.ad consumpt. aquæ. Postea adde *margarit. præparat.*Scrup.j.*eboris vsti,C.C.vsti,smaragdi præparati,*an.Scrup. ß.*ol.nuc.mosch.express.*Drach j. F.s.a.Confectio in morsulis, de quibus vnus vnà vice præberi potest.

In intemperie frigida & sicca, quæ calefaciunt & humectant, requiruntur. Paretur ergo tale Electuarium:

℞. *Conseru.flor.borrag.bugloss.betonic.lilij conuall.*ana. Vnc.sem. *spec.diamarg.frigid.* Drach.ß.Cum *syrupo tunicis,vel stæchad.* F. Electuarium.

*Externa.*

Externa eodem modo se habere debent,& in intemperie frigida ac humida & sicca supra, *cap.2. 3.part.1.* proposita vsurpanda. Commendatur hic aq.hederæ arboreæ,diligenter destillata,& occipiti applicata.

Vtiles & hic sunt,extraque capiti applicari possunt, aq.destillatæ modò propositæ.

Vel ℞. *Spirit.vini opt.*℔.ß. *caryophyll.nucis moschat. acori veri,maioran. flor.stæchad.Arab.*an.Drach.ij.

Stent in vase clauso,&,vbi opus, caput isto liquore illinatur. Sunt qui sequentem Aq.vitæ miris laudibus extollunt:

℞. *Cubebar.cardamomi,croci,confect.anacardinæ,*an. Vnc.sem.

Affunde spiritum vini Maluatici ad supereminentiam 3. vel 4. digitorum. Stent in infusione per dies 10. Hinc effundatur liquor, & per chartam filtretur, quo tempora & occiput illinantur.

Vel abluatur caput lixiuio,in quo radices asari, lauri folia, thus, fol. senæ,acorus,flor.chamæmel.majoran.melissa,rosmarin.&c ebullierint.

Aliàs quidem nimium, & præter modum caput lotionibus non fatigandum. Redditur n.inde caput debile, atque ad leuissimam auræ iniuriam destillationibus obnoxium. Quoties tamen vsus exigit, vt octauo, vel decimo quoque die,lixiuio abluatur, in quo dicta modò ebullierint; vel eisdem indatur sacculor.alteruter, qui

℞. *Macis* Drach. j. *caryophyll.nuc.mosch. maioran.* ana Drach. sem. *flor. labrusc.rosar.* an. Drach.j. *Spic.Celtic.* Drach. sem.

Concisa indantur in sacculo.

Vel ℞. *Spicæ Celticæ* Drach.ii. *flor. lauendulæ, rosarum*, an.P.j. *maioran. rorismarini*, an.M.sem. *rad.irid.* Drach. j.

Concidantur,& panno laneo insuantur,fingatúrque sacculus, qui feruenti lixiuio impositus probè exprimatur, vt vim trahat & sorbeat. Apprimè confortant cerebrum & memorandi facultatem.

Adhibeatur & Sapo odoratus:qui

℞. *Saponis Veneti* ℔.ß. *rad.irid.odorat.* ʒ.ij. *calami aromat.* ʒ ii.ß.*fol.hæderæ,caryophyll.cardamom.maioran. thym.stæchad. Arab.nigell.meliss.*an.Scr.i.ß.

Tritis terendis, & sapone deraso F.cum aqua card. benedict.Magdaleon,è quo formentur pastilli didrachmales.

Ol.thuris destillatum illitum valde etiam prodest. Oleum etiam myrrhæ temporibus, & occipiti inunctũ in confortanda memoria valde efficax est. Paratur autem vel per destillationem, vel per deliquium; si scilicet oua ad duritiem coquantur, per medium dissecentur, vitellóque exempto spatium puluere subtili myrrhæ impleatur,& in cellam ponatur, vt myrrha in oleũ resoluatur.Vtile est & oleum majoran.saluiæ, rorismarin. nucis moschat. caryophyllor. Laudatur & fel perdicis arteriis temporum semel in mense illitum.

LINIMENTA & VNGVENTA:

℞. *Ol.de lateribus,nardin.*an.Vnc.sem.*nuc.mosch.express.* Drach.ii. *ol.destill.saluiæ, majoran. nucis moschat.* an.gutt.vj. *mosch.* gr. ii. *ceræ* parum. Misce.

Vel ℞. *Ol.de lateribus, de castor.* an. Vnc.sem. *nuc. mosch.express.* Drach.j. *ol.destill.caryophyll.*Drach.sem. *thuris* Scrup.sem. *benzoës* Scrup. j.*ceræ* parum.F.Linimentum.

Vel ℞. *Ol. de lateribus, castor.*an.Vnc.sem.*destill. nucis moschat.caryophyll.cinamomi,*an.Scrup.j *rad pyrethri* Scrup.ij. Cum pauca cera F.Vnguentum.

Vel ℞. *Pulu. rad. pæon. valerian. maioran.*an. Vnc. sem.*rutæ* Drach.j.*succi verben.*Vnc.sem.*castor.*Drach.j. *medull.vnucum anacard.* Drach.ii. Cum *pinguedine vrsi.* F.Vnguentum Commendatur & hoc:

℞. Ol.

℞. *Ol.coſtini, juniperin.*an.Vnc.j.*nardin.* Vnc.ij.*de caſtor.*Vnc.ſem.*ſpicæ*Drach.iii.*pulu.cinamom.nuc.moſch.* an.Drach.j.*caryophyll.macis, flor.anthos, lauendul.ſtœchad. Arab.ſpic.Indic.Celt.* an.Drach.ſem. *roſar. purpurear.cubebar.ſileris montan.piper.long.cardamom.*an.Scr. ii.*vini Maluatic.*Vnc.iii.*aq.roſar.*Vnc.iiij.Coq.ad conſumption.humiditatis, & colentur. Poſtea adde *ſpec. diambr.diamoſch.dulc.dianth.* an.Drach.ij. *moſch.in aq. roſ.diſſolut.*Drach.ß.*ceræ* q.ſ. Miſce pro Vnguento,quo poſt lotionem occiput illinatur.

Nonnulli hoc commendant:

℞. *Pingued.vrſi*, eámque pone in veſicam vrſi cum ejus vrina,ſtent ſimul per octiduum:poſtea extrahe, & adde ſucc.hormini,euphraſiæ, verbenæ,bugloſſ. valerian.aloës part.æq. Fiat Vnguentum.

Non prætereundum eſt hic Vnguentum, quod miris laudibus efferunt,& Carolum,Ducem Burgundiæ,à Doctore quodam Anglo decem millibus florenorum emiſſe, & tantæ efficaciæ eſſe ſcribunt, vt perpetuam rerum memoriam pariat. Etſi verò hîc meritò illius recordemur,quod Galenus,4.*de compoſ.med.ſ.loc, cap.*4. ſcribit de medicamentis ad ſuffuſiones:Promiſſiones horum omnium eſſe magnificas, effectus verò aliquando nullos, aliquando valde exiguos; & facilè crediderim,laudes iſtas hoc vnguentum non ſuſtinere: tamen etiam non negauerim ad memoriam vtile eſſe. Paratur autem hoc modo:

℞. *Succ.fol.meliſſ.baſilic.flor.myricæ, lilior.primulæ veris, roriſmarin. lauendul,borragin, geniſt,* an. Vnc.ij. *nymph.roſar.violar.* an. Vnc.i.*cubebar. cardamom.gran. paradiſ.ſantal.citrin.carpobalſam,ireos,croci oriental.ſatureiæ, pœoniæ, thymi,*an.Vnc.ß,*ſtyracis liquid,calamit, opopanac bdellij,galbani,gummi hederæ,ladan.*an.Drach, vi.*rad.ariſtoloch.long.pœoniæ,ol.terebinth.nardin. coſtini, juniperin, laurin. maſtichin, de been, de ſpica*, an, Drach.v.

Pulueriſanda pulueriſentur, & miſceantur omnia, deſtillentur per alembicum ſecundum gradus ignis;& aqua, ac oleum ſeparetur. Vſum ejus hunc eſſe ferunt, vt primis duobus menſibus nares, & aurium meatus quotidie magnitudine piſi illinantur;ſequentibus duobus menſibus, tertio quoque die;aliis duobus mẽſibus bis in ſeptimana; deinceps ſingulis ſeptimanis ſemel; hinc 14.diebus ſemel, vt ita annus compleatur; tandem ſequentibus annis ſingulis bimeſtribus ſemel.

Chriſtophorus à Vega,*art.med,lib.*3.*cap.*10. adhibita diætâ frugaliore ex carnibus perdicum, gallinarum, turturum in prandio,paſſularum,& amygdalarum dulcium in cœna,& vino oligophoro rubro propinato per 20. dies, ſolùm pulu. ſeq. doſin Drach.i. ſem. exhibuit:

℞. *Calaminth.origani, puleg.*an. Drach.iii.*macer.cinamomi,*an.Drac.ii.*piperis,galangæ,zinziber.caryophyllor.cubebar.*an.Drach.ſem.*caſtor.* Scr.ii.

Trita M. Vtatur ſex diebus continuuis Drach. j. jejuno ſtomacho, cum Vnc. j. vin. alb. aut Vnc. ii. aquæ mulſæ,vel puluer.Scr.ii.M.cum ſyrup.de ſtœchade ℥.ß. ac deinceps propinetur mixtura diluta Vnc.i. ſem. aq. fœnicul. ſiue cardui benedicti.Horâ ſomni peſſulum j. ex ſequenti antidoto ſiniſtræ nari indidit, ac deinde ægrum legere juſſit per horam j.vel ij.quæ vellet, tandem extracto peſſulo dormire. Manè expergefactum affirmat lectorum exactè meminiſſe, & ſine hæſitatione ea recitaſſe.

℞. *Menth.ſicc.puleg.euphrag. verbenæ,ſem,coriandri præpar.callitrich.*an.Drach.j,*flor. anthos* Drach.i ſem.*calam.aromat.cinamomi,*an.Drach.ij.*caryophyll.* Dr.i,ſem. *moſchi,galliæ moſchat.* an. gr. vi.*mellis anacardin.ſtyrac, calamit.*an.Drach.ß.

Formentur cum aqua fœniculi in Peſſulos.

Vel tale fiat BALSAMVM:

℞. *Balſ.majoran.rutæ,*an.Drach.j.*ſuccini* Scr.i. *extr. rad.valerian.ol.deſtill.acori,*an.Scrup j.*confect. anacard.* Drach. j. *galliæ moſch.* gr. v. Miſce pro Balſamo.

SACCVLVS:

℞. *Flor. lauendul.roriſmarin.ſaluiæ, fol.maioran.meliſſæ,flor.ſtœchad.Arab.ſerpill.* an.M.ſem, *nucis moſchat. macis,caryophyll.*an,Drach j.*ſtyrac.calamit.benzoës*, an. Drach.ſem.*ſem.carui* Drach.ii. F.Sacculus.

Cum etiam odores hic aliquid emolumentis conferant, in hunc vſum ejuſmodi pomum odoriferum præſcribi poteſt:

℞. *Rad,ireos* Drach.i.ſem,*ſeſeli ſtœchad.* an.Drac.ii, *nucis moſchat.menthæ,*an.Drac.i.*thuris,calamenth.ſtyracis calamit,ligni aloës,*an.Drach.ſem.*ambræ* Scr.i.*ladani* q.ſ.ad formandum Pomum.

In intemperie frigida & ſicca conueniunt malua, althæa, flor. borrag. bugloſſ. ol. chamæmel. anethin. amygdal,dulc.

E.g. Paretur talis Lotio:

℞. *Rad.althéæ* Vnc. iii.*caryophyllat,*Drach.j.*betonic, maioran,*an.M.j.*flor,violar.borragin.bugloſſ,roſar.chamæmel.lauendul.* Coq.in lacte pro capitis lotione.

AMVLETA etiam quædam,quæ appenſa geſtantur,ab Autoribus hîc commendantur. Amethyſtus lapis geſtatus ſenſus omnes acuere,Beryllus quoque intellectum, memoriámque roborare ſcribitur. Rhaſes linguam vpupæ appenſam obliuionem tollere refert. Paratur etiam annulus ex auro puro,in quo incluſus eſt Adamas,ſub coniunctione ♄ & ♃ in ♈. quem ad memoriam & ingenij præſtantiam valere ex Hermete refert Mizaldus,*centur.*1.*memorab,aph.*19. de quo cuique liberum iudicium eſto.

### *Diæta.*

In læſa memoria, & ratiocinatione à cauſſa frigida & humida,quæ frequentiſſima eſt, diætæ ſit hæc ratio, quæ etiam ſanis, quibus ex eadem cauſſa memoria eſt debilior, ſi medicamenta cerebrum roborantia modò propoſita coniungantur,ad memoriam augendam prodeſt. Poterat equidem ea ex iis,quæ ſuprà, *part.* 1. *cap.* 2.3. & 10.de diæta dicta ſunt,patere; eam tamen præſentibus affectibus accommodare libet.

Aër ſit naturâ moderatè calefaciens & ſiccans,purus & tenuis,vel talis arte paretur,vt ſupra dictum. Caput ab aëris externis iniuriis, & frigore ac humiditate muniatur.

Cibus item ſit moderatè calefaciens, & ſiccans, ac tenuis ſubſtantiæ;condiatur caryophyllis,nuce moſch, cinamom galang, piper.zingiber. croco, maioran, ſaluiâ. Gallinarum cerebrum hîc valdè commendatur, & id adeò iuuare ſcribit Cardanus,vt aliquos,qui delirare cœperint, reſipiſcere fecerit. Abſtinendum à carne porcina anatina,anſerina,& piſcibus, præſertim mollioribus,lacte,caſeo,leguminibus,braſſicâ, lactucâ,papau.fructibus horariis,& omnibus,quæ vaporoſa ſunt, craſſæ ſubſtantiæ; & coctu difficilia. Vinum moderatè ſumptum ſpiritus exhilarat,& coctionem adiuuat: copioſius autem ſumptum multos vapores ad cerebrum mittit,qui caput replent, ſpiritus turbant, & calorem extinguunt. Inprimis vitentur crapula & ebrietas,maximæ ingenii & memoriæ peſtes. Ac ſi incommodum aliquod ex vſu vini percipiatur, eius loco ſubſtituatur aq.mulſa,in qua acorus, nux moſchat. cinamom. cocta ſunt. Cereuiſia ſit pura, non vaporoſa multùm.

Corpus exerceatur moderatis laboribus,extrema ſæpe fricentur,caput manè diligenter pectinetur,vt pori cutis aperiantur. Et vt aliæ functiones otio torpent, exercitio verò expeditiores fiunt: ita & hæ functiones crebro exercitio acuuntur. Vt enim Hippocrates, 6. *Epid.comm.*5.*aphor.*11. ſcribit, ψυχῆς περίπατος φροντὶς ἀνθρώποις. Ideóque memoria acuenda multum memoriæ mandando; iudicium, res ſubtiles meditando. Tempeſtiuè tamen id fiat,non ſtatim à cœna, vel prandio

prandio,ſed præcipuè tempore matutino,quo tempore ſpiritus inſtaurati & refecti ſunt,& organa coctionis in ſuis functionibus non ita occupantur. Vnde aurora Muſis amica rectè dicitur. Contrà nocturnæ lucubrationes ingenio non parum obſunt, vt Marſil. Ficinus, *lib.1.de tuenda ſanit.cap.7.* prolixè docet Somnus,& vigiliæ ſint moderata. Somnus non moxà cibo ineatur; diuturnus vitetur:fugiat æger mœſtitiam,& animi ſollicitudinem,& ad lætitiam diſponatur.

In obliuione verò à frigiditate & ſiccitate diæta ad calidum & humidum vergat: cibi omnes ſint calidi & humidi: vinum dilutum moderatè bibatur: exercitia ſint moderata: ſomnus longior: caput abluatur decocto flor. chamæmel. & meliloti. A Venere planè abſtinendum.

Quæ de artificiali, ſeu locali memoria apud Ciceronem,Quintilianum, & noſtro ſeculo in multis hac de re editis libellis habentur, huius loci non ſunt. Etſi enim arte ea non parùm adminiculi memoriæ in ſanis ſuppeditatur, & mira per eam præſtari poſſunt: tamen præſupponit illa memoriam & phantaſiam ſaluam, ac bene ſe habentem:ac quò quis hiſce magis valet, eò ad hanc artem tractandam aptior eſt;quò minus,ineptior. Itaque vt claudus ad ſaltandum ineptus: ita qui phantaſiæ & memoriæ imminutæ, aut abolitæ vitio laborat, de quo hîc agimus, is nihil, vel parum auxilij ab hac arte ſperet.

Exempla curationis læſæ memoriæ, & multa ad eam vtilia medicamenta,videantur apud F.Hildesheimium, *ſpicileg.3.*

## CAPVT VI.

### *De Delirio in Genere, & de Delirio ſimplici, Paraphrenitide, ac Temulentia.*

Delirium NOn ſolùm autem imminuuntur & abolentur phantaſia ac ratiocinatio; ſed etiam quandoque deprauantur: quæ functionum harum deprauatio, ſiue ſit Phrenitis,ſiue Melancholia,ſiue Mania,ſiue quæcũque Phantaſiæ & Ratiocinationis deprauatio, Græcis in genere παραφροσύνη, Latinis Delirium, & Deſipientia appellatur. Occurrunt tamen & aliæ horum ſymptomatum appellationes. Hippocrates & Galenus ad leuem deſipientiam ſignificandam ferè vocabulis ληρῶσαι, ſiue παραληρῶσαι παραφρονῆσαι,& παραχθῆναι vtuntur;item παραπαῖσαι, & παρακροῦσαι: ad grauem ἐκστῆναι μανῆναι, & ἐκμανῆναι. Παρακόψαι promiſcuè de vtraque vſurpatur: Παραφέρεσθαι verò maiorem, quàm leuem mentis errorem, & ad inſaniam ac furorem quendam gradum ſignificat.

Etſi verò magna ſit deliriorum varietas: tamen in genere in deprauatione functionum principum phantaſiæ, ac ratiocinationis conueniunt, quando ſcilicet phantaſmata,ſeu imagines,nec quæ debent, nec vt debẽt,offeruntur,nec,vt par eſt,coniunguntur, ſeu phantaſmata à conſuetudine, & ratione aliena obiiciuntur, ac inordinatè & confusè mouentur, ac diuerſorum obiectorum ſimulacta ſimul offeruntur, & ineptè coniunguntur: vnde abſurda & loquuntur, & agunt delirantes.

Acciditque Delirantibus tale quid, quale dormientibus in inſomniis, vnde, vt ſuprà dictum, non ineptè ſomnia deliria dormientium, & deliria vigilantium ſomnia appellantur.

Ideóque etiam in genere,quæ deliriorum cauſſa ſit, quærendum.Cum verò nec ad conformationem ſolam, nec ad ſolutam vnitatem hæc ſymptomata referri poſſint; cum videamus multos delirio corripi, in quibus neutrum horum læditur: vel cerebro, vt parte ſimilari, læſo,vel ob errorem externum hæc ſymptomata excitari neceſſe eſt.



Capiuaccius Melancholici delirij cauſſam primam Phantaſma tenebricoſum,Maniaci verò igneum phantaſma, ſtatuit. Cùm enim Ratiocinantem oporteat phantaſmata ſpeculari, & ipſa etiam phantaſia circa ſuas imagines, & obiecta verſetur: ſi illa non rectè ſeſe habeant,functio illa deprauatur, & perinde ſeſe res habet, vt, dum ſpecies viſibilis rei albæ per vitrum rubrum conſpectæ,rubra,aut res quieſcens mota videtur, ob obiecti,ſeu ſpeciei viſibilis,quod à medio concepit, vitium.

Verum enim verò hîc ſciendum quod, cùm in delirio duæ facultates diuerſiſſimæ quarum vna organo corporeo vtitur,alia nullo indiget,afficiantur, phantaſia ſcilicet, & ratiocinatio, vna cauſſa delirij ſtatui non poſſit; ſed duplex: Phantaſiæ ſcilicet læſæ ſpiritus animalis vitioſus; Ratiocinationis verò deprauatæ phantaſma vitioſum.

Itaque in genere Delirium definiri poteſt actio deprauata phantaſiæ, ac ratiocinationis, à ſpiritu animali impuro, phantaſmati abſurdo, & inconuenienti occaſionem præbente. Phantaſmatis enim huius p.n.ſe habẽtis cauſſam idẽ rectè in ſpiritibus quærit. Sicut enim, vt de vertigine diximus, ſpiritus animales ſi circumrotentur, hanc qualitatem ſpeciei per viſum oblatæ communicant: ita ſi alio etiam modo p. n. ſint affecti, ſpecies & obiecta facultatum principum deprauare ſolent.

Atque ita cauſſa præcipua horum ſymptomatum in ſpiritibus animalibus quærenda: quam ſi quis ad morbum cerebri,vt partis ſimilaris conſiderati referre velit, non repugnamus. Hoc tantùm notandum; cerebrum, vt partem ſimilarem, poſſe conſiderari, primò vt miſtum; deinde vt viuens, & calore vitali præditum, per quem animæ vegetantis actiones perficit; & tertiò vt includit ſpiritum, qui ſolus proximum harum actionum inſtrumentum eſt. Hinc accidit:vt,etſi temperies cerebri lædatur, quod ſæpe fit in febribus, & aliis morbis;tamen delirium nullum accidat, vbi malum ſpiritibus non communicatur. Vbi verò ſpiritus ille cerebri inſitus,& conſequenter etiam reliqui, qui in eo continentur, afficiuntur;tum deliria contingunt. Cum enim ſpiritus illi,quibus anima in obeundis actionibus illis principibus vtitur,debeant eſſe temperati,tenues,puri, lucidi,& ordinatè, ac certo quodam, ac regulari modo moueri:ſi quid horum deſit, & mutetur, vitiúmque illud ſpeciebus & phantaſmatibus communicetur, varia deliriorum genera excitantur.

Cum autem duo ſpiritus, quem vtrumque animalem dicimus, ſint in cerebro: Vnus inſitus, qui proximum, & maximè intimum animæ in actionibus iſtis obeundis inſtrumentum eſt, quique ad temperiem cerebri pertinet,eámque perficit;alter,qui in cerebro generatur, quo anima etiam in actionibus ſenſuum, tum internorum, tum externorum, vt & motu animali vtitur:ſi ille ſpiritus mobilis, quem in ſpecie animalem nuncupare ſolemus,à cauſſis p. n. quod facilè fieri poteſt,nimium calidus,vel impurus reddatur,& inordinatè ac irregulariter moueatur, leuiora deliria excitantur; ſi verò ille inſitus à ſtatu naturali deflectat,grauiora illa & pertinaciora deliria contingunt.

Atque ita delirij ſeu deſipientiæ in genere cauſſa quærenda eſt in pr. nat. conſtitutione ſpiritus animalis in cerebro,ſiue illius inſiti & fixi, ſiue mobilis. Etenim ſi hic impurus fiat, vel inordinatè ac irregulariter moueatur, vitium id cõmunicatur phantaſmatibus, circa quæ occupatur ratio:vnde non ea,quæ debebant,menti præſentantur, ſed aliena & abſurda;nec eo modo, quo debebant,ſed alienâ qualitate infecta, nec ordinatè intellectui offeruntur,ſed vel omnia ferè ſimul,& confusè;vel inordinatè;&c, quæ diuerſiſſima ſunt, & non cohærentia,dum ſimul occurrunt connectuntur.

Quodnam autem illud ſpirituum vitium ſit,explicare non facile. Vulgò quidem in manifeſta intemperie

ferè ſubſiſtitur & inprimis in febribus delirij cauſſa in intemperiem calidam refertur. Verùm vix febris dari poteſt, in qua non etiam cerebri intemperies lædatur; cùm febris totius corporis ſit intemperies, & conſequenter etiam ſpiritus animales incaleſcunt, & in febribus omnibus ſpiritus vitales accendantur, calorémque p. n. toti corpori communicent, & procul dubio inde etiam ſpiritus animales calefiant. Dátur tamen multæ febres, in quibus nullum adeſt delirium. Præterea in melancholicis, & inprimis iis, quibus magna humoris melancholici copia in hypochondriis cumulatur, vapores melancholici ad cerebrum aſcendunt; nec tamen ægri inde melancholici fiunt. Ideóque procul dubio ἀῤῥητος quædam, & occulta diſpoſitio eſt in ſpiritibus animalibus, quæ delirij cauſſa proxima eſt; quæ etſi vulgo calida, ignea, tenebricoſa, impura dicitur: tamen ſatis his vocabulis declarari & innoteſcere non poteſt.

*Deliriorum differentia.*

Deliria autem hæc differunt primò Loco affecto; quod nimirum nunc cerebrum per ſe afficitur, & ipſum cauſſam delirij ſuppeditat; nunc per συμπάθειαν afficitur, cauſſa delirij à venoſo & arterioſo genere, hypochondriis, diaphragmate, ventriculo, vel aliis partibus communicatà. Et quidem nunc cauſſa illa, vti modo diximus, ſaltem ſpiritus animales in cerebro mobiles, nunc etiam ſpiritum inſitum vitiat. Deinde Cauſſa efficiente. Interdum enim ſolus vapor, ſine humore, deliria excitat, iis, quæ ebriis eâdem de cauſſa accidunt, non abſimilia; interdum ſanguis, bilis flaua, vel humor melancholicus, aut ater delirij cauſſa eſt. Atque ex hac humorum varietate, & inprimis morum ac ingeniorum diuerſitate varij ſunt deſipientium ordines. Quidam enim ſolâ cogitatione delirant, imaginando abſurda phantaſmata, qui ſæpe longam telam abſurdarum cogitationum texunt, etſi pauca loquantur; vndè σιώπηροι nuncupantur; alij ſermone delirant, qui ridicula, aliena, magnifica, vel maledica proferunt: alij opere, & factis cogitationes ſuas abſurdas & aberrantes explent. Efficiúntque hæc omnia vel μετὰ γέλωτος, vel μετὰ σπουδῆς, ſicut παραφροσύνης differentias haſce ſtatuit Hippocrates, 6. *aphor.* 53. Et rurſum quædam παραφροσύνη κόσμιος eſt quædam θρασεῖα, ἢ θηριώδης Vt autem de deliriorum generibus diſtinctè agamus, ita cómodè diuidi poſſunt: Primò eſt delirium ſimplex, quod nomine generis exprimitur, & Λῆρος, ac παραφροσύνη nominatur; cum reliqua deſipientiæ genera ſua peculiaria nomina habeant. Eſt enim ſecundò Phrenitis; tertiò Melancholia; quartò Mania, & quæ ſub his comprehenduntur.

### *De Delirio Simplici.*

*Delirium ſimplex.*

Et primò quidem ſimplex delirium quod attinet, etſi vox delirij, & παραφροσύνης omni deſipientiæ generi tribuatur: tamen in ſpecie interdum, & vbi abſolutè ponitur, certum delirij genus ſignificat, quod nonnulli etiam Paraphrenitidem, alij Paraphreniſin, ſed ſine antiquorum exemplo, nominant.

Eſt autem hoc delirium non vnius generis. Aliquando enim eſt cum febre, aliquando ſine febre.

Et primò quidem à nonnullis etiam delirium leuius, quod à calida intemperie cerebri, ab æſtu Solis, vigiliis, meditationibus, & ſimilibus cauſſis contracta, oritur, nomine delirij ſimplicis comprehendunt: plerumque tamen apud Autores hoc nomine venit delirium; quod non proprio cerebri, ſed partium inferiorum vitio, à vaporibus ſcilicet calidis, à reliquo corpore cerebro communicatis, excitatur.

Qui enim ſine cerebri primario affectu, ob reliquum corporis conſenſum delirant, quod in febribus ardentibus accidit, eos, vt Galenus, 3. *de loc. affect. cap.* 7. habet, nemo Phreneticos, ſed vel παραφρονοῦντας, vel παραπαίοντας nominat. Quandocunque enim vapores calidi, præcipuè maligni, copioſè in caput irruunt, ſpiritúſque ac cerebrum nimis calefiunt, ac turbant, delirium excitatur; id quod accidit in augmento, & ſtatu febrium ardentium, ac malignarum continuarum, & internis partium inflammationibus, in vermibus, cum putreſcunt, & febrem excitant; interdum etiam paroxyſmis intermittentium. Vt enim frigus ſpiritus torpidos reddendo ingenij tarditatem, ſtupiditatem, ac mentis torporem, & ſoporem excitat: ita nimia caliditas ſpiritus turbando, & nimis mobiles reddendo, errorem, & deliria generat. Et quia vapor ille, qui in caput irruit, tenuis ſubſtantiæ eſt, & facilè diſcutitur, neque malum ſpiritum cerebri inſitum occupat; propterea delirium non eſt continuum, ſed remittente acceſſione, aut exacerbatione, & parte mittente calidos vapores non ampliùs communicante, delirium ceſſat, aut certè non eſt eiuſdem generis vel vehementiæ.

Platerus cauſſis his addit ſanguinem calidiorem & tenuiorem in ſinibus & vaſis cerebri contentum, non vapore ſolum, ſed & propriâ ſubſtantiâ cerebrum accedentem: vti & eum, qui ab ictu, vel caſu eò affluit. Quæ tamen ſententia commoda interpretatione indiget. Nam ſi ſanguis ab ictu vel lapſu, & capitis vehementi contuſione elapſus intra cranium & duram matrem contentus putreſcat & incaleſcat, delirium ſimplex excitare poteſt; cum non neceſſariò ſtatim ſimul cerebri membranæ inflammentur. Deinde etiam ſanguis in vaſis contentus incaleſcere citra vaſorum & cerebri inflammationem, & ſimplex delirium excitare poteſt. Verùm ſi ſanguis non ſolùm vapore, ſed & ſuâ ſubſtantiâ cerebrum ipſum accendat, Phrenitidem potius, quàm delirium ſimplex, ſeu Paraphrenitidem, vt appellant, excitare videtur; tunc ſcilicet, cum extra vaſa in ipſam cerebri ſubſtantiam effundatur. Et licet adhuc in vaſis contineatur: tamen phrenitidis, & inflammationis membranarum cerebri metus tum iam adeſt.

Deinde nonunquam ex inflammatione partis alicuius, quæ calidos vapores ad caput mittit, febrémque continuam coniunctam habet, accidit delirium. Et præcipuè hoc fit ex inflammatione ſepti tranſuerſi, quod antiqui etiam φρένας appellarunt. Vnde nonnulli recentiores hoc delirij genus in ſpecie Paraphrenitidē nominant: ſed ſine antiquorum exemplo. Nonnulli tamen omne delirium per conſenſum paraphrenitidis nomine appellant; ſed & hoc ſine antiquorum exemplo. Nonnulli hoc delirium παραφρένησιν appellant; quod etſi Hercul. Saxonia, *lib.* 1. *cap.* 4. ex Galeno, *de ſympt. differ. c.* 3. citet: tamen ibi non extat, ſed vocabulum παραφροσύνης.

Prius delirium, quod in febribus accidit, quod attinet, ſæpe delirij ſimplicis meminit Hippocrates, & Galenus. Hippocrates, 6. *aphor.* 53. Deſipientiæ, quæ in calidis febribus fiunt, ferocitatem non habent; Phreniticis verò appellatis id ineſt. Galenus, *prorrhet. t.* 31. Deſipientiam conſuetam, familiarémque gignit bilioſus ſanguis cerebrum petens. Et in 6. *Epid. comm.* 3. *text.* 36. In febrium vigore deliria contingunt ex repletione capitis.

Sunt autem huius delirij varij gradus, quos Hippocrates quoque peculiaribus nominibus expreſſit. Primum enim, & leuiſſimum gradum per τὸ λῆρος exprimit, 3. *Epid. ægrot.* 1. & ληρῆσαι, vel παραληρῆσαι, nugatum eſſe dicit, 1. *Epid. ægrot.* 14. σμικρὰ παρέκρουσε, parum delirauit. In ſecundo gradu παραφρονῆσαι, deliraſſe dicit, & παρέκρουσε, delirauit, 6. *Epid. ægrot.* 5. & 8. De tertio gradu dicit, παρελήρει πάντα, planè nugatus eſt, 1. *Epid. ægrot.* 13. & παρέκρουσε πολλὰ, multùm delirauit, *ibid. ægrot.* 4. & 10. De quarto gradu, πάντα παρέκρουσε, planè delirauit, 1. *Epid. ægrot.* 1. Qui vltimus etiam huius delirij ſimplicis gradus eſt. Nam ſi illud ampliùs intendatur, in phrenitidem degenerat.

*Signa*

*Signa Diagnostica.*

*Signa delirij simplicis.* Delirium hoc ex febre cōmite cognoſcitur, & quidem delirium præcedente. Imminere autem ex garrulitate quadam, aut nimia loquendi promptitudine, morúmque mutatione deprehenditur. Si nimirum, qui naturâ mitis, & facilis eſt in reſpondendo, fit ferox, & temerarius, & in iram præter ſolitum procliuior; qui taciturnus eſt, incipiat fieri loquax, corpus indecorè nudet, vel obſcœna dicat, aut faciat, aut in lectum mingat, eorum, quæ egit, & locutus eſt, ſtatim obliuiſcatur, eundémque ſermonem ſæpius repetat, & omnino ſi ægri actiones, & vultus à naturali modo, & conſuetudine mutentur; delirium imminere indicio eſt; vt etiam Hippocrates 2. *Coac. ſ.* 1. *aphor.* 10. docet, inprimis ſi vigiliæ pertinaces, aut ſomnus turbulentus præceſſit. Si quis etiam in febribus acutis dentibus ſtridat non conſuetus id facere à pueritia; futuri delirij indicium eſt. Pulſus quoque in hypochondriis cum perturbatione delirium portendit; magis etiam ſi oculi crebriùs moueantur. Hippocrates; *in Coac. lib.* 3. *ſ.* 2. *comm.* 1. *aphor.* 13. *ſec. diſtinct. Holleri*. Et oculorum motûs in omnibus morbis, in quibus delirium metuendum, diligenter conſiderandi. Etenim inſtabiles illi ipſum præſagiunt. Nam cum cerebro vicini ſint, & cum ipſo, venis, arteriis, & neruis ſociati; omnium ferè primi ipſius iniuriam perſentiſcunt, atque inde imminente delirio crebro hûc atque illuc mouentur.

Ipſum verò delirium iam præſens ex ſermonibus & actionibus ægri deprehenditur. Delirantis enim actiones, & ſermones à conſueto modo multùm deflectunt, dum loquuntur & proferunt abſurda, quæ cum rebus non conſentiunt, nec cohærent, obſcœna, & turpia loquuntur; dum manus temerè iactant & agitant, floccos carpunt, feſtucas legunt, muſcas venantur, quæ nullæ adſunt, partes tegendas, & pudendas nudant, ſubitò è lecto ſurgunt; lætantur, aut mœrent præter ſolitum, vrinam & feces in lectum excernunt, tardius, quàm neceſſitas poſtulat, reſpirant, dolores non ſentiunt. De quo Hippocrates, 2. *aphor.* 23. Quicunque dolentes aliquâ parte corporis omnino dolorem non ſentiunt, iis mens ægrotat. In ventrem etiam cubare, qui non eſt aſſuetus ita dormire, quo tempore ſanus fuit, malum eſt. Delirium enim, aut dolor circa ventrem ſignificatur. Eius generis aphoriſmi multi ex Hippocratis prorrheticis, prognoſticis & coac. prædict. colligi, & hûc referri poſſunt.

*Prognoſtica.*

*Prognoſtica.* 1. Ipſum quidem delirium per ſe magni momenti non eſt, ſed ex cauſſa omne periculum pendet; ob quam nullum delirium tutum putat Galenus, 6. *aphor.* 53.

2. Euentus tamen is prædicendus, quem febris & vires præſagiunt. Quò n. vires ſunt debiliores, & febris vehementior, vel malignior, eò plus periculi metuendum. Si vires contrà conſtent, & febris non ſit periculoſa, nec delirium aliquid periculi portendit.

3. Et delirium, quod cum bonis ſignis coniungitur, minùs metuendum eſt, quàm quod cum malis. Et delirium intermittens, non vehemens, ſed leue, præſertim quod fit per acceſſiones, non lethale eſt.

4. Somnus in delirantibus bonum ſignum eſt, præcipuè ſi delirium ſedet, vt Hippocrates, 2. *aphor.* 2. docet. Contrà deliria, quæ iam valde debilitatis accidunt, exitioſa ſunt, vt nullus ferè ex iis conualeſcat.

5. In principio quoque febris, quæ apparent deliria, & quæ ſine ſignis coctionis accidunt, peſſima ſunt, & ad phrenitidem deducunt.

6. Mala ſigna cum deliriis apparentia mortem; lethalia verò iam imminens exitium minantur. Exitium nimirum portendunt deliria, ſi delirans non videat, non audiat; ſi oculi lucem ſubterfugiant, inuoluntariè lacrumentur, aut peruertantur, aut alter altero maior fiat, aut album oculi rubicundum euadat, ſi ægri obtumeſcant, vox fiat clangoſa.

7. Tempus ſolutionis breue eſt; cum febres illæ non ſint diuturnæ, ſed breui, vel ad ſalutem, vel ad mortem terminentur. Et quidem ad ſalutem terminatur delirium, ſi febris, quæ eius cauſſa eſt, ceſſet, & critica euacuatio bona ſequatur: ad interitum verò, ſi febris vel vires deiiciat, vel ex delirio perconſenſum fiat delirium per ſe, & homo Phreniticus euadat. Si nimirum ſignis coctionis præcedentibus largior ſequatur ſanguinis euacuatio per nares, vel menſtruæ purgationes, vel hæmorrhoides, prorumpant, nihil periculi habet delirium, ſed è ſignis decretoriis vnum eſt. Si verò nulla euacuatio ſequatur, vel parua; vt ſanguinis è naribus ſtillicidium, ſudores capitis frigidi, & huiuſmodi alia, lethale ſignum eſt delirium. De quibus paſſim exſtant multi aphoriſmi apud Hippocratem in Coacis, prorrheticis, & prognoſticis, quorum aliquos etiam in Inſtitut. *lib.* 3. *part.* 3. *cap.* 5. propoſuimus.

*Indicationes.*

Quamprimum delirij aliqua ſuſpicio adeſt, videndum, ne illud incrementum ſumat, & in phrenitidem degeneret. Itaque feruor humorum, qui vapores ſuppeditant, temperandus, vapores ad caput adſcendentes reuellendi, repellendi, intercipiendi, quique ad caput iam penetrauerunt diſcutiendi. *Delirij ſimplicis curatio*

*Auxilia.*

Sanguinis feruorem temperant medicamenta, quæ aliàs febribus eiuſmodi debentur.

Reuulſionis gratiâ inſtituendæ frictiones, ligaturæ, aut cucurbitulæ, etiam cum ſcarificatione, ſi opus ſit, cruribus affigendæ. Et ſi hæc non ſufficiant, & ſectione venæ febris vehementiæ primò non ſit ſatisfactum, ea, ſi vires ferant, repetenda, & vena cephalica, aut, quod commodius eſt, & ſi nondum vehementer materia caput obſedit, venæ in pedibus aperiendæ. Clyſteres quoque, qui materiam à capite reuellant, infundendi. Imò ſi febris aliquam remiſſionem, vel intermiſſionem habeat, die quietis lene purgans ex caſſia, manna, tamarind. ſyrup. roſar. & violar. ſolut. vel rhabarbaro exhibendum. Veſicatoria quoque cruribus, vel brachiis applicata ad reuellendum à capite vtilia ſunt. Proſunt etiam pedum lotiones, & epithemata ac cataplaſmata iis admota.

Vt: ℞. *Fermenti acerrimi* Vnc. iiii. *ſapon. Veneti* Vnc. i. *ſal. communis* Vnc iß. *aceti roſar* q. ſ. pro impaſtatione. F. Cataplaſma, quod linteis imponatur, plantíſque pedum admoueatur.

Dum hæc fiunt, ſimul refrigerantia, & adſtringentia nonnihil capiti adhibenda, quæ feruorem humorum temperant, eóſque ad caput non admittunt: de quibus ſuprà, *cap.* 1. 7. 8. 9 *part.* 1. dictum.

Et quia vigiliæ plerumque cum delirio coniunguntur, hypnotica medicamenta, de quibus, *cap.* 1. ſuprà dictum, tum internis refrigerantibus, tum repellentibus, quæ extrà exhibentur, admiſcenda.

Tandem vt etiam materia, quæ iam caput occupauit, euacuetur, vena in fronte aperiri poteſt, vel ſub lingua, vel poſt aures. Repellentibus verò in morbi progreſſu admiſcenda leniter diſcutientia, malua, chamæmel. melilot. betonic. aneth. ſem. & mucilago lini, fœnigræc. & & ex his parata, ol. chamæmel. anethinum. In declinatione ſolum chamæmelum vſurpari poteſt, vel vnguentum alabaſtrinum. Prodeſt etiam tum columbas per medium diſſectas calentes capiti apponere, vel pulmones arietis, aut agnorum calentes, aut in lacte, vel ol. chamæmel. calefactos capiti applicare, &

poſt remotionem horum caput aq. calente abluere. Ac quò malum magis ad declinationem tendit, eò magis horum vſui inſiſtere decet. Id tamen attendendum, ne nimiùm calidis medicamentis caput iterum incaleſcat, ac vapores rurſum à partibus inferioribus ad caput attrahantur.

### *De Paraphrenitide.*

Deinde delirium tale, idque etiam cum febre coniunctum, oritur quandoque ex diahragmatis inflammatione: quod recentiores nonnulli in ſpecie Paraphrenitidem appellant; cum alij hoc vocabulo omne delirium, quod accidit capite non primariò affecto, comprehendant: vtrique tamen, vt dictum, ſine Antiquorum exemplo, & autoritate. Cum enim diaphragma neruoſum ſit in medio, habet magnam cum cerebro per neruos συμπάθειαν, &, vt Galenus hac de re ſcribit, *lib.5.de loc. affect. cap.*4. (quo in loco cum expreſsè de hoc malo agat Galenus, meritò vox Paraphrenitidis occurrere deberet, ſi antiquis in vſu fuiſſet) ab aliarum partium nullâ perpetuum delirium procedit, excepto ſolo ſepto tranſuerſo, à cuius inflammatione excitatum delirium non multum differt à phrenitide, & continuo delirio, vt veteres putauerint hâc parte inflammatione affectâ homines phreniticos euadere, atque ob id φρένας appellarint, quaſi φρονοῦντι, id eſt, ſapienti parti aliquid conferat.

Cauſſa huius delirij proxima cum ſit inflammatio diaphragmatis, nihil de ea amplius hîc addi poteſt: reliqua patebunt ex iis, quæ *libr.2.de pleuritide, & diaphragmatis inflammatione* dicentur.

### *Signa Diagnoſtica.*

Delirium hoc eadem ferè ſigna habet, quæ in phrenitide apparent. Verùm diſtinguitur ab eo, vt Galenus, *alleg.loc.* docet, & ex oculorum accidentibus, & ſanguinis è naribus ſtillis; vt & ſpirationis ſpecie. Quippe phreneticorum reſpiratio magna eſt, & ex longis ſemper interuallis. Contrà vbi à ſepto tranſuerſo delirium oritur, inæqualis, vt modò exigua ſit, atque frequens; modò magna, & cum anguſtia coniuncta. Nam incipiente ſepti tranſuerſi inflammatione, priuſquam delirant laborantes, exiguum, ac frequentem reddunt ſpiritum; contrà ab iis, qui ab affecto cerebro delirant, magna prodit, raráque ſpiratio. Sed frequenter ita confunduntur hæc ſigna, vt vix quicquam certitudinis habeant. Præterea vt eorum accidentium, quæ phrenitidem antecedere ſolent, quæque Galenus eodem loco proponit, aut nullum apparet, aut exiguum; ita ſurſum & intrò reuelli hypochondrium, ſepti tranſuerſi illico ab initio affecti proprium indicium eſt: id quod affecto cerebro poſteriùs accidit, non incipiente affectu; ſed cum is iam factus eſt. Inprimis verò Paraphrenitis ex eo cognoſcitur, quod delirium iunctum eſt cum tuſſi & dolore lateris. Calor quoque circa caput, & faciei & oculorum rubedo maior eſt in iis, qui ob cerebri, quam qui ob ſepti tranſuerſi inflammationem delirant.

### *Prognoſticum.*

Delirij huius periculum æſtimandum eſt ex vehementia morbi, & virium robore, & ex horum collatione ſalus, vel mors prædicenda. De quibus etiam *cap. ſequ.* dicetur.

### *Curatio.*

Curatio ad partem affectam inprimis dirigenda, de qua *lib.* 2. dicetur; cùm curatâ inflammatione diaphragmatis etiam hoc delirium ceſſet. Interim tamen materia à capite auertenda & repellenda, vt modo de Delirio ſimplici, &, *part.* 1. *cap. allegat.* diximus.

### *De Temulentia, vel Ebrietate.*

Sine febre verò deliriorum genera etiam aliquot ſunt. Pertinet primò hûc Temulentia, vel Ebrietas, à vino aliíſque potibus, & rebus inebriandi vim habentibus orta. Vt enim in febribus vapores calidi ex humore putreſcente ad caput eleuantur, ſpiritúſque turbant: ita etiam à ventriculo, vino, vel alio potu inebriante repleto, imò toto venoſo genere, in quo ſpiritûs eiuſmodi penetrant, vapores calidi eleuantur, & phantaſiam ac ratiocinationem turbant. Vnde Ebrietas rectè Volũtaria inſania appellatur; cum ebrij delirantibus ſimilia agant, & loquantur: & vt deliria pro corporis diſpoſitione, in quod incidunt, variare ſolent: ita & Ebriorum non eædem actiones, & mores ſunt. Alij enim in hilaritatem nimiam, riſum, cachinnos, cantilenas, & iocos ſe effundunt: alij triſtes euadunt, & de rebus ſacris, de morte faciunt verba; vel etiam lacrumantur: alij ad iram, rixas, contentiones, clamores, pugnáſque concitantur: alij ſomno ſtatim corripiuntur. De quo Horatius, 3. *Carm. Ode* 21. *Temulentia & Ebrietas*

*O nata mecum Conſule Manlio,*
*Seu tu querelas ſiue geris iocos,*
*Seu rixam & inſanos amores,*
*Seu facilem, pia teſta, ſomnum.*

Hebent autem vim ebrietatem inducendi pleraque narcotica dicta, quorum vis antequam eò progreſſa eſt, vt ſoporem, vel ſtuporem excitet, prius temulẽtiam, & delirij quoddam genus producit. Inter ea primum eſt Vinum, & præcipuè eius ſpiritus, in quo vis illa vnita eſt. Idem tamen præſtant & aliarum plantarum ſucci & ſpiritus. Cereuiſia enim omnis, ſeu triticea, ſeu hordeacea, ſeu auenacea vim inebriandi habet, partim à lupulo, partim à frumento, è quo ſpiritus ardens æquè ac ex vino elici poteſt. Et ſpiritus omnes ex plantis parati, vt baccis & flor. ſambuci, ceraſis, roſis inebriant, ſi copioſiùs ſumantur. Inebriant quoque cannabis, lolij, pſeudomelanthij, & hyoſcyami ſemen, fructus fagi, cocculi de Leuante, cortic. mandragor. opium, ſi cum vino fortiſſimo bibatur. Refert etiam Lobelius, *in obſeru.ſtirp.pag.*570. fœminam Anglam grauidam eſu 10. & 12. nucum myriſticarum ebriam deliraſſe. Et Matthiolus ſcribit, ambarum vino infuſum temulentos efficere: quod & lignum aloës Indum in vino infuſum ſine nocumento præſtat.

Turcas, cum in aciem prodire volunt, vt audaciores fiant, & furibundi, quaſi pericula minus metuant, opij Drach.ß. cum vino ſumere ſcribit non ſolùm Bellonius: ſed & Proſp. Alpinus, *de Medic. Ægypt. lib.*4 *cap.*2. refert, Turcas poſt opium ſumptum hilares admodum euadere, multáque ac varia loqui, fortioréſque ad quæque omnia obeunda ſibi videri, præterea ſubdormientes hortos, ac viridaria arboribus, herbis, ac floribus variis perbellè ornata in ſomniis videre. Ita ex cannabe, quæ Turcis Aſſis eſt, puluerem Turcas parare, idem, *eodem in loco*, ſcribit, quo ſumpto ebrij fiant. Refert & hoc, Ægyptios in vſu habere quoddam electuarium, quod in India paratur, & Bernaui nominatur: cuius ſi Vnc.j ſumatur, homines primò hilares fiunt, multúmque loquuntur, & canunt amatoria, multúmque rident, aliáque deliramenta læta produnt, atque ea amentia ferè per horæ ſpatium durat; poſtea ſtatim iracundi fiunt, & in iram præcipitantur, in eóque ſtatu parum perſiſtunt; demum triſtes fiunt, tantóque timore, ac mœrore anguntur, vt continuò plorent, & lamententur; denique ſomno corripiuntur.

Quædam etiam capiti admota idem præſtant; ſicut Rondeletius refert, quendam, cum hyoſcyami folia capiti applicuiſſet, ad inſaniam redactum eſſe.

*Signa*

### *Signa Diagnoſtica.*

Actionibus & moribus facilè ſe produnt Ebrij: ac ſi narcotica medicamenta tale delirium excitauerunt; ex ægro, vel adſtantibus id cognoſcitur.

### *Prognoſtica.*

1. Ebrietas quidem ex potu vini vel cereuiſiæ contracta poſt aliquot horas diſcutitur; præcipuè ſomno accedente, & vomitu.

*Hiſtoria quatriduanæ ebrietatis. Obſeruatio Henr. ab Heer.*

¶ [ Ebrietatem interdum diutius & ad quartum vſque durare diem, patet etiam ex hac hiſtoria, quam habet Henr. ab Heer, *obſeru.19.* Vir quidam ætatis conſiſtentis, cùm vino cereuiſiaque plurimâ inebriatus fuiſſet, ſupinus concidit, domùmque relatus, à Medico quodam triduo pro apoplectico curatus fuit, qui etiam decreuerat, quarto die cranium trepano aperire. Verùm cùm accederet Henr. ab Heer, & nullam in corpore, quod reſupinatum erat, læſionem perciperet, pulſum æqualem deprehenderet, reſpirationem nullo modo impeditam, cum omnimoda ſternutationis abſentia, ſummaque anhelitûs libertate, de ebrietate ſuſpicari cepit. Et cùm ab vxore intelligeret, virum aliàs ſobrium, malum hoc ex ebrietate contraxiſſe, cranij apertionem prohibuit, & ægrum, cùm nec conuulſionibus, nec febre correptus hactenus fuerit, extra vitæ periculum eſſe pronunciauit, iuxta *aph.5. ſect.5. Siquis ebrius obmuteſcat, conuulſus moritur, niſi febris incidens hunc corripiat, aut quo tempore crapula ſolui ſolet, vocem edat.* Vt verò eum excitaret, myſtaceos pilos (cum in capite omnes abraſi eſſent) vellit, vnde ille & brachia mouere, & loqui cepit.

Etſi verò rara eſt ebrietas quatriduana: tamen accidit interdum, nec Galeno ignota fuit, qui, *in comm. in alleg. aphoriſm.* ſcribit: Quidam poſtridie crapulâ liberantur, alij ſequenti nocte, aliis in tertiam vſque diem durat, pro vini epoti viribus & copia, & potoris natura. Sicut enim cibi concoquendi vnum non eſt omnibus certum & ſtatutum tempus, ſic neque vini exhalandi. Craſſa enim vina tardiùs exhalant, citiùs tenuiora, & aſſueti minùs læduntur. Crediderim tamen hanc ebrietatem in aphóniam degeneràſſe. Addit & hoc *ibidem*, quendam, cum vino Hiſpanico ſe inebriaſſet, è ſcamno delapſum, & pro mortuo ferè in vicinum cubiculum delatum fuiſſe. Cùm verò quidam ſemperuiui ſucco, aceto acri, nitro permixto, ſcrotum inuoluiſſet, ebrietatem breuiſſimo temporis ſpatio diſcuſſam fuiſſe.]

*Alia obſeruatio.*

2. Si verò à veneno, vel medicamento narcotico ſit delirium, magis periculoſum eſt. Imò etiam ex vino vel cereuiſia ebrietas, ſi ſæpius continuetur, memoriam & ingenium debilitat; vt non ſine cauſſa peſtis, & mors memoriæ appelletur: neruoſum genus lædit; vnde tremor, paralyſis, apoplexia, podagra excitatur: & quia etiam hepati nocet, ſæpe hydropem inducit.

### *Præſeruatio ab Ebrietate.*

*Præſeruatio ab ebrietate.*

Si tamen iſtam bibendi neceſſitatem, quæ magno mortalium malo, & Chriſtianiſmi damno, in Germaniam præcipuè inuecta eſt, quis effugere non poſſit, commendàtur amygd. amar. 5. vel 6. aut 10. ante cibum ſumptæ, vt & nuclei perſicorum; quod quidem nonnulli putant fieri, quod amaritudine humiditates abſumant, ne ad caput adſcendant: verùm probabilius eſt vrinam ciendo id præſtare. Commendatur & abſinthium in ventriculo frigido. Scribitque Arculanus ex propria experientia, ſi quis abſinthij comas, aut etiam folia rutæ manè, ieiuno ſtomacho, edat, ab ebrietate defendi.

Vtilis etiam eſt contra Ebrietatem braſſica, vt & ſem. ipſius in cibo ſumpta, vt & folia eius capiti impoſita; verbenaca recta, lac ieiuno ſtomacho bibitum. Commendatur & rad. betonic. Nonnulli hunc puluerem laudant:

℞. *Sem. caulium* Drach. i. *coriandr.* Drach. ß. *camphor.* gr. ii. F. Puluis.

Vel paretur tale Electuarium:

℞. *Conſeru. roſar. rubr. rob. ribes, berberis,* an. Vnc. ß. *amygdal. amar. contuſar.* num. xii. *ſem. caulium* Drach. ii. *coriandr. præpar.* Drach. i. Cum *ſyrupo granator.* F. Electuarium.

Syrupus:

℞. *Succi caulium albor. vini granator. ſucci ribes,* an. ℥. ii. *aceti* ℥. i. *ſacchari* q. ſ. Coqu. ad Iulepi conſiſtentiam.

Vel ℞. *Syrup. acetoſitat. citri & aq.* q. ſ. F. Iulepus.

Extrà commendantur fol. hederæ capiti impoſita; vnde antiqui in conuiuiis coronis ex hedera caput cingebant; vel ſuccus illius capiti inunctus: vt & lapis Amethiſtus geſtatus.

Qui Ebrietatem etiam præcauere cupit, non ieiunus, vel ſtatim in prima menſa ἀθρόῳ bibat, ſed tardè, & vbi ſatis comedit.

### *Curatio.*

Iam verò Ebrios, vt ab Ebrietate citò liberentur, iuuat vomitus, ſi vinum adhuc crudum ex parte in ventriculo conſiſtat; qui etiam, ſi opus, medicamentis prouocandus: & ſi acida in fine menſæ exhibeantur, acetúmque aquâ dilutum, vel ſolum etiam hauſtum, quod Ebrietatis & venenorum narcoticorum ac furioſorum eſt antidotus; poma acida, pruna, cydonia comeſta, eorúmque ſuccus hauſtus, lac acidum, lactuca item & braſſica.

Vel ℞. *Aq. fontis* ℔. ß. *aceti vini* Vnc. iii. *ſyrup. acetoſit. citri,* vel *oxyſacchar. ſimpl.* ℥. iß. *ſyrup. violar.* ℥. ß.

Miſce pro Iulepo. Vel etiam hauſtus aquæ frigidæ propinetur ad vapores ſupprimendos, & vini feruorem reſtinguendum.

Extrà Oxyrrhodina capiti applicentur; & camphora, ac ſantali odoranda exhibeantur. Poſtea etiam pedes fricentur, vel aquæ calidæ immergantur. Vtilis eſt & ſudor, ſi erumpat.

Maximè verò ad abigendã Ebrietatem ſomnus facit.

Pertinet hûc & illud delirium, quod Græci etiam παραφορὰν, & λῆρον nominant, quod ab imbecillitate facultatis principis oritur, ob immoderatum ſanguinis fluuium, vel diuturnas vigilias; nonnunquam ob ictum capitis quo ſpiritus animales perturbantur. Atque iſtud delirium ex ſuis cauſſis cognoſcitur, & iis amotis tollitur. *Παραφορά.*

Referenda & hûc ſtultitia, in qua facultates principes non ſolùm imminutæ, ſed & deprauatæ ſunt. Quæ nonnullis à primo ortu impreſſa eſt, aliis poſt ortum etiam contrahitur. Et quidem pendet iſtud malum proximè à ſpiritus cerebro inſiti vitio; vt & interdum à cerebri, & capitis conformatione prauâ; quam cùm nec ſatis explicare, nec emendare poſſibile ſit, de eâ amplius nihil addimus.

## QVÆSTIO.

### *Quid ſit Maſlach Turcarum?*

*Maſlach Turcarum quid.*

Vt hoc loco obiter quaſi de Maſlach Turcarum, cuius ſupra facta eſt mentio, aliquid inſeramus; communis hactenus fuit opinio, Maſlach, vt ex Scaligero, *exercit. 175. ſect. 1.* V Viero, *lib. 3. de præſtigiis dæmonum, c. 18.* & aliis videre eſt, ex opio parari. Etſi enim nomen Maſlach non apud omnes occurrat; rem tamen ipſam ſatis Autores omnes deſcribunt. Sunt tamen hodie, qui id negant, adducti autoritate Leonard. Thurnheuſeri, qui ſui *herbarij, lib. 1. cap. 29.* ex ceruariæ ſucco Maſlach parari ſcribit, ídque ex ſecreta Turcarum relatione ſibi cognitum fuiſſe refert. Etſi verò apud nos non ſit

sit in vsu Maslach:tamen, vt etiam hac in re veritatem rescirem, scripsi eo nomine Patauium, ad virum Clariss. Dn. D. Danielem Bucretium, Ciuem, & amicum meum, eúmque rogaui, vt Venetiis apud Turcas, vel alios, quos huius rei notitiam habere putaret, hâc de re inquireret. Percontatus ergo ille est primò hac de re Dn. Iohan. Baptistam Syluagium, Genuensem, Reipublicæ Venetæ apud Turcarum Imperatorem Interpretem, peritissimum linguarum & morum gentium orientalium. Is hoc primò negauit, Turcas prælium inituros tale quid, quo animosiores se morti opponant, deuorare: imò grauissimè prohibitum esse, ne quis prælium accessurus, quicquam earum rerum vel degustet, quæ mentem quocunque modo turbare queant. Id autem, quod animum præliaturis addit, prædestinationem esse, quam de vita & morte hominis ab æterno factam esse à Deo credunt. Vbi enim dimicandum est, Imperatores, vel Duces belli suos quisque adhortatur, se præstent strenuos, memores, se pro Deo sanctaque fide maiorum pugnare, &, si quod periculum impendeat, se immunes nihilominus à morte futuros esse, si ita æterno Numini visum fuerit: sin aliquid secius forte contingat, iamiam martyres se sciant esse, quibus cœlum apertum sit. Deinde Maslach quod attinet, idem retulit, habere Turcas medicamenta quædam, quibus frequenter vtuntur, quæ primùm hilares reddunt, at mox, præsertim si copiâ peccatum sit, insanos; inde in somnum coniiciunt; quo variæ rerum iucundissimarum imagines omnino repræsentantur. Et quidem talia præcipuè duo habere, quorum primum patrio sermone Afión dicitur: alterum Bóngelic. Et Afión nihil aliud esse, quam opium nostrum, quod iter facientes assumunt, vt hilarius tempus perdant, feisique redeuntes suauius dormiant. Aiunt enim, post eius vsum sibi somnia iucunda obiici, & choreas pulcherrimarum virginum sibi videri. At si sæpius id sumant, insensati quasi redduntur, minúsque, vt antea, animo semper valent. Quin etiam si assuescant huius vsui, fieri quàm sæpissime solet, vt, quâ horâ sumere consueuerant, nisi eâdem sollicitè repetant, iam malè se habeant, ac, si consuetudo fuerit vetustior, in animi deliquium cadant. Tristes fiunt toto vitæ tempore, & ad omnia animi officia inhabiles redduntur, nec redire ad vllam hilaritatem queunt, nisi fucata sit, & arte, vsúque opij parata. Quæ caussa est, cur ii, qui animo ferè nobiliori præditi, & ad res gerendas nati, tanquam rem infamem & impiam exsecrentur, sicque inter plebeios tantum, viléique animos locum inueniant. Bóngelic autem electuarium est ex melle paratum, foliis & semine cannabis puluerisati, quod in maximo vsu, & frequentiore adeo, quam opium habent; cum languentem ventriculi vim ipsis colligere videatur. Coniicit tamen & hoc in eadem homines pericula; cum delirantes reddat, & somnum capiant, (quem conciliat similiter) gigantes pugnare sibi videantur, ignésque & ciuitates ardentes. Cæterum idem Dn. D. Bucretius, vt ab aliis etiam in veritatem inquireret, cum Venetiis manè in coronam Turcarum circa mensam cuiusdam fœminæ stantem incideret, viderétque, ipsos aquam quandam potitare (quam vendebat hæc) feruentissimam, vt non nisi guttulam semper deglutirent, atque ex ipsis, quid esset, quæreret, responderunt, decoctum esse seminis cuiusdam, quod Caphe vocant, allati ex Arabia Felice, quod bibunt matutinis horis, vt nostri aquam vitæ. Tandé cum etiam incideret in Dn. Poterium, ex scriptis Chymicis notum, atque ipsum de Maslach percontaretur, retulit hic, se multa iuuenem de eodem indagasse, ac tandem à pluribus Turcis edoctum esse, nihil quam opium hoc nomine vocari. Cui cum Dn. D. Bucretius autoritatem Thurnheuseri, cui fidem facit, tot circumstantiis, quas affert, obiiceret, ille se paruipendere hominis istius fidem respondit, à quo nunquam non credulus fuerit delusus. Ex quibus omnibus patet, etsi vox Maslach non omnibus nota, nec vbique obuia sit; tamen medicamentum, quod eo nomine circumfertur, ex opio esse. Et cum de hac re sit vnanimis consensus, non tantum Turcarum, sed & Christianorum, qui nihil aliud pro Maslach, quod in Turcia emerunt, quam opiũ monstrant: non video, cur eum deserere, & Thurnheisero assentiri potiùs debeamus, qui tamen in aliis rebus multis fidem suam suspectam reddidit. Si quis tamen hac de re certiora (nam fides hic penes experientiam est) cognita & perspecta habet, vt veritas pateat, ea in publicum conferat.

## CAPVT VII.

### *De Phrenitide.*

PHrenitis Græcis ἀπὸ τῶν φρενῶν dicitur; quo vocabulo, vt Galenus, *1. prorrhet. t.4.* docet, νοῦς seu διάνοια propriè significatur, significatque (vt pleuritis, nephritis) inflammationem, ob quam ratiocinatio læditur, & delirium excitatur. Et cum diaphragmate inflammato mens etiam turbetur, factum est, vt à Platone, & veteribus aliis τῶν φρενῶν appellatio (Latini tum præcordia vertunt) diaphragmati tributa sit; quod huius etiam constitutio ad mentem aliquid facere videatur. Verum cum diaphragma ad mentem non pertineat, sed per accidens delirium illud contingat, verè ac propriè dicta Phrenitis sit tantum cerebri membranis primariò affectis; & propriè membranarum cerebri affectio est Phrenitis. Aliquando tamen etiam deliria symptomatica febrium ardentium deliria dicuntur.

*Phrenitis dupliciter consideratur.* Affectio autem hæc dupliciter considerari, vt & definiri potest; vel vt morbus, in flammatio scilicet membranarum cerebri, quâ ratione suprà, *part. 1. cap. 27.* considerata fuit; vel vt symptoma, seu deprauata actio facultatum principum; quâ ratione hîc consideranda venit.

*Phrenit. quid.* Atque hoc modo considerata Phrenitis, est delirium perpetuum & continuum, seu principum functionum cerebri, imaginationis scilicet, & ratiocinationis deprauatio, ab inflammatione membranarum cerebri orta, cum febre continua; aut potius delirium dependens ab intemperie calida cerebri cum materia, eaque ab inflammatione membranarum cerebri proueniente; vt postea de caussis dicetur.

*Quænam facultates lædantur in Phrenitide.* Vt enim in aliis deliriis, ita hîc phantasia, & ratiocinatio suum officium non faciunt, sed in iudicandis rebus aberrant, nec verum à falso, bonum à malo, turpe ab honesto, congruum ab absurdo, & quod nec loco, neç tempori conuenit, distinguere valent, & ob caussæ rationem omnia cum contentione, rixa & furore agunt.

Interdum tamen sola imaginatio, ratiocinatione saluâ; interdum vtraque functio deprauatur. Dum imaginatio sola afficitur, res absurdæ & non cohærentes offeruntur, ac ea, quæ nullo modo adsunt, præsentia putantur: cætera rectè iudicant. Id quod Theophilo, Medico, contigit, vt Galenus, *de differ. sympt. cap. 3.* refert, qui cum tubicines angulum domus, vbi decumbebat, occupasse, assiduéque sonare, tum pulsare putabat, in eo imaginationem deprauatam habebat: quod vero eos, vt sibi molestos, & quietem turbantes, domo eiicere iubebat, & in cæteris omnia prudenter agebat, & loquebatur, atque, vbi conualuit, quæ quisque adstantium dixisset, fecissetvé, narrare poterat, & imaginationis illius deprauatæ de tibicinibus recordabatur, in eo ratiocinatio & memoria salua erant. Alius, vt *ibidem*, Galenus refert, qui occlusis foribus singula vasa promens, & per fenestrã transeuntibus monstrãs, ac nominans, & an ea proiicere iuberent, interrogans, eáque ab alto proiiciens, phantasiam & memoriam eatenus

salua

salua habebat, dum vasa omnia agnosceret,& nomina eorum recitaret:verùm dum ea ex alto proiecit,rationē saluam non fuisse,ipso facto demonstrauit. Plerumque tamen & phantasia, & imaginatio simul deprauantur.

*An læsa phātasia ratio salua permanere possit.* Eustach. Rudius quidem hanc doctrinam impugnat statuitque, fieri non posse, vt ratione saluâ & illæsâ permanente,sola imaginatio possit lædi; idque ea de caussa, quia speculantem & intelligentem oporteat circa phantasmata versari: ideoque si à phantasia deprauata ratiocinatrici potentiæ absurdæ phantasmata offerantur,necesse esse, vt intellectus ea praua phantasmata speculando prauè quoque & absurdè speculetur.

Verum enimuerò etsi hoc verum sit, intellectum circa phantasmata versari: tamen ad intellectum non transmittuntur species materiales, vt à sensibus exterioribus transferuntur ad sensum communem, & hinc ad phantasiam; cum intellectus specierum sensibilium non sit capax,neque organum corporeum habeat, sed intellectus agens phantasmata illustret, eaque à conditionibus materialibus liberet, & speciem intelligibilem efformet; vt de his pluribus Philosophi docent. Præterea intellectus de vno ad aliud discurrit, & circa species memoriâ retentas etiam occupatur. Ideoque etsi phantasia aliquid absurdi menti offerat: tamen si species antea perceptæ in memoria adhuc retineantur, & rationi offerantur;inde errorem illum & deprauationem phantasiæ cognoscere, & corrigere potest: si nimirum animaduertit, neque loco, neque tempori, neque aliis circumstantiis, quas adhuc rectè memoria habet,& veras esse scit,absurda illa phantasmata, quæ ab imaginatione deprauata afferuntur, conuenire. Vnde rectè Aretæus, *lib.1.de cauß.& sign. morb.diutur.cap.5.* scribit, in melancholia in re vna aliqua esse lapsum, constante in reliquis iudicio.

Memoria etiam in Phreniticis sæpe læditur,seu aboletur;cum ægri, etsi sitiant, bibere, & lotium vrgeat, mingere obliuiscantur. Id tamen ferè ex accidenti. Innumeræ enim in tumultuosa illa spirituum commotione imagines offeruntur, quæ phantasiam ita occupatā reddunt,vt ad id, quod natura iubet, non attendat. Aliquando tamen etiam per se lædi potest memoria.

## *Caussæ.*

*Caussa Phrenitidis cerebri mēbranarū inflāmatio.* Caussa huius mali primaria est membranarum cerebri inflammatio, cum sanguis biliosus è vasis suis effusus membranas cerebri occupat, ibique putrescit,& accenditur; aut potius intemperies cerebri & spirituum calida, à membranarum cerebri inflammatione proueniens, qua spirituum animalium turbulētus & inordinatus motus seu agitatio oritur, quæ proxima delirij huius caussa est, vtpote phantasmata deprauans. Neque enim, vt postea *in quæstione*, dicetur, inflammatio cerebri, quatenus talis,delirium hoc excitat; sed tum demum, vbi calida illa intemperies cerebro, & spiritibus eius communicatur, qui inde turbantur. Imò obseruatum, cerebrum inflammmatum fuisse sine delirio. In hoc enim delirio membranæ cerebrum ambientes, vt per quas vasa sanguinem continentia transeunt,præcipuè inflammantur. Vix tamen fieri potest,quin cerebrum ita vicinum etiam non incalescat;imò aliquando, præcipuè eius externa pars, simul inflammetur. Vnde & spiritus insitus, & qui in cerebro generatur,ac cōtinetur,incalescit,& nimis mobilis redditur, varièque agitatur, atque inde delirium continuum excitatur. Etsi enim etiam in aliis febribus deliria accidant, de quibus capite præcedente dictum: tamen quia ista saltem per consensum fiunt,vaporibus biliosis ad caput; siue ex aliqua parte,siue toto elatis; deliria illa non sunt continua, nec tàm vehementia & ferocia; vt in Phrenitide, vbi materia ipsum cerebrum occupauit.

*Cereb.; inflāmatioque modo & vnde fiat.* Qua ratione autem cerebri & eius membranarum inflammatio generetur,& quas caussas habeat, dictum est supra,*part.1.cap.27.* vt de eo hic addere nihil opus sit. Imò cum Phrenitis nihil aliud sit, quàm cerebri membranarum inflammatio, nihil ferè amplius hic addere opus esset;sed omnia,quæ de Phrenitide dicenda sunt,ex *loco alleg.* peti possent: pauca tamen adhuc addere libet, præcipuè ea quæ huic affectioni ratione delirij sunt propria, & dicentur etiam quædam postea,*in quæstione*.

## *Differentiæ.*

*Differentia Phrenitidū, 1. ratione caussarum.* Primò pro caussarum varietate etiam delirium hoc variat. Equidem omnis phrenitis, vtpote inflammatio, est à sanguine: quia tamen sanguis is varius est,& non semper purus, etiam delirium variat. Mitius est,& cum risu, ac leui in somnum propensione, quod fit à sanguine puro;quod tamen rarius accidit: & diu non durat; cum ex sanguine inflammato facilè bilis, aut atra bilis fiat: sæuius,si pallida bilis admisceatur:adhuc sæuius,& cum pertinacissimis vigiliis, si flaua bilis admisceatur, quæ si aduri incipiat,sæuissimum delirium excitat. Variatur etiam Phrenitidis magnitudo pro caussarum vehementia, ita vt nunc sola imaginatio, nunc quoque ratiocinatio, imò quandoque memoria lædatur.

*2. Ratione loci affecti.* Deinde ratione loci affecti. Etsi enim solùm cerebri membranæ inflammatio,quod malum Arabes Charabitum,& Sirsin calidam nominant;ad Phrenitidem cōstituendam sufficit:tamen interdum inflammatio ipsū cerebrum simul corripit;quod malum Sabare ab Arabi- *Sabare.* bus appellatur. Et quidem cum sanguis, ac humor biliosus nondum per totam cerebri substantiam diffusus est,sed in mēbranarū meatibus adhuc hæret,Phrenitis θορυβώδης, seu tumtuosa appellatur: si verò in ipsam cerebri substantiam humor imbibatur, hectica Phrenitis est,quam Hippocrates ἀσαφῶς, obscuram & mitem nominat, quod ægri quiescunt,neque loquuntur, neque se mouent, & dormire videntur, vt ex 1. *prorrhetic. t.* 33. videre est.

## *Signa Diagnostica.*

*Signa Phrenitidis imminentis.* Vtile est autem etiam signa imminentis Phrenitidis cognita habere, vt ei maturè occurratur. Proponuntur verò à Galeno, 5. *de loc. affect. cap.* 4. & 1. *prorrhetic.* 5. & sunt hæc: Vrgent vigiliæ, aut somnus est interruptus, & molestis somniis horrendis perturbatus, somniaque sunt conspicua; quidam dormientes vociferantur; alij è lecto exsiliunt;incipiunt delirare,etsi delirium non sit continuum,sed præcipuè circa accessiones, & acerbationes vrgeant; in facie, & oculis præcipuè,apparet rubedo, in auribus percipitur sibilus,sonitus, strepitus, tinnitus;res oblatæ visui geminæ videntur,lacrymæ ex oculis erumpunt, oculi inordinatè mouentur, ægri se variè iactant & mouent, frequenter exscreant sine necessitate; vrinæ ex tinctis albæ,& crudæ fiunt, humore bilioso caput petente;præterea ægri eorum, quæ dicuntur,obliuiscuntur, respondent cum iracundia, ac, vbi iamiam Phrenitis præstò est, ægri fixis & toruis oculis homines,qui ad eos accedunt,intuentur.

*Signa Phrenitidis præsentis.* Signa verò præsentis iam phrenitidis ex iis, quæ de inflammatione cerebri, ac membranarum eius;*loco alleg.* dicta sunt, satis patent; vbi signa pathognomica inflammationis cerebri, seu Phrenitidis esse diximus, febrem continuam, delirium perpetuum, & vigilias pertinaces. Duo hîc saltem addimus: primò, Galenum de signis illius Phrenitidis, quæ à cerebri inflammatione prouenit, & Arabibus Sabare nominatur, ipsi verò Phrenitis hectica est,prolixè agere in 1. *prorrhet.comment.1.t.* 33. vbi docet, non solùm illos

Phreniticos dicendos, qui exclamant, vel exſiliunt, ſed & eos, qui quieti iacent, & prorſus non loquuntur, neque frequenter decubitum mutant, ſæpiuſque famulantibus præbent opinionem, quod mox ſi quod fiat ſilentium, dormituri ſint; & cætera, quæ ibi videantur.

*Phrenitidis à cognatis affectibus dignoſcẽdæ ratio.*

Deinde ex ſignis pathognomonicis ſuprà propoſitis, febri continuâ, delirio perpetuo, & vigiliis facilè Phrenitis, ab omnibus cognatis affectibus diſcerni poteſt. Febre enim differt à melancholicorum delirio; vigiliis à lethargo; delirio perpetuo & æquali ab aliis deliriis, in quibus caput non primariò, ſed per cõſenſum afficitur; præterquam cum conſenſu diaphragmatis laborat. Verùm hoc delirij genus aliis ſignis à phrenitide differt. Reſpiratio enim in delirio ex ſepti tranſuerſi inflammatione eſt parua, & frequens; in Phrenitide magna & rara: & in Phrenitide caput, ac frons magis calent, oculi rubent, neque ſtatim hypochondria ſurſum reuelluntur, vt in diaphragmatis inflammatione; ſicut *cap. præced.* dictum. Addimus & hoc, flauam bilem ſæpe in atram degenerare; cuius conuerſionis ſigna ſunt, animi ferocia, cum ſcilicet æger clamat, alios verberibus & morſibus impetit, & familiares pro hoſtibus habet.

## *Prognoſtica.*

Prognoſtica de inflammatione cerebri, & membranarum eius, ſuprà, *part. 1. cap. 27.* propoſita, omnia etiã hic locum habent; cum Phrenitidis cauſſa proxima ſit inflammatio cerebri, & proinde reipſa non differant. Vt breuiter illa contrahamus, euẽtus ex morbi magnitudine, & virium robore æſtimandus eſt. Si enim vires ſint languidæ, vt neque ſolæ, neque præſidiis artis adiutæ morbo ſuſtinendo, & vincendo pares ſint morbus verò ſit vehemens; id quod hîc non ſolùm ob præſtantiam partis accidit, ſed etiam à ſymptomatum vehementia colligitur: morbus lethalis eſt. Ideóque cũ hic pars nobilis afficiatur, & ob id omnis Phrenitis periculoſa ſit, ſi accedant conuulſiones linguæ, & neruoſarum partium, ἀγωνία, ſingultus, dentium ſtridor, vox clangoſa, & tremula, tremor membrorum, vrinæ & fecum inuoluntaria, & inſcia deiectio, & ſimilia ſuprà enumerata, Phrenitidem lethalem ſignificant. Si verò hæc ſymptomata, vel pleraque ipſorum abſint, & vires ſint validæ, de ſalute adhuc ſpes eſt. Videatur etiam Foreſtus, *lib. 10. obſeru. 3. in ſcholio.*

*Phrenitis lethargum vel coma mutatur.*

Vnum ſaltem iis addimus: Phrenitis ſi vertatur in lethargum, aut coma, non bonum; non tam quia materia bilioſa, conſumptâ pituitoſâ putredine, accenditur; vt nonnullis videtur, quàm quia ipſa cerebri ſubſtantia corrumpi & labefactari incipit. Vnde & Phrenitis hectica prauã eſt, *1. prorrhet. comment. 1. t. 32.* Et quamuis hectica Phrenitis videatur eſſe mitior, nec dolor capitis ſit in eâ ita magnus, nec delirium tam vehemens, ſed ita blandum, vt æger delirare vix videatur: tamen fucatâ iſtâ manſuetudine Medicus non decipiatur, ſed potius mortem proximam eſſe colligat. Etenim quibus cerebrum ſphacelo correptum eſt, ſubſtantiâ cerebri ob inflammationis magnitudinem ita corruptâ, vt iam emori incipiant, ij intra 3. dies moriuntur, *7. aphor. 50.*

## *Curatio.*

Cum Phrenitis ab inflammatione cerebri & membranarum eius, vt proximâ cauſſâ, dependeat, & eâ poſitâ excitetur, ſublatâ ceſſet: nihil aliud de curatione Phrenitidis dici poteſt: quàm quod ſuprà, *loc. alleg. de curat. inflammat. cerebri, ac membranarum eius,* dictum. Et præcipuè venæ ſectio hîc neceſſaria eſt. Notat quidem Arculanus, vnum ſaltem caſum occurrere, in quo non competat venæ ſectio: quando ſcilicet phrenitis pendet à ſola bile, nullo ſanguini permixtâ. Verùm cum phrenitis ſit inflammatio, impoſſibile eſt, vt ſine ſanguine fiat.

*Vigiliis in Phrenitide quomodo medendum.*

Duo ſaltem hîc addimus: Primò, quia in Phrenitide vigiliæ vrgent, & maximum negotium faceſſunt; vtpote quæ attrahendo humores ad caput, & id calefaciendo, Phrenitidem augent, imò excitare valent; deliriumque præterea eſt perpetuum: ad ſomnum conciliandum, & delirium ſedandum hypnoticis hîc plurimùm indigemus, imò ad narcotica quandoque deueniendum; de quibus ſuprà, *cap. 1. de vigiliis nimiis,* dictum. Ideóque è medicamentis internis, quæ ad temperandum humorum feruorem exhibentur, ea eligendæ, quæ ſimul ſomnum conciliant; vt lactuca, violæ, nymphæa, papauer. Multum hic prodeſt electuariũ illud, quod ex ſem. papau. & ſaccharo conficitur, & Græcis Diacodium appellatur, quod non ſolùm calidos, & acres vapores, & humores temperat, ſed & ſomnum egregiè conciliat.

Extrà mox ab initio repellentibus miſceantur hypnotica, vel ſeorſim adhibeantur, Exempl. gr.

℞. *Fol. lactuc. ſalicis, vitis,* an. M. jß. *flor. nymph. roſar. rubr. violar.* an M. j. *ſummit. anethi* M. ß. *capit. papau. alb. cum ſem.* num. xv. Coq. in ſ. q. aq. ad tertias.

Colatura tepida capiti cum ſpongia applicetur, & eâdem extrema abluantur. Si Vnc. ß. vel Vnc. j. rad. mandragor. addatur, efficacius erit. Neque ſolum caput, ſed & pedes ac manus lauandæ ad refrigerationem, reuulſionem, & ſomni conciliationem.

Harum lotionum capitis vſum Hippocrates & Galenus probant in delirio cum vigiliis, etiam vbi ſanguis è naribus profluit, minus tamen profluit, quàm oportebat; de quo in *1. Epid. comm. 3. aph. 24.* ſeu *rot. 7.* A lotione inungatur frons tempora & pulſus hoc, vel ſimili Linimento:

℞. *Vnguent. roſac. populei, ol. violar. de nymph.* an. Drach. ij. *opij, ol. nuc. moſch. expreſſ.* an. gr. iij. Miſce.

Oxyrrhodinis etiam, & illitionibus addantur *aq. lactuc. papau. nymph. ol. papau. nymph. mandragor.* Plurimum prodeſt in vigiliis ex hac cauſſa, ſi caput inungatur ol. violar. frigido, & oxyrrhodinum ſuperponatur. Et reliqua ſuprâ propoſita, *c. 1.* vſurpentur.

Poteſt & hic Clyſter iniici:

℞. *Maluæ, violar. lactuc. parietar.* an. M. j. *ſummit. anethi* M. ß. *capit. papau.* num. vj. *hordei* M. ß. Coq. in aq. ſ.

Colat. ℞. ℔. j. *ol. violar.* Vnc. iij. *ſacchar. alb.* Vnc. j. F. Clyſter.

Vel ℞. *Malu. mercur. lactuc. ſcariol.* an M. j. *nenuph. viol.* an. M. jß. *prun. Vngar.* N. x. *furfur. macri* M. j. Coq. in aq. hord. Colat. Vnc. xiij. Diſſolu. *caſſ. rec. extr.* Vnc. ß. *diaprun. ſ.* aut *pulpæ. tamar.* Drach. ij.

Vel *Elect. de ſucc. roſar.* Drach. jß. *tripher. Perſicor.* Scr. iv. *olei violac.* Vnc. iij. *vitell. oui.* N. j. *ſacch. rubr.* ℥. ß. *ſalis* Drach. j. M. F. Enema.

Bilis etiam feruorem reſtinguentia exhibenda.

Vt: ℞. *Pulp. tamarind.* Drach. ij. *rad. cichor. ſatiu. condit.* Vnc. ß. *lactuc. Ital. condit. pulp. citri condit.* an. Drach. iij. *conſeru. flor. nymph. roſar. incarnat. bugloſſ.* an. Drach. v. *acetoſell.* Vnc. ß. *ſpec. diamarg. frig.* Drach. ſem. *fragment. lapid. pretioſ.* an. Scr. j. *corall. rub. præpar.* Dra. j. Cum *ſyr. conſeruat. citri* q. ſ. F. Condit.

Superbibatur *aq. hord.* aut *vin. Cydon.* aut *aq. flor. nymph. endiu.*

Si calor cordi communicetur,

℞. *Aq. roſar.* Vnc. iv. *viol.* Vnc. ij. *bugloſſ. borrag.* an Vnc. jß. *acetoſ.* Vnc. ij. *acet. vin. alb.* Vnc ß. *pulu. ſpod.* Drach. ß. *ſeric. cocco tinct. crud.* Scr. j. *oſſis de cord. C.* Scr. ß. *lign. aloës* Scrup. j. *ſantal. omnium,* an. Scr. ij. *croci* gr. viij. *camph.* gr. vj.

M. F. Epithema. Ad ſiniſtram mamillam applicetur

cum

cum panno chermesino, quod lixiuio semel atque iterum elotum est.

Hepatis regioni sequens apponatur Epithema:

℞. *Aq. Lactuc.* ij. *rosar.* Vnc.iij. *endiu. acetos.* an. Vnc.iij. *absinth.aceti*, *vini alb. odorif.* an.Vnc. ß. *santal. alb. rubr. spodij* an.Scr.j. *camphor.* gr.v. *spic.* gr. iv. *spec. diarrhod. abbat.* Drach.i.M. Applicetur tepidum cum linteo.

Sunt qui generales etiam partes refrigerent.

Vt: ℞. *Vini alb.* Vnc. j. *aq. rosar.* ℔.ß.*santal. rubr.* Vnc.ß.M. His foue testiculos.

*Opiata cautè vsurpanda.* Opiata cautè omnino,& circumspectè vsurpentur, vt, *ibid.* dictum, ne Phrenitis in veternum mutetur; & ab iis abstinendum, si vires sint imbecilliores. Etsi enim, si mitioribus remediis febris ac delirium non sedetur, res plena periculi sit: tamen salus ab opiatis sperari non potest, sed spes in angusto est, quia aut vires iam succumbunt, aut abscessus metuendus est, cuius maturationi cerebrum sufficere non poterit. Vbi tamen necessitas id postulat,laudanum opiatum exhiberi potest,vt suprà,*cap.*1.dictum.Aut,quod tutius est, clysteribus permisceatur.

Deinde quia contingit, vrinam quandoque supprimi in hoc morbo,siue quod sponte illa subsistat? siue, quod credibilius, quod ægri eam reddere negligant; vnde partes illæ distenduntur, & tandem inflammatione corripiuntur, quæ vel sola ægro interitum afferre potest:itaque tum ægri ad vrinam reddendam sæpius incitandi sunt, ac pubes, & perinæum fouendum emollientibus,ac laxantibus, & vrinam prouocantibus;( à calidis tamen abstinendum, ) decocto fol. parietar. maluatic. petroselin.& similium, aut inungenda illa loca ol. amygdal. dulc.scorpion.vnguento dialthéæ, vel pinguedine cuniculi, aut cataplasma fiat ex parietaria cocta cum ol. scorpion. & amygdal. dulcium.

Reliqua, vt dictum, ex *part.*1.*c.* 27. petantur. Hoc saltem adhuc addimus: si febrilis feruor, & sitis vrgeat syrupi modicè adstringentes,veluti sunt, syr. de succo granat.de succo ribes,de succo berber. limonum, citri, exhibeantur.Vel præparetur sequens Iulepus:

℞. *Aq. nymph.* Vnc.iij. *rosar. bugloss.*an.Vnc.vj. *syrup. de succ.ribes* Vnc.ij. *spir.* ⊕.Drach. i.vel q.s.ß.M.

Vel ℞. *Atq.fontan.puriss.*℔. ij.*trifolij acetosi,papau. errat.* an. ℔. ß. *spir.* ⊕. Drach.j.vel q. s.ad gratum saporem:

Adde *flor.violar.borragin.nymph.*an. Drach. j. *santali rub.limati* Scr.ii.

Stent in infusione per aliquot horas;postea filtrétur per chartam emporeticam: tinctura, quæ rubicundissima erit, edulcoretur sacchato albo q. s. vel syrup. acetosit. citri.

Cordi quoque, & pulsibus epithemata applicentur refrigerantia, & confortantia; de quibus in doctrina de febribus dictum. Testibus etiam nonnulli epithemata adhibent refrigerantia, vtpote spongiam marinã in aq.rosar. madefactam, cui penetrationis gratia acetum admiscent.

Chymici magisterium margaritarum,tincturam corralliorum commendant.

### *Diæta.*

Diætæ etiam ratio ea obseruetur, quæ suprà, *de inflammatione cerebri & membranarum eius*,proposita est.

Ob delirium hoc saltem addimus, quæri à Medicis *An in luce vel tenebris retinendi sint phrenetici.* vtrum æger in luce, vel tenebris habendus sit. De eo Celsi sententiam adferimus, qui, *libr.* 3. *cap.* 19. sic scribit: Antiqui tales ægros in tenebris habebant,quas ad quietem etiam conferre iudicabant: at Asclepiades, tanquã tenebris ipsos terrentibus in luce habendos esse dixit. Neutrum tamen perpetuum est. Optimum itaque est,vtrumque experiri, & habere eum, qui tenebras horret, in luce; eum, qui lucem, in tenebris. At vbi nullum tale discrimen est, æger, si vires habet, loco lucido; si non habet, obscuro continendus. Hæc Celsus. Aliqua n. naturarum diuersitas hic occurrit, atque alios plus tenebræ, alios lux turbat.Et nonnulli dùm in aere sublucido versantur, multa,quæ non sunt, se videre imaginantur, alia pro aliis agnoscunt, & varias imagines ab obiectis concipiunt. Ideóque tum non solùm omnes picturæ è cubiculo amouendæ,cum eiusmodi colorum varietas occasionem præbeat,vt multa falsa imaginentur ægri, sed & æger in loco obscuro continendus. Contra si æger tenebras horreat, & pertimescat, in luce continendus. Vt æger in quiete detineatur, etiam turba ab eo arceatur, adstantesque sint pauci,prudentes, & ægro familiares,ac grati:absint verò quos ægri odio habent.

Musicà quoque suaui interdum demulcendus æger: custodiendus etiam diligenter, ne damni aliquid, vel sibi, vel aliis inferat,& , nisi admonitionibus, ac obiurgationibus quietus contineri possit, vinculis coërcendus.Somnus omnibus modis concilietur;cum nihil Phreniticis tam vtile sit,quàm somnus & somno deliria mitescant, ægrique conualescant.

## QVÆSTIO

### *An Cerebrum,an verò membranæ eius in phrenitide inflammentur?*

*An in inflãmatione mẽbranarũ cerebri semper adsit deliriũ?* Vt in iis,quæ supra,*part.*1.*cap.*27. & hocipso capite dicta sunt, nihil dubij,quantum possibile,relinquamus, explicandæ omno videntur sequentes duæ controuersiæ, quæ à nonnullis mouentur: Primò, an omnis inflãmatio membranarum cerebri delirium afferat; deinde,an phrenitis fiat solùm ab inflammatione membranarum cerebri, an verò etiam ab ipsius cerebri,substantiæ inflammatione. De priore vt dubitarent nonnulli, ipsis occasionem præbuit Hippocrates, qui, 5. *Epidem.t.* 47. recensens historiam Nerei filiæ, quæ membranarum cerebri inflammatione ex percussione laborasse putabatur, nullam delirij mentionem facit; quod tamen in similibus casibus non omittere solet.Et *libr.*3.*sect.*1. *ægrotat.*3.referens historiam ægri, qui in Dealcis horto decumbebat; qui Phrenitide laborauit, nec tamen continuò delirauit. Et, *in Commentar.in locum* 5.*Epidem.*refert Franciscus Vallesius, se vidisse in capitis fractũris membranas, præcipuè duram, inflammari conspicuè,atque adeò suppurari,postea & frustatim extrahi,homine non delirante.

Secundò,etsi negandum non sit,cerebrum inflammari posse, tamen id non fieri in phrenitide, sed aliam eam esse affectionem nonnulli putant, cum cerebrum inflammatur, quàm quæ inflammatio membranarum ipsius parit;vtpote quæ diuersa habet symptomata.

Ex his dubiis vt nos expediamus, hoc ex iis: quæ suprà de delirio dicta sunt, patet; delirium non fieri posse nisi ipsum cerebrum, spiritusque in eo, qui functionum principum sunt instrumenta, afficiantur. Non tamen necessarium est, vt ipsum cerebrum semper inflammetur; sed satis est,si à vicinis membranis inflammatis incalescat,vel aliunde vapores calidi illi communicentur.

Ideóque non impossibile est,etsi cerebri membranæ afficiantur,vt tamen delirium nullum accedat:si nimirum malum cerebro non communicetur, neque spiritus in eo turbentur.

Si verò cerebrum ab inflammatione membranarum p.n. incalescit, tunc delirium, de quo nunc agimus, excitatur. Atque ita Phrenitis non potest esse sine inflammatione membranarum cerebri; inflammatio autem membranarum cerebri potest esse sine delirio.

Alteram verò quæstionem quod attinet, concedendum putamus, phrenitidem, vtpote quæ sæpe curabilis affectus est, solum ab inflammatione membranarum

rum cerebri prouenire:ipſum verò cerebrum, etſi quoque inflammari poſſe concedimus,ipſius tamen inflãmatio alius à Phrenitide affectus eſt,& Phrenitide lõgè periculoſior, vtpote in quo ægri non delirant, ſed ſenſu omni priuantur.Inflãmationis equidem cerebri nomine tres affectus comprehenduntur: Primò enim ab humore bilioſo, aut eius vaporibus, ad cerebri membranas cum ſanguine affluente, etiam cerebri ſubſtantia irrigatur & incaleſcit. Deinde humor, qui eſt in membranis cerebri, etiam in venulas cerebri effunditur;nondum tamen in ipſam cerebri ſubſtantiam effuſus eſt. Tertiò ſanguis in ipſam ſubſtantiam, & ſpatia cerebri effunditur, & tum non ſolùm membranæ ſed ipſa cerebri ſubſtantia ſimul inflammatur. Etſi enim nonnihil.Etſi enim nonnulli Medicorum cerebrum inflammari negarint: tamen non ſolùm doctiſſimorum Medicorum autoritas, ſed & experientia, & ſymptomata,quæ ex inflammatione cerebri proueniũt, contrarium perſuadent. Ad phrenitidem autem conſtituendam priores duo affectus ſufficiunt; etſi inflãmationes cerebri propriè dictæ non ſint, ſed cerebrum ſaltem ob vicinas membranas affectas afficiatur. Si verò ipſa cerebri ſubſtantia afficiatur, longè, vt dictum modò,periculoſior affectus eſt,cuius Hippocrates, 2.& 3. *de morbis*, ſub ſphaceli cerebri nomine mentionem facit; vt & 7.*aph*.50. dum ſcribit: Quibus cerebrum ſphacelatum eſt, in tribus diebus pereunt: ſi verò hos euaſerint, ſani fiunt. Paulus Ægineta etiam, Aëtius, & Auicennas eius meminerunt, & diuerſis capitibus de ea, & phrenitide tractant: & proinde nos etiam ſigna eius ſuprà, *part*. 1. *cap*. 27. ſeorſim propoſuimus, & ab inflammationis cerebri ſignis & ſymptomatibus ſeparauimus; cuius hiſtoriam deſcripſit Hippocrates, 2.*de morb.in initio*, & Petrus Sal. Diuerſus,*de affect.partic.c*. 1. Hoc tamen ita accipiendum putamus, in Phrenitide quidem non totam ſubſtantiam cerebri inflammari, ſed ſolùm externam eius partem,quæ membranas contingit; & qui hoc modo afficiuntur etiam Phrenitici ab Hippocrate, 1. *prorrhet. text*. 33. ſed ἀσαφῶδεις nominantur, vt Galenus, *in comm.* explicat. In eo verò affectu, quem Hippocrates, 2. & 3. *de morb*.ac P. Sal. Diuerſus, *de affect. partic. cap*. 1. deſcribunt, internæ partes cerebri, eiuſque propria ſubſtantia inflammatur, & malum plerumque in ſphacelum degenerat.

## CAPVT VIII.

### De Melancholia in Genere.

#### Nomen.

*Melancholia vnde nomen obtineat*

MElancholia,vt ex Hippocrate, 3.*aphor.* 14. & *lib. de aëre, aq. & loc.* videre eſt, morbi nomen eſt, non humoris: procul dubio tamen ex illorum affectuũ p.n. genere, qui, teſte Galeno, 2 *meth.med.cap*. 2. & 3. *de loc.affect.c*. 7. nomen acceperunt à cauſſa, id eſt,à materia, quæ illos produxit. Cum verò humoris melãcholici duo præcipuè genera ſint: vnum, quod excrementitius humor naturalis eſt, & veluli fex ſanguinis, qui circa lienem pręcipuè cumulatur, & μέλας χυμὸς, ac Melancholia in ſpecie appellatur:aliud,quod eſt excremẽtũ p.n.ex aduſtione melancholiæ, ſanguinis,& bilis genitum,& μέλαινα χολὴ, atra bilis nominatur:malum,de quo iam agendum, ex priore genere, hoc eſt, ſucco atro, vel melancholico ortum habet; quando is peccans,ſiue in cerebro,ſiue in toto, ſiue in hypochõdriis, principes animæ functiones deprauat. Quæ verò ab atra bile prouenit, harum functionum deprauatio Mania appellatur, vt poſtea dicetur.Interdum tamen Hippocrates melancholicum delirium nomine μανίας indigitat; vt 6. *aphor*. 21. & 56. ſed minùs propriè.

#### Definitio.

Definitur itaque vulgò Melancholia,quod ſit delirium, ſeu imaginationis, & ratiocinationis deprauatio,ſine febre, cum timore & mœſtitia, à ſpiritu animali tenebricoſo & melancholico, ſimili phantaſmati occaſionem præbente, orta. Vt enim in aliis deliriis, ita etiam hîc phantaſia,& ratiocinatio læditur; ſed Inprimis phantaſia: ratiocinatio verò non ſemper multùm, neque in omnibus, &, vt Aretæus,*lib*. 1. *de cauſ. & ſign.morb.diuturn.cap*.7. loquitur, in melancholia in vna re aliqua eſt lapſus, conſtante in reliquis iudicio. Melancholicorum enim ratiocinatio circa vnam rem falſam plerumque, quam veram eſſe credunt, & phantaſiæ deprauatæ circa eam aſſentiuntur,aberrat, de reliquis prudenter, & ſapienter ratiocinantur. Ita puer ille,cuius ſuprà,*cap*.5. *ex Huarti ſcrutinij ingenior.c*.5. mentionem fecimus, in eo ſolùm delirabat, quod ſe totius mundi monarcham credebat; de republ. verò adminiſtrandâ prudenter diſſerebat. Sic mercator ille apud Foreſtum, *lib*.10.*obſeru*. 15. optimè ratiocinabatur,niſi quod ad extremam inopiam ſe redactum eſſe conquereretur. Sic qui melancholiâ hypochondriacâ laborant,& ſine cauſſa timent, ac mœrent,ipſi ſæpe intelligunt, timorem illum,ac mœſtitiam eſſe vanam,& ſine cauſſa.

*In Melãcholia phantaſia inprimis læditur;ratiocinatio verò nec in omnibus,nec ſẽper multũ.*

Memoria verò nec per ſe,nec per accidens læditur: quod non fit in phreniticis, vbi imaginatrix ob immoderatum calorem ſpirituum, & veluti efferata innumeram obiectorum multitudinem memoratrici offert, ſed ſine ordine; quæ propterea citò,& facilè in illâ obliterantur.Atque hinc accidit, vt propter memoriæ integritatem cùm probè ſæpe ratiocinentur melancholici tum plerique verſuti admodum ſint. Imò obſeruatum eſt,nonnullos in delirio hoc carmina etiam elegantia compoſuiſſe.

*Memoria hic planè non læditur,*

Differt autem hoc delirium ab aliis deliriis, quod metuunt plerumque, & mœſti ſunt ægri præter ſolitũ; neque tamen metus aut triſtitiæ cauſſam vllam afferre poſſunt, quæ alicuius momenti ſit, niſi forſan eam, quam animo falsò conceperunt, & pertinaciter fouet: dum ſcilicet alij carceres,alij ſupplicia, alij condemnationem æternam, alij alia timent, & quidem ex leuiſſima ſæpe occaſione, vt apud Foreſtum, *lib*. 10. *obſeru*. 12 videre eſt.Quandoque tamen à manifeſta cauſſa incipit timor, qui ſi perſeuerans,melancholiam parit.Rarò verò rident: & riſus potius maniacis ex feruore ſanguinis,quàm melancholicis competit.Si enim ſanguis ſit calidior,& feruidior, maniam mitem efficit ſi verò ſit craſſior,& frigidior, melancholiam producit, à quâ mœſtitia vix abeſt, etiamſi ea minor ſit; taleſque melancholici per interualla lætitiæ alicuius ſignum exhibent, & interdum in riſum prorumpunt.Si autem plus iuſto lætentur tales melancholici, iam inſtantis maniæ eſt indicium, ac præludium.

*Melancholia ab aliis deliriis differentia.*

Quod tamen ex communi Medicorum ſententia de timore & mœſtitia,quæ huius delirij propria ſint;quibuſque à reliquis deliriis diſcernatur, dictum eſt,rectè accipiendum. Neque enim ſemper mœſtitia aliqua,& timor inſignis in omnibus melancholicis apparet;imò nonnulli lætitiâ quaſi affici videntur, cùm falſis ſuis imaginationibus indulgent,& ſe Reges,vel Principes, aut diuites eſſe imaginantur.Ita,vt Horatius,*epiſt. lib*. 2.*epiſt.vlt*.ſcribit:

*------- fuit haud ignobilis Argis,*
*Qui ſe credebat miros audire tragœdos,*
*In vacuo lætus ſeſſor plauſorque theatro.*
*Hic vbi cognatorum opibus curiſque refectus*
*Expulit helleboro morbum bilemque meraço,*
*Eo redit ad ſeſe:pol me occidiſtis,amici,*

Non

*Non seruastis, ait, cui sic extorta voluptas.*
*Et demptus per vim mentis gratissimus error.*

Cui similem historiam suprà, *cap.5. ex Huarti scrutinij ingenior..cap.7.* recensuimus, de famulo Hispano, qui se totius mundi Monarchā esse imaginabatur, & hinc maximâ delectatione ac voluptate afficiebatur. Ita refert Marcell.Donatus, *de histor.medic.mirab.lib.2.cap.1.* mulierculam quandam se Regi desponsatam esse persuasum habuisse, quæ si fortè in fragmenta vitrorum, aut alia lucida corpuscula incidebat, gemmas sibi à coniuge Rege transmissas dicebat, eaque tanquam rem carissimam, in arca, quam totam ferè oppleuerat, asseruabat. Eiusdem generis fuit deliramentum cuiusdam senioris diuitis, qui, referente Senecâ, quæcunque, quibus, vti opus erat; quam maxima expetebat, mulieres paruas, & homines paruos abominabatur, prægrandes equos peroptabat; amplissimis poculis vtebatur, & calceamenta pedibus maiora gestabat, latissimis vestibus vestiebatur. Et huius generis deliramenta sæpe occurrunt, vbi ægri quidem absurda imaginantur, & in cogitatione illa, vt verissimâ, pertinacissimè hærent; timoris tamen, aut mœroris parum, vel nihil adest: qui omnes cum sine febre delirent, neque etiam vlla in iis truculentia, aut ferocia appareat, vt maniaci appellari non possint; nomine Melancholicorum meritò etiam comprehenduntur. Et cogitandum Lectori relinquo, quò referenda sit illa falsa imaginatio, quæ iis, quibus crura amputata sunt, accidit, cū sæpe post multos post amputationē menses crus amputatū grauiter sibi dolere conqueruntur; vt testantur Ambr. Paræus, *lib.11.cap.17.* eiusque rei historias recenset Guilel.Fabricius, *centur. 3. obseru.14.&.15.*

*Vera Melancholiæ definitio.*

Itaque vt Melancholiæ nomen pro delirio acceptū omnibus eius speciebus competat, malo cum Aretæo, *de caus.& signis morbor. diutur.lib.1.c.5.* Melancholiam definire, quod sit animi angor in vna cogitatione defixus, atque inhærens, absque febre, & furore, à phantasmate melancholico ortus. Vbi tamen notandum, per angorem animi non cordis passionem intelligendam esse; cum melancholia phantasiæ & facultatum principum læsio sit: sed cogitationem in vna re ita defixam, falsam tamen, vt inde quasi animi quædam anxietas oriatur. Vnde etiam ita commodè Melancholia definiri potest, quòd sit delirium sine febre & furore, in quo animus à falso phantasmate, à spirituum animalium dispositione occulta seu tenebricosa orto, delusus in vna cogitatione cum angore quodam hæret, & defigitur.

*Melāncholicorū magna varietas.*

Est autem Melancholicorum magna varietas, vt omnes melancholicorum imaginationes absurdæ facilè cōprehendi non possint, nihilque tam absurdum, & ineptum sanis occurrere potest, quod non melancholici sibi imaginantur, & verissimum esse pertinacissimè credunt. Atque occurrunt huius rei exempla passim, quorum aliqua in Institut. *lib.2.part.3.sect.2.cap.4.* recensuimus: plura exstant apud Schenckium, *libr.1. obseru. 254.& seq.* Marcell.Donatum, *de histor. med. mirabil. lib.2.cap.1.* Forestum, *lib.10.obseru.12.& in schol.* Platerum, *lib.1.obseru.* Pro dispositione enim humorum variâ, vitæ, conditionis, ac cogitationis varietate innumera hîc varietas occurrit. Nam quidam risum interdum admiscent; quidam cum ira aliqua, & contentione phreniticis adsimilantur; quidam nescio quæ scelera se commisisse imaginantur, atque hinc supplicij metu, & mortis terrore vexantur; alij se ad inferos damnatos, imò gehennæ flammis cremari conquerūtur; nonnulli se mori, vel etiam mortuos putant; nonnulli cœlum ruiturum metuunt; quidam serpentes, vel ranas in ventre se gestare persuasum habent; nonnulli se in bruta animalia conuersos credunt; alij in testam, aut vitrum mutatos; nonnulli lacrymantur quidam desperabundi mortem sibi inferunt; quidam diuina affectant, & colloquia cum Deo & Angelis sōniant; alij auari nihil nisi de diuitiis cogitant; quidam quasi diuites, etsi tales non sint. de magnis opibus gloriantur; quidam elati, & superbi, vel de pretiosis vestibus, auro & gemmis cogitant, ac loquuntur, vel se Principes, aut Reges esse opinantur; alij contra animo abiecti, licet diuitiis abundent, de paupertate conqueruntur; alij de studio, quo sunt delectati, perpetuò cogitant, ac loquuntur. Mœstitia tamen, & timor plerumque cum hoc delirio coniungitur, aut certè pertinax, & intenta, quasi cum animi angore de re vna, sed falsâ, cogitatio. Abest etiam febris, etsi post febrem aut in declinatione febris, humoribus adustis relictis melancholia generari aliquando possit.

*In Melāncholia præter cerebrum, quod primariò laborat, etiam Cor afficitur.*

Affici autem cerebrum, & quidem vt pars similaris est, extra controuersiam est; de quo mox in caussis dicetur. Verùm cum, vt Fernelij verbis vtar, negandum non sit, dùm iracundiâ, doloribus, gaudio, metu, cæterisque eiusmodi animi perturbationibus concutimur, conspicuè, atque insigniter cor in nobis opprimi, & gestire, animique perturbationes in corde fieri; Melancholia verò sit delirium cum tristitiâ, aut metu, aut certè alio animi affectu: concedendum est, eâ ratione in melancholicis simul cor affici: imò plerùmque principium melancholiæ est ex corde. Cordis enim temperies corrupta corrumpit temperiem cerebri. Et licet delirium hoc nunquam accidat, nisi cerebro primariò affecto: tamen, vt iam in caussis dicetur, si spiritus vitalis impurus sit, & tenebricosus, vitium hoc spiritibus animalibus, & cerebro communicatur, & ita cor sæpe huic delirio primam occasionem præbet, malumque hoc fouet, & proinde tum non solùm ad cerebrum, sed etiam ad cor in curando respiciendum. Imò etsi cerebrum primariò afficiatur: tamen quia hoc delirium semper cum aliquo animi affectu coniunctum est, animi verò affectus cor valdè alterent, ac afficiant: vix fieri potest, vt in melancholico delirio cor etiam non afficiatur.

## *Caussæ.*

*Caussa Melancholiæ proxima.*

Caussa huius delirij proxima statuitur phantasma, vt Capiuaccius appellat, tenebricosum. Vbi tamē quod supra de delirio in genere diximus, monendum; quia in melancholico duæ diuersæ facultates afficiuntur, phantasia & ratiocinatio; quarum illa organo corporeo, spiritibus vtitur, hæc non vtitur, sed saltem phantasmata speculatur: duæ etiam proximæ caussæ ponendæ sunt, phantasiæ scilicet læsæ spiritus animalis tenebricosus & melancholicus; rationis verò deprauatæ phantasma, vt Capiuaccius appellat, tenebricosum. Caussa enim, à qua prima huius mali origo, est certa, & occulta, quam vulgo melancholicam & tenebricosam nominant, spirituum animalium dispositio, quam immediatè & proximè sequitur phantasiæ deprauatio, seu phantasmatis tenebricosi & melancholici efformatio: quod intellectui postea obiectum & obuersans, illud delirium melancholicum, & animi angorem excitat. Ego, vt omnibus eiusmodi deliriis competat, malim appellare melancholicum. Phantasma autem tenebricosum, aut melācholicum redditur à simili animaliū spirituum dispositione. Cum enim spiritus animales, qui sunt proximum animæ in hisce actionibus obeundis instrumentum, speciesque deferunt, lucidi, tenues, subtiles, & mobiles esse debeant; quâ de causâ ipsum etiam cerebrum est nitidissimum, ac nullo colore infectum: si illa ipsorum naturalis constitutio lædatur, actiones animales, quæ eorum beneficio perficiuntur, læduntur; & quidem varijs modis, prout spiritus vitiantur. In Melancholiâ spiritus Melancholicos, id est, opacos, obscuros, tenebricosos, & fixos quasi reddi dicimus; quæ eadem dispositio plerumque etiam est in spiritibus vitalibus. Qui enim tristes, & meticulosi sunt in hoc delirio, procul dubio spiritus

vitales

vitales craſſiores,impurioreſque habent.Nam vt ſpirituum puritas & ſubtilitas animum hilarem ac alacrem reddit:ita craſſities , frigiditas , & impuritas mœſtum ac triſtem.

*Melancholia quomodo timorē & mœſtitiam inducat.*

Quâ ratione autem ſpiritus ac vapores Melancholici triſtitiam ac mœrorem efficiant , inter Galenum,ac Auerroëm controuerſia eſt ; de qua quæ in Inſtitut.*lib. 2.part.3.ſect.1.cap.4.*dicta ſunt , hîc repetere ſuperuacaneum eſt.Hoc ſaltem declarationis gratiâ addimus; in ſpiritibus non ſolùm qualitates primas , ſed & ſecundas, ac occultas eſſe attendendas ; cum ad actiones illas perficiendas æquè ſint neceſſariæ,ac qualitatum primarum temperies.Videre eſt huius rei exemplum in humore vitreo,cryſtallino,& tunicâ corneâ in oculo , in quibus non ſolùm qualitates primæ , ſed ad viſionem rectè perficiendam æquè,imò multò magis, pelluciditas ,& ἀχροια, ſeu coloris carentia eſt neceſſaria;,quæ ſi deſit,viſio non rectè perficitur.Eodem modo in ſpiritibus,& vitalibus,& animalibus,præter qualitatum primarum temperiem etiam tenuitas & ſubtilitas , puritas,ac luciditas requiritur; quæ ſi deſit, ſpiritûs non ſatis aptum animæ inſtrumentum ſunt. Atque hunc puritatis,luciditatis, & ſubtilitatis defectum in ſpiritibus , atri coloris , & tenebrarum nomine Galenus exprimit. Et quanquam à ſenſibus externis non percipiatur illa tenebricoſitas ; tamen cauſſa eſt,vt omnia obiecta ad modum vitioſæ diſpoſitionis ſpirituum repræſententur,& vitioſa illa diſpoſitio ſpirituum ſpeciebus imprimatur.Id etiam fieri in ſomniis animaduertimus,in quibus ſæpe horrenda & metuenda offeruntur,propter abundantiam vitioſorum humorum in corpore , qui faciunt,vt obiecta hoc modo ſenſibus internis repræſententur.

Platerus equidem malignitatem materiæ , quæ melancholiam,vt & quæ maniam producit, tribuit. Verùm vt facilè concedimus, & hactenus defendimus,nō ſolùm à qualitatum primarum mutatione melancholiā prouenire;ita malignitatem peculiarem,& propriè dictam ei tribuere opus eſſe non putamus, ſed ſufficit ad melancholiam generandam , ſi ſpiritus animales naturalem luciditatem & puritatem amittant, & in ſtatū contrarium deducantur : quæ tamen diſpoſitio p. n. qualis ſit, facilè explicari non poteſt. Ideoque etſi malignitatem negamus ; occultam tamen , qualitatem facilè admittimus : quam ſi intellexit Platerus , ei aſſentimur. Et diſpoſitionem illam Melancholicorum p. n. non eſſe ſimpliciter opacam , ſed occultam , ex eo patet, quòd , ſi imaginationi ipſorum ſatisfit,ſanitati reſtituuntur ; ſicut illi accidit, qui, cum naſum magnum ſe habere putabat , farcimine appoſito,& remoto conualuit:cuius rei etiam alia exēpla in Inſtitutionibus habentur,& infra etiam recēſebuntur.

Fiunt autem ſpiritus Melancholici , ſeu opaci , impuri,& tenebricoſi , ſeu quocunque nomine appellare libeat , tribus modis : vel quia tales vitio cerebri generantur:vel quia,etſi naturâ ſuâ ſunt puri , à materia aliqua impura, & melancholica,quæ ipſis permiſcetur, inquinantur,& Melancholici redduntur : vel quia ob ſanguinis , & ſpirituum,è quibus generantur , vitium tales fiunt.

Prius fit cum cerebri conſtitutio vitioſa eſt, & Melancholica,quæ ex ſanguine,& ſpiritu vitali,etiā puro, impurum , & melancholicum ſpiritum animalem generat,quę cerebri conſtitutio potiſſimùm à ſpiritu inſito melancholico dependet.Capiuaccius equidem hoc negat , & à nullâ qualitatum primarum intemperie in cerebro melancholiam excitari poſſe ſtatuit, dicitque, à cerebro calido fieri ſpiritus animales calidiores , & hinc delirium maniacum,à frigiditate ſpiritus animales paucos , ac frigidos , indeque fatuitatem. Verùm non ſolùm ad qualitates primas in cerebri conſtitutione eſt reſpiciendum,ſed etiam ad alias,vti antea dictum; ſicut oculi conſtitutio id manifeſtè demonſtrat.

Secundò fiunt ſpiritus melancholici , cùm ſpiritus vitalis in corde vitioſus, & impurus gignitur ; qui cum ſit ſpiritus animalis materia , ſpiritum animalem eiuſdem generis & modi generari neceſſe eſt , impurū ſcilicet,& melancholicum.Si tamen hoc diu duret, tādem ipſum etiam cerebrum affici neceſſe eſt.Nam cum cor caloris natiui,& ſpiritus vitalis,qui in totum corpus diffunditur , fons ſit , ſi illud frigidius & ſiccius, quàm par eſt,ſeu melancholicum euadat , tandem totus corporis habitus talis redditur;imò & ipſum cerebrum,quod tali ſanguine etiam nutritur,& à ſpiritibus melancholicis affluentibus continuò inquinatur , & tandem Melancholicum euadit.

Tertium fit cum cerebrum per conſenſum afficitur; & quidem tribus modis. Primò cum ab vniuerſo corporis habitu,& præcipuè venis maioribus,materia hæc in cerebrum fertur ; quod fit inprimis corde affecto,& ſpiritus, ac ſanguinem melancholicum generante : ſecundò cum ab hypochondriis materia melancholica tranſmittitur ; quæ Melancholia Hypochondriaca nominatur:tertiò cum ab vtero.

Notandum tamen hîc,etiamſi cauſſa Melancholiæ ſit humor melancholicus,à quo etiam affectio hæc nomen habet:tamen in melancholicis , vtpote frigidis & ſiccis,multum pituitæ cumulari , propter debilitatem caloris naturalis;ad quod propterea in curatione Melancholiæ ſæpe etiam ſimul reſpiciendum,

## *Differentiæ.*

*Prima Melancholicorū differentia à varia delirij forma.*

Melancholicorum hîc differentiæ ſumuntur primò à forma ipſa delirij,quæ multiplex & varia eſt,pro phātaſmatum varietate , quæ ab imaginatione deprauata exhibentur.Cauſſa diuerſitatis illorum phantaſmatum eſt primò natura humoris melancholici , qui in aliis ſincerior eſt,in aliis impurior, in aliis nōnihil aduſtus: deinde natura & conſtitutio corporis ac cerebri.Nā vt vinum moribus potantium,ita humor melancholicus laborantis conſtitutioni ſe accommodat. Poſtea conſuetudo vitæ , & actionum. Qualis enim olim cuiuſque intenta cogitatio fuit , aut qualis vitæ conditio, talis ſeſe repræſentat melancholica deliratio. Propter has ergo cauſſas alij alia cogitant , & loquuntur. Quidam prorſus conticeſcunt , quod melancholicorum , inter initia præſertim , proprium eſt , teſte Galeno, vt multum loqui Phreneticorum , & ſemper cooperiri,vtrorumque,*in 3. Epidem. comm.3. aph. penult.*

*Secunda & præcipua Melancholicorum differentia à ſitu materiæ ſumitur,& quadruplex eſt.*

Sed præcipua Melancholicorum differentia,quæ ad curationem mali plurimum momenti affert,ſumitur ex ſitu materiæ,vel ex ſedibus, in quibus humor gignitur ,& redundat,vt ex cauſſarum enumeratione patet. Atque ita quatuor præcipuæ ſunt Melancholiæ differentiæ. Prima eſt per primarium cerebri affectum : ſecunda per conſenſum cordis , & totius ; tertia Hypochondriaca : quarta per conſenſum Vteri. Arabes quidem plures partes , quibus in Melancholia cerebrū per conſenſum affici poteſt , recenſuerunt, vt ex Auicenna,& interpretibus eius videre eſt , Ventriculum, Hepar,Lienem,Vterum,Hæmorrhoides,& alias partes: nullus tamen reuerà inter eos & Græcos , qui omnem Melancholiam ad tria capita redegerunt , in proprium cerebri affectum , conſenſum à toto , & eum, qui fit à venis meſaraïcis,& hypochondriis,eſt diſſenſus, ſi res rectè explicetur:Galenus enim, *5. de loc. affect. cap. 1.* expreſsè fatetur, quod ſi Lien officium ſuum non faciat,& humorē melancholicum vel non attrahat , vel per conueniētia loca non excernat,tū alios affectûs,tū Melancholiam inde excitari poſſe.Idem de Hepate,hæmorrhoidibus dici poteſt.Verùm hæ partes omnes aliter melancholiam non producunt , niſi quatenus humor retentus vel in totum corpus diffunditur , vel in hypochondriis ſtabulatur ; ideoque Melancholia inde

orta ad Melancholiam per consensum totius, vel ad hypochondriacam referri potest. Veri tamen quin peculiaris mentio fiat, abs re non videtur; cum in specie & priuatim ad eum curatio interdum dirigenda sit. De his ergo quatuor Melancholiæ differentiis iam ordine dicendum, si prius ea, quæ in genere de signis Diagnosticis, Prognosticis, Curatione, & Diæta, quæ omni Melancholiæ competunt, proposuerimus.

### *Signa diagnostica Melancholiæ in genere.*

Dum imminet Melancholia, æger insomniis terretur, somnumque habet turbulentum, & horrendis somniis interruptum: postea vigiliis infestatur, præter solitum fit mœstior, & tristior, aut tristia cogitat, & metuit sine euidenti caussa, aut certè in vna cogitatione pertinacissimè hæret; quæ si perseuerant, præsentis iam Melancholiæ indicia sunt. Ita enim Hippocrates, *6. aph. 23.* Si metus atque tristitia longo tempore perseuerant, Melancholiæ est signum. Hinc æger fit taciturnus, & morosus, hominum consortia fugit, & solitudinem sectatur, fit suspicax, præter solitum inediam tolerat, & in nonnullis inediæ tolerantia tam pertinax est, vt fame mori malint, quàm comedere, & viuere; crebrò suspirant, respiratio est tarda & rara, pulsus tardus, paruus, rarus; tandemque, vbi malum augetur, illa, quæ cogitant absurda, sermone, & gestibus proferunt, vt manifestè delirare deprehendantur: absurda tamen illa loquuntur & agunt sine omni sæuitia & furore; febre præterea carent.

### *Prognostica in genere.*

1. Sicut nulla desipientia tuta est; quia functio princeps læditur: ita nec Melancholia. Per se tamen lethalis morbus non est, nisi aliud accedat.

2. Malum hoc recens facilè, & non multo negotio curatur. Sæpissimè enim solâ victus ratione conueniẽte, quâ probus, tenuis, & clarus sanguis gignitur; & præterea humectatione corporis, ac capitis, præsertim verò balneis aquæ dulcis, se Melancholicos sanitati restituisse, absque vllo alio remedio validiore, testatur Galenus, 3. *de locis affect. cap. 7.* Et tum bonum signum est, melancholicorum corpus augmentum sumere. Indicio enim est, sanguinem iam meliorem reddi, & attemperari. Inueteratũ verò malum difficulter curatur. Itaque inter initia ipsi occurrendum; cum inueteratum plerumque ægrum ad mortem comitetur.

3. Facilius tollitur, & minus periculi habet Melancholia per consensum, quàm quæ per essentiam.

4. Facilius curatur Melancholia, quæ cum risu aliquo est; difficilius, quæ cum studio, ob humoris prauitatem maiorem.

5. Leuius est malum, si imaginatio saltem læditur grauius, si simul ratiocinatio.

6. Melancholia hæreditaria ferè nunquam curatur.

7. In morbis Melancholicis periculosæ sunt tempore verno humorum depositiones, & decubitus; quoniã permutantur frequenter vel in apoplexiam, vel in conuulsionem, vel maniam, vel cæcitatem; teste Hippocrate, *6. aph. 50.* Mala enim hæc nonnunquam ab humore Melancholico proueniunt. Sæpissime verò melancholia in epilepsiam transit, teste Hippocrate, *6. Epid. in fine.*

8. Si melancholicus præter solitum in risum, vel fletum, vel lacrumas soluatur, ne in maniam transeat, metuendum.

9. Via ad interitum in melancholia est, vel per viriũ resolutionem, quæ paulatim succedit, cum ægri cibum ac potum pertinaciter auersantur, parùm aut nihil dormiunt; vel caloris natiui suppressione, & suffocatione, quod fit, dum ægri animi mœrore, vel aliis cogitationibus se miserè conficiunt; vel per conuulsionem, aut epilepsiam, materiâ ad neruorum principium, & membranas cerebri conuersâ.

10. Via ad salutem est, si materia melancholica vel dissipetur, si pauca fuerit, vel ad inferiores & ignobiliores partes à naturâ detrudatur, & per varices, hæmorrhoides, aut vteri venas expellatur, aut in scabiem, similesque cutaneos affectus mutetur; vel denique præsidiis artis eadem superetur, & profligetur.

11. Insanis si varices, vel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio, *6. aphoris. 21.* Quod de Melancholiâ intelligendum esse explicat Galenus.

### *Curatio in Genere.*

De curatione in genere vix multum dici potest; præter id, quod suprà, *part. 1. cap. 12.* dictum fuit. Hæc saltè diligenter attendenda: Primò procurandum esse omni studio, vt bonus, clarus, tenuis, ac subtilis sanguis generetur, qui omne caussarum vitium corrigere potest, quo solo auxilio, & aquæ dulcis balneo, sine vllo fortiore remedio, se recentem Melancholiam sanasse testatur Galenus, 3. *de loc. aff. cap. 7.* Quâ ratione autem hoc fieri possit, dicetur mox in diæta. Deinde vt ab animi perturbationibus, mœrore, tristitia, timore, & curis æger liber fit, eiusque animus ad hilaritatem auocetur. Tertiò vt æger ad contrariam imaginationem deducatur. Compertum enim est sæpe, si ægro persuadeatur, illud, quod ipsi molestum videtur, & in quod omnem cogitationem defigit, remotum esse, Delirium cessare, & pòst ægrum, si quid caussæ superfit, ad eam extirpandam medicamenta facilius admittere. Commodum quidem est, vt æger ad contrariam imaginationem deducatur: verùm rarò hoc ab ipsis obtinetur. Ideoque ipsorum imaginationibus quidem indulgendum; sed interim fallendi sunt. Ita refert Trallianus, *lib. 1. cap. 17.* Medicum quendam, qui caput sibi amputatum putabat, curasse imposito repente capiti ipsius pileo plumbeo, vt grauitatem sentiens caput se recepisse putaret. Alius nasum se ingentis magnitudinis habere putabat; Chirurgus naribus prehensis nouacula eas se imminuere fingit, carnisq; frusta abscissa ostendit, quomodo æger conualuit. Gattinaria refert, Medicũ quendam melancholico, qui ranas in ventre se habere putabat, purgans exhibuisse, & excretis ranas viuas iniecisse, quas cum ille è ventre suo exturbatas crederet, conualuit. Quidam se mortuum putabat, referẽte Hollerio, *lib. 1. de morb. inter. c. 15.* & propterea cibum capere noluit: is socij comitate, qui cum eo se in sepulcro mortuũ esse asserebat & cibum nihilominus capiebat, ad cibum capiendum persuasus fuit. Et exstant huius rei exempla passim plura. Nullo verò modo concedendum, vt Medici, vel adstantes cum ægro de imaginationibus eius falsis pertinacius contendant. Quartò hoc etiam notandum, ex præcepto Aëtij, interdum ab omni medicamento abstinendum esse aliquandiu; & naturæ aliquam quietem concedendam, quæ aliquando continuis remediis afflicta quiescens recreatur, & validius morbum aggreditur, & superat. Quia etiam humor melancholicus circa vesperam moueri solet, commodum videtur, circa vesperam, horâ quartâ, exhibere purgantia, eaque mitiora, (fortia enim rarò fert) & illa aliquot diebus continuare. Præparantia verò horis matutinis exhiberi possunt. *Cura lanib.*

Reliqua patebunt ex iis, quæ postea de singulis Melancholiæ speciebus dicentur. Cordialia tamen hîc etiã non omittenda; cum cor in Melancholiâ nõ planè immune sit: & cum dẽtur medicamenta, quæ simul & cordi, & capiti amica sunt, & alterando humori melancholico apta; illa eligẽda sunt: qualia sũt, borrago, buglosſ. melissa, ocymum, cort. citri, grana kermes, fl. tunicis, lignum aloës, crocus, moschus, ambra, & similia. Conserua satyrij, & radices eiusdem conditæ etiam in melancholia vtiles sunt; exceptâ eâ, quæ ex amore est.

*Diæta.*

*Cibus & potus.*

Cum probus ſanguis omne hoc vitium ferè emendare poſſit, vt talis, id eſt, purus & tenuis generetur, prouidendum. Fit autem hoc dupliciter; primò ſi cibus ad talem ſanguinem generandum aptus eligatur; deinde ſi is probè coquatur. Itaque cibi ſint calefacientes, moderatè humectantes puri, tenuis ſubſtantiæ, concoctu faciles, non flatulenti. Exhibeantur, ergo carnes pullorum, gallinarum, caponum, perdicum, hædorum, agnorum, veruecina, vitulina, & ſimiles; piſces ſaxatiles, oua ſorbilia; ex olerib. borrago, bugloſſ. lactuca, endiuia; ex fructibus ficus, amygdal. pineæ, piſtacia, vuæ paſſæ, mala Punica medij ſaporis: & quibus ob iecoris calorem maior copia atri humoris colligitur, ij refrigerantibus, & humectantibus cibis vtantur, vt iuſculis ex hordeo. Breuiter: melancholicis omnibus conuenit cibus, qui eſt tenuis ſubſtantiæ, copioſioris nutrimenti, humidus in paſſiuis, in actiuis temperatus vel ad caliditatem declinans. Frigiditas tamen excedat, aut ad frigidum vergat, ſi ex aduſtione melancholiæ proueniat.

Cōtrà verò vitādus cibus frigidus, craſſus, ſiccus, feculentus, & omnia, quæ ſanguinem melancholicum gignunt, vt caro bubula, hircina, caprina, aprugna, leporina, & animalium omnium, quæ annoſa ſunt; & ex auibus, quæ magis ambulant, quàm volant, vt anſerina, anatina, & ſimiles. Inter piſces, qui habent craſſam carnem; ex oleribus braſſica, legumina omnia & maximè lentes. Abſtinendum & à ſalſis, duris, aceto conditis, & ſale ac fumo induratis tam piſcibus, quam carnibus. De aceti vſu diximus ſuprà, *part.* 1. *cap.* 12. *in quæſtion.* Et nullo alio modo concedi poteſt, niſi vt vapores illos ſiccos ad cerebrum adſcendentes reprimat & figat, ne ſomnum turbent: idque ſaltè in melancholia ab hepatis affectu fieri poteſt; in aliis locum non habet. Potus ſit vinum bene maturum, & dulce, aut cereuiſia pura, inprimis triticea.

*Aër, ſomnus, & vigilia, animi pathemata.*

Aër ſit in calore & frigore temperatus, pauliſper humidus, ac, niſi talis ſit, arte paretur. Somnus vigilias ſuperet, qui melancholicis eſt remedium ſupra gemmas & lapides pretioſos æſtimandum: inprimiſque dāda opera, ne æger multum vigilet; cum ex hac vnica cauſſa malum in habitum tranſire, &, quod peius; in maniam mutari poſſit. Curæ & ſollicitudines animi omnes ſtudioſè cauendæ ſunt, ægrique animus ſuauibus colloquiis, vel etiam muſicā ab intentis & mœſtis cogitationibus, ac imaginationibus auocandus, & ad hilaritatem adducendus. Et cùm ægri de vna re falsò animo conceptā plerumque ſolliciti ſint, & de ea perpetuò cogitent; danda opera, vt, quibuſcunque fieri poteſt, perſuaſionibus, ac mediis à falſa illa cogitatione abducantur.

## CAPVT IX.

### *De prima Melancholiæ ſpecie, quæ fit Cerebro primariò affecto.*

Phantaſma tenebricoſum ac Melancholicum, quod proxima melancholici delirij cauſſa eſt, fieri à ſpiritibus animalibus eodem modo diſpoſitis, antea dictum. Diſpoſitionem autem iſtam, vt itidem antea dictum, ſpiritus animales obtinent, vel quia tales in cerebro, & quidem eius vitio, generantur; vel quia, licet puri & lucidi generentur, aut à cerebro bene conſtituto generari poſſent, à materia aliunde in caput miſſa inquinantur, aut ad eorum generationem materia melancholica ſuppeditatur. Vt autem de prima melancholiæ differentiā, quæ fit per primarium Cerebri affectum, prius dicamus, vt aliarum partium vitia coctiones, quæ in iis obeuntur, corrumpunt, & ventriculus malè conſtitutus chylum vitioſum, hepar malè ſeſe habens ſanguinem vitioſum generat: eodem quoque modo ſi Cerebrum non bene ſeſe habeat, ſpiritum animalem vitioſum, & diſpoſitioni p.n. reſpondentem gignit.

*Cauſſæ.*

*Melancholica cerebri diſpoſitio nō in qualitatibus primis ſolum conſiſtit.*

Diſpoſitio autem illa Cerebri vitioſa non ſolùm quęrenda eſt in qualitatibus primis, frigiditate ac ſiccitate; cum multi ſenes has obtineant, neque tamen ſint Melancholici: ſed in eo præcipuè ſita eſt, quod cerebrum in modo ſubſtantiæ à naturali puritate luciditate, ſeu albedine deflectit, & impurum, craſſum, tenebricoſum, & melancholicum euadit. Tum enim ſpiritûs animales eiuſdem conſtitutionis vitioſæ generat. Si tamen frigida & ſicca intēperies cerebri eò progreſſa ſit, vt tenues, lucidas, & puras partes ex cerebro, & ſpiritu inſito quaſi exprimat, & cerebri conſtitutionē ita mutet, vt tenebricoſum euadat, inter Melācholiæ cauſſas numerari poteſt. Cauſſæ enim, quæ Melancholicam diſpoſitionem cerebro inducunt, ſunt omnia illa, quæ humorem melancholicum in cerebro cumulant, eiuſque, & calidi innati ſubſtantiam tenebricoſam reddunt.

*Cauſſa melāncholicæ cerebri diſpoſitionis prima fortis imaginatio, & graues animi perturbationes.*

Primò ergo cauſſa huius mali ſunt terror grauis, ſubitò & ex improuiſo accidens, fortiſque rei horrendæ imaginatio, quæ fortes impreſſiones in ſpiritibus, humoribus præſertim ſi iam antè ad melancholiā diſpoſiti ſint, & cerebro ipſo faciunt, vt rectè ſcribit Platerus, totumque corpus ita mutant, vt melancholiam grauiſſimum, deterioremque ferè eā, quæ ab interna cauſſa fit (humores & vapores intelligit) producat, & quæ, vt idem Platerus ſcribit, ægrè, niſi tota ſanguinis maſſa exhauriatur, poſſit curari. Poſſet quidem hæc melancholiæ ſpecies etiam ad eam, quæ per conſenſum totius eſt, referri, cum ſanguis in toto corpore ferè mutetur: quia tamen cerebrum maximè, & primariò afficitur, ad hanc ſpeciem eam referre malumus. Fit autem hoc, ſi homo viſo aliquo horrendo, vt cadauere, aut ſimili re abominanda, vel ſpectro terreatur, aut imaginatione, & metu periculi in tenebris nocturnis, in ſylua, vel loco ſolitario percellatur; cuius rei hiſtorias habet Platerus, *tom* 1. *Pract. pag.* 111. & *in obſ. lib.* 1. Etſi verò quomodo imaginatio, & animi perturbationes tales iſtam in humoribus & ſpiritibus alterationem efficere poſſint, integrè explicari non facilè ſit: tamen experientia teſtatur, ſpecies rei, vel iucundæ, vel horrendæ & formidabilis, viſui, aut auditui oblatas, & memoriā conceptas, ac conſeruatas, atque imaginationi & mēti repræſentatas adeo ſeruare veſtigia & naturam rerū, vnde prodierunt, vt ferè non minus, quàm ipſæ res externæ alterare, & corpus mutare, & morbos tum inducere, tum depellere poſſint. Et faciliùs præſtant hoc hæ cauſſæ, ſi corpus ad melancholiam ſit diſpoſitum. Tum enim humor melancholicus in corpore abundans ad caput rapitur, ibiq; hęrens cerebri conſtitutionē mutat.

*Secunda humor melancholicus in capite collectus.*

Secundò Melancholicam hanc diſpoſitionem Cerebro inducit humor melancholicus in capite cumulatus quod fit inprimis ob intemperiem Cerebri frigidam & ſiccam, aut potiùs ob natiuam, aut quocunq; modo cōtractam melancholicam, id eſt, minus puram, & lucidā cerebri conſtitutionem; quæ cùm ſæpe à parentibus in liberos deriuetur, accidit etiam, vt melancholia tunc in liberos traducatur, imò quandoque totis familiis hæreditaria ſit.

Cerebri autem hanc conſtitutionem melancholicā, ſanguinem in materiam ſibi ſimilem mutantem, poſt ortum frequentiſſimè inducunt triſtitia, mœror, curæ, luctus, atq; animi ſollicitudo diu perſeuerans, vel ob rei charæ amiſſionē, vt parentum, liberorum, amicorū, pecuniæ, & bonorum, honorum; vel in generoſis animis ex pudicitia, & verecundia ob errorē aliquem, ſæpe etiā leuem, & nullius momenti, commiſſum, vel ex inuidia,

uidia, odio, & vindictæ cupiditate, ex zelotypia, vel ex deſiderio; & amore alicuius rei, de quo *c.ſeqq.* in ſpecie agetur.

Deinde humor iſte melancholicus in cerebro colligitur, cerebroque etiam talis conſtitutio, inducitur, & in eo relinquitur interdum à morbis calidis, poſt phrenitidem, cùm calore remittente, & reſolutis partibus tenuioribus, materia ſicca & craſſa, ac feculenta in cerebro relinquitur, & in cerebro ſimilis intemperies excitatur, à qua humor melancholicus, & fouetur, & augetur. Idem poſt epilepſiam interdum accidit, & epileptici Meaancholici, & contrà Melancholici epileptici fiunt. De quod Hippocrates, 6. *Epid. in fine*, Melancholici quoque magnâ ex parte epilepſiâ corripi conſueuêre, & epileptici Melancholici fieri. At horum vtrûque màgis accidit, prout ad alterutram partem morbus inclinat. Etenim ſi in corpus, epiletici, ſi verò in mentem, Melancholici fiunt. Quem locum prolixè explicat Galenus, 3. *de loc. affect. cap.* 6. Nimirum ſi humor melancholicus cerebri corpus, ſeu conformationē lædit, id eſt, obſtructionis in ventriculis autor eſt, ſecundum vulgatam doctrinam, ſeu potius, ſi membranas ventriculos inueſtientes vellicat, epileſiam producit: ſi verò ipſam Cerebri conſtitutionem, & ſpiritus, qui facultatum principum proximum inſtrumentum ſunt, lædit, Melancholia excitatur.

## *Signa Diagnoſtica.*

Delirium melancholicum ex primario cerebri affectu eſt perpetuum, & vt plurimum vehemens, oculorum obtutus fixus, & ſigna abundantis melancholiæ in capite ſuprà, *part.* 1. *cap.* 12. propoſita adſunt. Symptomata contrà, & præternaturale aliquid circa hypochondria, hepar, venoſum genus, & cor non animaduertitur: præceſſerunt vigiliæ, cogitationes aſſiduæ, curæ, aut ſubitus terror & conſternatio, atque aliæ cauſſæ, quæ caput exſiccare, humoremque melancholicum tandem in eo relinquere potuerunt, vt phrenitis, epilepſia. Sanguis etiam emiſſus hic ſignum præbet. Si enim is non eſt craſſus, & ater, non in toto, vel corde cauſſa mali eſt, ſed in Cerebro: niſi forſan membri alterius affecti ſigna adſunt.

## *Prognoſtica.*

1. Quò materia in capite eſt copioſior, frigidior, & ſiccior; eò difficiliùs hoc malum curatur.

2. In morbis Melancholicis vere & æſtate ſuſpecti ſunt humorum decubitus, & vel apoplexiam, vel maniam, vel conuulſionem, vel cæcitatem, denunciant, 6. *aphor.* 56.

3. A terrore Melancholia profecta primariò cæteris omnibus eſt curatu difficilior. Platerus.

## *Indicationes.*

Materia melancholica, quæ in capite ſpiritus inquinat, ſimilemque diſpoſitionem iis imprimit, & cerebrũ ad ſpiritus melancholicos generandos diſponit, eſt alteranda, & euacuanda; nimirum cum ſit ſicca, frigida, craſſa; humectanda, calefacienda, attenuanda. Hinc medicamentis humorem melancholicum educentibus expurganda. Poſtea reliquiæ diſcutiendæ: caput roborandum, & intemperies, ac conſtitutio eius vitioſa corrigenda, ipſumque ad naturalem ſtatum deducendum. Totius tamen ſemper ſimul habenda eſt ratio.

## *Auxilia.*

Quâ ratione autem hiſce Indicationibus ſatisfieri poſſit, explicatum ſuprà, *part.* 1. *cap.* 12. vbi de intemperie capitis cum humore melancholico curandâ dictum. Ideoque hic pauca ſaltem addimus.

Et præparantia quod attinet, iis etiam 🜖rum ⊕tum, vt & cryſtallos 🜖ri admiſcent nonnulli. Verùm etſi in melancholia hypochondriaca locum habere poſſint, cùm aperiant, & abſtergant: tamen non video, quomodo in melancholia per eſſentiam locũ habere queãt; cùm ſint frigida & ſicca, nec qualitates humoris melancholici corrigant. Exempl. gr.

℞. *Aq. pomor. redolent. borrag.* an. Vnc. jß. *ſpir. roſ.* Scr. ß. *ſyr. de pom. ſ.* Vnc. j.

M. pro hauſtu, qui per aliquot dies horis matutinis continuandus.

Purgantia ſæpius repetenda ſunt. Ad humorem verò melancholicum euacuandum valde efficax eſt extractum hellebori nigri Scr. j. vel etiam Drach. ß. pondere exhibitum.

Vel ℞. *Aq. borrag. bugloſſ. fumar.* an. Vnc. j. *extr. ſolutiu. Andernac.* Scr. j. *helleb. nigr.* Scr. ß. *ſyr. de epithymo, borragin.* an. Drach. iij. M. pro Hauſtu.

Commendatur & puluis Valeſci de Taranta, qui infrà, *cap.* 11. proponetur.

Vel ℞. *Fol. ſenæ* Vnc ij. *epithym. rhabarb. zingiber* an. Scr. iiij. *ſpec. diarrhod. abbat.* Drach. j *cinamom. macis aniſi, margarit.* an. Scr. ß. *confection. electuar. de ſucco roſar. in tabulis* Drach. ij. *ſacchar. candi in ſyrup. violar. concreti* ad pondus omnium.

F. Puluis. Doſis Scr. iiij. vel Drach. jß. in iuſculo.

Vel ℞. *Maſſ. pil. de fumar. de lapid Lazuli,* an. Dra. ß. *extr. helleb. nigr.* gr. iiij. *ol. maioran.* gut. j. Cum *ſyrup. roſar. ſol.* F. Pilulæ.

Vel ℞. *Extr. panchymagogi*, vel *extract. melanagogi Querc.* Scr j. *helleb. nigr.* Scr. ß. *trochiſc. alhand.* gr. iij. *ol. aniſi* gutt. ij. F. l a. Pilulæ.

Quod ſi melancholici neque has, neque alias medicamentorum formas admittere velint, quod ſæpe fieri ſolet, propinetur ſequens Decoctum galli decrepiti:

℞. *Rad. polypod.* Vnc. ſem. *ſcorzoneræ* Drach. ij. *cortic. rad. helleb. nigri præparati* Drach. j. *glycyrrh.* Drach. j. ß. *flor. borrag. bugloſſ. violarum*, an. P. j. *ſem. aniſi, fœnicul.* an. Drach. ß. *paſſul. minor. lotar.* Vnc. ß. *fol. ſenæ Alex. ſ. ſt.* Drach. v.

Ebulliant in iuſculo galli decrepiti, & detur iuſculum edendum & bibendum.

Verùm purgantibus multis ægri non fatigandi: ſed plùs commodi ab alterantibus exſpectandum.

In alterando & roborando capite commendantur præcipuè margaritæ, hyacinthus, borrago, bugloſſ. crocus, roſæ, meliſſa, doronicum, aromata ſubtilia, & odorem ac ſaporem ſuauem habentia. vinum album ſubtile aromaticum.

Commendatur etiam hoc Electuarium.

℞. *amygdal. dulc. excort.* Vnc. ij. *nuc. iugland. excort.* Vnc. jß. *nucl. perſicor.* Drach. j. *ſem. papau. alb.* Vnc. ß. *ocymi* ʒ. j. Contundantur, & add. *nucis conditæ* Drach. ij. *margarit. præpar.* Drach. j. *conſeru. meliſſ. betonic. bugloſſ. borragin.* an. Vnc. j. Cum *ſyrup. de cort. citri & violar.*

F. Electuarium, de quo veſperi exhibeatur Vnc. ß.

Vel ℞. *Condit. flor. citri, auranт.* an. Drach. ij. *nuc. Indic.* Drach. iij. *cort. citri* Vnc. ß. *Conſeru. fl. nymph. roſar. violar.* an. Vnc. j. *borraginis, bugloſſ.* an. Vnc. ß. *flor. lauend. anthos*, an. Drach. j. *ſpec. elect. de gemm.* ʒ. ß. *diamoſch. dulc.* Scr. j. *conf. alkerm.* ʒ. ß. *tinctur. corallior. rubr.* Scr. j. *eſſentiæ cinamom.* ʒ. j. Cum *ſyr. de cort. citri. cum moſcho* q. ſ.

F. Conditum, (quod duplici folio auri tegi poteſt) cuius doſis quantitas nucis moſchatæ, vel caſtaneæ.

℞. *Conſeru. roſar.* Vnc. j. *flor. tunic. pœon.* an. Vnc. ß. *violar. nymph.* an. ʒ. ij. *aq. pomor. redolent.* ℥. v. *borragin. bugloſſ.* an. Vnc. jß. *ſucci granator. dulc.* Vnc. j. *cydonior. rec. depurati* Vnc. ß.

Miſce, & contund. in mortario marmoreo. Hinc fortiter

fortiter exprimantur,& colentur,Colaturæ add. *tinct. corallior.*Scr. j.*ſmaragd.*Scr.ß. *ſyr. de cinamom. borrag.* an,Drach.vj.

M. pro potione, cuius doſis cochlear. ij. manè & veſperi.

Cardanus ſe ſolis ſomniferis potionibus,& lotionibus,ac vſu chryſolithi intra octiduum Melancholicos curaſſe ſcribit.

Chymici hîc præcipuè tincturam,& magiſterium ☽æ laudant;de quo infrà, *cap.* 20.*pag.* 478. Commendant etiam tinct. corallior. magiſt. lap. Lazuli,chryſolithi, perlarum,coralliorum,ſal chryſtalli,ſmaragdi,ſapphiri, eſſentiam macis eſſentiam & tincturam croci.ſapphiri, ſmaragdi, eſſentiam anagallidis. E Chymicis nonnulli etiam ſpir. ♄,& præcipuè ſpir.⊕ ♀is commendant Sed non video quàm commodè;cùm aliàs acida melancholicis ſint noxia,& humorem melancholicū, qui per ſe aridus eſt, augeant,& exaltent.Nonnulli tāquam ſpecificum commendant ſanguinem aſini ex venis poſt aures tempore verno emiſſum, ſi in eo linteola munda, nullo vſu antea infecta, madefiant, & exſiccentur, & poſtea particula duos digitos lata, & vnum pollicem longa in aqua fontana maceretur, eaque ter poſtea manè exhibeatur,& ſudor,ſi fieri poteſt, prouocetur.

*Externa.* Si materia adhuc generetur à perſeuerante ibi calida diſpoſitione,cum refrigerantibus,& humectantibus,vt violis,roſis,nymphæâ,& ſimilibus,quę odoramenti loco vſurpentur,vtendum;vel caput abluatur decocto roſarum,violarum,maluæ,hordei.

*Particulares capitis euacuationes.* Particulares quoque capitis euacuationes inſtituātur,cùm ſenſibiles, tum inſenſibiles. Aperiantur venæ narium,temporum,frontis,poſt aures,idque aliquoties fiat;imò & in pedibus vena aperiri poteſt. Sanguini enim permiſcetur humor melancholicus, & cum eo commodè euacuatur.

Apophlegmatiſmus talis inſtituatur:

℞. *Pyrethri,zingiber.*an.Drach.j.*ſem.ſtaphid.agriæ, erucæ,* an.Drach ß. *cubebar.* Scrup. j. *ambræ* gr.vj.Cum *oxymel. ſimpl.* F. Linimentum palato inungendum.

In nares immittantur ſternutatoria ex hellebor.alb. maiorana,nigella, & ſimilibus;& quidem fortiora eligantur.

Commendatur & ſerum caprinum cum extracto hellel or.nigri pro errhino.

Efficax eſt & ſequens Puluis ſternutatorius:

℞. *Fol. Tabac. veri*, *oleo ſem. aniſi præparat.* Drach. j. ſem. *maioran.* Drach. j. *agarici albiſſ.* Drach. ſem. *pulu.fl. lilior. conuall.* Scrup. j. *ambræ* gr. v. *moſchi* gr. iij.

M.pro Puluere ſubtiliſſimo, cuius parum manè & veſperi naribus attrahatur.

Fomenta & inunctiones fiant ex ſtœchad. Arab hyſſopo, meliſſa, thymo, pulegio, flor. chamæmel. borragine, bugloſſ. quibus addantur malua, althæa, ſem. fœnigræc. quæ coqu. in vino ſubdulci, vel in lacte, vel in iure capitis veruecis, aut pulli gallin. & ſpongiâ decocto imbutâ caput foueatur. Ac ſi papau. capita, aut fol. nymphææ addantur in mediocri quantitate, ſomno conciliando, cuius ſemper in melancholia curanda Medicus rationem habere debet, vna operâ ſuccurritur.

Vel imbuatur ſpongia ol.calidis,& humectantibus, vt oliu. chamæmel. anethin. lilior. albor. amygdal. dulc. & capiti applicetur.

Inprimis vtile eſt ſtillicidium ex lacte caprino recenti ſuper ſuturam coronalem factum.

Vtile eſt & Linimentum ex *oui vitello*, & *ol. amygd. dulc.*Vnc.j

Vel ℞. *Sem. papau. alb. cannabis*, *granor iuniper.* an. M. j. *thuris* Vnc. ſem. *nucleor. Perſicor. malor. Armeniac.* an. Vnc. iij.

Contund. & miſc. cum aq. roſar. & flor. ſambuci, ac ſuprà totum caput in panno lineo ponantur, idque toties repetatur, quoties exſiccata fuerint. Nonnulli etiam fonticulos ſupra ſuturam coronalem factos commendant. Alij cranij per trepanum apertionem, vt vapores melancholici, & ſi quid aliud eſt p. n. in cerebro, euacuetur. Refertque Rondeletius, *meth. curandi morb. cap.* 41. quoſdam, quibus ex caſu, & lapſu cranium apertum fuit, ſanatos fuiſſe;& Sauanorola ſcribit, quendam ex vulnere ſanatum fuiſſe.

Somni, vt diximus, vtpote qui valde vtilis eſt in hoc morbo curando, etiam Medicus rationem habeat. Ideoque ſi ea, quæ antea diximus, non ſufficiant, opij grana aliquot cum vnguento populeo miſceantur, eoque tempora & nares illinantur. Si contumaces ſint vigiliæ, laudan. opiat gr. iij. exhibere licet. *Somnifera.*

Monet tamen Crato, *conſil.* 186. remedia ſomnifera foris adhibita,etſi plurimùm prodeſſe videantur:tamen melancholicis non ſatis tuta eſſe quod de fortioribus intelligendum puto.

Amuleti loco de collo nonnulli ſuſpendi iubent Smaragdum, alij corallia rubra, alij lap. Chelidonium.

*Diæta.*

Diæta ex antea dictis patet. Inprimis cibus ſit boni ſucci,quo ſolo,& aquæ dulcis balneo recentem hanc melancholiā Galenus ſe curaſſe ſcribit,3.*de loc.affect.c.* 7. Si enim cerebri conſtitutio nondum valde mutata ſit,nutrimentum bonum continuò affluens vitiū præſens,& nondum inueteratum corrigere,& balneum aq. dulcis frequens materiam diſcutere & euacuare poteſt. Reliqua diæta eadem eſt,quæ antea,& ſuprà,*part.*1. *c.* 12. eſt propoſita.

## CAPVT X.

### *De Amore inſano.*

Etſi ad cauſſas, quæ cerebri conſtitutionem immutando melancholiam inducunt, & quidem ad animi ſollicitudinem, & curas Amor quoque pertineat, & proinde melancholia ex amore immoderato orta ad eam,de qua modò diximus, melancholiæ ſpeciem referri poſſit:quia tamen hic animi affectus præ reliquis vehementior eſt, & peculiare quid obtinet, Medicis plurimis peculiari capite de Melancholia ex amore orta,ſeu de Amore Inſano agere placuit; quos & hic ſequemur,& ſeorſim de hoc delirio hoc capite agemus; de quo etiam in Inſtitut. *lib.*2.*par.*3.*ſect.*1.*c.*7. & *ibid. ſect.*2.*cap.* 4. quædam diximus. *Amor inſanus.*

Amor Græcis ἔρως eſt, vnde affectum hunc Barbari Hereos, & hoc malo laborantes Heroticos nominant, Arabes Iliſci.Eſt autem Delirium melancholicum, ex amore nimio ortum.Non equidem omnes amantes delirant.Etſi enim verum ſit Poëtæ illud. *Vnde dicatur.*

*Crede mihi,ſtulto nemo in amore ſapit.*

& plerique amantes cæco amoris impetu in diuerſum à recta ratione abripiantur,& videant meliora, probentque,deteriora ſequantur: tamen non ſemper rectæ rationis vſum amittunt, ſed amicorum, imò mentis,& conſcientiæ ad meliora hortantis monita ſequi poſſunt,ſi validius paulò affectui huic reluctentur,& reſiſtant,& cauſſas,ac occaſiones huius mali vitent.Interdum tamen affectus hic tam vehemens eſt,vt,præcipuè ſi diu duret,hominem ratione quaſi ſpoliet,& ferè delirium efficiat,

*Cauſſa.*

### *Caussæ.*

*Caussa amoris insani primaria.* Caussa enim huius delirij primaria est impressio fortis rei amabilis;seu Amor,non ille blandus Dei, virtutis,boni,ac honesti, parentum,liberorum ,imò & coniugū,sed Venereus,quo homines cū ratione insaniunt. Etsi enim & hic amor, qui est inter masculum & fœminam,si intra suos limites contineatur , blandus , & suauis affectus sit:tamen si nimius sit,vt Seneca ait, est rationis obliuio,& insaniæ proximus,fœdum,ac minimè conueniens animæ sospiti vitium, turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit,à magnis cogitationibus ad humilimas detrahit. Etenim si hominis, seu viri,seu fœminæ, vel reuerà pulchri, vel qui talis paret, (Est enim, quod vulgo dicitur, Amor cœcus) species ex visu,vel colloquiis concepta fortiter memoriæ imprimatur,& imaginationi,ac menti sæpius offeratur;tātum rei amatæ desiderium, & appetitus oritur, vt magna in homine inde fiat mutatio, & præ amore ægri nec somnum,nec cibū capere possint,& animi variis perturbationibus percellantur.Dū enim,vt in Instit.*loc.alleg*.diximus,spem & opinionem consequendi rem amatam concipiunt,in profundissimum sæpe gaudium erumpunt,& præ gaudio multa inepta, & stulta agunt,& loquuntur,& periculis se non rarò maximis exponunt.Vbi verò de consequenda re amata desperāt, nec mutuum amorem respondere animaduertunt, lugent,dolent,aut etiam irascuntur,interdum etiam violentas manus sibi inferunt. De quibus multa passim apud Poëtas,quæ,etsi de amore,qui nondū in delirium degenerauit,dicta videantur:tamen eadem etiam omnino delirantibus ex amore conueniunt. Terentius.*in Eunuch.*

*In amore hac omnia vitia: Iniuria,*
*Suspiciones, Inimicitia, Inducia,*
*Bellum, Pax rursum.*

Et Plautus, *in Mercat.*

*Amori accidunt etiam vltrò hac,qua diximus,*
*Insomnia,ærumna,error, terror & fuga,*
*Ineptia, stultitiaque adeo,& temeritas,*
*Incogitantia,cupiditas,& maleuolentia.*
*Inhæret etiam auiditas,desidia,iniuria,*
*Inopia, contumelia,& dispendium.*

Inprimis verò graphicè incommoda amoris describit Plautus,*in Cistell.act.2.Sc.1.*

*Credo ego amorem primùm apud homines carnificinam commentum:*
*Hanc ego de me coniecturā domi facio, ne foris quarā,*
*Qui omnes homines supero atque antideo cruciabilitatibus animi.*
*Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rotâ miser:*
*Exanimor,feror,differor,distrahor,diripior:ita nullam mentem*
*Animi habeo. Vbi sum,ibi non sum:vbi non sum,ibi est animus.*
*Ita mihi omnia ingenia sunt:quod lubet, non lubet iam id continuò.*
*Ita me amor lapsum animi ludificat, fugat, agit, appetit;*
*Raptat, retinet, iactat, largitur: quod dat, non dat, deludit:*
*Modò quod suasit,dissuasit: quod dissuasit,id ostentat.*
*Maritimis moribus mecum experitur:ita meum frangit amantem*
*Animum: neque, nisi quia miser non eo pessum, mihi vlla abest*
*Perdito perniciei.*

Imò, vt Virgilius. *Eclog.* 8. ait:

*Sauus amor docuit natorum sanguine matrem*
*Commaculare manus*;quod à Medea factitatum.

Egregiè quoque insanum hunc amorem descripsit Seneca,*in Hippolyt.*

*Torretur æstu tacito,& inclusus quoque,*
*Quamuis tegatur,proditur vultu furor:*
*Erumpit oculis ignis,& lassa gena*
*Lucem recusant,nil idem dubia placet,*
*Artusque variè iactat incertus dolor:*
*Nunc vt soluto labitur moriens gradu,*
*Et vix labante sustinet collo caput:*
*Nunc se quieti reddit,& somni immemor.*
*Noctem querelis ducit; attolli iubet,*
*Iterumque poni corpus,& solui comas,*
*Rursusque fingi: semper impatiens sui*
*Mutatur habitus: nulla iam Cereris subit*
*Cura, aut salutis; vadit incerto pede*
*Iam viribus defœta, non idem vigor,*
*Non ora tingens nitida purpureus rubor.*
*Populatur artus cura;iam gressus tremunt:*
*Tenerque nitidi corporis cecidit decor,*
*Et qui tenebant,signa Phœbea facis*
*Oculi,nihil gentile,nil patrium micant:*
*Lacruma cadunt per ora,& assiduo gena*
*Rore rigantur.*

Et sunt huiusmodi ærumnarum, quibus amantes affliguntur,pleni Poëtarum libri.

Tot verò curis, ærumnis & sollicitudinibus cùm amantes conficiantur,non mirum est si tandem in melancholiam incidant. Etsi enim Amor, vt diximus in principio species delirij, & Melancholiæ non sit:tamē nimia animi sollicitudo,inedia,& vigiliæ,ira, & vehementissimi animi affectus,quibus continuò cruciantur amantes,cerebrum refrigerant, & exsiccant, humores melancholicos cumulant, & cerebro Melancholicam dispositionem inducunt.Et quidem in principio nihil tale incauti metuunt;dum verò obiectum gratum, & delectabile memoriæ nimis imprimunt,& continuò de eo cogitant.

*Labitur totas furor in medullas,*
*Igne furtiuo populante venas.*
*Non habet latam data plaga frontem,*
*Sed vorat tectas penitus medullas,*

vt Seneca,*in Hippolyt.*habet.Ideoq;vt idē,*ibid.* scribit,

*Qui blandiendo dulce nutriuit malum,*
*Serò recusat ferre,quod subiit,iugum.*

*Caussæ remotæ.* Caussæ verò huius delirij remotæ sunt omnia, quæ ad amorem conciliandum faciunt. Cum verò amor sit appetitus.appetitum verò præcedat notitia, & ignoti nulla cupido sit:primus ad amorem gradus est rei notitia; ad quem peruenitur visu,& auditu. Et inprimis amoris caussa est obiectum pulchrum, seu reuerà tale apparens,visui oblatum.Vnde Amor Græcis ἔρως, ἀπὸ τοῦ εἰσρεῖν, ab influendo,quod ex adspectu per oculos, quasi per fenestras,in mentem hominis influat, dictus putatur;& hinc illud est vulgatum, ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεται τὸ ἐρᾶν.& illud: *Oculi sunt in amore duces.* Vnde ille apud Virgilium:

*Vt vidi,vt perij,vt me malus abstulit error.*

Ita Dauid Bersabæ, Dido Æneæ conspectu amore accensa est.

Vt verò Amor ex visu,seu auditu perceptus,penitius sese menti insinuet,& obiectū fortius animo inprimatur,multum facit otium,solitudo, lectiones librorum amatoriorum,colloquia amatoria, & frequens cū amico, vel amicâ conuersatio:de quo Seneca.*in Octau.*

*Vis magna mentis,blandus atque animi calor.*
*Amor est:iuuenta gignitur luxu,otio:*
*Nutritur inter læta fortuna bona.*

Et de otio Ouidius ait:

*Hæc sunt iucundi caussa cibúsque mali.*

### *De Philtris.*

*Philtra vnde dicantur.* Cum verò inter caussas Amoris insani etiam Philtra à multis numerari soleant;de iis hîc aliquid dicendum. Φίλτρον, Græcis ἀπὸ τοῦ φιλεῖν, hoc est, ab amando deriuatur,

deriuatur,nomenque ab effectu inditum,quod scilicet res ea amorem conciliare creditur.Interdũ etiã in genere φάρμακον appellatur;de quo postea locus adducetur: vnde etiam Pharmaceutria apud Theocritum, & Virgiliũ nominata est.Latini Poculum amatoriũ, Germani *Liebtranck*,itidem ab effectu,& formâ exhibendi nominant;cũ talia in liquidis, & potulentis facilius propinari possint.Describique solet Philtrum,quod sit pharmacum ad amorem conciliandum exhiberi solitum

*Quid sint.*

Quanquam enim à malè feriatis quibusdam etiam quædam actiones, & ceremoniæ Magicæ in eundem finem institui soleant,vt ex Pharmaceutria Theocriti, & Virgilij apparet: tamen de iis hîc non agimus. Inprimis verò, de quo in Institut.*lib.2.part.3.sect.2.c.4*, dictum,hîc quærendum: an philthra id, quod ipsis tribuitur, præstare,id est,amorem conciliare possint;Cum verò amor, vt Plato definit,sit desiderium, rei placitæ; seu, vt Scaliger, *exerc.* 301. definit, Affectus vnionis; hoc quæritur: an philtra talem appetitum,& affectum conciliare possint? Et quidem cum Philtra eâ ratione exhibeantur, vt amorem mutuum concilient, hoc in quæstione est; an ea mutuum erga eum, qui iam amat, amorem in alio excitare possint:seu an is, qui amantem non redamat,pharmacis & philtris cogi possit,vt repugnans;& inuitus etiam amantem redamet. Neque enim Amor semper mutuus est, sed amatus sæpe se amari nescit;& nõnulli licet amari se sciant,amãtem tamen non redamant: cuius rei exemplum est in Didone & Ænea.

*An amorem inducere possint.*

Fieri autem hoc non posse,in Institut.*loc.alleg.*diximus.Cum enim amorem rei notitia præcedere debeat, & quidem sub specie pulchræ rei; & ignoti nulla cupido sit: at verò ij, quibus philtra propinantur, sæpe nullo modo cognitum habeant, se amari, neque eius, à quo amantur, notitiam habeant; multò minus vt pulchrum agnoscant: nullo modo in amorem philtris pertrahi possunt, quæ notitiam illam conciliare non valent. Imò licet is, à quo amoris conciliandi gratiâ philtra propinantur, notus sit:tamen si idem exosus sit,nec placeat, philtra pro odio amorem inducere nõ possunt;cum talia pharmaca in corpus quidem agant, in animam verò hominis agendi nullam potestatem habeant.

Hoc quidem non negamus, Veneris stimulos, & Venereos affectus interdum à talibus medicamẽtis induci posse:non tamen is appetitus ad certam, & peculiarem,quod hîc præsupponitur,personam determinatur,sed promiscuè in obuiam quamque.

Hoc verò experientia sæpe docet, pro amore furorẽ, & insaniam philtris inductam fuisse;de quo Poëta:

*Philtra nocent animis,vimque furoris habent.*

Vnde & leges Romanorum graues,& capitales pœnas in eos constituunt, qui pocula amatoria aliis exhibent.Plutarchus de L.Lucullo, Imperatore, refert, quod hausto poculo amatorio in furorẽ inciderit,quo tandẽ miserè periit.Lucretius, Poëta,philtro ab vxore Lucilla,accepto in furorẽ coniectus sibiipsi manus violentas intulit.Et talia exempla passim occurrunt,atque aliquot etiã annotauit Schenckius,*lib.7. obseru.* 30.& 31.Notusq; hîc VVitebergæ fuit ante paucos annos quidã calceolarius,qui philthro accepto multos annos insanus vixit,& tandẽ in claustro insanus mortuus est.

Etsi vt occurrant exẽpla eorum,qui philtris in amorem alicuius inducti creduntur:tamen id vel Dæmonis fraudibus factum, qui etsi in hominis animam nullum habet imperium; tamen Dei permissu, vt alios prauos affectus in hominum animis,ita & istum excitare potest,hominũq; mentẽ dementat,& impuris cogitationibus amantium sese associat,atque interim iis, qui philtra exhibuerunt,persuadet,à philtris eiusmodi effectum dependere;atque ita superstitiosam de philtris opinionem in hominũ mentibus confirmat,eosque ad malè agendũ,& secũ colludendũ porrò incitat;vel quod philtris adscribitur, conuersationi potiùs, colloquiis amatoriis,& aliis caussis amorẽ conciliantibus adscribi debet.Ita narratur historia de Rege Macedonum, Philippo, qui cum amore puellæ arderet, & Olympiæ. Reginæ,vxori,persuasum esset ab aliis,philtro à puella propinato Regem maritum in hunc amorem pertractũ esse, illa puellam ad se adduci iussit; adductam verò cum & formæ elegantiâ, & morum suauitate excellere videret suspicione de philtro abiectâ exclamauit:χαιρέτωσαν διαβολαί· σὺ γὰρ ἐν σεαυτῇ φάρμακα ἔχεις: *Valeant*, inquit, *calumniæ: Tu in te philtra habes.* Vbi vox φάρμακον, vt supra diximus, pro philtro sumitur.

## *Signa Diagnostica.*

Qui melancholici sunt ex amore,vultum sæpe mutant,& nunc hilaritatem,nunc tristitiam præ se ferunt; & inprimis si amici,vel amicæ mentio fiat,vel is,aut ea visui obiiciatur,non solùm in vultu,sed & in pulsu mutatio deprehenditur;quo modo Galenus,*de præcogn.ad Posthum.c.6.*mulierem quandam ex amore ægram esse deprehendit,& ab Erasistrato,Medico,Antiochum,Seleuci Regis filium, Stratonicæ nouercæ amore ægrotare deprehensum esse,refert Valer.Maximus,*lib.5.c.7.* Ideóque si Medicus tale quid de ægro suspicetur,neq; is ob verecundiam animi affectum prodere velit,Medicus tangat pulsum,& curet,vt amicæ, vel amici mẽtio fiat,vel de eo nuncium,aut epistola afferatur:aut is,vel ea ex improuiso ægrotanti offeratur. Tum enim ad mentionem, vel adspectum eius non solùm faciei color, sed & pulsus mutabitur. Pulsus equidem amantibus nullus proprius est,& peculiaris; sed turbatus saltẽ,vt neque naturalem æqualitatem,neque ordinẽ seruet. Sic etiam si carmina amatoria,vel sermones, aut cantilenas amatorias audiant ægri, vel in hilaritatem & risum,vel in tristitiam,& fletum soluuntur,in risum quidem,si se in gratia amicæ esse existimant;in fletum, si repudiatos se opinantur.Facies amantium pallet,vigiliæ vrgent, corpus contabescit, oculi intra orbitas conduntur, & graues sunt,ob spirituum defectum.In sermonibus,gestibus & actionibus decorum non obseruant amantes, & multa præter τὸ πρέπον loquuntur,& agunt,& in iis grauitas nulla,quæ debebat, appareat;de quo illud:

*Non benè conueniunt,nec in vna sede morantur,*
*Maiestas & Amor.*

Et ita homines immutantur ex amore, vt Terent. *in Eunuch.*ait, vt non cognoscas eosdem esse.Et effectûs amoris, & quantũ ex iis corpus immutetur, antea etiã in caussis diximus;vt exẽplis etiã in Institut.*loc.alleg.*ex Galeno,*lib.de præcognit.ad Posthum.c.6.*Valerio Maximo,*l.5.c.7.*Amato Lusitano,*curat.medicin.cent.3.curat.* 56.Frãcisco Valletiola,*lib.2.obseruat.7.*docuimus:qualia etiam passim in historiis,& Poëtis occurrunt.Medea filios discerpit impotentia amoris, vel zelotypia in amatum Iasonem.Dido sibi ipsi manus violentas infert vehementiâ amoris in Æneam victa. Hercules amore effœminatus turpiter seruiuit Omphalæ. Sãson amore superatus arcana sua cum suo maximo damno amicæ reuelauit.Salomon, omnium hominum sapientissimus, amore mulierum victus Idololatriam committit. Notatu etiam dignum est quod Cornax, *lib.2.consult.Medic.c.3.* refert, se vidisse, Nobili cuidam iuueni, qui puellæ, cuius nuptias ambiebat, in mensa assidebat, subitò venãm in temporibus prope aurem sponte apertam fuisse, & copiosum sanguinem ex ea profluxisse.Quosdam ob repulsam,vel amicæ discessum subitò mortuos esse,refert Marcell. Donatus, *de histor. Med.mirab.lib.3.c.13.*vbi plures insani amoris historias recenset.

*Prognostica.*

*Prognoſtica.*

In principio quidem malum hoc curatu difficile non eſt: ſi verò radices agit, vel in maniam degenerat, vel ægri maraſmo, & tabe conſumuntur, vel ſibiipſis violentas manus inferunt.

*Curatio.*

Initio ergo, vbi conſtitutio cerebri nondum adeò immutata eſt, ſaltémque vanis illis cogitationibus torquentur amantes, malo ſtatim reſiſtendum, &, vt Ouidius habet,

*Dum licet, & modici tangunt præcordia motus,*
*Si piget, in primo lumine ſiſte pedem.*
*Opprime, dum noua ſunt, ſubiti mala ſemina morbi.*

Et:

*Dum nouus eſt, cœpto potius pugne nus amori:*
*Flamma recens parua ſparſa reſedit aquâ.*

Ideóque fugienda ſolitudo, & amicorum colloquiis & conuerſatione animus amore æger à mœſtitiâ, & vanis illis cogitationibus ad hilaritatem auocandus, & quibus fieri poteſt modis oblectandus, & de re amata cogitationes excutiédæ, & virorum grauiû admonitionibus æger ad mentē meliorem adducendus, monſtrandúmque quàm abſurda, inepta, & genere ac conditione indigna agat; atque ea, quæ amatur, omnibus modis exoſa reddenda, eiúſque vitia, ſeu corporis, ſeu animi exaggeranda. De quibus tamen multa præcipere potiùs Ethici eſt, quàm Medici. Et extant hac de re non pauca apud Ouidium, *in lib. de remedio amoris*, Ideóq; plura hìc non addimus. Inprimis fugiendum otium.

Nam, vt idem Ouidius habet,

*Otia ſi tollas, periêre cupidinis arcûs,*
*Contemptæque jacent, & ſine luce, faces.*
*Deſidiam puer ille ſequi ſolet, odit agentes:*
*Da vacuæ menti, quo teneatur, opus.*
*Quàm plantanus riuo gaudet, quàm populus vndâ,*
*Et quam limosâ canna paluſtris humo:*
*Tam Venus otia amat: finem qui quæris amori,*
*Cedit amor rebus. Res age, tutus eris.*

Hinc tres Deas Amori inuictas eſſe Poëtæ tradunt; Mineruam, Dianam, Veſtam.

Si verò malum ita radices egerit, vt admonitionibus vix amplius locus ſit; modo capite præcedente propoſito æger curandus.

Et ſi ex Veneris appetitu, & feminis abundantia tale malum ortum habeat, vxorem, vbi res fert, ducere commodiſſimum eſt; cum, etiam ex Apoſtoli conſilio, melius ſit, nubere, quam vri: aut, ſi res id non ferat, medicamenta Venerem ſopientia, & ſemen exſtinguentia exhibenda. Inter quæ commendatur ſem. agni caſti, rutæ, portulaca, mentha, camphora; quod tamen Scaliger, *exerc.* 104. *ſ.* 8. negat, ſem. coriandr. lactucæ. Folia etiam ſalicis trita, & pota Venerem imminuunt, &, ſi ſæpe vſurpentur, planè auferunt. Idem verbena præſtare dicitur, atque etiam geſtata Venerem extinguere. Idem præſtare lapidem topazium in annulo geſtatum ſcribunt. Inprimis ſaccharum ♄ni, quod Venerem imminuit, &, ſi ſæpius vſurpetur, virilitatem tollere poteſt.

De Menthâ procul dubio hinc ortum prouerbium: *Mentham tempore belli neque ſerito, neque edito.* Quod quamuis inde natum putat Ariſtoteles, *ſect.* 20. *problem.* 2. quòd, quia corpus refrigerat, animoſitati & fortitudini ſit aduerſa: tamen quia mentha frigida non eſt, hæc potius huius adagij cauſa videtur, quod Mentha Venerem extinguit; quod ipſe, *loc. alleg.* concedit Ariſtoteles. Cum enim belli tempore multi pereant, & proinde nouo milite & ciue, qui mortuis ſuccedant, opus ſit; ad eam rem liberorum propagatione opus eſt, quam Mentha, vtpote ſemen extinguens, impedit; & proinde eo tempore inutilis eſt.

Hinc commendantur hæc medicamenta:

℞. *Trochiſcor. de camphora, menth. ſiccæ*, an. Drach. i. *ſem. agni caſti* Drach. ß. Cum *ſyrup. nymphææ*. F. Pilulæ.

Vel ℞. *Menth. ſiccæ, ſem. agni caſti. nymph.* an. Drac. i. *raſur. eboris, cerall. rubr.* an. ʒ. ß. *ſacchari alb. in aq. nymph. diſſolut.* Vnc. iii. F. Rotulæ.

Vel ℞. *Sem. lactuc. portulac. coriandr. menth. ſiccæ* an. Drach. i. F. Puluis.

Cui ſi addantur ſacchari Vnc. iii. vel iiii. in aq. nymph. vel menthæ diſſolut. F. Rotulæ

Aqua Caſtitatis, vt appellant:

℞. *Aq. menth. chelidon. aneth. lilior. conuall. lilior. albor. nymph.* an. Vnc. i. Miſce. Doſis Vnc. ii. vel iij.

*Diæta.*

Victus ſit tenuis; cum ſine Cerere & Baccho frigeat Venus, & hic etiam locum habeat oraculum Saluatoris: Hoc genus Dæmoniorum non eiicitur, niſi precatione & ieiuniis. *Diæta.*

Videantur de hoc affectu etiam Langius, *lib.* 1. *Epiſt.* 24. Valeſc. de Taranta, *lib.* 1. *c.* 11. Foreſtus. *lib.* 10. *obſeru.* 29. & 30. Inprimis verò eruditè & prolixè de inſania ex amore tractat Fr. Valleriola, *obſeru. lib.* 2. *obſeru.* 7. qui ibi videatur.

*Cura furoris ex philtris.*

Quamprimùm cognitum habetur, vel ſuſpicio eſt, philtrum datum eſſe, ſtatim ipſi occurrendum, ne venenum, in quod philtra degenerant, cor petat, & hominem iugulet. Primò itaque neceſſaria ſunt vomitoria, vt ſunt aq. benedicta, elect. vitri ♁nij Crollij, Aurum vitæ, & ſimilia; quibus ſemper addendum aliquid alexipharmacorum, ceu ſunt lap. Bezoar, terra ſigillata, aqua theriacalis, mithridatica, &c. Ægro quidam radicem aſari contuſam exhibuit, quâ ſumptâ multum euomuit, & ita priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt, vnde radix hæc mirè commendatur. *Cura furoris ex filtris.*

A ſumpto vomitorio ſtatim prouocandus ſudor cum aqu. acetoſæ, cardui benedict. angelicæ, betonic. præſeruatiuâ aliquâ, aqu. Mithridatica, theriacali, ſpir. theriacali, ſpir. Tartari compoſ. Andernaci, terra ſigillata; quibus admiſceri poſſunt elixir propriet. mater perlarum præparata, vel eius magiſterium, ſuccinum album præparatum.

℞. *Aq. acetoſ. card. ben.* an. Vnc. i. *terræ ſigill. Sileſ.* Scr. i. *matr. perlar. præpar. ſuccini albi præpar.* an. Scr. ß. *lap. bezoar.* gr. ii. *mixtur. ſimpl.* Scr. ß. *aq. theriacalis* Drach. i. *ſyr. acetoſ. citri* Vnc. ß. M. pro Hauſtu.

Vel ℞. *Aq. plantag. cardui bened.* an. Vnc. iß. *theriacal.* Drach. ii. *terræ ſigill.* Scr. j. *C. C. præparati* gr. xv. *ſal. abſinth.* Scr. ß. *extr. gentianæ* gr. iiii. *ſpir.* ⊕. gr. vii. *ſyr. de ſucco acetoſæ* Drach. iii. Miſce pro Hauſtu, quæ doſis per aliquot dies manè vacuo ventriculo repetenda, donec ſudor largus conſequatur, & alleuiationem aliquam percipiat æger.

Poſtea per aliquot dies exhibeatur tale Decoctum:

℞. *Succi meliſſ. recent. hyperic.* an. vnc. ii. *extr. rad. vincetox.* Drach. ß. *lap. magnetis boni, & ferrum trahentis*, ʒ. ii. *mellis deſpumati* q. ſ. F. Electuarium, cuius Drach. i. vel Drac. iß. ieiuno ventriculo exhibenda, donec remittat malum. A meridie quotidiè exhiberi poteſt aliquid de tincturâ coralliorum, à gutt. vi. ad x. vel Hauſtus de emulſione cannabinâ ſequens:

℞. *Sem. cannabis* Vnc. i. *vini albi generoſi* Vnc. ix. F. contundendo Emulſio, cui adde *margarit. præparat.* ʒ. ß. *pulu. ſem. hyperic.* Scr. i. *lap. chryſolith.* Scr. ß. *bezoar.* gr. iii. M. pro 3. doſibus.

## CAPVT XI.

### De Melancholiâ per Consensum Cordis & Totius.

*Melancholia per consensum causa.*

VAlde cognata,& proxima Melancholiæ ex primario cerebri affectu est Melancholia, quæ fit consensu cordis,& totius, adeò, vt nonnulli eam, quæ fit cordis vitio, spiritus vitales melancholicos ad spirituum animalium generationem suppeditantis,ad melancholiam per primarium cerebri affectum referant. Nos ad melancholiam per consensum referre malumus;cum cerebrum saluum esse possit, & spiritus animalis melancholicus saltem ob errorem externum, seu materiæ vitio generetur. Hoctamen verum est,si spiritus & sanguis vitalis impurus diu ad cerebrum affluat, tandem ipsum cerebrum dispositionem melancholicam inde contrahere.

### Caussæ.

Melancholiæ huius causa est humor melancholicus, & spiritus vitalis similis in toto abundans; & quidem nunc purus,nunc cum alio humore mixtus.

Continetur autem iste humor melancholicus in venæ cauæ, vt & arteriæ magnæ ramis;sicut ille,qui melancholiam hypochondriacam excitat, in ramis venæ portæ continetur:vnde & delirium hoc continuum est, non verò per vices infestans, vt in melancholiâ hypochondriacâ accidere solet; licet quasdam exacerbationes habere possit, quales etiam in febribus continuis fieri solent.

Colligitur verò iste humor præcipuè ob intemperiem cordis frigidam & siccam.Cum enim cor,si sit frigidum & siccum, etiam intra sanitatis limites spiritus tales gignat,ob quos homo est tristior,& timidior:probabile est multò magis si intemperies illa iam morbosa fiat,quòd spiritus tales generabuntur,quorum ratione ægri etiam sine causâ externa timidi,& tristes redduntur. Cor enim frigidum & siccum tam subtiles, vt par est,& tam calidos spiritus non generat.Hi ergo ipsi ad melancholiam apti sunt,&,cùm spiritibus animalibus præbeant materiam,eiusdem generis spiritus animales inde generabuntur,id est,minus calidi,crassi,impuri,&c,vno verbo Melancholici.

Et cum cor officina sanguinis, & spiritus vitalis sit, & ad temperiem totius corporis mutandam maximam vim habeat, temperiémque cordis temperies totius sequatur: intemperies hæc & constitutio p.n.cordis toti corpori communicatur.Facit tamen etiam sæpe ad melancholicam totius corporis constitutionem inducendam hepar,& lien, si eorum vitio sanguis melancholicus generetur. Et quidem non solum hepar frigidum & siccum, verum etiam calidum & siccum ad humoris melancholici generationem facit. Cum enim hepar tale sanguinem adustum,& crassum generet,vbi calor exspirat,& crassiores partes in liene hærent,sanguini melancholico præbetur materia. Neque tamen ob id melancholia, & mania easdem planè caussas habent, & confunduntur.Nam in melancholia quidem humor esse potest adustus, sed caussa exurens iam cessauit, calor desiit, & humorem frigidum & siccum post se reliquit: in mania verò causa adurens adhuc durat.Interdum tamen accidit, vt mistus quasi affectus ex mania & melancholia excitetur, & æger aliquo temporis spatio maniacus fit,alio melancholicus;dum scilicet humores sunt adusti,sed amplius caliditatem notatu dignam non obtinent.

Et quidem ista cordis,& viscerum,imò totius corporis intemperies, & melancholica constitutio nonnunquam à parentibus in liberos deriuatur, & tum inter morbos hæreditarios melancholia numeratur.Si etiam quis corporis constitutione melancholicâ est, faciliùs hoc morbo corripitur.Hinc graciles,nigri,hirsuti,præsertim cum pilis crassis,& nigris, & qui venas latas habent,facilius melancholiâ corripiuntur.Nec tamen alij, qui eam corporis constitutionem non habent, sed corpore sunt molli,albo,aut rubro,à morbo hoc planè immunes sunt;sed si caussæ,quæ iam enumerabuntur, adsint,aut præcesserint, in omnibus omnino corporibus, cuiuscunque constitutionis, melancholicum delirium hoc excitari potest: quod ipsa experientia testatur.

Secundò etiam in quacunque corporis constitutione melancholiam generant curæ,tristitia,subitus terror & consternatio,metus,quæ sanguinem in toto corpore mutare possunt;nimia animi intentio, & rerum difficilium,vel impossibilium inuestigatio, nimia exercitatio & labores,vigiliæ,ieiunia; quæ omnia humidam radicale,& corpus absumunt & exsiccant. Faciunt quoque huc febres acutæ,& diuturnæ,humores in corpore adurentes,& siccantes,cibi item crassi, & sanguini melancholico generando apti;quales sunt caro bubula,ceruina,hircina,aprugna,pisces marini,& grandes, & alij cibi sale & fumo conditi,ac indurati,brassica, lentes, legumina, panis furfuraceus, vel ex panico, milio, fabis coctus,caseus vetus, vina crassa, nigra, cereuisia crassa. Facit quoque ad melancholiæ generationem aër crassus,& turbulentus,frigidus,siccus, vel etiam siccus adurens, vt æstas calida & sicca, quæ humores adurit. Quamuis enim ea potius bilem, quàm melancholiam gignat: tamen superueniens frigiditas autumni id impedit, & materia adusta, & crassa in melancholiam degenerat;vnde quartanæ autumno sunt familiares:& inter anni tempora ad hunc morbum autumnus commodissimus est. Cumulant quoque humorem melancholicum in toto corpore caussæ, quæ eum in corpore detinent;vt vitium aliquod lienis, ob quod sanguis à feculento humore non expurgatur, atque hinc in vniuersum corpus redundat: hæmorrhoidum etiam, & mensium suppressio, ob quam sanguis talis retentus in totum corpus redundat, illúdque inquinat.

Cum verò multi humore melancholico abundent, nec tamen delirent: delirium non generatur, nisi humor iste cerebro communicetur, & spiritus tenebricosi, & melancholici inde reddatur:quod fit inprimis ob animi affectus,studium,curas,sollicitudinem, quibus is ad cerebrum rapitur. Interdum tamen & Dæmones hanc occasionem arripientes,Deo permittente,sese huic corporis constitutioni associant, & omnis generis tristes, absurdas, & prauas cogitationes homini suggerunt; vnde Melancholia balneum Diaboli vulgo nominari solet.

### Signa Diagnostica.

Si à totius corporis venis ad caput humor melancholicus transmittatur, erit delirium continuum,quod tamen aliquas interdum exacerbationes, vel remissiones habet: nihil verò insigne p.n. circa hypochondria apparet, aderúntque melãcholiæ in toto corpore abundantis indicia,& æger vel ab ipso ortu corporis constitutionem melancholicam obtinet, est fuscus, macilentus,niger,hirsutus,vel,si natura talis non sit, præcesserunt caussæ melancholiam multiplicantes, siue eam generent, siue detineant, febres acutæ, diuturnæ vigiliæ, curæ, & similes antea enumeratæ. Hinc nonnunquam corpore molli, albo, vel rubro, vel etiam biliosi melancholici fiunt, si præcesserint curæ, vigiliæ, cibus prauus,melancholicum succum generans,hepar,& cor ex morbo aliquo ad melancholiam generandam dispo- sita sint,præcesserint febres diuturnæ,mensium vel hæmorrhoidum suppressio.Quæ omnia confirmantur sanguinis phlebotomiâ emissi inspectione,qui melancholicus apparet,si talis in toto redundet. *Melancholia per consensum signa.*

An

*Humoris melancholici simplicis & misti signa.*

An autē humor melancholicus purus & simplex sit, an cum alio mistus, deprehenditur ex iis, quæ antecesserunt, & effectibus. Nam si ea præcesserunt, quæ simplicem humorem melancholicum tantùm generare valent, vel quacunque ratione eum in corpore colligere, si ægri constitutio & temperatura sit melancholica, color plumbeus, nulla præcesserit febris diuturna, vel ardens, aut cordis, vel hepatis caliditas, vel siccitas nimia, quibus humores aduri solent, cum delirio metus & tristitia sit insignior: à puro humore melancholico delirium est.

Si autem humor alius admistus sit, præcesserunt caussæ cum humore melancholico etiam sanguinem, bilem, pituitam, vel atram bilem generantes, & symptomata quoque nonnihil variant. Nam si sanguis admistus sit, delirium interdum fit cum risu; si pituita, delirium est mite, cum obliuione & pigritia, metus ac mœror valde excedunt; si bilis admista sit, delirium est cum ira & excandescentia aliqua; si bilis atra, delirium est maniæ proximum.

*Diaboli melancholiæ se immiscentis signa.*

Diabolum verò se immiscere melancholiæ, patet ex eo, quod ægri ea, quæ antea ignorabant, proferunt, futura prædicunt, arcana patefaciunt, linguis, quarum ignari antea fuerunt, loquuntur, & alia supra captum & ingenium proferunt. Quamuis enim ex morbo, vt suprà diximus, dispositio aliqua cerebro induci possit, quæ ingenium augeat, & hominem quàm antea prudentiorem vel sapientiorem reddat: tamen si ea proferat æger, quæ planè supra eius captum sunt, ad caussam naturalem id referri non potest.

## *Prognostica.*

1. Prognostica, quæ supra de melancholia in genere enumerata sunt, etiam hîc locum habent. In specie huc pertinere videntur, *aphor. 11. sect. 6. Melancholicis & nephriticis hæmorrhoides superuenientes bonæ sunt.* Et *aphorismo 12. sect. eiusdem: Insanis si varices, vel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio.*

2. Melancholia per consensum, seu totius, seu partis alicuius, tandem in melancholiam per essentiam sæpe degenerat.

## *Indicationes.*

Humor melancholicus cùm in toto, tum in capite consistens primò præparandus, & deinde euacuandus. Omnium verò primò si sanguis abundet, & humori melancholico mistus sit, is euacuandus, & si cordis, vel alterius membri, hepatis putà, vel lienis vitio, aut generetur, aut cumuletur, & detineatur in corpore humor melancholicus; morbus illius membri curandus. Inprimis autem melancholia à capite reuellenda. Multi enim sunt, qui humore melancholico abundant, nec tamen delirant, & melancholici fiunt; cum humor iis caput non occupet. Tandem caput, & cor alterandum, & roborandum.

## *Curatio.*

*Vena sectio.*

Si ergo sanguis redundet, præmisso clystere, vel in leni pharmaco purgante, vena aperiatur in brachio, inprimis sinistro, & pro eius redundantia, & viribus ægri sanguis euacuetur: præstatque ob spirituum necessitatem paulatim, & partitis vicibus sanguinem detrahere. Atque præcipuum ad curationem melancholiæ, & maniæ remedium venæ sectionem esse censet Platerus, scribitque, se longâ obseruatione didicisse, innumeros hac ratione sanatos fuisse à chirurgis quibusdam, vel aliis, qui hisce morbis sanandis operam dabant, qui vigesies, & sexagesies quoque venas tundendo, insanos penitus, & melancholicos ita restituerunt, vt postea sani adhuc longam vitam vixerint, qui in vena certa eligenda nihil laborarunt, sed nunc brachij, nunc pedis, hanc, illamve, nunc alibi, sine discrimine, aperuerant: quod remedij genus & ipse, sed maiore curâ & prouidentiâ, ac methodice, præmissis semper alui purgationibus, vsurpauerit. Is enim non solùm venam aliquam patentem in brachio eligit, sed & saluatellam sinistræ manus, & in pedibus quoque malleoli venam, & Saphenam dictam, præcipuè si menses non rectè fluant, vel quæ ad pollicem pedis excurrit, secat; varices quoque si in cruribus, aut alibi appareant, cùm magnam eiusmodi materiæ melancholicæ copiam contineant, aperiendas censet; tandémque frontis & narium venas. Quæ omnia de repetitâ venæ sectione, etsi inprimis de maniâ verâ esse non dubitem, habent tamen suo etiam modo locū in melancholia, præcipuè in melancholia, quæ ex terrore, vel metu subito, & ex inprouiso accidēte oritur, quæque tam fortem in spiritibus, & humoribus, ac cerebro ipso impressionem facit, vt ægerrimè, nisi tota sanguinis massa exhauriatur, curari possit. Habétque, vt Crato ex sententia Montani loquitur, humor melancholicus seminarium ignis in se, quod aliàs magis, aliàs minus incenditur &, cùm efferuescit, in maniam degenerat. Aliquâ tamen cautione opus est, ob timorem & mœstitiam, quibus plerique melancholici perpetuò afficiuntur, ob spirituum, quibus maximè opus habent melancholici, dissipationem, suffocationem, & imminutionem, ne nimiâ sanguinis euacuatione spiritûs exhauriantur, & vires deiiciantur. Cognoscit autem facilè Medicus, quid in hoc melancholiæ genere agendum sit, si caussas, ob quas humor melancholicus genitus, aut collectus est, consideret. Si enim hepar ob intemperiem calidam & siccam talem humorem generet, aut sanguinem in corpore abundantem exurat aut eadem totius corporis intemperies ab internâ, vel externâ caussâ contracta præstet, aut à subitâ consternatione malum ortum habeat, hæmorrhoides, vel menses suppressi sint: sanguinem audacius pro copia, & viribus ægri, & quidem ex pluribus venis, per interualla tamen, euacuare licet. Si verò vigiliæ, curæ, inedia, amor, & similes caussæ sanguinem spiritúsque absumentes præcesserint; vel nulla, vel parcior sanguinis euacuatio instituenda.

*Quænam vena secanda.*

Aperiatur autem primò interna, aut Mediana, vel dextri, vel, quod commodius videtur, sinistri brachij vena; & quidem latiore foramine, vt sanguis crassior etiam effluat. Diligenter enim hîc attendendum, ne crassior sanguinis melancholici pars intus relinquatur, subtilis verò, & vtilis euacuetur. Monet quidem Galenus, si sanguis affluens non sit melancholicus, statim supprimendum esse. Verum monent hîc alij, sæpe accidere, vt, licet sanguis primò subtilis exeat; crassus tamen postea sequatur. Hinc vena in talo aperiatur. Aut si venam sæpius aperire non licet, vena in talo statim aperiatur; cuius apertionem in hoc morbo maximè vtilem esse, experientia docet. Reuellit enim à capite promptiùs, & sanguinem crassiorem ad inferiora tendentem facilè euacuat. Et si ex mēsium, & hæmorrhoidū suppressione malum hoc proueniat, consueta euacuatio reuocanda; non tamen statim id in principio morbi tentandum, sed prius plenitudo in toto demenda, ne medicamenta, quæ euacuationes illas prouocant, cum sint calida & sicca, malum augeant. Per venæ tamen in talo, sectionem statim sanguinem ad consuetum euacuationis locum reuocare nihil prohibet; nisi forsan tanta copia sanguinis ex suppressione eius sit cumulata, vt consultius sit, primò in brachio venam aperire. Si æger etiam crurum venas amplas habeat, quæ varicibus similes sint, hirudines iis affigere vtile est.

*Præparantia.*

Sanguinis euacuatione peractâ, ad præparationem materiæ melancholicæ accedendum, quæ per dies nunquam pauciores, quàm quatuor, interdum etiam octo continuanda est. Dictum verò antea, ad humorem melancholicum requiri calefacientia, humectantia, & attenuantia,

tenuantia, qualia ſuprà, *part.*1*.cap.*12. ſunt propoſita, quæ vnâ operâ humorem melancholicum in cerebro, corde,& toto præparare,& alterare poſſunt.

***Syrupi & potiones.***

Exempl.gr.

℞.*Syrup.de ſucc.borrag.bugloſſ.de epithym.*an.Vnc.ß. *aq.ſcolopendr.borrag.*an.Vnc.iß. Miſce pro vna doſi, & ſic pro reliquis.

Vel ℞.*Rad.fœnicul.ſcorzonera,bugloſſ.* an.Vnc ß. *polypod.q.cort.tamariſc.rad.cappar.*an.Drach.iii.*ſem.aniſi, fœnicul.*an. Drach.iß. *citri* Drach.ii. *fol.capill.* ♀. *ſcolopendr.meliſſ.lupuli,thymi,*an.M.i. *flor.borrag.bugloſſ.violar.*an.P.j. *paſſular.exacinat.* Vnc.i. *glycyrrhiz.* Vnc.ß. Coq.in aq.ſ.

Colat.℞.Vnc.xvi.add.*ſyrup.de epithymo,de pomis,de ſucc.borragin.byzant.ſimpl.*an.Vnc.iß.Miſc.pro 4.vel 5. doſibus.

Vel ℞. *Rad.polypod.q.aſparag.fœnicul.*an.Vnc.i.*helenij,bugloſſ.cort.tamariſc.rad.cappar.fraxini,* an.Vnc ß. *herb.borrag.lupuli,meliſſæ,thymi,epithym.capill.*♀.an.M.i.*ſem.fœnicul.ocymi caryophyllor.*ana Drach.ii.*flor.borrag. bugloſſ.violar.geniſt* an.P.ii. Coqu. in ſero lactis,& ſub finem adde *ſucc. pomor. dulc. meliſſæ , fumariæ ,* an. Vnc.iiij.

Poſtea colentur, & ſaccharo colatura dulcoretur:vel addatur ſyrup.de pomis,bugloſſ. de cortic.citri, an.q.ſ. & cinamom.condiatur.

***Electuaria.*** Non ſolum autem ſyruporum,vel potionum formâ præparantia exhiberi poſſunt, ſed & formâ conſeruarum,& electuariorum, qualia poſtea inter alterantia & roborantia proponentur. Et vt facilius talia in corpus diſtribuantur, aliquid ſyrupi,vel aq. conuenientis, aut iuſculi gallinæ poſt ſumptum tale medicamentum haurire vtile eſt.

Exempl.gr.

℞. *Conſeru. bugloſſ. borragin. fumar. roſar.* an.Vnc.i. *ſpec. diamarg. frigid.diambr. dianthos , pliris archontici* an. Drach.i. *cort.citri condit.* Drach. vi. Cum *ſyrup. de pomis* F.Electuarium, cuius manè, & ante cœnam Vnc. ß.exhibeatur aliquot diebus,cum ſyrupo,vel aq.conueniente,aut iuſculo.

Atque hæc humoris melancholici præparatio omnino neceſſaria eſt, & ſæpe ſatis diu continuanda. Etſi enim humor hic putridus non ſit,& propterea propriè non crudus , nec ob cruditatem coctionem hîc moliri neceſſarium ſit,vt in Inſtitut. *lib.*5*.part.*2*.ſect.*1*.cap.*7. dictum : tamen alia de cauſſa præparatio neceſſaria eſt. Etenim cum hic humor ſit craſſus, ſiccus, terreſtris, & omnino contumax, ac ,vt Platero placet , malignitatis quid obtineat, non temerè ipſum purgantibus agitare decet. Aliàs enim, &, niſi præparatus ſit, purgantium, præſertim validiorum,vſu exacerbabitur,vt cancer medicamentis , quæ digerendi & abſtergendi vim habent. Itaque priùs mitior reddendus humectantibus & attenuantibus medicamentis.

***Nectar Varignana.*** Varignana inter præparantia laudat ſequẽs vinum, non ſolùm in melancholiâ , ſed & in aliis morbis melancholicis , atque eo ſolo quartanas ſe curaſſe ſcribit:

℞. *Epithym.follicul.ſem.flor.borrag.* an.Vnc.ß. *cinamom.* Vnc.iiß. *caſſiæ, ſpicæ, macis, cardamom.* an.Vnc.ß, *zingiber.caryophyll.ſem.aniſi,* an.Vnc.iiß.F.Nectar.cum vino ſubtili, cuius doſis manè cyathus vnus. Quia tamen potus hic parum humectat, conuenire videtur in eâ tantùm melancholiâ , quæ ſine cauſſa calefaciente orta eſt.

Imò non ſolum hiſce præparantibus humorem melancholicum præparare neceſſarium eſt; ſed vtile quoque dum præparantia iſta vſurpantur,tertio,vel quarto quoque die clyſterem emollientem , & humectantem, quique humores ad aluum blandè alliciat,iniicere.Humor enim melancholicus terreſtris, piger , & pertinax eſt,vt, niſi egregiè humectetur, & attenuetur, medicamentis purgantibus non cedat.

Parentur autem tales clyſteres ex parietar. malua,althæa, mercuriali , violaria, branca vrſina, chamæmelo, melilot.ſem. aniſi, lini, polypod. paſſulis, glycyrrhiz. cum melle roſar.& violar.caſſia,electuar.diacatholic. & modico hieræ picræ,ol.violar.

Vt ℞.*Rad.althææ,polypod.q.*an.Vnc.ß. *parietar.mercurial.maluæ,violar,*an.M.i.*flor.chamæmel.* M.ß. *ſem.lini* Vnc. ß. *paſſul. maioran. exacinat.* Vnc. ii. Coqu. in aq.ſ.

Colat. ℞. ℔.i. *caſſiæ, electuar.diacathol,* an. Vnc.ß. *ol. violar.* Vnc.ii. *chamæmel.* Vnc.i.*vitell. ouor.* num.i.F. Clyſter.

Præparantibus talibus præmiſſis ad purgationem accedendum; quæ melanagogis inſtituatur , qualia ſunt; *ſena,epithym.polypod.radix gialapa.* quibus *ſyrup. violar.ſolut.*& *manna* addi poſſunt,*helleborus niger,lap.Lazuli ,* & *Armenus , electuar. diacathol. diaſena , confectio Hamech,pilulæ de fumar.*&c. ***Purgantia.***

De confectione Hamech tamen hoc loco notandum , eam à Medicis nonnullis improbari. De ea enim Solenander,*ſect.*5*.conſil.*22.ſcribit : *Hamech,* inquit, *in ſua confectione mirificam farraginem contulit, & non decoquenda decoxit, longéque diſſimilia ſimul confudit,tandémque confecit horrendam confectionem ſine vlla Medicorum arte, quæ nulli grata eſſe poteſt. Nihil dico de acribus,ſcammonio , & colocynthide, medicamentis admiſtis.* Idem ferè ſentit Rondeletius , *in Pharmacop. officina,* vbi eandem ſaltem ad ichores prauos humorum vtilem eſſe docet. Eandem confectionem improbat Fernelius, vt & Steeghius, *Medicinæ pract.lib.*1*.cap.*14. Et reuerà non videtur ſatis commoda confectio , præcipuè ob myrobalanorum,quæ conſtringunt, copiam. Etſi enim Arabes iis frequenter vſi fuerint , recentes tamen habuerunt,quibus nos deſtituimur.Et commodiùs omnino,ſi cui eâ vti libeat,ad ichores prauos,& hinc ortam ſcabiem,& ſimiles cutaneos affectus, quàm melancholiam vſurpatur. ***Confectio Hamech.***

Verùm de purgatione hîc rectè inſtituenda Autores non conſentire videntur.Aliqui enim fortiora purgantia planè reformidant : ſcribitque Crato, *Conſil.*174. ſe multos melancholicos curaſſe,licet verè affirmare poſſit , ſe nunquam lapide Lazuli , vel ſcammonio vſum fuiſſe.Ideoque ex Meſue ſententia cenſet,iſtum gradum eſſe ſapientiæ, ne ad medicinas fortes deueniamus,niſi vbi debiles non contulerint.Et cum eo faciunt alij quidam,qui experientiâ teſte adfirmant,fortioribus medicamentis humorem melancholicum deteriorem , & ferociorem reddi. Contrà Antiquos in curanda melancholia helleboro,& fortiſſimis medicamentis purgantibus vſos eſſe conſtat;quos & Recentiores quidam imitantur:neque id ſine cauſsâ facere videntur,cùm humor pertinax ſæpe mitioribus remediis non cedat , ſed fortiora requirat.Ne ergo in curando hoc morbo Medicus vel timiditatis, vel temerariæ audaciæ crimen incurrat, rem hanc diligentiùs perpendat.Diſtinctione verò hoc negotium expediri poteſt. Primò inter initia non fortiora, ſed leniora medicamenta vſurpentur:poſtea verò, vbi humor iam ſatis præparatus eſt,ad fortiora progrediendum. Deinde origo humoris melancholici conſideranda. Nam ſi ex abundantia ſanguinis, hepatis, vel alterius membri calore , aut externa cauſſa calefaciente humor melancholicus ortum habeat, à fortioribus , & vehementioribus purgantibus abſtinendum; cum medicamenta talia ſocia ſe cauſſæ melancholiam generanti præbeant , humorémque melancholicum , qui in ſe ſeminarium ignis continet, vt antea ex Cratone dictum, ferociorem reddant.Tunc ergo mitiora medicamenta , quibus Crato ſe melancholicos curaſſe refert, vſurpanda:modò ſint electiuè purgantia, & eâ quantitate exhibeantur,vt humorem melancholicum non ſolùm agitent, ſed etiam educant. Aliàs enim damnum, quod ex humorum agitatione accidit,maius eſt, quàm commodum ex leni,& inſufficienti purgatione. Atque

inter

*Hellebori nigri ritè correcti tutus in hoc affectu vsus.*

inter ista medicamenta purgantia præcipua sunt, fol. senæ, myrobalani Indæ, polypod. q. epithym. quibus tamen aliquid hellebori nigri ritè correcti addi potest. Neque is tam vehemens medicamentum est, vt albus, præsertim is, qui ex alpibus, & vicinis regionibus in nostras defertur, qui tam vehemens non est, vt qui in calidis regionibus crescit; inprimis si mitioribus misceatur, & aliis medicamentis temperetur: vt in syrupo de pomis solutiuo videre est.

Si autem terrestris, & crassus sit humor, sine sanguinis, vel aliorum humorum efferuescentiâ, fortiora purgantia adhibenda, vt hellebor. niger, imò etiam albus, quem in melancholicis sine vllo incommodo, imò cum ægri vtilitate se exhibuisse scribit Matthiolus, *in Dioscorid. lib. 4. cap. 146.* Et mitior redditur, si aliquoties radices mundatæ cum aceto forti coquantur, rursúmque exiccentur; & quò crebrior earum cum recenti aceto affuso fuerit decoctio, eò mitior futura est per superiora euacuatio; ita, vt dosis tandem earum esse possit Dra. i. in ceretisia calente cum tantillo butyri. Minore tamen quantitate exhibeantur talia fortiora, & sæpius repetantur; cum quantitas minor vehementiam medicamenti minuere, & nihilominus sæpius repetitum humorem etiam pertinacem frangere possit. Si tamen iam corpus valde exsiccatum sit, & contabuerit, ac humor potius siccitate, quàm copiâ peccet, viréſque iam symptomatum vehementiâ debilitatæ, & collapsæ sint, tum fortiora medicamenta locum non habent, sed mitioribus, & quæ corpus humectant, vtendum, in maiore tamen copia.

*Regulæ circa purgationem obseruandæ.*

Mesues de purgatione hîc instituenda quatuor Regulas tradit:

Prima est, vt non semel, & confertim, adeóque cum labore, & molestia corpus euacuetur: sed moderatè, & per interualla, vt natura purgans medicamentum regere possit, non verò à medicamento violento prosternatur.

Secunda, vt medicamenta purgantia non multùm recedant à gradu medicamentorum lenium, quæ Benedicta appellari solent, cùm in qualitatibus manifestis, tum in occultis.

Tertia, vt purgantia semper misceantur cum aliquibus humectantibus. Qua de caussâ in hoc affectu medicamenta purgantia commodiùs in forma liquida, quàm sicca exhibentur; cùm liquida plus humectent, & iis plus humectantium misceri possit.

Quarta, vt purgantibus semper admisceantur medicamenta, quæ spiritus, ac partes principes roborant.

Quibus consideratis non erit difficile, conuenientia cuique ægro medicamenta in hoc morbo præscribere. Vbi ergo mitioribus purgantibus opus est, talis potio præparari potest:

℞. *Fol. sen. el.* Drach. vi. *epithym.* Vnc. ß. *zingiber. sem. fœnicul.* an. Scr. ii. *glycyrrh.* ʒ. i. *flor. borrag. bugloss. violar.* an. P. i. *passul.* Vnc. ß.

Coqu. vel infundantur in iure pulli, vel prunorum Damasc pro Vnc. iv.

Colaturæ adde *syr. rosar.* vel *violar. solut.* Vnc. i. vel *mann.* Drac. vi. F. Haustus.

Vel ℞. *Succ. borrag. bugloss. depurator.* an. ℔. i. *pomor. odorator.* ℔. iii. *fol. sen.* Vnc iiii. *sem. anis. fœnicul. cort. citri,* an. Drach. ii. Simul infundantur per diem vnum, & post lenem ebullitionem addatur sacchar. ℔. i. Fiat secundum artem Syrupus.

Vbi fortioribus medicamentis opus, admiscetur confectio Hamech, aut vsurpantur pilulæ de lapide Lazuli, vel ipse lapis Lazuli, aut helleborus niger; præsertim in robustioribus.

Vt ℞. *Electuar. diacatholic.* Vnc. i. *confect. Hamech* ʒ. iß. vel Drach. ii.

Dissolu. in *aq. borrag. meliss. scolopendr.* an. suff. q. vel Vnc. iiii. vt. Vnc. v.

Colentúrque & F. Haustus.

Vel vsurpetur *syrup. de succ. pomor.* cum *fol. sen.* & *helleboro nigro.*

℞. *Succi pomor. dulc.* ℔. iß *borrag. meliss.* an ℔. ß. *flor. cordial.* an. P. ii. *fol. senæ, epithym. cortic. hellebor. nigr. præparat.* an. Vnc. ß.

Coquantur secundum artem cum suffic. quantit. sacchar. F. Syrupus, in quo in nodulo suspendatur *cinamom. caryophyll. croci, spec. aromat. rosat. diamosch. dulc.* an. Scrup. ß.

In cuius Vnc. iii. dissolu. *mann.* Vnc. i. & cum iuscu. capon. vel gallin. tribus horis ante prandium exhibeatur.

Vel ℞. *Rad. bugloss. polypod. q.* an. Vnc ß. *fol. sen.* Vnc. i *follicul. sen. hellebor. nigri præparat.* ana. Drach. vi. *flor. bugloss. borragin. anthos, fumar,* an. P. ii. *sem. anisi, cortic. citri, zedoar. galang. cinamom.* an. Drach i. Coqu. in suffic. q. aquæ ad remanent. ℔. iß.

Colaturæ adde *succ. pomor. dulcium* ℔. iß. *sacchari* q. s. F. secundum artem Syrupus: Cuius dosis Vnc. ii. vel iii.

Vtilia etiam sunt sequentia:

℞. *Rad. polypod. q.* Vnc. ii. *gramin. scorzoner. helenij, bugloss. glycyr.* an. Vnc. ß. *cortic. tamarisc. fraxin.* an. Dra. iii. *summitat. lupuli, meliss. thymi,* an. M. i. *sem. melon. excorticat.* Vnc ß. *anisi, fœniculi,* an. Drach. ii. *iniubar. sebest.* an. num. x. *passular.* Vnc i. ß. *hellebor. nigr. præpar.* Drac. ii. *sem. carthami. contus.* Vnc. i. *turbith. el.* Drac ii. Coqu. in aq. pura.

In colat. infundantur *fol. sen. el.* Vnc. ii. *epithym.* Vnc. ß. *rhabarb. el.* Drac. iii. *flor. cordial.* M. ß. *cinamom.* Dra. i. *spicæ* Scrup. i. *cortic. citri* Dra. ii.

Colat. ℞. ℔. ii. *succ. pomor. dulc.* ℔. ß. *sacchar.* q. s. Coq. ad syrup. liquidior. consistentiam, qui per dies 5. & plures exhibeatur. Huc pertinet, & ab huius syrupi descriptione non multum differt, (nisi quod rhabarbarum additur) syrup. rosatus laxatiuus compositus, seu helleboratus Montani, in dispens. Augustano descriptus.

Vel ℞. *Myrobal. omnium,* an. Vnc. ß.

Contundantur crasso modo, & manibus cum oleo amygdal. dulc. madidis fricentur.

Hinc infundantur in suffic. quant. *aq. borrag.* & *fumar.*

Postea ℞. *Polypod. q.* Drach. i. *epithym. thymi, glycyr.* an. Vnc. ß. *fol. sen.* Vnc. iß. *cortic. radic. hellebor. nigr.* ʒ. iii. *sem. citri, fœnicul. anis.* an. Dra. ii. Bulliant omnia ad consumptionem medietatis. Postea colentur, & additâ sacchar. s. q. F. Syrupus; cuius dosis Vnc. iii. vel iiii. cum syr. rosar. solut. vel violar. sol. Vnc. ß.

*Helleborismus Matthioli.*

Vtilis etiam est Helleborismus Matthiol. ab eo *lib. 3. Epistolar. in Epistola ad Georgium Hamschium* descriptus.

℞. *Cortic. hellebor. nigr.* Vnc. ii. *sem. anisi, fœniculi,* an. Dra. ß. *citri, cinamom.* an. Drac. i. *spic.* Scr. i.

Infundantur in *succi rosar.* ℔. iiii. Omnia bulliant ad consumptionem tertiæ partis, & cum sacchari ℔. iß. vel ℔. ii. F. secundum artem Syrupus; cuius Vnc. iii. vel solius, vel cum aliis medicamentis exhibendæ.

Vtile quoque est Oxymel helleboratum Iuliani à Gesnero commendatum.

*Succus hellebori nigri Euonymi.*

Habetur quoque in Euonymi Thesauro succus hellebor. nigr. qui paratur ex radicibus hellebori nigri, si coquantur in aqua simplici, & inter coquẽdum despumentur diligenter, & effusâ aquâ primâ noua aqua affundatur, atque ita coctio aliquoties repetatur, donec nihil amaritudinis in radicibus amplius percipiatur; tandem omnis illa aqua per filtrum coletur, & lentissimo igne ad spissitudinem mellis coquatur, & sub finem aliquid mastiches, exempl. gr. ad rad ℔ i. mastich. Drach. ii. vel iii. addantur. Cuius exhibeatur Scrup. i. vel Drach. ß.

Verùm conuenientius esset, si aquæ simplicis loco ad coctio

coctionem vſurparetur decoctum fœnicul. aniſi, puleg. Commodius adhuc, ſi ſucco iſti primo per coctionem extracto ſpiritûs vini tantum, vt quatuor digitis emineat, ſuperinfunderetur, & extractum pararetur.

Si adhuc artificioſius parare velis extractum, primo menſtruo ſeparato digeri poterit primum extractum per aliquot dies cum nouo ſpiritu vini, qui macis vim prius imbiberit. Vel extracto guttæ aliquot ol.aniſi,citr. meliſſ. addi poterunt. De quo exhibeatur Scrup.i. eſtque Extractum hellebor.nigri in morbis melancholicis ſummè efficax, quod vel ſolum, vel cum aliis purgantibus, vt extract. panchymagogo, vel catholico aliquo, vel pilulis, pro conſtitutione humoris, & corporis ægri, miſceri poterit.

*Extractum hellebori nigri.*

Habet & Penotus, *de medicamentor. chymicor, præparat.* Extracti hellebor. nigr. deſcriptionem, quam ex vetuſtiſſimo codice ſe tranſcripſiſſe dicit, eſtque talis.

*Aliud Penoti.*

℞. *Hellebor.nigri rad.cum fol.* M. iiii. Conquaſſatis adde vinum moſchatellin. & in balneo bulliant per diem & noctem. Colatura fortiter expreſſa filtretur, & fundatur ſupra recentium itidem conquaſſat.*radic.hellebor.nigri* M.i. *roſar.rubrar.* M.v. (forſan M.ß.) *caryophyllor.prius contuſ.* Drach.vi. addendo *ſpiritus vini* partes octo. Digerantur per dies tres, poſtea colentur, & filtrentur, ac deſtillentur ad craſſitiem mellis, hinc feces comburantur, & phlegmate ſeu aquâ ab extracto ſeparatâ ſal extrahatur. Huius ſalis

℞. Vnc.ß.*croc.*Drach.i.*ambr.gryſ.*Drac.ii vel q.l.M. omnia.

Doſis eſt Scrup.i. cum *aqua aſſeruat.* Drach.iiii. Extracto huic miras vires in ſanguine mundificando, & ſenectutem retardando tribuit Penotus. Qui de eo videatur, *pag.* 186. *de præparat. medicament. Chymicorum.*

Valeſcus de Taranta, *lib.*1.*cap.*13. & alij valde laudant hîc puluerem Haly, quem ipſe his verbis commendat: Poſito, inquit, quod aliæ medicinæ non valeant, iſta valet nutu Dei Miſericordis, & eſt medicina coronata quæ ſecretiſſimè teneatur, vt humanus intellectus q. deperditus hoc medicamento inſtauretur. Paratur autem hoc modo:

℞. *Epithym.*Vnc.ß.*lapid.Lazul.agaric.* an,Drach.ii. *ſcammon.*Drach.i.*caryophyll.*num.xxx. F.Puluis, qui ſemel in ſeptimana datur à Scrup.ii.ad Scrup.iiii.in aqua vel ſyrupo aliquo conueniente. Vix tamen & iſte puluis, niſi corpus antea bene humectatum ſit, ſatis commodus eſt; cum valde ſiccandi vim habeat.

Pilulæ ſequentes etiam vtiles ſunt in humore melancholico euacuando:

℞. *Fol.ſen.elect.*Vnc.ß.*polypod.q.epithym.Cretic.* an. Drach.ii.*aloes extract.*Drach.vi.*extract.ſcammom.* Drac. ii.*hellebor.nigr.* Drach.ß.*ſucc.glycyrrh.extract.helen.zedoar.*an. Scrup.i. *maſtich.macis.ſem.aquileg.* an.Drac.ß. Cum ſyrup.borrag.& pomor.ſ.q.redigantur in maſſam pro Pilulis formandis.

Verùm cum humor melancholicus pertinax, & fixus ſit, ſæpius iteranda eſt huius præparatio, & euacuatio, ac continuâ medicatione plurimos melancholicos curatos fuiſſe, experientia docet. Imprimis verò perpetuâ humectatione indigent melancholici, ideóque humida alterantium loco vſurpanda, & purgantibus admiſcenda: vnde etiam medicamenta in liquida forma vtiliora ſunt, quàm ſicca; & frequentius euacuandum per leniora, quàm per fortiora. Inter leniora valde vtilis eſt ſyrupus multiplicis infuſionis violarum cum fol. ſen. ita paratus, vt nouem vicibus in aqua communi, vel borraginis, vel ſcorzoneræ violæ infundantur, & poſtea vltimæ infuſionis ℔.viii. addantur fol. ſen. Vnc.vi.

Commendatur ad melancholiam, vt & maniam curandam in robuſtis etiam ♁, & multis hoc medicamentum profuiſſe, è Galeni quoque ſchola Medici teſtantur. Excipit tamen melancholiam hypochondriacam Mercatus, neque etiam iis exhiberi vult, quibus ſanguis ſuperaſſatur, vel caliditas in toto, aut viſcere aliquo viget. Contrà tamen Matthiolus, *in Dioſcorid.lib.* 5.*cap.*59.in vniuerſum aduerſus morbos omnes prouenientes ab humore melancholico, ac præſertim iis vtile eſſe ſcribit, qui hypochondria habent inflata & ventoſa. Verum humor, & viæ prius benè præparandæ eſſent, ne humor fruſtra agitaretur. Et cum ♁ humorem melancholicum à proprietate non trahat, helleborus verò niger in humore melancholico peculiari vi euacuando multiplici experientiâ comprobatus ſit; malim hunc præferre.

*Antimonium an locum hîc habeat.*

Dum hæc ita fiunt, vel maxima ex parte peracta ſunt, danda etiam opera eſt, vt corpus externis medicamentis humectetur, &, ſi vna pars, verbi gratia, hepar, intemperata ſit, humorique melancholico generando cauſſam præbeat, eius intemperies corrigatur, partes principes roborentur, & ſpiritus foueantur. Atque hæc iis inprimis diebus, quibus purgantia non exhibentur, vſurpentur, & poſt purgationem continuentur.

Et ſi malum aliis remediis non cedat, tria eſſe remedia vtiliſſima, ſerum lactis cum ſucco cichorij & fumariæ, potum thermarum, quæ mineram ferri habent, & balneum aq.dulcis, ſuprà, *part.*1.*cap.*14. dictum. Et omnino ad corpus humectandum vtiliſſimum eſt aquæ dulcis balneum, quod corpus humectat, & ſuaui humore & calore temperat, ipſúmque humorem melancholicum benigniorem reddit, & ſudorem leniter & moderatè mouendo (Nam liberalior ſudor exſiccando nocet) eius aliquid diſcutit. Vtile etiam fuerit in aq. balnei humectantia & moderatè calefacientia coquere, vt maluam, althæam, violar. borrag. bugloſſ. ſem. hord. lini, flor. chamæmel. melilot. parietar. branc. vrſin. capita veruecis. Affundere quoque licet libras aliquot lactis recentis. Aqua autem balnei à tepore ad caliditatem declinet, noſtróque calori reſpondeat. Lauet verò æger horis tribus vel quatuor ante cibum. Quidam totum corpus leniter fricando inungunt ol. chamæmel. anethin. Aëtius ol. communi vtitur, addito nitro.

*Balnea, & lotiones.*

Dum lauat æger, caput irrigetur decocto plantarum modò dictarum, ſiue ex alto per ſtillicidium demiſſo, ſiue ſpongiis capiti applicatis.

*Embrocha.*

Vt ℞. *Fol.malu.althéæ, flor.chamæmel.*an.M.i. *borrag. bugloſſ.violar.*an.M.ß. *ſtœchad. Arabic.* P.i. Coquantur pro Embrocha.

A lotione caput inungatur ol.violar.anethino, amygdal. dulc. quibus parum ol. nuc. moſch. aut macis admiſceatur. Spinam dorſi in balneo, aut poſt exitum in è balneo inungere vtile eſt ol.lilior.albor.violar. amygdal.dulc, pinguedine gallinæ.

*Inunctiones.*

Ad reliquias humoris melancholici inſenſibiliter diſcutiendas Antiqui magnis antidotis vtebâtur. Sic Galenus theriacam in quartana exhibet, humore ſatis præparato, & corpore euacuato: & Aëtius theriacam dare iubet quibuſdam interuallis, præſertim hyeme, & incipiente vere.

*Antidoti magna.*

Ad viſcera roboranda Abſinthij decocto quidam vtuntur; quod Aëtius ita prædicat, vt eius ſolius vſu quoſdam ab hoc morbo curatos fuiſſe affirmet. Ventriculum enim, & hepar roborat.

*Abſinthij decoctum.*

Inprimis verò cerebri & cordis, vt in omni, ita & in hac melancholia, habenda eſt ratio, & ea roboranda aquis, ſyr.conſeru.borrag.bugloſſ.meliſſ.violar.nymph. roſar.& ſimilibus.

*Cerebrum & cor roborantia.*

Magna vis & efficacia cor roborandi, & exhilarandi, ac reſiſtendi timori & mœrori ſine cauſſa eſt in confectione Alkermes, modò rectè præparata ſit, qualis hodie in monte Peſſulano præparata ad nos adfertur: & lapis Lazuli, quem nonnulli in hac confectione omittendum cenſent, non ſolùm vim purgandi, teſte Auicenna, *in libro de viribus cordis,* ſed

*Confectio Alkermes.*

sed & segregandi à sanguine vapores melancholicos habet.

*Electuaria:*

℞. *Conseru.flor.borrag.violar.meliss.nymph. rosar.* an. Vnc.i.*cortic.citr.conditor.* Vnc.ß. *spec.laetificantis Rhasis diambr.diamargar.frigid.*an. Scrup ii.*corall.rubr.praepar. margarit.prepar.* an. Scrup.i. *confect. Alkermes* Drach. i. Cum *syrup. tunic. & de pomis*, an. q. s. F. Electuarium.

Vel ℞.*Succ.pomor. Borsdorffianor.* vel *alior.odorat.*℔. ii.*borrag.bugloss.flor.tunic.* an. ℔.iß. *sacchar.albiss.* ℔.ii. Coqu. secundum artem. Sub finem adde *vini odorati*℥. v.*spec.laetificant.Rhasis* ℥.i.*galliae moschat.* Scr.ß. *confect. alkermes* ʒ.i.F.Conditum,de quo manè singulis diebus sumatur Vnc.ß.

Vel ℞. *Conseru.fl.borrag.tunic.violar. meliss.rosar.incarnatar.* an.Vnc.ß. *spec. laetitiae Gal.* Scrup.iiii. *diambr. dianthos, diamargarit. frigid.* ana. Scrup.ii. *corall. rubr. praepar.margarit. praeparat.* an.Scr.i.Cum *syrup.de pomis* F.Electuarium.

Vel ℞. *Conseru.fl.borrag.bugloss. rosar. violar. tunic. rorismar. maioran.* an.Vnc.i. *lap.bezoar.orient.* Scrup.i. *spec.conf.dianth.diamarg.frig.diambr.diamosch.dulc.* an. ʒ.i.Cum *syr.de succo borrag.* q.s.F.Mixtura,addendo *ol. cinamom.*gutt.iiii.

Vel ex speciebus cum saccharo in aq. rosarum & cinamom.dissoluto F.Confectio in Tabulis.

Commendantur & hae aquae contra Melancholiam:

℞.*Pomor.citri* num.vi.*vini maluat.*mens.ii.*aq.rosar.* mens.iß.*spec.diamarg.fr.degemm.fr.cordial.temper.laetif. Gal.diaplir.arch.diamosch.dulc.*an.ʒ.vi.

Destillentur lento igne. Ligentur in petia mosch. ambrae,an.Scr.ß.

Verum de talibus notandum,frustra margaritas, corallia,& lapides pretiosos in destillando admisceri;cùm in alembicum non adscendant.

℞. *Conseru. borraginis, bugloss.* an. Vnc. iß. *margarit. praeparat.* Drach. ß. *hyacinthi, sapphiri, smaragdi, corallior.lapidis bezoar,*an.Scrup.ß. *radic.condit.scorzonerae* Vnc.ß. *cinamom. macis, galangae,* ana. Scrup.i. *caryophyll. ligni aloes,* an. Scrup. ß. *ol. citri* gutt. iiii. *spir. rosar.* Dra.i.*sacchar. opt. in aq. rosar. dissolu.* q.s. F.Electuarium.

*Morsuli:*

℞. *Spec. electuar. de gemm. diambr. diamosch. dulc. laetific. Rhasis*, an. Dra. i. *sacchar. in aq. cinam.* Vnc. ß. *rosar.* suff. q. *dissolut.* Vnc. iii. F. Rotulae, vel Morsuli.

Et quia,vt dictum,in omni melancholia cordis maxima habenda est ratio, non solum interna ad id roborandum vsurpentur; sed & externa medicamenta cordi applicentur. *Externa corroboratia.*

*Epithema:*

℞. *Succ.borrag.bugloss.*an.Vnc.iß.*aqu.rosar.* Vnc.iiij. *meliss.* Vnc.ii. *spec.cordial.temperatar. laetificant. Rhasis, cortic.citri,*an.Dra.ß.*vini odorati* Vnc.i.*spir.rosar.*Scrup. ß.F.Epithema cordis.

*Sacculus:*

℞. *Meliss.flor.rosar.rubr.*an.M.ß.*bugloss.violar.*an.P. i. *cortic.citr. caryophyll. macis, santal. citrin. ligni aloes, cinamom.* an. Drach. ß. *gall. moschat.* Scrup. ß. *zedoariae sem.ocymi,*an.Dra.ß.*granor.Kermes* Dra.i.*ambr.*gr.iii. Cum *sindon.rubr.*F.Sacculus pro corde.

*Vnguentum:*

Vel inungatur cordis regio oleo destillato citri, aut solo,aut cum vnguento rosaceo odorato, vel alio cordiali misto.

Inprimis danda opera, vt somnus concilietur statim ab initio; quod fit frictionibus extremorum sub somni tempus, epithematis,linimentis, odoramentis,& aliis suprà,*cap.*1.propositis.

*Diaeta.*

Diaeta sit talis,qualis supra de melancholia in genere proposita est, in omnibus ad calidum & humidum vergens.Aër igitur in hisce qualitatibus sit temperatus, & propterea purus, odoribus suauibus refertus, non foetidus, non tenebricosus, nisi quantum somni ratio exigit. *Aër.*

Cibi sint εὔχυμοι & εὔπεπτοι, ac mediocriter humidi, flatúsque expertes; vt caro pullorum, gallinarum,haedina,vitulina,veruecina, oua recentia, pisces saxatiles, passulae,amygdalae:condiantur flor. borrag. bugloss. roremarino. Conueniunt quoque poma & pyra dulcia, & odorata cocta. Abstineat aeger à leguminibus, caseo antiquo, & omnibus omnino cibis, qui succum crassum, atque excrementitium generant. Vinum conceditur album, tenue, oligophorum. Et cum morbus sit diuturnus, talis victus ratio instituatur, quâ corporis vires, si non augeantur, tamen conseruentur, non verò debilitentur,vel imminuantur;in melancholicis praesertim, qui cibo pertinacius abstinent, aut parcè admodum hunc sumunt. Somnus omni studio concilietur, & prorogetur. Delectatio quaerenda est ex Musicâ, aliísque, quibus maximè delectari sanus consueuit,leniterq; obiurganda inanis tristitia, aut, si nihil proficiatur,aeger acriter increpetur & obiurgetur,ac diligenter ab astantibus obseruetur & custodiatur. *Cibus & potus. Somnus. Animi pathemata.*

## CAPVT XII.

### *De Melancholiâ Hypochondriacâ.*

Secunda Melancholiae per consensum differentia,eáque satis frequens,est,quae Hypochondriaca appellatur,quòd ex hypochondriis ortum habeat,& ex caussâ in hypochondriis genitâ excitetur. Hypochondriorum autem nomine veniunt non solum sita in his vtrinque Hepar & Lien, sed & Ventriculus, potissimum eius fundum,& Mesenteriũ cum suis venis,itémque Pancreas,& Omentum,vt postea dicetur. *Melancholia hypochondriaca vnde dicta.*

Notandum tamen hîc, affectionem, aut passionem hypochondriacam latius patêre, quam melancholiam hypochondriacam. Non solùm enim melancholia, sed & alia mala plurima ex materia vitiosa in hisce locis cumulata oriri possunt: neque semper cum affectu hypochondriaco melancholia coniungitur,sed tum demum, cum cerebro vapores peculiari modo dispositi ex materia illa exhalantes communicantur, spiritibúsque animalibus miscentur.Ideóque hîc non omnia, quae de affectu hypochondriaco dici possunt,proponemus,sed ea tantùm, quae ad Melancholiam hypochondriacam explicandam,& curandam necessaria videntur,reliqua infra,*lib.*3.*part.*5.*sect.*1.vbi in genere de affectione hypochondriaca dicetur,explicabuntur. *Affectio hypochondriaca latius patet, quàm Melancholia hypochondriaca.*

Arabibus Melancholia Mirachia, vel Mirachialis eâdem de caussa appellatur,quod scilicet caussa eius in Mirach,id est,ventre inferiore,seu abdomine contineatur;Graecis φυσώδης,& vulgò etiam Flatulenta melancholia nuncupatur,quòd qui eâ laborant,in ventriculo & intestinis flatibus abundant, qui & rugitibus sese produnt. Chymici affectionem hypochondriacam Tartarum hypochondriorum appellant.

### *Definitio.*

Eſt autem Melancholia Hypochondriaca delirium melancholicum non continuum, ex vapore è melancholiâ p.n. in hypochondriis cumulatâ, & peculiariter diſpoſita, eleuato, & cerebro communicato, ſpiritúſque animales inquinante, &c, vt melancholicum phantaſma generetur, faciente, ortum habens.

### *Cauſſæ.*

*Proxima melancholiæ hypochondriacæ cauſſa.*

Proxima enim & continens huius mali materia eſt vapor Melancholicus cerebro communicatus, ſpiritúſque animales inquinans, & obfuſcans, & mœrorem, ac triſtitiam eo, quo ſupra, *de Melancholiâ in genere*, dictum fuit, modo excitans. Nam ſicut vt Galenus, 3. *de loc. aff. cap.* 7. docet, elato ex ventriculo ad oculos fuliginoſo quodam, & fumoſo halitu, aut craſſis vaporibus, ſimilia, vt in ſuffuſione, accidentia contingunt: eâdem ratione ſublatâ ad cerebrum ab atra bile euaporatione fuliginosâ fumosâque melancholica eueniunt in mente accidentia.

*Cauſſa antecedens.*

Cauſſa antecedens eſt humor melancholicus in hypochondriis cumulatus. De cuius natura & ſede alij aliter docent, vt prolixius de affectione hypochoadriacâ dicetur. Et quidem humorem, qui affectiones hypochondriacas parit, non ſemper eiuſdem naturæ eſſe, ex affectibus, ſeu ſymptomatibus, quæ ſequuntur, & coniunguntur, ſatis apparet: eum verò, qui hoc, de quo iam agimus, delirium parit, melancholicum eſſe, etiam extra controuerſiam poſitum puto. Vnde Galenus, 5. *de loc. aff. cap.* 6. ſcribit: De flatuoſo verò, & hypochondriaco malo nemo non dixit, quomodo triſtitiam, deſperationem, mœſtitiam inducat, atque, vt ſummatim dicam, ad melancholiæ accidentia nihil reliqui faciat. Quippe laborantes hypochondriaco morbo poſt cruditates dictis accidentibus multò vehementius infeſtantur; ac plures ex ipſis quoque ſplenetici ſunt: quocirca coniectandum, ex hoc etiam viſcere vitioſam ſaniem euadere. Ideóque quamquam alij authores aliter hac de re loquantur; videtur tamen id omne de hypochondriaco affectu in genere accipiendum eſſe, de quo infrà, *lib.* 3. *part.* 5. *ſect.* 1. dicetur: huius verò, de quo iam agimus, delirij cauſſam meritò melancholiam ſtatuimus.

*Subiectum & ſedes cauſſæ antecedentis.*

Eodem modo ſeſe res habet de ſubiecto, quod quidem hypochondria ſtatuimus, à quibus nomen etiam hæc melancholia ſortita eſt; veruntamen cum plures in hypochondriis partes contineantur, lienem præcipuè, & loca vicina, antecedentem huius melancholiæ cauſſam continere putamus. Lien equidem humoris melancholici ſedes eſt: ſi tamen magna huius humoris copia colligatur, vt tota in eo contineri non poſſit, etiam in meſenterium, ac omentum protruditur, ac in venis meſaraicis naturalia viſcera perreptantibus continetur, iis præſertim in locis, vbi plures, maioréſque venæ portæ rami verſus lienem in hypochondrio ſiniſtro tendunt: licet, ſi maxima eius ſit copia, in totum abdomen per venæ portæ ramos diſpergi poſſit. Vnde nonnulli duplicem melancholiam hypochondriacam ratione loci, in quo cauſſa antecedens continetur, ſtatuunt, vnam in venis dextræ partis, ab hepatis caliditate excedente ita calefactis, vt calefaciendo chylum perpetuo feruore & ardore moleſtiam quaſi caliditatis alicuius internæ in eo loco exhibeant; alteram in ſiniſtrâ parte, in venis meſaraicis, quæ ſunt inter ſplenem, & ventriculum ſitæ. Frequentiùs tamen in ſiniſtro hypochondrio delirij huius cauſa cumulatur, & continetur. Atque ita, quia cauſſa huius mali in hypochondriis primario ſita eſt, non eſt continuum hoc delirium, ſed tam diu durat, quàm diu vapores atri ſpiritibus animalibus miſcentur, quibus diſcuſſis, & illud vel euaneſcit, vel minuitur, atque iterum redit, vel exaſperatur, vbi noui vapores & flatus, qui caput petere ſolent, collecti & coaceruati ſunt, qui vbi vel per ructus, vel per vomitum, vel per alui crepitus, aut deiectiones euacuantur, ægri melius habent.

Viam per quam vapores melancholici ad caput feruntur, quod attinet, ſtatuunt quidem nonnulli, nunquam, niſi mediante orificio ventriculi, ad cerebrū hos vapores ferri. Verùm probabilius eſt, per venæ cauæ ramos, & arterias id fieri. Facilis enim vaporum ex vena portæ in cauam eſt tranſitus, vt & in arteriam magnam, per arterias, quas lien habet magnas, & multas.

*Cauſſæ antecedentis natura quænam.*

Quæ autem humoris huius melancholici, quem antecedentem Melancholiæ hypochondriacæ cauſſam eſſe diximus, ſit natura, non ita planum eſt. Vulgata ſententia eſt, eum eſſe frigidum, ſiccum, atrum. Verum negat id Platerus eà de cauſâ, quod æſtuatio quædam eo in loco, vbi humor latet, percipitur, quæ acrimoniam, & caliditatem illius ſatis declarat. Imò non ſolum aduſtum & feculentum eſſe hunc humorem, ſed & malignitatem peculiarem obtinere ſtatuit, ob enormia illa accidentia, quæ in maniâ, & in melancholia apparent, ob quam etiam Cacodæmones ſedem in hoc humore habere gaudeant. Verùm enim verò diſtinguendum eſt inter melancholiam hypochondriacam, & affectionem hypochondriacam. Affectio enim hypochondriaca latiùs ſeſe extendit, quàm melancholia hypochondriaca. Neque nim omnes hypochondriaci melancholici ſunt. Qui verò melancholici ſunt, in iis omnino proxima delirij cauſſa ad humorem melancholicum referenda; etſi nihil prohibeat, quin etiam ob ἀντιπεξίαν viſcerum æſtuatio quædam in hypochondriis percipiatur, & propterea diuerſa ſymptomata hypochondriaci patiantur. Vnde etiam Melancholiæ hypochondriacæ non eſt vnum genus. Quidam enim melancholici ſunt torpidi, ignaui; alij μετὰ σπουδῆς ſua peragunt. In illis delirij cauſſa eſt Melancholia naturalis, quæ eo modo, quo, vt ſuprà, in genere, dictum, melancholiam inducit; in his verò iam aliquid quidem aduſti humoris eſt, vel alij humores aduſti admiſcentur.

Vbi Platero libenter aſſentimur, aduſtum aliquem humorem cauſſæ melancholiæ admiſceri. Et plerumque adſunt ructus & vomitus acidi. Acida autem non paucas partes calidas in ſe continent. Et humor ſummè calidus atrabilario proximus eſt. Aduſtio tamen illa non eſt magna: aliàs enim potius mania, quàm melancholia, inde excitaretur. Et ſi humor melancholicus amplius aduratur, ex melancholiâ fit mania; cum ex humore valde calido & aduſto delirium cum timore, & triſtitia prouenire non poſſit; ſed caliditas illa potius audaciam inducit. In aliis verò pleriſque hypochondriacis affectibus facilè concedimus, humorem illum, qui affectionis hypochondriacæ cauſſa eſt, non ſemper frigidum eſſe, ſed in venæ portæ ramis accumulatum aduri, & calorem, atque acrimoniam contrahere &, vt ex Diocle Galenus, 3. *de loc. aff. cap.* 7. docet, hypochondriacas affectiones plus caloris, quàm decet, in venis, quæ alimentum è ventriculo excipiunt, habere. De quo infra, *lib.* 3. *part.* 5. *ſect.* 1. *cap.* 4. plura dicentur.

Malignitatem quod attinet, equidem humor melancholiam excitans propriè malignus non eſt, & non, niſi impropriè loquendo eum malignum appellat Platerus. Interim in hoc ei aſſentimus, peculiarem aliquam occultam, & nobis ignotam eſſe diſpoſitionem humoris melancholiam generantis, quæ vulgo, cum proprio nomine eam exprimere non liceat, impuritas, & nigredo dicitur, ob quam ſpirituum animalium naturalis luciditas & puritas vitiatur, & p.n. diſpoſitio inducitur.

*Cauſſæ remota & procatarcticæ interna & externa.*

Quomodo autem generetur humor hîc in hypochondriis, pluribus dicetur, vbi de affectionibus hypochondriacis in genere tractabitur, *libro tertio. part.* 5. *ſect.* 1. & *ibid. ſect.* 2. *cap.* 3. de Scorbuto. Vt breuiter de eo, quantum huius loci ratio poſtulat, dicamus,

causis, præcipuæ generationis & cumulationis humoris melancholici in hypochondriis causæ sunt errores in victu diu continuati, & ventriculi, ac hepatis, & lienis ἀντιπραξία.

Primò enim, cum coctionis primæ errata in secunda corrigi non possint, à pluribus verò in diæta plurimùm delinquatur, & hinc in prima coctione multi errores committantur; plurimos etiam errores & vitia in secundâ coctione consequi necesse est. Ad humoris verò melancholici generationem faciunt ea, quæ crassum & feculentum succum generant. Si enim plus huius sit in chylo, quàm debebat, omne hoc excrementum à liene attrahi, elaborari, segregari, atque euacuari nequit, sed eius maxima pars à natura valida & robusta plerumque in pancreas, mesenterium, & omentum, atque ferè per eos venæ portæ ramos, qui non in ipsa intestina, sed in mesenterium, & pancreas desinunt, & obliterantur, deponitur, vt hac de re rectè Fernelius, *de part. morb. & sympt. lib. 3. cap. 7.* differit.

*Ventriculi debilitas.* Facilius verò id accidit, si ventriculus sit debilis. Cum enim cibi eiusmodi crassi & feculenti etiam in eo, qui ventriculum satis fortem habet, nihilominus similem chylum suppeditent; multò magis hoc accidit, si ventriculus sit debilis. Ideóque inter remotiores caussas omnia locum habent, quæ ventriculum debilitare valent; de quibus *lib. 3. de imbecillitate ventriculi,* dicetur.

*Ventriculi ac Hepatis & Lienis ἀντιπραξία.* Et adhuc promptius id fiet, si aliqua adsit lienis, ventriculi, & hepatis ἀντιπραξία. Tum enim ventriculus debilis cibos non rectè coquit, & cruditatis caussa est. Lien verò & Hepar, si calidiora sint, auidius illum ad se, & sæpe adhuc crudum, trahunt, & quidem tenuem, & aquosam chyli partem maturius, crassam tardius; illámque in vapores tenues: nunnunquam & subsalsos, ac acres resoluunt, atque vel in caput, vel in totum corpus distribuunt; vnde catarrhi, dolores vagi, vel sudores excitantur; hæc vehiculo destituta in venis mesaraicis subsistit, obstructiones in iis parit, ampliúsque exiccatur, & incrassatur, vel etiam aduritur, & obstructiones in venis mesaraicis parit, ac humori melancholico materiam præbet, atque ita humorum crassorum, & feculentorum copia in hypochondriis cumulatur, atque hinc cùm melancholia, tùm plurima alia hypochondriaca mala oriuntur, quæ ibidem Fernelius recensest, & prolixius infra, *lib. 3. part. 5. sect. 1.* enumerabuntur.

Imò hæc, si affectum hunc producere debet, necessario circa lienem hæret, & si id tantùm fiat, mitior est melancholia. Accidere tamen potest, vt in vtroque hypochondrio illa cumuletur, & tum grauior affectio est, & non solum melancholia, sed & alia symptomata adsunt, ob materiam mistam, quæ partim calida, sicca, acris & amara est, ob igneam, quæ in hepate & venis circa hepar est, dispositionem, & sensum æstus in dextro hypochondrio exhibet; partim frigida, sicca, acida, quæ in liene, & circa eum hæret, & colligitur; de quibus *loc. allegat.* dicetur.

*Cibi & potus vitiosi.* Suppeditant autem tali humori materiam cibi crassi, difficilis coctionis, viscidi, flatulenti, caro bubula, suilla, aprugna, ceruina, pisces maritimi, & in aquis stagnantibus degentes, carnes & pisces sale ac fumo indurati, aues in aquis degentes, legumina, brassica, oua indurata; vina non defecata, austera inprimis, quæ in lapide calcario, vel alio solo, quod materiam mineralem, vel tartaream continet, crescunt; cereuisia ex aquis impuris cocta, præcipuè si sit turbida, & non defecata.

*Aeris vitiosa institutio.* Facit ad hoc malum generandum etiam aër crassus, fœtidus, nebulosus, qui inspiratione attractus spiritus animales, & vitales inquinat; item autumnalis, modò calidus, modò frigidus.

*Quies & nimium otium.* Quies & otium nimium huius mali generationem quoque promouent, dum ob ea multa excrementa in corpore retinentur, calórque non excitatur, & ventilatur; vnde obstructiones in corpore fiunt. Atque hæc, cũ lucubrationibus & meditationibus, caussa est, cur literati, & qui vitam sedentariam agunt, malo hypochondriaco frequentiùs sint obnoxij, minus verò ij, qui quotidianis laboribus exercentur.

*Euacuationes suppressæ.* Aluus suppressa etiam ad malum hoc generandum facit. Etenim si excrementa diutius in intestinis detineantur, venæ mesaraicæ ex iis pro bono, & recenti chylo crassam & feculentam materiam attrahunt, è qua multi feculenti humores generantur, atque obstructiones in venis mesaraicis & liene excitant; vnde iis, qui ad affectionem hypochondriacam sunt dispositi, summè vtile est, aluum semper habere laxam. Multum quoque ad malum hoc inducendum faciunt suppressæ euacuationes, per quas natura vitiosos eiusmodi humores in primis viis collectos euacuare solebat, vt alui deiectiones, & vomitus quibusdam certis temporibus consueti: ac quæ maxima huius mali caussa est, hæmorrhoides, quæ aliquando fluxerunt, suppressæ.

*Immoderati animi affectus.* Inprimis verò mali huius caussa est metus & tristitia, & animi nimia intentio; idque maximè in iis, qui à naturâ corporis constitutionem melancholicam adepti, taciturni, cogitabundi & tristes sunt. Atque hinc etiam accidit, vt infantes, & iuuenes, qui à curis & mœstitia alieni sunt, in hoc malum non incidant, sed adulti, post annum trigesimum plerumque. Tum enim temperamentum corporis non solum fit siccius, & errores in victu commissi in adolescentia sese produnt, sed & curis, meditationibus, atque animi intentione homines tum magis occupari incipiunt.

## *Signa Diagnostica.*

*Signa Melancholiæ hypochondriacæ diagnostica.* Melancholiæ Hypochondriacæ signa sunt, delirium absque febre, cum mœrore & timore; idque non continuum, sed notatu digna interualla habens. Sunt enim melancholiâ hypochondriacâ laborantes nonnunquam satis hilares; mox tamen sine caussa in mœstitiam recidunt. Cùm enim vapor Melancholicus ater & tenebricosus, huius mali caussa proxima, in cerebrum eleuatur, spiritibúsque animalibus permiscetur, eósque inquinat, delirium inde excitatur, ægérque multa falsa imaginatur, metuit non metuenda, sine caussa mœret, & variis modis animum macerat: duratque hoc delirium tam diu, quàm diu vapores illi spiritibus permiscentur: postquam verò vapores illi melancholici discussi sunt, delirium cessat, donec noui vapores ad caput eleuati spiritibus animalibus permiscentur, eósque turbant.

Et hæc quidem propria Melancholiæ signa sunt; quibus tamen interdum & alia coniunguntur. Nam quia vapor ille flatulentus melancholicus in cerebro permiscetur spiritibus animalibus, qui non solum imaginationi, sed & aliis sensibus inseruiunt, accidit, vt etiam circa alios sensus varia symptomata oboriantur; in auribus tinnitus, strepitus, sonique varij, nunc campanarum sonitum, nunc aquarum strepitum referentes; oculi obscurè vident, vel etiam omnia circumagi videntur. In neruos etiam sese insinuans vapor varios dolores, & alia neruosi generis symptomata accersit. Idem vapor, dum seu per venas, seu per arterias sursum tendit, & cor transit, illud in eas angustias redigit, vt motu violento palpitare, & arteriarum celerem, & velocem motum ad expellendum, & discutiendum vaporem sibi molestum, instituere cogatur: quod dum fit, æger de summa cordis angustia conqueritur, de vita desperat, maximísque suspiriis opem & auxilium exposcit: plerumque etiam vrgent vigiliæ, quæ à vaporibus illis siccis ortum habent, qui non solũ spiritus perturbant, sed & cerebrum exiccant, ac somni proximam caussam absumunt; aut, si dormiunt, somnus

somnus ea de caussa est perturbatus cum somniis metûs & terroris plenis. Adsunt etiam alia affectionis hypochondriacæ signa, quæ Galenus, 3. *de loc. aff. cap.* 7. ex Diocle ita recenset: Sumpto cibo, maximè coctu difficili, sputum multum & humidum concitatur: item ructus acidissimus, flatus, æstus, in hypochondriis fluctuatio non ilicò, sed cum retinuerint, interdum quoque ventriculi vehementes dolores, qui nonnullis ad dorsum vsque procedunt: concoctis deinde cibis quiescunt, mox aliis cibis ingestis eadem reuertuntur symptomata, quæ inter ieiunos, interdum etiam à cibo molestant, atque euomunt crudos cibos, & phlegmata subamara, & calida, & acida, adeo vt dentes stupore afficiantur. Et alia coniunguntur, quæ suo loco de affectione hypochondriaca explicabuntur.

Hoc saltem hic addimus, non omnia symptomata in omnibus apparere, sed modò hæc, modò illa, pro partium læsarum, vel seorsim, vel simul ratione. Si enim venæ mesaraicæ saltem obstructæ sint, & in iis humor contineatur, mitior est affectio: grauior, si ipsa viscera simul afficiantur. Et quidem si vtrumque viscus afficiatur, atque vtriusque venæ sint obstructæ, grauia, & plurima apparent symptomata: si verò vnum saltem viscus obstruatur, mitiora & pauciora sunt.

*Paroxysmi & symptomatum quænam sit ratio.* Quia verò hoc malum non continuum est, sed per interualla quædam inuadit, & paroxysmos suos habet; qua ratione illi oriantur, & quo modo inuadant ægros, etiam explicare non inutile fuerit: præsertim cum ægri ipsi rarò omnia recensere possint, quod improuisò hoc malo corripiuntur, & ratione ac mente perturbatâ omnia memoriâ comprehendere non valent. Primò quidem corripiuntur paroxysmo ægri sæpe etiam citra vllam euidentem, vel externam caussam, vbi materia copiosius accumulata à natura mouetur, & vapores, ac flatus ab ea excitantur. Soletque & hic morbus, vt alij, suas habere periodos. Facilius tamen hoc fit, si caussa externa aliqua accedat, vt improuisus terror, mœror, ira, vsus ciborum flatulentorum, vini potentis crapula. Vbi verò malum ægros apprehendit, in nonnullis quidem subitò, & ex improuiso hoc accidit; interdum ex flatibus, & vaporibus ascendentibus ructus antecedunt, ventriculus distenditur, & orificium eius lancinatur, ac per gulam transiens vapor acidus linguæ neruos peruadens eam quasi constringit, ac rigidam, & ad sermonem immobilem reddit, interdum per cor transiens vapor anxietatem lipothymiæ non absimilem, vel cordis palpitationem excitat, atque altiùs ascendens difficilem respirationem parit. Hinc cerebrum occupans delirium parit, atque, vt antea etiam dictum, caligo oculis offunditur, in auribus tinnitus excitatur, ac membranæ cerebri tenduntur, & dolor in iis excitatur, vt ægri totam cerebri substantiam è cranio sibi euulsum iri metuant. Et dum porrò vapor per spinam dorsi deorsum tendit, interdum in vtroque brachio frigus quoddam, aut stuporem potiùs, & motum formicantem inducit. Quæ cùm, anxietatis & terroris omnia plena sunt, ægrique metuunt, ne labantur & concidant, ideóque locum quieti quærunt, interea mente quasi priuantur, vel delira loquuntur, & sudore frigido perfunduntur. Hinc calore illos vapores discutiente, rubore iterum suffundi incipiunt, anxietas minuitur, & mentis actiones sese iterum exserunt, ac tandem, paroxysmo superato, nihil ægri amplius sentiunt, præter metum alicuius grauioris morbi, epilepsiæ vel apoplexiæ, vel subitaneæ mortis; atque hinc tristitiam, & animi mœrorem concipiunt.

### *Prognostica.*

*Signa Melancholia hypochondriaca prognostica.* 1. Malum hoc, vt omnes morbi melancholici, diuturnum, & difficile curatu est. Humor enim melancholicus naturâ suâ pertinax est, nec facilè medicamentis cedit, imò si minus cautè tractetur, ferocior redditur. Præterea Indicationes inter se plerumque pugnant: ventriculus est debilis, frigidus, & calefacientia postulat; contra hepar in hoc affectu plerumque est calidius. Humor ipse quoque crassus, & siccus, & propterea humectantia postulat: cum eo tamen plerumque serosus humor coniungitur; vnde sputo abundant hypochondriaci. Faciunt quoque non parum ad morbi huius diuturnitatem errores ægrorum dum & in victu sæpe delinquunt, & diuturni morbi pertæsi, vel vsum medicamentorum intermittunt, vel Medicos temerè mutant.

2. Faciliùs tamen curatur in principio, quàm si iam sit inueterata: & si duret hæc melancholia, tandem similis vapori dispositio cerebro inprimitur, & ex affectu per consensum proprius excitatur.

3. Tantò malum est grauius, quantò humor magis aduritur, & atræ bilis naturam accedit. Si enim humor ille qui vaporem suppeditat, aduritur, vel adustus illi admiscetur, melancholia in maniam tandem transit. Cuius rei signum est, cum, qui antea erant meticulosi & tristes, iam hilares quasi, animosi, audaces & iracundi fieri incipiunt; quod facilius accidit, si æger multo, & potenti vino pro potu vtatur.

4. Si materia illa, & vapores inde excitati prauam & peculiarem corruptionem subeant, aut copiosiùs ad cerebrum ferantur, malum interdum in epilepsiam degenerat; interdum cerebro morbi diuturnitate valde debilitato, & cruditate auctâ, in apoplexiam transit.

### *Indicationes.*

Vapor ille, qui proxima & continens huius delirij caussa est, etsi spontè à natura discuti soleat: tamen danda opera, vt id quàm citissimè fiat. Ne verò malum recurrat, vaporum ascensus prohibendus, iique, ne cerebro, & cordi molestiam afferant, aliò diuertendi. Et quod curationis caput, humor melancholicus, à quo vapor ille eleuatur, ex hypochondriis euacuandus. Quod rectè & ordine fiet, si viæ obstructæ aperiantur, & venæ mesaraicæ, quæ simul siccitate plerumque laborant, humectentur, humor ipse crassus attenuetur, & incidatur, & tandem per aluum & vrinas euacuetur, atque eius generatio prohibeatur; quod eueniet, si omnes caussæ, à quibus is originem traxit, vel à quibus moueri, & augeri potest amoueantur, & vitentur. Tandem cerebrum & ventriculus roborandus, vt & aliæ partes principes.

### *Curatio.*

### *Alui Lenitio.*

Cùm aluum in hoc morbo laxam habere semper vtile sit, & reliqua remedia, nisi primæ viæ euacuatæ sint, parum prosint; ab alui lenitione, & primarum viarum euacuatione curatio inchoanda. Vbi maximè cauendum, ne purgantibus validioribus, & à partibus remotioribus trahentibus humores non solùm in hypochondriis, sed & in aliis venis commoueantur; qui cum exitum non inueniant, nec ad euacuationem tum apti sint, hepatis & venarum obstructionem augent, aliaque incommoda secum trahunt, atque ita plus nocent, quàm prosunt. Iniiciatur ergo talis Clyster:

℞. *Rad. altheæ, polypod. q.* an. Drach. vi. *malu. pariet. altheæ, viol. mercurial.* an. M. i. *flor. chamamel.* M. ß. *furfur. in petia ligat.* M. i. *prunor.* num x Coqu. in aqu. pura.

Colatur. ℞. ℔. i. *Electuar. lenit.* vel *diacathol.* Vnc. i. *hieræ simpl.* Dra. ii. *mell. rosat. colat. ol. violar.* an. Vnc i. *chamamel.* Vnc. iß. *vitell. oui* num j. F. Clyster.

Sangui

*Sanguinis Euacuatio.*

Poſtea ſi ſanguis abundet, & hepar ſit calidius, vt ſanguis euacuetur, corpúſque ventiletur, & ad vſum medicamentorum aptius reddatur, vena aperienda.

*Sanguinis miſſio.* Commodiſſimum autem foret, ſi ex venæ portæ ramis ſanguis euacuari poſſet. Cum autem ii nullibi pateant, niſi in ano, vtiliſſimum eſſet, ſanguinem per hæmorrhoides euacuare; hæmorrhoidúmque fluxus ad melancholiam curandam multum poteſt, atque interdum hypochondriaca melancholia, quæ aliis remediis tolli non potuit, hoc vno ſanata fuit. Verùm niſi natura ipſa hunc tentet, ab arte ſola earum fluxus vix ſperari poteſt. Si tamen fluere conſuetæ ſint hæmorrhoides, aut tumeant, hirudinum applicatione, vel aliis modis, vt aperiantur, tentandum.

Cum etiam menſtruorum fluxus naturalis ſit, & natura per eum vitioſos humores, qui in corpore colliguntur, ſimul euacuare ſoleat, cauendum, ne ſupprimatur, &, ſi ſuppreſſus ſit, reuocetur.

Venæ verò in brachio tum demum aperiendæ, vbi, vt diximus, ſanguis abundat, aut ille jam à ſucco melancholico infectus eſt. Hinc ſanguis ex venis crurum, poplitis, aut malleoli emittatur; cum ſanguis prauus infra hepar maxima ex parte conſiſtat, & humor melancholicus, tanquam fex ſanguinis, aliquando inferiora petere ſoleat. Et fieri poteſt, vt hoc modo ſanguis ad hæmorrhoides fluat, & illæ cum maximo ægri commodo aperiantur.

*Vomitoria.*

Quia verò non raro ob ventriculi debilitatem crudi & pituitoſi humores in ventriculo cumulantur; ſæpe neceſſarium eſt, à vomitu initium curationis facere, ne à præparantibus, vel purgantibus excrementitij illi humores ad penitiores partes rapiantur, atque obſtructiones augeant.

Vt ℞. *Succ. radic. raphani expreſſ.* Vnc. iiii. *hydromel.* Vnc. iij.

In quibus miſtis macerentur per noctem *radic. aſari contuſ.* Drach. ij. Manè colentur & exprimantur, liquórque tepidè propinetur.

*Præparantia humorem melancholicum in hypochondriis.*

*Materiæ morbificæ præparatio.* Hiſce peractis jam ad materiæ præparationem accedendum, quæ attenuantibus, & aperientibus perficitur, ſine inſigni tamen calefactione, & exiccatione, propterea, quod plerumque ardor quidam, & ſiccitas meſaraicarum adſit, & inflammationi quid ſimile partes illæ, & inferiori orificio ventriculi vicinæ obtineat. Quâ in re non rarò peccatur ab iis, qui ad flatus tàtùm, quibus hypochondriaci etiam abundant, habito reſpectu, valde calidis & ſiccis medicamentis in hac melancholiæ ſpecie vtuntur, quibus morbus potius exaſperatur.

Contra-nec nimis refrigerantia, & humectantia ſine aliquâ apertione conueniunt; cum in partibus illis ſint obſtructiones, quas tollere ſemper conuenit. Vbi tamen plus aquoſi admiſtum eſt, calida non omittantur. Atque ita, prout varia eſt conditio humoris in hoc morbo, & aliud atque aliud membrum magis læſum eſt, ita curatio aliàs magis calida, aliàs minus calida poſtulat, ant etiam moderatè refrigerantia & humectantia, quæ omnia tamen ſint aperientia & attenuantia. Si caliditas & æſtus major percipiatur in hypochondriis, horâ vnâ ante cibum ſeri lactis caprini ℔. ß. vel ℔. j. commodè exhibetur, quod & calorem iſtum temperat, ac venas meſenterij refrigerat, & materiam, obſtructionis cauſſam eluit. Simplicia;

Radices; *Fœniculi, aſparag. eryngij, graminis, borragin. bugloſſ. cichorij, ſcorzonera, helenij, polypod. glycyrrhiz. centaurij major.* Crato enim inter aperientia, & obſtructiones tollentia in hoc morbo multum tribuit rad. centaur. major. quod vulgò Rhaponticum appellatur, ſi ſuccus è recenti radice exprimatur, & cum ſaccharo in formam ſyrupi redigatur, ac de eo ſingulis diebus manè ſumantur cochlearia duo, vel tria: vel ſi radix centaurij majoris in vino horis 24. maceretur, & ante cœnam æger vini hauſtum ſumat, idque aliquot diebus continuet.

Cortices; *cappar. tamariſci, fraxini, citri.*

Folia & herbæ; *ceterach. ſcolopendr. chamædr. chamæpit. capill.* ♀ *meliſſ. betonic. hyſſopi, endiuiæ, cichorij, fumariæ, cuſcutæ, cardui ben. abſinthij,* præcipuè *Pontici, cochleariæ, veronicæ.*

Flores; *borrag. bugloſſ. violar. centaur. minor. ſambuc. geniſt.*

Semina; *aniſi, fœnicul. endiu. ocym. aquileg. geniſt. quatuor frigid. major.*

Fructus; *prun. amygdal.*

*E quibus fiant Medicamenta vſualia:*

Aquæ; *borrag. bugloſſ. meliſſ. chamædr. capill.* ♀. *hyſſop. fumar. cuſcut. ſcolopend. puli.*

Syrupi; *byzantin. de duab. radicib. de fumar. de ſcolopendr. de borrag. bugloſſ. endiu. de epithym. de lupul. de polypod. de pomis.*

Conſeruæ; *borrag. bugloſſ. meliſſ. fumar. cichor. betonica, cochlear. tunic.*

Condita; *cortic. citr. radic. helen. eryngij.*

Extracta; *veronic. meliſſ. card. benedict. abſinthij, ceterach.*

Species; *electuar. lætitiæ Galen. Rhaſ. de hyacinth. diarrhod. Abbat.*

Trochiſci; *de capparib. de abſinthio.*

Ex his varia pro vſu & conſtitutione ægri fieri poſſunt. De quibus hoc monendum, vt initiò non ea vſurpentur, quæ fortiùs vrinam mouent, ne materiam vitioſam è primis viis ad hepar, & venam cauam deducant, malum augeant, aut morbum aliquem in renibus excitent.

Rejicit quidem alia de cauſſa diuretica Hollerius, quòd ſcilicet ſplen nullum habeat conſenſum cum renibus per viam communem: verum diuretica nec planè rejicienda ſunt, ſed corpore, & primis viis per purgantia euacuatis etiam locum habent, & ſæpe nigra planè per vrinam euacuantur, cum ægri commodo: nec ratio Hollerij vera eſt. Sunt enim viæ è liene ad renes, quas monſtrarunt Recentiores Anatomici, & eas recenſet Laurentius, *quæſt. 27.* & per arterias emulgentes ſàtis commodè è liene ad renes materia euacuari poteſt. *An diuretica in melancholia hypochondriaca conueniant.*

Valde etiam calida vitanda, aut, ſi vſurpentur, aliis temperanda, ne humorem adurant, pejorémque reddant, terróſque vapores excitent, & grauia ſymptomata inducant.

*Potio:*

℞. *Rad. cichorij, borraginis, ſcorzoneræ, polypod. q. cortic. rad. cappar.* an. Drach. ii. *rad. aſari* Drach. i. *fol. meliſſæ, betonicæ, ceterach, fumariæ, capill.* ♀. *chamædryos*, an. M. ß. *centaurij minoris, abſinthij Pontici*, an. P. j. *flor. cordial.* P. ii. *cortic. citri* Drach. ii. *ſem. aniſi, fœniculi*, ana Drach. i. *fol. ſenæ el. epithymi*, an. Drach. iii. *paſſul. minor.* Vnc. i. *Potiones.*

Infundantur omnia in aq. puræ ℔. iii. Stent vaſe clauſo, loco calido, & poſtea in B. ebulliant:

Colat. add. *ſucci borragin. roſar. fumariæ*, an. Vnc. iiii. *ſacch.* ℔. j.

F. Potio clara. Doſis Vnc. iiii. vel Vnc. v.

## Syrupi.

℞. *Succi bugloſſi,borragin.pomor.ſuaueolentium*, ana ℔.i.*meliſſæ* ℔.ß. Infunde in eo *granor. kermes* Vnc. i. *croci* Drach. i. Colentur, & cum *facch.* ſ. q. F. Syrupus.

Vel ℞. *Rad.aſparag.fœnicul.polypod.q. helenij*, *ſcorzoner.cichor.* an. Vnc. ſem. *cortic.rad.cappar. tamariſc. fraxin.*an.Dra.iii.*citri,aurantior.*an. Drach. ii. *fol.ceterach.ling.ceruin.endiu. hortenſ. hepatic. nobil. chamædr. card.benedict.capillorum* ♀*is*,an.M.ſem. *epithymi* Vnc. ſem. *ſem.aquileg.*Drach.i.ſem.*aniſi,fœnicul.* an. Drac.i. *quatuor frigid.majoran.*ana Drac.ii.*glycyrrh.raſæ* Vnc. ſem.*paſſular.exacinat.*Vnc.i.ſem. Coqu.in aqua pura. Colaturæ ℞. ℔.iii.*ſucc.pomor.dulcacidor.odorator.*℔.i. *borrag.fumar.*an.℔.ſem.*ſacchar.*q.ſ.F.Syrupus.

Cujus Vnc.ii.vel iij.ſumat æger manè,& ſuperbibat hauſtum aquæ borraginis.

Decocta. Vel ex iiſdem ſimplicibus fiat Decoctum,& clarificato idonei ſyrupi addantur.

## Claretum.

Claretu. Si æger decocta & ſyrupos reſpuat, aut ex ſyrupis aliquid incommodi metuatur,cùm dulcia lieni non ſatis vtilia ſint,fiat tale Claretum:

℞. *Rad.fœnicul.eryng.helen.ſcorzoner.* an.Vnc. ſem. *cortic.tamariſc.rad.cappar.polypod.q.*an. Drach. vi. *cortic. citri* Vnc.ſem.*zedoar.*Drac.ii. *chamædr.ling.ceruin. meliſſ.capill.Veneris, abſinth.*an. M.ſem. *flor. borrag. bugloſſ.*an.M j.*cinamom.*Drach.ii.*ſpic.Indic.ligni aloes*,an. Drach.i. Affunde *vini Rhenani calefacti* ℔.vj.

Stent aliquandiu in infuſione, & poſtea aliquoties trajiciantur per manic.Hippocrat.

Vltimò add.*ſacchar.albiſſ.*Vnc.iii.

Manè poſt juſculum, vel in prandio & cœna loco primi hauſtus vſurpetur.

## Aquæ.

Aqua. Vel paretur talis Aqua:

℞. *Rad.aperient.*℥.i.*helen.*Dr.vi.*cortic.tamariſc.fraxin.*an.℥.ß.*meliſſ.betonic.chamædr.chamæpit.* ana.M.ii. *card.benedict.*M.i.*ſem.aniſi,fœnicul.* an.℥.ß.*flor.bugloſſ. geniſt.centaur.minor.*an.M.i. Macerentur omnia in *aq. borrag.* lib. iiii. *vini* ℔.iii. poſtea colentur. Colat.add. *ſucc.fumar.*℔.i.*cochlear.*℔.ß.*trochiſc.de cappar.*Vnc.j.

Deſtillentur. Deſtillatum exhiberi poteſt vel ſolum, vel cum ſyrupo borrag.aut alio, aut etiam addi oxymel.ſcillitic.vel ☐ rum ⊕latum.

## Electuarium.

Electuarium. ℞. *Conſeru.cichor.meliſſ.borrag.bugloſſ. card.bened.* an.Vnc.i.*cortic.citri,condit.rad.condit.helen.* an. Vnc.ß. *ſpec.diarrhod.abbat.*Drach.j.*confect.Alkerm.* Drach. ß. Cum *ſyrup.byzantin.ſimpl.* F. Electuarium.

De quo ſumat æger Vnc.ß.vel Drach.vi.& ſuperbibat aquam borraginis.

## Purgantia.

Purgatio. Poſtquam aperientia & præparantia hæc aliquot diebus ſunt exhibita, quarto vel quinto die purgatio inſtituatur. Et quidem purgantia ſint mitiora. Crato ſæpe non fortiora,quam ſyrup.roſar.ſolut.cum aq. roris Majalis (vtpote quæ longè ſubtilior eſt reliquâ aquâ, ita vt teſtæ oui incluſa Solique meridiano expoſita, & calefacta ſtatim euaporet) confectum additâ mannâ dilutâ infuſo flor. perſicor. exhiber.Et talia mitiora ſæpe,& diu continuanda ſunt.Licet tamen interdum & fortiora exhibere.

Maximè verò vtiles ſunt clyſteres ſæpius repetiti ſed non admodum acres; verùm mediocres, & ſimul flatus diſcutientes.

## Potiones,

Potiones. ℞. *Polypod. q.* Drach. vi. *cortic. citri* Drach.ii. *fol. ſen.* Drach. v. *rhabarb.* Drach. ſem. *epithym.* Drach. iii. *flor. borrag. bugloſſ.* an. P. ii. *caryophyll.* num. iiii. *ſem. fœnicul. aniſi*, an. Scrup. i. *cinamom.* Scrup ſem. *paſſular.* Vnc. ſem. *el. diaphæn.* Drach. ii. Infund. in ſuffic.quant.ſeri lactis.

Colat. ℞. Vnc. iiii. *ſyrup.de pomis Regis Sabor.* Vnc.j.M.F.Hauſtus.

Vel ℞. *Radic.aperient.vino præparat.* Vnc.j. *ſcorzoner.* Vnc.ſem.*cortic.tamariſc. fraxin.citri*, an.Vnc.ſem. *meliſſ. ceterach. chamædr.* an. M.ſem. *flor.borrag.bugloſſ. ſambuc.geniſt.* an. P. i. *ſem. endiu.portulac. agni caſti, aniſ.*an. Drach. j. *rad. helleb.nigri præparat. glycyrrh.* an. Vnc. ſem. *paſſular.maior.* Vnc.i.Coqu.in aq.ſimpl. In Colat. infund. *fol. ſen.* Vnc. ii. *zedoar. galang.* an. Drach. i. ſem.

Colat. ℞. Vnc. xiiii. adde *ſyrup. de epithym. de pom. Reg. Sabor.* an. ℥. ii. F. Potio pro 4.doſibus, quæ aromatizetur ſpec. lætitiæ Galeni,aut diambr.

Alia: ℞. *Infuſion. roſarum fact. in aq. endiu. & fumar. æq. part.* Vnc. ii. *aq. aniſi*, *cuſcut. flor. borrag.* an. Vnc. j. *fol. ſenæ el. & vino albo irrorat.* Drach.v.*paſſular. minor.* Drach. ii. *rad. glycyrrh. raſæ*, *ſem.aniſi*, *coriandr. præpar.* an. Scrup.ii. *caryophyllor.* num.iii.

Bulliant omnia tribus ebullitionibus vaſe tecto, tunc adde *rhabarb. opt.* Drach. i. *el. de ſucco roſar.* Drach. ii. *diaphœnic.*Drach.i.*pulu.ſantali citr.*Scrup.i.

Relinquantur per noctem in infuſione loco tepido; poſtea fortiter exprimantur per linteum, Fiatque Potio, quæ detur manè tribus horis ante paſtum in humoribus miſtis.

## Syrupi.

Donatus Antonius ab Alto Mari hunc Syrupum valdè commendat,quem & alij laudant:

℞. *Hyſſop. ſampſuchi*, *ſerpilli*, *meliſſophyll. betonic.* an. M. ſem. *borrag. lupul. ſcolopendr. fumar. capill. Veneris*, an. P. ſem. *rad. cichor. borragin. fœnicul.cappar.* an. Vnc. iiii. *abſinth. cortic. citr.* an. M. j. *fol.ſen. elect. polypod. q.* an. Vnc.ii. *puleg. flor. chamæmel. centaurij minor.* an. Drach. ii. *chamædr. chamæpit.*an.Vnc. ii. *junc. odorat.* (id eſt, *ſchœnanth.*) *ſpic. amſ. fœnicul. aſar.* an. Drach. j. *paſſular. enucleat.* Vnc. i. Coquantur ſ. a. Colat. ℞. ℔. iiii. add. *ſucc. pomor. dulcacidor. raſar.* & *maioran. punicor. acidor.* an. ℔. ſem. *borrag. & fumar. depurat.* an. ℔. i. *ſacchar.* q.ſ. F. Syrupus,de quo æger ſumat. Vnc. iii. vnâ vice, & ſuperbibat parum aqu. lupul & borrag.

℞. *Rad. ſcorzoner. polypod. q.* ana Drach. vi. *bugloſſ. cichor. cortic. tamariſc. citri.* an. Vnc. ſem. *ceterach, chamædryos*, *meliſſ.* an. M. i. *thymi*, *epithym.* an. Vnc. ſem, *flor. ſambuc. geniſt.* an. M. ſem. *ſem. fœnicul.* Drach.ii. *hellebor. nigr. Styriac. præpar.* Drach. iii. *glycyrrhiz.* Vnc. ſem. *paſſul. exacinat.* Vnc. i. Coqu. in aqua pura. In Colat.infundantur *fol. ſen.elect.* Vnc.ii. *follicul.ſenæ* Vnc. i. *radic. gialapa*, *rhabarb.*an.Drach. j. *turbith. el.* Drach.ii. *flor. borrag. bugloſſ.* an. M. ſem. *ſtœchad. Arab.* P. j. *cinamom.* Scrup. j. *ſpic. Indic.* Scrup. ſem. *caryophyll. zedoar.* an. Drach. i. ſem.

Colat. ℞. ℔.j. *acet. ſcillit.*℥. ii. *ſucc.borrag.* vel *pomor.* Vnc. iii. *ſacchar.* ℔. ſem

Coqu. ad julep. vel ſyrup. fluidior. conſiſtentiam, de quo ſingulis diebus æger manè Vnc. iii. vel iiii.vel q. ſ. ſumat, addatúrque ſingulis doſibus ol.aniſ. vel cinamom. vel citri gutt. i. idque continuetur 4. diebus,quinto æger quieſcat, hinc ad vſum ſyrup.redeat, donec planè abſumptus ſit.

Eſt

Est & hic Syrupus, vt in omni, ita etiam in Melancholia hypochondriaca vtilis:

℞. *Polypod. q.* ℔. sem. *bugloss. borragin. melissophyl.* an. M. i. *cyperi, cappar. acori, asari*, an. Vnc. i. *senæ, epithym.* an. Vnc. ii. *sem. lactuc. endiu.* an. Vnc. iii.

Puluerisata omnia præter senam & epithym. quæ reseruentur, ebull. in s. q. aquæ ad consummat. medij. In fine decocto adde senam & epithym. & mox remoueatur ab igne. Postea colentur. Colaturæ adde *sacchari* q. s. F. Syrup. s. a.

Sumatur 6. diebus continuis.

Et quia aliis aliæ formæ medicamentorum magis arrident, potest etiam talis Nodulus parari:

*Cereuisia purgans.* ℞. *Rad. polypod. q. scorzoner.* an. Drach. ii. *fol. sen.* Vnc. i. *rad. gialapa* Drach. ii. *hellebor. nigr. præpar.* Dra. i. sem. *zingiber. cortic. citr. galang. zedoar.* ana Drach. j. *sem. anis. fœnicul.* an. Drach. ß. *flor. anthos. bugloss.* an. P. i.

Ligentur in nodulo, qui in cereuisia suspendatur. Ne reliquorum medicamentorum sapor ingratus percipiatur, aliquid absinthij addere licet.

## *Vinum.*

Commendatur & vinum purgans, quod Zvvingero adscribitur:

*Vinum purgans.* ℞. *Rad. aperient.* an. Vnc. sem. *bugloss. cardui benedict. absinth.* an. M. sem. *sem. fœnicul.* Vnc. sem. *fol. sen. elect.* Vnc. i. sem. *agaric.* ☐*ri alb.* an. Vnc. sem. *zingiberis, cinamom.* an. Drach. i.

Infundantur in vino, de quo chyathus vnus vel duo, prout opus fuerit, manè & vesperi, ante cibum, vel manè saltem, per dies plures sumatur.

Vel ℞. *Fol. senæ el.* Vnc. ij. *rhabarb. opt.* Drach. ii. *rad. mechoacannæ* vel *gialapa* Dra. j. *cort. rad. hellebor. nigri præpar.* Vnc. sem. *fol. fumar. cuscut. scolopendr. ceterach. meliss. flor.* 3. *cordial. flor. rorismarini*, an. P. ii. *sem. anisi, fœniculi*, an. Drach. ii. *cinamomi*, Drach. j. *limatur. chalybis præpar.* Vnc. sem.

Incisa & contusa ligentur omnia in sindone pro nodulo, qui in ℔. iiii. vini Rhenani injiciatur, de quo vino medicato quatuor horis matutinis ante prandium quotidie Vnc. iii. præter propter exhibeantur.

## *Pulueres.*

*Pulueres.* Tenuioris fortunæ homines vtantur pulu. sen. præpar. juxta descriptionem Montagnanæ, qui acui potest gr. iii. vel iiii. diagryd. pro natura ægri.

Vel sumatur pulueris sen. præparat. Drach. i. vel Scr. iiij.

℞. *Crystallor.* ☐*i* Vnc. sem. *fol. senæ Alex.* Drach. v. *rhabarb. el. agarici trochisc.* an. Drach. ii. *scammon. præpar.* Drach. i. *turbith. alb. hermodactyl.* an. Drach. ij. *cinamom. galang. macis*, an. Drac. ß.

Misce pro puluere, de quo Drach. i. in liquore, vel jusculo propinetur.

## *Pilulæ.*

*Pilulæ.* Aut vsurpentur Pilul. ☐reæ à Quercetano descriptæ, vel de Ammoniaco. Platerus has commendat.

℞. *Aloës* Drach. ii. *myrrh.* Drach. sem. *epithym.* Drach. i. *rad. gentian. asari*, an. Drach. sem. *gumm. ammoniac. aceto dissolut.* Scrup. j. *sem. petroselin.* Drac. sem. *rhabarb. el.* Drach. i. sem. *spic.* Scrup. i. Cum *succ. absinth.*

F. Massa, de qua æger alternis, vel tertio quoque die sumat Scrup. ii. vel etiam plus, si copiosiùs purgare libeat & liceat.

Idem & has commendat:

℞. *Aloës Succotrinæ* Vnc. i. sem. *rhabarb. agaric.* an. Drach. i. *zingiber. mastich. gentianæ*, an. Scrup. i. *ammoniac. aceto dissol.* Drach. sem. *succi absinthij inspissati* (extractum efficacius est) *centaur. min.* an. Scrup. j. *limaturæ chalybis* vel *croci* ♂ Drach. ß. *terebinthinæ Cypriæ* q. s. F. Pil. Dosis Drach. ß.

*Electuaria & Boli.* Quibus Electuaria vel Boli arrident, sumant el. diacathol. diasenæ vel in bolo, vel in sero lact. dissoluta. Multum in hoc morbo valet extract. hellebori nigri, quod in pilul. formari, vel alio modo exhiberi potest. Ventriculi tamen in purgantibus inprimis habenda est ratio, præcipuè iis, qui cruditate acidâ laborant, & cauendum, ne nimio purgantium medicamentorum vsu is amplius debilitetur.

*Vomitus prouocatio.* Vomitoria in assuetis etiam repeti possunt, & pro ægri tolerantiâ nunc leniora, nunc fortiora vsurpanda. Vomitu enim excrementitij humores circa ventriculum & loca vicina hærentes non raro excutiuntur, qui purgantibus per aluum euacuari non poterant.

Vt ℞. *Rad. asar.* Drach. iii. *sem. atriplicis* Drach. i. *agaric.* Scrup. ii. *flor. genistæ, sambuc.* an. P. i. Coq. *in hydromel.* ad Vnc. vi. adde *oxymel. s.* Vnc. i. sem. F. Vomitorium.

Purgatione hoc modo peractâ, iterum aperientia, incidentia, attenuantia vsurpanda. Et cum purgantia viscera nonnihil calefacere soleant, & aliàs in hoc affectu hepar & venæ mesaraicæ plerumque sint calidiores, addantur medicamenta, quæ p. n. illam venarum mesaraicarum caliditatem, & siccitatem emendent: quos scopos omnes explere poterit seri lactis caprini vsus aliquot diebus, octo scilicet aut 14. continuatus. Et ne vllum damnum afferat, & magis sit efficax, pulueres vel pilulæ conuenientes ante serum vsurpentur. *Seri lactis caprini vsus.*

℞. *Rad. filicis maris, quinquefol. absinth. cardui-bened. chamædryos, ceterach, agrimon.* an. Drach. i. Cum *syrup. acetos. citri.*

F. Pilulæ majores, quarum 6. vel 10. singulis vicibus ante serum haustum sumantur.

Vel ex pulu. horum omnium fiat extractum, de quo ante vsum seri lactis ℈. ii. forma pilul. vel aliâ æger sumat.

Vel vsurpetur cum sero lactis extract. carduibened. veronic. meliss. ceterach, & similium. Ita enim major vis aperiendi & penetrandi conciliabitur sero, & minus refrigerando nocebit.

Necessarium verò est vt sumatur majore copiâ, præsertim ventriculo non admodum debili, nimirum ad ℔. iii. vel etiam plures, & ebibatur calix vnus post alium pitissando, & post vsum seri deambulandum, vt in profundiora corporis sese insinuet, & materiam, quæ obstructiones facit, per aluum & vrinas deducat. Neque magna seri copia pertimescenda. Si enim per venas penetrare, & iterum per aluum, & vrinas statim dejici debet, magna copia requiritur; in minore verò nihil præstat eodem modo vt thermæ & acidulæ in majore quantitate ebibuntur.

Ne tamen ventriculo damni aliquid inferatur, sacculis, vnguentis, & emplastris conuenientibus roboretur. Et post vsum seri singulis diebus manè & vesperi sumatur de elect. seq. portio, quæ quantitate nucem juglandem æquet:

℞. *Conseru. bugloss. borragin.* an. Vnc. i. *rosar. anthos*, an. Vnc. sem. *sp. diarrhod. abbat. diatrion. santal.* an. Drach. sem. *margarit. præpar.* Scrup. ii. *ligni aloës* Scrup. i. *cortic. citri condit.* Vnc. sem. *confect. alkerm.* Drach. sem. Cum *syrup. de pomis* F. Electuarium.

*Absinthij vtilitas & vsus.* Vtile est & absinthium per dies 30. vel 40. exhibitum post purgationes in vino generoso non austero; cum absinthium ipsum per se satis adstringat. Nimirum in vini ℔. iii. macerentur absinth. M. ii. & singulis

diebus vnum atque alterum cochlear exhibeatur.

Vel cereuiſia aut vinum abſinthites paratur ſimpl. vel compoſ.

℞. *Cortic. tamariſc. frangulæ, ſarſaparill.*an. Vnc.ii. *abſinth*. M. v. *epithym.meliſſ*. an. M. j.*gr. junip*. Vnc.j. *flor. geniſt*. Vnc. ſem.

Conciſa,& contuſa ſacculo includantur, & in muſto,vel recenti cereuiſia deferueant.

Vtiles etiam ſunt trochiſci de cappar.de abſinth.additis iis, quæ virtutem cordis, & cerebri roborant; vt ſp. diambr. cordial.temperat. de gemm. de hyacintho, lætitiæ Galen. Rhaſ. hyeme,& vere incipiente,corpore euacuato, theriacæ vel Mithridatij aliquid cum refrigerantibus miſtum exhibeatur.

Vt ℞. *Theriac*.Scr.j.*conſeru.roſar*.Drach.ii.Miſc.

Ægérque omnibus aliis medicamentis eo die abſtineat.

Vel ℞.*Conſeru.roſar.borrag*.an.Drach.ii.*Mithridat*. Drach.ſem.*ſp.lætificant.Rhaſ*.Scr.j.M.

Chymici ad intentionem iſtam conplendam cremore & cryſtall. tartari, tartaro vitriolato, ſpir. tartari compoſ.quam vulgo miſturā ſimplicē vocant,vtuntur.

*Chalybis vſus.*

Primùm quoque ad obſtructiones hypochondriorum aperiendas commendatur non ſolùm à Chymicis, verum etiam à Galenicis,chalybs præparatus, adeò vt Iul.Cæſ.Claudinus, *reſponſ*.29. proprium melancholiæ hypochondriacæ alexipharmacum chalybem nominet, quoniam continuus illius vſus ſemper felicem in ægris finem ſit aſſecutus; ſiquidem in referandis obſtructionibus, in quibus omnis melancholiæ curandæ cardo vertitur,nulli medicamento cedat.

Cum verò chalybs non ſolum vim aperiendi, ſed & adſtringendi,& fluxus ſiſtendi habeat, prout diuerſo modo præparatur, chalybs præparatus aperiens vſurpetur. Inprimis hic vtilis eſt tinctura chalybis;de qua re plura dicentur ſuo loco de affectibus hypochondriacis in genere.

Commendatur & ſeq. Electuarium de chalybe D. Kolreuteri.

℞. *Limat. chalyb. tenuiſſ*.℔.ß. Superfund. acetum vini acerrimum, quantum imbibit. Stent. 24.hor.poſtea,vbi exiccata reperitur, aliud affundatur ſimili modo,ſin minus, ad prunas in lebete vitreato incruſtato agitata teratur,donec perfectè exiccetur, & tum acetum,vt primò factum eſt,affundatur,& hoc fiat tertiò, id eſt,tribus diebus continuò, poſtea perfectè exiccata aceto ſcillitico in marmore, vel alio duriore lapide teratur, & in liuorem redacta, exiccatáque ſumatur; & add.pulu.ſubſcript.totum.

℞. *Rad.ireos* Drach.ii.*Zingib.lapath.acuti, cyclamin. eryngij, bryon*.an. Vnc.i. *fol.ceterach. ſcolopend.betonic. rutæ,chamædryos,chamæpit.agrimon.calaminth.galangæ, caryophyll.macis,ligni aloës,zedoar.Doronici*,an.Drach. ſem.*ſpic.Ind.croci*,an.Scr.ß.*cort.rad.cappar.fraxini, fagi,ſalic.tamariſc.caſſ.lign.ver.coſti dulc*. an. Scr.ii. *viſci q* Drach.ß. *cinamomi* Drach.iii.*ammeos,cardamomi,cymini aceto macer.coriandr.præparat.ſem.agni caſti,petroſel. melanth. portul*.an.Drach.i.*ſiler.mont*.Drach.ii.ſem. *aniſi* Scrup.iiii.

F. Puluis tenuiſſ. Huic chalybs totus præparatus commiſceatur, & cum melle puriſſimo deſpumato, ac tertia parte oxymel. ſcillit. & ſyr.è cich.c. rhab. F.Electuarium.

*Acidulæ.*

Vtiles etiam, & magnæ efficaciæ ſunt in melancholia hypochondriaca Acidulæ:vtpote quæ lienem & venas meſaraicas aperiunt, ac ſine omni moleſtia omnis genis vitioſos humores per aluum copiosè educunt: quales ſunt Egranæ & Schvvalbacenſes.

*Therma.*

Eadem,quæ acidularum,& Thermarum ratio eſt.Etſi enim externus thermarum vſus in melancholicis, qui plerumque macilenti atque exſucci ſunt,rarò commodus ſit,& metuendum,ne corpus amplius iis exſiccetur:tamen,ſi bibātur,eādē ratione, quā acidulæ,proſunt:cum ob mineralia,à quibus ſuas vires habent, & primas vias eluant,& vitioſos humores, qui in iis hærent,per aluum & vrinas educant,ventriculum calefaciant,hepar & lienem roborent. Thermæ, quæ in hoc affectu conueniunt, ſunt Aponenſes, in agro Patauino, & Aquarianæ, Regio Longobardo 25.miliaribus diſtantes: thermæ S.Caſiani in Italia, Badenſes Marchionis,& Ferinæ in Germania.

Vbi nec acidularum,nec thermarum copia habetur, ſerum lactis caprini eorum loco vſurpetur, cum ſucco cichorij & fumariæ:ac ſi flatulētia ejus metuatur, dum igne depuratur, aliquid ſeminis coriandri & ligni ſaſſafras addi poteſt. Vel medicamenta ex chalybe aliquot diebus continuentur.

*Topicorum vſus.*

Neque interim externa & Topica omittenda ſunt, ſed extra etiam vſurpanda, quæ obſtructiones aperiūt, ac flatus diſcutiunt,vt fomentationes lienis, præcipuè ex flor.chamæmeli,geniſtæ,melilot.ſambuc.fol.& rad. malu.althéæ,rutæ,calaminth.pulegij,ceterach, rad.filic.cortic.rad.cappar.tamariſc.& ſimilibus.

Vnguenta etiam ac linimenta, vel emplaſtra lieni applicentur; de quibus de lienis affectibus atque affectione hypochondriaca in genere dicetur.

Hoc ſaltem hic non prætereundum cenſemus: poſt corporis purgationem vtile eſſe aq. dulcis tepidæ balneum,in qua fol.viol malu.althéæ, mercurial. brancæ vrſin.fl chamæm.meliloti & ſimilia cocta ſint.

*Viſcerum corroboratio.*

Tandē quæ viſcera roborāt,vſurpāda,nō ſolum in fine curationis,ſed & medicamētis præparātibus & purgātibus per interualla ſubjūgi debēt,vt ita caput & viſcera ad natiuā cōſtitutionē & temperiem reducantur.

Pro corde & cerebro roborando jam antea medicamenta propoſita ſunt.Iis addi poſſunt & hæc:

Commendatur inprimis Smaragdus, & potus, & collo geſtatus,vt in omni melancholia,ita & hîc,ejuſdémque tinctura,vt & ſapphiri,& corallior.

℞. *Aq. flor.borrag.in B.deſtill*.℥.iv.*cinamom*.ʒ. ſem. *margarit.præparat*.ʒ.ii.*ſmaragdi præpar*.Drach.i.ß.

Miſceantur in mortario marmoreo, F. Liquor potabilis inſtar emulſionis. Vel ſumantur margaritarum & ſmaragdi præparat.loco horum magiſteria. Detur vnū atque alterum cochlear ingruente paroxyſmo calidè.

℞. *Sp.aromat.roſat.diambr*.an.ʒ.i. *margarit.præpar*. Scr.j.*ambr*.gr.iv.*ol.deſtill.macis,caryophyl.citri*,an.gutt. ii.*ſacchar.in aqu.cinam*.℥.ß.*borrag*.ſ.q.*diſſol*.Vnc.iii. F. Rotulæ

*Mixturæ & Electuaria.*

Efficax eſt & hoc in paroxyſmo Hypochondriaco:

℞. *Eſſent.meliſſæ* ʒ.ii.*zedoariæ* ʒ.ii.*ſpir. roſar*. Scr.i *julebi roſar*.℥.ii.*ſyrup.tunicis* ℥.i.*ſucc.recent.citri,granator. dulc*. ana.Vnc.ſem.

Vt & hæ Rotulæ:

℞.*Ol.nuc.moſch.deſtill*.℈.ß.*confect.alkermes,extract. pœoniæ*,an.℈.i.*calam.arom*.℈.ß. *margarit.præparat*. ℈.i. *corall.rubr.præpar*.℈.ß.*ol.carui* gutt.iii. *ſacch.in aq.pœoniæ & meliſſæ diſſol*.Vnc.vi. F.Rotulæ.

Eſt & hæc aqua efficaciſſima:

℞.*Rad.bugloſſ.borraginis*,an.℥.i.ß.*pœoniæ,cortic.citri*, an. ℥. ii.*roriſmar.meliſſ*. an.M i.*flor.borrag.bugloſſ.ſtœchad.Arab*. an.℥.ß.*ſem.baſilic.croci, cinam.caryophyll*. an.ʒ.i.*confect.alkerm*.ʒ.ii.*aq.bugloſſ.borrag*.an.Vnc.iiii. *vini Rhenani* ℔.ii.

Stent infuſa,deſtillentur.

Felici etiam cum ſucceſſu exhibere licet ſequentem puluerem,doſi,quantum apice cultelli bis capi poteſt, ſub lecti ingreſſum.

℞. *Pulu. ſmaragd. hyacinth.margarit.corall. præpar. ſcobis eboris,boli Armen*.an.part.æq.Miſc.F.Puluis.

Vel cū tryphera Meſuæ in formā Electuarij redigātur.

Hoc quoque in obſtructione venarum meſaraicarum profuiſſe deprehenſum eſt.

℞.*Spec.diarrhod.abbat.diatrion.ſantalon,roſat.nouell*. an.℥.ß.*diapenid*.ʒ.ii.*fl.cuſcut.beton.hyperic*. ana Scr. ß. *ſem.fœnic*.Drach.ß.*cinam.ſpic*.an.℈.ß.*ſpodij.ſantal.rubr. alb.*

*alb.* an.Scr.j. Cum *syr.de epithym. & endiu.* an. q. s. F. Electuarium.

Vel ♃. *Conseru.rorismarin.maioran.meliss.borrag.*an. Vnc j.*margar.prapar. hyacinth. prapar. confect. alkerm.* an. Drach. ß. *cortic.citr. condit.*Vnc. ß *cinamom caryophyllor. macis*, an. Scrup. j. Cum *syrup. tunic.* Fiat Electuarium.

Vel ♃. *Conseru. anthos, meliss. bugloss.* an. Vnc. j. *calam. aromat. condit. cortic. aurant. condit. rad.cichor. eryng. conditarum*, an.Vnc. ß. *trochisc. de cappar.*Drac. jß. *nuc. in India condit.* Drach. ij. *cinamom. macis, crasso modo concisorum*, an. Scr. j. *ol.citr.* gutt. iij. Cum *syrupo borrag.* F. Electuarium.

Vel confect.de hyacintho Scr. ij. vel Drach. j.sæpe exhibeatur.

Pretiosa quidem, sed vtilis est hæc mistura, multúmque facit ad vapores melancholicos discutiendos.

♃. *Conseru. tunic.* Vnc. j. *rosar. confect.alkermes,*an. Vnc. ß. *lapid. Bezoar,* Scr. j. *succin. alb. puluerif.*Scr.ij. Cum *syrup.de cortic.citr.*F.Electuarium.

Si vigiliæ sint molestæ, lotiones pedum & manuum, item vnguenta, & alia supra proposita vsurpanda.

Commendatur & hæc Aqua in melancholiâ hypochondriaca: *Aqua destillata.*

♃. *Cor cerui* num. j *fol. meliss.* M. j. *basilic. menth, ceterach, fl.borrag. bugloss. violar. tunic.*an.M. ß.*anthos, lauend.* an. P. j. *sem. basilic. coriandr. prapar. anis. citri,* an. Drach. j.*macis, santal. citr. cinamom.* an. Drac. ij. *caryophyll.* Drach. j. Concisa & contusa macerentur in *vini maluat.* ℔. j. *aq.borrag. bugloss.* an. ℔. ij. *meliss.* ℔. j. F. Destillatio in Balneo.

Exhibeantur Vnc. iij. cum syrup. violar. tunic. vel borrag. Vnc. j.

Reliqua, & inter ea etiam quæ Chymici exhibere solent, proponentur *libro tertio.*

## *Diæta.*

Quod in omni curatione verum est; in huius affectus curatione verissimum: Omnia medicamenta frustra vsurpari, nisi diligens diætæ ineatur ratio. Et omnium Medicorum testimonio, atque ipsâ experientiâ teste, nihil ad hoc malum curandum est magis necessarium aut plus confert, quam bona diæta. *Cibus & Potus.* Ergo causæ omnes, è quibus malum hoc prouenire supra diximus, sedulò vitandæ sunt: cibi nimirum omnes crassi, & vitiosi succi; ac vsurpandæ potius carnes gallinarum, vitulina, agnina, hædina, veruecina: inter pisces, lucius, percæ, & saxatiles. Panis sit albus, bene, non tamen nimis, fermentatus; vinum album, tenue, cereuisia clara, & defecata. Commodum est, si primus haustus semper sumatur de vino, vel cereuisiâ melissâ, absinthio, carduobened. borrag. & simil medicatâ. Aromatū vsus nimius noxius; quod caliditate, siccitate, & acredine iecur & sanguinem plus, quàm par est, calefaciunt, & venas meisaraicas exsiccant. A cibo tamen medicamento aliquo peptico vti interdum vtile est.

Vt ♃. *Sp.aromat. rosat.* Drach. i *succin. alb. puluer.* Drach. sem. *ambr.* gr. viii. *mosch.* gr. iii. *ol.nuc. mosch. destill.* Scrup. sem. *conseru.rosar. rubr.* Drach. ii. *sacchar. in succo cydonior. dissol.* Vnc. jv. F. Morsuli.

Et sunt tales formulæ passim notæ. Cibi quoque assumantur eâ quantitate, quæ ventriculo nullam in coctione molestiam pariat; nec noui assumantur, priusquam priores è ventriculo in ventrem descenderint. Varij quoque & multi cibi simul assumpti hoc malum non parum augent. Aluus vt laxa semper sit, operâ detur. Mœstitia & curæ nimiæ vitentur. *Secreta, & animi pathema.* Plura de diætæ ratione in hoc malo videantur in consilio Petr. Andr. Matthioli, quod est 182. *Consil. à Scholtzio collect.* Diligenter etiam, & prolixè de Melancholia Hypochondriaca tractat D. Balthas. Brunnerus, *Consil.* 6. 7. 8. 9. 10. 11. qui videatur. Et dicentur plura huc conferentia infra, *lib.* 3. *de aff. hypochondriaca.*

---

## CAPVT XIII.

### *De Melancholia ex Vtero.*

Tertia Melancholiæ per consensum species est Melancholia ex vtero; quæ quidem duplici modo generatur. Vel enim sanguis melancholicus per menses euacuari solitus exitum non habens regurgitat, & aut in hypochondriis, aut vasis totius corporis cumulatur, vnde melancholia per consensum totius, aut hypochondriaca oritur, de quibus antea dictum; vel in ipso vtero à sanguine retento vitiosa dispositio inducitur, & ab humoribus prauis in vtero cumulatis vapores melancholici ad cerebrum eleuantur, qui varia symptomata inducere solent.

Causa proxima huius mali, vt in hypochondriaca, etiam est vapor, qui & cor anxium reddit, & spiritus animales obfuscat, obscurat, atque inquinat, atque ita mœstitiam, timorem, & delirium parit. *Melancholiæ ex Vtero caussa proxima. Caussa antecedent, & remota.* Quod eò facilius in fœminis accidit, quod naturâ sint deiecti animi, & præcipuè in viduis, quas animi mœror, & curæ cruciant. Verùm symptomata hæc non sunt continua, sed tamdiu durant, quamdiu vapor, qui proxima est causa, adest: quo discusso symptomata remittunt, & euanescunt, donec noui ad caput eleuentur: quod ex eo patet, quòd, dum vapor ille quiescit, satis hilares sunt eiusmodi fœminæ, nec vlla melancholiæ signa exhibent, mox commoto, & agitato humore, & vaporibus ad cor & cerebrum eleuatis, subito mœrore corripiuntur. Docuit ista omnia eleganter Hippocrates, *in lib.de morb.virgin.* dum ita scribit: *Est muliebris natura animi magis deiecti & imminuti. Ceterùm virgines nubiles & matura viro hoc magis patiuntur vnà cum mensium descensu, antea non valde his affecta. Postea enim sanguis in vterum confluit, veluti effluxurus. Cum igitur osculum exitus non fuerit apertum, sanguis autem amplius influxerit, propter cibos & corporis augmentum, tum sanguis non habens exitum resilit ad cor, & septum transuersum. Cum igitur hac repleta fuerint, cor fatuum fit, deinde ex fatuitate torpedo, postea ex torpedine delirium apprehendit.*

Malum nimirum hoc virginibus iam nubilibus familiare est, cum sanguis ad vterum confluens, ibique exitum quærens, exitum non inuenit. Deinde viduis, inprimis ob curas & mœrorem animi, in quem ob mariti obitum pleræque coniiciuntur: vt & aliis fœminis quibus menses, aut post partum purgationes, ex aliqua causa euidente supprimuntur, aut non rectè fluunt.

¶ [ Vteri culpâ melancholiam contingere posse, nullum dubium. *Melancholia per consensum in fœminis non semper ab vtero.* Obseruatum tamen, in iis, quæ propter retentionem mensium melancholicæ fiunt, malum non semper ab vtero proficisci, quasi vterus ipse proximè humorem melancholicum cumularet, & ad caput mitteret; sed potiùs, quòd sanguis melancholicus retentus, & consuetum exitum ex vtero non habens, in venis totius corporis regurgitat, & sic melancholiam per consensum totius producit. Exemplum huius rei præbuit fœmina, Anno 1636. quæ nunquã mensium profluuium passa erat, licèt aliàs sana esset. *Exemplum.* Tandem autem propter euacuationes sanguinis consuetas per venæ sectionem & scarificationem omissas, in melancholiam incidit satis grauem. In huius curatione ad vterum respicere opus non erat; cùm impossibile esset, vasa quæ naturâ clausa erant, aperire, & melãcholicus sanguis in toto redundaret. Ideóque venæsectione repetitâ, clysteribus alterantibus, hypnoticis adhibitis, breui perfectæ sanitati restituta fuit.

Quod

Quod non factum fuiſſet, ſi vterus aliquam notabilem noxam contraxiſſet, cùm illi nulla fuerint adhibita medicamenta. Ideóque etſi non negandum, in quibuſdam fœminis melancholiam in ſpecie ab vteri mala diſpoſitione ortum habere, quæ quando adeſt, peculiarem habet typum, ſigna diuerſa, & per vices vehementer recurrentē melancholiam, non continuò affligentem; curationémque priuatim ad vterum directam requirit: tamen etſi vterus interdum primus mali fons eſt, cauſſa proxima non in vtero, ſed venis communibus conſiſtit. *Nota.* Quapropter ſi fœmina, & quidem ex menſium ſuppreſſione, in melancholiam incidat, conſiderandum, annon occaſione retentorum menſium in illis, quæ temperamento ſunt melancholico, propter retentionem ſanguinis melancholici, qui aliàs tempore conſueto cum menſibus euacuatur, melancholia ſit contracta, quæ per conſenſum totius & cordis dici meretur; an verò vapor ille melancholicus ab ipſo vtero proximè, propter prauam vteri diſpoſitionem, (quod ad curationem ſcitu ſummoperè neceſſarium) communicetur. Nam illius melancholiæ curatio ad totum corpus dirigenda: ſimul tamen etiam laborandum, vt fluxus menſtruus in illis, quæ iam antè illum paſſæ ſunt, reuocetur: in hac verò cura præcipuè ad vterum dirigenda.]

### *Signa Diagnoſtica.*

*Melancholia ex Vtero ſigna diagnoſtica.* Fœminæ hoc malo laborantes ſunt mœſtæ, cogitabundæ, timidæ & anxiæ citra cauſam manifeſtam, nullaque re delectantur, vel gaudent, ſed tædio habent omnia, amantque ſolitudinem, ſed cum ſuo incommodo. Et quidem hæc patiuntur per interualla quædam, in quibus cum aliis melancholicis conueniunt. Sunt autem alia non pauca, quæ à melancholia per eſſentiam, tum reliquis melancholiæ per conſenſum differentiis, eam diſcernunt. Nimirum præter hæc omnia ſymptomata accidunt fletus & riſus, non ſatis poſſunt verbis exprimere, quid mali ſentiant, ſed conqueruntur, & multa proferunt, ex quibus, quid mali patiantur, Medicus vix certò colligere poteſt. Conqueruntur de doloribus variis, tum præcipuè ſiniſtri lateris, è regione cordis, qui vniuerſam mammam aliquando prehendit, inprimis verò de manifeſto pulſu in dorſo circa diaphragma, qui accidit ob arteriæ magnæ eò loci p. n. vehementem pulſationem. Nam cum ſanguis circa vterum hærens incendantur, communicatur id malum non ſolùm venæ cauæ; ſed & arteria, quæ iuxta dorſum eſt, venæ cauæ malorum fit particeps. Habent præterea ſomnia tumultuoſa: aluus in quibuſdam ſupprimitur, in quibuſdam pauca reddit: menſes ſupprimuntur, vel parciùs fluunt.

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.* 1. Quò diutiùs hoc malum durat, eò curatu eſt difficilius.

2. Niſi maturè huic malo occurratur idoneis remediis, in maniam periculoſam plerumque tranſit.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Cum à ſuppreſſa ſanguinis euacuatione malum hoc ortum habeat, 1. Sanguis ſuperfluus imminuendus & euacuandus. 2. Hinc humor melancholicus, qui ex ſanguine ſuppreſſo generatus eſt, præparandus & euacuandus. 3. Sanguinis ſuperflui in vtero & vicinis locis congeſtio præcauenda. 4. Animus à triſtitia ad hilaritatem auocandus, cerebrum & cor roborandum.

### *Curatio.*

#### *Venæ Sectio.*

*Sanguinis per venam ſectā miſſio.* Sanguis imminuitur venæ ſectione, & cibi detractione. Venæ ſectionem quod attinet, ſi tempus, quo menſes fluere ſolent, adhuc longius abſit, vena baſilica, vel mediana in brachio aperiatur. Si verò menſium fluxus iam inſtet, aut nuper prætererit, vena in pede ſecetur. Et commodiſſimum quidem eſt ad melancholiam hanc tum curandam, tum præcauendam, duobus, tribus, vel 4. diebus ante conſuetum menſium fluxum venam in talo aperire. Ad ſanguinem imminuendum vtile eſt cibi aliquid detrahere, & cibum tenuis ſubſtantiæ præbere, vt craſſi humores vaſa obſtruentes attenuentur.

#### *Purgatio.*

*Purgatio.* Sanguine euacuato, ſi conſtet ex ſignis, ſcilicet ſi affectio diutius durauerit, quod mores aliquo modo immutati ſint, ægerque cogitationibus abſurdis, & melancholicis reſiſtere nequeat, iam humoris melancholici aliquid accumulatum eſſe, id quod ferè ſemper accidit; is præparandus & euacuandus. Quod quâ ratione fieri debeat, ex capitibus præcedentibus ſatis patet: ideóque pauca hac de re addemus. Cum fœminarum natura fortiora purgantia non ferat; humor verò contumax ſit, mitiora medicamenta; ſed frequentiùs, vſurpanda. *Pilula.* Exhibendæ ſcilicet pilulæ ex aloë, agarico, maſtich. & fol. ſenæ paratæ. *Electuaria. Infuſa.* Vel exhibeatur confect. Hamech. ſ. ſcammon & colocynthide facta; vel ſerum lactis, in quo fol. ſenæ & flor. cordiales macerati ſint.

Vel fiat Syrupus.

*Syrupi.* ℞. *Rad. polypod. q. ſcorzoner.* an. Vnc. j. *fol. ſen. elect.* Vnc. iij. *flor. cordial.* an. M. ß. *cortic. citr.* Vnc. ß. *zedoar.* Drach. ij. Infund. in *aq. borrag. lupul. meliſſ.* an. Vnc. x. *ſucc. borrag. depur.* Vnc. viij. *pomor.* Vnc. vj.

Poſtea leniter ebulliant.

Colaturæ adde *rhabarb. agaric. trochiſc.* ana Vnc. ſem.

Iterum parum bulliant, & colentur.

Colaturæ adde *ſacchar.* q. ſ. F. ſ. a Syrupus.

Cui adde *aq. cinamomi* Vnc. j. Datur ad Vnc. ſj. vel Vnc. iij.

Si tamen morbus iam augmentum ſumpſerit, ita vt mediocria non ſufficiant, cum ne mouere quidem humorem tam craſſum, fixum, ac ſtabilem poſſint; ad fortiora, elleborum nigrum, & lap. Lazuli aſcendendum. Ideóque helleboriſmus Matthioli, & alia medicamenta purgantia capite præcedente propoſita vſurpanda.

Commendatur quoque hic Puluis:

*Pulueres.* ℞. *Epithymi* Vnc. ß. *lap. Lazuli præpar. agaric. trochiſc.* an. Drach. ijß. *diagryd.* vel *extr. ſcammon.* gr. xv. *caryophyll.* num. xx. *fol. ſen.* Drach. vj. *ſacchar. albiſſ.* Vnc. iij. F. Puluis, Doſibus Drach. ß. vel q. ſ.

*Alterantia & Præparantia.* Vbi ſemel atque iterum purgatum eſt, antequam iterum ad purgationem accedatur, medio tempore medicamenta humorem melancholicum alterantia vſurpanda, quæ hactenus propoſita ſunt.

Vel ℞. *Conſeru. borrag. anthos, meliſſ.* an. Vnc. j. *cortic. citr. condit. rad. bugloſſ. condit.* an. Vnc. ß. *myrobal. chebular. emblic. condit.* an. num. ij. *confect. alkermes* Drach. jß. *lap. Lazul. præpar.* Drach. ß. *ſpec. el. de gemmis*, vel *hyacinth.* Drach. j. ß.

Cum ſyrup. bugloſſ. F. Electuarium.

*Vtero appropriata.* Simul & vtero proſpiciendum, & danda opera, vt menſes, ſi ſubſiſtant, prouocentur. Ideo hæc potio parari poteſt:

*Vinum medicatum.* ℞. *Vini alb.* ℔. vj. *aq. matricar.* ℔. jß. *dictam. Cret.*

*puleg.*

*puleg. calaminth.* an.P. j. *sabin. rad. rubiæ*, an.Vnc. j.*galang.cinamom.macis, sem.dauc.*an.Drach.iij.

Stent in infusione per diem integrum : postea colentur, & addatur limaturæ chalybis præpar. ℔.ß. atque in loco calido in vase vitreo bene clauso asseruentur per dies 10. Dosis ab Vnc.iij ad.℔.ß.

Commendatur etiam valde hæc Aqua in vteri affectionibus è mensium & seminis retentione, & melancholia inde nata:

℞. *Succi borragin, depurati, meliss.*an. ℔. ij.*croc. opt.* Vnc. ß.

Infundantur, & postea destillentur in balneo. Dosis cochlear vnum manè cum iusculo.

*Cor & cerebrũ confortãtia.* Et cùm cor atque cerebrum simul in hoc morbo afficiantur, ea etiam roboranda, & à vaporum melancholicorum iniuria defendenda, vt, *capit. præced.* dictum. Hoc saltem addimus, diligenter laborandum esse, ne habitualis frigiditas & siccitas cordi, cerebro, vel etiam tori corpori inducatur. Quapropter medicamenta humidiora semper vsurpanda: sicciora verò quibus humor *Topica.* melancholicus exasperatur, vitanda. Ideoque nec externa, quæ caput & corpus humectant, negligenda. Atque inter purgandum, & post purgationem aquæ dulcis tepidæ balneum cum herbis humectantibus, & moderatè calefacientibus vsurpandum: & , si malum his medicamentis non cedat, vt à capite & corde materia auertatur, fonticuli in cruribus excitentur.

## CAPVT XIV.

### *De Melancholia Errabunda, Arabibus Kutubuth dicta, & Attonita.*

*Melancholia Errabunda.* MElancholia Errabunda Medicis dicta, ea melancholiæ species est, quæ plerumque Februario mense ægros infestare solet; nomenque hoc accipit, quòd, qui eâ laborant, ne horam in vno loco quiescere possunt, sed hinc inde continuò vagantur, nescientes tamen quò vadant. Ab Arabibus vocatur Ku- *Kutubuth.* tubuth, ab animali, vt scribunt, quod in superficie aquarum stagnantium hinc inde perpetuo cursitat.

### *Caussæ.*

Caussam proximam huius melancholiæ esse statuũt melancholiam naturalem aliquo modo adustam, & certum corruptionis modum adeptam. Nam si valde esset adusta, accederet furor. Alij censent prouenire à bile adusta, melancholiæ non adustæ permista, quæ in permistione talem, & peculiarem, corruptionis gradũ adepta est. Et quidem generatur per primarium cerebri affectum, non per consensum. Infestat autem magis mense Februario, quòd ista peculiaris sit materiæ malitia, quæ autumno cumulata, & hyeme reseruata, in fine hyemis sese exerit. Nonnulli etiam eo tempore astrorum positum concurrere putant: sicut certum est, pro vario siderum positu, nunc hos, nunc illos humores moueri, & varios morbos inde excitari.

### *Signa Diagnostica.*

Ægri, vt dictum, sunt in continuo motu, fugiunt hominum consortia, loca solitaria amant, nec tamen sciunt quò vadant. Color corporis est citrinus, lingua sicca, vt valde sitientis, oculi sicci, concaui, nunquam lacrymantes, totum corpus est siccum & aridum, facies præ se ferens tristitiam. Tales melancholici timidiores sunt, quàm vlli alij Melancholici, vnde, vt dictum solitudinem amant, noctu magis vagantur, latebras circa mortuorum sepulchra, & alia loca solitaria quærunt. Homines obuios fugiunt, &, si iis insperatò offerantur, eos non aspiciunt, aut vident. Cuius rei procul dubio caussa est, vel summus timor, ob quem omnia suspecta habent & fugiunt, vel quia obiectis ab extra oblatis non attendunt; cùm phantasma eorum, & ratio circa phantasmata & species mente conceptas perpetuò sit occupata. Solitaria autem loca quærunt, ne turbentur in suis, speculationibus, quas error phantasiæ offert, sicuti sani speculationibus dediti consortia hominum, ac obiecta sensus irritantia fugere solent. Crura eorum plerumque vlceribus scatent, quæ non consolidantur; cum ob continuum motum melancholia ad crura descendat.

### *Curatio.*

Curandi ratio ferè eadem est, quæ melancholiæ, cum vnam cum ea caussam, gradu saltem, & permistionis modo differentem, obtineat. Ideoque humor melancholicus, qui in capite spiritus inquinat, & cerebrum ad spiritus similes generandos disponit, est alterandus & euacuandus. Deinde caput roborandum, & intemperies eius ad naturalem constitutionem cephalicis humectantibus moderatè calefacientibus, vel potius temperatis deducenda; qua de re supra, *cap.* 9.dictum. Et inprimis hic vtilis est sanguinis euacuatio, quæ copiosius, vel vnâ vice, vel pluribus instituenda. Danda quoque inprimis opera, vt somnus concilietur; cum vix aliud ad malum hoc expugnandum plus faciat, quàm somnus. Medicamenta purgantia sæpe repetenda. Præcipiunt etiam hîc nonnulli Medici, vt ægri, si alia non prosint, flagellentur, vt à prauis cogitationibus abducantur, & ratio ad se conuertatur; deinde vt obedientes fiant. Verùm an id satis tutum sit, dubito; cùm hic metus, qui in hac melancholiæ specie maximè viget, augeri, iisque aliquid periculi attrahi possit.

### *De Melancholia Attonita.*

Affectui melancholiæ errabundæ contrarius est Melancholia Attonita. Nam sicut in illa ægri vagabundi *Melancholia Attonita.* & inquieti hinc inde discurrentes locum, quo subsistant, non inueniunt: ita in hac omnia contrario modo sese habẽt. Nẽpe ægri quasi stupidi, & locomotiuâ, sed apparenter solùm destituti, certo loco affixi & immobiles quasi hærent, iacentes se non erigunt, sedentes non assurgunt, stantes subsistunt, nec spontè pedes promouent, nisi vel ab amicis & adstantibus impellantur, & ad locum mutandum manuum operâ sollicitentur. Homines quidem non fugiunt: loquentibus tamen, licet attendere videantur, nihil respondent, surdis veluti auribus, quicquid monitum fuerit, prætermittũt, & quasi cogitabundi, & contemplatione aliarũ rerũ occupati, obiectis visui, & tactui oblatis nõ attendunt. Interim & dormiunt & vigilant per interualla: cibum ori admotum comedunt, potum hauriunt, inque his & similibus satis tractabiles, vel non multum reluctantes existunt.

Est quidem hic affectus rarus: obseruatus tamen à Clarissimo Dn. D. Iacobo Iano, Sereniss. Elect. Saxon. Viduæ Lichtenburgi Medico, Amico meo singulari, anno 1630. in viro triginta, & quod excurrebat, annorum, Ecclesiæ cuiusdam pastore. Hic enim temperamento melancholicus verno tempore melancholia laborare cepit, tristiorque subinde factus nihil quidem absurdi protulit: attamen quasi tentationibus vexatus, sed propter peccata (quæ in iuuentute commiserat, nõ atrocia, sed leuia planè) se cum Deo in gratiam redire non posse, sibi persuasum habebat, indignumque se reputabat, qui gereret munus Ecclesiasticum. Itaque desperabundi instar non tantùm totum tempus vernum, sed & integram æstatem, qua aliquoties sibi ipsi, vt & vxori, violentas manus inferre tentauit, suaque inter-

dum,

dum, & quasi per paroxyſmum μετὰ σπουδῆς agere viſus eſt, miſerè tranſegit. Tempore autumnali feruore illo in actionibus remittente, triſtior præter modum factus eſt, ſemperque tacens crebra ſolùm ſuſpiria ingeminauit. Amicis præſentibus, & variis conſolationibus ægri miſeriam lenientibus, interdum à melancholia & triſtitia ſeriò dehortantibus, lubens quidem auſcultare viſus eſt: ad reſponſum tamen dandum, licet variis propoſitis interrogationibus continuò inſtigatus, permoueri non potuit. Hanc tamen vocem aliquando edidit: Ah DEVS! Qua exceptâ aliquot ſeptimanis non verbum vllum ex eo, licet ſæpius interrogato, &, vt loqueretur, monito, extorqueri potuit. Interim nocturno tempore dormiebat, bene manè euigilans cogitabundi inſtar in lecto immobilis iacebat, è lecto operâ vxoris eleuatus, ab eadem veſtibus induebatur, indutus ſtabat inſtar ſtatuæ, manu capiti & temporibus ſponte admotâ, quod præter modũ triſtes facere ſolẽt, ſuſpirabat, impulſus, & manu deductus, incedebat, ad ſcamnum vel ſellam adductus ſedebat: inſtigatus mẽſæ aſſidebat, cibum à coniuge in os inſertum edebat, & cantharo ori applicato, quem monitus arripiebat & tenebat, bibebat. Hic affectus durauit toto autumno: media hyeme minui cœpit, ita, vt tandem reſtitutus munus Eccleſiaſticum iterum obiret, cui adhuc præeſt: triſtior tamen, quia naturâ melancholicus longo tempore eſt deprehenſus.

### *Cauſſæ.*

Cauſſæ huius mali à melancholia per conſenſum totius & cordis non multùm differre videntur. Etenim hic humor melancholicus in toto cumulatus, illâque diſpoſitionem, quæ melancholicum deliriũ inferre poteſt, acquirens, ſibi ſimiles vapores cerebro communicans, ſpiritûs animales ita reddit fixos, & quodammodo immobiles, vt præter illa firmiter cõcepta & impreſſa phantaſmata nulli fermè ſpeciei phantaſticæ efformandæ, & rationi repræſentandæ apti & idonei ſint. Vnde phantaſia & ratio ſpeciebus illis firmiter inhærentibus occupata, nec obiectis aliis attendere, vel illa ſatis cognoſcere poteſt. Hinc per conſequens nullus rerum obiectarũ appetitus, & voluntarius ad illa motus ſed mera apparens ſtupiditas. Hoc enim ſæpiſſime habet hæc melancholiæ ſpecies, quod cauſſa ſit vehemẽtior, vtpote quæ non tantùm triſtitiam & delirium melancholicum inferre, ſed & ſpiritus torpidiores, & quaſi fixos ac immobiles reddere valet; idque propter naturam humoris melancholici, & vaporum inde aſcendentium. In caſu verò anteà propoſito melancholicus humor æſtatis tempore nonnihil caloris præternaturalis acquirens, & ſic quodammodo aduſtus exiſtens, delirium vehemens excitauit, & quaſi maniacum. Abſumptis autem tractatu temporis partibus calidioribus, vel fixioribus redditis, ſegnius animum irritare, tandemque ſpiritus planè torpidos reddere cœpit.

### *Signa Diagnoſtica.*

Signa huius melancholiæ non eſt opus prolixè recenſere; cùm ex eius deſcriptione ſint manifeſta. Patent etiam ex hiſtoria ſupra recenſita. Hoc tantùm monendum, nonnullos Medicos hiſtorias duas à Fernelio, *lib.5. de part. morb. ac ſymptomat. cap.2.* deſcriptas, non eſſe Catoche, ſed melancholia attonita laborantium, exiſtimare. Verùm falluntur, & non parum intereſt inter Catochen & Melãcholiam attonitam. Etenim in hiſtoria prima primus illorum repètè hoc vitio correptus eſt; melancholia a. hæc plerumque lentè inuadit. Deinde omni ſenſu & motu caruit; melancholici attoniti verò ſenſu & motu præditi ſunt; etſi ſenſibus illis tam promptè non vtantur, vt ſani: quia illorũ phãtaſia in certum phantaſma defixum reliquis obiectis nõ attendit. Alter in hiſtoria ſecunda non vidit, neque audiuit, neque ſenſum tactus habuit; melancholici attoniti verò vident, audiunt, & ſentiunt, licet hoc ſe facere verbis non proferant. Deinde ille membra habuit, in loco & ſitu perſiſtentia, fixa & ſtabilia, quò fuerunt ab aſtantibus locata; melancholicus verò attonitus ex hiſtoria ſuperiore brachium ſpontè eleuauit, & capiti admouit, bibens cantharum manu tenuit. Catoche etiam correpti oculos apertos habent, loqui non poſſunt; quod non animaduertitur in melancholia attonita laborantibus.

### *Curatio.*

De cura in ſpecie aliquid addere opus non eſt. Eſt enim eadem, quæ aliorum melancholicorum; niſi quòd ob cauſſam vehementiorem fortiora medicamenta requiruntur.

---

## CAPVT XV.

### *De Mania.*

*Mania vnde dicta.*

MAnia Græcis ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, id eſt, inſaniendo dicitur, (ineptè verò à nonnullis à manibus, id eſt, diis infernalibus, vel μαντεία, vel μαντεύομαι, vel μήνη, id eſt, Lunâ deducitur) iiſdem etiam ἔκστασις eſt, vehemens mentis motus & delirium. Vocabulum Maniæ & Latini retinent: iiſdem quoque Inſania nominatur; quanquam Celſus nomine Inſaniæ omnia deliriorum genera complectactur: iiſdem & Furor dicitur. Neque Medici Ciceronem ſequuntur, qui, *lib.3. Tuſcul. quæſt.* ſcribit, Latinos eam affectionem furorem appellare: quam Græci Melancholiam. Non enim Melancholicolicorum furor eſt, ſed Maniacorum.

*Mania quomodo à Melancholia differat.*

Solet equidem Mania melancholiæ ſæpe ſuccedere & cauſſæ ſaltem, ac ſymptomatum vehementia ab iſta differre nonnullis videtur: qua de cauſſa Tralliano nihil aliud eſt, quàm intenſio melancholiæ ad maiorem feritatem. Verùm cauſſæ, melancholiæ & maniæ nõ ſolùm vehementiâ, verùm & naturâ ac ſpecie differunt, & interdum per ſe, ac non præcedente melãcholiâ oritur Mania, quæ quidem cogitatione, verbo, & opere melancholicorum deliramenta imitatur, ſed citra timorem, vel metum, imò cum audacia, iracundia, iurgiis, & mentis perturbatione tanta, vt ægri tanquam immanes beſtiæ obuios quoſque inuadant, imò nec ſibiipſis ſæpe parcant.

*Maniæ definitio.*

Eſt nimirum Mania, ſeu Furor, delirium, ſeu imaginationis & ratiocinationis deprauatio, ſine timore, ſed potius cum audacia, temeritate, ira, iurgiis, & ferocia, ſine febre, à diſpoſitione ſpirituũ feruida & ignea ortum habens. Vide Inſtitut. *lib.2. part.3. ſect.3. cap.7. pag.398.* Imaginantur enim ea, quæ non ſunt, & nullum diſcrimen inter honeſtum & turpe, bonum & malum, amicum & inimicum agnoſcunt. Memoria verò in Mania ſæpe maxima ex parte ſeruatur; quod ex cantilenis ipſis familiaribus colligit Aëtius, quarum in furore illi non obliuiſcuntur.

*In Mania præter cerebrum & cor affici.*

Verùm vt natura huius mali manifeſtior reddatur, de loco affecto, & cauſſa antè diſpiciendum. Et quidem locum affectum quod attinet, etſi plerique Medici cerebrum ſolum in Mania affici dicant, & verum ſit, delirij huius cauſam proximè in cerebro contineri: tamen vero valde conſentaneum eſt, cor ſimul affici, quod affectus illi, & perturbationes animi vehementes, audacia temeritas, ira, & alia animi παθήματα monſtrant, quæ etiam ad eſſentiam Maniæ pertinent, & tamen à corde proueniunt. Præterea & hoc idem perſuadere videtur, quod Maniaci, qui in clauſtris, & domunculis publicis cuſtodiuntur, hybernum frigus, & quidem ſæpe nudi, multos annos, ſine vlla corporis læſione & iactura

iactura ferunt, ac, quod mirandum, si tangantur, non frigere, sed calere in medio frigore hyberno deprehenduntur, vt videre est apud Forestum, *lib.* 11. *obseru.* 20. Quanquam enim consuetudo etiam hic aliquid facere possit: tamen eam solam non sufficere, aliorum exempla docent. Qui calor in vniuersum corpus, nisi corde affecto, vix diffundi potest: & credibile est, non solùm spiritus animales, sed & vitales, feruidos, & quasi igneos euasisse; sicut idem iis, qui vino inebriantur accidit.

## *Caussæ.*

*Maniæ Caussa coniũcta.*

Caussam primam & coniunctam Maniæ feruidam, & igneam quasi, spirituum dispositionem esse diximus. In quo si quis acquiescere nolit, sed occultam aliquã qualitatem addere velit, ei facilè assentiemur. Facit id Platerus, qui quidem non negat, in hoc affectu humorem atrum adesse; verùm manifestâ qualitate contentus non est, sed malignam, occultam, & venenatam qualitatem addit, necessariumque putat, vt humor ater hanc dispositionem suscipiat, si maniam inducere debet, atque impossibile esse existimat, vt tam enormia accidentia, quæ in ægris, ac si veneno perciti essent, sese proferunt, & non breui tempore, sed sæpe multos annos durant, à manifesta causa, & solo calore prouenire possint. Etsi enim negari non possit, insignẽ esse feruorem in sanguine & spiritibus, quod ipsum testatur, vt modò diximus, quòd qui in claustris publicis custodiuntur, & nudi misere in stramine volutantur, frigus hybernum multos sæpe annos citra vitæ iacturã ferunt: tamẽ longè alia in mania est huius humoris conditio, quàm aliàs atræ bilis esse solet. Aliàs enim viscera omnia labefactat & corrodit, ac humores fermentat: maniaci verò cæterà sani sunt, & viscera salua habent, ac sæpe satis viuaces sunt. Cum isto etiam spirituum feruore nulla febris coniungitur. Ideóque credibile est, aliam adhuc, occultam, & potentiorem qualitatem subesse, venenis cognatam, & talem, qualis etiã à venenis quibusdam inducitur. Dantur enim venena, quæ insaniam inducunt, & compertum est, nonnullos à philtris propinatis in maniam incidisse.

*Caussa antecedens.*

Dispositionem hanc spirituum igneam, vel quocunque nomine alio appellare liceat, plerique vel ab intẽperie cerebri sine materia, vel à materia simul prouenire statuunt. Verùm impossibile est, affectum tam grauem & diuturnum, atque in quo non solùm cerebrum, sed & cor afficitur, à nuda saltem intẽperie prouenire; neque credibile est, seu cor, seu cerebrum ita à naturali statu deiici posse, vt non simul humores afficiantur. Caussa ergo antecedens semper coniungitur, materia nimirum simili qualitate prædita, bilis scilicet atra, hanc igneam & occultam qualitatem adepta, quæ in venæ cauæ ramis detinetur, maioribus præsertim; (procul dubio & arteriis) id quod vtilitas venæsectionis in hoc malo indicat. Refert enim Platerus, innumeros sanatos fuisse à Chirurgis quibusdam, & aliis, qui ex professo hisce morbis sanandis operam dabant, qui vigesies & sexagesies etiam venas tundendo, nunc brachij, nunc pedis, hîc illam, alibi aliam, sine discrimine, insanos plurimos restituerunt, vt postea incolumes longam adhuc vitam vixerint.

*Caussæ antecẽdẽtis sedes.*

Verùm continetur hæc materia nunc in vniuersi corporis venis, nunc in venis cerebro propioribus: imò interdum in ipsis cerebri vasis; vnde etiam mitiora, vel grauiora, & hæc, vel illa symptomata excitantur. Nonnunquam & circa vterum, ex sanguine illic abundante, & semine retento ac corrupto, talis materia colligitur; vnde melancholiam ex vtero quandoque in maniam degenerare, *capite præcedente* dictum, quæ Furor vterinus appellatur, in quo, tum aliis modis insaniunt fœminæ, tum quandoque etiam concubitum & Venerem vehementissimè apppetunt. Cuius rei historiam annotauit Dominicus Leonus, *cap. de mania*, in quadã virgine, quæ ob seminis retentionem, & Veneris desiderium maniaca facta erat, ita vt per agros & syluas erraret, & obuium quemque ad coïtum prouocaret, ac renuentes conuitiis, & lapidibus insectaret; quem eius furorem coïtus sedauit. Quocunque autem loco prima illa caussa contineatur, reliquam sanguinis massam ab ea, quasi fermento & veneno, infici, credibile est.

Et quamquam atra bilis, huius mali caussa, ex bile flaua, vel melancholia adusta plerumque generetur: sanguis tamen etiam hoc modo corrumpi potest, docetque experientia, non solùm macilentos, fuscos, tristes, & qui naturâ ad melancholiam procliuies sunt, hoc malo corripi; sed omnibus naturis hoc malum accidere posse.

Feruor autem ille sanguinis & humorum etsi vehemens & acris sit: tamen putredine & inflammatione caret, ac propterea mania sine febre est.

*Caussa remota & euidẽtes.*

Caussas remotiores & euidentes quod attinet, gignitur ille feruidus humor vel in hepate, ob calorem illius nimium, vel cùm chylus calidior in ventriculo genitus ob calidiorem victum hepati suppeditatur.

Quò faciunt & hæmorrhoidum ac mensium purgationes, & post partum in fœminis euacuationes retentæ; item fistularum & vlcerum antiquorum occlusio, vel varicum curatio; sicut de Mario referunt, eum euasisse maniacum, postquam varices in cruribus ei Medici exemissent.

Externæ caussæ sunt aëris constitutio calida; vnde tempore æstiuo, & circa caniculares; vt & in autumno, 3. *aph.* 22. magis, quam alio tempore, infestat hoc malum; atque aliæ caussæ, ob quas humores adurunt, & maniacam ἰδέαν acquirunt. Quò pertinent & morbi præcedentes, qui humores adurunt, sicut interdum phrenitidi Mania succedere solet.

Inter euidentes autem caussas præcipuæ sunt duæ: diurna mœstitia, curæ & sollicitudines, præcipuè excandescentiâ, & irâ concurrente, quo modo Ajax in Maniam incidit, & sibi ipsi manus violentas intulit; & sæpe melancholiæ diuturnæ mania succedere solet.

Et huc etiam pertinet insania ex amore. Etsi enim supra, *c.* 9. inter melancholiæ differentias de melancholia ex amore egerimus, tamen vt aliæ melancholiæ; ita & hæc, si diutius duret, tandem in ipsam maniam degenerat, atque ad hoc caput pertinet.

Deinde venena assumpta, quorum quædam insaniã inducere posse, iam antea dictum. Ita solanum, quod maniacum inde dicitur, insaniam inducit: idem facit cerebrum felis comestum, mustelæ, morsus canum, luporum, & aliorũ animalium rabiosorum. De quibus Dioscorides, *lib.* 6. Pertinent huc & philtra, de quibus Poëta:

*Philtra nocent animis, vimque furoris habent.*

Ita Lucretium amatorio poculo accepto in delirium hoc incidisse scribunt. Vinum quoque fulmine congelatum, cum redit ad pristinam constitutionem, potum, aut enecare, aut insaniam inducere referunt. Quibus omnibus non sine caussa addi potest vis illa superior dæmonum, quæ Dei permissu humoribus vitiosis sese associat, talemque insaniam inducit; vnde Maniaci sæpe talia loquuntur, agunt & perpetrant, quæ vix ad caussas naturales reduci possunt.

## *Differentiæ.*

*Maniæ differentiæ.*

Differentiæ Maniæ respectu varietatis delirij sunt, quòd delirium aliud est breuius & mitius, aliud vehementius & diuturnius.

Deinde quòd Mania nunc à caussa interna, nunc externa ortum habet, quodque maniaci interdum certarũ bestiarum feritatem imitantur; præcipuè in duo genera Mania diuiditur. Prius est, quod speciale aliquid, præter delirium illud cum audacia, iracundia, & reliquis maniæ

maniæ symptomatibus, non obtinet, neque ab animalis alicuius veneno inductum est, sed à caussa interna ortum habet, neque alicuius bestiæ mores in specie refert, quod etiam ἔκστασις μελαγχολικὴ à nonnullis nominatur. Alterum verò genus est, quādo ægri vnius bestiæ mores in specie referunt, quod etiam plerumque à veneno, & morsu talium bestiarum rabidarum communicatur & inducitur; qualis est Lycanthropia, rabies canina, lupina, ac felina. De posteriore hoc genere dicitur *c.seq.* Prius quod attinet, quódque hoc capite tractamus, etiāsi ex humoribus aliqua eius delirij possit constitui differentia, & humores in iis, qui in insaniam incidunt, varij reperiri possint, atque in aliis sanguis, in aliis bilis flaua, in aliis melancholia, & humor ater abundet, & propterea etiam ij, in quibus sanguis abundat, mitius insanire, ridere, & freqēnter cantare soleant; qui bile abundant, temerarij sint, & iracundi; ex atro verò humore triste & ferinum delirium oriatur: tamen, in omnibus maniacis humores in atram bilem degenerasse oportuit, quæ tandem igneam, vel potius malignam, & occultam illam dispositionem suscipit.

Et siue homo, antequam eum mania corripit, sit sanguineus, siue biliosus, siue melancholicus, quod è suis signis dignosci potest: tamen maniacus non euadit, antequā humor, quicunque etiā, specificam illā, igneā & occultam dispositionem acquirit: atque ideo curandi ratio parum discrepat. Hoc tamen non prætereundū, cum materia illa vel æqualiter per omnes venas diffundi possit, vel vno in loco præcipuè contineatur, & hinc in alia diffundatur, si materia est in venis, vel omnibus, vel membris principalibus propioribus, insania est perpetua & continua: quod si vno in loco præcipuè cōcludatur, circa vterum, vel alium, habet delirium hoc interdum quasdam remissiones & interualla.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa diagnostica ipsius affectus.* Mania leui negotio cognoscitur ex imaginatione & ratiocinatione deprauata, cùm ægri & falsa imaginātur, & absurda & inepta multa agunt & quidem sine timore, sed potius cum audacia, temeritate, loquacitate, iurgiis, iracundia, sæuitate in se & alios, & omnino animi perturbatione tanta, vt ægri bestiarum instar obuios quosque inuadant; & morsu, vnguibus, aliisque, quibus possunt, modis, noceant, nec sibi ipsis parcant, sed vestes dilanient suas, ac manus violentas sibi inferāt, & propterea custodiā & vinculis continendi sint, è quibus tamen omni conatu erumpere conantur. Vigilant præterea Maniaci pertinacissimè, vt referat Fernelius, quēdam menses 14. insomnes duxisse; ac inusitato atq; admirando corporis robore valent, quod ratione deprauatā solùs appetitus dominatur spiritibus animalibus, iisque igneis quasi, & feruidis à mentis functionibus ad neruos & musculos totis conuersis. Oculi multis sunt sanguinolenti, aspectus toruus & truculentus.

*Signa distinctiua.* Atque his notis maniam ab aliis cognatis affectibus discernere non erit difficile. A phrenitide differt, quod non febricitant maniaci, neque alia cerebri inflammati signa adsunt: à melancholia, quòd non est cum timore & tristitia, sed potius cum audacia & iracundia: à dæmoniacis distinguūtur Maniaci eo, quod dæmoniaci quæ supra humanam potestatem sunt agunt, vt quod linguis peregrinis, & quas nunquam didicerunt, loquuntur, futura prædicunt, sæpe per vomitum particulas ferri, globos plumbeos, puluerem tormentarium, animalia viua, & alia, quæ naturaliter in homine generari non possunt, eijciunt; cuius rei exemplum habetur apud Hildesheimium, *spicileg. 2. p.* 186.

*Signa caussarum.* Caussarum signa quod attinet, humorum in capite abundantium signa suprà, *part.* 1. sunt proposita. Euidētes caussæ ex relatione ægri, vel astantium, & iis, quæ præcesserunt, cognoscuntur. Si ex amore sit insania, cognoscitur, vt suprà, *cap. 9.* dictum. Si ex vtero, præcessit mensium obstructio, & alia, quæ *capit. praeced. de melancholia ex vtero*, sunt proposita.

*Signa Maniæ instātis.* Nonnulli etiam signa instantis maniæ recensent, enumeranturque ab ipsis, capitis grauitas, auriū tinnitus & sonitus, splēdores oculis obuersantes, vigiliæ immodicæ, curæ & sollicitudines, ira ex leui occasione, oculi caui & fixi, consueti hæmorrhoidum & mensium in fœminis fluxûs suppressio. Verùm etsi hæc, & alia, quæ nonnulli recensere solent, Maniā præcedere cōsueuerint: tamen non omnes, quibus ista conspiciūtur, maniā corripiuntur, sed, exēpli gr. ex hæmorrhoidibus, & mensibus suppressis alia quoque mala excitari possunt; & symptomata modò enumerata multos affligunt, qui nunquam maniaci euadunt. Hoc maniæ instantis certius signum est, si æger quacunque etiam de caussa delirare, & melācholiā corripi incipiat, & simul in obscœnū, & ineptū risum pronus sit, siq; qui antea blandus erat, leui de caussa validè excādescat, & animo vehemēter perturbetur, oculorum obtutus sit intentus, fixus, & toruus.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Malum hoc diuturnum, & curatu difficile est, ac non solùm per menses, sed sæpe multos annos durat, & ægros vsque ad mortem comitatur. Est enim atra bilis humorum omnium pessimus & pertinacissimus, præcipuè si malignitatem induat, ac habet se instar fermēti, nec malum cessat, quamdiu istius materiæ aliquid in corpore superest. Præterea in vsurpandis medicamētis Medico ægri non obtemperant & obediunt, nec in isto furore persuaderi possunt, vt idonea medicamenta admittant.

2. Minùs tamen periculosa est insania, quæ fit cum risu, & mitioribus symptomatibus, quàm quæ cum studio, & insigni feritate accidit.

3. Si menses & hæmorrhoides fluant, bonum.

4. Bonum est, si aluum laxam habeant ægri: quod si non fiat, malum.

5. Quanquam verò curatu difficilis est hic morbus: tamē per se lethalis nō, &, nisi ægri vel sibi ipsis manus violētas inferāt, vel alij morbi accedant, rarò ex hoc malo moriuntur, sed sæpe vsque ad morrē malū id eos comitatur. Quî autem fiat, quod maniaci sæpe tamdiu cū tot in diæta erroribus viuant, postea, *quæst.* 7. dicetur.

6. Via ad interitum, nisi ægri sibi ipsis violentas manus inferant, aut sponte in vitæ periculum sese coniiciant, est virium dissolutio, quam afferunt vigiliæ continuæ & longæ, abstinentia à cibo, & fames, quam interdum ægri pertinacissimè perferunt, & motûs violenti, quibus continuò ferè exercentur.

7. Ad salutem verò terminatur Mania, si insignis aliqua fiat per sudorem, vel alui fluxum euacuatio, aut copiosa hæmorrhagia è naribus, hæmorrhoidibus, vtero, varicibus; vel artis præsidiis spirituū ille feruor, & praua qualitas remittatur & corrigatur, & humor, qui proximam caussam fouebat, euacuetur. De quo Hippocrates, 6. *Aphoris.* 21. *Si insanis varices aut hæmorrhoides superuenerint, fit maniæ solutio.* Potest & hûc referri *aph.* 5. *sect.* 7. *Post Maniam dysenteria, aut hydrops, aut* ἔκστασις, *bonum* Soluitur enim Mania, & in alium morbum mutatur humore vitioso ad inferiores corporis partes robore naturæ per crisin, licet imperfectam, depulso, & ad intestina misso, & per ea euacuato; aut eodem intra abdominis cauitatem cumulato; aut quando furiosa insania in taciturnam & silentem desipientiā mutatur, acrimoniā humoris à natura deuictā & castigatā. Alij tamen hic per ἔκστασιν vehementem furorem intelligunt. Dum enim natura humores coctos per crisin est euacuatura, vehementissima antecedere solent symptomatata, ob materiæ motum & impetum.

Etsi verò morbus in alium morbum hîc mutetur: tamen qui succedit, non ita periculosus est, vt pote adhuc fiēs Et morbi per crisin facti sēper citius curātur, si remedia

remedia adhibeantur; cum humores illi magna ex parte à natura victi & cocti sint.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Cum Maniæ proxima & continens caussa sit feruida illa, ignea ac maligna, si ita appellare libet, spirituum dispositio; ista verò à simili humore dependeat, & foueantur: primò omnium humor ille vitiosus præparandus & euacuandus est.

Deinde danda opera, vt idem à partibus principalibus, cerebro & corde, auertatur & repellatur.

Tertiò intemperies illa, & dispositio, cum spirituum tum humorum, alteranda & mutanda. Et si materia magis in vna parte, quàm alia contineatur, cùm in euacuãdo, tum in alterando eius partis præcipuè ratio habenda est. Ac cum cerebrum & cor inprimis afficiantur, ad eas partes maximè respiciendum. Sic & hepar & lien refrigerandus, si sanguinem calidiorem ac feruidiorem suppeditent; ac omnino præcauendum, ne materia vitiosa amplius, atque iterum generetur. Denique symptomata, quæ grauiter infestant, vt vigiliæ, mitiganda.

### *Curatio.*

#### *Sanguinis Euacuatio.*

*Vena sectio.* Inchoanda autem est curatio à venæ sectione, cui, si æger persuaderi queat, clyster præmittatur, vel aliud medicamentum primas vias euacuans. Et omnino venæ sectionis magna est in hoc morbo vtilitas, vtpote quæ non solùm sanguinem & humores in venis contentos euacuat, & à cerebro reuellere ac deriuare potest sed & ex accidente refrigerat. Potestq; sanguis hic pluribus modis peccare, vel vt caussa principalis, in iis scilicet, in quibus sanguis abundat, vel vt caussa adiuuans vbi materia maniaca miscetur sanguini, vel etiam vt caussa sine qua non, vt aliis auxiliis locus detur. Testaturq; Platerus, Practicus Experientissimus, vt antea etiã dictum, se longâ obseruatione comperisse, innumeros ab aliis Medicis derelictos sanguinis missione sanatos fuisse à quibusdam chirurgis, vel aliis, qui ex professo hisce malis sanandis operam dabant, qui vigesies, & sexagies quoque, venas tundendo insanos penitus ita restituerunt, vt postea incolumes adhuc longam vitã vixerint; qui in vena certa eligenda nihil laborârũt, sed nunc brachij, nunc pedis, hanc, illamve, nunc alibi sine discrimine aperuerunt. Quod remedij genus & ipse, sed maiori curâ & prouidentiâ quàm illi, methodicè præmissis semper alui purgationibus, vsurpauit.

*Quandò vena aperienda.* Primò ergo vena aliqua visui & tactui magis obuia in brachio, & præcipuè in sinistro, aperienda. Deinde in manibus, saluatella; in pedibus, maximè in fœminis, saphena; vel quæ ad pollicem pedis excurrit. Varices quoq; si in cruribus, vel alibi apparent, cùm magnã copiam melancholici humoris, ad eũ locũ detrusi, contineant, aperiantur, & non statim sanentur, hæmorrhoides, si fieri potest, prouocẽtur. Cum enim à maniâ præseruare soleant, & sponte apertæ à maniâ liberent; Medicus naturam imitari, ac materiæ inclinationem, sequi debet. Menses quoque in fœminis, si debito modo non fluant, prouocentur. Venæ etiam frontis in pertinaciore malo aperiendæ, vt & venæ narium, setis, vel millefolio immissis. Verùm venæ istæ nõ omnes simul, aut cõtinuò aperiendæ, sed per interualla, interiectis humorũ præparationibus & euacuationibus, de quibus mox dicetur. Maxima enim curationis spes in his magnis euacuationibus, sanguinis scilicet, & humoris melancholici, per vices factis, sita est. Perpendendus autem sanguis, qui effluit. Si enim sit nigrior, copiosiùs euacuandus; si rubicundior, parciùs.

Post venæ sectionem æger cibo & potu reficiendus, & studendum, vt nocte sequenti dormiat; quod iis medicamentis, quæ postea proponentur, perfici poterit.

Multis quoque profuit, hirudines ad tẽpora, & post aures, & ad anum, si hæmorrhoides suppressæ sint, apponere.

### *Humoris Præparatio.*

Venæ sectione, & sanguinis euacuatione peractâ, ad materiæ præparationem accedendum, eaque sæpius repetenda, ac diu continuanda, atque à leuioribus ad fortiora progrediendum. Præparantia sunt refrigerantia, & humectantia, quæ atræ bili conueniunt, ex borrag. bugloss. viol. nymph. lactucâ, & aliis supra, *part.* 1. *cap.* 13. propositis simplicibus. Et licèt medicamenta quædam simplicia non semper vtraque qualitate huic morbo conueniant: tamen aliis admistis, quod deest, potest suppleri. E quibus talia vel similia parari possunt: *Materia morbifica præparatio.*

℞. *Aq. borrag. nymph.* an. Vnc. vj. *syr. borrag. viol. nymphææ*, an. ℥. ij M. Propinentur tribus vicibus.

Vel ℞. *Rad. bugloss.* Vnc. ij. *glycyrrh.* Vnc. i. *ceterach, fumar. endiu.* an. M. j. *sem. 4. frig. maior.* an. Drach. j. *tamarindor.* Vnc. ß. *flor. cordial.* an. P. ij. Coqu. in aq. pura.

Colaturæ ℞. Vnc. x. *syr. viol. de pomis, nymph.* an. Vnc. jß. F. Potio pro tribus dosibus.

Vel Colat. adde *sacch. suc. de pomis*, an. ℥. ij.

Parum ebulliant. F. Iulebus, qui aromatizetur puluer. santal. citr.

Vtile est & serum lactis, quod non solùm ad humorem atrum est præstantissimum medicamentum, sed & tale, ad quod vsurpandum faciliùs persuaderi possunt ægri; cui addi potest syrup. violar vel rosar. solut. de fumaria.

### *Purgatio.*

Postea purgantia vsurpanda, & quidem leuiora singulis septimanis exhiberi possunt, fortiora singulis mẽsibus exhibenda, atque inter ea per vices, vt iam dictũ, venæ sectio, si opus sit, repetenda. Et prout bilis, vel ater humor plus abundat, ita ad hunc vel illum magis respiciendum; & vsurpanda, rhabarb. sena, epythym. polypodj el. diacathol. diasen. &c. cocta vel dissoluta in sero lactis, addito syr. rosar. solut. vel viol. solut. *Purgatio.*

Inter fortiora sunt ellebor. nigr. alb. lap. Lazuli, confect. Hamech., ☿um, & ex eo parata medicamenta, quæ & ob humoris contumaciam necessaria sunt, & quòd minori dosi exhiberi possint, ægris etiam ignorantibus. Ægri enim in hoc morbo non facilè obtemperant, ideoque fallendi sunt, & medicati vini, vel aliâ formâ, quæ commoda videbitur, ipsis exhibenda medicamenta.

℞. *Rad. glycyrrh.* Vnc. j. *polypod. q.* Vnc. ij. *helen.* ℥. ß. *sem. 4. frig. maior.* an. Drach. j. *ling. ceruin. capill.* ♀. *ceterach, meliss. fumar.* an. M. j. *epithym.* Vnc. ß. *tamarind. passular.* an Vnc. j.

Coqu. in aqu. simpl.

In Colat. infundantur, *fol. senæ* Vnc. ij. *rhabarb.* ℥. ß. *ellebor. nigr.* Drach. ij. *flor. cordial.* an. P. ij. *sem. ocym. fœnicul.* an. ʒ. j. *cortic. citri* ʒ. ij. *galang. Zedoar.* an. ʒ. j. ß. *cinamom.* ʒ. ij. *spic. Indic.* Scr. j.

Postea ebulliant, & colentur.

Colat. add. *suc. pom. dulc. borrag.* vel *viol.* an. ℔. ß. *sacch.* q. s.

Coqu. ad syrup. dilutioris consistentiam. Vel, quod commodius, rhabarb. non simul infundatur, sed cum cinamomo nodulo inclusum in syrupo suspendatur.

Vel paratur tale Diacydonium:

℞. *Polypod.* Vnc. jß. *epithym.* Vnc. j.

Coq. in aquæ puræ ℔. j. vel s. q. Colentur. Colat. add. carn. cydon. iam coctam, & exprimatur. Expressioni addat. *sacch.* ℔. j.

Iterum coq.ad formam diacydoniati,cui insperge sub finem *pulu. mechoacan.* vel potius *rad. gialapa* Vnc. j. *santal. citr. zingib.* an. Drach. j. M. Dosis est ad Vnc. j.

Vel exhibeatur hic Puluis aliquoties:

℞. *Fol.sen.el.*Vnc.j.*sem. anisi, fœnicul.*an. Drach.j. *glycyrrhiz.flor.viol,*an.Drach. ß, *cremor. tartari* Drach. vj.F.Puluis.

Cuius dosis Drach. j. vel ʒ. j. ß.Si minor dosis,vel fortior operatio expetitur, addere licet lap. Lazuli,vel diagryd. Scrup.j.

Vel paretur talis Puluis:

℞. *Lap. Lazuli* Drach. j. ß. *diagryd.* vel *extract. scammon.*Scrup. j. *turbith.* Drach. j. *senæ* Vnc. ß. *epitym. cremor. tartari*, an. Drach. ij. *sem.anisi, cinamom. cortic.citri,* an. Drach. j. *croci* Scr.ß.

F. Puluis, cuius dosis ʒj. vel ℈. jv. primâ vice exhibeantur.

Vel paretur talis Potio:

℞. *Cortic. helleb. nigr. præpar.* (quod fit, si f. q. aceti,vel vini, cum sem.anisi, aut in aq.vel decocto dilutiore fœnicul.vel anisi 24.horis in balneo macerentur, & postea liquore effuso rad.asseruentur) Vnc.ij.*fol.sen. follic.sen.* Vnc. j ß.*sem fœnicul. anisi,* an. Drach. vj.*flor. cordial.* an. M. ß. *cortic.citri* Vnc.ß.

Macerentur in mensur. vini albi tenuis duabus, Colentur sine expressione, & per manicam Hippocr. traiiciantur, ac dulcorentur iulepo rosar. & violar, atque aromatizentur santal. citrino.

Et imprimis hellebor niger vtilis est: ideóque eius extract. vel in formâ pilular. vel syrup. exhiberi potest.

Vt ℞. *Extr. hellebor.nigr.*Scr.ij.*syr.viol.*Vnc. j. *borrag.*Vnc.ß.M.

Si hæc non suffecerint, potest exhiberi ☿ium, & ex eo parata medicamenta,

Tandem helleborus albus, quo antiqui frequentissimè in talibus morbis vsi sunt, adeo, vt in prouerbio eos, quos insanire dicere volumus, *Helleboro purgandos esse* dicamus, sed cautè, adhibendus, & corpus ad eius vsum rectè præparandum; de qua re videantur tum alij, tum Heurnius, *lib. 2. meth. ad praxin.c.*21.& Iohan. Baptista Codronchius,*in Commentario de Helleboro,*

**Cor & Cerebrum roborantia.** Purgatione vnâ atque alterâ peractâ,ea simul vsurpanda, & interiicienda, quæ cor & cerebrum corroborant, sanguinem & spiritum mundant, ac fuliginosas exhalationes discutiunt; qualia parantur ex rosis, violis, nymphæa, bugloss. borrag. fl. tunic. melissa, scorzonera, cortic. citri, pomis odorat. sp. diamargar. frig. confect. de hyacintho, alkermes: quæ ipsa vnâ operâ humorem atrum alterare & præparare possunt.

Vt ℞.*Conseru.rosar.incarnat.borrag.bugloss.*an.Vnc.j. *cortic.citr.condit.*Vnc.ß.Affunde *aq.borrag. bugloss.viol.* an. Vnc. iij. *nymph. rosar.* an. Vnc.i. M. diligenter in mortario marmoreo, & colentur. Colaturæ adde *succi citri,granat.syr.tunic.*an.Vnc.j.

Traiiciantur per manicam Hippocratis,addendo *cinamom,santal. citr.*an.Drach.j.F.Potio clara.

Vel ℞.*Conseru.rosar. violar.bugloss.borrag.tunic.*an. ℥.ß,*meliss.cortic. citr.condit.lactuc. Ital. condit.*an.℥. ß. *pulu.sem.ocym.sp.diamagr. frig. diarrhod abbat.*an. Scr. ij.*confect. alkerm.*Drach.j.Cum *syrup.nymph.*& *succ. citri.*F.Electuarium.

Vel paretur talis Puluis:

℞.*Sem.ocym.santal.citr.cortic.citr.*an.Drach.j.*fl.cordial.*an.℈. j.*meliss.*Drach.ß.*margarit.præparat.sp. el. de gemm.frigid. de hyacintho,*an.Scrup.j.F. Puluis.

**Somni conciliatio.** Et cum vigiliæ in hoc malo sint pertinacissimæ, vt ægros nonunquam per aliquot menses non dormiuisse obseruatum sit; somnus tamexternis, quàm internis medicamentis prouocandus:de quibus supra, *capite primo*, dictum.

Monendum tamen hîc, somniferorum non eandem esse naturam. Quædam enim licet somnum inducant; spiritus tamen magis turbant, &, vbi ægri euigilant, longè inquietiores, quàm antea, euadunt, ac malum curatu difficilius reddunt: qualia sunt, hyoscyamus, solanum furiosum; imò nec opium ipsum, nisi corrigatur, ab hac noxa immune.Et sicut nemo vino,vel ebrietate,quæ etiam somnum inducunt,maniacos ad somnum deducere audet:ita quoque, cum hîc non solùm somnus quæratur, sed somnus quietus, & hinc spirituum quietatio:ea eligenda, quæ simul spiritus quietos reddunt.

Inter externa commendatur succus sedi maioris recens expressus,capiti impositus, & aqua eiusdem. Vtilis est & aqua solani, & papaueris.

Inter interna à nonnullis laudatur Mãdragora, quòd nõ solùm somnum inducat,sed & spiritus quietos reddat, ac, vt Dioscorides habet, etiam bilem atram vomitu educat,sanguinemque & spiritus puriores reddat. Coquuntur autem radices in vino bono, & decoctum exhibetur.

**Empeirica & specifica.** Occurrunt etiam quædam Empeirica apud Authores, quorum proba est penes experientiam, Commendatur cerebrum arietis nondum Venerem experti,si nimirum caput vno ictu ipsi amputetur, & totum cum pelle,cornibus saltem abiectis,coquatur,cerebrumque postea cum farina, additis cinamomi, zingiberis, nucis moschat. macis, caryophil. an. Vnc. ß. (forsan, Drach. ß.) super prunis misceatur, & in partes tres diuisum manè exhibeatur,ita, vt post sumptum medicamentum duabus horis nihil comedat æger;ac in cæteris quoque rectam diætam obseruet.

Retulit mihi nuper quidam vicinæ Ecclesiæ Pastor, in suo pago intra triduum sanatum fuisse maniacũ exhibito canis cerebro cocto,( addebat,vnius coloris canem esse debere)affirmabatque,sibi præterea alios,tres notos esse, qui eodem medicamento sint sanati. Alij commendant emulsionem ex sem. papau. albi, nuc. iugland. semin nigell. cannab. granis iuniperi, thur. factam cum cereuisia calida. Specificâ etiam proprietate huic malo resistere creditur radyx nymph. luteæ, quæ mense Maio effossa, ☽ decrescente in tessellas dissecanda,& cum aceto vini leniter decoquenda, hinc rursus exsiccanda in vmbra, & in pollinem redigenda inque vsum reponenda,de qua Maniacis manè & vesperi Drach.j. vel Drach. jß. cum tribus cochl. prædicti aceti ex decoctione reseruati propinetur.

Commendantur & folia buxi:

℞. *Fol buxi* num ix.

Scindantur in minimas particulas, & exhibeantur in vno atque altero cochlear. aq. lauend. ieiuno ventriculo, (præmissis tamen præmittendis) &, si fieri potest, sudor eliciatur: repetaturque hæc dosis semel atque iterum.

Nonnulli imprimis laudant sanguinem asini ex venis post aures emissum.Venas post aures aperiunt,sanguinemque linteolis mundis, nulli vsui antea expositis,excipiunt,eáque siccant, atque ex his vnum digitos duos latum,pollicem verò longum,accipiunt,& in haustu aquæ fontanæ macerant,aquamque illam manè tribus diebus exhibent,dantque operam,quantum possibile,vt æger sudet.Nonnulli valde laudant decoctum anagallid.flor purpureo.

Quo pertinent & Amuleta, quæ à nonnullis commendantur,de quibus etiam penes experientiam esto iudicium:radix eryngij,bryoniæ, hyperici,de collo gestata. Adamas sinistro lacerto alligatus,lapis chrysolithus, lapis Lazuli gestatus, lapis Chelidonius ruffus panno illigatus,& sub sinistra ala detentus.

Chymici commendant *saccharum* ♄*ni*, & *liquorem* seu *tincturam coralliorum, lap. Armeni, lap. Lazuli, sapphiri,*

*sapphiri, spir. margaritarum, sal angelicæ, pimpinellæ,* & alia.

Laudatur & Nitrum, neque sine causa. Cum enim malum hoc ab impuris, feruidis, & inquietis spiritibus ortum habeat; nitrum non solùm omnem fumum crassum, & flammam fumosam clarefacit, sed & volatilia figit, ideóque cereuisiæ, dū feruet, aliquid ⦶ nonnulli adjiciunt. Ita enim non solùm cereuisia purior & clarior redditur, sed & obstructiones aperiuntur, crassities & fuliginosa sanguinis ac spirituum dispositio emendatur.

Vtilis est & spir. vitrioli, præcipuè si sit mania ex iracundia, aut cum iracundia multa conjuncta. Iracundiâ enim affectis maximè resistit spir. vitrioli.

Topica. Quantum ad Topica, si æstus & furor vehemens sit, repellentia mox inter initia applicentur, vt oxyrrhodinum, addito oleo anethin. aut chamæmel. & aliis, de quibus supra, *part.* 1. *cap.* 13.

Circa quorum vsum hoc obseruandum, vt humectantia potius præpolleant, quàm refrigerantia: ideóque merè frigidis vix vtendum, sed flor. chamæmel. aliquid addendum, vel pòst adhibenda resoluentia & discutientia. Deinde topica non actu frigida, sed tepida applicanda. Commodè ergo caput fouetur ol. violar. nymph. cui aliquid ol. chamæmel. addatur, vel omentum agni tepidum capiti admoueatur, vel foueatur caput decocto maluæ, viol. lactuc. nymph. chamæmel. sem. lini, aneth. papau. lactuc. fl. stœchadis, rosarum, vt & succo polygoni, plantag. vel aquis destillatis eorumdem, vel similibus.

Vel ℞. *Herb. verben. fragar.* an. M. j. *beton.* M. ii. *sem. cannabis* Vnc. j. sem. *coriandr.* Vnc. ß. *milij.* Vnc. j.

Incisa & contusa includ. sacculo ex tela linea parato, qui in vino coquatur, & vertici calidè admoueatur.

Vel ℞. *Verben.* M. j. ß. *sabinæ, lupuli,* an. M. j. *placentam rosarum* num. j. *granor. juniperi* Drach. vj.

Concisa grosso modo indantur sacculo in aqua communi coquendo, & vertici imponendo.

Vel imponatur capiti sequens Placenta seu Cataplasma:

℞. *Placentam rosarum* num. j. *granor. juniperi* M. ß. *sem. lactuc.* Drach. j. *papau. nigri* Drach. ii. *spir. vini* Vnc. sem. *albumen oui* j.

Contundantur cum s. q. aq. rosarum, in fine addendo seminis carui vel cumini parum.

F. Placenta, quæ vertici imponatur.

Singularia repellentia in hoc affectu esse perhibentur succus ex cancris viuis contusis linteo exceptus, qui fronti applicetur, & quoties siccescit, mutetur, & renouetur. A Chymicis mirè laudatur Balsam. ♄. quod fronti & temporibus inungendum. Nitr. præparatum, quod cum modico *camphoræ in aq. nymph.* dissolutum cum petiis capiti applicatur. Tinctura santali rubri cum aq. rosarum præparat. in cujus Vnc. v. dissoluantur camphor. gr. ix. moschi gr. v. & calidè capiti raso imponantur.

Commodissimæ sunt lotiones capitis, quas, vt consuetas, faciliùs, quàm alia medicamenta, ferunt ægri; quæ, si symptomata vrgeant, singulis diebus semel, vel etiam bis vsurpentur. Intermittendum autem est in lotionibus hîc lixiuium, cùm nimium siccet, sed aqua dulcis sufficit, cum speciebus modò dictis.

Vtilis est & hic Sacculus:

℞. *Sem. cannabis* Vnc. iiii. *coriandr. milij*, an. Vnc. ß. *herb. fragar. beton.* an. Vnc. ii.

Sacculo insuta coquantur in cereuisia, & capiti applicentur.

Corpore euacuato nonnulli etiam calidiora discutientia adhibent; & recipiunt herbas cephalicas, easque in aqua fontana coquunt, postea parant sacculum ex baccis lauri, & rad. hellebori nigri contus. an. q. s. sacculúmque istum in decocto modò dicto parum coquunt; hinc diebus 9. continuis caput isto decocto fomentant, & postea sacculum suturæ coronali imponunt: vnde humores vitiosi per omnia capitis emunctoria euacuātur. Docet enim experientia, helleborum nigrum in morbis melancholicis non solùm intus, sed & extra vtiliter adhiberi.

Cauteria suturæ coronali applicata maximè vtilia sunt, vt scribit Gordonius, *cap. de Mania*, probátque id experientia cujusdam Maniaci, cui cùm esset vulnus inflictum capiti cum fractura cranij, quamdiu fuit vulnus apertum, tam diu bene habuit; vulnere sanato, reuersa est Mania.

Cordi quoque prospiciatur. Etenim cùm vehementer irascantur maniaci, & feroces sint, magnum æstum circa cor esse credibile est, qui omnino mitigandus.

Ergo imponatur cordi tale Epithema:

℞. *Aq. rosar. nymph.* an. Vnc. iii. *borrag. acetos.* an. ℥. ij. *flor. rosar. rubr. sem. ocym. santal. citrin. rubr.* an. Drac. ß. *camphor.* gr. vj.

Tepidè regioni cordis applicetur.

Vel ℞. *Vng. rosac. ol. violac. nymph.* an. ℥. ii. *pulu. rosar. rubr. santal. citr. rubr.* an. ℈. ß. *camph.* gr. vj. M. F. Vnguentum.

Vel Sacculus talis paretur:

℞. *Flor. rosar. rubr. violar buglos.* an. M. j. *meliss.* M. ß. *sem. ocym. rad. rhod. santal. cit.* an. ℥. ß. *camph.* gr. v.

F. Sacculus, qui vel siccus, vel aq. rosac. aut vino madidus cordi applicetur.

Ad totum corpus temperandum, acréſque vapores discutiendos, balneum tepidum aquæ dulcis vsurpetur, cum herbis refrigerantibus & humectantibus, aut temperatis.

Lotionibus quoque, & frictionibus externorum vapores feruidi à capite reuellantur & dissipentur.

### *De Furore Vterino.*

Pertinet ad Maniam, & peculiaris ejus species est, illa insania, quæ vulgo Furor vterinus dicitur, cùm fœminæ in insaniâ illâ Venerem potissimùm appetunt, vel eâ non satiari possunt. *Furor vterinus Maniæ species.*

Cuius caussa est, vel semen copiosum, ob plethoram, aut vasorum seminariorum feruorem genitum; vel, si semen præternaturalem caliditatem, & acrimoniā acquirat, & virosū quasi euadat, ex humoribus salsis, serosis, biliosis, & acribus, qui semini permiscentur. *Eius caussæ.*

Hinc enim si sanguis feruidus in caput feratur, maniam inducit. Cuius imminentis signum est sanguinis in mammis collectio. De quo Hippocrates, 5. *aphor.* 40. *Quibus in mammis sanguis colligitur, furorē significat.* *Signa.*

### *Curatio.*

Curatur hoc malum, si nimius seminis prouentus prohibeatur, aut legitimâ Venere euacuetur, vel medicamentis absumatur, ardórque illius emendetur: &, si humores vitiosi & acres semini permisti illud vitiosum & acre reddant; si illi humores euacuentur, seminísque caliditas & feruor remittatur. *Curatio.*

Refrigerant semen, & ejus feruorem extinguunt, vel etiam siccando, (in qua classe etiam sunt quædam calida) aut occultâ qualitate absumunt, lactuca, portulaca, mentha, quæ peculiari vi Venerem extinguit, semen viticis, inde agni casti dictæ; vnde ad maniam ex semine, & retentis menstruis tale fiat Electuarium:

℞. *Sem. agni casti, gr. juniperi,* an. ℥. iii. *myrtill.* ℥. ß. *sem. portulac. lactucæ, pœoniæ,* an. ℥. i. F. Puluis, & cum melle crudo Electuarium, de quo Drach. i. exhibeatur ante prandium, & vesperi cubitum ituro.

Reliqua, quæ Venerem reprimunt, ex *cap.* 10. de amore insano petantur.

### *Diæta.*

Quæ in diæta sint obseruanda, supra, *part. prim. c.* 13. dictum. *Diæta.*

dictum. Quibus saltem hæc addimus : cauendum esse studiosè, ne æger solus relinquatur,vel inter ignotos, vel quos contemnit,aut odio habet.Si opus, vinciantur,& vinculis cohibeantur ægri,& omnia circa ægrum ita compareantur, vt delectetur potius, quàm offendatur : qua in re astantium prudentiâ opus est, vt interdum ipsis assentiantur; non tamen ipsorum delirium confirment. Suauis Musica maniacos sæpissime demulcet, vt exemplum Saulis, Israëlitarum Regis, testatur.

Caueat & sibi Medicus, ne aliquid damni patiatur; cùm sæpe odium erga Medicum blandis verbis occultent ægri. Somnus,quibus fieri potest modis, prouocetur. In cibo dulcibus & acribus,quæ calidos humores generant, abstinendum. Vino quoque æger abstineat. Neque enim ignem igni addere conuenit. Ac si omnino concedendum videatur,detur tenue,& diluatur,ac temperetur aq.violar.bugloss.rosar.nymph. santalis, julepo rosar.violar. Qua in re consuetudini aliquid dandum. Qui enim vino assueuerunt, minùs eo offenduntur;cum exhilaret, modò moderatè sumatur, vel,vt dictum,diluatur. Aluus seruetur aperta.

## QVÆSTIO I.

### *Quî fiat, quòd Maniaci & Melancholici interdum peregrinis linguis loquuntur, & futura prædicunt.*

Sunt quidem nonnulli, qui hypothesin quæstionis in dubium vocant,negántque,vel Melancholicos, vel Maniacos peregrinis linguis loqui, vel futura prædicere posse : sed cum nimiis agitationibus moueantur, linguámque etiam variè agitent, & sæpe sonos inconcinnos edant, accidere existimant, vt,cùm vulgus illos intelligere non possit,putet,eos Latinè,Græcè, aut Hebraicè loqui.

Verum enimuerò non est, vt de historiæ veritate dubitemus;cum fide digni authores testentur, rem ita se habere. Refert enim Antonius Guainerius,*tract.*15. *cap.* 4. se rusticum quendam melancholicum vidisse, qui semper Lunâ existente combustâ carmina componebat Latina,& transactâ combustione,circa duos dies ad aliam Lunæ combustionem,ne verba latina proferre poterat. Idem & alij Medici testantur. Rhases refert, quosdam melancholicos ex illiteratis literatos euasisse, & ea prædixisse, quæ euentus comprobauit. Erasmus Roterodamus, *in Encom. medic.*narrat.quendam Spoletanum idiomata locutum esse, quæ nunquam didicerat,recuperatâ verò valetudine, & vermibus ope medicamentorum pluribus ejectis, ea loqui amplius non potuisse. Refert quoque Forestus,*lib.*10. *obseru.* 19. mulierem melancholicam cantiunculas latinas, & hymnos cantasse, quos nunquam didicerat. Et,*ibidem,in Schol.*se vidisse puerum,nautæ filium,qui, cùm in capite esset vulneratus,& deliraret,semper linguâ Germanicâ optimos Syllogismos fecerit,quos postea,cum curatus esset,facere nesciebat.

Caussas hujus rei alias afferunt. Quidam enim ex astris easdem deducere conātur;inter quos est Guainerius, qui, *loco modò allegato*,vbi pluribus de hac quæstione agit, ex hypothesibus Platonicis & Astrologicis quibusdam ita hac de re philosophatur: Animam, inquit,ante infusionem in corpus omnium rerum notitiam possidere,sed eam aboleri quodammodo,& obfuscari,corporis, cui infunditur, vnione,& ergastulo. Recuperari verò per doctrinam,vel per influxum, vel per impressionem Planetæ,qui natiuitati tempore infusionis animæ præsidebat. Et hujus impressionis tantam vim esse, vt animam donet potestate talia efficiendi, qualia ipsæ stellæ efficere possunt; faciendi scilicet ex sano ægrum, ex ægro sanum,& alia multa : verum huic potestati resistere corpus, & sensus corporeos; quibus ligatis, quod fiat in melancholiâ, posse stellas suas influentias perfectiùs animæ communicare, atque ita melancholicum illiteratum posse fieri literatissimum,& futura quoque prædicere.

Verùm magna petita sunt,quæ præsupponit, & sibi concedi postulat Guainerius : animam scilicet in corpus infundi ex se omnium rerum notitia prædicam, per infusionem in corpus obliuione rerum antea cognitarum capi,eámque stellarum influxu rursum excitari; quæ ipsi non conceduntur.

Deinde etsi concedamus ipsi,astra ad temperamentum immutandum multa posse, vel etiam inclinationem ad linguas, aut alias disciplinas imprimere; hoc tamen concedi non potest,astra ipsam linguarum, vel aliarum disciplinarum notitiam inducere posse. Hoc enim si possent,quandoque etiam sanæ mentis homines sine doctrina ad talem notitiam peruenire possent. Neque deprauati sensus plus possunt conferre ad recipiendum astrorum fluxum, quam bona eorum constitutio. Neque melancholici & Maniaci planè à sensibus abstracti sunt.

Alij humori melancholico id tribuunt. Nam plurimos,qui ingenio,& artibus excelluerunt, vel in administrandis Rebuspubl.aut aliis rebus perficiendis plurimum præstiterunt,melancholicos fuisse, deprehensum est. Etiam facultatem linguis peregrinis loquendi,ac futura prædicendi melancholiæ tribuunt,melancholiámque humanam animam ad res miras disponere dicunt; & sicut vinum immoderatius haustum mores hominum immutat:ita etiam humorem melancholicum, si plus justo abundat, vel à naturali temperie descisci t, mentem hominis immutare, & eam ad res mirabiles perpetrandas disponere putant. Quibus & addunt illud,quod Aristoteles, 7.*Eudem.cap.*14. Melancholicos esse εὐθυονείρους, id est,rectà habere somnia, scribit.

Verum enimuerò nec opinio ista assensum meretur. Etsi enim hoc suo modo concedatur, melancholicos esse ingeniosos,de quo in Institut. *lib.*3. *part.*1. *sect.*1. *cap.* 2. dictum : tamen ea, quæ supra hominis vires sunt,melancholia efficere non potest; qualia sunt peregrinis linguis loqui,& futura prædicere.Etenim etsi in homine ad omnes linguas discendas sit aptitudo: tamen omnes linguæ vsu discuntur;& futura prædicere,solius Dei est,aut eorum,quibus id communicat. Et quod Aristoteles dixit, melancholicos esse εὐθυονείρους, eò nihil aliud voluit, quàm eos clara habere somnia, qualia etiam solent esse matutina, non ita obscura, qualia pituitosi & biliosi habent. Neque etiam ebrietas præstare id potest, vt homo aliquid vltra vires naturales agat.Etsi enim ebrii multa confidentius agant, atque audaciores facti voculas aliquas, quas aliquando didicerant,vel Græcas,vel Latinas proferant,& sæpe magis diserti, quàm sobrij videantur : tamen plura non possunt in hac re præstare,quàm didicerunt.

Atque ita quamquam concedi possit, & ab ebriis ac melancholicis nonnulla rectius perfici, quam dum sunt sobrij, & sani : tamen id verum saltem est de iis, quæ antea didicerunt. Nam & vinum,& melancholia, vt Aristoteles, *sect.* 30. *problem.* 1.habet, πνευματώδη sunt,& ad ciendos spiritus, à quorum alacritate omnis ingenij vis pendet,plurimum possunt.

Non multum ab hac sententia differt opinio Iani Huarti, Medici Hispani, qui, *cap.*7.*ingen.scrutin.*scribit, Latinæ linguæ magnam esse cum anima rationali consonantiam,& esse quasdam naturas, quæ peculiariter linguis inueniendis accommodatæ sunt. Ideóque si per morbum illud temperamentum in cerebro excitetur, quod elegantissimæ alicui linguæ necessarium est,illico linguam Latinam hominem obuiam habiturum,& vocabula Latina,etiam citra deliberationem, ei occursura scribit.

Verū nec hæc opinio probabilis.Etenim præsupponit nondum

nondum concessa. Primò homines habere ad linguas inueniendas peculiarem dispositionem. Secundò delirantes saltem linguâ Latinâ loqui,ac linguam Latinam maximam habere cum anima rationali consonantiam. Quorum & hoc nullo fundamento nititur:& obseruatum,melancholicos non solùm Latinè,sed & Græcè,& Hebraicè locutos esse. Et quamuis, vt suprà,*cap.5.* dictum,concedamus, ex morbosa constitutione dispositionem in cerebro aliquam concitari posse, ob quam homo ingeniosior euadat,quàm sanus fuit, vt ejus rei exempla *loc.cit.* attulimus : tamen ad id quod supra hominis vires,perficiendum nec melancholia, nec alia morbosa constitutio disponere potest. Neque enim linguarum peritia ab ingenio est ; sed à memoria. Et quamuis à morbosa constitutione cerebri actiones phantasiæ & ratiocinationis exaltari possint : tamen memoria, quæ rerum cognitionem præsupponit, ita perfici non potest,vt linguas, quas nunquam cognouit,suppeditare possit.

Alij ergo, cùm harum rationum nullam vero consentaneam videant,statuunt,Dæmones,qui morbis sese immisceant, permittente DEO, horum effectuum autores esse. Morbis enim naturalibus similia multa sæpe pati eos,qui à dæmone vexantur, testatur historia,quam habet Fernelius,*2.de abd.rer. caussis cap. 16.* de juuene quodam, qui pro epileptico habitus, & in tertium mensem curatus fuit, donec tandem tertio mense dæmon, totius mali autor, se tum Latinè,tum Græcè loquendo prodidit.

Quorum opinioni & nos assentimur;modò rectè explicetur. Non enim omnia,quæ patiuntur melancholici & Maniaci, dæmonibus attribuenda. Etsi enim sæpissime sine vlla corporis morbosa dispositione, Deo permittente, hominem obsidere & occupare Dæmon possit, qui verè obsessi dicuntur & sunt: tamen quandoque morbis,& præcipuè melancholicis,sese immiscet dæmon,& forsan frequentius hoc accidit,quàm sæpe creditur. Ita in historia Euangelicâ, apud Lucam, *cap.13. v.12.* mentio fit mulieris, quæ habebat πνεῦμα ἀσθενείας, spiritum infirmitatis, annos octodecim, quæque erat contracta,nec omnino poterat caput erigere. Et præcipuè, vt dixi, humori melancholico sese immiscet dæmon; vnde etiam melancholia Balneum diaboli dicitur. Melancholici enim,& atri humoris ea natura est,vt varia phantasmata & deliria pariat, metum,mœstitiam,ferocitatem,&alia multa excitet.Dæmon ergo tali occasione abutens,& se humori melancholico immiscens,multa edit, quæ vulgus sæpe morbo asscribit; cum tamen asscribenda sint dæmoni. Alia nimirum humori vitioso,alia dæmoni asscribēda sunt. A melancholiâ est mœstitia, timor;ab atra bile ferocitas,iracundia;ab vtraque delirium, vigiliæ. Si verò in delirio multa miranda accidant, si ægri ad desperationem adigantur,sibi ipsis & aliis noceant, si ad impia stimulentur,aut ad maledicendum DEO incitentur,vt ejus rei exempla aliquot habet Platerus, *lib.1. obseru. pag. 44. & seq.* ea jam à Dæmone prouenire credendum est ; etsi aliis indiciis sese is non prodat. Si verò æger jam linguis,quas nunquam didicit, loquatur,futura prædicat,eo ipso Dæmon se manifestè prodit.

Atque ita rem se habere,patet ex eo, quòd ii, qui à dæmone hoc modo vexati fuerunt,medicamentis idoneis adhibitis curati sunt. Postquam enim subjectum aptum & dispositum amplius non est, deserit dæmon suam sedem, & aliò migrat. Ita Erasmus, *in Encomio Medicinæ*,refert, dæmonem, qui ab exorcistis curari non poterat,medicamentis exhibitis,plurimisque vermibus ejectis, curatum fuisse, vt amplius peregrinis linguis loqui non potuerit. De quo etiam Langius, *lib.2.Epistola 35.* Ita Martinus Rulandus, Pater, dæmoniacum & Maniacum curauit ; de quo videatur *Cent.3.curat.100.*

## QVÆSTIO II.

### *Qui fiat, quòd Maniaci cum tot diætæ erroribus tam diu viuant.*

Omnino admiratione & cogitatione dignum est, quî fiat, quòd,cùm Maniaci tam grauia symptomata patiantur, & cùm cerebrum, tum cor afficiatur, nihilominus tam diu, & sæpe multos annos, & quidem cum tot in diætæ erroribus, viuere possint. Hieronym. Mercurialis tres hujus rei caussas affert.Prima est, quod viscera nobiliora vitiosos humores à se quam maximè depellere soleant, ac propterea & hîc cerebri facultas humorem vitiosum ab eo maximè depellat. Secunda, quia in aliis visceribus similis humor non colligatur;cum ad humorem melancholicum expellendum natura machinata sit amplissimas venas,quæ educant sanguinem melancholicum ab hepate ( aut potius à vena portæ ) ad lienem, ac lienem ipsum maximum, & ad excipiendum hunc humorem amplissimum. Tertiam caussam hanc ponit, quòd,licet portio aliqua colligatur in cerebro, tot tamen sint motus maniacorum,vt satis esse possint ad consumendum illum humorem atrum,ne noceat cerebro.

*Quomodo Maniaci tam diu viuere possint.*

Verùm relinquamus has rationes suo loco. Quanquam enim natura expellat humorem melancholicum, vbi omnia rectè sese habent:tamen in hoc ipso morbo cumulatum esse,& eâ ipsa de caussa in maniam ægros incidere, neque etiam motibus illis maniacorum violentis discuti posse,manifestum est.

Caussa ergo potius in dispositione humoris hujus quærenda est,quæ omnino talis est,(ab est enim putredo & inflammatio) vt facultatem naturalem,ob cujus læsionem plerique morbi lethales sunt, non afficiat; imò calor ita auctus,aut fixus esse videtur,vt facultatis naturalis robur potius adjuuet, quàm debilitet. Hinc & frigus hibernum, atque alios in diæta errores enormes tolerare possunt maniaci.Ad quam rem tamen, vt supra quoque dictum, etiam facere potest assuetudo: sicut sæpe videmus pueros penè nudos faciliùs frigus hibernum tolerare,quàm viros quosdam optimè vestibus munitos. Præterea qualitates occultæ sæpe sine vitæ jactura longo tempore in corpore asseruantur:cujus exēpla suppeditāt epilepsia,philtra,& alia venena.

## CAPVT XVI.

### *De Rabie,& Hydrophobia.*

Reliqua deliriorum genera,quę partim Melancholiæ,partim Maniæ affinia sunt,hoc,& sequenti capite comprehendemus.Et quidem quæ de iis in Institut.*lib.2. part.3. f.1.cap.7.* & *sect.2.cap.4.*diximus,hic non repetemus,sed pauca quædam addemus, & præcipuè de curatione hic tractabimus.

Et primò quidem Lycanthropiam quod attinet,duę ejus sunt differentiæ:vna Dæmoniaca;altera Naturalis, quæ medicinæ considerationis est,de quâ nihil,præter ea,quæ in Institut.diximus, addemus, reliqua ex sequentibus de Rabie patebunt.

Quantum verò ad hydrophobiam & rabiem;etsi non semper hoc morbo affecti delirant : tamen quia frequenter hoc accidit,& præterea omnes præter voluntatem agunt;etiam inter deliria de ea agendum.

Appellatur hoc malum à plerisque hydrophobia, quod eo affecti aquam, imò omnia liquida, exhorrescunt. Alij sub nomine Rabiei caninæ de morsu canis rabidi,de veneno rabidi canis,& aliis hoc malum proponunt.Verùm in genere Rabiem appellare malo;cum non canes tantùm rabie corripiantur, & ab eorum morsu homo in rabiem incidat sed, vt in Institut. dictum,etiam lupi,cameli,equi,sues,boues,vulpes,feles, &,vt Cœlius Aurelianus, *libr.3.acutor.cap.9.* & Aui-

*An & alia, præter canes, animalia in rabiem agantur?*

cennas,*6.quarti,tract.4.cap.5.& 6.*habet,vrsi, leopardi,asini,muli,mustelæ,simiæ.Baccius,*in tract.de venen.* etiam gallum in rabiem actum fuisse, & ab eo hominem interemptum,vidit.

Plerique tamen à cane Rabiei hoc nomen indiderunt,quod frequentius, quàm alia animalia, canes in rabiem agantur.Imò sunt, qui existimant, solum canem primariò & principaliter, & ex principiis internis rabie corripi, reliqua animalia omnia saltem secundariò,& malo à cane rabido communicato,eâ laborare.

Verùm non impossibile videtur, etiam in aliis animalibus hoc venenum generari posse, præsertim iis, quæ cognationem habent cum canibus; quales sunt lupi,qui frequentissimè quoque rabie corripiuntur,vt ex libello Germanico;*de lupis rabidis*,Ioh.Bauhini patet.An verò in homine etiam generari possit, de eo in Institut.dictum.

*Definitio.* Est nimirum Rabies affectus præter naturam, & sæpe quidem delirium, à veneno quodam peculiari in animali genito, & homini communicato genitum, cum vehementi liquidorum omnium,& aquæ potissimum abominatione.

## *Caussæ.*

*Rabiei caussa.* Mali hujus caussa est venenum peculiari modo dispositum,quod ab animali rabido homini communicatur.Et vt veneni hujus natura non in qualitatibus primis consistit, sed à tota substantia, vt loquuntur agit: ita quoque non ex manifesta humorum corruptione, sed ex proprietate peculiari naturæ animalium infensâ prouenit, nó ex qualitatibus primis;quod ex eo patet, quòd indies multæ mutationes in qualitatibus primis accidunt,quæ tamen rabiem non excitant;& quod, vt plurimi Medici,& ipsa experientia testatur, non solùm maximo æstu, sed etiam per maxima frigora canes & lupi in rabiem agi solent;quod fieri non posset,si à caliditate & siccitate malum hoc originem haberet;cum à causa frigidissima effectus calidissimus fieri nó possit: sed ab vtroque excessu hoc accidit, quòd vterque humores corrumpere,vel corruptos mouere potest.

Cur autem canis præ reliquis animalibus in rabiem agatur, nonnulli caussam ex qualitatibus primis, alij ex temperamento melancholico, quo canis præditus sit,deducere conantur;sed frustra.Nam cùm qualitates primæ in aliis animalibus tale nihil efficiant, & nullis indiciis probari possit, canem esse animal melancholicum:omnino etiam hìc ad peculiarem proprietatem & inclinationem ad hoc malum contrahendum,quod canis præ reliquis animalibus habet,recurrendum.

*Quomodo venenum ab animalibus rabidis homini communicetur.* Communicatur autem hoc venenum ab animali quocunque radido,seu cane,seu lupo,seu homine, seu alio:& quidem frequenter per morsum & saliuam:imò & per osculationem animalis rabidi,quâ seu saliua,seu halitus animalis rabidi excipitur: nonnunquam tamen & per solum saliuæ animalis rabidi contactum, aut esum carnis rabidi animalis,vt in Institut.dictum.

Hoc saltem addimus, venenum rabidorum animalium nunc esse fortius, nunc debilius. Si venenum sit fortius,& majoris efficaciæ,etiam contactu carnis,præcipuè mollioris, & rarioris, qualis est in lingua & labiis, rabiem inferre potest. Quandoque tamen etiam per cutem densiorem hoc præstat,sicut Matth. de Gradibus;*cons.*82.quendam,Iohan. Coqueranum, ex sola manus impositione in os rabidi canis post multos dies rabie affectum fuisse refert; quod idem testatur Petrus Andr. Matthiolus. Si verò venenum sit debilius, non solo contactu,imò nec semper morsu,rabiem infert.Est enim,vt aliorum animalium venenatorum, ita & rabidorum animalium in hoc genere differentia,secundum locorum, temporis anni, ac aliarum circumstantiarum differentiam.

Scribit etiam Aretæus, *lib. 1. de sign,& causs. morb. acutorum,cap.7.* quod à rabido cane,qui in faciem,dum spiritus adducitur,tantummodò inspirauerit, & nullo modo momorderit, in rabiem homo agitur.Et Cœlius Aurelianus,*acutor.morb.lib.3.cap. 9.* scribit, quod quidam in hydrophobicam passionem deuenerint solius aspirationis ardore ex rabido cane adducto.

*Venenum rabidorum animalium diu latere posse in corpore.* Post acceptum autem,& communicatum hoc venenum,alij citius,alij tardius in rabiem aguntur;alij quidem statim,& post paucos dies,& infra septimanę spatium;alij post longius tempus. Anton.Musa Brassauolus;*lib.2.Aphor.comment.23.* scribit, repertos aliquos, qui 17.anno post morsum rabiem contraxerút.Guainerius,*in tract.de venen.cap.12.*scribit,se à fide digno accepisse,cuidam post 18.annum malum accessisse.Alzaharauius testatur, expertum se esse, rabidi canis venenum per 40.annos in corporibus delituisse.

Quæ autem caussa sit,quod nunc tardius, nunc citiùs sese exserit,in Institut.dictum. Quibus hoc saltem addimus,ob partis etiam,quæ demorsa est, varietatem nunc citiùs, nunc tardiùs in rabiem incidere demorsos posse. Si enim neruus,vena,aut arteria læsa sit,citiùs,& breuiore tempore, per has partes nobilioribus membris venenum communicari potest;quàm si pars ignobilior, & cum partibus nobilioribus consensum non habens,demorsa fuerit.Quò etiam facit ipsius veneni natura,quod nunc debilius,nunc validius est.

Quamuis verò diu in corpore possit latere hoc venenum: tamen potius morbus ab eo inductus inter morbos acutos,quàm diuturnos referendus.Illud enim tempus,quo actiones in homine adhuc saluæ sunt, & quo venenum nondum lædit,in morbum non computandum est.

Excitatur autem hoc venenum latens in corpore etiam occultis quarundam rerum actionibus; si nimirum quis sub vmbra sorbi dormiat, vel commoretur. Narratque Guainerius,*tract.de venen.cap.12.*venenum à morsu canis rabidi communicatum, quod per decem & octo annos latuerat, excitatum fuisse, cùm morsus sub vmbra sorbi maneret, ægrúmque intra tertium diem rabidum mortuum fuisse;quod & Fernelius affirmat. Et Matthiolus scribit, si commorsus à rabido animali ante annum exactum tangat vel cornus, vel sanguinariæ plantam,eum in rabiem incidere.

*An venenum hydrophobiā inducens in corpore humano generari possit.* Atque hæc quidem mali huius frequentissima generatio est,& venenum hoc ab animalibus rabidis homini communicatur. Obseruatum tamen est, venenum hoc,aut certè quod id æmulatur, &,si non rabiem, tamen hydrophobiam inducit,breuique tempore hominem jugulat,in corpore humano generari posse,præcipuè ex terrore; eiúsque rei historias quinque recenset Marcell.Donatus, *de histor.medic. mirabili lib.6.cap.1.* vnam etiam Petr. Salius Diuersus,*de affect.partic. cap. 19.*Præter quæ exempla notabilis etiam exstat historia apud Fel.Platerum,*lib.1.obseruat.* de fœmina quadam, quæ noctu extra vrbem relicta, & deserta,ac solitudine territa,domum reuersa nec aquam,nec vinum,nec juscultum,nec aliud quicquam deglutire potuit, sed hisce oblatis suffocationis periculum incurrit,imò ex contactu, & conspectu rerum liquidarum; & quod mirum, aëré nonnihil agitatú,vel aurâ leuē sentiens idé patiebatur:quæ octauo à prima inuasione die exstincta est.

## *Signa Diagnostica.*

*Signa diagnostica.* Cum verò multum referat,malú hoc statim in principio agnoscere, vt medicamentis idoneis ei obuiam iri possit,antequam ad rabiem,& summum, ac incurabilem gradum perueniat; ac verò sæpe incertum sit,an canis, vel alia bestia, quæ hominem momordit,rabida fuerit,nec ne:diligenter danda opera, vt in eius rei notitiam perueniamus;præsertim cú vulnus, quod animal rabidú inflixit à vulnere,quod canis nó rabidus intulit, nihil differat.Ad explorandú ergo,an canis,qui aliquę momordit, rabidus fuerit, nuces iuglandes contritas vulneri

vulneri imponere,& aliquot horis,vel per noctem, aut diem (prout vulnus magnum vel paruum fuerit; cum à magno vulnere facilius venenum nucibus communicetur)super vulnere relinquere,& postea gallo vel gallinæ deuorandas obiicere. Si enim canis rabidus fuerit, postero die peribit. Alij triticum vulneri imponunt: alij sanguinem ex vulnere detrahunt, & cum farina offam inde formant,ac gallinæ obiiciunt,quæ si inde moriatur,canis fuit rabidus.Rhases & Auicenna medullam panis vulneri affricare iubent, vt sanguine, vel sanie emanante inficiatur,eámque cani deuorandam obiicere, qui si illum non comedere, vel etiam non olfacere velit;vel, si comederit,inde rabidus fiat, aut moriatur; signum est,canem rabidum fuisse.

Verùm vt nullum dubium relinquatur, ipsum animal,quod aliquem momordit,considerandum. Secundum Dioscoridem verò canis rabidus potum & cibum auersatur,multam pituitam,sputúmque ex ore & naribus emittit,vel potiùs saliuam siccissimam,& rubiginosam; præter solitum toruus videt, oculos rubentes & igneos habet,in omnes,notos pariter, & ignotos, sine latratu irruit,eósque mordet,domesticos non agnoscit, non latrat,vel parùm,vox est rauca. Canes rabidi etiam sunt macilenti, caudam demissam, & sub ventrem inflexam gestant, linguam exserunt, eámque tanquam bile infectam, croceam, rubram, vel nigram; sæpe velociter currunt, mox subsistunt, sæpe in cursu in arbores, vel alia obstacula impingunt, canes alij ipsos fugiunt.

*Incipientis rabiei signa.* Signa autem incipientis rabiei sunt, anxietas & iracundia sine ratione,ventriculi vellicatio,& grauitas,& querela de aëre inclementiore,& quasi austrino,etsi serenus & mitis sit, corporis grauitas, & impotentia ad omnes actiones, vigiliæ & somnus perturbatus, timor sine caussa,paruum bibendi desiderium contra morem. Ægri secum loquuntur,& murmurant, lucem ac luminum accensionem etiam de die optant. In parte olim vulnerata & commorsa, etsi vlcus, iam diu fuerit consolidatum, dolor quidam percipitur, ac versus caput tendit;quod cum apprehenderit, quædam vertigo excitatur, vt æger rectè progredi non possit. Quæ signa propterea diligenter attendenda sunt;cum sint iam instantis rabiei signa.

*Rabiei iam factæ signa.* Vbi verò iam facta & confirmata est rabies, accidit membrorum quædam veluti distensio, pandiculationi similis,sed non continua; corporis & faciei rubor;ægri fiunt anxij,spumant,oculos toruos & aspectu horribiles habent, in proximos exspuunt;quidam more canum, si à canibus morsi fuerint,latrant,& obuios quosque dentibus impetunt, & quidem præter voluntatem. Narrat enim Gentilis, *in Comment. in Auicenn.* adolescentem quendam rabiosum matrem hortatum fuisse, ne sibi propinquaret;siquidem se continere non poterat,quin appropinquantes morsu inuaderet. Aliqui ex iis delirant, aliqui verò mente constant vsque ad extremum spiritum.

Hoc omnibus commune est, vt aquam, & liquida omnia abhorreant, & cum vident pauxillum aquæ, timeant; ac peius habeant: imò non solùm visum, sed nec sonitum & nomen aquæ, & liquidorum ferre possunt.

*Cur rabidi aquam abhorreant.* Etsi vero, vt in Institut. *lib.2.part.3.sect.2.cap.2.* dictum,alij huius rei caussas afferant: tamen maximè probabilis ratio ibi proposita,quod nimirum venenum hoc, quod omnia membra hominis ægri occupauit,peculiarem dissensum & ἀντιπάθειαν ad omnia liquida habet, & à liquidis exasperatur ac concitatur,vt ferocius in partes infirmas sæuiat. Vt enim qui à phalangij specie, quam Apuli Tarantulam vocant,icti,audito musicorum instrumentorum sono statim exsiliunt, & saltare incipiunt:ita veneni à rabidis animalibus illati hæc vis est, vt à liquidis exasperetur; vnde rabidi liquida omnia auersantur.

Pulsus in rabidis sunt parui & inordinati, grauitas membrorum augetur, aluus supprimitur, vrina guttatim redditur, vox est rauca, spiratio difficilis, ægri linguam exserunt,&, cùm malum valdè intenditur,bilem euomunt,vel flauam,vel atram; singultu corripi*u*ntur: quæ tamen non in omnibus,& non, nisi vno atque altero die ante mortem,apparent;aliqui etiam paulò ante mortem conuulsionibus, & maximo stridore dentium corripiuntur.

### *Prognostica.*

1. Cum rabies, vt alij morbi, vel ad salutem, vel ad mortem terminetur;secundum Rhasem & Auicennam salutis spes est,si sanguis copiosè è vulnere effluxit,aut postea, dum vulnus curatur, vel sponte sudor multus, vel vrina,præcipuè nigra,euacuatur. Veruntamen hisce non firmiter fidendum est, sed tutissimum, statim idoneis præsidiis malo huic occurrere. Vnde Aëtius:Qui à rabioso cane morsi sunt,si neglecti fuerint,vel malè curati, in affectionem aquæ timoris incidunt. Et Celsus: Vbi parùm citò initiò occursum est, solet aquæ pauor nasci. *Prognostica.*

2. Si vulnus ab animali rabioso inflictum non sit profundum, nec neruus, vena, vel arteria vulnerata, de salute maior spes est, modò idonea remedia adhibeantur.

3. Si malum iam eò processit,vt rabies & timor aquæ adsit,tum in angusto spes est:& Dioscorides,Paul. Ægineta,Aëtius,Celsus, Auicenna, & plerique alij Medici scribunt,nullum ferè, quem aquæ timor iam corripuit, euasisse, etiamsi idonea medicamenta adhibeantur, & alios quidem 4. dierum spatio, alios intra septimanam mortuos esse. Cùm enim membra principalia iam venenum occupauit, frustra omnia medicamenta adhibentur. Quia tamen Dioscorides ex aliorum relatione narrat,Eudemum,& Themisonem,Medicum rabie affectum, pristinæ sanitati restitutum fuisse, idémque de aliis etiam alij referunt: distinguunt hic nonnulli, & eos, qui per contagium ab homine acceptum in hunc morbum inciderunt,posse seruari;eos verò, qui à cane, lupo,vel alio animali rabido morsi fuerunt, omnes interire putant.

### *Indicationes.*

Duo ergo hîc Medico agenda.Primo cùm,si homo iam in rabiem inciderit, & hydrophobiâ correptus sit, spes sit in angusto; danda opera, vt, quamprimum homo à cane,vel alio animali rabido morsus est,aut linguâ,ore, aut alio modo sputum animalis rabidi tetigit, ne in rabiem aut hydrophobiam incidat,præseruetur.Et quamuis ab initio grauia symptomata non percipiantur: tamen quia sæpe longo post tempore, vt dictum, morsi in hoc malum incidunt; nullo modo curatio differenda. *Indicationes.*

Deinde si homo iam morbo hoc laboret, curandum, vt ab eo,quantum possibile,liberetur.

In præseruatione tres scopi Medico sunt propositi.

Primus est, vt veneno morsu immisso via in corpus progrediendi intercipiatur, idémque mox reuocetur & extrahatur.

Secundus, vt, seu morsu, seu alio modo communicatum sit venenum, prohibeatur, ne ad interiora progrediatur, & per vniuersum corpus diffundatur, ac membra principalia, ne id admittant, sed potius à se propellant,roborentur.

Tertius,vt venenum, & ab eo impressa mala διαθέσεις, seu malignitas extinguatur.

Cura

*Curatio.*

*Præseruatio & Curatio. Ligatura.* Primum expeditur, si vincula partibus affectâ parte superioribus, si partis conditio admittat, iniiciantur, & per tres vel quatuor digitos supra partem læsam arcta deligatio instituatur. De quo tamen monet Cellus, *lib. 5. cap. 27.* ne partes nimium fortiter ligentur, ne torpeant. At si partis conditio ligaturam non ferat, medicamenta adstringentia, puta sanguis dracon. bolus Armen. balaustia, & simil. cum oui albumine vicinis locis imponenda.

*Cucurbitularum applicatio, & scarificatio.* Simul statim vulneri, quod ab animali rabido inflictum est, cucurbitulæ cum scarificatione, si partis conditio id ferat, & quidem cum magna flamma, imponantur, vt venenum immissum extrahatur; qua in re tamen vulneris qualitas perpendenda. Si enim vulnus antea satis sit magnum, non opus est scarificationes adhibere, ne inflammatio excitetur, quæ postea impediat, quò minus alia remedia, quæ venenum euocant, adhiberi possint. Si autem vulnus sit exiguum, locus morsus tutò scarificari potest, & quidem si aliquod temporis spatium à morsu præterlapsum sit, sæpius adhibendæ sunt, & partibus vicinis altiora vulnera infligenda. Si verò pars talis sit, vt cucurbitulæ commodè affigi non possint, scarificatio sola adhibenda, vt sanguis effluat, qui siccâ spongiâ è vulneribus exsugendus, non verò vulnus aquâ abluendum; aut hirudines applicandæ, quæ sanguinem veneno infectum exsugant. Si quoque vulnera ab animali rabido inflicta sint angusta, amplificanda, & carnis nonnihil orbicularim auferendum, si pars ferat, vt vulnus diutiùs apertum seruetur, ac venenum effluere possit. Licet etiam animalia viua, vt columbas, gallinas, plumis priùs euulsis, podice vulneri admouere, &, si vna moriatur, statim aliam adhibere, vel pullos gallinarum, aut columbarum per medium dissectos adhuc calentes læsæ parti imponere.

*Attrahentia medicamenta.* Postea applicentur medicamenta valde attrahentia, quæ Institut. *lib. 3. part. 1. c. 9.* & *part. 3. sect. 3. c. 36.* sunt proposita; ex allio scilicet, stercore columbino, sinapi, nuce iuglande, trita cum fermento, sale & melle, quibus commodè admiscetur Theriaca. Vtile est & emplastrum vel cataplasma de angelica. Commendatur plurimùm ex Dioscoride desumptum, & sæpe cum felici successu vsurpatum, ex allio, cepis, & semine tritici masticato paratum Galenus, *lib. 11. de simplic. med. fac. cap. de cancr. vstis*, & *lib. 3. de composit. medicament. secundum gen. cap. 5.* Item, *lib. 2. de antidot. cap. 11.* commendat valde Emplastrum paratum ex pice, opoponace, & aceto.

Recipit autem *Picis* ℔.i. *aceti acerrimi* ℔.j.℥.viii. *opopanac.* Vnc.iij.

Oppopanax priùs in cyathis 4. aceti dissoluitur, acetum, quod superest, cum pice coquitur, quod vbi consumptum est, opopanax additur, & coquuntur, cauendo ne efferueant; scribitque Galenus, neminem se vidisse, qui illo vsus mortuus sit. In tenerioribus corporibus liquari potest vino, vel oleo veteri; in robustioribus per se applicatur.

Galenus, *de theriaca ad Pisonem*, etiam cum felici successu theriacam cum ol. rosar. liquatam imponi testatur.

Aetius laudat hoc: *tetr. 3 serm. c. 10.*

℞. *Spum. argent. ceruss. resin. pini*, an. ℔.i. *ol. veter*, ℔. iii. Vnc. vii. *ammoniac. thymiam. galban.* an. Vnc. iv.

Cerussæ & argenti spumam ol. coquito, donec manus non inquinent, deinde liquefacta adiicito, & vnito.

Laudatur & emplastrum diadictamnum, quod Galenus, 5. *de compos. medicam. secund. genera, cap. 4.* descripsit.

Hieronymus Capiuaccius, *lib. 7. pract. cap. 12.* sequens commendat:

℞. *Ciner. cancr. fluuiat. allij, menth. gentian. aristol. rotund.* an. Dra. ii. *baccar. lauri, boli Armen.* an. Dra. i. M. cum *succo menthæ*. F. Emplastrum, vel potiùs Cataplasma.

Expeditissima verò via est, adhibere cauteria actualia, quæ & venenum absumunt, & diuturnum vlcus, per quod virus effluat, relinquunt. Vstione peractâ danda operâ, vt crusta quàm celerrimè amoueatur, vt venenum quàm citissimè per vlcus euacuari possit. Nam crusta vlceri inhærens, facit, vt venenum retineatur, & ad corporis interiora penetret. Amouetur autem aliàs, si illinatur vitello oui, & recenti butyro. Verum cùm periculum sit in mora, si locus sit carnosus, etiam manuali opera crusta demi potest. Si autem locus vstionem non ferat, aut æger ignem actualem admittere nolit, adhibenda medicamenta caustica, & escharotica dicta, inter quæ etiam ☿ius sublimatus, & præcipitatus vtiliter vsurpatur. Vlcus seruetur diu apertum, ad minimum 40. dies, ne aliquid veneni in corpore relinquatur.

Sunt nonnulli, qui, si partis conditio id ferat, partem demorsam statim amputandam censent, exemplo illorum, qui ab aspide, aut viperis demorsi digitos amputauerunt, & salui euaserunt, vt refert Galenus, 3. *de loc. affect. cap. 7.* *Pars demorsa an statim amputanda.*

Verùm non ita necessarium hoc factu videtur: cùm venenum canis rabidi non sit tam celeris actiuitatis, ac venenum aspidis, vel viperæ; & aliis modis satis euacuari & extrahi possit.

Quidam & hoc remedium proponunt; vt seruus aliquis adhibeatur, qui ore è vulnere venenum exsugat. Verùm cum id non sine periculo sugentis fiat, id tentare, quod gentiles in mancipiis suis sibi licere putabant, in fratribus Christiana charitas non permittit, præsertim cum alia remedia, quæ idem præstare possunt, sint in promptu.

Circa auxilia autem ista externa & chirurgica, quæ venenum euocant, Dioscorides, *lib. 6. cap. 39.* & Paulus Ægineta. *lib. 5. cap. 3.* admonent, quod si à principio prætermissa fuerint, (principium autem alij tribus diebus definiunt, alij ad septimanam extendunt) postea frustra adhiberi, & ægrum doloribus cruciari; cùm iam venenum in totum corpus diffusum sit. Non tamen inutile fuerit, si, quocunque etiam tempore, fonticulus in loco affecto excitetur, vt continuâ illâ euacuatione venenum reuellatur.

Vt autem cognoscatur, an hisce remediis venenum omne extractum & dissipatum sit, nihilque periculi amplius subsit, Paul. Ægineta ex Oribasio eadem probatione vti iubet, quæ vsurpari solet ad cognoscendum, an canis, qui morsum intulit, rabidus fuerit, nec ne; nimirum nuces iuglandes tritas vlceri apponere, deinde gallo, vel gallinæ deuorandas obiicere. Si enim non moriatur, signum est, venenum planè esse extractum, vulnúsque ab eo mundatum, ideóque tutò cicatricem induci posse. Si verò moriatur, signum est, nondum omne venenum extractum esse, & propterea vulnus adhuc apertum seruandum, operámque dandam esse, vt reliquum etiam extrahatur.

Venæsectioni hîc nullus locus est, vtpote quæ venenum non euacuat, sed vires debilitat, venenúmque exagitat.

Purgationem quod attinet, vt ab initio ea instituatur, nihil est, quod eam indicet. Imò si exhibeantur purgantia, metus est, ne venenum ad interiora trahatur, & humores, ac corporis partes inquinentur. Si verò malum iam progressum sit, & venenum ad interiora penetrauerit, tum purgatio non inutilis est, eámque tantum auxilij afferre scribit Dioscorides, vt quidam, qui iam hydrophobiæ propinqui essent, sumpto helleboro sanati fuerint; ideóque non semel atque iterum, sed frequentiùs ante diem 40. eâ ita vti præcipit. Imò nonnulli referunt, si canis rabidus helleborum album cum

cum polenta ſumpſerit,ac euomuerit,à rabie liberatum fuiſſe.

Humores tamen prius præparare non inutile fuerit calefacientibus,incidentibus, abſtergentibus, atque veneno ſimul reſiſtentibus ; vt ſyr.ſcord.de cortic.citri, betonic.de pomis,de ſucc.bugloſſ.epithymo,decoctionibus paratis è ſemin.citri, radic. gentian. angelic. dictamn.alb.ſcord.vincetoxico,bugloſ. meliſſa, hippolapatho,&c.

Purgantia, quæ in Rabie caninâ conueniunt, ſint omnium conſenſu validiora, vt elleboriſmus, hiera diacolocynthid. Ruffi, Archigenis, Logadij, Pacchij. pilul. ex helleboro, ♃nio, de lapid. Lazul. cochiæ, de nitro, fœtidæ. Si ætas, temperamentum, vires, vel aër diſſuadeant talia, eligantur mitiora, ac mediocria, vt eſt ſena, epithym. polypod. hellebor. niger, myrobal. nigri, & agaric. præcipuè, qui ſimul veneno reſiſtit.

Compoſita ſunt elect. de dactyl. confect. Hamech, elect.Indum maius,ac benedicta laxatiua.

Reliquis ſcopis,nimirum vt veneni ad interna progreſſus prohibeatur, partes principes roborentur, quò facilius venenum à ſe propellere poſſint, ac maligna διάθεσις humoribus & corpori à veneno impreſſa aboleatur, iiſdem ferè medicamentis ſatisfieri poteſt, ſcilicet antidotis, & iis, quæ peculiari vi huic veneno reſiſtunt.

Simûlque pulſus omnes, temporum, manuum, pedum, & cordis regio per biduum ſingulis ſex horis, & aliis quinque diebus bis tantùm in die, & circa locum demorſum etiam eodem modo, vel, vt alij volunt, tertiâ quoque horâ illiniri debent oleis illis famoſis Magni Ducis Hetruriæ, vel ſcorpionis Matthiol. aut aliis, vt venenum à partibus nobilioribus propulſetur.

Etſi autem plurima à plurimis recenſeantur : tamen cùm non pauca ex iis fabuloſa videantur, certa ſaltem enumerabimus. Ab omnibus verò commendatur *Alyſſum*,vt Dioſcorides,*lib.3.cap.*89. habet. De eodem ſcribit Galenus, *lib.6.ſimpl.medic.fac.* Nuncupata eſt herba alyſſum, quòd mirificè iuuat commorſos à cane rabido;ſed & rabienti data ſæpe in totum ſanauit, & hoc ex totius ſubſtantiæ ſimilitudine. De eodem etiam Plinius,*lib* 24.*cap.*11.Alyſſum nomen accepit,quod à cane commorſos rabiem ſentire non patitur ex aceto potum, alligatúmque. Et Galenus, 2.*de antidot. cap.*11. modum exhibendi tradit:Alyſſum,inquit,herbam contuſam & cribratam, accipe, cuius, cùm opus fuerit, cochlear exhibe ex aquæ mulſæ cyathis tribus, à primo die vſque ad 20.ſin minus, ſaltem primis ſeptem diebus. Verùm vt authores in commendanda hac planta contra morſum canis rabidi conſentiunt : ita in eâ deſcribendâ diſcrepant,aliamque Dioſcorides,aliam Galenus, aliam Plinius deſcribere videtur. Sed quia ſuam valde commendat contra morſum canis rabidi Galenus, præſtat ei adhærere,& videtur Alyſſum Galeni ſatis clarè deſcripſiſſe & depinxiſſe Tabernæmontanus, *lib.* 2. *herbar.ſect.*5.*cap.*5. & quidem ex C. Cluſij *lib.*4. *hiſtor. rar.plant.cap.*21.

Commendantur deinde valde *cancri fluuiatiles*, cùm eorum cinis, tum decoctum, multo anetho admixto, *ſcordium, chamedrys, gentianæ radix,rutæ agreſtis ſemen, chamæmelum,centaurium minus,artemiſia,ariſtoloch.rad. ſylu.roſæ, vincetox. radic.* Drach.iß. exhibitæ, *pulegium, oxylapath.carduus benedictus. Radicem cynorrhodi* Plinius, *lib.*25. *cap.*2. vt oraculo patefactam, commendat, eámque aliis omnibus ferè remediis præfert. Laudatur & *vinum* generoſum ſtatim potum, & *allium* comeſtum.

Inter compoſita antidotus è cancris pluribus commendatur à Græcis, & Arabibus, vt ex Dioſcoride, *lib.6.cap.*37.Galeno,2. *de antid.cap.*11.item,11.*de ſim. fac.*videre eſt. Scribítque Galenus, neminem vnquam mortuum eſſe, qui cancrorum puluere rectè vſus ſit, & quidem, 11. *de ſimpl.medic.fac.* ex Æſchrione,Præceptore ſuo, ſumit cancros fluuiatiles poſt ortum Canis captos,quando Sol Leonem tranſit,Lunâ decimâ octauâ,& eos viuos in ſartagine æris rubri comburit. *Cinerum* ſumit duo cochlearia, vel Drach. ii. *pulu. gentian.* cochlear. j. ſeu Drach. i. *vini meraci* iv. cyath. quæ in modum polentæ dilutæ miſcet,& quotidie bibenda exhibet.

Deinde ex Aſclepiade recipit *ciner.cancr.* part.x.*thur.* part.j.*gentian.* p.v. & exhibet huius pulu. cochlear. bibendum xL.diebus,aut,ſi iam à morſu aliquot dies proceſſerint duo cochlearia propinat.De hoc tamen medicamento obſeruandum,cancros veros vſurpandos eſſe, qui ſunt corpore rotundo, non noſtros gammaros, aut aſtacos. Nonnulli tamen etiam noſtros vſurpant.

Commendatur à pleriſque Medicis aduerſus morſum canis rabidi Theriaca,vt efficaciſſimum remedium, cui tutò in hoc malo præcauendo fidi poſſit. Galenus, *in libr.de Theriac.ad Piſon.cap.*14 & *in libell.de Theriac. ad Pamphil.*Scribon.Largus, *lib. de comp. medic.c.*171. & 173. proponit quoddam antidotum Apuleij Celſi, &,*cap.*176. aliud,cuiuſdam Caſſij,&,*cap.* 177. antidotum Martiani, Medici, cui quia nihil deeſt, τέλεια appellata ſit,quæ felici cum ſucceſſu in hoc morbo curando exhibita ſit.

Laudatur à nonnullis & hoc Antidotum:

℞. *Mithridat. elect.pulu.rad.ariſtol.rot.* an. Vnc.ii. *terræ ſigill.*Vnc.ß. *muſcarum,quæ de Napelli fructibus victum quærunt.* num.xx. Cum *ſucci citri recent.* q.ſ.F.Miſtura,cuius doſis Dra.i.ad Dra.iß.

Inter Recentiores alexipharmacum præſentiſſimum proponit Palmarius,*in lib.de morbis contagioſ.* quod ſolum, neglectis purgantibus, & omiſsâ etiam vulneris curâ,quocunque à morſu tempore vſurpatum, certiſſimum ac tutiſſimum remedium exiſtat, & quo nullum vnquam animal vſum fuerit,quod non mali huius periculum euitauerit, cum quacunque victus ratione, illæſis tamen capitis partibus,& modò vulnus inflictum capitis partes ore ſuperiores non attigerit, aut aquâ elotum fuerit. His enim partibus vulneratis, aut parte vulnerata ſtatim à morſu frigidâ elotâ, parum ſpei ſupereſt.

Eſt autem tale:

℞. *Fol.rut.verben.ſalu.plantag.polypod.abſinth. vulg. menth.artemiſ.meliſſophyll.beton.hyperic.centaur. minor.* ſingulor.æquale pondus.

Colligantur ſingula, quo tempore magis viribus pollent : deinde papyraceis chartis incluſa ſiccentur ſeorſim in loco,ad quem neque Sol,neque pluuia pertingat, ne vel nimium exareſcant, vel ſitum contrahant.Pòſt rediganturin puluerem,de quo Drach.iß.vel Drach. ii. ſingulis diebus demorſo exhibeantur, vel cum ſaccharo,vel cum vino,vel iuſculo, vel alio modo, ieiuno ſtomacho, horis tribus ante cibum. Si tamen tempus aliquod à morſu inflicto præterierit Drach.iij. exhibeantur.

Extra verò vulnus priùs ſpongia, vel linteolis ſiccis exſiccatum vino aut hydromelite,in quo pulueris huius Drach.ß.ſoluta ſit,bis vel ter quotidie foueatur, deinde emplaſtrum,vel vnguentum, quale in aliis vulneribus, admoueatur.

Poſt alexipharmaca, & purgationem etiam exhiberi poſſunt ſudorifera, vt venenum diſſipetur. Efficaciſſimum autem eſt viſc.quèrc.lignum ſumptum,viſcus autem ipſum extrinſecus applicatum.

Sudorifera ſimul alexiteria ſunt,*dictamnus Cretic.& alb.vulgar.card.benedict.ſcord.tabac.angelica.*

Vt ℞.*Ligni viſci q.dictamni*,an.℥.ii.vel iii. *aq.chamæmel.*℔.ii.Coq.ad medietat.Doſis ℥.viii.vel x.

℞.*Dictamn.alb.*℥.ß.*lign.viſci q.*℥.ii. *ſem.& flor. cardui bened.*ana Drach.iß.F.Puluis;

Cuius ℞.à Dra.j.*vſque ad* ℥.ii.*vini albi generoſiſſimi* Vnc.iß.*aq.cardui ben.*℥.ii.vel iii.Mixta exhibe.

Præter

Præter ſudorifera conueniunt etiam diuretica antidotis mixta, vel exhibita, quæ vtraque vi polleant, inter quæ præſtant ſpica Celtica, valeriana, aſarum, ſcordium, & alia, quæ eodem tempore, quo ſudorifera, conueniunt.

Nonnulli etiam, & quidem Auicennæ autoritate, vrinas validiſſimè prouocãdas eſſe, vel ad ſanguinis mictum cenſent; cum hac ratione venenum ſimul excernatur; atque in eum finem cantharides etiam exhibent. Hinc ruſtici vulgato experimento vermes, ſeu ſcarabæos Maiales melle aſſeruatos in hunc vſum exhibent. Alij capita iis abſcindunt, & reiiciunt, poſtea in oleum oliuarum recens eos iniiciunt, & quidem in ℔.j. num. vi. atque de hoc oleo ægro ſæpius Vnc. i. vel Vnc. ii. propinant.

*Rabie imminentis curatio, & per totum annum præſeruatio.* Imminente Rabie quamprimùm validiora adhibenda remedia, vt ſinapiſmi, veſicantia ex validiſſimis ſimplicibus parata, quale eſt tale:

℞. *Cantharid. abiectis pedibus & alis* Dra. vi. *ſinap. hellebor. alb.* an. Dra ii. *ſemin. ammeos* Drach. i. *fermenti* Dra. iv. *aceti ſcillit.* q. ſ. Miſce. F. Maſſa, de qua portiones brachiis, femoribus, & tibiis apponantur, & diutius detineantur, vt cutis ſimul abſumatur; vlceraque diu aperta ſeruentur emplaſtro diachylo ſimplici.

Antidota propinentur in dupla quantitate, quàm in præſeruatione, ſingulis diebus manè theriac. vel Mithridat. Dra. ii. in vino potenti, veſperi, ante cœnam, antidot. de cancris, gentian. hellebor. albus protinus exhibendus, (qui tamen in rabie iam præſente non exhibẽdus, vt nec alia purgantia, nec ſanguinis miſſio tum concedenda) qui magis, quàm quid aliud, prodeſt, interpoſitiſque diebus repetendus. Hæcque antidota ad 40. diem tum exhiberi debent. Quidam ſuadent, vt æger in anno quater purgetur, & ſingulis 15. diebus ſumat theriacam. Nic. Florentinus, vt per integrum annum antidota vſurpentur, Aëtius, vt ſingulis annis appropinquante morſus tempore per hieram æger purgetur, & inſtante die per triduum theriacam ſumat.

Pro amuletis commendantur, dens canis rabidi humero ſuſpenſus & ſubſtratus, corium vrſæ & phocæ.

Tandem ſi æger iam hydrophobia correptus ſit, etſi, vt dictum, ſpes ſit in anguſto; tamen nec tum deſerendus, ſed medicamenta modò dicta exhibenda, verùm maiore doſi. Palmarius ægrum etiam vinciri, & ore aperto illi ſuum puluerem infundi iubet.

*Balneum & aquæ potus an in hydrophobia conueniant.* Antiqui etiam balneum & aquæ potum commendant, ſcribitque Celſus, vnicum hydrophobiâ oppreſſis remedium eſſe, non opinantem ægrum in piſcinam non ante ei præuiſam proiicere, ac ſi natandi peritiam non habeat, modò merſum bibere pati, modò attollere; ſi habet, interdum deprimere, vt inuitus etiam aqua ſatietur. Verum obſeruarunt plurimi, ad præcautionem quidem non rarò hoc profuiſſe, quanquam alios nec ad præſeruationem huic remedio fidendum eſſe, experientia docuerit; hydrophobiâ verò correptis nihil profuiſſe, ſed etiam nocuiſſe: id quod Cœlius Aurelianus, Auicennas, & Celſus docent, quod ipſa quoque ratio ſuadere videtur. Etenim cum inter venenum hoc & aquam tanta ſit antipathia, vt ægri etiam ad viſum, ſonum, imò motionem aquæ exhorreſcant, credibile omnino eſt, ex merſione in aquam, & potu eiuſdem morbum magis exaſperari.

In præſeruationis diæta vitentur pulli columbini, quia tota ſubſtantia nocent; contra à proprietate commendantur caro arietis, cancri fluuiatiles, caſtaneæ, braſſica. Veſcantur ægri nucibus iugland. caricis, amygdal. allio, cæpâ, porro, raphano, ſmirnio, aſparago, cichorio, rumice ſylu. & hortenſi, &c.

## QVÆSTIO I.

### *Quâ vi venenum animalium rabidorum agat?*

Quæ huius veneni cauſſa ſit, & in quo mali huius eſſentia conſiſtat, alij aliter ſtatuunt, & nonnulli quidem quandam putrefactionem eſſe dicunt; quod facit Fracaſtorius *lib. 1. de morb. contag. cap. 9.* Alij, vt ex Dioſcoride, Aëtio, Paulo Ægineta, & Actuario colligi poteſt, intemperiem calidam & ſiccam, in partibus præcipuè ſolidis contractam, vel, vt Pelops, Galeni Præceptor, ſtatuit, vt ex *lib. 11. de ſimpl. med. fac. c. de cancris uſtis*, videre eſt, immodicam ſiccitatem, quaſi in contrarium habitum mutatâ penitus ſolidarum partium ſubſtantiâ, veneni huius eſſentiam conſtituere ſtatuunt. Verum enim verò neque in putredine cauſſa huius mali conſtitui poteſt; cum nulla putredinis ſigna adſint, ac putredo ſine manifeſtis ſignis tam diu in corpore latere non poſſit: neque etiam intemperies calida & ſicca ad conſtituendam huius mali eſſentiam ſufficit; cum intemperies tamdiu in corpore eſſe non poſſint, ſine læſione actionum corporis, neque effectus inſignis caliditatis & ſiccitatis appareat, neque ſi in intemperie cauſſa conſiſteret, malum ferè incurabile eſſet: de quo Galenus, *1. prorrhet. com. 2. t. 19.* Idem docet communicationis modus; cum tantillum ſæpe ſit, per quod malum hoc homini communicatur, & nihilominus tam inſignem in corpore mutationem efficiat, quod qualitates primæ in tam parua mole non faciunt. Inſuper durabilitas huius veneni, tam longo tempore in tot corporis mutationibus permanens idem docet, in quibus nihilominus venenum hoc naturam ſuam retinet, imò in dies ſe multiplicat; quod etiam patet ex hiſtoria à Fernelio allegata de lupo, qui in cibum variè præparatus plurimos rabie infecit: quod fieri nõ potuiſſet, ſi eſſentia veneni huius in qualitatibus primis conſiſteret; cum ignis vi qualitates illæ variè mutentur. Tandem & curatio idem perſuadet, quæ non qualitatibus primis, ſed totâ ſubſtantiâ agentibus perficitur: de quâ re in Inſtitut. *loco allegat.* dictum.

## QVÆSTIO II.

### *An Venæ ſectio in hoc morbo conueniat?*

Cum morbus à canis, vel aliorum animalium morſu contractus ſit longè periculoſiſſimus; & Antiqui & Recentiores Medici omnis generis auxilia ad depellendum hoc malum excogitarunt, & inter ea quidem purgationis, & venæ ſectionis mentionem faciunt: de quo quid ſit ſentiendum, paucis dicendum.

Et quidem venæ ſectionem quod attinet, primò quidem nonnulli venæ ſectionem in morſu canis rabidi præcipiunt, perſuaſi, vt putant, authoritatibus Pauli Æginetæ, *lib. 2. cap. 2.* Celſi, *lib. 3. c. 27.* Rhaſis, *lib. 20. continentis, tractat. 2. cap. 2.* Deinde etiam ratione; cùm vero conſentaneum videatur, ſi in aliis vulneribus magnis venæ ſectio adhibetur, vt æger à dolore, febre, inflammatione, conuulſione, & ſimilibus accidentibus præſeruetur, etiam eodem fine in morſu canis rabidi venam aperiri poſſe. Verùm, vt antea dictum, contraria opinio vera eſt, ac venæ ſectio in morbis à cane rabido potius obeſt, quàm prodeſt; cùm ſanguinis miſſio venenum potius in venas trahat, quam extinguat, ſimúlque vires deiiciat. Atque eâ procul dubio de cauſſa Dioſcorides, Galenus, Oribaſius, Æginetа, Actuarius, aliíque Medici Præſtantiſſimi, vbi ex profeſſo de hoc morbo agunt, venæ ſectionis nullam mentionem faciunt, vel etiam planè eam reiiciunt. Et longè alia eſt vulnerum magnorum ſimplicium, quam morſus canis rabidi ratio, in quo potius à veneno, quam à vulnere periculum. Et ſi fortè aliqui ſanguinis miſſionis mentionem faciunt, potius de eâ,

quæ

quæ ex parte commorſa fit, quam quæ ex venis in brachio, loquuntur.

## QVÆSTIO III.

### *An Purgantia medicamenta in hoc malo conueniant?*

Qui purgationem in morſu rabidorum animalium inſtituendam negant, eo potiſſimum argumento nituntur, quòd veneni hujus natura non in qualitatibus primis, & manifeſtis, ſed in occultis conſiſtit, & nec qualitatum primarum alteratione, nec purgantibus, ſed alexipharmacis, ac tota ſubſtantiâ agentibus curatur; quòd purgantia calori noſtro ſunt aduerſa, ideóque vires potius frangere, quam conſeruare videntur. Alij contrà purgantia admittunt, qui quidem fatentur, purgantia non rectâ veneno huic aduerſari, illúdque expugnare, ſed hoc ſolum à peculiaribus alexipharmacis fieri: interim tamen hoc mediatè præſtare poſſe ſtatuunt, dum nimirum vitioſos humores, in quibus venenum reſidet, educunt, atque ita venenum ſimul euacuant.

Cui ſententiæ ea ipſa de cauſſa & nos ſubſcribimus; præſertim cùm venenum hoc ſit lentum, & diu in corpore hæreat.

Quo autem poſt morſum tempore purgatio inſtituenda ſit, diſpiciendum. Rhaſes, *in tractat.* 8. *ad Almanſ.* ſtatuit, ſtatim in principio purgandum eſſe medicamentis humorem melancholicum euacuantibus. Verùm alij Græci & Arabes omnes vetant in principio, id eſt, quando adhuc venenum in partibus externis reſidet, purgatione vti. Verum hic conſiderandus modus, quo venenum hoc in corpus immiſſum eſt. Si enim labris & linguâ venenum in corpus attractum ſit, ſtatim in principio purgare licet; cum aliis auxiliis venenum aliàs euocantibus locus tum non detur. Si verò morſu venenum partibus externis immiſſum ſit, in principio purgare non licet. Ideóque cum Rhaſes, *in tractat.* 8. *ad Almanſ.* ſtatuit, ſtatim in principio purgandum eſſe, id de priori caſu intelligendum eſt: de poſteriori verò, quando alij Græci & Arabes omnes vetant in principio purgantibus vti, ne venenum ex vulnere ad interiora corporis rapiatur; ſed tum tandem purgantia exhibenda ſunt, cum omnia ritè circa vulnus peracta ſunt. Et licet ritè omnibus peractis ſpes ſit, venenum exſtinctum eſſe: tamen cum facilè fieri poſſit, vt aliqua eius portio ad interiora penetrauerit, ea, quàm minima etiam fuerit, humores corrumpit, & in ſibi ſimilem materiam immutat. Ideóque corrupti illi humores euacuandi ſunt, vt venenum ſimul euacuetur, & alii humores à veneno & corruptis humoribus, non inficiantur, ſimúlque medicamenta, quæ reliquos humores à corruptione præſeruant, & contra venenum pugnant, exhibenda. Si tamen craſſi humores, adſint, vt ij facilius ductum medicamentorum ſequantur, attenuantia priùs vſurpari, & quæ primas vias euacuant, vel abſtergunt, poſſunt. Præcipuè verò adhibenda alexipharmaca, quæ vim veneni mitigant. Ad purgationem autem in hoc morbo Antiqui omnes, Dioſcorides, Oribaſius, Paul. Ægineta, Aëtius, Actuarius, helleborum album commendant, eúmque præ reliquis in hoc morbo efficaciſſimum eſſe dicunt. Antiqui etiam hieram diacolocynthidos, hieram Logadij, Pachij, lapid. Lazuli & medicamenta, quæ aliàs ad melancholicum humorem & atrum vſurpari ſolent, commendant. Qui helleborum album reformidant, helleborum nigrum vſurpare poſſunt, & inprimis agaricum, qui in morbis venenoſis commendatur, & vim alexiteriam habere prædicatur.



## CAPVT XVII.

### *De Tarantatis & Chorea S. Viti.*

AD hunc locum non incommodè refertur malum, quod ab ictu Tarãtulæ infertur; quo qui laborant, vulgò Tarantatos nominant. Etſi enim de morſu Tarantulæ etiam inter venena agendum ſit: tamen quia à veneno hoc peculiare delirij & inſaniæ genus inducitur, etiam hoc loco de eo non incommode tractatur. Huic cognatum eſt alterum, quod Choream S. Viti appellant. *Tarantulæ morſus.*

Eſt autem Tarantula, ſeu Tarentula, Phalangij, ſeu aranei genus, quod procul dubio à Tarento, antiqua Apuliæ ciuitate, nomen accepit, vbi frequens eſt hoc animalculum, & valde ſæuit. Etſi verò ejus operationes planè admirandæ ſunt, vt videre eſt apud Ariſtotelem, *lib.* 9. *hiſtor. animal. cap.* 39. & Plinium, *lib.* 11. *naturalis hiſtoriæ, c.* 24. adeò, vt Ariſtoteles genus quoddam araneæ σοφώτατον nominet; & tela ejus, vt ex Dioſcoride patet, ſanguinem ſiſtit, & vulneribus commodè adhibetur, & in tertianis diuturnis, ac quartanis pulſibus appoſita febrem tollit: tamen venenoſum & noxium etiam eſt animal, & non ſolum cum ceruo, lacertis, viperis, bufone antipathiam habet, vt ex *loco allegato* Ariſtotelis, Æliano *lib.* 1. *cap.* 8. Plinio, *lib.* 10. *c.* 74. patet, ſed & homini damnoſum. Et dubium ferè eſt, vtrum magis admiranda ſit eius in tela texenda induſtria, quam planè ad Geometriæ leges conformat, & tam tereti filo, & tàm æqualia deducit ſtamina, ac à centro & medio texere incipit, circinnato orbe ſubtegmina annectens, vt Plinius loquitur: an verò veneni illius natura. Tam enim admiranda à veneno hoc hominibus inducuntur ſymptomata, vt reperti fuerint, qui penè pro fabula habuerunt, quæ de malo hoc ſcribuntur: cum tamen omnia ſint certiſſima, & oculatos huius rei teſtes habeant plurimos, & hodie Apuliæ & Salentinis ſint notiſſima. Antiqui equidem, Nicander, Ægineta, Aëtius, Celſus, Auicennas, Rhaſes, & alij, referunt plurima, eáque ſatis magna, quæ à Tarantula commorſis accidere ſolent. ſymptomata; nimirum quod dolor in parte ictâ exoritur, tumor & pruritus, ſuperuenit corporis frigiditas, ventris ac totius corporis inflatio, virgæ in quibuſdam erectio & priapiſmus, corporis ſtupor, tremor, membrorum conuulſio & reſolutio, adeò vt iuuenes etiam robuſtiſſimi omnes vires ſtatim amittant, artuum dolor, corporis varia iactatio, vertigo, vigiliæ, ſomnus, deliria, vocis priuatio, oculorum rubor, ſudores frigidi, & ſimilia, quorum alia aliis, & quidem aliis plura, aliis pauciora accidunt. Verum id maximè admiratione dignum eſt, quòd, vt Matthiolus, *in lib.* 2. *Dioſcorid. cap.* 75. ſcribit, *icti à Tarantulis non ſolùm alij perpetuò canunt, alij rident, alij plorant, alij clamitant, ſed & , quod præcipuè mirum veneni huius vis Muſicâ mulcetur. Quandoquidem auditis lyricis inſtrumentis, per tibiarum ſonum primo ſtatim occurſu icti à tarantula à plangoribus ceſſant, & in medium tripudiare & ſaltare incipiunt, támque diu rem perſequuntur, ac ſi ſani eſſent, & nullo vnquam tenentur dolore. Quod ſi eueniat, vt tibicines tantillum quieſcant, non multo poſt tempore in terram concidunt, & ad priſtinos redeunt languores, niſi tamdiu indeficiente ſonitu ſaliant atque tripudient, donec venenum partim inſenſibiliter, per cutis meatus, partim per ſudorem exeat & diſcutiatur. Ob id igitur tibicines ſtipendio conducuntur, alternatimque mutantur, vt abſque vlla ſonitus intermiſſione tamdiu tripudient demorſi, quouſque penitus curati conquieſcant.* Refertque Epiphanius Ferdinandus, *hiſtor.* 81. ſenem 94. annorum adeò debilem, vt non, niſi ſcipione innixus, ambulare poſſet, commorſum à Tarantula, auditâ muſicâ veluti capreolum ſtatim

saltasse & tripudiasse. Vnde etiam pauperes in Apulia omnem penè suam substantiam in musicos & tibicines erogant. Cum enim sciant, mense Iunio, Iulio, Augusto, nisi tripudient, se pessimè habere, sibi de nummis prospiciunt, quibus tibicines & musicos, qui per totam illam prouinciam vagantur, & Tarantatis inseruiendo multum lucri faciunt, conducant. Et quidem tripudiant & saltant intra oppida, in publicis plateis, in agris, alij vno die, alij duobus, tribus, quatuor, quinque; alij vnâ hebdomade, alij pluribus. Neque semel icti vno anno saltem saltant, & alij quidem bis, alij semel, sed sæpe per multos annos. Refertque idem Epiphanius Ferdinandus, se nouisse mulieres, quæ vsque, ad decimum, decimum quintum, decimum septimum, trigesimum annum saltarent. Scribit etiam Petrus Pomponatius, *de fat. lib. arb. & prædest. lib. 2. cap. 7.* sibi ab incolis Apuliæ relatum esse, quòd illa saltandi libido per periodos annuos recurrat, & si quis morsus fuerit à Tarantula Calend. Iuniis, iterum sequenti anno iisdem Calendis tripudiare eum incipere, & quidem (de quo tamen dubitat Pomponatius; & proinde experientia consulenda) si Tarantula moriatur vel suo fato, vel violentiâ non amplius venenum operari; quandiu verò viuat Tarantula, tandiu singulis annis morbum redire.

Præterea à Tarantulis morsi quidam circa sepulchra versantur, & in feretris mortuorum cubant, virgines obscœnas partes ostendunt, euellunt sibi crines; alij pensiles in cunis moueri, alij terrâ obrui cupiunt; nonnulli etiam alios morsu impetunt. Magnâ quoque appetentiâ laborant, præcipuè dum saltant, variis coloribus delectantur, & si quem colorem auersantur, eum, qui veste eo colore infectâ indutus est, infectantur; aquam abhorrent, vinum bibunt, & merum etiam potum eos non inebriat, & alia admiranda patiuntur.

## *Caussa.*

Verùm qua ratione à veneno Tarantulæ tot & tanta, ac tam admiranda symptomata inducantur, obscurissimum. Qui à manifestis qualitatibus, & à veneni frigiditate talia symptomata deducere conantur, eos operam & oleum perdere tam manifestum est, vt cum iis disputandum esse non censeam. Et optarim, vt ii, qui omnium rationes è qualitatibus primis reddi posse audacter, & gloriosè promittunt, &, vt præ aliis sapere, ac nihil ignorare videantur, ad necessarium ignorantiæ illud asylum, occultas qualitates, confugere turpe putant, hic exerceant ingenium, & quantum possunt, periculum faciant, & eorum, quæ hactenus de veneni Tarantulæ, & musicæ in eo curando vi diximus, & dicemus, caussas è qualitatibus primis reddant. Nos hic, vt in omnibus aliis venenis, in occulta qualitate necessariò acquiescimus. Et quidem actiones naturales pleræque læsæ à spirituum & caloris natiui, quæ à veneno hoc fit, corruptione proueniunt: nec mirandum, quòd tot diuersa in diuersis accidunt symptomata; cùm idem etiam ab aliis venenis pro corporum diuersitate accidat. Verùm quod musicâ adeo delectantur demorsi, id inprimis in occultam, & ἄῤῥητον veneni hujus vim referendum, quæ à musica excitatur. Nam Tarantulæ ipsæ etiam ad sonum citharæ, tympani parui, tibiarum, cymbalorum, fidium, solent saltare & tripudiare. Scribitque hac de re Epiphanius Ferdinandus: Qui nobis non credit, veniat, ac videat, ac periculum faciat. Nam verissimum esse, quod scribimus, inueniet. Imò etiam alia animalia à Tarantula demorsa saltant; refertque item Epiphanius Ferdinandus, se vidisse vespam à Tarantula morsam fuisse, & cum forte fortuna ibi esset citharædus, citharámque pulsaret, & Tarantulam, & vespam tripudiare cœpisse: gallum quoque commorsum saltasse ac tripudiasse.

Ita etiam, quòd in Apulia præcipuè hæc symptomata accidunt, non in caliditatem (cùm alia loca sint calidiora) id referri potest, sed in occultam procul dubio regionis vim, seu cœlitùs, seu diuinitùs immissam.

## *Signa Diagnostica.*

Malum ex caussa, quæ præcessit, ictu scilicet tarantulæ, vt & sequentibus symptomatibus cognoscitur, vt opus non sit hîc plura recensere.

## *Prognostica.*

1. Malum hoc periculo non vacat, &, nisi medicamentis idoneis curatur, potest esse lethale.

2. Etsi verò Tarantulæ morsus periculosus est, non est tamen morbus acutus, vt ictus aspidum, viperarum, sed tardi motus est hoc venenum.

3. Rarò etiam morbus lethalis est, vt ex mille à tarantulis demorsis, si conuenientia remedia adhibeantur, vix duo moriantur.

4. Secundum locorum varietatem vt aliorum venenorum, ita etiam hujus veneni vis nunc major, nunc minor est.

5. Pro ratione etiam loci, qui pungitur, malum nunc periculosius, nunc mitius est. Qui enim in loco, cui vena, arteria, vel neruus subjectus sit, morsus fuerit, periculosius laborat, quam qui in carne solùm; cum hoc modo partibus principibus venenum faciliùs communicetur.

6. Periculosum quoque, si Tarantula jejuna jejunum mordeat.

## *Indicationes.*

Cum hoc venenum, vt alia, occultâ vi in corpus humanum agat, ipsi peculiaria & propria antidota statim opponenda. Et primò quidem si homo in loco, qui à Tarantulis infestatur, degat, idoneis antidotis se munire debet, ne, si forsan pungatur, periclitetur. Si verò quis punctus sit, danda opera, ne venenum in corpus penetret, sed statim è corpore extrahatur; deinde vt per interna medicamenta è corpore expellatur.

## *Curatio.*

Ad præseruandum (vt & ad curandum) commendatur anchusa comesta, & decoctum ejus potum, artemisia, allium, bolus Armenus, theriaca, & antiphalangium, quod postea proponetur in curatione.

Deinde si quis à phalangio morsus sit, curandum, ne venenum ad interiora penetret, sed statim ad exteriora reuocetur, & è corpore extrahatur. Apponantur igitur loco commorso cucurbitulæ, vel etiam pars scarificetur, aut ei vesicatoria, vel stercus capræ, aut panis masticatus, aut muscæ cum fermento imponantur: idque statim fiat, antequam venenum ad interiora penetret.

Vt verò venenum à partibus interiorioribus repellatur, mox alexipharmaca exhibenda: inter quæ sunt & antè in præseruatione enumerata, quæ tamen hic in majori dosi sumenda. Inprimis verò commendatur ex Dioscoride semen pastinacæ sylu. ad Drach. j. cum vino bibitum: item melissa, vel agrimonia Drach. vnius pondere cum vino hausta. Laudatur & radix aristolochiæ rotund. ad Drach. j. sumpta, vt & semen nigellæ, & succus plantaginis. Albucasis hoc Electuarium commendat:

℞. *Flor. rutæ sicc. costi, mentastri, pyrethri*, an. part. æquales, *asæ fœtidæ* partem quartam ad pondus omnium, *mellis* q. s.

Fiat Electuarium. Dosis Drach. i. Epiphanius Ferdinandus,

Ferdinandus,qui diligens fuit in obſeruandis iis, quæ circa demorſos à Tarantulis euenerunt, quinque remedia experientiâ comprobata commendat. Primum eſt aqua vitæ ſeu ſpir.vini. Cum enim omnes authores ad curandos Tarantatos vinum commendent: multò magis ſpirit.vini vtilis erit,qui feliciſſimè ab Vnc.j.ad Vnc.iii.pro ratione ætatis exhibetur.

Secundum eſt quinta eſſentia roriſmarini, quæ ipſa etiam contra ictus Tarantulæ prodeſt.

Tertium aqua vitalis ejuſdem,quæ ita paratur:

℞. *Flor. citranguli* bonam quantitat. *fol. tenerorum quercus,cardui bened.ſcabioſæ.acetoſell.ſonchi.ſaluiæ,majoranæ,flor.lauendulæ, abſinthij, roriſmarini, tuſſilaginis, roſar.rubr.ſcorzoneræ, meliſſæ, pimpinellæ,borraginis,fol. arbuti,lenticularis,rutæ,*an.M.iii.*cyperi noſtrat.radic.angelicæ,baccar.lauri,juniperi,cortic.citri, tormentillæ, zedoariæ,*an.Vnc.j.*cinamom.caryoph.*an.Vnc.ß.

Deſtillentur in Balneo.

Quartum eſt Electuarium Antiphalangium, quod omnia fere ſimplicia contra Tarantulæ morſum commendata complectitur.

℞. *Fruct.myrti,tamariſci,*an.Vnc.j.*ſem.paſtinacæ nigell.agni caſti, dauci, aniſi,cumini, origani,*an.Drach.j. *terræ ſigill.boli Arm.orient.præpar.*an.ʒ.ii.*centaur.minor. ariſtoloch.rotund* an.Drach.ß.*fol.meliſſ.trifolij bituminoſi,chamepityos,abrot.*an.P.ß.*theriac.opt. Mithridat.* ana. Drach.ii.ß.*ſucc.cœpar.allij,plantaginis,atriplicis, hederæ depurator.* an.q.ſ.

Cum melle fiat è ſuccis Syrupus, cum quo fiat Electuarium, addendo *ſpir. vini* q.ſ.Doſis ʒ.j.ß.ad ʒ. iij. cum vino.

In præſeruatione Drach.j.

*Muſicæ vis.* Verùm nullum certius remedij genus eſt,quàm Muſica. Vt enim fide digni authores, & oculati teſtes referunt, ſi à Tarantula morſus jam moribundus, & ferè omnibus ſenſibus priuatus ſit, quàmprimùm cytharæ, lyræ,fidium,tympani parui, cymbali, tibiarum ſonum audit,ſtatim quaſi reuiuiſcit,oculos aperit, aures arrigit,in pedes ſeſe attollit,primum digitos pedum & manuum ſecundum muſicam melodiam mouere incipit, hinc manibus pedibus,capite geſtare, ſaltare & tripudiare. Vnde in tota Apulia tempore æſtatis tibicines vagantur,vt Tarantatis præſtò ſint.

Quâ autem vi hoc præſtet Muſica, obſcuriſſimum eſt,vt,quod ſupra etiam dictum,habeant hic, qui omnia ad qualitates primas deducere conantur,in quo vires ingenij experiantur.Equidem quæ de Muſicæ viribus dicuntur,nemini ignota ſunt, eſſe nimirum in ea quid diuini,Muſicam eſſe animi exercitium, ſicut motus eſt exercitium corporis, à dolore animum abſtrahere, ad lætitiam inuitare. Verùm hoc in quæſtione eſt,quî fiat, quod Tarantulæ veneno infecti ita muſica delectentur,& ad ſaltandum ac tripudiandum inuitentur,& ſaltando à morbo liberentur.

Primò cur adeo Tarantati muſica delectentur,aliud, quod dicam, non habeo, niſi quod animalculum hoc ipſum eſt harmonicum, & muſica delectatur. Non enim omnia animalia muſicâ delectantur, non ſues, non boues, non alia plurima. Tarantulam verò eſſe animal harmonicum,&,vt Ariſtoteles appellat,σοφότατον,vel ex ejus tela apparet,quam plane ad Architecturæ & Geometriæ leges texit,vt id pulchrè Plinius, *lib.* 11.*cap.*24. deſcribit. Exemplum ſimile habetur in apibus,quæ & ipſæ in fauis cellulas ſuas affabre, quaſi ad Geometriæ regulas, delineatas formant. Eædem æris ſono quoque delectantur & conuocantur. Quia ergò Tarantulæ muſica delectantur,ipſaſque ad cytharæ ſonitum tripudiare vidit Epiphan. Ferdinandus; venenum quoque animalis hujus ſimilem diſpoſitionem ſanguini & ſpiritibus in corpore humano (habent enim venena vim totius corporis humores & ſpiritus mutandi) imprimit,quæ poſtea auditâ muſicâ ab imaginatione mouetur. Sed quî fiat, quod animalculum hoc muſicâ delectetur, & huic veneno vis adhuc impreſſa maneat, vt homo eo infectus auditâ muſicâ ad ſaltandum moueatur, hoc nemo facilè explicabit. Ita admiranda ſunt Iehouæ opera etiam in rebus minutiſſimis; & in abjectiſſimis animalculis tanti diuinæ ſapientiæ theſauri abſconditi latent, quos nullus hominum facilè eruet. Deinde poſtquàm à Muſica occulta quadam,& inexplicabili via ad ſaltationem excitantur, ſaltationem ſequitur veneni oppugnatio; cùm motis cum corpore ſpiritibus venenum inſenſibiliter per ſudores,& inſenſibiliter diſcutiatur, & vi naturæ,præcipuè ſi remediis adjuuetur, venenum præſens & agitatum expugnetur.

Malo huic cognatum eſt aliud, quod Chorea & ſaltus S. Viti appellatur. *Chorea S.Viti.* Hoc enim delirij & inſaniæ genere qui laborant,dies noctéſque ſaltare geſtiunt.Nonnulli equidem choream S. Viti ad ἐνθουσιασμὸν Veterum referendum cenſent. Neque negandum eſt, quandoque etiam quiddam diuini ſubeſſe, & malum hoc pœnæ loco interdum diuinitus immitti, ſicut ſedecim viris, & tribus fœminis in cœmiterio choreas ducentibus ex imprecatione ſacerdotis anno Domini 1012. id accidiſſe refertur ex Vincent.Beluacenſi,*lib.*26.*cap.*10. Verum ſæpiſſimè hoc malum à cauſis naturalibus, & humore maligno prouenit;cum ἐνθουσιασμὸς Græcorum ſine dubio à Dæmone immiſſus fuerit, & præcipuè in ſacrificiis,quibus ceſſantibus etiam ἐνθουσιασμὸς ceſſauit. Qui verò hoc modo laborant, continuò, diéſque noctéſque ſaltant. Ita refert Felix Platerus, *libr.*1. *obſeruat,*vt & *in Practic.*ſe vidiſſe fœminam Baſileæ,cui magiſtratus viros aliquot robuſtos conſtituerat,qui alternatim vno feſſo, altero ſuccedente cum ea dies noctéſque tripudiarent. Quod ferè menſis ſpatio ſpectantibus multis durauit,ſine ferè intermiſſione, etſi ſolearum pedum ejus cutis attrita eſſet, Et licet aliquando, vt cibum caperet,& ſomno correpta, ſedere cogeretur: tamen geſtu motúque corporis inquieto interim nihilominus corpus veluti ſaltans agitabat.

Ortum autem habet procul dubio hoc malum ab humore maligno Tarantulæ veneno ſimili.Sicut enim hydrophobia quidem à rabidorum animalium veneno extra communicato plerumque oritur: interdum tamen,vt ſuprà dictum,etiam in ipſo corpore tale venenum generatur, à quo hydrophobia excitatur: ita etiam non impoſſibile eſt, humorem malignum Tarantulæ veneno cognatum in ipſo corpore generari.

---

## CAPVT XVIII.

### *De Comate Vigili,& Sopore graui atque Ecſtatico.*

POſtquam ſymptomata, in quibus ſenſus Interni ſinguli ſeorſim læduntur, explicauimus; proximum eſt, vt de iis, in quibus ſenſus interni ſimul læduntur,agamus. Qualia ſunt Coma vigil, Sopor grauis & Ecſtaticus, Somnambulatio, & Lethargus.

*Comatis vigilis natura quænam.* Et primò quidem Coma vigil quod attinet, in eo ſenſus communis, Imaginatio & Ratiocinatio læditur.Nam,vt Inſtitut.*lib.*2.*part.*3.*ſect.*1. *cap.*7. dictum, qui Comate vigili detinentur, in ſomnum quidem propenſionem habent, quem etiam clauſis oculis plerumque exprimunt, dormire tamen non poſſunt, ſimúlque plerique delirant,clamant,aut ſomno correpti ſtatim, quaſi territi, aut ſpaſmo correpti, brachia vel crura inordinatè mouent, & jactitant, atque excitati toruùm vident, abſurda loquuntur, & à delirantibus non differunt. Eſt enim Coma vigil, cùm ægri clauſos habent oculos, vt dormire videantur, cùm

cum tamen vigilent, seu, cum clausis, & in somnum propensis,ac conniuentibus oculis frustra somnum capiare tentant ægri,& facilè oculos aperiunt, ac delira loquuntur,& manus ac crura, imò totum corpus inordinatè mouent ac concutiunt.

*Differentia.* Estque Coma hoc duplex,vt habet Galenus, *lib. de Comate*,vnū Phreneticū,alterum nō Phreneticū.Phreneticum est cum delirio;non phreneticum sine delirio. Phreneticum rursum duplex est, vel ignauum, cum ægri vix mouentur;vel expeditum, cum ægri valde delirant,ac promptè mouentur, &, vbi euigilant, è lecto prosiliunt, ac nonnunquam adstantes inuadunt.Qualis ille æger apud Heurnium fuit,qui,cum ad somnum se composuisset,& cum monacho,custode clinico, solus relictus fuisset,rursus expergefactus monacho, qui defatigatus vigiliis & ipse obdormiuerat, caput cultro abscidit,iterúmque ad somnum se composuit.

## *Caussæ.*

*Caussa proxima.* Caussam hujus symptomatis quod attinet,vt ea,quæ in Institut. *lib.2.loco allegat.sect.2.cap.4.*diximus, non repetamus, sed breuiter saltem contrahamus;Comatis vigilis caussam esse compositam,& quæ simul somnum & vigilias producit, extra controuersiam est. Verùm quænam sit illa caussa, controuersum. Vulgo quidem assignatur bilis cum pituita, aut sanguine mista.Verùm probabilius est, caussam hujus symptomatis esse vaporem narcoticum,simúlque mentem turbantem,sicut hoc in spiritu vini, solano maniaco,& aliis multis narcoticis videre est,quæ & somnum inducunt, & deliria excitant. Ideóque præcipuè in febribus malignis hoc symptoma accidit,&,teste Paulo Æginetа etiam à venenis idem malum introducitur: qualia proculdubio sunt illa narcotica, quorum supra, *cap.6.* ex Prosperi Alpini *lib.4.de Medicina Ægypt. cap. 2.* mentio facta est:in quibus tamen venenis nulla pituitæ & bilis mistio est,sed peculiaris malignitas,& occulta qualitas, quæ simul & delirium & in somnum inclinationem parit. Quanquam enim vis narcotica ad somnum disponat, & adsit ad somnum inclinatio, atque ideo oculis conniueant ægri: quia tamen ille vapor in caussa est, vt multæ absurdæ imagines phantasiæ objiciantur,accidit,vt ægri delirent,& dormire nō valeant.

Si quis tamen duos vapores hic statuere velit,vnum narcoticum, & somnum inducentem, alterum somnum turbantem;neccum illo morosè litigabo.

Inprimis verò maximam vigilandi necessitatem habet inflammatio phrenetica, si adsit. Etsi enim vapor ille narcoticus faciat, vt æger ad somnum propensus sit: tamen inflammatio somnum impedit. Atque hinc accidit,vt, prout hujus vel illius caussæ vis est,major, etiam somnus vel vigiliæ,ac deliria præualeant, atque æger nunc plus,nunc minus moueatur.

Nonnunquam tamen etiam (etsi ratione caussæ tum alterius generis videatur)hoc malum oriri potest à summa virium debilitate, quæ ex vehementi morbo, immanissimis doloribus, aut immodicâ euacuatione accidit;vnde homines oculos apertos seruare nequeut, & inclinationem in somnum habere videntur, non tamen dormiunt,ob dispositionis ad somnum necessariæ defectum, & in summa dormiendi necessitate caussæ somniferæ inopiam. Accidit hoc in iis, qui diuturno morbo exhausti, jam in limine mortis versantur; vt in phthisicis:quibus tamen non tantùm virium defectus, sed & continuæ euaporationes calidæ in cerebrum, propter vlcus, & vomicam pulmonum, vigilias faciunt. Et hoc comatis genus est illud, quod Galenus Phreneticum appellat.

Huc pertinet etiam sopor ille grauis, qui ἐκςατικὸς dicitur, qui quidem à naturali caussa dependet (nam qui à caussa supernaturali accidit,de eo Medici non est agere,& dictum fuit de eo, *loco modo allegato*, in Instit. oritúrque à vapore simul somnum inducente, & insomnia simul excitante. Solùm in eo videtur esse differentia, quod hic, quàm in comate vigili, somnus arctior est. Et habere narcotica quædam vim simul somnum inducendi, & multa in somnis spectra injiciendi, patet ex eo, quod Prosper Alpinus,*de Medic. Ægypt. lib.4. cap. 2.* scribit, Ægyptios affirmare, si opium, vel Asis, vel bosa, vel bernaui, vel bers accipiant,se plurima pulcherrima viridaria, atque formosissimas, lasciuientésque puellas in somnis videre, vel alia,quibus delectantur: additque, hanc opinionem sic apud Ægyptios inualuisse, vt non tantùm de plebe, sed etiam ex primatibus, Nobilibúsque Ægyptiis multi eum in finem hisce medicamentis vtantur; ibique antiquam consuetudinem esse, vt aliquis ad aliquam rem vocatus, volens ejus laborem subterfugere, neget se id posse, quia eo die atque hora herbam comedere consueuerit. Nam quum somnia nihil aliud sint,quam dormientium deliria,& certum sit, illa narcotica,vt ex *eodem loco* Prosperi Alpini patet, varia deliria in hominibus, antequam in somnum delabuntur, excitare: non mirum est,etiam dormientibus imaginationem variis modis turbare, & varia spectra objicere,quæ illi pro veris habent.

## *Signa Diagnostica.*

Qui Comate vigili laborant,ii, vt ex modò dictis apparet, oculis conniuentibus somnum captant, dormire tamen nōn possunt, aut, si dormiant, mox iterum excitantur, delirant, inepta loquuntur & agunt, corpus variè mouent & jactitant, temerè è lecto surgunt,móxque iterum decumbunt.

## *Prognostica.*

1. Coma vigil. periculosum & curatu difficile esse, *Prognostica* ideo vulgo docetur,quòd ex materia contraria, & bile cum pituita & sanguine mista ortum habeat.Verùm id falsum esse, & modò, & in Institut. *loco allegat.*monstratum. Interim periculosum esse negandum non est, sed aliâ de caussa: quia scilicet à vapore maligno & venenato ortum habet.

2. Si sermo sit impeditus, spirantibus in gutture murmur audiatur, potulenta ægri difficulter deglutiant, humor tenuis è naribus destillet, ægri supini cubent; morbum periculosum indicant.

3. Coma vigil in phrenitidem, vel lethargum mutari solet.

4. Lethale coma vigil est,quod ex virium infirmitate accidit.

5. Deliria vehementiora in Comate vigili plerumque conuulsionem præsagiunt. Non quidem, vt vulgò docetur,quòd calorem hic superiorem esse, & successu temporis totam humiditatem absumendo, ac siccitatem inducendo conuulsionem pariturum indicio sit; sed potius quia vapor ille malignus spiritus turbans etiam neruos vellicando conuulsionem inducere potest.

## *Indicationes & Curatio.*

Eodem fundamento, vt modò diximus, nixi *Indicationes & curatio.* plerique, quod scilicet ex contrariis caussis constet, contrariis etiam medicamentis curandum esse Coma vigil censent, partim scilicet iis, quæ lethargum, partim quæ phrenitidem curant. Et quidem considerare jubent, vtra caussa, bilis, an pituita, superet. Nam si pituita bilem superet, ad lethargum curam magis esse dirigendam; si verò bilis excedat, magis ad curam phrenitidis esse declinandum.

Verùm puto, tutissimum esse, ad ipsam naturam vaporis

vaporis hoc malum excitantis respicere. Et cum malum hoc rarò solùm inuadat, sed plerumque febrium malignarum comes sit, tota ferè curatio ad febrem illam dirigenda est,ac malignitas expugnanda;cum sublatâ febris caussâ,& malignitate expugnatâ, cum febre hoc etiam malum tollatur. Cùm tamen materia tum caput præcipuè petat & occupet; vt à capite amouea-tur,omnis danda opera.

Primò ergo venæ sectio instituatur,& si iam in principio morbi,cui coma vigil coniũgitur, ea instituta sit, repeti potest,& vena in pede reuulsionis gratia aperiri.

Hinc oxyrrhodinum capiti admoueatur, & provt somnus, vel delirium magis vrget,ista mistura tempe-randa,vt malo præsenti conueniat.Vltra tamẽ triduum oxyrrhodina non continuanda.Glandibus quoque,clysteribus acribus, frictionibus fiat reuulsio. Hinc materia præparanda & euacuanda conuenienter. Tandem, vt reliqua materia in capite discutiatur, & caput roboretur,inunctionibus & fomentis ex ol.chamæmel. irino,costino,pulegio,aceto maceratis,& similibus vtẽdum;de quibus in caro & Lethargo dicetur.

Soporis grauis curatio itidem ex cura lethargi & cari patebit.

Sopor verò dæmoniacus, vt à caussa supernaturali pendet,ita etiam Medicæ curationi non subiicitur.

## QVÆSTIO IV.

### *An Coma* ἄγρυπνον, *& Catochus sint iidem affectus?*

Coma ἄγρυπνον nonnulli etiam κάτοχον, vel κατοχὴν appellant, & Coma ἄγρυπνον ac Catochum pro eodem affectu habent. Reprehenditque Amat. Lusitanus, *Centur.* 2. *curat.* 15. *in Schol.* Leonhardum Fuchsium, quod *lib.*1.*de med. morb.* eodem capite, 24. nimirum, de Catocho & Catalepsi egerit; putátque, catochum & catalepsin diuersos affectus esse, eandem verò κάτοχον & Coma ἄγρυπνον. seu vigil. Verùm,vt existimo,sine ratione, & sufficiente caussa. Cum enim κατάληψις & κατοχὴ deprehensionem,& firmam detentionem significent, à Medicis vtraque vox iis tribuitur, qui diductis palpebris, & apertis oculis obrigescunt quasi, & immoti ac fixi manent. Κατοχῆς verò, siue κατόχου vox propriè Comati vigili non competit; cum in Comate vigili ægri apertos oculos non habeant, vt faciunt, qui Catoche laborant, sed perpetuò conniueant,vt Galenus,*l.de Comate,c.*3.& 4.& *Comment.*3.*in tert.Epidem.*docet.Κατόχου tamẽ vox non semper in vna significatione vsurpatur,vt infrà,*cap.*29. dicetur.

---

## CAPVT XIX.

### *De Somnambulis.*

Somnambuli. PErtinet ad hunc locum & eorum affectio, qui vulgò Noctambuli,seu νυκτιβάται (rectius forsan, cum etiam sani noctu ambulent, ὑπνοβάται, somnambuli) nominantur, qui dormientes è lecto surgunt, ambulant, & vigilantium munera exercent: quorum passim fit mentio apud Medicos. Ex professo verò de hac affectione scripserunt, Petrus Sal. Diuersus, *de affect. particularibus*, *cap.* 18. Iacob. Horstius, *in Comm. de Noctambulu.* Andr. Libauius, *part.*2. *singular. tract.*8. dictúmque etiam fuit hac de re Inst.*lib.*2.*part.*3. *sect.*1. *cap.*7. & *sect.*2. *cap.*4. Quibus vt quædam addamus,& signa ac curationem subiungamus, sunt Somnambuli propriè ij,qui dormientes noctu è lecto inscij surgunt, & dormientes ambulant, ac vigilantium, & mira quidem, opera perpetrant; quorum tamen manè è somno excitati non recordantur, motu animali vi imaginationis fortioris concitato.

Mira verò planè,& vix credibilia,ac vigilantibus inimitabilia sæpe perpetrant isti somnambuli, quorum exempla quædam collegit Schenckius, *lib.*1. *obs.*127. Mirum & ridiculum est illud,quod ex Iacobo Horstio recitatur,de quodam Nobili, qui nudus in somno surrexit,indusium manibus secum gestans,& ad fenestram perrexit, ac correpto fune è trochlea pendente in domus fastigium ascendit,& in picarum nidum incidens, pullos indusio inuolutos secum abstulit, ad lectum rediit,& actorum immemor probè dormiuit. Manè verò expergefactus, fratribus duobus in eodem cubiculo dormientibus quasi somnum id,quod reuera perpetrauerat,recitauit. Postea verò è lecto surrecturus, & indusium quærens, illud, sed pullis picarum circumdatum, inuenit, & postea etiam cum fratribus picarum nidum expugnatum deprehendit.

[¶Quòd in Somnambulis motus expeditus sit,extra controuersiam est. In sensuum autem internorum & externorum læsione maximam diuersitatem occurrere, variæ historiæ docent. Vt iam alias omittamus, Henricus ab Heer, *obseru. Medic. oppidò rarar.* 2. refert,Sacerdotem quendam,annorum 45.iam à quindecim annis in somniis mortem sibi intentari autumasse,& vt plurimùm ab amicissimis. Atque talia somnia terribilia singulis noctibus ter,quater, & sæpius recurrisse, & quidem circa primas noctis vigilias, recessisse mediâ nocte transactâ. Somnia hæc tam terribilia fuerunt, vt, licèt funibus vel linteis multiplici plexu connexis scienti & volenti vesperi vincti fuerint pedes:tamen furibundus & quasi alter Samson, vincula omnia rumperet, vel certè compedibus pedes expediret; sæpe extra lectum, imò extra cubile se corripe-ret,tanto cum horrore, vt toto corpore concuteretur, & cordis palmo teneretur. Hæc omnia, *addit* Heer, dixit,sibi apertis obseruari oculis, campanæ pulsum se audire, horásque distinctè numerare, solâ se libertate iudicij circa ea,quæ spectant obiectum somnij,priuari. *Somnambulorum Obseruationes ex Henr. ab Heer.* 1.

Idem, *eod.in loco* refert iuuenem quendam, cùm in celebri Academia Poësin profiteretur, interdum mentem in omnia versasse, vt versus meliùs elaboraret: sed quòd vigil nequiuerat, noctu præstitisse, surrexisse, pluteum aperuisse, scripsisse, sæpe altâ voce, quod scripserat, relegisse, demum cum risu & cachinno sibi ipsi applausisse, atque contubernalem, vt secum plauderet,hortatum esse, positísque sandaliis & veste,clauso pluteo, chartísque, vt vesperi fecerat, repositis, lectum repetiisse, somnúmque, dum excitaretur, protraxisse,omnium quæ noctu egisset,ignarissimum: manè pridianâ sollicitudine adhuc laborasse,quomodo hiatûs versuum repleret. Cùm verò chartas ad suum libitum impletas,idque suâ manu,videret,attonitum quasi, & sollicitum fuisse, bonine an mali genij opus esset. 2.

Idem,vt,*ibid.*addit Heer,cùm vxorem duxisset,eam tamen, vt refert coniugij conditio, quædam celârat, quoties noctu, infantem cunis ereptum vt plurimùm gestans, domum perambulabat, comitanti per omnia vxori, quæcunque rogatus patefaciebat, & ad omnia vxoris quæsita verissimè respondebat, ita vt ab ambulante & quasi dormiente, quæ à vigili nullis extorsisset illecebris aut artibus,& quæ rogare erubuisset,simplici interrogatiunculâ sincerè & sine fuco intelligeret: mirante postea sæpiùs noctambulo, quomodo, quæ secretissima habebat, in vxoris cor linguámque venissent. Qui ambulantem & loquentem viderunt, vxor, socij,& familia, oculis apertissimis fuisse asseuerârunt. Idem tamen nihil se vidisse, sanctè affirmabat. Sub annum ætatis 45. somnambulare desiit, nec vnquam sopitus lecto se mouit,nisi priùs vino se nimis repleuisset. Idem cessante somnambulatione somniis multis, sed plerunque veracibus,detentus fuit;in iis soceri,vxoris, filij primogeniti, affinium plurium secutura funera tam clarè vidit, ac si ipsorum exequiis interfuisset. Etiam nunc plerúnque, vt scribit Heer, postridiè sibi

euentura læta,triftia,rixas, damnum,lucrum, in fomnio ita præuidet, vt ferè horam venturorum prædicere poffit. ]

*Cauffæ.*

*A quo ad motum incitentur Somnambuli?* Perficitur autem ifte motus beneficio pedum & manuum, & aliorum animali motui inferuientium organorum. Imperatur à locomotiua ftimulata ab appetitu, concitato à phantafia, quæ obiectum aliquod in fomno oblatum cognofcens illud appetitui vel fugiẽdum, vel appetendum offert.Et fi enim in homine vigilante ratio & voluntas in locomotiuam imperium habeat tamen in fomnambulis voluntatis,& rectę rationis imperium non concurrit;aut certè fi concurrit,obfcurum, obtenebratum,& exiguum illud effe ex eo patet, quod fomnambuli fæpe in præcipitia, & loca periculofa adfcendunt & feruntur, in quæ vigilantes confcendere nec poffunt,nec audent, vt ipfi poftea fomno excuffo, & periculi,in quod dormientes fe coniecerunt, magnitudinem attendentes,toti cohorrefcant.

Qui autem fiat, quod non omnes homines affectum hunc patiuntur, fed quidam folùm, & illi quidem non fingulis noctibus, fed per certa interualla, & alij quidem frequentius, alij rarius, confideratione dignum eft. Cauffa verò proxima huius rei effe videtur, quod appetitus in iis eft fortior, & vehemens,ac locomotiua agilior, & fumma ad res expediendas alacritas; imaginatio verò debilior:ac cauffa adeft,quæ fenfus externos ligat, fomnúmque profundum excitat. Vnde fit, vt ratiocinatio phantafiæ fegniter operantis ope deftituta, in fomno nullas confideret circunftantias;& memoria quiefcente errores phantafiæ non corriguntur. Inde etiam euenit, vt nec pueri,nec fenes, fed adolefcentes ferè, qui appetitum habent fortem, & affectibus facilè ducuntur,hoc malo folùm laborent.

*Somnambulorum natura & conftitutio qualis.* Appetitus verò illa vehementia à fpirituum difpofitione pendet, quam quidem illi ab admiftis vaporibus accipiunt. Vt enim fanis ratione difpofitionis fpirituum actiones illæ principes variantur: ita etiam fomniantes rerum imagines in memoria afferuatas alij clarius,alij obfcurius perfpiciunt, & non folùm imaginatio, fed & appetitus hinc variatur,& quidem pluribus modis.Quidam enim planè quietè dormiunt,nonnulli in fomno loquuntur,rident,flent,pedes & manus variè mouent,in lecto fefe erigunt,fecum cubantes percutiunt; & fi hic appetitus valde intendatur, tandem accidit, vt planè è lecto furgant, & ad rem appetitam perfequendam moueantur. Neque enim hæ dormientium & fomniantium actiones differre videntur, nifi quòd hi furgunt,illi in lecto iacẽtes eadem ferè agunt.

Quæ autem vaporis illius, qui fpiritibus hanc difpofitionem imprimit,& fomniorum illorum cauffa eft, natura fit,alij aliter docent.Et plerique ex qualitatibus primis & fecundis cauffas petunt,& alij melancholicæ, alij cholericæ corporis complexioni cauffam hanc afcribunt, cerebrúmque humidum addunt, quod vapores illos ex inferioribus afcendentes condenfet. Verùm,vt mihi quidem videtur,fruftrà; cum fufficientem huius affectionis caufam non afferant. Etenim in quocunque corporis temperamento & conftitutione, feu fanguinea, feu pituitofa, feu biliofa, feu melancholica affectionem hanc accidere poffe,ipfa experientia docet. Ideóque mihi vero magis confentaneum videtur, vaporem, huius affectionis cauffam, talem penè vim obtinere, qualem illa narcotica, quæ fenfus ligant, & fimul fomnia plurima,eáque clara excitant;qualia quædam dari, & Ægyptiis in vfu effe, ex Profperi Alpini *lib.4.cap.2. de medic. Ægypt. cap. praced.* diximus, & quale quid, atque huic analogum etiam in comate vigili accidit,vt,*ibidem*,dictum: etfi in his quædam occurrat varietas. Etenim in quibufdam fenfus & motus ita ligatur,vt in lecto iacentes geftibus folùm,vel voce, ad quæ in fomnio ftimulantur,peragant:in comate vigili oculi fubinde conniuent, fomnus verò ab imaginationis vehementiâ turbatur; in fomnambulis fenfus externi folùm ligantur, appetitus verò tam fortis eft, vt etiam ad motum animalem hominem incitet. Et hoc ita fefe habere,vel ex eo patet, quod inter euidentes & externas cauffas à Medicis lactuca, femen papaueris, vinum ,& fimilia narcoticam vim habentia recenfentur.

Difputatur hoc loco, an cholerici, an melancholici ad hanc affectionem magis difpofiti fint. Nonnulli cholericos,ob illam audaciam & temeritatem,quâ fua peragunt fomnambuli, magis, quam melancholicos ad hanc affectionem difpofitos effe putant. Alij probabilius effe putant, ftatuere, melancholicam fpirituum difpofitionem ad eam aptiorem effe. Melancholicorum enim imaginatio, vt ad deliria promptior, ita fortis planè eft, & ita quidem, vt, quæ femel animo conceperunt, pertinaciffimè perfequantur, & nullis perfuafionibus à propofito dimoueri queant. Et narcotica ipfa, quæ fomnia talia turbulenta inducunt, melancholiæ magis cognata, quàm aliis humoribus videntur.

Verùm negandum non videtur, melancholicam quandam difpofitionem hîc concurrere,& plerumque eos hoc malo laborare,qui ad affectionem hypochondriacam funt difpofiti; & in fomnambulis, quod melancholicorum eft,circa vnam faltem rem imaginationem occupari, etfi in cæteris fopita quafi, & ligata fit. Quia tamen melancholici, etfi pertinaciter imagines impreffas conferuant, & circa eas fortiter occupantur, plerique tamen ad rem perfequendam tardiores, meticulofi, & cunctatores funt; contrarium vero in fomnambulis accidit,qui expediti & audaces funt:talis difpofitio fpirituum accedat, neceffe eft, quæ appetitum valde moueat, & omnino tale quid, quale eft in vino, à quo etiam melancholici fæpe, dum eo incalefcunt, in rifum & iocum foluuntur,atque audaces fiunt.

Atque ita proxima cauffa huius affectionis eft fortior appetitus, locomotiuam ad aliquid agendum ftimulans,fenfibus reliquis à vaporibus ligatis,nec phantafiam, & confequenter ratiocinationem mouentibus, *Proxima somnabulationi cauſa.* Vt enim phantafia modò eft fortior, modò debilior:ita etiam appetitus modò eft fortior, modò debilior; vt ex amore & odio apparet. Appetitus verò ille à fpirituum difpofitione pendet;quam inducunt vapores,qui fpiritibus permifcentur,qui,vt diximus, vim fenfus ligandi, & fimul fomnia multa, eáque clara, obiiciendi vim obtinent,in quibus appetitus facilè mouetur.Hinc adeo fit,vt fomnambuli non fingulis noctibus furgant, fed tum demum,cùm vapores illi ad cerebrum eleuantur.Quò faciunt tum cauffæ antecedentes, tum procatarcticæ,& euidentes.

*Cauſſæ antecedentes.* Inter cauffas antecedentes funt humores,qui vapores fuppeditant,qui eiufmodi difpofitionem fpirituum inducere valent; qualis in ebriis & delirantibus fæpe apparet. Neque eft,vt cauffam antecedentem ad vnum humorem aftringamus;cùm omnes humores tale quid contrahere poffint, quale ebriis & narcotica fumentibus accidit.

*Cauſſæ externa,euidentes, & procatarcticæ.* Hinc cauffæ externæ, euidentes, & procatarcticæ funt, quæ vel eiufmodi humores & vapores fubminiftrant,vel eos commouent; quales funt fabæ, & alia legumina,lactuca,fem. papaueris,vinum recens dulce,vel aliud generofum caput replens. Faciunt huc etiam diurnæ actiones & cogitationes, quarum imagines memoria per fomnum phantafiæ obiicit. Inprimis huc facit Luna,cuius motu vt epilepfia,ita etiam hoc malum commoueri experientia docet.Et præcipuè radij Lunares, fi dormientis capiti incidant, hoc malum excitare folent.Facilius quoque ad hoc malum difpofiti in aëre pluuiofo,& turbido eo,corripiuntur,quam in fereno:vt & poft crapulam, & cibum, vel potum copiofiùs fumptum.

*Signa*

### Signa Diagnostica.

*Signa diagnostica.* Omnibus somnambulantibus hoc commune est, quod noctu surgunt, & dormientes ambulant, & eorum, quæ egerunt; non reminiscuntur, aut, si reminiscantur, ea pro somniis habent. Reliqua, quæ agunt, & dormientes perpetrant, planè varia sunt, &, vt vigilantes alij aliis occupantur, ita etiam variæ sunt somnambulantium actiones, vt historiæ, quæ de hac re passim extant, docent. Quæ quidem nonnulli clausis oculis, alij verò apertis peragunt. Neque enim qui feras aperiunt, pullos auium è nidis extrahunt, obuiam factis de via cedunt, vel alia, ad quæ visus requiritur, peragunt, oculis clausis efficere possunt.

*Cur somnambuli ea agât, quæ vigilantes non possunt?* Quod autem tam mira peragunt, &, quæ vigilantes perficere non possunt, aggrediuntur & perficiunt, ædiũ fastigia sine scalis superant, in puteos descendunt, ex iisdem adscendunt, præcipitiis sine damno se committunt; non est, vt caussam corporis leuitati spiritibus turgentis adscribamus, sed vera caussa est, quod somno sensus ligati sunt, ac solo appetitûs ductu cum summa incogitantia, sine omni metu, actiones suas aggrediuntur. Videmus idem in ebriis & delirantibus fieri, qui eâdem temeritate ea sæpe perficiunt, atque ea pericula aggrediuntur, quæ sobrij & sani facere non possent.

### Prognostica.

*Prognostica.* 1. Noctisurgium etsi plerumque nihil damni inferat: tamen quia somnambuli tales in vitæ discrimen sæpissime adducuntur, affectúsque hîc in peius malum, vt epilepsiam, vel simile quid mutari potest; danda opera, vt æger ab eo liberetur.

2. Solet autem hic affectus sæpe ætatis decursu mutari. Vt enim infantes & pueri non facilè eo corripiuntur, sed iuuenes, & consistentis ætatis: ita etiam senes plerumque sponte deserit, humorum dispositione ad hoc malum inducendum aptâ mutatâ.

### Indicationes & Curatio.

*Indicationes & Curatio.* In Curatione ad duo attendendum. Primò quid in paroxysmo agendum sit. Deinde quomodo is præcauendus sit. Prius quod attinet, si somnambuli sunt in loco tuto, excitandi sunt, vel clamore, vel aliis modis, aut, si ex loco periculoso eripi possint, & illud faciendum. Si verò in præcipitio sint, vel alio loco periculoso, è quo vigilantes sine periculo redire non possint, nullo modo inclamandi, vel excitandi sunt. Obseruatum enim est, quosdam excitatos in vitæ discrimen peruenisse. Ita refert Bodinus, quendam dormientem noctu in profluentem iuisse, vlterius tamen non processisse: cùm verò socius metueret, ne vlterius procederet, eúmque proprio nomine inclamaret, eum tum repente corruisse, & submersum esse.

Increpandi etiam & castigandi sunt expergefacti, vt metu objurgationis; vel castigationis à surgendo postea absterreantur.

Ne verò iterum in somno surgant & ambulent, humores illi vitiosi, qui vapores illos, spiritus animales ligantes, phantasiámque turbantes, emittunt, expurgandi. Sanguis nimirum, si abundet, euacuandus, humores vitiosi, inprimis melancholici, euacuandi, & alia, quæ supra, *cap.* 8. sunt proposita, sunt agenda. Inprimis cerebrum est roborandum, vt supra, *part.* 1. dictum; & quæ postea de Incubi curatione dicentur, facile huic affectui etiam applicari poterunt.

### Diæta.

Diæta sit talis, quæ materiam, huius mali caussam, non suppeditat. Aër sit purus. Noctu radij Lunæ vitentur, & ne ii ad caput dormientis pertingant, caueatur. Cibi sint boni succi, non flatulenti, & qui somnia turbulenta pariunt, vt fabæ, lentes, & similia. Somnus non statim à cibo ineatur. Cœna sit parcior, animi affectûs sint moderati, ne imagines diurnarum actionum, vel cogitationum vehementiorum in somno recurrant, phantasiámque turbent. *Cibus. Somnus. Animi affectus.*

---

## CAPVT XX.

### De Lethargo.

Lethargus nomen ἀπὸ τῆς λήθης ἀργῦ, siue ἀπὸ τῆς λήθης καὶ ἀργίας, vel ἀργίας accepit, id est, ab obliuione & inertia, seu obliuione inerti, aut cum ignauiâ coniunctâ, quasi dicas obliuionem inertem; quoniam iis, qui hoc malo laborant, memoria ita læditur, vt nihil eorum, quæ fecerunt, viderunt, audiuerunt, recordentur; & oculis clausis, ac in somnum perpetuò propensis quasi, ignauiâ sepulti iacent. Celsus & ipse vocabulum Græcum retinuit; cùm alii Latini Veternum nominent. Plinius tamen, *lib.* 28. *cap.* 17. Veternum à Lethargo discernere, & pro sopore graui, seu caro accipere videtur. Generaliter enim nonnunquam Lethargi vox, vt & vocabulum comatis & cari, pro omni somno profundo, & difficilis expergefactionis vsurpatur. *Lethargus.*

In specie autem, & propriè Lethargus & Veternus is affectus est, in quo perpetua adest in somnum propensio, cum omnium rerum obliuione, imaginatione & ratiocinatione læsa, cum lenta febre continua. Seu Lethargus est inexpugnabilis dormiendi necessitas, somnúsque grauis, cum delirio & memoria læsa, ac lenta febre continua. Hæc enim in hoc affectu concurrunt; perpetua in somnum propensio, omnium rerum obliuio, delirium seu phantasia, & ratiocinatio læsa, ac lenta febris continua. Estque Lethargus affectus inter coma vigil & carum mediæ naturæ. Nam qui Lethargo laborant, profundius dormiunt, quam qui coma vigil patiuntur: leuius verò, quam qui caro laborant.

### Caussa & Locus affectus.

*Caussa & pars affecta.* Verùm vt natura huius affectus clarior euadat, de loco affecto, & caussa eius disquirendum; cum nec antiquiores, nec recentiores eâ de re inter se consentiant. Antiqui omnes caussam ponunt pituitam lentam & viscidam, in cerebro redundantem, & putrescentem; etsi de loco & modo, quo id fiat, non omnes idem planè sentiant.

Plerique statuunt, frequentissimè cerebrum secundum anfractus suos, nonnunquam & secundum substantiam temperiémque affici, & à pituita imbibita nunc quidem solùm irrigari, nunc etiam instar spongiæ intumescere, & à pituita putredine incensa inflammationem, vel inflammationi simile quid exhiberi. Vnde nonnulli Lethargum inter tumores cerebri ponunt, atque ipse Auicéna Lethargum apostema phlegmaticum nominat, genitum in meatibus substantiæ cerebri, hoc est, in sinuosis illis ductibus, & plicaturis, non in membranis, quæ, vt ipse censet, humorem phlegmaticum, & duritiem non recipiunt; nec in ipsa cerebri substantia, quæ tam viscidam & lentam pituitam non admittit; nec etiam in ventriculis cerebri. Nam si in ventriculis cerebri gigneretur, apoplectici fierent; cum tamen Lethargici contra, quàm apoplectici, excitati oculos aperiant, audiant, respondeant, quanquam ægrè: quod indicio est, ductus spirituum à cerebro ad organa sensuum, non planè, vt in apoplexiâ, obstructos esse. Hinc Capiuaccius, & alij Recentiores distinguunt inter Lethargum verum, & nothum: & verum ab inflammatione, alij ab apostemate frigido fieri statuũt; nothum verò absque apostemate in capite, sed per cõsensum aliarum partiũ, vt in febre quotidianâ, hemitritæo,

vel à membro aliquo: qui propterea fit continuus, sed modò intendatur, modò remittatur, secundum morbi modum. Et huiusmodi Lethargo sæpe laborare putant senes decrepitos, & quidem ob calorem debilem, quo neque excrementa, neque vapores discutiuntur. Aliis tamen Galeni & Auicennæ interpretibus hæc non placent, qui in cerebri substantia, & anfractibus, sine vllo tumore & inflammatione pituitam colligi & putrescere censent. Et licet Auicenna apostema phlegmaticum Lethargum nominet: id tamen non de tumore cerebri accipiendum esse putant Interpretes, sed de materiæ pituitosæ in cerebri anfractibus collectione, quam putredo & phlogosis quædam sequatur. Neque enim inflammationis cerebri adesse indicia, neque in Galeni scriptis occurrere putant, Lethargum tumorem, multò minus inflammationem appellari, vt ex 1.*prorrhet.comm.*1.13.*meth.med. cap.*21.3.*aphor.*30. 3.*de caus.puls. cap.*16.4.*de præsag.expuls.cap.*8. & plurimis aliis locis patet, in quibus quidem pituitam in cerebro putrescentem caussam Lethargi ponit; tumoris tamen, vel inflammationis non meminit. Quod verò, 13. *de meth.med.cap.*21. Lethargum phrenitidi contrarium malum esse dicit: id de loco affecto inprimis, & caussa, quæ in Lethargo est pituita, in phrenitide bilis, accipiendum existimant: vnde 4. *de caussis puls. cap.*14. scribit: Lethargus in cerebro fit, Phrenitis in membranis.

Porrò cum febris, quæ in Lethargo adest, lenta & obscura sit, eam à cerebri inflammatione, vel affectione inflammationi cognatà deducunt, quæ ortum habeat à materia per se frigida, calida tamen per accidens, ob putredinem.

Pituitam enim putrescentem in cerebro vapores ad cor mittere paucos, & non impensè calidos, atque hinc oriri febrem illam lentam censent; reliquum, quod non putruerit, refrigerando, & humectando soporem inducere. Et carum & Lethargum vtrumque quidèm à pituita oriri statuunt; eo tamen discrimine, quòd in caro pituita non putrescat, in Lethargo verò putredinem concipiat.

Atque ita plerique Medici caussam proximam & coniunctam Lethargi statuunt esse humorem pituitosum, frigiditate quidem & humiditate calorem cerebri naturalem obtundente, & spiritus animales torpidos reddente, sed calore etiam p. n. per putredinem contracto cerebrum nonnihil accendente, & φλόγωσιν, atque affectum inflammationi similem, & hinc febrem lentam continuam excitante.

Hinc antecedentes caussas ponunt, quæcunque pituitam in capite gignunt & cumulant; quales sunt aëris immoderata frigiditas, humiditásque, cibi viscidi & lenti; quò inprimis facit diæta & ventriculus, quæ succum pituitosum generant, siue suo, siue alimentorum assumptorum vitio. Non tamen Lethargus generabitur, nisi materia prius capiti communicetur, illúdque occupet, quod fit vel quòd hepar succi huius copiâ aggrauatum eum ad cerebrum mittit, vel quòd cerebrum ob calorem & dolorem eum attrahit, quò facit somnus multus à repletione & supinus, præsertim diurnus. Hinc etiam Lethargum familiarem esse ætati ingrauescenti, & consistenti, & iis, qui naturâ sunt pituitosi, statuunt; ita tamen, vt calor aliquis supersit, qui febrem accendere possit.

Primitiuas faciunt aërem crassum, turbidum, austrinum, moram in radiis Lunæ, cibos crassos & viscidos, vt & cœpas, quæ vnam partem habent crassam, à qua generatur pituita; alteram vaporosam, quæ caput vaporibus replet; otium, intermissa exercitia, & alia, quæ supra, *p.*1. *cap*, 10. proposuimus, & pituitam in capite cumulare diximus. Et vt Lethargus actu inducatur, præstant, quæ faciunt, vt materia transpiratione prohibitâ in capite putredinem concipiat: qualia sunt cibi multos vapores ad caput exhalantes, vini potentis vsus nimius, & similia. Atque hæc communis & vulgata de natura & generatione Lethargi est doctrina.

Inter recentiores verò Platerus aliter hac de re sentit, negátque, ex putredine pituitæ, præsertim in capite, febrem accedi, aut fieri posse, vt idem pituitosus humor putridus suâ frigiditate carum, & calore febrem accendere, atque vnum idémque & frigidum, & calidum esse queat; cum contraria in eodem subiecto consistere non possint. Ipse verò ita hac de re statuit, vt in febribus intermittentibus, ex materia in venis mesaraicis putrescente calore attenuatâ, & copiosè sursum ad caput in paroxysmi initio delatâ, sopor grauis in tertianis, & quartanis nonnullis accidit, & vt in febribus continuis cerebrum dolore præcedente diuturno, & graui incalefactum, in vigore, vel post ipsum caro subsequente, perculsum ægrum in summum sæpe discrimen adducit: ita in principiis continuarum febrium, si propter nimiam euaporationem cerebrum ita labefactetur, vt sopor grauis sequatur, Lethargum hunc esse dicit, qui cum febre continua copulatus sit, & mox cum illa inuadat, quémque ab alio caro, qui in declinatione accidit, non adeò differre censet, nisi quod statim cum febre incipit. Et omnino hac in re Platerum rectius, quàm Antiquos (nisi forsan eorum sententia commodius explicetur) sensisse existimo, atque impossibile esse credo, vt eàdem pituitâ putrescente in cerebro, & febris, & sopor excitetur. Etenim nec humor hic per se ad putredinem, præcipuè in capite, concipiendam aptus est, neque, si eam concipiat, tantam concipere potest, quæ in totum corpus calorem diffundere, & cor ita labefactare potest, vt inde febris continua excitetur; præcipuè si extra cerebrum subsistat, & extra vasa eiusdem in sinuosis anfractibus putrescere debeat.

Hoc vero magis consentaneum videtur, soporem illum grauem non esse primarium affectum, sed à vapore narcotico fieri, & esse symptoma febris talis, quas Platerus comitatas appellat, continuæ nimirum lentæ, qualis est quotidiana continua, tertiana notha, & semitertiana. Quod ipsum præter Platerum alij etiam Medici, qui pituitam scilicet præcipuam huius mali caussam statuunt, confitentur. Vnde Vidus Vidius scribit, Lethargum frequenter consequi febres pituitosas, ac mali moris, cuiusmodi sunt semitertianæ, vel tertianæ nothæ, & pestilentes. Etenim sopor ille grauis, qui Lethargus non est, in variis febribus accidere potest; cum Lethargus saltem lentam febrem coniunctam habeat: quod indicio est, eum saltem cum febre pituitosâ coniungi. Ideóque etsi vapori narcotico in excitando Lethargo primas partes tribuimus, & à pituitâ in capite putrescente febrem non deducimus, sed febrem primarium affectum esse statuimus, quem Lethargus comitatur: tamen pituitam non planè excludimus, eámque, siue in toto, siue in capite collecta sit, ad malum hoc etiam facere, concedimus. Etenim si pituita in copia in capite collecta sit, & cerebrum aliàs sit humidius, atque homo in febrem incidat, & pituita illa in cerebro calore febrili liquetur & fundatur, cerebrúmque eâ irrigetur; aut si pituita in venis calore fusa per febrem in caput pellatur: eo facilius somnus, & quidem grauior, induci potest, vapórque narcoticus cū bile pituitâ concurrens somnum grauem facit, sicut cum coma vigil. Et adsunt in hoc malo indicia, quæ pituitæ copiam non solùm in cerebro, sed & venis cumulatæ arguunt. Vrinam enim reddunt ægri instar iumentorum turbidam, cuius caussa est crudorum humorum in venis à calore facta agitatio; alui excrementa sunt liquida, oculi plerumque & facies tument, vbi à somno excitati ad se reuertuntur ægri, conqueruntur de colli doloribus, ex humoris decubitu ad spinæ vertebras. Si quis tamen Lethargum etiam dari putat, qui à febri primaria non dependeat, sed quem potius febris sequatur, cum eo etiam non pugnabo, modò commodè

ea

ea sententia explicetur. A pituitæ equidem solius putredine affectum talem, qui febrem habeat comitem, produci facilè non posse, satis probabile est;verum si è sanguine pituitoso id fieri dicatur, absurdum non videtur. Galenus, 13. *meth. c.* 12. Lethargum malum phrenitidi contrarium secundum speciem esse affirmat;at phrenitis, cum sit inflammatio membranarum cerebri, non à sola bile, sed à sanguine bilioso ortum habet. Ita vero consentaneum videtur, Lethargum non à sola pituita,sed à sanguine pituitoso, seu ab inflamatione pituitosa fieri, quæ febrem lentam etiam excitare potest. Quæ sententia, vt antea dictum, Capiuaccij fuit:quam sine caussâ sufficiente nonnulli reijciunt. Neque enim,quod Platerus vrget, sola pituita sine sanguine in cerebro putrescere,& tantum calorem concipere potest, vt febrem excitet. Et res ipsa loquitur,atque experientia testatur,inflammationem in Lethargo adesse, & sæpe tantam, vt etiam sphacelus cerebri inde producatur; cujus rei exemplum est apud Forestum,*lib.*10. *obseru.* 11.in nobili puero, cujus caput cum post mortem apertum fuisset;cerebrum & cerebellum,in parte dextra vergens ad posteriorem, omnino saniosum,putridum,corruptum, & sanguinolentum inuentum est; quod indicio fuit, sine sanguine hanc putredinem excitatam non fuisse. E quibus Antiquorum & Plateri sentētia forsan aliquo modo conciliari potest; si cum Capiuaccio dicatur, Lethargum alium verum esse, alium nothum;aut potiùs esse duos Lethargi modos: Vnum prouenire ab inflammatione cerebri pituitosâ; alterum vel à vaporibus prodeuntibus in febre pituitosa primaria,vel à pituita copiosa in cerebro collecta,ibíque à calore fusa & liquata.

## *Signa Diagnostica.*

Qui Lethargo laborant,omnium obliuiscuntur,delirant cum perpetua in somnum propensione, & excitati rursum feruntur in somnum, interrogatíque vix respondent,oculósque, quos excitati aperiunt, statim iterum claudunt:in affectu tamen grauiore non ita arctè committuntur palpebræ, vt non aliqua albi oculi pars videatur. Vbi reuersi ad se fuerunt, conqueruntur de capitis dolore grauante, & de colli doloribus, ex humorum decubitu ad spinæ vertebras,oscitant,osque hians aliquandiu ob ignauiam & obliuionem apertum seruant, matulâ porrectâ eam se in manibus habere obliuiscuntur. Febris lenta statim adest, cujus calor non acris,nec mordax est,eáque continua, habens tamen accessiones quotidie sub noctem. Pulsus magni sunt,aucti necessitate ob febrem;non tamen absolutè magni, nec respectu sanitatis; sed respectu respirationis, quæ cum sit parua, necessitatique sufficere non possit, ejus vice pulsum magnum fieri necesse est. In Lethargo enim instrumenta respirationis,nerui scilicet thoracis,magis afficiuntur, quam pulsus,arteriæ scilicet. Iidem tamen sunt intermittentes, ob fractam facultatem,rari & tardi;quia locus affectus,nempe cerebrum,viscus molle est.Respiratio rara est,& imbecilla, ob motricem facultatem languentem. Nonnihil tussiunt,ob pituitæ defluxum ad laryngem & pulmones. Alui excrementa plerumque liquida sunt, vrinam reddunt,vt jumenta,turbidam; cujus caussa est crudorum humorum in venis à calore facta agitatio, sine tamen separatione. Tument oculi & facies, vt somnolentorum; sudor multus, & præsertim in extremitatibus adest,isque ferè frigidus:lingua est alba & mollis,oculi prominentes,faciésque vniuersa est tumida & pallida: manibus & capite tremunt, ob neruorum principium affectum; supini jacent,ad pedes delabuntur, in multis singultus accidit.

*Lethargi à cognatis affectibus differentia.* Quibus signis Lethargum à cognatis affectibus discernere non ita difficile est. A caro enim differt, quod in caro non adest febris, vel,si adest, præcessit, eaque vehementior. A catalepsi differt, quod in Lethargo oculi manent clausi,in catalepsi aperti,ægérque in eo, quo correptus fuit,statu permanet, quasi obriguisset. Ab apoplexia differt, quod in hac sensus & motus,ac ratio,principésque cæteræ facultates non solùm imminuuntur & hebetantur, sed & abolentur, respiratione solùm seruatâ: & apoplexia non sensim gignitur, vt Lethargus,sed subitò hominem inuadit, & quidem sine febre. Ab vteri strangulatu differt,quod Lethargici excitati respondent; hystericæ verò mulieres non, & præter hæc sæpe conuelluntur, febrísque abest. A comate, quod coma in accessione præcipuè febrium inuadit,iisdémque declinantibus remittit, vel euanescit: somnus verò,quo Lethargici opprimuntur, æquè profundus semper est,à quo vbi violenter excitantur, statim in eum relabuntur. A Typhomaniâ, aut comate vigili differt, quod in hac propensio, quidem in somnum adest;æger tamen non dormit,sed facilè expergiscitur:id quod in Lethargo vero non accidit.

## *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Lethargus acutum genus mali est, &, nisi succurratur,celeriter jugulat, Cælius,*lib.*3.*cap.*21. omnisque Lethargus legitimus ferè lethalis; vnde malum periculosius esse, quàm peripneumoniam, etsi & ea plerumque fit lethalis, testatur Galenus, 4. *de Cauſ. pulſ.cap.* 13. ob partis affectæ præstantiam. Occupat enim Lethargus partem præstantissimam, & grauissima habet symptomata,nihilque,quod ad morbum periculosum constituendum facit,Lethargo deest.

2. Lethargici in septem diebus moriuntur; si verò hos effugiunt,sani euadunt, teste Hippocrate, 2. *de morbis.*

3. Lethargus accidens juuenibus, æstiuo tempore, regionibus calidis & siccis, deterior esse statuitur, quam qui accidit senibus,hyemali tempore, & regionibus frigidis, ex 2. *aphor.* 34. Platerus tamen senes plerumque interficere scribit; quod & ipsa experientia, & ratio persuadet.Siue enim febrem illam,ex sententia Plateri, spectes, siue inflammationem pituitosam,ex Capiuaccio:vtrobique senes, ob caloris natiui debilitatē,qui neutrū malū vincere potest,periclitātur.

4. Sanantur autem ægri,si facultas naturalis & vitalis constat, & actiones animales non valde læduntur. Si nimirum Lethargicus jam melius intelligit,facilius mouetur, memorari incipit, ad interrogata respondet,spiratio fit facilior & liberior;parotides erumpunt die critico,multa exspuit, per nares purgatur, & symptomata omnia minuuntur,spes est ægrum conualiturum.

5. Quando materia, Lethargi caussa, euacuatur per aluum,vel deriuatur ad emunctoria post aures,cum febris & symptomatum remissione,bonum.

6. Contra verò, si symptomata statim ab initio sint grauia,ac vires prosternantur,nulla salutis spes est.

7. Qui ex Lethargo seruantur, Empyici fiunt, teste Hippocrate,*in Coac.prædict.*& *in tertio de morbis.*Pituita,enim à capite ad fauces decumbens, si non exspuatur,confluit ad pulmones,à quibus compressis in cauum thoracis spatium ejicitur, ibique putrescens suppuratur, vt à plerisque hoc Prognosticum explicatur. Monet tamen,non sine caussa,Mercurialis,alienum esse à ratione, hoc Prognosticum de Empyicis in specie dictis interpretari velle;cum non sit possibile, vt materia,quæ in cerebro lethargum facit, in pectus transmittatur, ac ibi in pus vertatur. Ipse verò per suppuratos hoc loco eos intelligit, quibus materia putrefacta per aures,vel nares euacuatur. Et verum est,Hippocratem ἐμπυήματα sæpe nominare consueuisse non eas tantùm,quæ fiunt circum thoracem, sed etiam in aliâ quáuis corporis parte in pus mutationes, vt Galenus, 5.*aphor.*8 & 7.*aphor.*44.docet.

8. Si

8. Si Lethargici vrinas claras & tenues reddant, malum.

9. Si Lethargicus multa & liquida egerat per aluum, valde exigua vitæ ſpes eſt, teſte Hippocrate, 3.*de morb.* Nam indicium eſt proſtratæ, & ferè extinctæ virtutis retentricis.

10. Quando ſymptomata, quæ Lethargo conjunguntur, inualeſcunt, & ſudor frigidus, præſertim in capite, augetur, lethale eſt, virtute jam magis & magis debilitatâ, teſte Auicenna.

11. Tremor in Lethargo malum ſtatuitur, vel quia materia flatulenta reſoluta cerebri neruos concutit, vel quia tanta materiæ copia ſignificatur, vt & dorſalis medulla ab ea occupetur. Si tamen materia è cerebro expellatur ad neruos, & inde æger melius habeat, bonum; habetque ſe res, vt in paralyſi poſt apoplexiam.

12. Fit nonnunquam, vt Lethargus in ſphacelum parte aliquâ cerebri deſinat, quando ſanguis pituitoſus putreſcens abſceſſum gignit. Adeſt tum dolor capitis vehemens, febris intenditur, tremores vniuerſi corporis accidunt, & alterius lateris paralyſis, ſi totum cerebrum non ſit occupatum. Cujus rei exempla ſunt apud Amat. Luſitanum, Dodonæum, Foreſtum.

13. Lethargum phrenitis ſanat, concoctâ morbi materiâ; & contra non vtiliter phrenitis in Lethargum vertitur cerebri naturali calore extincto. Galenus, 6.*Epid.comm.*6.*aphor.vltim.*

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Ex iis, quæ de natura & cauſis Lethargi dicta ſunt, patet, curam partim ad febrem, ſiue ea ſit continua quotidiana, ſiue ſemitertiana, ſiue tertiana notha, & malignitatem, ſi quæ adſit, partim ad caput dirigendam eſſe. Qua ratione febres illæ ſint curandæ, ſuo loco dictum.

Habitâ igitur febris, & totius ratione, eóque, quantum opus, euacuato, materia ad caput affluens & reuellatur, & repellatur, æger à ſomno excitetur, materia, quę ad caput affluxit, euacuetur, & diſcutiatur, capútque tandem roboretur.

### *Curatio.*

*Curatio.* Primò ergo danda opera, ne materia in toto corpore redundans ad caput feratur, verùm potius ad partes cæteras reuellatur, &, quod commodiſſimum eſt, è corpore euacuetur. Et in reuulſoriis auxiliis diutius, & ferę ſemper perſiſtendum.

*Vena ſectio.* Ergo clyſtere præmiſſo ſanguis euacuetur è venâ cephalicâ, niſi id vires prohibeant. Et quidem maturè inſtituatur venæ ſectio; cùm morbus ſit acutus: præcipuè ſi malignitas adſit, venæ ſectio non diu differatur.

Vbi pituitoſus humor, quod plerumque fieri ſolet, ſimul abundat, & frigidiore tempore morbus inuadit, parcius ſanguis ad ℥.iiii. vel iii. euacuandus. Nonnulli quidem planè diſſuadent venæ ſectionem; ſed cum febris conjuncta ſit, & procul dubio humor vitioſus per venas diffuſus ad caput affluat; non ſolùm à capite reuellitur venæ ſectione ſanguis, ſed & natura parte oneris leuata reliquum facilius concoquet. Poſt cephalicam nonnulli venam frontis aperiunt. Poteſt & hìc vena in pedibus aperiri.

*Cucurbitularum cum & ſine ſcarificatione applicatio.* Si verò venam ſecare non liceat, cucurbitulæ ſcarificatæ vtiles ſunt, quæ dorſo & humeris primùm, hinç verſus occiput admoueantur. Vtiles tamen etiam ſunt cucurbitulæ non ſcarificatæ, quæ tactu ſuo non ſolùm materiam à capite reuellunt, ſed & facultatem animalem ſopitam excitant.

*Hirudinum admotio.* Si vniuerſi corporis euacuatio præceſſerit, cucurbitulæ inter primam & ſecundam vertebram ceruicis applicari poſſunt.

*Ligatura & frictiones.* Cum commodo etiam hirudines hæmorrhoidibus affiguntur; quod remedij genus ab imminente Lethargo præſeruare, & jam Lethargo correptos ab eo liberaſſe, obſeruatum eſt; præſertim ſi malum ab hæmorrhoidũ ſuppreſſione ortũ habeat.

Eadem fine inſtituantur ligaturæ fortes, frictiones pedum cum ſale & aceto, manibus inunctis ol.rutaceo, & de caſtoreo.

*Suppoſitorum & enematum vſus.* Repetantur quoque glandes & clyſteres:

℞. *Parietar.mercurial.ſaluiæ, majoran.betonic.centaur. minor.*an.M.j. *agaric.in petiâ ligat.*Drach iij.

Coquantur in hydromel.ſ.q. Colaturæ ℞ ℔.j. *elect. hier.ſimpl.Ind.* an.Vnc.ß.*ol.lilior.albor.rutac.* an. Vnc.j. *mell.roſar.*vel *anthoſ.*℥. vi.*ſal.*Drach.i F.Clyſter.

*Purgatio.* Poſt venæ ſectionem ſæpe ſtatim ad medicamenta purgantia tranſeundum; & præcipuè ſi humor ad caput ruens turgentis naturam præ ſe ferat, atque graue periculum immineat, ſi coctio, & præparatio humorum expectetur.

Ideóque attenuatis craſſis humoribus, quantum temporis anguſtia concedit, purgantia exhibeantur. Cathartica autem medicamenta in principio mitiora ſint, ob febrem continuam coniunctam. Commodum eſt hìc infuſ.agar. cum hydromelite, cui aliquid rhabarbari addi poteſt; cùm bilis plerumque humorum ad ad caput vehiculum ſit, aut pilul.de hierâ cum agarico.

De purgantibus autem hoc monendum, quandoque ſolis pituitam purgantibus vtendum eſſe, quandoque bilem purgantia admiſcenda, prout pituita, vel bilis admiſcetur. Si Lethargus eſt in principio, cùm materia adhuc ad caput confluat, & ejus vehiculum ſit humor bilioſus, non ſolùm pituitam purgantibus tunc vtendum eſt, verùm etiam de bilem purgantibus aliquid admiſcendum, rhabarb. ſcilicet, & ſcamonium. In morbi progreſſu verò, & cùm materia jam ad caput fluxit, & in eo hæret, ſolis pituitam purgantibus vtendum; niſi forſan febris etiam notha ſit, & ex miſto humore ortum habeat.

Si tamen febris ſit remiſſior, & materia in capite valde vrgeat, etiam fortiora exhibeantur. Poſſunt & clyſteres acriores ſæpius repeti.

*Vomitus prouocatio.* Non incommodum fuerit & vomitoriis vti, ſi materia in ventriculo contineatur.

*Repellentium vſus.* Interim dum hæc peraguntur, & quidem mox poſt venæ ſectionem, repellentia medicamenta capiti ad ſuturam coronalem applicentur, quæ ſupra, *part.*1.*c.*5. & *ſeqq.* propoſita ſunt.

Mitiora tamen illa vſurpentur, vbi frigidus humor & pituitoſus admiſtus eſt.

Neque à reuellentibus interea deſiſtendum, ſed clyſteres acres, ligaturæ & frictiones continuandæ. Poſt ſecundum, vel tertium diem repellentibus diſcutientium aliquid addendum, vt ol.chamæmel. roſac.flor. ſtœchad.Arabic.origani, pulegij, calaminthæ, caſtorei.

Vel ℞. *Ol.roſac.*Vnc.iiij.*aceti fl.tunic.*Vnc.ß.*caſtorei* Drach.ij.M.

Alij cinerem capillorum humanorum admiſcent, quem Lethargi antipharmacum vocant.

Vel applicetur hoc Epithema:

℞. *Fol.majoran.fl.lauendul.*an.p.iij. *roſarum rubr.*M. j. *rad. angelic. tormentill.* an.Drach. j.ß. *oſtrutij, zedoar. aceti vini opt.*Vnc.ij.*aq.*q.ſ.

Coq.ad tertias. Colentur. In colatura ſtuppa madefiat, capitíque imponatur.

*Somni inhibitio.* Danda quoque opera, vt æger è ſomno excitetur. Excitatur autem iiſdem ligaturis & frictionibus, quæ ad reuellendum adhibentur; cum dolorificæ ſint, vt & pilorum vellicatione, vociferatione & ſtrepitu, ac aliis, quibus fieri poteſt, modis. Inprimis verò tactus objecta vehementia & dolorifica hic plurimum poſſunt. Ideóque frequenter cucurbitulæ magnæ ſine ſcarificatione variis corporis partibus applicandæ, plantæ pedum fricandæ, & alia objecta, & quæ ægrum ad vigilandum excitare poſſunt, ipſi obiicienda.

Exemplum

Exemplum elegans Lethargici excitati ex Horatio, supra, *c.*2. recensuimus. Facit ad eam rem etiam inunctio palati cum oxymelite s. & scillit. sinapi, pyrethr. Mithridatio,& similibus.

*Suffitus an conueniant?*

Suffitus, quibus nonnulli ad excitandum vtuntur, satis commodi hîc non sunt; cum cerebrum valde repleant. Rectius ex pulegio,ruta,serpillo,hyssopo, origano,in aceto coctis,additâ particulâ castorei,vapores calidi naribus ægri excipiuntur;de quibus suprà,*cap.*2. dictum.

Vel ℞. *Sem.nigell.* Drach.j. *rad. angelic, Zedoar.*an. Srcup.ij.*castor.*Scrup.j.*baccar.lauri* ℈.ß.*camphor.*gr.vii.

Contund. & Misc.F. Nodulus ex sind.rubr.

Potest & sequens Balsamum naribus inungi:

℞. *Bals.angelic.majoran.rutæ,*an.ʒ.j.*extr.theriac.* ℈.j.*ol.lauendul.destillati,galban.*an.gutt.v.M.

Vel acetum destillatum acre infundatur laminæ ferreæ candenti,& fumus naribus accipiatur.

*Materiæ morbificæ præparatio.*

Si morbus det inducias,materîa præparetur medicamentis ex betonicâ, saluiâ,capill.♀ris, majoran.roremar.fæniculo, pulegio. Medicamentisque hic semper particula castorei admiscenda,vtpote cujus vsus in Lethargi curatione ferè omnibus aliis medicamentis pręfertur, & quo vnico, vt Trallianus,*lib.*1.*cap.*14. docet, plurimi veterno correpti pristinæ sanitati restituti sunt.

Exempli gratiâ,

℞. *Rad.fœnic.*Vnc.i.*pœon.*Vnc.ß.*beton.rorismar.* an, M.i.*saluiæ* M.sem.Coq.in aq.s.

Colat.℞.Vnc.ix.*oxymel.s.*Vnc.ij.*mell.rosat.col.* Vnc. i.M.pro 3. dosibus.

Vel ℞. *Oxymel.s.*Vnc.ij.*castor.*Drach.ß.Misce.

Est & efficax hîc oxymel.scillitic. quo æger singulis diebus cum syrup. de betonic. & simil. vtatur. Si febris sit valida,à syrup. de stœchad. abstinendum. Vtilis est & spir.🜍,ac ⊖is, cum aquis & syrupis cephalicis exhibitus; cum humores crassos attenuet, & incidat, & euaporationem ad caput prohibeat.

Vel ℞. *Lign.sassafras,rad. pœon.* an.Vnc.j.*acori veri* Vnc. ß.*saluiæ,beton. majoran.satureiæ*, an.M.i.*flor.stœchad.Arab.rorismar.*an.M.ß.*sem.sesel* Drach.ij.

Coqu.in hydromel.℔.ij.in vase clauso.

Colaturæ clarificatæ adde *oxymel. scillit. mell. rosati colat.*an. Vnc.i ß. & aromatisetur *nuc. mosch.* Drach. ß. pro tribus vel 4.dosibus.

*ituitæ purgatio.*

Postea purgantia fortiora vsurpentur. Vtendum ergo ad pituitam purgandam agarico, semine carthami, mechoacannâ,turbith,electuar. Indo major.Episcopi, diaphænico, benedictâ laxatiuâ, trochiscis alhandal. Alexander Trallianus scammon. Scrup.j. cum castor. Scrup.ij. in oxymelit. exhibet, quo deploratos multos se restituisse testatur. Verùm etsi,vt Oribasius ex Ruffo Ephesio refert, nullum aliud sit Lethargo correptis æquè vtile ac efficax medicamentum ad purgandam pituitam, quam bilis admista in caput detulit, quàm scammoneum cum castoreo exhibitum: tamen cautè hîc in dosi agendum,præsertim in febre continua,quę hoc malum comitatur. Neque tamen & in purgando cunctabundus nimis, aut timidus sit Medicus; cum materia ad caput ruens valde vrgeat, & consultius sit, eam euacuare, dum in motu est, quàm dum in capite firmata est, & sedem ibi fixit. Et omnino periculum in hoc morbo aliquid periclitari permittit, &,vt Serenus habet: *Medici hæc potiora putant,quam dulci morte perire.* Et si accidat,vt Lethargus per crisin eueniat,humoribus,qui morbum produxerunt ad caput ruentibus, & febris,quæ adfuit,jam facta sit remissior,tum totius, & febris non magnam habere rationem oportet, sed necessarium est caput respicere, & materiam, quæ ad id fluxit,& in eo hæret,præparare & euacuare,sicut supra, *part.*1.*cap.*10.dictum.

℞. *Turbith.elect.*℈.iiii. *agaric.alb.*ʒ.ii. *zingib.* ℈.ii. *sem.fœnicul.*℈.i.*fol.beton.salu.*an.P.ii.*castor.*gr.vi.

Infundantur in s.q.*hydromel.*

Colat. ℞. Vnc. iii. *mell. rosat. solutiu.* Vnc. sem. Misce.

Si vires ferant,adde *electuar.Ind.*Drach i.

Vel ℞.*Pilul.de agaric.cochiar.*an.Drach.ß.*castor.*gr. iii. *extract. panchymagog.* vel *mechoacan.* gr. vi.

F. Pilulæ xx.

Clysteres acriores repetendos esse, antea etiam diximus.

Vt ℞. *Hyssop.calaminth.origan.flor.stœchad.Arabic. hyssop.centaur.minor.*an.M.i. *pulp.colocynth. in petia ligatæ* Drach.i. ß. *agar.in petiâ ligati* Drach. ii. *sem. cartham.*Vnc.i.*fœniculi,cumini,*an.Drach.ii.

Colaturæ ℞. ℔.i. adde *hier. simpl.elect.Indi,*an.ʒ.ß. *olei rutac.*Vnc.ii.F.Clyster.

*Suppositoriorum applicatio.*

Quod si clysteres vel non retineantur, vel nimis retineantur, atque ita parum prosint, glandes acriores immittendæ, & toties repetendæ, donec aluus egeratur.

Vt ℞. *Sp.hier.picræ Galen.* Drach.ii. *pulu.colocynth. agar.alb.* an.Drach.ß.*diagryd.*Scrup.i.*sal.gemm.*Drach. ii. *mellis* q.s.

Coquatur mel ad iust. m consistentiam, & species inspergantur,ac fiant Glandes.

*Materiæ morbificæ per vrinam euacuatio.*

Neque omittenda,vbi vniuersales corporis euacuationes præcesserint, humorum per vrinas euacuatio, ex decocto rad.petrosel. fœnicul. asparag.gramin.asari, quæ vnâ operâ & humores crassos attenuare, & ad vias vrinæ deducere possunt.

Atque hoc modo Antiqui tam præparantia, quàm purgantia satis fortia & calida vsurpabant, vt febris cum Lethargo conjunctæ nullam ferè rationem habuisse videantur: idque ex eo fundamento, quod putârunt,febrem esse saltem symptomaticam,& sequi putredinem pituitæ in cerebro, quâ sublatâ febris cesset. Verùm cum,vt antea dictum, si rem diligenter perpendamus,febris non solùm sit symptomatica,sed ex materia febrili vapores narcotici in caput ascendant, & calor pituitam in capite fundat, vel ex vniuerso corpore pituita in caput ruat: febris planè non negligenda est, & prout est intensior,vel remissior, medicamenta moderanda, ac calida illa medicamenta, quæ aliàs caro competunt,in Lethargo ob febrem ita temperanda, ne periculum,quod aliàs à Lethargo imminet,auctâ febre per calidiora medicamenta duplicetur.Et potest caliditas medicamentorum temperari oxymelite, quod aliàs commodissimè admiscetur. Et si omnino ob reuulsionem materiæ purgantia, eáque fortiora, requirantur, nec tamen febris ea admittat,clysterum vsus repetitus, vt dictum,commodissimus est.

*Sudoris prouocatio.*

Nonnunquam sudore Lethargus, seu potius febris, Lethargi caussa,finitur,eaque sublatâ etiam Lethargus cessat;quod ipsum indicio est,febrem esse morbum primarium,quò si naturam vergere animaduertamus, sudor arte & medicamentis promouendus.

Vniuersali curatione peracta caput euacuandum tam sensibiliter,quàm insensibiliter per nares,palatum, errhinis,ptarmicis,inunctionibus palati. Insensibiliter embrochis & fomentis, inunctionibus, & aliis supra, *part.*1.*cap.*10. propositis.

Sternutatoria etiam ex helleboro albo & nigellâ parari possunt. Inprimis puluis rad. lilii conuall. naribus insufflatus tanquam appropriatum hîc remedium commendatur. Apophlegmatismis,vt & Masticatoriis, ob illam in somnum propensionem ægri nou facilè vtuntur.Vbi tamen sese recolligere incipit æger,non negligenda.

Formulæ horũ remediorum petantur ex *allegato c.* 10 *part.* 1. Inprimis verò,vt antea etiam dictum,castoreum in hoc malo magnæ efficaciæ est,& reliquis omnibus præfertur, quod nó solum vim habeat pituitam incidẽdi, sed & quia caput non valde repleat ac turbet. Ideóque errhinis & apophlegmatismis admiscendum.

De

De Sternutatoriis hoc monendum, si affectus perseueret, & æger difficulter excitetur, eorum vsum commodissimum esse ; non tamen continuò in eo persistendum, ne caput repleant, ac humores nimis fundant ac moueant. Multò magis ab initio morbi ab intempestiuo sternutamentorum vsu abstinendum; cum magis ab iis tum materia fundatur ; partibus impingatur, vnde morbus fit contumax , vel interdum in apoplexiam degenerat.

*Diaphoreticorum vsus.* Tandem insensibiliter resoluentia applicanda, & à mitioribus ad fortiora progrediendum, quæ etiam ex *cap.* 10. *part.* 1. petantur.

Vel coquatur castoreum in succo rutæ, & aceto ac oleo, atque eo occiput fricetur: nonnulli capillos hominis vstos addunt.

Vt ℞. *Castorei* Vnc. ß. *capill. homin. vstor.* Vnc. i. *aceti, succi rutæ*, an. q. s.

Misc. eóque caput irroretur & fricetur.

Aut hoc Decocto caput illinatur:

℞. *Beton. saluiæ, rorismar. flor. stœchad. Arab. spicæ nostrat.* an. Drach. ii. *castor.* Drach. iii *baccar. lauri, juniperi*, an. Vnc. ß. *sem. pœon. rutæ, fœnicul.* an. Drach. j. *pyrethri* Drach. iii.

Coqu. in vase duplici, vel loco calido digerantur, colaturaque expressâ caput illinatur.

Vel ℞. *Baccar. lauri, juniperi*, an. Vnc. i. ß. *rad. angelic. zedoar. Imperator.* an. Vnc i. *herb. rorismar. saluiæ, betonic.* an. M. i. *rutæ, satureiæ, majoran. flor. lauendul.* an. M. sem.

Incisa bulliant in s. q. aceti ; in quo decocto spongia, aut linteum in eo madefactum, calidè capiti imponatur. A fomentatione hâc capiti absterso sequens adhibeatur Linimentum:

℞. *Ol. rutæ, majoran.* an. Drach. ii. *satureiæ* Scrup. i. *succini* Scrup. sem. *rorismar. zedoar.* an. gutt. vii. Misce.

Rondeletius hoc vtitur Linimento, quod capiti raso applicat:

℞. *Castor. rec.* Drach. ij. *ciner. capill. propr.* ʒ. ii.

Dissolu. cum oxyrrhodino, & redigantur ad formam vnguenti.

*Vesicatoriorũ & sinapismorum applicatio.* Quod si mitiora non sufficiant, ad vesicatoria ac sinapismos, ex sinapi, pyrethro, columbarum stercore, nigella, euphorbio, castoreo, &c. adscendendum, vt & alia medicamenta, quibus materia ex alto attrahitur, quæ scapulis, humeris, post aures, aut deraso capite vertici & suturæ coronali imponantur.

Vt ℞. *Pulu. canthariд.* Scrup. i. *euphorb* Scrup. sem. *piper.* gr. vi. *fermenti* Vnc. ß. F. Vesicatorium.

In mollioribus vesicatoria ex puluere & semine flammulæ Iouis parantur, quibus octaua pars pulueris cantharidum addi potest. Quòd tamen dictum est, vesicatoria locis capiti vicinis, vel ipsi capiti applicanda esse, id de morbi progressu, & cùm materia jam capiti impacta est, ac in eo quiescit, & cùm deriuationis atque euacuationis gratiâ applicantur, accipiendum est. Aliàs verò, vt hoc superioribus addamus, etiam reuulsionis gratiâ in principio morbi vesicatoria vsurpari possunt; sed loco remotiori tum applicanda, cruribus scilicet, vel brachiis.

Nonnulli, cum morbi vis maxima est, etiam cauteria actualia occipiti inter primam & secundam vertebram applicant.

*Capitis roboratio.* Tandem caput roborandum medicamentis supra, *part.* 1. *cap.* 14. propositis, vt:

℞. *Conseru. beton. anthos, saluiæ*, an. Vnc. i. *lauendul.* Vnc. ß. *calam. aromat. condit.* Drach. ii. *nucis mosch. cond.* Drach i. *spec. aromat. rosat. diambr.* an. Drach. ß. *Mithridatij* Scrup. ii.

Cum *syrupo stœchad. simpl.* F. Electuarium.

Vel ℞. *Conseru. flor. anthos, primul. veris*, an. Vnc. ß. *rosar. incarn.* Drach. iii. *spec. arom. rosat.* Drach. j. *lætif. Gal.* Drach. ß. Cum *syrup. de stœchad.* & modico *acetos. citri* F. Electuarium.

Vel ℞. *Aq. saluiæ, lauendul.* an. Vnc. i. ß. *extr. angelic. zedoar.* an. gr. v. *essent. castor* gutt. iii. *manus Christi c. ol. succini* Drach. iii. *aq. theriacal.* Drach. j. Misce.

Inprimis castorei vsus continuetur, si malum protrahatur, & manè per aliquot dies eius gr. iii. & iiii. cum oxymel. simpl vel scillit. aut syrup. de stœchad. exhibeantur. Testatúrque Trallianus, vt etiam antea dictum, multos isto morbo victos hoc solo remedio mortem euasisse.

Chymici plurima quidem commendant, veluti sunt ol. majoran. rorismar. serpilli, rutæ, saluiæ, ol. vitrioli castorei, quod gran. aliquot pondere in aq. lilior. conuall. majoran. & rorism. exhibent: sed istis omnibus hîc, & in similibus cerebri affectibus præferunt sulphur Lunæ hoc modo paratum.

*Sulphur. ☽æ.* ℞. ☽ *purissimi* tantum, quantum videbitur; solue in aq. forti communi. Deinde calcina tartar. cui affunde aq. calentem, & vulgari via sal tartar. elice: filtra lixiuium hoc sale tartar. impregnatum, & iniice ☽ dissolutum; & præcipitabitur ☽ in formâ subtiliss. calcis: calcem hanc frequenti aquæ calentis affusione edulcora, & à salsedine libera; tùm intra prunas in trigillo triquetro colloca, vt colorem assequatur puniceum. Calci affunde acetum ter destillatum, & extrahetur sulphur. coloris cærulei. Acetum tinctum separa, & aliud substitue, dum nihil aliud amplius extrahatur. Abstrahe in cineribus per alembicum acetum, & sulphur. ☽æ remanebit in fundo.

Iam ℞. *spir. vini subtilissimi* part. j. *sal. vrinæ* part. ß.

Misc. probè, & in baln. vaporosum collocata inuicem vniantur. Hinc sulphuri ☽æ id superfunde, & denuò hoc soluatur. Solutum vasi circulatorio inditum per dies 30. circuletur, postea in cucurbitam non nimis amplam circulatam liquorem transfer, & ex arena destilla forti igne. Sic sulphur. ☽æ cum spiritu vnà adscendit per alembicum coloris cœrulei. Hoc postea cum extr. castor. dosi gr. vi. vel viii. miscendum, & in aq. saluiæ, majoran. rorismarin. quotidiè exhibendum.

## *Diæta.*

*Diæta. Aër.* Aër sit moderatè calidus, alteratus odoribus ex castoreo, pulegio, hyssopo, origano, & similibus, purus ac lucidus, vt spiritus excitentur.

*Cibus & potus.* In principio sit victus tenuis & paucus, vímque attenuandi humorem pituitosum habeat, alteretúrque propterea hyssopo, roremarino, majoranâ, & similibus, oxymelite ob febrem addito. Ratione febris quidem commodus est ptisanæ vsus, sed conspergatur ea cinamomo. Reliqui etiam cibi aceto, & herbis cephalicis condiantur. In progressu tamen morbi & præcipuè in declinatione, aliquid carnis boni succi, & facilis coctionis concedi potest. Nonnulli vtuntur lacte amygdalar. dulcium cum melle. Sed quia amygdalæ vim quandam somnum conciliandi habent, vsus earum hîc tutus non est. Vitentur omnia alimenta pituitosa, & vaporosa, pisces, lac, fabæ, legumina, fructus frigidi & humidi, vt Persica, pyra, poma, pruna, ficus.

Potus sit aqua bordei cum cinamomo, vel hydromeli, quod sit plenius vel dilutius, prout febris minus vel magis vrget. Vtile quoque est oxymel dilutum.

Vel ℞. *Mell.* ℔. j. *aq.* ℔ iii. *saluiæ, betonic.* an. M. j.

Coquantur ac digerantur. Colaturæ adde *aceti* ℥. iiii. F. Oxymel.

A vino abstineat æger vsque ad declinationem, aut, si ob ventriculi imbecillitatem aliquid vini ægro sit indulgendum, sit aquosum & subastringens.

*Somnus & vigilia.* De somno non plus concedatur, quam quod viribus saltem conseruandis sufficiat. Ab assiduo verò somno, æger omnibus modis arceatur, inprimis mox à cibo. *Excreta.* Et cum æger obliuiosus, & quasi stupidus sit, ac cùm mictionis, tũ egestionis alui obliuiscatur, admonendus & sollicitandus, ne vrinam, vel feces alui diutius detineat; curandúmque, vt aluus quotidie egeratur.

CAPVT

## CAPVT XXI.

### *De Laſsitudine.*

HActenus de ſymptomatibus, in quibus ſenſus interni ſolummodo læduntur, actum eſt. Proximum iam eſt, vt de motus animalis ſymptomatibus, ac læſionibus dicamus, quales ſunt, Laſſitudo, Pandiculatio, Inquietudo, Horror, & Rigor, Tremor, Conuulſio & Motus Conuulſiui, Paralyſis, & Motus impotentia.

*Laſſitudo.* Et vt de Laſſitudine primò dicamus, quæ Græcis eſt κόπος, dolor, labore inprimis, qui Græcis πόνος, contractus, eſt ea in genere ſenſus quidam moleſtiæ in partibus motui animali dicatis, ſeu pigritia quædam, & debilitas, & ad motum animalem ineptitudo cum dolore; cùm ſcilicet homo ob exercitium & laborem ad motum, quem prius facilè obire poterat, ſuſcipiendum non ita aptus eſt, vt antea, ſed cum moleſtiâ quâdam & dolore aliquid agit.

*Differentia.* Recenſentur autem Laſſitudinis quatuor genera: Vlceroſa, Græcis ἑλκώδης, Tenſiua, τονώδης, Inflammationis ſpeciem referens, φλεγμονώδης, & Exſiccatiua.

Commodè tamen in duo primùm genera omnis Laſſitudo diuidi poteſt. *Laſſitudo ſpontanea.* Alia videlicet Laſſitudo eſt Spontanea, quæ etiam ſine inſigni motu & exercitio ab humorum vitio prouenit, & corporibus cacochymicis vel plethoricis accidit: *Laſſitudo exſiccatiua.* alia non ſpontanea, quam Exſiccatiuam nominant, quę nimios labores, & corporis motum, etiam abſque humorum vitio, ſequitur.

Laſſitudo ſpontanea tria Laſſitudinis genera ſub ſe complectitur: Vlceroſam, Tenſiuam, & φλεγμονώδη.

*Laſſitudo vlceroſa, eiuſque cauſſa.* Vlceroſa eſt imbecillitas corpus mouendi, cum ſenſu punctionis in ambitu & muſculis totius corporis, à materiâ acri & mordaci. Quã qui patiuntur, per vniuerſam cutẽ, & corporis ambitum quaſi puncturas, ac ſi acubus pungerẽtur, percipere conqueruntur, ac ſi infixas carni & cuti ſpinas haberent; & omnino quendã quaſi exulcerationis ſenſũ percipiunt, Vnde & vlceroſa Laſſitudo nomen accepit. Ortũ verò habet ab acrium, & mordaciũ excrementorũ copia, quales ſunt humores bilioſi, atra bilis, vel alij, qui ex putredine & corruptione acrimoniã acquiſiuerunt. Nonnulli & adipem colliquatum ex nimio calore inter huius laſſitudinis cauſſas referũt. Imò non ſolũ humores, ſed & vapores acres hanc laſſitudinẽ excitare valent. Quæ omnia vel à natura & calore fuſa ad ambitũ corporis pelluntur, ſeu motu & exercitio nimio liquata & attenuata eò attrahuntur, ſeu à mora in Sole, ira, aliáque aliqua commotione vehemẽti eò concitantur.

*Laſſitudo tenſiua, eiuſque cauſſa.* Tenſiua eſt impotentia motus cum ſenſu tenſionis fibrarum rectarũ in muſculis in toto corpore. Nam qui hâc laſſitudine laborant, tenſionẽ quandam ſe percipere aiunt, præcipuè in partibus, quæ inter exercitandũ laborare maximè conſueuerunt, muſculorũ ſcilicet tendinibus & fibris, ac neruis, ita vt amplius non moto corpore, & ceſſante exercitatione, impreſſa quaſi remaneãt antegreſſi laboris veſtigia, atque in muſculis, & eorũ partibus relinquatur diſpoſitio, qualis inter exercitandũ affuit. Sequitur verò maximè plethorã, ob quã ſolidæ partes in muſculis tenduntur. Non tamẽ impoſſibile videtur, quin & ab alia materia fieri poſſit, modò nõ ſit mordax, ſiue ſit vapor & flatus, ſiue pituita, ſiue melãcholia. Huic nõnulli addũt laſſitudinẽ contundentẽ, quæ Græcis ὀστοκόπος eſt. Verùm hæc doloris potius ſpecies eſt.

*Laſſitudo phlegmonodes.* Phlegmonodes laſſitudo eſt ad motum impotentia cum ſenſu contuſionis quaſi, vel cõtractionis muſculorũ, & partium voluntario motui inſeruientium. Quam qui patiuntur, contuſas quaſi, & confractas atque inflãmatas partes ſibi eſſe conqueruntur. Et hæc ab vtraque cauſſa ortũ habet, nẽpe cacochymia & plethora, & in ea ſimul muſculorũ tenſio & calor percipitur: cum ſcilicet & humores vitioſi, & ſanguinis copia, ſeu potius vapores à ſanguine attenuato excitati ad muſculos effundũtur, vel muſculi inter exercendum calefacti nimium humorem ad ſe attraxerunt. Senſúſq; hic laſſitudinis in muſculis ferè, qui ſub cute locum habent, percipitur. Vbi verò nerui interiores, tendines oſſibus adhæreſcentes, & membranæ oſſa obuoluẽtes tenduntur, ita vt oſſa dolere putentur, Laſſitudo, & dolor ὀστοκόπος Medicis nominatur. Atque hæc laſſitudo potiſſimum ex materia melancholica, membranas, quæ oſſa obuoluũt, occupante ortum habet; & propterea febribus quartanis, ac ſcorbuto valde familiaris eſt, vt & ſæpe morbo Gallico.

*Laſſitudinis exſiccatiuæ cauſſa.* Laſſitudo verò non ſpontanea, ſeu exſiccatiua, nullum talem doloris ſenſum habet, ſed fit ſolùm, cum corpus nimio exercitio exiccatum ac reſolutum eſt, atque poſt defatigationem quietem cupit.

Alij adhuc plures differentias addunt, & nunc vlceroſam tenſiuæ, nunc vlceroſam phlegmonodi, nunc tenſiuam Phlegmonodi, nunc omnes miſceri ſtatuunt.

*Laſſitudo Gracilitatis.* Præter has tamen adhuc alia addenda videtur, quam Gracilitatis appellant, quæ eſt imbecillitas ad mouendum, ob facultatis mouentis, ſeu potiùs muſculorum læſionem. In hac nullus eſt triſtis ac moleſtus ſenſus, ſicut in vlceroſâ, tenſiuâ, ac phlegmonodi, ſed tantùm difficulter mouentur ægri. Hæc autem ad mouendum impotentia ſequitur carnis & adipis muſculorum conſumptionem, quæ Gracilitatis propterea dicitur, quia in hac laſſitudine corpus emaciatum eſt. Accidítque & ſequitur vel morbos longos & chronicos, vt febrem hecticam, tabem, & omnino ἀτροφίαν in quocunque morbo longo; vel febres ardentes, malignas, & peſtilentes: atque tunc vlceroſa, tenſiua, phlegmonodes coniungi poteſt.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa diagnoſtica.* Atque hæ ſunt cauſſæ Laſſitudinis, eiúſque differentiæ, è quarum deſcriptione etiam ſigna earum patent. De ſignis hoc ſaltem addimus: Laſſitudinem ſpontaneam cognoſci, quod nullus labor, vel exercitium nimium præceſſit, ſed, quamprimùm ægri mouentur, ea percipitur. Et in vlceroſa quidem laſſitudine, præter ſigna antea enumerata, cacochymiæ, præſertim bilioſæ, ſigna adſunt; & huic ferè ſuccedit rigor. In tenſiuâ ſigna plethoræ adſunt. In phegmonode ſigna vtriuſque. In non ſpontaneâ verò neceſſariò præceſſit exercitium & motus: quod in non ſpontanea non ſemper eſt neceſſarium. Plerumque enim ſine omni præcedente labore & exercitio hominem occupat: quãdoque tamen exercitium & labor in corpore cacochymico, vel plethorico humores ad ambitum corporis mouere poteſt: vnde ſpontanea laſſitudo oritur.

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.* 1. Laſſitudo non ſpontanea, & quæ ſolùm laborem atque exercitia ſequitur, plerumque nihil periculi coniunctum habet, ſed, ſi quiete, & cibo ac potu corpus reficiatur, ſponte ceſſat. Aliquando tamen laſſitudo etiam ex laboribus periculoſa eſt, ſi in corpus cacochymicum incidat; cuius exemplum eſt apud Hippocratem, *lib.* 3. *Epidem. ſect.* 2. *ægr.* 8.

2. De Laſſitudine verò ſpontanea in genere ſcribit Hippocrates, 2. *aph.* 5. κόποι αὐτόματοι φράζουσι νόσους. Laſſitudo ſpontanea morbos præſagit. Oſtendit enim, redundare in corpore humores, vel qualitate, vel quantitate, vel vtroque modo peccantes. Et propterea tum alij morbi, tum febres, plerumque ſequi ſolent. Ideóque quando ſpontaneam Laſſitudinem ſentit homo, cacochymiæ vel plethoræ tollendæ idonea remedia quærere debet.

3. In quibus per febres Laſſitudinis ſenſus eſt, illis ad articulos, & iuxta maxillas potiſſimum abſceſſus fiũt 4.

*Aphor*.31. Dum enim natura victrix humores craſſiores, & ad euacuationem minus aptos à partibus nobilioribus ad imbecillos articulos,& glandulas poſt aures, ac ſub mento propellit, in partibus iis & vicinis ſparſi laſſitudinem in iis pariunt. Et quidem ſi dolor, & moleſtiæ ſenſus in toto corpore percipiatur, ad articulos magis humor decumbit:ſi contra in ſuperioribus partibus,magis ad maxillas,& poſt aures.

4. Poſt febrem Laſſitudo totius perſeuerans recidiuam ſignificat. Hippocrates, *lib. de indicat.* ῥῶμη τοῦ σώματος, id eſt,corporis robore deficiente.

### *Indicationes & Curatio Laſſitudinis ſpontaneæ.*

*Laſſitudinis ſpontaneæ curatio.* Cùm Laſſitudo omnis ſpontanea ex humoribus in muſculis, & circa muſculos, & in ambitu corporis hærentibus fiat, & foueatur, vel à cacochymiâ, vel à plethorâ, vel ab vtraque: vt humores circa muſculos hærentes tollantur,danda opera;deinde,vt cauſa, quæ humores iſtos ſubminiſtrat, tollatur, laborandum. Itaque humores in ambitu corporis diſcutiendi, cacochymia vero,vel plethora,vel vtraque tollenda.Quæ verò poſt laborem ſequitur laſſitudo, ſi quiete & cibo corpus reficiatur, ceſſat eodem modo quæ in extenuatis à morbo accidit, bonâ victus ratione, quæ conualeſcentibus debetur,tollitur.

Ideóque humores ſeu à natura ad ambitum corporis protruſi,ſeu motu, & exercitatione eò attracti, leni exercitio, frictionibus, vel balneo diſcutiendi. Si verò vel cachochymia, vel plethora ſubſit, eaque leuis ſit, quiete, ſomno, & cibo parco, ſed boni ſucci, tollenda, iuxta aphoriſmum: *Quiete & abſtinentia multi magni morbi curantur*; & vini moderato vſu, vt videlicet humores crudi,& ſemicocti coquantur,& per ſudores aut vrinas euacuentur.Neque enim crudi illi humores ideo coquendi eſſe dicuntur,vt in ſanguinem, corporis alimentum,conuertantur, (cum, niſi in venis conſiſtant, & ad ſanguinis formam ſuſcipiendam apti ſint, id fieri non poſſit) ſed vt attenuati diſſlentur melius. Quod ſi maius humorum vitium ſit, quam quod iſtis modis tolli poſſit,ad maiora illa remedia,ſanguinis miſſionem & purgationem,accedendum,prout hoc,vel illud remedij genus requiritur.In vlcerosâ laſſitudine purgatione opus eſt; in tenſiuâ ſanguinis miſſione; phlegmonodes vtroque auxilio opus habet. Vt ergo in vlcerosâ Laſſitudine humores vitioſi facilius diſcutiantur, frictio adhibeatur; præſertim cum oleo dulci. Si verò paulò altius hæreat materia,vt frictionibus diſcuti non valeat, motu & exercitio inſuper opus eſt, vt excitetur, & cum calore ſpiritus corporis omnes partes peruadentes excrementa diſcutiant. Cibi iis conueniunt humidiores,& tenuior victus ratio.

Tenſiua Laſſitudo ſimiliter frictionibus mollibus cum dulci oleo opus habet, vt tenſa laxentur. Ab hac quies imperanda. Balneo etiam aquæ dulcis modicè calidæ vti commodum fuerit. Cibus, quàm in vlcerosâ laſſitudine, ſit parcior, ſed boni ſucci. In phlegmonode Laſſitudine corpus quoque oleo dulci fricandum, & balneum tepidum paulò calidius vſurpandum,cibóque pauciſſimo boni ſucci,& vi attenuandi prædito vtendum.

### *Laſſitudinis ex labore Curatio.*

*Laſſitudinis exſiccatiua curatio.* Laſſitudines poſt labores quies ſanat. De quo Hippocrates, 2. *Aphoriſm*.48. *In omni corporis motu ſimul ac quis fatigari cœperit,quies ſtatim laſſitudinem leuat*. Ideóque ſi quis laſſitudinem percipiat à labore,non eſt in labore perſiſtendum.

Maximè verò quies per ſomnum laſſitudinem hanc tollit. Nam in ſomno membra omnia in homine quieſcunt, dum eo in ſitu collocantur, eâque formâ, quæ media dicitur, muſculis omnibus relaxatis, & nihil laborantibus; & in ſomno humores nimium fuſi in muſculis hærentes diſcutiuntur, ipsique ſpiritus labore abſumpti reficiuntur.Si quis tamen à Laſſitudine quieſcat,nec mitigetur laſſitudo,purgatione, vel ſanguinis miſſione opus eſt.

Verùm non ſolùm quies, ſed & exercitium à labore contractas laſſitudines corrigit,ſi ſit priore leuius; quia diſcutit humores, ſeu ſponte, aut alia de cauſsâ in ambitum corporis motos,ſeu à calore attractos.Et quidem contrarius priori motui laſſitudinem & defatigationem tollit,vt ſi quis montem ſcandendo defatigatus ſit, deſcendendo rurſum citius laſſitudo tolletur. Inprimis verò exercitij loco vtebantur veteres frictionibus, quas & ſanitatis cauſsâ inſtituebant, Et quidem frictionem, quæ ante labores ad partes laxandas, & excrementa diſcutienda inſtituebatur, Præparatoriam nominabant; quæ verò poſt labores eâdem de cauſsâ fiebat, ἀποθεραπείαν. Frictiones autem inſtituebantur manibus oleo dulci inunctis. Apud nos vt balneorum, ita & frictionum antiquis vſitatarum vſus ferè exoleuit, & eorum loco balnea humida & calida vſurpantur, quibus ſeu maior corporis pars, ſeu pedes tantùm immerguntur; quod mirè laſſos reficit: cui etiam frictio coniungi poteſt. Parantur verò Balnea vel ex aqua ſimplici, vel additis, maluâ, altheâ, chamæmel. hyſſopo, & ſimilibus.

Quod ſi maius humorum vitium ſit, quam vt iſtis remediis tolli poſſit, ad magna illa remedia, ſanguinis miſſionem, & purgationem accedendum, Verùm de Laſſitudinum differentiis & curatione videatur Galenus. *lib*. 3. & 4. *de tuenda ſanitate*, vbi prolixè hac de re agit; vt & Aëtius, *tetrab*.1. *ſerm*.4. *cap*. 35.36.&*ſeqq*.

## CAPVT XXII.

### *De Pandiculatione & Oſcitatione.*

*Pandiculatio & oſcitatio.* Pandiculatio eſt præter ſolitum extenſio quædam muſculorum totius corporis, ad vaporum non acrium in iis partibus diſſipationem inſtituta.Coniungitur plerumque & oris apertio ac diductio,quæ Oſcitatio nominatur;quæ tamen & ſine pandiculat one poteſt accidere. Cœlius Rhodiginus, *lection.antiquar.lib*. 11.*p*. 4. affectionem hanc ab Hippocrate ἀλύκην vocatam, pleriſque etiam ἄλην nominari, ſcribit. Neque planè præter rem,vt mihi videtur;cum Hippocrates,7. *aphor*.56. coniungat ἀλύκην,oſcitationem,& horrorem; eique potius,quam inquietudini,potus vini competat, atque ita totus Aphoriſmus potius pandiculationi, quàm alij affectioni congruat. Si tamen Galeni explicatio ſequenda ſit, malo potius de quo *cap. ſeqq*. dicemus, tribuenda hæc vox videtur. Ita enim ille in hunc Aphoriſmum: ἀλύειν ſecundâ valetudine eos dicunt, qui præ ſenſuum offenſione, & læſione errabundâ ſunt ſæpe mente & incertâ, atque ad alias ſubinde, aliaſque tranſeunt tum res,tum actiones;aduersâ verò valetudi-neſimiliter etiam ἀλύειν eos dicunt, qui non ferentes decubitum lecto non quieſcunt, ſed formas mutant, quia præſens ſemper grauis ſit & moleſta. Et eſt procul dubio hæc primitiua potius ſignificatio;ſed ſæpe ad vicina transferuntur vocabula.

### *Cauſſæ.*

*Cauſſa.* Nimirum ſi vapores halituoſi in muſculorum ſpatiis colliguntur, & non acrimoniâ, ſed copiâ potius moleſti ſunt, muſculi in toto corpore, vt eos expellant, conſtringuntur. Quod ſi vapor in muſculis temporalibus, & maſticatoriis præcipuè contineatur, Oſcitatio ſit.

Vapores

Vapores autem illi halituosi,pandiculationis caussa, sæpe ex latente cacochymià aut plethorâ in musculorum spatiis colliguntur, & cum Lassitudine spontanea coniunguntur. Vndè sicut lassitudo spontanea, ita & pandiculatio, & oscitatio frequens futurorum morborum,& instantium paroxysmorum sunt præsagium. Sæpe post somnum Pandiculatio accidit,vbi in somno ex alimenti coctione,& cessatione à motu halituosa ac vaporosa excrementa in spatiis musculorum colliguntur. Solet & ante somnum pandiculatio & oscitatio accidere, vaporibus illis halituosis per diurna exercitia & vigilias collectis,& lassitudine inde oborta,quæ postea in somno in quiete tollitur. Insuper & post exercitia nimia Pandiculatio sequitur, lassitudinisque ex labore contractæ Pandiculatio quasi remedium est. Etenim cum ex labore halituosi vapores ad musculos attrahantur, ibique cumulentur, motu isto pandiculationis vapores isti discutiuntur. Præterea musculi à motu nimio defatigati in quiete lassitudinem illam sentiunt, Verùm constricti lassitudinem illam minus percipiunt, & propterea ad eam edendam inuitantur. Nonnunquam & externum frigus pandiculationem conciliat, cùm poros cutis claudat, fumidósque ac halituosos vapores sub cute detineat, quas natura per pandiculationem discutere satagit. Tandem etiam imaginatio sæpe Oscitationis caussa est, vt si quis alium oscitantem videat, vel de oscitatione cogitet, & ipse oscitet: præcipuè tamen hoc pigris, lassis, & somnolentis accidit.

*Nictatio oculorum.* Ex eadem causâ, è qua, Pandiculatio & Oscitatio prouenit, etiam pendet Nictatio oculorum, quæ cùm, homo ad somnum propensus est, accidit, ortúmque habet, cum ex continuo motu oculorum palpebræ lassatæ sunt, & ad claudendum, quod dormientibus necessarium est, inuitantur. Facit tamen huc etiam spirituum animalium dispositio, qui cum iam sopiri incipiunt,eius rei indicium in palpebris cerebro valde vicinis primò statim apparet.

Potest tamen dari adhuc alia caussa Nictationis, asperitas nimirum oculi, quæ ab aëre, contentisque in eo, inducitur, oculóque molesta est. Hæc enim vt tollatur, palpebræ grata quadam humiditate imbutæ oculis exasperatis crebrò inducuntur,vt eorum superficiem irrigent, abstergant, & leuitatem quandam iis inducant.

*Prognostica.* Porrò Pandiculatio in sanis saltem vaporum in musculis quacunque de causâ collectorum, & lassitudinis indicium est: in febribus verò instantis paroxysmi signum; sicut & , si extra febres sæpius accidat Pandiculatio, vel oscitatio: impendentium morborum signum est, & materiæ vitiosæ exsuperantiam significat, corpúsque febrili propinquam dispositionem habens indicat, & proinde instantibus morbis occurrendum esse monet. Plinius, *lib.7.c.6.*& Gellius, *lib.3.c.16.* Oscitationem in enixu lethalem esse scribunt,sicut sternuisse à coitu abortiuum.

Cæterùm cùm à pàdiculatione & oscitatione in sanis periculi nihil immineat, sed potius prosint, curatione nullâ opus est. Ideóque in Pandiculatione ciuilitatis potius quam vtilitatis gratiâ, membra minus extendere iubemus, quod & in oscitatione locum habet. Est enim oscitatio pigritiæ, & fluxæ atque apertæ securitatis, & vagi animi indicium. Vnde oscitantes pro negligentibus sumuntur, & oscitatio pro ignauia. De oscitatione tamen hoc monendum, os non nimis dilatandum, sed comprimendum esse; cum ex nimiâ in oscitatione oris dilatatione,seu diductione maxillæ inferior facilè luxari, & os hians manere possit. Si tamen latentis humorum vitij pandiculatio & oscitatio frequens signum sit, ei occurrendum, vt modò de Lassitudine dictum.



# CAPVT XXIII.

## *De Inquietudine.*

*Inquietudo.* INquietudo, quam Barbari Iectigationem appellant (etsi alij Iectigationem pro Palpitatione sumant) Hippocrati & Galeno variis nominibus appellatur, ἀλύκη nimirum, & ἀλυσμὸς & ἀλυσταίνειν, ῥιπτασμὸς, βληστρισμὸς, δυσφορία: quanquam Hippocrates in historia adolescentuli, 3. *Epidem.* hæc distinguere videatur. Tertio,inquit,die δυσφόρως, ἀσώδης πολὺ, βληστρισμὸς, ἀπορίη. Est verò symptoma cùm aliis morbis; tum præcipuè febribus nonnullis familiare, cùm ægri corpus & membra variè iactant, & nunquam in eodem situ manent,sed nunc pedes, nunc manus de loco in locum transferunt, nunc de latere in latus, modò in dorsum, modò in ventrem se conuoluunt,mox se erigũt,iterúmque quiescunt, ad pedes prouoluuntur, nec vllam loci vel decubitus formam seruant.

### *Caussæ.*

Etsi verò delirantes & phrenetici idem facere solent: tamen tum ex imaginationis deprauatione, & variis phantasmatis, nunc ad hoc, nunc ad illud agendum inuitantibus, id accidit. Ista verò inquietudo, quæ sine delirio, in febribus præcipuè, accidit, ortum habet à re molesta, musculos, & partes motui dicatas, aut sentientes molestante. Etsi verò calor totum corpus in febribus occupans etiam homini molestus esse possit: tamen quia non omnium febrium, nec semper, sed præcipuè quarundam continuarum, & quandoque etiam intermittentium in paroxysmo est symptoma, potius ab acri & maligna materia, quàm calore solo prouenire videtur.

*Inquietudo duplex.* Est autem duplex ista Inquietudo, vel Critica, quæ in perturbatione fit, criticum humorum motum antecedente;solentque tum ægri se erigere, iactare, & variè mouere, quandoque etiam delitare. Altera, quæ citra crisin est, & Symptomatica nominatur, quæ accidit in genere, cum quicunque dolor, & quæcunque molestia hominem angit. Estque rursum duplex: Vna, cùm os ventriculi à prauis humoribus vellicatur; de qua Galenus, 7. *aphor.* 56. scribit, ἀλύκην, seu anxietatem, & inquietudinem istam iis maximè euenire, quibus in ore ventriculi propria quædam humoris molesti qualitas continetur, neque multi, neque innatantis in ventriculi capacitate, sed altius in ipsis tunicis inhibiti. Nonnunquam caussa istius inquietudinis est cibus intempestiuè exhibitus. Altera est, quæ oritur à materia maligna & acri, febrim excitante, quæque circa viscera molestat, vel ab inflammatione alicuius visceris prouenit; vnde eæ febres ἀσώδεις nominantur.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa diagnostica.* Affectio hæc per se satis patet. Inquietudinis verò, quæ ab orificio ventriculi fit proprium signum est Nausea ἀνέμετος, Nausea sine vomitu:quæ si absit; vel ab humore prauo & maligno circa viscera, vel ab inflammatione alicuius visceris prouenit, quod ex suis signis patet.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* Ex Inquietudine, quæ præcedit crisin, nihil incommodi metuendum, si inde euacuatio, vel abscessus sequatur. De quo, 2. *Prorrhet.* hæc habentur: Ex inquietudine rigor iudicatorius si fiat, morbum soluit,superuenientibus sudoribus, vel vomitionibus commodis, vel aluo subductâ.

2. Nec illa aliquid periculi habet,quæ fit à cibo intempeſtiuè exhibito, ſed eo vel concocto, vel reiecto quieſcit.

3. Periculoſa verò eſt inquietudo,quæ ortum habet à malignitate & acrimonia materiæ febrem excitantis, vel ab inflammatione interna,vel virium debilitate,quæ morbum ferre nequit.De quibus Hippocrates, 1.*Coac. aphor.*2. *Quæ cum refrigeratione anxietates fiunt, peſſimæ.* Et quidem dupliciter ratione mala eſt hæc inquietudo, partim vt ſignum, quia prædicta mala & morbos indicat;partim vt cauſa,quia vires deiicit,& coctionem humorum impedit.

*Curatio.*

*Curatio.* Inquietudo,quæ febres ſequitur, curationem peculiarem nullam requirit, ſed ſi criſin antecedit, videndum, vt criſis rectè peragatur. Si citra criſin fiat,danda opera, vt morbo, à quo pendet, ſuccurratur, ideóque in reſtinguendo humorum incendio, & prauitate materiæ corrigendâ laborandum. Si tamen æger ab humoribus ventriculi orificium vellicantibus valde angatur, exhibenda, quæ acrimoniam illam humorum mitigant, & ventriculi orificium roborant; qualia ſunt, ſyrupus granat. acetoſ. citri, ribes, acetoſel. papau. cum aqua lactuc. portulac. nymph. Extra verò inungendus ventriculus oleo maſtich. cydoniorum, abſinthij. Vel fouendus ſimilibus medicamentis, de quibus in doctrina de Cardialgia & de Febribus.

## CAPVT XXIV.

### *De Horrore & Rigore.*

*Horror & Rigor.* DE Horroris & Rigoris generatione ac cauſis ſatis multa in inſtitut. *lib.2. part.3, ſect.2. cap.5.* diximus,& extant paſſim prolixæ apud Medicos, hac de re diſputationes, neque Galenum ſemper idem de eo docuiſſe,ſed varium fuiſſe, ex locis ibi allegatis patet. Vt pauca addamus, Horror & rigor affectus ſunt ſaltem vehementiâ & magnitudine differentes. Rigor enim eſt muſculorum totius corporis vibratio, & concuſſio cum refrigeratione, & dolore quodam: Horror verò quaſi paruus rigor eſt, cum in eo ſaltem cutis concutiatur;habétque cauſſam, quàm rigor, minus vehementem.

*Horror & Rigor quomodo ad facultatis animalis,& motus deprauati ſymptomata referantur.* Et quidem primo hoc præſupponendum,quod nemo facilè negauerit, Rigorem fieri à facultate expultrice ſtimulatâ; & eatenus quidem ad facultatis naturalis ſymptomata referri poſſe:quia tamen facultas animalis ad id, quod moleſtum eſt, expellendum, & propulſandum ſimul inſurgit, ſatis commodè etiam ad facultatis animalis, & quidem motus deprauati, ſymptomata refertur. Generatur enim eodem modo horror, & rigor, quò ſternutatio,tuſſis,ſingultus,qui motus & ipſi fiunt facultate expultrice à re moleſta ſtimulatâ. In eo tamen differunt, quod certarum & determinatarum partium hi ſunt motus; in horrore & rigore verò totum corpus concutitur.

*Horroris & Rigoris cauſſa proxima.* Rigoris ſubiectum ſunt muſculi totius corporis,ſeu potius muſculi in ambitu corporis.Cauſſam verò proximam quod attinet, Galenus equidem alicubi, quem alij etiam Medici ſequuntur, refrigerationem, & motum calidi innati cauſſam proximam Rigoris conſtituit, docétque, dum calidi innati, ſeu ſpiritus influentis ob refrigerationem externam, quæ in muſculis accidit, influxus & motus ad exteriora prohibetur, eundem cum impetu & violentia quaſi ad exteriora viam quærere, atque iterum repulſum maiore cum impetu ad exteriora tendere, atque ita ex lucta iſta, & motu calidi ad interiora, & hinc rurſus ad exteriora, corporis totius concuſſionem ſequi, quæ Rigor nominatur.

Verùm enim verò non ſemper à refrigeratione Rigor incipit,ſed concuſſio illa corporis in Rigore à bile excitata refrigerationem antecedit; vt & vbi medicamentum acre vlceri imponitur, aut ſcintilla ignis corpori incidit,quod etiam Galenus, 2.*de Sympt. cauſ.c.*5. docet. Et Refrigeratio non cauſa eſt retractionis caloris ad interiora, ſed effectus potius proueniens à retractione caloris innati ad interiora,ob cauſam dolorem excitantem. Deinde ſi eo, quem Galenus ponit, modo Rigor induceretur,motus ſimilis palpitationi eſſet, neque fieret à facultate expultrice ſtimulatâ.

Itaque cauſſam proximam Rigoris conſtituimus rẽ moleſtam ſubitò partes ſentientes vellicantem, atque expulſionem irritantem.Ad quam cauſſam omnes aliæ cauſſæ reducendæ.Primò quidem extra dubium eſt,materiam aliquam Rigoris proximam cauſſam plerunque eſſe,imò à nonnullis pro ſola Rigoris cauſſa poni, quæ materia primo acris eſſe debet,mordax,& omnino moleſta,vt partes ſentientes vellicare poſſit;deinde multa, & velociter moueri.Nam ſi pauca ſit,& immota,potius laſſitudinem vlceroſam excitat.

Si quis tamen etiam ſolum caloris ad interiora recurſum cauſſam Rigoris quandoque ſtatuere velit, illi hoc notandum, à caloris ſolius recurſu Rigorem non fieri, cùm in lipothymia & ſyncope nihil tale animaduertatur, ſed omnino adeſſe aliquid præter materiam vel excrementitiam, vel oneroſam naturæ, quod eam ſtimulet. Refrigeratio autem, ſeu caloris recurſus non cauſſa eſt rigoris,ſed quiddam conſequens. Cùm enim partes ſentientes à re moleſta ſubitò ingruente percellantur,cohorreſcunt,& illo ipſo horrore ac rigore calor verſus interiora, & fontem ſuum recurrit, & ſic accedit refrigeratio. Fit autem hic caloris ad interiora recurſus nunc ob cauſas externas,dum nimirum parti exvlceratæ acre medicamentum imponitur, vel ſcintilla ignis cuti incidit, aut aqua frigida cuti inſpergitur; nunc à cauſſa interna. Cum enim partes omnes circa viſcera membranis veſtiantur,quæ neruos à ſexta coniugatione accipiunt,& propterea ſenſu exquiſito præditæ ſunt, accidit, vt vellicatæ omnes partes corporis ſentientes,etiam externas,in conſenſum trahant.Natura verò de partium internarum,vtpote nobilium,ſalute ſollicita ſanguinem & calorem ad ſuppetias ferendum ad interiora ſubitò reuocat,vnde partes externæ moleſtiam percipiunt,quam facultas expultrix à ſe amotura totius corporis muſculos concutit.

E quibus controuerſia illa,quæ de ſubiecto Rigoris, aut potius materiæ, rigoris cauſſæ, inter Fernelium & alios agitatur,facilè componi poteſt.

Galenus & Interpretes eius Rigoris ſubiectum conſtituunt partes corporis ſentientes, ſeu muſculos, & carnem in ambitu corporis,vt ex Galeno,*de Sympt.*4.*de tuenda ſanit.c.*2.2.*de Criſibus,c.*2.10.*meth. med.c.*4. videre eſt.Ab hac tamen ſententia diſceſſiſſe putatur Fernelius,dum,*lib.*4. *Patholog.c.*11. febrium intermittentium materiam non in ambitu corporis, verùm in primis viis,& circa viſcera contineri docet,ſcribítque,præcordia & partes omnes,quæ circa hæc ſunt,quia membranis ſeparantur, neruóſque ſentientes ſuſcipiunt è ſexta cerebri coniugatione, eximio tangendi ſenſu eſſe præditas, magna quoque ſocietate cum principibus, corde & cerebro, tum externis partibus eſſe connexas, & cum iis ita conſentire, vt affectæ mox principes partes, vniuerſúmque corpus in conſenſum trahant. Ita bilem vomituri rigeſcunt, & cùm calida, mordacia, ac acria medicamenta, vel cibus vntriculum & præcordia feriunt, & cùm pus interiore abſceſſu collectum erumpit in membranas, rigor accidit. *Horroris & Rigoris ſubiectum.*

Verùm enim verò non multum Fernelius à vulgata ſententia de cauſſa Rigoris diſſidet. Sit ſanè,vt ſtatuat,

aliquando

aliquando ex solo consensu partium externarum cum internis rigorem fieri,cum scilicet partibus membranosis & neruosis circa viscera affectis, eæ in consensum trahuntur, & natura quasi auxilio & subsidio internis ventura, calorem ad interiora reuocat, vnde exteriora refrigerantur,totumque corpus concutitur:tamen eum negaturum non puto, etiam dum partes externæ à re molesta vellicantur, rigorem accedere posse. Atque ita primum & adæquatum rigoris subiectum sunt membranosæ partes non solùm circa viscera, sed etiam in ambitu corporis. Hæ enim à re molesta vellicatæ, vel quibusdam ex his vellicatis,reliquæ in consensum tractæ,musculos quoque, quibus arctè cohærent, in consensum trahunt.

*Rigoris generationis modus.* Itaque vt Rigoris generationem, quam nonnulli variis disputationibus inuoluunt,& obscurant potius, quàm explicant,breuiter & perspicuè comprehẽdamus, Rigoris caussa proxima est res molesta facultatem expultricem in partibus membranosis stimulans, ac musculos in ambitu corporis in consensum trahens, & ad concussionem talem concitans. Quod ipsum manifestum esse puto. Cum enim sensus doceat,totius corporis musculos externos in Rigore concuti, necesse est,vt caussa aliqua in iis adsit, quæ ad motum istum stimulet.Siquidem natura non lacessita nihil tale tentat.

Caussa autem naturam ad motum hunc & concussionem stimulans vel in ipsis musculis in ambitu corporis continetur & colligitur,cum scilicet humores & vapores biliosi,aut quicunque acres in ambitu corporis collecti sunt; vel aliunde communicatur. Consensum partium externarum cum internis quod attinet,si quis cum Fernelio per simplicem consensum, & qualitatem spiritualem transmissam,seu affectum saltem,vt loquũtur, non materiam & caussam affectus communicatam ab internis partibus & visceribus, Rigorem quandoque generari statuere velit, nec cum eo, vt antea etiam dictum, pugnauerim. Non enim absurdum videtur, partibus neruosis & membranosis intus affectis consentire neruosas & membranosas in ambitu corporis, & propterea quasi subsidio, & in auxilium calorem & spiritum ad interiora recurrere, quo subitò partes externæ quasi spoliatæ,molestiam quandam ex subitã alteratione percipiunt, ideóque ad eam amoliendam concutiuntur.

Fieri tamen etiam potest,& id magis simile vero,videtur vt calore & spiritibus ad interiora recurrentibus humores & vapores vitiosi in ambitu corporis hærentes vnà moueantur, atque ita proxima fiant rigoris caussa. Frequenter verò, quod etiam Fernelius admittit, fit Rigor per consensum internarum partium, cum vapor quidam teter & acris ex humore ibi quocunque modo moto in ambitum corporis mittitur, & partes illas vellicat.

*Refrigeratio in Rigore quomodo se habeat.* Quia verò cum rigore coniungitur refrigeratio, ita quidem, vt nonnulli rigorem etiam per refrigerationem definiant;quomodo refrigeratio in rigore sese habeat, videndum, vt & vnde dolor ille, & molestia illa oriatur, an à refrigeratione semper, an aliunde proueniat.Rectissimè autem ij sentiunt,qui statuunt,cum rigore, & quidem omni, adesse sensum doloris, verùm eum aliquando quidem à caussa refrigerante, plerumque tamen ab ipso motu, & concussione corporis prouenire;vt cum dolor præcedit refrigerationem, refrigeratio verò sequitur, & fit ex spiritus & caloris ad interiora ob dolorem retractione.

Refrigeratio enim duplici modo in rigore accidit. Aliquando est saltem cutanea, & in superficie corporis fit,ob dolorẽ,quem acrimonia humoris excitat.Aliquãdo verò fit in ipsis musculis refrigeratio, eáque vel ob humorẽ pituitosum, aut melancholicum attenuatum, & in omnes partes diffusum,partes vellicantem, vel ob viscerum inflammationem,in quã interna vruntur,exteriora verò calore retracto ad interiora frigent.



Atque hic cum sit generationis Rigoris modus, & hæc proxima caussa, facilè omnes remotas & mediatas ad eam reducere licet. Sunt verò Rigoris caussæ vel Internæ,vel Externæ. *Rigoris caussa remota & mediata interna.* Inter Internas cum sit materia acris & mordax colligitur ea sub cute, ob partium in ambitu corporis caliditatem & siccitatem;vt docet Galenus, 5. *de loc.affect. cap.vlt.& in libr.de Rigore, & Palpitat.c.7.* Idque facilius accidit accedente cutis densitate, & ex quacunque caussã, adstrictione, & prohibita transpiratione,in corporibus præcipuè biliosis,vt docet Galenus, 10.*meth.med.cap.*4.

Deinde generantur humores biliosi & ichores praui in ambitu corporis, cùm venæ & aliæ partes in ambitu corporis exsiccantur;vt est apud Hippocratem, 1.*de victus ratione in acut.comm.*4.*t.*1.& Galenum,*in Comment.* Transmittitur verò materia à partibus vel communibus,vel priuatis. A communibus venis mittitur materia in ambitum corporis vel criticè, instante crisi, vel periodicè,& secundum typos in principio paroxysmorum in febribus intermittentibus;vel sine typo,& symptomaticè, quando sine crisi subsequente materia in ambitum corporis è venis protruditur. A partibus verò determinatis variis materia transmissa rigoris caussa est; vt ex Cerebro: cuius exemplum 1.*in Prorrhet.t.*20.23. & 25.ex Vtero,5.*aph.*61.69. ex Ventriculo,6.*Epidem. t.*31. & 3.*Prognost.t.*31. ex Hepate,Renibus,Vesica. Et omnino, siue aliquid materiæ & vaporis ad ambitum corporis trahatur, aut mittatur, siue saltem in consensum trahantur partes externæ, dum interiora vellicantur, Rigor accidit. Potéstque materia vellicans esse bilis, salsa pituita, melancholia, atra bilis, humórque quicunque putridus,sicut pus,acria medicamenta,cibus & potus acris.

*Externa & euidentes.* Inter externas verò & euidentes Rigoris caussas sunt aër & ventus frigidus, siue penitius in corpus penetret,siue cuti exulceratæ occurrat,aspersio aquæ frigidæ,scintilla ignis in cutem illapsa,aqua feruens infusa, medicamentum acre parti exulceratæ impositum. Hæc enim quia molesta sunt partibus sentientibus in ambitu corporis, natura ea excutere conatur. Potest tamen etiã fieri,vt calor & spiritus talia molesta percipiens ad interiora refugiat, humoréśque in ambitu corporis commoueat, vnde accidit, vt partes subitò alteratæ & vellicatæ sese concutiant. Sæpe enim calor externus rigoris caussa est; quod nonnunquam balneum ingressis accidit. Idem facit mora sub Sole, vnctio calida, animi affectus,præcipuè timor.Tales enim caussæ omnes excrementa, quæ prius quiescebant, calefaciendo, attenuando,& in spiritum vertendo, ad motum concitant, vel spiritus commouendo ea simul agitant,vt Galenus, 2.*Sympt.caus.cap.*5.docet.

*Horroris caussa.* E quibus caussis hactenus rigorem fieri diximus, ex iisdem etiam Horror prouenit,minus tamen vehementibus acrimoniã,copiã,& motu, vt docet Galenus, 2. *de Caussis Sympt. cap.*6. Etenim in horrore est caussa, vel minus acris,vt bilis cum pituita mista,vel si sit pura bilis,ea non est ita acris,neque copiosa,neque vehementer mouetur.Præterea in horrore membrana saltem, & panniculus carnosus afficiuntur;in rigore autem simul musculi in consensum trahuntur.

## *Signa Diagnostica.*

*Signa diagnostica.* Ipse Rigor vt signis inuestigetur,opus non est;cum sensibus satis pateat.Vt verò à qua caussa proueniat,cognoscatur,per signa inuestigandum.Caussæ externæ & euidentes ex ægri, vel astantium relatione cognoscuntur. Vbi verò Rigor sine caussa euidente & manifesta inuadit,vnde proueniat, inquirendum. Quia verò Rigor plerumque cum febribus coniungitur; quam febrem indicet,& à qua caussa per consequens proueniat, è doctrina de febribus petendum: neque omnia ea recensere huius loci est. Vt pauca saltem attingamus;

Rigor est vel vehemens;vel paruus.Vehemens in continuis semel fit saltem vel in principio, vel in fine. In principio qui accidit,est signum inflammationis internæ in parte membranosâ, vt meningum cerebri, pleuræ,mediastini,ventriculi, membranarum hepatis, vesicæ,renum,peritonæi. Fitque vbi pars membranosa primum vellicatur,& inæqualis intemperies adest.Vbi verò in progressu morbi partes membranosæ repletæ sunt, atque intemperies ęqualis inducta est,rigor amplius nō accidit.In fine verò febris continuæ si rigor vehemens accidat, fit vel sine inflammatione, vel cum inflammatione. Si sine inflammatione contingat, indicat, quod materia febrilis vel criticè, vel symptomaticè è venis extra venas pellatur. Si cum inflammatione, eam ad suppurationem tendere indicio est. Sicut etiam quandoque rupto abscessu rigor accidit.In intermittentibus verò fit Rigor vehemens in principio paroxysmi, materiâ per partes sentientes motâ,facultatem expultricem fortem adhuc stimulante,scilicet in tertiana,vel quotidiana ex pituita vitrea,vel quartana.

Si verò Rigor sit paruus,& is longus,ac quotidie inuadat,vel etiam eadem die sæpius recurrat, cum magna refrigeratione, capitis grauitate, catarrho, & faucium ardore,indicat febrem quotidianam catarrhalem.Si verò paruus Rigor sit,& longus,& quarto quoque die inuadat,quartanæ signum est. Longus Rigor, sed paruus, ad tertium diem inuadens, ita tamen, vt etiam die intermedio accessio fiat, semitertianæ signum est. Rigor paruus non admodum longus,neccum magna refrigeratione, singulis, vel alternis diebus corripiens, tertianam notham significat.

*Prognostica.*

Prognostica. Prognostica pleraque ad doctrinam de febribus pertinent; & proposuimus etiam quædam in Institut. *lib.* 3. *part.* 3. *cap.* 5. quibus adhuc quædam addemus.

1. Rigores periodici, qui febrium intermittentium propria sunt symptomata, & vel quotidie, vel alternis, vel ternis diebus inuadunt, omni periculo vacant.

2. Optimi verò sunt Rigores critici in febribus continuis, die critico cum signis coctionis accidentes, & post quos corpus maximè incalescit, (quò enim calor corporis est robustior,eò post rigorem fortius in ambitum corporis sese exserit) quósque sudores copiosi, aut vomitus, alui deiectio, aut hæmorrhagia narium sequitur, & post quos febris vel tollitur, vel imminuitur; de quibus Hippocrates, 4. *Aphor.* 58. Eorúmque exempla sunt passim apud Hippocratem, 1. *Epidem.comm.*3.*t.*22.3.*Epidem.comm.*2.*t.*2.4.*Epid.text.*83.

3. Mali verò sunt Rigores, quos mala signa antecesserunt,vel comitantur, vel statim sequuntur, à quibus corpus non incalescit, quod naturam & calorem languidum significat;aut quos nulla, vel mala sequitur euacuatio, & qui morbum nec tollunt, nec minuunt. De quibus, 1. *Prorrhet. A rigore refrigeratus non incalescens, malum.* & 1. *Epidem. comm.* 3. *text.* 28. & 3. *Epidem. comm.* 3. *text.* 29. & 4. *Aphor.* 56. *Febricitanti rigor superueniens, febre non deficiente, malum.*

4. Inprimis verò Rigor malus est;si euacuatio aliqua morbum subsequatur,quæ tamen morbum non imminuit,vel tollit,vt docet Galenus,4. *Aphor.*64. Nam & virtus debilis rigorem ferre non potest,& vires ab euacuatione dissoluuntur: de quo Hippocrates, *loco modò allegato*, 4. *aphor.* 46. *Si Rigor accidat febre non deficiente, ægro iam debili, lethale est.* De quibus etiam 1. *Prorrhet.t.*57.3.*Prorrhet.text.*27.3. *Epidem. comm.*2.*t.*9.

5. Rigere sæpius in febribus acutis, inæqualis, & perturbatæ motionis febrilis materiæ,ac proinde periculosi morbi indicium est, vt ex Hippocrate, *lib.* 2. *Coac.sect.*2. *Aphor.*32.*comm.*2. *ex distinctione Hollerij*, patet.

6. Ex his,qui tabe diuturnâ consumpti sunt, aliqui ante mortem rigere deprehenduntur. Hippocrates, *lib.* 6.*Coac.sect.*2.*comm.*1.*aphor.*18.

7. Quæ de Rigore dicta sunt,eadem & de Horrore plerumque locum habent. Etenim horrores illi boni sunt, quos signa coctionis præcesserunt, quósque euacuationes morbum tollentes, vel minuentes sequuntur. Mali verò sunt,qui sine signis coctionis,propter maximam humorum prauitatem, aut naturæ imbecillitatem,fiunt,quæ vitiosos humores expellere tentat, verùm expellere nequit;vel quas prauæ euacuationes sequuntur.

Verùm multi Aphorismi de Rigore & Horrore agentes videantur apud Hippocratem, *lib.*1.*Coac.comm.*2.& passim alibi in Coacis, quos omnes huc afferre prolixioris operæ foret. Et potius ad prognostica febrium pertinent.

*Curatio.*

Rigor & Horror cum aliorū morborū comites & symptomata sint,per se curatione nullâ indigēt,sed sublatâ causâ cessant. Quia tamen in febribus interdum,præcipuè quartanâ, Rigor adeò magnus est, vt ægro valde molestus sit, virésque deiiciat, tum calidis dorsum, à quo rigor incipit plerumque, inungendum, oleo scilicet rutaceo,chamæmelino, anethino,costino, laurino, de castoreo,de piperibus cum theriacâ,Mithridatio, castoreo,& similibus. Curatio.

## CAPVT XXV.

### *De Tremore.*

Tremor quale symptoma. TRemor, Græcis Τρόμος, etiam inter symptomata motus animalis læsi, eiúsque deprauati pertinet, quo qui laborant, membra liberè mouere, & protensa vel suspensa seruare non possunt;sed membrum à facultate animali in altum sublatum pondere suo deprimitur,iterúmque à facultate motrice erigitur, eáque motus vicissitudo breuibus, & quæ vix discerni possunt, interuallis accidit.

Est videlicet Tremor motus voluntarius deprauatus membrorum huic motui inseruientium, quo perpetuâ vicissitudine seu eleuantur & deprimuntur,seu in anteriorem & posteriorem,seu in læuam & dextram partem mouentur, pendens à facultatis motricis, membrum in eodem situ seruare non valentis,imbecillitate,seu à facultate motrice p.n.oneratâ.

Nonnulli quidem ad actionem imminutam referunt tremorem: verùm, seu deprauatam, seu imminutam actionem dixeris, non multum peccabis. Siquidem si totius membri motum,& motum secundum se spectes, omnino deprauatur est, aliterque fit, quàm fieri debet. Si verò facultatem mouentem respicias,eius,vtpote debilis, & membrum, vt debet, mouere non valentis respectu, etiam imminuta actio appellari potest. Et quidem motus is,qui à facultate motrice prouenit, membro simpliciter p.n.non est,sed is, qui à membri grauitate prouenit. Concurrit enim in hoc motu facultas animalis, neque planè contra voluntatem est omnis motus in tremore, vt in conuulsione, sed facultas mouens quidem voluntariè membrum in altum eleuat,vel dextrorsum, aut sinistrorsum, vel antè aut retrò mouet, (hoc enim nisi faceret, membrum in eam loci differentiam,quò pondus vergit,laberetur;& prolapsum, quod in paralysi accidit, in eo maneret) sed ob debilitatem membrum in eo statu seruare nequit. Duobus videlicet motibus

motibus contrariis partes tremore laborantes afficiuntur, vno, qui voluntarius est, & à facultate animali mouente instituitur; altero, qui contra voluntatis imperium accidit, quo membrum ob grauitatem & pondus deorsum, aut in aliam loci differentiam labitur, in quā prolapsum cum facultas mouens iterum conetur erigere, pondus contrà perpetuò renitatur; breuibus, & quæ vix discerni possunt, interuallis hæc motus vicissitudo accidit: quæ tremoris essentiam constituit. Ideoque membra tremorem non sentiunt, dum rei alicui firmiter innituntur, sed tum demùm, cum facultas mouens membrum liberè mouere conatur.

*Tremoris à paralysi & conuulsione differentia.* Ex quibus patet, rem se longè aliter habere in Tremore, quàm in paralysi & conuulsione. Etenim in paralysi membrum, postquam in aliquam situs differentiā delapsum est, eam solùm seruat, vel per interualla continentur vno, eoque tardo & languido motu attollitur & mouetur. In conuulsione verò pars solum contrahitur, & contracta seruatur. In Tremore autem vt dictum, duobus motibus pars continuò mouetur, vno, qui fit à facultate animali, membrum attollente & mouente; altero, qui contra voluntatis imperium sequitur membri naturalem grauitatem. Inter quos duos motus perpetua quasi pugna est, dum facultas animalis membrū eleuare, & liberè mouere conatur, ob grauitatem verò membri ipsa debilis, illud mouere liberè non potest. Habetque se res vt in iis, qui pondus aliquod gestant. Si enim id leue sit, facultasque ei ferendo par, nullus tremor fit, & facultas motrix ponderis inclinationi satis obsistit. Si verò pondus sit grauius, quam vires ferre queant, partes sub pondere tremunt. Qui verò planè oneri ferendo pares non sunt, sub eo succumbunt, & immoti manent. Ita etiam nec in iis, qui bene valent, nec cum membrum planè resolutum est, & nihil mouetur, tremor accidit; sed cum facultas debiliter mouet.

*Tremoris à palpitatione differentia.* Differt etiam Tremor à palpitatione. Tremor enim ex dimidia parte motus voluntarius est; palpitatio verò planè p. n. fit, siquidem qui membrum mouere non instituunt, non tremunt. Palpitatio verò accidit, etsi pars voluntario motu non moueatur. In palpitatione etiam non totum membrum, scilicet cutis, musculi, ossa, nerui, & omnia, è quibus constat, quod in tremore fit, mouetur, sed caro, & inprimis cutis mouetur, palpitansque membrum non, vt tremens, continuò sursum & deorsum, aut dextrorsum vel sinistrorsum mouetur, sed in eodem situ manens, & immotum, nunc distenditur, nunc subsidet.

*Tremoris à rigore differentia.* Differt tandem à rigore, qui non fit facultate motrice secundum voluntatis imperium membrum attollere conantis, sed ab expultrice naturali stimulatā, quæ animalem in consensum trahit: & plerumque Tremor est in vnā parte; rigor verò in omnibus totius corporis, rigorque fit cùm dolore & molestia; Tremor verò sine dolore accidit.

## *Caussæ.*

*Tremoris caussa proxima.* Facultatis motricis imbecillitatem & debilitatem, seu facultatem motricem pr. nat. oneratam tremoris proximam caussam esse, in definitione diximus. Idque verum esse, facilè corpora, quibus tremor accidit, consideranti patebit. Tremunt enim senes, ebriosi, valdè refrigerati, qui ad paralysin inclinationem habent, & omnino qui ex caussa quacunque neruosum genus debile habent. Verùm hîc monendum, dum facultatis motricis debilitatem caussam esse diximus, nos Medicis vsitatum morem loquendi sequi. Aliàs enim, vt in Institutionibus, *lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 2. dictum, facultates propriè non debilitantur, sed animæ inseparabiles proprietates sunt, & senex, si haberet oculum iuuenis, videret vt iuuenis, cum eādem potentiā sit instructus, ergo dum facultatum debilitatem dicimus, proximè de instrumentis intelligimus, & proinde tremoris caussa in instrumentis voluntario motui dicatis quærenda est.

*Proxima Tremoris caussa vbi hæreat.* Proximum autem, & proprium voluntarij motus organum est musculus, & præcipuum in eo neruus, qui per ipsius musculi substantiam tenuissimis fibris dissēminatur; seu fibræ illæ, in quas nerui musculi resoluuntur; & quidem neruosæ illæ fibræ bene constitutæ, calido scilicet suo innato, quod Auicennas spiritum motorium nominat, præditæ, & spiritu animali influente, qui insitum fouet, & excitat, perfusæ. Facultatisque ad mouendum robur totum pendet à neruorū musculis insitorum, seu fibrarum neruosarum in musculis, rectā constitutione: & contra facultatis motricis imbecillitas ab ipsarum malā dispositione, quæ prouenit vel à domestico & peculiari neruorum, vel spirituum animalium influentium vitio.

Atque ita Tremoris p. n. caussa quærenda est vel in spirituum animalium influentium vitio; vel in neruorum & fibrarum neruosarum in musculis mala dispositione; & quidem aut in intemperie, & similari constitutione, ac caloris illius insiti vitio, aut in morbo organico eorundem. De quibus, vt caussis tremoris proximis, iam dicemus, & vna operā cuique alias remotiores, cum internas, tum externas caussas subiiciemus.

*Tremor à spirituum absūptione, & resolutione.* Spirituum animalium influentium vitio fit tremor, cum illi deficiunt, non quidem absolutè, vt in paralysi, sed cum non iustā copiā influunt. Quod accidit, quia vel non generantur, vel geniti absumuntur, & dissipantur. Non generantur ob cerebri intemperiem frigidam, cùm in morbis cerebri frigidis quacunque de caussa contractis, de quo supra, *part.* 1. *cap.* 2. & 10. dictum, tum in senibus; vnde Tremor senibus familiarissimus est, vt pote quorum cerebrum vnā cum vniuerso corpore refrigeratur, vt & iis, quorum parentes hoc symptomate laborârunt.

Ob spirituum vitalium defectum spiritus animales non generantur, vel quia ipsi vitales spiritus non sufficienti copiā generantur: id quod in morbis, in quibus calor & vis concoctrix languet, accidit; vel quia ob inordinatum motum à cerebro non fluunt; id quod fit in vehementibus animi pathematis, vt in ira, gaudio nimio, timore & terrore ex aspectu rei, quæ vel veneratione, vel metu & horrore terret; qualis est hostis, periculi instantis, principis, loci præcipitis, serpentis, facinoris, vel alterius rei horrendæ intuitus; quibus modis omnibus spiritus subitò percelluntur, & magno impetu, siue ad interiora, siue ad exteriora, feruntur; atque ideo ad cerebrum non perueniunt; vnde spiritibus animalibus generandis materia denegatur.

Generati verò spiritus animales resoluuntur, & dissipantur (quod tamen ipsum etiam spiritibus vitalibus commune esse potest) in morbis diuturnis nimiā sanguinis euacuatione, & purgationibus immodicis, & exercitio nimio, Venere immoderatā, longā inediā, vigiliis, animi deliquiis, & similibus.

*Tremor ab intemperie neruos ladēte.* In ipsis verò membris & neruis caussa tremoris est, primò, cum intemperie aliquā, vel frigidā, vel humidā laborant; id quod plerumque accidit; vel etiam siccā: vt in phreneticis & maniacis quandoque euenit, vt Hippocrates, 1. *Prorrhet. aphor.* 9. & 14. docet, vbi aut calidum innatum neruorum à calore p. n. absumitur, aut malignā qualitate dissipatur. Potest enim illa intemperies frigida & humida, quæ plerumque Tremoris caussa est, neruosis partibus induci à caussis tum Externis, tum Internis. Caussæ externæ sunt aër frigidus aqua frigida, nix, glacies, nimius aquæ frigidæ in febribus, post balnea, exercitiā & motus corporis, aut inediam, potus, inprimis si aqua è niue, vel glacie soluta fit. Internæ verò sunt, humores frigidi & crassi, inprimis pituitosi, quacunque de caussā cumulati: quæ

caussa & in iis locum habet, quibus sanguis, vel alia consueta euacuatio suppressa est. Vnde, vt postea, *quæstione tertia*, dicetur, caussa morbi apud Hippocratem 2. *Epidem.sec.*4. Stymargi ancillæ puerperæ, quæ ob retentionem sanguinis tremore correpta, sanguinisque è venis tali emissione curata est; potius ad humorum neruosi generis calorem opprimentium copiam referendum puto, quàm ad errorem externum, pondus scilicet membrum deprimens, quod Capiuaccius existimat: nisi quis forsan ad vapores prauos, è sanguine post partum suppresso elatos ad neruos, caussam referre velit.

*Tremor à maligna & narcotica caussa.* Deinde in neruosis partibus vitium est, cum praua dispositio à caussis totâ substantiâ, & occulto modo neruosis partibus infestis ipsis inducta est. Quod à venenis plurimû accidit; vt & ☿io: vnde Aurifabri, & alij, qui argentum viuum tractant, eiusque halitus & vapores excipiunt, vt & ij, qui lue Venereâ laborantes, cinnabaris & ☿rij suffitu vsi sunt, plerumque tremulas manus habent. Idem præstare possunt humores maligni & praui, in febribus magnis, aut aliis morbis; quibus tamen febres plerumque coniunctæ sunt, vt & retentiones secundinæ, sanguinis etiam post partum suppressiones, vt modò diximus. Pertinent huc & medicamenta narcotica, vt opium, hyoscyamus, quorum incautior vsus tremorem inducere potest; vt & vinum meracius ac potentius, præsertim ieiuno stomachò potum, quod ipsum neruos ferit, & vim quandam Narcoticam obtinet: vnde vini potatoribus & helluonibus tremor familiaris esse solet.

*Tremor à neruorũ obstructione, vel cõpressione.* Tandem in neruis vitium est, cùm obstruuntur, & densiores redduntur, vt spiritus animales sufficiente quantitate in eos influere non possint: idque ab humoribus frigidis & humidis, vel etiam melancholicis fieri potest, aut, vt aliis placet, cum à quocunque humore comprimuntur & irrigantur; quod etiam ab humoribus serosis, & pituitosis fieri potest; quâ ratione in febribus ardentibus tremores fiunt, teste Galeno, 6. *Aphor.*26. nisi qui ab occultâ humorum illorum malignitate, vt dictum, neruos lædi, humidum radicale consumi, spiritusque dissipari statuere velit. Ab ortu quoque neruis vitium inesse potest; cuius rei historiâ refert Platerus de quodam, qui à primo ortu ad seniû vsque continuò tremuit brachiis, manibus, pedibus, quibus inter ambulandum veluti saltabat, capite item, quod agitabat, & maxillâ, quâ veluti masticabat.

### *Differentiæ.*

*Differentiæ.* Etsi alij plures Tremoris differentias constituant; vt quod alius maior, alius minor; alius totum corpus, alius partem quandam, hancce, vel illam occupat: tamen ea præcipua est, quæ à causis petitur; cum secundum eam curatio etiam variet. Aliam enim curationem requirit tremor, qui ab intemperie cerebri frigida prouenit, aliam, qui à spirituum vitalium, qui animalium materia sunt, defectu, aut inordinato motu; aliam, qui à spirituum, seu animalium, seu vitalium dissipatione & resolutione prouenit; aliam iterum, cum nerui intemperie frigidâ & humidâ laborant; aliam cum ab occulta, venenata, ac maligna, aut narcotica qualitate afficiuntur; aliam cum obstruuntur, densantur, seu comprimuntur, & humectantur.

Est etiam notatu digna tremoris differentia, quod alius simplex, alius cum conuulsione mixtus, qui σπασμότρομώδης dicitur; cuius etiam postea, *prognost.* 10. fiet mentio, qui non solum in febribus interdum accidit, sed nonnunquam etiam in epilepsia, remittente paroxysmo, cum ægri tremore tali, cum conuulsiuis motibus mixto, aliquot horis affliguntur, donec vapor epilepticus totus discussus est.

### *Signa Diagnostica.*

Tremor seipsum oculis prodit, siue sit in parte aliqua, siue in toto, sicuti &, an paruus vel magnus sit. *Signa diagnostica.* Quomodo etiam ab aliis affectibus, paralysi, conuulsione, palpitatione, rigore differat, antea dictum. A qua verò caussa dependeat, suis indiciis colligendum, quæ ex constitutione corporis, præsertim cerebri & neruorum, ac humorum in his, & symptomatum, vt & caussarum, quæ præcesserunt, vel accidunt, consideratione sumuntur. Primò nimirum quærendum, an caussa externa, vel euidens aliqua, ex earum numero, quas antea recensuimus, præcesserit. Hæ si non præcesserũt, de caussis internis inuestigandis sollicitus sit Medicus.

Cerebro affecto, & spirituum animalium influentium (absque caussis externis & euidentibus) vitio tremorẽ fieri, colligitur ex signis, quæ intemperiem frigidam & humidam cerebri indicant, & supra *part.* 1. *cap.*2.3. & 10. sunt proposita. Prosunt quæ cerebro hoc modo per se affecto sunt vtilia; cerebroque curato pars ob consensum læsa & ipsa curatur. Absunt signa membrorum, quæ tremorem patiuntur, per se affectorum, & prius partes cerebro propiores, hinc remotiores afficiuntur. Ipsas verò partes neruosas absque spirituum animaliû influentium vitio malè affici colligitur, si cerebri malè affecti signa non adsint; contra cùm caussæ tum affectus monstrent, in ipso membro dispositionem vitiosam hærere. A parentibus propagatum fuisse malum; ex relatione ægri cognosci potest.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Tremor, qui à caussis euidentibus, vt terrore, & aliis animi pathematis, vigiliis, inedia, exercitiis nimiis prouenit, nihil periculi habet, sed caussis iis sublatis ipse cessat.

2. Tremor paralysi succedens etiam malus non habetur; quoniam indicium est naturæ vel vincentis morbum, vel certè imminuentis. Et præstat actionem aliquam esse imminutam, quam abolitam.

3. Tremor verò à caussis internis pendens, & vt morbus affligens, etsi & ipse per se lethale malum non sit, nec per se aliquid periculi afferat; quia tamen facilè in paralysin, apoplexiam, lethargum, spasmum degenerare potest, non contemnendus. Sicut & ob caussam, à quâ pendet, mortem non longè abesse, sæpius significat.

4. Tremor quò vehementior est, aut in parte nobiliore consistit, eò deterior. Auicennæ in parte sinistra est periculosior; quia calidum innatum eius partis facilius cedit & succumbit.

5. Tremor in senibus non curatur ob cerebri, & spirituum magnam imbecillitatem; sed eos plerumque ad mortem comitatur.

6. Tremor hæreditarius, vel qui paulatim ob errores in victus ratione contrahitur, & præcipuè in iis, qui à natura facultatis animalis organa debiliora habent, rarò curatur; sed vel in eo statu permanet, vel ætatis progressu etiam augetur.

7. Quibus in febribus tremores sub initio incidentes conquiescunt, iis tandem in articulis abscessus dolens suppurat, aut vesica laborat; materia scilicet à venis in neruos, aut articulos effusa, aut in vesicam, vbi vrinæ difficultatem efficit. Hippocrates, *in Coac.*

8. Si tremor in conuulsionem permutetur, malum; quia, vt vulgus existimat, neruosarum partium exsiccationem magnam sequitur, à qua, tanquam à priuatione ad habitum, non fiat regressus; vel potius quia materia, quæ antea neruis intemperiem inducendo tremorem efficiebat, iam deteriorem quailtatem inducit, vt neruos vellicet.

9. In febre ardente trementibus delirium succedit,

μεταςάσει

μιθασάσει factâ materiæ è venis in neruos; sed cum ægri detrimento. Cum enim priori morbo succedit alius æquè grauis, aut etiam grauior, viribus hac ratione consumptis, exiguam tum vitæ spem superesse necesse est. 6. *Aph.* 36. & *in Coacis.*

10. Qui Tremores ad manum resiliunt, in malo sunt, Hippocrates, *in Coac.* Aliquando enim si ægri manus diligenter spectetur, aut attingatur, intremescentem illam reuelli subitò animaduertimus; qui motus ex tremore & conuulsione mixtus est, ac σπασμοτρομώδης appellari potest, & 3. *Prorrhet. Aphor.* 13. Estque periculosa affectio; non tamen simpliciter. In longis enim febribus, vbi multa cruditas est materiæ, minore illa periculo accidit, neruis humore madentibus, vnde & multi euadunt. In acutis verò, & ardentibus, vt vulgata est sententia, incendio febrili nerui exsiccati sunt seu potius, vbi à materia praua vellicantur, lethale signum est, ac ferè delirium & conuulsio sequitur, vnde ægri moriuntur.

11. In vehementi phrenitide & melancholia ex flaua bile in atram mutata, tremores sunt mortiferi, teste Hippocrate, *in Coacis*, ob neruorum, vt vulgò existimatur, ex incendio febris & vigiliis exsiccationem, aut potius ob prauam qualitatem humoris neruoso generi inimici. Videre tamen licet & in phrenitide, & ante hanc, tremulum quendam motum ab acrium vaporum morsu, aut humorum per partes neruosas transitu; qui sæpe criticus est & salutaris.

12. Mulieri post partum ex retentione secundinæ tremor proueniens, malum; quia signum est putridorum, & malignorum humorum spiritibus inimicorum.

13. Tremor in apoplexiâ vel lethargo accidens, malum signum est. Indicat enim, quod virtus extremè oppressa exsurgere nitatur ad expulsionem materiæ; in quo tamen conatu deficiens, exstinctо calore naturali tandem succumbit.

14. Inedia, aut quauis alia euacuatione extenuatum si tremor apprehendat, malum; quoniam spiritus dissolui, & vires ex inanitione collabi est indicium.

15. Tremor in labio inferiore vomitum instare indicio est.

### Indicationes.

Indicationes. Etsi Caussa tremoris proxima sit, facultatis motricis debilitas: tamen quia illa à multis caussis, vt suprà dictum, oriri potest, singulis suis contrariis occurrendum. Neque enim in omni tremore, vt Galenus, *lib. de Tremore*, *c.* 5. monet, calefaciendum, sed si à bile proueniat, vt in febribus ardentibus, infrigidantia nonnulla requiruntur.

Si videlicet non generantur spiritus animales ob cerebri intemperiem frigidam, cerebrum calefaciendum & roborandum. Si spiritus vitales, animalium materia, deficiant, causa, ob quam hoc accidit, tollenda, ac corpus inanitum reficiendum, & spiritus instau-randi.

Si in neruis sit intemperies frigida & humida, calefacientibus & siccantibus tollenda, humores, à quibus fouetur, euacuandi & discutiendi, ac nerui roborandi.

Si autem praua aliqua διάθεσις à causa maligna, vel venenata, aut narcotica iis impressa sit, si causa adhuc præsens sit, tollenda, & διάθεσις illa neruos roborantibus expurganda.

Tandem si seu obstructio ac densitas, seu compressio & irrigatio neruorum adsit, humor, à quo id fit, tollendus, ac nerui roborandi.

### Curatio.

Curatio. Cum autem quâ ratione cerebri intemperiem cum, & sine materia emendare, vt & spirituum animalium vitia corrigere conueniat, supra, *part.* 1. dictum sit, de spirituum verò vitalium vitiis de affectibus cordis, *lib.* 2. dicendum sit, & præterea Tremor ille, qui ex conspectu rei quocunque modo tremendæ, vel ex ira, aut aliis animi pathematis prouenit, sublatâ causâ, quæ spiritus perturbat, facilè cesset: tantùm hic dicemus de Tremore à spirituum, tum vitalium, tum animalium dissipatione & resolutione: deinde de Tremore, qui à neruorum vitio ortum habet, videlicet de intemperie frigida & humida, simulque, cùm eandem curationem habeat, de neruorum obstructione, densitate & compressione: tandem de praua dispositione, à venenis, ac malignis & venenatis humoribus, & narcoticis impressa, curando; & quidem breuiter, cum curatio tremoris multa cum paralysis curatione, de qua, *c. seq.* dicetur, communia habeat.

### *De Curatione Tremoris à spirituum absumptione & dissolutione.*

Si spiritus vel ob morbum aliquem grauem, aut longum, vel euacuationem nimiam, vel Venerem, vel similem caussam, absumpti sint, dissipatas quidem aliquo modo vires restituere non ita difficile est, amissæ verò planè difficulter reparantur. Ad reficiendum autē spiritus etsi & medicamenta supra proposita, *part.* 1. *cap.* 15. & quæ postea *lib.* 2. *de Affect. cordis*, proponentur, vtilia sunt: tamen inprimis bona diætæ ratio, quæ refectoria nominatur, vtilis est. Versetur ergo æger in aëre puro, temperato, & rerum suaueolentium odore alterato. Cibus sit boni succi, facilis coctionis, & qui plurimum spirituum suppeditat. Talis sit & potus, plurimumque hîc valet vinum bonum moderatè sumptum. Æger quiescat, vel etiam moderatè exerceatur. Somnus sit moderatus, vel etiam paulò prolixior. Æger sit animo læto, & ab affectibus animi immoderatis alieno.

### *Curatio Tremoris à caussa frigida & humida neruos lædente.*

Si verò Tremor à materia frigida & humida, temperiem, seu innatum calidum neruorum lædente, seu eos obstruente, aut comprimente, & irrigante ortum habeat, eadem ferè curandi ratio competit, quæ postea de paralysi proponetur. Videndum primò, an plethora aut cacochymia in toto, vel parte adsit; eaque tollenda. Itaque si sanguis peccet, siue ex se, siue suppressa aliqua euacuatione consueta, vena aperiatur. Ita Hippocrates, 2. *Epidem. sect.* 4. Stymargæi ancillæ, quā post partum tremores toto corpore occuparant, quod à partu purgata non fuisset, venam secuit in talo, vt sanguinis multitudinem demeret. Et vix in alio casu sanguinis euacuatio in tremore conuenit, quam vbi tremor ex suppressis hæmorrhoidibus, menstruis, vel purgatione sanguinis post partum, ortum habet. Atque tum commodissimè vena in talo aperitur, vel etiam hæmorrhoides prouocantur. Aliàs verò in frigido affectu, ne corpus magis perfrigeretur, non conuenisset venæ sectio, vt refert Galenus, *in libr. de Tremore, cap.* 5. &, *de vena sectione aduersus Erasist. cap.* 5. Vbi verò plethora tanta non est, venæ sectionis scopus cucurbitulis cum scarificatione, & cibi paucitate suppletur.

Si verò humor frigidus mali caussa sit, præparetur & purgetur, vt suprà, *part.* 1. *cap.* 10. dictum, cerebrumque, ac partes neruosæ roborentur. Iis verò, quæ supra, *loc. alleg.* dicta sunt, pauca saltem addimus. Ad alterandum & roborandum inprimis saluia & castoreū commendantur, vt & galega & stæchas Arab. Drach. j. pondere cum hydromel. exhibita; item conseru. primul. veris, anthos, meliss. & acorus conditus, & huius generis alia.

Auicennas

Auicennnas commendat cerebrum leporis assatum; & castoreum omnibus modis, cum assumptum, tum extra adhibitum, prodest.

Ad confortationem neruorum, præcipuè post diuturnos morbos, vtile est hoc Electuarium:

℞. *Pulpæ pullorum columbarum syluest.* vel *ciconiarum in vino elixarum* Vnc. iij. *cerebri leporis assati* Vnc. j. *amygdal. dulc. mundatar.* num. xxx. *pinearum recentium lotarum cum hydromelite* num. xx. *passul. minor.* Vnc. j. *sp. elect. resumptiui* Drach. ij. *pulu. cinamomi* Drach. iij. *zingiberis, caryophyll. galang. macis*, an. Scrup. j. *cardamom.* Scrup. sem. *mosch.* gr. ij. *mellis despumati* q. s. F. Electuarium.

Vel ℞. *Conseru. fl. lauend. rorismar. salu.* an. Vnc. ß. *elect. diacori* Drach. vj. *cerebri leporis assi* Vnc. j. *castorei* Drach. ß. *cranij hum. præparati* Drach. ij. *pulu. rad.* & *sem. pœon.* an Drach. j. *visci quern.* Drach. ß. *spir. primul. veris* Drach. j. *essen. salu.* Drach. ß. Cum *syr. de stæch.* q. s. F. Electuarium.

Vel ℞. *Confer. beton. rorismar.* an. Vnc. j. ß. *zingib. cond.* Drach. vj. *spec. diamosch. d. diambr.* an. Drach. ß. *theriacæ* Drach. ij. *aureæ Alexand.* Drach. ß. *spir. vitr. volatil.* Scrup. j. Cum *syr. de betonica* q. s. Fiat. Electuarium.

Vt & hoc:

℞. *Confer. flor. saluiæ, anthos, acori*, an. Vnc. ij. *cranij hominis præparati* Vnc. ß. *rad.* ac *sem. pœon. rad. plantag. aquatic.* an. Drach. j. ß. *cerebri leporis assati* Vnc. ij. M. F. Electuarium.

Vel paretur hic Syrupus ad neruos roborandos vtilis:

℞. *Herbar. primul. veris, saluiæ, rutæ, chamæpythios, maioran. chamædryos, satureiæ, calaminth. origani, betonic.* an. M. ß. *calami aromat.* Vnc. sem. Coqu. & cum s. q. mellis F. Syrupus, in quo adhuc calido Nodulus sequens suspendatur & relinquatur:

℞. *Cinamomi, caryophyll. macis, nuc. moschat. sem. pœon. piper. nigri, longi, zingiberis, spicæ, sem. anisi*, an. Drach. j.

Nicol. Florentinus refert, *serm. 3. tr. 3. cap. 9.* quòd mulier quædam sexagenaria à tremore capitis liberata fuerit solà comestione nycticoracum, quos depilatos cum visceribus decoquebat, & comedebat.

Chymici essentiam melissæ laudant, in aqua basilic. exhibitam. Alij in quinta essentia vini folia saluiæ macerant.

Nonnulli aliis remediis nihil proficientibus decoctum ligni sancti, & sarsæ parillæ per aliquot dies propinant. ad excrementitium humorem exsiccandum; & per sudores exhauriendum & euocandum.

Tremor à potu aquæ è niue resolutæ curatur balneo calidissimo, in quo æger moretur, donec benè sudauerit. Postea vtatur cibis & inunctionibus calidis.

Ex Topicis ad alterandam intemperiem neruosarum partium, humorem pituitosum discutiendum, & neruos roborandos conueniunt ol. costin. vulpin. de castor. lumbric. terebinth. Philosophor. de piper. nardinum, iuniperi, & lilior. alborum, in quo flor. lauendulæ, liliorum conuall maceratı fuerint, vel oleum ex floribus trifolij, qui inprimis commendantur, & alia, quæ de paralysi postea proponentur, quibus ceruix, & origo neruorum, & membrum tremulum inungatur, iisdemque aqua aliqua apoplectica aut cephalica admisceatur.

Vel ℞. *Ol. iunip. de castor. de piperib. vulpin.* an. Vnc. ß. *vnguenti Martiati* Vnc. j. ß. *sapon. Veneti*, Vnc. j. *pulu. sem. eruc. vrtic. rutæ, cepar.* an. Drach. j. *axung. anatis* Vnc. j. ß. Misc. pro Vnguento.

Vtilis est balsamus rorismarin. lauendul. saluiæ, petroleum, ol. destillat. iuniperi, maioranæ, melissæ.

Lauetur quoque membrum tremulum aquâ vel decocto saluiæ, rorismarini, lauendulæ, maioranæ, baccar. iuniperi, addito castoreo.

Nonnulli sequentem Aquam stillatitiam pro secreto habent.

℞. *Fol. salu. recent.* ℔. j. *camphoræ* Vnc. j. *vini alb.* q. s.

Digerantur per 8. Dies, deinde destilla in B. & modo dicto vtere.

Vtile est & hoc Destillatum:

℞. *Mastiches, thuris, myrrhæ, opopanacis, sagageni*, an. Drach. iij. *styracis calamitæ, liquidæ*, an. Vnc. ß. *terebinthin.* Vnc. ij. *herbæ iuæ arthriticæ, fl. lilij conual. lauendulæ*, an. M. iß. Concisis & contusis affunde *vini Rhenani* ℔. ij.

Stent in infusione loco calido 4. diebus. Postea destillentur.

In destillato dissolue *mosch.* Drach. j. Hoc liquore & nucha, & spina dorsi, & membrum affectum illinuntur.

Possunt & sacculi, & cucuphæ ex cephalicis, & aromaticis puluerибus concinnata vertici capitis raso admoueri.

Nec inutile fuerit, cucurbitulas sine scarificatione ad vertebras, vnde nerui membri affecti prodeunt, apponere.

Sunt & efficaces thermæ, & præcipuè sulfureæ, quæ si desint, Laconicum parari, aut balneum cum herbis conuenientibus potest.

## *Curatio Tremoris à maligna, venenata, ac narcotica caussa.*

Si ab vsu narcoticorum medicamentorum, aut vapore, vel contactu argenti viui, aut venenis, aut humoribus malignis, qui neruis infesti sunt, tremor originem habeat, exhibenda medicamenta venenis & malignitati aduersantia, neruosque roborantia. Nonnulli, neque sine ratione, si Tremor sit ab hydrargyro, aurum limatum, vel foliatum medicamentis internis (vt & externis, vt dicetur) permiscent. Cum enim aurum cum hydrargyro tantam habeat cognationem, vt hydrargyrum ab auro imbibatur, fieri potest, vt, si id in corpore reperiat, cum eo vniatur, & tandem per aluum excernatur.

Nonnulli docent, hydragyrum sudoribus è corpore elicere, vt instar arenæ cuti adhæreat, & postea aqua ablui possit, hoc modo: Ægrum alternis diebus in balneo sicco lauare iubent, vno die ignitis lateribus affuso vino, in quo saluia & absinth. cocta sint, altero, thure carbonibus iniecto, ægrumque dum balneo egreditur, aquâ vitæ cum melissa destillata, idque diebus 14. continuant.

Extra etiam adhibenda, quæ neruis familiaria sunt, ac membra tremula illinenda theriacâ dissolutâ in ol. irino aut laurino, vel decocto & aquâ saluiæ lauanda.

Vel ℞. *schœnanth. cyperi, acori* seu *calami aromat. spicæ, caryophyll. nucis moschat. piperis*, an. Drach. ij. *hermodactyl. satyrij*, an. Drach. j. *spir. vini* vel *aq. Apoplect.* Vnc. j. *ceræ* q. s. F. Linimentum.

Efficacius redditur, si auri limati, vel foliati Drach. sem. addatur, si malum sit ab hydrargyro. Commendatur & ol. sulphuris, vel Balsamum sulphuris, si tota spina & membrum tremulum eo inungatur.

## *Diæta.*

Diæta pro ratione caussarum conueniens ordinanda. Si à spirituum absumptione, & inediâ pendeat tremor, cibo boni succi corpus quamprimùm reficiatur. Si à cerebri & partium neruosarum intemperie frigida & humida ortum habeat Tremor, diæta conuenit, quæ suprà, *part. 1. cap. 10.* proposita est. In senibus tremulis pullorum, & columbarum iuuenum caro, præsertim tempore hyberno, commendatur.

Bibat æger cereuisiam, vel hydromel saluia, betonica, roremar. conditum. Abstinendum ab immoderato vini vsu, à nimiâ venere, lotione in aqua frigida; neque etiam manûs frigidâ aqua abluendæ, sed potius decocto, vel aqua saluiæ, aut flor. lauendæ.

Nonnulli vrinam ad manuum lotionem commendant. Vtile est & balneum ex aqua thermar. vel marina. aut, si hæc desint, ex decocto plantarum, quæ cerebro & neruis amicæ sunt.

## QVÆSTIO I.

### *An Tremoris vox quandoque etiam pro Rigore accipiatur?*

Tremoris vocem duobus modis à Galeno accipi, propriè, & impropriè, scribit Hercul. Saxonia, *libr. 1, cap. 14.* Propriè pro deprauatione motus ex facultatis motricis imbecillitate, de qua iam actum. Impropriè etiam pro Rigore Atque hanc impropriam significationem vocis Tremoris vsurpatam docet à Galeno, *libr. de Theriac. ad Pamphilian.* vbi scribit; theriacam curare tremores, qui contingunt in febrium accessionibus, &, *2. de Antidot. cap. 9.* vbi docet, Mithridatium curare tremores accessionum febrium. Verum enim verò, etsi vulgus istas appellationes, & symptomata interdum confundit; tamen Medici eas semper discernere solent. Neque loca allegata contrarium probant; sed versione Latinâ vtrobique deceptus est Hercul. Saxonia. Neutro enim in loco aliquid de tremore in textu Græco habetur: etsi versio Latina pro rigore vocem tremoris substituerit; quod etiam Latina attentè legentem facilè latere non potest. Etenim, in *libr. de Theriac. ad Pamphilian.* ita habetur; ἀγαθὴ καὶ παντὸς τύπου ῥῖγος ἀπαλλάξαι, hoc est, *vtilis est Theriaca cuiuscunque typi rigorem tollere,* vbi ῥῖγος, non τρόμος habetur. *Lib. 2. de Antidot. cap. 9.* ita legitur: καὶ τοῖς κατὰ περίοδον πυρετοῖς βοηθεῖ καὶ παρέτοις τρομώδεσιν, id est, *febribus secundum periodum affligentibus auxiliatur, & qui paresi ac Tremore laborant.*

## QVÆSTIO II.

### *An proxima Tremoris Caussa sit vna, facultatis motricis imbecillitas.*

Proximam Tremoris caussam esse facultatis motricis imbecillitatem, quæ membrum, quod à naturali pódere deprimitur, liberè mouere non potest, supra dictum est. Hercul. Saxonia tamen, *loc. alleg.* aliam caussam habet, dicitque, dari adhuc alium tremorem, qui fiat musculis nullâ ratione exercitatis, & motis, ac differre à legitimo tremore, non quidem in forma motus, sed potius in caussis. Esse enim eandem motus formam compositam ex eleuatione, & depressione, sed caussis differre; cum legitimus tremor habeat eleuationem factam à facultate animali, motum depressionis à grauitate membri. Spurius verò habeat motum eleuationis à caussa, vel non naturali, vel præter naturam, vapore scilicet, vel flatu, qui repleat neruosum, & musculosum membrum, & replendo membrum eleuet, motum verò depressionis similiter à grauitate membri.

Verùm fallitur & hîc Saxonia. Et primò confundit palpitationem ac Tremorem. Palpitatio enim est Tremor ille spurius, quem ponit, & motu isto reciproco non totum membrum volũtario motui dicatum, quod tremoris subiectum proprium est, sed solùm musculosa pars cum cute à vapore, vel flatu eleuatur, membro toto situm non mutante, nec moto.

Deinde quod putat, fieri posse tremorem, musculo non moto, vel exercitato, atque hoc in Doctore Bottonno, & virgine quadam moniali se vidisse scribit; etiã in eo deceptus fuit Saxonia. Musculorum enim actio duplex est, vna, quâ pars attollitur, seu transfertur; altera, quâ eleuata seu suspensa, vel in quacunque loci differentia mota, in eodem statu seruatur, quod fit in motu tonico. Ideóque fieri potest, vt, licet vnâ parte manus vel brachium rei alicui quietæ innitatur, nihilominus tamen ob motum tonicum, quem facultas animalis debilis in toto membro præstare non potest, Tremor in membro, quod quiescere videtur, accidat, qui nullius alterius generis est, nec aliam caussam habet, quàm tremor antea descriptus.

Cardanus quoque, *in. 6. Aphor. 26.* seu, vt ipse numerat, 25. Galenum reprehendit, quod vnicam proximã tremoris caussam posuerit, facultatis motricis scilicet imbecillitatem, quæ membrum, vt par est, mouere, vel extensũ seruare nequit. Etsi enim Tremor iste senibus familiaris sit; alium tamen, præter illum ponit, qui & validis corporibus accidat. Talem se vidisse scribit in vxore Mercatoris, Iohannis Angli de Monte, quæ tremore adeo cruciabatur, vt tres viri illam non possent continere, quæ simul & cordis palpitationem patiebatur. Idem in Duce quodam militum se vidisse scribit. Atque omnino maximam inter has duas tremoris species differentiam esse docet. Illum, qui à Galeno & aliis vulgò describitur, accidere senibus imbecillis, aut alio modo debilitatis; hunc verò iuuenibus & validis. Illum esse continuum; hunc habere accessiones, vt comitialem morbum, & conuulsiones: illum tremorem esse lentum, exiguum, ac vix conspicuum; hunc velocem, vt vix contineri possit: illum superposito tabulæ membro cessare; hunc, etiamsi membrum quiescat, nihilominus membrum agitare: illum fieri sursum ac deorsum; hunc etiam ad latera. Caussis etiam differre hoc tremores statuit, vt iam dicetur. Ipse ergo duo genera tremoris constituit, vnum, quod fiat ab imbecillitate facultatis motricis, quod sit tardum, & cum paruâ concussione, ac cesset, si membrũ quiescat: alterum verò velox, & cum magno impetu, ac per accessiones, quod fiat ex corruptione facultatis, non debilitate. Caussam autem corruptionis facultatis, dicit esse vaporem quendam stimulantem & pungentẽ neruos, sicut id & in conuulsionibus videre est, Ascendere autem illos vapores ad cerebrum, & nonnunquam etiam à cerebro ad neruos, aut ad cor transmitti, vnde simul palpitatio cordis accidat; sicut id vxori illius mercatoris accidit. Atque tales etiam tremores esse docet, qui per febres ardentes contingunt, qui accidunt vaporibus talibus ad principium neruorum missis: vnde etiam Aphorismus ille habet; solui Tremorem delirio, vbi scilicet vapor, qui antea principium neruorũ vellicabat, iam ad ipsam substantiam cerebri, eiusque ventriculos penetret. Neque etiam hunc motum ad palpitationem referri possę docet, cum tremor hic sit motus magnus, velox, creber, totius membri sine dilatatione & contractione cum mutatione situs, quorum contrarium accidit in palpitatione, vt ex Galeno, *lib. de Palpit. & Tremore, cap. 5.* videre est.

Non dissentire videtur à Cardano Platerus, qui de caussis Tremoris scribit: Neruorum quosdam affectus non spiritus intercludere, sed neruos alia ratione labefactando, lædendove tremorem inducere; vt si ab humoribus excrementitiis, sicut dictum, non tantùm spiritus intercipiendo imbecillitas hæc in musculo tremoris caussa sit, sed & irritando neruum ad motum, qui in tremore fit, nonnihil impellat; vnde & auctâ caussâ, vel perseuerante, tremor in conuulsionem sæpe desinat.

Verum enimuerò libenter quidem concedimus, motum hunc, quem describit Cardanus, à Tremore, qui vulgo explicatur, omnino distinguendum esse, ne forsan in curatione nobis accidat, quod ipsi Cardano euenit cui, vt, *loco allegato,* ipse scribit, cum Dux quidam militum hoc malo correptus curãdus oblatus fuisset, atque ipse tantùm ea cogitaret, quæ Galenus passim

de

de Tremore ſcribit, nullamque aliam cauſſam eſſe exiſtimaret, quàm facultatis debilitatem, ægrum curare non potuit, quem tamen forſan curare potuiſſet, ſi ea, quæ de hoc tremore addidit, perpendiſſet. Sed non Galenus Cardanũ, verùm Cardanus ſeipſum decepit, dum putauit, hunc affectum, quem in vxore illius mercatoris ac Duce militum obſeruauit, tremorem eſſe à Galeno deſcriptum, & pendere à facultatis motricis imbecillitate; in quo valde errauit. Etenim tremor nunquam fit ſine motu voluntario, & tremor, reſpectu facultatis motricis, eſt motus voluntarij debilitas; reſpectu verò totius membri, motus voluntarij deprauatio: id quod non accidit in hoc motu à Cardano deſcripto, qui omnino contra voluntatem accidit, & ita quidem, vt etiam vi externâ motus ille p. n. ſemper impediri non potuerit. Præterea Tremor non fit cum tanta corporis concuſſione & agitatione; ſed ſaltem in duas ſitus differentias, vnam, in quam, à facultate motrice trahitur, alteram, in quam pondere ſuo membrum vergit. Vnde ad tremorem hic motus à Cardano deſcriptus referri non debet.

Vt verò, quid mihi videatur, aperiam, conuulſiones, epilepticis non diſſimiles fuerunt hi motus, quos Cardanus pro tremore habet. Etſi enim in perfecta epilepſia ægri concidant: tamen ſi cauſſa ſit leuior, id non ſemper accidit, & talis epilepſiæ exempla in Inſtitutionibus recenſuimus, ac tale etiam habet Smetius, *in Miſcell. pag.* 526. Ac hoc ipſo anno 1624. fœmina quædam Halæ Saxonum tale quid perpeſſa fuit, quæ cum cancrum exulceratum in mamma haberet, atque indies ille profundius ſerperet, tandem cum corruptio vſque ad membranam thoracis perueniſſet, aliquoties tales cõuulſiones paſſa eſt, vt etiam ab aliquot hominibus quieta contineri non potuerit. Quomodo autem & reſolutiones & conuulſiones ex conſenſu thoracis fiant, docet Adrianus Spiegelius, *de human. corp. fabr. lib.* 6. *c.* 4. nimirum ob conſenſum, qui eſt inter arterias intercoſtales, & ſpinalem medullam, prouenitque à propaginibus illis, quæ in ſpinam ſe penetrant per foramina thoracis. Atque facile hoc cognoſcere potuiſſet Cardanus; cum ipſe ſcribat, Tremorem hunc acceſſiones habuiſſe, & membrum concuſſiſſe, & à vapore neruos vellicãte ortum habuiſſe. Ideoque vel ad epilepſiam, vel ad conuulſiuos motus potius hic tremor, quem ita appellat Cardanus, referri debet, quàm ad tremorem propriè dictum. Si enim cerebrum & principium neruorum ſimul afficiatur, eſt epilepſia; ſi verò neruorum propagines infra caput afficiantur, fiunt motus conuulſiui.

Quod verò tremores illos in febribus ardentibus attinet, hîc concedendum puto, conuulſionem quandã interdum cum tremore concurrere, & tunc ſpaſmum τρομώδη aut τρόμον σπασμώδη appellari poſſe. Facilè enim accidere poteſt, vt facultas ex morbo ad mouendum ſit debilis, & inde fiat Tremor: quod ſi humor ſit magnus & ſimul neruos vellicare incipiat, tremori conuulſio accedit, & motus quidam ex conuulſione & tremore miſtus accidit.

Atque ita vna proxima tremoris eſt cauſſa debilitas facultatis motricis, quæ membrum eleuatum in eo ſtatu ſeruare nequit. Notus verò illi, qui à vellicatione neruorum oriuntur, cõnuulſiui ſunt.

## QVÆSTIO III.

### *An Tremor ab errore externo quoque prouenire poſſit?*

Capiuaccius, *cap. de Tremore.* motum in Tremore duobus modis deprauari ſtatuit, vel læſa facultate, vel ab errore externo; & ad errorem externum refert primò vitium ſpirituum animalium, quod hi nequeunt facultatem influxam ſeruare robuſtam. Deinde mobile, ſeu pondus mobilis, partiumque motui deſtinatarum, cuius exemplum ponit ſanguinis abundantiam, & potum copioſum. Tertiò ad vitium ſpirituum & pondus ſimul refert venena, frigiditatem nimiam, calorem, & humores calidos, ac ſimilia, quæ cùm ſpiritibus animalibus aduerſantur, tum calidum partibus inſitum lædunt.

Verùm non video, quomodo aliquid ad errorem externum referri poſſit, quod obiecti rationem, reſpectu motricis facultatis, non habet. Itaque ſpirituum vitium non ad errorem externum, ſed partium, quæ proximum motus organum ſunt, neruorum ſcilicet, morbos & diſpoſitionem p. n. rectiùs referri puto. Spiritus enim animales influentes inſitum neruis calidum perficiunt, temperiemque eorum quaſi complent, &, vt facultas motrix motum actũ præſtare poſſit, efficiũt. Potus verò copioſus; & ſanguinis euacuandi retentio, tremoris cauſſa ſunt, non quod membrum nimis graue reddunt, ſed potius, quia vel inſitum neruis calorem debilitant, vel ad vitioſorum humorum, qui idem efficiunt, generationem faciunt.

Atque idem præſtant venena, frigus nimirum, & humores in febribus ardentibus; qui ipſi tamen maligna ſæpe, & occulta potius vi, quàm manifeſta qualitate, neruis inimici ſunt; vt ſupra de cauſſis dictum.

## QVÆSTIO IV.

### *Quomodo Hydrargyrum Tremoris Cauſſa ſit?*

Hydrargyrum Tremoris cauſſam eſſe, extra dubium eſt, teſtaturque id experientia. Nec ignotum eſt id aurifabris, qui ad noxam, quam argentum viuum inferre poteſt, vitandam, dum argentea vaſa inaurant, in aere libero, vento ſecundo, ſedere ſolent, vt fumus argenti viui ab eis arceatur. De modo autem controuerſum eſt. Nonnulli & vaporem argenti viui noxium eſſe, & in inunctionibus extra etiam adhibitum neruis nocere ſtatuunt. Alij ſaltem vaporem ore exceptum noxiũ eſſe docent, Platerus, *in tract.* 1. *de Cauſſis Tremoris*, vtrumque negat, & argentum viuum in ſubſtantia, nec per ſuffitum nec per inunctiones corpus ſubire, ſed viribus tantùm eo vſque deductis, neruis nocere ſtatuit.

Verum enimuerò nemo, qui argentum viuum tractauit, eiuſque naturam cognitam habet, Platero facilè aſſentietur. Etenim Hydrargyri ea natura eſt, vt in alia corpora ſeſe intimè inſinuet, eiuſque miſtio tã exacta, vt naturam ſuam, quocunque etiam modo mutata videatur, non amittat, ſed ad priſtinam naturam facilè redeat; vapórque Mercurij nihil aliud eſt, quàm ipſum argentum viuum in tenuiſſima corpuſcula redactum. Ideoque vtrumque fieri putamus, vt & vapore ac ſuffitu, & inunctionibus noceat, & quidem nõ ſolùm qualitates communicando, ſed etiam ſubſtantiam. Etenim vapor ille, vt dictum, nihil aliud eſt, niſi Mercurius in ſubtiliſſimas & minimas partes reſolutus, qui facili negotio in Mercurium viuum & currentem etiam redit, quod Chymicis tam notum eſt, quàm quod notiſſimum. Quin verò & inunctionibus in corpus penetrare poſſit, nemo dubitabit, cui vires argenti viui notæ ſunt; atque ipſa experientia id confirmat. Quantũ enim è ſuffitu & inunctionibus corpori nocere poſſit, hiſtoriis & exemplis demonſtrãt, Fernelius, *de Lue Venerea, cap.* 7. Iulius Palmarius, *de morb. contag. l. de hydrarg. c.* 5. Foreſtus, *lib.* 8. *obſeru.* 5. & quidem non ſolùm qualitate, ſed & ſubſtantiâ, facilè patebit ei, qui exẽpla iſta & hiſtorias diligenter perpendet. Præterea refert Laurentius Scholtzius, *in obſeru. Schenck. lib* 7. *de Hydrarg. obſeru.* 20. cuidam frequenter vtenti Mercurio accidiſſe, vt Mercurius brachio eleuato & demiſſo in eo fluctuaret, & motu manifeſtè perciperetur.

CAPVT

## CAPVT XXVI.

### De Motus Impotentia in Genere.

CVm Tremor ſæpe ſit paralyſis ſequentis prælu-dium,iſque,vt à facultatis motricis imbecillitate dependet,ita in motus impotentiam, & abolitionem ſæpe deſinat; commodè atque ordine poſt tremorem iam de motus impotentia,& abolitione agimus.Et primò quidem in genere de motus impotentia; poſtea in ſpecie de Paralyſi dicemus.

*Motus impotentia latius patet, quàm paralyſis.* Notandum enim hîc, motus impotentiam latius patere,quàm paralyſin.Nam ob luxationem articulorũ, & oſſium diſlocationem, eorundémque fracturam, ob vulnera, ob tumores, ob exſiccationem, & duritiem tendinum ac ligamentorum, & ſimiles cauſſas, membra,vt debent,& ſecundum voluntatis imperium moueri non poſſunt, ac mouendi impotentia excitatur, quæ tamen paralyſis non dicitur. Neque cui crus fractum,ac vulneratum eſt,paralyticus appellatur,etſi ambulare non poſſit: ſed tum ſolum paralyſis nominatur cum facultas motrix læditur, aut fruſtratur,ob ſpirituum animalium in muſculis defectum, vt, *capite ſequenti*,dicetur.

*Cauſſæ impotẽtia motus.* Cum ergo plures cauſſæ eſſe poſſint, ob quas facultas motrix in officio ſuo impeditur,eas omnes in conſpectu habere oportet,vt, quæ in quolibet ægro locum habeant,inueſtigari queat. Cum autem motus voluntarij organum ſit muſculus,nerui ſpiritum animalem, ſine quo nullus fit motus voluntarius,deferant, cerebrum verò eum communicet & tranſmittat;ac inſuper mẽbrũ,quod moueri debet, naturaliter diſpoſitum eſſe debeat; in hiſce quatuor impedimenti ac læſionis,quæ in motu voluntario accidit,cauſſa quærenda eſt. De ea verò motus impotentia, quæ fit ob ſpirituum animalium defectum,ac neruorum, ſpinalis medullæ, ac cerebri vitium, poſtea de paralyſi ac apoplexia dicemus. Hoc verò capite eas cauſſas ſaltẽ explicabimus,ob quas citra paralyſin & apoplexiam motus animalis læditur; & præcipuè de muſculorum ac partium muſculis connexarum,& quæ mouentur,vitiis & morbis.

*Motus impotentia à nimia muſculorum refrigeratione.* Et muſculos quod attinet, primò nimia eorum refrigeratio cauſſa motus impotentiæ eſſe poteſt:id quod iis accidit,quibus manus vel pedes ab externo frigore aëris,vel aquæ,nimis refrigerati ſunt,in quibus neque manus,neque pes officium faciunt, & neque rectè apprehendere,neque rectè ambulare poſſunt.

*Motus impotentia à muſculorum exſiccatione.* Deinde exſiccatio muſculorum interdum motus impotentiæ cauſſa eſt,vbi videlicet muſculi, tendineſque iis inſerti ita exſiccantur & indurantur,vt amplius flecti aut contrahi,&extendi nequeant.Tunc enim membrum fixum & immobile manet. Accidit hoc ſæpius poſt nimios labores,præcipuè in ſenibus,quibus membra ita exſiccantur,vt digiti & manus incuruæ maneát neque rectè amplius officium facere poſſint. Accidere etiam poteſt interdum exſiccatio ex pinguedinis, quæ muſculis adnata eſt,defectu,vt & à glutinis illius, quo tendines oblinuntur, abſumptione; quæ ab atrophia dependet.Cuius rei notabile exemplum eſt apud Foreſtum,*lib.*10.*obſeru.*97. de puero quodam, qui crurum atrophiâ laborans,vt ambulare non poſſet pro paralytico à multis Medicis,quorum conſilia, *loco allegato*, videre eſt, fruſtra curatus, tandem verò à Foreſto reſtitutus eſt,

*Motus impotentia à duris tumoribus.* Nonnunquam tumor durus,veluti ſcirrhus,aut nodus ab excrementis in muſculis genitus, inprimis circa tendines,vbi plures in articulorum regione concurrũt, mouendi impotentiam excitat;id quod in carpo,& circa genu frequentius accidere ſolet,Germani ab hac,& priori cauſâ mouendi impotentiâ laborantes Contractos vocant, quod manus, vel genua incurua & rigida contrahuntur, vt extendi planè non poſſint. Idem à cicatrice poſt vulnus in muſculo, vel tendine, qui vulnerati,nõ verò planè diſſecti erant,accidere poteſt,à quo vulneris labiis contractis, muſculoque breuiore reddito,pars,cui inſeritur,contrahitur, nec rectè moueri poteſt; quod non ſolum in articulis manuum ac pedum accidit,ſed etiam muſculo temporali læſo accidiſſe, indeque os adeo conſtrictum fuiſſe, vt vix liquidiſſimos cibos admitteret,obſeruauit Platerus.

*Motus impotentia à nimia tendinũ extenſione.* Si quoque extendantur per motum violentum nimium tendines adeo, vt fiant inde diſtracti longiores, quam par erat, aut à vinculis, quibus continentur,liberentur,ac laxentur, accidit, vt membrũ poſtea ſufficienter eleuari nequeat.Ita refert Platerus,*lib.* I.*obſeru.*140.cuidam lapicidæ,dum ſaxum immẽſæ molis volueret, adeo tendines in ſiniſtra manus vola ad digitos,annularem & minimũ deſinẽtes, attractos fuiſſe, vt à vinculis,quibus detinentur,laxati,eleuatique duas chordas ſub cute tenſas in altum referrent, contractique hi duo digiti & attracti poſtea ſemper manerent. Contractionum talium aliquot hiſtoriæ videantur apud Platerum, *obſeru.lib.*1.*à pag.*137.*ad pag.*140.

Tumor etiam in muſculo dolorem coniunctum habens motus impotentiæ cauſſa eſt, membrumque dolens,vt par eſt,ægri mouere nec poſſunt,nec volunt.

*Motus impotentia à ſoluta continuitate.* Tandem ſoluta continuitas in muſculis vel illorum tendinibus facit,vt membrum, quod trahere debebant, mouere non poſſint, partim ob dolorem,ob quem pars vulnerata moueri non poteſt, partim quod muſculus, vel tendo vulneratus contrahi,aut extendi nequit. Idẽ efficiunt vlcera, & præcipuè poſt iſchiadicos dolores orta, quæ membranas, neruos,ligamenta, & tendines circa coxæ articulum corrumpunt,vnde claudicatio,aut ad motum impotentia excitatur. Idem tamen & in aliis articulis fieri poteſt.Sicut etiam à magnis combuſtionibus ad articulos nerui & tendines quandoque ita retrahuntur, vt membrum inde incuruetur; præcipuè ſi circa initia Chirurgus ferulis & aliis idoneis medicamentis incommodum non præcaueat.

Secundò in partibus muſculis annexis, & præcipuè oſſibus,nonnunquam tamen & ligamentis ac cartilaginibus,cauſſa motus impotentiæ hæret.

*Motus impotentia à cõformatione oſſiũ vitioſa.* Primò ſi conformatio oſſium ſit vitioſa, qualis nonnullis à primo ortu obtingere, vel etiam ex fracturis accidere ſolet, motus impeditur, vt vel æger claudicet,vel manu rectè apprehendere non valeat.

*Motus impotentia ab oſſium luxatione,& fractura.* Secundo diſlocatio oſſium, & luxatio, & ea qualiſcunque motui obeſt. Præterea ſi oſſa frangantur, membrum moueri non poteſt, partim quia, cùm pars oſſis fracti,cui muſculus & tẽdines inſeruntur,mouetur,reliqua pars abrupta nõ ſequitur:partim propter dolorem,qui etiam leui motu in oſſe fracto excitatur.

*Motus impotentia à ligamentorum vitiis.* Inſuper cauſſa motus impotentiæ in ligamentis articulos obuoluentibus & firmantibus eſſe poteſt. Eorum enim continuitas ſi ſoluatur,vel ſi laxentur, oſſiũ luxatio, vel membri elongatio, quam appellant,accidit. Nam quandoque ligamenta rumpuntur, quandoque etiam ex vulnere ſoluuntur; ſed vtrumque rarius accidit. Nonnunquam etiam ex vlcere ibi latente exeduntur; quod in coxendicis articulo ob ſinuoſa ibi excitata vlcera accidere ſolet: vnde nonnulli toto reliquo vitæ curſu luxato & abbreuiato crure claudi manent, vel pede elongato claudicant. Nonnunquam diſtractis ex tenſione nimiâ, & motu violento quocunque ligamentis articulos firmantibus, & ex parte ab oſſibus, quibus cohærent, veluti auulſis motus articuli impeditur, cum dolore ab initio ſæpe diu moleſto. Denique laxata ligamenta neque membrum ſatis firmant & conſtringunt; vnde fit, vt articuli elongentur, & facili de cauſſa luxentur. Idque nonullis ab ortu accidit, vt crura quaſi pendula, & vnum altero longius obtineant, ac facili de cauſâ oſſium diſlocationem patiantur. Si quoque exiccentur nimium, & indurentur ligamenta; id quod in calloſa & nodoſa podagra fieri ſolet,

ſolet,articulus & membrum immobile manet,vel ægrè mouetur,& cum mouetur,ſtridor aliquis ac fragor, ac ſi rumperetur,percipitur.

*Motus impotentia à cartilaginis vitio.* Tandem ſi cartilago, quæ capita oſſium mobilium munire ſolet,ſuam illam naturalem lubricitatem amittat, & hinc cartilago vel exſiccetur, vel exaſperetur, motui impedimento eſt.Atque hæ cauſſæ ſunt,ob quas citra paralyſin ſpontaneus motus impediri, vel tolli poteſt.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa diagnoſtica.* Ipſum motus impedimentum per ſe obuium eſt,nec ſignis opus habet.Cum verò pro diuerſitate cauſſarum cura varianda ſit,cauſſæ diligenter iuquirendæ.

Primò refrigeratio manuum vel pedum latere non poteſt,ſed ipſe æger, quid paſſus ſit,referet.

Exſiccatio & Induratio muſculorum ac tendinum, & atrophia membri,viſu ac tactu comprehenditur,poteſtque hac in re Medicus, ne fallatur, & atrophiam membri pro paralyſi habeat,ſatis inſtrui à Foreſto. *loco anteà allegato, lib.*10.*obſeru.*97.

Contractos etiam, & qui ſcirrhos ac nodos circa articulos habent, facilè à paralyticis viſu & tactu diſcernere licet. Paralyticorum enim membra aliorum ope flecti & extendi poſſunt; membra verò contracta& rigida etiam aliorum ope extendi non poſſunt, ſed incuruata manent, tumoreſque duri tactu deprehenduntur.

Si ab extenſione violentâ tendinum & ligamentorum motus impotentia proueniat, æger ipſe,quid violenti paſſus ſit, vel quid egerit,referet;atque ipſa extēſio tendinum tactu deprehendi poteſt.Ita tumores,vulnera, vlcera, combuſtiones in muſculis,& circa articulos vſui obuia ſunt.

Oſſium quoque vitium,ſeu organicum ſeu luxatio, ſeu fractura,ſenſibus deprehenditur,diceturq; de ſignis fracturarum & luxationum ſuo loco. Ita ſi ligamenta vel rumpantur, vel vulnerentur, ex cauſſis euidentibus,quæ præceſſerunt,id patebit. Et tunc articuli luxantur, & membrum plerumque iuſto longius reddi-tur;quod ſi accidat,& nihil tale præceſſerit, indicio eſt, ligamentum laxius redditum fuiſſe.

Exſiccatio ligamentorum tactu deprehenditur; & tum inter mouendum ſtridor plerumque percipitur.

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.* 1.Quæ à refrigeratione extremorum mouendi impotentia, facilè refrigeratione ceſſante, & plerumque ſponte, ceſſat. Nonnunquam tamen medicamentis opus habet.

2. Immobilitas membrorum, quæ ab exſiccatione & induratione muſculorum,item duris tumoribus,nodis, callis,vel cicatricibus in tendinibus & ligamentis accidit,curatu difficilis eſt,& ſi malū diuturnum ſit,ac ratione ętatis,& ob labores diuturnos obtigerit,ferè incurabilis eſt. Recens verò curationem ſæpe admittit.

3. Si impotentia membrum mouendi fiat, quòd à violentiâ tendo aut ligamentum diſtracta ſint incurabile malum eſt, ſi, vt & muſculus penitus amputatus ſit.A combuſtione vitium facilius, vel difficilius curatur,prout illa minor vel maior eſt.

4. Si ab organico oſſium vitio motus impedimentum eueniat,idque ſit natiuum,& à primo ortu contractum,malum incurabile eſt.

5. Si luxatio,vel fractura rectè curetur,etiam impedimentum motus tollitur: ſi verò incurabilis eſt, vel integrè curari non poteſt; & motus impedimentum aliquod remanet. De prognoſticis autem luxationum & fracturarum dicetur ſuo loco.

6.Quæ ab vlceribus diuturnis circa articulos,præcipuè coxēdicē,eſt immobilitas,plerumq; incurabilis eſt.

7. Eadem ratio eſt ligamentorum vitij. Si enim illud curabile eſt,mouendi impotentia corrigi & tolli poteſt: ſin minus, perpetuum motus impedimentum remanet.

### *Curatio.*

*Curatio motus impotentia à refrigeratione.* Primò, ſi ob refrigerationem nimiam manus, vel pedes officium facere non poſſunt,plerumque,ſi æger de loco frigido in calidum ſe conferat,ſpōte ceſſat malum.Hoc tamen hic notandum,ſtatim ad ignem & locum valdè calidum non accedendum, neque medicamenta calida mox applicanda eſſe. Hoc enim ſi fiat, magnus dolor percipitur, & nonnunquam, ſi magna ſit refrigeratio, etiam gangræna inducitur. Imò ſi magna ſit refrigeratio, aquâ frigidiſſimâ pars primùm lauanda, aut niue fricanda eſt: id quod Norvvegis,Finlandis, & aliis Septentrionalibus populis familiariſſimum eſt. Documentum huius rei præbent,rapa,poma, & oua congelata. Si enim ea in aquam frigidiſſimam iniiciantur,gelu extrahitur & extra adhæret, & ea incorrupta manent. Si verò in aquam calidam,vel tepidam iniiciantur, corrumpuntur. Poſtea verò ſi aliquid intemperiei adhuc remaneat,fouenda calidis medicamentis,vt decocto baccar.lauri, roriſmar.ſaluiæ,lauendul. & ſimil. aut lacte dulci,in quo ea cocta ſint,aut oleis calidis, de cerâ, terebinth. de lateribus, & ſimilibus inungenda.

*Curatio motus impotentia ab exſiccatione.* Secundò, ſi ab exſiccatione muſculorum & tendinum ſit membrum mouendi impotentia, humectantia & calefacientia,neruoſque roborantia adhibenda.Muſculus vel tendo ad eum tendens inungendus ol. amygdalar. dulc. violar. chamæmel. lilior. albor. lumbricor. hyperici, pinguedine anſerinâ, humanâ, præcipuè medullâ crurum vituli, terebinth. & ſimilibus. Alij commendant pinguedinem iuniorum catulorum per decoctionem paratam hoc modo: Catulorum,qui 9.dies non excedunt,ſumantur numero iij. exenterentur,& decoquantur in aqua communi ad totalem carnis diſſolutionem: vbi pinguedo ſupernatabit, refrigeſcat; hinc pinguedo colligatur, & vſui ſeruetur. Balnea etiam,& fomenta vſurpentur,ex radic.althéæ,liliorum alb. bryoniæ, ireos, mandragoræ, quæ etiam valde emollit, foliis maluæ, violar.althéæ,ſaluiæ,chamæpyt. thymi, florib. chamæmel. melilot. ſemin. lini fæni græc. pſyllij.Etſi enim quædam ex his diſcutere,& ita magis exſiccare videntur:tamen humectantibus admiſtis illud præcaueri poteſt. Interim vim neruos roborandi habent. Vbi tamen attendendum, an impotentia motus ſit ex ſimplici exſiccatione,an verò etiam ichores in partibus contenti motum naturalem impediant;& cuilibet indicationi conuenientia medicamēta eligenda. Ex his enim quæ proponuntur, non omnia impotentiæ ab exſiccatione,ſed illi,vbi tendines & ligamenta ſunt laxa,& humida,conueniunt,quod facilè prudens Medicus agnoſcet,& diſcernet.

Poſſunt & inſeſsûs ex decocto ebuli,& radic.althéæ parari,& ſingulis quinque diebus renouari.

Vel parentur ſeq.ſpecies pro Balneo:

℞.*Rad.ebuli* ℔.iiij.*baccar.lauri,iuniperi,rutæ ſylu*.an. M.ij.*fl.chamæmeli,hyperici,agrimon.fol.ſalicis,querc*.an. Mj.M.Cataplaſmata ex iiſdem fiant.

Emplaſtra parantur ex gummi ammoniac. elemi, bdellio, galbano, opoponace, ſtyrace calamitâ, medull. crurum vituli,radicibus ireos,lilior.albor.& ſimilibus.

Vt ℞.*Rad.althéæ,bryon.lilior.albor* an.Vnc.j.*maluæ. althéæ, chamæpyt.fl.chamæmel.melilot*. an. Mj.*ſem.fæni-græc.lini*,an.Vnc.j.

Coq.in decocto pedum & capitis veruecis pro Fomento.

Poſtea inungatur locus affectus tali Vnguento:

℞. *Vnguenti dialth.* Vnc.j. *axung. human. gallin. anſeris,*

*anseris, medull. crur. vitul.* an. Drach.ij.*succi lumbric.* Drach.ß.

M. pro Vnguento. Postea Emplastrum diachylon imponatur.

Post balneum & hoc Vnguento membra affecta mox illini possunt:

℞. *Gumm. Ammoniac. opopan.* an. Vnc.j.ß.*bdellij.* Drach.vj.Dissoluantur in sp. vini Rhen. add.*ol.lumbricor.terrest.* Drach.jx.M.

Platerus, *lib.* 1. *obseru. p.* 138.139.140.non sine fructu hisce vsus est: primo hoc Vnguento:

℞. *Ol. lumbric.lilior. albor.*an.Vnc.ij. ß. *cheirin.irin.* an. Vnc. ß.*lithargyr.* Vnc.j. Coque parum, & addatur *gummi Ammoniac. dissolut in aq.vitæ* ℥.j. *styracis* ʒ.ij. *laricea* Vnc.ß.*ceræ* q.s.F. Vnguentum.

Euplastrum postea tale apposuit.

℞. *Gummi Ammoniac.* Vnc. ij. *galban. opopanac. bdellij*,an.℥.j.Dissoluantur in aq.vitæ,adde *styrac. calamit.*℥.ß.*pinguedin.anserin.medull crurum vituli*, an.℥.j. *thuris* ʒ.ij.*rad.ireos*,ʒ.j.*hermodactyl.*ʒ.j ß.*laricæ* & *resinæ communis* q.s.F.Emplastrum.

Manè remoto emplastro hunc Fotum instituit:

℞. *Rad. althéæ, bryon. ireos,lilior.recen.incisar.*quantum poculum vulgare capit,*absinthij, thymi, saluiæ*,an. M.j.*flor.chamæm.meliloti*, *sambuci*,an. p j. *sem. lini,fœnigræc.*an.cochl.iij. vel iiij.

Cocq. in decocto intestin. capitis & pedum vituli, addito pauco vino.

Plura eiusmodi medicamenta videantur *lib.* 3. *de Scorbuto,de Curatione membrorum contractorum & rigidorum.*

Manualis quoque opera,ac instrumenta,& machinæ ad tendines, musculos, & ligamenta adstricta sensim relaxanda, & extendenda non incommodè adhibentur.Sed id pro membrorum affectorum ratione variâ variis modis perficitur. Si digitus vnus, vel plures in manu sint extensi,annulus illi indendus,qui alij annulo vicino digito sano adhibito affixus & cõnexus sit.Ita enim cum sanus digitus mouetur & contrahitur,alter simul inflectitur. Si verò membrum, vt genu,brachiũ, digitus,contractum,sit sensim indies, & sæpe membrũ vel manibus, vel pondere appenso, quod in pede fieri potest,vel idoneis instrumentis & machinis extendendum. Instrumenta ad hanc rem idonea videantur apud Guilielmum Fabricium.*Centur.*1.*obseru.*83. & *libr. de Combust cap.*15.

Ad atrophiam illam in cruribus in adolescente,vnde motus impotentia orta erat,adhibuit Forestus singulis diebus manè,interdum & bis de die, frictiones mediocres manu factas,dum adhuc in lecto decumberet manè æger, per integram horam, incipiendo à coxa vsque ad talos & pedes, & sursum, atque deorsum membrum fricando,vt eo modo apertis poris, & meatibus sanguis ad crura tabida conflueret. Has frictiones cũ per dies 12. & plures continuasset,peruenit ad vnctiones, quæ humectarent & moderatè calefacerent. Prius nimirum per dimidiam horam instituit frictiones illas siccas cum panno aspero, deinde talem inunctionem adhibuit.

℞. *Ol.amygdal.dulc.*℥.ij.*chamæmel.*Vnc.j. Misce,quo modo adolescentem pristinæ sanitati restituit.

*Curatio motus impotentia ex scirrhis,durisque tumoribus,ac ligamentorũ vitiis.*

Tertio Eodem modo,quo ob exsiccationem tendinum & musculorum motus impotentia curatur, etiam tollitur motus impotentia ex scirrhis,durisque circa articulos tumoribus;modò sint curabiles;vt & à combustione, aut ligamẽtorum exiccatione ac duritie ortum habens,videlicet per emolliẽtia antea proposita,& mẽbrorum rigidorum, manuum, vel instrumentorum idoneorum opera in contrariam figuram sensim factâ extensione. Guilelmus Fabricius,*loco allegato*, in contractionibus à combustione callum nouacula exscindit, & partes,quæ præter naturam coaluerunt, separat, ac vulnus debito modo curat.

Quarto.Mouendi impotentia ex fractura vel luxatione tollitur, curatâ fracturâ, vel luxatione; quod quo modo fieri debeat,dictum in Institutionibus,*lib.*5.*part.*1.*sect.*2.*c.*3.& 4.& dicentur de iis suo loco plura.

---

## CAPVT XXVII.

### *De Paralysi.*

*Paralysis.*

PAralysis, à παραλύεσθαι, id est, resolui, dicitur: quoniam neruus & musculus,in quem neruus inseritur ita resoluitur,& eneruatur,vt ad motũ προαιρετικὸν exercendum fiat planè ineptus. Est enim, vt Galenus, 3. *de loc. affect. cap. vlt.* habet; Paralysis maxime τῆς κινήσεως ἀπώλεια, Vbi verò sensus solùm periit: ea, si propriè loqui libeat, partis est ἀναισθησία. Etsi & ea affectio, vbi sensus & motus simul perit, nomine paralyseos comprehendatur. Cognata Paralysi est νάρκη, ἡ, νάρκωσις, hoc est, torpor, vel stupor, quæ affectio etsi potissimum sensus hebetudo sit: tamen etiam à Medicis pro affectu ex sentiendi, mouendique difficultate composito accipitur, seu pro diminutâ & imperfectâ Paralysi. Stupor enim seu Torpor sæpe ad veram Paralysin via est,eiusque futuræ prodromus; & saltem caussarum magnitudine hi duo affectus differunt. Particula autem παρὰ hoc loco vim minuendi habet, vt παραλυόμενοι media corporis parte, aut vno in membro resoluti dicantur, cum λυόμενοι & καταλυόμενοι qui toto corpore hoc modo affecti sunt, quales apoplectici & morti vicini, de quibus Hippocrates, 2. *Aphor.* 47. Nominatur & παραπληγία, vel παραπληξία, tanquam vnus medietatis corporis resolutio, inde & ἡμιπληγία appellatur, ad differentiam apoplexiæ, quæ πάθος est & affectus totius. Sic enim Galenus, *in* 3. *Prorrhet. Aphor.* 26. & 68. scribit, παραπληγία tale πάθος est dimidij corporis, quale apoplexia totius. Denique πάρεσις quoque pro Paralysi vsurpatur. quæ remissior laxatio, aut resolutio est membrorum,mouendi facultate potissimum deficiente. Ab Auicenna & interpretibus vulgò Mollificatio nominatur; non quod reuerâ nerui emolliantur & laxentur, sed quod molliores videantur, Propria enim musculi actio est contractio ad originem, quo fibræ neruorum & tendo fit rigidior & durior quasi, vt in fidibus etiam fieri videmus. Cum autem fibræ illæ ab illâ actione cessant,& tendines non contrahuntur,aut non contrahi possunt, videntur esse molliores, etsi reuerâ molliores non sint, ac nulla essentialis mollities ipsis accidat; sicut & fides, cum remittuntur,reuera non molliores,sed laxiores fiunt.

*Paralysi cognatus est stupor.*

*παραπληγία, παραπληξία, ἡμιπληγία.*

*πάρεσις.*

*Mollificatio.*

Cur autem accidat, vt nunc sensus & motus simul, nunc motus saltem,saluo sensu,aut contra,saluo motu, sensus saltem aboleatur, de eo dictum est in Institut. quæ hic repetere opus non est.

### *Definitio.*

Est videlicet Paralysis motus in parte vna, vel pluribus abolitio, (nonnunquam & sensus simul abolitur) ob spirituum animalium ad motum spontaneum necessariorum defectum. Cùm enim plures & diuersæ sint caussæ, ob quas hæc motus abolitio fieri potest, omnes ad caussam vnam aliquam redigi oportet, quæ est spirituum animalium defectus. Spiritus enim animales ad motum voluntarium, vt & sensum, omnino necessarij sunt,ac sine illis nullus sensus ac motus perfici potest. Vulgò quidem docetur, caussam proximam esse denegatum influxum facultatis motricis. Verùm, vt alibi sæpius dictum est, propriè loquendo facultates non influunt, sed anima vbicunque est, ibi omnibus suis facultatibus prædita, & instructa est. Exercet autem illas organis idoneis. Ad quorum perfectionem

perfectionem & spiritus animales influentes requiruntur, qui faciunt, vt facultas insita in actum prorumpere possit.

### Differentia.

Aboletur autem motus nunc in toto corpore, (quod tamen rariùs accidit) seu in omnibus infra caput partibus, citra læsionem actionum principum, (Hæc enim si coniungatur, est apoplexia) cum spinalis medulla tota affecta est: nunc alterum latus tantum, seu sinistrum afficitur; dextrâ scilicet, aut sinistrâ saltem parte spinalis medullæ læsa: nunc determinatæ saltem partis motus tollitur, vt manus, pedis, palpebrarum, à quibus etiã nomen accipit, & Paralysis pedum, manuum, linguæ, palpebrarum, aut alterius partis nominatur.

### Caussæ.

Caussa. Etsi verò de causâ proximâ nulla sit controuersia: in caussarum tamen reliquarum enumeratione non parum discrepant Autores. Quamquam enim è Galeno & Auicenna suas opiniones omnes ferè depromant: alij tamen aliter eas explicant. Galenus quidem, *libr. 1. de Symptom. Causs. cap. 5.* de Paralysis causis hæc habet: *Continens siue proxima, siue quomodocumque alio vocabulo libeat appellare, huius symptomatis caussa est talis quispiam in neruo affectus, cuius occasione à principio ad ipsum virtus transmitti prohibetur. Porrò prohibetur, siquidem meatum aliquem neruus habet, qualem qui ad oculos descendunt, manifestè habere cernuntur, vel ex obstructione, vel compressione: si autem non habet, ex constipatione, vel frigore, vel compressione.*

Auicenus verò, *cap. proprio*, ita de caussis Paralysis docet: *Destructio sensus & motus fit, quoniam spiritus sensibilis, vel motiuus, aut retinetur à penetratione ad membra; aut penetrat, sed non suscipitur eius impressio propter complexionis corruptionem.*

Hinc plerique doctiores Medici de caussis Paralysis ita sentiunt, quod facultas influens (rectius spiritus influens) vel non transmittitur, ob morbum neruorum eum deferentium; vel non suscipitur, licet influat, membri recipientis vitio. Alij tamen aliter id explicant.

Nos, vt hæc hoc loco breuiter contrahamus, (plura enim postea infra, *quæstione 1.* dicentur) statuimus, cum à neruo musculus omnem vim mouendi accipiat, hicque & suam peculiarem temperiem, & similarem constitutionem necessariò habeat, &, vt spiritum animalem à cerebro in musculos ferat, etiam organicam constitutionem obtineat: à neruorum, siue in partem ipsam, quæ moueri debet, insiti sint, siue longius ab eâ remoti, & ad eam tendant, vitio & morbis omnem Paralysin prouenire. Et quidem neruos (sub quibus & spinalem medullam comprehendimus) malè affectos Paralysis caussam esse, vel vt sunt partes similares, atque intemperie laborant, aut νάρκωσιν patiuntur; vel vt instrumenta & canales spirituum animalem ferentes, dum angustiâ præter naturam laborant; vel qum ipsorum vnitas soluta est. Etsi enim partis ipsius, quæ moueri debet, vitio spiritus animales non suscipi etiam vulgò dicatur: tamen id omne partibus obuenit, quatenus sunt neruosæ & neruos obtinent; & ob neruos ipsis insitos hoc accidit. Quamuis, vt postea dicetur, ob curationem & medicamentorum applicationem necessarium sit inquirere, an in ipso musculo, seu neruo musculo inserto, an verò in via, seu neruo ad ipsum tendente caussa mali sit.

Quod verò nonnulli addunt tertium; nimirum caussam posse esse etiam in origine, id superuacaneum videtur. Nam si intelligunt originem spinalis medullæ, aut cuiuscunque nerui; & tum in via à cerebro ad mẽbrum caussa hæret. Si autem per originem ipsum cerebrum intelligunt, (sicut nonnulli statuunt, quod in cerebro caussa Paralysis esse possit, si illud spiritibus destituatur) verum equidem est, cerebro affecto motum in toto corpore aboleri posse; verùm is affectus non est Paralysis, sed apoplexia, vel aliquis soporosus affectus.

Cum ergo tria ista tantùm morborum genera, intẽperies & νάρκωσις, angustia, & soluta vnitas in neruis, siue à cerebro, aut spinali medulla ad membrum aliquod tendentibus, siue alicui musculo insertis, sint caussa Paralysis, quæ faciunt, vt musculus spiritibus animalibus destituatur; (quorum defectum proximam & coniunctam Paralysis caussam esse diximus) de his ordine dicemus.

Paralysis ab intemperie frigida & humida in neruis. Et primò quidem Intemperiem quod attinet, in eo omnes consentiunt, frigidam & humidam intemperiem in neruis caussam Paralysis esse; quâ totus neruus resoluitur, & ad spiritum animalem suscipiendum, (frigus enim spiritibus inimicum) & motum ineptus redditur. Vnde rectè vulgò frigus neruis inimicum esse statuitur. Et potest hæc intemperies vel sine, vel cum materia esse, siue à caussa externa vel interna prouenire.

A caussa externa & euidente Paralysis fit ob contactum diuturnum rei frigidæ, nimirum aërem ambientem frigidum, ventum borealem, contrectationem niuis vel glaciei, moram in aqua frigida, vel sessionem super lapide frigido; sicut hoc quibusdam accidisse, Galenus, 1. *de loc. affect. cap. 6.* docet. Idem etiam, 4. *de loc. affect. cap. 4.* refert, quendam hyeme tempore frigido & pluuioso, cum madidum pallium collo diutius obuoluisset, in manus paralysin incidisse, neruis, qui à spinali medulla ad manum deducuntur, nimium humectatis & refrigeratis.

Ab interna verò caussa excitatur Paralysis, cum humores pituitosi, frigidi & humidi neruos alicubi irrigant, refrigerant, & humectant, eorumque tonum laxant, & temperiem naturalem destruunt, vt spiritum animalem commodè suscipere, eoque frui & vti non possint. Humores autem illi, qui spinalem medullam, seu neruos alterando Paralyticos caussa sunt, plerumque à capite descendunt. Cum enim spinalis medullæ, & omnium neruorum origo sit à cerebro, si quid vitiosi humoris in capite collectum sit, & à natura à cerebro expellatur, vel sponte defluat, viâ decliui & pronâ in neruos descendit, eosque afficit; & hoc etiam modo (nam an compressione, vel obstructione idem etiam fiat; postea dicetur) post apoplexiam Paralysis sequi solet: cum humor, qui apoplexiam produxerat, è cerebro excussus, & per cauitatem vertebrarum dorsi descendens, & spinalis medullæ ac neruorum ductus sequens neruos irrigat, alterat & humectat, atque ad officium suum, & vsum ineptos reddit. Quod tamen & sine apoplexiâ aliis de caussis fieri potest.

Quì autem fiat, vt post apoplexiam alterum tantùm latus resoluatur, altero manente incolumi, inquisitione dignum. Auicennas statuit, spinalem medullam diuisam esse in duas partes, perinde ac cerebrum, & hinc fieri, vt, licet humor alteram occupet, altera salua manere possit. Leonhardus Iacchinus verò, qui neque in coctâ vitulorum arietum medulla, neque in crudâ hoc discrimen inuenire potuit, *in 9. Rhasis, cap. de Paralysi,* Auicennam reprehendit, quasi, rationibus quibusdam deceptus, falsa statuerit; cum contrà mirari naturam potius debuerit, quæ in continuis quoque corporibus alteram partem sine altera possit afficere. Ipse enim miræ naturæ sagacitati hoc tribuit, quæ τὸ κατ' ἴξιν seruat non solum per capitis & spinæ neruos, verum & per neruos, musculos, & cutem totius corporis. Verum etsi Iacchinus istam spinalis medullæ in duas partes diuisionẽ inuenire non potuerit: Recentiores tamen Anatomici, Varolius, & alij satis clarè monstrârunt, vt ipsũ cerebrum est duplex, ita & spinalem medullam esse duplicem.

duplicem. Vnde facilè eſt rationem reddere,cur vnum latus lædatur, altero ſaluo. In quàm enim partem natura humorem,apoplexiæ cauſam,deponit, ea Paralyſi afficitur: Hoc tamen non negandum, naturæ hoc eſſe ſagacitatis & prouidentiæ, vt humorem vitioſum non ad vtrumque latus ſimul deponat, ſed alterum ſaltem, & ita vno læſo alterum integrum conſeruet.

Intemperies autem hæc non ſolum in ipſis muſculis,ſed & in neruis ad muſculos tendentibus eſſe poteſt. Capiuaccius equidem, &alij Auicennæ Interpretes ſtatuunt,ab intemperie non in ductibus,ſed ſolum in muſculis Paralyſin fieri poſſe. Verùm nec experientia,nec ratio id ſatis confirmat. Galenus, 4.*de loc. affect. cap.* 4. refert, quendam, cum madidum pallium tempore frigido & pluuioſo diu collo obuoluiſſet, in manus paralyſin incidiſſe, neruis non in manu, ſed qui à ſpinali medullà & collo ad manum deriuantur, refrigeratis. Ac ſi nerui altera portio vbicunque refrigeretur, & ad officium inepta reddatur, partes omnes,quibus nerui illius ductus reliqui communicantur, ſeu quæ à ramo iſto neruos ſuos accipiunt,reſoluuntur.

Præter intemperiem nerui, quatenus ſunt partes ſimilares,etiam à cauſis occultis, iiſque peculiari modo infeſtis,lædi poſſunt. Quod facit vis narcotica, cum in medicamentis & venenis narcoticis, tũ in humoribus, qui ſimilem naturam induunt. Ab hâc cauſsâ procul dubio eſt Paralyſis,quæ à contactu marinæ torpedinis, ſeu retis,in quo fuerit capta, ortum habet,aut à contrectatione argenti viui prouenit, & aurifabris, atque iis,qui ſpecula parant,vt de Venetianis refert Hercul. Saxonia,familiaris eſt.

Vinum etiam huc pertinere credibile eſt, quod quantum neruis incommodi immoderatius ſumptum pariat,tremor manuum in potatoribus non rarò docet; vnde etiam vulgò neruos ferire dicitur. Quanquam verò Paralyſin à vino induci putent alij à ſiccitate, vt Rondeletius, & quod ſuo calore,ac tenuitate excrementa ad neruos deducat; alij, vt Euſtach. Rudius, quod in neruis acetoſum euadat:tamen probabiliorem putamus Plateri ſententiam,qui ſtatuit, vinum peculiari vi narcoticâ ſenſus ac ſpiritus torpidos reddere; quam confirmat Fernelius, qui, *lib.*5.*de part.morb. & ſymptom. cap.* 8. refert, ſe vidiſſe aliquando vniuerſam corporis cutem ex crapula & vinolentia ſtupore affectam fuiſſe. Et narcoticam talem vim habere non rarò humorem illum, qui apoplexiæ & Paralyſis cauſſa eſt, credibile eſt. Quanquam enim frigiditas concurrere poteſt: tamen ſi ſaltem frigiditas Paralyſin excitaret, non tam pertinax eſſet hoc malum, nec tam diu tam efficacia medicamenta calefacientia & ſiccantia ſæpe ſine omni, vel cum paruo fructu adhiberentur; quod ſatis arguit, cauſſam aliam longè potentiorem & efficaciorem:quàm ſit ſola intemperies frigida & humida, ſubeſſe.

Huc pertinet procul dubio Paralyſis Scorbutica,atque ab his duabus cauſſis,irrigatione videlicet, & humectatione neruoſarum in muſculis partium, ac vi narcotica prouenit,quæ ſeu ab ichore & ſeroſo humore,ſeu à vaporibus malignis, qui à colluuie humorum Scorbutica eleuantur,ortum habet;de quâ cum in Inſtitut. & *lib.* 3.*de Scorbuto,cap.*2. plura dixerimus, hîc nihil addimus:vbi etiam, quomodo ex colica fiat Paralyſis,monſtratum.

*Paralyſis à neruorum anguſtia.* Secundò ſi nerui quatenus partes organicæ conſiderantur, ſeu quatenus ſunt canales ſpiritus animales ad muſculos ferentes,anguſtia p.n.in iis ſpiritibus animalibus tranſitum intercludens Paralyſis cauſſa eſſe poteſt, & in eo omnes Medici conſentiunt. Verùm quot modis anguſtia iſta in neruo excitari poſſit, diſſentiunt.

Vulgò autem tres anguſtiæ cauſſæ ponuntur: Obſtructio,Compreſſio,& Denſatio.

Obſtructio fit,cum ab humore craſſo nerui ſubſtantia,ſeu cauitas ita repletur, vt ſpiritus animales tranſire non poſſint.

Verùm obſtructionem hanc fieri poſſe negat Platerus ideo,quod humor craſſus in neruorum tam ſolidorum ſubſtantiam,tam ſubitò, vt ſæpe apoplexia in Paralyſin mutetur,ſe inſinuare non poſſit. Ipſe verò humores iſtos ſecundùm cauitates ſpinæ deſcendentes,& pondere ſuo incumbentes neruis,ipſos comprimere,& ſpiritibus animalibus viam intercipere, ac præterea neruorum naturalem temperiem ac tonum labefactare ſtatuit. Veruntamen non impoſſibile planè videtur, vt humor aliquis in ſubſtantia cerebri collectus in ipſam neruorum ſubſtantiam ſeſe inſinuet:neque opus eſt,vt humor ille planè craſſus ſit.Nam quo minus poroſi ſunt nerui,eo faciltus obſtrui poſſunt.

Compreſſio fit ſecundum Platerum ab humoribus neruis extra incumbentibus. Deinde accidit à tumore quocunque neruos comprimente, à contuſione, à luxatione vel inflexione vitioſa vertebrarum dorſi ſubitò factâ,(nam ſi ſenſim fiat,quod fit in gibboſis,ſenſim quoque cedit medulla, nec contorquetur; vnde nihil mali nerui patiuntur, nec motus aboletur)vel aliorum oſſium,à fracturâ oſſium, à vinculo injecto, & cauſsâ quacunque comprimente, vt à diuturno in cubitum innixu,capitiſque ſupra cubitum inclinatione,vt & femoris ſuper femur poſitu. Quò & frigus referri poteſt neruos adſtringens.

Denique Denſatio ſeu coarctatio,ſeu ſtipatio, quæ Galeno eſt πίλησις, accidit, vt Galenus, *lib.*1.*de cauſ. ſympt.cap.*9. docet, cum neruus craſſiorem, quàm pro ſua natura,habitum ſeu conditionem ſuſceperit.Id verò contingit duplici ratione;vel quia nutritus ſit viſcidis & craſſis ſuccis, vel quia ſit coactus à violento frigore.

Tertiò cauſſa Paralyſis eſt ſoluta vnitas,cum neruo diſſecto,eroſo & rupto,membro,in quod ſpiritum animalé deferebat,ille denegatur,& hinc ſenſus,ac motus perit;niſi ab aliis neruis illæſis adhuc ſpiritum hauriat. *Paralyſis à ſoluta vnitate.*

Atque ex his, quæ de triplici morborum genere, quibus dum nerui afficiuntur, Paralyſis inducitur, diximus, manifeſtum euadit, qui humores Paralyſeos cauſſa eſſe poſſint;de quo Autores diſſentiunt, vt poſtea, *quæſt.* 2. dicetur. Nimirum humores omnes,qui neruos, vel ſecundum vulgarem ſententiam obſtruunt, vel extra comprimunt, vel alterant, refrigerant,humectant,ac irrigant, ac ſtupefaciunt, paralyſis cauſſa eſſe poſſunt;imò & vapores, qui idem præſtare queunt:quod in Paralyſi Scorbutica fieri videtur, niſi quis ad humorem ſeroſum potius tum recurrere velit. Ideóque etſi humores pituitoſi & frigidi ad Paralyſin inducendam ſint valde apti, & hinc deſtillationes talium humorum à capite,& omnia, quæ crudos ac pituitoſos humores in capite generant,ad Paralyſin inducendam ſint apta: tamen humores birioſi & melancholici ac ſeroſi hinc nõ planè excludendi ſunt, vt poſtea,*q.*2.dicetur.Quanquã enim humores bilioſi & melancholici ſiccãdi vim habeant,& aliis humoribus collati ſicci ſint:tamen quia humores ſunt, humidi sũt, & neruis humidiores, ipsóſque proinde humectare & irrigare, ac præterea extra iis incumbentes eos comprimere poſſunt. Non rarò quoque in febribu smalignis malignitatem & vim narcoticam inducere ſolent, atque eo etiam modo Paralyſis cauſſa eſſe poſſunt. Via autem, per quam influunt humores ad muſculos, cerebrum plerumque eſſe,facilè concedimus; vnde affectus cerebri ſæpe futuræ Paralyſis indicium ſunt, & in Paralyſin degenerant. Quandoque tamen etiam è venis eò effundi poſſe, vel criſes in morbis monſtrant. Narrat enim Galenus,4.*de loc.affect.cap.*4.cuidã, qui à vehemẽti peripneumoniâ cõualeſcebat,brachij,tã quoad poſteriores,quam quoad ſuperiores partes,& cubiti maximã partẽ,ac ſummos digitos sẽſus difficultate laboraſſe,

boraſſe, atque motum quoque aliquot digitorum læſum fuiſſe. P. Ægineta, *lib.3.cap.* 18. facit mentionem Paralyſeos ex colicâ per judicatoriam quandam tranſlationem, quæ etiam Scorbuticis familiaris eſt. Et Fernelius, *lib.5.de part.morb.& ſympt.cap.3.* refert, bilem flauam ſub finem intermittentium febrium in ſpinam dorſi, ac in neruorum originem effuſam aliquando Paralyſin generaſſe. In quibus caſibus omnibus per venas potius ad ſpinalem medullam & neruos effundi humores bilioſos, quàm à cerebro communicari, probabilius. Aliam tamen adhuc viam monſtrat Adrianus Spiegelius, *de human.corp.fabric.lib.6.cap.4.* nimirum per arterias meſentericas; de quibus in Inſtitut.& *lib.3.de Scorbut.cap.2.*

Patet ex iiſdem etiam, quæ ſint cauſſæ procatarcticæ & euidentes, videlicet frigus aëris & aquæ, medicamenta & vina narcotica, ſomnus in loco humido, vel ædibus calce recens obductis, mora ſub radiis Lunæ, cibi pituitam ſuppeditantes, præcipuè crapula & ebrietas, præſertim ex vino, inprimis ſi jejuno ſtomacho potetur, & quæcunque caput replent, ac neruis nocent, vt & Venus nimia, caſus ab alto, percuſſio capitis vel ceruicis, contuſio & luxatio vertebrarum, vt & aliorum oſſium, eorundémque fractura, & ſimilia, quorum hactenus facta eſt mentio.

*Cauſſæ diſponentes.* Ex his etiam, quæ hactenus de cauſſis Paralyſis tradita ſunt, eam ſenibus & hyeme frequentius accidere poſſe, & quos morbos ſequi ſoleat, manifeſtum eſt. Secundum Auicennam quinque ægritudines ſequi ſolet: apoplexiam, epilepſiam, dolorem colicum, ſtrangulationem vteri, & febres chronicas. Rarius tamen epilepſiam ſequitur; tunc ſcilicet, quando à paroxyſmo epilepſiæ materia ad neruorum principium vno impetu detruditur, ſpirituúmque animalium tranſitum impedit. Quandoque tamen etiam, alios morbos ſequi ſolet, vt de peripneumoniâ dictum. Scorbuto quoque familiaris eſt.

## *Signa Diagnoſtica.*

*Signa diagnoſtica.* Paralyſis ipſa, & ſymptomata ex iis, quæ ſenſibus apparent, facilè à vulgo etiam agnoſcitur. Etenim pars affecta motu, vel ſimul etiam ſenſu deſtituitur; ſæpe numero & atrophiâ tandem contabeſcit. Addunt quidam & alia ſigna, quod nimirum pulſus in parte affecta ſit debilis & frequens, quandoque etiam latus ſanum ita calidum, ac ſi eſſet in igne, & latus reſolutum ita frigidum, ac ſi eſſet in niue: quod vt quandoque accidere poteſt, ita proculdubio à peculiari cauſſa accidit; cum videlicet humores frigidi & craſſi ſunt in latere affecto, qui faciunt, vt non ſolùm ſpiritus animales, ſed & vitales ſeſe liberè in partem affectam diffundere non poſſint: vnde latus ægrum frigidum apparet, ſanum verò, in quod calor influens totus conuertitur, & liberè effunditur, calidius.

Duo verò ſignis diligenter inquirenda veniunt: Locus primariò affectus, & cauſſæ, ſecundum quas curatio maximè variat; neque ipſi parti affectæ ſemper medicamenta applicanda. Stultè (vt Iacchinus loquitur) faciunt, qui ad reſoluta membra operam ponunt, origine naturali ignoratâ; nihilque perficies, niſi affectam prius partem noueris. Notabile eſt huius rei exemplum apud Galenum, *1.de loc.affect.cap.* 5. de quodam Pauſania Syro, qui in tribus digitis, ſeruato motu, ſenſum amiſerat, & triginta jam diebus è medicamentis ſatis idoneis digitis impoſitis nihil auxilij ſenſerat. Hunc enim cum Galenus à vehiculo in dorſum lapſum cognoſceret, conjecturam fecit, in primo exortu nerui poſt ſeptimam vertebram prodeuntis partem quampiam ab ictu fuiſſe inflammatam, & nunc habere ſcirrhoſam diſpoſitionem; ideóque illud ipſum medicamentū à digitis amotū illi ſpinæ parti appoſuit, vnde digitus læſus cum adſtantiū admiratione eſt reſtitutus.

Cauſſarum eadem eſt ratio. Longè enim aliter Paralyſis, quæ ab intemperie eſt, curanda venit, ac ea, quæ à compreſſione, vel luxatione, vel fracturâ, vel ſimili cauſsâ euidenti.

Locus ergo primariò affectus vt rectè cognoſcatur, primò inquirendum, an ægro aliquid ab externis, & euidentibus cauſſis acciderit, an ſcilicet percuſſus, contuſus, lapſus, vulneratus, aut in parte aliquâ corporis compreſſus ſit; aut an ab aëre, pluuiâ, aquâ, niue refrigeratus. Ex his enim & locus affectus, & cauſſa innoteſcit. Ita Galenus in Pauſania illo, de quo modò dictum, qui in itinere ex curru delapſus dorſum ita læſerat, vt ſenſum trium digitorum ſiniſtræ manus amitteret, ex cauſſa illa euidente locum primariò affectum non manum, ſed ſpinam dorſi eſſe collegit, *1.de loc.affect. cap.6.& 3.de loc.cap. vltimo.* Vbi plura huius generis exempla reperiuntur. *Signa loci affecti.*

Si verò nulla externa, vel euidens cauſſa præceſſerit, obſeruandum, in quibus partibus functiones animales laborant, vel amiſſæ ſunt. Multitudinem enim neruorum affectorum oſtendit partium affectarum numerus. Ad quam rem inprimis Anatomica cognitio requiritur, vt Galenus, *1.de loc.affect.cap.6.* docet, & notitia, vnde in quamlibet partem nerui deriuentur & implantentur. Si enim ſimul cum dextra vel ſiniſtra corporis parte eadem quoque faciei pars reſoluatur, & impedimentum accidat in ſermone; cerebrum ſecundum illam partem, ſimúlque initium ſpinalis medullæ ſecundum illam partem affecta ſunt.

Si autem pars faciei dextra, vel ſiniſtra ſolùm reſoluatur, reliquo toto corpore ſaluo manente, ſpinalis medulla ſalua eſt, cerebro ſaltem ſecundum illam partem, à qua nerui ad partes eas deriuātur, affecto. Quod ſi verò omnes partes capitis ſaluæ ſint, ſub capite vero partes reſolutæ, cerebrum ſaluum eſt, vitiúmque eſt in ſpinali medulla, aut neruo aliquo. Et quidem ſi omnes totius corporis, vel vnius lateris ſub capite partes reſoluuntur, initium ſpinalis medullæ affectum eſt. Et quidem totum, ac ſecundum tranſuerſum, ſi omnes ſub capite partes, tam dextræ, quàm ſiniſtræ reſolutæ ſint. Sin verò in vno ſaltem latere, vel medietate corporis ſub capite, motus ablatus ſit, in altera duntaxat ſpinalis medullæ parte, dextra vel ſiniſtra, cauſſa mali hæret. Sin autem non omnes vnius lateris partes reſolutæ ſint, ſed multæ ſaltem, non initium ſpinalis medullæ affectum eſt, ſed in loco aliquo inferiore cauſſa mali hæret. Quo loco autem conſiſtat cauſſa mali, docebit partium reſolutarum numerus, & cognitio neruorum è ſpina in quamcunque partem prodeuntium. Exempl.gr. Si motus brachiorum ſaluus ſit, crura autem reſoluta, vtrumque, vel alterum; mali cauſſa hæret infra lumbos, in vertebris oſſis ſacri, neruíſque inde prodeuntibus. Et quidem ſi vtrumque femur, crus, & vtérque pes reſoluatur, ſpinalis medulla eò loci tota afficitur; ſin verò vnum crus ſaltem reſoluatur, vna ſaltem pars ſpinalis medullæ, dextra vel ſiniſtra, læſa eſt.

Si verò non totum corpus, non multæ partes, ſed aliquæ, vel vna ſaltem reſoluta ſit: neque in cerebro, neque in ſpinali medulla, ſed extra eam, in nerui alicuius, vel neruorum propagine cauſſa hæret. Ideóque ex Anatomicis tum inquirendum, vel in mentem reuocandum, vnde muſculus, cujus motus ceſſat, neruos ſuos accipiat. Exemplis aliquot rem illuſtrabimus: Si (citra muſculorum affectum) caput circumagi nequeat, vel buccæ non moueantur, vel ſi ceruicem in latera mouere nequeat æger, aut potius ſi hæ omnes partes laborent; tunc nerui poſteriores ex propagine primæ, ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintę, aut ſextæ vertebræ ceruicis affecti ſunt. Vbi ceruicem quis flectere nequit, anteriores nerui dictarum propaginum ſunt læſi.

Si brachiū ſtupeat & reſoluatur, reliquo corpore ſano & illæſo, ſi ſolum brachium attollere nequeat æger,

aut

aut cutis externa summi brachij stupeat, primus brachij neruus afficitur. Si cubiti motus impeditus sit, consideranda est ejus flexio. Si enim sola cubiti flexio extrorsum sit impedita, cum stupore cutis internæ, cubiti alio motu omni saluo, secundus brachij neruus laborat. Quando autem æger cubitum introrsum flectere, non potest, & anterior cutis brachij stupet, aut musculi in cubito siti stupent, aut flectere digitum aut carpum non potest cum stupore cutis, tertius neruus læsus est totus: vel si flectat adhuc cubitum, circa articulum cubiti affectus est. Sin verò stupeat, aut non moueatur digitus annularis aut paruus, quintus neruus patitur. Si extendere cubitum, carpum, vel digitos nequeat, vel si musculi stupeant, quartus neruus affectus est. Partem ejus affectam ita cognosces. Si enim extensio cubiti sit integra, paulò supra articulum cubiti patitur. Sed si externa cutis, cubitúsque ad brachiale sensum amiserit, intra articulum illum afficitur. Ita & in aliis partibus affectis exortus & propagines neruorum, qui spiritum animalem iis deferunt, inquirantur.

Præterea à juuantibus & nocentibus sedes mali, & locus primariò affectus cognoscitur. Nam si noxa supra partem Paralyticam consistat, & medicamenta ipsi affectæ adhibeantur, nihil juuabunt. Conferent autem, si fonti mali applicentur; id quod in Pausania Syro, de quo antea, accidit, 1. *de loc. affect. cap.* 6.

Cæterum de partibus in facie obseruandum, quod resoluta in aduersam sanam contorqueri soleat; quia musculus sanæ partis ab actione suâ, id est, tensione siue tractione non cessat, atque ita pars resoluta tractum aduersæ siue oppositæ sanæ partis sequitur, quæ & breuior propterea redditur.

Diligenter tamen tunc discernendum est, vtrum pars affecta & contorta laboret paralysi, an conuulsione. Nam si, exempl. gr. distorsio oris exsistat à paralysi, pars resoluta longior facta in sanam trahitur, vt diximus. Contrarium accidit, si fiat à conuulsione, vbi ægra decurtata sanam attrahit. Deinde in Paralysi pars affecta facilè extendi potest; quod in conuulsâ fieri nequit, quæ rigida manet. Præterea conuulsio cum dolore aliquo est conjuncta, non paralysis, in qua plerumque sensus simul perit. Postremò in Paralysi faciei palpebra oculorum inferior demissa est, ægérque deorsum aspicit, cujus contrarium obseruatur in conuulsione.

*Signa causarum.* Cognitâ jam sede locóque affecto διάθεσις malique caussa inquirenda. Et primò quærendum de caussis externis & euidentibus, vt de refrigeratione ab aëre, aqua, niue, medicamentis foris impositis frigidis, de contrectatione marinæ torpedinis, de opiatorum & narcoticorum vsu, de compressione à corpore duro, tumore, casu, ictu, vinculis, luxatione ossium, fracturâ eorundem, & similibus.

Si horum nihil præcesserit, sed apoplexiâ æger laborauerit, facilè & hoc ex ægri & adstantium relatione cognoscetur. Si nec hæc præcesserit, à corporis constitutione ex humorum abundantia insigni, ac morbis, quæ præcesserunt, vel adsunt, ex ætate, regione, anni tempore, victus ratione, humor peccans & morbi caussa cognoscetur. Consuli etiam possunt juuantia & lædentia.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Omnis Paralysis fortis à caussa interna difficulter curatur; cum humores, qui neruos occupant, non sine maximo labore & negotio amoueri possint: inprimis cum in medicamentorum necessariorum vsu, ac recta diæta rarò persistant. Et primò quidem solent, qui per omnia membra resoluti sunt, celeriter rapi; ac, si correcti non sint, diutius quidem viuunt, sed rarò tamen ad sanitatem perueniunt, & plerique spiritum miserum trahunt, memoriâ quoque amissâ. In partibus verò nunquam acutus, sæpe longus, ferè sanabilis morbus est. Celsus, *lib.* 3. *cap.* 28. Verùm hic notandum, primò, procul dubio prioribus verbis de apoplexia Celsum loqui. Sua enim tempora secutus, vtrumque affectum, & apoplexiam, & Paralysin propriè dictam, paralysin nominat. Deinde non simpliciter verum esse, paralysin semper esse longum morbum, etiam eam, quæ in partibus saltem est; id quod Paralysis Scorbutica testatur, quæ sæpe breui temporis spatio finitur, vt *lib.* 3. *de Scorbuto*, *part.* 5. *cap.* 4. *sect.* 2. dicemus. Experientia idem docuit Petrum Salium Diuersum, qui propterea, *in notis in Altimarum, cap.* 14. statuit, Paralysin non semper ab humore frigido & viscido prouenire, verùm & à vaporosa materia, quæ ad principium neruorum transmissa, obstructionem in iis inducens, ac spiritus animalis viam intercipiens, sensum & motum inferiorum partium inhibeat. Exemplúmque affert cuiusdam tonsoris, qui post crapulam nocte mediâ cum timore suffocationis expergefactus incidit subitò in paralysin omnium corporis partium infra faciem existentium, sensúque & motu adeo priuatus est, vt nec acu profundè perforatus, nec gladiolo scarificatus, quicquam sentiret, nullamque partem, nisi caput, mouere posset; qui solutâ crapulâ, ac frictionibus tantummodò, ac inunctionibus quibusdam resoluentibus ad spinam intra tertium diem omnino sanatus est. Ideóque ea paralysis sola longa est, quæ ab humore crasso prouenit.

2. Et præcipuè paralysis, quæ ex soluta apoplexia prouenit, difficilis curationis est, & periculosa, ob caussæ vehementiam, ob confirmatam partium imbecillitatem, & ob metum recidiuæ. Nam Paralysis apoplexiam excipiens, sæpe in eandem recidit, vel materiâ, quæ ad cerebrum & spinalem medullam defluxit, ad cerebrum iterum recurrente, vt nonnullis placet; vel, quod verosimilius est, facto vndique majori concursu similis materiæ ad cerebrum, vel ejusdem in cerebro cumulatione, vbi retenta hominem denuo apoplecticum reddit.

3. Minus periculosa est Paralysis, si solùm motus aut sensus lædatur; magis, si vterque: pejor rursum, in quâ plures nerui & musculi sunt affecti. Hinc majus periculum minatur Paralysis, si medulla spinalis sit affecta, quàm si partis alicuius saltem neruus sit affectus. Et eò periculosiores etiam spinæ affectus, quò cerebro sunt propiores.

4. Paralysis ex nerui grandioris aut spinalis medullæ incisione transuersim factâ non curatur; quia incisio hæc non coalescit. Hippocrates, 6. *aphor.* 39.

5. Paralysis ex luxatione valida & subita vertebrarum, præsertim ceruicis, (cum à vertebris ceruicis nerui è medio inter vertebram superiorem & inferiorem exeant; in lumborum non item, sed è vertebra superiore exeant) plerumque lethalis est, teste Auicenna; propterea, quod nerui insigniter contunduntur & atteruntur, & ipsa spinalis medulla contunditur & læditur, ac propter sequentem inflammationem vertebræ facilè ad pristinam sedem reduci nequeunt. Si in Paralysi ex ictu, contusione, casu nerui vehementer contundantur; non curatur. Signum verò est neruos vehementer contusos esse, si illico post ictum Paralysis oriatur. Aliàs si non illicò, non tam ob attritionem nerui Paralysis exiſtit; quàm ob inflammationem, quæ ictui succedit.

6. Tremor Paralysi superueniens, bonum; quoniam meatus neruorum aliquo modo aperiri significat, per quos aliquid spiritus animalis ad aliqualem motum sufficiens transire potest.

7. Si membrum resolutum fuerit actu calidum, de sanitatis recuperatione spes est.

8. Si membrum Paralyticum extenuetur, ejúsque color vegetus mutetur; aut non curatur morbus, aut difficulter: quia non solùm spiritus animalis defectum, sed & calorem naturalem propemodum exstinctum ar-

guit; præsertim si resoluti lateris oculus imminuatur: id quod spirituum defectum indicat.

9. Cruribus & pedibus resolutis facilior est curatio, ob ficciorem & robustiorem eorum neruorum naturam.

10. In senibus difficulter curatur Paralysis, ob caloris natiui imbecillitatem: vt & hyeme. Plus autem sperare licet tempore æstiuo & verno, si æger rectè regatur.

11. In omnibus neruosi generis affectibus, qui à pituitosis & frigidis humoribus fiunt, vt sunt apoplexia, & paraplegia, febris valida superueniens non parum adjumenti affert, teste Galeno, 2. *Prorrhet. aphor.* 50. Morbi enim caussam febris illa absumit, neruósque calefacit, & exficcat.

12. Rhases, 1. *contin.* se multos resolutos ex diarrhœa superueniente curatos vidisse scribit: quod Marcell. Donatus, *in histor. medic. mir. lib.* 2. *cap.* 5. non de valida & antiqua, sed de debili & recenti Paralysi accipiendum censet. Potest idem & de Paralysi scorbutica verum esse, quæ ex humore seroso & mobili prouenit.

13. Paralysis rarò degenerat in alios morbos, ipsa verò alios morbos sequitur, apoplexiam, epilepsiam, colicam, febres chronicas, suffocationem vteri, vt supra dictum.

## *Indicationes.*

*Indicationes.* Cum proxima Paralysis caussa sit spiritus animalis in parte resoluta defectus; vt is parti restituatur, requiritur. Verum ista indicatio inutilis est; cum non detur materia remedij, quæ huic proximè & immediatè possit satisfacere. Ergo à caussis, à quibus continens ista dependet, indicatio vtilis petenda. Sunt autem illæ, vt dictum, intemperies frigida & humida, vis narcotica, angustia, quæ rursum à plurimis caussis, vt dictum, prouenit; & soluta vnitas. Etsi verò de modo, quo caussæ nonnullæ paralysin efficiunt, autores non conueniant, vt supra, *de caussis*, dictum, & postea, *in quæstionibus*, dicetur: tamen in curatione vix aliqua est discrepantia. Humor enim pituitosus, siue alterando & refrigerando, ac humectando, siue obstruendo, siue comprimendo Paralysin efficiat, curationem eandem requirit, humórque pituitosus, quocunque etiam modo Paralysin efficiat, è neruis tollendus est.

Curatio ergo tribus capitibus comprehendi potest, agendúmque primò de curatione Paralysis ex humore pituitoso & frigido: secundò de curatione Paralysis ex humore tenui & seroso: tertiò de curatione Paralysis à caussis euidentibus. Quamquam verò etiam vim narcoticam inter caussas Paralysis supra recensuimus: tamen eadem medicamenta, quæ ad humorem pituitosum adhibentur, videlicet medicamenta neruis amica, narcoticam quoque vim infringere possunt.

In curatione tamen semper ad locum affectum, in quo caussa mali hæret, respiciendum, & ei medicamenta applicanda. Si enim omnes infra caput partes resolutæ sint, ad spinæ initium in cauitate ceruicis topica applicanda; simul tamen cerebrum non negligendum. Si verò seu plures, seu pauciores partes læsæ sint, sem per ad eam partem medicamenta applicanda, in quâ caussa mali hæret. Et si origo nerui affecta sit, eò loci medicamenta applicanda. Si verò non in principio, sed in parte quadam solùm progressus neruus affectus sit, eò loci medicamenta adhibenda.

## *Curatio Paralysis è pituitâ ortum habentis.*

*Curatio Paralysis pituitosæ.* Paralysis, quæ ab humore pituitoso, vel spinale medullam, vel neruum occupante, & quocunque etiã modo spiritus animalis influxum prohibente, partísque temperiem corrumpente, ortum habet, curatur, si humor pituitosus è loco illo tollatur. Quod fit, si vel in alium locum trahatur, vel è corpore euacuetur, vel discutiatur & absumatur; ac præcaueatur, ne noui humores, qui paralysis caussam augere & mouere possunt, cumulentur, & ad partem affectam affluant, tandémque intemperies introducta corrigatur, neruíque roborẽtur.

Vt autem ista ordine fiant, ab vniuersi corporis euacuatione incipiendum. Deinde cùm à capite ad neruos materia effluere soleat, illud euacuandum & roborandum. Et tertiò parti affectæ succurrendum. Etsi verò, quânam ratione hæc fieri, & in actum deduci possint, & præcipuè quomodo capiti succurrendum sit, supra, *part.* 1. *cap.* 2. 3. & 10. satis dictum: tamen quædam hîc adhuc addere libet. Ea verò, quæ ad neruos propriè spectant, subiicere necessarium est.

Vniuersalem ergo corporis euacuationem quod attinet, in hac Paralysis specie vix venæ sectione opus est; cum sanguis non peccet, sed pituita, & plerumque in senibus pituitosis, ac naturâ frigidis hoc malum accidat. Si tamen crudi sanguinis copia humorem pituitosum producat & foueat, venam in brachio partis sanæ aperire licet. Parcè tamen sanguis euacuandus, ne languidus calor extinguatur.

*Lenientia & Purgantia mitiora.* Vniuersi potius corporis purgatio ad humorem pituitosum dirigenda. Itaque secundum commune præceptum aluus & primæ viæ primò expurgandæ, ne attenuantium & præparantium, quæ necessaria sunt vsu humores crudi in ventriculo & primis viis hærentes maiori copiâ ad penitiora corporis & neruos deducantur.

Clyster ergo talis iniiciatur:

℞. *Mercurialis, betæ, saluiæ, hyssopi, origani, betonicæ,* an. M. j. *fl. chamæmeli, summit. centaur. minor.* an. M. ß. *sem. rutæ, fœnicul.* an. Dra. j. ß. *agaric. alb.* ʒ. ii. Coqu. in aqu. s.

Colaturæ ℞. ℔. i. In qua dissoluantur *electuar. hier. cum agaric. benedict. laxat.* an. Drach. vi. *ol. chamæmel. lilior. alb. rutæ, mell. rof. col.* an. Vnc. j. *salis* Dra. ß. F. Clyster.

Vel ℞. *Rad. bryon.* Drach. vj. *fol. saluiæ, iuæ arthet. centaur. min. mercurial.* an. M. j. *fl. primul. ver. origani Cret. rutæ,* an. p. sem. *stœchad. Arab.* p. j. *sem. siler. mont.* Drach. j. sem. *carthami in pet. lig.* Vnc. sem. *colocynth. in p. l.* Drach. i. F. Decoctio in s. q. aquæ.

Colaturæ ℞. ℔. j. In quâ dissolue *elect. diaphænic.* Vnc. sem. *hieræ diacolocynth.* ʒ. iii. *ol. castorei, rutæ,* an. ℥. i. *sal. gemm.* Scrup. i. M. pro Enemate.

Vel alia purgantia mitiora in eundem finem vsurpanda, vt pilulæ assaireth & alœphangin.

Vt ℞. *Pilul. assaireth.* Drach. j. ß. *alœphangin. agar. troch.* an. Drach. j. *mastich.* Scrup. i. Cum *syrup. stœchad. simpl.* vel *oxymel. scillit.*

F. Pilulæ mediocres, quarum æger Drach. j. capiat per vices.

Inter mitiora ista & lenientia in hâc Paralysis specie cassia locum non habet; cum nimium humectet: species hieræ magis conueniunt. Vtilis est hic in Paralysi & terebinthina, quæ cum aliis electuariis & pulueribus purgantibus conuenientibus in formam Boli formari, & Drach. i. vel Drach. ii. pondere exhiberi potest.

In forma liquida exhibendi terebinthinam modum ex Lemnio, Institut. *lib.* 5. *part.* 1. *sect.* 1. *c.* 11. proposuimus.

*Vomitoria.* Si ventriculus pituita repletus sit, commodum etiam est, vomitum ciere in iis, qui ad eum apti sunt.

Vomitorium ergò tale parari potest:

℞. *Raphani in taleolas incisi* Vnc. j. ß. *sem. raphani, atriplicis, rad. asari,* an Drach. ii. *agar.* Drach. i *flor. gen. ist.* p. i. Coqu. in hydromel.

Colat. ℞. Vnc. iiii. v. vel vi. *oxymel. simpl.* Vnc. ß.

In fortioribus fucci nicotian. depurati ℥. ß. addi potest.

Chymicis sua sunt vomitoria è floribus ♁nii, croço metall.

metall. vitriol. albo ⊖le vitrioli, Mercurio, de quibus alibi.

*Præparantia.* Postea ad præparationem & euacuationem humoris pituitosi accedendum,& vtraque aliquoties repetenda. Si tamen statim in principio vocetur Medicus, non incommodum est, imò necessarium videtur, vt Medicus statim ad fortiora purgantia, qualia postea proponentur,accedat,dum materia adhuc in motu est, antequam neruis sese penitius insinuet, iisque impingatur. Vbi verò malum iam confirmatum est, & materia neruis impacta, prius attenuanda & præparanda, postea euacuanda est,

Pituitam hîc præparantia omnia sint calida, sicca, attenuantia, simúlque cerebro & neruis amica, qualia supra, *parte* 1. *cap.* 2. & 10. recensuimus, quæ hic omnia repetere opus non est.Pauca saltem composita addemus.

Vt ♃. *Syr.stæchad. de betonica,de hyssopo, mellis anthosat.* an. Vnc.i. *aq.lauendul.saluiæ,rorismarini, hyssopi,* an. Vnc. ii. *cinamomi* Drach. ii. F. Potio pro tribus dosibus, cui aliquid oxymel. simpl. vel scillit. addi potest.

Etsi enim acetum sit neruis inimicum; tamen, vt Hercul. Saxonia hac de re loquitur, neruis inimicum non est cum melle,& inimicum est neruis exiccatis,non pituitâ repletis. Veruntamen,quia etiam ipsum oximel.neruos, si sit acrius, vel eius vsus nimius velli-cat,acidorum vsus omnino parcior sit.

Vel ♃. *Aq.betonic.primulæ veris,* an. Vnc.iii. *saluiæ,* Vnc.ii.*hyssop.*Vnc.i.*syr.de hyssop.*Vnc.i.ß.*de beton.*Vnc. i. *essentiæ castorei* Scrup. ß. *aq. cinamomi* Drach. ii. M. pro 4. dosibus, quarum vna mane & vesperi propinetur.

Vel Fiat hoc Decoctum:

♃. *Rad.ireos,heleny,acori veri,* an.Vnc.ß. *saluiæ,beton.hyssop.rorismar.* an.M.i.*flor.stæchad. Arab.* M.ß. *sem. anisi,fœniculi.* an.Drac.ii .Coqu.in aquæ puræ ℔.iii. ad remanentiam ℔.ij.

Colatura dulcoretur *sacchari* vel *mell. rosat.* aut *anthosat.*℔.ß.& aromatisetur *puln. cinamomi* Dra.i.*Zinzib. alb.nucis moschatæ*,an.Dra.ß.*cubebar.*Scr.i.atque per manicam Hippocr.traiiciantur.

*Syrupus de iua Arthetica.* Valde etiam commendatur Syrupus de iua artheti-ca,qui hoc modo conficitur:

♃. *Iuæ* M.ii.*saluiæ,maioran.rorismar.poly,origani,calaminth.mentastri,pulegi,hyssopi,thymi, rutæ sylnestr.* & *domestic.betonic.serpill.*an.M.i. *rad.acori veri,aristoloch. peucedani,valerian.bryon.gentian. dictamni*, an. Vnc. ß. *fœnic.petroselin.api,asparag.rusci*,an Vnc.i *stæchad. Arabic.sem.anisi,fœnicul.ligustic. ameos, carui, siler. montan.* an.℥.iii.*rad.pyrethri* Vnc.ß.*passul.*Vnc.ij.

Bulliant omnia in iustâ quantitate aquæ ad consumptionem quartæ partis.

Inde colentur, & cum mell. f. q.f. a. F.Syrupus,qui aromatisetur *puluere nucis moschatæ,cinamomi, & cubebarum.* cuius ℥i. vel ℥i. ß. cum aqua idonea sæpe exhibeatur.

♃. *Mell.rosat.col.*℥.viii. *extr.calami arom.* ℥.i.ß. M: pro Syrupo,de quo manè & vesperi per aliquot dies cochlearia ij.propinentur.

Inprimis hic vtilis est primula veris, quæ ob magnam in Paralysi curanda vim herba Paralysis vulgò appellatur.

Vtilis est & mulsa, in qua castorei aliquid dissolutum sit.

Paulus Ægineta, *lib.*3. *cap.* 18. & Aëtius, *tetrab.* 2.*serm.* 2. *cap.* 28. Sagapeni, opoponac. asæ fœtidæ exiguam portionem cum mulsâ manè singulis diebus exhibent.

Et quia morbus est diuturnus, ac medicamenta sæpius iterata facilè nauseam ac fastidium pariunt, commodum est, potui talia miscere. In hunc ergo vsum fieri potest hydromel. seu melicratum; cuius generis est, quod Quercetanus à Friderico, Electore Palatino, communicatum,*Pharmacop. dogm. restit. lib.*1. *cap.*11. describit:

Vel ♃. *Mell. opt.* ℔. ß. *aqu. fontan.* ℔. vi. Despumentur.

Postea adde *saluiæ, puleg. betonic. hyssopi,* an. M. i. vel M.ß.

Coquantur tam diu, donec herbarum vires melicratum attraxerit.

Colatura calida aromatisetur *cinamomi, cortic. citri* an.Drach.i.ß.*triumpiperum*.an.Scrup.ß.*granor.paradisi,cardamomi,galang.*an.Scrup.i.*nuc.moschat.*Scrup.ß.F. Potus clarus.

Vel ♃. *Aq.*℔.xx. *mell.*℔.i.ß.*rad.acori veri,saluiæ,rorismarini*,an.M.i.*rad.ireos* Vnc.ß.

Coquantur ad consumptionem tertiæ partis,addendo sub finem *cinamomi,nucis moschatæ*,an.Dra.ii.*piperis* Dra.ß.F.Melicratum.

Loco mellis & saccharum vsurpari potest.

Vel paretur seq.Hydromel digerens:

♃. *Aq.communis* ℔.ii *mellis opt.*Vnc.iij.

Decoq.lento igne donec non amplius spument.Decocto adde. *fol.saluiæ,origan.*an.p i.*puleg.serpill.* an.p.ß. *rad.ireos concisæ* ℥.ii.*sem.anisi,coriand.*an.℥.ß. *macis,cinamomi*,an.Scr.j.

Bulliant ad consumptionem quartæ partis. Colentur,& in 4.doses diuidantur.

Hydromelitis aromatici descriptio etiam exstat apud Langium, *lib.*3.*epistolar. medic.Epist.*1.*cap.*5.De quibus omnibus & cum cibo,& extra cibum sæpe aliquid bibi potest.

Etsi autem vinum, imprimis potens, non conuenit Paralyticis:tamen in assuetis id loco vehiculi ad medicamenta ad neruos interius deferenda vtile est.Ideo in vino saluia, rosmarinus, hyssopus, betonica, herba Paralys.chamæpit.& huius generis alia macerari possunt. Commodius verò est, si cum musto hæ plantæ deferueant.

## *Purgantia.*

*Purgantia fortiora.* Præparatâ iam per aliquot dies materiâ aliquid purgantium admiscere licet, agaricum, mechoacann. fol. senæ.Vt:

♃.*Rad.fœnic.pœon.*an.Vnc.ß.*ireos,calami aromat.*an. Drach.ii. *sem.fœnicul.* Dra.i.ß. *baccar. iuniperi, cubebar.* an.℥.ii.*fol.betonic.herb.paralys.saluiæ,chamæpit.rorismar. flor.stæchad. Arabic.*an.p.i.*fol.sen.elect.*℥.i.ß.*agar. alb.*℥. ß.*mechoacan.*Dra.ii.*zingib.*℥.i.ß.*cinamomi,mastich.nuc. mosch.*an.Drach.i Infundantur in s.q.hydromel.

Colat ♃. Vnc.x.*syrup.stæchad.simpl.*Vnc.ii.*de hyssopo* Vnc.i.

Denturmanè tribus diebus.

Vel ♃.*Flor.calend.exicc.*℥.iii.*aq.fl.primul.ver.vini albi generos.*an.℔.ij.

Indantur vasi vitreo bene munito, ac macerentur. hor. xxiv. in B. tepido, postea exprimantur prælo: hinc.

♃. *flor.primul.ver.sicc.* Vnc.ii. ac macerentur denuo hor. xxiv. in suprascripta prima colatura in B. tepido; exprimantur secundâ vice fortiter. Ac in hac express.infundantur tertiâ vice.*flor.anthos* Vnc.i.per horas xxiv. in B. tepido,ac exprimantur prælo.

Tandem ♃.*fol.sen.*Vnc iiii.*turbith.alb.& gumm.hermodactyl.mund.* an.Vnc.iß. *cort.lign.sanct.* Vnc.i. *cinamomi* Vnc.ß.*caryophyl.arom.sem anisi*,an.Dra.ij.

Præparatis rite omnibus affundatur spir. vitriol. rectif. Drach. ii. ac affundatur præscripta colatura, indatur phialæ vitreæ capaci; ac maceretur iterum in B. tepido hor. xxiv. Tandem ignis subministretur, vt omnia ebullire incipiant; postea exempta exprimantur prælo,add.*facch.albiss.*℔.i. Despumetur album. oui,ac coqu.ad Syr.consistentiam,seruetur vsui.

His

His peractis quiescendum per aliquot dies, ægérque interea conuenienti diæta regendus. Hinc fortiora purgantia vsurpentur, turbith, colocynthis, pilulæ de agarico, cochiæ, fœtidæ, de hermodactyl. de sagapeno, de opoponace, elect. Indum. benedicta laxat. hiera cum agaric. hiera Logadij hiera Pacchij, atque inter ea mitiora primùm vsurpanda.

**Pilulæ de Iua arthetica.**

Mirum in modum commendantur pilulæ de Iua, quarum singulis diebus hora vna post cœnam (ego mallem manè eas exhibere) Scr.i. sumat æger.

Parantur tamen hoc modo:

℞. *Iuæ, herb. paralys. betonicæ. flor. stæchad. Arab.* (al. addunt *fl. anthos*) an. Dra.i. siccata in vmbra in puluerem redigantur, quibus adde *turbith. elect.* ʒ.i.ß. *agaric. alb.* Dra.ii. *colocinth* ʒ.ß. *zingib. sal. gemm.* an. gr.x. *rhabarb. optim.* Dra.i.ß. *spicæ. Indic.* gr.viii. *spec. hieræ simpl. Gal.* ℥.ß. *diagryd.* Dra.i.

Omnia puluerisata cum succo Iuæ recenti in massam pilularum redigantur.

Vel ℞. *Pilul. fœtid. Mesuæ*, aut, quæ fortiores sunt, *Rhasis*, Scrup.ii. *de opopanace* Scrup.i. *castor.* gr.v. Cum *syrup. de betonic.* vel *hyssop.* F. Pilul. xxi. quæ repetantur quoties opus est.

Vel ℞. *Agar. trochisc.* Dra.ii. *turbith.* Drach.i. *sal. gemmæ, zingib.* an. Scrup.i. *castor.* Scr.ß. *hier. diacolocynth.* ʒ.i. F. Mistura, cuius dosis Dra.i.

Vel ℞. *Pilular. fœtid.* Scrup.ii.ß. *agar. troch.* Scrup. i. *troch. Alhandal.* gr. ii. *castor.* gr.iiii. Cum *mell. scillit.* F. Pilulæ.

Nonnulli pilulas, & quidem maiori formâ, ne vis medicamenti cito dissoluatur, sub tempus somni exhibent. Verùm si forte tale medicamentum sit, cibum corrumpet; si lene, nihil præstabit. Ideóque commodissimum fuerit, tales pilulas post mediam noctem exhibere.

Quibus pilulæ non arrident, Potiones exhibeantur.

Vt ℞. *Betonicæ, rorismar. chamæpit.* an. p.i. *sem. carthami contusi, fol. senæ elect.* an. Dra.iii. *hermodact.* Dra.i. *sem. anisi* Scrup.iiii. F. Decoctio in hydromelite. In colatura infundantur *Agarici trochisc.* Dra.i.ß. *turbith.* Drac.ß. *Zingib.* Scrup.ii. *cinamomi* Scrup. i. Colaturæ Vnc.iiii. adde *mell. rosat. solut.* Vnc.ß. M.

Vel fiat Syrupus talis:

℞. *Rad. acori veri* Vnc.i. *pœon. helenij, imperator.* an. Vnc.ß *chamæpityos* M.ii. *saluiæ, beton. hyssop. primulæ veris*, an. M.i. *flor. lauendulæ* Dra.ß. *sem. anisi, fœnicul.* an. ʒ.ii. *bacbar. lauri, iuniperi*, an. Drach.iii. Coqu. in s. q. aq. puræ.

In colatura infundantur *fol. sen. elect.* Vnc.iiii. *agaric. albi* Vnc.i. *turbith.* Vnc.ß. *mechoacan.* Dra.iii.

Iterum ebulliant & colentur.

Colatura cum s. q. sacchari coquatur ad Syrupi consistentiam, & aromatizetur *cinamomi, zingib. galang.* an. Dra.ii. De quo dentur ℥ii. vel iij.

Hoc modo si diebus aliquot purgantia & præparantia exhibita fuerint, quies à medicamentis per dies aliquot concedenda, & postea eadem medicamenta secundâ, tertiâ, aut pluribus vicibus repetenda, ac semper à mitioribus ad fortiora progrediendum. Tempore quietis tamen reuulsiones per clysteres, frictiones, & cucurbitulas institui possunt.

Roborantia quoque nonnulla capiti & neruis vtilia vsurpanda, ægérque bonâ diætâ regendus.

Vt: ℞. *Conser. primulæ veris* Dra.iii. *Mithridat.* Dra.i. Misce.

Vel cum saccharo F. Bolus, qui post purgationem seqq. die manè, horis 4. vel 5. ante prandium, sumatur.

Vel ℞. *Theriac.* Scrup.ii. *aur. Alex.* Scrup.i. *conf. fl. lauend.* Drach.ii. *essentiæ castor.* gr.v. *sal. chamæpit.* gr.vii. *essentiæ saluiæ* Scrup.ß. Cum sacch. q. s. F. Bolus post cœnam deglutiendus.

Vel ℞. *Mithridat.* Dra.ß. *conf. anacard.* Scrup.ß. *conf. fl. salu.* Drac.ii. *spir. primul. ver.* gutt.v. *ol. destill. salu.* gut. ii. *extr. castor.* gr.iii. Cum *saccharo* F. Bolus.

**Particulares capitis euacuationes.**

Purgatione vniuersali peractâ, si caput & cerebrum sint primariò affecta, materiamque suppeditent, vel pars materiæ ibi hæreat, particulares eius euacuationes instituantur, per errhina, apophlegmatismos, gargarismos, de quibus supra, *part. 1. cap. 10.* dictum.

Habent & suum hîc locum ptarmica, vt & masticatoria. Præparari etiam possunt tales hypoglottides, quæ manè ieiuno ventriculo, vt & horis pomeridianis, in ore detineantur.

℞. *Pulu. nuc. mosch.* ʒ.iß *sem. nasturt. pœon.* an. Scr.ii. *rad. pyrethri* Scr.i. *castorei* Dra.ß. *moschi.* gr.ii. Cum *succo saluiæ* F. Trochisci lupinis similes.

Vel ℞. *Rad. acori veri* Drach.i. *pyrethr.* Scr.ii. *zingiber. pœoniæ, caryophyll. nuc. moschat.* an. Dra. ß. *cubebar.* Scr.i. Cum *insuf. gum. tragac. in aq. lauend.* & *salu. facta* addita *sacchari* q. s. F. Trochisci quantitate lupinorum, quorum vnus, præsertim tempore decubitus, in ore teneatur.

Apophlegmatismus talis parari potest:

℞. *Rad. pyrethr.* Drach.i℥. *calami arom.* Drac.i. *ireos* Dra.ß. *granor. iuniperi* Drach.i. *fol. salu. maioran.* an. P.i. *rorismar. meliss.* an. P.ß. *cubebar.* Dra.ß. F. Decoctio in s. q. aquæ puræ ad tertias.

Colat. ℞. Vnc.vii. in quibus dissolu. *essentiæ salu.* ʒ.ii. *syr. de stœchad.* Vnc.iß.

Misce pro Apophlegmatismo, de quo calefacto cochlear vnum atque alterum per horæ quadrantem in ore detineatur.

Si caput ab affectu liberum sit, euacuationibus hisce præmissis, corroborantia neruos vsurpentur, de quibus postea.

**Sudorifera.**

Si iteratâ aliquoties materiæ præparatióne & euacuatione, morbus tamen contumaciter persistat, sudores prouocandi decocto ligni Guaiaci, sarsæparill. Chinæ, vel ligni sassafras; seorsim singulorum vno sumpto, vel pluribus admistis, Et sub finem decoctionis addantur, si libet, fol. primul. veteris, saluiæ, rorismarini, cinamomum, nux moschata. De quo decocto manè bibat æger Vnc. vi. vel vii. & in lecto horâ vnâ atque alterâ sudet. Decocto dilutiore secundo potus loco in mensa vti poterit. Atque istiusmodi medicamenti genus aliquot septimanis continuandum.

℞. *Ligni Guaiaci* Vnc. viii. *cortic. eiusdem, rad. helen. pœon. iridis, cortic. citri siccorum*, an. Vnc.i. *aq. puræ* ℔.x.

Infunde hor. xxiiii. in loco calido, postea coquantur.

Colatura dulcoretur saccharo, & condiatur spec. diagalang. vel diacinamomi Dra. i. Capiat æger manè, & post meridiem Vnc. vi. ac manè sudet.

Loco decori interdum destillatum parari potest. Exépli loco sit sequens liquor antiparalyticus:

℞. *Limat. ligni Guaiaci* Vnc.iiii. *cort. ligni eiusd.* ℥.i. *rad. sarsæparill.* Vnc.iß. *Chinæ* Vnc.i. *lign. sassafr.* Dra.vi. *aloes, galangæ*, an. Dra.iß. *rad. scorzoner. polypod. hermodactyl. pœō. fœnic.* an. ʒ.iiß. *sem. pœon.* ℥.ii. F. Infusio 24. hor. in loco calido *in aq communis, vini Rhen.* an. s. q. Posta in vesica destillentur.

Destillatum funde super *fol. betonic. iuæ arthet. salu.* an. M.i. *flor. tiliæ, primulæ ver. stæchad. Arab. rorismar. lauendulæ* an. M.ß. *chamæm. Rom.* ʒ. *cordial.* an. P.ii. *theriac.* Dra.iiß. *Mithridat.* Dra iii. *sem.* & *cort. citri*, an. Dra.iiß. *cinamomi* Dra.vi. F. s. a. Destillatio in MB. pro ℔.iiß.

Liquori destillato adde *manus Christi c. ol. cinamomi, c. ol. succini*, an. ℥.i. *conf. diacymini c. ol. cymini* ʒ.vi.

Misc. De hoc destillato manè & vesperi Vnc. iii. vel iiii. propinentur.

Pro Potu ordinario hoc vti poterit:

℞. *Rad. Chinæ* Vnc iii. *aq. fontan.* ℔.x. Coq. ad partis quartæ consumptionem.

Colatura dulcoretur ſaccharo, & condiatur cinamomo.

Multum quoque tribuitur aq. vel decocto roriſmarini, ſi illius Vnc.iii. quotidie ſumantur cum gr.iii. extr. radic. pyrethr. vel caſtorei.

Vbi decoctum hoc, vel deſtillatum ſemel abſumptum eſt, iniiciatur clyſter; vel purgantia ſupra propoſita repetantur. Atque ita per vices decoctum ſudoriferum & purgantia diebus xL. continuentur, ſi tempus, ætas, & vires id permittant.

*Neruos roborantia.* Tandem quæ frigidos humores in neruis abſumunt, eóſque calefaciunt, ſpiritum & calorem ad eos attrahunt, eoſdémque roborant, cùm internè, tum externè vſurpanda. Qualia ſunt pleraque, quæ ſupra, *part.1.c.2.3.* & 10. ſunt propoſita.

Ideóque vſurpanda melicrata antea deſcripta.

*Aqua deſtillata.* Aqua deſtillata; *Roriſmar. ſalu. lauendul. primul. veris, chamæpit. betonic.* & compoſitæ *Apoplectica* & *Paralyticæ*.

*Conſerua.* Conſeruæ; *primul. veris, chamæpit. beton. ſalu. anthos, lauendul. ſtœchad.*

*Condita & ſpecies aromatica, Antidoti.* Radic. condit. *acori, helenij, ireos, galang. pyrethr. nux. moſchat. condita, diacorum Meſue.*

Spec. *Aromat. caryophyll. diambr. diagalang. diamoſch. dulc.*

Valde commendatur etiam magiſterium perlarum. Prodeſt & theriaca antiqua, vel Mithridat. quæ Drac.i. pondere exhibeantur cum conſeru. vel aqua appropriata, vel mulſa. Efficacior eſt aurea Alexandrina & confect. anacardina.

Vel ℞. *Aq. betonic. cubebar. ſalu. primul. veris*, an. Vnc. ii. *antepilept. Langij* Vnc.ß. *cinamomi* Drach.ii. *ſyrup. de ſtœchad.* Vnc.i. Miſc. F. Potio pro 3. doſibus. Alia:

℞. *Conſeru. chamædr. chamæpit.* an.℥.ß. *ſaluiæ, primul. ver.* an. Dra.iii. *aq. betonic. chamædr.* an. Vnc.iii. *flor. tiliæ, pœon.* an. Vnc. iß. M. & agitentur fortiter in mortario marmoreo, poſt leuiter bulliant, exprimantur, & colentur.

In colatura diſſolu. *extr. granor. juniperi* Scrup.i. *galang. calam. arom.* an. Scrup.ß. *aq. cinamomi* Dra.ii. *brodij rad. enulæ cond.* Drach.vi. *ſyrup. de cinamomo* Dra. iii. M. F. Potio pro 3. doſibus.

*Electuaria.* Vel ℞. *Conſeru. ſaluiæ, anthos, primul. veris, chamæpit. lauendul.* an. Vnc.i. *calami aromatici condit.* Dra.vi. *ſpec. diambr. diamoſch. dulcis*, ana Dra.ß. *Mithridat.* Drach.i. *pulu. nucis moſchat.* Scrup.ii. *cubebar.* Scrup.i. Cum *ſyrupo ſtœchados ſimpl.*

F. Electuarium, de quo quantitate nucis iuglandis quotidie, vel alternis diebus, 4. horis ante prandium, & tantundem duabus horis ante cœnam, & veſperi æger ſumat.

℞. *Conſeru. fl. primul. ver.* Vnc.iß. *ſalu. roriſmar.* an. Vnc.ß. *nuc. moſchat. cond. rad. enulæ cond.* an. Dra.iii. *ſpec. diambr. diamoſch. d.* an. Dra.ß. *extr. viſci q.* Scrup.i. *galangæ* Scr.ß. *margarit. præp.* Scr.i. *corall. rubr. præp.* ʒ.ß. *Mithridat.* Dra i. *eſſentiæ caſtor.* ʒ.ß. Cum *ſyrup. brodij nuc. moſch.* F. Electuarium.

Vel ℞. *Flor. lauendul.* Vnc.iß.

Incidantur minutim, & addantur *ſacchari* Vnc. vi. *pulu. caryophyll. cinamomi, macis*, an. Vnc.ß.

Stent in vaſe clauſo in Sole aliquot diebus, & nonnunquam agitentur.

Vel ℞. *Conſeru. fl. lilij conuall. primul. veris, ſaluiæ*, an. Vnc.ii. *Mithrid. optimi antiqui* Vnc.i. *cerebri leporis aſſi & exſiccati* Dra.ii. *ſpec. diambr.* Dra.i. *ſem. pœon. baccar. iuniperi*, an. Scr.ii. Cum *ſyrup. ſtœchad.* F. Electuarium, de quo ſumat æger ſingulis diebus Vnc.ß.

*Cerebrum leporis.* Cerebrum quoque leporis laudatur, quod peculiari proprietate in hoc morbo proſit. Vnde commendatur hoc Electuarium:

℞. *Cerebri leporis recentis aſſi*, vel *in fictili frixi, conſeru. ſaluiæ.* an. ℔.ß. *chamæpithyos, betonic.* an. Vnc.iii. *cinamomi, caryophyll. piper. nigri*, an. Dra.i. *terebinth. Cypriæ aq. chamæpit. lotæ* Vnc.ß. *ſacchar. diſſolut. in aq. iuæ.* vel *mellis* q.ſ. F: Electuarium, de quo manè, horis iii. ante cibum, ſumantur Vnc.ß. vel Dra.vi.

*Pulueres.* Pulueres quoque varii parari poſſunt, qui in aqua appropriata, vel cum pane vino aut mulsâ madido ſumuntur, vel cum ſaccharo in Rotulas aut Morſulos formantur.

Vt ℞. *Nuc. moſchat.* Vnc.ß. *radic. pyrethri* Drach.i. *flor. lauend.* Drach.ii. *anthos, ſaluiæ*, an. Drac.ß. *cinamomi, caryophyll.* an. Dra.i. *galang. cubebar. cardamom.* an. ʒ.ß. F. Puluis.

Vel ℞. *Fol. meliſſ. primul. veris, iuæ arthet.* an. Dra.iß. *cubebar. nuc. moſchat. ſem. aniſi*, an. Dra.i. *coriandr. præparati, cinamomi, caryophyll. cardamomi*, an. Drach.i. *viſci q. ſem. pœon.* an. Drach. ß. *ſacch.* ad pondus omnium F. Puluis.

*Morſuli & Rotulæ.* Efficaciſſima ſunt olea deſtillata, vt & extracta; quæ vel cum conſeruis, miſceantur, vel ſaccharo excepta in Tabulas vel Morſulos concinnentur.

Vt ℞. *Extract. calam. aromat.* Scr.i. *ol. deſtillat. nucis moſchat. ſalu. roriſmar. cinamomi*, an. gutt.vi. *caryophyll.* gutt.ii. *ſpec. diambr.* Dra.ß. *ſacchar. in aqua lauendulæ diſſoluti* Vnc.iii. vel iiii. F. Morſuli.

Vel ℞. *Spec. diamoſch. d.* Dra.iß. *diambr.* Scrup.ii. *diamarg. cal.* Dra.ß. *raſur. viſci q. vngulæ alcis*, an. Scrup.i. *fragm. lap. v. pretioſor.* an. Scrup.ß. *extr. galangæ, ireos, pœon.* an. gr.vii. *cardamom.* gr.xv. *ol. deſtill. nuc. moſch.* gut. vii. *ſacch. in aq. lil. conuall. diſſol.* q.ſ. F. Morſuli.

Vel ℞. *Spec. diambr.* Drach.i. *ol. deſtillati ſaluiæ, nucis moſchat. caryophyll.* an. gutt.iiii. *ſacch. in aq. roriſmar. diſſolut.* Vnc.ii. F. Rotulæ.

Vel ℞. *Ol. deſtillati ſaluiæ, nucis moſchat. cinamomi. caryophyll.* an. gutt.vi. *ſacchar. in aqua iuæ diſſoluti* Vnc. ii. vel iiß. F. Rotulæ.

Ve ℞. *Sacchari* ℔.ß. Decoqu. *in aq. fl. lauend.* & *lilior. conuall.* Vnc.iiii. ad perfectam coctionem; adde *ol. ſuccini rectif.* gutt. xv. *cinamomi* gutt. ix. *eſſent ſaluiæ* Drach.i. F. Rotulæ.

*Aq. Paralytica.* Aquæ Apoplecticæ & Paralyticæ paſſim extant apud Langium, *lib.3. epiſt.1. cap.1.* Vidum Vidium, Heurnium, Hercul. Saxoniam, & alios, quos conſulere licet.

*Tinctura.* Poteſt & talis ſine deſtillatione (Tincturam vel Eſſentiam hodie appellant.) parari:

℞. *Primul. veris, ſaluiæ*, an. M.i. *flor. lilij conuall. ſtœchad. Arabic. lauendul. anthos*, an. M.ß. *caryophyll. nuc. moſchat. galang. cinamomi, cubebar. granor. Paradiſi, ligni aloes*, an. Dra.iii. *rad. acori veri, ireos, pœon.* an. Vnc.ß. *ſem. fœnicul. aniſi, ſiler. montani, pœon.* an. Drac.i. *ſpec. diambr. diamoſch. d.* an. Dra.ii.

Affundatur *ſpiritus vini optimè rectificati* tantum, vt ad manus latitudinem, vel plus etiam emineat. Stent in infuſione diebus aliquot in vitro clauſo, & ſingulis diebus agitentur. Poſtea ſpiritus vini, qui vim ſpecierum imbibit, per inclinationem effundatur. Doſis eſt Vnc. ß. vel ſolius, vel cum aqua aliqua conuenienti.

Alia aqua contra Paralyſin:

℞. *Roriſmar. lauendul.* an. Vnc.iii. *ſaluiæ, ſem. ſinapi* an. Vnc.i. *cardamomi, galangæ, cubebar. cinamomi*, an.℥.ß. *macis, croci Orient. viſci q.* an.℥.i. *caſtor. opt. aureæ Alexand. Mithridat.* an.℥.ß.

Macerentur in loco cal. diebus 8. in *vini ſublim. opt.* ℔.ij.

Poſtea ℞. *aq. ſalu. roriſmar. lauendul. flor. tiliæ, lil. conuall.* an.℥.ii. Miſc. & ſ.a. deſtillentur. Alia:

℞. *Spec. diambr.* ℥.iiß. *diarrhod. abb. diamoſch.* an.℥.ii. *ſpir. vini opt.* q.ſ. F. ſ.a. Extractum liquidum, quod ſaccharo in aquâ conuenienti ſoluto dulcorari poteſt.

Aqua Saluiæ compoſita:

℞. *Fol. ſalu. hortenſ. virid.* ℥.vii. *nucis moſch. caryophyll. zingiber. albi, cubebar. gran. Paradiſ. cinamomi*, an.℥.ß. *baccar. lauri* Drach.i. *galangæ* Drach. ii. *ſpic. nard. cort. citri,*

*citri*,an.ʒ.i.*camphor*.Scrup.i.*flor.lauendul*.ʒ.ß.*roriſmar*.ʒ.1.Infund.omnia, vt decet,præparata in *vini opt. veter*.℔.viii.per dies 3.Poſtea ſ.a.in B.deſtillentur.

Alia aliqua:

℞.*Rad.acori veri,galangæ,angelic.enulæ,cyperi*.an.ʒ.vi.*fol.ſalu.minor.maior.roriſmar.meliſſ.rutæ*, an.M.i. *flor. lauend.ſpicæ,lilij conuall. primulæ veris*, an.M.ß. *nuc. moſchat.zedoar.cinamomi,caryophyll*. an. Dra.iii. *caſtor*. ʒ. iß.*cort.citri* Vnc.ß.*ſpec.diamoſch*.ʒ.ij.

Conquaſſata infund.in vino forti, & permiſceantur donec pultis inſtar fiant,poſtea deſtillentur.

Aqua articularis:

℞. *Iuæ arthet*.℔.i. *rad. pentaphyll*. Vnc.iii.*fol. piloſell*. ℔. ß.

Inciſis & contuſis affund. *vini Rhen. veteris opt*. ℔. vi. F.ſ. a. Deſtillatio per organa vitrea in B. Collectus liquor ſeruetur.

Alia D.Kolreuteri:

℞. *Vermium terreſtr.ablutor.vino veteri* ℥.ii.ʒ.iii.*caſtorei* ℥.ß.vel Vnc.j.

His ſuperfund. *vini veteris* ℔.i.Stent infuſa 24.horis;poſtea ſeorſim

℞.*meliſſophyll.odor.puleg*.an.M.i. *chamæpit. agrimon, herb. paralyſ. chamæmeli Romani*, an. M.iß. *betonic. euphrag*.an.M.ii.*ſaluiæ* M.iiii *hyperici* M.iii. *flor. ſambuc. verbaſc*.an.M.i. *baccar.lauri* ℥.iß.*ſtœchad.Arab.cap*. N. vii. *raſuræ Guaiaci* ℥. ii.*ſaſſafr*. Vnc. ß. *caryophyll. nuc. moſchat*.an.Drach.ii.*ſchœnanth*.Scrup i.*roſar.rubr*. M.ii. *flor. lauendul.ſpicæ nard. betonic. maioran. roriſmarin*. an.M.i.

His quoque conciſis & conquaſſatis ſuperfund.*ſpir. vini puriſſ*.℔.v.

Stent per triduum ad cineres calidos ſæpius mouendo. His adde *vini Rhen.veter*. ℔.iii.*aq.meliſſ.lauend.betonic.hyperic.ſambuc.ſaluiæ,roriſmar*.an.℥.vi.

Poſtea ſimul omnia mixta deſtillentur ſ.a. in B. Deſtillato liquori,ſi placet,addi poteſt moſchi Scr.ß.

Aqua Arthetica D.Brambachij:

℞. *Baccar.iuniperi* ℔.ii.*lauri* ℔.i.*flor.lauend. fol.puleg.cum ſummit*. an. Vnc.xvii. *menth. criſp. calamenth*. an.℔.j.

Poſtea ℞.*rad.oſtrut.Zedoar.macis,cinamomi*,an.Vnc. i.*caryophyll.cardamomi*,an.Vnc.ß. *flor.anthos* M.i.*vrtic. min.c.ſem*.M.i.*ſalu.minoris* M.ii.

Omnibus contuſis ac minutim inciſis affunde *vini opt.ardent*.q.ſ.atque bene cooper.

Deinde ſepeliatur vas bene concluſum & obſtructum in cella, in loco & terra frigida.Sent in infuſ.per menſem,deinde deſtillentur.

*Topica.* Tandem ad Topica accedendum, quæ cum parti reſolutæ ad calorem & ſpiritus reuocandos, tum inprimis loco,vbi cauſſa mali hæret,applicãda, ad humorum exſiccationem & diſcuſſionem.

*Frictiones.* Pars ergo affecta pannis calentibus quotidie fricetur,ſed leniter, ne quod de naturali calore & ſpiritibus attractum eſt,iterum diſſipetur.

*Cucurbitulæ.* Cucurbitulæ etiã applicentur,quas valde commendat Auicennas poſt corporis expurgationem, ſi abſque ſcarificatione capitibus muſculorum partis affectæ applicentur, præcipuè eo fine ,vt ſpiritus ad partem torpentem attrahatur. Qua de cauſſa cucurbitulæ anguſtiores eſſe debent,& cum multa flamma applicari, ſed non diu affixæ manere, ne, quod attractum eſt, diſſipetur.Et vt id,quod attractum eſt,ibi conſeruetur, & non ſtatim diſſipetur,emplaſtrum ex pice & reſinâ pini ſtatim imponi poteſt.Quin tamen aliquid materiæ morbificæ neruis inhærens hoc modo extrahi,& loco moueri poſſit,impoſſibile non videtur.

*Rubificantia.* Vel membrum ſtupidum & reſolutum vrticis viridibus leniter percutiatur, aut ipſi ſinapiſmi & Rubificantia imponantur, donec pars rubeſcere incipiat. Et ſi materia à cerebro deſcendat, & in ſpinali medulla hæreat , etiam ſcapulis & brachiis interdum adhiberi debent, vt materia à cerebro & principio ſpinalis medullæ ad exteriora trahatur, & euocetur.

Poſtea,& progreſſu temporis (Auicennas poſt trigeſimum diem iis vtitur) ſpinæ dorſi quoque ea applicare vtile eſt,vt reliquiæ materiæ extrahantur, & ſpiritus ac ſanguis ad partem affectam reuocetur.Rubificantia tamen tam diu non ſunt in loco affecto relinquenda, vt veſicas in cute excitent ( tum enim ſpiritus & ſanguis ad partem affectam,nõ reuocaretur,ſed diſſiparetur) ſed tam diu ſolùm, ſinapiſmi & dropaces relinquendi , donec pars rubicunda digito preſſa non albeſcat,ſed rubicunda permaneat.

*Olea & Vnguenta.* Poſtea inunctiones fiant Oleis & Vnguentis conuenientibus,cuiuſmodi ſunt, *ol.chamæmel.lilior.albor.irin. hyperici,ſambuci,rutaceum,laurinum, coſtinum, de ſpica, lumbricor.terreſtr.de piperibus,vulpinum, de caſtoreo, euphorbij , deſtillatum iuniperi , ceræ*. Peculiari ratione præparata *olea , viperinum , de ciconia , anſerinum*, habentur in Practica Leonell. Fauentini, *cap.de Paralyſi*, &, *Cati ſeu Felis*, apud Foreſtum, *lib*. 10. *obſeru*.82.

Ex Vnguentis commendatur, *Agrippæ, Aregon, Martiatum vtrumque, de bdellio*. Efficax eſt & ſequens Vnguentum Anſerinum:

℞. *Anſerem veterem pinguem* , ſuffocetur, deplumetur,& exenteretur. Exenteratus inde *ceræ flauæ* , *butyri ouilli,ſalis communis*, an.Vnc.ii.*pingued.vulpin*. Vnc. iii. *cati ſylueſt*. Vnc.iiß. *porcinæ* Vnc.ii. *humanæ* Vnc.i. *medull.crurum aſini,bouis,cerui*,an.Vnc.iß.*pulu.thuris,farinæ fabar.ſiliginis*,an.Vnc.ii.repleatur, & conſuatur, verúque transfigatur,& aſſetur; vel ollæ vitreatæ inditus lento igne aſſetur:vbi cauendum , ne aduratur. Liquor exſtillans vſui ſeruetur.

Aliud:

℞. *Anſerem deplumatum,euiſceratum, vino albo ablutum*,configatur vndique *caryophyllis*, & infarciatur *foliis ſaluiæ,roriſmarin,ſpicæ*, iiſdem addendo *pingued.felis ſylu*. Vnc.iß. *pulu.myrrh. thuris*, an. Vnc. ß. *caſtor. euphorb*. an. Drach. iß. *lumbric. in aceto ſuffocator*. n.xxx.

Inſuantur omnia, & torreatur anſer more vſitato in veru, aceto albo rutaceo ſuppoſito in ſartagine in quod pinguedo deſtillet,poſteàque refrigerato liquore innatans axungia colligatur, & ſeruetur in vitro ad hoſce vſus præſtantiſſima.

Crato commendat Vnguentum de Sapone,quod ipſe ita parat:

℞. *Sapon.Veneti* ℔.ß.*ol.baccar.iuniperi* ℥.i. *pulu. ſem. eruc*.Dra.vi.M.pro Vnguento.

Vel ℞. *Ol.laurin.de laterib.nardini,ſinapi expr*.an.℥. iß.*gummi ſeqq*.in aquâ vitæ diſſolutor.*opopanac.galban. ammoniac.ſagapen*. an. Vnc.ß. *euphorbij* Drach.ii. Miſc. quibus adde *ol.iuniper.de piperib.ſuccini,ſpicæ deſtill*.an. Dra.i. *rad.helleb. alb.pyrethr. ſinap*. an.Dra.i.*piperis alb*. Dra.ß.*ſal.ammoniac*.Scrup.ii.*caſtor*.Scrup.i.*Ceræ* q.ſ.F.l. a. Vnguentum, quo partes læſæ ſpir. vini ante ignem prius fricandæ illinantur.

Valent *& pinguedines humana,anſerina,vulpina,cati, cati ſylueſtr.vrſi,leonis,viperarum*.

In calidis tamen & ſiccis oleis, præcipuè deſtillatis, & inprimis in principio adhibendis , hoc obſeruandum, vt aliquid pinguium addatur, ne materia neruis inpacta , vel adhærens exſiccetur, indureſcat, & quaſi lapideſcat.

Ex his varia pro re nata miſceri poſſunt.

Vt ℞. *Ol.chamæmel.lilior.albor*.an.Dra.i.*lumbric.terreſtr.vulpini*, an.℥.ß. *ſpec.diamoſch.dulc.pulu. chamæpit. roriſmarin* an.Dra.ß. *caſtor*. Scr.i. *ceræ,pinguedin.vulpis*, ana q.ſ.F.Vnguentum.

Vel ℞. *Gummi Ammon. bdellij in ſpir. vini diſſolut*. an.Vnc.ß.*axung.taxi,anſeris,vulpis*,an.Vnc.iii.*rad.ireos* Drach.i.*fol.rutæ,betonic.herb.paralyſ*.an.Dra.i.*fl.ſtæchad. Arab.roriſmar. chamæm. melilot*. an.p.i. *ſtyrac, calamit. benzo*-

*benzoes*, an. ʒ.ii. *caryoph. thuris, nuc. mosch.* an. ʒ.i. *ol. vulpin. castor. lumbric. terrestr. ceræ*, an. q.s. F. Linimentum.

Vel ℞. *Ol. vulpini, laurini, terebinth. de castor.* an. ℥.ß. *vnguenti Aregon. Martiati magni*, an. ʒ.ii. *galbani, Ammoniac. bdellij*, an. ʒ.i. *ceræ* q.s. F. Linimentum.

Vel ℞. *Rad ireos, calam. aromat.* an. ʒ.i.ß. *galang.* ʒ.i. *fol. saluiæ, rorismar. iuæ, fl. lauend. stæchad. Arabic.* an. p.i. *ol. vulpin. de castor. lumbric.* an. ℥.ii. *terebinth.* ℥.i. *vini albi fort.* ℥.iiij. Coq. ad vini consumptionem.

Colaturæ adde *spiritus vini* ℥.i. *sagapen. bdellij, castor. styrac. calamit. benzoes*, an. ℈.i. *nuc. mosch. caryoph. piper. longi, pyrethri*, an. ℈.ß. *pingued. taxi* ℥.ß. *ceræ* q.s. F. Linimentum.

Efficax etiam ad Paralysin Vnguentum describit Valeriola, *lib.* 4. *obs.* 4. quod huc transferri potest.

Efficax est & hoc:

℞. *Lumbric. terrestr. spiritu vini lotorum, & in furno exsiccat.* ℔.ß. *pulu. zingiberis, galang.* an. ℥.ß. *ol. lilior. albor.* vel *costini* q.s. F. Vnguentum.

*Sacculi & fomenta.* Ante nouam inunctionem sordes, quæ de priori relictæ sunt, abluantur pano imbuto decocto *fl. chamæmel. melilot. beton. maioran. rutæ, salu. fol. lauri, chamæpit. hyssop. rad. ebuli, cyclamini, ireos, calami aromat. pyrethri.*

Ex quibus & Sacculi ac fotus parari possunt, additis *caryoph. nuce mosch. castoreo.*

Vt ℞. *Betonic.* M.i.ß. *maioran. chamædr. chamæpit.* an. M.i. *calaminth. origani, serpilli, marrub. vrtic.* an. M.ß. *fol. lauri* num. v. *fl. spicæ, stæch. Arab.* an. p.ii. *galangæ, piper. l.* ʒ.i.ß. *mastich. succini*, an. ʒ.i.

Concisa & contusa crasso modo decoq. pro Fomentatione.

Alij sequenti Mixturâ membra affecta fricant:

℞. *Spir. vini, spir. granor. iuniperi*, an. ℥.iiii. *pingued. castorei* ℥.i. *pulu. sem. sinapi* ʒ.i.ß. *rad. aristoloch. salis communis*; an. ʒ.ß. Misce.

Efficacissima verò sunt Balsama cum naturalia, tùm Artificialia, seu olea destillata, quæ Balsami nomine veniunt, & apud Euonymum, Heurnium, *c. de Paralysi*, & alios descripta extant.

Inter quæ valde commendatur sequens Balsamum, quod Guidoni de Cauliaco attribuitur, quodque Matthiolus loco veri balsami substituit:

℞. *Fol. saluiæ, maioran. menth. herb. paralys.* an. p.i. *spic. nard. croci, carpobalsami, sang. dracon. thuris, mumiæ, opopanac. bdellij, mastich. gumm. Arab. styrac liq. benzoes*, an. Dra. ii.ß. *moschi* ʒ.ß. *terebinth.* Vnc. v.

Omnia puluerisata Misc. cum terebinth. ponantur in alembic. & destillentur: primò exit aqua, hinc oleum, postea substentia quædam crassior, quam Mel appellant, cuius vsus est in hoc, & omnibus frigidis affectibus.

Est & magna vis ol. destillatorum, *saluiæ, nucis moschatæ, lauendul. spicæ. rorismar. succini, de lateribus*, vt & *petrolei*, præcipuè *albi.*

*Aqua destillata.* Vtilis est hæc Aqua, quâ membra affecta illinantur & fricentur. Libet eiusdem etiam ℥ß. cum aqu. saluiæ, vel alterius conuenientis ℥iii. manè exhibere:

℞. *Flor. lauendul. spic. nostræ, stœchad. Arab. saluiæ, rorismar.* an. M.ß. *maioran. iuæ, primul. veris*, an M.i. *rad. aristoloch. rotund. ireos, calami aromat.* an. ℥.i.ß. *nuc. mosch.* ʒ.ii. *caryophyll. piper. cubebar. cardamom.* an. ʒ.i. *spec. diamosch. dulc. diambr.* an. ℈.ii. *sagapen. opopanac. myrrh. castor.* an. ʒ.ß. *baccar. iuniperi* M.i.

Incisa & contusa infundantur in vini albi ℔.vi.

Stent in infusione diebus 8. postea, si odoratior expetatur, aliquot grana ambræ, vel moschi tenui linteolo obuoluta rostro alembici appendantur.

Possunt & sequenti Aquâ arthetica membra affecta humectari & fricari:

℞. *Granor. iuniperi, herb. vrtic. Rom.* an. M.ii *spic. nostr.* M.ß. *schænanth.* Dra. i. *gran. paradis. coccognid. piperis l.* an. ʒ.i.ß. *caryoph. castor. myrrh.* an. ʒ.ii.ß. Concisa & cōtusa infund. *in spir. vini Rhen.* mens. ii.

Stent. in infus. per 3. dies, postea destillentur in M.B.

Alia Aqua arthetica, D. Eulenbeck, Medici quondam Dresdensis:

℞. *Fl. lauendul. spicæ, betonic. maioran. rorismar.* an. M.i. *fol. sambuc. fl. verbasc.* an. M.ii. *hermodactil.* ℥. ß. *nuc. moschat.* Dra ii. *caryophyll.* ʒ.i. *baccar. iuniperi* M.i. Incis. & contus. infundantur *in vini Rhen.* ℔.v.

Stent in infus. per 4. d. hinc destillentur.

*Suffumigationes.* Vtiles sunt & Suffumigationes, quibus inseruit sequens Puluis.

℞. *Succini mastich. myrrhæ*, an. ʒ.i. *thuris* ℈.ii. *caryoph. cinamomi, nuc. mosch. macis*, an. ʒ. ß. *ligni aloes* Scrup. ß.

Puluerisata irrorentur *spir. vini*, exiccentur postea, & iterum irrorentur quinquies, ac exiccentur, & F. Puluis, qui iniiciatur prunis, vt fumus excitetur, quo calefiat linteum, eóque subinde membra paralytica fricentur & foueantur.

*Emplastra & Cerota.* Si his malum non cedat, Emplastra & Cerota supra spinam dorsi imponenda.

Vt ℞. *Castor. euphorb. piper. longi & nigri*, an. Dra. i. *ammoniac. opopanac.* an. Dra. vi. *medull. cerui, cruris bubul.* an. ʒ.ii. *terebinth.* ʒ.vi. *styrac. liquid.* ʒ.ii. *adipis gallin. anseris, porci*, an. ʒ.i.ß. *ol. nardini, irini, de lateribus, de terebinth.* an. ℥.ß. *vini albi veteris* q.s. *ad gummi dissoluenda.*

Bulliant omnia ad ignem. F. Emplastrum.

Alij ab inunctione imponunt emplastrum ex solo gummi Tacamahacæ paratum.

Vel ℞. *Empl. de bacc. lauri, de beton. melilot.* an. ℥.i. *thuris* ℥.ß. *castor. euphorb.* an. ʒ.i. *sem. nigell. nasturt. sinap. rad. pyreth. fol. nitri*, an. ʒ.ß. Cum *ol. de laterib.* redigantur in formam Emplastri, quod super alutam extensum applicetur.

*Sudorifera.* Sudores quoque in parte affecta prouocare vtile fuerit; quod fiet per euaporationes è decocto herbarum prædictarum & radicum facto in aqua, aut potius vino ita parato, vt halitus calentes partem affectam attingant: aut decoctum ex herbis dictis calens in vas aliquod infundatur, in quo æger ieiunus ita sedeat contectus, ne aquam attingat, sed vapores saltem excipiat; vel lateres calentes linteis decocto herbarum dictarum madidis inuoluti parti affectæ imponantur, vt sudor eliciatur, vel in balneo sicco, quod stufam vulgò appellant, vapor ex decocto herbarum dictarum lapidibus vel scoriis calentibus inspersо excipiatur. Ad sudores mouendos valde hic commendatur decoctum radicum bardanæ vel lappæ maioris. Vbi æger satis sudauit, in lectum componatur exhibita *theriacæ, Mithridat.* vel *aureæ Alexandr.* ʒß. vel ℈ii. cum aq. conueniente. Non verò semel tantum eiusmodi balneis vtendum, sed sæpius, & bis vel ter singulis septimanis.

Autumnali quoque tempore vinaceis ex vuis maturis efferuescentibus membra manè per horam vnam, vel longius spatium immergere, & postea oleo, vel vnguento aliquo conueniente inungere, ídque per dies 15. vel plures continuare summè vtile fuerit; de quo videatur Donatus ab Alto Mari, *Tractat. de vinaceorum facultate & vsu.* Idem faciunt feces vini, si in illis calefactis partes resolutæ quotidie bis foueantur. Membra resoluta tegantur pellibus vulpinis, leporinis, canis, cati syluestris, plumis anserum, columbarum, auicularum syluestrium.

*Thermæ.* Si his omnibus nihil, vel parum efficiatur, ad Thermas deueniendum erit, præsertim verno tempore, præmissis vniuersalibus & particularibus corporis euacuationibus. Est autem hîc opus delectu thermarum; súntque vtiles sulphureæ, bituminosæ & nitrosæ, non multi aluminis participes. Súntque singulis ferè regionibus etiam suæ; de quibus descriptiones thermarum in singulis regionibus, & historiæ ab iis curatorum consulendæ.

*Balnea artificialia.* Si thermæ naturales desint, Artificiale balneum tale parari potest, si aquæ exsiccationis caussa, sal, alumē, tartarum vini, sulphur, permisceatur, & in eis ferrum

vel chalybs sæpe ignitus extinguatur; &, vt appropriatum magis balneum fiat,& calefaciat,plantæ etiam conuenientes admiscendæ.

Vel tale paretur:

℞.*Fol.betonic.saluiæ,maioran.pulegij,rorismar.hyssopi, origani,thymi,rutæ,chamæpit*.an.M.iii.*fl.chamamel.melilot*.an M.ii.*rad pyrethri,bryoniæ*,an.℥.ii. *baccar.iuniperi* M.iiii.*lauri* M.ii.*sulphuris* ℔.iii.*nitri* ℔.i. Coqu.in aqu. ad Balneum.

*Cauteria.*

Nonnulli & Cauterium apponunt inter primam & secundam vertebram,vel alio loco,pro ratione membri affecti,vt humor neruos occupans euacuetur.

*An febrem accendere liceat.*

Nonnulli & febrem accendendam putant ad absumendum & exsiccandum humorem pituitosum, exhibitâ crebriùs theriacâ & confect. anacardinâ, aut oleorum calidiorum, vt formicarum, euphorbij, circa pulsus temporum & brachiorum, ac sub axillis inunctione. Verùm cum accedere febrim facilius fit,quam accensam extinguere,relicto præsidio minus tuto,alia tutiora eligenda.

Chymici, præter magisterium perlarū, (quod in *aq. primulæ veris* vel *rorismar.* Scr.ß.pondere exhibent)commendant ol.saluiæ,succini;magister.smaragdi,coralliorum;tincturam amethysti;essentiam flor.cheiri.

Extrà inungunt ( præter olea antea commemorata) ol.sanguinis humani,vt & balsamum de galbano,cuius descriptio in Institutionibus habetur.

## *Diæta.*

Interim dum hæc fiunt,& toto morbi decursu Diæta conueniens instituenda,qualis,*part.*1.*cap.*2. proposita. Aër sit calidus, siccus & purus. Qui si talis naturâ loci non detur,arte paretur,vt, *ibid.* dictum.Nonnulli censent intra ægri cubiculum columbos alendos, vtpote quorum halitus Paralyticis prosit.

Cibus calefaciendi & attenuandi vim habeat,pituitæ generationem prohibeat, condiatúrque cinamomo,cariophyll.nuce moschat.macere, hyssopo, thymo, saluia, rosemarino, maioranâ, satureiâ, & similibus.Et primis quidem 14. diebus victus sit tenuior & parcior; cum materia morbi plus, quam vires vrgeat. Ideóque famem interdum tolerare, & cœnam intermittere proderit. Toto verò morbi decursu cibo sese æger non oneret; cum nihil in hoc affectu sit perniciosius, quàm nimia cibi & potus repletio. Cibus quoque sit boni succi; carnes assæ, quàm elixæ magis conueniunt. Eligantur & ij cibi, qui peculiari vi huic morbo resistunt, aut certè pituitam non generant, vel eam etiam absumunt; quales sunt columbæ syluestres, turtures, hirundines, cuculi, cerebrum leporis. Commendant nonnulli viperarum carnem; ideoque harum carne, vel farinâ harum iure subacta capones & gallinas saginant. Vtiles sunt & pineæ nuces, pistaciæ, amygdalæ, auellanæ Lombardicæ. Panis condiatur semine carui, fœnicul. anisi, melanthij. Condimenti loco in mensa vsurpetur sinapi, cappares; item sales theriacales, de viperis, betonicæ, cinamomi, hyssopi, iuniperi, saluiæ, nucis moschatæ, cariophyllor. Contra ab omnibus cibis frigidis & humidis, flatulentis, auibus aquatilibus, carnibus agninis, suillis abstinendum. Pisces, si fieri potest, in cibum planè non admittantur; aut ægro eos appetente saxatiles aromatibus conditi concedantur. A lacte etiam, & omnibus lacticiniis abstineat æger, vti & à fructibus horariis.

*Potus.*

Potus sit hydromel aliquod ex supra scriptis, cum foliis saluiæ, maioranæ, rorismarini, hyssopi, chamæpityos, cinamomo, nuce moschat. zingibere, cardamomo, granis paradisi, pipere paratum, aut cereuisia hyssopo vel saluia condita, vel potus, qui Hippocras vulgò pharmacopæis appellatur, & hoc modo paratur:

℞.*Cinamomi* ℥.ii.*zingiberis* ℥.ß. *piper.longi,granor. paradisi,galang*.an.ʒ.i. *cardamom*.ʒ.i.ß.*nucis moschatæ, caryophyll.macis*,an.ʒ.i.

Coquantur vase clauso in aq.fontan.℔.vi. Colatura dulcoretur *sacchar.alb.*℔.ß. & per manicam Hippocratis traiiciatur.

Morbo tamen declinante ad ventriculi robur conseruandum vinum concedi potest, sed antiquum,quod non facilè acescit,idque paucum.

*Motus & exercitia.*

Pars corporis affecta, quæ restitui nonnihil cœpit, frequenter exerceatur, aut potius fricetur; moderate tamen, vt calor, sanguis & spiritus ad illam reuocentur. Et quidem frictiones in partibus ægris vtiles sunt ad calorem & spiritus reuocandos:in sanis ad auersionem.

*Somnus & vigilia. Excreta.*

Somnus non excedat horas septem, sitque nocturnus, non diurnus.Aluus aperta seruanda,&,quia Paralyticis aluus adstrictior esse solet, per interualla clysteres iniiciendi.

## *De Curatione Paralysis ex humore tenui, & ex Colica ac Scorbuto.*

*Curatio Paralysis ex humore tenui, & ex Colica ac Scorbuto.*

Cum Paralysis ex Colica ex tenui potius & bilioso vel seroso humore,quam crassa pituita proueniat, vt & ea, quæ morbos biliosos interdum sequi solet: curatio quoque non parum à curatione Paralysis ex pituitâ variat. Neque enim tam calida medicamenta, vt in Paralysi pituitosa, hîc locum habent. Et cum materia illa tenuis, biliosa ac serosa, ex intestinis non tam ad principium neruorum, quàm ad neruosas musculi partes ac tendines transmittatur, principio neruorum illæso; tota curationis ratio in eo consistit, vt intemperies intestinorum corrigatur, & humores vitiosi ex iis euacuentur. Deinde vt materia quæ est in membris exterioribus, discutiatur, ac membra roborentur. Et cùm in ista Colica & Paralysi pertinaces alui obstructiones adsint, clysteribus opus est, sed iis non calidis & siccantibus quales in Colica ex pituita & flatibus requiruntur, sed potius humectantibus, moderatè refrigerantibus, emollientibus, & abstergentibus. Et quia motus ad inferiora segnior est, vnde etiam accidit, vt materia cùm ad alia membra, tum ad musculos moueatur, irritantibus opus est, quæ intestina ad excretionem stimulent. Conueniunt ergo hic clysteres ex maluâ, parietaria, mercuriali, branca vrsina, violaria, ex lacte caprino; quibus cassia extracta addatur, ex ol. violaceo & rosaceo cum adipe anserino, & vitellis ouorum, item ex cremore ptisanæ cum ol. chamæmel. Ad abstersionem verò & expultricem stimulandam commodissimè additur aliquid hieræ simplicis,vel mellis violar. aut rosac. vel nitri parum. Et quidem clysteres tales semel atque iterum iniicere non sufficit, sed ter vel sæpius etiam infundatur,vt peruersus naturæ motus inuertatur, & humores praui per aluum excernantur.

Postquam aluus per clysteres aperta & emollita fuerit,si plethoræ in venis indicia appareant,vena aperienda.Hinc purgantia exhibenda,& per mitiora medicamenta,ac per ἐπίκρασιν materia expurganda;quibus, si indicia obstructionis in venis appareant, medicamenta aperientia temperata admiscenda sunt. Conuenit hîc syrup.rosat.solut.violar.solut. manna, rhabarb. Si morbus id requirat,etiam extract.esulæ,hellebori nigri,turbith exhibentur.Et si ventriculus est humidus ac laxus, conueniens est vsus hieræ, quæ humores in intestinis abstergit. Ne tamen caliditate vel siccitate sua hiera noceat, ex refrigerantibus & humectantibus aliquid misceri potest.

Materiâ subductâ sæpius ieiuno ventriculo ea, quæ in affectione hypochondriaca & scorbuto vsurpari solet, dentur.Nonnulli tart.correcti ℈j.in aq. saluiæ,aut mixtur. simpl.℈i. in aq. Paralys.℥.iß. exhibent. Hinc sudor prouocari potest tali Potiuncula:

℞. *Aq.*

℞. *Aq. primulæ veris, betonic.* an. Vnc. iß. *succin. præparati, matris perlar. præparatæ*, an. Scrup. ß. *extr. galangæ* gr. vii. *spir. tartar. correcti* Scrup. ß. *manus Christi c.ol.succini* Drach. iii. *aq. theriacal.* Dra. ii. Misce.

Vel sequenti Bolo:

℞. *Conseru. betonic. saluiæ*, an. Drach. iß. *theriacæ* Scr. ii. *extr. ligni sancti* Scr. ß. *sal. chamam.* gr. vii. Cum *sacch.* q. s. F. Bolus.

Quo sumpto liquor aliquis conueniens bibatur. Dentur etiam quotidie de Rotulis confortantibus manè & vesperi aliquot.

℞. *Extr. galangæ* Scrup. i. *ligni aloes* Scrup. ß. *essent. saluiæ* Drach. ii. *succini præparati* an. Drach. ß. *ol. succini* Scrup. ß. *cinamomi* gut. vii. *sacch. in aq. flor. lauend.* & *fl. tiliæ dissol.* Vnc. vi. F. Conf. in Rotulis.

Membra verò resoluta fricentur panno asperiore, postea inungantur oleis non vehementer calidis; qualia sunt, lilior. albor. anethin. chamæmel. & similia. Et si illa supra proposita adhibentur, aliquid moderatè refrigerantium admisceri potest; vt ol. rosac. & similia. Quæ præterea ad huius Paralysis curationem facere possunt, videantur apud Schenckium, *lib.* 1. *obser.* 189.

Paralysin autem Scorbuticam quod attinet, in ea curanda inprimis ad materiam, Scorbuti caussam, respiciendum est, postea membris resolutis medicamenta adhibenda. Qua de re, *de Scorbuto. lib.* 3. *part.* 5. *sect.* 2. *cap.* 7. dictum.

### *Curatio Paralysis à caussis euidentibus.*

*Curatio Paralysis à caussis euidentibus.* In Paralysi à contusione, casu vel ictu, si ob plethoram affluxus ad partem læsam metuatur, vena aperiatur, aluo per clysterem prius euacuata. Postea corpori applicentur non simpliciter adstringentia & refrigerantia, vt in contusione sine Paralysi, sed partim discutientia, partim adstringentia cum quadam calefactione, nisi inflammatio adsit. Vtile ergo est tale Emplastrum:

℞. *Mastich. thuris, gummi hederæ*, an. Vnc. ß. *puln. lumbric.* Drach. i. *maioran.* Drach. ii. *flor. chamæmel. rosar.* an. Drach. ß. *ol. rosar. chamæmel. cheirini*, an. Vnc. i. *terebinth.* & *ceræ* q. s. Fiat Emplastrum.

In declinatione diminutis adstringentibus, digerentia augeantur, vt reliquiæ dissipentur, ac medicamenta, quæ in Paralysi pituitosa proposita sunt, vsurpentur, vt:

℞. *Farin. fœnigræc. pulu. rad. althéæ*, an. Vnc. ß. *lumbric. terrestr.* Drach. iii. *ammoniaci, bdellij, adipis anserin.* an. Drach. ii. *ol. lilior. alb. ceræ*, an. q. s. F. Emplastrum.

De particularibus resolutionibus Linguæ, Palpebrarum, Vesicæ, Ani, & similibus dicetur suo loco.

### QVÆSTIO I.

### *An Galenus & Auicennas de caussis Paralysis consentiant, & Frigus saltem densando neruos Paralysin inducat?*

Defectus equidem spirituum animalium in neruis proxima & continens Paralysis caussa est. Cum verò is à pluribus caussis prouenire possit, in iis recensendis inter Autores discrepantia quædam esse videtur. Primò quidem aliter eas caussas recenset Galenus, aliter Auicennas. Galenus, 1. *de Sympt. caussis*, *cap.* 5. ita de iis scribit. Continens quidem, siue proxima, siue quocunque alio vocabulo libeat appellare, huius symptomatis caussa est talis quispiam in neruis affectus, cuius occasione à principio ad ipsum virtus transmitti prohibetur. Porro prohibetur, (siquidem meatum aliquem neruus habet, qualem ille, qui ad oculos descendit, manifestè habere cernitur) vel ex obstructione vel compressione: si autem non habeat, ex constipatione, vel frigore, vel compressione. Vbi quatuor caussæ ponuntur Paralysis: nerui scilicet Obstructio, Compressio, Constipatio, & Frigus.

Auicennas verò aliter caussas Paralysis digessit, & Paralysin fieri docet, vel quia facultas, seu spiritus non fertur ad membra, vel, licet feratur, membrorum vitio non suscipitus, his verbis: Destructio sensus & motus fit, quoniam spiritus sensibilis aut motiuus vel retinetur à penetratione ad membra, vel penetrat, sed membra non suscipiunt eius impressionem propter complexionis corruptionem. Quibus easdem quidem caussas prohibiti spiritûs animalis in neruos influxus affert, obstructionem scilicet, densationem, & compressionem: addit verò alterum membrum, cum videlicet influit quidem spiritus, sed ob deprauationem temperamenti partis spiritus influens à membro non suscipitur.

Hic tamen Galenum & Auicennam facilè conciliari posse putat Iulius Guastauinius, *lib. locorum è medic. select. cap.* 24. & quidem hoc modo. Nam primò quidem eos in eo conuenire statuit, quod vterque tres caussas ponit, cur spirituum influxus prohibetur, videlicet, obstructionem, compressionem, & densationem. Nec de hoc dubium est. Deinde etsi aliud vitium addere videatur Auicennas, cum scilicet membrum spiritus impressionem non suscipit, propter complexionis corruptionem, neruorum scilicet illius membri, qui spiritum suscipere debent: tamen eam ipsam temperamenti corruptionem ab Auicenna propositam non esse aliud putat, quam affectûs à Galeno propositos, obstructionem, compressionem, & densationem. Cum enim Auicennas temperiem corrumpi in neruis affirmet non ab intemperie calida aut sicca, sed frigida & humida; obstructionem à Galeno propositam ab humore frigido, & densationem à frigore illam ipsam temperiei corruptionem esse putat. Affectus enim, qui caussa Paralysis, modò pertinet ad neruos iuxta eorum initium, cerebrum aut spinam, aut locum à membro læso remotiorem; modò ad eorum propagines seu portiones exiliores, quæ musculis inseruntur. Cum ergò exiles hi nerui in ipsis partibus propter obstructionem, compressionem, aut densationem spiritus suscipere non possunt, id Auicennam propter complexionis corruptionem fieri statuere putat. Et licet Galenus refrigerationem in specie addat: tamen has duas læsiones, refrigerationem & densationem, ad vnam redigendam censet; cum à frigore fiat densatio, & densationem ac frigus putat esse synonyma, ac prius posterioris explicationem.

Verùm enim verò hoc modo Galenus & Auicennas non satis conciliantur, & omnino Auicennas peculiarem caussam adhuc addere voluit. Licet enim hoc non sit negandum, frigus aliquando neruos condensare posse: tamen frigus tum proxima prohibiti influxus spirituum animalium caussa non est, sed densatio seu angustia; voluitque Galenus tum proximas prohibiti influxus spiritus animalis caussas recensere: idémque expresè distinguit constipationem, frigus, & compressionem, & disiunctiuè eam proponit. Auicennæ verò locus multò minus istam interpretationem patitur, & præter mentem eius dicitur, quod temperamenti corruptio, quam ponit Auicennas, non sit alius affectus, quàm à Galeno proposita obstructio, compressio & densatio. Frigus enim quidem temperamentum mutare potest, sed compressio id non mutat, vt neruus fiat inha

inhabilis ad spiritus suscipiendos: potéstque fieri compressio sine omni intemperie.

Mens ergo Auicennæ hæc est; spiritum animalem aliquando influere non posse propter angustiam nerui à quacunque etiam caussa prouenientem, & quocunque loco ea hæreat; aliquando verò, licet nulla sit in neruo angustia, & licet influant spiritus animales; tamen à membro eos non suscipi, seu, vt loquitur Auicennas, eius impressionem non suscipi propter complexionis corruptionem, id est, quia à frigore innatum partis,& in ea neruosarum fibrarum temperamentum & calor corruptus est, cum eo spiritum animalem influentem vniri, ei se associare, & suam ἐνέργειαν in membro, cuiustemperies naturalis destructa est, exercere non posse. Quod nec ipsum Galenum negare puto; cum, 4. *de loc.affect.cap.*4. Paralysin à refrigeratione deducat, & medicamentis calidis sanatam fuisse scribat.

## QVÆSTIO. II.

### *Qui humores Paralysis caussa esse possint.*

Agitatur quoque inter Medicos controuersia, qui humores Paralysis caussa esse possint. De pituitosis equidem res plana est, eósque omnes inter Paralysis causas admittunt: verùm an biliosi etiam & melancholici, ac quo modo Paralysin inducant, controuertitur. Galenus, 4.*de loc.affect.c.*4. narrat, cuidam, qui à vehementi peripneumonia conualescebat, brachij tam posteriores, quàm inferiores partes,& cubiti maximam partem eodem modo ad summos digitos sensus difficultate laborasse, atque motum quoque aliquorum digitorum nonnihil læsum fuisse. Alexander Trallianus, *lib.*1.*cap.* 6. refert, quendam in Paralysin ex mœrore incidisse, deinde sumpta hierâ adeo læsum, vt totus immobilis fieret,& propemodum interiret, nisi in contrarium mutatus fuisset, & humectantibus omnibus, cùm potibus, tum cibis, & aliis, quæ temperatum ipsum redderent, vsus fuisset. Paulus Ægineta, *lib.*3.*cap.*28. & 43. facit mentionem Paralysis ex Colica per iudicatoriam quandam translationem, ab humore bilioso (refrigerantia enim proderant) ortæ. Fernelius, *lib.*5.*de part.morb.& sympt. cap.*3. scriptum reliquit; bilem flauam sub finem intermittentium febrium in spinam dorsi, ac in neruorum originem effusam aliquando Paralysin, generasse. Hercul. Saxonia, *lib.*1.*c.*40. refert, qudéam inflammatione oris ventriculi laborasse,& rupto abscessu factum fuisse Paralyticum. Rondeletius verò, 1.*Method.curand.morbor. cap.* 32. Fernelio sese opponit,& bilem, vt & melancholiam, Paralysin efficere posse negat; cum hi humores potius siccent, quam emolliant neruos, & bilis ad conuulsionem magis, quam ad Paralysin excitandam sit idonea. Deinde quod bilis, quæ concocta & pauca sit, ad loca tam dissita & remota facilè penetrare non possit. Neque enim per cerebrum, neque per vertebrarum foramina & spinam eò peruenire posse putat. Etenim si per cerebrum & spinalem medullam delaberetur, phrenitidem excitaret; atque id potius in ardentibus febribus acciderct: si verò per vertebrarum foramina eò ferretur, cum sanguine simul eò deduci, & in venis contineri potius debuisset, atque hac ratione continuam potius, quam intermittentem excitâsset. Ipse verò sub finem febrium intermittentium biliosarum Paralysin fieri putat, quòd bilis & febrilis calor pituitam in cerebro contentam, aut in ipsa spinali medulla latitantem eliquare potuerit, quæ in neruos effusa Paralysin induxerit: statuítque, sanguinem solùm tenuiorem bilémque aquosiorem Paralysin committere posse, dum aut obstructionem faciunt, viámque spiritibus intercipiunt, aut humiditate spiritus extinguunt vel consopiunt, aut neruos emolliunt & elongant.

Verum enim verò negandum non est, bilem & melancholiam caussam Paralysis esse posse; cum tot modi sint, quibus Paralysis excitari potest. Possunt videlicet humores Paralysis caussa esse neruos refrigerando, humectando,& irrigando, sensus ac spiritus vi occultâ sopiendo, extrà pondere & grauitate eos premendo, eosdémque obstruendo. Quod ipse Rondeletius negare non videtur.

Duplici autem viâ humores ad neruos feruntur. Vel enim ex ipsis meatibus cerebri in neruorum substantiam infunduntur, vel saltem, ductum spinalis medullæ neruorumque inde ortorum sequentes, extrà neruis incumbunt. Platerus quidem posteriorem modum solum admittit, obstructione verò reiicit, negatque, humores crassos in ipsam neruorum, qui ita manifestas vias non habent, substantiam penetrare posse. Verùm si vapor, præcipuè qui vi narcotica præditus est, in ipsa substantia cerebri contineatur, atque in humorem ibidem condenfetur, vel etiam tenuior humor ibi contineatur, cum in neruos infundi & penetrare posse impossibile non est. Quanquam enim manifestas cauitates non habent nerui: tamen, cùm neruorum substantia sit rara, humores tenues in eos sese insinuare possunt. Obseruandum tamen & hoc, bilis nomine non rarò etiam serosos & salsos humores apud autores accipi.

Atque hinc ad argumenta Rondeletij respondere facile est. Nam cùm ipse concedat, sanguinem tenuiorem bilémque aquosiorem Paralysin committere posse, frustra pugnat contra Fernelium; cum Fernelius non definiat bilem, quæ Paralysin facit. Neque enim omnis bilis acris est, vt necesse sit, eam neruis effusam conuulsionem excitare, vt in ictero videre est, in quo in cute nullus pruritus aut dolor percipitur. Neque in intermittentibus febribus via, quâ humores ad neruos transeant, denegatur. Quamuis enim fomes febrilis in febribus intermittentibus sit extra venam cauam: tamen in eam effunditur, & in paroxysmo tandem per eius ramos expellitur, vt, *lib.*2.*de Febribus, cap.*16. monstratum fuit. Atque hoc modo partim ad spinalem medullam, partim musculos transmitti potest. Videantur quoque quæ de generatione & curatione Paralysis Scorbuticæ, *lib.*3.*part.*5.*sect.*2. *de Scorbuto, cap.*4.&.7. dicemus.

Si verò ex capite delapsus biliosus humor Paralysin generet, modus generationis est facilis; cum & comprimendo, spiritibúsque viam intercipiendo, &, si aquosa sit bilis, neruos irrigando, Paralysin excitare possit. Et si saltem à liquatione pituitæ fieret hæc Paralysis, potius in augmento vel statu febris, vbi calor maior est, quàm in declinatione, ea accidere deberet.

Melancholiam quod attinet, statuunt quidam è Recentioribus melancholicum humorem, etsi siccus & terrestris inter humores dicatur, tamen, quia humor est, humidum, & neruo humidiorem esse, ipsúmque humectare posse, melancholiámque aliis humoribus collatam esse siccam, partibus verò corporis humidam & humectantem. Verùm rectè explicanda est hæc opinio. Etenim etsi humor melancholicus ad tactum, & quà humor,& quiddam liquidum est, humidus est: potentiam tamen non humectandi, vel siccandi habet, sicut thermæ, lixiuium, vina potentia, spiritus,& alij liquores multi siccandi potentiâ præditi, corpora, quæ contingunt, non emolliunt, sed siccant potius. Ergo si à melancholia generatur Paralysis, credibile est, eam extrà pondere suo neruos comprimere, & spiritui fluxum prohibere, vt Platerus sentit. Aut si omnino humectando id efficiat, fit potius hoc ab humore seroso, quo melancholicus humor plerumque diluitur, quàm à crassa eius substantia; id quod in Scorbuticis accidit.

QVÆ

## QVÆSTIO III.

### *An Sudorifera in Paralysi sint exhibenda.*

Ludouicus Septalius equidem, *lib.6 animaduers.medic.n.*74. Sudorifera in Paralysi reiicit, & vrinam cientia præfert, magnúmque errorem passim à Medicis committi putat, quòd, omissis vrinam cientibus, ea vsurpent, quæ sudores mouent, decoctum Guajaci, sarsæparill. & similia, eâ de caussa, quod per vrinam crassiora quoque educantur, per sudores autem tenuibus euacuatis crassiora magis incalescant & crassiora reddantur, magis obstruant, atque difficiliora reddantur ad motum & euacuationem.

Verùm etsi hæc omnia vera esse concedimus de morbis, quorum caussa circa viscera & in hypochondriis, vel etiam in venis hæret, tamen in Paralysi hæc ratio locum non habet. Cum enim circa neruos caussa mali hæreat, non video, quomodo inde ad vias vrinæ facile peruenire possit: per ambitum verò corporis facilis euacuatio est. Neque metuendum, vt sudoriferorum vsu materia incalescat nimium, vtpote quæ frigida est, & ita calefactionem requirit, vt etiam nonnulli febrem, quæ eam calefaciat & fundat, accendendam putent; aut crassescat: cum illa ipsa sudorifera vim habeant eam attenuandi.

## CAPVT XXVIII.

### *De Spasmo, seu Conuulsione, & Conuulsiuis motibus.*

Σπασμὸς Græcis, Celso Distensio neruorum, vulgò Conuulsio, est motus membrorum ita deprauatus, vt præter voluntatis imperium, & contra id membra versus musculorum suorum principia retrahantur. *Spasmus.* Aut, si verbum verbo reddere velimus, Spasmus dicendus cõtractio. Σπᾶν siquidem Græcis est trahere. Membrum enim conuulsum, vt & motum secundum voluntatem, musculi sui medio, quod ventrem vocant, contrahitur versus suum initium, quod caput musculi nominatur. Tendo etiam, in quem musculus desinit, contrahitur, & ab hoc os, vel membrum, cui inferitur, contrahitur. Quia tamen in contractione illa partes ita distenduntur, vt rumpi quasi videantur, Latinis conuulsionem & distensionem nominare placuit. Et quidem quod musculus tenditur, & ad principium suum trahitur, vnáque cum hac pars, cui inferitur; id commune est sanis ac conuulsis, teste Galeno, 2.*de sympt.caus.cap.*2. Sed quod inuitis, & præter voluntatis imperium accidit, id p.n. affecto corpori inest, non sano, vt Galenus docet, 3. *de loc.affect.cap.*6. Aliud verò vocabulum est σπάσμα, quod propriè vnitatem solutam in parte neruosa citra vulnerationem significat, seu partium neruosarum, vel fibrarum in musculis ex distentione ruptionem. *σπασμὸς & σπάσμα differunt.* Nam quòd in carne ῥῆγμα dicitur, id in neruis appellatur σπάσμα, vt ex Galeno, 3.*meth.med.cap.*6.& *m.m.cap.*1.& *de constitutione artis, cap.*6. videre est. Et quidem manus vel pedes, vt & caput, frequentius conuelluntur, quandoque etiam maxillæ ita constringuntur, vt vix vllâ vi diduci possint. Rariores aliquot conuulsionum historias annotauit Marcellus Donatus, *de histor.medic.mirabil.lib.*2.*cap.*3. Refert enim, penem quibusdam morientibus, imò etiam jam mortuis rigidum & conuulsum fuisse; (modò conuulsio fuerit illa penis rigiditas) aliquando anum ita à conuulsione constrictam, vt clysteris canalem non admitteret; deprehensum etiam, manûs mortuorum tam constrictas fuisse, & quandoque tractantium manus ita firmiter constrinxisse, vt difficulter diuelli potuerint; cujusdam etiam capite truncati cadauer, dum in pheretro ad sepulchrum portaretur, repentè adeo concussum fuisse, vt loculi tabulæ inuicem disjungerentur, ac penè ex gestantium humeris decideret; quod ad jactum sagittæ, dum funus progrederetur, durauit.

Est videlicet Spasmus seu Conuulsio symptoma deprauatæ facultatis animalis, liberè mouentis; inuoluntaria scilicet, & ἀκουσίως facta membri versus musculi sui principium contractio, quæ plerumque non sine dolore fit. *Spasmus quid?* Quod tamen de ipso actu motus & contractionis intelligendum. Postea quam verò contractio jam facta est, membrúmque rigidum est, ablatus potius motus est. Siquidem neque ipsi ægri membrum contractum liberè mouere possunt, & sæpe ita rigidum à Conuulsione fit, vt neque ab astantibus extendi possit. Et vbi motus tonicus est, membrum rigidum manet, vt flecti nullo modo possit.

Affectus est in musculo, qui proprium voluntarij motus instrumentum est, & quidem secundum se totus contrahitur; præcipuè verò secundum fibrosam partem: vnde Galenus conuulsionem, nunc musculorum, nunc neruorum πάθος esse scribit. Contrahitur verò pars fibrosa versus originem suam. Origo autem neruorum est cerebrum & spinalis medulla; musculi, vel fibrarum hujus, ipsius caput; tendinis, finis musculi; sicut ligamenti origo vel principium est os, cartilago, aut durior membrana.

Sunt quidem nonnulli, qui inter Conuulsionem & distensionem distinguunt, ac Galenum reprehendunt, quod ista confuderit. *Conuulsio & distentio non differunt.* Verùm illa ipsa Distensio, quæ in tetano apparet, etiam est contractio. Quanquam enim membrum tetano laborans rigidum, rectum, & extensum manet: tamen id fit, quia ex vtraque parte fit æqualis contractio, & musculi anteriore & posteriore parte æqualiter contrahuntur, vt neutra pars vincat; vnde membrum rigidum manet.

Monendum tamen hîc, distinguendum esse inter spasmum seu conuulsionem, & motum conuulsiuum, seu σπασμώδεα πάθη. *Conuulsio & motus cõuulsiuus differunt.* Spasmus enim, seu Conuulsio propriè dicta est musculi versus suum principium contractio, ex qua membrum rigidum manet, sicut in tetano, ὀπισθοτόνῳ, risu Sardonio, & aliis veris conuulsionibus apparet. Motus verò σπασμώδης seu conuulsiuus est etiam musculi versus suum principium retractio; verùm non in vna situs differentia continuat, sed cum quadam concussione, vt in epilepsiâ, febribus malignis, vulneribus capitis sæpe videre est. In hoc enim differt spasmus seu conuulsio à motu conuulsiuo, quod, vt dictum, in conuulsione membrum ex contractione rigidum manet; in conuulsiuo verò motu membrum agitatur, vibratur, & variè concutitur.

Deinde in vera conuulsione sensus omnes, cum interni, tum externi integri sunt: in motibus verò conuulsiuis sæpe læduntur.

Ad motus hosce conuulsiuos referendus, vel iis cognatus est ille, qui nonnullis sub primum somnum accidit, quo totum corpus ita concutitur, vt lectum totum concutiat, & homo inde excitetur. Qui procul dubio accidit à vaporibus quibusdam acribus à ventre inferiore adscendentibus; & principium neruorum vellicantibus, sed qui statim euanescunt.

Cardanus verò, *in Comment.aphor.*37.seu, *secundum ejus distinctionem*, 39.*sect.* 6. etiam hanc differentiam agnoscit & admittit, verum nominibus aliis exprimit, & quem nos Conuulsiuum motum appellari diximus, quíque cum manifesta agitatione & concussione fit, Conuulsionem solùm appellandum censet; Distensionem autem, quæ fit motu occulto, cuius species ἐμπροσθότονος, ὀπισθότονος, & τέτανος. Verùm præter communem loquendi vsum hæc statuit, & præter necessitatem vulgatas appellationes mutat: cum synonyma sint spasmus, cõuulsio, & distẽsio, vt dictũ. Concussiones verò illæ & agitationes manifestæ, quas solùm conuul

conuulſiones appellandas cenſet, σπασμώδεα πάθη, ſeu conuulſiui motus, non conuulſiones propriè à Medicis dicuntur.

*Spaſmus & Paralyſis inuerdum iunguntur.*

Notandum & hoc, ſpaſmum equidem opponi paralyſi, quod in paralyſi eſt mouendi impotentia, etſi membrum flexile ſit, in ſpaſmo verò & motibus conuulſiuis motus deprauatus: interdum tamen junguntur ita, vt per vices & alternatim affligant, ita vt pars modò conuellatur, modò reſoluatur. Cujus rei exemplum eſt apud Hippocratem & Galenum, 3.*Prorrhet.t.*26.quale etiam vidit Petrus Salius Diuerſus, vt *in notis in Altimarum, c.*13.refert, quod tamen raro accidit.

## *Definitio.*

*Conuulſionis cauſſa proxima.*

Sed, vt definitio perfecta conſtitui poſſit, de proxima cauſſa conuulſionis inquirendum, ad quam omnes aliæ, quæ ſatis multæ ſunt, redigi poſſint. Etſi autem ea ſit tendinum & fibrarum in muſculis contractio ſeu longitudo imminuta, ob quam eandem ſitus differentiam muſculum & totum membrum, cui inſeritur, ſecum trahit: tamen cùm idem etiam in motu voluntario accidat; Conuulſio verò contractio præter voluntatem ſit: quænam cauſſa ſit, vt præter voluntatem tendines & fibroſæ muſculorum partes ita ad originem ſuam contrahantur, grauiſſima & intricatiſſima controuerſia eſt.

Vulgata equidem doctrina eſt ex Hippocrate, 6. *Aphor.*39. Spaſmum ex inanitione vel repletione fieri. Et vtuntur plerique cum Galeno ſimilitudine petita à chordis ex inteſtinis animalium exſiccatis paratis, vt & coriis ac pellibus. Vt enim hæc, vbi Soli vel igni exponuntur, humore abſumpto corrugantur & breuiora fiunt; pariter etiam vbi humorem aliquem imbiberunt, latitudine & craſſitie aucta, longitudo imminuitur, & breuiora redduntur: ita etiam putant, in neruis, ac neruoſis muſculorum tendinibus ac fibris idem accidere, eóſque à cauſſis nimium ſiccantibus & humectantibus breuiores reddi.

Recentiores plerique tertium genus cauſſæ addunt; quod tamen etiam Galenus, 5.*Aphor.*1.obſeruauit, vellicationem videlicet neruoſi generis ex re moleſta.

Verùm etſi calumniis facilè obnoxium ſit, ſi quis à ſententia in omnium libris ferè vulgata ſeceſſionem faciat: tamen vbi de veritate agitur, non quis, vel quot aliquid dixerint, videndum, ſed quam bene quid dicatur, perpendendum. Idque & hîc faciendum puto. Quibus autem & quantis difficultatibus priora duo cauſſarum genera inuoluta ſint, in Inſtitutionibus, *lib.* 2.*part.*3.*ſect.*2.*cap.*5. dictum, & infrà, *quæſt.*1. dicetur. Et quamuis nonnulli anxiè laborarint, vt cauſſas omnes remotiores ad hæc duo genera referrent: tamen id, quod conati ſunt, non præſtiterunt; adeo vt doctiſſimi atque ingenioſiſſimi Medici de vera cauſſa inuenienda ferè deſperaſſe videantur. Inter quos eſt acutiſſimus Auenrois, qui, 3.*collectan.*ſcribit: *Vtinam ſcirem, cur diſtendantur in latum nerui, & non in longum.* Et mox: *Scias, Medicorum verba in hoc ſymptomate vniuersè propiora eſſe verbis Muſicorum, ſeu fabellas canentium, quàm demonſtratorum.*

Verùm ne actum agamus, ea, quæ in Inſtitutionibus, *loco allegat.* prolixè hac de re diximus, hic non repetemus, nec ea, quæ poſtea, *quæſt.*1.dicentur, ſed ſaltem ſententiam noſtram, quam vero magis conſentaneam, quantum quidem in hac rei obſcuritate licet, eſſe putamus, ſummatim proponemus. Et propterea breuiter hic ſtatuimus, cauſſam proximam Spaſmi eſſe facultatis expultricis partium neruoſarum à re moleſtante irritationem, quæ animalem facultatem ſibi in eodem ſubjecto junctam in conſenſum trahit, atque ad motum incitat; ſeu materiam fibroſas & neruoſas partes in muſculis irritantem. Reliqua, quæ ad hanc rem pertinent, infra, *quæſt.*1. proponentur.

*Spaſmi definitio.*

Vnde definimus ſpaſmum, quod ſit muſculorum deprauatus motus, ſeu verſus principium contractio præter voluntatem, à facultatis expultricis partium neruoſarum à re moleſtâ irritatione, quæ animalem ſibi junctam in conſenſum trahit, & ad hunc motum incitat, orta.

## *Cauſſæ & Subjectum.*

Sed vt hæc clariora fiant, de ſubjecto & cauſis quædam addenda. Subjectum quidem proprium & proximum conuulſionis muſculum eſſe ſtatuimus. Cum enim muſculus proprium & adæquatum motus voluntarij, qui ſecundum naturam fit, inſtrumentum ſit: etiam motus illius deprauati ſeu conuulſionis cauſſa erit; & muſculo contracto oſſa, & quicquid in parte mobile eſt, ſimul contrahuntur. Veruntamen neruis ſolùm, & fibroſis neruorum partibus mediantibus, vt etiam ſupra dictum, muſculi conuelluntur. Etſi enim muſculi ipſi per ſe ſæpe vulnerentur, contundantur, & tumorem aut alium morbum patiantur: non tamen conuelluntur, niſi neruos malum peculiariter attingat.

Variarum autem corporis partium muſculos conuulſio occupat. Interdum enim totum corpus, caput ſcilicet, & omnia ſub capite membra conuulſione corripiuntur: interdum caput ſaluum eſt, & omnes ſub capite partes conuulſionem patiuntur: interdum vnius lateris membra omnia: interdum vna ſaltem pars, oculus, lingua, ceruix, brachia, manus, crus, pes, digitus.

Cauſſam proximam diximus eſſe facultatis partium neruoſarum irritationem, quæ animalem in muſculis in conſenſum trahit, & ad motum incitat, ſeu ſi alicui ἀκριβολογεῖν libeat, materiam neruoſas & membranoſas in muſculis partes irritantem. Nam, vt in Inſtitut. etiam dictum, aliter ſeſe res habet in expulſione in parte, quæ potentiam habet ad voluntatis imperium ſeſe mouendi, aliter in ea, quæ eâ deſtituitur. Conuulſio ad prius genus pertinet, ſicut & ſternutatio ac tuſſis: in quibus omnibus, quia facultas expultrix naturalis, facultatem animalem in conſenſum trahit, motus quidam ſenſibilis excitatur, atque ita vtraque facultas ad conuulſionem concurrit. Neque ſola facultas animalis huius motus cauſa eſt, vtpote quæ ſibi relicta nullum motum, niſi ad voluntatis imperium, aggreditur. Sed hic ad motum hunc primò facultas naturalis concurrit. Cùm enim cauſſa, quæ conuulſionem parit, in muſculo reſideat, ſeu humor ſeu vapor, primò inde afficitur & irritatur facultas naturalis, quæ ſibi conjunctam facultatem mouendi in conſenſum trahit. Quæ etſi aliàs ſalua ſit, atque imaginatio non deprauata, ob irritationis tamen vehementiam, & totius animalis ſalutem, ac illam, quæ eſt in toto corpore, ſympathiam partium & actionum obſequi cogitur, & hunc motum coacta ſeu permittit ſeu imperat, quem non irritata nō imperaſſet, ſeu permiſiſſet; aut certè facultas animalis à naturali in conſenſum tracta & irritata ſpiritus animales coacta ad membrum affectum mittit, forſan non ita concurrente imaginatione. Neque enim adeo credibile eſſe videtur, cum tam vehemens contractio in conuulſione fiat, vt etiam membrum extendi non poſſit, eam contractionem ab imaginatione, ac locomotiuam dirigente facultate imperari; ſed poteſt fortaſſe per ſpiritus animales ad membrum affectum affluentes etiam inuitâ imaginatione motus ille, cuius modum ignoramus, fieri. Neque tamen ſine concurſu facultatis animalis motum iſtum fieri poſſe, manifeſtum eſt. Eſtque irrefutabilis demonſtratio hæc, quod conuulſio eſt contractio: contractio muſculorum actio propria: muſculi inſtrumentum non facultatis naturalis, ſed motricis: motus muſculorum nunquam fit citra facultatis animalis operam, quæ appetitum & rationalem,

*A qua cauſſa muſculi in conuulſione contrahãtur.*

lem,& ſenſitiuum complectitur, aut certè non ſine ſpirituum animalium ope.

Neque refert, quod hi motus contra voluntatem fiunt, & quod partem conuulſam etiam volentes extendere non poſſunt ægri. Etenim vel ab appetitu irrationali fiunt, vel animâ quaſi perturbatâ, vt ex Ariſtotele, *lib.* 3. *de anima*, *cap.* 2. & Galeno, 2.*de motu muſculorum*, *cap.* 6. in Inſtitut.diximus; vbi monſtratum fuit, motus voluntarios non eſſe planè ejuſdem generis.

Si porrò quæratur,quî fiat,quòd nunc ſaltem verſus vnam partem contractio fiat,parſque ita contracta immobilis maneat; quæ propriè eſt Spaſmus, Conuulſio ſeu Diſtenſio: nunc verò in hanc vel illam partem varia fiat agitatio, quæ motus Conuulſiuus propriè nominatur:etſi Cardano contrà conuulſionem appellare placuerit;differentiæ cauſſa in hiſce conſiſtere videtur, quod in vera conuulſione ſeu vapor ſeu humor neruos vellicans penitius ſe in neruorum ſubſtantiam inſinuauit,iiſque adhæret,& quaſi infixus eſt:in Conuulſiuo verò motu materia non adhæret neruis pertinaciùs, ſed facilè iterum à natura excutitur; quæ tamen cùm iterum neruos petit, conuulſiuus motus continuatur,& tam diu durat, donec materia vellicans tota diſcuſſa eſt. Vnde procul dubio materia,quæ conuulſiuum motum excitat,vaporoſa,ſeroſa vel bilioſa,ac omnino tenuis eſt;quia facilè diſcutitur, & ſæpe hinc inde vagatur.In Spaſmo autem & conuulſione vera materia eſt craſſior & tenacior, ac propterea pertinacius neruis adhæret. Præterea in conuulſiuis motibus materia neruos extra muſculos poſitos potiùs afficit,& ſic muſculi mediatè,& per conſenſum patiuntur, dum id, quod moleſtum eſt,neruis motu ſuo excutere tentant. In conuulſione autem ipſæ neruoſæ fibræ in muſculis inſertæ afficiuntur immediatè. Quibus accedit & hoc, quod in vera conuulſione vnus muſculus ſaltem, vel plures ejuſdem generis, ſeu extendentes ſeu contrahentes afficiuntur: in motu verò conuulſiuo etiam contrarij, aut certè nerui extra muſculos eò loci, vbi verſus oppoſitos, & contrariorum motuum muſculos æqualiter ramos mittunt. Ita enim cùm muſculis in corpore humano comparatum eſt,quòd omnes,ſi paucos excipias,ſphincteres veſicæ & ani, vt & cremaſteres,contrarios muſculos habent,quorum ſi hic contrahit, ille extendit; ſi hic eleuat,ille deprimit, & ita de cæteris motus differentiis: etſi numero contrarij ſemper non ſunt pares,ſicut caput flectentes duo ſunt, extendentes duodecim. Itaque in conuulſione ſeu ſpaſmo in vno ſaltem muſculorum contrariorum genere cauſſa mali hæret; vnde etiam membrum verſus muſculi illius principum contrahitur, & ita rigidum manet. In couulſiuis verò motibus materia vellicans neruos, qui ad vtrumque contrariorum muſculorum genus tendunt,infeſtat;vnde pars nunc contrahitur,nunc extenditur,& omnino vario motu agitatur, prout materia nunc hunc, nunc illum muſculum vellicat.Hinc etiam in ſpaſmo,vtpote in quo cauſſa ſaltem circa partem affectam,& in loco priuato hæret,cerebrum & ſenſus integri ſunt:in conuulſiuis verò motibus cerebrum ſæpe ſimul afficitur; vnde etiam ſenſus ferè ſimul læduntur.Et conuulſiui motus ferè accidunt per partium aliarum conſenſum, materiâ ab vtero, ventriculo,vel alia parte cerebro per neruos communicatâ:quæ cùm à cerebro rurſum excutitur,& in neruos expellitur,nunc hanc,nunc illam partem vellicat, atque inde variorum membrorum concuſſio & agitatio excitatur. Et quidem ſi materia hæc ad principium medullæ ſpinalis mittitur, & æqualiter totam occupat, tunc æqualiter vniuerſum corpus conuellitur,& tam dextræ, quàm ſiniſtræ corporis partis membra concutiuntur. Malumque hoc omnium grauiſſimum eſt, præcipuè ſi aliquid materiæ adhuc in cerebro hæreat, vnde & partes capitis conuelluntur, & ſenſus afficiuntur.Si autem dextram ſaltem, vel ſiniſtram corporis partem petat, motus conuulſiuus tantùm in dextra vel ſiniſtra parte accidit. Si verò non ad principium ſpinalis medullæ, ſed ad neruum priuato alicui membro inſeruientem materia mittitur, motus etiam conuulſiuus fit ſaltem in priuato illo membro, & nunc brachium, nunc crus, nunc manus concutitur. Et ſi magna materiæ efficacia vel copia ſit, membro è directo poſito per communes neruos communicatur. Aliquando etiam, vbi cauſſa mali in priuato aliquo membro generatur, cùm ea agitari incipit, primùm illa pars motu conuulſiuo corripitur, poſtea tamen materia per neruos cerebro communicatur, & hinc ad principium ſpinalis medullæ protruditur; vnde vniuerſum corpus motu conuulſiuo prehenditur, aut certè latus è directo loci affecti ſitum.

Non etiam hîc prætereundum, quomodo Spaſmus flatulentus generetur, qui Græcis σπασμὸς φυσώδης, *der Krampff* appellatur, Italis etiam Crampa vel Cramfus nominatur,qui cum maximo dolore,in cruribus præcipuè, & inprimis in ſuris,accidit, ſi inter dormiendum pedibus non contectis quis decumbat. Quod malum cacochymicos, flatulentos, & poculis ac crapulæ deditos infeſtat, partéſque cum dolore ſummo affligit, ſed plerumque breui temporis ſpatio durat. Durat tamen interdum,vt Iohan.Baptiſta Montanus,*in* 9.*Rhaſis*, refert,per horas quatuor, vt Medicos aduocare opus ſit, & plerumque ad verum ſpaſmum via eſt.

*Spaſmus flatulentus.*

Quomodo autem generetur, pluribus, in Inſtitution.dictum eſt,quæ hîc repetere non licet.Vero conſentaneum eſt, ſpaſmum hunc flatulentum à flatu vel humore aliquo tenui ac ſeroſo in muſculo aliquo collecto,ejúſque fibras vellicante,fieri.

Cauſſas antecedentes, procatarcticas & euidentes Spaſmi quod attinet, primò à ſanguine ac plethora ſpaſmum fieri vulgo docent, & quidem ex plenitudine, eiúſque rei exemplum inflammationes afferunt. Verum enim verò multi dantur plethorici, qui ſpaſmum non patiuntur;ſicut nec inflammationibus omnibus Spaſmus conjungitur. Et ſi Spaſmus tum accidat,fit hoc vbi ſanguis corrumpitur & putreſcit, acrimoniam acquirit,neruóſque vellicat;vt etiam ex Galeno,6.*method.meden.cap.*2.& alibi videre eſt.

Pituita deinde conuulſionis cauſſa ſtatuitur,& plerique eam replendo neruos conuulſionem excitare ſtatuunt. Verùm de modo planè inter ſe diſſentiunt, neque adhuc ſufficienter cauſſam reddiderunt,cur ob pituitam paralyticis membra potius reſoluantur, quàm conuellantur,vt poſtea,*in quæſtione*, dicetur.Probabile ergo & hîc eſt,pituitam corruptam acrimonia ſua potius neruos vellicare, quàm replere. Et dantur multi morbi pituitoſi, quibus conuulſio non conjungitur. Atque exempla, quæ Foreſtus & alij afferunt, quibus monſtrare volunt, à pituita neruos replente Spaſmum excitatum fuiſſe, id non ſatis demonſtrant, nec plus probant, quam cacochymiam pituitoſam in talibus corporibus fuiſſe. Quomodo verò conuulſio à pituita illa producta fuerit,non ſatis probant.

De bile Medici, qui vulgarem ſententiam ſequuntur, in hoc quidem conſentiunt, quod conuulſionem inducere poſſit; ſed de modo diſſentiunt. Etſi enim quidam ſtatuunt, bilem eſſe tenuem, & in nerui ſubſtantiam facilè penetrare,ac in eam ſeſe inſinuare poſſe:tamen plerique agnoſcunt, bilem vellicando potius id præſtare,quàm replendo.

Humorem melancholicum,non, niſi rariſſimè, aut fortè nunquam,ſpaſmum producere poſſe quidam ſtatuunt,ea de cauſſa, quia craſſior ſit, quam quod poſſit in neruum,qui durus eſt ſeſe inſinuare. Verùm ex præſuppoſita opinione hæc dicuntur. Si ergo melancholia ſpaſmum parit,vellicando id præſtat.

Quæcunque ergo cauſſæ humores,qui neruos & fibras muſculorum vellicare poſſunt, generant, conuulſionis

*Cauſſa procatarctica.*

ſionis cauſſa eſſe poſſunt;vt ebrietas, crapula & repletio,conſuetæ euacuationes ſuppreſſæ,balnea & exercitia in corpore plethorico vel cacochymico , aër frigidus ac humidus,& ſimiles.

Quia tamen tales humores in multis abundant, & cauſſæ tales multis obtingunt, qui tamen conuulſionem non patiuntur : procul dubio occultam aliquam diſpoſitionem neruis inimicam humor acquirat neceſſe eſt, antequam conuulſionem pariat,ſimilem illi, quæ epilepſiam generare ſolet.

*Cauſſæ euidentes.* Cauſſas reliquas euidentes ferè omnes neruos exſiccando conuulſionem inducere ſtatuunt; ſed parùm rectè,vt poſtea etiam,*quæſtione* 1.dicetur.

Primò enim inter cauſſas illas referunt febrem ardentem & phrenitidem , quæ cerebri membranas ac neruos omnes exſiccent. Verùm enim verò non omnibus febribus ardentibus,nec omni phrenitidi hoc accidit,& ſæpe conuulſiones in febribus malignis, ſatis, quantum ad calorem,mitibus,accidunt;contrà in aliis febribus,vbi calor ardentiſſimus eſt, non contingunt conuulſiones. Quod indicio eſt,non à calore ſiccante, ſed à vapore aut humore maligno neruos vellicante conuulſiones prouenire. Quod & hoc arguit , quòd conuulſiones illæ non ſunt perpetuæ,ſed per interualla ſæpe recurrunt.quod fieri non poſſet, ſi à nimia exſiccatione prouenirent.

Coleram quoque inter cauſſas conuulſionis referunt;nec malè, ipsâ experientiâ teſte : eam tamen tum ab humore aliquo acri & maligno prouenire,cùm alios neruos,tum orificium ventriculi vellicante, & ita alios neruos in conſenſum trahente , probabile eſt. Sicut etiam Galenus vomitum ex bile æruginoſa inter cauſſas conuulſionis ad cauſſas neruos vellicantes refert, teſtatúrque,adoleſcentem quendam interdum vomitu bilem æruginoſam rejeciſſe, & inter vomendum toto corpore conuulſum fuiſſe,& ſimul vt euacuata eſt ærugo,protinus conuulſionem ceſſaſſe, 5.*aphor.*1.12.*method.medend.*& 5.*de loc.aff.*

Eadem ratio eſt hellebori & aliorum fortium purgantium medicamentorum. Etſi enim quidam ſtatuunt,ſiccando,& nimia inanitione hæc ſpaſmum producere:tamen ipſe Galenus,5. *aphor.*1. & plerique interpretes eius agnoſcunt , non tam ab inanitione & exiccatione,quàm à vellicatione neruorum conuulſionem prouenire. Et omnino rationi conſentaneum eſt, potius à re moleſta neruos vellicante, ſiue ſit ipſum medicamentum, ſiue humores vitioſi à medicamento agitati,quam inanitione,conuulſionem tum fieri:cùm ſæpe tam breui temporis ſpatio poſt ſumptum tale medicamentum accidat,quo non probabile eſt,tantam interea inanitionem factam fuiſſe, è quâ nerui exſiccari & corrugari quaſi potuerint.Et contra ſæpe in dyſenteria & alui profluuio longo tempore fluxus durant, corpúſque ſatis inaniunt , neque tamen vlla inde ſequitur conuulſio.

A frigore quoque interdum accidunt conuulſiones; refertque Foreſtus , *lib.*10. *obſeru.*13.*in Schol.*& *lib.*10. *obſeru.*104.*in Schol.* Fridericum,Comitem de Alta flamma,ex largiore aquæ frigidæ potu in Conuulſionem incidiſſe. Verùm frigus nec ſiccando nec replendo id præſtare poteſt , ſed potius quia vel neruis inimicum eſt, vel crudos ac vitioſos humores in corpore retinet, febrémque auget.

Eodem modo in vulneribus capitis interdum neque ex repletione, neque ex inanitione Conuulſiones accidunt , ſed quia à ſanie collectâ membranæ cerebri & nerui vellicantur.

Ita in punctura neruorum conuulſio fit, quam alij ad plenitudinem,alij ad inanitionem referunt,ſed neutri,vt manifeſtum eſt,rectè:ſed fit ea potius propter dolorem ac condolentiam ac conſenſum , & propterea etiam neruo diſciſſo ſanatur.

Et omnino tales cauſſæ , vt frigoris & caloris immoderatus appulſus,neruorum & neruoſarum partium vulnera & puncturæ, compreſſiones , inflammationes, luxationes,ciborum corruptiones,animalium venenatorum ictus & morſus,ſubitus terror, ira, & ſimilia,in quibus fruſtra ſe torquent nonnulli, vt ea ad repletionem & inanitionem referant, rectiſſimè ad vellicationem neruorum referuntur , quam res tales vel ipſæ præſtant, vel humores in corpore commouent, qui id efficiant.

## *Differentiæ.*

*Differentia à loco affecto.* Præcipuæ differentiæ ſumuntur à loco affecto , qui eſt nunc totum corpus , nunc pars vna vel plures. Et inprimis notabilis , & ab omnibus Medicis propoſita eſt ceruicis ac ſpinæ dorſi,& hinc totius corporis,conuulſio. Cuius tres ſunt ſpecies : Prima eſt ἐμπροσθότονος,quando non ſolum ceruix, ſed & reliquum corpus in anteriora conuellitur , & mentum pectori penè admouetur , vt æger corpus erigere non valeat : fitque muſculis,qui corpus in anteriora flectunt, affectis, & ad principium ſuum reductis.

*ὀπισθότονος. Τέτανος.* Altera eſt ὀπισθότονος, quando ceruix & ſpina verſus poſteriora flectitur, quod fit affectis muſculis, qui corpus poſteriora verſus flectunt.Tertia τέτανος,in qua ceruix & reliquum corpus rigidum ac in neutram partem flexile apparet. Etenim in iſto affectu partes manifeſtè conuulſæ non apparent,ſed æqualiter & antè & retrò tenſæ in æquilibrio permanent, quemadmodum in illo motu voluntario ſecundum naturam, qui τονικὸς dicitur.Et corpus hoc modo affectum propriè rigidum dicitur. Celſus tamen , *lib.*4.*cap.*3. quamlibet iſtarum differentiarum rigorem appellat.

Deinde huc referenda & illa differentia,cujus ſupra mentionem fecimus, quòd conuulſio in genere accepta alia eſt perpetua,nullis motibus ac concuſſionibus interrupta , qua membrum contractum manet, quæ propriè conuulſio & Spaſmus eſt,in qua cerebrum ſaluum eſt;alia, quâ membrum variis motibus hinc inde agitatur; quod fit, cum cauſſa per corpus variè mouetur , & plerumque accidit cerebro affecto, & conuulſiuus motus propriè dicitur. Iſtam tamen nominum diſtinctionem Medici accuratè non obſeruant,ſed paſſim etiam conuulſiuos illos motus conuulſiones appellant.Spaſmum autem propriè appellatum vulgò ex Arabibus proportionatum ad materiam; conuulſiuos verò motus Spaſmum non proportionatum ad materiam ſeu per alicuius partis conſenſum nominant. Et quidem hunc non proportionatum ad materiam ideò dicunt, quod non propter materiæ neruos implentis copiam,nec ob eius inopiam, quam ſiccitas neruorum ſequitur,ortum habeat,ſed quod proueniat ex appulſu rei parû,aut nihil proportionatæ ad materiam, neruoſo generi inimicam, quæ ex parte aliqua, cuius cauſsâ tum hic morbus oritur, ad principium neruorum per partes neruoſas tranſmiſſa,neruos vellicat,& ad expellendum id,quod moleſtum eſt, per hunc motum incitat.Seu, vt Capiuaccius explicat, appellatur non proportionatus ad materiam in quâ , quæ eſt muſculus; cum muſculus à facultate animali liberè mouente non moueatur , ſed ab expultrice , quæ eſt facultas naturalis.

## *Signa Diagnoſtica.*

*Signa diagnoſtica.* Spaſmus ſeu conuulſio propriè dicta facilè cognoſcitur , quod videlicet pars præter voluntatem verſus neruorum muſculique originem contrahitur,ac rigida manet:vt flecti ad voluntatis arbitrium non poſſit. In conuulſiuo verò motu eadem fit côtractio, ſed non ſemel,verùm ſæpius, ac pars variè concutitur atque agitatur. Præterea,vt dictum,ſenſus reliqui in conuulſione verâ integri ſunt;in conuulſiuis verò motibus plerumque ſimul læduntur.

Atque

*Signum pathognomonicum.* Atque ista præter voluntatem contractio sola ad Spasmum & motum conuulsiuum indicandum sufficit; atque vnicum signum pathognomonicum est. Nam etsi & alia conuulsis symptomata accidant: tamen non semper hoc euenit. Dolor quidem satis frequenter adest: non tamen semper, vel quia sensim fit contractio, vel quia membrum vltra modum & naturalem terminum non contrahitur.

Ita interdum etiam febres coniunguntur,ægri modò calent,modò refrigerantur,modò pallescunt,modò facies ruber & turget,ob inordinatum sanguinis & humorum motum:nonnunquam vrina est bona;nonnunquam magna vrinæ crudæ copia emittitur; aliquando vrina retinetur, & aluus supprimitur. Verùm hæc pathognomonica signa non sunt.

*Motus conuulsiui à tremore differētia.* Conuulsiuus equidem motus tremorem nonnihil quandoque refert; verum facilè ab eo discernitur, quod in tremore semper concurrit voluntarius motus; Conuulsio verò planè præter voluntatem accidit; tremorque solum fit in vnam situs differentiam cùm conuulsiuus motus varius esse possit.

*Spasmi à Paralysi differentia.* A paralysi quoque Spasmus facilè discernitur; quia membrum conuulsum non sine difficultate, vel etiam dolore extendi potest: at membrum resolutum sine omni difficultate partis sanæ, vel astantium operâ extendi potest. Præterea in Spasmo nerui & tendines rigidi ad tactum percipiuntur;in paralysi non item.Spasmus denique breui temporis spatio vel ad salutem vel ad mortem terminatur;cum paralysis sine vitæ periculo in multos annos durare possit.

Vbi autem caussa mali hæreat, è partium conuulsarum numero cognoscitur.Etenim si cum toto corpore faciei quoque musculi conuellantur, & vnà sensus interni ac externi afficiantur, cerebrum ipsum affectum est: si verò sensus omnes constent, neque faciei musculi conuellantur, verùm totum corpus afficiatur;spinalis medullæ principium laborat.Vbi verò pars aliqua saltem conuellitur,nerui ac musculi eius membri motui inseruientes afficiuntur, sicut antea de Paralysi dictum est. Quam ad rem musculorum & neruorum ex Anatome cognitio necessaria est. Cuius verò partis consensu cerebrum afficiatur, ex eius affectæ signis patet.

Recensent hic Authores plerique etiam signa, quibus cognoscatur,an ex plenitudine vel inanitione conuulsio fiat. Verùm cum ex hypothesi ista omnia dicantur, vt ea hic afferamus,opus esse non puto. Qui verò humor peccet, id ex suis signis hîc & alibi propositis cognoscitur. Caussæ euidentes etiam ex ægri vel astantium relatione cognoscuntur.

## *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Quò motus in conuulsione est vehementior & diuturnior, aut plures, vel cerebro vicinas partes occupat, aut nobiles, & quarum actiones valde necessariæ sunt, lædit, respirationem difficilem & interruptam, thoracis vel septi musculis conuulsis, efficit,eò periculosior est. Tales enim conuulsiones grauissima inferunt symptomata, maximos ac continuos dolores, virium prostrationem, lipothymiam & syncopen;vigilias, difficilem respirationem ac suffocationem, quæ omnia hominem iugulare possunt. Contrà verò, vbi partes à cerebro remotæ aut ignobiles conuelluntur, minus periculi est.

2. Facilius curatur conuulsio,si cerebri consensu fiat, quàm si primario affectu nerui laborent: nisi tamen affectus, quo cerebrum laborat, ipse pertinax sit;quod in inflammatione cerebri accidit. Neque enim ob vehementia symptomata, dolorem, vigilias, æger diu durare potest, affectus verò breui tempore curari non potest.

3. Si toto corpore ab affectione immuni,aut labrum conuellatur,aut palpebra, aut lingua,prauum symptoma putandum est,& quod magnos timores afferat,etsi affectæ partes paruæ esse videantur. Paul Ægineta, *de re Med. lib.3.c.19.* Cerebrum enim ipsum tum affectum est.

4. A copioso sanguinis fluxu singultus aut conuulsio, mala, 5. *Aphor.3. Et,* A sanguinis profluuio desipientia, & conuulsio, malum, 7. *Aphor.9.* non tam ob inanitionem,quàm ex motu & insultu bilis ac humorum prauorum sanguine euacuato.

5. Ab ὑπερκαθάρσιος conuulsio aut singultus, malum, 5. *Aphor.* 4. *Et,* Conuulsio ab helleboro lethalis, 5. *Aphor.* 1. *Et,* A medicamenti purgantis potione conuulsio mortifera,7. *Aphor.* 25. quod accidit, vt antea etiam, non quòd helleborus & similia medicamenta neruos ita exsiccent & contrahant, sed quod qualitate maligna eosdem stimulent, & lacessant, aut humores,qui id præstant, agitent. Non tamen semper conuulsionem à medicamento purgante fortiore lethalem esse,sæpe experientia docuit; atque ipse aliquot, qui post sumptam colocynthidem & mercurialia medicamenta conuulsionem passi sunt, atque euaserunt, curaui.

6. Ab ileo vomitus, singultus, conuulsio aut delirium,malum, 7. *Aphor.* 10. Nonnunquam enim singultus à materia, quæ præcluso per inferiora exitu sursum vomitione expellitur,concitatur, orificio ventriculi ab ascendente praua materia vel vaporibus irritato. Si verò ad cerebrum vapores tetri efferantur, aut cerebrum orificio ventriculi consentiat, conuulsio aut delirium oritur,prout vel mentis officina,vel nerui offenduntur.

7. Si muliebri profluuio conuulsio aut animi defectus superueniat,malum, 5. *Aph.* 56.

8. In acutis febribus conuulsio & circa viscera dolores vehementes; malum. 4. *Aphor.76. Et,* Propter ardores vehementes conuulsio aut tetanus,malum. 7. *Aph.* 67. quia indicium,materiam sursum ad cerebrum ferri. *Et,* In febribus spiritus offendens malum est: conuulsionem enim indicat. 4. *Aphor.68.* ob musculos scilicet thoracis initium conuulsionis iam sentientes. De Conuulsionibus in febribus passim etiam alij aphorismi extant apud Hippocratem: In febre non intermittente, si labrum,palpebra,vel oculus, vel nasus,vel supercilium peruertatur, vel non videat, vel non audiat, iam debili existente corpore,quicquid horum eueniat, mors in propinquo est. 4. *Aph.49.*

9. Conuulsiones, quæ perniciosas phrenitidas sequuntur, lethales sunt Scribitque Aetius: *tetrab.* 2. *serm.* 1. *cap.* 131. se neminem ex iis, qui sic conuulsi sunt, seruatum vidisse, neque, qui vidisset, audiuisse.

10. A vigiliis conuulsio aut desipientia, malum. 7. *Aphor.* 18. non quod nerui calore vel vigiliis nimium exsiccati sint,sed quod humores vaporesque praui per vigilias geniti & agitati,cerebrum & neruosum genus lacessant.

11. Conuulsio à vulnere perniciosa. 5. *Aphor.* 2. ob saniem neruos vellicantem, & inflammationem neruos corripientem: præcipuè si vulnus cerebri sit.

12. Febrem conuulsioni superuenire melius est, quam febri conuulsionem, 2. *Aphor.* 37. *Et,* Spasmo aut tetano si febris accesserit, morbum soluit. 4. *Aph.* 57. Febris enim ad conuulsionem accedens humores, conuulsionis caussam, absumit: cum contrà si febri conuulsio accidat, à materia maligna eam prouenire, eamque cerebrum petere, & partes neruosas occupare indicio sit.

13. Quartana correpti non admodum conuulsionē patiuntur: si verò prius tentati sint, superueniente quartanâ liberantur. 5. *Aphor.* 70. Rigor enim in quartanâ humorem neruoso generi partim excutit, &

& calor rigorem ſubſequens eundem concoquit & abſumit.

14. Quicunque tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt: ſi hos effugiunt, ſani fiunt, 5. *Aphor. 6.* Natura enim tam grauem tenſionis, quæ vtrimque fit, laborem, ac hinc ortum dolorem diu ferre nequit, & propterea primo ſtatim dierum criticorum circuitu morbus iſte iudicatur.

15. Quibus tandem hoc addimus, quod plerique, qui ex ſpaſmo moriuntur, diu calidi manent; quia ſuffocati moriuntur, muſculis reſpirationi dicatis conuulſis.

## *Curatio.*

*Curatio.* Vt quiſque de cauſſis conuulſionis ſentit, ita ad eas curationem dirigit. Quæ enim ab humore frigido neruos replente creditur fieri conuulſio, eam humorem craſſum attenuantibus, viſcidum detergentibus & euacuantibus, curandam cenſent, atque eodem medicamentorum genere, quæ in paralyſi ſunt propoſita. Quam verò ab inanitione fieri putant conuulſionem, eam humectantibus, vt in hecticâ, interdum refrigerantibus, dum ſcilicet malum eſt à febre ardente; interdum moderatè calefacientibus, cum ſcilicet immoderata euacuatio præceſſerit, curandam putant.

Et quidem in Conuulſione, quam ex repletione vocat, curanda nihil peccatur. Humor enim ille, quocunque etiam modo neruos afficiat, tollendus. Verùm an humectantibus ſolis (quod lex methodi requirit, ſi malum eſt à ſiccitate) conuulſio aliqua curata fuerit, hiſtoriæ & obſeruationes Medicorum conſulantur: Foreſtus equidem, *lib.* 10. *obſeru.* 108. exempla conuulſionis ab inanitione humectantibus curatæ proponit. Verùm ſi rem diligenter perpendamus, Contractura potius fuit, cuius capite præcedente mentionem fecimus quàm vera conuulſio. Idem, *obſeru.* 110. vbi conuulſionis ex cholera exemplum habet, quam plerique ad inanitionem referunt, non humectantibus, ſed calefaciente & ſiccante inunctione vtitur. Et quamuis interdum humectantia & calefacientia adhibeantur: tamen potius ad neruos ex conuulſione rigidos nonnihil laxandos, & hoc modo ad dolorem leniendum, quàm ipſam cauſſam tollendâ adhibentur. Idē Foreſtus, *lib.* 7. *obſeru.* 17. in conuulſione poſt febrem continuam, quæ vulgo inanitioni & ſiccitati aſſcribitur, inunctionem ex oleo irino & terebinth. adhibet: extrà verò radicem pœoniæ de collo ſuſpendit, & ſtœchadem medicamentis internis admiſcet.

Itaque cum generalem cauſſam conuulſionis vnam poſuerimus, atque ab eadem cauſſa Spaſmos illos particulares prouenire docuerimus, à quibus vniuerſalis conuulſio & epilepſia generantur: ea quoque medicamenta Spaſmo conuenient; quæ in epilepſia poſtea proponentur. Ac propterea materia illa praua expultricem in neruis ſtimulans euacuanda, & tollenda, & qualitas eius vitioſa corrigenda, cauſſæque omnes, à quibus hoc malum extitit, aut fouetur tollendæ, & omnino præcauendum, ne ex particulari conuulſione vniuerſalis, & epilepſia generetur. Pleraque tamen medicamenta, quæ adhibentur ad paralyſin curandam, rectè quoque adhibentur in conuulſione; cum neruoſo generi amica ſint, & cauſſam Spaſmi diſcutiendi vim habeant.

Ideoque vniuerſales, ſi opus ſit, euacuationes, vt & reuulſiones, maximè per clyſteres fortiores, inſtituantur, poſtea topica, quæ in paralyſi propoſita, etiam hic adhibeantur. Ad curationem tamen rectè inſtituendam inprimis perpendendum an conuulſio fiat per ſe, an verò per conſenſum, Etenim ſi per ſe, & primarium partis affectum fiat, ſimul quidem ad totum corpus, quod plethora vel cacochymia laborans cauſſam in parte affecta fouere vel augere poteſt, principaliter tamen ad partem affectam curatio dirigenda. Si verò per conſenſum fiat, partis illius, cuius conſenſu malum excitatur, habenda ratio, vt poſtea dicetur.

*Conuulſionis per primarium membri affectū curatio.* Primò ergò in conuulſione per primarium membri affectum videndum, an ſanguis abundet; iſque pro abundantia & virium ratione copioſius vel parcius educendus. *Sanguinis miſſio.* Hippocrates etiam, & Galenus, 4. *de victus rat. in acut. t.* 28. cum ob ſpirituum interceptionem & venarum ἀπολήψεις conuulſio excitatur, venam aperit, ſed adhibitis prius fomentis & frictionibus, vt fluxus ſanguinis adiuuetur.

*Cucurbitularum cum ſcarificatione applicatio.* Si verò ætas & vires venæ ſectionem non admittant, cucurbitulis vtendum eſt cum ſcarificatione, primò quidem longius à parte affectâ, deinde, corpore benè expurgato, etiam in parte conuulsâ, in qua materia fixa eſt.

Applicentur dorſo & cruribus, ſi ſanguis in toto abundet: ſi in parte, pro vario eius ſitu etiam locus cucurbitulis quærendus eſt. Paulus Æginetà, *lib.* 3. *cap.* 19. & 20. ſi crura ſint conuulſa, applicat coxis & poſtremis ſpinæ vertebris; ſin manus, primæ dorſi vel thoracis; ſi labrum tantùm, aut palpebra, aut lingua, occipiti & primis ceruicis vertebris: in tetano ceruici apponit &, vtrinque ad ſpinam, & pectori, quo muſculis magis munitum eſt, & præcordiis, & ad veſicæ ac renum locum. Diligenter tamen cauendum, ne tendinibus muſculorum cucurbitulæ affigantur.

*Purgatio.* Hinc ante topicorum vſum ad totius corporis euacuationem accedendum, & pro materiæ ratione præparatio ac purgatio inſtituenda, vt, *capite præcedente,* dictum, & poſtea etiam de epilepſia dicetur. Si tamen fortis ſit conuulſio, & partis nobilioris, ſiue totius corporis, ad purgationem feſtinandum eſt, materiâ etiam nondum præparatâ: ſemperque *caſtoreum* purgantibus admiſceatur.

*Reuulſio per clyſteres, & frictiones.* Simul fiant Reuulſiones omnis generis, maximè per clyſteres, fortiores etiam, quàm in paralyſi: adhibeantur quoque frictiones ceruicis, ſpinæ, ſpatularum, manibus oleo lilior. albor. lumbricor. terreſtr. vel caſtor. intinctis, idque ſæpius in die; præſertim vbi dolor vrget: & dum frictiones intermittuntur, ſpina & conuulſæ partes à frigore cuſtodiantur, vel, ex Celſi conſilio, malagma aliquòd ex calefacientibus imponatur. Membrum quoque conuulſum ad naturalem figuram ſenſim reducatur.

*Topicorum vſus.* His peractis veniendum eſt ad Topica materiâ reſoluentia & diſcutientia; vt ſunt olea, linimenta, vnguenta, fotûs, ſacculi, inſeſſus, balnea naturalia & artificialia.

Et quidem cum materia craſſior eſſe videtur, aut cū calor adeſt, vel corpus valde ſiccatum eſt, ne ſiccantium & calefacientium vſu nimio materia induretur, &, vt dolores illi, qui ex violenta membrorum contractione oriuntur, leniantur, medicamenta ſimul anodyna ſint. Hinc Auicennas laudat renes pingues arietis, hœdi aut vituli, quos in parte affecta detinere iubet, donec exſiccentur. Poſtea membrum conuulſum inuoluit lanâ, quæ perfuſione olei ſemper madida ſeruatur. Idem quoque balneum ex oleo communi & lacte parat. Ac inſeruit huic ſcopo etiam malua, borrago, althéa, fœnumgræc. ol. amygdal. dulc. adeps gallinæ & vituli; quæ aliis, quæ ſpaſmo propriè conueniunt; admiſcentur.

Sunt autem illa, *ol. vulpin. de caſtoreo,* & quod *ex caſtellis pinguibus* paratur, vt & *pinguedo anſerum ſylueſtrium,* cuius præparationem, ſicut & pinguedinis vulpinæ, peculiarem docet Hollerius, *cap. de Conuulſione.* Vtile eſt & *oleum Philoſophorum, iuniperi, laurin. rutac. terebinth. petroleum, Balſamum ſulphuris, gummi hederæ, Ammoniac. galbanum, & oleum ſeu balſamum galbani.* in Inſtitutionibus, *lib.* 5. *part.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 33. deſcriptum.

Vel

Vel ℞. *Ol.terebinth.lumbric.terr.*an.Vnc.jß.*pingued. human.*Vnc.j.*canis* Vnc.ß. Misce.

*Linimenta, Olea & Vnguenta.*

Vel ℞. *Vnguenti dialthéæ* ℥.vj.*ol. terebinth. chamæmel.* an.Vnc.j.*lauendul.*ʒ.iij.*caryophyll. cinamomi, ligni aloës*, an.Drach.jß.*styrac. liquid. calam.*an. Drach.ij.F. Vnguentum.

Vel ℞.*Ol.aneth.chamæmel.*an.℥.j.*vnguent. Martiat.* Vnc.ß.*ol.petræ,spicæ*, an.Drach.j.*spirit. vini* Drach. iij. Misce.

Vel ℞.*Ol.laurin.*ʒ.ij.*spicæ,vulpin.lumbricor.*an.ʒ.jß. *destill. succini,galban.* an.gutt.vj.*rutæ,anethin.*an.gutt. iiij.*nuc.mosch.expr.*Drach.jß.Misce.

Vel paretur hoc Oleum,quod in Spasmo in vulneribus vtile est:

℞. *Ol.rosac. chamæmel lilior. alb.*an.℔.ß.*matrisylu. betonic.rosar.*an.℥.j.*æsypi humidi* ℥.iij.*vini nigri* ℔.j.

Coquantur in vase duplici ad vini consumptionem atque exprimantur.

Commendatur & hoc:℞. *Mustelam in frusta dissectam*,imponatur in anserem pinguē, additis herbis & aromatibus conuenientibus : *pyrethro,saluiâ, lauendulâ, sinapi, castoreo*, & similibus,anserque ad ignem lentum assetur,& pinguedo vsui seruetur.

Inunctæ partes pellibus inuoluantur, vulpium, catorum syluestrium , aut vesica apponatur oleo calefacto semiplena.

Æginetа in tetano diuturno in solium olei calentis ægrum descendere iubet bis quotidie;non diu tamen in ipso moram trahere,ne vires exsoluantur.

Possunt etiam balnea fieri ex herbis conuenientibus additâ olei parte tertiâ, vel inunctis mox à balneo partibus conuulsis.

Nonnulli vtuntur sequenti decocto carnis vulpinæ pro Balneo,quod simul anodynum est:

℞.*Carnis vulpin.ab ossibus separatæ* ℔.ij.*sal. commun.* M.ij. Coqu. ad perfectionem. In *decocto colato* ebulliat *summit.anethi* M.j.

In quo decocto calefacto ponantur manus vel pedes per 2.vel 3.horas,tribus vel pluribus diebus.

Potest & tale Fomentum parari:

℞. *Agrimon. betonic.*an.M.jß.*saluiæ, chamædr.chamæpit.*an M.j *origani, calaminth. pulegij, serpilli, hyperici, stœchad. vtriusque,*an. M.ß.*anethi,meliloti chamæmeli,*an.M.ß. Misce & in aqua communi decoq. & decocto pars affecta fricetur.

Alij hoc Emplastrum commendant:

℞.*Colophon.*Vnc.ij *picis naual.resinæ,*an.Vnc.j.*thuris mastich.ceruss.*an.℥.ß.*sangu.dracon.nitri,sal. Ammoniac. terebinth.*an.Dra.ij.*ceræ nouæ* ℥.ij *vitriol.albi* ʒ.ij. *matr. perlar.*Vnc ij.*lap. magnet.*℥.ß.*succini flaui* ʒ j.ß.*ol.ouor. rosar.*an.Drach.ij F.s.a. Emplastrum,quod alutæ inductum imponatur.

Vtilis est & aqua Antispasmatica, quâ locus affectus fricandus:

℞. *Fol.lauri, rorismar.*an.M.j.ß.*flor.rosar.rubr.* M.ij. *serpill.*M.ß.*flor.lauend.*℥.iij.*rad.ireos* ℥.iiij. *cinamomi* ℥. j.*macis.*Drach.j.Contus.& concis. macerentur in *aq.fl. tiliæ* Mens.j.ß.*saluiæ* Mens.ß.hinc destill.in MB.Liquor destillatus seruetur.

*Balnea sicca.*

Efficacissima verò sunt balnea sulphurea, Conueniunt & Balnea sicca seu vaporosa è decocto saluiæ,rorismarin.stœchad. chamæpit.origan.iuniperi, & similium,lapidibus ignitis,aut scoriis ferri ignitis infuso.

In vsu tamen horum medicamentorum omnium, quod antea etiam monui,obseruandum,ne subitò siccentur partes,ne tendinibus induratis malum grauissimum ægro concilietur,& membra contracta maneant. Ideoque à mitioribus inchoandum, vt ol. chamæmeli, pinguedine anseris , medulla crurum bouis , oleo vulpino , lumbricorum ; hinc ad fortiora ascendendum.

*Medicamẽtorum interiorum vsus.*

Intra corpus sumptum castoreum cum mulsâ, aut alia aqua conueniente valde efficax est.

Inprimis verò essentia castorei cum spiritu vini extracta,gutt.v.vel vij.dosi in aqua saluiæ propinata,simulque extrà loco affecto illita,valde vtilis est.

Vel ℞.*Elect.dacori.*Vnc.jß.*conseru. fl.saluiæ, betonic.* an. ℥.j.*rad. pyreth. cond.*ʒ.iij.*theriac.el.*ʒ.j.*Mithridat. spec.diacastor.*an Drach.ß.*extr.radic.cardopat.* Scrup.j. Cum *syrup. de stœchade* Fiat Electuarium,de quo manè & vesperi capiatur quantitas nucis moschatæ.

Aliud:

℞.*Conseru pœon.rorismar.*an.Vnc.j.*maioran. betonicæ* an.Vnc.ß.*primul. veris* Drach.iij.*bugloss.*Drach.ij.*pulu. sem.cardui ben.fœnicul.*an.ʒ.j.*rad.pœon.*℈.iiij.*nuc.mosc. cond.*ʒ.ijß.*cort. citri condit. zingib. cond.* an. ʒ. vj.*galangæ cond.calam.arom.*an.ʒ.jß. *cinamom. acut.* ʒ.sem. Incisis incidend. misc. Cum. *syrup. pœoniæ*.F.Electuarium.

Vtilis est Aqua hirundinum composita , sicut & in epilepsiâ,quæ hoc modo paratur:

*Aqua hirundinum composita.*

℞. *Pullos hirundinum domesticorum è nidis extractos*,num.LX.purgentur,(quod fit demendo tantùm extremitates pennarum grandiorum, capitibus pennarū, vel radicibus in corpore relictis non euulsis) & lotis vino ( alij integras comburunt in olla noua) affunde *vini Maluatici* ℔. iij.vel.q. s. adde *semin. sesel. cardui bened.* an.Vnc.ß.*calami aromat.cyperi longi,*an. Drach. ij.*fol.maioran.rutæ.*an.M.ß.*rasuræ C.C. visci querni, vngulæ alcis* an.Vnc.ß.*radic. pœon* ☽â *decrescente collectarum* Vnc.ij.*castorei* Vnc.j.

Stent in infusione per vnam atque alteram septimanam,postea destillentur in B.M.vel arena. Atque hæc Aqua hirundinum dulcis appellatur.

Alij loco vini Maluatici sumunt acetum, & Aqua hirundinum acida appellatur. Dosis aquæ est à Drach. ß. ad Vnc. ß. pro ratione ætatis. Datur vel sola , vel mixta cum saccharo,aut cum duplo aquæ flor.tiliæ,vel lilij conuallium. Ad tetanum etiam laudatur lotium caprinum cum aqua mixtum , & ieiuno ægrotanti exhibitum.

Paulus Ægineta , *de re Med.lib.*3.*c.*10. scribit, conuulsis acanthi radicem & spinæ albæ semen potum, itemque spinæ Ægyptiæ opitulari , quosdam etiam centaurij tenuis succum exhibere refert. Ibidem, *c.* 30. in robustis exhibet aquam mulsam ad dimidias decoctam , & panacis Drach.j.Dat & Ammoniacum,& succum Cyrenaïcum erui magnitudine.

Laudatur valde hoc Electuarium.

℞. *Castor. sagapeni , opopanac.* an. Drach. j. *succi Cyrenaïci* Drach.jß.*acori,scordij*,an.Drach.ijß.*trium piper. schœnanth. carui*, an. Drach.ij *asari , scillæ assatæ*, an.Drach.jß.*radic.ireos,sem.apij, mastich.* an. ʒ.j.*succi stœchad. Arab.*Vnc.j.*mellis*,q.s.

Terenda terantur , & melle anthosato excipiantur. F.Electuarium,cuius exhibetur quotidie Drach.ß.cum aqua mulsâ.

Cardanus , *de curationibus admirandis.cap.*15. quēdam opisthotono laborantem curauit abstinentiâ à carnibus,vino & ouis, linteis in ol. chamæmel. & liliac. madefactis perpetuò impositis ceruici , partibusque, quæ contrahebantur , & medicamento ; quod constabat ex Mithridatio , & electuario de moscho cum margarit. hyacintho , smaragdisque Orientalibus.

*An conuulsi aqua frigida perfundendi.*

Hippocrates,5.*Aph.*21.& 3.*de morbis* largam perfusionē aquæ frigidæ probat in mediâ æstate in tetano sine vlcere;(nā vlceratis frigus nō cōuenit, quia est mordax, suppurationemque impedit)quod Galenus etiam ad alias conuulsionum differentias accommodat , vbi scilicet æger iuuenis est,non infans. εὔσαρκος , & tempus æstiuum. Ita enim calor natiuus clausis poris cutis intrò cogitur,& per accidēs absumitur morbi materia,seu à subita aquæ frigidæ perfusione corpus frigore concutitur,& materia neruis adhærens excutitur. Etsi verò Paulus Ægineta,*loco allegato*, hoc remedium improbatum

probatū eſſe ſcribit à poſteris,quod & ipſe reiicit:tamē reperti ſunt, qui poſt eum id vſurpàrunt, inter quos eſt Valeſcus de Taranta, *lib.*1. *cap.* 21. qui duos tetano laborantes hoc modo curauit: Ægrum à quatuor viris erectum tenere iuſſit,& 24.vrceos aquæ ſupra collum & omnia inferiora membra eius perfudit,& ſtatim eum collocauit ante ignem,& poſt ſeſquihoram inunxit eū à collo vſque ad vltimam vertebram & lumbos ac brachia vnguento dialthéæ,Martiato,& Agrippæ, ac oleo caſtorei, ipſique iuſculum pulli propinauit: vterque æger hoc modo conualuit.

Nonnulli ad ſpaſmum curandum etiam febrem inducendam putant:de quo quid ſentiendum ſit,*quæſtione* 2. dicemus.

### *Diæta.*

*Diæta.* In hac conuulſione victus ratio ſit eadem, qualis in paralyſi propoſita eſt.In cibo vitetur coturnix:cum ex eius vſu,vt Auicennas ſcribit,periculum Spaſmi & Tetani immineat,non ſolum quia helleboro veſcitur,verum etiam quia à tota ſubſtantia eam vim habet. Decoctum ligni Guajaci,ſarſæparillæ vel ſaſſafras cum victu attenuante & incidente egregiè tam generationem humoris pituitoſi prohibet,quàm generatum ac neruis adhærentem abſumit, at neruos roborat. Acetum etſi inſignem vim attenuandi craſſos humores habet; tamen quia neruis inimicum, ſeu ſolum, ſeu cum aliis miſtum;eſt vitandum.Danda etiam opera, vt membra conuulſa extendantur,ſed lentè,ac ſenſim.Sic enim cōuulſione minus affliguntur, nec materiam neruos impetentem admittunt.Inprimis verò ſi maxillæ conuellantur,præcauendum cuneo, vel alia re interiectâ, ne dentibus linguæ damnum inferatur.

### *Conuulſionis per conſenſum Curatio.*

*Conuulſionis per conſenſum Curatio.* Conuulſionis autem per conſenſum eadem ferè curandi ratio eſt, quæ epilepſiæ per conſenſum, vt ſuo loco dicetur. Nimirum, vt pauca addamus, ſi ab ore ventriculi ſuccis acribus vellicato conuulſio fiat, Galenus vomitū præcipit,12.*meth.med. c.vltim.*aut,ne os ventriculi tranſitu maligni humoris magis offendatur, pilulis ille per aluum ſubducatur,aut clyſtere acri.

Si ex cholera acutiſſima fiat,ſimili ferè ratione curatur,addendo quæ os ventriculi roborant. Ita cum bilis æruginoſa in ventriculo hærens conuulſionem excitat vomitu reiicienda.

De curatione Conuulſionis ex vteri vitio videatur Galenus,6.*de loc.affect.cap.*5.

A venenati animalis ictu orta cōuulſio curatur vinculis ſupra partem læſam iniectis, teſte Galeno,3.*de loc. affect.c.*7.& cucurbitulæ cum magna flamma,vel cauterium actuale ſupra partem læſam apponatur;ac prætereà veneni illius, quod iniectum eſt, antipharmacum exhibeatur,aut ſi hoc ignoretur, ad communia alexipharmaca confugiatur,& exhibeatur theriaca vel gentiana,ſaluia,vtraque ariſtolochia, dictamnus Creticus. Extra quoque vulneri theriaca cum oleo roſaceo miſta imponenda.Vulnus diu apertum ſeruetur:de quo plura de venenis.

Quæ à vulnere conuulſio exiſtit, cum non omnis lethalis exiſtat,curatur prouidēdo,ne phlegmone neruoſa pars apprehendatur, miſſo etiam ſanguine ſi non ſatis effluxerit;poſtea dolorem ſedando per frictionem continuam cum oleo lumbricor. terreſtrium. In punctura nerui ſi foramen ſit anguſtius, ferro id dilatetur, vt medicamenta penetrare,& ſanies exſtillare queat:cauendo tamen, ne aucto dolore conuulſio ingraueſcat. Dolori medetur terebinth.cum ol. roſac. miſta. Spina dorſi oleo liliorum albor. & terebinth. inungatur; vel vulneri inſtilletur ſulphur, (aut loco eius Balſamum ſulphuris) aut parum euphorbij diſſolutum in oleo roſaceo & terebinth.

Vel ♃.*Ceræ* Vnc.j.*picis,terebinth.*an. Vnc.ß. *euphorbij* Drach.j.F. Emplaſtrum.

In corporibus mollibus euphorbij doſis minui poteſt.Iſta tamen vehementer calida & acria nō applicāda neruo detecto,ſed in profundo condito.In puncturа enim nerui medicamenta exſiccare, ſed ſine mordacitate, debent. Talia medicamenta parantur ex calce ſæpe lota cum oleo roſaceo miſta.

Quod ſi conuulſio his remediis non ſanetur, ne cerebro, ac toto neruoſo genere in conſenſum tracto æger de vita periclitetur, neruus per tranſuerſum, paulò ſupra locum vulneratum, præſcindendus. Præſtat enim motum vel ſenſum partis amittere, quàm de vita periclitari. De quibus plura Galenus,6.*meth. med. cap.*2.& 3.

A meningum punctura cranium trepano aperiendum, vt materia tranſpiret;aut epiſpaſticis extrahenda niſi plenitudo ſubſit.

Reliqua ex curatione epilepſiæ & paralyſis petantur. Et quidem medicamenta interna præcipuè è cura epilepſiæ;topica è cura paralyſis.Inprimis caſtorei intra & extra aſſumpti magna efficacia eſt,quia non ſolum maximam attenuandi & diſſoluendi vim habet, verùm etiam neruoſis partibus proprietate quadam ſingulari conuenit.

### *Spaſmi flatulenti curatio.*

Si à flatu Spaſmus ortum habeat, qui vulgò *der Krampff.* appellatur,muſculorum inuoluntariæ extenſioni voluntaria contrariorum muſculorum, qui conuulſis muſculis opponuntur, extenſio opponenda.Ita enim flatus, qui muſculos contrahebant, ab iis repelluntur & quaſi excluduntur. Atque hoc modo paroxyſmus ſæpe facilè tollitur;præcipuè in muſculis, qui ſuram conſtituunt,& pedes digitoſque mouent. Quod ſi non tantùm in pedibus,ſed & alibi, & in maxilla inferiore accidit, periculum epilepſiæ imminet. Si verò extenſione in contrarium non tollatur iſte Spaſmus, clyſter,ſi opus ſi opus ſit, flatus diſcutiens iniiciatur. Extra verò membrum decocto flor.chamæmeli,meliloti,rutæ,ſaluiæ, fol. lauri foueatur, fricetur; & inungatur ol. coſtino,de caſtoreo, de ſpica, & ſimilibus.Vtilis eſt & ſpir.vini,præcipuè in quo fl chamæmel.&lauend. macerati fuerint,ſeu aqua aliqua Apoplectica & Epileptica, ſi ea membrum illinatur. Theriaca quoque in ſpiritu vini diſſoluta valde prodeſt. Poteſt & hoc Cataplaſma apponi: *Spaſmi flatulenti curatio.*

♃.*Abſinth.pulegij,rutæ,*an.M.j.*baccar.lauri* p. j. *cumini* Vnc.j.

Coquantur in vino,& cum melle F.Cataplaſma. Vel ſacculus ex milio, furfure & ſale imponatur; cui addi poſſunt fl. chamæm.meliloti,baccæ iuniperi,lauri, ſemen cumini. Æger verò caueat ſibi ab aëre frigido, nec membra aquâ frigidâ humectet.Cibos flatulentos, crapulam,cruditatem & nimiam Venerem fugiat.

Chymici in hoc affectu commendant tincturam & liquorem ☽æ, corallior. medicamenta ex ſulph. Balſamum gummi hederæ & elemi, eſſentiam & ol.deſtillatum radic.Imperatoriæ,magiſterium hyacinthi.

Inter amuleta ab autoribus recenſentur,vngula alcis annulo incluſa,vel aliàs geſtata, tendines eiuſdem, radix eryngij, tormentillæ, & biſtortæ de collo appenſa, magnes item,corallia rubra,lignum viſci querni. *Amuleta.*

* * *

QVÆSTIO

QVÆSTIO. I.

*Quæ sit proxima Conuulsionis caussa?*

Caussa proxima Conuulsionis etsi sit musculi versus suum principium contractio: tamen quia hoc ipsi cum motibus voluntariis commune est, de alia caussa Medicus sollicitus sit, necesse est, ob quam præter naturam & voluntatem fit hæc contractio, quæ conuulsionem parit. Verùm res hæc plurimis controuersiis inuoluta est, & siue veteres, siue recentiores consulas, difficultatè non caret, vtrarò inuenias, quæ animum veritatis auidum satient. Quia autem plura de hac quæstione in Institut. diximus, istis repetendis tempus & operam perdendam non puto. Pauca ergo saltem addam. Galenus equidem, vt Iacchinus apertè confitetur hac in re varius est, & parum sibi similis. Interdum enim duas illas caussas ab Hippocrate, *6. Aphor. 39.* positas, inanitionem & repletionem scilicet, solùm ponit; alibi verò, vt *5. Aphor. 1.* tertiam causam addit, vellicationem partium neruosarum à re molesta. Et quidem ad hanc caussam multæ caussæ euidentes facilè referri possunt, in quibus ad plenitudinem vel inanitionem referendis vulgò Medici frustra laborant, & ipsi inter se dissentiunt.

Sunt equidem, qui putant, temerè ab Hippocratis doctrina recedi, idque ideo fieri à quibusdam, quod fundamenta, quibus ea innititur, non assequi queant. Fundamentum autem esse, quod Galenus, *2. de sympto-mat. caussis, cap. 7. 2. de loc. affect. cap. 7. libr. 3. cap. 6.* proponit, nimirum similitudinem inter motum voluntarium & conuulsionem. Vt enim in motu voluntario musculi versus sua principia contrahuntur, contractique simul attrahunt partes, in quas inseruntur: ita conuulsione eodem planè modo ἀκουσίως musculos ad sua principia contrahi. Quod fundamentum equidem libenter concedimus, & hactenus aliquoties proposuimus. Dum verò subsumunt, hoc tantùm fieri ob neruosorum corporum repletionem & inanitionem, principium petunt, & plurimùm falluntur. Neque enim in sanis, & dum secundum voluntatem fit motus, repletio & inanitio est contractionis caussa. Neque etiam ipse Galenus, &, qui Hippocratem sequuntur, Medici duas has solùm caussas constituunt, sed vellicationem à re molestâ addunt. *5. Aphor. 1.* Neque à repletione vel inanitione conuulsiones oriri id satis probat, quod caussæ cum internæ tum externæ, quæ ad plethoram & cacochymiam faciunt, conuulsionis caussa sunt. Id enim tantum docet, conuulsionem fieri in corporibus vel plethoricis, vel cacochymicis. Quo verò modo non paralysis, non alius affectus à plethora & cacochymia proueniat, sed cõuulsio, id non docet. Ita etiam quamuis euacuationes instituantur, id tantum inde colligi potest, plethoram vel cacochymiam tollendam esse, quod conuulsioni cum multis aliis affectibus commune; non verò probat, quomodo inde conuulsio proueniat.

Et caussæ illæ duæ tot difficultatibus sunt inuolutæ, vt nemo ex iis sese hactenus expedire potuerit. Ad inanitionem quomodo puncturas, ictus animalium venenatorum, vsum medicamentorum purgantium & malignorum, & similes caussæ referri possint, nonnulli quidem se variis modis torquent, sed frustra, vt etiam in Institution. dictum. Et quidem hoc concedimus, chordas, lora & coria exiccata absumpto humido breuiora fieri, corrugari & contrahi: sed quomodo hoc in neruis ab istis caussis fiat, nondum docere potuerunt. Ideóque plerique doctiores Medici, qui aliàs vulgarem doctrinam sequuntur, caussas istas plerasque non exiccando neruos, sed vellicando eosdem, caussam spasmi esse, vltrò concedunt.

Nec magis feliciter in altera caussa, scilicet repletione, sese expediunt: neque dum caussam reddere potuerunt, cur humor pituitosus neruos replendo potius conuulsionem, quam paralysin efficiat. Scribitque Iacchinus, Auicennam difficultatem hanc vidisse, sed sic respondisse, vt à nemine intelligatur. Neque simile, quod de chordis & coriis hic adducunt, quadrat, quod scilicet quod accedit latitudini, à repletione decedat longitudini. Hoc quidem verum est, quod corpora, quæ manifestam habent cauitatem, & tendi possunt, si in latum distendantur, breuiora fiunt, & quod latitudini accedit, longitudini decedit. Quæ verò cauitate manifestâ destituuntur, vt lora, coria, & ipsæ neruosæ illæ fibræ, si humectentur; & secundum longitudinem, & secundum latitudinem laxiora fiunt: vt manifestè hoc in coriis, vt & in lignis, si aquam vel aërem humidum imbibant, fieri videmus, quæ & secundum latitudinem, & secundum longitudinem plus spatij occupant, & iterum exsiccata & secundum latitudinem, & secundum longitudinem imminuuntur.

QVÆSTIO II.

*An febris pro Spasmo curando excitanda sit?*

Cum febris superueniens spasmum curare possit, vt antè diximus, de febre excitanda Autores dissentiunt. Alij id planè improbant. Arabes Ephemeram concedunt. Galenus, *6. Epidem. comment. 6. aphor. penult.* cum alias febres, tum ex diuturnis quartanas potissimum: Hippocrates & Galenus *1. Prorrhet. comm. 2. aphor. 50.* ita moderatam, vt nec nimium debilis nihil vel parum efficiat, nec nimium vehemens aut maligna vires exolnat. Ideo Numenij filium obortâ apoplexiâ febri debili ac diuturna subsecuta haudquaquam sanatum fuisse. Verum febrem semel accensam deinceps ita temperare ac moderari, vt morbum solùm expugnet, & naturæ non noceat, difficile est; vt supra etiam de Paralysi dictum. Ideóque tam anceps & periculosum remedium non tentandum.

CAPVT XXIX.

*De Incubo.*

POstquam symptomata, in quibus facultates principes seorsim, vt & motus animalis, læditur absoluimus: restant adhuc ea symptomata, in quibus animales actiones seu plures, seu omnes læduntur. Inter quæ primò est Incubus, Græcis ἐφιάλτης, ab ἐφάλλεσθαι, hoc est, insaliendo nomen habens; quod hoc malo correpti se ab aliquo inuadi, atque ab onere incumbente premi somniant: cuius affectionis tamen recordantur expergefacti, falsámque illam imaginationem fuisse agnoscunt. Cæterùm nonnulli malum Dæmoniacum esse putant, & Plinius, *lib. 25. cap. 4.* Faunorum in quiete ludibria appellat; quæ tamen fabulosa Aëtius, *tetrab. 2. serm. 2. cap. 12.* & Oribasius, *συνοψ. cap. 12.* meritò repudiant. Quidam & ἐπιβολὴν, teste Aureliano, hoc est, aggressionem & inuasionem nocturnam nominant. Themison, teste Ægineta, πνιγαλίωνα & πνιγάλωνα, Dioscorides πνιγμὸν ὑπνηρὸν, à specie suffocationis, quæ hoc malo laborantibus in somno offertur, Auicennas suâ linguâ Strangulatorem nominat: Nimirum qui hoc malo laborant, sub primum somnum onere se aliquo opprimi & quasi suffocari somniant, & quamuis clamare, & alios in auxilium vocare velint, non possunt, neque etiam manus ad onus hoc, quo se opprimi somniant, amoliendum & amouendum liberè mouere valent, Incubus.

Alij verò Incubi ſunt,quorum Auguſtinus, *de ciuit. Dei,lib.*15. *c.*23. aliiqꝫ Autores mentionem faciunt, Dæmones ſcilicet,qui mulieribus ſe commiſcent,& ab incubando Incubi dicuntur,ſicuti qui viris, & patiuntur muliebria, Succubi; quod an fiat, vel qua ratione fiat,diſquirere hujus loci non eſt:cum tantùm de ſymptomate facultatis animalis læſæ & affectæ p.n.à cauſſis naturalibus proueniente agere nobis ſit propoſitum. Sunt tamen nonnulli, qui hoc malum Incubi nomen accepiſſe putant ex eo,quòd ephialte laborantes opinantur,hominem,qui illos opprimit, turpis libidinis vſum ab iis exigere, ſeu vnà cum illis concumbere;vnde etiam quidam in Cacodæmonem ejuſmodi ludibria,quæ per ſomnum contingunt,referunt. Et fieri poteſt, vt hoc morbo, tanquam inſtrumento, ad affligendos & vexandos homines Cacodæmon vtatur.

## *Definitio.*

*Definitio.* Eſt ergo Incubus reſpirationis offenſio,& vocis interceptio, corporiſque oppreſſio, ſeu motus impedimentum,cum falſo inſomnio ponderis thoraci incumbentis, à vapore craſſo, poſteriora potiſſimùm cerebri obſtruente, vt ſpiritus animales ad liberam reſpirationem,& motum edendum prodire nequeant.

Nimirum omnes ferè actiones animales in Incubo læduntur. Nam imaginatio deprauatur;ſenſus eſt torpidus;facultas motrix,quæ reſpirationi, voci & motui membrorum inſeruit,laborat. Vnde ægri ſomnum quidem excutere conantur, ſed cum maxima difficultate id accidit; aſſurgere, vel manus mouere, vel loqui aut clamare conantur; id tamen præſtare nequeunt.

Quam læſionem cum homo percipit in ſomno, varias dormiens cauſſas, vnde ea quaſi oppreſſio veniat, comminiſcitur & ſomniat.Quale quid etiam aliàs iis, qui cauſſam aliquam morbificam in parte aliqua in ſomno ſentiunt,accidit,dum ſe vulnerari,morderi, vel alio modo lædi, aut crus lapideum habere ſomniant. Etſi verò ad vocem edendam,& ad membra mouenda, qui Incubo laborant, adeo apti non ſint, ſed & in iis motibus aliquid impedimenti percipiant: tamen quia illi motus in ſomno ita neceſſarij non ſunt, ſed ceſſant, thoracis verò motus etiam in ſomno ob reſpirationem neceſſarius eſt,fit,vt hoc, tanquam ſummè neceſſario,etiam in ſomno,læſo,triſtis ſenſus oriatur grauitatis pectoris,qui ſenſus oblatus phantaſiæ facit, vt æger ſuffocari ab externa aliqua violentia ſibi videatur.

## *Cauſſæ.*

*Cauſſa proxima,* Cauſſa proxima eſt obſtructio meatuum cerebri,qui ad initium ſpinalis medullæ tendunt, & ſpiritus animales organis ſenſus ac motus deferunt,à vapore craſſo.Fernelius equidem,*de part.morb.& ſympt.l.*5.*cap.*3. quem Platerus ſequitur, cauſam eſſe craſſam pituitam & melancholiam ſtatuit,verum non in cerebro, ſed circa præcordia inhærentem,quã per crapulam & cruditatem turgeſcente, diaphragma pulmonéſque premantur, craſſo autem vapore in fauces & cerebrum exhalante vox ſupprimatur, ſenſus atque mens obturbetur, viſiſque triſtibus offendatur.Etſi verò quãdoque iſtã thoracis ſuppreſſioné hoc modo fieri poſſe nõ negamus;tamen ea non eſt præcipua cauſſa,nec ſemper à cruditate & crapula,verùm etiam ſine his,& aliis cauſſis fieri poteſt. Et cerebrum præcipuè affici, id indicio eſt, quod non ſolùm motrix reſpirationi ſeruiens, ſed & quæ voci & aliorum membrorum motui præeſt,non ita libera eſt,& Incubo laborantes difficulter expergiſcuntur: atque Incubus ſæpius imminentis grauioris cerebri affectûs præſagium eſt.

Et quidem poſteriores cerebri meatus, qui ad ſpinalem medullam tendunt,inprimis obſtruuntur; vnde & ſupino corpore cubantes maximè hoc malo corripiuntur. Obſtructio autem iſta non fit ab humore, ſed à vapore craſſo ſaltem. Nam malum hoc citò fit, & citò deſinit. Vapor autem craſſior eſt, quia æger non ſine difficultate expergiſcitur, aut forſan etiam narcoticam quandam vim habet. Obſtructio etiam ea non integra eſt,ſed leuior, quàm quæ carum aut apoplexiam generat.

Antecedẽs cauſſa,à qua vapor ille eleuatur,eſt craſſa pituita,aut humor melancholicus in hypochondriis & circa præcordia hærens, quã materiã per crapulam & cruditatem,vel aliis de cauſſis turgeſcente & motã nõnunquam diaphragma & pulmones premuntur;præcipuè verò craſſo vapore illinc in cerebrum exhalante,& neruorum principia obſtruente, vnà cum motu thoracis,reſpirationi inſeruiente,vox impeditur, & phantaſia viſis triſtibus turbatur. Etſi verò à reſpiratione impeditã, & grauitatis ſenſu præcipuè triſte illud ſomnium de opprimente aliquo oriri veriſimile eſt:tamen aliquid etiã hîc facere vaporem prauum in imaginationis ſedem irrepentem,& ſpiritibus ſeſe miſcentem,credibile; ſicut contra benignis & ſuauibus vaporibus mixtis cum ſpiritibus animalibus inſomnia læta & concinna exiſtunt. *Cauſſa antecedens.*

Rhaſes & Auicennas etiam vaporis ſanguinei meminerunt, ſiue à ſanguine ipſo craſſo è venis prodeat, ſiue à ſanguine in ſemen craſſum mutato:vnde Veneris per hunc morbum in ſomniis ludibria exiſtunt.

Itaque vapor ille ad caput plerumque aſcendit à materia extra hoc alibi conſiſtente; in pueris etiam à vermibus: interdum verò & in ipſo capite gignitur,ex alimenti cerebri excremento tenui, quando illud frigore externo repentino incraſſatur & repellitur, ne citò diſcuti queat.

Generatur autem ille vapor vel ob errorem externum, ob victum ſcilicet craſſum & vaporoſum,vel læſa facultate, præcipuè ob intemperiem frigidam capitis vel ventriculi. Atque hinc cauſſæ remotiores,procatarcticæ & euidentes ſunt nimia cibi repletio, crapula & hinc ſequens cruditas, ſomnus ſtatim à repletione,decubitus ſupinus,aër denique frigidus, cuius vi materia incraſſata in cerebro in meatus eiuſdem exprimitur;atque hinc temulentis inprimis ac cruditate laborantibus Incubus familiaris eſt, & quidem ſomni initio,quando vapores craſſiores maiori copia ad caput eleuati incipiunt,nec,ſicut vigilantibus accidit, ſatis diſcuti poſſunt. Et præcipuè hoc accidit, dum homo ſupinus decumbit; cum per illum decubitum prompta fiat in caput euaporatio,ac materia facilius ad nucham & ad poſteriores cerebri partes,ac initium ſpinalis medullæ moueatur,meatuſque in illo decubitu nonnihil comprimantur.Non negarim tamen,ob decubitũ ſupinũ incubũ faciliùs excitari etiã ob motus muſculorum motum thoracis promouentiũ lęſioné.Motus enim is in decubitu ſupino non ita liber eſt.Vnde etiã qui ſupini dormiunt,facilius ſtertunt,quam ij,qui in alterutrũ latus decumbunt.Inde cauſſa huius morbi definitur,quod ſit ἀναθυμίασις εἰς κεφαλὴν ἀναθρέχουσα ἐξ ἀδηφαγίας καὶ ἀπεψίας. Hinc etiam pueri huic morbo inprimis ſunt obnoxij ob ἀδηφαγίαν, qua vitioſi humores collecti vapores multos in caput remittunt; ſæpe & ob vermes in inteſtinis genitos. Atque hinc pauores quoque per ſomnum in pueris exiſtunt, de quibus Hippocrates, 3.*aph.*24.Narrat quoque quidam apud Cœlium Aurelianum, Romæ aliquando hunc morbum epidemium & publicè graſſantem fuiſſe, & multos inſtar peſtis iugulaſſe.

¶[ Egi equidem de Incubo *hoc ipſo c.*& vulgaré ſententiam explicaui: quia tamen de Incubi natura & cauſſis aliquid dubij adhuc occurrit,illud explicandum. Vt autem ex definitione Incubi ibi traditã conſtat, duæ *Dubia de incubi natura & cauſſis.*

*De Natura.* duæ actionum læsiones in Incubo sunt, nimirum somnium graue & falsum, ac respirationis difficultas, quo vnico Incubus ab aliis omnibus somniis grauibus differt, quòd scilicet in Incubo maior est respirationis difficultas, quàm aliàs in somnio naturali esse solet: vt ita Incubus sit respirationis offensio cum prauis insomniis. *Definitio Incubi.* Læsiones corporis enim sæpius in somno offeruntur, & somnia pariunt. Ita Galenus refert, quendam somniâsse, sibi crus lapideum factum, & postea eiusdem cruris paralysin passum esse. Nam cùm aliqua molestia, vel læsionis sensus, in parte aliqua per somnium occurrit, nec imaginatio liquidò cognoscere potest, qualis illa sit, aliquid aliud fingit. Ita ille, cùm caussam paralyseos iam influere sentiret, crus lapideum sibi factum esse somniauit. Incubum patientes cùm difficili respiratione laborent, nec tamen vnde illa pendeat, liquidò cognoscere possint, onus vel hominem aliquem pectori suo incumbere imaginantur.

*De caussa. Antiqui.* De caussa verò maior difficultas est. Antiqui statuunt, in Incubo ventriculos cerebri à vaporibus crassis oppleri, & influxum spirituum animalium per neruos ad organa respirationis prohiberi: atque ita in neruis à cerebro ad thoracem tendentibus caussam mali hærere existimant. *Fernelius & Platerus.* Fernelius verò & Platerus equidem in eo consentiunt cum Antiquis, quòd vapor crassus huius mali caussa sit; de modo verò quo difficilem respirationem inducat, dissentiunt, dum non ob cerebri & neruorum obstructionem influxum spirituum animalium in musculos thoracis prohiberi, sed à vaporibus circa præcordia hærentibus diaphragma & pulmones comprimi statuunt. Et sanè, quæ de obstructione ventriculorum cerebri dicuntur, falsa esse, iam plerique Medici agnoscunt, cùm non in ventriculis, sed in substantia cerebri generentur & hæreant spiritus animales. De hoc tamen iam quæstio est, an læsæ respirationis caussa à neruorum vaporibus crassis obstructione, an verò, vt vult Fernelius & Platerus, diaphragmatis compressione ortum habeat. *An læsa respiratio à neruorum obstructione, an verò à diaphragmatis compressione.* Si, quod res, dicendum est, equidem sensûs & motûs ligatio quædam est in Incubo, sed talis saltem, qualis in profundè dormientibus accidere solet. Videmus hoc in canibus dormientibus, qui pedes aliquando mouere solent, quin & vocem latratui similem, non claram tamen, sed veluti suppressam edunt, dum somniant se feras insectari, seu aliud quid agere. Et licèt à vaporibus etiam caput repleatur: tamen illa repletio non est caussa Incubi, sed potiùs etiam est sine Incubo. Vnde caussa Incubi vera & proxima à Fernelio & Platero rectè in thorace consistere dicitur. *Proxima Incubi caussa in thorace.* Dum enim à vaporibus ascendentibus respiratio aliquo modo læditur, in somno inde phantasma oneris incumbentis formatur, vt homo se ab aliquo pectori incumbente opprimi somniet.

*Quomodo respiratio à vaporibus lædatur?* Quomodo verò à vaporibus illis respiratio tunc lædatur, rectè explicandum. Fernelius *de part. morb. lib. 5. cap. 3.* scribit, crassam pituitam, aut melancholiam circa præcordia inhærescere, quâ per crapulam & cruditatem turgente, diaphragma, pulmonésque premantur; crasso autem vapore illinc in fauces & cerebrum exspirato, vox supprimatur, sensus atque mens obturbetur, visúsque tristibus offendatur. Eodem modo Platerus statuit, à venis mesaraïcis, maioribus præsertim, vndique circa præcordia dispersis, & in quibus propter primæ coctionis multa excrementa sanguis impurus faciliùs colligitur, vapores eiusmodi aliquando exsurgentes, & circa septum transuersum subsistentes suffocationem hanc procreare.

*Quomodo fiat compressio.* Verùm quomodo compressio ista diaphragmatis & pulmonum accidat, explicandum. Cùm enim humores illi, è quibus vapores isti attolluntur, in vasis consistant, non poterunt in ventre abundantes, extra diaphragma comprimere, sed potiùs per vasa in pulmones, musculos abdominis, & diaphragma penetrare, atque ibi suffocationis quendam sensum excitare. Et quamuis in mesaraïcis venis inprimis hæreant illi vitiosi humores: tamen facilè venæ cauæ communicari, & inde in totum corpus eos distribui posse existimo: & præcipuè in lienem, in quem ramus splenicus maximâ parte absumitur, & in eo disperditur. A liene verò per arterias, quæ quintuplo plures sunt in eo, quàm venæ, tales humores facilè per totum corpus dispergi possunt. Interim negandum non est, tales vapores etiam per venas & arterias ad caput ascendere, & somni illius grauioris caussam esse. Vnde ipse Platerus concedit, malum hoc sæpius recurrens tandem cerebro grauiora minari atque afferre accidentia.]

### *Differentiæ.*

Differentiæ Incubi à caussa efficiente potissimùm sumuntur. Provt enim vapor vel à pituita, vel ab humore melancholico, vel à semine eleuatur: ita diuersa, & pro natura humoris, phantasmata vel imagines per insomnia in hoc affectu exhibet; sicut à semine retento Venereorum illecebris hominem ludificat. Alius quoque incubus fit per essentiam in capite, quem tinnitus aurium & vertigo, & dolores capitis antecedunt & sequuntur: alius per consensum ventriculi, hypochondriorum, testium, quas partes affectas esse, suis indiciis manifestum redditur.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa Diagnostica.* Affectus hic ex relatione ægri facilè cognoscitur. Conqueruntur enim, sibi inter dormiendum quid quasi incidere atque incumbere, grauíque onere incumbente se premi, vel ab hoste aliquo inuadi & strangulari; ita vt neque clamare, (quamquam, quod à præsentibus, qui vigilant, auditur, vocem edant obscuram, inarticulatam & nihil certi significantem) neque se mouere, neque fugere queant, donec multo tandem labore & conatu de somno expergiscuntur. Nonnulli etiam se audire illum, qui super ipsos incidat, imaginantur. Virgilius 12. *Æneid. circa finem*, Incubum eleganter hoc modo describit:

*Ac veluti in somnis, oculos vbi languida pressit*
*Nocte quies, nequicquam auidos excendere cursus*
*Velle videmur, & in mediis conatibus ægri*
*Succidimus, non lingua valet, non corpore notæ*
*Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur.*

*Incubi ab epilepsia differentia.* Quibus signis facilè ab aliis affectibus p.n. discernitur. Scribit equidem Posidonius apud Aëtium, *tetrab. 2. serm. 2. cap. 10.* Quæcumque patiuntur comitiali morbo correpti in exacerbationibus, eadem perpeti incubum passos, dum dormiunt. Verùm maxima est inter hos duos affectus differentia. In epilepsia enim motus conuulsiui accidunt; in Incubo est motus impotentia: ortúmque habet epilepsia à materia acri cerebri meninges stimulante; Incubus à vapore crasso, meatus cerebri obstruente. Caussarum & locorum, vnde vapor eleuatur, differentia è suis signis cognoscitur, tum ex specierum, quæ per somnum imaginationi offeruntur, qualitate, provt nigri vel alterius coloris sunt, aut hominem ad Venerem incitant.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Incubus quidem, si rarior sit, leuior affectus est; grauior tamen, cæteris paribus, quàm vertigo: quoniam à vapore crasso producitur, & dormientem hominem comprimit.

2. Incubus à caussa interna perseuerans, præsertim in ætate prouectioribus, aut epilepsiam nunciat, vapore tandem prauitatem & epilepticam διάθεσιν acquirente; aut apoplexiam, si meatus cerebri fortiùs occupet; aut melancholiam, si vapor ater commisceatur spiriti

ſpiritibus animalibus. Imo pueri, & obeſo corpore aliquando hoc malo ſuffocantur, quando materia craſſior & copioſior eſt, exitúmque non reperit. Ideóque inter initia huic malo occurrendum eſt, monente Aëtio, Paulo, & Rhaſe.

3. Periculoſior Incubus eſt, qui diuturnus eſt, ac frequens, & à quo æger ſtupidus permanet.

4. Incubus à cauſſa externa refrigerante, aut à crapula continuata, minus pernicioſus eſt.

5. Si Incubus accidit partim dormienti, partim vigilanti, deterior eſt; qui epilepſiæ propinquior: & rurſum deterior, ſi poſt excitationem ſudor frigidus, tremor cordis, ſpaſmus, aut ſyncope ſequatur.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Cum Incubus ortum habeat à vapore cerebri meatus quadantenus obſtruente, ille, vt paroxyſmus tollatur, diſcutiendus. Poſtea, ne redeat malum, humor, è quo gignitur, euacuandus. Amouenda quoque cauſſa, à qua humor producitur, ſiue ventriculi imbecillitas ſit, ſiue hepatis, ſiue alterius cuiuſdam membri, ſiue error externus; atque ita etiam vaporum generatio prohibenda.

### *Auxilia.*

*Curatio.* Æger ergo in ipſo paroxyſmo ſeu inſultu huius morbi ſtatim leuiter excitetur, compellatione per nomen, vellicatione corporis, ac deinde, vt vapores reuellantur, diſcutiantur ac diſſipentur, etiam extremorum frictione. Quam ob cauſſam vtile eſt, vt ij, qui huic malo obnoxij ſunt, noctu fidum ſemper hominem adiunctum habeant, qui gementem ac quiritantem ægrum mox expergefaciat, ne ſuffocationis periculum longius augeatur.

Ne verò malum reuertatur, vena aperienda, ſi plethora adſit. Aperiatur autẽ vel cephalica vel hepatica: in mulieribus ex menſium ſuppreſſione laborantibus, ſaphena; quæ etiam in viris, poſt euacuationem per venæ in cubito ſectionem ſactam ad reuulſionem aperiri poteſt, Si phlebotomiâ vti non liceat, cucurbitulæ cruribus & ſcapulis applicentur, ac clyſteribus reuulſio fiat, & frictiones continuentur.

Si humor pituitoſus aut melancholicus altius inſederit, præparetur incidentibus & abſtergentibus, quibus miſceantur quæ flatus diſcutiant. Poſtea debita ratione ac modo humor euacuetur. Et purgatio ſæpius repetatur per interualla, maximè cum metus eſt, ne in alium affectum hoc malum tranſeat. Vtrobique verò ad ipſum cerebrum reſpectus habeatur. & tota curatio partim ad ventriculum & hypochondria, partim ad affectionem cerebri dirigenda. De quo ſupra, *part.*1. *cap.*7.10.12. & antea, *de Vertigine*, dictum, ac poſtea de epilepſiâ & apoplexiâ dicetur. Cordis tamen ſimul ratio habenda, vt in melancholia.

Poſt vniuerſales euacuationes caput priuatim purgetur errhinis, apophlegmatiſmis, & ſimilibus, vt locis allegatis dictum & dicetur. Quidam puluerem è corticibus citri ſiccis, cypero, caryophyllis, coriandro præpar. fol. maioranæ & betonicæ, flor. roſar. rubr. ſtœchad. Arabic. lauendulæ & roriſmarini capiti inſpergunt, vel cucuphæ includunt Aniſum etiam puluinis inſperſum pauores in ſomniis prohibet. Vel caput lauetur lixiuio, in quo flor. ſtœchados Arabic. betonic. an. M.j. cyperi agaric. macis, an. Vnc.ß. cocta ſint. Commendatur & lupina pellis pro tegumento capitis inter dormiendum.

Ad flatus & vapores in capite, ſeu pituitoſos, ſeu melancholicos propulſandos, capútque roborandum, iis medicamentis, quæ locis allegatis propoſita ſunt, vtendum. Auicennas, Aëtius, & alij commendant ſemen nigrum pœoniæ maris, ſi eius grana xv. trita per plures dies cum liquore conueniente exhibeantur. Plurimum quoque hîc valet electuarium. Pleres arconticum appellatum, ſi cum confectione alkermes ſeu diambræ permiſceatur, & manè, ac hora decubitus, exhibeatur. Vtilis eſt & creber vſus diacori quotidie tribus horis ante cibum, vt & diamoſch. dianthos, elect. de gemmis. Commendatur & theriaca bis ſingulis ſeptimanis cum aqua pœoniæ exhibita. Naribus quoque ſubinde odoramenta caput confortantia & flatus diſcutientia adhibeantur.

Cordi verò & pulſuum regioni ſacculi cordiales & arteriales paſſim noti, aqua roſar. meliſſæ, & ſimilibus irrorati imponantur. Vel Balſama inungenda:

Vt ℞. *Balſ. citri* Drach.i. *chamæmel. Rom.* Dra. ſem. *ol. deſtill. rutæ* gutt. iii.

Vel ℞. *Balſ. roriſmarini*, *ſuccini*, an. Scrup. i. *rutæ* Drach.i. *theriacæ* Drach. ſem. Miſce.

Vtiles ſunt & frequentes pedum lotiones; cum vapores à capite reuellant.

Poſt cibum aſſumptum vapores prohibent diacydonium, aut puluis ex coriandro præparato, ſemine aniſi, galanga, nuce moſch. cum ſacchar. roſat. tabulato paratus. Et alia ſupra, *part.*1. *cap.*7. propoſita.

Vel ℞. *Spec. aromat. roſat.* Drach.i. *diarrhod. abbat.* Drach. ſem. *diamarg. frig.* Scrup.i. *cinamomi, macis, caryophyll.* an. Scrup.i *ſem. pœoniæ* Drach.i. *coriandri præpar.* Vnc.ß. *aniſi* Drach.ii. *viſci querni* Drach. ſem. *magiſter. corallior.* ʒ.i. *ſacchar. roſar. tabulati* ad pondus omnium. F. Puluis. Doſis cochlear.i.

Vel ℞. *Sem. coriandri præpar.* Vnc. ſem. *aniſi, fœnicul.* an. Drach.ß. *ſpec. aromat. roſat.* Drach.i. *ſem. pœoniæ excortic. corallior. rubr. præpar.* an. Scr.ii. *ſacchar. roſar. tabul.* ad pondus omnium. F. Puluis.

Vel paretur tale Electuarium:

℞. *Cydonior. cum arom. cond.* ℥.iß. *nuc. iugland. condit.* num.i. *cortic. citri condit.* ℥.ß. *conſeru. roſar.* Drach. vi. *anthos, lauendulæ, maioranæ, rad. condit. ſcorzon.* an. ℥.ß. *pulu. radic. pœoniæ, ſem. pœoniæ excortic.* an. Drach. ſem. *corallior. rubr. præpar.* Drach.i.

Cum *ſyrup. cydonior.* & *de cort. citri* F. Electuarium.

Dum cubitum itur, ſumatur bolus ex conſerua flor. roriſmarini, lauẽdulæ, menthæ, meliſſophylli, pœoniæ, aut conditæ radices pœoniæ, aut excorticata eiuſdem grana aquâ lauẽdulæ inebriata, aut nux Indica condita.

Chymici in hoc affectu commendant tincturam & magiſterium corallior. perlar. lapid. Armeni, Lazuli, chryſolithi, malachitæ, ol. roriſmarini, ſaluiæ, rutæ, ſuccini, chamæmeli, cinamomi, extractum pœoniæ, viſci qu. iuniperi.

Amuleta commendantur, radix pœoniæ de collo ſuſpenſa, corallia rubra, lapis chryſolithus auro incluſus, vt & malachites, & in ſiniſtro brachio geſtatus.

Infantes, qui pauoribus in ſomnis obnoxii ſunt, non ſtatim à cibo ſumpto: dormiant, ſed hinc inde geſtentur, donec cibus deſcendat: mel etiam vel crudum vel roſatum lingendum exhibeatur, quod extergit; aut exhibeatur puluis ex radic. pœoniæ, margarit. coralliis.

### *Diæta.*

Degat æger in aëre ad calidum & ſiccum vergente, puro, neque tetris vaporibus inquinato: vitet aërem nebuloſum, humidum, & ventis turbatum. Non moretur ſub radiis Solis, Lunæ, vel ad ignem. *Aër.* Diæta ſit tenuis, attenuans, flatúſque expers, & proinde vitentur legumina, & fructus ac radices flatulentæ. Ideo cibi calidi ſint & ſicci, qui facilè concoquuntur & diſtribuuntur, nec in viis hærent, nec flatus ad caput mittunt. *Cibus & potus.* Vita ſit ſobria, cœna frugalis; ægérque crapulam, repletionem & ebrietatem fugiat. Cibi condiantur iis, quæ extenuandi vim habent; vt, pituitâ peccante, hyſſopo, ſerpillo, ſatureiâ; in melancholia, quæ eam temperat, flor. bugloſſ. borrag. & ſimilibus, de quibus ſupra, *part.*1. dictum.

Vinum,

Vinum,cum caput repleat,parcius ſumendum, vel eo tenuiori vtendum,aut cereuiſia tenui, vel aqua,in qua ſemen coriandi, aniſi, & cinamomum ebullierint.A cœna ad ſomnum tres horæ interponantur.Vitetur decubitus ſupinus, quo caput repletur. Ad lectum ægri ſuſpendantur vel humi ſternantur radices pœoniæ, majorana,thymus,ruta, lauendula, roſmarinus,pulegium, mentha. Corpus moderatè & tempeſtiuè fricetur & exerceatur.

*Somnus.*

*Motus.*

Symptoma quoddam partim Incubum, partim epilepſiam referens (etſi potius mitior epilepſia eſſe videatur) deſcribit Foreſtus, *libr.*10. *obſeruat.*5 2. quod ſeminis pœoniæ vſu ſublatum fuit, vtpote quod epilepſiæ,Incubo,pauoribus & ludibriis nocturnis,vterique ſtrangulationibus egregiè medetur.

## CAPVT XXX.

### *De Catoche ſeu Catalepſi.*

#### *Nomen.*

QVæ Latinis vulgò Congelatio dicitur, Platero Stupor cum rigiditate,Græcis eſt κατάληψις & κατοχὴ, ſiue κάτοχος: quanquam poſterius vocabulum non in vna ſignificatione vſurpatum fuerit veteribus; vnde & hodie ambiguitas reliqua manet. Nam Paulus Ægineta diſtinctè agit de Catocho,qui coma vigil eſt, & de Catocho, qui vera Catalepſis. Et autor *definit. Medic.*Catochi(quē fieri docet,cū ſenſu priuatur omni, corpùique omne velut gelu obrigeſcit)genera tria facit: primum Somnolentum,lethargo proximum;ſecundum Vigilans, affine tetano & præfocationi vteri; & tertium Phreneticum, ex catoche & phrenitide mixtum,quod & Tyhomania nominatur.Quæ genera aliqui commodiùs ſic diſcernunt, vt primum ſit Lethargo proximum,ſecundum Coma vigil,tertium Catochus ſeu Catalepſis vera. Nos hîc Catochi & Catalepſis vocabulis pro ſynonymis vtimur.

Dicitur autem Catoche, ſiue κάτοχος,à κατέχεσθαι, id eſt,detineri,vel occupari,& κατάληψις,à καταλαμβάνεσθαι, id eſt,prehendi,quod æger hoc malo repentè corripitur correptúſque eo ſitu permanet.Appellatur & Stupor in genere,qui ſi vehementior ſit,& validius incumbat,ac diuturniùs inſideat, ἔκστασις à Græcis dicitur, à Latinis Exceſſus,vt habet Scaliger, *exercit.*312. Priuatio ſcilicet officiorum animæ ſentientis, mouentis & intelligentis.

De vocabulo autem ἐκστάσεως hoc hîc monendum eſt, quod Hippocrati quidem ſemper Ecſtaſis vehemens eſt mentis amotio ac delirium,& ἐκστῆναι de mentis poteſtate exire, aut vehementer mente emoueri ac delirare ſignificat,& vehementer inſanientibus, phreniticis ac maniacis, paſſim apud Hippocratem tribuitur,& Galenus ἔκστασιν per μανίαν σφοδρὰν exponit: vſus tamen vulgò obtinuit,vt ii, qui omnibus animæ ſentientis, mouentis ac intelligentis functionibus priuati,& quaſi mortui jacent,& ſæpe, poſtquam euigilant, mira,quæ audiuerint,& viderint,narrant, ἐκστατικοὶ nominentur.

Ab ἐκστάσει aliam faciunt adhuc, ἀφαίρεσιν, in qua non facultatibus animæ modò, ſed & ipsâ anima corpus priuatur. Quod an fieri poſſit, Philoſophis & Theologis diſcutiendum relinquimus.Hoc ſaltem addimus,ſi hic affectus à cauſſa diuina proficiſcatur, ſiue intra corpus manente, ſiue extra egrediente animâ, νυμφολήπτους ab Ariſtotele, 1. *Eudemior.*& θεολήπτους, ac ἐνθουσιαζομένους appellari, vt, *loco allegato*, Scaliger docet.

#### *Definitio.*

*Definitio.*

Eſt videlicet Catalepſis ſenſuum internorum & externorum,ac in his præcipuè tactus,& voluntarij motus ceſſatio,ſeu,vt nomen innuit, ſubita prehenſio & occupatio tum mentis & ſenſuum internorum, tum externorum,& motus voluntarij, quâ qui corripiuntur,rigidi in eo ſtatu,in quo prehenſi fuerunt, apertis ac immotis oculis, ſtatuæ alicujus inſtar, manent, & nec ſentiunt,nec vident,nec audiunt, reſpiratione ſaltem & pulſu ſaluo manente, à congelatione & immobilitate ſpirituum animalium, quam vapor quidam frigens cauſſauit,orta.

Interdum tamen, & vbi malum minus vehemens eſt,ægri nonnihil audiunt,vident,imaginantur, recordantur,& quæ aſtantes loquuntur, percipiunt, & poſtea referunt, immoti tamen manent ſine voce & ſenſu tactus;quemadmodum Galenus de ſuo condiſcipulo narrat, 2. *Prorrhet.aphor.*16. Atque hos in ſpecie ἐκστατικοὺς appellat Platerus.

Affectus ſanè vt rarus,ita admiratione dignus,vnde etiam vulgò eo detentos in ecſtaſin à Deo raptos exiſtimant; atque hinc etiam procul dubio νυμφολήπτων, θεολήπτων, ἐνθουσιαζομένων vocabula, vt modò dictum. Eius hiſtorias duas Fernelius,*lib.*5.*de partium morbis & ſymptom. cap.*2. & aliquot Marcellus Donatus, *de hiſtor.mirab.Medic.libr.*2.*cap.*7. & Shenkius, *lib.* 1.*obſeru.* 115. recitant.

¶ [ Catalepſis tam rarus affectus eſt,vt credant inter centum,imò ſexcentos, vix vnum Medicum reperi, qui Catalepticum aliquem viderit.Ideóque hiſtoriæ Catalepticorum,ſi occurrant, diligenter annotandæ. Talem refert Henric. ab Heer. *obſ.* 3. hoc modo: Frater Chriſtianus Inſulenſis,Capucinus, Leodij Catalepticus factus,vno genu terræ innitebatur, alterum ceu flexurus,incuruabat,brachium ſiniſtrum pendebat ad genu,dextrum in aërem eleuatum habebat, diductis digitis,vt viam prætereuntibus,ſicut olim ſtatuæ Mercurij,oſtentare videretur,vtrumque omni marmore rigidius erat.Patebant oculi,ſed ita retorti, vt, licèt ſudario perſtringerentur, non conniuerent. Os hiabat cum reſpiratione ſatis libera. Pulsûs in vtroque brachio & temporibus ſat magni. Poſtquàm poſt 20. horas ad ſe rediit,ſurrexit,& ambulauit,omnium præteritorum ignariſſimus.

*Obſeruatio Henr. ab Heer, de Catalepſi.*

Etſi verò Dodonæus & Heurnius in ea ſunt ſententia, neminem ſecundò ſine vitæ periculo Catalepſi corripi: tamen hic Monachus ſæpe paroxyſmis catalepticis, etiam in ſecundum & tertium diem durantibus correptus eſt, & tandem ita conualuit, vt duodecim annis mali nihil ſenſerit. Quoties verò, rigente parum collo,malum ſecuturum præſagiit, ſtatim oleo calido nucham, totámque ſpinam inungi curauit, & ita malum auertit. ]

#### *Cauſſæ.*

Vt autem malum hoc admirandum eſt,ita eius cauſſam reddere difficillimum. Et afferunt quidem alij alias,vt in Inſtitut. *lib.*2.*part.*3. *ſect.* 2. *cap.*6. dictum; verùm quæ rem ſatis non explicant, vt ibi pluribus monſtraui. Iulius Cæſar Scaliger, *loco allegato*, animæ hunc exceſſum,vel à functionibus abſceſſum,aut abſtentiam,prouenire ſcribit perculſis ſpiritibus,ac receptis in intimos cordis ſinus. Verùm ſi Catalepſis & hic ſtupor hoc modo fieret, animi affectus & ſyncope potius,quàm Catalepſis aut Ecſtaſis excitaretur.

Si verò in hac naturæ obſcuritate probabile quid afferendum,omnino talis cauſſa danda, quæ differat à cauſſis paralyſis, comatis, cari, apoplexiæ,epilepſiæ, ſyncopes,& ſimilium affectuum: (quales cauſſæ non ſunt,quæ vulgò afferri ſolent,ſed hiſce affectibus communes)atque talem cauſſam eſſe puto peculiarem ſpirituum animalium διάθεσιν, vt ſcilicet illi in organis ſenſus & motus non deficiant, ſed figantur quaſi & immobiles reddantur,ac immoti maneant, ſeu,vt vno verbo cū Scaligero, *loco allegato*,dicā;cauſſa Catalepſis eſt ſpirituum animalium congelatio ſeu immobilitas.

Hæc autem ortum habet à vapore congelante, seu vim talem figendi habente, qui quidem ab humore melancholico ferè attollitur. Vnde rectè Stuporis nomine hic affectus appellatur, mentis puta. Vt enim in stupore, qui symptoma tactus est, obiecta tactui oblata ab organo non percipiuntur: ita hîc etiam sensuum exteriorum obiecta, etsi à suis organis apprehendantur, à mente non percipiuntur.

Quæ autem spiritus illius congelantis natura sit, explicare non ita facile est. Quidam equidem in frigiditatem & siccitatem caussam referunt, & ab humore melancholico, alij etiam à pituita vitrea eam petunt. Verùm in corpore viuente vix talis frigiditas esse potest, quæ instar frigoris hiberni in cerebro spiritus congelet. Commodissimè vaporis figens, seu fixatiuus & congelatiuus appellari potest, qualis spirituum natura Chymicis satis nota est, qualisque natura fulminis interdum est, & spirituum illorum, qui in terræ motibus, & aliàs etiam è terræ cauernis erumpentes homines & bruta repentè rigida reddunt.

Caussæ enim huius probabilitatem natura fulminis satis declarat, vt dictum, quæ res sæpe subitò congelat; narratque Cardanus, octo messores sub quercu cœnantes fulmine percussos fuisse, sub ea specie, quam decumbebant, vt vnus comedere videretur, alter manum poculo admouere, alius bibere, qui procul dubio hoc morbo detenti exanimati fuêre. Vnde etiam rectè Medici morbum hunc Congelationem nominant.

Verùm vt rectius caussa mali huius cognoscatur, porrò inquirendum, an spiritus illi, qui sensui & motui inseruiunt, an verò qui sensibus internis, an verò omnes spiritus animales congelentur. Communis equidem opinio est, spiritus animales omnes, & potissimum eos, qui sensui & motui inseruiunt, immobiles reddi. Verum si quid in re obscura proferendum est, potius statuendum videtur, non illos spiritus, qui in membra corporis influxerunt, congelari & immobiles fieri, sed potius spiritus, qui imaginationi & menti inseruiunt. Cum enim motus à phantasia dirigatur, neque sensuum externorum obiecta etiam ab organis suis recepta percipiantur, si sensus interni & mens non attendant; sicut compertum est, viros quosdam deuotos meditationibus sacris quasi ex se raptos, aut literarum Studiosos meditationibus suis ita intentos fuisse, vt etiam oculis & auribus apertis non viderent, non audirent, imò nec sentirent: si spiritus ille phantasiæ & menti inseruiens quasi figatur & immobilis reddatur, vt sensuum externorum obiecta affluentia non apprehendat, fit, vt, etsi in organis sensuum externorum spiritus animales adsint, qui sensuum externorum obiecta percipiant, & ad phantasiam deferant; ab ea tamen illa non percipiantur, neque etiam à phantasia tum quasi torpida & quiescente motus vllus imperetur; & si quis ab externo impulsu fiat, ille non attendente nec gubernante phantasia accidat. Hinc procul dubio nata est Medusæ fabula, quæ huius morbi caussam aliquo modo declarare potest, quæ cum esset mulier formosissima, ita, vt qui eius pulchritudinem attentè contemplarentur, extra se quasi raperentur, & ab omnium sensuum functionibus abstraherentur, fixique & immobiles, ac quasi lapides redderentur, finxerunt Poëtæ, ex capitis eius intuitu spectatores in lapides conuersos fuisse.

Hæc autem ita se habere, ac in organis sensus ac motus spiritus animales non deesse, vel illud arguit, quod quidam ex Catalepticis ipsi quidem nullum membrum mouent, verum si ab alio id moueatur, mouendi potentia se exserit, & erecti consistunt, impulsi incedunt, & quocunque vel manus vel brachium vel crus inflectitur, illic quasi fixum & stabile permanet; quod non fit sine spirituum animalium ope. Sicut & hoc spiritus animales non deesse indicat, quod ægri oculos diductis palpebris apertos seruant, quod non fieret, sed potius conciderent palpebræ, si spiritus animales deessent, sicuti in paralysi accidit.

Ac hinc patet, quomodo id accipiendum sit, quod in definitione diximus, in Catalepsi sensuum externorum & motus actiones cessare. Nimirum non quantum obiectorum per organa sensuum susceptionem attinet, sensus quiescunt, sed quantum superioris facultatis apprehensionem. Oculis enim apertis imago visibilis excipitur, sed à facultate superiore non apprehenditur. Eodem modo sese res habet in sensibus reliquis.

Neque est, vt, quod hodie non infrequens, hæc doctrina alicui suspecta sit, quia Chymicorum terminos sapere videtur. Agnouerunt eandem, & iisdem terminis vsi sunt, docti Galeni Interpretes & Arabum; etsi rem non satis commodè explicauerunt. Vt de Scaligero jam non dicam, cuius antea mentionem fecimus, Matth. de Gradibus, *part.1. Pract. cap.6.* ita scribit: Causa coniuncta congelationis est mala complexio frigida & sicca in capitis posteriore parte immobilitans spiritus & neruos & neruosa membra ad operationem sensus & motus, maximè ad motum. Ita Dominicus Leonus; *artis Medic. lib.2. sect.1. c.6.* Causa cõiuncta, inquit, sunt vapores & humores, ipsaque intemperies frigida & sicca, actu frigida, figens & incrassans spiritus animales, eorundemque transitum obstruens. Qua quidem in re rectè sentiunt, immobilitatem, fixionem, vel, vt Scaliger loquitur, congelationem spirituum animalium proximam huius mali causam esse, eamque à figente quodam vapore fieri. Et hoc etiam verum est, quod ille spiritus in cerebro, sede mentis, figitur, & immobilis redditur, atque in organa sensus & motus non influit. Interim non negandum est, spiritus animales alios in ea organa influere. Neque fixio illa & congelatio fit à frigore & siccitate, quæ tanta in corpore viuente non datur, vt tam subitæ congelationis causa esse possit, sed à vapore peculiarem vim spiritus figendi & immobiles reddendi habente, qualis est in fulmine & aliis spiritibus.

Causam antecedentem ponunt humorem frigidum siccum. Et concedimus sanè, humorem melancholicum præ ceteris aptum esse ad vapores, qui talem dispositionem suscipiunt, emittendos. Non tamen solâ frigiditate & siccitate id præstare potest.

Potest autem eiusmodi vapor nunc in ipso cerebro generari, & ita primarium affectum excitare; nunc per consensum à toto, vt in febribus malignis; aut à membro aliquo, vt splene, intestinis, vel aliis.

Ad causas procatarcticas multi referunt aërem frigidum, pluuiam, glaciem, niuem, & iter facere per loca niuosa & nimis frigida, vt per Alpes. Verum etsi verum sit, multos, qui per alpes, & similia loca tempore hiberno iter faciunt, ita congelari, vt partes extremæ emoriantur, & tandem sphacelo corripiantur: tamen planè alterius generis est hæc congelatio, quæ fit à frigore hiberno, quàm de quà hîc sermo est. Ita cibi quidem, qui humorem melancholicum generant, ad hoc malum producendum aliquid facere possunt: sed nisi humor is, vel vapor inde emissus peculiarem vim congelandi & figendi spiritus induat, causa huius mali proxima non fit. Referunt huc nonnulli etiam contactum torpedinis piscis, fumum vel inunctionem argenti viui. Verum & ista omnia potius stuporem in sensu tactus, quam Catalepsin inducunt. *Causa procatarctica.*

### *Signa Diagnostica.*

Malum hoc subitò hominem inuadit, & in quo statu ægrum offendit, vigilantem, stantem, bibentem, edentem, scribentem, legentem, in eo immotum seruat, ac si congelatus esset. Æger apertos oculos habet, eosque fixos & immobiles, palpebris veluti rigentibus, quas ne ad minas quidem claudit. In sensibus tamen in quibusdam aliqua est differentia. Qui enim exquisitâ *Signa diagnostica.*

Cata

Catalepsi laborant,nihil audiunt,nihil vident,etsi oculos apertos habeant,quòd mens non attendit.Alij audiunt & vident,sed nihil loqui possunt.Quidam etiam mouere manus visi sunt. Quidam si impellantur, ambulant, sed instar statuarum in eodem statu manent. Quidam etiam somnia se vidisse ferunt. Respiratio seruatur,sed ita, vt per interualla sæpe magnum spiritum ducant. Pulsus similis est lethargicorum; non tamen ita languidus & mollis, magis verò æqualis. Præterea in lethargicis laxatur vniuersum corpus: contrà stipatur & cogitur in Catalepticis, teste Galeno, *4.de cauf.pulf.cap. 16.* Aluus & vrina supprimitur expultrice sopitâ, nec stimulationem excrementorum percipiente.

### *Prognostica.*

*Prognostica.*

1. Catalepsis morbus periculosius est, & nisi tempestiuè ægris succurratur, stupidi moriuntur non aliter,ac si gelu hiberno rigentes emoriantur.

2. Eò periculosior est Catochus,quò plura grauiora symptomata conjunguntur,vt spirandi difficultas & interceptio,oculorum distorsio, excrementorum suppressio,& tandem virium summa imbecillitas ac exsolutio.Ita Hippocrates, *3. Prorrhet.text.*4.scribit: *Quæ cum exsolutione fiunt Catoche & aphonia, periculosa sunt.*

3. Tempus, intra quod siue ad salutem, siue ad mortem morbus terminatur,breue est.

4. Intereunt Cataleptici, siue per virium dissolutionem,siue per suffocationem, vbi adeo motus cohibetur,vt respiratio supprimatur.

### *Indicationes.*

Vapores spiritus congelantes & immobiles reddentes è capite retrahendi,& in eo discutiendi,& materia, è qua generantur, euacuanda, totiúsque simul ratio habenda. Quod rectissimè fieri posset, si occulta illa vaporis qualitas & natura nota esset. Interim cephalica calefacientia & humectantia vsurpanda,& curatio, qualis intemperiei capitis cum melancholiâ, & vapore melancholico supra, *part. 1.cap. 7.* & 12. fuit proposita,instituenda. Et si omnino ad qualitatem occultam respicere libet,medicamenta,quæ Epilepsiæ,& soporosis affectibus conueniunt,adhibenda.

### *Curatio.*

*Indicationes & Curatio.*

Itaque,si æger sanguine abundet,vena cephalica secetur. In aliis clystere acriore prius aluus eluatur, & reliqua diuersionum genera vsurpentur.Postea humor melancholicus præparetur & euacuetur,vt supra, *locis allegatis*,dictum.Minimè autem hic à paruis incipiendum est auxiliis,quod in morbis,in quibus periculum non impendet, tutò facere licet:at vbi vitæ periculum imminet, alienum est à ratione,à mitioribus inchoare velle. Topica quoque ibidem proposita vsurpentur, fiántque fomentationes, inunctionésque ex chamæmelo,meliloto,floribus stœchad.Arabicæ,buglossi,majorana, rorismarino, primula veris. Et hoc obseruandum, ne in principio nimis calida & sicca adhibeantur,sed potius temperata & humectantia,vt materia ad euacuationem aptior reddatur. Monendum quoque hoc,ne in topicis acetum adhibeatur,ne vis congelandi & figendi spiritus in vapore vel humore aceti vsu augeatur.

### *Diæta.*

Diætæ etiam ea sit ratio,quæ supra, *in temperie cum humore melancholico*,fuit proposita.

## CAPVT XXXI.

### *De Epilepsia.*

### *Nomen.*

EPilepsia Græcis dicitur ab ἐπιλαμβάνεσθαι, quod subitò mentem sensúsque omnes quasi prehendat. *Epilepsia vnde dicta, & quæ habeat synonyma.*

Ἱερὸν quoque νόσημα, seu quod crederetur diuinitùs immitti,& à dæmone aliquo,qui hominem tàm repentè ac subitò corriperet, prouenire, quémque ideo incantationibus curare conati sunt, vt ex libro de Sacro morbo videre est, seu quod nobilissimam & sanctissimam corporis partem,cerebrum, occuparet & perturbaret, vt Platoni; *in Timæo*, placet; seu quod magnus morbus sit. Ἱερὸν γὰρ τὸ μέγα, quod magnum est, sacrum appellatur, Aretæus, *de caussis & signis morbor.diuturnor. lib. 1. cap. 4.* seu quod sit morbus detestabilis & abominãdus,sicut apud Poëtã *Auri sacra fames* dicitur.

Πάθος παιδίον & νόσημα παιδίων Hippocrati,*de Aere, aqua,& locis*, quod pueris familiaris sit.Aristoteli, 30. *Problem.*1.fortasse ἡ περὶ παῖδας ἔκστασις. Hinc Auicennæ mater puerorum dicitur.

Herculeus morbus,non tam, vt sentire videtur Aristoteles, *loc. allegat.* quòd Hercules eo laborauerit, quam,vt Galenus,*6.Epidem. in fine*, statuit, ob sæuitiam & magnitudinem,& τὸ δυσκαταμάχητον,id est,quod facilè vinci non possit.

Caducus,à casu & lapsu subito ægri.

Comitialis,quod in comitiis & hominum frequentia facilè detegatur,& quod,si hoc malo correptus quis fuisset,comitia peragi fas non esset.

Sonticus,quod valde noceat.

Lunaticus,Tralliano, *lib.1.cap.15.* vel quòd in nouilunio nati solent hoc morbo corripi; vel quod secundum Lunæ conuersiones hic morbus inuadit.

Qui insputatur,Plauto,*in Captiu. Act.3.sc.4.* Contagiosum enim antiquitas credidit. Hinc Plinius, *lib. 28.cap.4.* despuimus comitiales morbos, hoc est,contagia regerimus. Nã exspuere inter amuleta habitum est priscis, & ne familiam inficerent, rus ablegabant epilepticos. Apuleius, *1.Apolog.*

Maior morbus, Celso *lib.3. cap.27.* Germanis, *die fallende Sucht, schvvere Noth, schvvere Gebrechen, schvvere oder böse Kranckheit,&c.*

### *Definitio.*

Est autem Epilepsia actionum principum, sensúsque & motus voluntarij ablatio & cessatio,cum totius corporis præternaturali concussione & motu conuulsiuo, à materia acri & peculiari ac occultâ vi, cerebro infesta, & membranas cerebri, neruosúmque genus vellicante ortum habens. *Definitio.*

### *Caussæ.*

Proxima & continens caussa est vapor vel humor specifica & occulta vi membranas cerebri & neruosum genus vellicans,vt infra,*q.2.*& 3.pluribus probabitur. *Proxima Epilepsiæ caussa.*

Antecedentes sunt,quæcunque specificam illam corruptionem pati,atque ita materiam acrem, malignam, cerebróque aduersam suppeditare possunt.Aliàs enim, & nisi διάθεσιν Epilepticam induant, Epilepsiam parere non possunt. Humores videlicet quicunque, sanguis,melancholia,bilis,pituita,semen,sanies;imò corporis partes, sicut ex cranii carie Epilepsia excitari solet,secundina,item corrupta,vermes.Quâ verò ratione hæ caussæ hãc corruptionem inducant,explicari facilè non potest;cum διάθεσις illa Epileptica occulta & ἄρρητος sit,& non nisi ex effectu pateat. *Caussæ antecedentes.*

Quandoque etiam hoc malum hæreditarium est, & à parentibus cũ semine & sanguine eorundẽ in liberos *Caussa remota.*

 diffun

diffunditur, atque Epileptici Epilepticos generant. Facit ad Epilepticam dispositionem inducendam etiam astrorum positus, & plerumque qui in eclipsi lunari nascuntur,huic malo obnoxij sunt;de quo consulantur Astrologi. Corripiuntur autem hoc malo frequentiùs pueri;vnde & παιδίον νόσημα Græcis, & *puerilis passio* dicitur Cœlio Aureliano: hinc adolescentes & iuuenes;rarius ætate majores.

*Caussa remota.* Remotiores etiam quasdam caussas ad Epilepsiam generandam facere, experientia docuit; quales sunt, cibi excrementitij, graueolentes, & facilè corruptibiles. Quanquam enim non in omnibus Epilepsiam inducant: tamen frequentius, quàm aliàs ad Epilepsiæ generationem faciunt. Ita ex esu fructuum hotariorum crudorum, & lactis nimiâ ingurgitatione puellam Epilepsiâ correptam fuisse, refert Franciscus Hildesheim,*spicileg.p.*599. Cibi itidem illi, qui peculiari vi Epilepsiam excitare creduntur, vt carnes hædorum, hepar hircinum & caprinum,coturnices, passeres,anguillæ;de quibus exemplum habet Forestus, *lib.*10.*in Schol. obseru.* 57. apium,de quo infra,*quæst.*12.lentes, de quibus exemplum habet Iulius Alexandrinus, *lib.* 8.*salubr.cap.*7.tubera & fungi.

*Caussa procatarctica & euidentes.* Procatarcticæ verò atque euidentes caussæ,quæ materiam,Epilepsiæ caussam,mouere,aut, vt antecedentes διάθεσιν illam Epilepticam suscipiant, facere possunt, sunt, calor Solis,radij Lunæ, quos Anathylius, Medicus,apud Stobæum,*serm.*100. καρηβαρίας καὶ ἐπιληψίας ἀνακινεῖν scribit;inedia,cuius exemplum recitat Galenus,de Grammatico, 5.*de loc. aff. cap. 6.* potus vini generosi & vaporosi, mora longa in balneo; cuius historiam affert Gabelkoffer, *Centaur.*4.*curat.*59. Olfactus rerum fœtidarum,bituminis,picis,gagatis, cujus suffitu antiqui seruos emendos, an essent Epileptici, explorabant,Mercurialis,*de morb.capit.*cornuum, sulphuris,hepatis caprini assati,Mercurij sublimati,aquarum fortium, allij, apij, petroselini;animi affectus,vt ira,Iohan.Baptist.Montanus, *Consil.*41. terror ex tonitru, clangore tubarum: cujus exemplum apud Iohan. Matth.à Gradibus, *in 9.Rhasis*, Forestum, *lib.* 11. *in Schol. obs.* 54. bombardarum fragore, aut occurrente re aliqua improuisa & terribili. Ita excitatam fuisse Epilepsiam ob fratrem subitò mortuum,refert Amatus Lusitanus, *Centaur.*12. *curat.* 90. ob decollationem spectatam. Martinus VVeinrich,*de Monstris, cap.*15. Epilepticum cadentem,Platerus,*lib.*1.*obseru.*Christoph. à Vega,*lib.*3.*de arte Medic.cap.*12. narrat. Imò perjocum incussus metus & terror pueros fecit Epilepticos,referente eodem Christoph. à Vega,*loc.alleg.* mœror; cujus exemplum habet Amatus Lusitanus, *Centur.*2.*curat.* 90. ira, referente Galeno de Grammatico 5.*de loc.affect.c.*6.exercitatio vehementior, Vntzerus, *de Epileps.p.*102. titillatio, capitis inclinatio diuturna,medicamenta purgantia fortia,Venus. Tandémque Dæmon malus se non rarò dispositioni Epilepticæ immiscet.

## *Differentiæ.*

*Differentia.* Sunt quidem plures Epilepsiæ differentiæ, vt quòd alia est fortis alia mitis; alia recens, alia inueterata; quod alia seruat periodum, & vel singulis annis semel vel bis,vel singulis mensibus,in nouilunio & plenilunio, vel breuioribus interuallis, sed iis statis & certis, inuadit; alia verò non seruat periodos, sed nunc sæpius,nunc rarius, nunc per breuia, nunc per longiora interualla infestat. Est etiam epilepsia alia perfecta, alia imperfecta, vt mox de signis dicetur. Differentia tamen,quæ ad curationem maximè facit, est, quæ sumitur à caussa,aut potius à loco in quo Epilepsiæ caussa generatur, quæ est, quod alia est primaria, seu per ἰδιοπάθειαν, & prouenit à materia in capite generata; alia per consensum, à materia ad caput eleuata, siue à toto,siue à certa aliqua parte.

Itaque dicemus primò in genere de Epilepsiâ & signis diagnosticis ac prognosticis,& curatione, quæ in quacunque Epilepsia locum habet; secundò de Epilepsia per primarium cerebri effectum;tertiò de Epilepsia per consensum.

## I.

## *De Cognoscenda & Curanda Epilepsia in genere.*

### *Signa Diagnostica.*

Qui comitiali vitio solent corripi, jam aduentare inualetudinem intelligunt,si calor summa deseruit, & incertum lumen, neruorúmque trepidatio est, si memoria sublæditur,capútque versatur.Seneca, *lib.* 3.*de Ira,c.* 10. Splendores instar iridis oculis obuersantur, odorem fœdum sentiunt,aures sonant,bilis præter rationem accenditur. Aretæus, *lib.*1. *cap.*5. Capitis dolor & grauitas, pallor faciei, inordinatus linguæ motus,tristitia quædam percipitur. *Signa Epilepsia imminentis.*

Vbi autem jam inuadit paroxysmus, homo subitò corruit,toto corpore conuellitur,& motu non voluntario concutitur, omnes animales functiones tolluntur, atque inde post paroxysmum æger nihil eorum, quæ circa se gesta sunt,recordatur. *Signa Epilepsia præsentis.*

Nonnunquam tamen in mitiore Epilepsia æger non toto corpore conuellitur,neque concidit, sed aliquæ saltem partes conuelluntur, & vel caput saltem concutitur,vel oculi contorquentur, vel manus ac pedes hinc inde jactantur, vel manus clausæ tenentur, vel æger in gyrum agitur, aut hinc inde discurrit; nihil interim loquitur,audit,sentit, & paroxysmo finito ad se reuersus omnium,quæ egit,vel acciderunt,ignarus est. Obseruauit non cadentem Marcell. Donatus, *lib.* 2.*hist. Med.mirab. cap.*4. stantem Antonius Benivenius, *de abditis morbor.caussis,cap.* 97. qualem ipse etiam vidi; sedentem Dodonæus, *in Schol.ad cap.Beniuenij allegat.*cursitantem Erastus,*in Anatom.librorum Comitis Montan. part.*2.*p.*195. Nonnunquam etiam euenit,vt Epilepsia laborans ea,quæ aguntur, audiat, & post paroxysmum eorum recordetur: cujus exemplum est apud Brunnerum,*Consil.*14.

Accedit his nonnunquam vt æger, præcipuè in morbi insultu, vociferetur, & vocem inconcinnam edat,aut cum stertore spiritum sonorum emittat, dentibus stridat, spuma ante os appareat, quam sanguineam vidit Crato; vrinæ,feces alui, aut semen præter naturam excernantur.

Differt Epilepsia à vero spasmo, quod spasmus,cujus species sunt,ἐμπροσθότονος,ὀπισθότονος,& tetanus, est conuulsio, seu musculorum ad principia contractio pertinax & continua:in Epilepsia verò corporis fit concussio per interualla. In conuulsione nulla in facultatibus principibus fit læsio: in Epilepsia verò principes functiones & sensus simul plerumque læduntur. *Epilepsiæ à spasmo differentia.*

### *Prognostica.*

*Prognostica* 1. Epilepsia omnis periculosum & longum malum est. Alia tamen aliâ periculosior est;alia minus periculi coniunctum habet,ac faciliùs curatur.

2. Epilepsia hæreditaria vel omnino nunquam, vel rarissimè curatur; eamque neque ætas neque Medicus discutere potest.

3. Recens curatu facilior est, quàm inueterata;& si in initio neglecta fuerit, frequenter is,qui ea detinetur,commoritur. Alexander Trallianus,*lib.*1 *cap.* 15.

4. Periculosior est,in qua functiones animales omnes abolentur, & conuulsio vehementior est, ac diuturnior,atque excrementa sponte effluunt.

5. Curatu facilior est,quæ,licet sit crebrior,breuiores habet

habet paroxyſmos,& conuulſionem non vehementem, in qua æger liberius ſpirat.

6. Epilepſia ante pubertatem eueniens, curabilis: poſt annum verò 25. fere vſque ad mortem durat. 5. *Aphor.* 7. quod tamen vtplurimùm verum eſt. Nonnulli enim,qui poſt annum ætatis 25. Epilepſiâ correpti fuerunt,Medicorum ope liberati ſunt. Teſtatúrque Trincauellius, *lib.*1. *conſil.* 29. ſe vidiſſe ſenem quinquagenarium,qui laborauerat 25.annis Epilepſia, curatum fuiſſe:qui tamen incidit in febrem & ſcabiem ſimilem lepræ,quæ plus illi negotii faciebat,quam Epilepſia, donec eandem ſuperaret. Et Nicol. Florentinus fœminam quadragenariam ab infantia Epilepſia vexatam liberauit.

7. Epilepſiâ laborantes iuniores cum ætatis mutatio,tum loci,& victûs liberat. 2. *Aphor.*45. Sed & Epilepſia,quæ cum ætatis flore euaneſcit,abiens quaſi pulchritudinis inuidiâ quoſdam deformat,aut manum inutilem reddens, aut faciem torquens, aut ſenſum aliquem auferens. Aretæus.

8. Infantes admodum parui, & mox poſt natiuitatem Epilepſia correpti,rarò euadunt.

9. Infantes tempore nouilunii nati plerunque epileptici fiunt,& rarò mortis periculum euadunt.

10. Epilepſia in ſenibus ac decrepitis difficulter curatur.

11. Si mulierem vtero gerentem fortis Epilepſia inuadat,magnum periculum minatur.

12. Si ad vſum ſternutatoriorum æger non ſternutet,malum indicium eſt,atque argumentum, naturam iam ferè ſuccumbere & proſtratam eſſe: niſi in ægro quædam ad ſternutationem ſit ineptitudo ac impotentia naturalis. Obſeruatum autem,quoſdam nullo remedio ad ſternutationem commoueri.

13. Epilepſia nonnunquam in paralyſin terminatûr. Quod etſi nonnulli negant, experientia tamen ita rem ſe habere teſtatur; atque exſtant exempla apud Schenckium,*in obſeruat.*

### *Indicationes.*

In curatione Epilepſiæ duo à Medico requiruntur. Primum eſt,vt à paroxyſmo,quàm fieri poteſt citiſſimè, & ſine omni damno,æger liberetur. Alterum,vt præcaueatur,ne inpoſterum æger Epilepſiâ iterū corripiatur.

Rectiſſime tamen etiam ad paroxyſmum inſtantem ſeu impendētem reſpicitur,operáque danda, vt is auertatur,aut ſaltem minus vehemens euadat,ligaturis conuenientibus partibus adhibitis, ſi per conſenſum malum fiat. Statim verò,vbi paroxyſmi inſtantis ſigna præſentit æger, pilulam vnam laudani opiati, cuius partibus quatuor vna olei camphoræ admiſta fuerit, vel rotulam vnam antepilepticam capiat & aſſumat. In quem vſum hæ Rotulæ antepilepticæ parari poſſunt.

♃. *Pulu.rad.pœon.iuſto tempore collectæ* Drach.i.*magiſt.perlar.corall.rub.* an. Drac. i. ſem. *crany hum.* ℥. ß. *ſacch.opt.in aq.tiliæ diſſoluendi* q.ſ.

F.ſ.a. Confectio in tabulis.

Poteſt etiam eſſentia caſtorei, gutt.iii. vel v. doſi,in aqu.flor.tiliæ propinari. In horū defectu exhiberi poſſunt ol.ſuccini albi gutt.i.vel ii.in aq. Epilept. Langii.

Vel præbeatur ſeq.Hauſtus.

♃. *Aq. Epilept.Langij* Drac.vi.*ſyr.de pœon.*Drac.ii. *ſpir.vitriol.*gutt.vii.Miſce.

Vel Potionis ſequentis cochl.vnum atque alterum:

♃. *Aq.ſl.tiliæ,pœon.*an.Vnc.ii.*cheiri,herbæ Trinit.*an. ℥.i.*eſſentiæ pœoniæ* ℥.ſem.*ſyr.de pœon.* Vnc.ſem.

Nares & præcordia inungantur balſamo aliquo antapoplectico,vel balſamo rutæ aut ſuccini.

Prius perficitur,ſi vapor malignus,& materia illa cerebrum neruoſúmque genus ſuâ acrimoniâ & malignitate moleſtans ac turbans à cerebro omnibus, quibus fieri poteſt, modis reuellatur, diſcutiatur, diſſipetur & tollatur; per medicamenta inprimis antepileptica, ſeu materiæ illi peculiari modo oppoſita, facultas excitetur; &,ne æger in paroxyſmo damni aliquid patiatur, præcaueatur.

*Quid in paroxyſmo Epileptico agendum.*

Poſterius vt præſtetur,primò radix mali venæ ſectione,purgatione, quam præcedat præparatio, & ſudoris prouocatione tollenda.

*Quomodo Epileptici extra paroxyſmum curādi.*

Secundò,ipſa maligna qualitas,& Epileptica ἰδιότης antepilepticis expugnanda.

*Curatio in paroxyſmo.*

Tertiò,cerebrum priuatim per errhina,apophlegmatiſmos,& gargariſmos expurgandum.

Quartò,materia,quæ iterum cumulari poſſet,per ſetaceum, cauterium, & fontanellas abſumenda & euacuanda.

Quintò, caput appropriatis medicamentis roborandum.

Sextò,diæta reliquæ curationi cōueniens inſtituēda.

In genere autem hæc notanda: 1.In præparantibus purgantibus, ſudoriferis, roborantibus ſemper ea eſſe eligenda vel admiſcenda,quæ cerebro & neruoſo generi ſunt familiaria & appropriata, & quæ vi ſpecificâ Epilepſiæ reſiſtunt. 2. Sæpius & per interualla medicamenta eſſe repetenda. 3. Ad nauſeam euitandam,& ventriculi debilitatem præcauendam vtiliſſimum eſſe,medicamenta cibo ac potui admiſcere,ac potum ac cibum medicatum præbere.

### *Cura in Paroxyſmo.*

*Curatio in paroxyſmo.*

1. Æger in loco lucido potius, quàm tenebricoſo contineatur,& capite ſublimi collocetur.

2. Dentes diducantur, patulúmque os ſeruetur, interiecto ligno aliquo,commodiſſimè viſci querni,ſi ad manus ſit,vel cochleari,vel alio inſtrumento.(quæ ſucco vel extracto rutæ inungi poſſunt) vt æger facilius ſpiret,ſpuma effluat,& inprimis ne linguam morſu lædat vel amputet. Obſeruauit enim Galenus, *de differ. morb.cap.*8. & Foreſtus *lib.*10.*obſeruat.*66. quoſdam in paroxyſmo particulam linguæ ſibi morſu amputaſſe.

3. Clamore forti in aures facto facultas excitetur.

4. Membra cōuulſa,cùm pollices & digiti manuum, quæ vehementiſſimè conuelluntur, tum aliæ partes, in rectum extendantur leniter; commodúmque fuerit, ſi oleo vel pinguedine aliqua dolorem leniendi & reſoluendi vim habente prius inungantur, vt pinguedine humanâ,anſerinâ,oleo chamæmelino,lilior.albor.amygdal.dulc. vulpino,rutaceo.è caſtoreo,laurino, lumbricor. terreſt. hyperici,iuniperi,petroleo.

Vt ♃. *Pingued.anſerin.ol.amygdal.dulc.vulpin.lumbric.*an.Vnc.ſem.*petrolei* ℥.i.*ol.terebinth.*℥.ſem. Miſce.

Vel ♃. *Ol.lilior.albor.chamæmel.*an.℥.ſem.*deſt.iuniperi* ℥.i.*pingued.human.*Drach.ii.Miſce.

5. Membra directa ita detineantur,caueatúrque, ne ex violenta illa corporis concuſſione æger aliquid damni percipiat. Omnem tamen motum cohibere non expedit; ne materia in capite retineatur; & paroxyſmus protrahatur.

6. Enumeratis modò oleis & pinguedinibus tota quoque ſpina dorſi à ceruice ad os ſacrum illinatur,vel aquâ aliquâ antepilepticâ.

7. Reuulſio inſtituatur per frictiones & ligaturas, quæ validæ ſint ac dolorificæ, ac ligaturæ ſæpe laxentur,iterúmque conſtringantur. Conuenit in hunc vſum & plantas pedum ſale ac aceto fricare.

8. Si paroxyſmus ſit diuturnior, aluus ſtimuletur glande vel clyſtere acriore, vt non ſolum excrementa in inteſtinis ac locis vicinis euacuentur, ſed & ea, quæ ad caput eleuarentur & euaporarent, reuellantur, & ad aluum deducantur. Exempli gratia:

♃. *Rad.pœon.ireos*, an. Vnc. ſem. *fol.rutæ, betonic. maioran. ſummit.centaur.minor.* an.M.i.*flor.tiliæ,lauendul.*an.M.ii.*ſem fœnic.aniſi,pœon.* an.Drach. i. *agarici in petia ligati* Drach.ii.

Coqu.

Coqu. in *suff. quant. aquæ fontan.* Colaturæ ℞. ℔. j. In qua dissolue *elect. diaphanic. benedict. laxat.* an. ℥. sem. *hieræ simpl.* Drach. ii. *olei rutac.* Vnc. ii. *mell. anthosat.* ℥. i. *salis* Drach. i.

F. Clyster, cujus vis augeri potest, si pilular. aurear. vel trochisc. alhandal. grana aliquot addantur.

Chymici croci metall. vel vitri ℥ii gr. iii. vel iiii. in aqua conueniente ebullire sinunt, & colaturam clysteri admiscent. Vel etiam reliquis purgantibus omissis croci metall. ʒ. sem. in liquore conueniente coquunt, & colaturam cum decocto clysteris miscent.

In paroxysmo epileptico ex vtero & ventriculo nonnulli etiam vomitum commendant, pennâ oleo, cui gr. iiii. fl. ℥nij admista sint, intinctâ excitatum. Nam per vomitum solet tum solui accessio.

9. Naribus ea adhibeantur, quæ non solum vim attenuandi & discutiendi habent, sed & specificâ vi Epilepsiæ resistendi prædita sunt. Inter quæ primas facilè obtinet ruta quocunque modo adhibita. Ea ergo vel viridis cum aceto, vel lacinia succo rutæ cum castoreo misto imbuta naribus admoueatur: vel oleum & balsamum rutæ naribus illinantur. Vtile est & oleum vel balsamum succini, quibus addere licet oleum destillatum majoran. pulegij, nucis moschat. caryophyll. cinamomi. Efficaces etiam sunt aquæ antepilepticæ, si iis nares irrigentur. Rutam sylvestrem tanquam arcanum cuiusdam rustici experientiâ probatum, quo & ipse feliciter sæpe vsus est, commendat Trallianus.

Exempli gratia:

℞. *Succi rutæ* Vnc. ii. *aq. antepilept.* ℥. sem. *castor.* ℈. ii. *pulu. rad. pœon.* ℈. i. M. & naribus immittantur.

Vel ℞. *Ol. destillati rutæ* Scrup. i. *succini* Scrup. sem. *major.* gutt. iiii. *ol. nuc. mosch. expressi* q. s. F. Linimentum vel Balsamum.

Vel ℞. *Ol. nuc. mosch. express. extract. rutæ, castor.* an. Scrup. i. *ol. destill. rutæ, succini*, an. Scrup. sem. *theriac. antiqu.* Drach. sem. F. Linimentum.

Vel ℞. *Extract. rutæ* Scrup. ii. *castor.* Scrup. i. *ol. destill. rutæ, succini*, an. Scru. sem. *granor. juniperi, major.* an. gutt. iii. *camphor.* gr. v. *theriac. antiq.* Drach. sem. F. Linimentum ad nares.

10. Lingua & palatum illinantur theriaca, Mithridat. confect. anacardin. aut diacastor. in succo vel aqua rutæ, lauendulæ, aut alia conueniente, vel aceto rutaceo dissolutis, aut castoreo in aceto macerato; aut sal ori indatur, & dentibus affricetur, & quidem non tantum sal esculentus, sed & ex ruta, aut aliis plantis antepilepticis paratus.

Vel ℞. *Castorei opt.* ℈. ii. *benzoës* Scrup. i. Trita misceantur cum *oxymel. scillitic.* ℥. i. sem. & diductis dentibus cochleari in os infundantur.

11. Auribus, vertici, & suturæ coronali ea, quæ naribus admouentur, inungere licet: vel sacculus capitalis è speciebus diamosch. dulc. aromat. rosat. ruta, flor. lauendulæ, succino paratus vertici imponatur, vel ceratum ex iis compositum. Inprimis suturæ coronali oleum cranij humani commodè inungitur. Iisdem & tempora inungi possunt.

Commendantur & suffumigia ex granis juniperi, semine rutæ, asa fœtida, galbano, & inprimis ex succino albo. Licet enim succini fumus extra paroxysmum lædat: tamen in accessione, seu in paroxysmo Epilepticos non parum juuat; quod multiplici experientiâ confirmatum.

12. Si hisce æger non concitetur, aut hisce admotis sternutatio non cieatur, fortiora sternutatoria adhibenda; præsertim adultis, de quibus jam loquimur. De Infantibus enim postea in specie dicemus.

Exempli gratia:

℞. *Rad. pyrethr. ireos*, an. Scrup. i. *castor. hellebor. albi*, an. gr. ii. *sem. rutæ, nigellæ, fol. majoran. siccæ*, an. Scrup. i. *cubebar. piper. alb.* an. Scrup. sem. F. Puluis.

Vel ℞. *Piper. alb. fol. majoran. siccor.* an. Scrup. ii. *castorei* Scrup. sem. *euphorb.* gr. ii. F. Puluis.

Vel ℞. *Rad. ireos, majoranæ siccæ, sem. nigellæ*, an. Drac. sem. *piper. albi* ℈. i. *pyrethri, caryophyll.* an. ℈. ß. F. Puluis.

Horum pulnerum granum vnum atque alterum in nares ægri immittatur, vel puluerisata, & nodulis inclusa aceto madefiant, & naribus ægri admoueantur.

13. Aëtius, *tetrab. 2. serm. 2. cap. 15.* refert, collapsos statim excitari, si sanguis ex magno ægri pedis digito vulnerato labiis illinatur; de quo experiétia consuléda.

Ferunt, D. Brunnerum, Archiatrum Halensem, turturem fœminam deplumasse, & vmbilico Epilepticæ in paroxysmo imposuisse, atque sic paroxysmum abegisse. Extrahi enim fumum quendam venenatum scribunt, quo extracto ipsa conuellatur, & moriatur. Id quod in fœminis, &, si Epilepsia sit ex consensu vteri, vero consentaneum esse puto.

14. Neque amuleta negligenda, sed ægri collo appendenda; radix pœon. vngula alcis, corall. jaspis, smaragdus, lapis chelidonius.

15. Et cum in Epilepticis paroxysmis sæpe cor non parum afficiatur, non abs re fuerit, cordis regioni epithema aut sacculum cordialem applicare.

16. Monenda præterea & hæc, dum turpitudinem faciei, oris distorsionem & spumam occultare volumus, capite & facie tecta, videndum, vt id ita fiat, ne respiratio impediatur. Et dum ori aliquid indimus, ne dentibus lingua lædatur, & vt spuma emanare possit, & palato medicamentum adhiberi. Si conuulsio mandibularum sit fortior, lignum, vel alias res duras dentibus interponere non semper licet; cum interdum dentes hoc modo elidantur: sed commodius est, sacculum ex corio vel classiore linteo paratum, & rutâ, sinapi, pyrethro, castoreo, & similibus refertum dentibus interponere, quo modo & os apertum seruabitur, & morbo succurretur.

Non solum autem hæc circa ægrum agenda, & extra adhibenda sunt, sed & statim, & dum hæc fiunt, medicamenta quædam, quæ peculiari vi Epilepsiæ aduersantur, eiúsque caussam dissipat ac discutiūt, exhibenda.

*Theriaca* videlicet, vel *Mithridat.* in aqua conuenienti dissoluta.

Vel *castorei* ℈. i. *in oxymel. scillit.* Vnc. i. dissolut. *aq. cerasor. nigror. dulcium, aqu. hirundin. tiliæ, dentariæ*, & Epilepticæ aliæ; *ol. succini* gutt. iii. vel iiii. in aqua conueniente, *mixtur. simpl.* ℈. i. Drach. sem. vel ℈. ii. in aqu. idonea; *liquoris cranij humani* gutt. viii. in aqu. conuenienti.

Cinnabarim natiuam à Cratone commendatam, ac magnetem Epilepsiæ appellatam fuisse, & hunc puluerem ad Epilepsiam, vt & vertiginem, vsurpatum fuisse referunt:

℞. *Cinnabaris natiuæ* Vnc. sem. *corallior. rubr. præparat. margarit. præpar.* an. Scrup. ii. *croci* Scrup. i. *fol. auri* duodecim.

F. Puluis, cuius gr. xii. vel xvi. dentur cum aqua conueniente.

Vel pulueris alicuius antepileptici Drach. sem. vel Drach. i. in liquore conueniente exhibeatur.

Vel ℞. *Aquæ flor. tiliæ* Vnc. i. sem. *cerasor. nigror.* vel *spiritus eorum. hirundin.* vel *picarum*, an. Vnc. i. *tinctur.* seu *extract. liquid. castor.* Drac. sem. Misce.

Vel exhibeatur hæc Aqua:

℞. *Cranium humanum non sepultum*, destilletur per retortam in arena s. a. igne valido, ac destillatio ter repetatur.

Postea ℞. *pœoniam marem cum toto*, comburatur, & cum aqua fiat Lixiuium. Tandem

℞. *Lixiuij huius, aq. cranij humani*, an. ℥. iii. *castorei* ʒ. i. sem. *spec. diamoschi* ʒ. sem. Destillentur per B. M.

Destillato adde *margarit. præpar.* gr. xx. *ol.* ♃i gutt. v. *anisi* gutt. x. Misce.

Exhibeatur in paroxysmo cochlear. j.

Cura

*Cura post Paroxysmum.*

*Curatio extra Paroxysmum.* Postquam paroxysmus cessauit, danda opera, ne reuertatur. Et quamuis Epilepsia morbus non sit ejusdem generis, sed alia per primarium cerebri affectum, alia per consensum:tamen cùm multa sint,quæ in omnibus Epilepsiæ speciebus locum habent, illa primò proponemus.

*Venæ sectio.*

Et primò quidem si plenitudinis notæ appareant, aut sanguis multus melancholicus adsit, viresque permittant, mox ab initio vena aperiatur; primis tamen viis,vt moris est, clystere vel medicamento propinato expurgatis. In malo verò inueterato venæ sectio tutò omittitur. Quantitas autem conueniens emittatur, & potius parcior,quàm copiosior.

*Præparantia.*

*Præparantia.* Postea ad vitiosorum humorum purgationem accedendum,qui prius tamē præparandi sunt. Etsi verò plerique in præparatione & euacuatione humorum ad pituitam, quòd ab ea Epilepsiam fieri credunt, respiciunt: tamen tutissimum erit, considerare, quis humor,vel plures etiam misti abundent, & ad eos curationem dirigere: cum humores tales vitiosi caussas eiusmodi malignas foueant, & earum naturam facilius induant. Ea tamen, vt supra de Indicationibus in genere dictum, medicamenta hic eligantur, vel admisceantur, quæ peculiari proprietate Epilepsiæ aduersantur.

*Humor Pituitosus ergo ita præparetur:*

*Potio.*

℞. *Rad.pæoniæ decrescente Lunâ collect.* ℥.vi.*ireos Illyric.*Vnc.sem. *acori veri,angelicæ*,an.Drach.ii.sem.*sem.pæon.cardui bened*.an.Drach.ii.*rutæ,fœnicul*.an.Drach.j. sem.*fol. rutæ,betonic.hyssopi,saluiæ,majoran*.an.M.j.*flor.pæon.stœchad.Arabic.anthos*,an.P.j.*visci querni* Vnc.ß.

Coqu.in diplomate vase clauso in s. q. aqu. vel hydromelit. Vnc.xv.

Colatura expressa,vbi subsederit,effundatur, atque addantur *syrup.de hyssopo* Vnc. ii. *stœchad.simpl.* ℥.i.ß. *de pæon.oxymel.scillit*. an.Vnc.i. F. Potus, qui in partes quinque diuidatur, & diebus quinque mane propinetur.

Vel ℞. *Rad.pæoniæ* Vnc.i.*fœniculi, eryngij*,an.Vnc. sem.*angelicæ,fraxinellæ*, an.Drach.ii.*visci quern.* Vnc i. *betonicæ, rutæ,majoranæ,hyssopi*, an.M.j.*flor.anthos,stœchad. Arabic.saluiæ*,an.P.j *caryophyll*.Drach j.

Infundantur in s. q. *aquæ pæoniæ* & *flor. tiliæ* vase clauso per triduum,in B. Colat. clara effundatur & s.q. sacchari dulcoretur. Dosis Vnc.iiii.

*Vinum.*

℞. *Visci querni* Vnc.i.*saluiæ,hyssop*. an.M.j. *flor. stœchad. Arab.tiliæ*. an. P.ii.*sem.pæon.fœnicul*.an.Drach.ii. *cinamomi* Drach. vi. *calami aromat. nuc. moschat*.an. Drach. iii.

Infundantur in vase vitreo, in sufficiente quantitate vini boni, & macerentur per dies iiij Postea trajiciantur per manicam Hippocratis,ac colatura saccharo, si libet,dulcoretur. F. Claretum.

*Hydromel.*

℞. *Mellis opt.*℔.vi. *aqu.puræ* ℔.xxxvi.

Coqu.in vase conueniente & despumentur, spumâ detractâ addantur,& in sacculo coquantur, *saluiæ. betonic. hyssopi, rorismarin*.an.M.iii. *flor.stœchad. Arab*.M.ß. *visci querni* Drach.vi.

Coqu.ad tertiæ partis consumptionem.

Postea liquor recondatur in vasculo ligneo,vt deferueat. Post dies aliquot suspendantur in eo in nodulo *cinamomi,calami aromat.nuc.moschat*. an.Vnc.ß. *caryophyll*. Drach. ii.

Asseruetur hebdomadibus aliquot, vt hydromel clarum fiat,de quo Vnc.iii. propinentur.

*Syrupus* vel *Iulepus*.

℞. *Syrup. de hyssop.* ℥.i.ß. *stœchad. simplic. pæoniæ, oxymel.scillit*.an.℥.i.*aq.hyssopi.lilior.conuall. pæon*. an.℥. ii.*cinamomi* Drach.i. Misc. pro duabus dosibus. Loco oxymel.addere licet spiritus vitrioli Scrup.ß.

Ad humorem pituitosum vtile etiam est decoctum hyssopi,de quo infra in Curatione Infantium.

*Humor Melancholicus si abundet,ita præparetur:*

*Potio.*

℞. *Rad.pæon.helen.polypod.querni*, an.℥.iii.*betonic. meliss.rorismar*.an M.j. *flor.pæon. stœchad. Arabic.tiliæ*, an.P.i.*vuar.passar*.Vnc.i.*glycyrrhiz*.℥.ß.Coqu.s.a.

Colat.℞. ℥. ix. *syrup. bi gloss.* Vnc.i.ß. *tunic. beton.* an.Vnc.i. M. F. Potio pro tribus dosibus.

*Iulepus.*

℞. *Aq.pæon. cerasor.nigror. dulc.borrag.* an. Vnc iii. *syrup.pæon stœchad.simpl.tunic*. an.Vnc.i.ß. *aq.cinamomi* Drach.iii.M.pro tribus dosibus.

*Humor Biliosus si abundet.*

℞. *Rad.pæon.taraxac.graminis,asparagi, visci querni*,an.℥.ß.*endiu.capill.* ♀.an.M. ß. *sem.pæon. endiu*.an. Drach.i. Coqu.in s.q. aquæ puræ.

Colat.℞.Vnc.x.*syrup.endiu.simpl.violar.betonic.acetos.simpl*.an.Vnc.i.ß. Misc.pro 4. dosibus.

*Purgantia.*

Præparati humores euacuandi sunt. Et quidem incipiendum à lenioribus,& ad fortiora progrediendum, continuandúsque eorum vsus diutius. Censetque non sine caussa Thom. Erastus, *in disputat.contra Paracelsum*, in Epilepticis plurimis frustra omnia fieri, si purgationes non continuentur: ideóque non solum bis,ter aut quater,sed etiam plures menses continuandas esse. Principiò tamen crebrius purgat, & alternis vel ternis vel quaternis diebus leniora purgantia exhibet. Postea verò, cum actiones animales rectè sese habere incipiunt, ac symptomata remittunt, rarius purgat, singulis scilicet septimanis semel vel ter in mense; idque per totum annum. Post hoc tempus semel in mense, aut etiam per longiora interualla. Monet & hoc Massarias, non semper in lenioribus subsistendum, sed quandoque etiam ad fortiora purgantia progrediendum esse; & hinc fieri putat, quod Epilepsia rarò curatur;quòd scilicet Medici semper in lenioribus hæreant. *Purgatio.*

Inter purgantia commodiora sunt agaricus, pituitâ præcipuè abundante,sicut & helleborus in melancholia;in biliosis rhabarbarum addi potest.

Pituitoso ergo humore abūdante in *decocti ad pituitosi humoris præparationem parati* sufficiente quantitate. Coqu. vel infundantur *agarici trochiscati* Drach. vi. *fol.senæ elect*.Vnc.i.*zingiber.galangæ*,an.Drach.i.

Colat.℞.Vnc.vi.*mell.anthosat*.Vnc.ii.M.pro duabus dosibus.

Vel ℞. *Pilular.coch*. Scrup.ii. *Arabicar*. Scrup.i.*trochisc.alhandal*.gr.iii.*ol.salu*.gutt.i.F.Pilulæ num.xxv.

Verùm

Verùm quia plerumque humores plures simul peccant, purgantia quoque ad plures humores dirigenda, atque iis, cùm continuatione opus, commodè præparantia adduntur.

*Syrupus.*

℞. *Rad. pæon. justo tempore collect.* Vnc. i. *acori veri, visci querni*, an. Vnc. sem. *fol. hyssopi, betonic. saluiæ, rutæ, primul. veris, cardui bened.* an. M. j. *sem. pæon. fœnicul.* an. Drach. ii. *flor. tiliæ, lilior. conuall. primulæ veris*, an. M. ii. *polypod. querni* Vnc. sem. *fol. senæ elect.* Vnc. ii. *sem. cartham. excorticat.* Vnc. i. *agaric. trochisch.* Drach. vj. *hellebor. nigri Styriac. præparat.* Vnc. sem. *zingiber. galang.* an. Drach. ij. *cortic. citri. nuc. moschat.* an. Drach. j.

Infundantur in suffic. quant. aqu. simplic. Postea ebulliant, colentur, & clarificentur, additaque sacchari suff. quant. coqu. lento igne ad syrupi consistentiam, cui sub finem addantur oxymelit. scillit. Vnc. iii. De quo dentur Vnc. ii. vel plures, pro corporis ratione.

Oxymel helleboratum Iuliani ad Epilepsiam vtile descripsit Gesnerus, quod in Augustano Dispensatorio quoque extat.

Habetur etiam syrupus helleboratus ad Epilepsiam vtilis apud Quercetanum, *in tetrad. in fine cap.* 17.

*Vinum.*

℞. *Mechoacan.* Vnc. ß. *fol. senæ elect.* Vnc. i. *turbith. elect.* Drach. vj. *zingiberis, galang. cinamom. nucis mosch.* an. Drach. j. *caryophyll. granor. Paradisi*, an. Drach. sem. *flor. stœchad. Arab. lil. conuall.* an. P. j.

Conquassata macerentur in vini Rhenani ℔. i. sem. in vitro clauso, loco calido.

Colatura filtretur per chartam, &, si libet, dulcoretur. Dosis Vnc. iii.

Vel tale, quod Erastus in vsu habuit:

℞. *Rad. pæon. sem. pæon. excortic.* an. Drach. i. sem. *cinamomi, macis, galang. zingiber. caryophyll.* an. Drach. j. *fol. senæ elect.* Vnc. i. *turbith.* vel *agaric.* Drach. vi. *vini* ℥. xii. *aquæ simpl.* vel *alius conuenientis* Vnc. viij.

Macerentur horis 24. & postea additis sacchari ℥. iii. per manicam Hippocratis trajiciantur.

F. Claretum purgans, quod ad tres vel quatuor haustus suffecerit.

*Electuarium.*

Electuarium laxatiuum Norinbergensibus vsitatum esse fertur, *die purgierende Kriebel-Latvverge*, dictum.

℞. *Elect. diaphœnic.* Vnc. iiii. *de succo rosar.* Vnc. ii. sem. *antidoti conuulsiu.* Vnc. ii. *turpeth. alb. esulæ præparatæ*, an. Drach. i. *castorei, diagryd.* an. Scrup. ii. *costi, zingiber. caryophyll.* an. Scrup. i. *sem. cumini, rutæ, croci*, an. ϑ. sem. Cum *syrup. rosar. sol.* F. Electuarium, cujus dosis ab Vnc. sem. ad Vnc. i.

Antidoti conuulsiuæ descriptio hæc est:

℞. *Visci querni, rad. pæon.* an. Vnc. i. *castorei, saluiæ*, an. Vnc. sem *baccar. lauri, cranij hum. vsti*, an. Drach. i. *theriac. elect. Mithridat. opt.* an. Drach. vi. *mellis despum.* ℔. ii. Misc. pro Electuario.

*Extracta.*

Extractum hellebor. nigri descripsit Quercetanus, *in Tetrad. cap.* 14. Potest & tale fieri:

℞. *Cortic. hellebor. nigri Styriac. autumno collecti* ℔. i.

Macerentur in vase vitreo clauso in B. in s. q. aqu. rutæ & anisi per octiduum. Postea succus exprimatur, & aqua per alembicum separetur, donec succus mellis consistentiam acquirat. Succo huic affundatur spir. vini optimus, & omnis tinctura extrahatur. Spiritus vini separetur, vt remaneat extractum, cui adde *diagryd.* Drach. j. vel *extract. scammon.* Drach. sem. *solutionis perlarum* Scrup. sem. *corall.* Scrup. i. *salis volatilis succini* Scrup. sem. *ol. succini, rutæ*, an. gutt. vii. *croci opt.* Drach. sem. *ol. cinamomi, caryophyll.* an. gutt. v. M. Dosis à Scru. sem. ad Scrup. i.

*Morsuli.*

℞. *Turbith. elect.* & *gumm.* Drach. iii. *diagryd.* Drach. i. sem. vel *extract. scammon.* Scrup. ii. *cinamomi, zingiber. nucis moschat. galangæ*, an. Drach. sem. *corall. rubr. præpar.* Scrup. sem. *conseru. pæon.* Vnc. sem. *ol. saluiæ* gutt. vi. *sacchar. in aqu. lilior. conuall.* & *tiliæ dissol.* q. s. F. Morsuli. Dosis Vnc. sem.

*Pilulæ.*

℞. *Extr. pilul. cochiar.* Drach. sem. vel Scru. ii. *hellebori nigri* gr. v. *ol. rutæ* gutt. i. F. Pilulæ xv.

Alexander Trallianus, *lib.* 1. *cap.* 15. commendat Antidotum, quod Theodoretum dicitur, & describitur à Paulo Æginera, *lib.* 7. *c.* 11. Trallianus autem, vt quoque reliquum corpus purgare possit hoc antidotum, addit colocynthidem & scammon. pro ægri viribus, ac multos se nouisse scribit, quos sola ejusmodi purgatio sanauerit. Idem refert, se quidem etiam hiera picra purgasse, ac lap. Armeno, eius tribus scrupulis datis, & profecisse: verùm in comitialibus inueteratis nullum adeo efficax medicamentum inuenisse, vt hoc medicamentum purgans, multósque se nouisse desperatos ab aliis Medicis vel hoc solo persanatos fuisse.

Inter Chymica & metallica commendatur ♁. & quę ex eo fiunt, vitrum, flores crocus, & hinc facta aqua benedicta Rulandi, spir. vitriol. viridis, qui ex vitriol. cum vrina puerorum destillando elicitur, ☿ vitæ. Quia tamen pleraque ex iis sunt vomitoria, in Epilepsia potius per consensum conueniunt; in Epilepsia v. per primarium cerebri affectum parum prosunt. Eadem etiam cautè, & non, nisi rectè præparata, vsurpanda. Et de medicamentis ejusmodi prolixè tractat Quercetanus, *in tetrade.* Quæ an omnia titulos illos & encomia, quæ præscripsit, sustinere possint, experientia docebit; quæ tamen sæpius periculosa: inprimis cum non satis certum, an quædam ex illis ipse Quercetanus, & quo cum fructu, vsurpauerit.

Quod autem supra monuimus, post purgantia sæpe ad præparantia redeundū, & ea vsurpanda esse, quæ radices mali absumere possunt, hic repetendum. In quē vsum Galenus, *in consilio de puero Epileptico*, medicamentum de scilla commendat, quo per dies XL. vti jubet. Laudatur & oxymel. scilliticum, quod cum aceto paratur. Si tamen neruosum genus sit imbecillum, simplex potius succus scillæ cum melle aut saccharo miscendus, ejúsque vsus similiter XL. diebus continuandus à Drach. ii. ad Vnc. ii. ante prandium, & in robustis etiam ante cœnam, purgante singulis septimanis interposito. Potéstque hoc medicamentum vel solum dari, vel etiam antepilepticis misceri.

Trallianus inter simplicia, quæ, si quid corporis meatibus insideat, extenuare & absumere possunt, valentissimum pyrethri radices contusas & melle exceptas esse scribit, si detur cochleare vnum per interualla, donec vndecies exhibueris. Experientiâ, inquit, probatum est auxilium, ne ipsius vilitatem contemnas.

Verùm de scilla, pyrethro, & similibus medicamentis calidis, atque attenuandi & incidendi vim habentibus notandum, ea ab antiquis vsurpata fuisse eo præcipuè fine, vt pituitam crassam, à qua cerebrum obstruente Epilepsiam fieri credebant, attenuarent & inciderent. Verùm cum Epilepsia potius à materia neruosum genus irritante & vellicante fiat, talia non nisi in frigida & humida corporis constitutione locum habent

habent, aut si in ventre inferiore epilepsiæ caussa pertinacius hæreat; in reliquis cautius vsurpanda. Imò magis efficacia sunt, si medicamenta, quæ peculiari vi Epilepsiam curant, adiungantur; cuius generis medicamenta inter antepileptica postea proponemus.

Post repetita præparatia & alterantia subinde ad purgantia recurrendum, & diutius ea, vt antea dictum, continuanda. Ideoque etiam ea eligenda, quæ corpori minus nocent, & minus maligna sunt. Ac licet in principio, cum, vsurpari incipiunt medicamenta, appetitus deiici soleat: tamen hoc accidens statim cessat, vt scribit Erastus, paulatim assuefacta natura ad medicamentorum vsum, & corpore puriore iam reddito, ac per interualla medicamentis idoneis roborato.

## *Sudorifera.*

*Sudoris prouocatio.* Vt radices huius mali, quæ sæpe altius infixæ sunt quà vt purgantibus tolli possint, plane euellantur, post vniuersales euacuationes sudorifera vtilia sunt. Nimirum decoctum ligni Guaiaci, cuius vsu cum victu siccante & extenuante se multos Epilepticos curasse testatur Leonhard. Iacchinus, *in 9. Rhasis, cap. de Epilepsia*. Continuandus autem eius vsus non solùm per dies aliquot, sed & septimanas, si vires ferant.

Efficacior autem redditur, si medicamenta Antepileptica addantur.

Exempli gratia:

℞. *Ligni Guaiaci* ℔.j. *visci querni* ℥.ij. *radic. pœon.* Vnc.j. Infundantur horis xxiiij. in aqu. ℔.xij.

Postea coquantur ad tertiæ partis consumptionem.

Colat. dentur Vnc.vj. ad sudorem ciendum. Remanentia iterum coquantur, & decoctum illud loco potus in mensa vsurpetur, vel vinum eo diluatur.

Eodem modo decoctum sarsæ parillæ, radic. Chinæ, ligni sassafras, parari potest. Commendatur & decoctum visci querni; radicum item pentaphylli.

Quercetanus, *in Pharmacop. dogmat. rest. cap.* 8. tale parat.

℞. *Rasur. ligni buxi* ℥.ijß. *ligni iuniperi, rad. pœon. visci querni*, an. ℥.jß. *ligni Rhod. C. C.* an. ℥.vj. *eboris, radic. Chinæ*, an. ℥.ß. *sem. cardui benedict. cortic. citri*, an. ℥.j.

Macerentur horis 24. in aq. tepidæ ℔. viij. Deinde coquantur ad tertiæ partis consumptionem. Sub finem addantur *flor. tiliæ, lilij conuall.* an. p.ij.

Colentur per manicam Hippocratis. Dosis Vnc. v. vel vj.

Dantur & lapis Bezoar. eundem in vsum.

Chymici ad sudorem ciendum spir. cardui ben. vel sambuci propinant Vnc.j. spirit. Guaiaci Scrup.ij. cum conueniente liquore, spirit. tartar. comp. Drach. ß. vel Scr.ij. in liquore conueniente, sal volatile C.C. Bezoartic. miner. gr. iiij. v. vel vj. ☿ij. fixi Scr.ß. cum pauxillo theriacæ.

## *Antepileptica medicamenta.*

*Antepileptica medicamenta.* Corpore euacuato ea medicamenta, quæ occultâ & specificâ vi Epilepsiæ resistunt, vsurpanda; siquidem in his maxima curationis spes sita est: eaque singulis diebus, quibus non vsurpantur alia medicamenta, exhibenda. Eadem tamen vtiliter quoque præparantibus, purgantibus, & sudoriferis admiscentur.

## *Simplicia.*

*Pœoniæ* radix, semen, & flos. Colligendam autem radicem censent alij mense Iulio, Sole existente in Leone, in meridie, die Solari, decrescente Lunâ, aut potius nouâ, vt Hercul. Saxonia. Alij mense Aprili, Sole in ♈ te existente, & ☽a in opposito; quod commodius videtur. Alij ☉in ♈ existente, ☽a in ♐ *Viscum quernum corylinum, & tiliæ*, quod nonnulli aliis præferunt, ℈ij. vel Drach. j. pondere datum. *Ruta* cum *hortensis* tum *syluestris*. De Ruta syluestri, eiusque in Epilepsia efficacia videatur Alexandr. Trallianus, *lib. 1. cap.* 15. *Polium montanum, castoreum*, à ℈ j. ad ℈ ij. in liquore conueniente datum. *Vngula alcis, cranium hominis* violenta morte, non morbo, interempti, atque inprimis officulum illud triangulare, quod ad suturam λαμβδοειδῆ in quibusdam corporibus reperitur. Commendantur etiam *radices pyrethri, eryngij*. Multos sanatos fuisse bibendo pulueris bryoniæ Drach. j. cum vino manè, vnius anni spatio, scribit Fontanus, *lib. 1. Pract.* Mizaldus *verbenam* collectam Sole per arietem currente, & mixtam cum aliquot granis pœoniæ tritam, & cum vino exhibitam epileptico miracula facere scribit. *Valerianæ syluestris* Radix, antequam caulem edat, effossa valde commendatur à Fabio Columna, *in histor. Plantarum*, qui refert, pulueris radicis huius cochlearis dimidij quantitate semel vel bis cum vino vel alio conuenienre liquore sumpti vsu pro ægri & ætatis ratione plurimos sanatos fuisse. *Succinum, corallium, smaragdus, lilium conuallium, flores tiliæ, radix dentariæ, vesica apri cum vrina in furno exiccata, C. C. coagulum leporis* erui magnitudine ex aceto potum. *Lignum coryli*, quod Heracleum Rulandi esse censetur, *stercus pauonis*. Hieron. Donzelinus, *in consil. à Scholtzio collectis, consil.* 38. scribit, *cùm primùm pullus equinus in lucē prodit, vomitu quandam materiam reiicit, quam nisi quis præripiat, mater statim deuorat. Hæc siccata & puluerisata à morbo comitiali liberat certo experimento, vt mira res videatur.*

Præter ista selectiora recensentur passim & alia. Πολυνευρον (plerique interpretantur plantaginem illam septinerueam) oportet ieiunum quam plurimum viridē comesse à primâ Luna ad tricesimam, tradit Scribonius Largus, *c. 2.* qui & alia remedia eodem loco habet.

Ab aliis laudatur hepar asini assatū, hepar capri, turdi, vrsi, inprimis verò hepar ranarum, vtpote quo etiā pertinax & diuturna Epilepsia sublata sit. Colligantur mense Maio, Iulio, Iunio ranæ palustres virides num. XL. viuis dissectis hepar eximatur, siccentur hepata extensa super foliis brassicæ in olla vitreata lento calore. Hinc puluerisentur, & puluis in partes quinq; æquales diuidatur, cuius pars prima ieiuno cum vino sub ipso nouilunio ☽ in ♋ existente, exhibeatur, & puluere sumpto duabus horis à cibo æger abstineat: secunda pars cubitum ituro exhibeatur, & ita reliquæ. Sanguis mustelæ, caro mustelæ, cor lupi, testiculi apri, cor leporis, hirundinis, ciconiæ, vulturis, lac equinum, fimus ciconiæ, vermiculi inuenti in tuberositatibus cynosbati; & alia multa, quæ cum alij recensent, tum ex aliis collegit Nicolaus Florentinus, *serm. 4. tr. 2. c.* 15.

Chymici spir. vitrioli cōmendant, & ol. ☽æ, & ex modo enumeratis præparant oleum & sal. volatile ac magisterium succini, de quibus videatur Cl. D. Michaël Doringius, *in Diatribe de Opobalsam. sect.* 3. oleum ligni buxi, Quercetanus *in tetrad. c.* 16. ol. ligni Heraclei seu corylini, de quo Rulandus, *in obseruationibus*, oleum, spiritum, & sal volatile & solution. cranij humani: tincturam & magisterium coralliorum, vngulæ alcis solutionem seu magisterium; item sal, aqua & spiritus cerasorum nigrorum dulcium, florum tiliæ, pœoniæ, lilij conuall. radic. dentariæ.

Etsi verò ista medicamenta ob peculiarem illam vim, quâ Epilepsiæ aduersantur, in omnibus caussis locum habent; quia tamen alia temperata, alia calida, alia frigida sunt, non inutile fuerit, pro diuersa corporis constitutione in his aliquem delectum habere.

## *Composita.*

Ex his simplicibus multa cōposita fiunt medicamēta.

### *Pulueres.*

Habentur ferè in omnibus pharmacopoliis pulueres contra Epilepſiam : inter quos eſt & puluis Marchionis dictus,in diſpenſatorio Auguſtano.

♃. *Viſci querni,granor.pæon.fl.pæon.radic. pæon. omnium juſto tempore collector.* an. Drach. ii. *ſolut. corall.* Scrup.ii.*perlar.* Scrup.i.*cranij humani* Drach. j. ß. *vngulæ alcis* Drach.j.*ſuccini albi* Drach.ß.F.Puluis.

Doſis à ℈.i.ad ʒ.j. Pro ditioribus addi poteſt *lapid.bezoar.ambræ,*an.Scrup.i.*moſchi* Scrup.ſem.

Puluis Epilepticus D.Sigiſmundi Kolreuteri:

♃. *Fol.beton.hyſſop.quinquefol.herb.paralyſ.* an.℥.ß. *rad.bryon.|pæon.eryng.gentian.* an. ℥. ß.*lign.viſc. quern. corylini,coriand.præparati,ſem.pæon.excort.*an.Scru.viii. *C.C. vſti præparati* Drach.vi.*vngulæ alcis* Drach.ii.*vnicornu* Drach.iii.*fl.pœon.lil.conuall.viol.purp. tiliæ* , an.ʒ. iii.(al.Drach.i.ſem.)*fol.auri puri* num.vi.*corall.alb.rubr. margarit.præparat.*an.Drach.ii.*chamædr.* ʒ.ii. *vnguium anterior. pedum mediorum leporis* Drach.i.*coaguli leporis* vel *hœdi* Drach.iii. *oſſ. de C. C.* num.iiii. *raſuræ partis anterior. cranij* Drach iii. *vngulæ aſini* Scrup.iiii.

Ex his omnibus F. Puluis.

Alius :

♃. *Vngul. alcis,cranij humani, rad. pæon. ſem.pæon.* an.Drach.i. *corall.rubr.præpar.* Scrup.ii. *diamoſch.dulc.* Drach.ſem. F. Puluis.

Alius:

♃. *Rad.pæon.iridis Florentin.viſci querni,vngulæ alcis,granor.pæon.*an.Drach.j.*corall.rubr.præpar.ſuccini albi,* an.Scrup.i.*ſmaragd.præpar.ligni aloës* , an.Scrup.ß. *flor.lauendul.ſmaragd.præpar.*an.gr.vi.F.Puluis.

Alius:

♃.*Cranij humani* Drach.ii.*ſuccini præpar.magiſt.perlar.corall.* an. Drach.i. *vngul. alcis , viſci qu. rad. pœon.* an.Scrup.ii. *flor.tiliæ, lauendul.*an.Drach.ß.*lap.bezoar. vnicornu veri,*an.Scrup.ß.F.Puluis.Doſis ad ʒ.ß.

Alius ;

♃. *Sem.pæon.viſci querni,cranij hominis è parte anteriore , ſtercor.pauonis* , an.Drach.j. ß.*ſpec. diaxyloaloës, diamoſch.dulc.*an.Drach.ß. ♃.F. Puluis.

Poſſunt addi *ſacchar.*ʒ.iiii.

Alius :

♃. *Rad.* & *gran.pœon.cubebar.viſci q.cinamomi*, an. Scrup.i. *ſuccini albi præparat.caſtorei*, an. gr. iii. *cranij hum.C.C.vſti præparati,*an.Scrup.i.*lap.ſmaragdi* Scr.ß. *ſpec. diamoſch. d.diaplir.* an. Scrup. i. *fol. auri* num.ii. F. Puluis.

Alius:

♃. *Viſci q.vngulæ alcis, C.C.vſti,corall.rubr.ocul.* ♋. *margarit. præpar.* an.ʒ.ß *rad. pœon.* Vnc.ß. *raſur.cranij hum.*℈.i.*fol.auri* num.vi. *croci Orient.*℈.i.*ſacchar.candi albi* Vnc.ſem. F. Puluis.

Alius:

♃. *Rad.pœon.*Drach.j.*viſci q.vngul.alcis,* an.℈.ß. *fimi ciconiar.*℈.j.ß.*cal.aromat.galangæ,*an.℈.ß.F.Puluis.

Alius:

♃.*Rad.pœon.*& *ſem. ejuſd. tormentill. lapid.*5 *.pretioſor.præparator.*an.℈.ſem. *ſpec.diamoſch.d. pulu.viſci q.* an.ʒ.i.*cranij human.*ʒ.iii.*vngul.alc.*ʒ.ii.ſem.*macis,cardamomi,cubebar.coriandri,*an.Drach.i.*fol.auri* & *argent.* num.vi.F. Puluis ſaccharo edulcorandus.

Alius:

♃. *Corn. vnicornu,* vel, in defectu hujus , *lapid.bezoar.*Drach.j. *vngulæ alcis,margaritar.non perforat. corall.rubr.alb.præparat.C.C.vſti,radic.pœon.ſem.pœon.excort. viſci querni , auri Vngar.puriſſimi* , an.Drach.ſem. *ſtercor.pauon.* Scrup.i.

Pulueriſentur ſingula ſeorſim , & F. Puluis ſubtiliſſimus.

Detur ſenioribus Drach.ſem.cum aq.fl.tiliæ , vel lilij conuall. primulæ ver.fl. pœon.vel aq. hirund. cum aceto deſtill.Iunioribus verò,& præſertim pueris trium vel quatuor annorum,aut circiter,℈.j.vnâ vice detur.

*De Cryſtalli vſu contra Epilepſiam. Puluis contra Epilepſiam.*

¶ [Crato *Epiſt.* 121. mentionem facit pulueris cuiuſdam contra Epilepſiam, quem Cæſar pro maximo ſecreto habuerit,& quo homines etiam prouectæ ætatis,& qui diu huic morbo fuerunt obnoxij , poſt purgationem curati fuerint.Eius deſcriptio hæc eſt.♃.*cryſtalli præp.*ʒ.i.*corallior.rubr.præp.*℈.ii.*Margar.præp.* ℈.i. *ſmaragdi Oriental.præp.*ʒ.ß. Fiat puluis, cuius dimidia pars eſt vna doſis,in aq.taraxaci. Additque Crato,ſe bis feciſſe periculum, ægróſque liberatos fuiſſe ab Epilepſia,ſed poſtea tamen obiiſſe;exiſtimátque cryſtalli vſum non eſſe tutum. Verùm contra probatur ab aliis Medicis,vt Anton.Guaignerio.*tr.*3.*c.*2.*de fluxib.*Ioh.Langio,*lib.*3.*Epiſt.*1.*cap.*4. Anshelm.Boëtio , *de gemm.& lapidib. lib.* 2. *cap.*74. qui ſcribit , Cryſtallum fluxum cholericum citiſſimè,& à proprietate, tanquam bezoar aliquod compeſcere. Et experientia aliquoties docuit, eius vſum non ſolùm tutum,ſed & vtilem eſſe.Nec refert, quòd ægri,qui ex vſu pulueris anteà deſcripti ab epilepſia liberati ſunt,tandem obierint.Alia enim obitûs cauſſa,non cryſtallus,eſſe potuit. ]

*An cryſtalli vſus etiam tutus.*

Puluis è cinnabari natiua Cratonis ſupra propoſitus eſt,de quo videatur. Quercetanus,*in tetrade,c.*33.

Alij ita præparant :

♃. *Cinnab.natiuæ* & *mineral.veræ* Vnc.i.

Leuiter ſupra ignem lentum in tabula torrefiat.Poſtea ſubtiliſſimè teratur ſuper marmore in puluerem impalpabilem.

Deinde adde *margarit.præparat.corall.rubr. præparat.* an.ʒ.i.ß.*cranij hum.præparati,C.C.vſti præparat.*an.ʒ.i. *croci* Drach.ii.*fol. auri* num.xxv.

Exactiſſimè miſc.& iterum terantur ſuper marmore.

Plures pulueres videantur *in Spicileg.*Hildesheimi, *cap.*7.Antidotario ſpeciali VVeckeri,*ſect.*20.

### *Aquæ.*

Aquarum Antepilepticarum paſſim deſcriptiones multæ extât. Aliquot ſaltem exempli loco afferre liber.

Aqua Hirundinum talis parari poteſt:

♃. *Hirundin.*n.xl.*rutæ* M.ii.*caſtor.*℥.i. *vini albi* q.ſ. Deſtillentur in B.M.

Aqua Hirundinum D.Sigiſmundi Kolreuteri.

*Aqua Hirundinum.*

♃. *Pullor.hirundinum viuorum* quot haberi poſſunt, ( e. g. numero 200. ) quibus adde tertiam partem (℥. xiii. ) *caſtorei.* Contundantur ſimul in mortario,& pro qualibet hirundine affunde aceti vini cochl. i. ß. ( vel etiam ij. ) & ſtent ſic ſimul in vaſe vitreo per triduum; poſtea deſtillentur,& roſtro alembici imponatur cinamomum,vt per id tranſeat.

Alia :

♃. *Hirundinum* num. xx. Macerentur in vino per dies xiv. His adde *viſci quern.*℥.iii.*rad.pœon.*℥.ii.*caſtor.* ℥.i.*herb.rutæ rec.*M.ii. *fl.ſambuc.tiliæ, roriſmar.primulæ ver.*an.M.j.*cinamomi acutiſſ.*℥.iii.*cubebar.macis,*an.ʒ.ii.

Inciſ.& contuſ.miſc.& deſtill.cũ ſ.q.vini Rhen.opt.

Alia:

♃. *Hirundin.*num. lxxxiiii. *caſtorei,galbani,*an.℥.v. ʒ.ii.ß.*ſem.coriandr.*℥.ii.℈.iiii.*ſeſeleos* ʒ.x.℈.i.*aceti vini* ℔.x.℥.viii. F. Deſtillatio ſ.a.

Quæ aqua fœminis præcipuè exhibetur.

Alia:

♃. *Hirundin. domeſt.* num. xlv. amputatis pennis alarum & caudarum grandioribus;non euulſis, diſcerpantur in medium,& incidantur,affund.*aceti* ℔.iiii.*vini Rhen.*℔.i.ſem.Stent 3.d.& noct.Poſtea add.*caſtor.*℥. ſem.*viſci qu.*℥.i.*vngulæ alcis* ʒ.iii.*C.C.crudi* ʒ.ii.*rad.*& *ſem.pœon.*an.℥.i.ſem.*ireos* Drach.ii.

Stent iterum hor.24.Poſtea F.Deſtillatio in M.B.bene obturatis vaſis,ne quid exſpiret.

Alia:

♃. *Hirundin.præparat.*℥.iiii.*caſtor.*℥.iii.*rad.pœon.*℥. ii.ß.*ſuccini* ℥.ß.*fl.lil.cõuall.chamæm.Rom.maior.*an.M.j.

Macerentur

Macerentur in aceto forti hor. 24. Deinde superinfund. *vini Rhen. opt.* ℔. vj. & destillentur in B. f. a.

Aqua Picarum composita talis paratur:

℞. *Sem. pœon. radic. eiusdem*, an. ℥. ß. *aristoloch. long.* ʒ. iij. *visci querni* Vnc. ß. *castorei* Drach. ij. *pyrethri* Vnc. ß. *flor. stœchad. Arabic.* ʒ. v. *liliol. conuall.* ʒ. jß. *primulæ veris, pœon.* an. Drach. vj. *lauendul. rorismarini*, an. Drach. v. *fol. saluiæ, maioran. beton. hyssopi*, an. Vnc. ß. *cinamomi, caryoph. nuc mosch. cardamom.* an. Vnc. sem.

Singulis crasso modo contusis adde *aq. lilior. conuall.* ℔. iij. *flor. tiliæ* ℔. j. ß. *primulæ veris*, ℔. i.

Deinde ℞. *Pullorum picar.* num. xx. Bulliant in vase clauso in aqua lilior. conuall. Hinc. mista simul destillentur in B.

Alia: ℞. *Pullor. picar.* num. xv. Bulliant *in aq. herb.* & *fl. pœon.* q. s.

Coqu. ad mediet. Exprimantur fortiter. Expressioni add. *cardamomi, gran. pæon. cubebar.* an. Drach. ii. sem. *coriandr. præparati, visci q.* an. Drac. ii. *galang. cinamomi, caryophyll. nuc. mosch. macis*, an. Drac. i. sem. *castor.* ʒ. i. ß. *fol. lauri, bacc. lauri*, an. Drach. ii. *zedoar. ligni aloës*, an. ʒ. i. ß. *fl. rorismar. lauend. rosar. majoran. saluiæ, meliss. betonic. stæch. Arab. cort. citri*, an. ʒ. vi. *Zingib.* Vnc. ß. *pyreth.* Drach. ii.

Puluerif. omnia grosso modo, & in aqu. prædicta & aq. herbæ paralys. stent per d. 14. in loco cal. vase bene obturato. Postea destill. per B. Tandem in fine add. *Croci* Vnc. sem.

Alia: ℞. *Picar. mundatar.* num. x. *visci q.* Vnc. sem. *rad. pœon.* Vnc. i. sem. *fl. hyperici, betonic. primulæ ver. tiliæ*, an M. sem. *maioran. pœon. fl. cordial.* an. M. i. *lauendulæ, saluiæ, rutæ*, an. p. i. *nuc. mosch. cinamomi, spec. diamosch. d. diaplir.* an. Scr. i.

Picæ prædictæ & species commisc. quibus add. *aq. fl. tiliæ, pæon. card. ben.* an. q. s.

Infund. per hebdom. i. postea destill. per B.

Alia Aqua Antepileptica.

*Alia aqua antepileptica.*

℞. *Flor. lilior. conuall. recent.* ℔. ij *primulæ veris* ℔. j.

Macerentur *in vino Maluatico* aliquot diebus, postea destillentur.

Destillato suo tempore adantur *flor. beton.* M. i. *stæchad. Arabic.* p. ii. *saluiæ, betonicæ, rutæ, hyssopi*, an. M. ß. *sem. pæon. visci quern.* an. Drach. ii. *rad. pœon.* Vnc. sem. *aristoloch. pyrethri* an. ℥. ii. *castorei* Vnc. ß. *galang. maior. zingiber. sem. sesel. cardamomi*, an. Drach. ii. *cubebar. ligni aloës, nuc. moschat. caryophyll. cinamomi*, an. Vnc. sem. *spec. diamosch. dulc.* Drach. i. *diambr. dianthos*, an. Drach. sem.

Si destillatum superius non sufficiat, affundatur adhuc vini Maluatici tantum, vt emineat supra species iiii. digitorum altitudine: macerentur aliquandiu, hinc destillentur in B.

Aqua Antepileptica D. Caspari Dornauij, Archiatri Burgensis, à Cl. Dn. D. Iohan. Georgio Pelshofero, Collega & Amico charissimo, mihi communicata:

℞. *Flor. lilior. conuall.* ℔. j.

Affunde aceti vini acerr. Vnc. iiij. Misc. Postea.

℞. *flor. violar.* ℥. iij. Contud. cum *mellis anthos.* Vnc. ß.

℞. *flor.* & *fol. primul. ver. betonic.* an. Vnc. vj.

Misc. cum supradictis, adde *flor. rosar. rubrar.* ℥. iij. *calendul.* ℥. iiij. *bugloss. lauendul.* an. Vnc. ij. *summit. rorismar. maioran.* an. Vnc. vj. *saluiæ* ℔. ij.

Concisa & contusa misceatur cum *aq. fl. tiliæ* Vnc. ix. *succ. depur. rutæ* ℔. j. Misc. Postea.

℞. *rad. pœon.* Vnc. vij. *rhapont.* ℥. jß. *aceti fl. tunic.* Vnc. vj.

Misce, quibus factis omnes istæ infusiones commisceantur: superfunde *vini Vngar.* ℔. xiij.

Stent in loco calido vase bene clauso, diebus vj. Abstrahe aquam per vesicam.

Huic destillato add. *asæ dulc. styrac. cal. ladani*, an. ʒ. j. ß. *sem. fœniculi, anisi*, an. Vnc. j. *pœon. erucæ, synapi raphani*, an Drach. iij. *visci querni* Vnc. sem. *vngulæ alcis* Drach. ij. *C. C. præparati* Drach. iij. *cranij hum. præparati, succini albi prepar.* an. Vnc. sem. *croci Orient. cinamomi*, an. Drach. ij. *cardamomi, cubebar.* an. Vnc. sem.

Stent per 2. dies, loco calido. F. rursus destillatio in cucurb. ex arena, donec ℔. vj. exstillarint.

Dubitari tamen non immeritò potest, an ex visco querno, vngula alcis, C. C. præpar. cranio humano vires aliquæ huic aquæ accedant.

Huc referri etiam potest

Aqua Pœoniæ composita, aliàs *Flusivvasser* dicta:

℞. *Rad. pœon. in Martio.* ☽ *decrescente, collect. sem. pœon. conquass. diptamn. alb.* an. Vnc. j. *visci querni, cort. citri rec.* an. Vnc sem. *flor. lil. conuall. rec. primul ver. rec. maioran. sicc.* an. M. j. *vini Maluat. opt.* ℔. vj. *spir. vini* ℔. ij.

M. Incis. & contus. infund. in vase vitreo bene tecto in loco tepido, per mensem sæpius agitando; destillentur in cucurb. lento igne: destillat. adde *flor. lauend. rec.* M. ii. *sem. fœnicul.* Drach. vi. *piperis l.* ʒ. j. *cinamomi acerr. macis*, an. Drach. i. sem.

Contundenda contund. Mixta simul stent 14. diebus denuo in infus. in loco cal. diligenter obstructo orificio vasculi & vitri. Vltimò destillentur lento igne.

Alia Aqua Epileptica:

*Aqua Epileptica.*

℞. *Flor. lil. conuall.* ℔. i. *herb. paralys.* Vnc. viii. *pœon. lauend. tiliæ, betonic. verbasc.* an. Vnc. ij. *pullor. iuuenum hirund. purgat.* & *vino diligenter. lotor.* num. xxiv. *sem. siler. mont. cardui bened.* an. Drach. ii. *pœon.* Vnc. ii. ß. *summit. rutæ* P. ii. sem. *rad. pœon.* ℥. ii. sem. *aristol. l.* ℥. iß. *diptamn.* ℥. ß. *visci qu.* ℥. i. & ʒ. vi. *cubebar.* Vnc. j. *piper. n. castor.* an. ʒ. ß. *flor. anthos* ℥. i. sem.

Affund. vini Maluat. q. s. & per vesicam destill.

Alia:

℞. *Flor. lil. conuall.* Vnc iiß. *pœon. lauend. beton.* an. ℥. i. sem. *tiliæ* ℥. i. *anthos, stœchad. Arab.* an. ℥. ß. *rad.* & *sem. pœon.* an. Scr. v. *aristoloch. rot.* ʒ. iii. *visci. qu.* Drach. ii. *cubebar. cinamomi*, an. Scr. iiii. *piperis l.* Drach. sem. *castorei* Scrup. i.

Contund. & incid. Infund. in spir. vini q. s. per aliquot dies, deinde destill. in B.

Alia Aqua Epileptica:

℞. *Flor. lil. conuall. rec.* ℔. i.

Infunde in s. q. vini generosi tamdiu, donec. haberi possint *flor. tiliæ* recentes, tunc sume *eorum* ℔. sem. *flor. pœon.* Vnc. iiii.

Stent in infus. aliquot septimanis, deinde destil. in B. ad siccitatē. In Destillato iterum infund. *rad. pœon.* ℥. i. sem. *diptamni alb. visci qu.* an. Vnc. sem. *rad. pyrethri.* ʒ. ß. *sem. pœoniæ* ℥. sem. *castorei* Scr. ii. *fol. rutæ* M. i. *flor. stœchad. Arabic. lauend.* an. P. iiii. *betonic.* P. vi. *cubebar. macis*, an. Drach. ii. *cinamomi* Vnc. sem. *scillæ præparatæ* Drach. iii.

Digerantur dieb. 15. hinc per alembicum destillentur.

Dosis ab Vnc. sem. ad Vnc. i.

Commendatur & Antidotus Phœdronis.

℞. *Rad. angelic. tormentill.* an. Vnc. sem. *rhapont.* ʒ. iii. *rad.* & *sem. pœon.* an. Drach. vi. *herb. potentill. cum. fl.* ʒ. iii. *rutæ, coriandr. præpar.* an. ʒ. ii. *macis* Drach. i. sem. *galangæ* Drach. iii. *cubebar.* Vnc. sem. *piperis l.* ʒ. iiiß. *castorei* ʒ. ii. *stercor. anserum. sylvestr. pauonum*, an. ℥. ß. *ciner. hirundin.* ℥. iß. *vngulæ asini.* Vnc. sem.

Puluerisatis superfund. aq. picarum & hirund. an. ℔. ii. vel q. s. Macerentur per mensem integrum in B. postea destillentur. Tum

℞. *ligni aloës* Drach. ii. *succini alb.* ʒ. iß *spinæ serpent. purg. cranij hum. vtriusque sex.* an. Scr. v. *corallij vtriusque margarit. præparat.* an. Scr. iiii. *lap. Chalcedon. cand.* ʒ. i. *smaragd.* Drach. ß. *stibij ad modum croci reuerberati* ʒ. i. *ambr. grys.* Scrup. i.

In pollinem redacta circulentur in B.in pelicano per menſem integrum, ac tandem recondantur vitro bene obturato,ac ſeruentur vſui.

Si vſus poſtulat,omnia bene ſimul agitentur,& adulto inde præbeatur cochl j.in aq.lauendulæ;puero cochlear. ß.

Vel ℞. *Flor.lil. conuall.* Menſ. j. Affunde *vini opt.* Menſ. iij.

Macerentur vaſe clauſo diebus aliquot,poſtea deſtillentur.Hinc

℞. *flor.lauendul.*quart. j.*cubebar. cinamomi,galangæ, nuc. moſchat. macis*,an.Vnc.ß.*viſci querni*, *radic. pœon.* an.Drach.vj.

Affundatur deſtillatum ſuperius, digerantur diebus 14.poſtea deſtillentur.

Aqua etiam nobilis Antepileptica habetur in Inſtitut.*lib.*5.*part.*3.*ſect.*3. *cap.*5. Et videantur plures apud Langium,*lib.*3.*Epiſtolar.cap.*1.Conrad. Geſnerum, *in Euonymo*,Arnold.de villa noua, *Breuiarij lib.*1. *cap.*2. Andernacum, *de vet. & noua medicina*, VVeckerum, *Antidot.ſpec. lib.*2.*ſ.*1. Quercetaneum, *in Pharmacop. Dogmatic.reſtituta,cap.*7.Dornkreilium,*in Diſpenſatorio*,Vntzerum,*pag.*222.Brunnerum,*conſil.*17.18.Franciſc.Hildesheimium,*in ſpicileg.pag.*605.

## *Syrupi.*

℞. *Mellis ſcillitic.*Vnc.j.ß.*aceti ſcillit.*Drach.vj.*ſucci pœon.*Vnc.vj.*ſacchar.*Vnc.iij.

Coq. ad Syrupi conſiſtentiam.

Vel ℞.*Rad.pœon.* Vnc.jß.*eryngij,filipendul. dictamni albi*, an. Vnc.j. *viſci querni* Drach. vj. *fol. rutæ, ſaluiæ, millefoll. hyſſopi, maioran. cardui benedicti*, an. M. j. *flor. ſtœchad. Arab. tiliæ lauendul.* an. P. j. (al. P. ij.) *ſem. pœon.* Drach. ij. *rutæ, trifolij*, an. Drach. j.

Coqu.in aq.puræ q.ſ.Colat.adde *ſucci radic.pœon.*℥. ij.*mellis ſcillitic.*Vnc.iij.*ſacchar.*Vnc.v.

F. Syrupus,qui aromatiſetur *ſpec.diamoſch.dulc.*℥.ij. De quo frequenter ſumatur,Vnc.ß.vel Vnc.j.

*Syrupi è Nicotiana contra Epileſiã efficacia. Relatio Zacuti Luſitani.*

¶ [Teſtatur & refert Zacutus Luſitanus, *de prax. Med.adm.lib.*1.*obſ.*20.ſe plures etiam natu iam grandes vidiſſe Epilepſia laborantes,quibus plurima auxilia, tam occulta, quàm manifeſtâ qualitate agentia, adhibita nihil profuerint, vno ſyrupo è ſucco foliorum viridium Nicotianæ,& melle parato ſanatos fuiſſe, aſſumpto ℥.iij.quantitate,tribus horis poſt cœnam,quadraginta diebus. Si viridis Nicotiana deeſt,ſicca bonæ notæ vſurpari poteſt.

## *Electuaria.*

Nicol. Florentinus, *cap. propr.* refert, ſe quandam fœminam,annorũ 40.quæ ab infantia paſſa fuerit Epilepſiã,curaſſe ſolo huius Electuarij vſu: ℞.*Herbæ*,quæ vocatur *S.Pauli*,quæ à quibuſdam vocatur herba Paralytica,quantitatem,quam libet;ea incidatur minutim, ac miſceatur cum melle, atque addatur puluis caryophyll.pyrethri,radic.pœoniæ.

Crato hoc commendat.

℞. *Succi millefol.rutæ, meliſſæ, maioran. hyſſop.ad ſpiſſitudinem cum ſaccharo cocti*, an. Vnc. ß. *rad. eryng. minutim inciſ. viſci querni*,an.Vnc.j. *radic.pyrethri tormentill.*an. Vnc. ß. *C C. præpar.* Drach. v. *Mithridat. theriac.* an. Drach. j. *conſeru. fl. roriſmarini* Vnc. j.ſem.

M.lento igne.Dofis mane Drach.j. & ante ſomnum poſt cœnam moderatam Drach.ß.

Vel ℞.*Rad.pœoniæ,ſem.eiuſdem*,an. Drach. j.*ſmaragdi præpar.* Vnc.ß. *corall.rubr. præpar.* Drach.j.*pulu.pullor.hirundin.vſtor.* Drach. ß. *vngulæ alcis* Drach. j. *ſucci rutæ* Vnc.ß.

Cum *ſyrup. hyſſopi*,

F.Electuarium.Doſis ad quantitatẽ nucis moſchatæ.

Vel ℞.*Spec.diamoſch.dulc.*Drach.ij.*viſci querni* ℥.ij. *rad.pœon.*& *ſem.eiuſdem* an.Drach.ij. *maioran*, Vnc. ß. *ſmaragdi præpar.* Drach.jß.*fol.auri* num.v. Cum *ſyrup. pœoniæ* F.Electuarium.

Montagnana, *Conſil.* 44 ſcribit,ſe millies expertum ſequens Remedium:

℞. *Pyrethri*, *ſtœchad. coſti*, an. Drach. x. *agaric.* Drach. v. *ſem. carui*, *anethi*, *aſæ fœtidæ*, *ariſtoloch. rotundæ*, an. Drach. jß. *ſucci ſcillæ, mellis electi*,an. ℔. j. Vnc. ij.

Coquat.ſcilla & mel lento igne,ad iuſtã conſiſtentiã. Deinde ſpeciebus additis F.Electuarium. Doſis manè, horis iiij.ante prandium,Drach.iij.ſingulis diebus.

Aliud:

℞. *Conſeru.fl.pœon. herb. paralyſis*, *tiliæ*,an. Vnc.j. *rutæ* Drach. vj. *anthos*, *lauend.* an. Vnc. ß. *ſpec. diambr. diamoſch. dulc.*an.℈.ij.*extracti rad.pœon.ireos, magiſterij corallior.ſuccin. præpar.*an.℈.j.Cum *ſyrup. de ſtœchad. ſimp.*& *pœon.* F.Electuarium.

## *Rotulæ & Morſuli.*

℞. *Cinamomi opt.* Drach. j. *rad. pœon. ſem. eiuſdem* an. Scr.ij.*cubebar.caryophyll.macis*,an.Scr.j.*ſpec.aromatici roſati, caryophyll. diambr. diamoſch.dulc.*an.℈.ß. *ſacchari in aqu.pœon.*& *tiliæ diſſolut.*Vnc.iiij.

F.Rotulæ,quæ conſpergantur *oleo aniſi* & *macis*,an. gutt. iiij.

℞. *Extract.aromat.roſat.pœon.*an.Scr.j. *conſeru. primulæ veris,fl.tiliæ*, an.Drach.ij. *ſacch.in aq. pœon. diſſol.* Vnc.ij.F.Morſuli.

Circa iſtorum autem medicamentorum vſum inprimis notandum, vt & in aliis difficilibus morbis, ne ab vſu horum remediorũ ſtatim deſiſtamus. Licet enim in principio parum ſæpe videantur prodeſſe:eorum tamen vſus continuatus inſignem affert vtilitatem, ſecundum illud Hippocratis, 2. *Aphor.* 52. *Secundum rectam rationem omnia facienti ſi ſecundum rectam rationem minus res ſuccedat, protinus non eſt ad aliud tranſeundum; dum modo conſtet id, quod ab initio propoſitum fuerat.*

## *Externa Medicamenta.*

Neque ſolùm intra corpus talia medicamenta vſurpanda,ſed & extra applicanda.

℞. *Ol. nuc. moſch.expreſſ.* Drach. i. *ambræ gryſeæ, moſch.* an. gr.vj.*zibeth.*gr.x.*ol.ſuccini,maior.*an.q.ſ.

F. Balſamum,cuius granum vnum vel alterum naribus inungatur.

Vel ℞. *Balſ. rutæ* Drach.j.*ſucini alb.* Scr.ij. *roriſmar.* Scr.j.*ol.deſtill.cubeb.* gutt.v.*cal. arom.* gutt. iij. M. pro Balſamo.

Vel ℞. *Ladani puri* ℥.j.*ſtyrac.calam.*℥. ß.*lign.aloes opt.galliæ moſch.caryophyll.*an. Drach.j.*myrrh.thuris*,an. ℥.ß.*moſchi* gr.vj.*ol.nuc.moſchat.expreſſ.*Drach.ß.*aq.maioran.*q.ſ.

F. Pomum,obducatur ſindone rubra.

Poſſunt & præcordia, nucha, & tempora (ſicut & ſpina dorſi) ſæpius ieiuno ventriculo Vnguento ſequenti inungi.

℞.*Ol.de caſtor. de piperib.coſtini,de euphorb.*an.℥.ß. *caryophyll.nucis moſchat.* an. Scr.ij.*flor. lauend.* Scr.ijß. *maſtich.*Drach.ß.*vini rubri fortiſſ.*Vnc. ijß.

Bulliant ad conſumpt.vini.In fine adde *Mithridat. opt.*Drach.jß.F.fortis expreſſio;add.*axung.vrſi, vulpis*, an.Drah.vj.Miſce.

Applicentur quoque vertici capitis ex cephalicis & antepilepticis medicamentis ſacculi & cucuphæ ac emplaſtra;de quibus poſtea inter caput confortantia medicamenta dicetur.

*Amuleta*

### *Amuleta.*

*Amuleta in Epilepsia.*

Nec abs re fuerit Amuleta quædam collo & brachiis appendere, quæ occultâ vi hunc morbum depellãt: qualia sunt, radix pœon. semen eiusdem; de quo videantur, Galenus, 6. *de simpl. medicamentor. facult.* Fernelius, 2. *de abditis rerum causs. cap.* 17. Lemnius, *de occultis naturæ miracul.* Hercul. Saxonia, *cap. de Epilesia*, viscum quernum, sambucus supra salicem crescens, è quibus orbiculi & cruces fiunt, vngula alcis, corallium, smaragdus, iaspis, lapis chelidonius.

### *Particulares cerebri euacuationes.*

*Particularis capitis euacuatio.*

Interim dum ista fiunt, non omitti debent particulares capitis euacuationes per errhina, apophlegmatismos, gargarismos, quæ collectam ex debilitate in cerebro materiam tollunt, quibus semper ea, quæ specificâ vi contra Epilepsiam pugnant, addenda.

### *Errhina.*

℞. *Succi rutæ*, *betæ*, an. Vnc. ß. *aq. sambuci*, *maioran. sem. pœon. nigell.* an. Scr. j. M. & in nares trahantur. Aliud:

℞. *Succi pœoniæ*, *cyclamin.* an. Vnc. ß. *maioran. rutæ*, an. Drach. ij. *mellis* Drach. jß. *spir. vini* Vnc. ß. Misce.

### *Sternutatorium.*

℞. *Nuc. moschat. rad. pœon.* an. Drach. j. *piper. albi, pyrethri*, an. Scrup. j. *ellebor. albi* Scrup. ß. F. Puluis.

### *Apophlegmatismi.*

℞. *Nuc. moschat. rad. pyrethri*, *pœon. acori veri*, an. Drach. j. *sem. eruc.* Drach. ij. Cum *suff. quant. mastiches.*

F. Pastilli Scrup. ij. pondere in ore tenendi & masticandi. Eadem materia in puluerem redacta, ac in nodulo inclusa masticari potest; vel pulueri addantur. *mastich. & passular.* an. Drach. vj.

Commendantur & sequentes Trochisci masticandi, quorum vnum atque alterum teneat per semihoram manè ieiuno ventriculo in ore æger:

℞. *Galangæ* Drach. ij. *nuc. moschat.* Drach. ß. *rad. pœon. cubebar.* an. Scr. j. *rad. pyrethri* Drach. ß. *sacchari* Drach. j. *ol. nuc. mosch. destill.* gutt. ij. Cum *syrup. de stœchad.* & *album. oui* F. Trochisci.

### *Gargarismi.*

Alexander Trallianus pastillos ex hyssopo, pulegio, & pipere commendat. Item gargarismum ex hyssopo, pulegio, origano, & ficubus siccis septem.

Vel ℞. *Rad. pyrethri* Vnc. jß. *rorismar. saluiæ, hyssopi, rutæ*, an. P. ij. Coqu. in aqu. f.

Colat. ℞. ℔. ij. *aceti rosacei*, *mellis anthosati.* an. Vnc. ij.

Misce. Et misturâ istâ fauces colluantur.

Vel ℞. *Rutæ, betonic. saluiæ, hyssopi*, an. M. ß. *rad. pœon. ireos*, an. ℥. ß. *acori, pyrethri, granor. pœon.* an. ʒ. ij. *nuc. moschat.* ʒ. j. ß. Coqu. in s. q. aq. simpl.

Colat. ℞. ℔. j. *oxymel. scillit.* ℥. ij. *mell. anthos.* Vnc. j. F. Gargarismus.

Plura talia videantur apud Vntzerum, *de Epilepsia, pag.* 194.

### *Cauteria,*

### *Setaceum, Fonticuli.*

Ad eundem vsum, & vbi materiæ sedes est in capite. vsurpari possunt cauteria actualia, quæ insignem exiccandi, & humorem parti firmius impactum attenuandi & discutiendi vim habent. Ideoque vt humiditas cerebri nimia exiccetur, & materia, Epilepsiæ caussa, attrahatur ac dissipetur, suturæ coronali applicetur cauterium actuale. In applicatione autem huius cautè agendum, & cauẽdum, ne altius, quam par est, adagatur ne vicinæ cerebri membranæ lædantur, & graue aliquod malum attrahatur; de quo supra *part.* 1. *cap.* 5. dictum.

Fontanellæ verò cauterio, seu actuali, seu potentiali excitatæ, materiam, quæ iterum cumulari posset, euacuant, & à cerebro auertunt, quæ tamdiu apertæ seruandæ, donec animaduertatur, nihil ampliùs talis humoris vitiosi in corpore colligi.

Idem ferè præstat Setaceum.

### *Cerebrum roborantia.*

*Cerebri roboratio.*

Tandem vt cerebrum à morbifica caussa debilitatum pristinum robur acquirat, & ne ob eius debilitatem vitiosi humores in eo cumulentur, roborantibus opus est, internis & externis, quæ parantur ex medicamentis cephalicis & antepilepticis. Itaque exhiberi possunt medicamenta ex cephalicis & antepilepticis, quæ passim nota, & cuius generis antea titulo, Antepileptica, proposita fuerunt. Vide etiam Vntzerum, *de Epilepsia, pag.* 204. *& seqq.*

Vnum atque alterum adhuc apponere libet:

℞. *Rad. vincetox. enulæ, succisæ, pœon. caryophyll.* an. Drach. vj. *baccar. lauri*, Drach. ij. *saluiæ, serpilli*, *flor. anthos*, an. Drach. j. *spec. diamosch. dulc. diaplir. dianthos*, an. Drach. ß. F. Puluis.

Alius D. Næuij:

℞. *Sem. pœon. off. de C. C. rasur. eboris*, an. Drach. ß. *rad. pœon. visci querni, nucis moschat.* an Drach. j. *cranij human. vngulæ alcis*, *margarit.* an. Drach. ij. Fiat Puluis.

Vel ℞. *Aq. epilepticæ Langij* ℥. j. *picar. hirundin.* an. ℥. ij. *spirit. cerasor. nigr. syluˌ* ℥. j. *essent. flor. pœon.* ʒ. iij. *tinctura corall. rubr.* ʒ. ß. *extr. dictamni* gr. iij. *rutæ* gr. iiij. *ol. destil. saluiæ* gutt. iij. *manus Christi perlat. cum ol. succini* Drach. v. M.

Vel parentur seqq. Rotulæ:

℞. *Spec. diamosch. d. diaplir. diapœon.* an. Scr. j. *sem. pœon. citri, rad. pyrethri*, an. ʒ. ß. *visci querni*, *carduibenedicti*, an. Scr. j. *succin. alb. caryophll. nuc. mosch. limatur. C. C. crudi, cranij hum. crudi*, an. Scrup. ß. Cum *sacch. in aqu. lil. conuall. dissol.* q. s.

F. Rotulæ.

Valde efficax est & seq. Electuarium:

℞. *Castor.* Drach. iij. *rad. & sem. pœon. sem. nigellæ, rutæ sylu. rad. pyrethri, hyssop.* an. Drach. j. *succi rec. rutæ, maioran.* an. Vnc. ß. *cranij hum. vngulæ alcis*, an. Drach. ij. *Mithridat. el. rad. cond. eryng.* an. ℥. jß. *pulu. ligni sassafr.* ʒ. vj. *conseru. betonic. rorismar.* an. ℥. ijß. Cum *mellis scillit.* q. s.

F. Electuarium Soli per mensem exponendum. Dos. Drach. ij. vel iij.

Vel ℞. *Ol. nuc. mosch. express.* ʒ. j. *zibeth.* ℈. j. *mosch. ambræ*, an. gr. v. *ol. succini, lauendul. maioran. rutæ*. an. gut. vi. M. F. Balsamum.

Emplastrum:

℞. *Ol. de castoreo, rutacei, irini*, an. ℥. i. *destillati succini* ʒ. ß. *rad. pœon. sem. pœon. visci querni*, an Drach. i. *sem. nigellæ, rutæ, castorei, flor. lauendul. tiliæ*, *lilior. conuall. stœchad. Arab.* an. Scrup. i. Cum *resinæ* & *ceræ* an. q. s.

F. Emplastrum suturæ coronali applicandum.

Sacculus:

℞. *Fl. lauendulæ, betonic. stœchad. Arab. anthos*, an. ʒ. ii. *summitat. serpill. maioran.* an. Drach. i. *rad pœon.* Drach. ii. *sem. pœon. nigell.* an. Drach. i. *ligni aloës, sassafras*, an. ʒ. ii. *cinamomi*, *nucis moschat. macis, caryophyll.*

*caryophyllor.*an.Drac.ß.*granor.iuniperi, gummi iuniperi, tacamahac. mastich. thuris,succini,*an.Drach.j.

Crasso modo contusa includantur sacculo ex serico rubro.

Præclarum etiam auxilium præstant thermæ, si lotiones & embrochæ ex iis instituantur.

### *Diæta.*

*Diæta. Aër.* Diæta medicamentis respondeat. Aër sit purus & & temperatus, aut potius à temperato ad calidum & siccum declinans:crassus verò & nebulosus, fœtidus, frigidus ac humidus,ventique australes & aquilonares & fumi ac fuligines à carbonibus accensis,& rebus fœtidis vitentur.Radij Lunæ,qui hunc morbum excitandi peculiarem vim habent, fugiantur; atque inprimis aperto capite sub radiis Lunaribus cubare vel dormire summè noxium.

A cibis abstineat æger, qui crassos succos gignunt, flatuosi sunt,caput peculiari vi feriunt,etsi cæterà sint εὔχυμοι καὶ εὔπεπτοι.Inter carnes abstineat æger à caprina, & hircina inprimis, vt & coturnicibus, quæ peculiari quadam vi Epilepticis nocere creduntur: item à porcina,anseribus,anatibus, passeribus. Inter pisces ab anguillis,carpionibus,& omnibus piscibus, qui in cœnosis ac fœtidis stagnis ac paludibus degunt. Vitentur & legumina, præter ciceres, lacticinia itidem, nuces iuglandes,fructus horarij, brassica, lactuca,portulaca cæpe, allium,synapi,raphanus,apium, quod occultà proprietate Epilepticis nocere dicitur; de quo infrà,*quæst.*12.dicetur.Vtatur contra cibis boni succi & facilis coctionis. Atque Epilepsiam tollere dicuntur, caro turturis ac columbarum syluestrium,hirundinum item, ac vulturis. Condiantur cibi hyssopo,saluiâ,maioranâ,fœniculo,roremarino,rutâ,nuce moschatâ, macere,cinamomo,caryophyllis.

In potu vitandum vinum,aut,si vel ventriculi,vel virium ratione concedendum,sit paucum ac tenue.medicatum roremarino, saluiâ, hyssopo. Cereuisia in nostris regionibus satis commodus potus est,quæ sit clara ac bene defecata,nec multo lupulo cõdita,ne caput grauet.Vtile est & hydromel cùm pœonia,saluia, roremarino,& visco querno coctum,ac nuce moschata aromatisatum. Item hic Potus:

℞.*Passular.cinamomi, rad.pœon,sem.pœon.*an.q.s.

Radices incidantur,semina parùm contundantur,& omnia in vasculum cum segmentis coryli S.S.S. faciendo imponantur; atque affundatur aqua cum saccharo cocta, vel hydromel. Vel bibatur decoctum ligni Guajaci, ita vt libræ vni ligni aquæ. f.lb. xxiiij. affundantur, & ad tertiæ partis consumptionem coquantur.

*Somnus & quies.* Somnus sit moderatus,capite nonnihil eleuato, nocturnus non diurnus, nec mox à cibo. Exercitationes sint moderatæ, ac iusto tempore, scilicet ante prandium & cœnam,instituantur, vel earum loco extrema *Animi affectus.* fricentur. Animi affectus vitentur, inprimis terror & ira. Venus in hoc morbo vt pestis fugienda. *Excreta & retenta.* Aluus semper sit aperta; quod si naturâ non fiat, clystere vel leniente aliquo medicamento primæ viæ euacuentur. Cauendum quoque, ne æger ingruente paroxysmo versetur iuxta puteos,aquas,ignem, & omnia loca, in quibus damni aliquid pati potest. Ac si æger paroxysmum ingruere animaduertat, astantibus id statim aperiat.

### *Signa perfectæ curationis.*

Cum ab vsu medicamentorum non prius sit desistendum,antequam morbus sit planè expugnatus,nonnulli signa tradunt,quibus cognoscatur, an quis perfectè sit curatus.Si nimirum ægri naribus suffitus admoueatur ex hyssopo hortensi,myrrha,bitumine,cornu capræ vel hirci, & quis ex tali suffitu non concidat, indicio esse,ægrum perfectè sanatum;sin secus,nondum perfectè exiſtimant. Adhibetur & in eundem vsum suffitus succini. Si quis item comedat hepar hirci,& non concidat, is sanatus putatur. *Atque hæc de Epilepsia in genere.*

## DE EPILEPSIA IN SPECIE.

Suprà iam dictum est, esse quasdam Epilepsiæ differentias, quæ curationem variant; atque eæ præcipuè sumuntur à loco,in quo materia, Epilepsiæ caussa, generatur.Nam cum materia nunc in cerebro,nunc extra cerebrum generetur; dicitur Epilepsia alia per idiopathiam,alia per sympathiam,seu consensum.

### *De Epilepsia per primarium cerebri affectum.*

Per ἰδιοπάθειαν, seu per essentiam, & primarium cerebri affectum, Epilepsia propriè est, cum in ipso cerebro est διάθεσις Epileptica,& materia,mali huius caussa, in eo generatur.

Atque hæc praua qualitas ac διάθεσις nonnunquam cum semine & sanguine à parentibus propagatur:vnde morbus hic fit hæreditarius. Nonnunquam grauidarũ perterrefactio, & ex hac fortis imaginatio hoc malum producit. Exemplum habetur apud Guilelmum Fabricium,*Cent.*3.*obseru.*3.

Abscessum quoque in cerebro huius mali caussam fuisse, annotauit Fernelius *l.* 5. *Patholog. cap.* 3. Ad quam Epilepsiæ differentiam & ea referri potest, cum in parte aliqua in capite cerebro vicina fons mali est.Ita corruptam meningem Epilepsiæ caussam fuisse,obseruauit Fernelius,*loc.alleg.*&.2.*de abdit.rer.causs. c.* 15. Ex cranio quoque carioso Epilepsiam ortam docet Vidus Vidius,*lib.*2.*de morb.particul.c.propr.*Forestus *libr.* 10. *obseru.*67.*in Schol.*Faciunt huc capitis læsio ex ictu & percussione.Ioh.Langius,*lib.*1.*Epist.*10. vulnera item,Valescus de Taranta,*cap.propr.*

### *Signa Diagnostica.*

*Signa Epilepsiæ per primarium cerebri affect.* Præter signa supra in genere enumerata hæc in hac Epilepsiæ specie sunt peculiaria:Homo subitò quasi attonitus,sine vlla paroxismi instantis præsensione,concidit,nihil vitij in partibus inferioribus, neque vllus dolor in parte vlla infra caput instante paroxysmo percipitur, neque vllus vapor ex vllâ parte inferiore ad superiora ferri animaduertitur. Signa cerebri & capitis affecti adsunt, capitis grauitas & dolor, faciei pallor, oculorum caligo,somnia turbulenta,& insignis facultatis animalis debilitas, sensuum ac motus stupor & tarditas, auditus scilicet difficultas, sonitus ac tinnitus aurium,vocis tarditas,vertigo tenebricosa, manuũ torpor.Paroxysmus ac motus cõuulsiuus est vehementior,ac longius durat,spuma copiosior circa os apparet. Frequenter inuadit circa Nouilunia & Plenilunia.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* Epilepsia,quæ per primarium cerebri affectum est, deterior ac periculosior est eâ, quæ fit per συμπάθειαν aliarum partium:nisi tamen pars,cuius consensu inducitur,habitum quasi prauum contraxerit.

### *Curatio.*

De curatione Epilepsiæ,quæ fit per primariũ cerebri affectum non opus est vt multa dicamus; cùm omnia illa,quæ antea de curatione Epilepsiæ in genere dicta sunt,huic speciei,vtpote primariæ,competant.

Notandum saltem hoc,in hac Epilepsiæ specie, vbi opus est venæ sectione, cephalicam in cubito esse

eligendam:

eligendam:&c, nisi malum remittat, ac præsertim si caput simul sanguine calido repletum sit, venam in fronte etiam esse aperiendam.

De Setaceo verò hoc monendum est, id magnum hic vsum habere; refértque Guiliel. Fabricius, *Cent.* 1. *obseru.* 41. se iuuenem quotidie Epilesiâ laborantem, & cui frustra alia remedia adhibita fuerant, &c, *cent.* 4. *obseru.* 81. puellam 18. annorum ab ipsa infantia Epilepticam solo setaceo restituisse.

De Cauterio verò actuali suturæ coronali applicando hoc obseruandum, id in hac præcipuè, imò ferè sola Epilepsiæ differentia, locum habere; de quo suprà, *part.* 1. *cap.* 5.

Fonticuli, si malum nondum sit inueteratum, commodissimè in brachio ad musculum deltoidem excitantur, vt ad eum scaturiens in cerebro materia deriuetur. Si autem malum inueteratum sit, in loco viciniore, nucha scilicet, seu occipitio aperiendi sunt, vt ex loco vicino materia facilius deriuetur & euacuetur.

Exercitia sint moderata; & in specie à frictionibus in brachiis incipiendum, deinde ad pectus & ventrem descendendum, postea ad crura, & hæc valentius perfricanda, vt etiam recrementa, quæ sursum vergunt, ad infera reuellantur. Ac aliis partibus perfricatis, caput demum fricari debet. Prius enim non conuenit, ne humores & vapores attrahantur.

Reliqua omnia, vt modo dictum, petantur ex curatione Epilepsiæ in genere.

## *De Epilepsia per consensum;*

### *Et primò quidem in genere.*

### *Caussæ.*

*Epilepsia per consensum caussæ.* Hæc in parte aliqua infra caput generatur, & ex ea in caput sublata Epilepsiam excitat. Partes autem, è quibus materia, Epilepsiæ caussa, ad caput tollitur, variæ sunt: *Ventriculus*, cuius exempla refert Galenus, 5. *de loc. affect. cap.* 5. Valeriola, *lib.* 3. *obseru.* 7. Fernelius, *in Consil. Medic.* 7. Forestus, *lib.* 10. *obseru.* 64. *Lien*, cuius exemplum refert Hollerius, *ad caput* 14. *lib.* 1. *in Schol. Vterus*, vel ex mensium obstructione, vt refert exemplum de puella Beniuenius, *de abdit. morb. causs. & curat c.* 97. vel fluxione, vaporibus è materia commota cerebrum petentibus, vel in prægnantibus, de quo Ægineta, *lib.* 3. *cap.* 13. Fernelius, *lib.* 1. *Patholog. c.* 3. Leonhardus Iacchinus, *in* 9. *lib. Rhasis, cap. propr.* Forestus, *lib.* 10. *obseru.* 65. Iohan. Schenckius, *lib.* 1. *obseru.* 83. Franciscus Hildesheim, *in spicileg. pag.* 598. vel ex secundinis retentis, vel ex vtero imperforato, Guilielmus Fabricius, *Cent.* 3. *obseru.* 60. *Vesica*, Heurnius, *de morb. cap.* 22. *pag.* 163. *Testes & vasa spermatica*, Leonhardus Iacchinus, *in* 9. *Rhasis*, Marcellus Donatus, *libr.* 4. *de histor. Medic. mirab. cap.* 11. *ex Alsaharauio. Intestina & vermes in iis*, Forestus, *lib.* 10. *obser.* 65. Iulius Cæsar Claud. *in consult. consult.* 64. Martinus Rulandus, *Cent.* 8. *curat.* 13. *Colica*, Ægineta, *lib.* 3. *cap.* 13. Aëtius, *tetrab.* 3. *serm.* 1. *cap.* 29. *Massa sanguinis*, vt in variolis, aliisque malignis febribus, inter quarum initia Epilepsia excitari solet. *Pars aliqua externa*, vt pes: videatur exemplum apud Galenum, 3. *de loc. affect. cap.* 7. Iacchinum, *in* 9. *Rhasis*, Valetium, *in Schol. ad cap.* 16. *lib.* 1. *Hollerij*, Trincauellium, *libr.* 3. *de ratione curandi affectus particulares, cap.* 6. Mercurialem, *in consil.* 6. Forestum, *libr.* 10. *obseru.* 67. & 68. Pollex pedis. Gentilis, *super Auicenn. lib.* 3. *Fen.* 1. *tr.* 5. *cap.* 8. Donzelinus, *in Consil. Scholtzij Consi.* 38. digitus, Leonell. Fauentinus, *cap.* 11. *de morb. med.* Brassauola, *in Comment. ad aph.* 45. *sect.* 2. *aphor. Hippocr.* manus, Pinellus, *tom.* 1. *Consil.* 13. Platerus, *lib.* 1. *obseru.* coxa, Syluius, *in lib. de morbis internis, cap. proprio*, mammæ, papilla, Marcell. Donatus, *lib.* 2. *de histor. Medic. mirab. c.* 4. labium superius, Douanetus, *lib.* 3. *Apolog.* referente Schenckio.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa diagnostica.* Paroxysmus ingruens aliquo modo præsciri potest, vapórque aliquis, ac veluti aura à parte quapiam inferiore versus superiora eleuari animaduertitur, aut dolor in parte aliqua percipitur, quem mox Epilepsia insequitur. Signa cerebri affecti non adsunt, sed pars aliqua inferior præ cæteris vitio laborat. Omnia ferè sunt leuiora, paroxysmus scilicet non tam longus, nec concussio tam vehemens, nec tanta facultatis animalis læsio, ac in Epilepsia per primarium cerebri affectum.

### *Curatio.*

*Curatio.* Curatio eadem ferè est cum superiore, nisi quòd semper partis mandantis habenda ratio: totaque curatio idcirco quinque capitibus continetur: 1. Vt totius corporis euacuatio seu per venæ sectionem, seu purgationem, prout opus est, instituatur. 2. Vt antepileptica medicamenta antea proposita vsurpentur. 3. Vt partis, quæ materiam cerebro communicat, ratio habeatur, eaque euacuetur, atque in eâ, si locus ferat, cauterium actuale applicetur, aut quocunque modo in eâ vlcus exciretur, vt materia effluat ac dissipetur. 4. Vt materia ad caput tendens reuellatur, viæque, per quas aura maligna ad cerebrum fertur, intercludantur. Ideóque in paroxysmo frictiones & ligaturæ non in brachiis, sed in cruribus tantùm & pedibus instituendæ, vt materia versus inferiora, non superiora trahatur. Vincula quoque supra partem, quæ caussam suppeditat, iniicienda, si eius natura & situs id ferat. Venæ sectio etiam commodissimè in cruribus & pedibus instituitur, præsertim si à menstruorum aut hæmorrhoidum suppressione malum originem habeat. 5. Cerebrum roborandum.

## *De Epilepsia per consensum Ventriculi.*

### *Signa Diagnostica.*

*Signa Epilepsiæ à ventriculo.* Si è ventriculo vapor ille, Epilepsiæ caussa, ad caput eleuetur, dolor quidam, turbatio & rosio in ventriculo, grauitas & tensio circa præcordia, deiectus appetitus, concoctionis debilitas, ructus, & alia ventriculi affecti signa adsunt. Ægri quoque morbi accessionem sentiunt, atque in Epilepsiam incidunt, si tardius cibum sumant, & diu ieiunent. Et inprimis infantes sæpe hac de caussâ Epilepsiâ corripiuntur, cum lac ipsis in ventriculo corrumpitur, aut cùm vitioso nutricis lacte nutriuntur. Et tùm animaduertuntur ventris tormina; fecésque alui croceæ, aut ærugini non absimiles apparent.

### *Curatio.*

*Curatio.* Purgationis loco vomitus rectissimè concitatur in iis, qui ad vomitum proni sunt. Et quidem biliosus humor protinus vomitu excludi potest. Crassus verò & pituitosus prius præparetur melle rosaceo, oxymelitis generibus, syrupo de betonica, de stœchade, & similibus, cum decoctis & aquis conuenientibus. Si autem æger ad vomitum promptus & procliuis non sit, per alui deiectionem caussa mali tollenda; biliosa, hierâ & pilulis ex aloë; pituitosa, agarico, & cæteris, de quibus de morbis ventriculi dicetur. Fortiora autem purgantia in hac Epilepsiæ specie non vsurpanda, ne excrementa aliunde attrahantur, ventriculúsque magis debilitetur.

Deinde operam dare oportet, ne imposterum in ventriculo humor vitiosus generetur, sed ventriculus roboretur. Et quidem ne alimenta in bilem corrumpantur, prohibet Trallianus potu absinth. & picra, Antidoto, quæ bilem euacuant, vel tunicis inhærentem absterguntur,

gunt; iubétque victum tepidum & temperatum adhibere,qui nihil habeat acre, aut pingue, aut oleoſum, aut ſalſum.

Ventriculus roboretur cùm extra admotis, in cauſſa calida ol.cydonior.roſar.& ſimilibus; in frigidâ, maſtiche,menthâ,abſinth. caryophyll. nuce moſchatâ, & ſimilibus:tùm intrà exhibitis, vt coriandro præparat. ſacchar.roſat.betonic.myrobal.chebul.condit.zingiber. in Indiâ condito,extracto iuniperi,ſpiritu vitrioli,rotulis aromat.roſat.caryophyllat.ſyrupo de maſtiche,de cinamomo. E quibus varia medicamenta compoſita, prout humores & ægri natura requirunt, concinnari poſſunt.

Semper tamen iis aliquid medicamentorum contra Epilepſiam pugnantium admiſcendum.

Vt ♃.*Conſeru.roſar.betonic.pœon.*Vnc.ii.*extract.gran. iuniper,*Vnc.ß.*ſpec.aromat.roſat.* Scrup.iiii.*zingiberis in China cond.*Vnc.ß.*ſper.vitriol.*Scrup.ß.Cum *ſyrupo conſeru.cortic.citri* F.Electuarium.

Vel ♃.*Spec.aromat.roſat.*Dra i.*extract.pœon.*Scrup.j. *calam. aromat.* Scrup.ß. *zingiberis in China conditi* ʒ.ij. Cum *ſacchari* q.ſ.F.Morſuli.

Poſt paſtum etiam ſequens Tragæa commoda eſt:

♃. *Rad.pœon.ſcorzoner.nuc.moſch.* an.ʒ.i. *macis aceto macer.* ʒ.i.ß.*ſem.aniſi,fœnicul.* an.Drach.i. *ſuccini albi,viſci querni,ſem.pœon.cardamomi,* an.Drach.ß. *cubebar. galangæ, rad. tormentill. doronici Rom. flor. anthos,* an.Scrup.i. *ſacchar. albi* Vnc. ii. F. Puluis. Doſis cochl. ß.vel j.

## *De Epilepſia à Vermibus.*

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa Epilepſiæ à vermibus.* Si à vermibus ſit Epilepſia, animaduertitur ſtridor dentium,membrorum tremor,terror item ac clamor ſubitus in ſomno, narium pruritus & frictio, ſaliuæ, nocturno præſertim tempore,ex ore effluxus, facies pallida,eadémque ſubitò rurſus incaleſcens & rubens,morſus ac dolor ſtomachi & inteſtinorum,& hinc frequens abdominis contrectatio, rugitus ac tormina ventris, abdominis inſolita durities, membrorum verò ἀτροφία, tuſſis ſicca, ſingultus, vermium cum alui excrementis egeſtio.

### *Curatio.*

*Curatio.* Ea, quæ vermes enecant atque expellunt, admixtis medicamentis antepilepticis exhibenda.

vt ♃.*Aloes lotæ* vel *extractæ* Dra.iß.*extract.ſcammon. trochiſc.alhandal.* an.Scrup.ß.*ol. deſtill.abſinth.* gutt.ii. *myrrh. zedoar.* an. gutt.i. F.Pilulæ, quæ dantur à Scr.i. ad Drach.ß.

Vel detur ☿ dulcis à gr.xvi.in eduliis.

Pulueribus contra vermes,& aliis medicamentis, de quibus ſuo loco de Vermibus dicetur,addatur pœonia, & alia medicamenta Epileptica.

Poſtea exhibeatur hic vel ſimilis Puluis:

♃.*Vngulæ alcis* Dra.vi. *ſpec.diamoſch.dulc.* Vnc.ß.*corall.rubr.*& *alb.præparat.margarit.ſmaragd.præparat.terræ ſigill.bol Armen.* an. Drach.ii. *ſem. nigell.ſancti,rutæ. pœon.exc.blattæ byzant.dictamn.alb.nuc.moſch.*an.Dra.i. *rad.pœon.C.C.præparati, ſcordij, maior.corallinæ,*an.Dra. iij.*moſchi,ambr.*an. Scr.ß.*fol.auri* num.xii.*ſem.caulium, portulac.*an. Drach.i. *tormentill.* Drach.iß. *rhabarb.elect.* Drach.j.

Pulueriſentur omnia ſubtiliſſimè.

## *De Epilepſia ab Vtero.*

### *Signa Diagnoſtica.*

*Epilepſiæ ab Vtero ſigna diagnoſtica.* Si ab Vtero ſit Epilepſia, adeſt menſtruorum ſuppreſſio,ſeminis vel ſecũdinæ poſt partum retentio, fœtus in vtero mortuus:dolor circa vteri regionem in pectine,in vtroque inguine,in dorſo: abdominis crebra à flatibus diſtenſio,reſpiratio difficilis, cordis palpitatio, vlcus aliquod in vtero;ſi malum hoc primum, quando menſtrua inceperunt fluere, inualerit. Symptomatum in hac differentia magna eſt varietas, quæ neminem turbare debet Neque enim ſolum,vt in aliis Epilepſiæ differentiis,membra conuelluntur & ſenſus turbantur; ſed & aliis totum corpus cõtremiſcit,aliis vna aut plures partes;aliis oculi ſaltem, aut lingua, aut caput, aut manus, aut crus, aut ſeptum tranſuerſum: quibuſdam mentis quædam, aut ſenſuum externorum actiones læduntur; quædam oculis apertis non vident, aliæ multa ſe audire & videre dicunt, quæ à ratione aliena ſunt; aliæ vociferantur & querulantur, quid vero mali ſentiant, proferre non valent; aliæ rident, aliæ flent; pleræque omni tactus ſenſu priuantur; nonnullis horum plura accidunt.

### *Curatio.*

In curatione ſemper ad vterum reſpiciendum,& propterea ea Epilepticis admiſcenda remedia, quæ vtero proſunt, & vteri ſuffocationi conueniunt. Itaque in Paroxyſmo admouenda naribus fœtida, vt galbanum, caſtoreum,ſagapenum,ol.ſuccini,rutæ. Vterò verò ſuaueolentia adhibenda,niſi fœmina ſit grauida;tum enim ſatis fuerit graueolentia naribus admouere. Sternutationem quoque ciere in hac Epilepſiæ ſpecie plurimum prodeſt.Cucurbitulas verò ventri è regione vteri affigere, & medicamenta applicare, quæ flatus diſcutiant, vtile eſt,vt ol.rutac.è baccis lauri,& ſimilia.

Extra paroxyſmum primò vniuerſales euacuationes inſtituantur. Sanguis nimirum, venis in cruribus circa malleolos apertis, euacuetur, & totum corpus conuenienter purgetur. Deinde vterus euacuetur, & materia vitioſa in eo contenta tollatur: quod fit non ſolùm purgantibus, ſed inprimis iis, quæ menſes prouocant, cùm internis, tum externis; de quibus ſuo loco. Eligenda tamen ex iis talia, quæ ſimul vi ſpecificâ & occultâ Epilepſiæ aduerſantur, aut iis talia admiſcenda.

Et cum in fœminis natura vitioſos humores, qui in corpore cumulantur, ad vterum detrudere ſoleat, ſanguiſque, qui ad vterum affluit, ſi non rectè ſeſe habeat, corrumpatur: danda opera, vt humores vitioſi ſubinde è corpore euacuentur, &, ſi quid corrumpatur, ſenſim ac paulatim per loca, quibus natura aſſueuit, euacuetur. Ideóque ſanguinem bis tervè in anno è venis tali emittere, & corpus ſæpius euacuare vtile fuerit, habito reſpectu ad eum humorem, qui maximè peccare videtur.

Exempli gratia:

♃.*Rad.pœoniæ,ariſtoloch.rot.*an.Vnc.i. *angelicæ* Vnc. ß.*polypod.quern.*Drach.vi.*betonic.rutæ,pulegij,mercurialis,*an.M.ß. *ſem.pœon.*Vnc.ß. *cartham.contuſ.* Vnc.i. *fol. ſenæ elect.*Vnc.i.ß.*follicul.ſenæ* Dra.vi. *ſem.aniſi,fœnicul. ſeſel.* an.Drach.ii.*fl.bugloſſ.anthos,*an.M.i ß. Coquantur in aqu.ſimpl.

Colaturæ ♃. ℔.i.in qua infundatur *agaric. albiſſ.*℥.i.*Zingib.galang.*an.ʒ.i.ß.Cum *ſaccharo* F. Syrupus, qui aromatiſetur puluere cinamomi.

Cauſâ ſublatâ vterus & cerebrum roboretur theriacâ, Mithridatio, diamoſch. dulc. amaro, lapide Bezoar, cum aqua ſcorzoneræ. Efficax eſt & oleum ſuccini,tum in paroxyſmo,tum in menſibus ciendis.

Vtilis & valde efficax eſt hîc Aqua hirundinum, cum caſtoreo & galbano ac aceto deſtillata,ſupra, inter medicamenta antepileptica,propoſita.

Laudatur & hic Spiritus:

♃. *Antidot.Matthioli* Vnc.v.*ſp.vini opt.*℔.i. *camph.* Drach.ij.

In vitro clauſa digerantur in B. vel fimo equino per

dies

dies sex. Postea tepido Balnei calore destillentur, ne vnquam alembicus calefiat, donec tertia pars exstillet, idque tertia vice repetatur. Sumatur de hoc spiritu manè & vesperi cochleari. cui sacchari pauxillum, sp. vitrioli gutt. iv. vel tincturæ corallior. gutt. vi. addi possunt.

Vel ℞. *Syrup. de succo pæoniæ* Vnc.i. *rutæ, meliss.* an. Vnc.ß. *extract. liquidi castor.* Dra. ii. *gran. iuniper.* Drac. i. ß. *angelic. zedoar.* an. Scrup. i. *sp. theriacal. modò descripti* Drach. ii. *aq. lauendul.* Vnc. i. Misce.

De qua mistura tempore paroxysmi cochlear. i. infundi potest.

Vel ℞. *Conseru. pæon.* Vnc. i. *margarit. præpar. corall. rubr. præpar. smaragdi, sapphir. hyacinth. præparat.* an. ʒ. ß. *rad. pæon. sem. eiusdem, agni casti, visci querni, cranij humani,* an. ʒ. i. *theriac.* ʒ. i. ß. *caryophyll.* ʒ. ß. Cum *syrupo stæchad. simplic.* F. Electuarium.

Circa hæc medicamenta hoc obseruandum, in hac Epilepsiæ specie medicamenta suaueolentia exhibenda non esse; cum & caput grauent, & paroxysmum Epilepticum concitent.

Extra quoque adhibeantur quæ & menses cient, & vterum roborant. Inter quæ nonnulli commendant hanc pedum Lotionem:

℞. *Strobil. abiet. viridium* M. ii. *artemis.* M. ß. *fermentor. iuniperi, cortic. fagi,* an. M. i. *chelidon. fol. alni,* an. M. ß. *rad. vincetoxic. aristoloch. rotund.* an. Vnc. v.

Coqu. in aqua ad Balneum, quo manè per semihoram lauentur pedes.

Vel inungatur venter ol. rutaceo, laurino, lilior. albor. quibus ol. destillatum anisi, caryophyll. cinamomi addi possunt.

Vel fomenta adhibeantur ex roremarino, artemisia, chamæmelo, betonica, ruta, semine agni casti, baccis lauri, & aliis, quæ in suffocatione vteri proponentur.

Tandem cum in hac Epilepsiæ specie alia, præter caput, viscera sæpe in consensum trahantur, & humoris Epilepsiam generantis malignitas plerumque membra nutritioni dicata labefactare soleat, & hinc varia excrementa generentur: illorum quoque viscerum habenda est ratio, & ea ab excrementis subinde expurganda & roboranda, ne noua mala gignant, aut vetus augeant.

Et cum, vt antea diximus, in hac Epilepsiæ specie magna symptomatum varietas esse soleat, quia materia morbifica non solùm cerebro, sed & aliis partibus communicatur, sæpe ea de loco affecto Medicum dubium reddunt. Qua de re egregia disquisito; an scilicet vterus vel crura fuerint affecta, exstat in Consiliis Brunneri, *Consil.* 14. & 15. cuius etiam infra, *lib. 4. part. 2. sect. 3. cap. 3.* fiet mentio.

### *De Epilepsia à partibus externis.*

#### *Caussæ.*

*Epilepsia à partibus externis caussa.* Præter supra enumeratas caussas externas referenda huc contusio, vulneratio, vlcus, aut alia aliqua in parte externa læsio; morsus item & ictus bestiarum venenosarum.

#### *Signa Diagnostica.*

*Signa diagnostica.* In parte aliqua externa caussam Epilepsiæ contineri, argumento est, si æger aliquando in ea vulneratus, vel contusus sit, aut vlcus in ea habuerit, aut ab aliquo animali morsus sit; atque inde vaporem vel auram quandam, paroxysmo Epileptico ingruente, versus superiora ascendere sentiat, aut in ea dolorem vel tensionem ante paroxysmum percipiat. Ægrum in eâ parte læsum esse, vel ex eius relatione, vel (cum multa infantibus & pueris accidant, quorum adultiores facti non meminerunt) ex vestigio aliquo in ea, vt cicatrice, duritie, vel quacunque alia læsionis notâ cognoscitur. Si item vincula supra partem, quæ suspecta est, iniecta, & frictiones infra eam institutæ paroxysmum vel intercipiant, vel minuant: eò loci caussam Epilepsiæ contineri argumento est. Inprimis verò in fœminis de loco, qui caussam suggerit, hîc diligenter inquirendum. Accidit enim sæpe, vt instante paroxysmo Epileptico dolor vel tensio in cruribus, aut aliâ parte externâ percipiatur; imò inde etiam quasi aura quædam ad caput ascendere sentiatur: cum tamen eò loci caussa mali generata non sit, sed in vtero, cuius facultas expultrix à caussa morbifica stimulata per venas & arterias malignam & venenatam materiam excludere conatur, cui calor innatus & vis partium principalium occurrens, eam per venas & arterias in pedes, vel alia loca remotiora detrudit, vbi cumulata vires tandem acquirit, & vel neruis communicata, vel per alias vias ad cerebrum tendens Epilepsiam excitat. Ideòque in tali caussa diligenter inquirendum, an vteri affecti signa præcesserint.

#### *Curatio in paroxysmo.*

Quamprimùm æger quasi auram è parte illa eleuari sentit, intercipienda ea est vinculis supra locum iniectis. Et si à manu ascendit aura illa, vincula ad alam iniiciantur. Hæc enim pars strictius ligari potest, quàm carpus, in quo ob carpi ossa vasa inter illa constringi satis nequeunt. Affigantur eidem, si moram res patitur, cucurbitulæ scarificatæ, locúsque fricetur. *Curatio.*

#### *Extra paroxysmum.*

Si à venenatæ alicuius bestiæ morsu malum ortum habeat, venæ sectio & purgatio locum non habent; sed locus demorsus scarificetur, vel cucurbitulæ scarificatæ affigantur ad venenum eliciendum. Applicentur & topica valde attrahentia, adiectis iis, quæ peculiari vi illi veneno debellando accommodata sunt.

Si verò ex caussa alia quacunque materia Epilepsiam excitans alicubi contineatur, primum corpus semel atque iterum purgandum est. Postea danda opera, vt materia, è qua vapores ascendunt, reuoluatur ac discutiatur. Ergo cucurbitulæ scarificatæ parti affigantur; aut pars lauetur acri lixiuio, cui sulphur admixtum sit. Si his nihil proficitur, cauteria vsurpentur, aut valde attrahentia medicamenta ex tapsia, euphorbio, lepidio, quod Trallianus, *lib. 1. c. 35.* inprimis commendat, sinapi, stercore columbino, cantharidibus, admixtâ simul theriacâ; aut emplastrum oxycroceum applicetur, cui tantum euphorbij admixtum sit, vt vesicas pustulasque in cute excitet. Efficacissimum verò est cauterium actuale; cum nihil potius venena, ac prauos eiusmodi humores & dispositiones è partibus exstirpet, quàm ignis. Videatur etiam Alex. Trallianus, *loc. allegato.*

¶ [In Epilepsia, quæ per consensum alicuius partis fit, diligens danda opera, vt pars illa, quæ auram malignam ad cerebrum mittit, innotescat: cui vesicatoria vel cauteria, quæ materiam malignam extrahant, imponenda sunt, vt *lib. 1. Pr. part. 2. cap. 31.* dictum. Exemplum eius rei habet Henricus ab Heer, *obs. 24.* de quadam puella, quæ cùm ex terrore toto quadrimestri ferè continuò epilepsiâ laboraret, & in paroxysmo duos vtriusque pedis pollices continuò confricaret, ipse vtrique pollici butyrum Antimonij imposuit, vesicásque, magnas excitauit, iísque incisis & carne ad ossa ablata à paroxysmo triduum liberam fecit. Quarto die, cùm leuissimè conuelleretur, exhibuit antepilepticum ex cranio hominis, stercore pauonis, vesicâ apri cum lotio in furno exsiccatâ, visco corylino, oleo succini cum aquis antepilepticis, atque eam ita planè sanauit, & ab omni paroxysmo liberauit. *Epilepsia per consensum curatio singularis. Obseruatio Henr. ab Heer.*

In qua historia hoc tamen mirabile, cùm epilepsia hæc *Dubium.*

hæc ex terrore orta fuerit, & talis epilepsia cerebro primariò affecto fieri soleat,qui factum fuerit,quòd puella illa pollices confricauit, & cauterio ibi apposito sanata fuit.Caussam eius rei esse puto, quòd materia maligna ex terrore genita statim à natura forti ad extrema pedis depulsa fuit, à quibus postea vapor prauus & malignus ad cerebrum exhalans, epilepsiam excitauit; aut quòd in paroxysmis à natura eò detrusa, & postea per cauterium euacuata fuerit.]

Cranium carie affectum, malignámque saniem supra membranas cerebri destillans, excisione & vstione sanatur;de quo supra,*part.1.c.26.* dictum. Simul etiam medicamenta Antepileptica adhibeantur, & cerebrum roboretur.

### *De Epilepsia per Consensum, vbi de fonte mali non constat.*

Nonnunquam tamen accidit,vt,quamuis caussa Epilepsiæ in capite non generetur, ita tamen occultè illa sese in cerebrum insinuet,vt,quo in loco generetur,vel per quas vias ad cerebrum tendat, satis assequi non liceat,nec prius vllo vel sensuum, vel intellectus iudicio percipi possit,antequam paroxysmum producit.

### *Prognosticum.*

Quam Epilepsiæ speciem nonnulli insanabilem putant.Verum etsi curatu difficilior sit,incurabilis tamen planè non est.

### *Curatio.*

Vnde autem curetur, danda opera, vt radix mali, in quacunque etiam parte lateat, è corpore tollatur, & à cerebro auertatur.

Perficitur hoc frequenti corporis purgatione, quâ & materia iam genita euacuatur,& materia, è qua generari possit, subtrahitur. Facilius enim ex humore vitioso, quam ex succo probo partis alicuius mala constitutio malignam talem materiam generat. Et natura pharmaco purgante incitata, quicquid vitiosum in corpore est, facilius ad intestina, consuetámque euacuationis viam, quam ad partes nobiles, mittit.

Simul verò exhibenda medicamenta antepileptica, & ex iis efficacissima,vt diathesis illa Epileptica, & vitium humorum occultum,vbicunque etiam latentium, expugnetur.

Si purgationes non sufficiant,per medicamenta valida ex alto ad circumferentiam humores trahere, & inprimis per cauteria & fonticulos in locis conuenientibus excitatos humorum euacuationem tentare conuenit.

Tandem cerebrum roborandum, vt caussæ malignæ resistere possit.

## INFANTIVM CVRATIO.

Etsi ex his,quæ dicta sunt, quâ ratione infantes curandi sint,facilè patere possit: tamen cum morbus hic infantibus sit familiarior, nec omnia medicamenta, quæ adultis adhibentur, infantibus adhiberi possint; in specie quædam de Infantium cura addenda videntur.

### *In paroxysmo.*

Distenta & rigida membra flectenda, vel in rectum dirigenda sunt, & tractanda vt antea dictum; ceruix & occiput linteolo aquâ lauendulæ calidâ madido fricandum; vertex oleo succini aut rutæ illinendus; ruta trita naribus admoueatur, vel oleum aut balsamum succini & rutæ;pituita ore eximatur; infundatur ori succus rutæ cum lacte,vel cum aqua tiliæ,aut cochleare paruum liquoris alicuius Antepileptici detur;vel puluis aliquis antepilepticus cum aqua conueniente,vel lacte Scr.ß. vel Scr.i.pondere pro ratione ætatis.

Puluis puerorum contra Epitepsiam D. Iohan. Næuij:

℞. *Visci quer.cortice abraso* Dra.ii *sem.pæon.*ʒ.i.*rad. pæon.*ʒ.iiiß.*vngulæ alcis,corall.vtriusque* an.ʒ.ß.*C.C.vsti* ʒ.iß.*margarit.præparat.*ʒ.i.*cranij hum.* Scr.ii. *sacch.albi* ℥.iß.F.Puluis.

Alius:

℞. *Rad.pæon.*ʒ.v.*irid.Illyr.*Vnc.ß. *eryng.* Drach. ii. sem.*visci querni,gran.pæon.*an.Scr.v.*sacchar.albiss.* ℥.ii. F.Puluis.

Alius:

℞. *Rad.pæon.*Vnc.i. *serpentar.*Vnc.sem. *visci querni* Drach.ß.*croci Orient.*Scr.i. *corall.rubr.* Drach.ß. *rad.* & *sem.fraxinell.*an.Scr.i.*fol.auri puriss.*N.iiii.*C.C.* Scrup.i. *margar.Oriental.non perforat.*ʒ.ß.

Puluerisanda pulueriſentur subtilissimè. Misc. Fiat Puluis. Dosis infanti quantitas pisi vnius vel duorum, cum lacte nutricis. Maioribus natu tripla quantitas cũ aqu.betonic.flor.tiliæ,rutæ exhiberi potest.

Alius:

℞. *Fragm.lap.pretios.*an.Scr.ß.*rad.pæon.*Drac.i. *ireos* Scr.ii.*bistort.*Scr.ß.*glycyrrh.* Dra.ß.*sem.anisi,pæon. visci querni,*an.Scr.ii.*croci* Scr.ß.*margarit.*Scr.ii.*sacchar.candi alb.*Vnc.ß,F.Puluis.

Alius:

℞.*C.C.vsti præpar.* Vnc.i. *sem. pæon. rad. eiusd. sem. aquileg.*an.Vnc.ß.*smaragdi præpar.*Dra.i.*oss.de C.C.*N.j. F.Puluis.

Alius:

℞. *Smaragd. præpar. corall.rubr. margarit.præpar.*an. Drach.i. *rad. pæon. sem. eiusd.* an. Drach. ß. *succini alb. vngul. alcis,cornu alcis,* an.Drach.i.F.Puluis. Dosis Scr. i.cum aqu.tiliæ:

Conuenit & hoc:

℞. *Aq.pæon.flor.tiliæ,dentariæ,* an.Vnc.i. *hirudinum, syrup.de succo pæon.*an.Vnc.ß.*sp.cerasor.nigror.*Drach.ii. *magister. corall.* Scrup.ii. *perlar.* Scrup. i. *extract.pæon.* Drach. ß. M. diligenter. Dosis cochlear paruum in paroxysmo.

Cordis regioni emplastrum ex theriaca & radice pæon.admoueatur,vel tale epithema paretur:

℞. *Fol.rutæ* P.i. *fl.pæon.tiliæ, rosar. rubr.* an.P.ß. *spec. diapæon.*Scr.iiii.

Incisa aspergantur aq.apoplecticâ & hirundinum F. s.a.Scutum cordiale,sindone rubra tegendum.

Fiat etiam sacculus ex rad.pæon.& granis eiusd.contusis,& apponatur cordis regioni.

Nucha & spina dorsi inungatur seq oleo:

℞. *Olei de castor.*Vnc ß. *succi rutæ* Vnc.i. Coqq. ad consumptionem succi.

### *Extra paroxysmum.*

Censet quidem Trallianus,*lib.1.cap.15.* in infantibus nihil moliendum esse, neque agendum, quantum ad curationem attinet. Subsequentem enim ætatem,& calorem augescentem superfluam in capite humiditatem discutere posse. Verum cum, antequam illam ætatem attingat homo, hoc morbo vel iugulari, vel insigniter debilitari possit, sine auxilio non est relinquendus æger, neque in morbo tam periculoso negotium naturæ committendum, sed naturæ arte succurrendum.

Lactentes ergo infantes commodiùs curari non possunt,quàm si medicamenta nutrici exhibeantur. Nutrix itaque primò talem vitæ rationem obseruet vt & ipsa sana degat, & salubri lacte infantem alat. Cibus propterea sit εὔχυμος καὶ εὔπεπτος, isque in isto tempore & quantitate exhibeatur.A vino vel abstineat,vel illud sit tenue

tenue & paucum, ne neruosum genus infantium adhuc tenerum & imbecillum lædatur. Exercitia sint moderata. A Venere, quæ pueris lactentibus est nocentissima, planè abstineat. Si verò lac probum nutrix non præbeat, vel alia quærenda, vel opera danda, vt lac mutetur: &, si lac sit nimis tenue, vt crassius reddatur, vtatur carnibus assis, aliisque cibis minus humidis; sin crassius, extenuetur fœniculo, aniso, anetho, ruta, recentibus & virentibus sumptis. Nam sicca magis acria sunt. Et si accidat, vt nutrix concipiat, cauendum, ne illa porrò infantem lactet, sed alia quærenda, quæ lac habeat bonum. Lactis autem boni notas tradit Alex. Trallianus, *l.1.c.15.*

Propinentur quoque nutrici medicamenta, quæ contra Epilepsiam pugnant, & supra sunt proposita. Infans non lauetur crebrò, ne fiat humorum agitatio. Inprimis cauendum, ne terreatur, aut ad iram commoueatur.

Infantis quoque corpus à vitiosis humoribus purgetur: quod commodè fit medicamentis purgantibus nutrici propinatis. Et quidem cum nutrici duabus de causis purgantia exhiberi soleant, primò vt ipsa purgetur, secundò vt infans: si, vt nutrix à cocachymia liberetur, exhibeatur purgans, à lactatione abstinere nutrix debet, donec purgatio absoluta sit; si verò infantis gratia purgans exhibeatur, eo ipso tempore, quo purgatur nutrix, infantem lactare debet. Infanti tamen ipsi etiam ad aluum subducendam dari potest mel passulatum Hollerij:

℞. *Agaric. trochisc.* Vnc. sem. Infundatur in aquæ ℔. sem.

Postea exempto agarico passulæ in eadem aqua macerentur, donec turgere incipiant, turgidæ coquantur ad mellis crassitiem.

Vel ℞. *Fol. senæ* Vnc. i. *agaric. albiss. rad. pœon.* an. Vnc. sem. Infund. *in aqu. anisi* & *fœniculi* æqual. part. deinde imponantur *passular. Corinthiac.* ℔. i.

Coqu. & exprimantur, & ad mellis consistentiam iterum coquantur. Aut exsiccentur passulæ absque expressione facta. Vtilis est hic etiam syrupus de cichorio cum rhabarb.

Roboretur postea cerebrum melle anthosato, speciebus electuarij pleres Archontici, diamosch. dulc. cum lacte nutricis, vel detur hic Puluis:

℞. *Rad. pæon.* Drach. ii. *ireos, vngul. alcis, visci quercini, sem. pœon.* an. Drach sem. *corallior. rubror. præpar.* ℈. ii. *smaragd. præpar.* Scrup. sem. *succin. albi, croci,* an. Scrup. i. *facchar. alb.* Vnc. sem. F. Puluis.

Vel ℞. *Rad. pœon. iusto tempore collectar.* Vnc. sem. *vngulæ alcis* Drach. sem. *succini alb.* Drach. i. *croci optimi* Drach. sem. *facchar. alb.* Vnc. sem. F. Puluis.

Suturæ coronali inspergatur hic Puluis:

℞. *Granor. pœon.* Drach. i. sem. *flor. lilij conuall. pœon. lauend.* an. P. j. *succini albi* Scrup. ii. *nucis mosch.* Dra. sem. F. Puluis.

Itali, ac Florentini inprimis, quibus hoc malum familiarius est, pueros recens natos ferro candente, aut particula ligni ignitâ adurunt, vbi summa vertebra cum capite conjungitur. Alij ex candela cerea accensa guttam vnam atque alteram feruentem in eundem locum, eundem ob finem, destillare sinunt.

Ad præseruandum verò, ne infans vnquam Epilepticus fiat, hoc nonnulli hoc commendant:

℞. *Spir. vini* ℔. iiii. *castor.* Vnc. sem. *radic. pœon.* ℥. iii.

Macerentur & colentur. Colat. infantis totum corpus abluatur.

Et cum non rarò accidat, vt in infantibus circa aures, maxillas, & in aliis corporis partibus vlcera & pustulæ erumpant, nullo modo hic naturæ conatus impediendus. Si enim talia vlcera, materia intrò recedente, euanescant, cum in alios morbos, tum in Epilepsiam interdum infantes incidunt. Imò si intempestiuè euanescere incipiant talia vlcera, atque infans inde malè habeat, conatus naturæ potius adjuuandus syrupo fumar. C. C. & similibus materiæ ad ambitum corporis motum promouentibus.

### *Cura lactentium per consensum ventriculi.*

Præseruationis gratiâ recens natis, antequam lac vel alius cibus ipsis porrigatur, hoc detur:

℞. *Sacchar. alb.* Vnc. ii. *ol. amygdal. dulc. recens expr.* q. s.

F. Mixtura instar pultis, cujus vsu materia vitiosa in vtero collecta in primis viis eiicitur. Alij exhibent saltem mel crudum, vel mel rosatum colatum, vel syrup. de cichorio cum rhabarb. vel mel despumatum cum modico sem. fœnicul. & radic. pœoniæ & ol. amygdal.

Nonnulli putant, naturam ipsam huic rei prouidisse lacte materno, quod in principio serosius est, & propterea majorem abstergendi vim habet, censentque eos malè facere, qui lac hoc maternum, quasi vtile præsidium, reiiciunt, & aliarum nutricum, quod jam crassius est, exhibent.

Caueatur etiam, ne ventriculus lactis copiâ oneretur, ideóque infans rarius lactetur. Si lac coaguletur, atque in grumos concrescat in ventriculo infantis, dissoluatur exhibito melle cum sale, oxymel. simpl. sem. fœnicul. radicibus eryngij, aut, si hæc nihil juuent, propinentur gr. v. plus minúsue coaguli hœdini vel leporini: vitia quoque lactis emendentur vt supra dictum.

Vel, in Epilepsia orta è lactis concretione in ventriculo.

℞. *Fol. vlmi* P. iii. Coqu. in vrina pueri. Adde *butyri recentis* Vnc. ii.

F. Cataplasma, quod applicetur ventriculi regioni.

Vel ℞. *Fol. maluæ, absinthij, vlmi,* an. pug. j.

Coqu. in vrina pueri, & cum *butyri* ℥. ii. addito pauco fermento & ol. nardino, F. Cataplasma applicandum ventriculi regioni.

Infanti frequentius & copiosius lac non dandum, vt dictum, quàm vt ventriculus conficere possit. Aliàs enim si copiosè & ferè assiduè infans lac sugat, fieri non potest, quin magna cruditas generetur, ex qua non solùm Epilepsia, sed & alij morbi proueniunt.

### *Cura Infantium ablactatorum.*

Infantes ablactati quomodo curentur, docet Galenus, *in consil. de puero Epileptico*: quod tamen cum sale legendum censet Hercul. Saxonia; cum infantibus concedat lactucam, apium, porrum, brassicam & lentes. Petatur etiam curatio ex præcedentibus Alex. Trallianus decoctum hyssopi, inprimis hyeme & autumno, commendat; cum ejus solius vsu plerique conualuerint, vt non amplius secundùm aut tertiùm eundem in morbum inciderent. Quippe vitiosa & crassa recrementa incidit, & non permittit, vel in stomacho, vel in thorace recrementum in crassitiem coire & spissari; aliúdque per vrinas, aliud per aluum expellit.

Et cum morbus hic aliquandiu latere, & inducias dare soleat, cura non citò abrumpenda, sed continuanda, vt radix mali extirpetur. Habéntque & hic locum cauteria in occipite inter tertiam & quartam colli vertebram, aut vbi summa vertebra cum capite coniungitur.

Videatur etiam Alex. Trallianus, *lib.1.cap.15.* Rondeletius, *de medend. morb. cap. 36.* Hieron. Mercurialis, *de morb. pueror. cap. 3.* Iacobus Truncomius, *tractat. 4. de custodienda puerorum sanitate, cap. 13. tom. 2. consultat. lib. 8.* Horat. Augenius.

*Diæta.*

*Diæta.*

A carnibus omnino infantes abstinere bonum est, præcipuè suillis & bubulis, voluptatis autem causâ, aut alio etiam vrgente vsu modicas accipiant, & rarò; sed quæ non sunt pingues. Alex. Trallianus, *loc. allegato*. Idem non concedit sinapi, cœpas, daucum, vt quæ caput replent, nec apium; de quo infra, *quæst.6*. Plura de diæta infantium videantur apud Trallianum, *loc. allegato*.

## QVÆSTIO I.

### *An solus homo Epilepsia laboret?*

*Quæ animalia Epilepsia laborent.* Affirmare quidem hoc videtur Aristoteles, *sect. 30. probl. 49*. Verum id alij iure negant, vtpote quos experientia aliud docuit. Referunt enim Epilepsiâ laborare & coturnicem, Plinius, *lib. 11. cap. 22*. Iulius Solinus, *in Poly-histor.* Aloysius Mundella, Vlysses Aldrouandus, *lib. 2. Ornithologiæ*, Alaudam, Aloys. Mundella, *lib. 3. cap. 23*. Aldrouandus, *lib. 18. cap. 10*. Accipitres & graculos, Dalechampius, *in comm. in Plin. lib. 3. c. 22*. Picas & perdices, Aldrouandus, *tom. 1. Ornithol. lib. 12. c. 11*. Mundella *loco citato*; Capos, Iacobus Oliuarius, *lib. 12. c. 22*. Passeres; idem, Barthol. Anglicus, Aldrouandus, *tom. 2. lib. 15. cap. 30*. Capras & oues, Hippocrates, *in lib. de Sacro morbo*; Canes, Iulius Cæsar Scaliger, *in comm. in lib. 2. Aristot. de plantis*, Cœlius Rhodiginus, *lib. 6. Antiq. lect. c. 5*. Alij etiam animalia addunt.

## QVÆSTIO II.

### *Quodnam sit subiectum Epilepsiæ?*

*Epilepsiæ subiectum quod.* Subiectum Epilepsiæ omnes Medici cerebrum esse docent, vtpote, quod omnium, quæ in Epilepsia læduntur, actionum fons & caussa est, & quo non affecto Epilepsia non excitatur. Solus Quercetanus aliter sentit, *in Tetrad. c. 8*. Verum nullius momenti sunt rationes, quibus contra Galenum & vulgatam sententiam probare conatur, quod Epilepsiæ sedes non semper sit in cerebro, sed quòd & in quibusdam Epilepticis cor primò & per se afficiatur, quia scilicet cordis actiones, non minus quam cerebri lædantur, vt ex cordis palpitatione, pulsus conuersione, animi deliquiis videre sit: quòdque Epilepsia quædam sit, in quâ phantasia & memoria integra manent. Equidem si de loco generationis materiæ, quæ Epilepsiam excitat, quæratur, nec Galenus, nec Galenicorum vllus vnquam asseruit, eam semper in cerebro generari. Verum hoc quæritur, quâ parte proximè & præcipuè affectâ Epilepsia excitetur. Eam cerebrum esse rectè affirmatur, vtpote quod omnium actionum, quæ in Epilepsiâ læduntur, fons & caussa est, & hoc saluo, & non affecto nunquam Epilepsia excitatur. Et licet cordis palpitatio, & pulsus peruersiones in Epilepsia quandoque animaduertantur: non tamen hinc sequitur, quod cor Epilepsiæ sedes sit. Fit enim hoc vel antequam Epilepsia ingruit, dum vapores maligni versus caput tendunt: & in transitu illud lædunt; vel in ipso paroxysmo Epileptico, corde ab eâdem causâ læso, aut per consensum affecto. Nam cum motu animali impedito respiratio quoque deprauetur, impossibile est, vt cordis actiones non deprauentur. Et licèt cum Epilepsia aliarum partium actiones læsæ concurrere possint: tamen inter se non sunt confundendæ, quod Paracelsus plerumque facit, qui suffocationem vteri, syncopen, tremorem, & palpitationem cordis vertiginem, ecstasin, morbi caduci species facit. Licet quoque in quibusdam Epilepsiæ speciebus quædam sensuum internorum actiones non aboleantur: illud tamen non euenit, quod cerebrum tum non sit pars affecta, sed cor. Nam & tum aliæ ac pleræque actiones læduntur, etsi aliquæ superstites maneant. Id quod accidit, quod caussa Epilepsiæ alia est potentior, alia debilior, & cerebrum nunc magis, nunc minus læditur, Et dari quasdam imperfectas Epilepsias, supra diximus. Ac si omnium affectionum, in quibus cor per consensum afficitur, cor sedes esset: in plurimis morbis illud subiectum statuendum esset, vt in suffocatione vteri, malo hypochondriaco, & aliis pluribus. Et si cor primarium Epilepsiæ subiectum est, cur Quercetanus omnem curationem dirigit ad cerebrum, non verò ad cor?

## QVÆSTIO III.

### *Quænam sit Epilepsiæ Caussa proxima?*

Proximam Epilepsiæ caussam statuimus esse expultricis facultatis in membranis cerebri à materia tenui & acri, & qualitate occulta, neruoso generi inimica, irritationem; & quidem, vt existimo, rectè, vt pluribus in Institut. *lib. 2. part. 3. sect. 2. cap. 6*. demonstrauimus. *Epilepsiæ caussa proxima.* Etenim materia ex subito sæpe sumpto ab aliqua parte initio cerebrum neruosúmque genus peruadit, & paulò post discutitur, sæpe nullo relicto sui vestigio. Et cum Galenus, 3. *de loc. affect. cap. 7*. & cum eo alij Medici omnes, Epilepsiam quandam admittant, quæ excitatur, cum à parte aliqua interna quasi aura quædam ad caput ascendit: cur in Epilepsia per primarium cerebri affectum ad obstructionem ab humore crasso confugere opus est, & cur non tum eadem caussa admittitur, præcipuè cum sternutatio & singultus, Epilepsiæ cognati affectus, eodem modo generentur? Quâ de re Galenus, *loco allegato*, scribit: *Existimaui*, inquit, *similem aliquem in Epilepsia cerebri motum fieri, qualis stomacho interdum à re quapiam molesta accidere solet*. Et Auicennas, *Fen. 1. lib. 3. tract. 5. cap. 8*. sternutationem paruam quandam Epilepsiam nominat, quando videlicet quod in anteriore parte cerebri molestum continetur, cerebrum excutit. Sicuti enim quod in anteriore parte cerebri acre & mordax inest, impetu quodam in sternutatione excutere natura tentat: ita in Epilepsia, quod in membranis cerebrum inuestientibus & principio neruorum molestum est, natura excutere conatur. Et sicut sternutatio oritur non à crassis & viscidis humoribus, sed iis, qui acrem vaporem emittunt: ita à simili vapore & humore Epilepsiam concitari vero consentaneum est, & experientia id confirmat. Compertum enim est, quosdam à vaporibus & odoribus prauis Epilepsiâ correptos esse: contra aliarum rerum vapores & odores eandem discutere. Ita suffitus galbani, cornu capræ, hepatis hirci manifestant Epilepsiam. Eandem contra tollunt odor rutæ, castorei. E quibus caussis externis de internis in corpore latentibus coniecturam facere non difficile est: siquidem cum plura idem efficiunt, vt in communi efficiendi ratione conueniant, necesse est. Quæ omnia satis indicant, caussam Epilepsiæ proximam esse humorem vel vaporem acrem, aut potius malignum, peculiari vi cerebrum stimulantem, & molestantem.

Galenus equidem aliud statuit, &, *lib. 3. de loc. affect. cap. 5*. & 7. 2. *Aphor. 45*. 2. *de Symptom. causs. cap. 7. lib. de atra bile, cap. 5*. & alij Medici, qui eum sequuntur, plurimi docent, Epilepsiam fieri ab humore crasso, qui ventriculos cerebri obstruat, non integrè quidem, vt in apoplexia, sed ex parte, quem dum conetur eiicere cerebrum, sese contrahat, quo contracto nerui etiam contrahantur, & in consensum trahantur. Ita enim *in Comm. 2. Aph. 45*. scribit: *Apoplexia & Epilepsia inter se quodammodo affines & cognatæ sunt affectiones. Eundem enim locum affectum, & eundem humorem habent mali caussam. Hoc differunt, quod Apoplexia fiat propter virtutis ad neruos affluentis plenam consummatámque priuationem: epilepsia ad motum vitiosum & peruersum; quin etiam vtrobique humor est frigidus & crassus*. In quo quidem rectè docet, quod in Epilepsia laborantibus cerebrum

cerebrum concutiatur, & quidem, vt humorem vitiosum excutiat: quod in infantibus Epilepsiâ laborantibus manu capiti applicatâ sæpe manifestè deprehenditur. Verùm in eo non parum fallitur, quod humorem illum eiusdem naturæ cum eo, qui appoplexiam excitat, esse statuit, & obstruendo etiam cerebrum ad concussionem stimulare docet. Etenim non credibile est, pauxillum illud, quod ex partibus inferioribus, ipsius Galeni testimonio, instar auræ, per vias sæpe occultas ad superiora ascendit, crassum esse, & obstruendo Epilepsiam excitare, sed potius membranas cerebri vellicando id præstare. Si quoque obstruendo Epilepsiam excitaret materia, Epilepsiæ caussa, motus potius tolli aut imminui, non verò conuulsia excitari deberet. Et cum apoplexia & Epilepsia hoc modo, & ratione caussæ saltem secundum magis & minus differrent, ob eam tamen differentiam non ita variarent symptomata, sed potius paralysis & stupor, ac animalium actionum ablatio aut imminutio inde fieret, non conuulsio. Præterea si ab humore crasso cerebrum ex parte obstruente fieret Epilepsia, apoplexiam antecederet, & sequeretur Epilepsia. Neque enim credibile est, vt videtur Massariæ, tam repentè, & tam inexplicabili temporis momento integram cerebri obstructionem fieri, vt nullo modo ob inchoatam & semiplenam obstructionem præcederent Epileptica symptomata, si hoc modo generaretur Epilepsia: cum sæpe dolores capitis, vertigines, & similia symptomata apoplexiam præcedere soleant. Multo minus in momento illa obstructio integra, solui potest. Ideóque cum obstructio non est integra, siue ingruente, siue definente apoplexiâ, Epilepsia sequeretur.

De specifica autem huius humoris ac vaporis natura si quæratur, omnino admittendum est, simplicem acrimoniam ac malignitatem & venenositatem ad Epilepsiam generandam non sufficere. Nam dantur multi morbi, in quibus tales humores, & inde exhalantes vapores ad caput ascendunt, vt lues ♀rea, febres malignæ multæ, venenatorum animalium morsus, quibus tamen, & aliis pluribus Epilepsia non coniungitur. Ideóque ad Epilepsiam generandam non sufficit, vt vapor sit acris, mordax, malignus, sed peculiaris in eo qualitas, & specifica proprietas, quâ membranis cerebri & neruoso generi peculiari modo infestus est, & omnino ἰδιότης Epileptica in eo requiritur.

Quæ autem illa specifica sit malignitas & ἰδιότης Epilepsiam excitans, explicare in hac naturæ obscuritate impossibile; éstque ea, sicut aliorum venenorum, occulta, & non nisi ex effectu colligitur. Nonnulli quidem è Chymicis hic se rem clarius explicare posse, quàm Galenicos, promittunt, sed an re ipsâ præstiterint, dubito. Paracelsus & Paracelsi sectatores plerique Epilepsiam morbum Mercurialem esse docent. Quomodo verò id clarè explicent, non video. Neque enim, vt, *in tractatu de Chymic. cum Galen. consens. ac dissens.* dictum, satis explicant, quid sit Mercurius, & quomodo à reliquis principiis differat. Deinde cum multi morbi Mercuriales ex eorum sententia ponantur, non monstrant, quâ in re determinata & specifica huius mali natura sita sit, & quomodo hic morbus Mercurialis ab aliis morbis Mercurialibus differat. Alij, vt rem clarius explicent, è Petri Seuerini Idea radicem huius mali statuunt Vitriolum Mercuriale, & Quercetanus, *in Tetrad. cap.* 11. scribit, nullum ex vaporibus Epilepsiam producere posse, nisi sit naturæ vitriolatæ. Et quidem plerique è Chymicis istis Mercurialem hunc morbum esse dicunt, deinde etiam ex parte aliqua salarium.

Verum enim verò afferuntur quidem ita hæc, sed firmis rationibus non probantur. Nam primò quòd dicunt, morbum Mercurialem esse, ob subiectum eius, quod sit cerebrum, frigidæ & humidæ cum Mercurio naturæ, id hoc non satis probat. Etenim etsi Epilepsia fiat cerebro proximè læso: tamen hic quæstio est non de subiecto, sed de natura specifica illius humoris aut vaporis, qui cerebrum vellicando Epilepsiam parit. Is autem non semper in cerebro generatur, sed interdum in cranio, in ventriculo, vtero, & aliis corporis partibus. Neque etiam ideo Mercurialis dicendus, quod caussa materialis, hunc affectum generans, in liquida seu vaporosa substantia consistit; cum vapores etiam sulphurei esse possint. Præterea nec medicamenta omnia, quæ curant hunc morbum, Mercurialia sunt; sicut ol. succini sulphureæ naturæ est; sal succini, sal C.C magisterium coralliorum, salariæ.

Tandem cum ex illorum sententia omnis vis mordendi & dolorem excitandi à salibus sit, atque Epilepsia fiat à vapore cerebrum vellicante; potius Epilepsiæ caussa, quâ talis, ad salem; quàm Mercurium pertinere videtur. Ideóque ipsi Paracelsici necessarium hîc censent, salem coniungendum esse; id quod nec nos negamus. Cuius autem naturæ is sit, & an satis demonstrent, salem istum vitriolatum esse, & nullum vaporem Epilepsiam concitare posse, nisi proprietatis & naturæ vitriolatæ sit, dubito. Cum enim ipsi paroxysmum Epilepticum excitari statuant, cum exhalationes malignæ, acres, acidæ, adstringentes & corrosiuæ spiritibus animalibus miscentur: id non solùm ex vitriolo, sed & aliis pluribus fieri potest, alumine scilicet, & sale Armoniaco, vt & antimonio & arsenico. Vnde Petræus de Epilepsia scribit, humorem, qui Epileptici vaporis fomes est, ob copiam salis vitriolati, aluminosi & Armoniaci, quandoque & Mercurialis & arsenicalis, phlegmate Mercuriali, & sulphure glutinoso exuto instar aquæ fortis summam acrimoniæ, fermentationis, corrosionis, & penetrationis vehementiam acquirere. Et certè si vapor iste, quod Quercetanus non negat, malignus est, potius malignitas in antimonio & arsenico quærenda est, quam in vitriolo. Adstrictio in alumine quoque est; vis corrodendi in omnibus salibus, vnde tot aquarum fortium differentiæ. Et multi in febribus & aliis morbis æruginosos humores vomitu reiiciunt, à quibus procul dubio etiam vapores congeneres in caput attolluntur, qui tamen Epilepsiam non excitant. Ergo æquè hic Chymicis ac Galenicis ad occultam & specificam qualitatem & proprietatem, necessarium illud humanæ ignorantiæ asylum, confugiendum. Vt non immeritò magnus ille Medicus, Iohannes Crato, *ad Zuuingerum, in Epistolis à Scholtzio collectis, Epistola* 137. scripsisse videatur: Vtinam ante vitæ meæ exitum veram dignotionem huius mali, & verum remedium aliquis ostenderet!

*An detur Epilepsia à sanguine.*

¶ [ De proxima epilepsiæ caussa dictum *suprà*. Quia tamen ibi non facta est mentio quæstionis, *an epilepsia etiam à sanguine fiat*, eam hoc loco proponere libet. Dari epilepsiam à sanguine, probare conatur Petrus Salius Diuersus, *de morb. partic. cap.* 3. & historias duas epilepsiæ, à sanguine, (vt putat) ortæ proponit Zacut. Lusitanus, *de Pr. Med. Adm. lib.* 1. *obseru.* 81. & 26. Et quidem epilepsiam à sanguine generari docet P. Sal. Diuersus, quando sanguis copiosus ab aliqua caussa extrinseca, vt ex potu vini nimio, vel ex valida exercitatione, concitatus, ruit ad partes superiores, cerebríque vasa affatim replet. Tum enim naturam insurgere ad eiusdem propulsionem & discussionem. Et signa huius epilepsiæ ponit, quòd æger sanguine abundat, facies rubet, manûs porriguntur, dentes strident, & motus conuulsiui accidunt. Zacutus Lusitanus verò ad hanc epilepsiam credendam adductus est eò, quòd fœminam quandam illustrem curauit, quæ cùm sanguine plena esset, & horribili epilepsiâ laboraret, ei post septimum paroxysmum cephalicam aperuit, vnde octauus paroxysmus mitior fuit; quod cùm animaduerteret, iterum copiosiùs ex altero brachio sanguinem euacuauit, atque ita his euacuationibus factis, & enematum acri vi, & largè exoneratâ aluo,

*Dari, probare conatur.*

*P. Salius Diuersus.*

*Zacutus Lusitanus.*

conualuit. Idem probat historiâ Viri cuiusdam quadragenarij, robusti & rubicundi, qui ex interuallo epilepsiâ fuit correptus. Huic cùm varia remedia interna & externa essent imperata, tandem etiam præseruationis causâ extra paroxysmum singulis mensibus vena in talo aperta fuit; & ita, euacuato & distracto sanguine ad longinquas partes, æger impostertum benevaluit.

*Responsio Autoris.* Verùm rationes istæ non satis concludunt, sanguinem proximam epilepsiæ caussam esse. Nam *supra* satis mõstratum, ab obstructione meatuum cerebri non prouenire epilepsiam; & proinde nec à sanguine copioso, meatus cerebri obstruente, ea prouenire potest. Et quot sunt plethorici, qui vino sæpe inebriantur, exercentur vehementiùs, irâ concitantur, nec tamen epilepsiam patiuntur? Nimirum solùm ab occulta & maligna qualitate, cerebrum vellicante epilepsia prouenit, vt *ibid.* probauimus. *Sola maligna qualitas proxima Epilepsiæ caussa.* Ad quam qualitatem confugere necesse habuit etiam P. Salius Diuersus, cùm scribit, sanguinem ad cerebrum ruentem Epilepsiam excitare, cùm naturæ grauis, & qualitate forsan etiam molestus est. Dispositionem epilepticam in corpus plethoricum incidere, & forsan copiam sanguinis etiam dispositionem epilepticam fouere posse, concedimus: at quòd proxima & primaria Epilepsiæ caussa sit copia sanguinis, id negamus. *Epilepsia à sanguine, vt sanguis non datur.* Vnde etiam argumentum à curatione & euacuatione sanguinis petitum, id quod debet, non satis probat. Sit enim, vt post repetitam sanguinis euacuationem æger meliùs habuerit: tamen non sequitur, quòd sola sanguinis copia proxima Epilepsiæ caussa fuerit. Nam & alia remedia fuerunt adhibita. Et si in sanguine dispositio epileptica hæsit, non profuit venæsectio copiam sanguinis imminuendo, sed partim à capite eum reuellendo; partim cum eo vitiosum illud, cui maligna qualitas inhæsit, euacuando. Eodem enim modo, quo in melancholia, vt suo loco dictum, prodest repetita venæsectio, non copiam sanguinis imminuendo, à qua non prouenit melancholia proximè, sed melancholicum sanguinem tollendo, in cuius locum posteà purior & laudabilior succedit, ita etiam, si dispositio epileptica ipsi massæ sanguinis inhæret, ac sanguis ille sæpe euacuatur, & postea purior succedit, cessat Epilepsia. Ideóque si plethora adsit, & caussa Epilepsiæ in sanguine hæreat, cum commodo venam, & quidem aliquoties aperiri concedo; plethoram verò proximam Epilepsiæ caussam esse nego.]

## QVÆSTIO IV.

### *Quomodo Cerebrum in Epilepsia afficiatur, & qua de caussa omnium sensuum actiones aboleantur?*

*Qua ratione cerebrum in Epilepsia afficiatur.* Quomodo Cerebrum in Epilepsia afficiatur, id totum ex cognitione caussæ proximæ pendet. Nam qui ab humore crasso Epilepsiam fieri statuunt, necessariò etiam cerebrum vt partem organicam affici, eiúsque ventriculos ab humore isto obstrui sentiunt. Verùm cum istam opinionem supra reiecerimus, eorúmque sẽtentiam probauerimus, qui à vapore mordace, acri, & peculiari vi cerebro infesto, Epilepsiam prouenire docent, rectè etiam hîc statuimus, cerebrum in Epilepsia affici quidem & secundum substantiam, & secundum spiritus, quibus peculiari modo caussa Epilepsiæ aduersa est, postquam tamen cerebrum rem sibi aduersam percipit, & facultate expultrice naturali id, quod molestum est, expellere conatur, neruosum & membranosum genus in consensum trahere. Et hinc fit, vt malignitate & acrimoniâ materiæ Epilepticæ vellicatum cerebrum sese cum neruoso genere concutiat, atque id, quod molestum est, excutere conetur.

Qua verò de caussa omnium sensuum actiones aboleantur in Epilepsia, si ea non fit ab obstructione ab humore crasso, alij aliter sentiunt. Platerus in Epilepsiâ neruosum genus molestè ab humore prauo affici statuit, quem dum excutere conatur, cerebrum simul exagitari, & in consensum trahi dicit; & dum suppetias ad expellendum id, quod molestum est, afferre nititur, spiritus animales à se in neruorum initia propellere, atque ita effusis à cerebro spiritibus sensus internos cessare, & suis functionibus destitui; non aliter, quàm in lipothymia & syncope nonnunquam spiritibus vitalibus effusis cor à sua functione cessat.

Alij ab angustia meatuum cerebri hoc prouenire statuunt: verum non ab obstructione, sed dum cerebrum à vapore molesto irritatur, contrahi & constringi illud dicunt, vnde meatuum oriatur angustia. Verùm magis probabile est, in Epilepsia magnam fieri spirituum animalium perturbationem, atque ideò omnes actiones turbari. Nam cum actiones animales sine spirituum animalium, & quidem sese rectè habentium, ministerio perfici non possint; in Epilepsiâ verò spiritus animales sese rectè non habeant, sed variè turbentur: actionibus animalibus obeundis debito modo inseruire non posse, manifestum est.

¶ [Equidem de hac quæstione fusè hactenus dictum. Vt tamen, quæ illata sunt, clariora fiant, quædam adhuc addenda putamus. *Quomodo Cerebrum in Epilepsia afficiatur? De caussa proxima Epilepsiæ.* Existimamus autem, & docuimus, cerebrum affici non solùm secundum membranas, sed & ipsam substantiam cerebri, ac spiritus animales; & his vapores epilepticos præcipuè occulto modo esse infestos. Etenim spirituum animalium maxima fieri solet perturbatio in epilepsia & omnium sensuum abolitio, quod non accidit membranis tantùm affectis; cùm in conuulsionibus & motibus conuulsiuis, ab irritatione membranarum cerebri solùm profectis, vt in vulneribus accidit, nulla fiat facultatum principum abolitio; sicut nec sternutatione, etsi itidem cerebri membranæ vellicentur. Deinde quia vapor, qui epilepsiæ caussa est, non saltem acrimoniâ, sed occultâ qualitate agit; ad quam percipiendã non inprimis sensu tactus, qui in membranis est, opus est, sed ipsa cerebri substantiâ, quæ facultatem expultricem habet, ad eam percipiendam sufficiens est. Præterea nullus dolor percipitur, qui excitatur, cùm membranæ affici solent. Tandem si cerebrum saltem, vt sensu tactus secundum membranas præditum afficeretur, tantùm acrimonia præstaret id, & ad occultas qualitates confugere opus non esset. Etsi verò cerebrum afficitur, quatenus cognationem naturalem habet rem ipsam percipiendi, & facultatem expultricem, id quod molestum est, expellendi: quia tamen cerebrum membranas & neruosum genus coniunctum habet, id in consensum trahitur, atque, hoc in consensum tracto, porrò musculi, in quibus nerui disseminantur: vnde illi conuulsiui motus, qui ab aliis conuulsionibus, cùm aliis modis, de quibus *lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 28. dictum, tum eo inprimis differunt, quòd in epilepsia sensus interni etiam læduntur, qui in conuulsionibus verìs sunt integri; vtpote neruis saltem affectis, non cerebri substantiâ & spiritibus, quod fit in epilepsia.]

## QVÆSTIO V.

### *An Motus conuulsiuus in Epilepsia fiat à facultate animali, an verò naturali?*

De motus etiam illius conuulsiui, qui in Epilepsia accidit, quóq; membra variè agitantur, natura & caussa inter autores, præcipuè Thomam Erastum, & Comitem Montanum, est controuersia. *Motus conuulsiui in Epilepsia quis autor.* Thomas enim Erastus,

Eraſtus, *in Anatomia librorum Comitis Montani, & in diſputatione de conuulſione*, pluribus defendere conatur, morbum hunc è facultate animali prouenire. Intercætera autem vtitur hoc arguméto:Omnis motus, quem appetitus cùm rationalis, tum irrationalis muſculis imperat, ſiue bene ſiue male id faciat, animalis eſt,ſiue arbitrarius.Is autem motus,qui per contractionem muſculorum ad ſua capita fit, mandatur ab anima ſeu appetitu muſculis.Omnis igitur motus talis dicitur,& eſt voluntarius ſeu animalis. Minorem ita probat, quod nulla animati corporis actio, quæ ab eo, quatenus animatum eſt, editur, ſiue laudabilis ea ſit, ſiue vituperabilis,ab vlla eiuſmodi corporis affectione,nihil ad hanc rem concurrente anima, produci poſſit. Muſculorum verò illa contractio, qua, citra alicuius rei extraneæ operam,ad ſua capita contrahuntur,ac membra, in quæ inſerta ſunt,mouent,operatio eſt animati corporis,quà animatum. Et proinde eiuſmodi muſculorum motus à re nulla alia fieri poteſt, anima non coagente. Cum vero naturalis non ſit, vtpote per muſculos voluntarij motus inſtrumenta exercetur,eſſe animalem & arbitrarium ſtatuit.

Contrà Comes Montanus hoc negat, *lib.3.de morb. c.*30. &, *defenſione quintâ aduerſus Eraſtum*, idque hac ratione, Si facultas animalis motum imperat partibus, imperium hoc ex appetitu oriri neceſſe eſt. Appetitus autem oritur ex cognitione;cognitio à ſenſu;ſed ſenſus in Epilepſia non vigent, & illud, quod corpori moleſtum,neque percipere, neque facultatibus ſuperioribus communicare poſſunt. Deinde etſi in aliis conuulſionibus &ſpaſmo ſenſus ſunt integri : tamen motus omnis,qui fit à facultate animali,eſt voluntarius.ſeu ſpontaneus:at conuulſiuum motum præter voluntatem, & contra eam fieri nemo ignorat; ac propterea facultati animali aſſcribi non poteſt.

Verùm etſi opiniones hæ extremè diſcrepare videãtur:tamen neutra per ſe veritati planè conſentanea eſt, ſed ſi coniungantur,veram ſententiam conſtituunt;cum vtraque vis, & expultrix naturalis, & motrix animalis facultas in Epilepſia concurrant.Etenim motus hi conuulſi ſimpliciter animales non ſunt;cum contra voluntatem fiant. Neque etiam ſimpliciter naturales; cum fiant beneficio muſculi, animalis facultatis inſtrumenti, neque credibile ſit, facultatem naturalem expultricem poſſe tam vehementes ac validos motus ſolum edere.

Itaque hac de re ſic ſtatuendum puto.Cerebri membranæ,vbi à materia mordaci & maligna vellicantur ac moleſtantur,illud,quod moleſtum eſt,excutere conantur. Atque hoc modo vis expultrix cerebri primò quidem mouetur:eadem tamen animalem facultatem,quæ ſubiecto illi ſimul ineſt, in conſenſum trahit, eamq; ad expulſionem laceſſit.Hinc fit,vt potentia illa cerebrum vehementius dilatet & comprimat, ac iſta compreſſione, quod ſibi moleſtum eſt,excutere conetur; quod in ſternutatione fieri videmus. Imò ſimul facultatem mouentem in neruoſo & muſculoſo genere in conſenſum trahit. Atque hoc modo à facultate expultrice quidem initium motus eſt, motus tamen vehementiam iuuat vis animalis.Aliter n. ſeſe habet expulſio in parte, quæ motu deſtituitur;aliter in ea parte,quæ ad motum apta eſt:variántque ſymptomata ſecundum partes ſubiectas; id quod & in ſternutatione,quæ magnam cum Epilepſia conuenientiam habet, videre eſt, vt & in ſingultu. Quanquam enim princeps & prima cauſſa ſternutationis ſit vis expultrix cerebri:irritatur tamen eadem & in conſenſum trahit vim motricem capitis & thoracis,cerebrúmque irritatum in expulſione iſta à motrice functione corporis adiuuatur,muſculique capitis & pectoris contrahuntur,vt felicius ac potentius id, quod moleſtum eſt, à cerebro expellere poſſit. Videantur etiam quæ ſupra de Conuulſione dicta ſunt.



## QVÆSTIO VI.

### *An ſanguinis in paroxyſmo Epilepſiæ ſit mittendus?*

Fuerunt quidem inter Antiquos nonnulli, qui in Epilepſiæ paroxyſmo venam aperiendam cenſuerunt. Verùm hodie nemo Medicorum eſt, qui id ſuadeat aut tentet. Etenim in iſta vehementi & inordinata conuulſione corporis nec commodè ſatis inſtitui poteſt venæ ſectio, nec, ſi poſſet, ſatis tutò ac cum vtilitate aliqua adhiberetur.Nam cùm in paroxyſmo Epileptico maxima naturæ & cauſſæ morbificæ lucta ſit, ac natura id vnicè agat, vt materiam illam ſibi moleſtam excutiat, eadémque valde laboret tum ob denegatum animalium ſpirituum influxum, ac reſpiratio, & hinc aliæ actiones, non rectè ſeſe habeant:facilè fieri poſſet, vt ſanguine, & cum eo ſpiritibus ſubtractis natura ſuccumberet,& ita æger in ipſo paroxyſmo cum medicinæ ignominia expiraret. Nec vlla cauſſa eſt,quæ venæ ſectionem ſuadeat; nec per eam æger à paroxyſmo citius liberari poteſt. *Sanguis an in Epilepſia paroxyſmo. mittendus.*

## QVÆSTIO VII.

### *An extra paroxyſmum ſanguis mittendus ſit in Epilepſia?*

Sunt quidem nonnulli, qui nec extra paroxyſmum in Epilepſia ſanguinem mittendum cenſent, ea inprimis de cauſſa, quod morbus hic ab humore frigido & craſſo oriatur.Sed,vt ſæpe dictum,ex falſa hypotheſi id aſſerunt. Neque enim ab humore craſſo, ſed potius à tenui ortum habet Epilepſia. Ideóque etſi nunquam fieri queat,vt corporis conſtitutio pituitoſa adſit, aut è ventriculo, vel alia parte determinata, nullo ſanguinis vitio concurrente, Epilepſia excitari poſſit, & ita venæ ſectione opus non ſit: (in quibus etiam caſibus nulla venæ ſectionis ſupra facta eſt mentio)tamen in Epilepſia per eſſentiam, & ſi plenitudinis cuiuſdam notæ appareant, aut ſanguis multus melancholicus adſit, vena omnino aperienda eſt;cum indicans venæ ſectionis adſit:modò vires id permittant.Idem faciendum,ſi à conſueta aliqua ſanguinis euacuatione,vt menſium in fæminis vel hæmorrhoidum ſuppreſſione, Epilepſia originem habeat.

## QVÆSTIO VIII.

### *Quænam vena in Epilepſia ſit aperienda?*

Quæ verò vena aliàs aperienda ſit in Epilepſiâ, Autores non planè conſentiunt.Etſi vero ſuprà in ſingulis Epilepſiæ differentiis,quæ vena,vbi opus eſt,aperienda ſit,definitum eſt:tamẽ,vt res clarior fiat,&, quo fundamento ſupra propoſita nitantur, pateſiat; ſciendum, ſi Epilepſia fiat per primarium cerebri affectum, & aliqua plenitudo ſanguinis in capite appareat,vel in toto corpore ſanguinis plenitudo adſit,quæ vel ad producendã, vel fouendam Epilepſiam faciat, viréſque permittant, commodiſſimè in cubito vena aperitur, quâ ſanguis euacuatur,& à capite deriuatur.Si vero Epilepſia ſit per conſenſum ab vtero, ac menſtruorum ſuppreſſionem, vel à ſuppreſſis hæmorrhoidibus,venæ in cruribus aperiendæ ſunt, vt & ſanguini motus ſuppreſſus concilietur,& materia à capite reuellatur. *Quæ vena in Epilepſia aperienda.*

## QVÆSTIO IX.

### *An Vomitus in Epilepſia conueniat?*

Etſi nonnulli vomitum in Epilepſia planè improbent, ea inprimis de cauſſa, quod vomitus caput, quod *Vomitus an in Epilepſia conueniat.*

aliàs in Epilepsia afficitur,concutiat : tamen hæc ratio sufficiens non est,nec vomitus planè improbandus,sed distinctione opus est. Etenim vbi cerebrum primariò afficitur, aut vbi à parte aliqua externa Epilepsiæ caussa cerebro communicatur, nullus vsus est vomitus ; & experientia docuit, eos, qui violentioribus per aluum & vomitum simul purgantibus in Epilepsia cerebro primariò affecto vtuntur,non solum nihil commodi inde percipere, sed peius inde habere. Sed tum vomitus prodest, & locum habet, vbi Epilepsia per consensum ventriculi,partiúmque vicinarum oritur,seu cum causa Epilepsiæ iis in locis hæret, è quibus per vomitum excludi potest.Et naturæ quædam ad vomitum satis pronæ sunt, nec facilè incommodi aliquid ex eo tum metuendum.Et sit,vt caput aliquo modo afficiatur vomitu:tamen longè maius commodum est,quod tum ex eo prouenit.

## QVÆSTIO X.

### *An Frictiones in paroxysmo Epileptico vsum habeant?*

*Frictiones in Epilepsia.*

Non malè,*in spicilegio,c.*1.*de Epilepsia*, scribit Franciscus Hildesheim ; in ipso paroxysmo Epileptico nullum vnquam auxilium præstantius se expertum esse, quàm frictiones validas ac violentas scapularum, brachiorum, crurum, & ipsius dorsi cum pannis asperioribus & pilosis. Erastus tamen, *disp.*4. *contra Paracels.* frictiones non multi vsus esse putat, quòd nihil euacuare ex loco affecto possint, propter obtusum membrorum sensum. Verum enim verò sententia prior verior est.Etsi enim verum sit,sensum tum esse obtusum: tamen si frictiones fortiores sint, quales esse debent, sensus sopiti excitantur quasi. Præterea etsi sensus frictiones non percipiat:tamen frictiones fortes partes calefaciunt,humores & spiritus ad partem, quæ fricatur, concitant, ac mouent. Vnde fit, vt vapores ad caput tendentes versus inferiora & partes illas,quæ frictione incaluerunt,attrahantur & discutiantur.

## QVÆSTIO XI.

### *An in paroxysmo Epileptico sternutationem ciere liceat?*

*Sternutatoria in Epilepsia an conueniant.*

Sunt nonnulli,qui in paroxysmo Epileptico sternutationes ciendas non putant,eâ de caussa,quod humores crassos sternutatoria è cerebro excutere non possint, verùm eos mouendo & agitando maiores obstructiones pariant;imò,capite non euacuato,visui insigne damnum adferre possint ; cùm experientiâ constet, ex intempestiuo sternutamentorum vsu, materia in cerebro copiosâ agitatâ, neruorum opticorum obstructionem, & hinc cœcitatem secutam fuisse. Verùm supponunt hi ex antiqua opinione,à crassis humoribus, ventriculos cerebri obstruétibus, excitari Epilepsiam. Cùm verò supra satis sit demonstratum,non ab humore crasso,sed potius tenui,imò vapore & aura, Epilepsiam excitari ; frustra hoc incommodum metuitur, materiámque talem ptarmica satis discutere valent. Atque vsus & experientia docet, nihil damni à ptarmicis in Epilepsia exhibitis prouenire, sed cum summa vtilitate ea adhiberi. Interim non negamus, in aliis morbis, in quibus materia crassa & copiosa in capite abundat, ptarmica cautè & cum circumspectione esse adhibenda.

## QVÆSTIO XII.

### *An Apium Epilepticis sit noxium.*

*An apium Epilepticis sit noxium.*

Auicennas, *lib.*3.*Fen.*1.*tr.*5.*cap.*11.è cibis præcipuè apium reiicit, vtpote quod peculiarem proprietatem Epilepsiam commouendi habeat ; quem Arnoldus de Villâ nouâ, *lib.*1. *cap.*2. & alij inter quos è recentibus est Tabernæ montanus, sequuntur. Auicennam verò reprehendit Leonhard. Iacchinus *de acutor. morb. curat.* & merum delirium esse id putat, cum Galenus, *in consil. de puero Epileptico*, Apium Epilepticis concedat.

Verùm non solùm Auicennas, sed & Alex. Trallianus, *lib.*1.*c.*15. Apium Epilepticis, ceu naturaliter eos offendens,prohibet. Et Plinius, *lib.*20.*nat.hist.c.*11. ex Chrysippo & Dionysio refert, in puerperio ab eo cibo comitiales fieri,qui vbera hauriunt. Cum ergo tot docti viri id affirment, non puto planè istam sententiam esse reiiciendam,sed potius experientiam,quæ non planè refragabitur,consulendam:Et quamuis multi hodie sine noxa vtantur eo:ij tamen ad Epilepsiam dispositi non sunt. Et licet Galenus Apium Epilepticis concedat;id tamen degustare saltem permittit, sicut & smyrnium,quod tamen postea caput replere scribit;& similia,quæ ei ætati,& in Epilepsia parum commoda, concedit:quâ ipsâ de causâ Hercul.Saxonia hoc consilium cum sale legendum putat.

Hoc tamen hic monendum, cùm de Apio quæstio est, petroselinum nobis ita dictum intelligendum esse. Id enim est verum apium hortense, & domesticum antiquorum;quod verò apium hodie dicitur vulgò, id est apium palustre antiquorum.

## QVÆSTIO XIII.

### *An Cranij humani aliquis in Epilepsia vsus sit?*

*Cranij humani in Epilepsia vsus.*

Cranium humanum contra Epilepsiam hodie vsurpari notissimum est.Reprehendit tamen hoc Erastus,*in disputat.contra Paracelsum part.*4.scribitque,Diabolum persuasisse latenter hominibus, vt pro Epilepsiæ depulsione vterentur puluere ex cranio humano præparato,& iussisse,vt deuorent fœminas fœminæ, mares musculi. Paracelsum verò, cum inaniter offerri cranij puluerem animaduertisset,vt superstitionem confirmaret & augeret,officulum quoddam paruum,angulare, magnitudine vnguis in capitis vertice inueniri, mentitum esse, quod epotum liberaret ab Epilepsia, &, ne in mendacio deprehenderetur, addidisse non in omnium capitibus, sed in quorundam saltem reperiri. Ipse verò Erastus in nullis reperiri statuit.

Verum enim verò etsi verum sit inter medicamenta passim circumferri multa, quæ reipsa quod de iis prædicatur non præstant ; nolim tamen hoc facilè de cranio humano asseuerare;cum tot docti eruditique Medici testentur, verum esse, quod de efficacia cranij humani in Epilepsia scribitur, præcipuè cum Erastus nullam rationem, quæ contrarium suadeat,afferat. Idcóque etsi superstitiosorum medicamentorum vsus rectè reiiciatur, atque inde etiam Galenus, *de simpl. med. fac.* scribat, absurdum & indignum hominibus esse, talia vsurpare : idem tamen Galenus, *lib.* 11. *de simpl. Med.fac.titul.de Ossibus*, refert,se nouisse, quendam ossa combusta potui exhibuisse haud scientibus quid biberent,ne scilicet ea auersarentur, ac multorum tum Epilepsiam tum Arthritidem curasse. Id quod de cranio etiam obseruare cuique promptum est. Et inprimis ad Epilepsiam curandam efficacissimus est spiritus, qui ex eo elicitur, si infantibus gutt. vi. vel vii. adultioribus plures exhibeantur ; vt & sal ille volatilis, qui in destillatione liquoris huius è cranio colligitur.

*Officulum triangulare in cranio humano.*

Paracelsum quoque officulum illud in cranio humano reperiri affirmantem mendacij immeritò arguit Thomas Erastus. Etsi enim ipse ea non viderit : in multis tamen ad commissuram suturæ coronalis & sagit-

talis

talis talia officula triangularia reperiuntur. Et funt penes ne aliqua, quæ nuper etiam meis Auditoribus monftraui, quæque habeo ex dono Dn. Michaëlis Dôringij, iam Medicinæ Doctoris, & Phyfici Vratiflauienfis, qui cum iter in Sabaudiacum Dn. Guilielmo Fabricio, Hildano, Chirurgo celeberrimo, faceret, in offuariâ obuiâ multa ex craniis ibi afferuatis cum Dn. Fabricio collegit.

## QVÆSTIO XIV.

### *Vtrum Amuleta profint in Epilepfia?*

*Amuletorum in Epilepfia vfus.*

Cum de Amuletis quædam in genere dicta fint, *in Tractat. de Confenf. & Chymic. cum Ariftotel. & Galen.* ea, quæ ibi prolata funt, hic repetenda non cenfeo, fed argumenta folùm, quæ, *loc. allegato*, affert Eraftus contra Amuleta, examinabo. Primò quidem fcribit, naturalia πάθη, fiue propter formam fubftantiæ effectricem, fiue propter certam temperaturam rebus fubiectis infint, non aliter mutari, quam per fenfibilium qualitatum alterationem. Quippe formæ fubftantiales neque corrumpuntur, neque mutantur, non mutato temperamento: at ab Amuletis eiufmodi temperamentum fenfibilium qualitatum mutari nequit. Verum enim verò male præfupponit Eraftus, nullas in rebus dari qualitates, & per eas mutationes, præter eas, quæ funt à temperamento primarum qualitatum; aut, fi dantur, non mutari poffe, nifi temperamento fenfibilium qualitatum mutato. Experientia enim multiplici conftat, dari multas occultas qualitates, quæ ab ipfa forma fubftantiali, non mediante temperamento primarum qualitatum, fluunt. Hæ ergo qualitates cum fui generis qualitates contrarias habeant, vnde rerum antipathiæ proueniunt, poffunt mutari, non mutato temperamento à fui generis qualitatibus.

Deinde nec illud admitti poteft, occultas qualitates non, nifi proxima, & quæ contingunt, corpora afficere, in remota verò, & inter quæ aliquod interiectum fit, non agere. Reperiuntur enim inter quos & feles ea eft antipathia, vt ad præfentiam felis etiam ciftæ inclufæ: & quam non vident, animo deficiant. Et magnetis vires trahendi ferrum nullo obice aut obftaculo impediri poffe, ac per tabulam interpofitam ferrum à magnete trahi, res ipfa docet. Et quod Eraftus negat, ferrum à magnete per medias carnes & cutim trahi, id affirmat Ambrofius Paræus, *lib. 8. Chirurg. c. 15.* vbi refert, quendam Chirurgum hernias puerorum curaffe magnete in tenuiffimum puluerem redacto, & cum polenta exhibito, inguine verò, quà præcipitabantur inteftina, melle inuncto, & fubtili ferri limatura afperfa: de quo tamen Lectori iudicium relinquam.

Quod etiam impoffibile putat Eraftus, fruftum lapidis aut radicis appenfum cuti tantam vim morbifici humoris educere, vt morbum tam terribilem iugulare poffit, id impoffibile non eft. Etfi enim fenfibiliter humores vitiofos non educant talia: in ipfam tamen caufam morbificam aliquo modo agere poffunt. Etenim non ipfi humores, quatenus tales, cauffa Epilepfiæ funt, fed malignum illud in humoribus, & praua humorum ἰδιάθεσις ac quod peculiari vi cerebro infeftum eft, quod in minima etiã quantitate magnas vires habet; vt in venenis videre eft. Illud ergo fi extinguatur, & qualitas illa fi tollatur, Epilepfia ceffat, humore manente, modò is non totus corruptus fit. Nec impoffibile eft, humorem aliquem qualitate praua depofitâ manere, aut certè aliorum admixtione ita obtundi poffe, vt ampliùs non deprehendatur: ficut non folum id in coctione humorum, & febribus, extincto paroxyfmo, videre eft, fed & aliis in rebus apparet. Spiritus vitrioli, exempli gratia, infignem aciditatem & acrimoniam habet; at fi aliquid falis vel ol. tartari addatur, omnem illam amittit. Vina pendula corrigi poffunt manente fubftantia. Ita & cereuifiæ acefcentes fæpe qualitatem illam deponunt.

## QVÆSTIO XV.

### *An vfus fanguinis humani conueniat in Epilepfia?*

Ex Tertulliani *Apologetico aduerfus gentes* patet, Romæ vfitatum fuiffe, vt in theatro & arena iugulatorum gladiatorum fanguinem recentem de iugulo decurrentem & tepentem adhuc contra morbum comitialem biberent. Idem Plinius, *lib. 28. natur. hiftor. cap. 1.* teftatur, & Cornel. Celfus, *lib. 1. cap. 34.*

Verùm vt illa ipfa theatrica fpectacula, & gladiorum cædes diaboli inuentum funt: ita, vt Plinij, *loc. allegato*, verbis vtar, ille euerfor iuris humani, monftrorúmque artifex cæde humanâ, & fanguinis humani effufione delectatus, ex hominum fanguine & facrificia & pharmaca per fuos facerdotes fraudulenter inftituit, hominibúfque fuperftitiofis perfuafit, vt contra Epilepfiam fanguinem humanum haurirent. Verùm nullius animalis fanguis adhuc calens fine incommodo bibitur. Docétque experientia, fanguinem animalium potiffimum adhuc calentem & fpirituofum, hauftum magnam in corpore mutationem efficere; poffúntque inde Lycantrophia & Galianthropia excitari, ita vt homines eorum animalium mores referre incipiant, de quo fupra, *cap. 16.* dictum. Sanguinem quoque humanum Epilepticis nihil profuiffe, fed animum ferocem induxiffe, eadem experientia docuit. Nota eft ex Iulio Capitolino hiftoria de Marci Antonij Philofophi Imperatoris vxore Fauftina. Ea enim cum amore gladiatoris detineretur & contabefceret, Marcus Imperator id ad Chaldæos & Mathematicos retulit, qui fuaferunt, vt occifo gladiatore Fauftina tepidum cruorem illius biberet, viróque fuo mox concumberet; quo quidem fanguine gladiatoris haufto amorem depofuit, (forfan defiderio potius per remotionem obiecti, quam fanguinis hauftu, fublato) vis autem illius gladiatoris fanguinis fefe prodidit in partu illius Fauftinæ. Antonius enim, quem peperit, homo crudelis & gladiatorio animo ac temeritate fuit, vt pugnis gladiatoriis & cruentis cædibus Rempubl. Romanam ferè attriuerit. Vid. etiam Libauius, *2. part. fingul. p. 164.*

Refert quoque Iohan. Longius, *epift. lib. 1. cap. 71.* quendam Paftorem ficarium & homicidam duos habuiffe filios, quos fibi in fui facinoris & latrocinij fubfidium affciuit. Cum verò iuniorem ad tam fæua obeunda facinora pufillanimem animaduertiffet, occifo in fylua Ottonis tabellario, panem fanguine occifi madidum filio efurienti edendum præbuit, quo degufato tanquam dæmonis œftro percitus fefe ad quæuis perpetranda flagitia longè audaciorem factum, dum de eo fumeretur fupplicium, fponte confeffus eft. Plura de fanguinis humani, inftinctu diaboli, vfu videantur in allegata modo epiftola. Summa, vt Lucanus fcribit:

*Nullus femel ore receptus*
*Pollutas patitur fanguis manfuefcere fauces.*

*Potus fanguinis humani minùs tutus.*

¶ [Vfum fanguinis humani tutum non effe, *fuprà* diximus. Id confirmat etiam hiftoria, quam refert Zacutus Lufitanus, *de Prax. Med. Adm. lib. 3. obf. 79.* vbi narrat, iuuenem quendam inimico fuo, amicitiâ fimulatâ, ad conuiuium inuitato, inter potandum obtrufiffe poculum vini cum vnc. duabus fanguinis humani, ex homine ruffo venæ fectione emiffi, adiecto etiam faccharo. Quod cùm ille incautus exhauffiffet, poft triduum delira loqui cœpit, & in perpetuum fatuus remanfit, nec vllo remediorum genere curari potuit.]

## CAPVT XXXII.

### *De Caro.*

#### *Nomen.*

*Carus vnde dictus.* CArus ἀπὸ τῆς κάρης, à capite sic dictus est, quod sit capitis grauitas,& inexpugnabilis dormiendi necessitas. Latini nonnulli torporem, Arabes Subeth appellant. Idem cum Caro etiam affectus videtur esse malum, quod Hippocrates,7. *Aphor.*14. & 58. ἔκπληξιν & ἀφωνίαν nominat. Quanquam ἀφωνία pro magnitudine affectus interdum apoplexiæ tribui videatur; de quo infra, *de Apoplex.quæst.*1.Etsi verò Carus nonnunquam pro comate sumitur: tamen cum de Caro propriè dicto loquimur, est is proximus apoplexiæ affectus, in quo non solùm somnus longior est & profundior, quàm in lethargo, sed præterea æger vocatus non audit, &, nisi punctus, vix sentit, & quamuis sentit,non tamen loquitur,aut oculos aperit. Respiratio tamen illæsa est, quo ipso ab apoplexia differt, in qua respiratio est difficilis cum stertore. Quando verò Galenus,4. *de loc.affect.cap.*2.& 2.*acutor.aphor.*10.scribit; in Caro hominem neque sentire neque moueri, neque intelligere,neque meminisse, id ita accipi debet, quod Carotici non sentiunt nec mouentur,nisi obscurè,& confuso quasi iudicio, dum videlicet obiecto fortius feriente ac pungente partem contrahunt, quod non fit in apoplexia.

#### *Definitio.*

*Definitio.* Est videlicet Carus,vt Galenus definit,*de sympt.different.cap.*3.Paralysis quædam τῆς φανταστικῆς, seu, vt res clarius explicetur, resolutio & priuatio quædam sensuum internorum & externorum, motúsque voluntarij, spirandi solùm facultate illæsa: seu somnus profundus cum sensus & motus, respiratione exceptâ,imaginationisque seu imminutione, seu ablatione, ob impedimentum motus, ac liberum exercitium spirituum animalium.

#### *Caussa.*

*Caussa proxima.* Caussam huius mali proximam esse in spiritibus animalibus,qui in organa sensus & motus influere, ac liberè in cerebro moueri non possunt,planum esse puto. Hoc autem impedimentum plerique ab angustia ventriculorum cerebri prouenire statuunt:quod commodè explicandum.Neque enim,vt alibi dictum,in ventriculis cerebri spiritus animales continentur & mouentur, sed potius in substantia,& meatibus cerebri. Ideóque à meatuum cerebri,siue compressione, siue obstructione seu angustia,Carus ortum habet.

Et quidem primò à compressione cranij & cerebri fieri Carum,docet Fernelius,*lib.*5.*Pathol.c.*2. dum scribit,se vidisse quendam ictu vehementi ac valido concidisse,vt sanguis ex oculis,naribus,auribus, & ore emanârit,hinc totius mentis sensúsque stupor inuaserit, vt caluaria pertusa ac denuo obducta fuerit, omnéque remedij genus sine sensu inductum fuerit, atque is tertio mense restitutus immemor omnium, quæ acciderant. Refértque Mercurialis,se vidisse quendam ab importuna cranij perforatione factum caroticum,vbi scilicet in vulneribus inter perforandum vel eximendum os,membrana cerebri violatur, negligentius impresso instrumento Chirurgico,quod μηνιγγοφύλακα appellant. Pertinet & huc musculorum temporalium ac arteriarum contusio:nisi caussæ istæ commodius ad tertium caussæ genus referri possint, de quo postea. Pertinent & huc allegati aphorismi 14.& 58.*sect.*7.

Secundò ab obstructione meatuum cerebri, imò cerebri refrigeratione & humectatione ab humore quodam frigido & crasso,Carum fieri posse,negandum non videtur:cum omninò inter soporis præternaturalis species hæc sit grauissima.Ad hanc caussam faciunt iter per loca frigida,vt pluuiis & niuibus,habitatio in conclaui nuper ædificato & humido.

Tertiò. Sed præter angustiam caussæ illæ externæ, ictus & percussiones capitis, casúsque alio etiam modo actiones animales turbare posse videntur, videl.vel agitatis, commotis & perturbatis saltem spiritibus, vel etiam neruis, quibus spiritus feruntur, ruptis. De qua caussa vtrâque Fernelius, *loc.allegato*, ita scribit: Fiunt præterea & soporosi affectus cerebro ictu vel casu vehementius concusso. Agitatis quippe & commotis spiritibus nulla rectè actio edi potest, túmque subsistit homo quasi attonitus, vt qui aut timore aut verecundia obstupuit. At si concussionis vi & impetu fracta & depressa caluaria meninges cerebrúmque premit, sensus atque sermonis expers obstupescit homo.At certè cum effractum cerebrum est, atque eius, aut neruorum inde prodeuntium diuulsio quædam obtigit, omnibus quidem fractis ac debilitatis deterrimus sopor oritur, exiguam nobis salutis spem relinquens.

Pertinere huc videtur & ea Cari species, quæ fit arteriis, carotidibus, & musculis temporalibus affectis. Cum enim hæ arteriæ spiritum vitalem ad animalium spirituum generationem ad cerebrum vehant,si lædantur hæ arteriæ, & spiritui vitali transitus denegetur, spirituum animalium generatio non fit, & ita spiritibus vel deficientibus,vel perturbatis Carus oritur.Idem fit musculis temporalibus contusis,compressis,vel alio modo læsis, quos idcirco Hippocrates, *lib. de articulis*, καρώδεας nominat. Habent enim non solùm maximum cum cerebro consensum propter insignes neruos, qui si lædantur, facilè cerebro malum communicatur, sed & arteriæ carotides his musculis læsis lædi possunt.

Ad hanc differentiam Cari,quæ à perturbatione spirituum fit, pertinet & ille,qui fit à vehementissimis doloribus à caussa siue internâ, siue externa, dissipatis videlicet spiritibus, & concidente in cerebro spirituum animalium robore; vnde nonnulli etiam subsidentiam cerebri deducunt, quæ peculiaris in hoc affectu angustiæ caussa sit.

Pertinet huc & ille somnus grauis, qui in Epileptici paroxysmi fine accidit.

Quartò. Quibus tandem meritò addimus vim narcoticam,de qua supra,*cap.*2.dictum,& *cap.seq.* de Apoplexia dicetur,dum spiritus animales torpidi, & ad actiones suas inepti redduntur. Accidit hoc ex medicamentorum narcoticorum,cum assumptorum,tùm extra applicatorum vsu. Deinde quædam venena Carum inducunt, sicut ex morsu aspidis soporem & torporem lethalem accidere,Plutarchus, *de morte Cleopatræ*, scribit; vt & fungorum quorundam esus, & alia venena. Sæpe etiam ex intus genitis malignis humoribus in malignis febribus Carus accidit. Imò interdum in intermittentibus etiam febribus in principio paroxysmi calore attenuatâ & fusâ materiâ vapores ad caput eleuantur, & Carum excitant, qui non prius cessat,quam vapores illi discussi sint. Et quod in febribus à toto corpore accidit quandoque, idem etiam à priuatis partibus,intestinis, & vermibus in iis,ac vtero accidere potest.Refert quoque Mercurialis,Sabæos populos incidere in hunc morbum ex odore & fragrantia fructuum & florum apud eos nascentium,& curari suffitu bituminis & barbæ hirci. Pertinet huc & fumus carbonum accensorum in conclaui conclusorum,qui & aërem crassum & ventilando calori ineptum reddit, & vi narcotica spiritus torpidos efficit. Quod præstant & vapores illi è musto & cereuisia feruente exhalantes.

*Differen*

*Differentiæ.*

*Differentiæ.* Differentiæ vtiles & ad curationem cognitu necessariæ à caussarum diuersitate, & locorum, in quibus illæ in corpore generantur, varietate petuntur. Carus videlicet alius est per essentiam, vbi materia, eius caussa, in capite generatur; alius per consensum: & quidem nunc ex hac, nunc ex illa parte prouenit. Caussæ quoque sunt variæ, vt modò dictum.

*Signa Diagnostica.*

*Signa diagnostica ipsius affectus.* Æger graui & continuo somno opprimitur, atque oculos habet clausos, quod non fit in catalepsi; & si eos dum magno clamore vocatur, aperit, statim iterum claudit, interrogatus non respondet; quod fit in lethargo, in quo ipsa febris semper coniungitur: cùm carus, si cum febre fit, accessiones saltem febrium sequatur. Si pungatur, sentit, & membrum contrahit; quod non fit in apoplexia: libera tamen respiratio adest; nisi caussæ vehementia sit maxima: ac tum parum ab apoplexia differt hic affectus.

*Signa Caussarum.*

*Signa caussarum.* Caussæ quoque huius affectus sua habent indicia. Nam si à compressione est; præcessit contusio vel ictus; quod ab ab astantibus cognosci potest: sicut & si à fumo carbonum aut veneno hoc malum originem trahat. Si ab obstructione, vel cerebri humectatione, pituitę signa aderunt ex antegressis caussis humectantibus & refrigerantibus, vt aëre, cibis, medicamentis, ex temperamento itidem ac habitu corporis humidiore ac frigidiore, & signis aliis, de quibus supra, *part.* 1. Si febris adsit, facilè suis cognoscitur signis, & naturam caussæ patefacit. Si ex vermibus originem habeat, item si vapor ab inferioribus ascendens malum producat; diligenter inquirendum, in qua parte fons mali & materia, quæ vaporem illum narcoticum suppeditat, hæreat. Si à veneno ortum habeat, id ex adstantium relatione cognoscitur.

*Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Τὸ καρῶδες vbique malum, teste Hippocrate; *in Coac. prædict.* & Galeno, 1. *Prorrh. Aphor.* 29. Nã actiones animales, exceptâ solâ respiratione, sunt affectæ, & cerebrum, quod nobile membrum est, patitur. Magis verò periculosus est Carus, in quo respiratio quoque læditur. Tum enim apoplexiam in propinquo esse, indicio est.

2. Cephalalgia καρώδης cum capitis grauitate conuulsionem indicat. Hippocrates, *in Coac.* Cuius rei caussam hanc reddunt, quod humor frigidus non nimis crassus in neruorum substantiam penetret, eos repleat, extendat, aut frigore vellicet, vt conuulsio sequatur. Verum probabilius est, materiam, quæ seu cerebrum humectando & replendo, seu vi narcoticâ, carum inducit, simul peculiari modo neruoso generi infestam esse, illudque vellicare, & prout in hunc vel illum locum prius incidit, hoc vel illud symptoma prius producere posse. Etenim si in fine paroxysmi sopor accidit, non tam ob defatigatum à nimia agitatione cerebrum, quam quod, vt rectè Platerus hac de re statuit, vapores maligni, qui prius neruosum genus afficiendo motus epilepticos excitabant, postea cerebrum labefactando soporem inducunt: cur non etiã vapor aut humor, qui prius in cerebro soporem inducebat, postea ad neruosum genus conuersus idem vellicare, & conuulsionem parere possit? Cuius rei documentum præbet vinum & spiritus vini. Etenim compertum est, ebriis nonnunquam post soporem conuulsionem superuenisse.

3. Carus in declinatione febrium continuarum proueniens, si vires sint debiles, lethalis est.

4. Si cranio contuso meninges & cerebrum contũdantur, malum est; quoniam æger aphoniâ corripitur, & sensu motúque priuatur. Si verò cerebrum ipsum effringatur, aut neruorum fiat auulsio, deteriora symptomata succedunt, cum exigua salutis spe, vt ex 7. *Aph.* 14. & 58. colligitur.

5. Carus & somnus nimius ac grauis post quamlibet magnam inanitionem aut spirituum dissipationem & absumptionem, pessimus est. Ægrum enim morti vicinum nunciat.

*Indicationes.*

*Indicationes.* Si malum hoc proueniat à copiosa pituita cerebrũ refrigerante, humectante, & irrigante, vel etiam meatus eius obstruente, calefacienda, attenuanda, & euacuanda ea erit, habitâ prius ratione totius corporis. Si autem ab humore vel vapore narcotico fiat, ea exhibẽda, quæ peculiarem facultatem habent narcoticam vim infringendi: simulque partis, quæ illam materiam suppeditat, habenda ratio est. Si à veneno proueniat, curatio ad illud dirigenda. Si accidat à compressione cerebri, cranium eleuandum, affluxus prohibendus, &, quod affluxit, discutiendum.

*Curatio.*

*Curatio.* Ergo si vel à pituita, vel à vapore narcotico originẽ habeat Carus, habitâ prius totius corporis ratione, eoque euacuato, reuulsionibus institutis per frictiones, glandes, clysteres acres, vt suprà, *part.* 1. dictum, caput per errhina, apophlegmatismos & similia euacuetur, vt, *ibidem*, dictum. Æger frequenter rutam & pulegium olfaciat, aceto intincta; pars capitis anterior fricetur ol. rutæ, cui castoreum admistum sit, vel etiam addatur sinapi ac nigella, vel sinapismi instituantur. Acetum quoque acerrimum laminæ ferreæ candẽti infundatur, ac vapor naribus excipiatur, quod efficax est in affectibus soporosis remedium. Reliqua curatio ferè instituitur, vt, *capite seq. de Apoplexia* dicitur.

Si autem cum febre vel vermibus coniungatur Carus, vel aliunde per consensum accidat, respiciendum ad totum corpus, vel ad partem mittentem. Materia scilicet à capite auertenda, cerebrúmque, quod est membrum recipiens, roborandum. Inprimis materia, quæ caussam suppeditat, tollenda. Sublato enim morbo principali vel fomite, & illud, quod eum sequitur, cessat. Ea tamen non sunt negligenda, quæ vim narcoticam infringunt; ideóque acetum, ruta, pulegium olfacienda.

Si autem à veneno hoc malum inductum sit, & quidem haustu, mox vomitus instituatur. Deinde dentur conuenientia alexipharmaca. Si opium sumptum sit, castoreum mixtum cum oxymelite detur. Si hyoscyamus; cassia lignea aut castoreum exhibeatur. Si morsu animalis venenati inductum sit venenum & hinc pendens Carus, conuenientia alexipharmaca danda, ac venenum, per vulnus extrahendum. Si ignoretur venenum, propinetur theriaca antiqua cum castoreo. Sin extra admotum sit narcoticum, ol. castor. rutæ & de piperibus conuenit.

Simul in his omnibus danda opera, vt æger à somno excitetur, de quo suprà, *cap.* 2. dictum. Nimirum extra adhibenda ruta, & ex ea parata medicamenta, castoreum, acetum, moschus, vel applicetur capiti emplastrum ex vna parte scillæ, vna rutæ, & duabus castorei.

Nonnulli plura medicamenta à proprietate iuuantia contra hunc affectum proponunt. Dominic. Leonus, *cap. proprio*, scribit, quendam Empiricum retulisse, succum consolidæ, præcipuè minoris, quantitate ℥ij. haustum, lethargicos & caro laborantes excitare, &

omnem somnum profundum remouere. Idem scribit; fel gruis tepefactum in vase plumbeo, & illitum occipiti, à somno excitare, myrrham item & thus deglutitum somnum discutere. Recenset ibidem & alia quædam sub ceruicali posita, vel corpori alligata, quæ vigilias præstant, vt oculos, cor & fel philomelæ, pennam dextræ alæ merulæ, caput & cor vespertilionis, oculos vpupæ; quæ tamen videntur esse superstitiosa.

Si denique à compressione cranij & cerebri originẽ habeat Carus, curatio instituenda vt suprà, *part.* 1. *c.* 10, dictum.

### *Diæta.*

Diæta. Æger contineatur in aëre temperato, vel ad siccum & calidum vergente, lucido, non tenebricoso, & clamore forti ac vociferatione excitetur. Instituantur & frictiones & ligaturæ extremorum. Reliqua ex iis, quæ de Lethargo dicta sunt, & iam de Apoplexiâ dicentur, petantur.

### *Cura fumo carbonum, vel musti vapore suffocatorum.*

Propter cognationem non prætereunda cura eorum, qui fumo carbonum vel vapore musti aut cereuisiæ suffocantur. Cum enim interdum accidat, vt Medicus ad eos, qui fumo carbonum, vel vapore musti aut cereuisiæ feruentis penè suffocati sunt, subitò vocetur, quid tum agendum sit, vt in promptu habeat, necesse est. Forestus, *lib.* 15. *obseru.* 36. *in scholio*, curationem ex Haly, *Practica lib.* 6. *cap.* 4. desumptam proponit. Verùm Haly eo loci non de fumo suffocatis, sed de strangulatis, & fune suffocatis agit. Æger autem talis statim in aërem liberum exportandus, & os diducendum, ac apertum seruandum, & sp. vini optimè rectificatus, in quo aliquid theriacæ dissolutum sit, vel aqua theriacalis aut apoplectica vel epileptica vel hirundinum cum castoreo, vel acetum rutaceum instillandum. Hinc vbi æger iterum moueri incipit, vomitorium ex multo oxymelite exhibendum, dorsóque ægri concussio vomitus excitandus. Hinc aliquod sternutatorium naribus inflandum, & palato theriaca, Mithridatium cum castoreo, aliáque, de quibus de apoplexia dicetur, illinenda. Nec intermittendæ frictiones, clysteres. Tandem ea exhibenda, quæ spiritus animales & vitales reficere valent.

## CAPVT XXXIII.

### *De Apoplexia.*

### *Nomen.*

*Apoplexia vnde dicta.* Apoplexia, Græcis ἀπὸ τοῦ ἀποπλήττειν dicitur, quod homo ceu fulmine ictus, aut victima ad aram cæsa, subitò concidat. Ἀφωνίαν & Apoplecticos ἀφώνους appellat Hippocrates, 4. *de rat. vict. in acut.* 6. *Aph.* 51. 7. *Aphor.* 58. quod hoc malo correpti statim obmutescant.

*Ἀφωνία quid sit.* De voce verò ἀφωνίας notandum, etsi vox etiam lædi possit solùm instrumentis voci destinatis læsis: tamen Hippocrates, vt Galenus, *in Comm. ad allegatos Aphorismos*, docet, ἀφώνους κατ' ἐξοχὴν eos saltem, quibus sensus & motus ablatus, quique non aliter atque attoniti sine vllo sensu & motu prostrati iacent, sub nomine ἀφώνων intelligit, sub vno maximè manifesto symptomate τῆς ἀφωνίας omnes voluntarias actiones læsas comprehendens. Fit autem hoc & in Apoplexiâ & in caro. Ideóque ἀφώνων nomine vtroque affectu laborantes comprehendit Hippocrates. Aphoniam quidem pro caro sumit, 5. *Aphor.* 5. pro Apoplexia verò locis modò allegatis.

De voce tamen ἀφωνίας, & qualis is affectus sit, dicetur infra, *quæst.* 1. Latinis morbus sideratus & attonitus appellatur, quod quasi fulmine tacti ægri concidant. Nonnullis quoque vniuersalis paralysis nominatur, quòd omnium partium sensus & motus auferantur. Germani *den Schlag, vnd die Hand Gottes* nominãt.

¶ [ Aphonia equidem, vt *suprà* diximus, etsi sit sæpe propriè vocis læsio, quæ pluribus à caussis accidere, & etiam sine sensus & motus læsione contingere potest, solùm instrumentis voci destinatis læsis: tamen Galenus, *in cõment. ad aph.* 5. *sect.* 5. *ad aphorism.* 51. *s.* 6. *ad aph.* 58. *sect.* 7. docet, Hippocratẽ in allegatis aphorismis, & alibi etiã, ἀφώνους eos dicere, qui sẽsu & motu voluntario priuantur, κατ' ἐξοχὴν, quòd vox voluntariarum actionum sit præcipua, atque ἀφωνίαν tum idem esse quod apoplexiam. Et 4. *de rat. vict. in acut. text.* 23. scribit, vno ἀφωνίας nomine Hippocratem & epilepsiam, & apoplexiam, & syncopen cardiacam intelligere. *De Aphonia, & an Aphonia & Apoplexia sint idẽ affectus. Aphonia quid.*

Verùm enimuerò obseruaui aliquoties in praxi affectum quendam, qui meritò ad ἀφωνίαν refertur; an tamen sit apoplexia, meritò dubitatur: cùm potiùs inter epilepsiam & apoplexiam quasi medius esse videatur. Etsi enim veluti apoplectici concidunt ægri: tamen motu planè non priuantur, neque conuelluntur, neque etiam vox iis initio planè perit, sed interdum quædam, pauca tamen, proferunt. Descriptum tamen hunc affectum apud nullum Authorem inuenire potui, nisi nuper apud Adrianum Spigelium, *lib.* 2. *de Semitert. cap.* 16. vbi eum his verbis describit: *Est*, inquit, *morbus in Germania & Pannonia frequens, quem Austriaci, Moraui & Styri Timorem appellant, inter apoplexiam & epilepsiam quodammodo ambigens. Cadunt enim veluti apoplectici sine sensu, non tamen motu priuantur, neque conuelluntur, vt epileptici. Aliquando stertunt, nec tamen discusso morbo paralysin alicuius membri incurrunt.* Hæc Spigelius. *Obseruatio cuiusdam affectus, Aphonia cognati, & inter Epilepsiã ac Apoplexiam quasi medij.*

Talis Aphonia est, quam ebrij quandoque patiuntur. Talis fuit ille affectus, quem hîc Vir quidam doctus debilitate ventriculi laborans, passus est. Ille cùm mensæ assideret, & parum comedisset, subitò color faciei mutari cœpit, vocémque amisit, interdum tamen quædam pauca locutus est; ( nequè enim tales vocem semper planè amittunt, sed pauca quædam loquuntur) motus tamen non fuit ablatus, cùm & manu medicamenta propinanda à se propelleret, & ab adstantibus ductus, ambularet. Oculos habebat apertos, neminem tamen cognoscebat. Accidit verò, vt cùm vltra dimidiam horam ita habuisset, surgeret, & stans, sed ab adstantibus sustentatus, euomeret cruda multa, ac plura, quàm tum absumpsisset. Post vomitum statim ad se rediit, & adstantes agnouit, se tamen vomuisse non meminit, atque ita horæ spatio ab hoc affectu liberatus est. *Aliquot eius Exempla.*

Simile malum alium quendam Virum mediâ nocte post crapulam inuasit, qui itidem vomuit, sed vix post horas duodecim à malo isto liberatus est. Idem post quinque septimanas, horâ tertiâ pomeridianâ, eodem malo correptus est, cùm solus esset, pronus in faciem concidit; frontémque parte sinistrâ læsit, & pronùs in facie iacens repertus est. In lectum deportatus, mox vomuit aliquoties, neminem agnouit, motu tamen non planè priuabatur. Nam omnia medicamenta, manu sinistrâ tamen solùm à se repulit, & stans à ministris sustentatus in matulam minxit, pauca locutus est. Post horas duas planè ἄφωνος factus, stertere etiam cœpit, & aliqua conuulsionis indicia in brachiis apparuerunt, & ante sextam vespertinam mortuus est.

Alius quidam Vir, hepate calidiore præditus, cùm crapulæ nimis indulsisset, subitò mensæ assidens omnium sensuum perturbationem passus, atque ἄφωνος factus est: sermonem post horam recuperauit, sed sensuum illa perturbatio diebus aliquot durauit. Eundem morbum

morbum in pluribus aliis obseruaui, qui omnes post vomitum meliùs habuerunt, paralysi tamen, quod post apoplexiam fieri solet, non fuerunt correpti: Et memini, quendam ducem militum plusquam vigesies hoc malo, isto, quo dixi, modo correptum fuisse, semper tamen conualuisse: quod non fit in apoplexia.

Cùm ergo non planè sensus externi, & motus voluntarius auferantur, sed potiùs interni sensus perturbentur, omnino ἀφωνία talis apoplexia dici non potest, neque etiam epilepsia, etsi nonnunquam in alterutrum affectum desinat, & plerunque apoplexiæ, prodromus sit.

*Caussa huius affectus.* Oritur hic affectus plerunque consensu partium inferiorum, à vapore narcotico, spiritus animales in cerebro seu sopiente, seu perturbante; id quod ebriis accidit, 5. *aph.* 5. interdum etiam à capitis percussione, & spirituum perturbatione, sine principij neruorum concussione. Quia tamen, vt dictum, si caussæ vehementia maior sit, ægri tandem, vt apoplectici, subitò moriuntur, ad apoplexiam tunc hic affectus referri potest, etsi ab apoplexia, quæ fit ab angustia principij neruorum, non parum differat. Nam in hac apoplexia simul statim ferè motus voluntarius aufertur, sensusque externus perit: in aphonia verò sæpe satis diu sensus externi, & motus voluntarius reliquus est; cum spiritus animales in ipso cerebro inprimis afficiantur. Et quamuis aliquis in eam sententiam venire possit, ἀφωνίαν omnem pertinere ad eas affectiones, de quibus Hippocrates, 3. *de rat. vict. in acut. text.* 23. *& seqq.* agit, vt vult Salius *de affectibus particular. cap.* 2. *&* 3. & eam prouenire à sanguine: vt non negârim, tale quid à sanguine aliquando accidere posse; tamen qui ea, quæ in ægris accidunt, diligenter perpenderit, facilè animaduertet, id non semper accidere, & sæpe hoc affectu eos corripi, in quibus nulla est sanguinis abundantia, & nulla caussa, quæ sanguini ad caput motum conciliare potuerit, præcessit. Et ipsa solutio mali testatur, non semper à sanguine malum hoc prouenire; cùm, vt suprà dixi, plerunque post vomitum cesset. Et fit sanè, vt in facie aliquis rubor appareat, is tamen potiùs affectum sequitur, cùm natura cerebro laboranti suppetias ferre vult, sanguine & spiritibus ad caput missis.

*Cura.* Cum autem plerumque post crapulam, & ex repletione hypochondrij, hoc malum accidat, necessarium est, ventriculum potu crudo, quo repletur, & cuius vaporibus cerebrum atque spiritus offenduntur, liberari, proptereàque vomitorium exhibere commodissimum est, & quidem tale, quod statim vomitum prouocet. Ad quod præ ceteris tutissimum est, Vitriolum album, & sal Vitrioli, cum cereuisia calida butyro condita, vel iusculo aliquo pingui sumptum, quod statim vomitum prouocat, cùm cætera vomitoria pleraque tardiùs id præstent.]

## *Definitio.*

*Definitio.* Est autem Apoplexia animalium actionum omnium, motus scilicet ac sensuum cum principium facultatum læsione, ablatio, ab influxu spirituum animalium in organa harum actionum denegato, orta. Cùm enim omnes actiones animales per spiritus animales expediantur, vbi spiritus in neruos & musculos non influunt, sensus ac motus perfici non possunt. Sola respiratio, imminuta tamen, aliquandiu reseruatur, ob maximam eius necessitatem; quia natura de salute hominis sollicita, quicquid spirituum potest, ad musculos thoracis mittit, & omnibus aliis motibus, quibus homo sine mortis periculo carere potest, ablatis, respiratio, quâ homo sine vitæ periculo carere non potest, quandiu possibile, seruatur. *Respiratio in Apoplecticis seruatur.* Præterea quia respiratio actio animalis simpliciter non est, sed præcipuè pulmonis motu perficitur, concurrente tamen motu thoracis. Seruatur plerumque & pulsus integer, quia is non ab animali, sed vitali facultate proficiscitur. In vehementissima tamen Apoplexia fit languidus, paruus & celer.

## *Caussæ.*

Cum actiones animales à spirituum animalium operâ proximè proficiscantur, meritò quoque actionum harum læsarum caussa in denegato spirituum animalium influxu & motu quæritur, & rectè proxima caussa Apoplexiæ & læsarum actionum animalium omniū statuitur esse denegatus influxus & motus spirituum animalium. *Proxima Apoplexiæ caussa.* Etsi verò antiqui hâc de re consentiant, & ab obstructione ventriculorum cerebri hoc fieri putent: tamen hodie non eadem est omnium Medicorum eâ de re sententia, vt in Institut. dictum, & postea, *in quæstione prima,* dicetur. Hîc verò, vt rem paucis complectamur, statuimus, influxum & motum spirituum animalium prohiberi vel à meatuum, per quos spiritus animales in sensuum & motus organa influunt, seu principij spinalis medullæ angustia, vel à spirituum animalium torpore & narcosi, vel ab eorundem spirituum effusione aut perturbatione.

*Meatuum angustia.* Angustia autem meatuum, per quos spiritus animales ad organa sensus & motus tendunt, cum rursum quatuor modis fieri possit, scilicet ab eorundem meatuum vel obstructione, vel compressione, & quidem cum humores pituitosi & excrementitij, vt & sanguis è vasis suis ad basin cerebri effusus meatus illos comprimunt, aut phlegmonodes διάθεσις, aut cranium ictu, vel alia caussa externa compressum meatus illos comprimit & angustiores reddit: caussæ hæ, quæ ad curationem rectè instituendam omnino discernendæ sunt, sex erunt. 1. Humores pituitosi, seu quicunque alij excrementitij, spirituum animalium influxum prohibentes. 2. Sanguis è vasis suis ad cerebri basin effusus 3. φλεγμονώδης cerebri διαθέσει. 4. Cerebri à caussa externa violenta compressio. 5. Vapor seu spiritus narcoticus, spiritus animales torpidos reddens. 6. Spirituum animalium à vulnere vel capitis percussione perturbatio aut effusio; de quibus ordine dicemus.

*Pituita Apoplexiæ caussa.* I. Si pituita, vel etiam simul humor melancholicus subitò commoueatur, & spiritibus animalibus ad organa sensus & motus influxum prohibeat, non quidem, vt antiqui credebant, ventriculos cerebri obstruendo, sed basin cerebri, & principium neruorum, atque omnino cerebri oblongati, & in spinalem medullam iam desinentis, partem, è quâ omnes nerui originem suam habent, & per quam spiritus animales in omnes neruos influunt, seu premat, seu obstruat, spiritibus animalibus influxus & transitus denegatur. Vtroque enim modo, & compressione, & obstructione id fieri posse putamus. Nam si excrementa cerebri extra cerebrum subitò fundantur, principium neruorum comprimere possunt. Si verò intus cumulentur, & ad basin cerebri & principium neruorum subitò moueantur; illud obstruunt. Non tamen à veritate alienum videtur, etiam pituitam tenuem & acidam, seu potiùs serum acidum, vtpote in loco per se angusto, obstructionem facere posse. Et humoris huiusmodi in apoplecticis abundantis sæpe multa adsunt indicia. Atque est humor hic per se neruis inimicus, & sæpe pertinacem paralysin, in quam apoplexia degenerat, excitat, & apoplexia in paralysin subitò desinens sæpe arguit, materiam non semper adeo fuisse crassam.

II. Si sanguis è vasis suis seu ictu, seu contusione, seu quocunque validiore impetu ad basin cerebri & dictum locum effundatur, & non statim per os, aures, nares, quod quandoque fieri solet, effundatur, sed neruorum principio extra affusus, eique incumbens id comprimat & coarctet, Apoplexiam inducit. Huius rei

rei duas historias describit Fernelius, *lib.2. de abdit. rer. causs. cap.* 15. Primò enim refert, se vidisse, aliquando virum viribus integrum sinistri oculi ictu vehementiori repentè attonitum corruisse, cum omnibus fortis Apoplexiæ indiciis, atque intra 12. horas mortuum fuisse: in cuius mortui aperto capite neque ossis, neque meningum neque substantiæ cerebri quicquam confractum diuulsumque, sed duntaxat internas oculi venas contusionis vi disruptas animaduerterit, è quibus sanguis cochlearium duorum mensura ad cerebri basin procubuerit. Deinde alium, qui citra caussam externam Apoplexiâ extinctus esset, se dissecuisse refert, in quo humor crassus ac viscosus similiter ad contextum retiformem inuentus est, cerebri ventriculis nec oppletis, nec obstructis.

III. Non solùm sanguis è venis affusus dicto modo Apoplexiam generat, sed & phlegmonodes diathesis; quando scilicet cerebri vasa sanguinis copia ita replentur, vt substantiâ cerebri, meatibusque angustioribus redditis, spiritibus transitus denegetur; de quo in Institutionibus. Et pluribus etiam de his agit. Petrus Salius Diuersus, *de affect. partic. cap.* 2. Hoc saltem addo, etsi verum sit, ipsis vasis iugularibus, seu venis, seu arteriis constrictis vel obstructis, nec soporem grauem, nec apoplexiam fieri: tamen cùm non solùm Arabes vasa hæc apoplectica & subetica nominarint, sed & ipsi Græci carotidas appellarint, caussam certè aliquam fuisse oportet, cur hoc nomen iis imposuerint, quam ego eam existimo fuisse, vel quòd per hæc vasa sanguis, qui Apoplexiæ sanguineæ, & soporis grauis caussa est, ad cerebrum fertur, vel quod vapores narcotici per ea ad cerebrum adscendunt.

IV. Si ictu vel casu vehementiore caluaria deprimatur, cerebrumque, & inde neruorum principium comprimatur, idem accidere potest. Vbi tamen impossibile non est, & ruptis vasis sanguinis effusionem, & spirituum perturbationem, vt etiam fit in cerebri commotione, concurrere posse.

*Spirituum animalium torpor & narcosis.* V. Si vapor seu spiritus narcoticus spiritus animales quasi sopiat, & ad motum ineptos reddat; neque in cerebro rectè mouentur, neque in organa sensus & motus influunt, & omnino ad actiones animales inepti redduntur. Id quod accidere potest & ab opio, ac opiatis medicamentis, & à venenis ac humoribus narcoticâ vim habentibus. Cum enim carus & similes affectiones somnolentæ ex humoribus in corpore genitis, & venenis quandoque producantur: Apoplexiam etiam hoc modo generari posse, impossibile non est. Frustra verò laborant, qui horum affectuum caussam ex sola frigiditate deducere conantur. Atque hinc fit, vt, etsi Apoplexia in paralysin interdum desinat, tamen in eiusmodi hominibus ratiocinatio & memoria vix pristinum vigorem recuperet, sed hebetes ac torpidæ illæ actiones, præcipuè in senio confectis, deinceps relinquantur. Quod accidit non tam quod frigida & humida intemperies cerebro inducitur, quam quod à vapore narcotico mala & torpida diathesis cerebro & spiritibus imprimitur. Pertinet huc & illa à & vino & spiritu vini narcosis, qua nonnulli omni sensu & motu ablato moriuntur. Et multis nota sunt exempla illorum, qui ebrij se curru domum reuersuri commiserunt, & ab assidentibus pro dormientibus habiti domum reuersi mortui inuenti sunt. Et meminiante paucos annos hîc infantem quendam, cum in conclaui à parentibus domo egressis, ne extra domum vagaretur, conclusus esset, inuento vitro spiritu vini pleno, cum magnam partem eius exhausisset, à parentibus domum reuersis humi prostratum vitrum in brachiis tenentem semimortuum inuentum esse, & paulò post expirasse.

*Spirituum animalium effusio aut perturbatio.* VI. Tandem si cerebrum vulneretur insigniter, vt spiritus animales effundantur, vel etiam ictu aut casu ita concutiatur, vt spiritus animales omnes perturbentur; id quod fit in commotione cerebri, de qua suprà, *parte* 1. *cap.* 20. dictum, aut cerebrum subsideat & comprimatur, vel sanguis è vasis suis excidat; actiones illas, quæ spirituum animalium operâ perficiuntur, aboleri, & Apoplexiam induci necesse est: de quo Hippocrates, 7. *Aphor.* 58. *Quibus occasione aliqua cerebrum fuerit vehementer concussum, mutos protinus fieri necesse est.*

### *Differentiæ.*

*Differentiæ.* Primò Apoplexia secundum gradus quosdam distinguitur. Galenus, 3. *de loc. aff. cap.* 7. &, *cap.* 10. 2. *Aphor.* 42. & alibi Apoplexiæ magnitudinem æstimat ex respirationis noxa maiore vel minore. Fortissima enim Apoplexia est, in qua protinus cum sensu & motu in toto corpore cessat quoque respiratio; vnde nec stertor nec spuma in hac apparet. Tales ante triduum siue ante horas 72. elapsas sepulturæ dandi non sunt, cum respiratio sensum nostrum latere possit, & dubium sit, vtrum Apoplexiâ extincti sint, an vero ecstasi melancholica, vel præfocatione vteri laborent. Ita de Iohanne Scoto, celebri illo Scholastico, narrant quod bis sit mortuus, & semel sepultus. Cum enim incidisset in ecstasin melancholicè, & exanimi similis iaceret, fratres illum pro mortuo sepeliuerunt in sepulchro concamerato. Tertiâ nocte ad se rediisse dicitur, cũque exclamasset in sepulchro capite ad fornicẽ illiso, idq; pro spectri tumultu aliquandiu habitũ esset, postea aperto sepulchro mortuus tandem inuentus est. In his enim affectibus calor cordis tam insigni ventilatione per pulmones non indiget, sed sufficienter διαπνοῇ corporis per motũ arteriarum facta aliquantisper tẽperatur & sustinetur; de quo Galenus, 6. *de loc. aff. c.* 5. Et proinde diligens exploratio motus etiam obscuri arteriarum certius exhibet signum de reliqua in corpore aliqua vita, quam quæ aliàs capi solent ab admotis ori vel naribus lanâ au gossypio carptis, aut pennâ molli, aut candelâ accensâ, si moueantur, aut à tersissimo speculo ori admoto, si ad halitum maculas contrahat, aut à cyatho aquæ pleno pectori imposito, si agitatio aliqua percipiatur. Præterea hâc intra triduum expectatione color faciei in cadauerosum mutatus, & fœtor toto corpore exurgens mortuum ostendit.

Proxima fortissimæ, atque ita fortis ac vehemens Apoplexia est, in qua æger difficulter, & cum magna violentia respirat, stertórque auditur, & spuma circa os apparet. Tertia vehemens & ipsa est, sed minus, vbi respiratio quidem violenta est, inæqualis tamen, inordinata, & intermittens. Postremò debilis est Apoplexia, vbi respiratio aliquem ordinem seruat, quæ in paralysin ferè alterius lateris desinit, materiâ in spinalem medullam protrusâ.

Altera Apoplexiæ differentia est, quam caussarum consideratio suppeditat, quæque sensibus facilè colligitur: nimirum quod Apoplexia alia est ab humore pituitoso; alia à sanguine è vasis violenter ruptis effuso; alia à phlegmonode diathesi; alia à cerebri à caussa externa compressione; alia à spirituum animalium perturbatione & effusione ob cerebrum vulneratum & læsum.

### *Signa diagnostica in genere.*

*Signa diagnostica.* Si homo subitò concidat, omnisque sensus ac motus, ac simul vox repentè auferatur, solâ respiratione, sed ea difficili, remanente, nisi quod æger quasi dormiẽs, aut quasi mortuus (nisi adhuc aliqua respiratio, color faciei, & pulsus animaduertatur) iaceat, membrumque nullum moueat, sed omnia membra laxa sint, & si brachium vel pes eleuetur, pondere suo, vt in cadauere concidat, æger nec audiat, nec videat, nec, si tangatur

gatur vel pungatur, sentiat, nec loquatur, ore hiante, & cum stertore, respiret, oculoſque clausos, vel palpebras suspensas aut contractas habeat, pulsus tamen, nisi fortissima sit Apoplexia, plenus sit & validus: is Apoplexia laborare dicitur. Resoluitur interdum in Apoplecticis & ani sphincter, sicut id ante paucos annos in Ciue quodam huius Academiæ obseruaui, cui cùm Apoplexia corriperetur, anus sphinctere resoluto hiabat, vt clysterem iniectum retinere non posset.

*Apoplexia à cognatis affectibus differentia.* Atque his signis Apoplexiam ab omnibus cognatis affectibus discernere non est difficile.

Primò quidem à lethargo differt Apoplexia, quod lethargo laborantes somnolenti sunt, & excitari possunt: Apoplectici verò excitari non possunt, sed quasi mortui iacent, nisi quod stertunt. Præterea febris cum lethargo coniuncta est, quæ in principio Apoplexiæ non adest: progressu tamen morbi calor quidam interdum in Apoplexia percipitur.

A caro differt, quòd hic non subitò, vt Apoplexia, sed sensim inuadit, & libera ac facilis, sine stertore, est respiratio, aut, si stertor adest, adest cum somno, & quidem profundo, sensúsque & motus in caro non est planè ablatus, ac, si pungatur æger, sentit, & quamuis non loquatur, ad punctionem tamen mouetur, & membrum contrahit.

Ab vteri verò suffocatione differt, quòd in Apoplexia æger faciei colorem retinet; in vteri suffocatione autem color faciei mutatur, ac cadaueri similis est. In vteri quoque suffocatione vis sentiendi nonnunquam manet, neque respiratio impeditur, aut, si caussa sit vehemens, vt etiam respiratio lædatur, tunc pulsus simul obscuratur, qui in Apoplexia plenus est ac validus: cum cor in Apoplexia ita affectum non sit, vt instanti suffocationis periculo valde repugnet.

A syncope discernitur, quod in ea quoque color faciei à naturali in pallidum, & cadaueri similem mutatur: deinde quod in syncope subitò, spiritibus & sanguine ad cor raptis, musculi per consensum afficiuntur, vnde ægri dentes atque os, item manus arctè claudunt, vt vix aperiri possint; cum in Apoplexia membra omnia laxa sint. Neque veluti in Apoplexia, in syncope sensus prorsus est ablatus. Pulsus verò nullus est, vt & manifesta respiratio nulla, aut, si quæ est, maiorem æqualitatem seruat, quàm in Apoplexia.

Ab ἐκστάσει verò melancholicâ differt, quod in hac pulsus & respiratio obscuratur, & signa malum melancholicum indicantia præcesserunt.

Ab epilepsiâ differt, quod in hâc corpus conuellitur, & motu inordinato concutitur, qui in Apoplexia nullus est.

A catarrho suffocatiuo differt, quod in hoc subitò humor à capite ad pectus & pulmones decumbens respirationem & sermonem sæpius interrumpit, hominémque sensu & motu integro suffocat, aut certè suffocationis periculum minatur.

### *Signa Caussarum.*

1. Apoplexiam ab humore pituitoso fieri, cognoscitur ex corporis constitutione, ætate, præcedente victus & vitæ generis, & aëris ratione. Si scilicet temperatura corporis fuerit frigida & humida, corpus pallidum & molle, ætas senilis, ægérque antea in aëre frigido, humido, nebuloso versatus sit, in otio vitam duxerit, & somno multo indulserit, cibísque frigidis & humidis vsus fuerit, ac consueta per nares & fauces pituitæ vacuatio suppressa sit. Quæ de pituitâ coniectura confirmatur, si æger, antequam in morbum incidit, capitis grauitatem, pigritiam in motu atque omnibus operationibus senserit, si palpebras tumidas habuerit, cù ster tore dormiuerit in aqua se suffocari aut glacie aut niue se operiri somniauerit; de quo etiã supra *p.1.* dictum.

2. Si sanguis è vasis ad basin cerebri affusus Apoplexiæ caussa sit, aliqua externa violentia, quæ vasa vicina vulnerauit, vel rupit, præcessit, quod adstantes indicabunt.

3. Si à phlegmonode diathesi cum sanguinis copia ortum habeat Apoplexia, signa eius sunt, si æger ante morbum toto corpore, & inprimis facie, rubeat, calidæ & humidæ constitutionis sit, lautè vixerit, cibísque boni & multi nutrimenti vsus fuerit, vinum generosum biberit, in aëre calido & humido versatus sit, in otio vixerit, aut minus se exercuerit, somno nimio indulserit, absque sollicitudine vixerit, consueta aliqua sanguinis euacuatio suppressa sit, tensionem & grauitatem in corpore senserit, vrinam crassam & rubram emiserit. Quæ signa confirmantur, si venæ colli turgeant, in somno rubra spectra appareant, vt supra, *part.1. de Intemperie capitis cum plethora*, dictum.

4. Si narcoticum quid extra sumptum Apoplexiam induxerit, ex aliorum relatione id Medicus cognoscet. Sicut nec ille affectus latet Medicum, si quis vino vel spiritu eius sese ingurgitauerit. Si autem intus in corpore genitus sit ille vapor, id ex eo colligitur, quod reliquarum caussarum indicia absunt, & nulla pituitæ vel sanguinis abundantia in corpore animaduertitur, & nihilominus cum signis Apoplexiæ æger quasi attonitus subitò concidit.

5. Si à vulnere, vel ictu, aut casu cerebrum læsum sit, nec illud Medicum latere potest.

### *Prognostica.*

1. Quicunque sani repentè doloribus capitis tentantur, & statim obmutescunt ac stertunt, in septem diebus pereunt; nisi febris eos prehendat, *6.aphor.*51. & *5.aphor.*5. Febris autem intelligitur non quælibet, sed acuta, quæ materiam illam pituitosam, ac spiritum flatulentum tum attenuet, tum dissoluat. Si tamen Apoplexia ortum habeat ab affectione cerebri phlegmonode, febris, quæ adest, morbum non leuat, propterea quod phrenetica quædam symptomata accersuntur, quæ omnes facultates corporis vehementius prosternunt. *Prognostica.*

2. Apoplexiam fortem soluere impossibile est, debilem non facile, *2.aph.*42. Ideóque Medicus mox inter initia curationis sese prognostico muniat, & in adhibendis necessariis remediis non cunctetur: in generosis tamen ac vehementibus remediis administrandis cautus & non temerarius sit. Accipiendus autem hic aphorismus de Apoplexia quam materia pituitosa & crassa efficit, quæ facilè discuti nequit, aut quam materia narcotica fortis excitat, & vbi virtus omnis, ac inprimis expultrix, obruta & consopita est, suffocationísque periculum imminet. Quæ autem à compressione fit, & externa violentia, facilius curationem admittit, materiâ è venis per venæsectionem tempestiuè exhaustâ.

3. Apoplexiæ verò vehementia ex noxæ, quam respirationi affert, vehementia dignoscitur; teste Galeno, *3.de loc.affect. cap.*7. Maximè enim vitæ necessaria est respiratio, tandémque ægri spiritu præcluso suffocantur. Quatuor verò gradus seu differentias huius morbi ex respiratione magis minúsve læsa idem Galenus, *2. aphor.* 42. constituit, vt antea etiam dictum. Si enim respiratio ordinem aliquem seruat, debilis est Apoplexia, quæ in paralysin alterius lateris ferè definit. Si verò respiratio est quidem contenta ac violenta, inæqualis tamen, inordinata ac intermittens; vehemens iam est Apoplexia. Vbi respiratio cum magna violentia est, stertórque auditur, & spuma circa os apparet, fortis iam ac vehementior est Apoplexia. Vnde Hippocrates, *2.aphor.*43. *Strangulati & suffocati, nondum tamen mortui, ad se non redeunt, quorum circa os collecta spuma apparet.* Sciendum tamen hîc, cum spuma illa fiat

ex

ex materia humida, & ſpiritu ſiue flatu, à motu vel calore, vel vtroque; materiam illam humidam duplicem eſſe poſſe in Apoplecticis, humorem ſcilicet pituitoſum, vel propriam pulmonis humiditatem. Si materia ſpumæ ſit propria pulmonum humiditas, quæ ob vehementiſſimam cordis compreſſionem, anguſtiam & calorem excitatur, ſpuma ea paucior eſt, & hinc illa Apoplexia lethalis. Si verò ſpuma fiat ex humore pituitoſo, qui ex difficili reſpiratione flatu repletur, ſpuma eſt copioſior, & tales apoplectici interdum ſeruantur. Refertque Galenus, *in comm. alleg. aphor.* nonnullos, quibus ſtrangulatis ſpuma circa os apparuit, ſibi eſſe reſtitutos, quamuis id rarò accidat. Eadem ſtertoris ratio eſt; qui quò vehementior, eò malum periculoſius eſt. Si tamen ſtertor antea magnus fuit, & is iam minuatur, ſymptomatibus reliquis non remittentibus; mortis iam inſtantis indicium eſt. Vbi verò mox cum ſenſu & motu ipſa quoque reſpiratio ad ſenſum aboletur, atque inde nec ſtertor nec ſpuma apparet, cum ſpiritus vel aëris inſpirati reciprocatio nulla ſit; fortiſſima Apoplexia eſt.

4. Et quidem ita interdum in Apoplexia ad ſenſum aboletur reſpiratio, vt, an æger viuat, an mortuus ſit, ambigatur, & ſignis quibuſdam ad id explorandum opus ſit, de quibus antea dictum. Ac tutiſſimum tunc eſt, tales ante tertium diem finitum non ſepelire; cum reſpiratio ſenſum latere poſſit: de quo etiam ſupra, *de differentiis*, dictum.

5. Apoplecticis ſi à difficili reſpiratione ſudor ſuperueniat, lethale eſt. Ea enim ἐϕίδρωσις ſeu ſudatiuncula ab oppreſſione caloris innati accidit.

6. Si Apoplexia iuuenem, atque æſtate inuaſerit, maximam cauſſæ vehementiam oſtendit; ideoque talis Apoplexia admodum periculoſa eſt 2.*aphor.* 34.

7. Si ſubitaneis Apoplexiis febris mediocris ac diuturnior ſuperueniat, periculoſum, 1.*prorrh. comment.* 2. *aphor.* 50.

8. Apoplexia, ſi ſoluitur, plerumque in paralyſin deſinit, materiâ naturæ robore in alterutrum latus depulſâ. Neque tamen ſemper, etſi in paralyſin deſinit Apoplexia, æger ſeruatur: quia ſæpe aut morbus ipſe redit, aut ſopor grauis prehendit, à quo æger non euadit, ob ſummam cerebri debilitatem, præſertim ſi ſit ſenex. Nonnunquam apoplexia finitur fluxu phlegmatico oris, qualis lue Venerea laborantibus poſt inunctiones Mercuriales accidit.

## *Curatio in genere.*

*Curatio in genere.* Medicus ad ægrum vocatus, ſi eum Apoplexiâ correptum videat, eamque fortiſſimam eſſe animaduertat, non temerè aut facilè eius curationem ſuſcipiat. Ne tamen planè eum deſeruiſſe, aut neglexiſſe videatur, frictiones, clyſteres, & alia, quæ ſpiritus animales excitare poſſunt, adhibeat; generoſiora verò medicamenta non proſtituat. Si verò aliqua vitæ ſpes ſuperſit, ad curationem, cum prognoſtico tamen, accedat, & quidem maturè; quod faciendum eſt faciat, idque, ſeu de die, ſeu de nocte exſequatur; cum morbus exiguo tempore incrementum capiat.

Cum itaque in Apoplexia actiones animales ablatæ ſint, & facultates quaſi ſopitæ, danda opera eſt, vt facultas animalis excitetur. Et cùm actiones animales ceſſent ob ſpirituum animalium denegatum influxum, curandum, vt iis in principium neruorum tranſitus patefiat, &, ne plus humorum vel vaporum, qui malum augere poſſent, ad caput feratur, cauendum. Reliqua curandi ratio, quæ cauſſam aufert, pro diuerſitate cauſſarum inſtituenda.

Primùm itaque æger in loco temperato collocetur, nec omnino ſupinus & extenſus decumbat, ſed aliqua ex parte ſedens, erectâque ceruice, vt facilius aërem attrahat, tegumenta ſint leuia, & cuneo interpoſito os apertum ſeruetur, nares prehendantur, pili, præſertim in cruribus, vellicentur, digiti complicentur, totum corpus concutiatur, vt ſpiritibus via aperiatur, moderatè tamen, ne agitatione vehementiore fuſa in corpore pleno materia morbum augeat & foueat.

Partes extremæ, ac potiſſimum volæ pedum, fricentur ſale & aceto, extrema fortiter ligentur: rura, cuius loco balſamum rutæ, vel Apoplecticum, vt & ſucci-ni, ſaluiæ, caſtoreum vſurpare licet, naribus admoueatur, vt & vertici & nuchæ.

*Cucurbitularum ſuppoſitoriorum, & clyſterum vſus.* Cucurbitulæ cruribus affigantur. Imò in Apoplexia ſummum & vnicum remedium habentur cucurbitulæ capiti impoſitæ: quod remedij genus D. Fracaſtorius Apoplexiâ correptus nutibus ſuis indicaſſe fertur; ſed non intellectus periit. Ano glandes indantur, clyſteres iniiciantur. Et quidem clyſteres tam ante, quàm poſt venæ ſectionem, ſi ea opus ſit, adhibere licet; qui etſi ex primis viis ſolùm, ac inteſtinis euacuare videantur: tamen conſecutionis ratione à toto corpore trahunt, & vapores exhalantes à capite auertunt. Itaque eâdem die duos vel tres clyſteres iniicere licet, ſeu diu ſeu noctu id fiat, prout res poſtulat. Sint autem glandes aut clyſteres paulò acriores.

Exempl. gratia.

℞. *Spec. hier. Logad.* vel *hier. colocynth.* Drach. ij. *ſem. carui, rutæ*, an. Scr. ij. *caſtor. ſal. gemm.* an. Scrup. j. Cum ſ. q. mellis cocti F. Suppoſitorium.

Clyſter fiat talis:

℞. *Parietar. betonic. betæ, ſaluiæ, rutæ, origan. primul. veris*, an. M. j. *ſem. carui, fœnicul.* an. Dra. ij. Coq. in aqua fontana.

Colat. ℞. ℔. j. In ea diſſolue *el. diaphœnic.* ʒ. vj. *Indi maior. bened. laxat.* an. ʒ. ij. *ol. chamæmel. rutac.* an. ℥ jß. *mellis roſat. colat.* ℥. j. *ſalis comm.* ʒ. jß.

F. Clyſter.

Vel ℞. *Herb. chamæpyt. paralyſ. ſaluiæ, hyſſop. calaminth. rutæ, parietar. beton. centaur. minor.* an. M. ſem. *ſem ſeſeleos, vrtic. rutæ, fœnicul. aniſi*, an. Drach. ij. *flor. roriſmar.* P. j. *ſtœchad. Arabic.* P. ij.

Coq. in aq. communi.

Colat. ℞. Vnc. x. In quibus diſſolue *elect. bened. laxat.* Vnc. ß. *diaphœnic.* Drach. vj. *ol. de caſtor. rutæ*, an. ℥. j. M. pro Enemate.

Sunt etiam qui croci metallorum aliquid clyſteribus hic addunt, vel ʒj. eius in ſpiritu vini ebullire ſinunt, & poſtea cum reliquo decocto miſcent. Verùm an ſatis tutò, dubito. Compertum enim eſt, etiam à gr. iii. vitri antimonij glandi inditi, non ſolùm aluum copioſè motum, ſed & duos vomitus excitatos fuiſſe. Idem ergo ne & hîc accidat, metuendum. Quod ſi accideret, ſanè incommodum foret, timendumque, ne ex conatu vomendi ſuffocatio acceleraretur.

Alius fortior:

℞. *Rad. angelic. ireos*, an. Drach. iij. *fol. rutæ, calaminthæ, pulegij, hyſſop. centaurij minor. lauri*, an. M. j. *flor. ſtœchad. Arabic. lauendul.* an. M. ß. *fol. ſenæ, ſemin. cartham.* an. Vnc. ß. *baccar. iuniperi* Drach. iij. *agar. albi* Drach. ij. *pulp. colocynt. in petia ligata*, vel huius loco in melancholico humore, *hellebor. nigri* Drach. j.

Coq. in ſ. q. hydromel.

Colat. ℞. ℔. j. *elect. hier. ſimpl.* Drach. vj. *hier. Logad. benedict. laxat.* an. Drach. ij. *pilul. coch.* Scrup. j. *ol. rutacei* Vnc. ij. *mell. roſat. colat.* vel *anthoſ.* Vnc. j. *ſal. gemm.* Scr. iiij. F. Clyſter.

Si clyſter debito tempore non reddatur, glande aluus prouocetur. Sæpe tamen accidit, vt antea etiam dictum, vt ſphincter ani reſoluatur, vnde anus planè pateat, ac clyſteres ſine fructu iniiciantur, cum retineri non poſſint; qui caſus plerumque deſperatus eſt.

Inprimis verò ſollicitus ſit Medicus, an venam aperire liceat, & neceſſarium ſit. De hac enim verum quod

quod Celsus, *lib.3.c.28.* scribit : *Si omnia membra vehementer resoluta sint, sanguinis detractio vel occidit, vel liberat. Aliud curationis genus vix vnquam sanitatem restituit, sæpe mortem tantum differt, vitam interim infestat. Post sanguinis missionem si non redit & motus & mens, nihil spei superest ; si redit, sanitas quoque conspicitur.*

Ergo considerandum, an sanguis caussæ principalis, vel adiuuantis, vel sine qua non, rationem habeat, viréſque venæ sectionem ferant, túmque sanguis mittendus. Vires autem non actionum animalium ablatione æstimandæ sunt, sed, quales ante Apoplexiæ inuasionem fuerant, considerandum. Si enim tum satis fortes fuerunt, etiam nunc permittunt venæ sectionem; nisi planè fortis sit Apoplexia. Nec vires sunt in Apoplexia debiles per resolutionem, (quæ debilitas venæsectionem prohibet) sed per suffocationem & oppressionem. Ac proinde non solùm non prohibent, sed & coindicant venæ sectionem. Si verò nullo modo sanguis peccet, aut vires sint dejectæ, aut æger admodum senex, venæ sectio intermittenda.

*Quando venæ sectio instituenda.* Statim verò, & sine omni mora siue noctu, siue de die Apoplexiâ quis corripiatur, venæ sectio instituatur, & quidem ante clysterem, præsertim si sit fortior Apoplexia. Si non adeo fortis, clyster præmitti potest. Fricetur tamen prius corpus, & aperiatur vena in brachio. Quanquam enim nonnulli à saphenâ incipiant: tamen ejus sectio parum prodest in tam præcipiti morbo ; cum vena sit exigua, & tam longè à capite ac sanguis officina distet, nec satis citò, nec satis copiosè sanguinem à capite reuellere possit. Licet quoque sanguinis euacuatio aliqua suppressa Apoplexiam antecesserit : tamen in paroxysmo Apoplexiæ non agitur de sanguinis euacuatione suppressa reuocanda, sed laboratur, vt emittatur sanguis, qui ita vrget, vt nisi subitò euacuetur, mortem minetur.

*Quanam vena aperienda.* Aperiatur verò cephalica vel communis, & plus vel minus sanguinis emittatur, pro copiæ ratione, & virium tolerantiâ.

Est & hoc hîc notandum; vtilius ac tutius esse, non vnâ vice mittere, quantum opus est, sanguinis, sed per vices, intra tamen paucarum horarum spatium. Nam per iteratam illam sanguinis missionem & materia facilius mouetur, & vires non deiiciuntur. Atque inspiciatur post primam venæ sectionem ægri facies, & pulsus exploretur, & si color faciei viuidior reddatur, & respiratio facilior, ac pulsus se bene habeat, bene sperandum, & confidentius sanguinis missio repeti potest.

*Cucurbitulæ cum scarificatione quibus partibus applicandæ.* Si venæ sectione vti non liceat, reuulsio fiat per cucurbitulas cum scarificatione applicatas cruribus, brachiis, lumbis, scapulis; non verò posteriori thoracis parti, aut hypochondriis, ne contractis thoracis & abdominis musculis respiratio magis impediatur. Quanquam Aëtius post purgationem corporis etiam hypochondriis eas adhibere non dubitet: sicut & capiti nonnulli vnam magnam cum multa flamma adhibent.

Ad euacuationem materiæ proximæ è capite expedit, si fieri potest, venas narium aperire, aut mediam frontis. *Venarum iugularium sectio.* Nonnulli venæ jugularis sectionem commendant, secundum longitudinem factam, vt facilius coalescat; estque illa in Apoplecticis satis conspicua, vt collum stringere vel ligare opus non sit. Peritum tamen & prudentem chirurgum hæc sectio requirit; &, ne post venæ sectionem arctiore ligaturâ opus sit, emplastrum de bolo Armeno, aloë, pilis leporinis, & albumine oui vulneri imponatur.

*Aquarum apoplecticarum usus.* Commodè quoque in paroxysmo Apoplectico aliquid aquæ Apoplecticæ ægro infunditur, siue sit à vapore narcotico, siue à pituita, Apoplexia. Aquæ enim hæ ob summam penetrandi vim præsentissimum sæpe afferunt auxilium, & multos ab imminente Apoplexia, vel etiam jam præsente, liberârunt : modò sanguis non valde abundet, qui aquarum istarum vsu fundi posset ; aut à caussa externa, aut violenta quadam malum ortum habeat, vt postea, *quæst.5.* dicetur.

Vel de hac Potiuncula :

℞. *Aq. langij, cardamom.* an. Vnc. sem. *cubebar.* Vnc. j. *apoplectic.* Vnc. i. ß. *essentiæ anthos, salu.* an. Drach. i. *flor. pæon. gran. Kerm.* an. Drach. sem. *extract. pæon.* Sru. sem. *succini alb. præparat.* Scrup. i. Misce.

Si à caussa interna ortum habeat Apoplexia, sternutationem quoque ciere vtile est; de quo mox dicetur in curatione Apoplexiæ pituitosæ.

### *Curatio Apoplexiæ pituitosæ.*

*Curatio Apoplexiæ pituitosæ.* Reliqua curatio secundum caussarum diuersitatem, quæ supra fuit proposita, instituenda. Primò ergo Apoplexiam, quæ à pituita ortum habet, quod attinet, præter ea, quæ antea in genere sunt proposita, & ad excitandum spiritum animalem necessaria sunt, in specie quædam adhuc monenda sunt.

*Venæ sectio.* Inprimis & hîc Medicus attendat, an venam aperire liceat. Quod faciendum, si sanguis pituitæ permisceatur, ac caussæ adiuuantis, vel sine qua non, rationem habeat, viréſque ferant. Minus tamen in hac specie Apoplexiæ, quàm in sanguinea, sanguinis euacuandum. Vulnus in venæ sectione fiat amplius. Aliàs enim sanguis, qui crassior est, statim subsistit.

*Cucurbitularum applicatio.* Si venæ sectione vti non liceat, cucurbitulis cum scarificatione vtendum, vt antea in genere dictum.

Nec post venæ sectionem à reliquis reuulsionum generibus supra propositis desistendum.

*Clysterum iniectio.* Inprimis clysteres repetendi *ex radic. angelic. fœnicul. pæon. cortic. sambuci, fol. rutæ, saluiæ, hyssop. origan. betonic. rorismar. maioran. calaminth. pulegij, florib. stœchad. Arab. lauendulæ, granis juniperi, ebuli, sem. pæon. fœnicul. anisi, agarico, sena, colocynthide, sem. carthami, el. hieræ simpl. diacolocynth. Logadij, Pacchij, diaphœnic. benedict. laxat. pilul. coch. melle anthosat. ol. rutac. laurin. chamæmel.*

Et omnino laborandum, vt materia ad diuersas corporis partes distrahatur, cerebrúmque ab angustia & oppressione liberetur.

*Purgatio.* Pòst purgatio instituatur cum pilul. fœtid. cochiis, aureis, Arabicis, Indis, quæ acuantur trochisc. alhandal, diagryd. vel extr. scammon. addito gr. vno atque altero castorei. Aut loco pilularum extracta illarum, vel alia conuenientia extracta vsurpentur. Et, vt facilius degluciantur, pilulæ dissoluantur conueniente liquore. Neque ingratus sapor illarum metuendus; cum sensus gustus in ægris his etiam torpeat. Vel extracta purgantia in liquore dissoluta exhibeantur.

℞. *Pilul. coch.* Scrup. ii. *de agarico* Srup. i. *trochisc. alhandal.* gr. iii. *diagryd.* gr. ii. *castor.* gr. iii.

F. Massa cum melle anthosato, quæ dissoluatur in aq. saluiæ Vnc. iii.

Vel ℞. *Extracti catholici* Scrup. ii. in *aquæ saluiæ* Vnc. iii. exhibeantur, additis extract. liquid. castorei gutt. iii.

Vel fiat talis Potio:

℞. *Fol. senæ* Drach. iii. *follicul. senæ* Drach. ii. *agar. albi* Drach. i. ß. *turbith. elect.* Drach. ß. *zingiber. galang.* an. ℈. ii. Coqu. in aq. saluiæ & rorismar. Colat. Vnc. ii. ß. add. *diaphœnic.* Drach. i. ß. *castor.* Scrup. ß. *oxymel. simpl.* Vnc. ß. F. Potio.

*Vomitoria an locum hic habeant.* Vomitoria verò fugienda, ne suffocationis periculum augeatur, & caput repleatur.

Ideóque etsi purgâtia vehemẽtiora cõueniũt, vt exigua quantitate exhiberi possint: antimonium tamẽ hic non conuenit; cum vomitum simul moueat.

*Cauteriorum usus.* Auicennas post euacuationem etiam ferrum candens admouet coronali suturæ & occipiti; quod ratione doloris & caloris sensum ablatum reuocat, & in hac pituitosa saltem Apoplexia locum habet.

Rhases sartagine candente blandius vtitur; quam ita capiti admouet,vt capilli saltem adurantur, non cutis. Possunt & vesicatoria brachiis, pedibus, & syncipiti admoueri.

*Particulares capitis euacuationes.* Corpore vniuerso purgato particulares euacuationes instituendæ sunt,tam quæ sensibiliter per os & nares fiunt,quam quæ insensibiliter per poros cutis in capite,de quo,*part.*1.*cap.*10.dictum.

*Linguæ & palati inunctiones.* *Sinapi vsus.* Lingua ergo & palatum inunguntur Mithridatio vel theriaca veteri,vel Aurea Alexandrina,vel diacoro, vel confect. anacardina. Sinapi etiam semen pituitam potenter prouocat. Coquitur autem in vino forti, & eo palatum fricatur,vel in puluerem redactum,& melle exceptum palato inungitur.Pyrethri radices in oxymelite coctæ idem præstant. Omnibus verò hisce vtiliter admiscetur castoreum.

*Errhina.* Parantur & errhina cum vel fine sternutatione, quibus materia è capite elicitur; quæ fiunt ex majoran. semine nigellæ, pipere, castoreo, & similibus.

Vt ♃.*Pulu.majoran. piperis*, *nucis moſch.sem.nigell.* an.Scrup.i.*castor.*gr.vi.

Cum *oleo irino* M.in formam Linimenti.

Vel cum cera & terebinth. fiant Nasalia figura pyramidali,quæ alligata filo naribus indentur.

Sternutatio magis mouetur, si formâ pulueris indantur, vel naribus inflentur. Fortiora sunt pyrethrum,helleborus albus.

Vtendum denique iis, quæ caput per insensibiles meatus euacuant; cujusmodi sunt olea calida spinali medullæ,ejúsque potissimùm initio, & capiti, abrasis prius pilis,applicata & inuncta:qualia sunt;*Oleum rutac.irinum,laurinum,castor de lateribus,de piperibus, ol. destill. spicæ. rorismar. juniperi, ceræ, terebinth.* quibus spir. vini, vel aquæ Apoplecticæ addi possunt. Item Bdellium aquâ vitæ dissolutum.

*Cerebri roboratio.* His ita peractis ad cerebrum roborandum, & reliquam materiam discutiendam medicamenta exhiberi possunt. Inter quæ facilè primas obtinent,*aquæ destillatæ* & *spiritus*;vt *aqua lauendulæ,cinamomi,saluiæ,rorismarini,rutæ,lilij conuallium,flor.tiliæ*; & *compositæ Apoplecticæ dictæ*, quarum passim multæ descriptiones extant apud Langium,Vid. Vidium,Euonymum,VVeckerum,Quercetanum,& alios.

Vnam atque alteram saltem hîc afferre liber.

Aqua Apoplectica meæ descriptionis, quæ in nostro pharmacopolio parata habetur,hæc est:

♃. *Flor.primul veris* Vnc.vi.Affunde *Spirit.vin.*℔.i. Stent in infusione. Suo tempore adde *flor. lilij conuall.* ℔.iij. *rorismar.*℔.i.*vini Rhenan.* canth. iv. Iterum destillentur.

Stent in digestione diebus 4. postea destillentur.

Hinc suo tempore

♃. *flor.tiliæ* Vnc.vi. *lauendul.* ℔.i.ß.*fol.* & *flor.betonic.saluiæ,rutæ*, an.M.j.*flor.stæchad. Arabic.*M.ii.sem. *rad.pœon.visci querni*, an.Vnc.vi. *sem.paon. erucæ*,an. Vnc. iii.

Affunde destillatum liquorem.

Stent in infusione dieb. viii. postea destillentur.

Similiter.

♃. *Cubebar.*℥ ii.*nucis moſchatæ,granor.Paradisi,cardamom.* an.Vnc.i.sem. *calam.aromat.cinam.* an.Vnc.i. *caryophyll.*Vnc.sem.*spec.diambr.cum. moſcho & ambra, diamoſch.*an.Drach. ii.

Affunde *vini Maluatici* q.s.

Stent in infusione dieb.8. Hinc destillentur. Tandem destillatum vtrumque conjungatur, aromatibus iterum affundatur, atque iterum destillentur. In vltima hac destillatione liquor diuidi, & tertiæ parti in destillando *castorei* Vnc.i addi potest. Solent quidem nonnulli istis aquis totis in destillando admiscere castoreum: verum cum eæ & præseruationis loco parentur, castoreum verò ingratum illis saporem conciliet, præstat eas sine castoreo parare, & parti saltem alicui castoreum addere.

Aqua Apoplectica D. Sigismundi Kolreuteri:

♃. *Nuc.moſch.caryoph.macis*, *zingib.zedoariæ*, *galang. maj.* & *min.piperis albi*, *nigri*, *longi*, *cinamomi,calami arom.cyperi rot.doronic.gran.parad.cardamomi, cubeb. castorei, sem. carui, fænic. anisi, cort. citri, limon. aurantior.* an. Drach. iii. *thuris, myrrh. mastich. aloës hepat.* an.Drach.ii. *spic. Ind. Celtic. vulgar. rad. gentian. eryng. ireos, pœon. pyreth. ligni visci q. coryli*, an. Vnc. sem. *fol. chamædr. nepetæ, chamæpyt.melissophyll. saluiæ, rorismar. majoran.* an. M. sem. *euphras.* M. ii. *puleg. menth. hyssop. artemisiæ, origan.serpill. chelidon.* an. M. sem. *beton.* M. i. *aneth.* M. sem. *dactylor. amygd. d.* an. Vnc. sem. *baccar. juniperi* M.j. *flor. sambuc. violar. lauendul. tiliæ, rosar. rubr. pœon. primulæ ver.* an. p. ii. *borrag. bugloss.lil. conuall.* an. p. ii. *croci* Drach. i. sem.

Concis. & conquass. superinfund. *vini albi Rhen. spir. vini opt.* & *puriss.* an. canth. ii. ß.

Bene obturato vase ponantur per mensem integrum ad Solem æstiuum,vel prope fornacem tempore hyemali,singulis diebus bis vel ter agitando, ac postmodum fiat Destillatio.

Vel ♃. *Flor. lauendul. tiliæ, pœoniæ, saluiæ,anthos, lilij conuall.* an. Vnc. i. *visci quern. Luna decrescente collecti* Vnc. sem. *fol. beton. primulæ veris, hyssopi*, an. M. j. *cubebar. macis, nucis moſch.* an. Vnc. sem. *sem. erucæ* Drach. ii.

Affunde vini q. s. Destillentur.

Alia:

♃. *Cardamomi min. cubebar. nucis moſch.* an.Vnc. sem. *ligni de visco q.* Vnc. i. *fol. rutæ, saluiæ min.* an. Vnc. i. sem. *flor. lauendul.* Vnc. iii. *castorei opt.* Vnc. i. sem.

Incisis & contusis affund. *vini Rhenan. opt.* vel *aq. lil. conuall. cum vino destill.* q. s.

Digerantur per d.14. in vitro probè sigillato, Destillentur deinde s. a. in B.

Alia:

♃. *Fl. lauend.* M. ii. *anthos, spicæ, sambuc. rutæ, rorismar. puleg. calaminth. menth. crisp. origan. serpill. beton. saluiæ, major. fol. lauri*, an. Vnc. sem. *sem. anisi, fænic. pœon.* an. Drach. iii. *eruc. rad. enul. ireos Flor. angelic. doron. ostrutij, pyreth. pimpinell. pœon. asari*, an. Vnc. sem. *cinamom.* Vnc. sem. *zinzib. cubeb. nuc. moſch. caryophyll. macis*, an. Drach. ii. *gran. Parad. cardamomi, galang. zedoar. croci, piper. trium gen.* an. Scrup. iiii. *cal. arom.* Vnc. sem. *spic.Ind.schœnanth. stæchad. Arab.* an. Scrup. iiii. *visci quern.* Vnc. i. *castor.*Vnc.sem. *flor.lil.conuall.* M. iiii.

Incis.& contus. grosso modo admisc. *spec. diamoſch. d.* Drach. ij. *diapras.* ℥.i.*diapœon.* Vnc. sem. M.F. Nodulus.

Superfund. *vini opt. Rhen.* ℔. ix. *sp.vini opt.*℔.viii. *aq. salu.* ℔. i. *lauend. spicæ, hyssop. tiliæ, lil. alb.* an. ℔. sem. *rorismar. majoran.* an.Vnc.viii.

Infunde omnia simul in vitro per 14. d. loco calido. Deinde destill. s. a. & prima aq. cuius sint ℔. iv. separatim seruetur, & deinde altera seorsim.

Aquarum istarum loco etiam tale Electuarium vsurpari potest:

♃. *Conseru. flor. lauendul.* Vnc. i. *anthos, saluiæ, majoran. betonic.* an. Vnc. i. *calam. aromat. condit.* Vnc. sem. *spec. diambr. diamoſch. dul.* an. Drach. sem. *sem. erucæ* Drach. i. Cum *melle anacardino* & *syrupo stæchad. simpl.*

F. Electuarium.

Aliud:

♃. *Conf. saluiæ, rorismar. majoran. stæchad.lauend.* an.

an. Vnc. ſem. *cal. arom. cond. conf. anacard.* an. Drach. ii. *pulu. diamb. diamoſch.* an. Drach. ſem. *ſem. eruc. rutæ*, an. Drach. i.

Cum *oxymell. ſcillit.* vel *melle anacard.*

F. Electuarium,

Doſis inſtar caſtan. alternis diebus.

Addi quoque poſſunt caſtor. gr. aliquot.

Vel propinetur huius Potiunculæ cochlear j.

℞. *Aq. fl. tiliæ, cubebar. lilior. conuall.* an. Vnc. j. *ſpir. ceraſor. nigr.* Vnc. ſem. *ſyrup. de pœon. de cort. citri,* an. Drach. ii. *ſuccini alb. præparat.* Scrup. i. *brodÿ nuc. moſch. condit.* Drach. ii. *aq. apoplect.* Drach. i. M.

Confectio anacardina, vt in omnibus cerebri frigidis morbis, ſic & hic ſummopere probatur, per ſe eam exhibendo, (modò æger ad ſe redierit, & medicamenta ſolidiora admittat) vel cum aqua vitæ diſſoluendo. Conuenit & ſinapis ſemen contuſum, & ʒ. ſem. pondere cum oxymelite exhibitum; ſicut & caſtoreum gr. vi.

Vel parentur hi Morſuli:

℞. *Spec. arom. roſ.* Drach. i. *diambr.* Scrup. ii. *diaplir. c. moſch. dianth.* an. Scrup. i. *pulu. macis, nuc. moſch. caryophyll. cubeb. cardamom.* an. Scrup. i. *conſ. flor. lauendul. anthos,* an. Drach. i. ſem. *extract. pœon.* gr. v. *galangæ* gr. iii. *ſolut. corall. rub.* ℈. i. *ol. nuc. moſch. expreſſ.* gr. iv. *caryophyll. ſuccini,* an. gutt. ii. *ſacchar. in aq. roriſmar.* & *lil. conuall. diſſol.* q. ſ. F. l. a. Morſuli.

Alij:

℞. *Succini alb. prep.* Drach. ii. ſem. *ſpec. arom. roſ. diambr. dianthos, diaplir.* an. Scrup. ii. *ſacch. in aq. beton. diſſolu.* Vnc. viii. F. Morſuli.

Valde efficaces etiam ſunt Rotulæ ex oleo cubeb. paratæ.

Vel præparentur hæ Rotulæ:

℞. *Extract. rad. pœon.* Scrup. i. *cal. aromat.* gr. xi. *margarit. præp.* Scrup. ii. *corall. rubr. præpar.* Drach. ſem. *ol. nuc. moſch. expr.* Scrup. i. *ol. nuc. moſch. deſtill.* gutt. xii. *fœnicul.* gutt. vii. *ſacchari in aq. pœon. diſſolu.* Vnc. iii. F. ſ. a. Rotulæ.

Simul etiam externa cerebrum roborantia vſurpanda.

Multum hic commendatur oleum nuc. moſch. deſtillatum, ſi naribus & auribus inſtilletur, palatóque illinatur.

*Balſama apoplectica.*

Magni etiam vſus ſunt Balſama Apoplectica.

Vt ℞. *Ol. nucis moſch. expreſſ.* Vnc. ſem. *deſtill. lauendul. majoran. roriſmar. rutæ,* an. Scrup. ſem. *cinamomi, caryophyll.* an. gutt. v. *ſuccini* Scrup. ſem. *ambr. zibeth. moſch.* an. Scrup. i. Miſceantur.

Vel ℞. *Ol. nuc. moſch.* Drach. iii. *zibeth. ambr. moſch.* an. Scrup. i. *balſam. Orient. ol. ſuccini albi, majoran. lauendul.* an. Scrup. i. ſem. *caryophyll.* ℈. ſem. M.

Aliud:

℞. *Ol. nuc. moſch. deſtill. macis,* an. Scrup. ii. *lauendulæ, ſuccini, caryophyll.* an. Scrup. i. *majoran. ſpicæ, rutæ, anthos,* an. Scrup. ſem. *nuc. moſch. expreſſ.* ſ. Miſce.

Aliud:

℞. *Ol. nuc. moſch. expr.* Drach. ſem. *zibeth.* gr. vii. *ambr. gryſ. moſch. opt.* an. gr. xi. *ol. rutæ deſtill.* Scrup. ſem. Miſce.

Aliud:

℞. *Ol. nuc. moſch. expr.* Vnc. ſem. *ambr. gryſ.* gr. viii. *moſch. opt. benzoes, ſtyrac. calam. ladani opt.* an. Scrup. ſem. *ol. deſtill. lauendul. cinamomi, rutæ, roriſmar.* an. Scrup. i. *caryophyll.* gutt. vii. *ſuccini* gutt. iiii. M. optimè in ſcutella argentea.

Sequentia etiam ſimul caput roborare, & materiæ reliquias euacuare ac diſcutere poſſunt.

℞. *Extract. rutæ* Dra. i. *pœon.* Scrup. i. *ol. nuc. moſch. expr.* Drach. ſem. *deſtill.* gutt. vii. *rutæ, fœnic.* an. Scrup. ſem. *ſuccini* gutt. v.

M. pro Linimento.

*Dan. Sennerti Tom. II.*

Vel ℞. *Spec. diagalangæ* Drach. i. ſem. *pulu. pyreth. piper.* an. Scrup. i. *cubebar.* Scrup. ſem. *ſinap.* gr. v. *conf. anacard.* Scrup. i. *theriac.* Drach. i. *aq. ſaluiæ, lauend.* an. Vnc. ſem. Cum *ſyr. de ſtœch.* F. Linimentum.

Vel Fiat talis Compoſitio:

℞. *Sem. ſinap. piper. rad. pyreth. caſtor.* part. æq.

Excipiantur *melle* & *ſucco rutæ.* Fiatque Illinitio linguæ & oris.

Conuenit & Gargariſmus, cuius vſus ſit manè:

℞. *Roriſmar. rutæ, origani, ſaluiæ, vincæ peruinc.* an. p. i. *Zingib. pyreth.* an. Drach. i. ſem. *rad. lappæ majoran.* Scrup. iiii.

Decoqu. in ℔. ii. ad tertiæ part. conſumpt. & Colaturæ add. *aceti roſac. acerr.* q. ſ. F. Gargariſmus.

Fomenta quoque capiti ex plantis cephalicis applicentur. Vt:

℞. *Fol. ſaluiæ, majoran. puleg. rutæ,* an. M. i. *flor. chamæm. ſtœchad. Arab. melilot.* an. M. ſem. *rad. calami aromat. ſem. aniſi, bacc. juniperi,* an. Vnc. ſem. *nucis moſch. cubebar.* an. Drach. ii.

Coqu. in vaſe clauſo in ſ. q. vini. Colatura pro fomento capitis vſurpetur. Si prædictis ad mollitiem coctis & contuſis ol. irinum vel rutac. addatur, F. Cataplaſma capiti applicandum.

*Cataplaſmata & linimenta.*

Vel ℞. *Ol. rutac. nardin.* an. Vnc. i. ſem. *deſtill. è baccis juniperi* Drach. iii. *pulu. caſtor.* Drach. i. *euphorb.* Drach. ſem. *ceræ* q. ſ.

F. Linimentum pro capite & principio ſpinalis medullæ.

Vel ℞. *Ol. maſtich.* Drach. iii. *caſtor.* Drach. i. *rutæ* Drach. i. ſem. *puln. lauend. baccar. lauri,* an. Drach. ſem. *caryophyll.* Scrup. i. *pingued. vulp.* Drach. iii. *ol. rutæ deſtill.* gutt. v. *ſaluiæ* gutt. vii. *ſuccini* gutt. iii. *medull. crur. vituli* Drach. ii.

F. Linimentum, quod nuchæ & vertebris dorſi inungatur.

Vel ℞. *Ol. petræ, laurini,* an. Drach. ii. *nuc. moſch. expr.* Drach. i. *deſtill. ſaluiæ, fl. lauend. caryophyll. galbani* an. Scrup. ſem. M.

*Sacculi.*

Poteſt & capiti poſt fomentationem talis Sacculus imponi:

℞. *Caryoph. nuc. moſchatæ, cubebar.* an. Vnc. ſem. *maioran, rutæ,* an. Vnc. i.

Conciſa & craſſo modo contuſa inſuantur ſacculo è tela tenui, quo calefacto caput foueatur, hinc oleis antea nominatis illinatur.

*Epithemata.*

Multum quoque prodeſt Epithema ex ſuccino pulueriſato in ſacculum oblongiorem, interpaſſatum incluſo, ſi ſacculus iſte in aqua vitæ vel ſpiritu vini cum pipere longo imbuto madefiat, & ol. ſuccini aliquot guttis aſpergatur, futuræque coronali imponatur.

Circa oleorum tamen calidorum, præcipuè deſtillatorum, vſum hoc obſeruandum, vt non ſola vſurpentur, ſed cum cera & pinguibus miſceantur, vt cuti tenaciùs adhæreant. Sola enim adhibita facilè diſſipantur, & in auras euaporant.

*Phœnigmi.*

Quidam & Phœnigmos capiti raſo applicant formâ emplaſtri, è ſ. q. ficuum leniter coctarum, & duplo ſem. ſinapi contuſarum, adjecto, ſi videbitur, pauco caſtoreo & euphorbio. Valenter quoque ad externa trahit emplaſtrum oxycroceum cum ol. laurino ſubactum; quod potentius præſtat, ſi aliquid ſinapis, pyrethri, ſtaphidis agriæ addatur.

Vel applicetur hoc Emplaſtrum:

℞. *Galbani, opopanac, pyrethri, ſem. ſinap. caſtorei, piper.* an. Drach. ii *ſulphuris* Drach. i. *terebinth.* Vnc. ß. *ol. deſtillati rutæ* & *ſaluiæ,* an. Scrup. ß.

Pulueriſatis pulueriſandis miſceantur, ac ſuper aluta extendantur, & capiti calidè applicentur.

*Cauteriorum vſus.*

De Cauterio actuali, & ſartagine candente, antea dictum, quam ignitam, aliis non proficientibus, nonnulli ſupra caput per horæ quadrantem detinent, vt

caput non tangat, nec vrat,sed calefaciat solùm, & capillos ferè comburat.

Oleis illis calidis & eæ inungendæ sunt partes, quæ magis paralysi tentari videntur, vt ita paralysis excitetur,& materia à capite ad partes ignobiliores transferatur. Præstat enim vsum alicuius partis amittere, quam hominem mori. Et paralysis dat Medico ad agendum inducias,quas non concedit Apoplexia.

Nonnulli cæteris non juuantibus febrem excitandam esse,quæ præsentaneum sit,ad materiam pituitosam exsiccandam & resoluendam, remedium: & propterea confectionem anacardinam cum hydromelite, vel alio conueniente liquore Drach. j. pondere exhibendam censent.

Si jam in Paralysin morbus desinat, reliqua curatio ad eam dirigenda.

*Chymica.* Quæ à Chymicis hìc commendantur,pleraque vulgata etiam sunt,&è simplicibus,quæ in vulgari contra Apoplexiam vsu sunt,parantur, nec Galenicis ignota sunt, spiritus scil. *liliorum conuall. cerasorum, granorum juniperi,saluiæ,flor.lauendulæ, visci querni,crany humani*: essentiæ:*rorismarini,lauendulæ,saluiæ pœoniæ*:tinctura,*coralliorum,succini,smaragdi*:olea destill.*lauendulæ, saluiæ,majoranæ, rorismarini,mucis moschatæ, rutæ,angelicæ, sambuci,carui,succini,caryophyll.*extract.*pœoniæ, saluiæ, cardamomi*:sal *saluiæ,pœoniæ,succini,crany humani*:fecula,*pœoniæ* magisterium,*crany humani,succini, margaritarum,coralliorum*:balsamum,*rutæ.majoranæ,succini, angelicæ*. Quibus addunt medicamenta ex argento præparata.

## *Diæta.*

*Diæta. Aër. Cibus & potus.* Diætam quod attinet, in hac Apoplexiæ specie aër ad calidum vergat. Cibi in paroxysmo nihil exhibeatur,nec facilè exhiberi potest vsque ad declinationem. Sit autem tum cibus attenuans. A vino abstinendum. Potus sit hydromel saluià, hyssopo, roremarino, calaminthà, origano, pulegio, melissà conditum. Cibi etiam condiantur hyssopo, roremarino, thymo, satureià,rutà,saluià,nuce moschatà,vt de paralysi dictum.

## *Curatio Apoplexiæ à sanguine ortæ.*

*Curatio apoplexiæ sanguineæ.* Si Apoplexia sit à sanguine orta,iis, quæ in genere proposita sunt,non neglectis,mox,si vires id ferant,atque Apoplexia non sit fortissima, & desperata, etiam *Vena sectio.* ante clysterem vena aperienda, & venæ sectio administranda, vt ante de Apoplexiæ curatione in genere dictum. Plus verò in hac Apoplexiæ specie, quam in pituitosa,sanguinis emittendum,sanguisque satis liberaliter, & quantum vires ferunt,euacuandus. Rhases in vtroque brachio venam aperit, quod interjectis 6. vel 7. hor.fieri potest,vt expeditius sanguis à toto corpore & capite educatur,& iterata ista venæ sectio, vt antea quoque dictum, materiam facilius moueat, nec vires deiiciat. Prudentià tamen hìc opus est, &,si ex pulsu ac facie coniiciat Medicus, ægrum non satis bene tolerare phlebotomiam,repetenda non est,ne æger in periculum coniiciatur.

*Cucurbitularum cum scarificatione applicatio.* Si autem æger venæ sectionem non toleret, cucurbitulis scarificatis vtendum. Post sanguinem euacuatum clysteres & omnia reuulsionum genera, vt antea dictum,vsurpanda & repetenda.

*Purgatio.* Cæterum cum sanguis purus rarò peccet, purgantia post venæ sectionem quoque exhibere non abs re fuerit. Istud autem de purgatione, & quidem in omni Apoplexia,monendum,vt ea maturè, horis non multis post venæ sectionem,instituatur, neglectâ temporum electione. Neque enim vehementia morbi tempus matutinum,venæ sectioni & purgationi aliàs commodissimum,semper expectare sinit.

*Particulares euacuationes.* Post purgationem exhibitam abstinendum aliquandiu à frictionibus,ligaturis, cucurbitulis;quoniam hæc contra,quàm pharmacum, ab interioribus ad exteriora trahunt.

Corpore vniuerso purgato & particulares euacuationes instituere licet, quæ tamen hìc moderatiores sint,& medicamenta,quæ adhibentur,minus calida.

## *Curatio Apoplexiæ à vapore narcotico.*

*Curatio Apoplexiæ à narcosi.* Si à vapore narcotico Apoplexia oriatur, mox etiam omnia reuulsionum genera, quæ in genere supra dicta sunt,adhibenda;&,si vaporem illum materia aliqua fo- ueat,euacuanda ea est. Deinde vsurpanda & propinanda,tum extrà applicanda ea,quæ vim sopitam excitant, & peculiari facultate vaporum narcoticorum vim infringunt.Inprimis vtile est castoreum,ruta, pulegium, quæ cum aceto mista naribus admouenda. Acetum enim & acida maximè narcoticorum vim retundunt & infringunt. Commoda quoque sunt balsama Apoplectica, rutæ, majoranæ, quibus aliquid castorei addi potest.

Exhibeantur etiam pleraque quæ supra in Apoplexia pituitosa sunt proposita; qualia sunt,saluia, ruta, betonica,rosmarinus,lauendula,majorana, pulegium, stœchas Arabica, &c. Nec omittantur sternutatoria, quæ & ipsa vaporem illum discutere valent.

Huic Apoplexiæ cognatus affectus est, vt dictum, qui ex spiritus vini nimio vsu excitatur. Ideóque hujus curatio non prætereunda.

*A spiritu vini stupor & inebriatio.* Cum verò spiritus vini non solùm periculosum stuporem,sed & maximum calorem excitet,ea exhibenda, quæ & calori, & facultati narcoticæ resistunt. Primò ergo vomitum excitare vtile est,quod fieri potest aquà calidà cum oleo communi ac butyro exhibità.Deinde exhibeatur lac caprinum, vel aliud:item emulsio ex amygdalis dulc.ac semine cucurbitæ ac melonum cum aqua hordei parata, acida item ac acetum ipsum, & syrupi acidi.

Diæta in Apoplexia à vapore narcotico sit qualis in Apoplexia à pituita. A vino & omni potu inebriante toto curationis tempore abstinendum.

## *Curatio Apoplexiæ à caussis externis & violentis.*

*Curatio Apoplexiæ à caussis externis.* Cum reliquæ tres Apoplexiæ species, quæ vel à sanguine è vulnere ad basin cerebri effuso, vel à cerebro compresso, vel ab ejusdem vulnere, & læsione insigni ortum habent, curatione maximâ ex parte conueniant,eas quoque coniungemus.

Si ergo quis in oculo vel aliâ parte capitis vulneratus sit, atque in Apoplexiam incidat, aut ex alto aliquid in caput decidat,aut lapide, vel alia re graui caput percussum, cerebrúmque compressum aut commotum sit, vt æger sine sensu & motu iaceat; primò omnium, si vires ferant, statim, seu die,seu noctu,cephalica vena aperienda, & postea clyster iniiciendus, vt materia à capite reuellatur; aut, si venæ sectionem ægri vires non ferant, cucurbitulæ scarificatæ partibus inferioribus affigendæ Reliqua curæ ratio ad ipsum caput læsum dirigenda; & primò ad sanguinis affluxum inhibendum repellentia adhibenda, postea etiam digerentia. Et, si cranium depressum sit,illud retrahendum ac eleuandum: ossicula, si cerebrum pungant aut premant,eximenda.

Apoplexia,quæ fit ab insigni cerebri vulnere,etsi plerumque desperata ac lethalis sit, quamdiu tamen viuit homo, vulnus inflictum ex arte tractandum. Cætera verò naturæ permittenda sunt, quæ interdum per aures,nares,& os sanguinem expellit,quas vias Medicus facilè quærere non potest. De quibus videantur, *part. 1.cap.20.21.& seqq.*

Victus ratio in his Apoplexiæ generibus sit tenuior, &

& in principio carnibus, & omni pleniori victu, vt & vino abstinendum, & prisanâ hordaceâ, aut aquâ cum semine coriandri, aut cinamomo decoctâ, aut decocto hordei vtendum: reliqua etiam victus ratio ad frigidum declinet; cum plerumque è sanguine è vasis effuso putredo & febris excitetur.

## PRÆSERVATIO AB APOPLEXIA.

*Præseruatio ab Apoplexia.* Cum autem longè vtilius & tutius sit ab imminente Apoplexiâ ægrum præseruare, quàm à iam præsente liberare; præterea danda sit opera, vt, qui semel à paroxysmo apoplectico liberatus est, impostèrum ab eo non corripiatur, quod sæpissimè accidere solet: de præseruatione ab Apoplexia etiam dicendum.

*Apoplexiæ imminentis signa.* Signa autem imminentis Apoplexiæ sunt, diuturna grauitas & dolor capitis, ac in somnum propensio, segnior totius corporis motus, frequens vertigo, tenebræ oculis offusæ, vel incerti ac discurrentes ante oculos lucis splendores, frequens incubus, somnia terribilia, aurium tinnitus, inflatio venarum iugularium, tremor totius corporis, vox tremula & interrupta, mentis abalienationes, rerum obliuio, mœstitia, refrigeratio extremorum fine caussa.

*Præseruatio in quibus cõsistat.* Vt autem curatio Apoplexiæ in eo præcipue consistit, vt caussa illa proxima, quæ influxum spirituum animalium impedit, tollatur: ita præseruatio in eo occupatur, vt caussæ antecedentes, quæ, nisi amoueantur, Apoplexiam excitare possent, tollantur. Quæ autem caussæ antecedentes sint, iam antea dictum. De caussis verò illis violentis dicere nihil opus est; cum Medici arbitrio dirigi non possint.

In præcauenda ergo Apoplexia hæc prospicienda; primò, vt humor, qui angustiam cerebri parere potest, vaporésque, qui spiritus torpidos reddunt, non generentur, aut, si adsint, tollantur: deinde vt cerebrum, quod humores seu vapores vel gignit, vel admittit, & discutere non potest, roboretur.

*Præseruatio ab Apoplexia sanguinea. Sanguinis imminutio.* Primò itaque si à sanguinis copia metuenda sit Apoplexia, sanguis, quantum opus, imminuendus: & cum nihil commodius hîc esse possit, quàm hæmorrhoides fluere, danda est opera, vt prouocentur; cum, quamdiu fluunt, facilè ab Apoplexia immunitatem polliceantur. Cæterum si id fieri nequeat, per venæ sectionem & cucurbitulas sanguis detrahatur, &, ne copiosior generetur, præcaueatur. Ideóque etiam à crapula, & inprimis vino multo ac generoso abstinendum.

*Præparatio, alteratio, purgatio.* Cum autem sanguis non solum quatenus copiosus, (cum multi sanguinei ab Apoplexia immunes sint) sed etiam quatenus spirituosus nimium, aut potius vaporosus est, seu vaporibus multis spiritus animales turbat, caussa Apoplexiæ sit, & talis sanguis adustus in atram bilem degenerare soleat; omnino necessarium est, per interualla corpus iis, quæ humoribus biliosis conueniunt euacuare.

Alterantia quoque exhibeantur, quæ talibus adustis humoribus & sanguini vaporoso conueniunt. Inter purgantia inprimis conueniunt fol. senæ & rhabarb. cui addi possunt polypod. quern. epithymum.

Vt ℞. *Rad. polypod. quern. pœoniæ, cichor.* an. Drac. iii. *passul. minor.* Drach. vi.

Coq. in aqua pura.

In Colat. infundantur *fol. senæ* Drach. vi. *rhabarb.* Scrup. ii. *flor. borrag. bugloss. violar.* an. P j. *zingiberis, galang.* an. Scrup. jß. *calam. aromat,* Scr. ß.

In colat. Vnc iiiß. dissolue *mannæ* Vnc. ß. vel ℥ vj. adde *syrup. cichor. cum rhabarb.* ℥. ß. Misce.

*[...]iata ratio.* Exercitia sint moderata. Caueant à somno meridiano, imò nec post cœnam mox cubitum eant, sed duabus demum horis à cœna peractis; quo temporis spatio etiam potandum non est.

*[...]quarum [A]poplecticarũ [...]u.* Abstinendum quoque ab aquis vitæ dictis, etiam iis, quæ ad Apoplexiam aliàs commodæ sunt, & aquæ Apoplecticæ dicuntur, in hac Apoplexiæ specie: etsi à nonnullis non satis cautè vsurpentur; cum in corporibus eiusmodi plenis, & sanguine spirituoso ac vaporoso abundantibus caput nimium repleant. Eadem de caussa vitanda sunt vina crassa, turbida, dulcia, & potentia, quæ copiosiorem ac crassiorem sanguinem suppeditant. Non verò omittenda cerebum confortantia: de quibus postea dicetur. Ea tamen eligenda, quæ sanguinem non nimis calefaciunt.

*Præseruatio ab Apoplexia pituitosa.* Secundò si à pituita metuenda sit Apoplexia, ac in senibus præcipuè, ob calorem natiuum iam debilem, & spiritus pauciores, cerebrum nec bene coquat, nec humores excrementitios satis rectè excernat, atque inde pituitosi & crudi humores in capite cumulentur, ob quos in hyeme præcipuè ad hoc malum procliues sunt: inprimis danda est opera, vt cerebrum roboretur, & ita generatio pituitæ præcaueatur, &, quæ generata est, euacuetur.

Et cum indies magis magísque temperamentum debilitetur, singulis diebus quod lapsum illum in cerebro corrigat, cerebri calorem conseruet, spiritus animales recreet, assumendum.

Vt: ℞. *Conseru. lauendul.* Vnc. iiii. *primul. veris, lilior. conuall. saluiæ, beton. anthos,* an. Vnc. i. *calam. aromat.* Vnc. ß. *spec. diambr. cubebar. nusc. moschat.* an. Drach. ß. Cum *syrup. pæon.* & *stœchad.* *Electuaria.*

F. Electuarium.

Inprimis ambra ad cerebrum roborandum & spiritus instaurandos maximè valet.

Vel ℞. *Ol. destillat. anisi* gutt. iiii. *nuc. moschat. carui,* an. gutt. iii. *caryophyll.* gutt. i. *ambr.* ℈. vi. *sacchar. in aqu. rosar. dissolut.* Vnc. iii. *Rotula.*

F. Rotulæ, quibus & ol. succini addere licet.

Vel ℞. *Spec. diambr.* Drach. iß. *diamosch. dulc. diaxyloal.* an. Scrup. i. *ol. anisi destillati, nuc. moschat.* an. gutt. ii *sacchar. in aqua rosar.* & *lauendul. dissolut.* ℥. iii.

F. Rotulæ.

Vel ℞. *Ol. destillat. nuc. moschat. cinamomi, caryoph.* an. gutt. iiii. *succini* gutt. v. *saluiæ* gutt. iiii. *sacchar. in aq. rosar. dissol.* Vnc. iiii. F. Rotulæ.

Vtilissimæ etiam ad præcauendam Apoplexiam sunt hæ Pilulæ:

℞. *Cubebar. calaminthæ, mastiches, nucis moschat. caryophyll.* an. Drach. i. *ambræ* Drach. ß. *mosch.* ℈. vi.

Cum succo vel extract. maioranæ formentur Pilulæ, de quibus Scrup. i. nocte nouilunium & plenilunium præcedente exhibeatur.

Ad cerebrum quoque roborandum vsurpandæ aquæ Apoplecticæ, quarum supra mentio facta. Quibus hæc addi potest.

℞. *Flor. lauendul.* M. ii. *anthos. betonicæ. salu.* an. M. i. *cubebar. gran. Paradisi,* an. ℥. ß. *nuc. moschat.* ℥. ii. *Aqua Apoplectica.*

Stent in infusione spirit. vini opt. ℔. ii. in vase diligenter clauso per dies aliquot postea colentur. De hoc spiritu, tempore hyberno inprimis, ante nouilunium præcipuè, vt & alio tempore, Drach. i. vel altera, pro temporis ratione, cum pane albo sumatur.

Commendatur etiam, & multis in vsu est hic Puluis: *Puluis.*

℞. *Succini albi* Drach. i. *spec. diarrhod. abb.* Drach. ß. *rad. pæon.* Scrup. i.

Datur Drach. i. cum aqua conueniente ante nouilunium.

Alij tamen.

℞. *Succini* ℥. i. *spec. diarrhod. rad. pœon.* an. ℥. ii.

Alij aliam proportionem obseruant.

Nucem quoque moschatam, cubebas, semen erucæ, sæpe ore detineant & masticent, qui ab Apoplexia sibi metuunt. Aut semen carui & erucæ in puluerem redactum, & cum saccharo mistum masticetur. Efficax est & hic Puluis, de quo sumatur manè ad fabæ magnitudinem: *Alius.*

℞. *Sem. eruc. cubebar. cardamom. seseli Cretici, piperis albi,* an. Drach. i. F. Puluis.

*Balsama Apoplectica.* Odoramentum quoque naribus admoueatur, & inprimis balsama Apoplectica.

Vel ℞.*Ol.nuc.moſch.expreſſ.*℥.i.*ambræ moſch.Zibeth.balſami Oriental.*an.Drach.ſem.

M. & ol. caryophyll. & cinamomi quantum libet addatur.

Vtile eſt & hoc Emplaſtrum ad caput roborandum, & Apoplexiam præcauendam:

℞.*Myrrhæ elect.ſtyrac.calam.benzoes ladani.*an.℥.ß.*gummi iuniperi* ʒ.iii.*cranij hum.puluer.*ʒ.iiß.*lap.lazul.*℈.ß. Cum *ſtyrace liquid.& terebinth.*

F.Emplaſtrum, cuius portio panno ſerico magnitudinem taleri æquanti illinatur;& vertici imponatur.

Manè lingua & os mundetur aquâ,cui aliquid aquæ origani,roriſmarini,ſaluiæ,& lauendul.admiſtum ſit.

*Diæta ratio.* Vitandus aër frigidus & auſtrinus,& contra eum caput muniendum. Cibi condiantur aromatibus, ita tamen,ne caput repleant;vel condiantur ſem.carui,ſaluiâ, & ſimilibus. Poſt cibum ſumptum ſumantur pulueres peptici de ſemine coriandri,cumini, galang.ſem.fœniculi & maſtich;vel diacydon. cum ſpeciebus paratum, & ſimilia ſupra,*part.*1.propoſita.

Inprimis verò rectâ victus ratione hîc opus eſt, quâ præcaueatur,ne humor iſte,quantum fieri poteſt,generetur, abſtinendúmque à cibis pituitoſis, ac multorum piſcium,olerum & lacticiniorum eſu;ac magna ventriculi ratio habenda eſt,cùm ad humoris pituitoſi generationem multum faciat.

*Purgatio.* Quia verò vix præcaueri poteſt in corporibus diſpoſitis pituitæ generatio, per interualla conuenientibus medicamentis euacuanda eſt, atque euacuationes ſecundum indiuidui cuiuſque rationem inſtituendæ.

Vtiliſſimum & efficaciſſimum eſt & hoc Decoctum, quod non ſolùm materiam detergit,incidit,& obſtructiones viſcerum ſoluit, ſed & membra interna, ac cerebrum inprimis,roborat:

℞.*Sarſæ parillæ* ℥.ii.*ligni ſaſſafras* ℥.i.*ſem fœnic.*ʒ.vi. Infundantur hor.xxiv.in aq.fontanæ ℔.iiii.vel v.

Coqu.ad dimidiæ part.conſumptionem:ſub finè adde *flor.primulæ veris,anthos*,an.M.i.*ligni aloës* ʒ.ii.

Colat.ſeruetur ad vſum in vaſe vitreo. Dentur mane Vnc.iiii.vel v.cum aq.cinamomi cochleari dimidio,vt ſudor leniter prouocetur.

Multum etiam ad præſeruandum ab Apoplexia faciunt fonticuli in brachiis excitati.

*Errhinorum & gargariſmorum vſus.* Præterea in nares aqu.maioran.in qua ſemen nigell. erucæ,& parũ zingiberis infuſa ſint,attrahere vtile eſt. Vel vtendum hoc Gargariſmate:

℞. *Roriſmar.ſaluiæ,rutæ,origani,* an.P.i. *zingiber.pyrethr.*an.ʒ.iß.*rad.lappæ mai.*ʒ.ß.

Coqu.in ℔.i.aquæ ad tertiæ partis conſumptionem. Colat.adde aceti quantum ſufficit.

Vel ℞.*Aq.lauendulæ,ſaluiæ,roriſmarini,rutæ*,an.℥.iv.*pyrethr.zingiber.*an.ʒ.iß.*oxymel.ſcillit.*ʒ.iß.

Seruetur ad vſum pro Gargariſmo.

*Præſeruatio ab apoplexia vaporoſa.* Tertiò. Cùm Apoplexiæ,quæ à vaporibus ortum habet,præcipuè obnoxij ſint, qui cruditatibus & crapulæ dediti ſunt;quiete & abſtinentia,talibus inprimis,opus eſt , & proinde vitanda maximè crapula , & quæ hinc oritur, cruditas , ciborum varietas , exercitia poſt cibum , ira & vehemens animi motus. Et cum ex iſta cauſſa Apoplexia maximè metuenda ſit melancholicis , melancholicúſque humor præcipuè literatis , & aliis ingeniis excellentibus ab anno 40. ad 60. moleſtus eſſe ſoleat , à curis moleſtis,& aliis cauſſis humorem melancholicum cumulantibus,cauendum , & hæmorrhoidum fluxus , ſi fieri poteſt, prouocandus , humórque melancholicus conuenientibus medicamentis præparandus & euacuandus, vt ſupra, *part.*1. *cap. de Intemperie cum humore melancholico*, dictum. Deinde medicamenta modò propoſita ad cerebrum roborandum, & vapores diſcutiendos adhibeantur. Præcipuè & hîc vtilis eſt puluis è ſuccino , ſpec. diarrhod. abbat.& radic. pœon. vt & ſem.carui, quod comeſtum & olfactum hîc valdè vtile eſt, & odores & vapores, qui cerebrum infeſtant, vertiginem excitant, apoplexiámque minantur,corrigit ac diſcutit. Efficaciſſimum verò eſt eius oleum deſtillatum. Caſtoreum quoque aceto madidum naribus admouere conuenit,Viro cuidam litterato iam ſexagenario,ob cruditatem ventriculi , & vapores inde in caput eleuatos , ſemel atque iterum Apoplexiæ initia ſentienti , valde profuerunt hæ Rotulæ:

℞.*Ol.carui* ℈.ß.*nuc.moſch.*gutt.vii.*ſacchar.albi* ℥.ii. F. Rotulæ.

Auertantur etiam vapores à capite lotionibus pedum matutinis è decoctis herbarum cephalicarum , & frictionibus.

## QVÆSTIO I.

### *An à ſola intemperie cerebri poßit Apoplexia generari?*

*An Intemperies ſola Apoplexiam excitare poſſit.* Cauſſas Apoplexiæ ſupra ſuo loco recenſuimus.Inter eas numerata non eſt intemperies cerebri. Cùm verò experientia teſtetur , Apoplexiam eſſe morbum hæreditarium , & quorum parentes Apoplexiâ mortui ſunt, iiſdem malum hoc metuendum eſſe ; non verò anguſtia cerebri & principij neruorum ab ortu contrahi & communicari poſſit : ipſa etiam cerebri ſubſtantia in talibus malè affici & diſpoſita eſſe videtur. Nam cum compreſſio illa aut obſtructio ſit extra cerebri ſubſtantiam, eáque tantum in paroxyſmo accidat, nemo autem actu Apoplecticus, ſeu in ipſo paroxyſmo generet : omnino ſtatuendum videtur, diſpoſitionem aliquam prauam, intemperiem, ac debilitatem in cerebro eius,qui Apoplexia demum corripitur,antequam ea corriperetur,adfuiſſe,quæ,ſicut alij morbi hæreditarii, cum ſemine deriuari & communicari ſoboli poteſt. Quibus accedit & illud , quod Platerus præter cauſſas ſupra enumeratas aliam adhuc ponit, ſcilicet ſpirituum animalium conſumptionem tantam , ob quam non ſolum functionum animalium debilitas , ſed & omnimoda illarum ſubſequatur abolitio,& grauis omnino,hominémque ſubitò iugulans excitetur Apoplexia , quâ ſenes aliquando intereant. Quæ ipſa cauſſa ad intemperiem cerebri,ſeu eius debilitatem,ob quam ſpiritus animales amplius non generantur, redigenda videtur. Præterea cerebri imbecillitas ſæpe diu antè percipitur,& facultatis animalis,intellectus,memoriæque debilitas , torpor in omnibus actionibus , aurium tinnitus ac ſibilus,ac vertigo animaduertitur.

*An Apoplexia ſit morbus hæreditarius.* Sunt tamen , qui Apoplexiam morbum hæreditarium eſſe negant. Cum enim non generent podagricos,niſi ij,qui ipſi podagra laborârunt,nec leproſos aut lue Venerea affectos,niſi qui ipſi leprâ vel lue Venerea affecti fuerunt, & plerique in ipſo paroxyſmo Apoplectico pereant,nec poſt paroxyſmum generent : fieri non poſſe videtur,vt morbum,quo non laborârunt,in ſobolem transfundant. Præterea cum multi Apoplexiâ ſubitò corripiantur , qui operationes cerebri integras habuerunt; probabile non videtur , vt, qui omnes operationes integras habuerunt, morbum aliquem in ſobolem deriuent. Inſuper cum intemperies non ſubitò, ſed per diuturnas alterationes inducatur , Apoplexia verò hominem ſubitò & in inſtanti corripiat : non videtur ab intemperie ortum habere poſſe.

Verùm enim verò vtraque opinio aliquid veri & aliquid falſi continet.Primò enim omnino concedendum, intemperiem quandam in Apoplexia concurrere poſſe; cum negari non queat , atque id experientia teſtetur, Apoplexiam ſæpe morbum eſſe hæreditarium,qui omnino ab intemperie ac diſpoſitione aliqua, & cerebri imbecillitate à parentibus communicatâ ortum habeat.Neque neceſſariũ eſt,vt, qui Apoplexiæ obnoxios generant,

generant, ipsi iam ante Apoplexiâ laborauerint. Sufficit, vt dispositionem, à qua caussa Apoplexiæ prouenire potuerit, habuerint, eámque soboli communicauerint, ob quam in liberis olim, ac suo tempore caussa Apoplexiæ gigni possit, etsi, cum generauerint, Apoplexiâ nondum laborauerint.

Interim tamen nec illud negandum, ab intemperie, quâ talis, Apoplexiam proximè produci non posse; cum intemperies actiones saltem deprauet vel imminuat, rarò planè aboleat: &, licet hoc præstet, sensim tamen & paulatim hoc faciat. Sed ab intemperie ac dispositione illa, & intemperie cerebri caussa proxima producitur, quæ vel angustiam parit, vel spiritus perturbat, pituita scilicet copiosa, & vapores ac flatus.

An autem à consumptione spirituum animalium omnimoda fieri possit Apoplexia, quod vult Platerus, dubito. Cum enim illam consumptionem à cerebri debilitate in senibus fieri statuat Platerus; subitò accidere non posset, sed, quod fieri solet, sensim ac indies spiritus imminuerentur, & propterea satis manifestæ functionum animalium immutationes in aliis partibus omnimodam illam, ob quam lethalis accideret Apoplexia, consumptionem præcederent: cum tamen senes sæpe sensus omnes atque integros habentes subitò Apoplexiâ corripi videamus.

## QVÆSTIO II.

### *Quæ sit Caussa Apoplexiæ proxima?*

Caussa Apoplexia.

De caussis Apoplexiæ pluribus in Institutionibus egimus, quæ hic repetere superuacaneum puto. Vt tamen quædam addamus, primò hoc præsupponendum est, spiritum animalem dari, atque differre à vitali, & proximum instrumentum animalium actionum esse; vt id satis, *lib.* 1. *Instit. cap.* 6. probaui. Neque dum satis euidentes & graues rationes vidimus, ob quas ab illa sententia nobis recedendum sit. Sunt quidem è Recentioribus, qui statuunt, argumenta, quæ pro spiritu animali probando adducuntur, nihil aliud ostendere, quam ad sensum & motum requiri partis sentientis & mobilis cum cerebro communicationem; quæ tamen fieri possit per solum spiritum vitalem, vt spiritus animales fingere opus non sit. Et vt principes actiones eduntur ministerio spiritus vitalis in cerebro existentis; (scil. implantati & influentis) ita eundem spiritum in neruis habitantē species sensibiles ab organo sensuum ad cerebrum, & contra imperium facultatis superioris, à cerebro ad musculos, deferre putant. Deinde nullam dari officinam generationis spirituum animalium in cerebro existimant, cum nulla cauitas in cerebro detur, in quam spiritus vitalis ex arteriis & cerebri finibus, vel aëre per nares attractus (quæ sunt spiritus animalis materia) attrahatur. Tertiò infantes in vtero sine spiritus animalis opera moueri statuunt, vtpote qui neque à matre suppeditetur, nec ab infante generetur. Non suppeditari à matre putant, quia nullus neruus à matre infanti implantetur: non generari verò infantes, quia aër desit, & per inspirationem in cerebrum non attrahatur.

Spiritum autem vitalem immediatè inseruire sensui & motui, probare conantur his rationibus: 1. Quia Venus nimia etiam actiones animales debilitat; cum tamen solus vitalis spiritus semini permisceatur. 2. Quia spiritus vitalis interceptio in carotidum angustia actiones animales abolet. 3. Quia in syncope actiones animales etiam abolentur. 4. Et in timore ac metu, in quibus spiritus vitalis perturbatur, tremor, qui facultatis animalis est symptoma, accidit. 5. Quia motus nimius lipothymiam, quæ facultatis vitalis symptoma est, inducit; & meditationes nimiæ coctionem ventriculi turbant, spiritum vitalem à ventriculo auocando.

Verùm nullo modo concedendum, quod communicatio, quæ est inter cerebrum & organa sensus ac motus, fiat per spiritus vitales. Ratio enim illa, quæ ad id probandum adducitur, falsa est, quòd videlicet actiones animales principes operâ spirituum vitalium administrentur. Etenim spiritus insitus, seu calidum innatum cerebri non est spiritus vitalis, sed animalis insitus. Nam calidum innatum, seu spiritus insitus, non omnium partium idem est, sed pro diuersitate partium & actionum varius: in aure est naturæ aëreæ; seu aër insitus & implantatus; in oculo luminis insiti nomine venit spiritus innatus. Ita & cerebrum calidum innatum peculiare habet, cuius beneficio, quod sibi proprium est, agit, quódque à calido insito cordis & hepatis differt. Neque etiā spiritus mobiles in cerebro, quorū ministerio principes actiones obeuntur, vitales sunt; & dum id affirmatur, principium petitur. Quorsum enim cerebri substantia, cui similis in toto corpore non est, & tanta eius moles & structura tam artificiosè facta essent? Certè nisi spiritus animalis ratione facta sunt, frustra facta sunt. Itaque petitio principij est, vt diximus, quod spiritus, à quibus species sensibiles ab organis sensuum ad cerebrum deferuntur, vitales sunt.

Cauitate verò sensibili nulla ad spirituum animalium generationem opus est; sufficit substantia cerebri illa mollis & spongiosa. Si lac tanta copia in mammis generari potest, si semen in testibus, vbi tamen nulla sensibilis cauitas apparet: quidni spiritus animales longè subtiliores in substantia illa cerebri spongiosa, quò spiritus vitalis & aer facilè penetrare potest, generari possint? Sunt quidem nonnulli in ea sententia, vt in Institut. *lib.* 1. *cap.* 6. & supra etiam, *part.* 1. *cap.* 17. dictum, spiritus animales in quarto ventriculo cerebri, qui cerebro oblongato insculptus sit, seu generari, seu colligi. Verum Anatomici diligentiores demonstrant, ventriculi nomine hanc cauitatem vix dignam esse, neque in ipsa cerebri cerebellive substantia sitam esse, neque primaria intentione à naturâ efformatam, sed ex corporum dispositione ita emergere, nihilque aliud esse, quàm cauitatem quandam teretem, è duobus finibus semicircularibus efformatam; & superiorem eius portionem cerebellum, inferiorem spinalem medullam conferre.

Infantes mouentur spirituum animalium beneficio, quorum sufficiens copia (magnâ enim opus non est; cum sensus & motus ferè otientur in infantibus in vtero) ex spiritu vitali in cerebro generari potest.

Quæ verò afferuntur ad probandum, spiritum vitalem ad sensum & motum sufficere; id non satis probant. Quod enim Venus nimia facultatem animalem lædit, accidit, quia spirites vitales, qui animalibus materiam præbent, subtrahuntur: Sunt tamen, qui & spiritus animales ad seminis generationem concurrere statuunt. Eâdem de caussa in carotidum angustia & syncope, in terrore & metu, in exercitiis nimiis, actiones animales cessant, vel alio modo læduntur, quia materia spiritibus animalibus generandis necessaria subtrahitur. Spiritus equidem vitales ad actiones animales necessarii sunt, verùm non vt caussa proxima, sed vt remota, vt materia scilicet, è qua animales, qui proximum facultatis animalis instrumentum sunt, generentur.

Et si à spirituum vitalium defectu fieret Apoplexia, quæ differentia esset inter syncopem & Apoplexiam? Quam tamen omnes Medici admittunt, & rectè; cum maxima inter hos affectus sit differentia, atque in syncope, spiritibus scilicet vitalibus affectis, pulsus lædatur, qui in Apoplecticis non mutatur. Et quod caussa Apoplexiæ in meatibus spiritus animales ferentibus, non in arteriis, aut vlla parte spiritus vitales continente, consistat; vel ex eo euidenter patet, quod Apoplexia mutatur in paralysin, quam neruis affectis fieri, extra controuersiam est.

Cum ergo spiritus animales proximum actionum

 animalium

animalium instrumentum sint, etiam læsarum harum actionum caussa in illis quærenda. Etenim quicquid secundum naturam sese habens animalium actionum integrarum caussa est proxima, id etiam præter naturam sese habens caussa est læsarum earundem. At non spiritus vitalis, sed animalis, proximum actionum animalium instrumentum est. Ergo etiam ab hoc, non ab illo, actionum animalium caussa pendet. Et proinde sicut sensus & motus priuatim ab eorum defectu læduntur: ita etiam illius vniuersalis sensus ac motus læsionis in Apoplexia caussa in spiritibus animalibus quærenda est. Nimirum sicut in tremore, paralysi, cæcitate, surditate, stupore, caussa rectè in spiritus animalis in parte illa, cuius actio imminuta vel abolita est, imminutionem vel defectum refertur; ita etiam omnes ferè antiqui & Recentiores caussam Apoplexiæ, in qua omnes animales actiones abolentur, in spiritus animalis influxum omnimodè prohibitum rectissimè retulerunt.

Sed quæ caussa sit, ob quam spiritus animalis influxus in organa sensus & motus in toto corpore prohibeatur, de eo Autores non consentiunt. De caussis reliquis iam non dicam, quarum supra in enumeratione caussarum facta est mentio: solum de angustiâ, ob quam spirituum animalium influxus prohibetur, aliquid afferam; cum de eâ Autores valde dissentiant. Antiqui, qui in ventriculis cerebri spiritus animales & generari, & contineri, & moueri, ac per eos in neruos influere crediderunt, omnes Apoplexiam ab omnimoda ventriculorum cerebri obstructione prouenire statuerunt. Verùm Recentiores, Varolius, Platerus, Bauhinus, & alii diligenti cerebri anatomiâ edocti, falsum hoc esse demonstrarunt, & in ipsa substantia cerebri membranis suis conclusâ spiritus animales contineri, & hinc in neruos influere rectè docuerunt. Præterea obseruatum est à Fernelio, *lib.2.de abdit.rer.causs.cap.15.* & Casparo Bauhino, *in Anatom. lib.3.* non semper in ventriculis cerebri Apoplexiâ extinctorum aliquid reperiri, quod obstructionis caussa esse potuerit.

Itaque alia caussa quærenda est, ob quam influxus spirituum animalium ad organa sensus & motus planè inhibetur. Eam verò esse putamus talem viarum, per quas spiritus animales influunt, angustiam, vt spiritibus animalibus via omnis intercludatur. Non verò opus esse putamus, vt tota cerebri medulla obstruatur vel comprimatur; sed ad Apoplexiam excitandam sufficit medullæ cerebri oblongatæ, seu principij neruorum in basi cerebri posteriora versus talis angustia, ob quam in omnia sensus & motus organa in toto corpore spirituum animalium influxus prohibetur. Etsi enim Antiqui aliter senserint: tamen Recentiores Anatomici summâ diligentiâ adhibitâ obseruarunt, neruos ad vnum omnes à medulla cerebri oblongata prodire; etsi alij, dum medulla hæc caluariæ adhuc inclusa est; alij postquam cranium reliquit, & per dorsi vertebrarũ foramina procedit, iámque spinalis medulla propriè dicitur, enascuntur. Hoc ergo neruorum omnium principium si ita afficiatur, vt spirituum animalium in neruos, qui in organa omnium sensuum externorum referuntur, & è locis vicinis, vnâ scilicet cerebri medullâ oblongatâ, oriuntur, influxus denegetur, Apoplexia excitatur.

Fit autem hoc vbi medulla cerebri oblongata obstruitur vel comprimitur. Et quidem in forti Apoplexia anterior & posterior pars medullæ cerebri oblongatæ comprimitur vel obstruitur: in debili & mitiori nihil prohibet angustiam in alterutro saltem esse. Et est ea neruorum sensibus externis inseruientium in origine vicinia, vt, si caussa grauis sit, quod in Apoplexia accidit, omnes simul afficiantur.

Id quod ipsa experientia confirmat, vt rationes conquirere opus non sit. Refert enim Fernelius, *loco modò allegato*, virum quendam viribus integrum sinistri oculi ictu vehementiore repentè áttonitum corruisse, móxque sensu ac motu priuatum fuisse, cum spiritu difficili ac stertore, & cum aliis fortis Apoplexiæ indiciis, cúmque nec venæ sectione, nec alia potuisse ratione seruari, quin horis duodecim interiret. Discisso apertóque capite neque ossis, neque meningum, neque substantiæ cerebri quicquam confractum diuulsumvè, cerebri etiam ventriculos prorsus illæsos & inanes, sed duntaxat interiores oculi venas contusionis vi diruptas animaduertit, è quibus sanguis cochlearium duorum mensura in cerebri basin procubuerat, qui non, vt Fernelius vult, retiformem contextum obstringebat, sed principium neruorum comprimebat.

Et si Apoplexiæ terminationem, & in alios morbos mutationem diligenter consideremus, facilè patebit, nullo alio in loco, quàm quo diximus, caussam apoplexiæ consistere posse. Mutatur verò Apoplexia vel in paralysin lateris alterutrius, vel in memoriæ & ratiocinationis læsionem. Prius accidit, cum humor è cerebro oblongato, & principio neruorum in spinalis medullæ alterutram partem à natura excutitur, vnde cerebro & neruorum principio ab humore vitioso liberato sensibus quidem suus vigor redit, brachij verò & cruris alterutrius motus tollitur. Si verò è principio neruorum in ipsam substantiam cerebri hinc inde humor dispergatur, ac cerebrum eo quasi irrigetur, tunc morbus in via quidem cessat, sed cerebrum, vt similaris pars, malè afficitur, vnde memoria & ratiocinatio læditur, sensibus externis & motu corporis saluis; ægrique cum tali memoria & mentis imbecillitate sæpe diu viuunt, vt exempla passim nota sunt. Quæ omnia, si alio, quàm quo dixi, loco caussa apoplexiæ consisteret, fieri nullo modo possent.

Caussa tamen, quæ istam angustiam inducit, non semper in eodem loco hæret. Nonnunquam enim caussa est in ipso cerebro. Aliquando verò eandem angustiam etiam humores extra cerebrum ad basin eiusdem effusos, & principium neruorum comprimentes, atque ita ventriculis non obstructis, efficere posse, suprà, vt & in Institut. dictum. Licet verò nerui optici non ex medio basis cerebri, parte anteriore, oriantur, vt antiqui crediderunt, sed reuera, si capite inuerso, Varoliano modo, sectio administretur, ex principio truncorum priorum spinalis medullæ: tamen eo in loco est eorum exortus, vt à caussa apoplexiam excitante simul seu comprimi, seu obstrui possint. Et sit sanè in neruos opticos influxus liber: tamen cum actio sensuum externorum non absoluatur in suis organis, sed sensus internos concurrere necessum sit; si illi laborant, neque visus, neque alius sensus perfici potest, & quamuis oculi speciem visibilem percipiunt: tamen nisi facultas princeps concurrat, nulla fit visio, vt alibi monstraui.

Tandem id aliquem dubium reddere posset, quod in Apoplexia sensus communis, phantasia, & cæteræ actiones principes etiam rectè sese non habent. Etsi enim influxus spirituum animalium in organa sensuum externorum & motus prohibetur: quia tamen cerebrum saluum est, & spiritus animales in eo; caussa nulla esse videtur, cur non & actiones hæ, & facultate & organis rectè sese habentibus, fieri debeant. Verum nec istud nos de nostra sententia dimouet. Caussas enim, cur principio neruorum affecto in Apoplexia sensus etiam interni lædantur, in Institut. *lib.2. part.3. sect.2. cap.6.* easque tres, proposuimus. Prima est, quod spiritibus animalibus motu, qui ipsis est perpetuus, denegato, eos quasi suffocari necesse sit. Cum enim spiritus animales non tardè, sicut humores, generentur, sed in perpetua generatione sint, & hinc etiam in perpetuo motu: si canales, per quos in totum corpus distribui debent, occludantur, eos in cerebro detineri, quasi concentrari, atque ita ad actiones sensuum internorum edendas

edendas ineptos fieri, necesse est; præcipuè cum spiritus vitales assiduò copiâ largiori ipsis permisceantur, ideóque non tantum illorum generatio interturbetur, sed & generatorum actiones confundant. Apparet huius rei exemplum in corde, in quo si spiritus concentrentur, nec liberè in corpus diffundantur, actiones corporis læduntur. Secundò, membro vna ex parte saltem læso totam eius œconomiam turbari necesse est, vt epilepsiæ exemplo id manifestum est, & cerebri commotio ac percussiones docent. Tertio, cum cerebrum ita grauiter affectum spirituum animalium generationi non sufficiat, mirum non est, actiones etiam internas turbari: Si enim in iis, quibus cerebrum pituita repletum est, & discursus & memoria laborat: quid ni in Apoplexiâ, cerebro tam grauiter affecto, omnes actiones aboleri queant? Vt enim caussæ, sic effectus magnitudine differunt.

## QVÆSTIO. III.

### *An à vapore narcotico fiat Apoplexia?*

Cum suprà inter caussas Apoplexiæ etiam vim narcoticam recensuerimus, de ea verò non omnium eadem sit sententia; aliquid de eo dicendum est. Et quidem à recentioribus quibusdam hæc pro solâ causâ ponitur, vt ex Quercetano, *in Tetrade*, videre est; vapor scilicet, seu nebulosa exhalatio in cerebrum eleuata. Quam caussam equidem libenter, sed non solam, admittimus, vt suprà, & in Institut. dictum. Hoc saltem hic addimus, etsi Quercetanus & alij in natura huius vaporis definienda laborant: vix tamen commodius illam explicari posse, quam si dicatur, eam vim narcoticam spiritus animales seu stupefaciendi, seu congelandi, & in aliam quasi naturam vertendi potentiam habere. Narcotica enim spiritus quasi ligant, stupefaciunt & sopiunt, ac sensui ac motui maximè obsunt. Atque tales humores & vapores in corpore nostro generari, impossibile non est; cum constet, soporem, carum, & similes somnolentos affectus, ex humoribus in corpore genitis prouenire, quorum caussæ frustra ex solâ frigiditate deducuntur. Atque hinc fit, vt, etiamsi Apoplexia in paralysin desinat: tamen rarò in ejusmodi hominibus ratiocinatio & memoria ad pristinum planè vigorem redeant, sed hebetes ac torpidæ illæ actiones, præcipuè in senio confectis, deinceps relinquantur; quod accidit non tam quod frigida & humida intemperies, quàm quod à narcotico vapore mala & torpida talis ἰδιόθετις cerebro imprimitur. Idque multò minus accidere posset, si ab aliâ causâ extra cerebrum, & citra spirituum animalium vitium, Apoplexia generaretur. Et quamuis narcotica plerumque soporosos saltem affectus inducant: tamen impossibile non est, si eorum vis sit major, quin ipsam Apoplexiam inducere possint. Imò lethargus & carus sæpe in Apoplexiam degenerant, vt experientia testatur; vnde caussas eas habere communes necessum est; vt magni etiam Medici dubitauerint, quomodo hi affectus differant. Et ex vini & spiritus ejus potu nimio Apoplexiam excitari, suprà dictum, atque ebrios ἀφώνους interdum fieri, testatur Hippocrates, 5. *Aphor.* 5.

Qui vero aliter naturam huius vaporis explicare conantur, iis id quidem per me licet; an verò commodiùs id faciant, dubito. Quercetanus, *in Tetrade*, ad spiritum vitriolatum, congelandi, coagulandi, constringendi & coarctandi vim habentem, qui nebulosas exhalationes in cerebrum euectas subitò in glaciem & gelu quasi conuertat, generationem Apoplexiæ refert. Verum enimverò dicit ista, sed non probat; & quomodo in corpore viuente & actu calente talis vaporum in glaciem quasi & gelu conuersio fieri possit, non video, neque id in Anatomia eorum, qui Apoplexiâ extincti sunt, deprehenditur. Et qui effectus opij & aliorum narcoticorum cum vitrioli aciditate contulerit, simúlque cum his Apoplexiæ symptomata comparauerit, facilè animaduertet, stuporem, & reliqua symptomata, quæ in Apoplexia & cognatis soporosis affectibus contingunt, rectius ad vaporem narcoticum, quàm ad vitriolatum, acidum, & constringentem referri posse; inprimis cum acida vim narcoticorum infringant.

Si quis tamen Quercetani sententiam mitius interpretari, & statuere velit, vel à cerebri dispositione peculiari, vel à vaporibus quibusdam seu narcoticis, seu coangulantibus spiritus animales à natura sua deijci & mutari, & quasi acquiescere, & à spirituosâ natura in crassam & aqueam quasi mutari, & ad actiones animales ineptos reddi, ille non multum diuersi dixerit, & contra me non pugnauerit. Refert Fauentinus, *lib.6.annal.ex historia Bauarica*, An. 1548. ex terræ motu plures quàm 50. rusticos ita mulgentes cum vaccis extinctos riguisse, & corpora in salinas quasi statuas redacta. Et quomodo à fulmine vinum interdum vasis quasi coaguletur, non ignotum. Quidni ergo talis spiritus in corpore generari possit, qui cum ante quietus latuisset, vel irâ, vel terrore, vel aliâ causâ agitatus & motus, instar venenorum subitò in actum erumpat, & spiritus animales à natura sua mutet & quasi coagulet? Quid carbonum fumus possit, & quomodo homines attonitos subitò reddat, non ignotum est, & collegit eius rei exempla Marcell. Donatus, *de histor. medic. mirab. lib.* 2. *cap.* 12. Idem calcis vapores præstant: refertque Valerius Maximus, *lib.9.cap.*2. Quintum Catullum à Mario propter publicas dissensiones mori jussum, recenti calce illito, multóque igne percalefacto cubiculo se inclusum peremisse. Ita etiam musti & cereuisiæ recentis feruentis vapore homines subitò, quasi attonitos, concidere, & quandoque mortuos fuisse, omnibus notissimum est.

Cuius rei etsi alij alias caussas reddant: maximè tamen veritati consentaneum est, vapores illos, seu fumos è carbonibus accensis, musto & cereuisia exhalantes aëri permisceri, & sic cum spiritu, quem ducimus, attrahi, atque ad cerebrum penetrare, ibique spiritibus animalibus misceri, & eos à natura sua immutare, & ad officium suum ineptos reddere. Nam quod nonnulli putant, ideo ex hac caussa attonitos concidere, quod in iis, quibus cerebrum excrementitiis humiditatibus scatet, eæ ab hac caussa fundantur, quæ fusæ obstruendo postea Apoplexiæ caussæ sint, vero consentaneum non est. Nam vapores hi in omnibus, non tantum in iis, quorum cerebrum vitiosis humoribus repletum est, idē præstant. Nec humorum fusorum indicia in iis satis apparent. Si quis tamen à solâ vi narcoticâ Apoplexiam excitari credere nolit, cum eo quidem non litigabo. Interim hoc vero consentaneum est, quod ille ipse humor, qui angustiæ in cerebro caussa est, simul talem vim narcoticam obtineat; vt ex pertinaci illa paralysi, & mentis ac memoriæ læsione, quæ apoplexiam sequitur, patet, vt antea dictum. Et forsan hoc etiam in caussa est, quod pueri rarius Apoplexiâ corripiuntur. Etsi enim non nego, id etiam ideo fieri, quia facultas expultrix in iis fortior non facilè permittit pituitam copiosam coaceruari: tamen & hoc probabile, in pueris humores tales narcoticâ vi præditos non generari, sed in ætate senili præcipuè accidere; vnde etiam senibus Apoplexia familiarior est.

*Cur pueri rarò apoplexia corripiantur.*

Henningus Scheunemannus, *Med.refor.cap.*3. è ☿ cremoso seu destillato Apoplexiam deducit, & exemplo fulminis rem explicat. Sicut videlicet fulmen sacculis illæsis nummos conflat, aut vaginâ illæsâ ensem liquat, integrâ cute ossa comminuit: ita & ☿ destillatum in vnam massam cogere & colliquare cerebrum & pulmones, haud aliter, ac si cera essent. Verum portentosa illa opinio refutata est *de Consens. ac dissens. Chymic. cum Galen. cap.* 16.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO IV.

### *An Aquæ Apoplecticæ statim in principio conueniant?*

*Aquarum apoplecticarũ vsus.*

Etsi apud Antiquos,vt & Practicos posteriores plurimos,nulla istarum aquarum fiat mentio: tamen hodie in Germania notissimæ & frequentissimæ sunt,nihilque iis cum in præcauendâ, tum in curandâ apoplexiâ est vsitatius. Et res ipsa loquitur, ob summam, quam habent, vim penetrandi præsentissimum sæpe afferre auxilium.Quæritur tamen,an in omni Apoplexiâ,& mox in principio,nec venæ sectione;nec corporis purgatione aliquâ præmissâ, tutò, & sine alicuius incommodi metu, vsurpari possint. Ex hoc dubio vt nos expediamus, sciendum, istas aquas insignem vim habere.vapores illos apoplexiam excitantes, humoresque frigidos discutiendi & dissoluendi, calorem natiuum & facultatem sopitam excitandi, cerebrum roborandi, & spiritus animales à natura sua quasi degenerantes conseruandi, & in pristinum statum reducendi. Præterea in minima quantitate maximam vim obtinent, & totum corpus facilè ac subitò penetrant. Ac proinde apoplecticis, qui ferè nihil deglutire valent, commodæ sunt,& commodissimè exhibentur iis,qui à vaporibus illis narcoticis, & spirituum animalium vitio,aut pituitâ sine sanguinis permistione apoplexiâ laborant,corporis constitutione frigidâ præditi, aut in senectute constituti sunt; in quibus nullus metus est, vt humorum aliquis impetus & fluxus ad caput concitetur. Sin autem à sanguine Apoplexia ortum habeat, vel alij etiam humores sanguini iam permisti abundent, non satis tutus vsus harum aquarum mox in principio; cum humores fundant, caput repleant, & hoc modo morbum augeant.

## QVÆSTIO V.

### *An Purgantia sint exhibenda in Apoplexia?*

*Purgantia an in Apoplexia exhibenda.*

De Purgatione in Apoplexiâ instituenda duas difficultates obiicit Petrus Salius Diuersus, *in annotat. in Altimar.cap.*19.Vnam;an stante cruditate pharmacum exhibere liceat, contra præceptum Hippocratis & Galeni:alteram;quomodo medicamentum,licet intra fauces ponatur, possit in ventrem descendere; cum Apoplectici sint toto corpore resoluti,atque ideo facultate deglutiendi careant. Ac proinde incassum credit exhiberi purgantia,nisi in declinatione morbi id fiat.

Verum priorem difficultatem quod attinet, nullam hîc propriè dictam cruditatem & quæ prohibere possit purgationem,ac de qua Hippocrates & Galenus, cum cruda purgare prohibent, loquuntur, adesse facilè patet,si ea quæ,Institut.*libr.*5.*part.*2.*sect.*1.*cap.*6.& 7.dicta sunt,perpendantur.Ideóque humor hic statim purgantibus tolli potest.Si tamen crassus sit nonnihil, vt præparatione aliquâ indigere videatur, attenuantia purgantibus admisceri possunt. Vt verò soli præparationi opera detur,morbi magnitudo,& præsens, quod summopere vrget,periculum prohibet.Facilè enim fieri posset, si tempus in humore præparando consumatur, vt interim ob materiam ipsam caput affligentem homo de vita periclitetur.

Et omnino in paroxysmo hujus morbi magis periculi metuendum à copia materiæ peccantis,quam eius aliqua crassitie. Si tamen morbum inducias dare animaduertatur, & is aliquo modo minuatur, aut saltem in præceps periculum non labatur; humores præparare & attenuare conuenientibus medicamentis licet; quæ tamen præparatio propriè coctio non est,

Altera difficultas non est de nihilo, & verum est, communia illa medicamenta purgantia in principio statim vix exhiberi posse, &, vt Hercules Saxonia ait; si in his casibus præbeatis aliquod medicamentum commune, suffocabitis ægros. Ergo tum demum, cum post venæ sectionem & alia adhibita medicamenta æger iterum aliquid deglutire potest, exhibenda ista vulgaria medicamenta. Si verò in principio statim aliquid exhibere libet, validum sit illud, & in exigua, quantum fieri potest, quantitate: qualia fieri possunt è trochiscis alhandal. dyagrid.extract. scammon.Antimonium equidem, vt & ☿ ob exiguam molem hîc satis commoda essent, sed an exhibenda sint, è sequenti quæstione patebit.

## QVÆSTIO VI.

### *An Vomitoria in paroxysmo apoplectico sint exhibenda?*

Auicennas, Paulus Ægineta, Aëtius, & alij vomitum prouocare jubent, pennâ oleo imbutâ, & in fauces immissâ. Sed cum Apoplecticus motu sit destitutus, ac conatum illum, qui ad vehementem istam excretionem est necessarius, adiuuare non queat; metus est,ne diaphragmate & thorace vehementius compresso, spiritúsque viis arctius astrictis, suffocatio acceleretur. Ac proinde verisimile est, Autores illos vomitum præcepisse in progressu morbi, quando euacuationes vniuersales jam præmissæ sunt, & æger paulatim restitutus conatum illum adiuuare potest, atque ad vomitum promptus est. Nam mox ante euacuationem, repleto corpore & capite, vomitum non profuisse, compertum est; quale exemplum etiam habet Forestus,*lib.*10.*in schol.obseru.*76. *An vomitoria apoplecticis exhibẽda.*

## QVÆSTIO VII.

### *An Repellentia in Apoplexia conueniant?*

Repellentia in Apoplexia Rhases proponit. Medicorum nullus iis vtitur, inquit Leonhart. Iacchinus & Paulus, Auicennas, & Medici alij hoc auxilium prætermittunt. Putat tamen Massarias, si Galeni doctrinam sequamur,qui docet,materiam, qualiscunque ea fuerit, fluentem à capite repellendam esse, vtique negandum non esse omnino,quod repellentia quoque possint conuenire. Verum enimverò etsi inter auxilia, quibus materia ad caput præter naturam fluens ab eo auertitur, etiam repellentia à Galeno proponantur: tamen non ibi docet, quod simpliciter in omnibus affectibus capitis, vt & aliarum partium, illa omnia semper sint adhibenda; sed satis est,si nunc hæc, nunc illa vsurpentur: & repellentia tum locum suum habent, vbi cum fructu, & sine omni incommodo, materia ad caput fluens per ea à capite auerti potest;quod in omni apoplexiâ fieri non potest. In pituitosa enim Apoplexia nullum locum habent repellentia, vt & in eâ, quæ fit à vapore narcotico: cum caussæ in ea apoplexia repellentium vsu à cerebro auerti non possint, sed magis cerebro impingantur, & ad dissoluendum ineptæ reddantur. In apoplexiâ tamen sanguineâ, si caput admodum æstuare videatur, repellentia planè reiicienda non videntur. Etsi enim morbus mox ad statum perueniat: tamen vt difficilius angustia cerebri tollatur, sanguis magis magísque affluens facere potest. Ideóque eius affluxus principaliter quidem reuellentibus, atque inprimis venæ sectione, inhibendus. Post venæ sectionem verò repellentia planè reiicienda non sunt. Cautè tamen iis vtendum, ne materiam, quæ in superficie

superficie est, intrò pellant. Ideo adstringentia non sint,sed sufficiunt oxyrrhodina ex ol.rosarum & aceto, vel ol. & aceto. Vbi tamen suspicio humoris pituitosi admixti adest, satius est,omissis repellentibus in reuulsoriis subsidiis consistere.

## CAPVT XXXIV.

### De Catarrho & Cerebri Excrementis retentis.

HActenus symptomata recensuimus, quæ cerebro accidũt, quatenus functionum animalium principium,& loco mouentis facultatis organum est.Nũc, priusquam ad externorum sensuum accedamus vitia, illud adhuc symptomatum genus, quod cerebro accidit,non quatenus animalis, sed & facultatis naturalis instrumentum est,Excretorum scilicet & Retentorum vitium, quod multorum aliorum in vniuerso corpore malorum fons & principium existit,explicandum. Est illud,dum excrementa cerebri vel in eo, vel circa illud detinentur,& non debito modo euacuantur,vel in cerebro copiosius cumulata in alias subiectas partes defluunt. Ideóque hîc in genere quædam de excrementis cerebri dicenda, inprimis qualis sit illorum materia, à quibus caussis procreentur, per quæ loca euacuentur, & quas denique præter naturam affectiones suo in varias partes decubitu efficiant.

*Excrementorum cerebri materia quais sit?*

I. Cerebrum cùm peculiarem substantiam & παρέγχυμα habeat, quod non solùm ipsum nutritur,sed & in quo spiritus animalis generatur: in eo etiam quædam excrementa generantur;sed illa pauca,quæ in sanis per nares & palatum euacuantur. Excrementa autem illa pituitosa sunt, frigida & humida, sicuti ipsius cerebri intemperies ad frigidum & humidum declinat. Et pituitosa quidem in sanis pura, vt & in ægris nonnunquam,interdum verò cum aliis humoribus mixta, frequentius cum bile, rarius cum humore melancholico. Sic Plato scribit, *in Timæo*, quod Galenus, 8.*de plac. Hippocrat. & Platon.cap.*5.repetit,pituitam acidam & salsam esse fontem omnium morborum, qui καταῤῥικοὶ sunt, aut à destillatione ortum habent. Præterea sunt excrementa illa συστάσει suâ plerumque tenuia & acria, nonnunquam crassa, accedente vtrobique lentore. Quod ad cæteras qualitates,maximâ ex parte sunt frigida,interdum de caliditate aliquid participant; quædam item dulcia,vel insipida sunt,quædam salsa, acria, aut amara, siue per adustionem talia sint facta siue per putredinem, siue per admistionem seri aut bilis, quædam acida, summè cruda, aliásque qualitates habent, prout ex corruptis humoribus genita sunt,aut ex cibo potuvè resoluta,iterúmque in liquorem densata. Sed ferè principio pituita est tenuior;vbi diutius in corpore hæret,sensim calore crassescit, vt ex tenui & aqueâ primùm lenta & mucosa fiat,postea vitrea,tandem gypsea.

*Excrementa cerebri à quibus caussis generentur?*

II. De caussis excrementa in cerebro gignentibus & cumulantibus sciẽdum est,cerebrum, veluti tectum fumosæ domui impositum,assiduè excipere halitus & vapores ex imis in variis coctionibus sursum eleuatos,tum per parentes vias venarum,arteriarum,ventriculi, gulæ,tracheæ; tum per occulta spiracula,quæ in viuentibus semper hiant, à spiritu & calore reserata. Ea enim est halituum & vaporum natura,vt continuò suâ leuitate sursum ferantur, donec vel dissipentur in itinere,vel in cerebrum ingredientes, ibique condensati,& in liquorem coacti inde delabantur, propemodum vt nubes & pluuiæ ex terræ halitibus reciproco motu generari solent. Neque solùm excipit vapores cerebrum, vt limes corporis superioris extremus, sed si immoderatiore calore præditum sit, huius vi plurimum quoque ex vniuerso corpore attrahit.Quò etiam faciunt meditationes intensiores & frequentiores,quibus cum spiritus animales absumantur, vitales multos iis reficiendis suppeditari necesse est, cum quibus humores & vapores, qui in corpore abundant, facilè in caput rapiuntur. Quod si præterea ex inferioribus membris aliquod, hepar inprimis, discrasiâ calidâ laboret, non tantùm sanguinem adustum ad caput mittit, per totum venarum ambitum, præcipuè verò per venas jugulares externas & internas, sed simul etiam caput calidorum halituum copiâ replet, quos cerebrum discutere nequit.

Accedit & hæc caussa,quod cerebri & medullæ substantia ampla in homine per se multo indiget alimento,à quo multùm etiam excrementorum gigni, facilè est intelligere.

Si denique cerebrum suâ naturâ frigidius humidiúsque sit, ac debilites & imperfectè nutrimentum suum concoquat, aut si à quacunque alia caussa copiâ crudorum halituum obruatur, accedente otiosâ vitâ & victus intemperantiâ, magnum ex his caussis excrementorum in cerebro prouentum existere, necesse est.

*Excrementa cerebri per quæ loca euacuentur?*

III. Quoad locum excrementorum cerebri, ille plerumque extra vasa continetur. Nam de sanguine, qui in vasis intra cranium vltra mensuram abundat, vt phrenitidis, apoplexiæ, anginæ, parotidum, aut tumorum aliorum calidorum in capite autor est, in præsentiâ nihil dicemus. Extra vasa autem excrementa illa (crassiora scilicet. Nam tenuia per suturas cranij exeunt) vel intra cranium, vel extra hoc continentur. Quæ intra cranium in cerebri ventriculis, anfractibus, poris substantiæ eiusdem, & circa meninges consistunt ea, si copia modum excedunt, maxima sui parte in palatum decumbunt, per vias ad hunc vsum destinatas: reliqua per foramina secundi paris neruorum cerebri, vt Vesalius docet, ad oculorum radicem feruntur, vnde per amplum quoddam foramen, & minora alia in narium capacitatem corriuantur.Si immoderatius abundant, per sinus organorum olfactus, & per os ἠθμοειδὴς, aliquid etiam in nares expurgatur, via non naturali nec legitima, vt in coryza siue grauedine contingere solet. Docétque Galenus, 8.*de vsu part. cap.*6. in sanis non necessariò pituitam per nares excerni, sed sufficere expurgando cerebro illos canales, qui è glandula pituitaria in os desinunt,vsúmque proprium narium esse, odores excipere, & respirationi inseruire,pituitam verò effundi per narium meatus ex vsu abundante. Quæ extra cranium, sub cute præsertim verticis,cumulantur, ea vel ex ramulis jugularium externarum per faciem & tempora sursum sparsis, & in cutem desinentibus refudant,vel ex halitibus per illas venas effumantibus concrescunt. Nam hæ venæ omne superuacaneum in cutem effundunt, quod ibi retẽtum accessione nouorum halituum assiduè augetur, & in liquorem cogitur, qui sæpe cutem à cranio diuulsam in tumorem satis manifestum, instar ceræ mollem, attollit, interdum putredine accedente achores,aliósque tumores & pustulas in capite parit.

*Quæ pr.n.affectiones ab excrementis cerebri gignantur?*

IV. Quod ad affectiones præter naturam, quæ ab excrementis cerebri gignuntur; excrementa illa, quæ intra cranium coaceruantur, in corporis partes internas magna ex parte præcipitantur. Atque si materia ad ventriculos cerebri expressa membranas cerebrum inuestientes vellicet, epilepsiam; si ad basin cerebri & principium neruorum delabatur,apoplexiam;si ad spinalem medullam & neruos detrudatur, stuporem, paralysin,tremorem,& conuulsionem gignit. Quæ verò ad anteriores capitis partes fertur, si ad nares confluat, grauedinem,aut odoratus læsionem; si ad oculos,cæcitatem; si ad aures, tinnitum aut surditatem affert. Quod denique per os delabitur, si in fauces procumbat, Catarrhum propriè dictum si in columellam, σταφυλὴν, hoc est, vuæ speciе apparentem;

apparentem,in dependente illa tumorem;si in musculos laryngis, anginam ; si in trachæam arteriam,branchum;si in pulmones,tussim,asthma , dyspnœam omnem,sputum sanguinis,phthisin;si in thoracis cauitatem,empyema ; si in ventriculum ἀπεψίαν, lienteriam, vomitum; si ex ventriculo porrò in intestina effundatur,diarrhœam; si ex intestinis in hepar sese insinuet, obstructiones hujus,aliorúmque viscerum efficit. Neque solum per patentes hasce vias materia à cerebro defluit, sed nonnunquam tantùm per latentes , cuiusmodi potissimum sunt venæ & arteriæ. Quæ enim tenuis & acris materia est, primò latas siue amplas ; mox angustas quoque venas ingreditur , atque ita per vniuersum corpus distribuitur. Quæ verò crassa est , in amplioribus venis detenta,eas obstruit ; vnde putredo & febres,vel diariæ,vel putridæ excitantur.

Descendit aliquando etiam materia à capite per arterias ad oculos ; vnde diuturnâ & acri fluxione illi infestantur , à qua vix sanari possunt , nisi arteriæ dissecentur,vt Galenus,13.*meth.med.cap.vlt.*scribit.

Cæterùm quæ excrementa cerebri extra cranium, sub cute potissimùm verticis,congeruntur,in externas ferè corporis partes diffunduntur : quæ scilicet aut ob situs opportunitatem,aut ob imbecillitatem, excipiendæ fluxioni magis aptæ sūt,vt in oculorum partes externas ; vnde lachrymarum fluxus & tumores præter naturam existunt, in maxillas , in dentes,in ceruicem, in scapulas,in brachia, in latera,in dorsum , in coxendicem,in crura,in omnes denique articulos. Atque ita externa hæc destillatio omnis arthritidis,(an rectè,suo loco dicetur ) omnísque ferè doloris externi, qui sine tumore manifesto est , caussa à Fernelio statuitur. Etsi autem cranij interuentu hi fluxionum,internæ scilicet & externæ,fontes distinguuntur : tamen inter se communicantur per venas & arterias, & per poros membranarum , vt ab internis semper aliquid penetret ad externa , & ab his vicissim intra cranium quædam subeant. Vt ita verum sit,quod Hippocrates,*lib.de principiis* scripsit ; ὁ ἐγκέφαλος ἐστὶν μητρόπολις τοῦ ψυχροῦ καὶ τοῦ κολλώδεος : *Cerebrum est metropolis frigidi glutinosi seu pituitosi humoris.* Capútque multum ad seri in totum corpus distributionem facit. Cùm enim extra & intra caput venæ & arteriæ multæ , in quibus etiam serum multum continetur,perreptent,sanguis quidem in nutrimentum capitis absumitur , serum autem cùm ad nutriendum ineptum sit , neque tamen per vias , per quas ad caput peruenit , recurrere , neque ob cranij densitatem sensibiliter exsudare, neque etiam insensibiliter ob calorem illarum partium debiliorem discuti possit, eò loci cumulatur ; & cùm pondere suo natura deorsum tendat,& in loco decliui hæreat,facilè à capite secundùm ductum membranarum & neruorum in inferiores corporis partes descendit. Quæ autem in genere de fluxionibus istis è capite curandis dici possunt,facilè ex iis,quæ supra,*part.1.de Intemperiebus capitis cum materia*,diximus,patent,& ex iis etiam , quæ jam de Catarrho dicemus,patebunt.

Postquam hæc in genere de excrementis cerebri diximus , jam de Catarrho in specie dicemus. Sunt enim symptomata in excretis hic duo:cum scilicet excrementa illa copiosius , quàm debent , excernuntur; quod symptoma in genere Catarrhus appellatur : vel cum detinentur ; de quibus jam in specie agemus, & primò de Catarrho.

### *De Catarrho.*

Duo præcipuè vocabula occurrunt , quibus motus humorum præter naturam in corpore nostro exprimuntur. Generalissimum est ῥεῦμα & ῥευματισμὸς , fluxus seu fluxio , quæ vox omnem motum cuiuscunque humoris è quacunque in quamcunque partem nostri corporis significat. Κατάῤῥοος verò,κατάῤῥους, & κατάῤῥοος, Celso destillatio, ( malè enim Argenterium, *in comm. ad aphor. 4.lib.2.* scripsisse , Latinos non habere proprium vocabulum,quo Catarrhi nomen exprimant,ex Plinio, *lib.19. cap. 6.*& *libr.23.cap. 8.* patet ) Græcis etiam aliàs καταστάγμὸς tantùm humoris superuacanei è capite,& præcipuè cerebro,in alias partes prolapsum & defluxum significat.

Auicennas tamen,ejúsque interpretes, & superioribus seculis alij Arabes secuti , hæc vocabula confudeрūt.Vnde,*lib.3.Fen.2.tr.*11.*c.*11.anginam,pleuritidem, & peripneumoniā à Catarrho fieri,Auicennas scripsit.

Catarrhi nomen rursum tripliciter sumitur, vel generalissimè, pro quacunque humoris in partem corporis quamcunque fluxione.Ita,3.*aphor.*12.Catarrhi vox tribuitur fluxionibus per venas & arterias ad pectus & cor , vt ex Hippocrate , *libr.de aere,aquis & locis* patet. Ita κατάῤῥους νωτιαῖος defluxio in spinalem medullam nominatur , *in Coac.prænotion.*Sic Catarrhi ad dentes, ad oculos,ad aures,ad neruos & ad musculos ac inania membrorum spatia, vnde dolores varij oriuntur, fieri dicuntur. *Catharrus.*

Deinde Catarrhi nomen strictius quidem , sed generaliter adhuc sumitur de fluxione humoris è cerebro in palatum , ac os & nares. Specialissimè verò Catarrhus est defluxio humoris è cerebro in palatum,os, ac pulmones. Atque ita Catarrhi vox generaliter accepta tribus fluxionibus tribuitur,Catarrho in specie dicto,Brancho , & Coryzæ. Hoc autem loco Medici non de Catarrho generalissimè accepto , seu de omnibus, quæ à cerebro & capitis vasis ad alias tum remotas, tum vicinas partes fieri possunt,fluxionibus,de quibus antea in genere diximus, sed de Catarrho in posterioribus duabus significationibus accepto agere solent. Quos & nos imitabimur. Interdum tamen & quædam immiscebimus,è quibus & aliarum è capite fluxionum generatio innotescere possit.

In specie enim Catarrhus est defluxio humoris à capite in palatum , os ac pulmones , teste Galeno , 3. *de Sympt.causs.cap.4.*& 2. *Prognost.text.64.*& *in comment.* 12. *Aphor.lib.3.*vbi scribit : ( ita enim legendum;cum locum hunc Leonicenus & Altimarus malè verterint) *Per hæc verba videtur Hippocrates significare , non qui maximè consueto more catarrhi dicuntur , qui ex capite per asperam arteriam in pulmonem,sed omnes , quæ à capite per venas deferuntur , fluxiones ad partes inferiores.* Branchus verò est excrementorum è capite in fauces destillatio , cum vocis obscuritate & raucedine.Coryza verò,sicut posteriores Græci hoc vocabulo vsi sunt, est ejusdem humoris in nares defluxus.Latinis Grauedo dicitur,quod in parte corporis anteriore circa frontem sensus quidam grauitatis percipitur , vt oculi vix attolli queant. Hippocrates tamen Coryzæ vocabulum olim generalius vsurpauit. *Catarrhus specialiter acceptus quid sit?*

Verùm etsi vsus ita obtinuerit, vt Catarrhus in specie dictus à brancho ita distinguatur,quod in brancho præcipuè catarrhus ad vocis instrumenta decumbit: tamen vtrobique ex eodem cerebri loco , & in os humor defluit,ac præterea nonnunquam etiam in ventriculum catarrhus delabitur , qui tamen peculiarem appellationem non accepit.

Est igitur Catarrhus,vt quidem hoc loco de eo agimus,in genere symptoma præter naturam excretorum è cerebro,vt ex Galeno , 3.*de symptom.causs.cap.4.* patet, seu humoris excrementitij fluxus præter naturam è cerebro in partes inferiores. *Catarrhus generaliter & specialiter sumptus quid sit?*

In specie verò,eiusdem humoris è cerebro ad palatum,os,& pulmones defluxus , factus expultrice cerebri ad ea , quæ sibi molesta sunt, expellenda stimulatā. Neque enim secundum naturam iis , qui optima valetudine fruuntur,eiusmodi materia destillat, sed exigua saltem saliuæ aut muci pars interdum per os aut nares detruditur.Afficitur autem hîc primò cerebrum, sicut ex eodem Galeni loco constat. Quale enim

πάθος in ventriculo diarrhœa est,orta ex δυσπεψία,siue mala & imperfecta eius coctione,tale in cerebro est catarrhus & Coryza.

### *Caussæ.*

*Proxima Catarrhi caussa.*

Proxima nimirum Catarrhi caussa est humor, seu quantitate seu qualitate facultatem cerebri expultricem ad expellendum stimulans. Vt autem generatio & natura Catarrhi rectè explicetur, cum materia, tum efficientes caussæ considerandæ sunt: seu, quod in omni fluxione necessarium est, consideranda materia seu mobile,mouens,terminus à quo, seu locus,vnde suppeditatur materia,locus per quem,& terminus ad quẽ. Ideóque dicendum de Catarrhi materia,vbi ea generetur,quibus de caussis, vnde moueatur, ad quas partes & per quas vias fluat.

*Materia Catarrhi qualis sit?*

Materia Catarrhi est humor excrementitius, cui pituitæ nomen vulgò tribuitur. Licet enim excrementitij huius humoris pro alimenti & humorum ac vaporũ, qui à partibus inferioribus ad caput mittuntur,diuersitate magna sit diuersitas,dum interdum nulla insigni qualitate præditus est, & saltem copiâ peccare videtur nonnunquam etiam alienam qualitatem habet, & frigidus est,vel calidus, acidus, salsus, acris,malè coloratus,nonnunquam etiam corruptus & substantiâ peccans; vnde Catarrhi epidemij & contagiosi ortum habent, vt infra de differentiis dicetur: tamen omnis ille humor excrementitius de capite destillans pituita nominatur; cum peculiarem alterationem in capite à cerebro accipiat. Vt enim aliæ partes, sic & cerebrum, habent innatam & propriam vim, non solum assumptum alimentum coquendi & assimilandi sed & excrementa peculiari modo alterandi & elaborandi.

*Vbi,& quibus de caussis Catarrhi materia generetur.*

Colligitur autem humor iste in capite & cerebro, quod ob id,vt dictũ ab Hippocrate, *lib.de princip.* (aliis *de carnibus* inscribitur)pituitæ metropolis appellatur.

Cæterum Catarrhi materiam alia gignunt,& suppeditant,alia mouent & ad fluxum impellunt. Gignitur & colligitur materia in capite, vel ipsius cerebri, vel partium inferiorum vitio;seu generatur materia in capite vel læsâ facultate cerebri coctrice,ob morbum,vel frustratâ ob errorem externum, dum scilicet aut nimia copia alimenti cerebro offertur,aut id alienis qualitatibus infectum actioni eius resistit.

Cerebrum materiam Catarrhi suppeditat, & gignit, cum ob debilitatem nutrimentum non bene concoquit, & ita multa excrementa gignit; & cum vapores in caput ascendentes non resoluit ac discutit. Idq; accidit ob frigidam inprimis cerebri intemperiem,præcipuè si humiditas concurrat. Et pro materiæ dispositione nunc excrementum pituitosum,insipidũ,& subdulce parit;nunc acidũ.Atque huc facit ætas senilis,aër frigidus & humidus, pluuiosus, & hyems, quo tempore cum pituita abundet,etiam Catarrhi sunt frequẽtiores, somnus nimius ac longus,& in loco humido ac subterraneo, diurnus item, pedum refrigeratio.Calidum verò & siccum cerebrum,etiamsi,*in arte medica, cap.* 18. excrementis carere dicatur; tamen id de cerebro intra sanitatis limites constituto accipiendum est.Si verò intemperatum sit,alio modo ad Catarrhos generandos facit,dum scilicet copiosius ab inferioribus attrahit Catarrho materiam.

Non verò semper cerebri & capitis vitio materia catarrhi principaliter colligitur,sed sæpe etiam partium inferiorum culpâ, puta ventriculi, hepatis, lienis,venarum mesaraïcarum,vteri,imò & nonnunquam totius venosi generis: quæ partes cum vitiosos humores cumulant,non solum multi vapores ab iis ad caput adscendunt, sed & ipsi vitiosi humores ad caput feruntur & protruduntur, atque ab illo rursum ad subiectas partes descendunt & defluunt. Vnde frustra sæpe in catarrhis auertendis ad caput solum respicitur:cum fons mali,vnde catarrhus gignitur,in partibus longè remotis hæreat, ventriculo puta, hepate,liene,vtero.Magis tamen catarrhis obnoxij sunt,qui cerebrum debile habent. Illud enim humores & vapores ex partibus inferioribus facilè admittit. Cerebrum verò robustius vel non admittit, vel facilè discutit. Atque ad hoc caussæ genus pertinent omnia,quæ ad vitiosorum humorum in ventriculo & partibus aliis inferioribus generationem & collectionem faciunt, vt crapula, ebrietas,victus ratio humida, cibi, à quibus multi vapores ad caput attolluntur & difficulter coquuntur, & ob quos ventriculus non clauditur, vt & alia omnia, quæ in aliis partibus inferioribus humores vitiosos generant.

Ea enim ipsâ materia, quæ à partibus inferioribus suppeditatur,atque in cerebro & capite colligitur,non solum ex eo per internas vias & intra cranium in partes subiectas delabitur; sed & excrementitij humores in externis partibus colliguntur, maximè sub cute verticis,quò venarum per faciem & tempora caput irrepẽtium extrema desinunt. Nam quoties hæ vel sero,vel alio humore excrementitio turgent, superuacanea sub cutem effunduntur,& in externas corporis partes ferũtur, non tantum intra cutem & carnem, sed etiam per continuitatẽ musculorum, membranarum, neruorum, per venas, arterias,atque in oculos,in dentes, in maxillas, in ceruicem, in scapulas,in brachia,in latera, in dorsum & lumbos,in coxendicem,in crura,& alias partes externas influunt, vt supra etiam dictum: vnde dolores in variis partibus excitantur;quandoque & tumores.Atque hinc Fernelius,*l.5.de part.morb.& sympt. c.*4.destillationem seu catarrhum in genere dictum diuidit in Internum & Externum.

*Vnde moueatur materia Catarrhi.*

Materiam verò in cerebro seu eius vitio ibi genitam seu aliunde transmissam,commouent & ad motum, ac vt in partes subiectas defluat,impellunt, primò expultrix cerebri irritata à materiæ vel copia,vel qualitate vel vtraque.Dum enim plus humoris excrementitij in cerebro collectum est, quam vt à natura sensim & quotidie per consuetas vias euacuari possit,id eius copia grauatum,& se exonerare cupiens,confertim ad partes inferiores eum protrotrudit.Idem facit,dum eius salsedine,acredine,vel corruptione stimulatur.

Deinde commouent materiam in capite congestam caussæ frigefacientes, vt aër frigidus, venti boreales, medicamenta frigida capiti applicata;id quod & experientia testatur,quaecunque etiam vi id præstent. Vulgata equidem opinio est,frigus comprimendo & constringendo cerebrum id præstare. In dubium tamen id vocat Mercatus,*lib.*2.*Prax.cap.*1.qui impossibile existimat,vt cerebrum in animali viuente tantam possit sustinere frigiditatem,vt partes præ cõgelatione densatæ intra cranium humores expellant. Ipse verò putat frigiditatem aëris ambientis cutem & partes externas densare,partes verò internas calidiores inde fieri,quo calore commotis & liquatis humoribus,ac viis apertis, fluxiones excitantur.Verùm probabilius est,nõ à calore aucto tum Catarrhi materiã moueri;sed à frigore partim poros occludi,per quos aliàs vapores discuti solẽt, & hinc materiam Catarrhi cumulari, partim vapores in capite collectos condensari,& in humores mutari,& forsan etiam cerebrum nonnihil cõstringi;cum viæ satis parentes sint,per quas frigus intrò ad cerebrum penetrare possit.

Humores quoque fundunt caussæ calefacientes,vt æstus,radij Solares,& omnino aër calidus,ob quẽ tẽpore verno Catarrhi frequẽtiores sunt,quod hyeme in capite collecti aëre calidiore resoluantur,ac diffluant;calor item balnei, hypocausta calida,frictiones intempestiuæ capitis cum pannis calidis,metus animi & corporis vehementes, medicamenta calida mox à cibo vsurpata,coopertura capitis nimia.

*Ad quas partes fluat materia Catarrhi.* Materia verè siue è cerebro expulsa, siue quacunque caussâ cómota vt fluat,in Catarrho in specie dicto fluit vel ad nares,vel in fauces & palatum, & his subiectas partes.In Catarrho generaliter sumpto ad loca multò plura defluit,nimirum vel in totum corpus cum sanguine per venas, atque hinc gignitur interdum febris catarrhalis nominata,interdum atrophia vel cachexia, quæ non ab hepate,sed capite ortū habet, vel,ad partē aliquam extra cranium,oculos,aures, nares, os, fauces, thoracem,ventriculum,artus, vt modò dictum.

*Febris catarrhalis.* Illud tamen,quod modò de febri catarrhali dictū,diligenti consideratione dignū est. Etsi enim negandum non censeam,febrem quandoque hoc modō generari posse:tamen nec illud contra absurdum est,naturam,vt per febrium initia interdum excretiones quasdam per aluum, vomitū, hæmorrhagias narium instituit, ita & materiam ad caput protrudere posse, vnde Catarrhus generetur.Atque ita febrem talem esse ex earum genere quæ comitatæ dicuntur,febrique catarrhum accidere.

Fertur autem materia nunc ad hanc,nunc ad illam partem,prout attrahitur vel calore,vel dolore,aut transmissa recipitur ob partis debilitatem,vel ad recipiendā fluxionem aptitudinem,sicut hę caussæ,Inst.*lib.*2.*part.* 2.*c.*11.explicatæ sunt. Ab Hippocrate,*lib.de glandulis*, septem loca enumerantur,ad quæ fluit materia; aures, oculi,nares,palatum,venæ & arteriæ, vertebræ, spinæ dorsi& neruus:de quo videatur Crato,*Consil.*3.

*Per quas vias fluat materia Catarrhi.* Tandem etiam via per quam consideranda est.Nunc enim per partes internas è ventriculis cerebri, per vias intra caluariam,in os,fauces,pectus, vel nares materia fluit;nunc verò per externas partes,seu extra caluariam potissimum sub pericranio, in partes corporis externas fertur.

*Chymicorū de Catarrhi natura & caussis sententia qua sit.* Atque hæc Galenicorum de Catarrhi natura & caussis doctrina est , cui an aliquid lucis & perfectionis è Chymicorum dogmatibus accedere possit,dubito. Nā qui Mercuriū caussam Catarrhi esse dicunt,nihil,quod animum veritatis auidū satiet, afferunt,nisi prius,quid Mercurius sit, explicauerint, de quo, *in tractat. de consens.& dissensu Chymic.cap.* 12. dictum. Qui Catarrhum Sal esse dicunt, etiam rem penitus non attingunt. Quanquam enim verum sit, Catarrhos multos salsos & acres esse : tamen etiam nonnulli planè insipidi sunt. Qui verò morbum Tartareum esse dicunt, nihil aliud ferè, quam Galenici docent, nisi quod verbis saltem discrepant, & præterea dum dicunt, Tartarum esse impuritates & superfluitates, vtili alimento permistas, non ita propriè voce Tartari vtuntur, vt *ex tractat. alleg. cap.* 16. patet. Neque tamen hoc ipsum concedi potest,quòd omnis Catarrhus ex impuritatibus & superfluitatibus alimento mixtis ortum habeat,sed sæpe nullo alimenti, vitio materia catarrhosa gignitur,si scilicet cerebrum debile sit, atque alimentum satis elaborare non possit,atque multum excrementi ita generet.

## *Differentiæ.*

*Catarrhi differentiæ.* Atque hinc variæ Catarrhorum sunt differentiæ. A materiæ varietate alius est pituitosus,insipidus,subdulcis,acidus,salsus;alius crassus,tenuis;alius contagiosus. A caussa efficiente, quod alius primario cerebri vitio, alius per consensum oritur.A loco,à quo fluit, quē vel totum,vel aliquam partem esse diximus. A modo fluxus quod alius repentè & confertim fluit, qui Catarrhus συντόμως ἀποκτείνων, vulgo Suffocatiuus appellatur: alius sensim fluit.

Inprimis verò hîc notanda est differentia Catarrhi, cuius supra etiam facta est mentio, à termino à quo,& via per quam,& termino ad quem,in catarrhum internum & externum.Internus est, cum materia è ventriculis cerebri & locis intra caluariam partes defluit, varios morbos excitans; de quibus supra dictum. Externus verò est, cum in externas partes varias ruit, vnde tumores & dolores in oculis, dentibus, maxillis, ceruice, scapulis, brachiis,dorso, cruribus & articulis oriuntur.

Notatu præcipuè digna est differentia,quod Catarrhus alius est contagiosus & malignus, alius malignitatis expers. Vnde etiam alius est sporadicus,alius epidemius,qualis fuit,qui anno 1558.& 1577.grassatus est, de quo Mercatus, *lib.* 2.*pract. cap.* 1. & ,*libr.* 4. *de febribus cap.*15.& Forestus, *lib.* 6. *de febr. obseru.*1. & 2.Valleriola, *in appendice Loc. Commun. cap.* 2. qui eundem morbum antea etiam anno 1510. viguisse refert.Inprimis verò ille,qui patrū memoria cum febre & tussi sub Syrij ortum,maximè autem circa nouilunium æquinoctij autumnalis, totam Europam,imò ferè vniuersum orbem peruagatus est,Nec absimilis fuit febris illa catarrhalis,quæ anno 1591.in plurimis Germaniæ locis homines inuasit.

## *Signa Diagnostica.*

Catarrhus ipse facilè sensibus obuius est, quando scilicet humor è cerebro per os,nares,oculos præter naturam excernitur,vel si ad partem aliquam corporis dilabitur, atque in ea continetur, ex effectis, functionibus eius partis læsis, qualitatibus atque excrementis à naturali statu mutatis, percipitur. *Signa diagnostica.* Qualis autem materia catarrhi sit,agnoscitur à substantia eius, qualitate, atque aliis circumstantiis. Si enim Catarrhus sit tenuis,acris, caput calidum, facies & oculi rubicundi appareant,partes,per quas defluit,exasperentur & exulcerentur, si amaritudo, salsedo percipiatur,si febris adsit,quæ tamen non iuuat, si calida adhibita noceant; à materia calida,& quæ salsos humores admistos habet, erit Catarrhus;præsertim si ætas,temperamentum, habitus corporis,aërisque constitutio,& victûs ratio præcedens consentiat.

Si verò humor,qui destillat,sit insipidus,miniméque mordax,ac grauitas & tensio,citra oculorum & faciei rubedinem & calorem,adsit,ac præcesserit victus ratio frigidior,cruditas ventris,& cum his consentiat ætas, temperatura, aëris constitutio; materia Catarrhi erit frigida.

Verùm hîc notandum,materiam Catarrhi posse esse frigidā,cum tamen caussa impellens & mouens sit calida;vt si ex humore pituitoso soluto & liquato à radiis Solaribus, à balneo calore externo,& similibus Catarrhus fiat.Contra materia Catarrhi calida à frigore moueri potest. Itaque diligenter inter se conferenda sunt signa materiæ & caussarum mouentium ac impellentiū. Etsi enim quis ex mora sub Sole,& balneo, vel exercitio corporis nimium incaluerit, atque ita catarrhum contraxerit: si tamen materia non sit acris ac mordax, salsa vel amara;frigida potiùs,quàm calida dicenda est. Contra etsi diutius quis sit versatus in aëre frigido:tamen si materia sit tenuis,acris,mordax,salsa,vel amara; iudicandum,materiam Catarrhi esse calidam,etsi caussa eam mouens sit frigida.

Inter materiæ conditiones perpendenda quoque signa sunt cruditatis & coctionis, quæ Galenus proponit *lib.de totius morbi temporib.cap.*8.*Humorum*,inquit, *qui è cerebro per palatum & nares defluunt,indicium quidem est, cum aquei tenuesque item copiosi & acres apparent. Extremam enim hoc cruditatem indicat. Coctionis verò notæ sunt, crassior & minus acris, modiceque humor descendens. Quod si mucus etiam simul egrediatur, certius iam hoc coctionis signum est.*

*Partem primario affectam inuestigandi ratio.* Verùm quanquam Catarrhum è materiæ qualitate cognoscere non ita difficile est;sicut quoq; ex ægri relatione facilè innotescit,si quæ caussa catarrhum mouens præcesserit:longè tamē difficilius:sed quod ad curationē rectè instituendam magni momenti est,partem inuestigare,in qua materia Catarrhi primò generatur.

Neque

Neque enim;vt dictum, semper in capite gignitur,sed sæpe à partibus longè remotis suppeditatur; ideoque tunc frustra medicamenta capiti adhibentur,nisi materiæ prima scaturigo sublata sit.

Materiam in capite generari indicio est,si Catarrhus diu perseuerauerit, & æger facilè ac sæpe eo affligatur, nec aliarum partium affectarum signa adsint. Cum autē caput laborat,distinguendum est an intemperies sit frigida vel calida;de quo supra, *parte 1. de intemperie capitis*, dictum.

Si verò intermissiones vel dierum vel mensium adsint, magna ex parte ab inferioribus partibus materia Catarrhi suppeditatur. Vnde verò transmittatur, cognoscitur ex partis debilitate, & excrementis consuetis retentis. A tóto corpore materiam Catarrhi suppeditari, indicio est, si febris adsit, & cum huius paroxysmis catarrhus augeatur vel minuatur. A parte verò aliqua materiam Catarrhi suppeditari, argumento est, si alicuius partis morbus adsit vel præcesserit.Pars enim debilis semper plura excrementa cumulat. Sic quoque si partis alicuius excrementa retinentur, à parte illa humorem excrementitium suppeditari, indicio est. Ita quidam ex alui obstructione Catarrho laborant; alij ex suppressione sudoris consueti,vel hæmorrhoidum, vt & fœminæ ex suppressis mensibus. Si verò totum corpus, omnesque partes bene constitutæ sint,Catarrhi materiam ex victus ratione atque errore collectam esse indicatur;id quod ex ægri relatione facilè cognoscitur.

Patefit quoque facilè pars, in quam Catarrhus decumbit. Si enim per arteriam transit, & in pulmonem dilabitur,oritur tussis; si in ventriculum,ἀνορεξία;si per partes sub cute externas fertur,ex dolore vel vago, vel certarum partium id deprehenditur.

### *Prognostica.*

Prognostica. 1. Catarrhus non contemnendum semper malum est, & qui frequentius catarrhis, præsertim grauioribus,infestantur, ij variis morbis pectoris, & inprimis phthisi,sunt obnoxij.

2. Destillationes & raucedines senibus familiares sunt, teste Hippocrate,3.*aphor.* 12.& in valde senibus coctionem non admittunt, 2.*aph.* 40. quia à frigidis caussis oriuntur, quas calor senum imbecillis superare facilè non potest. Destillatione etiam cum impetu ad pectus ruente ex valde senibus nonnulli repente intereunt; aliis pars dextra vel sinistra resoluta stupet,teste Hippocrate, *lib. de aër.aqu.& loc.*Id quod, vt Galenus 3.*aphor.*12.monet,non tam de consuetis catarrhis,qui ex capite in pulmones decumbunt,& diuturni esse solent, quàm de fluxionibus,quæ ex parte affecta per venas in subiectas partes feruntur, & subitò nonnunquā mouentur, intelligendum est. Cuius generis etiam Catarrhus fuit, quo ante aliquot annos Professorē hic celebrem p.m. laborare memini. Corripiebatur illo subitò ante vesperam, cuius quidem pars magna per nares euacuabatur, reliqua verò ad linguæ principium decumbebat adeò, vt loquendi potentia ipsi adimeretur, reliquis sensibus internis & externis nihil læsis. Vnde in tabula, quo loco sibi malè esset, scribere necesse habebat.A quo symptomate clystere iniecto, frictionibusque crurum adhibitis, intra paucas horas liberatus est.

3.Imò destillationes ex humore frigido ortæ neque in iuuenibus facilè coquuntur, propter magnam cerebri dyscrasiam frigidam. Galenus,2. *aphor*,40. Destillationibus etiam pueri obnoxij sunt;quoniam cerebrum habent humidius, & excrementis plenum. Galenus,3. *aphor.*26. Quibus etiam sæpe suffocantur, si ad pectus ruant.

4. Catarrhi naturā suā frigidi diuturni sunt,difficulterque coquuntur, sicut omnes morbi frigidi;Catarrhi verò calidi, & à caussa calida orti citiùs finiuntur. Si verò vim erodendi habeant, periculosiores sunt, quia partes exulcerent.Cumque propter tenuitatem expelli nequeant, vehementem tussim excitant, qua caput magis repletur, & periculum est,ne pulmones exulcerentur.Et cum propter tenuitatem expulsioni resistant, metus est, ne vas aliquod rumpatur.

5. Ratione termini à quo etiam periculum æstimari potest. Si enim magna plenitudo sit corporis vel capitis,& omnino magna destillantis materiæ copia,periculum non contemnendum est;cùm,si subitò & confertim ruat, strangulationem afferre possit.

6. Ratione viæ & spatij,per quod fluit,minus periculosus est catarrhus,qui fluit per nares;magis,qui per tracheam & œsophagum;minus etiam periculosus est catarrhus, qui per inania membrorum spatia discurrit; magis periculosus,qui per neruos & venas; pessimus, qui per arterias; quia syncopen minatur.

7. Ratione termini ad quem Celsus,*lib.*4.ita distinguit.Si in nares destillatio fiat,leue est:peius,si in fauces; pessimum, si in pulmones, vbi periculum est ab exulceratione;& addit: Si destillationes breues neglectæ fuerint,longæ esse consueuerunt.

8.Dolor capitis coniunctus cum catarrho auget fluxionem;quia ob dolorem fit attractio.

### *Indicationes & Methodus curandi Catarrhos.*

Tria potissimum in curatione Catarrhi attendenda: 1. Pars, à qua catarrhus prouenit. 2. Humor, qui est Catarrhi materia. 3. Pars, per quam, & ad quam fluit Catarrhus. Indicationes.

Primum quod attinet: cum in omni catarrho materia à capite fluat;capitis in omni catarrho habenda est ratio.Verùm cum materia in capite quandoque generetur,quandoque aliunde transmittatur, non solum ad caput curam dirigere satis est,verùm etiam ad partem, quæ materiam suppeditat, respiciendum; vt hactenus aliquoties,& supra etiam,*part.*1.dictum est.

Simul tamen respiciendum ad caussam,ob quam fluere incipit materia, perpendendumque,an caussa aliqua externa humorem ad motum impulerit.Et si moueatur materia attracta, caussa attractionis, dolor aut calor, anodynis aut frigidis tollenda; si moueatur materia propter refrigerationem,caput calefaciendum; si propter caliditatem, refrigerandum. Qua in re tamen,vt antea dictum, attendendum,an caussa excitans fluxionem fluenti materiæ sit contraria, ne, dum caussæ fluxionis remedia opponimus, ipsam caussam malique principium augeamus.

Secundo.Si materia catarrhi in capite tota generetur,nec sit copiosa,tantum sua temperies cerebro restituenda:à quo facilè discutietur.Si verò materia sit copiosa,euacuanda est,postea reliquum eius exsiccandum & absumendum. Ac si cum impetu & periculo in partem aliquam ruat, reuellenda, fluxusque eius omnibus modis sistendus. Si calida, acris, & mordax sit,refrigeranda, eiusque acrimonia mitiganda. Tandem pars, in quam catarrhus decumbit, si nobilis sit, confirmanda ne illabenti materiæ locum præbeat.

Summa:in omni Catarrho primùm materia eius euacuanda,&,ne amplius generetur,præcauendum,partisque,quæ eam suppeditat,vitiosa dispositio corrigenda: secundò caput roborandum:tertiò humor, si ad partem nobilem, & in qua periculum aliquod euenire possit, fluat,auertendus & intercipiendus, ac materiæ vitiosæ qualitates corrigendæ & alterandæ:quartò pars,ad quā fluit,si nobilis, roboranda. Seu in omnis catarrhi curatione ratio habenda materiæ fluentis,& caussæ,propter quam fluit,& loci,per quem fluit.

Quibus autem auxiliis istis indicationibus satis fieri possit etsi maxima ex parte ex iis, quæ supra, *part.* 1. dicta

dicta sunt, patere possit: tamen quædam addere, & in specie de Catarrhi curatione aliquid dicere libet.

### De Catarrhi à Cerebro frigido, vel frigido & humido, seu pituitosi curatione.

*Catarrhi frigidi curatio.* Et primò quidem, si sine reliqui corporis, vel aliarum partium vitio, à solo capite vel præcipuè cerebro, ortu, habeat Catarrhus; materia conuenienti modo præparanda & euacuanda, &, si ἀθρόως ac cum impetu, ad pectus ruat, auertenda, eiusque motus inhibendus, tandemque intemperies cerebri corrigenda.

*Venæsectio.* Itaque principiò, etsi materia solùm à capite fluat, tamen si copiosa sit, aut maiore cum impetu ruat, atque metuendum sit, ne à reliquo etiam corpore affluat, & catarrhum augeat, (sicut plerumque accidere solet, vt, qui catarrhis obnoxij sunt, cerebrum habeant frigidum, iecoris verò & reliqui corporis cōstitutionem calidam) etiam in catarrho frigido, tum vena aperienda, & ab externa cubiti vena, & quidem parcè, sanguis mittendus. Si verò materia frigida sit pauca, nec cum impetu ruat, ac propter temperaturam ac constitutionem corporis reliqui, ætatemque senilem, nullus affluxus materiæ ad caput metuendus sit, venæ sectione opus non est.

### Præparantia.

*Præparantia.* Inter præparantia autem conueniunt ea, quæ supra, *part.* 1. *de Intemper. capit. cum pituitâ*, proposita sunt. Si autem materia ad pectus ruat, ad pectus quoque respiciendum: ideóque ex pituitam præparantibus eligenda cephalica & thoracica.

In præparatione verò & euacuatione catarrhi frigidi distinguendum, an materia sit tenuis & acris, an verò crassa. Nam si est tenuis, & aquosa quasi, incrassantia nonnihil adhibenda. Ac conuenit hîc decoctum thuris, masticHes, fol. betonic. saluiæ, spec. diatragacanth. calid. nux moschata Si autem materia sit crassa, calefacientibus & attenuantibus opus est, qualia sunt, hyssop. marrubium, fœnicul. origan. oxymel. simpl. & scillitic.

℞. *Aq. hyssop. betonic.* an. Vnc. jß. *syrup. de betonica* ℥. j. *essent. salu.* Scr. j. *oxymel. simpl.* Vnc. ß. Misce.

### Purgantia.

*Purgantia.* Si materia tenuis sit & aquosa, inter euacuantia inprimis vtilis est manna, quæ tenues humores educit; item mechoacanna, pilul. aloëphanginæ, de hiera. Atque hoc etiam obseruandum, ne materia tenuis fortioribus purgantibus nimis agitetur, ne mota confertim & ἀθρόως ad pectus præcipitetur; sed præstat lenioribus medicamentis eam sensim euacuare.

Materia verò crassa agarico, pilul. cochiis, de agarico, de hiera cum agarico, vel horum extractis; vel extracto aliquo phlegmagogo euacuanda. Ac si potio alicui arriserit, infundatur agaricus in decocto cephalico & pectorali.

### Capitis euacuatio Particularis.

*Particulares capitis euacuationes.* Vniuersalibus euacuationibus præmissis, capitis euacuationes particulares, per errhina, apophlegmatismos, & gargarismos instituantur. Non tamen quælibet harum euacuationum in quolibet catarrho tutò institui potest, & videndum, ne per illas materia amplius agitata ad locum, in quem aliàs cum periculo tendit, affluat, sed potius ab eo auertatur. Ideóque si materia per palatum ad pectus, & præcipuè confertim, fluat, non per masticatoria, gargarismos, & apophlegmatismos euacuanda materia, sed potius per errhina. Eadem ratio est, si materia ad ventriculum fluat. Si verò ad oculos, aut ad nares iam antea morbo affectas fluat, potius per masticatoria & apophlegmatismos, quàm per errhina, euacuanda.

*Errhina & apophlegmatismi.* Errhina autē & apophlegmatismi supra, *part.* 1. sunt proposita. Inter errhina autem facile hîc semen nigellæ primas obtinet, quod sæpius odoratum in quouis etiam catarrho vtile est. Ideóque torrefactum & aceto conspersum crebrò naribus admoueatur, vel puluerisatum, & cum aqua maioran. mistum, naribus attrahatur; vel ol. nigell. naribus interioribus illinatur.

Vel ℞. *Aq. maioran.* ℥. iiijß. *succi betonic.* ℥. j. *sem. nigell. pulueris.* ʒ. ß. *nucis moschat.* Scr. j. Misce.

Ditioribus aliquot grana ambræ vel moschi addātur.

Exempl. gr.

℞. *Aq. maioran.* Vnc. ij. *moschi* gr. ij. *ambr.* gr. j. Misce.

Laudatur & hoc:

℞. *Ligni Guaiaci comminuti* Vnc. j. *aq. puræ* ℔. j. affundatur aqua prius calefacta, & per noctem macerentur. Deinde coqu. ad medietat. consumptionem. Sub finem adde. *maioran. rosar. rubr.* an. P. ij. Colentur.

In vsu tamen horum remediorum notandūm: 1. ne mox initio, & dum adhuc caput plenum est, ac materia nondum concocta, iis vtamur. 2. ne fortius resoluentia in catarrho frigido, cuius materia tenuis est, sola vsurpentur, ne materiæ tenuis spontè aliàs ad fauces fluentis impetus ad pectus & pulmones augeatur, sed incrassantia quædam, aut quæ impetum humoris ruentis figunt, iis admiscenda; qualia sunt, rosæ rubræ, mastiche, spica Indica, semen coriandri, gummi iuniperi; atque alia, quæ in catarrhi calidi curatione proponentur.

Hinc in catarrho tenui vel sola mastiche masticetur, vel hi Trochisci:

℞. *Nuc. moschat.* Drach. j. *mastich. gummi Arabic.* an. Drach. ß.

Redigantur in puluerem, & cum aqua rosarum fiant Trochisci.

### Catarrhum exsiccantia & caput roborantia.

*Exsiccantia & caput roborantia interna.* Corpore & capite conuenienter euacuato ea adhibeantur, quæ exsiccando reliquam Catarrhi materiam absumunt, simulque caput roborant, partim interna partim externa, medicamenta, quorum multa supra, *part.* 1. *de Intemper. capit. frigid. & humid.* & *de Intemper. capit. cum pituitâ*, proposita fuerunt, quæ hîc repetere non libet.

Interna quod attinet, sumatur de iis modò lenioribus, modò validioribus, prout vsus postulauerit, portio exigua vesperi ante somnum, & post prandium, vt eorum vis vnâ cum vaporibus ingesti cibi ad caput feratur; manè verò stomacho ieiuno plus exhibere licet.

Vtilis est & hæc Mixtura.

℞. *Spec. lætit. Gal.* ℈. ij. *dianth. diamosch. dulc.* an. ℈. j. *aq. anthos, meliss.* an. ℥. j. *betonic.* ℥. ij.

Incalescant lento igne, vt ebullire incipiant, & permittantur in infusione horis 4. Postea colentur. In Colaturâ dissolu. *confect. Alkerm* Drach. sem. *magister. corall. smaragdi*, an. Scrup. sem. *essent. rorismarin.* Drach. ß. *aq. cardamomi apoplecticæ* an. Drach. vi.

Misce.

De hac mixturâ cubitum ituro, & è lecto surgenti, cochl. i. propinetur.

Monendum & hoc: calidis cephalicis medicamentis exsiccandi, & vaporum ad caput ascensum prohibendi gratiâ conseruam rosarum commodè admisceri, etiam in Catarrho frigido.

℞. Con

℞. *Conseru.rosar. rubr.* Vnc.ij. *spec. aromat.rosat.* ℈.ij. *nuc. moschat.* ℈.j. *thuris albiss.* ℈.ij. Cum *syrupo de rosis siccis*, aut *de betonica*, F. Electuarium, de quo sub tempus somni portio magnitudine nucis iuglandis sumatur.

Vel ℞. *Conseru. rosar. rubr.* Vnc. ij. *lauendul.anthos, saluiæ*, an. Vnc.j. *spec.dianthos, diambr.aromat rosat.* an. ʒ. ß. *corall.rubr.prepar.pulueris nuc.moschat*, an. Scr.j. Cum *syrupo stœchad.simpl.*

F. Electuarium.

Vel ℞. *Conseru.saluiæ; pœon.* an. Drach. vj. *rorismar, rosar.* an. Vnc.ß. *nuc.moschat.condit myrobolan.chebular. cond.* an. Drach. iij. *acori cond.* Drach. j. *spec. diamosch. dulc.* Drach. ß. *arom. rosat.* Scr. j. *sem. pœon.* Drach. ß. *cubebar.* Scr. j. *coriandr. prepar. margarit. prepar.* an. Scr. sem.

Cum *syrupo de rosis* & *beton.* q. s.

F. Electuarium, de quo mane & vesperi portio nucis moschatæ magnitudine capiatur.

Aliud:

℞. *Conseru. rorismarin. salu. lauendul.* an. Vnc. ij. *pœon.* Vnc. j. *rosar.* Vnc. ß. *confect. Alkerm.* Scrup. j. *specier. diaplir.* Dra. ß. *solut.perlar.corallior. rubr.* an. ℈.j. *essent.salu.* Drach. j. *Mithridat.* Drach. ij. *aq. apoplect.* Drach. iij. Cum *syrup.de stœchad.*

F. Electuarium.

Si forma Morsulorum placet, sequens Confectio de thure præstantissima est:

℞. *Sem. coriandri prep.* ℥.ß. *nucis moschat.thuris*, an. ʒ iij. *glycyrrh. mastich.* an. ʒ.ij. *cubebar.* ʒ. j. *conseru. rosar.rubr.* ℥.j. *sacchar.albi* ℥.x. *in aq.rosar.dissol.*

F. Confect. in Morsulis, quorum singuli ʒ.iij. pendeant, de quibus mane & vesperi vnus sumatur.

Vel parentur seq. Rotulæ:

℞. *Ol.nuc.mosch.expr.* ʒ.j. *margarit.prep.* ℈.j. *smaragdi prep.* ℈.j. *sacchar.in aqu.lauendul.dissol.* ℥.vj.

F. s. a. Rotulæ, de quibus capiantur mane & vesperi 4. vel 5.

Aliæ:

℞. *Specier.diamosch.diambr.* an. ʒ.j. *succini albiss.* ℈.j. *ol.anisi* gutt.iij. *sacchar.in aq.lauend.dissol.* Vnc.iiij.

F. Orbiculi.

Vinum etiam hoc contra Catarrhos vtile est:

℞. *Cortic. myrobal. omnium*, an. ʒ.ijß. *cinamomi* ʒ.i. *caryophyll. galang. cubebar.cardamom. granor. paradisi, nucis moschat.* an. Scr.j. *rosar.rubr.siccarum* Drach.ij. *flor. anthos.lauendul.*

Affundatur vini quantum libet.

In Catarrho diuturniore decoctum ligni Guaiaci, sassafras, radic. Chinæ, sarsæparill. cum diæta conueniente exhibitum cerebrum ab humore frigido sanat & liberat. Et omnino in talibus morbis cõtinuatione opus est, nec à medicamenti alicuius semel atque iterum saltem exhibiti vsu salus speranda. Quam ad rem vtilissima sunt vina medicata, vt & cereuisiæ.

Exempl. gr.

℞. *Rad.caryophyll.* M.ij. *granor.iuniperi* M.j. *sarsæparillæ* ℔.jß. *saluiæ.rorismar.chamæpit.* an. M.iij. *caryophyll. galang.* an. Drach. ß.

Affundatur sufficiens quantitas musti vel cereuisiæ recentis in dolio conuenienti, vt fiat vinum vel cereuisia medicata.

### *Externa.*

Externa medicamenta caput roborantia, & catarrhũ simul exsiccantia etiam supra, *part.* 1. sunt proposita, quibus pauca addemus. Adhibeantur inprimis lotiones capitis & pedum, suffitus, pileoli, cerota seu emplastra, pulueres.

*Externa.*

### *Lotio capitis & pedum.*

℞. *Fol. betonic. maioran. saluiæ, origani*, an. M. j. *flor. anthos.chamæmel.stœchad.vtriusque*, an. M.jß. *nigellæ* Drach. ij.

*Capitis & pedum lotiones.*

Coqu. in lixiuio pro capitis lotione ante prandium, à qua caput linteis calidis probè abstergatur. Efficacius remedium erit, si de sublimi embrochæ modo in caput demittitur.

Etiam thermarum aquæ vim sulphuris habentes per embrocham capiti immissæ plurimum valent ad siccandum Catarrhum frigidum, si post diligentem capitis purgationem adhibeantur, ac victus ratio idonea seruetur.

### *Suffitus.*

Ad suffitum linteorum, quibus caput exsiccatur, vel tegumentorum capitis hic Puluis vtilis est:

*Suffitus.*

℞. *Trochisc.aliptæ moschat. fol. saluiæ, maioran. rorismar.* an. Drach. ß. *lauri.caryophyll.cinamom.ligni aloës*, an. Scrup. j. *thuris, stiracis calamit.* an. Drach. j.

F. Puluis carbonibus iniiciendus.

Si cum mucilagine tragacanth. excipiantur, Pastilli formari possunt, super carbones iniiciendi.

Vel ℞. *Benzoës* Drach.ij. *styracis calamit.* Drach. j. *ligni aloës, cinamom.* an Drach. ß. *caryophyll.* Drach. jß. *moschi* gran.vj.

F. Puluis, vel Trochisci carbonibus iniiciendi pro suffitu.

### *Pileolus.*

℞. *Fol. maioran. saluiæ, origani*, an. Drach.j *flor. stœchad. Arabic.* Drach. ß. *lauendul. rorismarini, caryophyll. macis, nuc. moschat. ligni aloës*, an. Scrup. j. *thuris* Drach. ß. *rosar. rubr. siccar.* Drach. ij.

*Pileoli seu cucuphæ.*

Trita & sacculo ex sindone rubra parato insuta suturæ coronali imponantur.

Vel ℞. *Flor. rosar. rubr.* M. j. *meliss. origan. betonic. rorismarin.* an. M. ß. *thuris, mastich. ligni aloës, gran. iuniperi*, an. Drach. iij. *nucis moschat. macis*, an. Dra. j. *caryophyll.* ʒ. ß. *nucis cupress.* ʒ. jß. *gran. Kerm.* ʒ. jß.

Præparata l. a. sindoni rubræ, ad formam pileoli concinnatæ, includantur, & cum gossyp. intersuantur.

Alius:

℞. *Fol. meliss. maioran. betonic. summit. origani*, an. M. ß. *rosar. rubr.* P.ij. *nucis moschat, caryophyll.* an. Drach. ij. *granor. Kermes, macis*, an. Drach. jß. *thuris, mastich.* an. Drach. iij.

In puluerem grossum redacta serico rubro includantur, & interpassentur. F. Pileolus.

### *Puluis capiti inspergendus.*

Sub ingressum lecti anterior pars capitis hoc Puluere conspergatur.

℞. *Nigellæ torrefact.* Drach. ij. *rad. cyperi* Drach. j. *flor. rosar. rubr. stœchad. Arabic.* an. P.ij. *nuc. moschat. caryophyll.* an. Scr. ij. *succini* Scr. j.

F. Puluis.

Vel ℞. *Origani. stœchad. Arabic. maioran.* an. ʒ. j. *rosar. rubr. gummi iuniperi*, an. ʒ. jß. *ligni aloës* Drach. j. *macis* Drach. ij. F. Puluis.

Alius:

℞. *Benzoës.* ʒ. vj. *styrac. calam. ligni aloës*, an. ʒ. j. ß. F. Puluis grossus.

### *Odoramenta.*

Ad Odoramenta pertinent suffitus supra enumerati. Nigella quoque aceto rosaceo quatuor dies macerata

*Odoramẽta.*

& pulueriſata, ac cum aqua maioranæ miſta, & in nares attracta non tantum caput purgat,ſed & roborat.

Vel ℞. *Roſar.rubr.caryophyll.ſem.nigellæ, cinamomi, nuc. moſchat.* an. Scr.ij. *ſtyracis calamit.* Scr. ß. *moſchi* gr. iij.

Includantur ſerico,fiatque Nodulus odoratu caput ſiccans & roborans. Pomorum ambræ & balſamorum deſcriptiones ad caput exſiccandum ſuprà,*part.*1.propoſitæ ſunt.

### *Cerota & Emplaſtra.*

*Cerota & Emplaſtra.*

Bregmati etiam imponi poſſunt cerotum de Betonica in diſpenſatorio Auguſtano deſcriptum,vel Montagnanæ hoc:

℞. *Ladani, gummi elemi, iuniperi, thuris, ſtyracis liquid.calamit.myrrhæ,*an.Drach.j.

Commiſta diligenter in formam Ceroti redigantur.

Vel ℞ *Maſtich. gummi iuniperi,nucis moſchat.caryophyll.*an.Scr.j.*ladani* Drach.vj.

Ducantur piſtillo calido in mortario, & addita olei maſtichini ſ. q.F.Emplaſtrum.

Vel ℞.*Macis, nuc. moſchat.gummi iuniperi,maſtich. thuris, ſtyrach. calam.*an.Drach.jß.*roſar.rubr.*ʒ.ß.*ladani,*ʒ.iiij.*terebinth.ceræ,*an.q.ſ.

F. Maſſa,de qua portio q.ſ.corio rubro ad conuenientem formam inducatur, ſericumque rubrum ſuperducatur, & interpaſſetur.

Vel ℞.*Flor.roſar.rubr.*ʒ.ij.*gummi iuniperi* ʒ.j *macis, nucis moſchat.*an.ʒ.ß.*caryophyll.*Scr.j.

F.Puluis ſubtilis,& cum *ladani, ceræ, ol. chamæmel,* vel *irini* ſ.q.

F. Ceratum.

Qua ratione autem Catarrhi fluxioni,ſi impetuoſior ſit, & cum periculo ad aliquam partem confertim ruat, occurrendum ſit, paulò poſt in Curatione Catarrhi calidi dicetur.

## DE CATARRHI CALIDI CVRATIONE.

*Catarrhi calidi curatio.*

Si verò materia Catarrhi ſit calida,primò imminuatur leni pharmaco, ex decocto iuiubar. ſebeſten, prunor flor. violar. capillor. ♀, glycyrrh. hordei in quo mannæ Vnc.jß.diſſoluta ſit,aut ſyrup.roſar. ſolut. Vnc. iij.vel iiij exhibeantur.

*Venæ ſectio.*

Si ſit corpus calidiore ſanguine repletum,vt metuẽdum ſit, materiam ad caput affluxuram,atque ipſa materia tenuis in partem aliquam cum vitæ periculo ruat, venæ ſectione opus eſt, quæ corpus refrigeret,materiã euacuet, &,ne ad caput,atque hinc ad partem aliquam, cum periculo ruat,impediat.Si autem propter vires aut ætatem venæ ſectione vti non liceat,cucurbitulæ illius vicem ſuppleant.

*Præparantia*

Poſtea adhibeantur quæ humoris feruorem ac acrimoniam mitigant, vt ſunt ſyrup.de roſ. ſiccis,de ſucco acetoſ. violar.de nymph.de papau cum aquis & decoctis refrigerantibus ac modicè adſtringentibus.

Propinetur igitur exempl. gr.talis Hauſtus:

℞.*Aq.papauer.borrag.*an.ʒ.jß.*ſyrup.violar.*ʒ.j.*eſſent. papau.*℈.ß.*ſpir.ſulph.accidi* gutt.iij.Miſce.

*Purgantia.*

Euacuetur deinde materia rhabarbaro,tamarind.electuar.diacathol. diaprunis, diaſebeſten, roſato Meſüe, de ſucco roſar.pil.Arab.aureis,& aliis,quæ humori huic conueniunt.

Corpore euacuato caput etiam priuatim euacuandum,vt antea dictum. Cauendum tamen, ne materia tenuis nimium agitetur,vnde periculum ſit,ne ad pulmones cum impetu fluat.

*Exſiccantia & caput roborantia interna,& externa.*

Capite quoque euacuato reliquiæ exſiccandæ, & caput roborandum. Interna ſunt conſerua roſar. ſpec. aromat. roſat. thus, nuc. moſchat. Extra verò puluis capiti inſpergatur,aut ſacculus imponatur, ex floribus roſar. rubrar. ſem. coriandr. præpar. ſantalis, cortic. papau. albi,gummi iuniperi, thure,maſtiche, quorum formulæ, vbi de ſiſtendo catarrho dicetur, proponentur.

Exempli gratia.

℞.*Gummi iuniperi* ℈.ij.*flor.roſar.rubr.*P.ij.*myrtill.*ʒ.j.*macis,nucis moſchat.*an.℈.ß.*thuris ſem.pæoniæ, cortic. papau.*an.℈.ij.*nucis cupreſſ.*℈.ß.

Pulueriſentur, & cum floccis panni coccinei Fiat Sacculus ex ſindone rubra.

Vel Cerotum tale fiat:

℞. *Maſtich.cortic.thuris.* an.Drach.ß.*ſandarac. corall.rubror.roſar.rubr.myrtillor.balauſtior.cortic.granator.* an.Drach.j.*ladani* q.ſ.Cum *olei roſat.* & *ceræ* ſ.q.

F.Cerotum ad ſuturam coronalem, obducendum ſindone rubra.

In declinatione etiam ieiuno ſtomacho caput lauetur decocto roſar.maioran. betonicæ.

## DE CATARRHO CVM IMPETV RVENTE SISTENDO.

*Catarrhum cum impetu fluentẽ ſiſtẽdi ratio.*

Atque hæc quidem ſæpe ad Catarrhum tam frigidum quàm calidum curandum ſufficiunt,ſi nimirum materiæ copia non magna ſit, nec cum periculo ad partem aliquam, præcipuè pulmones, ruat. Si autem Catarrhus cum impetu ad pectus & pulmones ruat, fluxus omnibus modis inhibendus.

### *Auertentia & Reuellentia.*

*Reuellentia.*

Vniuerſali corporis euacuatione præmiſſa materiam diuertere, ne ad vnum locum confluat, conuenit. Securius quidem omnino eſt,vt Meſue monet, deſtillationem non ſubitò ſiſtere,& materiam in corpore retinere. Si tamen præſens ſuffocationis, vel pulmonum exulcerationis periculum imminet, omnino catarrhus ſiſtendus eſt, & præſidiis conuenientibus auocanda materia à parte nobiliore ad ignobiliorem, ac diſſipanda.

Fiunt autem diuerſiones per clyſteres,per lotiones extremorum ante cibum, per frictiones & ligaturas eorundem,per cucurbitulas,vt ſuprà.*part.*1.dictum.

Galenus etiam,5.*meth.med.c.*13.in Catarrho calido emplaſtrum ex fimo ſylueſtrium columbarum,& quod ex thapſia paratur, vſurpat:de quo quid ſentiendum poſtea,*qu.*1.dicetur.

Setaceum quoque occipiti applicari poteſt.Nonnulli reuulſionis gratiâ ſuturæ coronali cauteriũ applicãt. Verùm quid de eâ re ſentiẽdum,ſuprà,*part.*1.*c.*1. dictũ.

### *Catarrhum intercipientia & incraſſantia.*

*Intercipiẽtia & incraſſantia.*

Si verò acris,& calidus fluxus ſit,cum tuſſi vehementi,vigiliiſque continuis,de ſiſtendo Catarrho cogitandum eſt.

In ſiſtendo tamen catarrho obſeruandum,ſiſtentibus catarrhum tantùm vtendum eſſe, dum materia ad pectus deſtillat, non poſtquam ad pectus influxit. Tum enim potius quæ materiam collectam per tuſſim euacuant, conueniunt. Et cum materia per ſomnum ad pectus maxima ex parte fluat,poſt cœnam,ſub ingreſſum lecti,exhibenda ſunt Catarrhum ſiſtentia;ſicut per vigilias illud,quod in pectus iam influxit, euacuandum. Non tamen ſtatim in principio tutò vſurpantur ſiſtentia,ſed præſtat potius diuertentia adhibere niſi forſan materia cum periculo ad pectus ruat,& ſuffocationis periculum adſit.

Inſeruiunt quoque huic ſcopo ea,quæ vim adſtringendi & incraſſandi habent,adhibita formâ ſyruporum eclegmatum,gargariſmorum,pilularum, trochiſcorum rotularum in ore detinendarum,odoramentorum,puluerum capiti inſpergendorum, ac ceratorum. Et

quidem si externa non sufficiant, interna, vt pilulæ de cynoglossa, quæ exhibentur à gr.vi. ad Ʒi.sub tempus somni.

Vel ℞. *Thuris albiss.sandarac. Arab.myrrh.* an.Dra.ß. *ligni aloes,nucis moschatæ,macis,croci*, an.Scrup.i. *ladani purissimi,styrac.calam.*an.Dra.ii.*moschi* gr.v.Cum syr.de stœchade

F.Pilulæ,è Drach.i.numero vj.

Vtile est & laudanum Opiatum gr.ii.vel iii.pondere sumptum.

Exempli gratia:

℞. *Laudani opiat.*gr.ii.*pulu.mastich.*gr.v. *olibani* gr. iii.*extract.croci* gr.i.Cum aq.violar.

F.Pilulæ numero v.

Item theriaca recens,vel bolus Armenus, qui in catarrhis sistendis valde vtilis est.De quo vide *lib.2.part. 3.cap de asthmate,in quæst.*

Vel dentur deglutienda grana mastiches & thuris horâ decubitus,vel per se,vel ita præparata:

℞. *Granor.thuris,mastich.sandarac.Arab.tragacanth.* an.Drach.ß.

Macerentur in vino rubro.Deinde exsiccentur & deglutiantur num.v.vel vi.

Vel ℞. *Syrup.de rosis siccis,de iniub.de papau.*an. Vnc. i.*bol. Armen.aq.rosar.lot.*Scr.iiij.

Misceantur, & sumantur duo cochl. sub tempus somni.

Vel ℞. *Cap.papau.*num.ix.*siliquar.glycyrrh.*an.Vnc. iii.*sem.althææ,bombac.*an.Dra.iii. *iniubar.sebest.* an.num. viii.Coq.in s.q.aquæ.

Colaturæ adde *sacchar.candi* Vnc.iii. Coqu. iterum ad spissitudinem mellis.

Vtile est & diacodium sub ingressum lecti sumptum.

Vel ℞. *Loh de papau.*Vnc.i.*spec.diatragacan.fr.* Dra. i. *diacodij Mesuæ* Drach. ii. Cum *syrupo iniubino* vel *de papau.*

Fiat Eclegma.

Vel paretur sequens Electuarium, & portio nucis moschatæ quantitate horâ somni præbeatur:

℞. *Conseru.violar.recent.* Drach.iii. *betonic.* Drach.i. *rosr.rubr.antiq.*Vnc.ß.*spec.diatrag.frig.* Drach.ß. *diacodij* Drach.ii.*corall.rubr.præpar.*Scrup.ß.*boli Arm.prep.*Scr.j. Cum *syr.de rosis sicc.*

F.Electuarium.

Vel ℞. *Diacodij* Vnc.i. *diacydon.simpl.* Vnc.ß. *spec. diapapau.*Dra.i.ß.*diatrag.fr.*Dra.ß.*conseru.rosar.alb.* ℥.j. *nymph.alb.*℥ß.*rob ribes* Drah.iii.*succini albi prep.* Dra.ß. Cum *syr.de papau.*F.Electuarium.

## *Gargarismi.*

℞.*Rosar.rubr.*M.ß. *plantag.balaustior.* an. Drach.ß. *cortic.capitum papauer.* Dra.i.*nigell.*Dra.i.ß.Coq.in aq. simplici.

Colaturæ adde *syrup. de papau. myrthini*, an. Vnc.i. *boli Armeni* Scrup.i.M.pro Gargarismo,vel potius sine multa agitatione liquor in ore detineatur.

Vel ℞.*Flor.rosar.rubr.balaustior.*an.p.i. *capit.papau. c.sem.*num.ii.*myrtyll.*Drach.i. *rasuræ santali rub.* Dra.ß. Coqu.in aqua communi ad tertias.

Colaturæ ℞. Vnc. v. In quibus dissolu. *Boli arm. prep.*Scrup.i.*syr.myrt.*Vnc.i.M.

Alius:

℞. *Aq.lactuc.rosar* an. Vnc.iii. *vini granator.* Vnc j. *syr.de papau.*Vnc.i.ß.M.

Vel ℞. *Aq.plantag.solani,rosar.* an.Vnc.ii. *myuæ cydonior.*Vnc.i.ß. *essent.papau.* Drach.ii. *phlegm. aluminis rectificat.*℥.ß.M.

## *Rotulæ, Trochisci, Pilulæ in ore tenendæ.*

*Rotulæ, Trochisci & Pilulæ sublinguales.*

℞.*Boli Armeni* Drach.i. *rosar.siccar.terræ sigillat.* an. Scrup.i.*spec.diatragacanth.frigid.*Drach.i. *amyli,gummi Arab.*an. Drach.ß. Dissoluantur cum albumine oui,& addito syrupo violarum aut de papauere F. Trochisci sub linguâ tenendi.

Vel ℞. *Boli Armeni* Drach. ii. *gummi Arab. tragacanth.*an. Scrup.ii.*sem. papap. albi* Drach.i. *nuc. mosch.* Drach.ß.*sacchar.penidij,candi*, an.Vnc.ß. Cum *mucilagine seminis cydoniorum facta cum aqua rosar.* F. Orbiculi.

Vel ℞. *Cap. papau.* num.vi. *siliquar.* Vnc.i.*rad.glycyrrh.*Drach.v.*ireos* Drach.i.ß *passular.* Drach.iii. Coq. l.a.in s.q.aq.ad tertias.

In decocto colato dissolu.*sacch.*Vnc.iv.*extr.glycyrrh.* Scrup.i.*croci* Scrup.ß.F.l.a. Orbiculi.

Vel parentur seq.Trochisci:

℞. *Spec.diatrag. frig. diapapau.* an.Drach.i. *boli Armen.prep.*Scrup.ii.*tragacanth.*Drach.ß.*amyli,succi glycyrrh.*an.Scrup.i. *sacch.candi alb.* Drach.ii. Cum *syrup. de papau.* q. s. F. Trochisci sublinguales, de quibus vnus atque alter sæpius die noctúque in ore detineatur:

Alij:

℞.*Boli Arm.prep.* Drach.i. *gumm.tragac.sem.papau. alb.*an.Drach.ß.*gum. Arab.* Scrup.ii.*glycyrrh.* Drach.ß. *sacch.*Vnc.i.ß.

Puluerisata excipiantur mucilag.sem.psyllij, & F.s.a. Trochisci sublinguales.

Vel ℞.*Amyli* Drach.ii.*sem.lactuc.papau.albi*,an.ʒ.i. *gumm.Arab.tragacanth.*an.Drach.ß. *boli Armen.* Scr.ii. Cum *mucilagine sem. psyllij.* F. Pilulæ sub linguâ tenendæ.

Si humor salsus sit, spica addatur, aut spica noctu in ore teneatur; quod tanquam expertum Mesues commendat.

## *Suffitus, & Odoramenta.*

*Suffitus & odoramenta.*

℞. *Sem.coriandri* Scr.ii. *gummi hederæ,iuniperi, mastich.thuris*, an Scrup.ß. *trochiscor.de camphora,sem.papau.*an.gr.iv.F.Puluis,cuius accensi fumus naribus excipiatur,vel eo capitis tegumenta suffiantur.

Vel ℞. *Sandarac.Arab.*Drach.i. *mastich.succini alb.* an.Drach.ß.F.Puluis.

Alius:

℞. *Succini alb.* Drach.ii. *mastich.* Drach. i. ß. *thuris, sandarac.Arab.*an.Drac.ß.*gumm.animæ.tacamahac.* an. Drach.ß.*fl.rosar.rubr.*p.i.F.Pulu.grossus.

℞. *Styrac.calamit.caryophyll.nucis moschat. mastich. thuris, ladani*, an. Scrup.i. *ambræ* gr.iiii. Cum *aqua rosar.* F. Trochisci carbonibus iniiciendi in Catarrho frigido.

In Asthmaticis tamen suffitus vix conueniunt; vt necij, quibus caput debile est, suffitus vehemens ferunt, sed sufficit cum styrace & momento thuris ac succini albi carbonibus inspersi suffitum excitare.

## *Noduli & Pulueres capiti inspergendi.*

*Noduli & pulueres capiti inspergendi.*

℞.*Santal.albi,rubri*,an.Scrup.ii.*citrini* Drach.i.ß. *rosar.rubr.cortic.papau.albi*,an.Drach.ii.

Redigantur in puluerem, & nodulo inserantur, qui aquâ rosar. madidus odorandus præbeatur in Catarrho calido.

Vtilis est & sequens Nodulus:

℞.*Flor.rosar.violar.*an.p.ii.*santalor.omnium*,an.Scr.j. *camphor.*gr.v.

Concisa includantur nodulo ex sindone rubra parato.

Vel ℞.*Rosar.rubrar.*Drach.ii.*gummi iuniperi* Scrup. ii.*nuc. mosch. macis*, an. Scrup.ß. *rosar.rubrar. balaust.* an. Drach.i. *sem.pæon.thuris,mastich.*an.Scrup.i.*nuc.cupressi* Scrup.ß.

Cum serico F. Sacculus pro capite in Catarrho calido.

Vel ♃. *Gummi iuniperi, tragacanth. caryophyll. macerator. in aquâ rosar. & exsiccat.* an. Drach. ii. *nucis mosch. macis, flor. stœchad. Arab.* an. ℈ ii. *rosar. rubr. myrtillor.* an. Scrup. i. Cum serico F. Sacculus.

Non incommodè etiam capiti inspergi potest sequens Puluis:

♃ *Succini alb. sandarac. Arab. mastich. benzoes, nucis mosch* an. Vnc. i. *cubebar.* Vnc. ß. *thuris* Drach. v. Scr. i. *cortic. thuris* Dra. ii. F. Puluis.

*Ceratum.*

Ceratum ex mastiche, gummi iuniperi, nuc. mosch. caryophyll. ladano, suprà fuit propositum, quod & hic locum habet.

DE CATARRHO SVFFOCATIVO.

*De Catarrho per venas ruente, vide Hipocr. aph.*

Etsi ex iis, quæ hactenus de catarrho sistendo & inhibendo diximus, facilè etiam, quâ ratione catarrhus Suffocatiuus curandus sit, pateat: tamen in specie aliquid ea de re addere non inutile fuerit.

*Catarrhi suffocatiui curatio.*

Si quando Catarrhus tanto impetu ad pulmones fluit, vt suffocationis periculum impendeat, danda opera, vt materia in plures partes statim distrahatur, reuellendo, deriuando, catarrhúsque sistatur internis & externis medicamentis exhibitis.

*Auxilia.*

Acribus nimirum clysteribus aluus prouocetur, extrema fricentur vinciantúrque, cruribus & brachiis cucurbitulæ affigantur, venæ sectio etiam, si opus sit, sine vlla mora administretur, purgantibus materia à pulmonibus auersa trahatur in ventriculum & intestina; gargarismis adstringentibus & aliis, quorum formulæ ante propositæ, fluxus intercipiatur & sistatur. Postea fumus excitetur è mastiche, thure, & succino. Per vices etiam acetum rosaceum super lapidem ignitum affundatur. Alij gummi tacamahacæ solum cum pistillo calido dissolutum, & alutæ inductum bregmati & temporibus applicant. Nonnulli puluerem succini, thuris, & mastich. cum album. oui, & aqu. rosar. impastant, quod linteo illinunt, & fronti temporibúsque admouent. Quod tamen post horam aliquandiu remouendum, ne catarrhum plus iusto sistat; hinc renouandum. Nucha inungatur ol. succini, vel seq. Vnguentum adhibeatur capiti, quod efficacissimum est:

♃. *Pulu. nuc. cupress. alumin. vsti, sulph. viui, pyrethri, olibani, mastich. camphor. gallar. cortic. granator. rosar. rubr.* an. Drach. ß. Cum *aqu. fol. quercus* q. s. misc. addendo *succ. acacia, cydonior.* an. Vnc. ß. M.

Si maximum periculum instet, phœnigmis quandoque & vesicatoriis opus est. Phœnigmi hæc formula erit:

♃. *Rad. asphodeli, baccar. lauri, gummi iuniperi. rad. pyrethri, piper. longi. sinapis,* an. Dra. i.

Terantur in Puluerem, & inuncto prius vertici oleo costino aliquid eius inspergatur circa futuram coronalem; vel cum oleo euphorbij & cera F. Cerotum futuræ coronali imponendum.

♃. *Nigell. torrefact.* Vnc. ß. *sinapi* Drach. iii. *thuris, mastich.* an. Drach. i. ß. *fimi columbini, farinæ hordei,* an. Vnc. ß. *oximelit. simpl.* q. s. F. Emplastrum pro futura coronali.

♃. *Fermenti* parum, *caricam pinguem* N. i. *cantharid. alis & capitibus abscissis* N. vi.

Cum *aceto scillitico* fiat Massa, quæ capite raso futuræ coronali imponatur, & post sex circiter horas vesica excitata rumpatur.

Vel applicetur tale Vesicatorium:

♃. *Ol. castor. costini,* an. Vnc. ß. *pulu. cantharid. prap.* Scr. ii. *fermenti acerrimi* q. s. F. Cataplasma, ducatur super aluta, longitud. 4. & latitud. 3. digitorum, & parti capitis anteriori rasæ applicetur, vel ad primam colli vertebram, & per noctem relinquatur.

Locum etiam hic habet Ceratum Galeni de stercore columbarum & tapsia, cuius supra fuit facta mentio. Proliciatur quoque pituita è naribus, palatique inunctionibus incitetur ad expulsionem.

Et si materia crassa est, ac magna eiusdem copia in pectore continetur, looch de scilla cum oxymelite & ammoniaco est dandum, & alia, quæ in asthmate sunt vtilia.

*Partium, ad quas Catarrhus ruit, roboratio.*

*Partium recipientium roboratio.*

Etsi diuertentibus & catarrhum intercipientibus ipsi quoque parti recipienti consulatur: tamen etiam vtile est, ipsam partem recipientem confirmare per adstringentia, quibus expultrix ita roboratur, vt non solum non admittat materiam à capite ruentem, sed & eam expellat. Talia sunt, rosæ, balaustia, plantag. myrtill. bolus Armenus, nuc. cupressi, & similia, quæ pro partium varietate alio atque alio modo exhibenda. Pectori tamen & pulmoni adstringentia non conueniunt, præsertim postquam materia influxit, quæ nullo modo in pectore retineri, sed reiici debet.

Vbi verò destillatio in parte recipiente peculiarem morbum generat, in oculo ophthalmiam, in alia parte alium; peculiares illorum morborum curationes requiruntur: de quibus suo loco dicitur.

*Quâ ratione partium, quæ Catarrho materiam suppeditant, sit habenda ratio.*

*Partes materiam Catarrho suppeditantes tractandi ratio.*

Vnum adhuc in Catarrhi curatione restat, quâ ratione scilicet partes tractandæ sint, quæ Catarrho suppeditant materiam. Vbi in genere tenendum, quæcunque etiam pars materiam Catarrho suppeditet, vtile esse, vt ij, qui Catarrhis frequenter obnoxij sunt, singulis mensibus, paulò ante nouilunium, corpus leniter purgent; idque iis præcipuè necessarium est, quibus aluus est siccior. Nisi enim aluus quotidie suum officium sponte faciat; & caput & alia membra vaporibus replentur. Ideóque danda opera, vt aluus quotidie respondeat. Quod nisi fiat, lenioribus medicamentis id procurandum.

Et cum sæpe accidat, vt membrum aliquod vitiosum habitum contraxerit, vnde quotidie aliquid materiæ ad caput transmittitur, atque inde Catarrhi & alij morbi excitantur: in tali casu sæpe requirit necessitas, vt fonticulus excitetur; quod commodissimè fit in brachio, vt materia illa propiore viâ euacuetur.

*Ventriculi in Catarrho ratio habenda.*

In specie, vt supra etiam, *part.* 1. dictum, si ventriculi frigidioris vitio materia catarrhi subministretur, ventriculus cibo & potu non est grauandus, neque ea assumenda, quæ vapores & fumos multos in caput emittunt. Ideóque nec generosa vina bibenda, nec raphanus; cæpe, porrum, sinapi, & id genus alia vsurpanda: item viscida, lenta, pituitosa vitanda. Condiendus verò cibus aromatibus, macere, caryophyllis, nuce moschatâ, saluiâ, roremarino, maioranâ; & post cibum semen coriandri, anisi, fœniculi, saccharo incrustata, & alia supra proposita sumenda. In vsu tamen aromatum obseruandum, medicamenta ea moderatè vsurpanda, vt cibum saltem condiant, non verò caliditate hepati & renibus noceant, sanguinémque acrem generent, aut caput imbecillum petant. Roborandus quoque ventriculus medicamentis cum internis, tum externis, quæ suo loco proponentur.

Ventriculo suum officium rectè faciente etiam hepar melius habet. Ipsi tamen quoque, si opus sit, succurrendum. Sit ergo in intemperie calida hepatis vsus fre-

quens

quens hordei; cichorium sæpe vsurpetur, vt & species diarrhod.abbatis,& similia. Ita si pars aliqua alia,vt lien vel vterus, materiam catarrho suppeditet, ad eam primùm, præcipuè in præseruatione à catarrho, curatio dirigenda est.

*Diæta.*

*Diæta. Aër.* Medicamentis hactenus propositis diæta respondeat, necesse est. Aër sit temperatus, & in Catarrho frigido nonnihil calidior. Venti austrini & aquilonares vitentur, & subita omnis modò ad frigidum, modò ad calidum mutatio. Nocet etiam cibus copiosior; vnde *Cibus & potus.* Celsus dimidium de consueto demit. Vitentur, vt antea etiam dictum, cibi concoctu difficiles, vaporosi, acres, excrementitij: Cœna parca sit. Quanquam enim nonnulli contrarium statuant: tamen non solum experientiâ constat, cœnam lautiorem catarrho obnoxiis parùm commodam esse, sed idem quoque ratio suadet. Si enim parum cibi assumatur, natura facilius & rectius in humoribus vitiosis noctu, & in quiete coquendis occupari potest; neque tot vapores & halitus in cerebrum attolluntur, qui per somnum, vti in vigiliis, ita discuti non possunt, sed in capite retenti Catarrhum augent. In secundis mensis ad vapores reprimendos vtile est sumere aliquid de carne cydoniorum, vel pyris coctis, item coriandrum. & tragemata supra, *part.* 1. proposita. Ab omni potu caput vehementer replente abstinendum. In nostris tamen regionibus frigidioribus, & crapula nostrorum hominum, moderatus vsus vini concedi potest, vt auctus calor natiuus Catarrhi maturationem promoueat. Cereuisia non contineatur in vasis valde picatis. Post cibum neque legere neque scribere iubet Celsus, *lib.* 1. *cap.* 5.

Somnus sit moderatus; nec eorum consilium audiendum, qui Catarrho laborãtibus vigilias præcipiunt. Vigiliæ enim cruditatem pariunt. Dormiendum itaque moderatè, sed non de die; nisi quis forsan diu somno meridiano assuetus sit, aut noctu vigilauerit. Diurnus enim somnus, & qui à cibi repletione initur, caput replet. Quæ autem forma decubitus, & situs capitis esse debeat, mox, *quæst.* 2. dicetur.

## QVÆSTIO I.

### *An Cerota & Emplastra è fimo columbino & thapsia in Catarrho calido conueniant?*

Galenus, 5. *method. med. cap.* 13. de Catarrho calido cum impetu ruente, & sanguinis sputum excitante, cum metu exulcerationis pulmonum agens, historiámque curationis, quam in nobili fœmina Romæ peregerat, narrans, inter medicamenta ab initio adhibita etiam mentionem facit Ceroti ex fimo syluestrium columbarum, quod verrici imposuit; nec non eius, quod ex Thapsia parauit. Idem ex Thapsia cerotum etiam *cap.* 14. proponit. Idem cerotum in catarrho, vbi de pulmonum exulceratione metus est, proponit Aëtius, *tetrabibl.* 2. *serm.* 4. *cap.* 60. Paulus Ægineta, *lib.* 3. *cap.* 31. qui tamen illud non statim initiò proponit, sed vbi aliis remediis malum non cessit. Habet idem remedium Auicennas, *lib.* 3. *Fen.* 10. *tract.* 3. *cap.* 6. qui & ipse non statim initio, sed vbi alia remedia non profunt, illud adhibet. Alexander Trallianus tamen, *ex allegat. cap.* 13. *l.* 5. *method. med. Galeni*, catarrhum illum calidum, falsum, & acrem fuisse, ac caput illius fœminæ intemperie calidâ laborasse colligens, reprehendit curationem propositam, eo nomine, quod nullo refrigerante & humectante medicamento vsus Galenus statim ab initio siccantia & calefacientia adhibuerit, quibus caput calidius redderetur, & catarrhi acrimonia adaugeretur. Ideóque ipse potius primùm refrigerantibus & humectantibus, quæ acrimoniam catarrhi temperent, vtendum censet. Imò ipse Galenus, 6. *de tuend. sanit. cap.* 9. medicamentum ex thapsiâ & sinapi nocere scribit, vbi caput intemperie calidâ laborat.

Hieronymus Capiuaccius, vt Galenum contra Trallianum tueatur, docet: calefacientia tribus nominibus vsurpari posse, vel tanquam euacuantia, vel tanquam retrahentia, vel tanquam calefacientia. Galenum autem iis vsum potissimum esse, vt retraherent materiam, deinde etiam vt insensibiliter eam discuterent. Quæ responsio si rectè explicetur, locum habere potest. Etenim cum Galenus ipse agnouerit, catarrhum illum calidum & falsum fuisse, nullo modo ad calefaciendum, sed ad catarrhum illum retrahendum eo medicamento vsum fuisse, planum est. Quod verò statim initiò ceroto tali vsus est, metus vrgentis periculi fecit. Etenim etsi adfuerit in proposito catarrho intemperies calida, quæ refrigerationem postulabat: tamen plus vrgebat fluxus præceps materiæ ad pulmones, quam caliditas, vtpote quæ iam sputum sanguinis excitabat, & metum exulcerationis pulmonum incutiebat. Et licet nonnihil augeretur intemperies capitis & caussæ morbificæ: tamen per hoc remedium maximum periculum declinabatur, quo euitato postea intemperiem capitis & materiæ corrigere licet. Refrigerantibus & exsiccantibus idem præstari non potest. Cum enim sint partium crassarum, tardè operantur, & exprimunt potius humorem, atque affectum, qui statim expetitur, non præstant. Si autem destillatio non vrgeat, nec fluxus sit præceps, in intemperie calida à calefacientibus abstinere tutius est: de quo casu intelligendus est locus Galeni, 6. *de tuenda sanitate, cap.* 9. Loquitur enim ibi de destillatione non vrgente, & quæ in latitudine sanitatis accidit.

## QVÆSTIO II.

### *Quænam forma decubitus & situs capitis in Catarrho esse debeat?*

De forma decubitus, & capitis situ somni tempore, *in lib.* 3. *Auicenna*, non idem sentire videntur Interpretes. Etsi enim de curatione Catarrhi & destillationis *Forma decubitus in Catarrho.* tractans Auicennas, 3. *fen.* 5. *tract.* 1. *cap. vlt.* inter alia, quæ de somno monet, & hoc præcipit, vt, qui Catarrho sunt obnoxij, capite dormiant minimè eleuato, sed potius demisso, decliuique puluinari: olim tamen aliter hunc locum legerunt, ita nimirum. *Et oportet secundum omnem dispositionem, vt regatur cum eleuatione capitis, & eleuetur puluinar.*

Verum enim verò non ita simpliciter nec hoc, nec illud affirmari potest. Etenim situs capitis conueniens eligendus, vel ob materiæ ad caput ascensum, vel ob einsdem è capite delapsum. Ascensum vaporum quod attinet, scribit Aristoteles, 10. *problem.* ideo bruta non laborare destillationibus, sicut homines, quoniam brutis calor & humores, qui calorem sequuntur, in armos sese efferant, vnde per refractionem difiecti partim quidem in ceruicem & caput, partim in spinam & lumbos, & ita non in vnam partem ferantur; cum in homine, qui figuram erectam habet, calor non dispertitus non partim ad anteriora, partim ad posteriora, sed totus ad caput eleuetur, quem humores sequuntur. Hanc Aristotelis rationem etiam in Catarrhis locum habere putat Hieronymus Mercurialis, *cap.* 15. *lib.* 2. *variar. lect.* & in figura ac situ capitis recto & eleuato plus vaporis & humoris ad caput ferri putat, quàm in situ decliui. Verùm non satis firma est hæc ratio, & tum solùm locum haberet, si vapores & humores liberè, instar vaporum in aëre, aut fumorum in furno vel fornace, & non vasis maximam partem conclusi, ad caput ferrentur: sed cùm per vasa præcipuè adscendant, ratio hæc locum hîc non habet; & cum in brutis, tum in homine ex hepate ac

corde

corde humores & vapores per venas & arterias ad caput feruntur. Imò si humores attendendi sint,cum illi suâ naturâ sint graues,difficilius in erectâ figurâ,quàm decliui, caput petunt. Vnde rectè scribit Oribasius, (quod & experientia docet) *lib.6.collect.in fine,c.1.* decubitum à pedibus altiorem caput replere & instrumenta sensuum. Descensum verò Catarrhi quod attinet,distinctione opus est.Si materia iam sit in capite seu ibi genita, seu aliunde transmissa, erectâ capitis figurâ facilius materia delabitur,quæ grauis est.Ideóque considerandum, vtrum plus vrgeat incommodum, quod partibus inferioribus delapsu Catarrhi infertur;an verò commodum,quod accidit capite sese in inferiora & partes ignobiles exonerante. Si illud plus vrgeat, capite decliui cubandum, aut certè non valdè erecto; si hoc, capite erecto. Si tamen adsit difficultas spirandi, quod sæpe in destillatione accidit,caput in lecto sublime habendum est,vt monet Celsus,*lib.4.cap.4.*

## DE EXCREMENTIS CEREBRI RETENTIS.

Vt excrementa cerebri quandoque copiosius, quàm par est, euacuari solent: ita eadem quandoque præter naturam retinentur. E quibus in cerebro retentis varia mala,epilepsia,apoplexia,carus,& similia oriuntur.Retinentur autem vel obstructis viis,vel dum facultas expultrix officium non facit.Aperiunt verò vias,& facultatem ad expellendum irritant, errhina & apoplegmatismi; de quibus supra, *part.* 1. & hactenus sæpius dictum.Topica quoque resoluentia,quæ materiam insensibiliter discutiunt, aliis præmissis vtiliter vsurpantur, de quibus etiam supra dictum.

Si nares sint obstructæ,vnguento aliquo humectante & attenuante superior pars nasi illinatur:

Vt ℞. *Ol. amygdal. dulc. amarar. adipis gallinæ*, an. Vnc.ß.Misce.

Naribus attrahatur aqua maioranæ,in qua semen nigellæ maceratum sit.

Vel ℞.*Betonic.maior.viridium*,an.M.ij.

Exprimatur succus & naribus attrahatur.Infantibus commodè particula butyri sine sale, magnitudine pisi, naribus inditur. Pertinet huc etiam suo modo Sternutatio.Verùm de eâ ageturinfra,*part.3.sect.4.c.9.*

# LIBRI PRIMI PARS III.

## De Morbis ac Symptomatibus,quæ accidunt organis ac functionibus sensuum Externorum,

## SECTIO PRIMA, *De Symptomatibus sensus Tactus,& Dolore Capitis.*

### CAPVT I. *De Stupore & Torpore.*

Cvm hactenus morbos,qui cerebro & capiti accidere solent, & symptomata, quæ in actionibus sensuum internorum, & motu voluntario, vt & in excrementis cerebri,contingunt,explicauerimus: proximum iam est,vt morbos,qui organa sensuum externorum infestare, & symptomata, quæ in actionibus sensuum externorum obeundis accidere solent, explicemus. Cum autem sensus tactus communissimus sit, & omnibus reliquorum sensuum organis insit,ab eo initium facere liber.Cum verò in tactus organo,vt in aliorum sensuum organis, multi morbi non occurrant, saltem de symptomatibus dicemus. Quæ verò de morbis dici possunt,inter caussas eorum proponentur.

Tactus autem instrumentum esse membranam, in Institut. *lib.* 1. *cap.* 12. monstrauimus. Læditur autem Tactus, cum imminuitur, vel abolетur, vel deprauatur. Imminuitur & aboletur in stupore & torpore; deprauatur in dolore, de quibus iam dicendum.

Νάρκη & νάρκωσις, Latinis stupor seu Torpor, etsi in genere actionum imbecillitatem significat, quo sensu Hippocrates, *6. Epid. comm.2.* νάρκωσιν γνώμης, mentis stuporem & hebetudinem dixit,&,*6.Epid.comm.3.t.1.* νάρκωσιν κοιλίας,ventris stuporem & segnitiem:tamen in specie sensûs tactûs & sæpe etiam motus imbecillitatem significat,quæ nihil aliud est,quam inchoata paralysis,caussarum saltem magnitudine à vera paralysi differens. Quò pertinet affectus, quem Germani Obdormitionem vocant, qui tamen mixtus videtur affectus ex torpore & dolore. *Stupor.*

### *Caussæ.*

Caussa continens huius mali est spirituum animalium sensui & motui in parte aliquâ destinatorum defectus. Cum enim partes sensui tactus destinatæ membranosæ sint;patet hinc,subiectum stuporis esse partes, quatenus membranosæ & neruosæ sunt.Et cum eædem partes suas actiones expediant spirituum animalium beneficio,& spiritibus animalibus denegatis nulla actio animalis perfici possit: manifestum hinc euadit, proximam stuporis caussam esse spirituum animalium defectum. Atque ita Stupor & Torpor erit sensus tactus, nonnunquam & motus,imminutio,vel etiam abolitio, à spirituum animalium defectu orta.Hinc torpor præludium atque initium quoddam paralysis est. Sensus enim tactus non planè extinctus,sed admodum labefactatus est.

Et quanquam interdùm in toto corpore stupor accidat,sicut Brassauolus,vt,*ad aphor.9.lib.7.* refert, vidit quendam ab hæmorrhagiâ narium corporis totius stuporem incurrisse,quem mors excepit,nil proficientibus remediis, & Fernelius scribit, *lib.5. path. c.3.* vniuersi corporis cutem ex crapula & vinolentia stupore affectam, illæso motu, Matthiolus etiam refert, rusticum quendam,cum hasta serpentem prægrandem occidisset, duobus annis postea vniuersi ferè corporis stupore laborâsse:tamen rarissimum hoc est,& plerumque saltem vna pars,vel plures stupore afficiuntur. *Stupor vniuersalis.*

Caussæ ergo omnes,quas nuper in paralysi recensuimus, & hîc locum habent, quæ saltem hîc sunt minores & leuiores. Deficiunt nimirum spiritus, quia non transmittuntur, vel quia transmissi non admittuntur, vel, licet influant, cum ipsa parte male dispositanon vniuntur. Non transmittuntur, vbi vitium est in cerebro, quod rarissimè accidit. Nonnunquam tamen id euenit neruorum principio affecto. Frequentius verò accidit vel ipsius partis, quæ stupore laborat, vitio, vel neruorum,per quos spiritus animalis transmittitur. Neque enim in parte affecta caussa semper quærenda est, quod Empirici faciunt, habetúrque huiusmodi exemplum apud Galenum, 1. *de loc. affect. cap.6.* Occurrit Galeno quidam medicamentum digitis adhibitum ostendens,dixitque,triginta iam diebus sensum se amisisse, illæso seruato motu, sed nihil auxilij ab impositis medicamentis percipere potuisse. Galenus,cum interrogasset,cuiusmodi remedium adhibuisset,atque intelligeret,

ligeret, ad rem id esse idoneum, caussam inuestigare cœpit, cur nullum ab eo auxilium consequeretur. Inquirens ergo, quæ præcesserint accidentia, inuenit, atque ex ægri relatione cognouit, eum è vehiculo decidisse, & non multò post digitorum hunc affectum incurrisse. Et cum animaduerteret, in primo exortu nerui post septimam vertebram oriundi caussam mali hærere, idem illud medicamentum à digitis amouit, & dorso applicauit, atque ita sensum in digitis cum multorum admiratione recuperauit. Partis verò ipsius vitio stupor excitatur, cum, licet spiritus animalis influat, constitutio partis siue à frigiditate; siue ab occultâ qualitate mutata est, à spiritu animali non, vt debet, afficitur, neque vis sentiendi in actum deduci potest. Etsi verò etiã ab externo frigore temperies partis mutari, & hoc modo stupor induci possit, sicut ex 1. *de loc. affect. cap. 4.* & 6. videre est: tamen quæ narcotica dicuntur, non frigiditate, sed occulta vi & malignitate id præstant, vt de torpedine, pisce, naturalis historiæ scriptores referunt, & de rustico, qui, cum serpentem hastâ transfodisset, in stuporem totius corporis incidit, historiam ex Matthiolo supra recensuimus. Obdormitio autem à caussa externa plerumque excitatur, compressione scilicet membri & neruorum in eo; vnde influxus spirituum animalium inhibetur, qui postea laxatis neruis copiosè & subitò ad externas membranosas partes excurrunt, & subitam in iis alterationem faciunt, quam dolor ille & molestia sequitur.

Plura, quæ supra de caussis paralysis dicta sunt, hîc de caussa stuporis afferre opus non est. Hoc saltem monendum aut repetendum, neminem stuporis, vt & paralysis alicuius partis, caussas omnes rectè inuestigare posse, qui Anatomiæ gnarus non est, & cognitum non habet, vnde quælibet pars neruos suos accipiat; cum sæpe accidat, vt non in ipsa parte affecta, sed loco remotiore, in nerui principio, vel eius ductu, caussa mali hæreat.

### *Differentiæ.*

Stupor 1. vel simplex est; sensus tactus videlicet solius læsio, vel cum læsione aliqua motus coniunctus. 2. Stupor alius est totius corporis, ac artuum inprimis extremorum; alius certæ cuiusdam particulæ.

### *Signa Diagnostica.*

Affectus ipse ex relatione ægrotantis cognoscitur, qui se vel nullo modo, vel difficulter & obscurè ea, quæ tactui offeruntur; percipere conqueritur, plerumque cum debili etiam motu, siue in vna aliqua, siue pluribus corporis partibus. Quæ autem signa caussarum sint, ex iis, quæ supra de paralysi dicta sunt, patet.

### *Prognostica.*

1. Stupor si in aliquâ parte diu perseueret, in paralysin desinit; nonnunquam & in spasmum.

2. Stupor, qui totum corpus occupat, nec euacuationi cedit, & caro quid simile habet, & cui vertigo succedit, malum; quoniam imminentem Apoplexiam nunciat, teste Auicenna. Imò per stuporem ex vehementi spirituum resolutione homo vnâ die moritur.

3. Stupor in facie torturam oris portendit.

4. Periculosus stupor est, in quo cum sensu simul læsus est motus; & qui diutius perseuerat, & qui plures corporis partes, cerebroque vicinas obsidet.

### *Curatio.*

Cum stupor ex iisdem caussis oriatur, à quibus paralysis, quanquam illis leuioribus: curandi rationem similem requirit; nisi quod minus valida hîc præsidia adhibentur.

Præmissis ergo vniuersalibus euacuationibus, ac, vbi opus est, particularibus, partem affectam Medici iubent immergere vinaceis calentibus recens expressis, vel lauare decocto saluiæ, rorismarini, aut lauendulæ, facto cum vino vel aqua eorum: vel fricare spiritu vini, in quo pyrethr. vel castoreum sit infusum, vel aqua apoplectica aliqua vel paralytica, & alia adhibere, quæ de paralysis curatione suprà proposita sunt.

## CAPVT II.

### *De Dolore in genere.*

Deprauati verò tactus sensus symptoma egregium est Dolor; de cuius natura & caussis variæ & prolixæ disputationes apud Medicos extant; & dicta sunt quædam hac de re in Instit. *lib. 2. part. 3. sect. 1. c. 6.* &, *sect. 2. cap. 3.* quæ hîc repetenda non censemus. Necessaria tamen quædam addemus. Monstratum autem eò loci, Dolorem esse molestiam, quæ ex sensu & perceptione obiecti ingrati tangibilis oritur; seu, vt Galenus definit, Dolorem esse tristem sensationem, in tactu puta. Caussam verò proximam esse solutionem continui in parte sentiente seu membranosâ: aut, si cui ἀκριβολογεῖν cum Philosophis liber, repentinam & violentam alterationem à qualitatibus tactilibus, continuum soluentem. Vt ita Dolor sit molestia seu sensus tristis à continui solutione partis sentientis; seu, molestia ab obiecto confertim & violenter in partem sentientem agente, atque ita continuum soluente, ortum habens. *Dolor.*

Subiectum nimirum doloris sunt partes sensu tactus præditæ, id est, membranosæ, vnde quæ pars membranam nullam habet, sensûque tactus prædita non est, dolore etiam non infestatur. Cum verò sensibus aliis omnibus etiam tactus substractus sit, vtpote quorum organa membranas participant, etiam aliorum sensuum organa dolore afficiuntur; de quo Galenus, *lib. de differ. symptom. cap. 3. Maximi dolores*, inquit, *sensui tactus contingunt; quippe qui ex aurium phlegmone, aliòve affectu eos afficiunt, ij proprij auditus dolores non sunt, sed tactus. Est enim sensus omnium sensoriorum communis, reliqui quatuor sui quisque solius. Ad eundem modum in oculis non rarò dolores immodici vrgent, tangendi scilicet in his sensu contristato.* *Doloris subiectum.*

Porrò sicut ad sensum quemlibet, ita ad dolorem, non sufficit obiecti molesti in organo apprehensio, sed etiam facultas cognoscens & superior concurrat, necesse est. Quo enim momento pars sentiens seu membranosa ab obiecto sensibili afficitur, eodem simul facultati superiori & cognoscenti species communicatur, & inde ab eodem seu gratum seu ingratum iudicatur. Si verò facultas cognoscens superior non concurrat; nec obiecti apprehensio, nec dolor fit. Vnde Hippocrates, 2. *aphor. 6. Quicunque dolentes aliqua parte corporis dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.* Et qui delirant, cum facultas superior in iis laboret, dolores non sentiunt, nec sapores discernunt. Et sæpe grauiter vulnerati ardore pugnæ & vindictæ mente aliò conuersâ dolorem non percipiunt. *Quæ ad sensum sint necessaria.*

Refertur autem dolor ad deprauatas actiones, non quod, vt in aliis sensibus deprauatis accidere solet, decipiatur tactus, & erret circa proprium obiectum, & aliquid, quod non est, esse putet; cum quod est calidum, pro calido, quod frigidum, pro frigido, quod est asperum, pro aspero accipiat: sed eo modo deprauata actio dicitur, quia non fit secundum naturæ leges, & obiectum organo non est proportionatum. Hinc Galenus, *de differ. Symptomat. cap. 3.* tactum in suâ functione præter reliquos sensus symptoma ἐξαίρετον obtinere, dolorem *Dolor quomodo sit deprauata actio.*

dolorem nempe,ſcribit,id eſt,eximium,& ab aliis actionibus deprauatis ſuo modo diuerſum.

An verò dolor ſit ipſa ſenſio, an moleſtia inde orta, etiam in Inſtitut.*loco allegato*,dictum,nimirum propriè loquendo dolorem non eſſe ipſam ſenſationem ſimpliciter, ſed moleſtiam ex ſenſione ortam; ſeu, vt Galenus ſcribit, triſtem ſenſationem, hoc eſt, triſtitiam aut moleſtiam in ſenſatione aut ex ſenſatione. Neque enim hîc de verbis tantùm contendendum, neque, vt Galenus, *de cauſſ. ſympt. cap.* 6. ſcribit, refert, an moleſtum, an triſte, an dolorificum, an doloroſum, an laborioſum appelles: ſicut nec, ſi paſſionem ipſam moleſtiam dicas, an triſtitiam, an dolorem, an laborem.

## *Quæ ſit proxima Doloris cauſſa.*

*Doloris cauſſa proxima.* De proxima verò doloris cauſſa prolixæ diſputationes extant apud Medicos,vt etiam Inſtit. *lib.* 2. *part.* 3. *ſect.* 2.*c.*3.docuimus.Præ cæteris autem duæ magis probabiles ſententiæ ſunt, vna eorum, qui ſtatuunt, ſolutionem continui eſſe proximam doloris cauſſam; alteram illorum, qui ſubitam & violentam mutationem qualitatum actiuarum, ſeu qualitates tangibiles ſubitò & violenter in tactum agentes,proximam doloris cauſſam ſtatuunt; neque inter ſe duæ iſtæ opiniones multum diſcrepare videntur.

Galenus equidem, 1.*de ſympt. cauſſ. cap.*6. ex Platonis Timæo illud,quod præter naturam eſt, & violenter ac repente nos afficit, dolorem parere ſcribit. Verum cum illius violentæ & repentinæ mutationis, ſi dolorem inducere debet, terminus ſit ſolutio continui; etſi violentam & ſubitam mutationem in organo tactus factam in qualitatibus actiuis pro proxima cauſſa doloris admittamus:tamen determinanda videtur per ſolutionem continui. Tum enim ſubita & violenta facta à qualitatibus tangibilibus mutatio dolorem inducit, cum continuum ſoluit. Vtrumque complexus videtur Hippocrates, *in libr. de locis in homine*, cum ab iis, quibus natura alteratur & corrumpitur, dolores fieri ſcribit; & poſt eum Ariſtoteles, cum, *lib.* 2. *de Anima, cap.* 12. τῶν αἰσθητῶν τὰς ὑπερβολὰς φθείρειν τὰ αἰσθητήρια docet:neque ſine cauſsâ.Cum enim vnum & ens ſimul ſint, 10. *Phyſic.* & vnum ſine altero non exiſtat, vnitaſque perfectionis, multitudo verò imperfectionis comes ſit: certè etiam homo vnum erit, & ad ſanitatem vnitas neceſſaria, quâ amiſsâ morbi & interitus ſequuntur. Cum verò tactus ad vitæ conſeruationem datus ſit, & ab iis, quæ corpori noſtro proſunt, ſuauiter; ab iis, quæ obſunt, malè afficiatur: certè illud, quod corporis noſtri perfectionem euertere natum eſt, ingratiſſimum occurrit. At nihil naturæ, quàm vnitatis ſolutio, infeſtius, nihil perfectioni nocentius. Ab ea ergo dolor etiam, ſymptoma omnium ingratiſſimum triſtiſſimúmque, orietur. Hinc omnia, quæ dolorem inferre dicuntur, ideo id præſtant, quod ſuauiſſimam illam, gratiſſimámque, non ſolùm animalibus, ſed etiam entibus omnibus, vnitatem ſoluunt.

Etſi verò vna proxima & immediata eſt doloris cauſſa, nimirum continui ſolutio: tamen ſunt aliæ principales, quæ proximè hanc antecedunt, qualitates nimirum primæ, qualitates ſecundæ, & humorum copia. Qualitates primæ continui ſolutionem non ita manifeſtam efficiunt, ſed ratione contemplabilem. Copia verò humorum, & qualitates ſecundæ manifeſtè continuum ſoluunt. Vnde facilè Galeni loca in ſpeciem pugnantia conciliari poſſunt: Aliquando enim proximam doloris cauſſam, quæ vna eſt, proponit, vt, 4. *de ſimpl. med. fac. cap.* 2. *Comment.* 3. *in libr. Hippocrat. de fract. text.* 54. *libr. de inæquali intemperie, cap.*6. 12. *method. medend. c.*7. Aliquando verò non proximam doloris cauſſam proponit,ſed principales;vt, 2. *de loc. affect.* *Cauſſa doloris mediata.* *c.*5. 2. *victus ration. in acutis, textu* 1. *artis medicæ c.*80. Et ipſe,qua ratione hæc loca conciliari poſſint, docet, 12. *meth. med. c.*7. Cum enim dixiſſet; *Naturalis ratio nos docet,vitium id corporis,ex quo ſit doliturum,aut continuitatis diuiſionem oportere eſſe, aut alterationem aliquam,* paulò poſt addit;*illud verò inquirere,an ipſum,quod vehementer excalefacit aut refrigerat,diuiſionem aliquam continui efficiat,longiore forſitan diſputatione eget,& vtrumque oſtenſum eſt à nobis in Commentariis de ſimplic. medicament. facultat. Verùm,quid agendo,quæ vehementer vel calefaciunt vel refrigerant, dolorem inferant, quærere, ad propoſitam rem minimè eſt neceſſarium.*

Cauſſæ nimirum doloris tot ſunt,quot tactus obiecta,hoc eſt,quicquid ſupra modum calidum, frigidum, durum, acutum, graue, repentè in tactum irruit, organúmque tactus offendit. Hoc tamen & hîc monendum eſt, ſolutionem continui, non ſolutam vnitatem, eſſe proximam doloris cauſſam. Fit autem ſolutio continui dum pars ſecatur, pungitur, diſtenditur, vritur; ſoluta autem vnitas eſt, dum punctio,ſectio,diuiſio abſoluta eſt,& membrum,quod antea vnum erat, diuiſum. Fit verò dolor, vt dictum, à continui ſolutione, non à ſoluta vnitate. De quo Hippocrates, *de loc. in homine: Ii, quorum natura corrumpitur,dolore afficiuntur,non quorum mutata & corrupta eſt.* Et licet inflicto iam vulnere dolor adhuc perſeueret: tamen is non eſt à ſoluta vnitate, quæ ſolutione inducta eſt, ſed ex humorum ad partem vulneratam affluxu, qui eam diſtendunt & irritant, & ita ſolutionem continui efficiunt; qui dolor etiam tam diu durat, quamdiu is humorum affluxus durat.

Reliqua verò, quæ dolorem inducunt, mediante ſolutione continui dolorem excitant. Ita intemperies mediante ſolutione continui dolorem inducunt. Sed an omnis intemperies, & quidem ſine materia, dolorem inducat, Galenus non idem docuiſſe videtur. Nam, 12. *method. med. cap.*7. ſaltem quæ excalefaciunt, & quæ refrigerant, dolorem excitare tradit. Idem, 1. *de Sympt. cauſſ. cap.*6 docet. Verùm,*in comm.* 2. *lib. Hippocr. de ratione victus in acutis,t.*1. corpora noſtra dolore affici ſtatuit,cum calefiunt,refrigerantur,ſiccãtur,& humectantur. Idem docet *artis medicæ cap.*80. Et, *lib. de inæquali intemperie, c.* 4. ab omni quidem intemperie dolorem proficiſci & induci ſtatuit, potiores tamen à calida & frigida,vtpote quæ qualitates efficaciſſimæ ſunt, &, *lib.* 2. *de compoſ. medic. ſec. loca, c.*7. calorem & frigus vehementiſſimos facere dolores, ſiccitatem mediocres, humiditatem nullum ſtatuit. *An omnis intemperies dolorem inducat.*

Verùm enim verò intemperies conſiderantur vel ſine, vel cum materia. Si ſine materia, tum & calida & frigida intemperies dolorem magnum & euidentem inducunt; ſiccitas verò moderatum. Humida verò ſine materia nullum dolorem inducit: cum repentè & confertim naturam mutare non poſſit, & vnitatem potius conſeruet,quàm ſoluat. Si verò intemperies conſideretur cum materia, tum à qualibet dolor induci poteſt, etiam humidâ,ſed partem diſtendendo.

## *Differentiæ.*

*Doloris differentiæ.* Sunt autem variæ dolorum differentiæ, partim ex partis affectæ natura,partim à cauſſis deſumptæ. Præcipuæ hæ ſunt:

*Dolor grauatiuus.* βαρὺς, grauis, Barbaris grauatiuus, ſic dictus, quod æger veluti ponderis loco affecto incumbentis ſenſum percipit. Prouenit hic dolor à cauſſa in membro per ſe ſenſu deſtituto, membranâ inuoluto; qualia membra ſunt, hepar, lien, renes, pulmo. Nam ſi tale membrorum parenchyma vel inflammatio, vel apoſtema, vel calculus, vel humor occupet; etſi ipſa caro viſceris non ſentiat, tamen, dum ambiens membrana tenditur, aut deorſum trahitur, fit inde dolor talis grauis.

*Dolor punctorius.* Νυγματώδης, Punctorius, qui mēbranis, præcipuè illis maioribus, accidit, eò loci quidem fixus, vbi membrana pungitur; ad magnum tamen ſpatium circumcirca ſeſe diffundens. Talis dolor accidit in pleuritide, membranâ coſtas ſuccingente inflammatâ, item in renibus & hepate, eorum tunicis inflammatis, vel membranis, quibus vicinæ partes connectuntur, in conſenſum tractis.

*Dolor acutus.* Ὀξὺς, acutus, pungens, Barbaris pungitiuus, punctorio cognatus cum membrum quaſi acu, terebra, aut palo impacto, perforari videtur, vt interdum in colo inteſtino accidit, & in cephalæa quandoque, præcipuè verò calculo aſpero in vreteribus hærente.

*Dolor mordax.* Ὁ μετὰ δήξεως, mordax, à mordaci humore partes ſenſibiles vellicante. Quò pertinet & pruriens, ſeu prurítiuus, qui ab humore acri & ſalſo per cutem diffuſo accenditur.

*Dolor pulſatorius.* Σφυγμώδης, ἢ σφυγματώδης, pulſatorius, in quo æger manifeſtam ſentit pulſationem. Equidem in homine ſano ſolùm arteriæ pulſant earúmque pulſatio ſine dolore percipitur. Vbi verò inflammatio oborta eſt, vel affectus phlegmonodes, vt eriſypelas & abſceſſus, earum pulſatio cum dolore percipitur, ob anguſtiam partium, quas arteria, dum attollitur, comprimit. Itaque dolor pulſatorius inflammationis proprius eſt, ſed non omnis, verùm maioris tantùm, neque in omnibus partibus. Tria enim ad dolorem pulſatorium efficiendum requiruntur: primò, vt pars affecta ſit ſenſu prædita. Secundò, vt arterias habeat. Tertiò, vt membrum diſtendatur, & maiori ventilatione opus habeat. Vnde neque fit in ſcirrhis, neque in œdematis propriè dictis neque in peripneumonia, neque in pleuritide, neque in aliis partibus, quibus vel arteria, vel ſenſus deeſt.

*Dolor ὀστοκόπος.* Ὀστοκόπος, id eſt, Oſſium dolor, Barbaris frangitiuus, membranis, quæ oſſa tegunt, proprius, qui propterea profundus eſt & in intimo corporis ſentitur, in quo æger oſſa quaſi frangi ſibi & contundi queritur. Oritúrque à flatu aut humore ſeroſo inter os & membranam ſeſe inſinuante.

*Dolor tenſiuus.* Τονώδης; Tenſiuus, eſt membranarum, in quibus nullæ ſunt arteriæ, & cutis, ac glandularum, cum inflammatione laborant: capiti etiam ſæpe accidit, & quidem à ſpiritus tenuis & flatuoſi copiâ, ſi citra grauitatem & pulſum fiat. Si verò cum pulſu, membranæ inflammationem; ſi cum grauitate, humorum multitudinem intra membranas contentam ſignificat. Accidit frequentiſſimè ob repletionem humoris ſiue vaporis, & flatus. Eſtque ſymptoma commune inflammationum & tumorum, inprimis calidorum. Nam venæ, arteriæ, & nerui tenduntur, vt per tota membra ab inflammato loco vſque ad alas & inguina tenſio percipiatur. Excitatur quoque dolor ab immodicis exercitationibus, vnde & laſſitudines tenſiuæ appellantur, quæ muſculorum ſunt. Plura de his vide apud Galenum, 2. *de locis affect. cap.* 3.

## *Signa Diagnoſtica.*

Dolor ipſe, vt moleſtiſſimum ſymptoma, facilè ex ægri relatione & querela cognoſcitur. Cauſſæ etiam externæ calefacientes, frigefacientes, ſecantes, vrentes, diſtendentes, ſimileſque corpus violenter afficientes, itidem ex ægri relatione patefiunt. Internæ verò cauſſæ ſignis inueſtigandæ ſunt, de quibus in cuiuſlibet partis morbis in ſpecie agetur.



## *Indicationes & Curatio.*

*Doloris Curatio.* Dolor indicat remedium anodynum, ſiue dolorem tollens. Cum autem, vt ex iis, quæ antea de naturâ & cauſſis doloris diximus, patet, dolor quidem non ſit ipſe ſenſus, ſed moleſtia ſeu triſtitia, non tamen ſit ſine ſenſione, ad ſenſionem autem duo requirantur, ipſe partis ſenſus & animaduertentia, ſeu ſuperioris facultatis concurſus: ſi vnum horum deſit, non fiet dolor. Itaque quæ vni horum ſunt contraria, etiam dolori ſunt contraria.

Moleſtæ ſenſationi contraria eſt iucunda ſenſio, talem autem efficiunt, quæ ſubſtantiâ ſunt molli, ac blando tepidóque, & temperato calore prædita. Vnde Galenus, 7. *method. med. cap.* 6. balneum aquæ tepidæ ſenſui tactus iucundiſſimum & dulciſſimum eſſe ſcripſit. Et Hippocrates, 6. *Epidem. ſect.* 4. *t.* 8. cum Medicum ſuauiter erga ægrum ſeſe gerere iubet, præcipit, vt mollia tactui offerantur, tanquam gratiſſima. Et Galenus, *in Commentario*, addit, mollia ita tactui eſſe iucunda, vt ſuaues voces auditui. Hinc vola manus cuicunque parti appoſita dolorem mitigat, & vnctuoſa ac pinguia & contactu ſuo, & calore tepido ſuauem pariunt ſenſionem; vt oleum commune dulce, pinguedines animalium temperatæ. Atque hæc ſunt propriè Anodyna.

Senſioni autem contraria eſt ſenſus priuatio. Senſio autem non fit vel ipſo ſenſu ablato, vel animâ non animaduertente. Quæ ipſum ſenſum tollunt, naturalem temperiem partis tollunt, aut potius ſpiritûs, ſenſionis inſtrumentum, quaſi ſopiunt ac ſtupefaciunt, & talia propriè Narcotica dicuntur, quæ non, niſi ſumma neceſſitate vrgente, & cautè adhibenda ſunt. Narcoticis ſubſtitui poſſunt Hypnotica; cum in ſomno omnes ſenſus ceſſent: modo hypnotica non ſint ſimul narcotica. Aliàs enim nulla inter ea eſſet differentia. *Narcotica.* *Hypnotica.*

Animaduertentia tollitur, dum æger ad alia obiecta auocatur, quæ attentionem requirunt. Sic ſuauia colloquia, cantus ſuauis, inſpectio rerum iucundarum, animum aliò auocando dolorem leniunt. Hinc etiam doloribus duobus corpus infeſtantibus maior minorem obſuſcat, & ob iram & animi perturbationem dolor ex inflicto vulnere ſæpe non percipitur. Atque hæ genuinæ, quas dolor per ſe ſuppeditat, Indicationes ſunt, & hæc vera dolorem quatenus talis, curandi ratio eſt.

Dum verò alij medicamenta anodyna reſoluentia & calida in primo, ac tenuium partium eſſe ſtatuunt, quæ ſcilicet euacuent, digerant, rarefaciant, extenuent, concoquant, & æquabile reddant, quicquid in partibus dolore affectis aut humorum acrium, aut lentorum, aut craſſorum, aut multorum; tenuibus ſpiraculis infarctorum, aut etiam vaporoſi, aut craſſi, aut admodum frigidi ſpiritus exitum commodum non inuenientis inhæreſcit, aut concluſum eſt, vt Galenus, 5. *de ſ. m. fac. cap.* 19. hac de re loquitur, non propriè anodyna, & quæ omni dolori, à quacunque etiam cauſſa proueniat, communia ſunt, proponunt, ſed medicamenta, quæ certis cauſſis dolorem parientibus occurrunt. Anodynorum autem, vt & Narcoticorum materia in Inſtitut. *lib.* 5. *part.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 7. propoſita eſt. Et ſi inter Anodyna & dolorem lenientia etiam calida in primo recenſentur, ab autoribus fit hoc, quia calida in primo non multum differunt à temperatis, neque illos limites ſemper exactè diſtinguere facilè eſt. Et licet aliquid materiæ digerant, atque ita remedia cauſſæ dici poſſe videantur: tamen materiam totam digerere non poſſunt.

## CAPVT III.

### De

### Dolore Capitis.

*Dolor capitis.* CVm autem dolor omnibus partibus sensu tactus præditis accidere possit, sæpius inter symptomata in variis corporis partibus doloris fit mentio. Hoc loco saltem de dolore Capitis agemus: de reliquarum partiū etiam suo loco actum.

Dolor capitis, Græcis ὀδύνη, ἄλγημα, καὶ πόνος κεφαλῆς atque vna dictione κεφαλαλγία & κεφαλαία dicitur, appellatione à symptomate & parte affectâ simul sumpta; Arabibus Soda.

### Caussæ.

*Caussa doloris capitis.* Caussa continens, vt aliorum dolorum omnium, est solutio continui in partibus sentientibus, seu membranosis in capite. Remotiores sunt, quæcunque continuum soluunt; quæ partim sunt externæ, partim internæ.

Externæ seu euidentes sunt aër calidus ambiens, siue à Sole talis, siue ab igne; frigiditas nimia, flatus & ventus aquilonaris & austrinus, odor grauior, percussio, ictus, & casus.

Internæ sunt primò nuda intemperies calida & frigida. Calida quidem vel intemperiem conciliando, vel humores ad caput euacuando, vel iam in eo contentos flatus dissoluendo, liquando & extenuando, agitando. Huc faciunt vigiliæ, inedia, exercitatio & motus corporis atque animi nimij, qui humores exagitant, extenuant, calefaciunt, & in feruorem agunt. Frigida verò condensando, adstringendo; dum fuliginosa excrementa retinet, calorem naturalem intro agit, spiritus incendit, aut in repletis per austrum capitibus excrementa retinet, in corpore verò puro digerit & dissipat per accidens. Quæ enim singulæ intemperies capitis caussas habeant, supra, *part.* 1. *cap.* 2. 3. 4. dictum.

Deinde materia peccans seu qualitate, seu quantitate. Qualitatis vitia in materia sunt excessus caloris & frigoris, acrimonia, malignitas, vt in lue venerea, & febribus malignis. Quantitas πλεονεξίαν, seu πληθώραν materiæ parit, qua aut humores boni æquabili analogiâ redundant, vt in plethorâ; aut vitiosi & praui, vt in cacochimiâ, quarum vtraque obstructionis meatuum in capite caussa existit, & vasa distendere ac membranas comprimere solet.

Est autē materia illa aut humor, aut vapor seu flatus. Ac interdum vapor seu flatus ex pituita viscida copulis membranarum, pericranij scilicet, & duræ matris, inter *Suturarum capitis distensio & relaxatio.* suturas inhærente genitus, ita crassus & validus est, vt præter insignem dolorem, quo affligit, etiam copulas illas membranasque distendendo compagem suturarum cranij relaxet. Cui malo mulieres non inepta ratione fasciis caput vinciendo consulunt; etsi superstitiosa nescio quæ mensuratio sæpe accedat. Nam & Hippocrates, *in libro de vs, quæ in medicatr. fiunt. sub finem*, ἀποστηρίγματα nominat, quibus ossium capitis in futuris διάστασιν, atque hinc natum dolorem, sanare docet. Et Galenus, 2. *de loc. affect. cap.* 7. *Car* βαρικῇ διαθέσει meminit ex Archigenis sententia in Cephalalgiis circa phlegmonem, cuius vsus erat, vt compressione suâ affluxum humorum & vaporum ad caput impediret, & efficeret, ne arteriarum in temporibus pulsu vehementiore caput concussum magis doleret, sicut dolere solent partes affectæ, dum mouentur.

Cæterùm & hoc obseruatum est, acerbos quoque capitis dolores extitisse à vermibus in ipso genitis, cuius exemplum ab Hollerio memoratur, vt & à Francisco Hildesheimio *in spicilegio*. Videatur & Schenckius *libr.* 1. *obseruat.* 82. 83. 84. 85. Tandem calculos in cerebro genitos intolerabiles capitis dolores excitasse compertum est, vt apud Kentmannum in libello de lapidibus videre est. *Vermes & calculi in capite.*

Affligitur autem caput dolore à materia, hoc est, ab humore vel vapore, vel per ἰδιοπάθειαν vel per συμπάθειαν.

Per ἰδιοπάθειαν & per essentiam, quando materia continuum soluens doloremque creans in ipso capite consistit, genita ibidem & cumulata ex imbecilla aut vitiosa nutrimenti concoctione, ob cerebri & partium capitis, ἀσθένειαν & δυσκρασίαν. Et omnino si caput debile fuerit, ad dolorem cum ab externis, tum internis caussis contrahendum paratius est. Scribit quoque Galenus, 6. *Epidem. comm.* 2. *aphor.* 3. acuta capita, in quibus dentium positus immutatus videtur, vt inferiores è regione superiorum non sint, sed veluti reuulsum ac distortum os videatur, doloribus assiduis conflictari. *Dolor capitis per essentiam.* *Nota.*

Per συμπάθειαν, quando materia ad caput fertur, siue eâ attractâ à dolore aut calore, siue ad caput imbecillum transmissâ à partibus aliis robustioribus, idque motu vel critico, vel symptomatico. Transfertur autem à toto corpore, vt in febribus vapores, in plethora boni humores, in cacochymia praui; vel ab aliquâ parte, vt inprimis à ventriculo, è quo per œsophagum vapores sursum ad caput ascendunt, ab hepate item vapores & humores; vt & à liene, vtero, renibus, intestinis, & genitis in his vermibus, per venas & arterias, & per cœca quoque corporis spiracula. Caput enim, veluti tectum fumosæ domui impositum, excipit quæcunque ab imo effumant, sursumque feruntur; vnde illud affici necesse est à partibus inferioribus, vel à toto etiam corpore, per connexionem vasorum, quæ in vniuersum corpus sunt dispersa, vt supra etiam *lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 6. dictum. *Per consensum.*

Fit hæc sympathia κατὰ κοινωνίαν partium inferiorum, quâ vapores aut humores capiti ab iisdem communicantur: cum alia καθ' ὁμιλίας fiat, ratione vicinitatis partium dolentium, vt thoracis, faucium, scapularum; alia denique κατὰ σύμφυσιν, vt à spinalis medullæ affectione aliqua, & partium cæterarum, quæ vel tunicas à membranis cerebri, vel neruos sensus caussâ ab ipso cerebro accipiunt.

Atque ita caput consensum habet cum omnibus ferè corporis partibus, etiam remotissimis, pedibus nempe, adeo vt vel minimâ dolente, facilè illud simul compatiatur. Fitque frequentissimè iste consensus cerebri, spinalisque medullæ, & neruorum beneficio. Consentit verò maximè cum ventriculo, ob neruos insignes à sexta coniugatione prodeuntes. Hinc affecto stomacho illicò simul etiam ipsum cerebrum in consensum trahitur, & afficitur. Sicut contra cerebrum affectum ventriculum in consensum trahit, vnde delitantes, stupidi, vel alio cerebri morbo grauiore affecti nihil appetunt, & si illud ob contusionem & percussionem grauiorem commotum sit, mox ægri vomitus incurrunt molestos, sæpè etiam periculosos, qui non, nisi sanato cerebro, sisti possunt. Quemadmodum & cum vtero, cuius læsio vertiginem, & alios cerebri affectus inducit, in primis autem grauissimos capitis dolores, vaporibus illuc transmissis, excitat, quos è regione capitis dolente, tanquam signo certo, à doloribus, ex ventriculo obortis distingui posse, Laurent. Ioubertus, *cap. de Cephalalg.* docet, vbi scribit, se experientiâ frequenti cognouisse,

dolores

dolores capitis à ventriculo obortos magis anteriorem capitis partem offendere; dolores verò ab vtero verticem & occiput. Et doctissimus Langius, *lib.1. epist. 49.* idem ferè testatur, quando refert; se illud plusquam centies expertum fuisse in hystericarum, & quauis vteri affectione, solum verticem capitis, prope suturam coronalem, vbi mulieres glaciei frigus & pondus se sentire fatentur, vtero affecto lege quadam consortij condolere. Quod (inquit) si obseruaueris, ad discernendum, quando caput per matricis consensum doleat, tibi plurimum proderit. Quod quomodo accipiendum sit, & quæ eius sit ratio, supra, *lib.1. part.1. cap.6. in quæstione*, diximus.

## *Differentiæ.*

*Differentia doloris capitis.* Differentiæ dolorum capitis sumuntur ab obiecto & caussâ efficiente; quâ ratione dolor alius est acer & perforans, excitatus ab humore aut vapore bilioso vel adusto, membranas mordicante; alius grauans, qui χαρηβαρία dicitur, à pituitosorum humorum copia, vel à plethora, vel ab ebrietate; alius distendens, à flatuum, vel mitiorum humorum abundantia, inter caluariam & pericranium, vel inter caluariam & duram cerebri membranam; alius pulsans, à tenui biliosóque sanguine, vel à spiritu redundante, quo fit, vt arteriæ impletæ ac distensæ vehementius pulsent, membranásque concutiant, quibus continentur ac fulciuntur.

Deinde à parte affecta, vbi dolor aliàs totum caput occupat, aliàs partem eius duntaxat, dextram vel sinistram, anteriorem vel posteriorem. Qui totum caput, aut maximam eius partem obsidet, ac recens est, nec ægro consuetus vel diuturnus, nec ita vehemens, ex quacunque caussâ oriatur, κεφαλαλγία dicitur. Κεφαλαία verò, qui inueteratus ac vehemens est, leuiculâ occasione exacerbatur adeò, vt nec strepitum aut vocem, nec splendorem lucis, nec vehementiorem paulò motum, nec vini potum potum ferre æger valeat, sed quietem ac tenebras amet. Arabes Ouum, ac passionem Galeatem appellant. Atque hic dolor vel continuus est, & curatu difficilis, vel per interualla, tanquam paroxysmos, recurrit & inualescit, vt in epilepsia, & morbis periodicis nonnullis aliis, qui vel sunt ordinati, certis diebus septimanisvè, vel manè, vel sub noctem redeuntes; vel inordinati, qui omni tempore redeunt, præsertim autem tum, quando à caussa externa exacerbantur. Qui verò dimidiam capitis partem affligit, ἡμικρανία & ἡμικρανία dicitur, atque hic etiã vel recens est, vel inueteratus, siue caussam fixam in cerebro habeat, siue aliunde communicatam. Frequenter tamen per sympathiam fit hypochondriorum, & ex interuallis reuerti solet.

Postremò à loco aut situ doloris quâ ratione dolor alius est externus, alius internus. Externus pericranium obsidet, & in superficie percipitur, ad radices capillorum, manúsque pressu exacerbatur. Internus ad tactum mitescit, præsertim si sit sine distensione. Vterque eo vsque aliquando intenditur, vt ad oculorum radices pertingat. Quanquam enim Galenus, *3. de loc. affect. cap.9.* interiores solùm dolores capitis ad radices vsque oculorum pertingere scribat: tamen & à pericranio oculorum cauum succingi, Fernelius monet.

## *Signa Diagnostica.*

*...na doloris ...itis.* Caussas euidentes Medicus vel sensus, visus nempe, tactúsque iudicio cognoscet, vel ab ægro & adstantibus de iis certior fiet; nisi fortè mens quoque ægri laboret. Euidentes caussæ si nullæ præcesserint, coniecturam facere oportet, dolorem ab interna aliquâ extitisse. Ac ab intemperie nuda caput dolebit sine sensu grauitatis, tensionis, punctionis, morsus. Si à materia dolor capitis excitabitur, & quidem à vapore, vel spiritu flatulento, tensio aderit sine grauitate, & punctio per interualla, atque alia signa, supra, *part. 1. cap.7.* enumerata. Si verò ab humore dolor erit, sensus percipietur grauitatis, & dolor erit stabilior. Quæ verò intemperies caussa doloris sit, quæ item materia, ex iis, quæ supra, *part.1. de signis Intemperier. capitis cum & sine materia*, dicta sunt, patebit. Peccant verò hæ caussæ magis qualitate, si nec tensio, nec grauitas adsit, sed sensus tantùm præter naturam caliditatis, frigiditatis, siccitatis. Magis verò quantitate seu copiâ, si dolor cum tensione & grauitate sit coniunctus.

Cæterum exactè definire, vtrum in dolore capitis afficiantur membranæ cerebri, an cerebrum ipsum, vel partes huic vicinæ, id adeo necessarium ac vtile ad curationem Galenus, *in fin.2. de loc. affect.* esse non putat; cum semper remedia capiti applicentur. Dolor tamen punctorius membranas cerebri affligi indicat qui si cum magnâ pulsatione fit, inflammationis argumentum est, arteriis, quæ membranas cerebri intexunt, tenui feruidóque sanguine impletis ac distentis. A cæteris circa cerebrum partibus dolor potius cum grauitatis sensu existit.

Signum doloris capitis à vermibus est dolor cum rosione quâdam, & cum prurìtu in naribus. *Signa doloris à vermibus.*

An autem caput per se, an per consensum afficiatur, sic discernitur. Proprius & primarius capitis dolor est, vbi læsio in aliqua cerebri functione; siue principe, siue sensus & motus ministrâ, deprehenditur, cæteris extra caput membris præter naturam haud affectis. Dolor verò per consensum fit, quando caput per se sanum & bene valens aliunde malè afficitur. Præterea dolor primarius plerumque continenter, & sine intermissione fatigat; per consensum verò ingrauescit & mitescit, prout intenditur vel minuitur affectus in parte, à qua malum capiti communicatur, teste Galeno, *in fine 2. de loc. aff.* Quod si tamen in primario capitis affectu materia per interualla in capite gignatur, dolor primarius interualla quoque sua habebit: sicut contrà dolor per consensum continuus esse potest, si genita extra caput in parte aliqua materia continenter ad caput feratur. Sed de his, & à qua parte materia, doloris caussa, capiti communicetur, dictum est supra, *part.1. cap.5.* & 6. Hoc saltem adhuc monemus, præter alia signa etiam consideranda esse, quæ ab ægri temperie, ætate, idiosyncrasia, sexu, habitu corporis, consuetudine, vitæ genere, anni tempore, cœli statu sumuntur, vt in quacunque doloris capitis specie de eius caussis coniectura certior capi possit. *Capitis primario dolentis signa.* *Per consensum signa.*

Morbi quoque, qui dolorem capitis comitantur, vt & vrinæ signa hîc præbere possunt. Nam quibuscunque vrinæ in febribus turbatæ sunt, qualis iumentorum, iis dolor capitis adest vel aderit. *4. aphor. 70.* Ex agitatione enim & feruore humorum per febrem spiritus flatulentus vnâ cum calore promptè ad caput attollitur, qui dolorem ibi concitat. Si etiam vrinæ, quæ in morbis claræ minguntur, non facilè turbantur, signum est doloris capitis; quoniam calor naturalis debilis non separat crassa à subtilibus; & qui præter naturam calor adest, vapores calidos de materia crassa resolutos sursum ad caput secum effert. *4. aphor. 17.* Bullæ paruæ per coronam vrinæ sparsæ capitis dolorem adesse significant. Eritque dolor acrior, si bullæ illæ aureæ aut citrinæ fuerint; mitior, si albæ; diuturnus, si diu permaneant. Fernelius, *de vrin. cap. 16.* *Signa doloris capitis ex vrina.*

## *Prognostica.*

1. Dolor capitis in cute vel pericranio capitis ab externa caussa excitatus, aut si ab interna à flatibus, vel à materia non admodum copiosa & crassa, vel ab intemperie, quæ in habitum nondum abiit, oriatur, facilius curatur, *Dolores corporis qui periculosiores.*

curatur, quam qui meninges obſidet, vel à contrariis cauſſis ortum habet.

2. In doloribus capitis minus periclitantur ægri, quàm in doloribus aliarum partium; vt aurium, oculorum, dentium, coli, perioſtij ab oſſe auulſione; eò, quod cerebrum per ſe ſenſus expers eſt, teſte Galeno, 1. *de cauſſ. ſympt. cap.* 8. Propterea Galenus, *in* 2. *de compoſ. medic. ſecund. loca cap.* 1. inquit, ob capitis dolorem vehementem neminem vnquam aut ſyncope correptum fuiſſe, aut ſe ipſum occidiſſe, quemadmodum quidem coli dolore vexati fecerint: quod tamen ita intelligendum eſt, quatenus dolor non alios grauiores affectus accerſit.

3. In vehementi capitis dolore cum febre acuta, ſi vrina alba & clara conſpiciatur, malum eſt. Significat enim bilem ſurſum ad caput ferri, vnde inflammatio metuenda eſt, ad quam delirium ſequi ſolet, teſte Galeno, *in lib. de vrin. cap.* 5.

4. Dolor capitis fortis ſubitò deliteſcens, non ſequente alleuiatione per criſin, eſt lethalis: quia cerebri læſionem, virtutiſque animalis deſtructionem ſignificat.

5. In vehementi capitis dolore extrema frigeſcere, malum eſt. Ob vehementiam enim doloris calor naturalis intus retrahitur ad locum affectum, vnde phlegmone facilè excitari poteſt, ex 4. *aphor.* 48. & 7. *aphor.* 1. & 26.

6. Si dolor capitis, præſertim circa frontem & tempora, vehemens & continuus fuerit, cum febre acuta, & quarto die ſignum aliquod perniciofum apparuerit, ſeptimo die mortem portendit, vel paulò poſt: ſin contra ſigna ſalutaria ſeſe quarto die oſtenderint, ſeptimo criſis futura eſt. Quod ſi verò ante vigeſimum perniciofa ſigna adfuerint, dolor tamen capitis cum febre vltra id tempus perſeuerauerit, tum ſanguinis è naribus eruptionem, aut ad diuerſas partes abſceſſum expectare oportet, teſte Hippocrate, 3. *Prorrhet. aphor.* 11.

7. Caput vehementer dolenti pus, vel aqua, vel ſanguis per nares, os, & aures effluens, febrem ſoluit, teſte Hippocrate, 6. *aphor.* 11.

8. Quibus ex morbo partium inferiorum conualeſcentibus dolor capitis vehemens ſuperuenerit, ſi non præcedat excretio manifeſta, iis in cerebro futurus eſt abſceſſus, morbi materiâ ab inferioribus ad ſuperiora conuersâ. 4. *aphor.* 32.

9. Qui in doloribus capitis æruginoſa vomunt, & cum ſurditate vigilant, ij citò vehementer inſaniunt, ob collectam in cerebro bilem aduſtam, & conſenſum orificij ventriculi cum cerebro. 1. *Prorrhet. comm.* 1. *aphor.* 16.

10. Capite dolentes, & catoche detenti, ac delirantes, cum intercepta aluo, & ferociente intuitu, facieque impensè rubentes, opiſthotono corripiuntur. 1. *Prorrhet. comm.* 2. *aph.* 56.

11. In capitis dolore coma & ſurditas, & hypochondriorum tenſio, & corporis incontinens iactatio, parotides vel abſceſſus ad aures ſignificat, ex raptu materiæ ad ſuperiora. 1. *Prorrhet. comm.* 3. *aph.* 26. & 77.

12. Dolores capitis ex parotidibus, aut alia quacunque cauſſa, cum febre acuta, ſi in die non critico ſoluantur, aut repentè euaneſcant, inutiliter ſoluuntur. Significat enim μετάστασιν ſeu tranſlationem materiæ ad alias partes, teſte Galeno, 1. *Prorrhet. comm.* 3. *aphor. vlt.*

13. Quibus capitis dolores fiunt, & ſonitus aurium ſine febre, & vertigo, & vocis ſurditas, & manuum torpor, ij aut apoplectici, aut epileptici, aut obliuioſi fiunt, ex pituita craſſa & viſcida in cerebro & neruis cumulata. Hippocrates, *in Coac. prædict. tota parte, quæ de dolore capitis agit.*

14. Quicũque ſani capitis dolore repentè corripiuntur, & ſtatim obmuteſcunt, ac ſtertunt, ij intra ſeptẽ dies pereunt, niſi febri valida corripiantur, teſte Hippocrate, 6. *aphor.* 51. Apoplexia enim ſignificatur ex ſpiritus flatulenti, aut humoris craſſi copia, neruorum principium obſtruentis; quam materiam febris concoquere & diſſoluere ſolet.

15. Quicunque in febre non lethali dixerit, ſibi caput dolere, aut præ oculis obſcurum quid apparere, ſi cardiogmus acceſſerit, ei bilioſus vomitus expectandus erit; præſertim ſi rigor partium infra hypochondria ſuperuenerit. Quibus verò in eiuſmodi febre caput dolentibus viſus hebetudo contingit, aut ſplendores ob oculos obuerſantur, & pro cardiogmo aliquid tenditur in hypochondrio dextro aut ſiniſtro, neque cum dolore, neque cum inflammatione, iis ſanguis è naribus fluxurus eſt, 3. *prognoſt. aphor.* 30. *Hæmorrhagia futura ſigna.*

16. Si dolor capitis non ab initio ægritudinis affuerit, ſed circa tempus criſeos affligere cœperit, & ſpiratio repentè facta ſit difficilior, retractis hypochondriis, & pulſus tumeant, & arteriæ in temporibus pulſent, & genæ vel naſus rubicundior ſit, ac ſpontaneæ lacrymæ adſint, aut ſplendores ante oculos verſari videantur, & æger manibus nares ſcalpat, nonnunquam etiam delirium accedat, ex humoris ad ſuperna motu; tum ſanguinis per nares fluxum expectare oportet, teſte Galeno, *in fin. lib.* 1. *ad Glaucon.*

17. Veterum gerentibus capitis dolores ſoporoſi cum grauitate obuenientes, mali ſunt. Fortaſſis autem his etiam conuulſiuum quid pati contingit. 1. *Prorrhet. comm.* 3. *aphor.* 11.

18. Dolor capitis vehemens & aſſiduus, qui nullis præſidiis cedit, metum affert ſecuturæ cœcitatis, ob fluxum humoris ad oculos. Rhaſes, *in* 9. *ad Manſorem.*

### *Indicationes.*

Indicationes ſumuntur vel à dolore ipſo, vel à doloris cauſſis.

A dolore, qui per ſe anodynum indicat, ſumpta indicatio non attenditur, niſi is adeo vehemens ſit, vt curationem ad ſe trahat; quod fit, quando vigiliis continuis & intenſis vires proſternit. Ac tum, vt dictum, poſtulat remedium anodynum, idque, quod aut verè tale eſt, ſi dolor ipſe ſit remiſſior; aut ſic tantum appellatum, ſi dolor ſit intenſior. Vtrumque quale ſit, capite præcedente dictum.

A cauſſis doloris indicationes ſumptæ dolorem vnà cum cauſſa auferre, partique integram ſanitatem reſtituere docent. Si nimirum cauſſa doloris ſit extrema & euidens, remoueatur illa, ne malum foueat vel augeat. Si interna ſit, eaque intemperies, per oppoſitionem contrarij mutetur; ſi materia ſit, ſeu intemperies cum materia, materia illa euacuanda, reuellenda à capite, vel ſi fixa ibi hæreat, diſcutienda; intemperieſque temperanda, & caput roborandum; ſicut hæ indicationes ſupra, *part.* 1. propoſitæ ſunt.

### *Curatio.*

Dolorem itaque tanquam anodynum mitigat ſuccus aut mucilago maluæ vel althéæ cum oleo roſar. vel cum lacte muliebri capiti applicata; emulſio amygdalar. dulcium, decoctum flor. chamæmeli, meliloti, ſem. fœnigræci, panis è tritico lacte tepido madidus, ol. chamæmeli, anethini, commune cum vino albo tenui. *Curatio doloris capitis.*

Si hæc non ſufficiant, & dolor ac vigiliæ inualeſcant, veniendum eſt ad hypnotica & narcotica, vt ſunt lactuca, nymph. ſolanum, mandragora, capita papau. opium. Progrediendum verò eſt à mitioribus ad valentiora & opiata. Atque talia narcotica non applicentur ſuturæ coronali, quo loco facilè non cerebrum penetrare poſſunt, nec occipiti, vbi principium eſt neruorum & ſpinalis medullæ, ſed fronti. Cerebrum *Opium cerebro & neruis nocet.*

enim

enim & nerui opium & narcotica sine damno non ferunt. Si intrinsecus quoque ob doloris vehementiam iis vti requirit necessitas, cautè propinentur, & bene correcta, vt *Philonium Romanum, Tryphera magna, Requies Nicolai, pilulæ de cynoglossa* à Scrup. i. *ad* Scrup. ii. & præcipuè *Laudanum opiatum* ad gr. ii. vel iij. Tempus vtendi hisce est, si dolor vehementer vrgeat, vt spes non sit, illum euacuatione prius, vel per venæ sectionem, vel per pharmacum purgans mitigatum iri.

*Doloris capitis ab intemperie curatio.* Quomodo autem caussæ doloris tollendæ sint, & qua ratione intemperies nuda, vt & cum materia, scil. cum sanguine, pituita, bile, melancholia, flatu, per primarium cerebri affectum & per consensum, tollendæ sint, supra, *part.* 1. dictum, quæ hîc repetere opus non est. Hoc saltem monemus, vt in topicis eligantur ea, quæ simul sunt anodyna. In temperie frigidâ hoc Epithema commendatur:

℞. *Pulu. zedoariæ* Dra.i. *aq. betonicæ, verbenæ, sambuci,* an. Vnc.i. Misce.

*Verbenæ vis.* In omni etiam dolore capitis tanquam singulare medicamentum commendatur aqua verbenæ destillata, quæ & capiti extra applicatur, & pondere Vnc. iiii. vel v. assumitur. *Amuleta.* Imò amuleti loco eadem viridis collo appendendi potest; quo remedio miraculi instar ægrum quendam, qui nullis aliis remediis, quantumuis optimis, siue internis, siue externis curari potuerit, restitutum fuisse, refert Forestus, *lib. 9. obseru.* 52. Potest etiam eadem herba in coronæ modum circumponi, vel cum rosaceo & aceto applicari. Alia amuleta ad capitis dolores enumerantur ibid. *in scholio.*

*A calore Solis.* Si verò dolor capitis ortum habeat à calore externo, qualis est solis, balnei, ventorum australium, quam cephalagiam δι' ἔγκαυσιν veteres nominarunt, Galenus, 2. *de compos. medic. secund. loc. tit.* 3. caput infrigidantia adhibet, quæ si actuali suâ frigiditate minus præstant, quam præstare debebant, vlterius illa refrigeranda vel demergendo in aquam gelidam, vel circumponendo glaciem. Ita enim fieri affirmat, vt non solum calor in capite excitatus tollatur, sed humores etiam & vapores, qui ad caput fortè impetum faciunt, deorsum in corpus trudantur, vbi discuti postea facilè siue à natura, siue ab arte possunt. Qualia autem ista sint, & quomodo applicari debeant, supra, *part.* 1. *cap.* 1. dictum.

*A casu vel percussione.* Quod si dolor capitis existat à casu vel ictu, sitque sola contusio absque vulnere & cranij fractura, præmissâ reuulsionis gratiâ phlebotomiâ, aut clystere, aut vtroque, caput rasum inungatur oleo rosaceo & myrtino mixtis, & aspergatur puluis rosarum siccarum & myrtillorum ad prohibendam inflammationem, quam febris & delirium comitari solent.

Vel ℞. *Pulu. myrtyll.* Vnc.i. *nucis cupress. sumach, balaust. rosar. rubr.* an. Drach.ii. *ol. rosac.* vel *chamæmel.* q.s. F. Cataplasma.

In fine ad discutiendum & resoluendum addatur absinthium, schœnanthum, farina lentium, fabarum. Laudatur & vnguentum è matrisyluiâ, quod materiam foras è capite attrahit.

Si verò cranium vel fractum, vel contusum esse suspicio adsit, curatio instituatur vt supra, *part.* 1. *c.* 21. & *seqq.* dictum.

*Doloris Capitis ab ebrietate.* Dolor capitis ab ebrietate, etsi præsidia medica mereri non videatur: tamen quia ebriis grauissima symptomata accidunt, qualia sunt delirium, vertigo, tremor, conuulsio, apoplexia, & denique mors ipsa, vt ex 3. *sect. problem. Aristot.* & *ex* 5. *aph. sect.* 5. constat, planè negligi non debet. Perficitur autem materiæ euacuatione, & à capite repulsione, & intemperiei, si quæ inducta est, alteratione. Itaque si crudum vinum in ventriculo fluctuat, æger mox euomat. Pòst repellentibus vtendum est, vt ol. rosac. cum aceto, aut cum hederæ & brassicæ succo. Vel imponatur hoc Oxyrrhodinum:

℞. *Aq. rosar. optim.* Vnc.iiii. *chamæmel. flor. sambuc. persicor. anethi,* an. Vnc.ß. *succ. rosar.* Drach.vi. *acet. rosac.* ℥.ij. M. pro Oxyrrhodino.

Vtatur etiam medicamentis calorem à vino temperantibus.

Exempl. gratia tale detur Electuarium:

℞. *Conseru. rosar.* Vnc.iii. *acetos.* Vnc.i. *rob. ribes, rad. condit. cichor.* an. Vnc.ß. *spec. diamarg. frigid. corall. rubr. præparat.* an. Scrup.i. Cum *syrup. acetosit. citri,* F. Electuarium.

Inprimis *syrup. de succo citri,* vt & *granator.* vel *iulep.* ex iis cum aq. conuenientibus paratus extinguit calorem à potu vini contractum, & vapores deprimit.

Quod si dormire nequeat, fricentur pedes & manus sale & aceto. Tandem alatur cibis boni succi, moderatè refrigerantibus, & vaporum ad caput ascensum prohibentibus, vt ptisanâ hordeaceâ, pullis gallinaceis cum agresta vel lactuca, pyris coctis, cydoniis conditis, & in fine mensæ de puluere coriand. sumat cum saccharo.

*An vini potus vini noxam tollat.* Quod autem vulgo persuasum est, vini noxam vini potu deleri, id in iis locum habet, qui ob ventriculi imbecillitatem ex frigiditate vinum hesternum & immoderatè assumptum integrè non concoxerunt, vnde crudi halitus ad caput mittuntur. Talibus enim Hippocrates vini meraci cotylam seu heminam, qui dimidius sextarius est, propinat, *in fine* 2. *Epidem.* vt coctio nutrimenti iuuetur, cruditates corrigantur, & vapores crudi in capite discutiantur. Iisdem etiam ieiunium nocet; cum vaporum sursum ascendentium copiam & acrimoniam augeat, quos cibus assumptus reprimit & mitigat. Et omnino, si quis ob copiam aut vitium alimenti cruditatem patiatur, parum iterum alimenti sumere, quod melioris sit substantiæ, cruditatem aufert. Natura enim noui alimenti, eiusque grati, aduentu coctionem aggreditur, & quam antea non valuit perficere, noui alimenti accessu coctionem perficit; aut certè natura nouum alimentum, vt gratum, arripit & coquit, crudum autem, in quo coquendo frustra laborabat, dimittit; hinc facultas expultrix exsurgit, & id expellit, vnde accidit, vt ampliùs naturæ molestum non sit. Nam crudum, quod superingestum in cruditate nocet, id tantum est, quod iterum quantitate ventriculi vires superat: at quod in pauca quantitate sumitur, naturam ad coctionem reuocat, & cruditatem corrigit, non nocet.

*Doloris capitis à vermibus curatio.* Vltimò, si à vermibus in capite contentis sit dolor, quomodo is curandus sit, ex iis, quæ, *part.* 1. *cap.* 18. dicta sunt, patet: & omnino quomodo caussæ omnes doloris capitis tolli debeant, ex iis, quæ, *part.* 1. dicta sunt, manifestum euadit.

### De Κεφαλαία & ἡμικρανία.

*Cephalæa & Hemicrania.* In specie saltem aliquid de Cephalæa & Hemicrania dicere libet. Vterque hic affectus diuturnus & δύσλυτος est, nisi quod alter caput totum, alter partem eius duntaxat alteram occupat; quanquam Hemicraniæ vocabulum etiam de recenti dolore dimidij capitis vulgò vsurpetur. A Cephalalgia verò differt, non caussis & signis, sed caussarum magnitudine & pertinacia. Nam in Cephalæa & Hemicrania dolor non solùm diuturnus, sed adeo quoque vehemēs & grauis est, vt æger in tenebris & quiete contineri cupiat; leuique occasione dolor ita exacerbatur, vt tanquam malleo percuti caput, & frangi ac diuelli æger existimet. Quemadmodum Galenus scribit, *in* 2. *de Compos. med. secundum loca, cap. de Cephalæâ*, &, *in* 3. *de locis affect. cap.* 9. Malum hoc fœminas frequentius affligit, teste Aureliano, ob diligentiam in alendis & ornandis capillis.

Quoniam igitur Cephalæa ex confirmata aliqua capitis intemperie, aut ex copia crudorum & crassorum

humorum caput replente & obſtruente, vel vapores quoque continenter eò mittente,aut ex acrium humorum in alto capitis reſidentium morſu, aut denique ex pericranij & meningum cerebri diuturna quadam affectione oritur: facilè eſt intelligere, iiſdem præſidiis ac remediis hic vtendum eſſe ſecundum cauſſarum diuerſitatem,quibus in Cephalalgiæ differentiis & intemperiebus capitis cum materia; fortioribus tamen,diutiuſque & frequentius,ob cauſſarum vehementiam & contumaciam maiorem. Neque differenda eſt huius mali curatio. Nam ex vigiliis delirium & inſaniam ſæpenumero affert. Sequi etiam ſolent cæcitates, apoplexiæ, epilepſiæ,paralyſes,lethargi,& ſimiles affectiones capitis grauiſſimæ.

Itaque euacuationes omnis generis vniuerſales & particulares hic conueniunt, & reuulſiones ac topica, prout conditio materiæ, & affectio vel totius,vel capitis ſolùm,& loci in capite requirit.

Si plethora adſit,phlebotomia quoque fiat, &cephalica aperiatur. Tandem & vena frontis ſecetur, vel narium venæ aperiantur,& cauteria applicentur.Imò nonnulli etiam arterias aperiri ſuadent,de quibus omnibus ſuprà,*part*.1.dictum,

Vtile etiam eſt in inueterato hoc malo decoctum ligni Guaiaci vel Chinæ,vel ſarſæparillæ,vel ligni ſaſſafras; quorum formulæ ſupra etiam propoſitæ, & paſſim extant.

### *Diæta.*

Diæta medicamentis reſpondeat;quæ qualis eſſe debeat, ſuprà, *de Intemperiebus capitis*, dictum.Sicut autem in omni dolore capitis vitanda ſunt, quæ ipſum replent, aut ſua acrimoniâ cerebro moleſta ſunt, qualia ſuprà, *part*. 1. *cap*. 1. enumerata ſunt: ita alimentis ſemper admiſceantur, quæ cerebrum naturâ ſuâ roborant; quo in genere ſunt roſmarinus, maiorana, ſaluia, fœnicul. nux moſchata, caryophylli, & ex frigidis roſæ & violæ. Somnus denique immoderatus in omni capitis dolore improbatur, præſertim meridianus, & qui à cibo ſtatim capitur. Hic enim caput inſigniter replet.

# LIBRI PRIMI PARTIS III.

## SECTIO SECVNDA, De Oculorum & Viſus Morbis ac Symptomatibus.

## CAPVT I.

### *Continens nomenclaturam Affectionum quæ Oculis accidunt.*

Vm Symptomata, quæ tactui, vt ſenſui communiſſimo, accidunt, proximè explicauerimus: iam etiam qui reliquis ſenſibus, & eorum organis, accidant morbi & ſymptomata, dicendum, Cum autem inter ſenſus externos facilè primas obtineat viſus, ab eo faciemus initium, & primò morbos, qui oculo accidere ſolent, proponemus; deinde de variis viſionis læſionibus, & aliis ſymptomatibus,quæ oculis accidunt, dicemus. Etſi verò oculus parua corporis pars eſt: tamen vix vlla alia eſt, quæ tot morbis ſit obnoxia, & ingentibus ac variis caſibus oculi natura patet, vt Celſus, *lib*. 6. *cap*. 6. loquitur. Cum autem, vt idem Celſus ſubiicit, magnam partem ad vitæ vſum & dulcedinem conferant oculi,ſummâ curâ tuendi ſunt, ideóque etiam de eorum affectionibus præter naturam diligentius agemus.

*Oculus variis morbis obnoxius.*

Et primò quidem morbos oculi quod attinet,de iis acturus Medicus omnino oculorum naturalem conſtitutionem cognitam habeat, neceſſe eſt: quæ qualis ſit, ab Anatomicis cognoſcendum, & præcipuè Iul. Caſſerio Placentino, *de ſenſuum organ.lib*.5. & Hieronymo Fabritio ab Aquapendente, *lib. de oculo, viſus organo*.

*Oculi partes duplices.*

Oculus autem dupliciter conſideratur;primò & propriè, vt ex iis partibus, tunicis, humoribus & neruis, opticis ſcilicet,quæ ad viſum proximè conferunt,conſtat; deinde vt etiam eas partes connexas habet, quæ ſiue propter eius cuſtodiam, ſiue propter commodiorem eius vſum,adiecta ſunt, quo modo etiam ad oculum pertinent cilia,palpebræ,muſculi. Atque poſteriore hoc modo de oculo agit Galenus, 4.*de compoſ.medic. ſec.loca*,quem & nos ſequemur.

*Morbi oculi quotuplices.*

Atque ita diuidemus morbos oculi in tres claſſes.1. ſunt morbi partium, quæ oculis quaſi tegumento & munimento ſunt,palpebrarum puta:2. ſunt morbi, qui ſingulis partibus, quæ oculos conſtituunt, & ad eos pertinent,accidunt:3.ſunt morbi totius oculi.

*Palpebrarum vitia.*

Primò palpebrarum vitia quod attinet, ſunt ea: Tumor, ἐμφύσημα; aſperitas, calloſitas, ſcabies palpebrarum, Græcis τράχωμα, τραχύτης, δασύτης, τύλωσις, ψωροφθαλμία: Tumores & tubercula palpebrarum, ὑδατὶς, verrucæ, κρίθη, hordeolum, χαλάζιον, grando, λιθίασις, nodi & excreſcentiæ, ἐκτρόπιον, palpebrarum inuerſio, & λαγωφθαλμία, vel λαγόφθαλμον: palpebrarum inter ſe & cum aliis oculi partibus coaleſcentia & cohærentia, ἀγκύλωσις & ἀγκυλοβλέφαρον, cancer palpebrarum, liuor palpebrarum ex percuſſione, φθιρίασις, vbi in palpebrarum pilis pediculi naſcuntur, quæ tamen & aliis partibus piloſis communis eſt. φαλάγγωσις, τριχίασις, vbi pili inutiles, & oculos pungentes in palpebris naſcuntur, διστιχίασις, vbi duplex vel multiplex pilorum ordo naſcitur, μαδάρωσις vel μίλφωσις, pilorum palpebrarum defluuium, πτίλωσις, palpebrarum craſſities cum pilorum defluuio.

Symptomata, quæ motui palpebrarum accidunt, ſunt, oculos aperiendi impotentia, & ἵππος, tale vitium, quo palpebræ inſtabiles perpetuò nictant. Alij tamen totius oculi vitium eſſe malunt.

Interdum quoque res externæ oculis incidunt, quæ ſub palpebris hærentes oculos infeſtant.

*Annatæ tunicæ vitia.*

Deinde ſingulæ oculi partes ſuos morbos habent, & primò quidem tunicas quod attinet, annatæ ſeu coniunctiuæ morbi ſunt, τάραξις, ὀφθαλμία, χήμωσις, pannus, πτερύγιον, vnguis ſeu vngula.

Annatæ cum palpebris communes morbi ſunt, σκληροφθαλμία & ξηροφθαλμία.

*Corneæ vitia.*

Corneæ tunicæ morbi ſunt, color vitioſus, albugo, puſtulæ, & vlcera varia, quæ ſecundum varias circumſtantias varia nomina accipiunt, ὑπόπυον, quando pus ſub cornea continetur,ruptura corneæ.

Annatæ & corneæ communia vitia ſunt, ὑπόσφαγμα ſeu ſuffuſio, aut ſuggillatio, pannus,vulnera, puſtulæ, vlcera.

*Vueæ vitia.*

Vueæ tunicæ morbi ſunt πρόπτωσις, ſeu procidentia, quæ varia nomina pro varia ratione accepit.

*Pupillæ vitia.*

Pupillæ morbi ſunt, μυδρίασις, pupillæ dilatatio, φθίσις, pupillæ anguſtia; ὑπόχυσις, pupillæ obſtructio, & humoris præter naturam inter corneam & cryſtallinam collectio.

*Angulorum vitia.*

Habent & anguli oculi ſua vitia, quæ ſunt pruritus, αἰγίλωψ, ἐγκανθὶς, cum caro augetur, ῥυὰς, tumores ſcirrhoſi.

*Cryſtallini vitia.*

Humoris Cryſtallini vitia ſunt, glaucoma, exſiccatio,diminutio,ſitus mutatio.

Humo

*Aqueivitia.* Humoris quoque aquei dantur vitia & morbi;quando scilicet is minus est pellucidus,inæqualiter crassus, opacus.

*Vitrei vitia.* Vitreus etiam humor sua habet vitia,vt si sit impurior, obscurior,debitam figuram non habet.

*Neruorum opticorum vitia.* Neruis opticis accidunt, obstructio, coarctatio, ruptio,conuulsio.

*Spirituum opticorum vitia.* Spirituum opticorum vitia sunt, dum fiunt obscuri, crassi, imminuuntur, aut deficiunt. Pertinent huc splendores nocturni, dum lumen oculis noctu obuersatur.

*Musculorum vitia.* Musculorum vitia sunt, cum vel conuelluntur, vel laxantur,vel secantur.

*Totius oculi morbi.* Toti verò oculò accidunt, ἀτροφία, seu imminutio, ἐκπιεσμὸς, seu procidentia, strabismus, vulnera, cancer, tumores.

*Symptomata oculorum.* Atque hi sunt morbi oculorum. Symptomata quod attinet, & primò actiones læsas, cum oculus sit videndi organum, huc pertinent omnes visus læsiones, ἀμφύρωσις, ἀμβλυωπία, visus hebetudo,luscìositas, cæcitas visus deprauatus, vt nyctalopia, παρόρασις, strabismus, cum vna res duplex apparet, cum res omnes inuersæ apparent. Et cum, vt commodior visio fiat, oculi etiam sint motu præditi, in motu quoque accidunt symptomata,paralysis & conuulsio Et cum oculus etiã tactu sit præditus,sæpe etiam dolori obnoxius est. Cum etiam vt aliæ partes nutriantur oculi, in nutritione obtingens vitium est atrophia. Deinde in qualitatibus mutatis est color præter naturam. Tandem excrementorum vitia sunt epiphora & lachrymæ, λῆμαι, lachrymæ cruentæ. De quibus iam ordine dicemus.

---

## De Morbis & Vitiis palpebrarum.

## CAPVT II.

### *De Tumore Palpebrarum, Emphysemate & Inflammatione earundem.*

Palpebrarum officium est, oculos clausos ab externis iniuriis tueri, & tempore somni lumen arcere: vbi verò aperti sunt,præstare, vt oculus species visibiles admittere possit. Vnde palpebræ facultatem habent,quâ motu voluntario moueri possint, præsertim superior,vt scilicet oculi aperiri & claudi possunt,quotiescunque libuerit. Hinc palpebræ proprios musculos habent,neruos, qui spiritum animalem aduehunt. Quapropter symptomata,quæ palpebris accidunt,præcipuè in motu læso erunt. Morbi verò, qui iis accidere possunt, varij sunt, quos alij aliter recensent. Commodissimè tamen sequenti modo enumerari,& appellationibus distingui posse videntur.

*Tumor palpebrarum.* Inter eos primò est Tumor. Tumor autem palpebrarum aliquando à caussis externis ortum habet, vt contusione, ictu vespæ,apis,araneæ,vel similis insecti, à contactu vrticæ; aliquando ab internis, ab humore aut vapore, vel calido, inflammationem aut exulcerationem pariente, vel frigido, palpebras inflante, qui

*Palpebrarũ inflatio.* tumor ἐμφύσημα, & palpebrarum inflatio appellatur.

Et quidem hoc malum aliàs à caussis externis excitatur, nonnunquam affectus alios sequitur,vt apostema in locis circa oculos & genas, lethargum,carum,item cachexiam & hydropem, quæ singula suam curationem peculiarem requirunt. Plerumque ophthalmiæ grauiori succedit,quando tumor ita increscit,vt palpebræ vix claudi possint.

Si à caussâ calida sit tumor, locum habent medicamenta,quæ in ophthalmia vsurpari solent; de quibus postea dicetur: quale etiam est ophthalmicum, quod in curatione ophthalmiæ Rhases præscripsit, atque primum est inter ocularia illa remedia,& infra;*cap.21.* proponetur.

*ἐμφύσημα.* Ἐμφύσημα verò, quod est tumor laxus sine dolore οἰδήματι similis,ab humore aquoso ac seroso ortum habens,accidit in febribus diuturnis,vigiliis,in cachexia, hydrope,lethargo, caro,& propterea curatur morbis iis quibus coniungitur,sublatis. Fouere tamen licet palpebras decocto florum chamæmeli, rutæ, cumini; vel inungantur palpebræ oleo chamæmeli, anethi, rutæ, vel melle.

Si à vespæ vel apis ictu tumor sit, remoto aculeo lamina ferrea imponatur, donec dolor è punctione euanescat;postea resoluentia adhibeantur,vel apis ipsa cõtrita imponatur. Si ab araneæ punctura tumor sit,theriaca vel Mithridatium imponatur. Si à contactu vrticæ vel aliarum rerum calidarum, inungatur palpebra oleo rosarum, vel succo phantaginis aut semperuiui cum oui albumine.

---

## CAPVT III.

### *De Trachomate, Densitate, Asperitate, Callositate & Scabie Palpebrarum.*

*τράχωμα palpebrarũ.* Τράχωμα, παχύτης, δασύτης, σύκωσις, τύλωσις, ψωροφθαλμία, Densitas, Asperitas, Callositas, Scabies Palpebrarum, etsi vt distincti affectus ab autoribus proponi soleant: tamen cum communes caussas, & communem generationis modum habeant, & solùm gradibus differre videantur, omnes hos affectus hoc capite coniungemus: sicut etiam nonnulli alij Medici sub communi τραχώματος nomine eos comprehendunt. Cum enim palpebræ continuò,dum aperiuntur & clauduntur,supra tunicis oculi externis moueantur, membranæ verò illæ leues & exquisito sensu præditæ sint;etiam palpebræ intus molles & leues esse debent, vt facilè,& absque molestia supra oculorum tunicis moueri possint. Quæ earum constitutio naturalis cum in omnibus affectibus nominatis mutetur, etiam communi τραχώματος seu asperitatis nomine omnes comprehendi solent.

Τράχωμα autem est internæ palpebrarum partis asperitudo cum rubedine & pruritu, nonnunquam & cum pustulis seu tuberculis semina ficus vel milij referentibus, ab acri & salso humore ortum habens.

Et primò quidem dum materia hæc pauca est, saltem asperitatem quandam & pruritum excitare solet, cum molestia quadam in parte interiore palpebræ,præsertim cum mouetur, ad quam frictio sequitur, & ad hanc copiosioris materiæ attractio, vnde scabies succedit. Affectio nimirum hæc est morbus in superficie & in continui solutione, cui symptomata accedunt,pruritus & rubor.

### *Caussæ.*

*Caussæ.* Caussa proxima est humor adustus, mordax & salsus, siue sit sanguis adustus, siue bilis,siue pituita salsa,siue humor serosus, salsus, siue bilis atra. Plerumque tamen à mixto in massa sanguinea humore hoc malum excitatur. Possunt etiam hoc malum inducere collyria nimis acria, nimis diu adhibita.

Hinc ad malum hoc faciunt humores acres, salsi in capite collecti, aut hinc inde fluentes, & quæcunque ad talium humorum generationem faciunt, vt cibi salsi, &c.

### *Differentia.*

*Trachomatis differentia.* Recenſentur autem huius affectus tres ſpecies ſeu gradus. Primò enim cum palpebræ , ſi inuertantur, quaſi denſiores & inæquales apparent, affectio ea, vt Aëtius ex Seuero, *tetrab.* 2. *ſerm.* 3. *cap.* 43. tradit, Δασύτης, Denſitas palpebrarum nominatur, in qua palpebræ intus rubent, inæquales & aſperæ ſunt, ac pruriunt.

*Dėſitas palpebrarum.*

*σύκωσις.* Secundus gradus eſt, cum iam maior eſt affectio, & non ſolum denſitas & inæqualitas in palpebris inuerſis apparet, ſed manifeſta iam aſperitas & rubor, adeò vt intra eam emineant quaſi grana ficus immaturæ; vnde Græcis affectio σύκωσις, Latinis ficoſa palpebra nominatur.

*τύλωσις.* Tertius gradus eſt, quando iam inueterauit vitium, & pars interna palpebræ exulcerata eſt, ac ſciſſuram & calloſitatem contraxit, Græcis dicitur τύλωσις, Latinis calloſitas palpebræ. Germani vocant, *den Aſcherſchutt*, quia mulierculæ credunt, malum hoc ex cineribus, ex quibus lixiuium paratum fuit, generari, ſi nimirum quis ad locum illum, in quo tales cineres iacent inopinato deuenit.

Adiungenda eſt his ψωροφθαλμία, Scabies palpebræ. Quanquam enim à trachomate, eiuſque ſpeciebus in eo differat, quod non ſolùm pars palpebræ interna afficitur, ſed tota palpebra, præſertim verſus oculorum angulos, cum pruritu rubet, aſpera ac ſcabioſa eſt, & exulceratur: tamen cum eundem generationis modum habeat, eam hic coniungere libet.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Pſorophthalmia.* Si palpebra inuertatur, rubea apparet & aſpera, ac veluti ficus ſemen, vel milij grana eminere videntur. Si à ſanguine eſt, maior adeſt rubedo ſine magno pruritu: ſi à bile, minor rubedo, & maior pruritus, ac puſtulæ paruæ apparent: ſi à pituita ſalſa, maior eſt pruritus, & maior ſeroſi humoris copia exit: ſi à bile atra, rubedo eſt obſcura. aſperitas maior, & quod effluit, liuidum eſt.

### *Prognoſticum.*

Τραχώματα in primo gradu curationem ſuſcipit; σύκωσις rarò; τύλωσις rarò aut nunquam, & maxima cum difficultate.

### *Curatio.*

*Curatio.* Totum corpus & caput, prout hic vel ille humor peccat, conuenienti modo primò euacuandum eſt; materia à capite auertenda, &, ſi materia per venas & arterias externas fluat ad oculos, repercutientia interſinitia in fronte & temporibus adhibenda, vt ſuprà, *parte* 1. dictum.

Deinde adhibeantur topica, primo quidem emollientia & intemperiem partis alterantia, atque acrimoniam humorum temperantia: poſtea verò abſtergentia & exſiccantia vſurpentur.

Ad emolliendum inſtituatur fomentum ex decocto hordei, violarum, radic. althéæ, ſemin. fœnigræci, & ſimil. faciem ſuper vaporem conuertendo, aut pannum linteum duplicem hoc decocto madidum ſupra oculos aliquoties ponendo.

Vel ℞. *Malua, beta, portulac.* an. M. j. *acetoſa* M. ß. *flor. roſar. rubr. meliloti*, an. p. j.

Coquantur in aqua, cuius vapore mane & veſperi oculi foueantur.

Vel ℞. *Endiuia, portulacæ, dentis leonis*, an. q. ſ.

Contundantur, & cum *albumine oui* & modico *oleo roſat.* miſceantur & oculis imponantur; vel ſuccus horum expreſſus imponatur. Hoc enim modò pars refrigeratur, mala intemperies tollitur, & acrimonia humorum temperatur. Vel linteo aquâ roſarum taraxaci, acetoſæ, & oxylapathi madido oculus ſæpe foueatur.

Ad abſtergendum, quæ primo loco leniora, poſtea fortiora eſſe debent, vtilia ſunt, *ſacchar. candum, crocus, aloë, ruta, vitriolum, alumen, camphora*, & ſimilia.

Vt ℞. *Vnguenti pomata* ℥. ß. *tutia aquâ roſar. lota, ſief. albi*, an. ʒ. ß. *vitrioli Romani* ℈. ß.

F. Vnguentum pro palpebris.

Vel ℞. *Fol. ruta, chelidon. maior. flor. cyani*, an. M. j. *vitrioli, aluminis*, an. ℥. ß. *camphor.* ʒ. j.

Affundatur aquæ agrimoniæ & vini albi, an. q. ſ. Stent in infuſione per biduum. Poſtea deſtillentur in Balneo.

Fortius eſt hoc.

℞. *Aqu. flor. cyani, chelidon.* an. ℥. iiij. *ſem. ruta* ℥. ß. *vitrioli albi* ʒ. ij. *viridis æris* ʒ. ß.

Coqu. in vaſe clauſo, poſtea colentur.

Vel ℞. *Æris vſti, cadmia lota, ceruſſa lot.* an. ʒ. j. *aloës, myrrh.* an. Drach. ß. *ſal. ammoniac. floris æris.* an. Scr. ß. M.

F. Puluis ſubtiliſſ. & conficiatur inde cum melle Linimentum pro palpebris.

Fortius eſt ſief rubrum Rhaſis; mitius rubrum Meſuæ, in quo vitriolum omittitur.

Sarcocolla quoque in lacte nutrita, & cum ſucco chelidon. mixta, ac palpebris illita, pruritum tollit.

Diligenter verò in horum vſurpatione attendendum, ne fortius, quàm ex vſu eſt, vim ſuam oculis imprimat. Et proinde ſi dolor ac rubor intenſior ſequitur, dies aliquot ab hiſce remediis abſtinendum. *Cautio in palpebris curandis obſeruanda.* Sæpe, cum recens malum eſt, ſufficit parùm aloës, cum aqua roſarum mixtum & palpebris illitum, vel myrrha cum lacte mulieris diſſoluta, vel vnguentum roſatum Meſuæ cum cum pauxillo tutiæ præparatæ mixtum adhibitum.

Vbi malum medicamentis hactenus expoſitis non cedit, frictionem palpebræ præcipiunt, & ægro ſupino iacente palpebram inuertere iubent, eamque folijs ficus aut parietariæ, aut cum ſaccharo cando, aut cū ſpuma maris, vel oſſe ſepiæ fricare leniter, & quidem eo vſque, donec ſanguis prorumpat, & granuloſa ſubſtantia abſumatur; poſtea oculum aquâ roſarum tepida abluere. Rhaſes inſtrumenti meminit, quod, *diuiſion.* l. 1. *cap.* 22. Roſam nominat, Græcis βλεφαροξυστὸν dicitur, à cuius vſu palpebram abluit aquâ cum pauco aceti mixta, & alia adminiſtrat, quæ citato loco videantur.

Ad ſcabioſas, rubras, & exulceratas palpebras poſt vniuerſalia remedia vtilis eſt in principio fomentatio cum decocto rad. oxylapathi, acetoſæ, & maluæ. *Scabies palpebrarum.*

Poſtea

℞. *Aq. pimpinell. chelidonij, oxylapathi*, an. Vnc. ix. *alumin. vſti, camphorij, oculor. cancri præd.* an Drach. ſem.

Coq. & aquâ iſtâ de die bis vel ter palpebra ſcabioſa abluatur.

Foreſtus feliciter vſus eſt linimento ex vnguento roſato, adiecto pauxillo tutiæ præparatæ.

Vel ℞. *Butyri ſine ſale* ℥. j. *aqu. roſar.* ʒ. ij. *terebinth.* ʒ. j. *albumen oui* vnius, Conquaſſentur diligenter, donec commiſceantur.

Vel ℞. *Vnguent. roſat.* Vnc. j. *ſaporis Veneti* Drach. ß. *ſulphur. viui* Drach. j. *ſarcocoll. aloës hepatic.* an, Scr. j. M. in mortario.

Vel ℞. *Mellis* Vnc. ij. *ſuccini, aloës hepat.* an. ʒ. ij. *cortic. granator. aluminis*, an. Scr. j.

M pro Vnguento.

℞. *Cadmia aq. roſar. lota* ʒ. ß. *ſanguin. dracon.* ʒ. ij. *viridis æris* Scr. j. *aloës hepatic.* Drach. iij.

F. Puluis ſubtiliſſ. cui adde *olei commun.* Vnc. iij. *pinguedinis*

*pinguedinis porci sine sale* Vnc.ij. M. omnia diligenter, & addatur *camphoræ*.Drach.j.

F. Linimentum.

Plura eiusmodi medicamenta videantur apud Aëtiū, *tetrabibl.2.serm.3.c.43*.& Cornelium Celsum,*lib.6.c.6. §. Ad oculos scabros, collyria.*

### *Diæta.*

Aër,in quo æger degit,sit temperatus, & ad obscurum potius, quam lucem vergens; ventus, puluis ac fumus, & eiusmodi externa alia oculos lædentia vitentur. In diæta etiam vitentur omnia, quæ humores acres & falsos gignunt, & quæ vaporosa sunt, tam ex cibis, quàm potu: vestimenta circa collum non nimis augusta sint,monente Auicenna, ne sanguis & vapores sursum exprimantur.Facies non continenter prona seruetur.Decubitus non sit depressus.

## CAPVT IV.

### *De Tuberculis, Nodis, & aliis Palpebrarum tumoribus.*

*Ὑδατὶς, Aquula.*

Tubercula palpebrarū. Hydatides. SOlent etiam varij tumores & tubercula in palpebris oriri;inter quæ primò est ὑδατὶς,aquula,seu palpebrarum aquositas, Germanis, *Massergall, oder Massergevvechs*, substantiæ illius vnctuosæ in palpebra superiore tale incrementum,& pondere suo palpebram ita grauans,vt vix attolli queat,humorē perpetuò fundēs, & aquam intercutē in palpebris repræsentans. Etenim cum palpebra superior duabus membranis constet,earum medium vnctuosa atque viscosa occupat substantia; quâ palpebræ alioquin siccæ nonnihil emolliuntur. Hæc substantia in quibusdam, præcipuè pueris, vt natura humidioribus, ex seroso humore incrementum sumens ὑδατίδα generat, & palpebra aquam intercutem repræsentat, ac si digitis comprimatur, iique subitò remoueantur, vestigium compressionis remanet, &, quod inter digitos fuit, attollitur, humoremque palpebra, præsertim horis antelucanis, fundit,neque Solis radios oculi sustinent, sed lachrymas fundunt.

Si malum sit recens & paruum, sæpe sponte euanescit, vel medicamentis facilè curatur. Si verò tumor sit maior & diuturnus,ac peculiari membranâ iam includatur, non nisi manus operâ tollitur.

Nonnulli incipientem hunc tumorem manè saltem ieiuna saliua illinunt. Aut foueatur decocto absinthij, flor. chamæmeli, & semin. fœnigræci. Hinc imponatur emplastrum ex diachylo simpl.& ammoniaco aceto dissoluto, cui add.pauxillum salis ammoniaci & radic. ireos.

Commendatur & hoc Vnguentum:

♃. *Pinguedin.talpæ* Drach.iijß.*ol. sambuc*.Drach.ijß. *cineris vngulæ asini* Drach.j.*thuris,mastich. mercurij mortificati, cerussæ*,an.Drach.ß.

M. F. Vnguentum.

Vel ♃. *Mellis despumat*. Drach.vij.*olei è nucibus pinus* ℥ ß.*ol.ouorum* ℥.ij.*farinæ fabarum,pulu.rad.cappar.* an.Drach.sem.

F. Vnguentum.

Si verò hic tumor sit durior,nec medicamentis cedat, curatur manus operâ, vt nodi & aliæ in palpebris excrescentiæ,vt dicetur.

### *Verrucæ.*

Verrucæ palpebrarum. Verrucarum genera omnia,quæ in aliis partibus generari solent, in palpebris etiam interdum oriuntur.De quarum generatione, differentiis, & signis suo loco dicetur. Hîc saltem pauca de curatione dicemus.

Ad Acrochordonas, seu verrucas asperas & pensiles vtile est hoc Linimentum:

♃. *Pingued. ardeæ* Drach.v. *olei oliuar.* Drach.j.ß. *apum vstarum* Drach.j.*cineris murium* Drach.ß.

F. Linimentum.

Vel ♃. *olei hyperic.* Vnc.ß.*tartar. per deliquium* ℈.j. Misce.

Vel ♃. *Agrimon.fol.& radic.viridium* Drach.v. *cepæ* Vnc. ß.

Contundantur simul,postea adde *ol.lini* ℥.vij.*tartar. per deliquium* Drach.iij.

Contundantur simul, tandem adde *cerussæ citrinæ* ℥.ij.Misce.

Ad Myrmecias,verrucas glabras ac sessiles:

♃. *Herbæ cancri, radic. capparum, ranunculi vrentis*,an.M.ij.*aluminis* Vnc.j.

Comburantur in olla noua in fornace figulina.

F.Puluis qui in vulneratas & apertas nonnihil verrucas prius inspergatur:

Vel ♃. *Scillæ* Vnc.iij.*esulæ* Vnc. ij. *herbi cancri, rad. chelidon*.an Vnc j.

Contundantur & destillentur.

F. Aqua,quâ verrucæ illinantur.

Ad Thymos:

♃. *Mellis*. vj.*stercoris ouilli* Drach. v. *caprini, aceti*, an Drach.iij.

Misce imponatur.

Hieron.Fabricius ab Aquapendente, *de operat. chirurg*. portulacam tusam vel sabinam puluerisatam ad verrucas cum ex palpebris, tum aliis corporis partibus exterminandas commendat.

### Κριθὴ, HORDEOLVM.

Κριθὴ, Hordeolum, Germanis *Gerstentorn, oder Angenhaber*, (Græci etiam πόσθιον, id est, præputiolum vocant) est tuberculum in summa palpebra succrescens propè cilia, aliquantisper longum, quod suppurascens simile est grano hordei, vnde & nomen accepit. Hordeolum palpebrarū.

Ortum habet ab humore pituitoso & crasso cum sanguine mixto, atque in eo, vt Celsus ait, tunicâ quiddam, quod difficulter maturescit, comprehendit.

Curatur vniuersalibus præmissis, si fomentetur cerâ candidâ aut adipe gallinæ, vel saliuâ manè inunguatur, aut corpore muscæ,capite abiecto, fricetur, quod à plerisque pro efficacissimo remedio habetur: vel foueatur locus panno calido, aut imponatur galbanum cum modico nitri subactum,vel sagapenum aceto dissolutum; vel foueatur oculus decoct. hordei & flor. chamæmel & postea sanguine columbino aut turturis aut perdicis illinatur.

Vel ♃. *Sem.lini, fœnigræci, radic. althéæ* an. ℥.v.Infundantur per noctem *in aqua flor.sambuc*.vt extrahatur mucilago.Huius Vnc.j. adde *pinguedin. gallinæ* ℥. vj. *ol. lilior. albor.ceræ albæ*,an.Drach.jß.

Coquantur ad humiditatis consumptionem,& F.Linimentum,quo palpebræ inungantur.

Vel ♃.*Pingued.gallinæ* ℥.i.*ol.lilior. albor. chamæmel.* an. Vnc. i. sem. *opopanac. galban. aceto dissoluti* ana Drach.ii.

Misce super igne pro Linimento.

♃. *Seui ceruini* Drach.v.*ol lini* ℥.iii. *ceræ albæ* Drach. ij. *galbani, ammoniac.* an. Drach. sem. *sal. gemmæ* Scr.sem.

F.Emplastrum.

♃. *Thuris, myrrhæ*, an. Drach .ii. *ladani* ℥. ß.*nitri, ceræ, alumin.* an. Drach. i. *secum ol. lilior, albor.* q. s.

F. Linimentum.

Si

Si suppuratur, nec sponte aperitur, capello aperiatur,& tumor ac pus exprimatur,& postea medicamentis conuenientibus curetur.

Si verò his medicamentis hordeolum nec discuti, nec ad suppurationem deduci potest, sectione tollendum. Animaduertendum autem, an tuberculum magis versus exteriorem partem palpebræ, an versus interiorem vergat. Si enim vergat magis versus exteriorem partem, secanda palpebra secundum longitudiné versus inferiora. Si verò magis vergat versus interioré, palpebra inuertenda, & tumor secundum latitudinem palpebræ, seu transuersim incidendus, cute apertâ tuberculum extrahendum; quod commodius fit, si tuberculum acu incuruatâ cum filo serico per foretur, postea acu abscissâ, vtraque fili extremitate apprehensâ tuberculum, quantum fieri potest, extrahatur, & nouaculâ vel scalpello à palpebra separetur, cautè tamen, ne tota palpebra dissecetur. Tuberculo exempto, hapsus lini albumine oui in aqua rosarum dissoluto madidus oculo imponatur: posteriori die vulnus, si sit in parte exteriore, oleo ouorum inungendum, & emplastrum conueniens imponendum: in interiori verò parte lac virginis, vel vnguentum ex saccharo ℔ imponendum.

Χαλάζιον, *Grando.*

**Grando palpebrarum.** Cognatum hordeolo vitium est Grando, tuberculum rotundum, translucidum, atque huc & illuc mobile. Materia enim grandinis est magis dura & quasi lapidescens.

Curatur emollientibus & discutientibus; quibus si non cedit, ad sectionem accedendum.

Imponendum itaque ammoniacum aceto dissolutum, cum adipe gallinæ, vel terebinthina cum cera mixta. Si per medicamenta resoluentia discuti non potest, ad manus operam accedendum, & incisio facienda vt de hordeolo dictum.

Λιθίασις.

**Lithiasis palpebrarum.** Similis ferè affectus est λιθίασις, cum in palpebra generantur nodi & excrescentiæ, & aspera quædam corpora lapidis instar dura, & oculos prementia. Generationis & curationis modus idem est, qui hordeoli & grandinis. Vide Aëtium, *tetrabibl.* 2. *serm.* 3. *cap.* 79. 80. 81.

*Nodi & Excrescentiæ.*

**Nodi palpebrarum.** Præter hæc tubercula & alij tumores maiores interdum in palpebris oriuntur, quos iuniores Medici vno Nodorũ nomine cóplectuntur, Germani *Bberbein* vocant. Græci verò cómune nomen non habent, sed, vt in aliis partibus, ita etiã in palpebris, pro diuersitate materiæ, è qua generantur, & quæ, vbi tumor aperitur, oculis sese exhibet, variis nominibus indigitant. Μελικηρίδας nominant, quando vesiculam continent, plenam humore, qui colore & consistentia similis melli est: στεατώματα, quando id, quod in iis continetur, est veluti adeps: ἀθερώματα quando quasi pultem continet tumor. Pertinent huc & illi tumores, qui Ganglia dicuntur.

Quæ autem caussa horum tumorum sit, dicetur, vbi in genere de tumoribus agetur. Hic solum de curatione dicemus.

Et quidem vbi tumores recentes & parui sunt, medicamentis emollientibus & resoluentibus discuti & tolli possunt, vt:

♃. *Medullæ crurum vituli, ceræ*, an. ℥. vj. *ammoniaci* Drach. ij. Misce.

Si verò malum diu durauerit, & incrementum sumpserit, non, nisi sectione & manus opera, curatur, & fustra tunc emplastra vel vnguenta adhibentur. Sectio autem hoc modo instituenda. Æger in loco lucido in sedili firmiter, ne manus vel caput mouere possit, contineatur. Hinc cutis super tumore ex vnâ parte chirurgi, ex alterâ parte ministri digitis extendatur (nisi antea à mole tumoris cutis satis sit extensa) Hinc nouaculâ acutâ cutem palpebræ è parte superiore versus inferiorem ad tumorem vsque incidunt nonnulli. Sed tutius est, cum Celso linea transuersa secare, sequendo fibras transuersas, ne illæ incidantur. Postea acu incuruatâ filum sericum non contortum continente tumor traiiciatur, acuque abscissa, & filo vtraque extremitate apprehenso, tumor, quantum fieri potest, extrahatur, & hinc à palpebra separetur. In separatione attendendum, vt nec palpebra perforetur, nec aliquid de tumore relinquatur. Tumore extracto albumen oui aquâ rosarum dissolutum cum hapso lini imponatur. Tandem hoc medicamentum ad vulnus conglutinandum adhibeatur.

♃. *Ol. balsaminæ* vel *momordicæ* ℥. j. ß. *hyperic.* Vnc. i. *mastich.* Vnc. sem. Misce.

Vide Celsum, *lib.* 7. *cap.* 7. Paulum, *lib.* 6. *cap.* 14. Hieron. Fabric, ab Aquapendente, *de operat. Chirurg.*

## CAPVT V.

### *De Cancro Palpebrarum.*

**Cancer palpebrarum.** INterdum & palpebras Cancer corripit, quod malum grauissimum & horrendum est. Caussam & generationem habet eandem, quam in aliis partibus; de qua de cancro in genere dicetur.

Etsi verò malum longè grauissimum, & curatu planè difficile sit: tamen, ne æger sine auxilio relinquatur, quædam tentari possunt. Si cancer nondum exulceratus sit, corpore conuenienter prius euacuato hæc Aqua vsurpari potest:

♃. *Granor.* seu *baccar. rubrar. solani* M. iii, *rosar. rubrar. dactylor.* an. M. ij. sem. *absinthij* M. j. *radic. iridis cœlestis* M. ß.

Herbæ omnes virides ac recentes contundantur, & affundantur *aq. solani* ℔. iii. Digerantur ii. diebus & postea in B destillentur.

Aqua bis de die linteolis oculo imponatur.

Si verò cancer iam exulceratus sit, inspergatur hic Puluis.

♃. *Erinaceum viuum, rad. sambuc. arundin. maior. testudinum nigrar, nemoralium*, an. M. iii.

Comburantur simul in fornace figulina in olla clausa: materia combusta puluerisetur, & puluis cancro inspergatur.

Vel ♃. *Rad. cardopatiæ, dracunculi*, *scrophular.* an. Vnc. ii. sem.

Comburantur in olla clausa in fornace figulina; materia combusta puluerisata similiter cancro inspergatur.

Nonnulli & hanc Potionem commendant:

♃. *Rad. vincetox.* Vnc. ij. *tormentill. serpentar. fanicul.* an. ℥. iß. *valde bonæ, saluiæ*, an. Vnc. i.

Infundantur horis 14. in cereuisia, postea coquantur, & ægro manè & vesperi cochlearia quatuor exhibeantur.

Quod si medicamentis malum tolli non possit, ad Chirurgiam accedendum, & cancer sectione tollendus. Qua in re danda opera, vt potius aliquid de parte sana tollatur, quàm de corrupta & cancrosa aliquid relinquatur. Postquam cancer exsectus est, sanguis non statim supprimendus, sed, vt aliquantisper fluat relinquendus. Hinc albumen oui cum hapso lini imponendum, & reliqua curatio conuenienti modo peragenda.

CAPVT

## CAPVT VI.

### *De palpebrarum Inuersione, & Contractione.*

*Palpebrarũ inuersio.* IN situ quoque & connexione palpebræ morbis obnoxiæ sunt; cum scilicet vel apertæ manent, vel cum non aperiuntur, & inter se, vel cum aliis partibus vicinis coalescunt. Prior morbus appellatur ἐκτρόπιον, Palpebræ Inuersio, Germani vocãt, *Ein plar Auge, oder vberstulpte Augenlieder.* Estq; affectus inferioris palpebræ, quæ inuertitur, & deorsum trahitur, vt internæ palpebræ pars cum deformitate videatur, & instar rubræ carnis appareat; neque cum superiore committitur, sed pendet ac hiat.

Caussæ huius mali variæ sunt. 1. Incrementum carnis in parte interna palpebræ, ob quod palpebra inuertitur. 2. Si vulnus vel vlcus in palpebra inferiori malè curatum sit, & palpebra in agglutinando nimis versus inferiora retracta sit. 3. Paralysis vel conuulsio inferioris palpebræ, ob quam attolli nequit.

Curationem quod attinet, si à caussa interna & nimio incremento carnis palpebræ malum superueniat, primò corpus conueniente modo purgandum: hin calumen rochæ in vino coquendum, & palpebra decocto lauanda.

Vel ℞. *Aceti vini* Drach.vi. *acaciæ* Drach.i. *alum. vsti* Drach.ß.

Coqu. & decocto palpebræ pars interna illinantur.

Vel ℞. *vitriol. albi, aluminis, tartar. albi,* an. Drach.j. Puluerisentur subtiliter, hinc add. *lapid. hæmatit.* Drach. j. ♃*ii, tutiæ,* an. Drach.ß.

F. Puluis subtilis, quo caro luxurians conspergatur.

Vel ℞. *Æris vsti* ʒ.ß. *vitrioli vsti, chalcitidis, myseos tost.* an. Drach.i. F. Puluis subtilis.

Hinc oculo imponatur Emplastrum Guilhermi Placentini.

℞. *Farin. sem. fœnigræci* ℥.iii. *pulu. flor. chamæmel. rosar. rubr.* an. ℥.ß *vini rubri* q. ſ. ad incorporandum.

F. Cataplasma, de quo sume q. ſ. & adde vitellum oui vnius, atque oculo imponatur. Hinc puluis aliquis enumeratus palpebræ inspergendus.

℞. ♃*ii, tutiæ, viridis æris, lapid. hæmatit. lithargyr.* an. Drach.i.

F. Puluis subtilis, qui per sindonem traiiciatur, & palpebræ inspergatur. Simul emplastrum aliquod, quod fortiter adhæret, palpebræ extra imponatur, & palpebra versus partem superiorem adducatur.

Si medicamentis caro superflua non cedit, & tantum incrementum sumpsit, vt medicamentis facilè absumi non possit, manus opera adhibenda. Aëtius, *tetrabibl. 2. serm. 3. c. 72.* modum sectionis hoc modo docet:

Ex interna palpebræ parte duæ sectiones fiant literæ Græcæ Λ figuram habentes, ita vt angustia literæ pars sit infernè versus maxillam, lata verò ad palpebræ marginem. Deinde particula illa cutis Λ figuram referens exscindatur, resectâ simul etiam subiectâ carne. Postea labia incisionis iuxta partes marginis contrahenda. Sic enim incuruata & eleuata palpebra ad interiora remittitur. Tandem reliqua curatio peragenda, vt, *loco allegato*, Aëtius docet.

Alij carnem superfluam duobus vel tribus locis acu incurua filum sericum ducente perforant. Hinc carnem attrahunt, & scalpello vel nouacula à palpebra separant. Carne superflua separata Aquam istam imponunt:

℞. *Aq. prunor. syluestr.* ℥.iii. *alumin. crudi* ʒ.vj. *camphor.* Drach. sem.

Coqu. in aqua, qua palpebra intus abluatur. Hinc palpebra versus superiora, & in naturalem situm reducatur, & albumen oui conquassatum cum hapso lini imponatur. Horis viginti quatuor elapsis ligatura soluatur, & vulnus postea lacte virginis, vel alio conueniente medicamento curetur. In curatione ista hoc semper obseruandum, vt palpebra versus superiora semper attrahatur, conueniente emplastro conglutinante imposito; qualia passim obuia sunt. Vtile est & hoc:

℞. *Amyli* ʒ.vi. *farinæ fabarum, pulu. radic. consolidæ, semin. lini, è quo oleum iam est expressum,* an. Vnc. sem. *gummi tragacanth. boli Armeni,* an. Drach.ij.

F. Puluis, qui in vsu cum albumine oui misceatur.

Si ex vlceris vel vulneris mala curatione fit ἐκτρόπιον, cutis palpebræ lunata figura incidenda, vt cornua ad maxillas, non ad oculum, conuertantur. Altitudo plagæ sit ad cartilaginem, ipsâ non læsâ. Nam si ea læditur, palpebra concidit, neque attolli potest. Hinc cutis diducatur, vt paulùm in ima oculi ora descendat, & super plaga hiet. In hiantem plagam linamentum coniiciendum est, quod & coniungi diductam cutem prohibeat, & vt in medio caruncula generetur: quæ vbi locum impleuit, postea rectè oculus aperitur.

Si vero à conuulsione vel resolutione inferioris palpebræ sit malum, conueniente modo ea symptomata, vt dicetur, curanda. Vide etiam Aëtium, *tetrabibl. 2. serm. 3. cap. 71. & 72.*

### Λαγόφθαλμον.

Quod in palpebra inferori est ἐκτρόπιον, id in superiore est λαγόφθαλμον, oculus leporinus, Germanis *Hasenschlaff*, quando scilicet superior palpebra ita sursum adducta est, vt oculum totum contegere non possit, sed per somnum etiam aliquantum apertus maneat. Cum Lagophthalmia idem ferè affectus est Corybantiasmus, cuius mentionem facit Plinius, dum *lib. 11. cap. 37.* scribit, oculis patentibus dormiunt lepores, multique hominum, quod Græci Corybantiαν dicunt; ideo procul dubio, quod Corybantes, Iouis Sacerdotes excubias agere, & quasi apertis oculis dormire cogerentur. *Lagophthalmon.* *Corybantiasmus.*

Caussæ huius affectus plures sunt. 1. Interdum in vtero palpebra ita, ob materiæ defectum & conformationis vitium, formata est. 2. Interdum à consuetudine hoc malum ortum habet, cum infantes in cunis sursum vel retrò continuò spectant. 3. Idem à conuulsione fieri potest 4. Cum palpebra à vulnere vel vlcere & cicatrice malè curatâ imminuta, vel sursum retracta est vnde vitium hoc aliis naturale à conformatione prima, aliis consuetudine contractum, aliis denique morbosum.

### *Prognostica.*

1. Si à primo ortu, & conformatione in vtero hoc malum contractum sit, incurabile est.

2. Si multum palpebræ deest, malum incurabile est: si parum, curari potest.

3. In febribus apertis oculis dormire, malum portenditur; cùm conuulsionis sit indicium.

### *Curatio.*

Si à consuetudine malum contractum sit, dum infantes in cunis iacentes semper retrò conspiciunt, contraria consuetudine curandum; seu potius, ne contrahatur, præcauendum, quod fit, si pannis nigris cunæ circa caput obuoluantur, & si caput versus tenebras & pedes luci obuertantur, vt ita versus lucem continuò adspiciant.

Si à conuulsione aut contractione palpebræ malum hoc ortum habeat, vt laxetur palpebra, danda opera. Talis igitur fiat Fotus:

℞. Rad.

℞. *Rad. altheæ, sem. fœnigræc. flor. chamamel.* an. ℥. ij. *croci* Drach. ß.

F. Sacculus, qui aquâ conueniente calefactus oculo imponatur.

℞. *Pinguedin. gallin. medullæ cerui* an Vnc. ß. *ol. chamæmel. lilior. albor. vnguent. dialtheæ*, an Drach. ij. Misce.

Eadem quoque medicamenta adhiberi possunt, si à cicatrice aut vulnere & vlcere malè curato ortum habeat λαγόφθαλμον, & danda opera, vt cicatrix emolliri queat. Quod si non possit, manus opera adhibenda. Paulò nimirum infra supercilium cutis incidenda lunatâ figurâ, cornibus sectionis deorsum spectantibus vsque ad cartilaginem, id est, vsque ad substantiam palpebræ membraneam; & cutis postea diducenda, vt paulùm in ima oculi ora descendat, & plaga hiet, in quam linamentum coniiciendum est, quod & coniungi diductam cutē prohibeat, quod vbi locum impleuit, postea oculus aperietur. Vide Aëtium, *tetrabibl.* 2. *serm.* 3. *cap.* 27. Celsum, *lib.* 7. Hieron. Fabricius ab Aquapendente, *de operat. Chirurg. tit. de Lagophthalm.* ob pericula & incommoda, quæ Chirurgia coniuncta habet, alio modo vtitur. Glutinum nimirum, quod duas aut tres habenulas appensas habeat, ad superiorem palpebram applicat, & aliud ex aduerso, habenulasque subinde arctius adstringit, & ita inferiorem palpebram ad superiorem perducit.

## CAPVT VII.

### *De Palpebrarum inter se, & cum aliis oculorum partibus Coalitu & Cohærentia.*

*Palpebrarũ Coalitus.*

SI palpebræ vel inter se, vel cum alba, aut cornea aut vtraque oculi tunica coalescant, & præter naturam cohæreant, vt oculus aperiri non possit, malum hoc Græcis ἀγκυλοβλέφαρον, Aëtio etiam ἀγκύλωσις τῶ βλεφάρω, & πρόσφυσις τῶ βλεφάρω est, *tetrabibl.* 2. *serm* 3. *c.* 66. Vulgo concretionem palpebrarum nominant.

Caussa huius mali est vlcus negligenter & imperitè curatum, cum scilicet vel post ἐγκανθίδα aut vngulam oculi, vel aliud malum vlcus in parte interiore palpebræ relinquitur; quod & in variolis, atque interdum post combustiones accidit. Dum enim oculus crebrò non aperitur, sed clausus manet, palpebra exulcerata vicinis partibus adhærescit, & sanescendo, quod diduci potuit ac debuit, agglutinatur, & palpebræ vel inter se, vel cum vicinis partibus coalescunt.

Huc etiam referri potest, etiamsi sit alterius generis, illa palpebrarum cohærentia quæ fit, cum per somnum multa pituitosa & viscida materia, quæ Græcis λήμη, ad palpebras affluens, earum extremitates ita conglutinat vt vix aperiri possit.

### *Prognostica.*

1. Palpebrarum cum oculo coalitus vel non, vel difficulter curatur.

2. Si extremitate suâ solùm palpebra oculo adhærescat, facilius curatur: si verò tota palpebra cum oculo coaluerit, curatur difficilius.

3. Curatur etiam facilius hoc malum, si annatæ saltem palpebra adhæreat; si verò corneæ simul concreta sit, ferè nunquam, & nisi cum difficultate, curatur.

4. Si verò palpebræ inter se solùm coalescant, non difficulter quidem diducuntur, sed sæpe rursum coalescunt.

### *Curatio.*

Etsi, vt modò dictum, plerumque vix aliqua spes curationis superest: tamen, si aliquid tentare libet, Chirurgia adhibenda. Nimirum quæ oculo adhærescit palpebra, scalpello, nouacula, vel forcipe cautè liberanda est, vt neque ex oculo, neque ex palpebris quicquam abscindatur, aut, si omnino quid abscindendum sit, id potius ex palpebra fiat, quam ex oculo.

Et, vt tutius ista sectio fieri possit, nonnulli acu incurua super loco, in quo oculo cohæret, palpebram perforant, hinc acu abscissa filo vtrinque apprehenso palpebram attollunt, & postea eam ab oculo liberant. Palpebra ab oculo liberata inungatur medicamentis, quibus asperitudo curari solet, & palpebra sæpe moueatur, vt non solum medicamentum oculo indatur, sed etiam in palpebra rursum coalescat.

Si palpebræ inter se coaluerint, scapello liberãdæ. Atque, vt etiam hic sectio tutò peragi possit, nonnulli acu incuruatâ, sericum filum molle ducente, vtramque palpebram transuersim perforant, cauendo tamen, ne cornea vel pupilla lædatur. Hinc acu abscissa, filo prehenso, palpebras diducunt, easque primò nouaculâ, hinc forcipe liberant. Palpebris seu filo, seu specillo diductis, linamenta seu penicilli interponendi aquâ rosarum madidi, donec vlcus palpebræ curatum sit. Alij laminam plumbeam oleo rosaceo illitam interponunt. Vide Hier. Fabric. ab Aquapendente *de oper. chirurg. tit. de Ancyloblepharo.*

Si verò ex pituita solùm coalescant palpebræ, corpus conuenienti modo purgandum, & per vesicatoria, atque aliis modis materia ab oculis auertenda. Postea cubitum iturus æger palpebras aquâ rosarum, in qua balaustia vel rosæ coctæ sint, abluat, vel succo semperuiui; aut ol. rosar. cum pinguedine gallinæ mixto palpebræ inungantur.

## CAPVT VIII.

### *De Pediculis, & Ciliorum vitiis.*

φθειρίασις.

*Pediculatio cilium.*

VT in aliis corporis partibus, præcipuè pilosis, pediculi nasci solent: ita etiam quandoque in ciliis seu pilis palpebrarum nascuntur, quod malum Græcis φθειρίασις nominatur, ortumque habet, vt alij pediculi de quo suo loco dicetur, ex sordibus in iis, qui lotionibus & balneis non vtuntur, ac corporis curam non agunt, & prauo victu in hominibus non puris & obscænis; vnde lue Venereâ laborantibus hoc malum familiare est. Etiam per contagium contrahitur interdũ, si quis in lecto, in quo φθειριάσει laborans dormiuit, cubet, aut pectine vtatur, vel linteo caput abstergat, quo alius hoc malo infectus vsus est.

Malum non contemnendum est. Acres enim fluxiones concitat, & oculi tandem ab iis valde læduntur.

Vt verò hi pediculi tollantur, abluantur palpebræ aqua marinâ, vel decocto betæ, & staphisagriæ, vel vnguento conuenienti illinantur, vt:

℞. *Aloes, myrrhæ*, an. Drach. ii.
Cum lardo misceantur.
F. Linimentum.

Vel fiat Linimentum ex staphide agria, aloë, & melle.

Vel ℞. *Pinguedin. porci* Vnc. i. *puluer. pyrij* Drach. ij. *Auiui* Drac. i. Misce.

℞. *Pingu. porci antiqu.* an. Vnc. i. *hellebor. albi* Dra. i. *sulph. citrini* Vnc. sem. Misce.

*Ciliorũ vitia.*

Aut albumen oui coctione induratum imponatur in acetum vini horis 6. postea sub somnũ oculis imponatur. Vbi manè remouetur, pediculi inhærentes simul extrahuntur

extrahuntur. Tolluntur etiam pediculi;si palpebra fricetur corio, vel panno xylino, quo auri fabri vasa recens inaurata ex tergere solent. Vel fumus argenti viui,ore tamen ac naso diligenter clausis, & panno obuolutis palpebris excipiatur.

## *De Ciliorum vitiis.*

Affectiones τῶν βλεφαρίδων, qui palpebrarum pili sunt, hæ præcipuè enumerantur: 1. Inuersio eorum, quia vel pili ipsi à siccitate intorquentur, vel pori, per quos enascuntur, tortuosi redditi sunt, vel palpebra versus oculos ad interiora est incuruata; quod vitium φαλάγγωσις & πτῶσις, seu laxatio & lapsus palpebræ, nominatur; vel radix pili vnius ab alterius radice impedita pilum intrò reflectit. 2. Illorum abundantia, quod vitium in genere τριχίασις appellatur. 3. Eorundem defectus, qui μαδάρωσις & μίλφωσις nominatur. 4. Color alienus, vt cùm pili albescunt, vel ob defectum humidi nutrientis, (& tum in extremitate albescere incipiunt) ex diuturna ægritudine, vel ob præsentiam materiæ phlegmaticæ in radice pilorum situm quasi contrahentis, vt in canitie, vel denique ob cutem vitiligine alba laborantem; de quibus jam dicendum.

### Φαλάγγωσις.

Φαλάγγωσις, ἀπὸ τῆς τῶν τριχῶν φάλαγγος, id est, à pilorum acie ita dicta, non vno modo apud Autores accipitur. Aliàs enim sumitur pro eo palpebrarum affectu, cum cilium intro spectat, pilorum acie simul cum eo conuersa, sic, vt pili oculos pungant, seu, vt Aëtius, *tetrabibl.2. serm.2.cap.66.* habet, est palpebræ χάλασις, cum palpebræ ita laxantur, vt eorum extremitates intrò vergant, vt pili non facilè appareant, nisi quis eas attollat; vt ita in φαλαγγώσει hoc modo sumpta nulli pili noui, vt in τριχιάσει, nascantur, sed naturales saltem intrò vergant & pungant. Galenus tamen, *in Isagoge*, φαλάγγωσιν esse dicit, cum pilorum duplex, triplexque acies in superiore vel inferiore palpebra præter naturam subnascitur; vt tum τῆς τριχιάσεως species sit φαλάγγωσις.

Sed de priore modo sumpta φαλαγγώσει primò agemus, quæ & πτῶσις, seu palpebræ laxatio & casus appellatur. Ortum autem habet hoc malum vel ab humoribus pituitosis palpebram occupantibus, eamque deprimentibus, vel ab exsiccatione cartilaginis in palpebris, & hanc sequente cutis corrugatione, & versus cilia depressione.

Quod malum, quia non solum turpitudinem in facie parit, sed &, quia cilia inuersa oculos pungunt; non negligendum est.

Vniuersali autem corporis euacuatione præmissâ oculus fomentetur hoc Sacculo:

℞. *Nucleorum nucis iuglandis* Vnc.i. *sem. fœnigræc. lini, rad. althéæ*, an. Vnc. sem. *verbenæ* Drach.ii.

Includantur Sacculo, qui calefiat in aceto, & palpebris imponatur.

Vel ℞. *Fermentum* magnitudine oui, *pulueris magnetis* Drach.i. *alumin. succini, nucum cupressi*, an. Drach.ß.

Mixta omnia noctu palpebræ imponantur.

Si malum medicamentis non cedat, opera chirurgica adhibenda; de qua videatur Celsus, *lib.7.cap.7.* Paulus, *lib.6.cap.13.* Arculanus palpebram exteriore parte scindit, eamque contrahendo versus exteriora & superiora ita suit nectitque, vt tarsus prominens pilos inuersos secum ad exteriora ab oculi contactu auertat. Nonnulli alium modum vsurpant. Fiat retinaculum ferreum conuenientis figuræ, & postea digitis duobus palpebra relaxata, quantum opus, & potius plus, quam minus, attollatur, & retinaculum ferreum applicetur, trochleâ versus aures conuersa, retinaculum hoc singulis diebus acutius constringitur, vt palpebræ pars illa retinaculo inclusa tandem abscindatur, & à reliqua palpebrâ separetur, quod tamen vix trium septimanarum vel mensis spatio accidit; idque vt eo facilius fiat, bis singulis diebus locus oleo hyperici illinatur. Vbi pars illa palpebræ separata fuerit, eodem oleo, addito pauxillo pinguedinis lucij, curatur.

### Τριχίασις.

Si vero pili præternaturales in palpebris nascuntur, & sub pilis naturalibus exorti, ac intrò nuentes tunicas oculorum pungunt, vitium id Græcis in genere τριχίασις nominatur, cujus species sunt διστιχίασις, seu duplex ordo pilorum, & φαλάγγωσις, cum multiplex ordo, & quasi acies pilorum subnascitur. *Trichiasis palpebrarum.*

Generantur autem hi pili superflui ex humoribus pilos nutrientibus ad palpebrarum extremitates fluentibus. Vt enim terra pluuiis nimis irrigata luxurians quasi plurimas plantas profert: ita etiam si ad palpebras copiosi humores, minimè tamen mordaces, confluant, plures pili proueniunt. Occasionem etiam huic malo præbent interdum tumores diuturni, vel deligatio diuturnior, à quâ cilia intus comprimuntur; vnde major ad radices pilorum humorum affluxus concitatur.

Malum hoc non est contemnendum; cum pili isti luxuriantes oculos pungant; & acutos dolores pariant, & affluxum humorum ad oculos concitent, tandémque cæcitatem inducant. Vnde τριχίασις in palpebris cæcitatis imminentis plerumque indicium est.

## *Curatio.*

Triplex verò pilos superfluos in palpebris curandi ratio est. Primò, si euellantur, & ea medicamenta, quæ pilorum generationem prohibent, postea adhibeantur. Deinde, si pili per medicamenta corrodantur. Tertio, si sectione tollantur.

Primum modum quod attinet, vbi pili superflui & oculos pungentes seu plures, seu pauciores adsunt, volsella euellendi sunt. Danda verò opera, vt pili toties vellantur. Nam si abrumpantur, plus pungunt, quam si integri essent. Postea verò loco, è quo pili euulsi sunt, adhibenda ea, quæ pilos renasci prohibeant; qualia sunt, sanguis muscæ caninæ, quam Cossum nominant, item ranarum viridium sanguis: vel adhibeatur rubigo ferri cum saliua hominis jejuni, vel spuma maris cum aqua psyllij, vel erinacei terrestris fel & sanguis cum modico castoreo. *Curandi ratio prima.*

Vel ℞. *Rad. mandragoræ* Drach. vi. *sem. persicariæ* Vnc. sem. *camphor.* Scrup. sem. *aceti* cochlear.i.

Misce in mortario, & succus exprimatur, quo pori, è quo pili euulsi sunt illinantur.

Vel ℞. *Succi chondrillæ* Vnc. sem. *mastich.* Drach.i. *aceti, alumin. vsti*, an. Drach. sem. M.

℞. *Cineris erinacei terrestris.* Vnc. sem. *rubigin. ferri* Drach. ii. *cineris ouorum formicarum* Vnc.i.

F. Puluis, quo pori, è quibus pili euulsi, conspergantur. Plura vide apud Aëtium.

Si medicamentis pilorum generatio prohiberi non possit, nonnulli corrosiuis medicamentis eos exstirpare conantur. Ægrum supinum in scamnum ponunt, & linteum, crucis vel brachii crassitie contortum, ceruici supponunt, vt caput versus dorsum propendeat. Hinc palpebras aperiunt, & gossypio oculi globum tegunt, ne à corrosiuo medicaméto lædatur. Postea luxuriantibus pilis corrosiuum medicamentum illinunt, ægrumque ita supinum horæ quadrantis dimidij spatio jacere sinunt. Postea linteo vel spongiâ munda medicamentum corrosiuum diligenter abstergunt, & aquâ, quæ postea proponetur, ad palpebras sanandas vtūtur. *Secunda.*

Corrosiua medicamenta talia sunt sequentia:

℞. *Calcis viuæ, vitrioli albi, cupri* seu *æris squammæ, cineris montani*, an. Vnc.i. *viridis æris, sal. gemmæ*, ☉. *aluminis*, an. Drach. sem.

F. Puluis,cui in olla vitreata affunde acetum acerrimum,vt fiat mixtura pultis instar: hinc coquantur ad ſiccitatem; iterum pulueriſentur, iterúmque nouum acetum affundatur, & ad ſiccitatem coquantur, idque ſexies repetatur. Tandem pulueriſentur, & in vitro puluis aſſeruetur. Quo vti vbi volueris, affunde aceti roſati q. ſ. vt fiat miſtura inſtar pultis. Calefiat ſuper igne,& pilis ſuperfluis illinatur.

Vel ℞. *Calcis viuæ,cineris montani, vitriol. albi*, an. Vnc.iiij.*ſal.ammoniac.*Vnc.iii.

In ollâ vitreata affundatur acetum, & coquatur ad dimidias. Hinc ponatur in cella octo diebus,vt ſubſideat. Clarum effundatur, & in vitro ſeruetur: cui vſus tempore admiſce puluerem calcis viuæ, vt fiat inſtar pultis liquidioris,& mixturâ calefactâ palpebra,ſeu locus pilorum inungatur.

Aqua,quæ poſt corroſiuum adhibetur,hæc eſt:

℞. *Aquæ* cantharum dimidium. *aceti cereuiſiæ* ℥.ix. Simul coqu.ac dum calent adde *lithargyri argenti, ceruſſ.* an.Vnc. ſem. *thuris,maſtich. oculor.cancri*, an.℥. ii. *campb.ſalis*,an.Drach.i.

Colentur, & liquore locus poſt corroſiuum amotum bis de die illinatur.

Tertia curandi ratio fit per ſectionem.Modum prolixè docet Aëtius,*tetrabibl.2.ſerm.3.cap.69*. Recentiores chirurgi duobus modis vtuntur. Nonnulli acu incurua filum ſericum ducente palpebram perforant tribus locis. Hinc filis ſimul apprehenſis palpebram attollunt & ducunt, & poſt fila palpebræ partem radices pilorum continentem nouaculâ abſcindunt.

Verumcum ob perforationem hanc triplicem hic curandi modus tardior & moleſtior ſit, commodius eſt,ſi forcipe lato palpebræ pars ea, quæ pilorum radices continet, prehendatur, & forcipe pars palpebræ, quouſque radices pilorum ſe extendunt, abſcindatur. Factâ ſectione albumen oui conquaſſatum cum hapſo lini imponatur: poſtea ablato albumine oui medicamenta ad vulnus conglutinandum idonea, ac, ſi opus ſit, etiam aquæ pilorum regenerationem prohibentes imponantur. Vide Hier. Fabricium, *de operat. Chirurg.*

### *De Pilorum defluuio.*

*Pilorum è palpebris defluuium.* Contrà nonnunquam pili è palpebris decidunt, quod vitium μαδάρωσις & μίλφωσις, pilorum palpebræ defluuium,caſus pilorum,&glabrities palpebrarum appellatur. Ortum habet hoc malum ex vitioſis & acribus humoribus ad ciliorum radices confluentibus;vnde alimento deſtituuntur, & pilorum radices eroduntur.Sæpe id accidit poſt febres malignas, poſt quas interdum non ſolùm pili capitis; ſed & palpebrarum decidunt.

Corporis totius prius ratione habita adhibeatur hoc Vnguentum.

℞. *Plumbi vſti* Vnc.ß. *nucleorum dactylorum combuſtor.*Drach.v.*ſpic.Indic.* Drach.i.ß.℥ij *calcinat.piper,nigri*,an.Drach.i.*pingued.vrſi* q.ſ.F.Vnguentum.

Vel ℞. *Muſcarum combuſtarum* Drach.ii.*ſtercoris hirundinis,lapid.lazuli,ſpic.Indic.*an. Drach.i.*mellis deſpumati* q.ſ.F.Linimentum.

Vel ℞.*Olei lini* Vnc.i.*ſerui hircini, pinguedinis vrſi*, an. Vnc. ſem. *ſtercoris murium*, *dactylorum combuſtor.* an.℥.i. Miſce. Vide Aëtium,*tetrabibl.2.ſerm.3.cap.78.*

### *Mollities Ciliorum.*

*Mollities ciliorum.* Nonnunquam & cilia nimis tenera aut flexibilia ſunt,nec rectâ ſuccreſcunt,ſed in oculos delabuntur,& dolores ac lachrymas concitant.

Ortum habet hoc vitium ab humore pituitoſo,cartilaginem palpebrarum, & ciliorum radices occupante.

Corpus conuenienter euacuetur,& affluxus humorum veſicatoriis ac aliis modis prohibeatur,atque oculi internis medicamentis confortentur. Hinc Aquâ iſtâ palpebræ abluantur:

℞. *Fol.quercus,verbenæ*,an.M.i.*viſci è pyro, fol.buxi, germinum juniperi,aluminis*,an.M.ii.ß.

Affundatur aceti & aquæ pluuialis,ana q.ſ.deſtillentur in veſicâ; aquâ palpebræ illinantur bis de die. Vel potius quantitate aluminis immutata fiat Decoctum, quod efficacius eſt.Hinc cilia gummi Arabico lentè illinantur. Vide etiam Aëtium, *tetrab. 2. ſerm. 3. cap.68.*

Πτίλλωσις

*Πτίλλωσις.* Compoſitum ἐκ τῆς μαδαρώσεως, καὶ τῆς σκληροφθαλμίας, hoc eſt, ex pilorum defluuio, & palpebrarum duritie, malum eſt πτίλλωσις. In μαδαρώσει enim ſimplex ſaltem pilorum in papebris defluuium eſt, in πτιλλώσει verò ſimul adeſt craſſities, callòſitas, & rubor,palpebræque turgent,rubent,& lucidæ fiunt.

Cauſſa eſt vel ſanguis aduſtus, vel pituita ſalſa, vel bilis, vel melancholia aduſta, aut humores hi mixti, qui palpebras occupant,in tumorem attollunt,& pilorum radices corrodunt.Malum familiare iis, qui luem veneream patiuntur,aut paſſi ſunt.

Curatur hoc malum, ſi corpore vniuerſo euacuato prius palpebris humectantia & emollientia & naturalem temperiem ipſis reſtituentia,applicantur, ex portulaca cum lacte cocta,mucilag.ſemin.lini & cydonior. Poſtea imponantur ea,quæ ad pilorum defluuium antea ſunt propoſita.

## CAPVT IX.

### *De Palpebrarum Liuore, Contuſione & Percuſſione, Vulneribus & aliis à cauſſis externis læſionibus.*

*Palpebrarum vulnus.* Accidit tandem, vt palpebræ à variis cauſſis externis lædantur,percutiantur,contundantur,vulnerentur. Si vulnus ſit in palpebris ſolùm, curatur vt alia vulnera. Quia tamen palpebrę facilè intumeſcunt, ad id prohibendum imponendum albumen oui cum momento boli Armeni in aqu.roſarum diſſolutum, & linteolo vel hapſo lini exceptum. Si libet, poteſt & momentum croci ac aluminis addi.

Poſtea oleo hyperici,vel alio vnguento conuenienti,aut emplaſtro diapalmæ vulnus conglutinandum. Vtile eſt etiam lac virginis,vel vnguentum ex ſaccharo ♄.Efficax eſt etiam hoc Emplaſtrum.

℞. *Ceræ*, *ol. melilot.* an. Vnc. i. *cumini* Vnc. ſem. *camphoræ* Drach.j.

Cera & oleum ſuper igne liqueſcant, deinde reliqua addantur.

*Liuor.* Sæpe verò, à contuſione & percuſſione palpebræ quidem non vulnerantur, ſed liuorem ſaltem contrahunt Imò ſæpe accidit, vt, etiamſi oculus læſus non ſit, ſed pars ſaltem vicina concutiatur, nihilominus ſanguine palpebræ ſuffundantur. Si ergo oculus ſit percuſſus,& liuor metuatur.

℞. *Albumin.ouor.*num.iii. *aqu.abſinth.*cochlear.iii. *terræ ſigill.*vel *bol.Armen.*Drach.i.

Imponantur palpebræ.Vel palpebra vnguento albo camphorato inungatur.

Tollitur autem liuor ſucco abſint. cum melle mixto,aut ſucco cyclaminis,aut aloë cum melle mixta,aut cumino cum melle mixto,aut cumino & aniſo in aquâ cocto & impoſito, aut farina fabarum, & fœnigræci cum melle mixta. Succus etiam radicis ſigilli Salomonis recentis, vel ſiccæ vino maceratæ, liuorem ex ictu,

ictu,seu suggillationem in omnibus partibus feliciter tollit.

*De Palpebrarum combustione.*

*Palpebrarum combustio.* Si palpebræ combustæ sint,

℞. *Aqu.verbenæ* ℔.ß. *syr. cydonior.* Drach.ii. *fœnigræc.* Drach.j.

Extrahatur mucilago, quæ oculo imponatur. Vel vsurpetur aliud ambustis conueniens medicamentum.

## CAPVT X.

### *De Symptomatibus, quæ in Motu Palpebrarum accidunt*

*Motus palpebrarum læsus.* Atque hactenus plerosque morbos, qui palpebris accidunt, vt & symptomata in qualitatibus mutatis proposuimus: restat, vt de symptomatibus, quæ in motu accidunt, dicamus. Cum autem, vt supra dictum, officium palpebrarum sit, oculos tegere, & nunc aperiri, nunc claudi, prout opus: in motu læso symptomata fiunt, cum palpebræ aperiri vel claudi, vt debent, non possunt, vel vitiosè mouentur.

*Palpebras mouendi difficultas.* Aperiri aut claudi non possunt palpebræ variis de caussis. Aperiri non possunt, primò ob tumorem aut inflammationem: secundò ob coalitum & conglutinationem vel inter se, vel cum aliis partibus, vel ob vulnera. Claudi non possunt in ectropio & λαγοφθάλμῳ. Præterea etiam aperiri vel claudi facilè non possunt ob siccitatem, vel humorem crassum & viscosum ad siccitatem tendentem. Cum verò de aliis vitiis hactenus dictum sit, de eâ saltem difficultate aperiendi & claudendi oculos, quæ à siccitate prouenit, dicemus.

De hac autem difficultate claudendi & aperiendi palpebras peculiari capite agit Valescus de Taranta, vitiúmque hoc Gesse appellat. Accidit hoc malum ab humore viscoso, crasso, ad siccitatem tendente. Et propterea non adest magna lippitudo, nec multus humorum affluxus, sed quasi grana quædam, seu lema in grana concreta non multum palpebris vel oculis adhærens reperitur.

Vniuersalibus præmissis fomentetur oculus aquâ tepidâ; vel ex semin.fœnigræc. & lini cum lacte mulie-bri, aut alio mucilago extrahatur, & oculo imponatur: vel mucilago sem.lini cum cera & oleo rosato misceatur & oculo applicetur.

*Palpebrarum instabilitas.* Deprauati verò motus palpebrarum symptoma est, quod Græci ἵππον appellant (quamuis nonnulli totius oculi affectum esse malint, de quo infra, *cap.*39. dicetur) instabilitatem palpebrarum, Germanicè, *das vlinckern, zwittern oder fippern der Augen Lieder*, cum palpebræ inordinato motu continuò clauduntur & aperiuntur.

Malum hoc aliquando hæreditarium est, aliquando à flatibus accidit; & quidem nunc in vno, nunc in vtroque oculo: quod malum in specie palpitatio, Germanicè, *das lerch*, nominatur. Aliquando fit à conuulsione, cum palpebræ versus exteriorem oculi angulum continuò trahuntur.

Posteriores hæ duæ caussæ proueniunt, cum palpebrarum musculi refrigerati sunt, ob sanguinis nimiam vel in vulnere capitis, vel per hæmorrhagiam narium detractionem, vel cum à frigore externo musculi refrigerati sunt, vel cum pituitosus humor ad eas affluit. Accidit etiam malum à terrore, ira, timore.

Si malum ab ortu contractum, & hæreditarium sit, incurabile est. Si ab aliis caussis oriatur, vniuersalibus præmissis, & capite euacuato, & per medicamenta cum interna, tum externa roborato, topica quædam applicari possunt.

℞. *Origan.*M.v. *stœchad. Arabic. calaminthæ*, an.M. iiii. *spic. Indic.* Vnc.ß. *flor. hyperici* M.ii.

Affundatur vini Rhenani cantharus dimid. Stent in infusione per aliquot dies; postea destillentur in B. Aquâ postea manè & vesperi palpebræ illinantur.

Vel ℞. *Medullæ tauri* Vnc.i.ß. *vnguenti martiati, olei ex auellanis express.* an. Drach.vi. *pinguedin. anatis ol. piceæ*, an. Vnc.sem. Misce.

## CAPVT XI.

### *De iis, quæ in oculos inciderunt, eximendis.*

*Illapsa in oculos.* POstquam morbos & symptomata, quæ palpebris accidunt, explicauimus; antequam ad reliquarum partium oculi morbos accedamus, dicendum aliquid de iis, quæ in oculos illapsa sunt, & inter palpebras, & corneam atque annatam tunicam hærent. Solent enim & ea, nisi maturè tollantur, multorum malorum, inflammationis, doloris que, & quæ hæc sequuntur, caussa esse.

Traduntur autem varij modi educendi ea, quæ in oculos inciderunt. Vulgus vtramque palpebram trahere iubet, superiorem altera manu deorsum, inferiorem altera manu sursum, atque interea oculum ad superiora intus voluere, aut ex ore alterius, vel siphone paruo inflare aquam simpl. vel saccharatam, vel hydromel, vel lac recens mulsum inspergere, quo id, quod incidit, eluatur, præsertim, si acre & mordax fuerit. Aëtius, *tetrab.*2. *serm.*3. *cap.*10. & 17. altero oculo clauso, & qui affectus est, aperto, culicem vel aliud animalculum illapsum, sua sponte exiturum scribit. Alij spiritum, ore & naribus clauso, tamdiu retinere iubent, donec oculi lachrymentur: ita fore, vt cum lachrymis eiiciatur id, quod molestum est. Aut sternutationem cient, ac nare alterâ apposito digito obstructâ per alteram sub affecto oculo vehementius insufflant. Rhases coronem stylo alligat, quem in resina pini intinctum molliter ducit per oculum, palpebrâ alterâ eleuatâ, vt resinæ viscidi-tate res apprehensa simul extrahatur. Vel sumatur resina alba vel cera, & extremitate vnâ nonnihil emolliatur, ac sub palpebram immittatur & per oculum molliter ducatur, vt quod in oculo est, ei adhæreat. Succinum quoque ad pannum affricatur, donec incalescat, quo supra oculum posito, palea, pilus, vel puluisculus attrahatur, vt ferrum à magnete. Vel sub palpebras subiiciatur sapphirus politus, aut margarita rotunda, aut lapis chelidonius, aut oculus cancri læuis. Possunt etiam varia instrumenta parari, quibus palpebris eleuatis res aliena educitur. Quæ autem, vt acuta, oculo altius sunt infixa, volsella vel forcipe subtili blandè extrahantur, ita, ne in obliquum contorta frangantur. Postea, si opus, hic Liquor instilletur:

℞. *Aq. cichor.* ℥.i.ß. *plantag.* Drach.vi. *succini, albi, thuris*, an. Drach.ß. *camphor.* Scrup.ß.

Misce, & per linteum colentur. Si calx viua in oculum inciderit, albumen oui infusum vim eius vstoriam obtundet; postea aqua vel lacte calx eluatur. Vide de his Aëtium, *loc. allegat.* & Institut. *libr.*5. *part.*1 *sect.*2. *cap.*10.

## De Morbis Tunicæ Annatæ seu conjunctiuæ.

## CAPVT XII.

### *De Ophthalmia.*

*Ophthalmia.* INter oculi partes occurrit primò tunica alba, annata seu conjunctiua dicta, quæ & ipsa variis morbis est obnoxia. Inter quos primus est Ophthalmia, Celso Lippitudo dicta, quod in eo lachrymæ feruidæ ex oculis stillare solent. Nonnulli tamen inter ophthalmiam,

& lippitudinem distinguendum censent. Et sanè non nego, esse aliquam inter lippitudinem & ophthalmiam, quæ hodiè ita dicitur, differentiam; interim & hoc verum est, Celsum ophthalmiam veram nomine lippitudinis expressisse. Neque in lippitudine, quæ cótinuus vitiosorum humorum ad oculum fluxus est, & sæpe pluribus annis durat quod non accidit in vera ophthalmia, omnis inflammatio abesse videtur; id quod rubedo & oculorum dolor indicat. Ideóque lippitudo ophthalmiæ notæ species quædam est. Adscribitur autem ab autoribus ophthalmia annatæ tunicæ, quòd in ea maximè sit conspicua. Interdum tamen totus oculus etiam inflammatur. Malum frequens, magníque momenti, ob dolores sæuos, cum quibus est conjunctum, & mala alia, in quæ degenerare potest. Accepit autem nomen à loco affecto, vt nonnulli alij morbi etiam, teste Galeno, *2. meth. med. cap. 2.*

*Annata oculi tunicæ inflāmatio.* Estque inflammatio annatæ seu albæ tunicæ cum rubore, ardore, dolore & lachrymis, orta à sanguine acri, venulas tunicæ illius occupante & distendente. Cum enim annata oculi tunica, quæ est quasi ligamentum quoddam cum musculis, oculos in sua sede continens, pericranij partibus vicinis connexa sit, facilè fieri potest, vt è venis capitis & temporum sanguis præter naturam ad eam confluat, & ibi inflammationem excitet. Vnde accidit, quod in graui ophthalmiâ dolor capiti, & partibus oculo vicinis communicatur. Quamuis verò in oculo sano venæ illæ tam exiles sunt, vt nullæ ferè appareant: sanguine tamen præter modum & naturam refertæ in conspectum sese dant, & ob annatæ albedinem sese facilè produnt, & ob membranæ tensionem, humorísque acrimoniam, membrísque illius exquisitum sensum, grauissimi dolores oriuntur. Itaque morbus est inflammatio: pars affecta oculi tunica annata seu conjunctiua, quæ per se afficitur; per accidens verò etiam oculus. Quod si verò inflammatio ita magna sit, vt alias etiam oculi partes occupet, totius instrumenti morbus est. Nonnunquam enim humores in alias simul oculorum tunicas, vt duram & corneam fluunt, qui, nisi per medicamenta idonea resoluantur, vel alio modo expurgentur, sæpius suppurati abscessum & vlcus faciunt, periculúmque de oculi amissione inducunt, vel non suppurati diuturnum malum excitare, tandémque pupillam obscurantes, vel visus hebetudinem, vel omnimodam cœcitatem parere possunt. Imò interdum tanta est inflammatio, vt vicinæ etiam oculo partes in consensum trahantur.

*Caussæ.*

Caussa hujus mali proxima & continens est sanguis, humorésque calidi, acres & vitiosi, sanguini permisti, & per venas tunicæ annatæ dispersi, easque distendentes. Humores autem hi vel per ῥευματισμὸν, quod plerumque fit, è vasis capitis vicinis in tunicam annatam deriuantur, vel per συναθροισμὸν ex crudo aut corrupto oculi aut tunicæ ipsius nutrimento ibidem colliguntur. Monent tamen nonnulli, vix fieri posse, vt per συναθροισμὸν excrementorum oculi Ophthalmia generetur; cum ob exercitationem & motum ferè continuum eorum resolutio & discussio fiat. Sunt autem illi humores frequentiss. sanguis cum admixta bile vel sero, rarius pituita & humor melancholicus.

Antecedens caussa est non solum plethora, sed & cacochymia; humoréſque vitiosi in corpore geniti, qui ad caput seu transmissi, seu attracti per venas, quæ in pericranium & vicinos musculos disperguntur, & hinc in annatam oculi tunicam propagantur, in hæc loca effunduntur. Idque nonnunquam accidit nulla caussâ externâ & procatarcticâ accedente, sed solum quia natura, copiâ vel quantitate sanguinis ac humorum irritata, sanguinem cum vitiosis humoribus ad has partes mittit; id quod sæpe in declinatione febrium quarundam, aliquando etiam extra eas, accidere solet.

Nonnunquam caussa externa accedit, quæ fluxionem irritat, vt sunt, aëris constitutio frigidam aquiloniam sequens, pluuialis & australis, fumi acres, puluis, résque aliæ in oculos illapsæ, oleum item, acetum, vel alius liquor acris infusus, apum, erucarum, formicarum, & similium insectorum ictus vel contactus, vt & ab vrticâ, esulâ, & similibus plantis acribus contractus dolor, Solis ardor, aut ignis calor, vini potentioris immodicus vsus, ictus, casus, & quæcunque oculum debilitare, aut calore vel dolore humores acres ad oculos attrahere valent. Imò etsi nulla insignis in corpore plethora vel cacochymia adsit: tamen æstus Solis, calor balnei, aër, ventus, fumi, puluis, ictus, & similes caussæ, vt sanguis præter naturam ad oculum confluat, facere possunt. De caussis etiam loquitur *aphor. 11. sect. 3. Si hyems sicca & aquilonia, ver pluuiosum & australe fuerit, æstate opthalmias fieri necesse est; mulieribus præsertim & viris natura humidioribus. Contra si hyems austrina & pluuiosa fuerit, & ver siccum & aquilonium, ophthalmiæ siccæ fiunt. 3. aphor. 12.*

Videtur quidem de caussis Opthalmiæ apud Autores quædam opinionum discrepantia esse, dum alij à solo sanguine opthalmiam fieri dicunt, vtpote quæ est Inflammatio, quæ est tumor sanguineus: alij verò ab aliis etiam humoribus eam generari statuunt. Verùm facilis est conciliatio. Cum enim Opthalmia sit inflammatio, omnino concedendum, nullam ophthalmiam fieri sine sanguine, atque ipse oculi color rubicundus sanguinem satis arguit; neque humores crassiores soli ad angustas hasce venas sese penetrare possunt. Interim sanguis non semper caussa principalis est, sed nonnunquam vehiculum potius reliquorum humorum ad oculum confluentium. Etenim quando Ophthalmia à caussis euidentibus, vt vento, fumo, puluere, ictu, & similibus originem habet, sanguis quidem affluens præcipua caussa est. Vbi verò à causâ internâ & humorum vitio, natura humores ad hanc partem mittente. Ophthalmia oritur, ibi etiam alij humores ophthalmiæ caussa esse possunt; quod vel doloris diuersitas docet: qui tamen cùm sanguini miscean-tur in venis, eum in consensum trahunt, sanguísque ipse dolore ad partem affectam attrahitur. Sunt tamen hi humores præcipuè serosi & biliosi, quod ipsæ lachrymæ satis testantur. Vnde ad ophthalmiam magis dispositi sunt, qui humoribus biliosis ac serosis abundant. Oculi etiam magni & extra prominentes cum sint calidæ & humidæ naturæ, venásque ampliores habeant, & affluentem materiam facilè suscipiant, frequentius lippitudine corripiuntur.

*Differentiæ.*

Differt verò Ophthalmia secundum gradus præcipuè, quos etiam nominibus Autores distinguunt. Si enim phlegmones solum initium quasi adsit, cum scilicet oculus humidior reddi, rubere, calere, & nonnihil dolere incipit, idque ferè à caussâ euidente, Sole, igne, fumo, puluere, vini potu: Τάραξις seu perturbatio & Ophthalmia notha, vel potius leuis nominatur. Si verò inflammatio, calor, & dolor major sit, & lachrymæ copiosæ, ac ab internis præcipuè caussis oriatur, Opthalmia vera dicitur. Si autem tanta sit inflammatio, vt & palpebræ simul afficiantur, & quasi inuertantur, nec claudi possint, albúmque supra oculi nigrum intumescat, vel etiam illi obducatur ita, vt nigro subsidente albóque rubescente eminente veluti hiatus in oculo appareat, χήμωσις dicitur, ἀπὸ τῆς χήμης, hiatu. *Τάραξις oculi.* *Χήμωσις.*

Est & differentia quædam ratione humoris, quod alia à sanguine præcipuè, alia à bile, alia à melancholiâ esse dicitur.

Est

Eſt etiam Ophthalmia quædam periodica, interuallis quibuſdam temporum rediens, teſte Galeno. 2. *de differ. febr. cap.* 11. familiaris iis, quibus caput calidum & humidum eſt, faciléque impletur, & oculi debiles ſunt, fluxionibúſque obnoxij. In iis propter recurſus mali crebros, dolorúmque & ardorum vehementiam, oculi tandem contabeſcunt, acie videndi prorſus deficiente, quam tabidam Ophthalmiam nominant.

Eſt quoque contagioſa Ophthalmia quædam, Galeno teſte, 1. *de differ. febr. cap.*2. Sparſa enim obtutu oculorum ſemina contagionis putridæ, ob naturæ cognationem ſpiritus humoréſque oculorum ſanorum ſimili labe inficiunt ac contaminant.

Tandem etiam differt Ophthalmia ſecundum tempora. Principium enim eſt, quando humor tenuis ac plurimus defuit: augmentum, quando dolor augetur & humor fit craſſior: ſtatus, cum ſigna coctionis magis apparent, & excrementa ita fiunt craſſa, vt etiam dormientium palpebræ ab iis conglutinentur. Declinatio denique eſt, cum ſymptomata fiunt remiſſiora.

*Signa Diagnoſtica.*

Ophthalmia ipſa cognitu facilis eſt. Venæ enim exiles tunicæ annatæ tenduntur, & tument, atque inde oculus rubet, ardor & dolor in eo percipitur, lachrymæ & ſordes adſunt.

Sed & differentiæ ſignis diſcernuntur. Si enim oculi calidiores ſaltem appareant, idque à cauſſa externa τάραξις erit. Si præterea dolor grauis adſit, & tumor ac ardor, & lachrymæ copioſæ, Ophthalmia cenſebitur. Quod ſi denique hæc omnia ingraueſcant, vt palpebræ etiam ſimul afficiantur, & quaſi inuertantur, χήμωσις nominabitur.

*Signa cauſſarum.* Quò ad ſigna cauſſarum, humorem, mali cauſſam, non ſolùm monſtrat temperatura corporis, ætas, regionis aëriſque conſtitutio, victus ratio; ſed & alia ſigna proximam cauſſam demonſtrant. Si enim à plethora ſit Ophthalmia, facies rubet, tumor euidens eſt, venæ apparent amplæ, nec lachrymæ ſunt adeo mordaces, nec dolor adeò vehemens. Si à bile eſt Ophthalmia, rubedo non eſt adeo magna, ſed lachrymæ acres ac dolor vehemens, ita vt oculi quaſi vri videantur. Si ab humore pituitoſo eſt Ophthalmia, rubedo, calor, & dolor eſt remiſſior, ac potius ſenſus grauitatis, & lachrymæ non ſunt adeo mordaces; niſi à pituita ſalſa ſit malum, ac palpebræ noctu quaſi viſco conglutinantur, vt non poſſint aperiri. Si ab humore melancholico, palpebræ nocte non adeo conglutinantur, lachrymæ ſunt paucæ, tumor paruus, morbus diuturnus eſt & contumax.

Nec inutile eſt, diſcernere, an ophthalmia à cauſſis internis, an verò euidentibus originem habeat. Si cauſſa externa præceſſit, ea facilè ex ægri relatione cognoſcitur. Si verò illa abſit, pars affecta & mandans diligenter inueſtiganda eſt, vt humor vitioſus ſubtrahatur, eiuſque generatio impediatur. Niſi enim hoc fiat, ſæpius recurrere ſolet ophthalmia. Quod autem membrum hîc humorem ſuppeditet, partium affectarum ſigna in ſpecie demonſtrabunt. Neceſſarium quoque eſt, inquirere, an per vaſa externa vel interna humor ad oculos affluat. Si enim per vaſa externa & à pericranio humor affluat, tumor, dolor, & pulſatio in fronte ac temporibus percipitur. Si verò à vaſis & membranis internis, dolor profundior erit, & multò vehementior. Pruritus quoque in palato & naribus ſentietur, ac ſternutatio frequens erit.

Tandem quoque tempora morbi ob curationem diſcernenda. Principium ophthalmiæ eſt, vt antea etiam dictum; vbi venæ diſtendi, oculúſque rubere incipit, & lachrymæ ac humor exſtillans tenuis eſt. In augmento rubor & dolor augetur: quæ in ſtatu omnia ſunt maxima, humórque incraſſari incipit, & ex ſordibus palpebræ conglutinantur. In declinatione omnia manifeſtè minuuntur.

*Prognoſtica.*

1. Ophthalmia facilius curatur, quæ propius ad τάραξιν accedit, difficilius, quæ ad χήμωσιν.

2. In regionibus & temporibus frigidis etſi ophthalmiæ rariores ſunt: difficilius tamen tolluntur, ob membri adſtrictionem. Contrarium fit in regionibus & temporibus calidis, teſte Auicenna.

3. Ophthalmia in pueris, ſi cætera paria ſint, difficilius curatur; quoniam tractari commodè nequit: & pueri caput imbecillum excrementiſque plenum habent, ſicut & ſenes.

4. Ophthalmia per conſenſum à dura & pia matre, & à partibus intra carnium contentis ſæuiora habet ſymptomata, & difficilius curatur, quàm ea, quæ fit per conſenſum ab externis.

5. Hinc ſi ad Ophthalmiam ab affluxu per venas frontis & temporum accedat fluxio noua ex venis internis & meningibus cerebri, grauior fit affectus, quo oculi ſæpe ſua ſede extruduntur.

6. Dolor diu perſeuerans in ophthalmiâ peſſimum ſignum eſt. Materiam enim aut corrodentem, aut vehementer diſtendentem, aut ſuppurantem arguit. Periculum igitur eſt, ne vel exeſis vel ruptis oculi tunicis, atque corneâ inprimis exulceratâ, cæcitas ſequatur; aut, quod mitius malum eſt, ſuffuſio exſpectanda erit, craſſo humore circa pupillam concreſcente. Galenus 3. *meth. med. cap.* 3. etiam pupillæ dilatationem ac tabem, & ῥυτίδωσιν, hoc eſt, corrugationem, addit, præſertim ex refrigerantium nimio & intempeſtiuo ad oculum vſu.

7. Ophthalmia, in qua lachrymæ copioſiores, eæque mordaces, citius ad finem peruenit, teſte Auicenna: at grana ſordium in oculo parua deteriora ſunt; quia maturationis tarditatem ſignificant; teſte eodem.

8. Ophthalmiâ laborantem alui profluuium ſuperueniens liberat, 6. *Aphor.* 17. Retrahitur enim deorſum, & euacuatur cauſſa mali antecedens; ideóque Medicus naturæ exemplo curabit ophthalmias per clyſteres & medicamenta purgantia. Plura Prognoſtica videantur apud Celſum, *lib.* 6. *init. cap.* 6.

*Indicationes.*

Cum Ophthalmia ſit inflammatio, omnes, quæ ab inflammatione ſumuntur, indicationes hîc locum habent. Nimirum primò ne humores ophthalmiam generantes ad oculum affluant, cauendum. Itaque ſi cauſſæ quædam externæ præceſſerint vel adſint, eæ omnes primò amouendæ. Fruſtra enim hîc omnia alia auxilia adhibentur, niſi cauſſæ illæ omnes amotæ fuerint. Si verò à cauſſis internis ſolùm ophthalmia proueniat, inflammationis incrementum, remotâ cauſsâ antecedente, prohibendum. Id quod fit, totum corpus & caput, ſi opus ſit, euacuando, humores ad oculum affluentes reuellendo & repellendo. Deinde quod influxit, tollendum, &, cauſſa continente ſublatâ, morbus ipſe ſanandus; id quod repellentibus & reſoluentibus peragitur. Et quidem cum, vt antea diximus, non idem ſemper humor ophthalmiam excitet, ad humoris naturam & vitium medicamenta accommodanda.

Secundam indicationem ſuppeditat locus affectus, qui eſt oculus. Cum enim oculus ſenſu exquiſitiſſimo ſit præditus, mitiſſimis medicamentis, & quæ minimè dolorem inferant, tractandus. Et propterea ab oleis in omnibus oculorum affectionibus abſtinendum; cùm dolores & inflammationes pariant.

Tertiò, etſi dolor ſit inter ſymptomata, quæ ablatâ cauſſa ceſſant: tamen cum ob vehementiam interdum ita vrgeat,vt cauſſæ ablactio exſpectari non poſſit,anodyna tum poſtulat.

## *Regulæ quædam generales in medicamentorum Ophthalmicorum vſu obſeruandæ.*

*Regula in oculis curandis obſeruanda.*

Quæ omnia vt planiora fiant, & vt medicamenta, quæ his indicationibus reſpondent, rectè vſurpentur, generales quædam Regulæ in Ophthalmiæ curatione obſeruandæ ſunt.

I. Topica oculis ſtatim ab initio non adhibeantur; quia ſæpe ſolis euacuationibus vniuerſalibus leuior ophthalmia ſanatur. Quod ſi dolor vrget, ita vt affluxus maior metuendus ſit, & virium per vigilias deiectio, ille externis anodynis mitigetur, Et omnino vſus medicamentorum topicorum ſit parcior, monétque Mer catus, *lib.* 1. *de capit. morb. cap.*2. quamuis plurima paſſim præſcripta ſint remedia, non omnibus ac plurimis aut ſemper vtendum eſſe; cum plus ſæpe promittant boni, quàm præſtent, vt Galenus ait, addítque: Scio profectò, plurimos in omnimodam cæcitatem deductos eſſe, copiâ medicamentorum potius, quàm defectu. Neque enim oculi ſemper vtilia medicamenta ſine incommodo ferunt, nedum quæ inordinatè & ſine ratione adhibentur.

II. Lac muliebre recens, vel aliud, inſtillatum, vel impoſitum oculo,equidem facilè primas inter medicamenta dolorem lenientia obtinet: in eius vſu tamen hæc cautio, monente Aëtio & Auicenna, adhibenda, ne lac oculo diutius inhæreat. Facilè enim à calore oculi corrumpitur,& acrimoniam contrahit. Ideóque ſingulis ferè horis mutandum eſt, Id quod de albumine oui metuendum non eſt.

III. Repellentia,quibus in principio vtimur,eiuſmodi ſint, ne nimia frigiditate & adſtrictione ſuâ tunicas oculorum condenſent, porόſque claudant, ſiccitate verò oculos exaſperent, dolorémque ex vtrâque cauſsâ augeant. Cum enim à phlegmone, quæ tumor eſt calidus, ſemper aliquid reſoluatur, præſertim in membro raro, cute denſa non tecto,quale eſt oculus,ſi materia illa retineatur,pauca etiam, ſi acrior ſit,morſu; ſi multa, qualiſcunque etiam, tenſione dolorem vehementiorem excitabit.Ideóque lenientia quædam frigidis & abſtergentibus admiſceantur, vt lac, crocus, ſarcocolla.

IV. Opium & Opiata non, niſi neceſſitate vrgente, vſurpentur; ſitque eorum vſus neque frequens, neque multus. Etſi enim, quod vulgo putatur,frigiditate non noceant: tamen non ſaltem acrimoniâ ſuâ & mordacitate dolorem augent, ſed etiam ſpiritus opticos incraſſant & hebetant; quod & Galenus obſeruauit, 3.*meth.med.cap.*2.& *de comp.medic.ſec.loc.*

V. Diligenter quoque in omni oculorum affectione curandum eſt, ne ſuppuratio intùs fiat. Metuendum enim tum foret,ne à detenta ſanie cornea, aut cæteræ oculorum tunicæ corrodantur.

VI. Ophthalmicis remediis ſemper admiſcenda ſunt,quæ à proprietate oculis conducunt.

VII. Sint etiam remedia, quæ oculis induntur, à ſordibus diligentiſſimè mundata; & leuiſſimè trita atque cribrata, vt aſperitatem deponant. Mordacitatis quoque ſint expertia. Et proinde ſi mordacitas à calore dependeat,infundantur illa ſæpius in aqua roſarum, endiuiæ, hordei, lacte muliebri: ſi à frigiditate, in decocto paſſularum, caricarum, fœnigræci, meliloti, cum vino ſubdulci. Denique non nimium lenta ſint, ne craſſa nimis viſciditate pertinaciùs oculis adhærendo indurentur. Ideóque etſi albumen oui cum aqua roſarum vel ſimili conquaſſatum ſit conuenientiſſimum remedium ad repellendum in oculorum affectibus: tamen videndum, ne talia medicamenta admiſceantur, vnde indureſcat, & oculis pertinacius adhæreat. Quod incommodum vt præcaueatur, Ludouicus Septalius, *in Animaduerſ. Medicis*, liquore ex albumine oui ad duritiem cocto expreſſo vti mauult. Verùm cum liquori huic deſit illa vis emplaſtica, quæ albumini conquaſſato ineſt, quâ, teſte Galeno. 3. *method. med. cap.* 11. in lippitudine vtilis eſt, vt diutius hæreat, & longiore tempore refrigerando repellat: conſultius eſt, albumen oui vſurpare, nihil tamen ei admiſcere, ob quod indurari, & oculo pertinacius adhærere poſſit.

VIII. Meſue, *de curat. ægritudinum aurium*,hanc regulam tradit: Medicamenta,quæ oculis inſtillantur, ſemper actu frigida eſſe debent; quæ auribus, tepida aut calida, ſiue affectus ipſe ſit calidus ſiue frigidus. Sed actu frigida oculis ſanis potius conueniunt ad præſeruationem à morbis. In oculo autem phlegmone affecto actu tepida magis ex vſu ſunt, vergentia ad frigiditatem,ſi repellendum;ad caliditatem,ſi diſcutiendum ſit,quo vtroque etiam dolor mitigatur.

## *Curatio Ophthalmiæ leuioris, ſiue* ταράξεως.

*Ophthalmia leuioris à cauſſis externis Curatio.*

Si à cauſſis externis leuior ophthalmia ortum habeat, eæ primum, quæcunque ſint, omnes tollendæ. Fruſtra enim omnia alia auxilia adhibentur, niſi cauſſæ illæ omnes remotæ fuerint.

Cauſſis remotis ſi à calore Solis vel ignis malum originem habeat,oculus fouendus aqua roſarum,plantaginis cum camphora,vel ſine camphorâ, lacte muliebri recenti, vel albumine oui conquaſſato cum aquâ roſar. Galenus, *in* 1. *de remediis facilè parabilib. c.*10. ad calidas ταράξεις commendat fotum oculorum ex ſola poſca, ad frigidos ex vino albo. Et ſi metus ſit, ne malum augeatur, & à cauſſa interna foueatur, etiam ſanguinis & humorum vitioſorum euacuatio inſtitui poteſt. Poſtea cum repellentibus & refrigerantibus decoctum ſeminis fænigræci, flor. meliloti, vel chamæmeli, admiſcendum.

Si à dolore capitis ex Solis æſtu contracto ophthalmiæ initia ſe prodant, aqua roſarum cum camphora, & ſine camphora, & lac muliebre non ſolùm oculis inſtillandum, ſed & fronti applicandum. Rabbi Moyſes, 2. *Aphor.* emplaſtrum ex teneris foliis roſarum laudat. Aëtius & Oribaſius hoc in caſu ſuadét,vt æger multum potet, ad conciliandum ſomnum, & coquendam inflammationem. Id quod aliqui de potu vini interpretati ſunt. Sed quia caput antea æſtuat, vini potus largior concedi non poteſt, ſed aquæ,vel alius potus minus calidus. Contrà ſi à frigore ſit ophthalmia, balneum aquæ tepidæ conuenit; modò caput repletum non ſit. Deinde cibo cocto vinum ſubtile & tenue propinandum.

*A fumo & puluere.*

Si à vento, fumo, vel puluere incipiat ophthalmia, aqua dulci, vel lacte tepido oculi abluantur, ægérque in loco obſcuro quieſcat, & det operam, vt dormiat. Somnus enim imminentem lippitudinem ſæpius præcauit. Foueatur etiam oculus aqua roſarum cum pauxillo croci.

*Ab ictu & caſu.*

Si verò ab ictu vel caſu ſit malum, & inflammatio metuatur,ſanguis ſtatim mittendus. Hinc dolorem ſedantia & repellentia modò propoſita,lac muliebre,aqua roſarum, albumen oui, & ſimilia oculo inſtillentur, & cum linteo mundo oculo imponantur, vel albumen oui cum pauxillo albuminis & boli armeni applicetur. Poſtea vt ſanguis ille è venis in tunicas effuſus diſcutiatur,& macula cruenta in oculo deleatur,ſanguis columbæ, turturis, vel hirundinis oculo inſtilletur, vt poſtea de ſuggillatione dicetur.

*Ab apum veſparũ ictu.*

Si ab apis,veſpæ,crabronum ictu ſit τάραξις,

℞. *Vrtica mortua* ſeu *galeopſeos, rad. althéa, fol. ruta* an. M. ß.

Contun

Contundantur in mortario, exprimatur succus, & addatur boli Armeni Drach. ii. & oculo imponatur. Vel saltem repellentia ex albumine oui, lacte muliebri, vel aqua rosar. imponantur. Vulgus statim ab ictu ferro comprimit oculum, vt non solum ferri frigiditate, sed & compressione affluens humor retrudatur.

*A Cantharidii, erucarii, formicarum contactu.*

Si à cantharidum, erucarum, formicarum contactu incipiat ophthalmia,

℞. *Cremoris lactis, aquæ endiuiæ*, an. cochlear. ii. *aceti* cochlear. i. *camphor.* Drach. ß. M. & imponantur.

Si hisce remediis ophthalmia à caussa externa incipiens non tollatur, reliqua etiam, quæ in verâ ophthalmiâ adhiberi solent vsurpanda.

## *Curatio ophthalmiæ veræ.*

*Ophthalmiæ Curatio. Vena sectio.*

Si à caussa interna, vel etiam externa sit ophthalmia, quam tamen affluxus humorum foueat & augeat, & sanguis abundet, aluo euacuatâ mox vena aperienda est, & euacuationis & reuulsionis gratia. Imò cùm sine sanguine nulla ophthalmia fiat, etsi alii humores ad generandam ophthalmiam concurrant, non facilè omittenda venæ sectio; aut eius loco cucurbitulæ cum scarificatione occipiti, ceruici, ac scapulis imponendæ. Plurimúmque in omni ophthalmia prodest venæ sectio, & sæpe grauissimi oculorum dolores intra horæ spatium venæ sectione sublati sunt, teste Galeno, *lib. de curandi ratione per sanguinis missionem, cap.* 16. qui etiam, *cap. seq.* 17. narrat historiam cuiusdam, qui ab oculorum inflammatione, & cæcitatis periculo sanguinis missione liberatus fuit.

Iubet autem Galenus Cephalicam, κατ' ἴξιν, id est, è directo affecti oculi, seu eiusdem lateris aperire. Quod & Rhases, si minus graue malum sit, suadet. Si autem malum grauius sit, in brachio lateris oppositi maioris reuulsionis gratia, & hinc in latere affecto venam aperire iubet. Nonnulli primò ex mediana seu communi eiusdem lateris, postea ex cephalica sanguinem detrahunt. Verùm videndum, quid ægri vires ferant, & an venæ sectio commodè repeti possit. Si enim hoc fieri non possit, statim cephalica eiusdem lateris aperienda.

Quantum autem sanguinis mittendum sit, abundantia sanguinis, mali vehementia, & virium robur determinat. Galenus, *loco allegat. cap.* 17. cuidam primò libras sanguinis tres detraxit, & hora sexta pôst adhuc libram vnam. Auicennas quoque ad metum lipothymiæ sanguinem interdum in vera ophthalmia mittendum censet. Sed tutius est, siue eodem die, siue postero venæ sectionem iterare, seu eadem cephalica bis aperta, seu primum mediana, hinc cephalica, quàm largiore vnâ venæ sectione vires deiicere. Viribus infirmis iuxta pollicem in manu sectio fiat. Si verò sanguinis copia non sit magna, aliique humores admisti sint, sanguis parcius detrahatur, eiúsque loco cucurbitulæ cum scarificatione adhibeantur. Si etiam consueta sanguinis euacuatio suppressa sit, danda opera, vt ea reuocetur. Vnde in fœminis venas tali aperire, aut suras scarificare conuenit.

Si verò alij humores sanguini admisceantur, conuenientibus medicamentis euacuandi, &, si opus fuerit, præparandi, eorúmque vitia emendanda sunt. Et cum experientia doceat, vt Galenus, *in libro contra Iulian. cap.* 1. annotauit, aluum copiosius fluentem oculis inflammatis prodesse, vt Hippocrates, 6. *Aphor.* 17. rectè scripserit: Ophthalmia laboranti alui profluuium bonum esse: Medicus naturam imitetur, & aluum clysteribus ac medicamentis fluidam reddat. Et inprimis biliosos humores in ophthalmia euacuare vtile est; cum ij maximè in ophthalmiâ sanguini permisti sunt. Obseruandum tamen est, ne medicamenta acria adhibeantur, ne humores agitati & exacerbati vehementius ad oculos fluant, sed mitiora medicamenta vsurpentur.

*Præparantia humores in Ophthalmia.*

Præparationis ergo loco, & vt humores calidi & acres temperentur, in humore bilioso vsurpentur radic. cichor. fragariæ, santal. flor. rosar. violar. nymphex.

Vt ℞. *Syr. violar. nymph. ribium*, an. Vnc. i. *aq. violarum, fragorum sine vino*, an. Vnc. iii. *euphrag. verbenæ*, an. Vnc. i. Misce.

Postea instituatur purgatio cum syrupo rosar. vel violar. solut. cassia, tamarind. rhabarb. myrobolanis.

℞. *Myrobal. citrin.* Drach. i. ß. *rhabarb.* Drach. ii. *spicæ* ℈. vi. *cinamomi* Drach. ß. Infundantur in *aq. cichor.* s. q.

Colaturæ adde *syrup. rof. solut.* Vnc. i. ß.

Misce:

Vel etiam pilulæ lucis exhibeantur.

Hisce peractis particulares euacuationes, diuersiones & deriuationes instituendæ sunt, vt supra, *parte* 1. dictum. Si videlicet caput adhuc sit plenum sanguine, eum quoque è venis capiti propriis euacuare conuenit. Auicennas venam secare iubet, quæ est in angulo, aut rectam, quæ est in fronte. Compertúmque est, ophthalmicos, qui casu in fronte vulnerati fuerunt, ab hoc malo hac occasione liberatos fuisse. Nonnulli etiam venas nasi aperiunt. Antiqui, vbi sanguis feruidior esset, & vaporibus plenus, ac per arterias extetnas in oculos flueret, arterias in temporibus aperiunt; cuius sectionis modum docet Galenus, *in fine lib.* 13. *meth. med.* & Paulus Ægineta, *lib.* 6. *cap.* 4.

*Reuulsiones.*

Nec omittendæ reuulsiones per frictiones lotionésque crurum ac pedum. Inprimis verò vtilia sunt vesicatoria post aures applicata. Nonnulli farinam sem. erucæ sacculo includunt, & sacculum in vino coquunt, ac calide è regione oculi affecti nuchæ imponunt, idque sæpius repetunt, vt humor ab oculo versus nucham trahatur. Si malum sit diuturnius, aut frequentius infestare soleat, setaceum adhibendum, idque vel 30. diebus apertum seruandum, vel cauterium actuale aut potentiale in ceruice vel brachio applicandum, & fonticulus excitandus. In diuturnis enim ophthalmiis, aliisque oculorum, qui ex affluxu humorum oriuntur, pertinacibus morbis, vesicatoria sæpe adhibita, setaceum ac cauterium, efficacissima sunt remedia.

Particulares euacuationes fiant per apophlegmatismos & gargarismos, vt suprà, *parte* 1. dictum. De Errhinis est controuersia. Alij enim ea planè improbant, vtpote quæ ad anteriora & oculos trahant: alii ea admittunt; cùm iis Hippocrates, Galenus, Auicennas, & alii Practici sint, ac humores per vicinum locum ex oculis euacuare possint.

*Particulares euacuationes in ophthalmia.*

Vt autem rem breuiter expediamus, omnino in errhinis maior cautio adhibenda, vtpote quæ ad vicinas oculo partes trahant, quod non fit in apophlegmatismis & gargarismis, quæ per posteriora auertunt. Ideóque non, nisi totius euacuatione & capitis purgatione præmissa, & cum æger consueuit per nares excrementa capitis euacuare, ea, & quidem non fortiora, conueniunt, neque etiam facile, dum materia est in fluxu ad oculos, adhibenda. In diuturna etiam, & sæpe recurrente ophthalmia, præseruationis gratia errhina adhibere licet.

*Errhina an in ophthal. conueniant.*

*Topica in ophthalmia.*

Dum corpus & caput ita euacuatum est, & omnis generis diuersiones institutæ, topica quoque oculis applicanda. Initio verò mali statim non adhibenda, vt supra, *in regulis generalibus*, dictum, Sæpe enim compertum est, venæ sectione & purgatione ophthalmiam sanatam fuisse, vt topicis opus non fuerit. Atque hoc præceptum oraculi loco habendum censet Mercurialis, & millies se expertum scribit, quod inflammatio oculi à principio nolit tangi.

Zz 4 Nihil

*Temporibus applicanda.* Nihil tamen obstat, quin vicinis oculo partibus, per quas fit defluxio, fronti scilicet & temporibus, ea in parte, vbi oculus dolet, vel toti fronti vsque ad tempora, si vterque oculus laboret, repellentia & adstringentia medicamenta, præcipuè si fluxus fiat per venas & arterias extra cranium, vt magnâ ex parte accidit, adhibeantur, ex *succo* vel *aqua rosarum, plantaginis, solani, salic. lactucæ, balaustiis, capitibus papaueris, santalis, bolo Armeno, sanguine draconis, flor. rosar. rubr.* addito *thure & mastiche, gummi tacamahacæ*, quæ frigiditatem reliquorum corrigunt, & leniter adstringunt, mixtis cum albumine oui vel aquâ rosarum. Galenus, *de medic. fac. parabil.* viridia vitis folia in modum cataplasmatis fronti imposita commendat; sicut & rubi portulacæ succum.

℞. *Boli Armeni sangu, draconis*, an. Dra. ij.

Incorpor. cum albumine oui, & dissoluantur in aceto, in quo rosæ, santal. rubrum, & thus cocta fuerint, & fronti applicentur.

Vel ℞. *Boli Armeni* Drach. ij. *flor. rosarum, sangu. dracon.* an. Drach. i. *mastich. balaustior.* an. Drach. sem.

Fiat Puluis, qui excipiatur albumine oui & aquâ rosarum, vel aceto rosarum, & applicetur temporibus ac fronti.

Vel imponatur succus plantaginis cum albumine oui, aut emplastrum aliquod adstringens.

Nonnulli talia etiam supra iugulares venas, & iuxta occiput apponunt. His enim modis omnibus influxus humorum ad oculos inhibetur.

Cauendum tamen, ne simul oculis repellentia, & temporum vasis cataplasmata & alia medicamenta adstringentia adhibeantur; cum, qui ab oculis repelluntur, humores recurrere angustatis vasis non possint: inprimis si corpus euacuatum non fuerit.

Hæc tamen præcipuè de adstringentibus intelligenda sunt. Ea enim partes contrahunt, humores parti impingunt, & ad resolutionem ineptos reddunt, ideóque dolorem augent, & in principio non adhibenda sunt.

Alia verò, quæ sine adstrictione acrimoniam humorum temperare, eósque modicè repellere valent, non videntur planè inutilia, vt:

*Topica oculis applicanda.* ℞. *Aqu. rosar.* Vnc. i. *euphrag.* Vnc. ß. *tutiæ præpar. sief. alb. s. opio*, an. Scr. ß. *camphor.* gr. j.

Vel ℞. *Sief. alb. s. opio* Dra. ß. Dissolu. in lacte muliebri, & aqua rosarum, & oculo imponatur.

Vel ℞. *Album, oui* Vnc. ii. *lactis muliebr.* Vnc. iii. *succi plantag.* Vnc. i. Misce.

Vel ℞. *Mucilag. sem. psyllij extract. cum aquâ plantag. aut rosarum* ℥. ii. *album. oui bene conquassati* ℥. j.

Mixta oculo imponantur, & nonnihil de eo oculo instilletur. Si feruor adsit, camphor. gr. v. addantur.

Vel ℞. *Aqu. rosar.* Vnc. ii. *succi plantag.* ℥. i. *album. oui conquass.* ℥. ß. Misc.

℞. *Fol. plantag. flor. rosar. rubrar.* an. Drach. ii. *balaust.* Drach. j.

Coqu. in aqua rosar. & plantaginis.

Vel ℞. *Pulp. pomorum acidorum* vel *cydonior. coctor. in aquâ rosar. & plantag.* ℥. ii. *farinæ hordei* ℥. i. *sumach, balaust. flor. rosar. rubr.* an. Dra. ß. *succi sedi maior. plantag.* an. q. s.

F. Cataplasma, quod repellit, & simul dolorem lenit.

Possunt etiam siccantia leniter & citra morsum repellentibus ac dolorem lenientibus addi ad humiditates absumendas, cerussa, tutia præpar. pompholyx, oculi ♋ sapphirus, granatus, smaragdus, margaritæ præparatæ.

℞. *Cerussæ lotæ aqua rosar.* Drac. ii. *aq. plantag.* Vnc. ii. *albumin. oui conquassati* ℥. i.

Misce.

Vel ℞. *Tutiæ præp.* Dra. ß. *aqu. rosar.* ℥. ii. *album. oui conquass.* ℥. ß. Misce.

Inprimis tres sequentes aquæ commendãtur: I. est aq. fragorum:

℞. *Fragor. recent.* ℥. ix. *sacchar. alb.* ℥. iiii. Misc. & per 8. dies in B. aquæ tepentis macera. Deinde in B. eodem destillentur.

2. Est aqua flor. cichorij:

℞. *Flor. cichorij* q. v. Colligantur ante ortum Solis, Sole signum ♎ modò ingresso, contundantur bene in mortario, admisceatur puluevis sacchari candi albi quarta pars, indantur vitro, ponantur ad Solem, & resoluantur in oleum, quod palpebris inunctum fluxionem tollit, & simul visum clarificat.

3. Oleum fl. cyani, quod h. m. paratur;

℞. *Flor. cyani cæruleor. ante ortum Solis collect.* q. v. Contundantur in mortario marmoreo, indantur vitro, quod bene obturetur, & ad Solem per integrum mensem ponatur: hinc sumatur vitrum, & obuoluatur fermento, ponatur in furnum pistorium, & cum panibus coquatur. Ita proueniet oleum seu liquor quidam, summum oculis à calidis fluxionibus, & salsis humoribus auxilium.

*Anodyna in Ophthalmia.* Si etiam dolor oculorum ab initio statim sit vehementior, quam primum aliqua euacuatio & repulsio facta est, medicamenta dolorem lenientia adhibenda; quæ ipsa tamen ita parari possunt, vt simul incrementum inflammationis prohibere valeant. Vtile est inprimis albumen oui bene conquassatum, vel solum, vel cum aqua rosarum ac lacte muliebri aut alio mixtum, oculo instillatum, vel, quod commodius est, extra impositum. Quod tamen diu non relinquendum, sed singulis horis mutandum est, ne morâ acescat, corrumpatur, & acre euadat, dolorémque augeat. Nonnulli lactis loco caseum planè recentem imponunt; sed & is sæpius mutandus, ne, si oleosus & pinguis fiat, malum augeat. Vtile est & pomum dulce cum saccharo coctum & appositum, cui quoque aliquot grana opij & camphoræ admisceri possunt. Prodest & medulla panis albi in lacte infusa, cui aliquid decoctionis papaueris vel seminis fœnigræci addere licet. Galenus, *lib.* 1. *de remediis facilè parabil. cap.* 10. commendat decoctum fœnigræci hoc modo paratum.

*De osu fœnigræci in ophthalmia.* Principiò lotum diligenter in aqua dulci fœnumgræcum leuiter in eadem coquitur, donec, quicquid in se habet acris, abiiciat; deinde effusa priori aquâ aliâ rursus aquâ coquitur. Idem decoctum Galenus etiam, 13. *meth. med. c.* 22. & 4. *de composit. medicam. s. l.* 2. vsurpat. Monet tamen Ludouicus Septalius, *li.* 6. *animadu. n.* 97. decoctum hoc fœnigræci malè vulgò parari ex semine, cum sit calidius, quàm vt conueniat in oculorum inflammatione, cum calidum in secundo, & siccum in primo ponatur à Galeno, 8. *de simpl. medic. facult.* Ipse verò hoc decoctum potius ex foliis parandum censet. Verùm incommodum, quod metuit Septalius, euitari potest, si paretur ad modum à Galeno, *allegato cap.* 10. *lib.* 1. *de medic. facilè parabil.* propositum, si videlicet decoctum prius, quod, quicquid acre est in fœno græco, imbibit, abiiciatur. Prodest & decoctum violarum, sem. psyllij & cydonior. oculorum populi, meliloti; item Cataplasma ex luteo oui, medulla panis albi, & aqua rosar. vel lacte.

Vel ℞. *Mucilag. sem. psyllij & cydonior. cum aqua rosar. & papauer. extract.* an. Vnc. i. *albumin. oui conquass.* ℥. ß. *camphoræ, croci*, an. gr. vi. Misc.

Vel ℞. *Medull. panis albi in lacte & aquâ rosar. macerata, pulpæ pomor. dulc.* an. ℥. i. *mucilag. sem. psyllij fœnigr. aqu. rosar. extract.* an. Vnc. ß. *vitell. oui* vnius, *camphor.* Scr. i. *croci* gr. vi. Misc.

Si dolor sit vehementior, gr. ii. opij addi possunt, & cum lacte muliebri, vel aqua rosar. misceri in formam cataplasmatis.

Efficax est & emulsio semin. papauer. facta cum lacte muliebri,

muliebri, vel aqua lactucæ, aut decocto fœnigræci.

Fortiora sūt succus vel decoctū lactucæ, solani, radic. mandragoræ, capit papau. sie falbum cnm opio. Opiata tamen, vt etiam supra, *in regulis generalibus*, dictum, nō nisi extrema necessitate vrgente, & vbi ex dolore acutissimo summa virium dejectio metuitur, vsurpanda, & vbi iis vtendum, Auicennas aquam saccharatam vel aquam mellis post illorum vsum instillare iubet. Commodè verò decocto meliloti post vsum opiatorum oculi fouentur. Plura videantur apud Platerum, *lib.2. Pract. pag.*307. & *seqq.*

*Topica in principio ophthalmiæ applicanda.* Reliqua topica quod attinet, morbi temporibus accommodanda sunt. In principio conueniunt repellentia, vt dictum, quibus in incremento resoluentia addenda, ita tamen, vt repellentia præpolleant. Hinc morbo præcedente vsurpanda resoluentia; quibus tamen adhuc aliquid repellentium admiscendum. Tandem sola resoluentia adhibeantur.

Habenda quoque ratio humorum, & medicamenta iis accommodanda. In Opthalmia biliosa repellentia in principio, & dum materia adhuc fluit, adhibeantur, quæ citra vehementem astrictionem officium suum præstare possunt, quæque ita comparatæ sunt, vt acrimoniam humoris corrigant, & simul anodyna sint.

Exempl. gratia:

♃. *Mucilag. semin. psyllij & cydon. aqu. rosar. & plantag. facta* an. Vnc.i. *albumin. oui bene conquassati* Vnc.i. *camphor.* gr.vi.

Mista oculis instillentur, & linteis mundis imponantur.

Vel ♃. *Balaust.* Drach.ß. *acaciæ* Scrup.i.

Infundantur in *aq. rosar.* Vnc.iii.

In Colat. dissolue terendo subtiliss. *tutiæ præpar. lapid. calaminaris*, an. Scr.i. *thuris, mastich.* an. Scrup.ß. *mucilag. semin. cydonior. cum aqua rosarum facta* Dra.i.

F. Collyrium. Aut species ligentur in nodulo, & in aqua rosarum suspendantur.

Vel ♃. *Sief. al b. s. opio* Drach. sem. *lact. muliebr. aqu. rosar.* an. Drach.vi.M.

Vel ♃. *Aq. fragor. s. vino, tormentill. rosar.* an. Vnc.i. *sief albi s. opio* Drach.ß. Misc.

Chymici hic commendant sacchar. vel magisterium ♄ ni.

*De vsu ... tepidi...* Humida autem illa medicamenta non planè actu frigida adhibenda, ne materiam nimis incrassent, & poros claudant, sed nonnihil tepida.

*Quo tempore topica in opthalmia applicanda.* De tempore adhibendorum topicorum non idem sentiunt Autores. Auicennas, *lib.3. fen.3. tr.1. c.9.* scribit: *Et oportet, quantum possibile est, vt retardetur in Opthalmia collyriorum administratio vsque ad tres dies.* Et paulo post; *Oportet, vt in principio non adhibeantur inspissantia fortia, & quæ sunt vehementer stiptica; quoniam inspissant tunicas, & prohibent resolutionem, & augent dolorem.* Quem plerique sequuntur, & non, nisi tribus diebus peractis, talia collyria adhibenda censent. Quos reprehendit Ludouicus Mercatus, & talia adhibenda existimat primis tribus diebus, postea verò ad discussionem veniendum esse. Verùm & rationes supra allatæ persuadent, & experientia docet, non ita tutò mox in principio adhiberi talia collyria. Imò experientia docuit, sæpe euacuationem & diuersiones materiæ, cum legitima victus ratione, ad curationem sufficere, vbi materia pauca est & benigna.

Deinde sciendum, morborum tempora non semper dierum numero ita exactè describi posse, sed nunc esse breuiora, nunc longiora, nunc plures, nunc pauciores dies complecti. Itaque si fluxio sit diuturnior, non peccabit, qui etiam post tertium diem repellentia applicabit. Vtile tamen fuerit, vt ad dissoluendum tum aliquid admisceatur. Et omnino ad indicationes semper respiciendum; ac peccant ii, qui vno collyrio aut aqua Ophthalmica quocunque morbi tempore adhibita omnes ophthalmias curari posse persuasum habent; cùm medicamenta ista, vt dictum, secundum tempora inflammationis varianda sint.

*In augmento.* In augmento videlicet repellentibus aliquid de resoluentibus admiscendum, qualia sunt, semen fœnigræc. lini, althéæ, chamæmel. melilot. sarcocolla, tutia, eaque, prout morbus versus statum aut declinationem propius accessit, semper augenda.

Vt: ♃. *Sarcocoll. lacte nutritæ* Drach. i. *tragacanth.* Drach. sem. *mucilag. semin. cydonior.* q. s. F. Collyrium.

*Sarcocollæ nutritio.* Sarcocolla autem nutritur, id est, infunditur vel maceratur in lacte per dies aliquot, semper nouo lacte affuso, idque ideo, vt, quicquid acrimoniæ habet, deponat. Et si siccitas ejus etiam metuatur, aliquid, quod lentore præditum est, admisceatur, vt mucilago sem. psyllij, cydonior. album. oui, tragacanth. amylum, & hoc modo sarcocolla præparata sine morsu & attractione digerit. Non autem multum vnâ vice nutriatur & præparetur, ne, priusquam absumatur, acescat, oculósque lædat.

Vel ♃. *Flor. chamæmel. melilot.* an.M. sem. *rosar. rubrar.* P.i.

Coqu. in aqua plantaginis.

Colat. ♃. Vnc.iii. adde. *sarcocoll. nutritæ* Drach.i. sem. *tutiæ præpar.* Drach.i.

Verùm monendum, talia non locum habere, nisi vbi simul abstersione humorum crassiorum opus sit in declinatione, vel si oculus roborandus sit. Imò potiùs lippitudini quàm ophthalmiæ veræ conueniunt.

A Chymicis commendatur crocus metallorum, è quo cum aquâ euphragiæ & fœniculi parat aquam suam Ophthalmicam Martinus Rulandus, senior, quam & Quercetanus, *in Pharmacop. restituta, lib.1. c.*7. proponit. Habet & aliam ibi Quercetanus ex vrinæ pueri lb.ii & vitrioli ac tutiæ, an. Vnc.iii. destillatam. Sunt qui aquam pluuialem majalem commendant in cantharo stanneo aliquandiu asseruatam, cujus mensuræ vni addunt vitrioli albi Vnc.i. camphor. Drach.ii. & pro vsu seruant. Potest eidem aqua rosar. addi.

Vel ♃. *Flor. sambuci.*

*In statu.* Coquantur in lacte, & pro Epithemate adhibeantur. Insigniter enim dolores leniunt.

In statu Sarcocollæ & aliorum resoluentium quantitas augeatur. Et vtiles tum sunt fomentationes, quæ fiunt vapore aquæ calidæ, in qua medicamenta resoluentia modò dicta cocta fuerint, terve quaterve de die repetitæ, quæ dolorem leniunt, tensionem remittunt, humoréque resoluunt.

*In declinatione.* In declinatione solâ sarcocollâ vtendum, vt & aliis resoluentibus in aqua fœniculi, rutæ, euphragiæ, & chelidoniæ.

♃. *Sarcocoll. lacte nutritæ* Drach.iii. *aloes aqua fœniculi lotæ* Drach.i. sem. *croci* Scrup. sem.

F. Puluis, è quo cum aqua euphragiæ formetur collyrium siccum, quod in aqua fœniculi, euphragiæ, vel alia conueniente vsurpetur.

Inter ista medicamenta etiam valde efficax est tutia vera Arabum, seu pompholyx, quæ sine morsu siccat.

Vt ♃. *Tutiæ præpar.* Drach. ii. *aloes lotæ* Drach.i. *sacchar.* Scrup.ii.

Trita infundantur in aqu. fœniculi, euphragiæ, verbenæ, rutæ, an. Vnc.i. Postea colentur & ad vsum seruentur.

Vel ♃. *Vitrioli albi, tutiæ præpar.* an. Drach. i. *camphor.* Scrup.i.

Puluerisata subtilissimè infundantur in aqua rosarum pro collyrio.

Vel ♃. *Caryophyll.* num.xii. *tutiæ præpar.* Drach. sem. *virid. æris* gr.xv.

Contundantur omnia crasso modo, & indantur linteo, ac fiat nodulus, qui in vini cyatho imponatur. Vsus tempore nodulus exprimendus, & gutta vna oculo instillanda.

Rhases

Rhaſes quatuor medicamenta,*lib.9.ad Almanſorem, cap.propr.*proponit.Eorum primum in principio Ophthalmiæ valet, & in materia calida, præſertim ſi affluxus ejus fiat per venas frontis & temporum externas. Secundum in augmento magis prodeſt, & etiam in ſtatu; quia non ſolum repercutit,& dolorem mitigat, ſed nonnihil etiam abſtergit & diſcutit. Tertium magis valet in declinatione, quando intentio eſt reſolvendi & exſiccandi. Quartum dolorem etiam mitigat, & aliquo modo etiam exſiccat;ideo in principio quoque adhiberi poteſt.

In omni autem topicorum applicatione obſeruandum, vt ſemper ante applicationem nouorum topicorum ſordes lippitudinis prius remoueantur linteolo molli, vel aquâ ſaccharata, vel aliâ conueniente tincto.

*Opthalmiæ à frig.& craſſis humoribus curatio.* Si Opthalmia à frigidis & craſſis humoribus proueniat, à pituita ſcilicet & humore melancholico, euacuationes vniuerſales & particulares, & diuerſiones omnes ad humores eoſdem dirigantur, non neglectâ eorum præparatione,vt ſupra, *part.1. de Intemperie capitis cum his humoribus*,dictum. Et quia ſanguis eſt admixtus,ſecetur vena humeralis vel cephalica ante purgationem; poſtea frictionibus, ligaturis,cucurbitulis impetus humorum auertatur.

Quantum ad topica. repellentia hîc vix locum habent;ſatis fuerit, ſi fronti aliquid, quod affluxum humorum nonnihil ſiſtat,applicetur.

Vt ℞. *Thuris,acaciæ,aloes*, an.Drach.i. *myrrhæ,ſanguinis draconis*,an.Drach.ß.

Fiat Puluis, qui cum albumine oui miſceatur, & fronti imponatur.

Ipſi verò oculo reſoluentia moderatè, & dolorem lenientia applicanda.

Vt ℞. *Decocti ſem.fœnigraci* Vnc.iii.*thuris, ſarcocollæ*,an.Drach.j.*croci* Scrup.ſem.

Ebulliant ſemel atque iterum, & oculo appliceutur.

Tandem in curatione Ophthalmiæ, & præcipuè in iis, qui eâ ſæpius laborant, ad partem recipientem reſpiciendum, oculique per medicamenta appropriata confortandi, de quibus infra, de viſus debilitate, dicetur.

*Curatio χημώσεως.*

*Χημώσεως Curatio.* Χήμωσις tandem, cum ſit malum vehemens & magni momenti,eadem remedia,quæ Ophthalmia,poſtulat, ſed vehementiora. Venæ ſectione igitur præmiſsâ purgatio inſtituenda, & quidem aliquoties repetenda. Adhibendæ & cucurbitulæ ſcarificatæ. Interdum neceſſarium eſt venas temporum, frontis, & quæ ſunt poſt aures, incidere. Inprimis verò neceſſarium ſetaceum vel cauterium in occipite applicare.Reliqua medicamenta ſunt eadem, quæ modò de curatione Ophthalmiæ veræ ſunt propoſita.

*Diæta.*

Aër ſit temperatus ac purus, expers fumi, pulueris & ventorum;obſcurior etiam & tenebricoſior, ne oculi ſplendore offendantur, ſpiritibúſque agitatis fluxio concitetur.Linteolum atrum, vel viride vel cœruleum proinde oculo obducatur, habeatque æger non ſolùm oculum laborantem, ſed & ſanum clauſum vel tectum; cum vnius motus alterum etiam inquietum reddat. Aſpectus verò rerum lucidarum vitetur. Victus ratio ſit tenuis,præſertim primis diebus,donec fluxio conſiſtat.Ideo Celſus,*lib.6.cap.6.* ſcribit: In hoc caſu primum omnium eſſe quietem & abſtinentiam. Ita enim exinanitæ partes auidius quos habent, humores retinent,ne ad oculos confluant.

A cibis abſint omnia vaporoſa, acria, & quæ caput replent ac feriunt, aut in bilem facilè mutantur, ſalſa, aromata calidiora,cepe,lac,mel,& quæ cum aceto parantur.Initio à vino hac de cauſſa abſtinendum, ejuſque loco in materia biliosa decoctum hordei & cinamomi vſurpandum. In craſſis humoribus, & tempore hyberno conceditur hydromel. Acida quidem & acetoſa conueniunt,præſertim poſt cibum, quia vaporum ad caput aſcenſum prohibent.Aceti vero vſus non cõuenit;quia vehiculi loco eſt humoribus,& aliàs acetum partibus neruoſis eſt inimicum.Peculiari verò vi in hoc morbo nocere ſolent,& propterea vitanda ſunt ſemen cannabis,caulis,lactuca,fabæ,lentes,carnes porcinæ & ſalſæ,oliuæ.

Somnus vtilis eſt;quia in ſomno oculi non mouentur,nec lumen admittunt,atque ita humores ad ſe non attrahunt. Ac prætereа per ſomnum materia, quæ in oculos confluxit,cõcoquitur.Dolorem etiam, qui valde attrahit,ſomnus ſopit. Æger non dormiat in latere, cujus oculus afficitur,dormiatq; eleuato capite. Quies ita ægro neceſſaria eſt, vt Celſus primo die à ſermone quoque abſtinere jubeat,ne motu materia ad caput attrahatur.Repletio omnis vitetur,maximè ventriculi;vt aluus ſemper ſit aperta & fluidior, curandum. Capilli, ſi multi ſint, & caput grauent, tondendi.Animi affectus omnis immoderatior,& inprimis ira,vitetur.

In declinatione, ad reliquias & excrementa tertiæ coctionis diſcutienda, balneum conuenit.Vnde Hippocrates quinque Opthalmiæ ſanādæ remedia proponit,dum, *6.Aphor.31.* ſcribit dolorem oculorum meri potio,aut balneum,aut fomentum,aut venæ ſectio,aut medicamentum purgans epotum ſoluit. Quanquam de oculorum doloribus loquitur ille aphoriſmus:tamē omnino quoque de ipſa Ophthalmia,cui cõjunctus eſt dolor,accipi poteſt;& præcipua ſanandæ Ophthalmiæ remedia complectitur. Et quidem de venæ ſectione & purgatione antea dictum,iisque,vbi requiruntur,ſolis, ſine topicis,non raro ophthalmia curatur. De reliquis inprimis verum eſt, quod Celſus ſcripſit: Hæc ſicut in recentibus malis aliena ſunt; quia illa concitare poſſunt & accendere:ſic in veteribus, quæ nullis aliis auxiliis ceſſant,adeo efficacia eſſe conſueuerunt. Et quidem fomentationes ſuo tempore adhibitas prodeſſe, antea ſuo loco,dictum.

*An vinum in ophthalmia conueniat.* De vino & balneo, quæ huius loci ſunt, res non ita expedita videtur,cùm humores concitare, & ad oculum mouere poſſint, ideóque in ſpeciē aliquid de iis dicendum. Et præcipuè hic difficultatem habere videtur, quod ἀκρητοποσίαν præcipit Hippocrates, *allegato aphoriſmo.* Verùm cum,vt rectè Galenus & Auicennas docent,alia ratione vinum prodeſſe vix poſſit,niſi quia ſanguinem craſſiorem attenuat ac diſſipat:non, niſi in declinatione,vino vtendum,& vbi materia eſt craſſior. Aliàs metuendum, ne major humorum fluxus ad oculos fiat.Ita de Petro Ramo ſcribit Zvvingerus,*in Theatro volum.17. lib.3.* eum, cum Lutetiis literis operam daret, ex immodicis vigiliis in Ophthalmiam incidiſſe.Quem cum Iacobus Syluius,ſummus alioquin Medicus,ex allegato aphoriſmo, vino generoſo vti iuſſiſſet, ita creuit malum,vt vix tādem multis remediis extingui potuerit. Celſus adhuc alium vſum meri potus addit,ſcilicet vt ſomnum conciliet.Modum autem bibendi vinum idem Celſus definit,dum ſcribit: Vinum bibendum eſſe lene,ſubauſterum,modicè vetus, neque effuſè,neque timidè,vt neque ex eo cruditas,& tamen ſomnus fiat,leniantúrque intus latentia acria.

*An balneum in ophthalmia vtile ſit.* De Balneo autem idem Autores etiam non ſentiūt. Alij enim in humoribus calidis & acribus eo vtendum cenſent;alij in craſſis & pituitoſis; alij quidem in declinatione;alij fluente adhuc materiā ad ſiſtendum fluxionem. Verum in vtroque caſu locum habere poteſt. Nam vbi à biliosa materia orta eſt Ophthalmia, ſi tamen in toto capite ea non redundet, ſed corpus jam purgatum ſit, nullàque adſit corporis plenitudo, & materia non ampliùs ſit in fluxu, balneum

euocat,

euocat & contemperat acres humores, & maximam partem inter lauandum excreta fiftitur fluxio, reliquúmque contemperatum à naturâ facilius vinci poteft. Ita etiam balneum conuenit iis,quos phlegmone οἰδηματώδης ab humoribus minus calidis infeftat. Corpore enim prius euacuato humores craffi per balneum attenuantur. Si verò corpus adhuc plenum fit, & materia ad oculos ruat,metuendum, ne calore balnei fufa materia ad oculos magis fluat.

De curatione Ophthalmiæ videatur etiam Galenus, *de compof.med. fec.loc.* & *in libris de medicamentis facilè parabil.* Celfus,*lib.6.cap.6.* Paulus Æginera,*lib.3.*

Hoc etiam adhuc addimus,Hieronymum Fabricium ab Aquapendente,*de Chirurgicis operationibus, titul.de fuffufione*,cum animaduerteret,medicamenta,quæ oculis imponuntur, non tam diu oculis inhærere, donec vires fuas fatis exferant, fed facilè effluere, vafcula vitrea inftar cucurbitularum, orbitæ oculi refpondentia, inueniffe,quæ liquore repleta oculo applicat, quorum defcriptio loco allegato videatur. Verùm an talia ita commodè & fine periculo applicari poffint, penes Lectorem fit iudicium.

## CAPVT XIII.

### De Ophthalmiâ ficca.

Ophthalmia ficca.

PEculiaris adhuc lippitudinis fpecies eft, quam ophthalmiam ficcam appellant, in quâ non tantus eft lachrymarum fluxus, vt in ophthalmiâ humidâ modò propofitâ, & præterea etiam palpebræ afficiuntur.Ejus tres recenfentur differentiæ. Eft enim vel cum pruritu,vel fine pruritu. Quæ cum pruritu eft, & exiguam fluxionem falfam & nitrofam conjunctam habet,à Paulo,*lib.3.cap.22.* ψωροφθαλμία nominatur, quæ diuerfus eft affectus ab illo,qui fuprà,*cap.3.* defcriptus eft,atque ipfe etiam ψωροφθαλμία nominatur.Si verò fine vllâ fit fluxione,& oculi tantum funt rubri, neque tument, fed cum dolore quodam leui in iis quidam fentitur pruritus & grauitas, ab eodem ξηροφθαλμία dicitur. Quæ autem fine pruritu eft, & cum duritie palpebræ, σκληροφθαλμία,dura lippitudo appellatur.

Proueniunt affectus hi omnes ab humore pauco,fed ficco & falfo, nitrofo.Et cognofcitur, atque ab ophthalmiâ humidâ difcernitur hæc ophthalmia, quod lachrymæ ferè nullæ exftillant. Noctu palpebræ ita coagulantur & indurantur,vt humectantibus & mollientibus fint aperiendæ.

Affectus hi quidem non funt tam periculofi & acuti,vt ophthalmia humida: diuturniores tamen, & qui toto vitæ tempore ægrum quandoque infeftant.

Curatio ferè eadem cum ophthalmiæ curatione modò propofita; nifi quod in fpecie ad humorem falfum dirigenda. Is igitur temperandus & alterandus, euacuandus,reuellendus,deriuandus, vt fuprà, *part.1.* dictum.Poftea ad topica accedendum.Et quia durities & fcabrities conjungitur,indurata emollienda, vt de duritie palpebrarum dictum.

℞. *Endiuiæ,nymph.lactuc.folan. flor.vior.rofar.rubr.* an.M.i.*rad.althéæ* Vnc.i.fem.*fem.fœnigræc.*Vnc.ii.

Deftilletur inde aqua, quâ vefperi & manè oculi abluantur.Vel decoctum ex hifce paretur, quod efficacius videtur.Neque enim,vt multi fibi perfuadent,deftillata omnes vires,quas decoctum, habent;cùm multæ partes in deftillatione in alembicum non eleuétur.

Vel ℞. *Butyri majalis fine fale,ol.rofar.* an.Vnc.i.ß. *aloës* Drach.ii.*camphor.*Drach.fem.*lithargyr.auri* & *argenti*,an.Drach i.

Butyrum & oleum liquefiant, hinc addantur reliqua,& in mortario plumbeo mifc.F.Vnguentum, quo vefperi palpebræ illinantur. Manè fequente liquore abluantur.

℞. *Aq. agrimon. rofar.lactis muliebris*, an.Mifceantur.

Vel ℞.*Parietar. fcabiofæ,viridium*,an.M.iv.

Deftilletur aqua, cui aliquid fanguinis columbini vel hirundinum addatur, quâ mane & vefperi oculi abluantur.

Vel ℞. *Farinæ tritici* Vnc.ii.*lentium, fabarum*, an. Vnc.i.fem.*terræ figillatæ* Drach. ii. *rad. figill. Salomonis* Drach.ii.*camphor.*Drach.i.

Puluerifata mifceantur cum aq.cichorij. Fiat Cataplafma,quod noctu oculis imponatur.

## CAPVT XIV.

### De Vngue Oculi.

VNguis oculi,vulgo vngula,Græcis πτερύγιον, tanquam ala parua,nomen accepit à fimilitudine fiue vnguis humani,fiue alæ volucris, quam excrefcentia illa ab angulo oculi plerumque majore verfus pupillam protenfa refert; quam & fagittam nonnulli vocant, à fpecie quadam triangularis cufpidis fagittæ præfixæ. Germanis dicitur, *der Nagel oder Nagelfell der Augen,oder Blatterfell der Augen.* Vnguis Oculi.

Definitur hoc malum à Paulo & Celfo,*lib.7.cap.7.* quod fit membranula neruofa & fibrofa,orta ab angulo oculi, frequentiffimè majore, juxta nafum, rarius à minore juxta tempora, & adhuc rarius à fuperiore vel inferiore palpebra,tefte Aëtio, annatæ tunicæ valide adhærefcens,& vfque ad corneam producta, nonnunquam etiam ad pupillam vfque protenfa. Rhafi fimile quid eft membranæ neruofæ;Aëtio annatæ tunicæ incrementum eft, vel caro fuper hanc excrefcens ex fcabrâ quâdam lippitudine, aut ex affiduis ad oculum fluxionibus.Atque hoc differt ab eo,quod Arabes Sebel, vulgo pannum vocant, quod morbi genus fubftantia non eft membranofa,fed venofa,hoc eft,ex venis turgentibus quiddam complicatum, & quafi contextum pannum referens.

Affectus ipfe eft morbus in numero præter naturam aucto;quia additum eft aliquid tunicis externis oculi, quod addi non debebat. Subiectum plerumque eft oculi annata. Interdum tamen ita inualefcit, vt corneam & pupillam integat.

### Cauffæ.

Cauffa efficiens eft facultas θρεπτικὴ in oculorum angulis, quæ annatam vltra naturalem terminum auget & extendit, vel fupra eam aliquid efformat. Occafio ita luxuriandi illi facultati datur, quoniam caro in angulo vel ophthalmiâ diuturniore, vel ob puftulas, quæ poft variolas & morbillos,aut aliàs etiam in oculo ortæ fuerunt, vel poft combuftiones ac fcintillas ignis oculo illapfas,vel alias externas læfiones, vel ob affiduam fluxionem craffi & lenti humoris, fcabritiem feu inæqualitatem quandam affecuta eft, quam dum vis nutriens exterere & æqualem reddere nititur, incrementum ejufdem præter naturam producit,aut aliquid fupra eam generat.

Materia ex qua eft fanguis cum excrementitiis humoribus plus aut minus mixtus.Atque hinc differentiæ exfiftunt, quod vnguis alius durus eft,alius mollis;quidam coloris citrini,quidam fufci, quidam rubei. Alius facilè feparabilis ab annatâ & corneâ,alius difficulter. Quidam annatam tantum occupat, alius etiam ad corneam extenditur.Eft & quidam putridus ac cancrofus.

### Signa Diagnoftica.

Signis malum non eget;cùm oculis fit,expofitũ, vt

ex

ex deſcriptione antea propoſita facilè agnoſci poſſit. Malignus &cancroſus vnguis cognoſcitur è carne,quę excreſcit, craſſa, dura, eminente, nigricante, & tempora per conſenſum afficiente,vt docet Aëtius.Diſcernitur à carne lachrymali,quod radix vnguis ſemper ad albedinem magis declinat.

### *Prognoſtica.*

1. Malum hoc non contemnendum eſt;cum ingrauescens pupillæ obductum videndi aciem tollat.

2. Recens malum, & magnitudine mediocre, non difficile eſt diſcutere medicamentis, quibus cicatrices in oculis exteruntur. Si verò inueterauerit, atque ei craſſitudo quoque acceſſerit,excidi debet, teſte Celſo, *lib.7.cap.7.* Imò ſæpe tam arctè & pertinaciter annatæ tunicæ adhæret, vt neque per chirurgiam abſque oculi jactura auferri poſſit;& proinde magnum & inueteratum incurabile fit.

3. Facilius hoc malum curatur in juuenibus,quam ſenibus.

4. Facilius curantur ϖτερύγια albicantia,& anguſtum fundum habentia;his verò contraria ægrè curantur.

5. Putrida quoque & cancroſa curationem non admittunt; quia cancer radices habet, quæ euelli nequeunt:teſte Aëtio,*tetrab.2.ſerm.3.cap.58.*

6. Ea πτερύγια manu curare oportet, quæ adaucta ad nigrum oculi ſe extendunt.Quæ verò parua, & in albo ſunt,ea commodum eſt, vt pharmacis comprimamus. Aëtius, *ibid.*

7. Docet & hoc Aëtius;πτερύγιον,in quo principium fit ſuffuſionis,curandum non eſſe;quoniam eo ſublato citius ſuffuſio conflatur.

8. Πτερύγια,quæ ad pupillam vſque pertingunt, & propterea viſionem impediunt, ſi tollantur, oculum quidem à fluxionibus liberant,cicatrix autem, quæ ſectione circa pupillam relinquitur, nihilominus viſum impedit.

### *Indicationes.*

Membranoſa hæc tunica, quæ præter naturam accreuit, remouenda eſt, ſiue medicamentis extergentibus,ſi parua & mollis ſit,nec pertinaciter adhæreat;ſiue manus opera, ſi contrario modo ſeſe habeat. Aut ſi ex mente Aëtij ſit annatæ tunicæ incrementum,id inhibendum,&,quod excreuit, imminuendum adſtringentibus,exſiccantibus,& extergentibus.

### *Curatio.*

*Curatio.* Primò ergo vniuerſales corporis euacuationes inſtituantur;idque non ſemel,ſed bis vel ter, prout opus eſt. Et craſſi & viſcidi humores expurgationi præparentur, & reuulſiones per veſicantia & aliis modis inſtituantur,vt hactenus aliquoties dictum. Vniuerſalibus hiſce præmiſſis primò foueatur vnguis vapore aquæ temperatè calidæ,aut decocto hordei,maluæ, althéæ, flor. chamæmel.meliloti,ſemin.lini, fœnigræc. anethi,flor.cyani,quoad oculus calefiat.

Poſtea extergentia adhibenda. Inter quæ mitiora ſunt, *ſaccharum candum, aqua euphragiæ cum ſaccharo, aqua chelidon. cum melle, acetum album cum vino albo mistum,aqua fœniculi cum nitro ac ſale, thus puluériſatum cum aqua calida in formam collyrij redactum, ſepiæ oſſa vſta ac tenuiſſimè trita cum momento ſalis ammoniaci,cornu cerui vſtum, vel caprinum cum thure & vino læuigatum,vel caprinum cum ſucco artemiſiæ ac melle, vel cinis limacum cum melle mixtus.*

*Ouorum teſtæ ad oculorum vnguem.* Efficax quoque medicamentum, & ferè citra morſum ac dolorem extergens, ex *ouorum teſtis* paratur, dum ouorum teſtæ in aceto acerrimo macerantur, poſtea ſiccantur, & in ſubtiliſſimum puluerem rediguntur, qui oculis inſpergitur.Validiora ſunt *æs vſtum,vitrioli,æris ſquama,flos æris,chalcitis vſta.*

Incipiendum verò eſt à lenioribus, quæ ſine morſu ac dolore ſuum officium præſtant, quæ ſi non ſufficiant,ad validiora accedendum.

Vt ℞. *Lactis muliebris, mellis* part. æqual.adde aliquid *croci.*

Coquantur,& frequenter oculo inſtillentur.

Vel inſtilletur hæc Aqua:

℞. *Aq. chelidon.* Vnc.v.*aluminis, ceruſſ.*an.Drach.i. *camphor.* gr. vii.

Coquantur in vitro clauſo in Balneo, & coquantur.

Vel ℞. *Aceti roſar.*Vnc.iiii.*aq.roſar.*Vnc.v. *vitrioli albi* an.Drach.ii.*mandibul.lucij combuſtarum, tutiæ præpar.*an.Drach. ſem.*tartari* Scrup.i.

In vitro clauſo coqu.in Balneo,& colentur,& bis de die liquor oculis inſtilletur.

Vel ℞. *Aq. roſar.euphrag.*an. Vnc. i. ſem.*aceti albi* Vnc.i.*tutiæ præpar.*Drach.i.ſem *ſquammæ æris* Drach.ß.

Ebulliant ſimul vaſe clauſo,colentur,& filtrentur.

Vel ℞. *Aq.plantagin.centumnodiæ,*an.Vnc.ii. *vitriol. calcinati* Drach. i. *ſalis ammoniaci* Drach.ſem. *myrrhæ* Drach.i.

Ebulliant,colentur,& filtrentur.

Vel ℞. *Fellis luciorum piſcium* q.v.

Deſtilla in vitro ad craſſitiem. In liquore deſtillato ſolue parum camphoræ,& vſui ſerua.Fel verò incraſſatum extrahe cum ſpirit.vini, ſpiritúmque vini iterum per deſtillationem ſepara. Extracti hujus & ſacchari ♄.ana gr.j.diſſolue in prioris liquoris gut.iiii. ac cum pluma mane & veſperi oculis immitte.

In contumaciore malo, antequam ad manus operam accedatur, aliquod ſieff validum conuenit, quale eſt ſieff viride Rhaſis,aut quod de chalcanto ex ejuſdem deſcriptione paratur.

In vſu tamen acrium collyriorum obſeruandum,ne cornea tangatur; cum ejuſmodi collyria vim exulcerandi habeant. Itaque expedit, vehementibus extergentibus admiſcere aliquid de tragacantha, gummi Arabico, decocto fœnigræc.lacte muliebri, albumine oui. Non inutile quoque fuerit, temporibus repellens aliquod applicare, ad affluxum humorum inhibendum. Oculis quoque clauſis anodynum aliquod adhibere conuenit. Poſt dies aliquot dolore ſedato ad collyriorum vſum redire licet.

Si medicamentis malum non cedit, ad manus operam accedendum, & membranæ illius detractio tentanda,quam eleganter docet Celſus, *lib.7.cap.7.* Paulus Ægineta,*lib.6.cap.18.* Aëtius, *tetrabibl.2.ſerm.3. cap.60.*Hieronymus Fabritius ab Aquapend. *de operat. Chirurg.tit. de vngue oculorum.* Modi adminiſtrationis illius tres præcipuè ſunt. Primò ſeparando vnguem cum penna, & pòſt abſcindendo cum forcipe. Secundò vnguem eleuando, & acum ſubtus cum pilo equino aut filo ſerico ducendo,vnguémque ſic protractum exſcindendo. Tertiò abradendo ſcalpello, ſi vnguis planè tenuis ſit.

Poſtquam Chirurgica hæc tentata ſunt, opera danda eſt primò, ne annata tunica palpebræ concreſcat: quam ad rem Aëtius probat muriam acrem vel aquam ſalſam, quam in oculum infundit. Auicennas cuminum maſticatum cum ſale applicat, jubérque ægrum frequenter oculos mouere, niſi dolor prohibeat. Poteſt & aqua aliqua leniter extergens modò propoſita inſtillari. Secundò, vt caueatur inflammatio; quod præſtari poteſt albumine oui cum hapſo lini impoſito. Tertiò, vt portio vnguis à ferro relicta exſtirpetur, ne malum denuò ſuccreſcat. Cui ſcopo inſeruiunt collyria acria, modò propoſita, poſt tres dies applicata, ne, ſi citius vſurpentur, inflammationem pariant.

*Diæta,*

*Diata.*

Victus sit attenuans & incidens. Æger à vino abstineat vsque ad morbi declinationem, à cibis itidem vaporosis.

## CAPUT XV.

### *De Tunicula annata, quam vulgo Pannum, Arabes Sebel nominant.*

*Sebel oculi.*

AFfectio hæc, Auicenna definiente, Panniculus est vel, vt Rhases definit, quiddam instar panniculi ex repletione venarum ortum, apparentium in superficie tunicæ annatæ vel corneæ oculi; quæ venæ cum tanquam exilia capillamenta variè & propinquè interse contextæ sint, turgentes sanguine, speciem eiusmodi panniculi exhibent; vnde etiam à nonnullis Tela, vel Telaris excrescentia nominatur. Verisimile quoque est, aliquid sanguinis subtilis ex venulis illis exsudare, quod concretum speciem illam panniculi rarioris, seu telæ intextæ supra oculum euidentiorem reddat. Imò carnis ipsius tunicarum oculi tumor accedere potest. Ex quo, vt capite præcedenti dictum est, patet differentia ab vngue oculi, quæ excrescentia quædam est neruea seu membranosa citra venarum repletionem, ab angulo oculi enata, non totum oculum, sed partem eius, forma vnguis vel sagittæ cooperiens; cum Sebel, seu Pannus totam annatam cooperiat.

*Differentiæ.*

Differentiæ eius sunt, quod pannus vel mollior est, vel durior; recens vel inueteratus; simplex vel cum ophthalmia, scabie, vlcere oculorum coniunctus.

*Caussæ.*

Gignitur Tunicula alia secundum viam defluxus, materiâ ad oculos deriuatâ per venas & arterias siue externas frontis ac temporum, siue internas capitis: alia secundum viam congestionis materiæ paulatim factæ in ipsis oculi venis, ex nutrimento non bene conuerso, & retentis superfluitatibus.

Sæpe tunica hæc ad ophthalmiā, & variolas ac morbillos, oculorum ictus, contusiones, combustiones sequitur. Malum hoc interdum hæreditarium est, & facilius eo corripiuntur, qui oculos habent debiles, calidos, eminentes, atque aliàs ad ophthalmiam proni sūt.

Materia est sanguis vel solus, vel cū aliis humoribus mixtus. Cæteri humores sine sanguine caussa huius mali esse nequeunt; cum rubrum colorem non producant.

*Signa Diagnostica.*

Affectus hic per se manifestus est. Apparet enim pāniculus ex repletione vasorum rubeus, tanquam tela carnosa, in superficie annatæ præcipuè; adest pruritus & dolor ex acrimonia & distensione; calor ex retentione euaporationis ac fuliginum: oculi offenduntur à lumine & à contactu rei externæ siue frigidæ, siue calidæ: visio obscura est, vel ablata. Quod ad signa caussarum, an à sanguine solo sit, vel cum aliis humoribus mixto, è colore discernitur. Si materia fluxit per vasa externa, supercilia & frons nonnihil tument, & dolor ac pulsatio extra magis sentiuntur. Si per interna, dolor magis ad radices oculorum tendit.

*Prognostica.*

1. Recens hæc affectio medicamentis; inueterata tantùm manûs opera curatur.

2. Malum indicium est, si oculus imminuitur. Debilitatem enim oculi significat.

*Curatio.*

Curatio, quæ per vniuersalia fit, communis huic affectioni est cum ophthalmia & pterygio. Quod ad topica, si Sebel vel Tunicula recens sit & tenuis, Auicenas testam oui recentis infundit in aceto calido decem diebus, & postea exsiccatam in vmbra, atque in tenuissimum puluerem redactam oculo immittit, ad abstergendum & exsiccandum. Addit & Marcasitam lapidem qui Dioscoridi est Pyrites. Si Sebel & scabrities simul coniungantur, laudat collyrium ex sumach puluerisato, cui quandoque admiscet parum gummi Arabici & sarcocollæ, vt dolor mitigetur, medicamentumque parti affectæ affigatur. Fortius est æs vstum in vrina aliquot diebus maceratum & siccatum.

Vtilis est & hæc Aqua:

℞. *Sacch. cand.* ℥. iij. *lapid. hæmatit. prap.* ℥. j. *alum. vsti, vitrioli albi, camphor.* an. ℥. ß. *tartari* Drach. ij. Affunde *aq. rosar. fænicul. aceti vini* an. Vnc. ix.

Destillentur, vel potius coquantur & colentur.

Vel *Aq. chelidon.* Vnc. jv. *aluminis vsti* ʒ. ij. *pumicis* Drach. j.

In vase vitreo clauso coquantur & colentur.

Vel ℞. *Mastich.* Vnc. sem. *ceruss. alum. vsti*, Drach. ij. *spuma maris* gr. xv. *salis gemma* gr. vij.

F. Puluis.

Vel ℞. *Tutia praparata* Drach. iij. *margarit. prap. corallior. rubr. prap. pompholyg.* an. ʒ. ij. *sacchari candi* ʒ. j. ß. *camphor. zingib.* an. Scr. j.

F. Puluis subtilissimus.

*Chirurgia.*

In malo inueterato, & vbi hæc non sufficiunt, euacuato corpore & capite, ad chirurgica præsidia accedendū est; quod rectissimè fit tépore verno & autūnali. Emollitio verò quædam præcedat, eo modo, vt de Pterygio dictum. Postea vncino paruo argenteo venulæ eleuentur: & subiecta acu, cui filum sericeum innexum sit, ligentur, vt forcipe tenellà præcidi possint. Quo facto oculus à sanguine profuso mundetur aqua decoctionis cumini, & obligetur. Dolorem vitellus oui cum aqua rosarum impositus mitigabit. Vtile quoque est defensiua siue apocrustica applicare fronti & temporibus, ne materia propter dolorem ad oculum attrahatur.

Ad absumendas reliquias puluerem citrinum Rhasis, *cap.* 15. *de Ophthalmia*, propositum, vel sieff viride Rhasis, *c.* 21. *de vngue*, applicare licet. Sed tutius est thus puluerisatum in aquâ fæniculi infusum apponere, vel sarcocollam nutritam.

Vel ℞. *Aq. flor. cyani* ℥. vj. *thuris, sarcocoll.* an. ʒ. ij. *castor. aloës*, an. ʒ. j. *camphor.* ʒ. ß.

Indantur vitro, eoque benè clauso in aqua calida ebulliant. Liquor singulis diebus bis vel ter oculis instilletur.

Fortior est hic Liquor:

℞. *Aq. chelidon.* ℥. viij. *testarū* ⊕. vel *ouor. vstar. sarcocollæ, aloes*, an. ℥. j. *tutiæ, vitrioli albi, sacchar. cādi*, an. ʒ. ß.

In vitro clauso coquantur in balneo & colentur.

Commendatur tanquam expertum & hoc Collyrium:

℞. *Lapid. hæmatit.* ʒ. ij. *vitrioli albi, viridis æris*, an. ʒ. iij. *myrrh. croci*, an. ʒ. j. *piper. long.* ʒ. ß. *sacch. candi* Vnc. sem.

Tenuissimè puluerisentur & cribrentur; ac in pixide ad vsum seruentur.

Huius pulueris. ℞. Drach. j. dissoluatur in Vnc. ij. aqu. raphani, & applicetur quotidie bis aut ter, prout æger tolerare potest.

Forestus, *l.* 11. *obseru.* 6. hoc feliciter vsus est in iuuene quodam, qui ferè integro anno ex panno cœcus fuerat:

℞. *Succini fœnic.* Vnc. iiij. *chelidon.* ℥. iii. *rutæ* ℥. ii. *maluæ* ℥. iiß. *aloës* ℈. j. *vitrioli* ℈. ii. *æruginis æris* ℈. i. *zingiber, cinamomi*, an. ℈. ß. *fell. anguillæ* ℥. ß. *bubuli* ʒ. ii. *ſacchar. candi* ℈. ij. *mellis opt.* ℥. ß.

Ebulliant ſucci addendo reliqua, & depurentur, ac fiat Collyrium.

### *Diæta.*

Diæta ſit, qualis in ophthalmia & affectione præcedente propoſita eſt. Aërem lucidum æger vitet, atque omnia, quæ materiam augere & exagitare poſſunt.

---

## CAPVT XVI.

### *De Albugine & aliis vitioſis Corneæ Coloribus.*

*Cornea tunica viſus.*

Cornea oculi tunica nõ ſaltem, vt humores & ſpiritus oculi cõtineat, & ab externis iniuriis defendat, facta eſt, ſed etiam peculiarem conſtitutionem obtinet, videlicet perſpicua, coloris expers læuiſque facta, vt ſpeciebus viſibilibus liberum in oculum tranſitum concedat.

Quæ eius naturalis conſtitutio vitiatur, ſi eius ſubſtantia craſſeſcat, exſiccetur, & corrugetur; ſi perſpicuitatem amittat; ſi colore aliquo inficiatur. Si enim corrugetur & craſſeſcat, ac naturalẽ perſpicuitatẽ amittat, ſpecies viſibiles vel planè non admittit, vel obſcurè. Si verò colore alieno inficiatur, is ſpecies tranſeuntes inficit, atque ita eo colore res viſui offeruntur, quali cornea infecta eſt, eodem modo, ſicuti vbi quis per vitrum coloratum videt. Vulgò quidem iſta vitia inter ſymptomata qualitatum mutatarũ referuntur: quæ tamen omnino ad morbos referenda ſunt, ob cauſſas, quas in Inſtitution. *lib. 2. part. 1. cap. 6.* de colore Corneæ attulimus. Si quoque color alienus profundè hanc tunicam tingat, ſpeciebus viſibilibus tranſitus denegatur, quia corneæ pelluciditas amittitur. Quandoque etiam cornea rumpitur.

### CORNEÆ CRASSITIES.

Primò ergo ſubſtantia corneæ fit craſſior ob humores craſſos, qui ſeſe in eam inſinuant, & ob medicamẽtorum frigidorum vſum; quod fit poſt Ophthalmiam, in qua humores ſubtiliores & tenuiores diſcutiuntur, craſſi remanent; vel cum medicamenta frigida nimis incautè imponuntur. Corrugatur verò & exſiccatur præcipuè in ſenibus. Et in vtroque hoc malo viſus vel imminuitur, vel planè aboletur, prout cauſſæ magnitudo eſt.

### *Signa Diagnoſtica.*

Cognoſcuntur autem hæc vitia primò ipſo ferè aſpectu; quia ſi craſſior reddita ſit oculi hæc tunica, inſpicienti quaſi quædam in ſuperficie nebula apparet, nec oculi hæc tunica tam læuis & polita apparet, vt ſolet, ægri de viſus imminutione conqueruntur, & quaſi per fumum ſe videre dicunt, præceſſit Ophthalmia, adeſt ætas ſenilis.

### *Prognoſtica.*

Si malum ſit ex humoribus craſſis impactis, idque recens adhuc, curari poteſt: ſi verò diuturnum ſit, & ex vehementi frigidorum vſu, vix curatur. Corrugatio etiam & obſcuritas ob ætatem ſenilem non curatur

### *Curatio.*

Curationem quod atttnet, vniuerſalibus præmiſſis, & corpore & capite euacuato, radix chelidoniæ ſpiritu vini abluatur, poſtea contundatur, & ſuccus exprimatur, qui guttatim oculis inſtilletur. Oculum etiam extergit tartarum vini Maluatici, aut potius cremor eiuſdem oculis inſperſus.

### COLORES CORNEÆ VITIOSI.

Colores corneæ præter naturam non omnes eiuſdẽ ſunt generis. Primò ſunt λευκώματα in genere ita dicta, color ſcilicet in albo mutatus, qui vel ab humore corneæ impacto oritur, & Nubecula appellari ſolet, ægriq; omnia per nebulam ſeu vaporem vel fumum ſe videre putant; vel à cicatrice in cornea, quod malum in ſpecie λεύκωμα nominatur. *Colores corneæ vitioſi.*

Eſt enim Leucoma ſeu Albugo macula alba in cornea, ob quam viſio læditur. *Leucoma.*

Gignitur autem Albugo, dum poſt vulnus vel vlcus corneæ cicatrix manet, quæ in nigro oculi alba apparet, à qua cornea ita denſa redditur, vt ſpeciebus viſibilibus tranſitus denegetur, atque ita videndi actio impediatur: vel cum pituita inter corneam collecta eius perſpicuitatem tollit, viſumque impedit. Quibus tamẽ adhuc alia cauſſa addi poſſe videtur. Cum enim diaphana, vt vitrum, glacies, gemma, ſi findantur, pelluciditatẽ ſine humoris affuſione amittant: tale quid etiam corneæ accidere poteſt, ſi ſcilicet eius lamina ictu, percuſſione, punctura findantur, & ita cornea inæqualis fiat. Atque ita proxima Albuginis cauſſa eſt cicatrix in oculi cornea tunica vel pituita inter eius laminas collecta, & corneæ inæqualitas à quacunque cauſa inducta. *Albugo ocul.*

Differentiæ albuginis ſunt, quod alia magis, alia minus craſſa eſt. Paulus Ægineta ratione ſubiecti diſtinguit, vt aliæ cicatrices in ſuperficie oculi conſiſtant, quæ ſimpliciter οὐλαὶ nominantur, & νεφέλια, aut Albugo tenuis; alia in profundo, quæ λευκώματα, ſeu albugo craſſa dicuntur.

### *Signa Diagnoſtica.*

Malum hoc patet oculis, & præceſſit vulnus vel vlcus, è quo albugo hæc ſeu cicatrix enata eſt. Si vlcus non præceſſit, à pituita in cornea collecta eſt. Si ictus vel violentia aliqua accedit, in illam cauſſa referenda. Quæ autem cicatrices corneæ craſſiores ſunt, eæ magis albicant, viſumque magis offendunt; contrà, quæ minus craſſæ. Præterea magis albicant, quæ in ſuperficie ſunt; quæ autem profundæ, ad nigredinem declinant; quoniam vueæ tunicæ ſunt propiores.

### *Prognoſtica.*

1. Vitium hoc vix prorſus tolli poteſt. Nam arduum eſt, in tam nobili membro, tam exquiſito ſenſu prædito, cicatricem extergere; præſertim quæ durior craſſior, diuturnior, & magis profunda eſt. Itaque ſæpe polliceri aliud non licet, quàm coloris per tincturam mutationẽ.

2. Diuturnas ac craſſas albugines curare non oportet; cum acria & mordacia medicamenta requirant, quæ oculi non ferunt. Si verò etiam ſuffuſio aut glaucedo affuerit, vanum eſt, cicatrices extergere; teſte Aëtio.

3. Facilius curatur hoc malum in pueris, quorum corpora molliora ſunt, & vim medicamentorum promptius admittunt; difficilius in ſiccis adultorum corporibus.

4. Vnde Albugo & cicatrices in oculo, quæ interdum poſt variolas in pueris remanent, ſucceſſu temporis delentur, ne viſioni obſint,

5. Facilius curatur Albugo, quæ à pituita in corneæ laminis collecta eſt, quàm quæ à cicatrice prouenit.

*Indicationes.*

*Indicationes.*

Cum in albugine, quæ à cicatrice est, adsit corneæ durities & crassities; tunicam illam eâ parte emolliendi & attenuandi indicatio existit, vt iterum perspicua reddatur. Pituita, si quæ adsit, discutienda est.

*Curatio.*

Præmissis euacuationibus & diuersionibus topica hic potissimum locum habent, quibus cicatricem extergendi vis inest. Sint illa leuiora, non acriora, nec corrodentia, ne fluxione concitatâ vlcus denuo excitetur, à quo sanata cicatrix alia crassior remaneret.

*Emollientia cicatricem.* Ad humectationem igitur & emollitionem cicatricis Rhases probat vaporem aquæ dulcis calidæ, aut decoctionis fœnigræci, maluæ, altheæ, flor. chamæmeli, paleæ hordei vel auenæ tepentis oculis exceptum, vsque ad faciei rubedinem, vt antea de vngue oculi dictum.

Vel ℞. *Rad. altheæ* ℥. jß. *maluæ, chelidon. maioris, euphrag.* an. M. j. *flor. melilot. cyani*, an. M. ß. *sem. lini, fœnigræc.* an. ℥. ß.

Coqu. in aqua pura, & vapor calide oculis excipiatur.

*Abstergentia.* Post vaporem conueniunt medicamenta, quæ leniter abstergunt, vt sacch. candi album in aqua euphragiæ dissolutum. Vel extinguatur thus in aqua fœniculi aliquoties, & aqua oculis instilletur. Aëtius lac equinum commendat cum modico melle assiduè illitum. Nonnulli suadent, vt oculus lingua pueri vel puellæ, quæ prius fœniculum aut rutam masticauerit, lambatur. Vtilis est & anagallidis cærul. flore succus, cum melle rosaceo inprimis mixtus.

Deinde vt cicatrix amplius exteratur & abstergatur, adhibeatur succus centaurij minoris, chelidoniæ, agrimon. anemon. fœniculi, rutæ, calendulæ. Inprimis verò coumēdatur aqua flor. rorismarini, si prius in balneo vel fimo equino aliquot diebus digerantur, & postea destillentur vel si 40. diebus digerantur, & aqua seu liquor, in quem flores resoluuntur, vsurpetur, & oculis instilletur.

Vel ℞. *Butyri aqua euphrag. loti* Vnc. j. *tutiæ præparat.* Drach. j. M.

Vel ℞. *Aqu. flor. cyani* Vnc. iiij. *thuris, sarcocollæ*, an. ʒ. ij. *tragacanth. castor. aloës corall. præpar. camphor.* an. ʒ. ß.

Coquantur in vitro clauso, colentur, & vsui seruētur.

Vel ℞. *Succ. anagallidis cærul.* ℥. ß. *chelidon.* ʒ. iij. *fœnicul.* ʒ. ij. *mell. rosf.* ʒ. j M.

Vel ℞. *Succini centaurij minor. fœniculi*, an. ʒ. ij. *mell. rosar.* ℥. ß. *matris perlarum præpar. CC. præparat.* an. Scr. j. *alumin. calcinati* Scr. ß. Misce.

Validiora fiant ex felle animalium, videl. galli antiqui, perdicis, anseris, bouis, leporis, accipitris, mustelæ, anguillæ, lucij piscis, cum aqua fœnicul. vel modico melle mixto, vel stercore hirundinis.

Vt ℞. *Succi rutæ* ʒ. ij *fœnicul.* ʒ. iij *fell. lucij piscis* ʒ. ij. *oss. sepiæ vsti* ʒ. ß *sacch. candi* ʒ. j. Misce.

Vel ℞. *Stercor. hirundin. in puluerem redacti* q. l. *mellis & aq. euphrag.* an. q. s. F. Collyrium.

Ad validiora abstergentia pertinet & alumen calcinatum, aloë, myrrha, æs vstum.

Nonnulli forma puluer. hæc medicamenta adhibēt quæ Auicennas parat ex sarcocolla, spuma maris, aristoloch. rotund. & sacharo albo. Pulueres tamen diu in oculo non sunt detinendi, cum ferè semper dolorem excitent.

Vt: ℞. *Tutiæ præpar. corallor. rubror. præpar. sapphir. præpar.* an. ʒ. ß. *margarit. præpar.* ℈. ß. *camph. vitrioli albi*, an. gr. v. F. Puluis subtilissimus.

Vel ℞. *C. C. vsti* ʒ. j. *oss. sepiæ, sarcocoll. lot.* an. ʒ. ß *aristoloch.* ℈. j. *sacchar. candi.* ʒ. ij. F. Puluis.

Vel ℞. *Tutiæ præpar.* Drach. j. *matris perlar. præpar.* Drach. sem. *sarcocollæ* Scrup. sem. Misce.

Vel ℞. *Rad. irid. Floren.* ʒ. j. *punic. oss. sepiæ.* an. ʒ. ß. *sarcocoll. corallor. rubr. præp.* an. Scr. j. *sacchar. candi* ʒ. j. *mosch.* gr. ij. F. Puluis.

Vel ℞. *Oss. sepiæ, sarcocoll. aristoloch. rot. myrrhæ, spumæ maris, sacchar*, an. Drach. ij.

F. Puluis subtiliss. qui super albugine oculo clauso detineatur, & postea oculus aqua rosarum abluatur.

Efficacissimum quoque est collyrium à Rhase, *cap. proprio* descriptum.

Vel ℞. *Succi depurati fœniculi, rutæ, anagall. flore cærul, chelidon. maj.* an. ʒ. iij. *tutiæ præpar. squamm. æris lot. aloës*, ℈. ß. *mell. rosat. colat.* Vnc. j. Parum coqu. colentur, & vsui seruentur.

Commendantur à nonnullis & lapides, qui in renibus & vesicis animalium inueniuntur, combusti & loti. Aqua quoque mellis destillata efficax est, cuius vsum per integrum mensem continuandum censet Gentilis, & hinc vtendum isto Collyrio:

℞. *Aq. rosar. fœnicul*, an. ℥. iij. ☿ *pulueris sat.* ʒ. j.

M. & per filtrum colentur. Quidam sem. ocymi tritum oculo immissum valde laudant.

Efficacissimus etiam hic est liquor ex hepate mustelæ piscis collectus; de quo in Institutionibus, *l.* 5. *part.* 1. *sect.* 1. *c.* 4 vt & medicamentum è felle lucij paratum, de quo supra, *c.* 14. dictum. Dum verò extra applicatur, simul exhiberi potest puluis cardui minoris pratensis.

*Albuginem oculi colorātia.* Si autem, quod sæpe fieri solet, Albugo planè aboleri nequeat, & tamen à Medico petatur, vt color ille p. n. ac deformitas tollatur, ac color albus in nigrum mutetur, adhibendus in eam rem succus mali punici dulcis; succus item hyoscyami, qui 15. diebus illitus albuginem tollit, teste Aëtio, *tetrabibl.* 2. *serm.* 3. *c.* 40.

Vel ℞. *Balaust. acaciæ, gummi Arabici*, an. Drach. j. *antimon. gallar.* an. Drach. ij.

Coqu. & decoctum sæpius in oculum instilletur.

Reliquos verò colores quod attinet, in iis (nisi perspicuitatem corneæ tollant, eamque opacam reddant) potius vsus deprauari, quàm imminui vel aboleri solet, speciesque visibiles eo colore infectæ visioni offeruntur, quasi humor est præditus. Si sanguis effundatur in corneam, omnia rubea apparent; si flaua bilis, flaua: id quod in ictericis fieri ex Galeno vulgò traditur.

*An ictericis visus de præuetur.* Verùm rectè Mercurialis monet, hoc non esse perpetuum, & se plurimos curasse, sed paucos vidisse, qui huiusmodi aliquid passi sint. Curaui ipse etiam plurimos ictericos, sed nunquam id obseruare potui. Etenim cum in corneam tunicam, vtpote quæ perspicua & coloris expers esse debuit, vasa non ita dispergantur, bilis quoque, quæ sanguini permixta est, in eam vix effundi potest. Si tamen color flauus in eâ, vel etiam annatâ oculi tunicâ appareat, vapor aceti in tegulam ignitam infusi oculis excipiatur. Rubor tollitur sanguine columbino, turturis, vel hirundinum instillato.

## CAPVT XVII.

### *De Pustulis Annatæ & Corneæ.*

*Pustula annatæ & corneæ.* Annatæ & Corneæ tunicæ communia vitia sunt, pustulæ, vlcera, cancer, vulnera. Primò pustulas quod attinet, in cornea & annata tunica oriuntur pustulæ, quæ Græcis φλύκταιναι & φλυκτίδες, à φλύζειν, id est, feruendo & bulliendo dicuntur. φλύκταιναι enim propriè sunt vesicæ paruæ, aquâ plenæ, in quacunque corporis parte, similes, bullis aquæ feruentis, vel vesicis, quæ à combustione aquæ feruentis excitantur. Arabibus Bothor nominantur. Suntque tumores quidam parui, grani milij circiter magnitudine, siue in annata, siue in cornea tunica existentes, orti ab acri quodam aut seroso humore, tunicas distendente, & in tumorem eiusmodi attollente.

Morbus eſt in magnitudine aucta; ſimulque in intẽperie & ſoluta vnitate, offendens viſionem, ſi è regione pupillæ conſiſtit. Subiectum eſt annata oculi tunica vel cornea, & hæc quidem parte ſua vel ſuperficiali, vel profunda. Nam Aëtius & Auicennas Corneæ laminas ſiue membranas quatuor conſtituunt, & ita nunc inter primam & ſecundam, nunc inter ſecundam & tertiam, nunc inter tertiam & quartam laminam materia continetur.

*Cauſſæ.*

Cauſſa, vt dictum, eſt humor tenuis, acris, & ſeroſus in annata vel cornea tunica collectus, eamque diſtendens. Aëtius quoque ſanguinem admittit. Et omnino puſtulæ corneæ & annatæ eaſdem ferè cauſſas habent, à quibus ophthalmia prouenit. Cum enim vtraque tunica ſit denſa, materia aquoſa & ſeroſa ſub ea facilè colligi & detineri poteſt.

*Signa Diagnoſtica.*

Puſtulæ illæ viſu facilè dignoſcuntur. Apparent enim in annata vel cornea oculi tunica tubercula quædam parua, grani milij magnitudine. Et quæ puſtulæ in annata ſeu alba oculi tunica oriuntur, rubrum ferè colorem præſeferunt. Quæ autem in cornea, varium, prout in ſuperficie vel profundiore loco corneæ conſiſtunt. Quando puſtulæ in ſuperficie corneæ ſub prima eius lamina conſiſtunt, nigriores ſunt; quæ ſub ſecunda aut tertia, albæ magis apparent; cum color corneæ albus magis in conſpectum ſe prodat, ſi puſtulæ in loco profundiore hæreant, quam ſi in ſuperficie. Auicennas à conſpectu vueæ in ſuperficiali puſtula colorem nigrũ; à prohibito eiuſdem in profundo intuitu, album vult produci, qui albus color eſt puſtulæ in cornea exquiſitæ ab aquoſo vel ſeroſo ſolum humore, ſine ſanguine admiſto, productæ.

*Puſtularum in cornea color.*

*Puſtula corneæ ab vuea procidentia quomodo diſcernãtur.*

Cum autem puſtulæ corneæ ſuperficialis non parua ſit ſimilitudo cum vueæ procidentia; Aëtius, *tetrab. 2. ſerm. 3. cap. 29.* ita eas diſcernere docet: Puſtula in ſupeficie corneæ vndiquaque nigra eſt, etſi nigredo non ſit adeò intenſa; vueæ autem pars, quæ procidit, aut nigra, aut cœrulea eſt, & in fundo circulum album exhibet, qui à labiis corneæ eroſis eſt. In puſtulis corneæ cornea exactè rotunda manet, & ſuam natiuam figuram retinet: in vueæ autem procidentia pupilla minor redditur, nec figuram naturalem planè retinet, ſed parte quadam ſui veluti diuulſa apparet, aut figuram & ſitum planè immutatum oſtendit.

Materia etiam diſcernitur à doloris qualitate & magnitudine, puſtularum colore, ægri temperatura, habitu & ſimilibus.

*Prognoſtica.*

1. Puſtulæ in innata ſeu alba oculi tunica minus periculoſæ ſunt, quam in cornea.

2. Superficiariæ puſtulæ curatio facilior eſt, vel minus perculoſa; cum eâ ruptâ & exesâ humor aqueus non profluat, aut vuea tunica procidat. Quæ verò profundior, periculoſior eſt; cum totam corneam facilè erodere poſſit, vt ea exeſa humor albugineus profluat & vuea procidat.

3. Et præcipuè ſi iuxta pupillam ſunt puſtulæ, periculoſæ ſunt; quia obducta cicatrice viſus aboletur.

4. Si cornea in partem internam rumpatur, malum eſt immedicabile.

5. Si dolor & pulſatio & cætera accidentia in puſtula paulò pòſt remittant, ſpes eſt, fore, vt puſtula per viam reſolutionis terminetur. Si verò ſymptomata illa intendantur, ſuſpicandum eſt, illam tendere ad ſuppurationem. Nam ſolent puſtulæ iſtæ, ſi rumpantur, ſæpe in vlcus mutari.

*Indicationes.*

Materia in puſtula collecta tota euacuanda eſt; & ſuppuratio, atque exulceratio, quãtũ fieri poteſt, prohibenda; præſertim ſi puſtula ſit cum inflãmatione, ideoque danda opera, vt materia diſcutiatur & reſoluatur.

*Curatio.*

Quod vniuerſales euacuationes & reuulſiones attinet, eodem modo illæ perficiuntur, vt in ophthalmia. Topica ab iiſdem etiam non multum variant. Itaque in puſtula cum inflammatione, qualis annatam potiſſimum occupat, conueniunt leniter diſcutientia, quibus & adſtringentia nonnulla miſcet Aëtius, vt in initio inflammationum fieri ſolet.

Commendat ergo *albumen oui* & *luteum oui cum ſacchar.* & *pauxillo croci.*

Ex adſtringentibus probat mala cydonia cocta, aut malicorium in aqua decoctum. Vel mucilag. ſem. pſyllij aut cydoniorum extracta cum aquâ roſar. oculis inſtilletur.

Vel ℞ *Lycij, croci*, an. Drach. ß. *acaciæ* Scrup. j. *aquæ roſar.* Vnc. i. vel *albũn. oui* & *aqu. roſar.* an. Vnc. ß. Miſce.

Vel poma cydonia cocta cum pauxillo vnguenti roſacei M.

Poſſuntque iſta medicamenta in linteolis mollibus extendi & toti oculo imponi.

Progreſſu temporis reſoluentia augeantur, vt mucilag. ſem. fœnigræc. aut decoctum flor. chamæmel. meliloti, ſem. lini, fœnigræc.

Poſt hæc medicamentum ex thure, myrrha, croco, cũ ſucco fœnigræci prodeſt, quo vtendum eſt donec puſtula diſcutiatur, vel, ſi per reſoluentia eam diſcuti poſſe ſpes non ſit, donec puſtula rumpatur, ſanieſque in linteo oculo impoſito appareat.

Vel ℞ *Melilot verben. rutæ, chelidon.* an. M. j. *flor. roſar. rubr.* M. ſem.

Deſtilletur inde aqua, quæ oculis imponatur & inſtilletur.

In puſtulis corneæ ex humore aquoſo Auicennas exſiccantibus vtitur, vt terra Samia torrefacta, tutia, clymia, quæ cadmia natiua eſt, ſiue lapis calaminar. ♃io, atque aliis, è quibus tale Collyrum paratur:

℞. *Tutiæ præpar. lapid. calaminar. ſcoriæ æris lot.* an. ʒ. ß *gummi Arab.* ʒ. ß.

Terantur in aq. calida, & F. Collyrium. Huius ʒ. ß. cum aq. fœnigræc Drach. vi. excipiatur, quando opus fuerit.

Chymici commendant ſaccharum ♄. & oleum ♄. quod in aq. euphragiæ diſſoluunt:

Vt ℞. *Aq. roſar.* ℥. iß. *euphragiæ* ℥. i. *ſacchari* ♄. gr. xv. *tutiæ præpar.* Scr. ſem. Miſce.

Nonnulli commendant pinguedinem aſciæ piſcis.

Quod ſi puſtula ita incrementum ſumpſerit, vt medicamentis diſcuti non poſſit, acu argentea perforanda eſt, vt humor effluat; quod in puſtula ſuperficiaria ſine periculo fieri poteſt, in profundiore verò cautione opus eſt.

Diæta eadem eſt, quæ in ophthalmia.

Peculiaris puſtula in annata tunica nuper in docto quodam viro à me animaduerſa eſt, quæ in eo quidem conueniebat cum aliis puſtulis, quod ſimilis erat veſicis, quæ à combuſtione aquæ feruentis excitantur, ſed magnitudine diſcrepabat. Primò quidẽ cũ ea veſperi cõnſpicienda mihi exhiberetur, in ſiniſtri oculi externo angulo magnitudine ſemẽ cẽnabis æquabat, ſed vnica nocte ita incrementũ ſumebat vt dimidiã auellanam æquaret, & ad corneam ferè extẽderetur. Cum autem vir ille ſanguine bilioſo abundaret, mox venam aperui, & purgans exhibui, & primum hũc Liquorem linteis mollibus toti oculo impoſui.

℞. *Muci*

*℞. Mucilag. sem. psyllij, cydonior. fœnigraci, aqu. rof. extr.* an. ℥.ij. *aqu. rosar.* ℥.jß. *flor. sambuci* ℥.ß. *croci* Scr. ß. Misce.

Quo applicato subsidere cœpit pustula. Postea hunc Liquorem oculo instillaui,

*℞. Aq. rosar.* ℥.j ß. *euphrag.* ℥. ß. *tutiæ prapar. sieff albi s. opio*, an. Scrup. j. *vitrioli albi* gr. ii.

Misce.

Atque ita intra paucos dies pustula euanuit.

## CAPVT XVIII.

### De Vlceribus Annatæ & Corneæ.

VLcera, quæ in annata vel cornea tunica excitantur, ortum habent vel à caussa externa, vt ictu, percussione, medicamentis acribus, iis, quæ in oculos illapsa sunt; vel ab internis, vt humoribus mordacibus siue naturâ tales sint, vt bilis vtraque, siue putredine tales euaserint, vt humores quicunque. Materia illa vel aliunde confluit ad oculum; in annatam potissimum à vasis externis, in corneam ab internis: vel relicta in oculo est, siue ab ophthalmia præcedente, siue à pustula. Nam ad Ophthalmiam sæpe vlcera sequi solent, humore mordace per emplasticorum vsum intempestiuum cohibito; vt & post variolas & combustiones.

### Differentiæ.

Vlcera autem illa variis nominibus pro variis circũstantiis appellãtur, vt Paulus Æginetа, *lib.* 3. *c.* 32. docet. Quod enim cauum, angustum, durum est, βόθριον, hoc est, fossula, dicitur; quod latius, sed minus profundum, κοίλωμα: quod in iridis circulo externo exortum ambientia etiam comprehendit, variique coloris est, circa externam iridis partem rubicundum apparet, circa internam candidum, Græcis ἄργεμον, ab albedine, vt videtur, dicitur; nonnulli vlcus coronale appellant. Quod denique profundum, solidius, asperum, & quasi crustosum est, ἐπίκαυμα & ἔγκαυμα vocant. Auicennas *libr.* 3. *fen.* 3. *tract.* 2. *cap.* 3. septem differentias enumerat: quatuor superficiarias, & tres profundas, quæ saltem ratione magnitudinis, & quod vlcus aliud latius, aliud angustius, aliud superficiarium, aliud profundum est, discernuntur.

### Signa Diagnostica.

Subiectum, figura, & magnitudo vlceris in oculo visui ferè patet. Si vlcus in cornea consistat, præcessit pustula alba, & in præsentia vlcusculum album apparet in nigro oculi, cum ob proprium corneæ colorem album, quod διαφανὲς eius terminatum album apparet, tũ ob saniem albam sub cornea collectam. Si exulcerata sit tunica annata, punctum veluti rubicundum in albo oculi conspicitur, ob venas eius tunicæ sanguine repletas.

### Prognostica.

1. Vlcus corneæ tunicæ periculosius est, quàm annatæ, quod tamen ipsũ etiã in adultis ægerrimè sanatur; & corneæ vlcus, quod è regione pupillæ consistit, adhuc periculosius est: quia post vlcus sanatum relinquitur cicatrix opaca, quæ visionem lædit; aut si rumpatur tota tunica, fit effluxus humoris aquei, aut vueæ procidentia. Imò Platerus refert, se vidisse aliquando quatriduo post inflammationem oculi in vlcus conuersam ex vtroque oculo humorem crystallinum effluxisse, & in barba hæsisse. Sed credibile est, non solùm externas illas oculi tunicas, sed totum ferè oculum tum inflammatum fuisse.

*Humoris crystallini effluxus.*

2. Vlcus, quod foràs rumpitur non ita periculosum est, quàm quod intrò rumpitur; quoniam externa omnia tractari commodius possunt.

### Indicationes.

Vt aliarum partium vlcera, ita etiam vlcus in oculo indicat, solutam vnitatem vniendam; si quid imminutum, id regenerandum, & locum cicatrice claudendum esse. Hæc vt præstari à natura queant, (naturæ enim opus est, non artis, partem aliquam regenerare, conglutinare, & consolidare) Medici officium est, impedimenta actionis illius naturæ remouere. Materia igitur fluens ad oculum est diuertenda & euacuanda; sordes detergendæ; dolor, si adsit, mitigandus; natiua oculi temperies restituenda & conseruanda. Atque ita, vt aliarum partium, ita & oculorum vlcera, inprimis requirunt detergentia & exsiccantia. Quantũ tamen ad materiam medicamentorum, non parùm ab aliorum vlcerum medicamentis medicamenta in oculorum vlceribus differunt, ob differentiam naturæ ipsius partis. Cum enim oculus sit exquisito sensu præditus, ob εὐαισθησίαν illam medicamenta sint lenia & temperata, sine asperitate & mordacitate, cuiusmodi sunt, quæ primum in hac qualitate gradum non excedunt. Quæ si simul adstrictione careant, detergendo quoque proderunt. Sordidis tamen vlceribus paulò valentiora adhibeantur, teste Galeno, 4. *de compos. medic. secund. loc. cap.* 3.

### Curatio.

Vniuersalia igitur, de quibus in ophthalmia diximus, præmittenda, simulque medicamenta fronti & temporibus applicanda, quæ influxum humorum prohibeant ex aqua rosarum, plantag. bolo Armeno, sanguine draconis, acacia, albumine oui, & similibus. Hinc topica conuenientia oculo imponenda. Et quidem si vlcus cum inflammatione adhuc sit coniunctum, ea conueniunt, quæ in ophthalmia sunt proposita. Cataplasma ex ouo integro cum rosaceo & vino tepidum, lana exceptum, sieff album: Sequentibus diebus fomenta fiant ex rosis, meliloto, fœnogræco, quibus nonnunquam semen papau. addere licet. Non minus enim doloris, quàm inflammationis, habenda ratio. Ideoque etiam dolorem lenientia admiscenda, quæ infrà, *cap.* 23. de dolore oculorum proponentur. Admiscenda etiam ea, quæ aliquantulum detergunt & siccant, qualia sunt, sacchar. mel, crocus, myrrha, & collyria de olibano; quorum multæ reperiuntur descriptiones à Galeno, 4. *de compos. medic. sec. loc.* Paulo Æginetа, Aëtio, & Alexandro propositæ. In vsu tamen frequentiore est sieff de thure Rhasis, quod ad Almansorem describitur, paraturque ex Ammoniaci, sarcocollæ, ana Drach. v. thuris Drach. x. croci Drach. ii. quæ omnia excipiuntur mucilag. fœnigræc. atque in collyrii formam rediguntur.

Vtilis etiã est aqua è fragorum partibus tribus, sacchari parte vna, vbi prius per octiduum in B. digesta, & postea destillata fuerint. Efficacius mundat myrrha, tutia, & tandem marrubium.

Vbi autem vlcus solum est, nec ei inflammatio vel dolor coniunctus, sed saltem illud duplex excremẽtum tollendum; tunc præcipuè desiccare decet cum aliqua detersione, quæ maior vel minor esse debet, prout maior vel minor sordium copia. Talia sunt; tutia præpar. corallium, aloë, sarcocolla, quæ commodissimè in nodulo è linteo raro in aqua euphragiæ, vel alia conueniente infunduntur, nodulusque postea exprimitur. Purgant etiam vlcus hydromel, & syrupus de rosis siccis.

Vbi vlcus mundatum fuerit, adhibendum sieff de plumbo Rhasis, primò in lacte muliebri, deinde cum aqua

aqua conueniente vſurpatum. Vtile eſt & ſaccharum ac oleum ℞ovi. Cicatricem etiam efficaciter inducit ſieff album Rhaſis, Eleiſer vocatum.

Vel ſequens ex Thure:

℞. *Thuris* Drach. x. *gummi Ammoniaci, ſarcocollæ*, an. ʒ. ß. *croci* ʒ. ii. Cum *ſucco fœnigræci* F. ſ. a. Collyrium.

Vel ſequens de Plumbo:

℞. *Plumbi vſti & loti, æris vſti, tutiæ præpar. gummi tragacanth.* an. Drach j. Cum *aq. euphragiæ.*

F. Collyrium.

Vel ℞. *Coralltor. rubr. præpar. C. C. vsti præpar.* an. ʒ. j. *ceruſſæ lotæ* ʒß. ♄ *crudi* ʒ. ß.

Cum *melle roſaceo*,

F. Linimentum.

Aqua Ophthalmica Crollij. Pertinet huc etiam Aqua ophthalmica, cuius Crollius mentionem facit, & hoc modo paratur.

℞. *Succum chelidoniæ è fl. & folijs verno tempore collectum, eiuſque bonam quantitatem in B. digere, donec depuretur.*

Deinde ℞. *Menſe Iunio,* ☉ & ☽ *in cancro coniunctis, (alij malunt in plenilunio) Cancror.* num. xx. *& reſectis extremis pedum & caudarum durioribus cruſtis, contunde in mortario, vt ſuccus inde exprimi poſſit, quem cum ſucco chelidoniæ depurato coiunctū deſtilla ex Balneo.*

Quod ſi de vuæ procidentia metuatur, ſtatim albumen oui cum globulo ex ſtuppa cannabina, vel lana aquâ roſarum madida applicetur.

Habetque Rhaſes, *cap. proprio*, quatuor collyria, quæ in vlceribus oculorum, ſi quodque ſuo tempore applicetur, magnæ ſunt efficaciæ. Collyrium primum de thure ad maturationem & abſterſionem eſt compoſitū. Mollit enim & maturat, quæ diſcuti nequeunt. Sieff ſecundum de plumbo generat carnem & vlcus explet. Sieff tertium carnem perditam inſtaurat, vuæ exitum prohibet, & cicatricem extenuat. Sieff quartum fortius adſtringit & glutinat, ac inprimis vtile eſt, cum metuitur, ne poſt vlcus magnum vuea procidat.

### Diæta.

Diæta ex ſuperioribus de Ophthalmia ſatis patet. Hoc ſaltem de decubitu notandum, vt æger in principio iaceat ſuper latere ſano, ne maior affluxus humorū ad oculum fiat. Suppurato autem iam vlcere & rupto, ſuper latere affecto æger cubet, vt facilius & promptius ſanies effluat. Si tamen vlcus magnum, ſit, vt ruptura corneæ & effuſio humoris aquei metuenda ſit, ſupinum decumbere præſtat.

## CAPVT XIX.

### De Cancro Corneæ.

Cancer corneæ. INterdum in cornea tunica etiam Cancer exoritur, ex materiæ melancholicæ aduſtæ corruptione. Nō multum diſſimile malum eſt, quod Græcis ἀνθράκωσις dicitur, vlcus ſcilicet κακοήθες in cornea tunica, quandoque etiam in palpebra, quandoque in vtraque.

### Cauſſæ.

Cauſſa huius mali eſt atra bilis, ſequiturque hoc malum diuturnas ophthalmias, quarum cauſſæ atra bilis permiſta eſt, & mulieribus, quibus menſes ſubſiſtunt, accidit.

### Signa Diagnoſtica.

Cognoſcitur hoc malum, quod vlcuſcula nigra parua, dolorifica, cicatricem nonadmittentia, venas liuidas exiguas varicoſas habentia apparent. Percipitur dolor, qui partibus vicinis communicatur, & vſque ad tempora extenditur, humorque paucus, tenuis & acris effluit; dolor ad acriorum medicamentorum vium valde exaſperatur; appetitus deiicitur.

### Prognoſticum.

Malum hoc plerumque, & ferè ſemper incurabile eſt, ac in vicinas partes ſerpit, ægrumque viſu priuat, & tandem mortem affert.

### Curatio.

Etſi verò malum ferè incurabile ſit: tamen, ne æger omni auxilio deſtituatur, mitigatio quædam eius & palliatio, vt loquuntur, tentanda eſt. Bilis atra videlicet euacuanda eſt epithymo, polypodio, lapide Lazuli. Eiuſdem acrimonia & malignitas temperanda, quem in finem etiam lac exhibetur. Oculo imponitur & inſtillatur aqua mellis croco mixta, addito albumine oui; de quo videatur Aëtius, *tetrabibl. 2. ſerm. 3. cap. 31.* Exemplum cancroſæ excreſcentiæ ad pilæ quantitatem, & medicamenta ad eius mitigationem adhibita, deſcripſit Foreſtus, *lib. 12 obſeru. 12.*

Interdum cancroſi tales tumores totum oculum corrumpunt, qui non, niſi exciſione & extirpatione, curari poſſunt; cuius rei hiſtoriam notatu dignam habet Guilielmus Fabricius, *Centur. 1. obſeru. 1.*

## CAPVT XX.

### De Vulneribus Oculorum.

Vulnera oculorum. SI cornea vel annata vulnerata ſit, primò, ſi opus, euacuandum eſt totum corpus per phlebotomiā vel purgationem, prout vſus poſtulat. Et inprimis venæ ſectio neceſſaria in magnis oculorum vulneribus; cum vix aliud efficacius initiò ſit auxilium. Purgantia præcipuè bilem, vſurpanda, vt & medicamenta bilem alterantia, refrigerantia, & caput reſpicientia; cum bilis aliorum humorum ſit ad caput vehiculum. Statim verò ipſi oculo repellentia adhibeantur ex albumine oui bene conquaſſato cum aqua roſar. cui pauxillum boli Armeni addi poteſt. Sequentibus diebus albumen oui cum ſieff albo miſceatur.

Vel ℞. *Album ouor.* ij.

Conquaſſentur cum *aqu. tormentill. roſar.* an. Vnc. j. adde *alumin. croci*, an. Scr. j. Miſce.

Eadem repellentia temporibus & fronti imponenda Ad inflammationem prohibendam, & dolorem leniendum, cataplaſma ex meliloto, capitibus papaueris, croco, & pane imponi poteſt. In cataplaſmatis tamen adhibendis animaduertendum, ne oculus eorum pondere oneretur. Ideoque ſolum ſuper palpebram imponenda, vt oculus aperiri, & lachrymæ & ſordes effluere poſſint. Leniter quoque oculus detergendus, ne dolor inferatur. Poſtea addatur collyrio albo ſieff de plumbo, ſemper eius quantitatem augendo, donec ſolo hoc ad vlcus carne implendum vti tempeſtiuum ſit.

Vel ℞. *Ceruſſ. amyli*, an. Drach. ii. *thuris* ʒ. j. ß. *ſarcocollæ, tragacanth* aā, ʒ. j. *camphoræ* ʒ. ß.

Infundantur in aq. roſar. hinc vaſe clauſo in Balneo coquantur & colentur. Colatura vſui ſeruetur.

Vel ℞. *Gummi Arabic. aquā roſar. diſſol.* ʒ. iii *cremoris rad. conſolid. maior.* ℥. j. ß. *pulueris ſubtilis thuris, aloes lotæ*, an. ℈. i.

Vel ℞. *Sieff. alb. Rhaſis ſ. opio* ʒ. i. ß. *aq. roſar.* ℥. i. ß. *albumin. ouor.* ʒ. ii. *tutiæ prep.* ʒ. ß.

M. in mortario marmoreo vel plumbeo.

Poſt diē ſeptimū magis ſiccantia & detergentia conueniunt, quæ faciunt, ne caro craſſa, ſed tenuis generetur.

Vel

Vel ℞. *Myrrh. sarcocoll. lacte nutrita*, an. Drach. ß. *tutia præpar.* Drach. i. *mell. rosat.* q. s. F. Linimentum.

Valde commendatur & hoc:

℞. *Bol. armeni* Vnc. i. *tutiæ, sang. dracon. gummi Arab.* an Vnc. ß. *aq. rosar.* ℔. j.

In vitro clauso bulliant in B.M. vel vaporoso per horam. Postea adde succi mali Punici Vnc. i. & colentur. Colatura ter & quater in oculum instilletur.

Vel ℞. *Mell. opt.* Vnc. ii. *succi rosar. rubr.* Vnc. iiij. *succin.* Drach. ß. *viridis æris* Dra. j.

Digerantur in Balneo, & colentur, ac liquoris huius guttæ ii. oculo sæpe instillentur. Eidem liquori addi potest mucilago sem. fænigræc. & vitellus oui vnius, & cataplasmatis loco oculo imponi. Ab Eustachio Rudio ad oculorum vulnera valde commendatur pars illa albuminis oui, quam gallaturam vocant; de quo videatur infra, *cap.* 23.

Commendatur etiam hic aqua Ophthalmica Crollij, supra, *cap.* 18. descripta; & altera, quæ fit ex albumine ouorum ad duritiem coctorum in Balneo liquescente.

Commendatur & oleum rubrum ℞ni.

Tandem, vt cicatrice vulnus claudatur, sieff Rhasis, Eleiser, ex vsu erit.

Si cum oculi globo etiam palpebra vulnerata sit, cauendum, ne palpebræ cum oculo agglutinentur. Ideóque oculus interdum circumuoluendus si id commodè fieri possit, & oculo duplicatum vel triplicatum auri folium, vel subtilissima auri lamina imponenda.

*De mira succi in vesicis vlmorum collecti, ad vulnera oculorum sananda, vi. Historia Henr. ab Heer.*

¶ [Henricus ab Heer, Medicus Leodiensis, *obseru. oppid. rarar.* 4. refert, se cum Lithuano quodam aliquando iter fecisse, qui ab omnibus Medicis, agyrtis, vetulis, veneficis, Chymicis, in totâ, quam obierat, Europâ & Asia, secreta (vt vocabat) plurima collegerat; atque eum gallum gallinaceum sibi obtulisse, & iussisse, vt oculum galli sæpius acutissimo scalpello punctum, intérque digitos pressum, orbitæ oculi reponeret. Quod vbi fecisset, affudisse Lithuanum illum guttas duas liquoris, qui mense Maio in vesica vlmi reperitur, obligatúmque capite gallum cistæ inclusisse, & post horas octo eduxisse, vtroque oculo ita sibi simili, vt sectum oculum nullus à sano posset distinguere. Hoc quamuis pro ludicro, & forsan magico, habuit Henr. ab Heer, accidit tamen postea, vt puella acu fortè fortuna ita oculum læderet, vt humor Aqueus, & pars vitrei efflueret. Tunc ergo hunc ipsum liquorem, vulneribus sanandis aliàs vtilem, sub quartam pomeridianam applicauit, & sub mediam noctem linteum admotum, si siccaretur, eodem nouo liquore imbui iussit. Manè (testatur Deum & fidem) oculum externum sanum ostendit, sed visu priuatum, ita quidem, vt vigesimo pòst anno nullus excæcatum oculum à vidente discernere potuerit, imò illa multis annis cum marito eius rei inscio vixerit.]

## CAPVT XXI.

### De ruptura Corneæ.

*Ruptura Corneæ.*

Interdum vulnera tam altè penetrant, & vlcera tam profunda sunt, vt corneam tunicam totam erodant; interdum & ab aliis caussis cornea rumpitur, ita vt humor aqueus effluat, & interdum ipsa tunica vuea procidat, de quo postea.

Caussa videlicet rupturæ corneæ est vel interna, præcedens scilicet vlcus, aut magnus humorum affluxus, à quo oculus ita distenditur, vt medius crepet, & humores effundantur; cuius rei historiam annotauit Ambrosius Paræus, *lib.* 6. *cap.* 13. vel externa, vt punctura aut vulnus.

*Signa Diagnostica.*

Malum ipsum visui patet, præsertim si humor aqueus effluat, vel vuea procidat.

*Prognostica.*

Malum hoc quò maius est, eò periculosius est. Si enim tantum sit, vt vuea procidat, plerumque malum incurabile est, vt postea dicetur, cùm non facile sit, vueam prolapsam intrò reponere. Si verò vulnus sit angustum, minus periculi habet. Etsi enim humor aqueus effluat, & inde visus aboleatur: tamen aqueus humor regeneratur; quo instaurato visus etiam restituitur. Huius rei exemplum habet Galenus, 4. *de sympt. causs. cap.* 2. & Langius, *libr.* 1. *Epistola* 7. Antonius Beniuenius, *de abdit. morb. causs. lib.* 2. *cap.* 28. Coiter, *in obseru. Chirurg.* Atque ipse etiam tale exemplum obseruaui in puero, qui, cùm cuspide cultri oculum læsisset, vt humor aqueus efflueret, & cornea inde tunica nonnihil corrugaretur, visum illius oculi amisit: quem tamen paulatim humore aqueo restituto iterum recuperauit.

*Curatio.*

Cum vulnus partium solutarum vnionem indicet, nulla alia cura rupturæ corneæ erit, quam vulnerum & vlcerum oculorum. Instilletur videlicet in vulnus penetrans corneam vel annatam oui albumen cum tutia præparata mixtum. Et, vt vueæ procidentia præcaueatur, oculo fomentum imponatur ex adstringentibus sine asperitate, vt floribus rosar. foliis rubi, virgæ pastoris, polygon. coctis in vino adstringente, aut, si calor adsit, in aqua pura.

Vel cataplasma imponatur ex flor. rosar. & cydoniis in vino adstringente coctis cum acaciæ Scrup. ij. & croci Scrup. sem.

Valentiora sunt hypocystis, balaustia, gallæ immaturæ.

Vel tale Collyrium paretur:

℞. *Aloes lota, tutia præpar. sarcocoll.* an. Scrup. sem. *spicæ, croci, sacchar.* ℞ni, an. gr. v. ℨß Scrup. j.

Cum mucilag. tragacanth. & fænigr. F. Collyrium.

Alij hoc commendant:

℞. *Aq. consolid.* Vnc. iii. *gummi Arab. thuris* an. Dra j. *oculor. cancri* Dra. ß. *balaust.* Scr. i. M. super igne & colentur. Colatura oculo instilletur.

## CAPVT XXII.

### De Sugillatione Oculorum.

*Suggillatio oculorum.*

QVam Suggillationem oculi, vel maculam eiusdem rubeam appellant, Auicennæ Altarfati est, Græcis ὑπόσφαγμα, ὑπόχυσις αἱματώδης, & αἱμάλωψ. Galeno etiam ὑποφθάλμιον, nonnullis ὑπώπιον vocatur per ω & ι scriptum, quod alij tamen de faciei potius & partium cauarum sub oculis, quæ ὑποφθάλμια Hippocrati sunt, cruenta ex ictu vel lapsu suffusione exponunt.

Est igitur hoc malum ex genere τῶν ἐκχυμωμάτων, teste Galeno, *initio* 5. *de comp. med. s. l.* quæ fiunt, quando circa cutem vasis contusis aut ruptis sanguis in spatia circumiacentia effunditur, & quidem non aceruatim aut ex grandioribus venis per διαίρεσιν & ἀναστόμωσιν exit, sed lentè per διαπήδησιν, vel ἀναστόμωσιν è minoribus, transsudationis specie, vbi & progressu temporis liuescit & denigratur. Ita sugillatio oculi est sanguinis ex ictu vel lapsu, ruptis aut contusis, vel alio modo apertis, in oculorum tunicis, annata vel cornea, in easdem effusio, colore primùm rubeo, postea liuido vel nigro, quem mortuum tum sanguinem appellant. Cui malo & hoc accidit, vt, si corneam magis occupet, obiecta omnia colo-

 rem

rem ad rubrum vergentem præ ſe ferant. Nam & ad corneam venulæ porriguntur, eâ parte, qua iridem ſpectat; & ex vicinis vaſis ſanguis in eam effundi poteſt. Et quidem ſanguis ille interdum in annatam, interdum in corneam, interdum in vtramque effunditur.

*Curatio.*

Cauſſa contuſionis & ruptionis in his tunicis plerumque eſt externa, videlicet ictus aut plaga, aut clamor vehemens, vel tubarum inflatio, ob quam venæ tenſæ aperiri poſſunt; nonnunquam etiam interna, vaſorum ſcilicet repletio à ſanguinis copia, vt effuſio eius fiat, aut ſanguinis ipſius feruor & acrimonia, vt per vaſorum anaſtomoſin ita excidat.

*Differentia* Differentiæ huius mali ſunt, quod ſuggillatio alia recens eſt, quæ rubro colore apparet; alia antiqua, quæ liuido, fuſco, vel nigro. Sanguis enim extra vaſa effuſus, & proprio calore & ſpiritu deſtitutus, primò liueſcit, poſtea fit obſcurus.

*Signa Diagnoſtica.*

Malum hoc viſu deprehenditur. Si à cauſſa ſit externa; ab ægro id cognoſcitur: ſi ab interna, abeſt externa. Et quidem à ſanguinis copia color maculæ rubeus erit; ſi à feruore ſanguinis, ad citrinum verget. Et dum cornea ſuffuſa eſt ægris, quæ cernunt, rubra eſſe videntur.

*Prognoſtica.*

1. Malum hoc non difficulter in initio curationem recipit; quoniam vitium vaſorum in oculo exiguum eſt.

2. Sanguis extra vaſa effuſus tandem corrumpitur & nigreſcit, ægerriméque diſcutitur.

*Curatio.*

Sanguis è vaſis effuſus diſcutiendus eſt. Ideóque ſi maior eius affluxus metuatur, venæ ſectione & purgatione ſi opus, præmiſsâ, principio parum de adſtringentibus diſcutientibus permiſcendum, ne ſola diſcutientia plus ſanguinis è vaſis attrahant; qualia ſunt, aqua fragorum, roſar. ſalic. caprifolij, plantaginis, myrtillorum.

Vbi autem effuſio iam ſubſiſtit, & venæ ad ſuam naturam redierunt, ſola diſcutientia conueniunt. Atque hæc ipſa inter initia, dum malum recens eſt, leniora eſſe debent; cum ſanguis, qui effuſus eſt, nondum conuerſus ſit in grumum, ſicut hac de re docet Galenus, 5. *de compoſ. med. ſ. l. cap.* 1.

In validiorum deinde vſu caueatur, ne acrimoniâ ſuâ apertis venarum oſculis ſanguinem maiore copia proliciant.

Galenus ergo fotum initio vſurpat ex decocto fœnigræci & meliloti. Deinde collyrium Nili, *in* 4. *de compoſ. med. ſ. l.* quod primum excipit aqua, ad inflammationem inhibendam, poſtea decocto meliloti & fœnigræci, ad ſanguinem, qui effuſus eſt, diſcutiendum. Venis tandem per adſtringentium vſum clauſis, fomentum probat è ſolo fœnogræco, ſpongiam item infuſam in melle, & collyr. è myrrha cum decocto fœnigræci.

*In* 4. *de compoſ. med. ſ. l. cap.* 8. ſtatim in initio mali ſanguinem columbinum, eum præſertim, qui ex teneris pennis exprimitur, (alij apertâ venâ ſub ala ſanguinem extrahunt) inſtillare iubet, tum ad inflammationem compeſcendam, tum ad ſedandum dolorem; quo tempore & albumen oui probat. Poſtea ad vitellum oui accedit cum vino, & ad melilotum cum vino. Poteſt & columbarum ſanguis tum adhiberi, qui ob ſalem, qui ei ineſt, etiam vim diſcutiendi habet. Vtilis etiam eſt ſanguis palumborum, turturis, & hirundinis. Valet & lac muliebre calidè cum modico thure inſtillatum, & braſſicæ folia cocta atque trita cataplaſmatis forma impoſita; & caſeus recens parùm ſalſus, qui mixtam habet facultatem, emplaſticam quidem ex ſe ipſo, diſcutientem verò, & nonnihil adſtringentem ex ſale, vt non abſurdum ſit eo in principio vti, teſte Galeno, *in initio* 5. *de compoſ. med. ſ. l.*

Inueteratum malum & nigreſcens fortiora remedia poſtulat, vt ſuccum raphani, ſuccum abſinthij vel hyſſopi, vel origani cum melle, myrrham, nitrum. Galenus ex Archigene hyſſopi comam tritam, & linteo panniculo ſeu nodulo illigatam in feruentem aquam demittit, nodulúmque poſtea oculo tepidè admouet. Ita enim cruor elicitur adeò, vt linteolo adhæreat. Idque etiam verum eſſe, ſe expertum ſcribit Iohannes Riolanus. Commendatur & abſinthium recens cum lacte muliebri & aqua roſar. cataplaſmatis forma impoſitum. Succum etiam radicis ſigilli Salomonis, ſeu ex recenti radice, ſeu ſicca vino macerata expreſſum, ſeu ipſam radicem contuſam, ſuggillationes feliciter curare, ſupra diximus. *Hyſſopi facultas.* In declinatione morbi etiam fel auium adhiberi poteſt, & fel vulturis inprimis, & fel arietis valde commendatur, vt & crocus, myrrha, aloë. Exempl. gr.

℞. *Croci* Drach. ß.

Teratur cum *vini albi* ſ. q. adde *myrrhæ* Dra. iß.

Iterum terantur, donec conſiſtentiam linimenti acquirant; Cui add. *mellis virginei* Drach. ij.

M. pro linimento, quod linteo inunctum oculo imponatur, & ter quotidie renouetur. Nonnulli fimum columbinum in cinerem comburunt, quem cum aceto ſubigunt & exſiccant, ac rurſum cum ſucco fœniculi, vel morſus gallinæ temperant & imponunt. Plurimum etiam commendatur Aqua fragorum viridis, quæ hoc modo paratur:

℞. *Fraga bene matura* q. v.

Indantur pelui aurichalceæ vel cupreæ, vt vltra medium repleatur, adſpergantur ſale trito, & cooperta in cellam per octiduum collocentur, & appenſo in patellam inclinatam filo laneo aqua viridis in ſubiectum vas recipiens colligatur; de quo liquore mane & veſperi gutta vna oculorum angulis inſtilletur. Auicennas in contumaci malo aſcendit ad medicamentum ex vna parte ſinapi, & duabus caricarum confecto. Laudant & nucem rancidam atque oleoſam cum melle ſubactam, de qua aliquid in oculum immittunt, repetendo ternis ſemper horis. Commendatur & aqua vitis, quæ verno tempore ex palmitibus præciſis exſtillat. Ad antiquam ſuggillationem diſcutiendam vtilis eſt & radix ari raſa, & cum melle ſubacta impoſita. *Aqua fragorum viridis.*

## CAPVT XXIII.

### De Dolore Oculorum.

CVm morbos, qui duræ & corneæ tunicæ accidere ſolent, iam abſoluerimus, proximum eſt, vt ſymptomata, quæ in iiſdem contingere ſolent, addamus; quæ ſunt dolor & color vitiatus. Verùm cum de colore, *cap. præced.* & 18. dictum ſit; hoc capite de dolore oculi tractabimus, qui etſi vulgo toti oculo tribuatur, ipſi tamen præcipuè ob tunicas externas conuenit.

*Oculorum dolor.* Eſt videlicet Dolor oculorum triſtis eorum ſenſatio à ſolutione continui membranæ annatæ & corneæ. Cauſſa ſolutionis continui eſt vel interna, vel externa. Interna eſt humor, vel copiâ vel acrimoniâ continuum ſoluens; quò plerique etiam referunt ſpiritum flatuoſum. Externæ cauſſæ variæ ſunt, ictus & percuſſio, ventorum

torum flatus, præsertim borealium, aérque nimis calidus vel frigidus, puluis, fumus, arenulæ, festucæ, animalcula, vapor & succus cœpæ, allij, & simil. quæ caussæ pleræque in ophthalmia sunt propositæ; cum dolor plerumque ophthalmiæ sit symptoma.

*Signa Diagnostica.*

Et quidem ipse dolor ex relatione ægri patescit. Ex relatione eiusdem caussæ externæ innotescunt. Caussæ verò internæ iis signis, quæ supra de Ophthalmia fuerunt proposita, patefiunt.

*Prognosticum.*

Dolor oculorum acerbissimum malum est; cúmque maioris affluxus sit caussa, Ophthalmiam auget, & sæpe cœcitatis autor est. Idem vigilias excitat, viresque valde deiicit.

*Curatio.*

Itaque etsi commodissimè tollatur dolor sublata caussa, à qua pendet, & proinde doloris oculorum eadem ferè curatio sit, quæ ophthalmiæ: quia tamen dolor sæpe vrget; tum principali morbo nonnihil posthabito, aut certè antequam is planè tolli possit, statim, facta aliqua euacuatione & diuersione, de dolore mitigando cogitandum est; Adhibendum videlicet albumen oui exactè conquassatum: vel solum, vel cum aqua rosarum, aut lacte muliebri mixtum. Et inprimis pars illa albuminis, quam Itali Gallaturam, Germani *Das Ropchen* nominant, vsurpanda, quæ ex pluribus ouis colligenda, vt eius sufficiens copia haberi possit, quam valde commendat Eustach. Rudius, *Pract. lib. 1. c. 20. Admirabilissimum*, inquit, *tum in dolore, cum in vulneribus oculorum est remedium illa pars albuminis, quam Gallaturam vulgò appellant, quæ debet exactè priùs conquassari. Hoc remedium bonus quidam Practicus, qui eo solo omnia oculorum vulnera ferè curabat, Dei virtutem appellabat.* Lac quoque muliebre vel asininum recens mulsum oculo instillari, vel, quod tutius, supra oculum imponi potest. Non diu tamen, vt supra etiam dictum, in oculo relinquendum, sed singulis horis innouandum, ne mora corrumpatur, acescat, acriúsque euadat.

Vtile est & pomum dulce maturum cum saccharo coctum & oculo applicatum.

Vel sumantur *pomi dulcis assati* Vnc. ß. *camph.* gr. xv. *croci* gr. v.

Et cum *aqua rosarum & lacte* fiat Cataplasma.

Prodest & mica panis albi in lacte muliebri infusa, addito momento decoctionis papaueris, vel emulsionis sem. papaueris: vitellus item oui cum lacte & aqua rosarum, vel ouum integrum cum aqua rosarum contusum. Et decoctum fœnigræci, quod Galenus parare docet, *in 1. de med. facil. parab. cap.* 10. medicamentum item ex oui luteo, mica panis, & ol. rosaceo. Cauendum tamen, ne oleum oculos ingrediatur, quod dolorem augeret.

Valentiora sunt, succus vel decoctum lactucæ, solani, rad. vel pomor. mandragoræ, capit. papau. albi, emulsio sem. papau. albi, facta cum lacte muliebri, opium, sief album cum opio. Sed Auicennas opiatis non, nisi in acerbissimo dolore, vtendum censet, ex materia subtili & corrodente, vbi syncope & virium extrema deiectio metuitur.

In quo tamen casu vsus talium moderandus est, quòd visionem vehementer lædant, teste Galeno, 3. *m. m. c.* 2. & 12. *m. m. c. vlt.* Et omnino præstat fluxionem ab oculis auertere per venæ sectionem, purgationem, & aliis modis; cum opiata sæpe sine iistis auxiliis adhibita dolorem potius exasperare, quam lenire compertum sit: cuius rei exemplum refert Christophorus à Vega, *Art. med. lib.* 3. *sect.* 2. *cap.* 1.

## CAPVT XXIV.

*De Pure sub Cornea.*

CVm pus sub cornea ante vueam vel crystallinum colligitur, vt visus impediatur, Græcis appellatur ὑπόπυον per ο & υ scriptum. Fit etiam aliquando, cum ab vlcere profundiore pus defluens, & inter tunicas delatū in circuitu iridis figuram vnguis resecti refert, atque tum ὄνυξ, vnguis, nominatur: nonnulli à similitudine, quam habet, semicirculi, Lunellam nominant. Fit autem ὑπόπυον, dum tumor siue corneæ, siue vueæ in abscessum degenerat, vt materia purulenta eo loco consistat. Aëtio non solum ex effuso & suppurato per inflammationem sanguine fit, sed etiam citra inflammationem & exulcerationem, vbi dolor capitis, aut lippitudo, aut suggillatio præcessit. Si enim sanguis suppuretur, dolor exoritur, qui prius non aderat, & oculus quodammodo inflammatur, ac color sanguinis in albedinem mutatur. *Hypopyum.*

*Signa Diagnostica.*

Si pus inter vueam & corneam continetur, exactius illud conspicitur, & affectus oculus sano eminentior apparebit. Pus autem esse, cognoscitur ex præcedente inflammatione, lippitudine, aut suggillatione. Moto etiam & concusso capite aut oculo pus manifestè sub cornea simul commouebitur. Visus quoque solet intercipi, adéstque dolor pulsatorius, & color oculi rubeus.

*Curatio.*

Indicatio curatiua est, pus euacuandum esse. Aëtius igitur, *tetrab.* 2. *sermon.* 1. *c.* 28. præmissis vniuersalibus collyriis vtitur ad inflammationes destinatis, in principio scilicet, cum materia ad pus tendit; quæ cum albumine oui aut lacti instillat. Exacto tertio die fomenta adhibet per spongiam vel linteum leniter discutientia. Quæ enim vehementer discutiunt, & exsiccant, quod tenuius est, euacuant, quod crassis, relinquunt & indurant, vt resolui deinceps nequeat. Iubet etiam vitare adstringentia. Itaque probantur collyria ex melle, myrrha, croco, fellibus animalium cum succo fœnigræci, fœniculi, fumariæ; item collyrium album de thure. Commendatur quoque radix cucumeris asinini cum melle in cataplasmatis formam redacta & imposita; vt & farina fabarum cum melle subacta. Vtilis est & nux rancida cum melle trita; vt & hyssopus & origanum. Efficax est etiam oleum de linteaminibus, quod & ad oculos exulceratos commendatur.

℞. *Linteum purum nouum & vitri pellucidi puluerisati* q. s. F. s. s. s. in cucurbita ad dimidium eam replendo, & in cineribus destillentur. Oleum guttatim oculo instillandum. Idem præstat oleum papyri, vtpote ex eadem materia factum.

℞. *Croci, aloes, myrrh.* an. Drach. i. *vini* Drach. iij. *mellis* Drach. vj.

Dissoluatur crocus in vino, deinde cum aloë & myrrha misceantur, tandem mel addatur, de quibus in curatione suffusionis dicetur.

Vbi resolueria non suffecerint, alia præsidia tentanda. Apud Galenum est, *in fine* 14. *m. m.* quod etiam Aëtius repetit, Medicum quendam Romæ, Iustum, capitis concussione pus loco suo dimouere solitum, ne visioni obesset. Aëtius acu obliquè siue à latere immissa pus per puncturam corneæ educit, post albumen oui instillat, ac deinde ouum integrum cum vino emulso conquassatum, & molli lana exceptum oculo imponit. Vide Aëtium, *loco allegato.*

CAPVT

## CAPVT XXV.

### De Vueæ procidentia.

*Vueæ procidentia.* POstquam corneæ & annatæ tunicæ affectiones p.n. explicauimus, iam vueæ vitia explicanda veniunt. Inter quæ primò occurrit Vueæ procidentia, quæ προπτώσις tunicæ ῥαγοειδοῦς vocatur (Nam alia πρόπτωσις totius oculi eſt, de qua poſtea dicetur.) Eſt autem ſitus præter naturam illius tunicæ à ſoluta vnitate corneæ proueniens. Soluitur continuitas vel per vulnera, vel per vlcera, vt antea dictum. Differentiæ ſiue ſpecies mali huius quatuor recenſentur ex Ægineta, prout maior vel minor vueæ portio procidit, & ruptura illa callum contraxit, vel non. Si enim parua vueæ portio procidat, μυιοκέφαλον dicitur, quod formam capitis muſcæ habeat: ſi verò maior portio excidat, vt acini vuæ figuram referat, σταφύλωμα: ſi maxima pars, & vſque ad palpebras excidat, μῆλον, id eſt, Pomum: ſi tandem calloſa facta fuerit, ἧλος, id eſt clauus, dicitur. Si vna cum vuea etiam portio quædam corneæ egrediatur, Auicennæ Orbicularis ruptura Corneæ vocatur. Eſtque ſimilis extremitati fuſi, quo fila ducuntur, cui ſpondylus ſiue armilla ſua eſt præfixa.

### Signa Diagnoſtica.

Vueæ procidentia facilè viſu dignoſcitur. Quomodo verò procidentia vueæ à puſtula ſuperficiaria corneæ differat, ſupra in ſignis puſtularum oculi dictum. Nam puſtula ſuperficiaria vndique nigra cernitur, & exactè rotunda eſt, nec pupilla diuulſa apparet, vt in vueæ procidentia.

### Prognoſtica.

1. Hoc malum, teſtibus Græcis & Arabibus, ægrè admodum curatur; quia non facilè eſt, vueam intrò repellere, & ruptam corneam vnire.

2. Minus periculi eſt in ea procidentia, quæ μυιοκέφαλον dicitur, quàm in ea, quæ σταφύλωμα, præſertim ſi nonnihil ſit inueterata. Cæteræ fere incurabiles ſunt.

### Curatio.

Medicamenta hîc locum habent adſtringentia ſine aſperitate, qualia ſupra de Ruptura corneæ propoſita. Quæ ſpecies Procidentiæ deteriores & inueteratæ medicamentis non cedunt, eas Paulus, Aëtius, & Celſus ferro tentandas eſſe cenſent, ſaltem ad imminuendam deformitatem. Quod quomodo commodè fieri debeat, docet Paulus, *lib. 6. cap. 19.* Aëtius, *tetrabibl. 1. ſerm. 3. cap. 35.* Celſus, *lib. 7. cap. 7. ſub titulo de σταφυλώματι oculi* Sed Auicennas metuit, ne materia ad ſanum oculum feratur, præſertim ſi ille naturâ ſit imbecillior, & exquiſito ſenſu præditus. Ideo à ferro potius abſtinendum cenſet. Vide Hieron. Fabric. ab Aquapendente, *de operat. Chirurg. tit. de ſtaphylomate.* Refert etiam Riolanus, Pater, in Practic. ſua, ſe vidiſſe intra oculum, palpitationem, quæ nullis remediis curari potuit: quæ procul dubio motus deprauatus vueæ tunicæ fuit.

## CAPVT XXVI.

### De Pupillæ Dilatatione.

*Pupillæ dilatatio.* GAlenus, 1. *de ſymptom. cauſſis, cap. 2.* pupillæ, quæ foramen vueæ eſt, ſpeciebus viſibilibus tranſmittendis deſtinatum, quadruplex vitium recenſet: eius dilatationem, Imminutionem, in aliquam partem Detorſionem, & denique Ruptionem. Pupillæ dilatationem & anguſtiam quod attinet, debet pupilla ſeu foramen ita conſtitutum eſſe, vt non nimis ſit amplum, ne externum lumen nimis copioſum admittat, nec etiam nimis anguſtum, vt ſpecies viſibiles commodè admittat. Per pupillam verò nimis amplam lux peregrina, & quæ obiecta debita non vehit ingrediens, obliterat imagines, facitque, vt repræſentatio debilior fiat. Ideóque à natura ita oculi fabricati, vt pupilla dilatari & conſtringi poſſit: & contractionis quidem duplex vſus eſt; prior, vt arceatur lumen ſuperfluum ab oculi partibus interioribus, quas præſtat eſſe obſcuras, quàm nimis illuminatas. Sic enim imago rerum apparet illuſtrior. Alter, ne lux nimia oculum corrumpat, ratione illa, qua calor etiam intenſiſſimus excitari poteſt vi refractionis ob coëuntes radios ad perpendicularem refractos in vno puncto, vt optici demonſtrant. Dilatatur contrà in loco obſcuro pupilla, quia nullum adeſt lumen, quod ſpecies obliterare, vel euidentiam viſionis infringere poſſit; deinde quia ſic plures radij vnius puncti radiantis recipiuntur in oculum, qui quando in vertice coni coeunt, ſpeciem reddunt illuſtriorem, quod, vt melius, natura ſemper appetit. Hoc loco tamen obſeruandum, pupillam non ſolùm conſtringi in loco illuminato, ſed etiam in tenebricoſo, ſi ex illo lucidum valde corpus adſpiciatur. Nam, vt modò dictum, & ſpecies nimis lucidæ oculo noxiæ. Etſi verò aliter alij hac de re docent, & alij quidem foramen nimis anguſtum impedire exitum radiorum ſcribunt, ob amplum verò nimis diſpergi radios putant: tamen falſa hæc eſt opinio, quæ præſupponit, viſionem fieri radiorum emiſſione. Alij verò ſpiritu animali, qui ad oculum confluit, amplam pupillam minus commodè repleri poſſe exiſtimant. Veruntamen commodior eſt ſententia antea propoſita, quæ pupillæ dilatationem & conſtrictionem viſui obeſſe ſcribit, ob luminis externi maiorem vel minorem copiam, quæ pro auguſtiore vel ampliore pupillæ foramine maiore vel minore copia admittitur; qua de re in Inſtitut. *lib. 1. cap. 12.* & *lib. 2. part. 3. ſect. 2. cap. 3.* dictum.

Pupillæ autē dilatatio, Græcis αὐδρίασις peculiariter dicitur, quaſi ἀμυδρίασις, ab ἀμυδρῶς ὁρᾷν, vt etymon faciunt, hoc eſt, à viſione obſcura. Pupillæ etiam dilatatio ſemper viſui incommodat, ſiue ab ortu ſit contracta, ſiue pòſt acceſſerit. Anguſtia pupillæ non ſemper, ſed quæ naturalis eſt, potius ad acumen viſus facit. Dicitur & pupillæ ἀ.ξησις & πλατυκορία, ab ampliatione pupillæ. Morbus eſt in vitiata conformatione, hoc eſt, in via ſiue meatu præter naturam dilatato, quando ſcilicet pupilla ſeu foramen illud, quo vuea tunica ad ſpecies viſibiles admittendas donata eſt, ita præter naturam verſus iridis circulum ampliatur, vt viſio hac de cauſſa lædatur. Fit enim tum imbecillior viſio, atque æger etiam ex mediocri interuallo obiecta non exactè cognoſcit. In clara etiam luce non ſatis acutè videt. Cuius rei cauſſam quidem, vt modò dictum, nonnulli eſſe dicunt, quòd amplius pupillæ ſpatium non ita impleatur à ſpiritu animali, prout opus erat, & quod ſpiritus animalis diſperſus radios procul emittere nequeat. Sed malè hi præſupponunt, quod viſio fiat ſpirituum emiſſione. Cauſſa verò huius rei eſt, quod externi luminis copia nimia in oculos per pupillæ foramen amplum admittitur, quæ viſioni officit; vnde etiam, qui exactè aliquid inſpicere volunt, oculis conniuent. Errat verò hic quidam, qui multo lumine externo opus eſſe putat ad perceptionem minutiſſimarum ſpecierum viſibilium. Experientia enim contrarium docet, qua conſtat, ad perceptionem ſpecierum in pariete obſcuratæ cameræ nullo planè opus eſſe externo lumine, excepto illo ſolo, quod ſpecies & colores per foramen deuehit, & in parietem ſtatuit. Lumen enim, vehiculum ſpecierum, coloréſque illuſtrati, radiant vt lux ipſa, vt ex opticis conſtat. Ergo

externum lumen multum, quod diluit imagines magnas in obscura camera, exiles imagunculas planè visui eripiet. Errandi autem caussa hæc illi fuit, quod specierum visibilium ab obiecto visibili reali radiantium repræsentationem confundit cum specierum propagatarum ab obiecto, in quo intentionales & apparentes solùm depictæ imagines, perceptione. Nemo enim in opticis paullùm versatus ignorat, literas in papyro existentes expressas realibus coloribus clariùs & euidentiùs cerni multo lumine præsente, literarum autem imagines paruas in obscurata camera in papyro albo depictas eò obscuriùs, quò plus luminis cameram ingreditur; clariùs, quò minùs, videri.

### *Caussæ.*

Caussa dilatationis pupillæ alia natiua est, vbi à primo ortu contractum est hoc malum; alia aduentitia: atque hæc vel interna, vel externa. Interna proxima Galeno, 1. *de sympt. caussis, cap.* 2. est tensio vueæ tunicæ. Tenditur autem vuea vel per se, ob intemperiem siccam, citra humoris aquei consumptionem, à vigiliis diuturnis, febribus, ac similibus exsiccantibus, non aliter, atque perforata coria, cum exsiccantur, patentiora foramina acquirunt; quo simili Auicennas rem declarat: vel per accidens, à subdito spiritu vel humore in modum vtris inflata aut distenta; quod & ab aqueo oculi humore supra modum aucto fieri posse docent. Auicennas etiam à tumore seu apostemate vueæ illam extendente, Aëtio simpliciter est allapsus humorum, qui aut aceruatim; aut paulatim ad oculum feruntur, & citra sensum vueam distendunt, vt pupilla dilatetur.

Externa caussa est ictus aut casus ab alto, cuius vi vuea tunica vel tenditur, vel planè rumpitur. Ad quas etiam referri potest anhelitus retentio in parturientibus, vt docet Auenzoar, *libr.* 2. *tr.* 8. *cap. propr.* quia in anhelitus illâ retentione & enixu spiritus multi ad oculos confluunt, qui etiam humores & flatus ad oculos impellunt. Accidit hoc malum pueris magis propter tunicarum debilitatem; iis quoque, qui magnos habent oculos.

Facere etiam potest ad amplitudinem vel angustiam pupillæ diuturna in loco lucido, vel opaco mora. Si quis enim diu in loco tenebricoso moretur, pupilla perpetuò dilatatur, & in eo situ permanet, vt postea in lumine iterum contrahi nequeat.

n *Siccitas caussa dilatationis pillæ.* Verùm de siccitate, quam modò inter caussas dilatationis pupillæ retulimus, inter autores controuersia est, & dubitatur, an illa pupillæ dilatationem inducere possit. Galenus equidem, *loco allegato*, hanc caussam proponit: verùm eam prætereunt Aëtius, Ægineta, Actuarius. Et Rhases, 2. *Contin.* Galeni opinionem reiicit: videturque ei ratio adstipulari; siquidem siccitas potiùs videtur constringere & coarctare, quàm dilatare. Verum notandum, vueam posse humectari & exsiccari vel vt pars similaris est, vel vt organica. Humectatur vt pars similaris, quando per totam substantiam ipsius tunicæ diffunditur humor; vt pars verò organica, quando meatus saltem & foramen vueæ repletur humore. Contra exsiccatur vt pars similaris, quando tota substantia vueæ exsiccatur; vt pars verò organica, quando humiditas meatibus inclusa absumitur. Itaque si vuea tunica vt pars similaris humectatur, fit pupilla angustior; quia tota vueæ substantia humectata, & in ampliorem molem extensa coarctat foramen vueæ; si verò humectetur vt pars organica, seu potius si meatus ille humoribus oppletur & distenditur, pupilla quoque dilatatur: Sin exsiccatur vt pars organica, seu potius si humor in meatu absumitur, ille in se concidit, & hinc foramen vueæ amplius redditur, sicut coria & alia corpora exsiccata dehiscere interdum videmus.

### *Differentiæ.*

Differentiæ huius mali sunt, quod alia dilatatio parua est, non multum excedens limites naturales; alia magna, vt iridis etiam circulum contingat: alia per ἰδιοπάθειαν genita in oculo, alia per συμπάθειαν capitis ex vehementi eiusdem dolore, aut alia affectione.

### *Signa Diagnostica.*

Malum hoc oculis intuentium patet; præcipuè si Medicus anteà oculos ægri inspexerit. Si verò, quæ latitudo pupillæ oculi sani fuerit, Medico notum non est, videndum, an visus simul cum latitudine pupillæ lædatur. Commune enim accidens est, quod minus acutè vident, & quòd visibilia grandiora apparent, sed indistinctè. Et si duo statuantur in vno loco luminoso, alter sanus, alter oculis æger, sani pupilla plus arctabitur, quàm ægri. Accedit, quod tales homines, cum aliquid intueri volunt, oculos nonnihil comprimunt, & veluti conniuent. Pro magnitudine autem dilatationis visus plus, vel minus offenditur. Præterea videndum, an vna saltem sit dilatata, an vtraque. Nam si vna saltem sit dilatata, certum est, eam affectionem morbosam esse: si verò vtraque pupilla sit ampla, alterius oculi pupilla consideranda. Si enim altero oculo clauso altera adhuc magis dilatatur, amplitudo ea naturalis est: si verò non dilatatur, est præternaturalis; quia iam præter naturam pupilla ita dilatata est, vt amplius dilatari non possit.

Caussarum signa ex affectionibus præcedentibus haud difficulter cognoscuntur.

### *Prognostica.*

1. Natiua pupillæ dilatatio incurabilis, teste Auicenna; aduentitia ægrè curatur. Nam conformationis vitium in hac parte ars corrigere non potest, & membranosum vueæ tunicæ corpus semel tensum induratur, vt non facilè ad naturalem statum redeat, teste Aëtio.

2. Dilatatio pupillæ ex siccitate orta difficulter admodum curatur; quæ verò ex humiditate, non ita difficulter, Galenus, 1. *de sympt. caussis, cap.* 2.

3. Si post capitis dolorem vehementem magna sequatur pupillæ vsque ad iridem dilatatio, exigua sanationis spes est, ob immodicam materiæ copiam.

4. Quæ à percussione oritur, incurabilis est, si vuea sit lacerata. Curatio verò aggredienda, vbi solùm vuea tenditur ab humore subiecto.

### *Indicationes.*

Quoniam pupilla vltra modum naturalem dilatata est, indicatur remedium foramen contrahens. Si autem à caussa præsente fouetur malum, eáque sit siccitas, humectandi oritur indicatio: si humor aut flatus tendens, is diuertendus & euacuandus est.

### *Curatio.*

Græci & Arabes, dum malum ab humiditate est, & corpus plethoricum, venam secant in cubito; idque ideo, vt sanguis ad oculum confluens reuellatur. Postea etiam venas temporum, & venas in angulis oculorum, ad causam proximam deriuandam. Prosunt & cucurbitulæ in occipitio, & hirudines post aures applicatæ; frictiones item deorsum factæ, & alia vniuersalia, quæ in affectibus oculorum adhiberi solent. Instituatur quoque purgatio humoris peccàtis, si opus, vt hactenus dictum. Postea vsurpentur materiam illam resoluentia, & vueam leniter adstringentia. Resoluunt aqua marina, in quam facies apertis oculis aliquandiu immittatur, aut, si marina desit, parum salis misceatur aquæ, aut posca aquosa vsurpetur, iubente Aëtio. Leniter adstringunt rosæ, nardus, crocus, pompholyx, spodium, item collyrium ex rosis, croco, corticibus thuris, acacia.

Vel

Vel ℞. *Rosar.rubr.siccar.* Scrup.ii. *croci,spicæ, cortic. thuris*,an.Scr.ß.*tut.præpar.spodij,acaciæ*,an.Scr.i.

In puluerem redacta ligentur in nodulo panni linei rari,& nodulus coniiciatur in *aquæ rosar.* Vnc.iij.

Tempore vsus nodulus fortiter exprimatur, & aqua ista oculo instilletur.

Vel ℞. *Gummi Arab. tutiæ, sandarachæ Arab. tragacanth.*an.ʒ.ii.*boli Armen.*ʒ.ß.*sem.lini,cydonior.croci*,an. ʒ.i.*succi granat.è toto* ℥.iß.*aq.rosar.*℔.ß.

Macerentur omnia in loco calido per noctem,postea ebulliant hora dimidia & colentur.

Si à multis sit flatibus, vt tubicinibus nonnunquam accidit, illi discutiantur. Addenda adstringentia, quæ robur parti adiiciant,vt si fotus fiat ex decocto sem.fœnicul.fol.rutæ,aneth.flor.rosar.cimis rubi,fol. myrti & hyperici,quæ decoquantur in aqua rosar.vel myrti, admixta vini albi parte quarta.

Si malum sit à siccitate, probantur humectantia, in quibus optimum est lac caprinum recens infusum in vasculum oculo excipiendo idoneum, vt oculus aliquandiu in hoc detentus molliter foueatur.

Vbi à percussione ortum est malum,estque læsio non magna,atque abest inflammatio,facilis est curatio cum emplastro de farina fabarum,fol.plantag.fl. rosar. quod in principio ad repercutiendum valet; postea cum emplastro de farina fabarum Rhasis, quod magis resoluit. Ratione verò materiæ, quæ fluxit, Auicennas sanguinem turturis vel columbarum in oculum instillar, ac tandem ad dissipandum collyrio è myrrha & fellibus vtitur. Si cum vulnere sit & ruptura vueæ, non curatur.Maior tamen affluxus prohiberi potest venæ sectione,materiæ deriuatione ac repulsione,& denique oculi roboratione.

## CAPVT XXVII.

### *De Angustia Pupillæ.*

*Angustia Pupillæ.*

Diminutio vel constrictio pupillæ, Græcis μύωσις, vel vt Galenus,10.*de vsu part.c.*5.nominat,φθίσις τῆς κόρης,(nam atrophia toti oculo tribuitur)est angustia præter naturam foraminis vueæ,qua visio læditur.

Est videlicet morbus conformationis,scilicet in via; quia foramen illud pupillæ angustius est redditum, quàm naturaliter debebat.

*Quomodò lædatur visus in angustia pupillæ.*

Quomodo autem visus lædatur in pupillæ angustia, non ita planum est,Galenus,2.*de symp.causs.cap.*2. saltem visum aboleri scribit. Auenroës, 3. *Coll.cap.*28. visum imminui docet. Oribasius verò, Aëtius, Paulus Ægineta, & Actuarius, etiam visionem deprauari, & res maiores videri, quàm reuerà sunt, scribunt. Quam Græcorum sententiam plurimi etiam ex Practicis secuti sunt, & in caussa huius symptomatis reddenda variè laborarunt. Visa est & mihi olim probabilis. Sed experientia & opticis principiis edoctus iam sentio, in pupillæ amplitudine nimia res quidem grandiores, non tamen maiores, quàm reuerà sunt, videri: minùs tamen distinctas in clara luce; cùm nimia luminis copia simul ingrediens species nonnihil obliteret;contra in pupillæ angustia res quidem visibiles distinctè repræsentantur, sed minutissimæ, & quæ à lateribus sita sunt, non videntur; cùm eorum imagines per foramen angustum ingredi non possint: & contra in amplitudine pupillæ, etiam immoto capite, ea non solùm,quæ rectà oculis opponuntur, sed & quæ ad latera sunt videantur.

### *Caussæ.*

Caussa proxima est contractio vueæ tunicæ.Contrahitur autem illa, vel cum laxatur à nimia humiditate, qua ab ambitu versus centrum contrahitur,sicut in cribrorum & coriorum madefactorum foraminibus accidit; (vt enim tensio vueæ tunicæ pupillam dilatat, ita laxatio angustiorẽ reddit) vel à defectu humoris aquei, siue ex vulnere aut vlcere,siue ex alimenti inopia, quo humore consumpto indigens tunica concidit & corrugatur,ac pupilla angustior redditur. Paulo caussa est densatio vueæ à siccitate orta, si videlicet exsiccatio vueæ à circumferentia ad centrum progrediatur;sin contra, fit destillatio pupillæ. Aëtius dicit, contingere ex periculosis, cuiusmodi ab inanitione fiunt, debilitatibus,aut ex ingenti capitis dolore.

### *Signa Diagnostica.*

Malum per se patet, præsertim si ad sanum oculum fiat collatio. Quoad signa caussarum, si ab humiditate superflua malum est, præcesserunt caussæ humectantes: tes:si à defectu humoris aquei, æger melius videbit in obscuro;quia species visibiles promptius occurrunt crystallino, qui à lucis præsentia offenditur. Commune verò huic vitio ex quacunque caussa est,quod res visibiles quidem distinctè vident,sed minutissimè;& quæ à lateribus sunt, non ita vident, ac ij, qui pupillam ampliorem habent.

### *Prognostica.*

1. Naturalis pupillæ angustia bona est, ob caussam antea dictam.

2. Morbi vitio facta mala est:atque insanabilis quidem, si ex insigni & irreparabili defectu fiat humoris aquei; minus noxia,si ex vuea humectata. Difficulter quoque sanatur,quæ ex siccitate & inanitione oritur.

### *Curatio.*

Præmissis vniuersalibus,si vitium sit ab vueæ humiditate, probantur siccantia, vt ruta, chelidon. fœnicul. collyrium ex tutia,felle,ruta,euphragia,& similibus. Si à defectu humoris aquei, humectantia vsurpentur, vt lac & aqua dulcis actu calida fronti & capiti admota, vt caput alimentum ab inferioribus attrahat. Commodissimum est, si manus calida & humida super oculos detineatur. Paulus medicamentum rarefaciens & acre iubet oculis applicare, cuius scilicet rarefactione alimentum ab oculo suscipiatur, acrimoniâ verò attrahatur. Attamen acrimonia illa morsu careat, neque nimis calida medicamenta sint, ne, quod attractum est dissipetur. Verùm natura sponte plerumque humorem aqueum reponere solet;qua de re postea,de defectu humoris aquei,dicetur.

## CAPVT XXVIII.

### *De Suffusione.*

*Suffusio.*

Ὑπόχυμα & ὑπόχυσις, Latinis Suffusio, est humoris pr. natur. sub cornea è regione pupillæ concretio, qua visio impeditur. Vulgus cum Barbaris Cataractam appellat, tanquam aquæ ad pupillam decubitum. (Est enim Cataracta præceps aquæ in flumine ex loco abrupto delapsus, vt aqua ruere potius, quàm fluere videatur) Vnde etiam aquam simpliciter, & aquæ descensum nominant. Arabes gradus augescentis huius mali appellationibus quibusdam distinguũt. Incipiente enim suffusione culices & corpuscula quædam pilorum aut lanarum, vel aranearum texturis similia oculis obuersari videntur, pro humoris pupillæ suffusi qualitate, colore, figura: atque hunc gradum appellant imaginationem,quod scilicet putantur res oculis obuersari,quæ non sunt. Augescente hoc malo symptomata inualescunt, & pupillæ color marinus apparet, aut pupilla similis est vitro contaminato, vel aëri

nebulis repleto. Atque hunc gradum nominant Aquæ descensum siue Guttam. Tandem, postquam malum perfectum est, ægérque amplius non cernit, & pupillæ color albus, aut alterius coloris apparet, non translucens amplius, Cataractam & ὑπόχυμα, seu Suffusionem appellant, vbi scilicet externum lumen cum speciebus visibilibus humorem crystallinum ingredi nequit, propter interpositum corneæ & crystallino humori humorem excrementitium. Etsi enim veteres nonnulli, teste Æginetâ, eandem affectionem esse putârunt ὑπόχυμα & γλαύκωμα: tamen rectè discernuntur; cùm γλαύκωμα non pupillæ obstructio sit, vt suffusio, sed crystallini humoris affectio, eius scil. præ nimia humiditate in glaucum colorem mutatio, vt, *ibidem*, ab Æginetâ docetur.

*Suffusio vera quid.* Est igitur ὑπόχυμα pupillæ siue vueæ foraminis obstructio, facta ab humore præter naturam, eâ parte in oculo consistente, visionémque impediente. Morbus est in via; cum ob foramen vueæ obstructum species visibiles in oculum admitti non possint. Vnde symptoma sequitur initiò actionis videndi imminutio aut deprauatio, tandem, confirmato malo, penitus ablatio. Galeno, *in libr. de differ. morb. cap.* 8. est morbus in numero, & quidem in excessu; quoniam additum est aliquid præter naturam, seu adest oculo humor, licet alienus, in lentam & mediocriter duram σύστασιν, cuiusdam quasi membranæ, concretus.

*Suffusio notha.* Atque hæc, quæ dicta sunt, de vera suffusione sunt intelligenda, quæ κατ' ἐξοχὴν ita dicitur, quámque humor circa pupillam præter naturam collectus efficit, non vapor. Nam præter hanc, quæ legitima & vera suffusio est, alia adhuc est, quæ Notha dicitur, quæ fit à vapore, & per consensum vel totius, vt in febrium ardentium vigore, fumis adustis per venas, & arterias simul cum sanguine & spiritibus sursum elatis, & instante quoque crisi, per hæmorrhagiam narium: vel cerebri, quando succis abundat aut crassis pituitosis, vt plerumque accidit, vnde vapores eiusmodi ad oculos mittuntur; aut biliosis adustis, vt in phreneticis, teste Galeno, *in* 4. *de loc. affect. cap.* 2. vel ventriculi, è quo vapor sursum ad oculos effertur, siue ex cruditate, præsertim nidorosa, siue ex biliosi humoris in ventrem confluxu: vel vteri, aliarúmque partium inferiorum ab effumante ibidem alluuie: vel pulmonis, vt in peripneumonia, teste Galeno, *in* 1. *Progn. aphor.* 23.

Denique fit vitio humoris aquei vel albuginei, quando is ita crassescit, & concrescit, vt crassitie visionem offendat. Nonnulli tamen hanc postremam suffusionis speciem ad primam illam referunt, & omnium suffusionis differentiam potissimam ac maximè propriam esse statuunt, vtpote, quæ non per consensum fiat, sed oculo primario affecto, & caussâ in ipso oculo consistente.

### *Subiectum & Caussæ.*

*Locus suffusionis quisnam.* De loco suffusionis Autores non planè consentire videntur. Autor *lib. de oculis* humorem, suffusionis caussam inter humorem crystallinum & vueam tunicam constituit. Quam sententiam Arabes plerique sequuntur. Galenus, 10. *de vsu part. cap.* 1. suffusionis locum esse dicit regionem, quæ interiacet inter crystallinum & corneam tunicam, quem Græci, Paulus Æginetа. Aëtius, & Actuarius sequuntur. Auicennas, *cap. proprio*, inter albugineum & corneam locum suffusionis statuit. Celsus, *lib.* 7. *cap.* 7. peculiarem sententiam fouet, & suffusionem fieri statuit post duas tunicas, scilicet corneam & vueam, eâ in parte, in qua spatium quoddam intercedat inter aqueum humorem & corneam.

Verùm non magna est hæc sententiarum discrepantia. In toto enim illo spatio, quod intercedit inter corneam & crystallinum, humor ille concrescere potest, totúmque illud spatium locus suffusionis est; etsi non semper in eadem spatij huius parte humor hic concrescat, sed modo in hac, modò in illa, nunc magis versus corneam, nunc versus crystallinum.

Nonnulli quidem statuunt, in crystallino quoque, & post crystallinum, in vitreo humore, posse consistere materiam suffusionis: verùm vt non negamus, ob capacitatem & impuritatem crystallini quoque & vitrei humoris, etsi rariùs, visum lædi posse: tamen an id vitium suffusio dici possit, dubito.

Veræ suffusionis, & quidem incipientis, caussa continens est humor tenuis intra corneam & crystallinum conclusus: confirmatæ, humor crassus & lentus, eodem spatio pupillæ obiectus, ibidem magis ac magis crassescens, siue ibidem genitus sit, siue à capite eo depulsus. *Caussa suffusionis.*

Humor is interdum sincerus est, & vnius generis, pituitosus scilicet, vnde suffusio fit alba; interdum varij humores miscentur, ita, vt varios colores pro varietate mistionis habeat, citrina, si bilis miscetur; nigricans, si humor melancholicus.

Colligitur verò hic humor eò loci, vel cùm ibidem paulatim cumulatur, ob nutrimentum oculi non bene concoctum & conuersum; vel cum excrementum pituitosum seu crassum, seu in toto, seu in cerebro præcipuè cumulatum, ad oculos vel ob natiuam, vel ascitiam debilitatem transmissum fuerit. Ad natiuam debilitatem pertinet & eminentia oculorum; quique eminentes habent oculos, facilè suffusionem incurrunt. Aëtius, *lib.* 6. *cap.* 9. caussam huius rei esse dicit, quod, qui habent oculos prominentes, habent crassos spiritus. Vbi verò crassus est spiritus, ob humores admixtos suffusionibus gignendis facilè occasio dari potest. Verùm cum magnitudo oculi sit à conformatione, ij, qui oculos magnos & eminentes obtinent, visum habent debiliorem, quia iam in magno spatio virtus diffusa infirmior est, vt Aristoteles, 5. *de gen. anim. cap.* 1. docet. Præterea oculi isti prominentes & magni facilè humores & vapores suscipiunt, atque externis iniuriis sunt expositi. Pertinet huc & viarum laxitas, quæ humoribus facilè aditum præbet. Ad humorum in oculos influentium susceptionem faciliorem faciunt etiam caussæ externæ, vt ictus, contusio, mora sub Sole, balneum, austrina & pluuiosa cœli constitutio, & similes, quæ oculum debilitant, & fluxionem capitis, ceu caussam antecedentem internam, commouent, & faciunt, vt humores p. n. ad oculos fluant, ibique subsistentes temporis diuturnitate.

Via autem, per quam materia ad oculos differtur, triplex esse potest: 1. Venæ omnium tunicarum. 2. Vuea tunica, à qua aliquid transsudare potest. 3. Nerui optici. Potest enim materia è venis frontis & temporum per pericranium deriuari, & ad annatam, inde ad albugineum, hinc ad corneam & vueam confluere. Eadem deriuari potest à dura matre ad duram tunicam, hinc ad corneam & humorem aqueum, atque ita inter corneam & vueam suffusionem excitare. Potest eadem deriuari à pia matre, vel secundina & vuea, & hinc ad humorem aqueum transsudare, & tunc suffusio inter crystallinum; & vueam consistit. Potest & circumferentia vueæ ad pupillam effundi. Si verò à cerebro per neruos opticos effundatur, per retiformem & araneam tunicam ad crystallinum deriuatur, & materia suffusionis crystallini superficiei adhæret.

### *Differentiæ.*

Differentiæ suffusionis, & quidem veræ, sumuntur, *Differentia suffusionis.*
1. à magnitudine Nam in aliâ tota pupilla crasso humore obsidetur, vel humor aqueus ita deprauatus est, vt

vt totus sit opacus; atque tunc visio planè aufertur: in alia pars pupillæ est obtenebrata, vnde & obiecta directo intuitu integra non cernuntur, nec vno tempore multa, cùm conus visionis sit factus angustior. Quod si in centro pupillæ exigua sit suffusio, ambitus verò sit purus, omnia quasi fenestris pertusa esse putantur. Si diuulsa crassa corpuscula pupillæ obiiciuntur, culicum species ante oculos versari videbuntur; quemadmodum Galenus hæc distinguit, *1. de sympt. causs. cap. 2.*

2. A modo substantiæ. In alia enim materia tenuis & fluxa est, qualis in principio esse solet: in alia crassa, lenta, & tenax, vt membranæ speciem præ se ferat: in alia denique medio modo sese habet, quæ & acu facilius deponi potest.

3. A colore, quo humor ille tinctus est. Materia enim suffusionis alia est specie aëris puri, margaritarum, argenti viui, gypsi, vel ex albedine tendit ad citrinum aut viridem; alia verò citrina est, alia viridis, alia aurei coloris, alia fusca vel plumbea, alia nigra.

4. A situ materiæ. Nam quædam sita est post vueam, inter hanc & humorem aqueum & crystallinum; quædam ante vueam, inter hanc & corneam, quædam corneæ vel vueæ accrescit; quædam non. Habet & notha suffusio suas differentias. Nam ægri videntur sibi videre modò pulices, modò pilos, modò circa candelam circulos, modò telas, modò aliud, quod in aëre volitet. Et omnino variæ imagines oculis obuersantur, prout figura est varia humoris consistentis circa pupillam. Non enim, quod videtur suffusis, est obiectum externum, sed humor in oculo cumulatus. Galenus, *1. de sympt. causs. cap. 2.* & *4. de loc. affect. cap. 2.*

### *Signa Diagnostica.*

*Signa Diagnostica.* Cum suffusio non sit eiusdem generis, vera à notha distinguitur, primò, quod vera alterum tantùm oculorum occupat, aut, si vtrumque, non tamen simul, nec similiter. In spuria enim tenebrosum quiddam in pupilla, in vera autem coloratum apparet. Secundò in verà symptomata sunt continua, nec vlla habent interualla: in spuria remittunt in aëre puro, parciore & salubriore diæta, cibique bona coctione, & tandem purgatione per hieram picram, vel reiectione succi biliosi per vomitionem, si morsus oris ventriculi præcesserit. Tertiò, vera breui tempore, mensibus duobus vel tribus, aut sex vt plurimum, nonnunquam & paucis diebus incrementum suscipit: imò Fernelius refert, *lib. 5. pathol. cap. 5.* consummatam suffusionem vno die subortam. Spuria autem multos annos durat absque visionis insigni noxa, quod obseruatione peculiari confirmat Guil. Fabricius, *Cent. 5. obs. 14.*

*Incipientis suffusionis signa.* Sed vt veræ suffusionis signa diligenter contemplemur, incipiente hac affectione culices aut caliginosa quædam, pilorum, lanarum, aut aranearum retibus similia, oculis obuersari videntur, pro humoris pupillæ suffusi qualitate, colore, figura.

*Augescentis.* Augescente malo hæc symptomata inualescunt, & pupillæ color marinus apparet intuentibus, aut similis est pupilla vitro contaminato, vel aëri nebulis repleto.

*Perfectæ.* Perfectâ hac æger non cernit, pupillæque color albus apparet, non lucens, aut alias præter naturam coloris differentias habet. Ex colore etiam ipso signa sumuntur, quod aëreus materiam sub pupilla significat fluidam; gypseus crassam, non fluidam; citrinus pituitam cum bile mixtam; niger cum humore melancholico; vergens ad colorem margaritæ pituitam nonnihil diaphanam.

*Loci suffusionis signa.* Quod verò ad dignoscendum locum suffusionis attinet, residet illa inter vueum & corneam, primò, si euidentius conspiciatur materia obtenebrata; quoniam materia magis propinqua est oculis intuentis, & pupilla ob humorem distendentem necessariò dilatatur. Deinde si à principio ita manifesta non apparuit species volitantium ante oculos culicum; quoniam spatium intra corneam & vuea manguſtius est, in quo materia ita promptè moueri nequit. Opposita apparebunt, si materia inter crystallinum & vueam continetur.

Præterea si materia suffusionis in loco profundiore sita est, pupilla angusta est: si loco minus profundo, amplior illa est. Nonnunquam partibus vicinis materia suffusionis accrescit, & tunc albæ vel virides fibræ aut striæ supra iridem protensæ conspiciuntur. Nonnunquam per vueam corneæ adhærescit materia, & tum puncta quædam albicantia conspiciuntur; ac, si à latere oculus inspiciatur, alba quædam filamenta ex vuea ad corneam protensa conspiciuntur.

### *Prognostica.*

1. Spuria suffusio non solum periculo vacat, sed facilè etiam euacuato ventriculo aut toto curari potest. Vera autem difficulter; & alia quidem medicamentis foris intráque adhibitis, alia punctione cum acu.

2. In vera suffusione quibus altero oculo conniuentibus alterius pupillam dilatari contingit, si punctio admittatur, recipiendi visus spes est. Quibus non dilatatur, nemo vnquam visum recepit, teste Galeno, *3. de sympt. caus. cap. 2.*

3. Si æger suffusione laborans lumen etiam non cernat, tum, etsi sano oculo clauso pupilla dilatatur, tamen punctione facta visum non recuperabit; quia spiritus visiuus turbidus plerumque & obscurus redditus est, cum quo etiam cernendi facultas periit.

4. Suffusio, quæ non ita diu cœpit, & in qua ægri obiecta communia, id est, magnitudines, figuras, numeros, motus adhuc discernunt, discuti potest; quia moderatè tenuis adhuc humor est. Vbi diutius constiterit, & crassior aliquantum facta est, manûs operam requirit. Et quæ semel tamen punctione sublata est, si serosioris fuerit materiæ, non longo pòst tempore specie fecis vini reuerti solet, teste Galeno, *m. m. in fine.*

5. Vt sciatur, quæ suffusio acu commodè disponi possit, suffusum oculum pollice premes, iterúmque aperto oculo suffusionem considerabis. Quæ enim nondum concreta est, nec planè tamen adhuc tenuis atque cruda, ea ex digiti compressione nonnihil diffluit, ita vt aliquando latior appareat, statim verò ad pristinam magnitudinem, & figuram redeat. Id quod concreta suffusio non fecit. Itaque si ex pressura, quæ digito fit, nulla consequatur figuræ humoris mutatio, porrò videndum est, qualis eius color appareat. Si quidem ea, quæ moderatè concreuit, colorem ferri aut cœli, vel maris aut plumbi non admodum nigri, vel nucis castaneæ refert. Atque hæc commodè acu deponi potest. Quæ autem gypsi aut grandinis speciem colore præ se fert, supra modum concreuit, & punctione non sanatur. Itaque ipsius suffusionis maturitas quædam expectanda est chirurgo, nec punctio tentanda, donec humor peccans mediocriter concreuisse videatur.

6. Quæ suffusio nigra est, & quæcunque splendoris nitorisque omnis expers, nullo modo neque medicamentis, neque acu curari potest; quoniã spiritus optici destructio significatur. Pura verò & pellucida cùm pupilla, tum suffusio spem aliquã curationis relinquit.

Insanabilis

Insanabilis quoque ferè est viridis,obscura, & multum citrina atque dura, & quæ hydrargyrum colore & mobilitate repræsentat, & cuius oculus multum emarcuit. Videatur Auicennas,*loc.propr.*

7. Punctio, vbi conuenit, in pleniore oculo tutior est.

8. Si ex febre acuta, peripneumonia, phrenitide, aut dolore capitis acerbissimo suffusio exstiterit, aut si illa ad hanc accesserit, malum periculosius redditur.

9. Suffusio in centro pupillæ consistens, acu tentanda non est; quia periculum imminet, ne materiâ diffusâ tota pupilla impleatur, & homo visionem planè amittat.

10. Senilis ætas ad curationem apta non est,quippe quæ suo vitio visum hebetem habet. Nec etiam puerilis,in qua humor nondum est maturus.Aptissima curationi est ætas consistens.

### *Indicationes.*

In vtraque suffusione materia, quæ eius caussa est, euacuari indicat; id quod in spuria, quæ à ventriculo præcipuè,purgatione vel vomitu fit.Præsidiis etiam diuertentibus, & ventriculum atque caput roborantibus, ac legitimâ tandem diæta opus est. In vera autem euacuatio humoris pupillam obstruentis instituenda, & materia illa è pupilla,quæ obstructa est, tollenda:quod fit vniuersalibus præmissis, vel per resoluentia, vbi materia tenuis, fluxa, & recens est; vel per transpositionem, quæ acu perficitur,vbi malum consummatum est,& materia ita concreuit, vt præsidium hoc commodè admittat.

### *Curatio.*

*Curatio vera suffusionis.* Itaque in principio, si plethora adsit, & sanguinis affluxus metuatur,vena aperienda. Verùm cum plerumque ab humore frigido & crasso hoc malum ortum habeat,venæ sectio tum locum non habet;quia sanguinis spirituúmque euacuatione cerebrum magis refrigeratur,humórque crassior redditur,sed materia potius præparanda & euacuanda iis medicamentis, quæ supra, *part.1.de intemperie capitis cum pituita,* sunt proposita. Et quidem purgatio statim initio instituenda accuratior,eaque maximam partem phlegmagogis perficienda.In quem vsum valde vtilis est hiera, & electuarium diacarthamum.Et vt purgatio felicius instituatur, præparantia præmittenda ex ocularibus medicamentis, inprimis euphragia,calendula,betonica.

Quibus peractis semel atque iterum singulis septimanis theriacæ vel Mithridatij Scr.i.vel Dra.ß.exhibere conuenit cum conserua betonicæ, anthos, aut simili. Possunt & alia medicamenta interna ad absumendum, & expellendum illum humorem vsurpari,vt decoctum ligni Guaiaci,sarsæparillæ, sassafras cum plantis cephalicis & ophthalmicis,vt:

℞.*China* Dra.ii.*sarsæparill.*Dra.iij.

Infunde horis 24.in ℔.ii.aquæ puræ.

Coqu.ad medietatem. Sub finem adde *fol. euphrag. verbenæ, chelidon.* an. M. i. *sem. coriandri præparat.* Drach.ij.

Colat.seruetur pro vsu.Cuius dosis sint Vnc.vi.tempore matutino.

Caput nonnunquam lauetur lixiuio, in quo herbæ cephalicæ ebullierint, betonica,stœchas,maiorana,euphragia, agaricus,& alia, quæ supra, *part.1.* sunt proposita, vt:

℞. *Euphrag.maioran.*an.M.ii. *fol.lauri, rorismarini, melıloti,*an.M.i. *radic.asar.valerianæ,* an.Vnc.i.*sarsaparill.*Vnc.ii.*sem.fœnicul.*Vnc.sem.

Coqu.in lixiuio pro capitis lotione.

*Reuellentia.* Occipitio reuulsionis gratia cucurbitulæ vel vesicatorium,aut,quod efficacius est,setaceum applicetur,idque diu apertum seruetur,ad minimum menses sex.Vesicatoria verò sæpius repetantur,& post aures applicentur. Pone aures enim,quod monent nonnulli, ramus à vena iugulari intrò subit, qui ad opticos neruos vtrinque vergit. Possunt etiam cauteria brachiis applicari. Atque hæc omnia fiunt,vt materia attenuetur,euacuetur,resoluatur,& discutiatur.

Ad discutiendum verò vtilia sunt topica, forma fomentorum & collyriorum applicata,habita ratione duritiei & mollitiei temperiei oculorum, pro hominum ætate,sexu, & conditione. Sintque illa eiusmodi, quæ paulatim attenuent, & leniter molliendo extergant; non quæ valenter exsiccent;ne reliquiæ indurentur.

Principiò ergo fiant fomentationes vapore decoctorum,qualia etiam antea fuerunt proposita. Vel fiat euaporatio ex hederæ terrestris decocto,vsque ad remanentiam quartæ partis, quæ continuetur per dies viginti aut plures.

Vel ℞.*Hederæ terrest.*M.ii.*rad.valerian.*℥.i.*leuistici, euphrag.*an.M.i.*sem.fœnicul.*℥.j.

Coqu.in aqua simpl.& vapor calidus capite vndique tecto oculis excipiatur.

Commendatur & vesicula piscis abluta, & decocto fœniculi impleta,tepidéque admota.

Postea pro extersione commendatur *mel album purum & despumatum;aqua è melle vel melle rosato aut scillitico destillata*, cuius gutta i.manè & vesperi oculis instilletur mixta cum pauco sacchari candi. *Succus* item *rutæ, fœniculi, euphrag.* & *chelidoniæ maioris, verbenæ, calendulæ, marrubij*, & aquæ ex iis destillatæ. Fortiora sunt *fellis genera*, vt *perdicis, galli, piscis lupi, accipitris, hirci.* Galenus *fel vulturis* laudat cum marrubij succo & melle addito, *in lib. 4. de compos.medic.s.l.* Vbi etiam plura huius generis remedia exponit. Collyrium quoque ex fellibus à Rhase describitur. Valet & aqua ex anagallide flor. cæruleo destillata.

Vel ℞. *Pulu.maioranæ,chelidoniæ maioris, euphragiæ, rutæ*,an.ʒ.i.*fellis hœdi siccati* Drach.iij.

Infundantur simul & macerentur in *aq. fœniculi* & *euphragiæ* per dies tres,postea per filtrum colentur, & guttæ aliquot oculo instillentur.

Efficax est & aqua, quæ ex frumento paratur hoc modo:

℞.*Frumenti viridis,sed maturi,*Vnc.iiij.*fol.rutæ,anagallid.chelidon.maior.*an. M.sem.*sem.fœnicul.summit.eufrag.*an.Vnc.i.*cinamomi,caryophyll.*an.Drach.ii.*vini albi generosi* q.s.

Infundantur in vase vitreo, & radiis Solis exponantur diebus 30.sæpiúsque agitentur,postea destillentur.

Commendatur & *Aqua* quædam *Socialis* dicta,quam descripsit Iohan Angelicus;*in Practica sua.*quam *Rosam Anglicam* appellat.Quia tamen omnia,è quibus componitur illa aqua,sicca sunt;vtile est,duobus vel tribus diebus antè oculos vapore decocti herbarum emollientium & humectantium fomentare.Et omnino si in medicamentorum vsu spes adhuc sit posita, ad fortiora confugiendum, præparatione tamen per fomentationem præmissâ. Hoc enim modo oculi tunicæ rarefiunt, vt medicamenta discutientia facilius pentrare possint.

Exempl.gratia:

℞.*Herb.maioran.verbenæ,maluæ,euphragiæ,chelidoniæ maioris*,an.M.i.*sem.lini,fœnic.*an.Vnc.ß. *Fomentatio oculorum.*

Bulliant *in aqu.*℔.iii.ad dimidium.

A nonnullis commendatur etiam hæc Aqua:

℞. *Euphrag.chelidon.pentaphyll. verbenæ,siler. montan.capill.♀.anthos,anisi,marrubij, baccarum lauri, anagallid.flor.cærul.pimpinell.*an.p.i.*rad.cyclamin.*N.ii.

Omnia simul contundantur in formam pultis.Deinde infundantur *in vini optimi* & *vrinæ pueri* an.℔.iii.hor. 24.& in alembico vitreo destillentur.

In aqua infundantur, *thuris, mastich. myrrhæ, tormentill. sem. rutæ, fœniculi, betonic. scarleæ, sarcoroll. aloes, nucis moschat. calami aromat.* an. Drach. ii. *hepatis hirci* ℔. i. *fellis auium rapacium, bubuli*, an. Vnc. i. *fel è gallinis duabus, rororismarini* M. i. *mell. opt.* ℔. j.

Iterum destillentur & vsui seruentur.

Vtile etiam est hoc Collyrium:

℞. *Aq. fœniculi* Vnc. ii. *chelidon. euphrag.* an. Vnc. iß. *pompholyg.* Drach. ß. M.

Vel ℞. *Fellis gruis, perdicis, vulturis*, an. Drach. i. *sagapeni* Drach. i. *cinamomi, caryophyllorum*, an. Scr. i. *myrrhæ rubræ, croci Orientalis*, an. Scr. sem.

Puluerisentur omnia subtilissimè, & cum melle & succo fœniculi permisceantur pro Collyrio.

Palmarius hoc frequenter vsus est:

℞. *Aq. chelidoniæ* Vnc. iß. *vitrioli albi, tutiæ præp.* an. gr. xv. *vitri* ♁. gr. ix. *sacch. candi* Dra sem. Misc.

F. Collyrium.

Commendatur valde etiam illud Collyrium, quod exstat apud Galenum, *de medicamentis facilè parabilibus.*

℞. *Fellis galli* Vnc. ß. *sanguinis muris* Dra. iii. Cum lacte muliebri misceantur in formam Collyrij.

Admodum forte est, quod ex metallis paratur hoc modo:

℞. *Viridis æris, vitrioli, salis Armon. æris vsti*, an. Scr. ii. *fellis hirci* Scr. ij.

Terantur terenda in puluerem subtilissimum, & cum succo maioranæ aut aquæ mellis destillata.

F. Collyrium.

Dum verò validiora hæc vsurpantur sæpius oculus inspiciendus, & videndum, an periculum inflammationis alicuius immineat. Eo enim imminente statim ad inflammationem prohibendam oculus foueatur lacte muliebri, vel aqua rosarum, & aliis supra, de ophthalmiâ, & dolore oculorum, propositis.

*Suffusionis per chirurgiam curatio.*

Confirmata verò & inueterata suffusio non nisi manus operâ & punctione curatur, cum scilicet humor pupillam obstruens acu ab ea remouetur, & versus angulum oculi transponitur. Quia verò punctio ista inter operationes Chirurgicas subtilissima est, vt Celsus ait, nemo facilè eam tentauerit, nisi qui alium sæpius operantem viderit; &, cum non semper feliciter succedat, non temerè tentanda. Modum autem operationis huius planè & perspicuè satis descripsit Celsus, *lib. 7. c. 7.* Paulus Æginera, *lib. 6 c. 21.* Et extat idem in Institut. *lib. 5 part. 1 sect. 2. cap. 10.* Guido, *tractat. 6. doctrin. 2* alterius cuiusdam modi meminit, punctionis scilicet cum acu cannulæ vel canalis modo pertusæ, per quam sugendo suffusio extrahatur: quem tamen modum non probat, ac de eodem mentionem facit, Arculanus, *in 9. Rhasis.* Videatur etiam Hieronym. Fabricius, *de operatione Chirurg. tit. de suffusione.*

Antequam autem operatio instituatur, videndum, primò, an materia satis crassa, & ad speciem quandam membranæ concreta sit. Nam vt nimia crassities, ita & immoderata tenuitas translationem impedit. Secundò, corpus prius conueniente modo purgandum. Tertiò, vbi de punctione tentanda initur consilium, attendendum, ne æger diuturno aliàs capitis vel oculorum dolore laboret, ne tussi, aut sternutatione, aut vomitione frequenti eo tempore affligatur, quæ omnia præsidium hoc vel planè non admittunt, vel commodam eius administrationem impediunt. Eligendus est quoque dies serenus, tempus vernum vel autumnale. Luna nec sit plena, nec silens, neque etiam lumine crescens, sed potius diebus duobus vel tribus à plenilunio, cùm lumine decrescit. Luna etiam secundum Astrologos non percurrat Arietem, quod ex signis cœlestibus capiti præficiunt.

Si notha sit suffusio, & ea, quod plerumque fit, à ventriculo, ventriculus conuenienti modo, vt, *libro tertio*, dicetur, euacuandus, deinde roborandus, atque ea, quæ os eius hiare, & vapores ad caput adscendere prohibent, exhibenda. Et proba victus ratio obseruanda, nec ventriculus onerandus.

### *Diæta.*

In suffusione legitima, quæ discutiendo sanari potest, victus ratio sit attenuans. Abstineat ergo æger ab omnibus, quæ caput fumis crudis obnubilant, aut acribus vellicant.

Condiantur cibi iis herbis, seminibus, aromatibus, quæ oculis prosunt: puluis etiam ad pastum ex euphragia cum sacchâro & cinamomo paretur. Panis paretur cum semine anisi & fœniculi. Post cibum etiam sumantur cydonium, coriandrum, & quæ simul coctionem adiuuant, & vaporum ad caput ascensum prohibent. Aluus semper sit aperta. Venus vitanda.

Si suffusio acu est deponenda, victus conuenit nonnihil incrassans ex oryza & similibus. Legumina autem & allium atque cœpe vitentur; quoniam caput ita replent, vt suffusio etiam sani oculi sit metuenda. Vbi ad puncturam accedendum, victus talis sit, qui inflammationem prohibeat. Ideóque æger abstineat à vino & calidis aromatibus aliquot diebus, post punctionem præsertim administratam.

Abstineat quoque æger à clamore, vitet lumen nimium, & omnia, quæ caput & oculos commouere possunt. Æger etiam per aliquot dies victu tenui regendus, ac in lecto, corpore supino, capite tamen elatiore, collocandus.

---

## CAPVT XXIX.

### *De Vitiis tunicæ Araneæ.*

*Araneæ tunicæ vitia.*

INter tunicas oculorum est & Aranea dicta, quæ humorem crystallinum obtegit, & ab aqueo humore secernit. Hæc est lænis & subtilissima: quæ eius natiua constitutio si vitietur, & crassa illa fiat, vt spiritibus visibilibus transitus satis non permittatur, visus hebetatur, & quasi per velum videnti omnia apparent. Potest tamen & colore alieno infici hæc tunica à vitiosis humoribus affluentibus, vnde visio deprauatur.

Redditur autem crassior hæc tunica, quia humores crassi in eam se insinuant.

Cognoscitur hoc vitium, quia homo non solum obscurè, & quasi per velum videt, sed & quasi tela ante humorem crystallinum apparet. Præterea si hominis sani oculum quis inspiciat, imaginem suam in eo videt, quæ non apparet, si aranea tunica sit crassa & obscura reddita; quod sæpe in moribundis accidit. Vnde quamdiu in morbo aliquo huiusmodi imago in ægri oculo apparet, nullum plerumque adhuc mortis periculum est. Sunt tamen nonnulli, qui non ab aranea, sed à cornea imagines reflecti, & sic præsentari homunculum illum, quem vocant, scribunt. Idque probant vitro speculari pellucido, nullo opaco terminato, quod si ita statuatur, vt vmbrosum spectet locum, eius latus posterius reddit illuminatas species clarè; id quod noctu accidit, cùm in cameris illustratis tenebræ foris fenestris obtenduntur. Verùm ratio aliqua diuersitatis in isto simili videtur. Etenim in vitris illis tenebræ ex altera parte obtensæ sunt loco opaci, quod speculum facere solet; at in luce, etiam clarissima, quæ oculos satis illuminat, vt dici non possit, corneæ interiori lateri tenebras obtendi, nihilominus imago illa hominis apparet. An tamen forsan opacitas, quæ in pupilla est, istam reflexionem excitare possit, rem Lectori iudicandam relinquo.

Curatur hoc malum vniuersalibus præmissis, medicamentis

camentis attenuantibus & ophthalmicis, cùm internis, tum externis; de quibus in visione læsa dicetur.

Rumpitur etiam interdum hæc tunica, & inde confunditur humor cryſtallinus cum aqueo, & ita viſio vitiatur.

Cauſſæ autem fractionis huius ſunt percuſſiones, cõtuſiones, humores corrodentes. E quibus etiam cauſſis, ſi præceſſerint, malum hoc cognoſcitur, vt & quod humor aqueus & cryſtallinus confundi videntur.

Malum hoc nullis medicamentis curabile.

Nonnulli & corrugationem, & omnino omnia vitia, quæ cornea patitur, & huic tunicæ tribuunt. Corrugatio equidem, ſed rarò, humori cryſtallino, tabefacto ei, accidere poteſt. Quod verò omnes affectus, qui corneæ accidunt, etiam araneæ accidere poſſint, non neceſſarium eſt: quia longè alia ratio eſt corneæ tunicæ, alia araneæ. Etenim cornea tunica propria firmitudine conſiſtit, nec ſuſtentatione indiget; aranea verò ſua firmitudine non ſubſiſtit, ſed cryſtallino humori debet, quòd ſtabilis eſt. Huic enim firmiter adhæret. Secundò profunditatem notabilem habet cornea, vnde à quibuſdam anatomicis in laminas ſecatur; qua tamen, tam notabili, aranea deſtituitur.

Forſan & tunica vitreum humorem inuoluens eo modo vitiari poteſt, quo aranea.

### De Retinæ tunicæ vitiis.

*Retinæ tunicæ vitia.* Cùm retiformis tunica proximum viſionis organum ſit, ſuámque peculiarem ſubſtantiam, formam, figuram, ſitum, vaſa, connexionem cum reliquis partibus habeat, procul dubio etiam illa naturalis conſtitutio interdum vitiari, & viſus inde lædi poteſt.

Primò naturalis eius leuitas, quam mucoſa conſtitutio ipſi præbet, mutari poteſt, ita, vt tunica illa inæqualis & rugoſa fiat, & contrahatur, & in quibuſdam partibus emineat, in quibuſdam ſubſideat, & tum imagines obſcurè, indiſtinctè, & confuſè repræſentantur.

Inæqualitas autem hæc accidere poteſt vel à cauſſis neruum opticum, cuius dilatata medulla eſt hæc tunica, nimis humectantibus, vel calidis, eundum exſiccantibus. Et procul dubio ſæpe tunicæ huius vitio viſus læſio accidit, quæ fruſtra nerui optici anguſtiæ imputatur.

Raritas quoque & denſitas huius tunicæ viſui incommodare poteſt. Inſuper quod vehemens dolor in oculis percipitur, ſi illi radios ſolis rectà excipiant, vt cæcitas inde conſequatur, vel quando ex tranſlatione oculorum è loco tenebricoſo in lucidiſſimum, & ſolaribus radiis expoſitum palpebris abſciſſis (quod tormenti genus à Tyrannis nonnullis inuentum hiſtoriæ referunt) cæcitas ſecuta eſt: illud omne propter retinam hanc tunicam fieri putandum eſt. Hæc enim terminat lucis & ſpecierum lucidarum actiones, éſtque exquiſiti ſenſus, quia ipſius nerui continuata pars, & ad concipiendum dolorem aptiſſima eſt.

Nonnulli & ſitum mutatum ei accidere, eámque à cryſtallino vel nimis diſtare, vel ei nimis vicinam eſſe poſſe exiſtimant: ſcribúntque, ratione vicinitatis nimiæ accidere, vt longinqua ſolùm videantur, quod ſenibus quibuſdam accidit; ratione remotionis verò ſolùm percipiantur conſtituta propiùs. Verùm cùm vndique aliis corporibus concluſa ſit hæc tunica, & per ſe non mobilis, non probabile eſt, ei ſitum mutatum accidere poſſe.

Tandem etiam illæ intemperies, quæ cryſtallino à nonnullis tribuuntur, rectiùs tunicæ huic tribui, & venæ ac arteriæ retinæ tunicæ ſubſtratæ omnis generis humores noxios eò deuoluere poſſunt. Verùm cùm affectûs hi nec facilè cognoſcantur, nec curentur, plura de iis non addimus.



## CAPVT XXX.

### De AEgilope & Fiſtula lacrymali.

*Ægilops.* POſtquam tunicarum oculi affectiones præter naturam explicauimus, antequam ad humorum vitia accedamus, priùs de angulorum oculi & carunculæ lacrymalis vitiis dicemus; quæ tamen, ſi ita libet, etiam ſtatim poſt palpebrarum vitia tractari poſſunt. Inter quæ primò tumor in magno oculi angulo, Paulo Æginetæ *Anchilops.* αἰγίλωψ & ἀγχίλωψ dictus: ἀγχίλωψ quidem, ſi nondum ſit ruptus αἰγίλωψ verò, ſi iam ruptus ſit, quòd capræ huic vitio peculiariter obnoxiæ ferantur. Auicennæ Garab & Algarab.

Eſt videlicet tuberculum inter maiorem oculi angulum & naſi radicem ortum, plerumque cum inflammatione, nonnunquam tamen etiam ſine inflammatione, quale atheroma, meliceris & ſteatoma: & aliquando quidem tumor hic in ſuperficie ſe oſtendit, aliquando magis profundum obſidet, & non niſi tactu ac compreſſione percipitur. Tumor hic ruptus & malè curatus in vlcus abit, quod vel ſimplex remanet, à quo pus coctum plerumque exudat, vel ſerpens & malignum euadit, à quo pus crudum effluit: quod etiam non rarò ſub inferiore palpebra viam ſibi facit, & per tuberculum ibi eleuatum exulceratúmque aquoſam & purulentam materiam effundit; aut ſi abſceſſus poſt ægilopem tardius rumpatur, in ſinum ſeu vlcus ſinuoſum, & fiſtulam oculi, quæ κόλπος & σύριγξ, degenerat. Et proinde hæc ſeſe conſequuntur, Anchilops, Ægilops, Fiſtula lacrymalis, & denique ῥυάς, quæ eſt carunculæ in angulo oculi maiore conſumptio. *Fiſtula lacrymalis.*

### Cauſſæ.

Cauſſa efficiens inflammationis proxima plerumque eſt ſanguis tenuis aut bilioſus, rarius pituitoſus, aut melancholicus, qui è temporum, frontis, aut faciei venis motu naturæ critico aut ſymptomatico ad angulum illum oculi depulſus, tuberculum tale excitat, & abſceſſum gignit. Aëtio nonnunquam, vbi ſcilicet tumor eſt ſine inflammatione, cauſſa eſt lentus humor, melleus ſcilicet aut pultaceus, folliculo plerumque concluſus, vt in meliceride, atheromate, & ſteatomate fieri ſolet; vnde tumor tum ſine dolore exiſtit, qui etiam ferè non rumpitur, & ἀγχίλωψ ab eodem vocatur.

Cauſſa antecedens eſt redundantia bilioſorum & acrium humorum in maſſa ſanguinis, qui ad oculi locum hunc fluũt, ſi ex quacunque cauſſa is ſit imbecillis. Idque facilius accidit, ſi externæ cauſſæ accedant, ictus, caſus, dolor materiam attrahens.

### Differentiæ.

Tuberculum ipſum aliàs maius, aliàs minus eſt, in ſuperficie eminens & viſui expoſitum, aut in profundo latens, & cum ſolutâ vnitate coniunctum in ægilope, citra hanc in anchilope. Rumpitur autem intra verſus oculum, aut extra per cutem, aut vtrinque. Interdum & os naris proximum perforat; nonnunquam cartilaginem palpebræ, ac ipſam palpebram corrumpit.

### Signa Diagnoſtica.

Dignoſcitur malum, quia locus affectus obſcurè vel manifeſtè tumet, rubore in ambitu perfunditur, dolore affligitur, eóque lacinante, ſi malum ſit cõiunctum cum inflammatione. Vbi cute exulceratâ tumor rumpitur, fit abſceſſus cum vlcere; quod ſi legitimè non curetur, pus diutius coercitum cuniculos ſubtus agit, exeſáque carne ſinum parit, per quem ſanies intus collecta aut ſponte effluit, aut preſſo angulo extruditur,

 tumór

tumórque nonnihil ſubſidet,donec noua illuuies colligatur, quod paucis interdum fit horis. Sæpe ſinus ad os ſubiectum penetrat, illúdque arrodit, viámque in narem proximam, vt dictum, aperit, è qua graueolens quid continenter excidit, ita, vt portionem oſſis illius cum pure craſſo & fœtido Platerus è nare procidiſſe viderit.

Quod ad ſigna differentiarum, ſi tumor ſit inflammatorius, adeſt dolor, calor, color mutatus, & tumoris ipſius immobilitas. Contrà ſi non ſit inflammatorius, (qualis atheroma, meliceris, ſteatoma) tumor ille eſt mobilis. Præterea Meliceris eſt, vbi durities eſt minor; Atheroma, vbi maior; Steatoma, vbi ſumma durities.

*Prognoſtica.*

1. Ægilops vitium eſt ægrè curabile, niſi maturè ei occurratur. Nam diſcutiẽtibus medicamentis opus eſt, quæ,cùm pleraque calida & acria ſint,affectæ partis inflammationem augent. Præterea cum liquida medicamenta eſſe oporteat,facilè de his in oculum aliquid influit. Denique cum citra obligationem medicamenta non adhæreant, illa tam diu perferre difficile eſt. Quapropter veteres quidam Medici nulla prorſus,alij pauca ad ægilopas pharmaca præſcripſerunt, teſte Galeno, 5.*de comp.med.ſec.loc.cap*.2.

2. Difficilius autem hoc malum redditur,ſi cum magnitudine ſit coniuncta ſoluta vnitas,& ſi tumor profundas partes occupet.

3. Si ruptio ſit ad interna, peius eſt;quia metuenda ſubiectorum oſſium corruptio.

4. Si tumor non ſit inflammatorius, qualis eſt meliceris & atheroma,non tam medicamentis,quàm Chirurgiâ opus eſt.

5. Ægilopas ad cancri naturam accedentes curare periculoſum eſt;cum mors acceleretur.

6. Fiſtula recens, & quæ orificium habet extrinſecum manifeſtum,facilè curatur.

7. Fiſtula lacrymalis plerumque chronicum malum eſt,cum propter perpetuum materiæ affluxum,tum propter motum oculi continuum, tum quia ligatura vlceribus conueniens commodè ea parte fieri nequit, tum denique quia medicamenta debilia parum agunt, fortia verò lædunt oculum.

*Indicationes.*

Indicationes hic ſumuntur ab iiſdem, à quibus aliis in tumoribus præter naturam ſanandis peti ſolent,conſiderando vnde incitetur fluxio, quò feratur, per quas vias, quæ ſit materia fluens, quæ denique tum fluxionis,tum tumoris ipſius ſint tempora.

*Curatio.*

Curatur videlicet Ægilops vel vt inflammatio incipiens,vel vt abſceſſus iam ruptus,vel denique vt fiſtula;atque tum aut medicamentis,aut Chirurgiâ.Anchilops quoque ſuam peculiarem curationem habet.

*Ægilopis incipientis curatio.* Incipienti ergo Ægilopi poſt venæ ſectionem, ſi eâ opus ſit, aut poſt purgationem, conueniunt ἀποκρουστικὰ ad frontem,ex aqua ſeu ſucco roſarum,portulacæ,plantaginis,vitis,cum oui albumine,vel bolo Armeno.Imò eadem parti affectæ imponenda. Quibus proceſſu temporis additur ſuccus fœniculi,& aliquid thuris,myrrhæ, bdellij, galbani, aut ammoniaci in aceto diſſoluti. Conuenit gummi tacamahacæ; apparente duritie mucilago althéæ & fœnigræci. Et repellentium vſu incipientes Ægilopas,& nondum in pus mutatas, ne ad ſuppurationem prouenirent,ſe prohibuiſſe ſcribit Trallianus.

*Diſcutientia Ægilope.* Perſeuerante malo diſcutientia imponenda. Laudatur à Paulo Ægineta ruta ſatiua, cum lixiuio, quod ex cinere & calce confectum eſt,contrita,cocta,& impoſita. Quod medicamentum etſi in principio mordax eſt, ſtatim tamen miteſcit, & ad os vſque penetrat. Nux rancida tanquam multum diſcutiens à multis laudatur.

*Ægilopis apertio.* Si ſuppuretur, & ad abſceſſum tendat, iuuetur cum diachylo aut ſimili. Auicennas pane vtitur cum lacte muliebri & croco. Si ſponte non rumpitur, aperiatur ferro;& quidem maturè hoc fiat. Si enim apertio differatur,pus partes vicinas erodit,& fiſtulam ſæpe incurabilem gignit.

Poteſt & cauterio aperiri; quod vbi fit, applicetur fronti & oculo ſpongiâ aquâ roſarum madida,vel ſtuppa cum albumine oui.Dolorem ex cauterio lenit vitellus oui cum oleo roſaceo per vnum vel 3.dies appoſitus.Aëtius lenticulam cum melle coctam adhibet.Ruptum vlcuſculum abſtergatur melle roſaceo, vel oxymel. ſimpl. Auicennas ad mundificationem inprimis commendat lanuginem interiorem in arundine iuxta radicem inuentam, ſi cum melle mixta imponatur. Laudatur & thus cum ſtercore recente columbino, & erui farina cum melle. Fortius eſt vnguentum Ægyptiacum. Æs viride per ſe ſolum pro ſecreto habetur.

Vel ℞.*Staphid.agr.* Drach.ii.*Ammoniac. aceto diſſolut*.Vnc.i.M.& impone.

*Fiſtula ex Ægilope curatio.* Si fiſtula orta ſit, dilatetur eius orificium lentè ac paulatim cum tenta vel penicillo ex ſpongia, medulla ſambuci, vel radice rapi exſiccata,aut gentianæ. Sanies expurgetur & abſtergatur compreſſione, & poſtea inſtillatione mellis cum oleo roſarum.

Vel ℞.*Mellis communis* Vnc.ii. *virid.æris* Vnc.ß. *aq. vitæ* Vnc.iiij.

Æs viride puluериſatur,& cum exteris lentè coquitur ad tertiæ partis conſumptionem. Colatura tepens ſuauiter per ſyringam infunditur. Si hoc medicamentum acrius videatur, abluatur vlcus quotidie cum aqua rutæ, & deinde aliquid vnguenti Ægyptiatici imponatur.Expurgata fiſtula carne impleatur,& cicatrice obducatur cum farina erui aut fabarum, thure, aloë, myrrhâ, pompholyge, rad. irid. Illyr. ariſtoloch. cum melle aut terebinth.aut hoc Medicamento:

℞. *Thuris,ſarcocollæ,aloes,ſangu.dracon.balauſt.* ♁*nij, aluminis*,an.Scr.i.*flor.æris* gr.v.

Trita ſubtiliſſimè miſceantur cum aqua rutæ ad formam collyrij liquidi.

Poteſt vlcuſculum prius elui vino, in quo tantundem mellis, & parum ariſtolochiæ bullierint. Ne cicatrix ſit indecora, Auicennas folia rutæ imponit, cum aqua granatorum. Paulus rutam ſatiuam cum lixiuio è cinere & calce facto tritam & decoctam, vt dictum.

Priuſquam verò fiſtula conſolidetur, diligenter explorandum eſt, an in profundo callum contraxerit; id quod durities oſtendit. Præterea an os ſit corruptum; quod factum eſſe deprehenditur,ſi immiſſo ſpecillo aſperitas quædam in oſſe,aut ſonitus quidam pulſo oſſe, perioſteo abſumpto, animaduertatur. Vtrumque enim, & callus fiſtulæ, & oſſis corruptio ſolidationem impediunt. Itaque Chirurgiæ opera tum requiritur. Atque os ipſum corruptum radatur ferro, aut tollatur cauterio actuali, munito prius, vt decet, loco affecto linteolis in aqua roſacea infuſis, aut in oui albumine, aut alio ſucco frigido. Poſtea intus ponatur oui albumen cum oleo roſaceo aut vitello oui. Superponatur verò ſieff album cum albumine oui, lacte vel aquâ roſarum, ne inflammatio ſequatur. Fronti & temporibus repercuſſoria applicentur; quibus & locus affectus muniendus eſt, vt diximus, dum cauterium adhibetur. Quod ſi æger cauterium actuale abhorreat, dilatato vlceris orificio per ſectionem vel penicillum os deſquammetur, & ſuper eo alumen rochæ

combuſtum

combustum, ve peucedanum, vel chalcanthum vstum applicetur, quæ & squamam de osse tollunt, & corruptam fistulæ carnem absumunt. Vide Hieronymum Fabricium, *de operat. Chirurg. titulo de Ægilope.*

In Anchilope, qui Auicennæ Halcilus est; Aëtius superficiem dissecare iubet, vt materia vnà cum contento folliculo funditùs eximatur. Postea, ne malum denuo gignatur, locum cauteriò inurit, & lenticulam cum melle applicat. Tandem vbi crusta decidit, terebinthinâ alumine permixta cicatricem gignit.

Victus ratio sit tenuis; & ad frigidum declinet, atque eò magis, quò symptomata sunt fortiora præsertim dum Chirurgia per ferrum aut ignem administratur.

## CAPVT XXXI.

### *De Encanthide & Carnis Lachrymalis Incremento.*

*Enchantis & Carnis lachrymalis incrementū.* IN ossibus angulorum lachrymalium duo foraminula sunt, docente Galeno, *libr.* 10. *de vsu part. cap.* 13. quorum & is vsus est, vt oculorum excrementa per ea ad nares & palatum confluant; vnde & medicamenta ocularia quandoque per nares egeri solent. Ne verò per angulos excrementum effluat, homoque perpetuò lachrymetur, carnosa quædam corpuscula, quasi opercula, meatibus illis imposita sunt, quæ prohibent, ne excrementa continenter per angulos effluant, sed ea ad foraminula illa & meatus impellantur. Caro autem illa duos morbos pati solet. Aliquando supra modum augetur, quod malum ἐγκανθὶς nominatur; aliquando contrà imminuitur vel absumitur, vnde lachrymæ perpetuò effluunt: quod malum Græcis ῥυὰς dicitur.

Ἐγκανθὶς videlicet est carnis in maiore oculi angulo excrescentia & augmentum, atque ita morbus in magnitudine auctâ.

*Caussa.* Ortum habet ex sanguinis & humorum ad hanc affluxu, & inprimis ex incuria Medici malè πλερύγια curantis.

Visu facilè cognoscitur.

*Prognosticū.* Malum hoc curationem vt plurimum suscipit: si tamen magnum & antiquum sit vitium, non nisi Chirurgiâ curatur; & curatio eius longa ac periculosa est.

*Curatio.* Indicatio est, id, quod præter naturam auctum, tollendum esse. Id quod præstatur, vniuersalibus præmissis; vel carnem supra modum auctam absumentibus, vt vitriolo, flore æris, alumine vsto, vnguento Apostolorum, Ægyptiaco, vel ferro, quo caro superflua abscinditur; vel cauterio, quo inuritur. In horum verò medicamentorum vsu, vt & in abscissione & cauterio, hoc obseruandum, vt tota caruncula non absumatur, sed illud tantum, quod superfluum est, ne affectus contrarius, ῥυὰς inducatur. Vide Aëtium, *tetrab.* 2. *serm.* 3. *cap.* 21. 22

Aliquando etiam maiores tumores ad oculorum angulos oriuntur, qui scirrhosi euadunt, & vix sine manuali operâ remoueri possunt; cuius exemplum habetur apud Fabric. Hildanum, *Cent.* 1. *obser.* 2.

## CAPVT XXXII.

### *De Rhyade, seu Carnis lacrymalis Diminutione vel Absumptione.*

*Rhyas & carnis lachrymalis absumptio.* AFfectus contrarius est ῥυὰς, hoc est, lachrymalis carnis in maiore oculi angulo diminutio vel absumptio, qua foramen anguli patescit, per quod postea excrementorum continuus datur effluxus,ægerque continuò lachrymatur, à quo symptomate nomen huic morbo datum est, dictusque ῥυὰς, ἀπὸ τοῦ ῥεῖν quod fluere significat.

*Caussa.* Imminuitur autem vel absumitur hæc caruncula, si vel vngula nimis resecetur, vel medicamenta nimis corrodentia oculo applicentur, Vnde vtplurimum malè curato encanthidi vel ægilopi aut pterygio succedit. Sæpe v, etiam epiphoram humoris acerrimi sequitur Nonnunquam & à variolis vlcera profunda relinquentibus absumitur. Malum per se visui patet.

Et si planè fuerit exesa caruncula, curationem non admittit. Est enim pars spermatica. Sin verò tantùm ex parte erosa sit, regenerari potest, aut potius adaugeri caro deperdita. Hinc etiam, quod ex incisione factum malum, curari non potest, à corrosione verò curationem recipit. Ab incisione enim pars tam carnosa quam spermatica, quæ regenerari non potest, absumitur: à corrosiuo verò medicamento pars potius carnosa absumitur, quàm spermatica & neruosa, vnde regenerari potest.

### *Indicatio & Curatio.*

Quod imminutū vel absumptum, instaurādum: quod fit medicamentis sarcoticis & consolidantibus, qualia sunt, aloë, rosæ, myrtus, & vinum, in quo rosæ & myrtus, & nuces cupressi sunt decocta:

Vt ℞. *Aloes, thuris*, an. ℈. ij. *sangu. draconis, sumach.* an. ℈. j. Cum *aqua rosar.*

F. Collyrium.

Vel ℞. *Æris vsti*, ♁ ij, an. ʒ. iij. *croci, spicæ nardi*, an. ʒ. ij. *malabathri* ʒ. j. *rosar. recent.* ʒ. iij.

Siccata terito, deinde rosas per se tusas addito. Paulus collyrio Diacrocu dicto vtitur.

## CAPVT XXXIII.

### *De Pruritu Carunculæ lachrymalis.*

*Pruritus carunculæ lachrymalis.* NOnnunquam etiam ad carunculam lachrymalem materiæ affluxus fit, vnde pruritus excitatur.

Ad quem tollendum Rhases topica quædam tradit: vnum mitius, ex recenti endiuia trita, atque in globulos paruos redacta, quos cum oleo violarum, aut quod melius est, rosaceo subactos oculo applicat. Quod medicamentum suâ frigiditate & modicâ humiditate acrimoniam obtundit humoris pruritum efficientis, & oleum rosaceum additum suâ adstrictione impetum affluentis materiæ nonnihil sistit. Cauendum tamen, ne quid olei in oculum incidat, quod dolores & inflammationes excitare possit: alterum validius, ex lentibus excorticatis, sumach, rosis rubris, & granatorum succo, quæ trita, & cum sapa aspersa, pruriginoso oculi angulo emplastri formâ imponit. Mite quoque remedium est tutia præparata subtilissimè trita, & cum vino Maluatico, aut vino optimo antiquo & aquâ rosarum mixta, sumendo plus aut minus de vino, prout magis vel minus exsiccare & resoluere est consilium. Instilletur quotidie ter vel quater in oculum.

Deinde verò, vbi hæc propter mali contumaciam non iuuant, ad maxima illa præsidia vniuersalia, ad phlebotomiam & purgationem accedit Rhases; cum argumento sit, caussam antecedentem in toto, vel capite adesse, à quâ coniuncta illa seu proxima in oculo fouetur. Illâ igitur demere iubet primò sectione cephalicæ, postea verò frontis, ac demum venæ in angulo lacrymali. Venter quoque ducendus est iis inprimis, quæ acres & biliosos humores purgādi vim habent. Postea balneū aquæ dulcis probat, quo & reli-

quiæ dissipentur, & relicta intemperies oculorum & totius emendetur. Multum & hoc valet:

*℞. Sanguin. dracon. aloës hepatic. sarcocollæ lacte nutrit.* an. ℥ j. *zingib. caryophyll. croci, camphor.* an. ʒ. j. *tutiæ præpar.* ℥. ß.

Teratur omnia subtilissimè, & in vini Maluatici atque aquæ rosarum an. ℔. ß. in vase vitreo, posito in vase altero feruentis aquæ, & quidem ad consumptionem tertiæ partis, bulliant. Postea vsui seruentur, vas vitreum sæpe agitando. Ante vsum collyrij huius vtile fuerit, oculos fomentare decoctione aliqua emolliente, in curatione albuginis oculi descripta.

## CAPVT XXXIV.

### *De Humoris aquei vitiis.*

*Aquei humoris vitia.* HIsce oculorum vitiis hactenus explicatis proximum iam est, vt ad humorum morbos & vitia explicanda accedamus Et primò quidem humorem quod attinet, is in oculo primo loco positus est, spatiumque illud, quod inter corneam & humorem crystallinum est, explet, præterea naturâ sua tenuis est, purus ac perspicuus. A naturali verò ista constitutione variis modis recedere potest. Aliquando enim crassescit, & quidem vel totus, vel ex parte, ac tum fit suffusio. Nonnulli etiam vitium contrarium ipsi accidere, & nimis tenuem fieri posse putant. Verum id vix credibile est. Aliquando totus effunditur; aliquando imminuitur & tunc cornea concidit & corrugatur. speciesque non rectè recipiuntur. Nonnnulli etiam nimis augeri posse statuunt. Sed nec hoc credibile est. In qualitatibus mutatur, cùm, qui clarus & perspicuus esse debebat, fit turbidus, aut alienam qualitatem induit; de quibus ordine dicendum.

*Aquei humoris crassities.* Crassescit primò humor aqueus ob humores vel vapores crassos admixtos, quales suppeditant cibi crassi & flatulenti, lentes, fabæ, & similia; & omnino crapula & cruditas humorumque crassorum in corpore, & præcipuè in capite, collectio, & ad oculum confluxus.

Cognoscitur hoc vitium, quod vel imagines oculis obuersantur, vel visus imminuitur aut aboletur. Cognoscitur etiam inde, quod humor non, vt solet, tam clarus apparet.

Quâ ratione autem curari possit hoc malum, satis ex iis, quæ de curatione suffusionis dicta sunt, & de visu abolito & imminuto dicentur, patet.

Quantitate vbi peccat, siue planè effluxerit; siue imminutus sit, oculi globus non satis distenditur, sed cornea tunica nonnihil corrugatur & concidit, vnde & pupilla naturalem amplitudinem nō seruat, & vuea super crystallinum concidit, spatiumque, quod ob defectum humoris aquei vacuum fit, breuius redditur; vnde conus visibilis seu radiatura turbatur & abbreuiatur, & visus vel aboletur, vel imminuitur, pro caussæ magnitudine.

*Humoris aquei effusio.* Effunditur enim hic humor aliquando totus, vt in ruptura corneæ, siue ex vulnere, siue ex vlcere id fiat. Et cognoscitur hoc malum non solū quod cornea tunica subsidet & corrugatur, sed etiam quod vlcus præcessit, vel vulnus oculo inflictū est, aqueusq; humor affluxit.

Regignitur autem hic humor sponte; cuius exemplū exstat apud Galenum, 1. *de sympt. caus. cap.* 2. Langium. *lib.* 1. *ep.* 7. Beniuenium, *de abdit. morb. caus. & curationibus, c.* 74. Columbum, *lib.* 1 c. *anatom.* Coiterum, *in obseru. Anatom. & Chirurgic.* atque ipse etiam tale exemplum vidi. Ideoque vlcus aut vulnus saltem curandum est, ægerque boni succi cibis nutriendus; reliqua naturæ committenda.

Imminuitur autem vel ob calorem & siccitatē, in febre vehementi, in febre hectica & phthisi, vnde oculi febribus laborantium subsidere quasi videntur, aut ob immodicam euacuationem, Venerem nimiam, ætatemque senilem.

Cognoscitur hoc malum ex caussis dictis præcedentibus, ex ætate, oculorū imminutione, visus obscuritate.

Malum hoc curatu difficile, quia ferè cum totius corporis siccitate, quæ non facilè emendatur, coniungitur.

Curatur autem cibis boni succi & sanguinem bonum multum generantibus, fomentis oculum humectantibus, vel decocto ex malua, althéa, meliloto, lacte. Inprimis vtile est, si à puerulo sano halitus ore in oculum immittatur. Temperatus enim ille est & humectat.

Obscuratur, & alieno colore inficitur humor aqueus ob humores alienos admistos, quorum colorem admittit; vnde idem naturalem pelluciditatem amittit.

Si obscuretur humor, non appareat imago intuentis in oculo, oculus & colorem mutat, & obscurior redditur. Et si colore aliquo inficiatur, eundem etiam species visibiles repræsentant.

Curatur hoc malum humores vitiosos euacuantibus vt hactenus sæpius dictum. Possuntque talia medicamenta non solùm exhiberi, sed & naribus hauriri; aut si decoctum, vel infusum rhabarbari oculis immittatur, obscuritatem eorum ex bilioso humore tollit; quod idem alia purgantia aliis humoribus peccantibus, præstare possunt.

## CAPVT XXXV.

### *De Humoris Crystallini vitiis.*

HVmor Crystallinus inter principes oculi partes facilè primas obtinet, qui coloris ferè, expers est, pellucidus, figurâ sphæricâ, nonnihil compressa prædi- *Humoris crystallini vitia.* tus, vt Galenus, *de vsu partium, lib.* 10. *c. vlt.* docet. Situs eius, si linea per medium pupillæ ad principium nerui optici ducatur, in medio est; respectu verò anterioris & posterioris non planè in medio situs, sed versus anteriora & pupillam oculi declinat.

Ex his igitur, quæ ad naturalem eius constitutionē pertinent, si aliquid mutetur, morbi humoris crystallini & inde variæ visus læsiones oriuntur. Inter quæ primū est γλαύκωμα γλαύκωσις, humoris crystallini in glaucū colorem mutatio. Γλαυκώματος autem vocabulum à *Claucoma.* posterioribus Græcis duplici modo accipitur: Primò impropriè, pro coloris oculi ob suffusionem mutationem. Deinde pro crystallini humoris in glaucum colorem mutatione. Veteres equidem Græci, teste Ruffo, γλαύκωμα & ὑπόχυμα pro eodem morbi genere habuerunt. Vnde etiam Galenus, 3. *aph.* 1. scribit, τὰ γλαυκώματα ἔχειν ἰδέαν τῶν ὑποχυμάτων. Posteriores tamen Græci propriè γλαύκωμα saltem pro humoris crystallini in glaucum colorem mutatione accipiunt. Quod vbi fit, visio impeditur. Neque enim species visibiles ob humorem crystallinum non satis pellucidum sed obscuratum rectè recipi, neque humor crystallinus glaucus redditus, & quasi condensatus rectè illuminari & irradiari potest.

Caussa huius mali est èxsiccatio, quæ fit seu ob ætatem, seu ob aliam caussam exsiccantem, incrassantem, & condensantem. Vnde Galenus, 10. *de vsu partium,* γλαύκωσιν εἶναι ξηρότητα καὶ πῆξιν humoris crystallini scribit.

Cognoscitur hoc malum, quod circa pupillam insignis & profunda apparet albedo, & omnia tanquam per fumum aut nebulam videntur.

Curatu difficile hoc malum est, primò, quia omnes morbi humoris crystallini curatu difficiles sunt; cū is in profunda oculi parte situs sit, ad quē nō facilè medicamenta pertingunt. Secundò, vt in aliis partibus, ita & hic morbi ex siccitate orti vix ix corrigi possunt, in senibus præcipuè.

Nonnulli

*Crystallinus humor an tenuior fieri possit.*

Nonnulli etiam contrarium vitium incurrere posse humorem crystallinum, nimirumque tenuem fieri posse statuunt, vt non sit aptus recipere & repræsentare visibiles species. Exemplumque afferunt spiritus vini & aquarum destillatarum quæ cũ sint subtilissimæ & tenuissimæ, non ita recipiunt & repræsentant rerum imagines, vt aqua limpida. Verũ malè hîc præsupponitur, visionem & receptionem specierum fieri in crystallino Non enim visio fit per species reflexas, vt in aqua, cui subest aliquid opaci; sed per refractas in tunicis & humoribus, tandémque in tunica retina repræsentatas. Nimia verò tenuitas crystallini receptionem specierũ non prohibet. Si tamen nimia tenuitas crystallini visioni officiat, fit hoc ideo, quia refractionis leges violantur. Non tamen video, vnde tanta tenuitas humori crystallino induci possit. Sit enim sanguis, vnde nutritur, tenuis, nunquam tamen inde humoris crystallini natiua constitutio mutabitur, ita vt inde visio lædi possit.

*An maior vel minor.*

Nonnulli etiam maiorem & minorem fieri posse statuunt, & à quantitate naturali degenerare. Verùm cum venæ ad eum sensibiliter non pertingant, ex nutritione vix hoc vitium incurrere poterit. Neque videmus, in iis, quorum corpora insigniter augentur, tale quid humori crystallino accidere.

Minor si fiat, fit hoc in exsiccatione, præcipuè in senibus, aut qui senili ætati ex alia caussa simile quid patiuntur. Verum illud in magnitudine decrementũ vix tantum est, vt inde visio, lædi possit. Et si accidat visus læsio, fit ea potius ob condensationem & coloris mutationem, vt modò de Glaucomate dictum.

*Situs crystallini mutatus.*

Situm mutat humor crystallinus, vbi latiore suâ parte, quæ lentis maioris instar compressa est, pupillæ foramini non rectà opponitur, sed vel sursum declinat vel, deorsum. Et quidem si crystallinus humor situm mutet in vno oculo, in altero verò situm naturalem retineat, vel si ambo difformiter situm mutent, ita vt alter sursum, alter deorsum, vel ad latera vergat, res geminatæ apparent. Sin autem accidat, vt vtriusque oculi humor crystallinus æqualiter situm mutet, ita vt ambo superiora perant, vel ad inferiora demittantur, non apparent res geminatæ. Quin etiam si alter oculorum quoad humorem crystallinum rectè sese habeat, alter ad latera moueatur, itidem fit geminata visio. Mutatur enim hîc planum, vt loquuntur optici. Caussa autem huius rei hæc est, quod, quando motu musculorum situs crystallini vitiosus corrigi potest, quod fit in strabismo, res geminatæ non apparent; quando autem motu musculorũ vitiosus ille situs crystallini non corrigitur, tum demũ res geminatæ apparent. Fit hoc nonnullis à natura, aliis à caussis externis, oculique percussione & contusione; vitiumque hoc vix curabile est, nisi sponte sua ad suum locum naturalem redeat hic humor.

Potest & aliam in situ mutationem pati humor crystallinus, si videlicet à suo loco vel versus anteriora, vel versus posteriora declinet. Quomodo autẽ hoc fiat, & qualẽ hæc situs mutatio in visu mutationẽ excitet, valde obscurũ. Quod versus anteriora humor crystallinus interdum vergit, hoc accidit nonnullis à natura, & prima conformatione; senibus verò ideo hoc accidere putat Platerus, quod toto ætatis tempore in legendo, & rebus quibuscunq; tandem oculis propositis, manibusque tractãdis oculos dimiserint, ideóq; crystallinus humor ætatis decursu vnà cum vitreo ad interiora sensim prælapsus sit. Verùm si crystallinus hoc modo versus anteriora prolaberetur, necesse erit, vel aliud corpus vel humorem, in spatium illud subire, quod inter crystallinum & vitreum, vel inter vitreũ & tunicam retiformem interiacet: quod fieri non potest. Potiùs in senibus, in quibus totum corpus exsiccatur, coarctatio quædam humorum à siccitate orta statuenda; ob quam accidit, vt remota rectiùs, quam propinqua videant; vt ex opticis fundamentis patet.

Contrà nonnunquã crystallinus humor versus originẽ nerui optici nõnihil declinat, quod vbi fit, homo remota rectè videt, propinqua minus rectè. Accidit hoc plerũque à natura & prima conformatione, nec vitiũ infrequẽs est. Vnde etiam procul dubio factũ, vt Anatomici nonnulli in talium corporum sectionem incidentes situ crystallini in medio oculi esse inspexerint. Vitium etiam hoc incurabile est, & defectus hic perspicillis saltem compensatur.

Si tandem continuitas humoris crystallini soluatur, fit, vt res diuisæ vel geminatæ videatur. Vt enim, si speculum in plures partes frangatur, singulæ partes imaginem eandem exhibent, ita idem accidit in crystallino. Hoc vitium equidem facilè accidere non potest; cũ humor crystallinus in parte profundiore situs sit, & potius totus oculus turbetur, antequam humor crystallinus in duas partes diuidatur. Si tamen fieri debet, non aliunde, quam ex caussis externis & violentis, id accidere potest.

## CAPVT XXXVI.

### *De Morbis humoris Vitrei.*

*Vitrei humoris morbi.*

Species visibiles vbi humorem crystallinum transierunt, in vitreo recipiuntur: cuius quis vsus sit, *in Instit. part.* 1. *c.* 12, dictum, quem vt præstare possit, naturalem suam constitutionem vt habeat, necesse est. Sit nimirum pellucidus, coloris expers, situm suum habeat post crystallinum Hæc verò naturalis cõstitutio si mutetur, morbi humoris vitrei oriuntur, & visio inde læditur. Disputant quidem nonnulli, an vitreus humor à naturali constitutione deflectens possit immediatè visionẽ lædere; an verò saltẽ quia nocet crystallino: & sunt quidã in ea opinione, inter quos Mercurialis, humorẽ vitreum non posse immediatè visionem lædere, sed saltem quatenus crystallino nocet. Sed falsa est hæc opinio, & ex falsa hypothesi orta. Præsupponit enim vsum vitrei esse nutrire crystallinum. Verum aberrat à vero hæc opinio, & *in Institut. loco allegato,* monstratum, vitreum humorem æquè comparatum & necessarium esse ad recipiendas species visibiles, ac crystallinum. Neque enim in crystallino, vt in speculo, species sistuntur, & in eo visio terminatur, sed per eum transeunt, & in humore vitreo recipiuntur. Itaque si à naturali suâ constitutione ille deflectat, ad species visibiles recipiendas fit ineptus.

Id quod fit primò, si fiat obscurior, & tale quid patiatur, quale crystallinus in glaucomate. Id quod accidit, si impuro alimento nutriatur.

Sed vtrum hoc vitium sit in crystallino, an verò in vitreo; non facilè dignosci potest. Neque etiam facilè hoc malum curari potest; cùm loco adhuc profundiore, quàm crystallinus, hic humor situs sit.

Situm etiam aliquando mutat vitreus. Secundum naturam post crystallinum situs est: si verò accidat, vt pars eius suâ sede mota ante crystallinum feratur, eique præponatur, non quidem cæcitas; (nisi forsan tanta eius pars eò sit detrusa, vt penitus crystallinum obtegat, & ita tota ferè oculi structura turbetur) sed visus aliqua hallucinatio accidit. Densior enim est humore aqueo.

Caussa huius mali est ictus vel contusio oculi, vel punctura & acus in suffusione curanda nimis profundè adacta.

Cognoscitur verò, quod sub pupilla albuminis instar ipse humor apparet, visúsque aliqua hallucinatio deprehenditur.

Curabile verò vix est hoc malum; nisi humor sua sponte in naturalem suam sedem redeat.

CAPVT

## CAPVT XXXVII.

### *De Neruorum Opticorum vitiis.*

*Opticorum neruorum vitia.* NEruorum opticorum is vsus est, vt spiritum animalem ad oculos ferant.Sunt verò aliqua vitia,ob quæ hunc vsum præstare nequeunt; obstructio nimirum,compressio seu coarctatio,contorsio & conuulsio, vulneratio,ruptura.

*Angustia.* Primò siue intus humores pituitosi in neruos illabātur,eosque obstruant,siue extra iidem,vel etiam sanguis ex vase læso effusus origini neruorum opticorum incūbat,atque angustiam in iis efficiat,visio aboletur;quod vitium vulgò gutta serena, Germanis *der schvvartze Staar* nominatur,quod pupilla equidem clara, sed tamen quasi nigricans apparet.

Transmittuntur enim pituitosa & aquosa cerebri excrementa ad basin cerebri, vbi nerui optici è cerebro egrediuntur,& ad infundibulum, & propè neruos in nares defluunt.Et quidem materia hæc interdum solū neruos opticos occupat,atque tum sola visio, reliquis sensibus integris,læditur; interdum simul principium neruorum, vnde etiam alij sensus læduntur. Nonnunquam etiam ex apostematibus eò loci ortis malum hoc originem ducit,& post cerebri inflammationē & phrenitidem in febribus malignis & pestilentialibus prouenit. Nōnunquam subitò ex humoribus in cerebro agitatis oritur. Sic memini,hic antè biennium Studiosum cùm ipsi à quodam medicamentum purgans fortius exhibitum fuisset,subitò obcœcatum fuisse, proculdubio humoribus in cerebro agitatis,& in principium neruorum opticorum effusis.Interdum fœminis hoc malum accidit ob menses suppressos,& nonnunquam quidem recedit,mensibus fluere iterum incipientibus, nonnunquam toto vitæ tempore persistit.

*Fœmina grauida obcæcata.* Et in specie obseruatum fœminas quasdam, cùm in vtero concepissent,obcœcatas exneruorum opticorum angustia fuisse, malumque hoc ad menses quatuor, quinque vel sex durasse;nonnullis etiam vsque ad tempus partus.

*Signa.* Cognoscitur hoc malum,quod oculi planè clari apparēt,nihilque vitij in iis animaduertitur,nisi quod pupilla nigrior & amplior apparet. Et si à vitiosis humoribus à cerebro eò delatis malum originem habet:excrementorum in cerebro redundantium signa adsunt. Si à sanguine in eum locum effuso id fiat,vulnus,ictus, casus præcessit,

*Prognostica.* Malum curatu difficile est, neque humores semel neruos illos obsidentes & occupantes facilè discutiuntur,vel loco dimouentur.

Est tamen aliqua curationis spes reliqua,si visio non sit planè abolita,& aliquid adhuc agnoscat æger.Si verò visus ita ablatus sit, vt lumen amplius non videat æger,neque,an dies vel nox sit,discernere possit, malum incurabile est.

In grauidis quibusdam mense quarto,quinto,sexto, vel post puerperium,malum hoc sponte cessare, modò dictum.

*Curatio.* Curatur autem hoc malum,vbi adhuc spes aliqua curationis superest, si & corpus totum,& caput euacuentur;sicut supra,*part.*1.*de Intemperie capitis cum pituita*, dictum.Et ferè talis curatio instituenda,qualis in suffusione. Nonnulli commendāt largam sanguinis missionem è vena frontis. Possunt etiam vesicatoria ceruici imponi,vel seraceum,quod efficacius est,ceruici applicari.Hinc,vt humores pituitosi discutiantur, lotiones capitis adhibeantur.

Vt ℞.*Stœchad.Arabic.betonic.euphrag.*an.M.ij *sarsaparillæ* ℥.ij.

Coquantur in lixiuio pro lotione capitis.

Vel ℞.*Saponis Veneti* ℔.j.*rad.ireos* ℥.ij.*styrac.liquid. ladani*,an.℥.j.*olei caryophyll.*ʒ.ß.*moschi ambræ*,an gr.iij.

Misceantur in mortario,affusā aquā rosarum paucā, & manibus oleo de been imbutis,

F. Globuli.

In eundem finem exhibeatur hic.Potus:

℞.*Ligni Guaiaci* ℔.j.*sarsaparill.*℥.iij. *rad.dictamni albi* ℥.j.

Coquantur in aquæ ℔.xij.ad tertiæ partis consumptionem.Manè & vesperi exhibeantur Vnc.vj.

Reliquis adde *euphrag.*M.ij.*granor.iuniperi,cinamomi,fœnicul.* an.℥.j. Affunde *aqu.* ℔. xij. *vini Rhenani* ℔. iij.

Coquantur ad tertiæ partis consumptionē pro Potu.

Vel ℞. *Sem. fœniculi* ʒ.iij. *sileris montani*, *piper. Zingiber. cinamomi* , *pulegij* , *hyssopi* , *euphragiæ*, *granorum iuniperi* , *flor. rorismarini* , *saxifrag.* an. Drach. ij. *chamædryos* , *rad. chelidon. cinamomi*, *apij* , *anisi*, *petroselini* , an. Drach. j. Cum f. q. mellis.

F. Electuarium.

*Contorsio neruorum opticorum.* Nonnunquam quoque accidit,vt in magnis conuulsionibus,vt epilepsia,nerui optici contorqueantur, & inflectantur, ita vt spiritibus animalibus transitus denegetur,vel,quod probabilius, vt natura excrementa, quæ ex cerebro expellit, in neruos opticos impellat, quod post fortiorem sternutationem accidisse à Guilhel. Fabricio, *Centur.*1.*obseru.*81.notatum, & cœcitas inde inducatur,quæ nisi intra paucos dies desinat,& sponte visio redeat,immedicabile malum est.

*Vulnera neruis optici.* Si ex vulnere,vel quacunque insigni læsione,ad neruum opticum vsque pertingente, cœcitas introducta sit,immedicabilis illa est.

## CAPVT XXXVIII.

### *De Spirituum Opticorum vitiis.*

*Spirituum opticorum vitia.* ATque hi sunt morbi & vitia, quæ singulæ partes oculorum incurrere possunt. Verùm cum ad visionem perficiendam partes hactenus enumeratæ non sufficiant,nisi spiritu animali perfundantur,atque ab illo vltimam quasi perfectionem accipiant,& denegatis spiritibus visio aboleatur, etsi reliquæ partes in oculo omnes saluæ sint,vt ex angustia neruorum opticorum, de quâ,*præcedente capite*, dictum,patet:necessarium est ad visionem absoluendam, vt spiritus animalis oculos irradiet,& rectè sese habeat; quod nisi fit, etiam visio læditur.

*Spirituum opticorum natura & constitutio.* Cum autem spiritus optici lucidi esse, rectā in oculos influere,& iustā quidem quantitate,debeant; vitiū patiuntur,si impuri sint, non rectā in oculos ferantur, nec sufficienter,& iusta copia oculos irradient.

*Spirituum opticorum crassities.* Spiritus ipsi quidem per se non crassescunt,verum si vapores crassi & turbidi ipsis commisceantur,inde visio fit obscura,vel ægri ea se videre existimant,quæ reuerà non sunt,vt muscas,culices, floccos&,filamenta, telas aranearum,vel alia corpora minuta:qui affectus à nonnullis Nubecula appellatur; eò, quod tali vitio affecti plerumque se nebeculam quoque videre arbitrantur, aut res simplices geminas esse putant,vt ebriis sæpe accidit,vel rectas curuas, sicut accidit,militi, cuius mentionem facit Forestus, *lib.*11.*obseru.*39.

Spirituum etiam nimia agitatio,quæ fit vel ob vapores commixtos spiritus turbantes,vel ob corporis agitationem,visionem turbat.Motus item corporis & capitis eodem modo diu continuatus facit,vt spiritus eādem ratione secuti agitatique eadem etiam formā in oculum influant;de qua re in vertigine dictum.

Nonnulli tamen affectionem quæ à spirituum opticorum agitatione prouenit, à vertigine distinguunt,& falsam visionem cum rerum circumgyratione nominăt quâ qui afficiuntur,res,quas intuentur, etsi firmæ & stabiles sint, circumagi, & in gyrum circumrotari,

vel

vel aliter inclinare,& ſubuerti exiſtimant, ita, vt, licet falſam eſſe hanc imaginationem cognoſcant, tamen, cùm ex illa rerum circumuerſione viſus firmam, qua corpus ſubſiſtere poſſit, ſedem non amplius cernat,idē quoque titubet,& vacillet. Nonnunquam quoque pauimentum, cui inſiſtunt, ipſis inuerti videtur. Hinc, niſi ſuſtineantur,ſubitò integris ſenſibus in terram cadunt,prius ter quaterue pedibus, quibus ſe ſuſtinere cupiunt, terram pulſantes. Et quamuis hæc affectio cum vertigine propriè dicta magnam conuenientiam & ſimilitudinem habeat,reſque non minus in ea,quàm vera vertigine, circumgyrari videantur, ac propterea etiam δῖνος & vertigo à pleriſque vocetur:diſtat tamen à verà vertigine, quod in hac vt plurimum cerebrum cum oculis, ſeu potius ſpiritus in illis exiſtentes afficiantur, ſenſuumque interiorum operationes aliquo vſque imminuantur; in falsâ autem viſione, quæ hic deſcribitur,ſoli oculi afficiantur, cerebro eiuſque ſpiritibus nihil patientibus. Vnde fit, vt ſi in hoc affectu claudantur oculi, malum protinus ceſſet, reſque non amplius circumrotari appareat. At in vertigine cerebri vitio natâ,licet arctiſſimè etiam palpebræ occludantur, nihilominus tamen omnia adhuc, ac ſi circumuerterentur, ſenſui communi offeruntur. Præterea in falsâ viſione res adhuc oculis repræſentantur, niſi quod circumgyrari videntur: at in vertigine vera acies oculorum etiam ferè hebeſcit, & quædam viſus obtenebratio ſeu ſcotomia accedit cum aurium tinnitu, & graui auditu,nonnunquam & capitis dolore, ita vt res non diſtinctæ, ſed quaſi per nebulam vario colore tinctam oculis appareant.

Circumgyrationi ſpirituum opticorum cognata eſt illa inordinata motio ſpirituum,ob quam ſcintillæ ante oculum noctu apparent, quod fit,dum oculi fricantur, item ob ſternutationem,& poſt narium emunctionem cum vehementi ſpirituum impulſione; quod ſymptoma procul dubio ſpirituum opticorum agitatione accidit.

*Opticorum ſpirituum defectus.*

Si ſpiritus etiã in oculo deficiant, vel minus copioſè influant,viſio vel aboletur, vel imminuitur.Spiritus tus autem in oculo deficiunt, vel quia à cerebro non tranſmittuntur; vel quia ob neruorum opticorum anguſtiam influere non poſſunt.

*An ſpirituũ opticorũ vitia perſpicillorum vſu corrigi poſſint.*

An verò ob ſpirituum vitium,craſſitiem puta, & obſcuritatem,viſio lædatur;an verò ob humoris cryſtallini vel vitrei morbos, non ita facilè eſt agnoſcere Mercurialis equidem pollicetur,ſe ſignum à nemine animaduerſum propoſiturum, quod ſumatur à perſpicillis,ſtatuitque,ſi viſus læſio corrigatur perſpicillorum ope,vitium eſſe à ſpiritibus:vitium verò, quod fit in humore cryſtallino, vitreo, albugineo,vel tunicis,beneficio perſpicillorum corrigi non poſſe. Verùm etſi planè negare nolim, ſpirituum vitium aliquo modo per ſpecillorum vſum corrigi poſſe; cùm ſi ſpiritus ſint vel pauciores, vel craſſiores, atque ita obiecta minora non rectè videamus,perſpicilla ſpecies obiectorum ampliores, & ſub forma maiore exhibere poſſint: tamen iuuamentum hoc non certum ſignum eſt,vitij ſpirituum; cùm extra dubium ſit, etiam vitium humorum & tunicarum aliqua ex parte perſpicillorum vſu corrigi poſſe. Malo quoque hîc aſſentiri Platero, ſtatuenti, viſus læſiones pleraſque, quæ vulgo in ſpirituum vitia referuntur,potius,in ſitum cryſtallini vitioſum,vel alia humorum vitia referenda eſſe. Talia enim vitia, vt in Inſtitut. *lib.2,part.3.ſect.2.cap.3*.dictum,ſæpe iuuenibus accidunt,in quibus nullum ſpirituum vitium vel defectus animaduertitur, & perſpicillorum ope talia vitia corrigi poſſunt. Etenim cum cornea tunica,vt & omnes humores, ob admiſſionem & refractionem ſpirituum viſibilium facti ſint,ſi ſitu vel alio vitio peccent, refractio illa debito modo non fiet; quod perſpicillorũ ope corrigi poteſt. Sic etiam aliàs ſanos perſpicillorum vſu res longè diſſitas & minimas videre animaduertimus; quod fit ſaltem ob peculiares ſpecierum viſibilium refractiones, nullo verò modo ob ſpiritus, quos perſpicilla nec clariores,nec copioſiores reddere poſſunt.

*Spiritus optices confortantia.*

Vitium autem ſpirituum corrigitur per medicamenta ὀφθαλμικὰ,quæ ὀξυδερκικὰ nominantur,de quibus proinde agere huius loci eſt.Sunt autem illa.*fœniculum.euphragia,ruta,rad.valerian.* (de qua Tabernæmontanus videatur)*verbena, roſmarinus,ſaluia,maiorana,betonica, radic.heleny, calendula,chelidon. maius,* & *aromata* pleraque;quæ quia cerebrum confortant, etiam ſimul faciunt, vt ſpiritus animales puri & copioſi generentur, præcipue nux moſchata,calamus aromaticus, myrobalani chebulæ:è quibus componuntur varia medicamenta.Commendatur Electuarium Humaim deſcript.Meſue.*in 1.c.de ægrit.oculor.*

*Electuar. Humaim.*

℞. *Euphragiæ* ℥.ij. *ſem. fœniculi* ʒ.v.*macis, cubebar. cinamomi,piperis longi,caryophyll.*an.ʒ.j

Pulueriſentur & cribrentur.

Poſtea.

℞.*mellis deſpumati* ℔. j. *ſucci depurati fœniculi* ℥. j. *rutæ,chelidoniæ maior.*an.℥.ß.

Coqu.ſucci cum melle ad mellis fluidioris conſiſtentiam,& adde ſpecies. F.Electuarium, cuius doſis ſunt Drach.iij.

Habentur etiam medicamenta talia apud Valeſcum de Taranta,*lib.2.cap.*30.Electuaria duo viſum confortantia deſcripſit Langius, *lib.3. Epiſtol.* Et occurrunt paſſim talia alia, & proponentur etiam aliqua infra, *capite* 44. Vnum atque alterum ſaltem hic addemus.

*Species Occonis.*

Species Occonis:

℞. *Spec. diaplir. ſem. fœnicul.* an. Vnc. ß. *macis, cubebar. cinamomi, piperis long. caryophyll.* an. Scr. ij. *pulu. fol. euphrag. ſaluiæ, rutæ, verben.*an.Drach. ij. & Scr.ij.

Miſce.

Vel ℞.*Pulu.nucis moſchat.ligni aloës,ſem. ſiler,mont. maſtich. euphraſ.ſem.aniſi,fœniculi,carui præpar.* an. ʒ.j. ß.*ſacchari albi* ℥.jß.

M.pro Tragea,de qua manè & veſperi,quantum duo cuſpides cultri capiunt,ſumatur.

Vel hora decubitus ſumatur de ſequenti Electuario quantitas nucis moſchatæ:

℞.*Conſeru.fl. euphrag.*℥.ij.*roſar.* ʒ.vj.*ſaluiæ,anthos,* an.℥.ß.*ſuccini albi præpar.*ʒ.j.*ſpec. diarrhod.* ʒ. jß.*margarit. præpar.* ʒ. ß. *eſſentiæ ſalu.* ʒ. j. Cum *ſyrup. de betonic.*

F. Electuarium.

Læſio viſus ex ſpirituum nimia agitatione cognoſcitur ex vertigine coniuncta.Si ſpiritus deficiant ob cerebri vitium,etiam alij ſenſus afficiuntur.Si ob neruorũ opticorum anguſtiam, oculi partes reliquæ ſanæ ſunt, nihilque vitij etiam in cerebro animaduertitur.

In vſu tamen & delectu horum medicamentorum conſiderandum, an ſpirituum craſſities & impuritas à materia melancholica, an verò à pituitoſa proueniat. In illa enim conueniunt medicamenta tenuium partium cum immodica humectatione citra vehementem & exſiccantem calefactionem, vel exſiccationem; in hac verò calida & ſicca,quæ cerebrum frigidum & humidum corrigere apta nata ſunt.

## CAPVT XXXIX.

### *De Muſculorum Oculos mouentium vitiis.*

*Muſculi eur oculis dati.*

VT homo nõ ſolùm quæ rectà oculis opponuntur, ſed & quæ ad latera,& ſupra & infra ſunt,ſine capitis motione videre poſſit, dati ſunt oculis muſculi, quorũ genera deſcripta videantur apud Coiterum, in

*in tabulis*, Bauhinum, Iul. Casserium Placentinum, Hier. Fabricium ab Aquapendente, & alios Anatomicos.

*Musculorum oculorũ vitia.*

Horum vitia sunt paralysis & conuulsio, in quibus affectibus & motus oculorum, & situs vitiari, & ex situ oculorum vitiato ipsa visio lædi potest. Etenim si omnes musculi resoluantur, oculus extra tendit, & prominentior fit: si verò illi solùm, qui ad exteriorem angulum mouent, resoluantur, oculi ab oppositis sanis musculis versus interiorem angulum trahuntur. Sed si conuellantur musculi ad suum angulum, oculum secũ trahunt & conuertunt. Si resoluantur musculi superiores, oculus versus inferiora inclinatur; si verò inferiores, versus superiora.

Caussæ sunt eædem, quæ supra in conuulsione & paralysi sunt explicatæ.

Cognoscitur hoc malum visu, & strabismus inde oritur; de quo suo loco dicetur.

Paralysis curatur medicamentis caput euacuantibus, & humorem pituitosum absumentibus; de quibus supra dictum. Nonnulli sanguinem turturis instillatum, vt peculiari proprietate efficacem, commendant. Si à conuulsione, relaxantia & humectantia exhibeantur, ex decocto seminis lini, maluæ & althéæ; de quibus etiam supra, *de conuulsione*, dictum.

*ἴλλωσ in oculis.*

Est etiam musculorum vitium, cum nimis graciles vel debiles sunt, vt continua quasi inter se lucta certantes alter oppositorum alterum vincere conetur, vnde instabiles & continuò mobiles oculi euadunt; quod vitium à Græcis ἰλλὸν appellatum fuisse censent. Neque enim peculiaris est musculus oculo motum tunicum largiens, sed omnes sex musculi æqualiter cõstructi oculum in certo situ detinent. Si ergo debiliores sunt, id præstare non possunt. Vitium autem hoc plurimis à natiuitate contrahitur, & incurabile est. Obseruaui id in virgine quadã aliàs pulcherrima, ciuis cuiusdã filia, cui oculorum globus planè instabilis erat. Vitium hoc contraxisse dicebatur à matre, quæ incendium domus cuiusdam spectauerat, & inde territa fuerat.

*Vulnera muſculorũ oculorum.*

Ad musculorum morbos pertinent etiã vulnera, ictus, puncturæ profundæ, quibus variè & transuersim interdum secantur, lacerantur, & ad suas actiones obeundas inepti redduntur. Ita vir quidam nobilis, vt ad me perscripsit Dn. D. Iacobus Ianus, Sereniss. Elect. Viduæ Lichtenburgi Medicus, equo insidens caput ligno acuminato ita allisit, vt ligni portio ad interiora oculi penetrans musculum oculi sinistrum attollentem rumperet. Hic conualescens oculum quidem habet saluum, sed omnia geminata videt. Cuius rei caussa est, quòd, cùm musculus oculum rectè regere nequeat, species visibiles in diuerso plano statuuntur, & sic retina tunica difformiter pingitur, & dupliciter obiectum percipitur. Vnde etiam si rem rectè iudicare velit, semper alterum oculum claudere necesse habet. Perinde autem est, siue claudat dextrum, siue sinistrum. Nam species æquè in vtroque recipiuntur. Hæc saltem est differentia, quod obiecta in alto posita oculus ille, cuius musculus læsus est, non videt, nisi se ceruice valde supinet.

## CAPVT XL.

### De Oculi defectu.

*Oculi defectus.*

Atque hi sunt morbi, qui singulas oculi partes infestare solent. Sunt præterea quidam morbi, qui toti oculo accidunt; de quibus iam dicendum.

Et primò quidẽ monstrosæ oculi constitutiones occurrunt, & nonnullos vno, nonnullos tribus vel quatuor oculis natos fuisse obseruatũ est; vt eius rei historias Schenckius, *lib.* 1. *obseru.* 278. collegit, quas tamen neque ars, neque natura corrigere vel tegere potest.

Deinde interdum oculus vnus deesse solet; id quod fit per magnas inflammationes, ob quas oculus rumpitur, vel in pus mutatur, post ictus, vulnera. Quod vbi accidit, nulla equidem oculi amissi reparandi spes est. Vt verò deformitas illa tegatur, alij linteolo serico locum tegere solent; alij in oculi deficientis locum alium factitium aureum argenteumuè pictum reponi curant qui natiuum oculum referat. Ita Iohan. Thomas Minadous, *de externis affect. lib.* 3. *c.* 14. refert, se Byzantij vidisse fœminam, quæ vno oculo deficiente factitium ex argento tectorio opere adeò expolitum & pictum insertum habebat vt verum magnitudine, luciditate, colore æquaret. Modum etiam Paræus, *lib.* 22. *Chirurg. c.* 1. habet, quo oculus fictitius formari possit.

## CAPVT XLI.

### De Oculi Atrophia.

*Oculi atrophia.*

Aliquando verò solùm imminuitur oculus, & minor, quàm naturalis constitutio, & ad corpus reliquum proportio requirit, redditur; cum scilicet omnes oculi partes imminuuntur & contabescunt. Vnde non solùm deformitas ob partium inconcinnitatem & proportionem læsam oritur, sed & visio læditur.

### *Caussæ.*

Quæ autem aliàs atrophiæ caussæ esse solẽt, eæ & in oculo locũ habent, si partes corporis superiores, & præcipuè oculum occupent, vt nimia euacuatio & exsiccatio, puta fletus continuus, humorum acrium in lippitudine diuturnus fluxus, vigiliæ diuturnæ, febris hectica, obstructio vasorum oculis alimentum aduehentiũ.

### *Signa Diagnostica.*

Ipsum malum per se facilè cognoscitur: quæ verò eius caussæ fuerint, relatio ægri patefaciet.

### *Prognosticum.*

Malum curatu difficile est. Neque enim siccitas in vlla corporis parte facilè curatur; &, nisi maturè ei succuratur, caussa cæcitatis esse solet.

### *Curatio.*

Curatur medicamentis humectantibus, lacte muliebri inprimis imposito; vel fomentetur oculus hoc Decocto.

℞. *Rad. althéæ, maluæ*, an. ℥. j. *sem. fœnigræci, althéæ, maluæ*, an. ℥. ß.

Coqu. in aqua, & oculus decocto foueatur, vel ex iis destilletur aqua, quæ oculo sæpe instilletur.

## CAPVT XLII.

### De Oculi procidentia.

*Oculi procidentia.*

Aliquando etiam accidit, vt oculi de naturali sua sede & orbita præter modum emineant, quod vitium Oculi prominentia dicitur; vel etiam excidant, & ita propendeant, vt palpebris amplius tegi nequeãt, quod malum Græcis ἐκπίεσμα & ἐκπιεσμός. Latinis Oculi procidentia, exitus, prolapsus & expressio nominatur.

### *Caussæ.*

Caussæ ad tria genera referri possunt. Ad primũ pertinẽt omnia, quæ vi quasi oculũ ex orbita sua extrudũt, vt vehemens inflatio & vocis intentio, veheménsque spiritus

ſpiritus ſuppreſſio: id quod accidit in clamore nimio, tubarum inflatione, ſtrangulatione, & ſuffocatione, quocunque modo ea fiat, vomitu, tuſſi, partu laborioſo, cùm maximo conatu feces detruduntur. Spiritus enim retentus cum ſanguine & vaporibus verſus cerebrum tendit, illud inflat; vnde etiam oculi & vicinæ partes quaſi intumeſcunt, & loco ſuo pelluntur. Quò pertinet caſus ab alto, quo cerebrum valde concutitur.

Secunda cauſſa eſt reſolutio muſculorum & neruorum in oculo, quæ fit ob humores pituitoſos & aquoſos à cerebro ad oculum confertim affluentes.

Tertia cauſſa eſt vulnus annatæ tunicæ, quæ oculum orbitæ annectit, & propterea etiam coniunctiua dicitur; vel muſculorum oculi.

Quibus & quartum cauſſæ genus addi poteſt, tumor oculum ex orbita quaſi extrudens; cujus rei hiſtoriam habet Trincauellius, *libr.4. de ratione curandi particul. corpor. human. affect. cap.6.* de quodam Veneto, cui dexter oculus adeo prominebat, vt vniuerſam ferè faciem deformaret, quod contigerat à ſcirrhoſo tumore, qui erat in interna parte, qua membrana annata oculum oſſibus annectit.

### *Signa Diagnoſtica.*

Malum ipſum per ſe intuentibus patet. Quænam verò ſit cauſſa, ex iis, quæ præceſſerunt, patet. Et quidem ſi reſolutio adſit, ac viſio ſit integra, muſculi ſolùm erunt reſoluti; ſi verò etiam amittatur viſio, neruus opticus.

### *Curatio.*

Vniuerſalia primò, ſi opus ſit, præmittenda, & vel vena aperienda, vel purgandum corpus. Oculus verò ipſe, quantum fieri poteſt, in locum ſuum reponendus, & conuenienti ligatura in eo detinendus. Poſtea cucurbitulæ ceruici, ipſis verò oculis repellentia & roborantia, adhibeantur, ex decocto roſarum, balauſtiorum, myrti, nucum cupreſſi, acaciæ, hypociſtide; vel ſuccus pſyllij, polygoni, plantaginis imponendus.

Chriſtophorus à Vega, *lib.3. cap.12.* quendam, cui ex caſu ab alto oculi extra palpebras exciderant, ita curauit. Primò oculos, quantum potuit, ſenſim reduxit, & iiſdem linteolum duplicatum madefactum decocto roſarum & balauſtiorum, & inſperſâ acacia, impoſuit, & ſtatim ſanguinem ex cubiti dextri externa vena miſit; decentique victu adhibito ægrum reſtituit.

Si inflammatio oculo procidenti accidat, integrum ouum cum vino & roſaceo lanâ vel hapſo lini exceptum oculis imponendum. Si procidentia ſit à reſolutione muſculorum & neruorum oculi, apophlegmatiſmi vſurpandi, humores pituitoſos euacuantes, odoramenta item eoſdem abſumentia, & oculos roborantia. Extrà cataplaſma vſurpandum eſt è farina fabarum, roſis, thure, ſpica, cum albumine oui. Et quia humores reſolutionis cauſſa ſæpe à partibus vicinis affluunt, fronti etiam adſtringentia imponenda.

Vt ℞. *Florum roſar. rubrar. balauſtior. myrtillor. acaciæ, rad. biſtortæ,* an. Drach.ii. *boli Armeni* Vnc.ſem. *cortic. thuris, croci,* an. Drach.ſem. *aceti roſacei* Vnc.j. *olei roſacei* q.ſ. F. Cataplaſma.

Si cum humiditate flatus adſint, aliqua calida, quæ ſimul adſtringunt, admiſcenda, vt ſpica, radix cyperi, caryophylli, maſtix, &c.

Vt ℞. *Fol. cupreſſ.* Vnc.ſem. *flor. chamæmel.* Drach.ii. *thuris, maſtich.* an. Drach.i,

Fiat Sacculus in aqua roſarum madefactus, qui oculo imponatur. Vide Aëtium, *tetrabibl.3. ſerm.2. cap.55.* Valeſc. de Taranta, *lib.2. cap.23.*

Si verò oculus ita prolapſus ſit, vt nulla de ejus repoſitione ſpes ſuperſit, vt deformitas illa, quæ ex eo in faciem propendente oritur, tollatur, totus oculus exſcindi poteſt. Ideóque corpore euacuato, ægro rectè collocato, inſtrumento idoneo, quale quidem apud Guil. Fabricium, *Centaur.1. obſeru.1.* depingitur, vel alio conueniente, quod ſe orbitæ oculi accommodet, oculus exſcindendus; ne tamen palpebra lædatur, & noua deformitas inde fiat, cauendum; poſtea vulnus, vt alia oculorum vulnera, curandum.

## CAPVT XLIII.

### *De Strabiſmo.*

AD ſitum oculi vitioſum pertinet etiam Strabiſmus, cùm pupilla rebus videndis non rectà, ſed obliquè opponitur, neque ipſa in medio oculi apparet, ſed ab eo declinat, ita vt in vna oculi parte plus albi appareat, quam in alia, & amborum vnus aſpectus eſſe nequeat. Quo morbo qui laborant, cum res rectà intueri volunt, vt pupilla rebus rectà opponatur, oculos intorquent, toruúmque aſpectum exhibent. *Strabiſmus.*

### *Cauſſæ.*

Hujus mali cauſſa à pleriſque in vitioſam muſculorum oculos mouentium diſpoſitionem refertur. Et primò verum eſt, interdum conuulſis & contractis aut reſolutis muſculis oculum ad vnum latus mouentibus hoc malum excitari: dum oculi ita diſtorquentur, vt pupilla objectis, quorum ſpecies recipit, non rectè opponatur. Hoc quando accidit, oculi liberum & voluntarium motum amittunt, & res objectæ geminæ apparent, vt etiam Ariſtoteles, *ſect.31. problem.7.* docet; niſi æquabilis forſan fiat vtriuſque oculi conuulſio, ita vt pupilla vtriuſque oculi idem planum obtineat. Sic & ſani, ac quorum oculi naturalem conſtitutionem habent, ſtudioſè muſculos contrahendo Strabiſmum quandoque imitantur. Conuulſio hæc accidere poteſt in epilepſia, in febribus malignis. Nonnullis verò à primo ortu accidit, contractis nonnihil, & in eo ſitu manentibus oculis. Quod fit, ſi mater vterum gerens moribundos, vel animalia mactata oculos conuertentia aſpiciat, vel rerum fulgentium, vt pote gladiorum, ignis vel fulguris intuitu obſtupeſcat: ſicut & ex conſuetudine idem accidere poteſt; dum nimirum muſculi oculos mouentes ad vnum latus vel ſurſum, vel deorſum continuò mouentur, vnde illi ſitui aſſueſcunt, & in eo poſtea permanent. Sicut infantibus in cunis interdum accidit, dum ſurſum verſus lucem, vel lucernam ardentem continuò oculos mouent, & quaſi fixos habent. Ita memini, puellam in Patria, quæ etſi à primo ortu nihil vitij in oculis habebat, cùm tamen nouercam metueret, & poſt fornacem ferè ſemper ſedens, limis oculis nouercæ aduentum obſeruaret, Strabiſmum contraxiſſe. Et quod ex conuulſione accidit, idem ex paralyſi muſculorum oculos mouentium fieri poteſt. Sic interdum poſt apoplexiam, aut ex affluxu humorum pituitoſorum ad oculos, hoc malum contrahitur.

Verùm ſecundò præter hanc cauſſam, quæ ex ſitu muſculorum eſt, alia adhuc Strabiſmi cauſſa eſſe poteſt: ſitus nimirum humoris cryſtallini vitioſus; cum is pupillæ non rectè opponitur, ſed ad latus alterutrum, vel ſurſum aut deorſum declinat ita, vt, qui hoc modo cryſtallinum ſitum habent, ſi rem rectà intueri volunt, oculum ad latus contorquere neceſſe habeant, donec vniformis fiat viſio.

Vitium hoc etiam à primo ortu accidere poteſt; imò conſuetudo detorto viſu aliquid contemplandi in infantibus cryſtallinum quoque humorem in ſitu naturali turbare valet.

### *Differentiæ.*

Sunt autem quatuor Strabiſmi differentiæ. Aliquando enim verſus nares, aliquando verſus tempora, aliquando ſurſum, aliquando deorſum pupilla declinat, & oculus contorquetur.

Præterea accidere poteſt, vt nunc vnus ſaltem oculus ſtrabiſmum patiatur; nunc ambo: imò, vt alter oculorum verſus nares, alter verſus tempora, ſurſum vel deorſum feratur.

### *Signa Diagnoſtica.*

Strabiſmus facilè per ſe patet intuentibus, neque ſignis, quibus cognoſcatur, opus habet. A qua cauſſa verò pendeat, cognoſcere non ita facilè eſt: viſionis tamen modus id patefacere poteſt. Si enim res geminæ apparent, certiſſimum id ſignum eſt læſionis muſculorum adhuc durantis. Si verò res non geminatæ apparent, cauſſa eſt in cryſtallino, dum ſcilicet is ad planum retinæ, & pupillam ſeſe difformiter habet, vnde oculi ita intorquendi veniunt, vt æqualis in vtroque fiat repræſentatio ſpecierum. Si aliquis morbus præceſſit, aut cauſſa adſit, quæ reſolutionis & contractionis muſculorum indicium exhibeat, muſculis affectis Strabiſmus, pupillæ ſitus diligenter attendendus. Nam ſi à vitioſo ſitu cryſtallini ſit, pupilla non erit ad latera contracta, vt in Strabiſmo ex conuulſione. An verò ex mala aſſuetudine, vel defixo oculorum obtutu, contractus ſit Strabiſmus, parentes, vel qui infantibus inſeruierunt, docebunt.

### *Prognoſtica.*

Strabiſmus à primo ortu & mala conformatione non curatur; nec qui à mala aſſuetudine, vel etiam conuulſione aut paralyſi, ſi ſit inueteratus, vnquam curatur. Recens verò malum interdum curationem ſuſcipit.

### *Curatio.*

In infantibus hoc malum curatur, ſi larua aliqua vel cappa faciei obducatur, ac foramen oculis oppoſitum ita diſponatur; vt infans in partem oppoſitam ei, quo & pupilla & oculi præter naturam vergunt, oculos dirigere cogatur. Quod vt commodius fiat, ex lamina ferrea vel argentea canales inſtar infundibuli formentur, & foraminibus illis in larua vel cappa aſſuantur, vt per eam aſpectus dirigatur. Vel lucerna in partem oppoſitam, quò oculi præter naturam declinant, ponatur, vt infans fixo obtutu eam aſpiciens in contrarium oculos deflectat.

Non tamen certo rei intuitu ſolùm muſculi oculorum aliter atque aliter diſponi, ſed etiam humores oculi, puta cryſtallinus & vitreus, varias habitudines & ſituum differentias acquirere poſſunt.

Si à ſpaſmo vel paralyſi ſit ſtrabiſmus, curatur vt ſpaſmus vel paralyſis; de quibus ſupra.

## CAPVT XLIV.

### *De Cæcitate, & viſus debilitate.*

Atque ita hactenus omnes morbos, qui tum ſingulas oculi partes, tum ipſum oculum totum infeſtare poſſunt, explicauimus. Reſtat, vt de ſymptomatibus, quæ circa viſionem, & oculo accidunt, dicamus. Inter quæ cùm primo loco ſit læſa actio, primò de viſione læſa dicendum.

Læditur autem viſus tripliciter; vel quia planè aufertur; vel quia imminuitur; vel quia deprauatur.

De abolita & imminuta viſione hoc capite dicemus. Cùm planè aufertur viſus, cæcitas nominatur, Græcis τυφλότης: à quacunque etiam cauſſa inducatur. *Cæcitas.*

Imminuitur verò viſio plurimis modis. Primò cum res in quacunque etiam diſtantiâ non clarè videntur; quod vitium ſi citra manifeſtam oculi affectionem accidat, Græcis ἀμβλυωπία & ἀμαύρωσις nominatur, ita vt etiam ἀμβλυωπία, vt mox dicetur, per ἀμαυρότητα definiatur. Aut ſi quæ eſt inter ea differentia, mala ſunt gradibus ſolùm diſtincta. Nam ſi manifeſtum aliquod in oculo vitium appareat, vt accidit in ſuffuſione, albugine, craſſitie corneæ, & ſimilibus affectibus, peculiare nomen à cauſſa læſio illa viſus accipit; vt ex ſuperioribus patet. *Viſus hebetudo.*

Quanquam ſæpe & iſta vitia generalibus nominibus exprimantur. Ita vbi ſenes humoribus & tunicis nonnihil exſiccatis obſcurè vident, caligo oculorum appellatur. Idem vitium ſi iuuenibus accidat, hebetudo oculorum & obſcuritas viſus nominatur.

Pertinent huc & ſymptomata, quando homo noctu, & tenebris ingruentibus, vel nihil videt, vel contra meliùs, quàm de die, videt. Imò compertum eſt, teſtantúrque id Viri doctiſſimi, quoſdam noctu in denſiſſimis tenebris vidiſſe, & literas legere potuiſſe, & Suetonius, *in vita Tiber.* & Plinius ſcribunt, Tiberium noctu expergefactum omnia primùm videre potuiſſe non alio modo, quàm in clara luce, poſtea tenebris paulatim ingruentibus. Cœlius Rhodiginus, *lib.* 15. *antiq. lect. cap.* 2. ſanctè affirmat, ſibi etiam quandoque obtigiſſe, vt noctu videre potuerit. Idem de ſe affirmat Cardanus, *lib.* 8. *de variet. rer. cap.* 43. Et ſolenne hoc etiam fuiſſe I.C. Scaligero, filius Ioſephus, *in vita eius*, tradit. Et Hieron. Fabricius ab Aquapendente, *de viſus organ. part.* 2. *cap.* 4. narrat, Piſis hominem quendam degiſſe, qui eam nactus erat oculi conſtitutionem, vt noctu probè videret. Idémque de aliis etiam narratur. Eſtque is affectus diuerſus à nyctalopia Hippocratis. Hac enim qui laborant, noctu meliùs vident, quam de die, ſed non in tenebris, ſeu de die, hoc eſt, luminoſo aëre, parum vel nihil vident, noctu verò, vel in loco obſcuro, non tamen totali luminis abſentia, melius: illi verò, de quibus dixi, etiam de die bene vident, ſed noctu quoque, & quidem in tenebris. Noctuas, nycticoraces, veſpertiliones, feles, glires, mures in tenebris videre, notiſſimum.

Ἀμβλυωπία ergo (quæ & Hippocrati, *in Prognoſticis*, ἀμβλυωγμὸς eſt; ſicut & quibus per morbos viſus hebeſcit, iidem ἀμβλυώσσειν & ἀμβλυώττειν dicuntur) vt à Paulo, *lib.* 3. *cap.* 22. definitur, ἀμαυρότης τοῦ ὁρᾶν ἀπό τινος ἀδήλου αἰτίας γινομένη, eſt viſus obſcuritas ſine manifeſta cauſſa oborta, ſeu hebetudo oculorum, & videndi debilitas, ſine manifeſto in oculis vitio, quomodo & Actuarius, *libr.* 2. περὶ διαγνωσ. παθ. definit. *Ἀμβλυωπία*

Eadem viſus obſcuritas & ἀμαύρωσις nominatur. Ita enim Gal. 2. *Prorrh.* definiũtur, ἀμυδρὰ τῶν ὀργάνων αἴσθησις οὖσα χωρὶς τῆς μετὰ τὴν ἀχλὺν φαντασίας, hebeſcens & languida inſtrumentorum ſenſatio abſque vlla turbationis viſione. Vbi ἀμαυρώσεως καὶ τῆς ἀχλυώδους ὄψεως, hoc eſt, obtuſæ & caliginoſæ viſionis conſtituit diſcrimen. Nam, inquit, cum in vtriſque obtuſus ſit aſpectus, in caliginoſa tamen viſione ægris ipſis veluti cuiuſdam caliginis ſenſatio accedit; exterius verò cernentibus nullam humidi præter naturam conſiſtentiam hebeſcens oculus habere videtur. At in eo periit lucidus oculorum fulgor, qui in acutè cernentibus ineſt; ſuntque hebeſcentes oculi mortuorum ſimiles: ac permultis morientibus & adhuc viuis ejuſmodi oculi apparent, veluti etiam in extrema ſenectute. At non omnibus caliginoſi videntur, verùm iis ſolis, quibus humor, qui circa pupillam eſt, & ſanitatis tempore tum ſplendidus, tum albus erat, conturbatus cernitur.

Interdum tamen pro viſione ablatâ ἀμαύρωσις accipitur, & eſt perfectum videndi impedimentum citra manifeſtum *Ἀμαύρωσις.*

manifestum oculorum vitium, & purâ apparente pupilla; vnde etiam, vt supra dictum, gutta serena (*der schwvartze Staar*) à nonnullis appellatur. Ita ἀμαύρωσις Isagoges autori est, ὅταν παντελὴς παρεμποδισμὸς ᾖ τοῦ ὁρᾶν, χωρὶς φανερᾶς αἰτίας, totius visionis impedimentum absque vlla manifesta caussâ. Sic Paulo, *lib. 3. cap. 22.* ἀμαύρωσις ἐστιν, ὁ παντελὴς ὡς ἐπιτοπολὺ τοῦ ὁρᾶν παρεμποδισμὸς, χωρὶς φανεροῦ πάθους περὶ τὸν ὀφθαλμόν: id est, plerumque perfectum cernendi impedimentum, citra vllam manifestam oculi affectionem.

Secundò cum res in debito spatio, & eo, quo aliàs sani res videre solent, homo videre non potest, sed, vt eas videat, propius oculis admouere cogitur, nisi perspicillorum vsu hoc vitium corrigat; vnde sæpe accidit, vt amicos & notos prætereuntes non agnoscat. Vitium hoc nonnullis à primo ortu contrahitur. Imò sunt ex illis, qui, nisi res minores oculis planè admoueant, &, vt vulgò dicitur, naso attingant, & conniuentibus & clausis nonnihil oculis videant, eas planè non agnoscunt; quod vitium μυωπία nominatur. Contrarium nonnullis accidit, vt res nonnihil distantes rectius videant, quam propinquas, & proinde cum res minores exactè cognoscere cupiunt, eas nonnihil ab oculis remouere coguntur; quod vitium senibus familiare est, & perspicillorum idoneorum vsu quodammodo emendatur. Iisdem plerumque accidit, vt, etsi de die sic satis videant, ad lumen tamen accensum res minores non satis agnoscant; ideóque lumine copiosiore opus habent.

*Nyctalopia.* Νυκταλωπία autem & νυκτάλωψ, (quanquam posterius vocabulum & hominem ipsum sic affectum significat, quem Plinius, *lib. 28. c. 11.* Luscitiosum nominat) Latinis nocturna cæcitudo, Celso generaliori vocabulo imbecillitas oculorum, ejusmodi affectio est, quâ detenti interdiu quidem satis, occidente v. Sole obscurius, noctu denique nihil cernunt. Hippocrati contrà Νυκτάλωπες, *in 2. prorrhet.* dicuntur, qui noctu cernunt melius, quàm interdiu; qua significatione & vocabulum in definitionibus Medicis, quæ Galeno ascribuntur, exponitur. In *introduct.* verò seu *Medico* vtroque sensu hæc vox accipitur. Sed recentiores Græci eâ significatione vocem vsurpant, quâ diximus, quam & in præsentia retinemus. Est igitur Νυκταλωπία symptoma diminutæ facultatis videndi, quâ affecti mediocribus ingruentibus tenebris, quæ oculorum sanorum visioni nullum impedimentum afferrent, parum aut nihil cernunt, atque ita visus iis in nocte, vt Auicenna loquitur, hoc est, in obscuro, euanescit.

### *Caussæ.*

Quia autem visio perficitur oculo, qui pluribus partibus constat, & spirituum animalium beneficio, caussæ læsæ visionis aut in cerebro, & spiritibus opticis, aut in neruo optico, aut in humoribus, aut in oculi tunica cornea & pupillâ, aut in musculis quærenda est.

*Cæcitatis & visus debilitatis caussa.* Et quidem cæcitas & visus debilitas ferè caussarum magnitudine saltem differunt. Etenim si caussa sit major, cæcitas; si minor, visus debilitas introducitur.

Si visio cerebri vitio læditur, plerumque reliqui sensus simul afficiuntur; quia spiritus animales in cerebro generati commune omnium sensuum instrumentum sunt, & in omnia sensuum organa diffunduntur. Si autem sensus reliqui integri sint, visione læsâ, non totum cerebrum afficitur, sed vel neruus opticus saltem, vel cerebrum eâ parte, quâ nerui optici prodeunt. Cerebrum autem afficitur vel intemperie simplici, aut cum materia; vnde spiritus exigui aut impuri gignuntur: vel debilitate ex nimia euacuatione, diuturno vel graui morbo, animi mœrore: vel denique angustia prohibente liberum transitum spirituum.

*Quomodo visio lædatur vitio spirituum opticorum.* Si autem quæratur, quomodo spirituum vitio visio lædatur, ex vulgata doctrina spiritus lucidus, tenuis, multus facit, vt exquisitè & distinctè omnia cernantur, tam propinqua, quàm remota; lucidus, tenuis, paucus, propinqua tantum facilè agnoscit, non perspicit etiam res valde luminosas; taléque dicuntur μύωπες seu luscios, qui tantùm conniuentibus oculis cernunt: atque hi juuantur perspicillis, vt vocant, minorantibus, quæ secundum illorum sententiam radios illos visiuos tenues, paucos colligunt ac coercent, ne in longiore distantia deficiant. Lucidus, crassus, multus, remotiora melius cernit, crassitie ad intuitum remotiorum continente lumen, ne dissipetur, ad propinquiora hebetante; cum in ipso progressu largiore spiritus crassus nonnihil subtilior & purior reddatur. Iuuari hi dicuntur perspicillis, vt vocant, ingrossantibus, quibus res visa majori specie offertur. Lucidus, crassus, paucus, nec propinqua, nec remota expeditè cernit. Atque ad hanc caussam referunt νυκταλωπίαν. Obscurus spiritus visioni incommodus est, & tantò magis, quò crassior fuerit.

Verùm vulgata illa doctrina non sine caussa in quibusdam suspecta est. Primò enim nititur falsâ hypothesi, visionem fieri per emissionem radiorum. Spiritus eqnidem ad visionem necessarij sunt, sed non eo modo, quem ipsi statuunt. Deinde μυωπίας caussa ponitur paucitas spirituum: cum tamen multi hoc symptoma in juuentute patiantur, in quibus nullus spirituum defectus animaduertitur. Ideóque symptomatum horum in visu caussa potius ex humoribus, & præcipuè crystallini, vitiis deducitur, vt postea dicetur. Hinc potius probabile est, eam solùm visus debilitatem à spirituum defectu & impuritate fieri, cùm res minutæ & remotæ non videntur, atque etiam magnæ non satis distinctè percipiuntur. Atque tum proculdubio in sensibus etiam aliis vitium aliquod percipitur; cum cerebrum spiritus non solùm oculo, sed & aliis sensuum & motus organis suppeditet: quod si absit, proculdubio in humoris aquei, crystallini, vel vitrei obscuritate & impuritate, caussa visus læsi & debilis quærenda, vel etiam in neruo optico.

Neruus autem opticus læditur interdum ex nimia refrigeratione, si quis ventorum frigidorum flatum fronte & oculis minus tectis excipiat, frigore ad ea loca vsque, vbi nerui optici oculis inseruntur, penetrante. Idem ex oxyrrhodinorum frigidorum valde nimio vsu quandoque accidisse, & visum abolitum fuisse observatum est. *Neruorum opticorum.*

Sed & alia neruorum opticorum vitia visum lædunt, & quidem, vt supra, *cap. 35.* dictum, angustia, ruptura vel contorsio, quæ pluribus de caussis accidere possunt, à percussione, casu vel ictu, epilepticis conuulsionibus, immoderata & violenta spiritus retentione, vt nonnunquam tubicinibus accidit, & fœminis in partu difficili, ex vehementi conatu; nonnunquam sine caussa violenta, post morbos graues, pestem, vehementes capitis dolores, & similes caussas, &, quod frequentissimum est, ex cerebri excrementis pituitosis, seu extrà neruos opticos comprimentibus & irrigantibus, seu intus obstruentibus. Neque enim video, quid obstet, cur non etiam ex ipso cerebro humores in neruos opticos tam amplos infundi, eósque obstruere possint. Possunt tamen etiam vapores crassi melancholici in neruos opticos irruentes spirituum influxum prohibere. Ita enim memini Studiosum ex scabie in febrem incidere, cui asthma & cæcitas accidebat, ita vt nullo vitio in oculo apparente per triduum nihil videret. Is medicamentis idoneis adhibitis & vrinâ nigra reddita conualuit. Puer verò ex eadem caussa, scabie scilicet, in febrem & cæcitatem incidit, qui epilepsia accedente mortuus est. Memini etiam quendam ex affectu hypochondriaco in cæcitatem incidisse. Referunt quoque nōnulli inter caussas læsæ visionis siccitatē nerui optici, quæ post febres ardētes relinquatur. Sed cū credibile nō sit, in cerebro & loco cerebro vicino tātā siccitatem induci posse, probabilius est, humorē aliquē vitiosū ibi relinqui, qui neruos opticos seu obstruat, seu cōprimat.

*Humoris vitio.* Humorum tandem & corneæ tunicæ ac pupillæ vitio visus sæpe aut debilitatur, aut imminuitur. Cum enim istæ partes omnes ad specierum sensitilium receptionem comparatæ sint, si debito modo sese non habeant, receptio illa impeditur; vnde visus vel planè tollitur, vel impeditur, pro magnitudine caussæ; de quibus omnibus capitibus præcedentibus & , Instit. *lib. 2. part. 3. s. 2 c. 3* dictum.

*Nyctalopia.* Vt de Nyctalopia saltem aliquid in specie addam, Aëtius malum hoc oriri statuit propter aliquam cerebri imbecillitatem, & maximè ob spiritus visiui, humorúmque & tunicarum oculi crassitudinem. Et credibile est, humorem & spiritus crassos debiles species difficulter transmittere, & quasi obscurare. Ideóque Nyctalopes saltem in clara luce, & clara saltem, & sufficienter illuminata objecta vident. Deinde & præcipuè, pupillæ angustia nyctalopiæ caussa esse potest. Non, vt quidam putant, quia per angustam pupillam modicum lumen admittatur, quod visum mouere nequeat. Nam, vt supra etiam dictum, lumen externum ad repræsentationem specierum visibilium in oculo depictarum, non est necessarium, sed potiùs opacitas hîc requiritur. Caussa verò, cur angustia pupillæ nyctalopiam inducat, hæc est, quod in angustia pupillæ pauciores radij, qui à quolibet objecti visibilis puncto ad quodlibet pupillæ punctum radiant, debiliter illuminati oculum ingrediuntur. Vnde accidit, vt, cùm objectum non sit multum illuminatum, luménque deuehens sit paucum, obscurior sit rei imago; quæ tamen illustrior fieret, si plures radij per amplam pupillam oculi cameram ingrederentur. Vbi & hoc notandum, animalia quædam, quæ noctu vident, pupillam non ita multum dilatare, vt homines faciunt, qui obscuriori loco imagines venãtur, quod in bubone obseruare cuilibet promptum est. Nam licet illa dilatatione opus habere videatur ad plurium radiorum visibilium debili luce radiantium perceptionem: tamen conuexitas illa, & protuberantia insignis, inprimis etiam crassities notabilis, corneæ tunicæ, vt mox dicetur, ita radios refringi facit, vt angustè coëant, coarctatique pupillam subire possint. Nam dilatatio pupillæ in his animalibus lucidos oculos habentibus iridem contraheret; quam tamen visionis obeundæ, & objectorum illuminandorum gratia conuenit esse ampliorem. Talis enim plus luminis spargit.

*Cur quidam in tenebris videant.* Cur autem quidam etiam in tenebris & noctu videant, explicare non ita facile est. Vt aliorum sententias prolixè non recenseam, primò hoc extra controuersiam esse puto, illos, qui noctu vident, talem oculi constitutionem habere, qualem feles, & alia ejusmodi animalia noctu videntia, id est, habere lucem aliquam internam, non quidem in crystallino, vel aliis humoribus insidentem, (hoc enim si ita esset, res objectæ non viderentur, sed fulgor saltem quidam in oculo perciperetur) sed in vuea tunica, & illa ejus parte, quæ iridem constituit. Et quidem non in parte interiore & concaua, (Nam sic turbaretur visio: & præstat interiorem esse tenebricosam) sed saltem exteriore superficie vueæ.

Qua ratione autem lumen illud vueæ inhærens ad visionem nocturnam concurrat, non ita planum. Quidam ad quæstionis hujus solutionem præsupponit falsas hypotheses; nimirum lumen ratione obiecti non requiri, & obiecta visibilia quolibet tempore perenniter species suas emittere, non verò opus esse externo lumine quod eas exsuscitet. Verùm rationes, quibus paradoxum hoc probat, nullas habet, nisi quod de felibus, noctuis, & aliis animalibus noctu videntibus habetur. Verùm nulla hæc probatio est, sed de hoc ipso quæritur, qua ratione talia animalia noctu videant, & an objecta illuminata videãt. Et rationi, ac omnibus Philosophis, imò ipsi experientiæ contrarium est, species visibiles nulla luce excitatas; posse per se radiare, adeóque ad oculum peruenire, vt circum illum versantes tandem illuminentur. Immotum potiùs & Physicorum, & Opticorum principium est, obiecta visibilia non nisi illuminata videri, lumenque colorum esse actum, & specierum visibilium vehiculum. Deinde & hoc certum est, vt antea etiam dictum, lucem quandam animalium quorundam vueæ tunicæ & iridi inesse, quæ etiam de die apparet. Ex quo concluditur, lucem istam ex animalium istorum oculis coruscantem caussam esse, vt videant, & quidem non propter illuminationem organi neque medij, sed objecti. Prodit enim illud lumen forâs, & obiectum illuminat; illuminatum hoc radiat vi lucis, & speciem oculo iterum sistit, licet circumstantes partes & obiecta à latere sita illuminata non appareant. Fidem faciunt huic rei specula concaua, quorum vi lumen in distans proiicitur objectum, ita vt literas in remoto pariete legere liceat; cùm tamen loca speculo proxima non sint illuminata, sed tenebricosa. Neque sententiæ huic obstat, quod lumen illud, quia debile, in longum spatium sese diffundere nequeat. Nam primò sphæra luminis longissimè exporrigitur, docentibus id opticis & experientia. Deinde nondum probatum, animalia illa lucidos oculos habentia objecta longè distantia percipere. Licet quoque obiecta ab oculis eiusmodi lucidis illuminata ab aliis non videantur: tamen inde non sequitur, planè non irradiari. Nam primò nyctalopes in crepusculo nihil vident; non tamen sequitur, crepusculi lumen esse nullum adeóque objecta planè non illuminari. Deinde quod talia obiecta ab aliis non videntur, ratio est, quod respectu aliorum oculorum non sunt satis illuminata, & quia alij remotius ab objecto absunt.

Vt ergò res hæc magis manifesta fiat, sciendum, ad visionem lumen requiri, quod objectum radiare faciat: hoc si sit exiguum, ita, vt radiatio sit obscurior, quod fit tempore nocturno, vel in crepusculo, opus esse, vt plures radij vi luminis radiantes, qui ab vno etiam visibili puncto continenter profluunt, oculum subeant. Sic enim ex pluribus radiis coagmentatio fit repræsentatio speciei illustrior. Duabus autẽ de caussis multitudo radiorum visibilium debiliter radiantium ob exiguum illud, quo deuehuntur, lumen, oculi cameram potest ingredi. Primò cum pupilla dilatatur. Sic enim fit, vt per amplam portam vnius puncti visibilis radij plures oculi penitiora subeant. Et hæc est vera caussa dilatationis pupillæ, nempe receptio plurium radiorum in oculum, non verò luminis externi admissio. Externum enim lumen visionem impedit; multitudo verò radiorum visibilis suo modo luminosorum speciem pingit in oculo clarissimam. Secundò cùm propter amplitudinem tunicæ corneæ plures radij visibiles recipiuntur, & propter ejus protuberantiam, & conuexitatem majorem ad majorem angulum refringuntur. Sic enim fit, vt radij visibiles, licet debiles, coagmentati, & copia aucti pupillam subeant etiam paruam, & tandem in retiformi tunica satis claram rei exhibeant imaginem. Et hæc est vera ratio structuræ oculi in bubonibus, & cur noctu videant. Habent enim bubones corneam tunicam non solùm amplam, spatiosam, insigniter protuberantem, seu valde conuexam, sed etiam ita crassam seu profundam, vt vix in vllo animali, licet grandissimo, tam crassa reperiatur. Vnde vnius puncti visibilis tot radij, quot in hac tunica cornea puncta, recipiuntur, & propter ejus conuexitatem majorem maximè refringuntur, & adhuc magis, quò hæc tunica profundior; tandémque breui spatio arctati pupillam non admodum amplam rectè subeunt, speciémque notabilem retinæ offerunt. Animalia enim, quæ noctu vident, pupillam in tenebris non habent multùm dilatatam: quia non opus est multa dilatatione; cùm species amplissimæ etiam cornea tunica susceptæ, hujus conuexitate & profunditate multum infractæ omnes exiguam pupillam ingredi valeant.

Signa

*Signa Diagnostica.*

Cum verò à tot caussis visus debilitas & cœcitas ortum habere possit; quibus signis eæ discerni queant, videndum: quod factu difficilimum. Et omnino certitudo adeo exacta hic nulla datur, nisi plurima inter se conferantur: &, vt Auicennas loquitur, cognitio ista existimatiua est, id est, coniecturalis. Etsi enim visu discerni possit, an vitium sit in cornea: tamen si in cornea vitium non sit, an sit in humore aqueo, crystallino vel vitreo, aut neruo optico, distinguere non ita facile est.

Primò ergo oculus diligenter inspiciendus, & videndum, an in cornea aliquid vitij appareat. Si in hac nullum adsit vitium, considerandum, an in neruo optico caussa læsæ visionis hæreat.

*Nerui optici affecti signa.* In neruo autem optico vitium non esse, ex eo cognosci posse putant, si fricando vnum oculum, & alterum comprimendo, in pupilla eius, qui fricatur, dilatatio & constrictio percipiatur. Cum enim liberè transeunt spiritus, neruus opticus apertus erit. Verum signum hoc, quod certissimum vulgò habetur, pro certo non habet Platerus; cum spiritus animales non flatus instar oculum distendant, neque oculum adimpleant, sed in retiformi neruo persistant. Ideóque ea, quæ præcesserunt, consideranda. Si in neruo optico vitium sit, caussæ eæ præcesserunt, quas supra recensuimus. Præterea plerumque subitò inuadit visus læsio, quæ à neruo optico est; cùm, si ab aliis caussis sit, paulatim generetur. Deinde etiam videndum, an homo oculi, vt appellant, id est, imago illa & idolum adspicientis, in pupilla ægri appareat. Si enim non appareat, videndum, an cornea vel tota, vel parte, quâ pupillam obtegit, obscura sit. Si enim obscura non sit, vel in humore aqueo, vel in aranea, quæ obtegit crystallinum, vel in humore crystallino vitium est. Si caussa in humore aqueo sit, & initium suffusionis adsit, vapores aut παχυμελῆ σώματα, crassa quædam corpuscula, per humorem aqueum dispersa sint; tanquam pusilli culices, vt supra dictum, & lanarum filamenta, vel aranearum telæ oculis obuersantur. Vbi tamen considerandum, an continuò tales imagines appareant; an per interualla quædam. Si enim aliquando tantùm appareant, fit hoc per consensum partis alicuius inferioris: si continuò, est initium suffusionis. Si in cornea vel pupilla vitium sit, aspectu illud cognoscitur, an scilicet macula, vel aliud vestigium in ea appareat. Si caussæ externæ præcesserunt, ex ægri relatione cognoscuntur.

*Prognostica.*

1. Debilitas visus ex senio vix curationem suscipit.

2. Similiter quæ ex crystallini & vitrei humoris confirmata obscuritate vel siccitate ortum habet, aut ex pertinaci obstructione nerui optici,

3. Glaucedo crystallini vel vitrei ab ortu contracta, vel quæ senibus accidit, incurabilis est; item quæ ab humore existit post suffusionem congelato, teste Aëtio, & quæ à siccitate confirmata. Ita rectè dixit Galenus, *in* 10. *de vsu partium, cap.* 7. glaucedinem potissimum parere cœcitatem.

4. Debilitas visus genita post euacuationes nimias vel morbos diuturnos, instaurato rursum corpore corrigitur.

5. Cœcitas ob fortem capitis plagam & casum ab alto subitò facta interdum altero vel tertio die tollitur.

6. Quæ paulatim fit visus obscuratio, non admodum difficulter curationem recipit, nisi senibus accidat: quæ verò subitò fit ob fortem capitis plagam, aut casu ab alto, difficilius curatur; atque eò difficilius, si neruus opticus læsus sit.

7. Si corneæ vitium sit magnum, visio in totum aboletur. Incurabile etiam est vitium, si rugosa sit facta, vt in senibus.

8. Nyctalopia, præsertim inueterata, raro curatur, cum ob humoris, plerumque crystallini, vitium accidat. Reliqua prognostica è suis locis secundum caussarum varietatem petantur.

*Curatio.*

Curatio visus debilis & aboliti variat secundum caussarum varietatem, vt ex singulis capitibus patet. Vt pauca saltem addamus; etsi, vt dictum, vbi nullum extra in oculo vitium animaduertitur, facilè definiri non possit, in qua oculi parte caussa visus læsi hæreat: tamen id adeo curandi rationem non facit. Siue enim in vitreo, siue in crystallino sit, eâ sublatâ visus restituitur, modò morbus sit curabilis. Non enim omnis visionis læsio ex partium internarum vitio curabilis est. Nam quæ vt dictum, ex crystallini & vitrei humoris confirmata obscuritate vel siccitate, incurabilis est. Si autem visum recuperandi spes sit, præcipuè cerebrum, quod oculo caussam morbi suppeditat, euacuandum; & purgantia talia, tum apud alios, tum apud Platerum, *lib.* 1. *Pract.* describuntur. Nec omittenda masticatoria, gargarismi, apophlegmatismi, vesicatoria, cauteria, & similia, quæ vitiosos humores è cerebro euacuant.

Tandem vsurpanda medicamenta ὀξυδερκικά, seu visum roborantia, id est, quæ spiritus puriores reddunt, & obscuritatem in humoribus, quantum possibile est, tollunt, oculósque roborant.

Nonnulli hic multi sunt in externis describendis. *Topica ad visum confortant.* Verum cauendum, ne acribus eiusmodi medicamentis oculi lædantur.

Externa talia fiunt *ex euphragia, fœniculo, chelidon. valeriana, astere Attico, ruta, calendula*, & similibus ophthalmicis: passímque multa extant.

Vt ℞. *Aq. rosar. opt.* Vnc. vi. *cyani, euphrag.* ana Vnc. iß. *vini Maluat.* Vnc. i. *tutiæ præpar.* Drach. iß. *camphor.* ℈.iii. *caryophyll. crassè incisor.* num. viii.

Bulliant simul in fictili, vel vitro moderato feruore. Fiat Colatura, in qua calente adhuc dissolue *vitriol. alb.* ℈. vi.

℞. *Euphrag. rutæ, consolid. reg.* an. Vnc. i. *nucis moschat. macis*, an. Vnc. ß. *caryophyllor. zingiber.* an. Dra. i.

Contusis affunde vini optimi ℔. iiii. vel q. s. Digerantur per aliquot dies, postea destillentur in balneo. Aqua quotidie manè & vesperi oculis instilletur.

Vel ℞. *Euphragiæ, rutæ, betonicæ, verbenæ, chelidoniæ, flor. cyani, rorismarini, consolidæ Regalis*, an. M. i. *thuris, aloes, myrrhæ*, an. Drach. ii. *calami aromatici, macis, caryophyll.* an. Drach. ii.

Concisis affunde *aquæ rosarum* ℔. ii. *rutæ, vini Maluat.* an. ℔. i. *vrinæ puerorum* ℔. ß.

Macerentur per dies 8. Postea destillentur.

Vel ℞. *Euphrag. fœniculi, rutæ, chelidoniæ, verbenæ*, ana M. i. *flor. rorismarin.* M. ß. *sem fœniculi, anisi, carui, sileris montani*, an. Vnc. ß. *rad. calami aromatici* Vnc. ß. *macis, thuris, myrrhæ*, an. Drach. i. *aqu. rosar. rutæ, vini Maluatici.* an. ℔. ii.

Macerentur per dies aliquot, postea destillentur.

Vel ℞. *Mellis despumati* Drach. i. *succi fœniculi* Vnc. i. *fellis accipitris, lucij piscis, perdicis*, an. Drac. i. Misce.

Vel ℞. *Radic. gentianæ minutim concisæ* q. v.

Coqu. in aq. & vini partibus æqualibus, & colatura oculo inspergatur.

Visum post morbillos & cicatrices ab iis relictas clarificat Aq. ophthalmica, quæ Maximiliano Imperatori tribuitur.

℞. *Stercus recens anſerum iuniorum* menſe Martio vel Aprili, deſtilla aquam, quæ ter de die oculis inſtilletur.

Alia: ℞. *Tutiæ præparat.* Drach.ii. *vitrioli albi, ſarcocollæ, nihili albi, aloës lotæ*, an. Scrup.i. *camphoræ* ℈. ß. *aq. fœniculi, roſar. chelidoniæ, pimpinellæ, nymphææ*, an. ℥.ii. *oſſ. ſepiæ* Drach.i. Miſce.

F. Collyrium.

Veteres, ac inprimis Arabes, vehementer commendant hepar hircinum, cuius vel aſſati ſaniem oculis inſtillant, vel vaporem apertis oculis ſuſcipere, vel ipſum aſſum cum ſale edere iubent.

Alij hepar ipſum cum felle aſſant. Ita enim deſtillans ſanies plus virium acquirit.

*Aqua de hepate hircino.*

Commendatur & hæc Aqua de hepate hirci:

℞. *Succi fœniculi, chelidoniæ, rutæ, euphragiæ*, an. ℥.ii. *mell. opt.* Drach.x. *tutiæ, ſarcocollæ, ♁ crudi, aloes opt.* an. Vnc. ſem. *nuc. moſchat. caryophyll. croci*, an. Drach.i. *fel. caponis, gallor. gallin.* an. Vnc. ſem. *ſacch. candi de ſyrup. roſar.* Drach. vi. *hepatis hirci* Vnc. iiß. *flor. roſar. roriſmar.* an. M.ß.

Hepar fruſtillatim incidatur, reliqua contundantur omnia. Miſce, & ſ.a. deſtillentur.

Auicennas & hepar Leporis ad hunc vſum commendat. Fortius eſt & hoc, quod ſic paratur:

℞. *Piperis longi in hepate hirci non caſtrati cocti* Drach.ii. *fellis hircini* Vnc.ß. *liquoris ab hepate hirci, dum aſſatur deſtillantis* Drach.vi. M. & colentur.

Commendatur & fel animalium, ac nonnulli omnibus fel viperæ præferunt.

*Aqua Sapphirica.*

Agirtæ aquam Sapphiricam commendare ſolent, quæ tamen ex ſapphiro non paratur, ſed à colore ita dicitur. Paratur enim ex aqua calcis viuæ, in quâ parum ammoniaci diſſolutum eſt, quæ in peluim æneam infunditur & per noctem relinquitur, donec ſapphiri colorem acquirat.

Verùm iſta aqua, & ſimiles, propriè, vt dictum, oculos non confortant, ſed vlcera eorum ſanant, cicatrices exterunt, craſſitiem & obſcuritatem corneæ tunicæ extenuant.

Plura vide apud Aëtium, *tetrabil.2. ſerm.3. cap.46.* & apud Auicennam, *ſub titulo de Nyctalopia.*

Interna ſupra, *cap.* 38. deſcripſimus, vnum & alterum ſaltem adhuc addemus.

Vinum euphragiatum hoc valde vtile eſt:

℞. *Rad. helenij* Vnc.iiii. *euphrag.* M.iiii. *ſem. fœnicul. ſileris montani*, an. Vnc.ii.

Suſpendantur in muſto, vel in hydromelite recens cocto, donec deferbuerit. De hoc æger ſingulis diebus mane & in prandio hauſtum vnum ſumat.

Commendatur etiam ſequens Vinum ophthalmicum:

℞. *Herbæ euphrag.* M.ii. *ſem fœnicul.* Vnc.ß. *cinamomi* .Drach.iii.

Conciſa ligentur in nodulo, qui ſuſpendatur in vini Rhenani menſur. ii.

Et euphragia quocunque modo ſumpta, & medicamenta ex ea parata, conſerua eſſentia & ſal, ad viſum confortandum plurimum omnino conducunt.

Sequens quoque Aqua ophthalmica efficax eſt, ſi eius cochl.ß. vel i. mane ieiuno ventriculo ſumatur.

*Aqua ophthalmica ad intra.*

℞. *Fol. rutæ, euphraſ. verben. fœnicul.* an. M. j. *ſummitat. roriſmar. ſaluiæ, flor. roſar.* an. P. ii. *granor. iuniperi* Vnc. i. *caſſ. lign.* Vnc. ß. *ligni aloes* Drach. ß. *ſem. fœnicul.* Drach.ii. *ſileris montani* Drach.i. *rutæ* Drac.ß.

Infunde *in vini Maluatici* ℔.vi.

Macerentur per dies quinque. Poſtea ſ.a. deſtillẽtur.

Aqua Ophthalmica D. Andr. Dôreri.

℞. *Rad. valerian. communis, phu Pont.* an. Vnc.ii. *caryophyllat.* ℥. ß. *fol. rutæ, verben. fœnicul. euphraſ. cum flor.* ana Drach. vi. *baccar. iuniperi recent.* Vnc. i. *lauri recent.* Vnc.ß. *flor. calend. meliſſ. Turc. ſaluiæ, roriſmar. roſar. alb.* an. Drach. ii. *ſem. fœnicul.* Vnc. ß. *caryophyll. cardamomi min. cubebar.* an. Drach. i. *cinamomi ac.* Vnc. i. *ligni aloës, Rhodij*, an. Drach.i.

Præparatis ſ. a. affund. *vini Maluat.* ℔. xii. poſtea in B. deſtillentur.

Spiritus Euphragiæ compoſitus:

℞. *Spir. ceraſor. nigr.* ℔. i. *aq. hirund. compoſ. maior.* Vnc. vi. *doronici veri, caſſ. lign. veræ, amomi veri, rad. valerian. chelidon.* an. Drach. ii. *mari veri, fol. rutæ*, an. Drach.i. *flor. euphrag.* Vnc.iß.

Infund. per noctem in liquoribus his: mane per B. deſtillentur leni igne, deſtillatum ſeruetur.

Aqua viſum fortificans alia:

℞. *Spir. euphrag. comp.* Vnc. iij. *aq. epilept. Lang. elixir. vitæ Matthioli*, ana Vnc.i. *eſſentiæ roriſmar.* Vnc. ß. *ambræ* gran. vi. *moſchi* gran. iiii. *ſyrup. de cinamomo* Vnc.i.ß. Miſce.

Vel ℞. *Succi fœniculi* Vnc. iii. *rutæ, chelidoniæ*, an. Vnc.i. *mellis* ℔. i.

Coquantur ad iuſtam ſpiſſitudinem.

Denique adde *pulu. euphrag.* Vnc. i. *ſem. fœnicul.* Vnc. ſem. *macis, cubebarum*, an. Drach.ii.

F. Electuarium.

Vel ℞. *Conſeru. euphrag.* Vnc.iii. *theriac. And.* ℥. ii. ſem. *ſuccini albi præpar.* Drach. ſem. *margarit. præpar.* Scrup.i. *ſpec. diapæon.* Drach.ſem.

Cum *ſyrup. de roſis* F. Electuarium, quo cubitum iturus vtatur æger.

Vel ℞. *Elect. Humaim Meſ.* Vnc. iii. *conſ. euphrag.* Vnc.ii. *pulu. ſem. fœnicul.* Drach. i. ſem. *ſileris montani.* Drach. i. *extract. rad. valerian.* Scrup. i. *ſpec. Occonis.* Drach.i.

Cum *ſyrup. de ſtœchade.* Fiat Mixtura.

Vel ℞. *Conſeru. euphrag.* Vnc.i. ſem. *betonicæ, roriſmarin.* an. Vnc. i. *rad. enulæ cond.* Drach. ii. *fœnicul. cond.* Vnc. ſem. *myrobal. chebul. cond.* Drach. iii. *ol. rutæ* Scrup. ſem. *ſiler. montan.* gran. vii. *eſſent.* vel *ſpir. rad. valerian.* Drach. i.

Cum *ſyrup. de beton.* q.ſ.

F. Electuar. de quo manè & veſperi capiatur aliquid, nucis caſtaneæ magnitudine.

Vel ℞. *Cinamom. zingiber. nucis moſchat. cubebar. caryophyll. macis*, an. Drach. i. *cardamomi, cumini*, an. Drach. ſem. *ſem. aniſi, fœniculi*, an. Drach.ii.

Adde ſacchari ad pondus omnium. Fiat Electuarium.

Vel ℞. *Sem. fœniculi* Drach.i. *rad. valerian.* Vnc.ß. *ſem. aniſi, piperis, zingiberis, cumini, pulegij, flor. roriſmarini, baccar. iuniperi, galangæ, caryophyllor.* an. Drach. i. *euphrag.* Vnc. ſem.

Pulueriſentur omnia ſubtiliſſimè, & cum melle deſpumato F. Electuarium.

Vel ℞. *Euphrag.* Drach. v. *maioran. cinamomi*, ana Drach. ii. *ſem. fœnicul. coriand. præpar.* ana Drach. iii. *aniſi, carui, piperis longi, caryophyll. macis, nucis moſchat. Zingiber. galang.* an. Drach. i. *ſpicæ* Drac. ſem. *ſacchari albi* Vnc.ii. F. Puluis.

Vel hic Sal cibis admiſceatur:

℞. *Fol. euphrag. maioran.* an. Vnc. ſem. *ſem. fœnic. carui*, an. Vnc.i. *piperis longi, nigri*, an. Scrup.i. *cinamomi* Drac.ß. *ſalis* Vnc.iß. F. Puluis.

Vel ℞. *Fol. rutæ, leuiſtici, flor. euphrag.* an. Vnc. ſem. *rad. valerian. cinamomi, ſem. fœnicul.* an. Drach. ii. *cubebar.* Drach. ſem. Sacchari ad pondus omnium.

F. puluis.

Vel ℞. *Fol. rutæ, euphrag. ſaluiæ*, an. M. i. *baccar. iuniperi* Vnc. ii. *caſſiæ ligneæ elect.* Vnc. ſem. *ligni aloes* Drach.i. *ſem. fœnicul.* Drach.ii. *ſileris montani* Drach.i. *rutæ* Drach.ß.

Infundantur in vini Maluatici ℔.vi. macerentur diebus 14. poſtea deſtillentur. Exhibeatur manè cochl.i.

CAPVT

## CAPVT XLV.

### *De Visus deprauatione.*

*Visus deprauatio.*

*Cum vna res gemina apparet.*

NOn solum autem imminuitur vel aboletur, sed & deprauatur quandoque visus, & quidem variis modis. Primò enim fit visus hallucinatio, cum res vna gemina apparet; id quod ebriis sæpe accidit. Ita Forestus, *lib.* 11.*obseru.* 39.refert, militi cuidam apertis oculis ambobus, quicquid videbat, duplex apparuisse, sed sinistro aperto, & dextro clauso, rectè eum omnia vidisse; &, *in Scholio, ex Aggregatore*, refert historiam sacerdotis auari, qui, cùm haberet vnam candelam in manibus, credens esse duas propter auaritiã exstinxit vnam, existimans remanere aliam, & ita mansit in tenebris.

*Quæ recta curua, omnia inuersa.*

Deinde cùm, quæ recta sunt, curua apparent. Tertiò cùm omnia inuersa apparent. Memorabile est hîc, quod Medico cuidam clarissimo Dresdæ accidit. Is cum forte scalam librum aliquem è forulis petiturus ascenderet, oculósque fortius sursum converteret, accidit, vt omnia ei postea inuersa apparerent, & homines in platea in capite ambulare viderentur. Adhibuit varia remedia, quæ tamen nihil profuerunt, durauítque hic affectus ferè quadrantem anni. Postea cum fortè iterum oculos sursum conuerteret, naturalis visio rediit, & omnia in recto situ vidit. Et ne quis, contra Christianam charitatem, caussam imprecandi habeat, vt mihi malè sit, si temerariè id factum tradiderim; ter malè nuntio, si infideliter mihi retulerit: nomen viri exprimo, & fuisse eum D.Georg.Leuschenerum, Sereniss. Elector. Saxon. Archiatrum, idque mihi ab iis relatum aio, qui eum familiariter nouerunt, & quidam adhuc Dresdæ in viuis sunt.

*Alieno colore prædita, Iris, splendores.*

Pertinet ad visus deprauationem & ille affectus, cum res alio colore, quàm quo præditæ sunt, apparent: vel cum circa candelam accensam iris quasi apparet: vel cùm splendor fulguris modo, aut flammæ magnæ, oculis obuersatur; quod vitium ex inflicta alapa interdum accidit, ita vt ignis scintilla quasi ex oculis exsilire videatur. Vt plurimum autem, si caussa externa desit, dormientes infestat hoc malum; vnde Latinis splendores oculorum nocturni, seu oculorum coruscationes, Græcis μαρμάρυγαι appellantur. Vel dum res perforatæ & fenestratæ qs. apparent.

*Cum res, quæ non adsunt oculis obuersari videntur.*

Præterea fit visus deprauatio, cum res, quæ non adsunt, oculis obuersari videntur; vt culices, muscæ, filamenta lanarum, telæ aranearum, catenulæ quasi, vel dum nubeculæ oculis obuersantur.

Accidit visus deprauatio etiam, cum res, quæ firmæ & stabiles sunt, moueri & circumagi videntur; quod in vertigine contingit.

*Rhinoptes.*

Tandem ad visus deprauationem pertinet miranda illa historia, quam Schenckius, *lib.*1.*obseru.* 320. recenset, de Rhinopte quodam, qui ex malè curato vulnere per patentes narium meatus species visibiles recipiebat, & proxima quæque obiecta dignoscebat: de quo etiam *in Institut. lib.* 2. *part.* 3. *sect.*1. *cap.* 6. &, *ibid. sect.* 2. *cap.* 3. dictum. Describit quoque illam historiam Smetius, *miscellan. lib.* 10. *pag.*531. &, *lib.* 5. *epist.* 13. vbi etiam rationem huius symptomatis reddit hoc modo: Cœcum, *inquit*, quendam vtroque oculo orbum, naso pro oculis vtentem vidi, cuius beneficio obiecta omnia discernebat. Is dextro oculo ante annos multos, cum puer esset, priuatus fuerat. Tandem iuuenis factus (rusticus erat) ex cerasо in palum dumi ligneum fastigiatum delapsus, vultum impegit, vt nasum vna cum oculo sinistro, gena, palpebra vtraque, & supercilio difrumperet adeo fœdè, vt Chirurgus oculi globum euulsum prorsus crederet, eúmque palo inhæsisse. Cicatrice tandem inducta post annum ab accepta plaga, dum in gramine apricatur, fortè lucem atque flosculorum candorem humi animaduertere occepit per nasi cauitatem. Et iam per quinque aut sex annos continuos visionem eo modo exercuit, vt, quicquid offeratur, naso oculato distinguat exactè, sed despectando: suspectando enim lucem ferre nequit. Medicorum igitur collegio, vt examinaretur, pridie Cal. Martij iussu Electoris exhibebatur, cum suo enim Chirurgo in ius vocato contendebat. Portétosæ itaque huius visionis modum, caussámque esse deprehendimus, quod, sicut palpebra superior abrupto musculo attolli ampliùs non poterat, sed conglutinata quoque cum adnata oculi tunica coaluerat, ita etiam auulso musculo, qui oculum versus angulum acutum retrahere solebat, pupilla in angulum nasi se prorsus abdiderat. Et quia ossilla nasi non fracta modo, sed & luxata quodammodo, concinnè restitui non potuerunt, accidit, vt nasus pressior, latiórque, sinistra præsertim parte, euaserit, adeóque eiusdem naris meatum patentiorem curatio reliquerit, per quem distorta latitánsque pupilla videndi munus obibat, & res quaslibet naso obuias internoscebat.

*Mira historia de quodã, qui oculo ex orbita sua eruto, & in faciem pendulo vidit.*

[¶ Mira est historia de Rhinopte illo, qui per nares vidit, quam modò recensui, sed magis mira (nisi enim omnes circumstantiæ adderentur, ipse eam pro fabula haberem) quam recenset idem Henr. ab Heer, *obseru. eâd.* in hunc modum: Duo fratres nobiles inimicum, cuius vitæ insidiabantur, quia sorori vim vel fecerat, vel fecisse iactauerat, in campo, quò illum ad perdicum capturam pellexerant, arbori alligant, eique alterum oculorum cultro sectum omnino eruunt, alterum digitis expressum ad extremitatem nasi pendulum relinquunt, cæcum à bestiis noctu necandum reliquisse rati. Ille verò, sat commodè visu vsus, vinculis se expediuit, atque ante noctem in Chirurgi domum venit, qui oculum cauitati suæ repositum obligauit, sanúmque hominem, probéque videntem dimisit. Affirmauit ille Henrico ab Heer, se cum pendulo oculo ambulantem viam quidem probè vidisse, sed cum agitatione vel fluctuatione quadam, qualem in superficie fluminum ventis agitatorum obseruamus. Id quod ab oculo & neruo optico motante se, inquietásque visibilium species recipiente, prouenisse putat Henr. ab Heer; qui porrò affirmat, se legentem scribentémque vidisse; & hominem quarto pòst anno, vtriusque familiæ rebus assiduâ lite ferè attritis, ab altero fratrum sclopeto occisum fuisse.

*Ratio rei.*

Quod si ita accidit, necesse est, vt omnia in oculo salua manserint, & oculus nihil præter naturam, nisi mutationem loci, passus sit, quod tamen quomodo sine detrimento musculorum oculi fieri potuerit, mirum.

*Alia.*

Addit idem adhuc aliam historiam de Viro, qui 64. annum agens affirmauerit, sibi puero ictu tegulæ excussum oculum vltra dimidium nasi pependisse, sed eo reposito nihil in visu læsionis sensisse.]

#### *Caussæ.*

Primò geminatæ visionis, cum res vna duplex apparet, caussa est, quod vnius obiecti species duobus temporibus recipitur, seu in vno oculo prius, quam in altero, recipitur, & ita duobus temporibus recepta duplex apparet; seu omnino cum duæ species rei visibilis binis oculis receptæ non in vno loco coëunt, sed distinctæ offeruntur.

*Geminata visionis caussa.*

Qua de caussa autem hoc fiat, autores inter se non consentiunt. Nonnulli in neruis opticis caussam quærunt. Neruorum enim opticorum coniunctionem facere statuunt, vt res vna, etiamsi duobus oculis videatur, non duplex, sed vna videatur, abs qua si esset, singulas res duplices apparitúras putant. Et quidem Antiqui quidam putarunt, neruos opticos sese medios per χιασμὸν secare, & aduerso oppositi lateris oculo vtrinque inseri, dextrũ sinistro oculo, sinistrũ dextro.

Verum aliter sese rem habere, Anatomia docet, quâ constat, dextrum neruum dextro oculo, sinistrum sinistro implantari;etsi in medio vniantur. Cuius coniunctionis quænam caussa sit, alii aliter senserunt, vt apud Galenum, 10. *de vsu partium* &, *lib. de oculis*, *cap.* 4. videre est, Galenus præcipuam huius rei caussam esse putat, ne res vna duobus oculis aspecta gemina appareat. Verùm vix hæc præcipua huius rei caussa est. Potior illa ratio, quam Galenus tanquam secundariam affert, vt scilicet spiritus, qui à cerebro ad oculum vtrinque mittitur, vno oculo clauso, aut alia occasione requirente, ad vnum oculum totus transmittatur.Idque ex eo patet,quod obseruatum est,quosdam neruos in toto ductu separatos,& nullibi coniunctos habuisse, qui tamen eodem modo, vt alii, res omnes simplices, non duplices, viderunt. Cuius rei historiam habet Vesalius, *lib.*4. *de fabr. corp. hum. in cap.* 4. Deinde etsi in vno oculo nerui optici coniungantur; tamen paulò post iterum separantur, & separati oculis & cerebro inseruntur. Præterea etsi duo sint nerui ἀκουστικοὶ: tamen sonus non duplex, sed simplex auditur. Itaque non in neruis opticis caussa geminata visionis quærenda est; sed in axium conorum oculorum humores transeuntium in cauæ retinæ superficie constitutione; quæ si sit vniformis, & in eodem,vel sanè parallelo, plano sit, vt retinæ tunicæ amborum oculorum similiter & æqualiter pingantur ab imaginibus, speciésque vnius planè figuræ & magnitudinis in eodem & simili planè loco existentes vnam rem & obiectum notent. Si verò oculi ita distrahantur, vt nec eadem plana obseruentur, nec parallela, sed alter vel sursum, vel deorsum feratur, vel ad dextrum, vel ad sinistrum latus moueatur, gemina statim fit visio: quia tum retiformes tunicæ à speciebus dissimiliter & inæqualiter pinguntur, ita vt imago in sinistra oculi tunica retiformi ad dextram vel sinistram superiorem vel inferiorem, & inter mediam aliquam plagam declinet; in dextra autem oculi alium locum obtineat. Huius rei documentum est, quòd, si quis digito oculum vnum sursum vel deorsum trudat, vt cum altero æqualem situm non habeat, res omnes geminæ apparent.De quo Lucretius:

*Aut si fortè oculo manus vni subdita subter*
*Pressit eum, quodam sensu fit,vt videantur*
*Omnia, quæ tuimur, fieri tum bina tuendo,*
*Bina lucernarum florentia lumina flammis,*
*Bináque per totas ædes geminata supellex,*
*Et duplices hominum facies,& corpora bina.*

Quod confirmat etiam historia, quam recitat Iohan. Langius, *libr.* 1. *Epist.* 7. de quodam, qui in cultellum cadens oculum ab inferiore palpebra ad supercilium vsque ad medium diffecuit, cui vulnere sanato omnia gemina apparebant, quia pupilla oculi ad palpebram inferiorem agglutinati depressior altera stabat, sed tandem oculus frequenti motu ab inferiore relaxatus palpebra à geminati visus fallacia liberabatur.

Interdum & ebriis ac furiosis euenit, vt res duplices videant de quo Virgilius 4. *Æneidos:*

*Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,*
*Et solem geminum,duplices se ostendere Thebas.*

Qua de caussa verò ebriis & furiosis tale quid eueniat, non ita planum est. A vaporibus equidem, qui spiritibus animalibus permiscentur, hoc fieri, certum. Sed quomodo vapores illi faciant, vt res eadem gemina videatur, obscurum. Nobis probabile videtur, id facere, quatenus musculos mouentes afficiunt. Hi enim à vaporibus irrigati,& à spiritibus animalibus vaporibus turbatis inæqualiter affecti, suo officio non satisfaciunt,oculósque firmiter ad obiecta dirigere, & in illis conseruare nequeunt; sicut videmus horum nec manus nec pedes suo officio fungi. Non enim omnes ebrii,licet caput habeant vaporibus refertissimum, duplicia obiecta vident; sed illi solùm,qui eum ebrietatis gradum consecuti sunt, vt facultas loco motiua sit labefactata, musculique in actione sua deficiant. Licet verò illa distorsio oculorum ad sensum non ita manifestè appareat: (aliquando tamen deprehendi, & ex oculis ebriis cognosci possunt) tamen leuissima etiam, & sensu non perceptibilis declinatio à plano caussa esse potest, vt imagines in diuersis retinæ punctis appareant.

Quod verò Medico illi res omnes inuersæ apparuerunt, proculdubio ex crystallini situ mutato accidit, ob quem species inibi refractæ oppositam plagam in tunica retiformi occupauerunt. *Res inuersæ cur appareãt.*

Alieno colore res apparet,cum vel cornea tunica,vel humor aqueus alieno colore infectus est; quem dum transit,species visibiles eundem colorem suscipiunt. *Alieno colore tinctæ.*

Iris illa, quæ nonnunquam circa candelas conspicitur, non est circa candelas, sed in oculo; quippe quæ non omnibus apparet,sed iis saltem, qui oculos habent debiliores, & ophthalmiâ laborant. Præterea accedendo imminuitur, & recedendo fit maior; cum tamen contrarium fieri deberet, si esset circa candelam. Est quidem, qui hanc meam sententiam reprehendit, sed parùm æquè. Neque enim vnquam negaui, quod cuiuis notum,& quod experientia testatur, aliquando circa lucernam iridem apparere; verum non oculi vitio, vtpote quæ ab iis etiam, qui oculos sanos habent, percipitur. Sed de hac iride quæstio non est, sed illa, quæ non omnibus, sed iis saltem, qui oculorum vitiosam constitutionem habent, apparet. Et talem iridem dari experientia testatur. Ponatur enim lucerna in loco minimè vaporoso, sed aëre puro; tum ii, qui sunt oculis sanis, nullam iridem deprehendent, sed ii solùm, qui ophthalmici sunt,vel aliam oculi vitiosam constitutionem habent: quod certissimum argumentum est, iridem tum non in aëre, sed in oculis lippientibus & ophthalmicis hærere. Accidit autem hæc Iris,quia radii lucernæ transeuntes humorem aqueum,qui non est purus,sed ob fluxionem quasi roscidus,& guttulis multis conspersus, sese refringendo colores generant, qui omnes ad refractionem loca percurrentes circulum circa candelam rotundum efficere videntur; quia rotunda est pupilla. *Iridis circa oculis caussa.*

Et reliqua etiam simulachra,quæ visioni offeruntur, ab humoris aquei vitio proueniunt, quando is vaporibus vel humoribus inquinatus est.

Platerus equidem vapores hosce ad oculos posse penetrare negat,& neque per venas & arterias, neque per neruos opticos in ipsum oculum peruenire posse putat,quia venæ & arteriæ saltem per annatam oculi tunicam discurrant, & nullibi neque in corneam oculi tunicam, neque in oculi interiora perueniat; per neruos etiam spiritu animali plenos vapores turbidi deferri minimè queant.

Verum enim verò, etsi venæ & arteriæ sensibiliter saltem ad annatam oculi tunicam perueniant: tamen cum & reliquæ omnes oculi partes nutriantur, necesse est, vt ex vasis illis nutrimentum suum hauriant, etiamsi sanguis non rubeus, sed immutatus ad eas perueniat. Per venas itaque, per quas nutrimenta ad singulas oculi partes proueniunt, & per arterias, è quibus spiritum vitalem accipiunt, vapores etiam illi penetrare possunt, & in corpore viuente omnia sunt ξύρροια καὶ ξύμπνοια; ac suffusiones, quæ ex vitiosis humoribus in aqueo humore cumulatis generantur, testantur, tum humores, tum vapores alienos, ad interiora oculi penetrare posse.

Splendores & lumen, quod interdum oculis obuersari videtur, quod attinet, contingit hoc ante suffusiones, & accidere putatur ex reflexu spirituum animalium. Spiritus enim animales lucidi sunt,quod Galenus,*lib.* 1. *de causs. sympt. c.*6. & 7. *de decret. Hippocratis & Platonis*, exemplo quorundam animalium probat, quibus *Splendoris oculis obuersantis caussa.*

quibus lucidi splendidique noctu sunt oculi.

Verum non omnibus in tenebris oculi lucent, qui tamen perfectè vident;& splendor ille in tenebris non est à spiritibus,sed à luce iridi in oculo implantata.Spiritus verò optici etsi puri & sinceri sunt: tamen actu lucidi non sunt;& si actu lucidi essent,visionem impedirent. Ideòque fit iste splendor, quando spiritus in humore aqueo crasso reddito & opaco repercutiuntur, & non tantùm crystallino & vitreo, sed & retinæ tunicæ offeruntur. Forsan tamen & illa lux, quæ in vuea est,tum concurrere potest.

Cum ergo humor aqueus supra crystallinum condensari incipit,spiritus animales repercutiuntur,& reflexi crystallino & vitreo offeruntur;vnde æger splendorem se videre existimat. Quæ ipsa etiam caussa est, cur obcæcati ex suffusione splendorem ac lumen sese videre interdum existiment. Ideòque plerumque splendores ejusmodi futuræ cæcitatis,aut aliorum grauium capitis affectuum indicia sunt; vt exemplis docet Marcellus Donatus,*de histor.med.mirabil.lib.2.cap.9.* Refert enim,fæminam quandam, cum triennium pupillæ dilatatione laborasset, & ferè excæcata esset, subitò splendorem instar radiorum Solarium sibi offerri putasse:& aliam quandam, quæ dolore capitis intensissimo vexabatur, & pro ejus curatione venam sibi aperiri curabat, quendam in media capitis parte internа crepitum,ac si vesica dirumperetur, persensisse, ex quo in leuem lipothymiam incidit, ac post non multos dies globulum igneum sibi videri visa est, qui postea in maximam flammam excreuit,ac deinceps morbis melancholicis & epilepticis symptomatibus vexata est.Ita Galenus, *libr.7.de placit.Hippocratis & Platonis, cap.* 4. de obstructione neruorum verba faciens, scribit:*Noui ego quendam, qui,cùm eodem malo affectus esset, narrabat nobis, se, priusquam in eam calamitatem incidisset, in somnis patefactis repentè palpebris magnam ante oculos lucem solitum videre.*Et Hippocrates, 5.*Epidem.Phœnicis affectio ex oculo dextro talis quædam erat, plerumque veluti fulgor elucere putabat. Cum autem non diu ipsum continuisset dolor,ad tempus dextrum instabat, & per totum caput & collum intumescebat,& lib.7.Epidem.*in historia Mnesceanacti refert:*Deambulanti ipsi in foro splendores præ oculis obuersabantur, & Solem non valde videbat. Cum autem parum discessisset, extra sensum erat,& collum conuulsum est.*

*Res perforatæ cur appareant.* Interdum res perforatæ & quasi fenestratæ apparent. Quò pertinet historia illius fœminæ, quam recenset Marcellus Donatus, *de histor. med.libr.2.cap.9.* cui cum globulus igneus ob oculos versaretur, & melancholicis ac epilepticis symptomatibus vexaretur,sinistro tantum oculo videbat, verùm non nisi dimidiata, & quasi in medium dissecta objecta. Hujus symptomatis caussam Galenus,1 *de sympt.caus.cap.2.*his verbis reddit: *Si in pupillæ centro exigua consistat suffusio, partibus,quæ in circuitu sunt,puris manentibus omnia iis, qui ita laborant, veluti fenestras habere videntur. Nam quod in medio non videtur, excisum putatur.* Et omnino negandum non est, ob corpus opacum in oculo interjectum aliquid de objecti magnitudine & figura deperire;sed quod opacum illud non in aqueo,vbi est locus suffusionis,consistat,vel ex eo patet,quod ij, quorum pupilla albo corpore ex parte obducta est, nihilominus objecta integra, & propria figura vident. Ideòque credibilius,& fundamentis opticis magis consentaneum est,corpus opacum, vt res perforatæ & fenestratæ appareant,consistere inter retinam & pupillam.

*Imaginum & phantasmatum oculis obuersantium caussa.* Res autem,quæ oculis obuersari videntur, & Galeno,*lib.1.de symptom.caus.cap* 2.&,2.*de loc.affect.* εἴδωλα & phantasmata nominantur,quod attinet,sunt ferè duorum generum. Vel enim fixæ & immotæ sunt; id quod accidit in suffusionibus,aut vbi macula quædam in cornea est:vel variè moueri videntur, variósque colores referunt;quod accidit ob humores & vapores humori aqueo permistos.Atque hi vel à cerebro communicantur, quando illud succis abundat, aut crassis pituitosis, quod plerumque accidit, vnde vapores ejusmodi ad oculos mittuntur; aut biliosis adustis, vt in phreneticis,teste Galeno,4.*de loc.affect.cap.2.*vel à venis & arteriis totius corporis; id quod in febrium ardentium vigore accidit,fumis adustis per venas & arterias simul cum sanguine & spiritibus sursum elatis, & instante quoque crisi per hæmorrhagiam narium:vel à ventriculo, è quo vapores sursum ad oculos feruntur, siue ex cruditate,præsertim nidorosâ, siue ex humoris biliosi in ventriculum confluxu:vel ab vtero,aliarumque partium inferiorum effumante ibidem humorum illuuie:vel à pulmone, vt in peripneumonia, teste Galeno,1.*aphor.*23.

### *Signa Diagnostica.*

Signa diagnostica quod attinet, ea proponere opus non est;cum ex relatione ægri cognosci possit, qualem visus deprauationem patiatur. Ex qua verò caussa visus deprauatio ortum habeat, ex iis, quæ hactenus diximus,patet.

Imagines in specie quod attinet,ex materia humori aqueo permista varia oriuntur symptomata. Nam primò variæ apparent, quarum aliæ muscas, aliæ catenulas,vel capillos,vel puncta nigra referunt;aliæ sunt nigræ,aliæ citrinæ,catenulæ quidem,quia impuritates illas aquei humoris sibi non continuè cohærentes, sed contiguè,radij à perpendicularibus remotiores,& obliquè incidentes,ac sic debiliores, transmeare non possunt. Vnde loco punctorum lucidorum,quæ effingenda erãt in retiformi tunica,imagines obscuræ apparẽt.

Lucida etiam remotiora,vt Luna,candelæ,multiplicia videntur, quia debiles radios ad oculum spargunt, qui ob aquei diaphani inæqualitatem inæqualiter, & quasi interruptè refringuntur; vnde vel imago multiplex, vel ampla confusa propter distractionem radiorum,qui in vertice coni coire debebant.

Res longinquæ videntur indistinctè,quia debiles radios spargunt,& propterea ob medij inæqualem pelluciditatem informibus refractionibus magis obnoxios, vnde non nisi imago confusa efformari potest:vel quia objecta longè dissita in humoribus crassioribus magis refringuntur, quàm par erat;vnde conus breuior, qui vix attingit retiformem.

### *Prognostica.*

Quid quoque de euentu cuiusque visus deprauationis sperandum sit,ex iisdẽ similiter manifestum est.

Imagines quod attinet, non solùm fit visus deprauatio,sed & debilitatio,vt res obscurè, & præcipuè remotæ videantur; tandémque affectio hæc in suffusionem degenerat,atque nunc citiùs, nunc tardiùs, nunc planè non. Humores imagines has exhibentes citius suffusionem pariunt,tardiùs verò,vel non vapores; & noui,qui annis viginti imo triginta tales imagines ante oculos obuersantes habuerunt, & tamen suffusionem non passi, nec cœci facti sunt, etsi remotiora & minora objecta distinctè videre non potuerunt. Auicennas tria signa tradit,quibus discerni possit,quando imagines in suffusiones abituræ sint,quando non. Primò si per sex menses durauerunt eæ imagines, nec visus offensus sit,nec oculus conturbatus, metus suffusionis non est: cùm, si materia in suffusionem abitura sit, id hoc temporis spatio præstet. Secundum est, si imagines nõ sint constantes, sed modò abeant, modò redeant,& visio tamen integra maneat. Tertium signũ est,si imagines sint ex crassis vaporibus, & diu perdurẽt,neq; tamẽ visũ aut oculũ offendant. Quibus quartũ addi potest,quòd scilicet quò imagines sunt crassiores & opaciores,eò maior suffusionis metus est:si verò sint subtiliores,& minùs opacæ,quales sunt quæ capillos & catenulas referũt,eò minus metuẽda est suffusio.

Curatio

Curatio quoque pro varietate caussarum varia est, quæ etiam ex iis, quæ hactenus de morbis oculorum dicta sunt, patet.

## QVÆSTIO.

### *Cur Vapores & Humores intra oculum videantur.*

Verum hic non sine caussa quæritur, qui fiat, quod, vt Aristoteles, 2.*de anim.text*,106. docet, cum sensibilia supra sensum posita non videantur, vapores & humores intra oculum existentes videantur; appellatque Mercurialis hanc controuersiam grauissimam, difficilem, magnam, & quæ diu torserit multos Medicos. Et reuera multi Medici in ea soluenda valde se torserunt. Verùm enim verò sequens sententia vero maximè similis est. Medium visionis est perspicuum. Verum illud duplex, externum, aër, aqua, & alia corpora tranflucida; & internum, tunica cornea, & humor aqueus, quæ eâ ipsâ de caussâ perspicua, & coloris expertia esse debent. A qua naturali constitutione si recedat, & vel cornea maculam aliquam acquirat, vel humor aut vapor in humore aqueo colligatur; id, quod medium esse debebat, ea quidem parte, qua à naturali constitutione descicit, & coloratum euadit, medium esse desinit, & objecti rationem suscipit, & ipsum etiam coloratum, & non amplius perspicuum visui offertur. Quod autem res extra oculos imposita non videtur, corpuscula autem illa intra oculum hærentia videntur, caussa diuersitatis hæc est. Res coloratæ non videntur sine lumine, ac lumen actus quasi colorum est, & res visibiles lumine non illustratæ non videntur. Ideóque si res aliqua oculis imponatur, non illustratur ab externo lumine, neque color ejus in actum deduci, & visibilis actu fieri potest. Contrà verò corpuscula in humore aqueo hærentia etsi intra oculum sint, tamen à luce externâ, modò pupilla pateat, satis illustrari possunt; quo si careant, nec ipsa videntur. Cujus rei documentum est, quòd si quis oculos claudat, vel manum oculis imponat, corpuscula talia non videt.

Nonnullis equidem hæc sententia non probatur, & meliorem substituere conantur, sed hypothesi tali præsuppositâ, quæ an admitti possit, dubito. Nimirum, contra mentem Aristotelis & aliorum Philosophorum, sensibile etiam positum supra sensorium mouere sensum, seu coloratum supra oculum positum videri, & propterea medio ad visionem non opus esse, ajunt, seu rei visibilis illuminationem. Equidem concedo, res oculis propius admotas videri, etsi non distinctè, ideò quia objecta nimis propinqua gignunt conum oblongum in oculo, cuius vertex non figitur in tunica retiformi, sed illam transgreditur, vnde fit visio confusissima, quia retiformis tunica punctum concursus radiorum visibilium conum constituentium non recipit, sed conum secat, & sic confusos & indigestos radios recipit.

Si tamen res oculo imposita videri debet, licet confusè, necesse est, vt à lateribus lumen affluat, quod objectum illuminet; si verò ita obiectum oculis imponatur, vt nullo lumine illustrari possit, nihil omnino videbitur, sed meræ tenebræ oculo obuersabuntur. Ideóque cùm maneat hoc certum; ad visionem necessarium esse, vt objectum illuminetur, etiam procul dubio corpuscula illa in aqueo humore lumine, si videri debent, vt illustrentur, opus habent. Quod si quis à lumine externo fieri non admittat, quòd corpusculorum istorum superficies externa saltem hoc modo illuminari possit; quæ verò introrsum spectant, non illuminentur: forsan à luce illa interna, licet exigua, vueæ tunicæ inhærente illuminari possunt, aut, cum corpuscula illa opaca & nigra sint, colórque niger priuationis locum & proportionem habere videatur, vt docet Scaliger, *exerc.* 325.*f*.9. lumen requirere non videntur. Interim phantasia ex his corporibus varia phantasmata format, & putat, modò muscas, modò culices, modò alia oculis obuersari. Ideóque talia corpuscula opaca potiùs sentiuntur per species alienas externorum visibilium, quædum ab oculo recipiuntur, secundum naturam, id est, magnitudinem, figuram, & numerum corporis opaci in oculo hærentis modificantur.

Verùm hisce hanc de læsa visione doctrinam concludo, quam maximis difficultatibus inuolutam esse fateor; cùm nec antiquis Optica principia plerumque parùm attendentibus omnia non satis enodata, nec etiam à Recentioribus diuersa sæpe principia secutis omnia satis discussa. Infinitus sapientiæ diuinæ Thesaurus in vna oculi fabrica latet, quam admirari faciliùs est, quàm inuestigare & explicare.

## CAPVT XLVI.

### *De Excretorum ab Oculis vitiis.*

Cvm autem, vt commoda fiat visio, oculus etiam motum obtineat: in læso oculi motu symptomata accidere possunt, Conuulsio & Paralysis. Verùm de iis jam supra dictum. Restant tandem symptomata, quæ in Excretis ab oculis accidunt. Secundum naturam quidem in animi affectibus lacrymæ ex oculis effluere solent: verùm præter naturam & alia ex oculis interdum excernuntur, vt λῆμαι, humores lachrymarum instar, quorum fluxus Epiphora nominatur, lachrymæ sanguineæ. Quandoque etiam vermes ex oculis erupisse obseruatum est; de quibus jam ordine dicemus.

### *De Lemis seu Oculorum fordibus.*

Interdum copiosæ sordes, præsertim nocturno tempore, ex oculis excernuntur, quæ palpebris adhærent, easque quasi conglutinant; quod vitium Græcis λῆμαι, seu lema, appellatur. Originem habet hoc malum ex humorum ad oculos, præcipuè palpebras, confluxu, sed qui jam coctionem suscipiunt & incrassantur. Et familiare hoc ophthalmiæ malum est, ideóque eandem generationem & curationem habet, quam ophthalmia. Corpus nimirum euacuandum, affluxus humorum ab oculis auertendus, sordésque ipsæ abstergendæ sunt, & topica conuenientia oculis applicanda. *Oculorum fordes.*

Vt ℞. *Flor. sambuci, verbasci, verbenæ, euphragiæ*, an.M.j.

Fiat Sacculus, qui aqua rosarum madidus oculis imponatur,

Vel ℞. *Euphrag. rutæ, pentaphylli, verbenæ, chelidoniæ*, an.M.ii. *flor. fabar.* M.iii,

Affunde aquæ verbasci q.s. destillentur. Aqua manè & vesperi oculis instilletur.

### *De Epiphora.*

Quanquam ἐπιφορᾶς vocabulum in genere humoris in quamcunque partem influentis impetum significet, quo sensu Epiphoras vteri & ventris dixit Plinius: tamen de oculorum potissimum fluxione vox hæc à Medicis vsurpatur; & Græcis vel Epiphora, vel, cum adjectione, ἐπιφορὰ ῥευμάτων nominatur, qui vulgò affluxus lachrymalis, & oculi destillatio, Celso pituitæ cursus, Plinio Illachrymationes, Auicennæ lachrymæ. Intelliguntur autem lachrymæ non illæ naturales, quæ mœstitiam atque iram quoque comitantur, in pueris inprimis & mulieribus, de quibus videatur Iul. Casserius Placentinus, *tractat. de lachrymis*, sed inuoluntariæ, quæ non ab animi affectu aliquo, sed à caussa morbifica proficiscuntur. *Epiphora.*

Est

*Epiphora quid.* Est igitur Epiphora tenuis humoris impetus lachrymarum specie præter naturam in oculos factus;& humoris quidem aliàs frigidi aquosi,aliàs calidi,acris ,& salsi,è cerebro in annatam , & ad angulos potissimùm, delati. Comitatur hanc affectionem nonnunquam sola molestia ex perpetua illa destillatione , aliquando dolor,morsus,ardor,rubor ex materię acrimonia,interdum & visus hebetudo , præcipuè cum origo mali est ab internis oculi partibus ; aliquando denique vlcusculum ex palpebrarum asperitate & duritie, aut ex carunculæ in angulo lachrymali corrosione.

Suntque inuoluntariæ istæ lachrymæ aliæ natiuæ, ex imbecillitate à parentibus contractæ, siquidem malum hoc quoque hæreditarium est;aliæ aduenticiæ. Et hæc species vel caussas externas,item morbos nonnullos,vt febres acutas , lethargum , & extremam virium imbecillitatem in morituris , vel caussas internas sequitur , imbecillitatem scilicet retentricis & alteratricis cerebri.

Fluxionis illius ad oculum origo est vel , quod sæpissime accidit, à syncipite & summo vertice inter cutem & cranium , vnde materia per pericranium in angulos & annatam destillat ; vel à toto,aut parte aliqua corporis , quando materia serosa , quæ vehiculum est sanguinis , cum sanguine ad extremitates venularum oculi penetrauit, vbi ob partium imbecillitatem foràs effluit.

*Caussa.* Caussa itaque proxima Epiphoræ est humor excrementitius,tenuis ac serosus , præter naturam ad angulos oculorum fluens,qui , vt diximus , aliàs frigidus & aquosus est sine dolore, ardore , rubore ; aliàs calidus, acris,vel salsus,cum dolore aut rubore molestus , vnde palpebrarum exulceratio sequi solet.

Remotæ caussæ sunt partis affectæ, quæ oculus est, imbecillitas , robúrque mittentium. Imbecillitas illa vel ab intemperie oculi est frigida & humida;vel à mala compositione,si oculi substantia sit rarior;vel à morbo in numero,si caro lachrymalis sit absumpta,quæ veluti operculum glandulosum addita est angulo majori,vt serosam è venis capitis fluxionem objectu suo deriuet ad nares,in quas & sanies interdum per communem oculorum ad nares meatum ex fistulis lachrymalibus exprimitur. Secundò serosi excrementi copia , siue in toto,siue in cerebro;& quidem vel geniti in cerebro ob vitiosam nutrimenti transmutationem, vel aliunde per vasa eò transmissi. Defertur à cerebro ad oculos, quia cerebrum aut non detinet illud,vel expellit, irritatum illius copia aut qualitate ; sicuti in catarrho etiam fieri consueuit.

### *Differentiæ.*

Differentia Epiphoræ est,quod in alia materia serosa simplex & sincera est ; in alia cum pituitâ & exigua bile mixta. Præterea materia in alia epiphora per vasa extra cranium affluit;in alia per vasa intra cranium. In alia item anguli oculi affliguntur;in alia etiam tunica annata,vel totus oculus.

Quod denique alia Epiphora à caussis externis ortum habeat, alia ab internis,ex præcedentibus notum est.

### *Signa Diagnostica.*

Signa Epiphoræ per se manifesta sunt.Et cum à caussis fit externis, æger de his docebit. Defectus quoque carunculæ lachrymalis intuentium oculis patet , siue illa ablata sit corrosione,siue incisione.

Quoad caussas internas,si punctio , rosio,ardor , & rubor affuerit , acrimoniæ aut salsedinis cujusdam particeps est materia Per venas denique externas , quæ à pericranio sunt, materia affluit , si partes circa frontem & tempora tument , & dolent , & caput quasi reuinctum videtur. Per internas intra cranium,quando interni dolores sentiuntur,& sternutationes frequentes accidunt.

### *Prognostica.*

1. Infantes,qui lachrymantes habent oculos ex superflua cerebri humiditate , ij progressu ætatis solà bonâ diætâ sanantur;nisi malum ipsis sit natiuum. Antiquà verò epiphora , & quæ senibus accidit , difficulter curatur. Imò frequenter in fistulam lachrymalem degenerat.

2. Lachrymæ propter ablatam incisione aut erosione carunculam in angulo prouenientes ferè sunt incurabiles,teste Auicenna;cum frenum quasi illarum sit sublatum. Quæ tamen à corrosione facta est , curatu est facilior. A corrosione enim potius pars carnosa absumitur, quàm spermatica & neruosa ; vnde regenerari potest : ab incisione verò tam carnosa,quàm spermatica , quæ regenerari non potest,absumitur;vt etiam supra dictum.

3. Lachrymæ à vasis intra cranium deriuatæ difficilius etiam curantur.

4. Qui in febribus , aut aliis morbis voluntariè illachrymant , absurdum non est. Qui verò citra & præter voluntatem,absurdius,teste Hippocrate,*in 4.aphor. 52.* quoniam summa retentricis cerebri indicatur imbecillitas.

5. Quibus in febribus acutis atque adeò ardentibus inuoluntariè erumpunt lachrymæ , his ( siquidem reliqua non sunt exitialia) sanguinis è naribus effluxio exspectari potest. Qui verò malè habent,iis mortem significat, *1.epidem.2.aphor.80.*

### *Indicationes.*

Indicatio curatiua est , fluxionis caussam abscindere , siue illa consistat in cerebro , siue aliunde eò , & in oculos immittatur;deinde quòd influxit discutere ; ac denique partem affectam,ipsúmque caput roborare.

### *Curatio.*

Si fluxio augeatur,& dolor accedat, Galenus venam secat, *4.de compos.medic.sec. loc.cap. 8.* vt inflammatio prohibeatur. Inprimis autem in curatione attendendum est , vtrum origo mali sit à toto , an à capite primùm enim si sit à toto, atque humor ipse calidus sit & acris,ille conuenienter expurgetur,& à capite reuellatur,ac ab oculis deriuetur modis supra propositis. Postea caput roboretur cephalicis cerebrum exsiccantibus. Applicentur etiam topica adstringentia, ne venæ laxiores materiam recipiant , cujusmodi sunt rosæ, myrtilli,succus plantaginis, balaustia, hypocistis,acacia,thus,mastix,bolus Armenus,sanguis draconis,quæ cum albumine oui excepta addito pauco aceto fronti & temporibus accommodantur.

Vt ℞. *Acaciæ , sanguinis draconis* , an.Vnc.sem.*boli Armeni præpar.*Drach.iii.*mastich.* Drach.iii. *album. oui* num.i.*aq.plantag.*q.s.

Misc. & linteo inductum fronti temporibúsque admoueatur,&,quoties exsiccatum fuerit,renouetur.

Vel ℞. *Pulu.thuris* Drach. iii. *tacamahacæ* Drach. i. sem.*lapidis hæmatitæ* Drach. ii.*balaustior.flor. rosar.* an. Drach.i.sem.*album.oui* num.i.*aq.rosar.*q.s.

Vel ℞. *Mastich.*Drach.ii. *gummi animæ, tacamab.* an.Drach.i.sem.*juniper.*Drach.i.

Cum pauca terebinthina & cera fiat s. a. Ceratum.

Quando materia ruit per vasa interna , nonnulli cauterium post aures commendant. Vtilia quoque sunt vesicatoria Ipsi quoque oculo conuenit pannus lineus albumine oui vel aquâ rosarum irrigatus.

In

In frigido humore post ejus præparationem & euacuationem prodest lana infusa in vino adstringente, & juxta oculos apposita.

Aut ℞. *Gallarum immaturarum, nucum cupressi, sanguin. dracon.* an. Drach. i. *croci* Scrup. i.

Excepta sufficiente quantitate tragacanth. panno lineo proximè super oculos applicentur. Ad oculos ipsos probatur tutia infusa in decocto meliloti, vel in vino crasso; deinde in aqua majoranæ, fœniculi, & euphragiæ, addita myrrha, croco, & aliis. Inprimis commendatur aqua virgæ aureæ, in qua thus ignitum sit extinctum.

Aut ℞. *Thuris, mastiches*, an. Scrup. i. *myrrhæ, aloës siccæ*, an. Drach. sem. *tutiæ præpar.* Drach. i. *sarcocollæ nutritæ* Drach. sem.

Subtilissimè trita excipiantur oui albumine, aut succo cydoniorum. Tempore vsus dissoluantur cum aqua fœniculi aut euphragiæ, & mane atque vesperi aliquid in oculum instilletur.

Ac summatim in quacunque epiphora, tam calida, quàm frigida, conueniunt adstringentia, præsertim in principio: postea siccantia, quæ materiam absumunt, sed citra morsum; &, vbi materia calida atque acris est, etiam refrigerantia.

Si malum à capite ortum habeat, cerebro imbecillo vel generante in se materiam, vel à toto suscipiente, primò, quod genitum est, auferatur euacuando per nares & palatum, deinde prohibeatur, ne quid amplius gignatur, corrigendo capitis intemperiem, legitimamque diætam præcipiendo. Tandem oculus roboretur leniter adstringentibus, de quibus hactenus dictum est.

### *Lachrymæ Sanguineæ.*

*Lachrymæ Sanguineæ.* Præter naturam etiam est, si sanguis lachrymarum instar ex oculis excernatur; id quod fœminis quibusdam accidit, quibus menses subsistentes per oculorum angulos effluxerunt: cujus rei historias aliquot ex Brassauola, Dodonæo, Mercato, Salomone Alberto, collegit Schenckius, *libr.* 4. *obseruat.* 257.

Curantur tales venæ in talo sectione, & aliis menses promouentibus remediis adhibitis.

Fit etiam aliquando sanguinis ab oculis eruptio, vt Aëtius *tetrabibl.* 2. *serm.* 3. *cap.* 63. docet, pueris ob assiduos ejulatus, apertis circa palpebras vasis. Qui curandi sunt poscæ frigidæ, aut aquæ frigidæ perfusione, tum super angulos, tum super caput factâ, infundendo etiam albumen oui per se, & cum aliquo collyrio ad tenues fluxiones conueniente. Vtendum etiam internarum partium deligatione, & cibo crassefaciente.

Rarius est, quod Forestus, *lib.* 11. *obseru.* 13. annotauit, de fœmina quadam octuagenaria, cui per tres ferè septimanas sanguis ex oculis lachrymarum instar copiosè emanauit. Quæ cum icterica esset, proculdubio à bile vasa eò loci aperta fuerunt: quæ quomodo curata sit, videatur apud Forestum, *loco allegato*. Sicut & illud rarum, quod puella vndecimestris lachrymas sanguineas fudit; vt refert Philipp. Hechstetterus, *obseru. Med. dec.* 1. *cas.* 1.

*Obseruatio Zacuti Lusitani.* ¶ [ Zacutus Lusitanus *de Prax. Medic. admirand. lib.* 1. *obseru.* 50. refert, iuuenem quendam singulis mensibus vertigine graui corripi solitum fuisse, & quasi fulmine ictum clausis oculis in lecto pronum iacuisse, fatuum, torpidum, & veluti stupidum. Huic tandem post validam corporis rotationem, sensim sanguinem merum per oculorum angulos, riuuli instar, emanâsse, quatuor aut quinque vnc. quantitate, placidè, sine dolore, pruritu, ardore, aut oculorum rubedine vlla; post cuius excretionem, sedatâ in totum vertigine, & lenitis symptomatibus, quæ bidui spatio aliàs durabant, eum rectè vixisse. Medici quidam laborârunt, vt sanguinis hunc cursum ad superiora impedirent, adhibitis venæ sectione, alterantibus, euacuatione biliosi humoris, fonticulis in brachiis & cruribus excitatis; sed omnibus frustra. Natura enim singulis mensibus per oculorum angulos sanguinem euacuauit, & ita hominem à morbis immunem multis annis præstitit. Ita natura, semel inuentâ viâ, per quam cum commodo ægri vitiosos humores euacuare potest, ab ea non facilè auerti se patitur. ]

### *Vermis ex angulo oculi erumpens.*

Vermem puellæ trimæ, aliàs rectè valenti, longitudinis semipalmaris, coloris albi, crassitudinis tineæ, viuum, nullâ noxâ à puella perceptâ, aut foramine vllo euidente relicto, ex interno seu majore oculi angulo extractum fuisse, refert Amatus Lusitanus, *Centur.* 7. *curat.* 63.

# LIBRI PRIMI PARTIS III.

## SECTIO III.

## *De Aurium Morbis & Symptomatibus.*

### CAPVT I.

### *De Intemperie Aurium.*

AB oculorum morbis & symptomatibus ad aurium affectus rectà accedimus, quarum vsum, vt Celsus loquitur, proximum à luminibus Natura nobis dedit. Atque vt visus per se confert ad eruditionem & sapientiam; quoniam res plurimas offert, quibus mens intus instruitur: ita auditus per accidens ad φρόνησιν conducit. Nam sermo docentis, quem auribus haurimus: per se scientiam affert; quemadmodum hac de re docet Aristoteles, *lib. de sens. & sens. cap.* 1.

Quæ autem aurium sit constitutio, & ex quibus partibus componantur, ex Anatomicis petendum, & præcipuè è Iul. Casserio Placentino. Morbi autem, quibus aures infestantur, sunt intemperies simplex, & cum materia, inflammatio, vlcus, obstructio, ruptura tympani, vulnera.

Primò enim interdum aures, & præcipuè earum membranæ ac nerui, intemperie sine materia frigida, à ventis & aëre frigido afficiuntur, quæ grauem dolorem excitare potest, vt experientia sæpe testata est. *Intemperies aurium. Frigida.*

An verò similiter ex intemperie nuda calida à caussa externa aures affici possint, controuersum est. Græci quidem caussæ hujus mentionem non faciunt Arabes tamen omnes inter caussas externas aëris caliditatem recensent. Verum frigida equidem neruis inimica sunt, non verò item calida, & calor externus vix calidior esse potest cerebro & cæteris partibus internis, & ita calor per se vix intemperiem, quæ insignis alicujus læsionis caussa esse possit, inducere potest; per accidens verò id facilè præstare potest: nimirum humorum ad aures confluxum concitando. Quo sensu & Hippocr. 3. *aph.* 2. inter æstiuos morbos aurium calorem refert. *Calida.*

Frequentius verò patiuntur aures intemperiem frigidam & humidam, seu quæ cum pituita sit conjuncta. Deinde etiam intemperiem calidam cum bile. Et quidem materia vel in ipsa aure colligitur, ob coctricis, retentricis, vel expultricis imbecillitatem, meatuum angustiam, *Frigida & humida.*

angustiam,crassitudinem excernendorum. Aliundè verò ad aures confluit, vel à calore aut dolore attracta, vel aliunde transmissa. Solet autem materia ad aures transmitti nunc à toto: quod in crisibus febrium fieri sæpe solet: nunc ab aliqua parte; inprimis verò à cerebro,quod, vt vicinum, excrementa sua facilè auribus communicare potest.

### *Signa Diagnostica.*

Si intemperies sit nuda,nulla grauitas, nulla tensio, nullus tumor percipitur; quæ si adsit, intemperies est cum materia:quo casu & auditus magis impeditur.Et si intemperies sit frigida, æger in aëre & vento frigido, aut niue versatus est;quod fit nonnunquam in longis peregrinationibus tempore hyberno: dolorque est citra ardorem, calidisque lenitur. Si verò tale nihil præcesserit, quod nudam intemperiem inducere potuerit, & caput sit grauius, proculdubio quædam materia adest,scil. aut spiritus flatulentus; quod cognoscitur ex dolore vehementi sine pondere & grauitate,& tinnitu ac strepitu manifesto,& quod dolor non est continuus, sed per interualla quædam vel intermittit, vel nonnihil imminuitur: aut humor frigidus crassus,& tum signa frigiditatis adsunt; aut humor biliosus, & tum signa caloris adsunt.

### *Curatio.*

Si intemperies sit frigidá, calefacientia, vaporis,fumi,liquoris,vel aliâ formâ vsurpāda.Et propterea calida vel instillanda, vel per infundibulum vapor decoctorum excipiendus, vel per spongiam,lanam aut linteum extra applicanda.Fiat nimirum euaporatio decocti rutæ, origani, chamæmeli, absinthij: vel decocto lana vel spongia imbuatur, & auri applicetur. Vel instilletur oleum rutaceum, de castoreo, amygdalarum amararum, nardinum, irinum, maioranæ. Vtilis est & succus ceparum cum liquore aliquo conueniente mixtus.Oleum item è semine cannabis & vitellis ouorum Ante omnia verò commendat Scribonius Pissellæum, seu florem picis,quas vires etiam habent olea destillat. terebinth. ceræ, rutæ, iuniperi,& similia. Si vehementior sit frigiditas,aliquid euphorbij admiscere licet.

Si ab intemperie calida affluxus aliquis humorum metuatur,instillentur auri (sed tepidè omnia) lac muliebre,& succus refrigerantium herbarum,lactucæ, solan. album. oui, oleum rosac. violac.de cucurbit.salic. Si spiritus flatulentus adsit, cum flatus præsupponat materiam,è quâ attollitur,primò materia illa, siue frigida, siue calida sit,expurganda; deinde topica, quæ flatum illum discutiunt,vsurpanda.

Vel ℞. *Milij, furfuris, salis*, an. M.j. *sem. anisi, fœcul. baccar. lauri* an.Drach.iij.

Calefiant in sartagine,& sacculo inclusa calidè auri applicentur,vel vino forti prius aspergantur.

Vel fiat euaporatio ex ruta,betonica,maiorana,aneth. flor. chamæmel.melilot.sem.cumini,carui,castoreo.

Vel ℞. *Cepam*, & impone *ol.chamæmel.rutac.*an.℥. ij.*pulu.sem.cumini,anisi,piper.*an.℈.j

Imponatur cepa cineribus calidis,vel ad ignem,donec oleum absumatur. Postea contundatur, & succus exprimatur, qui auribus instilletur. Et cum plerúque, vbi spiritus flatuosi adsunt,simul humor crassus & viscidus esse soleat,qui aurium meatus obstruit, ne flatibus exitus pateat, incidentibus, attenuantibus, & aperientibus vtendum, qualia modò sunt proposita.

Si verò ab humore aliquo sit intemperies,purgandum est cerebrum,ne plus materiæ affluat;postea topica medicamenta adhibenda.Et quidem si à materia frigida sit intemperies,humor præparetur & euacuetur iis medicamentis,quæ suprà;*part.*1.*c.*10.sunt proposita.



Purgationes autem per interualla,repetantur.Corpore toto euacuato, caput euacuetur apophlegmatismis, gargarismis,errhinis.Itemque calefacientia & siccantia medicamenta vsurpentur,interna & externa,quæ supra sunt proposita.

Vel lauetur caput lixiuio ex cineribus sarmentorum vitis,& ligno Guaiaco, in quo maioran. beton.serpill. stœchas Arab.fol. lauri, sena, agaricum cocta sint.Nec vesicatoria omittenda, & primò collo,deinde post aures apponenda,& diu aperta seruanda;imò si malum sit pertinacius,setaceum adhibendum est.

Tandem Topica,seu quæ in aurem instillanda sunt, vsurpanda;& primò quidem à mitioribus incipiendum hinc ad fortiora progrediendum.

Talia sunt oleum amygdal.amar. iuniperi, de castoreo,quibus admiscere licet spir.vini,succum rutæ, absinth.cyclaminis,ol.nucl. Persicor.cerasor.fœniculi, caryophyll. cinamomi,moschum, vrinam arietis vel capræ, tauri, anguis senecta puluerisata & cum aceto mista.

Laudatur & tabula cupressi calida,quantum fieri potest,auri applicata.

Vtiles sunt quoque euaporationes ex decocto chamæmel. origani,hyssopi, maioranæ,fol.lauri,cyclaminis.fol.& baccarum lauri, sem. cumini. Sed fiat decoctum potius in vino, quam in aqua;cùm aqua nimis humectet,

Vt ℞.*Fol.lauri,betonic.maioran.serpilli,origani,calaminthæ,stœchad.Arab.*an.M.j.*cepam contusam* num.j.

Coque in vino Rhenano, vapor tepidus in aurem per infundibulum immittatur.Vide etiam Instit. *lib.*5. *part.*3.*sect.*3.*cap.* 32.

Vel ℞.*Ol.amygdal.amar.castor.*an.℥.ij.*succi ceparum* Drach.sem.M.& guttæ ij. vel iij.mane & vesperi auribus instillentur.

Vel ℞.*Ol. amygdal.dulc.*℥.iiij.*aq. vitæ* ℥.ij. *fol.lauri minut.incisor.* num.vj.

Bulliant in vase duplici,& exprimantur.

Vel ℞.*Colocynth.hellebor. albi,aloës*,an.ʒ.j.

Mista terantur in calido aceto,& postea exsiccentur. De hoc aliquid cum penicillo melli intincto auri immittatur,& per 3.aut 5.horas ibi relinquatur,vt pituita sensim inde extrahatur.

Crato plurimum commendat aquam cardui benedicti.Folia cardui benedicti sicca aspergit spir.vini,& postea affundit aquam cardui benedicti, & in vitreo vase per arenam destillat,& aquam istam auribus instillat. Efficacior est spiritus cardui benedicti.

Commendatur & hoc:

℞.*Formicas cum ouis*,affunde vinum,iisdem adde.*rad. raphani rustìcani contusas,& baccas lauri contusas.*

Coquantur,& succus exprimatur, aut quod consultius est,aqua inde destilletur.In liquorem istum gossypium intingatur,& auribus immittatur.

Alij olei sinapi quotidie gutt.j instillant.Efficax est & Balsamum Orientale.

Vel ℞.*Spir.vini* ℥. iiij.*rad.cyclam.*℥.ß.*nucleor. Persicor.amygdalar.amar.*an.num.v.

Stent in infusione per dies 3.deinde fortiter exprimantur.Succi guttæ ii.manè & vesperi auri instillentur & gossypio,cui gran.ii.vel iii.moschi inclusa sint,auris obstruatur.

Vel ℞. *Silices fluuiatiles paruos & ignitos*, insperge vrina & vapor aure excipiatur.

Vel ℞.*Vermiculos intra cortices ligni querni natos* n.xx. Bulliant in olei comm. ℥.ijß. Deinde excauetur *radix cyclaminis*,& cauitas impleatur *oleo istorum vermiculorũ,rutac.castor.*an.f.q.*pulu.pyrethr.castor.*an.℈.ß.

Radix hoc modo repleta assetur sub cineribus,assa contundantur,& succus exprimatur, qui quotidie auribus instilletur.

Vel ℞.*Fol.lauri,origani,hyssopi,calaminth.*an.M.ß.*aristoloch.hederæ terrestris,marrub.hellebor.nigri,*an.ʒ.ij.

Coqu. in vino, contundantur. Contusis adde *fell. tauri, capræ, pingued. anser.* an. ʒ. ij. *euphorb. galbani aceto. dissolut.* an. ʒ. j. *myrrhæ, aloes,* an. ʒ. ß. *piperis*, *nitri pulverisati*, an. gr. v. *succi cepæ* Drach. j. *farinæ tritici* ℥. j. ß. *nuc. mosch. express. irini*, q. s. ad impinguandum.

F. Emplastrum, cuius particula linteo excepta auri inseratur; de reliquo fiat Emplastrum, quod auri applicetur. Galenus inter εὐπόριστα *libr. 3. cap. 3.* habet fel leporis cum mellis portione mixtum, quod & in cepæ tunica seu cortice liquefactum auri immittit.

Quidam tanquam singulare remedium commendant oleum murinum, quod fit è muribus recens natis dum adhuc sine pilis sunt, in oleo maceratis. Alij aquam ex illis destillant, & in aurem immittunt. Efficax est & oleum destillatum è ligno Guaiaci.

## CAPVT II.

### *De Aurium Inflammatione.*

*Auriũ Inflãmatio.* NOn infrequens aurium malum est inflammatio, quæ & ipsa ad intemperiem cum materia pertinet Quanquam enim auris fabrica præcipuè ossibus constat: tamē mēbranas etiā habet, in quas exiles venæ immittuntur, per quas sanguis tenuis & biliosus è venulis membranarum cerebri & vicinarum partium in aurem illapsus inflammationem parit. Quæ autem caussæ affluxus sint, ex iis, quæ in genere de inflammatione dicentur, & antea de oculi & aliarum partium inflammationibus dicta sunt, patet.

### *Signa Diagnostica.*

Cognoscitur auris Inflammatio ex dolore continuo pulsatili vehementissimo cum caliditate & rubore, ad malas & tempora vsque sese extendente, cum febre, interdum & cum delirio, motibus conuulsiuis, syncope, & extremorum frigiditate. Et prout inflammatio magis tendit ad interiora, eò pulsatio maior percipitur; quoniam arteriæ maiores comprimuntur. Dolor quoque est vehementior ob vicinitatem cerebri, & febris intensior.

### *Prognostica.*

1. Inflammatio aurium malum periculosum est; cum delirium producere, & hominem in vitæ discrimen cōiicere possit. Hippocrates, *3. Progn. aphor. 13.* Solet enim cerebrum in consensum trahi; vel etiam fluxio, quæ inflammationis caussa erat, ad cerebrum conuerti, vnde ægri nonnunquam subitò, tanquam attoniti, moriuntur. Galenus, *in Comm. in allegatum locum*, & Trallianus, *libr. 3. cap. 2.* Ideoque, monente Celso, *lib. 6. cap. 7.* mox inter initia succurrendum est, ne maiori periculo locus sit.

2. Et quidem iuuenes in aurium inflammationibus magis periclitantur, qui septimo die, aut citius moriūtur, antequam suppuratio accidat, ob biliosi humoris in iis abundantiam, & quod febribus acutis magis sint obnoxij. Qui autem septimum diem superant, euadunt materia in pus conuersa; inprimis si pus bonum effluxerit, & deinde æger melius habeat.

3. Senes autem in aurium inflammationibus minus periclitantur. Quanquam enim Galenus, *7. aph. 42.* doceat, omnia mala peiora fieri propter ætatis imbecillitatem, &, *1. Prognost. 69.* ex nullo morbo senes magis, quàm natu minores, conualescere, ne dum posse citius humorem suppurare: tamen hic aliquot caussæ concurrunt, cur senes minus periclitentur, quam pueri. Primò enim humores in senibus sunt frigidiores, & propterea inflammationes, quæ in iis generantur, non sunt exquisitæ, nec tantùm dolorem excitant. Deinde pueri ob sensus acrimoniam minus dolorem sustinere possunt: senes verò habent sensus hebetiores, & propterea dolores non ita sentiunt. Atque inde accidit, vt inflammationes aurium in pueris rarò ad suppurationem veniant, sed pueri ferè moriantur ob doloris vehementiam, antequam ad suppurationem venit inflammatio.

4. Si inflammatio aurium in partibus interioribus hæreat, cum magno periculo coniuncta est; cum neruus ἀκουστικὸς sit affectus: vel si sanetur, difficultatem auditus relinquit.

5. Abscessus aurium, qui crisis modo obtingit, si accidat ante coctionem, & die non non critico, & cum aliis signis malis, periculosior est, & contrà.

### *Indicatio & Curatio.*

Generalis inflammationes curandi ratio & hic rectè applicanda est. Primò ergo reuellentia vsurpanda: inter quæ valde vtilis est venæ sectio, & quidem venæ cephalicæ; quæ etiam, si inflammatio maior sit, repetēda. Aliis quoque modis sanguis ad aures fluens reuellendus, cucurbitulis, frictionibus. Humores etiam biliosi, si admixti sunt, expurgandi.

Repellentia hîc, nisi ingens sit dolor, vix adhibēda sunt, ne materia intrò conuersa cerebrum & membranas eius inuadat; nisi forsan pauca sit humoris quantitas, è qua nullum cerebri malū vereri oportet. Et sint potius, quæ adhibentur, saltem mitigantia dolorem, & refrigerantia, quam astringentia; qualia sunt, lac muliebre, succus auriculæ muris, succus cucurbitæ, cum modico aceti, mucilago sem. psyllij, cydonior. aquâ rosar. extracta.

Vbi tamen repulsione opus,, tale, vel simile instilletur:

℞. *Ol. rosar.* vel *violar.* ʒ. iij. *aceti rosacei* ʒ. vj. *nitri præp.* ℈ j. Misce.

Potius euulsionibus præmissis adhibeantur ea, quæ materiam concoquere, & simul dolorem lenire possunt.

Vt ℞. *Lenticul. palustr.* M. ij. *medull. panis in lacte muliebri infusi* ℥. jv.

F. Cataplasma, quod auri applicetur.

Vel ℞. *Maluæ vtriusque, violar. lactucæ, salic.* an. M. j. *sem. cydon. maluæ*, Drach. ij. *flor. chamæmel. melilot. rosar. rubrar.* an. P. ij.

Coqu. & decocto aures foueantur.

Vel ℞. *Ol. rosac. nymphææ,* an. ℥. ß. *mucilag. sem. psyllij, cydonior.* an. ʒ. iij. *lact. muliebr. succi papauer.* vel *solani* an. Vnc. sem.

Misceantur, & auri applicentur, atque aliquid auri instilletur. Si addatur farina & puluis flor. chamæmeli, fieri potest Cataplasma.

Reliquiæ tandem discutientibus tollendæ.

Verùm si perseueret morbus, nec materia resolui possit, sed ad suppurationem tendat, quod ex dolore, pulsatione, & febre aucta cognoscitur, suppuratio adiuuāda maturantibus adhibitis, quæ vim emplasticam habent, leniterque calefaciunt, caloremque inducunt, & coctionem adiuuant: qualia sunt, rad. althéæ, lilior. albor. flor. chamæmel. meliloti, ficus, farina tritici, sem. lini, fænigræc. & mucilagines eorundem, pinguedines animalium recentes, butyrum recens, oleum sesaminum cum croco.

Vel ℞. *Cepam rubram sub cineribus assatam* num. j. *butyri* ℥. ß. *ol. chamæmel.* ℥. ß. *amygdal. dulc.* ℥. ß. *croci* Scrup. j.

Misceantur, & calefacta Cataplasmatis modo auri applicentur.

Vel ℞. *Fol. maluæ vtriusq; violar.* an. M. j *fl. chamæmel.* p. j. *rad. althéæ* ℥. j. ß. *lilior. albor.* n. j. *caricar. pinguium* n. iij.

Coqu. in aqua ad mollitiem, & contundantur.

Contusis

Contusis adde *farinæ tritici* ℥. ß. *sem. lini*, *fænigræc.* an. ʒ. ij. *pingued. porci*, *gallinæ*, an. ʒ. iij. *butyri* ʒ. ij. *ol. amygdalar. dulc.* q. s.

F. Cataplasma.

Commendatur & hoc Cataplasma:

℞. *Rad. althææ*, *lilior. albor.* an. ℥. ß. *flor. chamæmel. melilot.* an. Vnc. j.

Coqu. & contundantur minutim. Contusis adde, *farinæ sem. lini*, *fænigræc.* an. ℥. ß. *bdellii aceto dissoluti* ʒ. iij. *croci* Drach. j. *vitell. oui* j. *ol. sesamin. butyr. recent.* an. Drach. ij.

Fiat Cataplasma.

εὐπόριστα sunt ficus in lacte coctæ, & cum axungia porci tritæ, item puls auenæ.

Si maturatum sit apostema, ruptio eius expectanda & procuranda, continuatis eiusmodi medicamentis. Nonnulli instillant succum cyclamin. aut ranunculi cum quadruplo lactis muliebris.

Vel ℞. *Succi cyclaminis* ℥. ß. *stercoris columbini* ʒ. j. *lactis muliebris* ℥. j. ß.

M. & in aurem guttam vnam atque alteram instilla, & lanâ lacte muliebri tepido madidâ auris occludatur.

Abscessu rupto sanies eluenda, atque abstergenda hydromelite, melle rosato colato, decocto lupinorum, succo absinthij, marrubij, centaurij minoris cum melle, aut syrupo, vel melle rosaceo.

Fortius id præstat succus cyclaminis cum melle. Et tandê vlcus consolidetur; & cicatrice occludatur; ideoque quæ maiorem exsiccandi vim habent, thus, myrrha, aloë, sarcocolla addenda.

Verùm de vlcere aurium in specie aliquid dicendum.

## CAPVT III.

### De Vlcere aurium.

Auriū vlcera. INflammatio auris abscessu rupto sæpe in vlcus degenerat, quod peculiarem curationem requirit. Non tamen solùm ab apostemate seu abscessu rupto vlcus auris gignitur, sed etiam à caussis aliis. Sæpe enim acres & mordaces humores siue in auribus geniti, siuè è cerebro eò effusi, acrimoniâ suâ aurem exulcerant. Nonnunquam à sordibus aurium diutius coërcitis id accidit, quarum diuturnâ coaceruatione, præsertim si pituitosa sint, accedente putredine, quemadmodum ex sanie suppressa, vermes gigni possunt in auribus, quæ ὦτα σκωληκιώδη, aures vermiculosæ, nominantur. Interdum acris aliquis liquor, aut simile quid forinsecus in aurem illapsum mordendo vlcus efficit. Sæpissime ab ictu vel à casu hoc fit, vt scilicet ad vulnus vlcus sequatur.

Ex quacunque igitur caussa vlcus producatur, solutio illud est continui in aure cum sanie profluente.

Interdum tamen sanies ex auribus effluit absque vlcere, cerebro & vicinis partibus ab excrementitia humiditate & sordida illuuie sese expurgantibus, quæ mora longa in tortuosa illa via in eiusmodi cœnosum quid conuertitur, quod post diuturnos capitis dolores, aut post ictum seu contusionem capitis sine vlcere accidere solet. Imò etiam obseruatum, familiis quibusdā hæreditarium fuisse, vt natura statis temporibus, citra vllū grauem morbum, magnam ichorum copiam è capite, imò forsan & reliquo corpore euacuarit. Ita fit, vt, quibus cerebrum valdè humidum & impurum est, iis ex affluxu semper nouæ materiæ auris diu purulenta sanie fluat, quæ πυοῤῥοῦντα ὦτα Græcis dicuntur. Aëtio, *tetrab. 2. serm. 2. c. 81.* sunt aures absque exulceratione humectæ, quæ veluti exsudant, & serosam humiditatem excludunt, ad quas & remedia quædam ibi exponit.

### Differentiæ.

Differentiæ vlcerum auris sumuntur aliæ à particula ipsa auris, quam obsident, quæ vel externa est & oculis patet; vel interna, membrana scilicet, vel tympanum auris, neruus ipse auditorius, interdum & osseus ille meatus, in quo, sicut & in aliis ossibus, hæc vnitatis solutio τερηδὼν propriè, seu caries, nuncupatur.

Aliæ ab ipsis vlceribus; qua ratione vlcus aurium vel recens, vel inueteratum est; mundum, vel saniosum, aut sordidum: quoddam præterea putridum, virulentum, corrosiuum; aliud denique superficiale; aliud verò ita profundum, vt in fistulam abierit.

### Signa Diagnostica.

Cognoscitur vlcus auriū ex sanguine vel sanie egrediente. Distinguendum tamen, vtrum sanies illa ab aure ipsa profluat, an à cerebro: ab hoc quidem vel rupto in ipso apostemate, vel citra apostema, sanie è venis cerebri inprimis ad aures transmissa. Si enim sanies ab apostemate est rupto in cerebro, illa primò satis magnâ copiâ exit, deinde paulatim emittitur, donec omnis sit absumpta; præcesserunt etiam signa inflammationis cerebri, & capitis grauitas & dolor, quæ sanie exclusâ remittunt. Ab apostemate verò in aure rupto dolor, qui præcessit, in aure magis, quam in capite, perceptus fuit. Sin sanies absque apostemate cerebri in eius venis genito ad aures transmittatur, pruritus quidam in auribus sentitur, & sanies ipsa, postquam semel exhausta est, denuò coaceruatur; quæ, nisi liber exitus pateat, vertiginem & alia cerebri symptomata affert. Sed veri vlceris auris indicia sunt, dolor, ardor, punctio vehemens, quæ tactu exacerbatur, egressio saniei, interdum & sanguis. Si in neruo auditorio vlcus fit, dolor acerbissimus adest, vel præcessit. Profundum vlcus pus copiosum & lentè emittit; mundum, bonam saniem; sordidum, crassam, copiosam; virulentum, saniem tenuem & citrinam; putridum, saniem fœtentem; corrosiuum, sanguinem post saniem fundens: fistulosum denique ex vlceris antiquitate, saniei virulentiâ, carnis callositate & duritie cognoscitur.

### Prognostica.

1. In Vlceribus aurium, sicut & aliis, pus & sanies spectanda sunt, quæ vlceris bonitatem aut malitiam arguunt. Pus enim, vel sanies alba, æqualis, mediocris substantiæ, ita, vt non sit vna pars crassa, altera tenuis, vna rubra, altera alba, non fœtens; vlceris non maligni nec praui indicium est. Ex contrariis verò de prauo vlcere signum capitur.

2. Inueterata & diuturna vlcera peiora sunt; quia facilè in fistulam degenerant. Aliquando & ad os petrosum penetrant, quod detegunt, teste Auicenna.

3. Sanie recēs effluente ab vlcere auris, cum prius capitis dolor, & sensuum perturbatio adesset, si hæc iam remittant, bonum est, & vlceris curatio paulò pòst speranda.

4. In vlcere humido diuturno non corrodente, si non reficcetur, metuendum est, ne ὑπερσάρκωμα excrescat, quod auditum obturet.

5. Vlcera aurium, quæ ad os cranij pertingunt, rarò, aut nunquam curantur; quemadmodum & fistulæ profundæ. Sæpe profunda & putrida eiusmodi vlcera continuitate quadam ad cerebrum descendunt. Ideo Hippocrates, 6. *Epidem sect. 6.* inquit. *Propter aures & ex auribus plerumque tertia die moriuntur*, hoc est, inflammationes, quæ circa aures sunt, ipsarumque inflammationes, & non tantum vlcera serpentia, tertia die occidere solent.

### *Indicationes.*

Generales indicationes ex iis,quæ in genere de vlceribus traduntur,notę sunt:nimirum vlcus esse detergendum;quod amissum, instaurandum, & tandem vlcus consolidandum.

Atque hæc de simplici vlcere sufficiunt,corpore, ab humoribus prauis vacuato.

Quod verò cum intemperię aliqua,aut cum corporis impuritate,aut cum phlegmone,aut cum calore insigni coniunctum est,hæc ipsa remoueri postulat,priusquam curationem recipiat; de quibus *c. præcedente*,dictum est.

Speciatim, quia auris est membrum natura sua siccum,(nã cartilaginibus inprimis & ossibus constat) medicamenta quoque, vbi ad alienam qualitatem,ad humiditaté scilicet,lapsum est,ficciora requirit,vt & naturalis temperies ipsius conseruetur,&,quæ præter naturam accessit,humida constitutio corrigatur.

### *Curatio.*

Vlcera autem aurium interdum per se sanescunt,post puris effluxum sedatum,plerumque verò artis auxilium expetunt. Eluatur igitur auris vino calente veteri,vel solo,vel in quo lenticulæ aut rosæ ebullierint,repulsionis gratia,vt iubet Ægineta.Alij folia hederæ,& cortices mali Punici addunt.

Postea leniter detergunt,hydromel,succus absinthij, apij,marrubij,betæ,agrimonię,centaur.minor,cum melle aut syrupo, vel melle rosato;aut vinum,in quo betonica decocta sit:item decoctum hordei & lupinorum.

Vt ℞. *Succi betæ* ℥. ß. *marrubij* ℥. ß. *mell. opt.* ʒ. vj.

Coqu.parum postea admisce *syrupi absinthij* ʒ.ij.vel *extr.liquidi absinthij* ʒ.ß. Misce.

Potest etiam admisceri fel animalium mitius, vt fel porci,verucecis,bouis castrati.

Fortius id præstant succus cyclaminis cum melle,vel aqua mellis,in qua radix hellebori albi prius ebullierit, additis, si maiore desiccatione opus sit, & vt putredo prohibeatur,thure,myrrha,sarcocolla,lota,gentiana, & modico succi betæ,

Vel ℞.*Succi cyclam.* ℥. j. *myrrh.* ʒ. j. *croci* ℈. ß. *thuris*, ℈. j. *viridis æris* ℈. j. vel Drach. ß. *vini antiqui* Vnc. jß.

Bulliant leniter ad vini consumptionem.De liquore isto vna atque altera gutta in auré bis quotidie ad minimum instilletur,ac hydromelite iterum eluatur,

Efficax quoque est medicamentum,quod à Rhase in hunc vsum descriptum est:

℞. *Mellis* ʒ. v. *aceti* ℥. j.

Leniter bulliant ac despumentur.Quibus adde *viridis æris* Drach.iij.

Liquor auri cum gossypio immittatur,qui præsentaneum in auris vlceribus remedium.Vlcus etiam ad curationem deducunt pompholyx, tutia, cerussa in vino decocta.Suffitus quoque ex mastiche,thure,myrrha,ladano,gummi iuniperi,sarcocolla,galbano,& similibus, per infundibulum auri immissus vtilis est.

Vt ℞.*Gummi iuniperi* ʒ.ß.*thuris,myrrhæ*,an.ʒ.j.*sarcocollæ,ladani*,an.℈.j.

M.F. Puluis,vel cum terebinthina F.Pastilli.

Veteres ad detergendum & exsiccandum,vtebantur glaucio ex aceto,quo Paulus recentia vlcera sanat,trochiscis item Polyidæ,Andronis,vel Musæ,cum sapa, & modico aceti solutis.Et,quod cætera superat, medicamento è scoria ferri cum aceto acerrimo trita vel cocta, vt docet Galenus,*9.de simpl.fac.*& Aëtius. Habet hoc vim maximè siccandi,& durioribus corporibus conuenit.Clementius redditur aliis præparãdi modis,de quibus Hollerius videatur, *Perioch. 3. ad lib.3. Galen. de comp. med. sec. loc. cap. de vlceribus aurium*,qui Arabes melius præparare scribit.Scoriam enim tritam ex aceto lauant,hinc siccant,siccatam iterum aceto terunt, rursúsque siccant,& hoc septies repetunt.Postea in pollinem redigunt, coquuntque longa coctione ex aceto acerrimo, dum ad mellis spissitudinem abeant,atque ita siccant. Valescus de Taranta, *l. 2.c.* 54. sequens ex Haly commendat, & scribit se eo presbyterum, qui aurium vlcere & sanie 8.annos laborauerit,sanasse.

℞. *Mell.*ʒ.x.*aceti* ʒ. viij.

Coquantur & despumentur.Deinde adde *viridis æris* Drach.j.

Misc.& cum turunda auri impone.Potest & vnguentum triapharmacum vel Apostolorum, in aceto & hydromelite dissolutum,instillari.

Iisdem in diuturnis vlceribus aurium vti licet, abstersione tamen prius factâ diligenter per leniora. Vbi crusta adest,curandum, vt decidat, ne in molem aucta auditum impediat.Valet etiam,& efficacissimum est in vlceribus antiquis,Ægyptiacum dissolutum cum vino vel œnomelite, vel vrina pueri impuberis. Aëtius hoc Medicamento vtitur: *Vlcera aurium antiqua.*

℞. *Aloes*, *thuris*, *myrrhæ*, an. Drach. ij. *myseos* Drach.j.

F.Massa cum aceto,quâ resolutâ cum aceto aut rosaceo vtere.

Excrescentem in auribus carnem citra dolorem deprimit, cicatricémque obducit, hoc adscriptum ab eodem Medicamentum: *Excrescenti in auribus carnis remedia.*

℞. *Alum. scissi*, *myseos vsti*, an. ʒ.ij. *æruginis,terræ Lemniæ,gummi Arabici*,an.Drach.j.

Tritis iis cum aceto acerrimo F.Pastilli,qui vsus tempore cum vino vel aqua soluantur.

Mitius est,quod à Paulo in hunc vsum præscribitur. Nasturij & nitri parum caricis excipitur,exemptis granis,& de factis pastillis aliquid in aurem immittitur, quod post triduum rursus excernitur.

Scirrhum cancrosum auribus innatum post abscessum ruptum describit Guilh.Fabricius,*Centur. 3.obseru.* 1.vbi & modum curandi cum variis instrumentis chirurgicis prolixè proponit.

Si vlcus fistulosum sanie perpetuâ fluat,iniiciatur per idoneum instrumentum,vel clysterem auricularem,fel tauri cum vrina pueri impuberis:aut vinum,in quo decoctum sit thus,aut helleborus albus & mel. *Vlcus auris fistulosum.*

Ad fœtores aurium Aëtius primò malicorij & lenticuli decocto vtitur, quo aures illinit, postea inter alia fel vrsi liquidum instillat,aut,si aridum sit,cum aceto & sapa diluit. Concedit & commendat etiam Ægyptiacum cùm ad hanc,tum ad similes omnes aurium affectiones.Vtilis est & succus oliuæ cum melle,aut betonicą decocta cum vino,aut dracuntij succus cum melle & vrina pueri impuberis. *Fœtor auris.*

Ad sordium in auribus duritiem soluendam idem inspergit nitrum torrefactum, subtilissimeque tritum; postea acetum calidum instillat,& appositâ lanâ perno-ctare sinit,sequenti die aquâ & oleo calefactis eluit.

Si sanies ab aure fluat,absque huius vlcere,ex cerebri magna impuritate,quod in pueris frequens esse solet, Aëtius misy linteolo inuolutum, & sub prunis crematum,vnà cum exusto linteolo terit,& per arũdinem inflat;aut gallis tritis, linteoloque illigatis & exustis similiter vtitur; aut alumine in testa vsto, & cum oleo trito.

Hæc,& similia topica,non nisi purgato prius corpore & capite vsurpanda esse,omnino attendendum.

Nonnunquam post ruptum abscessum pure etiã per aures excreto, dolor tamen permanet, quod indicium est,de sanie aliquid,aut grumum sanguinis in profundo auris relictum esse, eamque materiam diuturnitate prauam & rodentem qualitatem contraxisse; aut à capite debili excrementitiam nouam semper materiam affluere. Tum igitur instandum mundificatione auris cum oleo amygdal. amarar. aut cum mulsa adiecto felle

felle tauri. Si suspicio sit de grumo sanguinis, prodest acetum tepefactum cum melle optimo, aut cum oleo laurino, succo porri, addito oleo rosaceo.

Materia è capite in aurem fluente capitis simul ratio habenda erit, & materia ipsa, si mordax sit, attemperabitur; si crassa & viscida, incidetur ac detergetur, præmissis semper vniuersalibus, vacuatione nimirum, ab aure diuertentibus, gargarismis, apophlegmatismis errhinis, sternutatoriis, capútque roborantibus postea adhibitis.

## CAPVT IV.

### De Vermibus, & aliis, quæ præter naturam in Auribus hærent, extrahendis.

*Vermes in auribus.*

SOlent nonnunquam tum alia forinsecus illabi in aures, tum vermes quoque in has irrepere, præsertim dormientibus: imò etiam vermes interdum in auribus gignuntur, non solùm ex sanie vlcerum, sed & ex alia humiditate putrefacta. Ita Forestus, *lib.* 12. *obseru.* 8. *in schol.* refert, se vidisse in juuene febre acuta laborante vermes duos tresvè ad formam granorum pini paulò crassiores ex auribus expulsos, juuenémque sanatum fuisse. Nam, vt Aristoteles, 2. *de gener. animal. c.* 3. scribit, non solùm in seminibus animalium, sed etiam in excrementis spiritus quidam viuificus inest, elemento siderum analogus, à quo ζωτικὸν ἀρχὴν ea accipiunt, quæ inde producuntur.

### Signa Diagnostica.

*Signa diagnostica.*

Signa autem vermium in auribus sunt titillatio & pruritus, dolor quidam mordicans, interdum & corrosiuus, quando vermes ad neruum auditorium irrepunt, ægri angustia & inquietudo; interdum & vermes ab aure egrediuntur.

### Curatio.

*Curatio.*

Siue igitur in auribus geniti sint vermiculi, siue in has irrepserint, opera danda est, vt extrahantur. Nam, vt Rhases ait, si talia, siue vermiculi sint, siue aliquid aliud, diutius in aure relinquantur, præsertim vbi malignâ aut venenatâ aliquâ qualitate prædita sunt, acerbos dolores aut inflammationes aurium, atque hinc conuulsiones, & alia grauia πάθη concitare possunt.

Quâ ratione autem tum vermes, tum aliæ res præter naturam in auribus hærentes extrahendæ sint, dictum Institut. *lib.* 5. *part.* 1. *sect.* 2. *cap.* 10. quæ hîc repetenda non censeo: pauca saltem addam. Galenus, si reliqua ad vermes illapsos necandos non conferant, sulphur viuum & calcem melle excipit, & cum aceto in aurem instillat. Necant & vermes succus absinthij, centaurij min. fol. Persicor. vermicularis, cucumeris asinini. Nonnulli instillant succum sambuci, & cannabis. Alij radicem hellebori albi in vino infundunt, & liquorem auri immittunt. Alij castoreum in aceto decoquunt, & calidè in aurem infundunt. Fumus etiam sulphuris per infundibulum exceptus vermes occidit. Chymici ad aurium vermes occidendos & extrahendos vtuntur ol. Philosophorum guttatim instillato, quemadmodum & oleo coryli cum pauxillo ☿ii dulcis misto.

Exempl. gratia:

℞. *Pingued. caponis* Drach. sem. *ol. coryli* gutt. xv. ☿*ii dulcis* gr. iiij. Misce.

Vel ℞. *Colocynthid.* Scrup. sem. *hellebori albi* Scrup. j. *aloës* Drach. sem. Cum *succo persicariæ* vel *fol. persicor.* Misce instar Linimenti.

*Aqua auribus illapsa.*

Si aqua in aurem illapsa sit, antiquum remedium est, oleum auri infundere, & aurem pronam seruare. Aristoteles, *sect.* 32. *problem.* 10. duas hujus rei caussas affert, vnam, quod oleum lubricam reddat aurem; per lubricum autem facilè effluat humor aqueus, quia oleum facilè adhæret auri, propter lentorem; alteram, quia aqua facilè adhæreat oleo, ideo, vbi oleum exit, simul aqua educitur. Verùm hæc rei naturæ non videntur consentea. Neque enim oleum facilè adhæret aquę, sed illam maxime auersatur. Ideóque probabilius est, cùm oleum in aurem infunditur, & aurium partibus adhæret, aquam, vt sibi aduersam, non admittere, quæ propterea promptius effluit. Hinc etiam solent vrinatores oleo aures implere. Præterea oleum superiora petere, & aquæ supernatare solet. Ideóque aure inclinata aqua descendere necesse habet, vt oleum adscendat: vnde aqua inferiora obtinens faciliùs ex aure effluit.

Est & alius modus aquam ex auribus extrahendi; si nimirum caulis cauus, vel cannula anethi vel fœniculi sumatur longitudine quinque digitorum transuersorum, & dimidia pars illinatur oleo, & gossypio circumuoluatur, & in fine gossypij apponatur circulus ferreus digitum latus, eo fine, ne ignis aurem attingat, postea cannula hæc, quâ parte oleo non est illita, & gossypio caret, auri indatur, reliqua pars accendatur, sic calor communicatur auri, & ab eo attenuatur & discutitur humiditas.

Quidam cum ad liquida, tum ad arida extrahenda, cucurbitam magnam affigunt, quâ tota auris comprehendatur. Sed cum moderari ita illam tractationem non liceat tutius est, exsuctionem, præsertim liquidorum, fieri ore per syringam aut cannulam perforatam, cujus extremitas, quæ auri immittitur, gossypio, vel, vt Ægineta præcipit, cera diligenter sit præcincta, ne spiritui trahenti vlla parte foris transitus pateat. Plures modi videantur apud Arculanum, *in* 9. *Rhasis, cap.* 41.

Interdum nonnulli post exempta ejusmodi in aurem illapsa aliquandiu malè loquuntur; cujus exemplum Forestus, *lib.* 12. *obseru.* 13. *in schol.* proponit, sed curauit illum infusione olei amygdalar. amarar, frequenti. Ita enim humores cum sordibus extrahuntur. Vide Hieron. Fabricium ab Aquapendente, *de operat. Chirurg. tit. de aurium Chirurgia.*

## CAPVT V.

### De Vulnere aurium.

*Aurium vulnera.*

TAndem Vulnera aurium quod attinet, cum organum auris maxima ex parte intus reconditum lateat, auris verò externa injuriis externis pateat; vulnera magis auri externæ, quàm internæ infliguntur.

De vulneribus autem aurium præter ea, quæ aliàs in genere de vulneribus traduntur, notandum, si cum cute cartilago sit transcissa, vulnúsque magnum sit, suendum esse; & cum externa auris è cute & cartilagine sit composita, & temperamento sicco prædita, siccantia & adstringentia requirit. Vitanda verò in aurium vulneribus omnia vnctuosa, crassa, grauia, & emplastica, & ligaturæ arctiores. De quo Hippocrates, 2. *de articul.* In fractura auris quodlibet vinculum inimicum est, neque etiam ita laxum circumdabitur; quod si magis adstringatur, plurimum officit, quandoquidem integra auris sub vinculo adstricto dolet, pulsatione vexatur, atque inflammatione. Sed cataplasmata, quæ onerosa, penitus aliena sunt, pleraque etiam noxia, & abscessum excitant, plurimásque mucositates, suppurationémque infestam reddunt, quibus minimè opus auri comminutæ. *Et post*: Vbi quis aurem secuerit, abstinere ab omni cataplasmate debet, mederíque vel medicamentis, quæ protinus cruentis vulneribus injiciuntur,

iniiciuntur, vel alio, quod neque onere lædat, neque moleſtiam offerat. *Hæc Hippocrates.* Vt verò vulnerata auris in ſuo naturali ſtatu conſeruetur, inter caput & aures goſſypium ponendum, & in oppoſito latere cubandum. Rumpitur quidem interdum etiam tympanum, ſed quia malum id incurabile, nihil de eo dicemus.

## CAPVT VI.

### *De Sonitu & Tinnitu aurium.*

*Sonitus & tinnitus aurium.*

Atque hi ſunt morbi,qui auribus accidere ſolent. Iam ergo ſymptomata explicanda ſunt.

Et primò actionem læſam quod attinet, auditus vel deprauatur,vel imminuitur, vel aboletur. Auditus deprauati vitium eſt, quando aures citra omnem externi aëris commotionem intra ſe ipſas ſonant. Græcis ἦχος & συριγμὸς,Latinis ſonitus,ſibilus, vel tinnitus aurium appellatur.Etſi verò ſanæ quoque auri accidat, vt admotâ propius caua manu, vel concha auri appoſita leuem quendam ſuſurrum intus percipiat:tamen Medici ſonitum aurium hic intelligunt, qui etiam citra talia obſtacula externa intus ſentitur, aure malè affecta, ſiue per ſe,ſiue per conſenſum,& à quo audiendi facultas offenditur,vt operam medicam deſideret.

*Sonitus, tinnitus,Sibilus aurium an differant.*

Nonnulli ſpecies appellationibus diſtinguunt. Arculano Sonitus eſt generale; Tonitus grauis & fortis ſonus; Sibilus acutus; Tinnitus medius inter illos,vt pluuiæ, foliorum arborum. Fernelio Sibilus eſt ex tenui flatu leniter elabente; Tinnitus ex eiuſdem curſu interrupto;Sonitus ex craſſiore flatu plenius erumpente;Strepitus ex ejuſdem valido impulſu;Fluctuatio ex humoris inundatione: quibus tamen appellationibus Autores alij promiſcuè vti ſolent. Prouenit illa ſonorum diuerſitas à craſſitie aut tenuitate majore vel minore tum congeniti aurium aëris, tum materiæ inprimis aërem illum præter naturam impellentis; ſiue flatus ſit,ſiue humor,quemadmodum dicetur.

*Tinnitus aurium quid.*

Tinnitus itaque aurium eſt ſenſus ſonitus cujuſdam moleſti intra ipſas aures, etiam cum foris omnia ſilent. Etſi enim ſonitus ille internus per ſe leuis eſt & exiguus: tamen magnus eſſe putatur,quia in parte eſt cerebro admodum vicina.

Affectio ipſa eſt ſymptoma deprauatæ facultatis audiendi, quoniam facultas ſentit id, quod ſentire non debebat, & cujus cauſſa foris ſecundum naturam non offertur.

Pars affecta eſt porus ἀκουστικὸς, ea maximè ſui portione, qua neruum quinti paris expanſum ſiue dilatatum excipit, prope labyrinthum & cochleam dictas cauitates;quæ nerui expanſi portio,vel finis potius pori, vbi dilatato neruo conjungitur, præcipua auris pars eſt. Nam minus principales partes auris cenſentur membrana tympano obtenſa, oſſa, quæ meatum oſſeum,& cartilagines,quæ cartilagineum conſtituunt; tria verò oſſicula intus, etſi alij vſus ab aliis iis aſſcribantur:tamen ad firmitatem potius & tutelam membranæ, cui connexa ſunt,condita videntur.

### *Cauſſæ.*

Cauſſam ſonitus & tinnitus aurium plurimi aut in ipſam facultatem audiendi, aut objectum aliquod internum ſiue materiam, à qua facultas illa,ejuſque organa moueantur,referunt.

Vitium facultatis dicunt eſſe ſenſum exquiſitum nimis, quæ Galeno eſt ἀκρίβεια τῆς ἀκουστικῆς αἰσθήσεως, leuem quoque impulſionem percipiens etiam internam. Cum enim aër congenitus intus à validiore agitatione quieſcat,(aliàs ſonum externum non agnoſceret,nec diſcerneret, ſicut cryſtallinus quoque in oculo coloris ipſe expers colorata alia percipit)ſi leuis aliqua impulſio à cauſſa ſiue interna,ſiue externa accidat,auditum acutiorem illam ſentire ſtatuunt. Acris autem illius auditus cauſſam eſſe dicunt calorem partis modum excedentem, quo aër congenitus facilè impellatur. Fieri etiam poſſe putant, vt meatus auditorius à prima conformatione vel nimis patens ſit, vel nimis, quàm conueniebat,tortuoſus, vel membrana tympani tenuior ſit & ſiccior,vel nerui auditorij textura rarior,à quibus illud ſenſus acumen exiſtit.

Auicennas debilitatem facultatis addit,quâ facultas ob dyſcraſiam partis à qualitatibus omnibus, ſiue primis, ſiue ſecundis promptè afficiatur, atque ita leniſſimo etiam quolibet ſono cum moleſtia & offenſione percellatur: ſicut qui à morbo conualeſcunt, ob debilitatem corporis relictam facilè à frigore aut calore externo offenduntur.

*An ſenſus acumen ſit cauſſa tinnitus aurium.*

Verum vix credibile eſt,ſenſus ἀκρίβειαν ſymptomatis præter naturam cauſſam, & actionis deprauatæ principium eſſe poſſe. Sit ſanè, vt, qui ſenſum habet exquiſitiorem alio,qui eundem obtuſum habet, leuiora objecta percipiat:tamen objectum,etiamſi leue, adſit neceſſe eſt,quod ſenſui offeratur. Et cùm,qui ita docent,acrimoniam ſenſus à calore partis mediocritatem excedente deducant,facilè hinc patet, conſtitutionem illam non eſſe planè ſecundum naturam, ſed à calore excedente agitationem aliquam fieri, & objectum, quod ſenſui offertur,ab eo excitari.

*Debilitas auditus an ſit cauſſa tinnitus.*

Minus verò probabile eſt, quod debilitas auditus facere poſſit tinnitum.Perfectio enim auditus eſt, non debilitas,exigua & leuiora objecta percipere.

Quod verò conualeſcentibus interdum aures tinniunt,non ex debilitate auditus eſt,ſed quia in conualeſcentibus multi vapores ob calorem debilem attolluntur,qui auditui oblati tinnitus cauſſa ſunt.

*Cauſſa proxima tinnitus aurium.*

Igitur vnica tantum tinnitus aurium cauſſa proxima eſt, objectum nimirum, ſiue materia intra aurem hærens,& facultatem præter naturam mouens.

Objectum autem hoc, vt vulgata fert ſententia, eſt πνεῦμα φυσῶδες, id eſt, ſpiritus flatulentus, ſiue ἀτμὸς, hoc eſt, vapor craſſior, ex craſſa & frigida plerumque materia reſolutus, qui congenitum aurium aërem agitat & impellit. Spiritus ille flatulentus vel in auribus ipſis genitus eſt ex humore ibidem collecto,vel aliunde auribus communicatur. Et quidem vel à toto mittitur,vt in febribus,per initia potiſſimùm paroxyſmorum, ob humorum incipientem in venis & viſceribus ebullitionem;in criſi quoque per vomitum aut per narium hæmorrhagiam futuram: vel in parte aliqua, vt à cerebro præcipuè, à quo vapores & flatus auribus per quintum par neruorum, & par venas ac arterias, ad aures deriuatas tranſmittuntur. A ventriculo item ἀτμοὶ ſurſum continenter aſcendentes tinnitum aurium efficiunt. Ita in billioſis famem diutius tolerantibus aures ſonoræ fiunt, calore ventriculi in inopia cibi halitus ex grauis ſuccis ſoluente,imò etiam ex bonis ſuccis vapores excitante;& in ebriis quoque vaporibus ex ingurgitato potu ad caput magna copia eleuatis,qui dum exitum in anguſtiis illis quærunt,ad oſſa & membranam tympani, expanſúmque neruum, alliſi,tinnitus cauſſa exiſtunt. Ab vtero denique,hepate,liene, & viſceribus aliis malè affectis, euaporationem ſurſum fieri in corporibus cacochymicis & repletis,minimè dubium eſt.

Nonnulli ab humoris in capite inundatione hoc malum oriri putant, vnde fluctuationis cujuſdam ſenſus auribus offeratur. Et flatus proxima materia ſemper eſt humor,à quo caloris vi ille reſoluitur.

Auicennas etiam à ſaniei & puris in aure feruore & ebullitione ſonitum in auribus accidere ſtatuit.

Externæ cauſſæ ſũt,aëris nimia refrigeratio & calefactio patentibus auribus,nimia cibi repletio & crapula à vino, vnde cruditas in capite & toto corpore cumulatur,

tur,vomitus difficilis,fames, calore naturali in defectu cibi conuerso ad humores prauos in corpore, à quibus vapores noxij eleuantur,medicinæ quædam retinentes humores & flatus in capite, pharmacum commouens humorem, sed non educens, percussio in caput circa aures,fragor validus, qualis est tonitrui vehementis & bombardarum.

Circa hanc tamen communem, quam modò exposuimus, de caussis sonitus & tinnitus aurium sententiam quædam monenda videntur. Et primò quidem notandum,alium esse continuum,qui sæpe septimanas aliquot,& interdum menses,imò annos aliquot durat; alium verò subitò exoriri,& subitò euanescere,aut certè non diu durare. Deinde in ipso sono aliquam esse differentiam. Breuem illum aurium sonitum à vapore tenui oriri, extra dubium est;cum ille è capite per angusta aurium foramina erumpere conatur, qui sonitus nunc strepitus, nunc sibili,nunc tinnitus modum refert, prout ille per angustiores vel latiores, rectos vel tortuosos meatus vagatur & mouetur.

*Diuturni aurium sonitus caussa.*

Verùm cum sonitus aurium sæpe non solùm aliquot septimanas,sed & menses ac annos duret,& quidem continuò,ac fine vllo interuallo,vix à vapore exitum per auditus organum sibi quærente is fieri potest; cum vaporis continua talis generatio vix dari possit. Ideóque continui illius sibili caussa quærenda videtur in arteriola,quæ aurem subit, si illa copioso & calidiore spiritu impleatur. Tunc enim pulsu validiore subitò in auribus sonus talis percipitur:eodem modo,sicut, si quis digitum ἐνευρίσματι imponit, talem strepitum in arteria percipit.

*Cur manu cauâ auri admotâ sonitus percipiatur.*

Potest forsan & alia huius rei ratio reddi, quæ pendet ex explicatione quæstionis, cur nimirum manu caua, vel concha, vel alia re caua, auri admotâ sonitus etiam in sanis percipiatur. Alij rei hujus caussam esse putant,quia aër implantatus semper moueatur,motus verò ejus non percipiatur, nisi aure tecta. Alij verò aërem implantatum natura sua immotum esse statuunt, sonitum verò illum manu caua vel chonca auribus admota fieri, quia aër,qui in anfractibus aurium continetur, semper natura sua exilire conatur, & sese diffundere; vnde, cum ab obstaculo cohibetur,impingit, & hinc fit sonitus. Et quidem vero non videtur absimile,aures,cum sint anfractuosæ & cauernosæ, in cauis suis spatiis aërem continere, qui à calore auris agitatus erumpere conatur, ac, si cohibeatur ab aliquo obstaculo, repercussus sonitum facit. Tamen etiam non videtur absurdum, cùm calidum innatum auris sit aëreum, & à spiritu ἀκουστικῷ eiusdem naturæ moueatur, spiritus verò ille influens sit in perpetua generatione & motu,ab aëris illius motu, si in obstaculum aliquod impingat, sonitum fieri posse. Et quidem non solum ab obstaculo externo, puta manu caua, aut concha id fieri potest, verùm etiam ab humore aures obstruente, aërísque illius motum impediente. Atque ita inter caussas sonitus etiam referenda videtur obstructio aurium,quam alij prætereunt,ob quam spiritus illi ἀκουστικοὶ, & aëris interni liber motus impeditur, & ad obstaculum allisione sonitus excitatur. Cujus rei argumentum est, quod plerumque cum sibilo aurium diuturno conjuncta est auditus difficultas, & sonitus aurium continuus tandem in difficultatem auditus,& surditatem degenerat; quæ ex obstructione meatus auditorij ortum habet.

### *Differentiæ.*

Differentiæ à forma sunt, quod malum hoc vel sibilus est,vel tinnitus,vel sonitus,vel strepitus, aut fluctuatio.Et Galeno,*in 3.de compos.medic.sec.loc.*vel paulatim colligitur, vel aceruatim irruit; denique vel per interualla repetit,vel continenter affligit.

### *Signa Diagnostica.*

Externæ & antecedentes quidem caussæ ex ægro cognoscuntur. Et monet Galenus, *loco allegato*, adhibendum esse τεχνικὸν quendam στοχασμὸν, ex caussis procatarcticis desumptum, quarum vi, sicut aliæ affectiones, ita & hæ varietatem suam accipiunt. Si paulatim malum cœperit, & recurrat per interualla, sonitúsque clarior sit,à flatu est plerumque frigido & pituitoso;sicut pituita inprimis flatuum materia esse consueuit, præcessit victus ratio, quæ pituitam & flatus coaceruauit, & caussæ aliæ caput refrigerantes & humectantes. Si continenter affligit, ab aurium affectione est priuata;per consensum verò, si subitò inuadens per interualla repetit. Et per consensum quidem cerebri, quando capitis dolor & grauitas adest, & plures simul sensus sunt affecti:à consensu verò aliarum partium,vel totius quando fiat,id suis signis etiam cognoscitur, & malum post inanitionem aut repletionem, post motum aut quietem, post vehementem calorem aut frigus quiescit,rursúmque concitatur. Si à crassis & viscidis humoribus fiat,non repentè suboritur,sed paulatim increscit,éstque sonus magis confusus,& fluctuatio atque grauitas percipitur. Præcesserunt cruditates, balneum intempestiuum, & similia, ægérque calidis juuatur. Si ab obstructione aurium fiat sonitus, est is diuturnus, & adest simul grauitas auditus. Si in febribus,aut harum, aliorúmque morborum crisi sonitus aurium existat,à caussis morbos illos excitantibus prouenit.Si fit ab apostemate,præcessit dolor auris, & sanies continenter emanat.

### *Signa Diagnostica.*

1. Leuissimum hoc malum est,vbi est ex grauedine; pejus,vbi ex morbis, capitísque longis doloribus incidit;pessimum, vbi magnis morbis venientibus, maximéque comitiali,prouenit.Celsus,*lib.6.cap.7.*

2. Si in febre ardenti sonitus aurium fuerit cum oculorum caligine, proueneritque è naribus grauitas; mente ex melancholia aberrat, *in 1.Prorrhetic.aph.18. In Coacis*,addit;nisi sanguis ex naribus effluxerit.Caussas Aphorismi Galenus,*in Comm.Prorrhetic.*exponit.

3. Si in febribus sonitus aurium fiat ex spiritu vel humore frigido & crasso,sponte sonitus ille cessare solet, absque medicamentorum vsu,calore febrili materiam discutiente.Galenus,*in 3.de compos.medic.s.l.cap. 1.sub titulo,de sonitu aurium.*

4. Bombus,id est, tinnitus grauior in acutis & sonitus in auribus lethale. Hippocrates,*in Coacis*. Si scil. in febri acuta sonitus ille ex inflammatione cerebri, vel ex vehementius commoto habitu corporis, ab incendio interno existat, & praua alia signa, præsertim mentis perturbatio,conjungatur.

5. Pulsationes in capite,& sonitus aurium, hæmorrhagiam narium significat. Hippocrates, *in Coacis*. Commotione enim feruentis, & ad exitum concitati sanguinis suscitantur vapores,qui angustis aurium anfractibus sese insinuantes sonitum efficiunt.

6. Sonitum aurium ex sensus ἀκριβείᾳ,præsertim inueteratum, non facilè curari etiam statuitur. Galenus tamen quendam ex hac caussa laborantem se sanasse, stupefaciente ad accommodata alia medicamento admixto,3.*de compos.medic.s.l.loco antea allegato*, scribit, *cap. 1. tit. de sonitu aurium.* Verùm quid de caussa hac sentiendum, supra dictum. Adfuit procul dubio intemperies aliqua calida aurium, & feruor sanguinis.

7. Si aurium tinnitus biennium, vel longius durauit, rarò curationem admittit, sed plerumque ad surditatem tendere solet;quod ipsum,vt suprà in caussis dictum,satis arguit,tinnitum talem aurium diuturnum ab obstructione aurium prouenire.

8. Sonitus aurium ex vento boreali flante post austrinum, capitis pleni subita calefactione, ex fame item, vel cibi repletione facilè remouetur; difficilius ex plenitudine aliqua diuturna, à nimia aliqua euacuatione.

9. Tinnitus aurium ex frequenti percussione in caput vel tempora non facilè curatur. Verti enim solet in surditatem, humoribus præ dolore ad organa auditus confluentibus, transitumque spiritus auditorij impedientibus. Quod ipsum etiam confirmat, tinnitum fieri ab obstructione aurium, spiritui auditorio transitum denegante.

10. Sicut surditas biliosorum dejectione finitur, 4. *aphor.* 28. ita & de tinnitu aurium pronunciari potest, si ex viscerum repletione ortum ille habeat.

### *Indicationes.*

Si tinnitus aurium à calore immoderato, & flatuoso spiritu in arteriola proueniat, vniuersalibus præmissis refrigerantia conueniunt. Galenus narcotica quædam admiscet, vt diximus. Si flatus caussa sit, ille discutiatur & reuellatur: si humor, præparetur & euacuetur: si sanies, abstergatur, & educatur: si obstructio adsit, aperiatur. Externæ quoque caussæ, si quæ adsunt, remoueantur, habita ratione semper totius & capitis.

### *Curatio.*

Pro varietate igitur caussarum, à quibus sonitus aurium existit, alio atque alio modo curatio instituitur. Et quidem si malum sit ab intemperie calidâ, & sanguine ac spiritu feruidiore, vtimur refrigerantibus & & humectantibus, vt decocto hordei, violarum, lactucæ, nymphææ, papaueris albi, pro fomento. Validiora sunt, succus portulacæ, mandragoræ, papaueris albi. Galenus, *ex Archigene*, castoreum & semen cicutæ, trita in aceto, in aurem immittit. Alij euaporationem ex semine cicutæ in aceto cocto excipere jubent. His non conferentibus, vtendum opio, sed exiguâ quantitate, & cum magna cautione opij gr. j. in olei rosacei Vnc. ß. dissoluto. Quæ tamen posteriora non frigefaciendo, sed vi narcotica prosunt, sanguinis & spirituum feruidorum motum sistendo.

Si ex humore crasso & viscido affectus ortum habeat, totius corporis, aut saltem capitis, præmissa euacuatione, vt suprà, *parte* 1. dictum, attenuantia & discutientia auribus adhibeantur. Quo in genere sunt oleum amygdal. amarar. rutæ, castorei auribus instillatum, vel solum, vel cum melle mistum, aut oleum, in quo castoreum, cuminum, ruta anethum, nigella, nardus decocta fuerint, quibus & parum aceti admiscere licet, si attenuandum sit. Aëtius castorei & spicænardi part. æqual. cum aceto & ol. rosac. miscet & instillat. Prodest etiam ceparum aut porri succus cum lacte muliebri vel oleo rosaceo coctus. Vel oleum oliuarum coctum similiter in cortice colocynthidis.

Experimento probatum est, prodesse vaporem aceti, & aceti cum felle bubulo; item fel. capræ cum succo porri. Alij pani recens cocto, & ex clibano adhuc calenti, spiritum vini affundunt, & panem auri applicant, vt vapor in aurem recipiatur.

Montanus sequens commendat Oleum, ejúsque gutt. j. manè & vesperi auri instillat, & deinde gossypio moschato aurem obstruit:

℞. *Milleped.* num. xxx. Lauentur, & bulliant in *ol. amygdal.* Vnc. ii. *aceti* Vnc. iiij. ad consumptionem aceti.

Factâ diligenti expressione Colatura vsui reseruetur.

Aut ℞. *Pulpæ colocynth.* Drach. sem. *succi rutæ, majoran.* an. Vnc. i. *cumini, carui*, an. Drach ii.

Coquantur in vino & oleo amygdal. amar. ad vini cõsumptionem. De expresso & colato aliquid in aurem immittatur, aurisque bombace moschato obturetur.

Vel ℞. *Helleb. albi* Drac. iij. *fol. lauri, rutæ, fraxini*, an. M. sem. Coqu. in *ol. amygdalar.* & Colentur.

Vel ℞. *Sem. porri, caryophyllorum*, an. Scrup. i. *moschi* gr. v. Cum *succo majoranæ & rutæ* Misce, & auri instillato.

Aut ℞. *Nitri*, *myrrhæ*, an. Drach. j. *hellebori albi* Drach. sem. *castor.* Scrup. i.

Terantur cum olei rosacei & aceti p. æ. & guttatim in aurem immittantur.

Commendatur etiam valde fel lucij piscis, quod nonnulli ita præparant:

℞. *Fella lucior. recent.* num. iii.

Indantur vitro, quod diligenter claudatur, & fermento obducatur, ac in clibanum ponatur, & tamdiu coquatur, donec panis sit coctus. Liquoris, qui in vitro inuenitur, vesperi & mane gutt. iij. auri instillentur.

Efficaciora hæc erunt, si prius euaporatio fiat ex sequenti Decocto manè & vesperi:

℞. *Fol. calaminth. majoran. centaurij minor. rorismarini*, an. M. j. *baccar. juniperi electar.* num. xv. *fol. lauri, absinth.* an. M. sem. *lupinorum* num. xij. *lumbricorum vino lotorum & in sindone ligatorum.* p. ß.

Coq. in s. q. aquæ, & duplo vini albi, ad consumptionem tertiæ partis. Colatura pro euaporatione seruetur. Quâ dum æger vtitur, fabas aut pisa aliquot in ore detineat & masticet, vt patente ita meatu auditorio fumus magis penetret.

Sacculus etiam parari potest ex foliis saluiæ, betonicæ, majoranæ, rutæ, hyssopi, calaminth. floribus chamæmeli, stœchad. Arabic. fol. pini & lauri, sem. carui, anisi, qui calefactus auri post euaporationem & liquoris instillationem imponatur.

Qualis est sequens:

℞. *Fol. majoranæ, saluiæ*, an. M. ß. *rutæ* M. j. *absinthij, summit. anethi*, an. p. ii. *baccar. lauri* Drach. i. *granor. juniperi* Drach. i. sem. *sem. cymini* Drach. i. *carui* Drach. ß. *fl. chamæmeli* p. ij.

Cõcisa indãtur sacculis duobus ex tela linea paratis.

Prosunt quoque pulueres & tabulæ, quæ flatus discutiunt, à cœna sumptæ.

Non etiam omittendum, quin lenibus clysteribus aluus interdum eluatur, ne retentis excrementis noua in capite materia colligatur.

Ad Tinnitum aurium inueteratum, qui surditatem minatur, Montanus vtitur olei de pice, olei amygdal. amarar. an. Vnc. sem. & mixta guttatim frequenter instillat; quo & cerebrum confortatur. Et omnino destillata olea ex plantis modò enumeratis efficacissima sunt, vt & spiritûs ex ijsdem parati. Maximè etiam sternutamenta ad tinnitum aurium curandum vtilia sunt. Monendum autem de topicis istis, commodissimè tempore matutino, & ante cœnam adhiberi. Cubitum enim ituris caput vaporibus repletum est, parúmque commodi è medicamentis ejusmodi sperari potest. Reliqua ex iis, quæ capite sequenti de auditus grauitate & surditate dicentur, & supra de intemperie aurium cum humore frigido dicta sunt, patent.

Si in febribus tinnitus aurium fiat, aut in harum ad crisin apparatu, sinendus est, nihilque adhibendum, donec morbus finitus, vel crisis absoluta sit; quia, vt in prognosticis diximus, plerumque sponte suâ sedatur, præsertim post crisin. Si quid supereſt, discutiente remedio vtendum, quale est absinthij decoctum ex aqua & pauco aceto pro fotu; aut decoctum ejusdem ex oleo rosaceo instillatum. Si quæ caussa externa adest, illa quoque amouenda erit.

Si ex partis alicujus consensum malum oriatur, parti, quæ primò afficitur, succurrendum, vt suprà, *parte* 1. *cap.* 6. dictum.

### *Diæta.*

Diæta in genere medicamentis pro varietate caussarũ respõdeat. Abstineat æger à potu liberaliore vespertino,

&

& subingressum lecti capiat cochlear j. de semine carui in aceto macerato & exsiccato, vel tantundem seminis fœniculi, anisi, coriandri. Vel his commixtis addatur aliquid macis, cinamomi, & cum duplo sacchari vsurpetur. Nonnunquam parum æger Mithridat. sumat, aut de speciebus pliris Archontic. vel diomaschi dulcis, si malum à frigido ortum sit. Qui vino assueti sunt, iis diluatur cum aqu semin. coriandri præparati. Aures æger occlusas habeat, & munitas aduersus frigus & ventos. Cogitationes & animi nimia intentio vitanda. Frictiones extremorum semper commodæ sunt, & matutinæ exercitationes. Pectinationes item capitis, corpore & capite prius euacuato. Venus in hoc malo valde noxia, illúdque inducere potest.

*Obauditio.* Cognatum sonitui aurium vitium est, quod Græci παράκουσι, Latini Obauditionem vocant, compositum quasi ex deprauato & graui auditu vitium; quo auditus confusa percipit, non aliter atque visus aliena cernit in suffusione ex consensu ventriculi ortâ. Existit illud ab vlcere non probè exterso & consolidato, quando spiritus per arterias impulsus auditum impetu suo offendit. Fit etiam in summo febrium ardore, vaporibus per arterias in caput ad aures effusis. Denique sine febri, dum è visceribus impuris calida copiosâque euaporatio continenter in caput effertur.

## CAPVT VII.

### *De Graui Auditu & Surditate.*

Βαρυκοΐα & δυσηκοΐα & ὑποκώφωσις, Latinis grauitas & difficultas auditus, & κώφωσις, id est, surditas, solùm magnitudine caussæ differunt; ideóque vno capite de his agemus. Si æger solùm sonos magnos audiat, leues verò non percipiat, βαρυκοΐα & δυσηκοΐα & ὑποκώφωσις nominatur. Si verò neq; magnos, neque paruos percipiat, *Grauis auditus.* Surditas appellatur. Estque Surditas miserandum malum. Cum enim aures sint quasi porta mentis, per quam menti ea intromittuntur, quæ doctrina & institutione traduntur ad vitam coram Deo & hominibus rectè transigendam: miserum eum hominem esse necesse est, qui audiendi facultate destitutus adminiculo hoc ad salutem æternam, & ad præsentem incolumitatem vti nequit. Miseriores adhuc sunt, qui simul cæci sunt. Miserrimi, qui cæci, surdi, muti. Cuius rei exemplum habetur apud Platerum, *lib.* I. *obseruat.* de quodam Abbate, qui ex lue Venerea cæcus, mutus, surdus factus, mentem aliorum non alio pacto intelligere & percipere potuit, quàm illi supra brachium nudum literas sententiam aliquam exprimentes digito vel ligno ducendo, ex quibus singulis sensu perceptis verbum, atque ex pluribus verbis sententiam colligebat.

*Surditas.* Surditas nimirum functio auditus est abolita; grauitas diminuta. Atque ita vtraque affectio est symptoma in genere læsarum functionum animalium, atque in his facultatis audiendi.

### *Caussæ.*

Quia verò ad auditum perficiendum requiruntur & ipsum audiendi instrumentum, auris, & spiritus animales, &, qui ad hunc defert, neruus ἀκουστικός: caussæ etiam læsionis auditus quærendæ sunt vel in spiritu animali, & neruo eum deferente, vel in auditus organo.

Primò ob vitium spiritus læditur auditus, cum in cerebro vel non generatur, vel ab eodem non transmittitur, vel à neruo auditorio, qui spiritum illum aduehere debebat, non defertur. Cerebri vitium generale est, & ab eo, vt reliqui sensus, ita etiam auditus, læditur. Si verò è neruo ἀκουστικῷ extra cerebrum, & in eius ad aurem progressu, caussa mali hæreat, auditus non reliqui sensus afficiuntur. Fit hoc sæpe in prima conformatione, dum vel ille non rectè formatus est, vel non rectè ductus; vnde surdi ab infantia fiunt: vel ab obstructione: vel à tumore aliquo.

Oritur & grauitas auditus à spiritibus factis paucioribus, crassis & impuris, siue ex errore victus tales gignantur, siue ex ambiente aëre. Hinc venti australes auditui nocent.

Organum verò auditus quod attinet, quodnam illud sit, dictum in Institutionibus, quæ hic repetenda non censemus. Vt rem paucis complectamur, cùm instrumentum auditus primarium non possit esse, nisi pars corporis viuens, res eò videtur redire, vt instrumentum auditus primarium sit nerui auditorij ea portio, quæ meatui interno implantatur, vel potius, vt Galenus ipse definit, I. *de symp. cauß. cap.* 3. τὸ ἐνδον πέρας, hoc est, externus finis, siue extremitas pori ἀκουστικοῦ, vbi extremitas illa dilatati nerui auditorij portionem excipit. *An altius instrumentum proximum.* Cúmque eò loci σύμφυτ@ aurium aer contineatur, verisimile est, Galenum ipsum etiam mentione τοῦ ἔνδον πέρατ@ complexum esse. Vt enim visus organum lucidum est, vt obiecto respódeat: ita organum auditus aëreum. Et neruus auditorius, qui, vt alij nerui, communis soboles est cerebri, ad sonos speciatim percipiendos contrahitur & determinatur beneficio proprij & peculiaris sui organi, quod aër aurium est congenitus, seu calidum, & spiritus aurium insitus, naturæ aëreæ. Auditio enim non fit, nisi illa extremi aëris commotio interno aurium aëri communicetur per tortuosos aurium anfractus, vbi membranæ tympani allisus aër externus qualitate soni affectus internum aerem ferit, qui deinceps ministro neruo auditorio ad cerebrum, sentiendi principium, sonum transmittit.

Vitium verò nerui auditorij iam expansi & in aurem dilatati ferè à communi caussa semper dependet. *Nerui auditorij morbi.* Si enim ille neruus non rectè sit conformatus, vel non rectè auri inferatur, spiritus ἀκουστικὸς in aurem transire non potest: quod etiam accidit, si neruus idem obstruatur, vnde auditus læditur; & præterea implantato aëri necessarium alimentum & commeatus, quo foueatur, denegatur. Si verò humores vitiosi quicunque ad aurem ferantur; & obstruere interdum meatum possunt, & aërem illum inquinant, crassúmque & impurum reddunt, & ad præstandum suum vsum ineptum. Materia illa plerumque est frigida & pituitosa, nonnunquam & biliosa, vt, *ex* 4. *aphor.* 28. patet, vbi biliosas deiectiones surdis prodesse Hippocrates docet: interdum & sanguinea; siquidem surditatem, quæ crisin scilicet comitatur, quoque fieri ex sanguinis per aures fluxu, compertum est.

Mittitur autem illa ad aurem interdum à toto corpore, vt in febribus; solétque talis surditas, vel difficultas auditus, crisin antecedere, vapore vel humore ad aures detruso: quæ auditus læsio peracta crisi sponte cessare solet.

Aërem quoque congenitum crassum reddit & impurum vapor caliginosus & crassus sursum eleuatus, aëri innato sese permiscens, & non solùm citra hunc oberrans, & tinnitum aurium, qui auditus grauitatis & surditatis præludium est, excitans, verùm etiam eidem sese permiscens.

Si tamen sit humor crassus vel copiosior, nonnunquam etiam post crisin difficultas auditus adhuc durare solet. Interdum etiam sine crisi à toto corpore ad aures materia mittitur. Aliàs materia, quæ auditum lædit, plerumque crassa & pituitosa est, atque à cerebro præcipuè prodit, alimentum suum probè non coquente, & excrementis abundante. Vt in alias partes, ita & in aures, è capite materia catarrhosa fluit, & se in interiorem auris cauitatem per foramen, quod neruus auditorius transit, insinuat: id quod senibus propter excrementorum pituitosorum copiam familiare est. Obiecto proprio etiam, sono scilicet violento & nimio, subitò & affatim

per

per aurem ad cerebrum vſque penetrante, offenſo neruo, ſpiritibúſque diſſipatis, ſurditatem introductam fuiſſe,obſeruatum eſt.

*Meatus auditorij morbi.* Reliquas auris partes quod attinet, meatus auditorius externus, vſque ad tympani membranam, nihil præter aerem continet, iſque nonnunquam obſtruitur vel totus,vel ex parte,& obſtructus potius difficilis auditûs;quam ſurditatis,cauſſa eſt. Fit verò obſtructio vel ab externis rebus, quales ſunt lapilli, nuclei, vermes, aqua,& ſimilia;vel tumore aliquo,& tuberculo in meatu illo poſt vlcus nato.Nonnunquam etiam ſordes aurium, ſeu naturalia illa aurium excrementa, ſi diu retineantur, & incraſſentur, aures obſtruunt, præcipuè ſi, quod interdum accidit, auriſcalpio ad tympanum vſque propellantur,ibique hæreant,vt non facilè excerni poſſint.

*Membrana aurium morbi.* Membrana quoque tympani,quam myringam vulgò appellant,auditui obeſſe poteſt,ſi vel ab externo aëre frigido (vt frigidum omnibus neruis & membranis inimicum eſt)contrahat frigiditatem,vel narcoticorum vſu obſtupeſcat;(quæ tamen vitia,ſi actio cauſſæ vehemens ſit, etiam penitioribus partibus communicari poſſunt) vel reddatur craſſior, quod inflammatione in cerebrum conuerſa accidere ſolet; vel ab humoribus affluentibus nimium humectetur,& craſſior euadat: quæ ſatis frequens cauſſa eſt difficultatis auditus in ſenibus. Vt enim oculorum tunicæ in ſenibus craſſeſcunt, & obſcuriores fiunt: ita etiam proculdubio ætatis progreſſu hæc membrana aliquam mutationem ſuſcipit. Eadem nonnunquam rumpitur, vel tenditur & laxatur vi externâ,vt ab auriſcalpio,vel alia re violenter immiſsâ,ſonitu tubarum,& vehementi clamore; eroditur ab vlcere.Ita etiam ſi oſſicula illa tria,quæ membranæ huic adiacent,loco dimoueantur,ictu vehementi,ſonitu,vel humoris alicuius affluxu,vel quâcunque de cauſſâ,grauitas auditus,vel ſurditas ſequitur.

## *Signa Diagnoſtica.*

Verùm iſta cauſſarum varietas ſuis ſignis diſcernenda eſt, vt curatio rectè inſtitui poſſit. Si primò vitium ſit in cerebro,epilepſia,lethargus, apoplexia, præceſſerunt,vel adſunt, & aliæ animales facultates ſimul læſæ ſunt.Si autem in ſolo neruo auditorio ſit vitium, reliqui ſenſus integri erunt.Præceſſit tamen aliqua cerebri debilitas,diuturnus capitis dolor,& ſimilia,quæ excrementitios humores in cerebro collectos, & ad neruum auditorium delapſos teſtantur.Ita quoque ſi aer impurus ſit,ſigna aderunt imbecilli & excrementis repleti cerebri,aut æger verſatus eſt diu in aëre impuro,qui ſpiritus turbidos & impuros reddit.

Vtrum verò excrementitij humores, qui neruum obruunt,& aërem implantatum inquinant,à toto,vel à cerebro tantùm prouenerint,propria ſigna teſtabuntur. Si à conſenſu ventriculi fiat malum, proüt ventriculus vacuus, vel plenus eſt,augetur, vel minuitur. Præterea malum per interualla repetit. Ab aëris etiam, vel ſpiritus vitio vix omnino ſurdi euadunt,ſed ſurdaſtri,ſurdis tamen finitimi. Criticus motus in morbis latere non poteſt. Obſtructionem etiam in neruo & meatibus internis ſenſim factam eſſe, indicio eſt, ſi capitis dolor diuturnus,ſibilus,& aurium tinnitus,lethargus, apoplexia,& affectus ſimilis præceſſerit; & natura morborum præcedentium naturam humoris obſtruentis declarabit. Si calidus humor cauſſa ſit, dolor acutiſſimus accidit, adeſt febris, & calor in aure percipitur. Si verò ab humore ſit frigido,dolor abſque ſenſu caloris,& ſine febre eſt.Si obſtructio ſit in externo auris meatu,oculis id facilè cerni, & inſtrumentis explorari poteſt. Et ſi aliquid extrà immiſſum ſit, ex relatione ægri cognoſci poterit. Ita quoque facilè patet,ſi phlegmone adſit, vel ab vlcere relictum tuberculum craſſum. Si in membrana tympani ſit affectio, dolor vehemens præceſſit, vel vulnus, à quo cicatrix in membrana relicta.

Verùm cum adeò exactè ſemper cognoſci non poſſit, an in neruo auditorio extra aurem,vel in aure,& in qua parte auris vitium hæreat,vtiliſſimum fuerit, diſcernere,an à cauſſis internis,an externis malum pendeat. Si enim quid in aurem miſſum ſit,externum meatum obſtructum eſſe, indicio eſt. Si vulnus præceſſit, vel vehemens ſonitus, membranam tympani ruptam vel laxatam,aut oſſicula illa loco ſuo mota eſſe,argumento eſt. Si verò cauſſa externa abſit,an aliquis morbus præceſſerit,conſiderandum.Ille enim facilè humoris naturam indicabit,qui rurſum curationem præſcribit;etſi in qua auris determinata particula hæreat,non ita perſpectum eſt. Si verò nullus morbus præceſſit, an ſubitò, vel ſenſim ſurditas, vel difficultas auditus orta ſit, inquirendum. Illud enim faciliùs à calido humore, hoc à frigido accidit.

## *Prognoſtica.*

1. Grauitas auditus non contemnendum malum eſt. Temporis enim progreſſu paulatim incrementum ſumens in perfectam ſurditatem degenerat. Galenus, 3. *de compoſ. medic.ſ.l.cap.* 3. *titulo,ad auris grauitatem.*

2. A primo ortu, aut poſt ortum, diuturna & perfecta ſurditas orta non curatur: quæ verò non perfecta eſt,ſed tamen diuturna,nec ipſa curabilis,aut difficulter admodum curatur.Paulus Ægineta, *lib.3.cap.*23.

3. Obſtructio in meatu externo facilius tollitur, difficilius in meatu interno,& meatu auditorio;præſertim ſi ſit conſummata;& difficilius ſoluitur obſtructio, quæ à pituita eſt,quam quæ eſt à bile.

4. Membrana tympani rupta,vel cicatrix ab ea relicta,aut oſſicula luxata non curantur.

5. Surditas in febribus, & vrina abſque ſedimento, in quibus craſſa quædam ſublime petunt, mentis alienationem ſignificant,1.*Prorrhet.comm.*1.*aph.*31.

6. Surditas in acutis & malignis febribus non ſemper malum ſignum eſt, ſed ſæpe bonum; cùm ſcilicet cum bonis ſignis coniuncta eſt, & delirium ac ſymptomata remittunt: id quod ſæpe obſeruaui.Denotat enim materiam è cerebro ad exteriora propelli.

¶ [Hippocrates 4. *aphoriſm.*49.ſcribit;in febre non intermittente,ſi labrum,aut ſupercilium,aut oculus,aut naſus peruertitur, ſi non videt,ſi non audit, imbecillo iam corpore, quicquid horum acciderit, in propinquo iam mors eſt. Et 3.*prorrhet. aph.*35. poſt modicam ſanguinis euacuationem,nigrámque deiectionem, in acutis ſurditas,mala eſt.Et *in Coac. aphor.*190. *ſec. diſtinct. Foëſij*,ſurditas in acutis & turbulentis morbis mala eſt. Contrà Auicenna *lib.*3.*fen.*4.*tr.*1.*c.*3.ſcribit;*Nocumentum præterea auditus quandoque accidit ſecundum ſemitam criſium, & ſecundum ſemitam permutationis materiæ in fine ægritudinum acutarum.*Et ipſe ſæpiſſimè obſeruaui, & cuilibet obſeruare facile eſt, ſi in acutis febribus delirium adeſt, vel imminet, & ſuperuenit ſurditas, ægros conualeſcere. *De ſurditate in febrib. malign.*

De qua controuerſia notandum,eam,ſaltem ſurditatem eſſe bonam, quæ eſt critica, vt clarè Auicenna innuit;id eſt,cùm natura noxios humores & vapores, cerebrum occupantes & delirium excitantes,à cerebro ad aures,vt partes vicinas, minùs tamen nobiles detrudit. Quod cùm accidit,delirium remittit,& æger meliùs habere incipit.Si verò æger obſurdeſcat, & delirium non minuatur,imò ingraueſcat, & alia grauia ſymptomata accedant, malum ſignum eſt. Indicio enim eſt tantam materiæ copiam adeſſe, vt cerebro tota contineri non poſſit,ſed in aures ſeſe diffundat.] *Qua bona ſit*

7. Quibus deiectiones ſunt bilioſæ, ſuperueniente ſurditate ceſſant;& contrà quibus ſurditas adeſt,bi-

lioſorum deiectione finitur, 4. *aphor.* 24. *Eodem libro, aphor.*60. addit, ſurditatem eiuſmodi in febribus ſanguine quoque è naribus fluente ſolui. Materia enim ſurditatem efficiens vel ad aures retrahitur, vel à cerebro ad venas colli, atque hinc ad cauam, & tandem per hepar ad inteſtina deriuatur.

8. Surditas in acutis & turbulentis morbis mala, 1. *Prorrhet.comm.*1.*t.*32.extinctâ ſcilicet per morbi vehementiam audiendi vi, aut humoris praui copiâ cerebrum & aures occupante.

9. Et omnino melius eſt, ſi ſurditas delirium, quàm ſi delirium ſurditatem ſequatur. Melius enim eſt materiã ab internis ad externa, quàm ab externis ad interna conuerti. Et ſi mala ſymptomata, vt vomitus, vigiliæ, & ſimilia ſurditati coniungantur, delirium & morbum periculoſum ſignificant.

10. Surditas per interualla creſcens & decreſcens, vel ab humore tenui & exiguo eſt, qui interdum minuitur, vel à flatulento ſpiritu; quæ ſurditas etiam facilius curatur.

11. Surditas, quæ per idiopathiam aurium genita eſt, difficilius curatur, quàm per ſympathiam.

12. Ex ſurditate manſuetæ parotides exiſtunt, cum aliàs, tum ſi quid faſtidioſi ſuperuenit; ſed & comate ſuperueniente magis fiunt parotides. Hippocrates, *in Coacis*. Itaque ſurditas & coma commune ſignum ſunt deſipientiæ & parotidum. Nam in materia calida & acutiore magis deſipientia, in non ita acuta, & quæ cruda eſt, magis parotides accidunt; vtraque verò proprium ſignum eſt tranſlationis materiæ in caput.

13. Quibus ſurditas adeſt cum capitis grauitate, & hypochondrij tenſione, & oculi ad ſplendorem perturbatione, iis ſanguinis profluuium ſignificat, Hippocrates, *in Coacis*.

### *Indicationes.*

Pro varietate cauſſarum etiam hîc Indicationes & cura variant. Si externus ille aurium meatus obſtructus ſit, impedimentum illud obſtructionem pariens, qualecunque etiam ſit, tollendum. Si ab humoribus vitioſis vel aër congenitus inquinetur, vel aurium meatus obſtruatur, materia excrementitia debito modo euacuanda; niſi poſt criſin ſponte ſuâ cedat. Si facultas læſa ſit ratione nerui auditorij, abſitque obſtructio, cauſſa hanc fouens ac conſeruans auferatur: ſi ratione cerebri, huic legitimâ curatione proſpiciatur.

### *Curatio.*

Cum verò frequentiſſimè ab humore pituitoſo accidat ſurditas, ſi ſanguis ſimul abundet, vena aperiatur. Si verò venæ ſectione opus non ſit, humor mox præparetur & euacuetur iis medicamentis, quæ ſupra, *part.*1. *cap.*10.*de Intemperie capitis cum pituita*, fuerunt propoſita. Et purgatio per interualla repetatur. Et quidem in ſurditate medicamenta purgantia & frequentiora, & fortiora ſint, quàm in graui auditu. Corpore toto euacuato, caput etiam euacuetur apophlegmatiſmis, gargariſmis, errhinis. Idémque exſiccetur ſacculis, lotionibus, & aliis medicamentis, quæ etiam, *ibidem*, fuerunt propoſita. Ad totum corpus euacuandum, & humores, flatus, ac vapores etiam in capite diſcutiendos, valde vtiles ſunt thermæ; & quaſdam peculiari vi grauitati auditus & ſurditati conferre creditur: & inprimis ſulphureæ commendantur, in quibus æger non ſolum lauet, ſed & ſpongia ampla, vel quæ totum caput tegat, capite impoſita aquam thermarum per epiſtomium effluentem embrochæ modo excipiat. Inter particulares capitis euacuationes inprimis vtilia ſunt maſticatoria, quæ non tantum, dum excrementa cerebri euacuant, præſtant, ne materia ad aures fluat, ſed & per foramina in baſi caluariæ auditus organum ſubeuntia expurgatio humorum aures obſtruentium iis fieri poteſt.

Vtilia ſunt & errhina. Sternutatoria tamen hic non vſque adeò tuta ſunt; cum incertum ſit, quò motus humorum ex agitatione illa vehementi concitatus vergere poſſit.

Corpore toto & capite euacuato Topica etiam auribus applicentur & inſtillentur, quæ cum ſupra, *cap.*1. *de Intemperie aurium*, ſint propoſita, ea hîc repetere opus non eſt: vnum atque alterum ſaltem addere liber.

Aqua origani ex ſicca planta cum vino deſtillata commendatur.

Vtilis eſt & hæc Aqua:

℞. *Rad.raphani, porri*, an. Vnc.i. *cyclam.* Vnc.ß. *hellebori albi* Drach.i. *origani* Vnc.ß. *rutæ, maioran.* an. Dra.ii. *flor. lauendul. ſem. fœniculi, cumini, caſtorei*, an. Drach. i. *baccar. lauri* num.xv. *fellis tauri* Vnc.ß. *vini albi* q. ſ.

Macerentur aliquandiu & deſtillentur.

Olea deſtillata vtilia ſunt, rutæ, roriſmarini, maioranæ, ſaluiæ, ſeminis fœniculi, carui, baccarum lauri, caryophyllorum, cinamomi. Eadem medicamenta locum habent, ſi à nuda intemperie ſit auditûs grauitas. Fel etiam animalium vtile eſt, & inprimis perdicum, quod à proprietate prodeſſe dicitur, ſi inprimis cum olei ſuccini parte æquali miſceatur, & in aures immittatur. Crato valde commendat aquam carduibenedicti, cuius ſupra facta eſt mentio.

D. Brunnerus ſequenti Oleo frequenter vſus eſt:

℞. *Ol. porror. nardini*, an. Vnc.i. *caſtorei* Vnc.ß. *ſpir. vini* Vnc.iii. *fellis tauri* Drach.ii. *hellebor.nigri* Dra.ß. *nuc. moſchat. ſalis nitri*, an. Drac.i.

Ebulliant parum, & ad vſum ſeruentur. De quo oleo guttæ iii. auri inſtillentur, auriſque goſſypio maci ſuffumigato obturetur, & ſacculus ex ſale, cymino & milio paratus, vel modò dictus imponatur.

D. Næuius ſequenti Oleo feliciter vſus eſt:

℞ *Fol. rutæ, ſerpilli*, an. P.iii. *origani Cretic.* P.ii. *fellis apri in veſica ſua exſiccati* Scrup. i. *euphorbij* Drach. ß. *hellebor.albi, caſtorei*, an. Drach.i. *lumbric.terreſtr.* Dra.ß. *apum ſiccatarum* Scr.i. *pulp.colocynth.* Dra.ß. *vitriol.præparati* Scrup.i.

Inciſa & contuſa groſſo modo infundantur in *ol. amygd. amarar.* Vnc.iiß. *rutac.* Vnc.i. *aq.vitæ* Vnc.x. *ol. laurini* Drach.iiß.

Stent in loco tepido per 2. vel 3. d. dehinc bulliant ad aquæ conſumptionem; poſtea colentur, & colatura ſeruetur.

Vel ℞. *Rad.raphan.maj.porri, ceparum*, an. Vnc.ii. *cyclamin.* Vnc.i. *hellebor.alb.* Vnc.ß. *fol.origan.rutæ, maioran.* an. Vnc. ß. *flor. anthos, lauendul. ſalu.* an. Drach.ii. *ſem. fœniculi, cymini*, an. Drach. iii. *baccar. lauri* num.xxx.

Contunde omnia groſſo modo, add. *fellis vaccini* Vnc.iß.

Poſtea macerentur in *vini opt.* q.ſ. ac tandem deſtillentur.

Chymici Balſamum ſulph. laudant ſpiritu vini extractum, alij aquam è ligno fraxini deſtillatam.

Capite euacuato clamores etiam & ſoni vehementiores, vt tubarum, vtiles ſunt. Calefaciunt enim meatum auditorium, & reſiduum humorem diſcutiunt, & locis illis impactum elidunt.

Si verò ſurditas, vel auditus grauitas ſit ab vlcere aurium, eius curatio inſtituenda, vt ſupra dictum. Atque hic abſtinendum ab oleis. Nam oleum eſt vlceribus inimicum, & maximè vlceribus aurium.

Si quid in aurem extra immiſſum eam obſtruat, id eximendum, vt in Inſtitut. & ſupra etiam fuit traditum, *l.d.*

Tandem ſi à materia biliosa per febres, abſque inſigni aliqua

aliqua inſtrumenti auditus læſione, auditus grauitas vel ſurditas ortum habeat, ſpóte ferè malum ceſſat, materiâ per aluum euacuatâ, vel per nares effuſâ, vt Galenus, 4.*aphor.*60. habet, vel etiam inſenſibiliter diſcuſsâ. Si tamen malum duret, medicamenta bilem euacuantia adhibeantur, & debita victus ratio: auribus etiam inſtilletur oleum violarum, nymphææ, & ſimilia, ne inflammatio excitetur.

Si verò citra febrem contigerit, bilioſo redundante ſanguine, curatio à phlebotomia inchoanda erit, venâ humerali lateris eiuſdem incisâ; hinc humoris bilioſi præparatio inſtituenda. Poſtea topica admoueantur; vbi vapor ex decoctione herbarum ſequentium per infundibulum in aurem receptus prodeſt:

℞. *Fol. ſalic. lactuc. malu. alth.* an. M. i. *flor. violar. roſar.* an. P. ii. Conciſa coqu.

Vel iniiciantur guttulæ ii. aut iii. ol. lactuc. ex ſemine expreſſi, vel olei ſalicis, nymph. aut violarum; vel lac humanum cum albumine oui permiſtum immittatur. Vel ſequens Iniectio paretur:

℞. *Succi ſedi maior. recent.* Drach. ii. *lact. mulieris* ℥. j. Miſce.

*Regula in aurium curatione obſeruanda.* Concluſionis loco ſaltem aliquot Regulas generales, quæ in omnibus aurium morbis curandis obſeruandæ, proponemus.

1. Medicamenta, quæcunque auribus immittuntur, ſint tepida, non intensè calida vel frigida.

2. Noua medicamenta non imponantur, niſi auris à ſorde præcedentis medicamenti optimè expurgata ſit.

3. Vna vice 3. vel 4. guttas immittere ſufficit.

4. Poſt medicamenti in aurem immiſſionem æger ſuper aure ſana iaceat.

5. Eligantur autem ea, quæ auribus immittuntur, quæ non valde vnctuoſa & viſcoſa ſunt. Talia enim in aures immiſſa, & in aurium anfractus penetrantia, vix iterum rectè extrahi poſſunt; ideóque, quæ formа euaporationis & ſuffumigiorum adhibentur, ſpirituoſa medicamenta & deſtillata, commodiſſima ſunt.

6. Caput tandem in omni ſurditate & difficili auditu diligenter roborandum, cum internis, tum externis medicamentis, ſupra, *part.* 1. propoſitis.

### *Diæta.*

Diæta medicamentis & varietati cauſſarum reſpondeat. Vt ſaltem de grauitate auditus & ſurditate dicamus, quæ ex frigida & humida materia prouenit, quæq; frequentiſſima eſt, ea diæta tunc conuenit, quæ ſupra, *part.* 1. *c.* 10. eſt propoſita. Aër ſit purus, ad ſiccitatem vergens: æger vitet ventos, & præſertim auſtrinos, & aërem frigidum & humidum, atque ab eo aures muniat, abſtineat à cibis, qui craſſos humores gignunt, & vapores multos in caput mittunt, atque inprimis allium & cæpe comeſta auditui nocent.

---

## CAPVT VIII.

### *De Aurium Dolore.*

*Aurium dolor.* INter aurium ſymptomata eſt etiam Aurium dolor, Græcis ὠταλγία, grauiſſimum & perculoſiſſimum malum; cui niſi tempeſtiuè ſuccurratur, in ſymptomata grauiſſima, ac mortem denique hominem præcipitat. Et quidem malum quàm oculorum dolor grauius; cum oculorum dolores in oculis perſiſtant, aurium verò dolores cerebrum in conſenſum trahant, vnde delirium & mors ſequi ſolet.

Cum autem dolor ſit triſtis ſenſatio à ſolutione continui partium ſentientium, membranarum puta, orta: doloris etiam in auribus ſubiectum partes ſunt membranoſæ illæ auris internæ, & neruus auditorius (quatenus ſcilicet membranoſus,) Quamquam autem partes externæ dolore quoque tentari aliquando poſſint: tamen cum dolor ille magnus non ſit, cum de dolore aurium agimus, eum præcipue intelligimus, qui internum meatum, ac membranam & neruum auditorium occupat.

### *Cauſſæ.*

*Cauſſa.* Subiectum, vt modò dictum eſt, vt in aliis corporis partibus, ita & hîc, ſunt membranæ, quæ auris cauitates inueſtiunt, & ſenſu exquiſito ſunt præditæ. Afficitur autem membrana vel in exterioris auris cauitate, & ſæpe affecta grauiſſimos dolores parit, qui etiam attactu externo exacerbantur: vel interiore cauitate poſt tympanum.

Cauſſa quidem proxima eſt ſolutio continui. Verùm oritur illa porrò ab aliis cauſſis. Atque hinc dolor aurium vel fit ab externis rebus immiſſis, vel à vulnere, vel ab intemperie, vel à flatibus, vel ab humoribus calidis & frigidis, vel ab inflammatione.

*An ſola intemperies calida ſit cauſa doloris aurium.* Quod intemperies frigida dolorem excitare queat, extra controuerſiam eſt, & experientia id ſæpe docuit. An verò intemperies ſola calida à cauſſa externa inducta dolorem inducere poſſit, controuerſum eſt. Græci quidem huius cauſſæ mentionem non faciunt; Arabes tamen omnes inter cauſſas externas aurium doloris etiam aëris caliditatem recenſent. Verùm frigida quidem neruis inimica ſunt, non verò ita calida; ac calor externus aëris vix calidior eſt cerebro, ac auris parte interna. Atque ita aer per ſe tantùm alterando vix dolorem aurium excitabit. Pruritum tamen in aure excitare valet. Per accidens verò id facilè præſtare poterit, nimirum affluxum humorum ad aures commouendo; quo ſenſu proculdubio Hippocrates, 3. *aphor.* 2. inter æſtiuos morbos aurium dolorem recenſet. Solentque dolores, qui ab inflammatione oriuntur, in auribus eſſe frequentiſſimi, & grauiſſimi, punctorij, pulſantes & diuellentes, cum magno plerumque ardore; eóſque plerumque febricula comitatur, ſolétque is dolor maximè intendi, cùm inflammatio ad ſuppurationem tendit, & rupto abſceſſu remittere. Solet autem materia illa, quæ aurium dolorem excitat, nunc à toto, vt in criſibus febrium, vel etiam ſine criſi quandoque; nunc à cerebro aut parte alia communicari. Interdum etiam materia maligna eſt, vt in lue Venerea, quæ circa perioſtia hærens cùm diuturnos in aliis capitis partibus, tum etiam aurium dolores excitat.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa diagnoſtica.* Signis ad ipſam affectionem cognoſcendam opus non eſt, cum æger, qualis ſit, ſatis prodat. In infantibus autem ploratus augetur, ſi pars affecta tangatur, & præter conſuetudinem aliquid ex aure effluit, aut, quod effluxit, iam retinetur.

Signis verò, è quibus cauſſarum varietas cognoſcatur, opus eſt. Primò nimirum inquirendum, an aliquid extrà auri immiſſum ſit quod dolorem pariat, quod facilè ex ægri relatione & auris inſpectione & exploratione cognoſcitur. Si etiam vulnus auri inflictum, vel alia externa violentia illi allata ſit; & illud ex ægri relatione patet.

Deinde, ſi ſit ab intemperie nuda, nulla grauitas, nulla tenſio, nullus tumor percipitur; quæ adſunt, ſi intemperies ſit cum materia: quo caſu & auditus magis impeditur. Et ſi intemperies ſit frigida, æger in aëre & vento frigido diu verſatus eſt, quod fit nonnunquam in longis peregrinationibus tempore hyberno, idque ex ægri relatione cognoſcitur, dolórque eſt citra ardorem, calidiſque leuatur.

Si

Si verò nihil tale præcesserit, quod nudam intemperiem inducere potuerit, & caput sit grauius, proculdubio quidem materia adest, aut spiritus turbulentus; quod cognoscitur ex dolore vehementi sine ardore & grauitate, ac tinnitu & strepitu manifesto, & quod dolor non est continuus, sed per interualla quidem vel intermittit, vel nonnihil imminuitur: aut humor frigidus crassus; & tum adest dolor leuior citra ardorem, & signa alia frigiditatis in capite adsunt: aut ex humore bilioso; & dolor est vehemens cum calore mordaci.

Frequentissima autem doloris caussa est tumor calidus seu inflammatio, vt suprà dictum, quæ cognoscitur ex dolore continuo, pulsatili, vehementissimo, & eodem ac rubore ad malas & tempora vsque sese extendente, cum febre, interdum & cum delirio, motibus conuulsiuis, syncope, & extremorum frigiditate. Et prout inflammatio magis tendit ad interiora, eò pulsatio magis percipitur; quoniam arteriæ maiores comprimuntur: dolor quoque est vehementior, ob vicinitatem cerebri, & febris intensior.

Si verò ab vlcere & sanie sit dolor, rupto abscessu pus ex aure effluit, cum doloris aliqua mitigatione, vlcúsque relinquitur, vnde sanies aliqua effluere solet.

Si ex nerui auditorij vitio dolor oriatur, auditus simul læditur, & sæpe vel caput compatitur, vel vnus aut plures ex sensibus internis aut externis.

## *Prognostica.*

Prognostica. 1. Maius periculum est in aurium, quam oculorum affectibus. Nam vitium oculorum intra ipsos subsistit; aurium verò inflammationes doloréſque interdum cerebro communicantur, & hominem ad delirium & mortem deducunt, vt, *de aurium inflammatione, Prognostico* 1. dictum. Ideóque monente Celso, *c.7. lib.6.* mox inter initia succurrendum est, ne maiori periculo locus sit.

2. Et quidem iuuenes in vehementibus aurium doloribus magis periclitantur, & septimo die, aut citius moriuntur; antequam scilicet inflammatio suppuratur: quoniam biliosi humores in hac ætate abundant, & temperamenti constitutio est calida & sicca, quæ febribus acutis & deliriis reddit magis obnoxios.

3. Senes verò in vehementibus aurium doloribus minus periclitantur; quia ob temperamenti frigiditatem, & pituitæ copiam, febribus acutis & deliriis ita facilè non corripiuntur, & proinde aures ipsorum facilius suppurantur. Recidiuæ tamen periculum magis sustinent, cum ob temperamenti frigiditatem materia dolorem aurium patiens exactè concoqui non possit, 3. *Prognost. aphor.* 14. & , 1. *aphor.* 14. Quia etiam sensus tactus in senibus est obtusior, ideo facilius dolores illos tolerant.

4. Si dolor aurium vehemens sit, & in profundo hæreat, mortis periculum est; quoniam neruus auditorius ipse etiam est affectus. Aut si malum sanetur, noxa tamen quædam in sensu auditus relinquitur.

5. In doloribus aurium hypostrophæ interimunt, aut valde sunt periculosæ. Materiam enim non integrè coctam, nec partem affectam restitutam esse significant. Itaque malignior redditur materia, &, ægro magis debilitato, mortis periculum metuendum est.

## *Indicationes.*

Curatio. Commodissima quidem dolorem aurium, vt & alios dolores, curandi via est, si caussa, à qua pendet, tollatur. Verùm quia is sæpe ita vrget, vt, nisi tollatur vel mitigetur, ægro periculum minetur, dolor tum mitigationem indicat.

Primò ergo si dolor sit à rebus externis immissis, qua ratione illæ tollendæ sint, iam antea dictum.

Sicut etiam antea explicatum, quomodo intemperies cum & sine materia curanda sit.

Si à spiritu flatulento sit dolor, cùm flatus præsupponat materiã, à qua attollitur, ea primò, siue sit calida, aut frigida, expurganda, deinde topica, quæ flatum illum discutiant, vsurpanda.

Frequentissima verò doloris caussa est inflammatio: sed qua ratione & illa curanda sit (antea quoque dictum.

Dolorem verò ipsum quod attinet, tollitur ille cum anodynis, tum, si opus sit, narcoticis seu stupefacientibus. Conuenit igitur oleum calens amygdalar. dulcium, liliorum alborum, aut rosaceum siue solum, siue cum lacte muliebri aut oui albumine mistum; quæ cum specillo molli lana inuoluto tepidè in aurem immittantur. Serosus item cruor, qui ex carnibus bubulis, dum assantur, destillat, tepidè infusus vtilis est. Item ol. rosʃ. cum succo rorismarin. vt & mucilago semin. psyllij, fœnigræci. Nonnulli folia tabaci viridia, aut saltem aqua propria vel aqua rutæ humectata auribus applicant, & sæpius renouant. Commendatur & oleum scarabæorum, quod paratur, scarabæos num. iii. iniiciendo in olei rosar. Vnc. iii. & coqu. ac colando.

In vehementiore dolore succus portulacæ, lactucæ, hyoscyami, coriandri vtilis est. Vbi denique acerbissimus dolor vrget, vt syncopes & mortis periculum immineat, stupefacientibus semel atque iterum vti licet.

Vt ℞. *Opij* gr. iii. *castorei, croci*, an gr. iß.

Cum lacte muliebri, vel albumine oui, vel sapa aut vino tepidè instillentur. Solum opium vix conuenit, vtpote cuius vsu quendam vocem & sensum amisisse, refert Trallianus, *lib.3. c.2.* propterea quod cerebrum neruo auditorio affecto proximum est. Oleum etiam è ligno coryli acerbissimos aurium dolores subitò sanat.

Si reliqua omnia non prosint, necessarium est, vt ægro sub somni horam exhibeatur Philonij Persici ℈. ß. vel Scr. i. vel laudani opiati gr. iij.

Foris imponantur quæ dolorem leniunt, & materiam impactam concoquunt & resoluunt; quo in genere butyrum alia superat, in mollibus præcipuè corporibus.

Aut ℞. *Lenticulæ palustris* M. ii. *medullæ panis in lacte muliebri infusæ* Vn. iii.

Contusa applicentur formâ Emplastri. Fortius est paratum ex oleo dulci calente, adipe anserino, oleo amygdalarum dulcium, chamæmelino, lacte muliebri.

Aut ℞. *Fol. maluæ vtriusque, violariæ, lactucæ, salicis*, an. M. i. *sem. cydonior. maluæ*, an. Drach. ii. *flor. chamameli, meliloti, rosarum rubrarum*, an. P. ii. Fiat Decoctio, qua auris affecta tepidè lentéque foueatur.

Vtile est & hoc:

℞. *Ol. rosar. nymph.* an. Vnc. ß. *succi papauer. solani*, an. Drach. ij.

Mista ponantur circa aurem; aliquid etiam immittatur. Addita farina hordei vel tritici, & puluere florum chamæmeli cum butyro recenti, Fiat emplastrum ad eundem vsum.

In applicatione remediorum monet Galenus, 3. *de comp. medicament. secundum loca*, vbi dolor valde vrget, aurem non tangendam esse, id est, neque manu, neque vllo instrumento durius tractandam. Augetur enim hoc modo dolor, & malum redditur deterius. Quapropter quæ extra applicantur, aurem non grauent, & leniter applicentur, & quæ instillantur, blandè instillentur.

## CAPVT IX.

### *De Excrementis præter naturam, & Fluxu aurium.*

TAndem vt etiam aliquid de symptomatis in Excretis dicamus, habent equidem aures sua naturalia excrementa, sed ea pauca. Accidit verò sæpe, vt præter naturam multa ex auribus excernantur. Primò enim

post inflammationes aurium, abſceſſu rupto, pus & ſanies ex auribus effluit. Deinde idem accidit in vlceribus aurium.

Interdum quoque ſanguis ex auribus effluit; quod accidit non ſolùm in capitis percuſſione, caſu ab alto, & ſimilibus cauſſis violentis, quæ venas in auribus rumpere poſſunt, ſed & criſis modo: ſicut Platerus obſeruauit, cuidam, qui frequenter narium hæmorrhagia infeſtabatur, non ſolùm è naribus, ſed & auribus ſanguinem largiter effluxiſſe; quod ex ἀναστομώσει venarum in auribus factum. Quandoque aquoſus humor, aut ſaniei aliquid ſimile ex auribus effluit, nunc tenuius, nunc craſſius. Obſeruauitque Platerus, è cuiuſdam puellæ aure menſuras aliquot aquoſi humoris diu per vices citra vllam aliam læſionem profluxiſſe. Atque eum fluxum ex cerebro fieri non poſſe exiſtimat Platerus, Cum enim nulla alia via ſit è cerebro, quàm per foramen neruo auditorio paratum, neque ſaluo tympano, ſi humor in interiorem auris cauitatem primò effunderetur, ex aure effluere poſſet: id in hoc fluxu locum non habere putat; cum fiat citra auditus læſionem. Ideóque hunc humorem è venis meatum externum implicantibus fluere ſtatuit.

Verum per quamcunque etiam viam ſanies illa effluat, certum eſt, vt ſuprà, *cap.* 3. dictum, è cerebro etiam humido & impuro, ac vicinis partibus, ſordidam eiuſmodi illuuiem ad aures deriuari, quæ ſæpe tanta copia effluit, vt facilè colligi poſſit, in ſola aure eam non fuiſſe collectam. Refertque Schenckius è Mar. San. Barolitano, Venetiis quendam eiuſmodi auris fluxu intempeſtiuè ſuppreſſo repentè mortuum eſſe.

Tandem & vermes aliquando in aurium ſordidis vlceribus generari atque inde emergere obſeruatum.

*Curatio.*

Curatio. Qua ratione autem inflammatio, item vlcera aurium curari debeant, vt & vermes ex auribus tolli, ſuprà dictum eſt. Si verò natura aliquid humoris vitioſi per aures excernere tentat, ſolet is fluxus ferè ætatis progreſſu, & corpore iam ſicciore reddito, ſponte ſedari. Si verò etiam ad annos pubertatis protrahatur, danda opera, vt ſiſtatur; quod fit corpore prius, & capite diligenter purgato, & ſudoriferis etiam exhibitis, & veſicatoriis applicatis, ac fonticulis, ſi opus, excitatis, per medicamenta caput & aures ſiccantia cum interna tum externa iam antea propoſita. In quem finem adhiberi poteſt vinum, in quo alumen, gallæ, & balauſtia cocta, item ſuccus virgæ paſtoris, ariſtolochia, ſpiritus ex vrina puerorum.

Si ſanguis ex aure fluat per criſin, fluxus is, niſi ſuperfluus ſit, non compeſcendus. Si verò ex alia cauſſa, vt externa violentia, fluxus ille ſit, interdum periculo non vacat; ideóque ſiſtendus: quod fit, ſi opus ſit, venæ ſectione in contraria parte præmiſſa, adſtringentibus & roborantibus frigidis applicatis; qualia ſunt, ſuccus plantaginis, virgæ paſtoris, decoctum rubi, malorum prunorum, roſarum, maſtiche.

Vel ℞. *Acaciæ, hypociſtidis, balauſtiorum, roſarum, ſumach, maſtiches, thuris,* an. Drach. j.
Coq. in vino vel aceto, & Colatura vſurpetur. Auicennas coagulum leporis cum aceto commendat.

# LIBRI PRIMI PARTIS III.
## SECTIO IV.
## De Narium affectibus.

### CAPVT I.
### *De Narium vlceribus & Ozænis.*

Poſt morbos & ſymptomata, quæ circa auditum & eius organa contingunt, proximum eſt, vt ad olfactus organum accedamus, &, quibus morbis illud obnoxium ſit, quæque inde oriantur ſymptomata, videamus. *Narium vſus.*

Odoratus organum nares eſſe, extra controuerſiam eſt: etſi quæ in iis pars primarium olfactus organum ſit, controuerſum ſit, vt in Inſtitut. dictum. Naribus tamen, vt in aliis etiam partibus fieri conſueuit, natura ſimul ad alios fines & commoditates vtitur, & ita narium plures vſus ſunt.

Primarius & præcipuus narium vſus eſt, vt dictum, odores cauitate ſua excipere, & iis ad præcipuum olfactus organum tranſitum concedere. Secundus vſus eſt, vt aëri, qui ad cerebrum & pulmones tranſire debet, aditus permittatur, quo modo ad perſpirationem nares neceſſariæ ſunt. Tertiò ad ſermonem rectè formandum faciunt, dum per ipſas aër ad ſermonis formationem neceſſarius ſenſim expellitur, vt ex ſermonis læſione patet, in iis, quibus nares obſtructæ ſeu eroſæ ſunt. Quartò natura hac via etiam ad ſuperfluitates & excrementa cerebri expellenda, & quandoque etiam ad hæmorrhagias criticas abutitur.

Vnâ ergo operâ de narium morbis & ſymptomatibus, quæ & in olfactu, & aliàs circa nares accidunt, dicemus; nimirum de Vlceribus narium & Ozænis, de Cancro narium, de Proceſſuum mamillarium defectu, de Polypo, de Narium obſtructionibus, de Rebus in nares immiſſis extrahendis, de læſo olfactu, de Narium graueolentia, de Sternutatione nimia, de Hæmorrhagia narium, de Coryza.

Et primò narium Vlcera quod attinet, habent ea plures differentias. Alia enim à cauſſis oriuntur externis, videlicet à vaporibus vel humoribus acribus aut maligniſ, ſiue ij ab inferioribus partibus ad nares ſurſum efferantur, vt in lue fit Venereâ; ſiue à cerebro, aut à toto corpore eò expellantur. A pituita etiam ſalſa in catarrhis nonnunquam vlcuſcula narium excitantur, quæ ſponte ſua facilè ſanantur. Poſtea vlcera in ſe conſiderata alia recentia ſunt, alia vetuſta: atque hæc etiam vel cruſtoſa ſine ſanie, vel ſordida, vel putrida ac virulenta, vel corroſiua, vel fiſtuloſa, vel cancroſa. Paulus & γλυκέα, id eſt, dulcia quædam vlcera nominat, fortaſſis ab humore benigno, & non ita erodente, quorum curationem etiam Auicennas tradit. Denique quod ad partem affectam, alia externa ſunt & oculis expoſita; alia interna, in intima narium parte, vel in oſſe ethmoide, vel in proceſſibus cerebri, qui neruis colore & figura ſimiles organum olfactus ſtatuuntur. *Narium vlcera.*

Signis verò diſcernenda ſunt narium vlcera cum inter ſe, tum ab aliis narium affectibus. Recentia enim vlcera ſæpe nec dolore nec acrimoniâ ſeſe produnt. Nares tamen frequenter ichore ſanguineo madent, aut cruſta ſicca & nigra emungitur. Dum cruſtula diutius hæret, perpetuo ſub ea aliquid exeditur, quod vlcus maius efficit. Vetuſtius & putridum vlcus, quod Ozæna vocatur Græcis, fœtorem de ſe emittit, ita vt *Signa vlcer. narium.*

vt æger cum sibi, tum aliis tetri spiritus vapore molestus sit. Si diutius duret, paulatim serpit longius, & vel alas narium, vel earum interstitium, vel tenella ossa exedit, paulatimque perforat, maximè si vel cancri speciem habeat, vel à lue Venerea contractum sit. Nam humor prauus & malignus veneni instar carnem & ossa corrumpit, ac sæpe ista prius, quam carnem. Tenuitate vero sua carnem, quæ rara est, & foraminibus quasi pertusa, facilè transit, sine insigni primum offensione; os verò, quod densitate sua magis resistit, aggreditur, atque in eo hærens erosionem efficit. Recentibus vlceribus, non adeo prauis aut malignis, neglectis, caro plerumq; enascitur, quę σάρκωμα narium appellatur. Caro illa aut mollis est, alba, & doloris expers, aut rubra, aut denique liuida cum dolore, quæ in cancrum degenerat. Si in eam longitudinem excrescit, vt vel è nare foras propendeat, vel per palati foramina in fauces illabatur, Polypus dicitur; de quo postea.

Ozæna. Iam vt speciatim de Ozæna dicamus, vlcus illud est narium putridum & graueolens, sicut & nomen ἀπὸ τῷ ὄζειν accepit.

Caussa proxima acris est humor, simul & putridus. Nam, vt Galenus inquit, in 3. *de s.m. f. cap.* 3. si humor saltem acris esset, ægrè curabilia vlcera produceret, non graueolentia. Caussa antecedens est cerebri intemperies humores ejusmodi coaceruans, aut venarum in toto corpore intemperies talis, quæ capiti communicatur. Interdum occulta viscerum & venarum est malignitas, vt in lue Gallica. Suffumigia etiam è ♀io & cinnabrio incaute adhibita, vlcera narium & ozænas excitare possunt; cujus rei quatuor historias recenset Guilhelm. Fabricius, *Cent.* 2. *obs.* 23.

### *Signa Diagnostica.*

Vlcera externa oculis conspiciuntur; interna & occulta ex effluente sanie & crustis decedentibus cognoscuntur.

Munda, ex laudabili sanie; sordida, ex crassiore; putrida, ex fœtore; corrodentia, ex sanguinis cum saniei effluxu; cancrosa, ex cancri signis cognoscere licet. Si processus ipsi cerebri affecti sint, olfactus impeditur.

Ozæna in specie cognoscitur ex tetro odore ex putredine contracto, qui & ipsi ægro & astantibus molestus est. Olfactus etiam sæpe læditur, instrumento olfactus malè affecto à vapore, quem sanies putrida de se emittit. Et si malum sit diuturnius, & cartilago narium inter sepimentum erodatur, narium figura vitiatur.

Læditur & respiratio, quia ab vlceris crusta nares obstruuntur: interdum etiam narium figura distorquetur. Vitiatur & vox quandoque, eadem de caussa, & malum palato communicatur, sub quo tanquam sub testudine fit vocis reflexio. Interdum & narium hæmorrhagia conjungitur, vasis narium ab vlcere erosis.

### *Prognostica.*

1. Narium vlcera omnia curatu difficilia, & plerumque cacoethe sunt; ob humiditates & excrementa cerebri ad partem hanc defluentia.

2. Vlcera narium suspecta sunt, propter symptomata, quæ secum afferunt, quæ modò recensuimus.

3. Etsi narium vlcera externa, superficialia, recentia, munda, facilius curantur: occulta tamen, profunda, antiqua, immunda, crustosa, fistulosa, ossibus narium, & ὑδατώδει inprimis, communicata, difficulter; putrida, corrodentia, cancrosa, periculosa plerumque existunt.

4. Vlcera & ozænæ narium, si omnibus rectè administratis non curentur, pro desperatis habentur: quia suspicio est, ne talia in cancrum degenerent, quem satius est, non attingere.

5. Si ozænæ contumaciter pro ratione resistunt,



odoratum extinguunt vlcere ampliato, & fœtore contagiosæ putredinis ad cerebrum serpente.

### *Indicationes & Curatio.*

Quæ alia vlcera indicationes suppeditant, eædem in narium vlceribus obseruandæ. Propterea primò totius corporis ratio habenda, & humores superflui venæ sectione, cucurbitulis, vel purgatione euacuandi, & à capite omnibus modis auertendi, caputque ipsum, quod fons est fluxionis exsiccandum & roborandum. Postea ad partem ipsam affectam accedendum, vlcusque detergendum, exsiccandum, & consolidandum. Estque obseruandum, quod semper ozænæ desiccandæ sunt medicamentis mixta facultate præditis, repellentibus, seu adstringentibus & discutientibus. Etsi enim vlcera illa ab humoribus excitentur acribus, qui potentiâ sicci sunt: tamen actu iidem sunt humidi; quam humiditatem tolli oportet. Curatio.

Caput itaque, vt Celsus docet, *lib.* 6. *c.* 8. vsque ad cutem tondeatur, assiduéque fricetur. Deinde imponatur oleum myrtinum, puluis coralliorum & santalorum, rosarum rubrarum siccar. mastich. manna thuris cum aceto penetrationis caussa. Imponantur etiam alia medicamenta ad exsiccandum humidum caput suprà, *parte* 1. proposita. Alexander Trallianus *lib.* 3. *cap.* 8. hoc vtitur:

℞. *Myrrhæ, thuris*, an. Drach. ii. *cochlear. integrar.* num. v. addita s. q. ceræ & albumine ouorum duorum cum linteo capiti inducantur, diebus nouem continuis.

Vel ℞. *Limacum* num. vij. *crustæ panis siliginei tostæ* Vnc. i. Contundantur, & admisceatur *puluis balaustior. rosar. rubr.* an. Drach. sem. *gummi sandarach.* Drach. j. *thuris, mastiches*, an. Drach. ij. *album. ouor.* num. ii. Contundantur, & F. s. a. Cataplasma.

Ad partem affectam postea, hoc est, nares ipsas quod attinet, interdum crusta ozænæ prius auferenda est; quod fit aliquo pingui, vt anserino adipe, vel butyro recenti illito, loto prius aliquoties cum aqua rosarum, vel decocto plantaginis. Celsus mel cum exiguo resinæ aut terebinthinæ in nares iniicit, & spiritu succum attrahere jubet, donec in ore gustus ejus sentiatur. Ita enim crustæ resoluuntur, quæ per sternutationem eiici debent.

Crustâ remotâ vlcus dimouetur eluendo cum saccharata aqua, aut cum vino albo, vel vino, in quo mel incoctum sit, vel vino decoctionis verbenæ aut agrimoniæ cum melle. Illinantur postea, vel inspergantur in nares, quæ adstringendo & desiccando glutinant. Ita Celsus puris vlceribus primò vaporem aquæ calidæ subjicit; deinde adhibet lyeium vino dilutum, vel menthæ aut marrubij succum, vel omphacium, horum cuiuis mel adjiciendo; eáque cum linimento oblongo in nares immittit, per hyemem & ver bis quotidie, per æstatem & autumnum ter. Corpora mollia & delicata, quæ à medicamentorum acrium vsu facilè offenduntur, rosis aridis contusis & linteis sanantur. In diuitibus in curatione ozænarum Galenus, 3. *de compos. med. secund. loc.* hedychroum in vino generoso solutum adhibet. Galenus calaminthæ succum naribus infundit, vel tritam herbam inflat; aut malorum punicorum succum in vase æneo vsque ad medietatem coctum indit.

Vel ℞. *Hordei non excortic.* M. j. *fol. lapath.* M. ii. *aq.* q. s. F. Decoctum, quo crustæ detergantur. Ablatis crustis

℞. *Succum granatorum*, & misc. cum melle. Deinde add. *boli Armeni, C. C. vsti præpar.* an. Drach. i. *cortic. granator.* Drach. sem. Misce.

Vel ℞. *Cortic granator. nucum cupressi*, an. Vnc. sem. *fol. scabios.* M. j. Coqu. in aqu. ℔. j. Colaturæ adde *mellis despumati* Vnc. i. sem.

Postea vsurpetur Vnguentum de tutia.

Vtilis est & aqua aluminis destillata, & aqua plan-

taginis, in qua aliquid de ☿io dulci diſſolutum ſit. Prodeſt etiam medicamentum ex ceruſſa, thure, cadmiâ, & ſcillæ interiore parte confectum, ſi hæc omnia cum melle miſceantur, & cum ſpecillo lana inuoluto vlceribus, remotâ jam cruſta, admoueantur, & linimentum deinum hiſce remediis impletum in nares indatur quotidie bis aut ter.

Sequens etiam ſiccandi & conſolidandi vi præditum eſt:

℞. *Flor.roſar.rubr.* p.ii.*balauſtior,* Drach.ſem.*rad.tormentill.* Drach. i. ſem. *fol. plantagin.* p.iii.Coq.in *aqu. communi* pro Vnc.iii. in quibus colatis diſſolu. *mell.roſat.col.* Vnc.ſem.*omphacij* Drach.vi.Miſc.

Sumatur ſpecillum, ejúſque cuſpis lana goſſypina obuoluatur,& in hunc liquorem intingatur,inunctum vlceri immittatur,quod bis vel ter in die repetendum. Deinde hoc Vnguentum illinatur;

℞. *Aloës*, *myrrha*,an.Drach.ſem.*gallar.*Scrup.j. *lithargyri,ceruſſæ*, Drach.i.ſem.*plumbi vſti & loti* Scrup. ii.Cum *olei roſac.*q.ſ.F.Vnguentum.

Fortius erit,ſi aliquid aluminis adijciatur. Rondeletius ad exſiccandum vtitur candela ex cera rubra confectâ, cujus accenſæ fuliginem naribus excipere jubet. Ita enim profundæ etiam partes exſiccantur. Idem & hoc habet:

℞. *Ladani puri*, *hypocyſtidis*, *maſtich. myrrha*, an Drach.ij.*ſtyrac. rubr.* & *calamith. cortic. thuris, ſandaracha, auripigmenti rubr.*an.Drach.ij.Excipiantur cum terebinthina,& Fiant Trochiſci, è quibus ſuffitus fiant in cucubitula manè & veſperi.

Vel ℞. *Gummi ſandarachæ,myrrh.*an.Drach.ſem,*olibani,maſtich.*an,Drach.i.ſem.*ladani* Drach ſem.

C.ſ.q.*terebinthina* F,ſ.a. Trochiſci. Poſſunt.& ex his trochiſcis cum cera rubra candelæ parari, & fumus ex illis ſuccenſis in loco anguſtiore collectus excipi.

Efficax inprimis eſt Aqua viridis, à Platero, de curatione oris doloris, deſcripta, quæ hoc modo paratur:

℞. *Æruginis æris* Drach.i.*auripigmenti* Drach.j. Terantur ſubtiliſſimè, & coquantur in *vini* Vnc.iij. ad conſumptionem mediæ partis:vbi refrixerint, adde *aquæ,roſarum.ſolani*,an.Vnc.i.ſem.

*Aqua ad vlcera narium & oris.* Efficax eſt & hæc Aqua,quæ non ſolum in ozænis, ſed omnibus narium & oris fœtidis vlceribus vtilis eſt:

℞. *Mellis roſacei* Vnc.ij.*ſulphuris viui, aluminis crudi*, an.Vnc.i,*albi Græci*, *ſummitat.ſabinæ*, an.Vnc.ſem. *ſpongiar.ſambuci* Drach.j.*fol.hyperici*, *rutæ,roriſmarini, plantaginis,ſaluiæ,pulegij*,an.M.ſem.

Coquantur omnia in vini & aquæ ℔.ij. ad conſumptionem digiti tranſuerſi, ſub finem add.*æruginis æris* Vnc. j.

Et relinquantur, donec refrixerint, poſtea colentur & ſeruentur vſui,

Tempore vſus in cochleari calefiant, & penicillo aqua madido locus exulceratus illinatur,vel lana mollis,aut linteum ea madidum,naribus immittatur. Vide Guilielm.Fabricium,*loc.allegat.*

*Vlceris corroſiui curatio.* Si ſuſpicio ſit inflammationis,vſurpetur vnguentum de ceruſſa, cum melle,aut cum adſtringente aliquo oleo,vt myrtino vel omphacino.

Si corroſiuum ſit vlcus, validiora pro abſterſione vſurpentur,ne profundius depaſcatur, vt aqua marina, muria,aqua nitri,acetum ſalitum,vinum ſalitum, ligni Guajaci decoctum, in quibus parum vnguenti Ægyptiaci diſſolui poteſt. In vlcere antiquo valet hoc Aëtij:

℞. *Lithargyri,ceruſſæ*,an.Drach.iii.*plumbi vſti & loti* Drach.ii.*myrrhæ,aloës*,an.Drach.j.*gallarum* Drach.ß.

Vino & oleo myrtino dilutis vtere,quod ad ſedis rimas & vlcera vtile eſt.

Fortiter exſiccat & conglutinat hoc medicamentū:

℞. *Putamin.interior.mali Punici* Vnc.j.*thuris, myrrhæ*, an.Drach.j. *tragacanthæ* Scrup.ii.*gallar,oſſium dactylorum,myrobalanorum*, *Perſicorum*, *omnium vſtorum*, an.Scrup.ii.*chalcanti* Drach.ſem.

Trita omnia ſubigantur in mortario fortiter tundendo, addendóque mellis & vini odorati q. ſ. donec Linimenti formam acquirant.

*Doloris cum vlceribus narium.* Si dolor vlceribus narium conjungitur,

℞. *Olei roſar.myrtini*,an.Drach.ſem.*plumbi vſti*, *lithargyri*, an.Scrup.i.*ceruſſæ*,*boli Armeni*, *balauſtiorum*, an.Scrup.ſem.*ceræ albæ* q.ſ.F.Vnguentum.

In contumaciore malo corpus vſu decoctionis ligni Guajaci præparetur & mundetur.

### *Diæta.*

In victu vitentur omnia, quæ acres & bilioſos ſuccos gignunt, cauſſæ item omnes calefacientes corpus & exſiccantes,vt exercitia immoderata, vigiliæ, animi affectus. Hiſtoriam Ozænæ grauiſſimæ cum oſſis palati eroſione feliciter curatæ vide apud Guil. Fabricium,*Cent,2,obſeru.22.*

## CAPVT II.

### *De Cancro narium.*

*Cancer narium.* Vlcera narium quandoque in cancrum degenerant;vt& polypus,ſi non rectè curatur.

Cognoſcitur ex ſignis cancri aliàs notis;caro eſt calloſa,ſicca,malúmque ad palatum vſque ſerpit,

Morbus hic in naribus vix curabilis eſt, ſed præmiſſis vniuerſalibus,& bile atra euacuata, mitigantia ſaltem requirit. Adhibenda ergo oleum roſaceum modico camphoræ addito, ſolani ſuccus. Antiqui dracuntij ſemen tritum cum melle immittebant, vel hanc Mixturam:

℞. *Minij*, *chalcitidis*, *ſandarachæ*, an.P.i.*atramenti ſutorij* P.ii.

Vtile eſt & hoc Medicamentum;

℞. *Succi ſolani* Vnc.iiii. *pompholyg.* Drach.i. *ceruſſæ lotæ aq.roſar.& iterum exſiccat.*Drach.ß.

M. pauco oleo roſaceo adiecto, & cera alba liquata, in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo. Chymici, vt ad aliarum partium, ita etiam ad narium cancrum, commendant Liquorem Arſenici,qui ita paratur:

℞. *Arſenici albi,nitri puri*,an.q.v.

Fluant ſimul in tigillo in igne circulari poſito, cauendo fumum: (ideóque ſub dio ventum obſeruando commodiſſimè fit hæc operatio) vbi refrixerint,tantundem nitri iterum addatur,idque bis vel ter repetatur.

Arſenicum hoc modo fixum in humido loco reſoluitur in liquorem. Huius pauxillum, vt guſtu ſaltem ſapor parum percipiatur, in aqua plantaginis diſſoluatur,quâ cancer oblinatur.

Aliquando proceſſus mamillares deſunt;de quo poſtea,*cap.6.*

## CAPVT III.

### *De Polypo & Sarcomate.*

*Polypus.* Sicut Ozæna vlcus eſt narium,ita Polypus tumor quidam & excreſcentia cancroſa eſt in naribus. Nomen,vt Galenus,*2.meth.med.*docet,accepit,ſicut & alij nonnulli morbi, à ſimilitudine rei alicujus externæ, à carne ſcil Polypi, quam ſubſtantiæ ſuæ proprietate refert; vt idem explicat, *3.de compoſ.medic.ſec.loc.cap.3.* Etenim mollis & lubrica hæc caro eſt colo:émque, vt piſcis ille,alium atque alium habet, pro natura humorum,è quibus gignitur. Et, quod Paulus addit, *lib.6, cap.25.* ſicut Polypus ſcirrhis vel pedibus ſuis venatorum manus prehendit : ita hæc excreſcentia radice,

tanquam

tanquam pediculo vno, vel pluribus, sese ita in naribus affigit, vt ægro & respirationis & loquelæ vsum expeditum adimat. Nasi enim interna tunica ita humore repletur, vt enata hinc caro à tenui pediculo suspensa in latum & crassum sese extendat, & speciem hanc Polypi ventre amplo, rotundo & oblongo repræsentet. Arabibus Hæmorrhois est narium, à similitudine excrescentiarum in ano, quas figurâ nonnihil imitatur. Eleganter Polypum sic Celsus descripsit, *lib.6.cap.8. Est caruncula* inquit, *modo alba, modò sub rubra, quæ narium ossi inhæret, & modò ad labra pendens narem implet, modò retrò per foramen id, quo spiritus à naribus ad fauces descendit, adeò increscit, vt post vuam conspici possit, strangulátque hominem, maximè Austro aut Euro flante, feréque mollis est, rarò dura; eoque magis spiritum impedit & nares dilatat, quæ ferè χαρκινώδης est, itaque attingi non debet. Illud vlceris genus ferè quidem ferro curatur, interdum tamen medicamentis inarescit.* Hæc Celsus. Breuiter; Polypus est caruncula mollis in naribus orta, ex radicibus quibusdam tenuibus pendens, & in latum se pandens, & nunc è naribus propendens, vel eas certè implens, nunc etiam in palatum descendens.

*Polypi descriptio.*

*Sarcoma.*

Cæterum differt à Polypo sarcoma, vt genus à specie; figurâ item & magnitudine. Nam sarcoma rudis quædam carnis massa est, certâ figurâ carens, & sæpe in magnam molem excrescit. Etiam carne à Polypo distat; quoniam durior est, & dolorem infert, ac nigrescit aut liuescit, ac venas circumquaque crasso sanguine turgidas habet, ac plerumque intus prope viciniam narium & palatum nascitur.

## *Caussa.*

Caussa Polypi est humor crassus & viscidus, qualis est pituita sanguinis portioni permista, è cerebro defluens; quæ cùm acris non sit, etiam non exulcerat. Rarius ex humore melancholico oritur, qui Polypus etiam facilius in cancrum degenerat. Quod verò ex narium nutrimento superfluo in carnem quasi luxuriantem commutato producitur, Sarcoma potius, quàm Polypus, vocatur.

## *Differentiæ.*

Differentia Polypi à duritie vel mollitie, à nigredine, à figura & colore, à radicis tenuitate aut crassitie, à situ in naribus, à prauitate ad cancrum tendente sumitur.

## *Prognostica.*

1. Polypus, si mollis fuerit & albus, & doloris expers, facilius curationem admittit; subrubeus difficilius. Qui autem fuscus vel liuidus est, curationem penè respuit; præsertim si simul liuidus & fœtidus sit: quoniam cancro est cognatus.

2. Quantò profundius hæret Polypus, tantò est periculosior; quia propinquior est cerebro, & tractationi ac medicamentis minus aptus. Qui verò oculis cernitur, & foris nonnihil existit, facilius tractari & curari potest.

3. Polypus ex humore melancholico in corporibus melancholicis προφυλακὴν magis, ne in cancrum abeat, quam θεράπευσιν desiderat. Hippocrates, 6. *aphor.* 32. Ideo Celsus quoque illum attingi vetat.

4. Polypus inueteratus, qui cancrosi nihil habet, chirurgiam admittit. Ita Celsus hunc ferro ferè curari ait; interdum vsu medicamentorum inarescere.

## *Indicationes & Curatio.*

Vniuersalis corporis euacuatio, vt in omnibus affectibus capitis, ita & hîc præmittenda, quæ cum sæpius proposita sit, nihil de ea hîc amplius addimus. Hinc caput roboretur & exsiccetur admoto cataplasmate ex cochleis, & aliis formulis supra enumeratis, frontalique aliquo epithemate adstringente ad intercipiendam fluxionem applicato. Cucuphæ etiam parentur ex saluia, maiorana, meliss. lauend. betonica, stœchade, nuc. moschat. caryophyll. maci, ligno aloës, thure, mastich. & aliis iam sæpius declaratis. Quod verò particularem Polypi curationem attinet, caro illa præter naturam in naribus genita tollenda & eradicanda. Quod fit vel ferro, vel medicamentis. Et quidem si Polypus ita naribus inhæreat, tenui scil. pediculo, vt commodè eius sectio fieri queat, statim à radice ferro exscindatur, fronti & temporibus defensiuo prius applicato, vlcusque, vt pars est, curetur; de quibus videatur Ægineta, *lib.6. cap.* 35. Si quid post sectionem remanserit, id medicamentis acutis & escharoticis, vel ferro etiam candente auferetur. Quidam narem discindunt, vt fit in equis, atque ita Polypum ferro resecant, aut cauterio absumunt. Sed tutius est, si fieri omnino possit, Polypum ligare circa radicem filo serico bene cerato, aut pilo caudæ equinæ. Ita enim inter septem aut decem dies sine omni negotio excidit, nutrimento destitutus.

*Curatio per chirurgiam.*

Verum etsi radix Polypi loco penitiori hæreat, vt scalpello eximi non possit alio tamen modo per chirurgiam curari potest, quam semel atque iterum feliciter tentaui. Forceps scilicet paretur instar rostri gruini vel anserini Chirurgicis dicti, sed extrema parte acutus, ita tamen, vt in se coire & claudi possit, vt sine læsione in nares immitti queat. Hic forceps clausus in narem vsque ad polypum detrudatur, hinc aperiatur, & eo, quantum fieri potest, de polypo prehendatur & abscindatur, ac postea medicamentum aliquod adstringens & exsiccans, qualia postea proponentur, naribus indatur. Sequenti die iterum abscindatur, iterúmque medicamentum naribus immittatur, & ita pergatur, donec polypus totus abscissus & absumptus sit.

Si verò abscissio fieri non possit, eò quod latiori basi naribus inhæreat, medicamentis curatio eius tentanda. Sint autem illa duplicia: alia mitiora, quæ partim adstringunt, partim extenuant & incidunt; partim exsiccant & discutiunt: alia erodentia & ἐσχαρωτικά. Quæ per pharmaca mitia fit polypi curatio, in mollibus præsertim corporibus, scopos habet ipsum attenuandi, incidendi, exsiccandi. Corpore itaque & capite purgato, caput tondeatur & exsiccetur, roboretúrque, vt in ozæna, & supra, *part.* 1. dictum.

*Per medicamenta.*

Topica, quæ naribus immittuntur, partim attenuent, partim discutiant, & exsiccent. Galenus itaque, 3. *de comp. med. sec. loc.* quod & Aëtius, *tetrab. s.* 2. *cap.* 29. repetit, ex malis Punicis trium generum confectum medicamentum vsurpat, è quibus recentibus contusis succum exprimit, eúmque ad mediocrem consistentiam coquit, naribúsque infundit, feces expressas conformat in pessulos naribus indendos. Polypum citra mordacitatem absumit, etsi longiore tempore. Confert & dracunculi succus cum lana naribus impositus, teste Dioscoride: &, vt Aëtius scribit, puluis rosarum siccarum exactissimè tritus mirificè prodest; sicut & puluis balaustiorum. Confert & succus pomorum, austerorum quidem, si mollior sit polypus; acidorum verò, si durior: qui in mortario æneo diligenter agitetur cum pistillo æneo, vt acquirat crassiorem consistentiam. Sæpissime autem talia medicamenta repetenda sunt, nec permittendum, vt vnquam pars affecta medicamento vacua sit.

Si polypus aliquantulum durus est, nec tamen cancrosus, emollientia præmittantur fotus forma, aut linimentum fiat ex medulla vitulina & adipe anserino, cui progressu temporis aliquid Ammoniaci & bdellij addi poterit. Postea exsiccantia illa & absumentia vsurpentur, quæ modò proposuimus. Rondeletius aquam parat ex aquis adstringentibus & parum corrosiuis, vt:

℞. *Vuarum maturarum* ℔.iij. *cortic. malorum granator. balaustior. sumach*, an. ℔ ij.

Macerata in aceto destillentur, postea add. *aluminis* ℔.i. *vitrioli* Vnc.iij.

Iterum destillentur. Aqua hæc parti affectæ cum linteis applicetur.

Vel ℞. *Terebinth. lotæ aqua plantag.* ℥.iß. *succi plantag. solani, acetosæ*, an. Drach. v. *sæui hircini* Vnc.ß. *plumbi calcinati* Drach ii. *lithargyri, cerussæ, tutiæ*, an. Drach. j. *camphoræ* Drach. iß. *olei rosacei* Vnc. i. Cum s.q. *ceræ*, F. Emplastrum.

Si verò malum pertinax sit, ad validiora & caustica medicamenta accedendum.

Escharotica medicamenta nota sunt, quæ fiunt ex chalcantho, misy, chalcitide, squamma æris cum melle: oleum item vitrioli, vel aqua fortis, vnguentum Ægyptiacum. Commendatur & hic Puluis:

℞. *Pulu. rosar. rubr.* Drach. ß. *malicorij* Scrup. i. *lithargyr. alum. vsti*, an. Scrup. iß. *ærugin.* gr. v. M. pro Puluere.

℞. *Chalcitidis vstæ* Drach. i. *nitri* Drach. ß. *succi veronicæ* Vnc. ß. Misce.

Vel ℞. *vitriolum album*, & misce cum aqua rosarum & plantaginis, & polypus eo illinatur.

Vel ℞. *Aq. solani, rosar.* an. Vnc. i. *plantag.* Vnc. sem. *camphoræ* Drach. ß. *cerussæ* Scrup. i. *Mercurij sublimati* gr. vi.

Misc. Efficax ad polypum remedium est.

His producta eschara semper demitur, & denuo medicamenta illa imponuntur, donec radix etiam polypi sit absumpta. Sed tentare hæc non licet, nisi in polypo, qui cancri suspicione caret, & in corporibus durioribus.

Vtilis etiam ad Polypum tollendum est turunda ex radice gentianæ sequenti Vnguento illita:

℞. *Pinguedinis caponis* vel *gallinæ, butyri recentis, ol. oliuar.* an q.s. add. *ceræ* parum F. Vnguentum.

℞. *Vnguenti huius* Vnc. i. ☿*ij sublimati*, vel *arcani corallini*, Drach. ß. vel Scrup. ii. Fiat Vnguentum, quo turunda ex radice gentianæ illinatur & naribus indatur. Aut si polypus totam narem replet, eo Polypus inungatur.

Tutius autem adhibentur medicamenta caustica per fistulam argenteam ita in nares inditam, vt causticum medicamentum in eâ inclusum saltem polypum attingat, partes autem nasi sanæ à fistula intactæ conseruentur. Polypus autem niger, cum ad cancrum accedat, curâ non verâ, sed palliatiuâ tractari debet. Blandiendum igitur illi succo solani vel succo fol. salicis rec. aut aquis earundem, in quibus parum tutiæ dissolutum sit, nec non puluere eorum insufflato.

## CAPVT IV.

### De Angustia narium,

*Angustia narium.* NAres naturaliter patere debent, non solum in meatu externo, sed etiam intus ad os ethmoides, vt odoribus transitus ad primarium olfactus organum pateat. Hi verò meatus cum interni, tum externi interdum angustiores redduntur. Angustiæ autem caussa est θλῖψις, id est, compressio à caussa aliqua externa, vt ab ictu seu contusione; aut πύκνωσις, id est, constipatio, facta à tumore aliquo præter naturam, vt à phlegmone, scirrho, cancro; aut ἔμφραξις, seu obstructio, quæ vel à carne aliqua excrescente fit, vt à sarcomate, & polypo; vel ab humore crasso & viscido ad nares, & foramina membranæ, quæ os ethmoides intus subducit, destillante, seu putrido, seu non putrido, vt in coryza & catarrho; vel à materia purulenta, vt in ozæna; vel à vermibus è materia putrida genitis; vel à grumo sanguinis, vt in hæmorrhagia narium accidere solet. Nonnunquam etiam res externæ, vt pisa, & similia, ab infantibus incautè naribus intruduntur.

### Curatio.

Si nares à materia è cerebro effluente obstruantur, & catarrhus adhuc duret, is primò tollendus, & caput curandum. Capite mundato & curato meatus obstructi attenuantibus medicamentis aperiendi, quæ forma suffimenti, liquoris, pulueris adhiberi possunt. Puluis nimirum ex agarico, semine nigellæ & maioranæ, narib us excipiatur.

Vel ℞. *Aq. maioran.* Vnc. iii. *aceti* Vnc. ß. Suspendatur in ea *pulueris nigellæ* Drach. i.

Acetum etiam, in quo castoreum infusum sit, naribus attrahere vtile est. Alia quoque errhina supra, *part.* 1. proposita hic locum habent. Vel olfacienda assiduè adhibeantur calamintha, serpillum, semen nigellæ aceto maceratum, castoreum.

Si ex sarcomate vel polypo sit obstructio, curatio instituenda vt modò dictum.

Si quid extra in nares immissum sit, extrahendum vt res auribus immissæ.

## CAPVT V.

### De Vulneribus narium.

*Narium vulnera.* SI nasus vulneratus sit, vt aliarum partium vulnera curandus. Hoc tamen monendum, si pars illa anterior, quæ cartilaginea est, ita vulnerata sit, vt parum naso cohæreat, mox sutura, siue ea acu, siue glutino fiat, prout commodius videtur, cum reliquo naso coniungenda, ne pars abscissa refrigeretur & emoriatur. Cartilago tamen ipsa acu non est perforanda. Cauendum etiam in nasi vulneribus penetrantibus, ne excrescentia aliqua carnis in parte interna oboriatur, quæ meatum illum angustiorem reddat, & sermonem deprauet. Ideóque turunda conuenienti vnguento illita nari indenda; aut emplastrum in formam canalis vel fistulæ efformatum. Si autem externa pars nasi planè amputata sit, reparari illa nihilominus potest, sicut de curtorum Chirurgia in Instit. *lib.* 5. *part.* 1. *sect.* 2. *c.* 15. dictum.

## CAPVT VI.

### De Læso Olfactu.

*Olfactus læsio.* QVantum verò ad symptomata, quæ naribus accidunt, & quæ ad actionem læsam pertinent, quemadmodum aliis functionibus in corpore accidit, vt à caussa aliqua præter naturam vel minuantur, vel planè aboleantur, vel deprauentur: ita idem etiam odorandi facultati euenit, quoties organo aliquid accurrit, quod naturalem eius constitutionem peruertit, aut aliena qualitate perfundit.

Quod autem Olfactus organum sit, & quomodo olfactus fiat, in Institutionibus dictum, quod hîc non repetimus. Ex illis autem facilè patet, quomodo lædi olfactum contingat; quod fit, vbi aliquid vel in meatibus externis vel ossi ἠθμοειδεῖ, vel membranis huic ossi, nariúmque internis anfractibus substratis, ac ipsis quoque cerebri meningibus, vel processibus denique nerueis cerebri occurrit, quod impedit, quò minus odor à sensu olfactus percipiatur. Neque enim ad vnum morbi genus hæc læsio referri potest, sed similaris morbus est, vbi ab intemperie hoc malum nascitur; morbus compositionis in via, vbi ab ictu, contusione, vel vulnere.

Caussa

### *Caussæ.*

*Aboliti olfactus caussa.* Caussa aboliti olfactus est intéperies, præsertim frigida & humida,cū materia plerūque pituitosa coniuncta, vt in coryza & catarrho euenit, Et intéperies quidem aut in cerebri anteriore parte,aut processuum illorum neruorum,qui olfactus organum statuuntur. Anguistia verò,quæ morbus est instrumenti, est etiam aut cerebri, sicut fit in apoplexia, vbi spiritus animales ad organa sensuum permeare non possunt; aut processuum cerebri; aut nasi interni, & ossis ἠθμοειδοῦς atque membranæ huius; aut denique nasi externi: de cuius caussis capite præcedente dictum. Hoc saltem adhuc de obstructione narium monendum, interdum post catarrhos olfactum ita aboleri, vt toto vitæ tempore vix recupari possit. Quod fit precipuè,cum quis coryza laborans balneum incautè ingreditur, cuius calore materia catarrhi & pituita ad foramina ossis ἠθμοειδοῦς induratur, vt postea vix amoueri queat: vnde meatibus illis obstructis permanentibus olfactus planè aboletur. Quibus verò in extrema virium imbecillitate & mortis articulo olfactus perit, iis hoc accidit ex resolutione spirituum animalium, ob quem & cæteri sensus omnes & vita tandem extinguitur.

Tandem etiam abolitio olfactus caussa esse potest defectus processuum mamillarium, id quod cuidam ex nimio Nicotianæ per fumum vsu, ex obseruatione D.Pavvij, Anatomici Leidénsis, Neander accidisse, *in Tabacologia*,refert.

*Imminuti olfactus caussæ.* Eædem imminuti olfactus caussæ sunt,minus tamen vehementes,quibus additur partium huic sensui inseruientium debilitas, siue natiua, siue ætatis decursu acquisita;vt in senibus,& mala etiam ab ortu cōformatio.

*Deprauati olfactus caussæ.* Deprauati olfactus caussa est, dum vapor putridus continenter nares ferit,siue in ipsis scaturiens, siue à cerebro, gingiuis, ventriculo,aliisque partibus eò delatus;cuius ratione contingit,vt omnia ægro,etiam quę suauiter olent,fœtere videatur:sicut, quibus lingua bile suffusa est, omnia amara esse putant;vt Galenus declarat, 1. *de sympt. causs. cap.* 4. Potest & humor prauus esse processibus nerueis impactus,qui efficit,vt fœtidis æger delectetur, aut certè ab iis non offendatur, propter assuetudin em;sicut cloacarum mundatores oleta,vt & alia fœtida,non sentiunt; quoniam organū olfactus specie fœtorum iam repletum est,vt noui fœtores accedentes illud immutare nequeant, cum ad perfectam αἴσθησιν organum ab aliis suis obiectis denudatum esse oporteat.

### *Signa Diagnostica.*

Si olfactus læsio caussam habeat in cerebro siue intemperie affecto,siue à materia obsesso,cognoscitur id, quia noxa etiam aliis sensibus communicatur.Ferè etiā aliàs gustatus offenditur,quod in grauedine siue coryza manifestum est, propterea, quod ab eodem tertio neruorum cerebri pari demissæ propagines quædam tenuiores narium tunicam, crassiores aliæ linguæ tunicam efformant. Et omnino aliquis olfactus & gustus consensus est. Noui belli ducem, cui olfactus iam multis annis periit.Is tamen, si quid valde odoratum & fœtidum offertur,dicit,se gustu quasi odores percipere;vnde etiam expuere, & os vel faciem auertere, & quandoque nauseam percipere solet. Si caussa est in processibus nerueis solis, nulla in cerebro & cæteris sensibus læsio percipitur,præterea nec vox obscura est, nec respiratio difficilis; id quod contingit,quando in osse ἠθμοειδεῖ, vel in ipso naso est obstructio. Nam vt nares respirationi,ita voci simul inseruiunt. Quæ etiā sit materia obstruens, dilatatis ad lucem naribus nonnunquam cerni potest; vtrum scilicet tumor præter naturam, an caro vel pus, vel crusta, vel vermis, vel grumus sanguinis. Si in apostemate narium pinnæ earundem frigidiores & sicciores fiant, periculum est à cancro. Intemperies cerebri vel organi olfactus ex sensu caliditatis vel frigiditatis,ex caussis antegressis,ex iuuantibus & lædentibus,ex eo etiam, quod nihil per nares destillat, æstimatur.Humor obstruens ex grauitate, & si quid de hoc effluat,è colore,odore,consistentia,specie noxæ impressæ cognoscitur. Si inflammatio adsit,febris ferè adest, dolor,tensio,grauitas.

In deprauato à fœtida materia olfactu,si materia illa in cerebro,aut processibus nerueis sit intra cranium,ab ægro non percipitur:adstantes tamen fœtorem sentiūt. Si extra cranium materia consistat,tam ægro,quàm adstantibus ille odor molestus est.

### *Prognostica.*

1. Olfactus læsio à destillatione humoris,vel obstructione solà proueniens facilius curatur,& ferè olfactus læsio ob catarrhum catarrho cessante cessat;difficulter, quæ à confirmata organi dyscrasiā existit. Non corrigitur, quæ à natura contracta est, maximè per malam narium conformationem, vt & quæ à senio vel alio morbo chronico prouenit olfactus abolitio.

2. Fœtor olfactum ex putredine offendens ferè argumento est affectionis ægrè curabilis. Nam locum à materia malignā insigniter esse affectum significat.

3. Quando æger in morbis acutis odores non consuetos sentit, odorabili re nulla præsente, qualis est odor piscium, luti,butyri, aut similium, & mala signa adsunt,mors imminet,teste Auicenna.

4. Olfactus læsio non negligatur,præsertim dū cerebrum materiā est oppletum, quia sequi potest carus, apoplexia, epilepsia,humoribus ibidem auctis cerebrique meatus occupantibus, vt spirituum animalium transitus impediatur. Id quod maximè fit,quando æger pleno cerebro supinus noctu cubat.

### *Indicationes.*

Morbi cerebri quid indicent,ex superioribus clarum. Processus cerebri neruei si intemperie laborant,indicāt alterans per contraria;si obstructione ex humore crasso & lento,attenuans & detergens. In externis narium partibus,quid grauedo,aut inflammatio aut tumor aliquis præter naturam,aut polypus,aut vermis,aut grumus sanguinis indicent,per se est notum.

### *Curatio.*

Itaque si læsio olfactus ortum habeat ab intemperie cerebri,corrigitur contrariis,eo modo,sicut supra,*parte* 1.dictum. Si obstructio sit ab humore frigido & crasso, sicut plerumque est, præmissā eius præparatione & euacuatione,eaque aliquoties repetita ad particulares capitis euacuationes veniendum, vt pituita ex capite educatur;id quod fit apophlegmatismis, gargarismis, errhinis & ptarmicis,vt etiā supra, *part.* 1.dictum.Sint autem soluentia illa obstructiones moderata, ne nimia caliditate & siccitate organum olfactus lædant,aut inflammationem excitent in membranis narium,aut humores nimis incrassent. Vt pauca saltem addamus; in pueris conuenit aqua & succus maioranæ, chamæmeli abrotani, origani in nares infusus. Narium radix inungatur butyro aut oleo amygdalar.dulcium,aut mucilagine sem.althéæ;maluæ,cydonior,aut pinguedine gallinæ vel anseris. In adultis succus betæ,inprimis verò semen nigellæ quocunque modo vsurpatum vtile est, vt & castoreum,& omne fel immissum:inprimis masticatio radic. papaueris rhæados prodest. Fortiora & efficaciora sunt succus cyclaminis, ceparum, chelidoniæ minoris iniectus: puluis elaterij, & tabaci,euphorbij, & gummi gotte insufflatus,&c.

Inprimis Sternutatoriis vtendum, & primò quidem lenioribus, deinde fortioribus, quale hoc eſt:

℞. *Fol. tabaci* Drach.j.*radic. helleb. albi* Drach. ß. *elaterij* gr. vij.*piperis longi* gr.jx.*gummi gotte* Scrup. j.F. Puluis.

Alij ſolam radicem cyclaminis recentem pro naſali indunt,

Nonnulli naribus olea deſtillata admouent.

Exempli gratia:

℞. *Ol.nuc.moſch.expreſſ.*ʒ.ß.*deſtill.ort.ccitri*.℈.j.*maiorana* Scr.ß.Miſc.

Quidam nares balſamo rutæ,maioranæ, ſuccini, & caſtorei inungunt;

Intus commendatur acetum ſcillit. quotidie ieiunis trium cochlearium menſura aſſumptum, ex Aëtio; caſtoreum item & theriaca.

Commendantur & extr. maioranæ, ſingulis diebus mane & veſperi,vt & ſal eiuſdem,vel per ſe gr.vj.vel vij. pondere in vino propinatum, vel cum extracto permiſtum.Profunt & balſamum & oleum maioranæ,gut. ij. vel iiij. pondere ſumpta. Commendantur etiam ſequentes Rotulæ;

℞. *Extract.maioran.*ʒ. ß. vel *olei* g.vj. *eſſent. pulegij* ʒ. ij. *ſacch. optim. in aqua maiorana diſſoluendi*, Vnc. iij. ſem.

F. l. a.Conf. in Rotulis,quæ illinantur *ol.deſtill.nuc. moſch.*gutt.vij.

Nonnulli, ſi malum aliis remediis non cedit, retractionem materiæ ſuadent ad frontem, illinendo fronti vnguenta calida ex ſucco chelidoniæ, ſcillæ, pyrethro, euphorbio,oleo laurino & cera: vel raſo capiti ſinapiſmum applicant,vſque ad frontem & naſum, ex Aëtio. Quæ ſi non ferat æger, ad thermas ducatur, vbi ſtillicidio ſupra ſutura coronali vtatur. Si olfactus læſio ſit ab humore aliquo præter naturam, vel à carnis excreſcentia,vel ab vlcere, illa ſuam peculiarem curam habet.

## CAPVT VII.

### *De Fœtore narium.*

*Fœtor nariũ.* Moleſtum etiam eſt ſymptoma fœtor narium.Ille equidem ab ipſis ægris non percipitur. Cum enim odoratus organum læſum, & humore fœtido infectum & occupatum ſit, fœtorem illum non percipit. Adſtantibus verò fœtor ille moleſtus eſt:vnde ij colloquia & conuerſationem talium auerſantur.

### *Cauſſæ.*

Cauſſa proxima eſt vapor putridus.Emittitur autem vapor ille vel proximè ex ipſis naribus,cum aut humor putridus in toto aut interiore parte cerebri continetur, aut putredo eſt in oſſe ἠθμοειδεῖ,aut polypus,ozæna,aut vlcus ſordidum in naribus; vel per conſenſum aliarum partium excitatur, dum aut ex ventriculo,aut thorace fœtidus vapo releuatur,& nares tranſit.

### *Signa Diagnoſtica.*

Fœtor narium ipſe ab aſtantibus percipitur. Quod verò materia fœtoris cauſſa contineatur in naſo,vel cerebro naribus vicino, cognoſcitur ex eo, quod æquè poſt &ante cibum fœtor percipitur, & , ſi nares clauduntur, fœtor talis non percipitur. An verò à polypo ſarcomate, vlcere proueniat, facilè viſu poteſt diſcerni. Si verò à partibus inferioribus vapor ille proueniat, aſſumpto cibo non ita fœror moleſtus eſt; cum vapores illi fœtidi à cibo deprimãtur & temperẽtur.Nares quoque ſi claudantur, ex ore idem fœtor exhalat. An verò pulmones affecti ſint,aut ventriculus laboret, ſuis ſignis dignoſcitur.

### *Prognoſtica.*

1. Fœtor, qui eſt per conſenſum inferiorum partium, faciliùs curatur,quam qui ex ipſis naribus aut cerebro eſt.

2. Fœtor ab oſſibus narium corruptis vix curatur.

### *Indicatio & Curatio.*

Si fœtor ſit ab humoribus putridis,vel in cerebro & proceſſibus nerueis,vel circa os ἠθμοειδές,præmiſſis vniuerſalibus euacuationibus & reuulſionibus per errhina caput euacuetur, tandémque ea adhibeantur, quæ abſtergunt quicquid humoris corrupti naribuss inhæret, & quæ ſuauem odorem concilians. Abluantur ergo nares vino albo odorato,vel vino in quo myrrhæ,roſæ, cyperus,lignum aloës cocta ſint.

Vel ℞. *Myrrhæ, cinamomi*, an. ʒ. j. *roſar. ſiccar.* Drach.ſem.

Excipiantur melle deſpumato,F.Linimentum.

Vel ℞.*Spicæ,galliæ moſchatæ, caryophyllor.*an.p.æq.

Coq.in vino,quod naribus excipiatur.

Vel ℞. *Hieræ picræ,ſchænant.*an.ʒ.j.ß.*vini* q. ſ.

F.Glandes,& naribus immittatur.

Vel ℞.*Fl.roſar.rubr.*p.j.ß.*ſpicæ nardi* p.j.*rad.cal.aromat.*ʒ.j.*cinamomi,caryophyllor.*an.ʒ.ß.*macis nuc.moſch.* an.Scr.j.

Coqu.in vino albo odorato pro Vnc.iiij.

In colat.diſſolu. *extr.calami arom.*℈.ß.*ligni aloës* gr. iij.Miſc.

Vel ℞. *Fol. maioran.* M. j. *rad. glycyrrh.* Drach.ij.

Ebulliant in aq. ſ. pro Vnc.iiij.& colentur.Ol.etiam myrtinum naribus inunctum vtile eſt.Suauem odorem conciliat vinum,in quo gallia moſchata diſſoluta,quo nares & os colluantur.

Si fœtor ſit ab vlcere aliquo narium,ſuccus foliorum hederæ naribus attrahatur.

Si ab ozæna vel polypo ſit fœtor, iis ſublatis & ipſe ceſſabit.

Si à ventriculo vel pulmonum vitio ſit fœtor,eo ablato is ceſſat. Ad fœtorem tamẽ narium,qui ſtomachi vitio ſit,commendantur à nonnullis mala Perſica, item radices eryngij per ſe,vel conditæ.

## CAPVT VIII.

### *De Hæmorrhagia narium.*

Nares etſi ſint propriè odoratus gratiâ factæ:tamẽ & alios vſus habere ſuprà diximus.Et quandoque etiam natura ſanguinem vitioſum per nares effundit, vel à venis & arteriis imam cerebri ſedem perreptantibus,vel à vaſis è palato ad nares deſcendentibus, quæ inſtar obtinent venarum hæmorrhoidalium in ano & vtero.

Vocabulum autem αἱμοῤῥαγίας ſæpe apud Hippocratem ſimpliciter ſanguinis profluuium ſignificat, ex quacunque parte is fundatur,præſertim tamen copioſum & liberale.Interdum non addito partis nomine de ea vſurpatur,quæ per nares ſit,ſanguinis eruptione,teſte Galeno,*in* 1.*Epidem comm.*1.*aph.*9.Et *in* 6.*Epidem. comm.*3.*aph.*25. *Hæmorrhagia.*

Eſt autem hæmorrhagia narium ſymptoma in genere immodicè excretorum, & quidem toto genere p. n. cum natura aliàs ſanguinem tanquam theſaurum vitæ diligenter aſſeruare ſtudeat. Succedit hoc ſymptoma interdum alij ſymptomati, actioni ſcilicet læſæ, quæ eſt venarum retentrix debilitata, interdum morbis, quibus *Hæmorrhagia narium*

quibus referantur, fcinduntur, rarefiunt vafa fanguinem continentia.

### Cauffæ.

Quod ergo ad cauffas hæmorrhagiæ narium attinet fit illa per vaforum vel ἀναστόμωσιν, vel διαίρεσιν, vel διαπήδησιν.

Ἀναστόμωσις. Ἀναστόμωσις eft ofculorum in vafis paulò majoribus apertio, à cauffis, vel externis, vt calidorum & acrium illitu, irritatione expultricis, ac titillatione, dolore; vel internis, quæ funt primò vaforum ἀτονία, fiue imbecillitas & mollities: fecundò fanguinis aut copia, fufi calore, ira, motu corporis immoderatiore; aut praua qualitas, hoc eft, eiufdem tenuitas, feruor, acrimonia, putredo in febribus ardentibus; tertiò facultatis retentricis imbecillitas, vt vafa à modici etiam fanguinis copia aperiantur, aut expultricis irritatio à copiofo fanguine, vel vitiofo in cacochymia feu biliofa, feu melancholica; denique natura criticè ac vtiliter expellente id, à quo moleftiam fentit; quod in acutis nonnunquam fit morbis, in quibus vitiofi humores cum fanguine mifcentur. Ita febris fynochus, & caufus, & hepatis inflammatio, & morbilli ac variolæ, & phrenitis & angina, per hæmorrhagiam narium terminari folent. Interdum & pleuritis, rarius peripneumonia.

Διαίρεσις. Διαίρεσις eft vaforum diuifio, quæ fit, aut ab erodentibus per ἀνάβρωσιν, feu erofionem, ab humore videlicet acri, à vehementi medicamento, interdum & ab hirudine naribus per natationem in paludibus attracta; aut à vulnerantibus fecando, pungendo; aut à contundentibus, vt ab ictu, cafu; aut denique à rumpentibus, quibus vafa nimium diftenduntur, vt nifu vehementi, faltu, curfu, quò etiam pertinet fanguis feruidus in flatus folutus.

Διαπήδησις. Διαπήδησις foluta eft vaforum continuitas, per quam fanguis è venis quafi tranfcolatus, aut fudoris modo tranfmiffus effluit. Id quod contingit vel vaforum tunica rarefactâ, ipfoque fanguine attenuato, vel gracilium vaforum ore adaperto; vbi etiam fanguis cum impetu & copia non emanat, ficuti in vaforum per ἀναστόμωσιν apertione.

### Differentiæ.

1. Hæmorrhagia narium alia eft critica, quam natura gubernat & moderatur, expellens ea, quæ fibi noxia & molefta funt; alia fymptomatica, quæ non naturæ, fed morbi, aut potius cauffæ morbificæ opus eft, ideóque certo modo à natura non gubernatur.

2. Alia è vafis fit ipfarum narium, alia è venis & arteriis cerebri, in ejus præfertim bafi. Non femper enim fanguis ex venis capitis ad frontem tendentibus fluit, fed fæpe è vafis à tertio craffæ meningis finu prodeuntibus gracilioribus. His enim dehifcentibus largæ nonnunquam & periculofæ hæmorrhagiæ oriri folent, ita vt Bauhinus, *in Theatro Anatom. libr. 3. cap. 8.* ex hifce venis apertis 24. libras fanguinis aliquando effluxiffe, obferuatum effe fcribat. Atque in tali narium profluuio, vt non fine ratione idem monet, non fronti, fed parti cranii pofteriori, occipiti nimirum, topica remedia reuulfionis cauffa adhibere accommodatiffimum eft. Per finus enim pofteriores fanguis adfcendit, antequam in tertium deriuetur. Hinc legimus, Hippocratem, *lib. 1. de morb. vulg. ægr. 7.* ægrotantis Metonis, cui hæmorrhagia narium fuperueniebat, occiput aqua tepidâ fouendum iuffiffe, vt è naribus cruor liberalius flueret. Probè itaque videndum, vt remedia loco conuenienti applicentur. Nonnunquam in violenta tuffi aut vomitione fanguis fimul per os & nares redditur; quæ tamen hæmorrhagia narium propriè non vocatur.

3. Alia hæmorrhagia narium falutaris eft, vbi fcilicet magna adeft plethora, vel fanguis in venis eft acrior & feruentior, ac natura modum excretionis feruat; alia noxia, vbi modus exceditur, potiffimum in corporibus frigidis & pituitofis.

4. A cauffa efficiente, alia ab ἀναστομώσει, alia à διαιρέσει, alia à διαπηδήσει vaforum accidit.

### Signa Diagnoftica.

Quando ἀναστόμωσις cauffa eft hæmorrhagiæ narium, fanguis copiosè effluit. Et quidem fi à copia eft fanguinis, adeft rubor in facie, atque venarum tenfio, præceffit victus liberalior & calidior, & cauffa aliqua externa fundens fanguinem. Plerumque verò talibus hepar dyfcrafiâ calidâ laborat. Sin à qualitate vitiosâ fanguinis fit hæmorrhagia, cognofcitur id tum ex fanguine ipfo profluente, tum ex fignis cacochymicum corpus arguentibus. Si facultatis irritatione, figna quoque adfunt cacochymiæ biliofæ aut melancholicæ, vel etiam corruptionis & putredinis fanguinis. Si à retentricis imbecillitate, cæteræ etiam ferè facultates languent, & fanguis per interualla exit, isque non multus, ac morbus præceffit quo hepar inprimis & venofum genus debilitatum fuit.

Quando διαίρεσις vaforum cauffa eft hæmorrhagiæ, fanguis maiore adhuc copia & impetu profluit, & præceffit contufio, aut alia quæpiam cauffa violenta externa; vel figna adfunt cacochymiæ aut vlceris.

Quando διαπήδησις cauffa eft, fanguis, qui exit, paucus eft & tenuis, atque ferofus, qualis & in cacochymicis & hydropicis confpicitur.

Cæterùm & alia figna obferuanda funt. Si enim fanguinis per nares fluxus criticus eft, ægrum leuat: quia cum ipfo morbus prior & fymptomata euanefcunt. Sin fymptomaticus, æger difficulter eum fuftinet, & cum pulfu languidiore vires paulatim attenuantur.

Deinde fi fanguis immediatè è venis narium prodit, nullus in capite dolor prægreffus eft. Facilè etiam ifte fluxus fiftitur per adftringentium intra nares applicationem; cum via non fit longinqua. Contrarium accidit, quando è venis cerebri mittitur.

Poftremùm qui ab arteria fanguis profunditur, is calidus, rubens cum claritate, & fubtilis eft, & cum fpuma atque impetu exilit; craffior & nigrior eft, qui à vena.

### Prognoftica.

1. Hæmorrhagia narium præcognofcitur ex humorum ad fuperiora conuerfione, fiue eorundem ἀναφορᾷ, quam capitis & colli dolor, temporum grauitas, oculorum caligo vel fplendores, lachrymæ inuoluntariæ, rubor nafi & malarum, pruritus & titillatio narium, tremor etiam nonnunquam manuum fignificant. Præceffit diaphragmatis tenfio, fine tamen dolore, inde refpiratio facta fuit difficilior, fanguine per thoracem tranfeunte. Hippocrates, *1. prognoft. aphorifm. 32. & 3. prognoft. aphor. 33. & 3. prorrhet. aphor. 43. & aliquot fequentibus.* Galenus, *in 3. de crifibus, cap. vlt. & de præcognitione ad Pofthum. cap. 13.* *Hæmorrhagia narium futura indicia.*

2. Quibus in febribus acutis atque adeo ardétibus lachrymæ inuitæ profluūt, his fanguinis è naribus eruptionem exfpectare oportet, fi etiam alia perniciosè nō habent. Nam his, qui malè habent, non fanguinis eruptioné, fed mortem fignificat, *1. epid. comm. 2. aph. 80.*

3. Et largiores fanguinis profufiones, & eiufdem fuppreffiones morbos excitant. Hæ conuulfionem, epilepfiam, carum, & fimilia. Illæ animi deliquia, fyncopen, cachexiam, hydropem, fingultum, & conuulfionem quoque, *5. aph. 3. & in 3. prorrhet. aphor. 53. & feqq.*

4. Quibus principiò hæmorrhagiæ largæ adfunt, rigor fuperueniens fluxionem fiftit. Sin larga hæmorrhagia rigori fuperueniat, reuulfio fit, rigores verò lōgi

effi

efficiuntur, 3.*prorrhet.aph.*58.& 59. Id Galenus ita explicat. Si hæmorrhagia narium morbum non ſedauerit,& rigor illum exceperit,tum rigor, tum morbus in longum producuntur.Nam corpus exhauſtum ſpiritibus infrigidatur. Frigus autem morbos diuturnos parit,cum materia facilè concoqui nequeat.

5. Quibus in febre ardenti(vt Galenus accipit) capitis dolores adſunt & ceruicis labor, & totius corporis cum tremore imbecillitas, ſanguis è naribus profluens morbum ſoluit, 3.*prorrhet.aph.*60.

6. In affectibus hepatis aut lienis fluxus ſanguinis è naribus ἀνάπαλιν factus, ſiue è nare diuerſa, hoc eſt, è dextra, ſi lien laborat;è ſiniſtra, ſi hepar,malum. Non enim fit illa euacuatio κατ' ἴξιν,vel κατ' ἰϑυωρίαν, recto tramite;ideóque non motu naturæ, ſed morbi,vel materiæ. Deterius autem eſt, ſi cum ſudore thoracis aut capitis fluat, 1.*prorrhet.*33.

7. Fluxus ſanguinis narium non tam aduerſus eſt bilioſis, quam pituitoſis & melancholicis, teſte Auicenna. Hi enim ſanguinis profuſione magis refrigerantur, & debilitantur. Ita & Hippocrates ſcribit, 7. *aphor.*82. *Quibus in febribus quartanis ſanguis è naribus fluxerit,malum.*

8. Quibus ſanguis multus è naribus profluxit, ſi quidem immoderatæ decolorationes adſunt, (ſcilicet ob ſanguinis penuriam,humorum impuritatem, & bilis flauæ admiſtionem)iis parum confert.Qui verò prærubro ſunt colore,non eodem modo afficiuntur:& quibus caput facilè tolerat,prodeſt;quibus verò ſecus,minimè, 6.*epid.ſ.*6.

9. Quibus febricitantibus ſanguis multus ex quacunque parte fluxerit, iis conualeſcentibus aluus humectatur,calore natiuo debilitato, vt nec concoquere, nec in ſanguinem conuertere, nec diſtribuere alimentum rectè poſſit;vnde initia hydropis exiſtunt, 4.*aphorism.*27.& *in Coacis.*

10. In febre ardente fluxio ſanguinis è naribus quarto die mala eſt;(Multitudinem enim ſanguinis in toto aut in corpore ſignificat,teſte Aëtio, *tetrabibl.*2. *ſ.* 1. *cap.* 124.) niſi aliquid boni coinciderit. Verum quinto die minus periculoſa eſt. Hippocrates, *in Coacis.* Fortaſſis autem de ſtilla narium loquitur Hippocrates,quæ prauum ſignum eſt in febribus ardentibus, præſertim ſi quarto die accidat; quia abſoluta morbi malitia indicatur. Ita ſcribit, 1.*epid.comm.*2.*aphor.*63. ſanguinis è naribus largam eruptionem in febribus ardentibus multos ſeruaſſe, modicam verò occidiſſe. Nam,vt Galenus docet,nihil eorum,quæ critica ſunt, exiguè ſecerni conuenit: alioquin aut copia tanta ſignificatur,quæ à facultate regi nequeat,aut imbecillitas naturæ tanta, vt ſuperflua, etſi conetur, excernere non valeat.

*An hæmorrhagia nariũ in febribus acutis vtilis ſit.* *Fernel.negat.* ¶ [Febres acutas interdum hæmorrhagiâ narium non ſolùm criticè,ſed & ſymptomaticè,& ante humorum coctionem,tolli & ſolui, experientia, & Medicorum obſeruationes docent. In dubium tamen id vocat Fernelius,*lib.*2.*meth.med.cap.*8.*Sanguis*, inquit, *qui in acutis per nares excurrit,licet vigilias,deliria, capitis dolorem, aliáque ſymptomata demulceat, vix tamen propriam morbi eſſentiam atque radicem euellit, niſi forſan immoderatior ſuccedat profuſio, ſummâ virium diſſolutione;quæ tamen nuſquam videtur optanda. Vitioſus enim ſanguis per nares poſtremus elabitur, nec niſi cum vitiosis vis magna erit effuſa.In his igitur febribus tametſi nares multo ſtillent ſanguine; vena tamen cubiti ſecanda: quandoquidem ſæpe deprehenſus eſt è naribus tum colore, tum ſubſtantiâ laudabilis, cùm ex cubito impurus ſordidúſque detrahitur.* Hæc Fernelius.

*Contrarium teſtatur experientia.* Verùm alij Medici, cùm Antiqui, tum recentiores reliqui,contrarium ſtatuunt, iiſque adſtipulatur experientia,quâ conſtat, multos à grauiſſimis febribus hæmorrhagiâ narium liberatos fuiſſe, vt etiam in malignis,vt pote iis, quæ variolas & morbillos conjunctos habent,accidit. Si enim hæmorrhagia narium ipſis ſuperueniat,febris vel ſoluitur, vel mitigatur, & variolæ vel morbilli multò pauciores erumpunt, quàm ſi nulla hæmorrhagia ſuperueniſſet.

*Ratio negationis Fernelij.* Quod autem Fernelium dubium reddidit, hoc inprimis eſt,quòd ſanguis,qui è naribus effluit, plerunque floridus & rubeus eſt; cùm tamen, qui è vena in brachio ſecta emittitur, vitioſus & putridus appareat. *Vnde fiat quod ſanguis qui è naribus effluit, ſit tam rubeus.* Aliqui huius rei cauſſam eſſe dicunt,quòd ſanguis,qui è naribus effluit, tenuis ſit, & per vaſa anguſta quaſi colatus exeat, craſſiore parte intus manente. Verùm hæc ratio non ſufficit. Nam ſi tenuis ſolùm efflueret,& craſſus ac vitioſus intus maneret, non febris ſolueretur,nec cum commodo ægri efflueret;quod tamen accidit.Nonnulli,vt Zacutus Luſitanus,*de Princ.Med. hiſt. lib.* 1. *quæſt.* 23. aliam huius rei cauſſam afferunt, ſcribúntque,quòd in ſanguine,qui è vena ſecta emittitur,& vaſculis excipitur,ſat manifeſta fiat partium ſeparatio. Fæculentum enim & fibroſum ſubſidere, innatare quod ſummè tenue eſt, & putrefactum, bilioſum,aut ichoroſum; in medio reſidere potiſſimùm, & iuxta ſummum, ſanguineum; idque fieri,quia vnitus maneat,& calorem diu conſeruet, qui difficiles partes ſeparat.Contrà,inquiunt,ſanguis,qui è naribus effluit, licèt putridus ſit & corruptus, rubicundus apparet & exit,quia guttatim effluit, & in vaſis ferè non colligitur, & ita eius calor paulatim ab ambiente refrigeratur, vt eius vi partes diuerſæ ſegregari non poſſint. Quare ita concretus & confuſus manet, & rubedinem diu ſeruat. Verùm nec hæc ratio ſufficit. Neque enim ſolùm ſanguis,qui è vena ſecta effluit, vaſculis excipi, ſed & qui è naribus effluit,iiſdem colligi poteſt. Deinde in ſanguine è vena ſecta emiſſo partium ſeparatio fit non à calore reſeruato & reliquo,ſed potiùs,quia calor iam euanuit:vnde partes diſſimiles,quæ anteà à calore vniebantur,iam ſeceſſionem faciunt & ſeparatur.

*Vera huius rei ratio.* Vera autem huius rei ratio eſt ea,quam *ſuprà* attulimus,quòd nimirum ſanguis,qui in hæmorrhagia narium effluit,non ſemper è ſolis venis fluit, ſed ſæpe ſimul è venis & arteriis,puta è tertio craſſæ meningis ſinu; ſicut & è venis ac arteriis,in baſi cerebri per varias ἀναστομώσεις concurrentibus,iſta hæmorrhagia fieri poteſt. Cùm ergo ſanguis iſte non ſolùm è venis, ſed & arteriis effluat,non mirum eſt ſi ſit rubicundior, quàm is qui è venis in cubito ſectis emanat.]

11. Quibus in febribus ardentibus aures obſurduerunt, his non ſolutâ febri delirare neceſſe eſt. Soluit autem inter alia & ſanguinis è naribus eruptio. Hippocrates, *de criſibus.*

12. Quibus febrire incipientibus ſanguis è naribus ſternutatione contingente deſtillat, & vrina ſubſidentiam albam in quarta habet, iis in ſeptima ſolutionem ſignificat Hippocrates, *in Coacis.*

13. Διαίρεσις in magno vaſe,præſertim in arteria, periculoſa eſt, & eroſio vix curatur; quia leui occaſione cruſta iterum decidit. Et Auicennæ eſt, quod fluxus ſanguis narium ex miſtura venarum aut arteriarum in reti cerebri mirabili ferè incurabilis ſit. Ἀναστόμωσις,quæ à criſi, hoc eſt, à natura propriis viribus operante,fit, bona eſt,præſertim in febre ardente,phrenitide,viſcerum inflammatione. Διαπήδησις ratione accidentis mala eſt,quia ſanguis tenuis cachexiam indicat.

14. Si ſanguine è naribus erũpente ſudores exigui adſint,& perfrigeratio accidat,ſiue extremorũ, ſiue totius corporis,malũ;quia nimia virium exſolutio indicatur. *Stillicidium ſanguinis quid ſignificet.*

15. Stillicidium ſanguinis,id eſt,exigua ſanguinis & ſtillatim è naribus fluxio, quæ ex partis, per quam fertur,denſitate accidit, vt hyeme,ob frigus, minus periculoſa eſt: ita deterior, quæ in acutis, æſtate vel autumno; quia tunc flaua bilis abundat, & aër ambiens calidior eſt; qua de cauſſa ſanguis promptius fluere debebat. Si ergo ſubſiſtit, arguit vel naturæ nimiam debilitatem,vel ſanguinis aduſti craſſitiem tantam, vt excerni

excerni commodè nequeat; teste Galeno, 4. *in acutis aphor.* 67. Pessimum est stillicidium, quod quarto die accidit, sanguinis præsertim nigri & crassi, & cum symptomatis malis, vt torpore & surditate, quæ cerebrum & facultatem animalem grauiter offensam esse significant. In morbis pulmonis etiam valde rubicundæ stillæ sanguinis malæ sunt. Hippocrates, *in Coacis*. Item in morbis longis paruæ fluxiones sanguinis perniciosæ, *ibidem*.

16. Oculorum rectitudo in morbo acuto, & motus velox, & somnus turbulentus & vigiliæ, & quandoque sanguinis è naribus stillationes, nihil boni significant. Hippocrates, *in Coacis*.

17. Qui statis certisque temporibus sanguinē profundunt, si siticulosi sint, difficiles & exsoluti, nec sanguinem profuderunt, epileptici moriuntur, 3. *prorrhet. aphor.* 49. ex retentâ scilicet, quæ consueta antè erat, euacuatione.

18. Ex sanguinis fluxu delirium aut conuulsio, malū, 7. *aphor.* 9. *In Coacis*, singultus quoque addditur.

19. Mensibus deficientibus sanguinis è naribus fluxio, bonum. Hippocrates. 5. *aph.* 33.

20. Sanguinis è naribus fluxio surditatem ex febribus soluit. Spinæ etiam distorsionem & spirandi difficultatem. Hippocrates, *in Coacis*. Et dolorem fortem in infernis partibus, 2. *epidem f.* 5. Et, *in libello de crisibus*. Præterea ab abscessu liberat, 4. *aph.* 47. Et vertigines ab initio sanguinis narium fluxio soluit. Hippocrates, *in Coacis*.

21. Interdum sanguis è naribus critica expulsione ad libras quatuor exit sine virium insigni lapsu, vbi & reprimi non debet, teste Auicenna, *in* 3. *can. fen.* 5. *tr.* 3. *c.* 8. *Sequenti capite* addit, quandoque hominem viuere in fluxu sanguinis narium, donec 20. circiter libræ effluxerint; mori verò, si vsque ad xxv. continenti scilicet vna affluxione, exeant. Nam copia sanguinis maior in corpore vix contineri simul vna vice putatur. Recentiorum obseruationibus compertum, sanguinē citra vitæ iacturam profluxisse nōnullis ad ℔. xii. aliis ad ℔ xviii. cuidam spatio quinque dierum, ad ℔. xx. aliis ad totidem libras die vna & noctibus duabus; aliis denique intra sex dies exiisse libras xi. teste Amato Lusitano, instaurato semper sanguine, & viribus reparatis, exhibitione cibi boni succi, ac præsertim sorbilis. Vide Schenckium *in obseruationibus Medicinalibus*.

22. Sanguinis fluxus immodicus plurimum nocet. Ex hoc enim in corporibus biliosis facies citrina euadit ebulliente bile, sanguinemque residuum adurente; in pituitosis pallida & plumbea, humore pituitoso multiplicato; melancholico fusca, & sæpius in omnibus mortuorum colorem producit, spiritibus absumptis. Præterea extremitates refrigerantur, lypothymia & syncope accidit. Interdum mors subsequitur, inprimis dum magna sanguinis copia breui tempore egreditur. Vbi verò multa copia pluribus diebus fluit, paulatim hepar refrigeratum debilitatur, vt cachexiâ & hydrops succedat. Auicenna. *loco antea citato, cap.* 7.

## *Indicationes.*

1. Ratione vasorum, si sanguis per eorundem ἀναστόμωσιν effluit, oscula illorum claudere & adstringere oportet: si per διαίρεσιν, vniendum quod quacunque ratione solutum est: si per διαπήδησιν, condensans remedium requiritur. Caussæ etiam externæ remoueantur.

2. Ratione sanguinis effluentis, si ille copiosus sit, minuatur: si impetu ruat, coërceatur, & aliò conuertatur: si calidus sit & acris, refrigeretur, & ad benignum reducatur, ac, quod prauum planè est, debito modo euacuetur: si tenuis, incrassetur: si malignus, corrigatur, si denique hepar calidius sit, temperetur.

3. Ratione facultatis, retentrix imbecilla roboretur; expultrix nimium incitata cohibeatur, sanguinis vel copia adempta, vel correcta praua qualitate.

4. Si fluxus sit criticus, non coërceatur, nisi modum excedat, naturâ ob imbecillitatem limites suos egrediente. Ac in his omnibus totius semper ratio habeatur.

## *Curatio.*

Antequam verò curatio secundum indicationes has speciatim tradatur, generales hosce Canones obseruare prodest:

*Canones in curatione hæmorrhagiæ narium obseruandi.*

1. Sistunt hæmorrhagiam narium phlebotomia, cucurbitulæ, ligaturæ fortes, extremorum frictiones deorsum factæ, immersio extremorum in aquam calidam, aspersio partis, vnde fluit, frigida, apertio mensium aut hæmorrhoidum.

2. Caput in hæmorrhagia narium non perfundendum est aquâ frigidâ, nisi reuulsiones præcesserint per phlebotomiam, extremorum frictiones, oppositorum ligaturas, & cucurbitulas in hypochondriis, aut in ceruice, quibus scilicet sanguis vel ad inferiora corporis, vel ad posteriora capitis retrahitur; alioquin, nisi hæc præmittantur, sanguis per refrigerantia intrò compulsus venas, quæ in alto sūt, implebit, vt Galenus, 5. *meth. med. cap.* 6. docet. Itaque fluxus sanguinis augebitur tum hac de caussa, tum quod calor per antiperistasin intus collectus sanguinis motum & impetum adiuuat. Aut, si sanguis retineatur, conuulsio, apoplexia, parotis, aut, sanguine in asperam arteriam procumbente, dyspnœa sequetur. Quin & hoc suspectum est, quod vulgus linteum frigidâ madidum toti collo mox inter initia iniicit. Etenim metus est, ne, viis inter cor & cerebrum præclusis, apoplexia aut syncope accersatur. Denique frigida, mammis, testibus, collo occipiti, & spinæ dorsi adhibita suspecta sunt, vbi in ebribus hæmorrhagia narium existit.

f 3. Si puluis aut liquor in nares immittendus est, os aquâ frigida plenum teneatur, præsertim vbi medicamentum vim causticam habet, ne de hoc per palatum aliquid in os incidat. Sed & aliàs æger quoque supinus iaceat, reclinato prius capite. Quod si naribus obstructis sanguis intus per gulam defluat, repurgatis naribus, ore frigidam etiam contineat, aut lac acidum actu frigidum.

*In fluxione quæ spectanda.*

4. Sicut in omni fluxione, ita & hîc spectanda sunt, primò membrum, vt appellatur, mandans, siue quod sanguinem pr. nat. & in maiori copia de se mittit; postea recipiens; mox sanguinis erumpentis quantitas, qualitas, σύστασις; tandem viæ, per quas sanguis fertur. Deinde motus sanguinis, num criticus sit & symptomaticus; atque si criticus, num moderatè, an cum excessu effluat: postea tempus fluxionis. In hæmorrhagia narium, quæ per ardentem fit febrem, concurrunt æstûs capitis attrahens materiam, hepar calidum, sanguinem sursum mittens, sanguis ipse feruidus suaspōte sequēs. In plethorâ mandans est totum corpus, inprimis hepar; vtrobique recipiens est caput. Sanguis pro natura sua varia alias curandi indicationes de se præbet quemadmodum diximus. Viæ, per quas sanguis ab inferioribus ac caput fertur, sunt venæ à iugularibus, tam internis quàm externis propagatæ, quarum eadē cum humerariis origo est, à trunco cauæ venæ ascendente. Motus sanguinis, si criticus sit, aut consuetus, & modum seruet, non supprimatur; nisi sit cum viriū lapsu. Nunquam autem statim in initio supprimatur, ac multò tardius sistatur in iis, qui ætate sunt iuuenili, & constitutione corporis sanguinea, & quibus hæmorrhoides aut menses substiterunt. Symptomaticus celeriora præsidia requirit. Denique quò longiore tempore fluxus durauit; eò maturius occurrendum est, ne vires tandem collabantur; quod vltra ℔. iiij. effusionem Auicennas fieri censet: cum tamen

idem modus in omnibus statui nequeat, vt diximus.

*Hæmorrhagiæ curatio.* Sed vt ad specialia perueniamus, immoderata nariũ hæmorrhagia cohibetur præsidiis, quæ respiciunt vel sanguinem, prohibendo, ne is amplius profluat; vel vasa, claudendo illorum apertionem, vel vtrumque: *Reuellentia.* quod tutissimum est. Prohibemus sanguinem fluere, eũ ad contraria ipsum reuellendo, cum deriuando ad vi- *Venæ sectio.* cina, vt docet Galenus, 5. *meth. med. cap.* 3. In prę-stat inprimis venæ sectio. Itaque si æger adhuc ferre potest, & nondum resolutus est, secetur media aut interna brachij dextri vena, dum hepar membrum mandans est, & sanguis è nare dextra profluit; sinistri, dum è nare sinistra; vtriusque, dum è nare vtraque: non quidem euacuationis gratia, sed reuulsionis, vt dictum. Fiatque foramen angustũ, vt subtilis sanguis effluat, maneatque crassior minus ad fluendum idoneus. Et moderatè sanguis educatur, ad Vnc. j. vel Vnc. ij. atque iteratò post horæ spatium, vt maior fiat reuulsio, viresque non simul dissipentur. Sic enim cursus sanguinis à naribus ad locum venę apertæ conuertitur, neç exigua hæc quantitas in plures partes diuisa vires deiicit. Idque ideo tutius est, quàm ad animi deliquium sanguinem mittere.

Si caput magis sanguine abundare videatur, cephalica aperiatur. In magna plethora prius venam tali incidere licet, præsertim vbi ex suppressis mensibus & hæmorrhoidibus malum extiterit.

Adhibeantur & alia, de quibus diximus, reuulsoria præsidia, aut cucurbitulæ cum scarificatione in suris, scapulis, & ceruice; hirudines post aures, extremorum frictiones, ligaturæ eorũdem dolorificæ, lotiones quoque ex aqua feruefacta, vel sinapismi plantis pedum applicati. Aquâ verò, aliisque frigidis vtendum est in iis partibus, vnde sanguis promanat, quãdoque non in iis ipsis planè, sed potius circa has vt Hippocrates docet, 5. *aphor.* 23. Cucurbita magna sine scarificatione hypochondrio dextro, si è dextra nare sanguis fluat; sinistro, si è sinistra effluit; vtrique, si ex vtraque, applicetur. Sed diligenter animaduertendum, qualis sanguis profluat, ne vitiosus aut malignus ad hepar, tanquam ad fontem, retractus ibi putrescat.

Vt verò hæmorrhagia narium præcaueatur, si à plethora ea proueniat, sanguinis nimium prouentum conueniente diætâ impedire debemus, &, si iam adsit, venæ sectione imminuere.

Et quidem si hæmorrhagiæ narium caussa est sola in *Purgatio.* corpore & capite sanguinis abundantia, sola etiam sanguinis reuulsio sufficit, nec purgatione aliqua opus est. Vbi verò vitiosi alij humores in corpore sanguini sunt admixti, purgatio instituenda est, quâ simul humorum ad inferiora fiat reuuulsio. Et quia bilis ferè peccat, vtendum tamarindis, myrobalanis citrinis vel chebulis, syrupo ex multiplici infusione rosarum, & similibus, quæ etiam nonnihil adstringunt.

Reuulsionum præsidiis administratis, ad medicamẽta veniendum est quæ tam intrò sumpta, quàm foris impofita, sanguinis fluxionem compescunt.

Commodè hæc in quinque classes distribuuntur. *Fluxũ sanguinis sistentia.* Prima classis infrigidantia complectitur, è quibus intra *Frigefacientia.* corpus vsurpanda, *syrupi* refrigerantes *è cichorio, iulepus* & *syrupus rosarũ, syrupus de succo acetosæ, de nymphæa, de papauere cum aquis portulacæ, lactucæ, plantaginis, semperuiui, solani*, & similibus. Conserua item, *rosarum, violarum, nymph. radices cichorij conditæ, caules lactucæ conditi, species diatrion santalon, diamargariti frigidi.*

*Opiata.* Ad hanc classem referunt etiam Opiata, vt philonium Persicum, Romanum, requiem Nicolai, Laudanũ opiatum. Sed alibi monstratum est, opium non esse frigidum, sed calidum. Et quamuis in hæmorrhagiis narium exhiberi possit: tamen eam non sistit refrigerando, sed potius spirituum impetum sistendo. Verũ opiatis non nisi extremâ vngente necessitate vtendum & dum vires adhuc constant.

Inter refrigerantia Iohan. Langius, *lib.* 3. *epist. cap.* 6. hoc habet:

℞. *Syrupi papau.* ℥. ß. *aq. polygoni* Drach. iij. *philonij Persici* vel *Romani* ℈. j. *lapidis hæmatitæ* ℈. ß. M. F. Haustus.

*Topica refrigerantia.* Foris tanquam topica applicentur fronti, temporibus, collo, scapulis, hepati, testiculis, *aqua* vel *succus rosarum, lactucæ, plantaginis, polygoni, semperuiui, solani cum aceto*, quibus aliquid *mandragoræ, hyoscyami, opij* addere licet.

Vt ℞. *Aqu. rosarum* ℥. iiij. *aceti rosacei* ℥. j. *boli Armeni* ʒ. j.

M. & frigidum fronti applicã cum intincto panno lineo, qui vbi incaluerit, denuo intinctus imponatur. Fortius adhærebit, addito albumine oui. Vtilis est etiã spongia aqua simplici frigida, aut rosarum cum pauco aceto madida fronti frequenter adhibita.

Testiculis circunligetur pannus hoc Liquore madidus:

℞. *Aq. plantag. portulacæ, bursæ pastoris*, an. Vnc. iij. *pulueris rosar. siccar.* ʒ. ij. *trochisch. de camphora* ʒ. j. Misc. pro Epithemate ad hepar:

℞. *Aq. cichorij, endiuiæ, acetosæ, lactucæ*, an. ℥. iij. *spec. diatrion. santal.* Scr. j. *diarrhod. abbatis, trochisch. de spodio*, an. Scr. j. *lapidis hæmatit.* ʒ. ß. *aceti* ℥. ß. Misce.

Aut ceratum santalinum, vel vnguentum rosarum Mesue hepati inungatur.

Manus quoque & pedes refrigerare vtile est, quod fit lotione cum aceto & aqua, præcipuè si volis & plantis è carpi regione, vbi arteriæ pulsant, adhibeantur. Vel silices, ferrum, vel alia frigida manibus teneantur, aut pedibus laminæ plumbeæ vel lapideæ substernantur.

*Adstringentia.* In secunda classe sunt adstringentia; quanquam & ex refrigerantibus, quæ attulimus, quædam eandẽ vim obtineant. Initiò verò vtilia sunt, *pentaphyllum, plantago, polygonum, bursa pastoris, myrtus, equisetum, pilosella consolida maior, minor, & media, fraga*, quorum aquam hæmorrhagiam sistere experientia obseruatum. est, *bolus armenus, terra sigillata, corallia rubra, balaustia, acacia, hypocistis, cortices granatorum, cornu cerui vstum, sanguis draconis, lapis hæmatites, alumen vstum*, quod tamẽ foris solùm vsurpatur.

Seorsim intrò sumuntur, *syrupus cydoniorum, myrtinus, de succo ribes, de limonibus, de succo citri, de rosis siccis, de agresta, de granatis acidis, cum aquis conuenientibus, conserua rosarum rubrarum, acetosæ, radices consolidæ conditæ, rob de ribes, de berberis, trochisci de terra sigillata, de berberis, de spodio, de carabe, mina cydonior. sine speciebus.*

Vel paretur tale Electuarium.

℞. *Conseru. rosar. rubrar. antiquæ, minæ cydonior. sine speciebus* an. ℥. j. *trochisc. de spodio, de berberis*, an. Drach. j. *corallior. rubror. præparat.* ℈. j. *C. C. vsti* Scr. ß. *spec. diamargar. frig.* Scr. ij. Cum *syrup. de rosis siccis* q. s.

F. Flectuarium.

Dosis Drach. ij. vel Drach. iij. & postea bibantur ℥. ij. vel Vnc. iij. aquæ plantaginis.

Vel ℞. *Sem plantag. portulacæ, lactucæ*, an. ℈. iiij. *rosar. rubrar.* P. ij.

Coq. in aqua chalybeata ad Vnc. jx. in Colatura dissolue *iulepi rosar. syrup. cydonior.* an. ℥. ij. *trochisc. de carabe* ℈. iiij. M. pro tribus dosibus.

Vel *Pulu. trochischor. de terra sigillata* ʒ. j. *corall. rubror. C. C. vsti*, an. ℈. j. *syrupi myrtillorum* ℥. j. *aquæ* vel *succi plantag.* ℥. iij. Misce.

Vtilis est & *corallinus syrupus*, & *tinctura coralliorum, essentia rosar. rubrar. tinctura lapid. hæmatit.* Item *crocus* ♂, & *extract. croci* ♂. si eius gutt. iiij. in aqua plantaginis exhibeantur.

Laudatur

Laudatur & sperniolæ compositum apud Crollium, tanquam efficacissimum ad quamuis hæmorrhagiam sistendam remedium, si quantitate auellanæ in aqua plantaginis exhibeatur. Efficacius verò fit medicamentum, si aliquid laudani opiati addatur.

Vt ℞. *Sperniolæ compositi Crollij* Drach. i. *extract. tormentillæ* Drach. ß. *laudani opiati* Scrup. ß. vel Scrup.j.

F. Pilulæ mediocres. Dentur 4. vel 5. in aqua bursæ pastoris vel plantaginis.

Pro Frontali:

℞. *Boli Armeni, sanguinis draconis*, ana Drach. iij. *mastiches, farinæ volatilis*, an. Drach. ii. Cum *albumine oui*, vel *succo plantaginis* & *aqua rosarum* Fiat Massa.

Puluis ad hæmorrhagiam narium ad extra D. Casp. Kegleri:

℞. *Lap. hæmatit.* Drach. iß. *corall. rubr.* Drach. sem. *chalcitid. vstæ* Drach. ii. *gummi Arab. ass.* Drach. sem. *trochisc. de spodio* Drach. i. *pulu. sanguinar.* Drach. ii. *sang. dracon.* Drach. iß.

Contusa misc. pro Puluere.

Alius:

℞. *Pilor. lepor. combustor. farinæ volatil.* an. Drach. ß. *boli Armen. præparati* Scrup. i. *succ. acaciæ, hypocist. sangu dracon. lapid. hæmatit*, an. Scrup. sem. M. Fiat Puluis.

Alius, D. Andr. Dôreri:

℞. *Spongiam marinam* num.j.

Lauetur aquâ bursæ pastoris. Imbuatur deinde aceto acerrimo. Imbuta intingatur in picem liquefactam; comburatur postea in vase fictili, & ad vsum tandem reponatur.

Vel ℞. *Myrrhæ, thuris, sarcocollæ*, an. Drach. ii. *boli Armeni, terræ sigillatæ*, an. Drach. ß. *acaciæ, hypocistidis*, an. Drach. iij.

Terantur in pulueren, de quo aliquid ex aquis refrigerantibus prius enumeratis inspergatur, ac spongia his immersa ac leniter expressa fronti & temporibus applicetur.

Refrigerantia autem medicamenta etiam colli lateribus, vbi iugulares venæ & arteriæ ascendunt, & ramos ad nares quoque mittunt, commodè applicantur, vt ita viæ, per quas sanguis ad caput & nares fluit, intercludantur.

In hæmorrhagiis [illegible]ium etiam commendatur aqua spermatis ranarum, si in ea addita pauca camphora & saccharo Saturni linteamina intingantur, & collo, vbi venæ iugulares descendunt, applicentur.

Non autem solùm epithematum forma, sed & ex bolo & similibus cum aceto & albumine oui emplastrum fieri, & colli lateribus vtrinque, vbi iugulares venæ adscendunt, applicari possunt.

Tertia classis glutinantia continet, cuiusmodi sunt, *thus, aloe, mastiche, tragacantha, gummi Arabicum, farina volatilis, gypsum, lutum figulinum, telæ aranearum, pili leporis combusti, lanugo arborum, flores & nucumenta salicis*, vel *populi arboris aceto macerata & iterum exsiccata, coryli* item, *nucis iuglandis, cinis chartæ ex linteo confectæ, spongia aceto macerata & cremata in vase fictili*, quorum pleraque vel pulueris forma naribus inflantur, vel cum aqua alic[illegible]a albuminis oui subacta naribus aut fronti applicantur.

Inprimis verò ad sistendum sanguinem vtilis est muscus crescens in craniis humanis, & fungus ille, quem crepitum lupi appellant. Galenus, *in euporistis ad Solonem, cap.* 13. & *alibi*, inter alia commendat thus masculum & aloën, quæ in puluerem trita albumine oui excipit, & cum linteolo, aspersis prius pilis leporis, in nares immittit.

Vel ℞. *Telæ aranearum, farinæ volatilis, pilorum leporis combustorum, aloes, thuris, sanguinis draconis*, an. Dra.j. *succi plantag.* q.s.

Gossypio excepta naribus imponantur.

Aut ℞. *Gummi Arab. tragacanth. pilor. leporis, C. C. vsti*, an. Drach. i. *aloes, boli Armeni, sanguin. dracon. mastiches, thuris*, an. Scrup. i. *succi bursæ pastoris* Vnc.jj.

Subigantur cum albumine oui, naribúsque aliquid indatur.

In quarta classe ponuntur, quæ à proprietate valere creduntur, vt sunt *succus vrticæ, portulacæ, millefolij, succus ocymi maioris cum camphorâ*. Quò etiam referuntur, *muscus in craniis* crescens, & alia suprà secunda classe proposita, *stercus porcinum, asininum, & succi ex his expressi cum bolo Armeno inditi, ranæ virides vstæ & in puluerem tritæ, sanguis, qui effluxit, tostus & tritus, vt & sanguis columbarum, perdicum, turdorum, turturum, cinis combustorum, quæ sub hydriis reperiuntur, asellorum*, quæ scilicet in nares sufflentur: *radix pæoniæ subiecta linguæ, lapis* item *carpionum in ore detentus, radix equiseti trita & naribus imposita*, aut *herba trita fronti applicata. Radix melanthij masticata & naribus indita, ac de collo suspensa.* A nonnullis plurimum commendatur radix cichorij albi circa festum Iacobi collecta circa meridiem, si dentibus teratur.

Quædam etiam collo appensa & manibus versata, ac cutim corporis attingentia, hæmorrhagiam narium sistere creduntur; vt folia vrticæ maioris, item flores bellid. maioris in manu detenti, donec incalescant: vmbilicus marinus, iaspis, quam valde ad omnem sanguinem non solùm è naribus & hæmorrhoidibus, verùm etiam è vulneribus fluentem, sistendum commendat Anshelmus Boëtius, *de gemmis, lib.* 2. *c.* 102. sarda, seu carneolus, corallium corpori applicatum.

Ita commendatur bufo transfossus ☉le in ♌ existente, exsiccatus & sindoni illigatus, ac regioni cordis applicatus, vel brachio eiusdem lateris. Muscus item qui in cranio humano concrescere fertur (vsneam humanā vocant) in sindone rubra de collo suspensus: herba anagallid. phænicea manibus detenta, radix cyani. *Peculiari vi sanguinem sistentia.*

Laudatur & hoc Amuletum:

℞. *Cinerem bufonis* vnius, *lapidis hæmatitæ* Drach. ß. *musci cranij humani puluerisati, vmbilici marini, corall. rubr. præpar.* an. Scrup. i. *rad. tormentill. bistortæ*, an. Drach. ß. *bursæ pastoris, flor. bellid. minoris, anagallidis rubræ*, an. P. j. Fiat Puluis, qui in sericum rubrum includatur. F. Sacculus collo appendendus. Aëtius tanquam expertum laudat vaporem ex aceto lapidi molari ignito insperso, si naribus excipiatur. Prodesse etiam ferunt cochlearum carnes cum aceto tritas, aut cum thure naribus inditas; aut cochleas cum domiciliis suis vstas ac tritas, si fronti & naribus imponantur.

Plurimum hîc nonnulli commendant sperma ranarum vere collectum siccatū, quod cum vino propinant.

Postremæ classis sunt caustica, vt vitriolum & chalcitis, calx viua, alumen; quo etiam referri potest sulphur accensum, si extinguatur, & vapor naribus excipiatur.

## *Diæta.*

Victus ratio in hoc malo sit infrigidans & adstringens, ratione vasorum apertorum & sanguinis feruidi atque acris; & tenuis quoque & parca, si sanguis copiâ peccet. Itaque aër ad frigidum & siccum declinet, sitque aliquantum obscurus; cum lucidus aspectus sanguinem commoueat: sicut & rubrorum intuitus, & calor externus immoderatior, & motus animi vehementior. Quapropter nec frequenter loquatur æger. Sit etiam parùm coopertus, præcipuè in collo & in capite. Caput non pronum teneat. Comedat pedes & capita veruecum, aliorúmque animalium, quæ succum præbent lentum & glutinosum. Vtatur in cibis amylo, cremore ptisanæ, hordeatis, amygdalatis cum seminibus frigidis maioribus & saccharo rosato. Caueantur omnia

omnia, quæ sanguinem multiplicant & calefaciunt, exacuunt, attenuant, fluxilémque reddunt. A vino abstineat æger, nisi virtus deficiens plus possit ad indicandum, quam affectio ipsa ad prohibendum, hoc est, vbi spiritus iam deficere incipiunt, & syncope imminet. Tum enim vinum conceditur, sed oligophorum & nonnihil adstringens, & cum aqua aliqua adstringente vel chalybeata temperatum, & quidem vinum in minima quantitate actu frigidum. Somnus sit multus, sed interruptus, ne sanguis ad pulmones vel ad ventriculum confluat.

## CAPVT IX.

### *De Sternutatione.*

*Sternutatio.* INter symptomata, quæ circa nares accidunt, est & Sternutatio, qua natura per nares, quod anteriori cerebro & membranis nasi molestum est, excutere conatur. Quod enim tussis est in pulmone, id sternutatio est in cerebro & naribus. Nam sicut per tussim natura ea, quæ pectori & gutturi molesta sunt, eiicit: ita in sternutatione, quæ naribus molesta sunt. Sternutatio tamen motus, quam tussis, vehementior est. Ad tussim enim saltem pectoris motio requiritur: ad sternutationem & pectoris & membranarum cerebri. Vnde etiam sternutatio pro parua epilepsia habetur. Aër enim, qui è pectore egreditur, ei, qui per nares ad cerebrum attrahitur, coniunctus, quicquid molestum est membranis narium, impetu quodam, & cum magno sono elidit, qui generatur, quoniam aër copiosior confertim per angustas narium vias transit. Etsi verò à caussa præternaturali originem habeat sternutatio naturam stimulante: tamen quia naturæ molestum expellentis fit operâ, sæpe cum commodo accidit, & medicamentis concitatur, vnde lethargo, apoplexiæ, epilepsiæ, & similibus capitis affectibus subuenit. Ad partum etiam facilius edendum, ad secundinam expellendam, ad singultum sedandum vtilis est. Si tamen immoderatior sit, etiam sua habet incommoda; dolorem capitis excitat, nocétque pectoris & pulmonis morbis, vt & herniæ.

*Sternutationis commoda.*

*Incommoda.*

### *Caussæ.*

Caussa Sternutationis est, quicquid internam narium tunicam irritare potest; quod faciunt vel caussæ internæ, humores, & vapores acres à cerebro eò delabentes: vel externæ, vt acria; puluis scilicet piperis, sinapi, nigellæ, pyrethri, hellebori albi, euphorbij, & alia ptarmica: vapores item è cæpis, allio, raphano agresti, & similibus exhalantes; ventus & aër frigidus; radii item Solis, & lux magna; quæ sicut lacrymas ciere oculos vellicando solent: ita & per consensum narium tunicam sensibilem afficiunt.

### *Signa Diagnostica.*

Affectio ipsa per se manifesta est. Si à caussis externis ortum habeat, eæ ex relatione ægri innotescunt: quæ si absint, prouenit à caussis internis.

### *Prognostica.*

1. Sternutatio, vt antè etiam dictum, quandoque nihil nocet, sed pro bono signo & omine vulgo quoque habetur, ac in sanis illud, quod molestum est, excutit. Interdum etiam in morborum declinationibus finem illorum præsagit, validámque virtutem, & materiam attenuatam ac in halitum conuersam indicat. Si tamen sit immoderatior, & diu continuetur, capitis dolorem parit, & spiritus dissipat.

2. Instantis quoque catarrhi indicium est quandoque, vt & in dispositis quandoque epileptici paroxysmi, & aliorum capitis morborum præsagium est.

3. Mulieri vteri strangulationem patienti, aut difficulter parienti, si sternutatio superueniat, bonum. Hippocrates, 5. *aph.* 35.

4. Sternutatio in morbis, in quibus prouocari debet, vt in apoplexiâ, prouocata non adueniens, signum lethale est. Naturam enim succumbere significat.

5. Sternutatio in corpore plethorico in principio morbi cum destillatione mala est.

### *Indicationes.*

Sternutatio, quæ nimia est, sistenda est & impedienda; sicut & quæcunque in hæmorrhagia narium, quam commouet; in hernia, cum intestina suo loco depellat; in oculorum, pectoris, aliarúmque partium dolorosis affectibus, quos exasperare solet. Quæ verò in declinationibus morborum, vel ante paroxysmum epilepticum accidit, impedienda non est. Impeditur autem & inhibetur sternutatio, si ea, quæ vim expultricem irritant, & narium sensilem tunicam vellicant, tollantur, & vellicatio ipsa inhibeatur.

### *Curatio.*

Itaque si à capitis excrementis fit sternutatio, caput euacuandum. Si à caussis externis, illæ amouendæ. Vbi verò caussæ sternutationem excitantes statim tolli non possunt, præsertim internæ, vt illa irritatio tollatur, nares demulceantur vapore aquæ tepidæ, vel inungantur lacte, butyro, oleo violarum, rosaceo, salicis, amygdalarum dulcium, seminis cucurbitæ, papaueris; vel albumine oui, & mucilagine seminis cydoniorum & psyllij. Eadem olea etiam auribus immitti possunt. Nonnulli os frigidâ fouent, & faciem etiam frigidâ lauant. Decoctum Basilici exhibitum ad sistendam sternutationem vtile esse, nonnulli docent, vt & si eodem decocto caput lauetur. Anisum etiam cum apio olfactum sternutationem inhibere fertur.

Vt materia à naribus reuellatur & deriuetur, extrema ligentur & fricentur, aures vellicentur, oculi premantur aut fricentur, nasus trahatur, caput pectinetur, palatum digito fricetur. Spiritus retentio, vt & valida attractio, sternutationem etiam sedat. Et cum lux ac splendor sternutationem excitent, tenebræ eam sedant. Si verò à frigore & boreâ proueniat sternutatio, olea calida sine mordicatione naribus attrahere, & in nares infundere, calida item olfacere conuenit.

## CAPVT X.

### *De Coryza.*

TAndem inter excretorum per nares vitia est Coryza, Latinis Grauedo, ita dicta, quod in ea in capitis parte anteriore circa frontem sensus quidam grauitatis percipitur, humoris scilicet excrementitii è cerebro per nares defluxus nimius.

Verum quia Coryza catarrhi species est, de catarrho verò suprà satis dictum; vt in specie de coryza multa dicamus, opus non est. Hoc saltem monemus, inter reliquas catarrhi species leuissimam esse, quæ fit in nares, & minus periculosam, quam quæ fit in asperam arteriam vel pulmones. Et plerumque, si vniuersalia præsidia adhibeantur, & recta diætæ ratio instituatur, sponte cessat. Ad compescendam tamen coryzam iubent Medici excipere naribus vaporem è decocto maioranæ, chamæm. meliloti, violar. sisymbrij, vel aq. maioranæ naribus attrahere, vel acetum rosaceum ferreæ laminæ ignitæ infundere, vel rosas cum aceto laminæ iniicere, vel fabas integras aceto madidas, & vaporem

naribus

naribus excipere. In fluxione frigida etiam nigellæ & cumini vel thuris vsti odor naribus suscipiatur, vel pulegium olfaciendum præbeatur. Odores enim ejusmodi & caussam proximam siccando absumunt, & remotam quasi, id est, intemperiem cerebri frigidam corrigunt. Qui Coryza laborant, balneum ingredi non debent, ne materia ad nares fluens circa os ethmoides exsiccetur, & obstructionem pariat; vnde olfactus tollitur. Si nares ex continuo defluxu humoris acris exasperentur, & rubescere, atque exulcerari incipiant, vnguento pomadæ inungantur.

# LIBRI PRIMI PARTIS III.

## SECTIO V.

## De Linguæ Morbis & symptomatibus.

### CAPVT I.

### *De Linguæ Asperitate & Scabritie.*

POSTQVAM Narium affectus explicauimus, & de olfactus læsione egimus: restat tandem, vt de morbis ac symptomatibus linguæ, & gustatu læso dicamus, atque ita tractationi de morbis & symptomatibus, quæ in sensibus externis & eorum organis accidunt, finem imponamus. Etsi verò lingua non solum gustatus organum sit, sed & motum obtineat, vt cibum in ore regere, & tanquam manus dentibus porrigere, deglutitionem promouere, collectionem quoque & ejectionem saliuæ adjuuare possit; præcipuè verò sermonis organum sit, & propterea affectus, qui linguæ præter naturam accidere solent, non omnes hujus loci sint, vbi de læso gustatu ejúsque organo præter naturam affecto agere nobis propositum est: tamen cum affectus hi magnam cognationem habeant, & vnus linguæ morbus & gustatui & sermoni obesse possit, ob affinitatem, & quia vni subjecto insunt, de omnibus linguæ morbis & symptomatibus hoc loco agemus.

Et linguæ morbos quod attinet, primò quidem lingua sæpe aspera & sicca euadit, ita interdum, vt etiam rimas & fissuras agat. Idque accidit à vaporibus calidis, acribus & putridis, linguam exsiccantibus & quasi comburentibus; quod fieri solet in febribus continuis, malignis, ardentibus, in inflammatione pulmonum, pleuræ, & partium thoracis, ac cordis calidis affectibus, vt & si à ventriculo, hepate, liene, & partibus vicinis, vapores tales per œsophagum ascendant.

Curatur quidem rectissimè hoc malum, si morbi, à quibus fuligines illæ acres & calidæ suppeditantur, tollantur: verùm quia ægri hæc ipsa etiam mala leniri cupiunt, calorem, asperitatem & siccitatem linguæ, temperant collutione oris ex aqua portulacæ, rosarum, nymph. decocto hordei, cum exigua portione aceti, vel julepo rosarum aut violar. vel decocto violar. lactuc. cum syrupo violarum & diamor. Vel detineatur in ore succus citri, radic. lactucæ, cerasa acida, tamarindi, pulpa cucumer. cucurbitarum. Vel nodulus ex semine cydonior. cum pauxillo sacchari candi, decocto hordei, vel aquâ rosarum aut violarum madidus.

Vel ℞. *Mucilag. psyllii, sem. cydon. aq. violar. extract.* an. Vnc. sem. *syrup. violar.* Vnc. iii. *facchar. penid.* Vnc. sem. Misce.

Vel ℞. *Hordei contusi, passular.* an. Vnc. i. *glycyrrh.* Drach. ii. *sem. psyllii, cydon.* an. Vnc. sem. Coqu. & colentur, & addita sacchari s. q. ad syrupi formam coquantur. Vide plura in doctrina *de Febribus, de Curatione symptomatum, quæ febribus accidere solent.*

### CAPVT II.

### *De Linguæ Magnitudine nimia, Tumore, Calculis.*

DEinde interdum lingua præter naturā augetur, & quidem non vno modo. Nonnunquā enim incrementum saltem quoddam linguæ est. Ita Galenus, *de diff. morb. c. 9.* scribit, se vidisse cujusdam linguam supra modum absque vllo doloris sensu excreuisse, vt neque œdema, neque scirrhus, neque inflammatio esse videretur. Neque enim prementi manui cedebat, neque omni sensu carebat, neque dolore infestabatur, sed hoc ipsum incrementum duntaxat erat, nihil ipsâ substantiæ particulâ vitiatâ; quod accidit ob copiam vtilis alimenti in eius substantiam conuersi. Nonnunquam verò ex affluxu humorum p. n. vitiosorum lingua tumescit, & quidem cum vel sine inflammatione. Sicut Galenus, *15. de meth. med. cap. 8.* scribit, se vidisse linguam ita tumefactam, vt ore contineri non posset: quod & Forestus vidit, *libr. 14. obseru. 18.* Id quod accidit plerumque ex materiæ calidioris ad linguam affluxu, ob quem interdum etiam inflammatur, & quandoque inflammatio in abscessum degenerat. Interdum verò tumor est ex pituitosæ materiæ affluxu: nonnunquam etiam à morbo Gallico, humoribus prauis & corruptis ad linguam affluentibus, vnde ita intumescit, vt ex ore emineat; sicut Alexander Benedictus id annotauit, *lib. 5. cap. 10.* Idem interdum ex inunctione hydrargyri accidit. Nonnunquam verò & ex materia venenosa, vt esu fungorum venenatorum, vel alterius rei venenatæ, vel morsu bestiæ venenatæ linguæ tumor excitatur.

*Linguæ magnitudo nimia.*

*Linguæ tumor.*

### *Signa Diagnostica.*

Magnitudo præter naturam aucta & tumor ipse visui patet: caussæ verò ita discernuntur. Si magnitudo illa linguæ sit saltem quasi nimium linguæ incrementum, lingua secundum partes omnes æqualiter augetur, & dolor ac signa vitiosorum humorum absunt.

Si verò fiat ex affluxu humorum vitiosorum, signa eorum, & dolor plerumque adest, & ferè in vna parte magis apparet, quam in alia. Et quidem si tumor fit à sanguine & materia calida, adest simul rubedo faciei & linguæ, habitus corporis est calidior, & manifesta caliditas ac dolor plerumque percipitur. Si verò materia sit pituitosa, lingua albicat, multúmque pituitæ effluit, sapórque est insipidus. Si ex lue Venerea fit tumor, ejus notæ etiam alibi in corpore apparent. Si ex veneno, aut re venenata sumpta, id æger patefaciet, & alia etiam signa veneni aderunt.

### *Prognostica.*

1. Linguæ tumor malum est non contemnendum. Nam lingua motu suo & sermoni & masticationi inseruit, qui in lingua tumida læditur. Imò interdum ex nimio linguæ tumore periculū suffocationis imminet.

2. Si linguæ tumor sit durus, liuidus, & ad cancri naturam ferè tendens, incurabilis est.

### *Curatio.*

Materia ad linguam confluens auertenda, euacuanda, repellenda, &, quæ influxit, discutienda, vel etiā suppuranda. Ideóque si sanguis abundat, vena cephalica in brachio aperienda, & cucurbitulæ ceruici apponendæ.

Deinde etiã venæ ſectio ſub lingua inſtituenda. Humor biliofus & pituitoſus conuenienti modo euacuandus.

Præmiſſis vniuerſalibus, & reuulſionibus ac diuerſionibus adhibitis, in tumore à ſanguine in principio vtendum medicamentis repellentibus, vt ſucco citri, limon. ribes, granatorum, acetoſæ, ſucco lactucæ; quo ſolo Galenus, 14. *m. m. cap.* 8. purgatione præmiſſa, quendam ſanauit. Nam ſucci hi & repellunt ſuâ frigiditate, & ratione acetoſitatis humiditatem cum ſaliua educunt. In augmento addatur diamorum, verſus declinationem acetum quoque admiſceatur ſcilliticum.

In materia pituitoſa in principio vtendum oxymelite ſimpl. In augmento addatur parum zingiber. aut ſalis gemmæ & Ammoniaci, vel os colluatur decocto origani, pyrethri, cum hydromelite.

Verſus declinationem frictio fiat cum ſale & aceto, vel cum cepis aut ſcilla. Frequẽter exſpuendum: quemadmodum hæc à Rhaſe peculiari capite explanãtur. Pituitam quoq; ex ore efficaciter ducit hæc oris Collutio.

℞. *Maluæ cum toto, violar. fol. ſcabioſæ, hyſſop.* an. M. i. *rad. altheæ* Vnc. ß. *flor. melilot.* P. i. *ficuum* Num. iii. *paſſular. enucleatar.* Vnc. i. *ſem fœnicul.* ℥. ii. *nid. hirund. dimid.*

Coqu. in aqua communi:

Colaturæ, ℞. ℔. i. ß. *mell. roſat. colat.* Vnc. iii. pro oris Collutione.

Si tumor pituitoſus ſit, & humorem melancholicum admiſceri ſuſpicio ſit, humor is euacuandus, & lingua aſſiduè lacte vel decocto caricarum, paſſularum maiorum, radic. altheæ, glycyrrhyzæ, ſem. fœnigræci fouenda.

*Lingua tumor cancroſus.* Si linguæ verò tumor calloſus & cancroſus ſit, cuius mali hiſtorias aliquot recenſet Foreſtus, *lib.* 14. *obſ.* 24. *in ſchol.* malum ferè incurabile eſt, & putredine ad radicem linguæ, vel ſanguinis fluxu in venis eroſis accedente tandem ægri moriuntur.

*Lingua inflãmationis.* Si linguæ tumor cum inflammatione coniunctus ſit, ſecetur primò cephalica, hinc venæ ſub lingua, & cucurbitulæ vſurpentur; poſtea curandum, vt abſceſſus rumpatur, colluendo os decocto tepido foliorum lactucæ, maluæ, violarum, hordei, ficuum, paſſularum maiorum, ſem. cydonior. fænigræc. addito ſyrupo violarum, & de iuiubis ac diamoro. Ficus etiam per medium ſciſſæ, & continuò tumori impoſitæ, ſuppurationem promouent: vt & decoctum earum & vuarum in ore detentum. Furfures etiam, ſi in aqua coquantur, donec liquor lubricus fiat, & colatum decoctum in ore ſæpius detineatur, abſceſſum aut rumpit, aut diſcutit.

Si tumor ſponte non aperitur, ſcalpello aperiatur. Pure excreto decocto hordei, folior. ſcabioſæ, plantagin. agrimon. cicer. rubr. addito melle roſac. eluatur: abſterſum vlcus ferè per ſe conſolidatur; aut curatur vt oris vlcera.

*Tumor linguæ. A veneno.* Si ex lue Venerea ſit tumor, curatio ad eundem morbum dirigatur.

In materia venenoſa ex eſu fungorum prauorum, aut alterius rei venenatæ, vel morſu beſtiæ venenatæ, ad magnas antidotos, & propria remedia confugiendum eſt; & vitanda purgantia, quæ materiam ad centrum corporis trahunt, ac venenum intus retinent. Os verò colluendum decocto plantaginis, ſcabioſæ, ſyrupo vel melle roſaceo.

*Calculi in lingua.* Obſeruatum etiam, Calculum in ſpongioſa linguæ carne genitum fuiſſe, & tandem tumore, qui calculum continebat, emollito ac aperto, excidiſſe, cuius rei exemplum habet Foreſtus, *lib.* 4. *obſeru.* 26.

Vlcera verò, quæ poſt inflammationem interdum relinquuntur, curantur vt reliqua oris vlcera; vt poſtea dicetur.

## CAPVT III.

### *De Linguæ Vulneribus.*

*Lingua vulnera.* Lingua interdum etiam vulneratur, quod plerumque dentibus accidit, in conuulſionibus & lapſu; imò interdum particula linguæ hoc modo amputatur.

Vulnera autem talia nonnulli ſuturis coniungenda docent: verùm vix commodè hîc ſutura inſtitui poteſt; ideóque ſolùm medicamenta conuenientia adhibenda. Quia verò emplaſtra adhiberi commodè non poſſunt, linctus & linimenta ex ſyrupo de roſis ſiccis, melle roſato colato, ſyrup. vel ſimilibus adhibenda. Vel paretur tale Decoctum, quo os colluatur:

℞. *Hordei mundi* M. i.

Coqu. *in aqua pura*, donec crepet, ſub finem adde *folior. myrtill. ſummit. hyperic. fol. plantag. roſar. rubrar.* an. M. ß. *baulauſtior.* P. i.

Coqu. Decocto os colluatur. Poteſt & mel roſatum addi. Si verò, quod interdum accidit, linguæ particula amputata ſit, ea non regeneratur.

Pertinent huc & faucium atque oris vlcera, quibus interdum linguæ quoque maximam partem abſumptam fuiſſe, compertum eſt. De quibus *lib.* 6. *part.* 4. *cap.* 23. dicetur. Vtilia ſunt & hæc medicamenta:

℞. *Plantaginis, caudæ equinæ*, an. M. i. *roſar. balauſtiorum, ſummitat. abſinthij, ſalicis*, an. P. i. *hordei integri* Vnc. i. *nucum cupreſſi, lenticular. ſumach.* an. Vnc. iii.

Decoquantur ſufficienter *in aq. part.* 10. & vna *aceti*; & in colatura diſſolue *mell. roſat. vin. gran. diamor.* an. Vnc. ii. Fiat Gargariſmus.

Vel ℞. *Aq. plantag. roſar. caprif.* an. Vnc. ii. *portulac. diamor.* an. Vnc. i. *rob ribes mell. roſat. omphac.* an. Drach. ß.

Miſce pro Gargariſmo.

## CAPVT IV.

### *De Ranula ſub lingua.*

*Ranula ſub lingua.* Nonnunquam tumor ſub lingua in oris molli parte, qua linguæ connexa eſt, oritur, pueris familiaris, rarius inflammationis, ſæpius œdematis ſpeciem præ ſe ferens, quem à figura, quam exprimit, βάτραχον, ſiue Ranulam linguæ, Aëtius & Paulus appellant. Quanquam interdum globuli rotundi ſpeciem exhibeat. Aperto illo tumore mucus prodit, oui albumini colore & conſiſtentia ſimilis: nonnunquam tamen & colore citrino. Compertum verò eſt, & lapillos ſimul cum muco, vel ipſos ſolos ſine ſanie & ſanguine, ex apertis eiuſmodi tumoribus excretos fuiſſe.

Cauſſa mali eſt ſanguis craſſus & terreſtris, ſeu, vt loquuntur, humor tartareus in venis ſub lingua coaceruatus, aut pituita & humor lentus à cerebro eò delatus, partibúſque illis infixus.

Quod ad curationem attinet, poſt vniuerſalia, phlebotomiam ſcilicet, diuerſionem & purgationem, collutiones oris fiant ex incidentibus & reſoluentibus, vt ex decocto origani, mentaſtri, pyrethri cum ſale communi toſto, vel cum ſale gemmæ.

Vel hic Puluis vſurpetur:

℞. *Piperis zingiber.* an. Drach. i. *ſal. gemm. comm.* an. Scrup. ii. *origan. calaminth. rad. ireos, hermodactyl.* an. Drach. ß. *maſtich.* Scrup. i.

F. Puluis, quo Ranula fricetur.

Aliqua etiam pars pulueris huius incorporetur cum albumine oui, & cum petia imponatur, ſemper renouando, poſtquam æger crebrò id exſpuerit.

Auicennas laudat origanum, cortic. granator. & ſal, quibus mixtis & pulueriſatis ranulam fricare iubet.

Item

Item tragacanthum vſtum, & hermodact. mixta cum albumine oui,& ſub lingua poſita.

Aut ℞. *Balauſt. alumin. gallar.*an.Vnc.ß.

F. Decoctio in aqua. Colatura ſub lingua teneatur. Fortius eſt, ſi frictio fiat cum flore æris & tragacanth: Aëtius ærugin. raſæ, chalcitidis & gallæ æquas partes miſcet,& pulueriſata inſpergit,cauendo,ne quid de hiſce deglutiatur. Aut cum paſſo collutionem ex iiſdem parat; aut iis vtitur, quæ ad aphthas & vlcera oris valent.

Commendat & hoc,quod

℞. *Nuc. iugland. veteres integras, vnà cum corticibus vſtas,*quibus tritis addit

*Piperis* ℥. xii. *thur.* ℥. iii.

Et cum melle mixta illinit.

*Chirurgia.* Si his nihil perficitur,tumor ſcalpello vtrinque aperiatur, &, vbi humoris copia effluxerit,os aliquot diebus colluatur cum poſca exiguo ſale addito,donec nihil amplius humoris in loco affecto reliquum ſit. Alii acu per tumorem transfixa vulnus poſtea cum ſcalpello dilatant, vt materia contenta effluat, quâ exhauſtâ aquam mulſam gargariſare iubent, quam & per ſiphonem in transfixum tumorem immittunt; & vlcus tandem legitimè claudunt. Sunt, inter quos Ambroſius Paræus, *lib.7. cap.5.* qui potius ferro ignito tumorem aperiendum cenſent, ne malum reuertatur. Nigram verò vel fuſcam & duram ranulam, quæ cancroſa eſt, ne attingas.

## CAPVT V.

### *De Linguæ Adstrictione.*

*Lingua adſtrictio.* ACcidit etiam interdum, vt lingua freno aut vinculo ſuo arctius adſtringatur, vt veluti decurtata liberè moueri ad ſermonem formandum nequeat, ſiue id fiat à primo ortu,ſiue pòſt ab vlcere aut cicatrice.Ac tales ἀγκυλόγλωσσοι & μογιλάλοι appellantur; vitium ipſum ἀγκύλωσις.

Malum hoc oculis patet, & ſermoni impedimentum affert: infantes etiam eo laborantes lac promptè ſugere nequeunt.

Viculum ergo hoc tranſuerſim incidendum eſt, vt Aëtius docet, *tetrab.2.ſerm.2. cap.26.* Paulus Ægineta, *lib.6.cap.29.* Nimirum lingua ſenſim eleuanda eſt, & forcipe acutâ frenum,quantum opus,diſcindendum, cauendo, ne venæ ſub lingua lædantur. Vid. Inſtitut. *lib.5.part.1.ſect.2.cap.7.*

Si verò cicatrix cauſſa eſt,vncino apprehenſa extendatur, &, quicquid durum eſt, & cum naturali carne non conſentit, exſcindatur: ſectione peractâ os poſca abluatur,poſtea inſpergatur manna thuris, imponatur linteum carptum & conuulſum, & os aqua mulſa colluatur,vel mel roſatum illinatur.

Atque hæc de morbis linguæ dicta ſunt. Iam de ſymptomatibus dicendum.

## CAPVT VI.

### *De Læſo Guſtatu.*

LInguæ à natura tum motus tributus eſt,quo promptè in omnem partem impellatur; qua de cauſſa etiam muſculos plures accepit: tum ſenſus tactus & percipiendi ſapores.Motum habet à neruis,qui muſculis linguæ implantantur; ſenſum ab iis, qui in extremam linguæ ſuperficiem & tunicam eius ſparguntur. Ita fit, vt lingua partibus extimis ſapores dignoſcat, moueatur verò à muſculis,vt ſcribit Galenus, 8. *de vſu part. cap. 5.* Nerui motui linguæ inſeruientes ſunt à ſeptimo pari neruorum cerebri;qui guſtui inſeruiunt,à tertio pari propagantur.

Quanquam autem guſtus tactus quidam eſt,vt Ariſtoteles diſputat, 2.*de anim.cap.*10.& vtrumque habet à neruis tertii paris: tamen aliquando accidit, vt manente ſenſu tactus in lingua guſtus pereat.Nam ad guſtum,qui ſubtilior ſenſus eſt,exquiſita admodum in organo ſentiendi facultas requiritur, quæ facilè ab aliqua præter naturam cauſſa hebetatur; hebetata tamen ſufficere poteſt ad ſenſum tactus,qui non ita facilè,vt guſtus,in eadem parte læditur & afficitur.

*Guſtus læditur ſeruato motu linguæ.* Sed vt pereunte tactu in lingua guſtus maneat, fieri nequit. Sæpe verò & hoc vſuvenit, vt conſtante guſtu tactúque linguæ, motus eius impediatur; cuius ratio manifeſta eſt, ex diuerſis ſenſus & motus neruis,vt diximus. Senſus igitur linguæ ineſt,tum vt tactiles qualitates percipiat, tum vt guſtabiles, qui ſunt ſapores, eorúmque diſcrimina varia. Motus ineſt, vt cibum in ore regat, & tanquam manus dentibus porrigat, & etiam deglutitioni inſeruiat, & vt collectionem & exſpuitionem quoque ſaliuæ adiuuet, præcipuè verò vt ſermonis formandi ſit inſtrumentum.

Poſtquam igitur de morbis linguæ dictum; proximum iam eſt, vt de ſymptomatibus eius dicamus.Inter actiones læſas hic ſunt,Guſtus læſio, & Motus linguæ læſio.

Vt lingua guſtatus organum ſit,non ſolùm peculiarem ſubſtantiam, carnem ſcilicet ratam, ſpongioſam ac mollem obtinet, ſed & neruos à tertio neruorum pari accepit: quæ eius naturalis conſtitutio ſi læditur guſtatus læditur.

Læditur autem guſtatus tripliciter; vel quia imminuitur,vel aboletur, vel deprauatur. Imminuitur,cum ſaltem ſapores excellentes percipit; aboletur, cum planè nullos; deprauatur, cum obiectum alterius, quàm eſt, ſaporis eſſe iudicat. Imminuitur & aboletur iiſdem de cauſſis, quæ in imminuto guſtatu ſunt minores, in abolito grauiores. *Cauſſa guſtatus læſi.*

Fit hoc,cum vel ſpiritus animalis non tranſmittitur, quia paulatim deficit; quod fit in moribundis: vel quia eius influxus impeditur ab obſtructione aut tumore pr. nat. in neruis tertii paris, & parte cerebri, vnde nerui illi originem habent:vel quia nerui tertij paris refrigerátur,aut lingua frigidâ,aut humidâ materiâ perfunditur;vt fit in catharro,aut puſtulis :vel vlcere obſidetur.

Deprauatur verò guſtus, quia vel linguæ ſubſtantia, vel membrana illam inueſtiens, vitioſo aliquo humore imbuta eſt. Ita ſi bile lingua perfunditur, omnia, quæ guſtantur,amara eſſe putantur,in aliis affectibus ſalſedo vel acor cibis ineſſe videtur. Nam ſuccus extrinſecus à cibis accedens vitioſum linguæ ſuccum,qui prius quieuerat, excitat mouétque; guſtandi autem facultas non eum, qui iam acceſſit, ſed qui per linguam antea fuſus erat, ſentit ac percipit, atque ita quod intus exiſtit in lingua,prohibet extraneum; quemadmodum hac de re docet Galenus, 1.*de ſympt. cauſ. cap.*4. Addit ibi Galenus, aliquando, quamquam rarius, accidere, vt lingua ob ἀκρίβειαν ſenſus guſtandi ſuccos, quos in ſe continet,prius ſentiat,quàm aliquid ore acceptũ guſtet.

### *Cauſſæ.*

Vt ergo cauſſas breuiter complectamur,imminuitur vel aboletur guſtus, neruis ſuis perfrigeratis & emollitis, vel iiſdem obſtructis, aut malè affectâ ea parte cerebri, vnde illi prodeunt: aut malè conformatis neruis, neque ad linguam pertingentibus; quod in Lazaro illo vitrivorace, qui nullo prorſus guſtu, dum viueret, præditus erat, accidit, cuius mentionem facit Columbus, *lib.13. Anatom.*

Deprauatur vel à cauſsâ externa, vt aſſumptis quibuſdam in os, quorum ſapor non facilè è lingua eluitur; vel internis, vt ab humore vel vapore, quo lingua imbuitur. Humor ille vel vapor defertur interdum ex ventriculo, vel inteſtinis, (quorum tunica communis

eſt cum linguæ & faucium tunica ) item ex vtero, hepate, liene, pulmone, thorace malè affectis: interdum ex faucibus vlcere ſanioſo obſeſſis ad linguam mittitur: frequenter denique è cerebro ad fauces & linguam confluit.

### *Signa Diagnoſtica.*

An ſapor imminutus, abolitus, vel deprauatus ſit, æger patefaciet. Qualis verò ille humor ſit, læſi guſtatus cauſsâ, ex ſapore & linguæ colore dignoſcitur.

Nam dulcedo & rubedo ſanguinis eſt; amaror & color citrinus bilis; ſalſedo & albedo pituitæ putreſcentis; acor & color ater humoris melancholici. Sapor abominabilis prauos in ore ventriculi humores hærere arguit. Puſtulæ, tumor & apoſtema linguæ, oculis cernuntur. Si lingua ſit ſana & mediocriter rubra, & guſtatus imminuatur vel aboleatur, ægritudo eſt in capite vel neruis, à quibus guſtandi facultas dependet.

### *Prognoſtica.*

1. Guſtus læſio diu perſeuerans facultatem naturalem lædit. Neque enim homo alimenta diſcernere poteſt.

2. Guſtus læſio ab intemperie frigida & ſicca difficilius curatur, quam ab intemperie calida & humida.

### *Curatio.*

In curatione obſeruandum primò, an vitium hæreat in ipſa lingua; an verò cerebri vel neruorum vitio, vel ventriculi, pulmonis, aliarúmque partium accidat, vt ad fontem mali, & membrum primario affectum, curatio dirigatur. Si guſtus læditur à cauſſa calida, eáque humor ſit, is conuenienter euacuandus. Deinde diu in ore teneatur leniter gargariſando acetum, vel ſuccus malorum granatorum, item ſuccus endiuiæ, lactucæ, portulacæ, mucilaginis ſeminis pſyllii & cydoniorum cum aqua roſarum vel acetoſæ; fricetur lingua carne limonum & citriorum ad appetitum & guſtum reuocandum. Si malum ſit à cauſſa frigida, materia præparetur, & conuenienter euacuetur; deinde gargariſmus fiat ex hyſſopo, glycyrrhiza, caricis, melle, cui aliquid de rob nucum admiſceri poteſt, ad tollendum ſaporem extraneum. Si cauſſa ſit in puſtulis, vel vlcere linguæ, aut lingua per conſenſum alicuius partis afficiatur, his omnibus ſua peculiaris curatio adhibeatur.

## CAPVT VII.

### *De linguæ Motu læſo.*

*Linguæ motus læſus.*

Linguæ motus læſio oritur, affectis neruis ſeptimi paris cerebri propè ſpinalis medullæ initium, atque ita muſculis linguæ affectis, ſiue intẽperie nudâ frigidâ & humidâ, ſiue coniunctâ cũ materia, & neruos illos ſeu irrigante, ſeu anguſtiam in iis pariente; vnde poſt apoplexiã ſæpe paralyſis linguæ accidit, ſiue ſoluta vnitate.

Interdum, vt dictum, lingua freno aut vinculo ſuo arctius aſtringitur, vt veluti decurtata liberè moueri ad ſermonem formandum nequeat; ſiue id ab ortu accidat, ſiue pòſt ab vlcere aut cicatrice. Et qui à natura tales ſunt, principiò quidem tardè in ſermonem prorumpunt: vbi verò loqui cœperunt, citra difficultatem, & ſatis feſtinanter loquuntur. Impediuntur tamen in appellatione nominum & verborum, quorum aliàs difficilior eſt pronunciatio, veluti in quibus R. & L. literæ, frequenter occurrunt, vt deſcribit Aëtius, *tetrabibl.*2. *ſerm.*4. *cap.*36.

Nonnunquam tumor ſub lingua, quem Ranulam appellant, oritur, de quo, *cap.quarto*, dictum, quæ etiam motum linguæ impedit.

Læditur & linguæ motus, quando ea tota intumeſcit, vt etiam antea dictum. Ex ebrietate quoque linguæ motus impeditur, vt homo in loquendo vel titubet, vel mutus reddatur, & nonnunquam conuulſus moriatur, neruorum principio nimiâ vini potatione obruto teſte Hippocrate, 5.*aphor.*5.

Ex concuſſione quoque cerebri per ictum vel caſum linguæ motus impeditur, eodem Hippocrate teſte, 7. *aphor.*39. & Galeno, 1.*de loc. affect. cap.*6.

Tandem aliquando à vermibus in inteſtinis linguæ motus impeditur; cuius exemplum inſigne eſt apud Alexandrum Benedictum, *lib.*5.*cap.*15.

Ex his igitur cauſſis motus linguæ læditur, vt vel planè auferatur, vel imminuatur, vel deprauetur. *Motus linguæ læſi differentia.*

Aufertur motus linguæ, atque ita loquela ſimul, ſiue conformationis vitio, à primo ortu, aut pòſt, quando ſpiritus animalis vel non transfertur ad linguam; ſiue ob cerebri obſtructionem & neruorum anguſtiam, vt in apoplexia, caro, catoche; ſiue ob ſpirituum animalium conſumptionem, aut ad interiora retractionem, vt fit in morti proximis, in ſyncope & vteri ſuffocatione: vel non recipitur in linguâ propterea, quod obſtructio vel tumor eſt in neruis ſeptimi paris cerebri. Ad hanc ergo neruorum anguſtiam, ſi perfecta ſit, ſequitur linguæ paralyſis, eáque interdum citra guſtus offenſionem: ſin leuior, ex interuallo modò loquitur homo, modò obmuteſcit ſano corpore. *Motus abolitus.*

Imminuitur autem motus linguæ vt tarda ſeu difficilis euadat loquela, vel citra vitium linguæ, dum ſpiritus animales aliò auocantur, vt in ira, terrore, nimio gaudio; vel eiuſdem vitio. Vitium autem hoc eſt vel natiuum, & tales homines non poſſunt incipere loqui, niſi prius multoties linguam mouerint, & labia, atque hinc expeditè loquuntur, aut multo tempore vnam dictionem proferunt, aut, poſtquam loqui cœperunt, non poſſunt in ſermone progredi, & ſæpe eandem ſyllabam repetunt, quod vitium Græci ἰσχνοφωνίαν, & hæſitantiam linguæ vocant; etſi hoc vocabulum exilitatem vocis potius ſignificat: vel aduentitium, à linguæ vulnere aut apoſtemate, aut vlcere, excreſcentia magna ſine apoſtemate, paralyſi ſecundum medietatem dextram & ſiniſtram. *Lingua hæſitantia.*

Deprauatur motus linguæ, vt vna litera & ſyllaba pro altera præter voluntatem proferatur in vitio, quod τραυλότης, blæſitas, & ψελλότης balbuties nuncupatur; quarum hæc literas aut ſyllabas quaſdam inter pronunciandum abſorbet, vel quaſi ſupprimit: illa literá vnam pro altera vitioſè effert inprimis literam R. *Motus linguæ deprauatus. Blæſitas Balbuties.*

Cauſſa primò eſt intemperies linguæ & neruorum atque muſculorum huius, eaque plerumque humidior ſiue natiua ſit, vt in pueris, qui poſt ætatis decurſum, vel febre ſuperueniente, abſumptâ humiditate ſuperuacaneâ, rectè loquuntur; ſiue aſcititia ex humoris affluentis copiâ à cerebro humidiore, vel ab ebrietate, ob quam humiditatem imbecilliores muſculi linguæ eam non firmiter ad dentes primos ſtabilire & allidere poſſunt. Interdum verò intemperies linguæ ſiccior, ob quam lingua conuellitur & contrahitur, vt rectè extendi & dilatari nequeat. Deinde in cauſſa eſt mala conformatio, aut in nimia linguæ breuitate, longitudine, craſſitie, aut in muſculorum linguæ conformatione.

### *Signa Diagnoſtica.*

Linguæ motus læſus ex ſermone læſo, vt & maſticatione & deglutitione percipitur.

Cauſſas quod attinet, ſi lingua læditur per conſenſum à cerebro, noxa etiam in cæteris functionibus animalibus deprehenditur; quod non accidit, ſi vitium tantùm ſit in neruis ſeptimi paris cerebri: atque tum, ſi tenuis humiditas linguæ muſculos penetrat, ipſóſque reſoluit, paralyſis linguæ exiſtit. Conuulſio verò cognoſcitur ex linguæ contractione. Cõuulſa quoque lingua neque

neque ab ægro, neque ab aliis flecti & moueri facilè poteſt: paralytica verò per alium non difficulter mouetur. Mala conformatio ligamenti oculis patet. Sicut & tumor, qui, ex quo humore conſtet, colore aliiſque indiciis proditur. Si tumor eſt inflammatorius, durities, dolor, & febris adeſt.

### *Prognoſtica.*

1. Grauitas & tarditas linguæ relicta poſt apoplexiam, carum, lethargum, & ſimiles affectiones, rarò, & difficulter admodum curatur.

2. Ex confirmata paralyſi omnes obmuteſcunt.

3. Dum lingua tota paralyſi afficitur, grauis metus Apoplexiæ impendet. Galenus, 4. *de loc. affect. cap.* 2. Scribit tamen Foreſtus *lib.* 14. *obſeru.* 31. *in Schol.* ſe non rarò obſeruaſſe linguæ paralyſin obortam, quam nulla apoplexia conſecuta eſt. Quod & ego obſeruaui in Profeſſore quodam huius Academiæ, qui ex catarrho ſubitò decidente planè mutus reddebatur, & in tabulam ſcribere opus habebat, quid mali pateretur, (ſenſus & reliquarum partium motus integer erat) qui frictionibus adhibitis, & clyſtere iniecto, paulò poſt iterum loqui cœpit, & catarrho liberatus nunquam apoplexiam paſſus eſt.

### *Curatio.*

Si linguæ motus ſit à paralyſi, videndum, an ſanguis ſimul peccet, & tum, præmiſſa alui lenitione, mittatur à cephalica primò, deinde è venis ſub lingua; quod ſæpè præſentiſſimum huius affectionis fuit remedium. Quidam etiam cucurbitulas cum ſcarificatione ſub mento ponunt, quæ & ſcapulis applicari poſſunt. Nonnunquam etiam vſurpentur diuerſiones per clyſteres, frictiones, vincula, & ſimiles.

Si à materia eſt frigida pituitoſa, præparata illa expurgetur. Vſurpentur etiam diuerſiones omnis generis, vt ſuprà, *part.* 1. *de Paralyſi*, ex hac cauſſa traditum fuit.

Topica quod attinet, vſurpentur collutiones oris, gargariſmi, apophlegmatiſmi, *ex ſtœchad. hyſſopo, origano, primula veris, ſaluia, puleg. thym. radic. cappar. calamo aromat. zingib. pyrethr. migella, pipere*, & ſimilibus.

Lingua fricetur *pulu. ſpec. diatrion pipereon, diacalaminth. dianth. diagalang. cum conſeru. flor. ſaluiæ, ſtœchad. primul. veris, pulu. ſem. ſtaphydis agr. ſinapis, ſalis Ammoniac. cum theriac. Mithridat. aurea Alexandrin.* quæ & fabæ magnitudine in ore detineantur, donec ſenſim liqueſcant.

Aut diſſolui etiam poſſunt in ſpiritu vini, in quo aliquid caſtorei antea infuſum ſit, vel in oxymel. ſcillit. in quo calam. aromat. & hyſſop. ebullierint.

Vtile eſt & Caſtoreum ſub lingua detinere.

℞. *Nuc. moſchat.* Drach. i. *caſtor.* Drach. ii.
Cum *ſucco ſaluiæ.*

Fiant Paſtilli lupinorum formâ, qui in ore detineantur.

His & ſimilibus & antecedens in capite cauſſa, & coniuncta in lingua tolletur.

Foris probantur vnguenta & inunctiones ex oleo vulpino, nardino, coſtino, & ſimilibus. Stillicidium item ad partem poſteriorem capitis & primas colli vertebras, aſcendendo vſque ad phœnigmos aut cauteria, ad primam vel ſecundam colli vertebram, quæ diu aperta ſeruentur; vſus denique thermarum.

Si linguæ motus impeditur ob linguæ conuulſionem, ceruici medicamenta conuulſioni commoda apponantur.

Si motus linguæ ſit impeditus vitio vinculi linguæ, id tranſuerſim incidendum, vt, *cap. quinto*, dictum.

Si ob tumorem lingua moueri non poſſit, vel non rectè moueatur, is curandus vt antea etiam dictum.

# DANIELIS
# SENNERTI
## D. ET MEDICINÆ PROFESSORIS,
## PRACTICÆ MEDICINÆ LIBER SECVNDVS.

Illuſtriſſimo & Celſiſſimo Principi ac Dn.

# D. GEORGIO,

## LANDGRAVIO HASSIÆ,

## COMITI CATTIMELIBOCI, DECIÆ, ZYGENHAYNÆ, ET NIDDÆ, &c.

## DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

*Salutem & Felicitatem perpetuam* P.

COR vitæ principium & caloris innati fontem eſſe, idémque primum viuere, poſtremúmque mori,& reliquas corporis partes ex eo vitam haurire,nec actiones ſuas obire, niſi vitali calore & ſpiritu per arterias ab eo tranſmiſſo perfundantur, ſcholis Philoſophorum & Medicorum notiſſimum eſt. Nam, vt Hippocrates, *lib.de corde*, eleganter ſcribit, αὗται πηγαὶ φύσιος ἀνθρώπου, καὶ οἱ ποταμοὶ ἐνταῦθα ἀνὰ τὸ σῶμα, τοῖσιν ἄρδεται τὸ σκῆνος· οὗτοι δὲ καὶ ζωὴν φέρουσι τῷ ἀνθρώπῳ: κἢν αὐανθέωσιν ἀπέθανεν ἄνθρωπος. *Hi ſunt naturæ humanæ fontes, hincque flumina excurrunt, quibus corporis noſtri tabernaculum irrigatur. Atque hæc vitam homini conferunt, & ſi exſiccata fuerint, homo perit.* Et Galen.6. *de vſu part.cap.*7. ἡ καρδία τῆς ἐμφύτου θερμασίας, ᾗ διοικεῖται τὸ ζῶον, οἷον ἑστία τίς ἐστι καὶ πηγή. *Cor caloris natiui, quo animal regitur, quaſi fons quidam & focus eſt.* Nimirum quod Sol eſt in maiore mundo, id cor eſt in minore. Vt enim Sol lumine ſuo vniuerſum mundum illuſtrat atque exhilarat, & calore ſuo omnia viuificat, ac fouet: ita Cor calore ſuo & vitali ſpiritu totum corpus viuum & vegetum reddit, ídque fouet, conſeruat, ſpiritúſque vitales, tanquam radij quidam ætherei & viuifici, à corde in vniuerſum corpus dimanant. Et, vt Ariſtot. 3. *de part. animal. cap.* 7. ſcribit: *Cor eſt* οἷον ἑστία, ἐν ᾗ κεῖσται τῆς φύσεως τὸ ζωπυροῦν, *quaſi focus, quo naturæ fomites & primordia ignis natiui continentur.* Ac propterea etiam, vt, *eodem in loco*, Ariſtot. ſcriptum reliquit, locum ſuum ὥσπερ ἀκρόπολιν τοῦ σώματος, *veluti arcem corporis* occupat. Conditor enim rerum ſapientiſſimus ipſi in thorace, media corporis regione, qui maxima ex parte oſſeus eſt, locum dedit, atque antè ſternum, à tergo ſpinam dorſi quaſi munimenti loco conſtituit, quibus ex latere vtroque coſtas ſecuritatis gratia adiunxit. Imò in dorſo omoplatas ſeu ſcapulas, quas Celſus ſcoptula operta nominat, quaſi ſcuta cordis, appoſuit. Intus verò cor totum pulmonibus cinxit, quibus non ſolùm tanquam puluino incumbit, (vnde etiam Auicennas pulmones cordis culcitram vocauit) ſed qui etiam reſpirationis organa ſunt, quo calidum, quod in corde eſt, conſeruatur. Atque ſi hæ omnes corporis partes ſaluæ ſunt, œconomia etiam corporis rectè adminiſtratur, & ſicut in regno, cuius Princeps, cum iis, qui à ſecretis ipſi ſunt conſiliis & primariis adminiſtrationibus, valet & floret, omnia rectè atque ordine fiunt & adminiſtrantur: ita etiam, dum Cor in ſua regione bene ſeſe habet, calorem viuificum in omnia membra diffundit, eáque fouet; τέθηλε πάντα, καὶ λάμπει χαρίτων ἔαρ, *omnia florent, & fulget ver Gratiarum*, vt eſt in antiquo Ariphronis Sicyonij hymno; niſi pars aliqua priuato vitio teneatur: quod ipſum tamen faciliùs toleratur, ſi cor hilaritatis auram adſpiret. Contra verò, ſicut, dum Rex ægrotat & de ſalute periclitatur, omnes ſubditi in mœrorem & ſqualorem coniiciuntur: ita etiam, corde male affecto, totius corporis ſalus ſimul in diſcrimen coniicitur; id quod non ſolùm in lipothymia & ſyncope, ſed & in reſpiratione læſa accidit, atque vbi illa caloris in corde ventilatio neceſſaria ceſſat, aëre, quem ſpiritu ducimus, denegato, homo in præſentiſſimum vitæ diſcrimen coniicitur, vt in iis, qui angina laborant, vel quibus à re aliqua in orificium aſperæ arteriæ illapſa ſpiritus intercluditur, aut qui laqueo ſtrangulantur,

vel

vel aqua aut carbonum fumo suffocantur, manifestum est.

Cùm ergo libro primo Practicæ, quem anno superiore edidi, Capitis præter naturam affectionem complexus sim, secundo hoc libro morbos ac symptomata Cordis, & reliquarum thoracis, partium, quæ gratiâ cordis inprimis factæ sunt, complecti libet.

Vt verò Illustrissimo nomini tuo, *Princeps Celsissime*, hoc quicquid est operis inscriberem, caussas, vt opinor, non leues habui. Primò enim satis supérque notus est Illustriss. Celsit. T. erga bonas literas amor, & earum cultores incredibilis beneuolentia, quam cùm alia manifesta faciunt, tùm id, quod insigni & Principe digna benignitate ac liberalitate Academiam Marpurgensem, bonarum literarum, virtutis & pietatis officinam Illustrem, alit, fouet ac tuetur. Eum ergo illustriss. T. Celsitudinis in bonas literas affectum etiam hâc qualicunque Dedicatione posteris notum facere & commendare volui. Deinde quia scripta mea omnia iure quodam illustrissimæ Domui Saxonicæ, vtpote in Electorali Saxonica Academia nata, debentur; cum ea verò Illustrissimæ Domui Hassiacæ à multis annis fœderis sanctione contracta necessitudo, & Illustriss. T. Celsit. inprimis arcta intercedit cognatio & affinitas: hoc opus iure Illustriss. T. Celsitud. deberi existimo.

Accipe ergo, *Princeps Illustrissime*, hoc quicquid est operis Medici, vultu beneuolo & fronte serena, atque eo affectu, quo aliàs bonarum litterarum cultores, & qui quocunque modo ad Illustrissimam Domum Saxonicam spectant, complecti soles, & meis conatibus faue. Devs ter. Opt. Max. Illustriss. T. Cels. saluam, incolumem, & omni ex parte beatam, felicémque præstet, ac tueatur. VVittebergæ, Cal. Augusti, Anno Christi 1629.

*Illustriss. Tuæ Celsitud.*

Subjectissimus

Daniel Sennertvs D. Sereniss. Elect. Saxon. Medicus, & Facultatis Medicæ ibid. Professor ac Senior.

# LIBER SECVNDVS,

## PARS PRIMA,

### *DE ORIS AC FAVCIVM ET PARTIVM IN IIS contentarum ægritudinibus.*

### PROOEMIVM.

*INTRA cranium & pectus, os, fauces, & collum interiacent. Os Græcis Στόμα, dicitur tota illa cauitas, inter labia & buccas, ac initium gulæ & asperæ arteriæ contenta. Et proinde ad os pertinent Labia, Lingua, Dentes, Gingiuæ, Maxillæ, Columella, Tonsillæ, Fauces, quæ sunt illa oris extrema pars, vnde gula & aspera arteria incipiunt. Itaque postquam morbos & symptomata, quæ Capiti & Cerebro, ac Sensuum externorum organis accidunt, explicauimus, antequam ad ægritudines Pectoris accedamus, ordo postulare videtur, vt de harum partium vitiis agamus.*

*Dicendum ergo de Labiorum tumoribus, fissuris, & vlceribus, de Labiis malè conformatis & curtis, de Oscitatione, de Labiorum tremore, de eorundem conuulsione seu spasmo cynico, de Ptyalismo, de Linguæ asperitate, magnitudine nimiâ, inflammatione & tumore, de Linguæ fissuris, vulneribus, combustione, de Ranula sub Linguâ, de Linguæ motu læso, de Dentium corrosione & carie, vacillatione, ordine & numero vitiato, de dolore Dentium, de stupore, de colore eorundem vitiato, de Gingiuarum inflammatione, excrescentiâ, cruentatione, putredine, carnis diminutione, vlceribus, de Maxillarum vitiis, de Oris vlceribus, de Oris fœtore, de Columellæ laxitate, de inflammatione eiusdem, de vlceribus Columellæ, de absumptione & erosione eiusdem, de Tonsillarum tumoribus & inflammatione, de earundem vlceribus, de iis quæ Faucibus & Gutturi præter naturam inhærent, extrahendis, de Angina, & Colli vitiis.*

### CAPVT I.

#### *De Labiorum tumoribus.*

LAbiorum vsus multiplex est. Primò enim os claudunt, vt per nares solùm nisi aliud necessitas postulet, fiat respiratio, ac ne, si illud perpetuò, vbi semel, propter cibum vel potum sumendum, vel respirationem aperire necesse est, hians ac dilatatum maneret, omnis generis corpuscula, muscas, paleas, puluerem admittat, atque etiam dentes & gingiuæ frigore ventísque *Labiorum vsus.*

tisque lædantur. Præterea ad formandum sermonem sunt vtilia, præcipuè ad efferendas literas Labiales, ita dictas, quod ad earũ prolationẽ labia maximè sunt necessaria. Seruiunt etiã ad potus faciliorẽ assumptionem, neque sine iis potus cõmodè assumi posset. Vtilia quoq; sunt ad cibum in ore continendum iis, qui molaribus dentibus destituti, incisoriis tantùm masticare coguntur. Faciunt etiam labia ad saliuam ex ore eiiciendam, vt & in ore detinendam, ne illa continuò ex ore profluerет, & insignem turpitudinem pareret. Vtilia sunt & ad sonos variandos tubicinibus, infantibus item ad sugendum. Tandem per se ad ornatum multum faciunt. Monstrosus enim omnino esset homo, si detruncatis labiis rictum irati canis ostenderet. Contra homo si labia lenia, rubicunda, magnitudine moderata, os debito modo claudentia obtineat, insignis inde gratia & ornamentum ipsi conciliatur.

Atque hæc omnia præstant labia, si naturalem suam conformationem habeant: præstare verò non possunt, si eam amittant, & vitia aliqua contrahant: de quibus iam dicendum.

*Labiorum magnitudo nimia. Natiua.* Et quidem primò de labiorum Tumoribus & Magnitudine auctâ dicemus. Nam primò nonnunquam labia nimis crassa & magna sunt. Et quidem in quibusdam labrum superius est magnum & crassum, & duplo sæpe maius; vnde non tantùm deformitas oritur, verùm etiam vox & sermo aliquantum vitiatur, aërisque efflatio quadantenus impeditur. Quibusdam verò labium inferius est nimis crassum, & quasi pendulum. Verùm hæc vitia, cum naturalia sint, corrigi non possunt.

*Morbosa.* Deinde interdum labia præter naturam intumescunt; quod fit ab apum, vesparum, muscarum venenatarum ictibus. Et tum decocto altheæ cum aceto vel lacte fouenda, aut succus plantaginis imponendus, vel etiam, ratione veneni, theriaca illinenda. Interdum etiam intumescunt post hausta venena; & tum cura ad venenum dirigenda. Refert etiam Guilielmus Fabricius, *cent. 4. obs.* 36. cuidam Doctori, cum fungos manibus tractasset, & iis illotis postea labia attigisset, ea supra modum intumuisse, sed aqua Stapediana, quæ in Tract. nostro de Febribus, *capite de Peste*, descripta extat, apposita conualuisse. Ex quo patet, in simili casu & alia alexipharmaca adhiberi posse.

*Labiorũ inflammatio.* Tertiò interdum etiam inflammantur ex iisdem caussis, à quibus aliæ partes; ex contusione, & humorum affluxu. Et curatio etiam, vt in aliis partibus, instituenda. Talia tamen medicamenta vsurpanda, quæ in oris inflammatione adhiberi possunt.

*Labiorũ tumor durus* Quartò vidi etiam Tumorem durum, ad modum steatomatis, in labio inferiore cuiusdam Nobilis, qui cum nec discuti, nec ad suppurationem duci posset, sectione feliciter curatus est.

*Labiorum cancer.* Quintò quandoque & Cancer labia occupat. Qui quas caussas habeat, & quomodo curetur, è doctrina de Cancro in genere petendum.

*Labiorũ tumor ex lue Venerea.* Sextò Iuuenem quendam, qui ex Lue Venerea labia vlcerata, inflata, subnigra, tumida, carcinomatis instar, habuit, Forestus, *lib.* 14. *obs.* 2. curauit vniuersalibus ad morbum Venereum, & hoc decocto, panno eo imbuto labiis apposito:

℞. *Ligni Guaiaci* P. ij.

Bulliant in *aq. solani*. Deinde colentur.

Add. *aluminis* Drach. j. Iterumque semel ebulliant & colentur.

*Labiorũ tumores aridi.* Septimo interdum Tumores aridi labia occupant. Ita in Oeniadis Phœnici, & Andreæ, fratribus, mala altera intumuit, & labium, quod ex anteriore parte malæ & oculo respondet, neque quicquam intro spectanti comparebat, neque foris vllam puris significationem edebat, sed, arida putredine intumescens, marcescebat, & mortuus est. Eadem quoque alteri contigerunt. Mortuus autem est & hic die septimo, neque epotum medicamentum quicquam profuit. Phœnici verò putredo in circulum exsecta est, & vlcus ante mortẽ magna ex parte repurgatum fuit. Sed & hic mortuus, cum diu vitam traxisset. Hippocrates, 5. *epid. sect.* 4. *in codice Foësij*.

Tumores autem isti vbi exulcerantur, ad caput de vlceribus pertinent.

---

## CAPVT II.

### *De Labiorum Fissuris.*

*Fissura labiorum.* Cutis carni in labiis connexa est tanta tenuitate, tantâ subtilitate ac teneritate, vt, nisi labiis laceratis, cutem ab iis separare non possimus. Ac proinde labia, cùm sint tam tenera, mollia ac subtilia, facilè à caussis externis, ventis, frigore, vt & internis, humoribus & vaporibus, vitiantur, finduntur, & scinduntur, vt interdum etiam sanguinem fundant. Et quidem nonnullis sæpissime finditur labium inferius in medio, vbi duæ musculorum extremitates desinunt. Græci hoc vitium ῥαγάδας, Latini Fissuras & Scissuras labiorum nominant. Partis enim affectæ nomen commodè additur. Aliàs enim vocabulum hoc commune est, & non tantùm labiis competit, sed & cuti, ano, vtero. Estque morbus in soluta continuitate Labiorum.

### *Caussæ.*

*Caussæ.* Caussa proxima est siccitas nimia. Atque ita scissura labiorum est continuitas eorum soluta à nimia siccitate, & tensione.

Siccitatem autem hanc inducunt vel caussæ externæ, frigus videlicet & calor, & præcipuè ventorum, inprimisque Boreæ, flatus; venena item, vt cãtarhides, ephemerum, colchicum, vt habet Nicander. Pertinet huc & lac calidius, quod infantes sugunt: vel internæ, vapores calidi & sicci, salsi ac acres, per œsophagum, vel asperam arteriam ex partibus inferioribus ascendentes, vel humores à capite ad labia destillantes. Vapores autem illi nunc ex ventriculo, nunc ex intestinis, nunc ex pulmonibus, nunc ex hepate & venis, nunc ex corde ascendunt, imò & ex vtero: & solet ista ex vaporibus labiorum, præcipuè inferioris, fissura fœminis salacioribus ob vteri siccitatem esse similaris. Vt enim linguæ valdè resiccantur ex atra fuligine & vtero, vt habet Hippocrates, 6. *epid. sect.* 5. *t.* 13. ita & labia ob eãdem caussam, propter communem tunicam. Tandem etiam infantibus labia interdum finduntur, ob mammarum, quas sugunt, duritiem.

### *Differentiæ.*

*Differentiæ.* Scissuræ labiorum differunt nunc ratione quantitatis, & aliæ sunt maiores, aliæ minores; aliæ plures numero, aliæ pauciores: nunc ratione subiecti quod aliæ solùm vnum, aliæ vtrumque labium occupant.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Affectus ipse per se oculis patet. Caussæ verò signis cognoscendæ. Si externæ illæ sunt, id ex ægri relatione cognoscitur: quæ si abfuerint, caussarum internarum id indicium est.

Et quidem si à vapore fissuræ accidant, sine pruritu, (neque enim vapores ita inhærent, vt humores) sine ardore, sine multa duritie sunt, neque adeò frequentes, neque profundæ. Quæ verò ex humoribus calidis est fissura, cum pruritu est, & profundior. Et si humor à capite ad labia fluat, id etiam sensibus manifestum est.

Progno

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Labiorum fissuræ non planè negligendæ. Nam & turpitudinem quandam pariunt, &, si diu durent, in vlcera crustosa, callosa, & difficulter curabilia degenerant.

2. Rhagades à natiuitate contractæ non curantur reliquæ non ita difficulter; nisi ad cancrosam naturam degenerent.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Siccitas nimia corrigenda est humectantibus, & labiorum soluta vnitas vnienda. Caussæ verò, à quibus eæ pendent, tollendæ. Caussæ igitur externæ, si adhuc adsint, amouendæ. Si vitiosi humores adsint, euacuandi. Si vapores caussa sint, illi quoque tollendi, & hepati, vtero, vel etiam toti corpori, vnde illi proueniunt, succurrendum.

### *Curatio.*

*Curatio fissura à frigore.* Si ergo à frigore externo sit fissura, solo Vnguento pomato albo labia inungere sufficit: vel paretur tale Linimentum.

℞. *Pingued. gallin.* ℥.ij. *ceræ albæ* ʒ.ij. Abluantur. sæpe *aqua rosarum.*

F. Linimentum.

Vtile est & oleum ceræ ac thuris.

Auicennnas pinguedines, adipes ac medullas cum oleo rosaceo & cera miscet, & adhibet. Sint tamen pinguedines recentes. Si enim sint vetustæ ac rancidæ, atque acredinem acquisiuerint, potius nocent, quàm prosunt. Idem pelliculas ouorum & arundinum applicat.

*A caussa calida.* Si à caussa calida & sicca sint fissuræ, lintea tenera succo semperuiui & solani madida imponantur.

Vel ℞. *Amyli, sacch. penid, Canariensis, cons. ros.* an. Drach. ß. Misc.

Vtilis est etiam mucilago gummi cerasorum cum aq. ros. extracta.

Si verò fissuræ altius penetrent, adeps anserinus & caponis, aut medulla crurum bubulorum cum semperuiuo & terebinthinâ adhibeatur.

Vel ℞. *Mucilag. sem. cydon. Ol. mastich.* an. ℥.j. *adipis gallinæ, medullæ pedum vituli* an. ℥.ß. *vini albi subdulcis* parum. Cum *cera* fiat Vnguentũ, vel Ceratũ molle.

Vel ℞. *Pulu: anther. rosar.* q. v. Cum. *mucilag. tragacanth.* F. Linimentum.

Vel ℞. *Sacch. penid. mucilag. tragacanth. aquâ rosar. extracta* q. s. Misc.

Potest & aliquid amyli addi.

Vel ℞. *Terebinth. butyri sine sale*, an. q. v. *pulueris macis* parum. Misc.

Vel ℞. *Ol. macis destillat.* ℈.j. *pulu. nuc. mosch.* Scr. ß. *mell. rosat.* ℥.ß. Misc.

Vtilis est & tragacantha aqua rosar. dissoluta, amyloque mista, & illita: vel cum cera virginea, melle, & oleo communi fiat Vnguentum.

Vel ℞. *Ol. rosac.* ℥. ß. *amygd. dulc.* Drach. ij. *butyri sine sale aqua ros. loti* Drach. iij. *terebinth.* ʒ. ij. *pingued. capon.* Drach. j. ß. *mellis* Drach. iij. *succini* ʒ. j. *ceruss.* ʒ. ij. *ceræ albæ* q. s.

F. Vnguentum.

In omni caussa vtile est, labium introuertere, & linguâ humectare, maximè si masticae, & alia idonea medicamenta prius masticata fuerint.

De seminis hyoscyami fumo vide caput sequens in fine, Vide & Aëtium, *tetrab.* 2. *serm.* 4. *cap.* 18.

## CAPVT III.

### *De labiorum Vlceribus.*

*Vlcera labiorum. Caussa.* NOnnunquam & Vlcera labia occupant crustosa, sæpe etiam manantia, quæ ortum habent ab humoribus acribus, siue tales sint naturâ sua, quales sunt biliosi & serosi, siue ex adustione & putredine, vel acris humoris admistione, quo modo & humores pituitosi & melancholici, & sanguis, acres fieri possunt.

Atque talia vlcera sæpe per modum criseos in febribus tertianis & acutis & malignis contingunt, & febris solutionem indicant. Sæpe etiam absque crisi ab humoribus vitiosis ex reliquo corpore eò protrusis ortum habent. Sępe quoque in morbo Gallico proueniũt. Ita & in peste nonnullis labia exulcerantur, 3, *epid. sect.* 3. Caussa etiam esse potest contritio & contusio musculi labij. Pertinent huc & venena, vt arsenicum, & similia vrentia, quæ etiam labia exulcerant.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Et quidem talia vlcera oculis obuia sunt: caussæ verò signis inuestigandæ. Si per crisin accidunt, febris adest. Si à morbo Gallico, is etiam suis signis se prodit. Si & febris & morbi Gallici signa absunt, è latente in corpore cacochymia proueniunt.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Vlcera labiorum, quæ in febribus accidunt, plerumque bonum signum sunt, & febris vel perfectam solutionem, vel imminutionem significant, & per se facilè sanantur; si scilicet cum signis coctionis appareant. Hippocrates, 6. *epid. sect.* 8. *t.* 41. Alioquin, si cum viribus debilibus, & aliis malis signis, os, & labra exulcerenrur, lethale; vt in Hermoptolemi vxore, 7. *epid. sect.* 13.

2. Difficiliora curatu sunt & peiora, quæ à morbo Gallico proueniunt,

### *Curatio.*

*Curatio.* Quæ in febribus fiunt, vlcera labiorum, facile per se sanantur; quæ à lue Venerea ortum habent, quomodo curanda sint, è curatione morbi Gallici patet; & talium vlcerum curatorum exemplum habetur apud Forestum, *lib.* 14. *obseru.* 2. Si sine febre & morbo Gallico talia vlcera oriantur, vniuersalibus præmissis tale adhibeatur Vnguentum.

℞. *Lithargyr. rament. plumbi. hyoscyami albi* an. q. v. *ol. rosac. ceræ*, an. q. ß.

Misce in mortario plumbeo, Fiat Linimentum.

Vel ℞. *Vnguenti rosati Mesuæ* ℥.j. *linimenti ex litharg.* Vnc ß. M.

Vel ℞. *Rosar. rubrar. mastich.* an. ʒ.j. *plumbi vsti* ʒ.ß, F. Puluis. Adde *terebinth. mellis*, an. q. ß, F. Linimentum.

Applicantur autem medicamenta commodissimè somni tempore Ita enim rectius retinentur.

Ioh. Baptist. Porta semina hyoscyami prunis iniicit, & fumum per infundibulum papyraceum excipere iubet. Illico enim euanescere tumorem, scribit, & glutinari fissuras nunquam amplius redituras.

### *Diæta.*

*Diæta.* Vitet æger cibos salsos, acres, aromata, sermonem multum.

### *Cancer.*

*Cancer.* Pertinet huc & Cancer Labiorum, cuius generatio &

& curatio è generali de Cancro doctrina patet. Paræus tamen, *lib. 6. cap. 29.* peculiarem curandi rationem tradit. Cancrum suis vtrinque sursum ad deorsum labiis acu filum ducente transfigere iubet, vt fili beneficio cancrum tanquam in manu sinistra regere & tenere liceat, totum manu dextra volsellis vnico ictu amputare possis: ita tamen, vt labri ipsius interior quædam, quæ dentes contingit, restet substantia, (modò non ad intima vsque cancer radices agat) quæ regenerandæ mox carni, & implendæ cauitati, pro fundamento & basi esse queat. Hinc sanguine sufficienter effuso, vulneris oræ, dextra & sinistra, interna & externa parte scarificatu profundiore erunt nouacula pertundendæ, vt cùm mox sutura ex acu filum ducente, rostris leporinis propria, in vnum adducere vulneris oras ipsas & margines voluerimus, ipsam labri carnem magis sequacem, & trahenti acui filoque obsequentiorem habeamus. Reliquum curationis eodem planè modo prosequendum, quo in rostris leporinis.

## CAPVT IV.

### *De Labiis Vulneratis, Leporinis, & Curtis.*

*Vulnera labiorum.* VVlnera Labiorum ob sermonem & locutionem, qua partes vulneratæ coniunctæ dirimuntur, & saliuam (de qua postea in quæstione) qua humectantur, tardius curantur.

Labia si vulnerentur absque carnis amissione, suenda si opus: vel aliàs, & diligenter coniungenda sunt, vt deformitas omnis vitetur; & medicamenta glutinantia extra imponenda. Ab interna verò parte mel rosaceum, & syrupus de rosis siccis sæpe illinendus.

Si autem carnis aliquid amissum sit, digerendo, detergendo, carne replendo, & tandem consolidando, vt aliarum partium vulnera, labiorum vulnera curantur.

### QVÆSTIO

### *An saliua conglutinationem vulnerum labiorum remoretur.*

*In saliua conglutinationem vulnerum labiorum remoretur.* Plerique Practici id statuunt. Nicol. Glandorpius verò, *in speculo Chirurg. obs. 17.* id saltem concedit in homine malè temperato, vel lue Gallica affecto, vel aliquo morbo salso laborante: in sano verò id negat: in quo potius abstergat, & mundificet vulnus saliua.

Cui etiam libenter assentimur, cùm videamus, scabiem, serpigines, & similia mala, ieiuni hominis saluâ, sanari, & proinde eam abstergendi & mundificandi vim habere. Hoc tamen cauendum, ne nimium vlcus saliuâ humectetur. Quæ enim glutinari debent, non humida, sed sicca esse debent.

### *Labia Leporina*

*Labia leporina.* Si autem labia ob vitiosam conformationem non cohæreant, Labia Leporina, nonnullis Rostra leporina, German. *Hasenschart*, nominantur, habentque caussam plerumque imaginationem matris; quæ vel leporem, vel alium hoc malo laborantem adspexit. Aliam tamen etiam huius rei caussam refert Olaus Magnus, dum, *lib. 18. cap. 12.* scribit, vnam infelicitatem plerumque mulieres Aquilonares vterum gerendo incurrere, vt vel esu, vel saltu super caput leporis facto, pariant, infantulos oris leporini, inter os & nares diuisa labra perpetuò retinentes, nisi statim à principio assuant particulam pectoris tenerrimi pulli adhuc sanguinolenti. Verùm ex opinione vulgi hoc scriptum puto.

Præcipua verò curandi ratio à Chirurgia pendet. Perficitur autem illa 1. dissitorum & hiantium labiorum excoriatione. 2. Labiorum iam excoriatorum coninnctione & suturâ; quæ vbi facta sunt, reliqua naturæ, vt in aliis vulneribus, committenda; ita tamen, vt aliàs fieri solet, vt vnguentis & emplastris advulnera conglutinanda idoneis naturæ succurratur.

### *Labia Curta.*

Curta verò labia qua ratione curanda sint, in Instit. *lib. 5. p. 1. s. 2. c. 14.* dictum, quibus tamen vt quædam addamus, duplex curandi curta labia ratio est; vna fucata, altera vera. *Labia curta curandi ratio duplex.* Fucatam descripsit Ioh. Thom. Minadous *de humani corporis turpitudinibus, lib. 3. c. 40.* Is, dum Damasci in Syria esset, Mercatorem quendam pannorum sericorum vidit, qui labrum superius factitium habebat, quod, dum domi esset, vel edere vel bibere vellet, deponere, & domi cum turpitudine ista viuere solebat, foris autem labrum factitium adaptabat, hoc modo: Foramina ille carni sub naso reliquæ, obducta iam dura cicatrice, sibi parari curauerat, qualia nonnulli in auribus ad gemmas vel annulos gestandos fieri curant, quibus crebris vinculis portionem laruæ ad labri deficientis magnitudinem & figuram conformatam adaptabat, cui ex humanæ barbæ pilis mistacẽ gũmi tragacanthæ agglutinauerat.

Veram autem curandi curta labia rationem Galenus *lib. 14. M.M. cap. 16. & 17.* tradit, & post eum Paulus Ægineta, *lib. 6. c. 26.* Cornelius Celsus, *lib. 7. cap. 9.* Diligentius tamen eam Recentiores, & imprimis Caspar Taliacotius, *in libello de Curtorum chirurgia*, tradiderunt. Veteres equidem non aliunde propaginem in curta inserendam petebant, sed è proximis cuti partibus, cute excisâ & carne aucta. At Taliacotius non solùm è vicinis, sed & remotis partibus propaginem petit, qui *allegato loco*, videatur.

## CAPVT V.

### *De Tremore & Peruersione labiorum, Sanguinis fluxu ex iis, & labiis Liuidis.*

PRæter enumeratos morbos etiam quædam symptomata labiis & ori accidunt; Labiis quidem Tremor & Peruersio, Color eorum mutatus & Sanguinis ex iis fluxus; Ori verò Apertio læsa, Tortura, & Ptyalismus; seu crebra sputatio; de quibus iam dicemus.

Et primò quidem Tremunt interdum labia: id quod accidit in ira & metu, interdum etiam ex neruorum debilitatione, sicut Francisco Viario, Veneto, labium semper, dum loqueretur, tremuisse scribit Alex. Benedictus, *lib. 5. c. 18.* Tremit & in nausea labium inferius, vel ex humore mordaci, vel ex oris stomachi nimiâ agitatione, ob consensum, qui hisce partibus per communionem membranarum intercedit. *Labiorum tremor.*

Itaque cum labium inferius tremit, nisi ab ira vel metu fit, vomitum plerunque præsagit, teste Galeno, *3. de Crisibus, cap. 11.*

Interdum etiam in cerebri aliquâ magnâ affectione labiorum tremor accidit. Ibi tenuior victus prodest; hic quæ cerebro & occipiti aliàs in neruorum affectibus adhibentur, conferunt.

Tremunt interdum etiam labia in summo frigore, cum dentium stridore; item à vermibus, vt seni illi *9. epid.* cui furiosum quiddam latens inerat.

Videtur interdum etiam motus quidam quasi conuulsiuus adesse, vt in Cydis filio, *7. epid. sect. 7.* de quo Hippocrates: *sine conatu semiperfecta loquebatur, & os solutum, & maxillæ ac labia semper in motu erant quasi qui loqui cuperet.*

*Labiorũ perversio.* Pertinet huc & labiorum Peruersio, de qua, Hippocrates, 4. *aph.* 49. *In febribus non intermittentibus si labium, aut palpebra, aut supercilium, aut oculus, aut nasus peruertatur, si non videat, si non audiat, debili iam existente corpore, quicquid horum acciderit, mors in propinquo est.* Idem aphorismus habetur, *prognost.* 12.

*Caussa.* Caussa proxima huius symptomatis est affectio neruorum tertiæ coniugationis. Fit verò ista cerebro grauiter affecto, propterea malum hoc in febribus continuis, & vbi ex peculiari organorum vitio accidit, viribusque iam debilibus, lethale signum est Si verò virtus valida existat, eadem symptomata interdum sine periculo apparent, in criticis scilicet perturbationibus per μετάστασιν materiæ ad caput: vnde &, 2. *Coac.* habetur, labium contractum alui biliosæ eruptionem significare.

*Fluxus sanguinis è labiis.* Interdum & sanguis è labiis effluit; quod in scorbuticis quandoque euenit, cùm humores acres, serosi & salsi labia erodunt, & naturam ad excretionem stimulant. Idem interdum in fissuris labiorum accidit.

*Labia liuida.* Tandem etiam labiorum color mutatur, liuida plerumque fiunt; quod accidit in elephantiasi, morbo Gallico, qui color curato illo morbo cessat. Interdum etiam in febribus continuis fiunt labra liuida: quod signum lethale est, 2. *Coac.* & caloris natiui extinctionem significat.

## CAPVT VI.

### *De oris Apertione læsa.*

*Oris apertio læsa.* Atque hi sunt morbi & symptomata, quæ labiis solis accidunt. Sunt verò & alia quędam vitia, quę iis quidem etiam contingunt, non tamen solis, sed simul affectis vicinis partibus, inprimis musculis maxillarum & faciei. Qualia sunt Oris apertio vel ablata, vel imminuta, Oscitatio, Oris tortura, Ptyalismus: quæ propterea subiungemus.

*Caussa.* Et primò quidem Oris clausuram seu apertionem denegatam quod attinet, aperire homines os nequeunt ob distentionem ceruicis ex vulnere neruorum, quia maxillæ veluti ossa rigescunt. Hippocrates, *lib. de diebus iudicatoriis.* Ita Phœnici apud Hippocratem, *lib.* 5. *epid.* posteriorum colli vertebrarum contentio aderat, ac circum dentes durities, quos distentus diducere conabatur. De eodem, 7. *epid.* inquit: Quod si caput commouere, aut dentes aperire conaretur, non poterat, vtpote admodum distentus.

Secundò, quando oris cardo, in quo gena vertitur, obrigescit, atque os strictius conniuet, quò minus in rictu queat expandi, squalido terrenoque humore in iuncturam illam & huius vincula altius imbibito, Id quod scorbuticis interdum accidit, vt, de Scorbuto, *lib.* 3. *p.* 5. *s.* 2. *c.* 4. dicetur.

Tertiò propter maxillam inferiorem adnatam capiti. Id quod rarius, est, quod tamen Columbus. *c.* 15. *de re anat.* refert, dum scribit, in summi Pontificis penu esse caput gigantis, in quo maxilla inferior capiti adeò adnata & coniuncta est, vt omni motu prorsus careat atque in viuente non potuerit.

Quartò, propter tumores circa iuncturam maxillarum: id quod sæpe in inflammationibus maxillæ & tonsillarum accidit, ob quas os diduci non potest.

*Signa & curatio.* Signa caussarum; vt & curatio, patet ex signis & curatione morborum modò enumeratorum, ob quos os aperiri non carere non potest.

*Oris hiatus.* Contra interdum Os nimium hiat: id quod sæpe fit in febribus ardentibus, ob vapores calidissimos ex inferioribus adscendentes. Idem fit ob luxationem maxillæ inferioris, de quâ postea dicitur. In lethargo etiam ob læsam memoriam os claudere ægri obliuiscuntur. Si nares etiam obstructæ sunt, os apertum ægri seruant, quò copiosiorem aërem attrahant. Idem fit in tumoribus faucium internis & angina. Nonnulli & ex malâ consuetudine os hians perpetuò seruant.

Affectus autem iste per se patet. Caussæ verò è signis quæ è suis locis petenda, cognoscuntur.

*Prognostica.* Prognostica etiam inde petenda. In febribus autem acutis faucium sine tumore dolores & pusilli & strangulantes, & cum os hiat, nec promptè adduci & claudi potest, mentis amotionem portendi oportet, 1. *Prorrh.* 11.

*Curatio.* Curatio pendet à caussarum, à quibus hoc vitium prouenit, remotione.

## CAPVT VII.

### *De Oscitatione.*

*Oscitatio.* Peculiaris verò oris præter naturam apertionis species est Oscitatio, Gellio, *lib.* 4. *cap.* 20. Oscedo. Est autem Oscitatio vehemens oris diductio, ab halituosis vaporibus, in spatiis musculorum maxillæ inferioris & buccarum collectis, vel infra ascendentibus, & copiâ potius, quàm acrimonia, naturam ad excretionem stimulantibus, operantibus simul & concurrentibus musculis thoracis: vnde pandiculationes sæpissime comites. Hinc & Hippocratis, *de prisc. Medicin.* scribit, si pransi fuerint, quibus prandere non conducit, illi continuò graues, totoque corpore & mente segnes euadunt, cum oscitatione, somnolentia, multaque siti. Cùm autem per istam vehementem diductionem auris meatus nonnihil comprimatur, vt aërem non satis admittat, hinc oscitantes minus distinctè audiunt; quamuis forsan & propter neruorum compressionem id fieri possit. Videtur tamen adhuc alius esse oscitationis modus, cùm nimirum aperto admodumque diducto ore aër primò affatim hauritur rursumque efflatur cum sono quodam, de quo Hippocrates, *in libro de flatibus*, scribit, quod oscitationes febres prædicant, cum magna copia coaceruatus aër fuerit, conferti mque ad superiora erumpens, tanquam machinatione aliqua os diducit, quòd hâc ei facilius exitus pateat. Accidit interdum etiam oscitatio ab imaginatione, si quis alios oscitantes videat. Facilius tamen id accidit pigris, & quibus vapores aliqui in musculis illis hærent, quàm aliis. Oscitatio etiam crebra est in lethargo, ita, vt os claudere ægri obliuiscantur.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Affectus ipse per se patet, & caussæ eius quoque facilè innotescunt.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Oscitatio si citra occasionem fit frequentior, præsagit morbos, & febrium incipientium præludium est. Citra verò morbos pigritiæ signum est, vel ex imaginatione proficiscitur. Vnde puniebatur olim, si quis in iudicio clarè nimium & sonorè oscitaret, tanquam illud indicium vagi animi foret, & hallucinantis, ac fluxæ atque apertæ securitatis. Gellius, *lib.* 4. *Noct. Attic. c. vlt.*

2. Ex nimia oscitatione maxilla inferior luxari potest.

3. Oscitatio in enixu lethale est; sicut sternuitio à coitu, abortiuum, Gellius, *lib.* 3. *Noct. Attic. c.* 16.

### *Curatio.*

*Curatio.* Itaque cùm oscitatio nihil noceat, nisi forsan ex nimia oris diductione luxatio maxillæ accidat, sed potius iuuet, ipsa per se nullam curationẽ requirit, sed potius, vt morbo, quem præsagit, occurratur, admonet.

Quia

Quia tamen ex nimia oſcitatione & oris diductione maxilla inferior luxari poteſt, reprimenda eſt nimia oris diductio, quæ alias etiam inciuilis habetur. Idque fit, ſi vinum cum pari portione aquæ exhibeatur, quod materiam importunè euaporantem diſcutit, modò corpus ſit purum & ſine febre, vt eſt apud Hippocratem, 7. *aph.* 56. & , 3. *epid. ſect.* 7. Aſſiduarum etiam oſcitationum longam ſpirationem medelam eſſe, ſcribit Hippocrates, 6. *epid. ſect.* 2. *aph.* 9. Auicennas maſticationem acori commendat.

## CAPVT VIII.

### *De oris Diſtortione.*

*Oris diſtortio.* Cynicus ſpaſmus Græcis à diſtortionis figura, quæ rictum iratorum canum exprimit, appellationem habet. Celſo, *lib.* 4. *c.* 2. oris diſtortio, vulgò Tortura oris dicitur, & quidem rectius. Neque enim ſemper à ſpaſmo eſt iſta oris diſtortio. Interdum & riſus Sardonius nominatur, ab herba Sardoa, quæ eſt ſpecies Ranunculi, in Sardinia proueniens, & Apium riſus dicitur, quæ veſcentibus ora ſimiliter rictu diducit, vt ridentium facie intereant.

### *Cauſſæ.*

*Cauſſa.* Cauſſas iſtius affectionis Aëtius in paralyſin muſculorum μασητήρων, ſiue mandibularum, refert, & Galenus, 4. *de loc. affect. c.* 2. à paralyſi neruorum & muſculorum faciei hoc malum exiſtere affirmat. In 3. *de loc. affect. cap.* 6. etiam conuulſionis meminit, dum labra ſæpe numero conuelli ſcribit, item oculos, frontis cutem, totas mandibulas, & linguæ radicem; quod in Tortura oris etiam accidere ſolet.

Itaque Spaſmus Cynicus, vel potius Oris Tortura, eſt deprauata oris & faciei figura, orta vel à conuulſione, vel à reſolutione muſculorum faciei, vnde in obliquum diſtorquetur os, naſus, vel oculus; & in ſumma dimidia plerumque faciei pars afficitur in hoc malo, vel dextra, vel ſiniſtra, aliquibus verò omnibus ſui partibus. Etſi verò aliquando tota facies diſtorta apparet: dicitur tamen Oris diſtortio, quoniam manifeſtius deprauatio illa figuræ in ea faciei parte deprehenditur, quæ labiorum ambitu eſt circumſcripta.

*Oris tortura quid.* Si tamen accuratè rem æſtimare velimus, diſtinguendum eſſe videtur inter Oris torturam & Spaſmum Cynicum. Hinc Platerus Oris torturam appellat, quando oris parte deorſum tendente, vel ſurſum tractâ, os obliquum & intortum, vt in plorantibus apparere ſolet, redditur, ſiue id fiat ex paralyſi, ſiue conuulſione. Quod ſi verò in vtroque latere labia cum buccis ſimul contrahantur, tum os tranſuerſim diductum, veluti in ridentibus hominibus, vel in canibus, cum irati ringuntur & hiant, conſpici, idque ſpaſmum Cynicum vocari ſcribit. Petrus Salius Diuerſus, *in Annotationibus in Altimarum*, *cap.* 15. inter Torturam oris & ſpaſmum Cynicum etiam differentiam facit, Torturamque oris generalius accipi ſtatuit, pro omni figuræ oris deprauatione, eamque à duplici cauſſa prouenire, quarum altera eſt paralyſis, altera conuulſio. Spaſmum verò Cynicum, vt ipſa vox, ſi propriè ſumatur, indicat, ſolum ex conuulſione fieri ſtatuit.

Verùm ſi has duas ſententias coniũgamus, differentia inter Torturam oris & Spaſmum Cynicum rectè conſtitui poteſt. Tortura oris eſt vel à paralyſi, vel à conuulſione. Conuulſio vel vnum tantum latus occupat, vel vtrumque. Si vnum tantùm, conuulſio oris ſimpliciter, vel etiam, nomine generis, Tortura oris appellatur. Si vtrumque, propriè Spaſmus Cynicus dicitur. Hæc enim conuulſio exactè irati canis rictum exprimit. Non verò quæuis conuulſio oris rictum iratorum canum exprimit. Vnde etiam vocatur riſus Sardonius. At ridentes non vnum tantùm latus diducunt, ſed vtrumque. Quæ verò à paralyſi prouenit, oris Tortura, Spaſmus Cynicus appellari non poteſt; cum paralyſis non poſſit eſſe conuulſio. Vſus tamen obtinuit, vt vocabulum ſpaſmi non ſemper hic propriè accipiatur, ſed ſæpe oris Tortura & ſpaſmus Cynicus confundantur.

Quia vero muſculi faciei, qui maxillas inferiores, pinnas narium, & labia ac buccas mouent, neruos maxima ex parte à tertia coniugatione cerebri accipiunt; muſculoſa verò latitudo illa, ſiue μυώδης πλάτυσμα, cuius Galenus, *de loc. aff. c.* 2. *in fine*, mentionem facit, quodque mandibulas, & narium pinnas, & buccam vtramque mouet, non à tertia coniugatione cerebri, ſed à primis ceruicis vertebris neruos accipit, & nonnullos etiam à quinta coniugatione cerebri: fons huius mali præcipuè quærendus eſt, vel in neruis à tertia coniugatione, vel in muſculoſa latitudine.

Cauſſæ verò remotæ Torturæ oris eædem ſunt, quæ paralyſeos & conuulſionis; cum ab alterutra hæc affectio oriri poſſit. *Tortura oris Cauſſa remota.*

Auicennæ tamen frequentius fit à conuulſione. Quando igitur Tortura oris à conuulſione exiſtit, muſculis faciei verſus ſua principia contractis, tunc pars ſana ad læſam ſiue conuulſam trahitur, & latus, in quo diſtortio cernitur, locus affectus eſt, & muſculi dextræ partis conuulſi verſus ſua principia trahuntur, ac ſiniſtræ partis muſculos ſanos ad ſe trahunt, affectioque dextram ipſam partem occupat.

In Tortura verò oris ex paralyſi, pars faciei diſtorta eſt ſana; quoniam muſculi ſani actione ſua fungentes trahunt reſolutas partes ad ſe.

*Paralyſis & conuulſio iũguntur interdum.* Quod tamen, *lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 28. monuimus, paralyſin & conuulſionem interdum iungi, vt per vices & alternatim affligant, ita, vt pars modò conuellatur, modò reſoluatur: id etiam hic quandoque accidere poteſt. Cuius generis affectus videtur fuiſſe, quem deſcribit Anton. Beniuenius, *de abditis morbor. cauſis & curat. c.* 101. Cum enim imperitus quidam Medicus cuidam mulierculæ è gena dextra tuberculum furunculo ſimile ſcalpello abſcidiſſet, non habitâ ratione neruorum ac venularum, illico ſubſecuta eſt inflammatio & dolor, è quo mulier in κυνικὸν σπασμὸν incidit, quo temerario motu peruertebatur os & facies modò in dexteriorem, modò in ſiniſteriorem partem. Cum enim facies modò in dextram, modò in ſiniſtram partem diſtorqueretur, videtur fuiſſe mixtus affectus ex paralyſi & conuulſione, vt ſcilicet alternatim os modò conuelleretur, modò reſolueretur.

*Reſolutio neruorum.* Reſolutio neruorum, & inde ſecuta oris peruerſio, videatur apud Hippocratem, 2. *epid. ſect.* 2. *prope finem.*

*Maxillæ fractura oris tortura cauſa.* Præter paralyſin tamen & conuulſionem alia adhuc videtur dari cauſſa oris torturæ, cuius mentio fit ab Hippocrate, *lib. de articulis*, malè ſcilicet curata maxillæ fractura. *Si rectè quidem*, inquit, *coaptata fuerit, & vt debet, quieuerit maxilla, breui conualeſcet, ac dentes integri manent. Sin ſecus, longiore quidem tempore curatio accidit, eaque diſtorta, & dentes læduntur, ac inutiles exiſtunt.*

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Tortura oris viſui patet, quando os ægri ad alterum latus diſtorquetur, vt labiorum concinnus contactus, aut aliarum partium in facie conſenſus pereat. Præterea oculus alter ritè claudi nequit. Ac denique æger exſufflare, vel expuere iuſſus, ex altero tantùm oris latere id præſtare poteſt, & ſponte etiam ſaliua oris profluit. Nonnunquam fit Tortura oris non apparentibus in facie ſignis, neque ſpaſmi, neque paralyſis. Atque tùnc ægrum iubebis ridere aut

pronunciare O literam. Hic animaduertetur, alteram oris partem liberè moueri non poſſe.

Quod ad cauſarum ſigna attinet, ſi malum hoc à conuulſione exiſtit, pars affecta dura & tenſa, trahit ſanam, & plerumque dolor partis adeſt. Si verò hoc malum à reſolutione oriatur, pars affecta laxa & mollis trahitur ad ſanam, & ſenſus in parte affectâ obtuſus eſt, & palpebra oculi inferior ea parte decidit.

Traditur & hoc ſignum, ex conuulſione malum eſſe, ſi pars diſtorta ad naturalem ſitum & figuram reſtituatur per extenſionem manibus factam; ex reſolutione verò, ſi per retractionem. In paralyſi etiam facies eſt extenſa ſine rugis, & inclinatio faciei continua eſt ad inferiora: in conuulſione rugoſa eſt cutis in parte vna, & extenſio eius in parte altera. Paucitas ſputi & ſaliuæ eſt, præceſſeruntque vel adſunt cauſſæ conuulſionis.

Cæterùm ſi cauſſa Torturæ oris hæreat in muſculo faciei, vitioſa figura ſolùm partem faciei, quæ ab illo muſculo regitur, occupabit.

Sin in neruo, & quidem ſecundùm eius principium; ita, vt cerebrum altero latere ſit affectum, dimidium etiam cùm faciei, tum totius corporis ſimul afficietur. Si ſecundùm progreſſum, & noxa ſit in tertio pari neruorum cerebri, vitioſa figura occupabit dimidium faciei ſecundum omnes partes: vbi ſcilicet ramus aliquis maior afficitur. Aliàs enim tortura tantùm aliquas partes occupat. Si etiam tertia coniugatio afficiatur, magis laborat oculus: quia tertia coniugatio aliqua ſui parte cum motoriis neruis oculorum per eadem foramina prominet.

Si in quinto pari, leuis erit noxa buccarum: quæ denique inſignis erit, ſi in primis ceruicis vertebris, illarumque neruis, cauſſa mali ſedem habebit, & minus tum laborabit oculus, niſi ſimul muſculus temporalis affectus ſit, in quem quinta coniugatio ramulum mittit. Tunc etenim per conſenſum laborat ſimul oculus: quia iuxta Columbum in quibuſdam etiã ſecunda coniugatio, quæ oculos mouet, eò ramulum quendam mittit, vnde conſenſus muſculi temporalis & oculi. Minimè laborat oculus, ſi nerui ceruicis afficiantur.

### *Prognoſtica.*

1. Tortura oris ſuperueniens ſpaſmum aut paralyſin reliqui corporis, apoplexiam vel epilepſiam portendit.

2. Si Tortura oris fortis aduenit, per ſpaſmum præcipuè, intra quatuor dies interficit, materiâ in cerebrum tranſlatâ. Valeſcus de Taranta tamen vidit morientem die duodecimo.

3. Tortura oris, quæ vltra ſex menſes producitur, aut nunquam, aut difficulter curatur, teſte Auicenna.

4. Quæ per ſpaſmum fit Tortura oris, in febribus ardentibus, pernicioſa phrenitide, & morbis aliis acutis, lethalis eſt, teſte Rhaſe.

5. In febre non intermittente, ſi labrum, aut ſupercilia, aut oculus, aut naſus peruertatur, imbecillo iam corpore, in propinquo mors eſt: 4. *aph.* 49.

6. Oris peruerſiones, quæ nulli corporis parti conſentiunt, celeriter aut ſua ſponte, aut ex neceſſitate ſedantur: Hippocrates, *lib.* 2. *prædict.*

### *Curatio.*

*Curatio.* Sicut Tortura oris aut à ſpaſmo eſt, aut à paralyſi: ita etiam curationem requirit diuerſam. Ab vtra enim diſpoſitione malum ortum habeat, ante omnia videndum eſt. Quod ſi ergo ſanguinis copia adſit vena ſecetur primùm cubiti, ſi ſanguis in toto abundet, poſtea & quæ ſub linguâ. Aut cucurbitulæ cum ſcarificatione primis vertebris, vel, quod tutius eſt, ſcapulis affigantur. Nam ſæpius appoſitæ ceruici tremores corporis afferunt, teſte Auicenna, 1. *Canon. fen.* 4. *tr.* 21. *de ventoſis.*

Auicennas, Paulus, Aëtius ligaturam probant, quâ tanquam capiſtro facies ad figuram naturalem reducatur; quod in Tortura oris ex paralyſi locum habet.

Alij tamen etiam vtuntur ligaturis in conuulſione, ita, vt primò tendatur cutis frontis ad inferiora, deinde ligetur cum faſcia, donec tortura ceſſauerit omnino.

Probantur & frictiones extremorum ad diuertendum, factæ manu ſicca, vel intinctâ in aqua lauendulæ.

In inueterato hoc malo, ſi alia non proſint, Auicennas cauterium applicat ſupra venam, quæ ponè aurem eſt lateris affecti; quod & in ceruice fieri poteſt. Non tamen vbi conuulſio eſt in neruis ceruicis. Ita enim augeretur malum. Niſi fortè applicetur inter primam & ſecundam vertebram. Nerui enim, qui in faciem diſtribuuntur, à tertiâ, quartâ, & quintâ vertebra originem habent.

Alij ſinapiſmo & phœnigmo, vel dropace contenti ſunt.

Medicamenta quod attinet, Auicennas vetat pergere ad fortia purgantia vel digerentia ante quartum vel ſeptimum diem, propter cruditatem materiæ; niſi metus ſit ab imminente epilepſia vel apoplexia.

Poſt vniuerſalem euacuationem proſunt 1. errhina, 2. apophlegmatiſmi & gargariſmi; & ſi ſint maſticatoria, maſticatio magis fiat in parte affecta. A principio autem, & ante errhina, gargariſmis Auicennas non vtitur, ne materia partis affectæ in faciem trahatur.

Idem crebrò maſticare iubet calamum aromaticum, nucem moſchatam, & pyrethrum. Et de nuce moſchata in ore tenenda. Rhaſes quoque præcipit. Alij & caſtoreum ſub lingua tenere iubent: quæ omnia vim habent materiam reſoluendi, nux moſchata etiam neruos & cerebrum roborandi: ideo quoque nux moſch. cum ſpec. diapliris exhiberi poteſt.

Vel fiat gargariſmus ex ruta, lauendula, ſaluia, primula veris, & locus affectus inungatur vnguento Martiato. Fiant inunctiones partis affectæ cum oleo lumbricor. de caſtoreo, terebinth & aliis, quæ paralyſi & ſpaſmo conueniunt.

Vapores inſuper è fomentis conuenientibus in faciem recipiantur. Vel capitis inunctiones, lotiones caput exiccantes, fiant in Tortura oris ex paralyſi. Ex gr.

℞. *Lixiuium è cineribus vitis*, in eo bulliant *ſtœchas Arabica, ſaluia, fol. lauri, rutæ, ſaluiæ*, &c.

Vel applicetur hoc Cataplaſma Bertrucij.

℞. *Rad. raphani contuſas*, & addito *oleo laurino, rutaceo, de lateribus*, & modico *aceti* ac *furfuris* ſ. q. F. Cataplaſma.

Auicenna ex Indorum Medicorum ſententia commendat carnes animalium ſylueſtrium, vt leporis, vulpis, cerui, hirci ſylueſtris, aſini ſylueſtris, quas elixatas parti affectæ & capiti applicat.

Poſſunt & interna medicamenta quæ ad paralyſin & conuulſionem deſcripta ſunt ſupra, *libro primo*, exhiberi; inter quas ſunt aquæ duæ à Langio, *lib.* 3. *epiſt.* 1. *cap.* 1. deſcriptæ, quæ ita habent:

### *Prima:*

℞. *Fl. primulæ veris, roriſmarini, maioranæ, iuæ arthetica*, an. M. j. *Spec. diamoſch. amar. diapliris, diambræ*, an. ℨ. ß. *confect. anacardin.* ℨ. j. *cubebar. lign. aloës, nuc. moſch. caryophyll. macropiper. carpobalſam.* an. ʒ. j. *rad. acori, ireos, ariſtol. rot.* an. ℨ. jß. *ſem. ſileris mont. pœoniæ, fœnicul.* an. ʒ. j. *aq. herbæ paralyſis, ſaluiæ, betonicæ*, an. ℔. j. *fl. tiliæ* ℔. j. ß. *ſerapini, opopanacis, myrrhæ, gummi iuniperi*, an. ʒ. jß.

Stent

Stent omnia simul mixta conquassatis conquassandis in infusione per d.8. Postea extrahantur per alembicum ter in cineribus calidis, vel vapore, siue balneo sicco.

### *Altera.*

℞. *Rosar.rubr.fl.lauendul.*an.M.i,sem.*anthos* M.j.*stœchad.*M.sem.*chamæpit.stœchad.*M.sem.*fl.hyperic.cum semin.*an.M.j.*mastich.* Drach.iii. *castorei* Drach.i. ß. *benzoës* Vnc.sem.*nuc.mosch.* Drach.ii,Scrup.ii. *gummi helemi hederæ*, an.Drach.ij.*rad. enulæ contus.*ʒ.vi. *lumbricor.terræ lotor.vin.* Vnc.i.

Macerentur per diem & noctem in ℔.ii. *vini sublimati* trinæ destillationis,& ℔.i. *Maluatici*, & destillentur per Baln.Mar.& in alembico in sindone suspendantur *moschi* gr.iii.*caryophyller.contusor.*Scrup.ß.

### *Diæta.*

*Diæta.* Diæta sit,qualis in paralysi & spasmo. Auicennas & Rhases ægrum jubent poni in loco obscuro,ne humores lucis præsentiâ agitati & fusi, ad neruos concurrant. Et solent ipsi ægri lucem & conspectum hominum fugere,vt deformitatem oris ab aliis tegant. Auicennas etiam vult ægrum assiduè intueri in speculum ex chalybe factum, vt animaduersâ oris deformitate faciem totis viribus in pristinam naturalem figuram perducere nitatur. Valescus de Taranta tibiam inflare jubet.

### QVÆSTIO.

### *An Spasmus Cynicus sit morbus vel symptoma.*

*Spasmus Cynicus an sit morbus vel symptoma.* Morbum esse negat Ant.Donat.ab Altomari,*de med.hum.corp.mal.cap.* 15. Etsi enim ad eam sequatur morbus, figura scilicet vitiata:tamen ipsum spasmum non esse morbum,sed symptoma facultatis motricis læsæ,ad quam sequatur morbus figuræ.

Verum potius de nomine, quàm de re lis est.Spasmus enim Cynicus si consideratur vt altera torturæ oris differentia seu species, omnino morbus, vitiata scilicet figura: si verò consideratur vt caussa huius morbi,& motus vitiatus seu conuulsio,symptoma est.

## CAPVT IX.

### *De Ptyalismo seu crebra sputatione, & saliuæ Defectu.*

*Ptyalismus.* PTyalismus & πτυαλισμὸς Hippocrati & Galeno,est immoderata & frequens saliuæ exspuitio. Est enim inter excrementa corporis nostri etiam id, quod Græci σίαλον, & σίελον& πτύαλον & πτύσμα nominant, Latini saliuam &sputum:vnde σιαλόχοι Hippocrati dicuntur, 2.*epid.*qui multam saliuam ore effundunt.

*Differētia saliuæ & sputi.* Distinguunt nonnulli inter σίαλον & πτύσμα, seu saliuam & sputum;& σίαλον,seu saliuam,appellãt saltem id oris excrementum, quod sine tussi & exscreatione rejicitur:sputum verò,quod cum exscreatione ex thorace plerumque rejicitur,seu, vt etymologicum Græcum habet, πτύσμα est, quod κατὰ προαίρεσιν exspuitur; σίαλος verò,quod αὐτομάτως fluit,vt ita affectio,de qua agimus,potius saliuatio, quàm crebra sputatio dicenda esset. Verùm quia saliuæ propriè dictæ sæpe sputum,ita in specie etiam dictum, permiscetur,id ; quod ore rejicitur, ab Autoribus, & sputi & saliuæ nomine appellatur. Vnde etiam Autores voces has non semper distinguunt.

Quid autem saliua sit,notissimum est: at quomodo generetur, & quis ejus sit vsus,explicandum est. Saliuam equidem excrementum esse, & ex ore, tanquam inutile,rejici, extra dubium est, & quidem aquea ista humiditas,quâ linguâ irroratur, & mandentibus præsto est,natura sua ἄποιος est;neque sapore,neque colore,neque viscididate excedit; quantitate etiam moderata est.

Cæterùm cum omne excrementum coctionem aliquam præsupponat,materiam quidem huic excremento suppeditat partim coctio prima,quæ fit in ventriculo,partim tertia, quæ fit in cerebro,elaboratur verò in glandulis linguæ vtrinque assistentibus,quas Tonsillas vocant (vnde Galenus, *in com. in* 1. *prorrhet.* ἀδένας σιαλόχους nominat) vbi substantiæ modum ac naturam suam & nomen etiam accipit, consentientibus tamen & concurrentibus linguæ,& partium in ore calore.Etsi verò ex ore & alia excrementa pituitosa rejiciuntur, & sæpe saliuæ permiscentur,tamen saliua propriè tantùm illud est, quod in tonsillis gignitur: quod verò à thorace ejicitur, πτύσμα,seu sputum est,sicut, quod à cerebro defluit, μύξα & βλέννα, seu mucus appellatur.

Quanquam verò saliua excrementum est:natura tamen id etiam ad certos vsus destinauit. Primò enim ad cibi in ore masticationem, & ad primæ coctionis præparationem vtilis est,quæ commodè non perficeretur,si os saliua destitueretur;sicuti in febribus sæpe apparet,cum os siccum est, neque cibus saliua conspergitur. Imo in ipso ventriculo coctio difficilior fieret,si absque saliua esset,& si is panem & reliquos cibos aridos ab ore acciperet. Deinde locutio perfici non posset,si lingua ac labra saliua non conspergerentur, quod quilibet, si lingua & labia saliuâ destituuntur, experitur. Tertiò etiam ad gustatum conducit saliua,& saporum quasi vehiculum est,& si lingua saliua destituatur, nullum, vel obscurum admodum saporem percipit.

Verùm hæc omnia præstat saliua, si naturalem qualitatem,saporem,colorem,quantitatem obtineat.Sæpe verò à naturali constitutione deflectit, & pro insipida fit salsa vel amara,vel dulcis, vel acida; color pro albo croceus; pro aquea, crassa & spumea; & tandem pro moderata in copia,copiosa,vt opus sit, hoc excrementum continuò ore rejici,quod Græcis πτυαλισμὸς,Latinis,crebra sputatio vel saliuatio appellatur. Est videlicet Ptyalismus crebra & inuoluntaria sine tussi & screatu exspuitio,à nimia saliuæ copiâ proueniens. *Ptyalismus quid.*

Etsi enim etiam ex mala consuetudine quasi nonnulli hanc exspuitionem familiarem sibi reddunt,dum inter loquendum & perorandum toties, quoties sententiam absoluerunt, exspuunt, & ex medicamentorum sputum prouocantium vsu quoque hoc prouenire potest: tamen de ea hic non est sermo, sed de præternaturali, cum objectum præter naturam, seu saliua copiosior,ad exspuendum inuitat.

### *Caussæ.*

*Caussæ.* Fit autem saliua seu sputum copiosius, dum pituitosus humor à capite ad os & fauces defluens, saliuæ se commiscet,eámque auget; atque tunc ptyalismi, & catarrhi eadem generatio & caussa est, & solet ptyalismus, vt catarrhus, nonnunquam epidemius esse: id quod An.1565.accidisse,refert Forestus, *lib.*14.*obseru.* 23. Eadem de caussa cum columellæ laxatione plerunque sputatio multa conjuncta est. Accidit eadem etiam in inflammatione & vlceribus oris.

Deinde dum ex ventriculo humidiore & pituitâ abundante ea sursum in os exsudat & exsurgit,sputoq; se miscet, quod manè, seu jejuno ventriculo accidere solet;idque sæpe post morbos chronicos accidit, ventriculo debilitato, & non rectè concoquente. Neque tamen semper primariò è ventriculo aquosa illa pituita

pituita in os confluit, sed nonnunquam ex inteftinis, vt in vermibus accidit,nonnunquam ex liene,vnde lienosi & scorbutici sputatores & saliuatores sunt, de qua re,*lib.*3.*part.*5.*sect.*2.*cap.*4. dictum.

In pectoris quoque & pulmonis affectibus excrementa illic congesta si in os propellantur, sputum augere solent. Tandem etiam ex hydrargyri inunctione molesta & continua sputi ex ore rejectio & saliuatio excitari potest. Interdum etiam infantibus saliuatio ob humores vitiosos in vtero cumulatos familiaris est. De quo Hollerius, *com.ad aph.*29.*sect.*3. Nostris,*inquit*,pueris rarò accidunt aphthæ;quia Gallicanarum matrum & nutricum frigidius est lac & humidius: sed aphtharum loco pustulas habent & vlcera serpentia per totam faciem, per caput, post aures & multam præterea saliuationem.

### *Signa Diagnostica.*

Signa. Malum per se notum est,& qui hoc laborant,coguntur sine tussi & exscreatione, ob saliuam copiosius ad labia affluentem,exspuere. Quænam v. copiosæ saliuæ caussa sit,ex morbis, qui præcesserunt, vel præsentes sunt,cognoscitur.

Post cibum si copiosa saliua excernatur,indicat ventriculum malè affici, vel ob propriam illius imbecillitatem,vel ob ciborum qualitatem,aut quantitatem.Indicat enim cibum corrumpi. Atque hæc saliuæ exspuitio à Galeno,4.*de loc.aff.c.* 10. è Diocle inter affectionis hypochondriacæ symptomata recensetur. De sputatione, quæ etiam scorbuticis familiaris est, videatur *liber* 3.*loco alleg.*

### *Prognostica.*

Prognostica. 1. Malum, prout morbus,à quo saliua copiosa prouenit,se habet,nunc grauius,nunc leuius est,& facilius vel difficilius curatur.

2. Ptyalismus interdum à magnis morbis præseruat, imò magnos morbos tollit, & acuta febre laborantes tandem ptyalismo,& copiosa saliuæ rejectione,sanatos fuisse,obseruatum est; cujus rei historiam habet Forestus,*lib.*14.*obs.*23.

### *Curatio.*

Etsi ptyalismus à saliuæ copia proueniat, & proinde ipsa absumenda, &,quæ resiccare & partes illas saliuam suppeditantes,tonsillas puta,roborare possunt,exhibenda sint:tamen cum caussæ sint plures, à quibus copiosa saliua prouenit, vt scopo huic rectius satisfacere possimus,istæ prius tollendæ sunt.

Itaque si à Catarrho à capite labente & saliuam augente est ptyalismus, curatio ad catarrhum dirigenda.

Si à Ventriculi vitio suppeditatur, tum generatio pituitæ in ventriculo impedienda, genitaque expurganda,& ventriculus exsiccandus;quam ad rem inprimis aloë & hiera picra, & aloëticorum medicamentorum vsus facit. Vtile est & thus ac mastiche cum vino sumpta, & sinapi cibis admixta : item diagalanga,diatrion pipereon. Vtilis etiam est vomitus. Æger famem toleret.

Si Lienis vitio proueniat saliua copiosior, illi succurrendum.

Eodem modo & Pulmonum affectus, si saliuam augeant,curandi.

Si ab Hydrargyri inunctione proueniat ptyalismus, illi succurrendum, vt de curatione luis Venereæ dicetur. Et exemplum talis Ptyalismi curati habet Forestus,*lib.*14.*obseru.*23.

Quibus pro varietate caussarum expeditis & præmissis,tandem & ad os madidum exsiccandum, & tonsillas roborandas veniendum : decocta nimirum paranda ex fol.myrti, plantaginis, rosis rubris, saluia, nucibus cupressi,balaustiis,acacia,hypocistide, mastiche, ligno aloës,alumine;quæ decocta in ore solùm sunt detinenda,non verò gargarismi modo vsurpanda,ne plus pituitæ ad os attrahatur. Potest & spongiæ particula in ore detineri, quæ copiosiorem saliuam imbibat. Si tamen critica sit euacuatio, fluxus ille impediendus non est.

### *Saliuæ defectus.*

Saliuæ defectus. Caussa est materiæ defectus. Deficit autem materia, quia vel non generatur, vel generata absumitur. Non generatur ob siccitatem cerebri,ventriculi, linguæ, & tonsillarum. Generata absumitur in febribus ardentibus,vt Pherecidæ,7.*epid.*,oris inflammationibus, vigiliis,nimiis exercitiis,siti,longis sermonibus, à cibis calidis & exsiccantibus, fumis metallicis, & similibus.

Signa. *Signa Diagnostica* hic affectus non requirit, sed per se patet.Signa etiam caussarum è præcedentibus & præsentibus, & iis,quæ de linguæ siccitate, *lib.*1.*part.*3. *sect.*5.*cap.*1.dicta sunt,manifesta sunt.

Prognostica. *Prognostica* etiam inde petenda & desumenda sunt.

Curatio. *Curatio* vt rectè fiat,caussæ,à quibus pendent, tollendæ sunt, & exsiccationi humectantibus resistendum. Quod fit remediis,quæ,*ibid.*habentur.

Linguæ vitia. *Lingua* ipsa etiam ore continetur, verùm quæ de ejus morbis & symptomatibus dici possunt,supra, *lib.* 1.*part.*3.*sect.*5. proposita sunt.

---

## DE DENTIVM AFFECTIBVS.

## CAPVT X.

### *De Dentium Morbis.*

Dentes soli ex ossibus quadam sui parte extra σάρνια,seu alueolos suos prominent, vt masticationi ciborum, quod ipsorum munus est,inseruiant. Secundariò verò sermoni & pronunciationi verborum suam operam præstant. Ideo & in masticatione atteruntur, attriti verò incrementum denuò accipiunt,& cùm toti exciderint in infantia, nonnunquam & aliis ætatibus, septenariis potissimùm annorum, noui gignuntur, ita, vt quibusdam septuagesimo,octuagesimo anno dentes renatos fuisse compertum sit. Præsens enim est vsque ad mortem in maxillis vis πλαστική, seu formatrix dentium, quæ ipsos producere potest ex idonea materia, peculiaribus in maxilla finibus recepta, quæ in osseam quandam duritiem excrescit. In ipsis etiam dentibus parte internâ semper aliquid humidæ mollitiei inest, quâ nutriuntur,& fluxionibus opportuni fiunt.Ejus rei exemplum occurrit nuper Reichenbachij, in Silesia. Scripsit n.ad me Dn. D. Georgius Titschardus, viuere ibi honestam matronam ferè septuagenariam, viduam, quæ ante quadriennium, postquam scilicet climactericum magnum, 63.annum superasset, omnibus dentibus ab ortu primo amissis,cœpit dolere caput & gingiuas tam atrociter,vt moritura putaretur, & præ doloris immanitate insaniam metueret, eousque, donec, elapsis aliquot diebus, dentes, perinde vt in ætate infantili fieri consueuit, primores protruderet, ac tum dolores mitigari, meliusque habere & viuere cœperit. Numerati autem sunt 20. Verùm jam olim etiam talia accidisse, patet ex Aristotele, *de histor.animal. l,* 2.*c.* 4. Plinio, *lib.* 11.*c.* 37. Cardano, *de rer. variet. lib.* 8.*c.* 43. Alexandro Benedicto, *de curandis morb.lib.6.cap.*1.

Dentes verò considerantur quatenus vel gignuntur, vel geniti sunt.Etsi enim dentes in ipso vtero materno formentur,

formentur,vt in diffectionibus ab ortuum fæpe obfer-uatum : tamen fapientiffimus rerum Creator extra al-ueolos eos ftatim eminere noluit, ne papilla matris iis læderetur, fed gingiuis obducti latent vfque ad quin-tum vel fextum menfem,vel etiam vltrà, ac tum in in-fantibus cum dolore plerumque erumpunt. Dum ge-niti funt, variis morbis & fymptomatibus affici pof-funt.

Morbos dentium quod attinet, primò magnitudo perit, fiue à violentia externa, fiue à defectu alimenti, dum corroduntur & perforantur:deinde interdum lon-giores,quàm par eft,fiunt.Sæpe mobiles fiunt,& vacil-lant;interdum excidunt & deficiunt:contrà fæpe plures numero funt,quàm par eft. Nonnunquam fitus & ordo eorum non rectè fe habet. Interdum tophis obducun-tur:de quibus jam ordine dicemus.

## De Dentium Corrofione & Carie.

*Dentium corrofio & caries.* Primò fæpe dentes corrumpuntur & corroduntur ab acribus humoribus ad ipfos defluentibus; à quibus fimul plerumque dolor excitatur : vnde poft frequen-tem dentium dolorem tandem eorum corrofio & ca-ries fequitur,ita vt frangantur & fruftillatim excidant. Faciunt tamen etiam ad dentium corrofionem,aut cer-tè eam augent,cibi, vt Hippocrates, *lib.de affectionib.* docet,præfertim fi dentes jam antea caui fint,vt cibi in iis retineantur.Inprimis hoc præftant dulcia,& præci-puè faccharum,vnde qui faccharum fæpe guftant, ple-runque corruptos dentes habent.

Corrumpunt præterea dentes nimiùm calida affum-pta. Vnde vulgatus verficulus:

*Pultes feruentes faciunt corrumpere dentes.*

Frigida contrà idem præftant, & præfertim poft ni-mis calida paruo interuallo affumpta. Vnde qui circa aquas gelidas habitant,corruptos dentes habent.

Dentes etiam læduntfuci mulierum ex hydrargyro; vnde rarò mulieres,quæ fucis ejufmodi vtuntur, albos dentes habent.

Fiftulæ quoque nonnunquam in dentibus oriuntur, è quibus humor corruptus, & fanies fenfim exftillat. Et quidem hæc fanies nonnunquam in os cum fœtore defluit, cujus rei exempla duo habet Foreftus, *lib.14. obf.7*. Nonnunquam verò per dentium radices & ma-xillæ illa foramina,per quæ vafa in eas fubeunt, fenfim extrà effluit, & tubercula in malâ vel mento excitat, quæ nullo modo curantur, nifi dens extrahatur. Etfi enim,vt aliquoties obferuaui, rumpatur illud tubercu-lum,& pus cellactum effluat, & tuberculum inde fub-fideat & probè curatum videatur : tamen poft aliquod temporis interuallum, ex fanie è dente cariofo ad eun-dem locum affluente aliud tuberculum excitatur, ite-rúmque rumpitur,& pus effundit;idque toties accidit, donec dens cariofus extractus fit.Eo enim exempto,tu-berculum fponte euanefcit.Interdum etiam vlcus fem-per manet apertum,& continuò faniem ftillat, nequit-que claudi,donec dens cariofus extrahatur.Exftillat au-tem ifta fanies, vt dictum, non per erofam maxillam, fed per foramina, quæ funt in exteriore fuperficie ma-xillæ parte anteriore, per quæ vafa ad mufculos, la-bium, & cutim eò loci deferuntur. Obferuationes hâc de re vide apud Beniuenium, *de abd. morb. & fanat. cauff. cap.* 22. Guil. Fabricium, *cent.* 3. *obferu.* 32. & 33.

Tandem nonnunquam vermes in dentibus generan-tur,qui ipfos erodunt.

## Curatio.

Illud quidem, quod corrofum & carie abfumptum eft, in dentibus refarciri & reponi non poteft : ne verò malum longius ferpat,influens humor omni ftudio ex-ficcandus eft,ac, dum paucus eft ifte humor, topica fufficiunt; fin multus,capitis etiam prius ratio habea-tur,& totius.

Poftea humiditas putrida abfumatur,&c,ne ab ea am-plius dentes corrumpantur, detur opera : quod præftat decoctum radic. cappar. pentaphylli, ciperi, tithy-mali, fol. faluiæ, menthæ, rorifmarini, fem. nigel-læ, baccar. lauri, in vino vel aceto. Aut gallia mof-chata, vel fola, vel cum cypero & maftiche mixta, in cauum dentis indatur, ad prohibendam putrefa-ctionem.

Aëtius fulphur viuum lycio exceptum intrudit in cauitatem dentis,aut femen nigellæ torrefactum & ace-to acri affufo tritum.

Vel fequenti Decocto os fæpius colluatur:

℞. *Cort.rad.cappar.*Drach.vi.*rad. peucedani* Drach. iij *pyrethri* Drach.ii.*zingib.*Drach.i. *fem.nigell.* Drach. i.fem. *myrrh.rubr.*Drach.fem.*fl.rofar.rubr.*P.ii.

De coq.*in aceti vini* q.f.ad tertias.

Colat.℞.Vnc.1x.Admifc.*fyr.de rofis ficcis* Vnc.i.M.

Mizaldus commendat aquam rad. pyrethri cum vi-no deftillatam, quâ os collui jubet. Nonnulli dentes erofos & cariofos camphorâ replent;alij radice peuce-dani, zingib.& pyrethri. Alij eafdem radices in aceto macerant,deinde coquunt & exficcant,& eodem modo adhibent. Marcellus cauos dentes fanat imponendo iis cinerem mufcerdæ, quo offa cariofa reftitui perhibet. Sunt, qui fequentem Aquam ftillatitiam parant, qua dentem erofum fæpius fricant.

℞. *Alumin. facch.* ℔. fem. *fal. ammoniac. gemmæ,* an.℔.j.

Puluerifata indantur retortæ lutatæ, & f.a. deftil-lentur.

Arcet quoque corrofionem & cariem dentium fe-quens Linimentum.

℞. *Pulu.myrrh.* Scrup. ij. *gummi juniperi* Scrup. i. *alumin.*Scrup.fem.Cum *mellis* q.f.

F. Linimentum,quo quotidiè dentes putres & erofi fricentur.

Vel ℞. *Radic.filic.quinque fol.oxylapath.*an.Vnc.i.

Coqu. in aceto,vel vino auftero ad tertiæ partis con-fumptionem.

Colaturâ os,qua parte dens cariofus eft, colluatur, poftea hoc Puluere,quem Galenus, 5.*de comp.med.fec. loc.cap.9.* defcribit, dens impleatur, qui ejus putrefa-ctionem prohibet.

℞. *Melanth.*Vnc.i.*nitri* Vnc.fem.

Simul torrefiant,& in aceto acerrimo extinguantur, terantur,& cauernæ dentis imponantur.

Rondeletius aquam fortem in cauitatem dentis im-mittit: quod tamen vix tutum puto,cum ab ea & vici-næ partes,& neruus denti infertus facilè lædi poffit.

Fricentur etiam dentes iis, quæ poftea de dentium denigratione proponentur.

Et ne dentes cariofi amplius corrumpantur,vtile eft, poft cibum eos à cibis in iis retentis mundare; deinde os vino colluere, & denti maftichem,thus, cyperum imponere.

Nonnulli ceram indunt. Sed monet de ea Rondele-tius,ne fola dentibus indatur; cum habeat vim emol-liendi,neruos præfertim. Ideóque fuadet,fi ea vti veli-mus,vt admifceamus alumen,vel aliud, quod ficcat & adftringit, vel ceram viridem, quæ vehementer ficcat ob æruginem.

Cauteria etiam admittit Hollerius, *in perioch.5.in li-brum de compof.medic.fec.loca.* Verum vix eorum tutus eft vfus, propter exquifitum fenfum neruorum; me-tuendúmque,ne partes aliæ,& cerebrum ipfum in con-fenfum trahatur. Granum etiam thuris vel myrrhæ denti inferere vtile eft.

Sylua hujufmodi medicamentorum reperitur apud Galenum, 5. *de compof. medicam. fec. loc.* Aëtium, *tetrabibl.* 2.*ferm.4.cap.* 33. Paulum Æginetam, Tral-lianum.

Si fœtor dentium simul adsit, aliquid de myrrha, aut de folio Indo, aut radic. ireos medicamentis misceatur.

Vt ℞. *Myrrh. mastich. corall.rubr. rorismarin. ireos*, an. Drach.i. *ceræ* q.s. pro incorporatione..

Fiat Massa, de qua aliquid in dentem cauum immittatur.

Vel ℞. *Pulu, mastich.* Drach.sem. *coralllior.rubr.* Scru. j. *myrrh.rubr.* Scrup.sem.

F. Puluis, quo cauitas dentium repleatur.

Vel ℞. *Flor.rosar. rubr.* M.i. *mastich.* Drach.ii. *radic. ireos.* Vnc.i. *ligni cupress.* Vnc.sem.

Fiat decoctio in sufficiente vini quantitate.

Colaturæ ℞. ℔.j. *oxymell.scillit.* Vnc.iij.

Misc.& decocto dentes eluantur; deinde repleatur cauitas masticthe cum cerâ mista. Dentes etiam mundat & à putredine præseruat sp. vitrioli.

Si vermibus dentes erodantur, necare illos scribunt exceptum per infundibulum fumum de sem. hyoscyami. Falsissimum tamen hoc putat Hollerius, *lib.5. periocb.in lib.Galen.de comp.medic.sec.loca*, scribitque aliquid vermiculorum semper de accenso illo fumo erumpere, omni tempore in aëre etiam, quando ad dentes corruptos non pertingit. Alij fumum ex fructu halicacabi cum cera misto, & ferro candenti injecto ore excipere jubent. Alij fumum adhibent de trochiscis ex semine hyoscyami albi, succo cepæ vel porri, & nitro, cum seuo hircino formatis; aut fiat collutio oris ex decocto radicum chelidon. Crato commendat decoctum radic.fraxini, vel vrticæ. Succus item folior. centaurij minoris, & persicæ arboris, aloë, myrrha, C.C.& alia, quæ contra vermes vsurpantur, vtilia sunt. Quidam os spiritu vini colluere jubent.

*Dentium extractio.* Si dens maxima ex parte cariosus sit, & dolorem pariat, aut fistula inde facta sit, vel tuberculum, aut vlcus in maxilla, de quo antea dictum, extrahatur. In extrahendo tamen dente cautio adhibeatur, & non extrahatur, nisi vacillet, vt sine vi extrahi possit, aut, si nerui subjecti, ne inflammatio, & inde periculum immineat. Erasistratus, qui dentes temerè non extrahendos putauit, ejus rei testimonium hoc adduxit, quod in templo Apollinis Ὀδοντάγωγος seu forceps dentarius plumbeus suspenderetur, quo innuebatur, non esse extrahendos dentes, nisi vacillarent, vt plumbeo forcipe, & sine vlla vi extrahi possint. Si enim magnâ vi extrahuntur dentes, sæpe majores dolores, & sanguinis fluxus sequi solet, vel maxillæ pars auulsa simul extrahi, aut alia pericula excitari possunt. Ita memini hîc puero incautè dentem extractum, & procul dubio in extrahendo neruum læsum fuisse, vnde postea fungus enatus fuit, qui totum os repleuit, ac quamuis abscinderetur, breuissimo tamen temporis spatio iterum succreuit, majúsque semper incrementum sumpsit, ac ægro tandem mortem attulit.

Vt autem dentes sine violentia euelli possint, quædam medicamenta adhibenda, quæ passim in Medicorum libris occurrunt: vt ranarum viridium in arboribus degentium pinguedo & puluis, si dentibus affricetur; tithymali succus denti inditus, aut si ex eo & sale armoniaco globuli formentur, & cauitati dentis indantur, gummi hederæ impositum, radix cucumeris agrestis per triduum in aceto macerata, semen hyoscyami, & radix ejusdem assata radici dentis calida applicata.

Alij hoc commendant:

℞. *Vrinæ canis, thuris, dentis canis*, an.q.s.

Puluerisentur subtilissimè & cum vrina permisceantur, & imponantur denti eximendo.

Tabernæmontanus hoc laudat:

℞. *Gummi ammoniacum dissolutum*, & cum *sem. hyoscyami*, Misce. F. Vnguentum.

Monet tamen de hisce medicamentis Valescus de Taranta. 1. vt vicini dentes benè muniantur, ne & ipsi à medicamento tangantur. 2. vt os apertum seruetur, & saliua effluere permittatur. 3. ne quid deglutiatur.

Ne etiam dentes cariosi sub forcipe frangantur, ante extractionem tenui filamento replendus est dens cariosus.

Valescus de Taranta *lib. 2. cap. 72.* non facilè admittit dentium extractionem, primò propter masticationem: secundò quia dente vno euulso sequatur fluxio ad alterum; & sic continuò dentes extrahendos esse, donec tandem homo ad solas offas & pulmenta redigatur. Verùm etsi hoc suo modo concedi possit in dolore dentium à fluxione, & vbi per vasa pluribus dentibus communia materia affluit: tamen in dentibus corruptis, & præcipuè vbi sanies ex iis exesis emanans in maxillâ tubercula vel vlcus excitat, nulla alia curandi ratio est, quàm si dens extrahatur. Neque tum metus est, ne vicinus dens corrumpatur, cùm talis corrosio non sit à fluxione recenti, sed quæ jam diu sæpe præteriit.

## De dentium Imminutione.

*Dentium imminutio.* Non solùm dentes Imminuuntur, dum intus corroduntur, sed etiam cum breuiores fiunt. Fit autem hoc. 1. ob externas injurias, casum scilicet, percussionem, vbi pars aliqua dentis perditur. 2. vbi nonnunquam in dentium putredine ij non solum intus excauantur, sed etiam pars aliqua decidit. In adultis vix curabile malum est. In pueris, quibus adhuc spes est, dentes rursum renasci posse, sanationis spes est.

## De dentium Elongatione.

*Dentium elongatio.* Dentes nonnunquam etiam iusto Longiores & prominentiores fiunt, præcipuè anteriores. Id quod accidit, primò iis vacillantibus, vel eorum radicibus laxatis, vel percussione aut casu, atque externa violentia, vt in attentatâ, sed non perfectâ dentis extractione. Deinde etiam citra laxitatem & mobilitatem, quando nimirum augentur & longiores fiunt. Id quod plerumque fit, si dens oppositus deest, teste Columbo, *de re Anatom. lib. 1. cap. 10.*

Si à laxitate & vacillatione dentium fiat eorum elongatio, dentes iterum firmandi sunt, vt postea dicetur; aut si hoc non juuet, limâ atterendi; quod etiam faciendum, si ex incremento longiores sint. De qua re vide Aëtium, *tetrabibl.2.serm.4.cap.30.*

## De dentium Mobilitate & Vacillatione.

*Dentium vacillatio & mobilitas.* Sæpe etiam accidit, vt dentes vacillent: & inprimis incisorij mobiles fiunt, quia vnâ saltem radice nituntur.

*Caussa.* Vacillatio dentium fit vel à caussa externa & euidente, vel interna.

*Externa.* Causa externa est ictus, vel casus.

*Interna.* Internæ sunt defectus alimenti, vt in senibus, interdum quoque conualescentibus, vnde alueoli dentium ampliores redduntur; nimia humiditas laxans radices dentium, præsertim si peculiaris aliqua prauitas accedat: id quod in scorbuto, & in lue Venerea ab inunctione hydrargyri accidit; diminutio gingiuarum ab erodente succo prauo, quod etiam in lue Venerea sæpe vsuvenit. Mobiles etiam fiunt dentes erosâ eorum radice.

*Curatio à caussa violenta.* Si ergo à casu aut percussione dentes mobiles sint redditi, adstringentibus & firmantibus vtendum.

Vt ℞ *Rad.pentaphyll.bistort.* an.Vnc.i. *cyperi* Drach. ii. *flor.rosar.rubr.* M.ß. *sumach.* Vnc.sem. Coqu. in aqua ferratâ. Colat. adde *alum.* Drach.ii. F. Oris collutio.

Vel ℞.

Vel ℞. *Corall.rubr.C.C. vsti præpar.rad.bistor. pentaphyll.mastich.rad.cyperi*,an.Drach.i.

F.Puluis, qui dentibus affricetur, vel cum syrupo de rosis siccis in Linimenti formam redigatur,& dentibus illinatur.

℞. *Succi nasturt.aquat.express.* Drach.iii. *syr.ex rosis siccis* Vnc.iß.

Coqu.f.a.ad spissitud. Add. *rad. symphyti* Scr.i. *nuc. mosch.cupress.C C.vsti pulu.*vel *præp.sang.dracon.*an.Scr. j.*alum.vsti* Scr.ß.F.l.a.Linimentum.

*A defectu alimenti.* Si verò malum sit à defectu alimenti,dentium equidem tenuitati & exsiccationi nullum remedium adhiberi potest. Dentium tamen relaxationi opitulantur adstringentia medicamenta , & quæ gingiuas roborant.

*A nimia humiditate.* Si à nimia humiditate, exsiccantibus & adstringentibus opus est.Vbi tamen seligenda ea,quæ dentes non denigrant , & quæ odorem gratum ori conciliant. Ea enim,quæ dentes denigrant,omittenda,vt cortices granatorum,balaustior.gallæ,vitriolum,& chalcitis.

Fiat nimirum decoctum ex rad. filicis maris , pentaphyll, bistort, lapathi, tormentillæ, cappar. fol. myrti, lentisci,mespil, flor. rosar. rubrar. cupulis glandium in aqua vel vino austero : quibus si alumen,vel decocto si ol.vitriol. vel sulph.guttæ aliquot addantur, efficacius decoctum redditur.Ad humiditatem simul educendam radix pyrethri addi potest,& ob odorem suauem rosmarinus,saluia,cinamomum.

Pulueres etiam dentibus in eundem vsum affricentur,quales postea de gingiuis laxis proponentur.

Vt ℞. *Aluminis,mastiches*,an.Drach.sem.*corall.rubr. C.C.vsti,eboris,sanguinis draconis,boli Armenæ,salis communis tosti*, an. Drach.ii. *thuris, balaustior*,an. Drach.i. *radic. ireos, bistortæ , nuc. cupressi* , an. Drach.iii. *piperis, pyrethri*, an.Drach.i.*testarum sepiæ,pumicis*, an. Dra.iß. F.Puluis.

Vel ℞.*Corall.vtriusque* an.ʒ.ii.*mastiches,tragacanthæ, gummi Arabici*,an.Drach.i.F.Puluis.

Vel ℞. *Farinæ hordei* Vnc. cxx. *folior. parietariæ viridis* q.s.

Contunde folia in mortario,& cum farina Misce vt fiat Massa,quæ vratur in olla igne patente hor.24.massam exime,& adde *mastich.* Vnc.ii. *rad.ireos* Vnc.i. *spicæ Indicæ,folij*,an.Vnc.ß.F.Puluis.

Vel ℞. *Off. dactylor. oliuarum combustar. oculor. cancri vstor.* an.Drac.ii. *sang.dracon.alum.vsti*,an.Dra.i. F.Puluis.

Vel ℞. *Flor. rosar.rubr. sumach, granor. myrt. cupul. glandium*,an.Drach.iß.*cort.rad.mori* Drach.iii. *cort.rad. cappar.*Drach.iß.*radic.ireos,thuris*,an.Dra.j.

Coquantur in vino adstringente pro Collutione oris.

Vel ℞.*Rosar.rub.*M.i.*C.C. vsti* Drac.i. *rad. serpentariæ* Drach.i.*tormentill.*Drach.ii.*alum.vsti* Drach.ß. *nuc. moschat.*Scrup.ii.*cortic.cass.ligneæ* Drach i.Coq.in *aq.plantag.*lb.iß.

Vel ℞. *Herb.auriculæ muris,rad.serpentariæ, tormentillæ*,an.q.v.

Coq.in *aqua ferrata* ad consumptionem tertiæ partis pro Oris collutione.

Vel ℞. *Rad.pentaphyll.bistortæ*,an.Vnc.ß. *flor.rosar.rubr.cupular.glandium* Drach. ii *spongiæ marin.*Dra.i.

Coq. in aquæ communis chalybeat. & rosar. part. æqual.ad tertias,& colentur.

Vel ℞. *Fol.myrtillor.sorbor.* an. Mß. *balaustior.sarcocoll.aluminis* , an.Scrup.i. *aceti scillit.* Vnc.ii.*aqua plantag.*Vnc vj.

Bulliant ad tertias, & colentur.

Colaturæ admisce *syr.myrt.*Vnc.iß Misc.

Efficax est & hoc:

℞. *Gland.*Vnc.i.*alumin.vsti* Drach.i. *acaciæ* Drac.ß. *flor.rosar.rub.*Mß.

Coqu.in *vini rubri* lb.ij.ad tertiæ partis consumptionem:decocto os sæpe colluatur.

Vtilis quoque est sequens Aqua destillata:

℞. *Fol.saluiæ,rorismarini*,an.M.iiii.*menthæ,chamæpit.* an.M.ii.*schœnanthi* M.i.*cort.citri* Vnc.i.*ligni aloes,cyperi rot.*an.Dra.ij.

Concisis affunde *aq.fl.prunell.periclymeni,rosar.*an.q. s.*vini cydonior.*lbß.

Stent per triduum in infus. deinde destillentur in MB.In fine adde *moschi* Scr ß.

Possunt & tali Linimento dentes mobiles fricari:

℞. *Diamori* Vnc.sem. *dianuc.* Drach. ii.*alum. vsti* Drach.ß.Misce.

Vel ℞.*Pulu.gummi iunip.*Drach.ß.*alum.crudi* Dra.i. *origani* Drach. ß. *mellis* Drach. vi. Cum *aceto scillitico*, Misc.

Aqua pro firmandis dentibus,quæ & in dolore dentium vsurpari potest:

℞. *Herb.salu.vrtic.rorismarin.rad.tormentill.nuc. iugland.bene lotar. & contus.*an.M.iii *flor.salu. rorismar.rosar.rubr.fol.prunell.plantag.summit.rubi,marrub.*an.M.ii. *sem.myrtill.*lb.i.*hypocist.* Vnc.iii. *coriand.præp.cort.citri*, an.Dra.ii.*cinamomi* Vnc.iii.*nuc.cupress.*num.x. *boli Armenæ,mastich.*an.Drach.ij.

Incisa & contusa infund. in s. q. *vini nigri austeri*, stent per triduum in macerat. Postea exprimantur fortiter.Expressum indatur cucurb. vitreæ.Destillentur lento igne. In destillato ebulliant vase bene cooperto *aluminis* Vnc.ii.

Percolentur.Seruentur vsui.

Alia:

℞.*Rad.tormentill.serpent.*an.ʒ.ii.*plantag.*Vnc.i.*prunell.cort.nuc.iugland.*an.Vnc.iß *ligni guaiac.contus.*ʒ.iii. *sem.coriandr.præp.*ʒ.ß.*portulac.*ʒ.vi.*myrtill.*ʒ.ii.*fol.myrtill.*M.i.*herb.plantag.marrub.vrtic.min.prunell.*an.M.iß. *rorismar.salu.min.* an.M.ii. *flor.rosar. rubr.* M.iß. *santali rubr.cort.citri,cass.lign.*an.Vnc.ß. *nuc.cupress.nuc. mosch.* an.Drac.iii.*pinear.rec.*num.iiii. *boli Armen.mastich.* an. Drach. ii. *cinamomi, myrrhæ*, an. Drach.iß. *rasur. C. C.* Vnc.iß.

Præparata l. a. misc. & superfund. *vini rubri antiq.* lb.xij.

Stent per aliquot dies , postea per cucurb. vitr. destillentur.

*Ab imminutione gingiuarum.* Si ab imminutis & erosis Gingiuis sit dentium mobilitas,illæ instaurentur,vt suo loco dicetur.

Vt ℞. *Alumin.sciss il.vsti,flor.rosar. rubr. sumach*, an. Drach. iß. *ligni aloes, radic. cyperi* , an. Drach. i. Fiat Puluis,qui gingiuas roborat & adstringit.

Vel ℞. *Corall.rubr.præpar.* Drach.iß. *mastich. radic. cyperi*,an.Drach.sem.*aristoloch.rotund.cass.lign.*an.Scr.j. F.Puluis.

In Lue Venerea materia putrida & maligna prius abstergatur oxymel.scillit. in quo maceratum sit Guaiacum cum succo plantaginis, vel ol. sulphuris aut vitrioli:postea adspergatur puluis ex adstringentibus:tandem post detersionem dentes frequenter abluantur decocto ligni Guaiaci parato cum vino , mastiche, plantagin.

Si à Scorbuto sit dentium mobilitas,cura ad scorbutum dirigatur,& adhibeantur ea, quæ postea de gingiuis laxis & corruptis proponentur.

Ementitur structuram firmam dentium alligatio, facta filo aureo. Quia verò interdum hanc alligationem sequitur inflammatio,illa cautè instituenda.

Quibus dentes mobiles sunt, non multum loquantur, nec dentes digitis vel lingua moueant, nec aërem frigidum admittant,nec res duras masticent,sed iuscula sumant , oua sorbilia , vel alios cibos , in quibus forti masticatione non opus est.

## *De dentium Casu , & numero Deficiente.*

*Dentium casus* Dentes præterea sæpenumero Deficiunt:quod accidit,cum vel violenter excutiuntur,vel spontè excidunt; quod

quod malum dentium Caſus appellatur: id quod frequenter in infantibus accidit,& ſæpe in iis dentes à nouis,qui emergunt,extruduntur,ſed ſine damno aliquo; cùm paulò poſt renaſcantur. Molarium tamen appendix non decidit frequenter,quia ita cum dentibus committitur atque cohæret, vt ipſorum pars eſſe videatur, nec facilè demi poſſit.Columbus,*de re Anat.lib.*1.*c.*10. Molares proximos caninis nunquam decidere,vult Plinius;caninos elapſos nunquam renaſci, *lib.*11. *cap.*37. Negat tamen hoc Fallopius, *in librum Galeni de oſſibus*, qui maxillares dentes à ſe in puero euulſos renatos vidit. Atque omnes maxillares dentes excidunt & renaſcuntur,præter genuinos, qui ſi exciderunt, nunquam regenerantur. Adultis verò quando id euenit, rarò renaſcuntur: aliquando tamen id accidiſſe, obſeruatum eſt,vt hiſtoriæ à Schenckio, *lib.*1.*obſer.*48. allegatæ,& exempla ſupra,*initio capitis*,propoſita teſtantur.

### *Cauſſæ.*

Caussæ. Et ferè cauſſas eaſdem habet hoc malum,quas vacillatio & mobilitas dentium, de qua antea diximus, ſed grauiores. Quia enim dentes alueolis ſuis affiguntur, atque alueoli dentibus aptitudine reſpondent, præterea gingiuarum carni dentes adhæreſcunt:ſi alueoli dentibus non reſpondeant, ſed ampliores fiant, aut gingiuarum carni non firmiter adhæreſcant, mobiles primò fiunt,& deinde planè excidunt,ſiue id fiat ob inopiam alimenti,ob quam & alueoli & dentes ipſi exſiccantur, ſiue ob humiditatem nimiam, radices dentium laxantem,ſiue ob humorum prauitatem:quod in ſcorbuto,& lue Venerea, & vlceribus exedentibus, cuius rei exemplum eſt in puero apud Hippocratem,4.*epid.ſect.vlt.*& inunctione cum hydrargyro euenit:ſiue ob gingiuarum carnem imminutam & abſumptam.

### *Signa Diagnoſtica.*

Signa cauſſarum quod attinet, (vitium enim ipſum per ſe patet)ex alimenti inopia vix vnquam alicui dentes excidunt, præterquam ſenibus;& dentium caſus ex hac cauſſa ſenectuti proprius & familiaris eſt.Si ex alimento vitioſo, & humoribus prauis id accidat, ex viuendi ratione morbis, qui præceſſerunt, ex deſtillationibus acribus,dentium dolore cognoſcitur.

Si ex humiditate nimiâ, os ſaliuâ abundat, gingiuæ ſunt humidæ; lues Venerea, ſcorbutus, & vlcera etiam ſuis ſignis cognoſcuntur.

### *Prognoſtica.*

1. Malum hoc non contemnendum eſt. Nam quia dentes maſticationi inſeruiunt, ſi dentes deſint, maſticatio non rectè perficitur, atque ita etiam coctio in ventriculo non rectè fit. Deinde & turpitudinem aliquam pariunt, quæ in loquentibus, ridentibus, & oſcitantibus apparet. Imò ſæpe inde ſermo vitiatur.

2. Dentium ab alimenti inopia vacillatio curari nequit; id quod ſenibus accidit. Quæ verò affectio phlegmonæ ſimilis eſt, ex alimenti redundantia,ea iuuenes magis corripit. Galenus, 5.*de comp.medic.ſec.loca*,*cap.*8.

3. Dentes in infantibus ſiue ſponte, ſiue ob violentiam aliquam excidant, modò radices remaneant, ſponte renaſcuntur. Quamobrem cauendum, ne cum pueris dentes caſu,atque aliquo ictu effringuntur, quæ reliqua eſt, portio eruatur, ſed accuratiſſimè radix ipſa, quoad eius fieri poteſt,ſeruari debet. In ea enim,veluti in ſemine quodam,ipſius dentis regenerandi ſpes reſidet,eâque radiciùs euulſa dentes non amplius,vel rariſſimè renaſcuntur. Columbus, *loc.alleg.* In adultis verò etſi hoc aliquando accidat:tamen plerumque,vbi radices ſeu appendices exactè coaluerint, ſi ita cum radice excidant, non regenerantur.

### *Curatio.*

Quæ dentium mobilitas ex humiditate nimiâ, vel humoribus prauis accidit,eodem modo curatur vt dentium vacillatio & mobilitas; cum eaſdem cauſſas habeant.Dentes verò, qui ex alimenti defectu exciderunt, etſi reparari nequeunt: tamen quia deformitas aliqua inde oritur; præſertim in anteriore oris parte, vel qui exciderunt,modò non ſint carioſi vel dentes arte fabrefacti ex ebore & in amiſſorum locum arte inſerti, deficientium numerum ſupplere poſſunt. Cautè tamen hoc præſtandum, ne ex compreſſione gingiuarum vel neruorum inde inflammatio gignatur; quod interdum accidiſſe obſeruatum eſt. Curatio.

Obſeruatum etiam eſt,quoſdam loco dentium multorum vnum os continuum habuiſſe, vt hiſtoriæ à Schenckio,*lib.*1.*obſ.*412.annotatæ teſtantur.

### *De dentium Numero & Situ vitiato.*

Præterea numerus dentium præter naturam quandoque augetur, & plures, quàm ſecundum naturam, dentes reperiuntur. Quoſdam enim, vt modò dictum, dentium loco vnicum os habuiſſe,refert Plinius, *lib.*7. *c.*16. Plutarchus, *in Pyrrho*, & alij, quos citat Schenckius,*lib.*1.*obſ.de dentibus.* Dentium ſitus & numerus vitiatus.

Id obſeruatum eſt,quoſdam duplicem, vel triplicem ordinem dentium habuiſſe, quod incommodi aliquid vel deformitatis ferè non habet,ſi ſitum ſaltem ordinarium obſeruent. Cuius rei hiſtorias collegit Schenckius,*lib.*1.*obſeru.*413.

Interdum etiam dentium numerus imminuitur, & pauciores quidam,quàm vulgò homines ſolent,dentes habent,vt Valeſcus Taranta de ſeipſo teſtatur.

Nonnunquam verò dentes, ſiue numerum iuſtum obſeruent,ſiue eum excedant,ſitum rectum non obſeruant,ſed extra ordinem prominent,& ita quidem,vt interdum labia diducant, deformitatémque pariant, ac in maſticatione impedimento ſint.Et inprimis dentes inciſores non rarò duplices ſunt.

Quibuſdam etiam dentes in palato enati ſunt,cuius rei hiſtoria habetur apud Schenckium,1.*obſ.*411.

Verùm cum iſta mala omnia à conformatione vitioſa dependeant,emendari arte non poſſunt.

### *De Connexione dentium.*

Non verò tantùm in numero & ſitu, ſed etiam in Connexione ſunt dentium vitia. Connexio præter naturam dentium fit vel ipſorum inter ſe, vel cum maxilla. Dentium connexio.

Inter ſe connexi dentes interdum ſibi cohærent, ſicut in Perſa illo,de quo Herodotus, *lib.*9. Poſt pugnam enim ad Platæas, in qua multi Perſæ ceciderunt, cum cadauera comportarentur, inuenta eſt maxilla habens quidem diſtinctos dentes,verùm ex vno oſſe.Cuius rei hiſtoriæ plures videantur apud Schenckium, *lib.* 1. *obſer.*412.

Connexio autem cum maxilla eſt, quando dentes maxillæ non inſerti tantùm, ſed planè adnati ſunt & cohærent, ita, vt euelli non poſſint, niſi maxillæ oſſis fruſtum ſimul auellatur; quod obſeruauit Columbus, *lib.*15.*de re Anat.*

### *De Sordibus ac Tophis dentibus accretis.*

Tandem etiam dentibus Sordes & Lapides ſeu Tophi, quos Græci πῶϱοι appellant, annaſcuntur; atque obſeruatum eſt, in quibuſdam ita incrementum ſumpſiſſe, & dentes iſtâ lapideâ materiâ ita obductos fuiſſe, vt Dentium ſordes.

vt nulla dentium distinctio amplius appareret, sed vnius tantùm ossis speciem præ se ferrent.

Generantur autem isti tophi ex lentis & viscidis cibis, præcipuè caseo, dentibus adhærentibus, & in iis, vt reliqui lapides in corpore, in hanc duritiem coagulatis. Tophi illi iam geniti scalpellis, vel aliis instrumentis è ferro, aut potius argento paratis, à dentibus separandi sunt. Ne autem iterum generentur, dentes post cibum diligenter mundandi sunt; idque faciendum non ferro & acie cultri, cum dentes inde lædantur, sed dentiscalpiis ligneis, vel osse firmo ac flexili: ideóque in hunc vsum commodum lignum lentisci, cupressi, iuniperi, & huius generis alia; spinæ item piscium aliquæ; item ossicula & tendines ossei gallinarum. Postea os abluatur, vel aqua, vel vino, & dentes à sordibus diligēter abstergantur; id quod fit commodissimè dentifriciis & puluebus ad dentes mundandos idoneis, qui postea de Nigredine dentium curanda proponentur.

## CAPVT XI.

### De dentium Dolore.

Dentium po- [...]r.

Atque hi sunt morbi, qui dentibus accidere solent. Symptomata dentium alia in actione læsa consistunt, vt quando dolore, stupore, vel algore afficiuntur; alia in qualitate mutatâ, dum stridorem excitant & dum nigrescunt, & sordido lentore obducuntur, de quibus iam dicendum.

Et primò περὶ ὀδονταλγίας, quæ appellatio à parte affecta & symptomate sumpta est, vt docet Galenus, *2. m. m. c. 2.* Dolent autem dentes, & quidem maximè molares (incisores verò rarò, vel numquam) etsi ossa sunt, quia sensu non planè destituti sunt, vt alia ossa. Nam, vt Galenus, *16. de vsu part. c. 2.* docet, dentes mollium cerebri neruorum participes sunt, quod extrinsecus occurrentibus calidis, frigidis, duris aliisque nudi sunt expositi. Neruulus autem ille ad radicem dentis implantatur membranulæ cauitatem dentis intus succingenti: & quidem ex tertia & sexta neruorum propagine nerui, qui dentibus implantantur, originem habent.

Galeno tamen, *5. de comp. med. s. loc.* etiam corpus dentis sentit ac dolet, ex affectione scilicet phlegmonæ simili in substantia dentis, vbi dolorem ex hac caussa ortum discernit à dolore inflammati nerui, qui radici dentis substratus est, & à dolore inflammatarum gingiuarum. Quæ omnia suo experimento Galenus, *ibidem*, confirmat.

### Caussæ.

Caussa.

Caussa proxima doloris cum sit solutio continui in parte sentiente, etiam hic dentium dolor excitabitur, quatenus & ipsi neruum participant, huiúsque membranæ dentibus inseruntur.

Solutionem autem continui hîc parit vel intemperies, vel humor, vt vulgò docetur.

Verùm vix sola intemperies dolorem ciet, nisi forsan algor sit, de quo postea, sed semper humor coniungitur; & intemperies illa, si quæ adest, humori inest.

Humor autem is est vel frigidus & pituitosus, vel calidus, vel serosus, salsus & acris; id quod frequentissimè accidit: & qui dolores dentium à vapore à multis fieri docentur, eos potius ab humore seroso prouenire verisimile est. Interdum etiam illa materia in dentibus putret & corrumpitur, vnde vermes geniti doloris in dentibus caussa sunt.

Confluit autem illa materia vel in membranas maxillarum & alueolorum dentium, vel ad neruulum in radice dentis, & membranam huius internam nerueam, vel in ipsum corpus dentis, è capite. Et quidem in superiorem maxillam per angulum oculi maiorem, in inferiorem per venas temporum. Et principium huius fluxionis plerumque est è capite, nonnunquam tamen & ex inferiore corpore materia affluit, hepate scil. liene, vtero Cum enim vitiosi aliqui humores, præcipuè serosi, in parte aliqua geniti, in venis cumulantur, natura iis sese liberare cupiens, eos cùm ad alias partes, tum ad dentes protrudit; præcipuè si sint debiles. Id quod maximè accidit, cum dentes sunt serosi.

Externæ caussæ, quæ seu humores commouent, seu, vt faciliùs recipiantur, faciunt, sunt ictus & casus, vsus ciborum nimis frigidorum aut calidorum, maximè si mutuò mox se consequantur, acrium item, acerborum ac dulcium frequens vsus, contactus, creber, qui fit ferro.

### Signa Diagnostica.

Primò vt certi simus, an dolor sit in dente vel gingiua, ante omnia inspicienda est gingiua, vtrum inflammata sit, tumida, corrosio seu putrefactio in ea appareat. Si nihil horum cernatur, caussa doloris erit in dente ipso, vel eius neruo. In dente quidem, si dolor non ita profundus est, & secundum latitudinem dentis extenditur, mutatio etiam quædam doloris in dente animaduertitur. Et fortassis dens tum cariosus est à verme intus obsessus: vbi etiam dolor interpolatus est ad motum ipsius vermis. In neruulo verò si dolor sit, profundior & vehementior est, qui dente exempto nonnihil leuatur, quòd ob viam patefactam materia iam melius difflatur, dolor etiam secundum gingiuas se extendit in latitudine, aut ad aurem pertingit. Signa.

Signa caussarum sic discernuntur: Humor, qui doloris caussa est, suis signis se prodit, ex doloris specie, ex sapore, & habitu corporis. Sanguis cognoscitur ex dolore pulsante, sapore subdulci; pituita, dolore distendente, sapore salso aut insipido, bilis dolore punctorio, sapore amaro; humor melancholicus dolore profundo, & sapore acido; à sero dolor non est ita fixus, sed sæpè mutatur, ac generatim à calido humore dolor est acerbior, à frigido remissior. Habent hic locum signa, quæ supra, *lib. 1. de intemperie capitis cum materia*, sunt exposita.

### Prognostica.

1. Dolor dentium maximis tormentis annumerari potest, teste Celso, *lib. 3. cap. 9.* Et, vt Galenus scribit, *2. de comp. med. sec. loca, cap. 1.* nonnullis tantus fuit, vt mortem sibi impatientiâ consciuerint. Ita dolor dentium periculosior videtur esse, quàm dolor capitis, symptomatis scilicet ipsius ratione, non caussarum; cum caussa dolorem capitis producens propior sit cerebro, & proinde grauia symptomata, vt cæcitatem, apoplexiam, & similia afferre possit. Prognostica.

2. Dolor dentium, pro caussarum & loci affecti diuersitate, facilius aut difficilius curatur. Ex sanguinis affluxu citius tollitur: quanquam, si inflammationem pariat, multum sæuiat.

3. Atrociorem dolorem excitat humor tenuis acris, salsus & serosus, sed citius definit, ob materiæ illius mutationes subitas. Mitior dolor est à frigido & pituitoso humore, etsi diuturnior.

4. Si affectus fuerit in gingiuis, dolor non remouebitur dentis euulsione; si in neruo, dolor exempto dente interdum cessat, dum materia antea conclusa exitum iam habet, tensióque remittit, aliquando remanet, quando materia nimis crassa & lenta neruo adhæret Auicennas, *tert. can. fen. 7. tract. 1. cap. 5.*

5. In vehementi dentis dolore si, nullo prius affectionis vestigio in gingiuis apparente, tumor iam in iisdem, aut in malis oboriatur, bonum est. Significatur enim, materiam ab internâ dentis cauitate ad externa

verti

verti ac deriuari, siue naturæ robore, siue virtute medicamenti.

6. Dentium dolor cum eorundem stridore & febre ardente lethalis est: quod si iis accidit, quibus antea dentes stridere non consueuerunt, commotionem mentis, maniam, epilepsiam, aut conuulsionem portendit. Cum enim stridor fiat ob conuulsos temporum musculos, argumento est, cerebrum affectum esse; cui si delirium coniungatur, mali confirmati est indicium, atque inde mors sequitur.

6. Quibus in dentium dolore à supercilio tenuia procedunt, his à pipere probè affricato postridiè crassiora discedunt, si stupefaciens prius adhibitum dolorem non sedauit sed potius auxit, vt Hegesippi exemplo docet Hippocrates, 6. *epidem. sect.* 6. Piper enim impactum à narcotico succum soluit, vnde dissipato eo mitigatio doloris sequitur.

8. Dolore dentium cessante interdum aures pus colligunt. Sic Athenæo puero sinistrâ parte dens inferior, dextrâ superior doluit. Huius auris dextra pus collegit, cum non amplius doleret. Hippocrates, 4. *epid. sect. vlt.*

## *Indicationes.*

*Indicationes.* Medicus in dolore dentium curando vel ad dolorem ipsum, vel ad caussam respicit. Dolor equidem, qui maximè vrget, indicat anodynum: verum ea parùm proficiunt, nisi fluxio sit ablata. Ideò inprimis caussa doloris remouenda, humor scilicet ad dentes confluens reuellendus, euacuandus, repellendus & euacuandus: si tamen dolor valde vrgeat, narcotica adhibenda.

## *Curatio.*

*Curatio.* Itaque si plethora adsit, & dolor dentium vel gingiuarum sit cum inflammatione, vena cephalica eiusdem lateris, reuulsionis caussa, si materia à capite mittatur; vel basilica aut saphena aperiatur, si ab inferioribus, aut cucurbitulæ cum scarificatione scapulis apponantur. Deriuationis gratiâ venæ sub lingua incidantur. Quidam etiam post aurem, & in aurium meatu superiore parte venam aperiunt. Nonnulli quoque aurium scarificationes adhibent. Nec aliæ reuulsiones omittantur, vt & deriuationes, per frictiones, ligaturas extremorum, lotiones crurum, vesicatoria brachiis & ceruici, vel post aures imposita. Vulgus carpo etiam flammulam vel ranunculum flammeum imponit eius manus, quæ est è regione & latere doloris. Exempla in Institutionibus & alibi sunt proposita.

Si verò alij humores peccent, ij conueniente modo euacuentur, prout humoris dolorem parientis natura & conditio id requirit.

Vniuersalibus præmissis, si materia adhuc in fluxu sit, adstringentia fronti & temporibus applicentur, ac intus vsurpentur, quæ os ventriculi astringunt ac roborant, si ab inferioribus etiam aliquid sursum mittatur.

Quin & errhina naribus immitti possunt. Imò etiam reuulsionis gratiâ brachiis & ceruici vesicatoria applicare licet.

Temporibus quoque applicare vtile est emplastrum ex gummi tacamahaca, mastiche, myrrha, gummi elemi. Quæ etiam dentibus ipsis topica applicantur, repellentia sint, quamdiu aliquid influxerit.

Cautione tamen in repellentibus adhibendis opus est, præcipuè si maxillis applicentur. Nam licet, si materia in ipsum dentem saltem fluat, repellentes oris collutiones sine periculo applicentur: tamen, si materia sit copiosior, ita, vt etiam maxillam occupet, repellentia, præcipuè maxillis, non tutò applicantur; cùm materiam intrò ad fauces repellere, & ægrum suffocare possint. Ita refert Valescus de Taranta quendam bonum & peritum Medicum, cùm aliquando dolorem haberet dentium molarium cum inflatione maxillæ, apposuisse maxillæ oleum rosaceum cum aceto, cùm ad lectum iret, vnde factus fuit fluxus materiæ ad guttur, & ægrum anginâ correptum & mortuum fuisse.

Fluxione cessante discutientibus vtendum, quibus tamen semper aliquid adstringentium commisceatur.

Ad stupefacientia non, nisi magna necessitate vrgente, veniendum.

In materia igitur calida pro repulsione laudatur collutio oris cum aceto, in quo decocta sint fol. Myrt. flor. rosar. rubr. radix oxylapathi, filicis, rad. & fol. halicacabi. sem. hyoscyami. Vel detineatur in ore aqua rosarum cum tertia parte aceti, vel succus plantaginis, semperuiui, vel decoctum è rosis, lactuca, plantagin. acetos. salic.

℞. *Flor. rosf. rubr. fol. malu. minor.* ana M. i. Coq. in *vino austero* ad tertias. Colaturæ.

℞. Vnc. VIII. Quibus admisce *ol. sulphur. acidi* Scr. ß. *croci* Scrup. i. M.

Vel ℞. *Fol. quercus, plantag.* ana M. i. *hederæ arbor.* M. ß. *rad. tormentill.* ℥. ii. *vrticæ* ℥. iii. Coq. in *vini Rhenani* q. s. ad tertias, & colentur.

Rulandus aquâ solani cum oleo vitrioli mixtâ vtitur.

Vbi verò gingiuæ simul sunt affectæ, acetum, monente Aëtio, tanquam hostilis gladius, vitandum est, ob mordacitatem, quâ gingiuas erodit. Alioquin in dolore dentium, citra gingiuarum inflammationem, siue corpus ipsum dentis doleat, siue neruulus eidem substratus, Galenus in aceto medicamenta præparare iubet, tam repellentia, quàm discutientia, 5. *de comp. med. sec. loc. cap.* 9. Etsi enim acetum per se dentibus nocet: tamen repellentibus rectè admiscetur; quoniam penetrando illorum vim auget: discutientibus etiam, quia præterquam quòd penetrationem adiuuat, ipsum quoque incisoriâ vi suâ nonnihil ad discutiendum conducit.

Vel ℞. *Sem. papau. albi, hyoscyam.* ana ℥. ii. *rad. altheæ* Vnc. ß. *flor. chamæm. rosar. rubr.* ana P. j.

Coqu. in aquæ & aceti s. q. ad consumptionem tertiæ partis.

Vel radices oxylapath. coq. in vino austero, & decoctum in ore detineatur.

Vel radices oxylapath. aceto maceratæ dentidolenti & cauernoso indantur. Efficax est etiam medicamentum decoctum radic. prunorum syluestrium ablato cortice exteriore.

Vel ℞. *Limaturæ ligni Guaiaci* Vnc. ii. *cortic. interior. virid. quercus, radic. prun. sylu.* ana Vnc. i.

Coq. ad remanentiam ℔. j.

Extra inungatur maxilla vnguento albastrino. Monet tamen Langius, vt vnguentum alabastrinum in materia calida misceatur cum frigidis, sicut in frigida cum calidis.

Vel ℞. *Pomor. dulc.* Vnc. ii. Adde *furfuris* Vnc. iii. *croci* Scrup. i. *olei rosati* Vnc. i. M. Fiat cataplasma extrà loco dolenti apponendum

Vel ℞. *Medullæ pomor. assat.* Vnc. ii. ß. *stercor. gallin.* Vnc. i. ß. *ol. rosati omphac.* ℥. VI. Misce exactè, & fiat Cataplasma.

In materia frigida Auicennas alumen vstum aceto extinctum cum salis pari portione miscet, eóque dentes fricat, & postea cum vino abluit. Resoluit simul vinum, in quo hyssopus & thymus coctus est. Vtilis est & collutio ex decocto origani, serpilli, sem. staphidis agriæ, rad. pyrethri, acori, ligni sancti, & similibus.

Vt ℞. *Origani* M. i. *hyssopi* M. sem. *cort. aurantior.* Vnc. sem. Coq. in *vin.* ℔. i. ad consumpt. tertiæ partis, & colentur.

Vel ℞. *Fol. betonic. saluiæ maioran. rorismar.* ana M. ß. *flor. stæchad. Arab.* P. ii. *sem. nigellæ, rad. pyrethri,* ana ℥. ii.

Coq. in *vino albo* & *aceto*, pari portione, pro Collutione oris.

Vel

Vel ℞. *Origan. rorismar. saluiæ*, ana M.sem. *rosar. rubr.* P.i.*rad.pyrethr.*Drach.iij.

Coq.in ℔.ij.*aqu.*ad dimidium. Colaturæ adde *aceti rosacei* q.s.ad gratam aciditatem.

Vel ℞. *Limatur.lign.Guajaci* Drach.i.*cort.inter.virid.lign.querc.rad.pyrethri.filicis*,ana Vnc.sem.

Coq.in *aquæ puræ* ℔.j.ß.ad ℔.j. remanentiam.

Vel ℞. *Rad.pyrethri* Drach.ij.*sarsa parillæ* Drac.iii. *rasuræ ligni Guajaci* Vnc.sem.*pini* Drach.iii. *fl.ros.rubr. serpilli,origani*,ana P.j.*gran. junip.*℥.ß.*sem.carui* ʒ.iii.

Incisa & contusa coq. in *aq.* & *vini Rhenani* Vnc. XII. ad tertias,colentur.

Colaturæ ℞. Vnc. VI. In quibus dissolue *campb.* gr.v.M.

Vtile etiam est decoctum gummi juniperi cum vino paratum.

℞. *Gummi juniperi* Vnc.sem.*vini Rhenani* Vnc.viij.

Coq. & colentur.Colatura calida in ore detineatur.

Alij camphoræ Scrup. sem. in spiritus vini Vnc.ii. dissoluunt, & eodem modo vtuntur. Iuuat & sequens Gargarismus:

℞. *Rad. vrtic.ardent.*M.j.

Lauetur ter in aqua,postea ex vino;terantur optimè in mortario cum *rad.pyreth.zingib.*ana Drach.j.

Bulliant in *vini alb. opt.*℔.iij. ad tertias pro Gargarismo,qui sæpius adhibeatur. Commendatur etiam sequens Liquor odontalgicus:

℞. *Cortic.ligni Guajaci* ℔.ij.*mastich.*Vnc.i.*vini bis destillati* ℔.ii.

Digerantur in Sole per mensem bene agitando,donec rubescant, postea colentur & clarificentur. Hujus essentiæ gr.vj.vel vij.in ore detineantur.

Tædarum quoque & pinearum decoctum prodest pro collutione oris.

Ipsi etiam denti dolenti applicentur rad. oxylapath. aceto maceratæ, vt antea dictum; vel spongia madida decocto staphydis agriæ, myrrhæ,cortic. radic.cappar.

Vel ℞. *Rad. helenij,oxylapath.pyrethr. filicis,aluminis vsti* partes æquales.

Contundantur in puluerem, & cum melle fiant Pilulæ dentibus imponendæ.

Vel ℞. *Rad.pyreth.*Drach.j. *serpentar.filicis, oxylapath.alumin.vsti*,an.Drach.ß.*mellis* q.s.

Fiant Pilulæ dentibus imponendæ.

Trochisci de pyrethro:

℞. *Rad. pyrethri* Vnc.i.*bistort.hyoscyami*, ana. Vnc. sem. *alumin. tragacanth.* ana Drach.ii. *aceti vini acerr.* q.s. F.l.a. Trochisci.

Aut olei destillati caryophyllor.gutta vna vel altera cum gossypio denti imponatur, cujus Drach. sem. aliquot camphoræ gr. admisceri possunt. Idem præstant olea destillata spicæ,thymi,nuc.mosch.cinam.juniperi, ligni Guajaci, & similia.

Suffitus etiam per tubulos conuenientes ore excipi possunt ex radic. bryon. pyrethri, cortic.radic.cappar. myrrha,thure in aceto & vino coctis.

Hodie fumum Nicotianæ ore excipere vulgatum est.

Vt sæpe à me compertum, & efficax in dolore dentium à quacunque ferè caussa est remedium hæc Oris collutio.

℞. *Rad. filicis, pentaphyll.*an.Drach.iij. *bistort.*ʒ.ii. *fol.rutæ,salu.betonic.flor.rosar.rubrar.*an.M.sem.

Coq. in vini rubr. & adstringentis & aquæ communis,an.q.s.ad consumptionem tertiæ partis, pro Collutione oris.

Extra applicetur hoc Cataplasma:

℞. *Rad.maluæ* N. XII.Coq.ad mollitiem. Adde *farinæ fœnigræci,sem.lini, pulu.anethi, fl.chamameli*, ana Vnc.i. *farinæ hordei* Vnc.IV.

Incorporentur omnia simul, & in fine addatur *ol. chamamel.*vel *aneth.* F. Cataplasma.

Si ob doloris vehementiam aliquod periculum me-



tuendum sit,narcotica vsurpentur.

E. g.Fiat oris collutio cum decocto rad.& fol.hyoscyami,vt & sem. ejusdem, ac sem.lactucæ, & papau. cum aceto parato, cum ℈.ß.opij. Vel fiat collutio oris ex aceto, in quo opij grana aliquot sint dissoluta. Possunt & opij grana ij.cum æquali parte croci vel castorei bombace excepta in dentis cauernulam indi, si erosus sit:sin minùs,opium & crocus in pauxillo lactis vel aq. papau.aut hyoscyami dilui, & dentis dolentis radix eo fricari potest.

Vel ℞.*Fl.chamam.anethi*,an.P.j.*cort.rad.mandrag.*ʒ. j.*sem.hyoscyami,papau.*an.℈.ii.Coq.in *aq. solani, plantag.rosar.*an.Vnc.iii. Colentur, colaturæ admisce *aceti rosac.*℥.i.*laudani opiat.*gr.iii.M.

Vel indatur denti pilula de laudano opiato, vel pilula de cynoglossa.

Vel ℞.*Laudani opiati* gr.iii.*sp.vitrioli* gut.i.

M. F. Pilul. & dentibus vna indatur.

Vel theriaca recens aut Mithridatium, vel philonium Romanum, aut sorirella parua,in Dispensatorio Augustano descripta,denti illinatur.

Vel ℞.*Styrac.calamit.piper.albi,costi,opij,sem.hyoscyam.*an. ℈.ß.

Cum *vino* F. Pilulæ dentibus indendæ. Vel indatur Pilula vna de seqq.

℞.*Semp.apij,hyoscyami*,an.gr.iiii.*opij* gr.iii.

Cum *syr.de papau.*fiant Pilulæ iiii.vel v.

Vel ℞.*Philon.Romani*ʒ.j.*spir.ligni Guajaci* ℈.i.

Vel ℞.*Rad.pyrethri,sem.apij*,an.gr.ii.*hyoscyami,opij*, an.gr.i.Cum *syr.papau.*fiant Pilulæ N.v.

Aut admoueatur cum gossypio oleum hyoscyami. Vel aliquid de sequenti Mixtura cum bombace denti dolenti applicetur:

℞. *Philon.Rom.*ʒ.i.*opij* gr.vi.*ol.vitrioli* gut.v.M.

Balsamum ad dolorem dentium:

℞. *Opij Thebaic.spec.diambr.* an.℈.i. *camph.* gr.iiii. *ol. nuc. mosch. expr.* ℈.ii. *caryophyll.*gutt.vii.vel q. s. F. Balsamum.

*Decoctum Langij.*

℞. *Opij Thebaici* ℈.ii. *succi hyoscyami* ℈.IV. *cortic. mandragoræ* ℈. v.*fl.chamamel.* ʒ.i.ß. *pyrethri* ℈.v. *croci integri* ℈.i. Infunde in *vini* ℔.i.*aq.rosar.*Vnc.IV. *aceti opt.* Vnc. vii.

Bulliant in vase duplici ad tertiæ partis cõsumptionem,& cum pãno intincto dẽtibus colatura applicetur.

Cautio tamen in narcoticorum exhibitione adhibenda.Refert enim Alexand. Benedictus, *de cur.morb. l.6.c.*13.Iacobum Iustinianum, Patritium Venetum,in dentis dolore oleo opiato imposito,Patauij sopore perpetuo extinctum fuisse.

Dolore sopito post opiatorum vsum os illicò abluatur decocto saluiæ,rorismarini, majoranæ, hyssopi,vt noxa ab opio impressa tollatur.

A proprietate etiam valere dicuntur sequentia:Suffitus ex canis mortui dente, aut vstus ille in fornace cum posca misceatur & imponatur;senecta serpentis in aceto cocta, aut vsta eadem & trita, atque cum melle vel oleo ad mellis spissitudinem subacta, imposita;dictamni quoque radix,& radix chelidonij, præsertim si vermes sint in dentibus.

Plinius plantaginis radicem in aceto coquere jubet. Decoctum etiam foliorum lappæ maioris cum sale in aceto commendatur.De pastinacæ etiam marinæ radio scribit Plinius, *l.*32.*cap.*7. si eo gingiuæ scarificentur, dolorem dentium sedare.

A Recentioribus,consentiente experientia, plurimũ commendatur oleum ligni heraclei per retortam destillatum,si gutta vna cum gossypio denti imponatur.

Nonnulla tamen horum ad manifestas qualitates reduci possunt, cum vel repellant, vel discutiant, vel dolorem sedent.

Si his nihil proficitur, dens corrosus extrahatur.

HHh Præpa

Præparatur autem ad extractionem, vt ſupra etiam dictum, imponendo in foramen lac tithymali vel ſolum, vel cum puluere radic. mori aut cappar. mixtum. Aut, quo Galenus vtitur, rad. pyrethri, 40. diebus in aceto maceratæ ac tritæ denti imponantur.

De paſtinacæ etiam marinæ radio ſcribit Plinius, ſi tritus cum helleboro albo illinatur, dentes ſine vexatione extrahi.

Facilè quoque cadit dens, ſi cum aqua ex ſale Armoniaco deſtillata tangatur.

### *Diæta.*

Diæta pro cauſſarum diuerſitate variet, & medicamentis reſpondeat. Inprimis tamen danda opera, vt dentes à corruptione præſeruentur. Ideóque ratio inprimis ventriculi & capitis habeatur, ne crapulâ & cruditate infeſtentur. Lactis item & dulcium, vt ficuum, mellis, ſacchari vſus frequentior cauendus. Raphanus quoque & maſticatione & euaporatione nocet, ſicut & porrum, quod à proprietate dentibus nocere, author eſt Auicennas. Vitentur quoque acerba valde & acida: præterea ſolida & dura inimica ſunt dentibus, ac ſtupefacientia ac gelida, ſicut & cæteris oſſibus. Actu quoque vehementer calida, præcipuè ſi frigida mox ſubſequantur. A cibo dentes diligenter mundentur, ἐυπόριστον eſt, vt dentes ſemper à cibo ſale fricentur, & os vino eluatur.

*Præſeruantia.* Quod ad remedia præſeruantia, commendatur ſal theriacale, Galeno, *in lib. theriac. ad Piſonem. c.* 18. teſte. A dolore dentium etiam præſeruant collutiones oris ex iis, quæ adſtringunt; inprimis ſi medius cortex fruticis berberis aqua maceretur, & aquâ mane os colluatur. Lauentur etiam dentes bis ſingulis menſibus vino, in quo tithymali radix cocta ſit, eodem Galeno docente, 1. *de Euporiſt. cap.* 12. & 2. *cap.* 16. Quibus locis plurima hujus generis medicamenta reperiuntur. Prodeſt etiam pro collutione oris aqua ſaluiæ, vel vinum decoctionis ſaluiæ, vel acetum decoctionis origani, & mentaſtri. Dentifricia quoque adhibeantur frequenter, de quibus poſtea, *cap.* 14. dicetur.

### *De dolore Puerorum dentientium.*

*Dolor infantium dentientium.* Etſi, vt ſupradictum, infantes jam, dum in lucem eduntur, dentibus præditi ſint: tamen gingiuis tum teguntur, & poſtea demum erumpunt. Infantes autem, cum dentes erumpunt, ſæpe maximus dolor affligit. Etſi enim & alia ſymptomata dentitioni infantium conjungantur: tamen de iis omnibus agere hujus loci non eſt, ſed dicendum de eo, *de morbis infantium*, vbi de Dentitione in genere agendum erit.

Adeſt autem dolor maximus, cùm canini erumpunt, vnde etiam vulgatum eſt; Parentibus non eſſe gaudendum de liberis, donec hi dentes eruperint.

Cum verò dolor ille ferè à denſitate & duritie gingiuarum exiſtat, hæ rarefaciendæ & emolliendæ ſunt. Oblinantur itaque lacte canino, aut cerebro leporino, quod nonnulli crudum aſſumunt, mellíque permiſcent. Sed Galenus, *in* 11. *de ſimp. med. fac.* & Auicennas cocto vtuntur, toto ſcilicet capite elixo.

Valent & cerebella pullorum & auium. Aut gingiuæ pinguedine gallinæ aut anatis recent. inunguntur, aut butyro recenti non ſalito, eóque vel ſolo, vel cum melle, vel cum decocto lactucæ permiſto.

Commendatur etiam ſuccus è cancris viuis contuſis cum aqua flor. cyani extractus, ſi eo gingiuæ abluantur.

Si dolor vehementior ſit, Auicennas ſuccum ſolani cum oleo roſarum calefacit & illinit. Alij malagmate vtuntur ex ſemine lini & althéæ, & aliqua pinguedine, vel, ſi febris adſit, ex ſemine lactucæ.

Vel ℞. *Sacchari* & *butyri ſ. ſale, ſucci althéæ*, ana Vnc. i. *vitell. oui* dimid. M.

Ambroſius Paræus, *lib.* 23. *cap.* 67. ſuadet, vt, ſi infantes ob gingiuarum duritiem de vita periclitentur, ſcalpello gingiuæ aperiantur; atque eius rei periculum cum felici ſucceſſu in aliquot ſuis liberis ſe feciſſe ſcribit.

Nonnulli & quædam periapta commendant. Aëtius radic. colocynthidos ſylueſtris laudat, ſi canali argenteo includatur, & collo pueri appendatur: alij dentem viperæ maſculæ appenſum, jaſpidem item viridem, & dentem lupi dextrum, de quo Plinius, *lib.* 11. *cap.* 37. Dens dexter caninus lupi in magnis habetur operibus. Quæri tamen hîc poſſet, an dens lupi id, quod præſtat, geſtatus præſtet, an verò potius, quòd, dum eum infantes ſugunt, & gingiuis admouent, eas hoc modo rarefaciat.

---

## CAPVT XII.

### *De dentium Stupore & Algore.*

*Dentium ſtupor.* Stupor dentium, Græcis αἱμωδία, eſt moleſtia & dolor quidam dentibus accidens ab acidis & acerbis præcipuè rebus, qui ſenſu rectius percipitur, quàm verbis deſcribitur. Id malum ita occupat dentes exteriores, vt non ſolùm mandentes ex eo intoleranter doleant; verùm etiam ipſimet dentes digitis ſuis attingere præ dolore vix ſuſtineant. Quapropter non ſatis commodè ſtupor affectus ille appellatur, qui eſt abolitio ſenſus; ſed potius ad dolorem pertinet. Vnde rectè Capiuaccius, *l.* 1. *Pract. Medic. cap.* 53. hæmodiam dolorem dentibus proprium eſſe aſſerit.

*Cauſſa.* Cauſſa eſt ſapor acidus, temperiem dentium immutans. Id quod accidit à cibis quibuſdam hujuſmodi ſapore præditis. Idem euenit ab humoribus acidis & atra bile vomitu rejectis; id quod multis affectione hypochondriaca laborantibus accidiſſe memini, qui tam acida vomitu rejecerunt, vt dentes ſtupidi iis ita inde euaſerint, vt per integrum diem vix aliquid comedere potuerint. Quod quandoque etiam præſtant vapores acidi è ventriculo ad dentes elati. De quo Hippocrates, *lib.* 2. *de morbis, ſub morbo nigro.* Aliquando & ipſis dentibus hujuſmodi materia alieno ſapore infecta innaſcitur, vel ad eos confluit.

Contingit etiam, vt ab imaginatione ſtupor einſmodi inducatur, quando alium res acerbas maſticantem videmus, aut ſtrepitum limarum vel ſimilium rerum audimus. Nam imaginatio occulto modo monet humores in corpore, atque eos præcipuè qui cum re, quam imaginamur, analogiam aliquam habent.

Fracaſtorius tamen, & probabiliter, *de ſympath. & antipath. cap.* 14. ad auditus organum affectum cauſſam refert, dum ſcribit: *Similiter & ſi acutus valde ſit ſonus & ſtridulus, applicatio vim patitur, quaſi in anguſta facta, tum & membrana auditus quaſi icta offenditur, vnde contrahitur repentè, ac cum ea ſimul & neruuli quidam vſque ad radices dentium, in quem locum ſubito incidens nouus aër horrorem quendam circa dentes facit.*

*Curatio.* Medetur huic affectioni portulaca maſticata, cujus ſuccus lentore ſuo dentibus adhærens affinitate quadam humiditatem acidam & acerbam è dentibus extrahit, vt diſputat Ariſtoteles, 1. *problem.* 38. Etſi hoc alij ad proprietatem ſubſtantiæ referunt, quâ & in apoſtematibus lienis portulaca profit, & affrictione verrucas tollat. Rhaſes & amygdalas amaras, atque ceram maſticatam commendat, quæ temperatâ ſuâ qualitate ac vnctuoſitate illam quaſi congelationem remittunt. Salem item affricare jubet, qui materiam liquefaciendo acorem è dentibus extrudit. Alij panem calentem, vt è furno extrahitur, maſticandum exhibent, aut radices vel ſuccum glycyrrhizæ, aut pineas, auellanas, juglandes. Alij caſeum recentem commanſum,

commansum, & calidum oui vitellum commendant. Ægineta omphacinum inunctum, vt & amurcam vetustam in æneo vase coctam ad mellis crassitudinem inunctam laudat. Confert & frequens oris collutio cum vino calido. Collutio quoque oris commoda est ex aqua saluiæ calente, vel decocto radic. aristolochiæ & baccar. lauri.

*Dentium algor.* Cognatum stupori malum est, cuius Rhases meminit, *cap.* 44. quando dentes frigidi attactu inprimis offenduntur; quod malum Auicennæ est Ebet den tium, ac dentes tum ita afficiuntur, vt neque frigidum neque calidum, neque durum quid tolerent. Caussa est debilitas dentium ex intemperie siue frigida, siue calida, & eorundem debilitas, seu, vt aliis placet, nimia sensibilitas cum raritate texturæ. Plerumque verò ab intemperie est frigida. Ideò Rhases oleum excalefactum ore tenere iubet, & vitellum oui assatum calidum masticare, aut calentem panem. Auicennas hierâ simpl. aut theriaca dentes fricat; vel masticentur lauri baccæ, aristoloch. anetum. In calida materia Auicennas fricat dentes oleo rosaceo tepefacto, cui camphora & santali sint admixti: aut mucilaginem sem. psyllii vel sem. portulacæ masticare iubet.

## CAPVT XIII.

### *De dentium Stridore.*

*Dentium stridor.* DEntes naturâ etsi moueantur, dum voci formandæ & masticationi inseruiunt: tamen motus ille fit sine sono. Interdum verò p. n. sonitus accidit, qui Stridor dentium appellatur.

*Caussa.* Caussa eius est imbecillitas musculorum maxillæ à frigore, aut potius rigor quidam in ea accidens à frigore; vermes etiam, per consensum cerebro affecto vaporum multitudo, vt in paroxysmorum principiis.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Stridor dentium minatur apoplexiam vel epilepsiam. Valescus de Taranta.

2. In febribus dentibus stridere, quibus à puero minimè est consuetum, insaniam & mortem significat. Quod si iam deliranti id accidat, admodum id exitiale est. Hippocrates, *in Coacis*. Potest tamen delirium cum dentium stridore dupliciter coniungi. Aut enim præcessit stridor, & secutum est delirium, vel contra. Si præcessit stridor, maniam & mortem prædicere potest Medicus; quia cerebrum simul afficitur. Si verò antecedat delirium, & sequatur stridor, non semper exitiale malum denotat; quia prouenire potest à facultate imbecilla, non semper cerebro affecto.

3. Stridorem dentium etiam inter conceptionis signa refert Hippocrates, *de superfœtatione.*

*Curatio.* Curatio ad ipsum stridorem dirigenda non est, sed ad caussas.

## CAPVT XIV.

### *De dentibus Nigris, malè Coloratis & Sordidis, & Sanguinis è dentibus fluxu.*

*Dentes sordidi.* DEntes naturâ sua albi sunt, quæ res vt naturalem dentium constitutionem indicat, ita ad decorem & pulchritudinem hominis etiam facit.

Qui color si mutetur, quod sæpe accidit dum dentes à naturali suo candore ad flauum, liuidum, nigrum colorem deflectunt, vitium in qualitate mutatâ oritur, quod sæpe in dentium corruptionem & grauiora vitia degenerat.

*Caussa.* Accidit autem ista dentium fœditas ab humoribus vitiosis in superficie illorum hærentibus; à vaporibus sursum exhalantibus, à frequenti dulcium esu, à masticatione fructuum nigrorum, vt myrtillorum, mororum, à cibis in vasis cupreis aut æneis asseruatis, ab inunctione argenti viui, in lue Venerea, vel ab eadem in fucis & pigmentis faciei adhibitis, vnde fæminæ, quæ ad faciem pingendam fucis ex Mercurio vtuntur, plerunque dentes malè coloratos habent. Interdum tamen etiam ab humoribus vitiosis, & alimento prauo dentibus sese insinuante color eorum mutatur.

Ad dentium autem sordes tollendas, & colorem vitiosum emendandum, vsitatissima sunt Dentifricia parata ex iis, quæ sordes abstergere possunt; vt *ossibus sepiæ, pumice,* præcipuè si igniatur, & vino albo bis extinguatur, ac tertia vice ignitus spontè refrigerari sinatur, & puluerisetur; *cornu cerui, corall. margarit. ocul. cancri, lapid. spongiæ, alabast. cochl. testis combustis, radic. aristol. testis ouorum, mandibulis lucij, silicibus combustis, arena alba, mastiche, sale, gummi iuniperi, tartaro, alumine.* Quibus ad suauem anhelitum conciliandum addi potest *cinamomum, lignum aloes, rad. ireos, rosmarinus, flor. lauendulæ, rosarum, moschus.* *Curatio.*

Vt ℞. *Alabastr. pumic.* an. Drach. .iii *salis* Drach. i. F. Puluis.

Vel ℞. *Oss. sepiæ* Drach. ii. *test. ouor.* Drach. i. ß. *rad. ireos, coralliorum albor.* an Scrup. i. *alum. roch.* Scr. ß. *mastich. rosar. rubr.* an. ℥. v. *mosch.* ℥. i. *silic. alb. combust.* vel *aren. albiss. subtiliss.* ad pondus omn. F. Puluis.

Vel ℞. *Mandibul. lucij, C.C. vsti prapar. corall. præpar.* an. Vnc. ß. *aluminis vsti, radic. ireos,* an. Drach. ii *sal. gemmei* Drach. i. F. Puluis.

Vel ℞. *Oss. sepiæ, corall. albor. margarit. præpar.* an. ʒ. i. *C.C. vsti* Drach. i. ß. *pulu. rad. ireos, gummi iuniperi*, an. Drach. ß. *aristol. rot.* Scrup. i. *lign. aloes* Drach. ß. *mosch.* ℥. ii. F. Puluis.

Vel ℞. *C.C. vsti præpar. corall. albor.* an. Drach. ß. *margarit. præpar.* Drach. i. *mastich. ireos,* an. Drach. i. *mosch.* ℥. iv. F. Puluis.

℞. *Corall. albor. rubr.* an. Drach. ii. *lapid. spong. oss. sepiæ*, an. Drach. i. *C.C. vsti præpar. rasur. eboris*, an. ʒ. ii. *mastich.* Drach. iii. *gummi iuniperi* Drach. i. ß. *sal. torrefact.* Drach. ii. *mosch.* Scrup. ß. F. Puluis.

Vel ℞. *Pulu. crystalli* Drach. ii. *corall. rubr. scobis C.C. albiss. & subtiliss.* an. Drach. ii. F. Puluis.

Vel ℞. *Pulu. ossis sepiæ, lapid. silicis vsti, pumicis vsti,* an. Drach. i. ß. *calaminar.* Drach. ß. *C.C. vsti* Drach. i. *rad. ireos* Drach. ß. F. Puluis.

Anth. Boëtius puluerem osteocollæ commendat. Potest & pulueribus saccharum, mel, vel oxymel admisceri, & mixtura Electuarij instar parari, quâ dentes fricentur.

Vt ℞. *Pulu. corall. rubr. lap. crystalli,* an. Drach. i. *oss. sepiæ, lap. calaminar. myrrhæ,* an. Scrup. i. *alum. vsti, salis tosti, C.C. vsti, lap. pumicis,* an. Drach. ß. *rad. ireos, calami odor. nuc. mosch.* an. Drach. ß. *panis albi tosti* Drac. iii. *oxymel. scillit.* q. s. M.

Hâc mixtura dentes alternatim fricentur, postea lauentur oxycrato vel aq. aluminosa cum aq. communi vel rosarum.

Alij solo melle rosato cum oleo vel spiritu vitrioli mixto vtuntur h. m.

℞. *Mellis rosati col.* Vnc. i. *spir.* vitrioli Drac. ß. M.

Secreti loco nonnulli commendant carbones & cineres stipitum rorismarini: quibus Neoterici præferunt, & pro certissimo experimento habent, cinerem Nicotianæ.

Cardanus aq. & succum limonum ac citri commendat.

Vel ℞. *Summit. myrthi, lentisci, oleastri, saluiæ, rorismarini,* an. M. i. *corall. rubr. eboris, dent. equorum.* an. Vnc. iv.

In fictili vase simul vrantur, addendo *salis communis* p.j. donec omnia dealbata sint, & reducantur in puluerem, cui adde

*garyophyll, cinamomi, rorismarini*, an. Drach. iii, *moschi* Scrup.i.

F. Puluis. Qui etiam excipi potest oxymel. scillitico, vel mucilagine gummi tragacanth. aut Arabici, & inde Styli formari.

Loco puluerum etiam Styli ad dentes mundandos fieri possunt:

℞. *Corall. rubr. præpar. pumic. præpar.* an. Drach. i. ß. *galliæ mosch.* Scrup. i. *sanguin. dracon, caryophyll. cinamomi, mastich.* an. Drach. i. *moschi. ambr.* an. gran. ii.

Cum *tragacanth. in aqua rosar. dissol.* F. Styli.

Vel ℞. *Lapid. pumic.* Vnc. ß. *corall. rubror. alb. C.C. præpar.* an. Drach. ß. *sanguin. dracon.* Drach. ii. *gummi Arabici in aqua rosar. dissolut.* & *album. ouor.* q.s.

In summa, ne dentes malè colorati euadant, & corrumpantur, dentes à sordibus & cibis mundandi, verum non acumine cultri, cum dentes inde lædantur, sed dentiscalpiis ligneis, vel ex osse firmo ac flexili paratis, è spinis piscium aliquorum, ossiculis & tendinibus osseis gallinarum, item ligno lentisci, myrti, lauri, iuniperi, cupre. F. Os verò post cibum colluatur aquâ, salsâ inprimis, vel vino. Commendatur ad dentes mundandos & hæc Aqua:

℞. *Sacchar.* ℔. ß, *sal.* ℥. iii, *alumin. Roch.* ℥. i. ß.

Destillentur per alembicum. In aqua intingatur gossypium, & eo dentes fricentur.

Vel ℞. *Salis ammoniaci, gemmei*, an. Vnc. i. *alum.* Vnc. i. *aq. rosar.* q.s. Destillentur.

Laudatur & sequens Aqua:

℞. *Sacchar.* ℔. ii. *alum. rochæ* ℔. i. *vini albi generosi* ℔. i. ß. Destillentur s.a.

Destillato liquore dentes sæpius fricentur & mundificentur.

Chymici oleum sulphuris commendant, vt aquam fortem communi temperatam, cum penicillo denti appositam. In ea nonnulli folia saliuæ macerant, eisque dentes fricant, qui postea, vt glabri rursus fiant, melle rosato & sanguine draconis inungendi ósque eluendum. Sic enim statim dealbantur. Sed cautè ista vsurpanda.

### *De Sanguinis è dentibus fluxu.*

Nec prætereundum hoc loco, quod Balduinus Rousseus, *libro de hominis primordiis, & hystericis affectionibus*, refert. *Nos*, inquit, *quod supra communem hominum fidem est, Furnis municipio Flandriæ, mulierem nouimus, cui forte fortuna, cum elisus esset dens molaris, soliti alioqui menses supprimerentur, naturâ noxium illum feculentúmque sanguinem propellente, singulis mensibus ex elisi dentis vulnusculo sanguineus quidam gurges, proportione purgationi respondens, efflueret.* Scribit etiam Hollerius, *comm. 2. in sect. 2. lib. 2. aph. 18. Coacar. prædictionum*, se vidisse è loculo dentis longo tempore sanguinem profluxisse, qui nullis remediis cessit, ægrúmque tandem sustulit.

## CAPVT XV.

### *De dente Aureo pueri Silesij.*

*Dens aureus pueri Silesii.* HOc loco, vbi de colore dentium mutato agitur, non videtur omittenda quæstio, de Aureo dente pueri Silesij. Anno enim Christi 1593. circa F. paschatis rumor innotuit, puerum quendam annorum septem, Christophorum *Mulleru*, in pago *VVeigelsdorff*, in Silesia, cùm ipsi dentes excidissent, vltimi molaris loco dentem aureum succreuisse; cuius rei historiam pòst anno Christi 1595. descripsit & publicè edidit D. Iacobus Horstius, Medicinæ professor in Academia Helmstadiana, qui ipsum partim pro naturali, partim pro prodigioso habet, & solatij loco Christianis à Turcâ tum afflictis exhibitum esse statuit. Eodem anno 1595. eiusdem aurei dentis historiam edidit Martinus Rulandus, cui sese opposuit Iohan. Ingolstetterus, anno 1597. contra quem suum iudicium eodem anno defendit Martinus Rulandus. De eodem aureo dente scribit etiam Andr. Libauius, *part. 2. Singular. dissertat. 7.* qui disputationes illas, in partem vtramque habitas, recenset, quas vt huc afferam, operæ pretium esse non puto. Non entis enim nullæ sunt affectiones, & dens ille aureus nullus fuit, sed fucus merus, qui Vratislauiæ demum detectus fuit. Eius rei historiam ad me perscripsit Dn. D. Michael Donringius, sicut illam ex Dn. D. Danielis Bucretii, Physici quondam Vratislauiensis, relatione accepit, quæ talis est: Puer ille cum Vratislauiam deductus fuisset, & omnes nouitatis istius miraculosæ (vt putabatur) cognoscendæ ac visendæ desiderio tenerentur, factum est, vt in doctorum virorum conuentum ac concionem, cui inter alios plures CL. D. Christophorus Rhumbaumius, p.m. etiam interfuit, vocaretur. Acciti & admissi dentem sedulò contemplati sunt, qui splendore aurum Rhenanum repræsentauit. Adfuit simul aurifaber. Is iussus, affrictione lapidis lydij dentem examinauit. Linea affrictione inducta existimabatur reuerà esse aurum Rhenanum. Aurifaber igitur, rei veritatem penitius exploraturus, ipsi illeuit pigmentum aureum. Et ecce, linea illa absumpta disparuit. Protinus ergo de fraude suspicio concipitur. D. verò Rhumbaumius, vt erat ingeniosus & cautus, inspectionem repetit, atque supernè dentem non integrum, sed foraminulo pertusum conspicatur. Spatulâ igitur ferreâ admotâ, numquid lamina aliqua orichalcea solùm denti esset inducta, explorat. Rem ita se habere, certissimè inuenit, & reliquis spectatoribus ostendit. Lamina enim illa per spatulam mouebatur, nihilque erat aliud, quàm medietas (& forsan inaurata) globuli, quales crumenis & marsupiis olim à fœminis in Silesia gestari solitis appendi consueuerunt. Detraxisset prorsus à dente laminam istam D. Rhumbaumius, ni deceptor restitisset, & se cum puero subduxisset. Fraudis enim hæc detectio pessimè habuit pueri istius circumductorem, vtpote qui nummos corradendi occasionem sibi ereptam esse videbat: atque ita cum aureo isto dente euanuit ac disparuit. Quæ historia omnes naturæ scrutatores meritò monere debet, ne caussas rei & τὸ διότι prius quærant, quàm τὸ ὅτι sit manifestum, & de re ipsa planè constet. In qua re tamen non rarò peccatur, dum de non entis affectionibus & caussis sæpe acriter & magno conatu disputatur.

## CAPVT XVI.

### *De Gingiuarum affectionibus.*

*Gingiuarum affectiones.* GIngiuarum etiam affectiones p. n. variæ sunt, nimirum Luxuries ipsarum, dum præter naturam augentur, vt dentes propemodum integant: deinde Flacciditas, dum caro earum mollis euadit, & facile sanguinem fundit; quod vitium scorbuto familiare est: contrà eorundem Corrosio & Absumptio: Inflammatio ad radicem dentis, quæ παρουλὶς, Celso παρασῶτις, (nisi mendum in textu est) abscessus παρουλίδα sequens, qui si malè curetur, caruncula innascitur, ad intimos præcipuè molares, quæ ἐπουλὶς dicitur, & aliquando cum aduerso buccarum musculo coalescit. Nonnunquam abscessus in vlcera, cancrum

erum & fiſtulas,degenerat;interdum & gangræna gingiuas corripit;de quibus jam dicemus.

*De gingiuis Excreſcentibus,Laxis,Flaccidis,Sanguinem fundentibus.*

*Gingiuæ excreſcentes, & laxæ.*

Gingiuarum Caro ita ſæpe Luxuriat & Incrementum ſumit,vt dentes,præſertim molares,obtegat quod vitium παραδαρὰ ἕλκα,gingiuarum Luxuries, Excreſcentia,& dentium Superincarnatio nominatur.Plerumque illa caro laxa,ſordida & flaccida eſt,& cruorem, ſi paulatim attingatur de ſe fundit & graueolet ; id quod ſcorbuticis familiare eſt.

Atque accidit hoc vitium à ſanguine ſeroſo, vitioſo, corrupto, copioſius ad gingiuas confluente ; ad quam rem inprimis facit, caro gingiuarum ſuâ naturâ laxa,quæ humores affluentes facilè ſuſcipit.

Vt enim in vlceribus & vulneribus , vbi caro cute non tegitur, facilè luxuriat : ita etiam gingiuarum caro,quæ cute craſſa non tegitur,facilè luxuriat.

Si luxuries iſta carnis ſit leuis, & ſine putredine, facilè reprimentium & aſtringentium vſu compeſcitur, vt collutione oris cum aqua aluminoſa , cum decocto balauſt.gallar.fol.pruni,cortic.mori, & aſperſione pulueris ex balauſt.radic.biſtortæ,corall.rubr.& pauco alumine.

Si verò gingiuæ putridæ ſint , & grauem odorem ſpirent,fortiora requiruntur.

Commendatur hîc peculiariter Aquilegia , & vnguentum ex Aquilegia paratum in hoc malo vtile eſt. Inprimis verò efficax eſſe ſequens Linimentum,multo vſu compertum eſt :

℞. *Pulu.fol.aquileg.ſaluiæ , menth. criſp. nuc. moſch.* an. Vnc. ſem. ( Nonnulli etiam rutæ & myrrhæ tantundem addunt. ) *aluminis vſti* Vnc. i. *mellis puriſſ.* ℥. iv. vel q. ſ. Mel leni igne deſpumetur. Deſpumato & calenti pulueres inſpergantur. F. Linimentum , quo gingiuæ inungantur.

Vel ℞. *Mellis opt.* Vnc. ij. *aceti vini* Vnc. i. *flor.æris* Drach.j.*alum.*Scrup.j Bulliant, donec rubefiant, adde *pulu.ſabinæ , nuc.moſch.*an.Drach.ſem.*C.C.præp.*Vnc.ß. F. Linimentum.

Præſtantiſſimum quoque hîc eſt decoctum ſummitatum rubi Idæi. Vtile eſt etiam gingiuas cruentas & defluxione tentatas ſæpius attingere ſale vſto. Idem præſtat puluis corallij rubri crudi , vt & antheræ roſarum,nec non collutiones ex vitriolo,alumine, myrrha, maſtiche & aceto ſcillitico paratæ.

Vtilis eſt & oris collutio cum aqua ſaluiæ, plantagin.prunell.& naſturt.aquat.

Vel ℞.*Radic.tormentillæ,cort.rad.prunor.ſylueſtr.hyperici,ſaluiæ acutæ*,an.M.j.

Inciſa coq.in *vino* ℔.i i. ad conſumptionem tertiæ partis. Colaturâ os colluatur.

Efficax eſt & hæc Aqua.& in omnibus vlceribus ſordidis gingiuarum,tonſillarum,palati,faucium,narium, & ozænis vtilis :

℞. *Mellis roſati* Vnc. ii. *ſulfuris viui,aluminis crudi.* an.Vnc.j.*alb.Græc.cimar.ſabin.*an.Vnc.ſem. *ſpong.ſambuc.* Drach.i. *fol.hyperic. roriſmar. plantag.rutæ,ſaluiæ, puleg.*an.M.ſem.Coqu.in vini & aquæ ℔.ii.ad conſumptionem quartæ partis. Sub finem adde *æruginis æris* Vnc. j. ſtent donec ſponte refrixerint , poſtea colentur.

In colatura penicillum lana vel goſſypio inuolutum intingatur , & locus affectus tangatur ; vel goſſypium aut ſtupa loco affecto imponatur.

Aëtius ſumit *alumin. vſti , thuris , myrrhæ*, p.æ.quæ cum melle miſcet & illinit , & poſtea os vino colluere jubet.

Ejuſdem eſt,quod efficaciter carnem corruptam gingiuarum abſumit & putredinem ſiſtit:

℞. *Chalcitid.crudæ* Drach.iij.*cadmiæ* Vnc.ʒ.

Cadmia in aceto ad æſtiuum Solem aliquot diebus conteritur , deinde adjicitur chalcitis , & ſimiliter cum ea teritur , affuſo ſæpe aceto. Poſtea ambobus exſiccatis , tritis ; & cribratis vtere ſiccis , ſed cum cautione , ne quid ex pharmaco in os deglutiatur.

Vel ℞. *Alumin. ſciſſil. flor. roſar. rubr.* an. Drach. j. *ſal. foſſil.* Drach. ii. *croci* Drach. ß. Vtere ſicco , aut cum melle cocto.

Mel etiam roſatum , ſi vnciæ vni ol. vitrioli guttæ ij. addantur , vlceribus gingiuarum & oris vtile eſt.

Vel ℞. *Nuc. moſch.* N. j. *alumin. crudi* Drach. ß. *alb. Græc. ſucc. rut. mille fol. chæreſol.* ana Drach. ii. *mellis* Vnc. i. Miſce.

Vtiliſſimum eſt , ſi ante & poſt cibum os colluatur aquâ,è qua ſal,excoquitur.

*De Fluxu ſanguinis è gingiuis.*

*Fluxus ſanguinis è gingiuis.*

Interdum non ſolùm laxæ fiunt gingiuæ , ſed etiam ſanguis ex iis fluit. De quo Hippocrates , *in Coacis, lib. 2. comm. 1. ſect. 2. aphor. 14. ſec. diſtinct. Hollerij.* Τὰ ἀπὸ οὔλων αἵματα ἐπὶ κοιλίῃ ὑγρῇ , ὀλέθρια. *Sanguis de gingiuis ab aluo liquida , lethale.* Significat enim virtutis debilitatem in hepate & venoſo genere , & in ipſo ſanguine vitium , vbi ſcilicet is eſt acris & ἰχωροειδὴς ; qualis in ſcorbuticis colligitur. Si ergo is per gingiuas effluat,& aluus ſymptomaticè ſoluatur , malum ſignum eſt.

Cui malo ſi curatio adhibenda ſit , medicamenta, quæ ad gingiuas laxas conueniunt , vſurpanda. Interdum tamen ejuſmodi fluxus criticus eſt , & non ſtatim ſiſtendus. Ita apud Dodonæum. *obſeru.* 14. Latomo ecthymatis laboranti ſanguis è gingiuis erupit , quo repreſſo , ad vrinarios meatus delatus , ac cruenta vrina ſubſecuta eſt , quæ cum reprimentibus talis eſſe deſiiſſet,iterum ad gingiuas ſe contulit,nec fluxus ceſſauit,donec æger ſanitati reſtitutus eſt.

Ita refert Amatus Luſitanus , *cent.* 5. *curat.* 5. quibuſdam hominibus ſanguinem è gingiuis effluxiſſe, qui,ſi fluxus non ſolito reſponderet modo , in capitis dolorem inciderint,vt eum reuocare neceſſe habuerint. Et Iulius Alexandrinus , *in annot. ad cap.* 11. *lib.* 2. *meth. med. Galeni* , ſcribit , ſocrui ſuæ per interualla quædam ſanguinem è gingiua fluxiſſe , quaſi venulâ aliqua inibi ex ἀναστομώσεως apertâ. Et Zacutus Luſitanus , *de Prax. Med. admir. lib.* 1.*obſeru.* 86. refert, aurifabro cuidam febre ardente laboranti ex venula gingiuæ inferioris per tres dies continuos ſanguinis plus quam libras quinque criticè effluxiſſe , febrémque inde ſolutam fuiſſe.

*De gingiuis Carne denudatis ſeu Carnis gingiuarum conſumptione.*

Vt gingiuarum Caro aliquando Luxuriat : ita contra nonnunquam Imminuitur & Abſumitur, vt dentes nudi conſpiciantur & laxentur ac vacillent;quod accidit ex humore prauo & acri ad gingiuas confluente, eáſque erodente.

Danda igitur opera eſt,vt caro regeneretur.

Ergo ℞. *Thuris , maſtich. ſarcocoll. ſanguin. dracon.* an. Drach.j.

F. Puluis,qui gingiuis aſpergatur. Auicennas ſumit *thuris,maſtich.ariſtolochiæ rotundæ,ſanguin.dracon.farin. orob.rad.ireos*,an.Drach.j.Pulueriſata cum melle & aceto ſcillit.ſubigit,& eo gingiuas fricat.

Poſſunt tali etiam Linimento inungi :

℞. *Syr. myrtini , mellis roſ. col.* ana Vnc. ſem. *diamori , dianuc.* ana Drach. ii. *pulu. mandibul. lucij piſc. rad. biſtort. nuc. moſchat.* ana Scrup. j. Miſce.

Vel ℞. *Mell.rof.col.*Vnc.j.*pulu. maſtich. myrrh.thuris,nuc.moſch,*an.Scrup.i. Miſce.

Vel ℞.*Rad.cyperi* Drach.ii.*ariſtoloch.rotund. ſarcocoll.*an.Drach.i.ſem.*myrrh.*Drach.j.*rad.ireos,terræ ſigillatæ,raſuræ C.C.* an.Drach.ſem. *fol. myrti, flor.roſar.rubrar.* an.P.j. *ſantal.albor.rubr.*an.Drach.i.ſem. *alumin. vſti,balauſt.*ana Drach.ii.

F. Puluis, de quo aliquid in aqua folior. quercus ebulliat,& decocto os colluatur.

℞. *Cancros viuos* N.vi. *radic. lappæ majoris* Vnc.i.

Contundantur in mortario ad pultis conſiſtentiam. Diluantur cum *aq.fl. cyani* Vnc xvi. Exprimantur per pannum linteum,lauentur eo dentes & gingiuæ.

### *De gingiuarum Inflammatione ſeu Parulide, Epulide, Vlcere,Cancro, Fiſtula.*

*Gingiuarum inflammatio.* Præterea etiam gingiuæ quandoque inflammatione cum dolore corripiuntur,apoſtema patiuntur, quæ in vlcera,interdum cancrum,fiſtulas,gangrænam deſinunt. Inflammatione,quæ Græcis παρουλὶς dicitur, gingiuæ corripiuntur à ſanguine tenui,ſiue puro;ſiue cum aliis humoribus mixto, qui è capitis vaſis in eaſdem defluit. Familiaria etiam ſunt vlcera gingiuarum ſcorbuticis, de quibus, *libr. 3. Pr.part.5.ſec.2.de ſcorbuto.* dictum.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Malum ipſum per ſe viſui patet. Et quidem, ſi materia ſit calidior & acrior, gingiuæ magis rubent & calent,dolórque & punctio vehementiùs affligit. Si verò ſanguis ſit frigidior, rubor, calor & dolor eſt remiſſior.

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.* 1. Inflammationes hæ, niſi ſtatim reprimantur, in apoſtemata abeunt,quæ nunc citiùs,nunc tardiùs rumpuntur, pro tumoris magnitudine & humoris natura.

2. Non contemnendum eſt hoc malum, cùm, niſi maturis præſidiis ipſi ſuccurratur,in apoſtema & vlcera diuturna,nonnunquam & in fiſtulam abeat.Sæpe & in cancrum incurabilem,vbi materia melancholica ſicca & aduſta fuerit, quandoque & in gangrænam abit.

3. Si gingiuarum inflammatio in gangrænam mutetur, inſanabile plerumque malum eſt, vt aliquot exemplis demonſtrat Guilielmus Fabricius, *cent. 1. obſeru.*30.

*Curatio.* 4. Æſtate in aurium inflammationibus quinto die eruptiones fiunt: ſic & quæ circa gingiuas & nares ſuppurationes contingunt. Hippocrates, *6. epid. ſect. 6. t.* 24.

### *Curatio.*

Vniuerſalia quod attinet, eadem methodo curanda hæc inflammatio, quâ aliæ inflammationes. Vena nimirum aperiatur in brachio.Ita Meliſandro apud Hippocratem,7.*epid.ſect.vltima,* cùm magno gingiuæ dolore corriperetur, & valde intumeſceret, vena in brachio ſecta eſt. Poteſt & poſtea vena ſub lingua aperiri, & cucurbitulæ collo admoueri. Nec Topica multùm diſcrepant;niſi quod gingiuæ,cum carne ſint præditæ molli, ac rara, fortia medicamenta non tolerant. Ideóque dum nondum putreſcunt nec corroſæ ſunt, conueniunt medicamenta, quæ aſperitatis & mordacitatis ſunt expertia. Nam acria inſigniter nocent, & proinde in gingiuæ dolore ab acreo abſtinendum. Et primùm quidem phlegmones generatio impedienda eſt & reprimenda inſtitutis oris collutionibus & gargariſmis ex decocto fol.quercus, nucum cupreſſi, balauſtior.roſ.rubr.aqua plantaginis,prunellæ, ſaniculæ, portulacæ,veronicæ,fragor.fol.quercus,cum ſucco vel rob.moro,tum in iis diſſoluto, vel rob.nucum, ribes, berberum,fragorum,ſyrupo granatorum,violarum,roſarum ſiccatum,myrtino, oxyſaccharo ſimpl.melle roſato. E. g.

℞. *Aq.plantag.prunellæ,*an.Vnc.iij.*roſ.rubr.*Vnc.i.ß. *diamori* Drach.vi. *mellis roſati col.* Drach.iii.*ſalis nitri præp.*Drach.ſem.Miſce.

Vel ℞. *Aq.ſemperuiui, plantag. centinod.min.*an.ʒ.ii.ſem.*mellis roſati* Vnc.i.*nitri præp.*Drach.ſem.M.

Vel paretur tale Decoctum:

℞. *Herb. prunell. plantag.* an.M.j.*fol.roſ. rubr.*P.iij. *balauſtior.*Drach.ſem.*rad.glycyrrh.* Drach.i.*ceraſor.exſiccat.*Drach.ii.

Conciſa & contuſa coqu.in *aq.hord.ſimpl.*pro ʒ.ix.

In quibus diſſolue *rob.fragor.* Drach. vi. *ſyr.violac.* Drach.iij.*nitri præp.*Drach.j.ſem.M.

Galenus, 5.*de comp.med. ſec.loc.c.9*1. ſcribit,gingiuis ex inflammatione dolentibus optimum remedium eſſe ol. lentiſcin. temperatè calefactum in ore retentum,idque recens.Nam oleum quò vetuſtius, eò calidius. Habet illud oleum vim moderatè reprimendi & diſcutiendi. Aëtius priſana gingiuas colluere jubet. In cauſſà frigida aliquid de reſoluentibus calidis admiſceatur, vt de alumine vſto vel ſale.Aut decoctum fiat ex ſem.lini,fol.agrimon.cum exiguo alumine,pro Collutione oris.

Vel paretur tale Decoctum:

℞. *Hord.integri* M.j.*fl.malu.arbor.* P.iij.*roſar. rubr.* P.ij.*rad.glycyrrh.*Drach.iij.*jujubar.* N.vij.*caricar.ping.* N. iij.

Coq.in ſ.q.*aq.fluuiatil.*ad tertias.

Colentur,colaturæ ℞.Vnc. viij. In quibus diſſolue *oxymel.ſimpl.mell.roſati colat.*an.Vnc.i. *diamori* Vnc.ß. *lap.prunellæ* Drach.ij.

M. pro Gargariſmo. Alumen etiam vſtum & tritum parotidas comprimit,teſte Aëtio.

Si apoſtema ad maturationem tendat, gingiuæ butyro inungantur. Deinde apoſtema aperiatur decocto caricarum,lini,fœnigræci, & ſimilium.Vel caricæ per medium diſciſſæ imponantur. Si abſceſſus ſponte non aperiatur,ſcalpello aperiri poteſt.Apertus abſceſſus hydromelite, collutionis & gargariſmi inſtar adhibito, mundetur. Tandem vlcus exſiccetur & claudatur.

Interdum verò apoſtema in vlcus definit,& quidem nunc vlcus ſimplex eſt ſine corroſione & putrefactione, nunc verò corrodendo ſerpere incipit, vt non tantùm putreſcat caro,ſed & abſumatur, & νομὴ gingiuarum fiat; quod accidit, cùm humores ſalſi, acres aut praui affluunt.Curantes autem talia vlcera, ſi ſint ſimplicia, exſiccantibus & adſtringentibus medicamentis, collutione ſcilicet oris cum decocto agrimoniæ, roſar. balauſtior. cupular.gland. aceto ſcillit. alum. myrrh. vti debent.

Vt ℞. *Agrimon.*M.j. *balauſt.roſar.rad.ariſtoloch.rotund.*an.Drach.ij.Coquantur in vino.

Colaturæ ℞.℔.j.*acet.ſcillit.*Vnc.ij.M.

Vel ℞. *Rad. ariſtoloch. rotund. balauſt.flor. roſar. rubr.* ana Vnc. ſem. *myrrh.alumin.*ana.Drach.ij. *cinamom.ſpic.*ana Drach.j.

F. Puluis,qui diuidatur in duas partes;vna cum melle redigatur in formam Linimenti, quo dentes inungantur;Puluis verò aſpergatur vel affricetur.

Si vlcus in fiſtulã tranſeat,fortioribus vtendum, vt:

℞. *Gallar.cupul.gland. flor.roſar. balauſt. cortic.granator.*an.Vnc.i.

Coqu.in vino pro Collutione oris. Ipſis verò gingiuis hic Puluis inſpergatur:

℞. *Gallar.ſumach.gran. myrt.cupul. glandium, ſem. plantag.*an.Drach.i. *vitrioli albi, alum.ſciſſil.* an.Scrup. iiij.*anther.roſar.*Drach.ij. F. Puluis.

Vel ℞ *Maſtich.gummi juniperi, acaciæ, hypociſtid.* an.℈.ß.*tutiæ præpar.*Drach.ß.*vitrioli albi* ℈.ii.F.Puluis.

Vtiliſſima

Vtilissima verò & efficacissima est hîc aqua viridis, supra de gingiuarum excrescentia & laxitate proposita.

Si in cancrum degeneret vlcus, Gordonius hoc vtitur:

℞. *Rad. hellebor. aristoloch. long. tartari, aluminis vsti gallar. balaust.* p. æ. & cum *succo fol. oliuar.* vel *agrimon.* & *melle.*

Epulis. F. Vnguentum, quo gingiuæ cariosæ illinantur.

Si verò post inflammationem gingiuarum carnis excrescentia quædam emergat juxta dentes molares, quam Epulida vocant, quod accidit aliquando cum febre & vehementi dolore internæ mandibulæ, vtitur Aëtius medicamentis, quæ inflammationem soluunt, atque os colluere hydromelite, ptisana, decoct. semin. lini jubet, totam item mandibulam contegere cataplasmate ex hydromelite & semin. lini. Postea ad ipsam carunculam siccantia medicamenta admouet, quale est puluis alumin. vsti asperlus, aut qui Recipit *sulphuris viui*, *piper. alumin. sciss.* p. æ. Efficax hic est & vitriolum.

Vel ℞. *Pulu. gallar.* Drach. i. sem. *alumin.* Drach. i. F. Puluis.

Vbi verò tardius consumitur, exedens apponit, quale est ærugo per se, vel cum æquali parte gallarum. Æger autem in æruginis vsu monendus, ne saliuam deglutiat. Exeditur etiam interdum aquâ forti, aquâ regis, & oleo vitrioli.

Vtilis est hîc aqua viridis, cujus antea facta mentio. Si nec his tollitur epulis, forcipe correptam ferro exscindit, & vlcus, vt par est, curat. Debétque os post sectionem illam cum decocto myrrhæ & pauco sale collui.

## CAPVT XVII.

### De Maxillarum morbis, & symptomatibus.

#### Fungi maxillarum.

Maxillarum fungi. Maxillæ etiam suos morbos patiuntur. Inter eos autem primò sunt Fungi dicti, qui etiam interdum è cerebro nascuntur, vt supra, *lib. 1. part. 1. cap. 25.* dictum est, læsa procul dubio aliqua fibra neruea aut membrana. Ita memini cuidam puero dentem ore extractum, & procuıdubio neruum vel membranam nerueam substratam læsam esse, è quâ fungus postea enatus est, qui penè totum os repleuit, & puero etiam mortem attulit.

#### Syderatio maxillarum.

Maxillarum syderatio. Syderantur etiam nonnunquam maxillæ post dentium dolorem. Ita 5. *epidem.* Metrodori puero ex dentis dolore syderatio, & supercrescens in gingiuis caro, ac moderata suppuratio contigit: & tum molares, tum maxilla ipsa deciderunt.

#### Maxillæ cum Capite connexio.

Maxillæ cum capite connexio. Maxillæ inferior pars capiti per articulationem conjungitur, vt liberè moueri possit. Contrarium tamen exemplum, vbi maxilla inferior capiti planè connata & conjuncta fuit, supra è Columbo, *anatomiæ lib.* 15. retulimus.

#### De maxillæ inferioris Iunctura soluta.

Maxillæ inferioris iunctura soluta. Aliis plerisque animalibus maxilla inferior ex ossibus duobus per symphysin junctis constat, & in homine etiam in infantibus bifida est, & cartilagine copiosa in medio mento jungitur: in adultis tamen ita coalescit, vt nec coctione quidem separari queat. Violentiâ tamen magnâ interdum hæc junctura solui, & ossa hæc separari possunt.

Malum periculosum est, si in partem posteriorem os recedat. De qua Hippocrates, *in Coacis: In neruorum distentionibus, & in iis, quæ in posteriorem partem fiunt, dissolutæ maxillæ mortem afferunt.*

Curatio. Quapropter curationem etiam tradit Hippocrates, *in lib. de articulis, com. 2. t. 33. Si compago*, inquit, *maxillæ ad mentum dissideat, reponere os cujuslibet hominis est. Quod enim eminet, admotis digitis ab exteriore parte introrsum propellendum: quod intra inclinatur, injectis digitis repellendum extrorsum est. Id autem distentione prius adhibita, sic, vt ossa distent, faciendum.* Reposita maxilla postea, vt, *ibidem*, docet, deliganda est.

#### De maxillarum Luxatione.

Maxillarum luxatio. Luxationem etiam patitur maxilla inferior. Quod quidem non facilè accidit, cùm ob articulationis naturam, quæ vndique ossibus circumuallata est, tum ob musculorum robur, quos plures & validos obtinet. Si tamen luxetur, tantùm in priorem partem propellitur & luxatur, vt Galenus, *comm. 2. in lib. de articul.* & Celsus, *lib. 8. cap. 12.* docent, & ex anatome patet. Ad posteriora enim luxationem os impedit; ad dextram sinistrum maxillæ caput; ad sinistram dextrum caput. Et quidem luxatur vel altera tantùm parte, vel vtraque. Vt autem luxetur maxilla, necesse est, vt processus rostro similis, acutus etiam dictus, qui subjugali osse inferitur, ipso osse jugali humilior fiat, & extra os jugale feratur. Fit hoc non nisi maxima oris apertione, vt in nimia oris in oscitando dilatatione, vel si aliquid magnæ molis ore apprehendatur.

#### Signa Diagnostica.

Signa. Si maxilla luxata sit, os claudi nequit, masticatio tollitur, locutio deprauatur, saliua ore ægro inuito profluit. Et quidem si maxilla ex parte vtraque sit luxata, os magis hiat, nec lingua ad loquendum liberè moueri potest, vnde fit balbuties, & maxilla inferior cum superiore non potest committi, sed maxilla inferior tota magis prominet, etsi ordo dentium inferiorum & superiorum respondeat, & canini sint sub caninis, molares sub molaribus. Processus etiam ossis rostrum referentis extra malas vtrinque eminens apparet, & temporales musculi rigidi ac duri sunt. Si verò ex vna parte tantùm luxatio facta sit, à parte illa in anteriorem maxilla magis prominet & in aduersum ipsa & mentum inclinatur, & os distorquetur, nec ordo dentium inferiorum & superiorum sibi respondet, sed sub incisoriis sunt canini.

#### Prognostica.

Prognostica. 1. Periculo non vacat maxillæ luxatio, & propterea quamprimum reponenda est, priusquam musculi affecti cerebrum in consensum trahant propter neruorum ramos, qui à secundo & quinto cerebri pari orti in musculos maxillam mouentes inseruntur.

2. Si maxilla luxata suo loco non restituatur, periculum mortis imminet, & quidem plerumque circa diem 10. & febris continua excitatur, & dormiendi inexpugnabilis necessitas, & bilis syncera per aluum & vomitum reijcitur.

3. Si ex vtraque parte maxilla luxata sit, difficiliùs restituitur, quàm si ex vna tantum; & propterea luxatio ex vtraque parte periculosior est, & omnia symptomata sunt vehementiora. Nam omnes quatuor musculi maxillam sursum trahentes afficiuntur, & cum iis nerui inferti, vnde dolor exoritur, & ex dolore inflam-

matio & febris acuta, & per consensum neruorum etiam os ventriculi afficitur.

4. Si post maxillæ restitutionem 12. dies elapsi sint, periculum relapsûs non ita facilè amplius metuendum.

*Curatio.*

Danda ergo opera, vt quamprimum maxilla restituatur, antequam dolor & inflammatio accedat. Si verò jam spatium aliquod temporis à factâ luxatione elapsum sit, vtendum prius medicamentis emollientibus & laxantibus, antequam restitutio tentetur.

Videndum verò primo, an ex vna, an verò ex parte vtraque facta sit luxatio. Si ab vnâ saltem parte, æger vel in sedili collocetur, vel resupinetur in puluinari, & caput eius immobile à ministro teneatur. Postea Chirurgus pollices, lineis vel linteis vel fasciis subtilibus inuolutos, in eius os immittat & molaribus dentibus imponat, reliquâ manu extra maxillam ad mentum apprehendat, eámque deorsum trahat, deinde retro versus guttur compellat, postea ad oppositum latus agitet, & simul rursum impellat, ægróque imperet, vt os claudat. Atque hæc omnia vno ferè momento fieri debent, vt Celsus inquit.

Si verò ex parte vtrâque sit luxata maxilla, eodem modo restituenda est, præterquam quod ad latera non est agitanda maxilla, ideóque primò maxilla deorsum trahenda ob musculos, qui processum acutum rostro similem trahunt, qui infra ossis iuguli processum trahi debet. Secundò retro æqualiter propellenda, quia luxatio in partem anteriorem facta. Tertiò sursum, & in locum suum compellenda. Maxillâ in suum locum restitutâ, danda opera, vt in eo retineatur, & non iterum excidat. Itaque medicamenta ex oui albuminibus & pulueribus adstringentibus apponi debent, ac, si dolor adsit, musculi oleo rosaceo inungendi. Fascia quoque mento apponatur. Hinc ad aures adducatur, & tandem in capitis vertice colligatur, vt maxilla restituta in suo loco retineatur. Videatur Hippocrates, 2. *de articul.* & Galeni *in eum commentar.*

*De maxillæ Fractura.*

*Maxillæ fractura.* Tandem maxilla aliquando frangi potest ictu, casu & similibus caussis. Aliquando etiam in dentium extractione pars auelli potest. Quod malum per se facilè patet.

Consolidantur autem ossa maxillæ facilè, & quidem 21. diebus, & celeriter callus increscit; cum sint medullosa & laxa: quod si non rectè reponantur, dentes vitiantur, atque inutiles redduntur.

Si verò quid de maxilla auulsum sit, id restitui non potest. Quomodo autem maxilla fracta componenda sit, docet Hippocrates, 2. *de artic.* qui ibi videatur.

*De maxillæ inferioris Immobilitate.*

*Maxillæ inferioris immobilitas.* Symptoma etiam quoddam occurrit circa maxillam inferiorem. Cum enim facta sit mobilis propter sermonem & masticationem; cùm illa mobilitas tollitur, præter naturam sese habet. Fit autem hoc in tumoribus circa articulum, cum destillationes in articulum circa auriculæ radicem fiunt, & ibi tumores atque inflammationes accidunt. Idem accidit in fracturis, luxatione, maxillæ cum capite coalitu. Pertinet huc & rigiditas illa genarum scorbutica, cuius, *lib. 3. Pr. part. 5. sect. 2. de Scorbuto, c. 4.* facta est mentio. Non absimilis videtur illa maxillarum rigiditas, cujus meminit Hippocrates, 5. *epid. num. 23. in cod. Foesij*, in Eumelo Larissæo, cui crura, manus, maxillæ rigebant.

*Signa & curatio.* Signa & Curatio patent è morbis, à quibus immobilitas ista pendet.

## DE ORIS VITIIS.

## CAPVT XVIII.

### *De Oris Inflammationibus & Vlceribus.*

*Curatio.* Sequuntur jam Oris vitia. E morbis sunt oris Inflammatio & Vlcera. E symptomatibus, oris Fœtor; de quibus ordine decendum.

*Oris inflammatio.* Et primò quidem oris Inflammationem quod attinet, nonnunquam ex sanguine & calidis ac biliosis humoribus partes oris internæ, Palatum scilicet & Fauces inflammantur. Interdum inflammationem excitanti sanguini etiam humores maligni conjunguntur, vt in Thaso accidit, apud Hippocratem, 1. *epid. sect. 1. stat. 1.* Inflammationi etiam caussam præbent inunctiones ex hydrargyro, è quibus sæpe inflammatio, gangræna & sphacelus excitatur, vt aliquot exemplis docet Guil. Fabricius, *cent. 3. obseru. 92.*

*Signa.* Malum per se visui patet. Humoris etiam eam excitantis natura è suis signis cognoscitur.

Est autem inflammatio nunc periculosior, nunc minus periculosa pro humoris peccantis natura. Etenim inflammationes oris, quæ ex solo fiunt sanguine, sunt mitiores; difficiliores, quæ ex sanguine cum bile misto generantur. Perniciosiores etiam sunt oris inflammationes, quæ cum febre fiunt, quàm quæ sine eâ sunt.

*Curatio.*

Vt in aliis inflammationibus; ita etiam hîc, si in vniuerso corpore abundet sanguis, vena primùm aperienda; si alij vitiosi humores, purgatione vtendum. Hinc ad topica veniendum.

Quod si neutrum horum affuerit, statim ad topica accedendum. Requiruntur autem in principio, quæ refrigerant & repellunt atque adstringunt; in incremento & statu postea aliquid discutientium addendum.

Colluendum ergo os sero lactis, in quo flores rosarum, summitates rubi vel vitis cocta sint; aut decocto plantaginis, prunellæ, vel aquis inde destillatis, quibus diamorum, dianucum, syrup. violar. & similia addenda. Ad discutiendum flores chamæmeli addi possunt.

Si tumor discuti non possit, sed suppuratio expectanda sit, adiuuanda ea & maturanda. Cui rei seruiunt caricæ appositæ. Vel coq. furfur in aqua, dum lentescat. (commodum est etiam ficus addere) Colaturæ mel adde.

Eligenda autem semper sunt talia medicamenta, quę neque sapore ingrata sunt, neque aliquam prauam aut venenatam qualitatem obtinent, qualia medicamenta Græci στοματικὰ appellauerunt, & apud Galenum, *6. de compos. med. sec. loca*, describuntur.

Reliqua ex iis, quæ iam de oris vlceribus dicentur, patebunt.

### *De Aphthis & oris Vlceribus.*

*Ἄφθαι.* Ἄφθαι equidem dicuntur in specie superficiaria oris vlcera, quæ infantibus præcipuè accidunt. Interdum tamen etiam latiùs hoc nomen ab Autoribus extenditur, & aliarum etiam partium vlceribus tribuitur. Ita Hippocrates, *lib. de natura mulieb.* & *de morb. mulierum.*

*mulierum*, ἀφθῶν τὰ αἰδοῖα ſcribit.&, *de Coacis prænotionibus*, ἀφθώδεα ῥεύματα in orificio vteri nominat. Et, 2. *de morbis*, fiſtulam pulmonis aphthâ, id eſt, vlcere feruido laborare dicit; Galenus, 9. *de comp. med. ſec. loca*, διδύμως ἀφθῶντας nominat. Verum, vt dixi, propriè aphthæ ſunt exulcerationes quædam in ſumma oris ſuperficie, igneæ quippiam caliditatis habentes, vt definit Galenus, 6. *de compoſ. medic. ſec. loca, cap.* 4. Hærent enim in ſumma cute, & ſerpunt in palatum, gingiuas, linguæ latera, eiúſque radicem. Interdum profundius ſeſe demittunt, & palatum carnémque linguæ exedunt, cuiuſmodi Gallicæ oris puſtulæ eſſe ſolent, præſertim ab inunctione cum argento viuo. Galenus tamen, quæ putreſcunt & exulcerantur, aphthas non amplius nominandas cenſet, ſed eroſiones potius & oris vlcera, quæ & remedia planè peculiaria poſtulant. Itaque etiam de oris Vlceribus poſtea ſeorſim agemus. Ita Auicennas Alcolas vocat, quæ oris Vlcera eſſe dicit cum expanſione & dilatatione, ſeu, vt vulgus appellat, Vlcera oris ambulantia. Mitius verò malum eidem eſt Bothor in ore, quæ puſtulæ ſunt non ſerpentes, ſed tales, quæ facilè ſuppurantur & delentur, etſi nonnunquam leuiter eas ſuppurare contingat. Eſtque Bothor generalis appellatio etiam puſtularum faciei, pulmonis, & aliarum partium; & variolæ ac morbilli etiam Bothor ab Arabibus nominantur.

Affectio ipſa, cùm exulceratio quædam oris ſit, ad ſolutam vnitatem pertinet cum intemperie. Pars affecta eſt os internâ & ſummâ ſui ſuperficie, ita, vt malum etiam gingiuas, linguam, & nonnunquam gurgulionem comprehendat.

### *Cauſſæ.*

*Cauſſæ.* Gignuntur aphthæ interdum primariò in ore, dum ibi praui humores collecti ſunt, quos natura foràs expellit; plerumque verò ſecundariò per conſenſum ſiue totius, ſiue alicuius partis. Totius, vt in febribus acutis & præcipuè malignis, vbi acres & feruentes halitus, per fauces, venas, arterias, & occultos corporis meatus ad os eleuantur. Vnde etiam febribus malignis malum hoc familiare eſt, atque in iis vlcera hæc potiſſimum fauces occupant, & ſæpe tam ſæua ſunt, vt depaſcentia fiant, ſimúlque cum faucibus etiam aſperam arteriam & gulam attingant. Partis, vt quando vel à capite acres, feruidi & erodentes humores in os defluunt, præſertim bilioſi, pituitoſi & ſalſi; vel à ventriculo, vt poſtea de Infantibus dicetur, pulmone, hepate, liene, vtero, eiuſmodi halitus ſurſum mittuntur, à quibus primò puſtulæ in ore excitantur, quæ ſæpe poſtea in vlcera deſinunt, pro corruptionis & materiæ in hac diuerſitate. Cum enim ſummæ oris partes carne conſtent molli & tenera, quam cuticula tenuis inueſtit, facilè ab occurſu acrium lædi poſſunt.

Non ſolùm verò ab internis hiſce cauſis aphthæ oris exiſtunt, ſed etiam ab externis, vt ab acredine eorum, quæ comeduntur aut bibuntur, aut alio modo aſſumuntur. Ita in lactentibus infantibus aphtharum cauſſa eſt aut lac nutricis nimis ſeroſum, acri ſuâ abſterſione ſummas, eáſque molles admodum in ætate illa partes exulcerans, teſte Galeno, 3. *aph.* 24. aut, vt, *in* 6. *de compoſ. med. ſec. loca*, addit, lactens ipſe, ſi lac hauſtum non probè concoquat, vnde euaporatio acris vel putrida ſurſum è ventriculo attollitur. Nam lac in ventriculis intemperatis facilè corrumpitur, vt bilioſum, acidum, vel aliter deprauatum euadat.

In vtriſque, in adultis ſcilicet & infantibus, adiuuant hanc malam affectionem conſtitutio aëris calida & humida pluuioſa, humores putridos gignens, ita vt epidemium nonnunquam hoc malum fiat. Hinc etiam in regionibus calidioribus, vt in Syria & Ægypto, frequentiora ſunt iſta vlcera; vnde etiam Ægyptiaca & Syriaca antiquitus appellata, teſte Aretæo. Cibi in ventriculo corrupti, eius fungorum & aliorum, quæ facilè corrumpuntur ac malignitatem acquirunt.

### *Differentiæ.*

Quod ad differentias aphtharum, eæ ex Galeno, 6. *de compoſ. ſec. loca cap. vlt.* &, ex 3. *epidem. comment.* 3. *aph.* 12. ſic diſcerni poſſunt. *Differentia.*

1. Tempore. Aphthæ enim aliæ incipientes ſunt, aliæ vigentes, aliæ inueteratæ, atque ita quædam leuiores, quædam deteriores.

2. Corporibus ſubiectis. Nam aliæ mollia infantium & puerorum corpora occupant, aliæ duriora adultorum.

3. Materiâ, eiúſque prauitate. Quædam enim inflammatæ ſunt, eæque calidæ & rubicundiores ex ſanguine; quædam igneæ & flauiores ex bile; quædam non inflammatæ, minúſque feruidæ, ex pituita putreſcente; quædam denique ex inueteratis atræ bilis malignitatem exurentem acquirunt. Vnde conſtat, aphthas ratione materiæ alias mitiores eſſe, alias, vt Galenus, 3. *epidem.* nominat, κακοηθεῖς, quæ ex putridis & malignis humoribus ortum habent.

4. A parte affecta, quæ ſumitur, diſtinctio, eſt, quod aphthæ vel in palato hærent, vel in lingua, vel in gingiuis, vel in labiis, vel in faucibus & gurgulione. Quas partes vel ſuperficie tenùs vlcerant, vel profundius erodunt, latè ſerpendo, pro malignitatis gradibus.

Poſtremò, ratione accidentium & ſymptomatum quædam cum vehementi dolore ſunt coniunctæ, quædam abſque eo ſunt; aliæ cum febre ſunt, aliæ febre carent: aliæ ſunt mundæ, aliæ ſordidæ; aliæ ſine cruſta, aliæ cum cruſta: & cruſta aliquando alba, aliquando flaua, aliquando liuida, aliquando nigra.

### *Signa Diagnoſtica.*

Aphthæ facilè cognoſcuntur. Partes enim oris calidiores deprehenduntur, & hinc inde vlcuſcula ſeu tubercula quædam conſpiciuntur. Et puſtulæ rubicundiores ſanguinem præualere oſtendunt; flauiores, atram bilem; albeſcentes, pituitam: liueſcentes & nigreſcentes, atræ bilis ſuccum: quæ ſerpunt & vicina depaſcuntur, iis acredinem ineſſe ſignificatur, & quidem malignitatis non expertem, ſi ad nigredinem tendant; ſi fœteant, putredo adeſt. Cauſæ externæ, vt eorum, quæ eduntur & bibuntur, acrimonia, atque alia, ex ægri & adſtantium relatione cognoſcuntur. *Signa.*

### *Prognoſtica.*

1. Aphthæ recentes, præſertim in mollioribus infantium corporibus, facilè curantur moderatè aſtringentibus, quoniam ex mitiore materia oriuntur: ægrè ſanantur, quæ diuturnæ ſunt, & progreſſu temporis putredinoſum quid acquirunt; quæ generis vocabulo νομαὶ à Græcis dicuntur Galenus, 6. *de compoſ. med. ſec. loca, cap.* 4. *Prognoſtica.*

2. Aphthæ antiquæ & exulceratæ longè periculoſiſſimæ ſunt in infantibus. Hos enim conſumunt. In adultis verò idem periculum non eſt. Pueris enim, præſertim lactentibus, imperari remedium aliquod (ad gargariſandum inprimis) nequit, quemadmodum adultioribus. Celſus, *lib.* 6. *cap.* 11. Loquitur igitur Celſus de aphthis infantium non recentibus & mitioribus, ſed de inueteratis & malignis, quæ à gingiuis incipiunt, & deinde ſerpendo palatum totúmque os occupant, & ad gurgulionem faucéſque deſcendunt. Hæ cum validiora remedia poſtulent, quæ mollia puerorum corpora non ferunt, iiſque vti ipſi per facultatis animalis in illa ætate imbecillitatem nequeant, malum ob has

cauſas

caussas ita inualescere necesse est, vt ægri infantes tandem ab eo consumantur.

3. Aphthæ ex pituita minus infestant, quàm ex sanguine aut bile, quæ verò ex bile atra ortum habent, vt malignitatis, ita nec periculi sunt expertes.

4. Aphthæ, præsertim inueteratæ, ideo quoque difficulter curantur, quoniam medicamenta, vel ritè applicata, tamen à saliua facilè eluuntur; præterea malum breui inualescit, ob loci naturam calidam & humidam; vnde putredo sequitur & vlcus ἐσθιόμενον. Pars quoque, cum valde sensilis sit, facilè ab acribus medicamentis, quibus tamen vti interdum cogimur, irritatur. Ac denique metus est, ne quid cum periculo de medicamentis acrioribus in fauces delabatur. Galenus, *6. de compos. med. sec. loca.*

5. Quæ aphthæ in pueris nigræ sunt, & veluti crustæ, pessimæ & mox lethales sunt. Paulus *lib. 1. c. 10.*

6. Quando aphthæ adhibitis conuenientibus remediis non cedunt, sed putrescunt, & corrodendo profundè descendunt, malignæ sunt, & fortioribus medicamentis opus habent. Si autem mala symptomata alia coniungantur, & æger sit debilis, mortem nunciant.

7. Quando pustulæ nigræ per febres acutas & pestilentes in ore & lingua apparent, mortem breui secuturam significant, teste Auicenna, ob materiæ malignitatem & virtutis infirmitatem. Et Hippocrates inquit, *1. prognost. aph. 15.* Fauces exulceratæ cum febre difficiles sunt, quia, vt Galenus explicat, malitiam erodentis humoris indicat.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Aphthæ ipsæ, quatenus vlcuscula sunt, in principio adstringentia & repellentia requirunt. In progressu morbi addantur ea, quæ adstringunt & simul discutiunt. Si ad suppurationem tendant, maturantibus illa adiuuanda.

Sordidæ aphthæ extergendæ & si putrescere vel etiam serpere incipiant, fortius adstringentia, & quæ escharotica sunt, adhibenda. Et quia in ore sapores percipiuntur, ingrata sapore medicamenta, quantum fieri potest, vitanda sunt. Deinde quia os ventriculo & pulmoni cohæret, vtendum iis, quæ sine periculo (si fortè ita contingat) deglutiuntur, non cathæreticis aut septicis; aut si his vti necesse est, prouideatur, ne per gulam ab ægro demittantur. In corporibus etiam, quæ duriora & ficciora sunt, medicamenta valentiora conueniunt, molliora verò mollioribus, vt puerorum & fœminarum corporibus.

### *Curatio.*

### IN INFANTIBVS.

*Curatio in infantibus.* Si aphthæ sint ex vitioso nutricis lacte, id corrigatur iis, quæ acrimoniam vel salsedinem eius tollunt, bonúmque sanguinem gignunt. Sin infans lac malè concoquat, parcius lactetur, & bona in ipso concoctio procuretur. Quando verò infans simul lacte nutritur & alio cibo vtitur, Galenus, *6. de comp. med. sec. loc. cap. vltim.* nutrici lentes præbet cum modico pane & medulla cerui aut vituli, quæ nutrix mansa vel semimansa infanti exhibeat, vt ore ab ipso circumuoluta vlcuscula contingant.

Aliis quoque cibis à nutrice infanti masticatis admiscet cydonia, pyra, sorba, mespila, corna. Quandoque & lactucæ, portulacæ, solani aliquid addit, si aphthæ inflammatæ ferueant.

Quod si infans mandere nondum possit, nutricem eiusmodi victu alit, eique simul de bona concoctione prospicit. Ipsi verò infanti linctus exhibeatur ex diamoro cum melle rosato, aut, si opus videatur, cum oxymelite. Aëtius ex Asclepiade gallas contusas aquâ decoquit, & cum decocto percolato parem portionem mellis permiscet, rursúmq; decoquit ad mellis crassioris spissitudinem, idque vt maximum remedium aphthis puerorum illinit affricando, aut tomento lanæ purpureæ digito circumuoluto aphthis apprimendo.

Inprimis autem in masticatione considerandus est color aphtharum, vt stomatica hæc dicta medicamenta pro varietate humoris, à quo aphthæ generantur, rectè administrari queant. Nam si subrubeant, primò moderatè adstringentibus, deinde citra morsum discutientibus vtendum est. Qualia sunt syrup. è rosis siccis, de portulaca, de agresta, de succo granator. acetos. citri, diamorum, pulu. ex farina lentium, sumach, rosis, collutiones ex decocto lentis. viol. rubi, vitis, rosar. plantag. balaust. santal. sumach. acaciæ, admisto diamoro rob ribes, rob nucum, succ. malor. punic. vel vuæ acerb. cum melle.

Si subflauæ fuerint, iisdem vtendum, & magis etiam refrigerantibus, vt succo vel decocto solani, portulacæ, acetosæ, semperuiui.

Pituitosis adstringentia cum quâdam caliditate & discutientia conueniunt, vt thus, mãna thuris, mastich. mentha, nux cupressi, erui farina, rad. irid. Illyr. rad. aristol. quæ plura simul, vel pauciora cum decocto fol. myrti misceantur, iisque aphthæ illinantur.

Si denique liuidæ aut fuscæ fuerint, fortiora discutientia adhibeantur, illinendo passulas exacinatas & anisum tritum cum melle, aut puluere ex flor. chamæmeli, meliloti, anethi, fænigræci, cum melle aut melle rosato mixtum; aut cum vino eadem coquantur, adiectis semper nonnullis adstringentibus, vt syrupo myrtino, aut diamoro.

Vel ℞. *Rob nucum.* Drach. vi. *diamori, mellis rosati,* an. Drach. ii. *aquæ plantag.* Vnc. sem. M.

Tanquam expertum commendatur in aphthis puerorum, præsertim malignis & epidemiis, ranulam viuam admouere ori pueri, quæ sugendo malignitatem attrahat, quâ lassatâ & mortuâ alia apponatur, atque iterum alia, donec virus omne sit extractum. Sed vtrum fœdum ac abominandum hoc remedium rectè admoueri possit, non immeritò quis dubitauerit.

### *In Adultis.*

In aphthis adultorum ejusdem generis remedia conueniunt, paululum tamen fortiora, pro natura corporum. Antequam igitur ad topica veniamus, si sanguinis copia adsit, vena secetur cephalica in cubito, aut cucurbitulæ scarificatæ affigantur collo vel scapulis. Auicennas etiam sanguinem mittit è venis sub mento & extremitatibus labiorum. Pro euacuatione materiæ proximæ in partibus oris venæ sub lingua tandem aperiantur. Si vitiosus humor aliquis in toto abundat, is conuenienti modo euacuetur.

Vniuersalibus præmissis ad topica veniendum. Quanquam in mollibus corporibus & in aliis, dum malum recens est, etiam ante vniuersi euacuationem iis vti liceat, ad prohibendum mali incrementum. Sint autem topica & στοματικὰ illa medicamenta in principio moderatè adstringentia & siccantia, cujusmodi sunt, quæ parantur ex rosis, sumach, myrti foliis, cortic. granator. fol. vitis, rubi, pro collutione oris, in aqua vel vino adstringente coctis, addito syrupo granat. acetos. vel diamoro. Fortiora sunt collutio oris ex succis vel aquis rosarum, lactucæ, plantagin. portulacæ, virgæ pastoris, solani cum pauco aceto; item decoct. gallar. maturarum, balaustior. santalorum, acaciæ, cum rob pyrorum, cornorum, sorbor. de ribes.

Vt ℞. *Flor. rosar. rubr. balaust.* ana P. j. *fol. plantag. portulac. solan. prunell.* an. M. i. *sem. cydon.* Drac. i. *sumach, cortic. granat.* an. Drach. ii. Coqu. in vini rubri adstringentis & aquæ part. æqual. pro ℔ i.

Colaturæ

Colaturæ adde *diamor.*Vnc.i. *ſucc.malor.punic.acid.* Drach.ii. Miſce pro Collutione oris.

Cortex etiam aurantiorum cum melle & alumine mixtus vtilis eſt.

Vel ℞. *Rad. tormentill.* Vnc. ſem. *fol. plantag.* M. ſem.

Coq. in aqu. plantag. ad remanentiam ℔.j.Colaturæ adde *boli Armenæ* Scrup.i.*alum.roch.*gr.xv.Miſce.

Vel ℞. *Prunell.plantag.caud.equin.ſalu.*an.M.i.*rad. tormentill.acor.lut.*an.Drach.iii. *ſtipit.vuular.* N.iij.*flor. maluæ arboreſc.roſar.*an.M.ſem.

Coqu. in vino rubro & aqua ad remanent. ℔. j. ſem.

Colatura os colluatur :

Vel ℞. *Nucum viridium ſemimaturarum cum cortice contuſarum* q.v. adſperge aceto,deſtilla in balneo.Aqua feliciter aphthas ſanat,ſi in eâ ſpongiola madefiat, quâ aphthæ illinantur,& aquâ ſimplici,cui pars quarta vini admiſta ſit,abluantur.

In progreſſu ea miſceantur,quæ adſtringendo ſimul diſcutiant , vt cyper. nux cupreſſ. fol. oliuæ ſicca, myrrha.

In fine addatur cortex nuc.moſch.caryophyll. gallia moſchat.

Spiritus etiam vitrioli, ſi ejus gutt.ij. mellis Vnc.i. Miſceatur,vtilis eſt.

Vel ℞. *Vuarum immaturarum* ℔.ii.ſem. *cortic.mali granat.balauſtior. ſumach.*an.℔.i.

Macerentur in *aceto* & deſtillentur. Deſtillato adde *aluminis* ℔. ſem. *vitriol.* Vnc. i.ſem. Iterum deſtillentur,& aquâ iſta locus affectus illinatur.

Si aphthæ ad ſuppurationem tendant , juuetur illa detento in ore lacte, præcipuè aſinino, vel mucilagine ſem.althéæ, lin.cydon. vel horum aut paſſularum decocto.

Sordidæ aphthæ abluantur aqu. ſaccharata , aut ſyrup. acetoſo.

Vtile etiam eſt decoctum hordei cum melle roſato mixtum.

Vel ℞. *Nuc.moſch.*Drach.i.ſem.*caryophyll.*Drach.i. *radic.cyperi* Drach.ſem. *ireos , corallor.rubr.* an. Scrup.i. *boli Armen.caud.equin.*an.Scrup.ij.*mell.roſar.* q.ſ. F. Linimentum.

Fortius extergunt mel cum tartaro aut alumine mixtum , ſi ſpongiâ leniter affricentur : vel oliuæ muria conditæ maſticatæ.

*[Ori]us vlcera.* Si putreſcere incipiant, vt aphthæ amplius appellari non mereantur , ſed in cruſtas & vlcera degenerent, fortiora requiruntur, & curatio, vt vlcerum, jam inſtituenda.

Vbi tamen monendum,oris vlcera non ſemper aphthas ſequi, ſed etiam poſt inflammationes & per ſe , vt in aliis partibus, ex affluxu vitioſorum humorum fieri, vt & in Gallico morbo excitari. In quibus,vt dictum, ſtomaticis vtendum, quæ adſtringant, ſiccent & roborent , quæ pro vlceris natura ſint mitiora vel fortiora, & curatio horum vlcerum ex iis, quæ poſtea de columellæ ac tonſillarum inflammationibus, vt & angina, & hinc ſequentibus vlceribus dicentur,patebit.Prodeſt ex Aëtio centaurij minor. vſti cinis illitus cum melle. Item nuc.cupreſſ.vſtæ.

Ad ſordida oris vlcera vtilis eſt etiam Aqua viridis Plateri.

℞. *Ærugin.æris* Drach.i. *alum.* Vnc. ſem. *vitrioli, miny* , ana Drach.i. Coq.in *vini albi* Vnc.iv. *aquæ vitæ.* Vnc. i. & cum penicillo loca in faucibus tangantur, cauendo,ne quid deglutiatur. Poſtea lacte caprino , in quo calx ignitus extinctus ſit,os colluatur.

Vel vſurpetur aqua viridis , ſeu gargariſmus ſupra in ozænis propoſitus. Ad ſerpentes & depaſcentes aphthas ac vlcera ſummè efficax eſt , teſte Aëtio, radix fœniculi vſta per ſe , aut cum melle illita , amurca in æneo vaſe ad mellis craſſitudinem cocta & illita , alumen ſciſſile tritum & cum gallis & oleo exceptum illitúmque. Auicennas gallar. alumin.balauſt.p.æ. ſumit, & puluerifata per ſe cum melle applicat.

Vſurpatur etiam à multis vitriolum vſtum & ærugo & ſquamma æris cum melle illita. Et vnguentum Ægyptiacum in aqu. plantag. cum pauco aceto diſſol. adjecto melle roſato. Monet tamen Guiliel. Fabricius, *cent.* 3.*obſ.* 86. cancroſis illud vlceribus eſſe aduerſiſſimum.

Cauendum verò,ne quid de medicamentis erodentibus in fauces illabatur.

Ardor relictus mitigetur lacte in ore retento , vel aquâ plantaginis aut ſolani ſæpius mutatâ.

In vlceribus Gallicis antiquis interdum caro putrida tota præſcindenda eſt, & eâ parte præcipitati puluis admouendus cum goſſypio in aqua plantaginis prius infuſo.

De Aphtharum curatione plura videantur apud Aëtium,*tetrab.*2.*ſerm.*4.*cap.*39.42.43.44. & Oribaſium, *ib.*4.*de loc.affect.curat.cap.*68.

f Ad hoc caput referenda & illa vlcera , quæ ex aqua orti incautè hauſtâ aut veneno ſumpto excitantur, quæ curantur lacte bibito.juſculis pinguibus & mucilagine ſem. cydonior.ac pſyllij , vt poſtea , *de morbis Oeſophagi* dicetur. *Aqua fortis hauſta. Venenum.*

De vlcere magno & cancroſo circa radicem linguæ videatur Guilielmus Fabricius,*centur.*4.*obſeru.*20.

### *Diæta.*

In infantibus lac nutricis corrigatur , cibis ac potu laudabili & bona nutritio & alimenti in infante coctio procuretur. Expedit in cibis vti cydoniis , pyris, ſorbis,meſpilis, & ſi opus ſit,lactuca vel portulaca. In adultis victus ratio vt plurimum declinet ad frigidum, vitentur acria ſalſa & acida, & quæ praui ſucci ſunt & difficilis curationis.

### *De Oßis Palati corruptione.*

Aliquando etiam Os Palati perforatur,& corrumpitur ſeu à vulnere, ſeu ab humore corrodente : id quod accidit ſæpe in lue Venerea. Quod vbi euenit , ſermo vitiatur; cum aër,qui per os elidi debeat,ſimul per foramen illud ad nares penetret , & per eas egrediatur. *Oßis palat. corrupt.*

Si ex vulnere malum ſit,& os ſit purum , natura per carnem vel callum illud tandem,etſi tardè,claudere ſolet. Si verò os nigrum ſit,prius radendum. Antequam verò foramen illud claudatur, vel ſi etiam planè claudi non poſſit,vt vitium illud ſermonis tollatur,fabricanda eſt lamina aurea inſtar clypei,quæ in medio vmbonem ſeu eminentiam habeat, cui ſpongiola ſicca, foraminis magnitudini reſpondens, alligetur , atque ita foramini adaptetur.Vbi enim ſpongia humorem imbiberit , dilatatur , vt lamina firmiter hæreat , & foramen occludat.

Hiſtoriam talis morbi & curationis in Inſtit. *lib.* 5. *part.*1.*ſect.*2.*c.*10. propoſui. Cum enim ſtudioſus quidam ad naſi radicem , internúmque oculi dextri angulum cultro vulneratus eſſet , & cultri fracti pars ferè digiti longitudine , vulnere extrà conſolidato , ibi remanſiſſet,accidit , vt poſt menſes quatuor cultri fracti pars illa ſponte ſuâ via facta in palato erumperet & eximeretur. Cum verò in ſuperiore parte palati foramen inde apertum fuiſſet , præter medicamenta abſtergentia , exſiccantia , laminam auream , modo antea expoſito , applicaui : quâ inſtructus etiam conciones habere potuit , ſine ſermonis impedimento. Senſim tamen illud foramen carne impleri vidi , & tandem etiam planè occluſum fuiſſe ad me relatum eſt.

*Verrucæ*

### *Verrucæ in gutture & lingua.*

*Verrucæ in gutture & lingua.*

Nec prætereundæ hîc verrucæ in gutture & lingua. Marcellus Donatus, *de histor. med. mirab. lib. 3. cap. 5.* refert, quendam Iohannem Iacobum Fugacinam, ciuem Mantuanum, verrucis quam pluribus guttur, fauces, & radicem linguæ occupantibus diu vexatum fuisse, quæ deglutitioni maximè officiebant: vt & alterum quendam Attilium Malegnanum vniuersam linguam eiusmodi verrucis, sed longè minoribus conspersam habuisse. Fuisse autem ex illis, quas myrmecias vulgò appellant. Habentque ortum ex iisdem caussis, vt in aliis partibus, de quo suo loco dicemus.

## CAPVT XIX.

### *De Fœtore Oris.*

SYmptomata postea Oris quod attinet, pertinent huc Oris apertio vitiata, dolor Faucium & Fœtor oris. Primò nimirum ad hunc locum referri posset oris Clausura, idque aperiendi impotentia, vt & oris p. n. Hiatus: verùm de istis supra, *cap. 6.* dictum.

Pertinet deinde huc Faucium dolor sine tumore, de quo Hippocrates, *lib. 1. prædict.* & *in Coacis: Dolentes fauces cum labore & molestia absque tumore manifesto ac suffocatione præceps exitium minantur.* Et: *Faucium gracilium dolores suffocantes conuulsionem minantur.* Verùm quæ de his dici possent, è doctrina de Angina patebunt. Ideóque hîc solùm de Fœtore oris agemus.

Oris seu anhelitus & animæ fœtor molestum, adstantibus præcipuè, symptoma est, cuius quidem caussa proxima est vapor, seu halitus fœtens ex ore egrediens. Verùm ille multis ex caussis ortum habere potest.

Primò quidem ex ventriculo, cum scilicet cibi fœtidi sumpti sunt, vt allium, cepæ, & similes, quod & à vino & cereuisia copiosius hausto accidit. Deinde vbi quidem cibi, qui assumuntur, per se fœtidi non sunt, sed in ventriculo corrumpuntur, è quibus eiusmodi vapores fœtidi exhalant. Cæterum non semper immediatè è ventriculo fœtidus iste vapor exhalat, verùm etiam ex aliis partibus halitus ille fœtens communicatur, vt ex vermibus in intestinis, ex vlcere intestinorum, vel ab ipsis intestinorum, excrementis, cum scilicet orificium ventriculi inferius, quo in intestina sese aperit, non arctè, & vt secundum naturam fieri debebat, clauditur. Tum enim fœtidæ excrementorum exhalationes per laxam hanc viam in ventriculum ascendunt, & fœtore suo anhelitum inficiunt, qui propterea etiam stercorosus percipitur; id quod præcipuè in iis euenit, qui crapulâ continuâ orificium ventriculi inferius laxum & debile reddunt. Idem accidit ex humoribus prauis in venis mesaraicis vel circa lienem contentis, ex vtero & fœtu mortuo in eo.

Secundò fœtidus ille halitus ore egreditur, cum in dentibus corrosis & cauernosis præcipuè, gingiuis aut palato aliquid fœtidum continetur, cum scilicet cibi & carne præcipuè in dentium interstitiis hæret, atque ibi putredinem, & hinc prauum odorem acquirit; aut cum vlcera sunt in ore, vt in scorbuticis, aut cum saliua fœtidis humoribus inquinatur; id quod interdum in catarrhis, febribus malignis, item lue Venerea contingit.

Tertiò idem halitus fœtidus exhalare potest etiam ex humore corrupto in osse colatorij detento, vt & ex vlceribus nasi & partium palato vicinarum.

Quartò ex pulmonibus & pectore; vt in pectoris vulneribus, vlceribus, empyemate; vnde etiam iis, qui gibbosi sunt, plerumque os fœtet.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.*

Malum ab adstantibus facilè percipitur. E qua parte verò halitus ille fœtens attollatur, & proueniat, facilè ex partium modò enumeratarum signis patet. Si à ventriculo sit, fœtor maior est ante cibum. Si ab osse colatorij, ore clauso aqua pleno etiam percipietur.

### *Prognosticum.*

*Prognostica.*

Pro caussæ ratione malum magis vel minus periculosum est. Si enim anhelitus fœteat in tabidis, vt plurimum lethale signum est.

### *Curatio.*

Cum halitus ille fœtens sit proxima fœtidi anhelitus caussa, vitium hoc aliquo modo quidem corrigi potest, iis adhibitis, quæ suauem odorem præstant.

Detinendi nimirum ore caryophylli, nux moschata, zedoaria, rad. angelicæ, imperatoriæ, cyperi, ireos, lign. aloës, cortic. citri, fol. lauri, rorismarini, cinamomum, sem. anisi, fœniculi, coriandri, carui, myrrha, moschus, ambra. E quibus varia parari possunt medicamenta, quibus vel os colluitur, vel quæ in ore detinentur pilulæ & trochisci.

Vt ℞ *Caryophyll. nuc. mosch.* an. Drach. j. *rosar.* Dra. ij. *rad. ireos* ʒ. ß. *cardamom. ligni aloës, cinamomi,* an. Scr. j. *gall. moschat.* ℈. ß.

Cum *melle rosato* F. Pilulæ, vel cum mucilagine tragacanthæ aqu. rosar. facta Trochisci in ore detinendi.

Sed cum hoc modo fœtor odore suaui saltem obscuretur & caussa non tollatur, caussa etiam tollenda est, quæ non vna est, vt supra dictum. Si à cibis, qui grauem odorem spirant, fit fœtor anhelitus, breui sponte euanescit: si vitiosi humores sint in ventriculo, illi euacuandi, & vitium, vnde proueniunt, corrigendum, ventriculusque ipse roborandus. Inprimis hîc aloë vtilis & pilul. aloëphang. vt & absinthium vel vinum purgans cum absinthio.

Et ne cibi, præcipuè caro, in ventriculo putrescat facilè, condiendi aromatibus, aceto & acetosis. Pani semen fœniculi, anisi & carui permisceatur. In fine mensæ sumantur, quæ ventriculum laxum claudunt, & suauem odorem spirant, vt cydonia, diacydonium, confectio semin. anisi, fœniculi, coriandri & similia.

Si à vermibus; vel aliis partibus fœtens vapor exhalet, partium illarum vitia corrigenda. Si dentes immundi sint, mundandi, vt supra dictum. Si oris vlcera adsint, vel à caussa alia saliua inquinetur, vitium illud corrigatur. Si tandem à thorace aut pulmone proueniat fœtens anhelitus, caussa, quæ fœtidum anhelitum suppeditat, tollenda.

## DE GVRGVLIONIS affectionibus.

## CAPVT XX.

### *De Gurgulionis Laxatione.*

*Gurgulionis laxatio.*

FAuces, Græcis φάρυγξ, ea dicitur regio, quæ, vt Galenus interpretatur, ante stomachum & laryngem, hoc est, ante gulæ & asperæ arteriæ extremitatem sita est. Nonnunquam tamen φάρυγξ pro larynge, hoc est, summo asperæ arteriæ capite, vel ipsa quoque aspera arteria vsurpatur.

Et Suidas quidem atque alij Grammatici Græci genere distinguunt, vt ἡ φάρυγξ propriè fauces significet, ὁ φάρυγξ verò laryngem aut tracheam.

Sed

Sed Galenus indifferenter vtroque genere vocabulum φάρυγγος de summo tracheæ capite & de ipsa trachea accipit.

Eadem faucium regio etiam ἰσθμὸς nominatur per metaphoram, quod tanquam angustus terræ tractus inter duo maria veluti vtrinque posita exporrigitur. Hinc παρίσθμια vocantur tonsillæ siue amygdalæ, hoc est, glãdulæ insignes ad radicem linguæ in faucibus oppositæ, saliuã, quam copiosam continent, partes vicinas humectantes.

Inter tonsillas medius dependet gurgulio, Græcis γαργαρεὼν, particula scil. carnosa à palato in os propendens, soli hominum auiúmque nonnulli generi propria, ob vocis potissimùm modulationem condita, vnde & πλῆκτρον τῆς φωνῆς à Paulo Ægineta nominatur, *lib.6. cap.31.*

Nomen gurgulionis, vt & Græcum γαργαρεῶνος factum videtur à sono, qui gargarisando fit ad illam oris particulam.

Atque hæc propria illius particulæ in summo ore appellatio est. Κίων verò siue κιονὶς & σαφυλὴ affectionum præternaturalium eiusdem partis nomina sunt. Quando enim gurgulio præter naturam intumescẽs in longum æquali crassitudine extenditur columnæ instar, κίων & κιονὶς dicitur: σαφυλὴ verò, quando imâ parte in rotunditatem crassescens, suprà, quâ dependet, gracilior efficitur, vt vueæ à pediculo suo pendentis speciem præ se ferat. Aëtius, *tetrab. 2. serm. 4. c. 40.* etiam tertiam affectionem addit, quam ἱμάντα, id est, lorum appellat, quandò ex suffitu, vt scribit, nimium ignitus gurgulio, hoc est, deficcatus gracilescit, & loro similis propendet. Accidit idem, cùm ob ἀτροφίαν eius partis, tum ob paralysin (paralysis tamen vocem non propriè accipiendo) vt Aëtius, *sequ. capite*, docet.

Differt igitur ἱμὰς ἀπὸ τῆς κιονίδος, quòd in hac gurgulio non extenuatus est, vt in loro, sed crassitiem ex fluxione magnam est adeptus. Aretæus ἱμάντα de membranarum vtrinque circa gurgulionem in latum tanquam alarum vespertilionum explicatione, de qua mox dicetur, interpretatur, 1. *de caussis acutor. cap. 8.* Frequentiora autem duo mala sunt, gurgulionis laxitas & inflammatio eiusdem. Illam τὸ γαργαρεῶνος χάλασιν, hanc φλεγμονὴν nominant; de quibus iam dicemus.

Κίων ergo vel κιονὶς absolutè, & cum adiectione κιονὶς χαλασμένη, est γαργαρεῶνος χάλασις, seu gurgulionis laxatio, quæ affectio vulgò casus columellæ appellatur, *der Zapffeist geffallen oder geschossen.*

Fit autem, quando gurgulio multo humore præter naturam perfusus citra inflammationem laxatur & elõgatur, vt radici linguæ & faucibus incumbat; sicut in catarrhis continuis sæpe accidit. Humor plerumque pituitosus est è cerebro demissus, partem illam nimium humectans. Columella sic laxata mollis est, albicans & concolor palato, sine dolore & calore.

Historiam gurgulionis mirè laxati describit Marcellus Donatus, *de hist. med. mirab. lib. 3. cap. 3.* ex Leonh. Botallo, cuiusdam, cui repentè ex labore columella ita laxata fuerat, vt ad anteriores dentes protenderetur. Aretæus etiam *loco citato*, miræ eiusdem columellæ laxationis meminit, vbi scribit, bicornem columellam reddi, geminis membranis hinc atque inde pendentibus, quæ ab vtraque parte iaceant quasi vespertilionum alæ.

*Curatio.*

Curatio eadem propemodum est, quæ gurgulionis inflammati, siue vuæ, de qua, *cap. seq.* dicetur. Fiant igitur per venæ sectionem, ac cucurbitulas, præmissâ, si opus, purgatione capitis ac totius corporis, diuersiones & euacuationes, vt decet. Capiti etiam prospiciatur errhinis aliisque remediis humorem pituitosum absumentibus, intemperiemque frigidam & humidam corrigentibus.

Topica autem initiò sint adstringentia & repellentia; postea etiam paululum dissoluentia & exiccantia. Inprimis verò & præ cæteris prodest decoctum & aqua plantaginis, caprifolij, myrti, rosarum, fol. rubi, rad. caryophyllatæ, origani hyssopi, oxycratum & acetum, quæ interdum sola sufficiunt. Fiat ergo Gargarismis vel Collutio oris talis:

℞. *Aqu. plantag.* ℔.i. *diamor.* vel *dianuc.* ana. Vnc.i.M. vsurpentur leni Gargarismo.

Aut ℞. *Flor. rosar. rubr. balaust.* ana M. ß. *fol. acetos. plantag.* ana M.i. *gallar. immaturar.* Dra.ii. *alum. vst.* ʒ.ß. *sem. cydon.* Scr. IV.

Coq. in s.q. aquæ ad tertias pro ℔.j.

Colaturæ adde *diamori* Vnc.i. *aceti vini* ʒ.ß. M. pro Gargarismo.

Vel ℞. *Fol. plantag. mespilor. caud. equ. rosar. rubr.* ana M.i. *fol. scabios.* M.ß.

Coqu. in aqu.

Colaturæ ℞ ℔ii. adde *mell. ros. aut diamori* Vnc.ii. *aceti rosac.* Vnc.ß.M.

Vel ℞. *Flor. malu. arboreæ, ros. rubr. fol. prunell. veronic. salu. vuular.* (quam ob signaturam nonnulli hîc commendant.) ana M.ß. *rad. tormentill.* Dra.ii. *alumin. erudi* Drach.i. *mellis* Vnc.ij.

Coqu. omnia in aqu. ℔.iij. & aceti Vnc. VIII. ad quartæ partis consumptionem.

Colaturâ vtere pro Gargarismo.

Vel ℞. *Decocti saluiæ, hyssopi*, ana ℔ß. *alumin. sacchar.* Scr.i. *diamori* ℥.i. *mell. ros.* Vnc.ß.M.

Vel ℞. *Aq. tormentill. plantag. rosar.* ana ℥.iii. *syr. de rosis siccis. myrtini*, ana ℥.ß. *spir. vitriol.* Scr.i.M.

Vel ℞. *Aq. plantag. centinod* ana ℥.ii *rosar. prunellæ.* an. Vnc.i.ß. *succi granator.* ℥.i. *rob berberum* Vnc ß.M.

Vel ℞. *Sem. sumach* ʒ.iii. *balaustior.* ʒ.i.ß. *rosar. rubr.* P.i.ß. *rad. tormentill.* ʒ.i. *aq. plantag. fol. quercus*, an. ℥.iiij.

Ebulliant vnica ebullione, & colentur.

Colaturæ admisce *syr. de ros. siccis* ℥.ß. *diamori* ʒ.iii. *essent rosar. rubr.* ʒ.i.ß. *spir. vitriol.* Scr.ß.M.

Vel ℞. *Rad. tormentill. & vuular.* an. q.s.

Coquantur in cereuisia & cum modico melle dulcorentur pro Gargarismo. Commendatur & conseruæ rosar. vitriolata. Aut fiat talis Puluis:

℞. *Rosar. siccar. balaust. alum. sciss.* ana. ʒ.ß. *piper. zingiber. myrrh.* ana Scr.i.

Contusa & cribrata per calamum insufflentur, vel, vt mox dicetur, applicentur.

Galeni repellens & discutiens est ex *gallarum immaturarum, alumin. sciss. & salis Ammoniac. partibus æqualibus.*

Vel ℞. *Alumin. vsti*, & *boli Armenæ* præ quibus tritis, cochleariqué siue σαφυλοκάρθμη instrumento impositis columella contingatur.

Ad pulueres hos & similes columellæ rectè applicandos vtile etiam est cochleare & follis Guilielmi Fabricij, quæ descripsit. *cent. 2. obs. 21.*

Aëtius ad valdè laxatam & tumentem columellam hunc Puluerem probat:

℞. *Piper. myrrh.* ana. ʒ.i. *alumin. sciss. gallar.* ana ʒ.ij.

Contritis vtere, è vestigio enim columellam firmat & reficcat.

Si malum diutius protrahatur, validè discutientia cõmisceantur, vt pulu. piper. trium generum zingib. cinamom. macis, gálang. pyrethr. sal. ammon. sinapi, hyssopi, pulegij, origani, prassij, calaminthæ.

Vulgus initiò solo piperis longi contactu columellam sanat, vbi scilicet materia pauca est, & caput excrementis non plenum.

Aliàs intempestiuus eius vsus noxius est. Addi potest aliquid aluminis & boli Armenæ, vel myrrhæ, vel myrobal. citrinarum Nonnulli piperis loco zingibere vtuntur.

Quidam suturæ coronali applicant emplastrum confectum ex acacia cum aceto aut ex gallis vstis cum aceto, quo columella eleuatur. Alij ouum recens coctum ad duritiem per medium dissectum & thure vel zingibere conspersum calidè vertici imponunt. Alij folium quercinum melle inungunt, & vertici applicant. Potest & puluis olibani, succini, & ligni aloës admoueri.

Vel ℞. thus & gallas puluerisatas & cum fari na tritici & melle virgin. in formam emplastri redigantur & vertici imponantur.

Quidam nuces iuglandes cum spiritu vini contusas vertici imponunt. Alij fermentum vetus syncipiti imponunt, linteolo inductum, cui nonnulli admiscent puluerem succini albi. Alij matricariam recentem cum fermento contundunt & applicant, aut syncipiti illinunt axungiam leporinam. Ore verò excipere iubent suffitum ex succino albo, puluere caryophyllorum, lign. aloës, mastiches.

In non delicatis quidam vtuntur stercore albo canis ossa comedentis, siue pulueris formâ, quo columella attollatur, addito pauco cinamomo, siue coctо illo in vino cum fol. rutæ formâ gargarismi.

Vel ℞. *Pulu. cupul. glandium* Dra. i. *albi græci* Dra. ß. *pip. long. zingib.* ana Scr. i. M.

Nonnulli etiam ceruici topica imponunt.

Si defluxio ita acris & salsa sit, vt columellæ erosionem efficiat, humore contemperato & euacuato, diuersionibúsque vsurpatis, exulcerationi ipsi extergentia, adstringentia, & tandem solidantia adhibeantur.

Paretur ergo gargarismus ex aqua & melle simpl. aut melle rosato & diamoro. Post extersionem partes erosæ sæpe tangantur specillo lanâ obuoluto & intincto in hoc Liquore:

℞. *Aq. rosar. plantag.* ana Vnc. iii. *mellis despumati* Vnc. ii. *licij* Dra. ii. Ferueant vnicâ ebullitione.

Aut ℞. *Succi moror. rubi, moror. Celsi, de cornis*, ana ℥. ß. *mellis despumati* Vnc. ij.

Coquantur ad iustam consistentiam. Postea in eo dissolue *licij* Dra. iii. *alumin. sciss.* Dra. i. ß.

Iterum leniter coq. pro columellæ erosæ illitione.

## CAPVT XXI.

### *De gurgulionis Inflammatione & Exulceratione.*

*Gurgulionis inflammatio & exulceratio.* ALiquando etiam Inflammatur gurgulio, & græcis κιονὶς φλεγμαίνουσα nominatur; & quidem interdum retenta sui naturali figurâ, mole tamen auctus; interdum alienam, vuæ scilicet à pediculo suo pendentis, figuram acquirit, & tum σταφύλη appellatur. Et quidem affectio, quæ σταφύλη seu vua dicitur, rarius gurgulioni accidit, frequentius verò is ita inflammatur, vt naturalem suam figuram magnitudine tantùm mutatâ retineat. Galenus, *6. de compos. med. sec. loca, cap. 3.*

### *Caussæ.*

*Caussa.* Caussa est defluxus humoris è capite ad gurgulionem; qui humor sanguis inprimis tenuis est, aut pituita cum sanguine mixta: de quo etiam Hippocrates, *2. de morb.* Arabes & à cæteris humoribus deducunt, qui colore & specie doloris discernuntur.

Quod si materia acris aut salsa sit, non solùm inflammationem, sed & exulcerationem efficit, nisi maturè occurratur. Affectio ipsa cùm sit inflammatio, morbus est intemperiei cum materia & magnitudine aucta, & si exulceratio sequitur, etiam cum solutâ vnitate.

### *Signa Diagnostica.*

Malum oculis est expositum, aperto ore & depressâ linguâ, adest tumor, dolor, ardor & rubor cum deglutiendi difficultate, & suffocationis quodam periculo, interdum & cum febre. *Signa.*

Et quod signa caussarum attinet, ex sanguine magis est affectio partis, si pars ipsa rubicundior sit, & dolor in eâ sentiatur pulsatilis; ex bile, si colore sit citrina, & dolor adsit punctiuus; atque sic de cæteris.

### *Prognostica.*

1. Quantò magis vuula est inflata in apostemate, & quantò magis elongata in relaxatione, tantò magis nocet operationibus, & tantò deterius est signum. *Prognostic.*

2. Gurgulionem inflammatione laborantem incidere aut scarificare, aut vrere periculosum est, præsertim, quamdiu rubicundus tumidúsque fuerit. Sequitur enim sanguinis fluxus, qui facilè sedari non potest, & à quo suffocationis periculum imminet ob decubitum ad pulmones. Vicinarum quoque partium inflammatio metuenda est, ratione doloris attrahentis. Hippocrates, *3. prognost. aphor. 21.* Ideò ad excisionem non statim festinandum est, sed extrema prius remedia tentanda sunt.

3. Contractas & rotundas vuas & sanguinolentas aut subnigras chirurgiâ aggredi non decet, sed tenues & oblongas & summâ parte imminutas ac resolutas & non valde sanguinolentas, sed albicantes: hæ enim inflammatione carent, cùm venæ extenuatæ sint, & sanguine destitutæ. Paulus, *lib. 6. cap. 31.*

4. Quibus gurgulio totus exscinditur vel eroditur, rarò clarè & distinctè loquuntur. Obseruauit tamen Bauhinus, vt, *in theatro anatom.* refert, vt & Guilelmus Fabricius Hildanus, *Cent. 2. obseru. 21.* aliquos, quibus columella fuit erosa, distinctè & articulatè locutos fuisse. Si etiam gurgulio totus exscinditur, periculum à φθίσει imminet; cum particula iam deficiat, quæ impetum irruentis frigidi aëris auertere, & aliquid de cerebri destillationibus excipere & à pectore auertere solita est.

### *Curatio.*

Vt in aliis inflammationibus, ita & in gurgulionis inflammatione primùm vniuersalia præmittenda, & si plethora adsit, venæ sectio, inprimis cephalicæ, instituenda, postea etiam vena sub lingua aperienda, aut cucurbitulæ cum scarificatione ceruici aut scapulis affigendæ. Fiant etiam diuersiones per clysteres, frictiones & ligaturas extremorum & similes. Si vitiosi humores abundent, ij euacuandi. *Curatio*

Topica remedia initiò sint repellentia, quæ forma gargarismi & pulueris vsurpentur, atque vbi moderata est fluxio, austera illa sint, vbi vehementior, acerba, quæ fortiùs adstringunt & repellunt, docente Galeno, *6. de comp. med. sec. loca c. 3.* His mel additur, ne exasperando dolorem pariant, fluxionémque irritent. *Topica.*

Moderata ergo sunt diamorum, succus ex moris cum melle. Diluantur hi succi cum aquis aut decocto rosarum, plantaginis, prunellæ, myrtillorum, rubi, sumach, balaust. gallar. hordei, pro gargarismo, vel collutione potius. Nam validâ & multâ gargarisatione plus materiæ ad locum affectum attrahi potest.

Vt ℞. *Diamori* ℥. vi. *vini granat.* Vnc. ß. *decocti rosar. balaust. sumach.* ℔. ß. M. pro Collutione oris.

Vel ℞. *Aq. plantag. equiseti, prunellæ*, an. ℔. i. *flor. rosar. rubr.* M. ß. *balaustior.* p. i.

Ebulliant vnicâ ebullitione, adde *diamori* Vnc. iii.

Aut ℞. *Fol. plantag. portulac. prunell.* an. M. i. *flor. rosar. rubr. fol. myrt.* an. M. ß. *cortic. granator.* Dra. ij.

Coqu. in s. q. aquæ pro ℔. i. ß.

Colat.

Colat.adde *succ.malor.granat.* Vnc.i. *acet. rosac.*℥.ß. *rob.nucum* Vnc.ii.sem M.pro Gargarismo vel Collutione oris.

Vel ♃. *Aq.fragor.prunellæ* an.Vnc.i.ß. *nymph.plantag.rosar.*an.℥.i.*syr.cerasor.*℥.ß.*rob.ribes* ʒ.iii.*diamori* ʒ. ii. *nitri præp.* ℈. j. M. pro Gargarismo.

In primo principio,vbi exigua est fluxio,sufficit gargarismus ex posca vel vino granator. vel sine gargaritatione liquor resupinato capite in ore teneatur,immutando,quando incalescit.

Fortiora sunt,rob de ribes,rob nucum viridium, syrup.de agresta, succus cornorum & sorbor. acacia, hypocist.melle etiam hæc subacta.Decocta item myrti & baccar.eius,fol.tenerorum quercus,mespillor.vitis, cupular.glandium.sumach,balaustiorum.

Pulueris formâ conueniunt rosæ, balaustia, cortic. granat.hypocist.gallæ, & prius enumeratarum plantarum folia exiccata.

E.g. ♃. *Pulu.spong-sambuc.*ʒ.i.*summit.centinod.prunellæ*,an.Scr.i.*fl.rosar.rubr.*Dra.ß F.Puluis.

Applicantur cum cochleari aut specillo concauo siue σταφυλοκάγρῳ instrumento, vt Paulus nominat, vel instrumento à Guilielmo Fabricio depicto, *cent.2. obseru.21.*

Æger etiam sæpius lambat mel rosatum vel rob nucum, quod multum commendat Galenus, *6. de comp. med.sec.loca c.1.*ex narratione de Hortul.

Vel ♃. *Fol.plantag.bdellij minor.*an.M.i.*prunell.*M.ß. *flor.rosar.rubr.*p.i.*passular.maior. cum arill.contusar.* Vnc. i.*sem.cydon.*Drach.j.

Coqu.in suffic.quant.aquæ.

Colat.♃ ℔.i.*mell.rosat.diamori*,an.Vnc.i.ß.

Vel ♃.*Fl.rosar.rubr.*p.ii.*balaustior.sem.sumach* ʒ.i.ß. *fol.plantag.prunell.*an.p.iii. *cupul. glandium* Dra.i. *alumin.* Scrup.i.

Coq.in s.q.aq.s.ad tertias,colentur.

Colat. ♃.℥.ix. in quibus dissolue, *rob nucum, moror. syr.myrtini*,an.℥.ß.*ol.*⊕.Scr.ß.M.pro Gargarismo.

Vel ♃. *Fol.quercus,alchimill. plantag.* an.p.ii. *hyssopi* p.i.*cort.granat.nuc.cupress.balaustior.*an.ʒ.i.*rad.glycyrrh* Drach.ii.*alum.rochæ* Dra.ß.

Coq.in *aq.plantag.*℔.i.ß.ad medietatem.

In colatura dissolue, *mellis rosf.colat.syr.fl.cyani*, an.℥. sem.*de rosf.sicc.myrtini*,an. Dra c.ii.*phlegm.aluminis* ʒ.ß. M.pro Gargarismo.

Atque hæc ferè in principio conueniunt.

Postea repellentibus admisceantur nonnulla moderatè discutientia cuiusmodi sunt flor.chamæmeli,meliloti,anethi,sem.fœnigræci,folia althéæ,maluæ,radix, iridis,cyperi,hyssopi,ficus,thus,myrrha.

Vt ♃.*Prunell.hyssop.* an.M. i.*fl. violar.hord.*an.M.ß. *glycyrrh.*℥.ß.*vuar.passar.exacinat.*℥.i.*caricar.*N.v.

Coqu.in aq.simp.Colat.♃.℔.j.*oxymel.simpl.mell.rosat.diamori*,an.Vnc.j.

Vel ♃. *Rad. malu.alth.* an.ʒ.iii. *fl. violar.purp.hord. mundi*, an.p.i. *sem.malu. althéæ, cydonior.* an.ʒ.i.4. *frig. mai.*an.ʒ.ß.Coq.in aq.comm.puræ s.q.

Colaturæ ♃. Vnc. iii. in quibus dissolue, *diamori* Vnc. i. *nitri. trochisc.* Drach.M.pro Gargarismo.

Si fluxio fuerit frigida,

♃. *Piper.*Drach.sem.*rad.irid.*Dra.ii *suc.glycyrrh.*ʒ.i.ß.*sacchar.cand.*Vnc.ii.*mell.rosat.colat.*℥.i.M.F.Lohoch, quod calidè æger sumat.

Rondeletius in muliere, quæ penè suffocabatur, feliciter vsus est eclegmate Scribon. Largi ex pipere myrrha & melle, cuius vsu maximam pituitæ quantitatem, quæ circa columellam & fauces collecta erat, reiecit.

Sæpe etiam,vt monet Galenus,*6.de comp.med.sec.loca cap. 3.* in principio quippiam ex discutientibus addendum est, quando scilicet corpus ægri prauis humoribus refertum est, & particula affecta sua natura debilis.

Si verò simul dolor vehemens fuerit,mitigantia dolorem quoque misceantur,quale est contusa glycyrrhiza cum mellis & aquæ pari mensura, cocta & gargarisata, lac gargarisatum, vel emulsio sem. papaueris, vel ptisana.

Quod si inflammatio in duritiem vertatur,(quod tamen rarius fit,quoniam locus affectus est calidus & humidus,& materia tenuis ac fluxilis)emollientibus vtendum,vt radicibus & fol.althéæ,mucilag sem.lini,fœnigræci: postea discutientia addantur, vt glycyrrh. radix irid.puleg.Origan.calaminth.

Si ad suppurationem tendat, maturetur decocto caricarum cum aqua mulsa, aut cremore ptisan. hord. vel auenæ cum decocto passul.decocto glycyrrh.aut furfur. tritic. lotura calida.

Vel ♃. *Rad. glycyrrh.* Drach. ii. *flor. malu. arboresc.* p.ii. *furfuris tritici in petia ligati* Vnc.ß. *caricar. ping.* N.iv.*iuiubar.*N.v.

Cq.in *aq.comm.*pro Vnc.ix.In quibus dissolue,*mellis passul.*℥.i.ß.*cremor.ptisanæ,auenæ*℥.i.M.pro Gargarismo.

Si non succedat,ferro aperiatur.Post puris effusionem extergentia & desiccantia vsurpentur, vt aqua mulsa, aqua hordei cum melle rosato. Item succus agrimon. aut caulium succus cum melle.

Si columella putrescere & in gangrænam transire incipiat,tali Gargarismo vtendum:

♃.*Origan.hyssop.*an.M.iij. *scabios.*M.i.*glycyrrh.*℥.ß.

Coq. in aq.pro ℔.j.

Colat.adde *oxymel.s.*Vnc.iii.M.

Si vlcus vuæ putrescat & serpat, chalcantho & similibus metallicis vtendum est.Et vtilis etiam hic est aqua viridis suprà proposita,& aqua viridis Plateri.

Ad vlcera Gallica conuenit aqua fortis bene diluta, vel aqua, in qua decoctum est sublimatum, adhibitâ simul vniuersali morbi Gallici curatione. Mitius est hoc:

♃.*Vnguenti Ægyptiaci* ℥.ß.*aluminis* ʒ.ß.*mellis rosati colati* ℥.i.ß.M.pro Linimēto,quo vlcus contingatur.

Si remediis hisce malum curari non possit,ad chirurgiam veniendum,vt Paulus monet,*lib.6.c.31.*ne ex assiduis irritationibus tussis & vigiliæ,aliquando & suffocatio sequatur.

Itaque vuula corrupta & marcida, quæ non amplius tumet, nec rubicunda est,atque ita sanguine & vita destituta, abscindenda eo modo, quem monstrat Paulus, *ibid.*& cuius Aëtius meminit,*tetrab.2.serm.4.c.41.* qui forcipe obtorquere, & prius illaqueare vuam iubet, vt stupida effecta minus sanguinis profundat. Sed hæc chirurgica operatio periculo non caret; refértque Valescus de Taranta,*lib.3.cap.3.* historiam cuiusdam presbyteri, cui plethorico cùm vuula fuisset abscissa, sanguinis fluxus in tanta quantitate ad pectus secutus est, vt inde maxima pectoris angustia, & respirationis difficultas oborta ægérque cùm amplius sanguinem è pectore eiicere non posset, suffocatus sit. Ideóque ipse octo canones in vuulæ abscissione instituenda obseruandos proponit.1. est, vt vuulæ abscissio non tentetur, nisi corpore prius euacuato, vt & monet Hippocrates, 3. *prognost.aph.21.*2.ne fiat affluxu humorum adhuc durante. 3. nisi vbi alia remedia non satisfecerint. 4. nisi tumor ille valdè lædat & molestus sit. 5.instituendam esse in aere lucido. 6. ante vuulæ abscissionem & post eam vsurpanda esse gargarismata adstringentia. 7. ne nimis rubra & tumida abscindatur, sed solùm alba & versus radicem angusta. 8. non abscindatur, nisi quantum magnitudinem naturalem excedit.

Vbi etiam incisione opus est,aliquid,si fieri possit,relinquatur,necessarij vsus gratiâ.

Ad vuulam tamen commodè & sine periculo abscindendam peculiare instrumentum inuenit Guiliel. Fabricius,idque depinxit,*cent.2.obser.21.*Et si fluxus sanguinis metuatur, & putrefactio aliqua adsit,cauterium actuale

actuale commodissimum est, quod quomodo adhiberi debeat, docet Paulus, *loco alleg.* Et peculiare atque ad hanc rem idoneum instrumentum descripsit Guilielmus Fabricius, *loc. alleg.* Hieron. Fabricius ab Aquapend. *de operat. Chirurgicis, titulo de vua chirurgia*, præcisione facta, quam forficulâ instituit, exiguum ferramentum in cochlearis formam factum bene calefactum non ignitum admouet.

### *Diæta.*

Diæta. Victus ratio talis sit, qualis in aliis inflammationibus præcipitur, inprimis quies & inedia in principio morbi competit. Vsurpentur in cibis, quæ leniter adstringunt, vt succus cydonior. granator. moror vuarum immaturarum. Masticet æger tenera mori vel quercus folia. Vitet laboriosas deglutitiones, respirationes, loquelam.

---

## CAPVT XXII.

### *De Tonsillarum Inflammatione, & Vlceribus.*

Tonsillarum inflammatio. Glandulæ duæ vtrinque ad radicem linguæ paulò supra laryngem positæ sunt, quæ Latinis Tonsillæ, vulgo à figura Amygdalæ, Græcis ἀντιάδες & παρίσθμια vocantur, cum quod inter se appositæ, tum quod circa isthmum oris sitæ sint. Galeno autem, *3. de sympt. caussis cap. 4.* & *in lib. de tumoribus p. n. cap. vlt.* ἀντιάδες sunt illarum glandularum tumor aut inflammatio, παρίσθμια inflammatio eorum, quæ circa isthmum sunt locorum, hoc est, partium, quæ os & gulam interjacent.

Tonsillæ igitur cum conditæ sint, vt congregata saliua laryngem & trachæam rigent, sæpe humore nimio ex frigidâ destillatione oppletæ intumescunt, sed sine inflammatione, ita vt colorem suum naturalem retineant, & dolore careant.

Interdum verò eas occupat inflammatio cum rubore, ardore ac dolore & siti, & cum quadam deglutitionis ac respirationis difficultate. Quâ inflammatione in abscessum degenerante pus intra fauces effunditur, vnde sæpe vlcus sordidum & graueolens relinquitur.

Tonsillarum vlcera. Fluunt tamen ibidem vlcera citra inflammationem ex destillatione salsâ vel acri molles illas partes exedente, aut tali halitu eò ascendente; quod lue Gallica infectis familiare est.

Nonnunquam maligna & serpentia vlcera in iis partibus oriuntur, tempore inprimis verno, & pestilente aeris constitutione, teste Aetio, *tetrabibl. 2. serm. 4. c. 46.* siue ex præcedente inflammatione efferata, siue ex quauis alia caussa, vt ex aphthis in pueris & adultis, qui prauis humoribus abundant.

Interdum etiam tonsillæ planè indurantur; vnde Mercurialis, *de morb. pueror. lib. 2. c. 12.* Paulum Æginetam sub tonsillis etiam scrophulas seu tumores duros & scirrhosos complecti, scribit. Vide etiam historiam tumoris eiusmodi cancrosi apud Guiliel. Fabricium, *centur. 3. obseru. 84.*

### *Caussæ.*

Caussæ. Caussæ eædem sunt, quæ inflammationis gurgulionis. Concitatur scilicet inflammatio tonsillarum ex affluxu humorum ad illas; qui cum calidi sunt, partes illas calidas & humidas inflammant, in iis præcipuè, qui multo sanguine abundant; cum copiosi, tumefaciunt; cum acres & salsi, erodunt.

Et quidem tonsillæ magis obnoxiæ sunt inflammationi, quàm gurgulio, propter mollitiem & laxitatem substantiæ & temperamenti proprij ac loci caliditatem ac humiditatem.

Inflammatione etiam tonsillarum magis laborant, qui sanguine magis abundant. Priuatim verò, vt Aetius scribit, *lib. modò citato c. 45.* pueris hoc malum frequens est ob teneram corporis texturam, & ob ἀδδηφαγίαν, & lactentibus è lactis vitio & praua qualitate.

Puellis quoque vsque ad menstruæ purgationis tempora hoc malum frequens est. Aretæus *lib. 1. c. 9.* In adultis verò generatur hoc malum ex nimia meri potatione, ac multâ & auidiore deuoratione, ciborum maximè acrium & asperorum. Ita cerasa auidius comesta facilè aciditate sua tonsillarum inflammationem & gurgulionis laxitatem efficere prohibentur.

### *Signa Diagnostica.*

Signa. Tonsillis tumefactis foris sub maxillis tumor tactu visúque deprehenditur, & intus ceu frustulum quoddam faucibus adhærescens mole sua premit, obstatque, ne facilis fiat deglutitio, idque sine siti & ardore.

Inflammatis iisdem præter deglutiendi, &c. quod Paulus addit, *lib. 6. c. 30.* respirandi difficultatem, dolor adest, rubor, ardor, sitis, interdum & febres.

Maligna tonsillarum vlcera partim alba sunt, maculis similia, partim cinereo colore, aut similia crustis, quæ ferro inuruntur. Accidit ergo siccitas in deglutiendo, & suffocatio confertim incidit, maximè cum rubor subit mentum: aut, vbi hæc acrimonia præterierit, νομὴ loca illa infestans succedit, & cum hac putrefactio; vt docet Aetius, *tetrabibl. 2. serm. 4. cap. 46.*

### *Prognostica.*

Prognostica. 1. Tonsillarum inflammatio morbus acutus est, & sæpe suffocationis periculum minatur.

2. Tumor autem vel resoluitur, vel suppuratur, vel induratur.

3. Tonsillæ in febribus denigratæ & arefactæ mortem imminere portendunt.

4. Vlcera tonsillarum quædam familiaria sunt & mitia, quæ scilicet sunt munda, exigua, non altè descendentia, nec inflammata, nec dolorem excitantia; quædam aliena & pestifera, quæ lata sunt, caua, quodam concreto humore albo, aut liuido, aut nigro sordentia, quæ aphthæ etiam nuncupantur. Quod si concreta illa sordes altius descenderit, eschara gignitur, quam rubor insignis, inflāmatio & venarum dolor circumsistit, sicut in carbunculo. Exigua quoque & rara exanthemata oriuntur, quibus superuenientia alia in vnum vlcus coalescunt, latúmque vlcus efficiunt. Id si interius in os depascendo serpit, columellam exedit, & linguam quoque & gingiuas ac alueolos dentium occupat, vnde dentes labefactantur & nigrescunt. In columella etiam phlegmonode erumpit, atque non multis pòst diebus phlegmone, febri, fœtore, inediáque consumpti intereunt.

5. At si in pectus per trachæam id malum inuadat, eodem illo die strangulat, pulmo enim & cor neque talem odoris fœditatem, neque vlcera, neque serosos humores sustinent, sed tussis ac spirandi difficultas enascitur Aretæus, *lib. 1. cap. 9.*

6. Tonsillarum vlcera sine febre securiora sunt.

7. Tonsillarum vlcera æstate suborta peiora sunt, quàm quæ aliis oriuntur tēporibus. Citò enim serpunt.

8. Serpentia circa fauces vlcera, quæ magnam molestiam exhibent, & acuta magis sunt, vt plurimum spirandi difficultatem adferunt. Videantur plura eiusmodi prognostica apud Hippocratem, *lib. de dentitione.*

9. Glandulæ istæ facilè indurantur, & in scirrhum degenerant, qui nunquam aut rarò curatur.

10. Aliquando tonsillarum tumores suppurantur & abscessus extrà erumpunt, & ægri sanantur: cuius rei exemplum est apud Dodonæum, *in obseru. cap. 16.*

*Curatio.*

*Curatio.*

Curatio. Si leuis sit inflammatio, circa initia gargarismi adhibeantur adstringentes, cauendo, ne mel multum admisceamus, quod suâ acrimonia malum irritaret, vt monet Aëtius, *loco citato cap.*45.

Remittente autem inflammatione, rectè & vtiliter illud admiscetur.

Vt ℞. *Aqu. planta.* ℔i.ß. *fl. rosar. rubr.* M.ß. *sem. cydon.* ℥.i.ß. Semel ebulliant. Colaturæ adde *diamor.* Vnc.i.ß. *dianuc.* Vnc.ß. M. pro Gargarismo, quo tepidè interna oris colluantur. Nam inflammata neque frigus tolerant, neque multum calorem.

Aut ℞. *Fol. plantag.* M.i. *fl. rosar. rubr.* P.i. *cortic. granat.* ℥.iii. *gallar. immatur.* N.iii. *fol. prunell.* M.i. *nuc. cupress.* Dra.ii. Coq. in s.q. aqu. pro ℔.j.

Colat. adde *dianuc.* ℥.ii.ß. Misc. pro Gargarismo.

Vbi vehemens est inflammatio, vt periculum sit à suffocatione, statim cephalica secetur, repetitâ sanguinis detractione in magnâ plethorâ; aut primùm basilica, postea cephalica aperiatur.

Vbi venæ sectio locum non habet, aurium scarificatio vtilis. Cucurbitulæ etiam venæ sectionis vicariæ esse possunt.

Frictionem longam in carpo rusticis familiarem esse, scribit Rondeletius, *lib.*2.*c.*4. Prodesse autem reuera ob diuersionem.

In fœminis, vbi opus, vena tali primò incidatur. Ad euacuandam postea materiam coniunctam prodest secare venas sub lingua. Si cum sanguine vitioli humores simul redundant, clysteres & pharmaca leniter purgantia exhibeantur.

Deinde ad topica veniendum est, quæ primùm sint repellentia: vt decoctum ex rosis, balaustiis, fol. plantag. vitis, rubi, sorbis, cornis, mespilis, gallis, sumach. fol. & bacc. myrti, ac simil. quorum formulæ antea sunt propositæ. Repellentia autem Practici ferè omnes solùm intrà applicant. Ab iis tamen & vulgata consuetudine dissentit Rondeletius, qui, *allegato loco*, non vult adstringentia solùm in parte interna, & relaxantia in externa applicari, sed ea intus & extrà adhibet. Cùm enim partes laxæ sint, non amplius esse laxandas censet, cum defluit materia, sed cum consistit fluxio, vt materia ad exteriora trahatur. In principio verò adstringentia extrà etiam apponit in lateribus arteriæ sub maxilla inferiore. Quod in seipso expertum esse scribit, & anginam & defluxionem ad fauces prohibuisse, & multos à scrophulis incipientibus sanasse. Verùm omninò hic cautione opus est, & videndum, quæ materiæ affluentis sit copia. Si enim corpus adhuc plenum sit & affluxus magnus, nulli autor fuerim, vt repellentia extrà apponat; cùm facilè fieri possit, vt materia ad interiora repulsa periculosam anginam excitet. Sempérque tutius materia ad exteriora, quàm interiora fertur.

Post repellentia ptisanæ succus gargarisetur, in quo decoctæ sint passullæ vel iuiubæ, aut furfur. decoctio, aut decoctum glycyrrhizæ, ficuum & hyssopi. Lac tepidum gargarisatum acrium collutionum mordacitatem temperat.

Extrà etiam illinatur guttur oleo amygdalarum dulcium, liliorum alborum, chamæmeli, aut fomento cum spógiâ ex decocto chamæmeli, meliloti, altheæ, maluæ, scabiosæ, sem. lini, fœnigræci: aut cataplasma ex iisdem paratum cum farina hordei, sem. lini, fœnigræci, althææ, hordei, ol. chamæmel. amygdalar. dulcium, butyro recenti, aut cataplasma ex pane albo & melle apponatur, vel emplastrum de meliloto. Soluetur ita tumor, &, quod reliquum est, discutietur.

Post cataplasmatis, de quo dictum, ablationem, partes circa mentum tegantur, circumpositâ lanâ molli oleo nardino irrigata, ne partibus illis refrigeratis materia introcedat.

Interdum natura sponte suâ materiam ad externa conuertit; natis vtrinque in collo infra aures tumoribus, quibus vel sponte vel scalpello apertis pus effluit, atque ita tonsillæ abscessu liberantur; sicut & in angina fieri consueuit, teste Hippocrate, 6.*aphor.*37.

Si tonsillæ inflammatæ in abscessum tendant, quod deprehenditur augescente inflammatione & exacerbationibus circa vesperam fortioribus, factis cum horrore & inæqualitate, nonnunquam & cum febre, vt docet Aëtius: tunc suppuratio sine mora adiuuetur gargarismis ex aqua mulsa calente, decocto caricarum & hyssopo cum glycyrrh. vel decocto caricarum in lacte, vel decocto passular. vel iuiubar. cum viol. & malua.

Vel ℞. *Farinæ triticeæ in petia ligatæ* Vnc.i. *caricar.* Vnc.iii. *radic. maluæ* Vnc.i.ß. *aq. communis* ℔.ij.

Coq. ad consumptionem quintæ partis. Deinde colentur, F. Gargarismus.

Foris cataplasma applicetur ex farina hordei, tritic. & fœnigræc. cum decocto ex caricis, rad. althéæ, & melle, vel emplastrum diachylon.

Vt ℞. *Fol. maluæ, violar.* ana M.j.

Coq. ad mollitiem & per setaceum traiiciantur.

Adde *farinæ tritici* Vnc.i.ß. *croci* Scrup.ß. *butyri s. sale* q.s. F. Cataplasma.

Celsus vaporem aquæ calentis ore excipere iubet. Confecto pure, quod ex dolore & tumore remittente cognoscitur, abscessus collutionibus acrioribus rumpatur, ex hyssopo, pulegio, thymo, calamintha in sapa aut mulsa coctis & gargarisatis; aut ferro aperiatur, eo modo, quem Aëtius, *tetrab.*2. *serm.*4. *cap.*45. & Paulus, *l.*6.*cap.*30. tradunt, aut deuoratis maioribus frustis panis. Rupto abscessu aqua mulsa gargarisetur primùm per se, postea admixta lenticula & rosis, vel plantagine; quibus immorandum est, donec vlcus ad cicatricem perducatur.

Si ex longo valde refrigerantium & repellentium vsu, vel aliàs etiam tonsillæ indurescant, quod fieri solet non præmissâ phlebotomia vel purgatione, ante topica gargarismi emollientes & resoluentes conueniunt, vt:

℞. *Rad. althéæ mundat. lilior. albor.* ana. Vnc.ß. *fol. violar. maluæ*, ana M.i. *scabios. prunell.* ana M.ß. *extremit. sambuc.* ℥.ii. *hord.* P.i. *ficus* N.iii. *sem. fænigræc. maluæ*, ana ℥.i. *nidi hirund.* Drach.ß.

Coq. in s.q. aqu. addendo in fine, *sem. cydon. lini*, ana Drach.ß. *aq. scabiosæ, caprifol.* an. ℥.ii. pro ℔.ij.

Colaturæ adde *mell. rosat. colat.* Vnc.iii. *diamor.* Vnc.i. Misce pro Gargarismo.

Si tonsillæ induratæ deglutitionem & respirationem impedientes medicamentis emolliri nequeant; Celsus & Paulus ad chirurgiam accedunt, tonsillásque extrahere conantur. Sed chirurgia hæc neque facilis est, neque tuta. Qua de re videatur Hieron. Fabric. ab Aquapendente, *de operationibus Chirurgic. titulo de tonsillis.*

Ad nomas siue serpentia vlcera tonsillarum, præmissâ venæ sectione, corporis euacuatione & diuersionibus, conuenit diamorum ex aqua mulsa, insperso puluere flor. rosar. rubr. vel sumach, Paulus succum exprimit ex malo punico dulci cum cortice contuso, cuius partes æquales sex miscet cum vna parte mellis & ad mellis spissitudinem cocta illinit. Vtilis est & hic gargarismus suprà propositus, cuius hactenus aliquoties facta est mentio. Possunt etiam aristolochia & iris & chalcitis adhiberi cum melle, aliquando & Andronis & Musæ pastilli. Mirabiliter Aëtio crustas aufert stercus caninum cum melle illitum, & vstarum hirundinum cinis cum melle, & centaurij minor. cinis cum melle.

Expertum quoque in vlceribus tonsillarum malignis linimentum ex puluere stercoris canini, si cum melle ad iustam spissitudinem misceantur. Addi potest aliquid de puluere radicis iridis. Vide Galenum, 10. *de simpl.*

*simpl.med.facult.cap.de stercore canino.*Tabernæmontanus commendat, tanquam experimentum, decoctum radic.morsus diaboli.

Omnia autem oris vlcera vehementioribus exsiccantibus & adstringentibus gaudent,quàm externa vlcera;cùm ne amplius serpant, tum quia semper à saliua fiunt humidiora, vnde & medicamentorum vis infringitur.

Post irritationes ab acrioribus hisce medicamentis factas gargarisetur decoctum glycyrrhizæ, quod paratur ex vino nigro dulci, ex mastiche,myrrha, croco, deinde etiam addito amylo, & tragacantha.Cohibito iam vlcere depascente, lac gargarisandum cùm terrâ Samiâ mixtum. Crustis sublatis & purgato vlcere hoc conuenit.

℞. *Flor.rosar.rubr.*Vnc.ß.*croci* Drach.ii.*balaust.myrrh.* an,Scrup.i.*nuc.pinear.*ʒ.j.

Tritis & subactis cum melle vtere ad illitionem.Processu temporis addi possunt *amyli* Scrup.ii. *alumin.scissil.*Scrup.j.

Vide plura huius generis apud Aëtium, *loco citato, cap.*46.

### *Diæta.*

*Diæta.* Abstinendum ab acribus,à fumo,à Solis æstu,à vino, ab exercitio & motu corporis atque animi nimio,præsertim ab ira,balneo, & omnibus, quæ affluxum humorum augere possunt.

## CAPVT XXIII.

### *De iis,quæ in Guttur vel Gulam inciderunt, eximendis.*

*Illorum quæ in gulam inciderunt exemptio.* ACcidit nonnunquam, vt siue dormientibus siue vigilantibus etiam per incuriam aliquid in guttur vel fauces illabatur, quod suffocationis metum & alia pericula affert. Quæ res qua ratione eximendæ sint, dictum quidem in Institut.*lib.*5.*part.*1.*sect.*2.*cap.*10.Addere tamen quædam libet.

Sunt autem, quæ in guttur vel fauces incidunt, alia animata, alia inanimata. Ex animatorum genere sunt primùm hirudines,quæ vel per natationem in stagnis ore imprudenter excipiuntur, vel vnà cum aquis minutissimæ ipsæ adhuc hauriuntur, & faucibus vel gulæ affixæ attracto sanguine grandescunt. Adhærent verò vel palato versus superiorem nasi partem, & tum sanguis sine screatu egreditur;vel gutturi,vbi sanguis cum screatu excernitur; & quidem si in initio sit trachææ, tussis cótinenter affligit;vel gulæ,& tum deglutitio impeditur vomitúsque concitatur;vel denique ipsi ventriculo sunt affixæ,atque tunc nullum impedimentum in deglutitione sentitur, adest verò vomitus, cum quo sanguis reiicitur.

Hirudinum nonnullæ venenatæ sunt,quæ & grauiora symptomata accersunt, vt syncopen,tremorem cordis,febrem acutam, & vlcera denique maligna. Agnoscuntur quod magna habent capita,corpore sunt lanuginoso, colore nigræ aut virides, maculis vel lineis variis distinctæ, quemadmodum eas describit Auicennas, 1.*canon.fen.*4.*doct.*5.*cap.*22.

Vbicunque verò hirudo ore concepta hæret, titillationis sensum obscuro suo motu efficit, punctio quoque sentitur, dum sanguinem sugit, & sanguis ex ore tenuis ac paucus per interualla exspuitur, quoniam ab exilibus seu capillaribus venis hirudo sanguinem allicit. De quo Hippocrates, 2. *prædict. Quibus fauces sanguine frequenter & noctu & interdiu replentur, cum neque capitis dolor prægressus fuerit, neque tussis, neque vomitus, neque febris prehenderit, neque pectoris aut dorsi dolor tenuerit: in his nares & fauces inspiciendæ, numquid vlcus in eo loco aut hirudo compareat.*

Quando igitur hirudo in ore ita hæret,vt oculis conspici queat, Chirurgus eam idoneo instrumento apprehendat, & caput eius fortiter stringat, ne si medio fortè corpore præscindatur, pars eius anterior cum capite intus affixa remaneat.

Vbi verò hirudo profundius latet,vt chirurgiæ locus non sit,medicamenteis res peragenda erit. Itaque Rhases gargarismos præcipit ex acerbis, & amaris, quibus offensa hirudo sponte sese retrahat, vel quibus enecetur,qualia sunt sinapi, cum aceto gargarisata,aut sal cum aceto,aut cepæ succus.A proprietate valere creditur succus salicis. Iubent & nigellam ac sinapi tritum gutturi insufflare. Enecant etiam absinthium, abrotanum, lupini, mentastrum, nasturtium, sem. sanctum, aloë hiera,agaricus.

Amotam vel enecatam hirudinem æger screatu,tussi vel vomitu reiicere conabitur. Si eductâ hirudine exspuitio sanguinis perseueret, venulis adhuc hiantibus, vnde hirudo suxit non statim ille supprimendus est, sed permittendus, monente Auicenna, vt moderatè effluat, ne retentus venenositate suâ,quam ab hirudine contraxit, noceat. Eadem quoque venenositas corrigatur exhibita theriacâ aut Mithridatio, aut terrâ sigillatâ cum zedoaria, dictamno, tormentilla & similibus.

Postea sistatur sanguis gargarismis ex decoctione cortic. mali granati, balaustiorum & sumach, vel puluere insufflato ex balaustiis, thure, sangu. draconis, amylo.

Quod si hirudo stomacho inhæreat, medicamenta Rhases exhibet,quibus vermes enecantur & eiiciuntur, aut ægrum in balneum siccum siue Laconicum ducit, vbi siti vehementi contractâ, postea aquam frigidissimam æger ore contineat, semper eam permutando, si incaluerit, vt hirudo æstu etiam afflicta prorepat in os ad reficiendum sese frigida, qua alioquin naturaliter delectatur.

Probatur & hoc:

℞. *Farin.lupinor.pulu.turbith,agarici,sem. nigell.* ana Drach.ii.

Incorporentur cum succo absinthij & fiant Trochisci pondere Dra. i. dissoluantúrque vnus in decoctione sem.nigellæ,detúrque vnus ieiuno stomacho.

Interdum animalia alia dormientibus in os irrepunt, quod de lacertis ac serpentibus compertum est.Hæc eodem modo in balneo sicco cum aquâ frigidâ ore retenta proliciantur, aut apposito ad os ægri vase lactis calentis pleno, cuius nidore siti etiam vexatum animal prorepit; præsertim si vas illud ita dispositum sit, vt splendentis Solis radios excipiat.Oportet auté ægrum prono capite in ventrem incumbere. Quidam & affatim hoc bibere iubent ad vomitum vsque, vt simul cum lacte animal redditum, quod ingressum est,excutiatur.

Inanimata,quæ vel casu,vel sponte deglutita in gutture aut gulâ subsistunt,siue mole suâ inhærentia,vt bolus panis vel carnis non masticatus, annulus, moneta grandior,nucleus pruni;siue acumine suo se infigentia, vt fragmenta vitri,acus,spina,piscis,os acutum & similia,suos etiam modos habent,quibus eximantur.

Et quidem si crassum quid deglutitum inhæreat,nisi immisso idoneo instrumento apprehendi & eximi queat,ægri ceruix,aliquoties pugno concutiatur,ita vt depressam illam teneat, humerúsque eleuatus sit, quâ concussione res in gula hærens ad ventriculum delabatur;aut si prope fauces hæreat, tussi per os reiiciatur. Iuscula etiam carnium pinguia, vel cum butyro parata, liberaliter & affatim hauriantur, vel ptisana cum melle aut oleo amygdalarum dulcium,vt lubricâ redditâ gulâ faciliùs, quod illapsum est, in ventriculum descendat, aut vt vomitus saltem istis pinguibus prouocetur,

nocetur. Rhases quoque ægrum in balneum aquæ tepidæ se demittere iubet vsque ad mentum, vt viæ in gula emolliantur & laxentur.

Si his nihil proficitur, candela cerea mediocriter crassa, vel stylus plumbeus nonnihil incuruatus sumi potest, quo melle vel oleo oblito & in gulam demisso res ibi subsistens in ventriculum detrudatur.

Si acutum est, quòd infixum hæret, neque oculis ita patet, vt forcipe prehendi possit, tussis excitanda, oxymel continuò lambendo; aut sternutatio quoque, si locus affectus propior sit tracheæ arteriæ, vel ipsa etiam sit trachea. Vehementi enim hac corporis concussione, spiritus simul expulsionem adiuuante, res obhærens excludetur.

Si obsessa est gula, aquâ mulsâ crebrò gargarisetur, oleum etiam & pingues sorbitiones & albumina ouorum cruda & lubrificantia alia bibantur.

Vtilis est & continuus vsus eclegmatum emollientium, vt quod paratur ex mucilagin. semine maluæ. radic. althéæ, ficubus, passulis, iuiubis, sebesten & similibus cum syrupo violarum. Tandem magni boli deglutiantur, vel ficus siccæ integræ, quo impetu id, quod subsistit, in ventriculum simul detrudatur.

Quod si his modis nihil perficitur, Rhases instrumentum commendat ex plumbo factum, quod foraminulis multis exilibus pertusum est instar retis, quorum vsus est, vt, dum instrumentum vertitur retrahiturque, res gulæ infixa illis foraminulis implicetur, simulque educatur, & vt respiratio per illa non impediatur. Quem imitatus est procul dubio Guil. Fabricius in fabrica sui instrumenti, quo ad res gulæ & faucibus infixas extrahendas vtitur, quodque *centur. 1. obseru. 36.* delineauit. Qui etiam videatur, *eâdem centuriâ, obseru. 31. 32. 33. 34. 35.*

Si nec hoc modo suo loco moueri res immissa possit, naturæ & tempori negotium totum committendum. Progressu enim temporis calor naturalis coquendo & alterando rem illam mutat (si eius natura talis sit) & imminuit. Et vt maturius id fiat, natura in coctione adiuuanda medicamento ex radicibus althéæ, ficubus, farina sem. lini, fœnigræci, hordei, aut mucilagine ex iisdem parata, flor. cassiæ, butyro, oleo amygdalar. dulc. chamæmeli, lilior. albor. pingued. gallin. & similibus.

Quod & faciendum, si offiulum vel simile quid inflammationem in œsophago excitet. Hâc enim ad suppurationem perducta, & abscessu rupto, æger ab angustia & dolore liberatur. Exemplum de spina gulæ infixa habet Dodonæus, *in obseru. cap. 17.*

Compertum est ab Arculano, offiulum acutum gulæ infixum post bimestre spatium per cutem in collo apertâ spontè viâ exiisse. Beniuenius deuoratam acum decennio pòst perforato stomacho extrusam vidit. De acubus cum vrina emissis meminit Iohan. Langius. *lib. 2. Epist. 40.* De aciculâ per aluum cum grauissimis symptomatibus deiectâ videatur Guil Fabricius, *allegata cent. 1. obser. 34.* Quod si tale quid naturam moliri videmus, ne ventriculus vel intestina lædantur, exhibendus cremor hordei, iuscula pinguia, lac amygdalarum dulcium, oleum amygdal. dulcium, cassia.

## CAPVT XXIV.

### *De Angina.*

*Angina.* ANgina Latinis ab angendo, quæ vox à Græco ἄγχω, id est, suffoco & strangulo deducitur; Græcis Συνάγχη & Κυνάγχη, & masculinâ terminatione, vt ab Hippocrate, *lib. de loc. in homine, & 4. de rat. vict. in acut. aphor. 30.* vsurpatur. Σύναγχος & Κύναγχος eodem etymo, à suffocando scilicet, dicitur. Etsi enim, vt postea in differentiis dicetur, posteriores Græci inter Græcas voces, dum per σ Συνάγχη & per κ Κυνάγχη scribitur, differentiam quandam constituerint, & κυνάγχην quam à canibus ita appellari censent, seu quod canibus familiaris sit, seu quod ægri hiante ore & exerta linguâ spiritum ducere cogantur, canum per æstum sitientium more, pro grauiori affectu habeant; Συνάγχην verò, quã dictam putant, quod sues eâ frequenter corripiantur, pro leniore malo: tamen Galenus, *3. prognost. text. 18.* hanc de literis contentionem tanquam inutilem contemnit; quod & *4. de vict. rat. in acutis text. 30.* facit.

Etenim & Συνάγχη & Κυνάγχη apud Hippocratem & antiquissimos Medicos Græcos generale nomen est, quale apud Latinos angina, quod in genere sumptum omnem faucium & gutturis affectionem, spirationem, nullo in thorace vel pulmone vitio existente, difficiliorem reddentem, & deglutitionem impedientem, seu meatuum, per quos spiritum attrahimus, cibúmque & potum assumimus, angustiam, spiritum difficilem reddentem & deglutitionem impedientem significat. Etsi enim per morbos thoracis, pleuritidem, peripneumoniam & alios respiratio læditur: tamen affectus ille angina non dicitur, cum illæsis faucibus fiat. Hippocrates tamen interdum distinguit inter faucium inflammationem & anginam. Ita, *6. epid. sect. 7. t. 1.* inquit: *Quibusdam verò faucium inflammationes aderant, aliis angina.* Vbi procul dubio anginam intelligit inflammationem musculorum laryngis, quæ respirationem difficilem valde reddit, & viam spiritus intercludit: inflammationem verò faucium, partium aliarum vicinarum, quæ spiritus & cibi viam non ita intercludit. Possunt enim & tonsillæ, & musculi ossis hyoidis, & musculi in radice linguæ inflammari, vt postea dicetur, quæ partes omnes etiam in faucibus sunt: quia tamen harum partium inflammatio à gutture longius distat, anginam per se non parit. Anginæ ergo in genere ita sumptæ caussa erit, quicquid spiritus cibique & potus viã angustiorem reddere, & hoc modo vtriusque meatus capite & principio quasi occluso respirationem difficiliorem reddere, & deglutitioni cibi ac potus impedimento esse potest.

*Differentia.* Quod cum pluribus de caussis fieri possit, duplex angina statuitur, vna propriè dicta & exquisita, quæ est ab inflammatione summarum gulæ & gutturis partiũ sanguine è venarum iugularium ramis in partes illas effuso; altera notha, quæ prouenit à frigida & pituitosa destillatione, è capite in fauces & ceruicis accolli musculos decumbente, & tumorem οἰδηματώδη sine febre, rubore ac dolore excitante; etsi dum primò fluxio concitatur, quidam inæqualis calor & horror sentitur, qui tamen paulò post desinit.

Posset tamen & illa in faucibus inflammatio, quam Hippocratem ab angina descernere diximus, forsan angina notha appellari & ita duplex angina notha cõstitui, vna ratione caussæ, altera ratione subiecti. Nam harum partium inflammatio sæpe etiam respirationem & deglutitionem non parum lædit.

Quò etiam referri potest angina illa, quæ fit à luxatione vertebrarum ceruicis versus anteriora vel latus, siue à causis externis, siue ab humore frigido affluente fiat, idque citra inflammationem.

Si enim inflammatio accedat, vel ab inflammatione luxatio ortum habeat, ad exquisitam anginam pertinet, & acutissima angina est, vt postea de differentiis dicetur. Videatur etiam infra, *quæstio. 1.*

### *De Angina exquisita.*

*Angina exquisita.* Angina ergo exquisita est angustia summarum gulæ & gutturis partium seu faucium, ab inflammatione earundem ortum habens, difficilem respirationem reddens, deglutitionemque lædens. Seu est inflammatio in faucibus & summo gutture, angustiam earun-

dem partium, & hinc difficultatem ſpirandi inferens, ac deglutitionem impediens. Seu, vt Galenus breuiter definit, 4. *de rat. vict. in acut. text.* 20. & 2. *ad Glaucon. cap.* 1. eſt φλεγμονὴ τῶν κατὰ φάρυγγα μερῶν. Per fauces autem intelligitur pars, quæ gulæ & gutturi præjacet, & duo dictorum meatuum oſtiola comprehendit. Imò vt ſuprà dictum, φάρυγξ etiam pro larynge & ſummo aſperæ arteriæ capite accipitur, vt ita, dum Galenus anginam per inflammationem φάρυγγος ſeu faucium definit, non ſolùm intelligenda ſit ea pars, quæ gulæ & gutturi præiacet, ſed ipſa etiam larynx eiuſque muſculi. Et quamuis ſimul vicina complecti ſoleat inflammatio, vt glandulas vtrinque circa radicem gutturis ad latera trachææ poſitas, & muſculos oſſis hyoidis, muſculos item in radice linguæ, & glandulas, quæ tonſillæ dicuntur, & quæ ſub auribus & inferiori maxilla conſiſtunt: tamen partium harum à gutture longius diſtantium inflammatio anginam non parit, niſi malum faucibus, id eſt, parti ex gutture & gulâ conſtitutæ, communicatum reſpirandi impedimentum afferat.

Dodonæus etiam anginam ſtatuit ex inflammatione pulmonum fieri; de qua poſtea in differentiis de Cynanche dicetur.

## *Cauſſæ.*

*Cauſſa.* Ergo cauſſa vt aliarum inflammationum, ità & huius in angina eſt ſanguis ſeu purus, ſeu bilioſus, pituitoſus aut melancholicus. Et is quidem è venarum iugularium ramis in has partes effuſus. Nam frequentiſſimè fit hoc malum per viam fluxionis, rarò per viam congeſtionis.

Affluit autem ſanguis vel per modum attractionis, ſi fauces & guttur vehementer caleant & doleant; vel per modum tráſmiſſionis, ſi loca illa imbecilla ſint laxa, & ad ſuſcipiendam fluxionem idonea, pleonexia verò humorum adſit ſiue in toto, ſiue in capite, ac inprimis circa fauces. Vbi enim ſanguis vel copioſus in corpore adeſt, vel impurus, atque is ad caput fertur, cerebrum verò robuſtum eſt, id eum non recipit, ſed maximam partem per eaſdem venas ad ſubiectas partes retrudit, vnde inflammationes earum variæ gignuntur, parotides, ophthalmiæ, anginæ & ſimiles. Hinc etiam iuuenes ſenibus anginâ crebrius corripiuntur, quòd multo bilioſoque ſanguine, qui aptiſſima huius mali materia, abundant, & qui habitu corporis ſunt craſſo ac multo ſanguine, præſertim in capite, abundant. Viros quoque frequentius quàm fœminas anginâ corripi, ex Cælio Aureliano ſtatuitur; idque videtur obſeruaſſe Hippocrates, 6. *epid. ſect.* 7. *t.* 1. vbi epidemiam ſui temporis conſtitutionem deſcribens, quà anginâ, tuſſis, peripneumoniæ vagabantur, pauciſſimas fœminas ægrotaſſe ſcribit. Aliam tamen cauſſam non reddit Hippocrates eo ipſo in loco, quàm quod non perinde atque viri in publicum prodibant, & ita aëris externi iniuriis ſeſe non obiiciebant. Id tamen, quod dicitur, fœminas minus ex ſua natura anginæ eſſe obnoxias, quàm viros, de vera & exquiſita angina intelligendum. Habent enim fœminæ ſanguinem frigidiorem, & præterea laryngem minorem, ac gutturis partes & venas anguſtiores exilioreſque, quæ ſanguinem non ita facilè admittunt. Interim tonſillarum, columellæ, ac laxatû in faucibus partium inflammationibus, quæ minus exquiſitam ſeu notham anginam, quam Hippocratem *loco allegato*, ſimpliciter faucium inflammationem appellare, & ab angina diſtinguere diximus, gignunt, ob partium laxitatem, & excrementitiorum humorũ abũdantiam magis obnoxiæ ſunt quàm viri. Ad pleonexiam etiam humorum, quæ anginam excitat, cumulandam faciunt hæmorrhoides & menſes ſuppreſſi, victus ratio multo & calido ſanguini generando apta, potus vini meracioris.

Sæpe quoque angina accidit in febribus, vbi materiæ pars ad hunc locum depellitur, vt ita febris tum potius comitata ſit, quam appellant, quàm ſymptomatica; taleſque anginæ ſunt ferè epidemiæ, quæ nonnunquã publicè graſſantur; qualis fuit illa, quæ anno 1517. multos ſuſtulit, vt annotauit Foreſtus, *lib.* 6. *obſ.* 2. *in ſchol.* atque illa, quæ anno 1544. & 1545. plurima Germaniæ inferioris loca Rhenique accolas vexauit. Sunt enim quandoque etiam anginæ, vt pleuritides, peripneumoniæ & ſimiles morbi epidemiæ. Nam etſi humores, , qui morbos epidemios excitant, præcipuè ſi non peſtilentes ſunt, & inprimis à fluxionibus prouenientes à manifeſtis aëris alterationibus, frigiditatiſque & caliditatis ac humiditatis exceſſu proueniant: tamen occultæ etiam qualitates ab aſtrorum influxu pẽdentes miſcentur. Atque hinc accidit, vt nunc ad laryngem & fauces, nunc pleuram, nunc ad pulmones humores fluant, ibique ſubſiſtant, nunc ad aluum perueniant.

Externæ cauſæ ſunt, quæcunque fluxiones humorum ad iſtas partes concitare valent, quales ſunt pluuioſa anni conſtitutio & imbres aſſidui, vt eſt, 3. *aphor.* 16. Ἀμετρία item quæcunque caloris & frigiditatis in aëre & ventorum flatibus, quorum hæc comprimendo expellit humores ad guttur & fauces, illa laxando facit, vt humores ad fauces affluant. Præterea ſubita à magno æſtu refrigeratio, hauſtus plenus potus frigidiſſimi; lotio capitis intempeſtiua pleno corpore, nimia capitis tectura vel nulla, vocis nimia intentio, denique ictus capitis, ceruicis, aut locorum prope fauces, infixæ in faucibus vel gula ſpinæ vel oſſicula, vt & vertebrarum ceruicis luxatio; ſi nimirum non ſolùm ipſa anguſtiam in locis iſtis pariat, ſed & inflammationem excitet.

Quidam etiam à cibis quibuſdam & medicamentis peculiari vi & proprietate anginam induci ſtatuunt, vt ceraſis, fungis quibuſdam, andacocha, vt habet Auicennas, quę trifolij ſpecies eſt, quę ſcilicet in ſe vel vim ſuffocandi, vel qualitatẽ aliquã laryngi & faucibus occulto modo aduerſam habent, ea, quę ſanguini inflãmationem excitaturo ſuſcipiendo aptas reddunt, aut quocunque modo has partes vellicant & offendunt, & ſanguinis ad eas affluxui occaſionem præbent, ſicut cantharides veſicæ peculiari modo aduerſæ ſunt. Verùm de hoc dicetur infra, *quæſt.* 3. Nonnulli huc etiam referunt eam ſuffocationem, cuius Aretæus, *lib.* 1. *paſſion. acut. c.* 7. meminit, quæ accidat ex ſpiritus ad calidiſſimũ & ſicciſſimum conuerſione, quod aliqui de aëre illo craſſo, qui è carbonibus accenſis & muſto ac cereuiſia feruente attollitur, explicant. Verùm, vt poſtea, *in quæſtione* 1. dicetur, non loquitur Aretæus de cauſſa extrinſecus adueniente, ſed intrinſecus hærente, vbi vitiũ præcipuè eſt in pectore. Non tamen iſta ſuffocatio huc pertinet, ſed ad reſpirationem læſam vt poſtea dicetur. Neque enim omnis ſuffocatio angina dicenda eſt; aliàs enim & catarrhi ſuffocatiui ad anginam reducendi eſſent, ſed ea ſaltem, vbi nullo in pectore vitio exiſtente (quod tamen in ſuffocatione illa ab Aretæo deſcripta accidit) ob faucium inflammationem ſuffocationis periculum imminet. Vnde nec ardor in faucibus, qui in febribus ardentibus percipitur, & vulgò *die Breune* nominatur, cum ſcilicet fauces & lingua exſiccantur exaſperantur & denigrantur, angina nominandus eſt.

## *Differentiæ.*

Differentias anginæ quatuor recentiores Græci, vt ex Galeno, 4. *de loc. affect. cap.* 3. & Paulo Ægineta, *lib.* 3. *cap.* 27. & Tralliano, *lib.* 4. *cap.* 1. videre eſt, recenſent. Inflammantur enim ſeu φάρυγγος, id eſt, gulæ muſculi; ſeu laryngis, id eſt, gutturis ſeu capitis tracheæ arteriæ; ſæpe etiam, quæ vtramque hanc partem *Differentiæ*

connectunt. Has ergo differentias vt recentiores Græci etiam vocabulis distinguerūt, generica illa vocabula κυνάγχης & σινάγχης, cum aliàs specierum nominibus destituerentur, certis differentiis accommodauerunt.

Prima differentia nomine generis συνάγχη, ita dicta, vt Autoribus placet, quod suibus sit familiaris (quæ tamen differentia Græcæ linguæ analogiæ non respondet, ideoque potiùs à præpositione σὺν & ἄγχω nomen hoc deductum videtur) nominatur; vbi interni faucium musculi vel ambitus faucium interior inflammatur, ceruice quoque ad linguæ radicem simul comprehenso, & tumore foris ac intus apparente.

Secunda παρασυνάγχη, vbi externi faucium & colli musculi linguam & os hyoides contingentes, & qui œsophagum firmant ac retrahunt, sunt inflammati, tumore sese nonnunquam etiam ad pectus diffundente.

Tertia συνάγχη ita dicta, quod canes eâ frequenter corripiantur, aut quod homines eâ laborantes veluti canes sitibundi linguam exserant, cum inflammatio in internis laryngis seu gutturis musculis delitescit, & neque intus neque foris in ceruice tumor apparet, vnde etiam Latens angina appellatur, tantuque est dolor & spirandi difficultas tanta, vt æger erecta ceruice & ore hiante, ac linguâ exsertâ, canum sitientium more, spiritum trahere cogatur.

Cuius generis & illa est angina, quam describit Galenus, 4. *aphor.* 35. cùm, inquit, nullo, neque ore multùm aperto in faucibus, neque extrinsecus tumore apparente, æger deglutire non potest. Symptoma n. perniciosum est ob inflammationem musculorum gulæ substratorum, interdum verò gulæ ipsius morbum. Est enim partibus illis per neruos & ligamenta commune quid & societas cum spinali medulla & membranis ipsum ambientibus, ac postea hisce extrinsecus adiacentibus vertebrarum ossibus. Cum itaque ad partes inflammatas ligamenta & nerui tenduntur, vertebras quoque vel intrò, vel ad latus trahi necesse est, Nam si in altero tantùm neruorum exortu tensionem fieri contigerit, ad latus; si vtroque, intrò fiet vertebrarum distorsio.

Hoc loco facienda est mentio anginæ, quam describit Remb. Dodonæus, *cap.* 18. quam etiam latentem appellat, in qua circa laryngem & asperam arteriam talis dolor sit, vt nec contingi, quantumcunque leniter, citra grauissimum dolorem queant, sed nec moueri sursum, nec attolli. Quamobrem non spiritus tantùm cum difficultate trahitur, sed & cibus & potus, ægerrimè, aut non dimittitur. Inflammari autem statuit Dodonæus per huiusmodi anginam non interiores ac latentes laryngis musculos, (id quod sectione se deprehendisse scribit) sed pulmonem.

Verùm enim verò nulla est angina propriè dicta sine musculorum circa laryngem inflammatione. Itaque morbus, quem describit, vel non fuit angina, sed peripneumonia, quæ tamen ob communem membranam laryngem & vicinas partes in consensum traxit, vnde respiratio & deglutitio fuit læsa; vel fuit angina, quæ tamen subitò in peripneumoniam grauissimam mutata est.

Quarta est παρακυνάγχη, vbi externi præcipuè gutturis musculi inflammantur; tumor tamen intùs manifestè conspicitur, ore diducto & linguâ depressâ. Et cùm hæc quarta differentia, nisi medicamentis occurratur, facilè in κυνάγχην degeneret, & si affectus augeatur, etiam interni tandem musculi inflammentur; Galenus, 4. *de loc. affect. cap.* 3. in hac differentia tam externas, quàm internas gutturis partes affici scribit.

Verùm istam accuratiorem nominum distinctionem à posterioribus Græcis introductam Galenus, *loco modò allegato* & 3. *prognost. aph.* 18. non magnifacit, cùm omnis angina sit faucium, id est, partis ex gutture & gula constitutæ, inflammatio: & Hippocrates vno κυνάγχης nomine omnes istas differentias complexus est. Non prætereundum tamen, Hippocratem, *lib.* 3. *de morbis*, etiam in nominibus quandam differentiam obseruare, & duas anginæ species ponere; κυνάγχην, quæ sit angina grauissima, & παρακυνάγχην, quæ mitior sit.

Præter enumeratas istas quatuor anginæ differentias Galenus, 4. *de loc. affect. cap.* 3. addit quintam, ex 2. *epid. sect.* 2. ex luxatione vertebrarum ceruicis, quæ tamen potius ad anginam notham referenda est, nisi inflammatio ipsi coniungatur. Fit autem, vbi ceruicis vertebris ad anteriora luxatis fauces comprimuntur, cauo ponè in ceruice apparente. Quod accidit vel à caussis externis, ictu, casu; vel ab affluxu humoris pituitosi vincula vertebrarum laxantis, & vertebrarum internodia lubrica reddentis, aut copia sua vertebras sede suâ deiicientis; vel à vicinis musculis inflammatis, quibus vertebræ ad anteriora trahuntur, Atque vbi anginæ conjungitur inflammatio, vera angina est, dolorque etiam foris ad contactum in ceruice sentitur. Vide Hippocratem, 2. *epidem. sect.* 2. Galenum, 4. *de locis affect. cap.* 3.

Aëtius, qui quatuor illas differentias in tres contrahit, hanc vertebrarum ad anteriora luxationem quartā numerat, eamque propriè κυνάγχην à veteribus appellatam, aut quoniam, linguâ à luxata vertebra iuxta radicem suam à proprio loco depulsâ, æger hiante ore ac exserta lingua spiritum ducere cogitur, canum per æstum sitientium more.

Sunt & aliæ quædam anginæ differentiæ, quod scilicet inflammatio alia maior, alia minor est; vnde etiam maius vel minus periculum expectandum: & quod alia est à sanguine puro, alia à sanguine cum aliis humoribus mixto: vt & quædam epidemia est & maligna, alia malignitatis expers.

### *Signa Diagnostica.*

Anginam exquisitam ex iis, quæ hactenus dicta sunt, cognoscere non ita difficile est. Verùm cùm sit morbus periculosus & peracutus, qui celeri suo motu sæpe omnem Medici diligentiam superat, vtile est, etiā imminentis signa cognoscere, vt omni modo eius incrementum præcaueatur. *Signa.*

Si quis ergo sine manifesta causa collum vix mouere & vix deglutire potest, ac difficulter spirare incipit, & dolorem ac calorem insuetum circa fauces percipit, anginam imminere suspicio est, præsertim si tempus vernum & pluuiosum ac humidum sit, aut angina aliàs populariter grassetur.

Præsente autem anginâ, in quacunque etiam parte sit, adsunt inprimis duo: primò difficilis respiratio, citra aliquod thoracis ac pulmonis vitium, ita vt sæpe & suffocationis periculum immineat; vnde Plautus, *in Mostellaria, act.* 1. 3. *v.* 61.

*In anginam ego nunc me velim verti, vt veneficæ illi*
*Fauces prehendam & enecem.*

Deinde deglutitio difficilis, adeò vt nonnullis potus per nares resiliat Neq; enim deglutitio solùm œsophagi ministerio perficitur, sed etiam musculi duo à larynge exorti, œsophagici dicti ac circulatores, quod suis fibris transuersis semicirculum imitantibus œsophagum complectantur, cibi & potus deglutitionem atque ad inferiora detrusionem adiuuant, dum laryngem deglutitionis tempore sursum trahunt, vt descendenti cibo locum concedat: præterea etiam musculi faucium, dum ad suum principium contrahuntur, cibum ad œsophagum detrudunt. Hi ergo musculi cum in angina afficiantur, non mirum est deglutitionem lædi. Postea dolor circa guttur & fauces percipitur, rubor item & calor,

calor, plerumque & tumor, febris adeſt continua. Lingua ipſa intus tumet & rubet, quoddammodo coarctata eſt, vnde etiam eius motus impeditur.

Etſi enim in angina notha, quæ fit ab humore pituitoſo fauces occupante, febris non ſemper adeſt; in angina tamen exquiſita febris continua ſemper adeſt; ſeu vt ſymptomatica ex inflammatione generetur, ſeu ſit primaria, cui angina accedit.

Differentiæ quoque non difficulter patefiunt. In ſynanche eſt minor reſpirationis difficultas, deglutitionis verò maxima, vt etiam liquida vix tranſire poſſint, ſed potus ferè per nares reiiciatur. In paraſynanche inter omnes differentias reſpirationis difficultas minima eſt, & rubedo foris in ceruice conſpicitur, dolorque percipitur, ſi locus contrectetur; cùm inflammatio foràs vergat. Interdum etiam pectus rubet, quia ibi prorepunt duo muſculi ad cartilaginem ſcutiformē. In cynanche verò neque in faucibus intus, neque extrà in ceruice, quicquam ruboris vel tumoris apparet, & tamen fauces vehementer interim dolent cum metu ſtrangulationis, ita vt æger erecta ceruice & aperto ore ſpirare cogatur, lingua eſt liuida & nigra, &, vt ſcribit Hippocrates, 4. *de rat. vict. in acut.* inflexa vel retorta, ob ſummmam venarum circa linguam repletionem; adeſt quoque febris acuta. Seu, vt Hippocrates, 3. *de morb.* deſcribit; ex angina dicta homo ſuffocatur, & fauces magis occupare videtur, vt neque ſaliuam, neque aliud quicquam deorſum trahat, oculi affecti ſunt, & veluti iis, qui ſtrangulantur, prominent, & per eos contentè intuetur, neque eos conuertere poteſt, crebrò ſe iactat & exſilit, fauces & facies incendūtur, ac etiam collum. His verò, qui intuentur, nihil mali habere videtur, & viſus atque auditus hebeſcit, nihilque præ ſuffocatione intelligit, neque quid dicat, aut audiat, aut faciat, ſed iacet ore hiante ſaliuam effundens. In paracynanche reſpiratio non eſt tam difficilis, nec dolor tantus, & rubor ac tumor aliquis intus circa fauces deprehenditur. Si ex luxatione ſit angina, plerumque id accidit à cauſſis euidentibus & violentia. Poſtea etſi ſit ab inflammatione & affluxu humorum, deprehenditur ex inſpectione ceruicis. Ceruix enim circa primam & ſecundam vertebram excauatur, ob depreſſam vertebram, & difficilis redditur reſpiratio ob anguſtiam faucium ex compreſſione. Videatur etiam Hippocrates, 2. *epid. ſect.* 2. vbi incipit: ἢν δὲ τῶν κυναγχικῶν τὰ παθήματα τάδε, &c. Egregiè enim & prolixè eo loco deſcribit Hippocrates, eam anginæ ſpeciem, quæ ex vertebrarum colli λορδώσει & σκολιώσει, inclinatione & peruerſione oritur quem locum propterea Galenus, *lib.* 4. *de loc. aff. cap.* 3. dignum iudicauit, vt commentario eum explicaret. Videtur etiam *lib.* 2. *prorrhet. comm.* 2.

Signa cauſſarum & humorum ex aliis locis patent. Sanguis abundans ex habitu corporis aliiſque ſignis cognoſcitur, adeſt maior diſtenſio, color faciei eſt rubicundus, facieſque ruborem & calorem habet inſignē. Si adſit bilis, ardor & dolor maior eſt cum ſiti, oris amaritudo, & morſus circa guttur. Si ex pituitoſo ſanguine fit, dolor minor eſt, febris exigua, tumor citra inſignē ruborem. Et, vt Galenus, 4. *aphor.* 34. & 4. *de rat. vict. in acut. t.* 30. docet, ſanguis bilioſus plerumque laryngis prius muſculis quàm faucium, ſeu gulæ inflammationem parit, ſicuti pituitoſus ſanguis potius faucium ſeu gulæ inflammationem, & glandularum, quàm laryngis excitat. Cum enim laryngis venæ ſint exiles, in eas non niſi ſanguis tenuis penetrat; craſſus verò, qui eas penetrare nō poteſt, in faucibus potius & glandulis ſubſiſtit. Anginæ etiam bilioſæ maximè æſtate & autumno proueniunt: quod in æſtate bilis generatur, & in autumno retinetur, quæ æſtate genita eſt. At pituitoſa ferè fit ex pituita hyeme genita.

*Prognoſtica.*

1. Angina, teſte Galeno, 1. *aphor.* 12. & 2. *aphor.* 19. Tralliano, *lib.* 4. *cap.* 1. Celſo, *lib.* 4. *c.* 4. peſtiferum acutumque malum eſt, quod celeriter ad finem properat, ac periculo non caret, ægroſque laquei modo ſtrangulat & ſuffocat. Etſi enim pars abſolutè princeps non afficiatur: ea tamen pars afficitur: ſine qua cor, membrum nobiliſſimum, ſaluum eſſe non poteſt; quæ ſcilicet deſtinata eſt reſpirationi, & ſimul deglutitioni inſeruit, quorū neutro homo carere poteſt. Adeſt ſimul febris continua, quæ & cordis & ipſius corporis vires labefactat, ideoque Galenus, 1. *aph.* 12. hoc modo laborantibus ſalutis ſpem in virium robore conſiſtere ſcribit. Et ſuffocatur plerumque æger, vel quia tumor eò vſque creuit, vel tanta facta eſt vertebrarum colli luxatio, vt faucibus coarctatus ſpiritus planè percipiatur, vel quia rupto tumore pus in pulmones ruit eoſque implet. *Prognoſtica.*

2. Et quidem quò maior eſt faucium & gutturis anguſtia, eò periculoſior eſt angina, præſertim, ſi febris & ipſa ſit acuta. Atque ita κυνάγχη à poſterioribus Græcis in ſpecie deſcripta omnium periculoſiſſima eſt & grauiſſima, quæ intra vnam diem, plerumque intra 4. iugulat: de quo Hippocrates, 4. *aphor.* 34. *Si febrem habenti ſuffocatio repentè ſuperueniat, nullo tumore in faucibus exiſtente, lethale eſt.* Et 3. *prognoſt.* 16. & *in Coacis, Anginæ grauiſſimæ ſunt, & celeriter interimunt, quæcunque nihil conſpicuum faciunt in faucibus, neque ceruice, plurimum verò dolorem inferunt atque orthopnœā. Hæc enim in eodem die, & ſecunda, tertia, & quarta ſtrangulant.* Neque enim tum paruitas mali ſignificatur, quod nihil conſpicui ſeſe prodit, ſed quia magnus dolor adeſt, & ſumma reſpirandi difficultas, ſignificatur, tumorem in internis gutturis partibus hærere, ibique concluſum ſpiritui aditum præcludere, atque ita ſubitò ſtrangulare. Aliàs ſi reſpiratio & deglutitio non valdè lædatur, neque magnus dolor adſit, paruitas mali ſignificatur. Idem tamen Hippocrates, 3. *de morb.* κυνάγχην ad nonum diem protrahi poſſe docet.

Παρακυνάγχη paulò minori cum periculo coniuncta eſt, & poteſt diutius protrahi; de quo Hippocrates, 3. *prognoſt.* 17. *Quæcunque verò dolorem alioquin alteri ſimilem inferunt, in faucibus verò tumorem & ruborem excitant, valde quidem lethales ſunt, præcedentibus verò diuturniores, ſi magnus rubor adſit:* quia tandem in cynanchen tranſit. Sic mortua quinta die Phytonis vxor, 3. *epid. ſect.* 2. *t.* 7.

4. Minus periculi autem adhuc eſt à κυνάγχῃ, in qua plus leditur deglutitio, quàm reſpiratio. Homo enim ſine cibo & potu aliquantiſper viuere poteſt, non verò ſine reſpiratione, præſertim cum febris coniuncta eſt, eáque acutior. Et tumor ad interna vergens euocari longius & medicamentis digeri poteſt.

5. Leuiſſima eſt, & omnium minimè periculoſa Paraſynanche; quia inflammatio longius à gutture abeſt. Hinc Hippocrates, 6. *aphor.* 37. *Anginâ correpto, ſi tumor in collo appareat, bonum. Foras enim morbus fertur.* Et, 7. *aphor.* 49. *Ab angina detēto tumor & rubor in pectore ſuperueniens, bonum; quia extrâ morbus fertur.* Et 3. *prognoſt.* 18. *Quibus verò fauces & ceruix ſimul rubent, hæ ſunt diuturniores, & maximè ex ipſis liberantur, quibus ceruix & pectus ruborem contraxerit, niſi eryſipelas intrò recurrat.* Et, *aphoriſ.* 20. 3. *prognoſt. Securiſſimum eſt, ſi rubor quàm maximè foràs, in ceruicem ſcilicet & pectus, feruntur.* In his nimirum duabus differentiis neque dolore nimium vexatur æger, neque difficultate ſpirandi tenetur. Etenim cum partes hæ ſint glandulolæ, molles & laxæ, affluentem humorem ſine magna difficultate recipiunt, & quia laryngis muſculi non inflammantur, reſpirationis via non intercluditur. Eaſdem ſententias iiſdem ferè verbis tradit Hippocrates,

*lib. de Coac. pranot.* Hiſtorias autem & euentus differentiarum, 7. *epidem ſect.* 7. vbi deſignis anginæ epidemiæ loquens, tandem concludit: *In ſumma, qui ſolum deglutire non poterant, his valde mites, & toleratu faciles erant; peſſimè verò his, quibus vnà ſpiritus ſublimis erat.*

6. *Angina laborantes niſi celeriter cocta exſpuant, malè habent.* Hippocrates, *in Coacis.*

7. Angina biliosa periculoſior pituitoſâ; quia & dolorem maiorem & febrem, & maiorem reſpirandi adfert difficultatem.

8. Si in angina tumore, & rubore intus in faucibus apparente, rubor die non critico euaneſcat, remaneat verò tuberculum ſine dolore, quod nec naturæ nec artis beneficio ſuppuratur, mortem vel ruboris recidiuam minatur, ex 3. *prognoſt.* 19. Mortem quidem, quia relicta foris craſſa materia tenuior & feruentior intrò ad guttur conuerſa eſt, ruboris recidiuam, quia, materia calidior ex accidente aliquo intro repulſa eſt, non autem diſcuſſa.

9. Si in angina tumore & rubore foris apparente iſta ſubitò intrò euanuerit, malum; quia materia ad interiora recurrens ſuffocationem parit, ex 6. *aph.* 25. Niſi tamen criticè diſcuſſa aut aliò depulſa materia hoc fiat, atque æger melius habeat.

10. *Si febre detento repentè collum intorqueatur, ac vix deglutire queat, nullo tamen tumore intus vel foris apparente, lethale eſt,* 4. *aphor.* 35. ob luxationem ſcilicet vertebrarum.

11. Pueris angina ferè accidit ex vertebrarum ceruicis intrò luxatione, 3. *aphor.* 26. Huius curationem Paulus Ægineta, *libr.* 3. *cap.* 27. non aggreditur; cùm nullam, vti cenſet, illa recipiat; quod tamen intelligendum eſt non de luxatione, quæ ex crudorum humorum affluxu paulatim facta euenit, quæ antequam planè perficitur, curari poteſt; neque etiam ex crudo tuberculo, modò vertebras non planè ſuo loco deiecerit; quales fuiſſe videntur anginæ, quas Hippocrates, 2. *epidem. ſect.* 2. deſcribit ex vertebrarum colli luxatione facta, quorum tamen neminem, qui tum laborarunt, mortuum fuiſſe refert: ſed quæ fit ab inflammatione, vertebras diſtendendo violenter ſuo loco dimouente. Hæc enim omnino incurabilis; cum quia ipſa inflammatio reductionem vertebrarum prohibet, tum quia reſpiratio & deglutitio valde læditur.

12. *Quibus ex angina in pulmonem mali fit conuerſio, intra ſeptimum diem moriuntur; ſi verò hos effugiant, ἔμπυοι* id eſt purulenti *euadunt.* 5. *aph.* 10. & 3. *prognoſt.* 20. *Si anginæ materia in pulmonem conuertatur, deſipientiam affert, & ægri magnâ ex parte ἔμπυοι fiunt.* Ἔμπυοι enim fiunt abſceſſu rupto & in pulmonem effuſo; vapores verò calidi ſurſum exæſtuantes delirium excitant.

13. *Si ſtrangulatis & ſuffocatis, ita & anginoſis, ſpuma circa os appareat, lethale ſignum eſt,* 2. *aphor.* 43. Extremam enim cordis anguſtiam ſignificat, feruoremque ſummum, à quo materiam agitante ſpuma illa excitatur.

14. Quando in angina magna fit ſpirationis anguſtia, & ſpuma iam in ore apparet, nulla ſanitatis ſpes relinquitur, niſi æger adhuc viribus valeat, & nutrimentum appetat. Quando verò infirmo ægro febris inualeſcit, & facies ægri fit viridis, & ſinus oculorum denigrantur, extremaque frigent, & lingua nigra ac craſſa cernitur, lethale eſt. Nam in forti febre multâ inſpiratione opus eſt, quam angina negat, teſte Auicenna, *capite proprio.*

15. *In anginoſis ſubarida ſputa gracilium mala.* Hippocrates, *in Coac.* Angina enim talis eſt periculoſa, ſine tumore in collo & faucibus, vti, *prognoſt.* 2. dictum, quod plerumque ægri ſuffocantur. Et licet, quod rariſſimè fit, ſuppuretur: ſi tamen ſputum ſit ſubaridum, febrilem calorem maximè indicat, quo ſputum glutinoſum & craſſum redditur. *Qui enim, vt, ibidem,* habet Hippocrates, *anginoſi non celeriter exſpuunt cocta, lethaliter habent.*

16. Qui in angina tumores faucium ſine vlla ratione repentè euaneſcunt, lethales ſunt, in *Coac.* Etſi enim aliquando præcedente euacuatione vel repellentium vſu tumor ſubſideat: tamen ſi ſine his, atque ita præter rationem id fiat, malum periculoſum eſt, cùm non ſoluantur morbi manentibus iis, quæ eas faciunt, cauſſis. Significatur enim materiæ ad interiora receſſus; vnde periculoſior in partibus internis morbus excitari poteſt; vel quod interdum accidit, ad partem, vnde diſceſſit, repente iterum delata ſubitò ſuffocationem inducit.

17. *In anginis ſine ſignis dolores in caput conuerſi, lethale,* in *Coac.* Etenim cùm fiat ſine criſi aut materiæ tranſlatione, & manente eadem gutturis & faucium anguſtia, ac difficili reſpiratione: malum non imminui & tolli, ſed diffundi, & cerebro cōmunicari ſignificant. Eodem modo ſi in hypochondriis vel cruribus dolor excitetur, & angina non ſoluatur, morbi augmentum & humoris vitioſi etiam alias partes occupantis redundantiam ſignificat.

18. Qui vehementer ſuffocantur, narium pinnas exſpirando contrahunt, inſpirando verò dilatant. Galenus, 3. *epid.* 2. *comm. text.* 4. Cùm enim ob extremum ſuffocationis periculum aut caloris vehementiam membranarum reſpirationi inſeruientium motus neceſſitati ſatisfacere non poſſit, natura ad cartilagines illas diducendas ſeſe conuertit, quaſi aliquid commodi inde perceptura.

19. Soluitur autē angina vel tumoris διαφορήσει, cauſſa eius reuulſa, diſtracta, euacuata aut diſcuſſa, aut tumoris maturatione, & puris ex illo aperto euacuatione, aut materiæ ad aliam partem tranſlatione; quod ex doloris & tumoris ſubita ceſſatione, pulſuſque mutatione cognoſcitur. Optimum autem eſt, materiam diſcuti, vel tumoris maturatam materiam euacuari; aliò eam tranſferri periculoſum, vt iam dictum.

20. Transfertur autem materia vel ad cerebrum, vbi ſtatim dolor capitis grauis, deliria & phrenitis ſequitur; vel ad muſculos colli, vbi dolor & tumor, interdum & conuulſio excitatur; vel ad pulmones & pleuram, vnde dolor pectoris, tuſſis, difficilis reſpiratio oritur; vel ad cor, vnde tremor eius, ſyncope & pulſus obſcuritas excitatur.

### *Indicationes.*

Quas aliæ inflammationes habent indicationes; eædem & angina obſeruandæ, ſaltem partis affectæ habitâ ratione. Nimirum ſanguis & materia, quæ adhuc affluit, aut affluxura eſt ad partem affectam, reuellenda, deriuanda: quæ jam affluxit, adhuc tamen in paruis venis conſiſtit, vel in parte fluctuat, ne in partem recipiatur, atque in eo conſiſtat, repellenda, & in parte affecta forâs protrudenda per adſtringentia: quæ verò extra venas effuſa eſt in partis ſpatia, & repelli non poteſt, inſenſibiliter diſcutienda eſt per digerentia, quod tutiſſimum eſt; vel ſi digerentibus non cedat, & ad maturationem tendat, maturatio adiuuanda, & diligenter ſimul cauendum, ne adſtringentibus & refrigerantibus foris quocunque tempore applicatis materia intro repellatur; ſed relaxantia potiùs extrinſecus adhibeantur, quibus materia forâs euocetur, periculumque ſuffocationis euertatur. *Indicationes.*

### *Curatio.*

### VENÆ SECTIO.

*Curatio.*

Cum ergo angina ſit inflammatio, & quidem eius *Venæſectio.* partis,

partis, à qua præsens periculum suffocationis imminet, & à sanguine vel solo, vel cum alio humore mixto ortum habeat: in omni anginæ sanguinis missione & euacuatione opus est. Estque venæ sectio optimum præsentaneum & compendiarium in hoc morbo remedium. Ideoque vt sanguis ad fauces ruens reuellatur & euacuetur, periculumque maximè vrgens auertatur, venæsectio statim & sine omni mora instituatur, præmisso, si licet, clystere.

Et quidem aperiatur in cubito cephalica aut mediana, aut vtraque, si magna adsit plethora. Hoc enim modo, & venâ in brachio apertâ, & vniuersum corpus promptius euacuatur, & non parum sanguinis à parte affecta auertitur. Et primò quidem mediana, hinc cephalica aperiatur, si vtriusque sectione opus. Et si inflammatio alteram partem magis affligat, vena in opposito primùm brachio reuulsionis gratia, postmodum in latere eodem aperienda; aut si semel saltem venam aperire liceat, vena in eodem latere secetur. Si verò nullum lateris discrimen sit, aut dubitetur, vtra pars magis affligatur, sanguis ex dextro brachio emittatur; cùm hepar sit plerumque pars mittens.

Si menses vel hæmorrhoides suppressæ sint, quæ vena primò aperienda sit, Autores dissentiunt. Alij enim saphenam, alij venam in cubito primò aperiendam censent. Verùm distinctione hic opus videtur. Etenim si periculum non vrgeat, ex poplite vel talo sanguinis missio primùm instituenda, vt menses suppressi reuocentur, & sanguis ad partes distantes reuellatur: inprimis si purgationis tempus instet. Et si malum augeatur, mox vesperi aut sequenti die cephalica aperienda; non tamen neglectis reuulsionibus, quæ in cruribus institui possunt. Si verò morbus vrgeat, & periculum instet, quod plerumque fieri solet, mox vena in cubito aperienda. Periculosum enim est, neglecta cephalica cum affecta parte communicante, in distantissima parte venam secare. Venâ autem brachij apertâ postea venam in poplite aut talo secare licet. Sic enim & vrgenti affectioni, ac celerem reuulsionem & euacuationem requirenti, & suppressæ euacuationi satisfit. Imò sunt optimi Medici, qui in angina periculosa non solùm in suppressis mensibus venam primò in brachio secandam censent, sed etiam fluentibus mensibus. Et tali in casu, dum sanguis per venas superiores euacuatur, cucurbitulas femoribus affigendas censent, vt minor fiat sanguinis versus superiora retractio.

Euacuatur autem sanguis maiore vel minore copia, pro eiusdem abundantia, magnitudine ipsius affectus, & virium robore. Etsi verò fuerint, qui in angina etiam vsque ad syncopen sanguinem euacuandum censuerint, persuasi sententiâ Galeni, qui, 1. *aphor.* 23. scribit, in ardentissimis febribus, in maximis inflammationibus & vehementissimis doloribus, vsque ad animi deliquium sanguinem detrahendum esse: tamen Græci, Aëtius, *tetrab.* 2. *serm.* 4. *cap.* 47. Paulus Ægineta, *lib.* 3. *cap.* 47. Trallianus, *lib.* 4. *cap.* 1. vt & Arabes plerique, item Cælius Aurelianus, *lib.* 3. *acut. cap.* 4. & posteriores Medici plerique, sanguinem non semel atque confertim, sed sæpius & repetitis vicibus euacuandum censent; ne, si confertim euacuetur, animi deliquio superueniente, suffocatio, quæ antea vrget, augeatur, ægerque suffocetur. Quamquam enim ipsa inflammatio, si sit magna, tale præsidium requirere videatur: prohibet tamen id respirationis difficultas, & inprimis suffocationis periculum. Respiratio enim cùm sit actio vitæ valde necessaria, quâ ne exiguo tempore viuus homo carere potest: plus valet hîc prohibendo difficilis respiratio, quæ ex animi deliquio succedente ad largam sanguinis effusionem ita augeri possit, vt illicò suffocatus æger interiret, quàm magnitudo inflammationis eam indicando. Itaque vbi minor est spirandi difficultas, copiosiùs, si inflammationis ratio postulet, sanguinem mittere licet, vt inflammatis faucium musculis. Si autem respirationis difficultas valde vrgeat, id quod accidit, inflammatis laryngis musculis, cauendum est à larga sanguinis missione, quæ animi deliquium inducere posset, sed tum partitis vicibus, 4. vel 5. horarum interuallo sanguinem euacuare commodius est. Et repetita venæ sectio plus reuellit, quàm vna larga sanguinis euacuatio. Præterea cùm sæpe accidere soleat, vt ad partem affectam nouus affluxus fiat, repetita venæ sectio etiam humores iterum affluentes auertit. Videndum tamen, ne nimis parcè prima vice sanguis euacuetur ne, antequam alteram aut tertiam sectionem adhibere possimus, æger interim moriatur.

Et quidem primò in opposita parte vena aperiatur, deinde in brachio lateris affecti. Et si malum fert inducias, manè vna vena aperiri potest, vesperi vel sequenti die altera. Foramen non fiat nimis angustum, ne crassior sanguis intus remaneat, nec nimis amplum, ne spirituum magna copia dissipetur.

Grauidæ etsi sanguine emisso interdum abortiant, tamen in morbo tam periculoso necessitas postulat, vt sanguis, sed minore copia, detrahatur. Et plurimæ grauidæ ita sanguine abundant, vt venæ sectionem sine abortus periculo tolerare possint. Imò compertum est, nonnullas fœminas, nisi sanguis iis detrahatur, abortire, aut in alia mala periculosa incidere. Fiat autem sanguinis euacuatio ex vena cubiti.

Si phlebotomiā vires non ferant, aut saltem repetitam sanguinis euacuationem non tolerent, cucurbitulæ cum scarificatione apponantur cruribus, vel supra renes, postea etiam in brachiis, non in collo. Nam si statim in principio cucurbitulæ parti loco affecto propinquæ applicantur, maior ad partem affectam fluxus concitabitur, malumque augebitur. Postea verò in loco propinquo applicari poterunt; sicut venas sub lingua secare licet, vt postea dicetur. Simul etiam alia adhibeantur, quæ repellere possunt, vt lotiones & frictiones ac ligaturæ extremorum, & cucurbitulæ in partibus remotioribus, vt modò dictum.

### *Purgatio.*

Venæ sectione peractâ mox instituenda purgatio, præcipuè si bilis in corpore abundet, vt illâ pharmaci irritatione motus humorum fiat κατάῤῥοπος. *Purgatio.*

Cum autem anginæ coniungatur febris, de purgatione initio anginæ instituenda Autores dissentiunt, dum alii & plerique omnes Græci ac Arabes summum periculum attendentes, mox in principio purgandum esse censent; alij verò, inter quos præcipuus est Massarias, ad cruditatem humorum respicientes, purgationem in principio prohibent.

Verùm febris natura hîc attendenda. Nam, quod plerumque fieri solet, si febris vel præcedat anginam, vel simul cum ea inuadat, & materia peculiari motu naturæ humores vitiosos extrudere conantis ad fauces depellatur, atque ita humores turgentis materiæ conditionem referant, & errabundi quasi à natura è venis expellantur, nondum immobiles sint, & licet ad certam partem ferantur, vagabundi tamen adhuc quasi sint, & tales, qui etiam ad aliam partem mox moueri possint, sicut sæpe angina in pleuritidem & peripneumoniam mutatur; ad turgentē materiam meritò referuntur, & propterea ex consilio Hippocratis, 1. *aph.* 22. statim euacuandi sunt. Id quod etiam à doctissimis Medicis hactenus cum commodo ægrotorum factum fuit, & ipse etiam Hippocrates præcepit, *lib. de locis in hom.* & *lib.* 3. *de morb.*

Et omnino sum in ea sententia, etsi angina sit inflammatio:

flammatio: (quod & de pleuritide, peripneumonia, parotidibus & similibus affectionibus intelligendum) primam tamen occasionem ei præberi à cacochymia. (nisi caussa externa sanguinis affluxum excitet, vt spinæ vel ossicula gulæ infixa vel vertebrarum luxatio) Natura enim irritata à prauis humoribus, eos ad partes corporis externas detrudit, ad latera, tonsillas, fauces, post aures, ad inguina, & alias partes. Verùm vt in hæmorrhagiis narium criticis, quæ in febribus acutis à natura sæpe instituuntur, non præcipuè sanguinis, sed cacochymiæ caussa ea euacuatio à natura instituitur: ita & hîc natura quidem vitiosos humores expellere conatur, non tamen eos sine sanguine extra venas protrudit, sed cum sanguine permixtos extra venas in spatia partium effundit, vnde inflammatio excitatur. Et ipsi tales humores è venis effusi acrimonia & prauitate sua naturam stimulantes majori sanguinis affluxui occasionem præbent.

Si autem inflammatio præcedat, neque ea ex humoribus vitiosis à corpore protrusis ortum habeat, & postea febris sequatur; non adeò multum commodi ex purgatione prouenit, nisi forsan metuatur, ex affluxu humorum vitiosorum inflammationem augeri posse.

Et quidem maturè statim in initio instituenda purgatio. Narratque Alexander Trallianus, *lib.* 4. se eodem die sanguinem misisse & purgasse, his verbis: *Post missionem sanguinis, si nullus laxitatis sensus oriatur, sed cibi & aëris transitus adhuc impediatur, etiam venas linguæ subjectas incidere ne graueris, neque in crastinum differre, sed eodem die facito. Ego sanè memini, me, cum vsus valdè vrgeret, venam manè aperuisse, diluculo linguæ subjectas secuisse, & vesperi ex cremore ptisanæ extractum scammonij exhibuisse, atque ita laqueum ex inflammatione ortum vix potuisse dissoluere. Imò alium, quendam noui me, postquam brachiorum duorum venas in cubito secuissem, repurgasse, sequenti die non expectato.* Et omnino affectus grauitas sæpe purgationem ita vrget, vt statim instituenda sit, nec tempus matutinum expectari possit. Etsi enim & ad venæ sectionem, & ad purgationem horæ matutinæ sint commodissimæ, tamen vtraque etiam tempore vespertino institui potest, si quid mali impediat, vel, vt venæ sectio vel purgatio maturetur, vrgeat. Itaque si suffocationis periculum vrgeat, manè instituta venæsectione, vesperi exhiberi potest purgans. Sic non solùm Trallianus, vt modò diximus, vesperi purgauit, sed & Galenus, 14. *M.M. cap.* 8. in quodam, cui lingua tumefacta erat, vt ore contineri non posset, purgans vesperi exhibuit.

Eligantur autem purgantia, quæ febrim non augeant, nec humores valde agitent, cassia, manna, tamarindi, syrupus rosar. & violar. sol. rhabarbarum, electuarium diasebesten, diacatholicum. Si humor pituitosus admixtus sit, fortiora vsurpare licet.

Vt ℞. *Syrup. rosar. solut.* Vnc. iii. vel IV. *aq. cichorij* Vnc. ii. M.

Vel ℞. *Mannæ* Vnc. i. sem. vel Vnc. ii.

Dissolue in jusculo pulli, vel decocto prunorum, iterum colentur. Exhibeatur horis duabus ante prandium.

Vel ℞. *Rhabarb. elect.* Scrup. IV. *cinnamomi* Scrupul. sem.

Infunde in *decocti communis flor. & fruct.* vel *aqu. endiu.* Vnc. iii, *vel* Vnc. IV.

In colatura dissoluatur *mannæ* Vnc. i. *vel* Vnc. i. sem.

Colatura exhibeatur, postea detur seri lactis caprini ℔. i. vel ℔. i. sem. Ita enim purgatio sine insigni calefactione perficitur.

Vel ℞. *Electuar. de psyllio* Vnc. sem.

Dissoluatur supra ignem *in decocti florum & fructuum*, vel *pectoralis*; vel *aqu. cichor.* Vnc. iii. sem.

In colat. dissolue *mannæ* Vnc. i. Iterum coletur. Adde *syrupi violar.* Vnc. sem. M.



In humore pituitoso addatur agaricus. In melancholia admixta sena & manna exhibeatur. Sena enim & manna in actionis modo & tempore valde conueniunt.

Recentiores Chymici hic etiam vomitoria & antimonialia exhibent, sed nulla euidenti ratione adducti. Neque ea tutò in morbo, qui aliàs suffocationem minatur, exhiberi possunt. Ita refert Trincauellius, *lib.* 5. *cap.* 7. *de ration. curand. part. corpor. hum. affect.* fœminam quandam sumpto medicamento purgante, & quidem cassia saltem, excitato vomitu, statim strangulatam interiisse.

Verùm quia facultas deglutiendi plerumque est impedita in angina, frustra sæpe præscribuntur purgantia, quæ æger deglutire non potest. Rondeletius equidem pilulas dissoluit. Verùm vix hoc tutum est. Propter abominandum enim saporem facilè vomitus excitari posset, qui in hoc affectu minimè tutus. Et modò æger liquida deglutire possit, facilè alia purgantia concinnari possunt, vt pilulas dissoluere opus non sit. Vbi verò planè purgantia sumere æger non potest, clysteres acriores ex emollientibus, & cholagogis, & quidem, si febris acuta conjuncta sit, clementioribus constantes iniiciendi, & iterum atque deinceps reiterandi sunt.

Vt ℞. *Maluæ, parietar. mercurial. centaurij minoris*, ana. M. j.

Coqu. in aqu. simpl. Colat. ℞. ℔. j. adde *electuar. diacathol. de succo rosar.* an. Vnc. i. sem. *mellis rosat. colati* Vnc. i. *ol. viol.* Vnc. ii. *salis* Scrup. sem. F. Clyster.

Vel ℞. *Decocti emollient.* Vnc. IX. in quibus dissolue, *elect. diasebesten.* Vnc. i. *diaphœnic.* Drach. iii. *ol. violac.* ℥. i. sem. *sal. gemm.* Scrup. sem. M. F. Clyster.

Vel ℞. *Decocti fl. & fr.* Vnc. IX. in quibus dissolue, *elect. lenitiu.* Drach. VI. *de psyllio* Vnc. sem. *syr. rosar. sol.* Vnc. i. *sal. comm.* Scrup. i. M. F. Clyster.

### *Repellentia.*

Statim post primam sanguinis missionem purgantia vsurpanda sunt, ne inflammatio augeatur. Debent autem repellentia solùm intus in faucibus, non verò extrà adhiberi, ne materia magis ad interiora & versus fauces repellatur. *Repellentia.*

Vsurpanda verò sunt repellentia formâ gargarismorum & collutionum oris, vel linctuum. Etsi enim quidam & suffumigij formâ talia exhibeant: tamen cùm omnia, quæ in fumum resoluta ore & faucibus hauriuntur, guttur & fauces exasperare, & suffocationem augere soleant, à plerisque hic modus rejicitur. Et quidem forma gargarismorum seu collutionum vtilissima est. In infantibus tamen, qui gargarizare non valent, sæpe linctibus vtendum est.

In medicamentis autem inueniendis hîc non solum ad communem, quæ ex natura inflammationis sumitur, indicationem respiciendum, sed etiam ad partis affectæ conditionem. Nam cum, vt Galenus, 6. *de comp. med. sec. loc. cap.* 1. docet, non solùm rarior & mollior sit superficies tunicæ oris quàm est cutis, quæ totum corpus ambit, & præterea ex medicamentis aliquid facilè in ventriculum vel pulmonem defluere possit: sint illa talia, quæ omnis acris & malæ qualitatis, quæ fauces lædere, vel deglutita nocere possunt, expertia. Et cùm diutius in ore, vbi gustus sedes est, detinenda sint, quantum fieri potest, ingrato sapore careant, ne nobis accidat, quod Medico illi seu imprudenti, seu imperito accidit, qui cum, referente, *ibidem*, Galeno, gargarisma ex atramento sutorio constans adhibuisset, magnum cum insuauitate nocumentum gulæ & asperæ arteriæ extremitati ac ventriculo & pulmoni intulit.

Commendantur à Galeno, 6. *de comp. med. sec. loc. c.* 1. quatuor medicamenta; quod ex musto, quod *Quatuor medicamenta ex Galeno.*

ex moris, quod ex rubi moris,& quod ex nucum corticibus viridibus cum melle,quod in ſuauitatem & nimiam adſtringendi vim,quæ eſt in his ſuccis, temperat,conficitur.

Primum ex muſto fit,injiciendo ad decem muſti heminas,tres heminas rhois coriariorum, aut ejus, qui obſoniis inſpergitur, vel ex vtriuſque parte æquali. Cujus quidem plures aliæ deſcriptiones ibidem leguntur. Alterum ex moris ita fit: ℞. ſucci mororum heminas vi. ad ſtrigmentitiam ſpiſſitudinem coquito. Deinde tritas croci Drach.j.myrrhæ Drach.ii, omphacij Drac.j. alumin. ſciſſ.obol.iij.mellis heminam vnam addito. Vel ℞. croci Drach. ſem. alum. Drach. iii. ſem. iniiciatur, & paſſi hemina vna, & vini maris expertis auſteri hemina vna. Coctura autem fit vſque ad compagem melleam. Tertium fit ex mororum rubi ſucco, eodem modo, vt ex ſucco mororum. Quartum denique fit ex nucum corticibus viridibus, ſi eorum ſuccus exprimatur,per linteum excoletur,coquatur,& tandem mel,veluti in eo, quod ex moris fit, admiſceatur. Inter hæc autem medicamenta primum eſt mitiſſimum, ſecundum fortius, tertium adhuc fortius, quartum fortiſſimum, quod etiam præcipuè à Galeno commendatur. Hoc enim vim adſtringendi cum ſubſtantiæ tenuitate habet, atque ita profundiùs penetrat, cujus rei argumentum eſt, quod ſuccus ille manibus tractatus ita altè inficit, vt facilè abſtergi non poſſit. Vario autem modo, vt Galenus, *ibidem*, docet, ad diuerſa morborum tempora ejuſmodi medicamenta parantur. Si enim in ipſis adſtringens qualitas prævaleat,principiis conueniunt; ſi verò mitigatoria & laxatoria ac concoctoria, in doloribus & vigoribus inflammationum. Imò ſi vnum ſaltem horum medicamentorum præſtò ſit, id ipſum per aquam ſimplicem ſolui & per additionem parabilium cuiuis tempori & ſcopo accommodatum reddi poteſt.Sunt autem parabilia ex adſtringentibus,roſæ, & myrti baccæ, & myrtus & lentiſcus, & rubus, & rubus caninus, & galla omphacitis appellata, & Ægyptiæ ſpinæ fructus, omniaque aluminis genera. Poſt hæc parabilia ſunt rhus culinarius & coriarius,& ſuccus, qui ex Syria affertur: atque hic quidem per ſe admiſcetur, culinarius autem & coriarius rhus aqua prius decocti, vtiles miſtura fiunt. Eſt autem & glaucium ex parabilibus,& omphacium, & cytini, & balauſtia. Ex diſcuſſoriis autem parabilia moderata ſunt caricarum & furfurum decoctum & aqua mulſa,in qua origanum, aut hyſſopum, aut thymus, aut calamintha, aut pulegium, aut mentha odora, quam hedyoſmum vocant, ſint incocta: fortiora autem ſunt etiam hæc, ſi diutius coquantur, amplius autem & nitri ſpuma,aut ipſum adeò nitrum vſtum: fortius verò his eſt ſulphur viuum.Vtilis eſt & ſuccus malorum citriorum,&rob cornorum ac ſorborum, ſyrupus granatorum, myrtillorum, de roſis ſiccis,diamorum, vt & decocta & aquæ prunellæ, plantaginis, polygoni, maluæ arboreæ, folior. rubi, myrti, radic. pruni ſylueſtr. ſumach. ſem. roſar. balauſt. cortic. granator. hypociſtis, acacia. Atque ex his eligantur fortiora vel mitiora, prout major vel minor fuerit inflammatio, humorúmque affluxus, & prout corporum natura ſeſe habet. Mollioribus enim & fœminarum corporibus mitiora, fortiora durioribus adhibenda. Ita etiam in laryngis inflammatione primò mitiora adhibenda medicamenta, ne dolor & ſymptomata fortiorum vſu exaſperentur. Ideóque præcipuè illa valida adſtringentia, gallæ, balauſtia, ſumach. hypociſtis, vix ſola vſurpanda, ſed modicè ſaltem, vbi opus eſt, reliquis admiſcenda. Monendum & hoc, in angina, quæ à ſpina vel officulis, vel aliis rebus acutis gulæ inhærentibus fit, adſtringentia locum non habere. Talis enim inflammatio citò ad ſuppurationem duci poſtulat. Ab adſtringentibus verò tum dolor intenditur. Cùm enim talia corpus acutum infixum magis parti impingant,dolorem intendunt.

Attendendum & hoc,pro humoris inflammationem excitantis varietate medicamenta etiam varianda eſſe. In ſanguine enim & bile refrigerantium & repellentium vis intendenda; in pituita autem reſoluentium; in melancholia emollientium.

Succi vel illinuntur faucibus,vel diſſoluuntur in decoctis aut aquis,iiſque os colluitur potius; quàm vt gargariſmus fiat,ne nimia gargariſatione affluxus augeatur. Eædem collutiones oris ex aquis deſtillatis & decoctis plantarum modò enumeratarum parantur.

In principio ergo ſequens Gargariſmus vel Oris collutio vtilis eſt:

℞. *Hord.integr.*P.ij.*fol.prunellæ,plantag.*ana M.ſem. *flor.roſar.rubr.*P.ii.*balauſtior.*Drach.ſem. *fragor.exiccat.* Drach.i.ſem.*ſem.aceroſ.*Drach. i.

Coqu. in *aq.comm.* pro ℔.j.in qua diſſolue *ſucci cort. nuc. jugland. virid.* Vnc. j. *ſyr. granat.* Vnc. i. ſem.M.

Vel ℞. *Rad. althéæ* Vnc. ſem. *fol.rubi* M.j. *alumin. vſti* Drach ii.*ſacch.*Vnc.ſem.

Coq in *aq.comm.*pro Vnc.x.In quibus diſſolue *mell. roſat. colat.* Vnc. i. ſem. *ſucci myrtill. recent.* Vnc. i. Miſce.

Vel ℞. *Aq.plantag.prunell.roſar.*ana ℔.ſem.*aceti roſacei* Vnc.ſem. *ſucci granator.*Vnc.i.

In quibus diſſoluatur *diamori,rob.nucum,* ana Vnc.j. ſem pro Oris collutione.

Vel ℞. *Aq.radic.althéæ* ℔.i.Coq.in ea *flor.maluæ arboreæ.* Colat.adde *ſyr. de ſucco cydonior.*Vnc.iii.

Vel colluatur os lacte, in quo lens paluſtris cocta ſit.

Aliàs ſi dolor non vrget,ſola repellentia vſurpanda.

Vt ℞. *Fol. plantag. prunell.* ana M.ſem. *flor. roſar. rubr. maluæ arbor.* ana P. ii. *balauſt. ſem. cydon.* an. Drach.i.

Coq.*in aqua hordei* ℔. i.ſem. ad tertiæ partis conſumptionem.

Colaturæ adde *diamori,dianuc.*an.Vnc.i.M.

Vel ℞. *Summitat. rubi* M.j.*balauſt.cortic.granator.* ana Drach.i.Coqu in *aqua ſimpl.* Colaturæ ℔.j. adde *diamori,rob nucum*.an.Vnc.i.M.

Vel ℞. *Agrimoniæ,prunellæ,plantaginis,*ana M. j.*roſ. rubr.cortic.granator.ſem.acetoſæ,portulacæ,*ana Drach.ii.

Coq. in *aq.ſ.*ad ℔.i. Adde *diamor.dianuc. ſucci granator.* ana Vnc.i.ſem. F. Gargariſmus.

Vel ℞. *Aq.prunell.acetoſæ,roſ.rubr.*ana q.ſ. *diamori, rob ſambuci,*an.cochlear.i. Miſce.

Linctus etiam proſunt ex diamoro cum ſucco granatorum, vel ex ſyrupo de jujubis, myrtino, diamoro.

Si dolor ſit vehementior, admiſcenda ſunt medicamenta, quæ dolorem leniendi vim habent, & præcauent,ne fauces exaſperentur. In quem vſum lac vtiliſſimum,poſsúntque in eo coqui ſummitates rubi, reliquis etiam addi glycyrrh.jujubæ,paſſulæ.

Recentiores hîc laudant ſal prunellæ, ſiue nitrum præparatum,in oris collutionibus.

Deinde ex Conradino, *lib. de feb.Vngar.c.*19.hanc Aquam:

℞. *Semperuiui maj* q.v.

Contundatur ſuccúſque exprimatur, & ſingulis ℔. addatur *ſalis ammoniaci* Vnc. ſem. reponantur in loco humido, donec ſal liqueſcat. Poſtea aqua deſtilletur, quâ fauces colluantur. Si verò hæc aqua in promptu non ſit, ſumatur *aqua ſemperuiui vulgaris*, & in ejus libra vna diſſoluatur *ſalis ammoniaci* Drach. j. ac modo dicto adhibeatur.

Vel ℞. *Cancros viuos* Num. viij. *ſedi major.* M. iiij.

Contundantur, & succus exprimatur, quo fauces Colluantur.

Vel ℞. *Aq.semperuiu.maj.* ℔.i.ß.& admisc.succum ex quatuor cancris viuis expressum.

Verùm ista etsi in angina etiam suum locum habere possint: tamen ab Autoribus horum medicamentorum inuenta & vsurpata sunt ad linguæ ardorem, siccitatem, & nigredinem in febribus ardentibus, quod malum vulgò *die Breune* nominatur, quod ab Angina differre, suprà diximus. Istud enim faucium & linguæ incendium & siccitas febrium acutarum symptoma est, neque ab eo tàm subitò suffocationis periculum, vt in angina, imminet.

Valde etiam in hoc affectu prodest cassia extracta cum aq.plantag.dissoluta, & collutionis loco adhibita, vt & decoctum cortic.ligni berberum, vel cortic.interioris coryli; vt & decoctum auenæ rubescens, item decoctum fol. & cymarum cerasi arboris. Pauperiores vtantur aquâ fabrorum, vel aquâ & aceto inuicem mistis, vel aquâ hordei.

Notandum autem hîc in vniuersum, quæcunque in calidæ valde & sanguineæ anginæ incremento & statu imponuntur, eadem pituitosæ initiis præscribi posse. Et quæ declinantibus illis, eadem vigentibus his debent adhiberi.

### *Deriuantia.*

*Deriuantia.* Postquam venæsectio in cubito & purgatio est instituta, etiam venæ narium, & quæ sub lingua sunt, aperiantur, aut hirudines venis narium, frontis, post aures & ceruici applicentur. Nonnulli & scarificationes aurium adhibent. Trallianus, vt suprà dictum, eodem mox die, non expectato crastino, venas linguæ subjectas incidit. Sed Galenus, neque sine ratione, in principio anginæ venam in cubito secat, vt reuellat, quod influit; post principium autem venas sub lingua, vt, quod in parte affecta vel locis vicinis collectum est, euacuetur, *in lib.de curand.ration.per sanguin.miss.cap.* 9.& 4. *de ration.victus in acut.aph.* 30. Si tamen morbus admodum velox esset, primo die venam sub lingua cum Tralliano secare liceret.

### *Digerentia.*

*Digerentia.* Malo procedente & augescente, quod secundo & tertio die accidere solet, propositis repellentibus digerentia admiscenda. Monéntque hic doctissimi Medici plerique, in angina rarissimè solis repellentibus, & non, nisi cum imminet inflammatio, aut vbi primùm incepit, vtendum esse, & contrà solis discutientibus vix etiam vnquam vtendum esse, atque in eo differre curationem anginæ ab aliarum partium inflammationibus, in quibus in principio sola repellentia vsurpantur; post statum verò repellentia omitti possunt: idque ob partis affectæ naturam. Cùm enim partes, quæ in angina afficiuntur, ferè sint laxæ & molles, citóque inflammationem admittant, etiam in principio discutientium aliquid addendum, ne humor, qui influxit, nimio refrigerantium vsu impactus hominem suffocet; in fine etiam aliquid adstringentium addendum, vt partes roborentur, & ne solo discutientium vsu in parte laxa & molli major vel nouus humorum affluxus concitetur. Vbi ergo morbus augmentum sumpsit, gargarismis vtendum discutientibus ex decocto thymi, pulegij, calaminthæ, hyssopi, origani, betonic. glycyrrh. flor. chamæmeli, meliloti, sem.lini, fœnigræci, & similibus.

Vel ℞. *Glycyrrh.rec.*Vnc.i. *passul.mundat.* Par.x. *dactyl. caricar.* ana Par. IV. *sem. althéæ, fœnigræci*, ana Drach. ii. *hordei integri* P. i. *flor. violar. chamæmeli*, ana P.sem.Coq. colaturæ adde *mell.rosf.col.* Vnc. ii. *ciner. hirund.* Drach.ii. *croci* Scrup.sem.F.Gargarismus.



Vel ℞. *Hyssopi, puleg.*ana M.sem. *betonic.*P.ii. *rad. glycyrrh.*Drach.iii. *passul.minor.*Vnc i.

Coq.in s.q. *aq.fluuiat.*pro Vnc. ix. In quibus dissolue *oxymel.simpl.*Vnc.i. *diamori* Drach.vi.M.

Vel ℞. *Aq.althéæ* ℔.sem. *hyssop.*Vnc.ii. *syr. de betonic.*Vnc.i.sem.M.

Vel ℞. *Fol.plantag.prunell.*an M.sem. *balaust.flor.rosar. rubr. chamæmel.*ana P.j. *caricar. pingu.* N.iii. *hordei* M.sem. *sem.lini, fœnigræc.*ana Dra.i. Coq.in aqu.simpl.

Colaturæ ℞. ℔.j. Cui adde *mellis rosacei col.* Vnc.i. sem. *dianuc.*Vnc.i.sem. F.Gargarismus.

Commendatur & aqua è fol.& flor.periclymeni. In statu augeantur discutientia & emollientia. Galenus consistente fluxu crocum & myrrham addit, quæ concoquere & discutere valent, crocúsque similiter leniter adstringit. Vt:

℞. *Fol.prunell.violar.*ana M.j. *scabios.malu.arbor.*an. M.sem. *flor.chamæmel.melilot.*ana P.j. *glycyrrh.ras.*Drac. iii. *sem.fœnigræc.*Drach.ii. *caricar.pingu.* N.iii. *passular.* Vnc.sem. Coqu.in aqu. hordei s.ad tertiæ partis consumptionem.

Colaturæ ℞. ℔. i. In qua dissolue *cassiæ recent. extract.*Vnc.sem. *myrrh.*Drach j. *croc.* Drach.sem. *mell.rosat. colat.* Vnc.i. Misce pro Gargarismo.

Ad dolorem leniendum valet succus ex pane albo in aqua vel lacte cocto expressus, item cremor ex furfuribus tritici expressus, vt & mucilago semin.lini, cydonior. althéæ, succus prisanæ, lac amygdalarum dulcium, & sem. 4. frigid. major. item cassia cum parte æquali olei amygdalarum dulcium mista.

Declinante tandem morbo coquitur aliquid de nido hirundinis, aut dissoluitur in colatura cinis combustarum hirundinum & cochlearum combustarum, vel, quod nonnulli pro secreto habent, cancrorum combustorum, aut cribratum album canis, aut gallinæ. Illinire etiam licet faucibus illa stercora melle excepta.

### Extrà adhibenda:

### *Exsiccantia, & resoluentia.*

Dum hæc intus faucibus adhibentur, tentandum omni modo, vt inflammatio exteriora versus trahatur & discutiatur, in quem vsum multa passim ab Autoribus proponuntur, vt oleum dulce, amygdal.dulc. chamæmeli, anethi, lilior. alborum, quorum aliqua spongia vel lana succida applicari possunt, succus cucumeris syluestr.melle subactus, & hujus generis alia. Inter quæ tamen ab initio, & vbi corpus non satis euacuatum fuerit, mitiora eligenda, ne humoribus attractis malum augeatur. *Externa.*

In principio ergò & prima statim die anterior colli pars illinatur oleo chamæmelino, amygdal.dulcium, vel liliorum alborum.

Vel ℞. *Ol.lilior. alb. amygd. dulc.violac.* an.Drach. ii. *pingued.capon.*Drach.i. *empl.de meliloto* q.s. M.F.Linimentum.

Vel ℞. *Mucilag. gummi Arabici, tragacanth. sem. cydonior.aq.rosf.extr.* an.Drach.ii. *butyri recentis insulsi, pingued porcin.*ana Drach.i. *stercor.hirund.* Drach.sem. *ol. irini, chamæmel.* ana q.s.

MF. Linimentum.

Præstantius est Vnguentum Varandæi, quod

℞. *Pulu.nidi hirund. stercor. canis jejunio macerati, columbini,*ana Vnc.i. *rad.iraos, flor.chamæm.* an.Drac ß. *pingued. gallinar.* Vnc.sem. *ol.lilior.alb.*Vnc.i.sem. *ceræ flauæ* parum.

M. pro Vnguento, quo collum & partes tumentes inungendæ.

Vel parentur cataplasmata ex farina vel cremore sem.lini, fœnigræci, althéæ, maluæ, hordei, flor.chamæm meliloti, & similibus.

Vel ℞. *Farinæ hordei*, *pulpæ passul.*an.Vnc.ii. *pulu. rad. althéæ* Vnc. i. Cum *ol. amygd. dulc.* Fiat Cataplasma.

Hoc etiam vtile est:

℞. *Farin.hord.*Vnc.1. *mucilag.sem.lini* & *althéæ cum aq.maluæ factæ*,an.Vnc.sem. *pulu. flor.chamæmel.*Drach. iii. Cum *oleo chamæmel. amygdal.dulc.*ana s. q. F.Cataplasma.

Nidum etiam hirundinis cataplasmatis modo foris applicandum admisceri vulgatum est,idque cum commodo ægrorum fieri, vsu deprehensum;de quo postea, *quæst.*4. dicetur.

Vt ℞. *Nidum hirundin.* N. i. *fol. maluæ*, *violar.* ana M.i. *flor. chamæmel. melilot.* ana M.sem. *rad.althéæ* Drach. vi. *lilior. albor.* Drach. ij. *ficuum* N. iiij. Coquantur ad mollitiem. Contusis adde *farin. sem. lini*, *fœnigræc. hordei*, ana Drach.iii. *croci* Drach. ii. *butyri recent.* Vnc. sem. *olei amygdal. dulc. chamæmel. viol.* ana q. s.

Fiat Cataplasma ad anteriorem colli partem.

Vel ℞. *Nidum hirundinis*, Coq.in *decocto radic.althéæ* ad pultis consistentiam. Adde *ol. amygdal. dulcium*, *anethi*, ana Vnc. ii. *croci* Drach. j. *cassiæ* Vnc.i. sem. Fiat Cataplasma.

Vel ℞. *Farin. tritic.* Vnc.ii. *sem.lini*, *fœnigræc.* ana Vnc. j. *caricar. pingu.* Vnc. sem. *nidi hirundin. contusi*, Vnc.i. Cum *oleo lilior.albor.* Fiat Cataplasma.

Vel ℞. *Stercor. hirund.* Vnc.i. *farin. fabar.* Vnc. ii. *ol.chamæmel lilior.albor.*ana q.s. Fiat Cataplasma.

Paratur & tale Emplastrum vel Cataplasma ex nido hirundinis:

℞. *Nidi hirundinis* Vnc. ii.*vnguenti dialthéæ*,*œsypi*, ana Vnc. i. sem.*rad. iridis* Drach.ii. *ol. irini*, *lilior.alb.* ana Vnc.sem.*ceræ flauæ* q.s.Fiat Emplastrum.

## *Cataplasma de nido hirundinis D. Pauli Lutheri:*

℞. *Pulu. nidi hirundin.* Vnc. iii. *radic. alth. chamæmeli*, an. Drach. iii. *fœnigræc.* Vnc.sem. *mucilag.ficuum cum aq.chamæmel. expr.* Vnc.i. *ol. chamæm. lilior. alb.amygd.dulc.*ana Vnc.sem.Fiat l.a.Cataplasma.

## *Aliud Emplastrum ex nido hirundinis:*

℞. *Nidor. hirundin.* N.j.Coq.*in aq. malu*,Vnc.vi. Postea colentur & exprimantur fortiter.

In colatura coq.*rad.malu.bryon.althéæ*,ana Scrup.ii. *sem. lini* Drach.i.*nigell.*Scrup.i.*herb.violar.parietar.*an. Drach,ii.*ol.lilior.cheirini*, *axung. porcin.* an. Drach.iii. *ceræ* Drach.ii. F. l. a.Emplastrum.

Aliud ex cineribus hirundinum & albo græco paratur h.m.

℞. *Ciner. hirund. stercor. canis per jejunium emaciati*, ana Vnc .sem.*pulu. croci*, *flor. spicæ*, ana Drach.i. *benzoës* Drach. sem.*mellis* Vnc.iii. F. Cataplasma.

Vtile est etiam cataplasma ex medulla cassiæ cum oleo chamæmeli, & vnguentum dialthéæ, & emplastrum de meliloto.

Vel ℞. *Sem. cymini* Vnc.j. *absinthij viridis contusi*, *farinæ hordei* an.Vnc.sem.*albi græci* Vnc.iii.

Cum melle F.Cataplasma.

Vel ℞. *Furfuris tritici*, *albi græci*, ana q.v. Cum *melle* F. Cataplasma.

Laudatur etiam epithema ex aq. scabios. ℔. j. & spir. vini Vnc. j. loco affecto admouendum.

Fortiora fiunt emplastra, si aliquid fermenti vel cepa sub cineribus cocta addatur. Nonnulli etiam mel anacardinum & vesicatoria applicant. Notandum etiam, vt medicamenta ista semper calida actu applicentur.

Si materia rebellis digerentibus non cedit, etiam in parte affecta vel ei vicina cucurbitulas affigere licet, sub mento scilicet, si tumor circa fauces & maxillas existat; in collo verò inter 2. & 4. vertebras, cùm affectis internis musculis tumor foris non apparet. Et si materiam ad externa vergere videmus, adjuuandus est motus materiæ appositis ceruici cucurbitulis cum scarificatione, vt sanguis ad circumferentiam extrahatur.

## *Maturantia.*

Si verò malum discutientibus non cedit, indicio est, ad suppurationem tendere; quod plerumque quarto vel quinto die contingere solet. Quod si animaduertatur, adjuuanda est maturatio, tum externis, tum internis medicamentis. Intus quidem vtile est frequenter cassiam extractam, seu medullam cassiæ in ore tenere, vt paulatim liquescens in gulam descendat. Lenit enim, maturat & resoluit. Gargarismi verò & collutiones fiunt ex lacte tepido cum saccharo, vel ex decocto radic. althéæ, maluæ, lilior. alb. caricarum, dactylorum, jujubarum,passularum. *Maturantia.*

Vel ℞. *Fol.malu. violar.* an. M.j. *scabios. summitat. meliloti*, an. M. sem. *nidi hirundin.* Vnc.sem. *caricar. pinguium* N. v. *passular.* Vnc. sem. *semin. lini* Drach.ii. *cydon.* Drach. i. Coq. in *aqua hord. simpl.* Colat. adde *sapæ* Vnc.ii.

F. Gargarismus.

Vel ℞. *Passular. exacinar.* Vnc. i. *glycyrrh.* Vnc. sem. *caricar. pingu.* N. v. *sem. althéæ* Drach. ii. *cydonior.* Drach. i. Coq. in *hydromel.* vel *aqua* pro Gargarismo.

Vel ℞. *Dactylos* N. ii. *caricar. pinguium* Vnc. sem. *chamæmel.* p. i. *sem. lini. fœnigræci*,ana Vnc.i.

Coq.in aq.s.ad mediet.consumpt.

Colat. ℞. ℔. j. in qua dissolue *sapæ* Vnc.ii.M.F. Gargarismus.

Extrà verò applicari possunt emplastra maturantia, ex farina & remanentiis decocti sem. lini & fœnigr. cum butyro non salito, adipe gallinæ, & oleo lilior. alborum, & quæ antea fuerunt proposita, ex nido hirundinis.

Vt ℞. *Nidi hirund. pulu.* Vnc.sem. *sem. lini*, *fœnigræc. rad. althéæ*,ana Vnc.sem.

Coqu. ad formam pultis, & addatur *ol. chamæmel.* Vnc.j.

Fiat Cataplasma.

Vt autem faciliùs rumpatur abscessus, aliquid nitri vel cineris hirundinis vel stercoris canini addi potest.

Vel ℞. *Sem. sinapis* Drach.i. Coq.in *hydromel.*℔.j. Pro Gargarismo.

Nisi sponte abscessus rumpatur,æger, vt screatu & leni tussi vel vi id præstet, conetur. Nonnulli præcipiunt, vt æger spongiolam filo alligatam, aut carnem salsam semicoctam deglutiat, vt filo attracto abscessus rumpatur. Alij panis crustam deglutire jubent. Verùm cum liquidus cibus vix deglutiri possit,multò minus solida deglutientur.Commodum ergo, ceream, candelam oleo amygdal. dulc. illitam in œsophagum immittere, vt ita rumpatur abscessus. Alij hiante ore linguam deprimunt, & cultro ligneo acuto, vel scalpello tumorem, si conspiciatur, aperiunt. Quæ omnia tamen cautè peragenda, ne in periculum suffocationis æger conijciatur.

Abscessu rupto, ne pus in pulmones aut gulam influat, id prono capite exspuat æger. Postea vlcus extergatur collutione vel gargarismo cum hydromelite vel aqua saccharata, vel decocto hordei adjuncto

melle

melle. Et si post puris euacuationem vlcus quiddam sordidum, vel putridum præ se ferat, fortius detergentia & putredinem inhibentia vsurpanda, qualia suprà, *in vlceribus oris*, proposita sunt.

Vel ℞. *Fol. scabios. agrimon.* an. M. j. *nucum cupressi* ʒ. j. *radic. aristoloch. longæ, iridis Florentinæ*, an. ℥. ß. *flor. rosar. rubrar.* p. ij. *myrrhæ* ℈. j.

Coq. in *hydromelite* ad ℔. j.

Ad consolidandum vsurpetur linctus ex bolo Armena cum syrupo vel melle rosato; aut puluis ex thuris, myrrhæ, rosarum, boli Armenæ æqualibus partibus. Qui si melle excipiatur, forma linimenti exhiberi potest. Interdum tamen accidit, vt angina neque resoluatur, neque etiam intus tumor rumpatur, idque cum summo ægri periculo. Cùm enim, vt suprà etiam dictum, detur anginæ species, eaque deterrima, in qua nullus tumor, nulla rubedò, intus, vel extra apparet, ægroque tamen suffocationis periculum imminet, cuius Hippocrates, *in prognost.* Galenus, 4. *de loc. aff. cap.* 3. Aetius, *tetrab.* 2. *serm.* 4. *cap.* 47. meminerunt, in qua aliis remediis nihil proficitur: in vltima desperatione sub maxillis & supra collum altioribus plagis scarificationem nonnulli instituerunt, & ægrum à suffocatione imminente liberarunt, nonnunquam pure, nonnunquam sanguine effluente, ægróque ita leuato: vt postea reliquis præsidiis locus esset. Qua de re scribit Anton, Beniuenius, *de abdit. morb. causs. cap.* 38. *Angina laborabat Nicolaus Rota, sed nullus tamen rubor, aut tumor, vel intus in gula, vel extrà videbatur, & ipse nihilominus vix spiritum trahens, quicquid præterea edendum sumeret, per, os statim & nares reiiciebat. Quare cum arescente corpore, pallente iam facie, ac vertentibus oculis spes omnis sublata esset, & Medici, quibus cura demandata fuerat, ægrum non amplius adirent, me, licet iuniorem, conuocant, ægrum ostendunt, &, quæcunque acta fuerant, exponunt. At ego cum & ægrum ipsum ad mortem tendere, & Medicos, quæcunque opportuna fuerant, præsidia adhibuisse intelligerem, cœpi mecum ipse cogitare, satius ne esset, ægrum ipsum Deo, & Naturæ, vt cæteri Medici, incuratum dimittere, an aliquid, licet insolitum, vtile tamen auxilium experiri. Verum adhortantibus his, qui ægro assistebant, consilium capio, & locum altioribus plagis sub ipsis maxillis, ac etiam supra collum incido, ex quo cum sanies multa prorumperet, adeò morbus leuatus est, vt faucibus ipsis spiritum simul, & cibum capientibus facilis deinde ad bonam valetudinem ægro ipsis daretur regressio.*

Hoc etiam in curatione anginæ animaduertendum, semper vsque ad morbi declinationem aliquid detergentis medicamenti admiscendum esse, sicut in omnibus inflammationibus, quæ tenui cute teguntur, per quam semper aliquid resultat; id quod in angina copiosissima sæpe sputi reiectio monstrat. In quem finem mel commodè adhibetur.

Atque vt vsum topicorum hactenus propositorum in summam contrahamus; in principio vtendum repellentibus & nonnihil abstergentibus; in augmento abstergentibus & repellentibus parum digerentium admiscendum: in augmenti fine & circa principium status abstergentia cum æquali quantitate digerentium & adstringentium permiscenda; in declinatione tandem ferè solis digerentibus vtendum, & pauxillum saltem roborantium & adstringentium admiscendum.

## *Specifica medicamenta.*

*Specifica.* A proprietate prodesse traduntur fungus sambucinus coctus & bibitus, & foris etiam impositus. Lignum quoque hederæ à proprietate valere dicitur ad apostema gutturis. Vnde Iohannes Marquardus, *in practica*, scribit, quod comedens ex cochleari de ligno hederæ, vel bibens ex vase hederaceo nunquam vel rarò in apostema gutturis vel vuulæ incidat. Commendatur & ad tumores faucium rumpendos, si in decocto radicum althéæ & ficuum cum momento zingiberis, addita vini quarta parte, maceretur, & decoctum diu in faucibus teneatur.

Commendant etiam tanquam expertum lupi guttur seu asperam arteriam, si angina laborans per eam bibat. Laudatur & hirundinum puluis, si sale aspersi vnà cum pennis in fictili comburantur, & cinis melle mixtus illinatur. Galenus, 6. *de compos. med. sec. loc.* Et Celsus. *lib.* 4. *c.* 4. scribit: *Vulgò audio, si quis pullum hirundinis ederet, anginâ toto anno non periclitari, seruatumque eum ex sale, cum is morbus vrget, comburi, carbonemque eius contritum in aqua mulsa, quæ potui datur, infricari & prodesse.*

Laudant & filum sericum purpura tinctum, quo vipera strangulata sit, collo circumligandum, Galenus, 6. *de simp. med. facult.* Varignana, *l.* 7. *de cur. morb. c.* 1. Commendantur & exuuiæ serpentis in oleo amygdal. dulc. coctæ, si in oleo illo linteum tingatur, colloque circumponatur. Stercus item canis ossa comedentis, vt & cochleæ cum testis vstæ, & cancri vsti. Item rasura dentis castorei Scrup. j. vel Drach. sem. pondere in aqu. scabiosæ propinata; vel rasura dentis apri, si eius Scr. j. cum ol. amygdal. dulc. recent. Vnc. sem. misceatur, & cum saccharo cando albo dulcoretur ac assumatur.

Reiicit tamen hæc à proprietate substantiæ medicamenta Petr. Paulus Pereda ideò, quod angina est morbus manifestus, non occultus. Et non abs re est medicamentorum quorundam, quæ à proprietate substantiæ hîc prodesse creduntur, rationes reddi posse. Ita stercus hirundinis & canis, vt & cochleæ & cancri combusti proculdubio vi exsiccandi & discutiendi, quam à sale inprimis habent, hic prosunt. Si quæ verò sunt medicamenta, quorum caussa facilè reddi non potest, illa proculdubio caussæ anginæ opponuntur, in qua aliquid maligni & occulti inesse potest. Qua ratione forsan filum purpurâ tinctum, quo vipera strangulata fuit, prodest. Refert etiam Cardanus, *lib.* 7. *de varietate rerum, cap.* 25. quod rubeta cocta & pro emplastro imposita adeò anginosis prosit, vt quendam hoc auxilio iamjam moriturum liberarit; creditque & filum, quo rubeta suspensa interiit, conferre Vide etiam Plinium, *lib.* 30. *cap.* 4.

## ΛΑΡΥΓΓΟΤΟΜΙ'Α

Si extremum suffocationis periculum immineat, & metuendum sit, ne antequam materia discutiatur, vel maturetur homo suffocetur, vt æger seruetur, λαρυγγοτομία quæ φαρυγγοτομία à Paulo Ægineta, *lib.* 6. *cap.* 33. nominatur, seu incisio tracheæ sub larynge inter duos annulos tertium & quartum & quintum tentanda. Quod antiquum iam ab Asclepiade & Anthillo vsurpatum est remedium, vt ex Paulo Ægineta, *loco citato*; & Cœlio Aureliano, *lib.* 3. *acut. c.* 4. videre est: de quo postea, *quæst.* 5. dicetur. Modus operandi in Institut. *lib.* 5. *p.* 1. *s.* 2. *c.* 7. propositus est.

## *Diæta.*

Aër sit temperatus. Sedeat aut decumbat æger erecto corpore & omnino ea figurâ, quà se leuari senserit. Victus sit tenuissimus, cremor ptisanæ, & in nostris regionibus ius pulli & carnis, ac, si vires requirũt, oua sorbilia. Vtilia quoque sunt pruna & passulæ cum saccharo decocta, & iuscula cum lactuca, portulaca, & sem. quatuor frig. maior. alterata. Potus sit aqua hordei, syrupo violato, vel syrupo de succo citri dulcorata, vel aqua mulsa, vel cereuisia tenuis. Vinum, & omnia quæ fluxionem humorum commouere & febrem augere possunt, vitentur.

Quod si æger planè deglutire non possit, nonnulli

nulli cannulam intra gulam immittere iubent, ac deinde liquidum alimentum per eam infundere, modò inflammatio ad illas partes non pertingat, Alij fistulæ bubulam vesicam alligant, sicut in clysteribus fieri solet, eamque succo nutriente implent, eiusque extremitatem initio gulæ apponunt, vesicamque comprimunt, vt liquor in œsophagum descendat,

Quæ omnia si frustra tententur, ad clysteres nutrientes confugere licet, de quibus in Institut. dictum. Perfecta equidem nutritio inde sperari non potest; iuscula tamen talia bene nutrientia & facilis coctionis, si in tenuiorem quandam chyli substantiam conuertantur, corpus nonnihil reficere possunt, donec via iterum alimentis per os assumendis patefiat. Nonnulli etiam odore panis & carnium vaporibus ægrum reficiendum censent.

De epidemia angina anni 1565. vide Dodonæum, *obseru. cap.* 18. Et de cynanche, quæ intra 10. horas iugulauit, Antonium Brassauolam, *in comment. aphor.* 10. *sect.* 5. & de alia, quæ 12. horis ægrum sustulit, Amatum Lusitanum, *Centur.* 7, & de alia, quæ horis 12. iugulauit, Antonium Brassauolam, *lib.* 4. *de victus ratione in acut.* & Fernelium *lib.* 5. *patholog. cap.* 9.

### *De Curatione anginæ ex vertebrarum, colli luxatione.*

Vnica hîc indicatio est, vertebram è suo loco remotam in suum locum restituere. Ergo cucurbitula ceruicis parti, qua fouea apparet, affigenda, vt vertebra suo loco restituatur; aut quod tutius est, comprimatur per anteriora colli iuxta latera asperæ arteriæ vertebra illa, atque extra & in sedem naturalem pellatur.

### *De Angina notha.*

*Angina notha.* Angina, quæ notha appellatur, oritur à pituitosa & frigida materia è capite in fauces, aut ceruicis & colli musculos decumbente & tumorem οἰδηματώδη efficiente. De hoc loqui videtur Hippocrates, 2. *de morbis* dum scribit: *Oritur autem angina, cum pituita in capite agitata deorsum confertim fluxerit, & in maxilla ac citra ceruicem constiterit.* Abestque in angina notha inflammatio, quæ anginam veram constituit. Itaque etsi etiam à melancholia anginam fieri posse, postea ex Heurnio dicetur: tamen ea non est notha angina, sed quia melancholiæ admiscetur sanguis, parit veram anginam, etsi non puram.

### *Signa.*

Cognoscitur ista angina, quod inflammatio, calor, rubor, febris abest, dolor est exiguus aut nullus. Atque cùm à materia in externis colli musculis hærente excitetur, minus periculosa est hæc angina. Diuturnior contrà est, ita vt dolores sæpe longo tempore durent.

### *Curatio.*

Eædem ferè indicationes hîc sunt propositæ, quæ in angina vera. Nã humor qui affluit, euacuãdus est, reuellendus, repellendus qui affluxit, discutiendus vel maturandus & deinde euacuandus. An ergo venæsectio vsurpanda sit, docebit habitus corporis & plenitudo. Etsi enim humor anginam istam producens venæ sectionem non requirit: tamen, ne à sanguine affluente morbus augeatur, si abundet, venæ sectione imminuendus & reuellendus est. Humor pituitosus per clysteres acres & medicamenta conuenientia euacuetur.

Vsurpentur etiam alia reuulsoria auxilia, vt vincula, frictiones, lotiones extremorum & cucurbitulæ cum scarificatione cruribus & dorso supra renes impositæ.

Gargarismus primo die talis vsurpetur:

℞. *Fol. plantag. prunell. flor. rosar. rubr.* an. M. j. *balaust ior.* ʒ. j. Coqu. in *hydromelite.*

Colaturæ ℞. ℔. j. *mell. rosat. colat. rob. nucum*, an. ʒ. vj. F. Gargarismus.

Sequentibus diebus

℞. *Nucis cupress.* ℥. ß. *balaust.* ʒ. ij. *mastich.* ʒ. iij. Coqu. in *hydromelite,*

Colaturæ ℞. ℔. j. Adde *rob. nucum* ℥. j. *mell. rosat.* ℥. ß *alumin.* ʒ. ß. *myrrhæ, croci*, an. ℈. ij. F. Gargarismus.

Malo procedente talis vsurpetur:

℞. *Passular.* ℥. j. *caricarum* num. vj. *sem. lini, fænigræc.* an. ℥. ß. *sinapi, radic. pyrethri*, an. ʒ. j. In colaturæ ℔. ij. dissolue *myrrhæ, croci*, an. Scr. ij.

F. Gargarismus.

Celebre fuit apud antiquos medicamentum Diabesasa, id est, ex ruta syluestri dictum, quod descripsit Galenus, 6. *de comp. med. sec. loc. c.* 1. Quod quia hirundines recipit, appellatur etiam ab Aretæo Diachelidonium.

Si dolor vrgeat citra statum talis fiat Gargarismus.

℞. *Sem. maluæ*, *caulis*, an. ℥. j. *ficus* num. iiij. Coqu. in *decoct. glycyrrh.* ℔. j. ß. Adde *butyri recent. sine sale* ℥. ß.

F. Gargarismus.

Ad maturandum talis vtilis est:

℞. *Caricarum pinguium, dactylor.* an. num. vj. *passularum, iuiubar.* an. Vnc. ß. *fol. hyssopi* M. j. *myrrhæ* ʒ. j. *croci* ʒ. ß.

Coqu. in *hydromelite* pro Gargarismo. Potest etiam addi puluis hirundinum.

Paratur autem puluis hirundinum hoc modo:

℞. Hirundines, truncentur capite, & sanguis supra plumas exstillare permittatur, deinde pauco sale conspergatur, & in fictili comburantur. Puluis hic gargarismis addi, vel etiam melli ad discutiendum admisceri potest. *Puluis hirundinum.*

Extrà collum inungatur oleo chamæmelino, amygdal. dulcium, lilior. albor. vnguento dialthéæ. Postea imponatur cataplasma ex farina hordei, semine lini, fænigræc. ficubus & similibus

In statu ℞. *Maluæ cum radicibus, althéæ, meliloti*, an. M. j. Coquantur ad mollitiem. Contusis adde *farinæ sem. lini, fænigræc.* an. ℥. ß. *pingued. porci sine sale* ʒ. x. *ol. amygdal. dulcium, chamæmel*, an. q. s.

F. Cataplasma.

Vel ℞. *Nidi hirundinis* Vnc. jß. *emplastri de meliloto* Drach. ij. *medullæ cassiæ* Vnc. ß. Cum s. q. *sapæ.* F. Cataplasma.

Cæterùm annon meritò adhuc alia constituenda sit nothæ anginæ differentia, quæ ab humore melancholico & atro proueniat, Lectori iudicandum relinquo, Facit eius mentionem Heurnius, *de morbis pectoris.* Oritur autem ea maximè in fœminis melancholicis, quibus menses non fluunt; & sæpe in cancrum degenerat. Vidit talem ter Heurnius, bis in duabus puellis, & semel in nupta fere senescente. Nigredo quædã ad epiglottida fere apparuit. Nupta deglutiendi difficultate periit. Atque exesus œsophagus ac musculi sternohyoides, ita vt cibus per interiora proflueret, ac exesis iugularibus hæmorrhagiâ interiret vna, altera sensim contabesceret. *Angina à melãcholia.*

## QVÆSTIO I.

### *An omnis angina sit ab Inflammatione.*

Angina per Inflammationem vulgò, & quidem ex Galeni doctrina. 4. *de rat. victus in acutis, text.* 20. & 2. *ad Glaucon, cap.* 1. definiri, supra diximus. Galenus tamen, 4. *de loc. affect. cap.* 3. addita Hippocratis, ex 2. *epidem.* sententia, etiam inter anginæ species recenset eam, quæ ex vertebrarum ad interiora luxatione & *An omnis angina sit ab inflãmatione.*

peruer

peruersione fit. Et Aretæus, *de causs.& sign.acut. morb. lib.*1. *cap.*7. aliam, quæ fit solius spiritus, praua conuersione ad calidissimum & siccissimum mutati, vitio, nulla corporis parte inflammatione laborante, addit.

Verumenim verò non omnis suffocatio, multò minùs respiratio læsa est angina. Equidem si vocabulum anginæ spectes, quod ab ἄγχω deducitur, omnis suffocatio angina dici posset: vsus tamen obtinuit, vt propriè & in specie illa suffocatio saltem dicatur angina, quæ saluo thorace à faucium & gutturis & partium huc pertinentium læsione prouenit. Et quidem cùm vulgatissimè à partium harum tumore & inflammatione accidat, angina etiam harum partium inflammatione determinatur. Luxatio verò vertebrarum ceruicis, etsi eandem suffocationem inducere possit: tamen cùm rarius accidat, & à caussa externa pendeat, inter anginæ quidem in genere ita dictæ differentias referri potest; est tamen alterius curationis, quàm ea, quæ ab inflammatione prouenit. Angina verò, cuius Aretæus mentionem facit, vix ad anginam commodè referri potest, sed potiùs ad respirationem læsam, de qua, *parte secunda*, dicetur, pertinet: cùm, sicut ipse Aretæus scribit, in pectore vitium sit, vbi spirandi initium ponitur, quóque hominem celeriter eadem die iugulet. Neque tamen, vt nonnulli existimant, de ea suffocatione loquitur hic Aretæus, quæ ex aere crasso & denso, qualis è carbonibus accensis exhalat, originem habet. Expresse n. scribit Aretæus, caussam mali non extrinsecus aduenire, sed intus excitari. Sed si ea, quæ tradit Aretæus, diligenter perpendamus, de acutissima aliqua pulmonis inflammatione, aut certè de æstuosissima & acutissima febre, qua spiritus calidissimus redditur, loqui videtur. Heurnius anginam hanc fieri existimat ob inflammationem neruì, qui enatus è colli vertebris, ac per pericardium elatus, etiam diaphragmati implantatur. Videatur etiam Hippocrates, 4. *de ratione victus in acut.text.*21.& *seqq.* & Galenus, *in commentario*. Et fortassis talis fuit angina, cuius mentionem facit Dodonæus, *in obseruat.cap.*18. qui in dissectis talibus ægris demortuis pulmones purulentos fuisse deprehendit. Scribit autem eo loci Dodonæus, destillante à cerebro humore asperæ arteriæ ramos primò repletos fuisse: deinde eodem ad alia vasa transmisso, liberari quidem arteriam, pulmonis autem malè affecti partes à dolore occupari. Tale quid Polemarchi vxori 5. *epid.sec.*61. accidit, quæ cum primùm angina teneretur, sanguine misso faucium suffocatio desiit, sed humore ad pulmones proculdubio decumbente septimo mortua est.

## QVÆSTIO II.

### *An humor anginam excitans à cerebro & capite defluere possit?*

*An humor anginam excitans à cerebro defluat.*

Docet id expresse Hippocrates, dum, 4. *de rat. victus in acut.text.*30. scribit, anginam fieri, dum hyeme & vere fluxio multa & viscosa ad iugulares defluxerit venas: id quod ex capite fieri, Galenus, *in comment.* rectè docet.

Videtur tamen huic opinioni aduersari id, quod angina est tumor calidus à sanguine ortum habens: in hyeme verò, quæ pituitæ est metropolis, frigidi & crudi humores cumulantur, & inde excernuntur, vt in catarrhis & coryza fieri videmus. Deinde quod excrementa cerebri per nares & palatum præcipuè euacuentur, per quas vias in spatia illa, in quibus angina generatur, pertingere non possunt.

Verùm sciendum, excrementitios humores, qui in cerebro colliguntur, præcipuè eâ parte, vbi venæ & arteriæ primùm in eius substantiam inseruntur, non omnes per palatum & nares euacuari; sed in vasa regurgitant, atque hinc, si post aures defluxerint, parotidas, si per iugulares ad faucium & gutturis venas, anginam excitant; vt istos varios defluxionum modos Hippocrates, in *lib.de locis in homine*, & *de glandulis*, explicauit. Vnde etiam isti humores non soli & separatim, vt dum per palatum & nares fluunt, in fauces irruunt, sed quia per venas feruntur, sanguinem seu comitem seu vehiculum adsciscunt, vnde inflammatio excitatur, sed huius vel illius humoris particeps.

## QVÆSTIO III.

### *An vera sit angina, quæ à Fungorum esu, & similibus venenatis rebus oriri dicitur.*

Cognata quæstioni præcedenti est & ista, an illa suffocationis species, quæ à fungorum esu, & similibus venenatis infertur, sit angina. Etenim suprà, in caussis anginæ diximus, à nonnullis etiam inter caussas anginæ recenseri Fungos, & similia. Etenim fungi quidem pariunt quasi suffocationem; id quod Pausaniæ puellæ accidisse refert Hippocrates, 7. *epid.* Idem accidit ab helleboro albo & aconito; & auctor apud Harpalidem, *lib.*7. *epid.* ex esu medicamenti purgantis suffocationem quasi incurrebat. Herba Bella donna dicta similem qualitatem habet, de qua Heurnius: *Ioci caussa*, inquit, (verùm in talibus iocus locum ita tutò non habet) *scrupulus de radice derasus maceretur in vini* Vnc. iß. *horis ad summum duabus, & deinde percolato, ac digitis presso id vini recentis additur, quod poculum repleat. Totum potandum parasitis præbetur. Fit inde, vt paulò pòst, qui biberint, nihil prorsus edere possint, magno spectantium oblectamento. Discutitur fucus à risu aceto potui dato. Id enim præsentissimum antidotum.* Idem habet Ioh. Baptista Porta, *lib.*14. *Magiæ naturalis.*

*An vera sit angina à fungorum esu, &c.*

Verùm sciendum, talia venenata, si saltem angustiam quandam & quasi suffocationem sine inflammatione inducant, ad causas anginæ referri non posse, patétque latiùs suffocatio, quàm angina. Si verò occasionem præbeant, vt sanguis ad fauces confluat, atque inflammationem excitet, inter caussas anginæ meritò referuntur.

## QVÆSTIO IV.

### *An Nidus hirundinis aliquem in angina curanda vsum habeat?*

*An nidus hirundinis aliquem in angina curanda vsum habeat.*

Vulgatum esse apud Practicos, vt Nidus hirundinis topicis medicamentis ad dirigendum & discutiendum in angina admisceatur, suprà dictum. Aliqui tamen id improbant. Reprehendit primò vsum nidi hirundinis Mercurialis, scribitque, Practicos plerósque, malè consilium veterum intelligentes, existimare, hanc vim inesse nido hirundinis, cùm tamen eam habeat auis. Nam hirundo ad anginam commendatur; de quo Celsus, *lib.*4. *cap.*4. *Vulgo audio, si quis pullum hirundinis ederet, angina toto anno non periclitari, seruatúmque eum ex sale, cum is morbus vrget, comburi, carbonemque eius contritum in aqua mulsa, quæ potui datur, infricari & prodesse.* Et puluisculus ex hirundinibus etiam gargarismis admisceatur. Verùm etsi vim aliquam peculiarem ipsa auis in hoc morbo haberet: tamen vsu deprehensum iam est, etiam nidum prodesse, atque vis illa procul dubio nido inest, ob excrementa pullorum hirundinum, eáque sale multo abundantia; sicut & vis stercoris canini, si biduo vel triduo tantùm ossa comederit, proculdubio à sale proficiscitur. Deinde Petr. Paulus Pereda etiam vsum nidi hirundinis hîc improbat, quòd terra repellat. Verùm non omnes terræ æqualem vim repellendi habent, nec ipse negare potest, stercus hirundinis digerere. Idcóque si quis omnino metuat vim repellendi in terrâ, ea maximè ex parte, vbi stercore hirundinum destituitur, separari potest, vt vis resoluendi & attrahendi, quæ est

est à stercore,fiat fortior. Neque enim existimo, nidum hirundinis præcipuè ob terram, quæ ei inest, adhiberi, sed potiùs ob stercus hirundunum, quod, vt Galenus, 10.*de simpl.med.fac.* & 6.*de comp. medic. sec.loc.* docet, acre & discussorium est;id quod ex historia Tobiæ patet,qui ex stercore hirundinis calido ipsi in oculos illapso excæcatus est.Quam acrimoniam cùm admixta terra temperet,accommodatissimum discutiendis tumoribus, præsertim faucium & gutturis, est remedium, inprimis si hirundini aliqua peculiaris vis contra anginam inest.

## QVÆSTIO V.

### *An Laryngotomia tuta & vtilis sit?*

*An Laryngotomia tuta & vtilis sit.* Equidem nonnulli Laryngotomiam planè improbant,vtpote quæ periculosa sit,cùm primò ossa,& cartilagines, è quibus & trachea pulmonis arteria constat, coalescere nequeant,ex sententia Hippocratis, 6.*aphor.* 18. atque ita ægro interitus afferatur: deinde metuendum sit,ne sanguis è vulnere effluens in pulmones ruere,ægrúmque suffocare possit. Tertiò etiam Aretæus & Aurelianus fide experientiæ hanc operationem destitui existimant.

Verùm vulnera tracheæ planè insanabilia non sunt, sicut exemplo docet Albucasis Chirurg. *lib.*3. *c.*43. atque aliquot etiam Schenckius, *lib.*2. *obs.*40. collegit. Atque ipse etiam arteriam ita vulneratam, vt vulnus in cauitatem eius penetraret, sanatam fuisse bis vidi. Et quamuis ipsa cartilago non coalescat:tamen carnis duræ & veluti calli interuentu, & membranæ, qua iunguntur annuli asperæ arteriæ, conglutinatur. Neque etiam de fluxione sanguinis in pulmones metus est, si sectio rectè instituatur Nullum enim insigne vas est eò loci.Iis verò, qui experientiæ fidem in dubium vocant, meritò ea exempla, quæ passim apud Medicos occurrunt, opponenda, quæ Schenckius, *loco allegato*, collegit.Refértque etiam Anton. Musa Brassauolus, *in comment.in* 4.*Hippocrat.lib.de vict.rat.in acut.* se finis manibus, cum chirurgus quidam imperitus id non auderet, angina laboranti morti propinquo guttur dissecuisse, quod & aliàs pluries cum felici successu se tentasse scribit.

## CAPVT XXV.

### *De Strumis in Collo & Bronchocele,ac hydrope Gutturis.*

*Struma.* Tandem inter colli vitia meritò etiam Strumæ dictæ explicandæ.Strumæ autem,quæ Græcis χοιράδες dicuntur, seu ἀπὸ τῶν χοιράδων, id est petris è mari prominentibus,seu ἀπὸ τῶν χοίρων,id est,scrophis,vndè & vulgò Scrophulæ dicuntur, quod scrophis, id est, suibus frequenter in collo oriuntur,etsi in genere pro omnibus induratis tumoribus & peculiari membrana conclusis,qui in glandulis,in collo,sub axillis,in inguinibus,vt & mammis oriri solent,accipiuntur,vt ex Celso,*lib.*5.*cap.*28. & Aëtio,*tetrab* 4. *serm* 3.*cap.*5. videre est:in specie tamen à nonnullis Struma pro tumore in gutture accipitur, de quo agere huius loci est, de reliquis huius generis strumis de *tumoribus in genere* dicendum.

## QVÆSTIO.

### *An Bronchocele & struma in Gutture sit idem morbus.*

*An bronchocele & struma in gutture sit idem morbus?* Verùm cùm tumorum horum natura & curatio rectè explicari & tradi non possit,antequàm hæc quæstio expediatur,eam,quæ aliàs postponenda esset, huic capiti præmittere libet. Fecit autem huius controuersiæ iam mentionem Ioh. Langius, *lib.* 1. *epist.* 43. vbi scribit, bronchocelem,seu herniam gutturis,longè diuersum à struma fuisse veteribus tumoris genus: Celso scilicet, *lib.*5.*cap.*28.strumam esse tumorem,in quo subter concreta quædam ex pure & sanguine, quasi glandulæ oriuntur; id quod in ceruice,alis,inguinibus, in lateribus & mammis quoque accidat: bronchocele verò sit pendulus circa guttur tumor, à bocij, ventricosi poculi similitudine,bocium appellatus,inter cutem & asperam arteriam, in quo modò caro pituitosa, modò humor aliquis melli,adipi,aut pulti similis membranulis includitur;interdum etiam pili minutulis ossibus mixti reperiuntur. Verùm cùm consuetudo sit dicendi magistra, parum referre putat, bronchocelem & chærades strumas quoque appellari.

Verùm etsi forsan hæc ita sese habeant, & strumæ vocabulum pro tumore, in quo subter concreta quædam ex pure & sanguine oriuntur,quæ febres mouent, atque alio tumore, quàm qui hodie hoc nomine appellantur,(strumæ enim hodie notæ febrē non excitant) & forsan pro apostemate aliquādo scirrhoso acceperint: tamen de hoc etiam adhuc quæstio est, an strumæ hodie notæ differant à bronchocele.Nam video & hac de re etiam inter Autores discrepantiam. Alij enim bronchocelem sub strumis comprehendunt, & bronchocelem statuunt esse strumam in gutture;alij v. eos tractatione seiungunt & separant. Hieron. Fabricius ab Aquap. *de oper. chirurg.* hanc differentiam constituit, quòd bronchocele sit tumor non in glandula aliqua, sed supra arteriam asperam obortus;struma verò in collo sit tumor in glandula aliqua ex iis, quæ asperæ arteriæ adiacent, potissimùm in iis, quæ sub larynge statim hinc inde ad asperæ arteriæ latera ponuntur:atque ita bronchocelem sumit pro abscessu aliquo penitiori membranæ incluso,ad βρόγχον, id est, asperam arteriam enato:strumas verò sumit pro glandularum in collo tumoribus. Idem statuit etiam Franciscus Peccettius,qui, *lib.*1.*chirurgiæ, cap.*23.& 27. strumas glandularum tumores esse scribit;bronchocelem verò tumorem seu abscessum magnum mollem & rotundum inter cutem & asperam arteriam:& ex Guidone scribit,si huiusmodi tumor in capite oriatur;talpariam seu talpam dici,in collo bocium,in testiculis herniam(carnosam scilicet.) Distinguit etiam strumas & bronchocelem Platerus, etsi alio modo, vt postea dicetur. Vt ergò,quæ vtriusque sit natura, videamus, seorsim de vtroque affectu dicemus.

### *De strumis in Gutture,*

Strumæ ergo in Gutture sunt tumores in glandulis, quæ asperæ arteriæ adiacent,orti è pituita lenta & crassa, aliquando etiam peculiari carne geniti, peculiari membrana conclusi. *Struma in gutture.*

Hippocrates,*in Coacis lib.*2.*tertiæ sect.aphor.*2.*ex distinct. Hollerij*,ab anno 14 ad 42. strumas fieri docet;ab ea verò ætate ad annos tres & sexaginta strumas fieri negat. Quod procul dubio verum est, vbi ab interno humorum vitio strumæ fiunt;cùm eâ ætate materia amplius deesse videatur. Interim non videtur impossibile, etiam post 42. annum strumas fieri posse ab aquarum vitiosarum potu;quod illis accidit, qui ad Alpinos populos veniunt. Tumores enim hi quibusdam locis endemij sunt, scribitque Hieron. Fabricius ab Aquapendente,tales tumores frequentes esse in quadam Bergomensis agri parte, vbi cùm viri, tum mulieres ferè omnes anteriùs in collo gestant tumores magnos, molles, mobiles & pendulos, doloris expertes. Idem morbus & Allobrogibus & Alpinis, ac Carinthiæ & Styriæ alpinæ inhabitatoribus,& Hispaniæ quibusdam locis familiaris est.

Tumores

Tumores hi, vt diximus, & strumæ & scrophulæ dicuntur. Platerus tamen inter eos talem facit differentiam, & strumas illos tumores in gutture appellat, qui sunt magni & penduli, & sæpe, cum gutturi profundè incumbunt, raucedinem vel dyspnæam aliquam efficiunt; scrophulas verò eos saltem tumores, cum vna simplex glandula, vel ex duabus tribusque nonnunquam instar vuæ complicata prominet, appellat. Nam etiam scrophis seu porcis tumores hi saltem prominent, non dependent.

*Caussæ.*

Oriuntur autem strumæ hæ inprimis ex humore crasso & lento, quem vulgo pituitosum esse statuunt, cui interdum etiam melancholicus admiscetur. Platerus tamen non sine caussa hîc monet, non satis rectè vulgò statui, ex sola pituita aut melancholia hos glandularum tumores deduci. Ex his enim si strumæ & eiusmodi tumores alij ortum haberent, non tam diuturni essent, sed putredini & corruptioni obnoxij, & in pus mutarentur, vt alij ex humoribus simpliciter excrementitiis orti tumores. Ipse verò è succo nutriente hos tumores oriri statuit. Cùm enim glandulæ, quàm aliæ carnes, crassiore succo nutriantur, si is quantitate & qualitate moderatus sit, eas in suo naturali statu conseruat; si verò qualitate, & inprimis quantitate excedat, tumores varij excitantur. Etenim si aliquid humorum planè excrementitiorum admisceatur, tumores eiusmodi citiùs in abscessum abeunt: si verò succus ille nutriens solus sit, sed copiosior, quàm vt parti omnis apponi possit, in eiusmodi tumores degenerat. Naturaliter enim talis humoris non plus in corpore generari debet, quàm vt partibus illis nutriẽdis sufficiat. Si verò plus eius generetur, talium tumorum caussa est. Natura enim vt vitiosos humores alios ad alias partes protrudit, vt in scabie, erysipelate, bubonibus, arthritide videre est: ita etiam, quod in alimento est ignobilius, non partibus nobilibus apponit, sed glandulis, vnguibus, capillis. Quapropter etiam si talis ignobilis, feculenti, & crassi alimenti plus generetur, natura rectè agens ad illas partes, cum quibus conuenientiam habet, glandulas scilicet, protrudit, ex quo proinde etiam carnem aut carni quid simile generare tentat. Vnde etiam Autor definitionum Medicarum strumas dicit carnem siccam, & Aëtius, ex Leonidâ, carnem subalbescentem facilè augescentem. Et quidem peculiari membranæ strumæ includuntur, quæ & ipsa à facultate formatrice, quæ omnibus partibus viuentibus insita & nunquam otiosa est, producitur. Dum enim ab affluente humore superfluo membrana distenditur & forsan etiam rumpitur, natura nouæ quasi membranæ texturam aggreditur.

Platerus his caussis addit etiam semen & facultatem formatricem in vtero, & scrophulas has, vbi sunt alicui loco familiariores, à parentibus in liberos propagari potiùs, quam cibi vel potus alicuius peculiari caussa euenire, statuit. Quod vt non rarò verum esse existimamus; ita potum & caussas ante propositas reiiciendas non censemus; cùm obseruatum sit, eos, qui sani in talia loca peruenerunt, si aliquandiu ibi degant, strumas tales contrahere.

Habet autem humor ille ortum è cibis crudis & crassis, vnde etiam ætati puerili, quæ tales humores cumulat, malum hoc familiare esse, ex Hippocrate modò dictum est, inprimis ex potu aquarum crudarum & niualium: qua de caussa, qui Carinthiam & Styriam, & alia ibi loca alpes versus incolunt, plerique bronchocele laborant. Langius equidem, *lib.1.epist.43.* & *lib.3.epist.4.* qui eò loci videatur, in hydrargyrum seu aquas ex montibus metallorum feracibus scaturientes & Mercurium in se continentes caussam huius rei refert. Et omnino negandum non est, argentum viuum peculiari modo pituitam ad fauces & glandulas ibi protrudere, ita vt etiam extrà inũctus saliuationem excitet & dentium vacillationem pariat; quia tamen in Hungaria & Transsyluania, atque alibi etiam, in magna copia Mercurius prouenit, vbi tamen morbus ille epidemius est; malo simpliciter ex aquarum crudarum & ex niue liquescente resolutarum potu id fieri, quas Hippocrates, *lib. de aere, aquis & locis*, ὕδατα φλεγματώδεα & βραγχώδεα nominat.

*Signa Diagnostica.*

Affectus ipse per se patet. Apparet enim tumor rotundus, pendulus, propriæ membranæ inclusus, qui propterea ad tactum mobilis est & à cute separari potest. *Signa.*

*Prognostica.*

1. Strumæ hæ vt omnes difficulter curantur, in pueris tamen faciliùs curantur, quàm in adultis. *Prognostica.*

2. Liberæ ac nulli vasi implicatæ strumæ curantur faciliùs, quàm quæ vasis implicatæ sunt.

3. Excisione sine periculo vix curantur, propter neruos recurrentes eò loci latentes, qui si læduntur, vox perit: quod cuidam accidisse refert Galenus, 1. *de loc. aff. cap.5.* qui cum strumas in profundo in collo incumbentes exscinderet, & inter secandum quoddam vas non specillo secaret, sed vnguibus euelleret, imprudens ob ignorantiam simul neruos recurrentes distraxit, atque hoc pacto puerum liberauit à strumis, sed mutum reddidit. Ideóque strumæ, quæ in anteriore colli parte sunt, periculosiores sunt, quàm quæ in posteriore.

4. Nisi folliculus radicitus exscindatur, malum reuerti solet.

*Curatio.*

Materia tumoris caussa tollenda est, & si quæ materia affluat, ea etiam euacuanda. Quod fit, dum vel insensibiliter absumitur ac discutitur, vel in pus mutatur, vel exscinditur. *Curatio.*

Primò ergò, si adhuc vitiosi humores, præcipuè pituitosi, qui caussæ antecedentis rationem habeant, in corpore abundent, ij tollendi, & corpus conuenienter euacuandum, cùm per vniuersalia, tum per ea, quæ caput purgant.

Deinde corpore euacuato ea medicamenta exhibenda, quæ materiam strumarum absumunt, absorbent, & exsiccant. In quo genere primò est radix scrophulariæ, quæ nomen inde habere videtur, quod scrophulis medeatur, item radices vrticæ mortuæ, filipendulæ, gladioli. Laudatur & radix rusci, cuius efficaciam sibi quoque compertam esse testatur Fallopius, si eius in puluerem redactæ drachma vna singulis diebus cum vino assumatur.

Vel ℞. *Rad. rusci* Dra.j. *iridis* gr.x.

Cum vino dulci vel mulsa exhibeatur diebus 40.

Plurimùm etiam commendatur spongia, ac sequens medicamentum, vt secretum in multis probatum, commendatur.

℞. Spongiam nouam, rudam, non lotam, quæ calculis & nodulis sit refertissima. Infundatur tota in s. q. cereuisiæ, ita tamen, vt aliquandiu decoctum sufficiat. Coque cum cereuisia, vt absumatur quantitas duorum transuersorum digitorum. De eo bibat æger vesperi, cum cubitum itur, haustum calidè. Sin autem assumi illa potio præ nausea nequit, addi possunt aromata pro libitu, aut radix polypodij querni.

Arnoldus de Villanoua hunc puluerem laudat, vt pote à quo omnes infra vigesimum quintum annum infallibiliter curentur:

℞. Cine

℞. *Cineris spongia marina* & *palea marina*, *ossis sepia*, *piperis longi* & *nigri*, *zingiberis*, *cinamomi*, *salis gemma*, *pyrethri*, *nucum cupressi*, *gallarum quercus*, *rosar.* ana. Vnc. ii.

F.Puluis.

De quo æger sæpius de die & nocte in ore aliquid teneat, & paulatim deglutiat. Idem & cibis inspergi poterit.

Idem & alios pulueres proponit. Valdè etiam commendatur hic Puluis:

℞. *Rad. aristoloch. rotunda*, *raphani*, *spatula fœtida*, an. Drach. i. *fol. pimpinella*, *pilosella*, *ruta maioris*, an. Drach. ii. *scrophularia*, *filipendula*, an. Vnc. sem. *sem. anisi* Drach. ii. *zingiberis* Drach. i. *turbith. opt. fol. sena elect.* ana Drach. ii. *sacch. albiss.* Vnc.iiij.

F.Puluis, de quo sumatur singulis diebus cochlear vnum cum vino albo vel aqua genistæ.

Vel ℞.*lapidis spongia* ℥.iii.*sal.gemma* ℥.ii.*salis tartari* Drach.j.

F.Puluis. Sumantur à quadra vltima quotidie ex vino Drach.ß.vel Scr.ij.

Alius Puluis contra strumas:

℞. *Spong. marin. pila marin. corall. rub. vst.* ℥.ij. *papyri tenuiss.* & *albiss. omnium combust.* ana Vnc.ß.

Quibus cinerib. admisc. *rad. scrophular. maj.* Drach. iij. *oss. sepia*, *sal. gemm. gallar.* an. Drach. ij. *nuc. mosch. piperis long.* & *alb. zingib. a.* an Drach.j. *cinamomi ac.* Drach. j. sem. *sacchari* Vnc j.sem. M.F. Tragema.

Ex pulueribus istis cum syrupo betonicæ vel alio conueniente fieri possunt etiam Electuaria. Vel talis paretur Potio:

℞. *Rad. scrophularia*, *filipendula*, ana Vnc. sem. *fol. agrimonia*, *pilosella*, *pimpinella*, an. M.i.*flor. betonica*, *rorismarini*, an.P.j.

Coqu.in vino albo vase clauso. Colatura dulcoretur saccharo, & addatur *aq.cinamom.* Drach.iß. pro duabus vel tribus dosibus.

Topica. Emollientia & resoluentia. Tertiò Topica vsurpanda, & primo quidem danda opera, an materia tumoris caussa insensibiliter discuti & absumi possit. Et adhibentur ferè medicamenta, quæ scirrhis applicari solent, & primo quidem emollientibus, incidentibus & discutientibus vtendum, & inprimis ea eligenda, quæ strumis priuatim prodesse comperta sunt, vt scrophularia, & similia: atque vt corpus mollius vel durius, tumor recentior vel antiquior fuerit, ita fortiora vel mitiora vsurpanda.

Vt ℞. *Rad althea* Vnc.i. *mucilag.sem.lini*, *fænigraci*, ana Drach.vi.*pingued. gallin. humana*, an.Vnc.i. *ol.amygdal.dulc.* Vnc.ß.*croci* Drach.ß.*cera* q.s.

F.Vnguentum.

Vel ℞. *Rad.scrophularia autũno effossa* & *purgata* q.v.

Contundantur cum s.q.butyri recentis, inque fictile operculo clausum loco humido reponantur per dies 15. Deinde lento igne calefiant & colentur. Linimento hoc strumæ illinantur.

Vel ℞.*Folia cupressi*, F.Puluis.

Puluis hic vino conspergatur, & in massam vnam redigatur. Hoc medicamento strumam illines & tertio die demum solues, tum locum exprimas, quem contractum inuenies. Denuo medicamentum induces atque iterum obligabis per triduum, donec struma euanescat.

Et talia plurima passim à Galeno, Paulo, Celso, Rhase, Auicenna, & aliis describuntur, quæ omnia hîc cumulare opus non est; præsertim cùm plurimi diffidant huic curationi in antiquis strumis. Quanquam enim Galenus & alij curandas hoc modo strumas esse præcipiant, ac Valescus de Taranta in strumis vnius anni talibus resoluentibus cum felici successu se vsum esse scribat: tamen si sint antiquiores & perfectæ, ac membranis conclusæ, hoc modo integra curatio vix sperari potest.

Suppurans. Itaque vbi per emollientia & resoluentia tumor discuti non potest, ad maturationem & suppurationem veniendum.

Vt ℞ *Rad.lilior.albor.althea*, *iridis*.

Coq.ad mollitiem.

Deinde adiecta farina triticea & oleo dulci vel liliorum alborum, ac pinguedine anserina vel gallinacea, Fiat Cataplasma.

Vel alia maturantia applicentur, quæ passim nota sunt. Insistendum autem tamdiu vsui suppurantium, neque locus antè aperiendus, donec tota materia inhuc conclusa in pus mutata fuerit. Vomicâ enim adhuc conclusâ calor etiam conclusus manet, atque reliquũm etiam materiæ faciliùs in pus vertit. Quod si vomica citiùs aperiatur, cum humoribus etiam spiritus & calor effunditur, quo exspirante reliqua pars materiæ postea tardiùs & cum difficultate suppuratur. Cui & hoc accedit, quod pars materiæ suppurata facit, vt & reliquum faciliùs in pus mutetur.

Apertio. Vbi verò struma fuerit in pus mutata, aperienda est vel medicamento, vel ferro, aut cauterio. Apertâ vomicâ pus euacuandum, deinde sinus expurgandus vnguento Apostolorum, medicamento de apio, vel simili, hinc sinus carne implendus, & cicatrice claudendus. Inprimis verò hoc Vnguentum ad strumas suppuratas & apertas commendatur.

℞. *Olei laurini* Vnc. i. *cerussa puluerisata* & *cum aq. vita læuigata* itidem Vnc. i. *alumnis rocha* Vnc. ß. *salis communis* Drach.ii.F.Vnguentum.

Vel applicetur emplastrum diachylum compositum.

Vel ℞.*Rad.iridis* Vnc.iij.

Coqu. in *aceti* & *mellis*, an. Vnc. vi. Contundantur minutim & addantur *terebinthina*, *vnguenti dialthea* an. Vnc.iii. *pulu.cumini*, *fænigraci*, an.Vnc.i. *cera* q. s. Fiat. Emplastrum.

Vel ℞. *Galbani*, *bdellij*, an. Vnc.i. *ammoniaci* Vnc.ii. *sordis aluearιorum apum*, *œsypi*, an.Drach.ii. *therebinthina*, *picis liquida*, an. Vnc.iß. *baccar.lauri*, *staphidis agria*, *cumini*, *pyrethri*, an.℥.ß. *stercoris caprini*, *ouilli*, *anserini*, an.Drach.iii.*axungia porci*, *seu caprini*, *ceruici*, *vrsini*, an. ℥.i.*ol. chamæmel. lilior. albor.cera* an.q.s. F. Emplastrum quod potenter resoluit.

Vel ℞. *Rad. bryonia*, *cyclaminis*, *cucumeris agrestis*, *ireos*, an.Vnc.ii.

Coq.in vino albo & terantur.

Deinde adde *ammoniaci aceto dissoluti*, *bdelly*, *opopanacis in oleo sesamino dissoluti*, an.Vnc.i. *stercoris columbini*, *caprini*, an.Vnc.iß.*ladani*, *styracis calamita*, an.Vnc. ß.*picis naualis* q.s.

F.Emplastrum.

Vel ℞.*Emplastri de meliloto* Vnc.i. *bdelly aceto scillitico dissoluti* Dra.ii.*castorei pinguis* Drach.iß.*pulu.radic. ireos*, *fol.cupressi*, an.℥.i.*ol.chamæmel.lilior.albor.amygdalar.amar.* an.q.s.

F.Emplastrum.

Sectio. Quod si nec hoc modo curatio sperari potest, extrahenda est struma: quod quidem fit primò sectione, quæ quomodo peragenda sit, in Instit. *lib.5. part.1. sect.2. cap.13.* dictum.

Septica. Quod si æger ferrum non admittat, alius modus superest strumas tollendi per medicamenta seu caustica & corrodentia, seu septica & putrefacientia. Hâc autem in re diligenter obseruandum, ne partes vicinæ à medicamentis his lædantur & inflammentur. Ideo muniendæ sunt vnguento refrigerante Galeni, rosato Mesue, & similibus. Perficitur autem hæc res duobus modis. Alij scarificationem præmittunt, & strumam in minutissima scarificant, deinde inspergunt puluerem paratum ex *morsus diaboli siccat.in vmbra* Vnc.i. *arsenici rubri*, *vitrioli*, *lithargyri*, *auri pigmenti*, an.℥.i. Pulueri impone emplastrum diachylum, quod post 24. horas demum

mum deme & vide, an ſtruma ſit caſtigata? Niſi fuerit, aufer ſcalpello cutem mortuam, denuóque inſperge puluerem & emplaſtrum imponito. Poſt 24. horas caſtigatæ ſcrophulæ illinatur locus butyro & vitello oui mixtis in formam linimenti. Et ita ſingulis 24. horis linimentum mutabis, donec caro mortua deciderit.

Alij ſine ſcarificatione mox medicamenta cauſtica & ſeptica adhibent: alij tamen alia. Fallopius in corporibus ruſticis vtitur trochiſcis de minio, quos deſcribit Iohan. de Vigo *lib.8.cap.13.* vbi & ſimilia medicamenta plura reperiuntur, pro quibus ille, vt mitiores, hos ſubſtituit.

℞. *Auripigmenti, arſenici cryſtallini*, an. q. ſ. Miſce cum paſta ex farina triticea & F. Trochiſci. Pro quibus etiam in apertam vomicam hoc medicamentum imponit:

℞. *Arſenici rubri, ſandarachæ Græcorum*, an. Drach. ij. *axungiæ ſuillæ* q. ſ.

M. fiat Vnguentum.

Et plurimi quidem cenſent, arſenicum hac in re primatum obtinere. Verùm cautione opus eſt, & non temerè admouendum. Nam ſuprà modum vehemens ac virulentum eſt, febres excitat, & plurima alia praua ſymptomata inducit, & in minima etiam quantitate multa præſtat. Ideóque vltra quantitatem dimidij grani triticei non adhibendum, & quidem in corpore robuſto, & loco à membris nobilibus remotiore. In corporibus verò molliotibus & iuxta membra nobilia minor quantitas adhuc adhibenda, ſempérque præſtat minimam quantitatem vna vice applicare, & poſtea idem medicamentum, ſi opus ſit, repetere, quàm nimia quantitate ægrum lædere. Et cùm per dies tres duret operatio eius, eo tempore æger ſemper, vt febricitans aliquis, regendus, & contra malignitatem muniendus. Itaque cum non ſine periculo arteriæ applicetur, præſtat lapide cauſtico, quo fonticuli excitari ſolent, quemque in Inſtit. *lib.5. cap.vlt.* deſcripſimus, vti.

Quando glandula iam corrupta & abſumpta fuerit, cruſta inducta à ſana parte remouenda butyro loto cum farina triticea & axungia ſuilla. Cruſtâ dempta ſi quid adhuc vitioſi reliquum fuerit, illud etiam per medicamenta erodentia, vt vnguentum Agrippæ & ſimilia, tollendum, & tandem vlcus, vt fieri ſolet, ſanandum.

Eſt tamen adhuc alius modus ſtrumas ſanandi, quæ ab exili radice pendent. Illas enim ſerico filo, aut ſeris equinis verſus radicem conſtringere licet, & quidem indies arctiùs, donec reſiccatæ fuerint, & ſponte deciderint. Poteſt etiam medicamento exſiccante actio vinculi promoueri & adiuuari.

*Curatio ſtrumarum à contactu Regis Galliæ.* Tandem de curatione ſtrumarum non prætereundum, vulgo ferri, Reges Galliæ ſolo attactu ſanandi ſtrumas vim habere. De quo etſi alij aliter ſentiant, & alij in imaginationem, alij in aëris mutationem & motum corporis cauſſam huius rei reiiciant: tamen vana hæc eſſe, facilè patet. Cùm autem hæc vis à Clodoueo primo Galliæ Rege profecta ſit, atque inde ad ſucceſſores per traducem, nullo reſpectu familiæ habito, tranſlata ſit, procul dubio donum eſt ſupernaturale diuinitus conceſſum. Nam cum dictus Clodoueus primus Galliæ Rex eſſet idolorum cultor, Clotildis vxoris monitu & precibus perſuaſus eſt, vt Chriſti nomen profiteretur. Cum ergo à Remigio, Rhemenſi Archiepiſcopo, baptiſatus & chriſmate vnctus eſſet, ab eo tempore hanc vim ſtrumas ſanandi accepit, & quaſi per traducem in omnes ſuos ſucceſſores deriuauit. Solent autem paſſim è venis & peregrinis locis quotannis ſtrumis laborantes affluere, quibus rex manum imponit, & hæc verba Gallico ſermone profert: *Le Roy te touche, & Dieu te guarit: Rex te tangit, & Deus te ſanat*, atque appoſito crucis ſignaculo, ab vno & trino Deo vim eam deriuari, publicè profitetur. De qua mirabili ſtrumas ſanandi vi, ſolis Galliæ Regibus Chriſtianiſſimis diuinitus conceſſa, peculiarem librum conſcripſit Andreas Laurentius, qui videatur.

### *De Bronchocele.*

*Bronchocele.* Bronchocelem verò definit Celſus, *lib.7.c.13.* quòd ſit tumor in ceruice ſeu collo inter cutem & aſperam arteriam, qua modò caro hebes, modò humor aliquis melli aquæue ſimilis includitur; interdum etiam minutis oſſibus pili immixti.

Quæ autem & de cauſſis eius & de curatione vulgò traduntur, parum ab iis, quæ de cauſſis & curatione ſtrumarum dicta ſunt, differunt. Ideóque ea etiam non repetemus. Hoc verò non prætereundum, Felicem Platerum aliam planè, & à vulgata opinione diuerſam, de generatione & curatione bronchoceles, ſententiam habere, quam proponere libet.

Ille autem ſtatuit, bronchocelem ſeu gutturis herniam eſſe tumorem in colli anteriore ſede ſeu gutture amplo ſpatio extuberantem, qui tenſus eſt admodum, vt, cum pulſatur, ſonum edat, & cum premitur, ſicut vter inflatus cedat, ſed mox iterum attollatur; quibus à ſtruma facilè ſecernatur.

Cauſſam autem huius mali ſtatuit eſſe flatum ſub cutem membranámque generalem cuti ſubſtratam, adnexámque in colli anterioribus irrumpentem. Collectionis autem aëris eò loci cauſſam eſſe ſtatuit laxationem ſeu auulſionem cutis, cùm membrana illa, quæ eò loci craſſior eſt & rubicundior, quàm alibi, à ſubiectis aſperæ arteriæ muſculorúmque colli anteriorum ſedibus, ſpatiúmque illic efficientis, in quod ob fugam vacui aër ſeu flatus è vicinis locis irrumpens, illud non ſolùm implendo, cutem membranamque in tumorem eleuat, ſed & continuatione diſtendens in immenſum adauget; vnde nomen rectè acceperit tumor, quòd bronchocele, quaſi ruptura ſeu hernia gutturis, appelletur.

Cauſſam autem auulſionis membranarum ſtatuit eſſe conatum vehementem, qui fit, dum ſpiritu retento excrementa vel fœtum in partu excludere nituntur, aut buccas vehementer inflant.

Verùm enim verò etſi facilè concedimus, cauſſam principalem eſſe auulſionem cutis & membranæ illius à partibus vicinis: tamen vero vix ſimile videtur, ſolum flatum, vtpote mobilem, nec facilè vno in loco hærentem, malum tam diuturnum procreare poſſe; & tangenti aliud etiam facilè deprehendere eſt. Ideóque mihi probabile videtur, in vacuum illud ſpatium, præcipuè membranis extenſis, ſuccum aliquem & nutrimentum craſſius effundi, è quo natura carni quid ſimile formet. Vnde etiam ipſe Platerus ſtatuit, niſi malo huic maturè occurratur, vix dum amplius abigi poſſe, ſed toto vitæ curriculo permanere illic, quo p.n. excreſcit, ſeſe circa vicina vaſa implicante, & iis pertinaciùs adhæreſcente.

### *Curatio.*

Curatio ergò vt ex Plateri ſententia rectè inſtituatur, principio, ne tumor incrementum ſumat, adſtringentia ſunt applicanda, vt emplaſtrum ad rupturam, & quæ in hydrope ſolent adhiberi, vt membranarum illa contiguitas ſoluta iterum jungatur.

Idem tamen etiam interna quædam adſtringentia & ſiccantia exhibet, commendatque puluerem aluminis vſti vnc. ß. pondere exhibitum. Poſſunt & alij pulueres antea de ſtrumis propoſiti exhiberi.

Si verò tumor iam incrementum ſumpſerit, diſcutientia antea in ſtrumarum curatione propoſita etiam hîc locum habere poſſunt.

De

### *De hydrope gutturis.*

*Hydrops gutturis.* Non prætereunda hîc rara affectio gutturis. Solent enim interdum partes quædam priuatæ ab aqua intumeſcere, non ſolùm internæ, vt pulmo & vterus, ſed etiam externæ. Et vidi ſemel atque iterum, & idem annotarunt alij, toto corpore ſaluo, manum tantùm intumuiſſe tumore aquoſo pertinaciſſimo. Idem in gutture factum in puella, vidit Montanus, qui etiam hydropem illam gutturis per inciſionem curauit.

# LIBRI SECVNDI PARS II.

## DE ASPERÆ ARTERIÆ, pulmonis, mediaſtini, diaphragmatis, thoracis, præter naturam affectionibus.

### PRÆFATIO,

*Summam tractandorum continens.*

POSTQVAM hactenus morbos & ſymptomata, quæ partibus inter caput & thoracem intermediis accidunt, explicauimus, vt ad vitia thoracis & partium in eo contentarum aecedamus, ordo poſtulat. Hâc ergo ſecundâ libri ſecundi parte dicemus de affectibus præter naturam Aſperæ arteriæ, de Pulmonis morbis, puta eius intemperie, inflammatione, ſeu peripneumoniâ, obſtructione, de grādine & calculo ac vermibus in pulmone genitis, de hydrope pulmonis, de pulmonis cum thoracis mēbranis coalitu, de ruptura & eroſione vaſorum pulmonis, de vulneribus & vlceribus pulmonis; de Mediaſtini inflāmatione; de Diaphragmatis inflammatione; de Pleuritide, ſeu inflammatione pleuræ & muſculorum thoracis; de vulneribus & fiſtulis, de empyemate, de hydrope Pectoris, de vertebrarum dorſi luxatione & gibboſitate, de fracturis Coſtarum & earum ad interiora compreſſione. Hinc dicendum de ſymptomatibus, quæ inde proueniunt, puta de Reſpiratione læſa, Aſthmate, Suffocatione; Vocis & Locutionis læſione, Tuſſi, Dolore lateris & pectoris, Sputo ſanguinis, & Grandinis ac Calculorum & Vermiculorum è pulmonibus reiectione.

## CAPVT I.

### *De Aſperæ arteriæ morbis.*

*Aſpera arteria morbi.* FAucibus & gutturi ſuccedit Arteria, Græcis τραχεῖα dicta, ad differentiam earum, quæ è ſiniſtro cordis ventriculo in vniuerſum corpus diſtribuuntur: item βρόγχος, quod ex bronchiis, id eſt, annulis cartilagineis conſtet. Habet ea naturalem conſtitutionem ſuam, vt paſſim ab Anatomicis deſcribitur, à qua ſi deflectat varij morbi in ea oriuntur.

### *Morbi Imtemperiei.*

*Intemperies.* Et primò quidem morbis intemperiei corripitur, quam inducit inprimis aër, quem inſpiramus, vt & quem exſpiramus, qui ſi frigidior fuerit, aſperam arteri refrigerat; ſi calidior, calefacit; ſi humidior, humectat; ſi ſiccus, exſiccat. Poſſunt idem præſtare etiam cibus & potus. Hinc ab aqua frigida vel potu alio congelato aut glacie refrigerato aſpera arteria refrigeratur. Eadem tamen intemperies accidere poteſt ab humoribus & materia, quæ eam præterlabitur, ſiue à capite ad eam confluat, ſiue à pulmone & thorace reiiciatur. Poſſunt etiam intemperies partium vicinarum tracheæ intemperiem aliquam inducere. Ita œſophagus inflammatus calidam intemperiem arteriæ aſperæ communicare poteſt.

Cognoſcuntur autem iſtæ intemperies à cauſis antecedentibus, ſcilicet vel calefacientibus, vel frigefacientibus, vel humectantibus, vel ſiccantibus, item ex vocis mutatione, oris ariditate, vel humiditate, caliditate, vel frigiditate, deglutiendi difficultate vel facilitate, vt & iuuantibus ac nocentibus.

Si verò intemperies à materia in corpore contenta inducatur, arguunt eam tuſſis, ſenſus grauitatis, dolor, anhelitus difficultas. Materia autem & humoris natura etiam intemperiei ſpeciem indicat.

Simplices autem intemperies & qualitates, ſiccitatem ſi excipias, facilè ſanantur, remotis, quæ eam induxerunt, cauſſis, & contrariis adhibitis; difficiliùs verò intemperies ſanantur, quæ à materia fouentūr.

De curatione autem in genere hoc tenendum, cùm partes, è quibus aſpera arteria conſtat, ſint frigidiſſimæ & exſangues, in refrigerantium vſu cautus eſſe debet Medicus. Cum etiam pars hæc ſicca ſit, & à cerebro defluentia excrementa ſubinde recipiat, audaciùs ſiccantibus vti licet; exaſperantium tamen vſus vitandus.

Intemperies autem ſimplices ſaltem remotionem cauſſæ eam inducentis, & contraria medicamenta indicant.

Si adſit materia eam fouens, illa remouenda.

Si nimirum intemperies ſit *calida*, alteretur frigidis, *ſyrupo violarum, roſarum, cucurbitæ, mucilagine ſemin. pſyllij*. & ſimilibus.

Si *frigida* ſit intemperies, conueniunt *ſpecies* & *rotulæ diaireos, diacalaminthæ, diahyſſopi, ſyrupus de hyſſopo, de betonica*. Extrà inungatur collum *oleo irino, coſtino*, & ſimilibus.

Si intemperies ſit *humida*, vtile eſt *decoctum* & *aqua hyſſopi cum melle, ſpecies draireos, diacalaminthæ.*

Si intemperies ſit *ſicca*, vtendum *ſyrupo violarum, iuiubino, de glycyrrhiza, lacte, emulſione ſeminis papaueris, amygdal. dulc. pinearum*. Extrà collum inungendum *oleo violarum, amygdal. dulc.*

Si cum materia ſit intemperies, ea cura requiritur, quæ in catarrho ad pectus labente propoſita eſt.

### *Aſperitas.*

Deinde aſpera arteria patitur morbum ſuperficiei, cum ſcilicet, quæ intus & ſecundum tunicam interiorem naturaliter læuis eſſe debet, aſpera redditur & inæqualis. *Aſperitas.*

Quod ipſi à rebus acribus immodicè detergentibus & erodentibus, vt ſalſo & acri catarrho, rebus acidis, oleo, quod licet alias partes linire & læuigare poſſit, aſperam tamen arteriam & oculos exaſperat, præcipuè ſi ſit rancidum, vel frixione tale euaſerit, rebus item oleoſis & rancidis aliis, vt nucibus & ſimilibus, puluere item & fumo, vaporibúſque acribus, quos cum aëre inſpirando attrahimus, accidit. Longa etiam oratio & vocis intenſio aſperam arteriam reddunt; humores item maligni, vt in lue Gallica; item vapores acres in febribus malignis ex inferioribus partibus eleuati. *Cauſſa.*

Aſperitas aſperæ arteriæ cognoſcitur ex cauſſis, quas modò enumerauimus, & ex vtilitate, quàm præbent lenientia, & damno, quod oritur ex acrium & acidorum vſu. Inprimis autem ex effectu cognoſcitur, nimirum ex raucedine vocis, quæ ex aſperitate arteriæ huius excitatur.

Aſperitas

Aſperitas autem aſperæ arteriæ lenientia & læuigātia remedia, & emplaſtica morſu expertia poſtulat. Cuiuſmodi ſunt *amylum*, *tragacantha*, *bolus Armena*, *amygdalæ dulces*, *nuclei pini*, *dactyli*, *ficus*, *lac*, *vinum dulce*, *diapenidium*, *diatragacanthum frigidum*, *ſyrupus de iuiubis*, *diacodium*, *ſyrupus de glycyrrhiza*, *loch de pſyllio*, *de papauere*, *ſuccus* & *extractum glycyrrhizæ*. Inprimis hîc profunt hypoglottides, ac pilulæ & trochiſci ſub lingua tenendi, vt *pilulæ bechiæ*, *trochiſci bechij*, *oleum amygdal. dulc.* cum *ſaccharo cando*.

*Arteriaca medicamēta.* Atque omnino huius loci ſunt arteriaca dicta medicamenta, quod membranæ arteriam aſperam ſuccingenti profunt. Compoſita talia ex Antiquis multa propoſuit Galenus, 7. *de compoſit. medic. ſecund. loca.* Verùm cùm, vt idem Galenus, *ibid. cap.* 1. ait, omnium ſimplicium medicamentorum vires exquiſitè noſſe oporteat eum, qui compoſitum quoddam ſit facturus, ſimplicia arteriaca hîc proponere libet.

Eſt autem illorum triplex genus. Primum complectitur lenientia, quæ ſine omni mordicatione læuigant, qualia ſunt, *butyrum recens ſ. ſale*, *amylum*, *lac*, *muſtum dulce decoctum*, *paſſulæ*, *dactyli*, *iuiubæ*, *amygdalæ dulces*, *pineæ recentes*, *glycyrrhiza*, *tragacantha*, *gummi Arabicum*, *cremor ptiſanæ hordeaceæ* & *triticeæ*, *mucilago ſem. pſyllij*, *cydoniorum*, *emulſio ſeminum quatuor frigidiorum maiorum*.

In ſecundo genere ſunt, quæ abſtergunt ſimul nonnihil, citra tamen roſionem. Et poſſunt etiam in hunc finem vſurpari medicamenta ex priore claſſe, ſi, quæ ſunt huius generis propria, adduntur. Sunt autem talia, *ſaccharum*, *mel*, *ſaccharum penidium*, *caricæ*, *ſyrupus violarum*, *iuiubinus*.

In tertio genere ſunt paulò acriora, quæ exſiccant, abſtergunt, & diſcutiunt, vt *hyſſopus*, *thymum*, *radix ireos*, *ſemen vrticæ*, *cinamomum*, *amygdalæ amaræ*, *ſpica*, *thus*, *myrrha*, *terebinthina*, *farina orobi*, *ſpec. diaireos Salomonis*.

Etſi verò pluribus modis talia exhiberi poſſunt, vt ſyruporum, linctuum: tamen commodiſſimè ferè in hypoglottidas, ſeu trochiſcos ſub lingua tenendos, qui paulatim liqueſcant, conformantur. Hærere enim neceſſum eſt.

Compoſita multa talia, vt dictum, apud Galenum, 7. *de compoſit. medic. ſec. loca*, exſtant. Vnum atque alterum ſaltem addemus:

℞. *Sem. cydonior. pſyllij, ſpec. tragacanthi frigidi*, an. Drach. i.

Fiat Nodulus, qui madeſiat in decocto paſſularum & glycyrrhizæ.

Vel ℞. *Glycyrrhizæ rec. in taleolas ſectæ* q. ſ. *paſſul. minor. caſſ. extr. ſacch. candi ſem. cydonior.*

Ebulliant parum, & pro vſu ſeruentur.

Vel ℞. *Rad. althéæ* Vnc. i. *glycyrrh. brancæ vrſinæ*, an. Vnc. ß. *paſſul. mundat. iuiubar. ſebeſten*, ana N. x. *flor. violar. maluæ.* ana P. 1. *ſem. 4. frig. maior. cydonior.* an. Drac. iii. *hordei mundat.* P. i.

Fiat decoctio. In ℔. i. diſſolu. *ſyr. violar.* Vnc. iii. *iuiubini* Vnc. i.

M. pro tribus doſibus. Vel coq. ad ſpiſſitudinem, & addatur ſaccharum penidium. F. Lohoch.

## *Anguſtia aſperæ arteriæ.*

*Anguſtia aſperæ arteriæ. Cauſſa.* Tertiò patitur aſpera arteria morbos cauitatis, ſeu Anguſtiam, quæ fit à rebus extrà comprimentibus, laqueo, manu, ſimilibúſque cauſſis aſperam arteriam extrà coarctantibus; ab inflammationibus item & tumoribus aſperæ arteriæ incumbentibus; bolis item grandioribus deuoratis, vel rebus aliis duris deglutitis in œſophago ſubſiſtentibus, & arteriam, quæ à poſteriore parte gulæ adiacet, comprimentibus, luxatione vertebrarum ceruicis. Quò etiam referri poteſt natiua pectoris anguſtia, item nimia obeſitas, vnde arteriæ comprimuntur, & anguſtiores redduntur. Obſtruitur à rebus extrà in eam illapſis, humoribus craſſis & glutinoſis confertim à cerebro in eam illabentibus, vel pure ex rupto pulmonis abſceſſu, vel etiam abſceſſibus in faucibus ruptis, ſeu grumis ſanguinis vndecunque in eam illapſis; grandine item & calculis in pulmone genitis, & tandem à carne, quæ poſt vulnera vel vlcera arteriæ in eâ nata eius meatum claudit.

*Signa.* Aſperæ autem arteriæ anguſtiam patefaciunt cauſſæ cùm externæ, tum internæ, quæ aptæ ſunt canalem hunc comprimere vel obſtruere. Monſtrant eandem effectus, reſpirationis difficultas, & imminens ſuffocationis metus modò maior, modò minor, pro anguſtiæ, à qua prouenit ratione, tuſſis item, præſertim ſi extrà illapſa ſit cauſſa anguſtiæ.

*Prognoſtica.* Et quidem inter morbos aſperæ arteriæ anguſtia grauiſſimus & periculoſiſſimus eſt, qui ſuffocando & ſpiritus intercipiendo hominem iugulat, ſiue id fiat à laqueo, ſiue à catarrho confertim in pulmones illabente, ſiue à ſanguine in tracheam influente, ſiue à rebus aliis in eam illapſis. Cuius rei hiſtorias collegit Schenckius, *lib.* 2. *obſ.* 14. Pro cauſſarum etiam ratione malum nunc facilius, nunc difficilius curatur. Anguſtia enim aſperæ arteriæ, quæ ob gibbum ex aſthmate fit ante pubertatem, non curatur. Hippocrates, 6. *aph.* 46.

Ad prognoſtica pertinet & hoc, quod ea, quæ in aſperam arteriam illabuntur, interdum magno conatu in ipſum pulmonem detruduntur; quæ poſtea tamen interdum tuſſi reiiciuntur, interdum vomicam ibi excitant. Ita Alex. Benedictus, *hiſt. de part. corp. hum. lib.* 3. *cap.* 18. annotauit, Lucretiæ cuidam, cum nucem Ponticam dentibus frangeret, oborto riſu, nucem in arteriam delapſam, & ancipiti conatu ad interiora propulſam, vbi ruptis venulis vomica in pectore exorta eſt, quâ tandem ſanatâ, obſeſſis meatibus, vox rauca ſemper percepta eſt. Sic anno 1620. cum hic vir quidam ceraſa comederet, nucleus cum maximo ſuffocationis periculo & tuſſi maxima in guttur, & tandem in ipſum pulmonem illapſus eſt. Vnde ſuffocationis periculo ceſſante, in eam venit opinionem, illum ſuffocationis metum non à nucleo, ſed catarrho præcipiti, cui aliàs valde erat obnoxius, prouenisse. Verùm durauit per interualla tuſſis iſta tribus ſeptimanis, & dolorem quendam grauantem in dextra thoracis parte ſenſit. Tandem cum nocte quadam vehementer integram horam tuſſiſſet, nucleum illum pituita obductum tuſſi reiecit, & ab ea liberatus eſt.

*Curatio.* Curatur autem anguſtia aſperæ arteriæ, cauſſæ, quæ eam excitat, ablatione. Si extrà quid arteriam comprimat, illud tollendum. Si etiam extra quid in eam illapſum ſit, tuſſi reiiciendum. Si verò cauſſa obſtruens interna ſit craſſus & viſcidus humor, is incidendus, attenuandus & extergendus, vt facilius tuſſi eiici poſſit, *ſyrupo* ſcilicet *de hyſſopo*, *capill. Veneris*, *de praſſio*, *glycyrrhiza*, *oxymelite* cum *mulſa*, vel *decocto* aut *aquis hyſſopi*, *capilli Veneris*, *praſſij*, *loch de pino*, *de ſcilla*, & ſimilibus, quæ poſtea in obſtructionibus pulmonis proponentur. Si ſuperiore parte œſophagi quid hæreat, ac aſperam arteriam etiam coarctet, tum conquaſſatis pugno dorſi vel intra ſcapulas vertebris, quibus gula adiacet, impacta in ventrem detruduntur, quò tandem larynx & dilatari, & liberius aerem admittere poſſit.

## *Vulnera & Vlcera aſperæ arteriæ.*

*Cauſſa.* Tandem etiam morbos ſolutæ vnitatis patitur aſpera arteria, Vulnera ſcilicet, quæ præcipuè à telis, gladiis, & aliis cauſis externis inducuntur. Quandoque etiam à tuſſi violenta, & magna vocis intentione, vt in pulmone, ita in aſpera arteria vaſa rumpuntur.

Exulcerationem verò inducunt acres humores & erodentes, præcipuè falsi & nitrosi, vt appellat Hippocrates, 4. *de rat. vict. in acut.* à cerebro defluentes, vt & humores acres & venenati in lue Venerea.

Vulnera autem externa asperæ arteriæ sensui patent, & ægri vel adstantes referunt, quæ caussæ ea induxerint. Et si dubitetur, an vulnus ad cauitatem arteriæ penetret, id facilè manu, candela, vel alia re vulneri admota, dum æger loquitur, & omnino ex aëris per vulnus egressu cognoscitur. Ruptura autem vasorum ex tussi nimia, vt & vocis intentione, quæ præcessit, ac præcipuè sanguinis sputo, quod sequitur, innotescit.

Interna autem exulceratio patescit è caussis, quæ præcesserunt, vel adsunt; catarrhis salsis, medicamentis acribus, lue Venerea; vt & iis, quæ exulcerationem consequuntur, dolore, tussi, sputo sanguinis, in principio quidem puro, hinc purulento, aut materiæ purulentæ & sordidæ, vt & crustularum, quas Græci ἐσελκίδας vocant, reiectione Interdum etiam bronchia & cartilagines asperæ arteriæ tussi reiiciuntur, quod tamen ex pulmonibus frequentiùs accidit, rarò ex aspera arteria, quæ durior est, quàm vt viuente homine tantam corruptionem pati possit. Symptomata equidem, quæ vulneribus & vlceribus arteriæ superuenire solent, recenset Hippocrates, 2. *de morb.* Verùm vt mihi quidem videtur, non agit eò loci Hippocrates de aspera arteria extra pulmones vulnerata vel exulcerata, de qua nunc nobis sermo, sed de eius ramis iam per pulmonis substantiam dispersis; cùm inter cætera expresse scribat, in vulneribus eiusmodi tandem βρόγχια pulmonis reiici.

*Prognostica.* Vulnera autem asperæ arteriæ periculosa sunt, & plerumque insanabilia, præcipuè si substantia ipsa cartilaginea sint vulnerata, potissimum per transuersum dissecta, quæ vix coalescit. Interdum etiam inflammatio accedit, & hinc gangræna & sphacelus, quæ ægrum subitò iugulant.

Aliquando tamen sanantur, præsertim, si vulnus inter duos annulos, atque ita membranam cartilaginē connectentē incidat, cuius rei exempla collegit Schenckius, *lib.* 2. *obs.* 40. Et ipse bis vulnera arteriæ asperæ penetrantia sanata vidi. Si autem moriatur æger, iugulatur vel statim, sanguinis effusione, qui in arteriam illapsus ægrum suffocat, vel lentè, quod post aliquot septimanas factum vidi, cum aliquid carunculæ vulneri succrescit, quod ægrum tandem suffocat.

Vlcera, quæ internam asperæ arteriæ partem occupant, difficilia quidem curatu sunt, ob partium situm & naturam, cui difficulter & non omnis generis medicamenta applicari possunt. Plerumque tamen sanantur, modò non sint profunda, & cartilagines exedantur & putrilago accedat.

*Curatio.* Vulnerum asperæ arteriæ curationem quod attinet, cutis labia distantia coniungenda, & deinde emplastris conuenientibus extrà adhibitis vulnus, vt moris, est, conglutinandum. In ore verò, vt & intus conglutinatio iuuetur, continuò aliquid medicamenti detinendum, quod liquatum sensim per viam asperæ arteriæ delabatur; id quod faciliùs fiet, si æger supinus iaceat, vt *rotulæ diatragacanth. frigid. diacodium*, & similia.

Vel ℞. *Spec. diatragac. frigid.* ʒ.j. *gummi Arabici, boli Armenæ*, an. ʒ.ß. *rad. consolidæ sub cineribus coctar.* ℥.i. *syr. myrtin.* q.s.

Fiat Electuarium.

Vel ℞. *Conseru. rosar. rubr. rad. consolidæ maioris*, an. ℥.i. *boli Armenæ, spec. diatragacanth. frigid. gumm. Arabici*, an. ʒ.ß. *syr. de rosis siccis* q.s.

F. Electuarium.

Potest etiam exhiberi loch sanum & expertum.

Æger verò non multum loquatur, & omnia, quæ tussim excitare possunt, præcaueat.

*Vlcera* quoque curantur detergentibus, siccantibus, id, quod amissum est, regenerantibus, & cicatricem inducentibus. Detergunt *mulsa, mel rosatum*, cum *aqua hordei*. Siccant & glutinant *bolus Armena, thus, myrrha, radix aristolochiæ* puluerisata, & cum melle in formam eclegmatis redacta. Et si ab humoribus acribus & salsis vehementer detergentibus vlcera eiusmodi ortum habeant, lac commodissimum est, cuius solius vsu humorum acrimonia temperatur, sordes deterguntur, ac, quod deest, restituitur: inprimis si lac debito modo præparetur, & eas, quas debet, conditiones habeat, de quo vide Galenum, 5. *meth. med. cap.* 12.

## QVÆSTIO

### *An Vlcera asperæ arteriæ sint sanabilia.*

*Vlcera asp. arteriæ an sint sanabilia.*

Galenus equidem, 5. *meth. med. cap.* 12. vbi ex professo de curatione vlcerum asperæ arteriæ tractat, & propterea hac de re videri potest, scribit, se non paucos eorum, qui hoc morbo laborarunt, curasse, quod & Aëtius, *tetrab.* 2 *serm.* 4. *cap.* 64. se factitasse testatur. Marcellus Donatus tamen, *de historia medica mirabili*, *lib.* 3. *cap.* 1. recenset historiam cuiusdam, qui omni diligentia à Medicis adhibita nihilominus hoc morbo periit. Et omnino non simpliciter affirmandum, esse sanabilia hæc vlcera, vt etiam de vulneribus dictum Etenim cùm sanies non nisi tussi reiici possit, facilè fit, vt isto conatu partes vlceratæ lacerentur. Quibus accedit & hoc, quod aspera arteria non carnosa est, cuiusmodi partium vlnera & vulcera facilè sanantur, sed dura & cartilaginosa. Præterea cum membra vlcerata siccatione indigeant, etiam hac de caussa asperæ arteriæ vlcera difficilius sanantur, cùm continuò humiditas quædam, præcipuè è vicinis tonsillis, destillet; & inprimis, cùm aspera arteria naturâ suâ sicca sit, & vehementiùs siccari postulet.

Et omnino ista rationi consentanea sunt. Quapropter statuendum, vt & Auicennas, 3. *can. fen.* 10. *tr.* 4. *cap.* 18. docet, si vlcus in principio sit, & saltem externam superficiem asperæ arteriæ occupet, sanabile esse: si verò vlcus penetrauerit, & ipsas cartilagines asperæ arteriæ eroserit, tale vlcus vel planè insanabile esse, vel omnino difficulter curari.

## CAPVT II.

### *De Pulmonis Intemperie.*

*Pulmonis intemperies.*

Aspera arteria in ipsum pulmonem tendit & inseritur. Ideoque proximum est, vt de eius Morbis dicamus. Quæ autem naturalis sit constitutio Pulmonis, ex Anatomicis petatur. A quâ cum deflectit, varios morbos patitur. Inter eos sunt primò morbi Intemperiei, cum pulmo vel nimis calefit, vel refrigeratur, vel humectatur, vel siccatur; & quidem nunc sine materia, nunc cum materia.

*Caussæ.*

*Caussæ.* Morbum intemperiei sine materia inducunt caussæ simili qualitate præditæ, inprimis aër, quem spiritu ducimus, quique ad pulmonem parùm alteratus defertur, præcipuè in iis, quibus columella deest. Quamcunque enim qualitatem aër habet, eam pulmoni imprimit. Hinc qui tempore hyberno per loca niuosa, aut ventis frigidis exposita iter faciunt, iis pulmones refrigerantur. Idem interdum euenit à potionibus nimis frigidis, inprimis quæ glacie refrigeratæ sunt, quarum portio aliqua, licet exigua, per asperam arteriam

arteriam in pulmones defluit. Pertinent & huc, quæ totâ ſubſtantiâ pulmonibus aduerſa ſunt. Quanquam enim talia occultis qualitatibus præcipuè pulmonibus noceant: tamen & ipſæ ſæpe vnà qualitatum manifeſtarum exceſſus habent, quos & ipſos pulmonibus imprimere poſſunt. Extrà quoque applicata thoraci medicamenta pulmonem alterare poſſunt. Ita refert Galenus, 10. *meth. med. cap.* 9. quod quidam impoſito præcordiis refrigerante medicamento, difficultate reſpirandi laborauerit, alter verò tuſſierit. Afficiuntur etiã & alterantur pulmones à vicinis quibuſdam partibus, vt corde, hepate, liene. Hæ enim partes, ſi incaleſcant præter naturam, plerumque etiam pulmoni intemperiem illam communicant.

Intemperies autem cum materia fit, vbi ea in pulmone vel ſenſim, ſeu ob facultatis concoquentis ſeu expellentis imbecillitatem colligitur, vel aliunde conſertim affluit. Inprimis autem à capite ad pulmonem materia tranſmittitur in catarrhis; ſæpe à gutture & faucibus, quarum partium inflammatio nonnunquam in pulmonem conuertitur. Frequentiſſimè autem ab ipſo hepate, imò per hepar à toto venoſo genere, ſeu multo ſanguine, ſeu vitioſis humoribus repleto tranſmittitur. Nonnunquam etiam à thorace materia, vt pus & ſanies, pulmoni communicatur; quod interdum quoque; à membrana coſtas ſuccingente, vt & à coſtarum muſculis inflammatis, accidit. Nec extra culpam ſemper eſt vterus, à quo etiam ſanguis ad thoracem conuertitur, teſte Hippocrate: niſi quis malit à venoſo genere, antequam ad vterum feratur, ad pulmonem mitti ſanguinem.

### *Signa Diagnoſtica.*

Calida pulmonis intemperies cognoſcitur ex cauſſis, quæ præceſſerunt, ità nimia & diuturna vocis intentione, motu nimio, inſpiratione aëris calidi, medicamentis & cibis nimis calidis, intemperie vicinorum viſcerum calidâ, è rubore genarum, qui prouenit à fumis calidis aſcendẽtibus, ſiccitate linguæ & faucium, ſiti ingenti, quam potus non ſedat, & frigidi aëris inſpiratio, è magnitudine, celeritate & frequentia anhelitûs, vt & pulſuũ differentia ſimili, languore corporis, & quod æger cauſſis, quæ calorem augendi vim habent, offenditur, iuuatur ab iis, quæ refrigerant.

Frigidæ pulmonis intemperiei ſigna ſunt cauſſæ refrigerantes, quæ præceſſerunt, inprimis mora in aëre frigido, & locis ventis borealibus expoſitis, inprimis ſi corpus, & præcipuè os, non muniatur aduerſus hanc aëris iniuriam, potus frigidus, inprimis qui glacie refrigeratus eſt, aut antea frigore congelatus fuit. Reſpiratio eſt tarda, parua & rara, pulſuſque ſimilis, exſpiratio eſt frigidior. Æger frigidorum vſu offenditur; commodum ex calidis, præſertim aëre calidiore, percipit.

Signa pulmonis humidi petuntur à cauſſis humectantibus, quæ præceſſerunt, à vocis raucedine, anhelitu frequenti cum ſibilo & ſtertore, ſputo multo; & læſione ab humectantibus, & commodo ab exſiccantibus.

Sicca intemperies tandem cognoſcitur, quod cauſſæ exciccantes præceſſerunt, motus & vocis intentio diuturna & nimia. Morbo hoc inprimis aurifabri & Chymici, ac qui circa metalla occupantur, infeſtantur, à quorum valde exſiccantibus halitibus cum aëre, quem inſpirant, attractis, pulmones exſicccantur. Morbo hoc affecti paulatim contabeſcunt, & ſi mortuorum pectus aperitur, nullum vlcus in pulmone apparet, ſed pulmones veluti fumo exſiccati conſpiciuntur. Reſpiratio eſt parua & frequens, ſitis continua, ſputum paucum. Exſiccantibus æger læditur, ex humectantibus emolumentum percipit.

Intemperies verò cum materia innoteſcit ex humorũ in corpore redundantium notis, quæ alibi, & quantum pulmones ſpectat, poſtea proponentur.

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.* 1. Intemperies ſine materia, (ſiccâ exceptâ, quæ plerumque incurabilis eſt) quàm quæ cum materia committitur, faciliùs curatur, nec ſuffocationis periculum coniunctum habet.

2. Periculoſior verò eſt intemperies cum materia. Nam grauiora inde excitantur ſymptomata, atque ob viſceris ſitum medicamenta difficiliùs eò penetrant, & maius & minus periculum coniunctum habet morbus pro virium robore & debilitate, & ipſius materiæ conditione, quæ coctionem vel faciliùs vel difficiliùs recipit, & facilè vel difficulter excernitur.

3. Si pulmonis intemperiei catarrhus coniunctus ſit, curari ea non poteſt, niſi catarrhus priùs tollatur & ſiſtatur.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Si ſimplex intemperies ſit ſine materia, indicat contraria alterantia; ſi cum materia, etiam ea, quæ materiam à pulmone reuellunt & euacuant. In frigidis tamen adhibẽdis cautè agendum, nec nimis frigida exhibenda, quorum vſu pulmo offenditur, ac tuſſis inde & alia mala interdum excitantur.

*Pulmo quomodo euacuetur.* Pulmo autem euacuatur commodiſſimè per tuſſim; cùm per arterias per ipſam diſperſas quæ in vnam magnam tandem coëunt, materia rectiſſimè euacuetur. Licet autem per vrinam & aluum etiam aliquando, iſta euacuation fiat; tamen hoc rariſſimè accidit. Etſi verò tuſſis à materia concitetur, expultrice excitatâ ad eiiciendum ea, quæ moleſta ſunt; ars tamen naturæ ſubſidio venit medicamentis, quæ bechica & tuſſim excitantia appellantur. Sunt autem ea, quæ facilè per aſperam arteriam in pulmonem deſtillant, & craſſam & viſcidam materiam incidunt atque extenuant, & ob acrimoniam aliquam, quâ prædita ſunt, naturam ad tuſſim ſtimulant.

Medicamenta autem, quæ pulmoni adhibentur, vel interna ſunt vel externa. Interna, quæ per os ſumuntur, alia per aſperæ arteriæ latera in pulmonem ſenſim deſtillant; alia verò ſtatim in ventriculum deſcendunt, & per viſcera reliqua ad pulmones tranſeunt. Priora ita ſint comparata, & talia eligenda, quæ nec pulmonem offendunt, nec nimis liquida ſunt, vt ſtatim in ventriculum defluant, ſed talia, quæ mediocrem craſſitudinem habent, qualia ſunt eclegmata ſiue lambilia: vel ſi ſint duriora, talia tamen, vt in ore detenta ſenſim liqueſcere & in pulmonem deſtillare poſſint: Poſteriora, & quæ mox ad ventriculum perueniunt, quod attinet, cùm circuitus viaque, per quàm ad pulmones talia medicamenta perueniunt, longus ſit, & longæ ambages, medicamenta ea validiora ſint, & maiore copia, & frequentiùs exhibeantur, vt, vbi ad pulmones perueniunt, vires adhuc morbo curando ſufficientes obtineant.

Externa pectori applicantur extrà, quod cùm ſit maxima ex parte oſſeum, vt validiora ea ſint, oportet. Cauendum autem hic, ne refrigerantia, repellentia & adſtringentia valida pectori applicemus. Nam & frigus pulmoni inimicum, & vitioſos humores talia medicamenta in pulmonem ab externis partibus compellunt.

### *Curatio.*

*Curatio. Pulmonẽ refrigerantia.* *Calidum* ergo pulmonem refrigerant medicamenta ex *violis, endiuia, papauere, hordeo, nymphæa. ſyrup. violar. decoct. hordei, loch. de pſyllio.* Extrà inungatur thorax *oleo violarum.* Vel fiat epithema ex decocto lactucæ, violar. endiuiæ.

*Diæta.* Diæta medicamentis reſpondeat. Aër, quem ſpiritu trahimus, ſit actu frigidus, qui niſi talis ſit naturâ, arte comparetur, vt alibi dictum. Potus ſit aqua hordei ſimplex, vel cum iulebo violarum. Æger à vino abſtineat. Cibi quoque refrigerandi vim habeant, & condiantur endiuia, lactucâ. Vigilias nimias æger vitet. Quies motui præferenda; cùm motus calorem augeat; vt & ſilentium ſermoni. Vitanda eſt ira & excandeſcentia.

*Pulmones calefacientia.* *Frigidam* verò pulmonis intemperiem corrigunt *hyſſopus, praſſium, capillus Veneris, helenium, thymus, calamintha, tuſſilago Nicotiana, radix ireos, crocus*, quem nonnulli pulmonis animam nominant, qui & ex ouo ſorbili vel cum aliis medicamentis ſumi poteſt, & cum linimentis miſceri. Et ex his parata *decocta* & *aqua, ſyrupi* item *capill. Vener. de hyſſopo, de glycyrrhiza, de praſſio, de calamintha, ſpecies diatragacant. calid. diaireos Salomonis, diapraſſ.* vt & *ſuffitus aromatum*.

Extrà illinatur pectus *oleo irino, amygdal. amarar. rutaceo, anethino*.

*Diæta.* Diæta medicamentis ſit ſimilis. Aër ſit calidus, &, niſi talis ſit naturâ, vt antea comparetur. Potus ſit vinum & mulſum. Cibus ſit carnes animalium aromatibus conditæ. Vtilis eſt pulmonis & totius corporis exercitatio, quæ calorem viſcerum excitat.

*Pulmones ſiccantia.* *Humidam* pulmonum intemperiem corrigunt medicamenta calida modò enumerata. Habent enim eadem etiam vim ſiccandi, vt & decoctum ligni Guaiaci & ſaſſafras.

Extrà pulmonem exſiccant aquæ ſalſæ ſulphureæ, bituminoſæ, vt & ſacculi milio ac ſale pleni pectori impoſiti.

*Diæta.* Aër ſit ſiccus, vel ſuâ naturâ talis, qualis eſt maritimus & montanus, vel ſuffitu herbarum calidarum & ſiccarum modò enumeratarum, vt & aromatum, & lignorum calidorum ſuaueolentium, vt & ſtyracis, thuris, myrrhæ, benzoës, talis redditus. Suffitus etiam ad exſiccandum pulmonem ore excipi poteſt. Diæta medicamentis conſentiat. Potus ergo ſit vinum hyſſopo, marrubio, helenio, vel aromatibus conditum Cibus etiam vim ſiccandi habeat, quales ſunt aues montanæ. Vtilis eſt etiam corporis, ac inprimis pulmonis exercitatio, quæ fit multo ſermone & locutione.

*Pulmones humectātia.* *Siccos* pulmones humectant *caſſia, glycyrrhiza, violæ, jujubæ, paſſulæ, amygdalæ dulces, ſem. melonum*.

Extrà conuenit aquæ dulcis tepidæ balneum & oleū amygdalarum dulcium. Inprimis verò ad ſiccitatem pulmonum corrigendam vtilis eſt diæta.

*Diæta.* Aër ſit humidus naturâ, vel arte talis factus. Potus & ipſe vim humectandi habeat, qualis eſt vinum album dulce, decoctum hordei, emulſio ſeminis melonum & amygdal. dulc. In cibis conueniunt oua ſorbilia, carnes hædinæ, vitulinæ, pullorum gallinaceorum, piſces ſaxatiles, caro gammarorum & cancrorum ac teſtudinum; lac inprimis recens. Vtilis eſt & ſomnus, quies, & animi tranquillitas.

## CAPVT III.

### De pulmonis Inflammatione ſiue Peripneumonia.

POſt intemperies pulmonis de inflāmatione eiuſdem agere libet, vt intemperie cum materia. Etſi enim & magnitudo aucta accedere poſſit: tamen magis lædit intemperies. Vlcus verò, quod interdum accedit, ad ſolutionem continui pertinet, de qua infrà.

Περιπνευμονία autem ἢ πνευμονία, Celſo, *l.4.c.7.* morbus peripneumonicus, vulgo pulmonia, (eſt enim hic morbus ex eorum genere qui à parte affecta nomen acceperunt) eſt phlegmone pulmonum cum febre acuta, ſpirandi difficultate & tuſſi.

Morbus eſt primò intemperiei cum materia, quia ſanguinis p. n. ad pulmonem affluxit; deinde in magnitudine aucta; quia eſt tumor parenchymatis pulmonum, quibus interdum & ſoluta vnitas accedit. Pars affecta eſt pulmo, interdum ſecundum vnum vel alterum lobum, interdum totus.

### *Cauſſæ.*

Oritur autem hic morbus ex ſanguine, vt aliæ etiam etiam inflammationes omnes, vel ſolo, vel bilioſo, vel pituitoſo. Et plerumque, (interdum enim ſolam plethoram huius inflammationis cauſſam eſſe impoſſibile non eſt) vt etiam ſuprà dictum, in talibus inflammationibus humores vitioſi in venis cumulati prima mali occaſio ſunt, quibus cum ſe naturâ exonerare cupit, ſimul eos cum ſanguine ad partem aliquam corporis protrudit & deponit. Sanguis autem ſemper præualet, etſi motui primam occaſionem alius humor præſtare poſſit. Aliàs non eſſet inflammatio.

Infunditur autem ſanguis in pulmonem è dextro cordis ſinu per venam arterioſam. Nonnunquam aliis morbis ſuccedit peripneumonia, vt anginæ, pleuritidi, dum è faucibus & lateribus humor κατὰ μετάστασιν repentè in pulmones irruit. Etſi enim à pleura ad pulmonem nullus ſit vaſorum ductus: tamen quia pulmones cum pleura communem membranam habent, quæ omnes thoraci partes inueſtit, per eam malum hoc vicinis partibus & pulmoni communicari poteſt, de quo poſtea, *de Pleuritide*, dicetur. Accidere tamen etiam poteſt, vt humores ad fauces aut pleuram ruentes in venas recurrant, quos cum natura iterum aduerſus thoracem pellere conatur, eos per venam arterioſam in pulmones trudit, vnde tum pleuritis in peripneumoniam degenerat, cauſsâ antecedente, quæ pleuritidem auctura erat, ad pulmones conuersâ. Poteſt enim: vt Galenus, *7.aph.11.* docet, pleuritis in peripneumoniam mutari & degenerare, poteſt & pleuritidi peripneumonia ſuperuenire.

Degeneratio fit, cum priore ceſſante morbo alter ſuccedit; ſuperuenit verò, cum priori permanente alter accedit.

Sanguinis in pulmonem effuſi pars aliqua in arteriæ aſperæ ramos impulſa ichore primùm, hinc cruore ſputum imbuit, tandem mutatus & coctus per tuſſim copioſius eiicitur, illæſa pulmonum ſubſtantia. Hæc enim ſi lædatur, phthiſis ſuccedit.

Cauſſæ autem, quæ faciunt, vt materia ad pulmones fluat, ferè omnes ſunt, quas poſtea in pleuritide recenſebimus, vehemens ſcilicet exercitatio poſt quietem longam & corpore repleto, clamor & vocis intentio nimia. Ira etiam ſanguinem commouere poteſt, vt ad pulmonem confluat. De quo Hippocrates, *6.epid.com. 5.t.9. Præceps atque acerba iracundia cor & pulmonem in ſeſe, & ad caput calorem* & *humorem trahit.*

Aër frigidus & aquilonius, auſtralem præcipuè ſequens; aër enim frigidus pulmoni eſt inimicus, qui faciliùs pectus afficit, ſi ab aëre tepido partes thoracis laxatæ ſunt. Facit huc & aquarum lacuſtrium & ſtagnantium vſus tempore hyberno; vnde Hippocrates, *de aëre, aquis & loc.* ſcribit, in regionibus lacuſtribus & paludoſis frequenter obſeruari pulmonias. Hyeme ſcilicet. Aqua enim eiuſmodi non glaciata potiùs inferioribus partibus nocet, atque ipſe Hippocrates per æſtatem alui profluuia, inteſtinorum difficultates, lienes magnos, hydropem adeſſe ſcribit; de aqua viglaciata ſcribit *5.aph.24. Frigida, veluti nix & glacies pectori inimica, tuſſes mouent, venarum ruptiones & deſtillationem efficiunt.* Cum enim tales aquæ non defluant, ſed aquæ pluuia noua ſemper inferatur, tempore æſtiuo, cum Sol eas vrit, corrumpuntur, hyeme verò glaciantur, & frigidæ ob niuem & glaciem euadunt.

Pertinent huc & medicamenta venenata, & præcipuè

cipuè lepus marinus, qui peculiari vi pulmones exulcerare, & hinc inflammationem eius excitare solet. Nonnunquam & in constitutionibus epidemiis talis est humorum malignitas, quæ peculiariter pulmones lædere apta nata est. Hinc obseruatæ sunt epidemiæ peripneumoniæ quibusdã annis siue solæ, siue cum pleuritide coniunctæ, in quibus tempestiuè, id est, primo, secundo, aut tertio detractus sanguis profuit, quarto aut quinto die nihil iuuit, ægro septimo vel octauo die extincto; qualis fuit ea, quæ anno 1564. & 1565. inferioris Germaniæ & Rheni accolas inuasit. Vide Dodoneum, *in obseruat.*

Rariùs ad catarrhum & asthma sequitur peripneumonia. Notham tamen seu spuriam quandam esse volunt, quando tenuis & acris destillatio è cerebro confertim in pulmones illapsa, ardore p. n. accenso febrem cum tussi & spirandi difficultate infert, quâ & sensim æger conficitur sine vlcere & cruoris expuitione. A pituita tamen è capite in pulmonem delapsa in pulmone putrescente faciliùs lædi, & tussi superueniente pulmo concuti potest, vt sanguinem inflammationis caussam attrahat vnde vera peripneumonia generatur: & tum catarrhus peripneumoniæ occasio potiùs est, quàm caussa.

Caussa verò proxima inflammationis pulmonis est calor putrescentis pituitæ, ob quem attrahitur sanguis copiosior, & antea calidus facilè incalescit.

Magna autem est inter peripneumoniam & pleuritidem cognatio, imò sæpissime coniunguntur. Differunt verò præcipuè loco affecto. Galenus equidem, *4. de causs. puls. cap.* 12. respiciens ad diuersitatem compositionis vel structuræ partium pulmonis & pleuræ, inter peripneumoniam & pleuritidem sic discernit; quòd pleuritis à tenui & bilioso, peripneumonia verò à pituitoso & crassiore sanguine ortum habeat; cùm tenuis & biliosus sanguis in rara & laxa pulmonum substantia non adhærescat. Sed commodissimum erit saltem loco affecto hos duos morbos distinguere, ita vt, si soli pulmones afficiantur & pleura non sit affecta, peripneumonia; pleuritis verò excitetur, cum pleura vel sola, vel cum pulmonibus inflammatur. Caussam communem esse posse, & humorem, qui producit pleuritidem, peripneumoniam quoque gignere posse, & contrà, vel ex eo patet, quòd angina & pleuritis sæpe in peripneumoniam mutantur; & cum pleurâ plerumque pulmones simul afficiuntur. Et sanguis etiamsi biliosus, nihilominus in substantia pulmonis p. n. eò effusus hærere potest. Quamuis enim laxa & mollis sit pulmonis substantia; talis tamen est, vt non minùs tenues in ea humores, quàm in spongia aqua, contineri possint. Imò maiorem quantitatem tenuis humoris recipere posse videtur pulmo, quàm crassi. Crassa n. poros citò oblinunt seu obstruunt; tenuiora verò penitius sese insinuant. Neque ipse Galenus alibi id negat, vbi phlegmonem hanc ἐρυσιπελατώδη esse statuit.

## *Differentiæ.*

*Differentiæ.* Dantur etiam aliquæ peripneumoniæ differentiæ. Prima est à parte affectâ. Afficitur enim vel totus pulmo vel eius pars, & quidem dextra vel sinistra. Secunda à caussis. Sanguis enim, qui inflammationem pulmonis excitat, vel purus est, vel biliosus. Vnde Hippocrates, *lib. de intern. affection.* etiam erysipelate pulmonem affici posse scribit. Verum Hippocrates non solùm eam, quæ à bile multa admixta fit, inflammationem erysipelas hîc appellat, sed & illam, quæ à sanguine; quæ verò à pituita, bile, & sanguine permixtis, inflammationem, vt videre est, *lib.* 2. *de morb.* vbi de erysipelate pulmonis inquit, quòd sanguis plurimus è venis magnis trahitur; &, *lib. de intern. affect.* hunc tumorem potissimùm è sanguine oriri scribit. Contrà de inflammatione pulmonis, *lib.* 1. *de morb.* inquit, hanc fieri, cum pulmo commotam & humectatam pituitam & bilem ad se traxerit, &, *in lib. de intern. affection.* pulmonis inflammationem fieri, cum ad sese pulmo aut sanguinem aut pituitam salsam traxerit; & paulo pòst morbum hunc ex pituita suam originem habere asserit.

Verùm forsan Hippocrates illam differentiam hic intelligit, quæ ex caussa & generationis modo diuerso prouenit, cuius etiam suprà facta est mentio. Aliquando enim caussa inflammationis è venis magnis; id est, è vena arteriosa, è dextro ventriculo cordis affluit: qui sanguis cùm sit calidior, inflammationem erysipelati similem excitat; aliquando verò pituita è capite defluens inflammationi huic occasionem præbet. Hanc enim vbi pulmo, naturâ suâ rarus, imbibit, atque ea calorem concipit, inflammatio excitatur. Aliquando verò sanguis est pituitosus, & melancholicus. Tertia à modo inuadendi. Accidit enim peripneumonia vel per se, & à principio, nullo alio morbo præcedente, vel aliis affectionibus, vt anginæ & pleuritidi, superuenit.

## *Signa Diagnostica.*

Etsi peripneumonia plurima signa cum pleuritide habeat communia, quibusdam tamen distinguitur. *Signa.* Difficultas enim spirandi maior est, quàm in pleuritide, & cum periculo suffocationis, vt æger erectus spiritum ducere cogatur. Etsi enim ægri in supino decubitu libenter permanerent, vt virium debilitati conuenientiori: tamen ad erectum corporis situm ipsos cogit respirationis difficultas & angustia. Hoc autem situ thorax faciliùs dilatatur, quippe qui decumbentibus in sese concidit, eò quod pectoris partes ad spinam declinant, quâ erectâ thorax etiam simul fertur, non amplius seipsum grauans, vt Galenus, 4. *de loc. affect. cap.* 7. docet. Interdum nec bibere nec loqui commodè possunt, ob respirationis augustiam. Nam maior refrigerandi cordis necessitas vrget, cùm inflammatio sit cordi vicina, quàm in pleuritide, vt pulmo inflammatus humore plenus, etsi plurimum distendatur, aerem, vt opus, excipere non possit. Itaque æger erectâ ceruice & confertim respirat, crebra anhelatione vexatur, intumescit, nares expandit, non secus ac equus post cursum, & linguam crebro exserit, pectus ei sonum edere videtur, & grauitas inesse, quam pectus capere nequit. Hippocrates, *lib.* 3. *de morb.* Difficilem hanc perineupmonicorum respirationem sublimem vocat Hippocrates, 3. *epid. sect.* 2. *ægr.* 7. scribens; in ea summum moueri thoracem ad operta scoptula vsque. Et quidem principio peripneumoniæ præsertim biliosæ, respiratio est frequens & magna, quæ tamen breui, ob virium debilitatem, & instrumenta spirandi affecta in prauitatem mutatur, & frequentia augetur. Suspiratio est calida, & vbi plurimum efflant, alleuiationem sentiunt, & multum aërem frigidum attrahere cupiunt. Cordis enim calor temperatur non solùm refrigeratione, quam præstat aer inspiratus, sed etiam expulsione fuliginum, quæ exspiratione perficitur; quæ fuligines cùm in peripneumonia ob magnum incendium, copiosissimè colliguntur, ad earum subitam expulsionem vehementem exspirationem æger molitur, ac sæpe tam magnam, vt exsufflationis nomen mereatur.

Pectoris angustia adest cum dolore, dolórque non est pungens, sed grauatiuus, spinam attingens, vbi membranæ pleuram ambientes sustentantur, isque dolor remissior est, nisi membrana simul inflammata fuerit. Nam deprehensum est in dissectis peripneumoniâ mortuis, sæpe membranam pulmones ambientem simul inflammari, & aliquoties, vt dictum, simul cum pulmone pleuram quoque inflammatione corripi;

corripi; vbi dolor acutior & punctorius eſt; vbi verò ipſæ membranæ primariò non afficiuntur, ſed viſceribus,quæ ambiunt,inflammatis extenduntur,dolor tantùm grauis excitatur.

Febris acuta eſt, & quidem acutior, quàm in pleuritide, ob cordis vicinitatem. Adeſt etiam anxietas & iactatio,vt Hippocrates,*lib.*3.*de morbis*,habet,ægrique ſitum & figuram decubitus ſæpe mutant; quod fit ob febris vehementiam, ſummam reſpirandi difficultatem, & virium debilitatem. Ob ſummam enim reſpirandi difficultatem & anguſtiam ægri ſeſe frequenter erigunt, & ſedere conantur, ex corporis hac erectione aliquam alleuiationem ſperantes, ob virium tamen imbecillitatem erecti diu ſedere non poſſunt, ideóque ſitum iterum mutare coguntur.Pulſus eſt magnus,ob vehementem arteriæ percuſſionem, & vſum vrgentem;languidus tamen,ob virtutis imbecillitatem.

Facies rubet ob vapores calidos ad caput exhalantes,& ſanguinem ſimul ſecum rapientes, malæ inprimis, vbi cutis eſt tenuior, & propterea ſanguinis color ibi euidentiùs effloreſcit. Eadem de cauſſa oculi & venæ temporum tument, lingua flaua eſt, vel lentore multo obducta, tandémque nigreſcit,ſæpe accidunt deliria, ſitis magna adeſt, & potus frigidi, inprimis verò aëris frigidi appetentia, ob linguæ & faucium à calidis vaporibus ex inflammato pulmone exhalantibus inductam ſiccitatem, quæ ori ventriculi ob communem tunicam communicatur: vnde pulmones etiam membrum ſiticuloſum appellantur.

Signa differentiarum quod attinet, ac primò ratione ſubiecti, quia interſepimento quodam pulmo in partem dextram & ſiniſtram diuiditur, prout hæc vel illa afficitur, ita dolor & grauitas in dextro vel ſiniſtro latere magis percipitur. Si verò vtraque pars ſit inflammata, in toto pectore is dolor ſentitur. Idem quoque ex altera clauicula vel hypochondrio condolente æſtimari poteſt. De qua re videatur Hippocrates, *in Coacis,text.*400.in codice Fœſij, vel,*comm.*1.*in lib.* 5.*ſect.*2.*aph.*47.in Hollerio:*In pulmonis inflammationibus,ſi lingua tota fiat alba & aſpera,vtraque pulmonis partes inflammatione laborant: quibus verò dimidia lingua,qua parte id apparet,inflammatio affligit. Et quibus quidem ad vnam clauiculam dolor ſubit, iis vna ſuperior pulmonis ala laborat; quibus verò ad ambas clauiculas dolor extenditur, ambæ ſuperiores pulmonis alæ laborant; quibus ad mediam coſtam, media; quibus verò ad ſeptum tranſuerſum, inferior; quibus verò vna tota pars laborat, quæ ei parti reſpondent, omnia ægrotant. Si quidem igitur ſuſpenſæ vtrinque pulmonis partes aortæ dictæ tanta inflammatione detineantur, vt ad latus adhæreant,illa corporis parte reſolutionem patiuntur, quæ morbo reſpondet, & ad coſtam foris liuores fiunt, quos veteres βλήτους ictos vel ſideratos vocabant. Quod ſi tanta non eſt inflammatio, vt adhæreant, dolor quidem totum occupat, neque tamen reſolutionem ſentiunt,neque liuores habent.Quibus verò totus pulmo vnà cum corde inflammatur, vt procidat in latus, reſoluitur totus æger, iacet frigidus & ſine ſenſu. Moritur autem ſecundo aut tertio die.* Hæc Hippocrates.

Reſolutionem autem ſeu paralyſin, quæ ex pulmonis inflammatione fit,quod attinet,triplicem eius cauſſam reddit Deſid.Iacotius, *in comment.*

*Paralyſis in inflãmatione pulmonis.* Prima eſt, quia primi intercoſtales recipiunt à pulmone noxam & tumore premuntur. Quoniam autem ab illis ad brachia deriuantur nerui, ideò fit, vt eiuſdem lateris brachium ſenſu & motu penè deſtituatur. Deinde,quia muſculorum thoracem mouentium calor internus reſoluitur, & facultas motrix labefactatur, cuius defectus reſolutio eſt. Poſtremò quia extincto calore cordis, aut ſuffocato,morte repentina,citra ſyncopen tamen, veluti attoniti, affecti moriuntur, denegata ſubitò vi mouendi. Verùm commodiſſimum eſt, ſtatuere, fieri hoc ob conſenſum ſpinalis medullæ & arteriarum intercoſtalium. Etenim ſi pulmones tanta inflammatione laborent, vt ſanguis etiam in arteriam magnam copioſè irruat, ita vt etiam arteriæ intercoſtales repleantur & tumeant, & hinc etiam ramuli illi, qui per foramina vertebrarum thoracis in ſpinam penetrant,fit inde, vt & nerui è ſpinali medulla ibi progredientes comprimantur, atque ita paralyſis partium, in quibus nerui illi reſoluuntur,excitetur.

Tuſſis moleſta eſt, ob pulmonem primò affectum, cum qua ſputum redditur ſanie primùm tenuiore,mox cruore, alias alio colore tinctum, nonnunquam ſpumoſum. Et ipſum ſputum, & hinc ſequens ſtertor quaſi quidam, peripneumoniam à ſimilibus affectionibus diſcernit. Cuius rei exemplum eſt apud Hippocratem, *lib.*5.*epid.Lariſſæ*, inquit, *Hippoſthenes pulmonis inflammatione Medicis detineri falsò tamen, videbatur. Principio quidem lucta ſe exercens, duro in loco ſupinus cecidit, ſuperincidente ei aduerſario, & lauit frigida, cœnam ſumpſit, & grauior ſibi videbatur. Poſtridie verò febris & tuſſis ſiccior,ac ſpiratio crebra tenuit. Quinto autem die cruentum paucum ſcreauit,& delirare cœpit. Cum tuſſis vrgeret,tum dolor pectus & dorſum infeſtabat. Sexto poſtquam ſternutaſſet, ſanguis ex naribus effluxit ad quatuor ferè heminas. Sub veſperam neque loquebatur, neque quid fieret,aut quid diceretur, ſentiebat. Vndecimo mortuus eſt. Quinque autem diebus quandoque bene ſentiebat, quandoque verò minimè, febre liber erat. Sputum verò nullum excernebatur,neque ſtertor detinuit, quoniam ſputum non aderat.*

Signa differentiarum ratione cauſæ quod attinet,patent ea ex notis humorum in corpore redundantium. *Signa differentiarum.* An autem per venas ſanguis affluxerit, an verò catarrhus malo occaſionem præbuerit, etiam facilè patet. An ſuppreſſa aliqua euacuatio vel lochia retenta mali cauſſa ſint, etiam latere non poteſt. Et quæ purgationes in puerperio retentas ſequantur ſymptomata, docet Hippocrates, *de morb. mulier. lib.*1.

Diuerſitatem a. humorum, inflammationem excitantium, ex ſputi colore & ſubſtantia cognoſcimus; aut,ſi æger non exſpuat, ex aliis humorum ſignis.

### *Prognoſtica.*

1. Peripneumonia vehemens & acutum malum eſt, *Prognoſtica.* quod plus periculi, quam doloris habet, vt Celſus, *lib.*4.*cap.*7. ait, paucique eâ correpti euadunt.

2. Eſtque peripneumonia periculoſior, quàm pleuritis; quia pulmo præſtantius viſcus eſt,cordique vicinius,& ſoluta continuitas in hoc non facilè coaleſcit.

3. Cùm vna ſalus pleuriticorum & peripneumonicorum conſiſtat in virium robore,teſte Galeno, 3.*prorrhet. aph.*4. & 10.*meth. med. cap.*5. ſi magna adſit virium debilitas, valdè periculoſa peripneumonia eſt.

4. Periculoſior eſt peripneumonia, in qua nihil exſpuitur. Arguitur enim humoris contumacia & naturæ infirmitas, 3.*epid.comm.*1.*aph.*4. ac in ipſa peripneumonia, aut & pleuritide, ſæpe plus iuuat, facilè & copioſè exſpuere, quam ipſa coctio, ac plerique ex defectu exſpuitionis moriuntur.

5. Screatione flaua,& multùm permiſta ſanguine,ſi in peripneumonia inter initia excernatur, ſalutis indicium eſt; ſi ſeptimo die tardiuſvè, minùs ſecurè, Hippocrates, 2.*prognoſt.aph.*50. Nam in longius tempus morbus protrahitur. Interim verò multa ægro aduerſa accidere, atque inprimis vires deiici poſſunt. Quo quidem aphoriſmo non probatur ſputum, vel quatenus flauum, vel rubrum eſt. Screatio n. flaua ſincera improbatur, 2.*progn.* 46. & rubra tanquàm cruda improbatur à Galeno, 1.*aph.*12. ſed quatenus ex flauo & rubro mixtum conſpicitur.Tunc enim aliquod coctionis ſignum exhibet, quæ ſtatim primis, tertio ſcilicet vel quarto, diebus appareat, morbum non vltra diem centeſimum duraturum ſignificat.

6. Sputum

6. Sputum quandocunque dolorem non tollit,malum;quod verò soluit bonum Hippocrates, *in Coacis*.

7. Si lingua initio nigrescat, celeriores sunt liberationes postea verò tardiores. Hippocrates, *lib. de dieb. iudicatoriis*.

8. In pulmonis inflammatione quibus circa initium vrinæ crassæ sunt, deinde ante quartum diem tenues euadunt,mors impendet.Hippocrates in *coacis*.

9. Sudores circa ceruicem & caput oborti mali sunt, nisi vrinæ multæ & crassæ proruperint, & sputa cocta prodierint.Hi enim sudores mali sunt ex suffocatione, impetu & violentiâ. Hippocrates, *de ratione victus in acutis*.

10. Iudicatur autem peripneumonia breuissimè in septem aut nouem diebus, longissimè octodecim vel viginti diebus. Vbi æger vigesimum diem transgreditur, non moritur peripneumoniâ, sed tussit & pus exspuit & pectus dolet. Empyicus enim fit, nisi in diebus criticis pulmo expurgetur. Hippocrates,2.& 3. *de morbis,& in libro de internis affectionibus*. Etsi enim, vt *prognost*. 2. dictum, peripneumonia periculosior morbus est,quàm pleuritis,& pauci ex ea euadunt, ac propterea etiam, vbi lethalis est, citius interimit, quam pleuritis:tamen quæ mitior est,& salutis spem præbet, longiore indiget tempore, vt integrè iudicetur. Nam vt ex iis,quæ Galenus,7.*aph*.31. tradit,colligi potest,in morbis pulmonis periculosis morituri breui moriūtur, qui verò euadunt, nonnisi longiore tempore euadunt.

11. Si lethalis futura sit peripneumonia, vigilia adest continua,aut somnus leuis,à quo delirium,ægérque morbi vehementiam non sentit, frigent extrema, vngues liuidi curuantur; hi quarto, aut ad summum septimo die moriuntur.Aetius,*tetrabib*.2. *serm*.4.*c*.66. Si verò ad salutem permutetur, sanguinis è naribus fluxus fit,aut alia perturbatio, biliosis multis exeuntibus cum signis coctionis & in die critico. Vide infrà *quæst*. 1.

12. Si inflammatio in pus conuertitur, si per vrinam & aluum excernitur,liberantur ægri.Perquam autem viam id fiat,dicetur,*de pleuritide*. Si autem in pulmones irruat,aut suffocantur ægri,aut ad rabem deducuntur. Atius, *loco allegato*.

13. Pleuritide & peripneumonia detento diarrhæa superueniente,malum,6.*aph*.16.quod tamē solum verum est,cum non ab ingestis ea oritur,sed ob magnitudinem morbi etiam ventriculus & hepar afficiuntur, vt ventriculus nec cibum concoquere, nec hepar chylum attrahere possit. Aliàs & in mitiore peripneumonia bonum indicium est diarrhæa, cùm coctionis signis antecedentibus criticæ euacuationis loco fit. Itaque tutior & vtilior tum est diarrhæa, quæ fit in morbi principio, quàm quæ fit in fine vel statu. Illa enim caussam antecedentem vtiliter tollit; hæc verò nec antecedentem, nec coniunctam; sed vires potiùs prosternit.

14. Quibus ex angina in peripneumoniam fit mali conuersio, intra septem dies moriuntur; sin hos effugiunt, purulenti euadunt, 5.*aph*. 10. Membrum enim nobili ac principi inseruiens ac vicinum materiam vitiosam talem tolerare diu non potest, sed id efficit, vt morbus citò vel ad bonum,vel ad malum terminetur.

15. Qui empyi fiunt ex peripneumonia, si natu maiores sint,id est,inter senes & ἀκμάζοντες medij, potiùs intereunt, quàm natu minores; cùm expultrix facultas in iis languida sit,vt pus reiici satis nequeat,quo retento & pulmonem exedente, frustra curatio instituitur, 2.*prognost*.69.

16. A pleuritide peripneumonia, malum,7. *aph*.11. quoniam translatio fit ab exterioribus ad interiora, & à minùs nobilibus ad nobiliora,cordique propiora.Sed cum,in *coacis*, contrà scribatur, peripneumoniam, quæ post pleuritidem fit,mitiorem esse;sciendum ex Galeno in *comm* 7. *aph*.11. aliud esse, morbum alium in alium transmutari;aliud verò, morbo morbum superuenire. Nam transmutatio vnius morbi in alium fit, quando priore cessante alius aduenit; superuenit verò morbus alii,quando altero manente alter superuenit. Ideóque cùm vt Galenus explicat, *loco alleg*. loquatur de peripneumonia superueniente pleuritidi, omnino ea periculosa est. Arguit enim humoris excitantis pleuritidem tantam copiam, vt in pleura affecta totus contineri non possit, sed in pulmonem redundet. Si pleuritis in peripneumoniam ita mutetur, vt nullum pleuritidis signum remaneat,paucitas omnino humoris indicatur, quæ etiam peripneumoniam adeò periculosam excitare non potest.

17. Contra à peripneumonia pleuritis bonum,quia ex morbo periculoso minùs periculosus excitatur, quamuis id rarò accidat,vt Galenus,7.*aph*.11. docet.

18. A peripneumonia phrenitis, malum, 7. *aph*.12. Factâ enim materiæ calidæ à pulmonibus ad caput translatione, si ad interiora capitis feratur,phrenitidem excitat, quæ periculosa est. Aliàs etiam ad peripneumoniam delirium sequi solet,non cum tanto periculo calidis vaporibus ad caput ascendentibus, & cum spiritibus mixtis.

19. Quibus vrina in peripneumonia crassa & cocta apparet,circa quartum verò attenuatur,lethale est.Hippocrates,in *Coac*.

20. Quibus in peripneumonia abscessus fiūt, ad aures, aut ad sedes thoracis inferiores, & in longum exeunt, seu in fistulam abeunt, vt materia euacuari queat, item abscessus ad crura omnes vtiles sunt: optimi verò sunt, qui fiunt signis coctionis in sputo apparentibus. Criticæ enim expulsionis huiusmodi abscessus soboles sunt. Hippocrates,& Galenus, 2.*progn*. *aph*.64.65.& in *coac*.

21. Grauedines & sternutamenta per omnes morbos, qui in pulmone sunt, præuenire & superuenire, malum est. Hippocrates, 2.*progn*.49.Etsi enim,vt Galenus, *in comment*. docet, per se grauedines peripneumonicis non officiunt, cùm humor inde ad pulmonem non descendat: per accidens tamen dupliciter malæ sunt, vt signum scilicet, & vt caussa. Vt signum, quia monstrant adeò magnam esse pulmonum affectionem,vt capiti etiam communicetur, idque repleat; vt caussa,quia sternutatio, quæ grauedinem comitatur, thoracem concutit, pulmonémque inflammatum lædit.

22. Peripneumonia,vt ex dictis patet,quinque modis finitur. 1. Coctione & sputi exscreatione;qui modus tutissimus est. 2. Crisi, quâ deriuatio & euacuatio fit materiæ per hæmorrhagiam narium, fluxum mensium, hæmorrhoides, sudores, aluum, vrinam. 3. Abscessu post aures, vel in cruribus. 4. Suppuratione, ex qua empyema fit, aut phthisis. Et quidem post suppurationem rupto apostemate duo modi ad salutem, duo ad mortem tendunt. Si nimirùm pus per sputum vel vrinam, vel aluum excernatur, æger conualescit; ad mortem fertur suppuratio, si propter copiam puris æger vel suffocetur, vel phthisis exulcerato pulmone sequatur. 5. Morte, ægro per sputi suppressionem strangulato. Nam vbi spirandi difficultas adest magna, vt ægri ferè suffocari videantur,febrisque est vehemens,& sputi nihil vel parum reiicitur, viréśque sunt debiles, lethalis morbus est.

## *Indicationes & Curatio.*

Cùm peripneumonia sit inflammatio, etiam aliarum inflammationum modo indicat, vt materia, quæ ad pulmonem fertur, auertatur, quæ affluxit euacuetur, vt postea de pleuritide pluribus dicetur. Est enim eadem ferè peripneumoniæ, quæ pleuritidis, curandæ ratio. *Indicationes & curatio.*

Curatio autem peripneumoniæ omnino maturanda est, ob summum periculum, & in id omni studio

incumbendum, vt materia resoluatur & discutiatur, ac materiæ suppuratio præcaueatur. Aut si id fieri nequeat, vt sputum & pus quàm citissimè educantur, ne pulmonem corrumpant.

Itaque si vires & alia permittant, vena basilica eiusdem lateris, in qua inflammatio percipitur, aut vtriusque, si pulmo secundum vtramque partem inflammatus sit, aperiatur. Sanguinis enim missione venis exinanitis sanguis non solùm affluens ad vacuum implendum introcedit, sed etiam ille, qui iam in parte affecta est, succedit. Euacuetur autem sanguis eâ copiâ, quam sanguinis plenitudo indicat ac vires permittunt, & liberalius quidem, ob subitum, quod morbus minatur periculum. Vires tamen nullo modo liberalio- re sanguinis missione deiiciendæ sunt; cùm in hoc præcipuè morbo, ob maximam respirationis angustiam, ex virium debilitate non mediocre periculum immineat. Præstat potiùs, si vires id ferunt, venæ sectionem in altero brachio repetere. Et si peripneumonia sit sanguinea, copiosiùs sanguis educatur; si biliosa, parciùs; si pituitosa, adhuc parciùs.

Si verò peripneumonia alteri morbo, qui iam aliquandiu durauit, succedat, & vena iam antea ægro aperta sit, videndum, quid vires ferant. Si enim vires ferunt, sanguis moderatè adhuc euacuari potest. Si verò metuendum sit, ne venæ sectione vires deiiciantur, brachiis, & thoraci cucurbitulas scarificatas applicare licebit, quæ à profundo thoracis ad cutem & partes externas sanguinem trahunt.

Primò tamen brachiorum musculis adhiberi cucurbitulas vtile est, vt aliquo modo sanguis euacuetur & à pulmonibus auertatur, postea & scapulis vel pectori, si id carnosum sit. Etsi enim locus vicinus esse videatur: tamen à pulmonibus aliquatenus distat, & ab interioribus ad exteriora trahitur. Et cum adhibentur cucurbitulæ, tum vel antea venæ sectio præmissa est, vel vires ob debilitatem venæ sectionem non ferunt. Ideóque non tanta plethora tum adesse potest, ob quam attractio ad partem affectam metuenda sit. Quem in finem & ligaturæ, frictiones ac cucurbitulæ sine scarificatione extremis adhibendæ.

In eundem etiam finem & clysteres infundere decet, & medicamentis aluum mouentibus primis diebus & materiæ impetum à pectore auertere, & humores vitiosos, si turgeant, ac in corpore abundent, euacuare. Cauendum tamen, ne fortioribus medicamentis humores nimium agitentur, febris incendatur, virésque deiiciantur: sed sufficiunt mitiora, quæ aliàs pectori amica sunt, vt syrupus rosarum solut. violar. de cassia cum manna, diaprun. simplex, quibus tamen rhabarbar. agaric. & similia benigniora purgantia addere licet.

Vt ℞. *Decocti pectoral.* Vnc. iii. In iis dissolue *mannæ* Vnc. i. vel Vnc. i. ß.

Colat. adde *syrup. rosar. sol.* Drach. vi. M.

His peractis omni studio laborandum, vt materia per sputum è pectore eiiciatur, quod iis medicamentis fit, quæ postea de pleuritide proponentur. Valentiora tamen illa sint hîc, & eorum vsus frequentior. Vtilia hîc sunt, *caricæ cum hyssopo coctæ, hydromel*, in quo *hyssopus, scabiosa, pulmonaria, saluia, radix iridis* & similia sint cocta, item *oxymel*. Pro humoris tamen peccantis ratione delectu quodam medicamentorum opus est. Si enim materia sit calidior, vsurpentur *violæ, iniubæ, sem. 4. frigid. maior. hordei, rad. althéæ, syrupus violar. iniubinus.* In frigidiore materia conueniunt *aqua mulsa, hyssopus, capillus* ♀*ris, origanum. Oxymel* in vtraque caussa hîc locum habet:

℞. *Rad. glycyrrhiz.* Vnc. ß. *capill.* ♀*ris, hyssop.* an. M. ß. *scabios. flor. papau. errat.* an. p. ii. *iniubar. sebesten.* an. N. 10. *ficus* N. iv. *sem. malu. melon.* an. Drach. ii. *passular.* Vnc. i.

Coqu. in aqu. suffic. Colat. dulcoretur *facchar. cand.*

Vel ℞. *Sem. card. Mariæ* Drach. ii. *sem. 4. frig. maior. excort.* Vnc. ß. *pinear. mundatar. amygdal. dulc. excort.* an. ℥. iii. *aqu. scabios. capill.* ♀*is endiu. papau. erratic.* an. Vnc. iii.

F. Emulsio, quæ dulcoretur, *saccharo cando*, vel *iulebo violarum.*

Vel ℞. *Spec. diatrag. frigid.* Drach. ii. *diair. simpl.* Drach. ß. *sacchar. penid.* ℥. ß.

Cum *syrup. papau. errat.* & *violar.* F. Loch.

Si validioribus expectorantibus & incidétibus opus sit, quando scilicet sputum crudum & tenax est, oxymelite, loch de caulibus, tussilagine, prassio vti licet.

Topica quoque eadem ferè, quæ in pleuritide, conueniunt, quæ scilicet feruorem pectoris ac pulmonis nonnihil lenire ac mollire & digerere ac discutere possunt, sed omnia calidè applicata. Fortiora tamen hîc requiruntur, & quæ ad interiora penetrent. Eam ad rem etiam forma medicamenti aliquid facit. Nam profundius penetrat vis ceroti & emplastri, quàm vnguenti.

Cerotum tale fieri potest:

℞. *Butyri recent. adip. anser.* an. Drach. ii. *ol. rutac. amygdal. dulc. amar.* an. Vnc. ß. *puluer. irid. Florent. hyssopi, marrub.* an. Scrup. ii. *Ceræ* q. s. F. Cerotum.

Aut omissâ cerâ eadem excipiantur *terebinthina lota cum aceto forti*, & Emplastrum conficiatur.

In peripneumonia biliosa parentur fomenta ex aqu. violar. cum modico aceti. Inunctiones fiant ex ol. viol. chamæmel. amygdal. dulc. & similibus.

## *Diæta.*

Diæta quoque eadem ferè est, quæ in pleuritide. *Diæta.* Cibi non sint salsi neque acres, neque austeri, neque aluum adstringentes, sed potiùs extenuantes. Hinc commendatur ptisana cum melle. Plerique etiam dulcia commendant, de quo postea, *quæst.* 2. dicetur.

Postquam verò cessante defluxione sputum laudabile iam apparere incipit, iusculа pinguia, monente Celso, exhibere conuenit. Laudatur etiam decoctum hordei vel simplex, vel cum passulis & glycyrrh, hydromeli, in quo fol. hyssopi cocta sint, vel oxymel dilutius, vel hydrosacchar. s. ex aqua pura.

Aut tale:

℞. *Aquæ puræ* ℔. iv. *facch. cand.* Vnc. iv. *glycyrrhiz.* Drach. iii. *sem. anisi* Drach. i. *cinamomi.* Drach. ß.

Coqu. ad tertiæ partis consumpt. Colat adde *iulebi viol.* Vnc. ii.

Omnis autem potus paulatim sumatur, nec frigidus sit. Abstineat æger ab omni motu, præsertim sermone multo, & vocis intentione & clamore.

## QVÆSTIO I.

### *An in peripneumonia hæmorrhagia narium vtilis sit?*

Etsi Aëtius, *tetrab.* 2. *serm.* 4. *cap.* 66. scribat, si ad salutem perueniat morbus, hæmorrhagiâ narium copiosâ solui; tamen Galenus, 3. *de crif. cap.* 3. scribit: contingere interdum, vt per sanguinem fluentem è naribus phrenitis soluatur; non tamen lethargus aut peripneumonia fluxum sanguinis amant. Præsupposuit proculdubio hîc Galenus, peripneumoniam, vt & lethargum, simpliciter à sanguine pituitoso fieri. Cùm tamen vt suprà dictum, peripneumonia à sanguine, & sæpe etiam bilioso, fieri possit, hæmorrhagia narium tum vtilis est. *An in peripneumonia hæmorrhag. narium sit vtilis.*

QVÆSTIO II.

*An dulcia in peripneumonia conueniant.*

*An dulcia in peripneumonia conueniant.* Hippocrates, 2. *de morb.* in peripneumoniæ curatione primis diebus dulces sorbitiones exhiberi iubet, vt, quod pulmonibus inhæret, eluatur. Et aliàs etiam dulcia pectori amica sunt. Verùm alij dulcia improbāt, vtpote quæ calida & facilè bilescentia febrem augent, & ad iecoris ac lienis inflammationem nocent. Et cum Hippocrates, vbi de pleuritidis curatione agit, acidas potiones exhibeat, quò sputum faciliùs proueniat, eadem quoque peripneumoniæ competere videntur cùm eadem ferè sit cura pleuritidis & peripneumoniæ.

Verùm enim verò sciendum; dulcia non vnius esse generis: alia enim sunt calidiora, alià potiùs temperata, imò nonnulla aquosa, è quibus posteriora non facilè nocere possunt. Et quæ sunt calidiora, non per se & sola, sed iis, quæ impediant, ne facilè bilescant, diluta exhibentur. Et quamuis dulcia magis hepar offendere possunt, quàm pulmonem, cùm ad hepar integra & parum mutata perueniant; ad pulmonem verò exigua eorum portio proximè pertingat: tutius omnino est, dulcia minus calida eligere, & aliis permista exhibere. Et si humores, qui in pulmone continentur, crassiores sint, acidis admixtis vis incidendi & extenuandi intendi potest. Vnde oxymel medicamentis thoracis affectibus conuenientibus admixtum ad viscidorum expultionem accommodatissimum est remedium, 3. *de rat. vict. in acut. t.* 2.

CAPVT IV.

*De Vasorum pulmonis, & primò de Asperarum arteriarum, Angustia.*

*Asperarum arteriarum angustia.* Asperæ arteriæ, quæ per pulmonem disperguntur; cùm & aërem, qui inspirando attrahitur, admittere & fuliginibus exitum præbere debeant, cauæ eâ de causâ factæ sunt, nullumque humorem, vel aliud quicquam in se continere debent. Quæ naturalis earum constitutio si lædatur, morbum in cauitate seu angustia patiuntur.

*Caussæ.*

*Caussæ.* Fit autem hæc angustia vel ab obstructione, vel à compressione, vel ab exiccatione.

Obstructionem efficiunt humores crassi in bronchis pulmonis hærentes siue ibi sint geniti (quod tamen rariùs excidit, cùm pulmones nutriantur sanguine tenui & puro, è quo succus crassus facilè colligi non potest) siue à capite transmissi, vt & à venis & reliquo corpore. Idem præstat crudum tuberculum, vapor crassus, calculi & grandines in pulmonibus geniti, caruncula item & vesiculæ, vt & vermes in pulmone procreati: sanguis item, qui ex gutture, œsophago, ore pulmone, thorace vulnerato eò effunditur, vt & pus post ruptum partium vicinarum abscessum in pulmonem illapsum, aut è thorace in pulmonem imbibitum.

Comprimendo asperas arterias angustiores reddunt eædem ferè caussæ, si in arteriis læuibus & vena arteriosa ac substantiâ pulmonis consistant, asperasque arterias comprimant; humores nimirum crassi vel in pulmone geniti, vel per venam arteriosam in eum effusi, crudum item tuberculum extra arterias asperas consistens, easdemque comprimens, calculi, vermes Neque enim semper (quod de asthmate & catarrho suffocatiuo notandum) materia per asperam arteriam tantùm in pulmones defluit, & bronchia pulmonis obstruit, sed sæpe etiam per venas in pulmones effunditur.

Idem accidit in hydrope pulmonis, in hydrope pectoris, in empyemate, quando humores seu in pulmone, seu in thorace consistentes asperas arterias comprimunt, in inflammationibus pulmonis, septi transuersi, mediastini, in gibbositate & luxatione vertebrarum dorsi, in lienis tumoribus, ventriculi, hepatis.

Tandem si asperæ arteriæ validè exiccentur, angustiores redduntur, nec satis dilatari possunt ad aërem hauriendum. Quam siccitatem inprimis auras & vapores metallicos inducere posse, atque ideò Chymicis, & aliis, qui metalla tractant, familiarem esse, suprà dictum. Ita refert Heurnius, *de morbis pectoris*, typographo cuidam adeò siccatos fuisse pulmones, vt aridum pomum retulerint.

*Signa Diagnostica.*

Angustia bronchiorum pulmonis in genere ex effectis cognoscitur, respirandi nimirum difficultate, vt & plerumque tussi. *Signa.*

Hippocrates, *lib.* 2. *de morbis*, etiam pulmonis repleti mentionem facit, eiusque symptomata describit hoc modo: *Si pulmo repleatur, tussis, difficultas spirandi, quæ fit erecta ceruice, & anhelatio detinet, linguam exerit, pustulis velut ex igne rubentibus impletur, pruritus occupat, dolor acutus pectus & scapulas vexat, neque sedere, neque recumbere, neque stare potest, sed infirmis est viribus. Hic quarto ferè die moritur, quem si superauerit, spes plerumque superest, sæpe tamen etiam septimo die periculum subit, quem si effugerit, conualescit.* Verùm inflammationem potiùs quandam pulmonis & acutum malum, quàm simplicem obstructionem describere videtur. *Pulmo repletus.*

Caussas verò quod attinet, obstructio cognoscitur ex caussis, quæ præcesserunt, nimirum catarrhis & humoribus pituitosis è capite in pulmonem delapsis, apostemate aliquo partium vicinarum, è quo rupto pus in pulmonem effunditur, empyemate & pure in thorace contento pulmonis & thoracis substantiam penetrantibus, vt & partium vicinarum vulneribus, è quibus sanguis in thoracem effunditur. Respiratio est difficilis cum sonitu, quandoque etiam cessat, & remittit, vbi pituita excernitur.

Speciem materiæ, id quod tussi eijcitur, indicat. Si crudum tuberculum adsit, seu obstruendo, seu comprimendo angustiam pariat, difficilis est respiratio & assidua, nec citra stertorem & strepitum, nec vlla antè fuit destillatio, malum sensim gignitur, & æger aliàs benè habens de difficili respiratione conqueri incipit, quæ indies augetur, tussis, quæ coniungitur sicca est, adestque maxima pulsus inæqualitas.

Si humores vitiosi in læuibus arteriis & pulmone hærentes comprimendo angustiam pariant, catarrhus abest, & vitiosorum humorum vel in hepate vel toto corpore redundantium signa adsunt, respiratio est difficilis, tussis abest, de quo postea dicetur.

Calculos & grandines in pulmone cognoscere, difficile est, & vix aliter cognosci possunt, nisi ex sputo præcedente & symptomatibus sequentibus. Si quis nimirum sputum crassum & viscidum valde expuat, postea verò eiusmodi sputum cesset, & respiratio absque sonitu difficilior reddatur, suspicio est, materiam in calculos vel grandines conuersam esse.

Vermes etiam non facilè cognoscuntur, nisi vbi tussi reiiciuntur, & præcessit plerumque tussis diuturna, quæ nullis remediis vinci potuit.

Tumores-

Tumores pulmonum, diaphragmatis, mediastini, pus in thorace è suis signis cognoscuntur.

Si ex pulmonis & asperarum arteriarum exsiccatione proueniat angustia, cognoscitur ex defectu sputi, macie totius corporis, ac præcessit caussa,quæ talem siccitatem in pulmonibus generare potuit.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Angustia asperarum arteriarum pulmonis nunc plus nunc minus periculi coniunctum habet, pro caussarum,à quibus illa pendet, varietate.Quò enim caussa vehementior & pertinacior est, eò etiam plus periculi est metuendum.Simul tamen respiciendum ad respiratione læsam,tussim,pulsum,& alias actiones læsas,quæ magnitudinem morbi determinant. Ergo si obstructio sit à multis,crassis,crudis & viscidis humoribus,vel subitò suffocationis periculum imminet,vel morbus diuturnus expectandus.

2. Angustia, quæ fit ex humore viscido & crasso, vel crudo tuberculo in lęuibus arteriis consistente,cum pulsus magna æqualitate, solet cordis palpitationem, respirandi difficultatem, ac tandem suffocationem & mortem afferre,vt Antipatri Medici casus docet,de quo Galenus,4.*de loc.affect.cap.vlt.*

3. Angustia vasorum pulmonis à siccitate plerumque incurabilis est, & tandem lenta morte hominem enecat.Reliqua ex iis, quæ de aliis pulmonum morbis dicentur,patebunt.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Materia,quæ angustiæ bronchiorum pulmonis caussa,seu obstruendo,seu comprimendo,id præstet, tollenda; quod fit, si materia viscida attenuetur, detergatur, expectoretur.Crudum tuberculū attenuātibus, & exsiccantibus absumatur. Grandines, calculi, vermes tussi eiiciantur; partes tamen materiam ad pectus mittentes simul euacuandæ & roborandæ sunt.Siccitas pulmonis emendanda est,vt suprà,*de intemperie sicca pulmonum*,dictum.

*Curatio.*

### *Curatio angustiæ arteriarum pulmonis ab humore frigido & crasso.*

*Interna.* Vt igitur materia crassa commodè euacuari possit, primò præparanda est incidentibus & detergentibus medicamentis, è capillo ♀is, hyssopo,prassio, pulegio, radic. enulæ iridis, & similibus, quæ postea proponentur.

Vt ℞. *Capill.♀is, hyssop. scabios. prassij*, ana M. ß. *rad. helen. ireos*, ana Drach. ij. *sem. anisi, fœnicul.* ana Drach. j. *passular. glycyrrhiz.* ana Vnc. sem. *ficuum* N. vj.

Coqu.in aq s.ad remanentiam tertiæ partis.

Colaturæ adde

*Syr. capill. ♀is, de hyssopo*, an. Vnc. j. *oxymel.scyllit.* ℥.ß.

M.pro duabus dosibus,& potio hæc bis vel ter iteretur.

Vel ℞. *Rad.fœnicul. glycyrrh.ireos, helen.* an. Vnc. sem. *capill. ♀. tussilag. scabios.hyssop. prassij satureiæ*.an. M. sem. *iuiubar.sebesten*. an. N. xx. *caricar.* N. vj. *passular.* Vnc. sem. *sem. anisi, fœniculi, maluæ*, ana Drach.j.

Coq.in s.q aquæ puræ.

Col.℞.℔.j.adde *oxymel.scillit.syr.de prass.de glycyrrh.* an.℥.j ß.*aq.cinamomi* ʒ.ij.

M pro 4. dosibus.

℞.*Syr.de prassio,de hyssopo,de glycyrrh.*an.℥.j. *oxymel* s.℥.j.ß.*aq.scabiosæ,verronicæ,hyssopi* an.Vnc.iij.

M. pro 3. dosibus.

Præparata materia euacuetur.E. g.in decocti suprà secundo loco parati suff. quantitate. *agaric. trochiscati* ℥.j.*sem. carthami* ʒ. vj. ebulliant;ita aluum simul mouebit.

Vel ℞.*Pil.de agaric.*℈.ij.*assaiereth.*℈.j.*cochiar.* ℈. ß. Cum *oxymel.scillit.* Fiant Pilulæ xxiv.

Nonnulli frequenter ad purgandum in obstructione pectoris ab humore crasso vtuntur Trochiscis de violis, à Mesue,*cap. de asthmate*, descriptis; quos tamen reprehendit Alexander Massarias eâ de caussa, quod non sit compositio satis artificiosa, nec diagrydium satis correctum. Verùm potest diagrydij loco sumi extract. scammonij. Possunt etiam sine scammonio hoc modo parari:

℞.*Flor.violar. Martiar. non nimium exsiccatarum*,ʒ. iij.*turbith.elect*.ʒ.j.ß.*agaric*. ʒ. j. *succi glycyrrh*. ℈. ij.ß. *manna* ʒ.j ß.Cum *syrupo violarum*.

Fiant Trochisci,quorum Drach.ij.vel iij.in decocto pectorali vel liquore conueniente exhibeantur.

Vinum medicatum tale fieri potest:

℞. *Rad. helen.ireos*. an.℥. ß. *turbith.electi* Drach.ij. *scabios. cardui ben*. an.P.ij. *sem. anisi, cinamomi galangæ*,an.ʒ.j.

Affundatur *vini mensuræ* j.vel ß.

Sumat æger manè iusculum galli,& superbibat haustum vini. Inprimis commendatur ius galli decrepiti purgans, in quo radix ireos & semen carthami coctum sit, Vel paretur hoc modo:

℞.*Gallum antiquum exuisceratum*, in ventre eius contusa imponantur.*sem.cartham*.℥.j.*rad. polypod*.ʒ.vj.*passular*. ℥. j. ß. *ficuum* ℥. j. *sem.anisi, fœniculi*,an. ʒ. ij. *agarici albi* ℥. ß. *turbith. elect*. Drach. j. ß. *zingiber*. Drach.ij.

Coqu. donec caro ab ossibus separetur.

Vel ℞. *Gallum decrepitum euisceratum*, ventremque eius sequentibus reple:

℞. *Passular. ficuum*, an. ℥. j. ß. *glycyrrh. hyssop. satureiæ, thymi*, an. Vnc.ß.*sem fœniculi* ʒ. j. *cartham*. ℥. ß. *turbith. elect*. ʒ. ij. *agarici trochisc*.℥.ß.*zingiberis* ʒ.j.

Coq.in aqua pura.

Decocti detur manè haustus, qui si non satis aluum moueat,addatur mannæ aliquid.

Quanquam autem purgantia talia humorem saltem in vniuerso corpore euacuare videntur: tamen hoc modo reuellunt, & humores ad pulmones tendentes retrahere possunt. Ideóque nec reuellentia & deriuantia omittantur, vt vomitus,clysteres,& diuretica. Auicennas tamen fortia diuretica improbat, quòd subtile extrahant,relicto crassiore.

Corpore toto euacuato, danda opera, vt continens seu proxima caussa è pulmone tollatur. Ideóque ad materiam crassam & viscidam attenuandam, incidendam & detergendam adhibeantur *capillus ♀, hyssop. prassium,puleg. calamintha, scabiosa, rad. ireos, pimpinell. helenij, sem.anisi, fœniculi, scilla, ammoniacum, millepedes vsti, sulphur, & hinc composita, syrup. capill.♀is, de hyssop.de prassio, scabiosa, oxymel.s. composit.scillit. extr.ireos,helenij, spec.& rotulæ diaireos s.diair. Salomon. loch de caulibus, scilliticum.*

Videndum tamen, ne nimia medicamentorum caliditate humores exsiccentur, & magis crassi ac lenti reddantur. Ideoque vtile est attenuantibus & incidentibus humectantia permiscere, vt glycyrrhizam, passulas,caricas, iuiubas,pineas, maluam,althæam.

Vt ℞.*Passul*.℥.j.ß.*sem.fœnicul*.℥.ß.*hyssopi,saluiæ acutifol*.an.M.ß. *capill.♀* P.j.*iuiubar.sebesten*,an.N.xii. *dactylor.sine nucleis, ficuum*,an.N.iv.*glycyrrhizæ rasæ sem. anis.cinam*.an.ʒ.ij.*rad. helenij* ʒ.ß.

Conscindenda conscindantur & coq.in ℔.iij.aqu.in vase duplici.

Colatura dulcoretur *sacch.albi* ℥.v.Fiat potio clara.

Vtile est & hic ius galli decrepiti,si in eo thoracica medicamenta coquantur.

Vtile

Vtile est & oxymel, quod à Cratone, *conf.* 79. commendatur.

℞. *Herb. hyssop. veronic. scabios. marrub. origan. pulegij, cardui benedict.* an. M. j. *rad. ireos incis.* ʒ. vj. *zingiber.* ʒ. ß. *agar. alb.* ℥. ß. Infunde in *aceti* ℔. j. ß. *aqu. veronic, cardui ben.* an. ℔. ß.

Stent in vase vitreo obturato loco calido per triduum, deinde ebulliant lento igne & colentur.

℞. Colaturæ ℔. j. ß. mellis ℔. ß.

Coq. ad Syrupi formam, qui aromatizetur cinamomo, calamo aromatico; de quo sumat æger manè cochlearia duo vel tria.

Vel ℞. *Glycyrrh. rasæ* ℥. ij. *sem. anisi contusi. fœniculi*, an. ʒ. ß. *spir. vini* ℔. vj.

Stent in vase vitreo beue obturato. Macerentur dies duos.

Postea adde *mellis* ℔. ij. *ambræ gryseæ* gr. xij. *moschi* gr. x. *sacch. alb.* ℥. ij *solutionis perlarum* ʒ. j.

Stent per dies 10. quotidie agitando, postea clarum separetur. Dosis ℥. ß. cum ℥. ii. lactis caprilli ieiuno stomacho.

Valdè etiam commendatur terebinthina, quæ non solùm pulmones abstergit, sed & hepar, lienem, renes, simulque aluum citra noxam soluit: vt & oleum amygdalarum dulcium recens expressum ad ℥. vj. cum saccharo sumptum, quod pulmones & pectus relaxat, & detergendo humores viscidos per aluum euacuat.

Inprimis hîc commendantur eclegmata, seu loch vulgò dicta, vt loch. de caulibus, de prassio, de pino, passularum, de hyssopo, de scylla, sanum & expertum, & quod ad asthma dicitur.

Nonnulli diabutyrum commendant, hoc modo paratum:

℞. *Caricar. pingu. dactylor. passular.* an. ℥. ij.

Contusa in aqua mulsæ ℔. iij. per diem infundantur. Hinc coquantur & exprimantur.

Colaturæ expressæ adde butyri recentis aquâ fontanâ diligenter loti & non salsi ℥. iiij. Iterum coquantur & colentur.

Postea adde *Amygdalar. amarar. pinear. mundatar. contusar.* an. ℥. ij.

Et omnia simul in mortario misceantur addendo paulatim, *succi glycyrrhiz.* ℥. ß. *pulu. tragacanth. sem. vrtic. hyssop. ireos, thymi, satureiæ, prassij*, an. ℥. ß. *cinamom. zingiberis, pyreth.* an. ʒ. ij. *caryophyll. galang. piperis nigri, anisi, carui, cardamomi*, an ʒ. ß. *ligni aloës* ℈. j. *pulmon. vulpis* ℥. ij. Misce.

Galenus, *in fine lib. 7. de comp. med. s. l.* aliquot ex veterum scriptis medicamenta recenset, atque inter ea & hoc:

℞. *Succi scillæ crudæ, mellis* part. æquales.

Coq. lento igne Dosis Drach. ij. ante & longè post cibum.

Vel ℞. *sulphuris vini* (flores commodiores essent) ʒ. j. *sem. rutæ syluestr. aristoloch. absinth. abrotan. ammoniac.* an. ℥. ß.

Terantur & fiant cum aceto Trochisci magnitudine fabæ, quorum manè & vesperi tres exhibeantur cum liquore conueniente.

Cum internis medicamentis & externa coniungenda. Illinatur nimirum pectus *ol. amygdal. dulc. chamæmel. anethino, lilior. albor. cheirino*, additis, *mucilaginibus* & *pinguedinibus emollientibus*.

Vt ℞. *Ol. amygdal. dulc. lilior. albor. rutacei*, ana Drach. vj. *adip. gallin. anser.* an. Vnc. ß. *mucilag. sem. fœnigræc. cum aq. scabios. factæ* Drach. iij. *pulu. rad. ireos, helenij, croci*, ana Scrup. j. *ceræ* parum.

Fiat Linimentum.

Interea non omittantur diuersiones, & si à catarrho malum foueatur, omnia illa, quæ suprà de catarrho diximus, hîc locum habent. Fonticuli etiam in brachiis excitari possunt, quibus materia auertitur.

Pectore expurgato danda opera, vt exsiccantibus & absorbentibus reliquiæ in pulmone absumantur. In quem vsum medicamenta pleraque ad humorem crassum expectorandum hactenus proposita adhiberi possunt. E quibus tamen fortiora eligenda: Vt *rad. helenij, ari, scillæ, sulphur, benzoë*, & similia.

Vt ℞. *Rad. ireos*, ℥. ij. *helen. ari*, ana ℥. j. *angelic. scill.* ana Vnc. sem. *glycyrrh.* ℥. j. *hyssop. satureiæ pulegij marrub. calaminth.* ana M. j. *sem. fœnicul. anisi*, an. ʒ. ij. *vrtic. erucæ, cartham.* ana ʒ. j. ß.

Coqu. cum *melle*.

Fiat Syrupus.

Cui sub finem adde *croci* ʒ. ß.

Commendatur & Syrupus de Nicotiana.

℞. *Nicotianæ siccæ* M. iij. *capill.* ♀*is, scabiosæ*, an. M. j. *hyssop. marrub. calaminth.* an. M. sem. *caricar. dactylor.* an. N. x. *rad. angel. fœnicul.* an. ℥. ß. *sem. fœnicul. anisi*, an. ʒ. iij. *vrtic.* ℥. ß. *rad. ireos* ʒ. x.

Coqu. in aqu. ℔. iiij. & addito melle & saccharo.

Fiat Syrupus.

Est & efficax decoctum ligni Guaiaci & sarsæparillæ, si pectoralia addantur.

Laudatur & ros Solis, si ei cum sem. botryos, glycyrrh. & marrubij sp. vini affundatur. Est & vtilis aqua cinamomi.

In senibus, & pituitoso ac frigido temperamento præditis, efficaces sunt aquæ pectorales dictæ, quæ humores crassos coquunt, eósque ac flatus dissipant, vires roborant, & sputum faciliùs reddunt.

Vt ℞. *Rad. ireos. helen. fœnicul. glycyrrh. tussilag.* an. ℥. ß. *mors. diabol.* ʒ. iij. *veronic. scabios. hyssop. saluiæ, marrubij, capill.* ♀*is*, M. ij. *cinamomi, granor. iuniperi*, an. ℥. ß. *fænicul. anisi, scillæ præpar.* an. ʒ. ij. *ficuum* N. x. *amygdal. amarar. pinearum* an. Vnc. sem. *croci* Dra. sem.

Affunde spir. vini optimi q. s.

Stent in infusione diebus 14. postea destillentur.

Hoc loco de aquis pectoralibus eiusmodi monendum, etsi multa in iis sint, quæ destillato vires suas communicant: tamen multa etiam sunt, quæ per alembicum non eleuantur, vt glycyrrhiza, amygdalę, pineæ, ficus, passulæ, & similia. Quare commodius esset, talia in spiritu vini vel aquis eiusmodi macerare, & liquorem istum postea aquæ pectoralis loco vsurpare. *Aquæ pectorales.*

Vel ℞. *Spir. vini optimi* ℥. iv. *aqu. cinamomi* ℥. ß. *vngul. caballin. scabios.* an. Drach. iij. *sacch. candi* ʒ. ij. Misce.

Vel F. Eclegma.

℞. *Ammoniac. aceto scillitico dissol.* ʒ. ij. *sem. vrtic. maluæ*, an. ʒ. i. *flor. sulphuris* ℈. iv. *croci* ℈. ß. Cum *melle scillit.* Fiat Lohoch.

Vel F. hic Puluis:

℞. *Rad. glycyrrhiz. ireos, helen.* an. ʒ. i. *ari*. ℈. ii. *cinamomi* ʒ. ii. *sem. vrtic. nasturtij*, an. ʒ. j. *pulmon. vulpis præpar.* ʒ. ii. *croci* ℈. i. *flor. sulphuris* ʒ. i. *benzoës* ℈. ß. *sacch. candi* ʒ. vi.

Fiat Puluis.

℞. *Flor. sulphuris* ʒ. i. ß. *benzoes* gr. vi. *ammoniac.* gr. iij. *croci* gr. iv. *margarit. præpar.* ℈. j. *mosch.* ℈. ß.

Fiat Puluis, de quo, quantum cuspide cultelli capi potest, detur vesperi in ouo sorbili, vel oxymelite scillit. vel aqua scabiosæ.

Pueris datur semen fæniculi in lacte coctum.

Vel ℞. *Flor. sulphuris* ʒ. i. ß. *benzoes* ℈. i. *rad. helenij* ʒ. sem. *ireos* ʒ. i. *croci* Scrup. j. *sacc. cand.* Vnc. sem.

Fiat Puluis.

℞. *Ammoniaci* ʒ. i. ß. *croci* ℈. ß. *flor. benzoes* gr. vi. *sacchari candi, succ. glycyrrh.* an. q. s.

Fiant Pilulæ xxx. sumantur vna vice vi. vel vii.

Vel

Vel ♃. *Flor. ſulphuris* ℥.j. *extract. heleni* ℈.j. *ſacch. albiſſ. in aqua ſcabioſa diſſolut.* Vnc. iij. *ol. aniſi* gutt. iv.

Fiant Rotulæ.

Vel ♃. *Spec. diaireos* ſ. ℥.i. *diatragac. calid.* ℥.ß. *balſam. ſulphur.* ℈.ß. *ſacchar. in aqua ſcabioſa diſſolut.* Vnc. iv. vel v.

Fiant Rotulæ.

### *Diæta.*

*Diæta ab humore frigido.* Aër, quem ſpirando æger attrahit, ſit calidus, ſiccus attenuans & liber. Ideoque in conclaui, in quo æger verſatur, ſuffimigia parentur ex ſtyrace, thure, myrrha, benzoë, moſcho, ambra. Vitetur aër frigidus, humidus & craſſus.

Cibus eaſdem qualitates habeat, ideóque condiatur hyſſopo, thymo, fœniculo, baccis iuniperi, cinamomo, & inprimis croco. Vtiles ſunt paſſulæ, amygdalæ, pineæ, piſtacia, & inprimis commodum eſt ius galli decrepiti cum thymo & croco. Melliti quoque cibi non inutiles ſunt, ſi æger aliàs eos ferat. Vitentur verò adſtringentes & craſſi ſucci, vt piſces, caro ſuilla, lac, & ſimiles. Potus ſit vinum tenue & ſubdulce, vel melicratum aut mulſum, in quo thoracica medicamenta cocta ſint. Poſſunt & cereuiſiæ medicatæ fieri cum ſaluia, hyſſopo, roremarino, & ſimilibus. Vtilis eſt & potus ligni Guaiaci. Æger ſitim non ferat, ſed ſæpius, verùm moderatè, bibat; quia humectatione opus eſt, ad eam, quæ iam inciſa & deterſa eſt in pulmone, materiam tuſſi eiiciendam. Somnus ſit nocturnus, moderatus, capite & pectore nonnihil eleuato.

### *Curatio anguſtiæ arteriarum pulmonis à reliquis cauſſis.*

*Curatio anguſtia à reliquis cauſſis.* Si à ſpiritu aut flatu craſſo obſtructa ſunt vaſa pulmonis, is diſcutiendus, & diſſipandus eſt, medicamentis flatus diſcutientibus, quæ alibi proponuntur, è quibus thoracica eligenda, vel hæc iis admiſcenda: & danda opera, ne flatus iterum generentur.

Si tuberculum eſt cauſſa anguſtiæ, danda opera, vt attenuantibus & exſiccantibus abſumatur, qualem facultatem aromata habere, Galenus, 7. *de compoſ. med. ſ. loc. in fine* ſcribit.

Sunt etiam vtilia hîc ammoniacum, ſulphur, benzoë, theriaca, Mithridat. ſales chymici, & ſimilia enumerata.

Si à grandine & calculo ſit anguſtia, locum habent millepedes & aſelli, ſi nimirum in olla comburantur, donec albeſcant, & melle excipiantur. Potentius ſit medicamentum, ſi adiiciatur ſemen milij Solis.

Si à ſanguine extra venas effuſo proueniat anguſtia fluxus ſanguinis cohibendus, vt poſtea de curatione ſputi ſanguinis, dicetur; qui verò in vaſis pulmonis, præſertim aſperis arteriis, hæret, ſi concretus ſit, per poſcam, oxymel, coagulum leporis, mumiam & ſimilia diſſoluendus, & per ſputum ac tuſſim eiiciendus.

Si à ſiccitate pulmonis proueniat anguſtia, lac amygdal. dulc. & ſeminum melon. detur, ſyrupus de pomis, violis, borrag. iuiubæ, dactyli, ficus, paſſulæ, lac, & ſimilia, vt ſuprà, *de intemperie pulmonum ſicca,* dictum.

## CAPVT V.

### *De anguſtia Læuium pulmonis arteriarum.*

*Anguſtia læuiũ arteriarũ pulmonis.* ET ſi modò, vbi de cauſſis anguſtiæ aſperarum pulmonis arteriarum dictum fuit, etiam læuium arteriarum eiuſdem facta ſit mentio: quia tamen hæ etiam obſtrui & anguſtiores reddi poſſunt, vt aſperas arterias non comprimant, in ſpecie & peculiariter de læuium arteriarum in pulmone anguſtia aliquid dicendum eſt, inprimis cùm hæc tractatio doctrinæ de aſthmate non parum lucis allatura ſit, & affectus ipſe cognitu neceſſarius ſit, cùm hominem ſæpe ſubitò in vitæ periculum coniicere poſſit, etſi antè nec de difficultate reſpirationis, nec de dolore & grauitate pectoris, nec de tuſſi, conqueſtus ſit. Cuius rei memorabile exemplum recenſet Galenus 4. *de loc. aff. cap. vltimo.* Locum, quia notatu dignus eſt integrum adſcribere libet. *Ea*, inquit, *quæ Antipatro Medico acciderunt, nemo eſt, qui neſciat, vt pote qui Medicam artem publicè apud Romanos profeſſus eſt. Agebat hic ætatem ſexaginta quidem annis minorem, ſed quinquaginta iam annos exceſſerat. Is correptus aliquando febre quadam ephemera, idque ab euidenti cauſſa, declinante iam febre, vt, quid ſibi facto opus eſſet, intelligeret, pulſum ipſe ſuum tangere aggreſſus eſt. Cum igitur omne inæqualitatis genus in arteriarum motione inueniret, inprimis quidem territus eſt, deinde verò, cùm ſeſe non febrire planè ſentiret, ilicò balneum ſubiit: quippe laboribus ac vigiliis corpus fatigauerat. Atque tenui quoque victu, donec diem tertium præteriiſſet, vſus eſt, quo, cum nulla appareret febris, ad ſolita negotia petractanda prodiit: atque arteriam in extrema brachij ſui parte tangens admiratus eſt perſeuerantem in pulſibus inæqualitatẽ. Occurrens itaque mihi, extendit manum, ridens, iuſſitque pulſum tangere. At ego ſubridens, quid inquam, portendit hoc quod proponis ænigma? ille iterum ridens obnixè orauit, vt tangerem. Igitur inter tangendum omnigenã in pulſu inueni inæqualitatem, non ſolùm in multarum pulſationum cumulo quam ſyſtematicen (id eſt congregatricẽ) vocant, verùm etiam in vna arteriæ diſtinctione. Proinde miratus, quomodo adhuc viueret, cùm talem haberet pulſum, interrogaui, num difficilis eſſet ei reſpiratio: illo verò nullam ſe ſentire reſpondente, obſeruaui equidem, an aliquando mutaretur, quippe ſex menſium ſpatio aſſiduè arteriam tangebam. Cumque ab initio interrogaret, quænã corporis diſpoſitio mihi videretur poſſe huiuſmodi pulſum efficere, atque per quem modum, idque citra febrim: ad eam quæſtionem reſpondi, in commentariis de pulſibus iam declaráſſe me huiuſmodi inæqualitatem. Namque ob magnarũ in pulmone arteriarum anguſtiã id euenire putaui: anguſtiæ verò cauſſam eſſe dixi viſceris inflammationem. At tibi hanc ob cauſſam id nunc accidiſſe impoſſibile eſt, quippe febre fuiſſes affectus. Relinquitur ergò, vel obſtructionem ex liquidis & craſſis & viſcoſis humoribus, vel crudi cuiuſpiam tuberculi ortum in huiuſmodi te diſpoſitionem induxiſſe. Tum ille reſpondens, oportuiſſet (inquit) me ſuſpirioſa orthopnœa laborare. At ego probabilia, inquam ipſum dicere, ſed à veritate aberrare: quippe fieri nonnunquã huiuſmodi orthopnœam ob eam, quam diximus, cauſſam: id verò cùm in aſperis, non in læuibus arteriis craſſus & lentus humor cumulatur. Proinde omnem ei victus rationem, atque medicamenta quoque haud aliter, quam aſthmaticis, adhibere iuſſimus: deinde ſex (vt dixi) menſibus elapſis, leui quadam ſpirandi difficultate affectus eſt, accedente ſimul cordis palpitatione, in primis quidem ſemel, deinde bis atque ter, poſtea quater ac ſæpius quoque, aucta ſimul ſpirandi difficultate ad quindecimum vſque diem: poſt quem difficillima derepentè obortã ſpiratione, reſolutus ſtatim obiit, aliorum quorundam exemplo, qui cordis affectibus laborant.*

### *Cauſſa.*

Cauſſa autem huius anguſtiæ eſt duplex: obſtructio & compreſſio. Obſtructio ſit à craſſis, viſcidis & pituitoſis humoribus, qui quidem vel in pulmone ex eius coctione vitioſa generantur, vel aliunde tranſmittuntur; id quod ſæpe ſit ex hepate, cũ illud crudo & pituitoſo ſanguine ſcatet, cuius pars aliqua per venam *Cauſſa.*

nam arteriosam in pulmones transfunditur,& quidem sæpe certis interuallis, vt infrà *de asthmate*, dicetur. Non verò materia huius obstructionis caussa è capite defluit. Hoc enim si fieret, priùs à bronchiis pulmonis reciperetur, & difficultas spirandi ac tussis excitaretur. Deinde eadem obstructio fit à crudo tuberculo, de cuius generatione postea dicetur.

Comprimuntur verò hæ læues arteriæ itidem à crudo tuberculo, si illud in pulmone generatum extrà læuibus arteriis incumbit. Idem fit ab inflammatione pulmonis, vt etiam Galenus, *loco allegato*, innuit.

### *Signa Diagnostica.*

Signa. Deprehenditur hoc malum è sola pulsus inæqualitate, nimirum tam systematica, quàm quæ est in vna pulsatione, qui nunc est paruus, nunc magnus, celer, tardus, rarus, frequens, vehemens, atque inter pulsationes aliquæ decurtantur, aliquæ intermittunt, aliquæ intercidunt. Cùm enim natura fuligines ob angustiam harum arteriarum non possit satis expellere, fit lucta quædam, & natura caussæ morbificæ sese opponens, vi, quod molestum est, expellere conatur. Vbi autem natura hunc suum finem assequi non potest, aut dimidia facta est obstructio, syncopes aut suffocationis periculum imminet. Aliàs nihil molesti percipitur, nec difficultas respirandi, nec tussis, nec dolor, aut grauitas. Vbi tamen malum incrementum sumit, tandem ipsis arteriis communicatur, & tunc, quæ antea non aderat, difficultas spirandi superuenit, tandémque etiam palpitatio cordis, syncope, & suffocationis metus.

Caussarum signa quod attinet, si à crassis humoribus sit obstructio, pulsus est durus per tensionem; si per tuberculum, durus per tensionem & siccitatem. Si ab humore sit obstructio, pulsus magis variabit; si à tuberculo, inæqualitas magis erit informis, vtpote à caussa magis fixa proueniens. In obstructione æquales plures simul adesse possunt: at in tuberculo plures sunt inæquales.

Vbi tandem malo incrementum sumente, & materià asperis arteriis communicata, accidit difficilis respiratio, si malum sit à crassis siccis, difficultas respirandi non est vniformis, sed nunc maior, nunc minor, pro caussæ ratione: si verò sit à tuberculo, vniformis est difficultas respirandi, nisi forsan caussa aliqua externa accedat.

Si malum sit ab inflammatione, ea ex febre & aliis signis suprà popositis cognoscitur.

### *Prognostica.*

Prognostica. 1. Malum hoc longè periculosum est, à quo homo sæpe accedente syncope vel suffocatione subitò perimitur.

2. Quò in pulsus inæqualitate plures sunt magnæ, vehementes, celeres, intercidentes & æquales pulsationes, eò minus malum est: quò autem plures sunt languidæ, paruæ, decurtatæ, intermittentes & crebriores, eò maius periculum indicatur.

3. Quò minùs actiones cordis læduntur, minórque est in syncopen propensio, eò malum minus est; quò verò hæc maiora, eò maius periculum imminet.

4. Quæ à crassis & viscidis humoribus est obstructio, non ita difficulter curatur, præsertim si recens fuerit; quę autem angustia prouenit à tuberculis; curatu difficillima est, vt postea, *de tuberculis pulmonis*, dicetur.

5. Quò maior cachexia coniuncta est, eò periculosius est malum; de cuius rei caussa postea *in quæstione* dicetur.

### *Indicationes.*

Indicationes. Caussa angustiam pariens est tollenda. Ideóque si humores crassi & viscidi sint, attenuandi, extergendi, & euacuandi sunt. Crudum tuberculum, seu arterias has obstruat, seu comprimat, attenuandum & resiccandum. Inflammatio si adsit, ea debito modo curanda.

### *Curatio.*

Crassi autem & viscidi humores quomodo præparandi & euacuandi sint è pulmonibus, *cap. præcedente*, iam dictum est, vt ea hîc repetere opus non sit, & dicetur de eo etiam, *in asthmate*. Nam eius curatio ab huius caussæ sublatione pendet. Vnum saltem hic moneo, quod etiam in curatione asthmatis repetendum, nonnullos paroxysmo asthmatico ingruente vomitum præcipere. Quæ res etsi alicui à veritate aliena videri posset: aliquoties tamen vidi, vomitu spontè superueniente à paroxysmo liberatos fuisse. Quærenda ergo huius rei caussa: quæ nulla alia videtur, quàm quod materia, quæ ab hepate ad pulmones ruit, ad ventriculum conuertitur. De quo postea, *in quæstione*, dicetur. — Curatio.

Crudum tuberculum quomodo curandum sit, dicetur postea, *cap.* 8.

Inflammatio pulmonis quomodo curanda sit, iam antea, *cap.* 3. dictum.

### QVÆSTIO

### *Quænam sit caussa hydropis, quæ læuium arteriarum obstructione laborantibus superuenire solet.*

P. Salius Diuersus, *de affectib. partic. cap.* 21. censet ideò hoc fieri, quòd perseuerante malo calor innatus, quoniam non sufficienter euentatur, languescat, atque inde hepar debilitetur, cuius ratione postea aliqua hydropis species succedat. — *Hydropis in obstructione læuium arteriarum caussa quænam?*

Verùm enim verò, cum sæpe satis maturè sese cachexia prodat, vbi cor adhuc satis bene valere deprehenditur, & hepar nihil à pulmonibus, sed pulmones potiùs ab hepate accipiant, credibile est, vel à pulmonibus refrigeratis hepar refrigerari, vel, quod vero similius mihi videtur, primam mali caussam in hepate hærere, quod, cùm sit debile sanguinem pituitosum & frigidum generat, qui cùm necessariò ad dextrum ventriculum cordis mittatur, porrò etiam ad pulmones peruenit, & huius mali caussa est. Cùm enim vena arteriosa & arteria venosa per totam substantiam pulmonis in minutissimos ramulos diuisæ dispergantur, & multis anastomosibus coniungantur, facilè ex vena arteriosa in arteriam venosam humores transferri possunt.

## CAPVT VI.

### *De Apertione vasorum pulmonis.*

ANgustiæ vasorum pulmonis opponitur eorum apertio: & proinde de hac post illam meritò agitur. ad morbos enim pulmonis, & quidem meatuum vitia, & illi pertinent, cum vasa sanguinem continentia in pulmone, quæ clausa esse debent, aperiuntur. Id quod, vt in aliis etiam partibus, fit quatuor modis, ἀναστομώσει scilicet, διαπηδήσει ῥήξει & διαβρώσει. — *Apertio vasorum pulmonis.*

Ἀναστόμωσις, seu osculorum in venis vel arteriis apertio, fit primò à caussa externâ euidente, quæ proximè & sola orificia vasorum aperire potest, medicamentis scilicet abstergentibus & orificia vasorum aperientibus, qualia sunt aloë & similia, vel caussis nimis laxandi vim habentibus. Deinde à caussa interna, quæ vel est proxima, sanguis scilicet vasorum orificia aperiens; vel antecedens, sanguis scilicet — *Quatuor modis pulmonis vasa aperiuntur. Ἀναστόμωσις. caussa.*

licet aut copiâ peccans,aut calidus, aut acris, à quo facultas irritatur,quibus & motus fanguinis ad fuperiora addi poteft. Vt enim à fanguine orificia vaforum in pulmone aperiantur,cauffa non femper primariò in pulmone hæret, fed fæpe ad pulmonem ab aliis partibus tranfmittitur.

Procatarcticæ cauffæ funt, quæ vel fanguinem cumulant,vt fuppreffa eiufdé confueta per nares,hæmorrhoides, menftrua, euacuatio, & aliæ plethoræ cauffæ, vel calidiorem reddunt, vt corporum motus vehemens, aër,cibus,potus,medicamenta calida;vel ipfum ad pulmones & fuperiora commouent,vt motus nimius.

Διαπήδησις. Διαπήδησις,id eft, tranfcolatio fiue tranffudatio fit ob vaforum & tunicarum in iis raritatem, cuius cauffa eft fanguinis tenuitas & ferofitas.

Ῥῆξις à cauffis externis. Ῥῆξις,id eft,ruptio vaforũ fit primò à cauffis externis euidentibus,quæ proximè vafa in pulmonibus rumpere valent,vt lapfu ab alto, vel percuffione & contufione pectoris, ita cum clamore, intentione vocis fubitâ & magna ac vehementi,non a leniore quafi per gradus afcendente, tuffi nimiâ, conatu magno,graue pondus attollendi vel loco mouendi, faltu, inprimis poft balneum, vbi vafa & totum corpus rarius redditum, curfu, luctâ, retentione fpiritus in conatu excrementa excernendi, & fœtum excludendi. Hinc Hippocrates, 3. aphor.29.fcribit:Iuuenibus fanguinis exfpuitiones,ficut & phthifin effe familiares: & 5. aphor.9. eafdem ab anno 18. ad 35. frequentius accidere. Id quod Galenus non tam ætatis ratione accidere docet, quàm propterea, quod in ea ætate conftituti in vita & victu errores committunt. Etenim iuuenes pugnare, aliifque exercitiis vti folent, fæpe frigori nimio fe exponunt, cibo & potu fupra modum fe replent. Quibus cauffis omnibus facilè vena iis, præfertim in pectore, rumpi contingit, vnde fputum fanguinis primo oritur, quod nifi tempeftiuè curetur, phthifis fubfequitur. Præterea fanguinem calidum & biliofum cumulant,qui non folùm rupturam, fed & reliquas caufas, quæ vafa in pulmone aperiunt,inducere poteft. Eafdem ob cauffas viri etiam frequentiùs apertionem vaforum pulmonis patiuntur quàm fœminæ.Galenus,4.de loc.aff.c.5.

*Iuuenibus phthifis cur familiaris?*

*A cauffis internis.* Deinde rumpuntur vafa pulmonis à cauffa interna, eàque vel proxima, quæ eft fanguis pulmonis vafa diftendens; vel antecedens,fanguinis abundantia feu fola,feu cum fpiritu flatulento;vel procatarctica,quæ fcilicet vel fanguinem auget, vel ad pectus commouet; vt motus corporis nimius, animi pathemata vehementiora & ira inprimis.

Et præcipuè cauffæ iftæ vafa rumpunt, cùm vafa extenfioni refiftunt ob frigus externum. Tum enim illorum tunicæ frigore contractæ & induratæ ad rupturam promptæ & paratæ funt. Hinc Hippocrates, 6. epidem. fect.3.aph.10.τὰ ψυχρὰ φλεβῶν ῥυπτικά,quod etiam habetur 5.aphor.24.

Frigus verò ipfum per fe vas aliquod frangere non poteft, fed vel per motum aliquem, vel plenitudinem accedere neceffe eft,de quo Galenus,4.de loc.aff.cap.8. ita fcribit: *Frigus ipfum per fe rupturas non facit,fed quia venarum tunicas frigiditate fuâ duras & ad extenfionem contumaces reddens,vt rumpantur,paratiores efficit:ruptionis verò cauffa eft aut vehemens motus, aut humorum abundantia.*

Διάβρωσις. Διάβρωσις verò feu erofio fit ab humoribus acribus & falfis,feu à capite deftillantibus, feu aliunde ad pulmonem fluentibus. Quò faciunt acrium & prauorum ciborum vfus, inedia acres humores coaceruans & fimilia.

## *Signa diagnoftica.*

*Signa.* Si ἀναστόμωσις vaforum pulmonis fit, præcefferunt cauffæ vaforum orificia aperientes,quæ modò enumeratæ funt.Et fanguis è vaforum orificiis apertis exit mediocri copiâ & fine dolore.

Si διαπήδησις adfit,exit fanguis ferofus,paucus, & fine dolore.

Si à ῥῆξει feu ruptura vafa pulmonis aperiantur, præceffit plethora,& cauffa aliqua rumpens antea propofita;& fanguis ftatim copiofus exit.

Si fit erofio, præcefferunt falfæ è capite deftillationes, fanguis eft acris, & propter humoris acris admixtionem malè coloratus apparet; percipitur fapor falfus & acris, præcefferunt cauffæ acres humores cumulantes; & primò quidem fanguis purus exfpuitur, progreffu verò temporis, & erofione auctâ, copiofior, tandémque fputum puris fequitur. Quæ figna confirmantur, fi nulla cauffa violenta præceffit.

Præterea an à copia fanguinis,quæ tam ἀναστομώσεως, quàm ruptionis cauffa effe poteft, vt fuprà dictum, an verò ab acrimonia eiufdem proueniat vaforum pulmonis apertio, ex eo quoque difcernitur; quod fi à copia fanguinis, quæ naturæ oneri erat, ea proueniat, fanguinis copiâ euacuatâ is fponte fubfiftit, fignaque redundantis fanguinis adfunt; fi verò ab acrimonia fanguinis proueniat,fanguis ita facilè fifti non poteft.

## *Prognoftica.*

1. διαπήδησις minimè omnium periculofa eft,& adftringentibus facilè fanguis fiftitur. *Prognofti*

2. Poft hanc minus periculofa eft ἀναστόμωσις, ob quam fi fanguis reiicitur, is fponte fæpe copia nimia euacuatâ fubfiftit, ofculis fponte iterum fefe occludentibus. Obferuatúmque fæpius in confueto fanguinis, hæmorrhagiæ narium, hæmorrhoidum, menfium fluxu fuppreffo fanguinis fuperabundantem copiam abfque vllo damno è pulmone, ofculis vaforum reclufis, euacuatam fuiffe: quod etiam Fernelius, *lib. 5. de part. morb. & fympt. cap.* 10. annotauit. Et Ludouicus Duretus de feipfo fcribit, *in comment. fuper Coac. Hippocr. aphor.*46. fibi, cùm olim familiaris fuiffet narium hæmorrhagia, & quidem cum commodo valetudinis, vfque ad annum ætatis quinquagefimum, tùm eâ fuppreffa, nec tamen ἀναδόσεως ftatis temporibus quiefcente, quafi datâ portâ proruiffe per ἀναστόμωσιν vaforum pulmonis atque quidem fæpe & multum; quæ tamen fedata nullam pulmonis offenfionem reliquerit, præter fummam corporis infirmitatem. Si tamen ofcula vaforum vel nimiùm dilatata, vel motu continuo impulfa iterum conniuere nequeant, interdum ex nimiâ fanguinis profufione mors fequitur.Aut fi fanguinis effufi portio in pulmone retineatur, illic putrefcens pulmonem corrumpere poteft.

3. Periculofior eft ruptura vaforum. Nifi enim intra tertium & quartum diem ruptura confolidetur, inflammatio facilè accidere poteft, à qua, cùm tuffi pus expuendum fit,vulnus indies maius efficitur. Et quamuis callus vlceri obducatur: tamen leui de cauffa, vt vocis intentione, vel rifu immoderatiore iterum rumpitur.Galenus, 5.meth.med.cap.14. Celfus l.4. cap.4.de Tuffi.

Admodum etiam periculofa eft vaforum pulmonis apertio,quæ fit in vulneratione, percuffione,& contufione thoracis.

4. Periculofiffima verò eft διάβρωσις feu erofio vaforum.Etenim vlcus fordidum,quod tum inducitur, non facilè confolidatur; & vt vitium humoris corrigatur, longiore tempore opus eft.

5. Si ruptura & erofio vaforum pulmonis fit recens, & antequam phlegmone accedat, non ita difficulter curatur. Si verò phlegmone accedat, exigua fanationis fpes fupereft, eâ præcipuè de caufsâ, vt dictum, quod pus & faniem tuffi è pectore expurgare oportet, quâ vlcus femper maius & deterius efficitur,

ficitur Hinc Galenus, 5.*meth.med.c.*13.& 14. fcribit;fe omnes curaffe, qui è pulmone fanguinem exfpuentes mox primo die ipfius opera vfi fuerant; qui verò poft biduum aut triduum ipfius operâ vfi effent;horum aliquos fanatos effe, quos autem phlegmone fic occupauit, vt iam febricitarent, eorum fane nullum perfectè reftitutum fuiffe.

6. Morbus reuerfionem faciens magis,quàm ab initio vrget.Hippocrates,*de intern.affection.*

*Indicationes.*

*Indicationes.* Apertum vas, quocunque modo apertio facta fuerit, claudendum eft. Modus verò id præftandi varius eft pro cauffarum diuerfitate. Si nimirum ab ἀναστομώσει fit apertum vas, orificium vafis apertum obturandum & adftringendum eft. Si à διαπηδήσει, denfantia & incraffantia requiruntur. Si à ruptura, ruptum vas vniendum atque agglutinandum. Si ab erofione, farcotica primùm, quibus, quod deperditum eft regeneretur, & hinc confolidantia requiruntur.

Præterea fi vitium fit à cauffa interna, eáque adhuc duret, aut vaforum agglutinationem impediat,ea tollenda.Sanguis nimirum ad pulmones affluens reuellendus & auertendus, copiofus imminuendus, calidus & acris refrigerandus & mitigandus,humores biliofi & acres alterandi & euacuandi funt.

*Curatio.*

*Curatio.* Cùm à vafe in pulmone aperto fequatur fanguinis effluxus & hinc fputum fanguinis, vas apertum claudi non poteft, nifi prius fanguis fiftatur, &, fi forfan fanguis concretus circa vafa hæreat, is prius tollatur. Ideóque fiue per ἀναστόμωσιν, fiue per rupturam, fiue per erofionem apertum vas in pulmone fuerit, commodiffimè inftituitur venæ fectio, quæ ferè plerifque fcopis fatisfacit. Etfi enim, vbi cauffa rupturæ amplius non adeft, vt dum à contufione, lapfu, vel clamore nimio vas apertum eft, fanguis faltem fiftendus fit, & hinc vas claudendum & vniendum; vbi verò cauffa adhuc adeft, id quod in plethora accidit, vbi à copia fanguinis vafa aperiuntur, non folùm fanguis fiftendus, & vas apertum claudendum fit, fed præterea etiam copia fanguinis minuenda: tamen his quoque omnibus fatisfacit venæ fectio.Etenim dum fanguinem aliò auertit, eius fluxum fiftit, dum verò eius copiam imminuit,cauffam morbi tollit.

Aperienda autem eft vena in cubito. Si tamen confueta aliqua euacuatio fuppreffa fit,vena in pede etiam aperiri poteft,vt ad remotiora fiat reuulfio, deinde vena in cubito aperiri poteft, vt in inflammatione pulmonis dictum. Qua in re tamen diftinctione opus eft; vt infrà, *part.3.cap.vlt.in quæstione*, dicetur. Et quidem, fi neceffitas id requirit, bis vel ter eodem die vel fpatio bidui fanguis mittendus,fi virium lapfum timeamus. Si enim venæ apertio fæpius repetatur, & in plures vices fanguinis miffio diftribuatur, efficacior fit reuulfio, viréfque minus deiiciuntur. Et quidem conuenientius fanguis mittendus, vbi copia fanguinis proxima & primaria apertionis vaforum cauffa eft, in plethora fcilicet, & vbi confueta aliqua fanguinis euacuatio fuppreffa eft, fanguifque eft calidior.

Si verò à prauitate humorum, qui vel orificia vaforum aperiunt, vel vafa erodunt, apertio vaforum proueniat; atque in iis. vt Galenus, 5. *meth.med. cap.*14. fcribit, qui parum fanguinis habere videbuntur: ad quandam fucci probitatem reductis humoribus, detrahere aliquid fanguinis poteris,tum rurfum reficere,eofdem etiam rurfum purgare, atque rurfum reficere, denuóque fi res fuadeat, fanguinem mittere, potiffimum quibus veluti limus vitiofus & craffus totus fanguis eft.At qui validi funt,multique fanguinis,iis ftatim ab initio fanguis mittendus.

Quòd fi vires non ferant venæ fectionem, cucurbitulæ cum fcarificatione partibus inferioribus reuulfionis gratiâ applicandæ, vel etiam hepati, fi à plethora fit ruptura. Hirudines etiam,præfertim fi fanguinem antea fundere confuetæ fint,hæmorrhoidibus applicari poffunt.

Et omnino danda eft opera, vt, fi confueta aliqua euacuatio, vel menfium vel hæmorrhoidum fuppreffa fit,ea reuocetur;fed per ifta,quæ diximus, media. Nam menftrua per medicamenta menfes mouentia hîc mouere non licet.Cùm enim fint calida,& fanguinem vehementer mouere,& venas aperire poffunt.

Nec omittendæ aliæ reuulfiones, quæ fiunt cucurbitulis fine fcarificatione, frictionibus, ligaturis, & aliis, quæ citra euacuationem & virium deiectionem fanguinem reuellunt. Si defluxio fit à capite, ea reuulfio inftituenda, quæ catarrhis debetur, vt fuo loco dictum.

Deinde fi fanguini vitiofi humores permifceantur, quæ qualitate fua vitiofa vaforum apertionis caufa fint; & qualitas illa vitiofa corrigenda, & vitiofi humores euacuandi. Ideóque & tum exhibenda alimenta boni fucci,quæque acrimoniam fanguinis mitigant,vt ptifana,amylum,tragacantha,fuccus granator.fyrup de portulaca,borragine,iuiubis,& fimilia.

Ad purgationem exhibenda pulpa tamarindor.fyrup. rof. folut.myrobal. manna, rhabarbarum. Scammonio cautè vtendum. Videndum enim, ne purgantibus fortioribus exhibitis fanguis magis agitetur, & fluxioni aptior reddatur.

Tertiò danda opera,vt grumi fanguinis in pectore ac pulmone diffoluantur, cùm non folùm glutinationem vaforum impediant, fed & retenti grauia fymptomata excitent & pulmones corrumpant. *Grumos sanguinis in pectore resoluentia.*

Exhibendum autem oxycratum feu pofca,id eft,mixtura ex aqua & aceto Vnc.VI.vel IX.menfur.Sit autem pofca, vt Galenus. 5.*meth.med.cap.*8. tradit, ita mixta, vt potu fit iucunda, & ne ob acetum copiofius tuffim excitet. Ita enim & concretum fanguinem diffoluit, & ad glutinandum nonnihil facit. Detur autem non frigida nec calida, fed tepida, & quidem bis vel ter de die, vel etiam trium aut quatuor horarum interuallo. Græci Recentiores, vt Paulus Ægineta, Aëtius, Oribafius, commendant coagulum cerui, hædi, leporis inprimis, quæ vt diffoluta coagulant, ita coagulata diffoluunt, vt docet Diofcorides, *l.*2.*cap.*67. Et quia acredinem non obfcuram obtinent, vix magnitudine ciceris exhibent ex aquâ calidâ adftringente aut oxymelite.Galenus tamen,10.*de fimpl.med.fac.tit.Coagulum*, propter acrimoniam formidat coagulum dare ad reiectionem fanguinis in thoracis affectu,fcilicet adftrictionem requirente.Pofcæ igitur vfus tutiffimus.Foreftus ad fanguinem congelatum exhibuit mumiam & fperma ceti. Donatus poft pofcæ affumptionem commendat puluerem feq.

℞.*Rhabarb.*Dra.i.vel Scr.IV.*mumiæ* gr.V.vel VII.*rubiæ tinctor.*gr.IV.

Detur cum vino rubro, aut aqua plantaginis exiguo aceto iniecto.

Langius,*l.*2.*epift.*31.hunc Puluerem commendat:

℞. *Rad angelic.* Scr.ii. *coagul.lepor.*Scr.ß *fuccin.*ʒ.ß. *farin.orob.rubr.*Scr.ij.

Exactè contufa cribro excernantur, ac de illius pulueris farragine Dra.i.diffoluatur in *ftillatitij cerefolij* aut *gingidij liquoris* Vnc.iii.ß.& *oxymel.*Dra.i.

F Hauftus.

De medicamentis verò grumos fanguinis in thorace diffoluentibus aliquid difficultatis oritur, quo fcilicet tempore exhibenda fint, cùm fi iis vtamur, vafa non claudantur, fed potius aperiantur. In ifta au-

tem re perpendendum,an plus vrgeat ſanguinis impetus, quàm ſanguis concretus. Nam ſi ruptura ſit in pulmonis vaſis, & metus ſit, ne inflammatio excitetur, aut fluxus ſanguinis augeatur, malique aliquid afferat, ſtatim ſiſtendus eſt. Vbi autem iam ex parte aliqua impetus ſanguinis ceſſat, vt ex eo cognoſcitur, quod iam minus fluit, & colore non eſt amplius admodum florido, grumos diſſoluentibus vti, & poſtea agglutinantia exhibere licet: imò medicamenta ex vtriſque compoſita exhiberi poſſunt; exempli gratiâ, oxymel & ſyrup. de portulaca cum bolo Armena. Si verò ruptis vaſis pectoris exſpuatur ſanguis, & ex eo tantum periculum phthiſeos immineat, primò eum expurgare & diſſoluere, poſtea conglutinare licet. Idem faciendum: ſanguiſque concretus ſtatim diſſoluendus, ſi is è pulmonibus tantùm per ἀναςόμωσιν exeat, cùm tum tantum inflammationis periculum non adſit.

Si catarrhus à capite defluens apertionis vaſorum pulmonis cauſa ſit,& vaſa aperta conglutinari non poſſint,niſi catarrhus deſinat,danda opera, vt primùm catarrhus ſiſtatur,de quo ſuprà, *lib.*1.*part.*2.*cap.vlt.de catarrho*,dictum.

His ita peractis, & omnibus, quæ conſolidationem vaſorum impedire poſſunt, remotis, danda opera, vt vas ipſum ſtatim conſolidetur, dum adhuc malum recens eſt, & præcipuè in ruptura & eroſione vaſorum, antequam phlegmone accedat, vt *prognoſt.* 5. dictum. In vaſorum autem apertorum concluſione procuranda quædam pro cauſarum diuerſitate occurrit varietas. Si enim ſit διαπήδησις, aſtringentibus vtendum, ſanguiſque ſi ſit tenuior, craſſo victu emendandus,modò non adſit inflammatio, vt in pleuritide, vbi adſtringentibus abſtinendum, & potiùs ſcreatus promouendus. Ἀναςόμωσιν & rupturam curandi ratio ferè eadem eſt. Adhibenda nimirum adſtringentia, emplaſtica & glutinantia medicamenta. Aſtringentia hîc vtilia ſunt: *portulaca*, quæ quocunque modo ſumpta apertionem vaſorum pulmonis, & ſputum ſanguinis inde proueniens curat; *ſuccus* tamen eius eſt, *plantago*, *polygon. mille fol. germina & fructus rubi cynoſbat. myrti*, *tenera quercus folia*, *roſa*, *rad.ſymphyt.maior.ſumach,cortic.granat.balauſtia,lapid. hæmatit.corallia,crocus Martis.*

Emplaſtica ſunt *bolus Armena*, *terra ſigillata*, *ſanguinis draconis*, *gummi Arabic.tragacanth.thus*, *maſtich. amylum.*

Glutinant hîc *millefol. ſymphytum maius*, *lyſimachia* Et quia medicamenta pleraque plurimis prædita ſunt facultatibus, ita vt quædam adſtringant, condenſent, conglutinent, etiam Medici modò ad hanc, modò ad illam claſſem ea referunt. Et cùm talia medicamenta non facilè penetrent, ſed ſibi ipſis potius viam quaſi procludant, admiſcendum aliquid medicamentorum, quæ calore & tenuitate partium prædita ἀνάδοσιν ac diſtributionem cæterorum medicamentorum adiuuant. In quem vſum commodiſſima ſunt & vehiculi vicem præſtant mel & ſaccharum.

Ex his varia fiunt medicamenta, atque in vſu potiſſimum ſunt *trochiſ. de terra ſigillata,de carabe cum* & *ſine opio, troch.ramich.ſpec.diatrag.frigid.ſyrup.de portulaca, de ſucc.plantaginis, de roſis ſiccis, de papauere, myrtin.loch.de portulaca,conſeru.roſar.rubr.antiq.de fol.quercus,ſyrup. de coral.* vt & *opiata*, quam deſcripſit Fernelius,*conſ.*21.

℞. *Boli Armenæ aqu.roſar.lot.*Drach.ii.*ſem.portulac. lactuc.* ana Drach. ſem. *gummi tragacanth. Arab.* an. Scrup. ii. *amyli*, *ſem. naſturt. torrefact.* ana Drach. ß. *roſar.rubr.ſacch.cand.roſat.tabul.*ana Vnc.i. Cum *ſyrup. myrtillor.*

Formentur Trochiſci,qui in ore detineantur.

Vel ℞. *Conſeru. roſar. antiq.* Vnc. iii. *boli Armenæ*, *terræ ſigillat.* ana Drach. ii. Cum *ſyrupo de portulaca.*

F.Electuarium.

Vel ℞. *Conſeru. roſar. rubr. antiq. ſymphyt. maior.* ana Vnc.i.ß. *boli Armenæ,terræ ſigill.* an. Drach.i. *lapid. hæmatit.*Scr.iv.Cum *ſyrup.de portulaca.*

F.Electuarium.

Vel ℞. *Tragacanth. gummi Arabici*, *ſanguin. dracon. boli Armenæ,amyli,ſpod.* an Drach.i. *lapid.hæmatit. ſem.papauer.hypociſt.* ana.Drach.iii. Cum *ſyrup.de ſucc. plantagin.*& *roſarum.*

F.Electuarium ſenſim deglutiendum.

Vel ℞.*Syr.de portulac.*Vnc.i.*iuiubin.*Vnc.ß. *boli Armenæ aqu.roſar.præpar.ſyr.myrtini* q.ſ.

F.Lambile.

Foreſtus in rupta vena tale præſcribit Decoctum,*lib.* 16.*obſ.*16.

℞. *Rad. conſolid.mai.* ℥.i. *burſ.paſtor. portulac. ſanicul. pyrolæ,polygon.* ana M.j. *ſem.endiu.acetoſ.portulacæ, vrtic.*ana Dra.i.

Fiat decoctio,vt artis eſt,in *aqu.communi*,pro ℔.j.

Colaturæ addendo.*ſyrup.myrtil.*Vnc.iij.

Clarificentur pro Iulep.

Puluis, qui Iulio Cæſari Scaligero & Medicis Pariſienſibus in vſu fuit,ſed è Serapione,*cap.*25.*tract.*2.deſumptus eſt:

℞.*Spod.roſar.rubr. boli Armen. terræ ſigill. hæmatit.* ana ℥.ß.*gummi Arabici,tragacanth.*an.ʒ.ii.*ſem.papauer. portulacæ,arnogloſſ.C.C.vſti,amyli torrefact.*an.Dra.iij.

F.Puluis.

Deſcriptio Pulueris huius nonnihil varians apud Hollerium,*exercit.Valetij in caput.*27.talis habetur:

℞.*Spodij,roſ.rubr.bol.Arm.terr.ſigill.hæmatitis*, an.ʒ. v. *corall.rubr. carab. margaritar. non perfoat.* an.ʒ. ii.ß. *gummi Arabici,tragacanth.*an.ʒ.ii.*ſem.papau.portulacæ, roſ.rubr.arnogloſſ.cornu cerui combuſti*,an.ʒ.iii.*acaciæ,ſucci herbæ hircinæ,glycyrrh.*an.ʒ.ii.*amyli torrefacti* ʒ.iij.

Terantur,miſceantur, F.Puluis,cuius doſis ſint ʒ.iii. Datur cum *aqua pluuiali.*

Vel ℞. *Syr.myrtin.de portulac.de roſis ſiccis*, ana ℥.ij. *boli Armenæ,lapid.hæmatit.C.C.* ana Scrup.ii. *aqu.portulac.plantag.burſæ paſtoris*, an.Vnc.iii.F.Potus pro duabus vel tribus doſibus.

Vel ℞.*Spec.diatrag.frigid.* Drach.i.*conſeru.roſar. antiq.*Vnc.iß.*rob berberis* ℥.ß.*pilul.de cynogloſſ.*Scr.ii.*ſyr.de portulac.*q.ſ.

F.Lambile.

Vel ℞. *Syr.myrtin. de portulaca*, an.Vnc.iß. *conſeru. roſar.rubrar.antiqu.fol.quercus* an ʒ.vi.*tragacanth.amyli*, an.Scrup.ii. *rad.ſymphyt.terræ ſigillatæ, boli Armenæ, lapid.hæmatit.*ana Scr.j.

F.Eclegma.

Interim & poſt ſanguinis auerſiones(ante has enim topica apponere tutum non eſt, ne ab adſtringentibus ſanguis intrò compellatur, & venæ, quæ in alto ſunt, repleantur; vt & ſi ab externi aëris frigore vehementi ſanguis intrò ad pulmones pulſus ſit) nec topica omittantur,pectúſque inungatur oleo myrtino, maſtichino, roſarum, quibus addi poſſunt pulueres adſtringentes.

Vel fiat tale Cataplaſma:

℞. *Fol.plantagin.portulac.polygon.* an. M.i. *rad.ſymphyt.maior.*Vnc.i.*cortic.granator.farin.hord.* ana.Vnc.ß. *cydon.ſiccor.*Drach.iij.

Coqu.in vino adſtringente ad mollitiem.

Contuſis adde *thuris*, *maſtich. boli Armenæ*, an.ʒ.iii. *corallor.rubr.*ʒ.i.*ol.roſac.*& *myrtin.*ana q.ſ.

F.Cataplaſma.

Si refrigeratio rupturæ vaſorum pulmonis occaſionem præbuit, Galenus, 5.*meth.med.cap.*13.calefaciens ceratum ex thapſia pectori adhibet ad tollendam eam intemperiem. Sed ſi adhibendum eſt, diu tamen ibi non relinquendum, ne multum calefaciat, malum augeat,

augeat, ipsámque mortem inferat, cum magna Medici ignominiâ; qualem historiam recenset Forestus, *lib.16. obs.16.in scholio.*

Possent forsan etiam, vt in hæmorrhagiis, periapta, vt jaspis, vmbilicus marinus, & similia vsurpari.

Si vulnere pectoris in pulmones vsque penetrante sit facta apertio vasorum, vulnus curandum & conglutinandum, vt, *cap. sequenti*, dicetur.

Erosio autem vasorum pulmonis difficiliùs curatur, vt suprà dictum. Statim autem initio (vt & in anastomosi ex sanguine bilioso) etiam bilis purganda, nec purgatio procrastinanda, ne, dum studemus acrimoniam humoris corrigere, ille acrimoniâ suâ maius malum inducat. Neque hîc concoctionem expectare opus est; cùm humor non sit putridus seu crudus, & præterea tenuis, qui ductum medicamenti purgantis facilè sequitur. Validiora tamen & calidiora purgantia vitanda, ne humorem magis agitent & acriorem reddant, vt & aloë, vtpote quæ venarum orificia aperire solet.

Peculiaris autem hîc offertur indicatio regenerandi partem erosione deperditam. Id quod præstant alimenta boni succi, vt ptisana, lac, & quæ ex lacte conficiuntur, iuscula gallinæ & carnes, & medicamenta carnem gignentia, qualia sunt thus, mastiche.

*Catarrhi cum sputo sanguinis curatio.* Si verò catarrhus adhuc adsit, qui è capite ad pulmones defluit, is primùm cohibendus. Id quod triplici medicamentorum genere effectum dedit Galenus: 1. purgatione peccanti humori conueniente. 2. medicamento diaspermato, quod somnum conciliat, sensum doloris tollit, tussim sedat, & siccandi vim habet; cuius loco vti possumus theriacâ recente, pilulis de cynoglossa, & similibus. 3. cerato ex thapsia, vel stercore columbino capiti imposito, vt catarrhi defluentis impetus prohibeatur, quod & alia huius generis medicamenta & cauteria præstare possunt. Postea ægrum reficit cibis boni succi, frictione, inambulatione, balneo. Inprimis verò lac exhibet, quo neglecto malum vix sanatur. Neque interim sanguinis missionem negligit, sed eam vel statim, si abundet, vel, si paucior sit, & prauus, vbi ægrū cibis boni succi refecit, eam instituit.

Curationem hanc Galeni reprehendit quidem Trallianus, *lib.7.c.1.* verùm quid de ea sentiendum sit, suprà, *libr.1.part.2.cap.vlt.de catarrho, quæst.1.* dictum.

Inter medicamenta autem, quæ vas erosum claudunt, Trallianus, *allegato loco*, commendat lapidem hæmatitem, in subtilissimum puluerem tritum, quem Scr. IV. pondere circa principium, si magna sit sanguinis reiectio, in succo mali punici vel succo polygoni, sin minor, cum sola aqua tepida exhibet.

Vel suspendatur lapis hæmatites tritus in linteolo in aqua, & nodulus exprimatur, vt aqua rubescat, adaturque syrup. de portulaca, vel myrtinus. Exsiccat enim vlcus, & prohibet, ne pus generetur. Vtilis etiam est bolus Armena & terra Lemnia. Vt

℞. *Boli Armen.* Drach.ii. *spec.diatrag.frig.* Dra.i. *sacchar.in aqua portulac.dissol.* Vnc.iij.

F. Rotulæ, de quibus per interualla sumantur sex vel plures.

Vel ℞. *Conseru.rosar.rubr.* ℥.ii. *rad.consolid.maior.conditar.* vel *conseruæ earum* Vnc.i. *boli Armen. mastich.thur.* an.ʒ i. *hypocist.*ʒ.ß. Cum *syrupo de portulac.*

F. Electuarium.

### *Diæta.*

*Diæta.* Aër sit temperatus, aut moderatè ad siccum & frigidum declinet. Calidus verò vt alia incommoda habet, de quo postea, *in quæstione*, dicetur, ita etiam sanguinis profusiones inuehit. Victus sit tenuis primis diebus, & vim adstringendi habeat, vel emplasticam. Vnde conueniunt sorbitiones, ex ptisana, pultésque ex oryza, auenâ, farinâ hordei, tritici, & amylo cum lacte cocta, quibus si libet, addi potest conserua rosar. antiqua. A nonnullis commendatur caro suilla, vt glutinosa. Et recitat Suidas historiam Daminij Philosophi, qui cum sanguinis sputo laboraret, oraculum de medicamento consuluit, à quo responsum accepit, vt carne suilla vesceretur, quam quoties comedebat, sanguinem non reiiciebat, vbi abstinebat, sanguinis fluor rediit. Lac etiam hîc optimum alimentum est, refértque Trallianus, se solius lactis vsu plures curasse. Nec inutilis est caseus recens, non salsus. Ex oleribus conueniunt lactuca, acetosa, & præcipuè portulaca, mala aurantia, granata. Abstinendum verò à cibis flatulentis, salsis, acribus & aromatibus. Aceti quoque vsus, præsertim acris, non conuenit.

Potum quod attinet, exhibeatur aqua hordei cum melle vel saccharo, vbi abstergendum, vbi verò glutinandum, aqua hordei chalybeata. Vel bibatur cereuisia tenuior, aut lac amygdalar. dulcium, vt lac acidum ebutyratum. A vino verò abstinendum. Æger non moueatur, sed quiescat, non clamet, non excandescat, &, quantum fieri potest, dormiat. In obæsioribus tamen somnus sit interruptus, ne sanguis nimius in thorace collectus dormientem suffocet. Videatur etiam Hippocrates, *lib.de intern.affection.mox ab initio.*

### QVÆSTIO.

### *Qualis Aër in apertione vasorum pulmonis ab aëre frigido conueniat?*

Equidem principium est in methodo medendi, contraria contrariis curari: ac proinde etiam rationi consentaneum videtur, vbi ab aëre frigido vas aliquod in pulmone ruptum est, aërem calidum adhibere. Contrà quia calidus aër dilatat, non tutum esse videtur, vase aliquo aperto eum adhibere. *Qualis aer in apertione vasorum pulmonis ab aere frigido conueniat.*

Verum enim verò etsi plura in ruptura vasorum pulmonis sint indicantia: tamen quod maximè vrget, est sanguinis fluxus; qui non solùm sine vitæ detrimento largius effluere non potest sed &, dum fluit, facit, vt vas claudi non possit, & quò diutius fluit, eo magis vas dilatat. Quapropter æger potius in aëre frigido, quàm calido, qui laxat, detineri debet. Etsi enim adhuc adsit aliqua intemperies frigida, quæ tussiculam aliquam excitare possit: tamen spiritus retentione facilè sedari potest. Et ipse aër frigidus, in quo æger domi conclusus degit, non est tam frigidus vt ad rupturam vasis amplius aliquid facere possit. Et ipse, vt suprà dictum, aër frigidus vasa non rumpit; modò plenitudo sanguinis dempta sit, & æger ab omni motu violento cesset, nullum ab eo periculum est. Aër tamen ille moderatè sit frigidus. Et quod in ruptura vasorum pulmonis in principio calida non conueniant, etiam vbi ab aëre frigido est ruptura, exemplo etiam docuit Galenus, 5.*meth.med.c.13.* in iuuene, qui ex refrigerato pectore sanguinem exspuebat; cui intrò nihil calidi adhibuit.

## CAPVT VII.

### *De Grandine, Calculo & Vermibus in pulmone genitis.*

Res planè alienas quandoque in pulmone generari obseruatum est, Grandines, Calculos, imò Ossa & vermes, quæ non solum angustiam vasorum pulmonum parere possun t, sed & aliis modis præter naturam sunt, & à plerisque ad morbos numeri referuntur: de quo iam non disputamus; cùm ea de re dictum sit *in Institutionibus.*

Galenus, vt, 4.*de loc.affect.cap.8.* refert, quendam vidit, qui grandines erui magnitudine è pulmone eiecit. Ipse

Ipse idem in quodam viro docto & olim Professore huius Academiæ obseruaui, qui grandines colore albo & duros è pulmone eiecit,& tandem phthisi correptus ac mortuus est. Si materia illa fit copiosior, & in maiorem molem concrescat,calculi inde fiunt;id quod Trallianus,*lib.*5.*cap.*4.Paulus Ægineta,*lib.*3.*cap.*31. & alij Autores annotarunt,quos allegaui Institut. *lib.*2.*part.* 2.*cap.*9.

Ossa pulmonibus impacta vidit Columbus, vt annotauit.*lib.*15.*Anatomiæ.*

Carunculas etiam & vesiculas piscium vesicis similes interdum è pulmonibus eiici obseruatum, vt eius rei historias collegit Schenckius,*lib.*2.*obseru.*50.

Tandem quoque vermiculos, & quidem non vnius figuræ, è pulmonibus eiectos, obseruatum à Medicis, vt apud eundem Schenckium, *lib.*2.*obs.*51. videre est.

### *Caussæ.*

*Caussa.* Galenus, *loco allegato*, ex lento humore, qui antea tussi reiiciebatur,retento, siccato, induratóque grandines generari statuit. Et reuera humor crassus & viscidus calculorum in pulmonibus est materia, facitque ad concretionem etiam exsiccatio & pulmonum caliditas.Vnde Fernelius, *lib.*5.*de part.morb.& sympt.c.*10. inuenit in dissectis grandines alios veteris casei consistentia incipientes,alios gypseæ pituitæ duritie.Verùm etiam interna vis ad coagulandum tendens,quæ in aliarum partium calculis generandis concurrit & hîc admittenda est:de quo alibi diximus.

Vermium quoque caussa, quæ in aliarum partium vermibus concurrit, vt, *in Institut. loc alleg.* diximus, etiam hîc locum habet.

### *Signa diagnostica.*

*Signa.* Calculos & vermes in pulmonibus hærentes difficulter omnino cognosci, diximus, *capite præcedente* 4. & vix certò cognoscuntur, nisi tussi reiiciantur. Præcedit tamen plerumque hæc mala tussis diuturnior,quæ nullis,etiam efficacissimis,remediis tollitur.

### *Prognosticum.*

*Prognosticum.* Raró autem hisce malis correpti conualescunt, sed plerumque pulmones à calculis & vermibus,tum à conatu in tussi,quæ ad ea reiicienda requiritur,læduntur, vnde phthisis & tandem mors sequitur, vt ex historiis antea allegatis videre est.

### *Curatio.*

*Curatio grandinum & calculorum pulmonis.* Res istæ cùm sint toto genere præter naturam,à corpore emotionem indicant, quod quomodo fieri debeat, porrò videndum. Quomodo enim qui grandines & calculos è pulmone reiiciunt, curandi sint, Galenus & Alexand. Trallianus dissentiunt Galenus, 4. *de loc. affect. cap.*8. medicamentum in potu dedit, quod asthmaticis exhibetur, vnde æger minorem quidem grandinem exspuit, atque in longiore, quam antea interuallo, post plures tandem annos mortuus est. Trallianus verò, *loc.allegat.* Galenum reprehendit, quod refrigerantia neglexerit, & calida adhibuerit, Mithridatium, Athanasiam, theriacam, & similia acria & extenuantia medicamenta. Verùm in eo quidem fallitur Trallianus,quod scribit, Galenum Mithridatium, Athanasiam & theriacam illis, qui grandines reiecerunt,exhibuisse; cùm ad vlcus pulmonis ea adhibuisse, ad grandines verò ea,quæ asthmaticis conueniunt,constet. Rem tamen ipsam quod attinet, ea, quæ simpliciter calefaciunt, non adeò conuenire videntur in grandine & calculo iam facto in pulmonibus, cùm exsiccando duriorem efficerent;nisi peculiarem vim calculum frangendi habeant,præsertim,si adhuc materia in iis continеatur, quæ calefacientium & exsiccantium vsu potiùs indurari possit. Sed solùm conueniunt materiæ grandinem & calculos facturæ; modò non iam concrescere incipiat.

Dodonæus,vt,*obseru.med.cap.*11.docet,feliciter vsus est Syrupo hoc modo parato:

℞.*Adianti veri,adianti albi*,id est,*rut.murar.*an.℥.iß. *glycyrrh.*Vnc.ii.*rad.rusci,asparag.*ana Vnc.i.*sem.maluæ*, Dra.ii.*aqu.pur.*℔.iv.

Coqu.ad remanentiam ℔.ii.

Colat.adde *facchari*,Vnc.xii.*mell.candidiss.* Vnc.iij. *aqu.hyssop.*Vnc.iv.

Coqu.ad Syrupi consistentiam.

*Curatio carunculaum in pulmon. genitarum.* Si carunculæ & vesiculæ è pulmonibus reiiciantur, exhibeatur loch sanum & expert. de pulmon. vulpis cum flore vel lacte sulphuris.

*Vermium.* Ad vermes in pulmonibus genitos vtilis est succus marrubij cum melle mistus, quem æger sæpius lambat.

### *Morbi pulmonis in numero Deficiente.*

*Pulmonis morbi innumero deficiente.* Aliquando vnus pulmo deest, idque vel ab ortu, vt obseruauit Columbus, *lib.* 15. *Anatom.* vel vbi post abscessus & vulnera corrumpitur. Verùm mala hæc incurabilia sunt.

## CAPVT VIII.

### *De Tuberculis pulmonis.*

*Tubercula pulmonis.* PRæter inflammationem pulmonis,de qua suprà dictum, quæ fit ex materia in pulmonis substantiam imbibitâ, & in totum viscus dispersa, etiam tubercula in pulmone generantur ex materia collecta in vna parte, & inde extuberante; de quibus agit Hippocrates, *lib.*1 *de morbis*,& hoc loco agendum videtur. Sunt autem illa tubercula alia Cruda, quorum, *capite* 4.etiam *Cruda.* mentio facta est, quæ ex materia, quæ nunquam suppuratur, generantur, quorum meminit Hippocrates, *lib.*3 *de artic.text.*9.& Galenus,*in comm.*&, 4.*de loc.affect.c.vlt.* in historia Antipatri,&, 6.*aph.*46. quæ nunquam ad suppurationem deducta & nulla febre comitante solâ magnitudine,cum admodum adaucta est, exclusis in totum spiritus viis, ægrum interimunt: alia quæ Suppurantur, de quibus præcipuè, *alleg. modo loc.* *Suppurata.* Hippocrates agit.

*Caussa.* Generantur autem ista dupliciter:vel per affluxionem materiæ, vel per congestionem: & per congestionem rursum dupliciter, dum materia in vna aliqua parte solùm, sed sine vesiculâ conclusa colligitur, aut materia in cista peculiariter efformata coaceruatur. Materiam verò tuberculorum in pulmone Hippocrates duplicem statuit, bilem & pituitam, id est, humores calidos & frigidos. Proueniunt verò præcipuè ab externâ aliqua violentiâ, vt Hippocrates, *lib. de salubri diæta*, docet his verbis: *Quibuscunque autem dolores fiunt ex visceribus siue ex exercitiis, siue ex aliquo alio labore, his quiescere conducit cibis abstinentes:potatione autem vtantur, quæ quàm paucissima in corpus assumpta plurimum vrinæ ducat, quo venæ visceribus insitæ non distendantur repletæ. Ex talibus enim tubercula oriuntur & febres.* Hæc Hippocrates. Etenim siue ex caussa internâ siue externâ venæ violenter distendantur,progerminant,& simul materiam loco distento subministrant, seu sanguinem naturalem, seu humores vitiosos, è quibus formantur tubercula.

Absurdum tamen non videtur, etiam sine externa violentia à caussa interna talia tubercula fieri posse. Si enim tumores alij maiores, in quibuscunque corporis partibus,

partibus, nulla externâ violentiâ concurrente, excitari possunt, cur non etiam tubercula hæc eodem modo generari possunt?

### *Signa Diagnostica.*

Tubercula hæc cognitu sunt difficilia. Sic affecti tamen sublivido ferè sunt faciei colore, iisque lingua lentore quodam est oppleta, maximè cum longè à cibo absunt, & corporis agitatione, aut potu cibóve calidiore vrina facilè tingitur, & pulsus citatur, citra tamen vllam spirandi difficultatem. Interdum verò post concitatiorem corporis motum pilulæ paruæ & globuli instar pisi exigui redduntur è pulmone membranula inclusi, qui contriti digitis pus reddunt interdum fœtidissimum. Aliàs tubercula cruda, & quæ non suppurantur, cognitione difficilia sunt, & non, nisi, cum ad tantum incrementum peruenerint, vt spirationem lædant, cognoscuntur. Reliqua quod attinet, si hæc tubercula sint in arteriis læuibus vel in parte arterias læues comprimente, mutantur pulsus in ordine, & inæquales in magnitudine, celeritate, & frequentia fiunt; quæ inæqualitas indies pro ratione augmenti tuberculi augetur, vt quandoque pulsus intermittens intercidat. Si fiant in pulmonum substantia, tussim siccam & leuem quandam spirandi difficultatem excitant, quæ prout tuberculum augetur, & ipsa augetur. Si in arteriis asperis tuberculum tale generetur, statim tussis molesta & spirandi difficultas excitatur, ac pro morbi incremento tussis fit grauior & spirandi difficultas sæpe tanta, vt æger erecta ceruice respirare cogatur, & suffocatio impendeat, tandémque æger suffocetur.

Præterea si tubercula sint vel in asperis arteriis, vel in externa pulmonum superficie protuberantia, dolor quidam leuis ægros continuò affligit, & inprimis, vbi vehementiùs & concitato motu mouentur, ibi spirandi difficultas simul inualescit.

Si autem tubercula sint vel in arteriis læuibus, vel in pulmonis substantia, nullus dolor percipitur.

Si verò res jam eò redeat, vt suppuratio expectanda sit, febris accidit, nisi materia tuberculi proprio folliculo sit inclusa. Tum enim putridi vapores ad cor exhalare, & febrem accendere nequeunt. Inualescente jam putredine, omnia accidentia fiunt majora, dolores majores, tussis vehementior, quæ non amplius sicca est, sed humida, resudante aliqua materiæ particulâ. Et quidem dolores sunt vel antè vel retrò, prout tuberculum vel adanteriorem, vel ad posteriorem partem vergit. Nam dum tubercula ista fiunt, & suppurari incipiunt, in membro sensum non habente dolorem non pariunt; dum verò suppuratione facta extrà prominent, & membranam pulmonis distendunt, dolorem excitant.

Pertinet huc & locus Hippocratis, *lib. 2. de morbis. Si tuberculum, inquit, in pulmone exortum fuerit, tussis detinet, spirandique difficultas, quæ non nisi erecta ceruice obitur, dolor acutus pectus & latera occupat, & ad decimum quartum diem ita afficitur. Plerisque enim tot diebus inflammationem concipit, sed & caput, & palpebras dolor vexat, videre nequit, corpus subfuluum euadit, & pustulis velut ex igne rubentibus completur.*

Tubercula autem, quæ folliculo suo includuntur, cognoscere difficile est; quia febris hîc nulla excitatur, cùm materia in folliculo suo conclusa ad cor vapores mittere non possit. Quo pertinet aphorismus Hippocratis, 41. *sect. 6. Quibus suppuratio in corpore abdita non innotescit, ob crassitudinem vel puris vel loci se non prodit.* Hinc interdum nonnulli, qui nullâ febre laborarunt, disrupto tali tuberculo, vel sani euaserunt, pure salubriter rejecto, vel à pure erumpente statim suffocati sunt.

### *Prognostica.*

1. Vt æger ex hoc malo conualescat, quinque conditiones requirit Hippocrates, *loco allegato*: 1. est, vt suppuratio citò fiat. 2. vt facta suppuratione pus citò erumpat. 3. vt non ad inferiora, sed ad superiora erumpat, & per tussim reiiciatur. 4. vt totum pus euacuetur. 5. vt venter, id est, cauitas illa, in qua pus continebatur, perfectè agglutinetur. *Prognostica.*

2. Si verò aliqua ex hisce conditionibus desit, æger non conualescit. Si enim pus non erumpat, æger tandem præcedentibus doloribus vehementibus, inediâ, tussi, febri vt plurimum interit. Si verò tardè erumpat, ægríque viribus jam deficientibus, iisdem de caussis æger moritur. Si verò pus non per tussim reiiciatur, sed ad inferiora conuertatur, morbus fit vel difficilis vel lethalis. Dum enim tuberculo rupto pus in pulmonem & supra septum transuersum effunditur, si à natura id euacuetur integrè, & locus, in quo in pulmone pus continebatur, integrè coalescat, euadunt quidem ægri, sed cum difficultate. Si verò pus non statim euacuetur, vel ægrum suffocat, vel dum supra septum transuersum moram agit, id praua qualitate inficit, & tandem corrumpit atque exulcerat, vnde mors sequitur. De quo Hippocrates *s. 7. aphor. 8. A tuberculi intus eruptione exsolutio, vomitus & animi defectio fit.* Si enim tuberculum subitò rumpatur, vapores ex pure subitò ad cor penetrant, vnde fit leue animi deliquium, & hinc vomitus vel syncope. Vomitus quidem, si pus extra prorumpit & excernitur (per vomitum enim intelligit omnem per os subitò factam euacuationem) syncope autem, si ad interiora pus vergat, & ad cor ruat. Si verò pulmo non exactè sanetur, & cauitas, in qua pus continebatur, non agglutinetur, vlcus paulatim inde generatur, & tandem fit phthisis.

### *Curatio.*

Cùm spes salutis vnica in hoc morbo sita sit in puris citâ & perfecta euacuatione & pulmonis agglutinatione: id partim fit à natura, partim ab arte. Suppuratio & puris per tussim rejectio quidem à natura instituitur; vt autem pus totum & perfectè expurgetur, naturæ ars succurrere potest. Ita etiamsi agglutinatio pulmonis naturæ opus sit: tamen & hîc ars naturam adiuuare potest, & quidem iis medicamentis, quæ postea, *de vlcere pulmonis*, proponentur. Vt autem pus sursum vel deorsum erumpat, id prouenit ex situ tuberculi, qua in re ars naturam nihil juuare potest. *Curatio.*

---

## CAPVT IX.

### *De Hydrope & Hydatidibus pulmonû.*

Nonnunquam, & forsan sæpius, quàm vulgò putatur, aqua in pulmone colligitur, quod malum Hydrops pulmonis appellatur; quod descripsisse putatur Hippocrates, 2. *de morb.* his verbis: *Febris & tussis tenet, & aceruatim respirat, & pedes tument, & vngues contrahuntur, & patiuntur talia, qualia ii, qui suppuratus est, sed debilius & diuturnius. Etsi quid infundas, aut fotum aut suffitum adhibeas, pus non sequitur, atque ex hoc sanè cognoueris, non pus, sed aquam intus esse. Et si multo tempore aure ad latera adhibitâ audire tentaueris, ebullit intus veluti acetum, & hoc quidem aliquando patitur, postea erumpit ad aluum, & statim quidem sanus esse videtur ac à morbo liberatus. Verùm progressu temporis aluus incenditur eadémque illa patitur, & adhuc amplius. Aliqui etiam intumescunt, ventre, scroto, & facie.* In quo loco hoc notandum, etsi in editionibus omnibus legatur ὄζει, olet, & ita etiam Foesius hunc locum vertерit: quia tamen odor aure non percipitur, rectè vertit *Hydrops pulmonis.*

Ian.Cornarius, bullit intus, & legendum procul dubio ζέει. Verùm pulmo vix solus hydropem patitur, sed hydrops pulmonis & thoracis ferè concurrunt, atque hic ipse locus Hippocratis, quem pro hydrope pulmonis allegant, potiùs de hydrope pectoris loqui videtur. Ideòque mali hujus hoc loco saltem mentionem facere voluimus. Postea verò, *de hydrope pectoris*, seu *thoracis*, plura hac de re dicentur.

### *Hydatides pulmonis.*

*Hydatides pulmonis.*

Cognatum hydropi malum sunt hydatides pulmonis, vesicæ scilicet aquâ plenæ, quæ externam ejus superficiem occupant, quæque oriuntur ex seroso & tenui humore, qui raram pulmonis substantiam pertransit, & sub membrana ejus, quæ densior est, hæret & subsistit. De quo Hippocrates, *lib. de intern. affectib. Fit enim hydrops, si tubercula in pulmone fuerint enata & & aqua repleta & in pectore rupta. Quod autem fiat etiam à tuberculis hydrops, testimonium habeo in boue & in cane & in sue. In his quadrupedibus maximè fiunt tubercula in pulmone, quæ aquam habent. Si enim dissecueris, citò cognosces. Nam fluet aqua.* Hæc Hippocrates.

## CAPVT X.

### *De pulmonum cum latere Coalitu.*

*Pulmonum cum latere coalitus.*

NOnnunquam etiam pulmones cum membranâ costas succingente Coalescunt. Hippocrates, vel quicunque autor fuerit, pulmonis ad latus prolapsum appellat, & de malo hoc agit, *lib. 2. de morbis.*

### *Caussæ.*

*Caussæ. Interna.*

Ortum habet hoc vitium à caussa vel interna, vel externa. A caussa interna interdum à primo ortu & malâ conformatione hoc accidit; interdum postea membranæ thoracem inuestienti pulmo agglutinatur, cum pituita aliqua viscida & tenax inter pulmonis lobos & thoracis membranam inhæret, partésque has duas infarciens implicat ac veluti colligat.

*Externa.*

A caussa verò externa malum ortum habet, cum confosso aut vulnerato thorace, aut empyemate per sectionem curato, pulmo membranæ huic agglutinatur. Quod etiam post pleuritidem fieri impossibile non est. Vt enim aliæ partes vulneratæ, vel exulceratæ, si non rectè tractentur, coalescere possunt; ita & pulmo membranæ thoracem inuestienti agglutinari potest. Hippocrates, *de locis in homine*, addit exsiccationem à siti, dum scribit: *Lateralis morbus siccus citra fluxionem oritur, cum ex vehementi siti pulmo admodum resiccatus fuerit. Pulmo enim cùm siccus existat, vbi ampliùs, quàm pro natura, resiccatus fuerit gracilis euadit, & impotens redditus, ad latus præ impotentia inclinatur, ipsúmque contingit, eóque contactu cùm humidum existat, ei adhærescit, & morbum lateralem facit.*

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.*

*Si*, vt Hippocrates habet, *pulmo ad latus prolapsus sit, tussis tenet & erectâ ceruice spiratio*, (nam pulmo non integer, sed ex altera tantùm parte liberè moueri potest) *& saliua tussi reycitur alba*, (nam pituita peccat, isque humor solùm ad asperas arterias residet) & *dolor ad pectus aut dorsum emergit, & incumbens pulmo impellit, & graue quid in pectore incumbere videtur, & dolores acuti pungunt*, (nam ex pulmonis motu eâ parte, quâ pulmo membranæ cohæret, dolor percipitur, & membrana reliqua huic membranæ consentit, dolórque is propter membranam affectam est pungitiuus) *& sanguis stridet veluti pellis, & spirationem prohibet*, (sanguis nimirum in vasis thoracis existens commotus edit sibilum illum, quem lora emollita & aquâ macerata excitant, sanguísque ad intra ex difficili respiratione commotus, & in angustias redactus, sibilum quendam edere videtur, qui tamen non nisi ab ipso ægro percipitur.) *Et ad affectum quidem latus decubitum sustinet, non autem ad sanum, verùm veluti graue quiddam ipsi de latere dependere videtur, & per pectus se transpirare putat.* Etenim dum æger in latere affecto decumbit, pars affecta in proprio loco quiescit, dum autem in oppositum se conuertit, pars affecta distrahitur, & pulmo à latere, cui cohæret, quasi auellitur, vnde veluti pondus quoddam ex eo latere dependere videtur.

### *Prognostica.*

1. Malum hoc etsi lethale non sit, tamen molestiam & dolorem non paruum exhibet. *Prognosticum.*
2. Si à primo ortu sit, incurabile est.
3. Coalitus ex siccitate periculosus non est. Intra septimum diem enim coalescit. Hippocrates, *de loc. in homine.*

### *Curatio.*

In hoc affectu curando, si malum ab interna caussa, pituita scilicet, ortum habeat, ea præparanda & euacuanda, vt, *cap.* 4. dictum. Reliquam curationem quod attinet. Hippocrates, *loc. alleg.* tria instituit. 1. est, vt materia concoquatur & leniatur, qua de caussa bis de die calidâ multâ lauare jubet. 2. Pituitam & materiam, quæ pulmones cum costis connectit, exsiccat & absumit, in quem finem à balneo vinum album modico melle admixto, & dauci & centaurij minor. seminibus tritis additis exhibet. 3. vt pulmo cohærens lateri laxetur, & à membranis thoracis separetur, vesicam bubulam aquâ tepidâ semiplenam lateri apponit & alligat. Quia tamen idem Hippocrates, *6. epidem. sect.* 8. *text.* 51. eum, cui apex hepatis complicatus erat, concussione corporis sanauit: eadem & hîc, vt pulmo à latere separetur, vsurpari potest. Alimenti verò loco ptisanæ succum tepidum & vinum aquosum suprabibendum præbet. *Curatio ma à caussa interna.*

Si verò à caussa externa hoc malum proueniat, aut cum quis purulentus factus fuerit. Hippocrates mox duplici auxilio vtitur. Primò inter os vulneris immittit vesicam fistulæ alligatam, quâ per flatum immissum possint prædictæ partes separari: deinde penicillum stanneum indit, ac vlterius propellit, quò pulmo à cohærente membranâ separetur. *A caussa externa.*

## CAPVT XI.

### *De Pulmonis Vulneribus.*

SI thorax de cujus vulneribus postea dicetur, à re aliqua secante vel perforante vulneretur, ita vt vulnus ad interiora penetret, sæpe pulmo simul cum suis vasis vulneratur. *Pulmonis vulnera.*

### *Signa Diagnostica.*

Vulnerati autem pulmonis signa, vt Celsus, *lib.* 5. *cap.* 26. & Paulus Æginetà, *lib.* 6. *cap.* 88. docent, sunt, si cum penetrante thoracis vulnere adsit respirationis difficultas, tussis assidua & spumans ex ore sanguinis cum tussi rejectio, & ex pectore rubens spumansque sanguis sine dolore effluat. Ceruicis venæ turgidæ sunt, linguæ color mutatur, facies modò rubicunda, modò pallida apparet, & si profundum sit vulnus, tandem pallida remanet. *Signa.*

An verò vasa, an potiùs substantia pulmonis sit vulnerata,

*Signa vasorum pulmonis vulneratorum.*

nerata, etiam signis quibusdam cognoscitur. Vasorum vulneratorum signa sunt sanguis spumosus interdum rubicundus, interdum niger effluens, perpetua tussis, sicca vel humida, nisi virium imbecillitas aut pulmonum oppressio à sanguine adsit, aut nisi superficiarium ac leue sit vulnus.

*Signa carnis pulmonum vulneratæ.*

Cum caro pulmonum vulnerata est, nec cruenta exspuitio, nec tussis vlla vrget, quia sanguis in cauum thoracis destillat: sed respiratio est difficilis, vicissitudo caloris & frigoris, propter halitus è corde, qui statim discutiuntur, crebra faciei characteris mutatio.

*Historia vulnerati pulmonis.*

Post signa hîc meritò recenseo historiam sequentem, quæ de viis etiam, quibus materia è pectore euacuatur, cogitandi ansam præbet. Studiosus quidam anno 1623. mense Iulio, noctu vulnus accepit in pectore, gladio non lato in dextra parte circa costam tertiam propè alam in pectus adacto, & è regione prope spinam exeunte, vt de læso pulmone nihil dubitatum fuerit, cùm & spiritus cum sono magno è vulnere exierit, & maxima sanguinis copia è vulnere effusa fuerit. Conquerebatur simul de dolore summo & contractione abdominis, quæ procul dubio à conuulsione partium membranosarum abdominis erat, orta à consensu membranarum thoracis cum membranis abdominis, & procul dubio à tendinibus musculi thoracis quarti læsis. Accedebat & hoc, quod thorax præcipuè circa diaphragma, imò collum etiam manifestè intumescebat. Primo die sanguis satis copiosus è vulnere effluxit, postea verò nullus: post octo dies tamen è vulnere in dorso pus satis copiosum effluxit aliquot diebus. Tussiit verò nihil, neque sanguinem per tussim alicujus momenti ejecit, per dies tamen aliquot sputum album satis copiosum, cum screatu potiùs, quàm tussi, vnde tumor in collo euanuit. Tumor ille, qui ad musculos erat circa diaphragma, vbi humoris sub cute collecti fluctuatio etiam digitis percipiebatur, suprà & infra diaphragma, cataplasmatis discutientibus adhibitis euanuit. Primis diebus semel atque iterum etiam aliquid sanguinis per aluum dejectum est. Ex quibus apparet, ad humorum translationem non semper viis manifestis opus esse, sed sufficere etiam Hippocratis occultam ξύῤῥοιαν.

## *Prognostica.*

*Prognostica.*

1. Magna pulmonis vulnera, & præcipuè si vasa magna & bronchia læsa sunt (cum tum sanguis vix sisti possit) plerumque lethalia sunt.

2. Parua verò, & vbi insignia vasa non sunt læsa, etsi satis periculosa sint, sæpe tamen curantur, cujus rei obseruationes passim extant. Et ille Studiosus, cujus modò mentionem feci, integrè ante finem mensis potionibus ex plantis vulnerariis & pectoralibus, aliisque conuenientibus medicamentis conualuit, & nunc etiam anno 1629. bene valet.

3. Refert etiam Andr. à Cruce, *lib. 4. chirurg. tract. 2. cap. 5.* etiam pulmonum lobis, qui per thoracis vulnera prominebant, abscissis ægrum sanatum fuisse.

4. Si pulmonis vulneri accedit inflammatio, exigua spes est de ejus curatione; quia pus, quod generatur, sine tussi expurgari non potest, qua vulneris conglutinatio impeditur.

## *Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & Curatio.*

In pulmonis vulneribus danda opera, vt primùm sanguinis profusio, quæ ob insignia pulmonis vasa accidere solet, sistatur, & inflammatio, cui pulmo obnoxius est, sistatur, tandémque vulnus glutinetur, sanguis verò, qui in cauitatem thoracis effusus est, euacuetur. Itaque vt inflammatio præcaueatur, nisi antea nimia sanguinis profusione vires dejectæ sint, vena aperienda. Si vulnus sit angustum, vt sanguini exitus non pateat, scalpello ampliandum. In operatione verò æger spiritum emittat, quò pulmones collabantur.

Deinde medicamenta adstringentia & emplastica adhibenda, quæ & sanguinem sistunt, & inflammationem prohibent & vulnus glutinant.

Sunt autem illa medicamenta alia topica, quæ in cauitatem thoracis induntur & infunduntur; alia interna, quæ ore sumuntur.

*Topica.*

Topica autem eligenda talia, quæ minimè mordicant, neque malignam aliquam qualitatem obtinent. Atque ob id metallica ferè omnia & salinas qualitates obtinentia, etsi aliis vulneribus commoda sint, in vulneribus pulmonis omittenda.

Commoda ergo hîc sunt *bolus Armena, terra sigillata, thus, mastiche, balaustia, acacia, tragacantha, gummi Arabicum*, & alia, quæ nullum visceribus internis damnum inferunt.

Fiat ergò puluis ex thuris, mastich. & boli Armenæ part. æqual. qui vulneri seu per cannulam infletur, seu vino nigro austero aut decocto plantag. rosar. rubrar. equiseti dilutus immittatur. Vt verò puluis pulmoni vulnerato applicetur, jubendum, vt æger spiritum attrahat, quo pulmones inflentur, spiritúmque eo vsque contineat, quò puluere vulnus conspersum sit.

Est & hoc in pectoris vulneribus vtilissimum:

℞. *Rad. consolid. major. tormentill. caryophyll.* an. Vnc. sem. *rosar. rubr.* M. sem. *mastich. fol. oliuæ*, ana Drach. ii. *myrrh. aloës*, ana Drach. i. Coqu. in aqu. hordei.

Colat. ℞. ℔. j. *syr. myrtin. de rosis siccis*, an. Vnc. i. *mellis rosati colati* Vnc. ii. Misce.

*Interna.*

Interna autem, & quæ per os exhibentur, parantur ex herbis vulnerariis dictis, atque è quibus potiones vulnerariæ parari solent; de quibus in Institut. dictum: è quibus eligantur ea, quæ simul thoraci, pectori & pulmoni dicata sunt, aut hæc iis misceantur.

Parantur nimirum ex *fragaria, veronica, scabiosa, alchymilla, virga aur. saniculæ*, & aliis hujusmodi. E.g.

℞. *Fragar. sanic. scabios. pulmonar. vtriusque* ana M. sem. *alchymill. flor. rosar. rubr. scabiosæ*. an. P. ii. *jujub.* N. x. Coqu. in s. q. aquæ hord. s.

Colaturæ ℞. ℔. j. Adde *julebi rosar.* Vnc. ii. Misce.

Vel ℞. *Achilleæ, peruincæ, veronicæ, fragar. pulmonar. Gallic. tussilag.* ana M. j. *fol. labri Veneris, prunell. agrimon. scabiosæ, aster. Attic. sanicul. arnogloss.* ana M. j. *rad. angelic.* Vnc. i. Concisa infundantur in *vini albi, aq. scabios. tussilag.* ana Vnc. XXXII. *sacch. fini* Vnc. iii. Coq. in vase duplici horis VI.

Colentur. Dosis Vnc. ij. manè & vesperi.

Vel hoc, quod etiam in sclopetorum vulneribus commendatur.

℞. *Pulmonar.* M. iij. *artemisiæ, consolidæ acutæ*, ana M. j. Adde *sacch. opt.* Vnc. iij.

Coqu. in *vini* & *aq.* ℔. sem. in vase duplici.

Vel ℞. *Hordei mundi* M. i. bulliat ad crepaturam.

Postea adde *herb. tussilag. veronic. scabios. pulmonar. maculosæ* & *quercin.* an. M. sem. *sanguisorb. consolid. Saracenic. alchymill.* ana P. ij. *cinamomi* Drach. iii. *jujubarum* N. VI. *passul. vino ablut.* Vnc. sem. Coqu. & colentur.

Commendatur in hunc vsum etiam medicamentum, quod diaspermaton appellatur, & Galeno frequenter in vsu fuit in vulneribus pectoris, 5. *meth. cap.* 13. *&* 14. Verùm quale illud fuerit, apud Galenum reperire non potui. Etiamsi enim apud antiquos quædam diaspermaton descriptiones exstant; tamen huic scopo non planè satisfaciunt. Quia verò Galenus id medicamentum exhibuit, vt somnum conciliaret, & sensum doloris leuaret, nonnulli ejus loco electuario diacodion vtuntur, vtpote quod, vt Galenus, *lib. 7. de compos. medicam. sec. loc.* docet, in his, qui somno indigent, & quibus à capite in asperam arteriam fluxiones fiunt, vtile est. Sed quia medicamenti diacodion

variæ

variæ exſtant deſcriptiones, hanc huic affectui magis conuenire experientia comprobauit:

℞. *Capit.papauer. albi* N.x.*nigri* N.v. *jujub. ſebeſt.* an. N. v. *ſem. lactuc. malu.* an. Drach.j. *ſcariol.* Drach.ij. *cydon.* Drach.j.ſem.

Contuſa infundantur in aquæ ℔.ſem.vel q.ſ.

Hinc coqu. ad tertiæ partis conſumptionem.

Colaturæ adde *myrrh. croci*, *hypociſt. acaciæ*, ana Drach.ſem.

Atque iterum coqu. ad tertiæ partis conſumptionem.

Poſtea adde *diatragacanth. albi*, Vnc.ii.

Tandémque add.vel mellis ℔.ſem.& coqu.ad mellis conſiſtentiam ac colentur,fiátque Eclegma;vel decocto colato & ad mellis conſiſtentiam cocto add.ſacchari q.ſ.& fiat confectio in Rotulis.

Æger in latere affecto decumbat, vt ſanguis, qui in thoracem effuſus eſt, per vulnus effluat commodiùs.

Si aliqua pars pulmonis è vulnere emineat, & liueſcere ac nigreſcere incipiat, atque ita corruptionis notas exhibeat,ea ferro abſcindenda.

### *Diæta.*

Diæta. Victus primò ſit tenuis, vt bona nutritio etiam in pulmone procuretur. Abſtineat æger ab acidis, acribus,ſalſis,pinguibus. Vtatur cibis boni ſucci, qui mediocrem vim adſtringendi & emplaſticam habent, ex priſana,oryza,amylo,cydoniis, amygdalis. Vinum parùm commodum eſt, niſi forſan virium debilitas id requirat. Æger tuſſim,quantum fieri poteſt, præcaueat, nec multum loquatur, nec magnâ reſpiratione vtatur, nec rideat. Etiam ſanatus motum vehementem caueat,& propterea non ſtatim vel curru vel equo vehatur,vitet iram,clamores, Venerem.

## CAPVT XII.

### *De Vlceribus pulmonum,& Phthiſi.*

CVm poſt vaſorum pulmonis apertionem, vt vulnera pulmonis ſæpe vlcus pulmonis ſequatur,reſtat tandem,vt inter morbos pulmonis de ejus Vlceribus dicatur. Quæ autem de Vlceribus pulmonis dici poſſunt, plerique in capite de phthiſi tradere ſolent; cùm vlcera pulmonis phthiſis ferè ſequi ſoleat. Quapropter & nos hoc capite aliquam phthiſeos mentionem faciemus. Etſi enim ipſa phthiſis non pulmonis, ſed totius corporis affectio ſit,cauſſa tamen ejus à pulmone prouenit.

Phthiſis. Φθίσεως,quam Latini Tabem appellant, vocabulum in genere pro omni totius corporis extenuatione & imminutione, quacunque de cauſſa & occaſione ortâ, accipitur, ita, vt ſub eâ comprehendatur non ſolùm ea corporis extenuatio, quæ ab vlcere pulmonis prouenit,ſed & ἀτροφία,in qua corpus non ſatis nutritur, ob alimenti defectum,& σύντηξις, hoc eſt, colliquatio totius corporis, quæ in febribus quibuſdam ardentibus, vt & hecticis diuturnis,accidit,vt & μαρασμὸς, ſeu immodica corporis totius ariditas & conſumptio. Imò Celſus *lib.3.cap.* 23. ad tabem in genere dictam etiam refert cachexiam. Nam etſi in hâc corpus vniuerſum laxum & humidum conſpicitur & propterea non extenuari, ſed potius augeri videtur: tamen in ea verum augmentum non eſt,ſed potius, muſculoſarum partium ab humore aquoſo & pituitoſo repletio; partes enim ipſæ ſecundum ſuam eſſentiam alimento bono deſtituuntur.Vnde etiam vbi tandem malum in hydropem degenerat,partes ſuperiores extenuantur,etſi abdomen aqua repletum tumeat.

Verùm vſus obtinuit apud Medicos, vt in ſpecie & frequentiſſimè φθίσεως vocabulum de ea corporis totius extenuatione ſumatur, quæ ab vlcere pulmonis prouenit,& Græcis aliàs ἴδίως & propriè φθόη vt ex Galeno,7.*aph.*16.& *definit.Medic.*apparet, vt & πνὴ nominatur, vt Aretæus, 1. *de cauſ.& ſign. diuturn.cap.*8. ſcribit. Quomodo phthiſin definimus, quod ſit totius corporis extenuatio & macies,à febri putrida & lentâ, quæ ab vlcere pulmonis prouenit,ortum habens. Definitio.

Occupat nimirum hoc malum totum, & phthiſis totum corpus ſubjectum eſt, quo modo à priuatâ quarundam partium extenuatione differt. Subiectum phthiſis.

Extenuatio autem hæc prouenit à febre putridâ,lentâ & tandem etiam interdum hecticâ, quæ concoctionem alimenti in toto corpore impedit, & calore illo præternaturali id, quod concoctum & appoſitum eſt, abſumit. Febris autem ea ortum habet à putridis vaporibus ex vlcere pulmonis ad cor continuò exhalantibus, calorémque præternaturalem in eo accendentibus, qui per arterias cum ſanguine & ſpiritibus in totum corpus diffuſus totum corpus calefacit.Febris hæc continua eſt, lenta & putrida, id quod cùm alia, tùm vrinæ ſatis teſtantur. Accidere tamen poteſt, vt cum lenta iſta febre aliæ febres complicentur, aliàs erraticæ,aliàs tertianæ modo inuadentes. Nam humores intra venas contenti à calore febrili à pulmonis vlcere excitato accenſi, putreſcentes ſui generis febrem ſæpe excitant, vnde etiam deliria ante mortem aliquoties obſeruauimus,& pro cacochymiæ reliquum corpus occupantis ratione, paroxyſmis quibuſdam interdum ex interuallis ſeu certis,ſeu incertis redeuntibus,phthiſicorum febres exacerbantur. Id quod etiam in epidemiis conſtitutionibus accidere poteſt, vt ex Hippocrate, 1. *epidem. comm.* 1. in fine videre eſt.Febres enim, quæ tanquam populares ex cœli ſtatu, quem ibi deſcribit, ortum habuerunt, tabidos non minùs, quàm alios homines corripuerunt. Accidere tamen etiam poteſt, vt calor ille lentus tandem hecticum ſibi adſciſcat & inducat. Phthiſis cauſſa.

### *Cauſſæ.*

Vlceris verò pulmonis, de quo hîc agere præcipuè propoſitum,cauſſæ ſunt, quæcunque vel acrimonia vel putredine pulmonis ſubſtantiam erodere & corrumpere poſſunt. Præſtantque hoc cauſſæ vel proximæ vel mediatæ; internæ vel externæ.Interna & quidem proxima cauſſa eſt humor acris ſeu naturâ ſuâ, ſcilicet biliosus & ſeroſus;vel ratione acquiſitæ putredinis talis, ſanguineus nimirum vel humor pituitoſus putreſcens. Etſi enim ſi pituita ſit dulcis & non nimis copioſa, in pulmone facilè non putreſcit, ſed in ſputum naturale abit: tamen ſi majore copia ad pulmonem defluat, & bronchia pulmonis obſtruat; ipſiúſque ſubſtantiam humidiorem reddat, atque ibi diutius hærens ideo non ſatis ventilari poſſit, putredinem & acredinem concipit: inprimis ſi natura jam aliquid acredinis participet. Vlceris pulmonum cauſſa. Proxima. Interna.

Materia iſta vel in ipſo pulmone colligitur & gignitur, vel aliunde influit. In ipſo pulmone ortum habet,cum aut in eo humores vitium contrahunt, aut è vaſe ejus ſeu rupto,ſeu eroſo, ſeu vulnere aperto, & omnino poſt ſanguinis ſputum,ſanguis effuſus putreſcit,vnde Hippocrates,7.*aphor.*15.ſcribit: *A ſanguinis ſputo,ſputum puris malum eſt*: aut à peripneumonia aut pulmonis vomica introrſum rupta, aut à variolis vlcus in eo relinquitur.

Interdum verò aliunde in pulmonem influit, cum ſcilicet ex vicinis partibus inflammatis,pleura, mediaſtino,diaphragmate,aſpera arteria materia eò fertur,vt & dum in empyemate pus pulmonem corrumpit; de quo Hippocrates,5. *aphor.* 15. *Qui ex pleuritide empyi fiunt, ſi à ruptione empyematis intra dies quadraginta repurgantur, liberantur, alioquin tranſeunt in tabem.*

Inprimis

Inprimis cum à capite catarrhi frequenter ad pectus defluunt, quorum materia nunc naturâ suâ acris est, nunc, cum in pulmonibus corrumpitur, acrimoniam acquirit, de quo Hippocrates, 7. *aph.* 38. *Destillationes in ventrem superiorem ad suppurationes perueniunt intra dies viginti.*

Pertinet huc pulmonis à primo ortu vitiosa constitutio, quando pulmonis substantia vitio seminis parentum mollis est, & ad corruptionem propensa, vt sensim ætatis decursu flaccescat & sponte corrumpatur. Nam vt liberi parentibus similes sunt quoad externa lineamenta; ita & quoad partes internas. Vnde in quibusdam familiis tanquam morbus hæreditarius grassatur phthisis, nullâ etiam humoris ad pulmones destillatione aut transmissione accedente. Et Galenus, 4. *de loc. affect. cap. vlt.* scribit, nonnullos citra manifestum pulmonum vlcus phthisicorum more decessisse, qui primùm flaua quædam non acria, deinde purulenta, tandem etiam pulmonis particulas exspuerint, sine omni cruore, aut hoc admodum exiguo. Hos simili affectu laborasse censet, qualis in externis partibus aliquando conspicitur, vbi cum putrescente humore pars corrumpitur & pus aut sanies ab eâ emittitur, nullo cruore mixto. Etsi enim in talibus neque vas vllum ruptum sit, neque aliunde etiam humor in pulmonem effundatur: tamen ob innatam debilitatem acris humor colligitur in eo, qui tandem pulmonis substantiam corrumpit, & vlceri simile quid inducit, vnde meritò ad phthisin hic affectus refertur. Hos Hippocrates φθινώδεας & πτερυγώδεας appellat, 3. *epidem. text.* 70. de quibus postea dicemus.

*Externa.* Inter caussas externas, quæ proximæ & solæ pulmonem corrumpere & in eo vlcus excitare possunt, est primò Contagium: vnde rectè ab Aristotele, 7. *problem.* 8. & à Galeno, 1. *de differ. febr. cap.* 2. phthisis inter morbos contagiosos refertur, nec tuta satis cum phthisicis conuersatio habetur; cùm μιάσματα illa, quæ phthisici exhalant, ab aliis cum aëre in pulmonem attracta similem in eo dispositionem inducant, & hinc vlcus ac phthisin excitare valeant. Deinde Lepus marinus, & si quæ sunt alia venena, quæ occultâ proprietate pulmonibus aduersa sunt, eósque exulcerare possunt.

Reliquæ caussæ omnes siue internæ siue externæ, mediatæ & remotiores vlceris pulmonis caussæ sunt. *Mediatæ internæ.* Inter mediatas seu antecedentes vlceris pulmonis caussas, sunt humores vitiosi in corpore collecti, qui vbi postea vel à capite, vel aliunde ad pulmones confluunt, vasa in iis aperire, pulmonésque exulcerare valent. Pertinent huc & menses suppressi, de quibus Hippocrates, *lib.* 1. *de morb. mulier. Nonnullis mulieribus cum menses duorum mensium spatio in vteris exstiterunt, vbi intercepti fuerint, ad pulmonem feruntur, eadémque omnia his contingunt, quæ in tabe dicta sunt.* Quò facit corporis constitutio ad phthisin procliuis, qualis est illorum, quos Hippocrates φθινώδεας & πτερυγώδεας appellat, 3. *epidem. comm.* 3. *text.* 70. qui, vt Galenus, *in comment.* & , 1. *epidem. comm.* 1. *text.* 18. & , 2. *de temperam. cap.* 6. explicat, adeò angusto sunt pectore ac restricto, vt à tergo in morem alarum promineant operta scoptula. Præsertim si ob substantiæ mollitiem & hæreditariam constitutionem vitiosam, de quâ antea diximus, plurimum in ipsis excrementi colligatur. Sunt etiam ad phthisin procliues, quibus caput facilè impletur, quodque ad spiritûs organa multas destillationes demittit. Atque hæ duæ caussæ si in vnam coeant, thoracis scilicet figura & capitis imbecillitas, eò faciliùs iis, quibus obtigerunt, tabem inducunt.

Externæ sunt aër vel nimis calidus, resoluens materiam acrem in capite, vt ad pectus defluat; vel frigidus constringens & exprimens, aut vasa pulmonis densando & angustiora reddendo, ea ad rupturam aptiora efficiens, aut etiam tussim vehementem, quâ vasa pulmonis rumpuntur, excitans. Inprimis verò aër autumnalis, qui suâ inæqualitate frigoris & caloris acutas & salsas destillationes mouet, & ad phthisin propensos insigniter offendit. Vnde Hippocrates, 3. *aphor.* 10. scribit: *Autumnum tabidis noxium esse*, &, *ibidem*, *aphor.* 13. *Æstate sicca & aquilonia, autumno pluuioso & australi vehementes capitis dolores in hyemem & tusses & raucitates & grauedines, nonnullis etiam tabes expectandæ*: &, 22. *autumno æstiuos etiam multos morbos & febres quartanas & erraticas, aquam inter cutem, phthisin fieri.* Quò pertinent & regionum constitutiones, quæ frigidæ & humidæ, hujus effectus germanæ sunt, vt Aretæus, *lib.* 1. *de sign. & caus. diuturn. cap.* 8. loquitur; fumi metallorum, & mora in specubus subterraneis. Deinde cibi potúsque acres & salsi, & qui caput vaporibus ejusmodi replent, & alia omnia, ob quæ excrementa acria in capite generantur & pulmoni communicantur. Præterea caussæ omnes, quæ vasa pulmonis rumpere & aperire possunt; thoracis contusio, vocis nimia intentio, & similes, thoracis vulnera penetrantia. Vnde Hippocrates, *lib. de aëre, aquis & loc.* tabem etiam frequenter à partu contingere scribit. Violentiâ enim rupturis & vulneribus prehenduntur.

Pertinent huc aphorismi Hippocratis, 3. *aphor.* 29. νεανίσκοις *sanguinis exspuitiones, tabes, febres acutæ, epilepsiæ, aliique morbi, sed præcipuè nunc dicti.* Per νεανίσκους autem & adolescentes & juuenes intelligit, vt ipse, 5. *aphor.* 9. explicat, dum scribit: *Tabes iis maximè ætatibus fit, quæ sunt à decimo octauo ad tricesimum quintum.* Non quidem, vt Galenus, *in comment.* explicat, secundum ætatis naturam, sed ex accidenti ipsius quopiam, quia scilicet vel vulnus acceperint, vel contusi sint, vel saltauerint, vel vehementiùs & contentiùs vociferati vel refrigerati fuerint, vel humi cubauerint, vel plenitudine nimia aut ejusmodi occasione aliqua in sputum sanguinis inciderint. Ad sanguinis verò sputum tabes consequitur. Quibus & hoc addi potest, quod hac ætate sanguis abundat & à calore funditur, humoréfque acres cumulantur, vnde sanguis abundans & calidus vasa rumpere, & humores acres à capite in pulmones elapsi eos erodere possunt.

## *Differentiæ.*

*Differentia phthisis.* Differentias tabis quod attinet, eas quidem nonnulli plures recensent: verum propriè & in specie dictæ tabis, de quâ hîc nobis sermo, tales differentiæ non sunt, quæ omnem corporis contabescentiam, extenuationem & siccitatem, à quacunque caussa profectam, comprehendit. Ob curationem non prætereunda videtur differentia, quod phthisis alia ortum habet à catarrho à cerebro ad pulmones defluente; alia citra hunc ex vasorum pulmonis aut pleuræ inflammatione suppuratâ.

## *Signa Diagnostica.*

*Signa phthisis incipientis.* Signa & notas hujus mali quod attinet, cùm vlcus pulmonis & phthisis saltem in principio curationem suscipiat, confirmata verò & inueterata non curetur; & incipientis & perfectæ ac desperatæ phthiseos notas perfectas habere vtile est. Incipientis autem phthisis signa sunt, tussis diuturna & sputum rotundum diutius apparens, quod materiam crassam à calore excedente in pulmone condensari indicat, quæ temporis tractu acredine acquisitâ pulmonem exulcerat, vt ex Galeno, 6. *epidem. comm.* 3. *t.* 36. videre est. Interdum aliquid cruenti rejicitur, & hoc subsistente sordidum & purulentum aliquid. Corpus totum extenuatur, & nullum post cibum sumptum corpori robur accedit, febris adest lenta & continua. Quæ signa omnia confirmantur, si φθινώδης illa corporis dispositio, de qua suprà dictum, adsit,

adsit, aut familia illa phthisi obnoxia sit, parentésque vel fratres aut sorores phthisi perierint. Præcesserunt caussæ, quæ pulmonem exulcerare possunt, sputum sanguinis, destillatio acris & salsa diu perseuerans, & aliæ caussæ suprà propositæ.

*Signa phthisis perfectæ.* Perfecta autem phthisis ex iisdem signis cognoscitur, sed jam euidentioribus & augmentum sumentibus. Si quis enim vel plebeius hominem viderit pallentem, imbecillem, tussientem, macie confectum, hunc verâ phthoë laborare pronunciat, vt Aretæus, 1. *de sign. & caus. diuturn. morb. cap.* 8. scribit. Cognoscitur nimirum perfecta phthisis ex pulmonum vlcere, febre lentâ, continuâ & hinc sequente totius corporis macie & extenuatione, ac difficili respiratione.

*Signum vlceris Pulmonis.* Vlceris autem pulmonis signum est pus per tussim rejectum. Vlcere enim serpente ac sordescente pus excernitur, ac sputa sordida rejiciuntur, quorum vt Aretæus, *loco allegat.* loquitur, *infinita propè sunt species, liuidorum, atrorum, purorum ac sincerorum, aut pallido albóque, aut albo & viridi mixtorum, latorum, rotundorum, durorum, glutinosorum, aut rarorum diffluentium, aut odore carentium aut fœdè olentium.* Quia verò pituita crassa & ipsa puri similis est, imò catarrhi interdum in pectus delapsi, præsertim in juuenibus, deducuntur ad quandam consistentiam puri similem, vnde ob putredinem fiunt febres, & corporis macies sequitur, phthisis tamen reuera non est, cùm caro aliqua regeneretur: affectus hîc à vera phthisi discernendus est. Vulgò docetur, pituitam à pure duobus discerni, primò, quòd pus vel per se, vel certè igni & carbonibus injectum fœtidum odorem reddat, qui in pituita non deprehendatur. Deinde quòd pus in aquam tepidam projectum descendat, quod pituita cruda non facilè faciat; agitatum quoque facilè dissoluatur, quod à pituita è capite delapsa & in pectore concocta non accidat, quæ ob lentorem non facilè dissoluitur.

Verùm Aretæus, *loco alleg.* hanc explorationem non ita necessariam esse existimat, scribítque: *quicunque aut igne aut aquâ humiditates hîc explorat ac notat, hunc videri haud ita multùm phthoen dignoscere.* Nam, vt addit, visio quolibet alio sensu certior est, non modò iis, quæ rejiciuntur, intuendis, sed & ægrotantis specie consideranda. Si quis enim, vt antea dictum, vel plebeius hominem viderit pallentem, imbecillum, tussientem, macie confectum, hunc reuerà phthoe laborare pronunciat. Neque, vt in aliis etiam partibus, omne pus fœtidum est, sed in vlceribus saltem sordidis Ideóque Hippocrates non omni phthisi sputum grauiter olens tribuit, sed lethali saltem ac perniciosæ, 5.*aphor.* 11. Sunt tamen graueolentiæ quidam gradus. Rarò omnis fœtor à verâ phthisi abest, quod vel anhelitus fœtidus testatur, ipsique ægri exspuentes ferè grauem odorem percipiunt: major tamen est graueolentia in lethali phthisi. Febris est continua, lenta, putrida, vt suprà dictum, quæ tamen noctu exacerbatur & emicat. Totum corpus absumitur & extenuatur. Quibus accedunt & alia: tussis est molesta, quâ, qualia memorauimus, rejiciuntur. Respiratio est difficilis, non solùm ob facultatis imbecillitatem, sed & quia bronchia pulmonis obstruuntur, tum ob puris copiam, quæ ab vlcere in ea transmittitur, tum ob multa excrementa, quæ in pulmone debilitato colliguntur. Quibus accedit, quod ipsum viscus vlcere debilitatum & sæpe magna ex parte consumptum materiam collectam satis rejicere non potest. Pulsus inæqualiter sese habent, modò sunt languidi, modò sunt celeres, nunc duri, nunc molles: molles quidem ob materiam humidam arterias humectantem; duri autem, vbi calor corpus exsiccauit. Sæpius etiam sudant phthisici, ob facultatis naturalis debilitatem, quæ & naturales humores & excrementitios retinere nequit. Malo tandem confirmato inueteratóque pus indies magis fœtidum redditur, & sæpe putris pulmonum portio, ac bronchiorum ac vasorum pulmonis ramenta aut crustulæ quædam tussi rejiciuntur. Fauces, vt Hippocrates, *lib. de intern. affect.* habet, sono implentur, & veluti per arundinem sibilum reddunt. Tandem capilli defluunt, ob alimenti corruptionem & penuriam. Vngues incuruantur, absumptâ carne, quæ in summis digitis existebat, vnguésque firmabat. Malæ liuescunt, nisi, quod post sumptum cibum fit, vaporibus sursum eleuatis, rubescant. Pediculi copiosè generantur ob alimenti corruptionem. Extrema & pedes calore languescente intumescunt. Superuenit denique his omnibus diarrhœa ex retentricis ventriculi & intestinorum imbecillitate, imò & humorum corruptione. Nonnulli etiam ante mortem mente vacillant, sed sine aliqua furoris commotione. Atque ita tandem ob febrem, sudores, alui profluuium, consumpto toto corpore, sputóque ob virium imbecillitatem retento, mors sequitur.

### Prognostica.

1. Omnis phthisis grauis & periculosus morbus est, tum ob caussam, vlcus scilicet pulmonis, quod curatu est difficillimum, tum ob symptomata & quæ id consequuntur, febrem, totiúsque corporis consumptionem. Est verò vlcus pulmonis curatu difficile, non tam ob pulmonum motum continuum, quàm quòd sanies & pus in molli & spongiosa illa carne hærens citra tussim expurgari nequit, quâ pulmones indies magis læduntur. Quibus accedit, quod medicamenta integris viribus tanto interuallo ad pulmones non perueniunt. Reddit quoque febris adjuncta & hanc sequens corporis consumptio curationem difficilem. Febris enim & macies corporis humectantia requirunt, quæ vlceri nocent: contrà vlcus detergentia & siccantia postulat, quæ adjunctæ febri & corporis consumptioni non conueniunt. Hinc Galenus, 5. *meth. meth. cap.* 8. concludit, quòd rupto in pulmone vase, nisi statim, antequam phlegmone accedat, vlcus sanetur, exigua sanationis spes supersit. Licet enim diligentiâ adhibitâ vlcus interdum siccetur, & labris ejus nonnihil induratis, & quasi callo obductis, spes aliqua affulgere videatur: tamen leui occasione callo decedente malum recrudescit, vt idem, 4. *de loc. affect. cap.* 5. docet. *Prognostica*

2. Etsi verò phthisis, si vlcus sit profundum & diuturnum, planè incurabilis, quæ verò ab vlcere paruo & non diuturno prouenit, & ipsa curatu difficilis est: non tamen planè incurabilis est, si maturè ei conuenientia remedia adhibeantur; & passim exempla curatorum phthisicorum à Medicis annotata reperiuntur, quorum aliqua collegit Ioh. Schenkius, *lib.* 2. *obseru.* 144. 145. 146. de qua re infrà, *in quæstione*, dicetur.

3. Est præterea phthisis sæpe malum diuturnum, & quod in multos annos protrahitur. Refertque Auicennas, *lib.* 3. *fen.* 10. *tract.* 5. *cap.* 18. se vidisse mulierem phthisicam vixisse circiter viginti tres annos: & Matth. de Gradibus, *in* 9. *Rhas. cap.* 54. aliam mulierem phthisicam, quæ citra furnum & ignem quotidiè occupabatur, plus viginti octo annis vixisse scribit. Cujus rei exempla alia apud alios Medicos occurrunt.

4. Phthisis ex vlcere, ex erosione in pulmone facto, ferè insanabilis est. Nam longiore tempore ad hoc vitium corrigendum opus est, vt Galenus, 5. *meth. med. cap.* 8. & 14. docet. In tempore autem longo alterum duorum fiat necesse est. Vel enim, si vlcus vehementer exsiccare conamur, antequàm acrimonia humoris satis obtusa sit, id non consequimur; vel si humoris acrimoniam corrigere studemus, sordidum interea fiet vlcus & incurabile.

5. Hippocrates, 2. *prorrh.* sex signa proponit, quæ in

in conualituro apparere debent. Eum, inquit, qui probè liberari volet, oportet facilè sputum per tussim reiicere, idque album & æquale, & eiusdem coloris & ἀφλέγμαντον. Quod verò à capite defluit, oportet ad nares conuerti; (ne scilicet malum ex affluente in pectus humore augeatur) febrem autem non inuadere, (putridam scilicet noctu) quæ cœnam prohibeat, neque sitim faciat. Aluus autem quotidiè deiiciat, & id, quod egerit, durum sit (seu consistentia mediocre, non fluidum,) copia iis, quæ assumuntur, respondens. Hominem verò ipsum quàm minimè extenuari conuenit: pectus autem quadratum & hirsutum, cuiusque cartilago exigua & admodum carnosa est. In quo hæc omnia inueniuntur, maximè superstes erit: qui verò nihil horum habet, interitui proximus est.

6. Si nimirum sputum, quod phthisici exspuunt, vel per se vel carbonibus iniectum grauiter olet, & capilli defluunt, periculosum signum est, 5. *aphor.* 11. quod magnam corruptionem in substantia pulmonis, & alimenti penuriam vel corruptionem significat. Superueniente autem alui fluxione tabidi moriuntur, & in propinquo mors est, *ibid. aphor.* 12. quam & facies Hippocratica dicta, 1. *prognost.* descripta denotat. Quod idem docet, *lib.* 2. *de morbis. Siquidem, inquit, autumno, jam capilli ex capite huic defluunt, caputque velut ex morbo nudatur, & super prunas exspuenti sputum grauiter olet, hunc intra breue tempus periturum asseritur, & ex alui profluuio periturum. Vbi enim jam pus circa cor computruit, id prunis impositum nidorem exhalat, & vnà incalescens cerebrum salsuginem emittit, quæ aluum cietcuius rei indicium est, quod capilli è capite defluunt. Hunc cum ita habuerit, non curato.* Quo loco Autor fluxus alui phthisicis superuenientis vnicam caussam ponit humorem salsuginosum è capite defluentem. Verùm frequentior huius symptomatis caussa est virium naturalium summa imbecillitas, & interdum etiam acris sanies è pulmonibus vlceratis resultans.

7. A puris sputis phthisis & fluxio, cum verò sputum retentum fuerit, moriuntur, 7. *aph.* 16. Tamdiu enim, vt Galenus, *in comment.* addit, phthisici viuunt, quamdiu extussire: & per sputa pulmonem expurgare possunt. Vbi verò intus ipsa remanent, respirationis obstruuntur viæ, & ægri suffocantur.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Cum ergò phthisis malum tam periculosum sit, maturè ei occurrendum. Et quamuis incurabilis plerumque videatur, tamen ægri sine auxilio non sunt relinquendi: cùm non solùm, quod Auerroës dixit, quandoque monstra in Medicina fiant & qui desperati videbantur, sanitati restitutos fuisse, sed etiam nonnullos, licet non planè conualuerint, adhibitis idoneis medicamentis, vitam diu protraxisse, historiæ medicæ passim annotatæ testentur.

A tribus autem hîc indicationes sumuntur: ab vlcere pulmonis, à febre, quæ coniungitur, & à corporis totius, macie & consumptione. Indicatio autem præcipua in phthisi ab vlcere pulmonis, vt fonte & caussa huius mali, petitur, quo sanato & febris euanescit, & corpus iterum incrementum sumit. Vlcus autem abstergendum, substantia pulmonis regeneranda tandémque vlcus consolidandum. Febris refrigerantia & humectantia indicat. Corpus tandem exsiccatum & extenuatum hum. ctandum & nutritione instaurandum. Quæ indicationes cùm sint contrariæ, ita moderandæ, ne, dum vni attendimus, alterum negligamus. Et quidem si spes sanandi vlceris adhuc supersit, cura præcipuè ad vlcus dirigenda. Quod si res iam planè deplorata & nulla spes vlceris curandi amplius supersit, humectantibus solùm, refrigerantibus & nutrientibus corpus extenuatum reficiendum. Sic enim vita aliquandiu protrahitur. Quo in casu etiam medicamenta, quæ vlceri conueniunt, & corpori extenuato prosunt, ita misceri & temperari possunt, vt medicamenta vna parte vlcus purgent, abstergant & siccent, alterá verò corpus reficiant.



### *Curatio.*

*Curatio.* Primò ergò vlceris curationem quod attinet, etsi plerumque hunc scopum, vt difficiliorem, minus accuratè persequuntur: tamen cùm reliqua curatio, febris puta & corporis extenuati instauratio, fieri non possit, nisi vlcus sanatum fuerit, omnino de vlceris curatione diligenter dispiciendum. Etsi autem vlceris cósolidatio naturæ opus sit: tamen Medicum remouere oportet impedimenta, quæ naturam in opere suo remorari possunt.

Primò nimirum humores siue in toto corpore, siue in capite consistentes & ad pectus affluentes, sunt euacuandi; & corpus à cacochymia liberandum. Si enim cacochymia in toto adsit, & humores affluentes malum augeant & foueant, febremque ipsam grauiorem reddant, tabesque ipsa nondum confirmata sit; lenia purgantia, quæ simul thoraci & vlceri prodesse, & fluxionem humorum auertere possint, exhibenda. Tale medicamentum est *rhabarbarum cum infusione rosarum & sero caprino* datum. Item *rhabarbarum cum passulis maioribus* sumptum, aut *conserua rosar. cum rhabarb.* data: *syrupus* item *rosar. solut. ius galli antiqui*, in quo *manna* dissoluta sit Potest & *cassia* vsurpari.

*Ius galli.* Ius galli antiqui sic paratur:

℞. *Gallum antiquum*, & in ventre eius ponantur sequentia:

℞. *Passular. mundat. par.* xx. *iuiub. sebesten.* an. N. x. *medullæ sem. carthami* Vnc. vj,

Coq. in aqu. ℔. vi. ad consumptionem tertiæ partis. Vtatur manè iusculò. Potest & *mannæ* Vnc j. vel ℥. ij. addi.

Vel ℞. *Decocti scabios. tussilag. sem. melonum, trium flor. cordialium*, an. ℥. iv.

In quibus dissolue *mannæ* Vnc. i. sem. *syr. viol.* ℥. j. Misce.

Vel ℞. *Flor. cassiæ* Vnc. i. *pulu. glycyrrhiz.* Scrup. j.

Cum *sacchara.*

Fiat Bolus.

Vtiles sunt & clysteres lenientes, qui excrementa non solùm euacuare possunt, sed & corporis caliditatem & siccitatem emendare. Validioribus verò purgantibus medicamentis hîc nullus locus est, vt & sanguinis missioni; cum corpus extenuatum & consumptum, viresque deiectæ eam non admittant. Et licèt Hippocrates, 5. *epidem.* & Galenus, 6. *epidem. comm.* 3. *text.* 29. tabidis seu extenuatis venam cum commodo aperuerint: phthisici tamen ij non fuerunt, sed graciles & extenuari, vel ob calorem sanguinis nimium, vel ob eiusdem euacuationem suppressam. Et licet etiam nonnulli purgantibus fortioribus, vt pilulis cochiis, & similibus vtantur: id tamen potiùs imminente, & præsertim ob catarrhum, phthisi, quàm iam præsente locum habet. Inprimis verò videndum, an malum adhuc à catarrho à capite destillante foueatur. Tum enim danda opera, vt is quamprimum sistatur & à pectore auertatur. Nam frustra in curatione vlceris pulmonis tempus teritur, nisi fluxio prius cohibita vel aliò conuersa fuerit. Quâ ratione autem hoc præstandum sit, ex doctrina de catarrho patet. Et si fluxio sit diuturna, nullo tutiore inter initia remedio materia aliò auertitur, quàm fonticulo in altero vel vtroque brachio aperto. In morbi verò progressu æger iam imbecillior frustra cauteriis vel fonticulis cruciatur. *Curatio mali à catarrho.*

*Ipsius vlceris pulmonis curatio.* Deinde ipsum vlcus pulmonis quod attinet, ad eius curationem duo medicamentorum genera requiruntur: abstergentia & consolidantia. Primò ergò adhibeantur

beantur ea, quæ vlceris deterſioni inſeruiunt, & quod deterſum eſt, tuſſi & ſputo leniter educere valent, (expectorantia vocant) ne ſordes in pulmone ſubſiſtant, eumque amplius corrumpant. Huic vſui inſeruiunt, *aq. ſaccharata* & *aq. mulſa*. Nam mel crudum valde abſtergit. Fortiora ſunt *ſuccus caulium, tuſſilago, capill. Vener. hyſſopus, ſcabioſa, marrubium, agrimonia, radix iridis, ariſtolochiæ, heleny, terebinthina*, & ex his parata medicamenta.

Vt ℞. *Marruby* M.j. *hyſſopi, ſcabioſæ* an. M.ß.

Coq. *in aqu* ℔.iij. ad tertiæ partis conſumptionem. Adde *mellis* ℔. ß.

Iterum ebulliant & deſpumentur.

Vel ℞. *Butyri recent. ſ. ſale.* ℥. ij. *terebinthinæ abietis pellucidæ.* ℥.j. *mel. el.* ℥.iiij. M.F. Bolus.

Poſtquam vlcus deterſum eſt, glutinationi incumbendum. Inter glutinantia autem medicamenta facilè primas obtinent *roſæ, bolus Armen. terra ſigillata.* Quibus addi poſſunt *lapis hæmatit. radix ſymphyti maior. conſolida media, plantago, ſcabioſa, pulmonaria, pulmonaria Gallica tenuifolia Tabernæmontani, nonnullis herba coſta dicta, quæ ſpecies hieracy eſt, veronica, hedera terreſtris, botrys, ros Solis, ſanicula, flores hyperici*: è quibus varia medicamenta parantur, quibus etiam *pulmo vulpis* & alia peculiariter pulmoni dicata admiſceantur. Auicennas: *lib.3. fen.10. tr.5. cap.6.* miris modis commendat *conſeruam roſarum*, refertque mulierē quandam phthiſicam & morti deſtinatam eius vſu ita curatam fuiſſe, vt non ſolùm ſana, ſed & pinguis redderetur. Idem Meſueus, *cap. de phthiſi*, & alij Medici teſtantur. Vis enim abſtergendi & conſolidandi roſis ineſt, ſaccharumque etiam abſtergit ſimulque nutrit. Sunt tamen quædam conditiones in vſu conſeruæ roſarum obſeruandæ. *Prima* eſt, vt Meſues, *loco alleg.* monet, vt abſtergentia & mundificantia præmittantur, ac proinde initiò conſerua roſarum recens, quæ plus ſucci, ac proinde vim abſtergendi maiorem habet, adhibeatur. *Secunda*, vt magna quantitate exhibeatur, & quotidiè imò cum pane & cibo ac potu ſumatur. *Tertia*, vt ſi ob eius vſum ſputum retineatur, & difficilis reſpiratio reddatur, ſyrupus de hyſſopo vel alia expectorantia per interualla exhibeantur. Vtilis eſt & *conſerua piloſellæ*.

Conſeruæ roſarum & alia enumerata medicamenta commodè miſcentur, vt *terra ſigillata, bolus Armena, ſyrupus* vel *puluis ſymphyti maj.*

Vt ℞. *Conſeru. roſar.* ℥.iij. *pulu. rad. conſolid.* ʒ.j.ß. *boli Armenæ, pulmon. vulpis*, an. ℈. ij. Cum *ſyrupo myrtino* F. Electuarium.

Vel ℞. *Conſeru. roſar.* ℥.iiij. *loch. de pulmon. vulp.* ℥. j. *ſpec. diatrag. frig.* Drach. ij. *boli Armenæ, terr. ſigill. lap. hæmat. rad. ſymphyt.* an. Drach. j. Cum *ſyrupo myrtino.*

F. Linctus.

Vel ℞. *Radic. tormentill.* M j.

Coqu. in *vino* ad conſumptionem tertiæ partis.

Adde *conſeru. roſ. antiq.* ℥.iij.

Vel ℞. *Millefol. vulgaris* M.iiij. *millefol. purpurei* M.ij. *herbar.* & *radic. tormentill. ſanguiſorbæ pimpinellæ*, an. M. j.

Contuſis adde *conſeru. roſar. antiq.* ℥.iiij. Affunde *aq. ſymphyti, plantag.* an. ℥.xxxII. *tormentill. pimpinell.* an. ℥. xvi.

Coq. in vaſe duplici. Colentur,

Vel ℞. *Pulu. pulmonar. aureæ* ℥ j. *conſeru. roſar. antiq.* ℥.iiij. Cum *ſyr, myrtino.*

F. Electuarium.

Langius aquam hederæ terreſtris cum ſacch. roſ. antiquo nouem diebus potam laudat.

Pertinent huc & aquæ, quæ ex pulmone & hepate vituli deſtillantur.

Vt ℞. *Veronicæ, hederæ terreſtris, botryos, ſaluiæ, pulmonariæ aureæ, piloſellæ*, an. M.j. *radic. tuſſilagin.* Vnc. j. Infundantur in *aq. hederæ terreſtris, pimpinell. ſanguiſorbæ*, an. q.ſ. *vini albi.* ℔.j.ß.

Horis 24. addito pulmone & hepate vituli conciſo. Poſtea deſtillentur. Poteſt & *conſeru. roſar.* addi, vel in deſtillato diſſolui.

Vel ℞. *Cancror.* N.LX.

Coq. in *lacte caprino.*

Poſtea ℞. *pulmones* & *hepar vituli.* Similiter decoquãtur in *lacte caprino* & probè contundantur, iiſque adde *fol. ſaluiæ minor. paſſul. minor.* ana ad pondus cancrorum & pulmonum. Miſce.

Poſtea ℞. *Glycyrrh.* ℔.ß. *fol. ſcabioſæ cum flor.* quart.j. *hyſſopi* ℔.ß.

Agitentur probè & deſtillentur per alembicum. Aqua ſeruetur in vitro, cui iniice *manus Chriſti perlat.* q. v. Doſis manè, in meridie & veſperi cochlear. ij.

Mercatus hunc Syrupum commendat:

℞. *Hordei torrefacti* ℥. iij. *cancrorum fluuiatilium benè lotorum & craſſo modo contuſorum* N. XII. *capill. veneris, polytrichi*, an. M. ß. *parietariæ, hyſſopi, heleny, verbenæ, verbaſci, fol. vrticæ.* an. M. j. *baccar. lauri, ſem. papau. albi*, an. ℥. ß. *iuiubar. ſebeſten. paſſular*, an. Vnc. j. *carnis teſtudinis prius lotæ vino albo* ℥. ij.

Bulliant omnia ad perfectam coctionem.

Colat. ℞. ℔. iij. *ſacch. albi* ℔. ij.

F. Syrupus, de quo æger ſumat manè ℥. ij.

Inſignem quoque phthiſicorum vlcera curandi vim habet *decoctum ligni Guaiaci* & à plurimis doctiſſimis Medicis, Franciſco Arcæo, *lib. de vulneribus & febribus curandis*, Thoma Eraſto, *in conſiliis à Scholtzio collectis, conſil.* 88. atque aliis commendatur. Eſt & vtile *decoctum radicum Chinæ.* Quanquam enim iſta decocta corpus exſiccare videantur: tamen commodum, quod ex vlcere pulmonis ſanato prouenit, longè maius eſt. Cùm enim macies illa corporis ex vlcere pulmonis ortum habeat: decocta talia cauſſam extenuationis corporis tollendo, vitioſos humores aſumendo & vlcus curando, faciunt, vt corpora extenuata iterum benè nutriantur, & pinguia reddantur: id quod ipſa experientia ſæpe docuit. Febris tamen ratio habenda. Nam ſi hectica coniungatur, ab his abſtinendum. Veteres valde exſiccantibus vtebantur, quibus callus vlceri pulmonis induceretur, vt *theriacâ, Mithridatio.* Galenus, *5. meth. med. cap. 6.* ad ſputum ſanguinis ex eroſione, vt materia purulenta in vlcere abſumatur, vlcuſque claudatur, *paſtillis, Paſionis, Andron. Polyidæ* vtitur. Dioſcorides *ſulphur viuum* exhibet. Hinc Chymici commendant contra phthiſin è ſulphure parata medicamenta, vt *ſulphuris flores, balſamum & lac.*

Exempl. gr.

℞. *Lactis Sulphur.* Drach. ß. *magiſter. corallor. perlar.* an. Scrup. ß. *emulſ. ſem. melon. cum aq. tuſſilag. vel veronic. facta* ℥. ij. *iuleb. roſar.* ʒ. vj. *aq. cinamomi, manus Chriſt. perl.* an. ʒ. ij. Miſce.

¶ [ Crollius, *in Baſilica Chymica*, ſcribit, quòd lac ſulphuris ſit balſamum humidi radicalis, viréſque confortet naturales, hecticis & aridis peculiariter ſuâ confortatione proſit, ſi cum aqua cinnamomi miſceatur. Verùm vt in ſuis medicamentis ſæpe nimius & falſus eſt Crollius: ita etiam hîc lectorem ſuis iſtis lactis ſulphuris encomiis in errorem maximum inducere poteſt. Sit enim ſanè, vt phthiſicis & tabidis ab vlcere pulmonis prodeſſe poſſit, de quo iam non diſputo; tamen id non facit humidum radicale augendo, quod vult Crollius, ſed vlcus exſiccando; quo modo phthiſicos decoctum ligni Guaiaci curat. *De vſu lactis ſulphuris in hecticis.*

Quòd verò lac ſulphuris humidi radicalis balſamum ſit, & hecticis propriè dictis, ſeu tabidis à febre, ſine vlcere pulmonis, prodeſſe poſſit, & rationi & experientiæ repugnat. Humidum radicale nonniſi alimẽtis humectãtibus conſeruatur & inſtauratur. At ſulphur, vtpote minerale, non alit, ſed inſtar ignis cõſumit & exſiccat, & ſudores potẽter mouet; vnde tantũ abeſt,

vt hecticis vtile medicamentum fit, vt potius iis plurimum nocere possit.

Non solùm autem ad exsiccationem vlcerisque glutinationem interna medicamenta faciunt, sed & externa vtilia sunt, si scilicet eorum vapor & halitus vel per os vel per nares inspiratione attrahatur. Quod vel aër docet, de quo infra in diæta dicetur. Per os vt attrahantur medicamenta idonea in vino vel liquore conueniente coqui, & eorum vapor excipi atque attrahi potest, vel puluis conueniens ex *thure, mastiche, rosis, myrrha, benzoe* carbonibus aut ferro candenti inspergi, idéque fumus spiritu attrahi potest. Dioscorides etiam, *suffitu sulphuris* vtitur.

Per nares quæ attrahuntur, sint suaueolentia, quorúmque vapor inspiratione attractus vlcus exsiccare potest. Talia describit Aëtius, *tetrab.*4. *serm.*4. *cap.* 113.114.& 115. ad quorum imitationem & alia componere licet ex *thure, myrrha, rosis, ladano, benzoe, santalis, cinamomo.* Recentiores commendant suffitum ex *Nicotiana* seu *tabaco*. Habentque hæc, quæ cum aëre attracto miscentur, suffumigia & odoramenta præ reliquis hanc prærogatiuam, quòd vlcus siccant, reliquum tamen corpus non ita afficiunt. Aëtius, *tetrab.* 2. *serm.* 4. *cap.* 67. etiam topica applicat in phthisi. Initiò quidem, dum materia præparatur ad eductionem per tussim, cataplasma *ex althæa* & *sem. lini contusis* & cum *decoctione malu.* & *fænigræci* & cum *oleo* & *melle* mixtis. Dum tussi expurgandum est, epithema ex *terebinthina oleo irino, butyro, medulla cerui, adipe tauri, farina iridis, œsypo*, partibus æqualibus mixtis. Dum cicatrix inducenda est, *oleo rosar. myrtino* cum *acacia, malicorio, hypocistide, alumine scissili, gallis, sumach*, additis, postulante vsu, quoque aliis, sicut apud ipsum videre licet. In concoquentibus tamen & tussi expurgantibus ea cautio adhibeatur, ne intempestiuo illorum vsu exulceratus pulmo magis offendatur. Tutius κολλητικοῖς & ἐπουλωτικοῖς suo tempore vtimur.

Corporis extenuationem & maciem ac febrem quod attinet, illi per ea, quæ ad corpus nostrum instaurandum faciunt, succurrendum; hæc per refrigerantia & humectantia tollenda. Ad corpus instaurandum faciunt, quæ alimentum boni & multi succi præbent, quæ ex *pulpis carnium gallinarum, caponum, phasianorum, perdicum, cancrorum fluuiatilium*, vel *nostrorum gammarorum* sumuntur, de quibus postea, *in diæta* dicetur. Et commodissima hîc sunt iura instaurantia seu consummata dicta. Vtiles sunt & alij cibi, vt & medicamenta, quæ parantur ex *hordeo, amygdalis dulc. pineis, pistaceis, seminib.4.frig.maior. excorticatis, amylo, tragacantha, gummi Arabic. saccharo penid.* Hinc exhiberi potest *cremor hordei* vel *auenæ cum emulsione amygd. dulc.* cui aliquid *pulueris Haly*, de quo postea, *cum conserua rosar.* addi potest.

Commodissima autem hîc sunt medicamenta, quæ omnibus scopis satisfaciunt, vlcus nimirum consolidant, corpus emaciatum instaurant, caloremque febrilem mitigant. Inter quæ primas facilè Lac tenet, & qu, vt Galenus, 3. *de alim. facult. cap.* 15. *de cibis boni & mali succi cap.* 4. 5. *meth. med. cap.* 12. 7. *meth. med, cap.* 6. docet, curandis phthisicis vix quid præstantius datur, vt postea, *de diæta*, dicetur. Et vt efficacius sit lac, viresque medicamentosas, quæ expetuntur, acquirat, potest animal, cuius lac expetitur, in conuenientibus pascuis nutriri, qualem ad pascua locum describit Galenus, 5. *meth. med. cap.* 12. & 10. *meth. med. cap.* 11. vel capris plantæ phthisicis conuenientes loco pabuli præberi possunt. Vtile est & hoc:

℞. *Oxygalæ* seu *lactis*, *è quo butyrum sit separatum* ℔.sem.

Stet nocte vna sub dio, & postea fortiter agitetur, & spuma detrahatur.

Postea adde *conseru. rosar.* ℥. ß. *boli Armenæ* ʒ.j. Misce.

Commendatur à plurimis etiam puluis Haly Abbatis, *lib.6.pract.c.*2. descriptus.

℞. *Papau. alb.* Drach. x. *gummi Arabic. amyli*, an. ʒ. iij. *sem. portulac. maluæ, althéæ*, ana Drach. v. *cucurb. cucum. citrull. cydonior.* ana Drach. vij. *spodij, glycyrrhiz. tragacanth.* an. ʒ.iij.

F. Puluis.

Valescus de Taranta addit *sacchari penidij* ad pondus omnium. Atque isto puluere & sequente Electuario Valescus de Taranta Monachum phthisicum iam deploratum se curasse refert.

℞. *Corall. rubr. carabe, lycij, terræ sigill. hypocistid. amyli, spodij, glycyrrhiz.* & *succi eius, sem.* 4. *frig. maior. minor. gumm. Arab. tragacanth. rosar. rubr.* an. Dra.j. *pinear. mundat. pistacior. amygd. dulc.* an. ʒ.ij.

Torrefacienda torrefiant &

F. Puluis.

℞. *Pulueris huius* ℥.j.ß. *sacchar.* q.s. *conseru. capill. Veneris symphyt. testudin.* an. ℥ ß.

M. F. Electuarium.

Rondeletius Puluerem istum hoc modo præstantiorem fore scribit:

℞. *Sem. papau. albi*, Drach. ß. *gummi tragacanth. Arabici farinæ orobi* an. Drach.j. sem. *sem. althéæ portulacæ, cucumer. melon. citrulli, bombac.* ana Drach. iij. ß. *cineris cancrorum fluuiatilium, corall. alb. vst. præparat. succi glycyrrh.* ana. Drach. j. ß. *sacch. rosac. tabulati* ad pondus omnium.

F. Puluis.

Dentur ʒ.ij. cum *syrupo de papauere* vel *iuiubino*.

Est & sequens vtile:

℞. *Nuc. Indic. pistacior. sem.* 4. *frig. maior. amygdal. dulc.* an. ℥.j. *sacch. penid.* ℥. ß. *gummi Arabici* ʒ.ij. *sem. maluæ, lactucæ*, an. ʒ. ij. *tragac. sem. cydonior. macis, caryophyll.* an. ʒ. ß. *anisi* ʒ.j. *glycyrrhyzæ rasæ* ʒ. j. ß. *cinamom.* Drach. ij. *carnis testudinis*, vel *pulpæ phasiani* aut *caponis*, ℥. vj. *sacch. opt.* ℔. iij. *aq. rosf. opt.* q.s.

Fiant Morsuli vel panis Martius Plinius etiam, *lib.*28. *c.*17. medicamenta quædam ad phthisin habet.

Nonnulli etiam balnea aquæ dulcis tepida adhibent ad corpus humectandum. Verùm id potius hecticis simpliciter, quàm pthisicis, conuenit. Et in phthisicis, etsi ad hecticam declinent, non habet locum nisi vlcus ab omnibus sordibus repurgatum & consolidatum sit, corpusque siccatum balneo ad alimentum rectiùs suscipiendum præparandum sit.

### *Diæta.*

Phthisici omnem aëris in calore & frigore excessum nimium, subitasque eius mutationes, vt & aërem pluuiosum vitent. Siccus verò aër ad vlcera pulmonis sananda vtilissimus est, siue naturâ talis, siue arte comparatus. Antiqui hac de caussa suos phthisicos ad Tabios mittebant, monticulum inter Surrentum & Neapolim, locum nonnihil calidum & præcipuè siccum ob Vesuuij montis, instar Ætnæ perpetuò flammam euomentis, vicinitatem, quem describit Galenus 5. *meth. med. cap.* 12. Commodum quoque est hac de caussa loca piceis & similibus arboribus abundantia incolere. De quo Plinius, *lib.* 24. *cap.* 16. *Constat*, inquit, *illum cœli aëra plus ita, quàm nauigationem Ægyptiam proficere, plus quàm lactis herbidos per montium æstiua potus.* Possent ergo etiam ligna hæc resinosa in conclaui haberi vel incondi. Et quantum aër siccus in phthisi curanda possit, testatur trita illa mulieris historia, quæ cum annis aliquot ad furnum artem pistoriam exercens versaretur, sicco aëre inspiratione attracto, & vlcere ita exsiccato, vitam diu protraxit. Quod tamen intelligendum est, vbi spes aliqua sanitatis recuperandæ superest. Si enim de vlceris curatione desperetur, ægerque ad extremam maciem iam sit deductus; aër Diæta.

aër talis vlcus non ſanabit, ægro verò mortem accelerabit. Celſus hac de cauſſa nauigationes longas præcipit, iis quidem, qui tam robuſti adhuc ſunt, vt peregrinationem ſuſcipere poſſint: cùm vt Aretæus, *de curat. morb. diuturn. lib. 1. c. 8.* ſcribit, *pulmonis vlceribus quiddam ſiccum marina ſalſedo communicet.* Eadem de cauſſa ex Italia in Ægyptum nauigare ſuadebant. Aliàs æger ab omnibus animi & corporis motibus vehementibus ſibi temperet.

Cibus. Cibi ſint boni ſucci, faciles coctu & multi nutrimenti, cuiuſmodi parantur ex hordeo, auena, amygdalis, vt & alica, amylo & oryza. Et quidem in principio cibi abſtergēdi vim habeāt, hinc glutinandi & conſolidandi. Parentur igitur in principio ex *hordeo*, hinc *alica*, *amylo* & *oryza*. De alica tamen, amylo, & oryza & eiuſmodi cibis notandum, quòd etſi mali ſucci non ſunt, ſuccum tamen præbent lentum & craſſum, ideóque ſola & ſine præparatione non ſunt exhibenda, ſed aliis coctu facilibus admiſtis, & quidem in forma ſorbili, & propterea cum iuſculis bonarum carnium præparanda. Quo modo & reliquis cibis vim meliùs nutriendi inprimunt, & à calore debili faciliùs concoquuntur. Id quod Galenus, 7. *meth. med. cap.* 6. docet, dum ſcribit. *Nec planè quod maximè nutriat, optimum eſt iis corporibus, quæ refici magis egent, vtpote quibus concoquendi facultas non eſt, neque etiam quod facilimum concoctu eſt, cùm ſcilicet ipſum nequeat eſſe maximè nutriens. Cùm igitur hæ duæ indicationes ex aduerſo pugnent, committendum non eſt, vt dum alteri nimium ſis intentus, alterius omnino obliuiſcaris, ſed vtriuſque memor, quo ad liceat, vtrumque miſceas.*

Et quia phthiſici multo nutrimento indigent, ob caloris verò natiui debilitatem multum cibum vnâ vice concoquere non poſſunt, ideò ſæpe cibus, ſed eius parum vnâ vice præbendum.

Inter alimenta autem præcipuè, vt ſuprà etiam dictum, primùm locum Lac obtinet. Optimè enim corpus nutrit, ſanguini bonam materiam præbet, acrimoniam vitioſorum humorum temperat, parte ſeroſâ vlcus abſtergit, caſeoſâ conſolidationi inſeruit, butyraceâ humectat & corporis exſiccationi reſiſtit. Inprimis autem laudatur lac muliebre, quod naturæ corporis noſtri maximè cognatum eſt. Aſininum eſt tenuius & ſeroſius & ad vlcus abſtergendum commodius. Inter hæc medium locum habent caprinum & vaccinum. Ne autem lac in ventriculo coaguletur, aliquid ſacchari vel mellis admiſceatur. Dandum etiam vacuo ventriculo & mundato ventre: alioquin facilè aceſcit & corrumpitur. Ea etiam quantitate dandum, vt à ventriculo bene ferri, & concoqui poſſit. Ideóque à minori quantitate ad maiorem aſcendendum, & primò quotidiè ſemel, deinde bis de die dandum. Poſt lac ſumptum æger non ſtatim dormiat, nec alium cibum, præſertim vinum, capiat, ne lac in ventriculo corrumpatur. Si tamen adſit febris manifeſtè affligens, dolor capitis, vaſorum obſtructiones, & flatus; à lacte abſtinendum. Poteſt lac etiam hoc modo præparari:

℞. *Lactis caprini* vel *vaccini menſur.* iij. Adde *aq. fontan. puræ menſ.* j *ſacch. alb.* ℥ ß.

Coq. lento igne ad aquæ conſumptionem.

Lac hoc modo præparatum vel potandum detur, vel pani albo trito affundatur, & comedatur.

A pleriſque maximè commendatur caro cancrorum & cochlearum, quæ ſcilicet propter ſubſtantiæ craſſitiem vlcus conſolidare poſſit. Verum enim verò hac de re dubitatur; cùm hæc animalia ſint craſſæ & terreæ ſubſtantiæ, & proinde non niſi craſſum, terreum, & vitioſum ſuccum generent, difficilimè coquantur, & maximè excrementoſa ſint. Ideoque non niſi parcè aliis cibis admiſcenda, vt reliqui cibi cum iis permixti ſolidius alimentum præbeant. Aut potius ius eorum, quàm ſubſtantia, præbendum, & pars quædam in limacibus, quam μήκωνα, id eſt, papauer, Ariſtoteles, 4. *de hiſtor. animal. c.* 4. nominat, quæ non difficulter coquitur. Ideóque nonnulli cancros & cochleas in lacte coquunt, & poſtea ius ſaccharo condiunt, vel etiam, farinam hordei & lac amygdal. dulc. addunt. Vide infrà, *quæſt.* 2. Vel hoc modo præparetur.

℞. Cochleas, quæ ſeparatis excrementis omnibus incidantur, & in vaſe vitreo optimè clauſo coq. in balneo. Liquorem per ſetaceum traiice, traiectum lento igni expone, vt omnis pars aquoſa reſoluatur, & remaneant partes ſolidiores, ſed in liquorem reductæ. Hic liquor pro cibo dari poterit, qui ſi alteretur cichoraceis vel ſimilibus, euadit medicamentoſus, & refrigerabit & humectabit.

Potus, vbi abſtergendum, ſit *aqua mulſa bene diluta* vel *aqua hordei cum pauco melle.* Cum glutinandum, *aqua hordei, in qua ſaccharum roſar. diſſolutum ſit. Vino* tamen etiam locus eſt, ſed ſit illud debile ac modica quantitate exhibeatur. Commodum etiam potum præbent *cereuiſia hordeacea* & *triticea.*

### *Peculiaria pulmonis vlcera, Sphacelus, & Cancer.*

Facienda ſub finem huius capitis & aliorum vlcerū, quæ phthiſin tamen non introduxerunt, & Sphaceli ac Cancri pulmonis mentio. *Peculiaria pulmonis vlcera.*

Interdum enim Apoſtemata in pulmonibus repeuntur, quæ nullam febrem coniunctam habent, nec tuſſim. Ita refert Nicolaus Maſſa, *in Introductorio anat. f.* 57. ſe anno 1533. quendam ſecuiſſe, & in ſubſtantia pulmonis in parte ſiniſtra Vlcus magnum concauum & putridum ad quantitatem multo maiorem, quàm ſit dimidia pars corticis vnius oui gallinacei cum ſua profunditate, in qua cauitate fuit ſanies multa & praua, deprehendiſſe: cùm tamen iſte, quem bene nouerat Maſſa, nunquam conqueſtus ſit de aliquo dolore, neque tuſſiuerit. Sed procul dubio iſte tuberculum habuit, quod tandem in pus mutatum eſt.

Poſt ſanguinis ſputum pulmonis partem quandam nigricantem & Sphacelo correptam, & in ea profundum ſinum, ſine vllo pure & ſanie inuentam fuiſſe, refert Dodonæus *obſ. cap.* 24. *Sphacelus pulmonis.*

Refert etiam Iacotius, *comm.* 1. *in lib.* 5. *ſect.* 2. *aph.* 67. *Coac. Hippocr.* interdum partem ſuperiorem pulmonis in Cancrum abire, atque ad iuguli partem ſuperiorem trahi, vt ſub alis lateat, vnde compreſſa aſperâ arteria ſtertor quidam obauditur, non à puris multitudine, aut alterius humoris, ſed ab anguſtia & interceptione meatûs, in quo refractus & agitatus humor aliquis in gutture feruerit. *Cancer pulmonis.*

## QVÆSTIO I.

### *An Vlcera pulmonis ſint ſanabilia.*

Vlcera pulmonis ſatis periculoſa eſſe, & pauciſſimos quibus pulmones exulcerati fuerint, euadere, ipſa experientia teſtatur. Imò nonnulli in ea ſententia ſunt, nullos planè è pulmonis vlceribus euadere, ea de cauſſa, quòd pulmo in perpetuo motu ſit, atque ita labra vlceris, vt & vulneris, coaleſcere non poſſint. Quam rationem etſi Galenus, 5. *meth. med. cap.* 8. reprehendit, & reuera motus ille pulmonis naturalis in reſpiratione tam vehemens non ſit, vt ſanationem impediat, & vulnera pulmonis ſanari poſſe experientia teſtetur: tamen aliam cauſſam, *loco allegato*, Galenus affert, nimirum tuſſim. Cùm enim vlcus nullum poſſit ſanari, niſi à pure prius mundatum fuerit, pus verò è pulmone ſine tuſſi euacuari non poſſit; facilè hinc patet, motu illo, qui in tuſſi eſt vehementior, vlceris labia iterum lacerari. Quibus accedit & hoc *An vlcera pulmonis ſint ſanabilia.*

quod

quod idonea vlceri sanando medicamenta adhiberi non possint. Nam illud, quòd rectà in pulmones ex ore destillat, exiguum est: quòd verò in ventriculum descendit, non nisi per longas ambages & alteratum atq; imminutum ad pulmonem peruenit. Hinc & Galenus, 5. *meth.med.cap.* 13. & 14. omnes illos, qui sanguinem è pulmonibus exspuentes primo die se curandos ei tradiderunt, quosdam etiam post duos aut tres dies se sanasse prædicat. Quotquot autem phlegmone sic occupatit, vt iam febricitarent, horum nullùm in totum persanatum esse scribit.

Alij contrà vlcera pulmonis sanabilia esse statuunt, adducuntque primò autoritatem Hippocratis, qui, 6. *aph.* 18. vesicæ quidem, cerebri, cordis, diaphragmatis, intestinorum tenuiorum, ventriculi, hepatis vulnera mortem afferre docet, pulmonum verò vulnerum non meminit, Franciscus Arcæus, *de febribus, cap.* 8. à vulneribus argumentum petit, & cùm pulmones transfossi, quod sæpe fit, feliciter curentur, etiam vlcera pulmonis sanari posse putat, idque se felicissimè præstitisse affirmat, & quidem vsu decocti ligni Guajaci, quod & Philippus Ingrassias & Thomas Erastus se factitâsse scribunt. Conservâ etiam seu saccharo rosarum phthisicos curatos referunt Auicennas, *lib.* 3. *fen.* 10. *tract.* 5. *cap.* 6. Mesues, *capite de phthisi*, Valescus de Taranta, *lib.* 3. *cap.* 11. Valeriola, *lib.* 5. *obs.* 5. Crato, *in consil. Mont.* 152. P. Forestus, *lib.* 16. *obs.* 58.

Et omnino cùm experientia rem definiat, disputatione multa opus non est. Rarò tamen hoc accidit, non quidem ob naturalem illum pulmonis motum, sed ob saniem, quæ pulmones corrumpit, & non nisi tussi, & vix tutò eiici potest, vnde pulmones lacerantur; & quòd medicamenta ad pulmones viribus integra vix perueniunt, vnde si quid præstare debent, continuanda, & in magna copia medicamenta talia vsurpanda sunt, sicut Montanus retulit, phthisicum quendam Venetiis nihil ferè aliud comedisse, quàm saccharum rosarum, vt pharmacopolæ Veneti id amplius ipsi vendere nollent.

*Quomodo vlcera pulmonis insanabilia dici possint?* Notandum tamen hîc, etsi suo modo sanabilia pulmonis vlcera dici possint: suo modo tamen etiam rectè dici insanabilia, dum insanabile sumitur pro eo, quod ad pristinum statum reduci nequit. Et si enim callus quidam obducatur: tamen perfecta ea sanatio non est. De quo Galenus, 5. *meth. med. cap.* 14. *Sed qui postea,* inquit, *sic per omnia præsidia ritè transierunt, vt siccaretur vlcus, ij tantum saltem lucrifecerunt, vt illud nec vltra progrederetur, nec majus fieret: sed siccatum ac callo duratum longiore vitâ frui hominem sineret,* Et 4. *de loc. affect. cap.* 5. *Quæ verò in pulmone longo tempore jam permanserunt, quamuis aliquando curentur; relinquitur tamen in eo res quædam callosa fistulosaque, quæ tractu temporis à leui occasione excoriatur.*

Deinde & hoc ij monendi sunt, qui sæpius se vlcera pulmonis & phthisicos sanâsse dicunt, vt attendant, ne decipiantur, & pulmonem exulceratum putent, cum tamen thorax saltem laborauerit, aut catarrhus & pituita iæ pulmonibus in similem puri substantiam, illæsis pulmonibus, mutatus sit.

## QVÆSTIO II.

### *An in phthisi Cochleæ vtiles sint?*

*An cochleæ phthisicis vtiles sint?* Antiquiores equidem, qui de natura & facultatibus Limacum scripserunt, Dioscorides, Galenus Aëtius, P. Ægineta, Oribasius, non meminerunt, quòd phthisicis prosint: Recentiores tamen, & superiorum sæculorum Medici eas phthisicis & hecticis commendarunt, adducti procul dubio autoritate Galeni, qui, 3. *de aliment. facult. cap.* 3. limacum carnem potentissimè nutrire affirmat.

Verùm enim verò, cùm, vt, *ibidem*, Galenus & res ipsa docet, caro cochlearum sit difficilis coctionis, & succum non adeò bonum præbeat, facilè hinc patet, cochlearum carnes phthisicis pro cibo non conuenire. Cùm enim phthisici febre lenta putrida laborent, & propterea vis naturalis in ventriculo, hepate, imò toto corpore sit debilis, cibum difficilis coctionis rectè concoquere non potest, atque hinc multa excrementa cùm alibi, tum in pulmonibus etiam colligi necesse est; inprimis cùm ex se succum bonum non præbeant. Ideóque, quod in vulneribus accidit, quòd nimirum, si ægri cibis mali succi vtantur, copiosior sanies generatur: idem in pulmonis vlceribus euenire credibile. Cùm verò ob pus inprimis phthisici periclitentur, Limacum etiam vsum iis potius nocere, quàm prodesse, vero consentaneum est. Et quanquam iuscula ex iis parata, & pars illa, quam Aristoteles, *lib.* 4. *de histor. animal. c.* 4. *μήκωνα* id est, papauer appellauit, dentibus statim cedens, & caseolæ substantiæ paulò magis duratæ, sine factæ nuper è fauis ceræ, non absimilis faciliùs concoquatur: tamen saltem respectu aliarum cochleæ partium est facilioris coctionis: absolutè verò & simpliciter facilis coctionis non est; succi verò, quàm aliæ cochlearum partes, est melioris, & crassum ac melancholicum nutrimentum præbens.

# CAPVT XIII.

## *De Mediastini Inflammatione.*

*Inflammatio mediastini.* Mediastinum seu septum, quod pulmonis lobos disiungit, & ipsum Inflammationem interdum patitur, oriturque ea præcipuè à sanguine, eoque plerumque bilioso. Ideóque caussæ, quæ peripneumoniam & inflammationem pulmonum excitare solent, & hîc locum habent. *Caussæ.*

### *Signa Diagnostica.*

Febris adest continua & ardens, cùm cor ob inflammationem vicinam valde incalescat, quam magna inquietudo sitisque inexhausta comitatur. Respiratio est frequens & celer, & in thorace maximum incendium, vnde calidum spiritum efflant ægri, & frigidi aëris inspirationem desiderant. Dolor est exiguus, & saltem molestia quædam in inspirando ad sternum percipitur. Etsi enim locus affectus sit pars membranosa, tamen dolor non est pungens, vt in pleuritide, quoniam membrana non vt pleura ita in costis firmatur, sed in laxa parte thoracis consistit: ad sternum saltem dolor quidam percipitur, quoniam ibi alligatur hæc membrana. Tussis in principio in quibusdam est sicca, pòst humida, & rubra quædam ac flaua reiiciuntur, plurima tamen flaui coloris, paucissima rubri, verùm non admodum copiosa, quia inter duplicem quasi membranam materia colligitur, vnde non facilè nisi eâ erosâ euacuatur. Pulsus qualis pleuriticorum, durus & inæqualis, non tamen æquè manifestâ inæqualitate, sed aliquanto maiore. *Signa.*

Si in pericardio affectio fuerit, aderit æstuatio, & phlogosis major, ad syncopen laborans facilè & frequenter accedit. L. Mercatus, *lib.* 2. *de morb. int. c.* 6. *p.* 158.

### *Prognosticum.*

Plerique hoc malo correpti moriuntur. Estque hîc morbus, quàm pleuritis, vehementior; cùm locus affectus cordi sit vicinior. Et si protrahatur ægri phthisi correpti tandem moriuntur. *Prognosticũ.*

### *Curatio.*

Curandi ratio eadem ferè est, quæ inflammationis pulmonis *Curatio.*

pulmonis & pleuræ. Sanguis nimirum & humores ad mediaſtinum fluentes euacuandi, reuellendi, repellendi, & per ſputum euacuandi. Ideóque ſtatim in principio vena aperienda, & ſanguis ſatis copiosè euacuandus, & venæſectio, ſi vires ferant, vel eadem, vel ſequenti die repetenda, cùm venæſectio non ſaltem euacuet, ſed & reuellat & refrigeret.

Venæſectione autem adhibitâ ea pectori applicanda, quæ feruorem humoris mitigant, ſanguinémque aliquo modo reprimunt, medicamenta ſcilicet, quæ frigida quidem potentiâ ſunt, ſed aſtrictione carent, vt faciliùs penetrare poſſint. Quem in vſum commodiſſimè adhibetur oleum violaceum, quo tepido totum pectus inungatur, vel panni eo imbuti pectori imponantur.

Si tempus æſtiuum ſit, & inflammatio eryſipelatodes, etiam actu frigidum adhiberi poteſt. Etſi enim frigida alias thoraci ſint inimica, & in pleuritide frigida actu non adhibeantur: tamen quia hîc incendium magnum eſt, & inflammatio eſt in penitioribus thoracis partibus, frigida non facilè ad locum affectum penetrant. Oleo violaceo admiſceri poteſt lac recens & aqua endiuiæ, vel paretur cataplaſma ex farina hordei cum ſucco endiuiæ, & lactuc. & oleo violarum.

Vbi incendium nonnihil remiſit, ol. chamæmel. admiſceatur, vt & mucilagines ſem. althéæ, malu. fœnigr. & ſimiles.

Interim etiam propinentur ad materiam alterandam & expectorandam aqua vel decoctum hordei, violar. de iuiub. de glycyrrhiz de tuſſilag. Syrupi tamen in minore quantitate admiſceantur; cùm ſaccharum facilè bileſcat.

*Externa.* Tandem etiam ad reliquias materiæ diſcutiendas extrà applicetur cataplaſma ex *radic. althéæ, violar. ſcabioſ. caricis.* Quibus coctis & contuſis addatur *farina ſem. lini, fœnigræc. pulu. flor. chamæmel.* & cum *oleo chamæmelino* & *amygdal. dulc.* Fiat Cataplaſma.

Quod ſi materia hoc modo euacuari vel abſûmi non poſſet, non planè incommodum eſſet, perforato ſterno materiam purulentam extrahere, quod etiam Columbus, *lib.* 11. *anat. cap.* 3. monuit.

*Diæta.* Diætæ ratio ſit eadem quæ in peripneumonia & Pleuritide.

## CAPVT XIV.

### *De Diaphragmatis Tumoribus.*

Diaphragma etiam interdum tumoribus corripitur, & quidem nunc calidis & inflammatoriis, nunc frigidis & diuturnis.

*Diaphragmatis inflãmatio.* Inflammationem diaphragmatis quod attinet, fit ea à ſanguine calido & bilioſo eo modo & iis de cauſſis, vt aliarum partium inflammationes. Craſſior enim in membranam denſam ſeſe non facilè penetrat.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Coniungitur autem cum hac inflammatione febris continua & acuta non ſolùm ratione humoris calidi, qui tumorem hunc excitat, ſed & ob viciniam cordis & connexionem cum eo per arteriam magnam. Adeſt dolor & reſpirandi difficultas, ac reſpiratio eſt parua & frequens. antequam delirium accedit, vt & pulſus, vt docet Galenus, *lib.* 5. *de loc. affect. cap.* 3. Præcordia tenduntur, nullo tumore in hypochondriis apparente. Ad locum diaphragmatis apparet interdum quædam palpitatio vel ſaltus quaſi, vt docet Hippocrates, 3. *prognoſt. t.* 91. Galenus, *in comment.* &, 1. *epid. comm.* 3. *t.* 18. Procedente malo, quia cerebrum à diaphragmate, quod membranoſum eſt, in conſenſum trahitur, delirium continuum excitatur; qua de cauſſa veteres etiam diaphragma φρένας appellarunt, quod eius inflammatio mentem turbet, & delirium excitet. Reſpiratio eſt inæqualis, modò parua, modò magna, modò frequens, modò rara. Solent etiam nonnunquam accedere conuulſiones, vt Galenus, *lib. de pulſibus, cap.* 11. *de pulſu inflammatorio*, docet. Et tum pulſus fit durus, paruus, creber.

### *Prognoſticum.*

*Prognoſticũ.* Inflammatio hæc pleuritide adhuc periculoſior eſt, & plerumque ægrum ad mortem deducit, ob connexionem & conſenſum, quem hæc pars habet cum corde, cerebro & hepate. Vnde acutiſſimus hic morbus eſt, & ægrum citò in ſummum vitæ diſcrimen adducit, curationémque reddit difficiliorem, quòd ægri delirant, nec facilè Medicis in ſumendis medicamentis obtemperant.

### *Curatio.*

*Curatio.* Communes inflammationes curandi leges & hîc locum habent, & ferè eadem huius inflammationis curandæ eſt ratio, quæ peripneumoniæ & mediaſtini inflammationis. Itaque ſtatim in principio aluo clyſter emolliens & refrigerans iniiciatur, & hinc vena brachii dextri aperiatur, ac, ſi vires tolerent, vel eâdem, vel ſequenti die venæſectio repetatur.

*Externa.* Extrà thoraci ad locum diaphragmatis apponantur ea, quæ feruorem humoris mitigare, ſanguinémque affluentem repellere poſſunt, potentiâ ſunt frigida, actu verò ſubcalida. Igitur inungatur locus oleo roſaceo; vel fiant epithemata ex decocto herbarum refrigerantium, violar. endiuiæ, lactucæ & ſimilium. In progreſſu morbi addatur oleo roſarum chamæmelinum, & epithematibus malua, althæa, chamæmelum, melilotus, ſem. lini, fœnigræci. Ob delirium lotiones extremorum ex refrigerantibus herbis inſtituantur, quæ actuali caliditate reuellere à capite, & potentiali frigiditate humores demulcere poſſunt. Syncipiti, temporibus & fronti etiam ea applicentur, quæ ſomnum conciliandi vim habent, ex ſuprà, *lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 1. propoſitis.

### *De tumoribus diaphragmatis Frigidis.*

*Tumores diaphragmatis frigidi.* Generantur hi tumores à materia cruda & tenui. Craſſa enim & viſcida non poſſunt in diaphragma ob eius denſitatem penetrare. Dántque occaſionem materiæ collectioni percuſſio vel compreſſio diaphragmatis, qualis etiam fieri poteſt, ſi quis inter ſcribendum vel legendum menſæ ſæpe pectore innitatur.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Si tumor ſit frigidus in diaphragmate, malum eſt diuturnius, adeſt tenſio hypochondriorum, nullo apparente in his tumore ad tactum, & ſpirandi difficultas, pulſus eſt durus & paruus, dolor adeſt, ſed non ita magnus, abeſt febris, aut, ſi febris accidit, non eſt acuta, delirium etiam abeſt, & non niſi morte inſtante interdum accidit.

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.* 1. Si morbus ſit recens & adhuc in fieri, ægri interdum ſanari poſſunt.

2. Si verò malum ſit diuturnius, ægrum ad tabem deducit.

### *Curatio.*

*Curatio.* Principio ne maior materiæ fiat affluxio, materia affluens debito modo præparanda & euacuanda, vt cum materia iſta ſit pituita aquoſa & feroſa, medicamentis,

mentis, quæ pituitoſum & ſeroſum humorem euacuãt, agarico, mechoacanna, turbith & ſimilibus vtendum. Et ſi quæ cauſſa adſit, ob quam talis materia in viſceribus generetur, ea tollenda, & viſcerum debilitas, vel obſtructio corrigenda.

Vniuerſali corporis euacuatione præmiſſa, materiam diſcutientia ſimúlque emollientia, (nam ſenſibiliter eam euacuantia hîc locum non habent) vſurpanda, vt butyrum recens, pinguedo gallinæ, anſeris, medulla vitulina, ceruina, omnes recentes. Progreſſu autem temporis validiora diſcutientia adhibenda, vt oleum chamæmel. anethin. vel ſem. lini, fœnigræci, quibus aliquid terebinth. vel ammoniac. addi poteſt. Vtile eſt & emplaſtrum de meliloto.

Vel ℞. *Maluæ, althææ, betonic. origan.* ana M.i. *ſem. aniſi, fœnicul. carui,* an. Drach.i. *flor. chamæmel. verbaſci,* an. M. ß.

F. Sacculi duo ex linteo albo, qui coquantur in vino, & expreſſi ac calidi alternatim pectori imponantur.

Intrò exhiberi poſſunt digerentia & diſcutientia ex rad. tuſſilag. helen. capillo ♀ marrubio, hyſſopo, ſcabioſa, ſem. vrticæ, & ſimil. Vel exhibeatur decoctum ſarſæparillæ cum pectoralibus. Non tamen nimis tardè, vbi humor iam indurari cœperit. Ita enim tenue diſcuteretur, craſſum verò magis induraretur. Senſibilis verò euacuatio, vt dictum, hîc ſperari non poteſt: cùm diaphragma à parte ſuperiore pleuræ, à parte inferiore peritonæo cingatur & inueſtiatur. Niſi forſan abſceſſu rupto in cauitatem thoracis effundatur, & inde per tuſſim eiiciatur. Quod ſi fiat, malum reliquum, vt empyema, curandum eſt.

*Diata.* Victus ratio ſit attenuans, non tenuis; cùm morbus ſit diuturnus. Cibus ſit boni ſucci, facilis coctionis: aluus ſit laxa, ac ſi ſubſiſtat, ſæpe clyſteres iniiciantur.

## CAPVT XV.

### *De Vulneribus Diaphragmatis.*

*Vulnera diaphragmatis.* Cvm Diaphragma Vulneratum eſt, ponderis ſenſus eo loco moleſtus eſt, tuſſis & dolor eò loci percipitur, vt ſæpe delirium accedat. Riſus adeſt cum perturbatione; ilia ſurſum conuelluntur adeò, vt reſpirandi vehementia contingat. Aliquando ventriculus & inteſtina per vulnus in thoracis cauitatem rapi ſolent. Cuius rei hiſtorias duas recenſet Ambroſius Paræus, *lib. 9. chirurg. cap.* 30. Memorabile & ſingulare huius rei exemplum etiam annotauit Dominus D. Andreas Schato p. m. Socer meus quondam Academiæ huius Profeſſor. Eſt autem tale: Anno 1582. die 20. Septembr. Studioſus quidam, Heinricus Buſcherouius, Riualienſis Liuonus, cùm melancholiâ variiſque tentationibus vexatus eſſet, ante portam oppidi huius proprio gladio ſe confodit, vulnere intra quartam coſtam in thorace adacto, & ſub nona coſta in tergo gladio penetrante: quod vulnus tamen intra duos menſes ſanatum fuit, vt æger ſatis bene ſibi habere videretur. Verùm accidit, vt poſt menſes aliquot iterum abſurdis cogitationibus vexaretur, & poſtea 28. April. Anno 1583. malè habere inciperet, & ſeqq. diebus menſe Majo nigra quater, eaque magnâ copiâ vomitu reiiceret, cum ſudoribus frigidis & lipothymia, tandemque poſt vltimum vomitum expiraret. Corpore aperto deprehenſum eſt vulnus per diaphragma & pulmones penetraſſe, & quidem diaphragma transfoſſum fuit in ipſo nerueo circulo. Pulmonis ferè nihil repertum eſt in ſiniſtro latere confoſſo, cum proculdubio is corruptus cum putrer eiectus fuerit. Exigua ſaltem particula aderat coſtis adnata. Ventriculus totus aſcenderat in ſiniſtrum thoracis latus, & cor cum capſula ſua depulerat in dextrum latus, vbi & viuus ille poſt acceptum vulnus iubebat obſeruare pulſum cordis. (*Hiſtoria diaphragmatis vulnerati.*) Cor aridum & tabefactum erat, copioſa autem aqua in capſula cordis. Omentum & pancreas totum ferè circa ventriculum computruerat.

*Diaphragmatis vulnera quomodo ſint ſanabilia.* Habentur autem diaphragmatis vulnera ſanabilia, ſi ſaltem pars carnoſa diaphragmatis ſauciata & perfoſſa fuit, etſi tùnc conglutinatio ſit difficilis ob perpetuum motũ diaphragmatis. Si verò in neruoſâ eius parte vulnus ſit, inſalubre habetur. Verùm Galenus, *6. aph.* 18. docet, etiam neruoſarum partium vulnera, ſi non ſint magna, quandoque ſanari poſſe, ac proinde & diaphragmatis vulnus in parte neruoſa ſi magnum non ſit, conſolidari aliquando poteſt.

Exemplum talis vulneris eſt apud Hippocratem *5. epid.* Cum enim Tychon in oppugnatione circa Datum catapulta vulnus in pectus accepiſſet, paulò poſt paruus riſus ei aderat cum perturbatione. Videbatur autem Medicus, cum lignum eximeret, circa ſeptum tranſuerſum haſtilis partem aliquam reliquiſſe. Primam noctem implacidè egit, ſub diluculum meliùs habere viſus eſt. Prædictum eſt conuulſione accedente celeriter periturum. Poſterâ die implacidus inſomnis egit, & ſub tertij diei exortum conuulſione tentatus tum temporis mortuus eſt.

Ratio curandi eadem eſt, quæ Pulmonis & Mediaſtini vulnerati.

## CAPVT XVI.

### *De Pleuritide, ſeu Inflammatione Pleuræ & Muſculorum thoracis.*

*Pleuritis.* INflammatur ſæpe & pleura ſeu membrana coſtas ſuccingens, muſculique intercoſtales; quod malum Græcis Pleuritis dicitur, & pleuritici, qui inflammatione pleuræ laborant. Βλητοὶ etiam Antiquis dicuntur, qui ex lateris aut pulmonis inflammatione, repentè difficultate ſpirandi ſuffocati, latera liuida habent, tanquam plagâ percuſſi aut ſiderati, Hippocrates, *1. de rat. victus in acut. aphor.* 35. & *in Coacis vltra dimidium.* In pleuriticis enim, ſi ſubitò difficultate ſpirandi ſuffocentur, vt & in peripneumoniacis, ſanguine inflammationis in cutem diffuſo, liuor fit, totumque latus, in quo fuit inflammatio, poſt mortem liueſcit; eodem modo ſicuti in apoplecticis & epilepticis idem interdum accidere videmus.

Eſt videlicet pleuritis, eaque vera & exquiſita, (nam dari & notham, infrà de dolore lateris dicetur) inflammatio membranæ coſtas ſuccingentis, quæ quandoque pulmoni communicatur, ex affluxu ſanguinis per ramos ſeu venæ cauæ aſcendentis ſeu ἀζύγου eò impulſi ortum habens, cum febre continuâ acutâ, dolore lateris pungente, tuſſi, pulſu duro, celeri ac frequenti, & difficultate ſpirandi. An verò pleuritis etiam fieri poſſit, ſine notabili & manifeſta inflammatione pleuræ, dicetur infrà, *quæſtione* 1. Sub pleuritide rectè etiam comprehenditur inflammatio muſculorum μεσοπλεύρων, præſertim internorum, ob pleuræ ex vicinia conſenſum.

Datur deinde & notha pleuritis alia quædam, quodammodo talis, ſed & ipſa vera inflammatio, ratione ſitûs & partis affectæ ſaltem notha, quando ſanguis, per ramos venæ axillaris in extrema thoracis ſparſus, in muſculos illos externos, qui coſtis & muſculis μεσοπλεύροις extrà incumbunt, illabitur, quæ ob communitatem propaginum venarum externarum & internarum, (cùm interiorum venarum extrema foràs emergant, & externarum ora intrò ſubeant) ſæpe in pleuritidem veram permutatur.

*Quæ pars afficiatur in pleuritide.* Quæ autem pars in pleuritide afficiatur, an ſola ſcilicet pleura, an verò etiam pulmo, & Antiqui & Recentiores dubitarunt, diceturque de eo infrà, *quæſtione,* 2. vt rem hîc breuibus complectamur, ſtatuimus,

non quidem in omni pleuritide necessariò pulmonem affici; semper tamen ferè hoc accidere, vbi superior pleuræ pars afficitur. Est enim pleuræ cum membrana pulmonis communio, & præcipuè versus collum; & circa exortum asperiæ arteriæ per fibras multas cum pleura pulmo cohæret. Imò, vt suprà, *cap.*10. dictum, scribit Nicolaus Massa, *in sua introduct. anat. cap.*29. se ferè semper inuenisse adhærentiam pulmonis cum pleura, & non sine difficultate partes superiores pulmonis à pleura separari. Itaque facilè fieri potest, vt, si sanguis in pleuram præter naturam influat, etiam simul in pulmonem effundatur. Atque tùm sanguis & sputum, quod tussi reiicitur, non tam à pleura, quàm à pulmone simul affecto prouenit. Si verò inferiores pleuræ partes afficiantur, non necessarium est, pulmones simul affici; cùm ibi nulla pleuræ & pulmonum sit communio.

## *Caussæ.*

Est autem inflammationis pleuræ, vt omnium aliarum inflammationum, caussa proxima sanguis, siue sincerus & purus sit, siue humores alios admistos habeat, qui è vasis thoracis loca hæc nutrientibus, ex surculis scilicet & ramis venæ cauæ ascendentis, per ramum subalarem venasque mammarias, quibus nutriuntur costæ quatuor superiores, vel ex ἀζύγου ramis quibus reliquæ octo costæ inferiores nutriuntur, eò effunditur. Refert tamen Vesalius, *lib.* 3. *c.*7. *de fabrica corp. humani*, se in quibusdam corporibus talem constitutionem venæ ἀζύγου reperisse, vt omnes thoracis costæ ab eius ramis nutrimentum accipere potuerint. Sed & pleuritidem nonnunquam à sanguine ex arteriis, (quibus membranam hanc destitui non rectè sentit Mercatus) quæ venas hasce comitantur, in membranas effuso excitari posse, à vero alienum non videtur. Frequentius tamen humores calidi, tenues, biliosi & acres sanguini permisti pleuritidem pariunt, aut aliorum humorum sunt vehiculum; cùm vasa, quæ membranam hanc pertingunt, sint parua, ipsaque membrana densa. A sola verò bile, pituita vel melancholia, pleuritis non generatur.

*Bilis, pituita vel melancholia sola pleuritidem non generat.* Est enim pleuritis inflammatio, cuius caussa proxima est sanguis, & proinde sine sanguine reliqui humores pleuritidem non excitant, etsi sanguini pleuritidem parienti admisceri possunt, vt ita sanguis inflammationem producens modò purus sit, modò bilem, vel pituitam, vel melancholiam admistam habeat. Quanquam verò Galenus, 6. *aph.* 33. scribit, pleuritidem aliam cum flauis & ruffis sputis esse, eamque ex biliosis humoribus ortum habere; aliam cum spumeis, eamque ex pituitosis prouenire: aliam cum nigris, eamque ex melancholia; aliam cum cruentis, eamque ex sanguine: tamen id saltem accipiendum est de humore vitioso sanguini permisto, cuius signa ex sputo deprehenduntur. Postquam enim, vbi pleuritis coqui incipit, non sanguis crudus, sed alteratus & in substantiam albam redactus reiicitur: si sanguis is laudabilis sit, copiaque potiùs quàm qualitate peccet, in principio quidem sputum tenue rubrum reiicitur, paulò post verò album. Si verò alius humor admistus sit, quê natura, vt mox dicetur, præcipuè expellere nititur, non planè album, sed flauum, vel alterius coloris, pro humoris peccantis ratione.

*Caussæ remota.* Caussas remotas quod attinet, aliæ materiam suppeditant, aliæ eam mouent, &, vt ad pectus fluat, faciunt. Antecedens caussa materiam suppeditans est cacochymia vel plethora seu in toto, seu in parte aliqua. Et quidem frequenter pleuritis generatur, cùm vitiosi humores in venis febres continuas accendunt, quorum pars ad thoracem effusa pleuritidem facit. Natura enim animalis saluti intenta non solùm perfecta coctione humores vitiosos è corpore expellit, & perfectas crises instituit sed quandoque etiam vel copiâ vel prauitate humorũ stimulata, initiò tales humores aggreditur.

Et quidem rectissimè agit, dum tales humores planè eiicit atque exterminat. Si tamen quacunque de caussa id præstare nequeat, à conatu suo non statim desistit; sed vt vasa communia & cordi vicina, regiam quasi corporis sedem & vias publicas, ab humoribus vitiosis repurget, ad minores venas & partes priuatas ac remotiores eos depellit: quæ si sint ignobiliores, vt glandulæ sub cute & ipsa cutis, ea suum finem assequitur, & id in ægri commodum cedit. Si verò quacunque de caussa in partem aliquam nobiliorem, aut quæ nobilem in consensum trahere possit, materiam detrudat, fine suo frustratur, & febris inde non leuior, sed grauior ac periculosior redditur. Qua de re insignis est locus apud Hippocratem, *lib.*4. *de morbis. Quicquid,* inquit, *in morbo copiâ abundat, dum turbatio in principiis contingit, ad locum fertur, in quo plurimum superat. In turbatione autem amplam capacitatem nactum secretum voluitur, & corpus calefacit, aut in aliqua corporis parte adhærescens vna cum alio humore, qui in alio loco est, dolorem & calorem exhibet. Quod verò incalescit, reliquum etiam corpus calefacit, ex eoque febris contingit, fereque ex bile, pituita & sanguine ortis quæ calidissima existunt. Et si quid horum in aliquam corporis partem incubuerit, plerumque inde morbus nominatur, & appellationem habet.*

Itaque etsi Antiqui febres, quæ pleuritidem, vt & anginam, peripneumoniam, & similes partium internarum inflammationes coniunctas habent, pro symptomaticis agnouerint, vt symptomatum more inflammationi, vt morbo primario, succrescere crediderint, adeò quidem, vt, referente Hippocrate 4. *aph.*73. eos, qui propter lateris aut pulmonis, aut alterius eiusmodi partis inflammationem febricitarent, iam non febricitãtes appellauerint, sed pleuriticos aut peripneumonicos; aut similibus aliis nominibus nuncupauerint: tamen si quis rem diligenter perpendat, animaduertet, non febres ab hisce inflammationibus, sed potius inflammationes istas à febribus eo, quo dictum modo suam originem habere. *Febres pleuriticorum quales.* Experientia enim testatur, quod pleuritis & eiusmodi aliæ inflammationes non præcedant febrem, sed febris inflammationem; aut certè febris simul cum inflammatione incipit, animaduertimusque, materiam inflammationis caussam non in parte inflammata fixam consistere, & calorem p... n. à se diffundendo febrem accendere, sed sæpe vagam & quasi turgentem hinc inde vagari: id quod ex morborum, qui febres hasce comitantur, commutationibus patet, quod ex pleuritide & peripneumonia angina fit, ex peripneumonia phrenitis, materiâ, materiâ ex vna parte in aliam translatâ, vt ex 5. *aph.* 10. & 7. *aph.*11. & 12. videre est. Atque hinc sæpe accidit, vt inflammationes tales aliarum febrium acutarum more per vniuersales euacuationes & crises soluantur, & coctionis humorum signa in vrina conspiciantur.

Et tales pleuritides sunt plerumque eæ, quæ aliorum epidemiorum morborum more plurimos corripiunt, & cum malignitate coniunctæ sunt, & quæ à caussis communibus & malignis ac contagio ortum habent. Vt enim venena alia aliis partibus infesta sunt: ita materia maligna, quæ morbos epidemios parit, nunc huic, nunc illi parti magis infesta est, & nunc pleuritidem, nunc anginam, nunc phrenitidem, nunc dysenteriam, nunc alios morbos gignit.

Ad pleuritidem autem excitandam facere possunt omnes caussæ, quæ ad plethoram & cacochymiam generandam faciunt, vt suppressæ sanguinis consuetæ euacuationes, per nares, menses, hæmorrhoides, item humorum vitiosorum, qui ad articulos depelli, vel per vlcera inueterata euacuari solebant, retentio, & alui fluxus intempestiua detentio, sicut ex dysenteria intempestiuè suppresâ pleuritidem excitatam fuisse,

sæpius

sæpius obseruatum est. Et in summa sex rerum non naturalium vsus immoderatus, qui plethoram & cacochymiam excitare valet, huc pertinet.

Vt autem seu sanguis abundans, seu vitiosi humores ad pectus fluant, & actu pleuritidem excitent, facit pectoris debilitas, ad materiam affluentem facilè suscipiendam apta, vel à primo ortu, vel à morbo aliquo contracta; calor aut dolor attrahens. Huc faciunt, quæ sanguinis ad latus affluxum concitare valent, ictus, casus, contusio pectoris, vehemens exercitium, æstus humores fundens, frigus exprimens, vini meracioris ingurgitatio, potus frigidi, præcipuè post exercitia, flatus aquilonij post austrinos, *3. aph. 5.* corporis post sudorem in aëre frigido denudatio.

## *Differentiæ.*

*Differentiæ.* Pleuritidis differentiæ à nonnullis plures recensentur præcipuę, & quæ ad curationem aliquid faciunt, sunt, quæ sumuntur à loco affecto & caussis. A loco affecto & doloris situ, ex *2. de rat. victus in acut. t.* 10. & 11. diuiditur pleuritis in ascendentem, cum dolor ad superiora & iugulum versus extenditur; & descendentem, cum versus hypochondria vergit. Nonnunquam etiam versus dorsum magis tendit, cuius mētionem facit Hippocrates, *lib. 3. de morb.* nunc magis versus anteriora.

Ratione caussæ secundum sanguinis inflammationem patientis varietatem est differentia. Sanguis enim modò purus est, modò ei bilis, quod plerumque accidit; modò pituita, modò melancholia admiscetur.

Est tamen & illa differenta notatu digna, quod pleuritis alia dicitur sicca, in qua nihil, vel parum omnino & nullius momenti exspuitur; non solùm in morbi principio, sed etiam in eius progressu; quod vel ob humoris cruditatem, vel eiusdem crassitiem & viscidítatem, vel facultatatis imbecillitatem, vel doloris vehementiam, vel propter bronchiorum obstructionem accidere potest: alia verò humida, in qua sputum mox circa principium apparere incipit, *1. de victus ratione in acut.* 21. & 23.

## *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Signa pathognomonica, quæ in omni pleuritide animaduertuntur, ipsiusque ideam complectuntur, & à Galeno, *5. de loc. affect. cap. 3. 1. aph. 12.* & *de constit. art. med. c. 15.* recēsētur, sunt 1. dolor lateris acutus, qualis in membranis fieri solet, à sanguine in eam effuso ortus, qui & ad vicinas partes, nunc versus iugulum, nunc versus hypochondria extenditur, quòd membrana hæc totam thoracis cauitatem inuestiat. Atque doloris ratione peripneumonia à pleuritide discernitur, & in peripneumonia sola lateris dolor est exiguus vel nullus. Quod tamen tum solùm verum esse putat Platerus, cùm pulmonis interna magis, quàm externa inflammantur. Si enim ad externa vsque extendatur inflammatio, non solùm fibris, quibus succingenti membranæ annectuntur pulmones, contractis, sed & inflammatione succingenti membranæ communicata, dolores in latere excitari existimant.

2. Febris continua acuta, ex phlegmone in loco cordi vicino accensa, sæpe verò ex natura sua talis & ante phlegmonem orta, quæ tamen accedente pleuritide & inflammatione rursum ab ea incrementum sumit atque augetur. Atque febris hæc plerumque, tertianæ typum obseruat, quòd frequentissimè pleuritides à sanguine bilioso ortum habeant.

3. Respiratio difficilis, frequens, parua, quia ob inflammationem & dolorem instrumenta respirandi satis distendi nequeunt. Itaque cùm vsui magnitudine satisfieri non possit, defectum in magnitudine per celeritatē & frequentiam natura compensare studet. Et ob dolorem natura cogitur, vt ad secundam respirationem statim pergat, cùm primâ, vtpote nimis parua, vsui satisfactum non sit. Nam velocitas non ita dolorem parit, simul dilatationis magnitudo; cùm hæc motûs vehementia partem dolentem distendat, illa breui tempore motum efficiens ad quietem festinet.

4. Pulsus est durus, paruus & frequens, ob tensionem arteriæ, & quia membrana dura & densa inflammata non permittit arterias ita distendi, quemadmodum calor & vsus id requirit. Ideoque pulsus fit celerior & frequentior, atque ea pulsus differentia oritur, quæ à Medicis Serrina nominatur, eò quòd, dum pulsus tangitur, serræ dentes repræsentat, cùm alia pars attolli, alia non attolli videatur.

5. Tussis ægro valde molesta est: quæ accidit tum ob tumorem, membranam, quæ costas succingit, occupantem, qui cùm minus liberum spatium, in quod distendantur, spirandi organis permittat, natura ad expellendum, id quod impedimento est, insurgit; tum quia portio aliqua materiæ pulmoni communicatur, quæ cum sputo per tussim excernitur. Et quia initiò à loco inflammato parum exit, plerumque initiò tussis sicca est, postea humida, materiâ copiosiore penetrante; sputumque coloratum & cruentum apparet. Quando autem pulmones simul inflammantur, magna materiæ pars è pulmone prouenit. Quod autem sputum à pleura in asperam arteriam proueniat, & hin per tussim excernatur, de eo dicetur infrà, *quæst. 3.*

Atque qui hæc signa pathognomonica diligenter in conspectu habet, facilè veram pleuritidem ab aliis affectibus omnibus, qui cum ea similitudinem habere videntur, discernet. Neque enim in vllo alio morbo omnia hæc simul reperiuntur. In notha quidem pleuritide, quæ fit ab inflammatione musculorum intercostalium & externæ partis thoracis, febris vel nulla adest, vel non adeò acuta: tussis, nisi forsan aliquid à capite destillet, est nulla, & nihil, præsertim cruenti, excernitur. Pulsus non percipitur adeò tensus & durus, dolor est mitior, isque pulsans, non pungens, & neque ad iugulum neque ad inferiora extenditur, locusque manu pressus dolet; nonnunquam & dolor foris apparet, qui suppuratus per cutem erumpit, teste Galeno, *5. de. loc. affect. c. 3.* Quandoque tamen accidit, vt in vera pleuritide phlegmone versus exteriores musculos ob magnitudinem tendat, ac dolor etiam extrà percipiatur, atque ita pleuritis nothæ speciem præ se ferat; cùm tamen internæ inflammationis saltem incrementum fit. Itaque ad alia signa, ne fallamur, simul respiciendum. *Vera & notha pleuritidis differētia.*

Si dolor à flatibus inter musculos intercostales & membranam conclusis ortum habet, etsi aliquis sensus punctionis adsit; nulla tamen adest febris, nulla tussis, nulla ferè respirandi difficultas; dolorque ferè est vagus, neque perpetuus, sed per interualla recurrens, & sæpe de vna parte in aliam transit.

Inflammatio verò pulmonis seu peripneumonia valde similis est pleuritidi; nullus tamen, si solus pulmo inflammetur, dolor in eo percipitur, vel exiguus, & nullo modo pungens, isque non in lateribus, sed in medio potiùs thoracis; pulsus etiam non est durus, sed laxus & vndosus; difficultas spirandi maior, vt ægri sæpe rectâ ceruice spirare cogantur. *Pleuritidis & peripneumoniæ differentia.*

Ab inflammatione diaphragmatis differt, quòd dolor in latere non vrget, sed extrema costarum ad finem sterni dolent, ventrisque pars, vbi diaphragma est, turget, deliriumque adest. *Inflāmationis diaphragmatis & pleuritidis differentia.*

In mediastini inflammatione dolor non ita in lateribus percipitur, neque est extensus.

Inflammatio hepatis, quæ etiam habet quandam cum pleuritide similitudinem, ita vt Siculus Medicus, vt refert Galenus, *5. de loc. affect. cap. 7.* dum eam experiretur, pleuriticum se factum existimaret, à pleuritide differt loco doloris, qui perpetuò est in dextro latere, *Hepatis inflāmationis à pleuritide differentia.*

latere, & circa dextrum hypochondrium collectus,neque is pungens est,sed grauans, tumorque infra costas nothas percipitur; pulsus est vndosus, non tensus,tussis est minor & sicca, respirandi difficultas quoque minor; vrina est citrina, nigra, alui excrementa sanguinolenta.

*Signa humorū pleuritidē parientiū.* Quis autem humor pleuritidem, pariat, tum ex signis humorum vniuersalibus, tum ex iis, quæ pleuritidem comitantur, & præcipuè sputo cognoscitur, cum quo tussi reiicitur pars eius humoris, qui inflammationem excitat. Si videlicet sanguis purus pleuritidem pariat, adest repletio & tensio venarum, maximè circa tempora & frontem, cum sensu grauitatis circa oculorum cauitates, & capitis anteriora, rubor faciei, sputum est rubrum & malum mitius. Si bilis adsit, sputum est subflauum, dolor admodum pungens, febris est acuta & ardens, quæ ferè typum tertianæ seruat, sitis est vehementior, pulsus durior & velocior, vigiliæ & anxietudo maior, oris amaritudo, vrina citrina tenuior. Si pituita admiscetur, sputum albicat, viscidum & glutinosum est, febris est mitior & minùs acuta, quæ ferè typum quotidianæ obseruat, & circa vesperam exacerbatur. Si melancholicus, sputum ad nigrum & liuidum tendit, nisi insignis corruptionis & pleuritidis lethalis sit indicium, quod accidit, si præcessit sputum rubicundum, & postea nigrum sequitur.

Si malignus sit humor,sputum plerumque est malè coloratum, adest magna virium deiectio, pulsus est languidus, & alia febrium malignarum symptomata apparent.

*Tēpora pleuritidis.* Tempora morbi huius ex sputo præcipuè cognoscuntur, vt docet Galenus, *lib.* 1.*de cris.c.*18. Si enim sputum sit nullum, vel paucum, vel crudum,& cum difficultate reiicitur, morbus adhuc in principio est. Postea vbi sputum copiosius nonnihil & post tenue crassius exspuitur,idque faciliùs,incremētum est. Quòd si sputum iam coctum,id est, album,læue,æquale, consistentiæ mediocris,& quod facilè reiicitur,apparet,idque copiosius expuitur, status est. Declinatio tandem, vbi post copiosius sputum paucius reiicitur, & febris, dolor, & omnia symptomata remittunt. Cum verò febris,quæ pleuritidi coniuncta est, non rarò sit primaria, non symptomatica, coctionem humorum etiam ex vrinis animaduertere licebit.

*Differentia ratione subiecti.* Rondeletius etiam,*capite altero de pleuritide,* signa, quâ ratione pleuritis ratione subiecti differat, proponit, quæ Lectori perpendenda relinquimus. *Pleuritis,* inquit, *duplex est, altera, quæ extenditur per partem interiorem omnium costarum. Altera verò, quæ costam vndiquaque inuestit,tanquam periostium costarum, & in vtraque membrana fit inflammatio. Distinguitur autem species ex decubitu. Nam si æger in partem affectam decumbere potest,& non in oppositam, argumento est, affectum esse in membrana extensa, quæ hypoficota dicetur & hoc fit, quia, cum in oppositam partem decumbit æger, pondere materiæ collectæ illa membrana distenditur magis, & diuellitur à costis. Illa autem, quæ fit in periostio, contrario modo se habet. Nam in oppositam partem dormire possunt, in affectam verò minimè. Sed quia hæc nota communis est pleuritidi veræ & non veræ, ob id aliam notam adiungere oportet ad distinctionem harum. Nam si affectus sit in musculis externis, si digito premantur, dolorem sentiunt. Quod non accidit his, qui inflammationem in periostio habent, nisi supra modum comprimatur costa. Fit etiam pleuritis in musculis intercostalibus, quæ species pulsatione deprehenditur. In multa enim inflammatione costarum arteria comprimitur, præterquam in inflammatione musculorum intercostalium. Hac nota certissima deprehenditur,* & *in vtrumque latus dormire possunt. Conueniunt omnes in dolore punctorio, in pulsu duro, in difficultate anhelandi; febre verò & sputo distinguuntur. Nam omnes inflammationes internæ febrē habent, sed dolor lateris sine febre, à materia frigida vel flatulenta excitari solet. Nulla tussis, nulla exputitio sequitur, quia materia in parte externa continetur. Omnibus aliis difficultas respirandi est major, & dolor magis pungens, sputio magis sanguinolenta, vel flaua, vel spumosa. In inflammatione membranæ internæ semper adest pauca, aut multa in morbi processu. Nam in salubribus tantum mox apparet sputum. Verum in inflāmatione musculorum intercostalium minor fit resudatio, ob id exputitio minor. In ea parte, quæ est in periostio, ferè nulla appa-ret,* & *resoluitur per insensibilem transpirationem & sudorem,modo missio sanguinis prohibuerit incrementum. Nam talis inflammatio à pauca materia fit.*

## *Prognostica.*

1. Euentus pleuritidis triplex est: vel enim ad salutem, vel ad mortem terminatur, vel in alium morbum commutatur. Vt autem, quis euentus futurus sit, sciamus, vires naturæ & morbi componere conuenit. Vires corporis ex actionibus corporis vitalibus, naturalibus & animalibus cognoscuntur. Quò enim ipsæ actiones rectiùs sese habent, eò maius naturæ robur significatur. Morbi conditiones autem etsi plurima signa ostendant; tamen inter ea in pleuritide signa coctionis & cruditatis sputi primas obtinent. *Prognostica.*

2. Hinc crudæ pleuritides morbi diuturnitatem vel mortem; coctæ breuitatem & salutem ostendunt. Salutem quidem ostendit coctio, quatenus coctio; breuitatem verò, quatenus hoc vel illo tempore apparet. Nimirum in omni pleuritide salubri sputum maturè coctionem recipere, & in calore ac substantia sese bene habere, ac facilè & promptè excerni debet: & quò meliora coctionis signa adsunt, & quò citiùs sputa apparent, eò citiùs morbus terminabitur. De quo Hippocrates 1.*aphor.* 12. *In pleuritide si sputum statim appareat in initio intra tertium diem,breuem morbum indicat:sin verò posterius,longum.*

3. Periculosissima verò pleuritis est, in qua nihil exspuitur: (nisi tamen ita leuis sit vt insensibiliter vel per sudorem discuti possit) secundum locum obtinet, atque ita leuior est,in qua ichores tenues saltem exspuuntur: tertio loco est, in qua crassiora apparent: quarto, in qua sputum perfectè coctum apparet. Quod si circa tertium vel quartum diem contingat, morbus vltra septimum non extendetur.

4. De sputi conditione passim extant aphorismi apud Hippocratem. Flauam bilem sputo admodum permixtā apparere intra initia, bonum est, si multò pòst apparet, malum: quia naturam nihil aduersus morbum rebellem tentare significatur, 2.*prognost.t.*44.& 45.

5. Sputum flauum sincerum aquositati multæ permixtum periculosum est; album verò glutinosum ac rotundum inutile, 2.*progn. aphor.*46. Et, 1.*de rat.victus in acut.c.*37. sputum glutinosum κακονθὲς pleuritidis signum habetur; cùm ex igneo calore materiam adurente lentor & visciditas contrahatur: idque propterea alibi καταγλισχραινόμενον ἀπέπτως nominat, id est, admodum glntinosum sine coctione. Quod enim coquitur modicè glutinosum euadit. Hoc verò saltem ab adustione lentorem contrahit.

6. Malum quoque est χλωρὸν, id est, æruginosum, vel admodum viride,& quod spumosum excernitur, 2.*prognost.*47.

7. Sputum nigrum sincerum pessimum est, 2.*prognost.*48. Indicat enim & humoris prauitatem, & caloris natiui extinctionem.

8. Nimirum quò humor mitior est, à quo pleuritis prouenit, eò & ipsa Mitior est, quæ à sanguine cum bile mixto excitatur. Contumax & diuturna est, quæ à pituitoso humore. Pessima, quæ ab humore melancholico & maligno prouenit.

9. In pleuritide, vbi exscreatio dolorem, tussim ac spirandi

æ ſpirandi difficultatem non ſedat, malum. Copia enim vel malignitas materiæ, vel expultricis debilitas ſignificatur.

10. Qui pleuritide laborant, niſi intra 14. dies ſupernè per ſputum repurgentur, iis in empyema fit tráſmutatio, 5.*aph.*8. Aretæus tamen hîc interdum vigeſimum diem terminum conſtituit: & Galenus, *in comment.* non ſolùm empyema, ſed quamlibet in pus mutationem intelligit.

11. Materiam autem ad ſuppurationem tendere dignoſcitur ex eo, quod ſputum parcius eiicitur, nec expectorandi finis eſt intra decimum quartum. Et cum fit ſuppuratio, omnia ſymptomata ingraueſcunt, dolor, febris, linguæ ſiccitas; difficultas reſpirandi; ſæpe etiam accedunt deliria.

12. Qui verò ex pleuritide empyici fiunt, ſi in 40. diebus repurgentur à die, quo ruptio facta eſt, liberantur: alioquin in tabem tranſeunt, 5.*aph.*15.

13. Pleuritis maximâ ex parte die decimo quarto terminatur, aut ſi non hoc, ſaltem vigeſimo, & quidem ſi quarto die exſpuat æger album, læue, æquale, idque ter vel quater tuſſiendo, in ſeptimo terminabitur. Si in ſeptimo tale ſputum primum appareat concurrentibus aliis bonis ſignis, morbus vltra vndecimum & decimum quartum diem non extenditur.

14. Si tardius æger ſpuere cœperit, tardior etiam morbi ſolutio erit. Contrà quò citiùs ſigna mala apparent & ingraueſcunt, eò citiùs æger moritur.

15. Præterea ſunt & alia ſigna, quæ ad euentum huius morbi ſignificandum faciunt. Maximum indicium exitialis pleuritidis eſt, ſi pulſus ſummoperè durus ſit, & præterea etiam paruus, atque ob calorem frequentiſſimus. Pleuriticus enim cum tali pulſu nullus ſanatus fuit, vt Galenus, 4.*de præſag. ex pulſu cap.*5. ſcribit.

16. Quicunque dolor circa thoracem & pulmonis ſedem affligens neque ſputi expurgatione, neque alui deiectione, neque ſanguinis miſſione, neque medicamentis, neque victûs ratione definit, eum in empyema conuerti ſciendum eſt 1.*prognoſt.* 52. ſi tamen nulla ſigna lethalia apparent; aliàs mors expectanda.

*Pleuritidis ...taris terminatio.* 17. Ad ſalutem enim terminatur pleuritis vel materiæ ἐκκρίσει atque excretione per ſputum, quæ ratio frequentiſſima eſt & tutiſſima; vel διαφορήσει atque diſcuſſione. Compertumque eſt, pleuritidem bilioſam ſeptimo die iudicatam fuiſſe per icterum, vel euacuatione materiæ per hæmorrhagiam narium, vrinam, aluum, ſudorem; vel permutatione in epyema; vel, quod rariſſimum eſt, per μετάστασιν materiæ ad articulos & glandulas, vel parotidas, *aph.* 38.*ſ.*2.*libr.*5. *Coacar.*

18. Hinc fluxus ſanguinis è naribus ſignum bonum eſt in pleuritide, vt & hæmorrhoidum & menſium fluxus. Et præcipuè ſi fluxus ſanguinis in die critico fiat, & poſt ſigna coctionis accidat, bonum præſagit, nec inhibendus, niſi vires ad extremum deiiceret. Si verò in principio contingat ex multitudine materiæ à natura gubernatæ, & anhelitus difficilis inde minuatur, & febris vehementia ceſſet, vtilis quoque eſt. Si contrarium verò eueniat, & ſymptomata non alleuientur, contingit plerumque ægrum mori in quarto.

19. Diarrhœam quidem, quando ſuperuenit pleuritidi vel peripneumoniæ, malam eſſe, 6.*aph.* 16. ſcribit Hippocrates: ſed hoc intelligendum de pleuritide, in quâ inflammatio tanta eſt, vt hepate & ventriculo in conſenſum tracto, nutrimentum non bene concoquatur. Si verò pleuritis non adeò grauis ſit, nec hepar, nec ventriculus in cóſenſum trahatur ob mali grauitatem, aliquando bonum ſignum eſt, materiâ per aluum euacuata; maximè ſi coctionis ſigna adſint, nec fluxus ab alia cauſſa exiſtat: cuius rei hiſtoria habetur apud Valleriolam.*lib.* 1.*obſeru.*4.

20. Pleuritidi ſi peripnemonia ſuperueniat, malum 7.*aphor.*11. Fit enim tranſlatio materiæ ad membrum nobile. Pulmonis tamen inflammationes, quæ ex morbo laterali permutationem accipiunt, iis, quæ ab initio fiunt, ſecuriores eſſe, in *Coacis comm.*1.*lib.*5. *ſect.*2.*aph.*44.*apud Hollerium*, ſcribitur. Quod cur fiat, parum conſtare ſcribit Hollerius. Deſiderius Iacotius verò locum hunc corruptum, & pro γενομένων legendum eſſe ἐπιγενομένων putat. Forſan verò hoc loco Hippocrates non inſtituit collationem pleuritidis cum peripneumonia ſed peripneumoniæ, quæ per ſe incipit, cum ea quæ pleuritidi ſuccedit. Etſi enim bonum non ſit, pulmonem inflammari ſanguine à latere ad eum delato: tamen adhuc periculoſius eſt, ſi ἐξ ἀρχῆς & per ſe peripneumonia incipiat. Tum enim toto impetu materia ad ſolos pulmones ruit. Si verò materia prius ad pectus feratur, in plures partes diffunditur, nec tanta inflammatio inde excitatur. Quãdo verò tranſit pleuritis in peripneumoniam, dolor lateris ceſſat.

21. Si pleuriticus dolor ex ſputis bilioſis abſque ratione euanuerit, ægri in delirium incidunt, 3.*prorrhet.* *t.*5. Humor enim bilioſus ſurſum in caput trahitur, & tum vrina tenuis atque alba redditur.

22. Quando pleuritis accidit prægnantibus, periculoſum eſt, ſicut & ſenibus, cùm in his ob virium imbecillitatem & caloris naturalis inopiam materia non concoquatur, vtrique verò phlebotomiam & victum tenuem, quæ in pleuritide maximè neceſſaria ſunt, non facilè ferant.

23. Pleuritis poſt alium morbum diuturnumque plerumque lethalis eſt. Periculoſa illa, quæ in corpus cachecticum incidit.

24. Denſa & exercitationi dedita corpora citiùs ex morbo laterali & pulmonis inflammatione intereunt, quàm quæ ſine exercitatione degunt *In Coacis.*

25. Quibus morbo laterali plurimus ex ſputo ſtrepitus in pectore ſonat, & vultus demiſſus eſt, oculuſque aurigine ſuffuſus & caligine obductus, in his mors expectanda. *Ibidem.*

26. Quibus in morbo laterali lingua circa initia bilioſa eſt, hi intra ſeptimum iudicantur: quibus verò tertio aut quarto die, circa nonum.

27. Et vt ſigna reliqua etiam, quæ pleuritidi cũ aliis morbis communia ſunt, coniungamus, & quid de euentu pleuritidis ſperandum ſit, in ſummam quaſi contrahamus, ægrum conualiturum hæc ſignificant: Leuiter & moderatè morbum perferre, corpus eſſe æqualiter calidum ac molle, vrinas & alui deiectiones, ſomnũque rectè ſeſe habere, ſitim eſſe moderatam, facilè reſpirare, dolorem eſſe ſedatum, ſputum facilè ac maturè excerni, idque in ſubſtantia & colore ſeſe bene habere. *Signa ſalutis.*

28. Contrà mortem ſignificant, grauiter ac cum anxietate morbum perferre, corpus inæqualiter affici, vt ſi thorax & venter vratur, extrema frigeant, alui deiectiones, ſudores non bene ſeſe habere, non dormire, ſiti ardere, dolorem non ſedari, nihil aut paucum & cum maximo conatu excerni. Delirium ſi accedat, cùm ſepto affecto hoc contingere ſoleat, mortale eſt ſignum. Si vrina tenuis & ſubtilis fuerit, nec habens aliam maliciam, indicat materiam raptam eſſe ad locum inflammatum, & plerumque mortem notat. Propria tamen ſigna maioris momenti ſunt, & plus ad mortem ſignificandam vnum ſignum proprium, quàm ad ſalutem plurima communia faciunt. *Signa mortis.*

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Cum pleuritis ſit inflammatio, quæ ex affluxu ſanguinis fit, eæ, quas inflammatio ſuppeditat, indicationes & hîc dantur. Humores videlicet affluxuri & affluẽtes reuellendi; fluentes intercipiendi, repellendi, deriuãdi; quod denique afflixit, & in parte inflammata hæret, diſcutiendum, aut quoquo modo è parte tollendum. Repellentibus

pellentibus tamen hîc & intercipientibus locus non datur; cùm per ea materia ad interiora repelli & inflāmatio augeri possit. Ideoque in pleuritide materia saltem affluxura & affluens reuellenda: & quæ quidem influxit, in venis tamen partis adhuc fluctuat, nondumque impacta est, deriuanda, & quod influxit discutiendum, aut si id fieri non potest, maturandum, concoquendum, & curandum, vt quamprimùm tussi ac sputo reiiciatur atque euacuetur.

Deinde dolor, si magnus sit, & ad sanguinis missionem non leniatur, mitigantia indicat.

Tertiò cùm febris, quæ pleuritidi coniungitur, sæpe sit primaria, ea non negligenda, sed ei necessaria remedia adhibenda. Tandem quod in omni morbo fieri debet, virium habenda est ratio, & conueniens victus præscribendus. Quæ omnia quomodo expedienda sint, iam dicendum.

## *Curatio.*

*Curatio.*

Atque à quo auxiliorum genere curatio inchoanda sit, an à fomentis discutientibus, an a purgatione, an à venæsectione, inter Autores non conuenit. Hippocrates quidem, 2. *de rat. victus in acut. t.* 1. scribit: *Lateris dolorem, siue is per exordia fuerit, siue postea obortus sit, tentare medicamentis calidis dissoluere, non absurdum est.* Aliis tamen hoc tutum non videtur; cùm eiusmodi calefacientibus auxiliis facile maior humorū affluxus concitari, atque ita inflammatio augeri possit. Verùenimuerò non loquitur Hippocrates eo loci de pleuritide, seu inflammatione pleuræ in specie, sed in genere de lateris dolore, qui ab aliis etiam caussis, & quæ fomentis discuti possunt, non solùm ab inflammatione pleuræ ortum habere potest, vt infrà, *part.* 3. *c.* 6. dicetur. Ideoque in vera pleuritide vix venæ sectio, si vires eam ferant, differenda, & fomenta præmittenda sunt. Nisi forsan planè, vt Galenus, 6. *epid. comm.* 3. *text. vlt.* scribit, pleuritis exigua & leuis sit, neque à magno humorū affluxu oriatur, & fomenta ad humorē discutiendum sufficere videantur. Tum enim leuia fomenta adhibere conuenit, præsertim si à caussa externa vt aëre frigido pectus lædente, dolor excitetur, absque sanguinis in reliquo corpore abundantia.

*Venæsectio.*

*Fomenta.*

*Fomentorum duplex commodum.*

Nam fomenta duo commoda habent, & per ea materiæ pars euacuatur, parique affecta propterea minùs distenta mitiùs dolet. Ita Galenus, *loco modò allegato*, cuidam pleuritide laboranti venam non aperuit. Atque his fomentis si dolor mitigetur, signum est; nullam adesse plethoram; aut pleuritidem potiùs notham esse, quæ à flatibus ortum habuerit. Itaque audaciùs tunc fomentis vti licebit, quibus hoc, quod inflammationem aut dolorem parit, discutitur. In fomentis tamen illis adhibendis cauendum, ne nimis calida & discutientia sint; sed planè lenia adhibenda. Vnde etiam Hippocrates aquam calidam & milium applicat. Et applicamus ista, vt & lac commodissimè in vesica, quæ pondere latus non grauat, vt vasa ænea. Videndum etiam, ne, quæ calida admouentur, refrigescant, vnde linteis calidis fouenda. Si verò dolor augeatur atque acerbior euadat, indicio est, plethoram subesse, quam ad se trahant partes calefactæ, aut omnino, si signa adsint certi sanguinis affluxus, tunc statim à fomentis desistendum, vel etiam fomenta planè omittenda, & aliqua euacuatio instituēda.

*Vtra præmittenda sit in pleuritide, venæsectio, an purgatio?*

Vtra autem præmittenda sit, venæsectio aut purgatio, etiam ab autoribus in controuersiam trahitur. Quæ præcipuè orta est ex loco Hippocratis, 2. *de rat. victus in acut. t.* 10. & 11. vbi ita scribit: *Si dolor ad claniculam pertigerit, aut molesta sit vel brachio, vel mammæ, vel partibus septo transuerso superioribus grauitas, internam cubiti venam secare expedit. Si verò eas, quæ sub septo transuerso sunt, partes dolor infestat, nullumque ad claniculam signum fecerit, ventrem vel nigro veratro vel peplio mollire oportet.* Præterea, vt alibi etiam dictum, pleuritidis & talium inflammationum caussa principalis est plerumque cacochymia, quam natura in principio febrium talium è corpore depellit, aut certè ad exteriora protrudere conatur.

Verùm Galeno, *in comment.* cui & Paulus Æginetа, *lib.* 3. *cap.* 33. Rhases, & alij Medici assentiuntur, tutius videtur in vtroque casu sanguinem primò mittere. Est enim pleuritis inflammatio cum febre acuta, in quâ secundum Hippocratem, 1. *aph.* 24. rarò purgandum, & quidem in initio & cum ingenti præmeditatione; cùm sine omni periculo sanguinem mittere liceat. Et sit, vt in pleuritide etiam purgatione opus sit; venæsectio tamen præmittenda, vt Hippocrates, 4. *de rat. victus in acutis t.* 21. & Galenus, 6. *epidem. comm.* 1. *text.* 6. docet. Venæ sectione verò peractâ tutiùs medicamentum purgans exhiberi potest, si cacochymia magna sit, & illa præsertim in prima corporis regione contineatur, aut eò vergat; quod ex vomitu, alui excrementis liquidis, anxietate, & circa ventriculum grauitate cognoscitur. Et Hippocrates, *loco allegato*, non loqui videtur de pleuritide propriè dicta, sed, vt modo dictum, de dolore lateris in genere, qui non solùm ab inflammatione pleuræ; sed & ab aliis caussis ortum habet; quod etiam Rondeletius, *lib.* 2. *cap.* 15. animaduertit. Etenim dolor, qui sub septo transuerso est, non est in pleura, & intelligit proculdubio Hippocrates alium dolorem, qui prouenit ab affectu aliquo in ventre inferiore eius partis, quæ cum intestinis consensum habet. Qua de caussa etiam purgantia exhibet. Et Hippocratem de flatulento aliquo affectu potiùs loqui, quàm de vera pleuritide, patet ex eo, quòd daucum, seseli, cuminum & anisum veratro nigro & peplio addit.

*Venæsectio tutissimum pleuritidis auxilium.*

Tutissimum ergo & maximè necessarium pleuritidis auxilium est venæsectio, quæ etiam summum ægro commodum affert: modò sanguis per venas affluat. Maximas enim, vt etiam Heurnius existimat, pleuritides etiam nasci sanguine ex arteria aorta affluente vero consentaneum est. Et tum non satis iuuat venæ sectio. Virium tamen habenda est ratio, & an illæ venæsectionem ferant, videndum. Et cùm quædam sint, quæ vires robustas vel debiles indicant, quæri hîc solet an pueris & senibus pleuritide laborantibus vena aperienda sit? Item an grauidis pleuritide correptis venam aperire liceat? & an mulieri, si sub ipsum mensium fluxum pleuritide corripiatur, sanguis mittendus sit.

*Ante annum 14. vena non aperienda.*

Et primò pueros quod attinet, etsi Auerrois referat, quod Auenzoar, maximi apud Arabes nominis Medicus filio suo trimo venam aperuerit, aliique idem sexto anno & octauo fecisse legantur; tamen non facilè id tentandum, & vix ante annum 14. vena aperienda; cùm vires eâ ætate debiles sint, & ob mollitiem ac raritatem aliàs insignem dissolutionem corpus patiatur. De qua re etiam in Institut. *lib.* 5. *part.* 2. *sect.* 2. *cap.* 17. & de febribus, *lib.* 2. *cap.* 5. dictum. Si tamen morbus valde vrgeat, & puer sit pleno corporis habitu, ac sanguine redundet, corpusque non sit nimium molle, circa annum ætatis nonum vel decimum hirudines venis apponere licet. Ægyptiis hodie crurum scarificationem in talibus etiam in pueris in vsu esse, in Institut. *lib.* 5. *part.* 1. *sect.* 2. *cap.* 7. ex Prospero Alpino dictum. Senibus autem, si adhuc validi sint, sanguinei carnosique, venam aperire nihil impedit; cùm vires non annorum numero, sed robore ac corporis habitu æstimandæ sint.

An verò grauidis & sub ipsum mensium fluxum fœminis pleuritide correptis venam aperire fas sit, de eo in Instit. *loco priùs alleg.* dictum.

Quæ autem vena & quo in latere aperienda sit, non ita planum est ob plurimas & grauissimas hac de re motas controuersias. Non enim solùm antiqui (puta Græci & Arabes) non planè inter se consentire

videntur

videntur, sed superiore etiam seculo hac de quæstione variè disputatum;atque,vt Thaddæus Dunus, *lib.2.de art.reuell.cap.4.* hac de re scribit, acerrimè in hac controuersia altercatum;ac doctiores quique Medici, Itali,Galli, Hispani, (adde & Germani) plurimùm sunt commoti, ita vt ad magistratum ea res delata fuerit, quo Principis autoritate & gladio tumultuosæ istæ disputationes sedarentur. Qua de re infrà pluribus, *quæst.4.* dicetur; hîc saltem veriorem, quam putamus, sententiam proponemus.

*Quæ vena & quo in latere aperienda.*

In pleuritide, vt in aliis inflammationibus, reuulsionem, quæ sanguinem affluxurum, aut etiam, qui jam affluit, à parte inflammatâ, quantum fieri potest, longissimè auertat, atque ita incrementum inflammationis prohibeat,necessariam esse, tentandámque eam mox esse in principio,dum fluxio humorum adhuc durat, & inflammationis incrementum metuitur, extra controuersiam est. Materiam autem,quæ ad vicinæ inflammationis loca jam influit, aut etiam in partem inflammatam jam influxit, nondum tamen in ea impacta est, deriuationem requirere, etiam extrà dubium est, sicut & illud, reuulsionem ad contraria, deriuationem ad vicina, & vtramque κατ' ἶξιν seu secundum rectitudinem fieri debere. Hoc autem jam in controuersia est, an reuulsio, vena in latere affecto aperta, fieri, & an vna & eadem venâ apertâ simul reuulsio & deriuatio fieri possit; & an rectitudo saltem secundum latitudinem consideranda sit. Nihil horum concedimus, statuimúsque præsente plenitudine venâ in eodem latere apertâ sanguinem potiùs ad partem affectam attrahi,quàm ab eo reuelli,& quòd reuulsio, vbi vtroque auxilio opus est, tempore præcedere debeat deriuationem, neque vtraque eadem venâ apertâ peragi possit,asserimus.Etsi hoc non negamus,quod plethora etiam in eodem latere vena aperta demi, atque ita morbus aliquando præcaueri possit. Veruntamen commodius est, si in latere opposito vena aperiatur, quâ & sanguis minuitur, & à loco affecto reuellitur. Statuimus hinc, τὸ κατ' ἶξιν non solùm secundum longitudinem corporis, sed etiam secundum latitudinem considerari posse.

Primum quod attinet, cùm focus & fons quasi, è quo sanguis affluit ad partem affectam in pleuritide, non sint venæ brachij in latere affecto,sed truncus venæ cauæ, à quo vtriusque brachij venæ originem habent,& plus sanguinis sit inter latus oppositum & locum affectum,quàm inter locum affectum & brachium loco affecto vicinum,si in principio, præsente adhuc plenitudine,vena in eodem & parti affectæ,vicino brachio aperiatur, facilè fieri potest vt sanguis, qui post venæsectionem ratione vacui ad brachium, in quo vena aperta est,fluere debet,ad partem inflammatam,vtpote debilem, dolentem & calentem, præter naturam ruat & trahatur,atque ita inflammatio augeatur. Præcipuè si fluat sanguis per ramum subclauium,aut mammarium, aut thoracicum. Tum enim venâ in eodem latere sectâ non conciliatur motus contrarius, sed augetur influxus.

Sit enim aa.ramus subclauius,b b.vena mammaria, c c. thoracica, d d. cephalica, e e. basilica, f. truncus venæ cauæ. Secetur ejusdem lateris cephalica vel basilica, manifestum est, motum contrarium hoc modo non conciliari.Ex fonte enim f.seu trunco venæ cauæ, dum vena d. vel e. aperitur, simul fluit versus a. b. c. Neque etiam, si per intercostalem venam sanguis influat, tutò in eodem latere vena aperitur; cùm, vt Hippocrates, *de ossibus*, docet, danda sit opera, vt quàm maximè procul à locis,in quibus dolores fieri & sanguis colligi solet,sectiones faciamus.

Contrà verò si in opposito brachio vena aperiatur, sanguis, qui ad affecti lateris venas & per eas in partem affectam fluxurus erat: in contrarium trahitur, & sine vllo periculo.

*[ Lector beneuole, cùm Liber I I. Pract. typis primò imprimeretur, accidit, vt septimanis aliquot peregrè abessem. Amanuensi ergo commisi, vt schema hoc venarum ex opere Vesalij Basileæ, anno 1555. edito insereret. Is verò cum incidisset in schema venarum,quod pag.450. extat, non animaduertit, vitiosum in eo schemate venæ axillaris exortum exhiberi; sed illud ipsum Practicæ meæ inseri curauit; cum potius alterum, quo prius corrigitur, pag.505. exstans inserere debuisset. De qua re Te monere,& schema correctum hîc exhibere volui.]*




Et licet è venis ejusdem lateris, vtpote quæ parte affectâ in pleuritide superiores sunt, sanguis fluat;tamen venæ illæ reuera fons non sunt, è quibus sanguis fluit; cùm is ex internis & majoribus venæ cauæ ramis ad hos & per has ad partem affectam mittatur. Et quamuis eadem vicinitas est vtriusque brachij cum vena caua,tamen, vt dictum, si venæ in latere affecto aperiantur,facilè fieri posset,vt cum majore impetu ad locum vicinum affectum fluat. Et confirmat ipsa experientia,quod rectè fiat,si in opposito brachio vena aperiatur. Per tot enim annorum secula quibus Arabes, & post hos Barbari, vt ob stylum nominantur, Medici in pleuritide in initio morbi in oppositâ parte venam aperuerunt,nihil incommodi ex eo Medici illi non imperiti perceperunt, nihilque damni ægris ex venæsectione hoc modo administrata inferri animaduerterunt. Imò Matthæus Curtius, vt posteà, *in quæst. 4.* dicetur, cùm ipse pleuritide corriperetur, & à Medicis,quos in consilium vocauerat,rogaretur,an secundum suum dogma in brachio lateris affecti, an verò in opposito secundum Arabum doctrinam venam sibi aperiri vellet: in opposito latere venam sibi secari maluit, procul dubio non ignarus, quod aliis etiam eadem sine incommodo,imò cum vtilitate aperta esset.

*Vna vena aperta reuulsioni & deriuationi inseruire non potest.*

Neque ex vnâ venâ apertâ simul reuulsio & deriuatio fieri potest. Cùm enim reuulsio fiat ad remota & contraria,deriuatio ad vicina;vna & eadem pars remota ac vicina esse non potest, atque eodem tempore vtramque fieri non posse, clarè docet Galenus, *de cur. rat. per sanguinis missionem,c.19.Vt summatim dicam,* inquit,*incipientes inflammationes reuulsione curare oportet, quæ verò jam inueteratæ sunt, ex ipsis, si fieri potest, affectis partibus. Quod si fieri nequeat,saltem ex vicinis.* Ideóque cum Hippocrates & Galenus in eodem latere venam aperire præcipiunt,id non reuulsionis, sed deriuationis gratiâ fecerunt. Quod vel ex eo apparet, quod eo vsque sanguinis missionem continuari voluerint, donec color mutaretur, qui sanguinis è parte affecta jam affluentis signum est; reuulsio verò è parte affecta non euacuat.

*Τὸ κατ' ἶξιν & rectitudo quid?*

Τὸ κατ' ἶξιν verò & rectitudinem quod attinet, quamuis in opposito latere vena aperiatur, nihilominùs secundum Hippocratis & Galeni præceptum fit κατ' ἶξιν καὶ εὐθυωρίαν. Neque enim τὸ κατ' ἶξιν obseruatur solùm secundum longitudinem corporis,

sed & secundum latitudinem, id quod clarè docet Galenus, *in comment.* 3. *ad lib. Hippocr.de fractur.t.*10. κατ' ἴξιν, inquit, *semper pro ex directo ponit, aliquando per longitudinem corporis, aliquando per latitudinem.* Et idem Galenus, 2. *ad Glaucon.c.*2. vno crure laborante, ex altero sanguinem mittere jubet. Non enim requiritur, vt vena, quæ reuulsionis gratiâ aperitur, communionem cum parte affecta habeat, id quod in deriuatione est necessarium; sed cum parte mittente communicare debet. Nam cùm deriuatio è parte affecta, aut certè vicinis euacuare debeat, necesse est, vt per venas, quæ cum parte affecta communionem habent, fiat, & quidem vicinas. Cùm verò reuulsionis finis sit, sanguinem ad partem affluxurum aut jam affluentem ab ea ad contrarium auertere, necessarium est, vt per eas venas fiat, quæ cum parte mittente communionem habent, à parte verò recipiente seu affecta remotæ sunt. Quod in pleuritide optimè fit in latere opposito. Cùm enim è trunco venæ cauæ sanguis ad latus affectum affundatur: vena in brachio opposito aperta habet cum venæ cauæ trunco, vtpote à quo oritur, communionem; remotior verò est à loco affecto, quàm venæ ejusdem lateris.

Quæ cùm ita sese habeant & medicinæ fundamentis consentanea sint, si Medicus mox in principio ad ægrum vocetur, & plenitudo corporis insignis adsit, & vehemens ad partem affectam affluxus, viresque venæsectionem ferant, in opposito brachio vena aperienda est, longinquioris reuulsionis gratiâ; & ne, corpore adhuc pleno & durante humorum affluxu, secta in eodem latere vena affluens humorum copia ad latus inflammatum moueatur. Postea verò in eodem latere deriuationis gratiâ vena aperiri potest. Et inprimis id fieri debet in iis regionibus & hominibus, qui largam & repetitam sanguinis missionem facilè ferunt.

Neque refert, quod, vbi vena in opposito brachio aperitur, euidens auxilium non statim inde percipiatur. Etenim nemo primo die vel moritur, vel sanatur; & satis est, si postea commodum ex ista venæsectione percipitur, quod satis magnum est, dum à loco inflammato sanguis qui inflammationem aucturus erat, auertitur, & ex deriuatione plus postea commodi percipitur, si reuulsio præmissa sit.

Si verò, quod sæpe fieri solet, Medicus non statim in primo morbi principio vocetur, & sanguinis, qui morbi vehementia, febrili calore & inedia minui solet, non adeò magna sit abundantia, nec magnus etiam amplius affluxus, aut si pleuritis sit mitior, sanguinisque nec copia magna, nec magnus affluxus, & vires etiam iteratam sanguinis missionem laturæ non sint, statim in loci affecti latere venam aperire licet. Nam si initio pleuritis, in qua magnus humorum affluxus non est, solùm fomentis curari potest, cur non etiam in tali miti pleuritide, aut in qua non est amplius magnus humorum affluxus, solùm ejusdem lateris venam aperire sufficiat?

*Mulieribus mensium suppressione laborantibus quanam vena secanda in pleuritide.*

Cæterum & hoc in controuersia est: vtrum mulieribus mensium aut hæmorrhoidum suppressionem patientibus & pleuritide correptis vena: in brachio an verò in poplite aut pede aperienda sit. Arabes quidem nonnulli etiam aliàs à vena in pede secta fecerunt initium, & sentiunt nonnulli, morbos à menstruorum in fœminis & hæmorrhoidum in viris & fœminis suppressione originem trahentes venarum in crure sectione tantùm sanandos esse; id quod in morbis diuturnis, & qui dant inducias, faciendum esse, libenter concedimus. In morbis verò acutis, qualis est pleuritis, non semper in poplite aut pede vena aperienda est, sed distinctio adhibenda. Nam si in talibus euacuationibus, quæ statis temporibus fieri solent, repentè omninóque suppressis, sanguinis ad superiora motus & in latus affluxus manifestè deprehendatur, à venæ poplitis vel tali sectione curatio omninò inchoanda est. Si verò suppressio jam antiqua sit, per quam paulatim plethora vel cacochymia aliqua & humorum abundantia in superioribus partibus cumulata sit, neque etiam tempus mensium instet, tum à venarum brachij sectione curatio inchoanda. Acutus enim morbus id requirit, nec moram fert, donec rursum vel menses vel hæmorrhoides prouocentur, fierique potest, vt dum in mensibus vel hæmorrhoidibus prouocandis laboratur, æger vehementiâ morbi iuguletur. Mensium verò & hæmorrhoidum suppressio moram fert, eiúsque postea, cum acuti morbi periculo æger liberatus est, ratio haberi, &, vt sanguis suppressus prouocetur, opera dari potest.

Nec hîc prætereundum, cùm pleuritis non rarò febrem & morbum primarium sequatur vel comitetur, quæ sæpe malignitatem insignem conjunctam habet, id quod frequenter in pleuride epidemia accidere solet; diligenter tum malignitatis esse habendam rationem, & an ea venæsectionem ferat, attendendum esse. Mentionem facit Gesnerus, *lib.*1.*epistolar.pag.* 19. cujusdam epidemiæ malignæ & contagiosæ pleuritidis, quâ multi perierunt, & in qua venæsectio in brachio nihil profuit, sectio verò ad malleolos, & in principio sudor ab antidoto aliquo plus opis tulit. Et omnino in talibus malignis primò malignitas expugnanda, & hinc reliqua, quæ opus, peragenda.

Tempus quod attinet, cùm sanguis vel reuulsionis vel deriuationis gratia mittatur, & reuulsio humori fluenti debeatur, fluxio autem fiat in principio, sanguis statim reuulsionis gratiâ in initio morbi quacunque diei hora mittendus, neque venæsectio hîc diu differenda, vt postea deriuatio fieri possit. *Quando secanda sit vena.* Veteres, teste Galeno, 3. *epidem. comm.* 3. non mittebant sanguinem post quartum diem. Verùm certus dierum numerus hîc definiri non potest, sed interdum post quartum diem sanguinem mittere non licet, quandoque & octauo licet. Nam si quarto die jam materia concoqui, & per sputum expelli cœpit, ne natura ab hoc suo opere auertatur, post quartum diem venam secare facilè non licet. Si tamen corpus sit valde plethoricum, tutiùs id facere licet, vt natura oneris parte leuata reliquum faciliùs concoquat. Si verò tale quid non obseruetur, etiam post quartum diem venam secare fas est, quod & Hippocrates, *loco allegato*, fecit, qui Anaxioni venam aperuit octauo die, vel quod citiùs non fuerat vocatus, vel quod in pleuritide crudissima, quæ vndecimo die vix coqui cœpit, morbus inducias tulit.

Quantum sanguinis mittendum sit, ex ejus copia & virium robore æstimandum est. *Quantum sanguinis mittendum.* Ita etiam vires docebunt, vtrum confertim & vnâ vice; an verò partitis vicibus sanguis mittendus sit. Hippocrates, 2. *de rat.victus in acutis text.* 10. vacuationis modum statuit esse coloris in sanguine mutationem, si scilicet à crudo etiam aquoso rubicundus vel flauus fluat, aut à rubicundo vel flauo liuidus vel niger ob adustionem. Indicio enim est, sanguinem ex ipsa phlegmone, vel vicinis huic venis alteratum, & transmutatum jam euacuari, qui ob calorem & adustionem ibi colorem mutauit. Verùm id tantùm locum habet, cum in eodem latere deriuationis gratia sanguis mittitur, non verò, cum in opposito reuulsionis gratiâ.

Neque tamen, cum in eodem latere vena aperitur, illam coloris mutationem semper expectare licet, sed priùs cessandū est, cùm scilicet aut vires infirmæ sunt, ægérq; habitu corporis molli teneróque est, qui facilè resoluitur, aut tēpus anni admodū calidū, aut inflāmatio ita praua, vt de impacto ei sāguine nihil emittatur.

Antiqui etiā ad lypothymiā vsque sanguinē mittebant. Verùm corpora nostra talē venæsectionē, præcipuè in pleuritide, non facilè ferunt, cùm propter dolorem, febrem, tussim viribus opus sit, quæ constare nequeunt, si initiò statim sanguis tam copiosè euacuetur.

Vicariæ

*Cucurbitulæ.* Vicariæ phlebotomiæ in corporibus infirmis & materiæ copia non magna sunt cucurbitulæ cum scarificatione infernis lumbis vel partibus inferioribus appositæ.

## *Purgatio.*

*Purgatio.* Postquam sanguinis missione impetus ejus aliquo modo conquieuit, & pars aliqua humoris inflammationem parientis euacuata est, si ex missi sanguinis colore & aliis signis cacochymiam in corpore subesse, quæ malum foueat, augeatque, Medicus coniiciat, ad purgationem accedendum est, inprimis si eam ad primam capitis regionem vergere ex ventris murmure, vomitu, excrementis alui liquidioribus, anxietate circa ventriculum cognoscatur. Atque id maturè faciendum. Autor quidem, *lib.4.de rat.victus in acut.aphor.76.* diem quartum simpliciter purgationi determinat. Verùm rectè scribit Galenus, *in comment.* talia ægro secundum numerum dierum simpliciter injungi non posse; sed quod Hippocrates statuit, esse sequendum, ideóque statim initio medicandum, vel postea, quando ad maturitatem perducti sunt humores; quam ob caussam & prima interdum die, & secunda & quarta & interdum quinta se purgans medicamentum dedisse scribit. Ideóque humores, qui in communibus ductibus redundant & facilè ad partem affectam confluunt, initiò, quo tempore auersio maximè desideratur, purgandi; postea verò vbi morbus viget, & humores à natura coquuntur, melius est quiescere.

Exhibenda verò talia medicamenta, qualia sunt apta ad euacuandum eum humorem, qui in corpore abundat, & in latus jam fluere cupit, vel saltem ad fluxionem paratus est, modò illa mitia sint & lenia, qualia sunt tamarindi, manna, cassia, syrupus rosar.& violar. solut. quibus & rhabarbari, mechoacannæ, fol.sennæ, agarici vel fortiorum aliquid addi potest, diaprunum, diacatholicum.

A fortioribus verò purgantibus medicamentis abstinendum, ne commoti ab his humores majori impetu in partem affectam ruant.

E. g. ℞. *Decocti fl.& fruct.* Vn.ii. In quibus dissolu. *mannæ el.* Drach.vi. *cassiæ extr.* Vnc.sem. *diapruni simpl.* Drach.iii. *extr.rhabarb.* Scrup.i. *spir.vitriol,* g.v. Misce.

Nonnulli quocunque humore redundante exhibent oleum amygdal.dulc.recens, per quod facilè fine molestia aluus mouetur. Cui quidam aliquid visci querni vel dentis apri addunt. Conradus Gesnerus, *loco allegato*, in pleuritide illa epidemia oleum lini propinatum fuisse, & aluum copiosè mouisse scribit.

*Oleum lini in pleuritide epidemia aluum mouit.*

*Alterantia.* Alterantia quoque febris & humoris peccantis caussâ exhibenda, humórque, si nimis calidus, acris, tenuis, aut contrà crassus sit, aptis medicamentis alterandus & corrigendus. Quæ tamen etiam commodè cum illis, quæ humorem jam in latere hærentem respiciunt, misceri possunt, vel ex alterantibus ea eligi, quæ simul peculiari proprietate caussam morbificam respiciunt. Et si conjiciamus, febrem illam, quæ pleuritidi conjungitur, esse malignam, qualis fermè semper in pleuritide epidemia, vtile, imò necessarium est, vt statim initiò etiam medicamenta sudorifera exhibeantur, qualia aliàs febribus malignis dicata sunt; quæ tamen ita parari debent, vt simul peculiari vi hunc morbum respiciant.

*Duo medicamentorum genera in pleuritide.* Vniuersalibus euacuationibus hoc modo præmissis, ad ipsam continentem caussam & humorem inflammationem excitantem curatio dirigenda est. Vbi duo inprimis medicamentorum genera requiruntur. Alia proprietate & vi peculiari pleuriticis vtilia; alia expectorantia & exspuitionem faciliorem reddentia, vel materiam insensibiliter discutientia.

*Specifica.* Priora quod attinet, etsi inflammatio morbus notus sit, & propterea medicamenta occultâ vi agentia requirere non videatur; tamen caussis, quæ eam excitant, plerumque peculiaris malignitas inest, quæ propterea etiam medicamenta occultâ qualitate agentia requirunt. Talia sunt flor.papauer.errat. seu rhæados siue per se sumpti, siue illorum succus, siue aqua, siue syrupus. Nonnulli flores istos recentes in succo betulæ, inspersis aliquot guttulis spir. sulphuris acidi per campanam facti, ad gratam conciliandam acredinem, non secus, quàm rosas aut violas macerant, atque inde ter aut quater reaffuso recentibus floribus diluto cum saccharo serapium rubicundissimi coloris conficiunt, quo postmodum prospero successu in pleuritide suo tempore vtuntur. Nam non solùm impetum humoris tenuis affluentis refrenat, ardorémque & ebullitionem sanguinis compescit; verùm etiam acutæ febris præsens est auxilium. Huc referuntur carduus Mariæ & præcipuè semen, carduus bened. scabiosa, radix lappæ major. seu bardanæ, radix aristolochiæ, cortex auellanarum rubrarum, oculi cancrorum, vel eorum magisterium, dens apri, castoris, lign. visci querni, mandibulæ lucij cum dentibus, oculi item lucij, & cruces in capite ejus inuentæ, lapis carpionum, percarum, priapus tauri, cerui, talus leporis, capreoli, sperma ceti, corallia rubra, quorum ʒ.i. vel etiam plus cum aqua conuenienti exhiberi potest; millefolij item radix contusa & cum aceto exhibita; succus pimpinellæ Italicæ seu sanguisorbæ; aqua prunorum syluestrium, sal hyperici, quæ inprimis juuant, si post eorum vsum sudor excitetur. Ideóque Chymici & alia sudorifera exhibent, vt bezoarticum minerale, ♁ diaphoreticum, & spiritum illum tartari compositum. Peculiariter etiam à nonnullis commendatur jus pauonum pingue.

De horum autem viribus, & quomodo pleuriticis prosint, alij aliter disputant. Nobis probabile videtur, ea inprimis ratione pleuriticos juuare, quod vim humores dissipandi & discutiendi habent, & ex iis etiam quædam malignos humores expellunt, ac cum pectore peculiarem cognationem habent. Vnde pleraque ex iis lapsis & contusis ad sanguinem concretum dissoluendum exhibentur, quædam in malignis febribus vsurpantur. Sicut nimirum venena alia aliis partibus nocent: ita & humores vitiosi alij ad alias partes à natura seu protruduntur, seu ruunt, & vt cancer, erysipelas, similésque tumores non in omnibus æquè partibus excitantur, & humor, qui dysenteriam excitat, intestinis peculiariter infensus est: ita & humoris pleuritidem excitantis ea plerunque natura est, vt ad pleuram, non ad alia membra tendat. Hinc etiam, sicut dysenteria, ita & pleuritis nonnunquam est epidemia. Medicamenta ergo, quæ peculiari vi pleuritidi prosunt, occultam illam humoris vitiosi qualitatem expugnant. Quapropter etiam commodissimè dantur initiò, vt scilicet malignum illud, quod naturam stimulat, & hujus fluxionis caussa est, discutiatur.

Vt ℞. *Fl. papau. errat.* M.j. Infunde in *aq.scabiosæ, cardui Mariæ*, an. ℔. sem. Colentur & cum *sacchara cando* dulcorentur.

F. Iulebus.

Vel ℞. *Cardui Mariæ* Scrup.ii. *flor.papau.errat.ocul. cancri,* ana Scrup.i.

F. Puluis, qui detur cum aqua endiuiæ.

Vel ℞. *Vnicornu, C.C.præp.margaritar. corallior.rubr. ocul.cancri, mandibular.lucij, lapid.percar.* ana Drach. ȷ. F. Puluis.

Detur Drach.sem.in *aq.prunor.syluestrium.*

Vel ℞. *Carduiben. cort. auellanar. rubr.* ana Scrup. ii. *ocul. cancri, mandibul. lucij, corallior. alb.* ana Drac.i.

F. Puluis.

Vel ℞. *Rasuræ dentis aprugni* Drach. iij. sem. *ligni visci querc. rad. bardanæ*, ana Drach. i. sem. F. puluis tenuissimus.

Vel ℞. *Sem. cardui Mar.* Drach.i.sem.*cardui bened.* Drach.sem. Cum *aqua cardui Mariæ* Vnc. iiii. *cardui bened.* Vnc.i.F.emulsio,cui adde *syr.violar.papau.errat.* an.Vnc.sem.Misce.

Vel ℞. *Sem.melon.* Drach. ii. *papauer. albi* Drac.i. *cardui bened.cardui Mariæ*,ana Drach.i.sem.*aq.scabios. cardui ben.*ana Vnc. iii. *hyssopi* Vnc.i.

F.Emulsio,in qua dissolu.*mandibul.lucij vstar. rasuræ dentis apri*,an.Scrup.i. *crystalli præp.* Scrup.sem. *syr. de althæa* Drach.iii. *manus Christi perlat.cum aq. rosar.* Vnc.sem.Misce.

Vel ℞.*Succi sanguisorb.syr.papaueris errat.*an.Vnc. j.*aq. cardui Mar.* Vnc.ii.vel iii.Misce.

Vel ℞.*Dent. apri* Scrup.i.*flor.papau.errat.*Scrup.ii. *syr.papau.errat.capill.*♀,ana Vnc.i.Misce.

Vel ℞. *Aq.scabios.*Vnc.xvi.*pimpinellæ, sanguisorbæ*, an.Vnc.viii.*flor.papau.errat.sicc.*M.j.*sacch.penid.*℥.ii.

Ebulliant in vase duplici clauso & colentur.

Vel ℞. *Aq.cherefol.cardui Mariæ,papau.errat.* ana Vnc.ii.*ocul. lucij* Scrup.sem. *matris perlar. præp. succini albi præp.*ana gr.xv. *extr. enulæ* gr.v.*syr.de hyssopo* Vnc. sem.*de succo violar.*Drach.ij.*essent.papau.errat.*Drach.i.

M. de quo die noctúque per quatuor vices tria cochlearia calidè propinentur.

Vel ℞. *Aq.carduiben.scabiosæ*, an.Vnc.i.sem.*papau. errat.*Vnc.ii. *ocul.cancri præp.C.C.præp.*ana Scrup.i.*syr. de succo violar.de iniubis*,ana Vnc. sem.*de althæa* Drac. ii.*spir.sulphur.acidi* Scrup.ii.Misce.

Quod verò medicamenta,quæ ad materiæ per sputum sensibilem euacuationem faciunt,attinet, pro humoris & temporis morbi ratione hæc nonnihil variant. Cùm enim humores ad exspuendum aptissimi sint, vbi mediocritatem quandam obtinent inter crassum & tenue : medicamenta ita comparata esse debent,vt eam humoribus inducant. Humores enim tenues, & qui pro tenuitate aëris tussi expulsi impetum effugiunt, ab initio incrassantibus ad mediocritatem reducendi,& ad exscreationem aptiores reddendi sunt. Crassos verò attenuare,viscidos incidere, adhærentes abstergere & abluere, simúlque vias expulsioni aptas reddere, conuenit.

Incrassant *rad.althéæ,flor.violar.bugloss.jujubæ, sebesten,gũmi tragacanth. amylum,papauer,syrup.violar.jujubin.de papau.diacod. diapenid.diatragac. frig.loch de psyllio*, *decoctum pectorale*,quod ex *hordeo,passul. jujub. glycyrrhiz.*ac 4. *sem.frig.major.* conficitur. Exemp.gr.

℞. *Sacch.penid.*Vnc.i.*rotul. diaireos s. diatrag. frig.* an.Drach.iii. *passul.enucl.* Vnc.sem.*sem.malu.* Drach.i. *papau.*Drach.sem.

Cum s.q. *syrup.violar.*M.in formam Linctûs.

Vel ℞. *Syr. violar. de jujubis capillorum Veneris,conseruæ violar.sacch.candi,amyli*,ana Vnc.sem.Misce.

Vel ℞. *Amygd. dulc. contusar.pinear. in aqu.hordei infus.& contusar.* ana Vnc.j.*sem.melonum, cucurbitæ excortic.*ana Drach.ii. *sacch.candi* Vnc.sem.*syr.capill.* ♀. *jujubini*,ana q.s.F.Lohoh.

In crassa verò materia conueniunt *hydromel*, *oxymel,hyssopus,capillus* ♀*is*, *scabiosa*, *tussilago,syrupus capill.Veneris,de glycyrrh. de farfar.de hyssopo*, *de prassio*, *de scabiosa,loh de farfara*, *de pino,de prassio* , *de scilla*, *diatragacanth, calid. decoctum pectorale ex passul. sebesten , jujubis , dactyl.caricis,hord.glycyrrhizæ,capill.*♀, *hyssopo paratum.*

Vt ℞.*Syr.capill.Vener.de glycyrrhiza* , an.Vnc.i. *de tussilag.oxymel.s.*ana Drach.vj.Misce.

Vel ℞. *Lohoh de penid. de farfar.*an.Vnc.sem.*spec. diaireos s.*Drach. j. Cum *syrupo de glycyrrhiza.* F. Lohoh.

Vel ℞.*Ol.amygd.dulc.*vel *lini* vel *vtriusque,oxymel. s.*ana Vnc.sem.*sacch.penid.* q.s. F.Lohoh.

Bottonnus,Medicus Italus, sequenti Eclegmate feliciter vsus est :

℞.*Ol.amygd.dulc.*℥.ii.*oxymel.scillit.sacchari candi*, ana ℥.i.*succi cepar.*Drach.i. M.de quo sæpius cochlear sem. propinetur.

*Crassum duplici modo accipitur.* Verùm medicamenta, quæ ad crassos humores temperandos adhibentur , non sine omni distinctione vsurpanda ; cùm crassum sit varium. Crassum enim aliud naturâ suâ tale est , aliud ob coctionem. Primo conueniunt incidentia & attenuantia;crasso ex coctione, quæ abluunt & abstergunt ; adustis ea quæ humectant.Si materia sit cruda & contumax & febre remittente non cedat materiæ exscreatio,validioribus vtendum,vt loh de caulibus,de farfara,sano & experto , & aliis, quæ pulmonem à pituita & pure expurgare possunt. Atque medicamentis reliquis acetosi aliquid interdum addere licet,ad majorem incisionem , & vt ad tussim æger nonnihil stimuletur. Aliàs becchicis non vtendum , nisi cum facultas languida est , vt satis non expellat;cùm ipsa caussa naturam satis ad ipsam tussim irritet.

Antiquis in omni vera pleuritide in magno vsu erat oxymel,sed dilutius,de quo Hippocrates, 1 .*de rat.vict. in acut.t.*43 .& 3.*de rat.vict.in acut.t.*24.& seqq.videatur. Dictum etiam est de eo in Institut. *lib.* 5.*part.* 3. *sect.* 3.*cap.*4.

Atque ex enumeratis hactenus plerumque parantur medicamenta, quæ plures fines respiciunt. Nimirum quæ simul vim habent febri,cujus ferè soboles est pleuritis,vt & malignitati,si quæ adsit,resistendi, materiæ per sputum rejectionem adiuuandi, & pleuritidi peculiariter resistendi.

Vt ℞. *Lohoh de farfar.*Vnc.i.*spec.diair.s.* Vnc. sem. *ocul.cancri* Scrup.sem.*conseru.violar.*Vnc.sem.

Cum *syrupo papauer.errat.* F Lohoh.

Vel ℞.*Rad.fœnicul.tussilag.*ana Drach.iii *spec.decocti pector.* Drach.vi.Coqu.in suffic.quantit.*aquæ simpl.*

Colaturæ ℞.℔.j.ß.Adde *syrup.acetos.s.papau.errat. violar.*an.℥.i.Misce.

Vel ℞.*Scabios.*P.j.*cardui Mariæ* M.sem. *jujub.*Vnc. sem, *rad. glycyrrh.sem.melon.card.Mariæ*, an.Drach.ii. Coq.in s.q.*aq.hordei.*

Colaturæ ℞. Vnc.vii.*syr.papau.errat.* Vnc.i.*violar.* Drach.vi Misce.

Vel ℞. *Rad.glycyrrh.*Drach.vi. *flor.violar.papau.errat.*ana P.j *jujubar.sebesten*,anN.vii.*passul.*Vnc.j.*ficuum* N.vi.*sem.cardui Mariæ,melon.*an.Drach.ii. Coq.in *aq. hordei.*

Colaturæ ℞.℔.ii.dulcoretur *sacchar o cando.*

Vel ℞. *Fol.farfaræ* M.ij.*fragor.violar.*an.M j.*rad,helenij* Drach.ii.*glycyrrh.*Vnc.i.*sem.fœnicul.*Drach.i.*caricar.* N.iv. *passul.* Vnc ii. Coq.in *aq.hordei* mensur.iii. ad tertiæ partis consumptionem.Detur manè & vesperi haustus.

Vel ℞. *Sem.fœnigræci* Vnc.i.*lini* Vnc.sem. *jujubar,* N.vii. *dactylor. ficuum* , an. N. iiii. *passul.exacin.*Vnc. sem.*rad.glycyrrh.* Drach.iii. Coq.in *aq.hordei s.* pro ℥. viii.Quibus add.*pulu.rad.bardanæ* Scrup.i *spec.diatrag. frig.*Drach.sem.*liquor.visci querc.*gr.xiii.*sal. cardui ben.* Scrup.i.*syr.de jujub.de althæa*,ana Vnc.sem.Misce.

Ad dolorem mitigandum , materiam euacuandam, inflammationem resoluendam , sudorem eliciendum, vt admirabile præsidium aq.è flor.chamæmeli destillata commendatur,cujus Vnc.iiii.cum sacchar.Vnc.sem. vel Vnc.j.exhibentur.

*Externa.* Neque solùm interna medicamenta post vniuersalia illa præmissa necessaria sunt , sed & externa quædam medicamenta adhibentur, quæ materiam insensibiliter resoluunt, simúlque dolorem leniunt;ad materiæ concoctionem faciunt,pectúsque , vt ægri faciliùs exspuere queant , dilatare possunt. Quorum alia sunt

*Mitiora.* mitiora , vt spongia vel linteum madefactum in aqua dulci tepida vel lacte , aut vesica his repleta : item ol. dulce,viol.amygd.dulc mucilago sem althéæ , cydon. adeps suillus , gallin.butyrum, omnia recentia , vnguentum dialthéæ, Alia mediocria , quæ vim aliquam

quam discutiendi & aperiendi habent, vt chamæmelum, anethum, hyssopus, origanum, melilotus, sem.lini, fœnigræci, flor.cheiri, & olea ex his composita. Alia fortiora vt sal, dictamnus Cretic. ruta, galbanum, lepidium, sinapi. Et quidem mitiora in corporibus mollioribus, vt pueris & fœminis, locum habent, & initio morbi sufficiunt, vt dolorem leniant, quo sedato influxus sistatur. Validiora viris & robustioribus admouenda; sicut & thorace à materia per expectorantia maximâ ex parte expurgato ad fortiora ascendendum. Atque ex his variæ medicamentorum formæ componuntur: fomenta, inunctiones, cataplasmata, emplastra, sacculi; sed sicca & arida veræ pleuritidi minùs quàm nothæ conueniunt. Atque in majore dolore mollioribus, vt fomentis & illinitionibus, vtendum. Vbi verò dolor non est adeò vehemens, cataplasmata, cerata, emplastra adhibere licet.

*Fortiora.*

Vt ♃. *Mucilag.sem.althéæ, psylly, cydon.* an. Drach. iii. *ol.violar.amygd.dulc.* an. Vnc.ß. *ceræ* parum F. Vnguentum.

Vel ♃. *Ol.amygdal.dulc.chamæm.lilior.albor.vnguenti dialth.* an. Drach.iij. *pingued.gallin. butyri recent.non saliti*, an. Drach.i. sem. *ceræ* parum. F. Linimentum.

Vel ♃. *Vnguenti dialth.* Vnc. sem. *pulu. rad. ireos* Drach. sem. *ol.amygd.dulc.medull.crur.vituli*, an. q.s. F. Linimentum.

Vel ♃. *Rad.alth.ad mollitiem coctar.& per setaceum transmissar.* ℔. sem. *farin.fabar. sem.lini, fœnigræc.* ana Vnc. sem. *pulu. flor. chamæm.* Drach. iii. *pingued.gallin. anserin.* an. Vnc. sem. *vitell.ouor.* duorum, *croci* Scrup. j. M. F. Cataplasma.

Vel ♃. *Rad.lilior. albor.alth.* an. Vnc.i. *malu.violar. flor.hyperici, consolid.regal.* an. M.j.

Coq. ad mollitiem, & per setaceum trajiciantur. Deinde adde *farin.sem.lini, fœnigræci, pulu.flor.chamæm.* an. Vnc.i. *ol.amygdal.dulc.* vel *butyri recentis sine sale* q.s. F. Cataplasma.

Aëtius, *tetrabibl.2. serm.4. cap. 68.* post septimum diem, si dolor persistat, cucurbitam lateri affigere & cutim scarificare jubet, manifestissimámque in pleuriticis vtilitatem ex cucurbitulæ appositione percipi scribit. Vulnusculis verò scarificati loci salem aut nitrum inspergere, si sustinere queant; in aliis linteolum oleo madefactum ac sale conspersum imponere præcipit; sequenti deinde à scarificatione die rursum cucurbitam affigere jubet, quâ sanguis saniosus ex vulnusculis extrahatur. Paul. Ægineta, *lib. 3. cap. 33.* post decimum quartum etiam diem vtitur cucurbitulis. Commendat Trallianus, *lib. 6. cap. 1.* hoc auxilium, vt quod cum admiratione dolorem, licet vehementissimum, leniat, vt neque fomentis, neque alio auxilio opus sit. Verum enim verò validum hoc est auxilium, & quod vel insigne commodum vel damnum afferre, & à paucis tolerari potest, præsertim si ad Aëtij præscriptum adhibeatur. Quapropter vsurpandum cautè, & cauendum, ne vel nimij dolores, vel noua fluxio concitetur, tum scilicet, cum affectus diuturnior caussæ potiùs parti impactæ contumaciam, quàm multitudinem præ se fert, & cum venæsectione & purgatione adhibitâ dolor eodem modo intensus non ad septimum solùm diem, sed ad vndecimum etiam & decimum quartum perseuerat, & neque manifestè euacuantibus neque resoluentibus cedit; nulla tamen plenitudinis & cacochymiæ in corpore relictæ suspicio reliqua est.

*Vigiliæ.* Vigiliæ si vrgeant, hisce subuenitur illis, quæ affectui quoque conuenire possunt, vt lacte amygdal. cum emulsione sem. papau. & croco dato, vel syrupo de papauere, &c.

Tandem si materia non rejicitur, nec vllo modo à parte amoueri potest, sed phlegmone in pus mutatur, curandum, vt quamprimum maturetur, & abscessus rumpatur. Ad maturationem tale habes emplastrum

*Maturantia.*

Benedict. Fauentinus, quod & Forestus commendat, *lib.16. obseru.40.*

♃. *Fol. malu. cum radic. violar.* ana M. ij. *rad. alth. mund.* Vnc. ii. *lilior. alb.* Vnc. i. *enulæ* Vnc. sem. *flor. chamæm. meliloti*, an. M. j.

Bulliant omnia in s. q. aq. ad mediet. Colat. adde *farin. fœnigr. frumenti*, an. P. i. *fermenti* Drach. ii. *pingued. porci, butyri*, an. Vnc. sem. *ol. amygdal.dulc. communis* an. q. s. ad impinguandum emplastrum, cui adde *croci* Drach. sem.

*Ruptio abscessus.* Vt verò abscessus rumpatur, æger voce intenta loquatur, de latere in latus voluatur, tussi aut cum conatu. Rumpitur etiam abscessus, si vomitus aut sternutatio excitetur. Ad quod etiam faciunt becchica adhibita, commendantúrque scabiosa, prassium, carduus, bened & aquæ ac syrupi ex his compositi.

Vel ♃. *Radic. alth. helenij*, an. Vnc. i. *jujubar. sebesten.* an. N. xv. *glycyrrh. passul.* an. Vnc. i. sem. *dactylorum, ficuum*, an. N. vj.

Coq. in aq. ℔. ij. ad tertiæ partis consumptionem.
Colat. adde *sacch.* q.s. F. Iulebus.
Vel ♃. *Fermenti tritici* q.v.
Et F. Puluis cum *decoct. ficuum* & edatur.

Vel panis bene fermentatus in aqua mulsa maceretur.

Extrà cataplasmati adjiciatur aliquid stercor.columbini, & galbani.

♃. *Rad. lilior. alb. contusar.* Vnc. iiij. *ficuum* N. x. *fimi columbini* Vnc. ii. *fermenti* Vnc. iii. *axungiæ porci, butyri*, an. Vnc. ii. F. Cataplasma.

Quæ si non prosint, nonnulli partis apertionem suadent. Sed rarò tumor extrà vergit.

Abscessus ruptus detergendus hydromelite, decocto pectorali. Ad consolidandum vtilis est conserua rosar. mediæ ætatis, thus, bolus, terra sigillata. Omnes verò intentiones complet lac chalybeatum, nisi febris ejus vsum prohibeat.

Cùm verò abscessûs ad interiora ruptio in pleuritide periculum faciat, & suffocatio vel phthisis ex eo immineat, suadent nonnulli, vt extrà aperiatur abscessus. Neque abs re hoc fore videtur, modò locus, in quo vomica contineatur, certò & exactè cognosci possit. Neque enim eo loci, quo in empyemate & pure jam in thoracis cauitate collecto sectio fieri solet, de quo postea dicetur, sectio tum instituenda, sed ex pondere, dolore & calore diligenter locus, in quo vomica hæret, inuestigandus, atque is intra duas costas aperiendus leniter & paulatim, donec pus, exeat, cauendúmque ne simul tunica interior perforetur. Verùm nisi planè exactè locus perspectus habeatur, sed is incertus sit, aut vires debiles eam non ferant, sectio non instituenda. *Sectio.*

Iacobus Fontanus, *med.pract.lib.2.cap.3.* refert, interdum malignas & vulgares pleuritides grassari, qualem Anno 1598. vidit, quæ generabatur ex humore tenui virescente, & omnibus, qui ea corripiebantur, ferè lethalis erat. In cadaueribus dissectis sub mammis reperiebatur vomica plena virescente liquido humore. Huic pleuritidi in sectione est vnicum remediũ. Cùm enim in humore prauo nulla sit coctionis & mitigationis spes, materia sectione vt extrahatur, necesse est.

Si materia ad vias vrinæ vergat, diuretica exhibeatur.

*Diuretica.* Vt ♃. *Radic.aperientium in vino maceratar.* an. Vnc. i. *glycyrrh.* Vnc. i. *sem.4.frig.major.* an. Vnc. sem. *adianthi* M.j. *cicerum rubr.* M. sem. Coq. in s. q. *aq.puræ* ad dimidiæ partis consumptionem. Colatura sacchar o dulcoretur.

*Clysteres.* Si ad intestina vergat, clysteres abstergentes & abluentes exhibeantur, & ne dysenteria excitetur, etiam syrupi nonnihil adstringentes propinentur.

### Diæta.

*Diæta.* Cùm pleuritis ex acutorum morborum numero sit, victûs

victus rationem accuratam, & qualis acutis conuenit, requirit; de qua pluribus Hippocrates, 1.*de rat.vict.in acut.* vbi pleuritidem exempli loco tractat, & Galenus, *in comment.* Itaque in principio ad dies 4. si ægri vires ferant, tenuissimo victu vtendum. Veteres tenuem victum præscribebant ex melicrato primùm, postea ex cremore ptisanæ hordeaceæ vsque ad septimum vel nonum diem, vbi integram ptisanam aut oua aut carnis aliquid exhibere licebat. Et omnino accurati erant Antiqui in præscribendo pleuriticis victu; habetúrque, *ibid.t.*32.& 33. dolorem in pleuriticis augeri, si ægro ptisana detur aluo retenta & non priùs aperta; imò ægrum ad mortem præcipitem agi, si dolore non remittente sputóque retento ptisana præbeatur, non præmissâ euacuatione corporis, siue per venæsectionem, siue per alui subductionem.

*Veteres accurati in præscribendo victu pleuriticis.*

Nostri tamen homines tenuissimæ illi victus rationi non ita assueti sunt. Itaque ægris præberi possunt sorbitiones ex cremore ptisanæ primùm sponte colato, postea expresso. Ptisanæ enim hordeaceæ cremor in pleuritide præstantissimum alimentum est. Nam ejus viscositas læuis, continua, jucunda, lubrica, & mediocriter humens sitim minimè infert. Et si quid ablui vel excerni debet, probè abluit, vt Hippocrates habet, 1.*de rat.vict.in acut.t.*18. pituitam dissoluit & abstergit, atque per superiora, quæcunque deduci possunt, absque dolore educit, aluumque facilem reddit, ad deglutiendum facilis est, dolorem & calorem mitigat, maturat & omnia emollit. Vtilis est & emulsio amygdal. dulc. cum aqu. hordei facta, addito saccharo. Licet quoque amygdalas cremori ptisanæ miscere; biliosis tamen cremor ptisanæ commodiùs solus exhibetur. Addi etiam possunt ad refrigerationem sem. 4. frig. majora. Morbo cedente panatella dari potest ex jure gallinæ cum oui luteo & jura carnium tenuia: cibi item ex amygdal. & pineis parati. Tandem ad oua, carnes coctas & assas pullorum ac gallinarum & pisces bonos transeundum.

Potus sit aqu. hordei cum pauxillo cinamomi & item glycyrrhiz. item oxymel. aquosius vel decoctum pectorale ex jujubis, passul. glycyrrh.& hordeo:

Vel ℞. *Aq. coctæ* ℔.ii. *mellis, aceti,* an. ℥nc. sem. *sacchari* ℥nc.ii. Misce.

Vino abstinendum, & quanquam æger auidissimè id appetat, tamen ei non est concedendum; cùm ante morbi declinationem pleuriticis instar veneni sit. Ideo ante 14. diem rarò vinum concedi potest. Potus, qui assumitur, non sit actu frigidus, ne sputum, & quod insensibiliter transpirare debet, retineatur. Vitentur in cibo & potu omnia acida, salsa, fauces exasperantia & adstringentia. Compertum enim, nonnullos pleuriticos à lenticularum cum aceto ac salsamentorum piscium vsu & à frigidæ liberali potu extinctos fuisse. Aër temperatus sit. Motus animi & corporis vehementer caueantur, ita vt æger quoque parùm loquatur. Aluus lenientibus clysteribus aperta seruetur.

## QVÆSTIO I.

### *An in omni pleuritide detur inflammatio Pleuræ?*

*An in omni pleuritide detur inflammatione pleuræ?*

Vt hîc dubitare quis possit, ansam præbuit Heurnius, qui, *cap. proprio,* scribit, hanc membranæ ametriam & dyscrasiam oculis non semper in cadaueribus sectis patere; se secuisse pleuriticum immani delirio abreptum, cui nihil in menynge, nihil in cerebro, nihil in toto corpore παρὰ φύσιν notari potuit.

Verùm distinguendum est inter pleuritidem seu inflammationem pleuræ, & dolorem lateris seu pleuræ. Neque enim, vt infrà dicetur, omnis dolor lateris est ab inflammatione pleuræ, sed etiam ab aliis caussis ortum habere potest. Et memini, in morbillis infantes quandoque acutissimos lateris dolores passos esse, antequàm morbilli erumperent, à materia maligna & acri pleuram vellicante. Dolórque hic, vt rectè Heurnius, *ibid.* ait, à materiâ mole sæpe non magnâ ortum habere potest. Ac proinde ille, quem mortuum secuit Heurnius, non fuit propriè pleuriticus, sed febre acutâ malignâ laborauit, in qua pars materiæ malignæ & febrilis ad pleuram effusa dolorem ibi excitauit, pars in caput elata delirium procreauit.

Atque talis proculdubio fuit ille dolor pectoris, cujus Quercetanus meminit, quanquam falsò pro pleuritide eum habuit, qui à vermibus & malignis vaporibus ex iis adscendentibus ortum habuit; & tales dolores scabiosis etiam sæpe accidisse animaduerti. Talis est etiam, qui scorbuticis accidit, & proinde pleuritis vera non est. Si tamen talis dolor diutius duret, & affluxus humorum caussa sit, pleuritis inde & quidem non notha, sed vera excitari potest.

## QVÆSTIO II.

### *An in pleuritide sola Pleura, an verò simul Pulmo inflammetur?*

*An sola pleura in pleuritide inflammetur?*

De loco in pleuritide affecto & Antiqui & Recentiores dubitârunt, an scilicet in pleuritide sola Pleura, aut musculi intercostales, an vero simul etiam Pulmones afficiantur? Membranam equidem costas succingentem inflammari in pleuritide, vtpote quæ à parte affecta nomen habet, dubium nullum est. Cùm enim dolor sit adeò vehemens, vt ægri quasi terebrâ latus perforari conquerantur, neque costis, quæ omni sensu destituuntur, neque earum membranæ, quæ ob nimiam tenuitatem ac venarum paruitatem atque exilitatem tantam inflammationem suscipere non potest, neque ipsis musculis, qui sensum adeò exquisitum non habent, neque soli pulmoni, qui ipse non sentit, nisi parum ratione membranæ ambientis, is competere potest, sed in membrana costas succingente eum consistere necesse est. Hoc tamen negandum non est, interdum musculos intercostales simul in consensum trahi, cùm membrana costas succingens & hi musculi adeò connexi sint, vt vnum sine altero affici vix possit.

De hoc verò quæstio maxima est, an solùm membrana costas succingens, an verò simul pulmones in pleuritide afficiantur. Nostro seculo Felix Platerus, vir in re medica peritissimus, semper simul pulmones inflammari, ex sectione pleuriticorum mortuorum se deprehendisse, scribit. Idem Ioh. Zecchius, *in consult. Medic.consf.*26.*in appendice,* sentit, dum scribit, semper se fuisse in ea sententiâ, quod lateris dolor magna ex parte ad pulmones pertingat, rarò autem ad membranam costas succingentem; cùm in pluribus corporibus post mortem dissectis ægrotantium, qui communiter ac certè pleuritide periisse judicabantur, non membranam affectam fuisse, sed pulmones obseruârit cum sua membrana laceratos & corrosos. Deinde & experientiam & rationes pro sua statuenda sententia adducit Platerus. Sanguinem enim, quem tam citò exscreant, ab vnica succingente membrana inflammatâ, tam subitò præsertim, ad pulmones prouenire, ejúsque vasa ad exspuitionem permeare, nec suppuratione factâ pus ex eo loco transitum sibi per pulmones, illis non læsis & exulceratis, facere, & sic ad excretionem vsque peruenire minimè posse, sed potiùs, si inde emanaret, in thoracis cauitatem defluxuram materiam, & inde empyema facturam existimat. Et licet concedat, succingentem tunicam quandoque solam inflammari: tamen talem pleuritidem inde fieri non concedit, in qua cruenta & purulenta exspuuntur; cùm succingens membrana sese eò exonerare non possit, sed si inflammatio suppuratur, extrinsecus potius, quàm intrinsecus

intrinſecus vergat,vel ſi intrò rumpatur, pus in cauitatem pectoris potiùs,quàm in pulmones effundatur.

Verùm enim verò equidem negandum non eſt,ſæpe cum pleura pulmones etiam inflammari, & vero valde conſentaneum videtur, tántam copiam ſputi ac materiæ, quæ à pleuriticis ſæpe tuſſi reiicitur, pulmonibus ſaluis vix eiici poſſe. Atque id accidit, cum ſuperior pars pleuræ afficitur. Cùm enim illa cum membranâ coſtas ſuccingente communionem habeat,& circa partem ſuperiorem pulmones cum pleura connectantur, dum ſanguis præter naturam in pleuram influit, facilè etiam ſimul in pulmones illabi poteſt. Contrà tamen etiam negandum non videtur, ſolam membranam coſtas ſuccingentem aliquando inflammari, & veram pleuritidem,quæ propterea à pleura nomen habet,inde generari poſſe;cùm membrana hæc inflammationis capax ſit,vtpote quæ duplex eſt,interior & exterior,inter quas venæ arteriæque prӕterlabuntur,ac ſanguine præter naturam affluente ipſa adeò in tumorem nonnunquam attollitur,excreſcitque,vt decuplo craſſior,quàm cum ſana eſt, euadat, vt ipſemet Platerus obſeruauit, & *lib.*2.*de corp.hum.ſtructura pag.*168.annotauit.Atque id accidit,cum inferior pars pleuræ inflammatur,quæ cum pulmonibus non connectitur.Neque planè impoſſibile eſt, ſanguinem & pus è membrana ſuccingente per ſuperiora eiici:quamuis facilè concedam,id in tanta copia non exſpui,ac cùm pulmones ſimul ſunt affecti.Etſi enim antiqua dubitatio ſit,vt ex 1.*de loc.affect.cap.*5. videre eſt,quomodo ſanguis & pus è thoracis partibus in pulmonem eiuſque aſperas arterias penetrare,& tandem tuſſi reiici poſſint:tamen id fieri poſſe,plurima experimenta oſtendunt.Si enim aqua mulſa in cauitatem thoracis,in vulneribus & vlceribus eo vſque penetrantibus,infundatur,tuſſiendo reiicitur,& æger aquæ mulſæ ſaporem deprehendit. Conglutinatis quoque extra vulneribus, antequam intus perfectè ſanantur, cruoris & ſaniei è vulnere in cauitatem thoracis effluentis notæ in ſputo apparent. Et empyicos pus tuſſi reiicere notiſſimum eſt. Quandoque tamen ſuppuratam inflammationem pleuræ empyema ſequitur, vt ex Hippocrate, 5.*aphor.* 8. & 1. *de morb.p.*9. *in codice Fœſij*, videre eſt. De qua re mox etiam, *in quæſtione tertia*, dicetur.

## QVÆSTIO III.

### *Per quas Vias materia in pleuritide ad aſperam arteriam proueniat,& inde tuſſi eiiciatur.*

*Per quas vias materia in pleuritide ad aſperam arteriam proueniat,& inde tuſſi eiiciatur.*

Per quas Vias ſputum in pleuriticis in aſperam arteriam perueniat, & inde tuſſi eiiciatur, & excernatur, non ita planum eſt. Si pulmones ſimul afficiantur, res manifeſta eſt. Si autem ſola pleura afficiatur, res dubia eſt & obſcura,de qua prolixè agit,& contra Eraſiſtratum diſputat,Galenus,5.*de loc.affect.cap.*3. qui hac de re videatur. Galenum plerique Medici ſequuntur, & ſtatuunt, per pleuram materiam tranſſudare,aut eâ pertuſâ,erosâ, vel quouis modo rarefactâ in thoracis cauitatem peruenire, atque inde, tuſſi thorace compreſſo & pulmone dilatato, in aſperas arterias, quarum orificia in pulmonis ambitum tenui tunicâ obducta definunt, cogi, primò quidem in minores, hinc maiores, donec tandem per canalem ampliſſimum tracheæ è faucibus tuſſi eiiciantur.

Verum enim verò etſi non negandum ſit, tenuius quid,quale mulſa eſt,quam exempli loco affert Galenus ad probandum,humores in cauitate thoracis contentos in pulmonem penetrare, & ſi quid tenuius è pleura tranſſudat, & illud à pulmone imbibi poſſe:tamen non credibile eſt, materiæ tantam copiam, qualis ſæpe à pleuriticis per tuſſim reiicitur,per pleuram tranſſudare, (neque enim in principio vel augmento pertuſa eſſe poteſt,) & quidem eam tam craſſam ſæpe per anguſtos illos meatus è thoracis cauitate in pulmonis ſubſtantiam penetrare poſſe.Neque etiam credibile eſt,mox in principio ſanguinem purum, qualis ſæpe à pleuriticis tuſſi eiicitur, è pleura in thoracis cauitatem effundi; cùm id in aliis inflammationibus fieri non videamus, neque denſitas membranæ id facilè admittat.Atque hoc modo etiam omnes pleuritici fierent empyici.Ideóque vbi ſputum magnâ copiâ tuſſi reiicitur, pulmonem ſimul affici, credibile eſt. Et præcipuè vero non eſt conſentaneum,ſanguinem,qui in principio pleuriticis purus planè reiicitur, per pleuram tranſſudaſſe in cauitatem thoracis, & à pulmonibus imbibitum fuiſſe, nullam tamen in iis alterationem accepiſſe: ſed vero magis conſentaneum eſt, è vaſis, quæ aſperæ arteriæ nutrimentum aduehunt,quæque partes illas, quæ in parte ſuperiore pulmones lateri annectunt,nutriunt,hiantibus ob copiam ſanguinis in pleuram vicinam ruentis,effundi.

## QVÆSTIO IV.

### *Quæ Vena in pleuritidis principio aperienda ſit?*

*Quæ vena in pleuritidis principio aperienda? Diuerſa Auctorum opiniones.*

De vena in pleuritidis principio aperienda magna verborum contentione ſuperiore ſeculo pugnatum eſt, aliique Græcos, alij Arabes ſecuti ſunt;alij ſuas peculiares opiniones propoſuerunt.Ideóque etiam hanc quæſtionem pleniùs explicare, & totam huius certaminis hiſtoriam & præcipuorum Medicorum ſententiam, ſecundum ordinem temporis, quo vixerunt, proponere libet.Hippocrates,2.*de rat.victus in acut.t.*10. in pleuritide aperire iubet cubiti venam, verùm non addit, in vtro brachio:id verò,4.*de rat. vict.in acut. t.* 73.declarat; vbi eo in latere venam aperire præcipit, quo æger laborat. *Hippocrates.*

Archigenes vt ex Aëtio, *tetrab.* 2.*ſerm.*4.*cap.* 68. videre eſt,ex oppoſito brachio ſanguinem mittit. *In his* inquit ex Archigene Aëtius,*qui acuto morbo infeſtantur ſiquidem circa mammas ac clauiculam hæret dolor, venam incidere oportet in brachio,non eo,quod rectà ab inflammato latere procedit,ſed oppoſito.* *Archigenes.*

Galenus cum Hippocrate conſentit, ſcribitque, *lib. de curand.rat.per ſang.miſſ. cap.*16.*Pleuritis,quæ è directo lateris laborantis adhibita fuit ſanguinis miſſio,clariſſimam ſæpe vtilitatem attulit, quæ verò ex brachio oppoſito, aut omnino obſcuram, aut poſt temporis interuallum.* *Galenus.*

Galeno aſſentitur Oribaſius,dum,*lib.*1.*ſynopſ.cap.*10. & *lib.*7.*collect.c.*5.Galeni modò allegata verba recitat. Aëtius etiam *tetrabl.*1.*ſerm.*3.*c.*12in pleuriticis venam è directo lateris affecti ſecare iubet. *Oribaſius.*

Cælius Aurelianus ex alio latere,quod fuerit dolenti lateri contrarium,ſanguinem mittere iubet. *Cælius Aurelianus.*

Celſus, *lib.* 2. *cap.* 30. vſu ſe docuiſſe ſcribit ex longinqua & oppoſita ſanguinem mittendum eſſe. *Celſus.*

Si ad Arabes veniamus, Serapion, qui antiquiſſimus inter eos habetur, *tract.* 2.*c.* 21. ſecat primò & materia fluente baſilicam oppoſiti lateris, tum ſi adhuc materia fluat,in loco contrario ei ex dorſo ad longitudinem, id eſt, ſaphenam eiuſdem lateris, vt plerique interpretantur: quod ſi malum confirmatum eſt, & non ampliùs materia fluit, venam in brachio eiuſdem lateris. *Serapion.*

Rhaſes non idem ſentire videtur.Nam,9. *ad Almanſ. cap.*57. ſi dolor vſque ad clauiculam perueniat, ſanguinem ex axillari lateris dolentis mittere iubet, niſi forſan ſanguis in toto abundet.Tum enim in oppoſito brachio venam aperire iubet.In oppoſito verò latere *lib. diuiſ. cap.*54.venam aperire præcipit, poſtea tertio die ex latere dolente. 5. autem *contin.* initio ex brachio lateris *Rhaſes.*

lateris oppositi, tum ex saphena lateris affecti, tandem ex brachio lateris dolentis sanguinem detrahit.

*Auenzoar.* Auenzoar etiam primò venam basilicam oppositi lateris aperuit.

*Haly Abbas.* Haly Abbas, qui cum Isaaco idem Autor censetur, *pract.lib.6.cap.*13.primò lateris oppositi basilicam, at si malum processerit, eiusdem lateris venam secare praecipit. *Alzabaraunius.* Idem facit Alzaharauius.

*Auicennas.* Auicennas, *lib.*3.*fen.*10.*tr.*5.*cap.*1.praecipit primò sectionem saphenae oppositae secundum longitudinem, id est, eius lateris, non, vt Capiuaccius interpretatur, oppositi; deinde nigram, id est, medianam oppositi brachij, aut hac non apparente cephalicam; tandem & post aliquot dies venam brachij in latere opposito aperit.

*Auen Rois.* Auen Rois, 7. *collect.* venam in parte opposita aperit.

*Mesues.* Mesues idem facit. Si tamen magna sit plethora, saphenam lateris oppositi, exempli gratia, saphenam pedis sinistri, si dextrum latus afficiatur, primùm aperit.

Cum verò postea ab Arabibus ad Gallos & Italos cum aliis artibus Medicina peruenisset, & iis seculis Graecorum de Medicina libri penè omnes in tenebris delitescerent, aut, quos habebant, ex Graeco in Arabicum versos legerent, & hinc Latinos redderent Medicinamque praecipuè ex Arabum libris discerent & docerent; Medici illi, qui post Arabes in Italia & Gallia de Medicina Latinè seu potiùs Latinobarbarè scripserunt, plerique etiam Arabum opiniones secuti sunt. Atque ita post Arabum tempora ferè ad annum Christi M. D. Medici omnes, Gentilis, Arnold. de villa noua, Gordonius & ipse Gallus, & apud Monspelienses Medicinae Professor, Valescus de Taranta, Petrus Apponensis, cognomento Conciliator, Nicolaus Florentinus, Matthaeus de Gradibus Mediolanensis, Antonius Guainerius & Gattinaria, Ticinenses Medici, Alexand. Benedictus Veronensis, Iohan. Arculanus & plurimi alij omnes, initio pleuritidis aut saphenam aut basilicam oppositi lateris aperuerunt. Nemo autem inter omnes repertus, qui initio morbi in affecti lateris brachio venam aperire auderet. In morbi verò progressu venam eiusdem lateris aperuerunt.

Circa tamen annum Christi 1500. de vena initio pleuritidis secanda factio quaedam inter hos ipsos Medicos extitit, dum Veneti initio pleuritidis saphenam aperirent, Medici verò Bononienses ac Florentini basilicam oppositi lateris. Circa illa tempora bonae literae renasci coeperunt; & Graecorum libri vel Graeci vel in Latinum meliùs conuersi in manus Medicorum peruenerunt, vnde nonnulla Arabum dogmata, quos antea vnanimiter secuti fuerant Medici, à nonnullis in dubium vocata sunt. Atque inter ea etiam sententia de venae sectione in pleuritide.

*Matthaeus Curtius.* Ita Matthaeus Curtius, Ticinensis Medic. Professor, in pleuritidis initio venam cubiti eiusdem lateris aperiendam statuit. Ipse tamen pleuriticus factus contrarium in se fieri voluit, maluitque vitam sibi seruari, quàm libri sui, quem de venae sectione in pleuritide scripserat, fidem.

*Petrus Brisottus.* Eandem opinionem secutus est Petrus Brisottus, Medicus Parisiensis. *Leonhardus Fuchsius.* Eandem sententiam in Germania defendit Leonhardus Fuschsius, etsi non semper eodem modo. *Martinus Acakias.* Petri Brisotti, vt Magistri sui, sententiam secutus est Martinus Acakias. *Andreas Thurinus.* Matthaeo Curtio & Pet. Brisotto sese opposuit Andreas Thurinus, Piscienfis, Medicus inter eos nobilis, qui tum temporis Arabum dogma sequebantur, epistola ad Brisottum anno 1526. & peculiari libello, *de cur. pleurit. per sanguinis missionem* scripto. *Leonhardus Iacchinus.* Leonhardus Iacchinus, Emporienfis, etsi Medicinam Graecorum sectaretur, & tum temporis Graecorum scriptis addictus esset, hìc tamen Arabibus assentiri voluit, & initio morbi saphenam, hinc lateris affecti venam aperire voluit. *Iohannes Manardus.* Iohan. Manardus an.1531. Curtij aduersus Thurinum patrocinium suscepit. *Bene-ict. Fauentinus.* Benedictus Fauentinus, edito hac de re libro anno 1534. venae sectionem in pleuritidis initio in eodem latere defendit. Arabum contrà sententiam & eorum qui in opposito latere venam aperire initio iubent, defendit *Iulius Caesar Scalig.* Iulius Caesar Scaliger, *in comm. in lib. Hipp. de insomn. anno* 1539. *edito.* Idem fecit Victor Trincauella, qui peculiari scripto Curtium ac Brisottum refutat, edito Venetiis anno 1539.

*Vesalius.* Andreas Vesalius, vir rei Anatomicae peritissimus, peculiarem hac de re opinionem defendit. Is enim, *in epistola ad Nicolaum Florenatem scripta*; siue dextrum siue sinistrum latus afficiatur, semper in dextro latere venam aperiendam censet: nisi costae tres superiores sinistri lateris afficiantur. Tum enim in sinistro latere venam aperiendam censet, qui hoc modo τὸ κατ' ἶξιν Hippocratis & praeterea etiam fibrarum rectitudinem obseruari statuit, idque ideò, quòd vena ἄζυγος à caua exorta prope cor per latus dextrum excurrens & dextri & sinistri lateris octo costas inferiores nutrit, vt ita, etiam si sinistrum latus laboret, vena in dextro brachio, ad quod magis pertinet vena ἄζυγος, aperta sanguis commodissimè trahi possit. Si tamen sinistri lateris costae superiores inflammentur, cùm eae non à ramis venae ἀζύγου, sed à ramis, qui à caua statim exoriuntur, nutriantur, etiam in sinistro brachio venam aperiendam esse statuit, atque ita Graecorum doctrinam sequi voluit. Hanc tamen suam sententiam non constanter defendit, dum, *lib.*3.*cap.*5.& 7.nihil interesse scribit, dextrinè an sinistri cubiti vena secetur in laterali morbo.

*Fernelius.* Ioannes Fernelius, *lib.*2.*therapeut.c.*5. reuulsionem quidem esse tractum in contrarium concedit, non tamen dextra sinistris, sinistra dextris aut alio modo opposita contraria esse statuit, sed fibrarum hìc ductum praecipuè attrendendum existimat, quarum rectò cursu hìc opus sit. Ideòque etsi, cum vnum crus laborat, in altero venam commodè aperiri posse statuit, quia communis & directa sit venarum ob fibras societas: tamen idem in pleuritide non fieri posse putat, quòd hìc fibrarum communio & venarum societas desit.

*Ioh. Baptist. Montanus.* Iohan. Baptista Montanus obscurè satis hac de re loquitur; vt *ex commentario in fen.* 4. *Canonis Auicennae, edito Venetiis anno* 1556.*p.*247. *& comm. ad aphor.*21. *lib.*1. *Hippocratis ibid, anno* 1555. *edito*, patet. Diuidit enim phlebotomiam diuersiuam vniuersalem in simplicem & compositam. *Diuersio duplex.* Simplicem vocat, quam solùm impetus nobis indicat; compositam, quando simul cum impetu plethora consideratur. In diuersione simplici considerandos esse duos terminos docet, ad quem, seu locum affectum, & terminum à quo, seu frontem, vnde materia transmittitur. Terminum à quo esse nunc totũ corpus, seu totũ venosum genus nunc partem aliquam corporis determinatã. Si igitur in dextrã succingentem materia communicetur à capite, ratione vnius diametri sanguis deorsum ruens sursum trahendus esset. Verùm quia supra caput nihil, & ita altera diametrus, qua scilicet inferna superioribus respondent, deest, mittendum censet sanguinem ab opposito latere; quia saltem habemus vnam diametrum, quae est inter dextrum & sinistrum. Ita si ab hepate communicetur materia, venam non in brachio aperiendam censet, (ita enim traheretur ad partem affectam) sed potiùs saphenam aperiendam, vt sanguis ad inferiora reuellatur. Si verò membrum mandans seu fons sit totus ambitus venarum, tantùm de termino ad quem sollicitum esse iubet, quia fluit à singulis materia; seruandùmque debitum spatium & rectitudinem, non tantùm respectu viarum, sed & qua sanguis commodè potest progredi; vnde tunc venam aperiendam in eodem, v.g. dextro latere. Nam hic quantò magis seruamus ductum rectae lineae, tantò commodiùs sanguis euacuatur; quia in angulis sequitur impedimentum sanguinis. Si verò diuersio sit composita.

posita, i. e. cum impetu simul consideretur plenitudo, tunc semper ab opposito latere ducendus; quia si in eodem latere vena aperiretur, & quidem copiosè sanguis efflueret, & vsque ad syncopen, homo moreretur, vel fieret peripneumonia; si parum, æger suffocaretur. Vnde Auicennas primò aperit saphenam ad euacuandam multitudinem, deinde in opposito brachio, vltimò eodem latere.

*Marcus Antonius Montisianus.* Marcus Antonius Montisianus Geminianensis conclusiones de sanguinis missione in morbo laterali conscripsit, & Florentiæ anno 1556 edidit, in quibus Curtium & Thurinum ambos sibi familiares, vt & Monardum & Brissottum hinc indè perstringit. Statuit autem 1. Incipientem in regione costarum phlegmonem, quam appellamus pleuritim, reuulsu primò curandam esse, nisi nos interpellet plenitudo, illa scilicet, quæ vasa respicit. 2. Reuulsionem nihil aliud esse, quàm humorum in partem aliquam influentium ad sibi oppositam maximèque distantem retractionem. 3. Opposita in corpore humano tria esse, superius scilicet & inferius, dextrum & sinistrum, antè & retrò siue intùs & extrà. 4. Omnem reuulsionem fieri aut à superioribus ad inferiora, aut contrà, fluentem (hoc est, vt ipse posteà explicat, à sinistris ad dextras secundum modò dictas oppositiones) materiam reuocando. 5. Licet longitudinis, latitudinis & altitudinis extrema reuulsionem respiciant, non pari tamen vtilitate in hac passione reuellere.

Vnde Auicennam quidem non damnat, quod incipiente phlegmone in opposito latere venam secuit; vrgere enim rationes, quia sinistro nihil aliud opponitur, quàm dextrum, & contrà. Pari ratione non arguendum esse Galenum & Hippocratem, si in eodem latere venam secuerunt. Nam si materia superiora petit, ad inferna esse trahendam, quod optimè fiat sectâ venâ in eodem brachio: maximoperè verò approbandam & præferendam hanc illi, quæ est in opposito latere; quia prior manifestum auxilium & statim affert, altera non nisi post interuallum. Quia igitur conueniant cum Græcis Arabes in oppositorum ratione, in reuulsione, & in exacta ferè lateralis morbi curatione, sola in oppositione altera diffidentes, non insudandum esse putat, inter Galenum & Auicennam hanc litem componere, vt Thurinus voluisse visus est. Irritum enim esse laborem, inter illos concordiam meditari, qui consulto volunt esse discordes.

*Hollerius.* Hollerius ex basilica eiusdem lateris sanguinem mittendum statuit, nisi suppressa sit aliqua, quæ per partes inferiores fieri solet, euacuatio, vel adsit insignis plenitudo, vel materia maligna, aut ea statim ad caput rapiatur. Tum enim in cruribus venam aperiendam esse censet.

*Rondeletius.* Rondeletius basilicam vel medianam eiusdem lateris aperit, & inde sanguinem vsque ad eius mutationem & doloris mitigationem extrahit, aut si dolor non remittat, venæ sectionem iterat, idque ideo facit, non quòd fibrarum seu villorum rectitudinem obseruandam putet, sed quia naturam incitandam censet, quæ solet facere suas excretiones secundum rectitudinem.

*Thaddæus Dunus.* Thaddæus Dunus, Medicus Tigurinus, *libris 4. de arte repellendi, deriuandi, simpliciterque euacuandi per venæ sectionem scriptis, & epistolica cum Leonhardo Fuchsio concertatione*, ferè Vesalij sententiam sequitur, & in omni pleuritide, vt, *lib. 1. cap. 7.* scribit, & laborantibus costis seu dextri seu sinistri lateris, semper internam cubiti dextri venam aperiendam censet. Cùm enim à vena sine pari tam dextri quàm sinistri lateris partes nutrimentum accipiant, exceptis tribus costis superioribus; vena verò sine pari cum dextri cubiti venis maiorem consensum habeat: etiam in dextro cubito venam aperiendam putat. Venarum verò rectitudinem & consensum ideò spectandum esse docet, quod per rectas fibras, quæ in venis sunt, sanguis ab vna parte in aliam celeriter & copiosè trahatur, si venarum fibræ connexionem habeant, & ea vena, quæ secatur, & quæ membrum alit, fibris conueniant. Si tamen contingat id, quod tamen vel rarò, vel nunquam fieri statuit, vt tres costæ superiores primariâ affectione teneantur, sinistram axillarem secare concedit. Cùm enim à vena sine pari non nutriantur, sed ab alio ramo paulò supra illius exortum enato ex sinistro magnæ venæ latere; cum axillari sinistra fibris suis multò magis proculdubio consentire, quàm cum dextra, imò cum hac nullum prorsus habere consensum statuit.

*Omnes hactenus propositæ sententiæ ad tres classes redigendæ.* Atque hæ sunt præcipuæ præcipuorum Medicorum de venæsectione in pleuritidis initio sententiæ, quas postea alij Medici recentiores etiam secuti sunt, & omnino omnes sententiæ ad tres classes redigi posse videntur.

*Prima classis.* Alij enim Græcorum opinionem sequuntur, qui κατ' ἴξιν venam secandam, atque in eodem latere aperiendam censuerunt. Nonnulla tamen hîc inter eos occurrit differẽtia, quod alij simpliciter τὸ κατ' ἴξιν seu εὐθυωρίαν & rectitudinem, alij etiã fibrarum rectitudinem obseruandã censent. Et Mercatus hîc statuit, aliud esse in aliarũ partium inflãmatione sanguinẽ mittere reuulsionis gratiâ, aliud in pleuritide & mẽbrorum principalium inflammatione. Nam in aliarum partiũ affectibus ob partis naturam & securitatem fieri posse reuulsionẽ ad partẽ oppositã citra vitæ periculum aut aliud damnum statuit; pleuritidem verò periculosam esse, atque illud omnino, quod in parte affecta colligitur, etsi paucum sit, tantum tamen periculi minari, vt subitum auxilium postulet. Ideoque pleuritidis grauitatem omnino requirere, vt à parte affectâ fiat sanguinis euacuatio, per quam à parte affecta & reuulsio & deriuatio fieri possit. Idem ferè Platerus sentit, qui in pleuritide, quia latus dolet, à brachio eiusdem lateris sanguinem detrahere, quàm ex opposito, vtilius censet, non tam rectitudinis valorum occasione, sed quod in pleuritide ob dolorem dolentis lateris venæ magis, quàm sani lateris venæ impleantur. Quo nomine si in dextro latere dolor sit, in dextro brachio venam aperire multas vtilitates afferre scribit, si in sinistro, propter affluxum sanguinis à dolore concitatum ab ea parte sanguinem reuellere conuenientius putat. Nonnulli tamen ex iis, qui in eodem late venam aperiendam censent, aliquos casus excipiunt: vt si suppressa sit aliqua per inferiores euacuatio; si adsit insignis plenitudo; si materia sit maligna, vel ad caput tendat.

*Secunda classis.* Alij Arabes sequuntur, & quidem nonnulli primò saphenam, alij verò statim venam oppositi brachij reuulsionis gratiâ aperiendam censent, postea, ad deriuationem, eiusdem lateris.

*Tertia classis.* Alij tandem Vesalium secuti sunt, & semper in dextro latere in pleuritide venam secandam censent; cum, si fibrarum rectitudo spectetur, longè maior sit inter dextram axillarem, regionémque costarum quamcunque consensus, quam inter eundem locum affectum & sinistram axillarem. Cùm enim vena sine pari à dextro cauæ latere enascatur, & axillaris dextræ similiter, huius & illius fibræ quàmplures, quæ secundum longitudinem corporis ipsarum sunt porrectæ, inuicem consentiunt, rectóque tramite mutuò se respiciunt.

*Diuersio controuersiæ.* Verùm si ista omnia diligenter perpendamus, & fundamenta suprà proposita, vbi de venæsectione egimus, diligenter attendamus, non ita difficulter ex hac obscura & tot annorum seculis agitata controuersia nos expedire poterimus. Primò rationes omnes eorum, qui statim venam in brachio lateris affecti secare iubent, siue id fiat ob fibrarum communionem, siue saltem ob εὐθυωρίαν & rectitudinem, quam natura in suis euacuationibus obseruare solet, siue ob dolorem, qui valde vrget, eò tendunt, vt monstrent, commodiùs per venam è directo lateris affecti apertam è loco affecto materiam euacuari,

euacuari, quàm ex oppoſito brachio. Verùm cum venæ ſectio in pleuritide reuulſionis gratiâ inſtituatur;in reuulſione autem non requiratur è parte affecta euacuatio, ſed deriuationis hoc fit:reuulſio ſaltè prohibet, ne pars affecta amplius ſanguine repleatur, & id agit, vt ſanguinem eò, vnde fluit, retrahat eique contrarium ei, qui eſt ad partem affectam, motum verſus fontem, à quo fluit,conciliet.Atque ideo commodiſſimè in latere oppoſito in principio venam aperiri cenſemus,vtpote quæ contrarium motum ſanguini conciliat, & eum à parte affecta auertit;quod vena è directo lateris affecti aperta præſtare non poteſt. Et id rectè fieri, primò experientia confirmat, cum per aliquot annorum ſecula,quibus Arabum ſecta floruit,vena ſemper in oppoſito brachio aperta eſt;& ſi aliquid incommodi ex eo accidiſſet, id Medicos illos aliàs diligentes non latuiſſet. Ipſe etiam Iulius Cæſar Scaliger hac de re ſuas obſeruationes annotauit,vt ex eius *comment. in libr. Hippocrat. de ſomniis* videre eſt. *Finem*, inquit, *in quem intendimus, hunc eſſe par eſt, prohibere ſanguinis copiam, ne ad malè affectum concurrat locum. Ergò ab oppoſita parte ſanguinis detrahendus. Nam ſi dolor in latere ſiniſtrò, aperta indidem vena plus trahit à dextro in ſiniſtrum, quàm dextra inciſa in ſiniſtrum. Plus enim humoris eſt inter circumferentiam dextram, & doloris locum, quàm inter eundem locum & circumferentiam ſiniſtram. Vnum habent, quo profugiant: non prodeſſe, quoniam nulla ſit, vt appellant, colligantia. At nos dicimus non nunc agere, vt quod fluxit, detrahamus; neque enim magni momenti eſt. Neque quiſquam prima ſtatim die mortuus eſt, ſed poſt multam affluxionem, quam tollit vena contraria remota: vena autem eiuſdem lateris non ſolùm non tollit, ſed etiam trahit ad locum malè affectum. Itaque toto poſt facto fluxu, ex eadem parte nos quoque detrahimus. Ac de ratione quidem hæc, de experientia quid dicamus, facilè in promptu eſt. Iam duodeuiginti annos nonniſi vnum vidimus, ex eadem parte inciſa vena euaſiſſe. Et ſanè corpus erat athleticum, vt etiam magis miraremur. Verùm ſcimus, multos etiam ſine phlebotomia ſanos factos. At plus octoginta redegimus in commentarium quinto ab hinc anno, qui omnes eo curandi genere ſint extincti: cum plus quingenti his duodecim annis euaſiſſent, quibus in aduerſo cubito vena aperta fuerat.* Hæc Scaliger. Et ipſe Galenus, *lib. de cur. rat. per ſanguin. miſſion. cap.* 16. nullum in pleuriticis ex vena in latere oppoſito ſecta detrimentum, ſed vtilitatem prouenire ſtatuit,etſi obſcuram & poſt temporis interuallum.

Deinde rationes ſatis firmæ idem ſuadent.Nam licet etiam venæſectio ſimpliciter euacuationis gratiâ inſtitui poſſit:tamen ea quacunque etiam venâ apertâ fieri poteſt. Neque de vena euacuationis gratiâ aperienda hîc tantùm quæſtio eſt, ſed de vena ad reuellendum & deriuandum aptâ. Nam præter euacuationis ſcopum duabus de cauſſis præterea, vt etiam in aliis inflammationibus, ſanguis in pleuritide mittitur, reuulſionis ſcilicet & deriuationis gratiâ. Illa debetur ſanguini ad locum affectum affluenti vel affluxuro; hæc ſanguini, qui in venis parti affectæ vicinis continetur. Vtraque autem hæc euacuatio, reuulſio ſcilicet & deriuatio, ita inſtitui debet,vt partium conſenſus obſeruetur,vt venâ vnius partis ſectâ altera,& quæ cum illa conſenſum habet, euacuetur, & conſequenter humor vel reuellatur vel deriuetur.

*Cauſſa miſſionis ſanguinis in pleuritide.*

Aliter verò omnino ſe habet hic conſenſus in reuulſione, aliter in deriuatione. In reuulſione enim cùm id agatur,vt ſanguis, qui ad partem affluit, vel affluxurus eſt,ad fluxionis initium & fontem reuocetur, vena, quæ reuulſionis gratiâ aperitur, cum fonte, vnde fluxionis initium, aut ſi venâ eò loci aperiri non poſſit, cum venis initio fluxionis vicinis conſenſum habere debet, ita vt venâ hâc apertâ ſanguis, qui ad partem affectam fluere cœpit, iam amplius eò fluere deſinat,& in contrarium trahatur. In deriuatione verò ea vena aperiri debet quæ cum parte affecta conſenſum habet, & ab ea vel locis vicinis euacuare poſſit. Igitur quò propiùs fonti & initio fluxionis vena aperitur, eò rectiùs & propriè magis reuelli dicitur; quò verò magis à fonte fluxionis recedimus, & vena affectæ parti propinquior aperitur, eò minùs propriè reuellere dicitur.

Notandum tamen hîc, quod nonnullos turbauit & eò adduxit,vt ſtatuerent, non ſemper ad originem fluxionis eſſe reuellendum, per originem fluxionis non intelligendam eſſe cauſſam fluxionis procatarcticam, puta calorem & dolorem, qui ſæpè eſt in parte affecta, ſed fontem & locum, à quo ſanguis ad partem affectam fluit. Ad eum enim ſanguis, quantum fieri poteſt, retrahendus. Interim non incommodum eſt, vt cauſſa illa fluxionem irritans & ſanguinem attrahens in parte affectâ mitigetur vel tollatur. Locus verò, in quo inſtituitur venæſectio reuulſionis cauſâ, nunquam vicinus eſſe poteſt, ſed remotus ſit, neceſſe eſt. Docet hoc clarè Galenus, 4. *meth. med. cap.* 6. *Si*, inquit, *perpetuum eſt, quod ab eo didicimus, incipientem fluxionem ad contraria trahendam eſſe, fixam verò iam in laborante particulâ vacuandam eſſe, vel ab ipsâ particulâ, quæ affligitur, vel à maximè vicinâ, in promptu nobis de ſanguinis detractione colligere eſt, quod in principio hæc à longinquo, poſteà ab ipſis laborantibus partibus ſit inſtituenda.* Quod & alibi paſſim docuit.

Itaque cùm in pleuritide fons & principium fluxionis non ſint pedes, vel caput,vel brachia, vel venoſum genus,ſeu venæ cauæ rami maiores, naturaque hoc obſeruare ſoleat, vt partes principes, quantum fieri poteſt, tueatur, & publicam corporis regionem à prauis humoribus liberare, eóſque propterea ad extremas partes protrudere ſoleat; at verò in principio pleuritidis non deriuare, ſed reuellere animus ſit; facilè hinc apparet, non venam loco affecto vicinam eligendam eſſe; cùm facilè fieri poſſit, vt in loco vicino venâ apertâ ſanguis maiore cum impetu ad partem dolentem & calentem ruat: ſed quæ à loco affecto remota ſit, & cum parte mittente conſenſum habeat, ſanguiniſque ad partem affectam ruentis impetum ſiſtere, eúmque ad contrarium reuocare poſſit; quod fit commodiſſimè venâ in brachio oppoſito apertâ. Neque enim datur vlla vena, quæ à parte affecta remotior ſit, cum parte tamen mittente, ſeu hepate & venâ cauâ, maiorem conſenſum habeat. Neque eſt, vt quis cum Matth. Curtio, Manardo & aliis ad imaginariam quandam oppoſitionem confugiat, quæ etiam in brachio eiuſdem lateris fieri poſſit, quando ſcribunt, dum inciditur vena eiuſdem partis, primùm adeſſe oppoſitionem intus ad extrà, quatenus ſanguis extrà emittitur; deinde oppoſitionem à dextra ad ſiniſtram, pro vario brachij ſitu; rurſum oppoſitionem in longitudine, quatenus humor ſurſum trahitur, qui deorſum vergebat. Non enim ſufficit hæc imaginaria oppoſitio, ſed talis requiritur, quæ ad fontem,vnde fluit ſanguis, quantum fieri poteſt, eum retrahat. Hoc optimè præſtat vena in latere oppoſito aperta, etſi id videre non potuerit Argenterius. Hæc enim vena ex axillari ſanguinem primò euocat, hinc ex vena caua, atque ita ſanguis non amplius tam copioſè confluit. Arabes quidem nonnulli, vt ſuprà dictum, vt planè ad remota reuellerent, venam in pede primò aperuerunt; ſed locus iſte ab hepate nimis remotus eſt, neque facilè motus ſanguinis, qui per venæſectionem in pede concitatur, vſque ad ſanguinem ad latus affectum fluentem pertingere poteſt, quod venâ in brachio apertâ optimè fieri poteſt. Etſi verò menſibus & hæmorrhoidibus ſuppreſſis plethora vel cacochymia cumulata ſit, tamen ſi ſuppreſſio antiqua ſit, non ſperandum, vnicâ iſta venæ ſaphenæ ſectione eos reuocari poſſe. Interim morbus acutus non fert moram, ſed

bitum auxilium requirit. Atque in hac ſanguinis miſſione,quæ fit in brachio oppoſito,non opus eſt coloris mutationem expectare. Neque enim eum euacuare animus eſt . qui iam in parte affectâ mutationem accepit, ſed eum,qui ad locum affectum affluit.

*ſalij opinio aminatur.* Veſalij tandem opinionem, quia peculiaris eſt, vt ſeorſim perpendamus, ſi reuulſionis gratia in dextro brachio,ſiniſtro latere affecto, inſtituitur, commodum id ſanè eſt. Verùm ſi dextrum latus laboret,in eo reuulſionis gratiâ vena aperiri non poteſt;cum facilè hac occaſione maior ad partem affectam affluxus fieri poſſit. Si verò,quod ſentire videtur, deriuationis aut euacuationis gratiâ ex parte affecta venæſectionem inſtituit, via illa nimis longa eſſet, ſi è latere, præcipuè ſiniſtro, ſanguis in venam ſine pari refluere,atque in cauam venam & dextrum brachium retrahi deberet. Imò ſunt, qui nullo modo ex vena ſine pari ad venam cauam ſanguinem refluere poſſe ſtatuunt. Scribitque Hollerius, *lib.* 1. *de morb. intern. cap.* 26. *in ſchol.* venam ſine pari ſanguinem, quem à vena caua accepit, non ampliùs ad eam remittere poſſe; valuulas enim habere, ſicut veſicam & cor; idque eo probat, quòd, ſi quis venam cauam in parte ſuperiore ſecet, & fiſtulâ immiſſa, in inferiorem partem ſufflet, tota ipſa vena caua in parte inferiori ſimul cum vena ſine pari infletur: vt ſi venam ſine pari in parte inferiore ſecemus, immiſſâque fiſtula ore ventum ſurſum impellamus, vena caua non inflетur, quòd aër in vena ſine pari contentus exire non poteſt. Vnde concludit, ſi aër à vena ſine pari ad cauam non penetrat, multò minus ſanguis refluere poterit. Eadem penè omnia proponit Amatus Luſitanus *cent.* 1. *curat.* 52. *in ſchol.*

Verùm iſtam de valuulis venæ ſine pari doctrinam Gabriel Fallopius, *in obſeru. anatom.* irridet, & Thaddeus Dunus riſu & ſibilis potius explodendam, quàm refutandam cenſet; cùm nemo peritiſſimorum etiam Anatomicorum eas inuenire potuerit. Et quod experimentum illud de inflatione venæ cauæ attinet, id ita refutat Thaddæus Dunus. Venam cauam, inquit, prius ſecuit, vt ex ea ἄζυγον inflaret; poſtea ἄζυγον quoque ſecuit, vt inflaret cauam, Mirum autem non eſt,cauam non potuiſſe intumeſcere, ſiquidem diſſecta erat. Neque enim ſpiritus non penetrauit ad eam, ſed non continebatur eâ recluſâ. Vinculum igitur iniiciendum erat venæ cauæ.

Atque hæc de valuulis venæ ἀζύγου controuerſia poſtea ab Anatomicis variè agitata eſt,nec tum tamen ſatis diſcuſſa, dum alij dari aiunt,alij negant,etſi in eas diligentiſſimè inquiſiuerint. Et qui eas dari affirmant, inter quos Riolanus, *in ſua Anthropographia*, non tamen eodem modo,quo Hollerius & Amatus Luſitanus, dari ſtatuunt, ſed ita ſitas eſſe non vt recurrenti ſanguini obſiſterent, ſed potius, vt impetum affluentis ſanguinis ſuſtinerent. Neque vlla valuula eſt in venis, quæ totam cauitatem occludit, ſed ferè ſaltem dimidiam partem occupant, vbicunque ſunt, eóque ſine factæ ſunt, vt ſanguinis fluxum & motum moderarentur.

Sint ergo valuulæ, vel non ſint in vena ſine pari, & ſi ſint, tales, vt ſanguinis recurſum impedire non poſſint: tamen non ideo vena dextri brachij ſemper aperienda eſt, deriuationis & euacuationis ex parte affectâ gratiâ. Via enim hæc nimis longa eſſet, & datur breuior,ſi vena lateris affecti aperiatur,vt iam dicetur.

Etſi ergo initio pleuritidis vena in brachio lateris oppoſiti commodiſſimè reuulſionis gratiâ aperiatur: tamen cum poſtea etiam deriuatio è loco vicino requiratur,poſt reuulſionem in latere oppoſito factam, vena etiam in latere eodem aperienda eſt; quod etiam faciendum, ſi tardiùs Medicus ad ægrum vocetur, morbúſque iam progreſſus ſit, & tempus reuellendi, ſanguine iam in loco inflammationis maximâ ex parte recepto,præterierit.

Etſi verò, quòd præcipuè Veſalium mouit, ſaltem ſuperiores tres coſtæ ramis è vena axillari enatis nutriantur, reliquæ coſtæ inferiores ramis venæ ἀζύγου: tamen vena in brachio lateris affecti apertâ ſanguis è latere inflammato, vbicunque etiam inflammatio conſiſtat, ſatis commodè euacuari poteſt. Et de coſtis quidem ſuperioribus tribus nullum dubium eſt. Annotauit tamen Gabriel Fallopius, & alij etiam Anatomici diligentiores, conſenſum axillaris cum vena ſine pari, docéntque,ab axillari prodire venam, cuius tres vel ad ſummum quatuor rami aliquando iungantur cum tribus aut quatuor propaginibus venæ ſine pari, videlicet inter tertiam & quartam, quartam & quintam, quintam & ſextam, & inter ſextam & ſeptimam. Imò interdum etiam in ſiniſtro latere truncus inuenitur. Et Columbus annotauit peculiarem ramum, qui à dextro trunco, dum reflecti incipit,exit,adſcendénſque ramos mittit ſuperioribus interuallis ſupremarum coſtarum alendis dicatos, neque ſolùm in dextris, ſed & in ſiniſtris.

Montani ſententiam quod attinet,rectè ille quidem monet ad fontem reſpiciendum eſſe, vt & ad ſanguinis copiam, ne ſi ſanguis ſit valde copioſus in latere affecto venam ſecemus, metu maioris affluxûs ad partem affectam. At in eo fallitur, quod vbi venoſum genus (quod vt plurimum, ſi non ſemper, accidit) fons eſt, ex eodem brachio detrahit. Nam & in oppoſito latere ſeruatur recta linea reſpectu venæ cauæ. Eſt enim eadem latitudo. Si verò rectitudinem reſpectu partis affectæ intelligit, confundit deriuationem, ſeu euacuationem potius & reuulſionem. *Montani ſententia examinatur.*

Marcus Antonius Montiſianus eodem in errore eſt, dum per venam in eodem latere reuulſionem inſtituit, cum mera ſit euacuatio; vt ſupra dictum. Magis adhuc errat,quod ſectâ venâ in eodem brachio ad inferna trahi ſcribit. *Marci Anton. Montiſiani opinio examinatur.*

Atque hæc euacuatio, cùm & ea à loco affecto ſit nonnihil remota, à Galeno quandoque etiam reuulſio appellatur,ſed minùs propriè,vt ex 2. *de rat. vict. in acut. t.* 10. & præcipuè, 6. *epidem. comm.* 2. *t.* 32. patet, vbi diuerſionem, quæ ab oculis ad palatum fit, reuulſionem appellat.

Atque vt hæc tandem concludamus, hanc venam ſecandi rationem in pleuritide obſeruârunt, vt dictum, Hippocrates & Galenus. Quanquam enim de mente Hippocratis & Galeni nonnulli variè diſputent, & iis, quæ, *lib. de rat. victus in acutis*, habentur, vbi in eodem latere venam ſecare iubent, alia ex Galeno loca opponant, vbi in principio inflammationum in parte oppoſita venam aperire præcipit: tamen, quod Mercato & aliis etiam placere diximus, Hippocrates & Galenus in aliis quidem inflammationibus, in quibus in mora nullum periculum, in oppoſito primò latere venam aperiunt; in pleuritide verò, vbi dolor valde vrget, ſtatim in directo lateris affecti venam aperiunt, ac vnicam venæſectionem inſtituunt; quod & nos, ſi tardiùs, & poſt morbi principium ad ægrum vocemur, imitari poſſumus. Sanguinem autem largius, & ad coloris mutationem miſerunt; & vnà venæſectione tantum ſanguinis detraxerunt, quantum Arabes geminâ. Verùm cùm non ſolùm tutius ſit ſanguinem bis euacuare, quàm ſemel copioſa ſanguinis miſſione vires deiicere, ſed etiam aliæ, quas ſuprà propoſuimus, rationes ſuadeant, commodiſſimum eſſe in principio ſanguinem in loco à parte affecta remoto euacuare, rectiſſimè primò in brachio oppoſito inſtituitur venæſectio; ita tamen, vt pòſt etiam in eodem brachio deriuationis gratiâ venâ aperiatur.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO IV.

### *Per quas Vias è thorace materia ad aluum & vesicam peruenire & hinc euacuari possit.*

*Per quas vias è thorace materia ad aluum & vesi.am peruenire, & hinc euacuari possit.*

Sanguinem, vt & pus, non solùm per tussim, sed & per vesicam cum vrina ex thorace quandoque excerni, Galenus, *6. de loc. affect. cap.4.* docet, & se vidisse testatur, quod & alij Medici plures, Græci, Arabes, & Latini obseruârunt. Scripsit etiam nuper ad me amicus quidam, quendam in sinistro latere thoracis vulneratum fuisse gladio, super costas nothas sursum adacto, ita vt vulnus vnius & dimidij digiti longitudinem æquaret. Vulneratus etsi de dolore nullo conquereretur, tussi non affligeretur, nihilque sanguinis exspueret, vt inde colligi potuerit, tantùm externos thoracis musculos fuisse vulneratos: tamen accidit, vt sequenti nocte difficultate meiendi corriperetur, post quatriduum verò copiosum sanguinem emingeret, partim grumosum partim floridum, quæ sanguinis mixtio ad duas septimanas durauit, donec æger conualuit.

Per quam autem viam istæ euacuationes fiant, non ita planum est. Et cùm materia in thoracis locis consistere possit in pulmone, in lateribus seu musculis thoracis, & in cauitate thoracis, de singulis seorsim inquirendum, &, per quas vias materia è pulmone, è lateribus, è cauitate thoracis cùm per vrinam, tum per aluum euacuari possit, explicandum. Pulmones primò quod attinet, Galenus, *6. de loc. affect. cap.4.* leuem arteriam pulmonis, quantum puris ex ruptâ vomicâ susceperit, id ad sinistrum cordis sinum deferre statuit, quod inde in magnam ipsius arteriam incidens, per renes transeat ad vesicam. Verùm viam hanc alij reiiciunt, & inter eos P. Andreas Matthiolus, qui, *lib.1. Epist. ad Iulium Alexandrinum*, scribit, credibile non esse, vt pus, quod fœtens & corruptus sanguis est; non solùm transeat per arterias, in quibus vitales spiritus continentur, sed & sinistrum ventriculum cordis, vbi vita humana & sanguis ille putissimus cum spiritu vitali continetur, quin grauissima symptomata, adeoque ipsam mortem inferat, quod pluribus ibi probat. Ipse verò putat, transmitti pus ad venam sine pari, vel ad alias fortasse, quæ circa pulmones vel thoracem habentur, & inde in cauam, in renes & vesicam.

Iulius Alexandrinus, *in epist. respon sor.* Galenum tueri conatur, scribitque, aliud longè esse, si quid naturaliter fit, atque quod præternaturaliter; cum à facultate quadam, atque cum ab affectu; cum pars valet atque imbecillis est; cum expellitur noxa, atque cum recipitur. Ideoque licet in syncope, tremore cordis, pestilente aëre attracto, cor valde afficiatur: tamen si valida expultrice facultate vtatur, longè venientem noxam repellere. Idque tum etiam facere naturam, cum pulmonis abscessus ruptus est. Tum temporis enim robore suo constare cor, spiritibúsque præditum validis cum aliis vnà insurgere ad rei noxiæ celerrimam quandam expulsionem. Deinde Matthioli sententiam improbat, statuítque longè faciliorem è pulmonibus esse materiæ transitum in asperas leuésque arterias, quàm vt primùm in pectoris cauitatem è pulmone effundatur, & hinc venæ sine pari exiguis osculis sese insinuet; quod omnino fieri debet, si materia è pulmone à vena sine pari recipi debet.

Verum enim verò sit sanè cor validum, & quamprimum affluentem à pulmone materiam à se repellere conetur: tamen id sine grauibus symptomatibus, palpitatione cordis, lipothymia & similibus fieri non posset; cum videamus saltem flatus ex hypochondriis ascendentes talia symptomata excitare, licet cor aliàs saluum & validum sit. Nisi forsan quis hoc pus non confertim, sed sensim ad cor deferri, neque id adeò malignum, sed à natura satis elaboratum esse statuat. Ideoque non quidem planè nego per hanc viam naturam pus quandoque euacuare; cum constet, eam interdum miras vias quærere: & Nicolaus Massa anno 1533. vt, *in introductor. anatom. fol. 56. & 57.* refert, obseruauit abscessum in cuiusdam dextro ventriculo cordis & auriculam sinistram vlceratam totam cum sanie manifestâ, qui tamen sanus visus fuit, & Beniuenius, *obseru. 89.* reperit abscessum in sinistro cordis ventriculo pituitâ redundantem in quodam, qui egregius fur fuerat. Veruntamen non puto, naturam facilè viam hanc affectare; cum tutiores habeat, vt mox dicetur.

Nonnulli ad vias nobis quidem occultas & ignotas, naturæ tamen cognitas, & illam Hippocratis, *in lib. de alimentis*, ξύῤῥοιαν & ξύμπνοιαν confugiunt. Verùm non est opus ad occultas vias confugere; cùm manifestæ dentur.

Viam autem manifestam, vt dictum, Matthiolus & alij statuunt esse per venam ἄζυγον. Verùm non videtur de nihilo quod Matthiolo obiicit Iul. Alexandrinus difficilem satis esse transitum, si materia primùm è pulmone in pectoris cauitatem deberet effundi, atque ibi empyema efficere, deinde demum sese exiguis venæ sine pari ramis insinuare, & quidem per membranam adeò densam, quæ thoracem intus succingit.

Itaque aliæ manifestæ viæ quærendæ, per quas etiam ex ipsis pulmonibus materia ad renes & vesicam peruenire possit. Viarum autem istarum prima est arteria venosa, vt Bauhinus, *lib. 2. theatri Anatom. cap. 26.* docet, quæ per pulmones distribuitur, si per eam ad ventriculi sinistri principium, non verò in ipsum sinistrum ventriculum cordis deferatur, & deinde per eius ramum peculiarem & insignem, quem, *cap. 22.* describit, ad emulgentes, indéque ad renes & vesicam deferatur. Altera via in quibusdam est vena pulmonaria, quæ à venæ cauæ trunco non procul ab exortu venarum diaphragmaticarum ad pulmonem in nonnullis corporibus mittitur. Obseruauit hanc venam superioribus annis Nicolaus Sanmichelius Nouocomensis, vir suo tempore in dissecandis corporibus exercitatissimus, qui in cadaueribus quibusdam venam magnam, vbi diaphragma excessisset, priusquam in cor se insinuat, ramulum quendam rectâ ad pulmones misisse obseruauit, vt refert Iohan. Costæus, *in annot. in Auicen. lib. 3. fen. 10. tr. 4. cap. 1.*

*Obseruat. Nicolai Sanmichelij de ramulo venæ cauæ.*

Si autem in latere contineatur materia, quod in pleuritide accidere solet, viæ manifestæ ad renes sunt; primò vena ἄζυγος, per quam sanguis vel pus in venam cauam effunditur, & hinc in renes ad vesicam porrò transmittitur, & cum vrina euacuatur; obseruatúmque est à Recentioribus Anatomicis, à sinistro ramo venæ ἀζύγου interdum ramulum ad venam emulgentem rectâ referri. Deinde materia è thorace peruenire potest ad renes & vesicam, ex intercostalibus arteriis ad arteriam magnam deducta, & hinc ad renes transmissa. Tertiò etiam materia per phrenicum venæ cauæ & ductum arteriæ à Bauhino descriptum ad vrinæ vias peruenire potest. Atque per has vias materia cùm è pulmone, tum è lateribus cum vrina euacuari potest.

Per aluum autem puris euacuationem quod attinet, plerique hîc ad occultas vias, quas sibi natura quærit, confugiunt: sed & hic manifestæ dantur. Et primò quidem vias è pulmone ad aluum quod attinet, potest è pulmone materia euacuari per aluum primò per ramum illum arteriæ venosæ, modò dictum, & à Bauhino descriptum siue delata in arteriæ magnæ ramum cœliacum, qui ad ventriculum effundatur, & ab hoc in intestina, siue feratur per arteriæ magnæ ramum alterum mesentericum dictum, qui supra emulgentes ad mesenterium & intestina mittitur.

Aliæ

Alij volunt, quod materia per venam arteriosam in dextrum ventriculum cordis, & ex hoc in truncum venæ cauæ, & inde per hepar ad ramos venæ portæ transmittatur, tandémque per ramum mesentericum in intestina perueniat. Verùm etsi per hanc viam euacuationem fieri non impossibile sit, longa tamen est & per ambages.

Tertiò si vena illa pulmonaria à Nicolao Sanmichelio obseruata adsit, per illam etiam è pulmone ad aluum mediante vena portæ peruenire potest.

Puris autem in pleuritide & lateribus affectis per aluum euacuationis via manifesta est primò per venam sine pari, per quam in venam cauam, & hinc in portam transire potest. Deinde per truncum arteriæ magnæ transire potest, si scilicet materia ex ramis intercostalibus in aortam, & hinc siue per ramum cœliacum, siue per mesentericum ad intestina mittatur. Neque impossibile, per arterias materiam, præcipuè natura id agente, euacuari posse, cùm aliàs etiam arteriæ in morbis ab humoribus vitiosis non semper planè immunes videantur.

Si verò materia in thoracis cauitate contineatur, verisimile est, eam potiùs in pulmones, quorum membrana rarior est, penetrare, & hinc seu per vrinam, seu per aluum per vias modò dictas euacuari, quàm per membranam densam in latus sese insinuare. Et obseruatum est, materiam interdum satis crassam è cauitate thoracis in pulmonem receptam, & hinc per tussim reiectam fuisse; sicuti historia habetur apud Guiliel. Fabricium, *cent.* 1. *obseru.* 46. de quodam, qui cum in pectore vulneratus esset, duas turundas, quæ ex incuria per vulnus in cauitatem thoracis illapsæ erant, tussi reiecit.

## CAPVT XVII.

### *De Thoracis Vulneribus.*

*Thoracis vulnera.* Thoracis vulnera alia sunt non penetrantia, in quibus scilicet membrana succingens adhuc integra est; alia penetrantia, in quibus non solùm musculi thoracis, sed & pleura perforatur, vt ita vulnus in ipsam thoracis cauitatem penetret. Penetrantia rursum sunt vel sine partium in thorace contentarum læsione, vel cum earum læsione, puta pulmonis, mediastini, pericardij, cordis, venæ cauæ, arteriæ aortæ, asperæ arteriæ, gulæ.

### *Vulnera thoracis non penetrantia.*

*Vulnera thoracis non penetrantia.* Si thoracis vulnera sint simplicia, neque in cauitatem eius penetrent, & nullus alius affectus coniungatur, eandem, quam alia vulnera, indicationem habent. Itaque 1. sanguis sistendus, si opus sit, modo in aliis vulneribus vsitato, vulnúsque fascia ligandum, quæ talis sit, vt tutò contineat, nec tamen tam alta, vt premendo dolorem excitet. Et si vulnus paruum sit, breui temporis spatio sanari solet. Quod si amplius sit, digestiuum aliquod vnguentum imponendum, quem in vsum terebinthina clara odorata præcipuè vtilis est. Partes vicinæ oleo chamæmel. rosac. inungendæ. Tandem vbi in vulnere coctio apparet, emplastrum aliquod conueniens, vt barbarum, basilicon Mesue, aut diapalma imponatur.

## Vulnera penetrantia.

*Vulnera penetrantia.*

### *Signa diagnostica.*

Vbi verò vulnus profundius est, primò diligenter inquirendum, an penetret vsque ad cauitatem thoracis, an non. Cognoscitur autem hoc visu in magnis vulneribus, in aliis tactu, specillo scilicet, seu stylo exploratorio, vel candela cerea immissa, item auditu, dum aër per vulnus cum strepitu exit. Aëris tamen per vulnus exitus, qui penetrationis signum est, aliis etiam modis explorari potest: si nimirum penna, vel lanæ floccus vulneri imponatur, vel candela accensa admoueatur, & retento aëre inspirato, atque ore & naribus clausis, æger efflare conetur. Tunc enim exeunte aëre lana moueri, & flamma ventilari ac moueri solet. Hæc autem per aërem egredientem exploratio fallere potest, si vulnus obliquum aut tortuosum sit, aut costa aliqua fracta vel depressa, aut musculi intercostales situm hominis ab eo, quem habebat, dum vulnus acciperet, euarient, vulnúsque regant, vel pars externa vulneris, quod turunda non immissa sit, conglutinata sit. Tum enim aër egredi non potest, imò nec specillum vel stylus adigi. Ideóque ægrum, dum vulnus explorare volumus, eo situ collocare debemus, quo erat, cum vulnus acciperet. Ex instrumento quoque, quo vulnus inflictum est, aliquo modo profunditas vulneris agnosci potest. Angustiora enim instrumenta penetrationis suspicionem præbent, præsertim si vulnus extrà nonnihil latum sit. In penetrantibus quoque & amplis thoracis vulneribus respiratio interdum læditur, & voce æger priuatur patente vulnere; vulnere verò clauso respiratio & vox redit. Postea & alia signa accedunt, dum sanguis aut pus in pectore cumulantur. Tussis est molesta, sputum fit cruentum vel purulentum, lateris dolor, grauitas ac pondus circa costas nothas percipitur. Febris sæpe accedit, & vbi æger se in ægrum latus conuertit, fluctuatio in thorace percipitur, si sanies in eo continetur.

De pulmonis & mediastini vulneribus iam dictum; de cordis, œsophagi vulneribus suo loco dicetur.

Si vena caua in thorace vulnerata sit, magna sanguinis crassi copia effluit, viréque valde deiiciuntur, facies pallet, & paulò pòst mors sequitur.

Si arteria magna vulnerata sit, sanguis clarus & tenuis, copiosus ac cum saltu exit, si ei via pateat. Pulsus tremulus adest, vires collabuntur, syncope accedit, & paulò pòst mors.

Si aspera arteria sit vulnerata, parum sanguinis effluit, dolor in dorso percipitur, vox fit rauca & tussis acris.

### *Prognostica.*

1. Vulnera hæc, quàm non penetrantia, longè sunt periculosiora; etiam vbi viscera interna non sunt læsa; quia aer externus per vulnus non alteratus ingreditur, internásque partes offendit, & aëre interno & calore exspirante virtus debilitatur. Et cum vulnus penetrare non possit, nisi pleura perforetur, illa verò densa & sensu exquisito prædita sit, ac reliquis thoracis partibus communis: dolores, tussis, inflammationes, febres hinc excitantur. *Prognostica.*

2. Præterea nisi vulnera hæc diligenter curantur, facilè in empyema & fistulas degenerant. Quod vbi accidit, sæpe pus fœtidum redditur, tandémque ægro mors attrahitur.

3. Interdum accidit, vt licet externum vulnus conglutinetur & consolidetur, in sputo tamen adhuc notæ sanguinis appareant; quod accidit, quia partes internæ non sunt consolidatæ, è quibus cruoris aliquid & saniei in cauitatem thoracis emanat, vnde empyema generari potest.

4. Si simul quidem tum interna tum externa parte sanescat, cicatrix autem intus debilis, aspera & liuida existat, quandoque refricatur, eóque modo purulentus euadit. Iterum verò etiam exulceratur, si quid plus iusto laborarit & extenuatus fuerit, pituitaque & bilis ad cicatricem affigatur, & si morbo alio

alio detentus extenuatus fuerit. Hippocrates, *lib.*1. *de morbis*.

5. Vulnera hæc in dorso periculosiora fu-, quàm in parte anteriore; quia ibi plures & maior-rui ac tendines sunt, ibique transit vena caua, arteria magna, aspera arteria, gula, & omnia spiritualia organa dorso alligantur. Cauæ autem venæ & aortæ arteriæ vulnera lethalia sunt, ex sanguinis, qui vitæ thesaurus est, profusione, qui eò loci sisti non potest, soléntque varia praua symptomata superuenire.

6. Si autem praua symptomata non superueniant, sanitatis recuperandæ spes est. Vnde de thoracis vulneribus Albucasis scripsit: Si prætereat dies tertia vulneris, & non accedat infirmo spasmus vel tremor cordis malus, vel structura anhelitus, & vides eius dispositiones bonas, tum scias vulnus esse sanum, & virtutem fortem, cui nihil impossibile.

## *Curatio.*

*Curatio.* Indicationes quidem vulneris, quatenus tale, eædem sunt, quæ vulneris non penetrantis: quia verò sanguis in cauitatem thoracis effundi solet, & humores vitiosi è corpore reliquo ad vulnus affluere; danda opera, vt sanguis sistatur, humorum ad vulnus affluxus prohibeatur, & sanguinis qui in thoracem effusus est, saniésque, quæ ibi colligitur, euacuetur.

Itaque 1. vt sanguis sistatur, turunda oui albumine & aliis medicamentis sanguinem sistentibus illita immittenda. Quod si nihil efficiat, etiam per os medicamenta sanguinem sistentia exhibenda, vt conserua rosarum, bolus Armena, terra sigillata, succus portulacæ, trochisci de carabe, terrâ sigillatâ, & similia, de quibus in sputo sanguinis dicetur.

Deinde, si grauia symptomata metuenda sint, & sanguis non valde effluxerit, sanguis è latere opposito euacuandus, aut corpus, si cacochymicum, euacuandum.

Tertiò, vbi magna vasa non sunt vulnerata, sanguísque in pectus non multus effusus, vulnus statim consolidandum, ne ab aëre externo, in vulnus sese insinuante, pulmones lædantur. Aliàs etiam obseruandum, vt vulnus, quoties opus est, celeriter obligetur, ne aër per vulnus patens in thoracem transeat. Si verò de sanguine in thoracem copiosè effuso suspicio sit (quod cognoscitur, si Medicus anatomiæ peritus loco vulneris perspiciat, an magnæ vel paruæ venæ vel arteriæ vulneratæ sint) vulnus turundis apertum seruandum, dandáque opera vt sanguis quamprimùm effluat, ne intus corrumpatur. Vbi notandum, vt turundæ filo alligentur latis longo, vt in cauitatem thoracis decidant; sicut in obseruat. Guilielmi Fabricij *cent.* 1. *obseru.* 46. habetur, cuidam duas turandas in pectus delapsas, ac post tres menses tussi reiectas fuisse. Est & adhuc obseruandum, ne turundæ nimis sint longæ, ne pulmones lædant. Vt etiam faciliùs sanguis effluat, iaceat æger super latere vulnerato. Etsi sanguis in thoracem effusus non spontè effluat, extrahendus instrumento, quod Græci πυουλκὸν nominant. Et si vulnus nimis angustum sit aut obliquum, paululùm dilatandum cute sectâ, aut si æger sectionem admittere nolit, turunda ampliadum. Si accepto vulnere nullus sanguis effluat, idque in pectore detineatur, æger granum vnum moschi sub lingua teneat. Ita enim statim sanguis fluere incipit, quod nonnulli pro secreto habent.

Si etiam ob materiæ copiam in thorace contentam æger malè habeat, vt materia continuò effluat, nec ibi putrescens, febrem, anhelitûs difficultatem & tussim excitet, canulam plumbeam vel argenteam pluribus in locis perforatam, extra verò alis munitam, immittere decet, quæ digestiuo medicamento prius illinenda est.

Si sanguis sit concretus, vt exire non possit, attenuandus & incidendus liquore conueniente in cauitatem pectoris infuso. In quem vsum commodum est melicratum, ex vna parte mellis & duabus partibus aquæ ad tertiæ partis consumptionem coctis, vel mulsum, vel mel rosatum, in aqua hordei aut consolidæ, aut veronicæ vel agrimoniæ dissolutum. Et si materia sit viscida & tenax, aliquid oxymelitis addere vtile est. Liquor autem hîc tepidus iniiciendus; vt & topica omnia medicamenta hîc calida vsurpanda; cum frigus sit pectori inimicum.

Extra verò applicentur medicamenta vulneri idonea, exsiccandi vi prædita; humectantia verò & oleosa vitanda. Valde in hisce vulneribus commendatur sequens Vnguentum.

℞. *Resinæ pini rec. claræ & odorat.* ℥.xij. *ol. lauri puri, terebinth.* ana ℥.ij. *gummi elemi puri* ℥.iij.

Resina & gummi super igne liquescant, deinde addantur olea & terebinthina, parùm bulliant, donec vnguenti crassitiem acquirant, tandem colentur.

Et ne partes vicinæ in consensum trahantur & dolore afficiantur, loca vicina æstate oleo rosaceo, hyeme chamæmelino inungenda sunt. Interna etiam medicamenta vsurpentur thoraci dicata, quæ materiam exsiccant, eius corruptionem prohibent, &, si ad pulmones quid perueniat, quæ ad eius expectorationem prosunt. vt syrupus è iuiubis, capill. ♀. de glycyrrh. scabios. cum aqua scabios. tussilaginis, veronic. capill. ♀. Tandem etiam medicamenta, quæ intus conglutinationem adiuuant, vsurpanda, vt syrupus myrtinus, conserua rosarum, mel rosarum, consolida, plantago, bolus Armena & similia. In tota verò curatione omnia metallica hîc omittenda; cùm valdè noceant.

Sæpe verò accidit, vt vulnus extra conglutinetur, antequam intus planè exsiccatum & consolidatum sit. De quo Hippocrates, *in Coac. lib.* 6. *sect.* 2. *comm.* 1. *aph.* 5. *secundum Holleri distinct. Quicunque vulnerati in thorace, externa vulneris parte sanati, interna verò non, periclitantur, ne empyici fiant; at quibus interna parte infirma cicatrix obducta, vulnus ea parte refricatur, rupta cicatrice.* Ideo, quod suprà etiam dictum, danda opera, vt vulnus probè mundetur & intus insuper consolidetur, antequam extra fiat consolidatio. Si verò tale quid accidat, ægri vt empyici curantur. Si per vrinas materia & pus euacuetur adiuuanda vrinam mouentibus.

## *Diæta.*

*Diæta.* Aër sit temperatus & potius ad calidum, quàm frigidum declinet. Victus sit initiò tenuis; donec inflammationis terminus prætererit. Cibi in principio adstringentes vitentur, ne sanguis concretus in cauitate thoracis detineatur. Conueniunt in cibis amygdalæ, passulæ, hordeum. Æger quiescat, nec moueatur, vel multum loquatur; caueat quoque iram, & alios affectus nimios.

# CAPVT XVIII.

## *De Fistulis thoracis.*

*Fistulæ thoracis.* NOnnunquam post tumores aut vulnera thoracis malè curata fistulæ in pectore excitari solent, quæ difficilis sunt curationis, præsertim si ossa, sternum, spina dorsi, aut costæ simul afficiantur.

## *Differentiæ.*

*Differentiæ.* Sunt autem fistulæ aliæ penetrantes, aliæ non penetrantes.

*Signa*

*Signa diagnoſtica.*

Signa. Cognoſcuntur facilè & oculis patent;& ſi penetrent, ſtylo vel aëris egreſſu cognoſcuntur.

*Prognoſtica.*

Prognoſtica. 1. Fiſtulæ hæ curatu ſunt difficiles; cùm partes hæ non ſolùm perpetuò moueantur, ſed etiam præcipuè ſi penetrent, multæ ſuperfluitates in iis colligi ſoleant.

2. Quæ in dorſo ſunt fiſtulæ, periculoſiores ſunt, ob maiorum neruorum copiam & ſpinalem medullam vicinam, ac rarò curantur. Quæ in muſculis ſunt circa magna vaſa, non ſatis tutò curantur.

*Curatio.*

Curatio. Ideóque Medicus certus ſit, quæ vaſa circa fiſtulam ducantur, ne curatione venas, arterias, neruos lædat, ægróque noceat. Ac proinde vbi dilatatio fiſtulæ requiritur, turundis illa tutius, quàm ferro peragitur.

Externa. Cæterùm medicamenta quod attinet externa, quæ in fiſtulam iniiciuntur, parantur ex hydromelite vel mulſo, decocto *rad. caryophyllat. gentianæ, ireos, ariſtolochiæ, veronicæ, valerianæ, ſaluiæ, millefolij, hyperici, roſar. caudæ equinæ, piloſellæ.* Quæ in vino coquantur & colaturæ *mel clarum* addatur. Poteſt & *thus* ac *myrrha* addi.

Vt ℞. *Hyperic. fl. roſar. rubr. caudæ equin. centaur. minor.* an. M.i. *rad. caryophyllatæ, ariſtoloch. ireos,* an. ℥.j.

Coqu. in vino,

Colaturæ ℞. ℔.i. *mell. opt.* ℥.iii. Diſſolue *thuris, myrrh.* ana Drach.i.ß.

Decoctum hoc vel ſimile toties in vlcus iniiciatur, donec mundum fuerit.

Poſt iniectiones tale vel ſimile medicamentum cum turunda immitti poteſt.

℞. *Terebinth.* ℥.i. *farin. lupinor.* ℥.i. *fabar.* ℥.ii. *ſucci apij, agrimon. plantag.* ana ℥.i. *mellis* ℥.i.ß. *myrrh. maſtich. thuris,* ana ʒ.ii. Miſce ſuper igne.

F. Vnguentum.

Vlcere mundato, iniectiones & vnguenta exiccantia & conglutinantia, vt in aliis vlceribus, adhibenda ex *roſis, radicibus conſolidæ balauſtiis, ſumach, myrrhâ, thure, maſtiche, aloë, radice ireos, therebinthina* & ſimilibus.

Interna. Dum verò externa adhibentur, intus etiam vſurpentur medicamenta ex iis, è quibus potiones vulnerariæ parari ſolent, nimirum ex *agrimoni. , plantagine, veronica, ſcabioſa, hyperico, betonica, ſanguiſorba, hedera terreſtri, ſaluia, roſis.*

Vt ℞. *Fol. ſcabioſ.* M.ii. *agrimon. caryophyllatæ, ſaniculæ, veronicæ,* ana M.i. *tuſſilag. pulmonar. linguæ ceruinæ,* ana M.ß *rad. caryophyllatæ* ℥.i. *vince toxici* ℥.ß.

Coq. in *vini albi* & *aq. fontanæ*, ana ℔.i. in vaſe duplici.

Colatura *ſaccharo* dulcoretur.

## CAPVT XIX.

### *De Empyemate.*

Empyema. PLeuritidem, peripneumoniam, & alios thoracis affectus non rarò ſequi ſolet malum, quod Græcis ἐμπύημα appellatur, quo qui laborant, ἐμπυοι & ἐμπυηκοί, ſuppurati & purulenti dicuntur. Etſi enim, ſi nominis proprietatem ſpectes, ἐμπύημα omnem ſuppurationem & puris collectionem ſignificat: vſus tamen obtinuit, vt in ſpecie id ſuppurationi ſeu purulentiæ in thorace tribuatur.

Eſt ergò ἐμπύημα puris in cauitate thoracis collectio. Solent quidem nonnulli empyema appellare, cum non ſolùm in cauitate pectoris, verùm etiam inter pleuram vel coſtas, aut in pulmone pus colligitur: verùm magis propriè & ſpecialiſſimè ſolet empyema nominari, cum tantùm in cauitate thoracis fit puris collectio.

*Cauſſæ.*

Colligitur autem pus in cauitate thoracis ex præcedente aliqua & in abſceſſum mutata ac rupta partium vicinarum inflammatione, vt pleuritide, peripneumoniâ, anginâ, interdum & rupto tuberculo ad ſpinæ partem interiorem. De quo Hippocrates, 5. *aphor.* 10. *Quibus ex angina in pulmonem mali fit conuerſio, ij intra ſeptem dies moriuntur. Si verò hos effugiunt, purulenti fiunt.* Cauſſæ.

Nonnunquam etiam ſine inflammatione pus in pectore colligitur, quod fit, quando ſanguis è vaſis ſuis in cauitatem thoracis effuſus, ibíque detentus putreſcit, & in pus mutatur. Et quidem ſi poſt venam in pulmone ruptam vlcus ſequatur, quod continuo ſaniem in thoracem effundat, verum fit empyema. Si verò ſanguis copioſus effuſus in loco alieno corrumpitur, materia illa pus minus propriè dicitur. Plerique addunt deſtillationem è capite, de qua Hippocrates, 7. *aphor.* 38. *Deſtillatio in ventrem ſuperiorem ad ſuppurationem peruenit intra dies viginti.* Nonnulli tamen pituitam in pectore immutatam minus propriè pus appellari cenſent. Eſt enim hæc purulenta materia non merum pus. Nam hæc eſt ex humore excrementitio; cum merum pus ex nutritiia materia fiat.

Omnes autem modos, quibus pus in thoracem effundi poteſt, prolixa oratione deſcripſit Hippocrates, *lib.* 1. *de morbis*, qui hac de re videatur. Cuius ſumma hæc eſſe poteſt: Empyema verum eſſe, quando in ipſa thoracis cauitate pus continetur, ídque quatuor modis fieri, 1. ex pleuritide non ſatis expurgatâ. 2. à pituita ad cauitatem thoracis à pectore defluente 3. ex vena in thorace rupta. 4. ex vena in pectore aperta. Non verum autem empyema eſſe, cum non in cauitate pectoris, ſed in pulmone materia hæreat, ídque etiam quatuor modis fieri. 1. in peripneumonia ſuppuratâ & non expurgata. 2. ex pituita è capite deſcendente & in pulmone putreſcente. 3. ex vena rupta in pulmone 4. ex varice in pulmone generato & rupto.

*Differentiæ.*

Differentiæ. 1. Pus interdum totam thoracis cauitatem occupat, interdum eius alteram partem, dextram vel ſiniſtram.

2. Ex differentia materiæ datur empyematis differentia, quæ nunc benigna eſt, nunc acris & fœtida.

*Signa Diagnoſtica.*

Signa. Signa quod attinet, quæ inflammationem aliquam in thorace in abſceſſum, è quo poſt empyema futurum eſt, mutari ſignificant, ſi pleuritis & peripneumonia, vel alia in pectore inflammatio, remediis idoneis adhibitis non ceſſat, ac præterea rigores & febres ſubſequuntur, & grauitas: morbum in empyema mutari indicio eſt. Si enim materia intra dies quatuordecim non expurgatur, in pus mutatur. Rumpitur verò vomica circa diem vigeſimum, interdum trigeſimum aut quadrageſimum, Hippocrates, 2. *prognoſt. aphoriſm.* 57. Rigor verò fit, dum à pure genito vlcina membranoſa corpora vellicantur. Ponderis verò & grauitatis ſenſus in thorace pro dolore percipitur, quod humor, qui antè in partem inflammatam diſperſus erat, in vnum locum iam totus colligitur.

Signa verò iam facti ex vomica rupta empyematis propo

proponit Hippocrates, 2. *progn.* 60. & 61. Et quidem recentis ac nuper facti empyematis, signa sunt eadem, quæ inflammationis suppuratæ modò esse diximus, quibus difficilior respiratio accedit. Quamuis enim rupto abscessu dolor sedetur, & hinc diaphragma & musculi thoracis liberius moueri possint: tamen quia pulmo à circumfuso pure grauatur, vt liberè moueri non possit, & prætereà aliqua puris pars à rara pulmonis substantia imbibitur, & hinc pulmo humidior & grauior redditur, bronchiaque eius à pure imbibito obstruuntur, respiratio redditur difficilior Galenus, 4. *de loc. affect. cap.*8. addit fluctuationem. Nam, inquit, vbi quis subitò à decubitu transmutatur, idque maximè si ab vno latere in aliud se conuertens defluere aliquid sentiat, puris multitudinem ibi contineri haud dubia coniectura est. Quin etiam in his fluctuatio sæpenumero, haud obscurè auditur. Nisi forsan puris crassities aut copia, quæ omnem penè thoracis capacitatem implet, impediat fluctuationem illam audire.

Diuturnioris autem empyematis signa sunt, quod febris quidem mitior redditur, sed lentè, partim putrida, partim hectica, perpetuóque infestat, quæ de die quidem mitior, sed circa vesperam exasperatur, & noctu vehementior est. Tussis est perpetua, sputúmque tandem fit purulentum, adest anxietas & cibi fastidium ex vapore putrido orta, sudores multi superueniunt, sed inutiles & non copiosi, sed frequentes ob virium imbecillitatem. Eæ enim debiles alimentum etiam non in nimia quantitate sumptum superare & rectè apponere non valent. Tandem oculi fiunt caui, maxillæ ruborem contrahunt, ob vapores puris acres calidósque faciem ipsam calefacientes, pustulæ circa pectus erumpunt, subtiliore ac acriore puris parte ad extremam cutem penetrante, pedes intumescunt.

Signa differentiarum quod attinet, primò locum, in quo pus continetur, ita nosse docet Hippocrates, 2. *progn. aphor.*59. Si empyema in altera parte tantum existat, hos conuertere & discernere oportet, doleantne in altero latere, & an alterum altero calidius sit, atque cubantem supra latus sanum interrogare, an sibi videatur onus aliquod desuper suspendi. Si enim ita est, in quodcunque latus pondus insit, in altero suppuratio existit. Quemadmodum si vtrinque calor & pondus sentiatur, in tota thoracis cauitate pus continetur. Auicennas hoc, quod habet ex Hippocrate, *lib.*3. *de morbis*, addit: Applicetur, inquit, linteum madidum thoraci secundum vtramque partem, dextram & sinistram: citius enim exiccatur illud, quod supra partem pus continentem appositum est.

Puris verò conditio si reiiciatur, ex fœtore & aliis qualitatibus cognoscitur.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* Prognostica empyematis recensuit Hippocrates, 2. *progn.*63.

1. Si cum abscessus ruptus est, febris eàdem die dimiserit (id est, ita mitis reddita fuerit, vt si præcedenti vehementiæ conferatur, propemodum pro nulla habeatur. Nam planè non cessat,) æger cibum appetat, siti careat, (nam vapores fœtidi ac tetri à thorace ascendentes ad linguam ac palatum ob communem tunicam simul orificium ventriculi afficiunt, & hinc appetitus deiicitur, sitisque excitatur. Quapropter si breui tempore post eruptionem hæc symptomata remittant, puris exigua quantitas, idque benignius significatur. Si verò hæc symptomata non remittant, puris ingentem copiam & prauitatem significant) venter exigua & consistentia deiiciat, pus læue, album sit & æquale, & pituitâ vacans, absque dolore, & valida tussi expurgetur, ægrum euasurum spes est.

2. Si verò contrarium accidat, & horrores post puris eruptiones maneant, febris non desinat, aut cum videtur desinere, recrudescat, ægérque sitiat, nec cibum appetat, aluus sit humida, sputum sit prauæ substantiæ, vt & coloris mali, flauum, viride, nigrum, fœtidum, pituitosum, inæqualis substantiæ: pereunt, quibus hæc omnia adsunt. At quibus alia adsunt, alia non, horum quidam moriuntur, quidam in multo tempore euadunt.

3. Plerumque verò empyema in phthisin transit, & tum collum ac tempora valde extenuantur, pedes intumescunt, vngues curuantur. Etenim qui seruantur, vbi pleuritis vel peripneumonia in empyema transit, intra dies quadraginta pus per sputum eiici debet; quod si non fiat, in phthisin transit. 5. *aphor.*15. Non quidem opus est, vt quadragesimo die æger planè ab omni pure liberatus sit, sed sufficit, si eo tempore tanta eius copia reiecta sit, vt reliquiæ exiguæ, quæ supersunt, facilè postea euacuari possint, cuius euacuationis non ita certus terminus definiri potest. Nam vltra diem quadragesimum mollis & rara pulmonis substantia pus sine damno vix sustinere potest. Ideóque opus est, vt intra eum terminum maxima eius pars reiiciatur.

4. Quibus in magna puris copia intra thoracem & pulmonem collectâ totus thorax in respiratione attollitur, celerrimè suffocantur, Galenus, 4. *de loc. affect. cap.*7.

5. Malum periculosius est, si pus totam cauitatem thoracis occupet, quàm si in altero solùm latere contineatur.

6. Empyema tamen, quod vnum saltem latus occupat, periculosius est, si sinistrum latus occupat, quàm quod dextrum; quia sinister cordis ventriculus vt nobilior plura magis afficitur.

7. Quicunque empyi vruntur aut secantur, si album pus effluat, euadunt; si verò subcruentum & fœtidum, pereunt. 7. *aph.*44.

8. Quandocunque empyi vruntur aut secantur, si pus aut aqua vniuersim effluxerit, certò moriuntur. Hippocrates, 6. *aph.*27.

9. Purulentos moderatius habentes si sputa graueolentia consequuntur, recidiua interimit. *In Coacis.*

10. Quibus specillum à pure velut ab igne coloratur, ij ferè moriuntur. *In Coacis.*

11. Ex suppurationibus quas pulmonum morbi excitârunt, ferè senes moriuntur, ex cæteris verò iuuenes. *Ibid.*

12. Inflammatio lateris aut pulmonis in suppurationem versa, quandoque sursum rumpitur; id quod periculosius est. Si enim pus quam citissimè per sputum non reiiciatur, tabidi fiunt. Quandoque verò per aluum & vesicam euacuatur, quod per quas vias fiat, suprà, *cap.*16. *quæst.*5. videatur, id quod cum minore periculo coniunctum est, Paulus Ægineta, & Aetius. Cùm enim vt æger citò à pure liberetur, euacuatio per tussim ac sputum non sufficiat; siquidem per eam sensim & lentè pus euacuatur, & interea temporis à pure in thorace & pulmone moram trahente substantia pulmonis facilè corrumpitur: commodior est, & minore cum periculo coniuncta, per aluum vel vrinam puris euacuatio.

### *Curatio.*

Si prohiberi à Medico nequit suppuratio, adiuuetur moderatè calidis & humidis cataplasmatis & emplastris impositis, de quibus in Pleuritide dictum. Maturato abscessu vt maturè rumpatur, opera danda, ne pus partem ampliùs corrumpat, forti locutione, sternutatione irritatâ. *Curatio.*

Rupto abscessu, vt is abstergatur & consolidetur, materia

teria verò euacuetur, danda opera. Euacuatur autem, materia vel ſenſibiliter,vel inſenſibiliter.Senſibiliter re-ctius & commodius euacuatur, & quidem frequentius ac tutius per ſputum vel thoracis perforationem, vel per aluum,vel per vrinam.Itaque conſiderandum, quò materia vergat.

Si tuſſis vrgeat,vt per ſputum expurgetur,detergunt aqua ſaccharata,hordei,hydromel & ptiſana cum melle, quæ vt alimentum medicamentoſum & medicamentum familiare in omni empyematis genere ac quouis tempore conuenit. Radix iridis cum mulſa, hyſſopus, decoctum glycyrrh. ſyrup. de praſſ. capill. ♀. Inprimis efficax eſt aqua mulſa, in qua lota ſit terebinthina, vel cremor terebinthinæ.

Vel ♃. *Succi hederæ terreſtris*,℥.iv.*praſſij* ℥.ii.*thuris*, *myrrh*.an.ʒ.i.*diapenid*.ʒ.ß.F.Lohoh.

Vel ♃. *Folia braſſicæ recentis ruberrima concisa.*

Coq.in balneo vaſe clauſo. Liquor ſaccharo dulcoretur,& manè ac veſperi bibatur.

*Medicamentorum delectus.* Materiæ tamen expectorandæ in delectu medicamentorum habeatur ratio. Si enim pus fuerit bilioſum, acre & erodens, eligenda & vſurpanda, quæ acrimoniā eius mitigant & leniant,vt *hordeum,iuiubæ, paſſulæ, ſebeſt. glycyrrh,amygdal.dulc.pineæ,violæ,capillus* ♀.*ſemen maluæ, ſyrup. violar. capillorum* ♀.*rotulæ diatragacanth. frigid. diaireos ſimpl.* Si verò pus non acre, ſed craſſius ſit,attenuantia,incidentia & abſtergentia vſurpanda,vt *hyſſopus.tuſſilago,radic.helen.ſemen carthami, aniſi,fœniculi,caricæ,ſyrup.de hyſſop.de glycyrrh. de tuſſilag. Loh ſanum & expertum.*

Si verò pus nimium craſſum ſit & pituitoſum, validius incidentia & attenuantia vſurpanda,ſed moderatè, & cum arteriacis ac thoracicis lenientibus miſcenda; quomodo & pus craſſum incidetur & attenuabitur, & humectatione diluetur,& ad exſpuitionem aptius reddetur.

Si verò ad vias vrinæ vergat, ea, quæ extergendo vrinæ meatus purgant, vel quæ ſeroſam humiditatem ſuppeditant, medicamenta exhibeantur, vt decoct. ex *rad.aperientibus,granis Alkekengi,ciceribus rubris,capill.* ♀.*ſem.4.frig.maior.*

Vt ♃. *Radi. aperientium maceratarum in vino albo, glycyrrh*.an.℥.i.*ſem.4.frigid.maj* ana.ʒ.i.ß.*adiant.* M.j. *cicerum rubror.* M. ß. Coq. ad dimidias. Aromatiſentur cum *radic.ireos* ʒ.ii.& dulcorentur *ſaccharo.*

Si verò ad inteſtina feratur, exhibeatur ius galli decrepiti,decoct.betæ,caulium,graminis,praſſ.caſſiæ,quæ thoracem lenire & aluum mouere poſſunt, vt & therebinthina:vel clyſteres abſtergentes iniiciantur.Tandem ſyrupus aliquis abſtergens & adſtringens nonnihil adhibeatur, qui inteſtinorum exulcerationem prohibeat, vt ſyrup.de roſis ſimpl.infuſ.de roſis ſiccis cum decocto plantaginis. Vel etiam ad prohibendam inteſtinorum exulcerationem clyſteres ex lacte, furfuribus & ſemine pſyllij iniiciantur.

Si verò tanta puris copia in thorace collecta ſit, vt neque tuſſi, neque per aluum aut vrinam expurgari poſſit, vel etiam natura eas euacuationes non tentat, aut ſuffocationis periculum immineat, vt maxima adſit difficultas reſpirandi, thorax aperiendus. *Sectio & vſtio.* Id quod fit non ſolùm ſectione,ſed & vſtione, vt ex Hippocrate,6. *aph*.27. patet. Per vſtionem autem hic ab Hippocrate non talem intelligi putat Mercatus, quæ ad pus vſque penetret, ſed ſolùm efficiat exterius vlcuſcula manantia,per quæ pus ſenſim exſpiret. Verùm aliud ipſe textus Hippocratis docet, qui ita habet: *Quicunque empyici aut hydropici, vruntur aut ſecantur,ſi pus aut aqua, vniuerſim effluxerit, omninò moriuntur.* Si enim vſtione ſaltem talia vlcuſcula parari deberent,per quas pus ſenſim exſpiraret,nullo modo ſemel confertim euacuari & inde mortis periculum attrahi poſſet. Accuſat verò hic Rondeletius, *lib*.2. *c*.15. timiditatem Medicorum aſſentium & ægrotorum, ſcribitque ſe vſtione liberaſſe iuuenem,qui per annum pus in thorace collectum poſt pleuritin geſtarit, & multos alios quorū nomina ſupprimat.Verùm ſectio non ſolùm tutior eſt,ſed & minore cum dolore & ægri conſternatione coniuncta.

*Cautio in ſectione inſtituenda.* Verùm in hac re cautione opus eſt, vt primò attendatur,an vires ægri iſtam operationem ſuſtinere poſſint; deinde an aliquid commodi æger ex ſectione illa percepturus ſit. Etenim ſi pulmo reſpirationisque organa ita corrupta ſint,vt nulla conualeſcentiæ ſpes adſit,fruſtrà æger ſectione cruciatur.Itaque maturè & ante diem 40.& priuſquam pulmones à pure corrumpantur, ſectio inſtituenda. Qua ratione autem ea fieri debeat,dictum in Inſtit.*lib*.5.*part*.1.*ſ*.2.*c*.7.*de ſectione thoracis*,& dicetur etiā de eo in fine huius capitis, *quæſt*.2.

Columbus,*l*.11.*c*.3.etiam inter mediaſtinum, id eſt, duplicem pleuram, thoracem in duo ſecantem, materiam aliquam colligi poſſe ſtatuit, quæ perforato ſterno tutò ſatis extrahi poſſit, à diligenti chirurgo reique Anatomicæ peritiſſimo.

*Pus ſenſim euacuādum.* Thorace aperto pus non confertim, ſed ſenſim euacuandum; cum ſi confertim euacuetur, æger moriatur, vt modò ex Hippocrate dictum.Et ſufficit, ſi primò ℔. j.ß.extrahatur,poſtea ſingulis diebus paulò minus.

Si denique neque per tuſſim, neque per vrinam,neque per aluum materia euacuetur,neque etiam æger ſectionem admittat, vel tolerare poſſit, vix euadet; ſed phthiſi morietur. *Inſenſibiliter diſcutientia.* Nonnulli tamen ſuadent, vt materia inſenſibiliter diſcutiatur & abſumatur decocto ligni Guaiaci,ſarſæ parillæ,Chinæ & ſimilium,extrà verò impoſitis emplaſtris & fomentis diſcutientibus.Et tentari poteſt illa curatio, ſed vix ægrum liberabit. Si tamen experiri libeat,poteſt fieri tale Fomentum.

♃. *Rad. ariſtol.rotund.ireos*, an.℥.i. *acori veri,althéæ*, an.ʒ.vi.*hyſſop.origan.praſſ.ſcabioſ*.an.M.i.*flor.melil.chamæm*.an.M.ß.*agaric*.ʒ.ij.

Coqu.& decocto ſpongia imbuatur & thoraci imponatur. Poſt fomentationem pectoris regio inungatur oleo nardino,irino,anethino: Vel imponatur hoc Emplaſtrum.

♃. *Emplaſt.diachyl.magni,de melilot*.an.℥.i.ß.*ol.irini* ʒ.vi.*puln.rad.ireos,ſpicæ,puleg*.an.ʒ.i.*ceræ* q.ſ.

F.Emplaſtrum.

Vel ♃. *Cortic.radic.vlmi,radic.lilior. albor.* an.℥.iii. *maluæ,violariæ,hyperici,chamæmeli*,an.M.ij.

Coq.& contundantur.

Adde *fermenti ex atro pane* ℥.iii. *farin.ſem.lini,fœnugræci*,an.℥.i.ß, *ol.amygd.dulc.* vel *butyri ſ.ſale,ol. violar.* an.℥.ii.F.Cataplaſma.

## Diæta.

Curationem non parum diæta adiuuat.Sit nimirum victus ratio ſiccans, attenuans & abſtergens. Ideóque cibi condiendi hyſſopo,fœniculo. Vtiles ſunt amygdalæ,pineæ:optima eſt priſana cum melle,ſi ad aluum vergat materia.Vtilis eſt & beta & braſſica cum butyro cocta.Si ad renes, ius cicerum cum petroſelino. Abſtineat æger à leguminibus,fructibus.Potus conueniens eſt hydromel,præcipuè hyſſopo cōditum.Vinum oligophorum etiam concedi poteſt,niſi febris ſit magna.

## QVÆSTIO I.

### *Qualiſnam ſit Febris,quæ empyemati cōiungitur.*

*Qualiſnam ſit febris, quæ empyemati coniungitur.* Febrem empyemati coniungi certum eſt. Vapores enim putridi ex pure cordi vicino communicantur, quod indè incaleſcit, calorémque p.n. in totum corpus diffundit. Verùm qualiſnam ſit febris illa, non eadem videtur eſſe omnium ſententia. Nos ſupra diximus eſſe illam lentam putridam, quæ interdiu mitior eſt, circa veſperam exaſperatur,& noctu eſt acerbior, tandémque hecticam inducere poteſt;quod iam porrò explicādum.

Nonnulli quidem febrem iſtam ſaltem hecticam planè eſſe putant. Verùm putridæ notæ ſatis adſunt, & inter

inter reliquas etiam circa noctem exacerbatio. Galenus equidem, 1. *de differ. febr. c.9.* empyicorum febrem etiam ad hecticas refert; quod verò interdiu minus, noctu magis infestat, ad alimentum assumptum & vaporem ex eo ad solida membra calentia distributum refert, 2. *prognost. t.60.* Verùm etsi non negemus, si febris empyicorum hecticam tandem sibi asciscat, post sumptum cibum ob caussam modò dictam exacerbari posse: tamen si illud hac saltem de caussa fieret, non solùm vesperi post cœnam, sed etiam de die post prandium, & ita bis, non verò præcipuè sub noctem, exacerbari deberet.

Alij hæc fieri dicunt, quia pus propius ad sanguinem pituitosum (pituita autem circa vesperam mouetur) quàm alium quemuis humorem accedat. Verùm pus ad naturam pituitæ non accedit, sed potius à calore p. n. fit, & in thorace detentum incalescit. Ideoque aliqui id ob humores adustos & melancholicos accidere existimant, qui cum vesperi & noctu moueri soleant, non mirum esse putant, etiam febris empyicorum exacerbationem vesperi incipere & noctu durare. Quod cuilibet perpendendum relinquimus; cum & alij morbi, qui non sunt melancholici, noctu exacerbari soleant. Scribitque Hippocrates, *lib.3. de morbis: In omnibus lateris morbis dolores ferè interdiu, quàm noctu, leuiores sunt.* Cuius rei caussa, saluo cuiusque iudicio, & hæc esse posse videtur, quod nocturno tempore pus magis elaboratur, secundum Hippocratem, 2. *aph. 47. Dum pus fit, dolores ac febres magis fiunt, quàm confecto.* Cum enim nocturno tempore calor & spiritus ad interiora vergant, natura eo tempore ad concoquendam materiam magis apta videtur. Etsi verò in empyemate pus iam confectum sit: tamen quia natura nunquam est otiosa, ea materiam purulentam; quamdiu in corpore hæret, magis magisque elaborare nititur.

## QVÆSTIO II.

### *Quo in loco Sectio thoracis in empyicis instituenda sit?*

*Quo in loco sectio thoracis instituenda.* Quo in loco sectio thoracis in hoc morbo sit instituenda, non omnes idem docent. in Instit. *l.5. p.1. sect. 2. cap.7.* inter 5. & 6. costam sectionem faciendam esse diximus, fecimúsque id autoritate Pauli Æginetæ, *lib. 6. c.44.* & Hieron. Fabric. ab Aquapend. *de operationibus chirurgicis, cap. de thoracis sectionibus*, qui pluribus ibi hac de re agit & consuli potest. Alij tamen aliud sentire videntur. Hippocrates, 2. *de morbis*, de suppuratione ex peripneumonia agens, si vtroque in latere pus sit, sinistrum latus eligit, quod eò loci minùs lethalis sit operatio, propterea proculdubio, quod hepar gibbâ sui parte diaphragma sursum eleuat, & vt locus magis tumidus est & dolet, sectionem instituit; sed locum determinatum seu costam ibi non definit. Alibi verò, *in libro de internis affectionibus*, cutem & carnem vsque ad tertiam costam ab vltima secat, & postea terebrâ cauâ costam perforat.

Guido de Cauliaco, *Chirurg. sua doct. 2. c.5.* apertionem thoracis fieri iubet inter 3. & 4. costam; secundus tamen inter 4. & 5. Amatus Lusitanus, *cent.5. curat.61.* etiam inter 3. & 4. costam sectionem feliciter institui docet, idque in Anatomia Ferrariæ se deprehendisse. Scribit imò, etiamsi intra 2 & 3. costam sectio instituatur, id sine læsione septi transuersi fieri posse; aliósque, qui loco altiore sectionem instituunt, reprehendit. Heinricus Smetius *Miscellaneor. lib.7. p.355.* & *lib.10. p.533.* sectionem inter 10. & 11. & costam notham, seu proxime & contiguè vndecimæ, hoc est, inter penultimam & antepenultimam costam à iugulo deorsum numerando, seu inter secundam & tertiam sursum ab vltima costa notha numerando sectionem feliciter, & cum ægri commodo ac salute instituisse refert.

Ex hoc dubio vt nos expediamus, sciendum, duo in loci electione attendenda esse: primum vt operatio tutò instituatur, id est, nihil in thorace, vnde ægro aliquod periculum imminere possit, violetur, pericardium scilicet, pulmones, diaphragma, venæ item & arteriæ insignes ac nerui: secundo, vt per locum, in quo sectio instituitur, pus commodè euacuari possit. *Duo in loci electione obseruanda.* Ne ergo pericardium violetur, thorax neque in anteriore, neque in posteriore parte perforandus est, sed in latere. Ne autem violetur diaphragma, sectio in loco non nimis humili peragenda est, ne diaphragma, quod pleuræ annectitur, & quod in respirando eleuatur. De quibus prolixius agit Hieronymus Fabricius, *loc. allegat.* Vt autem pus commodè effluere possit, sectio loco non nimis alto instituenda, è quo pus non facilè effluere possit.

Ex quibus decisio huius quæstionis facilè patet. Ij enim, qui inter 5. & 6. costam, aut certè inter 4. & 5. sectionem instituunt, tutissimum locum eligunt. *Diuersio quæstionis.* Aliàs enim si loco humiliore sectio instituatur, metus est, ne simul diaphragma lædatur, quod non fit sine periculo, cum pars sit neruosa. Quod ipsum etiam præcaueri iussit Hippocrates 3. *de morbis: Quod si,* inquit, *præ crassitudine humor non fluctuet, vix spiritum frequenter trahat, & pedes intumescant, & tussicula aliqua adsit, ne te decipiant hæc, sed thoracem pure plenum esse probè noris, proinde in terra Erytriade liquida, vel trita ac tepida linteum tenue tingito, eóque thoracem circumcirca integito, & quâ parte primùm resiccatum fuerit, eâ secato aut vrito, quam proximè ad septum transuersum, cauendo tamen, ne hoc ipsum lædas.* Qui verò inter 3. & 4. inter 2. & 3. costam sectionem instituunt, locum ad puris euacuationem commodissimum eligunt. Quo enim foramen propius est diaphragmati, pus faciliùs effluit, sicut videmus, ex dolio liquorem omnem faciliùs effluere, si versus fundum proximè foramen fiat. Itaque vt hæc concludamus consultissimum est, Hippocratis consilium, *in 3. de morbis*, sequi, & explorare, quo loco pus maximè hæreat, & in eo sectionem instituere, quàm proximè ad septum transuersum, cauendo tamen, ne id lædatur. Et credibile est, diaphragma à puris copia deprimi, vt non tantum eleuetur, quantùm in homine sano; & proinde loco etiam humiliore sectio sine periculo & læsione diaphragmatis institui possit. Si verò de hoc dubitetur, & proinde quis tutò omninò agere velit, & Paulum Æginetam ac Fabricium ab Aquapend. sequi, is ægrum postea ita locare debet, vt pus commodè effluere possit.

De thoracis etiam in empyemate sectione videatur Vesalius, in *opusculo hac de re edito*, quod allegat Schenckius, *lib.2. obseru.131.*

## CAPVT XX.

### *De Hydrope pectoris.*

Empyemati cognatus affectus est, quem ὕδερον & Hydropem pulmonis ac pectoris nominant. Vt enim in empyemate pus in thoracis cauitate colligitur: ita in hydrope pectoris aqua & serosi humores in cauitate thoracis colliguntur; quibus & ipse pulmo sæpe repletur. De quo Hippocrates, 2. *de morb.* quem locum supra, *cap.9.* adscripsimus. Et aliquot morbi huius historias ex variis Autoribus collegit Schenckius, *lib.2. obs.52.* & seqq. Vnum etiam exemplum habet Dn. D. Gregor. Horstius, *in epistol. Medic. sect.11. pag.44.* annotauitque etiam similem obseruationem Dn. D. Doringij, *lib. 4. de febrib. cap.12.*

Cum autem affectus hic, etsi forsan satis frequens, cognitu sæpe satis sit difficilis, ac plerumque mali caussa in obstructa pulmonis vasa solùm referatur; vnam atque alteram eius historiam è Caroli Pisonis *lib. de morbis ex illuuie serosa*, addere libet. Primò refert, Nobilem virum

virum annos octoginta jam excedentem sensim graui difficultate spirandi opprimi cœpisse, & ea, quidem, quæ de nocte potissimum ei negotium exhiberet sub primum somnum. Tum enim suffocationis periculum subitò somnum interrupisse, vt è lecto surgere & ad fenestras liberiorem aërem captare cogeretur, & spiritum altum traheret, nullibique locorum consistere placidè posset. Quæ angustia sensim die proueniente remittebat, & sub noctem iterum vrgebat, in mortui cadauere repertus pulmo & præcordia in plurima aqua septis thoracis interclusa innatantia.

Alius nobilis cum inueterata orthopnœâ multis annis ac febre laborasset, morbi vi tandem subitò jugulatus est. In ejus cadauere, præter inflammatorium in hepate tumorem repertus hydrops thoracis, sed in vno duntaxat latere, & pulmo vesicis humore consistente lentóque ac pellucido instar albuminis oui prægnantibus refertus.

*Caussæ.*

*Caussa.* Statuunt quidem nonnulli, etiam à cerebro per asperam arteriam serosam illam materiam descendere. Verùm probabile non est, tantam copiam à cerebro defluere; & si id fieret, in pulmones destillaret, & diuturna tussis præcessisset, de qua tamen, qui hoc malum incurrunt, sæpe conqueri non solent. Credibile magis est, humorem serosum vel colligi primario pulmonis vitio, dum is frigidus est & debilis, & alimentum suum non bene concoquit, sed in aquosum humorem mutat, vel in toto corpore, vel, ac præcipuè, circa hepar & lienem in abdomine colligi, atque inde aut cum ipso sanguine ad pulmonem mitti, aut ex abdominis cauitate cæcis ductibus in thoracem penetrare; quod in hydropicis sæpe animaduersum. Hinc accidit, vt malum quandoque in thorace initium sumat, & tandem in hydropem degeneret: & contra sæpe euenit, vt in hydropicis humor serosus ex abdomine in cauitatem thoracis penetret. Per quas vias autem humor serosus in cauitatem thoracis penetret, non adeò planum, & potest id forsan variis modis accidere. Nam vel vaporis specie humor in cauitatem thoracis penetrare potest, ibíque rursus condensari: quod facilè fieri potest, cum membrana thoracem intus succingens satis densa sit: vel etiam serum sub propria forma è vasis thoracis, in quibus abundat, vt in ventre inferiore in abdomen: & vt Hippocrates, *6.epid.* loquitur, ἀνευρίσκει φύσις αὐτὴ ἑαυτῇ τὰς ἐφόδους οὐκ ἐκ διανοίας. *Inuenit natura etiam sine ratione sibi ipsi vias.*

Et plerumque in ventre inferiore causa mali hæret, ac nutritionis viscera scirrhosa aut vesicis aqua plenis referta deprehenduntur: vnde etiam pedes intumescunt, facies pallet & cachexiæ signa adsunt. Accedit autem hoc malum præcipuè iis, quibus thorax ac pulmo vel à primo ortu, vel ab occasione aliqua debilis est, & ad recipiendos superfluos humores aptus. An verò etiam à corde vel pericardio humor hic prouenire possit, considerandum Lectori relinquo. Semper enim humor aliquis in pericardio reperitur, qui præter naturam etiam augeri potest, cum sanguis arteriosus admodum serosus sit, & hinc ad thoracem penetrare. Videatur etiam Columbus, *lib.* 15. *anatom.* de hydropica, in qua hepar & lien saluus inuentus fuit, abscessus verò & putredo in corde. Et Dodonæus, *in anat. cap.* 35. *obseruat. Beniueny.*

*Differentiæ.*

*Differentia.* Differentia præcipua est, quod aliquando aqua in toto thorace continetur, aliquando in altera saltem ejus parte.

*Signa Diagnostica.*

Percipitur in thorace dolor grauans ob materiæ aquosæ abundantiam, & plerumque sonitus aquæ fluctuantis, dum æger corpus mouet, deprehenditur. Tussis est sicca. Etsi enim materia multa in pectore abundat: tamen natura eam nec coquere, nec ob tenuitatem expellere potest. Respiratio est difficilis, frequens & parua, ægérque quasi suffocari videtur, ob organorum respirationis angustiam, & diaphragmatis à materia incumbente compressione, & inprimis illa in respirando difficultas & crebritas somni primo tempore ægrum subitò inuadit. Sitis est molesta, ob pulmonem exsiccatum. Etsi enim aqua in thorace abundat, ea tamen salsa est. Appetitus dejicitur: accidunt interdum animi deliquia & palpitatio cordis, color faciei pallidus est, & palpebræ ac pedes intumescunt: latus intrinsecus acetum olet, non tamen semper, si scilicet materia in thorace moram trahat & corrumpatur. Accedit interdum etiam febris, cujus quoque Hippocrates, *allegato loco*, meminit. Materia enim ista serosa in thorace moram trahens acrimoniam acquirit, tandémque putrescit & febrem accendit. *Signa.*

*Prognosticum.*

Malum est curatu difficile & rarò sanatur. Vt Hydrops ex caloris natiui viscerúmque debilitate prouenit, ita & hic ex eadem caussa ortum habet. Et licet quandoque morbus spontè solui videtur, erumpente ad aluum aqua: tamen paulò post malum, & quidem grauius, recrudescit, & incrementum paulatim sumit, tandémque in hydropem vertitur ægérque suffocatur. *Prognostic.*

*Indicationes & Curatio.*

Materia aquosa pectus & pulmones replens euacuanda, ejúsque generatio, vndecunque etiam proueniat, præcauenda. Et quia humor hic coctionem nullam recipit, eam etiam exspectare opus non est, sed statim eum euacuare conuenit iis medicamentis, quæ aquas è corpore educere solent. Vt viæ tamen, per quas effluere debet, aperiantur, commodum fuerit. Hinc etiam Autor libri *de morbis, loco suprà, cap.* 9. *allegato*, scribit, si materia ad aluum erumpit, ægrum statim sanum & à morbo liberatum videri. Et obseruatum, morbum hunc permutatum fuisse in herniam aquosam, simúlque per aluum effluxisse aquam, & sic euasisse ægrum, & integrè restitutum fuisse. Id quod accidit, vbi non ex toto materia ad pectus fertur, nec viscera naturalia, nec pulmones insigniter læsi sunt. Secus enim si res se habeat, temporis progressu aluus incendetur, eadémque illa, vel adhuc amplius patietur æger, vt idem Autor, *ibidem*, loquitur. *Indicationes & Curatio.*

Vtilia autem hîc sunt inprimis mechoacanna, radix gialapa, gummi gotte, succus radicum sambuci ad Vnc. j. vel Vnc. i. sem. sumptus, succus radicum ireos, elaterium ad gr. iii. exhibitum. Educenda est autem materia paulatim, & medicamenta purgantia repetenda sunt. Hippocrates & antiqui etiam sectionem thoracis instituebant, de quâ, *capite præcedente*, dictum. Verùm cùm ea præsentem solùm materiam exhauriat, futuræ autem regenerationem neutiquam prohibeat, si pulmones vel viscera sint corrupta, omnino inutilis est, & Medico ignominiam parit.

Potest tamen etiam serum per vrinam euacuari. Atque ab hoc auxilio Cæsar Maximilianus II. plurimum commodi sensit, qui cum pectoris hydrope cum cordis palpitatione ad annos viginti laborâsset, vno interdum die ad sex libras minxit, cúmque motus ille materiæ impeditus esset, suffocatus est, vt refert *Diuretica vtilia sunt.*

 ipsius

ipsius Medicus, Ioh. Crato, *in epist. à Scholtzio collect. epist.* 136. Diuretica autem talia proponentur, *de hydrope.*

*Aqua D. Doryngij.* Est etiam vtilis aqua hæc D. Doringij:

℞. *Rad. calam. aromat. raphani marini*, ana Vnc. iii. *rusci* Vnc. i. *cortic.* & *sem. ebuli*, an. ℥. sem. *agrimonia* M. j.

Incisa & commixta cum *hepate* & *pulmone vituli* infundantur hor. 24. in *aq. apij, cotulæ fœtidæ*, ana ℔. iii. *vini Rhenani* ℔. ij.

Fiat s. a. destillatio suspensâ in alembico *cortic. citri siccor. in nodulo ligat.* Vnc. sem.

*Curatio.* Verùm etsi modis his omnibus materia quandoque euacuari possit: tamen id semper tentare adeò tutum non est; cùm à calore medicamentorum agitata materia difficilem respirationem, suffocationémque excitare possit. Ideóque tutissimum videtur, vt materia sensibiliter euacuetur, aperto thorace. Et quidem maturè id faciendum, secundum præceptum Hippocratis, 6. *epidem. sect.* 7. ὑδατώδεας θᾶσσον τέμνειν, ne ab aqua pulmones corrumpantur. Materiâ euacuatâ danda opera, vt ejus generatio prohibeatur, viscerúmque morbi, intemperies, obstructio, scirrhus, medicamentis, de quibus in doctrina de hydrope dicetur, emendetur. Et cum materia serosa facilè rursum generetur, ejus purgatio per interualla repetenda.

*Cauteria.* Cauteria quoque, in cruribus præcipuè, & fonticuli excitandi per quos semper materiæ aliquid euacuetur.

*Diæta.* Victus ratio sit, qualis hydropicis præscribitur.

## CAPVT XXI.

### De Vertebrarum dorsi luxatione & Gibbositate.

*Vertebrarum dorsi luxatio.* Spina dorsi è multis vertebris componitur, quæ peculiari articulatione inter se cohærent & connectuntur, vt ad inflectendum, in anteriora præsertim, apta sint, in quo motu ne sedibus suis excidant vertebræ multis & variis ligamentis firmatæ sunt. Quandoque tamen caussarum præternaturalium violentia è sede sua exturbantur, & quidem nunc tota, quæ Luxatio est; nunc ex parte saltem, quæ Subluxatio nominatur.

*Primæ vertebræ luxatio.* Et quidem primæ vertebræ caput insidet, è qua tamen quandoque versus posteriora etiam excidit, quo fit, vt spinalis medulla comprimatur, mentumque ad pectus flectatur, vnde & eloquendi & spirandi potentia tollitur, homóque subitò jugulatur.

*Ceruicis vertebrarum luxatio.* Ceruicis verò vertebræ & luxantur, & subluxantur. Et si integrè luxantur, celeriter homo interit. Etenim spinalis medulla in prima origine & nerui ab ea oriundi comprimuntur, vnde spiritus animales in membra inferiora influere non possunt, & ipsa respiratio tollitur.

*Subluxatio.* Subluxatio verò fit in partem anteriorem, & tum collum distorquetur, caput moueri nequit, facies liuet, locus affectus dolet, & spirandi ac loquendi difficultas adest. Malum tamen minus periculosum est, quàm luxatio. Statim verò iis occurrendum. Quod fit, si æger in humili sella sedeat; Chirurgi verò minister toto corpore scapulis & humeris ægri incumbat, Chirurgus autem caput vtrinque ad aures comprehensum concutiat, & in omnem partem moueat, donec vertebra suo loco restituatur. Quod vbi factum, dolor statim remittit, capútque iterum moueri potest.

*Gibbositas.* Frequentissima verò luxatio dorsi est, quæ in genere Gibbositas nominatur, & qui ea laborant, Gibbi dicuntur.

*Eius species.* Luxatio autem ista non est ejusdem generis. Luxantur enim vertebræ vel extra, vel intrò, vel ad latus alterutrum. Et quidem ad latera id fit frequenter; extra frequentissimè; intrò rarissimè; eâ de caussa, quia in spinæ parte, quæ cauitatem thoracis spectat, inter vertebras est cartilago multa & crassa, quæ prohibet, ne spina facilè versus anteriora luxari possit, in reliquis verò positionibus nullum adest impedimentum.

*Κύρτωσις, seu gibbositas.* Cum versus exteriora vertebræ luxantur, & sedibus suis excidunt, tumor in dorso apparet, malúmque hoc propriè Græcis κύρτωσις, κύβωσις & ὕβωσις, Latinis Gibbositas nominatur. *Λόρδωσις, seu repanditas.* Si verò versus anteriora fiat luxatio, cauitas in dorso apparet, tumor verò ante & circa sternum, & tum λόρδωσις appellatur, quod verterunt Repanditatem, Recuruitatem & Gibbositatem ad interna. *Σκολίωσις, seu obliquatio.* Si autem in latus alterutrum fiat luxatio, dicitur σκολίωσις, Obliquatio & Tortuositas.

*Σεῖσις, seu quassatio vertebrarum.* Galenus, 3. *de artic. text.* 2. & 6. *aph.* 46. quartum adhuc vitium vertebrarum spinæ dorsi adjungit, quod σεῖσιν, id est, Quassationem nominat, quando vertebrarum junctura & compages dimouetur, vertebræ tamen in sede sua manent. Quod malum, aut certè huic cognatum, forsan est illud malum, quod Germani *das Vvehethun* appellant, & quod nonnulli frequenter pati dicuntur. Conqueruntur hoc modo affecti de dolore dorsi & circa ventriculum, appetitus dejicitur, nonnulli vomunt, caput dolet, nonnullos etiam & præcipuè infantes calor quasi febrilis corripit, imò sæpe febris satis magna, quæ ob symptomata conjuncta malignam quandoque simulat. Atque hoc sibi accidere dicunt, cum graue onus aliquod sustulerunt, vel alio modo vehementer & inordinatè spinam dorsi mouerunt aut inflexerunt.

*Curatio.* Curandi rationem hanc habet. In infantibus candelam ceream accensam vmbilico applicant, & ollulam imponunt, eamque instar cucurbitulæ affigunt & adhærere permittunt, donec spontè decidat. In adultioribus verò quasi luxationem hoc malum curant, atque alij aliter. Plerique brachia decussatim pectori injiciunt, manibus in tergum reflexis, quas alius à tergo sedens, & genua sua dorso applicans apprehendit, ægrúmque hoc modo concutit, donec quidam strepitus audiatur. Tum enim vertebris suam compagem restitutam esse dicunt. Exhibetur etiam cum commodo *vnguentum rubrum potabile*, *oculi cancrorum*, & similia, quæ lapsis & percussis exhiberi solent medicamenta. Mulierculas etiam sæpe falsò ad hoc malum præcipuè in infantibus, recurrere scio, & licet infantes febribus laborant, id huic malo imputant. Si quid tamen tale seu infantibus, seu adultis reuera accidit, caussa est σεῖσις seu quassatio vertebrarum ex caussa aliqua violenta, & quidem vndecimæ vel vicinæ alicujus vertebræ, vbi orificium ventriculi dorso alligatur, è cujus & membranarum id dorso annectentium extensione præter naturam ista symptomata oriri credibile est.

*Curuitas decrepitorum.* Nonnulli adhuc quintum genus addunt, curuitatem scilicet, quæ decrepitis accidit, quod tamen potius incuruitas, vt dixi, quàm gibbositas, nominandum; cum iis, qui corpore sunt procero, in decrepita ætate corpus in anteriora incuruetur, vertebris quidem non luxatis, sed totâ spinâ incuruatâ.

### Differentiæ.

*Differentiæ.* E quibus, quæ luxationis vertebrarum sint differentiæ, patet. Addo & hoc, quod aliquando ea accidit in thorace, aliquando sub diaphragmate.

### Caussæ.

*Caussæ. Externæ. Nutricum incuria in infantibus fasciis constringendis.* Caussæ à quibus vertebræ loco suo dimouentur, sunt vel Externæ, vel Internæ. Externæ sunt casus, percussio, inflexio nimia, & similes caussæ violentæ. Quò pertinet etiam nutricum imprudentia, quæ infantes fasciis nimis arctè aut inæqualiter constringunt,

gunt,aut in brachiis gestant, antequam spina tam firmata est, vt erecti sedere possint, aut si, dum infantes è cunis eleuant, dorsum manu altera non fulciunt. Huc referenda est & vestium nimia constrictio, ob quam caussam puellæ gibbosæ interdum fiunt, dum matres, vt eas junceas reddant, thoracem arctius & violenter constringunt. Consuetudo etiam frequenter corpus in partem anteriorem vel latera flectendi malo huic materiam præbere potest.

*Interna.* Caussæ Internæ sunt, primò natiua & vitiosa in vtero conformatio; vnde etiam sæpe hæreditarium malum est. Deinde humores vitiosi, qui ligamenta spinalis medullæ laxiora reddunt, siue aliunde affluant,sicut id à capite factum esse annotauit Guilielmus Fabricius, *cent.* 1. *obseru.* 45. siue circa spinam à natiua vel ascititia earum partium imbecillitate colligantur. Quò facit maximè ligamenti neruosi, quo vertebræ connectuntur omnes, debilitas. Id enim cum tenaci & glutinoso humore ob motus vertebrarum commoditatem circumfusum sit, ei nonnunquam alius frigidus crassus humor per catarrhos commiscetur, vnde ligamentum hoc & nexus vertebrarum laxior redditur, vel tumor excitatur. Tertiò tumor intus ad spinalem medullam natus, de quo Hippocrates, 16. *aphorism.* 46. Talia enim tubercula, vt & musculi adjacentes, si intumescant, vertebras loco suo dimouent. Trahuntur autem & dimouentur à talibus tumoribus vertebræ nunc intrò, nunc extra, pro situ tumoris. Si enim tumores duo obsideant ligamenta interna duarum aut plurium vertebrarum, inter quas vna, duæ aut plures interjectæ sunt vertebræ nullo tumore occupatæ, tum vertebræ à suis ligamentis tumentibus trahuntur, compelluntque vertebras, quæ sunt intermediæ, à suo loco dimoueri, & fit κύφωσις, perinde ac ramus viridis, si ejus duo extrema in se contrahantur in medio curuatur. Si verò vnus vel duo, vel plures tumores, inter quos nulla interjecta est vertebra, adsint, ligamenta, quæ occupant, ad se trahunt in partem interiorem, & sic simul vertebra intrò trahitur,& fit λόρδωσις.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Malum hoc visui & tactui patet. Et quod vertebræ suo loco motæ sint, & quo in loco, visu & tactu explorari potest. An etiam vertebræ versus interiora vel exteriora vel ad latera luxatæ sint, visu dignoscitur. Symptomata tamen etiam prouenientia mali ejus qualitatem edocent. In κυφώσει vertebrarum thoracis spiritus difficulter & cum sono trahitur, sternum fit strictius. In λορδώσει maxima adest spirandi difficultas, mouendique in partibus inferioribus impotentia. In σκολιώσει plerumque excitatur paralysis in parte luxata, & conuulsio in opposita. Quibus spina ad lumbos gibba est, renum & vesicæ vitia superueniunt, & plerumque sunt infœcundi. Ad paralysin tamen partibus inducendam inprimis modus luxationis multum potest. Si enim luxatio fiat repentè & sit magna, compressa spinali medullâ, & neruis inde oriundis, accidit paralysis. Si verò sensim vertebræ luxentur, interim spinalis medulla, quæ mollis est, extendi potest, vnde nihil mali patiuntur. Qua de re videatur Galenus, 4. *de loc. affect. cap.* 3. Symptomata, quæ ex luxatione duarum vertebrarum lumborum ex lapsu ab arbore superuenerunt, recenset Guilielmus Fabricius, *cent.*5. *obseru.* 680. Post casum, inquit, superuenit dolor acerbissimus, qui longum tempus durauit, cibum indigestum euomuit, nihilque cibi & potus per aliquot dies retinere potuit. Febris quoque ardentissima, sitis inexhausta, vigiliæ, inquietudo, ariditas linguæ, tandémque delirium supperuenit. Statimque post casum inferiores partes corporis ab vmbilico paralysi correptæ fuerunt; quapropter nec excrementa alui, nec vrinam continere potuit. Gibbis plerumque anhelitus fœtet; quia, vt Aristoteles docet, thorax est angustior, quàm vt pulmones satis dilatari possint, vnde humores & vapores in eo corrumpuntur.

### *Prognostica.*

1. Morbus hic est curatu difficilis, præsertim si malum amplius non sit recens,& sæpe est incurabilis. *Prognostica.*

2. Hæreditaria, & quæ à primo ortu & conformatione obtingit, gibbositas incurabilis est.

3. Quæ à caussa externa fit gibbositas, sæpe est sanabilis,at quæ ab interna,vix vnquam sanatur.

4. Si plures vertebræ ordine sese consequentes simul luxentur, minus periculosum malum est, quàm si vna saltem luxetur. Vna enim vertebra si saltem luxetur, cum in acutum angulum desinat, spinalem medullam comprimit, & eam valdè lædit. Si verò plures vertebræ simul luxentur, & obtusum angulum efficiant, minus spinalem medullam comprimunt.

5. Luxatio integra longè periculosior est,quàm subluxatio;quia grauiora symptomata infert.

6. Luxatio introrsum facta ferè habetur pro incurabili ab Hippocrate, *libr. de artic.* Paulo Æginetа, *libr.* 6. *cap.* 117. Auicenna, *libr.* 4. *fen.* 5. *tract.* 1. *cap.* 21. Quomodo enim quis ab anteriore parte per ventrem coactionem facere possit? Guilielmus Fabricius tamen, *cent.* 5. *obseru.* 69. id non planè pro impossibili habet, & modum curandi ibi proponit, vt infra dicetur; sed videtur difficilis, modò non sit planè impossibilis.

7. Quicunque gibbi ex asthmate vel tussi fiunt ante pubertatem, moriuntur. Hippocrates, 6. *aphorism.* 46. Calor enim circa annos pubertatis auctior majorem & liberam respirationem requirit: ipsa quoque viscera in thoracis cauitate, cor & pulmo,augentur.Quia verò tuberculum in majorem molem excrescit, & ipse thorax non fit amplior,impedita spiratione calor insitus paulatim languescit, tandémque suffocatur. Et cum ob ipsam asthmaticam dispositionem difficilis fiat respiratio, malum duplicatur, gibbositate accedente, vt non sit mirum, hominem in adolescentia mori.

8. Qui verò gibbosi fiunt ex aliis caussis, quàm humoribus frigidis, vt tussi,ictu,humorum defluxu,non necessariò tam breuis vitæ sunt,sed sæpe diu viuunt.

9. Qui verò gibbi fiunt post pubertatem, cum in iis thorax jam naturalem magnitudinem habeat, non tam citò moriuntur.

10. Quicunque ab infantia statim gibbosi sunt, iis costæ vel parum, vel nihil in latum crescunt, sed foràs antrorsum porriguntur, vnde pectori sua latitudo decedit, atque inde fiunt asthmatici, pulmonibus compressis. Quin etiam ceruicem ad magnam vertebram in anteriorem partem recuruatam habere coguntur, vt & iis caput pronum sit. Id igitur magnam faucibus angustiam exhibet,cùm intrò vergat.

### *Curatio.*

Indicatio hîc vnica est, vertebram sua sede, è qua prolapsa est, restituere, id quod in tenellis corporibus fieri potest, in luxatione extrorsum facta, si spina dorsi, qua ad extra gibba est, quotidie ab axillis ad os sacrum versus leniter manibus intrò comprimatur. Iisdem corporibus adhiberi possunt thoraces ferrei, quibus vertebræ ad sua loca intrò comprimuntur & compelluntur, qualem depinxit Ambrosius Paræus, *lib.* 22. *cap.* 8. vel saltem lamina ferrea thoraci insuitur, *Curatio.*

inſuitur, & emplaſtra & inunctiones ex medicamentis neruos roborantibus & conſolidantibus adhibentur; de qua vide Guilielmum Fabricium, *cent.* 5. *obſeru.* 67.

In adultis verò gibboſitas non niſi Chirurgiæ opera, & plerumque per peculiaria inſtrumenta, quæ depingere faciliùs, quàm deſcribere, curantur. Qua de re videatur Hippocrates, 3. *de articul.* & Galenus, *in comm.* Oribaſ. *de machinis cap.* 35. Paulus Ægineta, *lib.* 6. *cap.* 117. Cornel. Celſus, *lib.* 8. *cap.* 14. Paræus, *lib.* 15. *cap.* 15. & 16.

Luxationis verò ſpinæ dorſi ad interiora curatio ab omnibus penè habita eſt pro impoſſibili. In corporibus tamen tenellis, ſi malum ſit recens, emplaſtra fortiter adhærentia applicari poſſunt, quibus auulſis ſpina verſus exteriora retrahi poteſt; de quibus dictum, *lib.* 1. *p.* 1. *cap.* 20. *de cranij depreſſione*, & etiam *capite* 25. dicetur.

In adultis verò etiam aliquid tentandum cenſet Guiliel. Fabricius, *cent.* 5. *obſeru.* 69. primò quidem extenſione, & ſpinæ ejuſdem nunc in dextrum, nunc in ſiniſtrum latus concuſſione, & ventris in altum eleuatione, per inſtrumenta ab Oribaſio & Paræo *locis allegatis*, depicta. Deinde dorſi inciſione, vſque ad vertebram luxatam, & vertebræ, quæ poſt inciſionem tenaculis aptis in appendice deprehendenda eſt, in altum eleuatione. Verùm modus hic tutus vix videtur, & pauci tam ancipiti curationi ſeſe ſubjiciunt.

## CAPVT XXII

### *De Fractura Spinæ, & Vulneribus ſpinalis Medullæ.*

*Fractura ſpinæ.* INterdum etiam accidit, vt à cauſſis externis & violentis ſpina dorſi, & ejus vertebræ frangantur & contundantur. Fractura plerumque lethale malum eſt, ob ſpinalis medullæ & neruorum læſionem. In contuſione hoc vſurpetur Cataplaſma: *Contuſio ſpinæ.*

℞. *Farin. hordei, fabar.* an. Vnc. i. *ſemin. fœnigræc.* Vnc. ſem. *pulu. flor. chamæmel. abſinth. cumini*, an. Drac. ii. *croci* Scrup. ſem. *rad. conſolid. major. minoris*, ana Vnc. j. ſem.

Radices ad mollitiem coquantur & per ſetaceum trajiciantur, poſtea adde reliqua, & fiat ſ. a. Cataplaſma.

*Vulnera ſpinalis medullæ.* Si ſpinalis medulla vulnerata ſit, cum ex ea partes inferiores neruos accipiant, inferiores partes omnes vel reſoluuntur, vel conuelluntur, malúmque eſt periculoſum, quia cerebrum in conſenſum trahitur, ac dolor & febris excitatur, raróque ægri, præſertim ſi vulnus ſit magnum, conualeſcunt. De quo etiam Hippocrates, 2. *prædict.* *Si ſpinalis medulla aut ex caſu, aut aliâ quapiam cauſſa externa, aut ſuâ ſponte laborarit, & crurum impotentiam facit, vt ne tactum quidem percipiat æger, & ventris & veſicæ, adeò vt primis quidem diebus ſtercus aut vrina niſi coactè reddatur. Quod ſi morbus inualuerit, & ſtercus & vrina ægro inſcio prodit, tandémque non longo poſt interuallo perit.*

Cum autem ſpinalis medulla quaſi cerebrum oblongatum ſit, eadem etiam medicamenta ei, quæ ſuprà, *lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 24. *de vulner. cerebri* propoſuimus, adhibenda.

## CAPVT XXIII.

### *De Tabe Dorſali,*

*Tabes dorſalis.* FAcit etiam Hippocrates *lib.* 2. *de morbis*, mentionem tabis dorſalis. *Dorſalis tabes*, inquit, *ex ſpinali medulla oritur, præcipuè verò recentes ſponſos & libidinoſos corripit. Febris ſunt expertes, benè comedunt & colliquantur. Quod ſi ita affectum perconteris, aſſeret, ſibi videri ex ſuperioribus partibus à capite velut formicas in ſpinam demitti, cúmque vrinam aut ſtercus reddit, ſemen genitale copioſum & liquidum ei prodit, neque generatio ſit, & inter dormiendum, cum vxore dormiat, nec ne, Veneris ludibria patitur. Cúmque aliàs, tum præcipuè per locum arduum iter fecerit aut cucurrerit, anheloſus & imbecillus euadit, caput grauatur, & aures ſonãt. Hic tẽporis progreſſu vehementibus febribus correptus perit ex lipyria febre.*

Quatuor autem, vt, *in commentario*, addit Petrus Salius Diuerſus, tabis dorſalis apud Hippocratem occurrunt differentiæ. Prima eſt ex nimia Venere; altera, ex ſanguine copioſiore in ſpinalem medullam irruente; tertia, ex ejuſdem reſiccatione; quarta, ex praua deſtillatione in eandem incumbente. *Differentiæ.*

Primam differentiam quod attinet, poteſt illa confirmari hiſtoriâ Satyri, 6. *epid. ſect.* 8. *text.* 52. qui cognomento Grypalopax vocatus, annos 25. natus non ſolùm ſæpius per ſomnum genitale ſemen excreuit, ſed & per diem illi multoties promanauit. Cum autem jã annum trigeſimũ attigiſſet, tabe correptus mortuus eſt. *Prima.*

Hippocrates morbi hujus cauſſam proculdubio hâc eſſe ſtatuit, quod ſemen ex cerebro per ſpinalem medullam ad membra genitalia proueniat, vt, *ex lib. de aere, aquis & locis lib. de genitura* & *natura pueri*, videre eſt; quâ de re hîc non diſputo. Hoc tamen certum eſt, & totum corpus ex nimio ſeminis profluuio contabeſcere, & cerebrum inſigniter lædi, & proculdubio etiam ſpinalem medullam, quæ cerebrum oblongatum quaſi eſt; vnde ſuccedit tanta corporis impotentia, vt ex omni motu validiore, vt curſu vel in locum accliuem adſcenſu difficultas ſpirandi ſequatur. Etſi verò in principio nulla adſit febris: temporis tamen progreſſu, & facultatibus omnibus debilitatis febris tandem putrida ſuccedit, quæ plerumque eſt è malignarum genere, in quibus interiora vruntur, exteriora frigent. Vniuerſalibus autem præmiſſis Hippocrates lac aſininum, deinde bubulum per 40. dies præbet, & poſtea cibis mollibus ipſum reficit. *Cauſſa eius.*

Secunda tabis dorſalis differentia eſt, cum calor ſpinalis medullæ inſitus à copioſiore ſanguine obruitur & ferè extinguitur. *Secunda.*

Tertia, cum occluſis meatibus, per quas nutrimentum ad eam defertur, exſiccatur. *Tertia.*

Quarta, cum praua deſtillatio in eam decumbit; cujus exemplum habetur apud Guilielmum Fabricium, *cent.* 1. *obſeru.* 45. *Quarta.*

De iſta tabe dorſali pluribus agit Balduinus Roſſeus, *epiſtol.* 32. quæ etiam, *tract. de ſcorb. epiſt.* 4. habetur, quam hîc proponere libet. *Morbus, quem Græci* λα δωσιν, *Latini Lumbaginem appellant, eſt Hollandis tum propter rationem victus, tum loci ipſius qualitatem vliginoſam prorſus, familiaris planè, ac propemodum indigena, quanquam & aliis locis illos ſoleat inuadere, qui immoderatiore vtuntur Venere. Nam, ſicuti,* lib. 2. de morbis, *autor eſt Hippocrates, corripit maximè ſponſos, atque Veneri deditos, proditque ipſis genitale ſemen multum ac liquidum, & genitura in vtero non manet, & in ſomnis ſemen profundunt, ſiue dormiunt cum vxore, ſiue non. Verùm hanc tabis dorſalis ſpeciem, ſicuti puto, non eſt quod metuamus: quando veriſimile magis ſit, morbum tum originem traxiſſe à materia pituitoſa ſanguini, aut flatibus, aut melancholia mixta, per modum catarrhi à capite per venas in ſpinalem medullam defluente. Siquidem cùm ſeptem ſint catarrheumatum, aut defluxionum ſpecies, vt author eſt,* libro de glandulis, *Hippocrates, quibus cerebrum ſeſe exonerare ſolet, per nares dico, per aures, per oculos, per palatum in guttur ac gulam, ac reliquæ per venas in ſpinalem medullam, & ſanguinem; neceſſum eſt, locum, in quem defluxio decumbit, variè affici, pro materiæ ipſius* *Lumbago.* *Catarrhor ſeptem ſpecies.*

*ipsius tum qualitate, tum quantitate. Nam si recrementa aut sordes, quæ à cerebro in aliam partem defluunt, non prorsus malignæ sint, ac quantitate paucæ, dolor ipse & affectus talis erit, qui à natura facilè euinci ac discuti possit: sin excrementa tum qualitate, tum quantitate peccant, credendum est, eadem grauissimorum symptomatum occasionem præbitura. Ac proinde quoniam reliquis sex omissis, de ea tantùm defluxionis specie, quæ à capite per venas in spinalem medullam decumbit, nobis sermo est: sciendum est, quod quoties frigidi ac lenti humores in spinã defluunt, vicinas partes primùm occupare, átque afficere; quæ nisi ita robusta sint, vt conceptam materiam statim euincere, ac dissipare possint, eásdem ad subjectas, ac maximè vicinas partes vicissim transmittunt, quæ dum neruosum genus distendit, grauissimis doloribus totum hoc corpusculum lancinat, incipiendo à scapulis, & sensim serpendo ad lumbos, atque interdum etiam ad ipsum os coxendicum. Atque ita affecti vix progredi, aut sese loco mouere possunt, quam affectionem propriè Lumbaginem, aut λόρδωσιν vocamus. Si quis tamen Neotericorum Guttam dicere malit, quod tanquam gutta à cerebro defluat humor, rectius fecerit, quam ij, qui generaliter ad omnes ariiculorum dolores guttæ nomen accommodare voluerunt. Habet autem hoc cum quartana commune, quod omnibus anni temporibus inuadat, æstate tamẽ sit breuior, autumno longior, maximéque si hyemem attingat. Cæterùm si acrior simul, & tenacior sit humor, qui à cerebro defluit, atque majore cum impetu feratur, jam non solùm in subjectam spinam decumbit, verùm etiam in acetabula ossis coxendicis, ac tum demùm tabem dorsalem, aut spinalem, aut ossis sacri dicti Hippocrati, conciliat, malum tale, in quo vitam cum morte commutare pro solatio est, quando semper magis ac magis ingruentibus doloribus, requiei tempus nullum conceditur, siquidem, vt,* libro de glandulis, *Hippocrates ait, oritur morbus, ex defluxione capitis per venas in spinalem medullam, inde autem in os sacrum impetum facit, quò medulla ipsa fluxionem producit, & in coxendicum acetabula seu juncturas deponit, & si tabem fecerit, homo marcescit, atque hoc modo contabescit, & viuere non expetit. Statim enim scapulæ dolent, ambóque pedes & crura consequuntur, & semper tandem pereunt multo tempore curati, atque sic deflorescit homo & moritur. Habet præter cætera cum reliquis tabidis commune, quod autumnus ei magna ex parte exitialis sit, ver autem ad pharmaciam oportunissimum. Porrò quod spinalis medulla arescat, atque marcescat, in caussa est obstructio orificiorum, ac venarum, atque vasorum à cerebro ad spinam sanguinem atque spiritum deferentium; quo fit, vt curandi methodus in eo consistat, vt reseratis poris materia peccans euacuetur. Quod si plethoricum quoque corpus sit, primùm tundenda erit vena, aut humeraria brachij dextri, aut media sinistri, aut etiam, si vsus exigat, poplitis, & si fortè tumeant ora illa venarum, quas hæmorrhoidas Græci appellant, consultum erit easdem, aut admotis sanguisugis, aut alio quouis modo adaperire. Solet enim, vt ante diximus, lumbaginis caussa esse humor melancholicus, qui quamuis crassior esse videatur, quàm vt commodè ad spinam transmitti possit: quotidiana tamen experientia ita fieri posse docet, quando lienosis lumbaginem indies superuenire conspiciamus, quemadmodum in sceletyrbe nostra annotauimus. Et Galenus,* commento tertio in primum prorrheticõn Hippocratis, *idem apertè demonstrat, dum dicit, lumbis dolentibus exspectandam euacuationem per hæmorrhoides, quod propter earundem retentionem non rarò doleant lumbi, magísque si ejus temperatura, qui ita afficitur, melancholica sit, aut si abscedentes, vt sic loquar, præcedentis morbi reliquiæ, ad ora illa venarum delatæ exitum non habeant.*

*ratio lumbaginis.*

*Post sanguinis igitur missionem decoctis res tentanda est, quæ materiam fluidam reddant: deinde medicamenta purgantia, pro humoris peccantis ratione propinanda erunt, incipiendo à clementioribus, habita semper ratione capitis, tanquam partis primariò affectæ. Deinde si res exiget, fortioribus etiam vtendum erit, in quem vsum elaterium suum Hippocrates summè commendatum habet. Ego magis probarim globulos ex agarico, cum turpethi portione aliqua maceratos, idque aut in decocto foliorum senæ, cui nonnihil seminis aut fœniculi additum sit, aut alio quouis, prout res exigere videbitur. Post purgatum corpus consultum erit fomentationibus, frictionibus, inunctionibúsque vti, quæ simul & euocent materiam, & dolorem mitigent, & robur addant affectæ particulæ. Poterit etiam in eundem vsum, si locus, tempus & ægri consuetudo admittant, præparari balneum, aut aquæ dulcis, aut quod artificiosè confectum sit, ex verbena, rosis, saluia, libanotide, chamæmelo, meliloto, atque aliis id genus aquæ incoctis. Quod si per se non satis fluxa sit aluus, suadet Hippocrates, vt eandem, injecto lacte, eluamus. At si fortè humor tenacius inhæserit, atque altius quodammodo impactus fuerit, ac flatus vtcunque fuerit particeps: non solùm jam dictis hypothesibus exequendum erit negotium, verùm etiam medicamentorum illas cucurbitulas in vsum vocare par erit, vt videlicet humor ille, earundem attractione, foràs euocetur, cautione interim habitâ, ne copiosior sit materia, quàm vt commodè per easdem educi possit, siquidem alioqui periculum esset, ne nouus quidam fomes morbo suppeditaretur. Victus ratio incidens, atque attenuans, & quæ non omnino tenuis sit, injungenda est. Protenditur enim malum hoc, vt reliqui articulares morbi, ad minimum, in vigesimum diem; vt plurimum, in quadragesimum: quanquam non rarò metas has excedat. Potus sit interim vinum ὀλιγοφόρον, quod nos villum dicimus, vel cereuisia tenuis, diligenter cocta. Somnus sit temperatus, & qui concoctioni ciborum sufficiat. Nimius enim catarrhis obnoxium reddit cerebrum. Exercitium moderatum esto pro virium robore, ac tolerantiæ ratione citra defatigationem.* Hæc Ronssæus.

## CAPVT XXIV.

### *De Vermibus dorsi.*

VT vermes in aliis corporis partibus pluribus, ita quandoque etiam in dorso generantur in infantibus, nonnunquam etiam in brachiis, imò quandoque & in aliis externis partibus, (cùm autem in dorso præcipuè nascantur, de iis hoc loco agere libet) quos nonnulli Crinones nominant, alij Dracunculos, ob similitudinem cum Dracunculis, qui Ægyptiis & Indis sunt familiares, &, vt Aëtius, *tetrab. 4. serm. 2. cap.* 85. & Paulus, *l. 4. c.* 59. testantur, in musculosis corporis partibus, brachiis, cruribus, lumbricorum formâ sese exerunt; quorum capita apprehensa si trahantur, vehementem dolorem excitant. De quo affectu Auicenna, *l. 4. fen. 3. tr. 23. cap.* 21. & 22. Guido de Cauliaco Paræus, *l. 7. chirurg. c.* 21. Scholtzius, *in epist. med. epist.* 27. Reusnerus, Vvierus, *in tract. Germ. de Dracũculis.* Forestus, *obseru. medic. l. 20. in fine.* Germani *Mitesser*, quod alimentum infantium absumant, nominant. Qui enim hoc morbo laborant infantes, contabescunt fere, & licet satis comedant, & aliàs beneualeant, non nutriuntur, & pruritum molestissimum in dorso percipiunt. *Vermes dorsi. Dracunculi. Mitesser.*

Generantur autem hi vermes ex materia viscosa in venis capillaribus, præcipuè in dorso, conclusâ subter cutem, & ob cohibitam transpirationem in hoc vermium genus transmutata. *Caussa illorum.*

Cognoscuntur autem hi vermes & sui suspicionem præbent, dum infantes quidem comedunt, sed non rectè nutriuntur, & ferè contabescunt, & sunt inquieti, ac pruritum sentiunt molestissimum, & sæpe lancinatione indesinente admodum diuexantur, ac quasi spinularum aculeis punguntur, ita, vt huc illuc sese jactantes quieti manere non possint. Quæ res vt certius cognoscatur, infantes in balneum & sudatorium inferendi, & manibus fortiter fricandi. (Potest etiam *Curatio.*

panis

panis cum melle pro frictione adhiberi. ) Ita enim quasi capilli quidam cineritij aut nigricantes è cute prorepunt.

Curationem quòd attinet, refert Andreas Duditius, *in epistol. medic. à Scholtzio collect. epist.* 27. in Polonia in labrum aquæ calidæ, in quo pueri lauant, inijci panis in micas friati manipulum, cineris item parum, lotis infantibus aquam percolari, & panem illum in massam compingi, quæ, vbi in diuersas partes manibus distrahitur, magnam subtilissimorum pilorum vim oculis offerat primo die, posterioribus diebus pauciores, postquam conualescunt infantes, planè nullos.

Nostris vsitatum est, dorsum, vt & brachia, si opus sit, linimento ex farina triticea & melle confecto inungere, & partes illas bene fricare.

Alij ℞. *Radic. bryoniæ* Vnc. ii. Coqu. in *lixiuio è cineribus quernis parato* in formam pulticulæ, quâ pueros illinunt.

Vbi vermiculi illi capitella sua instar pilorum, vel seminis papaueris è poris cutis exserunt, nouaculâ acutâ statim detruncāda sunt, ne iterū retracta sese abscondāt. Alij stercus gallinaceum sacculo inclusum in lixiuio per noctem macerant, & postero die infantem vsque ad collum eò immergunt, ac peracta sudatione melle inungunt, tandémque nouaculam adhibent, infanti semen nasturtij præbent, ter illud repetendo. Atque id aliquoties interjectis aliquot diebus repetendum est, donec frictione illâ nihil amplius eliciatur. Mulierculæ certos dies & dierum interuallum eligunt, sed superstitiosè.

*Vertebra prima capiti admota.* Accidunt & alij morbi interdum spinæ ac dorso. Ita Columbus, *lib.* 15. *anat.* vertebram primam occipiti planè adhærentem obseruauit. *Pediculi in dorso.* Ex abscessu in dorso pediculos erupisse refert Forestus. *Oua in dorso.* Fabro cuidam lignario in abscessu quinquaginta oua (seu vesiculas) tenuissimâ membranulâ obducta, intus limpissimâ aquâ plena reperta fuisse, refert ex relatione Laurentij Scholtzij Schenckius, *lib.* 5. *obseru.* 46. *Cornua.* Cornua quoque in dorso innata fuisse obseruatum est; cujus rei exempla annotauit idem Schenckius, *loco allegato, obseru.* 50.

---

## CAPVT XXV.

### *De Luxatione & Fractura Costarum.*

#### *Luxatio.*

*Costarum luxatio.* Costæ etiam interdum à percussione vel lapsu luxantur, nunc supra, nunc infra, nunc intrò. Si supra vel infra, vel si in latus luxatio fit costæ, inæqualitas visu & tactu deprehenditur & hinc cauitas, illinc extuberantia apparet. Si intrò luxata sit, saltem cauitas apparet.

*Eius symptomata.* Sequuntur autem varia luxatas costas symptomata, difficultas spirandi, thoracem mouendi, & corpus erihendi, dolor pleuritidem referens; musculosæ carnis, quæ costæ superjacet, inflammatio.

*Curatio.* Costa autem vt quamprimum sedi suæ restituatur, danda opera. Si luxatio sit in latus superius, æger rectus suspensis ex januæ vel fenestræ alicujus parte superiore brachiis statuatur, & costæ capitulum eminens comprimatur, donec in locum suum redeat. Si verò versus inferiora luxata sit costa, æger pronus incuruetur manibus supra genua innixus, & costa, quæ eminet, comprimatur, ac in locum suum compellatur. Si verò intrò facta sit luxatio, manus opera nihil præstare potest, sed emplastrum aliquod attrahens apponendum, qualia suprà, *lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 20. *de cranij depressione*, sunt proposita. Et talia emplastra non semel sed sæpiùs applicanda & auellenda sunt.

Si inflammatio carnis superjacentis adsit, cataplasma aliquod conueniens imponatur, quale etiam est, quod, *capite præcedente* 23. propositum, vel Diachylum ireatum. Vide Paræum, *lib.* 15. *cap.* 20.

#### *Fractura Costarum.*

*Fractura costarum.* Franguntur quoque interdum costæ itidem ex caussis violentis, casu vel percussione.

Signa ejus rei sunt, quòd quædam inæqualitas & cauitas tum visu, tum tactu deprehenditur, strepitus quoque quidam auditur. Quibus accedunt & alia symptomata. Adest dolor grauis, & præcipuè si internæ costæ pars fracta sit, isque pleuriticorum dolorem æmulans, respiratio est difficilis, tussis molesta, & nonnunquam etiam sanguinis sputum superuenit, dum ex vasis ruptis sanguinem effluentem pulmo imbibit, febris accedit. Præcipuè verò duo mala fracturam costarum comitari solent. Primum est carnis superjacentis costæ inflatio, quæ & tactu & visu deprehenditur, & si manu locus comprimatur, aëris cedentis strepitus auditur. Cui nisi succurratur maturè, inflammatio, & febris atque abscessus succedere solet. Cujus rei caussa est carnis ab osse separatio, & imbecillitas partis ictu inducta, quæ alimentum, quod doloris ratione attractum copiosiùs affluit, satis concoquere nequit, quod partim crudum ideo remanet, partim in vapores & flatus resoluitur. Malum hoc interdum & costarum corruptio sequi solet. Cùm enim caro ab osse abscedit, succedit in locum aër, cujus contactu os offenditur & corrumpitur.

#### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Equidem per se vacat periculo costarum fractura: verùm quoniam grauia, quæ diximus symptomata contusionis carnis circa costas accidunt, ea de caussa periculo non vacat, imò quandoque lethalis est.

2. Quò pauciora symptomata praua adsunt, eò malum mitius est; quod fit, vbi costa solùm fracta, non verò intrò compressa est. Solet autem costa per callum die vigesimo coalescere & ferruminari.

#### *Curatio.*

Costa fracta primò rectè componenda & conjungenda est; secundò ejus per callum vnitio procuranda; tertiò symptomata, & præcipuè carnis inflatio, auertenda.

Primò quidem videndum, an tussi & spiritus retentione, an verò manuum operâ fracta costa in locum suum restitui possit. Quod nisi succedat, emplastrum aliquod attrahens, & quod adhæret, qualia supra, *lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 20. sunt proposita, imponendum, & cum impetu auferendum, vt costa in locum suum reducatur. Conueniens huic vsui etiam est hoc Emplastrum.

℞. *Farinæ volatilis* Vnc. ii. *tragacanth. thuris pulu.* an. Drach. v. *visci querni* (*glutinis scil.*) ℥ vi. *ichthyocoll.* Drach. i. item *album. ouor.* Vnc. ii. *Aqu. rosar.* q. s. Misce.

Vel Emplastrum ex terebinthina, resina, pice nigra, farina hordei vel fabarum, masticHe, aloë compositum. Et talia emplastra sæpius applicanda & auellenda sunt, donec æger melius spiret. Et memini me ante aliquot annos vietori, cui in latere dextro à pertica, quam pro dolij vinculo parando flectere volebat, reciprocante, costa fracta & depressa erat, ita, vt difficulter respiraret, tussiret, nec se erigere valeret, tali emplastro imposito costam in suum locum reduxisse.

Nonnulli quidem cucurbitulis costas fractas in locum suum reducere conantur: verùm improbant id plerique Medici; cùm mens sit, ne plus humoris attrahatur, & aliàs caro supra costas inflari soleat. Si verò fragmentum costæ membranam pungat, atque inde acerbissimi dolores & alia praua symptomata oriantur atque ipsa mors metuenda sit, pars, quâ costa fracta

fracta est, incidenda, vt fragmenta purgantia vel eximere, vel præcidere liceat. Si etiam contusio adsit, vena secanda, ne inflammatio accedat.

Costis in locum suum reductis natura quidem sponte callum generat: cui, vt subueniatur, emplastrum aliquod ad fracturam ossium conueniens imponendum, inter quæ & hoc valdè celebratur:

℞. *Puln. myrtill. rosar. rubr.* ana Vnc. i. *farin. hordei, orobi, lentium, fabarum, mastich.* ana Drach. ii. *cupular. glandium, nucum cupressi, cortic. granat. balaust.* ana Vnc. sem. *hypocistid. acaciæ, cortic. thuris, sang. draconis. terræ Lemniæ, aloës, myrrh.* ana Drach. ii. *olei myrtin. rosac. omphacini*, ana Vnc. IX. *Ceræ* & *terebinth. claræ*, ana ℔. sem. Fiat Emplastrum.

Nonnulli in morbi progressu fascias aquâ rorismarini imbuunt, quam efficacissimam in ossium fractura esse scribunt.

Si caro humida & flaccida sit, medicamenta, antea proposita imponenda, & locus fasciis ac plagis constringendus, vt caro ossi conjungatur.

*Diæta.*

*Diæta.* Victus sit in principio tenuis & talis, qualis in aliis acutis requiritur. Æger quiescat, non tussiat, non sternutet, quantum potest, non loquatur multum, non rideat, non irascatur. Vide Hippocratem, 3. *de artic. t.* 54. & seqq. & Galenum, *in comm.*

*Numerus costarum vitiatus.* Sunt & alia interdum costarum vitia. Quandoque numerus variat, refértque Columbus, *lib.* 1. *anat. c.* 19. se aliquando costas tantùm vndecim inuenisse, &, *lib.* 15. aliquando 25. & 26. Aliquando duas aut tres connexas idem, *lib.* 15. obseruauit. *Tumor costarum.* Costas etiam in notatu dignum tumorem excreuisse vidit, *ibid.*

## CAPVT XXVI.

### *De Mucronatæ cartilaginis Prolapsu.*

*Mucronatæ cartilaginis prolapsus.* ANtequam à morbis pectoris digrediamur, noui, & ab aliis non explicati morbi facienda mentio, nimirum Mucronatæ cartilaginis Prolapsûs, quem peculiari libello Baptista Codronchius descripsit. Ex eo ergo, quæ ad rem facere videbuntur, hoc loco afferemus.

*Nomen & natura morbi huius.*

*Huius nomen & natura.* Scribunt autem quod in Italia hunc morbum vulgo appellent animæ, aliqui verò officuli vel surculæ casum, & linguâ materna *l' anima caduta*: ipse autem mucronatæ seu xyphoidis cartilaginis prolapsum, procidentiam, depressionem, plicationem & flexionem appellat. Primam appellationem peritissimus Mercurialis in quadam epistola ad Codronchium missa improbauit, eò quod ignari homines partem hanc affectam animam appellauerint, tanquam sit quoddam animæ domicilium, quo descendente simul anima ipsa cadat, & eo restituto, simul anima ad propriam sedem redeat; quod sanè est merum figmentum. Ipse verò putat, vulgus ideo forsan hanc partem animam nominâsse, quod apta sit, animam ex corporibus eximere, ob angustias & ingentia mala, quæ excitare solet, cum ad infernas partes labitur; vel potius vocasse hanc partem animam, ob situm aut ob similitudinem. Cùm enim populares nucleos fructuum, qui in medio ipsorum sunt, animas vocent, videntes hanc partem in corpore nostro medium sortitam esse locum, illi animæ nomen indiderunt. Vel quoniam opinati sunt, hanc partem esse similem aliquibus fructuum nucleis, vt amygdalis. Ipse verò Codronchius gratia facilioris doctrinæ hunc affectum Mucronatæ cartilaginis prolapsum nominat. Galenus enim & cum eo omnes Anatomici testantur, à natura procreatum esse in pectore os quoddam, à Græcis στέρνον appellatum; pro stabiliendis illis costis, quæ orbiculatim thoracis amplitudinem efformant, & vt propugnaculi vicem gereret. *στέρνον.* Ex hujus ergo ossis imâ parte exoritur cartilago quædam longa & triangularis, quæ etsi aliquando bifida, geminaque occurrat, vt plurimum tamen acuta, vt gladij mucro, spectatur, cui multa fuerunt imposita nomina. *Cartilago mucronata.* Nam Græci Xyphoidem appellant, eò quod ensis imaginem referat, vt testatur Galenus, 7. *de vsu part. cap.* 21. Alij mucronatam cartilaginem, quod ad gladij mucronis formam accedat, & Iuniores clypealem, gladialem & ensiformem nuncupant. Quidam & malum Punicum, eò quod balaustij formam gerere videatur. Et nonnulli epiglottalem, ab imagine operculi laryngis, huic cartilagini specie non admodum absimili, vocare voluerunt. Sed quod ad formam gladij seu ensis, si rem, vt est, considerare velimus, multò melius ac verius totum pectoris os pugionis Hispani speciem præ se ferre apparet. Nam primum os, seu prima ossis pars, rotundæ pugionis parti respondet, quam minimus digitus apprehensione tangit, & vulgò dicitur ensis pomum. Secundum, vel secunda ossis pars, respondet illi parti, quam tota manus complectitur, & capulum seu manubrium nuncupatur. Tertium os, vel tertia ossis pars, vnà cum ipsa cartilagine reliquæ parti pugionis assimilatur, & ideò vniuersam hanc ossium struem nonnulli xyphoidem ab ensis imagine vocarunt. Amatus Lusitanus, *cent.* 3. *cur.* 93. *in schol.* refert, in dissectione corporum cognouisse cartilaginem hanc à natura perforatam esse, quod tamen alij Anatomici silentio prætereunt.

Cùm autem nulla pars sit in homine, quæ non sit ob aliquem vsum à natura facta; aliter enim superuacanea esset, & potius abscindenda, quàm optanda, teste Galeno, *lib.* 17. *de vsu part. cap.* 1. ideo exquirendum, quem vsum, quamve actionem habeat in corpore hæc cartilago. Galenus, *lib.* 6. *de vs. part. cap.* 3. *lib.* 7. *cap.* 21. ait, hanc cartilaginem esse factam, vt sit propugnaculum oris ventriculi, & partis septi transuersi, quæ illic est, vt & cordis similiter. Quam tamen sententiam Realdus Columbus, *lib.* 1. *de re anatom. cap.* 20. refellit, eo quod pars hæc in sinistro latere à ventriculi regione plurimum distet. Et ipse existimat, hanc membranam esse progenitam, vt cordi præsit, & septum transuersum muniat. Iohannes Valuerda, *lib.* 1. *suæ anatom. cap.* 161. aliam habuit sententiam, hanc videlicet partem esse munimen anterioris partis jecoris, ac ventriculi. Quidam celebris ac doctissimus nostræ ætatis Anatomicus arbitratur, xyphoidem jecori tantum superstare, & à ventriculi orificio superiore longissimè distare. Vesalius scribit, hanc cartilaginem subditarum illi partium esse propugnaculum, quæ vero partes ei subjiciantur non explicat. Videre tamen se non posse scribit Codronchius cur cartilago hæc à loco suo dimoueri ac situm mutare non possit. Nam quamuis dura sit, aliis partibus collata, est tamen mollis præ ossibus, ita vt flecti, ac sedem suam valeat mutare, quamuis non sine aliquo labore, vt animaduertit Columbus. Et sicut epiglottis, quæ tota est cartilaginea, curuatur & inflectitur, cum esculenta ac potulenta deglutiuntur, & illis cedit in ventriculum demissis: ita huic parti, cùm sit ejusdem naturæ ac substantiæ, non repugnat, vt ipsa quoque possit flecti, ac deprimi. Imò fuit sententia Nicoli, *in serm.* 7. & Piccolominei, hanc cartilaginem à summo rerum omnium Opifice in humano corpore factam esse, non solùm ad tutelam ventriculi, verùm etiam ob motum ipsius, id est, vt cedat motui ac dilatationi ventriculi, qui cum copia alimentorum turgescit,

geſcit, jecur antrorsũ, ſimulque ſurſum propellit, adeò vt ex his grauiſſimis viris pateat, membranam hanc eſſe mobilem ac flexibilem. Præterea Excellentiſſimus Flaminius Rota, Bononienſis Medicus & Anatomicus apprimè peritus, in hanc venit ſententiam, hanc cartilaginem non poſſe quidem luxari propriè dicta luxatione, ſed luxatione impropriè acceptâ, id eſt, depreſſione ad inferiora. Verùm vnuſquiſque in contrectandis hypochondriis exercitatus, ſi voluerit, & occaſio ſe obtulerit, hujus cartilaginis depreſſionem facili negotio percipere poterit extremâ ac interna digitorum parte, in qua quidem ſenſus tactus maximè viget.

*Qualis ſit morbus.* Morbum autem iſtum Bapt. Codronchius refert inter morbos in compoſitione ſeu mala conſtitutione ad vitiatum ſitum, ſiue etiam deprauatam figuram pertinentes. Nam cartilago compreſſa ſitum variat, & figuram, quamuis hæc morbi differentia potius ad partes inſtrumentales ac oppoſitas videatur attinere, nec morbo tantùm in compoſitione laborat iſta pars, verùm etiam intemperie compoſita cum materia affici poteſt, vt quando à frigido ac humido ſucco irrigatur, qui ſaltem eſt cauſſa antecedens, ſeu mediata ipſius depreſſionis. Nam ſic affecta ex quacunque leui occaſione ac vi illata poteſt à ſua ſede moueri. Non eſſe autem morbum in ſolutione continui, docet. Nam cum pars ſit dura, non niſi cum magna difficultate poteſt ſolui illius vnitas. Eſt enim ſubſtantia quædam media inter oſſa & ligamenta, oſſibus tantò mollior, quantò ligamentis durior, propterea nulla ratione frangi poteſt, cum vbique ſua mollitie cedat, neque adeò reſiſtat, ſicut oſſa faciunt, præterquam quod ſoluto continuo minimam læſionem ſubjectis partibus impertiret.

### *Cauſſæ.*

*Cauſſa manifeſta.* Cauſſæ prolapsùs ſiue depreſſionis hujus cartilaginis & obſcuræ & manifeſtæ eſſe poſſunt. Manifeſtæ ſunt illæ, quæ extrinſecus fiunt, vt ſunt caſus, ictus, violenta ac incongrua corporis extenſio, diſtorſióve aut peruerſio nimia totius corporis, vel inordinata circumuolutio, vel etiam, vt aliqui volunt, moleſta ac magna tuſſis. *Obſcura.* Obſcuræ verò cauſſæ ſunt illæ, quæ ab intrinſeco principio ortum habent, vt eſt humor vel tenuis, vel lentus ac craſſus circa ipſam coaceruatus, qui ipſam laxando facit, vt ex leui quapiam occaſione deprimatur, ſicut vſuvenire nouimus vertebris ſpinæ, quæ propter deſtillationes irruentes ad ipſas facilè laxantur.

*Quæ partes in hoc morbo afficiantur?* Ex hujus ergo cartilaginis mutatâ figurâ ſubjecta membra, ventriculum, jecur, ac ſeptum tranſuerſum, vel cor etiam, ſed mediante diaphragmate, aut ore ventriculi, premi & lædi, atque hinc aliqua ſymptomata excitari poſſe ſtatuit. Et quoniam cum Realdo Columbo nonnulli alij affirmant, ventriculum vel ventriculi partem ſuperiorem lædi non poſſe à mucronata cartilagine, eò quod pars hæc ab illa valde abſit, vt omnis (ſi fieri poteſt) remoueatur ſcrupulus, reſpondet, poſſe conſiderari ventriculum duplici *Ventriculus dupliciter conſideratur.* reſpectu; primò vt eſt pars corporis mortui, ſecundò, vt eſt pars corporis viuentis. Si priori modo conſideretur, hi viri pertiſſimi vera fatentur; ſi ſecundo, facilè hallucinati potuerunt. Nam cum partes vita & motu priuatæ concidant & contrahantur, & illæ præcipuè, quæ in viuente turgere ſolent, idque eueniat potiſſimum in hominum cadaueribus, qui vel ex longo morbo extincti ſunt, vel poſt mille tormenta & ærumnas in carceribus toleratas morte violenta perimuntur, ibi non eſt mirum, ſi eorum ventriculi tum Anatomicis videantur valde diſtare à mucronata cartilagine: qui tamen cum in ſanis ac viuentibus craſſi ſint, & cibo vt plurimùm repleti turgeant, ſuperiùs elati adhærent, vel propinqui ſunt mucronatæ cartilagini. Quare fuit rectè ſcriptum à præclariſſimis illis viris, hanc cartilaginem non ſolùm ob munimen ventriculi, verùm etiam ob motum illius procreatam eſſe, vt ſcilicet cederet motui ac dilatationi ventriculi ex alimenti copiâ turgentis. His adde illud: Quo ablato & alterum aufertur, & eo poſito alterum exiſtit, illius quidem cauſſam eſſe fateri debemus: ſed eſt obſeruatum, nonnulla ſymptomata ventriculi, potiſſimum cum deprimitur iſta cartilago, fieri, ac nullo remediorum genere poſſe profligari, & reſtituta cartilagine quamprimùm aboleri: quis ergo negare audeat, horum cauſſam eſſe hujus cartilaginis procidentiam? Addit porrò. Neque verò ex imperitia vel auaritia aliquorum hominum ſtatuere debemus, eſſe hunc morbum fictitium, & inuentum duntaxat pro extorquendis hominum pecuniis, ſed potiùs horum imperitiam ac auaritiam redarguere & Deum omnium bonorum largitorem laudare, ſummâque gratiarum actione proſequi, qui dignatus ſit, hunc fortaſsè antiquum, ſed non cognitum morbum nobis patefacere. *Error nonnullorum.* Codronchius quidem non ſolùm concedit, aliquando accidiſſe, & accidere etiam poſſe, vt ex nequitia, vel imperitia aliquorum, qui violenter, vel quando opus non eſt, illam partem contrectant, vbi morbi non ſunt, morbi fiant, & vbi ſunt, augeantur, potiſſimúmque, ſi ab alia cauſſa ortum habeant. Verùm etiam hanc rationem, ab Excellentiſſimo quodam viro adductam, ſuam firmare potius opinionem exiſtimat. Nam ſi hæc cartilago, cùm ſit ſenſus expers, dolore affici non poteſt, & ea malè ab iſtis tractata, vel ob vicinitatem jecoris, vel diaphragmatis, aut diaphragma & jecur, vel etiam os ventriculi, conſenſus ratione afficitur, & varia ſubſequuntur ſymptomata, cùm ea fieri non poſſint, niſi partes eæ vim huic cartilagini factam recipiant, & illi vicinæ ſint; videre ſe non poſſe ſcribit, cur ab aliqua externa cauſſa vel interna allata huic parti læſione, ac vi pariter earundem partium ſymptomata varia non ſubſequantur.

### *Symptomata ac ſigna.*

*Symptomata ac ſigna.* Symptomata verò, quæ ſequuntur prolapſum, hujus cartilaginis, plura recitat. Primùm enim vbi cibus receptus, præſertim durioris ſubſtantiæ, & non admodum dentibus fractus, ad os ventriculi peruenit, ob preſſionem cartilaginis anguſtius factum, aliqualem dolorem parit, & ægrè ad ventriculum pertranſit, ſæpiúſque euomi conſueuit. Virtus enim expultrix, percipiens læſionem cartilaginis, irritata inſurgit, vt noxium expellat, in quo conatu frequenter alimentum ipſum rejicit, deinde laborantes pondus quoddam & ſæpe dolorem, circa ventriculi regionem percipiunt, potiſſimùm poſt aſſumptum cibum. Præterea cùm appetentia ſit oris ventriculi propria functio ex Galeno, 2. *aph. comm.* 20. & 1. *de rat. victus in acut. comm.* 18. ſi hæc pars à cartilagine mucronata prematur, ac lædatur, fit, vt appetitus ipſe imminuatur, vel ferè aboleatur: & quoniam cartilago hæc reclinata aliquam etiam vim infert diaphragmati, hinc inſurgit aliqua ſpirandi difficultas, qua ægrotantes potiſſimùm laborant, cum mouentur, vel altiora loca, vt ſcalas & montes aſcendunt. Quemadmodum enim ſeptum tranſuerſum à ventriculo & jecore, vel etiam liene, cum maximo tumore laborant, premi poteſt, & difficilem reſpirationem excitare, vt ſcriptum reliquit Galenus, *lib.* 2. *de difficult. reſpiration. cap.* 10. ita etiam illo à mucronata cartilagine preſſo idem ſymptoma oriri ſine dubio poteſt, quamuis id nec à Galeno, nec alio quopiam fuerit animaduerſum. Quod ſi cartilago hæc jecur ipſum comprimat, cùm ex hac compreſſione & coarctatione non poſſit129 bilioſus ſuccus

ad propria loca transmitti, per vniuersum corpus diffunditur, ac regium morbum excitat: & cum sæpenumero ex morbis morbi fiant, si inappetentia, vomitus & regius morbus diu perseuerauerint, in atrophiam vel cachexiam incidunt; in illam ratione priuationis alimenti, in hanc verò caussa vitiosi alimenti. Præter enarrata mala, si laborantes sursum brachia extendant, vel in lecto supini jaceant, ingenti vel majore dolore circa præcordia afficiuntur, in reliquis sunt anxij, ac loco stare nesciunt, vigiliisque valdè molestantur. Non est autem necessarium, vt omnia commemorata symptomata in singulis hisce ægrotantibus reperiantur, sed alia in aliis, modò intensiora, modò leuiora, pro majori vel minori cartilaginis depressione ac læsione illata.

## *Prognostica.*

*Prognostica.* Cartilago mucronata, sicut & cæteræ cartilagines, si præscindatur, non recrescit: & si rumpatur, nunquam reparatur, vel solidescit auctore Aristotele, *lib.* 3. *de hist. Animal. cap.* 8. & *lib.* 2. *de part. animal. cap.* 9.

Mulieres consueuerunt magis hoc morbo laborare, quàm viri; cùm in iis mucronata cartilago sit minus dura, habitùque sint humidiore, & excrementis potissimùm frigidis abundent.

Hæc cartilago depressa à principio facili negotio ad propriam sedem restituitur: sin autem depressio negligatur, ac diu ita perseueret, ratione duritiei partis maxima cum difficultate ad situm reduci potest.

## *Curatio.*

*Curatio. Varij cartilaginem reponendi modi.* Ideo operæ pretium est, quamprimum operam dare, vt ad naturalem situm extollatur, quod pluribus rationibus effici poterit. Nam si adesset in corpore humorum abundantia, vel humores ad partem affectam

1. fluerent, antequam manus intrò adhibeantur, plenitudo auferri, vel saltem imminui, & fluxio aliò deflecti ac inhiberi debet. Igitur peritus artifex ventrem fascia sursum versus deuinciat, & ab vtroque hypochondrio subtus costas inchoando partes illas manibus comprimat, vt impulsu turgentium partium cartilago depressa ad locum proprium redeat: à quâ tamen curatione abstinendum in mulieribus grauidis. Nam sine manifesto abortûs discrimine minimè adhiberi potest, vt contigit annis elapsis vxori cujusdam. Equisonis prægnanti, quæ cum febre tertianam imitante cum quibusdam ventriculi perturbationibus afficeretur, à quodam pro restituenda cartilagine ad locum suum, posthabita omni fœtus custodia, supra ventrem arctissimè vincta altero die partum abegit, & sequenti nocte ipsa obiit: & accersitus Codrochius, vt opem huic mulieri ad interitum properanti afferret, audiens ex viri hujus audacia & inscitia fœtum mortuum excussum esse, & videns misertimam illam fœminam jam interemptam esse, non potuit non maxima animi sui molestia hanc dementissimam temeritatem detestari, & simul cogitare & perquirere, an verum esset, cartilaginem hanc præter naturam deorsum prolabi posse, & si procidat, quæ symptomata ac mala excitare posset, & tandem, quænam esset germana ac tuta hujus procidentiæ cura, quam pluribus modis fieri posse postea cognouit, quorum vnus jam explicatus.

2. Cui succedit alter, quem ægrotus ipse propriâ industriâ assequi poterit, si videlicet rem aliquam grauem ac ponderosam, quantùm ferre valet, manibus strenuè capiat, tantùmque extollat, vt à terra magis distet, quàm capitis ipsius summitas, & sic eam sublimem summa vi tenens se hinc inde aliquantisper, modò ad dextram, modò ad sinistram vertat.

Cùm tamen non omnes, & potissimum mulieres, ob virium imbecillitatem id efficere possint, succedat



3. tertia ratio curandi, & est, vt artifices manibus cartilaginem lapsam leniter cōtrectando eleuent, & ad naturalem sedem reducant, ad quód præstandum inueniuntur plures mulieres peritæ, quàm viri; cujus rei hanc esse caussam ait Excellentissimus Masinus, (quem vnum inuenit in tanto Medicorum numero, qui hanc fieri depressionem ac morbum asseruerit) quóniam mulieres crebriùs ab hac ægritudine capiuntur, & ob verecundiam & honestatem libentiùs mulierum, quàm virorum manibus se committunt. Hinc vsu euenit, vt mulieres ob magis frequentem operationem & vsum peritiores, & magis idoneæ fiant.

Quod si his tribus expositis modis cartilago non possit ad naturalem situm restitui, fortasse non erit sine fructu, supra regionem hujus partis apponere cucurbitulam superius perforatam cum leui tamen flamma. Nam cum ventosa habeat insignem vim sursum trahendi, rationi consonum est, vt & hanc delapsam partem sursum eleuet ac trahat: cùm tamen aliquantisper cucurbita manserit, non vi auferatur, sed aperto foramine permittant, vt per se remoueatur. Antequam verò ministri hujus cartilaginis restitutionem aggrediantur, vt facilius id consequi possint, cùm ea pars, vt sæpe dictum, sit duriuscula, regionem totam superioris partis ventriculi illinere solent vel butyro solo, vel butyro & oleo amygdalarum dulcium, quibus aliqui parum croci adjiciunt, quod faciendum ipse magis probat, cum prolapsus est factus ab aliqua caussa externa, quàm cum ab interna, in quo casu magis exsiccatione egemus, quàm humectatione. Si tamen id fiat, vt faciliorem aditum manui præbeat, vt videlicet cutis musculi huic cartilagini suppositi à linimento laxati manûs contrectationi magis cedant, id se non improbare asserit, dummodo parcè fiat. Quod si prolapsus sit antiquus, & qui spatio temporis callo ferè obduruit, adhibenda sunt, quæ molliant, laxent, & partem extensioni aptam efficiant, vt est fotus cum decocto maluæ, althéæ, fœnigræci, atque id genus aliorum, atque sine fiat spongiâ, siue aliquo instrumento molli, parum refert.

Cartilagine in propriam sedem repositâ, insurgit alia indicatio ipsam firmandi & roborandi, ne amplius prolabatur, sed in sua sede constanter firmitérque consistat, quod facili negotio perfici poterit, si locus affectus aliquibus vicibus foueatur spongiâ aliave re simili madefacta in vino nigro parum austero, in quo mastix, thus, absinthium, balaustia, rosæ rubræ, nuces cupressi, & id genus alia ebullierint, & postea admoueatur sequens Ceratum. *Cartilaginis firmandi ratio.*

♃. *Mastich.* Vnc. ii. *ladan.* Vnc. i. *rad. bistort. nuc. cupress. medull. interioris thur. rosf. rubr. balaust.* an. Vnc. sem. *corall. rub.* Scrup. i.

Misce & cum *pice nauali* ac *terebinth. q. s.* f. l. a. Ceratum, quod per 6. vel 8. dies parti adhæreat. Nec laudandos censet illos, qui cerati vice albumen oui apponunt, quoniam nimis refrigerat, quod in parte adeò frigida vitari debet.

Atque ista è Baptista Codrochio proponere libuit, quæ Lectori perpendenda & cum experientia conferenda relinquimus, atque hoc etiam considerandum damus, an non affectus, quem Germani *das Vvehethun* nominant, cujus supra, *c.* 21. *de luxat. vertebrarum dorsi*, mentionem fecimus, quandoque etiam ad hanc caussam referri possit.

# LIBRI SECVNDI PARS III.

## DE SYMPTOMATIBVS, quæ pulmonibus & thoraci accidunt.

### PROOEMIVM.

*POSTQVAM præcedente parte huius libri absoluimus morbos, qui pulmones & thoracem infestare solent; restat, vt jam Symptomata, quæ iisdem accidunt, subjungamus. Et quidem primò Actiones læsas quod attinet, cùm pulmones cum aspera arteria & thorace respirationis organa sint, simúlque voci & sermoni in homine formando inseruiant, dicendum 1. de Respiratione læsa; quò pertinet Asthma, & Suffocatio ac Strangulatio, 2. de Vocis & Locutionis vitiis, 3. de Tussi, item Conuulsione diaphragmatis, quæ ad Motus symptomata pertinet, 4. Dolore lateris & pectoris, qui etiam insigne est in pectore in sensu Tractus symptoma.*

*Qualitatis mutatæ, quæ in sensus incurrant, symptomata hic non dantur. In Excretis verò est Sputum, & Puris ac sanguinis, Grandinis, Calculorum ac Vermiculorum è pectore ejectio, de quibus ordine dicemus.*

---

### CAPVT I.

#### *De Respiratione læsa in genere.*

*Respiratio læsa in genere.* RESpiratio, Græcis ἀναπνοὴ, motus est pectoris & thoracis, quo aër attrahitur in pulmones & expellitur. Et quidem pulmones naturali vi, vbi aëris attrahendi vel expellendarum fuliginum necessitas percipitur, dilatantur & contrahuntur: quod vt commodè præstare possint, & locum, in quo moueantur, inueniant, facultas animalis simul cum pulmone thoracem dilatat & contrahit, pulmonísque & thoracis motus in vnum finem conspirant. Ideóque etiam hic motus non planè liber est & voluntarius, sed παθήμασι & necessitatibus corporis subjectus, & thoracis motus naturæ vrgenti cedit. Qui enim motus voluntarius & planè liber est, is nullum tempus, nullam mensuram præscriptam habet. Cohibitum autem spiritum ducere iterum cogimur; cum suffocatio vrgeat, quam natura reformidat.

*Suffocatio serui barbari.* Peculiare enim quiddam fuit, quod de seruo Barbaro refert Galenus, 2. *de motu muscul. cap.6.* qui cohibito sponte spiritu seipsum suffocauit; cum alioquin natura superior tandem ad respirandum impellat.

Respiratio autem duobus motibus perficitur; inspirationis scilicet & exspirationis. In inspiratione pulmo & pectus dilatatur, & aër attrahitur. In exspiratione pulmo & thorax contrahitur, & aër fuliginosus expellitur. Inter hos duos motus duæ intercidunt quietes; sicut in pulsu inter systolen & diastolen. *Differentia inter pulsum & respirationem.* Differentia tamen hîc quædam est inter pulsum & respirationem. Quia enim pulsus planè naturalis est, motus ille est continuus & non interruptus, nisi quod duæ quietes inter systolen & diastolen intercedunt: quia verò ad respirationem etiam facultas animalis concurrit, nonnihil pro arbitrio nostro hic motus regi, & interdum aliquandiu differri potest.

Tria autem ad respirationem naturalem concurrunt: 1. Facultas mouens. 2. Organa respirationi inseruientia, quæ sunt pulmones diaphragma, thorax variis musculis instructus & agitatus, trachea, quæ via est, per quam aër ingreditur, & egreditur; quò pertinent & nares ac os & fauces; quæ ipsa etiam aëri transitum permittunt. 3. Vsus, qui est caloris in corde temperatio, spiritúumque generatio. Ideo enim fit respiratio, vt cordis calor ventiletur, & in statu naturali conseruetur cordisque actiones rectè perficiantur.

Quibus fortasse quartum addere licet, ipsum aërem qui inspiratur. Is enim ita dispositus sit necesse est, vt calorem cordis ventilare & refrigerare possit; si verò is sit crassus, fuliginosus, qualis est in quibusdam cauernis, aut si nimis æstuosus, ad refrigerandum ineptus est, & quandoque suffocationem inducit.

Ratione autem organorum respirationis quædam differentia est, & εὔπνοιν alia est ἀβίαστος, cujus instrumentum est diaphragma; alia βίαια, quæ à musculo fit in summis scapulis sito, & ab interna intercostalium parte. Sic ἐκπνοῆς ἀβιάστου instrumenta sunt musculi circa abdomen; βιαίας autem externa intercostalium pars. Nerui, qui ad diaphragma pertingunt, inter 4. & 5. vertebram ceruicis prodeunt, qui ad intercostales musculos & thoracis vertebras progrediuntur. Atque hæc ad naturalem inspirationem necessaria sunt, quæ si lædantur, respirationem lædi necesse est.

Est nimirum respiratio læsa pulmonis ac thoracis motus à naturali statu deflectens, propter vitium aliquod in facultate mouente, organis respirationis, vsu mutato, vel etiam aëre, qui attrahitur, consistens.

Læditur autem respiratio, vel quia planè aufertur, quæ ἄπνοια dicitur, vel deprauatur, quæ δύσπνοια appellatur. *Respiratio quomodo lædatur.* Platerus tamen, nec incommodè, dyspnœam omnem ad respirationis defectum seu diminutionem refert; deprauatam autem solùm respirationem appellat quando non rectè fit respiratio, vt dum est frequens, cita, vel interrupta; quò etiam suspirium refert.

#### *Caussæ.*

*Caussæ.* Respiratio læditur 1. læsâ facultate; idque fit, vel cum facultas motrix per se læditur, vel per accidẽs, vbi eâ saluâ, ac spiritu animali præsente, aliundè in motu impeditur. Cum autem vis mouendi seu respirationem efficiendi & in pulmone & thorace consistat, vtriusque facultatis læsio perpendenda.

Pulmonis, præcipui respirationis organi, motus peculiari ejus vi perficitur, quæ ejus facultas, tam diu salua esse dicitur, quamdiu ejus temperies & calidum innatum saluum est. Ideóque læsa pulmonis facultas per se tantum dici potest, cum ejus temperamentum vitiatur, & calidum innatum deficit, id quod in phthisicis & moribundis sæpè accidit. Impeditur verò facultas pulmonis motrix, licet salua sit, & ita per accidens læditur, & in operatione sua impeditur, dum spatium, in quo liberè moueatur, non habet; id quod fit in pectoris angustia quacunque de caussa profecta, vt in gibbositate, empyemate, hydrope pectoris, aut dum ab abdomine diaphragma comprimitur & sursum pellitur.

Thoracis verò motus ab animali facultate pendet, quæ per se equidem lædi propriè dici non potest; per se tamen lædi à Medicis dicitur, cum spiritus animalis, qui ad motum animalem necessarius est, deest, & cum spiritus animalis ad thoracis musculos & diaphragma non influit. Fit autem hoc, vel quia non transmittitur, vel quia non recipitur; ipsiúsque influxus prohibetur. Non transmittitur, vel quia spiritus animalis deficit, vt in moribundis & in nimiis euacuationibus, & aliis caussis spiritus dissipantibus; vel ejus influxus à cerebro non fit, vt in apoplexia & soporosis affectibus. Non verò recipitur influens spiritus animalis propter vitium neruorum spiritum animalem ad musculos thoracis & diaphragma deferentium. Etsi verò etiam ex sexta & septima conjugatione thorax neruos accipiat: tamen quia septum transuersum, cujus motus ad mediocrem respirationem sufficit, neruos etiam à dorsali medulla insignes vtrinque accipit, rarò respiratio sola & seorsim, citra aliarum actionum læsionem, neruorum sextæ & septimæ conjugationis vitio læditur,

læditur, sed dorsali medulla & conjugationibus dictis simul læsis, quod non nisi circa exortum in cerebro fieri potest, vt in apoplexia, respiratio læditur. Nerui autem majores à dorsali medulla progressi, si seorsim afficiantur, id, quod in catarrhis eò decumbentibus, vt & intemperie frigida, vulneribus & tumoribus fit, respiratio seorsim læditur. Quò etiam referri potest spinalis medullæ ob luxationem, vulnera, vel alias caussas, vitium.

Per accidens verò læditur facultas & motus thoracis, inprimis ejus dilatatio, dum facultate integrâ, & spiritibus præsentibus motus impeditur, vel ob dolorem lateris & diaphragmatis, colli, abdominis, intestinorum, hepatis, ventriculi, aut harum partium vulnera, aut dum ob aquam, vel pus, vel sanguinem in cauitate thoracis contentum is liberè moueri non potest, & diaphragma comprimitur, vt liberè distendi nequeat, ab hepate vel liene tumente, aut flatibus & vaporibus in intestinis contentis. Vapores etiam vel flatus in abdomine collecti & circa diaphragma subsistentes illius liberum motum impediunt, & nunc respirationem difficilem, nunc suffocationis metum inducunt, quibus sæpe & cerebri ac cordis alia mala accedunt, ob insignem cum cerebro & corde diaphragmatis consensum, præsertim si materiæ magna sit copia. Vapores autem hi à venis mesaraicis & hypochondriis, ventriculo, intestinis, interdum & vtero attolli solent. Viscera quoque in abdomine circa septum transuersum appensa, si obstruantur valde, vel intumescant, pondere suo diaphragma infra trahendo illud liberè moueri non permittunt; id quod fit in hepatis obstructionibus & tumoribus; quæ difficilis respiratio sæpe diu hydropem præcedere solet. Ventriculus quoque cibo repletus eodem modo difficilem respirationem efficere solet; quod & ab ingestorum ciborum qualitate interdum euenit. Quod & in grauidis accidit ab vtero, qui distentus diaphragma comprimit, & difficilem respirationem efficit.

II. Ratione organorum læditur respiratio, dum aliquod in iis est vitium. Organa autem respirationis alia ad motum faciunt, vt pulmo, diaphragma, musculi thoracis & abdominis; alia aëri ingressum & egressum permittunt, vt nares, os & fauces, larynx, aspera arteria, ejúsque rami per pulmonem dispersi, quique ad pulmonis substantiam pertinent.

Pulmonis ergo vitio respiratio impeditur, dum pulmonis asperæ arteriæ angustiores, quàm par est, fiunt, nec satis dilatari possunt, dum scilicet obstruuntur à catarrhis eò defluentibus, qui si confertim & ἀϑρόως ruunt, Suffocatiui nominantur, & pituitoso humore in iis collecto, à sanguine eò effuso, vt & pure, vel in pulmone collecto, vel aliunde effuso grandinibus item, calculis & vermiculis; aut comprimuntur à pituita in læuibus arteriis & pulmonis substantia, vel tuberculis, vel aquâ in pulmone collectâ. Connexus etiam pulmonis cum concauo thoracis strictior pulmonis motum liberum impedit, respirationémque difficilem reddit, quod nonnullis à primo ortu, aliis post casum aut pleuritidem accidit. Si etiam pulmo à prima origine sit minor, quàm par est, aliquod respirationi impedimentum affert. Faciunt etiam huc pulmonis vulnera & vlcera.

Diaphragmatis verò & musculorum respirationi inseruientium vitio fit respiratio læsa, dum diaphragma vel inflammatur, vel vulneratur, aut dum catarrhus, qui in musculos intercostales lapsus est, ad diaphragma vsque etiam penetrat. Aut dum musculi contunduntur, inflammantur, vulnerantur, vel exulcerantur, vt & musculi abdominis, respirationi inseruientes: aut si catarrhus in eosdem musculos decumbat.

Pertinet huc & costarum & vertebrarum vitium, dum vel franguntur, vel luxantur, ac thoracis motui obsunt.

Tandem inter thoracis vitia est hoc, si cartilagines thoracis, quæ ad motum faciliorem edendum pectoris circumferentiam constituunt, in osseam substantiam indurantur. Nam & tunc thorax satis dilatari nequit.

Partium autem, per quas aër transire debet, vitio, puta narium, oris & faucium, vt & tracheæ angustiâ, difficilis respiratio, imò suffocatio interdum induci potest. Quod fit, si nares vel à pituita, vel à tumore aliquo obstruantur & obturētur, si tumor aliquis sit in musculis faucium, laryngis in tonsillis, vel columella delapsa sit, vel si vertebræ ceruicis luxatæ viam hanc intercludant. Inprimis verò si aspera arteria, & præcipuè ejus caput seu laryngis rimula vel obstruatur vel adstringatur & coarctetur, vel à quacunque caussa angustior redatur. Quò pertinent & asperæ arteriæ vulnera.

III. Ob vsum respirationis seu finem mutatū, atque ita cordis vitio, respiratio læditur. Si enim ille non vrget, nulla aut quàm exigua fit respiratio: & quamdiu motus cordis cessat, tamdiu etiam cessat respiratio; quod fit in syncope & suffocatione vterina. Si verò vsus vrget, respiratio fit magna vel frequens & celer, id quod in febribus ardētibus accidit, & plurimæ respirationis læsæ differētiæ ab vsu & sine mutato proueniūt.

IV. Tandem etiam aëris, quem spirando attrahimus, vitio, respiratio lędi potest. Si enim is crassus, caliginosus, & fuliginosus sit, qualis est in quibusdam cauernis, qualémque faciunt fumi, qui è carbonibus accensis exhalant, vt & vapores è musto & cereuisia fermentante, vsui non satis fit, adeò, vt etiam à tali aëre nonnullos suffocatos fuisse, compertum sit. Ita in Cypro è venis chalcāthi fumus attollitur, qui hominē suffocat, teste Galeno, *9. de simpl. med. facult. tit. de Chalcantho.*

Has caussas omnes vt in numerum redigamus, fit respiratio læsa. ***Respirationis læsæ.***

1. Ab insigni intemperie & pulmonis corruptione. ***Caussa 1.***

2. A pectoris angustia, quacunque de caussa profecta, ob quam pulmo & diaphragma liberè moueri & dilatari non potest. 2.

3. Ob defectum spiritus animalis, in moribundis, in apoplexia, & frigidis affectibus. 3.

4. Ob neruorum insignium ad thoracis musculos & diaphragma tendentium læsionem quamcunque, quæ spiritus animalis influxum prohibere potest. 4.

5. Ob dolorem in musculis thoracis & aliis partibus vicinis, quæ respirationi quocunque modo inseruiunt. 5.

6. A diaphragmatis motu impedito, ab aqua, pure, vel sanguine in thoracis cauitate contento, vel à vaporibus & flatibus ab inferioribus ascendentibus, & circa diaphragma subsistentibus, seu viscerum in abdomine obstructione, distensione & tumore. 6.

7. Pulmonis vitio, dum scilicet ejus arteriæ vel obstruuntur quacunque de caussa, vel comprimuntur, aut dum pulmo pectori agglutinatur aut vulneratur. 7.

8. Diaphragmatis vitio, dum illud vulneratur, inflammatur, vel dum catarrhus in id decumbit. 8.

9. Musculorum thoracem mouentium vitio, dum illi contunduntur, vulnerantur, inflammantur, exulcerantur, aut dum catarrhus in eos decumbit. 9.

10. A costarum & vertebrarum dorsi luxatione & fractura; vt & cartilaginum pectoris induratione. 10.

11. A musculorum abdominis morbis, ob quos liberè moueri non possunt. 11.

12. A narium, oris, faucium angustiâ. 12.

13. A laryngis & asperæ arteriæ obstructione, compressione, vulneribus. 13.

14. Ab vsu mutato, qui varius est. 14.

15. Aëris quem inspiramus, vitio, si is calori refrigerando & ventilando non sit idoneus. 15.

Atque tot quidem sunt respirationis læsæ caussæ. Verum enim verò plurimæ à morbis, quos jam explicauimus, vt & apoplexia, febribus, & similibus dependent, atque ita de respirationis læsæ, curatione vno in loco tractari non potest. Ideoque alios Medicos secuti, hic

hîc ſaltem de ea reſpirationis læſæ curatione dicemus, quæ vulgò Aſthma vel Orthopnœa dicitur; deinde de Suffocarione & Strangulatione, quæ peculiares reſpirationis læſæ differentiæ ſunt.

## CAPVT II.

### De Aſthmate & Orthophnœa.

*Aſthma.*

ASthma,Latinis Anhelatio, etſi interdum in genere & amplo vocis ſignificatu pro quacunque reſpiratione difficili & anheloſa quacunque de cauſſa profecta,ſiue cum febre, vel ſine febre accipiatur: ſtricta tamen vocis ſignificatione Hippocrati eſt πύκνη, hoc eſt frequens ſeu denſa & difficilis reſpiratio ſine febri,qualis eſt eorum, qui ex curſu & celeri exercitatione ſubſiſtunt; & quidem cum ſono,vt Celſus addit, à ſpiritu humorem in pulmone contentum diſſoluente. Quando verò malum eò vſque creuit, vt æger erecto corpore propter ſuffocationis metum reſpirare cogatur, ὀρθόπνοια appellatur. Imò, vt Galenus,6. *aphor.* 46. ſcribit, qui Hippocratem ætate ſecuti, affectionem quandam diuturnam,nonnulli ahſthma ſimpliciter, nonnulli quoque ὀρθόπνοιαν nominant,cum ſine febre æger continenter difficilem habet reſpirationem.

Vnde etiam Aſthma definitur læſa reſpiratio eáque denſa & frequens ferè, vt æger ſine anhelatione reſpirare nequeat, ſine febre plerumque ab anguſtia bronchiorum pulmonis proueniens. Quando malum (differt enim aſthma & orthopnœa ſaltem magnitudine) ita incrementum ſumpſit, vt æger non niſi erecta ceruice ſpirare poſſit,Orthopnœa nominatur.

Locus affectus,eſt pulmo,& quidem ſecundum bronchia, id eſt, aſperæ arteriæ cartilaginoſas propagines per pulmones diſperſas, quæ ſpiritus via ſunt. Quanquam enim thorax & pulmo etiam ſuo modo ſatis dilatentur; tamen propter harum viarum anguſtiam ſatis aëris inſpirando attrahi non poteſt, vnde, vt quod magnitudini & ſufficientiæ deeſt, compenſetur frequentiâ & velocitate, frequens ac velox ſpiratio oritur.

#### Cauſſæ.

*Cauſſa.*

Etſi verò vt dictum, reſpirationis difficilis plurimæ cauſſæ ſint: aſthmatis tamen in ſpecie dicti duas tantùm ponit cauſſas Galenus,humores ſcilicet craſſos ac pituitoſos, & crudum tuberculum; quibus tamen adhuc vna atque altera addi poteſt.

Eſt nimirum proxima aſthmatis cauſſa anguſtia bronchiorum pulmonis, ſeu vſus auctus propter anguſtiam bronchiorum pulmonis. Anguſtia autem illa oritur, non à quacunque cauſsâ, cum, vt dictum, aſthma ſit reſpiratio difficilis non quæuis, ſed anheloſa & diuturna ac curatu difficilis ſine febri, ab obſtructione vel compreſſione pertinaci. Vtrumque enim, obſtructionem & compreſſionem ſcilicet, efficiunt primo humores ſæpe craſſi & viſcidi, nonnunquam & tenues ac ſeroſi, ſed copioſi, deinde crudum tuberculum vel grando & calculi in pulmonibus hærentes. Quibus nonnulli & flatum craſſum addunt.Hæc enim ſiue intus bronchia pulmonum obſtruant;ſiue in ſubſtantia pulmonis;venis ejus & læuibus arteriis hærentes ea comprimant anguſtiam efficiunt, & ita reſpirationi obſunt, vt poſtea,*quæſtione.* 1. dicetur.

Materia autem bronchia pulmonum ſeu obſtruens, ſeu comprimens, nunc in pulmonibus ſenſim colligitur,ob debilitatem & cachexiam illius viſceris, vt docet Auicennas, 3. *can.fen.*1 4.*tract.*4.*cap.* 3.& bronchia obſtruit, quæ interdum etiam in calculum & grandinem induratur: nunc verò aliunde affluit. Fit hoc interdum à capite, cum catarrhi à capite lapſi in pulmonibus ſuſiſtunt; id quod vulgo frequentiſſimè fieri putatur. Verùm ego id rarius accidere puto, vt poſtea, *quæſt.* 2. dicetur,& frequentiſſimam aſthmatis cauſſam eſſe puto materiæ per venam arterioſam in pulmones effuſionem, dum ſcilicet circa hepar in venoſo genere crudi humores colliguntur, & per venam arterioſam in pulmones effunduntur, & bronchia pulmonis comprimentes reſpirationis difficilis & aſthmatis propriè dicti, mali ſcilicet diuturni & contumacis illius, cauſſa ſunt. Etſi enim in hydropicis humor ſeroſus ad thoracem penetrans reſpirationem difficilem efficere poſſit: tamen ea reſpiratio difficilis propriè aſthma non eſt,ſed ab hydrope, morbo primario,dependet.Et quidem ille humor,qui è venis per venam arterioſam in pulmones confluit,non ſemper craſſus eſt,ſed ſæpè tenuis & ſeroſus,qui in venis & arteriis collectus nũc motu corporis,nunc irâ,ſæpe verò ad aëris & tempeſtatis mutationes agitatus in pulmones irruit;vnde paroxyſmus ſæpe ſecundum Lunæ motum & quarto fere die exacerbatur. Non impoſſibile tamen videtur,vt humor etiam talis (cum arteriæ multo ſero abundent) per arteriam venoſam in pulmones infundatur. Eodem modo à crudo tuberculo oriri poteſt aſthma,non ſolùm in aſperis arteriis conſiſtente,ſed & extra eas conſtituto, eaſque comprimente. Et quidem ſi crudum tale tuberculum conſiſtat ſolùm in aſpera arteria, vel circa eam, tantum aſthma parit; ſin etiam circa leues, cor in conſenſum trahitur, & pulſus inæqualis efficitur,id quod in Antipatro factum refert Galenus, 4. *de loc. affect.cap.vlt.* Ideóque ſiue materia in læuibus arteriis conſiſtat, & aſperas comprimat, ſiue vtraſque pulmonis arterias obſideat;& aſthma,& inæqualitas pulſus inducitur.

*Frequens aſthmatis cauſſa.*

Poſſunt quidem & alij tumores, qui ſuppurantur, reſpirationem difficilem efficere, vt non ſolùm Galenus, 4.*de loc.affect.cap.*8.& Aëtius,*tetrab.*2.*ſerm.*4.*cap.* 57. docet, ſed & res ipſa loquitur; cum tum etiam bronchia pulmonis comprimantur:tamen ſi ſtrictè vocabulum aſthmatis accipimus, ea læſa reſpiratio aſthma non eſt;ſed cocto ac rupto abſceſſu ac pure per ſputum rejecto ceſſat; aſthma verò propriè dictum ſaltem ab humore craſſo & crudo tuberculo oriri docet Galenus.

Hiſce cauſſis nonnulli addunt etiam vapores ex vtero aſcendentes & flatus craſſos. Verùm etſi negandum non ſit,ab hiſce cauſſis interdum reſpirationem planè difficilem fieri: tamen quia illa ſubito inuadit, & citò ceſſat, aſthma propriè dictum non conſtituit. Ille flatus potius ad aſthma pertinet,qui ſe materiæ aſthmatis cauſſæ jungit, paroxyſmique autor eſt; cum ſcilicet humor craſſus à motu nimio vel alia cauſſa in flatum reſoluitur.

Quod autem flatui tribuitur, ſæpius rectiùs humori ſeroſo, vt modò dictum,tribuendum eſſet, cum is in ramis venæ cauæ majoribus quacunque de cauſſa feruens & motus ἀθρόως & confertim per dextrum ventriculum cordis in pulmones irruit,& aſperas arterias comprimit; quæ non infrequens paroxyſmi aſthmatici cauſſa eſt, ob quam æger difficili reſpiratione, ſæpe nulla cauſſa manifeſta præcedente, ſed imminente aëris aliqua mutatione & tempeſtate corripitur.

Affinis etiam eſt aſthmati illa difficilis reſpiratio, quæ à ſiccitate nimia pulmonis prouenit, ob quam pulmones ſatis dilatari ad aërem hauriendum non poſſunt; quam ſiccitatem inprimis metallici vapores inducunt, & propterea iis, qui metalla & mineralia tractant, familiaris eſt. Ita refert Heurnius, *de morb. pect. cap.* 4. typographo cuidam adeò ſiccatos fuiſſe pulmones, vt aridum pomum retulerint.

*Differentiæ*

*Differentiæ.*

Differentiæ. Afthma aliud eft recens,aliud inueteratum. Aliud eft periodicum, quod per interualla redit, vbi fcilicet materia interiecto quodam temporis interuallo vel confluit, ἀϑρόως, id quod potiffimum per venas fieri puto, vel paulatim antea in pulmonibus collecta moueri & agitari incipit. Hinc fit, vt præter cauffas proximas antea enumeratas, etiam remotiores cognofcendæ fint, vt vitentur. Tales funt cibi flatulenti, aër craffus ac nubilofus,aëris caliditas aut frigiditas nimia, corporis & animi motus nimius.

Deinde afthma aliud eft grauius, aliud mitius. Si enim æger quidem difficulter refpiret & anhelofus fit, fimpliciter afthma appellatur. Si verò ita incrementum fumat difficilis refpiratio, vt æger non nifi erecta ceruice refpirare poffit,orthopnœa nominatur,vt antea etiam dictum.

Tertiò afthma aliquando eft etiam hæreditarium, habéntque nonnulli congenitam ad afthma propenfionem,quæ fita eft in pulmonum laxitate quadam & debilitate ad recipiendum affluentes aliunde humores,vel etiam eos cumulandos apta.

*Signa Diagnoftica.*

Signa. Imminentis afthmatis figna ita tradit Aretæus,*lib.* I. *de fign.& cauf. morb. diuturnor.cap.* I I. Morbi incipientis feu impendentis notæ funt huiufmodi;grauitas pectoris, tarditas ad folitum opus, & aliud quodlibet agendum,in curfu & in accliui itinere difficilis & ægra fpiratio, raucefcunt & tuffiunt,flatus in præcordiis atque eructationes præter rationem excitantur,vigilant, noctu parum & obfcurè incalefcunt, nares acutas & ad fpirationem paratas habent.

Malum autem præfens facilè fignis fuis pathognomicis cognofcitur. Ægri nimirum plerumque fine febri, de quâ poftea, *quæftione* 3. dicetur, & alia euidente cauffa, quæ refpirationem difficilem inducere poteft, frequenter, vt ij, qui curfu velociore aut motu alio vehementi funt defatigari, & , fi malum fit vehemens, etiam erecta ceruice refpirare coguntur. Et fit hæc refpiratio læfa quandoque cum ftertore & fonitu, quandoque fine eo, ideo quod materia quandoque hæret in bronchiis & afperis arteriis, quæ dum fpiritu difploditur,fonitus excitatur,aliquandoque extra afperas arterias.Scribit tamen Iohannes Zechius.*Confultat.* 18.hoc quidem vt plurimũ fieri,fe tamen in quàm plurimis obferuâffe, refpirationem, acceffionis præfertim tempore,rarâ & admodum tardam,longéque difficilioré infpirationé exfpiratione ipfa effe. Atque ipfe cauffam huius rei hâc reddit,quod cum duo fint refpirationi inferuientium inftrumentorum genera, quorum alia aërem fufcipiunt, vt arteria cum pulmone, alia mouent, vt ipfe etiam pulmo cum thoracis mufculis: fi accidat, vt non folum bronchia pulmonum, fed & ipfa pulmonis fubftantia cum fuis venis & læuibus arteriis afficiatur, facultáfque thoracem mouendi languida fit, accidere, vt nec pulmones humore grauari, nec thorax facilè moueri & diftendi poffit. Quapropter tum natura non fine labore & conatu maximo ac longiore temporis interuallo infpirationem moliri poteft; vnde etiam partes pectoris fupernæ mouentur; quam infpirationem fublimem Hippocrates appellare folet, in qua obeunda, vt vires deiectas interpofita quiete aliquâ natura nonnihil reparare poffit;infpirationem alteram non admodum maturat & accelerat; & ipfa expiratio expeditior eft infpiratione, quoniam huius operis inftrumenta fine multo labore mouentur,& ferè fponte fua concidunt.Idé tamen,*confultat.* 53.addit,refpirationem hanc fimul magnam effe.Cùm enim rara refpiratio vfui non fatisfaciat,ab vrgente poftea neceffitate coacta natura magnam pro viribus refpirationem efficit; ita vt non folùm feptum tranfuerfum cum mufculis intercoftalibus manifeftè moueatur, fed etiam mufculi fuperiores omnes, ita vt fublimis fiat appellata refpiratio.

Quomodo autem afthma à difficili refpiratione,à virium imbecillitate, & calore magno in cordi difcernenda fit, docet Galenus, 4. *de loc. affect. cap.* 7. *Subiiciamus*, inquit, *aliquem omnes fimul mouere mufculos, vt pectus vna cum fcapulis manifeftè fubleuetur. In hoc opere ex tribus vnum aliquod conicere neceffe eft, aut virium imbecillitatem, aut viarum fpiritus anguftiam, aut vehementem in corde & pulmone calorem. Quamuis interdum duæ, ac nonnunquam (licet raro) tres quoque ex iam dictis cauffis concurrere poffint. Igitur vbi vires duntaxat fuerint infirmæ, ad tria mouentium mufculorum genera venire, eofque omnes ad motionem excitare folent, vno genere vehementer pectus mouere nequeunte, & propterea non folùm diaphragma, fed vniuerfi thoracis mufculi mouentur: motum tamen & fenfum efficiunt, & propterea neque frequens omnino, neque raro omnino eorum actio exiftit. At præterea thoracis dilatatio hautquaquam magna erit, nullaque ex ore fiet exfufflatio & fpiritus ex folis naribus emitti folent. Quod fi per infpirationem narium pinnæ manifeftè trahi videantur, id proftrati roboris efficax indicium erit. Aucto verò in corde & pulmone calore, omnibus quidem thoracis mufculis peragitur quoque refpiratio, fed magna, velox, frequens vehemenfque percipitur, & præterea calidus exfufflando fpiritus emittitur. Tandem qui ob viarum fpiritus anguftiam difficulter anhelofeque refpirant, totum quidem thoracem magna ex parte & celeriter & frequenter dilatant, fed neque exfufflare, neque calidum fpiritum emittere confueuerunt. Id enim acuti caloris eft indicium.*

Cum verò anguftia ifta bronchiorum pulmonis quæ proxima eft afthmatis cauffa, à pluribus, vt dictum, cauffis prouenire poffit,& eæ difcernendæ funt. Vt verò de cauffis, quæ refpirationem difficilem in genere excitare valent,nihil dicamus,vt de pure vel fanguine in fpiritùs vias illapfis, & aliis quæ ex fuis locis patent: fi à craffis humoribus fiat afthma,& iis quidem in pulmone collectis, fenfim difficulter refpirare incipit æger,eftque difficultas fpirandi continua. Si verò aliunde affluat materia,refpiratio difficilis eodem modo continua non eft,fed per interualla infeftat vel exacerbatur. Etfi enim afthma, quod ob materiam in pulmone collectam excitatur, ob iram, aerem auftrinum,& fimiles cauffas,exacerbari etiam poffit:tamen in afthmate,quod fit à materia aliunde affluente, exacerbatio illa longè manifeftior eft. *Signa cauffarum.*

Exacerbatur autem hoc malum magis tempore autumnali & hyberno & noctu. Cum enim, vt Galenus, 6. *epidem. fect.* 1. *text.* 15. docet,dies toti anno proportione refpondeant, vt matutino tempori ver fit fimile, meridiei æftas, vefperi autumnus, nocti hyems; pituita verò noctu moueri foleat: non etiam eft mirum, afthma, quod eft morbus pituitofus, noctu magis exacerbari. Siue enim humor aliunde affluat ad pulmonem,noctu is magis moueri folet,fiue in pulmonibus congeftus contineatur, nihilominus ibi agitatur,& proprietas qualitates intendens,vel ad maius fpatium fefe extendit,vel vapores de fe emittit,& omnino euidentia fui exhibet indicia. Et quidem fi materia à cerebro delapfa fit, catarrhi figna adfunt:quod fi catarrhus abfit,per venas materiam affluere indicio eft, hepatifque affecti fignum tandem exhibet tumor pedum & cachexia. Ac fi humor ille craffus obftructionem efficiat in bronchiis pulmonis, difficilis eft refpiratio cum fonitu & tuffi,malum quandoque etiam ceffat vel remittit pituitâ excretâ;fi verò pituita & humor in venis & pulmone hæreat, abeft fonitus & tuffis & raro aliquid excernitur,ac malum pertinaciùs & diutiùs hominem exercet.

Quod fi à crudo tuberculo fit afthma,æger ab initio, dum bene adhuc habere videtur, paulatim incipit difficulter fpirare, accrefcitque deinceps quotidiè anhelatio citra ftertorem ac ftrepitum. Quod fi huiufmodi tuberculum temporis diuturnitate calefactum, & tandem quandam coctionem recipiens, in abfceffum mutetur, febris accedit,deinderupto tuberculo pus vel puri fimile quid excreatur, & pure euacuato fit refpiratio leuior.

Grandinis, & calculorum figna anteà funt propofita.

Si à ficcitate pulmonis proueniat afthma, præcefferunt cauffæ, quæ talem ficcitatem inducere potuerunt, fputum deficit,& macies totius corporis adeft.

## *Prognoftica.*

*Prognoftica.* 1. Afthma etfi fit morbus diuturnus,tamen paroxyfmos habet acutos, ob loci affecti nobilitatem, qui organum refpirationis eft,quo grauiter affecto homo diu viuere nequit; compertúmque eft,nonnullos in platea ambulantes hoc malo fubitò extinctos fuiffe.

2. Iuuenes hoc malo difficulter liberantur,fenes verò nunquam, fed eos afthma ferè comitatur vfque ad mortem *2.aph.*40.Infantes autem fuffocat, nifi maturis auxiliis fiftatur & auertatur.

3. Afthma hæreditarium vix vnquam curatur.

4. Qui gibbi ex afthmate aut tuffi fiunt ante pubertatem,ij ftatim moriuntur,*6.aph.*46.Galenus, *in comm.* cauffam refert in anguftiam pectoris & tubercula fpinæ intus annata,quæ fi cruda & coctu difficilia fint,hominem afthmaticum diu viuere non finunt. Sin humida,quæ tandem fuppurantur,tuffi aliquando vexatos citò tandem fuffocant & interimunt.Et quamuis aliàs calor circa pubertatem incrementū fumens multos morbos curare foleat: tamen calor hic gibbofitatem tollere non poteft.Et quia adhuc pulmones incrementum fumere folent; fpina verò in gibbis ampliùs non crefcit, atque ita pulmoni crefcenti in angufto pectore fatis loci non datur;is non fatis ventilari poteft, calorémque natiuum fuffocari neceffe eft.

5. Periculofum valde eft afthma in febri acuta.Nam materia & cauffa afthmatis à calore febrili valde exficcatur,& ad eiiciendum ineptior redditur.Multa quoque infpiratione in febre ob calorē vehementem opus eft, quæ ob anguftiam pectoris,quæ eft in afthmate,fieri nequit.Materia præterea calore febrili agitata afthma grauius reddit,& fimul ob eam febris inualefcit.

6. Afthmate laborantibus cum tuffi,fi tuffis ceffat, difficultate refpirationis aut perfeuerāte, aut increfcente, periculofum eft.Contumaciam enim materiæ,& virtutis expultricis debilitatem fignificat.

7. Ad Afthma inueteratum, fi noua repentè accefferit influxio,quæ pulmones obruat,vt in catarrho fuffocatiuo fit,lethale eft.

8. Afthmatici ij maximè periclitantur, qui viribus funt infirmi. Citò enim fuffocantur & in fyncopen incidunt; cum autem pulfus inæqualis admodum redditur,ægrum morti vicinum effe indicio eft,& multò magis,fi intermittat.

9. Poftquam etiam afthmatici difficulter refpirant; vt omnes mufculi intercoftales fuperiores fcapularum, & ipfæ fcapulæ attollantur,periculofum afthma eft.Virium enim imbecillitas,calor vehemēs,& anguftia partium refpirationi inferuientium adeft.Ne tamen in præfagitione ex pulfu & refpiratione Medicus decipiatur, videndum. Sæpiffime enim,qui bonum pulfum habere videntur,fubitò moriūtur, & fuffocantur;& contrà; qui pulfum prauum habent,auxilio aliquo adhibito,aut flatu,vel ferofo humore difcuffo, fubitò reftituuntur. Idéoque ad cauffam morbi, eius magnitudinem, aliáfque functiones attendere decet, non ad folam refpirationem & pulfum refpicere.

10. Afthma nonnunquam in peripneumoniam mutatur,idque febre fuperueniente cognofcitur,nonnunquam in hydropem & cachexiam degenerat.

## *Indicationes.*

Materia,quæ anguftiæ bronchiorum cauffa eft, tollenda: quod fit euacuando eam: idque vt commodius fieri poffit, eius craffities, fi adfit, attenuanda, vifciditas detergenda. Partes etiam materiam in pectus mittentes euacuandæ & roborandæ, & materia ad pectus ruens ab eo auertenda. Flatus fi coniungantur, difcutiendi;crudum tuberculum attenuantibus & exficcantibus abfumendum. Pulmonis ficcitas humectantibus emendanda. *Indicationes.*

## *Quæ tempore paroxyfmi facienda?*

Et quidem tempore acceffionis omnis danda opera, vt æger à præfenti periculo liberetur, nec fuffocari permittatur. Hoc enim maximè vrget, & propterea ad hoc maximè refpiciendum. Cum verò paroxyfmus è tribus cauffis oriri poffit, nimirum vel ex commota materia, quæ in pulmone quieta confiftebat, vel ex noua in pulmones affluxione,quam & flatus & vapor aliunde tranfmiffus tertiò augere poteft; materiam verò moueat corporis atque animi motus nimius, mora fub radiis Solaribus, ad ignem, fuppeditet autem & augeat ebrietas & crapula, vfus ciborum craflorum & flatulentorum: initio perpendendum eft, à quâ cauffa paroxyfmus ortum habeat. Nam fi à cauffa ortum habeat, quæ præfentem antea materiam agitare folet, non ita opus eft frictionibus, ligaturis, cucurbitulis & aliis reuulfionibus, fed quiete potius, & iis, quæ materiam motam difcutere poffint. Si verò aliunde materia ad thoracem affluat, feu ex toto, feu ex aliqua parte, omni ftudio laborandum, vt materia à pectore auerti & diftrahi poffit. Ergo cum æger corpore erecto, vt fpiritui via, & dilatato pulmoni fpatium maius detur, nullo modo fupinus, ne confidente ad dorfum thorace anguftia augeatur, collocetur, pectore nudo, aut certè leuibus faltem veftibus tecto, non verò onerato aut coarctato, in aëre temperato & ad frigidum declinante collocetur, & inutilium adftantium importuna turba arceatur. Hinc magnæ frictiones, vt & ligaturæ, in partibus inferioribus inftituantur, quæ humores ad fuperiora ruentes reuellunt, eos verò, qui in pectore funt, non agitant. Si verò pectus & dorfum etiam fricare libeat, fiat id fanè leniter, vt meatibus faltem dilatatis facilior fiat tranfpiratio, quæ refpirationis defectum aliquo modo compenfare poffit. Suppofitoria quoque hîc indantur. *Quid tempore paroxyfmi faciendum.*

Clyfteres verò non admittit Ludouicus Septalius, cùm viribus proftratis,& fuffocationis periculo incumbente,commodè iniici non poffint.Sed tamen vires nō femper ita proftratæ funt, vt clyfterem non admittant, qui à pectore fatis commodè reuellit. *Clyfter.*

Si fanguis in corpore abundet,& virtus valida fit, vena bafilica fecetur,vel mediana,& tantum fanguinis detrahitur,quantum,vires & morbus ferunt.Si verò menfes vel hæmorrhoides fubftiterint, faphena aperienda. Poffunt & cucurbitulæ & cruribus applicari reuulfionis & auerfionis gratia. *Vena fect.*

Si humor fit craffus, equidem non fatis commodè purgantia exhibentur. Verum fi humor fit tenuior & mobilis, ad periculum fuffocationis vitandum fatis commodè purgantia exhibentur; de quo *quæft.*4. dicetur. *Purgatia.*

Ad materiam verò difcutiendam pectori applicanda Topica laxantia,difcutientia,ex oleo amygdalarum dulcium,chamæmelino,liliorum alborum,irino,pinguedine gallinæ & fimilibus. *Topica difcutientia.*

Vt

Vt ♃. *Pulu.rad.althéæ,iridis*,ana.ʒ.i.ß.*farin.sem.lini, fœnigræc*.ana Dra.ii.*ol.amygd.dulc.irini,chamæmel*.an.℥.ß.*pingued. gallin*. ʒ.ii. *ammoniaci vino dissoluti* ʒ.ß. *ceræ* q.s.

F.Linimentum.

Vel ♃. *Mucilag.sem.lini.fœnigræc.cydonior.cum aqua scabiosæ.vel tussilag.extract*. an.ʒ.vi. *pulu.rad.ireos, hyssopi*,an.ʒ.ß. *croci* ℈.i. *ol.lilior.albor.amygdal. dulc.amarar*. an.Vnc.i.ß.Cum *cera*,

F.Linimentum.

Si tamen flatus coniungantur,cauendum, ne subitò & confertim calefacientia medicamenta extra adhibeantur.Si enim flatus à materia foueantur,metuendum est, ne his calidis medicamentis ea attenuetur& fundatur, flatúsque augeantur,atque ita respiratio difficilior reddatur.

*Lenitia & attenuantia.* Exhibeantur medicamenta interna lenientia, attenuantia, detergentia & expectorantia, qualia sunt *amygdal. dulc*.& *amaræ,ficus, passulæ,scabios. capill*. ♀*is, marrubium, hyssopus,radix aristoloch.rotundæ, ireos, ari, helenij, gentianæ, scilla, sperma ceti, crocus, moschus, ammoniacum sulphur, benzoe*, & medicamenta ex his parata, vt:

♃. *Rad.ari* ℥.ß.Coqu.*in vino albo*,& cum *lob.de pino* vel *syrup.de hyssopo*.

Misce & Eclegmatis forma exhibeantur.

Vel ♃. *Aqu.cinamom*.℥.ii.*oxym.scillitic*.℥.i.M.aliquid sensim sorbeatur.

Vel ♃. *Ammoniac*.℈.ß.*fl.sulph*.vel *lactis eiusdem,croci*,an.gr.v.*mosch*.gr.i.*oxymel.s*.ʒ.ii.*vini albi* ℥.iii.M.

Vel ♃. *Ammoniac*.ʒ.i.ß. Adde *pulu.glycyrrh*. & *sacchar.penidij* q.s.

Formentur Pilul.xxv.quarum 4.vel 5.exhibeantur.

Brunnerus,*consil*. 34.vt expertam & vsu probatam sequentem Potiunculam commendat:

♃. *Ammoniac*.ʒ.i.ß.*aqu.hyssop*.Vnc.iiii.*vini Rhenani* Vnc.ii.M.

Maior tamen videtur Ammoniaci quantitas, quàm quæ pro vna dosi exhibẽda.Theriaca etiam vel Mithridatium in ore teneri potest,& sensim aliquid deglutiri.

Commendatur& pomum excauatum, & ʒ.i. thuris repletum & assatum.

Vel ♃. *Flor.sulphuris* ʒ.i.ß.*benzoes* gr.v,*ammon*.gr.iii. *croci* gr.ii.*margaritar.præp*.℈.i.*moschi* ℈.ß. F.Puluis,cuius,quantum cuspide cultelli capi potest,cum iure pulli aut oxymelite aut aqua scabiosæ sumatur.

Auicennas cuminum cum aceto, vel semen sinapis alb. cum æquali portione mellis ad formam electuarij mistum exhibet.

Vel ♃. *Oxymel.s*. ℥.i. *scillitic.aqu.cinam*.an.℥.ß. *ammoniaci* ℈.i *croci* gr.iii.Misce.

Vel ♃. *Croci* ℈.i.*moschi* gr.i.*fl.benzoar*.gr.ii.*succi ocymi depurati* ʒ.ii.*vini albi calefacti* ℥.iiij.M.

Commendatur & tanquam vsu probata aqua è floribus raporum destillata, & cum croco ac pauxillo moschi mixta.

Vtiles etiam sunt *Aquæ pectorales dictæ* (*Lufftvvasser*) Item aqua saluiæ,anisi, rorismarini.

Aqua pectoralis temperata D Andr.Dœreri:

♃. *Rad.glycyrrh.rasf.polypod.q mund*. ana ℥.i.ß. *tussilag*.℥.i.*helenij.borrag*.an.ʒ.ii.*dactyllor.rec.enucl.zibebar, rec.exacin*.an.℥.iii. *conseru.viol.purp*. ℥.iß. *rosar.incarn. rec*. ℥.ß. *nuc.mosch. croci oriental.garyophyll.arom. cinamom.elect*.an.℥.i.ß.

Incidantur & contundantur, postea affundantur. *seri lactis caprill.rec.& puriss*. ℔.ii.ß. *aq.scabios*.℔.i. *veronic. prunell*.an ℔.ß.

Relinquantur in infus.in loco calido vel B. per nouendium, destillentur deinde per organa vitrea *collecti liquoris* ℔.iiii. adde *sacch. candi albiss*. ʒ.vi.

Alia aqua pectoralis à me præscripta:

♃. *Herb.veronic.scabios*.an.M.ii.*capill*.♀. *hyssopi,saluiæ, marrubij*, an. M. i. *rad. ireos Florentin. glycyrrh. eryngij, helenij, fœnic*. an.Vnc. sem. *cinam.opt, granor. iuniperi* an.Dra.iij.

Affund.*spir.vini opt*.q.s.Stent in infus.dies xiv. postea destillentur, Destillatum funde super *dactylos* N. x. *iuiub.sebesten*. an. N.xxx. *ficuum* N.x.*passular.minor.maior.exacinat*.an.℥.ii.*croci* ʒ.ß.

Digerantur & filtrentur. Neque enim è dactylis,iuiubis,sebesten,ficubus, passulis, multum per alembicum eleuatur.

Commendantur & millepedæ vel aselli, qui sub vasis aquariis stabulantur, si scilicet panno lineo excepti in vino macerentur & vinum sine expressione propinetur.

Quando paroxysmus vltra quartum diem protrahitur,vesicatoria in dorso,è regione pulmonis, applicentur.Nonnulli sinapismos in anteriore parte thoracis applicant,& vesiculas diu apertas seruant.

Victus interea sit tenuissimus,atque vtilis est ptisana cum croco & saccharo,cibique croco condiantur; cum is vtilissimum sit in asthmate remedium.

### *Quomodo extrà paroxysmum æger curandus sit?*

Quando æger à paroxysmo vehementiore & suffocationis periculo liberatus est, laborandum omnis generis præsidiis, ne malum reuertatur. Ideóque si plenitudinis signa adsunt, & vires permittant, vena aperienda basilica, præsertim vbi vaporum calidiorum copia magna in corde & pulmone vrget. Et vbi à mensium & hæmorrhoidum fluxu suppresso malum originem habet,vel augetur,vena tali vel malleoli aperiatur. Cucurbitulæ quoque in eundem finem femoribus & cruribus adhiberi possunt. *Quid extra Paroxysmum faciendum?*

Postea præparetur materia & euacuetur. Præparetur autem attenuantibus, incidentibus, & abstergentibus iis,quæ thoraci dicata sunt.Vbi tamen videndum,ne nimis calida & exsiccãtia exhibeantur,quæ partes tenues materiæ absumere,reliquámque incrassare,& ita malum curatu difficilius reddere possunt.Quapropter commodè glycyrrhiza,passulæ, & similia medicamenta humectantia simul admisceantur.

Vtilia & hæc medicamenta sunt;*hyssopus,scabiosa,capilli* ♀*is, prassium,passulæ, calamintha, fœniculum, scilla, iuiubæ,ficus*:& ex his composita,*syrup.capill*. ♀*is de glycyrrhiza,de iuiubis,de scabiosa,de hyssopo, de calaminthæ, de prassio,oxymel simpl.compos*.& *scillitic*.

Vt ♃. *Capill*.♀*is, hyssopi,scabios.prassij*, an.M.ß. *rad. helen.ireos*,an.ʒ.ii.*sem.anisi.fœnic*.an.ʒ.i.*passul.glycyrrh, rasæ*,an.℥.ß.*ficuum* N.vi.

Coqu.in aqua simpl.

Colat.♃.℥.vi. adde *syrup.capill*.♀*is,hyssopi, oxymel. scillit*.ana ℥.ß.

Misce pro duabus dosibus:& potus hic bis reiteretur.

Vel ♃. *Rad.ireos,glycyrrhiz.helenij,fœnicul*.an.℥.ß. *hyssopi,capillor*, ♀*is,tussilag. scabios. satureiæ, calaminth*. ana M.ß.*iuiub.sebest*.an.N.x.*caricar*.N.vi. *passular*.℥.ß. *semin.anisi,fœniculi,maluæ*,ana ʒ.j.

Coqu.in *aqu.s*.

Colat.♃. ℔.i. *oxymel.scillit.syrup.de prassio, de glycyrrhiz*.an.Vnc.iß.*aqu.cinamom*.ʒ.j.

M.pro 4.dosibus.

Vel ♃. *Aquæ veronicæ,scabiosæ*,an.℥.iii,*syrup.de prassio,capill*.♀.an.℥.i.ß.*fl.sulphuris* ℈.ß.M.

Vel ♃. *Syrup.de prassio,de hyssopo,de glycyrrh*.an.℥.i. ß.*fl.sulph*.℈.j.*succi glycyrrh.inspiss*. ʒ.iß. vel potius. *extract.glycyrrh*.ʒ.ß.*aqu.veron.tussilag*.an.℥.iii.M.

Sumat æger manè & ante cœnam cochlearia 2.vel 3.

*Purgantia.* Præparata materia euacuanda est, & primò per purgantia. Etsi enim materia, quæ in thorace continetur, ita facilè per aluum euacuari non possit: dum tamen materiam ex vniuerso corpore purgantia euacuant, eadem à pulmone reuellunt. Imò aliquid retrahi posse non

non impoſſibile eſt. Præterea cùm antea dictum ſit, vti & poſtea, *quæſtione* 2. dicetur, materiam, quæ paroxyſmos aſthmaticos cõcitat, non ſemper totam in pulmone conſiſtere, ſed ex hepate & venis affluere: commodiſſimè per purgantia ea tollitur.

Antiqui etiam fortioribus purgantibus vtebantur, vt ex Aetio, *tetrab. 2. ſerm. 4. c. 57.* Paulo Ægineta, *lib. 3. cap. 29.* Oribaſius *ſynops. lib. 9. c. 5.* imo ipſo Galeno, *7. de compoſ. med. ſec. loc. cap. 6.* videre eſt.

Verùm tutius eſt, à mitioribus inchoare, atque ea ſæpe repetere, & ita per ἐπίκρασιν materiam euacuare. Cum enim materia craſſa, viſcida & contumax ſit, & ſæpe ſatis copioſa, vna vice expurgari non poteſt; ideoque per interualla eam præparare & euacuare decet, medicamentis mediocribus, qualia ſunt agaricus, mechoacanna & ſimilia; quibus tamen ſtimuli loco fortiora quædam in minore quantitate addere vtile eſt.

*Purgantia mutanda ſunt.*

Quoniam verò purgantia medicamenta diutius continuanda, ne natura iis aſſueſcat, eorúmque vires ob longam conſuetudinem contemnat; ea mutare vtile eſt.

Itaque in *decocto præparante ſupra propoſito* infundantur, *agaric trochiſc.* Vnc. i. *ſem. carthami* Drach. vi.

Colentur, & exhibeantur Vnc. iiij.

Vel ♃. *Pilul. de agaric.* Scrup. ii. *aſſaiereth. cochiar.* ana Scrup. ſem. *extract. panchymag.* gr. vi. Cum *oxymel. ſcillit.* F. Pilul.

Vel ♃. *Agaric.* Drach iß. *turbith.* ʒ. i. *ſemin. fœnicul. Zingib.* an. Scr. j.

Infundantur in *oxymel. ſ.* ℥. i. *vini albi, aqu. hyſſopi*, an. Vnc. ij.

Colat. adde *mannæ* Dra. vi. Iterum colentur.

F. Hauſtus.

♃. *Rad. ireos* ʒ. ii. *tuſſilag.* Dra. i. ß. *pulmonar.* M. ß. *ligni Guaiaci* Dra. i. *rad. helenij, hellebor nigri*, an. ʒ. iß. *fol. ſen.* Vnc. ii. *zingib. galangæ*, an. ʒ. j.

Coqu. in ſ. q. *decocti pectoralis.*

In colat infundantur *agar. troch.* Vnc. ß. *rhabarb.* ʒ. j. *cinamomi* ʒ ß. Cum ſ. q. *ſacchari.*

F. Syrupus liquidior, cuius ℥. iiij. manè exhibeantur.

Nonnulli frequenter ad purgandum in aſthmate *trochiſcis de violis* vtuntur, à Meſue, *cap. de aſthmate*, deſcriptis, quos tamen reiicit Alexander Maſſarias, quòd compoſitio minus ſit artificioſa, & diagrydium non bene correctum. Verùm diagrydium facilè correctius reddi poteſt.

Vel ♃. *Polypod. q.* Vnc. ß. *mechoacann. opt.* ʒ. i. *agaric. albiſſ.* ℥ ß *glycyrrh.* ℥. ß. *fol. ſen.* ʒ. vi. *zingiber. galangæ*, an. ʒ i. *paſſular.* ℥. i. *ſem. aniſi. fœnicul.* an. ʒ. ii. *fol. tuſſilag. capillor.* ♀ *is.* an. M. j.

Infundantur in *vini* menſura vna. Detur manè hauſtus.

Oxymel de Nicotiana purgans anheloſis vtile deſcripſit Quercetanus *pharmacop. dogmat. reſt. c.* 10. & ſyrup. de Nicotiana, *ibid. cap.* 12.

*Ius pulli decrepiti.*

Inprimis vulgò commendatur ius galli decrepiti purgans, quod tamen à Ludou. Septalio planè reiicitur, vt poſtea, *quæſt.* 5. dicitur. Paratur autem hoc modo:

♃. *Gallum decrepitum euiſceratum*, ventrémque eius ſequenti puluere reple:

♃. *Pulmon. vulpis* ℥ i. *paſſular. ficuũ*, an. ℥. i. ß. *glycyrrh.* ℥. i. *hyſſop. ſatureiæ, thymi.* an. ℥. ß. *ſem. fænic.* ʒ. i. *cartham.* ℥. ß. *turbith. elect.* ʒ. ii. *agaric. trochiſc.* ℥. ß. *zingib.* ʒ. j.

Poſtea coqu. in *aqua pura.*

De iure detur manè hauſtus, qui ſi non ſatis purget, diſſoluatur in eo aliquid *mannæ.*

*Oxymel helleboratum Geſneri.*

Vix verò quicquam commodiùs eſt ad pulmones expurgandos, quàm oxymel cum agarico. Efficax quoque eſt oxymel helleboratum Geſneri. Sed omitti poteſt helleborus albus & augeri pondus agarici.

*Attenuantia, incidentia & detergentia.*

Corpore toto euacuato danda opera, vt cauſſa continens ſeu proxima è pulmonibus tollatur, idque medicamentis tum internis, tum externis effectum dandum. Ad craſſam & viſcidam materiam attenuantia, incidentia & detergentia adhibenda, citra tamen inſignem caliditatem, ne humores exſiccati magis craſſi & lenti reddantur. Hinc Auicennas etiam diuretica fortiora improbauit, quod ſubtile extrahant, craſſiore relicto.

*Humectantia.*

Ideòque vtile eſt attenuantibus & incidentibus humectantia permiſcere, vt glycyrrh. paſſulas, caricas, pineas, mel, ſaccharum, maluam, altheam. Atque talia medicaměta ſuprà inter præparantia propoſita ſunt. Valde etiam laudatur terebinthina, quæ non ſolùm pulmones abſtergit, ſed & hepar, lienem, renes, ſimúlque aluum citra noxam ſoluit.

E ſupra enumeratis varia componuntur medicamenta. In vulgari vſu ſunt *loch. de caulibus, de tuſſilag. de pino, de paſſulis, de pulmone vulpis, de ſcilla*, & quod *ad aſthma* dicitur, *ſpecies diaireos, diaireos Salomon. diatragacanth. calid. diapenid. diahyſſop. diapraſſij, conditum rad. helenij, extract. helenij, ireos, ol. aniſi, fœnicul. oxymel. ſcillit. flores ſulphuris, lac & balſamum eiuſdem, flores benzoes.* Galenus, 7. *de comp. med. ſec. loc. in fine cap. 6.* ex veterum ſcriptis aliqua recenſet, inter quæ & hæc:

♃. *Succi ſcillæ crudæ, mellis* part. æqu.

Coq. lento igne. Doſis Drach. ii. circiter, ante & longè poſt cibum

Vel ♃. *Sulphur. viui, ſem. rutæ ſylu.* an. ʒ. i. *ariſtoloch. abſinth. cinamom. abrotan.* an. ℥. ß.

Terantur cum *aceto* & F. Trochiſci, magnitude fabæ, quorum Dra. i. manè & veſperi exhibeatur cum Vnc. iii. oxymelitis.

Vtile eſt & hoc:

♃. *Ammon. aceto diſſol.* Scr. i. *eſſent. zedoar.* Scr. ii. *aquæ cinamomi* ℥. ß. *veronic.* ℥. ii. *flor. chamæmel.* Vnc. iij.

Miſce pro 2. doſibus.

*Medicamenta ſæpè repetenda & mutanda.*

Cùm autem malum ſit diuturnum & contumax, vſus medicamentorum continuandus, & medicamenta ſæpe repetenda, ſimúlque permutanda, ne materia vni aſſueſcat. Per interualla quoque theriacæ Drach. ſem. vel Scr. ii. exhibeantur. Vtiles quoque ſunt millepedæ ſeu aſelli, vt etiam ſuprà dictum, quorum & Galenus 7. *de comp. med. ſ. l. in fine* mentionem facit; ferúntque, εὐπόριστον & vulgatum Græcæ plebeculæ hodie eſſe medicamentum ad pulmones infarctos à craſſis humoribus liberandos.

Vel ♃. *Hyſſopi, veronicæ ſcabioſæ marrub. origan. pulegij, cardui benedicti*, an. M i. *rad. ireos* Dra. vi. *zingib.* ʒ. j. ß. *agaric. albiſſ.* Vnc. ſem.

Infunde in *aceti vini* ℔. i. ß. *aqu. veronicæ, cardui bened.* an. ℔. ß.

Stent in vaſe vitreo obturato loco calido per triduum, deinde lento igne coquantur & exprimantur.

Colat. ♃. ℔ i. ß. *mell. opt.* ℔. ß.

Coq. lento igne ad ſyrupi formam, qui aromatiſetur *cinamomo, caryophyllis & calamo aromatico* in petia ligatis. Dantur manè 2. vel 3. cochlearia. Crato, *conſil.* 29.

### *Syrupus Augenij de helenio.*

*Syrupus Augenij de helenio.*

♃. *Rad. helenij, polypod. q. in vino albo macerat.* ana ℥. ii. *paſſul. Corinth.* ℥. ß. *ſebeſten.* N. xv. *farfaræ, pulmonariæ, fol. ſatureiæ, calaminth.* an. M. i. *fol. tabaci* vnum magnum, *glycyrrh.* ʒ. ii. *ſem. vrticæ, bombacis*, an. ʒ. i. ß.

Coq. in mulſa ad remanentiam ℔ i. ſem. & cum pari quantitate ſacchari F. Syrupus, cui *oleum ſulphuris* addi poteſt.

Vel ♃. *Rad. gentian. helen.* an. ʒ. vi. *ireos galangæ*, an. ʒ. iii. *agaric. ſpicæ*, an. ʒ. i. ß. *ſacch. albi* ℥. ii.

F. Puluis.

Vel ♃. *Hyſſopi ſicci, ſemin. aniſi.* an. Vnc. i. *glycyrrh.* Vnc. ſem. *ſem. fœnicul. cinamom.* an. Drach. ii. *cardamomi* Scrup. ii. *ireos Florent.* Drach. v. *ſacch.* ad pondus omnium.

F. Tragea vel cum *melle* Electuarium.

Laudatur

*Butyrum Bened. Victor. Fauentini.* Laudatur & Diabutyrum Benedicti Victor. Fauentini.

℞. *Butyri recent. bene lot.* Vnc.iiij.*caricar. pingu. nucleor. pini, dactylor. amygdal. amar.* an. Vnc.ii. *succi glycyrrh. tragacanth.* an. Vnc.i. *hyssop. ireos, thymi, satureiæ, prassij, pulegij, sem. vrtic.* an. ℥.ß. *cinam. zinzib. pyrethri,* an. ʒ.iii. *caryophyll. galang. piperis nigri, sem. anisi, carui, cardamomi,* an. ʒ.ii. *ligni aloes, nucis moschat.* an. ʒ.i. *aqu. mellis* ℔.iiij.

*Caricas, passulas, dactylos* bene contusos in *aqua mellis* triduo infunde, postea lento igne coque & succum fortiter exprime, cui succo adde *butyrum* & præterea *mellis despumati* ℔. VII. & iterum lento igne vnica ebullitione ebulliant, iterumque colentur. Colaturæ adde *nucleos pini & amygdalas bene contusas* & in mortario omnia diligenter misce: quibus reliqua omnia subtiliter puluerisata, vt & *pulmonis vulpis subtiliter puluerisat.* Vnc.ii. insperge, & super igne miscendo. F. Electuarium de quo Vnc.ß. manè, meridiè & vesperi exhibeatur.

Vel ℞. *Conseru. betonic. botryos,* an. Vnc.ii. *violar. loch de pino,* an. Vnc.i. *pulmon. vulpis præpar.* Dra.i.ß. *extract. glycyrrh. ireos,* an. Scrup.i. Cum *syrupo de hyssop.* vel *capill.* ♀ *is,*

F. Electuarium. Dos. Drach.ß.

Et commodum fuerit, si superbibatur haustus iuris galli decrepiti cum herbis pectoral. & ligno Guaiaco facti.

Vel ℞. *Pinear. mundat.* Drach. ii. *radic. ireos, glycyrrh.* an. Scrup.ii. *tragacanth.* Dra.ß. *sem. anisi, fœniculi, vrticæ,* an. Scrup.ß. *radic. angelicæ* Dra.ß. *cinam.* Scr. IV. *styrac. calam.* Scrup. sem. *sacch. penid. candi,* an. q.s. Cum *aq. scabiosæ & fœniculi.*

F. Rotulæ vel Morsuli.

Vtile est & sequens medicamentum.

℞. *Radic. irid. Florent. helenij,* an. ℥.ß. *pulpæ dactylor. & passular. mundatar.* ana ʒ.iii. *cortic. arantior. siccor. citr. siccor.* an. ʒ.ii. *benzoes* ʒ.i. *croci* ʒ. sem.

Infunde bidui spatio in spiritu vini optimè rectificato. Postea liquor per inclinationem separetur, cui adde *sacch. candi pulu.* q.s. *spiritum vini* accende, & liquorem continuò agita, donec flamma spontè extinctâ liquor olei ferè consistentiam acquirat, cui adde *ol. sulphuris q.s. ad gratam aciditatem.*

Alia etiam medicamenta, supra in paroxysmo exhibenda, proposita hic locum habent, eorumque vsus continuari potest. Si verò materia aliunde, seu ex hypochondriis, seu venis communicetur, ea ex iis locis conueniente modo euacuanda & à pectore auertenda, &, ne iterum generetur, curandum.

*Ext. u.* Cum internis medicamentis externa coniungenda. Illinendum nimirum pectus oleo amygdal. dulcium, chamæmel. anethino, cheirino, liliorum alborum, rutaceo, additis mucilaginibus & pinguedinibus emollientibus & discutientibus:

Vt ℞. *Ol. amygdal. dulc. lilior. albor. rutac.* an. ʒ. VI. *adipis gallinæ, anseris* an. Vnc.ß. *mucilag. sem. fœnigræc. cum aqua tussilagin. extractæ* ʒ.iii. *pulu. rad ireos, helenij, croci,* an. Scr.i. *Ceræ* parum. M.

Vel ℞. *Sem. carui,* Vnc. iii. *anisi, summit. absinth.* an. Vnc.ij.

Puluerisatis adde *micæ panis similaginei* Vnc.iij. *mell. crudi* ℥. IV. *terebinth.* ℥.ij.

Coq. in vino ad consumptionem vini.

F. Emplastrum, applicetur calidè pectori & dorso.

In topicorum tamen horum vsu obseruandum, ne cutis pori occludantur: ideóque emollientibus, commodè medicamenta attenuantia ac poros aperientia, & nitri aliquid admiscetur.

*Cauteria.* Nonnulli etiam in malo inueterato & quod nullis aliis mediis cedit, cauteria actualia adhibent, secundum collum, pectus & dorsum, circa medium vertebrarum & costarum; de qua vstione videatur Aëtius, *tetrab. 2. serm. 4. cap. 57.*

Si à catarrho malum sit vel foueatur, eius ratio habenda, &, vt suprà, *lib. 1. part. 2. c. 34. de catarrhi curatione,* diximus, in brachiis fonticulos excitare vtile est.

Pectore expurgato, danda opera, vt per exsiccantia & absorbentia reliquiæ in pulmone absumantur: in quem vsum pleraque medicamenta humorem crassum è pectore expurgantia adhibentur, à quibus tamen hîc fortiora & magis siccantia eligenda. Cum enim, vt antea dictum, in principio & præparantia & expectorantia validiùs siccantia non sint satis commoda, quia tenui parte absumptâ crassior relinquitur & induratur: vbi materia per incidentia & attenuantia præparata, vt & per expectorantia conuenientia euacuata fuerit, reliquum postea tutius per validiùs siccantia absumere licet. Qualia sunt, *helenium, arum, scilla, Nicotiana, ammoniacum, sulphur, benzoe, theriaca, Mithridatium.* *Exiccantia.*

Vel ℞. *Rad. ireos* ℥.ii. *heleni, ari,* ana ℥.i. *scillæ. angelicæ,* an. ℥.ß. *glycyrrh.* ℥.j. *hyssop. satureiæ, pulegij, marrub. calaminth.* an. M.i. *sem. fœniculi, anisi,* a. ʒ.ii. *vrtic. erucæ, cartham.* an. ʒ.ß.

Coq. & cum *melle* vel *sacchάro,*

Fiat Syrupus. Sub finem adde *croci* ʒ.ß.

Vtilis est & Syrupus de Nicotiana: *Syrupus de Nicotiana.*

℞. *Nicotianæ siccæ* M.iii. *hyssop. marrubij, calaminth.* ana M. sem. *capill.* ♀. *scabios.* ana M.i. *caricar. dactylor.* ana N.x. *rad. angel. fœnicul.* ana ℥. sem. *sem. fœnic. anisi,* an. ʒ.iii. *vrtic.* ʒ.ß. *rad. ireos* ʒ.x. Coq. in *aq.* ℔.iiij.

Et addito *melle & sacchάro,*

F. Syrupus.

Vel ℞. *Rad. helenij, aristoloch. rotund. veræ, glycyrrhizæ* an. ℥. sem. *sarsæparillæ* ℥.i. *fol. hyssopi, origani, prassij, tussilaginis, scabiosæ* an. M.i. *sem. fœnigræci, vrticæ,* an. Vnc. sem. *dactylor. caricar. pingu.* an. n.x. *passular. exacinat.* Vnc.j.

Coq. ad remanentiam ℔.iii. adde *succi scillæ* ℥.ii. *sacchari* q.s.

Coq. *s.q.* & addendo sub finem. *balsami Orientalis* vel *liquidambræ* ℥.ij.

Fiat Syrupus.

Laudatur & ros Solis, si ei cum semine botryos, glycyrrhiza & marrubio S.V. affundatur.

Vel fiat hoc Eclegma:

℞. *Ammoniaci aceto scillit. dissoluti* ʒ.ii. *sem. nasturtij vrtic.* an. ʒ.i. *flor. sulphur.* ʒ. sem. *croci* ℈.i. *pulmon. vulpis, præp.* ʒ.ii. Cum *oxymel. scillit.*

Fiat Electuarium.

Vel hic Puluis:

℞. *Rad. ireos, glycyrrh. helenij,* an. ʒ.ii. *ari* ℈.ii. *cinam.* ʒ.ii. *sem. vrtic. nasturt.* an. ʒ.i. *pulmon. vulp. præp.* ʒ.ii. *croci* ℈.i. *flor. sulphur.* ʒ.i. *benzoes* ℈. sem. *sacch. candi* ʒ.vj.

F. Puluis.

Vel ℞. *Flor. sulphur.* vel *lactis sulph.* Dra. ß. *benzoes* ℈. sem. *fecul. ari* ʒ.ß. *rad. ireos* ʒ.i. *croci* ℈.j. *sacchar. candi* Dra.vj.

Fiat. Puluis.

Vel ℞. *Ammoniaci* ʒ.i.ß. *croci* ℈. sem. *fl. benzoes* gr.v. *extract. glycyrrh.* q.s.

Fiant Pilulæ xxx. Dentur manè 5. 6. 7.

Vel ℞. *fl. sulphur.* Dra.i. *extract. helen.* ℈.j. *sacchari albiss. in aq. tussilag. dissolut.* ℥.iii. *ol. anisi* g.iiii.

Fiant Rotulæ.

Vel ℞. *Spec. diaireos simpl.* Dra.i. *diatragac. calid.* ʒ. sem. *balsam. sulph.* ℈. sem. *sacchari in aqu scabios. dissolut.* Vnc.v. *ol. anisi* gut v.

F. Rotulæ.

Vel ℞. *Lact. sulphur. fl. benzoes* gr. vi. *ammoniaci* gr. iij. *croci* ℈. sem. *margar. præpar.* ℈.i. *magister. ocul or.* ♋ *moschi* an. ℈. sem. *sacchar. candi* Dra.ii.

Fiat Puluis, de quo, quantum cuspide cultelli bis capi potest, detur in *ouo sorbili* vel *aqua scabiosæ.*

Est & efficax decoctum ligni Guaiaci, sassafras, sarsæ parillæ, si pectoralia addantur, non quidem ad sudores

dores ciendos,ſed ad reliquias materiæ in pectore abſumendas.

Vt ℞. *Ligni Guaiaci* Vnc. iiii. *ſarſæ parillæ* vel *ligni ſaſſafras* Vnc.i.ſem.

Infundantur horis 24 in *aq.*℔.iij.

Deinde adde *conſeru.violar.botryos*, an.Vnc.ii. *dactylor.*N.x.

Coq.in balneo vaſe clauſo.

Colatura exhibeatur.

Ad eaſdem reliquias abſumendas vtiles etiam ſunt ſuffitus ex thure, myrrha , maſtiche , ſtyrace , benzoë, gummi iuniperi , Nicotiana , cinamomo & ſimilibus. Nonnulli etiam arſenicum ſuffumigiis iſtis admiſcendum cenſent,ſed malè,vt poſteà,*quæſt*.6.dicetur.

Hæc tamen omnia ferè humorem craſſum & viſcidum ſpectant. Si verò ab humore tenui & ſeroſo ſit aſthma,ſæpius is euacuandus.Poſtea etiam per ſudorifera diſcutiendus.

*Curatio aſthmatis à tuberculo, grandine vel calculo.*

Si à tuberculo,vel grandine aut calculo in pulmonibus genito , aut ſiccitate pulmonis hoc malum proueniat,qua ratione curatio inſtituenda ſit , ex iis quæ ſuprà , *part.* 2. de morbis pectoris dicta ſunt, patet. Nam ſi tuberculum ſit ſanguineum , citò ſuppuratur & rumpitur etiam ſine medicamentorum ope , idque ex puris exſcreatione, febris & anhelationis remiſſione cognoſcitur , & tum hydromelite , aliiſque medicamentis, quæ in pleuritide ſunt propoſita , ad exterſionem vtendum , ne vlcus relinquatur. Si verò tuberculum crudum ſit & coctu difficile , medicamenta calefacientia, attenuantia & abſumentia , quæ ſuprà ſunt propoſita, etiam hic locum habent. Quod ſi tandem in abſceſſum mutetur tuberculum , abſtergentia requiruntur. Hinc Galenus , 4. *de loc. affect. cap. vlt.* ad abſumenda talia tubercula vtitur Athanaſia, theriaca & ſimilib. valdè exiccantibus medicamentis. Vix tamen aliquis talium ægrotorum ſanitati reſtituitur.

## *Diæta.*

*Diæta.*

Quia aſthma plerumque à cauſſa frigida & craſſa ortum habet,victus ratio ſit calefaciens & attenuans, de quo poſteà,*quæſt*.7. dicetur. Aër nimirum , quem inſpirat æger , ſit calidus ſiccus , attenuans , liber & perflatilis. Ideo etiam in cubiculo in quo æger degit ſuffumigia frequenter fiant ex ſtyrace, thure, myrrha , benzoe , moſcho , ambrâ. Vitetur verò aër frigidus & humidus & craſſus Cibus eaſdem qualitates habeat ; ita tamen calefacientia & attenuantia moderanda , vt humectantia quædam admiſceantur , vt materia faciliùs expectoretur. Nam ſi cibus & potus exhibeatur , qui ſolùm calefaciat , attenuet, & ſimul ſiccet, facilè fieri poteſt , vt humor maiorem craſſitiem acquirat , & tenacius aſperis pulmonis arteriis adhæreſcat. Ideóque cibi condiantur ſaluiâ, ſatureiâ, thymo, hyſſopo, fœniculo, baccis iuniperi & cinamomo , & inprimis croco. Vtiles quoque ſunt paſſulæ , amygdalæ dulces , pineæ, piſtacia , & inprimis commodum eſt ius galli decrepiti cum hyſſopo & croco,atque aliis pectoralibus. Melliti quoque cibi non inutiles ſunt , ſi æger aliàs eos ferat. Vitentur verò cibi adſtringentes omnes & craſſi ſucci, vt piſces,legumina,caro ſuilla,lac & caſeus.

Potus ſit vinum tenue,ſubdulce , vel mellicratum,in quo thoracica medicamenta cocta ſint. Poſſunt etiam cereuiſiæ fieri cum ſaluia , hyſſopo , roremarino & ſimilibus. Vtilis etiam potus eſt decoctum ligni Guaiaci. Æger ſitim non ferat , ſed largius bibat ; quia humectatione indiget ad eam , quæ iam inciſa & deterſa eſt in pectore , materiam tuſſi eiiciendam , vt docet Galenus , 7. *de comp. med. ſec. loc. cap.* 6. Vnica tamen vice & cum cibo potus copioſus non aſſumatur; cum repletus potu nimio ventriculus difficultatem ſpirandi parere ſoleat , ſed , ſi opus , cibo iam concocto potus aliquid ſumatur. Somnus ſit nocturnus moderatus. In paroxyſmo ſomno , quantum poteſt, æger abſtineat , aut ſi vires imbecillæ ſomnum requirant, breuis ſit & interruptus. Dormiat æger capite & pectore nonnihil eleuato. Vtilis eſt & ambulatio ante cibum , & frictio partium extremarum. Vehementia autem exercitia , quod humores commoueant , omnino intermittenda. Vitentur animi perturbationes,ira,& omnis nimius animi ac corporis motus ; cum humores commouere & paroxyſmum accerſere ſoleant. A Venere etiam abſtinendum ægro.

## QVÆSTIO I.

### *An humor aſthmatis cauſſa hæreat etiam quandoque extra bronchia pulmonum?*

*An hum aſthmatis cauſſa hæ quandoq extra bro chia pul num.*

Alexander Maſſarias Auicennam reprehendit , quod ſtatuat,humorem aſthmatis cauſſam contineri quandoque etiam extra bronchia pulmonum in ramis læuium arteriarum , quarum propagines multæ per pulmonem diſtribuuntur,ſtatuítque, ſi in pulmonibus obſtruantur propagines læuium arteriarum, non aſperæ arteriæ,cor laborare , pulſúſque fieri inæquales , minimeque aſthma excitari , niſi bronchia pulmonum ſimul obſtruantur.

Verùm enim verò materiam aſthmatis cauſſam quãdoque etiam extra bronchia pulmonum in aliis pulmonis vaſis , imò in ipſa pulmonis ſubſtantia conſiſtere , multæ Medicorum obſeruationes docent. Ita Hollerius in quodam pulmonem tanquam ſpongiam imbutum multo humore pituitoſo inuentum eſſe ſcribit. Et patet id ex eo , quod qui aſthmate laborant, non continuò cum ſtertore & ſonitu reſpirant , neque etiam ſemper tuſſiunt, aut ſi tuſſiunt,tuſſis tamen ſicca eſt ; quod minimè fieri deberet, ſi materia in aſperis pulmonum arteriis ſemper conſiſteret. Nam aër materiam tranſiens & diſplodens ſonitum & ſtertorem excitat , & quicquid in aſpera arteria eiúſque ramis exiſtit, tuſſim excitare ſolet,vt poſtea, *in capite de tuſſi*, dicetur. Et licet verum ſit, leuibus arteriis affectis mutationem in pulſu fieri : tamen & reſpiratio tunc quoque affici poteſt,ſi obſtructio illa tam magna ſit,humoriſque tanta copia , vt & aſperas arterias comprimat , anguſtioréſque reddat;docéntque hoc ſatis paroxyſmi aſthmatici, qui per interualla materiâ agitatâ in vaſis excitantur. Ideoque ſiue materia in læuibus arteriis conſiſtat, & aſperas comprimat,ſiue in vtroque arteriarum genere conſiſtat , ſimul & aſthma & pulſus inæqualitatem parit. Et ipſa origo, aſthmatis de qua , *quæſtione ſequenti* , dicetur, ſatis docet, cauſſam aſthmatis potiùs in venis & pulmonis ſubſtantia , quàm aſperis arteriis contineri.

## QVÆSTIO II.

### *An aſthma frequentius à Catarrho , an verò ab Humore crudo è venis in pulmones effuſo excitetur?*

*An aſthma frequentius à catarrho, an verò ab humore crudo è venis in pulmones effuſo excitetur.*

Vulgata opinio eſt , frequentiſſimè à cerebro frigido & humido atque excrementis abundante materiam pituitoſam ad pulmones deſcendere , atque ibi hærentem aſthma parere. Verùm etſi non nego , quandoque poſt catarrhos aliquid pituitæ in pulmone reſtare, eiúſque bronchia obſtruere , & aſthma excitare poſſe ; tamen rarius hoc fieri exiſtimo,ſed frequentiſſimè aſthmâ generari puto ab humoribus crudis circa hepar, imò in vniuerſo venoſo genere collectis , & per venam arterioſam in pulmones effuſis. Etenim ſi materia à cerebro deſcendens cauſſa aſthmatis eſſe debet , neceſſariò catarrhus aſthma præcedere debet , atque tuſſim adeſſe

neceſſe

necesse est; quod tamen non semper obseruatum. Etenim, si vel leuiter saltem asperæ arteriæ afficiuntur, tussis excitatur, vt postea, ex capite de tussi, patebit. Nonnulli quidem; vt Zecchius; *consult.* 12. aliam huius rei caussam reddere conantur; statuuntque, tussim in asthmate quandoque non excitari ob partium spiritualium æqualem intemperiem, quæ cum tristem sensum non inducat, etiam tussim non excitet. Cum enim spirandi organa ex longa patiendi consuetudine in morbosum quendam habitum commutata ferè sint, æqualique intemperie cum humore per omnem partem æqualiter dispersо afficiantur; nouum dolorem seu molestiam non sentire, atque ita tussim non excitari, nisi quando noua accedit materia, vel prior certo loco collecta & commota vias exasperando, & aëris ingressum & egressum præpediendo nouam affert molestiam.

Verùm cum idem Zecchius, *cons.* 58. caussam cur asthma non semper cum stertore & sonitu fiat, hanc reddat, quod materia non semper in asperis, sed quandoque in læuibus pulmonis arteriis consistat, caussam eandem hic etiam multò rectius afferre potuisset, quàm istam æqualem intemperiem. Neque enim quæ tussim excitant, saltem ob intemperiem, quam inducunt: id præstant, sed etiam, quia aëris ingressum prohibent; quod ipse confitetur; id quod materia asthmatis, si in bronchiis pulmonis hæreret, perpetuò faceret, & ita perpetuò tussim excitaret, eodem modo, vt grandines tussiculam perpetuam excitāt, neque longa patiendi assuetudine vllus talis habitus induci potest. Sunt & alia, quæ idem probant. Refert idem Zecchius, *cons.* 18. Cardinalem Paliottum, asthmaticum simul vrinæ ardore & difficultate laborasse, & ita quidem, vt cum vrinæ ardor & difficultas vrgeret, spirandi difficultas interim euidenter imminueretur, & rursum cum maiore impetu, stranguria cessante, reperetet. Quod certè indicio fuit à communi caussa hæc duo mala prouenisse, & vitiosos & crudos humores, qui anteà è venis ad pulmones ruentes asthma faciebant, postea ad renes & vesicam transmissos difficultatem vrinæ excitasse. Et licet non omnibus asthmaticis vrinæ difficultas & ardor adsit: tamen durante accessione ægri vrinas crassas & turbidas mingunt; quia scilicet humorum crassorum & crudorum in venis agitatorum pars etiam ad renes & vesicam ruit. Arguit idem & hoc, quod asthmatici plerumque sunt cachectici; vt de eodem Cardinale Paliotto refert Zecchius, pedesque tandem asthmaticis penè omnibus intumescunt; quod indicio est, caussam asthmatis circa hepar potius contineri, siue ibi ob hepatis imbecillitatem generetur, siue ab vtero in fœminis, quibus menses suppressi sunt, sanguis eò mittatur. Neque id ideò fit, quod pulmones hepar refrigerent, cum si diligenter signa omnia perpendamus, crudorum humorum in venis cumulatorum signa adsint. Insuper idem & hoc probat quod asthma interdum citra tussim definit, nec materia exscreatur & è pectore eiicitur, dum scilicet ea vel per halitum digeritur, vel per vrinæ vias expurgatur, aut in venas recurrit. Sicut & hoc id persuadet, quod suppressis mensibus & hæmorrhoidibus ac aliis consuetis euacuationibus, asthma nullo præcedente catarrho, succedit. Quod tandem & hoc confirmat, quod Aretæus inter signa imminentis asthmatis flatus in præcordiis, & eructationes præter rationem recenset; quæ proculdubio à materia cruda in hypochondriis agitata proueniunt. Neque enim, vt nonnulli volunt, flatus hi proueniunt, quod ventriculus ob pulmonis consensum afficiatur. Nam Aretæus eos non inter signa asthmatis, quod diu durauit, & in quo pulmonis temperies valdè labefactata est, sed incipientis asthmatis signa recenset, vbi pulmones non ita labefactatos esse credibile est, vt ventriculum refrigerare possint. Materiam autem hanc, quæ è venis in pulmones effunditur, non semper crudam & pituitosam, sed quandoque etiam serosam esse, non sine ratione statuit Carolus Piso.

## QVÆSTIO III.

### *An asthma semper sit sine Febre?*

*An asthema semper sit sine febre.*

VVlgata est opinio, asthma sine Febre esse, & differre asthma à respiratione illa læsa, quæ fit in febribus, quod illa fit ob vsum auctum, hæc verò saltem ob vasorum angustiam.

Suspectam tamen habet hanc doctrinam Carolus Piso, *de morbis à colluuie serosa, pag.* 220. cum febris in nonnullis etiam sensui sese prodat, etsi calor non fit siccus & acer, sed halituosus plerumque, humidúsque & blandus. Etsi verò vrinæ sæpe sint copiosæ in asthmate, ac tenues, & instar aquæ perspicuæ, atque ideo dissimiles vrinis familiaribus & propriis febrium putridarum, suspicionem absentiæ febris præbeant: tamen id familiare febribus, quæ ab humoris serosi feruore fiunt, esse putat, idemque in arthritide, aliisque à fluxione & feruore humoris serosi morbis accidere posse. Idque etiam historiis aliquot adductus comprobat.

Et omninò non est de nihilo hæc Caroli Pisonis sententia. Etsi n. sæpe febris abfit, cum humor est crassior, aut tuberculum aliquod adest: tamen vbi à seroso humore asthma originem habet, quale plerumque circa insignes temporum mutationes in quibusdam ei obnoxiis excitatur, tum febrem aliquam simul adesse experientia testatur: sed est ea blanda & halituosa, qualis etiam alios morbos à feruore & motu serosi humoris ortos, vt arthritidem, catarrhos, & huiusmodi fluxiones alias comitatur.

## QVÆSTIO IV.

### *An Purgantia in paroxysmo asthmatico conueniant.*

*An purgātia in paroxysmo asthmaticoconueniāt.*

Dissuadent id nonnulli ea primum de caussa, quod humor, qui asthma excitat, crassus sit, viscidus, neque euacuari facile possit, nisi prius præparetur, & postea sensim ac per vices euacuetur; id quod etiam in aliis morbis pituitosis faciendum.

Deinde ob suffocationis periculum, quod maximè vrget, cum metuendum sit, ne, si medicamenta purgantia exhibeantur, materia à medicamento agitata non ad ventrem inferiorem, sed potius ad locum affectum confluat, atque ita suffocationis periculum augeatur.

Contra verò Carolus Piso statim post sanguinis detractionem purgationem auertendi gratiâ instituendam censet: cum non nisi cum periculo suffocationis purgatio protrahi possit, & humor ipse per se satis sit fluidus, neque magno apparatu indigeat.

Verùm distinctione hic opus est, & humoris natura consideranda. Si enim humor sit crassus viscidus, sine fructu initiò statim instituitur purgatio, isque potius agitatur, quàm educitur, atque hinc paroxysmus augetur. Si verò humor sit tenuis & serosus, atque è venis in pulmones effundatur: quod præsupponit Piso, commodissimè mox initiò instituitur purgatio.

## QVÆSTIO V.

### *An jus Galli decrepiti asthmaticis conueniat?*

*An ius galli decrepiti asthmaticis conueniat.*

Ius Galli decrepiti non solùm cum pectoralibus coctum ad alterandam & expectorandam in asthmate materiam, sed etiam cum purgantibus ad purgandum

omnibus ferè Medicorum, poft Arabum tempora, libris præfcribitur. Vnus,quod fciam,Ludouicus Septalius, *animaduerf.medicar.l.6.num.*137. id,tanquam noxium reiicit,vtpote quod experientiæ non refpondeat, & rationi aduerfetur: fcribitque, fe Mediolani vbi frequenter exhibetur à Medicis præfertim fecundum defcriptionem Benedicti Victorij Fauentini, in Empirica, id aliquoties irrito fucceffu exhibuiffe. Obeffe autem potius, quàm prodeffe, hifce de cauffis putat. In longa, inquit, ebullitione nitrofæ illæ partes, quibus maximè prodeffe ius galli veteris creditur, tanquam terreftres, fubfident, atque in percolatione reiiciuntur, vifcidæ agglutinofæ craffæ, tum & præpingues,ex cute, pedibus alarum extremis,mufculofis denique & neruofis partibus prouenientes, maximè remanent. Qua de cauffa non folùm non adiuuare materiæ ex pectore excretionem, fed craffiore & vifcidiore materia, & antecedente & coniuncta cauffa,reddita, humorem contumaciorem magifque rebellem ad excernendum reddere. Neque etiam quæ cum gallo coquuntur, aliquid prodeffe putat. Quæ enim pro foluenda aluo adduntur, agaricus, fena, fem. carthami, cum pauciffimam admittant ebullitionem, vim omnem purgandi perdere ex longa coctione, alterantia etiam, vt capill.♀is & alia, cum vires fuas in fuperficie pofitas habeant, ex longa coctione eas amittere;alia, vt origanum,botryn,farfaram, ex longa coctione putrilaginofa euadere.

Verùm enim verò hæc, quæ ex Ludouico Septalio protuli, non tanta videntur, vt ideo à communi opinione fit recedendum. Etenim à multis hactenus Medicis obferuatum, ius galli decrepiti in afthmate profuiffe. Neque refert, quod Septalius id aliquoties irrito conatu exhibuit. Incidit enim forfan in afthmaticos defperatos, quibus omnia, etiam efficaciffima remedia, fruftrà adhibentur. Rationes verò, quæ ab ipfo afferuntur, etiam quod debent, non perfuadent. Quæ vt rectius intelligantur,ius galli decrepiti Bened. Victor.Fauentini,quod allegat,prius proponendum.Ita autem habet eius defcriptio:

℞. *Gallum antiquum* ad minimum trium annorum, quem flagellato & multùm defatigato, poftea decollato & fine aqua deplumato,ac vifceribus mundato, & vino forti eluito,parúmque falito: Deinde

℞. *feminis carthami,anifi,anethi*, an.ʒ.ii. *rad,heleny, iridis fol.hyffop.praffij*, an.℥.ß. *glycyrrh.-pafful.enucleat.* an.ʒ.vi,*tartari albi*,℥.j.*pulmon.vulpis puluerifati* ʒ.ii.

Omnibus hifce craffo modo contufis venter galli repleatur, gallúfque in *aqua* ℔.xxx. coquatur, donec caro ab offibus feparetur. Deinde factâ colaturâ cum forti expreffione, colatura in frigido loco relinquatur, vt quod feculentum eft, fubfideat, pars verò clara feparetur & vfui referuetur.

Primò ergò verum quidem eft, quod vis iuris galli decrepiti in partibus quibufdam nitrofis & abftergendi vi præditis confiftat. Hoc autem falfum, quod Septalius opinatur, illas partes nitrofas fubfidere, & poftea, tanquam fæculentas, abiici. Etenim terreftres quidem, craffæ,vifcofæ ac feculentæ fubfident; nitrofæ autem propriè terreftres non funt,fed falfæ fuo modo quæ claro liquori permifcentur falis more,non fubfident. Deinde etfi verum fit, coctione nimia vim tam purgantem quam alterantem diffipari: tamen hoc facilè præcaueri poteft, fi in vafe claufo & duplici in balneo feruenti fiat decoctio; & tum minus aquæ,cum nihil abfumatur, affundendum. Aut fi hac coctione vim omnem ex gallo extrahi non poffe, fed coctione in vafe aperto opus effe quis exiftimet, gallus primò folus coquatur, deinde in vafe claufo in decocto infundantur vel ebulliant medicamenta purgantia & alterantia.Pinguedo etiam facilè feparari poteft.

## QVÆSTIO VI.

### *An Arfenicum fuffumigiis in afthmaticis curandis rectè admifceatur.*

PLerique Medici poft Arabes inter fuffumigia, quæ ad exiccandas & abfumendas reliquias materiæ in afthmaticis adhibent, etiam Arfenicum admifcere iubent: fed quàm rectè,non video. Notum enim eft, arfenicum effe fummè venenofum. Sunt quidem nonnulli, inter quos etiam Vafcus,qui id excufare eo modo volunt, quod in exigua quantitate admifceatur, aliifque medicamentis caftigetur, & fuffitu eius facultas elicita non adeo corrodens, malignáque exiftat; cum venenofæ qualitates non in partibus tenuibus, igne refolutis,fed in craffioribus ac terreftribus infint. *An Arfenicum fuffumigiis in afthmaticis curandis fit admifcend.*

Verùm enim verò hoc modo fe non expediunt. Primò enim Medici non in parua quantitate arfenici puluerem admifcent, fed ad pondus omnium. Imò etiam in parua quantitate nocere poteft. Deinde thus, myrrha & fimilia, quæ admifcentur, venenofam arfenici vim corrigere non valent. Præterea notiffimum eft Chymicis, etiam fumos arfenici, dum calcinatur, effe fummè noxios; nec partes heterogeneæ funt in arfenico, vt aliæ fint terreftres & craffæ, aliæ volatiles. Nam dum arfenicum calcinatur, in fumos, vtpote totum volatile, refoluitur, qui fummè venenofi & noxii funt. Ergo arfenicum omnino in eiufmodi fuffumigiis omittendum.

Error verò inde manauit, quod vocabula Sandarax Arabum, & Sandaracha Græcorum, malè confufa funt. Sandarax enim Arabum, vulgò vernix gummi iuniperi eft, vi eximia ficcandi præditum; vnde Arabes in fuffitibus illis, qui ad reliquias humorum in pulmone in afthmaticis abfumendas adhibentur, illud rectè præfcripferunt. Sandaracha verò Græcorum, arfenicum rubrum eft. Cùm ergo, qui in Arabum fcripta inciderunt, fandaracen Arabum, & fandaracham Græcorum idem effe putarent, malè pro gummi iuniperi, quod Arabum fandarax eft, arfenicum, feu fandaracham Græcorum, quæ arfenici fpecies eft, fubftituerunt. Scio equidem nonnullos id probandum fufcipere ipfos etiam Græcos fua fandaracha, id eft, arfenico in fuffumigiis hifce vfos fuiffe; & fit, vt obtineant, tamen quibus maligna arfenici qualitas non ignota eft,non facilè eos imitabuntur.

## QVÆSTIO VII.

### *An Victus attenuans fimulque tenuis afthmaticis conueniat?*

MOuent nonnulli quæftionem, an victus attenuans afthmaticis conueniat, & in ea foluenda multum laborant. Nam etfi Galenus, *in principio libri de attenuante victu*, fcripferit, folâ victus ratione attenuante,fine vllis medicamentis,difficiles refpirationes, arthritides, epilepfias & alios morbos diuturnos fe fanaffe: tamen in contrarium adducunt Hippocratem, qui, 1.*aphor*.4. fcribit:in morbis longis victum tenuem & exquifitum femper parùm tutum effe. *An victus attenuans fimulque tenuis afthmaticis conueniat.*

Verùm res plana eft. Aliud enim λεπτὴ δίαιτα, victus tenuis eft,de qua Hippocrates,*aphor.allegato*,aliud λεπτύνουσα καὶ λεπτυντικὴ, victus attenuans,vel attenuandi vim habens. Nam λεπτὴ δίαιτα, victus tenuis, folam victus formam ac quantitatem refpicit, cum fcilicet ægro cibus coctu facilis, & quidem in exigua quantitate, & minus ferè, quàm poffit concoquere, offertur: cui opponitur diæta ἁδροτέρη, plenior victus, qui fcilicet maiore copia exhibetur: diæta verò λεπτυντικὴ folam qualitatem refpicit, & victus attenuans eft qui vifcidos & craffos humores in corpore extenuat, cui incraffans victus opponitur, qui craffos humores

humores in corpore nostro gignit, vt docet Galenus, *loco allegato*. Et agunt de tenui diæta, cùm *alibi*, tum *lib. de victus rat. in acut.* Hippocrates & Galenus, De victu verò attenuante agit Galenus peculiari libello, de eo conscripto, describitque ibi cibos attenuantes, quod sensus mordeant & acres sint, ciboſque illos, *lib. alleg.* Galenus enumerat & describit. Et tales cibos asthmaticis vtiles esse nullum dubium est; an verò victus tenuis conueniat, valde dubium est, cum, vt *aphor. alleg.* Hippocr. docet, in morbis longis parum tutus sit.

Vascus equidem hanc, quam ipsa linguæ Græcæ proprietas suggerit; solutionem non probat; victumque attenuantem & tenuem re ipsa non differre statuit; ideò quod victum attenuantem constituentia alimenta, cum tenuia & debilia sint, alimentum copiosum victumque plenum præbere non possint, aut si adeò magna quantitate exhibeantur, vt copiosum nutrimentum æquare valeant, à facultate concoqui non possint.

Verùm enim verò diuersa planè victus ratio est, tenuis & attenuans; cum, vt dictum, tenuis victus saltem formam & quantitatem, attenuans qualitatem respiciat. Et diuerso planè fine diæta tenuis & attenuans instituuntur. Finis diætæ tenuis est, vt natura à coctione morbi ad coctionem cibi non auocetur; ideoque paulò minùs cibi exibeatur, etiamsi cum aliqua virium iactura id fieri videatur. Attenuantis verò victus finis est, vt cibi qualitate humores crassi attenuentur, atque ita, quod forsan medicamentis fieri non poterit, quotidiano cibi vsu præstetur. Interim nullo modo in victu attenuante requiritur, vt de consuetâ quantitate aliquid subrahatur. Etsi hoc etiam attendendum sit, vt æger eiusmodi cibi copiâ sese non oneret, & plus assumat, quàm concoquere possit. Et omnino victus attenuans non semper tenuis est, & cibi, qui victum attenuantem constituunt, etiam diætam plenam præbere possunt, sicut hoc ex allegato Galeni libro, *de victu attenuante*, patet, vbi, *cap.* 8. aues montanas pisces saxatiles, carnem gallinarum, perdicum carnes, quæ victum plenum præbere possunt, in attenuante victu admittit. Ideoque si asthmaticis auiculæ montanæ, perdices, gallinæ ac similes cibi, qui victum incrassantem non præbent, præcipuè cum hyssopo, satureia, thymo & similibus, dentur, victus erit is attenuans, non tenuis.

## CAPVT III.

### *De Suffocatione seu Strangulatione.*

Suffocatio & Strangulatio. Causæ.

AD læsam seu potiùs abolitam & interceptam respirationem pertinet & suffocatio, cuius species est Strangulatio, de qua aliquid in specie dicendum:

Suffocatur autem homo, cum aër ventilando calori cordis necessarius non attrahitur, fuliginesque calidæ exspiratione non emittuntur.

Fit hoc 1. cum viæ aëri attrahendo dicatæ occluduntur; quod fit interdum ore occluso seu obstructo, simulque naribus muco obturatis, vnde interdum apoplecticis periculum suffocationis imminet.

2. Si fauces, præsertim circa laryngem, occluduntur, id quod fit in tumoribus musculorum faucium, laryngis, glandularum, columellæ, sicut & in luxatione vertebrarum ceruicis.

3. Si asperæ arteriæ caput seu rimula illa per quam aer ingreditur, à re quacunque obstruatur. Etsi enim hoc facilè non fiat, sed natura ob imminens summum periculum per tussim magno conatu omnia talia excutere conatur: tamen si res ita pertinaciter & fixè rimulæ illi inhæreant, suffocationem inducunt. Ita Hadrianum Pôtificem à musca in fauces inuolante suffocatum esse, historiæ referunt; aliosque vuæ acinis, infantes quosdam nummis seu aliis rebus deglutitis suffocatos esse, ex historiis patet. Potest referri huc suffocatio ab aqua. Quanquam Platerus ob defectum aeris eam fieri putet.

4. Ipse quidem asperæ arteriæ ductus non facilè obstruitur; cum sit satis patens: à vi tamen externa collo constricto, vt fit in strangulatione, via omnis spiritui intercipi potest. Et notabilis est hic historia, quam in viro quodam docto obseruaui. Is enim cum cerasa comederet, accidit, vt cerasi nucleus in asperā arteriam incideret, & in pulmonem ipsum delaberetur, atque ibi etiam quandam grauitatem pectoris excitaret; post aliquod verò tempus accidit, vt nucleum illum pituita tenaci inuolutum cum vehementi tussi reiiceret. Præterea fungorum quorundam esus, vt & alia venena strangulare solent; quod proculdubio fit, cum ob membranam, quam œsophagus habet cum aspera arteria & larynge communem, laryngis rima contrahitur & coarctatur. Ita ex medicamento sursum ac deorsum purgante ferè suffocatus Vnctor apud Harpalidum, *lib. 7. epidem.*

Accidit etiam in apoplexia suffocatio, cum motu thoracis omni & membrorum respirationi inseruientium læso nulla fit respiratio.

Tandem etiam in catarrho subitò & confertim ad pulmones ruente suffocatio fieri potest, qui catarrhus idcirco Suffocatiuus appellatur, de quo, *lib. 1. part. 2. in in fine* dictum.

Pertinet huc & aer, qui atttrahitur, ventilando calori ineptus & suffocans, qualis est ille, qui è carbonibus accensis, vt & qui ex cloacis, sentinis & puteis exhalat; cuius rei exempla duo habet Christoph. à Vega, *Artis med. lib. 3. s. 5. cap.* 8. & aliquot etiam Marcellus Donatus, *de hist. med. mirab. l. 2. c. 6.* Disputatur quidem hac de re inter Medicos, vt etiam, *lib. 1. part. 1. cap. 7.* dictum est, an magis cerebrum, an verò magis pulmones & cor afficiantur. Et quidem Marcellus Donatus, *loco alleg.* cerebrum præcipuè affici statuit, Et negari non potest, cerebrum & spiritus animales affici, vt exempla ab eodem allegata testantur. Quidam enim postea resoluti sunt, quidam delirarunt. Verùm nec hoc negandum, organa respirationi dicata simul affici. Aer enim istis fumis infectus calori cordis ventilando ineptus est: cuius rei indicium est, quod nonnulli periculo suffocationis cessante febri correpti sunt.

Pertinet huc & illa suffocatio, cuius Aretæus, *lib. 1. c. 7. de caus. & sign. acut. morb.* mentionem facit, cuius etiã suprà, *part. 1. c. 4. d Aengina*, mentionẽ fecimus, quæ fiat spiritus praua conuersione ad calidissimũ & siccissimũ, nulla corporis parte inflãmatione laborante. Etsi verò alij aliter hac de re disputent, & in loco illo Aretæi explicando multùm laborent, tamen cõmodissimè mihi explicari videtur, si dicamus, spiritum sæpe ita esse inflãmatum, calidum & siccum, vt ei refrigerando aer externus, qui spiritu attrahitur, nõ sufficiat. Cui hoc addi potest, quod spiritus ille habere potest prauã qualitatem & insignem exsiccandi & constringendi vim, ob quã organa spirationis constringuntur & coarctantur, vt respiratio libera fieri non possit. Similem huic affectum describit Hippocrates, 4. *de rat. vict. in acut. text.* 31. *ad* 35. cum quo tamen catarrhus fuit coniunctus.

### *Prognosticum.*

Prognosticũ.

Strangulati aut suffocati, non tamen mortui, ad se non redeunt, quorum circa os collecta spuma apparet, 2. *aph.* 34. Non tamen hoc vniuersaliter verum est, vt Galenus. *in com.* addit: Nonnulli, quibus strangulatis spuma circa os apparuit, sibi sunt restituti, vt etiam duo exempla obseruauit Christop. à Vega, *loco alleg.* quamuis id rarò accidat.

### Curatio.

*Curatio.* Cùm verò morbi plerique à quibus iſtæ ſuffocationes pendent,ſuprà cum curatione explicati ſint, ſaltem hic, quomodo ſtrangulatis & aquâ & fumo ſuffocatis ſuccurrendum ſit,dicemus.

*Laqueo ſtrãgulati quomodo curãdi.* Qui laqueo penè ſtrangulati ſunt, iis laqueo ſoluto acetum cum pipere, aut pulegium tritum, vel ſemen vrticæ cum vino aut mulſo,vel aromata cum vino propinanda ſunt, & collum lanâ oleo irino calente madidâ inuoluendum. Poſſunt etiam commodè exhiberi aquæ epilepticæ,vitæ, cinamomi, & reliqua, quæ ad manum ſæpe ſunt.

*Ex vaporibus ſeu fumis ſuffocati.* Eadem etiam iis, qui ex vapore cloacarum, puteorum, cauernarum, ſeu fumis carbonum ſuffocantur, exhibenda, vt & ea, quæ ſuprà,*lib.*1,*part.*1.*cap.*17.ſunt propoſita.

*Ex ſubmerſione in aquam.* Si verò ex ſubmerſione in aquam quis ſuffocationis periculum incurrat, is aquâ ereptus moueri debet, & capite deorſum inclinato ac pedibus eleuatis, ac pennâ oleo intinctâ, vel digito ori immiſſo vomitus prouocandus; vel exhibeatur decoctum hordei, ficuum, glycyrrhizæ,adiecto butyro & ſaccharo; vel decoctum florum chamæmeli cum cereuiſia.Poſtea verò vinũ meracius vel mulſa exhibenda,& etiam aliquæ aquę vitæ. Simul æger in calido conclaui ſeruandus,& ſuffumigia inſtituenda, ſorbitiones quoque decocto farinæ cicerum exhibeantur.

*A fungis venenatis.* Si ſuffocatio à fungis venenatis immineat, vomitus ſtatim concitandus decocto raphani tum oxymelite, vel ſalis vitrioli ʒ.ß.cum oxymelitis ℥.iij.propinanda. Poſtea abſinthium & meliſſa in vino infundantur,& vinum exhibeatur.

Cum Pauſaniæ puellam, *lib.* 7. *epid.* ſuffocatio ex fungi eſu apprehendiſſet, ei profuit mulſa calida epota & vomitio balneúmque calidum. In balneo fungum vomitione reiecit,& cum ceſſatura eſſent ſymptomata, ſudore detenta eſt.

## CAPVT IV.

### De Vitiis Vocis & Sermonis.

*Vitia vocis & ſermonis.* CVm in homine aër, quem ſpirando attrahimus & efflamus, non ſolùm ventilando cordis calori, ſed & voci & ſermoni formando inſeruiat,ordo poſtulare videtur, vt poſt reſpirationis vitia etiam de Vitiis Vocis & Sermonis dicamus.

*Non omnis ſermo vox eſt.* Non verò omnis ſermo vox eſt,ſed qui ſolùm ab animalibus prouenit;& quidem, vt Iulius Cæſar Scaliger, *de cauſſis ling.lat.c.*4.definit,eſt vox ſonus ex ore animalis: ſermo verò diſpoſitio vocum articulatarum, ad interpretandum animum. Et omnis vox, vt, *ibidem*, Scaliger docet,eſt ab animi affectu.

*Vox animalibus cur data?* Eſt enim data animalibus ad expreſſionẽ voluntatis. Neque tamen omnis vox articulata eſt,ſed multæ voces ab affectu proficiſcuntur,quæ ſunt inarticulatæ, vt gemitus & ſibilus venenatorum.

*Vox articulata.* Eſt autem vox articulata, quæ ſcripto excipi atque exprimi valet; inarticulata,quæ non. Et articulatas voces à brutis non excludit Scaliger; cum ouium voces adeò clarè ſcribi poſſint vt ab ipſis vocabulum apud

*An etiam ſit brutorũ.* nos ſumptum,balare.Et ſit, vt pleræque brutorum voces non ſint articulatæ;ad animi tamen affectum ſignificandum compoſitæ ſunt;de quo Lucretius,*lib.*5.

*———quod ſecla ferarum*
*Diſſimiles ſoleant voces variaſque ciere,*
*Cum metus,aut dolor eſt,& cùm iam gaudia gliſcunt,*
*Quippe etenim licet è rebus cognoſcere apertis.*
*Irritata canum cum primum magna moloſſum*
*Mollia ricta fremunt,duros nudantia dentes,*
*Longè alio ſonitu rabie diſtricta minantur,*
*Et cum iam latrant,& vocibus omnia complent.*
*At catulos blandè cum lingua lambere tentant,*
*Aut vbi eos iactant pedibus morſuque petentes,*
*Suſpenſos teneros nituntur dentibus hauſtus,*
*Longè alio pacto gannitu vocis adulant,*
*Et cum deſerti baubantur in ædibus,aut cum*
*Plorantes fugiunt ſubmiſſo corpore plagas.*

Verùm de humana voce hic agere nobis propoſitum eſt. Etſi verò vox ex aëris è pectore efflatione fiat: tamen non quælibet efflatio vocem parit. Si enim ſit illa lenis, ſaltem fit exſpiratio ſine voce. Vt verò vox fiat, vehementiore efflatione opus eſt. Neque tamen omnis vehemens efflatio vox eſt:neque tuſſis propriè vox nominatur, ſed quæ fit anima & voluntate dirigente ad ſenſus animi patefaciendos.

*Materia vocis.* Materia autem vocis eſt aër ſeu ſpiritus,qui exſpirando emittitur & ad organa vocis alliditur.

Organa verò vocis & ſermonis formandi quod attinet,equidem ad aërem efflandum etiam requiritur pulmo & muſculi thoracis, vt & arteria aſpera, quæ aëri tranſitum præbet: verùm propria inſtrumenta vocis edendæ non ſunt.

Quod primò ex eo patet, quòd, ſi infra caput arteria incidatur,exſpiratio quidem fit,ſed non vox editur,quæ non fit niſi aëre per aſperæ arteriæ caput ſeu laryngem, & quidem per eius rimulam, emiſſo. Atque ita larynx proprium & primarium vocis formandæ organum eſt. Atque ideò etiam rerum opifex laryngi varios muſculos tribuit,vt pro libitu eius rimula dilatari & conſtringi poſſit. De cuius conſtitutione artificioſiſſimâ videantur Anatomici, & inter eos præcipuè Hieronymus Fabricius ab Aquapend. *lib. de larynge & vocis organis.* Etſi verò vocis organum primarium ſit rimula illa laryngis ſeu γλωττὶς: tamen ad vocem articulatam & inprimis ſermonem formandum non ſufficit illa aëris è pulmone per rimulam laryngis efflatio, ſed præterea requiritur gurgulio, qui inde plectrum vocis nominatur, lingua,palatum ſeu oris cœlum,quod appellant, dentes. Vnde videmus, ſi harum partium aliqua deſit, vel vitiata ſit, vt gurgulio præſectus ſeu eroſus,lingua præciſa ſeu alio modo vitiata, ſi palatum vlcere perforatum,ſi dentes eliſi ſint, ſeu exciderint, ex his omnibus vitiis vocem vitiari.

### Differentiæ.

*Differentiæ vocis,& vitiorum.* Sunt autem variæ vocis differentiæ. Aliæ quidem naturales voces, vt ſunt magna ſeu grandis, & parua; lenis,aſpera,acuta, grauis, de quibus non noſtri inſtituti, ſed Phyſici eſt, agere: aliæ voces præternaturales cuius etiam differentiæ multæ ab Autoribus recenſentur, & ab aliis aliter. Verùm commodiſſimè voces p. n. ſecundum differentias actionum læſarum diſtinguuntur, quod ſcilicet vox vel aufertur, vel imminuitur, vel deprauatur. Vocis defectus ἀφωνία appellatur, cum ſcilicet homo planè vocem edere non poteſt qui verò loqui non poteſt, mutus dicitur: qui difficulter verò loquuntur, μογιλάλοι nominantur. Deprauata verò vox eſt, rauca, obſcura, tremula,abrupta,clangoſa, de quibus poſtea in cauſſis dicetur.Pertinet huc & Balbuties & omne illud vitium, cum homo ſermonem non facilè,& non niſi cum magno conatu ac crebra hæſitatione, inchoare poteſt.

### Cauſſæ.

*Cauſſæ.* Cum autem ad vocem & ſermonem formandum concurrant larynx, eius muſculi, & , qui iis inſeruntur nerui recurrentes, aſpera arteria; & ad aëris efflationem pulmo, & thorax cum ſuis muſculis, præterea lingua, cdlumella, palatum, dentes neceſſarij ſint: vocis & ſermonis læſi cauſſæ in his quærendæ ſunt.

Primo

Primo ergo vocem abolitam & interceptam ac imminutam quod attinet, tollitur seu imminuitur vox vel principio neruorum affecto, vel vocalibus instrumentis, vel deficiente vocis materia. Vox & sermo aboletur ob cerebrum, neruorum principium, affectum in apoplexia; epilepsia, cerebri concussione & commotione, vt & in syncope, & vteri suffocatione ac similibus affectibus, ob quos spiritus animalis influxus prohibetur. Inprimis vero in affectu illo, qui κατ' ἐξοχὴν ἀφωνία appellatur, & neque ad apoplexiam neque ad epilepsiam commodè referri potest, sed inter eos quidam affectus medius videtur. Quem etsi in praxi sæpe obseruauerim, vt ex historiis annotatis, quas suo loco proponam, patebit, descriptum tamen inuenire hactenus apud Autores non potui, nisi nuper apud Adrianum Spigelium, *lib. 2. de Semitert. cap. 16.* his verbis: *Est morbus in Germania & Pannonia frequens, quem Austriaci, Moravi, & Styri Timorem appellant, inter apoplexiam & epilepsiam quodammodo ambigens. Cadunt enim velut apoplectici sine sensu, non autem motu priuantur, neque tamen conuelluntur, vt epileptici: aliquando stertunt, nec tamen discusso morbo paralysin alicujus membri incurrunt.* Si tamẽ caussæ magna sit vehementia, in apoplexiam vel epilepsiam degenerare potest tandemque aliquos hoc modo affectos subito vt apoplecticos mortuos vidi. Talis ἀφωνία etiam procul dubio est, quæ fit ex ebrietate, de qua Hippocrates, *5. aph. 5.* Oritur autem ferè à consensu partium infernarum, & vapore narcotico spiritus animales in cerebro sopiente, seu perturbante; & propterea commodissime inter affectus cerebri refertur.

Instrumentorum verò vocalium caussa vox & sermo aboletur seu imminuitur, cum laryngis membrana madefit, & humectatur ab humoribus à capite defluentibus.

Deinde si laryngis rimula angustior redditur seu occluditur à tumore, & compressione, vt in angina, & luxatione vertebrarum ceruicis fieri solet.

Tertiò, cùm mumusculi laryngem mouentes seu resoluuntur, seu vulnerantur, seu contunduntur.

Quartò, vbi nerui vocales & quicunque voci edendæ inseruientes inciduntur, diuelluntur, intercipiuntur, refrigerantur aut quocunque modo læduntur. Ita refert Galenus *1. de loc. affect. cap. 6.* cecidisse quendam ab alto in terram, ita vt dorsi initium affligeretur, eumque tertio die, exiguam admodum vocem edidisse, quarto die omnino obmutuisse, resolutaque simul fuisse crura manibus illæsis, sed neque spirationem amisisse, neque difficulter spirasse. Cum enim tota sub ceruice spinalis medulla esset resoluta, accidit thoraci, vt per septum transuersum & musculos supernos numero quidem sex, moueretur: quippe nerui ex spinali medulla, quæ in ceruice est, ipsis adueniunt. At intercostalium musculorum nerui, per quos exsufflationem fieri diximus, omnes affecti erant. Cum itaque frustrà Medici negotium subirent circa crura quidem, vtpote resoluta, circa guttur verò propter vocis affectum: equidem id interdixit, atque affecto duntaxat loco curationem adhibuit. Proinde finitâ tandem spinalis medullæ inflammatione, à septima die vox restituta est iuueni, & crura motionis facultatem recuperauerunt. *Ibidem* refert, fuisse quendam, qui cum ex ceruice strumas in profundo exscinderet, ac inter secãdum quoddam vas, membranas non specillo secaret, sed vnguibus euelleret, imprudens ob ignorantiam simul neruos recurrentes distraxit, atque hoc pacto quidem puerum liberauit à strumis, sed mutum reddidit. Alium pariter in puero strumas secantem, læso altero neruo recurrente, ipsum semimutum fecisse. Similem historiam recitat Amat. Lusitanus, *cent. 2. cur. 70.* Mulier Illyrica, inquit, quæ ad caput montis habitat, cum strumam à Gallica scabie originem ducentem in collo haberet, mendicum quidem officio Medici fungentem pro sua valetudine accessiuit, qui indiscretè cum pro ea propulsanda multis vsus esset medicamentis, ita sublimatum, vt eius resecaret radices, loco indidit, à quo alter neruorum ex pectore recurrentium, qui vocem effingunt, inibi corrossus est, vnde ipsa paulatim raucefacta vocem verè in totum amisit.

Quintò, si aspera arteria incidatur, etiam vox & sermo perit; cum spiritus voci & sermoni formando necessarius desit: quod etiam fit, si aspera arteria comprimatur; quod fit in strangulatione.

Tandem ob defectum materiæ vox perit, vel imminuitur, vel, vt modò dictum, cum aspera arteria vulneratur, aut compressa spiritui transitum non concedit, seu ob thoracis musculos resolutos. Eius rei exemplum habet Galenus, *3. de loc. affect. cap. 1.* de quodam, qui nullo in vocalibus instrumentis vitio existente, sed musculis intercostalibus ob casum ex alto resolutis, vocem amisit.

Idem fieri potest, si iidem musculi & membrana costas succingens vulneretur & perforetur. Cùm enim tum thorax contrahi non possit, vocis etiam materia, spiritus, qui efflatur, deest. Non tamen semper ob musculorum intercostalium læsionem vox tota perit, sed solùm cum læsio illa magna est. Aliàs enim pro læsionis magnitudine vox saltem ex parte amittitur. Præterea pulmonis vitio idem euenit, qui si sanie vel humore repletus sit, aut aliàs debilis, vt fit in catarrhis suffocatiuis & tabe, vox valde imminuitur.

Accidit idem cum pauca fit efflatio, & spiritus deficit, vt in deliquio, syncope, vteri suffocatione. Quia verò ad sermonem formandum etiam lingua facit, sermo etiam ob linguæ motum impeditum læditur, de quo suprà, *lib. 1. part. 3. s. 5. c. 7.* dictum. Vnde etiam citra vocis læsionem locutio interdum aboletur; id quod fit in mutis in priuata resolutione linguæ, qui tamen vocem quandam inarticulatam edere possunt; & fit hoc ob nerui, qui ad tertiam coniugationem tendit, vitium. Quod si magnum sit, & præcipuè si vitium sit à prima conformatione, auditus tum ferè simul, ob illius cum dicto neruo communicationem, læditur; vnde plerique, qui sunt muti à natiuitate, simul surdi sunt. Idem accidit, si defluxio aliqua & humor in musculos linguam ac laryngem mouentes decumbat. Reliqua videantur, *loco allegato*, de motu linguæ inpedito.

Caussas vocis deprauatæ quod attinet, sunt nonnullæ congenitæ, & à natura quibusdam est vox aspera; quæ cum propterea à nonnullis inter naturales vocis differentias numeretur; saltem de iis vocum differentiis p. n. agemus quæ à caussis p. n. proueniunt.

Et quidem frequentissimè accidit vox rauca, quæ fit à membrana, quæ laryngem & asperam arteriam inuestit, p. n. affectu, exasperata & inæquali reddita. Cùm enim aspera arteria læuis facta sit, & si ea bene sese habeat, vox lenis & moderata edatur: si illa naturalis læuitas & æqualitas tollatur, inæqualiter etiam aër allisus repercutitur, atque inde vox rauca efficitur. *Vox rauca.*

Accidit hoc primo à nimia humiditate vocis hoc organum irrigante; id quod frequentissimè à catarrho à cerebro delabente, & in organa vocalia irruente accidit, qui in specie Branchus appellatur; de quo Hippocrates, *3. aph. 13. Æstate sicca & aquilonia, autumno vero pluuioso & australi, vehementes capitis dolores in hyemem incidunt, & tusses & branchi seu raucedines, & grauedo, nonnullis etiam tales exspectandæ.* Deinde idem accidit à tussi vehementi, qua arteria ob crebram materiæ reiectionem exasperatur; id quod in phthisicis & thoracis suppuratione accidere solet. Idem præstant humores & vlcera vocalium instrumentorum. Vnde lue Venerea laborantes vocem raucam habent. Atque hæ caussæ internæ sunt. *Eius caussa Interna.*

Externæ caussæ sunt clamor nimius & vociferatio, *Externa.*

quæ similem affectionem membranæ laryngis & asperæ arteriæ inducunt lassitudini inflammatoriæ in musculis. Aër quoque frigidus inspiratione attractus, vt & succus, venenatus; & vaporibus, fumis & puluere inquinatus arteriam exasperandi vim habet. Idem præstat potus aquæ frigidæ, vini vel austeri vel meracioris nimius, cibus & potus salsi & acres.

*Vox obtusa.* Vox obtusa seu tenebricosa & turbida, vt nonnullis appellatur, fit à pituita crassa & viscida, quæ organis vocis adhærescit, vel abscissione columellæ.

*Tremula.* Vox tremula fit ex virtutis imbecillitate, cum ob defectum spirituum natura organa respirationis æqualiter mouere non potest; id quod in quibusdam febribus accidit. Interdum idem euenit, vbi in musculos laryngis seu linguæ & neruos his inseruientes humor aliquis decumbit, partesque illas relaxat quasi; id quod ebriis accidere solet. Fit idem etiam ex timore, cùm calore & spiritibus ad cor recurrentibus, tum aliæ partes, tum etiã respirationi & voci edendæ inseruientes iis destitutæ officio suo rectè fungi non possunt; vnde & qui valdè timent, pedibus & manibus tremunt.

*Abrupta.* Abruptæ vocis etiam Hippocrates, 4. *de rat. vict. in acutis, text.* 33. mentionem facit, quam *in lib. de Coacis prænotionibus*, effractam nominat. Habet autem ea ortũ ex imbecillitate facultatis mouentis, & organorum qui spiritus efflationi inseruiunt. Vt n. si is, qui folles, quibus organa musica inflant, mouet, sit debilis, nec æqualiter moueat, sed aliquandiu quiescat, sonus interrumpitur: ita si musculi, qui aëri, qui vocis materia est, efflando inseruiunt, ob imbecillitatem à mouendo aliquandiu cessent, fit vox interrupta.

*Tarda.* Vox tarda fit, cum humor in spinalem medullam & neruos musculis thoracis inseruientes effunditur. Tum enim facultas supprimitur, vt libere thoracem mouere non possit.

*Clangosa.* Vox clangosa est subrauca, sed acuta ferè & sonora, qualem pleraque animalia, quæ collum habent oblongum, vt grues, edunt. Habet ortum hæc vox, vt Galenus. 7. *de vsu part. cap.* 7 1. *prorrhet. com.* 1. *text.* 3. & 17. docet, à siccitate nimiã laryngis & asperæ arteriæ, & defectu humiditatis, qua naturaliter arteria irrigatur, & quasi læuigatur; id quod fit in febribus ardentibus & phrenitide.

*Lupi conspectus vitiatæ vocis caussa.* Tandem referunt etiam inter caussas raucedinis & vocis vitiatæ lupi conspectum, si is hominem obuium prior adspiciat; quam vulgò opinionem etiam Virgilius secutus est, dum scribit:

*Vox quoque Mœrin*
*Iam fugit ipsa: lupi Mœrin videre priores.*

Vnde etiam habet ortum prouerbium. *Lupus in fabula*; quo vtimur, cum is, de quo sermo, superuenit, & ita præsentiã suã sermonem interrumpit: de quo varij variè disputant, & alij aliam huius affectus caussam reddere conantur. Verùm prius hic τὸ ὅτι, & an sese res ita habeat, quam τὸ διότι inquirendum censeo.

*Caussa sermonis vitiati.* Easdem ferè ob caussas sermo & locutio vitiatur.

1. Quidem ob instrumentorum vocalium & laryngis præcipuè, vitium. Nam si vox sese non bene habet; nec sermo bene sese habet; de cuius caussis modò dictum.

2. Propter motum linguæ impeditum; de quo suprà, *part.* 1. *huius libri, c.* 9. diximus.

3. Ob labiorum dentium, palati vitium.

*Balbuties.* De Balbutie & blæsitate eiusque caussis, agit Galenus & alij authores *ad aph.* 32. *sect.* 6. & docet Galenus quod ψελλίζειν & τραυλίζειν non vocis, sed linguæ vitium fit, cum scilicet lingua eas voces, quæ per T & R scribuntur, articulatè proferre non potest. Idque accidere, quia lingua fit molliore ac humidiore temperaturã ac constitutione: quam ob caussam pueri balbutiunt; cum musculi molliores & infirmiores linguam satis stabiliter non possint, eo modo, vt in ambulando titubant, Inde etiam ebrij balbutiunt.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa voci & sermonis vitiati.* Vox & sermo ac locutio læsa, & quodnam vitium sit, facilè ab audientibus cognoscitur. Caussæ verò signis cognoscendæ. Et quidem externæ facilè ex relatione ægri atque adstantium cognoscuntur. Internæ etiam suis signis patefiunt. Si raucedo sit à catarrho, is adfuit vel adhuc adest, qui facilè patet. Si à phthisi seu pure & sanie in pectore contentã & tussi crebrius reiectã raucedo oriatur, etiam signa eius aderunt. Ita etiam aliarum caussarum, à quibus vox seu aboletur, vel imminuitur, seu deprauatur, signa in morbis, à quibus illa pendent, explicantur.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Raucedo orta à caussis externis seu euidentibus faciliùs curatur, quàm quæ à caussis internis fit.

2. Branchi & coryzæ in valde senibus coctionem non admittunt. 2. *aph.* 40.

3. Vocis vitium, quod fit à columellã abscissã vel erosã, lingua mutilatã, dentibus elisis vel elapsis, nisi facti-tij substituantur, non curatur.

4. Ita & motus linguæ inhibitus à ruptione vel contusione nerui, non sanatur.

5. Raucedo per annum vel duos confirmata, vix sanatur.

6. Impeditus motus linguæ in pueris superueniente adolescentiã & iuuentute interdum cessat, absumptis & exsiccatis superfluis humiditatibus.

7. Balbi alui profluuio maximè corripiuntur, 6. *aph.* 32.

8. Raucedines, quæ ob suppurationem vel tabem fiunt, ferè mortem futuram indicant.

9. Cum voce tremula alui præter rationem solutio in morbo acuto, lethalis. Cum enim vox tremula fiat ex insigni debilitate virium, si alui profluuium accedat, vires magis deiicit.

10. Voces clangosæ malæ, & vacillatio mentis cum voce clangosa, linguæque conuulsiones cum tremore, & voces ipsæ obmutescentes, mentis alienationem significant. *In Coacis.*

11. Vox effracta ex hypercatharsi ob musculorum thoracis conuulsionem, periculum portendit.

12. Ἀφωνίαι cum singultu pessimæ, 1. *prorrhet. com.* 1. *text.* 23.

Plura ex voce vitiata in febribus prognostica videantur apud Hippocratem, *in Coacis prænot.* & *libris prorrhetic.*

### *Curatio Raucedinis.*

*Curat raucedin.* Cum vocis & abolitæ & diminutæ ac deprauatæ variæ caussæ sint, etiam curatio varia pro caussarum varietate instituenda. Cum autem morbi illi, à quibus vocis & sermonis vitia pendent, iam ante explicati sint, pauca hic dicenda restant.

Etenim si cerebri vitio malum hoc accidat, curatio ex iis, quæ, *lib.* 1. de apoplexia & paralysi explicata sunt, patet.

Cæterum quoque supra, *lib.* 1. *c.* 9. de linguæ motu impedito, eiusque caussa & curatione actum. Dictum, *ibidem*, de faucium & dentium morbis: *parte* verò *secunda*, de asperæ arteriæ, pulmonis & thoracis morbis, Quos qui curauerit, simul & vocis & sermonis vitia, quæ ex iis morbis pendent, tollet. Ideóque saltem quædã de raucedinis curatione hic adiiciemus; cum vox obtusa & similes eandem ferè curationem habeant. Vox verò clangosa, cum ferè cum febribus acutis coniungatur, ab earum curatione & huius mali curatio dependet.

Primò ergo si raucedo à catarrho dependeat, irritante & inæqualia reddente vocis organa, primò danda

da opera, vt catarrhus remoueatur, quo præſente vix raucedo tolli poteſt. Qua ratione autem catarrhus curari debeat, dictum, *lib.1.part.2.cap.34*.

Deinde danda opera, vt aſperitas & inæqualitas à catarrho inducta tollatur, & præcaueatur, ne, ſi catarrhus adhuc fluat, ab eo amplius vocis organa exaſperentur; quod præſtant medicamenta Arteriaca ab vſu dicta.

Si ergo catarrhus ſit frigidus & tenuis, medicamẽtis calefacientibus, ſiccantibus & lenientibus opus eſt vt diatragacantho calido, melle roſaro cum ſyrupo myrtino mixto, ſucco glycyrrhiz. amygdalis dulcibus.

Si verò materia ſit craſſa & viſcida, incidentia, abſtergentia, ſimulque lenientia & vocis inſtrumenta, læuigantia requiruntur, quæ parantur ex caricis, vuis paſſis, melle, hyſſopo, glycyrrhiza, ſucco braſſicæ cum melle mixto, thure, myrrha, croco, terebinthina, ſaccharo penidio, cubebis cum paſſulis tritis mixtis. Et ſi pituita ſit viſcida, etiam oxymel ſcilliticum admiſceri poteſt. Conuenit etiam hic lohoh ſanum & expertum de althæa, de pino, de caulibus, ſyrup. de glycyrrhiza, de hyſſopo, pilulæ ſeu trochiſci de benzoë.

Vtile etiam eſt ſequens Eclegma.

℞. *Succi praſſij bene depurati* ℥.ij. *ſacch. penid.* ℥.j. *oxymel.ſ.* vel ſi maiori inciſione opus ſit, *ſcillit*.q.ſ.

F. Lambile.

Vel ℞. Pomum, & ſeminibus exemptis repleatur myrrha, croco, thure, & aſſetur, ac manè & veſperi comedatur.

Vel ℞. *Succ. glycyrrhiz.* ℥.ß. *croci* ʒ.j. *myrrh. thuris* an. ʒ.j.ß. *gummi tragacanth. Arab.* an. ʒ. iij. *carnis trium dactylorum, vini dulcis*.q.ſ.

F. Pilulæ ſub lingua tenendæ.

...de eryſi- Matthias Lobelius ſyrupum de eryſimo, quod laudatiſſimum arteriacum nominat, commendat, ſcribitque ſe eius vſu iuuenculam decennali raucedine laborantem curaſſe, & alios diuturna & prope inuicta raucedine laborantes eryſimi vſu reſtitutos fuiſſe.

℞. *Eryſimi totius recentis* M.vj. *rad. helenij, tuſſilag. ſucco adhuc prægnantium, glycyrh.* an. Vnc. ij. *borrag. cichor. capill.* ♀, an. M. j. ß. *flor. cordial. anthos, ſtœch.* vel *beton*.an.M.ß. *ſem. aniſi* ʒ. vj. *paſſul. mundat.* ℥.ij.

Coquantur in ſ.q. *aq. hordei*, & *hydromelitis*, & *ſucci eryſimi*, ℥.vj. ad ℔.ij. vel iij.

Colaturæ adde *ſacchari* q. ſ.

Fiat Syrupus.

Vel ℞. *Rad. glycyrrh. althéæ*, an. ℥. iij. *ireos. fol. eryſimi* M.iij. *tuſſilag. praſſij recentium*, an.M.ij. *ſem. pſyllij. cydonior.* an.℥.ß. *iuiub* N.xij. *paſſul. enucleat.* ℥.ij. *cubebar.* ʒ.j.ß. Coquantur, & cum ſ.q. *ſacchari*,

Fiat Syrupus.

Quod ſi catarrhus ſit calidus & tenuis, frigida incraſſantia & lenientia requiruntur, vt diatragacanth. frigid. conſerua roſar. viol. diacodium, ſyrup. & lohoh. de papauere, Syrup. roſar. violar. de iuiubis, myrtinus.

...ure. Si à pure in pulmone contento raucedo ortum habeat, ad morbum quidem præcipuè cura dirigenda; ſimul tamen lenientia & læuigantia aſperam arteriam modò enumerata vſurpanda.

...auſſis ex-...is. A cauſſis externis ſit raucedo, iiſque ſiccantibus & calefacientibus. Leuiter itaque refrigerantia & lenientia vſurpanda, vt diatragacanth. frigid. conſerua roſar. viol. ſyrup. & lohoh. de papau. de iuiub. & ſimilia.

Si ab aëre, potu vel aliâ cauſſa frigidâ, calefacientia, modò in raucedine à pituita propoſita, vſurpanda.

Tandem ſi à nimia vociferatione clamore & vocis intentione ſit excitata raucedo, conueniunt hîc medicamenta Arteriaca dicta, quòd ſcilicet peculiariter aſperæ arteriæ & laryngis affectibus conueniunt. Parantur autem ex amylo, tragacantha, gummi Arabico, glycyrrh. ſacchar. cando & penidio, paſſulis, dactylis, iuiubis, ſebeſten. amygdal. dulc. mucilag. althéæ: vnde fiũt ſyr. iuiubinus, capil. ♀, de althæa de glycyrrh. & ſimilia.

Vel ℞. *Mucilag. ſem. althéæ* ℥.j.ß. *conſeru. viol.* ℥. iij. *amyli* ℥.ii. *ſacch. in aqua roſar. ſolut*.q.ſ.

F. Lohoh.

Vel ℞. *Tragacanth. gummi Arabic.* an. ʒ. j. *ſyr. iuiub. violar.* an.q.ſ. *mucilag. ſem. althéæ* ʒ.ij.

F. Lohoh.

Atque hæc inprimis in principio conueniunt. Vbi raucedo iam imminuitur, vt humiditas in parte relicta abſumatur, exſiccantibus, diſcutientibus & extergentibus, ſed ſine acrimonia opus eſt. Qualia parantur ex terebinth. melle, amygdalis amaris, iride, ſtyrace, croco, myrrha.

Vt ℞. *Gummi iuniper. tragacanth.* an. ʒ.ij. *ſacch. penid.* ℥.j. *ſucci glycyrrh.* ʒ ij. *thuris* ʒ.j.ß. *ſtyracis calamitæ* ʒ. j. *croci* ℈.j. Cum melle,

F. Eclegma.

Vtile etiam eſt eclegma de ſucco braſſicæ antea propoſitum.

Vel ℞. *Hord. excort. paſſ. enucl.* an. ℥.j. *glycyrrh.* ʒ.ij. *caricar. ping.* N.vj. *capill. Veneris, hyſſop.* an. M.j. *ſem. braſſic.* ʒ j. *pinearum non rancidarum* ℥.ß.

Coquantur. in ſ.q. aquæ puræ.

Colaturæ pro qualibet libra adde *mellis deſpumat. ſacchari albi*, an. ʒ.vj.

Miſce, de quo ſæpius aliquid bibendum.

Plura videantur apud Galenum, 7. *de compoſ. medic. ſec. loc. cap.* 1. Aëtium, *tetrabil.* 2. *ſerm.* 4. *cap.* 51. & 52.

## CAPVT V.

### *De Tuſſi.*

*Tuſſis.* AD deprauatos organorum vocis reſpirationis motus Tuſſis quoque pertinet, atque inter eos motus eſt tuſſis, qui quidem à naturâ fiunt, irritata tamen & coactâ, atque à cauſſa morbificâ ſtimulata ad expellendum id, quod moleſtum eſt; cuiuſmodi motus habetur oſcitatio, pandiculatio, ſternutatio, ſingultus, vt docet Galenus, *lib.2. de cauſſis ſympt.*

Eſt nimirum tuſſis motus deprauatus ſeu vehemens efflatio, à veloci pulmonis & thoracis contractione edita, vt id, quod ſpirandi organis moleſtum eſt, excutiatur. Seu, vt Auicennas definit: Tuſſis eſt motus Naturæ, quo conatur expellere, quicquid lædit, è partibus pulmonis, & partibus proximis pulmonum. Sicut enim in ſternutatione cerebrum, in ſingultu & vomitu ventriculus: ita in tuſſi thorax inſurgit, & plurimo ſpiritu in pulmonem immiſſo, foraſque iterum, celerrimè explofo, atque impetu quodam id, quod moleſtum eſt, expellere conatur. Etenim aſpera arteria, & eius ramuli per pulmonem ſparſi tunica intus obducti ſunt, cui exquiſita vis ineſt ſentiendi ea, quæ moleſtiam pulmoni creant, ita vt minimum quodque in aſperam arteriam illapſum ſtatim ſentiat. Atque ita tuſſim nihil excitat, niſi quod hanc membranam, quæ intus aſperam arteriam, eiuſque ramos inueſtit, afficit. Sic igitur irritatus pulmo non ſolùm ipſe mouetur, ſed & in auxiliũ muſculos thoracis & diaphragma ſibi adſciſcit, &, quod ſibi moleſtum eſt, expellere nititur.

#### *Cauſſæ.*

*Cauſſa.* Atque ita cauſſa proxima tuſſis eſt, quicquid pulmones, aſperamque arteriam, & quidem membranam, qua intus inueſtiuntur, afficere poteſt. Quæ autem id præſtant, cauſſæ ſunt variæ, vt mox dicemus. Ad duo tamen genera referri poſſunt. Vel enim hoc præſtant, quia anguſtiam in reſpirationis organis pariunt, vel quia mordicant, aſperitatemque inducunt, atque adeò quocunque modo moleſta ſunt.

Caussas verò omnes tussis, seu angustiam pariendo, seu irritando quocunque modo id præstent, in classes quasdam digeremus & ordine enumerabimus.

Et 1. inter caussas tussis est intemperies, & quidem sola ac sine materia etiam tussim excitare potest, sed leuiorem, quàm quæ est cum materia. Et frequentissimè quidem & maiorem tussim parit intemperies frigida, vt pote quæ pectori maximè inimica est, quæ excitatur ab aëre frigido, de quo Hippocrates, 3. *aph.* 23. *Hyeme morbi laterales, pulmonis inflammationes, raucedines, tusses fiunt*; &, *ibidem, aphor.* 5. *Aquilo tusses mouet*: potu aquæ frigidæ, & præcipuè ex niue solutâ, medicamentis frigidis seu assumptis, seu thoraci applicatis. Excitat etiam tussim intemperies calida, sed minorem, qualis est, quæ febribus ardentibus superuenit, quæque vt est apud Hippocratem, 6. *epid. sect.* 2. *text.* 24. est arida & parũ irritans, & quæ nõ fit, nisi quãdo loquitur, aut hiat. Quando autem non loquuntur neque hiant, non tussiunt. Siccitas autem præcipuè cum frigiditate coniuncta exasperando & irritando tracheam tussim excitat. Hinc, vt Hippocrates, 3. *aph.* 5. scribit, Aquilo tusses mouet fauces exasperando, & vt Paulus Ægineta, *lib.* 3. *cap.* 28. docet, in Aquilonaribus constitutionibus non paucæ, néque contemnendæ tusses fiunt. Humiditas autem, vt qualitas minimè omnium actiua, & quæ potius lenit, quàm exasperat, vix tussim inducit; nisi forsan inæqualiter primùm inducatur, vbi breuiter leuissimam quandam tussiculam excitare potest, quod tamen rarum. Et dictum est supra de caussis, quæ intemperiem pulmonis inducere possunt.

Deinde tussim excitat materia quæcunque in pulmonem & asperam arteriam incidit, aut in ea præter naturam continetur. Materia autem hæc varia est, catarrhus nimirum à capite defluens; atque ita omnes caussæ quas supra, *lib.* 1. catarrhum excitare posse diximus, etiam tussim excitare valent: vt & humor aliquis in cerebro collectus, qui per accessiones febrium mouetur, & à calore febrili funditur; de quo Hippocrates, *in Coacis Qui circa accessiones tussiunt, & leniter resudant, malignè habent. Et, ibidem; Ex insania in raucedinem cum tussi fit abscessus.* Sicut & materia parotides excitans: de quo idem Hippocrates *eodem libro, & in prorrhet. Abscessus ad aures soluunt tussiculæ cum sputationibus.* Idem efficit sanguis è vase in pulmone rupto fluens, vel erosâ in pulmones irruens. Item humor in pulmone collectus in phthisi, peripneumonia, vomica pulmonis; vel aliis vicinis partibus communicatus: vt in pleuritide & hydrope pectoris fieri solet. Pertinent huc & grandines, calculi, ac vermiculi in pulmone geniti. Idem præstant etiam res externæ in tracheam illapsæ.

Cùm enim spiritu, quem trahimus, diu carere non possimus, organa, per quæ ille admittitur, vacua esse decet. Ideóque ne aliqua substantia præter aërem in asperam arteriam eiusque ramos per pulmones dispersos ingrediatur, caput asperæ arteriæ epiglottide seu operculo quodam Creator sapientissimus muniuit, vt sic quidem aëri ingressus pateat, à cibi verò potusque ponderè depressum esculentis & potulentis aditum denegat, vt Galenus, 4. *de vsu part. cap.* 8. docet. Quod tamen si fortuito fiat, vt interdum inter loquendum & ridendum, & infantibus inter lac sugendum accidere solet, periculum suffocationis inde imminet, à quo vt natura se se liberet, vehementissimam tussim excitare, nec prius desistere solet, quàm omne id quod molestum est, excusserit.

Tertiò inter caussas tussis est soluta vnitas vasorum in pulmone, siue illa sit vulnus, siue vlcus & erosio.

Quartò excitatur tussis, dum in pleuritide materiæ aliquid ad pulmones mittitur, vel ob membranarum consensum pulmones irritantur. Pertinent huc & diaphragmatis inflammatio & tubercula in spina enata; quod gibbis familiare est, teste Galeno, 6. *aph.* 46. Imò ipsa luxatio vertebrarum dorsi.

Ex quibus omnibus colligitur, tussim propemodum omnium thoracis & pulmonis morborum symptoma inseparabile esse, vt pleuritidis, peripneumoniæ, vomicæ pulmonis, sputi sanguinis, phthisis, & similium.

Caussæ vero extra pulmonem & thoracem consistentes, & quæ ita per συμπάθειαν tussim efficiunt, etiam variæ sunt.

Quintò nimirum tussis excitatur hepate, liene, ventriculo intumescente aut inflammato, vt & in hydrope, siue id fiat, quod pulmo comprimitur, siue quod obstruitur, aut molestatur à materia ad pulmonem redundante, siue quod partium vicinarum membranæ affectæ membranas organorum respirationis in consensum trahunt & vellicant, siue quod vapores aliqui ad organa respirationis transmittuntur, eaque siue obstruunt, siue mordicant, id quod etiam interdum in febribus accidere solet.

Externæ tandem caussæ etiam variæ sunt. *Externæ.*

Sextò enim præter aëris intemperiem, vt & potus ac medicamentorum qualitatem, quæ asperæ arteriæ intemperiem inducunt, tussim excitare valent caussæ aliæ quoque externæ, irritando & exasperando nimirum asperam arteriam, vt, fumus, puluis, &, vt Auenrhois, 3. *coll. cap. proprio* monet, præcipuè puluis ex lino, dũ pectinatur, & ex veteri tritico, dum cribro excutitur. Puluis item & vapor calcis, & metallorum ac mineralium. Quò pertinent austera, acida, adstringentia, pinguia & rancida præcipuè, vt nuces, & oleum rancidum. Vocis item intentio nimia. Referendi huc & lumbrici ac vermes in intestinis, & ventriculo geniti, qui ipsi etiam tussim excitant, vapores, vt nonnullis placet, putridos & malignos ad pulmones mittendo, vel, quod probabilius est, membranam œsophagi vellicando, quæ membranam asperam arteriam inuestientem in consensum trahit. Profundior etiam styli purgatorij in aures immissio tussim excitat, communicatâ scilicet hac irritatione tracheæ per neruulum quinti paris vtrique parti communem.

### *Differentiæ.*

Primò est tussis differentia secundum magnitudinẽ. *Different.* Nam datur tussis quædam planè exigua, aut potius ad tussiendum quidam impetus, & tussiendi initium, quod Græcis κέρχνος dicitur. Vt enim vomitum nausea præcedit, ita tussim κέρχνος, vt docet Galenus, 2. *de causs. sympt. c.* 4.

Deinde tussis alia est arida & sicca, quæ ἀπτύστους facit, nec pituitam citat. vt Celsus, *lib.* 4. *cap.* 4. habet: alia verò humida. Sicca seu arida est, in qua nihil expuitur, atque fit hoc, vel quia caussa, quæ tussim excitat non in organis respirationis hæret, vel, licet ibi hæreat, inepta est ad excretionem. Prius accidit; cum aspera arteria vel intemperie afficitur, vel exasperatur, vel membrana asperam arteriam & eius ramos inuestiens vellicatur à vaporibus ab inferioribus ascendentibus, siue comprimitur, aut à vicinis membris affectis in consensum trahitur, vel tenuis paucusque humor à capite destillat. Aut aliunde transsudat, vt *Galenus*, 4. *aphor.* 54. *docet*. Posterius verò accidit, vbi in respirationis instrumentis humor hæret, qui eiici non potest, vel quia ob lentorem & crassitiem bronchiis pulmonis nimis tenaciter adhæret, vel quia ob tenuitatem inter eiiciendum disploditur à spiritu, vt & in pulmonem relabatur, vt Galenus, 1. *epid. comm.* 1. *text.* 12. docet. Humida tussis est, quando humor aliquis tussiendo eiicitur, atque oritur ab aliqua mediocris consistentiæ materia pulmones & tracheam irritante, quæ cum spiritu tandem expellitur.

Tertiò tussis aliqua vehemens est, quæ supprimi nequit; alia mitis. Vehemens Hippocrati, θηριώδης nominatur, atque oritur ab humore magna vi destillante,

vel

vel vlcere organa respirationum obsidente, vel ab abscessu genito ibidem, vel ab empyemate.

Mitis fit ab intemperie organorum respirationis; vel ab asperitate faucium & tracheæ, vel à puluere, & aliis exasperantibus, vt & ab ambiente aëre, vt docet Galenus, *6.epid.comm.2.aph.24.*

Quartò tussis quædam frequenter molestat, & ferè continuò ægrum affligit; quædam per certa interualla corripit, prout caussa tussim excitans nunc semper præsens est, nunc per interualla colligitur & recurrit.

Verùm præcipuæ & ad curationem maximè cognitu necessariæ sunt differentiæ, quæ à caussis desumuntur. Ideóque secundum caussarum differentiam posteà etiam curationem in certa quædam capita distinguemus.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Tussis ipsa adeò euidens symptoma est, vt signis ad eius cognitionem opus non sit. Verùm cum caussæ, à quibus excitatur, variæ sint, omnino signis opus est, quibus illæ cognoscantur, ne Empeiricorum more cum ægri damno cuilibet tussi quoduis remedium applicetur. Signa ergo caussarum, vt supra eas recensuimus explicabimus.

Ab intemperie nuda primò si fit tussis, abest catarrhus, aliique morbi, qui materiam tussis caussam suppeditant, vel etiam in consensum pulmonem trahere possunt: contrà præcesserunt caussæ, quæ intemperiem aliquam pulmonis inducere potuerunt, quæ ipsæ etiam *hoc capite*, & suprà, *part. 1. huius libri*, de intemperie pulmonis enumeratæ sunt. Adest difficultas spirandi, tussis ipsa est sicca, nec ita vehemens & pertinax, facilè quoque supprimitur.

Qualis autem intemperies sit caussæ inprimis, quæ præcesserunt, vel ad sunt, indicabunt, iuuantia item & nocentia. Etenim si à frigiditate sola sit tussis, cohibito spiritu non solùm reprimitur sed & sanatur. Auctus enim tum in organis respirationis calor intemperiem illam corrigit, ægrotique aliis etiam calidis, vt potu & cibo, iuuantur; frigido offenduntur. Ideóque ægri calidum aërem amant, & linteolo manibus & ori admoto, spiritum trahunt, ne mox frigido aëris impulsu tussis irritetur; vt hac de re scribit Galenus, *6. epid.comm.2.t.24.* Sitis etiam abest in hac intemperie.

Contrà si tussis sit ab intemperie calida, sitis molesta est, quæ potiùs aëris frigidi inspiratione, quàm potu frigido sedatur, vt docet Galenus, *art. med.c.64.*

A catarrho tussis prouenien s, è signis catarrhi suprà, *lib. 1.* propositis, patet, tussisque est vehementior & perseuerans. Si verò absque catarrho à materia in pectore contenta tussis concitetur, aderunt morbi tales, vt pleuritis, peripneumonia, empyema, phthisis, grandines, calculi, vermes, hydrops pulmonis, & similes morbi, in quibus materia tussim excitans colligitur, qui suprà *part.1.huius libri*, explicati sunt.

Quæ tussis quibusdam interuallis, vt bis térve anno affligit, ex irruente destillatione proficiscitur: quæ verò continenter, aut minimâ intermissione fatigat, aut vitiosam pulmonum affectionem, aut obstructionem veterem, aut aliam stabilem intus caussam habet.

Si verò asperitas à caussis externis inducta sit, vt à fumo, pulueribus, cibis vel medicamentis exasperantibus, illæ per se patent, Si tandem morbi extra thoracem, pulmones in consensum trahendo quocunque modo, tussis caussa sint, vt hydrops, ventriculi, hepatis, lienis tumores & inflammationes, affectus illi ex suis signis patent.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Tussis frequens & diuturna plerumque ad sanguinis sputum perducit, teste Auicenna, propter vehementem thoracis motum, à quo ruptura vasorum pulmonis metuenda est, ac præsertim in adultis, quorum membra duriora concussionis violentiæ non ita cedunt. Quod si materia tussi non eiiciatur, intus putrescens vel febrem putridam aut hecticam gignit, vel vlcus excitat. In prægnantibus talis tussis abortum ciere solet.

2. Tussis vehemens interdum suffocat, non tam re aliqua obstruente, quàm iteratâ sine intermissione, valida efflatione, & quod aer inspiratus, priusquam ad cor perueniat, è pulmone mox iterum eliditur.

3. Tussis valida pectoris pulmonisque partes calefacit, ideoque febrem accendit & sitim auget. Quæ verò exiguæ tusses sunt, ac per longiora interualla excitantur, tantisper membra illa concutiunt, donec ad ea humiditas aliqua irruens deferatur, quo fit, vt ægri intus siticulosi reddantur. Galenus, *6.epid.Comm. 2.text.24.*

4. Tussis caput nihil iuuat. Galenus, *2.de sympt. caussis, cap.4.* ac si violenta fuerit, ipsum replet, *6.epid. f.3.text.18.* Neque enim, vt sternutatio, motum cerebri in expellendo iuuat, sed ipsi potius nocet.

5. Tussis ex intemperie organorum respirationis periculosa equidem non est: Negligi tamen non debet; sicut exemplo docet Galenus adolescentis, qui ex tussi à caussa frigida dimidiam heminam sanguinis reiecit, *5. meth.med.cap.13.*

6. Tussis ex catarrho periculosior est, quàm ab intemperie nuda, & si frequens ac diuturna sit, ad sanguinis sputum sæpe deducit, teste Auicenna, imò experientiâ, propter vehementiorem thoracis motum, à quo ruptura vasorum pulmonis metuenda est, præsertim in adultis, quorum membra duriora motui violento non cedunt; aut si materia tussi non reiiciatur, intus putrescens vel febrem, vel vlcus & hinc phthisin generat. Periculosa etiam est tussis, si materia è capite destillans tenuis & acris est. Nam siue retineatur in pulmone, intus putrescens pulmonem erodit & exulcerat, siue eiiciatur, tussis violenta metum affert, ne vas aliquod rumpatur. Galenus *6.epid. com. 3. text. 18.* Ideóque diligenter est laborandum, vt destillationes tales acres à pectore auertantur, ne hominem in tabem deducant.

7. Tusses etiam à catarrhis in senibus periculosæ sunt, quoniam in iis non maturantur, *2.aph.40.* & vt Galenus inde rectè colligit, eos vsque ad mortem comitantur.

8. Hydropi si tussis superueniat, malum, *6. aph. 35.* Serosa enim humiditas ita tum augetur, vt contineri tota in abdomine nequeat, sed pars quædam in thoracem, & asperas pulmonis arterias transponatur.

9. Tussis, quæ ex vicinarum partium consensu oritur, per se periculosa non est, sed sublatis illis morbis earumque caussis tollitur.

10. Tussis à fumo vel alia caussa asperæ arteriæ inæqualitatem & asperitatem inducente absque periculo est, & ferè caussa ablata cessat.

11. Tusses infantium diuturnæ & vehementes deterrime; quoniam respirationem & somnum impediunt. Sæpe etiam ex multâ agitatione febres acutas & epilepsiam excitant. Non rarò denique herniam.

12. Qui gibbi ex asthmate & tussi ante pubertatem fiunt, ij statim moriuntur. *6.aph.46.*

13. Tusses in febribus abscessus futuros sæpe prænũciant, non quod ipsa materia ex pectore ad articulos decumbat, sed potiùs, quod febres, quæ tales tusses habẽt comites, in abscessus terminantur; de quo vide Hippocratem, *2. epid. f. 2.* & Galenum, *in com.* vbi verba enarrat: *Quæ tussi parum & nihil notabile reiiciebat, ei manus dextra & crus sinistrum resoluta sunt.*

14. Tusses in febribus cum destillatione coniunctis quando exacerbantur, febriles accessiones instare indicant,

indicant, & aliquando malum ſignificant, vt Hippocrates docet, *in Coacis*, dum ſcribit: *Qui circa acceſſiones tuſſiunt: ac leuiter deſudant, malignè habent*; ij ſcilicet, qui vehementer tuſſiunt, ita, vt tuſſi vehementi vires deiiciantur, ſomnuſque turbetur, vt ex fatigatione magna circa collum & frontem ſudare incipiant.

15. Febres cum tuſſi ſi ſoluantur, tuſſis verò remaneat, recidiuæ periculum minatur.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Ad duo in omnis tuſſis curatione attendendum, primò ad cauſſam, quæ tuſſim excitat; ſecundò ad ipſam tuſſim. Cauſſæ tuſſim excitantes cùm variæ ſint, vt ex iis, quæ de cauſſis dicta ſunt, patet, quælibet etiam peculiarem indicationem ſuppeditat. Intemperies nimirum per contraria alteranda; ſi à catarrho ſit tuſſis, curatio catarrhi modo, *lib.* 1. deſcripto, inſtituenda. Si à materia citra catarrhum in pectore hærente, vt pure, grandine, vel vermibus fiat tuſſis, materia illa eiicienda. Si à cauſsâ externâ exaſperante tuſſis proueniat, cauſſa illa amouenda, & aſpera arteria læuiganda. Si à partium vicinarum morbis, & pulmonis ſeu compreſſione, ſeu irritatione fiat tuſſis, morbi illi conuenienti modo curandi.

Ipſam verò tuſſim quod attinet, etſi, vt alia ſymptomata, etiam commodiſſimè tollatur cauſsâ ſublata, & propterea ſi mitis ſit tuſſis, ipſa neglecta à cauſſæ ablatione curationis initium faciendum ſit: tamen ſæpe tuſſis tam vehemens eſt, vt omnem curationem Medicique conſilium ad ſe trahat, & poſtpoſitâ cauſsâ, ipſi ſtatim ſuccurrendum ſit: id quod ſæpe accidit, cum tuſſis tam vehemens eſt, vt ne vaſa rumpātur, metuendū ſit, aut ne à continuis vigiliis febris accendatur, aut timendum ſit, ne in grauida abortus aut in infante ruptura accidat. Tum igitur danda opera, vt tuſſis ſedetur.

### *Tuſsis, quatenus talis, Curatio.*

*Curatio tuſſis quatenus talis.* Cùm verò tuſſis illa vehemens ſit ab aſperitate aliqua in aſpera arteria, eiuſque ramis, & irritatione organorum reſpirationis, quæ naturam ad expulſionem ſtimulat; duobus omnino modis tuſſis mitigari poteſt, vel aſperitatem leniendo & læuigando, vel ſenſus acrimoniam obtundendo, & quaſi ſopiendo. Prius præſtant paregorica, aut lenientia dicta medicamenta, quæ lentore quodam viarum reſpirationis aſperitaté æqualem reddunt, qualia ſunt, lactis omne genus, amylum, ptiſana, oleum amygdalarum dulcium, tragacantha, gummi Arabic. mucilag. ſem. cydon. pſyllij, ſyrupus de iuiubis.

Senſus verò acrimoniam retundunt & tollunt papauer, & medicamenta ex papauere parata, vt ſyrup. de papau. & diacodion, vt & ex opio confecta, quæ ſomnum inducunt, & ſenſus acrimoniam obtundunt, qualia ſunt, theriaca recens, Philonium Roman. pilulæ de cynogloſſa, trochiſci de carabe, laudanum opiatum.

### *Curatio tuſsis ab Intemperie.*

*Curatio tuſſis ab intemperie.* Qua ratione intemperies tracheæ & pulmonis curanda ſit, ſuprà, *part.* 1. *huius libri cap.* 1. *&* 2. dictum quæ omnia etiam in hac tuſſis ſpecie curanda locum habent. In tuſſi nimirum ab intemperie frigida aër, in quo verſatur æger ſit calidus, ſpiritus retineatur, vt ab eo pulmones incaleſcant, cibus & pus ſint calidi, atque inprimis vtile eſt vinum generoſum ſubdulce. Exhibeatur ſuccus de glycyrrh. & de hyſſopo. Topica pectori applicentur, pectuſque inungatur oleo chamæm. liliór. albor, & ſimilibus. Eodem modo intemperies reliquæ curentur, vt, *loco allegato*, dictum.

### *Curatio tuſsis à Catarrho.*

Qua ratione catarrhus ſeu materia ad pectus ruens euacuanda, auertenda, deriuanda, intercipienda ſit, ſuprà, *lib.* 1. *de curatione catarrhi*, dictum. Fruſtra enim in tuſſi curandâ laboramus, niſi catarrhus, eius cauſſa, prius ſiſtatur & tollatur. Hic ergo nihil aliud reſtat, niſi vt dicamus, quid materia, quæ in pectus illapſa eſt, requirat. *A catarrho.*

Cum autem materia illa ſui euacuationem indicet, compertum quidem eſt, materiam è pectore etiam per vrinam & aluum euacuari poſſe: verùm id rariſſimè & in aliis potiùs pectoris affectibus, quàm tuſſi accidit. Ideoque nullus alius commodior modus eſt, quàm vt materia in pectus illapſa per tuſſim reiiciatur.

Medicamenta autem, quæ hoc præſtant, inæqualitatem & aſperitatem leniunt, & humectant, & humores ad expulſionem aptos reddunt, viaſque diſponunt, vt minore cum dolore reiiciantur; ſopitam item & imbecillem facultatem ad eiiciendum per tuſſim materiā ſtimulant, quæ medicamenta, ἀρτηριακὰ & βηχικὰ nominantur, quæ tamen pro diuerſitate materiæ habent aliquam varietatem.

### *Syrupus catarrhalis vel pectoralis D, Caſp. Kegleri.*

*Syrupus catarrhalis Caſp. Kegleri.*

℞. *Rad. polypod.* ℥. j. ß. *glycyrrh. raſæ, farfaræ*, an. ʒ. vj. *herb. ſaluiæ, hyſſop. betonic.* an. M. ij. *praſſij* M. j. ß. *ſem.* 4. *frig. maj. c. cort. conquaſſ.* ℥. ß. *bombac.* ʒ. iij. *paſſul. enuc.* ℥. j. ß. *ſebeſten.* ℥. ij. *iuiubar.* ℥. j. *caricar.* N. vij.

Bulliant l. a. in *aq. hord.* ad tertias.

Circa finem add. *fol. ſenæ Alex. ſ. ſt.* ℥. ij. *zingib.* ℈. ß. *agar. troch.* ʒ. iij. *turbith. gumm.* ʒ. ij.

Huius *colaturæ claræ* ℞. ℔. iij. poſtea add. *ſacch. candi* ℔. j. *croci* ℈. j.

Denuo coq. parum ad ſyr. conſiſtentiam,

Vltimò depuretur per reſident, & clarificetur.

### *Aqua catarrhalis.*

℞. *Herb. veronic. ſcabioſ.* an. M. j. *capilli* ♀, *hyſſopi, adian. th. nigr. fragar. meliſſ. marrub.* an. M. iij. *rad. ireos, angelic. eryng. glycyrrh.* an. ℥. j. *myrrhæ* ʒ. ij. *croci integr.* ℈. ij *piperis alb.* ʒ. j. *caricar.* N, viij. *ſcillæ præp.* ʒ. ij. ℈. ij. *paſſular. min.* Vnc. iiij, *ſem. lini*, *fœnigræci*, ana Drach. iij.

Infund. cum *ſpir. vini puriſſ.* ℔. vij. *aq. fragor. ſcabioſ.* an. ℔. j. *aceti vini* ℔. j.

Deſtillentur per M. B.

### *Curatio tuſsis à Materia calida, tenui & acri.*

*A materia calida tenui & acri.* Si ergo materia ſit calida, tenuis & acris, poſt vniuerſalia illa præſidia euacuantia, reuellentia, intercipientia, & catarrhum ſiſtentia, vtendum eſt medicamentis refrigerantibus, humorem incraſſantibus, acrimoniam eius obtundentibus, atque omnino eum concoquentibus, & ad mediocrem quandam craſſitiem redigentibus, & ad excluſionem præparantibus, arteriamque aſperam lenientibus. Cum enim, vt Galenus, 3. *de rat. vict. in acut. t.* 2. ait, aër tanquam manus ſit, quæ ſurſum humores è pulmonibus effert, ſputum, vt non nimis craſſum & viſcidum eſſe decet, quodque viſci inſtar organis reſpirationis adhæreſcat; ita nec nimis tenue eſſe oportet. Tenuis enim humor inter tuſſiendum ab aëre diſploditur, & non eiicitur, ſed in pulmones relabitur. Galenus, 1. *de cauſſ. ſympt. cap.* 4. 6. *epid. ſ.* 3. *t.* 18. 4. *de loc. affect. cap.* 8. 2. *de criſ. cap.* 10. Talia medicamenta ſunt *ſyrupus de iuiub. de violis, de papauere, diacodion Montani, mucilago ſem. pſyllij, cydon. ſuccus glycyrrhiz.* cum *amylo, coaſerua roſarum*

*rosarum* & *violar.* cum *bolo Armeno, emulsio seminis papaver. albi.*

### *Syrupi.*

℞. *Hord.*M.ß.*sem.* 4.*frigid. maior.* an.ʒ.j. *papau. albi* Drach.ii. *glycyrrh.*ʒ.i.ß.*iuiub.* N.x.

Coq.in s. q.*aquæ s.*

Colaturæ ℞. Vnc.x.

Add *syr.violar.de iuiubis, de papau.* an. Vnc.ij.

M. pro 4. Dosibus.

Vel ℞. *Iuiub. sebesten.* an. N.xv. *passul.* Vnc. ß. *glycyrrhiz.sem. althéæ,*an. ʒ. ii. *cydon.*Drach.i.*rad alth.* Drach. ii.

Coq. in *aq. hord.s.*

Colaturæ ℞.℔.j.*syr.viol.de iuiub.*an.Vnc.ij.

Misce.

### *Alius syrupus contra tussim.*

℞.*Rad.tussilagin.glycyrrh.rasæ,*an.ʒ.v.*helenij,althéæ, ireos Florent.*an.ʒ.iii.*fol.maluæ,cum radicib.capill.*♀.*tussilag.*an.M.j.*violar.veronic.scabios.*an. M.ß. *hordei mundi* M. j.

Ebulliant aliquoties,add. *hyssop.*M.j.*sem. malu.cydonior.*an.Drach. i.*fœnic.*Drach.j.ß. *ficuum ping. dactylor.* an. N.iii. *iuiubar. sebesten.* an.N.v.*vuar.passar.ab arillis mudat.*℥.j

Decoq.omnia cum *aq.s.*ad ℔.j.

Factâ colatura cum forti express.add.*syr.de glycyrrh. de iuiubis,*an.℥.i.*capill.*♀,℥.ß. *sacch.cand.albi* ℥.j.*penidij*, q. s.

Ebulliant ad consistent.Syrupi.

Alius:℞.*Rad.glycyrrh.*℥.ß.*tussilag.*ʒ.iii.*althéæ,helenij,*an.ʒ.jß.*herb.capill.*♀. *endiu.scabios.* an.M.j.*fol.tussilag.betonic.hyssopi,veronic.*an.M.ß.*hordei mund.* M.j. *ficuũ,dactylor.*an.N.iij.*iuiubar.sebesten.*an. N.v. *passular. sine arill.*℥.ß.*flor.viol.borragin.cichorij,malu.*an. P.j.*sem. cydonior.maluæ,cucumer.*an. Drach. j.

Coq in *aq.scabiosæ* & *tussilag.*an. q.s.

Colaturæ ℞.℔.j.&.℥.ij.

Add.*syrup.de iuiubis, de glycyrrh.*an.Vnc.ß.*capill.*♀ ℥.j.*sacchar.cand.penid.*an.Vnc.j.

Coq.ad formam.Syrupi.

### *Rotulæ & Trochisci sublinguales.*

chisci nguales. Sub lingua teneantur rotulæ diatragacanth. frigid. diapenid.trochisci bechici albi.

Vel ℞. *Boli Armenæ præpar.ver.* Vnc. j.ß. *amyli* ʒ.j. *gummi Arabic.tragacanth.*an. Drach.ß.*sacch. cand. penid.*an.ʒ.ij.Cum *mucilag.sem.psyllij aq.ros.extract.*

F.Trochisci sub lingua tenendi.

Vel ℞.*Confect.diacodij Mesue cum sacch.parat.spec. diatragac.frigid.sacch.penid.*an.ʒ.ii. *boli Armenæ* ʒ. ß. Cum *syrupo myrtino,* aut *mucilagine tragacanth.*

Fiant Trochisci sub lingua tenendi.

Vel ℞. *Spec. diatragac.frigid.*ʒ.ii. *boli Armen.*ʒ.ß. *sacchar.in aqua rosar.solut.*℥.iii.

Fiant Rotulæ.

Pastilli vel Trochisci contra tussim:

℞.*Pulu glycyrrhiz.el.*℥.ii.ß.*sem.*4.*frig.maj.*an.Scr.ii. *anisi, fœnic.*an.ʒ.ß.*spec.diapenid.diaireos,*an.Scr.j.*sacch. penid.*℥.i.

Cum infus.*tragacanth.*cum *aqu.hyssopi.*

Fiant Trochisci.

### *Eclegmata.*

Ec mata. ℞.*Conseru.viol.nymph.*an.℥.ß. *spec. diatragath. frig. diapenid.s.spec.*an.Drach.ß.*succi glycyrrh.* Drach.i.*tragacanth.*ʒ.ß. Cum *syrup.iuiub.*

Fiat Lohoh.

Vel ℞. *Conseru.ros.viol.*an.℥.i.ß.*spec.diatrag. frigid.* ʒ.i.ß.*boli Armenæ præpar.*ʒ.i.Cum *syrup.de papau.*

F. Lohoh.

Vel ℞.*Mucilag.sem.alth.*ʒ.vi.*sem.psylli* ʒ.ij.*amygdal. dulc.pinear.mundat.*an.℥.ß. *sacch. penid. amyli,*an.ʒ.ii. *spec.diatrag.frigid.*ʒ.i. *gummi Arab.succ.glycyrrhiz.*an. ʒ. ß.*sem.*4.*frigid. maior.* an.℈.ii.*papau.alb.lactuc.*an.℈. iiii.*cydon.*ʒ.ß.

Cum *syrupo violar.*

Fiat Lohoh.

Narcoticis non vtendum, nisi quando metus est,ne vel vas rumpatur in pectore ex vehementi illa & continuò affligente tussi,vel vigiliis continuis febris accersatur,viresque deiiciantur.Tum enim pilul.de cynogloss. theriac.rec.Phil.Rom.laudan.opiato vti licet.

Extra etiam inungatur thorax hoc vel simili Linimento.

℞.*Ol viol. amygdal. dulc.*an.℥.ii.*mucilag.sem. psyllij cum aqu.rosar.extract.*an.Vnc.ß.*ceræ.albæ* q. s.

Fiat Linimentum.

Vbi materia in pectore hærens satis inspissata est, ab huiusmodi remediis cessandum,ne nimio eorum vsu crassa reddatur,& ad excernendum ineptior,sed tum ad detergentia accedendum, vt syrup.de glycyrrh. capill. Veneris,& similia.

### *Curatio tussis ab Humore pituitoso.*

Si à materia frigidâ & lentâ sit tussis,post vniuersalia illa suprà,*lib.*1. *de catarrho.* proposita, vtendum est calidis attenuantibus, incidentibus & abstergentibus, vt *capill.* ♀. *hyssop.fœniculo,scabiosa,helenio,&* aliis pectoralibus calidis, & ex iis compositis, *syrup. de capill.* ♀. *de hyssopo, de glycyrrh, de prassio, oxymel. simpl. compos. scillitico,*cum *aquis hyssopi,capill.*♀.*prass. scabiosæ.*

Vt ℞. *Ficuum.* N. x.*glycyrrh.rasæ,passul.* an. Vnc.ß. *sem.anisi, fœnic.*an. ʒ. ii. *capill.*♀.*hyssop.*ana M.i. Coq. in aq.purâ.

Decoctum melle vel sacharo dulcoretur. Vtile etiam est lohoh sanum & expertum, & de pulmone vulpis.

Ad inueteratam tussim Aëtius commendat *mellis, butyri,*an.Vnc.iiii. *cumini puluerís.* ʒ.i. Melli despumato butyrum admisceatur, simúlque calefactis cuminum inspergatur, & ægro delingendum cochlear. præbeatur.

Vel ℞. *Cumini,piperis,sem.vrtic.*an.℥.i.

Trita subigantur cum mellis despumati sextario, & parumper feruefacito,reponantur ad vsum,& cochlear. delingendum offeratur.

Laudatur & hoc:

℞.*Pulegij,piper.hyssop.calam.*an.℥.ii.*petrosel.* ℥.i.

Mellis despumati sextarium. M.

### *Aqua pectoralis calida Dorncreilij.*

℞. *Rad.Enulæ* ℥.i.ß.*polypod.q. mundi pimpinell.* an. ℥. i.*althéæ, myrrhid.*an. ℥. ß. *aristolochiæ, rotund.* ʒ.iii. *pœoniæ masculi.decrescente Luna in signo piscium collectæ. ireos Illyric.*an.ʒ.ii.ß.*zingib.* ʒ.i *asparagi,apij*, an.ʒ.ii. *herb. capill. Vener. hyssopi, carduiben.veronicæ, pulmonariæ maculos.*an.M. iii. *sem. fœnigræc. seselios* an. ʒ. ii. *anisi* ʒ. iii.*quatuor frigid. maior. excortic.* an. Scr. iv. *carthami* Drach.iii.ß.*lini* ʒ. ii.*flor.cordial.* an. M. ß. *ficuum ping. recent.* N. vii.*passul. maior.enucleat.*℥.ii. *dactylor.ping. enucleat.*N.xii.*iuiubar.sebesten,*an. paria ix. *succi glycyrrh.*s.q.*aqu.scordij dissoluti* ℥.i. *Aqua pectoralis calida Dorncreilij.*

Puluerisanda puluerisentur subtilissimè,reliqua verò incidantur & contundantur minutim, & infundantur. *aq. scabios.marrub.*an. ℔. iiii. *fœniculi, betonic. tussilag.cardui Mariæ, Nicotianæ,*an. ℔.i.

Stent in infusione in loco calido per octiduum,vase

aliquoties

aliquoties singulis diebus agitato, deinde adde. *mellis passul. Corinthiac.* ℔.ß. *croci Orientalis* ʒ.ß.

Misce & destillentur igne lentissimo in B.M.

Pro vsu quotidiano in tussi idem Aëtius ficus siccas pingues in vino dulci meraco madefactas vnà cum vino exhibet. Alij ficus ad ignem parùm tostas sub noctem deuorare iubent.

Vtile est & hoc:

℞. *Succi tussilag.* ℔.ß. *mucil. sem. vel rad. alth. extract. cum aq. hord.* ℥.ij. Cum *facch. penid.*

Fiat Lohoh.

Vtilis est & radix tussilaginis melle condita.

Plura huius generis vide etiam *part. 1. huius libri c. 4. de angustia arteriarum asperarum pulm.* & apud Galenum, 7. *de compos. med. sec. loc. c. 3. & in lib. euporist.*

Vt efficacissimum in materia crassissima sequens Electuarium commendat Mercatus.

℞. *Succi tussilag.* ℥.iij. *rad. pulegij* ℥.j. *apij virid.* M.j.

Infundantur in ℔.j. *mellis opt. aceti* ℔.ß.

Coq. lento igne, & facta expressione adde *praedictum succum, & foenigraeci saepius antea loti decoctum pond.* ℥.x. *Mithridat.* aut *theriac.* ʒ j.ß.

Porrige summo mane & ante coenam cochl. ij. quibus admiscere potes. *syrup. de prass. de hyssop. lohoh de pino.*

## *Rotulae contra tussim pro pueris.*

℞. *Spec. diaireos, s. diatrag. frig.* an. ʒ.jß. *extr. glycyrrh.* ʒ.ß. *enulae* ℈.ß. *sach. cand. albi,* ʒ.iij. *albi in aq. scabios. dissolut.* ℥.vj.

Fiat conf. in Rotulis.

Extrà pectus inungatur hoc vel simili Vnguento.

℞. *Mucilag. sem. alth. foenigrae.* an. ʒ. ß. *butyri recent. axung. gall.* an. ʒ j. *bdellij, styracis,* an. ʒ.ß. *croci* ℈. ß. *ol. lilior. albor. amygd. dulc.* an. ʒ.ij. *cerae* q.s.

Fiat Linimentum.

Tandem reliquiae exsiccantibus & detergentibus absumendae, vt etiam supra dictum.

Detergentia tamen & exsiccantia non sint nimis calida nec acria, ne dissipata parte humoris tenuiore crassior remaneat. Ideoque Auicennas monet, vt vbi ob pituitae crassitiem nihil exspuitur, humectantia addantur.

Celsus ouum sorbile praebet cum pauco sulphure. Extat etiam descriptio antidoti diasulphuris apud Serapionem *de antidot. cap.* 8. quod ad tussim, sputum sanguinis & asthma commendat; & apud Mesuen, *de antidot. cap. 3.* Recentiores flores sulphuris, lac sulphuris & balsam. sulphuris exhibent, cui & benzoën & eius flores addunt.

Exempli gratia:

℞. *Flor. sulphur.* ʒ.ij. *spec. diaerag. fr.* ʒ.j.ß. *diaireos* ʒ.j. *croci* ℈.j. *ol. anisi* gut. x i i. *facch. in aq. tussilag. & scabiosae dissol.* ℥.vj.

F. l. a. Rotulae.

Vel ℞. *Rad. ireos Florent. helenij, tussilag.* an. ʒ. ß. *benzoe* ℈. ß. *flor. sulphur.* Drach. j. *croci* gr. vij. *cort. aurantior.* ℈. ß. *facch. albiss. in aq. tussilag. solut.* ℥. iij. & Drach. ij.

Fiat conf. in Rotulis, instillando *spir. terebinth.* gut. v.

Puluis pectoralis, seu pulmonicus.

℞. *Glycyrrh. rasae* ʒ.iij. *sem. anisi, foenic.* an. ʒ.ß. *spec. diatrag. fr.* ʒ.j. *diaireos* ʒ.ß. *flor. sulphur.* ℈.ij. *pulm. vulpis prep.* ℈.iiß. *facch. candi albi* ℥.jß.

Fiat Puluis.

Ad tussim & pectus roborandum commendatur pulmones animalium, praecipuè vulpis; vnde & lohoh paratur, quod in officinis praestat. Item ex pulmone vulpis, addita saluiâ, hyssop. capill. ♀ & similib. thoracicis aqua destillatur, atque saccharo dulcorata propinatur. Laudatur & pulmo ceruinus, si cum gula sua exsiccatus in furno & puluerisatus cum melle exhibeatur.

## *Curatio tussis à reliquis caussis.*

Si verò absque catarrho à materia in pectore contenta tussis excitetur, id quod in pleuritide, peripneumonia, phthisi calculis pulmonis fieri solet, curatio è suis locis, atque ex iis, quae suprà de his affectibus dicta sunt, petenda. Ita & reliquae tussis differentiae, quae ab asperitate & inaequalitate arteriae, vel consensu diaphragmatis, aut irritatione pulmonis in morbis vicinorum viscerum excitantur, qua ratione curandi sint, ex iis, quae suprà de iis dicta sunt, & suo loco dicentur, patet. *A reliquis caussis.*

## *Diaeta.*

Si tussis sit, ab intemperie frigida, aeger degat in aëre calido, seu naturâ tali, seu arte parato. Vtendum cibis calidis & pectoralibus calidis ac aromatibus conditis. Potus sit vinum generosum dulce vel mulsum. Inter bellaria vtiles sunt pineae & pistacia. Si ab intemperie sicca sit tussis, humectante diaeta vtendum, butyro, oleo amygd. dulc. cum saccharo, malua, borrag. Galenus, 7. de loc. affect. cap. 3. commendat aquae dulcis tepidae balneum, scribitque, se tragoedos, guttur & asperam arteriam cantu & vocis intentione resiccatam habentes, hoc modo humectasse & curasse. In catarrho cibi sint dulces, lenientes, & pectus dilatantes; vitentur omnia amara, acria, salsa, acida, acerba. In caussa calida conuenit ptisana hordeacea, malua, emulsio amygdal. dulc. & sem. 4. frigid. maior. Lac caprinum & vaccinum, si febris absit. Potus sit aqua saccharata. In frigida caussa vtatur aeger calidis vel temperatis. Panis sit bene fermentatus, & semine foeniculi ac anisi conditus Potus sit hydromel. Aeger temperanter viuat, vitet somnum mox à cibo, & diurnum. *Diaeta.*

## QVAESTIO I.

## *An tussis sit solum ab angustia tracheae arteriae, & eius ramorum?*

Plures esse tussis caussas, ex superioribus patet. Veruntamen in eo omnes conueniunt, quod aliquam pulmonibus molestiam creant. *An tussis solum ab angustia tracheae arteriae & eius ramorum.*

Verùm quomodo, non omnes idem sentiunt. Nonnulli quidem omnes illas caussas tussim excitare statuunt, quod angustiam aliquam in asperis arteriis pulmonum creent. Verùm si caussas, quas supra proposuimus, consideremus, manifestum euadet; non solùm angustiam pulmonum, sed etiam dolorem aliquem & molestiae sensum in organis respirationis tussim parere, quo modo partes membranosae vicinae affectae, ob consensum, quem habent cum membrana asperam arteriam intus inuestiente, tussim excitare solent. Cum enim membrana haec sit exquisitissimo sensu praedita, si vicina aliqua membrana distendatur, vellicetur vel quocunque modo molestè afficiatur, membrana haec in consensum tracta & ipsa obiectum ingratum & dolorificum percipiens, illud excutere nititur, tussimque excitat. Atque id manifestè in tussi ab intemperie nuda patet, vbi nulla angustia adest, sed sensus saltem molestus in aspera arteria. Idem etiam ex eo manifestum fit, quod, vt suprà dictum, stylus purgatorius auri profundius immissus tussim siccam excitat, non angustiam pariendo, sed saltem ob membranam communem asperam arteriam irritando. Idem etiam clarum euadit ex similitudine, quam habet tussis cum sternutatione & singultu, quae symptomata excitantur solummodò vellicando & molestiam pariendo partibus. Idque Galenus etiam multis in locis docet, vt, 2. *de sympt. caussis, cap.* 4. *de differ. morbor. c.* 7. Et praecipuè 3. *de simpl.*

*simpl.med.facult.cap.16.* vbi tussim excitare posse docet omne, quod asperæ arteriæ molestum est.

## QVÆSTIO II.

### *An aliquid in pulmonem ex ore delabatur?*

*aliquid in pulmonem ex ore delabatur?* Solet & hoc loco hæc controuersia moueri, an aliquid ex ore in asperam arteriam illabatur? Nam negare id videtur Hippocrates, 4. *de morb.* & Galenus, 4. *de vsu partium cap.* 8. vbi docet, ne aliqua substantia præter aërem in tracheam ingrediatur, laryngis caput & rimulam epiglottide seu operculo quodam tegi, vt sit obturatum, sed non omnino aëri saltem viam concedens, ab ingredientis cibi potúsque pondere depressum ligula ipsa magis conclusum esculentæ potulentæque substantiæ aditum non præbeat. Hinc etiam si mica panis vel potus portiuncula inter mandendum vel loquendum bibendumve ad arteriam asperam deferatur, tussis continua excitatur, donec excutitur.

Contrà verò in pulmones aliquid influere, ipsa experientia docere videtur. Testatur enim Hippocrates, *in libell. de corde*, si quis sui vel alteri pecudi aquam cœruleo colore tinctam sitienti bibendam dederit, deinde statim laryngem eius secuerit, colore eo infectum guttur inuenturum esse. Quod idem Galenus, 8. *de plac. in fine*, docet. Et videtur antiqua hæc fuisse sententia; vnde illud Alcæi: τέγγε πνεύμονας οἴνῳ τὸ γὰρ ἄστρον ἐπιτέλλεται. *Riga pulmones vino: nam canicula astrum exoritur.* Deinde nisi aliquid in pulmonem descenderet, frustra eclegmata, syrupi, trochisci & rotulæ sublinguales à Medicis in thoracis affectibus præscriberentur. Tandem videmus sæpe multa excrementa in pulmonibus subsistere, quæ tamen vt & interdum magna sanguinis copia, sine suffocationis periculo per asperam arteriam reiiciuntur.

Verùm sciendum, etsi rimula laryngis epiglottide claudatur, quia tamen non exactè clauditur aut nonnihil laxatur; vbi ea, quæ vtilia sunt, admitti debent, impossibile non esse portionem aliquam potus & medicamentorum in eam fluere, quod si sensim & lentè fiat etiam tussim non excitat. Neque enim respirationis viæ tum angustiores redduntur, vt docet Galenus, 8. *de plac. Hippocr. & Plat. in fine*, & 2. *de simpl.med.fac.c.*17. Si quid verò in ipsam cauitatem, & quidem confertim irruit, tussis, & si magnum sit, etiam suffocationis periculum tum maximè suboritur, cum laryngis rimula occluditur. Vbi verò res asperæ arteriæ cauitatem illapsa est, non ita suffocationis periculum timendum; cum canalis ille satis amplus sit; tussis tamen inde excitatur. Et, vt modò dictum, si calculi, si pituita crassa, si pus, si sanguis, & quidem sæpe magnâ copia, è pulmone per asperam arteriam reiici potest sine suffocatione: etiam sine eiusdem periculo aliquid in illam labi potest. Notabilis huius rei historia est cuius etiam suprà *cap.* 3. *huius partis*, facta mentio. Anno 1620. vir quidam doctus, cum cerasa arbore decerpta in horto comederet, atque subitò in strangulationis & suffocationis periculum cum maxima tussi coniiceretur, nucleum cerasi in guttur illapsum, & tussis & strangulationis causam esse existimans, chirurgum, qui illum eximeret, accersiuit: verum cum chirurgus nullum nucleum deprehenderet, & suffocationis periculum cessaret, tussis verò nihilominus perseuraret, in eam opinionem venit, nucleum nullum in guttur illapsum fuisse, sed hoc symptoma ex catarrho subito & vehementi prouenisse. Deambulauerat verò in horto tempestate pluuiosa, & aliàs catarrhis valde obnoxius erat. Durauit ista tussis per tres septimanas, & per interualla quædam ægrum valdè afflixit, quo tempore etiam dolorem quendam grauatiuum in dextra thoracis parte deprehendebat. Tandem cum noctu vehementer integram horam tussiuisset, nucleum illum pituitæ crassæ adhærescentem tussi reiecit, atque ita tussi illa liberatus est.

### *Conuulsio diaphragmatis.*

Ad motus deprauatos organorum respirationis pertinet & conuulsio diaphragmatis, quæ plorantibus infantibus accidere solet, cum scilicet ex nimio animi affectu spiritus in lacrymando eò effunduntur, & cum spiritibus aliquid materiæ, quæ neruos ad diaphragma tendentes irritat. Verùm cum caussa illa euidenti sublatâ sponte hoc symptoma cessare soleat, de eo nihil amplius hic addimus. *Conuulsio diaphragmatis.*

---

## CAPVT VI.

### *De Dolore Pectoris.*

De pleuritide equidem, quæ membranæ costas succingentis inflammatio est, dolorémque insignem coniunctum habet, diximus suprà. Verum cum alij adhuc dolores pectoris dentur, de iis in genere hoc loco agendum, qui tamen in genere sæpe pleuritidis nomine veniunt. Cum enim membrana costas succingens densissima sit, & exquisito sensu prædita, non solùm ipsa primario afficitur, verùm etiam cùm vicinorum musculorum membranæ vellicantur & afficiuntur, ipsa facilè in consensum trahitur, & indè dolor excitatur; imò membranis etiam musculorum externorum affectis dolor oritur, vnde pleuritidis vocabulum hoc modo & in genere pro omni dolore lateris accipitur, & pleuritis alia vera, alia notha est. Pleuritis vera ex inflammatione membranæ costas succingentis oritur, de qua suprà diximus: Notha verò varias caussas habet. *Dolor pectoris.* *Pleuritis duplex.*

Primo excitatur cum sanguis per ramos venæ axillaris in externa thoracis spatia, & in externos musculos thoracis illabitur; quæ tamen inflammatio ob continuitem propaginum venarum externarum & internarum sæpe in veram pleuritidem permutatur. *Pleuritis notha.*

Secundò, dum materia à capite per ceruicem & homoplatas in musculos externos laterum decumbit.

Tertiò, cum spiritus flatulentus membranas costarum & musculorum thoracis distendit. Atque accidit hoc faciliùs, si vociferatione & labore, tussi, vel aliis motibus musculi pectoris distendantur, ac flatus eò commoueantur, & si pectus refrigeretur. Vnde sæpe contingit, vt si pectus post validos motus denudetur, & frigori exponatur, subitò tales dolores excitentur, qui quiete & calore mitigantur.

Quartò, quando membranæ pectoris in morbis hepatis & lienis mediante diaphragmate deorsum cum dolore trahuntur. Aetius, *tetrab.*2.*f.*4.*c. vlt.* affectionis cuiusdam meminit, quæ pleuritis non sit, specie tamen pleuritis fallat, quæ ex victu crudo & crasso oriatur, cum cumulatus in corpore humor crudus & lentus subitò in vacuum thoracis spatium, aut in pulmonem ruat, membranísque adhærens dolorem distendendo inferat cum magna spirandi difficultate. Verùm credibilius est, in musculorum membranas humores tales, & præcipuè serosos & acres effundi, quàm in ipsam cauitatem thoracis. Sæpe enim accidere solet, vt serosi, interdum etiam maligni humores ex venis in externos lateris musculos effundantur, & grauissimos sæpe dolores, non tamen diuturnos efficiant, & quidem sine inflammatione. Ita memini infantes aliquot grauissimos dolores in pectore perpessos esse, antequam morbilli erumperent, qui morbillis erumpentibus postea cessarunt. Aliquoties etiam obseruaui, ex scabie intempestiuè curata pectoris dolores & nothas pleuritides ex salsis & serosis humoribus sine inflammatione excitatos

excitatos fuisse,sed qui non fuerunt diurni. Idem accidit sæpe in febribus malignis, vt & in scorbuto. Nec solùm humores,sed & vapores hos dolores excitant,vti à vermibus putrescentibus eleuati.

Verùm,quod diligenter notandum, dolores pectoris inprimis in scorbuticis & hypochondriacis familiares sunt, qui non solùm ex humoribus & flatibus per venas, sed & per arterias transmissi ortum habent,& maxima sæpe fluxionum pars in corpore nostro per arterias perficitur. Cùm enim lien quinto plures arterias, quàm venas habeat, si in eo, & circa eum, vitiosi humores cumulentur, fieri non potest, quin in arterias maximam partem deriuentur. Cùm verò arteria à natura potens sit, à vitiosa materia lacessita, ad expellendum facilè surgit, & vt eam ad pectus detrudat, facilis via est per arterias intercostales. Hæ enim à trunco arteriæ magnæ descendente oriuntur,& per costarum spatia excurrunt,& cùm in membranosa & neruosa loca desinant, imò propagines quasdam per foramina neruorum ad spinalem medullam & ad musculos dorsi vertebris incumbentes restantium transmittant,facilè dolores grauissimos in pectore,flatus & vapores per arterias eò transmissos excitare per se manifestum est.

## *Signa Diagnostica.*

Signa. Dolor ipse pectoris per se notus est, & ex ægrorum querelis patefit. Cum verò dolores pectoris a variis caussis ortum habere possint, signis eæ discernendæ sunt. Quæ pleuritidis veræ signa sint,supra, *de pleuritide*, dictum. Reliqui verò dolores pectoris,& nothæ pleuritides à verâ non difficulter discernuntur.

Nam in vera pleuritide signa omnia pathognomonica, quæ suprà recensuimus, adesse necesse est, quorum si vnum absit, ea pleuritis notha est, non vera. Deinde in notha pleuritide signa omnia, quæ adsunt, sunt ferè mitiora. In notha enim pleuritide febris vel nulla adest, vel mitior adest. Respiratio equidem, si dolor sit vehementior, parua est & frequens; cum per validam respirationem dolor irritetur: non tamen tam parua & frequens est, vt in vera pleuritide. Tussis nulla adest; nisi forsan aliquid à capite destillet: & nihil cruenti, præsertim tussi, excernitur. Pulsus neque tensionem habet, neque duritiem; dolor neque ad iugulum, neque ad hypochondria sese extendit. Locus manu pressus dolet, inflammatis intercostalibus musculis externis, vel musculis costis incumbentibus. Nonnunquam & tumor apparet, qui suppuratus per cutem erumpit,teste Galeno, 5. *de loc. aff. c.* 3. Si à flatu dolor est,vagus est,neque perpetuus, sed per interualla recurrens.

Si à catarrho dolor est, in ceruice & scapulis primùm percipitur,postea in latus descendit,vbi tactu exacerbatur, & versus inferiora descendit,nec in vno loco subsistit. Dolores ab humore seroso plerumque paulò acutiores sunt,sed febris ferè abest, suntque vagi,& scabies, vel similes morbi præcesserunt vel adsunt. Si è maligna materia est dolor,febris malignæ signa adsunt,si à scorbuto,& eius signa aderunt.

## *Prognosticum.*

Prognosticum. Quid in vera pleuritide præsagiendum sit, suprà, de pleuritide, dictum est. Reliqui dolores pectoris minus periculosi sunt,& faciliùs curantur.

## *Curatio.*

Curatio. Et quidem vt aliarum partium dolores commodissimè curantur caussâ sublata: ita & pectoris dolores. Verùm quia nullum symptoma est,quod plus ægrum afficit,quàm dolor,in omni etiam pectoris dolore,si is vehemens sit,danda opera, vt dolor mitigetur, quod præstant Anodyna. Hinc Hipocrates, 2. *de rat. vict. in acut.* in pleuritide fomentis statim in initio vtitur, aquâ nimirum tepidâ, aut sale & milio torrefactis & sacculo conclusis. Hodie plura alia adhuc in vsu sunt, vt:

℞. *Fol. maluæ, parietar. branc. vrs.* an. M.i. *sem. lini. fæni-gr.* ana ℥.ii. *fl. chamæm. sambuc.* an. P.i.

Coquantur in aqua.

Colatura calida vel spongiâ, vel linteolo triplicato lateri dolenti applicetur.

Vulgatum est hodie decoctum florum chamæmeli cum lacte in vesica pectori applicatum.

Vel ℞. *Parietariam*, coq. in *oleo chamæmelino*, & loco dolenti applicetur, quod efficacissimum est remedium. Vtilis est & sacculus furfure plenus, si in decocto florum chamæmeli prius ebullierit.

Et omnino dolorem sedare vtile. Nam dolore sedato non tantus fit humorum affluxus; cum dolor fluxioni occasionem præbeat, vt Galenus, 13. *meth. med. c.* 3. docet. Ideóque vbi vel pleuritis est parua, aut etiam si sit paulò maior, si corpus sit purum, & externa potius caussa morbo originem dederit, vel si signum aliquod deficiat, Medicúmque dubium reddat, an sit vera pleuritis, an verò febris aliqua, cui dolor pectoris ex humore seroso & acri, vel flatu coniungatur, fomentis statim vti licet.

Quibus de caussis Hippocrates procul dubio, *loco allegato*, fomentis vti præcepit,& reipsa tentauit, 3. *epid. s.* 2. in historia Anxionis, quod & Galenus, *ibidem*, confirmat. Nam vt solùm exploraret fomētis, an dolor fuerit à flatu, non est credibile. Nam dolorem pectoris à flatu prouenire, ex febris absentia, pulsu & excreatione nulla agnoscere non difficile est. Si verò certum sit, pleuritidem esse veram, ægríque corpus sanguine abundare, aut vitiosis humoribus refertum esse, ante venæ sectionem & purgationem fomenta tutò non adhibentur. Nam, vt Galenus, 6. *aphor.* 31. docet, fomenta quidem dolorem leniunt nonnihil, aliam tamen fluxionem excitant.

Quod verò caussas doloris pectoris attinet, dolor, qui à vera pleuritide venit, qua ratione curandus sit etiam supra dictum.

Si verò pleuritis sit notha ab inflammatione in musculis intercostalibus externis, aut iis etiam, qui costis incumbunt, vena primò etiam secatur, si cætera consentiunt. Postea fotus fiat ex violaria, parietaria, malua, flor. chamæmel. melilot. summit. anethi, rosis rubris. Vel vsurpetur tale Vnguentum:

℞. *Pingu. gallin. butyri recent* ana Vnc. i. *pulu. chamæmell.* Drach. i. *ol. rosar. amygdal. dulc.* Vnc. sem. *ceræ* q.s.M.

Vel ℞. *Ol. amygdal. dulc. violar. lilior. albor.* an. ℥.ii. *butyri rec.* ℥.i. *pingued. gallinæ* Dra. vi. *ceræ nouæ* q.s.

F. Vnguentum.

Interdum inflammatio in cutem erumpit, teste Galeno, 5. *de loc. aff. c.* 7. *in fine*, vbi danda opera, vt tumor suppuretur; & suppuratio adiuuanda emplastro diachylo s. & aliis conuenientibus medicamentis, & nisi tumor spontè rumpatur, aperiendus est.

Qui ex destillatione à capite per ceruicem in pectus dolor ortum habet, is catarrho sublato tollitur.

A flatu frigido & crasso si sit dolor, venæ sectio omittatur, ne materia crudior, dolórque maior reddatur, si signa simul plethoræ adsint. Fomentis verò ille discutiatur è floribus chamæmeli, fol. rutæ, semin cumini.

℞. *Flor. chamæm. sambuc.* ana p.i. *summ. anethi* vna cum *semine* an. Vnc. sem. *sem. fœniculi, cumin. rutæ* an. Drach. j.

F. Sacculus intersutus, qui vino irroretur,

Efficaciora sunt calamintha, pulegium, thymus, rosmarinus, folia lauri, saniculæ, alchymillæ, bacc. iuniperi, sem. nigellæ.

Extenuatis ita flatibus, tempestiuum erit, quatuor aut sex

sex digitis sub loco dolente cucurbitulam magnam sine scarificatione ac cum multa flamma bis aut ter affigere, vt extractus spiritus flatulentus dissipetur.

Interim vniuersalia præsidia non omittenda. In dolore ab humore seroso & præcipuè maligno ea, quæ supra à proprietate pleuritidi prodesse diximus, hîc locum habent, vt *sem. card. Mariæ, card. bened. oculi cancri, aqua cardui Mariæ, card. bened. aqua & syrupus papaueris erratici*.

## CAPVT VII.

### *De Sputo Sanguinis.*

*Sputum sanguinis.* ATque hæc sunt symptomata actionum læsarum, quæ organis respirationis accidunt. Symptomata in excretis quod attinet, inter ea primum est Sputum Sanguinis. Et verò in genere sputum sanguinis, Græcis αἱμόπτυσις, omnem sanguinis per os reiectionem significat, atque ita eam etiam, quâ sanguis à capite, gingiuis, palato, & faucibus, œsophago, ventriculo, liene & locis vicinis per os reiiciatur: tamen propriè αἱμόπτυσις seu sanguinis sputum, de quo hîc agimus, est sanguinis cum tussi, ex partibus respirationi dicatis, reiectio. Et quanquam etiam, quæ in pleuritide & peripneumonia fit sanguinis reiectio hoc nomine appellari possit: tamen in specie ea solùm sanguinis cum tussi reiectio, quæ citra harum partium inflammationem accidit, sanguinis sputum seu αἱμόπτυσις appellari solet. Est nimirum sputum cruentum symptoma è genere excretorum, quæ toto genere sunt præter naturam, è pulmone & vasis eius. Quanquam enim naturaliter in fœminis, tum viris sanguis per hæmorrhoidas euacuari soleat: tamen naturaliter è pulmone euacuari non solet.

### *Caussæ.*

*Caussæ.* Cum sanguis præter naturam reiici non possit, nisi vas aliquod præter naturam patefiat, hîc etiam nisi vas aliquod in pectore aperiatur, sanguinis sputum excitari non potest. Morbi autem, ob quos vasa aperiuntur, sunt ἀναστόμωσις & διαίρεσις, & quidem ῥῆξις s. ruptio præcipuè, ad quam etiam referri potest contusio, vt & vulneratio seu incisio venarum. Διάβρωσιν enim, erosionem, seu exesionem ab humoribus acribus quod attinet, à Platero, *tomo* 3. *pract. lib.* 2. *cap.* 8. hæc non recipitur. Nam cum exesis pulmonum vasis & pulmonum substantia simul erodatur, sensimque hoc fiat, moxque vlcus inde sordidum potius, quàm sanguine madens prodeat, phthisis potius, quam hæmoptoica passio exoritur: cui tamen, vti in aliis vlceribus, sanguinem interdum, cum impelluntur, exsudantibus, cruenta exspuitio aliquando iungi potest. Διαπήδησις verò vix sputum sanguinis inducit. Hi autem morbi à quibus caussis oriantur, supra, *hoc libro part.* 2. *cap.* 6. *de apertione vasorum pulmonis*, dictum, vt ea hîc repetere opus non sit.

Hoc saltem hic addimus, non semper pulmonibus primariò affectis, sed sæpe secundariò quasi, sputum sanguinis excitari, sicut idem sanguis & per vomitum hoc modo reiicitur, transmissus scilicet ab hepate, & vena caua, à liene, ab hæmorrhoidibus, vtero, per nares effluere consuetus, vt ex Galeno, *de venæ sect. aduers. Erasistratum cap.* 5. & 6. Aretæo, *lib.* 2. *de causs. & sign. acut. morb. cap.* 2. Celso, *lib.* 4. *cap.* 4. Auicenna, *lib.* 3. *fen.* 10. *tr.* 3. *cap.* 5. Aetio, *tetrabibl.* 2. *serm.* 4. *cap.* 59. videre est, & ipsa experientia testatur. Et quidem obseruatum est, interdum per interualla quædam sanguinem è pectore quasi citrice sine omni incommodo reiici, & à retentorum menstruorum malis, atque aliis, quæ ex sanguinis copia proueniunt, incommodis liberare. Ita refert Plinius, *lib.* 11. *cap.* 38. Volusium Saturninum omnibus annis stato tempore sanguinem exspuisse, & nihilominus ad annum 90. vixisse. Et noui virum nobilem plethoricum in vicino Anhaldinatu, qui per interualla sæpe è pulmone sanguinem copiosum sine omni incommodo reiiciebat, in senectute verò per eandem viam quotidie magnam pituitæ copiam sine omni damno reiiciebat, qui nihilominus ad summam senectutem peruenit.

### *Differentiæ.*

*Differentiæ.* Differentiæ sputi sanguinis sumuntur:

1. Ab excreto. Potest is sanguis esse sincerus, vel cum aliis humoribus mixtus; isque putridus, vel non, alióque colore, sapore, consistentia præditus, copiosior vel paucior.

2. A parte, vnde prodit, à vena scilicet vel arteria, eáque vel pulmonis vel pectoris, vt vulgò docetur. Quod tamen à venarum in conuexo pectoris reseratio-nibus aut læsionibus sputum sanguinis oriri possit, Cl. Platerus, *loco allegato*, non concedit, sed sanguinem illic subsistentem corrumpi, & vel phthisin, vel empyema tandem inducere scribit. Qua de re quid sentiendum sit, suprà, *de inflammatione pleuræ*, dictum.

3. à Caussa efficiente, quæ est vasorum vel anastomosis, vel diæresis.

### *Signa diagnostica.*

*Signa.* Signa sputi sanguinis etiam suprà, *part.* 2. *cap.* 6. sunt proposita. Hoc loco ergo saltem explicanda restant, quibus sanguinis ex aliis partibus effusi per os reiectio ab è thorace aut pulmone exeuntis sputo distinguitur, ne in prognostico vel curatione fallatur Medicus. Principio ergo modus reiectionis attendendus, an scilicet cum tussi, vel sine tussi reiiciatur; præterea eius copia consideranda. Etsi enim sanguis, qui à thorace prodit, omnis tussi reiicitur: tamen non omnis, qui cum tussi reiicitur, è pectore prodit. Nam si sanguis confertim è capite & naribus in fauces & gutturis partes dilabatur, etiam tussim excitat. Ideóque si sanguis paucus cum tussi reiiciatur, signum quidem est, à thorace prouenire. Si verò multus cum tussi reiiciatur, cum tum æquè à capite & thorace prouenire possit, signis id discernendum est, quæ sanguinem è capite fluentem indicant; quæ sunt, si sanguis simul è naribus fluat; vel nuper fluxerit, si ægro hæmorrhagia narium consueta sit, eáque iam suppressa, si ex ore & naribus simul sanguis reiiciatur, (dum modò & alia signa adsint. Nam aliquando & sanguis è pulmonibus erumpens adscendit in fauces & per os ac nares reiicitur) si rubor, calor & dolor capitis adsit, si tussis in principio sit vehementior, dum scilicet sanguis per asperæ arteriæ caput transit, quàm dum aliquid confluxit. Si sanguis sit nigrior, crassior & copiosior, ac qui primò excernitur, spumâ omni careat, reliquus verò parum spumosus sit, qui scilicet arteriam ingressus nigrescit, & egressus agitatur; si adsit palati titillatio; si sanguinis sputum percipitur ante tussim, si crebra adest spuitio, & omnino thoracis affecti signa adsunt.

Si verò hæc signa absint, aut post casum, percussionem, clamorem magnum, tussim vehementem, similésque caussas, sputum sanguinis sequatur, è pectore prouenire indicio est. Si verò sine tussi sanguis vomitu vel screatu solo reiiciatur, certum est eum à thorace non prouenire, à quocunque etiam loco prodeat; quod definire huius loci non est. Videatur Galenus, 4. *de loc. affect. cap.* 5.

Porrò si à partibus respirationi dicatis reiiciatur tussi sanguis, duo amplius inquirenda sunt; 1. à quâ parte determinata sanguis proueniat; cum partes respirationi dicatæ sint plures. 2. à qua caussa.

Ergo si leuissima tussi & screatu potius quàm tussi, sanguis reiiciatur, isque paucus, & parùm spumosus, & cum obscuro aliquo doloris sensu,ab aspera arteria prodire indicio est.Si verò maiori cũ tussi,maiore quantitate & cum maiore spumæ copia sanguis reiiciatur,à pulmone prouenire argumento est; cum aliter in asperam arteriam è substantia pulmonis peruenire non possit. De quo Hippocrates, 5. *aphor.*13. *Quicunque spumosum sanguinem exspuunt, iis è pulmone eductio.* Quanquam verò ex aliis partibus sanguis profluens ex viscidæ & aereæ substantiæ permistione spumosus fieri possit: tamen ex toto spumosum esse, solius sanguinis, qui ex pulmone prouenit,proprium est.Et quidem cum plurimum spumat,è pulmonis bronchiis erumpit:cum verò totus ferè spuma est, secundum partes internas & externas,non tantùm in superficie spumas habens, è pulmonis substantia prouenit. Qui verò è pectore sanguis reiicitur, liuidus est ac nigricans ac multum alteratus; cum à loco longinquo proueniat, & extra vasa diutiùs immoratus sit. Dolor etiam in aliqua parte thoracis percipitur. Contrà sanguis, qui è pulmone exit, est tenuis, floridus, spumosus, vt dictum, & citò reiicitur, ac sine dolore. Qui è membranis exit, paucus est,sputo permixtus, & cum tussi molesta est,ac dolore pectoris.

Caussarum verò signa quod attinet,dictum est de iis suprà,*p.*2.*c.*6.Videatur etiam Galenus,4.*de loc. affect.c.* 5.Aretæus,*lib.*2.*de causs.& sign.acut.morb.c.*2.

Hoc saltem addendum, diligenter inquirendum esse, num priuato pulmonis vitio sanguis reiiciatur, an verò aliunde, ab hepate scilicet, liene, vel quod consueta aliqua sanguinis per vterum, hæmorrhoides, hæmorrhagiam narium, euacuatio suppressa sit, & is ad pulmones transmittatur. Neque enim ea, quæ hactenus proposita sunt, & ab Autoribus proponi solent, id satis determinant. Nullum autem hic habetur signum pathognomonicum, sed στοχαστικῷ artificioso opus est, exercitatumque id Medicum requirit, qui ex antea obseruatis id colligere possit, & præcipuè per negationem & remotionem aliorum. Si enim signa & indicia, quæ pectus primariò affici indicant, abfuerint vel omnia, vel multa, atque alterius partis in corpore affectæ,quas modò enumerauimus,signa adsint, probabile est,sanguinem, qui sputo reiicitur, non ob priuatum pulmonis vitium reiici,sed aliunde ad pulmonem transmitti. Quod magis confirmatur,si,antequam sanguis erumpere incipiat, dolor aliqua in parte in ventre inferiore, circa hepar scilicet, lienem, vterum, vel alibi percipiatur.

Addendum tamen & hoc,si ab aliis partibus sanguis ad pulmones mittatur, non solum per pulmonem eum reiici, sed obseruatum est, sputum & vomitum sanguinis vno tempore accidisse, naturâ superfluum sanguinem partim ad pulmones, partim ad ventriculum propellente.

### Prognostica.

Prognostica. 1. Vt sanguis ex quacunque parte profusus mortem afferre:ita etiam si è pectore multus effundatur, hominem interimere potest. Si tamen sedetur sputum sanguinis,sæpe in tabem transit.

2. Etsi verò omne sanguinis sputum periculo planè non vacat:tamen aliud alio periculosius est.Primò quidem ratione caussæ,de quo supra,*loco modo allegato,prognost.*1.2.3.4.dictum.

3. Deinde loci affecti ratione. Nam sputum sanguinis, quod ex pectore prouenit, minus periculosum est, quam quod ex pulmone. Et ex pectore sanguinis reiectio triplex beneficium habet præ ea,quæ fit in pulmone,1.quia vasa pectoris minora sunt.2.sanies in spatium & cauitatem pectoris effunditur.3. quia pectus magis carnosum est,quàm pulmo; ideóque vlcera pectoris faciliùs carne replentur.

4. Sanguinis sputum principale magis periculosum est, quàm non principale, quale est in pleuritide: quia non principale rupturam apostematis significat, ac pus euacuari denotat.

5. Sanguinis è pulmone reiectio,quæ intra tres dies non curatur,superueniente phlegmone,incurabilis redditur,Galenus,5.*meth.med.c.*13.& 14.

6. A sanguinis sputo puris sputum malum, 7.*aphor.* 15.quod scilicet ab inflammato & eroso pulmone prouenit.Id enim rarò aut nunquam curatur; cum phthisis inde & tandem mors sequatur, teste Hippocrate, *ibid.aph.*16.

### Indicationes.

Indicatio. In sputo sanguinis indicatio præcipua est, sanguinem sistere; quod fit, si sanguis ad partem non confluat, vel vas, è quo sanguis erumpit, claudatur, vel vtrumque præstetur. Ideoque si vitium sit à caussa interna, ea tollenda; sanguis nimirum copiosus, & ad partem affluens, reuellendus; calidus & acris refrigerandus & mitigandus; humores biliosi & acres euacuandi; ipsum verò vas, è quo fluit sanguis, occludendum.Et quidem si ab anastomosi fit sputum,vas obturandum & adstringendum. Si verò vas sit ruptum, vnire atque agglutinare oportet. Sin erosum, sarcoticis simul opus est,quod deperditum regeneretur. Si à διαπηδήσει prouenit, densare, & incrassare conuenit, Concretus etiam sanguis in pulmone, si quis adsit, dissoluendus & detergendus.

### Curatio.

Curatio. Ideoque ad duo omnis curatio hic dirigenda,vt sanguis fluens sistatur, & vas, quod sanguinem effundit, occludatur. Quæ quomodo præstanda sint, suprà, *loco allegato de apert.vasor.pulmon.*explicatum, quæ hic non repetimus.Pauca saltem addemus.

Et primò quidem generales quasdam regulas in sputo sanguinis curando obseruandas.

1. Reuulsio sanguinis fluentis fit per phlebotomiam,frictiones, ligaturas,& cucurbitulas. Et quidem venæ sectio plerumque fit in brachio; quandoque tamen in talo,in mensium suppressione, de quo infrà, *in quæstione*,dicetur.

2. Mala sanguinis qualitas corrigatur & temperetur. Si tamen ab acri sanguine & bilioso humore referto fit vasis erosio vel apertio, purgandus est ab initio statim biliosus humor, ne dum eum alterare & temperare studemus, malum augeat & grauius reddat. Purgantia tamen non sint calida & fortia,ne acrimoniam humorum augeant,eósque valde commoueant.Quâ de caussa aloë & scammonium non vsurpanda.

3. Inflammatio in ea parte,vbi sanguis exit,omni ingenio prohibeatur.

4. Grumi sanguinis dissoluantur. Ad quod etsi acetum vtile sit: solo tamen & sincero eo non vtendum; cum partes exasperet, tussimque excitet, & fluxionem augeat. Ideóque vel melle aut saccharo dulcorandum, vel aliis diluendum.

5. Vitentur,quæ sistunt,aut nimium adstringunt,ante auertentium vsum.Nam sanguinem intrò in pulmones impellunt, vnde eius putrefactio pulmonísque vlcera sequuntur. Ideoque remedia ex adstringentibus & agglutinantibus mixta sint,ita quidem,vt in aperto per anastomosin vase adstringentia,in rupto glutinantia,& citra mordacitatem siccantia superent.

6. Topica frigida valde esse non debent.Frigida enim non solùm pectori inimica sunt,sed & sanguinem intro pellunt,atque fluxionem augent.

Opiat. Deinde hoc monendum,si reliqua,quæ, *loco allegato,* proposita sunt, medicamenta ad sanguinem sistendum non sufficiant, ad opiata accedendum, & Philo-

nium Romanum, requies Nicolai, pilul. de cynogloss. aut laudanum opiatum exhibendum, cum aqua portulacæ, vel plantag. aut horum syrupis, quorum vsu sanguis ad motum torpidior redditur, somnúsque concitatur, ne perpetua tussi pulmones vehementes concutiantur. Galenus prima mox die medicamentum diaspermatum dictum ante somnum exhibuit, aut theriacam recentem quatuor mensium. Referri huc potest aqua contra sputum sanguinis Dorncreilij, *in dispens.* quæ non tantum sanguinem, qui in pulmones, aut in capacitatem thoracis se effudit, sistere, sed etiam iam effusum & concretum tutò dissoluere, & blandè ac leniter expurgare perhibetur, si ℥.iii. dosi cum *syrup. de symphyto* Fernelij vel *syr. myrtin. compositi* Vnc.ß. sumatur. Est autem talis.

℞. *Rad. symphyt. maioris* Vnc. ii. *plantaginis*, Dra. ii. *tormentillæ*, Drach. vi. *pimpinellæ*, Drach. i. *herb. bursæ pastoris, prunellæ, polygoni, consolidæ mediæ, saniculæ cum radicib.* an. M. i. ß. *flor. rosar. rubr.* M. i. *trochisc. de terra sigillata* Dra. j.

Puluerisanda puluerisentur subtilissimè: herbæ verò & flores minutim incidantur & contundantur ac infundantur in *aquæ symphyti maior. plantag. bursæ pastor.* ana ℔ ii. *pectoral. frigid. lib.* i ß. *scabios. marrub.* an. ℔ ß. *oxymellis compos.* Vnc. iij.

Misce & stent in infusione in loco calido per octiduum, vase quotidie aliquoties moto; deinde destillentur in alembico vitreo per M. B. igne lentissimo.

Possent fortasse & ea hîc vsurpari, quæ occulta proprietate sanguinem sistere dicuntur, quæ suprà *lib.* 1. *part.* 3. *sect.* 4. *c.* 8. de hæmorrhagia narium proposuimus, & inter ea radix nigellæ, de qua in Practica Kentmanni M.S. hoc habetur:

℞. Rad. nigellæ, & si quis habet fluxum sanguinis narium, da ei ad masticandum, & postquam masticauerit, impone naribus, restinguit sanguinem; hoc similiter facere poteris in vulnere, sed magis appropriatum naso.

Historia mulieris curata à Galeno.

Historiam curatæ à se mulieris nobilis habet Galenus, 5. *meth. med. cap.* 13. quæ ex catarrho & hinc sequenti tussi vehementi sanguinis sputo laborare cœperat, proculdubio ob catarrhum & tussim vehementem vase rupto: quæ exemplum nobis præbere potest curandi sputum sanguinis ex catarrho simplici sine pulmonum erosione. Mulieris huius, cum statim prima die Galenum consuluisset, capiti, post vsum clysteris acris, frictionum, & vinculorum applicauit medicamentum calidum è stercore columbino. Post horas tres medicamento illo amoto ægram in balneum deduxit, quia cum illa iam prius per inediam euacuata esset, timendum non erat de fluxione noua concitanda, & caput balneo incalescens ipsum quoque à pectore reuellebat. Postea fructum autumnalem, austerum dedit, post sorbitionem, qua cibata fuit. Tandem dormituræ theriacam quatuor mensium exhibuit, vt fluxura per noctem ad pectus materia interciperetur & sisteretur. Sequentibus diebus eadem penè administrauit, nisi quod tertia die mel coctum exhibuit, quo materia in pulmone ad expectorationem sensim præpararetur, & pro sorbitione cremorem ptisanæ concessit. Quarto die, cæteris non mutatis, theriacam vigentis ætatis dedit, cum fluxio iam cessasset. Quinto autem die, postquam ægrum præcedenti tempore in quiete continuisset, pectus per tussim expurgare cœpit, dehinc rursum capiti emplastrum calefaciens & siccans apposuit, vt materia catarrhi planè exhauriretur.

Meminit, *ibidem*, adolescentis, qui non è catarrho ex capite, sed ex refrigeratis spiritus instrumentis tussi cum sanguinis reiectione laborauit. Ei primo mox die sanguinem misit, eum fricari & ligari iussit, medicamentum diaspermaton ad vesperam exhibuit, & pro cibo sorbitionem. Secundo die iterum bis sanguinem detraxit, ceratum è thapsia pectori toti admouit, vesperi id auferens, diaspermaton itidemque & sorbitionem dedit. Tertio die, postquam ceratum è thapsia per tres horas apposuisset, hominem lauit, cremore ptisanæ ac pleniore aliquo cibo nutriuit, sed vesperi diasperma-ton dedit. Quarto denique die instrumentis respirationis ad temperiem iterum redactis, & euacuato toto corpore pectus tussi expurgare aggressus est: theriacam exhibuit vigentis ætatis, & ægrum tandem ad Tabias, prohibendo vi lacte, misit. Vide Galenum, 5. *meth. med. cap.* 12.

*Diæta.*

Diæta.

Diætæ ratio etiam suprà exposita est; hoc saltem addamus. Cælius Aurelianus & Autor libri de subfiguratione empeirica & alij prohibent aspectum rerum rubrarum, ne, imaginatione commota, sanguinis fluxus concitetur. Neque enim de nihilo est, imaginationem & spiritus ab aspectu rerum externarum moueri. Nimirum & tenebræ & color niger timorem incutit, ac tristitiam excitat; contra color albus & lucidus exhilarat; vnde etiam color rubeus, cuius natura in fulgore quodam consistit, spiritus non parùm commouet, notumque est, elephantos, tauros, gallos Indicos rerum rubrarum aspectu ad iram concitari. Animi pathemata, præsertim ira, quæ sanguinem & spiritus commouet, studiosè vitentur.

QVÆSTIO.

*An in Sputo cruento sanguinis semper è brachio; an verò etiam è talo & cruribus, præcipuè in fœminis mittendus sit.*

*Vnde in sputo cruento sanguis præcipuè mittendus?*

Galenus equidem. 5. *meth. med. cap.* 8. in sputo sanguinis internam cubiti venam secat, eamque sequenti die repetit. Alexander tamen Trallianus, *lib.* 7. *cap.* 1. etiam vena in talo secta se sanguinem misisse & multò magis profuisse, quàm in cubito, scribit; cùm sanguinem ad longinquas partes auocantia fortiorem multò reuulsionem efficiant. Mesues & Auicennas distinctione vti videntur, & in præseruatione rectius ad inferiores partes sanguinem retrahi, in curatione verò è cubito mitti censent. Nonnulli tamen sunt, è quibus Valescus de Taranta, & Hieronymus Capiuaccius, qui etiam in curatione saphenam secandam existimant. Videtúrque his fauere Hippocrates, 5. *aph.* 31. dum scribit: *Mulieri sanguinem euomenti menstruis erumpentibus solutionem fieri.*

Verùm enim verò rectissimè hîc sentire videntur Mesues & Auicenna, dictúmque est supra de pleuritide; non semper licere ad remotissima reuellere, sed vbi ia morbis pectoris præsentaneo auxilio opus est; venam in brachio esse aperiendam. Ideóque cum vel nondum ad pectus sanguis decubuit, sed fluxurus metuitur, aut parum omninò affluxit, prouidentiæ & præseruationis gratia, ad remotissima sanguinem reuellere, & venam in talo aperire licet. Vbi verò materia iam affluxit, & adhuc copiosè affluit, vt inflammationis metus sit, vena in talo secta nimis tardum auxilium affert; sed tum in cubito vena aperienda, vt de pleuritide dictum.

In mulieribus verò mensium habenda est ratio, vtpote quorum fluxus eas à morbis multis præseruat & liberat. Distinctione tamen opus est. Cum enim menses stato tempore fluentes mulieribus prosint, alio verò tempore facilè concitari non possint; si mulieri sputo sanguinis, seu ex suppressione mensium, seu absque ea, laboranti menses iam instent, vena in talo aperienda est. Ita enim Medicus socias naturæ

naturæ operas præ[...], atque in ſanguinis ad vterum reuulſione natura M[...]ico ſe coniungit. Atque hoc ſenſu accipiendus eſt al[...]gatus aphoriſmus Hippocratis. Si verò fluxus menſiu[m] nondum inſtet, diſtinctione iterum vtendum. Nam ſanguinem in fœminis circa vterum cumulatum eſſe c[o]nſtet, nondum verò manus eius ſit ad pectus fluxus [...]um æque in fœminis ac in viris è talo ſanguis mitten[du]s. Si verò ad pulmones magnus eius ſit impetus, ma[g]na tamen ex ſuppreſſione menſium etiam in vteri ven[i]s ſit eius copia, ex vtriſque venis quidem ſanguis mittendus, veruntamen ſi menſium fluxus nondum inſte[t], in cubito primùm vena aperienda; cum præſentaneum & ſubitum, quod vena in talo aperta præſtare non poteſt, auxilium requiratur.

# LIBRI SECVNDI PARS IV.

## DE MORBIS AC SYMptomatibus Cordis.

### CAPVT I.

*De Morbis Pericardij.*

Restant tandem in hoc ſecundo libro morbi & ſymptomata Cordis. Cùm autem cor ſit vitæ principium, caloris natiui fons, primum viuens & vltimum moriens, ac ceteræ corporis partes ex eo ſanguinem, ſpiritus ac calorem vitalem accipiant, atque actiones ſuas exercere non poſſint, niſi calore & ſpiritu à corde ſint perfuſæ; omnino cordis actiones ad vitam ſummoperè ſunt neceſſariæ. Ideoque etiam natura cor maximè ab omnibus iniuriis tuetur, & cor vitali calore copioſo præditum maximè omnibus iniuriis reſiſtit, & noxia à ſe repellit, & hinc rariùs quàm aliæ corporis partes, morbis afficitur. Súntque etiam morbi cordis difficiles cognitu, atque plerumque non niſi in mortuis anatome deprehenduntur. Et ſi cor paulò grauius præter naturam afficiatur, mortem id homini acceſſere ſolet. Eſt nihilominus cor etiam multis morbis obnoxium. Et cum cor membrum tam nobile ac neceſſarium ſit, peculiari capſula tegitur, quæ pericardium vocatur. Ideòque morbi alij ipſius cordis, alij pericardij, de quibus ſeorſim dicendum. Symptomata verò præcipua ſunt palpitatio cordis: virium imbecillitas, ac lipothymia & ſyncope.

*De Aqua in pericardio Aucta & Deficiente.*

*Aqua in pericardio aucta.* Aqua quædam ſecundum naturam, vt in aliis animalibus, ita in homine reperitur in pericardio; id quod non ſolum docuit Hippocrates, *in libello de corde*, ſed & ex viuorum animalium ſectione patet.

Hanc tamen aquam interdum præter naturam Augeri, vt cor non liberè moueri, & ita palpitationis cordis cauſſa eſſe poſſit, docet Galenus, 5. *de loc. aff. c.* 2.

*Deficiens.* Contra ſi iſta aqua præter naturam Deficiat, cauſſa maraſmi eſſe ſolet.

*De Vermibus in pericardio.*

*Vermes in pericardio.* Vermes aliquando in capſula cordis ſeu pericardio genitos fuiſſe obſeruatum eſt, annotauítque aliquot eius rei hiſtorias Schenckius.

Difficulter autem cognoſcuntur, & rarò exactè, niſi poſt mortem. Solet autem tales ægros infeſtare cordis tremor, anxietas, animi deliquium & ſyncope, ac plerumque tandem ægri ſubita morte extinguuntur. Si ergo talia ſymptomata adſint, & medicamenta cordialia exhibita nihil proficiant, vermem talem adeſſe ſuſpicari licet.

*Lunatica paſſio.* Nonnulli Lunaticæ cuiuſdam paſſionis mentionem faciunt, quæ ex vermibus in pericardio ortis pueris & infantibus accidat, vnde ij ſæpe ſemimortui appareant. Verùm mihi probabilius videtur, hoc quicquid eſt ſymptomatis, quod infantibus accidit, ex vermibus prouenire in inteſtinis genitis, & in ventriculum aſcendentibus & orificium ventriculi moleſtantibus, quod etiam καρδία appellatur.

Contra vermes autem in corde commendatur allium, obſeruatúmque eſt, vermes, qui in mortuis in capſula cordis reperti ſunt, necatos fuiſſe ſucco allij, dum in circulum ex allij ſucco in menſa figuratum concluderentur. Vtile eſt & hoc:

℞. *Succum allij, raphani,* & *naſturtij*, & exhibeatur.

Ad Lunaticam verò illam paſſionem, quæ ex vermibus in capſula cordis ex nonnullorum opinione, aut potius ex vermibus orificium ventriculi ſeu cardiam moleſtantibus oritur, commendatur tanacetum. Ramuli eius tenues in vmbra ſiccentur & addantur ſequentis pulueris Dr. ij.

℞. *Rad. gentianæ peoniæ*, an. ʒ. ij. *myrrhæ* ʒ. j.
F. Puluis.

Puluis hic aquâ humectetur, & ori infantis inungatur.

*Defectus pericardij.*

*Defectus pericardij.* Aliquando planè Deeſt pericardium. Id quod obſeruauit Columbus, qui, *lib.* 15. *anat.* refert, ſe diſcipulum in Romana Academia ſecuiſſe, cui pericardium deerat: itaque ſubinde in ſyncopem incidebat, & mortuo ſimilis conſpiciebatur, quo genere morbi etiam exanimatus eſt.

*Tumores pericardij.*

*Tumores pericardij.* Tumores etiam in pericardio deprehenſi ſunt. Galenus, 5. *de loc. affect. cap.* 2. ſcribit, ſe ſimiam quandam quæ in dies emaciebatur, poſt mortem ſecuiſſe, &, ceteris omnibus partibus ſaluis, inueniſſe in pericardio tumorem præter naturam, qui humorem in ſe, qualem hydatides emittere ſolent, continuerit. Atque in gallo quodam ſe vidiſſe aliquando cordis tunicam ſcirrhoſo tumore affectam, perinde ac ſi plures membranæ craſſæ inuolutæ altera alteri fuiſſent. Vnde coniecturam ſumit, homines ſimilibus affectibus obnoxios eſſe poſſe. Quem ſecutus Petrus Salius Diuerſus, *de morb. rarioribus cap.* 4. colligit, idem in homine accidere poſſe. Nam ſi quis emacietur, nulla præſente deſtillatione, nec ſputo vel cruento vel purulento, nulláque naturalium partium ita læſa videatur, vt hinc macies & atrophia ſubſequi poſſet, ſuſpicari licet, poſſe hoc accidere ex pericardio malè affecto. Etſi enim membrum per ſe non ſit nobile: tamen quia cordi proximum eſt, id in conſenſum trahit & afficit. Affectus autem hic vt difficulter cognoſcitur, & non niſi coniecturâ, ita curatu eſt impoſſibilis, ſcribitque Petrus Salius Diuerſus, *loc. alleg.* ſe, etſi multa tentârit, nihil profeciſſe, omneſque tandem tabe conſumptos & emaciatos, vltimò quadam accedente leui febricula, cui ſyncope coniungebatur, interiiſſe.

*Vulnera, Putredo, & Corruptio pericardij.*

*Vulnera putredo pericardij.* Vulneratur etiam interdum pericardium, interdum exulceratur, & putreſcit. Galenus, 7. *de administ. anatom. cap.* 13. refert, ſe in puero quodam in palæſtra icto, & inflammationem in pectore paſſo, regione pectoris detecta & oſſe exciſo nudum cor inueniſſe, vtpote cuius inuolucrum putruerat. Ita ex Franciſco Rota, *de torm. vulner. cap.* 23. refert Schenckius, in ſuppurato quodam totum ferè pericardium corruptum deprehenſum fuiſſe.

Beniue

Beniuenius, *de abdit.morb. cauſſ. c.* 5. narrat, quendam in pericardio vulneratum ſua cura conualuiſſe. Et Cardanus, *in comm.ad* 18.*aph.l.6. Hippocrat.* refert, ſe partem pericardij vidiſſe ablatam, ægrúmq; tamen ſanatum, ſed ſuſpiria alta duxiſſe, nec multis annis ſuperuixiſſe.

*Hiſtoria pulmonis planè conſumpti.* Notabile eſt & hoc, quod ex obſeruat. Iohan Bauhini refert Schenckius, in cadauere quodam diſſecto pulmonem repertum fuiſſe planè conſumptum, thoracis cauitatem plenam putrido & concreto ſanguine, in pericardio verò plus quàm menſuram puris albi contentam fuiſſe, totâ cordis ſuperficie abſumptâ & extenuatâ. Symptomata, quæ paſſus eſt, erant tuſſis, febricula, dolor in thorace, & in anteriore ventris parte, difficilis reſpiratio, paucis diebus ante mortem deliquium animi, mens conſtabat. Verùm quia Medici opera in his parùm præſtare poteſt, plura de iis non addimus.

## CAPVT II.

## De Cordis Intemperiebus.

### *Intemperies cordis calida.*

*Intemperies cordis calida.* FRequentiſſimè cor intemperiem calidam patitur, & quidem à cauſſis externis & internis: & omnes cauſſæ, quæ febrem excitare ſolent, etiam intemperiem calidam cordis excitant, cum nulla febris excitari poſſit, niſi cor prius incaleſcat. *Cauſſa.* Cauſſæ tamen, quæ intemperiem calidam cordis excitant, non verò in toto, mitiores ſunt; & quamuis cor per animi affectus & alias cauſſas etiam per ſe incaleſcere poſſit: tamen per conſenſum aliarum partium ſæpiſſime intemperiem calidam contrahit; & præcipuè à partibus inferioribus incaleſcit, è quibus vapor calidus cordis communicatur. Ideóque de cauſſis intemperiei calidæ cordis multa hic addere opus non eſt, cùm ſatis de iis in doctrina de febribus dictum ſit.

*Signa.* Cognoſcitur intemperies calida cordis præcipuè ex actionibus ejus mutatis, reſpiratio fit magna, celer, frequens, pulſus ſimiliter eſt celer, frequens; magnus ſi vires ſufficiunt; adeſt propenſio ad iram, calor adeſt præter naturam, & in totum corpus diffunditur, halitus, qui ore egreditur, calidus eſt, vt ferè palatum, linguam & labia exſiccet. Præceſſerunt cauſſæ cor calefacientes: iuuant frigida, nocent calida.

*Prognoſtica.* Quò major autem exceſſus eſt caloris, eo morbus periculoſior eſt, patétque id maximè ex effectis, & virium robore vel dejectione; de quo de febribus dictum.

*Curatio.* Curationem quod attinet, calida intemperies refrigerantia indicat. Vbi primò in genere monendum, extremè frigida vel nimis cor alterantia non vſurpanda eſſe. Cum enim cor caloris natiui fons ſit, & majorem calorem, quàm nulla pars alia corporis, obtineat, & ab eo vita hominis pendeat, calor is ſtudiosè fouendus, nec quicquam adhibendum, quod ipſum extinguere poſſit, vtpote quo extincto mors ſequitur. Deinde quia cor ſpiritus vitales generat, ſuaueolentia cordi maximè vtilia ſunt.

Medicamenta autem cor refrigerantia ſunt *acetoſæ, flor. roſar. violar. nymphéæ, flor. borrag. bugloſſ. ſuccus citri, limonum, granat. ceraſor. poma odorata acidiuſcula, fructus ribes. berber. rubi Idæi, citri, C.C. terra ſigillata, bolus Armena, corallia, margarita.*

Ex his parautur alia medicamenta.

### *Interna.*

*Interna.* Aquæ, *roſar. violar. nymph. acetoſæ, borrag. bugloſſ. fragor.*

Syrup. *acetoſit. citri, granator. acetoſ. acetoſell. de ſucco ribes, berberis, helen. nymph. borrag. ceraſorum, coralliorum.*

Conſeruæ, *roſar. borrag. nymph. viol. acetoſ. acetoſell. flor. aurantior. citri.*

Condita, *caro citri, ceraſa, ribes, berberis.*

Species *diamargarit. frigid.*

Rotulæ, & morſuli *manus Chriſti perlat. diamarg. frigid. de ſucco citri, ribes, berberis.*

### *Aqua cordialis.*

℞. *Conſeru. bugloſſ. borrag. violar. roſar. nymph. cort. citri,* ana Vnc.ii. *ſpec. el. diamarg. frig. de gemm.* an. Drac. ij. *diambr.* Drach.i. *croci* Drach.i. ſem. *ſem. citri, oxalid. cydonior.* an. Drach.iij. 4. *frig. maj. ſcariolæ* an. Scrup.i. *lactucæ* Drach.ſem. *herb. lactucæ, oxalid. portulac. endiu.* an. M.ſem. Addendo *caponem exenteratum, purgatum & inciſum, vt decet, ſucci acetoſell. citri, granator.* ana Vnc.i.ſem. *aqu. roſar. borrag. bugloſſ. meliſſ.* ana ℔.j.

Incidantur & contundantur ac miſceantur in mortario lapideo & poſtea lento B. M. calore deſtillentur.

### *Externa.*

Eadem pleraque extra applicari poſſunt. Vnde fiunt *Externa.*

Epithemata, ex *aqua roſar. nymph. aceto roſar. ſantalo, margarit. corallis,* quibus aliquid *camphoræ* additur.

Sacculi ex *herbis, floribus, & foliis* antea enumeratis cum ſerico rubro vel albo & floccis panni coccinei.

Olea, *roſar. violar. nymphéæ.*

Vnguenta, *roſar. ſantalinum.*

Talia autem Topica commodiſſimè ad ſiniſtram partem applicantur. Etſi enim cor in medio pectoris ſit ſitum: quia tamen thorax in medio planè oſſeus eſt, commodè ibi non poſſunt penetrare. Circa papillam verò ſiniſtram, quò pars inferior cordis vergit, faciliùs penetrant.

Victus ratio medicamentis reſpondeat.

Si verò cum materia calor conjungatur, & quidem ſi ſanguis abundet, is euacuandus; ſi bilis, expurganda ſyrupo roſar. ſolut. & viol. ſol. pulp. tamarind. manna triphera.

### *Intemperies cordis Frigida.*

Rariùs verò cor intemperie frigida laborat. Cum enim ſit calidum membrum, cauſſis frigidis fortiter reſiſtit. Aliquando tamen etiam frigida intemperie corripitur, quam inducit retentio excrementorum frigidorum, & vapores frigidi ex aliis partibus ad cor adſcendentes. Animi perturbationes, præcipuè mœror & timor, quibus calor cordis torpidior redditur, & penè ſuffocatur, immodica exercitia, otium nimium, ob quod ſpiritus torpent, & calor remittitur. Cibi & potus; vt & medicamenta frigida, aër ambiens frigidus, ſiue inſpiratione attractus, ſiue ob veſtium defectum pectore nudo extra ad cor penetrans, vt & nimia pluuiarum ad pectus appulſio. Et omnino omnes morbi, qui interitum homini afferunt, cor tandem refrigerant; cum mors ab extinctione calidi innati cordis proueniat. *Intemperies cordis frigida.*

Cognoſcitur intemperies cordis frigida ex cordis pulſu paruo, tardo, raro, & reſpiratione ſimili, aërque, qui exſpiratur, frigidus percipitur. Et ſi ſit exceſſus frigoris magnus, & calor cordis jam penè extinctus, corpus vniuerſum frigidum ſentitur. Præceſſerunt cauſſæ cor refrigerantes: juuant calefacientia cor, nocent refrigerantia.

Curatur autem intemperies cordis frigida calefacientibus. Sunt autem medicamenta cor calefacientia ſimplicia, *meliſſa, ocymum, roſmarinus, card. benedict.*

*calaminthæ, rad. helen. angelic. flor. rorismarini, tunicis, lauendul. lilij conuall. sem. citri*, *grana alcherm. lignum aloës. Aromata pleraque cinamom. caryophyll. zedoar. macis, nux moschat. ambra, moschus.*

Atque ex his varia componuntur.

### *Interna.*

*Interna.* Aquæ & spiritus, *meliss. rorismar. flor. citri*, *arantior. cinamom.*

Conseru. *anthos*, *meliss. tunicis*, *lauendulæ*, *lilior. conuall.*

Syrupi, *tunicis*, *meliss. lauendulæ*, *cinamomi, cortic. citri.*

Condita, *cortices citri*, *aurantior. rad. helen. nuc. iugland.*

Olea destillata, *citri*, *meliss. cinamom. caryophyll. macis.*

Species & confectiones aromaticæ, *diamargarit. calid. confect. de hyacinth. species cordiales*, *diamosch. diambr. diaxyloaloes, aromat. caryophyllat.* & præcipuè *confect. alcherm. theriaca* itidem *&* *Mithridatium.*

### *Externa.*

*Externa.* Eadémque pleraque etiam extra applicantur, vt postea dicetur.

Ex his porrò varia composita fiunt:

Aquæ vitæ omnis generis, quæ passim extant, *aqua virtutum*, *aqua carbunculi dicta*, *elixir vitæ Matthioli.* Videantur Institut. *l.5. p.3. sect.3. cap.5.*

Vel paretur talis Aqua.

℞. *Meliss.* M.ii. *ocymi* M.j. *flor. anthos*, *cordial. tunic.* an. M. sem. *cortic. citri* Vnc. sem. *sem. citri* Drach. ii. *caryophyll.* Drach. iii. *cinamom.* Vnc. i. *ligni aloës*, *macis*, *zedoariæ* an. Drach. i. *croci* Drach. sem. *moschi, ambr.* ana Scrup. sem.

Affundatur *vini Maluatici* q. s.

Digerantur aliquandiu, postea destillentur. Detur ab Vnc. sem. ad Vnc. i.

### *Rondeletij Aqua & Iulebus,*

*Rondeletij aqua.* ℞. *Cord. porci* N. ij. *cerui* vel *bouis* N. iii. *caryophyllor. galangæ mai.* & *min. sem. basilici*, an. Drach. iiii. *flor. bugloss. borrag.* an. p. ii. *anthos* p. iij.

Macerentur in *vino maluat.* & destillentur in vitro Aqua seruatur vsui.

*Iulebus eiusdem.* ℞. *Aquæ prædict.* Vnc. iii. *sacch.* parum. F. Iulebus.

### *Aqua virtutis.*

*Aqua virtutis.* ℞. *Rad. bugloss. Ital.* Vnc. iv. *fl. borrag. bugloss.* ana Vnc. ii. *rorismar. croci*, ana Drach. i. *succi cydonior. malor. Borstorff. citri cum corti. incis.* an. Vnc. i. sem. *vini Rhenani albi* ℔. iij. *aqu. meliss. borrag. bugloss.* ana ℔. ß.

M. Stent in infusione per dies 10. in loco calido, postea fiat destillatio.

### *Aqua cardiaca D. Georgij Leuschneri.*

*Aqua cardiaca D. Leuschneri.* ℞. *Fol. basilic. c. floribus*, *meliss.* an. M. j. sem. *pulegij, menthæ, fl. rosarum rubr.* ana M. j. *borrag. bugloss. tunic. pæoniæ, violarum, betonicæ,* an. M. sem. *sem. meliss. basilici, cubebar.* ana Drach. j. *caryophyllor.* Drach. ij. *zedoar. galangæ*, *enulæ*, *doronici.* ana Drach i. sem. *macis* Scrup. ii. *santali citrini, albi,* an. Drach. i. sem. *ligni aloës* Drach. i. *cortic. citri exsiccat. aurantior.* an. Drach. ii. sem. *cinamom. acutissimi* Vnc. i.

Hisce contus. & conquass. superfund. *vini Rhenani puri* ℔. v.

Ssent infusa hor. xxxvi. ad cineres calidos, postea destillentur s. a. in B. adiiciantúrque tandem. *Fol. auri* N. v. (æstate sumantur recentia & viridia, & medietas tantum vini.)

### *Aqua virtutis alia.*

℞. *Galang. Zingib. caryophyll. granor. Paradisi*, ana Drach. iij. *cubebar. piperis longi*, an. Drach. i. sem. *macis, nuc. mosch.* an. Drach. ii. sem. *ligni aloës* Drach. iii. *cinam. el. cortic. citri,* an. Vnc. sem. *calam. arom.* Drach. i. sem. *rorismarini*, *saluiæ*, an. ℥. i. *fl. lauend.* ℥. vi. *rutæ* ℥. ii. *rosar. rubr. borragin.* an. ℥. ß. *fol. lauri* Vnc. sem. Contund. & infund. in *vini boni mens.* iii. Destillentur. s. a.

### *Alia.*

℞. *Rorismarini, meliss. basilici, pulegij, serpilli,* an. M. j. *cortic. citri exter.* Vnc. j. *ligni aloës, santali citrini*, *rhodij rasp.* an. ℥. i. sem. *caryophyll.* ℥. ii. *croci* ℈. i. *spicæ*, *Celticæ*, *Indic.* an. Scrup. i. *nuc. mosch.* Drach. i. sem. *cortic. cydonior. recent.* Vnc. j.

Concisa infund. per dies 3. ad Solem, vel in loco calido in *aqu. rosar. spirit. vini opt.* an. ℔. i. sem. *aceti rosac.* ℔. j.

Destillentur postea in M. B. In destillato liquore dissolue *moschi.* q. s. ad gratiss. odorem.

Vel suspendatur *moschus* in alembici rostro.

### *Alia.*

℞. *Fl. lilij conuall.* M. ii. *lauendul. cichor.* an. M. j. *cardamomi vir. galang. cyperi rotund. macis, nuc. mosch. ligni aloës, piperis longi, nigri. mastich. zingib.* an. Drach. i. sem. *cinamomi* Vnc. ii. *vini sublimat.* ℔. ix.

Infundantur per aliquot dies, postea destillentur.

### *Elixir vitæ.*

℞. *Cinamom. elect.* Vnc. vi. *caryophyllor. cardamomi, ligni aloës opt.* an. Drach. i. sem. *santali citrini* Drac. ii. *nuc. mosch. macis*, ana Drach. j.

Puluerisatis mediocriter omnibus adde *spirit. vini puriss.* ℔. vii. sem.

Et permistis omnibus in vitreo vase clauso orificio ita reseruentur per mensem, singulis diebus ter quaterve agitando & commiscendo. Postremo die, vbi perfectè resederint, percolentur, & colaturæ benè claræ add. *syrupi è cortic. citri* ℔. j. sem. *moschi ambræ*, an. ℈. sem.

Reseruetur, in vitro bene obturato.

### *Aliud.*

℞. *Cinamom. elect.* Vnc. ii. *Zingib.* Drach. vi. *caryophyllor. nuc. mosch.* ana Drach. ij. *gran. paradisi* Scrup. ii. *cal. aromat.* Vnc. sem. *galang.* Drach. j. *fl. rosar.* Vnc. j. *rorismar.* Drach. iij. *cort. citri* Vnc. i. sem. *majoran. meliss.* an. M. j. *ligni rhodij* Drach. iij. *santali citrini* Drach. ii. *rubr.* Vnc. i. *vini sublimati* ℔. xii.

Infund. per mensem; deinde colentur, & colaturæ claræ add. *syr. de cort. citri, mivæ cydonior.* ana ℔. i. sem. Misce.

### *Electuaria.*

℞. *Conseru. borrag. bugloss. anthos. tunic.* ana Vnc. i. *ros.* Vnc. sem. *cortic. citri condit.* Drach. vi. *nucis mosch. conditæ* Drach. j. *pulu. caryophyll.* Scrup. sem. Cum *syrup. tunic.* F. Electuar.

### *Rotulæ & Morsuli.*

℞. *Spec. diambr. diaxyloaloës*, an. Drach. i. *ol. cinamom. citri.* an. gutt. iii. *confect. alcherm.* Scrup. i. *sacch. in aqua rosar. solut.* Vnc. iij.

F. Rotulæ.

Illinantur

Illinantur *ambra in aqua rof. diffol.* gr.iii.

Vel ♃. *Spec. diambr. aromat. caryophyll. diamofch. dulc.* an. Scrup.ii. *lapid.bezoar.* Scrup. fem. *cortic.citri condit.* Drach.ii. *facch,albi in aqua rofar.diffol.* Vnc.iii. F. Morfuli.

Vel ♃. *Amygd.dul.piftacior.*an.Vnc.i. *pinear.*Drac. vi.*carn.citri cond.*Vnc.i.*nuc.mofch.in Ind.cond.* Drach. vi.*cort.citri cond.*Drach.iii. *zingib.in Ind.cond.*Vnc.ß. *macis* Drach.j.*cinamomi* Drach.i.fem.

Fructus macerentur per noctem vnam in *aqu. rofarum*, & aromata cum eis incidantur & frangantur mediocriter. Add. *facch.albiff.*Vnc.xx.*in aqu.rofar.diffolut.* In fine admifce, *mofch.opt.*gr.ix.*ol.cinamomi* gr. vi.F.l.a. Morfuli deaurandi.

*Externa.* Ex medicamentis hactenus enumeratis etiam externa varia componuntur.

Epithemata.

♃. *Aqu.flor.aurantior.meliff.anthos*, an.Vnc.ii. *carbunculi,viriut.*an.Vnc.i. *fpirit.rofar.*Drach.i. *confect.alcherm.*Drach.fem.*cortic.citri ficcor.*Scrup.ii. *croci* Srup. fem.M.

Balfama & Linimenta:

♃. *Ambræ liquidæ, olei nucis mofch. expreff. confect. alcherm.*an.Drach.fem.*olei deftil.citri,meliff.* an.Scrup. fem. F.Linimentum.

Sacculus:

♃. *Flor. anthos, cordial. meliff.lauendul.* an.M.fem. *cortic.citri ficcor.caryophyll.macis* an.Drach.i.Cum findone rubro,F.Sacculus.

### *Intemperies cordis Humida.*

*Intemperies cordis humida.* Intemperies cordis humida fit à cauffis, quæ aliàs totum corpus humectare poffunt: verum non facilè eam recipit;cum fit valde calidum & ficcum.Præcipuè verò aër humectandi vim habet, vtpote qui per pulmones ad cor penetrat, nebulofus fcilicet, craffus & humidus. Humectat etiam totius corporis intemperies humida,qualis eft in anafarca.

Cognofcitur ex talibus cauffis, quæ præcefferunt; ex effectis item, vt pulfu molli,& toto corpore humidiore.

Curatur ficcantibus medicamentis hæc intemperies,qualia funt omnia calida modò propofita.Omnia enim talia ficcandi vim habent.

Exficcant præterea cor humidum, quæ frigida fiue temperata funt,*margarita,corallia,C.C. os de corde cerui,bolus Armena,terra figillata,lapides pretiofi.*

Diæta medicamentis refpondeat.

### *Intemperies cordis Sicca.*

*Intemperies cordis ficca.* Cor ficcant corporis atque animi motus nimij, curæ,mœror & follicitudines,vigiliæ nimiæ:vnde quibufdam ex hifce cauffis mortuis cor tanquam pyrum toftum inuentum fuiffe hiftoriæ teftantur,aër calidus & ficcus,qualis eft in locis montanis, & fæpe etiam maritimis,cibi & potus ficcandi vi præditi, inprimis vini potentis vfus,medicamenta ejufdem generis,febris biliofæ, tumores pericardij, & aliæ cauffæ, quæ febrem hecticam inducere valent,

Cognofcitur ficcitas cordis à cauffis his, fi præcefferint; fequitur verò totius corporis, & inprimis pectoris extenuatio,pulfus eft durus.

Curatur verò humectantibus, *borrag.bugloff. violis, femin.frigid. major. paffulis, amygdalis.* Prodeft etiam balneum aquæ dulcis tepidum,in quo malua, althæa, fœnumgræc. cocta fint. Fomenta etiam pectoris ex iifdem parantur,poft quæ pectus inungatur ol.amygdal. dulc.viol.mucilag.femin.althéæ,maluæ.

Diæta etiam fit humectans, & omnino curatio & diæta talis inftituenda, qualis hecticis conuenit.

### *Morbi totius fubftantiæ.*

Inprimis verò & frequenter cor à morbis totius fubftantiæ feu formæ,vt appellant,vel qualitatum occultarum infeftatur. Pleraque enim venena, quocunque modo in corpus fefe infinuent,cor hoc modo afficiendi vim habent;de quibus fuo loco dicetur,&etiam *libro 2.Inftit.part.2.c.*12.& *de pefte* dictum. *Morbi totius fubftantiæ.*

Cognofcuntur autem hi morbi è cauffis, quæ præcefferunt, ad tales morbos producendos idoneis. Et fi de cauffis ejufmodi non conftet,ex effectis deprehenduntur,quæ fupra vires cauffarum manifeftarum funt grauiora, vt anxietas & inquietudo, fubita & fumma virium dejectio, animi deliquium,& fyncope, pulfus fumma imbecillitas, & inæqualitas. Maculæ hinc inde in corpore erumpentes, & fimilia fymptomata, quæ peftilentibus ac venenatis morbis funt propria.

Morbi autem hi longè funt periculofiffimi, & hominem inopinatò fæpe jugulant.

Curantur autem hi morbi alexipharmacis. Et quidem cuilibet veneno fuum alexipharmacum opponendum; de quibus in Inftitut. *lib.*5. *part.*1. *f.*1.*cap.* 21.& *de Pefte* dictum,ac fuo loco,*de venenis*, dicetur. In genere, & præcipuè fi de natura veneni non conftet, antea enumerata vfurpanda, & inter compofita theriaca & Mithridatium.

### *Elect. Bertrucij confortans cor in omni cauffa.*

♃. *Smaragd. hyacinth. fapphir.* ana Drach.fem. *auri & argenti puri foliati*, ana Drach.i. *margarit. perforat.& non perforat.* Drach.i.fem. *bugloff.meliff. flor.borrag. ocymi, zedoar, been alb. & rubr. caryophyllor. ligni aloës zingiberis, cinamomi elect.* ana Vnc.fem. *ferici contufi, non combufti, cubeb. cardamom. calami aromat.fpicæ, galang. mofch.camphor. off.de C.C.ambr.* ana Drach.j. *corall.alb.rubr. fantal. rofar.fpodij, myrobalan. belliric.terr.figill.coriand.*ana Drach.ii.fem. *Elect. Bertrucij.*

Terantur omnia fubtiliter,& pro *qualibet vncia fpecierum* fumatur *facch.albiff.*℔.i.

Fiat Elect. Deauretur.

Cum etiam ad calidum natiuum & naturalem corporis conftitutionem conferuandam fpiritus vitales pertineant, atque hi etiam varia vitia pati poffint, etiam de iis hoc loco dicendum effet. Verùm de iis poftea de lypothymia & fyncope dicetur.

## CAPVT III.

### *De reliquis cordis Morbis.*

Præter morbos intemperiei & totius fubftantiæ, qui cor frequentiffimè infeftant, adhuc alij morbi cordis dantur, qui quia rariores & raro curabiles, eos vno hoc capite conjungemus. *Reliqui morbi cordis.*

### *Siniftri cordis Ventriculi defectus.*

Cordis ventriculum finiftrum in quibufdam defuiffe, vel planè exiguum fuiffe, obferuauit Columbus, *anatom.l.* 15. vt & feptum, quo ventriculi cordis diftinguuntur,cartilagineum. *Siniftri cordis ventriculi defectus.*

### *Cor Hirfutum.*

Quofdam cor hirfutum habuiffe, annotauit Plinius *l.* 11.*nat. hift. cap.* 25. Valerius Max. *l.*1.*cap.*6. *Beniuenius,de abdit.morb.& curat. cauff. cap.* 83. Antonius Muretus, *l.*1.*variar.lect.cap.*10.Amat.Lufitan.*cent.*6. *curat.* *Cor hirfutum.*

*curat.66.* Omnes autem hi, qui cor hirſutum habuerunt, fuerunt audaciſſimi & famoſi latrones.

### *Vermes, Calculi & alia præter naturam in corde reperta.*

*Vermes, calculi &c. in corde reperti.* Vermes aliquando in peſtilentibus febribus in ventriculis cordis fuiſſe genitos, audiuiſſe ſe ab hominibus fide dignis, qui hujuſmodi ægrotantia corpora ſecuerint, refert Vidus Vidius, *cap. de morbis cordis.* Idem etiam ſcribit, quod lapides in corde fuerint geniti, ſe neque audiuiſſe neque legiſſe. Referunt tamen id alij quamplurimi. Hollerius; *comm.1.in lib.6. ſect.2.aph.4. Coac. prædict. Hippocr.* Scholiographus in Hollerium, *ad cap.29.* & *50. lib. 1. de morb. intern.* Iacotius, *com.1.l.6.ſect.2.aph.4. Coac. Hippoc. & comm.1. ad aph.52.l.3.ſect.2. Coac. Hippocr.* Et in Maximiliani II. Imperatoris corde inuenti ſunt tres lapides vt refert VVierus, *de præſtig. dæmon. lib.4.cap.6.* Et Eraſtus, *in conſil. & epiſt. à Scholtzio collectis.* Atque horum alij palpitationem cordis frequenter paſſi ſunt, alij vrinam purulentam per multos dies, imò menſes, ſaluis renibus & veſicâ, minxerunt.

Carnoſas quoque excreſcentias in cordis dextro ventriculo vel ſiniſtro repertas fuiſſe in iis, qui dolorem cordis & ſyncopen paſſi fuerint, & pulſum intermittentem habuerunt, refert Veſalius, *l. 1. cap.5. de hum. corp. fabric.* Beniuenius, *de abdit. & morb. & curat. cauſſ. c.35.*

### *Cordis Tabes.*

*Cordis Tabes.* Cor quoque in quibuſdam contabuiſſe & exſiccatum fuiſſe, obſeruatum eſt. Idque etiam ex tumore pericardij accidiſſe, antea, *c.1. dictum.* Ad cordis verò tabem prodeſſe ſuccum raphani, ex Ægyptiorum traditione refert Plinius, *hiſt. nat. lib.19. cap.5.*

### *Situs cordis mutatus.*

*Situs cordis mutatus.* Cor etiam Situm quandoque mutâſſe obſeruatum eſt, vt in Liuono illo VVitebergæ, cujus ſuprà, *lib. 2. part.2. cap.15.* mentio facta eſt.

### *Vulnera cordis.*

*Vulnera cordis.* Cor etiam interdum Vulneratur & quidem vt Galenus, *5. de loc. aff. cap.1.* ſcribit, ſi ad ventrem cordis vulnus penetret, protinus magno cum ſanguinis fluore hominem mori neceſſe eſt. Idque præcipuè ſi ſiniſter ventriculus cordis fuerit vulneratus. Si verò non ad ventrem vſque pertingat, ſed in cordis ſubſtantia conſtiterit, viuere ita affectus non ſolùm ea die, ſed etiam ſequenti nocte poteſt. Vid. *lib. V. part.4. cap.3.*

*Corde vulnerato hominem aliquandiu viuere poſſe.* ¶ [Cordis vulnera eſſe quidem lethalia, aliquandiu tamen eo vulnerato hominem viuere poſſe, hiſtoriis, *lib.5. Pr. part.4. c.3.* probauimus: quod accidit, ſi ſola cordis ſubſtantia ſit læſa, & vulnus ad ventriculos, præcipuè ſiniſtrum, non penetret. Hi enim tandiu viuere poſſunt, donec inflammatio ſuperueniat. Hiſtoriis illis *Hiſtoria Henr. ab Heer.* duæ adhuc, quas Henr. ab Heer, *obſeru.11.* recenſet, addi poſſunt. Quidam, vt ſcribit, duobus globis in thorace vulneratus, ſeptimo poſt acceptum vulnus, die mortuus eſt. Thorace aperto, baſis cordis, eiúſque conus, cum inſigni laceratione, globulis duobus tranſuerberatus inuentus fuit. Idem; *ibid.* refert ſe vidiſſe alium, cui quatuor bombarbæ globulis medium cor traiectum fuerat. ad 5. diem ſuperuixiſſe.]

### *Apoſtemata & Vlcera.*

*Apoſtemata & vlcera.* Imò cor Apoſtemata & Vlcera pati poteſt, quæ tandem hominem ſubitò per ſyncopen tollunt. Quia tamen breui tempore contrahi non potuerunt, inde etiam ægri tales frequentiſſimè lipothymia fuere obnoxij, collegitque hujus rei exempla. Schenckius, *in obſeru. med.* Refert quoque Heinricus Smetius, *miſcell. l.10.* ſe vidiſſe in Mercatoris cujuſdam diſſecto corpore dextrum cordis ſinum interiore ſui parte durum, exaſperatum vndique & quodammodo ſquamoſum, quo in loco continebatur fruſtum condenſati humoris pituitoſi, lenti, albicantis, longitudine medij digiti, craſſitie pollicis, ſanguini miſtum. Verùm quia talia non niſi poſt mortem demum deprehenduntur, nec curationem recipiunt, plura de iis non addimus.

---

## CAPVT IV.

### *De cordis Palpitatione.*

*Cordis palpitatio.* Atque hi ſunt morbi, quos cor patitur. Reſtat, vt de ſymptomatibus quæ in eius actione accidere ſolent dicamus, palpitatione ſcilicet, & animi deliquio ac ſyncope. Palpitatio Græcis παλμὸς vocabulo generaliter accepto, eſt διαστολὴ p. n. in quacunque corporis parte, quæ diſtendi & dilatari, iterúmque concidere poteſt, cujuſmodi ſunt partes molles, vt cutis & ſubjecti huic muſculi, quarum hi non obſcuras cauitates habent, inter cutem autem & muſculos etiam ſpatia quædam interjecta ſunt, in quibus materia palpitationem efficiens colligi & contineri poteſt. Cauſſa enim palpitationis ita generaliter acceptæ eſt halitus craſſus, qui in parte collectus cum exitum non reperiat, partem attollit, quæ ſuâ grauitate iterum concidit. Atque ita ad hunc motum ſeu palpitationem generaliter dictam natura præter expulſionem materiæ nihil confert, neque palpitatio hæc voluntariæ virtutis & organorum hujus actio eſt, aut motus ex voluntario & naturali mixtus, qualis in tremore, ſed ſimpliciter παρὰ φύσιν & ἄνευ προαιρέσεως à ſola cauſſa morbifica partem dilatante & attollente. De quo videatur Galenus, *in lib. de tremore palpitat. & conuulſ. cap.4.* & *5.*

Deinde tribuitur etiam eadem appellatio motui cordis præter naturam, qui παλμὸς & palpitatio cordis nominatur. Nonnulli etiam, teſte Galeno, *5. aph. 65.* per καρδιωγμὸν cordis ipſius motionem crebram & celerem, palpitationi ſimilem intellexerunt, quam alteram καρδιωγμῶ ſpeciem Erotianus, alij notham palpitationem faciunt, verum propriè καρδιωγμὸς & καρδιαλγία oris ventriculi affectiones ſunt ortæ ab humore acri & mordace, quam partem Antiqui καρδίαν dixerunt. Παλμὸς & palpitatio cordis à nonnullis etiam tremor cordis & ſaltus cordis & formido cordis appellatur. Diſtinguunt quidem nonnulli, inter quos Mercatus, inter tremorem cordis, & palpitationem cordis, quod palpitatio à ſolo morbo fiat, tremor verò à morbo & facultate; deinde quod palpitatio in ipſius partibus proueniat, quæ dilatari poſſunt, tremor verò in iis tantùm, quæ voluntariè moueri poſſunt. Verùm errandi cauſſa pluribus iſta fuit, quod palpitationis, vt & tremoris, vocabulum vniuocè cordi & aliis partibus competere exiſtimant; quod tamen falſum. Nam ſunt plurimi in ea ſententia, cordi quoque tale quid accidere poſſe, quale in cute & muſculis fit, à ſpiritu & flatu frigido & craſſo à quo impletum iterumque euacuatum cor moueatur, inſtar vtrium, in quibus tale aliquid à liquore violenter infuſo vel ſpiritu inflato & rurſum compreſſo contingit. Verùm magna palpitationis in partibus externis, & palpitationis cordis eſt diuerſitas. Cutis enim & partes externæ nullo modo ſponte ſe dilatant, ſed ſolùm à cauſſis morbificis in altum eleuantur & attolluntur. Cur verò cum facultatem inſitam, quà dilatetur & contrahatur, habeat, palpitatio cordis ſine motu ejus fieri non poteſt. Neque enim credibile eſt, cor, cujus motus proprius ad

vitam

vitam summè necessarius est, & quo cessante, vires omnes collabuntur, instar vtris vel vesicæ, à flatibus distendi posse. Hoc enim si fieret, cordis naturalem motum cessare necesse esset. Et frustra à nonnullis hic multa loca è Galeno congeruntur quibus probare conantur, palpitationem cordis fieri non à natura, sed à morbo, aut potius caussa morbifica. Galenus enim in iis locis omnibus tantum de palpitatione in cute & partibus externis, non verò de palpitatione cordis, quæ alterius naturæ est, loquitur. Et ipse Galenus, 2. *de sympt. causs. cap.* 2. palpitationem cordis & arteriarum ab aliarum partium palpitatione discernit. Atque hinc etiam accidit, vt Autores alij aliter de cordis palpitatione vel tremore sentiant; nonnulli etiam planè falsa dogmata habeant. Alij enim in specie eum saltem cordis motum, qui fit à caussa cor molestante, seu ab expultrice cordis stimulata ad expellendum id, quod cordi molestum est, palpitationem cordis appellant. Imò nonnulli specialissimè cordis palpitationem ad eum saltem motum deprauatum restringunt, qui fit à materia crassa & flatulenta cor grauante, & quidem nonnulli, vt dictum, eodem planè modo, vt in cute, in corde à flatu palpitationem fieri docent.

Alij verò omnes motus cordis deprauatos nomine palpitationis cordis comprehendunt, siue sint parui & tremuli, siue magni & cum saltu quodam. Hinc nonnulli palpitationem & cordis aliam faciunt legitimam & veram, aliam notham; & legitimam eam saltem nominant, quæ fit à vapore crasso: ab aliis autem caussis ortam notham appellant. Sed sufficiens caussa nulla est, cur non & illa palpitatio, quam ex vulnere ortam describit Forestus; quæ tam vehemens ac violenta fuit, vt etiam extra domum, in qua æger decumbebat, à transeunte, si fenestræ aures admoueret, exaudiretur, & illa, quam Fernelius thoracis vicinas costas effregisse, vel de sua sede depulisse scribit, aut quas Hollerius recenset, legitimæ & veræ cordis palpitationes nominari non debeant.

Ideoque definimus *palpitationem cordis motum deprauatum pulsantis cordis facultatis, stimulatæ & irritatæ à re molesta, & vsu eius actionis aucto.* Quanquam enim in febribus in æstu vehementiore & aliis caussis nonnunquam etiam cor vehementius mouetur: tamen nisi motus ille insignis sit & deprauatus, palpitatio cordis non dicitur.

## *Caussæ.*

Irritatur autem facultas motrix tribus de caussis, nimirum à re aliena & molesta, quam cor expellere nititur, spirituum vitalium defectu; & caliditate præter naturam.

Prima ergo palpitationis caussa est alienum & molestum quid cordi occurrens, quod à se amouere cupit. Et quia hæc caussa frequentissimè facit, vt cor ita moueatur, vt ejus motus deprauatus appellari possit, reliquæ verò duæ sæpiùs vehementem aliquem motum potius, quàm deprauatum efficiant, nonnulli, vt dictum, palpitationem cordis in specie appellant, quæ fit à caussa cor grauante, siue ab expultrice cordis stimulata ad expellendum id, quod cordi molestum occurrit. Dum n. cor grauatur, & in motu impeditur, fit, vt pulsans vis, dum valida est ad expellendum id, quod molestum est; concitetur, & subitò ad motum instigetur, vel resarciat motus impeditos, vno majore pulsu, vel vtraque de caussa motum vehementiorem efficiat, aut si vis imbecilla sit, pulsus paruos & crebros faciat. Neque mirum est, quod à corde tam vehementes motus proficiscuntur. Cum enim cor principium vitæ sit, vim etiam expultricem, quàm vlla alia pars, robustiorem habet, quæ nihil, quod cordi damnum inferre possit, tolerat. Ideóque quotiescunque ipsi aliquid molesti occurrit, contra illud vehementissimè insurgit, & hinc edit motus vehementissimos.

Sunt autem caussæ, quæ cor molestare & expultricem ejus stimulare possunt, variæ. Primò vapores & flatus non solùm copia, sed & qualitate manifesta, vel occulta, vel vtroque modo cor molestantes, cordis palpitationem excitant. Vnde à venis, vt & in febribus malignis & pestilentibus, ab humorum putredine & corruptione palpitatio cordis excitatur. Hinc quoque euenit, vt fœminis mensium suppressione laborantibus, & qui melancholia hypochondriaca laborant, cordis palpitationes familiares sint. Per arterias enim mesaraicas, & quæ multæ per lienem diffunduntur, itémque ex vtero praui vapores cor subeunt, cujus vis irritata vehementiore palpitatione nititur, quod noxium est, expellere. Hinc etiam euenit vt in corporis motu nimio, ira, metu, tristitia, æstu, balneis, Venere, nimio vini potentioris potu, inedia, palpitatio cordis præcipuè in dispositis excitetur. Ira enim, gaudium, timor, non solùm sanguinem & spiritus, sed & humores ac vapores quietos commouent; quod idem & corporis exercitia præstant, & leue exercitium in iis, qui hu c malo obnoxij sunt, palpitationem cordis excitat. *Caussa cor molestantes.*

Deinde humores putridi, acres, calidi, vel etiam copiosi cor molestare & grauare possunt. Qualem sanguinem in arteriis ex summo calore veluti retorridum bilique atræ cognatum, se deprehendisse testatur Fernelius. De qua etiam re videatur Platerus, *lib.* 2. *Pract. cap.* 11. qui prolixè hac de re agit, & palpitationem cordis, quæ virginibus menstruorum suppressione laborantibus familiaris est, ad hanc caussam refert. Malim tamen in prauos & fœtidos vapores caussam referre palpitationis cordis in virginibus caussa suppressorum menstruorum malum habitum acquirentibus, quàm cum Platero in copiam sanguinis feruidi & biliosi, qui cum cachexia, ac malo corporis habitu vix consistere potest. Aliàs non negarem, retorridam ac inflammatam in hypochondriis, & in arterias effusam bilem atram cordi communicari posse, cujus malignitate & acrimoniâ cor irritatum vehementiorem hunc motum edat. Idem tamen à prauis vaporibus ex eodem humore eleuatis fieri potest.

Fiunt & cordis palpitationes, dum humiditas illa in pericardio incrementum sumit, vt cor premat & grauet. Huc pertinet sanguis, qui interdum in vulneribus ad cor effunditur, quod accidit proculdubio juueni illi apud Forestum, *lib.* 17. *obseru.* 1. de quo antea dictum. Molestant & cor tumores in pericardio excitati, siue illi sint scirrhosi & humoris expertes, siue humorem in se contineant. Refert Platerus; in quodam, diuturniore cordis tremore è medio sublato, osseum quiddam & cartilagineum in corde deprehensum fuisse. Et Schenchius, *lib.* 2. *obseru.* 214. refert, in Sacerdote quodam, qui à teneris vnguiculis vsque ad annum 42. quo mortuus est, palpitatione cordis laborauerat, in cordis basi carnis excrescentiam repertam fuisse, quæ sex drachmas ponderaret, & alterum corculum repræsentaret. Refert quoque Dodonæus, *in annot. ad cap.* 35. *obseru. Beniueni*, se callum in arteria magna loco cordi proximo obseruâsse. Vnde palpitatio orta est per multos annos durans. Huc etiam referendi vermes, quos in capsula cordis genitos caussam palpitationis cordis fuisse referunt. Nonnunquam etiam externum quid cordi occurrere potest, quod illud pungat, rodat & rumpat.

Secundò, si ob inediam, vel morbos vehementes spiritus subitò aut nimium dissipentur, vel animi affectus, iram, gaudium, metum, pudorem spiritus subitò hinc inde propellantur ac dissipentur, nec vt par est, in totum corpus distribuantur, vt huic defectui cor occurrat, & quod sui officij est, omnibus partibus spiritus necessarios suppeditet, ejus motum intendi, vehementioremque

tioremque reddi necesse est. Hinc quibus aliàs spiritus desunt, & qui debiles ac huic morbo obnoxij sunt, iis vel leue exercitium cordis palpitationem accersere potest.

Tertiò, si calor præter naturam in corde augeatur, non solùm spiritus intus absumuntur & dissipantur, sed & accenduntur,ac propterea motus cordis & arteriarum augetur,vt,quod absumitur,restituatur,& calor refrigeretur. Fit autem hoc à caussis tum internis,tum externis, irâ,motu. Ita obseruauit Platerus, juuenem quendam admodum calentem, cum in exercitio pilæ irâ corriperetur, atque ita duæ caussæ conjungerentur, ita palpitatione cordis affectum fuisse,vt cum recolligere se non posset, nec hi motus remitterent, subitò extingueretur.

Hæc duo tamen caussarum genera posteriora valde excedere oportet, si cordis palpitationem excitare debent. Aliàs enim saltem vehementiorem aliquem,non verò deprauatum, arteriarum & cordis motum excitant. Ideóque nonnulli, vt dictum, primùm solùm caussarum genus admittunt, vtpote quod frequentissimè palpitationem cordis excitare solet.

Et omnino frequentior est palpitatio cordis,quæ fit per consensum aliarum partium,quàm quæ per primarium cordis affectum oritur. Habet enim cor cum pluribus partibus corporis consensum,& ab iis vapores ac flatus & humores recipere potest. Ab vtero quidem per arterias cùm spermaticas,tum hypogastricas,quæ à corde ad vterum descendunt; à liene, per arterias frequentiores per lienem dispersas, id quod scorbuticis non rarò accidit; ab hepate, per arterias ad hepar tendentes, & venam insignem dextro ventriculo cordis insertam,à pulmone etiam per communia vasa.

## *Differentiæ.*

*Differentiæ.* Differentiæ ex hactenus dictis ferè patent & à caussarum varietate præcipuè petuntur.Patet ex iisdem affici cor vel per idiopathiam, cum caussa morbi in ipso corde aut ejus vasis consistit, vel κατὰ συμπάθειαν, cum aliunde communicatur ex vtero,liene & aliis partibus.

## *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Malum hoc etiam ab ipso ægroto proditur & cognoscitur, manúque supra cordis regionem apposita deprehenditur. Estque hic motus in corde aliàs debilior,aliàs validior, & nonnunquam tam validus & vehemens deprehensus fuit, vt ab adstantibus audiretur, vt refert Christ.à Vega,*art. Medic.lib.3.cap.*8. & quidem etiam ex interuallo, vt ex Foresto dictum, aut vt costas vicinas cordi effringeret, vel sua sede dimoueret, aut in arteria ἀνεύρισμα pomi magnitudine efficeret. Quiete hoc malum remittit; exasperatur motu, æstu, balneo,ira,crapula,vsu vini potentioris, Venere. Caussarum autem varietatem discernere non ita facile est. Si à vapore & flatu originem ducat cordis palpitatio, repentina fit accessio, & à leui corporis motu excitatur,ac facilius quoque discutitur; respiratio est difficilis, sæpe accedunt tremor in genuis, oculorum tenebræ,sonitus aurium,& non rarò circa aliquam partem dolor, qui sponte statim cessat, percipitur. Qualis autem flatus sit vel vapor, ex humorum signis cognoscitur, cum vapor humoris, è quo eleuatur, naturam referat & retineat. Si verò humor sit caussa palpitationis, non ita subitò humor inuadit, & diutius durat, quàm cum à vapore palpitatio ortum habet. Qualis autem humor sit, ex signis humorum abundantium facilè innotescit. Et omnino siue humor siue vapor ab aliis partibus communicetur,ex partium illarum affectarum signis cognoscitur,& inprimis affectio hypochondriaca & mensium suppressio in fœminis latere non possunt. Difficiliùs aqua in pericardio abundans cognoscitur.Malum tamen etiam est continuum, & ægri conqueruntur, cor in aqua quasi detineri & suffocari,tandémque emaciantur, vt hecticâ correpti. Si humores sint praui,corrupti,maligni,venenati,magna varietas in pulsu apparet,præcipuè in magnitudine & paruitate.Magna enim est naturæ pugna. Accedit lipothymia,atque alia signa humorum venenatorum & malignorum adsunt. Si ab alia substantia cor grauante & premente est palpitatio,tum motus valde est præternaturalis,& inæqualiter ac præter naturam cor quasi exilit,vt vel propulset, quod molestum est, vel ibidem motu diastolin majori resarciat.Atque tales caussæ facilè è suis signis patent. Si tumor sit caussa palpitationis,notabilis in cordis pulsu apparet varietas,motus valdè è naturali statu recedit; ferè inæqualis ac inordinatus est. Et si tumor sit calidus, maxima in corpore erit inflammatio, sitis magna, difficilis respiratio,accedit lipothymia, & tandem mors sequitur. Si autem tumor durus sit in pericardio, motus est continuus, & æger sensim sine manifesta caussa & euidenti contabescit. Si caro vel simile quid cordi à primo ortu adnascatur,palpitatio quoque à primo ortu ad mortem vsque hominem comitatur.

Si verò ex spirituum defectu palpitatio cordis excitetur,patefit hoc non solùm ex caussis, quæ præcesserunt,spiritúsque dissipauerunt & assumpserunt,verùm etiam ex eo, quod pulsus crebrior est, & interdum celer,simúlque paruus,ob virium imbecillitatem.

Tandem si ob caliditatem nimiam præter naturam palpitatio cordis accidat, cognoscitur id ex signis febris,aliisque caussis calefacientibus:& præter frequentiam & celeritatem in pulsu magnitudo adest, dũ vires constant. Præterea motus hic paulatim deprauatur, & major est ac vehementior in diastole,quàm sistole.

## *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Palpitatio cordis omnis periculosum & non contemnendum malum est,ob læsum cordis motum, quo vita conseruari debet, & quæ frequenter ad syncopen deducit,tandémque hominem è medio tollit. Docétque Galenus,2.*aph.*41.*&* 5.*de loc.affect.cap.*2. omnes, qui juuenes, aut in declinante ætate sani subitò, sine vllo manifesto symptomate,palpitatione cordis correpti sunt, omnes ànte senectutem mortuos esse, alios per febres acutas, alios cum sani degenerent subitò syncope correptos, alios etiam citra syncopen apoplectico more. Frequens enim palpitatio signum erat,cor & partes vicinas debiles fuisse.

2. Palpitatio per idiopathiam cordis periculosior est,quàm quæ fit per sympathiam: quæ item ab interna caussa,quàm quæ ab externa;nisi magna sit externæ caussæ vehementia,vt veneni & ictus violentia.

3. Malum hoc sæpius recurrens tandem hominem jugulat, & quidem si à pericardio affecto proueniat, hominem lentè enecat,& ad tabem deducit.

4. Si proueniat à soluta vnitate vel tumore cordis, malum desperatum & insanabile est.

5. Periculosum quoque est, si à caussa venenata & maligna originem ducat ægríque tales rarò euadunt, sed citò moriuntur.

## *Indicationes.*

*Indicationes.* Curatio autem,vbi malum curam suscipit, ad duo inprimis dirigenda.Primum est,vt caussa quælibet,prout natura ejus postulat & indicat, tollatur.Alterum, vt cor familiaribus & calorem ejus innatum fouentibus roboretur. Nonnulli censent, & quidem ex Galeni,vt opinantur, sententia,omnes palpitatione cordis laborantes adjuuari sanguinis missione. Verùm & ipsa hæc sententia à veritate aliena est, & falsum, Galenum hoc scripsisse. Non enim Galenus, 5.*de loc.affect. cap.*2. omnes palpitatione cordis laborantes adjutos phlebotomia scribit, sed omnes, qui juuenes aut in

declinante ætate constituti sani repente cordis palpitatione correpti sunt, eos scilicet, qui palpitatione cordis laborabant ex sanguine vitioso cor opprimente, aut ex flatu crasso vel frigido, vel cum plethora pura aut impura, quæ adiuuat impetum huius flatus ad cor, aut eius generationem per oppressionem diminuto calore, aut etiam impediebat sua præsentia vsum remediorum sanantium calidorum. Si verò palpitatio cordis fit ex frigidis, pituitosis, crudisque humoribus, sanguinis missio non conuenit; cum humores illi sanguine detracto crudiores reddantur: sic & in aliis caussis, quas non tollit venæsectio, sanguinem mittere inutile est.

### *Curatio palpitationis cordis à Flatu & Vapore.*

...ratio palpitationis cordis à flatu & vapore. Venæsectio.

Sed vt de hisce in specie secundum caussarum varietatem dicamus, primò si à flatu & vapore cor molestante fit palpitatio, sanguisque simul redundet, vena aperienda est. Alioquin enim calidis flatus discutientibus commodè vti non possumus, quin potiùs calidiorum vsu materiæ affluxus ad cor augeretur. Aperiatur autem vena vel in dextro vel sinistro brachio, prout pulsus in hoc vel illo brachio magis inquietus est & pro redundantia eius ac virium robore sanguis emittatur. Vtile quoque foret, crurum venas aperire, vt materia deorsum retrahatur, præsertim in fœminis, quibus à mensibus suppressis malum originem habet. Licet & cucurbitulas cruribus affigere.

...morrhoi-

Hæmorrhoides, si prouocari possint, magnum in hoc malo auxilium afferunt, cum vix commodiore via sanguinem euacuare tum liceat.

Reliqua quod attinet, cum flatus & vapores ab humore sui generis foueantur, humores vitiosi tollendi medicamentis, non violentis, sed lenibus sæpe repetitis, vt materia per ἐπίκρασιν tollatur. Et cum malum hoc multorum morborum, imprimis melancholiæ hypochondriacæ & mensium suppressorum vterique morborum comes sit, curatio ad illos morbos dirigenda, cordialibus semper additis.

...morum ...cuatio.

Postea vapores discutientia & corroborantia exhibeantur, & ex iis nunc calidiora, nunc frigidiora, vt caussa morbi requirit. Monétque Auicennas, in omnibus morbis cordis fugienda esse vehementer calefacientia, quæ vires cordis dissoluunt; vehementer refrigerantia, quæ calorem labefactant, & spirationem difficilem reddunt; vehementer adstringentia, quæ fuliginès & excrementa retinent. Quæ autem cor calefaciunt, quæ item refrigerant, suprà, *de intemperie cordis*, sunt proposita. Temperata sunt, *aurum, margaritæ, corallia, os de C.C. lapides pretiosi bezoar, bolus Armena, terra sigillata.*

...ores discutientia & corroborantia.

...um citri ...oc malo ...lè efficax.

Oleum citri quoque cum conserua aliqua vel alio modo exhibita valdè efficax est ad flatus crassos discutiendos & cor roborandum. Insignem quoque vim habet rhaponticum verum Scr.ii. pōdere exhibitum cum vino, aut vinum, in qua eadem radix macerata est.

...tuaria.

Vel ℞. *Conseru. meliss. anthos, bugloss.* an. Vnc.i. *cortic. citri condit. rad. cond. scorzoneræ* an. Vnc.ß. *spec. diamosch. dulc. diambræ*, an. Scrup.i. *confect. alcherm.* Drach.i. *Cum syrupo tunic.*

F. Electuarium.

Aliud: Vel ℞. *Conseru. boraginis, tunic.* an. Vnc. ii. *confect. alcherm. theriac.* an. Drach. i. *spec. elect. de gemm. aromatic. ros. lætitiæ Galeni*, an. Scrup.i.

*Cum syrupo bugloss. & de cortic. citri.*

F. Electuarium.

### *Electuarium Langij.*

...t. Langij.

℞. *Conf. ros.* Vnc. iiii. *fl. tunic.* Vnc. i. *meliss.* Vnc.ß. *spec. diamarg. frig.* Scrup.iv. *galangæ* Scrup.i. *cinam. interior.* Scrup.iv. *garyophyll.* Scrup.ii. *doronic.* Scrup.i. *succin. alb.* Drach.ß. *nuc. mosch. condit.* Drach.ii. *zinzib. condit.* Vnc.ß. *cortic. citri, pinear. præp.* an. Drac.ii. *sem. melonum.* Drach.i. *manus Christi cum perlis* Vnc.ß. *marg. præp.* ℈.v. *fol. auri* N.iv. Cum *syr. acetos. citri.* F. Elect.

Vel ℞. *Confect. alcherm.* Drach.ii. *lapid. bezoar, margarit. præpar.* an. Scrup.ß. *ol. citri* gutt.iii. M. — Syrupi & potiones.

Detur Scru.ß. vel vnus cum aqua vel syrup. borrag.

Vel ℞. *Aqu. flor. borrag. in balneo destillat.* ℥.vi. *flor. citri* ℥.ii. *syrup. flor. borrag. tunic.* an. Vnc.i. *spiritus rosar.* Drach. ii. *aqu. cinamomi* ℥.ß. *carbuncul.* ʒ. ii. *magister. perlar.* ℈.i. *confect. alcherm.* ʒ. ß. M.

Dentur cochlearia duo vel tria.

Extra quoque applicentur sacculi è *melissa, flor. lauendul. rorismar. borrag. bugloss.* & aliis suprà enumeratis cordialibus parati, ac vino albo & aqua rosar. irrorati.

Vt ℞. *Flor. rosar. rorismar.* an. Drach.ii. *lauend.* Drac.i. *sem. angelic. cortic. citri, caryoph. cinamom. macis*, an. ʒ.ß. *croci* Scrup.i. *moschi, ambræ*, an. gr. vi. Cum sindone rubra.

F. Sacculus.

Aut applicetur epithema ex *aqua rosar. melissæ, lauend. borrag. card. benedict. cinamomi, carfuncul.* vel melissa viridis contrita & aqua rosar. ac maluatico irrorata super latere ignito calefacta cordi applicetur. Inungi etiam potest cordis regio *oleo citri, melissæ, caryophyll. macis, cinamomi*, vel solis, vel cum vnguento rosaceo mistis.

℞. *Vnguent. rosar.* ℥.ß. *ol. citri* ℈.ß. *cinamom. caryophyll.* an. gutt. vi. *Mosch. ambræ*, an. gr.iii.

M. Fiat Liniment.

Vel ℞. *Ladani puri* ℥.ß. *styrac. calamitæ, terebinth. mastich.* an. Drach.ii. *ol. citri, caryophyll. cinamom.* ana gutt. vi. *mosch. ambr.* an. gr.iii.

Subigantur in mortario pistillo calido addendo sub finem *ol. nucis mosch. expressi* Scrup.ii.

F. Emplastrum.

Vid. Vidius, *lib. 7. de cur. membr. c. vlt. p.* 292. cucurbitulas sine scarificatione applicare iubet, iisque magnam in discutiendis ac digerendis flatuosis spiritibus, qui in partibus internis inclusis continentur, inesse scribit.

Sunt & odoramenta valdè vtilia; cùm via non longa ad cor tendant, viresque valde reficiant.

℞. *Fol. meliss. ocymi caryophyllati*, an. Drach.ii. *cortic. citri, santal. citrini, caryophyll.* an. Drac.i. *croci* ʒ.ß. *ambr.* ℈.vi. *mosch.* ℈.iiii.

Ligentur in nodulo & irrorentur *aqua cinam. & rosar.* Vel Balsama ex enumeratis modò oleis olfacienda naribus illinantur.

Tandem in hac palpitationis cordis specie, quæ à flatibus prouenit, opera danda, vt materia flatuum distrahatur, & propterea clysteres purgantes & resoluentes flatus sæpius iniiciantur.

### *Curatio palpitationis cordis ab Humore.*

Curatio palpitationis cordis ab humore.

SI palpitatio cordis ab aqua in pericardio contenta originem habeat ea euacuanda & absumenda, ac corroborandum est.

Venæsectio.

Nonnulli hîc etiam venæsectionem præcipiunt, sed malè. Tantum enim abest, vt venæsectio eam euacuet, vt potius ad augendam faciat, calore debilitato.

Purgãtia humores serosos.

Quidam purgantibus humores aquosos vtuntur, verùm caussam antecedentem & humores serosos in corpore, quæ aquam augere possunt, talia euacuant: ipsam verò aquam in capsula cordis contentam euacuare non valent. Itaque efficacissima hîc sunt medicamenta aquam illam absumentia & discutientia tam interna, quàm externa.

Aquã in pericardio discutientia interna.

Inter interna sunt *confect. alchermes, spec. diambræ, diamoschi, aromat. rosati, theriaca, Mithridat.* & alia cordialia calidiora, vt, *decoct. ligni Guaiaci, sarsæparill. sassafras* cum *corticibus citri.*

Externa.

Extra verò vtile est, panem calentē à furno regioni cordis

cordis applicare, item spongiam vel linteum triplicatum decocto vel aqua aliqua cordiali discutiendi & exsiccandi vim habente madidum.

℞. *Spec. aromat.rosat. diamosch.* an. Drach. ii. *pulu. mac.caryoph.cortic.citri.*an. Drach.i.*flor.bugloss. citri*, an. Vnc. ß.

F. Sacculus ex sindone rubro, qui *vino albo* irroretur,& cordis regioni applicetur. Simul odorata medicamenta cordialia naribus admoueantur & cibis admisceantur.

*Vesicatoria.* Nonnulli vesicatoria cordis regioni applicant, quæ quomodo è cordis capsula per spatium thoracis in cauitatem, in musculos & cutem aquam attrahere possint,non video.

*Curatio palpitationis cordis ex humoribus aliis de transmissis.* Quæ verò ex humoribus è ventre inferiore transmissis oritur cordis palpitatio, eandem ferè curationem habet,quàm ea,quæ ex flatibus prouenit. Et omnino si palpitatio cordis per consensum fiat, præcipua curationis ratio est, vt pars affecta, quæ eam communicat, diligenter curetur.

*Purgatio.* Itaque primò vniuersales corporis purgationes instituendæ,& vel vena aperienda,vel humores vitiosi expurgandi, vel vtrumque agendum, pro humoris peccantis & membri materiam suppeditantis natura & ratione. Humores etiam ad cor ruentes reuellendi.Hercules Saxonia hoc Electuarium commendat,ad humorem tam pituitosum, quàm melancholicum in hypochondriaca affectione & cordis palpitatione:

℞. *Meliss. ocymi, bugloss. borrag. betonic. agrimon. puleg.*an.M.i.*cortic.citri* Vnc.ß. *sem.citr.* Vnc.i,*caryoph. cinamom. ligni aloes,macis*.an.Drac.i.*fol.sem.elect.* Vnc.

*Indicationes.* vi.*Epithymi,polypod.q.*an. Vnc.iiii.*mirobalan.chebul.citrin.*an.Vnc.i.*passul.enucleat.* ℔.i.

Aromata ligentur in nodulo, & omnia bulliant in s. q. aquæ ad dimidiæ partis consumptionem, vel,quod commodius est, dimidium saltem aquæ, quæ aliàs ad coquendum sumi solet, affundatur, & in vase clauso in Balneo per triduum macerentur,exprimantur & clarificentur.

Hinc adde *pulp.prunor.* ℔.i. *cinam. el.* Vnc.ß. *facch. albi* q.s.

Coquantur ad iustam consistentiam, vel potiùs saccharum sufficienter inspissatum addatur.

*Cauteria & vesicatoria.* Ad materiam reuellendam in diuturnis & frequentibus cordis palpitationibus cauteria & vesicatoria vel brachiis,si materia à capite defluat,vel cruribus, si palpitatio cordis fit per essentiam, aut à partibus inferioribus ad cor transmittatur,vtilia sunt.

*Cautela.* De vesicatoriis tamen hoc monet Mercurialis, ne cantharides vsurpentur; cùm vim malignam & cordi aduersam habeant, sed potiùs ranunculus, flammula Iouis,sinapi & similia.

*Corroborandum.* Hinc corroborandum medicamentis modò enumeratis,& inter ea inprimis lapide Bezoar, margaritis, lapid. pretiosis. Et quidem in materia frigida, theriacam, præsertim extra adhibitam, valdè commendat Mercurialis, narratque, Maximilianum Imperatorem, cui palpitatio cordis familiaris erat, sibi retulisse, se nullum remedium theriacâ melius inuenisse.

Nonnulli quadrupedum & auium corda, vt cerui, bouis, porci, turturis commendant, & præsertim assa peculiari proprietate prodesse docent. Valeriola, *lib.4. obseru. 6.* succum ex veruecum cordibus cum cariophyllis sine liquore vllo in vase duplici paratum commendat. Qualis succus & ex aliorum animalium cordibus parari;hincque hæc Aqua additis medicamentis cordialibus destillari potest:

℞.*Cor cerui* vel *bouis* N.i.*meliss.*M.i.*flor.cordial.*M.ß. *cortic.citri* Vnc.ß.*sem.ocymi* Drach.i. *caryoph. cinamom. santal.citrin.*an.Drach.i.*croci* Drach.sem.

Affundatur *vini* q.s. ac destillentur. Aliæ duæ descriptæ *extant in Institut. lib.5. part.3. sect. 3. cap.9.*

Efficaciores fiunt aquæ, si *moschi*, *ambræ*, an.Scrup. sem.in alembico suspendantur.

Mercatus hanc commendat:

℞. *Corda turturum* N. ii. *ceruorum* vel *bouis* N. iii. *caryophyll.galangæ*,an.Drach,ii.sem. *macis* Drach.ii.*flor. bugloss.borrag.*an.p.i.*rorismar.*p.ii.

Affundatur *vini* q.s.Stent per noctem, postea destillentur.

Efficax est & elixir cordiale in Institut. *loco allegato*, propositum, Vt & hæc Aqua.

℞. *Flor. borrag. rorismar. rad. bugloss.* an. Vnc. iij. *croci* Drach.i.*succi cydonior.*℔.ß.

*Vini* q. s. Stent in infusione per dies 14. postea destillentur.Dosis ab ℥.ß.ad ℥.i. cum ℥.ii. vini albi generosi vel maluatici in caussa frigida;in caussa calida cum aqua borraginis. Vel propinetur hoc Vinum:

℞. *Rad.helen. Angelic. zedoar.galangæ scorzon.* ana Drach.ii. *cortic.citri* Vnc.i. *caryophyll.cinamom.*an.℥.ii. *sem.coriandr.præpar.*℥.ß.*flor.anthos* ℥.ii.*meliss.* M.i.

Affundantur *vini albi* ℔.xviii. Plura talia vide apud Rondeletium,*l.2.c.17.* Iohan. Langium.*l.3.epist.*

### *Curatio palpitationis cordis à reliquis caussis.*

*Curatio palpitationis cordis à reliquis caussis. A vermibus.* Si à Vermibus in capsula eius palpitatio cordis fiat, vermes interficiendi, vt supra, *de vermibus in capsula cordis genitis*, dictum. Ad eosdem autem euacuandos & lapis Bezoar adhibetur.

*A Spirituum defectu.* Si à Spirituum defectu fit palpitatio, curatur spiritus reficientibus & corroborantibus,inter quæ inprimis, si morbus id patitur, vtile est vinum odoratum, & aquæ ac spiritus cordiales, quorum hactenus facta est mentio.

*A calore nimio febrili.* Quæ ex Calore nimio & in Febribus accidit cordis palpitatio, tollitur medicamentis calorem febrilem temperantibus, & iis,quæ supra, *de intemperie cordis calida*, proposita sunt.

### *Diæta.*

*Diæta.* Victus ratio à medicamentis non discrepet. Aër sit purus & alteretur cordialibus compositis, prout caussæ ratio id postulat. Eodem modo cibus & potus sese habeat, qui caussæ aduersetur, cor verò roboret. Si caussa sit frigida, flatus crassi, materia melancholica, cibo attenuante & calefaciente opus est; & propterea cibi condiantur aromatibus, & aliis cordialibus calidis. Vinum sit tenue, odoratum, & ad dulcedinem vergens,vel cereuisia clara & defecata, qui potus herbis & aromatibus conuenientibus condiri possunt. In caussa calida cibi condiantur acetosis cordialibus,vt succo citri, limonum,arantiorum granatorum, acetosæ, ribes.

Potus sit aqua hordei cum succis iisdem & eorum syrupis aut cereuisia tenuis. In spirituum defectu nihil vtilius vino odorato, quod subitò spiritus reficit. Animi & corporis motus nimii, vigiliæ, exercitia nimia, Venus præcipuè, ira, tristitia, aliæque animi perturbationes vitentur.

## CAPVT V.

### *De Virium Imbecillitate.*

*Virium imbecillitas.* VT in palpitatione cordis eius pulsatio deprauatur: ita quandoque accidit, vt eodem modo eius & arteriarum motus imminuatur: quod malum vulgò virium imbecillitas,Germani, *Schwachheit*,appellatur. Etsi enim virium nomine etiam aliæ functiones intelliguntur: tamen præcipuè vitales actiones per eas accipiuntur; & propterea hoc loco de ea agere placet.Itaque Virium defectus & Imbecillitas dicitur,cum vires

vitales

vitales atque cordis & arteriarum præcipuè læduntur. Adeſt quidem & tum motus impotentia, ſed differt ea ab ea motus impotentia, quæ, *lib.1. part.2. cap.26.* fuit explicata, quod illa, viribus & actionibus cordis ſaluis, neruoſo genere inprimis affecto, accidit; hæc verò potiſſimum corde læſo & ſpiritibus deficientibus ortum habet, vnde labes illa etiam animali facultati communicatur; dum ſpiritus vitales animalium materia,non ſufficienter generantur, nec calidum natiuum omnium partiũ influente calore & ſpirituum vitalium influxu ſatis fouetur. Hinc in hac virium,imbecillitate vniuerſum corpus actiones ſuas difficulter perficit,& ægrè etiam mouetur,partibus non reſolutis, vt in motus impotentia, ſed languidis & conquaſſatis. Arteriarum quoque motus ſeu pulſatio tunc etiam imminuitur,nec eæ, vt ſolent & debent,dilatantur,fitque pulſus vel paruus, vel languidus, vel tardus, vel rarus, vel intermittens, vel obſcurus, aut miurus,aut formicans, aut vermiculans, provt imbecillitas hæc maior, vel minor eſt. Eodem modo vt arteriarum motus, ita & cordis motus ſeſe habet. Eſtque hæc virium imbecillitas maxima paulò ante mortem in agone dicto.

*Cauſſæ.*

*Cauſſæ.* Imbecillitas autem hæc ortum habet à ſpirituum & calidi innati ſeu ſubſtantiæ ſpirituoſæ, à quo vita & robur partium dependet, defectu, Spiritus autem hic inſitus cum foueatur à ſpiritu vitali, in ſiniſtro cordis ventriculo genito, & per arterias in vniuerſum corpus diffuſo, qui inde influens ſpiritus dicitur: ſi primò ſpiritus ille vitalis non ſatis copiosè & rectè à corde in partes omnes influat; inſitum etiam atque hinc omnes totius corporis vires debilitari neceſſe eſt. Qua ratione autem & quibus de cauſſis ſpiritus vitales deficere poſſint, *capite ſequenti*, dicetur, ſcilicet, quod vel non generantur, vel quod generati diſſipanturaut ſuffocantur. Quæ cauſſæ omnes etiam hic locum habere poſſunt, niſi quod in lipothymia & ſyncope ſpiritus vitales penè toti & ſubitò deficiunt,in virium verò imbecillitate pauciores, quàm debebant, partibus communicantur.

Deinde cùm ſpiritus inſitus non ſolùm influente foueri debeat, ſed etiam humido primigenio, quod appellatur,cui inſideat,tanquam pabulo indigeat,ſi humidum iſtud deficiat & imminuatur, etiam ſpiritum inſitum debilitari,& vires labefactari neceſſe eſt.

Tertiò ſi etiam ipſa ſpirituoſa partium ſubſtantia, ſeu ſpiritus inſitus vel calor innatus dictus imminuitur in toto, virium in toto corpore imbecillitas ſequitur. Accidit autem hoc ab iiſdem cauſſis, quæ ſpiritum influentem diſſipare vel ſuffocare poſſunt, quæ, *capite ſequenti*, proponentur. Fit nimirum cùm humidi primigenij, tum caloris inſiti, ſeu, vt vtrumque vno nomine complectamur, calidi inſiti imminutio à nimia Venere, ſanguinis, & aliis euacuationibus, quæ ſpiritus diſſipant; dolore nimio; animi affectibus, & præcipuè timore & mœſtitia diuturna; morbis acutis & longis, inprimis febribus, quæ & cordis & omnium corporis partium humidum primigenium exhauriunt, & calidum natiuum diſſipant, calore & æſtu externo; labore & exercitio nimio; frigore nimio; vt & otio, quo calor natiuus quaſi ſuffocatur & torpidus redditur; humoribus vitioſis, qui per totum corpus diffunduntur, & calidum natiuum opprimunt, vnde inſolita virium debilitas imminentium morborum ſignum eſſe ſolet; venenis tandem & venenatis qualitatibus,quæ cordi & calido natiuo totâ ſubſtantiâ aduerſa ſunt.

*Signa Diagnoſtica.*

Ipſum malum per ſe patet, ægrique de virium omnium debilitate conqueruntur. Cauſſæ verò ex iis quæ præceſſerunt vel adſunt, cognoſcuntur, & *capite ſequenti*, etiam explicabuntur.

*Prognoſticum.*

*Prognoſticũ.* Quid autem periculi portendat, id omne ex cauſſarum grauitate vel leuitate æſtimandum. Provt enim cauſſa,quæ virium debilitatem inducit, grauior vel leuior eſt:ita etiam virium imbecillitas plus vel minus periculi portendit.

*Indicationes.*

*Indicationes.* Curatio in duobus conſiſtit, primò vt cauſſæ,ſi adhuc adſint, tollantur, nimirum ſi euacuatio aliqua nimia ſit, ſupprimatur; ſi à dolore ſpiritus diſſipentur, vt is leniatur & mitigetur; ſi ab animi affectu nimio, vt ei modus adhibeatur; ſi morbus vel febris adſit,curetur; ſi immineat, humores vitioſi expurgentur; ſi ex otio calor torpeat,corpus exerceatur;ſi à qualitate maligna calor deſtruatur, ea expugnetur. Secundò vt calidum inſitum & ſpiritus vitales influentes conſeruetur.

*Curatio.*

*Curatio.* Quâ ratione autem cauſſæ iſtæ tollendæ ſint,aliunde & ex ſequenti quoque capite patet. Quapropter ſaltem hîc,qua ratione calidum inſitum & ſpiritus influentes conſeruari, inſtaurari & augeri poſſint, dicemus: etſi etiam ſuprà, *de intemperiebus & morbis cordis*, hâc de re dictum ſit, quod ibi videri, & huc transferri poteſt. In medicamentis tamen exhibendis ad cauſſas ſimul reſpiciendum, ne dum ſpiritus reficere volumus cauſſam augeamus. Ideoque in imbecillitate virium à febre acuta vel hectica calefacientia & exſiccantia non conueniunt,ſed temperata exhibenda.

*Odorata ſpiritus reficiũt.* Vtilia autem hîc ſunt inprimis medicamenta cordialia ſupra propoſita,è quibus pro cauſſæ ratione conuenientia eligantur. Ideóque hic compoſita quædam ſaltem proponemus; è quibus cuilibet morbo commoda eligi poterunt. Inprimis verò gratum odorem ſpirantia ſpiritus valde recreant; præcipuè ſi aliorum odoratorum vi imprægnetur, qualia ſunt, *moſchus, ambra, cinamomum, caryophylli, macis, crocus, zedoaria, cortices citri, lignum aloes, ſantalum, ſtyrax, ladanum, roſa, violæ, lauẽdula, roſmarinus, ſpica nardi, meliſſa, ruta, ſaluia, &c.* Vtile etiam eſt acetum, præcipuè ex maluatico,& inprimis roſis,fl.lilior.conuallium,ruta, pulegio, ſucco rubi Idei imprægnatum.

*Aqua odorifera cordialis, pro naturis calidioribus.*

*Aqua cordialis pro calidis.* ℞. *Caponem*, abſcinde caput & pedes, exenteretur, & pinguedo remoueatur. Incidatur minutim & affundatur atque addatur,

*Aq.bugloſſæ,cort.citri,borrag.cichorij,acetoſæ,roſar.* an. canth.f. *flor.ſtœchad.Arabic.chamæmel. Romani,borrag. bugloſſæ*,ana M.j. *ſpec.aromat. roſati, diarrion. ſantal.cinamom. acutiſſ.* ana Vnc.ß. *ſantali citrini odoriferi* ℥.j. *pomor citri recent.* N.iiii.

Incidantur incidenda minutim fiatque deſtillatio ſecundum artem: datur ad placitum ſumentis ab *vncia ſemis ad vnciam vnam.*

*Aqua inſtaurans dicta.*

*Aqua inſtaurans.* ℞. *Iuris capi* & *cordis bouis* vel *cerui ſimul perfectè cocti menſ.*j.*vini maluatici,pomum arantiũ* vel *limonium* vel *aliud* vt dictum, *diſſectum in partes*, vnum *vel* duo. *rad.galangæ,fol.meliſſæ*,an.ʒ.j *cinamomi* ℥.ß. *caryophyll.* ʒ.ij.*ſem.coriandri,ocymi,flor.roſar.rubr.ſcabioſæ,bugloſſ.*

*vtriusque* an. Drac. i. *croci* Scr. i. *rasuræ C.C. eboris*, an. ℥. i,
Misce eliciatur Aqua.

Quæ per se datur, vel cæteris commixta.

### *Aqua odorifera pretiosa:*

℞. *Flor. lilior. conualli.* M. ii *rosar. rubr. opt.* M. vi. *lauendulæ* M. i. *borrag. bugloss.* an. M. ii. *fol. saluiæ, maioranæ, hyssopi, rorismarini*, an. M. iii. *melissæ, menthæ crispæ*, an. M. i. *cinamom. acutiss. cubebar. styrac. calamitæ*, an. Vnc. i. *macis, piperis long. cardamomi minor. nuc. mosch. garyophyll.* ana Vnc. ß.

Tusis & incisis minutim, ac repositis in cantharum magnum, affunde *vini maluat.* & *aq. rosar. opt.* ana căth. ii. digerantur ad triduum, quotidie ter agitădo: dehinc fiat destillatio igne lentiss. & in capitello vel rostro ponatur *ambr. moschi* ana Drach. ß. cum sindone rubr. Detur imbecillo vel naturâ vel vi morbi cochleare vnum sæpe, & humectentur in hoc destillato lintea pura, quæ admoueantur cordi, temporibus, pulsibus ac naribus.

### *Aqua vitæ odorifera pro naturis frigidioribus & adultis:*

℞. *Spiritus vini rectificati* ℔. ii. *croci, caryophyll. granor. paradisi, nuc. mosch, macis, cinam. masticbes, cardamomi, zedoriæ, cubeb, rosar. rubr.* ana Drach. i.

Puluerisentur crasso modo, fiatque infusio ad octiduum, dehinc fiat colatura citra expressionem, & adde *minæ cydonior.* Vnc. vi. Misce. Datur pro vice cochleare vnum: roborat stomachum, hepar, splenem. & cor, renibus etiam in expellenda serositate vires addit: potest mane, ac serò sumi ante somnum.

### *Alia aqua odorifera:*

℞. *Flor. rosar. opt. recent.* Vnc. vi. *spicæ nardi vulgar. rec. berb. rorismar. maioran.* ana Vnc. i. *basilici, thymi, satureiæ* ana Vnc. ß. *cortic. citri recent.* Vnc. ii. *ligni aloes odoriferi, cinam. elect.* an. Vnc. i. *garyophyll.* Vnc. ß. *rad. ireos Florent.* Drach. vi. *storac. calam. asæ dulcis* an. Vnc. ß. *vini maluatici, aq. rosar.* an. ℔. iiii. *lauendul. meliss.* an. ℔. i.

Viridia incidantur, arida verò in puluerem redigantur, Solique exponantur per 7. vel 9. dies: deinde destillentur lento igne in vase duplici. Præparanda est hæc aqua tempore æstiuo: datur intra corpus vncia semis, extra eâ pulsus & nares humectentur: potest etiam manibus irrorandis ac lauandis adhiberi.

### *Iulebi* & *potiones:*

℞. *Confect. Alkermes* Scr. i. *pulu. diamarg. frig.* ʒ. ß. *syr. de acetos. citri* ℥. ß. *de papauere* ʒ. iii.
Cum *aq. rosar. bugloss.* & *cinamomi*,
Fiat potio.

Hæc & in doloribus hominem prosternentibus vtilis, auctâ præsertim *syr. papauerini* quantitate.

### *Alia, quæ & in veneno sumpto conueniet.*

℞. *Confect. de hyacinth.* Drach. ß. *syr. acetos. citri* ℥. i. *aq. scabios. meliss.* an. q. s.
Fiat Potio.

Rotulæ manus Christi & diamargariti frigidi sint in frequenti vsu, vel rotulæ & morsuli supra, *partis huius cap.* 2. propositi.

Vel paretur talis Mistura: ℞. *Pulu. sacch. opt.* q. v.

Humectetur probè cum *aqua cinamomi optima*, quo nonnihil fluidum reddatur saccharum, cui adde *aliquot guttas spiritus vitrioli* pro acetositate manifesta; vlterius admisce

*ol. cinamomi* gutt. iiii. *caryophyllorum* gutt. ii. *macis, nucis mosch. destillat. anisi*, ana gutt. iii.

Probè inuicem miscendo detur cum cochleari argenteo ad placitum.

### *Electuarium confortans.*

℞. *Conf. rosar. rubr. borrag. bugloss. tunicis, melissæ*, ana Vnc. i. *spec. diaxyloales* Vnc. ß. *cortic. citri condit.* Drach. vi. *rad. condit. eryngij, satyrij.* ana Vnc. ß. *confect. alkermes* Drach. ii. *spir. rosar. essentiæ citri*, ana Drach. ß. *ol. cinamom*, gutt. vi.
Cum *syr. fl. borragi.*
Fiat Elect.

Plura eiusmodi medicamenta videantur, *cap. praeced.* vt & *sequente.*

Externa quoque antea proposita pulsibus, cordi & naribus applicentur.

### *Diæta.*

*Diæta.* Æger nutriatur alimentis, quæ bonum & multum succum præbent, ac facilè concoquuntur, eáque in quantitate parua, sed sæpe exhibeantur, potissimùm senibus, & qui è morbo conualescunt, aut ex magnis euacuationibus vires perdiderunt. Et si vis coquendi sit debilior, vt crassiores cibos concoquere non possit, dentur iura instaurantia, in Institut. *lib.* 5. *part.* 3. *sect.* 3. *cap.* 2. *proposita.* Præcipuè vinum odoratum, quale est Rhenanum & Neccaricum, & panis albi mica eo madida vires valde instaurat, cui pro morbo exigente succus citri, vel granatorum, vel simile quid addi potest.

## CAPVT VI.

### *De Lypothymia & Syncope.*

*Lypothymia & syncope.* Qvandoque verò accidit, vt arteriarum motus ferè tollatur: quod malum, provt varios gradus minoris & maioris ratione differentes habet, ita etiam variis nominibus exprimitur.

Ἔκλυσις leue est animi deliquium, λειποθυμία & λειποψυχία & ἀποψυχία grauius; συγκοπὴ grauissimum. Quæ si eo vsque deueniat, vt in toto corpore pulsatio aboleatur, ἀσφυξία nominatur, quæ proximus ad mortem gradus est. Differre autem ἔκλυσιν à λειποθυμία vel λειποψυχία, patet ex eo, quod Hippocrates, 7. *aphor.* 8. scribit: *A tuberculi introrsum eruptione* ἔκλυσις καὶ λειποψυχία oritur. Et Ægineta, *lib.* 3. *cap.* 34. inter syncopes signa ἔκλυσιν & λειποψυχίαν nominat. *Ἔκλυσι à λειποθυμία & λειποψυχία differt.* Apud Hippocratem quidem & antiquos Græcos vox συγκοπὴ vsitata non fuit, qui affectum hunc λειποθυμίαν & λειποψυχίαν & ἀσφυξίαν appellarunt: *Syncopes vox Hippocrati non in vsu fuit.* paulo tamen ante Galeni tempora hæc vox inuenta, & in specie tribuitur grauiori malo, quam est λειποθυμία & λειποψυχία. Hæc enim inter has voces genuina est differentia. Nam vt docet Galenus, *de art. curatiu. ad Glauc. lib.* 1. *cap.* 14. λειποθυμία est syncope imperfecta, & præterea syncopen semper præcedir, atque in λειποθυμία sensus nondum planè aboletur, & in ipso paroxysmo ægri vident, audiunt & intelligunt, quæ audiunt, licet non possint nutu aut signo demonstrare cogitationes. Præterea, vt Aetius, *tetrab.* 2. *serm.* 1. *cap.* 101. docet, in λειποθυμίᾳ ægri non sudant, in syncope verò sudationes accidunt, quæ ideo etiam syncopticæ dicuntur. Cum enim in syncope vires magnoperè prosternantur, & calor ad interiora refugiat, humidum partium solidarum rectore destitutum ad exteriora defluit. Ac frigidi sunt ii sudores, quia calor naturalis regens partes solidas in syncope vel extinguitur, vel extinctioni proximus est; quod à partibus illis profluit. In lipothymia verò sudores non exeunt, quia vires in hac non ita collabuntur.

Quidam

Quidam tamen hanc Aetij ſententiam & differentiam non ſimpliciter admittũt, putántque, etiam in lipothymia aliquando aliquem ſudorem accidere poſſe, & in ſyncope corpus ita diſpoſitum eſſe poſſe, vt vix aliquis ſudor erumpat.

*pothymia ſyncope an lum gradi- u differãt.*

Sunt quidem nonnulli, qui lipothymiam & ſyncopen non ſolùm maioris & minoris ratione diſcrepare putant; & longè maiorem eſſe differentiam exiſtimat Mercatus, atque lipothymiam eſſe affectum cerebri, & in ea ſolùm & primariò cerebrum offendi, ſeu eſſe caſum ſubitum animalis potentiæ, qui fiat retrocedentibus ſpiritibus animalibus ad cerebrum ipſum, quo accidat, vt inſtrumentâ ſenſuum & motus ſpiritibus deſtituantur, atque ita actiones ſuas exequi non poſſint: ſyncopen verò eſſe proprium cordis affectum, & in eo cor primùm pati, & hinc ob dependentiam, quam cum corde habent, alias actiones omnes lædi. Verum falſa & tanto viro indigna eſt hæc opinio, & in lipothymia non tam ſpiritus animales, quàm vitales læduntur, id quod ſymptomata, quæ in lipothymia adſunt, & cauſſæ, quæ eam excitant, ac cor, non cerebrum afficiunt, ſolúmque à cauſſis ſyncopes magnitudine differunt, ſatis docent. Ideóque in omni lipothymia pulſus (quanquam Mercatus ſine ratione contra experientiam, id negat) aliquo modo læditur, nec planè ſaluus eſt. Quod verò ſimul facultas animalis afficitur, ideo fit, quia ſpiritus animales ſalui eſſe non poſſunt, ſi vitales rectè ſeſe non habent, cum illi ex his generétur. Quapropter lipothymia non cerebri, ſed cordis affectus eſt, in quo ſenſus & motus ideo læduntur, quod ſpiritus vitales cerebro non communicantur.

Cælius Aurelianus & Aretæus, *in inſcriptione cap.3. lib.2. de morbis acutis*, cardiacam in genere appellat. Quia tamen καρδία non ſolùm cor; ſed & orificium ventriculi ſignificat, in ſpecie nonnulli eam ſyncopen, quæ oris ventriculi conſenſu fit, cardiacam appellant. Alii verò & magis propriè eam ſyncopen ſimpliciter cardiacam vocari debere cenſent, quæ primario cordis affectu fit, eam verò, quæ ex oris ventriculi fit conſenſu ſtomachicam eſſe nominandam, vt docet Galenus, 5. *de loc. affect. cap.2.* 12. *meth. med. cap.5.* 5. *de victus ratione in acutis text.59.*

### *Definitio.*

*Definitio.*

Eſt ergo animi deliquium, vt Galenus, 12. *meth. med. cap.5.* definit, præceps virium lapſus, id eſt, ſubita actionum vitalium, & conſequenter animalium, imminutio, ſicut ſyncope penè earum abolitio, ob ſpirituum vitalium vitium, & denegatum in alias partes influxum.

### *Cauſſæ.*

*Cauſſa.*

Itaque pars primariò affecta eſt Cor. Cauſſa proxima eſt ſpirituum vitalium, ſine quibus cor, nec vlla alia pars in corpore ſuas actiones edere poteſt, ſubitus defectus; id quod ſubita huius mali inuaſio ſatis teſtatur. Spiritus autem vitales ad alias partes non influunt, vel quia non generantur, vel quia generati diſſipantur & diſſoluuntur aut ſuffocantur. Non generantur, vel defectu materiæ, vel generatrice eorum facultate ſeſe non rectè habente. Deficit materia in nimia ſanguinis euacuatione. Quanquam & tum ſpiritus ſimul diſſipentur. Quò etiam facere poteſt calor intenſus & perſeuerans, qui non ſolùm ſpiritus diſſipat, ſed & eorum materiam abſumere poteſt. Spiritus a. vitales ex tenuiſſima ſanguinis parte generantur, quæ à calore magno & diuturno abſumitur, idque in iis faciliùs accidit, qui humores tenues, & corpus ad διαφόρησιν aptum habent; de quo Galenus, 12. *meth. med. cap. 6.* Facultatis autem generatricis cauſſa ſpiritus non generantur, cum ipſa cordis ſubſtantia, quæ ſpiritus generat, ſeſe rectè non habet; quod fit in morbis, qui temperiem cordis valde immutant, calidúmque eius natiuum abſumunt, quales ſunt febres ſyncopticæ, malignæ, peſtilentes, colliquantes, hecticæ, μαρασμώδεις, item morbi compoſitionis, & ſolutæ vnitatis, qui ſi ſint paulò grauiores, à ſyncope ad vitam nullus datur regreſſus, ſed hominem iugulat.

Spiritus verò generati abſumuntur & diſſipantur ac corrumpuntur variis de cauſſis. Primò ſpiritus corrumpuntur aut certè inſigniter mutantur &, afficiuntur à maligna ac venenata cordi ac ſpiritibus vitalibus peculiariter aduersâ materiâ, ſiue illa in corpore generetur, id quod accidit in febribus malignis, aut cum vermes in aliquo loco ſtabulantur, vel ſanguis menſtruus, aut alius humor corruptus alicubi in corpore deliteſcens putres ac malignos vapores ad cor mittit, ſiue extra adueniat, id quod fit, cum aer malignus & venenatus vel venenum admotum, vel morſu aut ictu animalium venenatorum corpori communicatur. Quò pertinent & peculiares antipathiæ, cum quidam rerum aliis non ingratarum odorem, conſpectum, vel præſentiam ferre non poſſunt, ſed eâ de cauſsâ animo deficiunt. Deinde à corde auertuntur, reſoluuntur & diſſipantur ſpiritus vitales variis de cauſſis. Nimirum calor inſignis ſpiritus ad exteriora euocat & diſſipat. Quò pertinent febres ardentes, æſtus aeris, balnei, corporis motus nimius, perturbationes animi nimiæ, ira, περιχάρεια ſeu effuſum gaudium, quo alios ſyncope correptos, alios mortuos eſſe legimus, vigiliæ, fames & inedia diuturna, Venus nimia, dolores vehementes, colici, oculorum, dentium, oris ventriculi & aliarum partium, inprimis earum, quæ magnum cum corde conſenſum habent, euacuationes nimiæ, vel ſanguinis per nares, vterum, hæmorrhoïdes, vulnus; phlebotomiam, vel humorum excrementitiorum, per vomitum, aluum, vrinam ſudores; quæ excretiones, inprimis ſi cum dolore coniungantur, id quod fit in dyſenteria, vires valde proſternunt; aut ſi abſceſſus ſubitò rumpatur, de quo Hippocrates, 7. *aph.8. A tuberculi intus ruptione exſolutio, vomitus & animi deliquium accidit:* aut ſi hydropicorum aquæ aut empyicorum pus ſubitò euacuatur. Et vt ſpiritus faciliùs diſſipentur, facit corporum & humorum natura in iis, qui tenues ſuccos habent, vt faciliùs exhalent, & διαφόρησιν patiantur; de quibus Galenus, 12. *meth. med. cap.6.*

Tertiò ſuffocantur & obruuntur ſpiritus vitales, vel cum ſpiritus & ſanguis ſubitò ad cor confluit, quod fit in febre ſyncopali, ex humore crudo cum oris ventriculi offenſione, de quo Galenus, 12. *meth. med. cap.3.* & conſternatione nimia & repentina, quam Græci ἔκλυσιν nominant, Galen. 12. *meth. med. cap.5.* vel in vulneribus partium vicinarum vel cum vapores craſſi à ventre inferiore attolluntur, & humores craſſi ac frigidi arterias replent, vt ſpiritus liberè moueri non poſſint, vel cum circa cor & membra vicina copiosè fuligines cumulantur, & læsâ reſpiratione non expelluntur.

Hiſce cauſſis hactenus enumeratis addit adhuc aliã Carolus Piſo; *de morbis ab illuuie feroſa, cap. de morbis thoracis*, ſtatuítque, etſi cauſſæ hactenus enumeratæ omnes abſint, tamen accidere poſſe ſyncopen, quæ hominem in momento ferè iugulet, ab interceptione ſeu obſtructione nerui ſexti paris cordi implantati, ab humore ſeroſo è cerebro repentè in eum defluente. Docet enim cor accepto à cerebro motus principio moueri, ideóque ſi ætate florente vel conſiſtente & in corporibus calidis & humidis & εὐσάρκοις ſeroſa in capite colluuies abundet, & in principium neruorum irruat, ac vel guttula ſaltem eius in neruum cordi inſertum aberret, ſpiritu animali non denegato, cordis motum ſubitò intercipi, hominémque inopinatò mori. Quod ante ipſum etiam docuit Piccolomineus, qui ſtatuit, neruulos illos exiles, qui à ſexta cõiugatione cordi inſeruntur,

inferuntur,ei vim motoriam præter ſenſum tribuere.

Verùm in hac opinione illud magnum paradoxum eſt, motum cordis pendere à facultate animali, & non ſui generis ac peculiarem eſſe, qui vitalis dicitur. Et ſi ab hoc neruulo obſtructo fieret non ſolùm ſyncope, ſed & mors, accidere idem deberet, vbi in apoplexia totum neruorum principium affectum. At videmus in apoplecticis nihilominus cor moueri & pulſum durare, Et experientia etiam ſe didiciſſe ſcribit Spigelius, falſam eſſe Piccolominei ſententiam, cum plurium animalium corda exempta è corpore abſciſſo penitus neruo aliquandiu mota fuiſſe obſeruarit. Ideóque cuilibet perpendendum relinquo, annon illi, quorum, vt ſyncope ſubito extinctorum, allegat hiſtorias Carolus Piſo, apoplexia forti exſtincti fuerint, & memini aliquos iis ſimiles, quos Piſo deſcribit, habitu ſcilicet corporis carnoſo, ætate conſiſtente, ſubitò concidiſſe,& nullum verbum protuliſſe, ac poſt horas non multas mortuos fuiſſe, qui tamen reuera fuerunt apoplectici,cum motus cordis & pulſus in iis permanſerit aliquandiu, facultatis verò animalis affectæ ſigna euidentia adfuerint.

### *Differentiæ.*

*Differentiæ.* Differentia illa, quæ ſecundum maius & minus eſt, non ita magni momenti eſt, cum curationem non ita variet. Magis illa attendenda, quæ à cauſſarum diuerſitate ſumitur, & quod alia ſit per primarium cordis affectum, alia per conſenſum vteri & lienis. Nimirum quinque, quæ curationem variant,differentiæ ſunt attendendæ,quarum tamen ſingulæ rurſus aliquas particulares differentias habent.

Prima eſt, cum materia ſpiritibus generandis ſubtrahitur quocunque modo; quod præcipuè accidit in corpore raro,& quod humores tenues habet, qui facilè diſſoluuntur.

Secunda, cum ob morbum aliquem cordis œconomia eius & ſpirituum generatio læditur.

Tertia, cum maligna & venenata materia ſpiritus corrumpit, vel inſigniter mutat,ſeu in corpore genita, in febribus malignis,ſeu extra communicata; quò pertinet & opiatorum vſus.

Quarta cum ſpiritus diſſipantur & abſumuntur à calore nimio,motu corporis & animi,vigiliis,inedia,euacuationibus immodicis,abſceſſuũ eruptione,& aquarũ ſub cute euacuatione confertim facta,doloribus.

Quinta, cum ſuffocantur ſpiritus vel ab humore crudo in febri ſyncopali aut animi conſternatione, aut à vaporibus,ſeu intra genitis,ſeu extra communicatis.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* In lypothymia, quæ ſyncopen antecedit, pulſus eſt languidus,paruus, inæqualis, facies pallore ſuffunditur,ex recurſu ſpirituum & ſanguinis ad interiora: qua de cauſſa & extrema frigent, oculis tenebræ ſuffunduntur, aut viride vel flauum quid iis obuerſari videtur. Sudor ſæpe diaphoreticus apparet, præcipuè circa frontem; quoniam partes calore deſtitutæ humiditatem continere nequeunt, & cerebrum aliqua ex parte compatitur: frigidúſque erumpit, quia per cutim ob reuocationem caloris ad interna refrigeratam tranſit. Quæ ſigna omnia diligenter attendenda ſunt, cum vtiliſſimum ſit imò ſummè neceſſarium imminentem ſyncopen præuidere, vt, quantum fieri poteſt, præcaueri poſſit.Nam ſicut Menôn filius Zoar,aut,vt refert Rabbi Moſes,6.*aphor.*qui ſyncopen non præuidit, aut præuiſam annunciauerit,hominis mortui homicida eſt.

In ſyncope verò ſymptomata hæc omnia vehementiora ſunt, pulſus quo ad ſenſum ceſſat, mentis actiones & motus ſenſúſque corporis ac vox quoque perit.

Quod ad ſigna cauſſarum, humorum tenuitas & corporis conſtitutio ad διαφόρησιν apta ſuis ſignis cognoſcitur, & tales præcipuè ſyncope corripiuntur, ſi febris accedat, vel ambientis æſtus; atque in his celeriter facies Hippocratica apparet, vt docet Galenus, 12.*meth.cap.*6.Humores maligni in corpore geniti,aut venena extrà quocunque modo communicata è ſuis ſignis patent. Cauſſæ reſoluentes à ſuffocantibus non ita difficulter diſcerni poſſunt.Si enim corpus extenuatum ſit, & cauſſæ etiam ſpiritus diſſipantes præceſſerint,ex ſpirituum reſolutione& diſſipatione,homo plus iuſto edat aut bibat, frigidorum ac crudorum humorum ſigna adſint, aut phlegmone vel obſtructio, vel dolor circa cor adſit, aut μετάστασις materiæ ſubita ad partes illas facta ſit, aut repentino timore aut terrore homo conſternatus ſit:ſuffocati ſpiritus argumento eſt.

Ex cuius autem partis vitio cor afficiatur, ex cuiuſque propriis accidentibus, quæ ſyncopen neceſſariò antecedunt, cognoſcitur. Ex vtero v.g. ſi ſyncope prodeat, vteri affecti ſigna ſunt. Ex affecto ventriculo ſi proueniat, præceſſerunt oris ventriculi dolor & morſus, & nauſea, vomitus, & eius generis ſigna alia. Et quidem ſi ob flauam bilem os ventriculi moleſtantem accidat, cognoſcitur ex maiore oris ventriculi dolore, ex vellicatione,anxietate, oris amarore, ſiccitate & ſiti. Idem de aliis partibus eſto iudicium.

Si verò nullum alicuius partis affectæ eſt indicium, nullúſque alius affectus, nec febris, nec inflammatio, nec alicuius partis affectæ ſigna adſunt;ex primario cordis affectu lipothymiam prouenire indicio eſt.

Quid autem mali cor patiatur, cognoſcitur ex ægri facie, modo, quo in ſyncopen incidit, & ex his, quæ præceſſerunt. Ex ſpirituum corruptione, aut veneratà aut maligna alteratione ſi ſit ſyncope, liuida & valde frigida apparent extrema, facies pallida & plumbea eſt, nec tamen collapſa, reſpiratio non ita eſt immutata, licet ſit frigida, præceſſit ſubitus ægri lapſus, & ſi venenum ſumpſerit, vel ab animali venenato morſus vel ictus ſit æger,nec id latere poteſt.

Ex ſpirituum diſſipatione ſyncopem prouenire, vt dictum, cognoſcitur ex iis, quæ præceſſerunt, labore & exercitio nimio, dolore vehemente, vigiliis & ſimilibus cauſſis.

Ex ſpirituum ſuffocatione fieri cognoſcitur,ſi cauſſæ iſtæ non præceſſerunt, æger plurimis & craſſis humoribus abundet, adſit ventriculi anxietas, & nauſea, cum præcordiorum tenſione ac dolore.

*Syncopes cognatis affectibus differentia.* Ex quibus omnibus ſyncopen à cognatis affectibus diſcernere facile eſt. Diſtinguitur ſyncope ab epilepſia, quod licet interdum animi deliquium,aut potius quædam animi ſeu ſenſuum perturbatio epilepſiam præcedere ſoleat, nulla tamen adeſt in ſyncope conuulſio, ſicut in epilepſia. Ab apoplexia verò differt, quod in apoplexia pulſus inſigniter non mutatur, niſi morte inſtante. Ab vteri ſtrangulatu, quod in ea aufertur reſpiratio, ſed non pulſus, cum contra in ſyncope pulſus ad ſenſum penitus auferatur, reſpirationis autem difficultas tanta non adſit. Interdum tamen cum ſuffocatione vteri ſyncope coniungitur, atque tum pulſus interdum non percipitur.

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.* 1. Qui ſæpe & ſine manifeſta cauſſa animo linquuntur,ii repentè moriuntur.Hippocrates, 2.*aph.*41.

2. Omnis ſyncope mala; ſed peſſima, quæ fit in corpore debili, quæ vetuſta, quæ confirmata. Cognoſcitur autem ſyncopen eſſe confirmatam & conſummatam, quod color faciei viridis apparet, & collum, vt in ſtrangulatis, inuertitur. Auicennas, 3.*canon. fen.* 11.*tract.*2.*cap.*6.

3. Syncope, à qua homo non reſtituitur, poſt irrorationem faciei cum aqua roſarum, poſt vini exhibitionem

bitionem post ptarmica etiam, lethalis est.

4. Cor primaria affectione laborans auxilium non admittit, puta phlegmone, erysipelate, dyscrasia vehementi, per febres acutissimas, vulnera præsertim sinistri ventriculi. Per consensum verò affectum à cerebro, hepate, ore ventriculi, à subita & vehementi animi perturbatione, curationem recipit, nisi vires planè deiectæ sint. Paulus Ægineta, *lib. 3. cap. 34*.

5. Syncope ex cordis intemperie simplici mitior est, quàm quæ ex instrumentariis eius morbis, aut soluta vnitate oritur. Simplex etiam spirituum animalium alteratio minus offendit, quàm eorundem suffocatio aut resolutio & euacuatio.

6. Syncope, quæ fit ab intemperie cordis frigida vehementi, ægerrimè curatur, Nam à nulla alia corporis parte calor naturalis cordi communicatur, sicut cor, quod est caloris principium, & calorē aliis cōmunicat.

7. Qui ob magnam humorum crudorum copiam febricitantes in syncopen incidunt, si ventriculus & hepar in his inflammatum fuerit, desperata salus est. Similiter qui ob humores tenues omninò concidunt per febres, & ventriculum aut hepar inflammatum habent, viribúsque languent, in his celeriter lethalis constitutio in facie apparet. Galenus, 12.*meth.med.c.3.* & *6*.

8. Non statim salus promittenda, cum quis à syncope sibi redditur. Nam si pulsus non redit, nec calor viuidus; & æger frigidus semper manet, mox in syncopen relabitur.

9. Syncope, quæ ex immodicis euacuationibus, timore, tristitia, aut alia euidenti caussa prouenit, minus periculosa est, quàm quæ ab interna orta est.

### *Indicationes & Curatio.*

*[Ind]icationes [&] curatio.* Curatio autem syncopes in duo tempora diuiditur, vnum paroxysmi, alterum intermissionis. In paroxysmo vt æger excitetur & reuiuiscat quasi, primò spiritus conseruandi, fouendi & instaurandi sunt; secundò facultas animalis atque vitalis excitanda; tertiò caussæ, quæ spiritus lædunt, tollendæ sunt, pro quarum diuersitate diuersa præsidia requiruntur. Si spiritus non generentur ob nutrimenti defectum, corpus quamprimum nutrimento reficiendum: si non generentur ob cordis aliquem morbum, ei, quantum possibile, occurrendum: si spiritus corrumpantur, vel caussa maligna alterentur, illæ caussæ per contraria tollendæ: si dissipentur & resoluantur, non solùm per odoramenta & alimenta spiritus instaurandi & fouendi, sed & caussæ illæ, quæ spiritus resoluunt, tollendæ, pori corporis, ne nimia fiat resolutio, claudendi, euacuationes immodicæ sistendæ, dolores leniendi, & reliquis etiam caussis occurrendum. Si à spirituum suffocatione fiat syncope, materia ad cor affluens reuellenda; si copiosa sit, euacuanda; si cruda & crassa, alteranda.

Primum ergo quod attinet, spiritus conseruentur, roborentur, foueantur, & ad naturalem statum reducantur cùm internis, tum externis auxiliis. Nimirum aqua rosacea, vinum, acetum, aqua cinamomi, carsunculi, moschus, ambra & similia alia cordialia admouenda, iisque facies irroranda & tempora illinenda. In paroxysmo tamen obseruandum 1. vt in morbis calidis frigida vsurpentur, rosæ & earum aqua, violæ, flores citri, santalum, acetum. In frigidis autem morbis calida. Licet tamen in frigidis aliquid de calidis admiscere ob spiritus subitò reficiendos. 2. in fœminis odoramenta suauia naribus non admoueantur, sed potiùs graueolentia, vt castoreum, ruta, ne vteri suffocatio concitetur, atque ita periculosius malum reddatur. Cordis quoque regioni epithemata, fomenta, sacculi, inunctiones ex cordialibus, theriaca, Mithridatio, oleo citri, spiritu aliquo vel aqua cordiali admouenda. Atque hic etiam valde vtilis est melissa vino odorato vel maluatico consperſa & in latere calente calefacta, atque cordis regioni imposita. Exhibendum simul vinum generosum vetus, aut panis eo madidus. Vix enim aliquid magis & citius vires, quàm vinum reficit. Quanquam verò aliàs & extra paroxysmum iis, qui inflammatione viscerum aliqua laborant aut capite dolenti vel simili malo infestantur, vinum non conueniat: tamen in ipsa syncope, in qua vniuersum corpus refrigeratur, plus vrgent spiritus reficiendi, quam illæ caussæ prohibere possint. De delectu autem vini in syncope videatur Galenus, 12.*meth.med.cap.4.* Si verò sit caussa frigida, non solum vinum conuenit, sed & moschus, ambra & aromata, confectio alkermes, syrupus de corticibus citri, confectio diambræ, diamoschi vsurpari potest, & inprimis ad spiritus subitò reficiendos plurimum possunt aquæ & spiritus cordiales passim descripti, quales liquores etiam suprà, *cap. 4.* & *capite præcedente* fuerunt propositæ. Inter eas autem facilè primum locum obtinet Aqua vitæ alba Dresdensis, quæ quia nimis operosa visa fuit, ad istum modum à D. Andrea Dörero correcta & contracta est: *Aqua vitæ alba Dresdensis.*

℞. *Spirituum bonorum seqq. lento igne seorsim paratorum ex vino: Spirit. vini moschatellini, Maluatici, rub. maturi & veteris*, ana Canth. vi. *beton. meliss. rorismarin. veronicæ, card. bened. menth. crisp. absinth. vulg. hyssopi, saluiæ minor. artemisiæ rub. è ligno tamarisci, è cerasis, fruct. punor, syluestr. vuarum passarum, flor. sambuci, è baccis iuniperi, cortic. aurant. citri*, ana Canth. iii. *euphrasiæ, scolopendr. rutæ*, ana Canth. i.

Hisce spiritibus commistis adde *radic. enulæ pimpinell. polypodij*, ana Vnc. iiii. *meu, valerianæ*, ana Vnc. i.ß. *fol. saluiæ minor.* Vnc. i. *scolopendr. menth. crisp. pulegij, matricariæ*, an. Drac. vi *nucl. persic. s.a. præp.* ℥. ii.

Relinque in infusione per triduum. Colat. adde *panes triticeos perfectè coctos, & è farina optima paratos*, N. x. ita, vt singuli pugnum æquent humanum, frangantur è clibano extracti feruentes adhuc minutim, relinquantur iterum in infusione per triduum. Fiat postea destillatio in arena moderato igne, ita, vt tantùm, quod spirituosum est, separetur & colligatur. Reseruetur diligentissimè hoc destillatum, ne exhalet.

℞. Præterea *caponem annosum corpulentum, ac suspendio enecatum* N. i. cum *perdicibus* duabus *bonis*, aut *phasiano bono*, N. j. deplumentur sine aqua, exenterentur, in frusta diuidantur, remota pinguedine omni, ac vino Rhenano bono abluantur. Præparatis hoc modo adde

*Cinamom. elect. caryophyllo. galangæ, zingiber. macis*, an. Drach. vi. *nuc. mosch.* N. v. *gran. parad. piper. long. cardamom. cubebar.* an. Drach. iii. *croci* Scrup. ii. *sem.* & *rad. pæon.* an. Drach. vi. *fol. maior.* Drach. ii. *amygd. dul. excort.* Vnc. ii. *passul. Corinth.* Vnc. iii. *zybebar.* Vnc. i.ß. *sacch. cand.* ℥. ii. *zedoar.* ℥. ß. *mannæ* ʒ. x.

Affunde postea *vini Maluat.* & *Alacanth. opt.* q. s. ad perfectam coctionem in duplici vase instituendam. Vbi sponte post coctionem sufficientem refrixerit decoctum, incidantur minutissimæ carnes caponis & phasiani & contundantur probè. Fiat deinde destillatio lenta in arena.

Cui destillationi porrò commisce *destillatum de panibus triticeis*, adde insuper *spirit. vini moschatellin. opt.* Canth. iii. Adde præterea sequentes species in duplo:

*Caryophyll.* Vnc. i. *nuc. moschat. macis, piper. long. nigr.* an. Drach. vi. *rad. aristoloch. long. calam. aromat. diptam. alb. caryophyllat. tormentill. angelicæ, bistortæ, leuistici, rhabarbar. per noctem prius seorsim infus. in vini Rhenani* q. s. *zinzib.* an. Vnc. ß. *styrac. calam. ingran.* Drach. vj. *santal. alb. rub. citrin.* ana Drach. vi. *croci* Drach. ii. *sem. anisi. fænicul. coriandr. præp. aquilegiæ, carui*, an. Vnc. ß. *ligni aloes, carpobalsami*, an. Vnc. i. ß. *cinamom.* Vnc. ii. *ligni rosacei* ℥. x.

*off. de cord.cerv.* N.vi. *pomum citrium recens* N.j. *matr. perlar.præp.* Vnc.i.ß. *fl. stæchad. Arab.*ʒ.x. *primul.veris* Vnc.ii. *borrag. bugloss.* an. Drach. vi. *lil.conual. recent.* Vnc.i.ß. *pæoniæ*, *anthos*, *tunicis plen. violar. rosar. rub. incarnatarum*, *spicæ*, *lauendulæ*, *nymph. alb. centaur. minor.* an. Vnc.i.

Adde porrò *spec. aromat.caryoph.Mesuæ, diarrhodon. abb.cum mosch. & camph. diamargarit. frigid. calid. lætitiæ Galeni, dianthos, diacinamom.* an.Drach.ii.

Stent in infusione per 9.dies, Fiat deinde per organa vitrea destillatio accurata, & postrema in M.B.ita, vt tantùm,quod spirituosum est,colligatur.

Tertia pars *sine moscho & ambra* conficienda & reseruanda.

Reliquis duabus partibus adde *moschi opt. aq. rosar. bona prius soluti*, Vnc. ß. *ambræ pari modo prius solut.* Drach.vi.

Et si perfectum est hoc opus, reseruetur & custodiatur diligentissimè in organis vitreis bene munitis.

Secundò spiritus excitantur & ad exteriora reuocantur extremorum frictionibus, corporis concussione,acclamatione, nomine ægri inprimis expresso frictionibus linguæ & palati ore diducto cum theriaca & aqua cinamomi & similibus. Si tamen à spirituum dissipatione fit syncope, frictiones & ligaturæ non conueniunt,sed æger quiescat.

Tertiò quod caussarum diuersitatem attinet, de qua Galenus, 1. *ad Glaucon. cap.* 14. si Spiritus non generentur ob nutrimenti defectum, corpus quam primum reficiendum; quod commodissimè fit vino & pane vino madido exhibito,quo simul spiritus reficiantur,vt diximus.

Si syncope accidat, quod humores tenues adsint, qui facilè exhalant, corporisque habitus rarus sit,odoramentis & cibis boni succi fiat instauratio corporis. Corporis præterea summa cutis densanda est oleo rosaceo, myrtino, mastichino,cydoniorum; aërque corpus ambiens refrigerandus, Cibi sint, qui non facilè difflantur, vt sorbitiones ex alica & similibus, de quo videatur Galenus, 2.*meth.med. c.6.*

Si ob morbum aliquem cordis accidat syncope,morbo contraria, vt supra dictum, & cordi amica medicamenta exhibenda.

Si ex spirituum alteratione & corruptione fiat syncope, & quidem qualitas vel aura venenata ab vtero communicetur, inferiora fricentur, cucurbitæ ad coxas & pubem ponantur, pessi subdantur, & alia, quæ in suffocatione vteri fieri solent, peragantur. Si fiat à materia maligna & venenata, vt in vomitu ærugino so, ea exhibeantur, quæ materiam illam eluant, & humores temperent, postea cordialia medicamenta hactenus proposita exhibeantur. Si venenum haustum sit, alexipharmaca conuenientia exhibeantur. Si à morsu animalis venenati accidat, itidem alexiteria vsurpentur, & parti læsæ cucurbitulæ scarificatæ,atque alia venenum euocantia apponantur. Eodem modo & aliis caussis malignis resistendum.

Si à spirituum resolutione syncope fiat,cum id rursum variis de caussis, vt dictum, accidere possit, singularum habenda ratio, & modus, quo caussa agit, considerandus, atque aduersus illum pugnandum.Etsi enim omnes euacuationes nimiæ spiritus dissipant: alio tamen modo compescenda euacuatio, si per sudorem nimium fiat; alio, si ab alui fluxu; alio,si à vomitu; alio, si à sanguinis profusione. Calor ergo si fit nimius, per contraria temperandus & alterandus. Si ab immodica euacuatione accidat syncope, euacuatio sistenda, ægerque odoribus, cibo, potu, somnóque ac quiete reficiendus. Cohibetur euacuatio frictionibus, ligaturis cucurbitulis in aduersum administratis; vt in hæmorrhagia narium fricentur, & ligentur inferiora, cucurbitulæ sine scarificatione apponantur, suris & hypochondrio dextro, si à nare dextra, in sinistro, si in sinistra fluat sanguis & administrentur alia, quæ hæmorrhagiam narium sistere solent. Ita mensium profluuium debito modo sistatur. In hypercatharsi dentur cibi & medicamenta adstringentia, theriacæ non admodum vetustæ Drach. ß. vel Drach. i. cum aqua plantaginis. Concilietur somnus, qui omnes euacuationes sistit, excepto sudore. In syncope autem, quæ fit euacuationibus nimiis,corpus frigidis non conspergendum, neque alia frigida & cutim adstringentia adhibenda; cùm talia humores intrò pellendo fluxiones augeant.

In sudore largo neque frictiones, neque ligaturæ locum habent, sed ea, quæ cutim adstringunt. Facies igitur irroretur aqua rosarum; collum, thorax, axillæ, inguina inungantur oleo rosaceo, myrtino,cydoniorum: æger quiescat, olfaciat frigida, assumatur syrupus granatorum, citri, limonum, ribes, acetosellæ. In ruptione subita apostematis instauratio fiat cibis, odoribus, quiete. Si à vehementi dolore syncope accidat, qui & per se spiritus resoluit, & per accidens vigiliis immissis, remoueatur ille anodynis, & caussa doloris tollatur; & si à stomacho syncope oriatur, quod nausea indicat, atque æger facilè natura sua vomat,vomitus proderit.De quibus Galenus,12.*meth. med. cap.*4.5.7.8.

Si tandem ex suffocatione spirituum fiat syncope, ad ambitum corporis spiritus reuocandi, frictionibus, ligaturis,cucurbitulis & aliis externis partibus adhibitis. Et quidem si ex plenitudine fiat Syncope, venæ sectio primùm instituenda, vt suffocationis periculum auertatur, cùm sanguinem euacuando, tum reuellendo, præsertim si sanguis cum impetu ad vitales partes feratur. Quando enim in hoc casu mittitur sanguis, perinde fit; ac si quis exiguo igni, qui sub strue lignorum suffocatur, aliquid de lignis subtrahat, vt ignis reuiuiscat; qua similitudine Galenus vtitur,4.*de rat.victus in acut.aph.*121. Aperiatur autem basilica,vt à fonte sanguis educatur; nisi à mensibus suppressis morbus sit, vbi vena tali aperienda, modò malum det inducias, Sanguis autem iteratis vicibus mittatur, ne vires vna vice nimium labefactentur.

Ex crudorum succorum copia genita syncope, vbi os ventriculi simul affectum est, & habitus ac calor, qualis ferè hydropicorum est, apparet, nec phlebotomiam, nec purgationem sustinet æger, sed vacuatio conuenit per frictiones deorsum factas, primò crurum, deinde brachiorum & spinæ dorsi, quotidie aliquoties iteratas, quæ & calefaciunt & discutiunt. Post frictiones inunctio fiat cum oleo aliquo laxante, quale est chamæmelinum & anethinum. Mulsa primis diebus detur, aut oxymel cum decocto hyssopi, origani & similium. A cibo alio abstineat æger, si vires ferant, vt per inediam humores crudi coquantur, Quia tamen pulsus subitò ad imbecillitatem mutatur, panis ex vino exhibeatur ad vitandum præsens periculum: postea ad abstinentiam redeat æger. Aër neque calidus nimium fit, ne liquati humores ad cor confluant, neque nimis frigidus, ne concoctio,& discussio materiæ impediatur.Epithematis cordis non vtendum,nisi materia prius concocta & discussa fuerit. Videatur etiam Galenus,13.*meth.med.c.*3.

Si à repentino terrore & metu syncope oriatur, ne ex affluxu sanguinis obstructio aliqua in vasis, aut inflammatio excitetur, euacuatio debita instituatur ad periculum illud prohibendum.

Extra paroxysmum curam quod attinet, danda opera, vt auferantur illæ caussæ, quæ iterum possent syncopen excitare, viresque debilitatæ reficiantur, & cor roboretur. Ideóque in syncope, quæ ex veneno, nimiis euacuationibus, aëre calido, sudore prouenit, illa ipsa, quæ in paroxysmo requiruntur, etiam extra illum locum habent: neque aliquid noui ferè agendum.Si autem ex dolore fit syncope dolores leniendi,

&

& caussæ dolorem excitantes tollendæ. Stupefacientibus tamen cautius & parcius vtendum; eodem modo etiam purgantibus, si ea ob caussæ rationem necessaria sunt, virium semper habenda ratio, & in omnibus medicamentis, quamcunque etiam caussam respiciant, admiscenda sunt cordialia. Si ex inflammatione oriatur, extra paroxysmum seu syncopen ipsam, vinum non est dandum. Si acris tenuisque materia ventriculum lacessat, aloë & pilulis aloephanginis euacuari potest, vel de cocto tamarindarum cum manna, & syrupo rosarum laxatiuo. Sic enim & caussa morbi tollitur, & ventriculus roboratur. Ita & aliis caussis omnibus debito modo occurrendum per conuenientia medicamenta.

### *Diæta.*

Aër ab omnibus inquinamentis purus sit, atque alteratus cordialibus pro caussarum diuersitate. In paroxysmo, vel imminente hoc, aër frigidus sit, vbi malum est à caussa resoluente: moderatè sit etiam frigidus, vbi à caussa suffocante, ob refrigerandi corpus necessitatem, ne calor extinguatur. Cibus quoque secundum caussarum diuersitatem conueniens ordinandus. Vinum extra paroxysmum non conuenit, vbi plethora adest, aut calor vehementior, & febris ardens, aut inflammatio interna alicuius visceris, aut delirium aut dolor grauis. Galenus in syncope ex crudorum humorum copia, vel ex flaua bile, vel ex succis tenuibus & facilè exhalantibus, vinum concedit tenue, boni odoris, & quod celeriter mutatum in corpus distribuatur; sed nec tum insigniter eum febricitare ægrum oportet, nec phlegmone internâ affligi.

In syncope verò à resolutione probatur vinum odoratum, vt & iuscula carnium consummata, gelatinæ, & contusa, qualia in Institutionibus, *lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. 2.* sunt proposita.

In syncope à spirituum corruptione & alteratione in febri pestilenti, aut à caussa aliqua venenata, vinum vel iuscula condiantur succo citri, acetosæ, melissâ, terrâ sigillata, margaritis & similibus.

Somnus in syncope ex resolutione & euacuatione periculosus est; quia debilis calor intrò reuocatus syncopen auget. Et proinde per somnum æger assidentibus diligenter obseruandus est, nec statim post syncopes solutionem ad somnum est admittendus. Nocet quoque vbi syncope est ex materia venenata, rapiendo venenum ad cor. Vtilis est in syncope ex materia cruda, eam coquēdo, quā vigiliæ temperatæ postea discutiunt.

# DANIELIS SENNERTI
# D. ET MEDICINÆ PROFESSORIS,
# PRACTICÆ MEDICINÆ LIBER TERTIVS.

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimísque Viris,

# D. CAPITANEO,

*ET*

# RELIQVIS INCLYTÆ VRATISLAVIENSIS REIPVBLICÆ SENATORIBVS,

*Dominis & Fautoribus suis admodum honorandis,* S. P. D.

ET si iam ante annos ferè octo & triginta, *Viri Magnifici, Nobilissimi, & Amplissimi*, patria abij, & studiorum gratia ad peregrinos me contuli, atque ita maximam ætatis meæ partem extra patriam transegi: non tamen vel locorum interualla, vel temporis longinquitas Eius amorem & memoriam labefactare & animo meo eripere potuerunt. Quamuis enim, vbi bene est, ibi Patria esse dicatur, & reuera VVitteberga hæc mihi altera Patria habenda sit: tamen vt eius loci, qui me in hanc lucem prodeuntem primùm suscepit, postea fouit, aluit, Christianæ pietatis & bonarum literarum rudimenta docuit, parentum piè defunctorum corpora ad gloriosum Supremi mundi Iudicis aduentum custodit, obliuiscar, facere non possum. Et sunt præter ista priuata in me merita etiam publica Vratislauiæ ornamenta, quæ eius memoriam subinde mihi in mentem reuocant. Neque enim Vratislauia vilis pagus vel ignobile oppidum, cuius me pudere debeat, sed è Splendidissimis & Amplissimis Germaniæ ciuitatibus non postrema est. In cuius laudes si vellem excurrere, non epistola, sed liber scribendus esset; quod factum ante me ab aliis. Vnius vt hîc mentionem faciam, non præter rem & institutum meum videtur; Vratislauiam nimirum Virorum Doctorum, & Medicorum inprimis eruditissimorum, semper fuisse feracissimam. Si enim intra vnius proximè elapsi seculi spatium vel centum Medicos è nostra Vratislauia prodiisse dixero, in numero, si aliquantum, non tamen multum forsan aberrauero. Vt enim eos, qui adhuc in viuis sunt, & nunc cum laude, cùm in patria, tum alibi medicinam faciunt, prætercam; neque etiam eos, qui in viuis esse desierunt, omnes recenseam, (forsan etiam omnium nomina ad memoriam nostram non peruenerunt) sed aliquos saltem, qui vel suis scriptis, vel aliorum Medicorum monumentis, vel suis in Rempubl. Vratislauiensem meritis inprimis noti sunt, nominem, Vratislauiæ nati sunt *Antonius Niger, Andreas Aurifaber, Andreas Büthnerus, Iohannes Crato, Iohannes Moibanus, Iohannes Sprembergerus, Balthasar Scheiderus, Abrahamus Seylerus, Sigismundus & Iohannes VVoysselij, Paulus Boreck, Caspar Backischius, Paulus Fridevvaldt, Paulus Hessus, Petrus Monavius, VVenceslaus Raphanus, Ioachimus Baudisius, Iohannes Henneman, Iohannes Iessenius, Daniel Rindtfleisch seu Bucretius, Georgius Rumbaum, Carolus Greuserus, Elias Bonuinius*, &c. omnes Medicinæ Doctores Clarissimi & Experientissimi. Cum ergo & me Vratislauiæ, anno Christi 1572. die 25. Nouembr. circa occasum Solis, DEVS nasci voluerit, & Patriæ iste genius ac tot Clarissimorum Virorum exempla me ad Medicinam discendam allicerent, dedi operam, (absit verbo iactantia) ne in studio & diligentia in me quid desiderari posset, aut tantâ Patriâ, tot doctissimis Medicis clarâ, me indignum gererem: benedixítque Deus Opt. Max. cui sit Laus & Gloria, ita meis conatibus & laboribus, vt Serenissimi Electores Saxoniæ Professionem Medicam in hâc Academia Illustrissimâ mihi commendarent. Quod officium vbi, cum DEO, suscepi, & hîc VVittebergæ sedem fixi, mearum partium esse putaui, Spartam, quam na-

ctus ſum, ornare, & non ſolùm artem Medicam diſcentibus publicè fideliter tradere, ſed & tempus, quod à publicis Lectionibus & operis Practicis ſubtrahere potui, priuatis exercitiis & Scriptis quibuſdam edendis, quibus artis Medicæ Studioſis pro mea tenuitate prodeſſem, tribuere.

Inter quæ cùm iam Liber Tertius Practicæ Medicinæ in lucem prodeat, amor meus erga Patriam, ac promiſſum iam ante plures annos factum me mouit, vt Vobis, *Viri Magnifici, Nobiliſſimi & Ampliſsimi*, hoc quicquid eſt operæ offerrem, & Veſtro honoratiſſimo Nomini inſcriberem, & quod verbis teſtatus ſum, re aliquo modo declararem. A V. autem Mag. Nobil. & Amplit. maiorem in modum peto, vt quicquid hoc muneris eſt, ſerena fronte ſuſcipiatis, & meum in Patriam amorem Veſtræ beneuolentiæ aurâ foueatis. Vos verò totámque dulciſſimam Patriam Dei Optimi Max. fauori, tutelæ, & protectioni commendo, eúmque ſupplex oro, vt omnes calamitates, quæ hiſce turbulentiſſimis temporibus multas peſſundederunt Reſpublicas, à Veſtris muris, mœnibus, templis & focis Clementer & Potenter auertat atque auerruncet, & Patriam, ac Vos in ea florentes conſeruet ac tueatur. VVittebergæ, pridie Calend. Ianuar. Anno Chriſti 1631.

*V. M. N. & Ampl.*

Obſeruantiſſ.

DANIEL SENNERTVS, D. Medic. Profeſſor, & Sereniſſ. Elect. Saxon. Medicus.

# PRACTICÆ MEDICINÆ

## LIBER TERTIVS.

*De Morbis ac Symptomatibus infimi ventris.*

### PROOEMIVM.

*Sirem recta ratione penſitare velimus, equidem de morbis ventris inferioris primo loco agendum videbatur. Continet enim is organa nutritioni dicata, à quibus vt vniuerſum corpus nutrimentum ſuum accipit: ita ab iiſdem partibus reliquo corpori morborum cauſſæ ſuppeditantur, vt rari morbi ſint, qui non ab hiſce partibus primam ſuam originem habeant; cum quotidie ferè errata in diæta committi ſoleant, eáque in reliquis partibus corrigi non poſſint, atque inde in ventre inferiori multa excrementa & vitioſi humores cumulari, & hinc reliquis corporis partibus communicari ſoleant. Practicorum tamen ordinem vulgatum ſequi libet. Itaque cum morbos & ſymptomata capitis & thoracis ac partium in hiſce contentarum abſoluerimus, proximum iam eſt, vt de affectionibus p. n. ventris inferioris dicamus. Continet verò venter inferior partes plures, nutritionis ſcilicet & generationis organa. Ad nutritionem pertinent, eique inſeruiunt OEſophagus, Ventriculus, Inteſtina, Meſenterium, Pancreas, Omentum, Lien, Hepar, veſicula fellis, Renes Vreteres, & Veſica. Ad generationem pertinent Teſtes & his inſeruientes & annexæ partes; de quarum morbis & Symptomatibus iam ordine dicemus.*

### PARS I.

### De Morbis ac Symptomatibus Oeſophagi & Ventriculi.

#### SECTIO PRIMA.

*De morbis œſophagi & ventriculi.*

#### CAPVT I

*Morbi OEſophagi.*

Ventriculus cibum potúmque corpori nutriendo vtilem & neceſſarium recipit, & in Chylum, è quo poſtea fit ſanguis, mutat. Via autem, per quam cibus & potus ex ore in ventriculum fertur, œſophagus eſt. Patitur autem is etiam ſuos morbos & ſymptomata. *Morbi OEſophagi.*

Intemperies

### *Intemperies Oesophagi.*

Oesophagi intemperies.

Primò enim intemperie corripitur, Calidâ, frigidâ, humidâ, siccâ. & quidem vel cum vel sine materia. Calidâ, vt & siccâ, plurimùm afficitur in febribus ardentioribus, vbi à vaporibus calidis ascendentibus incalescit & siccatur. Idem interdum accidit, vbi humores acres vomitu rejiciuntur: imò vbi in ventriculo continentur, propter continuitatem œsophagum afficere possunt. Vapores etiam ab vtero adscendentes intemperiem œsophagi inducunt, reperiunturque fœminæ, quæ de perpetua siccitate & asperitate œsophagi hâc de caussa conqueruntur. Humectatur etiam sæpè à catarrhis hûc defluentibus, vt & in saliuatione. Præter caussas internas autem, etiam intemperiem suæ materiæ cognatam inducunt, caussæ Externæ: Aër nimirum calidus, frigidus, fumi item, fuligines & pulueres, cibi potúsque & medicamenta insignem aliquem excessum qualitatum primarum habentia.

### *Signa Diagnostica.*

Signa.

Cognoscitur autem intemperies œsophagi in genere ex deglutitione impedita, toto œsophago æqualiter affecto sine vlla angustia & doloris sensu. Et quia propter vicinitatem interdum trachea simul afficitur, ex voce nonnunquam etiam de intemperie œsophagi judicari potest.

Differentiæ autem caussarum primò cognoscuntur ex iis, quæ in ore & lingua apparent. Habent enim hæ partes communem tunicam, ideóque affectio, quæ in lingua apparet, ferè etiam œsophago communis est. In calida intemperie rubor & asperitas in lingua percipitur: In frigida & humida humiditas. Deinde à caussis quæ præcesserunt vel adsunt, quæ sibi similem dispositionem œsophago imprimunt. Tertiò à juuantibus & nocentibus. Nam in calida intemperie prosunt frigida, nocent calida: Ita & in reliquis. In calida & sicca inprimis adest sitis, & saliua abest; In humida abest sitis, & multa adsunt sputamina.

### *Prognostica.*

Prognostica.

1. Per se autem hæ intemperies periculosæ non sunt, sed si quod periculum habent conjunctum, id à caussis, à quibus proueniunt, pendet.

2. Intemperies œsophagi tandem & asperæ arteriæ communicari potest.

3. Calida & sicca intemperies si diu durat, tandem excoriationem excitat.

### *Indicationes & Curatio.*

Indicationes & Curatio.

Quælibet intemperies contraria sibi indicat, & eadem ferè medicamenta adhibentur, quæ in ventriculi intemperiebus proponentur. Intemperies calida indicat refrigerantia, & curatur julebo & syrupo violar. granator. mucil. sem. psyllij, aqua portulacæ, nymphéæ & similibus refrigerantibus, quæ simul lentorem quendam habent, vt adhærere possint, & excoriationem prohibere, quæ propterea etiam sensim deglutienda sunt, ne subito transeuntia parum aut nihil alterent. Non solum autem potantur & deglutiuntur talia medicamenta, sed & formâ collutionum oris ex succis & aquis refrigerantibus parantur. Detinentur quoque in ore crystalli & alia refrigerantia. In cibis conueniunt lac acetosum, è quo butyrum est separatum, & alij cibi & potus refrigerantes.

In Intemperie frigida conueniunt medicamenta calida, quæ postea de Intemperie frigida ventriculi proponentur.

In Intemperie sicca sorbitiones fiat ex ptisana, jure pulli; detur butyrum recens sine sale, oleum amygdal. dulcium; modò alij morbi ejusmodi medicamenta non prohibeant. Vel parentur trochisci sub lingua tenendi.

℞. *Sem. malu. melon. cydonior. excortic. gummi Arabici, tragacanth.* an. Drach. j. *sem. lactuc.* Drach. sem.
Cum *syrupo violar.*
F. Trochisci sublinguales.

In Intemperie humida adhibentur medicamenta calefacientia, quæ simul siccant.

Suffitus etiam hic vtiles sunt, & inter alia fumus è caule leuistici.

Topica quoque applicari possunt, & quidem in lateribus colli potius, quàm in anteriore vel posteriore colli parte.

### *Tumores Oesophagi.*

Tumores œsophagi.

Aliquando etiam Oesophagus tumore afficitur, & quidem hi tumores vel sunt calidi vel frigidi, habéntque ortum à caussis, quæ in aliis etiam partibus tumores excitare solent: affluxúsque humorum etiam hîc sunt caussæ eædem, quæ in aliis partibus: inter quas caussæ etiam sunt externæ, percussio, res duræ & asperæ in œsophagum illapsæ eique infixæ. Dolore enim ex re infixa excitato affluxus sanguinis concitatur, vnde inflammatio oritur.

### *Signa Diagnostica.*

Signa.

In genere tumor cognoscitur ex dolore, qui in deglutiendo percipitur, & deglutitio impeditur, ita quidem, vt aliquando potus per nares refluat. Dolor quoque in parte affecta magis percipitur, quam in alia: quo loco quoque cibus & potus subsistere solent. Dolor etiam magis in parte posteriore & dorso, quam in pectore sentitur; Ægrique erecti magis sedere cupiunt, cum hoc modo facilius deglutiant. Et si pars inferior sit affecta, cibi aliquo vsque descendunt, postea verò in transitu hærent, ægróque inde molestia conciliatur.

Tumorem autem calidum esse cognoscitur ex dolore majore, qui etiam continuus est, siue æger deglutiat, siue non; ex siti; ex caloris etiam in lingua indiciis, adéstque febris. Vbi materia in pus mutatur, calor, dolor & febris augetur, & cum tumor rumpitur, rigor aliquis superuenit, & febris ac dolor remittunt.

### *Prognostica.*

Prognostica.

1. Gula vix patitur tumorem & abscessum, quin cor illi vel cerebrum vel vtrumque compatiatur.

2. Sunt autem hi tumores curatu non faciles, & cum magno periculo conjuncti, ægrúmque, arteriæ asperæ viâ compressâ, penè suffocant, & in vitæ periculum conjiciunt, cujus rei historiam refert Beniuenius, *de abditis morborum ac sanat. caussis cap.* 104.

### *Curatio.*

Curatio.

Tumores autem œsophagi easdem indicationes suppeditant, quas aliarum partium tumores; Simul tamen partis affectæ habenda ratio. Nam cum medicamenta, quæ assumuntur, ad ventriculum & viscera perueniant, talia esse debent, vt non modò sapore non sint ingrato, sed & nullum damnum ventriculo & visceribus inferant. Deinde repellentia, quæ extra applicantur, talia esse debent, ne partes vicinas sanas constringendo lædant. Cauendum quoque in Tumoribus œsophagi à vomitu; nisi ad rumpendum abscessum necessarius sit, Primò quia vomitu materia ad locum affectum mouetur; deinde si materia ad œsophagum mota ob tumorem ibi subsisteret, & ejici non valeret, facilè suffocationis caussa esse posset.

Tumores verò calidos in ſpecie quod attinet, in principio,niſi quid prohibeat,vt & in aliis tumoribus, ſanguis mittendus, & aluus etiam vel clyſteribus, vel lenientibus medicamentis euacuanda. Extra verò applicantur in principio medicamenta repellentia ex ſucco plantaginis,portulacæ, mucilag.pſyllij & ſimilibus. Vt

♃. *Ol. roſac. cydonior. ſucci plantag. portulacæ part. æqual. aceti parum.* Coqu.& addita Ceræ q.ſ.

Fiat Vnguentum.

Aut imponatur Cataplaſma ex farina hordei & lentium.

Aſſumantur verò & paulatim deglutiantur. *Syrupus roſar.viol,granator.de ſucco ribes,berberis, cum ſpeciebus diatragac.frigidi.*

Cibus verò ſit ex hordeo & aliis refrigerantibus addito pauco aceto.

In augmento adduntur Reſoluentia:Topicis,nimirum. *ol.chamæmel.anethin.fœnumgræcum,bdellium, Ammoniacum.* Internis verò *glycyrrhiz.& radices ireos*,vt:

♃.*Spec,diaireos* Drach.j. *diapenid.* Drach.ſem. *Extract.glycyrrh*,Scrup.j.*Syrup.violar.vel roſarum q.ſ.*

F. Linct.

In ſtatu diſcutientia ferè ſola vſurpentur & aliquid ſaltem repellentium addatur. Ideóque conueniunt tum extra ol. chamæm.lini & Cataplaſma ex flor.chamæm. fœnugræci & ſimil. paratum. Exhibeantur verò intra *Loch de pino vel Eclegma ex ſpeciebus diaireos, diapenid.cum Syrupo de jujub.glycyrrh.vel hyſſopo.*

Si tumor ad ſuppurationem tendat,pinguia & Emplaſtica intus & extra,& internis medicamentis addantur Rad.althéæ,ficus,paſſulæ,jujubæ & ſimilia,vt

♃. *Branc. vrſin.* M.j. Coqu. ad mollitiem & contundantur.

Contuſis adde *farin.hordei,puluer.rad.althéæ*, ana ℥. j. *Vnguenti dialthéæ*,q.ſ.

F. Cataplaſma.

Vel ♃. *Rad.althéæ.lil,albor,malu.cum rad.*an.Vnc.j. *flor.chamæm.verbaſci* an.M.ſ. *ficum* num.iii.

Coqu.ad mollitiem,Contuſis adde *farin.ſem. fœnugræc.lini* an,Vnc.i.*vitell,ouor.* num.ii. *ol.amygdal. dulc, q.ſ.* F. Cataplaſma.

Si materia jam in pus mutata ſit, vt tumor facilius rumpatur,addantur Rad.iridis, marrubium, ſinapi, crocus:

Vel exhibeatur hoc Eclegma.

♃. *Ficuum pinguium* num. vj. *jujub. cubebarum.* an. Vnc.i.*dactylor.ſ.oſſibus* num.viii.

Contundantur in mortario & addantur *ſpec. diapenid. diaireos ſ.*an. Drach. j. *pulu.glycyrrh.* Drach. ii. *Croci* Drach.j.*ſyrup.violar.& jujub.*an.q.ſ.

F. Looh.

Vlcus abſtergatur aqua hordei cum ſaccharo rubro & melle roſato.

Si tumor ſit frigidus, eædem quidem indicationes ſunt, & eadem medicamenta requiruntur: repellentia tamen ſint mitiora & minus frigida. Sufficit inunctio cum oleo roſac,aceto permixto,& cataplaſm. ex farina hordei cum oleo roſaceo & aceto.

Lambat etiam æger Looch ex Syrup. Iujub. & ſpeciebus Diatragacanthi frigid.

In augmento verò reſoluentia ſint fortiora.

Si non diſcutiatur tumor,maturantia adhibeantur.

♃. *Branc. vrſin.ad mollitiem cocta & contuſæ* Vnc.ii. *farin. tritici, ſem. fœnugræc. lini. pulu. flor. chamæmeli* an. Vnc.j. *axung.porcin.q.ſ.*

F. Cataplaſma.

Exhibeatur v. Looch è ficubus, dactylis,rad.althæ. Syrup.jujubin.& de glycyrrh.

Vt rumpatur apoſtema addantur radic. iridis,hyſſopus,Sinapi.

Ruptum abſtergatur hydromel, cum melle roſaceo.

## *Anguſtia Oeſophagi.*

Oeſophagus interdum etiam anguſtior redditur, vt cibo & potui tranſitus denegetur. Fit autem hoc primò in tumoribus Oeſophagi,vt modo dictum.Deinde ob luxationem vertebrarum ceruicis & dorſi ad interiora. Tertiò ob pituitam craſſam,lac coagulatum vomitu reiectum & in œſophago hærens. Quartò ob res externas deglutitas,vt oſſa,ſpinas, bolos ciborum magnos,nummos,hirudines,&ſimiles res duras in eo hærentes. Quintò ob vermes ex ventriculo & inteſtinis aſcendentes. Non impoſſibile videtur etiam coaleſcere poſſe, aut certè anguſtiorem reddi Oeſophagum ex vlcere vel vulnere: etſi eius rei exemplum non meminerim: cum in aliis partibus idem accidat. Ita de oris coalitu(an in labiis,an verò in principio œſophagi fuerit,dubitari poſſet)hiſtoria habetur *in Epiſtolis D. Horſtij ſect.*19.de molitore quodam, cui os ita coaluit, vt infundibulo illum vti oportuerit, cui tandem omnino os clauſum fuit,quod per inciſionem denuo apertum, iterum clauſum, & ſecunda ſectione apertum rurſum clauſum fuit & coaluit, vt ita ægro fame pereundum fuerit. *Anguſtia Oeſophagi.*

Sextò etiam aliquando in Scorbuticis & Hypochondriacis à vaporibus & flatibus aſcendentibus, & œſophagum replentibus ac diſtendentibus, & arteriam aſperam vicinam comprimentibus, vel tale quid, quale pyra & alij fructus auſteri afferre ſolent,inferentibus,& ſibi ipſis adſtrictoria vi exitum quaſi præcludentibus, non ſolum deglutitionem impediri, ſed & ſuffocationem, ſi quid deglutire vellent, intentatam aliquoties obſeruaui.

Tandem inter cauſſas œſophagi anguſtiæ referenda medicamenta conſtringentia. Ita D.Philippus Hœchſtetterus, *obſeru.Dec.*3.*caſu* 5. refert, Ruſtico cuidam vinum Maluaticum exhibitum fuiſſe, in quo per noctem radices ſymphyti majoris maceratæ fuerant, atque inde ei fauces ita præcluſas fuiſſe, vt maxima cum difficultate deglutiret: Sed aceto hauſto à ſtrangulationis metu liberatum fuiſſe. *Conſtringentia,Oeſophagi anguſtiæ cauſſa.*

## *Signa Diagnoſtica.*

Cognoſcitur autem anguſtia Oeſophagi ex difficultate deglutiendi, & quidem cibo ac potu in certo loco ſubſiſtente.Cauſſas verò quod attinet,Tumor deprehenditur ex ſignis,quæ antea ſunt propoſita:Si verò ex re externâ illapſa anguſtia ſit, cognoſcitur id ex ægri & adſtantium relatione. Si à vermibus,ſigna vermium adſunt. Si à flatu craſſo,abeſt tumor, & nil illapſum eſt in gulam,adſunt verò ſigna hypochondriacæ affectionis,malúmque non eſt diuturnum,ſed potu aſſumpto ſedatur,ac præcipuè ventriculo vacuo accidit. *Signa.*

## *Prognoſtica.*

1. Pro cauſſarum verò ratione malum nunc facilius, nunc difficilius curatur,& eſt vel periculoſius, vel minus periculoſum.Res deglutitæ pertinacius œſophago inhærentes aſperam arteriam comprimendo ſuffocationis periculum inducere poſſunt. Ita refert VVierus,*de præſtig.dæmon.l.*4.*cap.*1. quendam, dum ouum gallinaceum integrum deglutiuiſſet, ſuffocatum fuiſſe,aſperâ arteriâ compreſſa. *Prognoſt.*

2. Interdum verò ex dolore & longa contrectatione inflammatio excitatur, accedentéque longâ inedia & virium proſtratione homo jugulatur, quod cuidam deuorato neruoſæ carnis bolo accidiſſe refert Marcellus Donatus, *de hiſtor.Med. mirab.l.*3.*cap.*8. Refert quoque Guil. Fabritius,*cent.*5.*obſ.*35. juueni cuidam, cum inter cœnandum oſſiculum in gula remanſiſſet, totū collū vndique durū,tenſum,& ſupra modū vſque ad pectus intumuiſſe cum dolore maximo, reſpiratio-

ne

ne difficili, pulsu celeri ac debili & deglutitione læsa, vnde nono morbi die mortuus est. Post obitum inciso collo Oesophagum cum vicinis partibus, & eo præcipuè loco, vbi officulum infixum fuerat, planè sphacelo correptum, cum maximo fœtore inuentum, officulum verò nuspiam, imò nec in ventriculo. Putatque Fabricius statim prima nocte in maximis istis conatibus, quos immisso in gulam digito ad excludendum officulum excitauerat, aut per superiora rejectum, aut in ventriculum vel intestina delapsum, malum verò immissis sæpius à barbitonsoribus instrumentis exacerbatum fuisse.

3. Aliquando res deglutita in gula hærens exitum sibi quærit per vicina loca. Ita refert Ambros. Paræus, *lib.* 24. *chirurg. cap.* 19. Studiosum quendam adolescentem graminis ramulum deglutiuisse, qui postea integer per intercostale spatium magno cum adolescentis vitæ periculo eruperit. Non potuit enim eò penetrare, inquit rectè Paræus, nisi antea pulmonum, succingentis membranæ & intercostalium musculorum pertusa & perrupta substantia. Superstes tamen euasit adolescens. Imò si in œsophagum fuit illapsus, ipsum etiam in tracheam penetrasse oportuit. Verum non addit Paræus, an in Oesophagum sit illapsus. Quod si factum fuit, duobus modis per intercostale spatium erumpere potuit caulis ille graminis, vel pertuso statim Oesophago, hinc statim pleura atque intercostalibus musculis, vel pertusa gulâ, tracheâ & pulmonibus, quod tamen minus probabile videtur. Quod si statim in asperam arteriam illapsus fuit graminis caulis, confirmat me id in mea sententia, quam supra, *lib.* 2. de rebus in asperam arteriam illapsis proposui, nimirum interdum res aliquas sine suffocatione per asperam arteriam in ipsum pulmonem delabi posse.

## *Curatio.*

*uratio.* Quomodo tumor curandus sit, antea dictum. Si res externa illapsa sit, vomitu rejicienda, si possibile id sit. Si os vel spina ipsi inhæreat, tollenda, ac danda opera, vt in ventriculum delabatur: Vulgus dorsum eà de caussa concutere solet, vt res facilius in Oesophagum descendat. Tussis etiam res in gula hærentes excutit. Quod si hoc modo dimoueri non possit res illapsa, exhibeatur lambenda sistul. oxymel, ol. dulce, amygdal. dulce, jufcula pinguia, & cereuisia butyro multo condita. Extra verò cataplasmata & olea emollientia & humectantia imponantur. Et, si res pertinaciter inhæreat, nonnulli candelam ceream oblongam Oesophago immittere, eámque extrahere jubent. Alij spongiam nouam auellanæ magnitudine, eamque compactam, filo longo & forti alligatam & oleo amygdalarum dulcium inunctam ægro deglutiendam suadent, filum tenente chirurgo: Fieri enim sic potest, vt deglutita ab ægro spongia secum simul in ventriculum depellat id, quod gutturi inhærebat, aut retracta filo eadem simul nonnunquam extrahatur, vomituque rejiciatur. Alij, vt globulus plumbeus filo alligatus deglutiatur, atque iterum extrahatur, suadent. Sed commodissimum est instrumentum, quod Guil. Fabric. Hildanus depingit & describit, *centur.* 1. *obs.* 36.

Est autem fistula argentea aut ænea incuruata, crassitie pennæ oloris, longitudine verò vnius pedis cum dimidio aut circiter. Est & vndique perforata. In sua extremitate vero habet spongiolam nouam auellanæ magnitudine firmiter alligatam. Hâc fistula in œsophagum immissâ & circumductâ, postea extractâ, officulum, aut quicquid simile fuerit, extrahitur. Si enim accidit, vt foramen aliquod fistulæ officulum aut spinam excipiat, tum simul cum fistula extrahitur: sin minus, asperitas ossis spongiæ adhærebit, & suo loco amouebitur. Schema habetur *in fine capit.*

Quod si res omnino pertinaciter œsophago inhærens inflammationem excitat, danda opera, vt quamprimum inflammatio suppuretur. Abscessu verò rupto res ipsa simul suo loco mouetur.

Si à vermibus ascendentibus fit angustia, exhibeantur ea, quæ eos expellunt. Si caussa sit pituita crassa, conuenienti modo euacuetur. Exhibeatur etiam sæpe oxymel scilliticum lambendum, quod humores crassos incidit, & postea vomitus prouocetur.

Si à vertebra vicina loco depressa comprimatur Oesophagus, illâ restitutâ angustia cessat. Si à flatibus sit malum, potus assumatur, qui eos deprimat, & postea materia flatuum caussa tollatur.

## *Oesophagi Relaxatio.*

Angustiæ Oesophagi opponitur ejusdem relaxatio nimia, vbi pars inferior Oesophagi, & os superius ventriculi sic relaxatur & hiat, vt ventriculus non bene claudatur, cibúmque non rectè contineat, vnde vapores multi in caput adscendunt. *Oesophagi Relaxatio.*

Caussæ hujus mali sunt intemperies humida œsophagi & superioris oris ventriculi, item catharri à capite in œsophagum delabentes, vomitus item frequentiores. *Caussa.*

Curatur adstringentibus sumptis & extra applicatis. Exhibetur *caro cydoniorum, succus & syrupus granatorum, ribes*, & omnino vtiles sunt hîc pulueres peptici dicti, qui postea de intemperiebus & imbecillitate ventriculi, *cap.* 9. proponentur. *Curatio.*

Extra etiam adhibentur *sacculi, linimenta, emplastra*, quæ *ibidem* traduntur. Interea vtile est & hoc.

℞. *Cortic. malor. granator. myrtillor. sem. coriandri* an. Drach. ij. *acaciæ, coralliorum. rubr.* an. Drach. j. *hypocistid. ladani* an. Drach. sem. *spicæ nardi, cyperi caryophyll.* an. Scrup. j. *ol. nuc. mosch. express.* Drach. sem. *mastich. myrtini, ceræ* an. q. s. F. Linimentum.

## *Vulnera Oesophagi.*

Vulneratur quandoque œsophagus, cum à spinis & officulis deglutitis, tum à telis inflictis. *Vulnera Oesophagi.*

Cognoscitur verò eum esse vulneratum vel ex officulo, aut spina deglutita, vel è situ vulneris inflicti, præcipuè si stylus immittatur & vulnus exploretur; & vomitu, qui sequitur, & quod potus & cibi aliquid per vulnus excerni solet.

Quantum autem periculi officula vel spinæ deglutitæ & œsophago infixæ afferant, paulò ante de angustia œsophagi dictum. Vulnus autem inflictum si sit magnum, curatu est difficile; cum deglutitionem impediat, & hoc modo ægro mortis periculum intentet.

Curantur autem talia, vt aliarum partium vulnera; nisi quod hoc obseruandum, medicamenta non solum extra applicari posse, sed & deglutienda exhiberi. Medicamenta tamen talia sint, ne, quod antea etiam monui, si in ventriculum delabantur, ei noceant. Talia sunt, *syrupus de rosis siccis, myrtinus, consolidæ, tragacantha, gummi Arabic. bolus Armenus.*

Vel detur hic potus.

℞. *Pilosellæ, caudæ equinæ alchimillæ* an. M. sem. *radic. consolid. major. pentaphylli, tormentillæ* an. Drach. i. *balaust.* Drach. sem. *sem. coriandri* Drach. ii. *cinam.* Dra. iii. Coqu. in *aq. hordei* s. In colatura dissolue *conf. rosar. rubr.* Vnc. j. Coletur.

Quæ colatura non solum ægro exhiberi, sed & per chirurgum vulneri injici potest.

Linimenta etiam & vnguenta, vulgo digestiua dicta, quæ vulneri imponuntur, talia sint, quæ ventriculum non offendant. Vt

℞. *Syr. de rosis siccis* Vnc. sem. *boli Armeni* Drach. j. *mastich. sang. draconis* an. Scrup. i. *vitell. oui dimidium terebinth. Cypria* q. s. *ad incorporandum.*

### Vlcera Oesophagi.

*Vlcera Oesophagi.* Exulceratur tandem etiam Oesophagus,id quod accidit vel post vulnera & res acutas illapsas eique infixas;vel post tumores & apostemata;vel ab humoribus acribus vomitu rejectis, vel è supernis in ipsam delabentibus, vt & vaporibus acribus adscendentibus in febribus ardentibus; vel à rebus externis erodentibus assumptis,vt aqua forti,mercurio sublimato, arsenico, & similibus, quæ excoriationem œsophagi inducunt.

Etsi verò excoriatio & vlcus inter se nonnihil differant,quod excoriatio est summæ saltem partis derosio, Vlcus verò etiam ad interiora penetrat: tamen caussa sæpe est eadem,quæ nunc magis,nunc minus lædit, & inde nunc excoriationem solum nunc,vlcus etiam inducit. Excoriatio verò fit à caussis externis, aqua forti hausta, vel re exasperante assumpta. Interdum etiam à catarrhis,& humoribus acribus vomitu rejectis.

### Signa Diagnostica.

*Signa.* Vlcus Oesophagi cognoscitur ex mordicatione & dolore:præcipue dum degluciuntur acria,austera, salsa, acida;quo modo à tumoribus Oesophagi distinguitur. Nam in tumore œsophagi, si res mole magna deglutiatur, accidit dolor, si verò res mole exigua, etsi sit acris,deglutiatur,dolor ferè non excitatur; cujus contrarium accidit in vlcere. In vlcere enim dolor tum percipitur, cum ægri vel comedunt vel bibunt acria, salsa,austera,acida, etsi sint mole exigua.Rejicitur interdum aliquid purulenti vel acris.Caussæ Externæ, vt aqua fortis hausta,vel venenum, ex ægri relatione cognoscuntur,quæ etiam sapore deprehenduntur.

### Prognostica.

*Prognostica.* 1. Vlcera post vulnera sunt periculosa; cum deglutitio impediatur, homóque alimentis destitutus contabescat. Et aliàs œsophagi, vt partis membranosæ,vlcera difficulter coalescunt, & medicamenta necessaria non satis diu in vlcere morantur, sed in ventriculum descendunt.

2. Senes omnes ferè vlcere in gula excitato de vita periclitantur.

### Curatio.

*Curatio.* Primò autem vlcus tale abstergendum melicrato, aut aqua hordei cum saccharo rubro, aut decocto apij vel hyssopi cum saccharo,& talia medicamenta sæpius exhibenda sunt. Videndum tamen,an simul inflammatio adsit, quæ curationi obstet. Tum enim sanguis, si opus, primum mittatur, deinde detur cremor hordei, qui refrigerat, detergit, dolorem lenit,vel decoctum sebesten,aut mucilaginis sem. cydonior. & emulsio papaueris albi cum aqua rosarum facta, vel Syrupus de papauere vel diacodium.

Vel ℞. *Sem psyllij non conquassati cydonior.*an. ʒ. iiij. *papau. albi* ʒ.iij.

Infundantur in *aq. rosar.* & extrahatur mucilago. Adatur *parum sacchari* ad dulcedinem.

Vtile etiam est lac caprinum chalybeatum.

Postea ad consolidationem exhibeantur sensim deglutienda medicamenta ex Syrupo de rosis siccis, myrtino, gummi Arabico, tragacantha, mastiche, thure, coralliis, & bolo Armeno, terra sigillata & similibus.

Si verò aqua fortis vel simile quid rodens haustum sit, exhibeatur mucilago sem. cydonior. cum syrup. violar.

Si venenum sumptum sit, vomitu reiiciatur, Vomitorio tali exhibito, quod simul veneni acrimoniam obtūdat,eique contraria medicamenta opponantur, & mucilago sem. cydoniorum, iuscula pinguia, lac & similia ad prohibendam excoriationem exhibeantur. Vel hoc, quod etiam in aqua forti hausta vel humore acri locum habet.

℞. *Passular.*℥.j.*Sebesten, iuiub.Prunor.dulc.*an.n.xx. *glycyrrhizæ rasæ* ℥.j.*tamarindorum* ℥. ij.*semin. cydonior. quat.frig.maior.*an.ʒ.ij.

Coqu. *in aqua simplici*, & de colatura aliquid sæpe hauriatur.



## CAPVT II.

### De læsa Deglutitione.

*Læsa deglutitio.* Officium Oesophagi est cibum potumque ab ore receptum beneficio fibrarum,quibus eius tunicæ præditæ sunt,in ventriculum demittere. Hæc verò eius actio interdum læditur, ita vt aliquando nihil omnino deglutiri possit, aliquando non nisi difficulter. Et percipitur interdum inter deglutiendum aliquis dolor, interdum verò sine omni dolore deglutitio nihilominus impeditur.Accidit interdum etiam,vt solida & dura facilè,liquida verò difficulter & non sine suffocationis metu degluciantur,de quo infra *in quæstione.*

### Caussæ.

*Caussæ.* Læditur autem deglutitio vel læsa facultate,vel instrumenti deglutitionis vitio. Læditur læsa facultate, cum vel nerui sextæ & septimæ conjugationis ad faucium musculos & Oesophagum tendentes resoluuntur aut conuelluntur, vel cum fibræ œsophagi resoluuntur. Si ex vulnere fiat conuulsio hæc, spasmus ad stomachum à Chirurgis appellatur.Etsi verò Platerus statuit,non propriis fibris,sed faucium musculis deglutitionem peragi;tamen id simpliciter verum non est.Etsi enim hoc verum sit,musculis illis faucium cibum & potum è faucibus in œsophagum demitti;tamen is in œsophagum demissus non pondere solùm decidit, sed & fibrarum ope in eum detruditur, quod in majoribus bolis deglutiendis manifestè interdum percipi potest.

Organi ratione deglutitio impeditur in exsiccatione œsophagi in febribus ardentibus, ob ejus angustiā, de cujus caussis modò dictum.Tandē etiam Deglutitio læditur,cum œsophagus erosus præ dolore cibū ac potum transire non patitur. Capiuaccius addit vitium objecti, cum res ingratæ deglutiendæ sunt; quia deglutitionem

glutitionem appetentia præcedere debet. Sed vitium hoc ad nauſeam potius pertinere videtur.

### Signa Diagnoſtica.

*[S]igna.* Affectus ipſe per ſe patet. Cauſſas quod attinet, in deglutitione impedita ob anguſtiam facilius liquida, quàm ſolida degluriuntur. Contrarium accidit in reſolutione œſophagi, in qua res ſolidæ deglutiuntur facilius, quam liquidæ. Cauſa hujus rei eſt, quod in deglutitione ſuperiorem œſophagi partem contrahi oportet, vt cibus & potus verſus ventriculum quaſi detrudatur. At ſolida & dura hoc modo leui etiam conatu facilè detruduntur. Liquida verò quia impellenti cedunt, majori vi opus habent, vt detrudantur, quæ cum deficiat in paralyſi, & vis detrudens laboret, etiam non facilè degluriuntur. Et ſi ſponte ſua defluant, veluti in lagenam, cum ſonitu defluunt, cum aliàs deglutitio ſenſim fieri ſoleat. Si à defluxione ortum habet, deprehenditur, ſi capitis grauitas vel tenſio colli, vel defluxio in aliquam oris partem præceſſerit. Si fiat à conuulſione, os tenetur clauſum, dolor verò mammas & vicinas partes infeſtabit.

### Prognoſtica.

*[P]rognoſtica.* 1. Si à reſolutione muſculorum faucium proueniat deglutitio læſa, periculoſum malum eſt, grauémque morbum ſignificat; niſi hujus tantum partis ſit Paralyſis, quæ & ipſa pertinax ſatis plerumque malum eſt, & grauius minatur.

2. Periculoſum etiam malum eſt, ſi à luxatione vertebrarum ortum habeat.

3. Diffiultas quoque deglutiendi ab intemperie frigida vel conuulſione non recipit in ſenibus curationem, vel ſaltem difficilem.

4. Minus periculoſum malum eſt, ſi à defluxione aliqua humoris in œſophagum reſolutio & deglutitio læſa fiat. Si verò ob virium reſolutionem & ſpirituum defectum, quod in febribus acutis ſæpius accidere ſolet, id eueniat, peſſimum ſignum eſt, & mortis inſtantis indicium, ſi cum ſonitu quaſi in lagenam vacuam potus decidat.

5. Periculoſum etiam malum eſt, ſi in vulneratis à conuulſione fiat læſa deglutitio. Ita apud Hippocratem, 5. *epid. ſect.* 7. Qui iaculo acuto in poſteriorem partem paulò infra ceruicem ſauciatus eſt, vulnus quidem accepit aſpectu minimè effatu dignum. Neque enim altè penetrabat. Non longè autem pòſt ſublato jaculo diſtendebatur in poſteriora contractus, veluti qui in ſcapulas rigeſcunt, & poſteriorum partium diſtentione tentantur, maxillæque conſtrictæ erant. Si quid etiam humidi ore contineret, & deuorare tentaret, in nares regerebatur, ac in reliquis ſtatim deterius habebat, alteraque die mortuus eſt.

### Curatio.

*[C]uratio.* Medicamenta, quæ aliàs in paralyſi & præcipuè linguæ vſurpari ſolent, & hìc conueniunt, ſi à paralyſi malum ſit. Ideóque ea lateribus colli, ceruici toti & ſpinæ applicanda. Vtile etiam hìc eſt ſinapi vel ſola vel cum aceto maſticata. Conueniunt & hìc Gargariſmi in paralyſi linguæ propoſiti. Vt:

℞. *Rad. acori veri* Vnc. ſem. *ireos* Drach. ii. *ſaluiæ, roriſmar.* an. M. j. *rutæ*, *flor. lauendul.* an. P. i. *nuc. moſch.* num. ii. *caryophyll.* Drach. j. Coq. in vaſe clauſo in ſ. q. hydromel. & vini.

Colaturæ ℞. ℔. j. ſem. *mellis anthoſat.* Vnc. ii. *aceti ſcillitic.* Drach. i. Miſce pro Gargariſmo.

A cauſſis reliquis proueniens deglutitio læſa, quomodo curanda ſit, ex iis, quæ capite præcedente dicta ſunt, patet.

Si Hirudo in fauces irrepſerit, & in œſophago hæreat, (etſi id rarius accidat) qua ratione tollenda ſit, docet Rhaſes, *in* 9. *ad Almanſorem cap.* 48.

Ad deglutitionem vitiatam & illa pertinet, cum quidam cibum & potum deglutiunt, immotis deglutitionis organis, cujus rei exemplum habet Cardanus, *lib.* 8. *de rer. variet. cap.* 40. & vidi ipſe ſimile exemplum in quodam fatuo, qui integrum cochlear confectionis ſaccharatæ & poculum cereuiſiæ ſimul ſine omni motu organorum deglutitionis deglutiebat.

## CAPVT III.

### De rebus alienis deglutitis.

NOnnunquam verò accidit, vt res alienæ vel ſponte ac temerè, vel caſu & inopinatò deglutiantur. *Res alienæ deglutitæ.* Ita refert Veſalius, *lib.* 5. *de hum. corp. fabr. c.* 3. Hiſpanum quendam vniones grandiores 40. cum aurea cruce quinque gemmis inſtructa, & fide, qua comprehendebantur, meretrici, cujus noctem conduxerat, obdormienti de collo ſuffurata, deglutiuiſſe. Quendam vrceos vitreos, clauos ferreos, aliàque multa modica mercede conductum deuoraſſe, Cardanus, *de variet. rerum lib.* 8. *c.* 40. narrat. Quendam coria, teſtas, & fruſta vitri comediſſe narrat Amatus Luſitanus, *cent.* 2. *cur.* 69. *in ſchol.* Keckermannus *lib.* 3. *ſyſtem. Phyſici cap.* 12. ſcribit, fuiſſe Dantiſci Comitem quendam, qui in gratiam amici vitrum deuorauit, ſed poſtea tantos ſenſit dolores, vt moriendum ipſi fuiſſet, niſi Medicus arte quadam id auertiſſet. Nam coxit frumentum Sarracenicum excorticatum, eique comedendum ita craſſiuſculè dedit, vt nempè particulæ vitri ſeſe immiſcerent pulti ipſi craſſiori, & ita ſimul excernerentur. Mirum etiam illud eſt, quod de Lazaro vitriuorace Realdus Columbus, *lib.* 15. *anat.* hunc in modum ſcribit: Lazarum vitriuoracem vulgò dictum patricij omnes Veneti, immo Veneti omnes, omnes Ferrarienſes de facie nouerant. Hic nullo prorſus guſtu, dum viueret, præditus erat, nullam in edendo voluptatem, nihil injucundum perſentiebat: inſipida, amara, dulcia, pinguia, ſalſa, acria non diſtinguebat: vitrum, ſaxa, lapides, ligna, viua animalia, carbones, piſces è viuario extractos adhuc ſalientes vorabat. Vorabat lutum, lineos, laneoſque pannos, fœnum, ſtipulam, &, vt breui omnia complectar, quicquid homines, quicquid animantia vorant, quicquid illi edendum, ſeu deglutiendum potius offerebatur, mercede propoſita dictum ac factum ingurgitabat. Teſtis eſt inter reliquos Martinus Aromatarius Patauij ad Angeli inſigne, cui ſacculum carbone refertum, & ſaccum inſuper deuorauit. Quo viſo perſoluit, quod pollicitus fuerat, comminatus, ne ad pharmacopolium amplius accederet: veritus ne ſe cum taberna & vaſis eſitaret. Cum igitur hoc naturæ monſtrum mihi diſſecandum eſſet Patauij, cœpi hujuſce rei diligenter, quoad ejus fieri potuit, cauſſam venari, quam me tandem, Deo duce, ex particulari illiùs ſtructura aſſecutum eſſe, confido. Nam quarta neruorum conjugatio, quæ guſtus gratia in aliis hominibus producta eſt, in hoc Lazaro vitriuorace neque ad palatum, neque ad linguam reptabat, ſed ad occipitum reflectebatur. Quendam deglutiuiſſe enſis mucronem tres digitos longum, duodecimoque poſtea die per anum reddidiſſe, teſtatur Paræus, *lib.* 24. *cap.* 19. Puerum quendam mendicum quæſtus gratia lapides quàplurimos, juglandis quoque magnitudine deglutiuiſſe, vt eorum mutuò ſeſe adhærentium ſonitus in ventriculo audiretur, & per aluum ſine labore ejeciſſe, ablutóſque rurſum deuoraſſe, refert Platerus. Nautam viuam anguillam deuoraſſe, integrámque & viuam aluo reddidiſſe, ſcribit Geſnerus, *lib.* 4. *Hiſtor. animal.* Quendam mucronem cultri, alium lignum digiti craſ-

ſitie & longitudine ; puerum globum plumbi , alium denique halecem cum cereuiſia deglutiuiſſe , & per aluum poſtea excreuiſſe narrat Foreſtus , *lib.*15.*obſeruat.*18.*in Schol.*

Quod ſi tale quid accidat,& res per œſophagum in ventriculum delapſa ad aluum tendat, aluus lubricanda decocto maluæ,althéæ,ſemin.lini,oleo , & juſculis pinguib. ac poſtea purganda, & ſi res acuta ſit,cibi exhibendi,qui lenti & viſcidi ſunt, vt cum iis quaſi inuoluta per aluum deſcendat.

Sæpè verò accidit, vt per aluum res tales antea deglutitæ non ejiciantur,ſed in corpore retentæ lógo poſt tempore ſæpè per aliam viam , naturâ exitum moliente,expellantur. Ita refert Arculanus ſe vidiſſe, quod os acutum gutturi infixum tandem poſt duos menſes per cutim exierit. Ambroſius Paræus,*lib.*14.*cap.*29.narrat quendam à prædonibus coactum gladium ſemipedem longum cum coriacio manubrio pollicis craſſitie deglutiuiſſe , eúmque tandem poſt ſemeſtre ſpatium ſub inguine abſceſſu oborto, cum magna puris fœtidi copia extractum fuiſſe. Antonius Beniuenius , *de abdit. morb.& ſanation.cauſſis cap.*20.refert, mulierem quandam acum æneam deglutiuiſſe,quæ poſt 10.annos , & longos cruciatus terebrato ventriculo è paruo foramine prodiit. Paræus,*allegato loco*,ſcribit,ſtudioſum quédam graminis ramulum deglutiuiſſe,qui poſtea per intercoſtale ſpatium eruperit. Nota eſt quoque hiſtoria ruſtici , quæ noſtra adhuc memoria Pragæ accidit. Is enim cum cultrum breuem , vt aliis ludos faceret, in faucibus occultare poſſet,accidit aliquando, vt incauto culter in ventriculum delaberetur,qui poſt longum tempus per abdomen perforato ventriculo extractus eſt. Acuum deglutitarum , & longo tempore poſt per vrinam excretarum aliquot hiſtoriæ à Medicis recenſentur.Alex.Benedictus,*lib.*2.*anatom.c.*9. narrat,crinalem acum quatuor digitos longam à virgine deglutitam poſt 10. menſes per vrinam excretam fuiſſe. Ita virgo quædam in aulâ Ducis Iuliacenſis , dum ad ſpeculum ſe ornaret,& quinque acus ore teneret,ab amaſio clanculum accedente in ſcapulis percuſſa, eas perterrita deglutiuit,& poſt triduum per vrinam reddidit. Lang. *l.*2. *Epiſt.*40.

Interdum tamen accidit,vt res tales deglutitæ nullo modo ejiciantur , ſed vel in œſophago ſubſiſtentes hominem longâ inediâ jugulént,vt teſtatur Marcellus Donatus,*de hiſtor.mirabil.lib.*3.*cap.*8. vel alibi hærentes ſint in cauſſa,vt homo tandem tabe intereat. Hujus rei exempla ſunt apud Foreſtum,*lib.*15.*obſ.*23.*in Schol. obſeru.*27.28.

## QVÆSTIO.

### *Qui fiat, quod ſolida facilè , liquida verò difficulter , & non ſine ſuffocationis metu deglutiantur.*

*Cur ſolida facilè, liquida difficulter deglutiãtur?*

Accidit interdum,vt ſolida & dura facilè,liquida verò difficulter & non ſine ſuffocationis metu deglutiantur;quod ipſe aliquoties obſeruaui, habetque ejus rei hiſtoriam Gulielmus Fabrit.*cent.*5.*obſ.*34. de quodam viro ſexagenario, cui cum catarrhus ad ſiniſtrum latus lapſus eſſet , paralyſis ſecuta eſt, & deglutitio ita deprauata,vt liquida omnia,præſertim vinum , non ſine ſuffocationis metu deglutire poſſet , reliqua verò, quamuis ſolidiſſima,facilimè deglutiret.

Quænam autem hujus mali cauſſa ſit, non ita planum eſt,Guil.Fabrit.equidem cauſſam mali in epiglottide eſſe ſtatuit , iſtámque , & ſimul adjacentes partes cum paralyſi corriperentur , humore viſcido imburas fuiſſe exiſtimat, atque hinc facilè fieri potuiſſe putat, vt,cùm epiglottis laryngé aſperámque arteriam exactè obtegere nó poſſet,liquida,& inprimis vinum,quia tenuium eſt partium,ad ipſam arteriá aſperá peruenerint, & ſuffocationis metú excitârint;duriuſcula verò ratione craſſitiei & ponderis operculum aſperæ arteriæ depreſſiſſe,& proinde ſine difficultate ad vétriculum perueniſſe.Quam ſententiam,vt non impugno:ita nec abſurdú eſſe exiſtimo ſtatuere,cú ſolida difficilius,liquida facilius deglutiuntur,id fieri ob fibrarum internæ œſophagi tunicæ rectarú debilitatem:cum verò ſolida facilius,liquida difficilius deglutiuntur,id accidere propter paralyſin partium detruſioni ciborum inſeruientium. Majore enim facultatis motricis robore,& inſtrumẽtis fortioribus indigent liquida , vt comprehendantur & detrudãtur,quàm ſolida,quæ facilius cóprehenduntur.

## CAPVT IV.

### *De Intemperiebus ventriculi.*

Et primò.

### *De Intemperie in genere.*

*Intemperi. Ventriculi*

VEntriculi officiũ eſt cibũ & potum deglutitum in chylum ſeu ſubſtantiam cremori ptiſanæ ſimilem trãſmutare,quę ſanguinis,totius corporis futuri alimẽti,eſt rudimentũ.Vnde etiã vẽtriculus, 4.*de vſu part.c.*1.χυλώσεως officina dicitur,&,1.*de cauſ.ſympt.c.*7.publicum alimenti ταμεῖον ſeu promptuarium appellatur.

Munus autem ſuum exſequitur ventriculus vi inſita, quam ἀλλοιωτικὴν,πεπτικὴν & χυλοποιητικὴν nominant; cui facultati inſeruiunt vis retentrix & attractrix. Vis autem coctrix calore inſito vtitur,qui ab influente perficitur , & in actum quaſi deducitur. Eundem tamen etiam fouent Hepar,Diaphragma,Lien, Omentum,ac partes vicinæ calidæ ac pinguedine perfuſæ.

Hoc autem munus ſuum rectè perficit ventriculus, ſi omnia,quæ ad ejus conſtitutionem pertinent , rectè ſeſe habeant,nimirum temperies & ſimilaris conſtitutio,organica conformatio & vnitas. Si quid autem horum deſit,malè ſuum opus perficit ventriculus.

Inter morbos autem,qui ventriculi conſtitutionem lædunt,eſt primò INTEMPERIES , ventriculi ſcilicet morboſa,ſiue præternaturalis partium ſimilarium ventriculi,in primis qualitatibus conſtitutio.

### *Cauſſæ.*

*Cauſſæ.*

Ortum autem habet illa vitioſa ac p. n. qualitatum primarum proportio à cauſſa alterãte, ſiue alteratio fiat per ſe, ſiue per accidens. Cauſſa autem hæc eſt vel externa,vel interna. Externa eſt cibus potúſque aliquem exceſſum in qualitatibus primis habens, ſeu inſigni vi calefaciendi,frigefaciendi,humectandi,ſiccandi præditus. Medicamenta item aſſumpta , vel extra applicata ſimilem qualitatum exceſſum habentia. Aëris item intemperati ad regionem ventriculi appulſus,ſimiléſque cauſſæ externæ. Internæ verò cauſſæ ſunt membrum aliquod vicinum,vt omentum,hepar,lien, intemperatum,vel humor,vel vapor ventriculum afficiens.

### *Differentiæ.*

*Differen.*

Vt autem omnis Intemperies eſt vel ſimplex, calida,frigida,humida,ſicca;vel compoſita,calida humida, calida ſicca,frigida humida, frigida ſicca;& rurſum vel ſine materia,vel cum materia conjuncta:ita eædem Intemperies in ventriculo etiam locum habent.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.*

Cognoſcitur autem in genere Intemperies ventriculi potiſſimum ex læſa alimenti coctione & appetentia,& quidé præcipuè ſi nullus in victu error tum præceſſerit, (alias enim à cibo & potu vẽtriculi temperies mutari

mutari potest,)& nullus in ventriculo tumor vel vlcus vel alius morbus adsit; si, vt iam dictum, cibus & potus assumptus, qui in manifestis qualitatibus excedat. Ita etiam partium vicinarum morbi de ventriculi intemperie indicia præbent. Apparet etiam quædam in excrementis mutatio. Fluctuatio item ventriculi intemperiem arguit. Similiter sæpè in ventriculo grauitas percipitur; quia cibus tardius coquitur, & adsunt alia læsæ coctionis symptomata.

*Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Facilius curantur Intemperies, quæ ex caliditate & frigiditate sunt, (modò non sint in habitu) quia maximè actiuis contrariis curantur.

2. Difficilius curantur, quæ in humiditate & siccitate sunt intemperies; quia imbecillioribus, & minus actiuis qualitatibus curatio eorum perficitur: & præcipuè cum humectandum est. Humida etiam intemperies facilius curatur; cum calida etiam siccandi vim habeant.

3. Tempus quidem caliditatis, frigiditatisque corrigendæ par quodammodo est; maiore tamen cautione & prudentiâ opus est in refrigerantibus, quam calefacientibus adhibendis. In sicca verò intemperie tempus ad curandum longius requiritur, & siccitas tardius corrigitur. Quod enim in sanis senium est, id sicca intemperies in ægris, quæ propterea insanabilis est, si prorsus confirmata sit.

*Indicationes.*

*Indicationes.* Quæ Intemperiei corrigendæ conueniant, ex generali methodo med. patet. Intemperies enim indicat alterans per contrarium, simplex vel compositum, prout ipsa est talis. Caussæ externæ, si adhuc durant, remouendæ. Internæ verò quæcunque sint, tollendæ contrariis & conuenientibus remediis. Tandem peculiaris ventriculi naturæ habenda est ratio, & per stomachica medicamenta, habito tamen intemperiei respectu, fouenda; & calor eius innatus, quo tanquam proprio in actionibus suis instrumento vtitur, conseruandus per conuenientia alimenta & adstringentia & ventriculum roborantia medicamenta, quatenus morbus ea fert.

*Curatio.*

*Curatio.* Itaque cum ventriculus ab aliis non accipiat multum, sed potius aliis partibus nutrimentum præparet atque transmittat, & intemperies, quatenus talis, venæsectionem non requirat, eâ hîc opus non est. Si tamen aliquis affluxus sanguinis & inflammatio ventriculi metuenda sit, ea statim instituenda.

*Ventriculo conuenientia medicamenta.* Medicamenta autem quòd attinet, cum orificium ventriculi sit admodum sensile, & cor facilè in consensum trahat; ac propterea fœtidum & ingratum saporem abhorreat, contra verò delectetur suaueolentibus & sapore gratis, danda opera, vt omnia, quæ ventriculo laboranti exhibentur, illi grata sint, nec nauseam pariant. Etsi quid omninò minus grati saporis exhibendum, dãda opera, vt odor & sapor à palato & naribus minus percipiatur, & proinde talia pilulis includantur, vel alio modo sapores & odores ingrati occultãdi sunt, quod fit, si ob saporem os prius aquâ aceto dilutâ colluatur; ob odorẽ verò poculum linteo aceto madefacto tegatur, vt non plus pateat, quam labiis admouendis opus est.

Danda quoque opera, vt medicamenta aliquandiu in ventriculo hæreant, nec mox ad alias partes, quæ forsan ea intemperie non laborant, penetrent, quibus de causis cibi medicamentosi in alterandis intemperiebus ventriculi commodissimi sunt. Sine nausea enim à ventriculo recipiuntur, & diutius ibi retinentur. Posteriori de causa medicamenta ad ventriculum forma aliqua solida exhiberi solent. Et hac ipsa de caussa non statim à sumptis medicamentis bibendum, ne cum potu è ventriculo elabantur. Medicamenta quoque non tepida, cum soluant ventriculi tonum, sed potius frigida vel calida actu exhibenda sunt. Vitentur quoque semper nimis relaxantia, vt & nimis attenuãtia, neque absque adstringentium admixtione vsurpentur. Vt enim per laxantium vsum vires ventriculi resoluuntur: ita per vsum adstringentium conseruantur, vel labentes retinentur. Idque non solùm de internis, sed & externis medicamentis obseruandum. Vitanda quoque acria, nimium salsa, erodentia, ne orificium ventriculi superius, quod sensu exquisito præditum est, lædatur, vt & fortia purgantia, quæ omnia sunt ventriculo inimica. In quacunque ventriculi intemperie commendatur corallium ad ℨß datum. In frigida tamen & sicca intemperie calidis ac humidis medicamentis corrigatur. Auicennas etiam corallium collo appendere iubet, vt ventriculi regionẽ attingat. A nonnullis etiam Iaspis commendatur, si collo eodem modo appendatur. Laudantur quoque interiores tunicæ ventriculi gallinarum, vt & aliarum auiũ, præcipuè Mergi. Galenus tamen, 11. *de simpl. med. facult.* scribit, se vanam hanc promissionem expertum esse. Mesue Myrobolanos Chebulas & Emblicas conditas melle vel saccharo commendat.

Externa medicamenta mucronatæ cartilagini versus vmbilicum, & in dorso ad duodecimam & decimamtertiam vertebras applicentur.

*Diæta.*

*Diæta.* In quacunque ventriculi intemperie cibi & potus nimia copia vitanda, quæ ventrem grauat. Abstinẽdum etiam ab iis, quæ ingrata sunt ventriculo & aduersa; à lubricantibus item, quæ tonum ventriculi laxant. Cauẽdum etiam ægro à vomitu laborioso, ne vires ventriculi dissoluantur. Cætera ex speciali singularum intemperierum cura patebunt.

## CAPVT V.

### *De frigida intemperie ventriculi.*

*Frigida ventriculi intemperies.* CVm autem intemperies ventriculi frigida sit frequentissima, de ea primo loco agemus. Solent autem Autores ventriculi Intemperiem frigidam distinguere in positiuam & priuatiuam. Positiuam dicunt, quæ per se à simili causa inducta est; cum scilicet ab agente frigido frigiditas ventriculo inducitur, & calor eius debilitatur. Atque huius caussæ sũt vel externæ vel Internæ. Externæ sunt, frigidus cibus & potus, præsertim dum corpus æstuat; medicamenta frigida, aer frigidus, inprimis, si quis in eo ventriculi regione non benè tectâ versetur, aut inediam patiatur. Internæ sunt vicinæ partes, vt hepar, lien, omentum, mesenterium & musculi abdominis frigidiores redditi.

Priuatiua verò vel per accidens dicitur, vbi quidem non à caussa refrigerante intẽperies ventriculi inducitur, sed cũ ea fit ex defectu calidi innati; atq; hæc nunquã sine siccitate consistere valet, cum prior etiã sine siccitate induci possit. Atque talis fit ex humidi radicalis, & per consequens calidi innati ventriculi absumptione, quam inducere possunt etiam calefacientia nimium exhibita, vndè malè sæpè suis rebus consulunt, qui debilitate vẽtriculi ex hac caussa laborantes aromatibus fortiter exsiccantibus, spiritu Vitrioli & similibus vtuntur. Prouenit etiam hæc intemperies ex musculorum abdominis & omenti siccitate & gracilitate, itẽ ex alimenti, quod calidum & humidum est, defectu. Huc facit etiam nimia Hepatis caliditas, quæ humidũ illud ventriculi caliditatis natiuæ subiectũ dissipat & absumit. Atq; ideo accidit, vt qui iecur habent calidius & intẽperatum, plerumque habeant ventriculum frigidiorem & debilius coquant.

*An. & cur, qui hepate sunt calidiore, debilem ventriculum habeant.*

*De hepatis caliditate cũ debilitate ventriculi.*

¶ [Vulgaris querela est apud Medicos, accusare debilitatem ventriculi, & caliditatem hepatis. Et res non est de nihilo. Etsi enim calor hepatis calorem ventriculi fouere possit: tamen per accidens etiam eum labefactare posse, modò diximus, quia nimirum caliditas hepatis nimia humidum illud ventriculi, caliditatis natiuæ subiectum, dissipat & absumit. Atque istam rationem adhuc etiam suum locum habere posse existimo. Potest tamen & alia addi, quam suppeditat Galenus, 2.*aph.*35. dum scribit: *Quædam hypochondria sunt tenuiora, quædam crassiora, & hæc sunt meliora: tenuiora sunt mala, vt signa, & vt caussæ. Signa sunt imbecillitatis in partibus aliqualis: caussa vero, quod coctio non bene fiat in ventre, neque sanguificatio in hepate: quia à crassitie hypochondriorum concalefactum vtrumque, venter & hepar iuuantur.* Nimirum coctio in ventriculo fit quidem ab innato eius calore; viscera tamen circumiacentia illum calorem fouent, conseruant, & augent. Idque inprimis faciunt viscera in hypochondriis, si non sint calida & sicca, sed calida & humida, ac multâ pinguedine prædita. Ideoque etsi hepar calidum per se coctionem ventriculi non lædit, sed potiùs adiuuat: tamen quia hepar calidius pinguedinem absumit, & hypochondria reddit tenuia, ea calorem ventriculi ita fouere non possunt, vt crassiora. Habet & hoc incommodi ventriculus frigidus, & hepar calidum, quòd qui ventriculum frigidum habent, tardiùs coquunt, hepar verò calidius chylum auidiùs, & sæpe adhuc semicrudum, ad se rapit, qui postea in venis meseraicis hæret, & obstructiones in iis parit; vnde fluctuationes, flatus, dolores intestinorum, exhalationes in caput, & alia incommoda ortum habent.]

E quibus patet, hanc esse inter frigiditatem ventriculi positiuam & priuatiuam differentiam, quod in priuatiua frigiditate nulla caussa refrigerans præcedit, quæ aliquos frigiditatis gradus ventriculo impresserit, sed quia caliditas inhæret humido radicali, si illud absumatur, vnà etiam calor euanescit: In positiua verò frigiditate salua quantitate humidi radicalis à caussa refrigerante gradus aliquot frigiditatis præter naturam inducuntur.

### *Signa diagnostica.*

*Signa.* Frigida ventriculi intemperies cognoscitur ex sequentibus. Sitis nulla adest, ardor nullus in ore ventriculi, cibi appetentia plerumque intenditur, nisi frigiditas sit maxima, quæ actiones aboleat. Concoctio cibi vel tollitur vel imminuitur vel vitiatur pro maiore vel minore frigiditatis vehementia. Sequuntur ructus acidi, præsertim si cibi ingerantur frigidi. Quia tamen ructus acidi à pluribus caussis prouenire possunt, vt docet Galenus, 2.*de rat. victus in acut. text.*22. scilicet & propter ventriculi frigiditatem & propter pituitam in eo contentam & propter ciborum multitudinem, & ob eorum frigiditatem, ructus acidus frigidi ventriculi certum signum est, cum neque cibi multi, neque frigidi sunt assumpti, neque pituitæ in ventriculo redundantis signa adsunt. Saliua est copiosa, flatus egrediuntur, à quibus æger leuamen sentit. Præcesserunt caussæ refrigerantes, delectatur æger calidis atque ex iis commodum percipit, læditur verò frigidis. Priuatiua vero frigiditas potius ex signis siccitatis ventriculi cognoscitur.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Positiua frigiditas facilius curatur, quam priuatiua.

2. Pro caussarum tamen ratione, & pro vt à naturali statu magis vel minus recessit, facilius vel difficilius curatur.

### *Curatio.*

*Curatio.* Intemperies frigida calefacientia indicat. Medicamenta tamen calida non sint valde calida, quia talia exsiccando humiditatem minuunt & priuatiuam frigiditatem inducunt. Ideoque que calidiora sunt, commodè adhibentur cum iure carnium & humectantibus miscentur; Iis verò, quæ foris applicantur, olea & pinguedines admiscentur.

### *Calefacientia ventriculum.*

#### *Interna.*

#### *Simplicia.*

*Calefacientia. Interna. Simplicia.* Herbæ; *Mentha, absinthium, betonica, calamintha, saluia, origanum, rosmarinus, serpillum, pulegium, basilicum, &c.*

Flores; *rorismarin. betonic. saluiæ, spicæ, schænanthi.*

Radices; *acori, pimpinell. helenij, cyperi.*

Semina; *Anisi, fœniculi, carui, cumini, coriandri, sinapi.*

Fructus; *Baccar. iuniperi, lauri,*

Ligna & cortices; *Aloes, cortic. citri, aurantiorum.*

Aromata; *Calamus aromaticus, nux mosch. caryoph. Zinzib. cinamom. galanga, cardamom. Zedoaria.*

Gummi, Balsama & cognata; *Mastiche, aloe, thus, styrax, succin. ambra, balsamum,*

Ex quibus præparantur & componuntur:

*Composita.* Aquæ & Spiritus, *Menthæ, absinthij, betonicæ, anisi, rorismar. cinamom. mastich. spiritus vitrioli.*

Vinum & Cereuisia, *Absinthij, rorismar. caryophyll. cinamom.*

Vina composita, seu Clareta, aquæ vitæ, Elixir.

Vt ℞. *Cinamom.* Vnc.ii. *caryophyll.* Vnc.ß. *galang. gra-nor. paradysi. Zinzib.* an.℥.ii. *piper. cardamom. nuc. mosch.* an.℥.j.

Crasso modo contusa in vase clauso macerentur per dies aliquot, in spiritus vini ℔.iiij. Postea spiritum vini tinctum per inclinationem separa. Huius drachmæ aliquot & sacchar. q.v. vini mens.j. misceantur, & habebis vinum aromaticum vel claretum.

Vel ℞. *Cinamom.*℥.i. *zinziber. galang.* Dra.ii. *caryoph. nuc. mosch. calam. aromat. macis piper. nigri* an. Dra i. *spir. vini opt.*℔.iiij.

Stent in infusione vase clauso per dies 4. vel plures. Post Spiritum tinctum separa.

Admisce *Syrupi citri*℥.ii. *miuæ cydon.*℥.iiij. Misce.

F. Aqua vitæ,

℞. *Spec. aromat. rof.*℥.i. *diambr.*℥.ß. *cinamom. nuc. mosch, galang. sem. carui* an.℥.iii. *cardam. ligni aloes, zinzib.* an. Dra.i. *spiritus vini* ℔.iiij.

Digere, pòst cola & adde *syrupi cydon.*℥.viij.

Stent in vase clauso aliquot diebus & pòst per chartam bibulam colentur.

℞. *Cinamom.*℥.i.ß. *zinziber.*℥.ß. *galangæ cardamom. piper rotund.* an. Drach.i. sem. *nucis mosch. macis, caryoph.* an. Drach.ii. *sacchar. candi* ℔.ii. *vini optimi mens.*v.

F. Claretum.

Extracta & tincturæ siue essentiæ, *calam. aromatici, galangæ, absinthij, ligni aloes, aromat. ros. stomach. Quercetani, Elixir proprietatis.*

Olea destillata, *calami aromat, caryophyll, cinamom. nuc. mosch. macis, cortic. aurant. carui, anisi, fœniculi.*

Conseruæ, *absinth. beton. anthos, menthæ, saluiæ, diacydonium cum aromatibus.*

Condita, *zinziber. acorus verus, galanga, bacc. iuniperi melle condita, cortices citri.*

Syrupi, *cinamomi, absinth. menthæ. betonic. cydonior. de cortic. citri, mastich. mel. ros. scillit. rob iuniperi simplex & compositum.*

Species Aromaticæ, *aromat. rosat. caryophyllati, diacinamom. diagalang. diatrionpip. dianis. diaxyloaloes, rosatæ nouellæ, species Imperiales, diamoschi.*

Trochisci,

Trochiſci, *Galliæ moſchatæ, de roſis.*

E quibus poſtea componuntur varia electuaria & antidoti vſuales vulgo noti: *Theriaca*, *Mithridatium*, *diacorum.*

Plurima quoque parantur in rem præſentem Magiſtralia.

℞. *Conſeru. roſar. vitriolat.* ℔ß. *betonic.* ℥.iii. *ſpec. arom. roſ.* ʒ.i. *caryoph. conciſ.* ʒ.i. *ambr.* g.vi. *calam. aromat. condit.* ʒ.ii. *Cum ſyrupo conſeruationis zinzib.*

Fiat Electuarium.

Vel ℞. *Conſeru. roſar.* ℥.iii. *diacydon.* ℥.i. *nuc. moſch. cōdit.* n.ii. *corall. rubr. præp.* ℈.i. *ſpec. aromat. roſ. caryophyll. inciſ.* an. ℥.ß. Cum *miua cydon.*

F. Electuarium.

℞. *Cinamom.* ℥ ii. *galang.* ʒ.i.ß. *caryophyll. cortic. citri, macis, corall. rubr.* an. ʒ.i. *conſeru. roſar.* ℥.iii. *ſpec. aromat. roſat.* ʒ.i. Cum *ſyrupo cydonior.*

F. Electuarium.

*Electuarium Langij.*

℞. *Conſerua roſar.* ℥.ii. ß. *flor. roriſmarin.* ℥.i. *flor. lauendulæ* ℥.ß. *galangæ cubebar. xyloaloës* an. Scrup.i. *ſem. aniſi* ʒ.ß. *cinamomi* Dra.i. *calami aromat. conditi* Dra.ii. *zinzib. condit.* Vnc. ſem. *pinear. præp.* Dra.vi. Cum *ſyr. conſeruat. citri.*

F. Electuar.

*Rotulæ & Morſuli.*

℞. *Extract. aromat. roſat.* g. xv. *calami aromat.* Scr. ſem. *ligni aloes* g.vi. *ſacchar. albi in aqua roſar. ſoluti* ℥. iii. *ol. cinamom.* g.iii. *macis*, gr.ii. *caryophyll.* gut.i.

F. Rotulæ.

Vel ℞. *Spec. aromat. roſ.* ʒ.ii. *diaxyaloës* ʒ.i. *ſacch. in aq. menth. q.ſ. & cinamom.* ℥.ß. *diſſolut.* ℥.iii.

F. Rotulæ.

℞. *Spec. imper.* ʒ.ii. *pinear. mundat. inciſar.* ʒ.iii. *ſpec. aromat. roſat.* Dra.ß. *ſacchar. in aqua roſar. diſſolut.* ℥.v. *ol. cinamom.* g.v. *carui* g.iiij.

F. Morſuli.

*Pulueres & trageæ.*

Tales Pulueres efficaciores ſæpe ſunt, quam rotulæ & morſuli, cum in ſaccharo calefacto ſpecierum aromaticarum & ambræ vis facilè diſſipetur.

℞. *Spec. aromat. roſ.* ʒ.iii. *ambr.* g.vi. *ſacch.* ʒ.iij.

F. Puluis.

Cuius cochlear paruum (Dra.ii. circiter) vel per ſe, vel cum pane vino madido ſumatur.

℞. *Sem. coriandr. præp. aniſi, cinamomi, macis, ſem. carui* an. ʒ.ijß. *zinzib. albi* ʒ.i. *caryophyll.* Scrup.ii. *nuc. moſch.* Drach.i.

F. Puluis.

℞. *Cinamomi* ℥. ſem. *galangæ zinzib. nuc. moſch. cubebar.* an. ℥.ii. *ſacch. ad pondus omnium.*

F. Puluis.

℞. *Confect. ſem. aniſi, fœniculi, coriandri, carui, glycyrrh. raſæ, galangæ, zingib. p. æ.*

F. Tragea.

℞. *Coriandri præparat.* ℥.i. *cinam.* Dra.ii. *Maſtich.* ℈. i. *macis* ʒ.ß. *panis albi toſti* ℥.ii. *ſacch. albi* ℥.iiii.

F. Puluis poſt cœnam ſumendus.

℞. *Cinamom.* ℥.i. *fl. roſar. rubr.* ℥.ß. *zingiberis caryoph. nuc. moſch. galang.* an. ʒ.ii. *coriandr. præpar.* ʒ.iii. *ligni aloes* ʒ.i.ß. *ſacch. ad pondus omnium.*

*Externa.*

Parantur ex ſpeciebus antea enumeratis & præterea, ladano, gummi tacamahaca, terebinthina, balſamo Peruuiano.

Tutius autem applicantur verſus vmbilicum & regionem ſiniſtram; quia in dextra Hepar facilè nimium calefieri poteſt.

Balſama, *nucis moſchatæ, garyophyllorum, cinamomi, aniſi macis.*

*Inunctiones, Linimenta & Vnguenta.*

℞. *Olei nardini* ℥.i. *maſtichini* ℥.ß. *ſpec. aromat. roſ.* ʒ.ß. *ol. deſtillat. caryoph.* gutt.vi. *ceræ parum.*

F. Linimentum.

Vel ℞. *Olei abſinth. nardini* an. ℥.ß. *olei deſtillati menthæ* ℈.ß. *nuc. moſch. expreſſ.* ʒ.ß. *pulu. caryoph. calam. aromat.* an. ℈.ß. *ceræ* q.ſ. F. Linimentum.

*Oleum Stomachale, quod Cratoni in vſu fuit:*

℞. *Ol. abſinth.* ℔.i. *carioph. ſantal. citrin.* an. ʒ.ii. *roſ. rubr. macis* an. ʒ.ß. *maſtich.* ʒ ii.ß. *vini odorati* ℔ß.

Coq. ad vini conſumpt. & Soli exponantur.

Vel ℞. *Ol. roſac. completi maſtichini* an. Vnc. i. *ſpec. aromat. roſat.* Drach.i. *ol. nuc. moſch. expreſſ.* ʒ.ß. *ol. deſtill. menth. abſinth.* an. gutt.iiii. *ceræ q.ſ.*

F. Linimentum.

*Cerata & Emplaſtra.*

*Cerotum ſtomachale* ad vſum quotidianum in officinis proſtat.

Vel ℞. *Maſtich. thuris, galang. caryoph. macis* an. ʒ.i. *calami aromat.* ℈. ii. *coriandr. præp. rad. cyperi* an. Dra.ß. *corall. vtriuſque* an. Scr.i. *gran. paradiſi* an. ʒ.ß. *ſtyrac. calamit.* ʒ ii. *ladani puriſſ.* Dra.vi.

Pulueriſa craſsè, & cum cera & pice nauali piſtillo calido F. Maſſa, quæ alutæ inducatur & tegatur ſindone.

℞. *Spec. aromat. roſ.* Dra.i. *caryoph. macis* an. ℈.i. *tacamahacæ* ʒ.i. *ol. nuc. moſch. expreſſ.* ʒ.ß. *ol. deſtill. caryoph. abſinth.* an. gutt.vi. *ladani, ceræ.* an. q.ſ. F. Emplaſtrum.

*Fomenta.*

℞. *Menth. abſinth.* an. M.ii. *ſchœnanth*, M.ß. *Rad. cyperi, galang. caryoph.* an. Dra.ii.

Coqu. in vino pro Fomento.

Poſſunt etiam fieri Embrochæ ex modo enumeratis cum aquis thermalib.

*Sacculi.*

℞. *Abſinthij, menth.* an. M.i. *origani, betonic.* an. M.ß. *rad. cyperi, caryoph. macis, nuc. moſch. galang.* an. ʒ.i. Cum ſindone rubra.

F. Sacculus.

℞. *Galangæ. cinamom. macis, caryoph.* an. ʒ.ii. *cyperi, calam. aromat. cortic. citri. baccar. lauri* an. ʒ. i. ß. *gummi tacamahacæ, ſtyrac. calamit.* an. Dra.i. F. Sacculus.

Cataplaſmata.

Efficax eſt Cataplaſma, quod, Rhaſes 9. *ad Almanſar.* ex ſtyrace, ſpica, abſinth. calamo aromat. maſtich. cũ vino veteri & ſucco cydon. aſperſis componit.

℞. *Spec. diarhod. abbat. aromat. roſ. corall.* an. Drach.i. *caryoph.* Dra. ſem. *carnis cydon. vino coctæ* ℥.ii. *pulu. abſinthij*, p.i. Cum *vino* F. Cataplaſma.

De medicamentis ventriculum calefacientibus videatur etiam Fernelius, *lib.5. method. medend. c.22.*

*Diæta.*

Cibi præcipuè ſint carnes boni nutrimenti, non difficiles coctu, condiantur pipere, zinzibere, cinamomo, macere, caryoph. & aliis aromatibus, ſaluia item, carui, rore marino & aliis, quæ tamen ſaporem non niſi ſuauem exhibeat. Vinum ſit antiquum, vinoſum, vel etiam medicatum abſinthio, ſaluia, caryophyll. cinamomo & ſimilibus. *Diæta.*

similibus.vel cereuisia vel aqua mulsa aromatibus alterata aut œnomeli. Vitentur cucurbitæ, cucumeres, melones, persica, atriplex, blitum, lactuca, hordeum, & alij cibi frigidi. Somnus sit longior. Exercitia & labores corporis valde conferunt,

## CAPVT VI.

### *De Calida Intemperie ventriculi.*

#### *Caussæ.*

*Calida ventriculi Intemperies. Eius caussa.*

CAlidam ventriculi Intemperiem pariunt, rerum calidarum adhæsus & occursus, calidi cibi & præcipuè eorum condimenta, aromata, potus calidus, inprimis vini potentis & meracioris, mulsum. Calida item medicamenta assumpta & extra applicata. Febres quoque ardentes vt vniuersum corpus, ita & ventriculum calefacere possunt.

#### *Signa Diagnostica.*

*Signa.*

Cognoscitur Intemperies hæc à siti, cibi inappetentia, mala coctione, cibi adustione & corruptione, & inprimis cibi coctu facilis & facile corruptibilis, vnde & ructus nidorosi & cholera suum originem habent. Percipitur etiam caliditas circa ventriculum, saliua est lenta, viscida & rotunda, lingua, fauces labia, arida sunt. Prægressæ sunt vel præsentes adsunt caussæ calefacientes enumeratæ. Frigida prosunt, calida nocent.

#### *Prognosticum.*

*Prognosticũ.*

Intemperies ventriculi calida minus periculosa est, quam frigida. Nam Intemperies ventriculi frigida, præsertim si magnus sit à natura recessus & caloris ventriculi quasi extinctio, summopere noxia est, & actionibus ventriculi valde aduersaria, ac nonnisi longo tempore & cum maxima difficultate corrigi potest. Caloris verò excessus etsi alimenta corrumpit, & in alienam substantiam mutat: tamen alimentis & medicamentis refrigerantibus adhibitis facilè corrigitur.

#### *Indicationes.*

*Indicationes.*

Intemperies ventriculi calida etsi refrigerationem indicat: tamen quia vẽtriculus calore coctionẽ perficit, ideo minus refrigerandum & vix tantũ, quantũ affectus præter naturam postulat. Refrigerantia quoque nec maxima quantitate exhibenda, nec in eorum vsu diu persistendum, ne calor innatus ventriculi, qui à calore extraneo & præternaturali dissipatur, & ob humidi substantiæ absumptionem paucior factus est, magna refrigerantium copia, & diuturno eorum vsu extinguatur. Et cum ventriculus sit neruosus, facilè à refrigerantibus læditur. Refert enim Beniuenius, *de abdi. tis morb. & sanat. caussis cap.* 15. Quendam ex Emplastro frigidissimo stomacho apposito singultu correptum ac tandem mortuum fuisse, & *ibidem cap.* 16. Iuuenem quendam frigidissimæ aquæ potu intra paucas horas extinctum fuisse. Quanquam tum proculdubio non solum ventriculus, sed & alia viscera à potu aquæ frigidæ offensa fuêre.

## CVRATIO.

*Curatio. Medicamenta ventriculum refrigerantia. Interna. Simplicia.*

### *Medicamenta ventriculum Refrigerantia.*

#### *Interna.*

#### *Simplicia.*

Herbæ & Folia, *Acetosa, portulaca, lactuca, endiuia,* Flores, *rosarum, violarum.*

Radices, *Cichorij, nymphéæ, acetosæ.*

Semina, *Quatuor frigid. maiora & minora, hordei, acetosæ, lactucæ.*

Fructus, *Mala citria, succus granator. aurantia acida, tamarindi, Persica, fraga, cerasa, mora, sorba, mespila, ribes, berberis, melones, cucumeres, pyra, poma acida, pruna acida, vaccinia nigra.*

Lignum, *Santali.*

Lapides & Gemmæ, *Corallia.*

Succi & Liquores, *Citri & aliorum fructuum frigidorum modò enumeratorum, vinum austerum, serum lactis.*

#### *Composita.*

E quibus componuntur & parantur varia.

Aqua, *violarum, rosar. fragor. portulacæ, acetosæ,* quò possunt etiam suo modo referri spiritus vitrioli & salis.

Emulsiones, *sem. quatuor frigidor. maior.* vt.

℞. *Sem. quat. frigid. maior. excortic.* an. Dra.ii. *aquæ hordei simplic.* lib.i. *aqu. fragor. sine vino* Vnc. iiii. *rosf.* Vnc.j.

F. Emulsio, cui adde *iulebi violar.* ℥.i.ß. Misce.

#### *Decocta.*

*Hordei, santalorum,*

Vel ℞. *Rad. cichor.* ℥.ß. *santal. citrin.* Dra.ii. (adde rubrum si placet) *tamarind.* ℥.ß.

Coq. in aqu. hordei simpl. ℔.j.

In colatura *conseru. rosar.* ℥.i. dissolui, iterúmque colari & aliquot gutt. spiritus vitrioli addi possunt. Talia decocta duo habentur in Institut.

Syrupi & Iulebi. *Rosar. violar. acetosæ, acetositatis citri, limonũ, granator. cydonior. de agresta, oxysacchar. ribes, iulebi rosar. violar.* ex hísque compositi, quales habentur in Institut.

Conseruæ, *Rosarum, præcipuè vitriolata, violar. cichorij, acetosæ, pulpa citri.*

Rob, *Ribes, berberis, sorbor. agresta.*

Condita, *Rad. Cichorij, caules lactucæ, persica, cerasa, ribes, berber. sorba, mespila, cydonia.*

Species,. *Diamarg. frigid. diatrion. santal. diarrhod. abbat.*

Hinc iterum parantur Electuaria. vt,

℞. *Conseru. rosar.* ℥.ii. *rob. ribes. rad. condit. cichorij caules lactucæ condit.* an. ℥.ß. *corall. rubr. præp. spec. diamarg. frigid. santali citrini* an. ℈.i. Cum *syrupo violar.*

F. Electuarium.

Vel ℞. *Conseru. violar.* Vnc.ii. *rosar. vitriolatæ* Vnc.j. *lactucæ conditæ* ℥.ß. *spec. diamarg. frigid. santal. citrin.* an. Drach.ß. Cum *syrupo acetositatis citri,*

F. Electuarium.

#### *Rotulæ.*

℞. *Spec. diamarg. frigidi, diarrhod. abbat.* an. ℈.ii. *santali citrini corall. rubr. præp.* an. Scr.i. *sacch. in aqua rosar. dissolut.* Vnc.ii.

F. Rotulæ.

#### *Externa.*

*Externa.*

Ex iisdem externa medicamenta parantur, ita tamen applicari debent, ne diaphragma attingant.

#### *Inunctiones, Linimenta & Vnguenta.*

Parantur *ex oleo rosaceo, violar. nymphéæ, cydonior. mucilagine semin. psyllij, Vnguento rosaceo, infrigid. Galeni.* vt:

℞. *Ol. rosac. violar. nymph.* an. ℥.ß. *mucilag. sem. psyllij aqu. rosar. extractæ* ʒ.iii. *ceræ parum,*

Fiat Vnguentum.

Vel

Vel ℞.*Ol.rof.omphacini* Vnc.i. *fantal.albi flor.rof. rubr.* an.Scr.ß.
F.Vnguentum.
Vel ℞.*Vnguenti rofacei* ℥.i.ß. *ol.violar.*℥.i.*fantal.albor.rofar.rubrar.*an.ʒ.ß.Mifce.

### *Cerata & Emplaftra.*

*Santalinum.*
Vel ℞. *rofar.rubr.fantali albi, rubr.* an.Drach.ii.*balauft.myrtillor.coralliōr.rubror.* an.Drach.i. *olei rofac.cera* an.q.f.
F.Emplaftrum.

### *Sacculi.*

℞.*Rofar.rubr.*M.j.*viol.P.*1 *fantal.omnium* an. ʒ.i.ß *corall.rubr.*Dra.i.
Incifa & contufa infuantur facculo ex findone rubra.

### *Fomenta & Epithemata.*

Fiunt *ex decocto hordei, rofar. rubrar. lactucæ,* & aliis ante enumeratis,item ex *fuccis acetofæ,cydonior. oleo rofarum & fimilibus.* vt:
℞.*Ol.rofac.omphacini* an.℥.ii *fucci portulac.*℥.iii. *vini aufteri,*Vnc.i.fem.
Cum fpongia aut linteamine.
Fiat Fomentum.
Vel ℞. *Aqu.Endiu.*℥.v.*rofar.*℥.ii.*portulac.*℥.i.*aceti rof.*℥.ß.*fantal.omnium* Dra.ii.
M.pro Epithemate. Vel facculus antea compofitus coquatur in vino auftero & ventriculo applicetur.

### *Cataplafmata.*

Fiunt *ex carne cydonior.coctâ in vino rubro,aceto,agrefta,farinâ hordei,rofis,violis cum oleo rofac.& aliis,* vt:
℞.*Succ.cydon.pomor.agreft.*an. Vnc.ii. *panis* Vnc.iii. *farin.hordei* ℥.ß.*pulu.rof.rubr.*ʒ.i.

### *Diæta.*

Cibus & potus cum medicamentis confpiret, Ideóque alimenta fint naturæ frigidæ, & facilis diftributionis, vt antequam adurantur, diftribuantur, quales funt ptifana hordeacea, aut hordeum cum iure carnis, præcipuè aceto condito; poma auftera, fructúfque refrigerantes alij modò propofiti, qui tamen non facilè corrumpuntur; Lactuca, portulaca & fimilia, quæ in acetariis exhiberi folent. Cibi fuccis acidis condiantur, contra vitentur cibi aromatibus, & aliis calidis conditi, pinguia item, falfa, dulcia, quæ in bilem facile mutantur, vt mel, ficus. Melones item & cucumeres, qui etfi frigidi fint, tamen facilè corrumpuntur. Acria, vt allium, cæpe, nafturtium. Lac etiam in hac intemperie non commodum eft, quod facilè corrumpitur; vt & oua, quæ etiam in nidorofam cruditatem vertuntur. Potus afluetus fit aqua vel acidulæ, vel decoctum hordei, quibus iulebum violar. rofar. & guttul. aliquot fpir. vitriol. & fulphur. addere vtile eft, Emulfio item fem. 4. frigid. maior. cum aqua hordei. Concedi etiam poteft vinum ὀλιγοφόρον, vel aqua dilutum.Galen.3.*de fimpl.med.facultat. cap.*6. oxygala feu lac acidum concedit. Aer fit frigidior; Æger fe non valdè exerceat: fomnus humectando, vt & animus tranquillus vtilis eft; ira verò nocet.

## CAPVT VII.

### *De humida ventriculi intemperie.*

#### *Cauffæ.*

Humidæ intemperiei cauffæ funt cibi humectantes, aquæ potus,medicamenta humectantia,otium & fomnus nimius,aer humidus. *Humida ventriculi intemperies. Cauffa.*

#### *Signa Diagnoftica.*

Cognofcitur è fiti diminuta,fame exigua, appetentia cibi ficci & affi, faliua copiofiore, fenfu inflationis circa ventriculum, ructibus, fluctuatione, aluo laxiore; antecefferunt cauffæ humectantes;ficca iuuant,humida nocent. *Signa.*

#### *Prognofticum.*

Humida intemperies fiue fola conftet, fiue cum calore aut frigiditate coniuncta fit,omnium facillimè curatur.Galen.7.*meth.med.c.*9. *Prognoftică.*

#### *Curatio.*

Humida Intemperies ficcantia indicat, & propterea ficcantia medicamenta adhibenda, fed citra infignem caliditatem & frigiditatem. Calida itaque & frigida corrigenda funt, vt aptum & idoneum huic intemperiei fint remedium. *Curatio.*

#### *Interna.*

Calida Exiccantia funt:*Betonica, mentha,abfinth.faluia,Radic.acori,galangæ,fem.coriand.carui,maftich. fcilla,tunicæ interiores ventriculi gallinar.Lignum Guaiacum, faffaffras,& alia calida antea cap.4.enumerata.* *Medicamenta Interna.*
Frigida aut certè calorem excedentem non habentia: *Rofæ, fantal. corall. bolus Armenus, terra figill. tormentilla.* In quibus eligendis refpiciendum ad reliqua vifcera, an nimirum aluus fit laxa vel adftricta; apertione vel adftrictione opus fit. Pertinent huc & Thermæ, quæ falem & fulphur continent. Galenus, 1. *de med. facil. parab.* Vbi nimia faliua vitio humidi oris ventriculi profluit, *aridam conyzam* frequenter mafticare iubet.
Ex his parantur: Aquæ *menthæ, cinamomi, cal. aromatici.*
Decoctum:*Guaiaci,faffafras.*
Syrupus;*Myrthinus,de betonic.rof.maftichin.*
Conferuæ,*Boton.rof.*vitriolata inprimis,*Diacydonium cum aromatibus.*
Condita:*Nuces iuglandes cum aromatibus conditæ, calamus aromat.zinziber.*
Confectiones;*Sem.coriandri,carui,cinamomi, Acetum fcilliticum.*
Olea;*Nuc.mofch.caryoph.carui,anifi.*
Species Aromaticæ;*Aromat.rofat.diatrionpip. diagalangæ,diacalaminthæ.*
Electuaria;*Theriaca.Mithridat.diacorum.*
Vel ℞. *Conferu.rof.beton.* an.℥.ii.ʒʒ. *in India condit.* Vnc.fem. *Spec.diarrhod. Abbat. aromat.rofat.corall.rubr. præpar.maftich.* an.Dra.ß. Cum *fyrupo cydonior.*
F.Electuarium.
Vel ℞. *Conferu. rofar.* Vnc.i.fem. *abfinth.* Vnc. fem. *Mithridatij* ʒ.i.cum *fyrupo rofar.*
F.Electuarium.

#### *Pulueres.*

℞.*Tunicar.intern.ventric.gallin.*ʒ.iiij.*cicamom.garyophyll.ligni aloes* an.ʒ.i.F.Puluis.

Vel

Vel ℞. *Sem.coriand.præp.anisi,fœniculi,carui* an.℥.ß. *tunicar.ventriculi gallin.interior. præp.*ʒ.ii. *corall.rubror. præp.*ʒ.ß.*galangæ,caryoph. macis,* an.ʒ.i. *panis albi tosti* ʒ.iii.*sacchari rosati tabulat.*Vnc.iß.

F.Puluis,cuius vsus ante & post pastum esto.

### *Externa.*

#### *Inunctiones & Vnguenta.*

Externa. Fiunt *ex oleo menthæ,absinth.cydon.mastich.* vt:

℞.*Ol.omphacin.ros.myrtin.mastich.*an.Vnc.sem.*spec. aromat.rosat.*℈.ii.*Ceræ q.s.*

F.Vnguentum.

℞.*Ol.mastich.cydon.*an.℥.i.*corall.caryoph.*an.ʒ.iß.*ol. nuc.mosch.express.*℈.ii.*ceræ q.s.*

F.Vnguentum.

#### *Epithemata & Fomenta,*

Fiunt *ex balaustiis, betonica, & aliis calefacientibus* supra enumeratis,pane tosto cum vino Maluatico.

#### *Sacculus.*

℞. *Absinth.menth.*an. M.s. *maioran.*Mj.*flor.ros.rubr. M.s.rad.galang.cyperi,calami aromat.* an.ʒ.i.*sem.anisi, cumini* an.ʒ.ii.*caryoph.macis* an.ʒ.i.*mastich.*ʒ.iij.

Cum linteo albo vel sindone rubra, Fiat sacculus, qui si libet vino maluatico irroratus ventriculo imponatur.

#### *Emplastra.*

*Emplastrum de crusta panis,cerotum stomachale.*

Vel ℞.*Carn.cydon.mastich.* an.℥.ß. *caryoph.galangæ, macis* an.℥.ß.*rosar.rubr.*ʒ.ß.

Cum *oleo absinth.& menthæ* pistillo calido subigantur in formam Emplastri.

℞.*Mastich.*℥.ii.*thuris* ℥.i.*styr.calamit.*℥.ß.*hypocistid. acaciæ* an.ʒ.ii.*Dissolue in maluatico.*

Hisce adde subtiliss. puluerisator. *Rad.cyperi,fol.absinth.*an.ʒ.ii.*menth.fl.rosar. rubrar. sem. cumini* an.ʒ.iß. *aliptæ moschatæ* ʒ.i. *caryoph.nuc.mosch.* an.ʒ.i.ß.*santal. omnium,spicænardi* an.ʒ.i.*corall.rubror.*℥.ß. Cum *ol. mastichin.nardin.resinæ pini,ceræ* an.q.s.

F.Emplastrum.

#### *Diæta.*

Diæta. Cibi & ipsi sint exiccantes,quales sunt auiculæ montanæ, carnes assæ potius,quam elixæ, panis bis coctus. Galenus,8.*de s.m.fac.* palmæ fructus seu dactylos commendat, & per se & cum aliis cibis sumptos. Condiantur cibi aceto & sale, sed mediocriter. Potus sit parcior, vt & cibus. Nam, vt Hippocrates, 7. *aphor.*59. habet. *Corporibus carnes humidas habentibus famem adhibere vtile. Fames enim ex accidente siccat.* Potus loco, detur vinum rubrum medicatum absinthio. Æger exercitio vtatur,quod exiccat.

---

## CAPVT VIII.

### *De sicca ventriculi intemperie.*

#### *Caussæ.*

Sicca intemperies ventriculi. Caussa. Siccæ Intemperiei ventriculi caussæ sunt, quæcunque humiditates ventriculi naturales,vtpotè materiam nutritionis proximam absumunt,de quibus Galenus 7. *meth.med.c.*6.Tales caussæ sunt hepar calidum, immoderato suo calore sanguinem & humiditates inde genitas in ventriculo absumens,fames & potus cibique inopia. Diæta siccans,cibi multis aromatibus conditi,potus exiccans, euacuatio nimia per vomitum aut aluum, aquæ thermales.medicamenta omnia exsiccantia & calefacientia,quæ humiditates absumunt, & per halitus resoluunt,adstringentia quæ eosdem exprimunt,& meatus contrahunt,fumi metallici.

#### *Signa Diagnostica.*

Vbi Intemperie sicca ventriculus laborat, adest sitis, appetitus cibi liquidi & elixi. Cibus solidior difficilius coquitur, expuitio est pauca, contractio & extenuatio circa ventriculi regionem & ventrem:imò tandem totũ corpus gracilius euadit & contabescit,totiúsque corporis gracilitas inseparabile ventriculi sicciori signum, vbi scilicet propria naturalis humiditas absumitur. Etsi verò gracilitas totius inseparabile signum sit siccioris ventriculi,non tamen est proprium signum,cum etiam ab hepate & corde originem possit habere, & præterea à calido quoque & sicco corporis temperamento. Ideoque vt gracilitas & extenuatio corporis, quæ à ventriculi siccitate ortum habet, à reliquis discernatur, propria signa intemperiei ventriculi, item hepatis,cordis & totius corporis diligenter perpendenda sunt.Nam ex siccitate cordis citius extenuatur;Iecoris ratione minus citò; ratione ventriculi tardius.Humida in hac intemperie prosunt, sicca nocent. Quod si vomitio accedat in hac intemperie, caloris innati summa inopia indicatur, & multa excrementa & cruditates indicat: & propterea non statim, vbi magnus pituitæ prouentus est,credendum, adesse frigidam & humidam intemperiem ventriculi, quæ propterea calefacientibus & siccantibus(in quo à multis peccatur) corrigenda sit, cum etiam à frigida & sicca prouenire possit. Præcesserunt caussæ exsiccantes,& euacuationes nimiæ. Signa.

#### *Prognostica.*

1. Intemperies sicca pessima est.7. *meth.med.c.*7. & 10.& in ea tempus curationis longius requiritur.Quod enim senium est in sanis, id sicca intemperies in ægris. Prognostica.
2. Sicca intemperies ventriculi sine febrili calore ducit in marasmum,& cum febrili calore in hecticam.

#### *Curatio.*

Sicca Intemperies humectantia indicat.Humectatio autem hîc optimè alimentis perficitur,ac propterea maximè conuenit cibus, qui facilè coquitur, & in corpus facilè distribuitur. Vid. Galenus, 7.*meth. med. cap.*7. quæ tamen potius totius corporis, quam ventriculi siccitati pleraque conuenire videntur. Sunt tamen & medicamenta humectantia vtilia, quæ etiamsi non replent,vt nutrimenta,tamen humectant,& meatus contractos dilatant, nutrimentúmque in vicinas partes repulsum attrahunt. Curatio.

Medicamenta talia sunt; *Malua vtraque,borrago, buglоss.passulæ,amygd.dulc.pineæ,pruna dulcia,glycyrrhiza.* Medicamenta. Interna.

Syrupus;*Borraginis,bugloss.violar.papauer.*

Condita;*Rad.Eryngij.*

Conseruæ,*Borraginis & bugloss.*

E quibus alia parantur,vt:

℞.*Conseru.bugloss.borrag.violar.*an.℥.i.*rad condit.satyrij* ℥.ß.*pinear.mundatar.*ʒ.iij.*sem.*4.*frigid.maior.*an.ʒ.i.Cum *syrupo borrag.vel cydonior.sine speciebus.*

F.Electuar.

#### *Externa.*

Externa. *Adeps gallinæ, omentum castratorum, lac, oleum violar.amygdal.dulc.lilior. albor. mucilag. sem. althéæ maluæ,* vt:

℞.*Ol.amygdal.dulc.*Vnc.i.*lilior.alb.adipis gallinæ* an. Dra.ii.*ceræ parum.*

F.Linimentum.

Vel

Vel ℞. *Carnis cydonior. bene maturorum in vino dulci coctor.* ℥. ij. *farinæ tritici* ℥. j. *Mastich.* ʒ. ij. *ol. amygdal. dulc.* q. s.

F. Cataplasma.

*Diæta.*

Alimenta sint facilis coctionis, multi & boni succi; careant multis excrementis, & ad humiditatem vergant. Panis sit fermentatus, non multum salsus: vtilis est cremor Ptisanæ, oua recentia, pisces bonæ notæ, pulli gallinacei, caro vitulina, hædina, agnina & molles aliæ; non tamen suillæ. Amygdala, passulæ, pineæ, pistacia, & ex his parati panes Martij, poma dulcia. Cibi non condiantur aromatibus multis. Inter alimenta valde vtile est lac, quod facilè coquitur, distribuitur, & multum nutrit. Eius tamen quantitas in principio exigua sit, vt ventriculus eius vsui sine noxa assuescat. Postea augeatur, & tantum detur, quantum concoqui possit. Diligenter tamen attendendum, an Lac in ventriculo acescat aut corrumpatur, quod ex ructu & grauitate ac tensione circa ventriculum percipitur. Quod si animaduertatur, minori copia exhibendum. Vitentur austera & adstringentia, quæ residuam naturalem humiditatem absumunt. Potus, nisi febris adsit, sit vinum ὀλιγοφόρον, leniter adstringens, vt calor innatus ventriculi conseruetur: non verò austerum, quod humidum naturale tolleret. Cibi & potus modici sint, ne ventriculum grauent, aut tensionem vel inflationem in eo pariant. Ter igitur de die cibetur æger; vbi paulum restitutus est, bis.

## CAPVT IX.

### *De Intemperiebus ventriculi compositis.*

Compositarum Intemperierum ratio facilè ex his, quæ hactenus de Intemperiebus dicta sunt, patet, Et Compositarum intemperierum caussæ ex caussis simplicium hactenus enumeratis facilè colligi possunt.

*Signa Diagnostica.*

Cognoscuntur eædem ex complicatione signorum, quæ simplices intemperies indicant. Præditi intemperie calida & sicca ventriculi paucum habent sanguinem, acutum & ineptum ad nutriendum: quoniam alimentum acquirit in tale ventriculo qualitatem, quæ ab hepate postea corrigi non potest, sed remanet ipsum alimentum contrarium complexioni radicali membrorum. Vnde tales vt plurimum sunt macri, habentes aluum adstrictam, venas eminentes & aliquando scabiem siccam, propter acrimoniam humorum sanguini permistorum.

*Prognostica.*

Calida & humida Intemperies facilè emendatur; post hanc frigida & humida. Prior enim dyscrasia per refrigerantia & siccantia corrigitur, & sunt in promptu medicamenta antè proposita, quæ vtrumque præstant.

Pessima verò & omnium curatu difficilima est frigida & sicca. Galenus 7. *meth. med. cap.* 7. & 11. & *lib. de marc. cap. vlt.*

*Curatio.*

Vt simplices intemperies medicamentis excessum contrarium primarum qualitatum habentibus curantur, ita & compositæ.

In calida & humida Intemperie conueniunt medicamenta refrigerantia & siccantia, & si humiditas maior calorem obtundat, adstringentia vtilia sunt. Atque tū vtilis est conserua rosar. rubrar. cum corall. rubris, syrupus myrtinus, cydonior. acidor. miua cydon. rob berberis.

Extra applicatur ol. rosar. myrtin. Epithemata è succo plantag. portulac. cum bolo Armeno. Cataplasma ex farina hordei & lentium cum succo plantaginis & Nymphea.

Diæta sit etiam refrigerans & siccans. Si verò siccitas sit intensior, ea ferè curandi ratio instituenda, qualis febri hecticæ conuenit.

Frigida & humida Intemperies, quæ frequentior est, curatur medicamentis calidis & siccis, acribusque mistis cum acerbis citra manifestam frigiditatem. Hinc conueniunt species aromat. rosat. diatrionpip. diacalaminth. diacyminum, conserua betonicæ, rorismar. zingib. condit. acorus conditus, Mithridat. theriaca quibus conseru. rosar. præsertim vitriolata addi potest. Item vulgare illud Electuarium dicaorum, quod quidē etiam ex radicibus acori veri, quem calamum aromat. vulgo vocant, componi posset, & omnino diacorum Mesuæ, vt quod affectibus capitis & neruorum designatur, meritò ex radicibus acori veri parari debet: tamen vt hoc obiter moneam, in illa vulgari compositione affectibus ventriculi apud Germanos dicata, quam *Acterman Latvverg* nominant, etiam rad. iridis luteæ seu pseudo-Acori non incommodè sumi posse videntur, Habet enim radix illa vim quandam exsiccandi & adstringendi, & si miscetur cum aromatibus acribus, non incommodum, imò gratum ventriculo medicamentum præbet. Vtiles sunt & spiritus, Aquæ vitæ, elixir, clareta & vina medicata, vt & alia medicamenta, quæ supra de Intemperie ventriculi frigida curanda proposita fuere; Cum omnia ferè simul cum vi calefaciendi vim etiam siccandi obtineant. Tutius verò mitioribus & longiori tempore, quam fortioribus, quæ humiditatem ventriculi absumere & Hepar calefacere possunt, cura perficitur.

Extra etiam Medicamenta supra de Intemperie frigida proposita applicentur.

Vinum conuenit antiquum & meracius, sed in exigua quantitate: Potus enim omnis in hac intemperie sit paucus, cibi etiam formâ sicca præditi.

Frigida tandem & sicca Intemperies curatur calefacientibus & humectantibus. Et quidem si frigiditas sit remissa, conueniunt conseru. flor. borrag. bugloss. addita sextupla parte conseru. betonic. Calida enim eiusmodi sint, ne modum excedant. & magis exiccent. Si frigiditas intensa sit, vtere conseru. melissæ & melle.

Extra adhibeatur ol. nardin; mastich. Galenus, 7. *meth. med. c.* 7. picem aridam liquatam cum oleo amygdal. dulc. calidè applicat. Nonnulli in eum vsum catellos pingues ventriculi regioni apponunt. Omentum quoque animalium castratorum oleo calente mastich. & amygdal. dulc. madefactum & ventriculo impositum vtile est. Vt & ceratum ex parte vna Ladani, & partibus duabus ceræ compositum, quo nihil conuenientius & vtilius ad ventriculi calorem fouendum Crato se comperisse scribit, *consilio* 191.

Vinum sit minus aquosum & antiquius. Cibi condiantur aromatibus, sed moderatè. Mellis copia in lacte quod præbetur, augeatur. Imò eiusdem despumati vsus, vtpotè minus excrementitij, vtilis est per se in ventriculo frigido, sicut calido noxium est.

Reliqua ex iis, quæ in simplicibus Intemperiebus dicta sunt, facilè patent. Videatur quoque Galenus, 7. *meth. med.* à *cap.* 4. *ad* 10.

* * *

## CAPVT X.

### *De Intemperiebus ventriculi cum materia.*

### ET

### *Primò in genere.*

*Intemperies ventriculi cum materia.*

INtemperies ventriculi sine materia, vt Galenus, *6. de tuenda sanitate cap. 2.* docet, non diu sola consistit, sed materiam sibi asciscit, ( nam vitiata coctio multa facit excrementa ) & nudæ intemperies non diu durant, raróque materia ab intemperie abest. Materia autem hæc vel in ventriculo generatur, vel aliundè ad eum transmittitur. Et rursum consistit, vel in eius cauitate, vel eius tunicis impacta est. Et generatur pituitosa materia in ventriculo à causis refrigerantibus & humectantibus: Biliosa à calefacientibus & exiccantibus. Flatulenta vt plurimum à causa frigida est; nonnúquam etiam à causa calida. Dum enim bilis in ventriculo pituitosæ & viscidæ materiæ substernitur, inde flatus resoluuntur, qui à calidis discutientibus exhibitis magis cumulantur, molestique sunt donec materia ex ventriculo fit expurgata. Pituita verò in ventriculum ex capite sæpissimè destillat. Bilis ex hepate; melancholia ex liene & locis vicinis effunditur.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.*

Intemperies cum materia, quatenus quidem Intemperies, cognoscitur ex signis Intemperiei sine materia seu simplicis seu compositæ. Materia autem coniuncta etiam sua signa habet. Nimirum eam demonstrant caussæ, quæ præcesserunt, ad talem materiam generandam aptæ: Deinde quod prosunt, quæ eam euacuant, nocent, quæ eam augere possunt: Tandem etiam effecta, præsertim excreta, quæ per aluum aut os eiiciuntur, vt postea in specie patebit.

An verò materia in cauitate ventriculi, an intra tunicas contineatur, distinguitur, quod cum in cauitate ventriculi continetur materia, fluctuationem & nauseam parit, quam vomitus vel alui deiectio sequitur. Si verò in tunicis impacta est, nausea est sine vomitu, & sæpe singultus accedit.

An autem materia in ventriculo genita sit, an aliunde affluat, cognoscere non ita facilè est. Et vt id cognoscatur, primò totum corpus perscrutandum & considerandum, an alicubi excrementitij humores hæreant; an consuetæ euacuationes suppressæ sint; an æger à consueto exercitio destiterit; aut consuetam diætam mutarit. Considerandum quoque, an per periodos æger in mébro aliquo malè aliquid senserit, idque iam cesset. Tum enim suspicio est, materiam, quæ antea ad aliam partem ferebatur, iam ad ventriculum fluere. Si in toto corpore nil appareat, viscera omnia perlustranda sunt, ac videndum, an in hepate, liene vel alio membro humor vitiosus cumulatus sit. Si enim in toto, vel in parte aliqua humor vitiosus cumulatus sit, facilè ad ventriculum mitti potest. Si verò & totum corpus & omnia membra salua ac munda inueniantur, materiam in ventriculo genitam fuisse colligitur.

Si quoque symptomata, quæ ventriculo affecto accidunt, continuò apparent, indicio est, in ventriculo materiam generari; Si intermittant, aliunde eam affluere. A qua parte autem in specie affluat, partis illius affectæ signa docebunt. Vid. Galen. *1. de loc. affect. c. 4.*

Quoniam etiam nonnunquam accidit, vt in ventriculum frigidum bilis ex hepate per peculiarem meatú fundo ventriculi insertum; aut in calidum pituita è capite fluat, Galenus rectè monet, attédendum esse, ne decipiamur, & materiam, quæ aliunde affluit, in ventriculo genitam putemus, idque ex temperamento totius, ac ex iis, quæ per aluum excernuntur, distinguendum docet, *2. de Temperam.*

### *Prognostica.*

*Prognostica.*

1. Materia Intemperiei coniuncta quæcunque curationem difficiliorem reddit.

2. Quod si materia suis qualitatibus intemperiei ventriculi contraria sit, v. g. Si câlida materia sit in frigido, vel frigida in calido ventriculo, curationis difficultas adhuc magis augetur, & inprimis, si frigida materia adhuc sit crassa & viscida, & ab hepate vel alia parte continuò materia transmittatur, foueatur & augeatur.

3. Difficilius tollitur materia tunicis ventriculi impacta, quam quæ in spatio & cauitate eius continetur.

4. Pessimum verò est, si homo nec deiiciat facilè, nec facilè vomat, Galenus, *6. de tuend. sanitat. c. 10.*

### *Indicationes.*

*Indicatio.*

Intemperies cum materia alterans indicat, simulque euacuans pro natura & conditione ipsius materiæ: seu ratione intemperiei alterantia; ratione materiæ purgantia, ac si opus sit, etiam prius præparantia pro humoris natura requiruntur.

### *Curatio.*

*Curatio.*

A materiæ euacuatione incipiendum. Nisi enim materia prius tollatur, alterantia parum prosunt. Et quidé si humores in ventriculo fluctuét, & faciles sint ad euacuationem, per vomitum eiiciendi, vel per aluum lenientibus educendi sunt. Si materia quasi impacta sit, prius præparanda & postea euacuanda est.

Ad vomitum ciendum post cibum sumptum oxymelitis Vnc. ij. ß cum decoct. rad. vel sem. raphani Vnc. v. exhibendum.

Vel ℞. *Radic. raphani* ℥. j. *asari* ʒ. j. *agarici* ℈. j.
Coq. in mulsa vel oxymel. ad Vnc. vj.

Fortiora vero vomitoria, præcipuè ex mineralibus petita locum hic non habent; cum non solum ex reliquis corporis partibus vitiosos humores ad ventriculum commoueant; sed & eum insigniter offendant ac debilitent.

Simul quoque attendendum, num ab alia parte materia affluat. Id enim si accidat; ea euacuanda & membro mittente curato præcauendum, ne ad ventriculum amplius confluat. Materiâ sublatâ, postea intemperies, non secus ac si nulla fuisset materia, per contraria alterantia tollenda. Cibi quoque ea ( vt supra dictum) quantitas exhibeatur, quæ à ventriculo languido facilè concoqui possit. Qualitas cibi talis sit, quæ contraria sit humori peccanti, ita vt quam minima eius qualitas iterum colligatur. Cautè quoque medicamenta purgantia vsurpanda. Frequens enim purgantium, præsertim fortiorum, vsus ventriculi debilitatem auget, & natura tandem iis ita assuescit, vt sine fructu vsurpentur. Itaque vltra aloën, agaricum, mechoacannam, rhabarbarum, senam vix ascendendum.

### *De Intemperie Ventriculi cum Bile.*

*Intéperies Ventriculi Bile.*

Ortum habet hæc Intemperies, quemadmodum antea dictum, à caussis calefacientibus & siccantibus, item ab vsu ciborum, qui facilè in bilem mutantur, quales sunt dulces.

*Signa.*

Quantum ad signa, quando cum intemperie bilis adest, præter signa intéperiei calidi vétriculi supra enumerata ad est nausea, cibi fastidium, oris amaritudo, rosionis cuiusdam sensus & vomitus nonnunquam bilis.

Curatur

*Curatio.* Curatur hæc intemperies refrigerantibus & humectantibus ac bilem euacuantibus. Et quidem tenuis bilis vel vomitu reiiciatur, vel euacuetur manna, cassia, syrupo rosar. vel violar. solutiuo, tamarindis, cum decocto & aliqua aqua refrigerante. Vtilis est & mulsa, in qua decoctum sit absinthium. Nam scribit Auicennas, absinthii decoctum remedium esse vitiis à materia, bile scilicet, quam deterget & subducit, si non altius fuerit impacta. Pituitam verò ventriculo inhærentem absinthium potius affigit, nisi decoctum eius condiatur aromatibus incidentibus, calefacientibus & melle vel saccharo, quod detergat. Eligendum verò absinthium, quod est aromatici, non verò horridi saporis. Si verò bilis sit crassior aut ventriculi tunicis impacta, euacuanda aloë, rhabarbaro. Electuario lenitiuo simplici, diacatholico, Et quidem vbi aliquando crassior est hîc humor, ac pertinacius ventriculi tunicis adhæret, vix præstantius medicamentum haberi potest, quam Hiera.

Vel ℞. *Pilul. de aloe ros.* ʒ.j. *stomachicar,* ℈.j.

F. Pilulæ mediocres.

Vel ℞. *Rhabarb.* ʒ.j. *cinamom.* ℈.ß. infundantur in s.q. *aquæ Endiuiæ. Colaturæ* ℞. ℥.iij. *mannæ.* ℥.j.

Iterum colentur atque tunc addatur *syrup. rosar. solut.* Vnc.ß. Vel si bilis sit crassior, *mellis ros. solut.* Vnc.ß. Misce.

Si aliunde affluat bilis, eodem modo, vt dictum expurganda, & partis, quæ mittit eam, habenda ratio: Simul etiam ventriculus per medicamenta adstringentia roborandus, quorum vsu sæpe ita confirmatur, vt affluentes aliunde humores non facilè recipiat, vel eas ad alias partes, vel quod commodius est, extra corpus propellat. Vtilis est hic conserua rosar. item absinthium.

Extra verò inungatur ventriculus ol. ros. mastich. absinthij, foueatur decocto rosar. balaustior. absinthij, cum vino austero parato. Vel imponatur Cataplasma ex malo cydonio cocto, rosis, balaustiis addito oleo rosar. & mastichino.

Purgatio valida, vbi materia aliunde affluit, omnino fugienda, ne materia ad ventriculum magis attrahatur.

### *Diæta.*

*...iata.* In cibo vtilis est ptisana. Cibi condiendi sunt succo citri vel granator. accidor. vnde ventriculus confirmatur & præcauetur, ne si fortè diutius in ventriculo detineantur, corrumpantur. Vtile est & ius pullorum, in quo lactuca & endiuia cocta sint. Potus sit aqua hordei, vel cereuisia tenuis.

### *De Intemperie frigida & Humida cum pituita.*

*...emperies ...riculi cũ ...ita. ...na.* Ortum habet hæc Intemperies à caussis refrigerantibus & humectantibus, cibisque pituitæ generandæ aptis.

*Signa* quod attinet, si cum Intemperie frigida humor frigidus crassus coniungatur, præter signa Intemperiei frigidæ supra recensita, grauitatis sensus in ventriculo percipitur; præcipuè post cibum aliquot horis. Adest nausea, elidones & fluctuationes ad ventriculi regionem percipiuntur. Sentitur post pastum ad somnum propensio; Lingua albicat, ructus accidunt & sæpe acidi. Si pituita tenuis & aquosus humor in ventriculo continetur, saliua multa effluit, & frequens est expuitio sine tussi.

### *Prognosticum.*

*...gnosticũ.* Intemperies hæc cum coctioni maximè obsit, satis noxia est, & sæpe difficulter curatur, præsertim si à partibus vicinis intemperies foueatur.

### *Curatio.*

Curantur autem medicamentis calefacientibus & siccantibus ac pituitam euacuantibus. Itaque pituita vomitu primò eiicienda, pòst aluum lenientibus vtendum. Et quidem si pituita sit tenuis in ventriculo. *Curatio.*

℞. *Mellis rosat. solut.* ℥.ij. *manna* ℥.j. *decocti vel aqu. betonic.* q.s. F. Haustus,

Si pituita sit crassior, oxymelite vomitus prouocari potest, cum decocto raphani.

Si æger ad vomitum pronus non sit, euacuetur melle ros. solut. pilul. ex hiera. Ad vomitum Chymici etiã vtuntur sale vitrioli scrup. ß. ad Drach. ß. vel vitriolo albo in iusculo pingui vel cereuisia calida cum butyro exhibitis.

Si vero pituita crassa impacta sit, prius præparanda & alteranda, *Syrupo de betonica, melle rosato colato, syrupo acetoso simpl. oxymel. simpl. vel scillitico cum decoctis vel aquis betonic. menthæ, calaminth, hyssopi.*

Vel ℞. *Mellis* ℔.j. *aquæ puræ* ℔. iiij.

Coqu. ad dimidiæ partis consumptionem & despumentur. *post adde aqu. cinamom.* ℥.j.ß. Misce.

Vel ℞. *Mellis rosati* ℥.ij. *syrupi de betonic.* ℥.j. *spiritus vitrioli* gut. IX.

Misce. Exhibeatur cochlear. j.

Possunt etiam talia vsurpari forma conseruarum, electuariorum ac rotularum, quæ diutius in ventriculo morantur. Galenus in ventriculo frigido valde commendat Diatrion pipereon, diacalaminth, diaspoliticon, Hieram picram.

Aqua, quæ ventriculo imbecilli vtilis est, eundemque à mucilaginosis humoribus adhærescentibus purgat, simulque cachexiæ medetur, & vermium generationem prohibet.

℞. *Gentian. centaurij min.* an ℥.iij. *galangæ, cinamomi, macis, caryoph.* an. Vnc. j. *flor. salu. hyperici, rorismarini* an. M.ß. *vini albi* ℔.iiij.

Digerantur per octiduum, postea destillentur.

Vel vsurpetur hic puluis:

℞. *Rad. acori veri, imperat. zedoariæ* an. Drach. j. *centaur. minor.* an. Drach. j. ß. *zingiber. sem. carui* an. Drach. ß.

F. Puluis.

Vel cum syrupo betonicæ & oxymelite simpl. redigantur in formam pilularum.

Præparata materia postea agarico, pilul. de hiera cum agarico, aloëphang. mastich. stomach. & similibus expurgetur.

Vel ℞. *Aloes rosat.* ℥. ß. *caryophyll. nucis mosch.* an. ʒ.ß. *Zinzib.* ℈.j. *croci* ℈.ß. Cum *syrupo vel aqua menthæ.*

F. Pilulæ.

Dosis ʒ.j. horis 2. ante cibum.

Imò purgantibus præparantia admisceri possunt vnâ operâ & quidem cum emolumento; cum partes, quarum functiones publicæ, continuo nouam p. n. affectæ congerant materiam, & vtile sit materiam præparatam statim euacuare.

Si pituita à capite vel aliunde ad ventriculum fluat, vt dictum, euacuanda, & curandum, ne pars illa amplius suggerat materiam, quod fit, si vitiosa illa dispositio in parte ea tollatur.

Nec roborantia omittenda, dandumque diacydoniũ cum aromatibus, conserua menthæ, beton. hyssopi, aqua cinamomi cum vino parata, & alia supra in Intemperie ventriculi frigida proposita, quibus pauca addemus.

℞. *Cinamom.* ℥.j. *zingib.* ℥.ß. *nuc. mosch. caryoph. rad. galang.* an. ʒ.j.ß. *piper. nigri* ʒ.j. *sacchari* ℔. j. *vini mens.* iiij. F. Claretum.

℞. *Zingib.* ℥.j. *piperis* ℥.ß. *nuc. mosch.* ʒ. ij. *cinamomi* ℥.j. *sacchari ad pondus omnium.* F. Puluis.

℞. *Cinamomi* ℥.ß. *zingib.* ʒ.vi.*nuc. moſchat. macis, cardamom.galang. caryophyll.*an,ʒ.i.*coriandri* ʒ.i.*ſacch.* ℔.v.F. Tragea Aromatica.

℞.*Cubeb.* ʒ. ii. *zingib.* Vnc,i,*macis, calami aromatici* an.ʒ.i.*ſacch.* ℥.vi.

F. Tragea Stomachalis.

Vel talis puluis poſt paſtum ſumatur:

℞. *Semin. coriandri præpar.* ℥.ß. *nuc. moſch. macis, caryophyll. zingib.* an.ʒ.i, *ſem.carui* ʒ. ß.*cinamom,*ʒ.ii. *rad.acori veri, galangæ cortic.citri ſicc,*an.ʒ.i, *ſacch. roſ. tab, ad pondus omnium.*

F. Puluis.

Vel fiat tale Electuarium.

℞.*Conſeru. roſar.vitriolat.* ℥.i,*maioran. betonic. anthos,*an.℥.i.ß.*zingib.in China conditi, cortic.citri condit. acori veri condit.*an.℥.ß.*ſpec.arom,roſat,diagalang.*an.ʒ.ij.Cum *ſyrup.conſeru.Zinzib.* F. Electuar.

Extra verò inungatur ventriculus oleis ſupra dictis, & de intemperie frigida propoſitis.

Vel ℞.*Maſtich.*ʒ.vi. *rad.cal. aromat.galang.cyperi* an.℥.ß.*bacc.lauri.nuc.moſch,caryophyll.* an. ʒ.ii. *menth. abſinth,*an.ʒ.i.ß.*vini maluatici* ℥.ii.*ol.maſtich,*q.ſ.

Stent in loco calido aliquandiu,poſtea colentur.

Vel ℞,*Ol.nuc,moſch.expreſſ.* ʒ.i.*ol. deſtill.abſinth,caryophyll.menth.cinamom.*an. gutt.vi, *galliæ moſch.* ℈. ß. Miſce.

Vel ℞.*Radiacori veri, galang. cyperi* an,℥. ß. *caryophyll.menth.abſinth,* an.ʒ.ii.*ſpic.Indic.roſar. rubrar.* an. ℥.i.ß.*maſtich.*℥.i.*thuris, ladani* an. ℥. ß.*ſtyrac, calamit, tacamahac.* an. Drach. iii.*ol. nardini , ceræ* an.q.ſ.

F. Ceratum, quod extendatur ſupra alutam & illinatur guttis aliquot olei caryophyllor.

℞. *Ladani puri* ʒ.iii.*maſtiches* ʒ, ii. *ligni aloes ſantali citrini galangæ caryophyll.nuc.moſch.* an.℈.i. *ol. ſtomachal, ceræ* an.q.ſ.F.Scutum.

Vel ℞.*Rad.acori,cyperi* an.℥.ß. *abſinth.menth.maior. flor.roſar.rubr.*an.M.i,*caryophyll. nuc. moſch. galang,*an. Drach.ii.

Coqu. in vino pro Fomento.

Vel ℞. *Caryophyll. nuc. moſch.* an. ʒ.ii.*cinamom.* ʒ.j. *abſinth. menth.*an.M.ß.*roſar.rubr.p.*1, *thuris,maſtich.*an. ʒ.iij. *cortic.citri ſicc.*ʒ.ij.*aliptæ moſch.*℈.j.

Qui inſuatur ſacculo ex ſindone rubra , qui vel ſiccus vel vino madidus aut maluatico ventriculo imponatur.

### *Diæta.*

*Diæta.*

Alimenta ſint natura calidiora,aut condiantur aromatibus.Potus ſit vinum generoſum vel mulſum. Et omnino talis ſit diæta,qualis ſupra in Intemperie ventriculi frigida & humida propoſita fuit.

De Intemperierum ventriculi curatione accuratè,& prolixè agit Galenus,7.*meth,med,* qui ibi videatur.

---

## De Tumoribus Ventriculi.

## CAPVT XI.

### *De Inflatione ventriculi.*

*Ventriculi Inflatio.*

POſt Intemperies ventriculi meritò agitur de Tumoribus eiuſdem;cum intemperiei cum materia ſæpe tumores accidant. Augetur autem ventriculi magnitudo cum vel diſtenditur ſaltem , etſi ſubſtantia reuera maior non fiat, vel dum ſubſtantia eius & magnitudo ac moles ſimul augetur, id quod fit in tumoribus propriè dictis. Primò dum à flatu in eius capacitate concluſo ventriculi magnitudo augetur , dicitur Græcis Ἐμφύσημα & Ἐμπνευμάτωσις , Latinis Ventriculi Inflatio ſeu tenſio ; Barbari etiam ventoſitatem ſtomachi nominant. Aliàs vocabulum Ἐμφύσημα in genere de omni ſpiritus flatulenti in ſpatiis quibuſcunque collectione vſurpatur.

### *Cauſſæ.*

*Cauſſæ.*

Prouenit autem flatus ventriculum diſtendens ab efficiente & materia.Efficiens eſt calor ventriculi debilis, item calida ventriculo applicata , vel etiam aſſumpta, quæ crudum humorem vel cibum in flatum quidem reſoluunt,ſed diſſipare non valent.Nam pura frigiditas flatus non generat , cum humores atque alimenta non attenuet nec diſcutiat.Fortis verò calor cum vi ſua humores & alimenta ſuperet , & magis , quam pro flatu generando illa attenuet, flatus non generat , niſi alimentum aut humor aliquis in ventriculo per ſe flatuoſus ſit , aut copia excedat, ita vt à calore etiam ſatis forti ſuperari non poſſit. Calor enim vel ſimpliciter , imbecillus eſt, vel non ſimpliciter , ſed vt ad materiam refertur.De quo Galenus,3.*de ſympt.cauſ-ſis cap.*2.

Itaque Inflationem ventriculi generare poſſunt, quæcunque calorem ventriculi debilitant,& coctionem imbecilliorem faciunt , de quibus ſuo loco dicetur,& quæ cibos ac humores in eo in flatus diſſoluunt. Et proinde ad cauſſam efficientem etiam pertinent cibi & potus quidam , qui vim habent agendi in ſubiectam humiditatem , cuiuſmodi eſt Allium , quod quamuis ſua natura flatus diſcutiendi vim habet, tamen , ſi incidat in materiam crudam & flatulentam , illam diſſoluit & hoc modo flatus excitat. Qua ratione quandoque etiam humores ad cauſſam efficientem pertinent, vt cum bilis in pituitam vel melancholiam vicinam agit,eamque in flatus reſoluit.

*Flatibus materiã præbẽtes cibi & potus.*

Flatibus verò materiam ſuppeditant cibi & potus naturâ ſuâ flatulenti, vt fabæ,lentes,piſa,milium dactyli virides, rapum crudum, lac,bulbi, mel crudum , caſtaneæ,muſtum & cereuiſia recens, item humores crudi & flatulenti in ventriculo geniti , humor Melancholicus ventriculi fundo ſubſtratus,aut in eum effuſus, vnde Melancholici φυσώδεις & ad hunc morbum procliues ſunt.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.*

Noſcitur hoc malum ex tenſione,quæ ventriculi regionem ſupra vmbilicum infeſtat,ac tumore & reſiſtẽtia tactus circa ventriculi regionem obuia, & quod vẽter percuſſus ſæpè quaſi Tympani ſonum edit. Imò & viſu ferè inflatio cognoſcitur , præcipuè cum æger ſeſe erigit; aliquando etiam accedit diſtenſio, quæ pectus & oppoſitas retrò dorſi partes occupat. Ructus eduntur, flatus per aluum non emittũtur; quibuſdam appetitus deiicitur; malum lenitur alimento ad fundum ventriculi deſcendente , & flatibus ſupra & infra excluſis.

An autem ex alimentis flatulentis malum ortum habeat,facilè ex ægri relatione cognoſcitur ; an coctionis vitio id fiat, ex iis , quæ de debilitate coctionis ventriculi eiuſque cauſſa & ſignis dicentur, patebit. Et cum ex debilitate coctionis fit inflatio , ſi dentur cibi facilis coctionis in pauca quantitate , inflatio non ita moleſta eſt. Remittit etiam inflatio,cum vſurpantur ea,quæ coctionem adiuuant. Inflatio quoque ex debilitate ventriculi diutius durat , quam quæ ex cibis ; hæc enim cibis mutatis tollitur.

Vbi horum nil adfuerit,veriſimile eſt, pituitoſos humores in ventriculo contineri , qui flatibus materiam ſuppeditant,& tum alia quoque ſigna pituitæ in ventriculo aderunt, de quibus antea dictum. Quod ſi à materiâ feruida fundo ventriculi ſubſtrata, aut ab humore melancholico in ventriculum infuſo inflatio fiat, iſtorum humorum & plerumque affectionis hypochondriacæ ſigna adſunt.

*Prognoſtica.*

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.*

1. Quando inflatio accidit in ventriculo conualeſcentis, recidiuam ſignificat.

2. Inflatio ventriculi in febribus acutis & malignis mala, ſignificatque natiuum calorem à calore præternaturali abſumi & diſſipari.

3. Inflatio ventriculi ſi diu duret, in hydropem ſiccum terminatur.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Flatus, qui ventriculum diſtendunt, tollendi ac diſcutiendi ſunt. Ne verò mox iterum reuertatur inflatio, cauſſa, quæ flatus parit, tollenda. Et quidem ſi inflatio leuis eſt, ac præcipuè à cauſſa primitiua prouenienſ, ſola flatus diſcutientia ſufficiunt; ſi autem magna ſit inflatio, ea ſola non ſufficiunt, neque ab eorum vſu curatio inchoanda: Niſi enim materia prius euacuetur, flatus diſcutientia ſeu intra ſeu extra adhibita materiam in flatus reſoluunt, & inflationem augent.

### *Curatio.*

*Curatio.* Ergo ſi inflatio non ſit magna, flatus diſcutientia intus & extra adhibeantur. Si verò materia multa adſit vnde flatus generantur, illa ſtatim vel vomitu, vel alui deiectione expurgetur. Si tamen craſſa & viſcida ſit, prius præparetur. Qua ratione autem materia præparanda & euacuanda ſit, ex iis quæ antea de intemperie ventriculi cum materia dicta ſunt, patet.

*Flatus diſcutientia.* Flatus autem diſcutiunt & diſſoluunt, cucurbitula magna ſine ſcarificatione cum flamma copioſa ventriculo appoſita, *galanga, radix Imperatoriæ, angelicæ, Zedoariæ, gentiana, ſem. aniſi, fœniculi, carui, cumini*, *ſpecies diacymini, diagalangæ, dianiſi, diacalaminthæ*, Galenus dat caſtoreum ex oxycrato ſeu poſca, 11. *de ſimpl. med. fac.*

Efficax eſt etiam ol. carui gutt. iij. vel iiij. quantitate in iuſculo vel vino exhibitum, & rotulæ ex eo paratæ.

Vtiles ſunt & aquæ vitæ ſtomachales dictæ, item clareta ſeu vina Hippocratica:

℞. *Sem. aniſi, fœniculi, cerui*, an. ʒ. ij, *zingiber. cinnamomi, galangæ*, an. ʒ. j. *caryophyll. macis, zedoariæ, cardamom.* an. ℈. j. *ſacch. albiſſ.* ℥. ß.

F. Puluis, qui coctionem adiuuat & flatus diſſipat.

Extra inungatur ventriculus oleo communi, in quo ruta, ſem. cumini, apij, dauci, caſtoreum, baccæ lauri, cocta ſint, vel vſurpentur horum olea. Efficax eſt & oleum, quod.

Recipit *baccar. lauri, rutæ ſiccæ, ſem. cumini ammeos, nigellæ, pyrethri, coſti*, an. ʒ. ij. *ladani*, ℥. ß. *ol. laur. rutac.* an. ℥. iiij. *vini malnatic.* ℥. iij.

Coqu. ad vini conſumptionem & colentur, atque oleo iſto ventriculus inungatur. Magnam etiā ad flatus diſcutiendos vim habet emplaſtrum de baccis lauri. Poſſunt & ſacculi ſicci parari è milio ſolo, vel miſto cū furfuribus, vel baccis lauri, ſem. cumini, rutæ, flor. chamæmeli, calidéque vētriculo imponi. Vel Cataplaſmata fiant ex farina ſem. lini, cumino, origano, centaur. minore, ſem. anethi, fœniculi, baccis lauri cum oleo rutaceo, laurino. Vel panis à furno calens per medium ſcindatur, & medulla tota oleo communi vel rutaceo & melle calefacto, aut aquâ menthæ & rutæ perfundatur & calidus applicetur.

Antonius Beniuenius, *de abdit. morb. & ſanat. cauſis* c. 40. refert, Adoleſcenti cuidam ſedecim annorum cerneicem ventriculi ſine vllo doloris ſenſu ita à flatibus eleuatam fuiſſe, vt magnitudinem pomi cydonij æquipararet, ita vt tumor ille & oſſa in altū eleuauerit, quæ etiam talem ſitum retinuerint, nec ad priſtinum ſtatum reuerſi figuram illam inpreſſam, tanquam naturalem ſeruauerint. Quod malum ille ferrea lamina, quæ ex circulo quoque ſurgebat ferreo, ſtomachum comprimente ſanauit.

### *Diæta.*

*Diæta.* Victus ratio ſit attenuans & flatus diſcutiens, minimè flatulenta: cibi ſint boni ſucci, coctu faciles, quantitate exigui. Inflatione ventriculi & hypochondriorum laborantibus lac valde noxium eſt. Somnus ſolito ſit longior, æger ſupra ventrem molliter interdum decumbat. Potus multus non conuenit, potuſque ſit vinum meracius, quod in parua quantitate hauſtum leuem inflammationem ſanat. Efficacia ſunt quoque Clareta & vina Hippocratica: aluus aperta ſeruetur.

---

## CAPVT XII.

### *De Inflammatione ventriculi.*

*Ventriculi Inflāmatio.* CVm verò ipſum corpus ventriculi intumeſcit, duplici cauſa id fieri poteſt, ab humore ſcilicet vel calido vel frigido; atque hinc oriuntur duo ventriculi tumorum genera, inflammatio & tumores frigidi; de quibus in ſpecie agemus. Quædam tamen, quæ vtrique tumorum generi communia ſunt, præmittemus.

Intumeſcit autem ventriculus vel ſecundum partem interiorem vel exteriorem, ſuperiorem vel inferiorem; dextram vel ſiniſtram. Rarò verò totus ventriculus tumore corripitur.

Cognoſcitur tumor ventriculi in genere ex læſa coctione ventriculi & ſenſu tenſionis, interdum tumor tactu quoque & viſu deprehenditur. Si tumor totum ventriculum occupat, quocunque etiam ſitu æger decumbat, dolore afficitur. Si parte externa, dolor poſt cibi coctionem magis intenditur, ob fibras tranſuerſas ibi intenſas, quæ tenſæ ad inteſtina expellunt. Appetitus ſeſe melius habet, quam vbi interna tunica afficitur: ab aſſumpto cibo non ita grauatur, nil de abſceſſu vomitu eiicitur. Si interna parte, dolor fit intenſior, dum cibus aſſumitur & coquitur; quia tenduntur ea parte fibræ rectæ, quæ attractioni ventriculi inſeruiunt, & cibus ipſe contactu ſuo internæ ventriculi tunicæ grauis eſt, & ſymptomata omnia ſunt vehementiora atque abſceſſu rupto pus vomitu vel per aluum eiicitur. Vtrum dextra vel ſiniſtra ventriculi pars afficiatur, facilè ex ægri relatione cognoſcitur. Si ſuperior pars afficitur, cum exquiſito ſenſu ſit prędita, grauiſſima accidunt ſymptomata, & anguſtia maximè ſub finem deglutitionis, vbi attractio viget, percipitur. Affecta inferiore parte, dolor magis in cibi coctione intenditur: In anteriore ventriculi parte tumor tactu deprehenditur, atque æger compreſſionem eò loci non fert. Si poſteriorem ventriculi partem, & quidem externam tunicam tumor occupat, æger grauiter decumbit ſupinus; Si internam, pronus. Cuius contrarium obſeruatur in diſcernendis tunicis anteriore ventriculi parte dolente & tumente.

### *Cauſſæ.*

*Cauſſæ.* Prolixè equidem hîc nonnuli de cauſis agunt: verū ſunt pleraque illa generalia, & quidem omnibus inflāmationibus in quacunque parte conueniunt. Ideoque ſaltem, quæ huius loci propria ſunt tractabimus.

Vt autem aliarum partium inflammationes; ita & vētriculi inflammatio oritur ex ſanguine præter naturam in ventriculi tunicas, per venas per quas alitur, è porta

porta deriuatas effuso, ibique putrescente, & quidem à sanguine vel puro, vel cum bile, pituita aut melancholia mixto. Vnde etiam appellationes variantur. Mouetur verò & affluit, vt ex generali de inflammatione doctrina notum est, sanguis præter naturam ad ventriculum, vel quia attrahitur, quod fit à calore & dolore, concitatis siue à causis internis siue externis, vt cibo, potu, medicamentis calidis, aut percussione super ventriculum, fomentis & emplastris calidis corpore repleto adhibitis, cucurbita apposita, vomitu: Aut transmittitur à partibus robustioribus ad ventriculū debilem. Transmittitur autem vel à toto, quando illud plethora abundat, aut à parte aliqua.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Cognoscitur autem inflammatio ventriculi ex signis tumorum ventriculi in genere; Deinde in specie, quod dolor est vehementior, adest æstus, sitis inexpleta, corporis iactatio, vigiliæ & febris ardentissima coniungitur. Ingesta aut vomitu aut per aluum deiiciuntur; nisi cum forte eius orificium aut pylorus obsidetur; cum his, coarctatis nihil elabatur. Nonnunquam accedunt deliria cerebro in consensum tracto, vel etiam animi deliquia, corde consentiente. Et quidem illa symptomata mitiora sunt, si inflammatio à sanguine puro ortum habet; vehementiora, si bilis admisceatur; mitiora, si pituita.

Monet autem hîc Fernelius, *de part. morb. & sympt. lib. 6. cap. 2.* Inflammationi ventriculi affinem esse inflammationem, quæ vel summum iecoris lobum, qua ventriculus obtegitur, vel incumbentem illi abdominis regionem occupat. Tumor n. prominens & circumscriptus cum dolore in ventriculi situ inest, & febris & sitis & aliarum notarum plurimæ, vt proinde vel experientissimos Medicos interdum fallat. Distinguitur autem solâ symptomatum vehemētia & pernicie: quandoquidem in ventriculum omnium sæuissima incidunt.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Tumor omnis ventriculi, præcipuè inflammatio, morbus satis periculosus est; cum afficiatur pars, cuius functio toti corpori necessaria est, & qua debilitata omnes totius corporis partes, alimento scilicet denegato, debilitari necesse est, quæque cor & cerebrum facilè in consensum trahit. Imò in his, quibus vires sunt debiles, malum plerumque lethale est.

2. Abscessus, qui in ventriculum incidunt, meliores sunt, qui in tunicam eius internam abeunt, in quam plerique etiam sese aperiunt, mali verò, qui sub peritonæum. Galenus, *de inæq. intemp. c. 3.* Nam infusum in cauitatem ventriculi pus facilè per intestina expurgatur; quod fieri non potest, si sub peritonæo colligatur.

3. Periculosus est tumor, qui vel totum ventriculum, vel partem eius superiorem occupat.

4. In inflammatione ventriculi si nausea ac conturbatio ventris plurima ac frequens fiat, vomatur verò nihil vel parum, id prauum est, non solum vt signum, ostendens vitiosum humorem ventriculo pertinaciter inhærere, sed & vt causa continuis vellicationibus ventriculum lacessens. Galenus, 3. *Prorrhet. t.* 25.

5. Ventriculi, vt & hepatis inflammationi, si non recta cura adhibeatur, sequitur marasmus, non tamen priùs, quàm cor in consensum trahatur. Galenus, *de diff. febr. cap. 9.*

Nonnulli quidem ea etiam, quæ Hippocrates, *lib. 1. Prognost. aph. 37. 40. &* 41. habet, de tumoribus ventriculi explicant, verum si quis diligenter loca inspiciat & quæ antecedunt, diligenter perpendat, animaduertet, Hippocratem ibi non loqui de tumoribus ventriculi, sed tumoribus ventris, qui in musculis abdominis fiunt: siquidem tumores abdominis quidem, qui foras aperiuntur, boni sunt, non verò ventriculi, quos in cauitatem eius aperiri bonum esse ex Galeno modò dictum.

### *Indicationes.*

*Indicatio.* In Inflammatione ventriculi, vt in aliis partibus, materia, quæ affluit, auertenda, fluxúsque eius inhibendus; quæ affluxit, & proxima tumoris causa est, tollenda. Affluxus inhibetur reuulsione ad contraria, ac ventriculi roboratione & materiæ repercussione. Euacuatur materia collecta vel sensibiliter vel insensibiliter, & quidē, (præter repulsionem materiæ nōdum impactæ & crassæ) vel insensibiliter per resolutionem & dissipationem impacta, & ad repercussionem inepta euacuatur; quæ si crassior sit, simul emollientia postulat; vel sensibiliter, dum in abscessum colligitur, eóque aperto tandem euacuatur. Quod vt facilius fiat, suppurantibus interdum, quando scilicet de discussione desperamus, & maturantibus natura adiuuanda, apertóque tandem abscessu vlcus detergendum & consolidandum. Interdum quoque accidit, vt si tumor in parte externa consistat, & puris copia magna sit, abscessus foris aperiendus sit. Intemperies coniuncta indicat alterans per contrarium.

### *Curatio.*

*Curatio. Vena secti.* Itaque si vires adsint, statim vena aperienda: Sed nisi adsit magna plethora, sanguis paucus euacuandus; cum partis dignitas largam vnâ vice factam sanguinis euacuationem non ferat. Ideóque, si opus, repetenda potius venæsectio. Reuulsio quoque fieri potest cucurbitulis scarificatis & non scarificatis cruribus appositis, item frictionibus. Lenes quoque clysteres in aluum iniiciantur.

*Purgatio.* Purgatio verò seu per vomitum, seu per aluum initio (nam postea ad puris collecti eruptionem vtilis est vomitus) non conuenit, ne humores ad locum affectum attrahat, & inflammationem augeat. Quia tamen excrementa quædam ab inflammatione in ventrem resudant (sicut in inflammationibus, quæ membrana teguntur tenuiore, accidere solet) ea per clysteres lenes aut pulpam cassiæ cum decocto prunorum ac tamarindorum, vel syrup. rosar. solutiuo, vel sero lactis exhibito abstergere & educere non inutile erit.

*Repellentia.* Statim verò post venæsectionem, dum materia fluit, aut dum fluctuat, & nondum impacta est, repellentia seu reprimentia vsurpanda, cùm interna, tùm externa.

*Externa.* Repellentia externa parantur *è rosis, santalis, balaustiis. cortic. granator. cydoniis, myrtillis, portulaca, coralliis, bolo Armeno, sumach, succo limon. ol. rosar. cydon. myrt. mastich. cerot. santalino*, vt:

℞. *Carnis cydon. cocta* Vnc. ß. *pulu. rosar. rubrar. santali rubri, myrtill. balaustior.* an. Drach. i. *farinæ hordei*, Vnc. ß. *ol. cydonior. myrtin.* an. q. s.

F. Cataplasma.

Vel ℞. *Farin. hord.* Vnc. j. *rosar. rubr.* ℥. ß. *santal. rubr.* Drach. ii. *boli Armeni*, Drach. ß.

Coqu. in aqua pura & addatur *ol. ros.* q. s.

F. Cataplasma.

Ob maiorem refrigerationem & penetrationem aliquid aceti, succi cydonior. plantaginis, portulacæ, acetosæ addi potest, vt:

℞. *Ol. cydon. rosar.* an. Drach. vj. *boli Armeni, balaustior.* an. Drach. ß. *camphoræ*, ℈. vi.

M. Fiat linimentum.

℞. *Aquæ rosar.* ℔. ß. *succi cydon.* ℥. iij. *santali rubri, albi*, an. ʒ. ij. *camph.* ℈. ß.

Fiat Epithema.

℞. *Rosar. rubr.* M. j. *balaust.* P. j. *santal.* ʒ. ij.

Coqu. in vino rubro austero pro fomento.

*Interna.* Interna repellentia saltem in primo principio conueniunt

ueniunt, & sunt *succus aut syrupus cydonior. granator. ribes, syrup. de rosis siccis, cerasorum, rob ribes, mespilorum, sorborum. diacydonium s. aromat. rosa rubra, santalum, corallium rubrum.*

Præstat tamen succus vel decocta harum absque saccharo, quàm syrupos, & cum saccharo, aut certè saccharum parcius admiscere. Et quidem in exigua quantitate dentur medicamenta, vt diutius hæreant in ventriculo, sed sæpius. Itaque de succo aliquo conueniente Vnc.j. vel Vnc.ii. sæpius de die dentur, præsertim si ventriculi pars superior sit affecta, vt:

℞. *Vini granator. succi ribes*, an. Vnc.i. sem. *syrup. acetosæ*, Vnc.j. *aquæ plantaginis, acetos.* an. Vnc.iii. *rosar.* Vnc.i. Misce.

Et quidem in tali tumore medicamenta interna actu moderatè frigida exhibeantur, vt affluxus materiæ impediatur, nec tamen calor naturalis ventriculi labefactetur. Externa verò moderatè calida.

Resoluentia. In Incremento verò morbi repellentibus pars aliqua resoluentium addenda, *vt flor. chamæmel. melilot. sem. lini, adeps anserin. ol. chamæm. anethin. lil. alb.* In statu medicamenta ex vtrisque pari portione mixtis vsurpanda, vel resoluentium dosis augenda, ne tamen careant adstringentibus.

Cum dolor vrget, anodyna etiam addantur. Ergo tum ventriculus inungatur adipe gallin. mixto cum ol. mastichin. & rosar. vel cum oleo rosar. absinth. liliorúmque albor. vel omentum castrati calefactum imponatur cum ol. rosar. aut pulu. rosar.

Vel ℞. *Flor. rosar.* M. j. *sem. coriandr.* Drach. j. *lini, alth.* an. Vnc. sem. *flor. chamæmel.* P. ij. *absinth.* P. i.

Coqu. in vino rubro pro fomento.

Vel ℞. *Farin. sem. lini*, Drach. ii. *hordei*, Vnc. sem. *pulu. rosar. rubr. flor. chamæmel.* an. Drach. ii.

Coqu. & cum ol. rosar. & chamæmel.

F. Cataplasma, cui etiam camphor. Drach. sem. addere licet.

Vel inungatur ventriculus ol. ros. absinth. & chamæmel. cum spica nardi & pauxillo croci.

Vel ℞. *Flor. chamæmel. meliloti. rosar. rubr.* an. M. j.

Coqu. in vino pro fomento.

Vel ℞. *Farin. hord. sem. lini*, an. Vnc. i. *rosar.* Drach. ii. *mastich.* Drach. i. *absinth.* Drach. sem. *ol. mastich. absinthij* q. s.

F. Cataplasma.

Vel ℞. *Farin. hord. fœnugræci, sem. lini*, an. Vnc. ii. *pulu. absinth.* Vnc. i. *flor. chamæm. rosar. rubr.* an. Vnc. sem.

Cum *succo apij & ol. chamæmel.*

F. Cataplasma.

Hoc etiam Cataplasma vsque ad declinationem ferè locum habet.

℞. *Pulu. rad. alth. flor. chamæm. absinthij, meliloti*, ana Vnc. i. *santal. alb.* Drach. ii. *croci*, Scrup. i. *ol. chamæmel. ros.* an. q. s.

F. Cataplasma, vel additâ cerâ Emplastrum.

Emollientia. Intra corpus verò exhiberi potest aqua vel decoctum absinthij cum trochiscis de rosis. Si dolor vehementer vrget, dandus syrupus de papauere Vnc. j. vel Vnc. ii. pondere.

Post statum ferè solis resoluentibus vtendum, aliquibus tamen adstringentibus ob partis præstantiam additis, & quidem resoluentibus lenibus, quæ ferè emollientia sunt, & calorem tepidum habent, atque humiditatem mediocrem, quâ ratione materiam fundunt & resoluunt insensibiliter. Eiusmodi sunt *medulla cerui, adeps gallinac. anserinus, taurinus.* Herbæ emollientes, *malua, althéa, melilotus, fœnugræcum & similia. Passulæ majores, caricæ, semen lini.* Gummi emollientia, vt *bdellium, styrax calamita, ammoniacum, emplastrum diachylon simplex*: Quibus tamen, ne nimia fiat relaxatio, oleum absinth. mastichin. vel mastiche admisceatur, vel ol. rosaceum, si calor major sit, vt:

℞. *Medullæ crurum vituli, adip. anser.* an. Drach. iii. *ammoniac. bdellij*, an, Scrup. ii. *mucilagin. sem. althéæ, lini*, an. Drach. j. sem. *mastich.* Drach. j. *ol. chamæmel.* q. s.

F. Linimentum.

Applicentur autem hæc actu calida, vt concreta materia facilius fudatur ac dissipetur.

Intra corpus verò exhibeatur *decoctum caricarum, passular. glycyrrhizæ, maluæ, althéæ, emulsio amygd. dulc.*

Si verò (quod tamen commodius esset) inflammationis suppuratio prohiberi nequeat, id quod ex doloris intensione, tumoris incremento, ac febris augmento cognoscitur, adjuuanda est, fouendo calorem naturalem partis. Pro calore autem fouendo vtendum moderatè calidis, humidis, viscidis, calorem naturalem intrò concludentibus. Maturantia.

Extrà applicanda medicamenta parari possunt *ex farina tritici sine furfuribus* (nam furfures abstergunt) *caricis pinguibus, dactylis, althéa, malua, ol. commun. amygdal. dulc. butyro, pingued. gallin. Porci. medull. vitulin.* & similibus.

℞. *Rad. althéæ sub cineribus coctar. adipis porcin.* ana Vnc. sem. *farinæ tritici*, Drach. vi. *ol. amygd. dulc.* q. s.

F. Cataplasma.

Vtile etiam hic est emplastrum diachylon simplex.

Interna fiunt *ex amygdal. dulc. syrupo de glycyrrh. decocto caricarum, passular.* quæ sensim parua quantitate deglutienda præbeantur.

℞. *Caricar. pinguium, dactylor.* an. Vnc. sem. *Emulsion. amygdal. dulc. sapæ*, an. Drach. vi. M. dosis à Drach. ii. ad. Vnc. i.

Vel ℞. *Passul. major. exacinat. sebesten*, an. Vnc. i. *sem. althéæ, glycyrrh.* an. Drac. ii. *dactylor.* num. IV. Coqu.

Pure genito, danda opera, vt quamprimum abscessus rumpatur. Cognoscitur autem maturum apostema ex doloris remissione, diminutione duritiei in loco tumido & mollitie tumoris tactui cedentis.

Exhibenda ergo tunc sunt medicamenta, quæ attenuant & laxant quasi abscessus parietes, vt egressus puri facilius concedatur, vt: Abscessum rumpentia.

℞. *Caricar. pinguium*, num. iii. *passul.* Vnc. sem. *glycyrrh. rasæ*, Drach. iii. *capill. veneris, maluæ*, an. M. j.

Coqu. in suffic. quant. hydromelitis, ad tertias vel Vnc. vij.

Adde *rad. ireos* Drach. sem. *piperis*, Scrup. sem.

Detur actu calidum.

Vtile etiam est lac recens mulsum exhibere, nisi alia prohibeant. Inprimis verò commendatur succus scabiosæ vel solus vel cum melle datus, quæ omnia interna apostemata vel resoluit, vel maturat vel rumpit.

Extra etiam applicatur cataplasma ex ficubus, fœnugræco, & similibus.

Vel ℞. *Sem. fœnugræc.* Vnc. iii. *fermenti*, Vnc. i. *stercoris columbini*, Vnc. sem. *ol. chamæmel.* Vnc. ii. *mellis*, Vnc. i.

F. Cataplasma.

Post sumpta verò medicamenta vt abscessus facilius rumpatur, fiat corporis agitatio, vel tussis, sternutatio, aut vomitus etiam, si opus sit, concitetur.

Rupto abscessu mulsa propinetur, cum syrupo rosar. solutiu. aut melle ros. vel viol. aut decoctum hordei cum melle ros. vel hydromel, cui aliquid mannæ thuris, addi potest, & quidem sæpius paruâ, cochlearis videlicet, quantitate, vt materia purulenta abstergatur, & per aluum expurgetur.

Tandem vlcus consolidandum & conglutinandum est. Extra nimirum imponatur emplastrum, quod Galenus ex Heraclide, 2. *de comp. med. sec. gen. c.* 7. describit. Vlcus consolidantia.

℞. *Litharg. ceruss.* an. Drach. x. *ceræ*, Drach. iii. *resin. arid.* Drach. vi. *gummi ammoniaci*, Drach. v. *galban.* Scru. iiii. *ol. veteris*, Vnc. ij.

Coq. F. emplastrum, quod calidum ventriculo imponatur.

Intus sumatur decoctum agrimoniæ cum vino.

Vel ℞. *Thuris*, Drach. ii. *mastich.* Vnc. sem. *mumiæ*, *boli*

*boli Armeni,rad. tormentill. cornu cerui , gummi tragacanth.fuccini* , an.℥.j.*nuc.mofch. macis*,an.ʒ. ß . *conferu. rofar.antiquar.*℥.1.
Cum fyrupo myrtino vel de rofis ficcis
F.Electuarium.

De Intemperiei correctione nil in fpecie addere opus eft;cum medicamenta,quæ ad repellendam materiam adhibentur, vna operâ refrigerare calidam intemperiem poffint.

*Diæta.*

*Diæta.* Vt in omnibus inflammationibus internis : ita quoque in ventriculi inflammatione victu vtendum tenui; modò vires ferant,& omnino in omni inflammatione ventriculi accurata diæta opus eft ; cum ventriculi officium fit , cibum pro toto corpore concoquere. Detur ergo ptifana vel eius cremor , & fi calor maior fit , lactuca, endiuia , in aqua hordei, vel iure pullorum cocta , & in principio inflammationis iufcula fucco cydoniorum , aurantiorum , granatorum, citri. vuæ acerbæ condiantur. Omnis enim cibus & potus in inflammatione ventriculi quandam adftrictionem habeat, maiorem tamen frigiditatem & adftrictionẽ in principio.In progreffu verò morbi fenfim & per gradus aliquid de frigiditate & adftrictione remittendum. Potus fit aqua hordei cum pauco cinamomo & vino granator. aut cydonior.atque is non actu nimium frigidus,ne inflãmatio crudior reddatur. Vnde nec aqua frigida conuenit.Abftineat contrà etiam æger à vino : In declinatione tamen vinum clarum debile aut aqua dilutum concedi poteft. Mel quoque noxium eft,quæque ex melle fiunt. Vitetur ira. Æger non loquatur multum.

Si autem phlegmone nõ fit pura,fed ædematodes vel fchirrodes , qua ratione curanda fit , mox è curatione tumorum frigidorum ventriculi patebit.

## CAPVT XIII.

### De Tumoribus Ventriculi Frigidis.

*Tumores frigidi vêtriculi.* TVmores ventriculi frigidi ortum habent à materia frigida & craffa, pituitofa fcilicet vel melancholica : quæ quidem non fubitò,vt in inflammatione accidit, affluit , fed paulatim congeritur, & quia humores hi ad fuppurationem minus apti funt, diu in ventriculo retineri poffunt,antequam fuppurentur,defcribitque Foreftus *lib.* 18.*obferu.*32.Tumorem ventriculi frigidum , qui per integrum annum durauit, antequam fuppuratus fuit.

*Signa Diagnoftica.*

*Signa.* Cognofcitur hic tumor in genere , quod fcilicet plerumque circa vẽtriculi regionem tumor apparet, concoctio & nutritio læditur:in fpecie verò ex fenfu grauitatis,& abeft fitis, æftus ac febris.

*Prognoftica.*

*Prognoftica.* 1. Tumores ventriculi frigidi equidem , vt dictum. diuturni funt,non tamen habent fymptomata tam grauia;medicamenta etiam,quæ tumores frigidi requirunt, ventriculo funt conuenientiora.

2. Non tamen etiam omni periculo vacant : quia membrum,cuius functio toti corpori neceffaria eft,læditur.

*Indicationes.*

*Indicationes.* Cum hic tumor fenfim per congeftionem, non verò per affluxum fubitò fiat, repellentibus & reuellentibus opus non eft. Humor verò frigidus tumorum horum proxima & continens cauffa fui amotionem indicat, quæ fit,dum humor vel infenfibiliter refoluitur;vel in pus mutatur,& fenfibiliter euacuatur.

*Curatio.*

*Curatio.* Itaque venæ fectione opus non eft , cum fufpicio de abundante fanguine nulla fit vel exigua. Repellentia etiam, quia materiam incraffant, vix locum habent,nifi planè in initio,vbi folum frigida ac difcutientibus mifta locum habere poffunt.

In principio autem conueniunt ol.rof.cum ol.abfinth. æqu.part.mixtum vel fiat Cataplafma,quod

℞.*Farin. hordei fem. lini, fabar.pulu. melilot.* an. ʒ. j.*abfinth. fchænanth.*an.ʒ.ij.*rofar.rubr.baccar.myrt.aloes* an.ʒ.ß.

Puluerifanda puluerifantur,&*cum oleo rofaceo ac adipe gallin.*
F. Cataplafma.

Vel ℞.*Fol.myrti,menth.abfinth.*an.M.j.*flor.rofar.rubr.* M.ß.*fchænanth.*ʒ.ij.
Coqu.in vino auftero pro fomento.

Vel Fiat Sacculus *ex rofis rubris,fol.myrti, menth. abfinth.cypero & fpica*,qui coquatur in vino rubro, & imponatur.

Vel ℞.*Ol.menth.maftich.abfinth.*an.℥.ß.*pulu.menth. ficcæ,maftich. nuc. cupreff.* an. Scr. j. *ceræ q. f.* F. Cerotum.

Intra exhibeantur *fyrupus de mentha, de abfinth.maftich. mel. rofatum colatum*,aut horum decocta.Medicamenta autem tam interna , quam externa calida vfurpanda.

*Refoluent. Interna.* Poftea ad fortius, refoluentia quæ calida & ficca ac tenuium partium funt,accedendum , cuius modi funt, *Origanum,calamintha,pulegium,maiorana, thymus , rofmarinus , cum aromatibus & compofita diacalamintha, diagalanga,magnæ antidoti.*Auicennas ad refoluendum exhibet in potu caftorei Scrup. j. vel Drach.ß.cum mellis rofati vel oxymel.fimpl.Vnc.iij. Aëtius decoctũ polij aut calaminthæ cum pauco mellis & granis aliquot piperis.

Vel ℞.*Gummi Ammoniaci*℈.j.vel ʒ.ß.

Formentur cum mucilagine fem.althéæ & gran.aliquot fpec.diacalaminth.pillul.x.vel xv.quibus degluti-tis decocti paffularum aut rad.alth.℥.ij. vel ℥. iij. bibantur.

*Externa.* Extra applicentur ventriculo medicamenta è *foliis calaminth.polij montani,rutæ,faluiæ,ol. de fpica,irino,laurino & fimilibus*, vt :

℞. *Ol. Chamæm. nardin. anethin.*an.℥.ß. *maftichin.* ʒ.ij.*ceræ q.f.*
F. Vnguentum.

Vel ℞.*Ol.abfinth.chamæm.* an. ℥.j.ß.*terebinth.*ʒ.iij. *maftich.*ʒ.j.ß.*caryophyll.* ʒ.j.*mucilag.fem.althéæ , fænugræci* an.ʒ.ß.*ceræ. q.f.*
F. Vnguentum.

Efficax eft & Emplaftrum de meliloto , fi cum maftiche,abfinthio & fpica adhibeatur.

Vel ℞.*Emplaft.de meliloto* ℥.ij.*myrrhæ* ʒ.ij.*maftich.* ʒ.j.ß.*ammoniac.*ʒ.j.*ol.abfinth.q.f.* M. ad lentum ignem.
F. Emplaftrum.

*Maturāt.* Quod fi fruftra difcuffio tentetur,fuppuratio procuranda, & reliqua , vt in inflammatione modò dictum, peragenda,vt:

℞. *Rad. alth. lil. alb.* an. Vnc. ij. *branc. vrf.* M. j.

Coqu. ad mollitiem. Contufis & per fetaceum traiectis adde *farinæ tritici* , *fem fænugræci,lini* an. ℥.j.*croci* ʒ. ß. *pulu. chamæm.* ʒ.ij. *pingu. gallin. ol. lil. alb.* an. q. f.
F. Cataplafma.

Poftea

Postea danda opera, vt Apostema maturum rumpatur, ruptum abstergatur, & vlcus consolidetur, vt in inflammatione dictum.

Ad hoc caput pertinet & historia illa, quam Fernelius, *lib. 6. Pathol. c. 1.* recenset, de muliere quadam grauida, cui duro tuberculo os ventriculi obturabatur, vt quicquid indebatur, attacto oris ventriculo mox remearet, atque repelleretur. Sic astantium omnium iudicio, nil cibi potuisque bimestri vel conatu maximo vorauit. Tandem morbo febreque consumpta discessit, edito partu, quem vitæ superstitem reliquit. Vt & alia, quam refert Volcherus Cojater, *in obseru. anatom. & chirurg.* de muliere quadam Noribergensi, quæ toto octennio quasi clauum vel globulum orificio ventriculi infixum sensit, & summa difficultate deglutiendi laborauit, similique morbo & patrem & sorores & alios cognatos occubuisse affirmauit. Quæ tandem cum nutrimento destituta atque ad extremam maciem deducta extincta esset, aperto corpore in orificio ventriculi scirrhus pugni magnitudinem excedens substantiæ gulæ innatus repertus est.

## CAPVT XIV.

### *De Extenuatione, angustia, adstrictione, & situ mutato ventriculi.*

Tumoribus ventriculi contrarium malum est Extenuatio eius. Nam corpus ventriculi suam conuenientem crassitiem habere debet, quæ non parum ad coctionem bene perficiendam facit. Hinc videmus animalia, quæ durissimos cibos concoquunt, crassum habere ventriculum, imò auibus, quæ lapillos etiam deuorant, parenchymate crassiore ventriculum constare. Habet ergo & hominis ventriculus sibi conuenientem crassitiem, quæ si mutetur, etiam coctio læditur; idquod præcipuè fit in crapulâ, vbi ventriculus cibo & potu nimis extenditur, eiusque tunicæ hoc modo extenuantur, & debitam crassitiem amittunt. Quod si sæpius fit, malum immedicabile oritur, & ventriculus se iterum contrahere nequit, ac tunicæ eius ita distentæ manent, vnde debilitas coctionis & perpetuà fluctuatio in ventriculo sequitur. Sanitatis itaque studiosus cauere debet, ne in iuuentute hunc morbum contrahat, qui postea toto vitæ tempore emendari non possit.

Secundò etiam ventriculus suam naturalem magnitudinem, conformationem & capacitatem habeat necesse est, vt cibis & potui capiendo sufficiat; hæc si mutetur, morbosa est, & quidem angustia illa primò est naturalis aliquando, sicut Galenus, *art. med. cap. 87.* de quodam scribit, qui ventriculum paruum simul atque rotundum, atque aduersus septum transuersum habuit incumbentem, in quo magnitudo & conformatio ac situs erant deprauata, temperamentum quoque frigidum existebat. Hic nullo artificio ad habitum naturalem transferri potuit: At ne adeo infestaretur, Galenus hoc consilij dedit. Nam quoniam repleto ventriculo spirandi difficultatem patiebatur, minus cibi, & magis alimento opportuni, & qui non difficulter coquebatur, ter de die assumebat. Similem morbum obseruauit Forestus, *lib. 18. obseru. 34.* in puella quadam Delphensi, quæ perpetuò malè habebat in ventriculo ob naturalem eius angustiam, quod ex eo coniecit, quod cibo distentus ventriculus lædebatur, exhibito verò exiguo cibo minus offendebatur. Quod malum quia etiam incurabile fuit, Galenum secutus id consilij dedit, vt parum semel & frequenter comederet.

Deinde interdum contrahitur ventriculi angustia à diuturna inedia, vbi ventriculus diu à cibo non distentus quasi contractus manet, & angustior redditur, vt si postea paulò plus cibi sumatur, statim offendatur. Hi igitur non statim ad consuetam cibi quantitatem sumendam post inediam longam transire debent, sed parum cibi & sæpius sumere, vt ita ventriculus sensim iterum distendatur.

Tertiò hoc loco etiam facienda est mentio affectus cuiusdam, quem Petr. Sal. Diuersus, *de affectib. particul. cap. 70.* adstrictionem ventriculi nominat, fierique putat, quando os ventriculi ita adstrictum est, vt nec flatus, nec vapores extra possint erumpere, nihilque etiam extra corpus ob cutis adstrictionem vel exiccationem erumpere queat, solùmque Aëtium, *tetrabibl. 4. serm. 1. cap. 13.* hunc affectum descripsisse putat. Verùm cum mihi nil aliud videatur hic affectus, quam dolor aliquis ventriculi è cruditate ortus, quem describit Galenus, *de præcognitione ad Posthumum c. 11.* dicam de eo affectu infra, *c. de dolore ventriculi.*

Quartò etiam situs ventriculi aliquando mutatur, etsi rarius, ita vt modò dictum ex Galeno, qui *art. med. cap. 87.* cuiusdam mentionem facit, cui ventriculus nimis, quam par erat, diaphragmati incumbebat. Notabilis verò est historia, quam annotauit socer meus, D. Andreas Schato p. m. cuiusdam studiosi, cui, cum in Melancholia diaphragma & thoracem gladio sibi perforasset, ita situs ventriculi mutatus est, vt per diaphragma in sinistram thoracis partem adscenderit, & cor cū capsula sua à sede sua in dextrum latus depulerit, quam *Instit. lib. 2. part. 2. cap. 13.* recensui.

## CAPVT XV.

### *De Rebus præter naturam variis in Ventriculo repertis.*

Disputatur equidem, vt *de morbis numeri in Instit.* dictum, an res præter naturam alicubi in corpore contentæ morbos numeri constituant; verum disputatione illa hoc loco omissa hic non incommodè recenseri posse videntur res variæ præter naturam in ventriculo contentæ, Nam naturaliter nil nisi cibus & potus, ac inde generatus chylus in ventriculo contineri debet: Si verò præter naturam in eo quid contineatur, præternaturalis dispositio in eo inde oritur. Obseruatū verò sæpe multa præter naturam in eo reperiri aliquando, & sæpe etiam vomitu reiici. Et quidem alia per os & œsophagum in ventriculum delabuntur, & extrinsecus subeunt; alia in eo generantur, aut quocunque modò producuntur; alia etiam in eum ex inferioribus adscendunt.

Primò enim compertum est, acus, nummos, globulos plumbeos, clauos, mucrones gladiorum & cultrorum, gemmas, metalla & alia deglutita fuisse, quorum historias varias collegit Schenckius, *lib. 3. obseru. 2. 3. 4. & seqq.* quarum etiam aliquot supra *in fine cap. 2.* recensuimus. Deinde quoque serpentes, lacertos, aliaque animacula per os incautis in ventriculum irrepsisse obseruatum est. Idque obseruauit Hippocrates, *lib. 5. Epidemior.* Petrus Apponensis Conciliator dictus, *differt. 107.* Sauonorola, *tractat. 6. cap. 7. rubrica 4.* Cardanus *de caussis signis & locis morborum parte 3. num. 122.* Tragus de historia stirpium *lib. 2. c. 114.* Antonius Mizaldus, *memorabilium centur. 8. aph. 76.* Gattinaria *in nonum Rhasis ad caput de præfocatione matricis,* & ex eo Matthiolus, *in Dioscoridem l. 2. c. 42.* Omnibonus Ferrarius, *lib. 2. de art. med. infantium c. 9.* Muscam etiam ore hiante in ventriculi cauitatem penetrasse, & die sequenti per vrinam excretam fuisse refert Marcellus Donatus, *de historia medicâ mirabili lib. 2. c. 12.*

Secundò varia & monstrosa etiam sæpe in ventriculo genita, aut quocunque modo producta & vomitu reiecta fuisse obseruatum est. Frustum carneum magnū album, albuminis oui instar vomitu reiectum fuisse à puella moniali refert Forestus. *lib. 18. obseru. 19. in scholia.* Idem obseruauit. Thomas à Vega, *ad c. 5. lib. 1. Gal.* de

*de loc. affect.* Globum pituitoſum carniformem, in quo vermiculus brucho ſimilis concluſus fuit reiectum fuiſſe refert Beniuenius, *de abdit. morb. & ſanat. cauſſ. cap.* 88. Et Hieronymus Gabucinus, *de lumbr. c.* 18. Vermes quoque è ventriculo vomitu reiectos à plurimis Medicis etiam obſeruatum. Gabucinus *loco citato*, & Antonius Beniuenius, *c.* 77. Et Scholiographus Hollerij *ad cap.* 54. *lib.* 1. Ambroſ. Paræus vermes Erucis ſimiles vomitu reiectos vidit *lib.* 24. *cap.* 19. vt & Foreſtus, *lib.* 18. *obſ.* 19. *& in ſchol.* Præterea ranas, bufones & alia animalia vel ex hauſtis eorum ſeminibus, vel interna putredine in ventriculo genita fuiſſe, & vomitu reiecta obſeruatum, collegitque eius rei hiſtorias aliquammultas Schenckius, *lib.* 3. *obſeru.* 29. Lapidis etiam oui gallinacei magnitudine ibidem generati hiſtoriam idem habet, *eodem lib. obſeru.* 9.

Capillorũ veluti glomos vomitu reiectos fuiſſe refert Monardes, *lib.* 3. *de hiſtor. ſimpl. medicam. ex nouo orbe allator. c.* 73. *de verbena*; & Carolus Cluſius, *in annotat. in eũ locũ.* Imò pannum, claues, ferramentã vomitu reiecta ſcribit Foreſtus, *lib.* 18. *obſ.* 26. *in ſchol.* Et Iohann. Langius, *lib.* 2. *Epiſt.* 38. narrat ruſticum quendam, cum crudelibus doloribus in ventre cõficeretur, ſubitò clauũ ferreũ ſub illæſa cute manu apprehendiſſe, & licet chirurgus eũ exſcinderet, tamen dolores non ceſſaſſe, inde doloris vehementia adactum, ſibi ipſi cultro guttur abſcidiſſe. Cadauere aperto in ventriculo repertũ eſt lignũ teres & oblongum, quatuor ex chalybe cultri, partim acuti, partim inſtar ſerræ dentati, ac duo ferramenta aſpera, quorumſingula ſpithamam longitudine excedebant, & præterea globus capillorum conuolutus, vt mirandum fuerit, quomodo omnia in ventriculo contineri potuerint.

Tandem vermes, qui in ventriculo reperiuntur vel ex eo vomitu reiiciuntur, non omnes in ventriculo generantur, ſed ſæpè ex inteſtinis aſcendunt. Præterea clyſteres & glandes & alui excrementa ad ventriculum proueniſſe ac vomitu reiecta fuiſſe refert Iul. Alexandrinus, *in comment. ad cap.* 17. *lib.* 13. *Method. med. Galeni.* Antonius Gueinerius, *cap.* 2. *tr.* 5. Valleriola, *in comment. ad cap.* 2. *lib.* 6. *de cauſſis ſymptom.* Et clyſterem vomitu reiectum ipſe etiam vidi.

*Res externæ deglutitæ quid periculi afferant.*

Et res quidem Externæ inanimatæ in ventriculum illapſæ ſi ſint, patefit id ex ægri relatione. Eęque, ſi paruę & non acutæ ſint, facilè per aluum reiiciuntur; interdũ poſt breue, interdum poſt longum interuallum: Et quidem plerumque ſine damno. Res verò magnæ aut acutæ plus periculi coniunctum habent, & interdum perforato vẽtriculo aut inteſtinis & abdomine poſt lõga interualla ſæpe egrediuntur. Quædam cum vrina excernuntur, acuſque deglutitas per vrinam exiiſſe obſeruatum eſt. Interdum in corpore hærent, præcipuè ſi ſint metallica, quæ rubiginem contrahunt, ac lentæ tabis & tandem mortis cauſſa ſunt.

*Res externæ deglutitæ quomodo è corpore exturbandæ.*

Quæcunque autem ſint talia deglutita, vt facilius per aluum deſcendant, exhibenda, quæ vias lubricas reddunt, decoctum ſcilicet maluæ, althéæ, ſemin. lini, oleum commune & amygdalarum dulcium, iuſcula pinguia, cereuiſia cum multo butyro; poſtea, ſi opus, etiam purgantia.

Et vt facilius, & minus impeditè ex ventriculo per Pylorum in inteſtina res deglutitæ poſſint deſcendere, æger in dextrum latus libero ventre, non compreſſo decumbat; Vbi è ventriculo ad inteſtina rem deglutitam iam tranſijſſe ſuſpicio eſt, æger, ſed corpore erecto & moderatè obambulet, vt facilius per inteſtina exeat.

*Cultri deglutiti è vẽtriculo extracti hiſtoria.*

Notabilis, ſed certa eſt hiſtoria, quæ Pragæ anno 1602. accidit. Ruſticus quidam Matthæus nomine, cũ cultrum nouem digitos tranſuerſos longum deglutiuiſſet, is in ventriculo ſubſiſtens maximos ei dolores concitauit: poſtea hoc conſilij inuentum; Magnes & alia attrahentia medicamenta ventriculi regioni ſunt appoſita: ita factum, vt cuſpis ventriculi circa ſuperius os ventriculi eminere cœperit, tandemque in re aliàs deſperatâ ad ſectionem ventum eſt, & à chirurgo culter ille, qui ſeptimanas ſeptem & duos dies in ventriculo hæſerat, & colorem, qualem ferrum poſt ignitionem acquirit, contraxerat, extractus & vulnus idoneis medicamentis conſolidatum eſt, ægerque viuus euaſit.

*Acus deglutitæ è corpore per quas vias redditæ?*

Cum autem acus deglutitas per vrinas redditas fuiſſe interdum obſeruatum, ſit, per quam viam id factum fuerit, dubitatur. Alex. Benedict. *lib.* 2. *anat. c.* 9. *& lib.* 5. *cap.* 13. Dum refert hiſtoriam virginis Venetæ, quæ crinalem acum quatuor digitos longam per ſomnum deglutiuit, & per vrinam poſt decem menſes reddidit maximis cruciatibus; quoniam in veſica collectis mucoſis humoribus lapis oui gallinacei magnitudine circa illam concreuerat, ſtatuit, acum acie ſuâ paulatim multoque tempore inteſtina penetraſſe, viamque ſibi feciſſe in veſicam, qua parte carnoſa eſt, atque inde per vrinam redditam fuiſſe; eoſque reprehendit, qui vias patentes quærunt, & per venarum meſaraicarum orificia inter inteſtina in viuentibus plus quam in cadauere patentia ad meſaraicas & hinc ad hepar, & porrò per venam cauam ad venas emulgentes, atque inde ad renes, & tandem ad veſicam perueniſſe arbitrantur. Verum enim verò omnino certum eſt, quod orificia vaſorum in corpore viuente magis hiant, quam in cadaueribus, vt vel ex vreteribus, & veſica patet, in quibus è renibus calculi ſæpe ſatis grandes excipiuntur, per eas vias, quæ in veſica poſtea in cadauere nec oculis patent. Quod autem ad acum illam quatuor digitos longam per veſicam redditam, longitudo equidem alicui dubium mouere poſſet; contrà tamen breuitatem tempore ad veſicam perueniſſe, & ibi diu hæſiſſe illud arguit, quod calculus tã grandis circa eam concreuerit, quod breui tempore nõ factum. Et cruciatus illi, quos mulier paſſa eſt in excernendo calculo, potius ab eius magnitudine, quã ab acu prouenerunt. Aliàs verò compertum eſt, exiguo ſatis temporis ſpatio, etiam illæſis aliis partibus, acus deglutitas cum vrina redditas fuiſſe. Quod etiam illud confirmat, quod Marcellus Donatus, *de hiſtoria medica mirabil. lib.* 2. *cap.* 12. refert, cuidam muſcam magnam ore hiante ad ventriculum perueniſſe, & die ſequenti ab ingreſſu cum vrina excretam fuiſſe: quæ certè non perforatis inteſtinis, ſed per patentes vias eò deuenit. Et quidem ſi per venas meſaraicas ac venam portæ ad hepar & hinc ad venam cauam, poſtea ad emulgentes, hinc ad renes, vreteres, tandemque ad veſicam acus iſtas perueniſſe aliquis ſtatuat, cum eo non pugnabo.

Viam autem adhuc breuiorem poſſe dari mihi videtur. Videmus enim eos, qui multum bibunt, vix hauſto potu aqueam potus partem rurſum emingere; quod fieri vix poſſet, potu ad inteſtina tranſmiſſo, & à venis meſaraicis attracto, ſed probabilius eſt id fieri immediatè à ventriculo per vaſa gaſtrica, & breue inprimis, potu ad lienem attracto, & hinc per arterias, quæ in liene ſunt, ad arterias emulgentes tranſmiſſo. Itaque etiã credibile eſt, acus per eandem viam, vtpote breuiorem, ad renes & hinc ad veſicam tranſmiſſas fuiſſe.

Quapropter in tali caſu ſi non per aluum acus vel aliæ res deglutitæ exeant, naturæ totum negotium committendum eſt, quæ tandem ſibi vias idoneas quærit, interdum per vrinam, interdum per abſceſſum forâs apertum.

*Animal qua in ventriculũ reperſerunt, quomodo exturbanda.*

Si viuum aliquod animal in ventriculum irrepſerit, quod cognoſcitur è morſu & motu eò loci, præſertim ante cibum, & quod homo in loco, vbi talia animalia degunt, dormiuit, ac quod lacte & ſimilibus dulcibus aſſumptis, animal quieſcit, amaris verò aſſumptis irritatur & mouetur, plerique ſuadent, vt lac tepidũ ori apponatur, vapor eius hiante ore excipiatur,

vt

vt eius suauitate allecta fera egrediatur. Et quidem obseruatum est hoc modo tales feras è ventriculo prolectas fuisse. Quia verò interdum etiam accidit, vt hoc modo allecta talia animalia per Oesophagum ad os ascendant, sed non planè egrediantur, necessarium est, vt in procinctu stet Chirurgus idoneis instrumentis instructus, qui proserpentem feram apprehendat & extrahat. Si verò hoc modo per os elici fera non potest, danda opera, vt per aluum exeat, atque hoc modo fumo ex coriis seu veteramentis accensis ore per infundibulum haustum per aluum expulsum fuisse serpentem testatur Marcus Gattinaria, *ad nonum Rhasis in cap. de præfocatione matricis*; Et Hieronymus Tragus, *de stirp. lib. 2. cap. 114*. Cardui benedicti aqua hausta serpentem, qui dormienti per os irrepserat, per inferiora secessisse. Vtile etiam est lac copiosè bibere & postea vomere.

*Animalia in ventriculo nata v. perturbarda.* Res verò in ventriculo genitæ præter naturam difficulter & vix, nisi reiiciantur, cognoscuntur. Et quidem bufones, ranæ, & lacertæ in ventriculo interdum generantur ex spermate earum cum aqua hausto. Vermes verò eodem modo vt in intestinis etiam generatos fuisse compertum est. Ad talia animalia abigenda vtilissimum est dictamnum Creticum Drach. j. pondere cum aqua gentianæ sumptum, præsertim si zedoaria aut citri semen puluerisatū addatur. Omne enim talium vermium genus abigere compertum est. Decocto etiam ex centaur. minor. & carduibened. præparato haustó plures ranas vomitu redditas fuisse, obseruatum est. Theriaca quoque cum spiritus vini quartario hausta serpentem viuum longitudine vlnæ vomitu reiectum fuisse item obseruatum: Vt & animal lacertæ figura antimonio sumptó vomitu reiectum fuisse. Vtile est etiam in talibus casibus clysteres ex lacte singulis diebus pene iniicere; exhibere verò per os antidotos theriacales & interdum purgantia.

Vermes in ventriculo geniti expellendi sunt medicamentis, quæ suo loco de lumbricis proponentur. Præstant idē etiā pleraque ex iis, quæ modò sunt proposita.

*Lapides in ventriculo geniti.* Lapides in ventriculo geniti equidem grauissimos dolores in ventriculo excitant, sed vix signa clara, quibus ab aliis perfectè cognoscantur, habent, nisi diuturnitatem doloris. Nonnunquam vomitu reiiciuntur: quod nisi fiat, diuturnis tandem cruciatibus hominem iugulant.

*Pili in ventriculo geniti.* Pituitosum quid concretum, imò pilos etiam in ventriculo generari non impossibile est. Solet enim natura nunquam otiosa esse, sed semper laborare, vt in subiectam materiam formam aliquam, quamcunque etiam, inducat. Si verò pannus, claui, cultri, ferramenta & alia artificialia vomitu reiiciantur, cum nullâ vi naturali in ventriculo produci possint: meritò ad dæmonis ludibria & præstigias talia referuntur.

Clysteres & glandes si vomitu reiiciantur, fit id à motu Intestinorum inuerso, de quo postea suo loco, *part. 2. sect. 2. c. 1.* dicetur.

## CAPVT XVI.

### De Vulneribus ventriculi.

#### Signa Diagnostica.

*Vulnera ventriculi.* Si abdomen vulneratum sit, & quidem è regione ventriculi vulnere profundiore, ventriculum etiam vulneratum esse suspicio est; quæ confirmatur, si singultus & bilis vomitus insequitur, aut cibus potusque assumptus vomitu reiicitur. Ventriculus etiam vulneratus nec appetere cibum nec continere, nec coquere rectè potest. Interdum crudus cibus & potus; interdum chylus per vulnus emittitur; sputum est sanguineum; & dolor etiam in ventriculo percipitur. Si superior pars ventriculi vulnerata sit, & accedat inflammatio, febris, delirium, syncope, & alia mala accedunt.

#### Prognosticum.

*Prognostica.* Si ventriculus vulneretur ac perforetur, equidem id lethale esse dicit Hippocrates, *6. aph. 18*.

*An vulnera ventriculi sint lethalia?* Verùm non simpliciter & ex necessitate ventriculi vulnera lethalia sunt, sed id plerūque ita accidit. Quandoque ventriculi vulnera sanata fuerunt, vt docet Galenus, *in dict. aph. & de loc. aff. c. 5.* & postea etiam dicetur. Perpendendum igitur, quale vulnus sit, an scilicet totus ventriculus perforatus sit, an verò aliqua eius tunica saltem; an circa fundum; an verò circa orificium superius. Etenim si totum corpus ventriculi sit perforatum, periculosum & lethale plerumque malum est; cum ventriculus membranosus sit, & primæ coctionis summopere necessariæ officina: Si verò eius exterior saltem tunica vulnerata sit, non desperandum. Si etiam ventriculus in fundo vulneretur, vulnus id aliquando curatur; cum pars illa carnosa sit, & medicamenta eò loci subsistere possint. Si verò superior ventriculi pars circa orificium superius vulneratur, exigua sanitatis recuperandæ spes est, cum pars ea sit exquisito sensu prædita, & medicamenta ibi non hæreant, ac præterea cibus & medicamenta transeuntia dolorem excitent.

*Vulnus ventriculi sanatū viuente homine.* Verùm etiam desperata planè ventriculi vulnera aliquando præter spem sanata fuisse obseruatum est. Ita Iulius Alexandrinus, *in cap. lib. 6 therapeut. meth. Galeni*, refert, Bohemo cuidam rustico vulnus, & quidem latum, ac venabulo, vt Matthias Cornax narrat, in ventriculo inflictum fuisse, ac cœpisse rusticum per id cibum reiectare, & cum vulnus, vt desperatum, negligentius haberetur, occaluisse tandem vulneris labia, & per ea semper cibi partem exiisse; Rusticumque huic vitæ conditioni relictum vulnus tandem linteis pannis texisse, ac fasciis obligasse, atque ita annos aliquot vitā produxisse. Et *capite præcedente* retulimus historiā alterius rustici Bohemi, cui culter in ventriculum per œsophagum delapsus extractus est, qui nihilominus vulnere cōsolidato superuixit. *Historia Rustici Bohemi cultri voracis.* Testatur similiter Christoph. à Vega, *ad aph. 18. lib. 6. Hippocrat.* quendam sanatum fuisse, cui è ventriculo vulnerato chylus exierat, & Fallopius, *de vulneribus capitis, c. 12.* narrat, se sanasse mulierem & virum, qui in ventriculo fuerunt vulnerati, vt chylus egrederetur.

#### Curatio.

*Curatio.* Etsi plerique censent, Naturæ tum negotium esse committendum, & reuera etiam naturæ potissimæ in hisce, vt & aliis vulneribus curandis, partes sint, quæ interdum etiam id præstat, quod penè impossibile videbatur; tamen à medico hac in re quantum fieri potest, adiuuanda est.

Si ergo confluxus sanguinis ad ventriculum & inflāmatio metuatur, primò vena aperienda est, si eam vires ferant: Si verò adsit cacochymia, exhibere per os quidem purgantia non licet, ne ad locum affectum humores vitiosi trudantur, sed clystere aluus eluenda est.

Vulnus verò ipsum quod attinet, si id non sit penetrans, naturæ negotium committatur. Si verò vulnus penetret, & amplum sit, consuendum abdomen, inferiore tamen parte orificium relinquendum, vt pus effluere possit, ac turunda immittenda, quæ quidem ventriculum non ingrediatur, extra tamen eius vulnus tangat conueniente vnguento illita, quale est & hoc:

℞. *Ol. abietin.* Vnc. j. *mastich.* Vnc. ij. *mannæ thuris*, Drach. ij. *rad. tormentill. consolid. maioris*, an. Drach. j. *lumbricor. terrestr.* num. v. *croci* ℈. j. *vini albi austeri*, Vnc. ij.

Coqu.

Coqu. ad vini conſumptionem.

F. Linimentum.

Vel ex terebinthina cum oleo hyperici & vitello oui vnius miſta fiat linimentum.

Ore verò ſumenda exhibeantur *ſyrupus myrtinus, de roſis ſiccis, cum decocto equiſeti, piloſellæ & radic. conſolidæ*, quibus addere licet *trochiſcos de terra ſigillata, de carabe. Maſtiche* verò hîc omnibus modis ſumpta vtilis eſt.

Vel ſumat æger ſæpe aliquid *conſeru.roſar.rubrar.diacydon.ſine ſpeciebus.aut diatragacanthum frigidum.*

Extra verò abdomen inungatur ol. roſaceo & chamæmelino ac maſtichino.

Ipſi vulneri imponatur emplaſtrum Barbarum.

### Diæta.

*Diæta.* Victus ſit tenuis, & parciſſimè æger edat, ne ventriculus cibi copia diſtendatur, ſed corrugatus maneat, & ſic facilius conglutinetur. Cibi verò ipſi in parua quantitate magnam alendi vim habeant: ſint boni ſucci & coctu faciles. Ab omnibus acribus & mordentibus in cibo & potu abſtinendum.

## CAPVT XVII.

### De Vlceribus ventriculi.

*Vlcera ventriculi.* Andem etiam, ſed rarius, aliquando ventriculus vlcere laborat, quod eſt compoſitus morbus ex ſoluta vnitate, diminuta magnitudine, & ferè etiam intemperie. *Cauſſæ.* Excitatur verò vlcus in ventriculo, vel à cauſſis internis; quales ſunt humores acres, ſeu in ventriculo geniti, ſeu aliunde, præcipuè ex capite, affluentes qui aut naturâ ſuâ mordent ac rodunt, vt bilis flaua & atra, vt & pituita ſalſa, aut ratione putredinis, qua corripiuntur, ſeu ob longam in ventriculo moram; ſeu apoſtematis in ventriculo genitis ac poſtea apertis, ſeu poſt vulnera non rectè curata; vel ab externis, vt medicamentis acribus, colocynthide, euphorbio, venenis erodentibus, vt arſenico, ærugine & ſimilibus. Et quidem frequentiſſimè generantur vlcera in ventriculo poſt vulnera & rupta apoſtemata.

Pertinent huc & rupturæ venarum præcipuè ex vomitu laborioſo.

### Differentiæ.

*Differentiæ.* Hæ primò ſumuntur ab ipſo vlcere, quod magis aut minus latum, profundum, ſordidum eſt. Deinde à parte affecta, prout ventriculi partem ſuperiorem vel inferiorem obſidet.

### Signa Diagnoſtica.

*Signa.* Vlcus ipſum ventriculi indicatur à dolore pungente & vlceroſo & ardore, præſertim dum aliquid acre vel calidius aut frigidius in ventriculum deſcendit, & dum cibus concoquitur ac in inteſtina tranſmittitur, & quidem dolore ſupra vmbilicum aſſiduo & fixo. Ac ſignum hoc certius eſt, ſi inflammationis ſigna ac præcipuè febris adſit. A deiectâ itidem cibi appetentia, à ructu fœtido, ex pure, vomitu vel per aluum reiecto, vt & ſanie ac ſanguine. Præceſſerunt cauſæ vlceris, & febris lenta cum pulſu frequenti laborantem conſumit.

Cauſſas autem vlceris quod attinet, ſi eæ ſint externæ, ex relatione ægri cognoſcuntur. Si verò internæ ſint, inflammatio, tumor, quæ ſuppurata ſint, neceſſe eſt, eorum ſigna præceſſiſſe. Si ab acri fluxione, aut humore putrido, eius quoque ſigna adſunt. Si à ruptura venæ, præceſſit ſanguinis vomitus.

Cuius autem formæ ſeu naturæ ſit vlcus ventriculi aliquo modo colligi poteſt ex prauis humoribus in corpore abundantibus, ex vlceris ipſius duratione, ſymptomatum magnitudine, & potiſſimum ex iis, quæ vomitu vel per aluum excernuntur. Locum & partem, quam vlcus obſidet, dolor indicat. Nam qua parte dolorem percipit æger, eâ proculdubio vlcus eſt. Quando orificium ventriculi vlcus occupat, acutiſſimos dolores gignit, cum nauſeâ & ſiti moleſtâ, præcipuè ante cibi deſcenſum in fundum, nonnunquam ſudores excitantur frigidi, & lipothymia accedit. Mitiora ſunt ſymptomata, vbi vlcus in fundo ventriculi eſt, & dolores ſunt mitiores, qui tamen coctionis & diſtributionis tempore augentur.

### Prognoſtica.

*Prognoſtica.* 1. Vlcus ventriculi morbus periculoſus eſt, & plerumque lethalis; niſi ſolum in ſuperficie ſit, & ipſum exiguum; quia non ſolum tunica ventriculi affecta eſt, quæ vt pars ſpermatica exactè refici nequit, verùm etiam quia alimentum venter ante coctionem excernit morſu lancinatus; quamuis id ex temperatis ſit, & apud ſanos moleſtare non ſoleat, & quia ventriculus vlcere debilitatus malè coquit, qua ratione & cibi non bene coquuntur, & deperdita ſubſtantia non facilè regeneratur. Præterea cum vlcus omnino abſterſione indigeat, detergentia medicamenta dolorem excitant, præſertim in orificio ventriculi, cui facilè cerebrum & cor compatitur. Exiccatione tandem opus eſt, vt vlcus cicatrice claudatur. Impeditur autem à chylo, & ingeſta alimenta vim medicamentorum infringunt.

2. Periculoſius eſt vlcus ventriculi quò maius & ſordidius eſt, & quod ſuperiores partes ventriculi occupat, quia ſuperiores partes in conſenſum trahit, vnde grauia ſymptomata oriri ſolent; & quod à materia eſt virulenta, vt in Gallico vlcere.

3. Quæ abſque inflammatione ſunt vlcera ventriculi faciliùs adſtringentium vſu curantur; quæ verò inflammationem ſimulque febrem coniunctam habent, non ſolùm curationem non admittunt, ſed nec in eadem magnitudine poſſunt permanere. Nam indies maiora & maligniora fiunt, quandiu ſcilicet durat inflammatio. Galenus, 7.*aph.* 37.

4. Inueteratum hoc malum lienteriam affert, & ex atris & corruptis humoribus dyſenteriam.

### Indicationes.

*Indicationes.* Vt in aliis vlceribus: ita & hîc vnitas ſoluta vnienda, ſubſtantia deperdita regeneranda, cauitas implenda, & tandem cicatrix inducenda eſt. Remouenda quoque impedimenta, quæ naturam in opere ſuo remorari poſſunt. Ergo ſi vlcus ſordidum ſit, abſtergendum & mundificandum: Si adſit intemperies, illa corrigenda, & omnia, quæ in vlceris curatione requiruntur, peragenda, de quibus Galenus, 3.*meth.med.c.*3. Si quoque membrum aliquod ſit, quod humores vitioſos ad ventriculum mittat, illius habenda eſt ratio.

### Curatio.

*Curatio.* Ergo ſi ſanguis abundat, & vires ferunt, in initio vena aperienda: Si autem malum diu durauit, venæ ſectio omittenda. Poſtea ſi prauus aliquis humor adſit in ventriculo, lenientibus ſaltem, vt ſyrupo roſar. ſolutiuo, aut hierâ picrâ vtendum. A fortioribus verò purgantibus abſtinendum, quod & ventriculum debilitant, & humores ad eum trahunt. Vomitus quoque planè vitandus, ne quod exulceratum eſt, magis dilaceretur.

Hinc detergentia & moderatè ſiccantia medicamenta vſurpanda, quæ niſi præmittantur, conſolidantia nil

nil vtilitatis afferunt. Et nunc lenioribus, nunc fortioribus, prout opus, vtendum, eáque omnia per os exhibenda, cum nulla alia ad ventriculum via sit.

*Medicamenta detergentia vlcus ventriculi.* Detergentia sint in ventriculo calidiore, aqua hordei simplex, aqua mellis, quæ & loco potus vsurpari possunt; Aqua saccharata vel hordei cum emulsione seminum 4. frigid. maior. conseru. rosar. aqua hordei dissoluta & colata.

In ventriculo frigidiore mulsâ & iure cicerum vti licet, item decocto hyssopi ac schœnanthi cum melle vel sine eo. Fortius abstergunt farina orobi, & radix iridis cum melle, ac si vlcus sit sordidius, ad hieram simplicem accedere licet, quæ pondere Scrup. i. vel Scrup. ii. exhibetur, & aqua hordei vel serum lactis superbibitur. Si vlcus sit valde sordidum ac virulentum, folia oleæ, rutæ & agrimoniæ coquantur in vino rubro & colaturæ mane & vesperi ante cibum haustus detur.

Mundato vlcere, quæ carnem generant vlcúsque consolidant, vsurpanda; quæ quidem & extra exhibere licet. Extra quidem sola adhibere licet; quæ verò intrò dantur, cum quotidie nouæ aliquæ sordes generetur, iis aliquid mediocriter abstergentium admiscere vtile est; id quod duobus modis fieri potest. Primò, quod commodius, vt præmittantur mundificantia, & postea subiungantur abstergentia: Deinde, vt misceantur adstringentia cum abstergentibus. Indies tamen abstergentia minuantur, donec tandem solis consolidantibus locus sit.

*Exsiccantia & glutinantia.* Tandem vt vlcus consolidetur & claudatur, epulotica ac cicatricem inducentia conueniunt. Exsiccant & glutinant, *thus, mastiche, gummi Arabic. tragacantha, sanguis draconis, C.C. vstum ad pondus* Scr. ii. vel Dra. i. exhibita cum aqua mulsa, aut in formam pastillorum redacta, *trochisci de carabe; syrupus cydoniorum, myrtinus.*

Efficax est & hoc medicamentum.

℞. *Thur. Mastich. tragacanth.* an. Dra. iii. *succini*, ʒ. i. *sang. dracon.* ʒ. ß. Cum *syrupo cydonior.*

Fiant Trochisci pondere ʒ. j.

*Cicatricem inducentia.* Cicatricem inducunt *acacia, balaustia, hypocistis, bolus Armenus, sumach, terra sigillata, conserua rosarum antiqua.* Et dantur hæc & similia in ventriculo calidiore cum aqua plantaginis, in frigidiore verò cum aqua menthæ, aut vino nigro austero.

℞. *Tragacanth.* ℈. ii. *succi plantag.* ʒ. i. ß. *santali rubri, corall. rubror.* an. ℈. i. *conseru. rosar. antiq.* ℥. ii. *syr. cydon.* q. s.

F. Electuarium.

Vel ℞. *Thuris, sang. dracon.* an. ʒ. ii. ß. *rosar. balaust. succini, boli Armeni,* an. ʒ. j.

F. Puluis, cuius Drach. i. detur *cum succo vel miua cydoniorum.*

℞. *Rosar. rubr. boli Armeni, gummi Arab.* an. ʒ. i. ß. *granor. myrti, tragacanth. spodij, balaust. acaciæ,* an. ℈. ii. ʒ. *succini, mastich. sangu. draconis*, an. ʒ. i. Cum aqua plantaginis.

F. Trochisci.

Vel ℞. *spec. diatrag. frigid. pulueris sumach, mastiches, sangu. draconis,* an. ʒ. ß. Cum *syrupo myrtino.*

Fiat Electuarium.

Licet & ventriculo adstringentia extra apponere, vt cicatrix intus producatur. Vngatur ergo ventriculus oleo cydonior. mastich. myrtino cum puluere corallior. & emplastrum de crusta panis imponatur.

Vel ℞. *Boli Armeni, mumiæ aloes, myrrh. mastiches,* an. Drach. ii.

Incorporentur cum *resinæ* ʒ. vj.

F. Emplastrum, quod ventriculo imponatur.

Et talia externa medicamenta consolidantia omni tempore applicari possunt; cum ventriculum confortent, vlceris augmentum prohibeant, & ad conglutinationem præparent.

*Diæta.*

*Diæta.* Diæta medicamentis respondeat. Ideóque cum animus est vlcus mundificare & abstergere, abstergentia cum cibo & potu misceantur, & maximè in principio cœnæ & prandij, atque abstinendum ab adstringentibus. Cum verò vlcus iam consolidatum, aut cum fluxus ventris cum vlcere adest, admiscenda adstringentia, vt pani admisceatur mastiche; cibi reliqui condiantur succo granatorum vel cydoniorum. Et inprimis cibis ad consolidandum puluerem ex fructu sorbi maturo exiccato, plantagine, radicibus consolidæ maioris admiscere vtile est. Cibi ipsi sint facilis coctionis ac boni succi, actu & potestate siccantes. Vitentur verò amara, acria, salsa, acida, item nimis dulcia & pinguia. Conueniunt pultes ex amylo, farina hordei, ptisana, oryza, amygdalis, ouorum vitellis. Vitet æger motum vehementem.

# LIBRI TERTII
## PARTIS I.
## SECTIO SECVNDA.
## DE SYMPTOMATIBVS Ventriculi.

## CAPVT I.
### *De Anorexia & Appetitu ventriculi Deiecto.*

ATQVE hactenus absoluimus morbos, qui ventriculo accidere solent; explicanda iam sunt Symptomata, quæ ei & circa actiones eius contingunt. Et primò actiones læsas quod attinet, equidem primaria actio ventriculi est χύλωσις, seu cibi assumpti in chylum pro totius corporis nutritione mutatio. Verum huic primariæ actioni aliæ quasi ministræ inseruiunt, Nam primò appetitus vt aliis animalibus, ita homini etiam datus est, quo, vbi defectum alimenti percipit, cibum & potum desiderat.

Deinde data est ventriculo vis retentrix, qua cibum & potum tamdiu retinet, & arctè amplectitur, donec à facultate coctrice in chylum mutatus sit.

Tertiò cibus coctus & in chylum mutatus ad intestina transmittatur, vt inde ad Hepar transeat, & in sanguinem totius corporis alimentum mutetur. Atque in his actionibus omnibus varia symptomata accidunt.

Abutitur tamen natura quandóque etiam ventriculo, qui primariò coctioni destinatus est, & per illius orificium cum superius tum inferius vitiosos humores interdum expellit. Præterea quia nerui etiam sextæ coniugationis ventriculi orificio inseruntur, & tunicæ eius membranosæ sunt, in tactu quoque symptomata, dolores scilicet, ventriculo accidunt.

Atque ita agendum erit secundum ordinem, quo actiones hæ sese consequuntur. Primò de appetitu cibi & potus læso, cuius plura sunt symptomata. Deinde de symptomatibus & actionibus læsis, quæ circa retentionem accidunt, qualia sunt palpitatio, conuulsio, tremor, vibratio ventriculi, ruminatio, cœliaca passio & lienteria, quæ duo tamen symptomata, potius vel simul intestinorum affectiones sunt. Tertiò de Coctione læsa & imbecillitate ventriculi, seu coctione debili, & ἀπεψία seu cruditate, item ciborum corruptione. Quartò in retentricis symptomatibus explicanda erunt singultus, ructus, nausea, vomitus, cholera. Quintò agendum erit de cardialgia, dolore & anxietate ventriculi, ardore stomachi, attritione ventriculi ac stupore eiusdem.

Secundò accidunt etiam ventriculo symptomata in excretis p.n.vt cum sanguis,menstrua,vermes,glandes, clysteres & alia p.n.è ventriculo eiiciuntur.

Tandem quod qualitates mutatas attinet,etiam maculæ p.n.in ventriculo repertæ sunt:de quibus symptomatibus iam ordine agendum est.

Atque vt à læso appetitu incipiamus, cum animalium corpora in perpetuo fluxu sint,& dissoluantur, ne præmatura morte obeant, continua nutritione & instauratione opus habent. Ideóque iis & interea etiam homini insita est nutrimenti ad corpus conseruandum necessarij appetentia, & sensus quidam, quo defectus alimenti percipitur. Qui etsi toti corpori insit, maximè tamen viget in ventriculo, ceu penu & promptuario alimenti, in quo primò ciborum pro totius corporis nutrimento fit concoctio, & præcipuè in orificio eius, quod propterea à sexto pari neruorum neruos satis grandes accepit.Et quidem,vt à Galeno, 1. *de symptom.caussis cap.7*.recensentur,quinque sese ordine in appetitu alimenti consequuntur.

*In alimenti appetitu quinque sese consequuntur.* Primùm est euacuatio, & dissipatio substantiæ corporis per continuum illum effluxum; hinc sequitur φυσικὴ ὄρεξις, seu naturalis alimenti, quo corpus nutriatur & instauretur, appetitus: Tertiò suctio venarum inanitarum in toto corpore, qua venæ minores à maioribus, & hæ rursum ab aliis partibus sugunt, donec tandem ad ventriculum, vt cibi promptuarium, peruentum est: Quarto loco est sensus in orificio ventriculi, quod tactu maximè valet: Ac tandem Quintò appetitus animalis, quo animal vellicationem in orificio ventriculi percipiens ad famem & sitim explendam quærendúmque cibum & potum sese confert. Atque ita fames naturalis est appetitus secundum naturam nutrimenti, à sensu suctionis venarum ex penuria alimenti in ore ventriculi excitatus, vt absumpti instauratio fiat, atque ita corpus conseruetur.

Læditur autem appetitus variis modis, vel quia imminuitur,vel quia oboletur,vel quia deprauatur;de quibus iam ordine agemus,& primò de appetitu deiecto. Nam aliquando cibum quidem appetit homo, sed minus,quam par est;aliquando planè eum auersatur.

Appetitus diminutus est δυσορεξία: ablatus, ἀνορεξία, & ἀποσιτία. Donatus ab alto mari etiam ἄσην cibi fastidium appellari censet 5. *aphor. 6.* Verum non simplex cibi fastidium est ἄση, sed morsus potius orificij ventriculi, & inde proueniens anxietas, & quasi nausea, & ad vomitum inclinatio ab humoribus vitiosis ad excretionem ventriculum stimulantibus.

*Appetitus deiecti differentia.* Appetitus tamen deiecti magna est varietas. Primò enim interdum homo per morbum appetitum per dies aliquot saltem amittit, vt cibum nullum omnino desideret; aliquando verò non solum per dies,sed & menses, imò & annos aliquot nonnullos sine cibo vixisse compertum est. Quæ res cum satis mira sit, agam de iis,qui diu sine alimento vixerunt, *Capite sequenti.*

Deinde aliquando cibum homo non appetit, fine nausea tamen vel fastidio, non secus ac sani, qui dum saturi sunt, cibos aliàs etiam sibi gratos non appetunt, sed sine nauseâ & abominatione; aliquando verò ægri cibos non solum non appetunt, sed ita quoque auersantur, vt non solum ad eorum gustum vel odoratum, verùm etiam visum vel mentionem exhorrescant, & nauseam concipiant, imò quandoque ad vomitum concitentur. Vbi ergo æger cibum tantum non appetit, sed fine nausea & abominatione, Inappetentia appellari potest. Cum verò cibum æger etiam abhorret & auersatur, id fastidium ciborum & nausea dicitur. Qui affectus cum etiam caussis differant, seorsim explicandi sunt.

*Inappetentia & fastidij ciborum differentia.*

## *Inappetentiæ Caussæ.*

*Inappetentiæ Caussæ.* Et primò inappetentiam quod attinet, cum proxima appetitus seu famis caussa sit sensus suctionis in ventriculo,& præcipuè in eius orificio,hinc patet,deiecti appetitus caussam esse deficientem sensum suctionis in ventriculo, appetitúmque cibi non fieri, vel diminutè fieri (nam appetitus abolitus & diminutus ferè caussarum magnitudine saltem differunt) dum vel nulla, vel exigua fit suctio;vel suctio non percipitur,& sensus suctionis vel amissus vel diminutus est.

Suctio non fit,vel exigua fit,quia alimentum in corpore abũdat,& nulla ferè fit in corpore absumptio.Hoc modo vt appetitus plane deiiciatur,vix aut certè rarius fieri potest, cum calor innatus, quamdiu viuit homo, aliquid continuò absumat; quamuis nunc plus, nunc minus,prout ipse calor est debilior vel fortior.

Diminui tamen non rarò appetitus potest hac de caussa, Si corpus nimis plenum est, & multis crudis humoribus abundat, aut aliqua consueta euacuatio, vt mensium, vel hæmorrhoidum suppressa est, aut consuetum exercitium homo omisit, ac otio & quieti nimis indulsit. Pertinet huc & cutis constipatio ab aëre seu ab aliis caussis, ob quas naturalis διαφόρησις impeditur.

Secundò suctio non fit, quia multi crassi & lenti humores in ventriculo abundant,siue in eo geniti sint,siue à capite affluant. Sic & cibi crassi & pingues appetitum deiicere solent. Idem accidit si lentore illo, quo, vt lubrica essent, ventriculus & intestina naturaliter intus obducuntur, nimium ventriculus abundet. Si enim lento illo humore quasi incrustetur, sensus eius obtunditur. Posset tamen hæc caussa etiam ad sequentem referri,nimirum cum suctio,sensu obtuso, non percipitur.

Tertiò suctio non fit, si obstructio aut tumor p.n. venas mesaraicas vel hepar occupet, vt chylus pereas non satis distribuatur, sed in ventriculo immoretur.Vt enim inanitus ventriculus nouum cibum appetit: ita quando chylus in ventriculo subsistit, fames non excitatur.

Suctio verò non percipitur,vel minus percipitur,etsi fiat,primò vitio facultatis sentiẽtis.Et primò quidem ob resolutionem neruorum à sexto pari prodeuntium, aut quia Spiritus animalis,proximum facultatis sentiẽtis organum,ad os ventriculi non dimittitur,vel transitus eius impeditur,vt in Apoplexia & similibus affectibus fieri solet, vel cum Spiritus deficiuntac languent, vt in morbis grauibus,febribus inprimis acutis & malignis, accidit, aut quia facultas aliò conuertitur, vt in phreneticis,melancholicis,& forti imaginatione occupatis accidere solet.

Secundò suctio non percipitur vitio orificij ventriculi læsi à morbo,qui vel est Intemperies,vel mala cõpositio,vt tumor p.n.vel soluta vnitas,vt vlcus.Et quidem Intemperies est vel sine materia vel cum materia, eámque excitant vel caussæ internæ, vt humor, aut vapor, vel à toto,vel à parte, vt vermibus in intestinis vel vtero immissus: vel externæ, vt medicamenta, aut venena, quæ tamen potius occultam dispositionem p. n. quàm manifestam intemperiem inducunt. Pertinent huc omnia caloris ventriculi cum insiti, tum influentis, qui temperamentum eius absoluunt, vitia. Cum enim caloris proximũ sit animæ instrumentum, si lædatur, actiones bene fieri non possunt Hinc accidit, vt non solum quæ calorem naturalem lædere, sed & quæ influentem dissipare ac euertere possunt, inappetentiam excitare soleant. Inde sæpe euenit, vt in febribus & aliis morbis appetitus deiiciatur, cum & influens & innatus calor corrumpatur:ita & in timore ac aliis animi affectibus,spiritibus turbatis,vel aliò auocatis appetitus deiicitur. Tandem huc pertinet & stupor ventriculi, sensu tactus eius labefactato;quod exhibitis narcoticis

narcoticis fieri poteſt: ferúntque ſolanum furioſum vino infuſum appetitum deiicere.

De intemperie tamen ventriculi eſt controuerſia, & inter authores diſputatur, an tam ab intemperie calida, quàm frigida inappetentia fieri poſſit. Verùm ſciendum, intemperiem nunc eſſe magnam, nunc paruam. Si ſit inſignis, tam calida, quam frigida appetitum deiicere poteſt; cum omnis inſignis Intemperies actiones partis deſtruat. Si verò non ſit inſignis, frigida potius facit inappetentiam laxando & replendo orificium ventriculi.

## *Cibi faſtidij Cauſſæ.*

Cibi faſtidij cauſſa. Cibi verò faſtidij, cum homo non ſolum cibum non appetit, ſed & auerſatur & abhorret, cauſſa eſt, potentia appetitiua imbecilla vel errans, quæ alimentum non vt iucundum, verum vt odore & ſapore ingratum odio proſequitur, quaſi naturæ eſſet ſummè noxium. Accidit hoc, cum praui ſucci, præcipuè bilioſi, putridi & corrupti, aciditatis tamen & ſalſedinis expertes, orificium ventriculi occupant. Calor enim ventriculum laxat, humores in eo liquat, ac vires ventriculi deiicere ſolet, vnde in febrium principiis cibi appetitus deiicitur. Dum verò in morbi progreſſu humores putridi & corrupti ad eum confluunt, etiam alimentum abominari & abhorrere ægri incipiunt. Humores enim illi corrumpunt orificium ventriculi, & temperamentum eius euertere ſolent. Et naturalis appetitus ſibi ſimilia appetit, noxia verò auerſatur. Videmúſque in eodem agro plantas diuerſas quamlibet ſibi ſimilem ſuccum attrahere, diuerſum verò & ſibi minus conuenientem relinquere. Ita etiam accidit, vt quamuis corpus alimento indigeat, quia tamen ſuccus, qui in ventriculo eſt, corpori alendo aptus non eſt, natura eum etiam auerſatur, nec venæ eum ſugere cupiunt. Hinc poſtea euenit, vt facultas appetens cibos etiam, qui offeruntur, eodem modo quaſi noxios auerſetur; nec facilè hoc malum emendatur, niſi praui illi ſucci ſint ſublati, & venæ humores vtiles iterum ſugere incipiant. Ad quod pertinet & illud, quod ex nimio alicuius cibi vſu, aut minus dextro vſu, faſtidium eiuſdem nonnunquam oboriri ſolet. Accidit quoque, vt quibus in morbo faſtidium cibi aut potus alicuius cœpit, ij quoque à morbo liberati eum faſtidiant, nauſea illa & faſtidio impreſſo manente, de quo etiam *capite tertio.*

## *Signa Diagnoſtica.*

Ipſe quidem appetitus deiectus vel cibi faſtidium ſignis, quibus innoteſcat, opus non habet, ægerque ipſe conqueritur, ſe nihil aut parum appetere, vel etiam cibum abhorrere. Idémque ab adſtantibus obſeruatur; modò mens ægrotantis conſtet, neque homo ſimulet affectum, qui reuera nullus eſt.

Cauſſæ verò, quæ inappetentiam ac cibi faſtidium excitant, vt cognoſcantur, ſignis opus eſt. Et quidem ſi ſuctio non fit, idque ob alimenti abundantiam, vires non proſternuntur, etſi æger aliquandiu à cibo abſtineat. Apparéntque indicia repletionis totius, aut denſitatis cutis, aut imbecillitatis caloris naturalis, aut redundantia humorum crudorum adeſt, homo vitam otioſam ſectatus eſt, atque aliæ cauſſæ repletionis totius ante enumeratæ adſunt, & ex calefacientibus, ſiccantibus, attenuantibus vtilitatem percipit æger, læditur verò à contrariis. Si verò vitio venarum meſaraicarum non fiat attractio, aluus liquidiora & humidiora excernit. Si autem ſuctio non ſentitur, vires ob alimenti defectum deiiciuntur, corpúſque gracilè euadit, atque extenuatur. Cauſſa etiam læſæ ſenſionis cognoſcitur è ſignis cerebri, vel neruorum ſexti paris læſis. Externæ quoque cauſſæ ſuis ſignis ſe produnt, atque etiam anteceſſerunt cauſſæ inſigniter refrigerantes vel ſtupefacientes, ac tum æger, ſi acria vel mordacia ſumat, nullam mordicationem percipit, nec ſingultus excitatur, adsúntque præterea, quæ calorem ventriculi debilitandi vim habent, quæ ex intemperie ventriculi, eiúſque morbis patent.

## *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.* 1. Anorexia malum eſt non contemnendum; quia corpora ſiccat, ad omnes operas imbecilliora reddit, ac inſtaurationi animalis aduerſatur. Maius tamen vel minus malum portendit pro magnitudine ac paruitate cauſſæ, à qua oritur.

2. In omni morbo conſtare mente & bene ſe habere ad ea, quæ offeruntur, bonum. Contra verò habere ſe, malum, 2. *Aph.* 33. Languetis enim & facultatis animalis & naturalis indicium eſt, & ſpem de recuperanda ſalute exiguam præbet. Et 3. *Epidem. com.* 3. *aph.* 30. Galenus ait; Reſpiratio & ciborum appetentia in ægrotante magnum ad ſalutem pondus habent.

3. In morbo diuturno ἀποσιτία ſeu cibi faſtidium, & ſinceræ deiectiones, malum, 6. *aph.* 6. Significatur enim extinctio facultatis appetentis in orificio ventriculi, ſeu ob maximum frigiditatis exceſſum, ſeu ob materiam inſigniter putrefactam. Cúmque diuturno morbo affecti vires aliter, quam nutrimento recuperari nequeant, ſi illud nec aſſumatur nec apponatur, viribus tandem planè conſumptis ægrum extingui neceſſe eſt.

4. Malum & facultatis appetentis collabentis ſignũ eſt, ſi æger, quos deſiderare ſe aiebat, cibos, poſtquam guſtauit, faſtidiat, nec comedat: peius tamen ij adhuc habet, qui nil appetunt. Extrema enim facultatis appetentis deiectio ſignificatur. Galenus, 2. *Epid. com.* 2. *text.* 3.

5. Incommodè hoc malo pueri afficiuntur, vtpotè, qui naturâ edaces ſunt, & plurimo alimento indigent. Magnus enim p.n. exceſſus ſignificatur, ſi puer anorexiâ afficiatur. Galenus, 2. *aph.* 20.

6. Anorexia, ſi iuxta principium ac vigorem accidat morbi, non ita periculoſa eſt. Mediocri enim tum alimento æger opus habet, & ſi multum appetat, multúmque comedat, plus damni quam commodi inde percipit, ac ſublato morbo ſponte appetitus redit. Si verò in declinatione totius morbi deiiciatur appetitus, ſeu ex morbi diuturnitate, ſeu virium debilitate, ſeu aliquâ immodicâ euacuatione, malum ſignum eſt, cum caloris naturalis extinctionem & virtutis naturalis deiectionem ſignificet, & medici curam id poſtulat, metúſque eſt, ne æger vel recidiuam patiatur, vel alius morbus ſequatur.

7. Proſtratio appetitus ex læſione neruorum ſextæ coniugationis à cerebro venientis difficulter curatur.

8. Si in morbo aliquo appetitus ſit proſtratus, & ſubitò poſtea plurimum cibum æger ſumpſerit, non præcedente criſi aliqua & morbi imminutione, lethale ſignum eſt, quia cerebri læſionem & virtutis ſenſitiuæ extinctionem ſignificat.

## *Curatio.*

*Curatio.* Cum appetitus læſus à variis cauſſis dependeat, curandi ratio etiam ſimplex eſſe non poteſt; Sed pro cauſſarum varietate variè inſtituenda, cauſſæque ſingulæ ſuo modo tollẽdæ. Quapropter ſi nulla fiat ſuctio, cauſſam, quæ ſuctionem impedit, tollere & remouere oportet. Si ſucci naturales abundent, ea, quæ plenitudinem imminuunt, conueniunt, vt ſunt inedia, exercitium, frictiones validæ & multæ, frequens balneorum vſus. Quæ ſi non ſufficiunt, aut nimis tardè, quod expetitur, præſtant, ſanguinis miſſio inſtituenda. Eadem media iis competunt, qui ex intempeſtiua & immodica ciborum ingeſtione cruditatibus in ventriculo cumulatis in anore

anorexiam incidunt. Si tamen in ventriculo vitiosi humores abundent, vomitu vel per aluum euacuentur, & inprimis amara eligantur, quæ simul abstergunt, atque hinc aloe ventriculo amica dicitur. Fortiora verò medicamenta, vt scammonium & colocynthis, quæ os ventriculi, & in hoc appetentiam lædunt, non conueniunt. Si homo ex otio & exercitiis omissis cibum non appetit, motus imperandus. In frigida & humida corporis constitutione calida & siccantia conueniunt. Si constipatio & condensatio pororum cutis adsit, laxanda cutis, quod commodissimè præstat balneum aquæ dulcis. Vtiles sunt & frictiones lenes totius corporis.

In ventriculi imbecillitate & venarum ac hepatis obstructione vtilis est hic potus:

℞. *Rad. petroselini fœniculi, apij, cichorij* an. ℥. ß. *absinthij, taraxaci*, an. M. i. *flor. rosar.* M. ß. *cichorij.* p. i. *sem. coriand. præp.* ʒ. i. *fol. sen. elect.* ʒ. vi. *sem. anisi* ʒ. iii. *vuarum passar.* ℥. j.

Infundantur in tribus partibus aquæ & vna vini rhenani pro ℔. i. ß.

Stent in infusione hor. 24. vase clauso in loco calido.

Colaturæ expressæ *adde syrup cichorij cum rhabarb. de mentha de absinthio* an. ℥. j.

Cum albumine oui depurentur & clarificentur. In decocto clarificato suspendantur in nodulo

*Rhabarb. elect. agarici trochiscati spec. aromat. rosat. diarrh. abbat.* an. Drach. sem. *spicæ, schœnanth.* an. gr. vj.

Dos. Cyathus vnus horis tribus ante pastum.

Si verò suctio non percipitur, itidem caussa, quæ suctionis sensum impedit, tollenda, siue aliqua sit intemperies, siue humor, de quo supra dictum. Præcipuè tamē bilis & pituita appetitus sensionem impedire solent.

Et quidem bilis, præcipuè in febribus, ventriculum affligit, quæ qua ratione tollenda sit, ex iis, quæ supra *de intemperiebus ventriculi* dicta sunt, patet. Nimirum bilis euacuanda, & ventriculus postea roborandus. Euacuatur commodissimè vomitu vel per aluum: cui rei inseruit absinthium, si eius P. i. coquatur & decocti Vnc v. vel Vnc. vi. cum Syrup. rosar. solutiuo exhibeantur, aut hiera, si bilis tenacius adhærescat. Qua ratione intemperies cum pituita curanda sit, etiam supra dictum. Hoc saltem addimus; etsi pituita, vt frigida, calefacientia indicat; tamen non confestim & subito hoc faciendum, ne humores subitò fusi flatus generent, & in vniuersum corpus distribuantur, ac obstructiones pariant. Quapropter cautè hic agendum, & primò curandum, vt æger parcè comedat, & bibat, & victu attenuante vtatur. Possunt etiam in prima mensa concedi ea, quæ salsa sunt, cum sal incidendi & attenuandi vim habeat; & postea ea, quæ vim detergendi habent, vsurpari, quale est ius Brassicæ primum non exquisitæ coctæ, Ad extenuandam verò pituitam commodum est, primò oxymel exhibere cum mellis rosatum parte quarta. Postea medicamentum, quod Diatrionpipereon appellatur, & quidem simplex, quod tantum ex tribus piperum generibus conficitur. Etsi enim validius calefacit piper: tamen tenuis substantiæ est, & tenuium partium, quæ propterea citius discutiuntur, nec hepati inde calor imprimitur. Pituita hoc modo incisa & detersa euacuanda est vel vomitu vel per aluum, medicamentis supra propositis.

Tandem ventriculus roborandus, quam ad rem vtile est aromaticum rosatum; item absinthium, siue decoctum, siue in vino, quod præterea etiam insignem facultatem appetitum excitandi habet. Simul etiam appetitum excitantia vsurpanda, quæ in caussa calida refrigerantia esse oportet, ex aceto, succo limonum, agresta, aurantiis acidis, granatis acidis, quibus cibi condiri possunt. Conuenit etiam lactuca aceto condita. E Chymicis Spiritus vitrioli & salis, aliáque de intemperie ventriculi calida proposita. Contra in caussa frigida vsurpanda calefacientia ventriculum, itidem supra proposita: quæ & coctionem adiuuant, & appetitum reparant. Hinc panem ex vino maluatico sumere, cibos aromatibus condire vtile est. Conuenit etiam hîc oxymel scilliticum. In vtraque caussa oxymel simplex, Spiritus vitrioli & salis.

Quod si ob facultatis sentientis vitium non fiat appetitus, curatio ad causas & morbos, à quibus ille prouenit, dirigenda. Si nimirum ob melancholiam vel aliud quodque delirium ægri cibum sumere detrectant, ad morbum illum Curatio dirigenda; Interim ægro quantum fieri potest persuadendum, vt cibum sumat. Si ex humore maligno in febribus appetendi vis extinguatur, ad febrem curatio dirigenda, & interim vt æger cibum sumat, ei persuadendum.

Si propter læsionem nerui sextæ coniugationis fiat appetitus prostratus, cerebrum confortandum.

Caussis sublatis etiam hîc appetitus excitandus. Danda nimirum salsa, acida & acria, quæ similem suctionem illi, quæ fit à defectu alimenti efficiant. Pinguia verò vitanda. Et inprimis acetum vtile est, quod si maiore qaantitate bibatur, fastidium illud à vini potu, in quo radices solani furiosi maceratæ fuerint, ortum, vt & ab aliis narcoticis profectum, tollit. Eligenda tamen ea, quæ contrariam caussæ morbificæ dispositionem inducunt. Simúlque præbenda ea, quæ gustu & olfactu sunt grata, vt ex quibus appetitus excitatus sæpe in desiderium cibi erumpit.

Cibi verò fastidium à calore & humore corrupto os ventriculi occupante proueniens, curatur iis, quæ calidam intemperiem corrigunt, & humorem euacuant. Verum hæc appetentia, cum plerumque accidat febricitantibus, febre eiúsque caussa sublata etiam cibi fastidium cessat.

### *Diæta.*

Vitentur omnia, quæ os ventriculi laxant, vt pinguia, oleosa, butyrum, cerebrum animalium inprimis, & omnia, quæ ingrata & nauseabunda sunt, ac ingratum odorem habent. Vt enim Galenus, 8. *de composit. medicam. secund. loc. cap.* 3. monet omnia, quæ bonum gratúmque odorem spirant, ventriculo grata sunt, & appetitum excitant, sicut quæ malè olent, eundem turbant & subuertunt. Non omnibus tamen omnia pariter grata & ingrata sunt. Vsurpentur etiam ea, quæ vim habet sensum appetitus stimulandi, qualia sunt salsa & acria. Idcoque condimenti loco sumatur acetum, citria poma, aurantia acida, cappares, oliuæ, gingidium cum aceto, teste Galeno, 2. *de aliment. facultat. cap.* 34. & 55. & 3. *eiusdem operis c.* 31. Cibus ita præparetur, ne multa masticatione opus habeat, alioquin & si diu ore versandus sit, ingratus euadit, & appetitum euertit. Vinum in caussa frigida sit ὀλιγοφόρον & subastringens. Commendatur & absinthites, quod tamen etiam in bile in ventriculo redundante vtile est, modò appetitus deiectus non à calore nimio proficiscatur. In calida caussa frigidus potus assuetis permittitur, quia constringendo os ventriculi appetitum excitat. Hinc Hippocrati, 6. *epid. comm.* 4. *text.* 20. Aqua vorax est, id est, cibi appetentiam efficit. In diuturna tamen ventriculi imbecillitate aquæ potus non permittendus. Sed forsan loquitur Hippocrates *loco allegato*, non de potu aquæ, sed de mora & versatione circa aquas. Vnde piscatores & nautas auidè cibum appetere videmus. Diæta.

Qui cibos notæ deterioris appetunt, cibos verò boni fucci auersantur pertinaciter, iis cibus parum deterior permittatur ex cōsensu Hippocratis, 2. *aph.* 38. Quę enim auidè appetuntur, & valde oblectant, modò copiâ non excedant, auidius attrahuntur, firmiter retinentur, melius concoquūtur, minúsque excrementi relinquunt,

Si

Si à corporis constitutione frigida & humida deiicia-tur appetitus, potus & cibi calefaciendi, siccandi, attrahendi vim habeant, calórque sopitus quasi excitandus exercitio & laboribus, exercitiúmque in iis, qui id ferre possunt, summoperè vtile est, cum distributionem ciborum promouendo appetitum plurimum excitet. Hinc videmus eos, qui laboribus dediti sunt, etsi ter vel quater de die comedant, tamen cibum auidè appetere, cum in otio degentes vix semel eum auidè appetant. Somnus non sit nimius; cum distributio cibi per vigilias potius fiat, quam per somnum, eáque peractâ appetitus redeat. Hinc accidit, vt vigilantes citius esuriamus, spatiúmque, quod inter prandium & cœnam est, breuius sit, quã quod est inter cœnam & prandium, eóque elapso non minus appetamus, quam hoc.

## CAPVT II.

### *De longa à cibo & potu abstinentia.*

*animalium corpora continuo alimẽto reficienda.*

CORpus nostrum, vt & aliorum animalium in perpetuo fluxu esse, continuóque eius aliquid dissipari & absumi, & propterea alimentis, quibus id, quod absumitur, instauretur, indigere, ac nisi alimento reficiatur, tandem de vita hominem periclitari, nemini ignotum est. Id quod Hippocrates, *lib.* περὶ ἀρχῶν, septimo die fieri scribit, censétque lethalem esse inediam, quæ septimum diem excedit: Cuius sententiæ subscribit Macrobius, *lib.* 1. *in somn. Scipion. c.* 6. Plinius verò, *lib.* 11. *c.* 24. longius assignat spatium, vndecim scilicet dierum. Et experientia ipsa testatur, nonnullos vltra septimum diem sine cibo vixisse. Tempus tamen varium est. Cardanus, *lib.* 11. *de subtilitate* refert, quendam Leonhardum Pictoriensem se sensim eò traduxisse, vt semel tantum in septimana cibum sumeret. Et fossorem quẽdam, quum puteum foderet, terræ ruina oppressum sub tabulato, quod obiecerat, septem dies noctésque sine cibo & somno solâ vrinâ epotâ vixisse Bartholom. Anulus, *in picta poësi*, scribit. Ferunt etiam nonnulli & nunc Græcos monachos ad septimum diem vsque ieiunium extendere & omni cibo abstinere. Citesius quoq; Medicus, *in tract. de abstinente Confolentanea*, narrat, Petrum Alchantaram, Monachum Hispanum, singulis mensibus octo diebus continuis ab omni cibo abstinuisse. Et Isocratem Rhetorem ab aliis 4. ab aliis 9. dies à cibo abstinuisse accepit Plutarchus, refértque *in opusculo de vita decem Rhetorum*, Auicennas *lib.* 1. *fen.* 3. *doct.* 5. *c.* 2. scribit, quendam à potu vnius libræ olei violacei, in qua cera & adeps dissoluta fuerant, donec in Emplastri formâ coiuissent, diebus 10. cibum non appetiuisse. Et sæpe in morbis obseruatum, ægros multis sæpe diebus nullum cibum vel appetere vel assumere. Beniuenius, *de abdit. morb. & sanat. causs. c.* 108. scribit, monialem quandam montis Cælij suffocatione vteri laborantem ad 10. dië solâ panis buccella vitam traduxisse, Plato, *de Republ.* Erum Pamphilium inter eos, qui in acie ceciderant, 10. dies veluti mortuum iacuisse, posteáque rogo impositum reuixisse. Horatius Augen. *de sang. miss. c.* 15. *lib.* 4. testatur, se vidisse rusticam mulierem, quæ grauida & vlcere ventriculi laborans viginti diebus sine cibo vixerit, tandémque mortua fuerit, mortuæ v. vtero aperto viuus fœtus extractus sit. Cardanus, 11. *de subtil.* scriptũ reliquit iuuenem quẽdam Scotum sub Clemente VII. Pontifice vndecim diebus in custodia sine cibo detentum fuisse, qui aliquando ad 20. aliquando ad 30. dies sine cibo perdurauit. Et fœminam, quæ sine cibo quandóque dies 30 transegerit, in Germania vixisse author est Albertus Magnus, *lib.* 7. *de animal. tract.* 3 *c.* 3. Idem *eodem in loco* regnante Friderico II. Imperatore, Coloniæ fuisse virum melancholicum refert, qui clausus ardo in loco, & custoditus saluis sigillis sine cibo septem hebdomadas vixit, quotidie aut alternis diebus semel haustum aquæ frigidæ bibens & præterea nihil assumens. Augustinus, *Epist.* 86. *ad Casulanum*, scribit, temporibus suis quendam 40. diebus sine cibo vixisse. Ex Plutarcho, *in Symposiacis* & Athenæo, *in Dypnosophistis* notum est, Timonis auiam siue amitam, siue nutricem quotannis vrsarum more bimestre tempus in Ciliciæ spelunca sine alimento semianimem delituisse. Et Fernelius, *lib.* 6. *Patholog. cap.* 1. narrat, se vidisse grauidam, cui tuberculo duro & magno ita os ventriculi obturabatur, vt quicquid indebatur mox remearet, atque sic nihil cibi potuísque bimestri spatio sumpserit, tandémque mortua sit.

*tandiu homines inediam tolerare possunt.*

*Exempla eorum qui diu sine alimento vixerunt.*

*Historia de Lucomoriæ populis.*

An verò quæ de Lucomoriæ Muscouiæ populis narrantur recensere debeam, cum multis proculdubio fabulosa videri possint, dubito. Recenset tamen ea Sigismundus L. B. in Herbestein, *in rerum Muscovvitic. Comment. pag.* 82. scribítque, quod Lucomoriæ populos vltra Obi fluuium in montibus sitæ, in singulos annos nempe 27. die Nouembris, quæ apud Ruthenos S. Gregorio sacra est, mori ferant, ac vere insequente, maximè ad 24. Aprilis, ranarum instar, denuo reuiuiscere. Cum his quoque Grustintzij & Sperpanomotzij populi noua, & aliàs inconsueta habent commercia. Cum enim statum tempus moriendi, seu dormiendi ipsis imminet, merces certo loco deponunt, quas Grustintzij & Sperpanomotzij, relictis suis interim æqua commutatione mercibus, auferunt: eas illi rediuiui, si iniquiori æstimatione abductas esse viderint, rursus repetunt, vnde lites plurimæ & bella inter eos oriuntur. Eandem historiam Franciscus Citesius, in *opusculo de abstinente Confolentanea*, fide dignorum virorum testimonio confirmat. Tota autem narratio sic se habet: *Id omni exceptione maius est, Heinrico etiam Tertio in Polonia agenti à Principibus fide dignissimis testatum. Aderant quamplurimi Galliæ proceres, Senatores. Aderant & aulæ Medici, inter quos D. Iohan. Piduxius, primicerius noster & Decanus, non artis Medicæ solum, sed totius etiam naturalis historiæ scientia Clarissimus, Illustrissimi Principis Ludouici Gonzagæ Niuernensis Ducis valetudinem tunc regere solitus, sed & ipsi Regi consilij copiam præbere, à quo id primum didicimus. Relatum est ab Alex. Guagnino Veronensi peditum in arce Vitebska finitima Moschouiæ Præfecto, in sua Moschouiæ descriptione. Quosdam igitur populos, refert, Lucomoriam Vlterioris Sarmatiæ regionem incolentes, quotannis 27. Mensis Nouembris die, velut hirundines & ranas, præ intenso brumali frigore mori (siue potius obrigescere) Posteà redeunte vere 24. Aprilis die eos denuo reuiuiscere. Ipsos a. hoc modò commercia cum Grustintziis & Sperpanomotziis populis sibi vicinis habere. Cum iam futuram mortem imminere sentiunt, tunc merces suas certis in locis deponunt, quas Grustintzij, & Sperpanomotzij, suis mercibus interim æquiualentibus eodem loco relictis, auferunt. Illi autem reuiuiscentes illas merces, si æqua commutatione sibi placuerint, pro suis accipiunt, sin minus iustæ fuerint, à Grustintziis & Sperpanomotziis suas repetunt, vnde lites & bella hac de caussa sæpissimè oriri dicuntur. Cæterum per soporem illum non extinguitur innatus horum corporum (alioqui huic aëri assuetorum, gelúque, vt loquitur Albertus Crantzius, recoctorum) calor: quia is, omnibus poris, meatibus, ductibúsque frigore conniuentibus & obseratis, circa viscera colligitur, atque hac veluti antiperistasi seipso in proximum ver auctior & vegetior efficitur. Periclitaretur inter omnes corporis partes maximè cerebrum, multis iísque amplis foraminibus, narium præsertim patens, nisi dum rigere incipiunt, tenuis illis & aquea pituita è naribus stillaret, quæ (ex relatu eiusdem D. Piduxi) non minus congelatur, quam sputum ipsum, quod Sigismundus ab Heberstein frigore concrescere testatur, antequam terram attingat: Sic noua subinde descendente, subinde concrescente ad terram vsque, eodem plane modo ea pituita producitur, quo apud nos per ipsam hyemem pẽdula è protectis stillicidia; vnde naribus obturatis cerebrum aëris in-*

*clementiæ minus peruium & penetrabile est. Nam si quis aduersus hanc aëris iniuriam tum pellium amictu tum curruum mole instructior, styriam istam vi diuellere tentet, statim irrumpente, qua data porta, in cerebrum aëre frigidiore, natiuus eius calor extinguitur, iacentésque æternum pereunt Lucomori: Sin tempestatis serenioris leni auræ detur frui, fusa illa pituita, sensim calor redit ossibus, redit suis membris vigor & sensus, idemque, qui prius inerat, functionum omnium ordo.*

Atque hæc, etsi satis admiranda longioris abstinentiæ exempla sint, tamen quæ sequentur, admirabiliora & penè miraculis similia sunt, atque ea pleraque non à remotioribus seculis petita, aut dubiæ fidei, sed quæ nostra patrúmque & auorum memoriâ acciderunt. Patauij Anno Christi 1598. vt hanc historiam Alexander Viguntia, ibidem Professor consignauit. Virgo sub occasum caniculæ febre, hinc tumore sinistri brachij, atque eo cessante dolore in articulis, ore ventriculi ac postea totius abdominis correpta fuit, insupérque motum sinistri brachij amisit, atque omnia alimenta vomitu reiecit. Hinc omnia edulia auersari, imò ad eorum mentionem & imaginationem nauseam concipere cœpit. Medicamenta tamen facilè ingerebat, retinebat, aluo egerebat. Atque ita dum nihil cibi caperet, omnes excretiones naturales substiterunt, aluus fuit suppressa, per vesicam lotium non reddidit, clysteres iniecti nullas feces eduxerunt. Et sic vnum & alterum mensem traduxit, ad aspectum sana visa fuit, color fuit viuidus, & nulla apparuit in corpore macies. Assumpto tum puluere, nescio quem humorem & vermem viuum vomitu reiecit. Hinc per 3. menses continuos quotidie vel alternis diebus sanguinem libræ pondere per aluum reiecit, primùm floridum, mox aquosum & nigricantem, qui demum aluo subsistente vomitu reiectus fuit, & cum circa brumam paralysis remisisset, cæca euasit ac delirare cœpit, & ita octimestri spatio ab omni cibo abstinuit, atque interim sæpius catalepsi correpta fuit, hinc iterum cibum capere, vrinam reddere, atque aluum egerere cœpit. Rursum verò 1. Augusti vomere cœpit, atque eadem ferè, quæ prius, redierunt symptomata & iterum per duos menses sine cibo vixit.

Sedecim mensibus in Hetruria in agro Lucensi puella 14. annorum Anno Christi 1603. planè contabescens & solo aquæ simplicis potu vtens sine vllo cibo languida, somnolenta, taciturna, cruribus contractis, viuens, nullaque excrementa, præter vrinam, reddens visa fuit, quæ tamen postea iterum cibum sumpsit ac sana euasit.

Duobus annis quendam ieiunasse testatur Cælius Rhodiginus, *lib.*13. *antiq. lect.cap.*24. & Stendaliensem monialem itidem biennio sine cibo vixisse, Petrus Aponensis Conciliator dictus, *diff.*12. & alium quendam etiam biennio sub Pontificatu Nicolai V. Citesius narrat.

Tres annos sine cibo vixit puella 14. annos nata Confolento, vrbe in Lemouicum & Pictonum confinio ad Vigennam oriunda, cuius historiam descripsit Franciscus Citesius Medicus, edito libello, quem de abstinente Confolentanea inscripsit. Correpta est ea Anno Christi 1599. ætatis 11. circa 13. Calend. Martij febre, & cùm aliis symptomatibus, tùm vomitu conflictata fuit: Febre remittente obmutuit; & totos 24. dies sine voce fuit. Voce reddita, quanquam deliraret, omnium infra caput partium sensus & motus torpere, & œsophago etiam resoluto omnem cibum abhorrere cœpit. Post 6. menses tamen artuum motus restitutus est, manente cibi fastidio. Vniuersum abdomen contabuit, vt ab imis costis ad pubé vsque nihil pristini aqualiculi superfuerit, vt omnes abdominis musculos, intestina, viscera, & reliquas ventris partes detractas putasses: Cæteræ corporis partes minus exhaustæ apparuerunt. Nam pectus amplum, vbera turgidula, brachia, crura modicè torosa, facies rotunda, sed fusca, labia rubra, lingua quidem contractior, expeditus tamen sermo, caput pilis longissimis contectum erat, pilique & vngues, imò totum corpus augebatur. Nulla corporis parte excrementa procedebant, non aluo feces, non vesica lotium, non vtero menstruum, non cute sudor aut sordes. Vniuersa v. corporis cutis frigida & sicca tangentibus apparebat; vixque vllo motu incalescebat, etsi in rem familiarem operam suam conferret, obsonium è foro peteret, pauimenti sordes euerteret, colum teneret, fusum rotaret, atque alia huiusmodi ministeria obiret, nullius partis sensu aut motu deficiente. Historiam puellæ in Gallia Narbonensi, quæ tres annos sine cibo & potu vixit, recenset Guilielm. Rondelet. 1. *lib. de piscibus c.*13.

Guilielm. etiam Fabricius, *cent.*2. *obs.*40. refert, Anno 1595. puellam annos 14. natam è Ducatu Iuliacêsi Coloniam adductam fuisse, quæ tribus annis omni cibo abstinuit; ambulauit tamen, cum æqualibus lusit, saltauit, & alia negotia perfecit. Puella Spirensis, quæ quadriennium ab omni cibo abstinuit, Anno 1552. à Ferdinãdo Romanorum Rege, aliisque Romani Imperij proceribus conspecta est, cuius historiam annotauit Iohan. Langius, *lib.*2. *epist.*27.

Imò & qui longiore temporis spatio ab omni cibo & potu abstinuerunt, comperti sunt. Nicolai cuiusdam Vnderuualdensis Heluetij, qui quindecim annis sine cibo vixit, cum alij, tum D. Iacobus Zuuingerus, *in Epist. obs.*33. *cent.* 5. *Guilielmi Fabricij annexa*, mentionem facit. Mulieris, quæ 18. annis nihil comedit, meminit Petrus Apponensis, *in Commentario in problem. Aristotelis:* Puellæ quæ viginti annis nihil comedit Rogerius Bacho & Martinus Del Rio, *lib.* 2. *disquisition. magicar. quæst.*21. Fœminæ, quæ 30. annis ab omni cibo abstinuit. Iohan. Bocatius. Alterius, quæ 36. annis nihil cibi sumpsit, Conciliator, *diff.*112. Viri, seu sacrifici, qui 40. annis Romæ à cibo abstinuit, Rõdeletius & Ioubertus; scribitque Rondeletius, *lib.*1. *de pisc. cap.*13. de eo, id ex Leonis Pontificis & multorum Principum custodia & Hermolai Barbari historia fideque certissimum esse. Et somnus diuturnus Epimenidis Philosophi passim notus est, quem in æstu meridiano diuersum in specum somnóque correptum alij 40. alij 47. alij 50. alij 77. annos dormiuisse ferunt, qui etiam vigilans adeo temperans fuit, vt Plutarchus, *in sympostacis & lib. de facie in orbe lunæ* scribat, illum re ipsa ostendisse, exiguo admodum fomento naturam sustentare animal, si nutrimentum vel oliuæ quantitate sumat. Et ex historia Ecclesiastica Nicephori, *lib.*14. *cap.* 45. notum, Decio Imperante apud Ephesios septem pueros corporibus iuxta ac animis fratres Christi fideles ob metum tyranni extra vrbem in antrum aufugisse, cuius aditum cum persecutores probè extra muniuissent, ij in somnum profundum præ anxio animi mœrore delapsi sunt, atque ita annos 373. dormiuerunt, & diuina prouidentia ita sunt detenti, vt neque corpora neque vestimenta eorum defluxerint vsque ad Theodosij tempora. Et extant tales historiæ passim apud authores plurimæ. Vnam atque alteram saltem, quæ in recenti sunt hominum memoria, & nostro seculo acciderunt, addere libet.

In Palatinatu, in pago *Schmidtuueiser* præfecturæ Cæsaro-lautreanæ puella fuit Catharina nomine, Vietoris rusticani filia, quæ septem annis sine cibo & potu vixit, quam iussu Iohannis Casimeri, Comitis Palatini Heinricus Smetius & Iacobus Theodorus Medici 24. Nouemb. Anno 1584. & rursum eiusdem Principis iussu Iohan. Postius Medicus aulicus & Valentinus Hennerus Medicinæ Doctor 14. Aprilis Anno 1588. visitarunt, quo tempore parùm iterum edere & bibere cœpit, quorum de eius morbo & symptomatibus relationem Heinricus Smetius, *lib.* 10. *suorum miscellaneorum* inseruit. In qua notabile, quod nona hebdomade

intensissimi

intenſiſſimi dolores eam vexauerunt, & quod craſſam lentámque pituitam, quantam oui gallinacei teſta dimidia capere poſſet, admiſto ſanguine euomuit; & quod intra ſex annos ſemel ſaltem octauâ horæ parte dormiuit. Genuenſes etiam Medici referunt, Anno Chriſti 1601. puellam quandam Pedemontanam, 22. circiter annos agentem, hilarem, agilem Genuam tranſlatam fuiſſe, & cuſtodiæ traditam, deprehensúmque nihil præter aquam eam ingeſſiſſe, & ita plurium annorum jejunium toleraſſe.

Puellam Mœrſenſem vltra annos 29. ſine cibo vixiſſe, refert Guilielmus Fabricius, *cent.* 5. *obſ.* 35. Narratio autem hæc eſt: Anno 1612. 13. Iulij, cum dictus Guilielmus Fabricius Mœrſiam veniret, agebat puella illa, nomine Eua *Flegen*, annum 37. vixeratque jam in annum 16. ſine vllo cibo & potu, ab ineunte ætate valetudinaria fuit, & perpetuis capitis doloribus obnoxia, ſtatura fuit corporis mediocri, facie pallida, extenuata. Anno 1597. poſt F. Paſchatos, qui fuit ætatis 21. paulatim ab omni cibo & potu abhorrere cœpit, ita vt intra anni ſpatium potulenta omnia planè auerſata ſit. Primo inde quinquennio quolibet tertio die circa ortum Solis ſe ſplendido quodam lumine circumfundi, & mellita quadam ſubſtantia linguam atque os irrorari, ſeque inde refocilari ajebat. Cum etiam anno 1612. 11. Octobris in hortum ad preces fundendas deſcendiſſet, apparitiones varias habuit. Calor externarum partium erat temperatus, pulſus languidus, obſcurus & ferè nullus, interim ordinatus. Incedebat in publicum, ſed innixa baculo. Vixit adhuc ſine omni cibo ac potu Anno 1619.

Notiſſima etiam eſt Apollonia Schreieriana, puella nata in oppido Gats ditionis Bernenſis, quæ primo ſenſim panis, deinde ciborum aliorum omnium appetitum amiſit, & juſculis tantum nutrita paulatim illorum etiam vſum abhorruit, & tandem ſaltem aliquot cochlearia vini aquâ diluti aſſumens & ejus vſum poſtea reſpuit, atque ita aliquot menſes ſine cibo & potu vixit. Fama ad Senatum Bernenſem delata, juſſit is & matrem & filiam adduci & in Xenodochio vrbis cuſtodiri & obſeruari, num mater filiæ quid clanculum porrigeret. In quam rem cùm omni diligentia inquiſitum eſſet, cognitum tandem, eam ſine alimento viuere. Fuitque in Heluetia circa Annum 1600. & ſeqq. à pluribus viſa, ejúſque hiſtoriam edidit D. Paulus Lentulus. Notabile in ea hoc, etiamſi muſcæ, quarum in hypocauſto, vbi illa jacebat, magna erat copia, per faciem aliáſque corporis partes denudatas oberrarent, illas tamen nullo modo ſe percipere, imò ne tempore hyemali ſe à frigore magnopere lædi affirmauit. In hoc ſtatu perſtitit vſque ad annum 1612. vbi circa feſtum natiuitatis Chriſti appetitus paulum redire cœpit, pedetentim coctio in ventriculo, hepate aliiſque partibus perfici, abdomen, quod antea extenuatum & induratum erat, rurſum emolliri & eleuari, excrementa per conſuetas vias iterum excreuit, muſculorum robur recuperauit, & quæ vltra 10. annos à cibo & potu abſtinens inualida fuerat, motum recuperare, ambulare, aliáque negotia perficere cœpit. Mentis tamen operationes, quæ per totum inediæ tempus integræ fuerant, deprauari cœperunt & ὑωρῶσαι quadam affecta fuit.

Tandem hiſtoriam recentiſſimam, quæ ab aliis in literas relata nondum eſt, afferre libet, puellæ Halberſtadienſis, quæ annis decem ſine cibo, non tamen ſine potu vixit. Nata ea eſt Halberſtadij, Anno 1601. 21. Nouembris, patre Matthia Bornemanno. Anno 1614. menſe Nouembri in morbum, procul dubio febrem acutam incidit, qua 14. dies grauiter laborauit, morbi tempore nihil cibi ſumpſit, atque etjam, vbi ſana rurſum euaſit, cibum auerſata eſt, ita vt de die vix plus, quam nummo emeretur, ederet. Accidit poſtea, vt ad nuptias inuitaretur, vbi cum ab æqualibus ad largius edendum cogeretur, cibúmque paulò largius ſumeret, iterum per octiduum ægrotare cœpit, vt de vita ejus deſperaretur. Hinc ad finem vſque vitæ nihil cibi aſſumpſit, ſed potus loco cereuiſiam, quæ ibi coquitur, ſingulis diebus ferè ſextarium. Si verò ipſa inſcia etiam panis in cereuiſiam injiceretur, eam non bibit. Corpus quidem ſatis incrementum ſumpſit, bonique fuit coloris: Ipſa tamen fuit debilis, vt vitam ſedentariam continuò agere cogeretur. Anno 1623. menſe Nouembri, accedente terrore & mœſtitia, ob milites inſolentes, quos mater hoſpitio excipere cogebatur, vitam finiuit.

Verum hiſtoriarum ſatis eſt. Id jam agendum, vt in tam inſolitæ & admirandæ abſtinentiæ cauſſas inquiramus. *Cauſſæ longæ abſtinentiæ.* Vbi mira opinionum occurrit varietas. Primò enim nonnulli, vt breuiter ſeſe abſoluant, & ne in cauſſis inueſtigandis laborare cogantur, omnia ea, quæ hactenus narrata ſunt, pro fabuloſis habent, & multos ſimulaſſe potius, quam reuera præſtitiſſe iſtam inediam dicunt. Et quod Epimenidem in ſpecie attinet, Plinius, cujus tamen ſcripta rebus mirabilibus & fabulis ſimilimis refertiſſima ſunt, quod de illo fertur, eum puerum æſtu & itinere feſſum 57. dormiuiſſe annis, rerum faciem mutationémque mirantem, veluti poſtero exporrectum die, pro vero venditare non audet, ſed magna fabuloſitate tradi ſcribit, *lib. 6. Natural. Hiſtor. cap.* 52. *An quæ longa abſtinentiæ habentur exempla, omnino fabuloſa ſint?* Et Ariſtoteles, *lib. 4. Phyſic. cap.* 11. ea, quæ de iis, qui in Sardo ad Heroas diu dormiuiſſe dicuntur, in fabulis narrari ſcribit: neque res ipſa rationi conſentanea videtur. Cum enim vita ſine calore naturali conſiſtere non poſſit, qui in humido radicali conſiſtit, calor verò hic humidum innatum depopuletur & id proinde neceſſario inſtaurandum ſit: Omnino conſequi videtur, ſine cibo vitam conſiſtere non poſſe. Verùm enim verò ſit ſanè, vt fabuloſa quædam hiſce admiſceantur, & apud Poëtas præcipuè & fabularum Scriptores talia quædam occurrant, in quorum veritatem, quia remotis longè ſeculis accidiſſe dicantur, inquirere fas non eſt: tamen & noſtra & patrum & auorum memoria plurimæ hujus rei extant hiſtoriæ, vbi ipſius magiſtratus juſſu omni diligentia & cautione adhibita in rei hujus veritatem inquiſitum eſt, eamque ita ſeſe habere certiſſimè compertum. Quapropter res multorum fide dignorum teſtimonio confirmata, in dubium non vocanda, ſed cauſſa potius quærenda, quo modo cum tàm diuturnâ inediâ calor innatus & vita conſiſtere poſſit.

Secundò ſunt alij, qui etiam ſeſe breuiter expediunt, & ad miraculum confugiunt; & cum Hippocrates, *lib. de principiis* ſcribat; hominem ſi 7. diebus nihil comedat, moriturum, & Plinius id ad 11. diem extendat, exiſtimant, ſi qui vltra id tempus jejunium tolerauerint, id virtute diuina præſtitiſſe, idque probant exemplo Moſis, Eliæ Prophetæ, hiſtoria ſeptem dormientium, & Ludouici Pij Galliæ Regis, qui vltimis 40. vitæ diebus poſt ſumptum SS. Euchariſtiæ Sacramentum ab omni cibo & potu abſtinuit, vt & Nicolai Heluetij Eremitæ & aliorum quorundam vitæ ſanctimonia clarorum. *An in reddēdis diuturnæ abſtinentiæ cauſſis ſtatim ad miraculū confugiendū ſit?* Et omnino fatendum eſt jejunium illud Moſis, Eliæ, 7. dormientium miraculoſum fuiſſe, neq; negandum, Deum O.M. idem omnipotente virtute præſtare potuiſſe & poſſe: Verum in cauſſis rerum reddendis non ſtatim ad Deum cauſſam ſupremam recurrendum, neque credendum, Deum ſine cauſſa miracula edere. *Deus non edit miracula ſine cauſſa.* Ideóque in iis, qui vitæ ſanctimonia non excelluerunt, nec aliud quid diuini præ ſe tulerunt, jejunium hoc ad diuinam potentiam non referendum, neque credibile puellâ illâ Pedemontanâ, quę Genuæ ad cytharâ choreas ducere & canere conſueuerat, vt & alios plurimos, imò etiam Ethnicos, in quibus nulla miraculi cauſſa ſubfuit, diuina virtute ſine cibo cõſeruatos fuiſſe.

Tertiò eadem ratio eſt illorum, qui ab angelis bonis talibus hominibus clam, & aliis non animaduertentibus cibum ſuggeri aſſerunt. *An ad Angelos bonos in cauſſa reddenda confugiendum?* Etenim cum boni angeli nihil, niſi quod ipſis à Deo Opt. Max. mandatur agant,

nondum probatum, Deum tale quid ipſis injunxiſſe. Et,vt ante dictum,inter eos,qui à diuturna abſtinentia clari ſunt & Ethnici fuerũt,& alij,in quibus nihil ſingulare & quod miraculum requirere debuiſſet,apparet.

*An illa corpora,quæ diu abſtinuerũt, reuera fuerint viuẽtia?*

Quartò, ſunt nonnulli in ea opinione, ea corpora, quæ diu ab omni cibo abſtinuerunt,non fuiſſe verè viuentia,ſed cadauera à Dæmone aliquo aſſumpta & mota. Verum enim verò etſi non negemus,Diabolum cadauer aliquot diebus à putredine præſeruare poſſe, & tale cadauer etiam Louanij ex ædibus Cornelij Agrippæ in forum deduxiſſe,*de conſenſu & diſſenſu Chymicorum cum Galenicis c.*18. dictum ſit; tamen in iis, qui diu ſine omni cibo & potu vixerunt, id factum non fuiſſe,eorum actiones ſatis teſtantur.Et inprimis, quod obſeruatum, fœminas quaſdam ex iis poſt diuturnam abſtinentiam iterum cibum ſumpſiſſe, nupſiſſe & liberos procreaſſe.

*An à Dæmone fuerint obſeſſæ?*

Quintò,ſunt alii,qui quidem talia corpora cadauera non eſſe, ſed verè viuentia concedunt, ſed à Dæmone obſeſſa eſſe ſtatuunt, cujus ope jejunium tam diuturnum ferant, qui clanculum ipſis cibum in corpus inſinuet,etiam ipſis non animaduertentibus, & clam quoque excrementa tollat. Ita Proſper Aquitanicus.*lib.de promiſſ.& prædeſt.cap.*5.refert,juuenem quandam Arabam, quæ Carthagine à Dæmone obſeſſa fuerat, tres ferè menſes jejunaſſe,& tandem ſumpto SS. Euchariſtiæ Sacramento liberatam fuiſſe,& retuliſſe, noctu ab aue liquorem quendam in fauces ſibi inſtillatum fuiſſe. Et quidem negandum non eſt, homines à malo ſpiritu obſeſſos diu jejunium ferre poſſe, Dæmone vel clam cibum ſubminiſtrante, vel alio modo corpus ſine cibo conſeruante: quod tamen omnes diu abſtinentes obſeſſi fuerint,nulla ejus habentur indicia, imò plurimas ex iis precibus, lectioni SS. Literarum, & aliis pietatis exercitiis deditas fuiſſe, ex ipſarum hiſtoriis patet. Et licet Dæmon, qui homines obſidet, ſæpe diu latet: tamen tandem ſeſe prodit, quod in his non factum. Et cum quædam animalia tota hyeme ſine cibo viuant, cur non etiam in hominibus diuturnæ abſtinentiæ cauſſa naturalis dari poſſit?

*An peculiares cœli influxus huius abſtinentiæ cauſſa ſint?*

Sextò ſunt,qui cauſſam diuturnæ abſtinentiæ ad peculiares cœli influxus referunt. Cum enim certum ſit, cœlum in hæc inferiora non ſolum lumine & motu, ſed & occulta influentia agere, & multas rerum multarum cum cœlo ſympathias eſſe, etiam hujus mirandi effectus cauſſam in cœlum referendam putant. Verum enim verò non negandum cenſemus,cœlum etiam occulto modo & influentia in hæc inferiora agere, & quidem non ſolum vt cauſſam communem hæc inferiora afficere,verùm ſingulorum etiam hominum temperamentum à cœli influxu determinari: tamen hiſce omnibus conceſſis,cœlum non eſt proxima hujus diuturnæ abſtinentiæ cauſſa, ſed ipſum corporis temperamentum &conſtitutio,quæ qualis ſit,& à quo cœli influxu eâ fiat,& cur tam rari ſint,qui hanc inediam ferre poſſunt, nondum explicatum. Imò ſi hiſtorias plurimorum, vt puellæ illius in pago *Schmidtvveiler*, & Apolloniæ Schreierianæ, & puellæ Halberſtadienſis perpendamus, abſtinentia iſta non à naturali corporis conſtitutione, ſed morboſa & præternaturali prouenit.

*An occultæ qualitates eius cauſſæ ſint?*

Septimò reperiuntur, qui ad occultas proprietates confugiunt, & quidem eas, quæ indiuiduis propriæ ſunt,qui prolixè & multis exemplis adductis probant, dari multas rerum ſympathias,quæ ad cauſſas manifeſtas reduci non poſſunt, ſed procul dubio ab occultis qualitatibus dependent, vt quod alij caſeum, alij poma, alij vinum auerſantur, alij felis præſentiam ferre non poſſunt. Et omninò verum eſt, dari tales occultas qualitates, & operam ludunt, ac deridendos ſe propinant,qui omnium,quæ in natura accidunt,cauſſas ad qualitates primas referre conantur,vt alibi plurib.probaui. Verum hoc loco ad talem indiuidualem proprietatem recurri non poſſe vel ex eo patet, quod nemo eorum, qui diu jejunarunt, toto vitæ tempore jejunauit. Ideoque potius ad cauſſam præternaturalem,quam congenitam indiuidualem proprietatem hic recurrendum. An verò in illa ipſa cauſſa præternaturali aliquid occulti ſit,poſtea dicetur.

*An conſuetudo diuturnæ abſtinentiæ cauſſa eſſe poſſit?*

Octauò,inueniuntur,qui iſtam diuturnam abſtinentiam in conſuetudinem referunt, quâ habitum quaſi contraxerint, quo diu abſtinentiam tolerare poſſint. Cum enim compertum ſit,medicamentis, imò veneno quoſdam ita aſſueuiſſe, vt ejus vſu nullo modo læderentur,ſicut de puella illa Napello nutrita hiſtoriâ narratur, & Galenus, 3.*de ſimpl. med.facult.c.* 18.refert, anum Athenienſem ab exigua portione cicutæ incipiendo magnam eius portionem poſtea ſine damno deuoraſſe:Exiſtimant etiam impoſſibile non eſſe,hominem conſuetudine eò adduci poſſe,vt diu inediam tolerare poſſit, & occurrunt exempla in hiſtoriis eorum, qui ſitim tolerare aſſueti, in tota vita poſtea amplius non biberunt. Et Cardanus refert, quendam Leonhardum Pictorienſem ſenſim eò ſe traduxiſſe,vt ſemel tantum in hebdomade cibum ſumeret;Iuuenémque Scotum aſſuetum fuiſſe vſque ad 20. vel 30.dies inediam tolerare. Verum conſuetudinis maximam quidem vim eſſe certum eſt; non tamen in omnibus locum habet, ſed certa ſaltem opera ſunt, in quæ jus habet conſuetudo. Etenim in ſenſus actiones nullam poteſtatem habet, neque quis poteſt aſſueſcere, vt non olfaciat, ſentiat, vel non reſpiret: in quo genere etiam eſt nutritio. Neque quis conſuetudine efficere poteſt,vt non nutriatur vel augeatur,& proinde etiam aſſueſcere non poteſt, vt nutrimentum corpori nutriendo & augendo neceſſarium non aſſumat & ſine vllo cibo viuat. Etſi qui parcè viuere aſſueti ſunt, diutius, quam alij voraces,famem tolerare poſſint. Aſt ſi hiſtorias eorum, qui diu ſine alimento vixerunt,perpendamus, animaduertemus,pleroſque & ferè omnes non conſuetudine inediæ tolerantiam contraxiſſe, ſed nonnullos ſubitò & repentè ab omni cibo & potu abſtinuiſſe, plurimos etiam eorum ad priſtinum edendi vſum ſine damno rediiſſe: Cum quæ longiore conſuetudine in habitum quaſi abierunt & confirmata ſint,facilè mutari non poſſint. Longè verò alia ratio eſt eorum, qui venenis ſunt aſſueti. Venena enim talia è plantis petita(nam vt metallicis illis,quæ nihil habent alimenti, homo aſſueſcat,fieri non poteſt,) cum partes quaſdam habeant admixtas,quæ corpori alendo aptæ ſunt, ſi exigua quantitate ſumantur,vincuntur à calore corporis, & portio alimentaris quidem in nutrimentum corporis abit,venenatum verò è corpore ejicitur,quæ tamen aliquantiſper corpus alterat,quæ alteratio ſæpius repetita latenter corpus pro ſuæ naturæ ratione diſponit, vt poſtea etiam in majore copia ſumptum venenum corpori amplius non noceat.At ſine alimento viuere,cum naturæ corporis planè & abſolutè repugnet, nulla conſuetudine ad id homo deduci poteſt.

*Quam ob cauſſam homines venis aſſueſcere poſſint?*

*An aëre nutriti fuerint, qui diu abſtinuerunt?*

Nonò, Plurimi, ijque non vulgares Philoſophi & Medici in ea ſunt ſententia,eos,qui diu ſine cibo vixerunt,aëre,quem inſpiramus,nutritos fuiſſe;etſi eo non puro,ſed cum aliis elementis mixto. Cum enim corpus noſtrum triplici ſubſtantia conſtet,ſolidis partibus,humoribus & ſpiritibus, triplici etiam alimento id egere, cibo,potu,aere.Et ſi accidat,aut vi morbi alicujus calor ita debilitetur, vt ſolam tantum aëream ſubſtantiam diſſipare poſſit tunc etiam ſolum aërem ad corpus nutriendum & reficiendum ſufficere. Atque hujus rei documentum afferunt Chamæleonem qui referente Plinio, *lib.8.cap.* 33. hiante ſemper ore ſolus animalium nec cibo nec potu alatur, nec alio, quam aëris nutrimento nutriatur.Quod etiam de cane leui apud Indos ferunt, & vt apud Scaligerum, *exerc.* 228. & 229. *ſect.*2. videre eſt, auem illam Indicam apodem, vulgò Manucodiatam, incolis etiam auem paradiſi dictam,

quia

quia primum ex incompertis locis deciduum Mahumerani sacrificuli paradiso Molucarum Regi olim missam esse, imperitis persuaserunt, perpetuò in aëre viuere, nec terram vnquam nisi mortuam contingere scribunt. Verum etsi hoc loco de nutritionis caussis & alimenti necessitate nonnulli multa disputant; iis tamen omissis, hoc, quod ab omnibus concessum, præsupponimus, nutritionem esse conuersionem alimenti in corporis nostri substantiam, & proinde alimentum corpori nutriendo simile esse debere, atque ita non solum spirituum refectione, quam per aërem fieri posse sanè jam admittamus, corporis nostri nutritionem absolui posse, sed solidiori alimento opus esse. Et cum sanguis solus sit totius corporis nutrimentum, aërem, siue vt simplex, siue vt impurus consideretur, in sanguinē mutari non posse, & ita ad nutritionem, qua totum corpus conseruari debet, non sufficere. Illa enim solum ad animalium corpora nutrienda apta sunt, quæ sunt perfectè mixta, & quidem non omnia, sed solum vel partes vel fructus animatorum. Quæ verò ad istam sententiam probandam de Chamæleone afferuntur, longè aliter sese habent & qui diligentius in hujus animalis naturam inquisiuerunt, animaduerterunt, vt Scaliger, *Exerc. 196. sect. 4.* refert, animal hoc habere linguam sesquipalmum longam, exsertam & vibratam mucóque oblitam, qua locustas, muscas, formicas, scarabæos & alia insecta capiat ijsque alatur. Eadem ratio est canis leuis apud Indos, qui cum sit animal pingue admodum ac tardissimi motus, non credibile est, ipsum aëre ali, sed etiam insectis, quibus aër ille est refertissimus. Ita nec Manucodiatam aëre solo viuere credibile est; nec sufficit, quod Scaliger scribit, qui dedit illi aërem pro cibo, dare potuisse concretionem aëris ad cibum. Neque enim quid Deus possit, hic quæstio est, sed qua ratione Deus hanc naturam constituerit? Is animalibus sua corpora dedit, eaque similibus ali voluit, non puris elementis. Quapropter & apodibus Molucanis linguam dedit, quam & Brasilicas habere credibile est. Habent & ventriculum, qui non aëris caussa factus. Neque simpliciter sunt Apodes.

*...on solo aë- ...alitur ...amaleon, ...nis leuis ...dorum, & ...anucodia-*

Decimò. Cum ergo alij viderent, minus probabile esse, animalia aëre simplici ali posse, statuerunt, istos, qui diu sine cibo vixerunt, odoribus seu exhalationibus, quæ aëri permiscentur, nutritos fuisse. Ex corporibus enim sublunaribus perpetuò ἀπορροίας & effluuia fieri certum est, patetque id maximè in rebus odoratis, quæ continuè odorem spirant, qui plerumque cum exhalatione & corpore vaporoso conjunctus est. Et quidem exhalationes eæ non saltem sunt corpora imperfecta mixta, sed exactissimè mixta, corporisque ejus naturam, à quo exhalant, referentia. Imò nihil aliud sunt ejusdem exhalationes; quam corpora mixta, in minimas atomos sui generis resoluta. De quibus Lucretius;

*...exhala- ...ibus nu- ...ifuerint?*

> *Vsque adeo omnibus ab rebus res quæque fluenter*
> *Fertur, & in cunctas dimittitur vndique partes,*
> *Nec mora nec requies inter datur vlla fluendi.*

Hos ergo vapores, si cum aëre, quem inspiramus, attrahantur, & ejus calor sit analogus, in sanguinem, è quo totum corpus nutriatur, conuerti putant. Imò existimant, extra corpus humanum tales vapores in materiam corpori alendo aptam, in rorem scilicet, quo cicadæ nutriantur, teste Aristotele, *5. de histor. animal. cap. 30.* Mannam, quæ non solum est medicamentum sed & alimentum; mel, quod è floribus apes legunt, quodque homini optimum alimentum suppeditat mutari. Atque ad hujus probationem afferunt exempla canis leuis Indiæ Occidentalis, & Manucodiatæ, quorum etiam antea facta est mentio, & præterea Pyraustæ animalis pennati, paulò muscis majoribus grandioris, quod vt Aristoteles, *5. de Histor. anim. cap. 19.* refert, viuit in ærariis Cypri fornacibus inter flammas; vt & Democritij Abderitæ, qui teste Diogene Laertio, *in eius vita*, cum jam morti proximus videretur, merentem sororem, quod ipse in festo Cereris moriturus impediret, ne vota Deæ exsoluere posset, bono animo esse jussit, panésque calidos sibi quotidie afferri mandauit, eósque naribus admouit, & ita toto triduo, quo festum Cereris durauit, vitam sustentauit. Et videmus in Lipothymia spiritibus deficientibus nihil hominem citius reficere, quam odores. De quo Hippocrates *lib. de alimentis*; quicunque veloci refectione opus habent, his humidum ad vires reficiendas remedium optimum, quicunque adhuc velociori indigent, per olfactum.

Verum sit sanè, aërem istum, in quo viuimus, nunquam planè purum esse, sed exhalationibus permixtum: tamen exhalationes illæ aëri permixtæ corpori nutriendo non sufficiunt. Cū enim, quod antea dictū, totius corporis nutrimentum sanguis sit, sanguis verò in hepate è chylo generetur, exhalationes autem illę in sanguinem conuerti non possint, etiam corpus nutrire non valent. Et si cor sufficeret ad vapores hosce in sanguinem mutandos, cur non vbiuis multi viuunt, qui cibis abstinent, & solis istis vaporibus nutriuntur? Et quod odores alendi vim non habeant, pluribus ab Aristotele, *de sensu & sensili cap. 5.* & Interpretibus in eum locum demonstratum est, quæ breuitatis studio hìc non affero. Quod verò exempla illa attinet, quibus probare conantur, exhalationes illas etiam extra corpus animalium in materiam alendo corpori idoneam mutari, & primò quidem rorem, quo cicadæ alantur, saltem vulgi sententiam, Aristoteles, *5. Hist. animal. cap. 30.* refert, & Virgilius recitat, dum canit:

> *Dúmque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ;*

Ipse verò Aristoteles, dum è sua sententia loquitur, *4. de part. animal. cap. 5.* docet, cicadas habere partem in vsum tum oris tum linguæ aptissimè constitutam, qua veluti radice cibum ex humoribus trahat. Aluntur nimirum cicadæ mistura ex rore & excremento quodam quasi melleo arborum constante. Vnde etiam Aristoteles, *5. Histor. animal. cap. 30.* cicadas non oriri docet, vbi arbores desunt. Eadem ratio est mannæ & mellis. Nam vt de Manna, quâ Hebræi quadraginta annos in deserto vixerunt, jam non dicam, vtpote quod non à caussis naturalibus, sed solius Dei infinita potentia prouenisse multa testantur, vulgare manna ex solo rore non constat. Etenim ros calore non concrescit, sed attenuatur & in auras abit; Manna verò calore coquitur, & mistum corpus est ex rore & humore quodam è plantis quibusdam exsudante. Etsi enim & super lapidibus quibusdam concrescit: tamen in iis non immediatè generatur, sed ex herbis & arboribus in eos decidit; imò manna ex arboribus quibusdam resudat, refertque Iohan. Baptista Porta, *in sua Villa lib. 6. cap. 5.* in quibusdam locis emanare manna ferè melleum. Et in Calabria præcipuè in ornis & fraxinis colligitur, quarum frondibus adhæret. Imò si vespere ornus & fraxinus linteo tegatur, ne rorem excipiant, nihilominus manna ex iis colligitur. Eodem modo sese de melle res habet. Neque enim illud ex solo rore constat, sed est liquor è rore & vapore ac humore è stirpibus & floribus exsudante mistus, ab apibus collectus & in mel mutatus. Quanquam enim, vt Galenus, *3. de alimen. facult. cap. 39.* hac de re pluribus scribit, etiam mel sub plantarum foliis colligitur, & in monte Libano agricolæ coria supra terram extendunt arboréque excutiunt, & quod ab eis defluit excipiunt, & ollas ac fictilia melle illo, quod roscidum appellant, implent: tamen mel illud non est ros, sed vapor è plantis in altum eleuatus, mellis naturæ cognatus, qui in aëre condensatus super plantarum folia decidit, & quia non purus est, sed etiam aliquâ acrimonia præditus, plantarum folia corrumpit. Manucodiatas & canem leuem Indicum solo aëre aut vapore non ali, antea dictum.

dictum.Pyraustas quod attinet,etsi in flammis viuant, tamen & in iis materiam suo corpori alendo aptam inueniunt,ex lignis accensis.Et sit sanè,animalcula quædam imperfectiora vaporibus in aëre eleuatis ali:tamen non sequitur,etiam hominem iisdem nutriri posse.Etenim homo animalium perfectissimum,ideóque etiam alimento maximè elaborato indiget, nec ipsi omnia, quæ aliis animalibus alimentum præbent, id præstare possunt. Democritus vero Abderita licet in extrema senectute constitutus & calore naturali & spiritibus jam deficientibus odore panis calorem influentem jam emorientem, spiritúsque deficientes nonnihil refocillarit, atque ita quatriduum vitam protraxerit: tamen non sequitur, per multos menses & annos idem fieri posse. Eadem ratio est in Lipothymia refectionis illius subitæ, de qua Hippocrates, in qua vinô & aliis rebus odoratis & spirituosis tum haustis tum naribus admotis spiritus deficientes recreantur:Non verò hoc modo vlla vera nutritio perficitur,qua homo in plures annos vitam protrahere possit.

*An aqua simplicis potu abstinentes vitam produxerint?*

Vndecimò sunt,qui vno simplicis aquæ potu abstinentes illos,de quibus agimus, vitam produxisse opinantur. Atque ad id probandum vtuntur eo,quod non solùm plantæ, sed & animalium multa genera ea nutriantur. De plantis enim res manifesta est,quod aquâ irrigatæ crescunt & augentur sine terræ,in qua hærent, vt putatur, imminutione. De piscibus etiam scribit Aristoteles, 3.*de part.animal.cap.*8.eos aquam assumere,non potus, sed cibi gratia. Et puella illa Spirensis Ferdinandi Imperatoris tempore solius aquæ vsu aliquot annis vixit. Etenim aqua illa, quâ vtimur, non elementum simplex est, sed aliorum alimentorum aliquid admixtum habet, & propterea ad alendum incommoda non videtur.

Verum enim verò etsi negandum non est, etiam ad corporis nostri, vt perfectè mixti, constitutionem aquam requiri: tamen aqua simplex hoc non præstat, sed quæ jam pars est perfectè mixti.Simplex verò aqua non cedit in nutrimentum corporis, sed inseruit tantum ad calorem refrigerandum & est ὄχημα τροφῆς & vehiculum, quo alimentum commodius per vniuersum corpus distribuitur. Corporis enim nostri nutrimentum mixtum est corpus & in corporis nostri substantiam, cujus forma est anima, mutari debet. Et propterea potentiam habeat necesse est ad inducendam formam corporis viuentis; quale mistum non est aqua,etiamsi impura sit.Et omnino si aqua corpori alendo vtilis esset, impura & crassa conuenientior esset;cum tamen certum sit,quò purior aqua est, eò ad cibos coquendos esse conuenientiorem. Quod verò ea attinet, quæ ad contrarium probandum afferuntur, id non euincunt. Primò enim sit, vt aliquis eorum, qui diu sine alimento vixerunt, solam aquam biberit: tamen contrà plurimi sunt, qui nec aquam biberunt Et licet vna illa puella Spirensis aquam biberit: tamen eam in alimentum cessisse nondum probatum.

*Plantæ sola aqua nō nutriuntur.*

Plantæ verò sola aqua non nutriuntur, sed radicibus succum è terra mistum attrahunt,cui aqua tantum vehiculi loco est, ideóque plantæ sine terræ imminutione non aluntur.Et propterea stercoratione opus est, quæ nisi fiat, plantæ commodè ali & conseruari non possunt. Eadem ratio est piscium, qui non aqua pura nutriuntur, sed crasso quodam ac limoso succo, qui ad fundum subsidet,vel aquæ permistus est.

*An terrâ clā ingestâ vitā sustētarint?*

Duodecimò sunt quidam,qui tales, qui diu sine cibo vixerunt, terrâ clam ingestâ vitam sustentasse putant. Compertum enim est, sæpè infantes & grauidas terram ac cretam auidè comedere; & Aristoteles, 8. *de histor. animal.* lupos fame cruciatos terram deuorare,& propterea γεωφάγους appellari scribit; & serpentes ac bufones terra ali vulgò fertur. Et Monardes, *lib. 2. de med. Indiæ Occidentalis*, refert, reperiri apud Indos animalia, nomine Armadilli & Cadart, quæ in terra veluti talpæ degentia terra nutriantur.

Verum enim verò nec hoc cum experientia consentit. Cum enim plurimi ex iis,qui diu vixerunt sine alimento, diligenter custoditi sint, non animaduersum, eos vel terram ingessisse. Deinde licet compertum sit, infantes & grauidas terram,cretam & similia ingessisse: tamen ea nullo modo cesserunt ipsis in alimentum, aliisque cibis nutriti sunt.Quæ verò exempla afferuntur animalium,quæ terrâ vesci dicuntur,non satis clara sunt, neque extra dubium; cum & illa animalia plantis vescantur. Et sit sanè, quod animalia quædam ignobiliora terram vorent,ea tamen propterea homini alimentum esse non potest.

*Eorum, q… in ipso hom… ne huius … caussam qu… runt, sente… tia.*

Atque hi autores omnes materiam, qua ij, qui cibo & potu vulgari omni diu abstinuerunt, nutriti sint, extra hominem quæsiuerunt: Sunt jam alij, qui eam in ipso corpore hominis reperiri putant.

*An pituit… in corpore … dundans … stinentia l… ga caussa sit?*

Decimotertiò enim sunt non pauci, qui diuturnæ hujus abstinentiæ caussam,in pituitam crudúmq; succum in corpore redundantem rejiciunt, statuúntque, vbi in corpore calor est debilis,multum crudi humoris & pituitosi succi generari & cumulari,qui cum à calore debili non nisi sensim & longo tempore absumi possit, homini diu ad corpus nutriendum sufficere, atque ita illum diu sine aliorum ciborum vsu viuere posse, præsertim si cutis densitas accedat, ob quam parum exspirat, idemque ipsis accidere, quod animalibus, quæ hyeme latent,& sine cibo menses aliquot viuunt.

Verum enim verò nec hæc opinio veritati consentanea est. Etenim non omnes, qui diu sine cibo vixerunt, pituitosi fuerunt, & crudo ac pituitoso succo abundarunt.Cum enim qui crudo succo abundadant, præcordia inflata, & totum corpus tumidum habeant, in plerisque nihil tale conspectum est, sed plerique ventrem contractum & totum corpus emaciatum habuerunt, & plerique post febres acutas in hunc morbum lapsi sunt,& potius melancholici,quam pituitosi humoris signa adfuerunt;cum puellæ pleræque taciturnæ ac meticulosæ fuerint, atque etiam delirarint. Et si pituitosus humor cum calore debili caussa hujus mali esset, plerique senes diu sine cibo viuere deberent, cum pituitoso succo abundent,& calorem debilem habeant.Neque ex voracitate & ingluuie in hunc morbum inciderunt, sed ex aliis caussis, & præcipuè morbis acutis. Neque etiam cutis eorum frigore occlusa fuit, vt animalibus nonnullis tempore hyberno accidit. Atque in cæteris etiam longè alia est ratio brutorum animalium, quæ tempore hyberno à cibo abstinent. Hæc enim animalia ad menses tres vel quatuor ad summum cibum non sumunt.Et fieri potest,vt tantam crudorum succorum copiam antea congerant,quę ad alendum ea per mensem vnum atque alterum sufficiat, præcipuè accedente frigore hyberno, quod calorem debilitat, ne potentius in corpus animalis agat, porósque claudit, ne multum diffluat. At longa alia est ratio hominum, qui pluribus annis à cibo abstinuerunt, & nihil tale,qualia bruta quædam tempore hyberno,passi sunt.

*An colli… menta q… dam parti… internar… abstinen… caussa fi…*

Decimo quartò fuerunt, qui corporis nutrimentum in diu à cibo abstinentibus in colliquamentis quibusdam partium internarum quæsiuerunt, statuerúntque, colliquari posse non solum adipem, seu pinguedinem, sed & humiditates illas secundarias, per partium substantiam dispersas,nondum tamen illis oppositas: imò ipsam partium substantiam, atque talia colliquamenta in sanguinem, è quo primum generata sunt, mutari, probántque id eo, quod illi, qui diu à cibo abstinent, emaciantur, & inprimis venter eorum extenuatur, pinguedine, quæ in eo plurima est, planè absumptâ.

Verum etiamsi à vero alienum non sit,tales colliquationes

tiones in corpore humano fieri:tamen id, quod colliquatur,non in ventriculum confluit,& in chylum, atque ex hoc in sanguinem mutatur, sed vel per ambitum corporis & cutem, seu sensibiliter seu insensibiliter discutitur,vel in ventrem confluit,& per aluum excernitur. Et licet in inediâ pinguedo absumatur;tamen hoc non ideo fit,quod in reliquarum partium substantiam mutetur:sed quia facilis est dissipatu,citissimè,nisi continuo per alimentum instauretur,absumitur.

*..humor ..lancholi- .. huius rei ..ssa sit.* Decimoquintò, Alij ad humorem melancholicum abstinentiæ caussam referunt, historiisque abstinentium suam sententiam probant. Scotus enim ille, qui quadraginta diebus in turri Londinensi clausus sine omni cibo viuebat,erat melancholicus & fatuus, & ex Alberto Magno referunt fuisse melancholicum, qui diebus pene 50. ab omni cibo abstinuit,solo aquæ potu contentus.

Et vt Brassauolus,3. *de vict.rat.in acut.text.*44. scribit, quod Philippus Riminaldus, qui per multos dies ab omni cibo potuque abstinere consueuerat, succo melancholico erat refertissimus;& plures puellæ, quæ sine cibo diu vixerunt, delirârunt & Epilepsiam passæ sunt; nonnullæ etiam ex metu in hoc malum conjectæ sunt.

Verum etsi simpliciter in Melancholiam diuturnæ abstinentiæ caussa referri non possit, cum multi sint melancholici, aut qui melancholico humore abundant,nec tamen à cibo abstinent, quin potius nonnulli voraces sunt: tamen veri etiam aliquid hæc sententia includit, cum certum sit, omnes penè, qui diu à cibo abstinuerunt,humore melancholico abundasse.

Verum cum affectus determinati determinata caussa quærenda sit, qua ratione ad affectum hunc producendum melancholicus humor concurrere possit, postea dicemus.

*..tunij Li- ..i sententia.* Tandem præ cæteris prolixè & operosè de hac affectione scripsit Fortunius Licetus, Professor Patauinus clarissimus, quatuor libris *de his,qui diu viuunt sine alimentis*, editis. In quorum tertio, vbi suam sententiam explicat, probandum suscipit,in talibus omnibus, qui diu sine alimento vixerunt, nutritionem corporis cessasse. Cessare autem posse nutritionem in corpore viuente probat, seminibus plantarum, quæ diu viuentia & vegetantia sine nutritione conseruantur; ouorum, quæ etjam diu sine nutritione integra manent; ramorum arborum,radicum & bulborum,quæ etiam diu sæpe integra & viuentia sine nutritione seruantur; imò plantarum,quæ tota hyeme à nutritione otiantur.

*.. nutritio ..rpore vi.. ..e cessare ..it* Præterea animalia etiam multa longo tempore nihil cibi assumunt, vt supra multis exemplis probatum, eaque non solum imperfectiora,sed & perfectiora, vt Aristoteles habet, 8. *Histor.animal.cap.*16 Et de hirundinibus res certa est, plurimas non in Africam auolare, sed aduentante hyeme in vnam congeriem quasi colligatas,sub aquis demersas jacere,& à piscatoribus sæpe retibus earum magnam copiam pedibus, rostris, & alis mirum in modum quasi conglobatarum extractam fuisse, quæ hypocaustis illatæ reuiuiscere cœperunt. Testantur quoque Indicarum rerum scriptores in Brasilia auiculam esse, quæ rostro ex arbore suspensa sex integros menses sine pabulo viuit, & postea quasi à morte ad vitam redit,vnde Incolæ Suscitatam vocant.

Verum hæc plana sunt, & cum experientia consentiunt, neque operosa probatione indigent. Accidúntque hæc hisce animalibus secundum naturâ & singulis annis. Verū cùm homo nobilioris naturæ sit,nec,dū secundum naturam se habet, vnquam comperiatur sine alimento viuere, etiam hinc planum est, nutritionem in eo nunquam cessare posse.

*..n homi- ..am nu- ..ri fun- ..iquan- ..ssare* Probare quidem conatur Licetus etiam in homine nutriendi functionem aliquandiu cessare posse,neque necessarium esse putat,vt eâ etiam ad longū tēpus cessante vita periclitetur;Idq; tū ratione animæ, tum ratione corporis, tum ratione totius demonstrare conatur. Primò enim animâ quod attinet,cum functio nutriendi animâ posterior sit,& ab anima fluat, ipsam animam, vtpote priùs & non dependens, sine functione esse posse, & sicut homo longo tempore potest jacere & non ambulare;ita etiam à nutritionis actu cessare posse. Præterea cum homo à ratiocinationis & sensus actionibus, in quibus animæ perfectio consistit,diu cessare possit,multò magis à nutrientis facultatis actionibus, quæ ignobiliores sunt, cessare posse existimat.

Verum enim verò concedimus sanè,actiones ad essentiam animæ non pertinere,sed ab ea fluere,& eâ posteriores esse. Verùm nutritio non animæ,sed compositi, & corporis viuentis affectio est, & hoc probandum est, quod homo secundum naturam sese habens à nutritione vacare possit, vitâ, quæ, vt Scaliger, *Exerc.* 102.*sect.* 5. habet, est actus animæ in corpore, saluâ. Longè enim alia est ratio actionum facultatis ratiocinantis, sentientis & mouentis, quam nutrientis. Hæc enim ἁπλῶς & simpliciter ad vitam necessaria est, & homo sine nutritione viuere non potest: Illæ verò saltem ad τὸ εὖ ζῆν, & meliorem vitam sunt necessariæ, claudúsque & cœcus etiam homo est.

Verùm etiam ratione corporis & totius compositi, nutritionem non semper necessariam esse,sed quandoque etiam cessare posse, porrò probare conatur Licetus. Neque enim vel ad corporis augmentum, neque ad substantiæ, quæ indies deperditur, reparationem, neque ad generationem, nutritionem simpliciter esse necessariam putat. Etenim homines non solùm in senectute, & post ætatem consistentem non amplius augentur, sed & in juuentute augmentum corporis sæpe impediri certum est. Deinde etiam sine reparatione substantiæ deperditæ homines durare posse, eò probare conatur, quod in senibus non tantum apponitur, quantum absumitur, vnde contabescunt, & nihilominus multos annos viuunt,quod & iis, qui in juuenili vel virili ætate ἀτροφίᾳ laborant, accidit. Tandem etiam generatio multis annis intermitti potest. Et quidem primum & vltimum quod attinet, facilè concedimus,sine augmento & generatione vitam integram diu persistere posse. Neque enim istæ actiones simpliciter ad vitam, sed ad meliorem & perfectiorem sunt necessariæ. Et propterea etiam omnibus ætatibus non competunt. De substantiæ verò deperditæ necessaria instauratione sententia Liceti simpliciter admitti non potest. Neque enim senes & ἀτροφίᾳ laborantes planè non nutriuntur, sed minus saltem, quàm par est, vnde etiam alimentum assumunt, quo indies id, quod in iis absumitur, si non totum, saltem ex parte instauretur. Neque enim anima, vt ab aliis actionibus, quæ liberæ sunt, à nutritione cessare potest, cum necessitati naturæ hæc actio adstricta sit, vnde rectè dicitur: *Venter caret auribus.*

Si verò obseruetur hominem aliquando sine cibo præter solitum longo tempore viuere, aliquid præter naturam ipsi accidisse putandum est, ob quod instauratione nulla opus sit. Etenim sola appetitus dejectio non sufficit, sed si appetitus solùm aboleatur, & nihilominus corpus instauratione indigeat, nihil verò cibi assumatur, vires deiici, & hominem tandem de vita periclitari necesse est.

Quia verò historiis & exemplis multis supra probatum est, plurimos sine vitæ dispendio, sine cibo tempore satis longo vixisse, eos instauratione opus non habuisse colligitur. Cujus rei quæ caussa sit, jam inuestigandum. Quod vt commodius fiat, principiò explicandum, quæ sit necessitas alimenta assumendi. *Caussa vera, cur nonnulli diu sine alimento vixerint?*

Vulgata sententia est,ideo id fieri,vt quod quotidie à calore absumitur,instauretur & reponatur.Fortunius *Cur alimēta necessaria sint?*

Licetus

Licetus verò aliud sentit, statuítque, alimentis ideo opus esse, vt calor natiuus à celeri consumptione humidi primigenij auocetur. Verùm parum rectè. Etenim alimentum non saltem ideo assumitur, vt objectum præbeat calori natiuo, in quod agat, atque vt is ab actione in humidum primigenium auocetur, sed reuera alimentum in locum ejus, quod absumitur, reponitur, & in corporis substantiam mutatur: Vnde etiam augmentum fit corporis, & ex infante corporis mole paruo homo in ætate adulta in magnam staturam excrescit, & qui in morbis extenuati sunt, iterum augentur, & sæpe crassiores, quàm antea fuerunt, euadunt. Si enim saltem calor natiuus in alimentum ageret, idque absumeret, illud corpori non apponeretur. Ideóq; cùm alimentum eo præcipuè fine assumatur, vt id, quod quotidie absumitur, instauretur, & non possibile sit, si quotidie aliquid absumatur, nihilque in ejus locum reponatur, hominem viuere posse, & nihilominus compertum sit, quosdam sine cibo diu vixisse: hoc jam inuestigandum est, quæ caussa fuerit, cur in talibus nullâ instauratione opus fuerit. Rectissimè autem hîc respondetur, hoc ideo factum, quia nihil absumptum fuit, aut certè non nisi longo tempore aliquid absumptum fuerit. Atque ita primaria quæstio in hac controuersia hæc emergit, cur in nonnullis corporibus nihil discutiatur, aut absumatur, vt nullo alimento, quo aliquid deperditum instauretur, opus sit. Nonnulli quidem duas caussas afferunt, & nunc à calore debili, nũc à materiæ dispositione id prouenire statuunt. Calorem enim quandoque tàm debilem quandoque tàm debilem esse statuunt, & tàm exiguum, vt nihil de corpore animalis deprædetur, sed in eo statu, quo id inuenit, relinquat. Verum enim verò hâc equidem de caussa muscæ & similia insecta hyberno tempore quasi mortua delitescunt, & hirundines in aquis, serpentes & glires, ac mures montani, & hujus generis alia animalia in cauernis suis latent, calore ipsorum ab ambiente aëre frigido valdè alterato, & ad interiora repulso. At cùm ii, qui diu sine cibo viuunt, non solùm animæ vegetantis operationes perficiant, sed & alias animæ sentientis & rationalis actiones expeditas habeant, sentiant, moueantur, ratiocinentur, in iis caussa diuturnæ abstinentiæ in caloris debilitatem aut transpirationem prohibitam referri non potest, sed in materiam, quæ ita ad calorem sese habeat, sicut materia lucernarum perpetuarum. Et proinde caussa diuturnæ abstinentiæ statuenda est, humoris, qui corpus nostrum conseruat, ea dispositio, vt à calore nostro absumi non possit. Hoc tamen interim non negamus, inter istam materiam ad calorem variam esse posse proportionem. Nam calor nunc fortior est, nunc debilior. Si calor sit satis validus, materia tamen taliter disposita, quæ actionem ejus sustinere possit, hoc modo affecti integros habent sensus, expeditè mouentur & suas actiones peragunt. Si verò calor sit debilis, tantus tamen, vt non solum ad actiones animæ vegetantis, sed & sentientis edendas, verum debiliter edendas, sufficiat, hoc modo affecti sunt somnolenti, taciturni, ad motum pigri, lecto plerúmque affixi, senfimque contabescunt, vtraque tam diu durat, quam diu calor natiuus; is verò tamdiu, quamdiu humidum suppetit, à quo foueatur. Atque ita diuturnæ abstinentiæ caussa est humidi ad calorem ea proportio, vt illud ab hoc non nisi longo tempore absumi possit.

*Cur in nonnullis corporibus nihil discutiatur aut absumatur?*

*Caussa vera diuturnæ abstinentiæ.*

Posse a. materiam, quæ caloris & ignis quasi pabulum est, ita disponi; vt ab eo non facilè absumatur, sed diu duret, nihilominúsque calor in ea, tanquam in propria materia & subjecto, diu hærere possit, testantur Lucernæ illæ antiquorum, quæ Romæ & in aliis pluri-mis Italiæ locis repertæ sunt, quarum flammæ aliquot secula durauit. Notissima est illa, quæ in monumento maximi Olibij in agro Patauino reperta est, quæque annos 1500. arsisse fertur, quam describit Petrus Appianus, *in Antiquitat.* Hermolaus Barbarus, *in Corollar. in Dioscorid. lib.* 5. *c.* 849. Ludouicus Viues, *in lib.* 21. *c.* 6. *de Ciuit. Dei. Augustini*, Iohan. Langius, *lib.* 2. *epist.* 52. Sedente etiam Paulo III. inuentum fuisse sepulchrum Tulliæ filiæ Ciceronis, in quo lucerna fuit etiam tum ardens, sed admisso aëre extincta est, arseratque annos plus minus 1550. scribit Guido Pancirollus. Scribit etiam Augustinus, *loco modo allegato*, fuisse quoddam Veneris Phanum, atque ibi cãdelabrum, & in eo lucernam, sub Diuo sic ardentẽ, vt eam nulla tempestas, nullus imber extingueret, vnde sicut ille lapis, ita ista λύχνος ἄσβεστος, id est, lucerna inextinguibilis nominata est. Quæ autem ratio conficiendi lucernas illas fuerit, hodiè ferè ignotum est: etsi olei siue ignis istius perpetui dilucidam descriptionem extare apud Hieronymum Roscelli in ipsius opere, cui titulus est, *le impresse Illustri*, Pancirollus scribat. Alia tamen etiam exempla occurrunt, quæ docent, qua ratione materia aliqua aliàs exhalabilis vel inflammabilis in igne subsistere, vel tardè ab eo absumi possit. Sic refert Scaliger, *Exerc.* 328. Chymicos scribere, è junipero factorum carbonum tantam vim esse, vt per annum integrum ignem teneant incorruptum. Quod non crederem, nisi ipse expertus essem, carbones leui artificio adhibito accendi posse & ignitos diu detineri, vt tamẽ nihil ipsis decedat, sed vbi rursum extinguuntur, & quidem sponte ac sine aquæ affusione, integri maneant. Præterea Chymici res inflãmabiles plurimas arte eò deducere possunt, vt non inflãmentur vel non facilè inflãmentur. Et quidem quod res inflammabiles non facilè deflagrant, fit hoc vel fixatione, vt loquuntur Chymici, vel densitate. Priori modo corpora multa, quæ ante accendebantur, & exhalabant, ac volatilia erant, vt Chymici appellant, fixa redduntur, vt in igne durare possint: Ita puluis Pyrius eò deduci potest, vt non amplius, vel nõ facilè inflammetur. Ita sulphur figi valet. Densitas vero & raritas facit, vt magna inflammabilium fit differentia. Etsi enim omnia inflammabilia vt inflammentur à sulphure, vt Chymicĩ loquuntur, habent; tamen vt facilius inflammentur, ipsis accidit à raritate. Hinc naphtha & petroleum & spiritus vini facilè accenduntur, quia sunt rarissima. Oleum, cera, pinguedines & similia etsi & ipsa sint inflammabilia: tamen quia densa sunt, non facilè accendũtur, sed ellychnio addito opus est, in quo materia inflammabilis diffundatur & rarefiat, vt postea facilè accendatur. Et humore in animalibus etiã ita disponi posse, vt ab igne non absumatur, Pyraustæ docẽt, quæ sunt animalia humidũ suũ radicale habẽtia, ac nihilominus in igne durare possunt, & ab eo non absumuntur.

*Lucernæ Antiquorũ post aliquot secula repertæ.*

*Cur res flammales non facile deflagrant?*

*Inflammabilium diff[erentia].*

Si ergo etiam in homine humidum illud pingue & oleosum, quo calor innatus, tanquam flammâ oleo, alitur, ita disponatur, vt à calore non absumi, vel non nisi tardè absumi possit, & nihil vel parum dissipetur, etiam nullo alimento opus est. Etenim partes tum non attrahunt è venis, quia ipsis nihil deest. Venæ etiam nihil ex hepate, & hoc nihil è ventriculo trahit, atque ita quia nulla fit attractio, nullus fit appetitus.

Quo modo autem & qua de caussa humidum ita disponi possit, explicare difficilimum est. Si tamen ea, quę aliàs in natura accidunt, eósque, qui diu à cibo abstinuerunt, perpendam, in eam venio sententiam, ab humore melancholico id præcipuè euenire. Nam animaduertimus, sulphur & alia inflammabilia, vt vel non accendantur, vel tardè deflagrent, admistione acidorum & salsorum, &, vt Chymici appellãt, fixorum admistione, talia fieri. Eorum naturam cũ æmuletur humor melancholicus & bilis atra, quæ tàm acida sæpe est, vt etiã stuporem dentibus inducat, ab iis alimentum corporis ita disponi posse, vt actioni caloris resistat, incredibile non est. Cum verò nõ omnes melãcholici, aut qui humore melancholico abũdant, à cibo abstineant, peculiarem dispositionem (vt aliàs hic humor ad miras dispositiones & occultas qualitates recipiendas aptissimus est) induere, & alimento per minima misceri debet. Et

*Quâ ratione & quâ caussa humidum ita disponi possit, ut nihil, vel parum de eo absumatur.*

*Ab humore melancholico.*

Et omnino mirabilis est humoris melancholici natura, præcipuè si corrumpatur ac peculiarem & occultam aliquam dispositionem acquirat, vt in melancholia, mania, scorbuto, aliisque ejusmodi morbis videre est. Et stupor, qui scorbuticis & aliis sæpè accidit, rectè ad humorem melancholicum refertur. Scribit quidem Rodericus à Castro, *cent.* 1. *consult.* 17. Chymicos non sine ratione asserere, paralysin fieri frequenter ex pituita acida, tenui, quæ & sua frigiditate & aciditate, sicut dentibus, ita neruis stuporem inducat: Verùm rectius hoc humori melancholico tribuitur, qui in scorbuticis & hypochondriacis abundat, vnde etiam Apollonia Schreieriana totam cutem ita stupidam habuit, vt etsi multæ muscæ illi insiderent, id non perciperet.

*Indi nicotianâ famem & sitim solantur.* Talis igitur humor si per vniuersum corpus diffundatur, fieri potest, vt alimentum fixius fiat & non facilè discutiatur. Monardes de Nicotiana refert, Indos Nicotianâ famem sitimque solari hoc modo: Conchylia quædam cochlearum fluuiatilium vrunt, deinde terunt, calcis modo. Horum & foliorum tabaci æquas partes sumunt, mandúntque, donec in vnam quasi massam conglobentur, ex qua trochiscos piso majores efformant, quos in vmbra siccatos seruant vsui. Iter per deserta facturi, in quibus nec cibus nec potus præstò est, subjectum labiis imisque dentibus globulum inter eundum sugunt, liquorémque inde manantem cibi potúsque loco deglutientes in ventriculum congerunt, quo absumpto ingerunt alium: Hâc equidem industria famen sitimque per triduum tolerantes, aut quatriduum, vt ne minimam quidem virium jacturam sentiant. Id quod fit, non, vt quidam opinantur, quod assidua trochiscorum masticatione pituitosos humores è cerebro eliciant, eósque in succi melioris penuria in suum nutrimentum conuertat ventriculus, (pituita enim excrementitia nutrire non potest) sed quod partim sensus obtundatur, partim humores ita figantur & disponantur, vt non facilè dissipentur. Si enim ob sensum obtusum saltem famem sitimque non perciperent, interim corpus difflueret & alimentum dissiparetur, fieri id sine virium jactura non posset. Abundasse autem omnes ferè, qui à cibo abstinuerunt, humore melancholico, historiæ testantur. *Omnes fere qui abstinentes melancholico humore abundarunt.* Talis enim fuit ille Scotus, cujus supra mentio facta est. Melancholicus fuit ille sub Friderico II. Imperatore Coloniæ: Puella illa Patauij, cujus historiam Vigontia descripsit, sanguinem atrum rejecit, paralytica fuit, delirauit, catalepsin passa est. Puella Confolentanea ex febre in morbum hunc incidit, obmutuit, delirauit, corporis cutem frigidam & siccam habuit. Puella, quam è Ducatu Iuliacensi Coloniam adductam vidit Guilielmus Fabricius, erat facie tristi & melancholica. Aliorum etiam historias si consideremus, paucos inueniemus, in quibus non melancholicæ dispositionis aliqua fuerint indicia.

Verum procul dubio humor iste, quicunque sit, qui diuturnæ hujus abstinentiæ caussa est, dispositionem peculiarem accipit in plerisque ab vtero. Idque vel id persuadet, quod pleræque fuere puellæ, & eâ ætate constitutæ, quâ menses erumpere, & semen in ipsis generari solet, nimirum annorum 14. Annorum enim 14. fuit puella illa in agro Lucensi, puella Confolentanea, Iuliacensis illa, Halberstadiensis, & forsan aliæ, quarum ætas non est expressa. Notissimum enim est Medicis, quàm mira symptomata à mensibus & semine retentis ac corruptis accidere soleant, atque inter ea etiam cibi & potûs appetitus abolitus. Scribitque Lud. Mercatus, *lib. de morb. mulier. cap.* 8. fœminam illustrem quandam vteri vitio potum auersatam fuisse; & aliam potum nullo modo potuisse admittere, & hydrophobiæ simile quid passam esse, ita vt 60. diebus sine potu vixerit. Causamque ille refert in halitum prauum ex semine, aut sanguine adscendentem. Talis igitur halitus si totum corpus peruadat & penetret, non impossibile, facultatis nutrientis hoc mirum symptoma in toto corpore produci posse.

*Exitus vel euentus diuturni ieiunij triplex.* E quibus etiam de terminis diuturnæ illius abstinentiæ aliquid statuere possumus. Triplex autem est exitus & euentus istius jejunij. Vel enim homines iterum conualescunt & edere incipiunt, vel moriuntur, vel in alium morbum incidunt. Qui tamen in alium morbum incidunt, alij rursum comedere incipiunt, alij simul perpetuam ínediam ferunt. Qui ergo ad sanitatem redeunt, & cibis iterum assuescunt, in iis humor ille vitiosus planè absumitur & euacuatur. Qui verò moriuntur, in iis vitiosus humor calorem natiuum tandem superat, & extinguit. Qui in ægritudinem aliam incidunt, iis humor vitiosus in partem aliquam priuatam decumbit, vnde nonnullos melancholicos, alios epilepticos, alios catalepticos factos fuisse deprehensum est. Et quidem pro humoris natura & resistentia majori vel minori jejunium hoc nunc citius soluitur, nunc diutius durat. Quod & in aliis morbis fieri videmus, dum quartana sæpe intra paucas septimanas soluitur, nunc ad plures annos durat, sicut & epilepsia sæpe citò soluitur, nonnullos verò vsque ad finem vitæ comitatur.

## CAPVT III.

### *De Certorum Ciborum fastidio.*

*Certorum ciborum fastidium.* Peculiare appetitus dejecti vitium est, cùm qui alios quidem cibos appetunt & comedunt, certos tamen auersantur, etsi iidem grati aliis & jucundi sint. Ita plurimi sunt, qui caseum vel butyrum auersantur, alij qui vinum non bibunt, qui propterea abstemij, quasi abs temeto dicuntur. Marcellus Donatus, *de hist. med. mirab. lib.* 6. *cap.* 3. refert, quendam Stephanum Surdastrum Hispanum à piscium esu ita abhorruisse, vt si pisces aliis cibis clanculum commixti proponerentur, in animi angustias, cum vomitu alvique dejectione incideret. Et Brassauolus, *in* 2. *de morb. acutis sect.* 34. refert, Iuliam Taraconensem, Friderici Regis Neapolitani filiam natu minorem, carnes non edisse, imò ne gustasse, & si bolum ori ingereret, in lipothymiam & syncopen incidisse. Petrus Aponensis, Conciliator dictus, lac abhorruit, referente Iohan. Matthæo de gradibus. Aliquos oua non comedisse, Marcellus Donatus, *allegato loco*, scribit. Iulius Cæsar. Scaliger, *Exerc.* 274. scribit, se nouisse quibus mala afferrent fastidium, (quales & ego noui, qui nec odorem pomorum ferre possunt) seipsum ad oletis Cressonei aspectum adeò tremere, vt horrore quassatus abire cogeretur. Iulius Alexandrinus, *lib.* 2. *salubrium cap.* 13. scribit, se quendam nouisse, qui ita allium auersabatur, vt nunquam illud comederet, rarò admodum panem, rem tamen naturæ admodum conuenientem. Fuit, qui solis ouis viuens à panibus, carnibus, piscibus, caseis & aliis abhorrebat, mustelæ inde nomen adeptus, vt narrat Libauius, *singularium parte secunda.* Idem refert quendam malorum aspectu è conuiuio exactum fuisse.

*Abstinentia ab omnibus cibis coctis.* Felix Platerus, *in obseruat.* refert, Antonium Postellum Gallum puerum, conuictorem patris sui, nihil quod coctum, siue elixum, assum aut frixum esset, comedisse, contentum solo pane, fructibus & lacte. Pane autem non puro, sed furfuraceo, quali Platerus canem suum alere solebat, tantum vescebatur, ex pura farina pistum fastidiebat. Fructibus æstatis tempore, & hyemis iisdem siccatis, pomis, pyris, cerasis, nucibus, &c. vtebatur. Lacte quoque frigido tantum vescebatur: nihil enim quod calefactum erat, attingebat. Bene habitus interim coloréque viuido, Hanc consuetudinem viuendi, aliquot annos cum parente

parente ſuo degentem,vt & poſtea continuaſſe, idem Platerus narrat. VVeinrichius, *de monſtris* teſtatur, ſe quēdam nouiſſe, qui anguillas non modò non ederet, & eorū aſpectū non ferre poſſet,ſed ne quidē in ædibus manere poſſet,in quibus anguilla viua occultabatur.

*Panis faſtidium.* Guilielmus Fabricius,*cent.2.obſeru.*41. refert, puellum quinque vel ſex annos natum VVerdini ad Rorem fluuium ex graui morbo liberatum incidiſſe in hoc ſymptoma,vt quotieſcunque panem videret,imò etiam intelligeret nominari,in terram mortuus quaſi proſterneretur,etiam loquela, viſu,auditu & intellectu priuatus,qui tandem quaſi ex ſopore expergefactus ſurrexit,& puerilia ſua negotia,vt antea,peragebat.

Et nemo ferè eſt,cui non talia exempla nota ſint,ac propterea plura allegare,ſuperuacaneum puto.

### *Cauſſæ.*

*Cauſſæ.* Cauſſas verò hujus rei, vt & aliarum ſympathiarum & antipathiarum inueſtigare difficillimum eſt, & plerúmque ad idioſyncraſian & peculiarem ventriculi cõſtitutionem,à primo ortu contractam,quæ explicari nõ poteſt, cauſſa huius faſtidij referenda eſt.Et quibus talis conſtitutio eſt, ii non ſolum cibos certos auerſantur,ſed & ſi iis clanculum offerantur, valdè læduntur, & interdum in morbos ac vitæ diſcrimen conjiciuntur. Et hæc quidem ventriculi peculiaris conſtitutio ſæpe ab imaginatione matrum prouenit,quæ dum grauidæ ſunt,certos cibos appetunt vel faſtidiunt, idémque faſtidium,vt alios corporis næuos, in ſobolem deriuant. Verum vt aliarum ſympathiarum & antipathiarum cauſſa,ita & huius facilè reddi non poteſt,& longioris atque alterius operæ eſt de ſympathia & antipathia in genere diſquirere.

Altera cauſſa eſt conſuetudo.Hæc enim cum ſit quaſi altera natura,iis maximè delectamur, quibus à teneris aſſueti ſumus,contrà eos cibos faſtidimus, quibus nunquam vel raro vſi ſumus.

Quibus accedit Imaginatio, vt qui cibi ſemel diſplicuerunt, poſtea etiam faſtidiantur. Nonnulli ranas, cochleas,carnes vrſinas, vulpinas, equinas, felinas ita faſtidiunt,vt ne guſtare ſuſtineant: Si verò inſciis præbeantur,nil mali inde ſentiunt: rurſus ſi iis etiam poſt longum temporis interuallum ſignificetur,eos tales cibos comediſſe,malè inde affectos quoſdam, imò in vitæ periculum conjectos fuiſſe paſſim hiſtoriæ teſtantur.Quod omninò ſaltem ab imaginatione accidit,quæ cibos illos vt ſummè noxios concipit. Ita noui quendam,qui cum de lepore aſſato ſatis largè comediſſet,ab alio poſtea per jocum perſuaſus, fuiſſe vulpem, mox omnem cibum vomitu rejecit. Idem accidit in iis, qui cibo aliquo immoderatè & non decenter apparato vſi ſunt, illúmque ſibi noxium imaginantur, atque inde nauſeam concipiunt. Ita refert Schenckius, *lib.3. obſeru.* Cementarium quendam, cum in ſympoſio caput vitulinum ſemicrudum & cruentans adhuc menſæ illatum fuiſſet,tanta nauſea correptum fuiſſe, vt aliquot annorum ſpatio ab omnium carnium eſu abhorreret. Hanc ipſam ob cauſſam poſt febrem nonnullos poſtea ab omni carnium eſu aliquot menſes vel annos, vel etiam ſemper abſtinuiſſe,ſæpe obſeruatum eſt.

### *Curatio.*

*Curatio.* Hoc autem ciborum faſtidium ſi ſit ab ortu, vix emendatur. Conſuetudo tamen multum hîc poteſt; quâ ſæpe præſtatur, vt iis, quæ antea planè faſtidiebant,ſenſim aſſueſcant, & tandem ſibi planè familiaria reddant, ſicut exempla multa habētur eorum,qui cum infantes caſeum auerſarentur, ei ſenſim aſſuefacti cum voluptate poſtea eum comederunt, & qui ex abſtemiis egregij potatores euaſerunt. Multò verò magis conſuetudo conſuetudine mutari poteſt, ij verò, qui ex imaginatione ſaltem cibum aliquem auerſantur,etiamſi neceſſarium, ad cibos ſumendos cogendi ſunt: Et modò ſemel cibum capere incipiant,poſtea facilè ei aſſueſcunt.

## CAPVT IV.

### *De ingenti Fame, canina Appetentia, & Bulimo.*

Appetitui dejecto contraria affectio eſt nimia appetentia, & quidem ea præternaturalis. Nam hîc initiò monendum,non ſermonem nobis eſſe hîc de voracitate illâ nimiâ, quæ nonnullis naturalis vocatur. Reperti enim ſunt quidam ad miraculum vſque voraces ſine vllo detrimento: quórum exempla notatu digna collegit Iuſtus Lipſius,*in Epiſtolis, Centuria Miſcellanea, Epiſt.* 51. Sed de iis hîc ſermo eſt, qui aliàs non ita aſſueti comedere præter naturam in hoc malum incidunt. *Nimia appetentia.*

Appetitus autem ille nimius βούλιμος & canina appetentia dicitur. Canina appetentia interdum etiam φαγέδαινα nominatur,nomine,quod aliàs vlceribus corroſiuis & ſerpentibus conuenit,ad huncaffectum tranſlato,vt Galenus,*6.Epid.comm.*3. teſtatur, vt & author definitionum Medicarum, Plinius, *hiſt. natur.lib.*26. *cap.*11. Cælius Aurelianus, *libro paſſionum chronicarum cap.*3.

Quomodo autem hi affectus differant,& quas cauſſas habeant,apud autores ſatis intricatum eſt. Bulimus equidem in genere ingens fames eſt ſeu vehemens eſuritio, particula βοῦ, ſignificationem vocabuli augente & intendente. Barbaris inepte vaccina appetentia vel fames nuncupatur, quaſi ex βοῦς componeretur: qua ratione etiam caninæ appetentiæ, quæ etiam magna eſt,attribui poſſet. Vſus tamen apud pleroſque obtinuit, vt Bulimus & canina appetentia diſtinguantur; primò quidem, quod canina appetentia ſit conjuncta cum vomitu, cùm qui hoc modo laborant, continuò cibum appetant, vt vix ſaturari cibo poſſint, & primo nondum ſatis coctò nouum ſubinde appetant, ita vt, ventriculo non ferente cibi copiam,eum vomitu rejiciant, canum more, vnde & nomen accepit. Quibuſdam verò Diarrhœa potius, quam vomitus accidere ſolet, naturâ ſuperfluam illam cibi copiam per aluum detrudente,eſtque appetitus caninus perpetuus. In Bulimo vero vomitus non accidit, ſed eum Lipothymia comitatur,quæ non adeſt in canina appetentia. Sunt tamen quidam, qui inſatiabili comedendi deſiderio laborant, non tamen vomunt, ſed etiam cibum, quem ſumpſere auidè, concoquunt, & niſi mox alium ſumant, male habent.Ita noui ante aliquot annos hîc ſtudioſum, habitu corporis nigrum,qui hoc morbo laborabat, & non ſolum de die, ſed noctu etiam comedebat,cibum tamen, quem ſumebat,ſine vomitu concoquebat, imò cibis delicatis ſaturari non poterat, ſed craſſos expetebat, vnde nec panem à noſtris piſtoribus confectum, ſed à ruſticis in vicinis pagis emptum,vt ſolidiorem,comedebat. Sæpè mane tempore æſtiuo paſtinacæ ſatiuæ radices tot, quot ſex nummis emuntur, crudas ſine damno comedebat. Vt ita ſi diſtinguere hæc libet, caninus appetitus ſit continua, inordinata & ferè inexplebilis fames; Bulimus autem etiam quidem appetitus magnus, ſed non continuus, imò qui ſæpe in nauſeam deſinit cum Lipothymia & virium dejectione. *Bulimi & caninæ appetentiæ differentia.*

### *Cauſſæ.*

Pars quidem proximè affecta eſt orificium ventriculi, vtpote in quo deſiderium cibi & potus viget, & *Cauſſa.*

ſuctio

suctio illa famem excitans percipitur: Caussæ tamen plures esse possunt. Et quidem appetitum caninum quod attinet,à duabus caussis ille oritur, vt Galenus, 1.*de causs.sympt.c.*7.docet: vel ab humore vitioso mordicante ventriculum,vel alimenti defectu. Id est, Fit appetitus etiam sine alimenti defectu,ab humore vitioso orificium ventriculi mordicante,& suctionem similem illi, quæ fit ab alimenti defectu, ob quem suctio ista excitatur.

Humor, qui ventriculum mordet, & suctionem illam efficit,est Melancholicus, qui ventriculi orificium corrugando talem in eo affectum excitat, qualis alias à venarum suctione in fame naturali oritur. Et quidem si humor is ventriculi orificio impactus sit,etsi ventriculus cibo assumpto adhuc plenus sit:tamen quia continuò fit ab humore isto vellicatio,ferè etiam continua fames excitatur.

Platerus equidem ab aciditate humoris melancholici hoc Symptoma fieri negat,& putat, quod à talibus caussis prosternatur potius, quam augeatur appetitus, nisi occulta qualitas humori insit. Ipse igitur venenatæ & malignæ qualitati,quæ ex effectu potius cognoscatur,quam describi possit, in humoribus certo modo corruptis in ventriculum effusis, vel etiam ex cibo in illo genitis,appetitus huius caussam attribuit; cum & venena quædam sint,quæ extrinsecus illata vel assumpta talia accidentia excitant. Verum enim verò etsi qualitates illæ,quæ mordicationem istam efficiunt, ita planè determinari non possint, nec corruptionis modus ita exactè describi: tamen aciditatem vel acrimoniam vt planè rejiciamus, & statim ad occultam qualitatem confugiamus, & venenum ac malignitatem simul adesse statuamus:cum ipsa aciditas sufficiat, ad affectionem similem suctioni naturali producendam,neque suctio naturalis à caussâ occulta fiat,neque alia venenati humoris indicia adsint. Humor autem ille melancholicus & acidus è liene & vicinis locis in ventriculum effunditur, non verò naturaliter in ventriculo continetur,de quo infra *in quæst.*dicetur.

Verum hæc caussa in iis quidem locum habet, qui plus appetunt,quam possint concoquere, & propterea cibum,quem auidius comedunt,euomunt. Sed cum, vt ante dictum,etiam dentur,qui cibum copiosius,quam par est,non solum appetunt,sed & concoquunt ac digerunt,nihilque inde mali patiuntur:in iis etiam sequens caussa,secunda scilicet, conjungenda videtur. Et cum Humor melancholicus aliàs quasi fermentum sit, potest etiam ad coctionem cibi maturandam aliquid efficere. Atque hæc caussa non solum in ventriculo,sed & in aliis membris locum habere potest. Ob hanc primam caussam Famem quandoque etiam Epidemiam & in morbis quibusdam excitatam fuisse, obseruatum. Brassauol, *in com.ad aph.*21.*l.*2. *Hipp.*refert, Anno 1538. Caninam Appetentiam Ferrariæ fuisse morbum Epidemium, & fuisse ex atra bile, cum plerique ex infusione folior. sennæ fuerint restituti, & plurimi in quartanam inciderint. Alex. Benedictus,*l.*22.*pract.cap.*20. scribit, se pestilenti morbo correptum incredibili auiditate cibum sumendi laborasse, dum quater de die cibum sumere cogeretur. Et Leonellus Fauentinus, *de med. morb.c.*34. refert,Anno 1535. Prutenos febre correptos octies cibum postulasse,singulis diebus, & ne sic quidem potuisse exsaturari.

Secundò magna fames fit ob alimenti defectum, ob quem venæ continuò sugunt, suctioque in ventriculo continua est. Nam si partes inanitæ supra modum attrahant,attractio tandem etiam ad ventriculum peruenit & famem p.n.in eo excitat. Accidit hoc primò,cum corporis partes inanitæ auidius & copiosius attrahunt & sibi apponunt alimentum: quam caussam plerique prætermittunt. Ita refert Corn. Gemma, *Cosmocr. l.*1.*c.* 6. fœminā quādam vix ad momētum absque ingestione cibi & potus viuere potuisse,idque vitium à teneris incœpisse,& cum ætate incrementum sumpsisse. Caussa postea in mortuâ reperta fuit Hepatis constitutio, & præcipuè abdominis partium ἰδιοσυγκρασία, ob quam adipem copiosum generauit. Corpore enim aperto detractæ sunt libræ propemodum 20.adipis,& hepar impensè rubrum,mole insigni ac sanguine turgidum.

Deinde potest alimentum deficere & hinc suctio magna fieri ob corporis raritatem,& calorem robustum alimentum consumentem,& magnam διαφόρησιν efficientem. Cum enim corpus nequeat refici & instaurari, si alimentum copiosius diffluat & dissipetur, partes inanitæ à venis sugunt, atque hæ tandem è ventriculo.

Verum ab hisce caussis plerumque fames aliqua magna saltem, quæ adhuc naturalis dici potest, excitatur, qualis est & illa, quæ post exercitia vehementia, euacuationes sanguinis, inediam, morbos diuturnos, ob corporis inanitionem excitatur, non verò præternaturalis,de qua hic sermo est.

Ad caussas alimenti deficiētis pleriq; etiā Facultatis Retentricis Imbecillitatem referunt. Cum enim corpus nequeat refici & instaurari,nisi alimentū tādiu retineatur, donec corpori apponatur, si facultas Retentrix sit debilis,diffluit alimentum,antequā corpori apponitur, atque ita defectus fit alimenti. Verū vix puto à læsa facultate Retentrice per se alimēti defectum fieri posse, cum nullibi via sit,per quā id sponte dilabatur. Per accidens saltem hoc fieri potest, dum scilicet quacunque de caussa corpus nimium dissoluitur, vt Retentrix Facultas,quamuis sit fortis,id retinere nō possit. Et quamvis allegetur pro Retentrice læsa locus Galeni,6.*de loc. aff. cap.*3.tamen ibi saltem de celeri dissipatione & discussione alimenti loquitur. Ita autem Galenus: *Alius interdum affectus occurrit Diabeti perquā similis, & quidem à multis cibis,qui neque crudi sunt, neque per aluum deijciūtur,neque plenitudinē efficiūt,neque etiā probè alere possunt,sed dissipantur discutiunturque celeriter, cuius vt crebrior est,quā Dypsaci euentus, ita faciliorē curationē admittit,quippe priusquā ad summum peruenerit, cognitus haud ita difficulter curabitur. Nam vbi quis duplū cōsuetorum alimentorum adsumpserit,neque corpus ali videtur,idque citra alui fluorem, hunc affectum non solum priuati,sed etiā Medici percipiunt. Cum verò triplū ingerit, idoneis auxiliis liberari potest,priusquā scilicet ad quadruplum vel quintuplū perueniat. Igitur rationi consentaneum est,hunc affectum & celerem dissipationem incipere omnibus partibus Attractricē atque ei coniugatā Facultatem, quæ proprie Appetētia vocatur,seruātibus.* Hæc Galenus.

*Quomodo à læsa facultate retentrice alimenti defectus fieri possit?*

Ad alimenti defectum & absumptionem faciunt & vermes,qui alimentum in ventriculo confectum absumunt,antequam ad hepar deferatur,vnde reliqua membra alimento destituta humores è ventriculo trahunt. Qua de caussa etiam Infantes sæpe voraces sunt,vt vix saturari queant. Huius rei annotauit exemplum Alex. Trallian,*lib.*7.*cap.*14.de quadam muliere,quæ cùm immodica cibi appetentia laboraret,post Hieræ vsum vermem 12. cubitos longum excreuit, & postea ab hoc Symptomate liberata est.

Rondeletius tertiam adhuc caussam addit, longum scilicet vsum alimentorum detergentium, vt ficuum, vel gari,idque in se ipso se expertum scribit. Cum enim se vellet cogere ad vsum piscium,vteretúrque frequentissimè garo parato ex Lycoctonis & oxyleo,ficus etiam Massilienses ferè omnibus horis comederet,ita fuit pituita illa ventriculi & intestinorum detersa, vt superueniret ipsi appetentia canina, deinde bulimus.

De Bulimi verò caussâ res intricatior est. Plerique quidem à frigidâ ventriculi Intemperie famem istam prouenire statuunt. Et omninò res certa est, à frigore magno famem magnam induci. Idque Plutarchus, *in sympos.lib.*5.*cap.*8.iis præcipue accidere scribit, qui per altam niuem iter longum faciunt. Et si quis in Alpibus Rhæticis iter tempore hyberno faciat, etsi in quibusdam

*Bulimi Caussa.*

quibusdam locis ab vna radice montis ad alteram vsq; vix bina milliaria Germanica interſint:nemo tamen jejunus hyeme eas ſuperare audet. De modo tamen,quo frigus Bulimum excitet,non conſentiunt.De quo infra *quæſtione prima dicetur.*

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Affectio hæc facilè cognoſcitur , quod ægri aſſiduò cibum appetunt,& nunquam ferè ſatiantur: Atque ita ſeſe cibo replent , vt eum vomitu rejiciant vel per aluum excernant. In Bulimia verò in ſpecie dicta initio multa appetuntur,pòſt robore ventriculi diſſoluto cibi faſtidium ſequitur, etſi corpus alimento indigeat. Hinc imbecillitas ventriculi animi deliquia , partium externarum frigus,pulſus obſcuri.

Cauſſarum ſigna quod attinet, ſi nimia appetentia ſit ab humore acido, crudi ructus percipiuntur, & alia huius humoris abundantis ſigna adſunt.

Si fames ſit ex defectu alimenti,ægri emaciantur, & quidem ſi ea fiat caloris nimiam διαφόρησιν efficientis exceſſu, ejus in toto corpore ſigna adſunt, alui dejectiones ſunt pauciores & ſicciores , quam cibi modus poſtulat. Si verò Bulimi cauſſa externum frigus vehemens ſit,ex ægri relatione id innoteſcit.

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.* 1. Qui caninâ appetentia laborant, ſæpe ex hoc malo in vomendi conſuetudinem delabuntur, ſæpe etiam aliis affectionibus ſunt obnoxij, Cœliacæ ſcilicet paſſioni atque hydropi, ideò quod antequam priores cibi cocti ſint,alios ingerunt,Aëtius,*tetrab.3.ſ.1.cap.21.*

2. Fames magna , quæ ſit poſt Febres & alios morbos, recidiuam minatur. Cum enim appetitu vrgente ægri ac conualeſcentes illi plus comedant, quam ventriculus morbo debilitatus concoquere poſſit, accidit, vt inde cruditates multæ cumulentur, quæ poſtea recidiuam pariunt.

3. Bulimus periculoſum malum eſt. Nam ægri repentè animo linquuntur,cum externarum partium refrigeratione: Quidam etiam auxilio deſtituti pereunt. Aëtius,*tetr.3.ſerm.1.c.6.*

4. Si vino ſumpto æger ab animi deliquio ſtatim reuocetur, bonum ſignum eſt, indicatque vires non eſſe ita proſtratas.

5. Bulimus in morbis chronicis, vt febre quartana, quotidiana,hydrope lethalis.

### *Curatio.*

*Curatio.* Si canina Appetentia ſit ab humore vitioſo ventriculi orificium vellicante , is vt euacuetur opera danda. Itaque valde vtilis eſt vomitus. Et licet in Appetentiâ caninâ ſæpe ſponte vomant ægri,nihilominus in principio,antequam vomitus inualeſcit,ad materiam vitioſam educendam vomitus conuenit. Leuis quoque per aluum primò euacuatio inſtitui poteſt.

Poſtea dentur cibi & medicamenta, quæ ſenſum ſuctionis in ventriculo imminuunt. Deinde, quæ materiam alterant & præparant , vt tandem euacuari poſſit.

*Famem compeſcentia.* Famem compeſcunt pinguia, lenta , carnes bubulæ, caro porcina , oleum amygdal. dulc. cerebrum animalium,amylum recens, malua cum oleo vel butyro & jure pingui. Quibus tamen magis in principio locus, dum vomitum prouocare volumus , poſtea verò dum vomitus vrget,omittenda.Simul in horum vſu cauendum, ne is ſit nimius , & æger in contrarium affectum deducatur. Proinde cum melius incipit habere æger, pinguia,& quæ concoctioni reſiſtunt,imminuenda.

*Narcotica hic cautè vſurpanda.* Narcotica verò , quæ famem imminuere poſſunt, cautè vſurpanda. Fortia autem vitanda ſunt,ſicut infuſio ſolani furioſi cum vino facta & bibita ſubitò omnem cibi appetentiam etiam in ſummè famelico euertit.

Vinum tamen potens,& ſpiritus vini vſurpari poſſunt,quæ Platerus etiam ad hanc claſſem refert,& non tam calefaciendo , quam ſtupefaciendo famem tollere ſcribit ; ſicut& theriacam & Mithridatium eâdem vi narcoticâ caninam appetentiam ſedare cenſet. Abſtinendum autem ab acidis & abſtringentibus.

*Materiam alterantia præparantia.* Alterantia & Præparantia ſunt aniſum,thymum,origanum, ſatureia & ſimilia ſupra in Intemperie ventriculi frigida propoſita. Iiſdem cibi condiantur,& in robuſtioribus ac ruſticis cœpis & allio.

Vinum ſit Saluiatum vel aliud conueniens , quod ventriculum calefaciat , & acidos humores corrigat. De vino vide Hippocratem, 2. *aph.* 21. & commentatores.

Materia præparata euacuanda. Commodiſſimum medicamentum eſt Hiera. Vtilis eſt & Mulſa, in qua agarici Drach. j. ß. vel Drach.ii.maceratæ ſint.

*Euacuantia.* Materiâ expurgatâ ventriculus roborandus calefacientibus,cum Internis tum Externis, de quibus ſupra de Intemperie ventriculi dictum. Et ſi humor acidus è liene ad ventriculum tranſmittatur , reliqua cura ad Lienem dirigenda.

*Roborantia.* Reliqua fames,quæ à majori totius corporis euacuatione accidit,curanda cauſſis inanitionis reſiſtendo, vt cibis craſſis, viſcidis, ac multum nutrientibus. Aëtius cibos,qui tardè coquuntur, diſtribuuntur , nec tamen facilè conſumuntur, probat , cujuſmodi ſunt cochleæ, cancri , caro ſuilla, oryza & ſimiles. Foris etiam adhibeantur cutem denſantia,vt oleum omphacinum,myrtinum , roſaceum , quæ tamen omnia ita adminiſtrentur , ne obſtructio aut febris , aut aliud malum graue oriatur. Vinum attenuantia, & calida omnia vitentur, aër ſit frigidus,æger quieſcat,& diutius dormiat.

*Bulimi Curatio.* De Bulimo etſi in cauſſis diſcrepent autores;tamen in curatione ferè conueniunt. Quamuis enim ante animi deliquium calidum ventriculum eſſe nonnulli ſtatuant, vt ſupra dictum ; tamen conſentiunt in eo, in deliquio & poſt deliquium ventriculum eſſe imbecillum & refrigeratum ,& propterea tum etiam eſſe moderatè calefaciendum.

*In paroxyſmo.* Curatio ergo Bulimi duplex : Vna in paroxyſmo, hoc eſt,animi deliquio, alia extra paroxyſmum. In paroxyſmo laborandum , vt æger reuocetur frictionibus, odore panis,vini,panis vino madidi,aceti, & aquarum deſtillatarum conuenientium, inter quas eſt aqua carfunculi. Commodum etiam eſt micam panis vino madidi,ſi eam deglutire poſſit æger,exhibere, vel guttam vnam atque alteram aquæ carfunculi cum vino. Et ſi æger imminere animi deliquium animaduertat, vtiliſſimum eſt,vt mox panis,præcipuè vino madidus , præbeatur.

Poſtquam ab animi deliquio reuocatus eſt æger,non ſtatim cibus exhibeatur,niſi forſan pauxillum panis vino madidi,ſed pauliſper quieſcat,donec vires nonnihil reſtituantur, poſtea præbeantur cibi , qui citò ac multum nutriunt,vt panis vino madidus,oua ſorbilia, juſcula & ſimilia , de quibus in curandâ intemperie ventriculi frigidâ & Syncope eſt dictum. Extra quoque ventriculo calefacientia moderatè applicanda,quæ ibidem ſunt propoſita.

## QVÆSTIO I.

### *Quo modo frigus Bulimum excitet?*

*Quo modo frigus Bulimum excitet?* Frigus quomodo Bulimum excitet,Autores non cōſentiunt.A plurimis quidē docetur,frigus comprimere, & compreſſione ſua ſucculentā ſubſtantiam à parte expellere,è cuius defectu fames oriatur. Verum probabile hoc non videtur Ludou.Mercato. Cū enim frigiditas

actu

actu tantum constituta vim habeat comprimendi,constringendi, & expellendi; Ventriculus verò Animalis viventis tantam frigiditatem actu habere nequeat, vt condensando comprimat: etiam hoc modò famem excitare non posse existimat. Ipse verò statuit, frigiditatem potius mordendo & irritando appetitum excitare. Alij contrà à frigiditate ventriculi famem oriri negant, existimántque Platerus, frigidum potius sensum obtundere,quam accendere,ac si accidat, vt frigiditate appetitus augeatur, id fieri, vel quod frigiditas calore, à quo appetitus dejectus fuit,corrigat,atque ita ad naturalem temperiem reducat;vel quod frigus externum calorem ad interna repellat, atque ita, ob calorem ad interiora collectum & abundantem copiosiore alimento corpus indigeat. Atque hæc ipsa sententia fuit Aristotelis, 8.*probl.*5.*&* Alex.Tralliani,*l.*1.*cap.*4.qui caussam nimiæ appetentiæ statuit esse calorem ventriculi auctum ab ambiente aëre frigido,qui calorem ad interiora pellit, vt etiam Hippocrates, 1.*aph.*15.ventres hyeme ac vere esse calidiores, & propterea per ea tempora plus cibi dandum esse scribit.Aristotelem & Trallianum sequitur ac defendit Hieronymus Mercurialis ac Donatus ab Alto mari & alios recentiores reprehendit, qui statuunt ab insigni refrigeratione ventriculi fieri Bulimum.Neque enim putat tantam posse ab externo aëre fieri refrigerationem, vt ipse ventriculus insigniter refrigeretur, atque alias etiam, quæ tamen non sunt ejusdem ponderis, rationes contra hanc sententiam affert. Ipse verò hac de re ita statuit: Calefacto ventriculo propter frigus aëris externi intrò calorem influentem pellens fieri inanitionem & dissipationem alimenti. Post hanc indigentiam fieri impotentiam, eò quod exinanito ventriculo paulatim Spiritus dissipentur ac resoluantur.Post impotentiam calorem,qui prius auctus erat,in corpore languescere, & introduci frigiditatem calore natiuo debilitato, quæ frigiditas non solum inducat inappetentiam, verum etiam cibi abominationem facit.

Quas quidem opiniones, si diligenter perpendamus,id quidem verum videtur, quod frigus externum calorem ventriculi internum & naturalem augendo aliquam famem excitare possit: quod tamen illa fames sit præternaturalis,& talis,de qua jam agimus,vix probabile est.Et omninò sæpe vocabulum Bulimi non eodem modo ab Autoribus accipitur,sed interdum in genere pro fame magnâ; interdum verò in specie de fame,quam antea descripsimus. Ideoque si cum Galeno, 2. *aph.* 21. Bulimum non sumimus pro eo, quod nomen sonat, scilicet pro ingente fame, sed pro virtutis prostratione ab externâ refrigeratione profectâ, quæ quidem ab esuritione principium sumit, sed famem amplius non habet conjunctam, ventriculo valdè languente,ac ejus calore pene extincto, ita scilicet, vt mebra sint famelica & nutrimento indigeant,ventriculus verò illud respuat: huius caussa statuenda videtur intemperies frigida à caussa maximæ & summæ efficaciæ orta,aëre scilicet frigidissimo, in quo æger diutius moratus est. Etsi enim frigus externum calefaciat ex accidente,calorem influentem intro pellendo: tamen quia in diuturnâ in aëre frigidissimo morâ non solum per cutem ventriculus affici potest, cum os ventriculi non multa carne tectum sit,sed aliquid subinde etiam per os aëris attrahitur, potest hoc modo ventriculus valde refrigerari,atque ex illâ refrigeratione constricto ore ventriculi fames quædam suboriri: postea tamen refrigerato valde ventriculo Lipothymia & reliqua, quæ enumerauimus, symptomata. Si verò alicui hæc caussa non satisfacit,is perpendat,num probabilius statui possit,ab externo aëre frigido calorem omnem ad internas corporis partes pelli,atque ab eo ibi valde aucto & concentrato quasi alimentum absumi,vnde accidat,vt membra valdè trahant à ventriculo; quam suctionem dum sentit ventriculus,eum vehementem appetitum excitare, statim verò hominem animo linqui, nisi cibo reficiatur, ac simul fame, sed non longè pòst reuocato ægro ac sensim reuiuiscente redire ciborum appetentiam. Sunt etiam, qui aërem talem diaphoreticum esse,& vim habere alimenta absumendi & dissipandi statuunt. Quo modo referri posset & huc aqua, quæ,vt supra dictum,ab Hippocrate,6. *Epidem.comm. text.*20. vorax dicitur.

## QVÆSTIO II.

### *An humor melancholicus & acidus, qui appetitum excitat, in ventriculo naturaliter contineatur.*

Sunt nonnulli in ea opinione, non equidem è Liene in ventriculum eructari humorem acidum, qui appetitum excitet: esse tamen in ventriculo humorem acidum ingenitum & connatum,quem relicta cibi portio bene elaborata augeat & foueat,qui non sit crassus, sed tenuis & spiritibus corrosiuis prægnans, qui grato quodam acore ventriculi corpus neruosum afficiat, & sua mobili virtute permeet omne ingestum, illúdque soluat in liquorem seu chylum, & omnino se habeat, vt fermentum,quo cereuisia feruescit,fermentatúrque, vt crassæ partes à tenuibus,& vtiles ab inutilibus separentur. Atque hunc humorem,si abundet,caussam esse famis nimiæ docent. Famem etiam cibo sumpto statim sedari, antequam alimentum dissolutum sit, ob hunc humorem statuunt,dum nimirum à cibo sumpto supprimitur, vt ita moueri, & instar fermenti ebullire non possit. Verùm enim verò hæc omnia nec experientiæ consentiunt, nec rationibus satis firmis nituntur. Nam cum omnibus aliis partibus viuentibus insita sit vis coctiones sibi conuenientes perficiendi, non verò ab humore aliquo ea perficiatur,vel adjuuetur;Cur ea vis integra ventriculo deneganda sit, non video. Neque id eo probatur, quod humor acidus vomitu rejicitur. Etsi enim hoc iis accidat,qui plus comederunt vel biberunt: tamen ex cruditate acidà id euenit,quæ tùm ob cibi & potus copiam generatur;& totus ille chylus talis est: non verò in sanis hoc accidit. Ideóque præter naturam potius aliunde humorem illum in ventriculum effundi, credibile est. *An humor acidus in ventriculo contineatur.*

## CAPVT V.

### *De Pica & Appetitu vitioso.*

NOn solum Appetitus interdum dejicitur & valde augetur,sed & nonnunquam deprauatur,quæ appetitus deprauatio Græcis κίττα, vulgò Pica nominatur,appetitus nimirum præter naturam praui & alieni à naturâ cibi. Κίττα autem siue Pica aliis à pica aue ita dicitur,siue quod in eâ pennarum, siue quod vocis sit magna varietas, siue quod ipsa hoc affectu laboret, vt existimat Paulus Ægineta,*lib.*1.*cap.*1.quod tamen parum aptum videtur; cum nulli picæ appetitus sit cognitus. Alij verò,vt Aetius,*tetrab.*4.*serm.*4. *cap.*11. ab Hedera,quæ Græcis Κίττος,ita dictam putant,quod sicut hæc variis,prout occurrunt,plantis adhæret, atque iis se implicat: ita mulieres hoc malo laborantes varia edulia appetunt,atque ea sæpe contraria,quæ cum voluptatem, tum insuauitatem gustui exhibent. Plerique etiam Malaciam appellatam censent à Plinio, *lib.* 23.*cap.*6.Sunt tamen,qui Malaciam alium à Pica affectum esse statuût,quod & Mercurialis fecit, ideo quod Malacia propriè significet mollitiem.Mollities autem alius sit à pica morbus, languor scilicet & laxitas, ob quam ventriculus nec appetere cibum, nec concoquere possit; Deinde quia Plinius laudat Malicorium ad malaciam, cum tamen adstringens sit medicamentum, quod quidem in laxitate ventriculi conuenit, sed *Pica vel Appetitus vitiosus.* *An Pica & Malacia sint idem?*

ſed non in pica. Verum enim verò malacia dicitur mollities & impotentia quaſi, quâ cibos quoſdam quaſi languentes & animo impotente appetunt. Neque Plinius ſcripſit, quod malicorium contra grauidarum malaciam expetatur, ſed ſimpliciter, expetitur (ſcilicet malum Punicum) grauidarum malaciæ. Si quis tamen hæc duo vocabula diſcernere velit, appelletur Pica deprauata appetentia, quando homo vitioſos & à naturâ alienos cibos, e.g. cretam, calcem terram & ſimilia appetit. Malacia verò ea appetentia, quando prægnantes non quidem alienos à natura hominum cibos, ſed alios conſuetos appetunt, auidius tamen & cum animi quaſi impotentia, ita vt niſi eorum participes fiant, abortum patiantur, vel ſtigma aliquod infanti imprimant, ad quod præcauendum malum Punicum expeti ſcribit Plinius, quoniam guſtatum mouet infantem, & periculum abortus præcauet, vt non opus ſit Plinij textum cum Mercuriali mutare & pro infante famem legere.

Vtrumque malum frequens eſt mulieribus cacochymicis, præcipuè primis duobus aut tribus menſibus. Tum enim fœtus adhuc minor eſt, parúmque alimenti & id purius ſugit, à quo relictum impurius affectionem hanc in grauidis excitat. Quarto verò menſe cum fœtus jam grandior fieri incipit, copioſiore alimento indiget, vt omne, quod in promptu eſt, attrahat. Vomitus quoque grauidis mulieribus primis menſibus familiaris eſt, quo vitioſi ſucci euacuantur, quibus euacuatis etiam hoc ſymptoma ceſſat. Appetitus autem hic varius eſt. Interdum enim mulieres, vt dictum, conſuetum aliquem cibum appetunt, ſed tam auidè, vt niſi eum nanciſcantur, cum fœtu periclitentur. Aliquando verò (id quod non ſolùm grauidis fœminis, ſed & viris quandóque accidiſſe compertum eſt) rerum à natura planè alienarum appetentia nonnullis accidit, vt cretæ, calcis, terræ &c. Noui virginem quandam nobilem, quæ annorum duodecim arenam ſcriptoriam auidè deuorabat. Viuit etiam hîc fœmina, quæ aliàs bene valet, quæ arenam & lapides molares contritos copiosè ingerit, & ſemper ſecum in ſinu gerit, & vna die ſæpe, quantum menſura ℔.ij. capit, vt affirmet, ſe jam tantum arenæ, quantum lapidem molarem æquare poſſit, deuoraſſe. Platerus, *in obſeruat.* narrat, fœminam quandam grauidam libras aliquot zinziberis maxima voluptate ſine vllo incommodo vna vice deuoraſſe, nec, quod mirum erat, ardorem vllum in faucibus, multò minus in ventriculo ſenſiſſe. Se etiam juuenem Monſpeſſuli frequenter & aliquoties de die cochlearia aliquot theriacæ deuoraſſe, nec vllum damnum inde ſenſiſſe.

*Virgo & fœmina arenam deuorantes.*

*Zingiber & theriaca vltra modum ingeſta.*

¶ [Anno 1632. d. 8. Decembr. Vir Clariſſ. D. Ioan. Neſterus, Medicus Rochlizenſis, amicus meus honorandus, hæc ad me perſcripſit: In vicinia noſtra, inquit, hodierno tempore quendam, nomine Claudium, natione Lotharingum, vir Nobilis ac Strenuus, Georg. Vvilh. à *Berbiſdorff in Schvveickerſheim*, pro ſeruo alit, annorum circiter 58. breuioris ſtaturæ, & rarioris texturæ hominem. Hic nihil fœtidum, nihil iniucundum abhorret: vitra, lapides, ligna, carbones, oſſa, leporinos, & aliorum animalium pedes cum pilis, lineos laneóſque pannos, viua animalia, & piſces adhuc ſalientes, imò etiam metalla, patinas, & orbes ſtanneos dentibus confringere, & vorare ſæpiſſimè viſus eſt. Vorat præterea lutum, ſeuum, & candelas ſebaceas integras, teſtas cochlearum, animalium ſtercora, cumprimis bubulum, calidum adhuc, proût è matre venit, potat aliorum vrinas cum vino & cereuiſia mixtas. Vorat fœnum, ſtramen, ſtipulas, & nuper duos mures viuentes adhuc deglutiuit, qui ipſius ventriculum ad ſemihoram vſque crebertimis morſibus lancinârunt, & vt breuibus complectar, quicquid illi à Nobilibus deuorandum offertur, viliſſimâ mercede propoſitâ, dictum ac factum ingurgitat, ita vt intra paucos dies integrum vitulum crudum & incoctum cum corio & pilis ſe eſitaturum promiſerit. Teſtis inter alios quamplurimos ipſe ego ſum, quippe qui illum ante triennium Geringſvvaldæ, in Monaſterio, integrum caput de porco aſſatum, necnon duas candelas ſebaceas, caſque craſſiuſculas & ardentes deuorare, oculis hiſce meis vidi, & probè adhuc memini.

*Mira hiſtoria Viri cuiuſdam, res à cibo humano alienas deuorantis.*

Vir tamen quidam nobiliſſimus, Nobilis illius à *Berbiſdorff* cognatus, qui Claudium iſtum bene nouit, & omnia iſta ſe ita habere confirmauit, mihi retulit, Claudio huic aliquando in abdomine abſceſſum aperium fuiſſe, è quo res eiuſmodi deuoratæ eruperint, ſanitati tamen, licèt omnes de eius vita deſperarent, nullis ferè medicamentis adhibitis, reſtitutum fuiſſe.

Cùm verò annis aliquot nihil mihi de Claudio iſto ampliùs innotuiſſet, menſe Majo huius anni 1636. eundem Dn.D. Neſterum, quid de homine hoc ageretur, percontatus ſum, qui 23. Maij, epiſtolam Paſtoris, Eccleſiæ eius loci, qui ſuperiora omnia confirmat, miſit, & ad hunc modum reſpondit: Claudium Lotharingum quod attinet, cuius ante literis meis mentionem feci, eſt ille adhuc in viuis, aucupio deditus; & ob miram dexteritatem in capiendis perdicibus omnibus ibi notus. Nobilis verò eius herus, qui futuræ ſectionis ſpem non ſemel mihi fecit, ante biennium febre acutâ extinctus eſt. Vorat adhuc omnia illa, quorúm in prioribus literis memini; quamuis non ita crebrò, vt anteà; cùm iam apud viduam non ſit, qui eum inſtiget, & procul dubio ei dentes ob ætatem ingraueſcentem hebetiores fiant, vt oſſa & metalla non ampliùs confringere poſſit. Inter plurimas voracitatis eius hiſtorias inprimis hæc eſt ridicula, quam Nobilis ille, dum adhuc in viuis eſſet, mihi narrauit: ſe nimirum aliquando domeſticis ſuis, ob calidam & ſiccam aëris conſtitutionem diutiùs durantem, annonæ caritatem, & famem prædixiſſe, futurúmque, vt in frugum defectu homines gramine & fœno veſci neceſſe haberent. Sed quid fit? Claudius ſtatim omnium conſpectui ſe ſubtraxit, & cùm diu illum per omnes domus angulos quæſiuiſſent, tandem in conclaui quodam clauſo eum inuenerunt poſt fornacem, ad fœni quod congeſſerat, aceruum ſedentem, fœnúmque affatim comedentem. Quæſitus, quid iſthic ageret, reſpondit: quid ſtulti quæritis? Nónne ex hero audiuiſtis, grauem annonæ caritatem ante fores, hominibúſque gramine & fœno veſcendum eſſe? Eapropter periculum feci, vt ventriculus meus nouo iſti cibo paulatim adſueſceret.

Cauſſam huius voracitatis etiam in cadauere inuenire, procul dubio erit difficillimum. Poſſet quidem ad illud, quod in cadauere Lazari vitriuoracis obſeruauit Columbus, quidam confugere, & ſtatuere, quartam illam neruorum conjugationem, quæ guſtus gratiâ in hominibus à natura producta eſt, neque ad palatum, neque ad linguam pertendere. Verùm hoc modo ſaltem guſtûs aboliti cauſſa redderetur, nondum verò cauſſa daretur, cur res tam miras aſſumere ſine ventriculi læſione, imò concoquere potuerit. Quæ procul dubio in ἰδιοσυγκρασίᾳ & peculiari conſtitutione ventriculi & inteſtinorum quærenda eſſet: quę tamen oculis inueſtigari non poteſt, ſed ſaltem ex effectu patet.]

*Cauſſa.*

Affici autem in hoc affectu orificium ventriculi extra controuerſiam eſt: Idque etiam teſtatur Galenus, 5. *de loc. aff. cap.6.* cum orificium ventriculi ſedes appetentiæ ſit. Quia tamen idem Galenus, 1. *de ſympt. cauſſ. cap.7.* in pica etiam tunicas ventriculi prauis humoribus imbutas eſſe ſcribit, ſciendum, affectus hujus ſedem propriam eſſe orificium ventriculi: cauſſam tamen & humores vitioſos præcipuè in tunicis hærere. Si enim omnes iſti humores orificium ventriculi occuparent, cardialgiam & morſum excitarent, ſed ſatis

satis est, si in tunicis hæreant, è quibus vel pars aliqua eorum vel vapor ad orificium ventriculi ascendens appetitum hunc vitiosum excitat.

*Caussa.*

Caussa. Caussa huius appetitus est humor vitiosus praua qualitate præditus tunicis ventriculi inhærens,& hinc orificium ventriculi affligens. Quænam autem huius humoris natura sit,& quænam illa qualitas, quæ hanc affectionem excitat, integrè vix explicari potest. Hinc Platerus venenatam & malignam qualitatem esse scribit. Occultam esse facilè concedimus:venenata verò vt sit,necessarium esse non putamus, neque venenati humoris indicia & effectus hic adsunt. Humor autem ille plerúmque ab vtero in grauidis & aliis mulieribus à mensibus suppressis suppeditatur, interdum & à liene vel aliis partibus: Quandóque in ventriculo à vitiosis alimentis & mala coctione generatur. An autem in picâ humori prauo contraria, an verò similia appetantur, vide infra *in quæstione*.

*...pica à ...ssa venenata oriatur?*

*Signa diagnostica.*

Affectus hic facilè cognoscitur,& ex solâ ægrotantis relatione percipitur,qualia appetat.Adest præterea languor,cum ciborum salubrium fastidio,interdum ventriculi morsus, anxietas, crebræ exspuitiones, nonnunquam & vomitus, quæ materiam in ventriculo cōtentam patefaciunt.

*Prognostica.*

*...gnostica.*

1. Melius est,si qui hoc affectu laborant acida & acuta appetant; peius si res planè à naturâ alienas, teste Auicenna, 3.*Can.fen.*13.*tr.*2.*c.*20.

2. Periculo hoc malum non vacat,& sæpe in cacochymiam, hydropem, & plurima alia mala degenerat. Quanquam enim fœminas præcipuè, quæ tali affectu laborant, sæpe talia præter naturam sine damno comedisse obseruatum sit:tamen si malum diu duret,fieri non potest, quin praui humores inde generentur. Neque semper sine omni noxa talia ab iis assumuntur, refértque Brassauolus,5.*aphor.*24.*in Comm.*se nouisse mulierem, quæ mota desiderio bibendi glaciem in maxima incidit mala.

*Curatio.*

*...atio.*

Humor prauus in ventriculo symptomatis huius caussa euacuandus & tollendus est; ventriculus verò,si quam intemperiem conceperit, alterandus & roborandus,ne prauos humores deinceps facilè recipiat.

Ad humores vitiosos in ventriculo euacuandos hîc commodissimus est vomitus, qui decocto raphani aqua tepidâ cum butyro moueri potest, etiam in prægnantibus, cum experientia doceat, prægnantes sæpe spontè primis mensibus sine omni damno vomere. A fortioribus tamen vomitoriis abstinendum in prægnantibus. Auicennas, si æger lutum appetat,illud in aqua dissolutum miscet cum medicamentis vomitoriis & sale, & de exsiccato in Sole præbet Dr.i. cum aqua vel decoctó vomitorio, vt prouocato vomitu æger à luto deinceps abstineat. Alij eâdem intentione de carbonibus, creta & aliis, quæ appetuntur præter naturam, aliquid in spiritu vini dissolutum propinant, & post horam vomitorium medicamentum, si æger sit facilis ad vomitum; sin minus, medicamentum aliquod purgans exhibent. Ita enim præsentia rei exhibitæ eius desiderium tollit, & humor prauus illius desiderij caussa simul è corpore euacuatur. Si humor vomitu commodè purgari non possit,præparandus & per aluum euacuandus est. Et quia humoris huius natura

*...parantia ...er aluum ...euantia.*

& peculiaris qualitas planè occulta est, medicamenta ita præparanda, vt omni ferè humorum generi accommodata sint.

Vt ℞. *Meliss.rutæ,betonic.origan.*an.M.ß.
Coquantur in s.q.aquæ.
Colaturæ ℞.℥.v. *Syr.de menth.beton.oxymel.s.* an.℥.j.M.pro 2.dosibus.Deinde

℞. *El.diacathol.* ʒ.iii. *confect. hamech.* ʒ.ii. *agar. trochis.rhabarb.elect.* an.Scrup.i. *cinamom. macis.schœnanth.*an.gr.vi.Cum *facch.*

F.Bolus.

Vel exhibeantur pilulæ polycrestæ.

Si fœmina,quæ non sit grauida,ab obstructione mensium in hunc affectum inciderit, vena in malleolo, vel poplite secetur,& postea medicamenta menses promouentia exhibeantur.

Postea danda opera, vt homores tunicis impacti absumantur,& ventriculus roboretur,quod fit diamoscho, diambra,aromatico rosato,theriaca,Mithridatio. *Ventriculum roborantia & humores absumentia.*

Mercurialis vt singulare experimentum commendat hoc:

℞. *Sem.sinapi,* ℈.ß.*ossium columbar assatorum & in cinerem redactorum,*ʒ.ß.*sem.portulac.*℈.ii.*succi cydon.*℥.ij. *facchar.albiss.*℥.iij.

Misce ad ignem lentum.Dosis Vnc.ß.

Alij hoc laudant.

℞. *Conseru.rosar.borrag.bugloss.* an.℥.i. *spec.diamarg. vtriusque* an.ʒ.i.*fragm.lap.*v.*pretios.*Scr.ii.

Subtilissimè misceantur cum syrupo rosar.

F.Electuarium,cui adde,si libet, folia auri duo.Dosis est ad magnitudinem nucis moschatæ.

Ad ventriculum roborandum commendat Aëtius succum mali punici cum puluere menthæ siccæ, quod grauidarum malaciæ experi, ad abortum præcauendum, antea etiam è Plinio diximus. Item portulacam, quam Rabbi Moses,2.*aph.*6.à proprietate occultâ valere contrà appetitus deprauationem scribit. Trotula, *de pass. mulier. cap.*15. Fabas laudat coctas vel conditas cum saccharo, quod omnes prauos appetitus in mulieribus adimant. Laudatur & ruta in hoc affectu. Item semen cucumeris excort. polygoni atque anethi decoctum,atque alia,quæ videantur apud Aëtium,*tetrab.*4.*s.*4.*cap.*11.

Extra Aëtius formâ cataplasmatis imponit œnanthen,balaustia,rosas,myrtum,smyrnij succum, sem.fœniculi coctum cum vino, dactylorum carnes, vino coctas & tritas formâ emplastri,aut mala cydonia trita cum oleo rosar.seu nardino,cuius generis alia plura supra *de intemperie ventriculi* sunt proposita. *Externa.*

*Diæta.*

Cibi varij & iucundi ægro offerantur, quibus à prauorum appetitu auocetur. Dulcium tamen vsus sit moderatus,vel cum adstringentibus misceatur.Si æger appetat cretam,Auicennas & Aëtius amylum recens præbere iubent. Ad discutiendos prauos in ventriculo humores, vtile est, ante cibum oliuas vel cappares sale & aceto conditas exhibere. Excitant etiam appetitum naturalem, & os ventriculi detergunt, amygdalæ amaræ cum pane exhibitæ. Item cichorij decoctum in aqua & sale oleo & aceto conditum. Olei loco iusculum carnis sumi potest. Roborat etiam ventriculi os panis in succo cydoniorum, granatorum,limonum, aut arantiorum acidorum maceratus. Potus sit vinum generosum subastringens. *Diæta.*

An autem cibi praui & alieni à natura hominis, qui auidè ab ægris eiusmodi appetuntur, sint concedendi, consideratione dignum est. Historiæ quidem à medicis passim annotatæ sunt, quod à plurimis cibi eiusmodi alieni à natura hominis sine damno assumpti fuerint in maximâ copiâ. Obseruatum tamen quoque est ab eiusmodi prauis rebus, & à naturâ humanâ planè alienis

quosdam læsos fuisse. Itaque existimant nonnulli, si res planè absurdæ sint, ac præter naturam, non esse concedendas. Cum grauidis tamen omninò cautè & prudenter agendum; quoniam si planè denegentur res, quas auidius expetunt, offenduntur, vel abortum patiuntur, vel stigma infantibus imprimunt. Contra tamen etiam vix fieri potest, quin à talium rerum vsu offendantur. Itaque danda opera, vt illis blandè persuadeatur, ne sibi in talibus indulgeant, atque ea, quæ damni & ipsis & fœtui aliquid afferre possunt, non nimis auidè appetant, aut certè si appetitum cohibere non possint, parcè saltem degustent. Suadent quidem nonnulli, grauidas huiusmodi mulieres decipiendas esse edulibus ex saccharo & amylo figuram & colorem rei, quam appetunt, referentibus: Sed rectè monet Herc. Saxonia, talia non multum posse conferre & vix appetitum explere; cum non colorem & figuram, nec amylum & saccharum, sed substantiam certam appetant.

## QVÆSTIO.

### *An in Pica humori prauo contraria an vero similia appetantur?*

An in Pica humori prauo contraria an verò similia appetantur, inter autores disceptatur. Cum Auicennâ plerique hîc statuunt, naturam hîc poscere contraria, quasi remedia ad profliganda ea, quæ præter naturam sunt in ventriculo. Alij contrarium sentiunt, idque ideò, quod vomitu reiiciantur humores non contrarij, sed similes; acida nimirum appetentes nihilominus acida euomant: & si appetunt contraria, caussam non patere putant, cur non appetant contraria consueta potiùs, quam insueta, & à natura alienissima. Ipsi verò similia appeti existimant. In qua sententia est Rondeletius, cum quo consentit Mercatus, *de intern. corp. morb. curat. l.* 3. *cap.* 3. Idque ideò, quia humores ij praui quasi connaturales & eorum temperamentum quasi habituale factum sit. Cum enim humores vitiosi quasi domestici & familiares facti sint, natura ad eorum quasi similium conseruationem similia appetere. Aliis nec ista opinio placet. Si enim appetant similia, iisque fruantur, augeretur malum; cum tamen sæpe nil tale accidisse compertum sit. Videmus præterea prægnantes sæpe vomitu reiicere humores salsos vel acidos, & tales tamen non appetere. Quæ etiam calci, carbonibus, crudis carnibus ac similibus cum humoribus conuenientia? Ergo hîc non in qualitatibus manifestis acquiescendum, cum ex iis huius symptomatis & appetentiæ tam mirabilis caussa reddi non possit. Ideóque etsi probabile sit, ex simili potius, quàm contraria qualitate appetentiam hanc prouenire: tamen quænam illa sit qualitas integrè explicare difficile, imò impossibile est: cum res, quæ appetuntur, nullam cum humoribus vel dulcibus, vel salsis vel acidis, in manifestis qualitatibus conuenientiam habeant.

## CAPVT VI.

### *De Potus appetitu læso, & primò de siti deficiente.*

VT circa appetitum cibi quædam symptomata contingunt; ita etiam circa potus appetitum quædam accidunt. Et vt appetitus cibi seu fames nunc imminuitur, nunc aboletur, nunc intenditur, nunc deprauatur; ita quoque appetitus potus seu sitis vel imminuitur, vel aufertur, vel intenditur, vel deprauatur. Verum rarius est, vt quis potum omninò contra naturam appetat, ideóque saltem de siti deficiente & nimiâ dicemus.

*Sitis deficit.* Et primò quidem interdum sitis vel exigua vel etiam nulla percipitur, refértque Platerus, *in obseru.* Marchionem quendam, Legatum à Rege Gallorum in Italiam missum, nihil penitus bibisse, idque à teneris sibi consuetum fuisse ipsum fassum esse. Cum autem, vt famis, ita & sitis sedes sit orificium ventriculi, & sitis fiat ob defectum humidi; etiam sitis nulla fiet, cum defectus ille humidi non adest vel non percipitur. Prius fit, cum intemperies ventriculi frigida & humida adest, aut humor frigidus dulcis multus orificio ventriculi inhæret, aut cum aër frigidus & humidus aut cibi tales id humectant. Caussæ denique, quæ venarum suctionem, & corporis euacuationem impediunt, ac excessus omnino humoris ac frigoris in corpore, faciunt, vt sitis nulla excitetur, de quibus in ablatâ & imminuta cibi appetentià dictum.

Defectus autem humidi siue fames non percipitur ob easdem caussas, ob quam læsa facultate sentiente suctionem non percipi diximus. Id accidit sæpe in delirantibus. Ita Hippocrates, 3. *Epid. comm.* 3. *aph.* 44. scribit: quosdam in febre ardente non sitiisse, qui iidem phrenetici non senserint, quicquid paterentur, impedita facultate animali sentiente ob cerebri vitium. Consuetudo etiam huc multum facit, videmúsque quotidie poculis assuetos continuò sitire: aliàs contrà rarò & per diem, imò biduum non sitire.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Quod æger sitim nullam habeat, ex eius relatione facilè cognoscitur. Et si non deliret, ac facultas sentiendi salua sit, indicio est, ex humiditate & frigiditate ventriculi vel totius id fieri, nisi forsan consuetus sit rarò bibere.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Ablata vel imminuta sitis curationem per se ferè non desiderat, dommodò appetitus cibi adhuc constet, qui in nutriendo animali primatum obtinet. Et multos rarò & parcè omnino bibere, aliquos etiam diu à potu abstinuisse compertum est.

2. Infaustus morbi exitus metuendus est, vbi vel deficit sitis, quando maximè adesse debebat; vel intensa, quæ aderat, euanescit præter rationem, vt in febri, præsertim ardente. Tum enim vel virtutis animalis oppressæ, vel natiui caloris & appetentis facultatis in ventriculo extinctio significatur. Galenus, 3. *Epid. comm.* 3. *aph.* 14.

### *Curatio.*

*Curatio.* Si ob humidam & frigidam intemperiem & humores in corpore abundantes sitis non adsit, eadem curandi ratio est, quæ appetitus à simili caussa deiecti, & appetitus cibi restitutus plerúmque etiam potus appetentiam reparare solet.

Si à Delirio sit sitis, & ægri à potu abstinentia incommodi aliquid allatura sit, ægro multis modis persuadendum, vt bibat. Idem faciendum, si qui parcius bibant, & inde alui obstructio sequatur, vel ciborum distributio impediatur.

### *De Liquidorum auersatione & Hydrophobia.*

*Hydrophobia.* Interdum etiam accidit, vt æger potum non solum non appetat, sed & auersetur ita, vt ad aquæ etiam conspectum tremat, aut conuellatur. Imò non solùm aquam sed & liquida omnia quosdam auersatos fuisse ita, vt nec sonitum eorum, nec nomen ferre potuerint, compertum

compertum est. Refértque Platerus, *lib.* 1. *obseru.* Mulierem quandam nec aquam, nec vinum, nec iuscula, nec aliud liquidum deglutire potuisse, sed hisce oblatis suffocationis periculum incurrisse. Imò ex contactu & conspectu rerum liquidarum, & quod mirum, vbi aërem nonnihil agitatum vel auram lenem sensit, idem passam esse. Plerique hunc affectum & rabiem caninam pro eodem habent. Verum vt etiam dictum, *lib.* 1. *pract. part.* 2. *cap.* 16. etsi qui rabie Caninâ laborant, omnes etiam hydrophobiâ corripiantur: tamen etiam sine rabie ex aliis caussis hoc malum induci potest, vt historiæ ibidem allegatæ testantur. Nam mulier, cuius P. Salius Diuersus, *de affect. part. cap.* 19. meminit, illa post febrem pestilentem & dysenteriam in hydrophobiam incidit, & octauo die mortua est. Et fœmina, cuius Platerus mentionem facit, ex terrore hoc malum contraxit. Vt ita hydrophobia latius pateat, quam rabies: cum rabies solum ab alio rabioso animali communicetur: Hydrophobia verò etiam ex interno humorum vitio generari possit, vt historiæ allegatæ satis testantur.

*[R]abies Cani[na] & hydro[ph]obia an sit affectus?*

Quæ autem caussa sit: cur ita ægri hi aquam & omnia liquida auersantur, de eo dictum est in Institut. *lib.* 2. *part.* 3. *sect.* 2. *cap.* 4. & prolixè hac de re disputat Iohan. Baptista Codronchius, *lib* 1. *de hydrophob. cap.* 13. (qui tamen hydrophobiam & rabiem pro eodem affectu habet, sed malè.) Verum operæ pretium non videtur pluribus hac de re disputare; cum res tandem eò redeat, & omnes confiteri necessum habeant, malum hoc non à primis & manifestis qualitatibus, sed occultis ortum habere, & peculiarem ἀντιπάθειαν huic veneno seu ab animali rabido communicato, seu in corpore genito cum omnibus liquidis habere ita, vt siue gustentur, siue tangantur, siue audiantur, homo summè lædatur. Vt enim à tarantulâ demorsi musicæ sono iuuantur: ita liquidorum vsu vel aspectu hi valde læduntur. Frustra verò se macerant, qui ex manifestis qualitatibus huius rei caussam reddere conantur.

Malum verò hoc planè periculosum est, & vix aliqui euadunt, testantúrque historiæ è Marcello Donato, Petro Salio Diuerso, & Platero allegatæ alios tertio, alios quinto, alios octauo die mortuos esse. Si quid tamen remedij adhibere licet, ea proculdubio adhibenda, quæ rabidis dantur; cum venenum hoc cum illo conuenientiam sine dubio habeat, de quo *lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 16. actum. vbi etiam ex Celso dictum, ad præseruationem ab hydrophobia remedium esse, non opinantem in aquam proiicere; scribitque hac de re etiam Lemnius, *de occultis nat. mirac. lib.* 3. *c.* 5. Oceani accolas demorsos à cane rabioso certatim ad mare rapere, etiam brutas pecudes, & septenis vicibus immergere, non superstitione obseruato isto numero, sed vt efficacius virus eluatur.

## CAPVT VII.

### De siti Nimia.

*[Sitis] nimia.*

FRequentissimum autem malum est sitis nimia. Potus nimirum nimia appetentia, cum scilicet extra tempus cibi capiendi, quo alias naturalis sitis oboriri solet, sitis hominem vrget, vt & maiorem potus copiam & frequenter eum appetat. Et quidem plerumque cum febribus, aliquando & sine his Symptoma hoc hominem molestat.

### Caussæ.

Caussæ autem sitis nimiæ rectius inuestigari non possunt, quam si sitis naturalis caussam expendamus. Hæc enim si nimia & vehementior reddatur, sitim nimiam parit. Fit autem sitis naturalis ab appetentiâ humidi, quod absumptum est, ob quod suctio in orificio ventriculi excitatur. Ideóque caussæ omnes, quæ sitim nimiam excitant, ad siccitatem seu humoris inopiam redigi posse videntur: Galenus tamen, 1. *de simpl. med. facult. cap.* 30. caussas in duas dispescit, & sitim prouenire scribit vel ob humoris inopiam, vel ob caloris copiam. Vnde Mercatus sitim nimiam duplicem constituit, non naturalem & præternaturalem. Illam fieri docet, ex defectu roridæ substantiæ, quam sequitur appetitus naturalis, in cuius subsidium venæ vsque ad os ventriculi sugendo sensum tristem inferant, quem sequitur sitis, appetitus scilicet frigidi & humidi, qui quidem naturalis appellari posset, quod naturæ ordine procedat ab inanitione ad appetentiam. Quia tamen proficiscitur à causis, quæ præter naturæ modum operantur, non naturalem nominat, quæ non solum à caussis præter naturam, sed & contrario siti naturali modo excitatur. Incipit hæc sitis à calore & desinit in siccitatem, & primario expetit frigida, secundario verò humida, atque incipit non ab inanitione membrorum, sed consumptione roridæ substantiæ ipsius ventriculi, ac postea desinit in consumptionem reliquarum humidi partium.

*Sitis duplex secundum Mercatum.*

Excitant autem sitim priorem & non naturalem à Mercato appellatam omnia, quæ roridam totius corporis, & consequenter etiam ventriculi substantiam dissipant, siue extrinsecus accidant, siue intra corpori inhæreant. Ita labor, vigiliæ, inedia, immoderata aliqua corporis euacuatio, & huius generis alia, quæ humidum absumere possunt, sitim excitant. Atque hæc sitis non solum potu, sed & alimento liquidiore ac humidiore sedatur. Sitis verò præternaturam, quæ à calore incipit, & mox sibi siccitatem accersit, caussæ possunt esse omnia, quæ humidum ventriculi nimium calefaciunt, & in eo feruorem excitant, siue ea Intemperies in ipso ventriculo excitetur & consistat, siue ob vniuersi corporis aut partis ventriculo vicinæ vel connexionem, vel consensum cum ea habentis calore ea accendantur.

Ita pulmonibus calefactis & excalescentibus maxima sitis excitari solet. Idem accidit calefacto & inflammato hepate. Item ob Renes.

Caussæ, quæ calorem illum, siue in ventriculo, siue in aliis partibus excitare possunt, sunt aer calidus, cibi nimium sale, pipere & aliis calidis conditi, & calidorum medicamentorum, itémque vini meracioris vsus, vt & medicamenta fortius purgantia, aut venena exiccantia, vt viperæ morsus, aut vinum, in quo vipera extincta est. Item motus vehemens linguæ & partium vicinarum, vt diuturna lectio & peroratio; ac omnia, quæ facilè in bilem mutari, aut calorem præter naturam vel in ventriculo, vel toto corpore, vel membro aliquo, à quo ventriculus calefieri possit, excitare valent.

Ego tamen malim sitim istam præter naturam non solum à calefacientibus, sed etiam à siccantibus primò deducere; cum videamus quædam non tantum primò calefaciendo, sed & primò siccando, sitim excitare. Etsi enim ad dispositionem, quam sequitur sitis, præcipuè caloris actio multum possit: tamen sine insigni calore siccantia non rarò idem præstant. Et si vtriusque qualitatis excessus coniungatur, sitis vehementior excitari solet. Hinc in febribus acutis & ardentibus vehemens sitis ægros affligit.

Siccando autem sitim excitant cibi sicci: & sæpius humores serosi, atque hinc Hydropici valde sitiunt, ob nimiam humoris salsi copiam.

Atque vt hæc contrahamus, sitis nimiæ, siue non naturalem siue præternaturalé appellare libeat, caussæ sunt illa omnia, quæ humiditatem ventriculi absumunt, aut calefaciendo, aut siccando, aut vtroque modo: siue id fiat in toto corpore, ita vt suctio tandem vsque ad orificium ventriculi pertingat, siue tantum & præcipuè in ipso

ipſo ventriculo vel gulâ,vel lingua ac palato, quæ partes communem cum ventriculo tunicam, quâ teguntur,habent.

*Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* An ægri ſitiant, & quantum ſitiant, ipſi patefacere ſolent. Vt verò cauſſa rectè dignoſcatur,ſignis opus eſt Sitis nonnaturalis,quam appellat Mercatus, cognoſcitur è cauſis, quæ præceſſerunt, neque cibi faſtidium facilè adeſt. Sitim verò,quæ ex calore & ſiccitate diſſipante & abſumente humidum ventriculi prouenit, indicat cibi faſtidium,calor & ſiccitas ventris & vicinarum partium,& ſapor aliquis præter naturam amarus,ſalſuginoſus,nitroſus;fauces ſunt aſperæ.

An verò calor & ſiccitas primò in ventriculo ſit excitatus,an verò è toto corpore,vel parte aliquâ vicina, aut cum ventriculo conſenſum habente, facilè è ſignis cognoſcitur. Febres enim ſua ſigna habent, & facilè ex iis innoteſcunt. Ita etiam patefit, an à cauſſa aliqua euidente, vt æſtu aeris, irâ, vſu ciborum calidorum vel ſalſorum vel aliorum,quæ ſupra recenſuimus, ſit excitata.

Et quidem an ſitis ſolum ex humore bilioſo vel ſalſo ventriculum obſidente, aut è primis viis vapores calidos ad os ventriculi mittente; an verò ex pulmonis & cordis æſtu excitetur,diſcernere & vtile eſt,nec difficile. Nã quæ ex pulmonis & cordis calore excitatur ſitis,cognoſcitur ex calidiſſimi ſpiritus efflatione, à quo & os aridum redditur,difficiliſque eſt ſermo propter tracheæ & laryngis ſiccitatem ſitiſque illa potu parum vel nihil ſedatur,cum parum eius ad pulmones perueniat;ſed potius frigidi acris inſpiratione. Ita ſi hepatis vel alterius partis ventriculo vicinæ inflammatio ac æſtus adſit, ea è ſuis ſignis cognoſcitur.

*Prognoſtica.*

*Prognoſtica.* 1. Sitis præter naturam malum non eſt contemnendum,quoniam & nutritioni corporis obeſt,& vires valde deiicit,& quia ſitientes ſæpè appetitui indulgent, & nimiam potus copiam aſſumunt,inde in cachexiam,& alios grauiſſimos morbos incidunt, imò ſæpe mortem ſibi attrahunt,vt poſtea dicetur.

2. Sitis immoderata inſignem in corpore ariditatem & exuſtionem arguit, quam non externa aliqua cauſſa, ſed acutiſſima febris attulit,& adhuc fouet,& propterea periculum arguit.

*Curatio.*

*Curatio.* Sitis illa nonnaturalis nominata, cum ob ſubſtantiæ roridæ defectum, & quidem non ſolum in ventriculo, ſed & in toto corpore oboriatur,cibo potius,quam potu ſedatur, & propterea eam potus, vt potus, non ſedat, ſed potius alimentoſæ partes, quæ in potu ſunt, qua ratione Hippocrates ſcripſit, 2. *aphor.* 11. *Facilius eſt, refici potu, quam cibo.* Ideóque hanc ſitim aqua non extinguit, licet eam aliquo modo leniat, quinimò aquæ potu ſæpe in hâc ſiti vomitus, alui fluxus & alia mala facilè excitantur. Cum enim ſitis iſta aquæ potu non ſedetur, eam copioſius ingerunt ægri, atque ita corpori nocent.Ideóque initium curationis fiat ab humectatione, cui mox ſuccedat lenis refrigeratio, & hæc ſitis ſolum humidi deperditi inſtauratione miteſcit. Ac propterea ad ſitim hanc ſedandam etiam potus vini prodeſt.

Sitis verò præternaturalis indicat humectantia & refrigerantia,& refrigerantia ac humectantia ſitim hanc quacunque de cauſſa genitam tollunt. Simul tamen ad cauſſam reſpiciendum, & an ſitis ſola, & ſine alio morbo ſuccreuerit, an verò alium morbum ſecuta ſit, conſiderandum. Si per ſe orta eſt, à cauſſa vel interna vel externâ oriri poterit. Si ab externâ, illâ remotâ, & eius prouidentia habitâ, frigidis, frigidóque potu ſedatur. Si verò à cauſſis internis ortum trahat,cauſſæ quælibet conuenienti modo tollendæ,& ad quamque cauſſam potus ratio moderanda.

Quæ enim ex ingenti calore oris ventriculi prouenit ſitis, quam humiditatis naturalis in eo excitauit efferueſcentia, frigidæ aquæ potus tollit, præſertim ſi cibi eiuſdem qualitatis ſint participes, & ſufficit tum bis terve bibere. Verum ſi ſiccitatem iam contraxerit orificium ventriculi naturali eius humiditate reſolutâ & abſumptâ, idem potus quidem requiritur, frequentius tamen & parcius dandus hic, humectantibus admiſtis, qualia ſunt: Syrupus violarum, bugloſſæ, item mucilagines,cum iuſculis ac alimentoſis potibus. Si verò ſitis cum alio morbo coniungatur,humectantia & refrigerantia eam quidem leniunt,vix tamen planè tollunt, neque ſitis integrè ceſſat, niſi affectu, cuius ſocia eſt, ſublato.

Humectantia & refrigerantia quod attinet, primò quidem oris refrigeratio ſitim valde ſedat. Ergo ſæpe os colluatur aquâ frigidâ, præcipuè addito modico aceti,aquæ hordei, lactucæ,emulſionis ſem.4.frigid.maior. papaueris. Detineantur in ore pruna acida, vuæ paſſæ, fruſtum mali citrij, melonis, perſici, grana mali punici, cydoniorum, folia acetoſæ, caules lactucæ, portulacæ, rad.glycyrrh. recentes, in frigidâ ſingula madefacta.

V E L

℞. *Glycyrrh.* Drach.vi. *ſem.cucum.ſatiui* Vnc.ß. *tragacanth.*Drach.ij.

Miſceantur & fiant Trochiſci ſublinguales.

℞el ℞.*Sem.portulacæ,tragacanth.*an.℥.ß.*ſem.4.frig. maior.excortic.lactucæ* an.ʒ.iii. *ſantali gummi Arab.* an. Drach.ß.

Terantur & cribrentur,ac cum *aq. roſar. & mucilag. ſem.pſyllij*

F.Trochiſci.

Vel ſemina pſyllij aut cydoniorum excorticata ligẽtur in nodulo ex linteo albo,raro,qui maceretur in aqua frigida,& ſuper lingua ponatur.

Vtiles ſunt & mucilagines ſem. pſyllij, cydoniorum,vt:

℞.*Sem.pſyllij cydonior.*an.℥.i.*aqu.f.*℔.ß.

Macerentur per noctem, deinde diligenter conquaſſentur,& abiectis ſeminibus addatur *violar.*℥.i.

Nonnulli & cryſtallum ac corallium in ore detinere iubent.Vtile eſt & Rob ribes, ſuccus de agreſta, de acetoſa,acetoſitatis citri,vinum granatorum,caules lactucæ conditi:de quibus etiam aliquid deglutire licet.

Optimè autem aqua actuali ſua frigiditate ſitim pellit, eaque omnibus animalibus ad ſitim ſedandam communis potus eſt;de cuius recto vſu in doctrina de febribus dictum.Cautè enim vſurpanda, cùm, ſi auidius potetur,grauiſſimorum malorum & mortis ſæpe cauſſa ſit. Ita refert Antonius Beniuenius, *de abditis morborum & ſanat.cauſſ.cap.6.*Iuuenem quendam Febre ardente correptum, cum ſiti vrgente frigidiſſimam aquam potaſſet, intra paucas horas mortuum eſſe.Et Amatus Luſitanus, *cent.2. cur.2*, hiſtoriam iuuenis ex aquæ frigidæ potu mortui recenſet. Narrat quoque Foreſtus, *lib. 1. obſeru.13.in ſchol.* magnæ ſpei adoleſcentem Valerium Cordum, cum in itinere Romam verſus ſiti vrgente aquam gelidam bibiſſet, febre ardentiſſimâ correptum Romæ mortuum eſſe. Eadem ratio eſt cereuiſiæ. Noui enim fœminam, quæ cum in febre vrgente ſiti cantharum ferè cereuiſiæ tenuioris exhauſiſſet, in hydropem incidit, à quo poſtea tamen idoneis medicamentis adhibitis euaſit.

*Cautio in aquâ a ſitim ſeda... præbend...*

Galenus acetum commendat in ſiti ex calore, quia refrigerat. Improbat verò in ſiti ex ſiccitate vel humidi inopiâ.Quod ſi ſimul coniungatur humiditas & caliditas,eius ſitis optimum medicamentum acetum eſſe ſcribit. Sin ex caliditate & ſiccitate ſit affectio, vt in febribus

bus, oxycratum seu poscam, hoc est, aquam modico aceto mistam probat, 1. *de simpl. med. fac. cap.* 30.

*Sp. vitri. & nitr. quomodo sitim sedent?* Eadem ratio est sp. vitriol. & nitr. quæ aceti loco commodè admiscentur. Vbi tamen sciendum, non frigiditate hæc, cum sint calidissima, sitim sedare, sed quia inflammationem humorum calidorum & inflammabilium, qui sitim excitant, sistunt, abs quo si sit, & solum ex siccitate & defectu humidi sitis proueniat, potius nocent.

Vtiles sunt & Emulsiones semin. 4. frig. maj. & Iulebi ex aqua simpl. vel destillata, & syrupi acidi cum aquis destillatis misti, quales sunt syrup. acetositatis citri, granator. de ribes, de agrest. oxysacchara.

*Externa sitis sedanda convenientia.* Extrà quoque nonnulla adhibentur, lotiones præcipuè pedum & manuum, & epithemata regioni ventriculi, Hepatis & cordis applicata, quæ omnia calorem totius corporis temperando sitim sedant, possuntque regioni Hepatis applicari succus cichor. Endiu. portulac. cum aceto & spec. diatrionsantal. quo modo, sæpius & felicius, quam internis, se sitim sedasse scribit Hercul. Saxonia.

*Cautio.* In talibus tamen frigidis ipsi ventriculo adhibendis cautione opus est; cum facilè ventriculum, & diaphragma vicinum lædere possint. Refert enim Antonius Beniuenius, *de abdit. morb. & sanat. causs. cap.* 15. ab emplastro nimium frigido stomacho applicato primo difficilem respirationem, hinc singultum, & postea mortem secutam fuisse.

Si æger absque febre sit, & bilis aut salsa pituita sitim excitent, & adhuc foueant, humores illi per interualla purgandi sunt pilulis de hiera, mastichinis, agarico trochiscato & aliis commodis medicamentis, ac postea intemperies corrigenda, vt supra dictum.

Si autem à febre sit sitis, in principio paroxysmi, ægroto potus non est dandus, ne æstus maior in corpore accendatur, & materia in motu suo impediatur; sed fallenda sitis iis, quæ in ore detinentur. In vigore paroxysmi deglutienda quædam præbere & collutionibus oris refrigerantibus ac humectantibus vti conuenit. In declinatione potus conceditur, nisi æger abstinere velit, vt excitatus huius frigiditate calor foràs erumpat, sudoremque promoueat. Qua de re plura de febribus dicta sunt.

In siti ex pulmonum caliditate aëris frigidi attractio vtilis, & propterea is frigidis alterandus, & continuò flores rosar. violar. nympheæ olfaciendi.

Si ex Hydrope fuerit sitis, nitroso salso ac corrupto humore ad ventriculum transmisso, non potu ea sedanda, cum is malum augeat, sed his, quæ vapores & humores demulcent. Ad quam rem mucilagines & pinguia prosunt.

Quod ad Diætam, cibus sit refrigerans & humectans, vbi caussa sitis est humor biliosus, vt lactuca, ptisana hordeacea & alij, de quibus in calida & sicca ventriculi Intemperie dictum. Fugienda, acria, salsa, amara. Æger os clausum teneat, nec multum loquatur, de consilio Hippocratis, 6. *Epid. comm.* 3. *text.* 33. vbi os claudere & silere sitim sedare ait.

Quibus noctu bibendi est auiditas, iis admodum sitientibus obdormire bonum, scribit idem Hippocrates, 5. *aph.* 7. Sæpe enim contingit noctu aliquem sitire, siue quod parcius in cœna bibit, siue quod liberalius vinum hausit, siue quod cibis salsis & acribus vsus est. Hic igitur, si sitis leuior & ἐπιπόλαιος, vt appellat Hippocrates, 6. *Epid. comm.* 4. *text.* 23. non bibendum, ne coctio ventriculi turbetur, sed dormiendum, vt in somno materia sitis caussa corrigatur, siue illa crudus succus sit, siue vapores feruidi & acres, fauces ac os ventriculi exsiccantes. Per somnum enim intrò collectus calor naturalis & sanguis viscera humectant, cibique & potus acrimoniam temperant. Si verò sitis valde vrgeat, dandus est potus, præsertim si ex humidi defectu illa orta sit, sed moderatius initiò, prius quam coctio absoluta sit. Tutius tamen semper est, noctu à potu abstinere & somno indulgere.

## CAPVT VIII.

### *De Symptomatibus, quæ in Retentione cibi & potus accidunt.*

POstquam Symptomata, quæ circa appetitum in ventriculo accidunt, absoluimus, proximum est, vt iam ea, quæ circa retentionem contingunt, explicemus. Etsi enim post appetitum sequitur deglutitio, & illa etiam lædi possit, tamen de ea supra inter affectiones gulæ seu œsophagi egimus.

*Symptomata Retentionis deprauatæ in ventriculo.* Ventriculus equidem circa cibum & potum, quem coquendum accepit, rectè coarctari, eumque rectè complecti debet. Verum hoc non semper accidit, vnde Retentionis deprauatæ symptomata accidunt. Sunt autem illa quatuor, Palpitatio quædam, veluti conuulsio, veluti tremor, veluti vibrans motus, vt ea Galenus, *de diff. symptom. cap.* 4. recenset. *Palpitatio.* Palpitatione afficitur ventriculus, quando eleuatur & deprimitur interdum totum corpus, vt in reliquis partibus fieri solet, dum à flatu crasso in eos erumpente eleuantur, & postea sponte concidunt. Appellat autem Galenus non palpitationem absolutè, sed palpitationem quandam, cum non in substantia ventriculi, seu intra eius tunicas, flatus attollens contineatur, sed in ipsa ventriculi cauitate. Huius enim Symptomatis caussa est flatus in ventriculo contentus, eumque distendens, ex cruditate & inprimis cibo flatulento ac potu copioso ortum habens. Habetque hoc Symptoma easdem caussas, quas inflatio ventriculi, & propterea etiam signa & curationem eandem.

*Conuulsio.* Deinde accidit ventriculo quædam quasi conuulsio, cum scilicet ventriculus immodicè exinanitus postea circa cibos sese constringit subitò, & cùm violentia quadam, ac quasi singultu, & proinde etiam, quæ de hoc Symptomate dici possent, ex *capite de singultu* infra, & supra *de intemperie ventriculi sicca* petantur.

*Tremor.* Tertiò veluti tremor quidam quandoque ventriculo accidit, quem Galenus *loco allegato*, ita describit: Vbi à comedendo nec κλύδων aliquis seu fluctuatio cum sonitu te infestat, nec inflatio, nec palpitatio vlla, nec singultus, sed difficultas aliàs insueta in ventre sentitur, grauatúrque is ac laborat, cupitque celeriter opus vel per inferiores vel per superiores partes abiicere, accidit præterea ructus quispiam cum displicentiâ alienâ, nec facilè interpretabilis in anhelitu difficultas sequitur: existimabis, ventriculum circa cibos constringi quidem, cæterum id veluti cum tremore fieri. Symptoma autem hoc ortum habet vel à ciborum copiâ nimiâ, vel à frigidâ intemperie, de qua supra dictum.

*Conuulsio.* Tandem etiam conuulsio veluti quædam circa ventriculi corpus, sicuti in febribus accidit, ægrique se quandam molestiam in ventriculo percipere aiunt, qualis in initio intermittentium febrium fieri solet. Fit autem hic motus, dum ventriculi tunicæ, quo tempore se circa cibum constringunt, ab aliquâ mordaci materia irrigantur, quæ vt plurimum biliosa existit & tenuis. Cuius Symptomatis caussæ & curatio ex iis, quæ de Intemperie ventriculi cum bile dicta sunt, patent.

*Curatio.* Curantur autem hæc Symptomata caussis, à quibus pendent, sublatis. Si nimirum cibi vel potus copia sit maior, quam vt eam ventriculus complecti possit, ea minuenda. Si cibus sit crassus, flatulentus, durus, talis vitandus, & is eligendus, qui minimam in ventriculo extensionem pariat, & facilè concoquatur. Si autem aliquod vitium sit in ventriculo, corrigendum,

vt

vt supra de morbis ventriculi dictum. Imperfecto etiam ciborum amplexui succurritur per medicamenta & cingulum astringens. Constricto enim & compresso peritonæo constringi quoque ventriculum necesse est. vnde alimenta rectius complectitur.

### *Ruminatio.*

*Ruminatio.*

Circa Retentricem ventriculi (etsi alij, sed minus commodè, ad expultricem referunt) accidit interdum rarum Symptoma, Ruminatio nimirum. Equidem ruminatio quibusdam brutis naturalis est, ex peculiari ventriculi constitutione. Verum si homo cibum, quem ventriculus ad coquendum assumpsit, antequam planè coctus sit, in os resumat iterùmque masticet, id planè præter naturam est. Rarum verò, vt dictum, est hoc symptoma: Eius tamen duo exempla refert Hieron. Fabric. ab Aquapend. *in tractatu de varietate ventricul. Vnus,* inquit, *fuit nobilis Patauinus, qui interrogatus de ruminatione, num esset illi libera, respondit, minimè liberam esse, sed coactam. Cogebatur enim ab assumpto cibo, circiter horam plus minusvè in os cibum attrahere & rursum mandere. Cogebatur autem ab insigni oblectatione, qua ruminandi cibum tenebatur, idque sibi esse perpetuum omnibus tēporibus fassus est. Dicebat præterea omnem cibum, siue solidum siue mollem se semper ruminare, & dum assumebat, deglutire statim absque vllo fere dentium officio, quamuis dentes fortitus esset in vtraque maxilla, vt alij homines, & os aliquando latius ac gulam, propter quam caussam literam S. proferre ægrè poterat: item sibi videbatur intra os aliquid quasi bolum continere, quod expeditam illi locutionem impediret: Ruminatióque ei & motus maxillæ ad latera longè facilior obtigerat ac cæteris. Habebatque in vsu bibendi vinum nigrum ac potens, album verò abhorrebat, præter maluaticum. Cum ægrotabat, nequaquam ruminabat, sed ab omni ruminatione tunc temporis cessabat, vt boues quoque faciunt, cum ægrotant, quod tanquam signum certum, boues ægrotare rustici habent. Obiit, & aperto cadauere inuentus ventriculus est insignis magnitudinis, & in interna superficie valde asper. His omnibus addendum omninò est, quod eius pater paulo supra frontem in capite corniculum durissimum crassitie digiti minimi, longitudine verò oliuæ Hispanicæ habebat extuberans, substantia vngui persimile. Ex quo colligi potest, parentis semen aliquam habuisse affinitatem cum cornigeris animalibus, neque mirum fuisse filium simile quid à parente contraxisse.*

*Exempla ruminantium.*

*Alter qui similiter ruminabat, fuit monachus iisdem conditionibus affectus, qui tamen marcore obiit, propterea, quod tanta auiditate cibus regerebatur in os, vt ventriculus & consequenter iecur cibi indigentia quasi perpetuâ laboraret.*

Tertium Exemplum, quod Clariss. Præuotius auditoribus suis Parauij recensuit, est de quodam viro quinquagenario Genuensi, eodem vitio ab ineunte ætate vsque in præsens tempus correpto, qui aliam rationem reddere nequit, nisi quod ipse adhuc infans matre mortuâ per biennium lac ex vbere vaccæ calidum hauserit.

Verum talia vitia vt rara sunt, ita procul dubio à primo ortu à præternaturali aliqua ventriculi constitutione ortum habent, & propterea curari non possunt.

## CAPVT IX.

### *De Chylosi seu coctione ventriculi læsa, & Imbecillitate ventriculi.*

*Χύλωσις læsa.*

PRimaria & propria ventriculi actio est Chylosis, seu cibi & potus concoctio, & in substantiam cremori ptisanæ similem, quam chylum vocant, mutatio. In ventriculo enim cibus assumptus primum futuri alimenti rudimentum accipit, vnde etiam ventriculus publicum alimenti ταμεῖον seu promptuarium appellatur.

*Chylosis læsa differentia.*

Læditur autem Chylosis & ventriculi coctio variis modis, & variis de caussis. Nam 1. interdum nulla cibi fit alteratio vel mutatio, quod vitium ἀπεψία seu cruditas nominatur. 2. Interdum longior, quam par est, mora in coquendo consumitur, aut omnes cibi partes perfectam coctionem non recipiunt, & alimentum semicrudum relinquitur, quod vitium βραδυπεψία nominatur, tarda & imperfecta concoctio. 3. Cum cibus corrumpitur, & aliam, quam debebat, naturam accipit, δυσπεψία & τῆς πέψεως διαφθορὰ dicitur. Cruditas tamen ventriculi interdum generaliter accipitur, & de omni coctionis in ventriculo ἀποτυχίᾳ & frustratione vsurpatur. Nonnulli etiam hoc malum ventriculi Imbecillitatem & debilitatem nominant. Propriè tamen prioribus duabus tantum differentiis competit. Etsi sint, qui in genere Imbecillitatem ventriculi nominant, cùm non solum coctrix, sed omnes iunctim facultates malè habent, & eâ duntaxat ratione ægrotant, vt nimirùm non extinguantur vel euertantur, seu cum inceptum opus nequeunt perficere, & in medio quasi actu subsistunt. Cruditas verò duplex constituitur, nidorosa, cum alimentum in nidorosam, & vstam quasi materiam mutatur, vt ructus vel oleum frixum vel pisces corruptos, vel simile quid referat, quæ accidit in biliosis & calidis naturis. Acida verò est, cum cibus in acidam naturam mutatur, vnde & ructus acidi percipiuntur; quæ fit à ventriculi frigiditate. Potest tamen & tertia cruditatis differentia addi, cum ob calorem debilem cibus imperfectè coquitur, & in pituitosum quid mutatur, citra tamen aciditatem.

*Imbecillitas ventriculi.*

### *Caussæ.*

*Caussæ Læsa facultas.*

Frustratur autem facultas ventriculi in coquendo, vel læsa facultate, vel ob errorem externum. Facultas læditur ob morbos ventriculi præcipuè ob intemperiem ventriculi, vt & ἀτονίαν eiusdem seu tonum laxatum, & laxitatem præter naturam, cum scilicet necessarius iustúsque fibrarum coalitus laxatur. Quod vitium etsi alij aliò referant: tamen rectissimè ad morbos conformationis refertur. Impeditur verò facultas ventriculi à tumoribus, vulneribus, vlceribus & similibus morbis supra enumeratis. Vt enim ventriculus bene coquat, naturalem constitutionem in temperie, conformatione, & vnitate habere debet. Frequentissimè verò læditur ventriculi coctio ob calorem eius debilem. Coctio enim ventriculi primariò per eius calorem perficitur. Constat autem is calor, qui coctionis autor est, ex calido innato & influente. & vt vterque ad coctionem necessarius est, ita etiam vtriusque ratione coctio ventriculi lædi potest; ac coctio ventriculi male perficitur non solùm, quia calor innatus ventriculi languidus est, sed & quia influens deficit & debilis est, id quod ægris & conualescentibus accidit. Atque hac de causâ in affectibus animi, cum calor & spiritus aliò auocantur, coctio sæpe læditur. Ideóque ad hoc genus caussæ pertinent non tantùm, quæ intemperiem ventriculi innatam debilitant, sed & quæ calorem influentem vel auocant vel dissipant. Præterea non solùm calor ipsius ventriculi, etsi is primaria coctionis caussa sit, sed vicinarum etiam partium aliquid ad coctionem facit. Dextra enim parte ventriculum hepar amplectitur, sinistra lien, supra diaphragma, ante & infra omentum ac intestina. Hæ ergo partes, si calorem ventriculi non satis foueant, vel etiam intemperie laborent, eorum vitio calor debilitatur, & non rectè coctio perficitur. Et quæ caussæ sint, quæ temperiem ventriculi euertunt, supra dictum.

Ob

*ror exter n.*

Ob errorem verò externum coctio læditur, cum nullo ventriculi vitio, sed ob aliud quid, quod extra eius constitutionem est, coctio non rectè perficitur. Galenus, 3. *de sympt.causs.cap.1.* errorem externum hic triplicem constituit: alium in excrementis in ventriculo hærentibus; alium in cibis; alium in tempore somni. Excrementa primò in ventriculo seu in eo genita, seu aliunde affluentia coctionem turbant, dum cibos, etsi boni, inquinant & corrumpunt: quæ si sint frigida, faciunt, vt acida cruditas inde generetur, aut si in magnâ quantitate adsint, etiam ἀπεψίαν efficiunt. Si sint calida & biliosa, nidorosam cruditatem pariunt, quæ modò crudos vel corruptos pisces, modò oleum frixum, modò aliud quid referunt.

Ciborum verò caussâ coctio vitiatur, dum vel in cibi substantiâ, vel in quantitate, vel in tempore, vel in ordine sumendi aliquis error committitur. Ob cibi ipsius substantiam coctio lædi potest, dum cibi vel naturâ suâ sunt corruptioni obnoxij, vel nimis duri & crassi ac coctu difficiles, vt à calore nostro satis vinci non possint; vel iam corrupti, vel crudi & non rectè præparati, id quod fit, dum vel ad focum non rectè coquuntur, aut non rectè masticantur; vel cibi natura praui, vt sunt fungi; vel quidem suâ naturâ non praui, quos tamen nonnulli ex indiuiduali & peculiari proprietate auersantur, assumuntur. Qui enim caseum, vel pisces, vel aliud quid naturâ abhorrent, illud ingestum vel assumptum nunquam in bonum chylum mutant. Pertinet huc & ciborum varietas, quando cibi multiplices, & qui facultates diuersas habent, in eodem prandio vel cœna sumuntur. Cum enim alij aliis facilius, alii difficilius coquantur, diuersasque naturas habeant, turbatio inde fit in ventriculo, teste Galeno, 3. *de vict. rat. in acut.t.* 35.

*tum ci- mendi.*

In quantitate peccatur, cum cibi nimis magnâ copia, vel prauâ assumuntur. Tantum enim cibi assumendum, quantum ventriculus vincere & satis elaborare potest: si verò nimia cibi copia ingeratur, vt à facultate vinci & coqui non possit, crudi humores inde oriuntur. Qui verò ventriculum satis robustum & calidum habentes cibum nimis parcè assumunt, iis cibus aduritur & corrumpitur.

Qualitatis error est, si cibus sit calidior, qui facilè nidorosæ cruditati materiam præbet, vel frigidior, qui, si sit magna frigiditas, ἀπεψίας, si minor, aciditatis caufa est.

Temporis ratione in cibo error accidit, quando alius cibus assumitur, antequam prior sit concoctus. Ordinis etiam aliqua ratio est. Ad coctionem enim turbandam facit, si primo loco cibi duriores & coctu difficiliores; posteriore verò molliores & coctu faciliores assumuntur.

Ob somnum coctio læditur, quando homo tempore consueto non dormit, vel parum dormit. Cum enim calor à sensuum & reliquarum actionum ministerio in corpore reuocetur ad interiora, ob caloris copiam coctio tunc faciliùs obitur, quam in vigiliis.

Sunt tamen præterea adhuc alia quædam, quæ si modum non seruent, etiam coctionem lædunt & turbant, pleraque calorem ventriculi debilitando & auocando. Si calor externus immodicus dissipando calorem internum, coctionem debilem efficit: ita vehemens & nimius animi & corporis motus post cibum coctioni multum obest. Et quantum terror vel ira in coctione lædenda & cibo corrumpendo possit, notissimum. Ita balneum vel exercitia à cibo mox instituta calorem exhauriunt, & à ventriculo auocant. Pertinent huc & omnia, quæ faciunt, vt cibus in ventriculo non rectè contineatur: quando scilicet non debitus fit cibi amplexus, vel cibus ante iustum tempus, & antequam coctus est, à ventriculo excernitur. Quæ omnia à vitio retentricis & expultricis pendet. Nam sine retentione cibum rectè coqui impossibile est. Si enim ventriculus non tam diu, quàm par est, cibum retineat, non rectè ventriculus cibum amplectatur, fit inde coctionis turbatio, rugitus, flatus, & similia symptomata, de quibus *capite præcedenti* dictum.

Nonnulli tamen caussas has aliter dispescunt, atque frustrationem chyloseos fieri docent, vel primariò & per se, vel secundariò & ex accidente. Primariò, dum sine reliquarum ventriculi actionum (retentricis puta & expultricis) vitio non rectè coctio perficitur, siue id fiat læsa facultate, siue ob errorem externum, de quibus hactenus diximus. Secundariò verò & per accidens, dum ob retentricis vel expultricis vitium coctio læditur. Retentrix autem frustratur itidem vel læsa facultate, ob morbos scilicet ventriculi, intemperiem frigidam & humidam, aut malam compositionem, natiuam scilicet paruitatem ventriculi, ob quam iustam cibi copiam nec capit nec retinet, aut solutam vnitatem; vel ob errorem externum, qui est vel caussa interna, hoc est, excrementum flatulentum cibi complexum prohibens, vel externa, vt cibus flatulentus humidus, copiosus, præcipuè verò potus nimia copia, quæ fluctuationem in ventriculo efficit, & retentionem impedit.

*Χύλωσις duplici modo lædi dicitur.*

Ob expultricem verò coctio læditur, cum ea vel aufertur, vel imminuitur, vt in Ileo, vel deprauatur, vt in singultu, vomitu, cholera, quod ipsum accidit vel ob morbos ventriculi, & præsertim qui fibras transuersas occupant, quales sunt intemperies, potissimum frigida & humida, mala compsitio, id est, angustia secundum orificium inferius ventriculi, obstructio & compressio à tumore, siue in hoc, siue in intestinis; vel ob errorem externum, scilicet humorem peccantem substantiâ, quantitate, qualitate, quando materia aut in eo genita p. n. calida, aut transmissa caussa est expulsionis deprauatæ, frigida diminutæ. Quo pertinent & externa, vt medicamenta purgantia & similia.

Atque hæ caussæ omnes nunc βραδυπεψίαν, nunc ἀπεψίαν, nunc δυσπεψίαν inducunt, prout vario modo sese habent. Απεψία, vel βραδυπεψία caussas easdem habent, quæ in ἀπεψία sunt maiores, in βραδυπεψία minores. Calor nimirum ventriculi debilis, ciborum vitia & omnia, quæ facultatem coctricem vel debilitare, vel ei resistere impedimento & esse possunt. Δυσπεψία verò calida oritur præcipuè ab intemperie ventriculi calida, quæ cibos adurit & corrumpit. Præbent ei etiam caussam cibi natura sua calidi & biliosi, facilè corruptioni obnoxij, & praui succi varii, humores biliosi in ventriculo collecti vel ad eum transmissi. Corruptionis verò acidæ caussæ sunt intemperies nimis frigida, humorum pituitosorum redundantia, & ipsa alimenta valde frigida.

## *Signa Diagnostica.*

*Signa.*

Coctionis ventriculi vitium præcipuè ex effectis excrementis mutatis, ructibus & similibus, quæ in coctione accidunt, symptomatibus ac nutritione læsa cognoscitur.

Et quidem ἀπεψία cognoscitur ex ructu, qui etiam post sex vel septem horarum spatium, quo aliàs in sanis cibi si non perfectè coqui, tamen mutari solent, ciborum naturas ac qualitates refert. Si cibi incocti & non mutati vomitu reiiciantur, vel per aluum excernantur. Si præcesserunt caussæ ventriculum valde refrigerantes, vel assumpti cibi sint coctu difficiles, & adsint alia signa frigidi ventriculi: & tum æger læditur ab iis, quæ ventriculum refrigerant, & coctionem debilem reddunt. Commodum verò percipit ab iis, quæ calorem augent, vt aromatibus & similibus.

Coctio debilis ex iisdem signis cognoscitur, è quibus coctio ablata, saltè debilioribs. Ructus sunt acidi, grauitas, tensio, & inflatio in ventriculo percipitur,

vomuntur pituitosa, deiectiones sunt humidæ, crudæ ac pituitosæ, atque alimenta etiam coctu facilia vix longo tempore coquuntur.

Deprauata coctio cognoscitur ex ructibus nidorosis, & sapore in palato, qui similem putredinem ac corruptionem referunt. Atque ita sæpe à vaporibus eiusmodi lingua inficitur, vt omnes cibi etiam suauissimi prauum aliquem & abominabilem saporem referre videantur. Atque is sapor maximè percipitur, cum eiusmodi cibi corrupti vomitu reiiciuntur.

Causæ verò cognoscuntur hoc modo. An cibi coctu difficiles praui, maiore copia, non opportuno tempore, modo ac ordine sint assumpti, facilè ex ægri relatione cognoscitur. Si verò nihil tale præcesserit, ventriculus considerandus, & an signum aliquod morbi alicuius ventriculi suprà enumerati adsit perpendendum;& inde,ob quē morbū facultas lædatur,discendū.

An verò ex accidenti, & ob retentricem ac expultricem læsam coctio lædatur, è suis signis cognoscitur. Ablata quidem retentio innotescit ex eo,quod alimentum statim, vt fuit ingestum, euomitur vel deiicitur. Imminuta verò cognoscitur ex eo, quod citius, quam par est, deiicitur, vnde humidiores & crudiores plerumque feces deiiciuntur, quemadmodum in lienteria accidit. Amplexus verò ciborum vitiatus è fluctuatione, murmure, & rugitibus, prauisque ventriculi motibus deprehēditur.Expulsio tandem ablata cognoscitur ex Ileo;diminuta, è tardâ deiectione, deprauata, è prauis motibus tempore expulsionis, ex fluxu alui cum dolore, acri morsu, ex celeri ac intempestiua excretione.

Causæ verò horum symptomatum è signis morborum ventriculi antea propositis cognoscuntur.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Cruditas ad malorum succorum, morborúmque plurimorum generationem facit, siue ea boni seu mali succi cibos sequatur; cum errata primæ coctionis nōn corrigantur in secundâ. Deterior tamen cruditas est,à mali succi cibis. Atque ex hâc prauorum succorum varietate morbi varii oriuntur, febres, tumores, erysipelata, scabies, nutritionis defectus vel imminutio, aut nutritio vitiosa,qualis est in leprâ & similib. malis.

2. Coctionis vitium, quod ab errore externo oritur, facilius corrigitur, quam quod ex imbecillitate facultatis accidit. Externis enim illis caussis ablatis, & errore in victu mutato, ferè citra aliud auxilium symptomata tolluntur.

3. Facilius etiam emendatur vitium coctionis,quod fit ab humoribus aliunde in ventriculum bene valentem influentibus & cibum corrumpentibus aut coctionem impedientibus. Humoribus enim illis expurgatis, antequam morbum aliquem in ventriculo excitent, symptomata omnia euanescunt.

4. Pessima amara bile abundantibus cruditas est, citissimè febrim accendit, in qua cibi nidorosam qualitatem corrumpuntur. In qua verò cruditate cibi in acidam vertuntur qualitatem, ea minus nocet.

5. Minus quoque noxia est iis hominibus nidorosa cruditas, quibus aluus est aperta;grauis autem, quibus adstricta: quia in febres promptius incidunt, præsertim si ad solita opera reuertantur. Galenus,7. *meth. med. c.* 7.

### *Curatio.*

*Curatio.* Vt autem vitiata coctio emendetur, à qua caussa illa originem habeat,primò inquirendum, & caussa illa remouenda. Ea enim sublatâ coctio rectè perficitur. Quomodo verò morbi ventriculi curari debeant, in præcedentibus iam dictum. Errores quoque in victu commissi si emendentur,& rectior diætæ modus obseruetur,facilè symptomata illa euanescunt.Ideóque ablata vel imminuta coctio cum à frigido ventriculo veniat, curanda calefacientibus & alterantibus ventriculum, quæ supra in intemperie ventriculi frigida fuerunt proposita. Eodem planè modo corrigitur cruditas acida,cum & illa à caloris diminutione,vel frigidis cibis ortum habeat.

Ad ventriculum roborandum Chymici imprimis commendant spiritum vitrioli Veneris, quem acetositatem efcurinam Veneris nominant, seu spiritum vitrioli Vngarici, atque de eo scribunt, quod tantis polleat viribus, vt omnia, quæ in ventriculo contineantur, siue tartareæ, siue sulphureæ impuritates fuerint, consumat,ventriculúmque vsque adeo confortet & roboret, vt omnia concoquere queat, vt struthio ferrum concoquit ac digerit. Verùm ὑπερβολικῶς ista dicuntur. Non quidem abs re est, cum commodo sæpe eum exhiberi.Cautione tamen non exigua opus est. Neque enim in quauis ventriculi imbecillitate & morbo usurpandus, sed vbi crassi,&c, vt loquuntur, tartarei humores in ventriculo adsunt, quos consumit. Postea etiam adstringendo ventriculum roborat. Videndum tamen etiam hìc, ne quid nimis, & humidum radicale ventriculi ab eo dissipetur & absumatur, quod sæpe ab intempestiuo & nimio spiritus vitrioli vsu accidit. Vbi verò calor ventriculi languet, & humidum radicale deficit, plus obest, quàm prodest spir. &c. *Spiritus vitrioli Veneris an in imbecillitate ventriculi conueniat.*

Ad ventriculum roborandum vtilis est etiam aqua cinamomi cum succo cydoniorum destillata,mastiche, vt & spiritus mastiches, præcipue hic. *Spiritus mastich. ventriculum roborat.*

℞. *Mastiches el.* Vnc. iij. *galangæ*, Vnc. j. *spiritus vini opt.* ℔ß.

Digerantur ac destillentur.

Vbi verò nidorosa cruditas percipitur, atque illa originem habet à prauis succis in ventriculo contentis, & cibos corrumpentibus,nihil vtilius est,quàm prauos succos mox per aluum & vomitum expurgare, Imò in omni cruditate præcipuum remedium est excrementorum alui deiectio quotidiana. Vbi verò solùm ob caloris ventriculi excessum fit illa corruptio, necessum est, alimenta duriora exhibere, & cibos aceto, succo citri, & aliis acidis condire.

### *Diæta.*

*Diæta.* In omni verò coctione vitiatâ & cruditate, quacunque etiam de causa ortum habeat, bonam diætæ rationem obseruare necessarium est. Ideoque panis sit optimæ notæ,de quo Galenus,1.*de aliment fac. cap.* 2. & 4. Reliqui etiam cibi in debili coctione sint coctu faciles, & quæ causæ debilitatis aduersentur. In iis autem, quibus biliosus humor, aut aliud excrementum prauū in ventriculo colligi solet, cibi facilis coctionis facilè corrumpuntur,quod & iis accidit, qui calorem ventriculi non temperatum, sed igneum quasi obtinent.Ideóque talibus cibi coctu paulò difficiliores dandi: Succi tamen, qui è talibus cibis, qui aliàs coctu sunt difficiles, conficiuntur, si in corpus distribuantur, prauam naturam retinent, vt docet Galenus, 2.*de aliment. facult.cap.*6.

In omni etiam coctione læsa is cibus & potus fugiendus, qui ventriculo est ingratus, de quo Hippocrates, 2.*aph.* 38. Atque in eo respiciendam ad peculiarem ægri naturam ob quam accidit, vt nonnullis grata vel ingrata coctu facilia vel difficilia sint, hæc, vel illa. A cibis autem praui succi omnibus abstinendum, etsi coctu sint faciles. Nam licet principiò nihil damni afferre videantur: tamen nobis non aduertentibus progressu temporis in venis colliguntur praui humores, & ad corpus alendum inepti, qui exiguam postea occasionem nacti putredinem concipiunt, atque inde febres malignę oriuntur.Ideóque Celsi sententia,*l.*1.*c.*1. simpliciter admittenda non est, dum statuit, qualitatis ciborum nullam habendam esse rationem, modò coquan *Cibi praui succi vitandi.* *An qualitatis cibor. ratio habenda?*

coquantur. Nam licet exquisitè coquantur; nunquam tamen ex iis notæ planè bonæ succus generatur.

Repentina etiam ad contraria in alimentis mutatio sanis cauenda, & multò magis ægris, vt docet Galenus, *2. de rat. vict. in acut. text. 8. & seqq.* Varietas quoque ciborum vitanda, vt & potus. Qui cibi pridie sumti in ructibus qualitates percipiunt, & quibus hypochondria eleuantur, iis somnus longior conuenit. Somnus enim & quies coctioni & retentioni ciborum maximè inseruiunt. Decubitus in somno primò fiat super latus dextrum, vt cibus ad fundum ventriculi, vbi coctio maximè viget, citius & facilius descendat; postea verò supra latus sinistrum, vt epar ventriculo incumbens coctionem adiuuet. Auicennas tamen, vbi cibus non supernatat, mox supra sinistrum latus decumbere iubet. Corpus ante ante cibum exerceatur, post cibum verò quiescendum est. Moderata tamen à cœna ambulatio non inutilis est.

## QVÆSTIO I.

### *An Chylificatio fiat à calore?*

*An chylificatio fiat à calore.*

COctionem ventriculi calore eiusdem innato perfici communis ferè opinio est. Ab eâ tamen recessit Ferriolus, *in tract. de debilit. ventr.* ob sequentes, sed non magni momenti, rationes: 1. est, quod chylificatio non fiat calefaciendo. 2. Quod in solo ventriculo fiat chylificatio; cum tamen calor per totum corpus dispersus sit. 3. Quia in ventriculi fundo, qui tamen membranosus est, & intestinis frigidis adhæret, præcipuè fit chylificatio. 4. Quia, si calor chylificationis caussa esset, eò melior fieret chylificatio, quo calor maior esset; cum tamen in febribus & aromatum vsu etiam coctio ventriculi lædatur. 5. Quia chyli calor albus; cum tamen res, quæ calore generantur, potius flauæ vel rubræ sint, vt ex vrina & bile apparet. 6. Quia chylus temperatus est. 7. Quia homini non minus frigida, vt potus, quam calida in victu necessaria sunt; cum hæc tamen calorem alterent. 8. Quia ventriculus naturâ frigidus est. 9. Quia humida & aquea sicciori bus citius concoquuntur; cum tamen hæc in calorem reagant, atque ita eum debilitando tardius coqui deberent. 10. Cancri & conchilia, quæ sunt frigida, ea concoquunt, quæ animalia calidisima non possunt concoquere.

Verùm ad omnes has obiectiones facilis est responsio, si explicemus, quomodo accipiendum sit, quando dicitur, calore ventriculi chylificationem perfici. Equidem non calor primarium agens est, sed anima & forma ventriculi, quæ vi χυλοποιητικῇ instructa cibum & potum in chylum mutat. Calor verò solùm animæ instrumentum est. Cum verò anima sit immutabilis; calor verò mutari possit: Medicus de hoc potius, quàm illâ sollicitus est. Calorem autem quando dicimus, non quemuis intelligimus, sed proprium ventriculi, & actioni eius conuenientem, qualis id nulla alia corporis parte est, sicut nec vlla alia corporis pars est, quæ suâ substantiâ ventriculo exactè respondet. Neque tamen etiam hîc excludimus qualitates occultas, sed eas etiam hîc simul includimus, vtpote ad hanc actionem necessarias.

Proinde respondendum 1. Calor, quatenus calor, chylum non generat, sed quatenus animæ & formæ ventriculi, à quâ, vt agente primariò, dirigitur, instrumentum est. 2. Non quiuis calor, sed cuilibet actioni conueniens necessarius est, alius in corde, alius in epate, alius in ventriculo. 3. Ventriculi parenchyma, etsi membranosum videatur, ad hanc tamen actionem conueniens est. 4. Non quilibet calor optimum chylificationis instrumentum, sed proportionatus. Cordis n. calor ad chylificationem esset intensior: sicut contra ventriculi calor ad actiones cordis esset debilior. 5. Chylus albedine respondet substantiæ ventriculi, sicut sanguis rubedine epati. 6. Non generatur Chylus à calore excedente, sed temperato. 7. Potus, si sit valde frigidus, non iuuat coctionem, sed eam potius lædit. 8. Ventriculus non absolutè frigidus est, sed respectu saltem aliarum partium calidiorum ita dicitur. Accepit enim à Creatore quælibet pars tantum caloris, quantum ad suam actionem est necessarium. Habetque & Cerebrum & nerui & partes membrosæ suum calorem, & sine calore nihil viuit, vt habet Seneca, *lib. 1. quæst. natur. cap. 10.* Et Galenus *2. aph. 15.* calorem innatum omnium actionum naturalium caussam esse censet. 9. Humida & aquea, quatenus talia, in chylum non mutantur, sed quatenus partes alimentosas in se continent, quæ cum sint humidò dilutæ, non ita coctioni resistunt, vt sicca. 10. Cancri & conchylia alimentum sibi conueniens appetunt, & coctio illa est sui generis, nec vt in homine perfecta.

## QVÆSTIO II.

### *An calor vicinarum partium etiam aliquid ad coctionem faciat?*

*An calor vicinarum partium aliquid ad coctionem faciat?*

EtsI calor ipsius ventriculi tum insitus, tum influēs, & ita temperamentum hoc modo absolutum & perfectum proxima & sufficiens chylificationis caussa sit, atque ita alterius operâ indigere non videatur: tamen ita sapientissimus rerum Creator corpus nostrum disposuit, vt inter partes sit amicus & mutuus consensus, & vnaquæque alterius actionem promoueret potius, quam impediret. Itaque & ventriculo addidit Epar, lienem, omentum, intestina, diaphragma, quorum calor, dum naturalis est, ità comparatus est, vt calorem ventriculi blandè foueat. Quod si non fiat, calor ventriculi vitiatur, & inde eius actio læditur. Hinc accidit, vt si Epar suprà modum sit calidus, ventriculi calorem amplius amicè non foueat, sed eum potius dissipet, atque ita coctioni eius obsit. Contrà si sit frigidum, scirrhosum, calorem ventriculi extinguit. Omentum si sit pinguius, calorem ventriculi etiam fouet, & hoc modò coctionem adiuuat; contra si nimis extenuetur, coctioni obest. Eadem partium reliquarum vicinarum ratio est, quarum calor quidem non proxima chylificationis caussa est, calorem tamen ventriculi eius caussam fouet.

## CAPVT X.

### *De Singultu.*

*Singultus.*

POst coctionis in ventriculo seu chylificationis læsæ Symptomata, restant explicanda symptomata, quæ circa expultricem facultatem accidunt. Cibus in Chylum mutatus non in ventriculo retineri, nec per vomitum reiici, sed suo tempore ad intestina transmitti debet. Sed tamen natura sæpe abutitur ventriculo, & per eius orificium cum superius, tum inferius, quæ sibi molesta sunt, expellit.

Symptomata autem, quæ circa expulsionem læsam ventriculi accidunt, sunt Singultus, Ructus, Nausea, Vomitus, Cholera, Cœliaca affectio & Lienteria; quæ duo posteriora Symptomata ad alui fluxus differemus.

*An singultus ad deprauatam respirationem sit referendus?*

Inter expultricis facultatis irritatæ symptomata omnium penè Medicorum consensu Singultus, qui Græcè λύγξ, λυγμὸς & γύγγος est, refertur, vt mirer, Platerum eum ad deprauatam respirationem retulisse. Quanquam enim in singultu sonitus quidam auditur, & vocis organa in consensum aliquo modo trahuntur: tamen ex accidenti id euenit, & primarium malum

malum est ventriculi motus deprauatus ab expultrice præter naturam stimulatâ pendens, dum,quod ipsi molestum est,& tunicis eius infixum,elidere conatur. Galeno 4. *de rat. vict. in acut. text.* 69. *&* 1. *prorrhet. text.* 23. est σπασμώδης τις κίνησις, ἢ διάθεσις hoc est, conuulsoria quædam motio & affectio,& 1. *de diff. symptom. cap.* 4. *&* 3. *de causs. symptom. cap.* 2. οἷον σπασμὸς est,propterea, quod vera conuulsio solis musculis propriè conueniat. Alibi tamen simpliciter conuulsionem nominat, vt 5. *aph.* 4. *&* 7. *aph.* 3. & accidit ventriculo in singultu omnino aliquid conuulsioni simile, quale in Ructu, Nausea & Vomitu non animaduertitur.

Est autem singultus Symptoma Expultricis ventriculi, quæ quod molestum est ventriculo, illo motu excutere conatur. Motus autem is ex duobus motibus compositus est. Nam vt ventriculus id,quod molestum est,excutere queat, primò se tunicasque dilatat, postea se veluti collectis viribus constringit, corporisque sui contractione interdum aliquid,è tunicis expressum elidit, sæpe etiam conatu suo frustratur. Secundariò & Retentrix in motu isto læditur, ac ventriculus cibos non rectè complectitur.

Secundùm quam partem autem ventriculus afficiatur, authores dissentire videntur. Galenus, 5. *de loc. aff. cap.* 6. *&* 6. *aph.* 39. Singultum proprium oris ventriculi affectum esse docet. Plerique alij singultum esse affectum totius ventriculi tradunt, quod & Galenus, 2. *de sympt. causs. cap.* 6. docet, è quo loco etiam nonnulli probare volunt, ad gulam quoque singultum pertinere. Verum enimuerò quod essentiam singultus attinet, eius sedes est orificium ventriculi superius. Illud enim exquisito sensu est præditum, & propterea ad expulsionem molestorum mouetur. Si verò caussas huius mali spectes, totus ventriculus earum sedes est, ac caussa singultus modò in ore ventriculi, modò in ipso eius corpore continetur. Quod verò gulam attinet, ad eam singultus non pertinet; cum nullo alio, quam attractionis motu moueatur, & humores acres ipsi, cum lubrica sit, adhærere non possint. Errandi verò caussam hîc quibusdam dedit mala versio. Non enim Galenus, 2. *de sympt. causs. cap.* 6. Singultum in gula fieri dicit,sed in stomacho, idest,orificio ventriculi.

*Plateri opinio noua de singultu.*

Contra communem hanc omnium medicorum sententiam,qui singultum ventriculo tribuunt, sentit Platerus, qui malum hoc non ventriculo, sed septo transuerso attribuit. Singultum enim fieri statuit primò à vaporibus malignis in febribus perniciosis septum transuersum irritantibus. Secundò, Vbi ventriculi facultas expultrix primò quidem irritatur, irritatio tamen cum septo transuerso communicatur, à quo motus ille deprauatus primariò proueniat. Cum enim septum transuersum non solùm ventriculo propinquum sit, sed & communem cum ventriculo sortiatur tunicam, eosdemque neruos in ventriculi orificium insertos acceperit, etiam septum ventriculi incommoda persentire, & cum ventriculus, vt illa excutiat, insurgit, seque aperit, septum quoque motu suo ventriculum, vt illud rectius præstare possit, impellere & concutere, adiuuantibus, si magna vi opus sit, reliquis thoracis musculis existimat.

Verum enimverò etsi negandum non sit propter communem tunicam, quam habet septum transuersum cum ventriculo, id in consensum à ventriculo singultiente trahi, imò & thoracis, vt & abdominis musculos quandoque: tamen idem & in vomitu accidit, & vt facilius vomitus fiat, Diaphragma, musculi thoracis, imò & abdominis suam operam conferunt; quod etiam accidit in sternutatione. Non tamen idcirco vomitus vel sternutatio thoracis aut abdominis musculis primariò tribuenda est. Ideóque quia facultas expultrix ventriculi in singultu primariò irritatur, & proximè atque immediatè hunc motum efficit, meritò ventriculo, vt & vomitus ascribitur, sicut sternutatio cerebro; etsi à vicinis motus iste partibus adiuuari possit.

*Singultus & vomitus quomodo differant.*

Quanquam autem singultus sub eodem deprauatorum ventriculi motuum genere cum vomitu contineatur: tamen inter eos quædam est differentia, & ex Galeno, 6. *aph.* 29. vulgò statuunt fortiorem & vehementiorem motum esse singultum. In vomitu enim ea tantum, quæ in capacitate ventriculi consistunt, reiici & conatu sæpe non adeo magno; singultu verò ea, quæ in ipsius orificij tunicis penitus insident, non nisi magna vi excuti. Verum enim verò cum omnis nausea & vomitus fiat à materia in capacitate ventriculi contenta, & singultus sæpe vomitum antecedat, idemque vomitionis initium sit, quasi natura id, quod per singultum propellere nequit,per vomitum tandem, tanquam per vehementiorem motum, extrudere annitatur: ratio differentiæ non semper in loco materiæ & vehementiâ motus consistere videtur,(etsi quandoque solum hoc modo differant) sed præcipuè in loco affecto, & in modo, quo facultas in vtroque affectu agit. In vomitu enim totus ventriculus simul mouetur; in singultu verò imprimis orificium. In singultu enim expellit naturali, vel potius expellere conatur modo simili ei, quo facultas animalis vtitur, fibras scilicet ventriculi quasi concutiens, vnde singultus σπασμώδης κίνησις conuulsiuus motus appellatur, quod ad eum ferè modum in singultu ventriculus moueatur, quo in conuulsionibus musculi contrahuntur, & concutiuntur. In vomitu verò totus ventriculus ad expulsionem insurgit, & imprimis fundum eius versus superiora contrahitur, eoque motu quicquid in eo continetur, versus superiora excluditur. Nam licet omnes corporis partes vim habeant molesta à se expellendi: non omnes tamen concussione, & motu sensibili id præstant, sed eæ solùm, quæ fibras habent.

*Omnes ventri... mos lesi... expellu..., sed diuersimode.*

Hinc ventriculus in singultu, musculosæ partes in rigore, cerebri meninges in Epilepsiâ, concussione, & vibratione quadam, id, quod molestum est, expellunt: at nihil tale fit in parenchymate Epatis, lienis, glandulis & similibus.

Quî autem fiat, quod ab eâdem materia nunc nausea & vomitus, nunc singultus excitatur, caussa redditur hæc,quod in singultu irritatio & mordicatio saltem fit in orificio ventriculi, in vomitu autem pleræque ventriculi partes vellicantur. Hinc accidit, vt singultus quandoque vomitum præcedat, vbi scilicet ex materia vitiosa in ventriculo contentâ vapor aliquis vel pars humoris ascendens orificium ventriculi saltem vellicat: vbi verò materia postea totum ventriculum vellicare incipit, etiam totus ventriculus ad expellendum insurgit, & ita vomitus excitatur.

## *Caussæ.*

*Caussa.*

Vulgata equidem doctrina est ex Hippocrate, 6. *aph.* 39. Singultum cum spasmo eandem habere caussam, & prouenire ab inanitione & repletione. Nonnulli verò addunt vellicationem à materia acri. Verum si rem diligenter perpendamus, vellicatio sola vera & proxima huius mali caussa est. Cum enim singultus, quod negari non potest, fiat à facultate expultrice irritatâ, quid ad hanc rem opus vel repletione vel inanitione; cum sola vellicatio sufficiat? Et quanquam in singultu humores interdum copiosius ad ventriculum confluant: tamen non quatenus replent, singultum efficiunt, sed quatenus ventriculum irritant & vellicant. Etsi quoque in singultu causæ sæpe coniunguntur, quæ corpus exsiccant, quod sæpe in magnis euacuationibus & acutis ac malignis febribus accidit: tamem singultus oritur à caussis illis, non quatenus inaniunt corpus, sed quia caussæ illæ ventriculũ mordicant & vellicant,aut quia ex inanitione sequitur suctio & mordicatio in ore vẽtriculi: & si ex inanitione & repletione vẽtriculus cõtraheretur in singultu, nõ

posset

posset iterum extendi, neque talis vibratio fieret. Et omnino ex generatione Epilepsiæ & conuulsionis facilè colligere est, quænam caussa singultus sit.

Mercurialis equidem Hippocratis sententiam excusare & defendere conatur: sed parum feliciter. Vt enim illud saltem afferam, vt acres humores ad plenitudinem referre possit, scribit, acres humores facere conuulsionem, quia plenitudinem inducunt. Nam, inquit, sicut vasa dicuntur inanita, quoniam carent eo, quod continere debent: simili modo plena dici debent, quando continent id, quod non debebant. Quapropter quoniam in ventriculo sunt humores acres, manifestum est, ibi posse esse aliquam plenitudinem. Verum appellet sanè humorum acrium in ventriculo præsentiam plenitudinem: (quod tamen commodè semper fieri non potest; cum sæpe etiam humores quantitate pauci singultum inducere possint.) quæritur tamen, an humores tales, quatenus copiâ peccant, singultum excitent; quod certè concedi non potest, cum eundem à piperis vno vel altero grano oriri videamus, quæ tamen plenitudinem excitare & constituere nullo modo dici possunt.

Proxima ergo singultus caussa est materia ventriculum, & præcipuè eius orificium, irritans & vellicans, siue caliditate, siue frigiditate, siue acrimonia, siue praua ac maligna qualitate id præter, vel etiam res dura pungens & premens ventriculum vellicans. Ita obseruamus nonnunquam ex potu frigidæ aquæ hausto singultum fieri, qui vel sola spiritus cohibitione curatur; Ita post acrium ciborum & piperis vsum singultus excitatur. Ita pueri, qui se supra modum cibo replent, crebrò singultiunt. 1. *aph.* 13. Quò tamen magis exquisito sensu præditum est os ventriculi, eò facilius singultum patitur.

Materia autem hæc est vel Alimentum, cibus nimirum aut potus caliditate vel frigiditate, vel acrimoniâ ventriculum vellicans; vel medicamentum acrius, quale est piper puluerisatum, imprimis si vinum superbibatur, quod profundius id intro adigit; vel humor aut ichor acris & prauus; vel vapor similis; vel vermes siue mordentes, siue prauos vapores ad os ventriculi mittentes. Sunt & quædam venena, quæ singulari proprietate singultum inducunt, sicut Nicander viperam singultum excitare scribit.

Epatis etiam inflammationi singultus superuenire solet, tum quod prauus vapor aut sanies ad ventriculum mittitur, tum quia ab ipso tumore ventriculus Epati subiectus comprimitur, eiusque expultrix Facultas assiduè irritatur; quibus & communio neruorum à sexto pari descendentium addi potest. Atque ab epatis & aliarum partium vicinarum, quæ ventriculum in consensum trahere possunt, inflammatione, febris oritur, quæ singultuosa seu λυγγώδης nominatur, in qua scilicet Symptoma hoc diu permanet; vel etiam per totum morbum cum febre durat, non verò solum circa crisin accidit, & reiecto per vomitum humore acri mox cessat, teste Galeno, 4. *de rat. vict. in acut. text.* 79. Quæ accidit non solum epate inflammato, sed & in Ileo intestino, item Herniosis acutâ febre febricitantibus, vt & femoris & brachij gangræna & calcis sphacelo, vt Hippocrates docet, 2. *de fract. text.* 23. & 3. *de fract. text.* 43.

*Duræ singultum excitantes.* Præter hactenus enumerata etiam res duræ ventriculum prementes vel vellicantes singultum excitare valent.

A recentioribus enim obseruatum est, nonnullos singultiisse ex intortâ & versus ventriculum reflexa costæ extremitate ventriculum extrinsecus premente. Et apud Hollerium *l.* 1. *cap.* 33. *in comm.* est historia puellæ, quæ bubulis pulmoribus largiter vsa fuerat, quorum frustulum cùm in œsophago restitisset, singultum excitauit, qui remoto frustulo illo cessauit. Auicennas docet, singultum quoque à capitis percussione fieri.

Atque hinc patet, singultum aliàs per ventriculi ἰδιοπάθειαν fieri, dum materia ventriculum vellicans in eo colligitur, aliàs verò per Sympathiam, caussa aliunde ex epate, liene, intestinis, aliisque partibus, vel etiam toto corpore communicata. Ita ex cerebro propter neruorum communionem, vt & à pulmonibus singultus excitari potest, de quo Galenus *ad locum Hippocr.* 1. *prorrh. text.* 23. *Aphonia cum singultu pessima*, scribit, Singultum cum Aphoniâ non fieri ex humiditate descendente ad laryngem, sed ex quodam neruorum sextæ coniugationis consensu, qui est cerebro cum stomacho, vt & vicinarum partium.

## *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Singultus auditu ab adstantibus percipitur, & ab ipso ægro indicatur, vt aliis signis opus non habeat. Caussæ verò signis dignoscendæ sunt.

Qui vomitu sedatur, est à materia seu copia seu qualitate ventriculo molesta. Qui succedit euacuationibus nimiis & in febribus acutis accidit, illum à siccitate prouenire vulgò statuitur: malo tamen ad materiæ prauitatem illum referre. Considerandæ etiam sunt caussæ antecedentes, & manifestæ, quæ malo huic originem præbere possunt.

Si est per essentiam, est magis continuus, & adsunt humorum in ventriculo contentorum signa, speciesque humorum ex oris sapore, vomitu, ructu & similibus cognoscitur.

Qui à cerebri, lienis, epatis, intestinorum, vteri, aut alterius partis morbo prouenit, non est sine partium illarum affectarum signis.

## *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Singultus, qui à caussa primitiua, vt frigore, cibo ac potu, aut alia simili, quæ nondum alium affectum induxit, oritur, leuior & minus periculosus est: grauior est, qui alium affectum, aut eius caussam sequitur.

2. Periculosus est singultus, in quo fit insignis fibrarum in ventriculo tensio ac dilatatio, & qui ab affecto ore ventriculi oritur, & in quo lipothymia metuenda est.

3. Singultum patienti sternutatio superueniens singultum soluit, 6. *aph.* 73. Sternutatio enim vehementi illo motu humorem ventriculum vellicantem excutit.

4. Si senibus supra modum purgatis singultus adueniat, non bonum est, 7. *aph.* 41. Cum enim omnibus hominibus malum sit singultum purgationi superuenire, id senibus præcipuè malum est, propter virium imbecillitatem.

5. Ab Epatis inflammatione Singultus, malum. 5. 5. *aph.* 58. & 7. *aph.* 17. Non enim semper ad inflammationem Epatis Singultus sequitur, sed vbi illa maxima est, quod periculosum.

6. A vomitu singultus & oculorum rubor, malum. 7. *aph.* 3. Qui enim singultus fit ab humoribus ventriculum, præcipuè verò eius os infestantibus, si vomitione illi humores expellantur, meritò cessat. Quod si humoribus vomitu reiectis singultus perduret, vel cerebrum, vel ventriculum, non paruam pati inflammationem indicio est. Quandoque tamen singultus post vomitum periculosus non est; cum scilicet à reliquiis humorum saltem prouenit: sed tum reliqua Symptomata mitiora fiunt. Oculorum autem rubor vtriusque partis, cerebri scilicet, & ventriculi inflammationem sequitur, sed cerebri magis.

7. In vomitibus sinceris Singultus, malum. Mala quoque conuulsio. *In Coacis.* Omnis enim ἄκρατος, s. meraca purgatio Hippocrati, malum, præsertim flauæ bilis. Magnum enim aliquod incendium partium circa ventriculum significatur, à quo exusta materia ventriculo communicata cum ita lancinat.

8. Ab Ileo Singultus, malum. 7. *aph.* 11. In tali enim intestinorum inflammatione partem illam nervosam, quæ cerebro consentit, affici indicio est. In senibus tamen Singultus ob prolapsa intestina sine inflammatione non ita periculosus. Sola enim intestinorum repositione euanescit.

9. Aphoniæ, seu vocis interceptiones cum singultu pessimæ. 1.*prorrhet. cap.*23. Ob consensum scilicet organorum vocis cum cerebro & ventriculo, vt in caussis dictum.

10. Delirium lethale in spiritu *f.* difficili respiratione & singultu. Cum enim cum singultu delirium accidit, aut à ventriculo inflammato calor & vapores acres ad caput attolluntur, aut à cerebro inflammato malum cum neruis orificij ventriculi communicatur, quod vtrumque malum est.

11. Singultus in omni febre periculosus est; nisi fiat ob crisin instantem, & signa coctionis materiæ in morbo manifestè appareant. Sic enim indicat crisin vomitu futuram.

12. Singultus in somno profundo, aut animi deliquio, aut tetano obortus, mortem non longe abesse indicat. Atque in lethali eiusmodi singultu præclara remedia non sunt exhibenda. Aetius, *tetrab.* 3 *serm.* 1.*c.*5.

13. Singultus sæpe diuturnum malum est, ægrumque valdè affligit, refertque Marc. Gattinaria, Iur. Doctorem Papiniensem 12. dies singultu laborasse, & Epiphan. Ferdinandus *histor* 43. curauit Augustinianum Theolog. Prof. qui 20. dies cum mortis periculo singultu laborauit, & mechoacann. Vnc. ß. in vino albo infusâ & aliis purgantibus liberatus est: Massaria etiam Vicentiæ curauit tabellarium, qui 40. dies & plures singultu laborauit, & tandem aquis thermalibus liberatus fuit.

## *Indicationes.*

*Indicationes.* Curationem quod attinet, non quilibet singultus Medici operam requirunt Quidam enim sunt ita leues, vt spontè vel spiritus retentione vel tenui diæta cessent. Quidam verò contumaciores sunt, vt medicamenta postulent.

Curatio verò ad duo dirigenda, ad ipsum symptoma, & ad caussam, à quâ pendet. Etsi enim singultus rectissimè curatur causâ, à qua pendet, sublatâ. Quia tamen nonnunquam tam grauis & molestus est, vt nisi sedetur, metuendum sit, ne aut ægri vires deiiciat, aut aliud periculosum malum inducat, curationem aliquando ad se trahit. Atque tum remedium motum illum mitigans & sedans est necessarium, quod scilicet mordicationis & vellicationis sensum in ventriculo obtundat.

Caussæ verò ipsæ singulæ ratione sibi conueniente tollendæ sunt, quæ cum variæ sint, de singulis in specie dicendum.

## *Curatio.*

*Curatio.* Quantum ad ipsum singultum, si ita vehemens sit, vt curationem ad se trahat, ea exhibenda, quæ sensum ventriculi nonnihil hebetant, & doloris vehementiam obtundunt, nisi vomitu materiam reiicere liceat. Faciendum autem est initium à lenioribus. Aetius offert succum endiuiæ vel portulacæ, semen excorticam cucumeris vel lactucæ tritum, vel decoctum sebesten, imprimis lac recens mulsum, aut portulacam mandere iubet.

Vel detur Syrupus violarum, portulacæ, de papauere, vel decoctum florum chamæmeli & sem. anethi. Fortiora sunt Philonium Romanum, cuius dosis scrup. j. non facilè excedat, quod granis duobus croci vel cinamomi corrigi potest, theriaca recens ad scrup. j. data, Laudanum Opiatum.

Caussam verò singultus quod attinet, considerandum 1. An singultus alium morbum, qui peculiarem curationem requirit, sequatur. In caussæ enim ablatione tota curatio consistit. Primò ergò si à refrigeratione tantum singultus proueniat, spiritum cohibere conuenit. Spiritus enim retentus pulmones & partes vicinas calefacit. Deinde intus & extra medicamenta ventriculum calefacientia vsurpanda, qualia supra de Intemperie ventriculi frigidâ curandâ sunt proposita. Exhibeatur nimirum vinum Hippocraticum, masticetur cinamomum, vel aqua cinamomi bibatur. Galenus & Aetius laudant vsum castorei cùm olfaciendo tùm assumendo.

Dorsum verò & ventriculus inungatur oleo de pipere, mentha, Balsamo & similibus. Vel Cataplasma imponatur ex vino, aqua vitæ, & pulueribus calidis. Vel

℞. *Rad cyperi iunci odorati caryophyll.* an. scrup. j. *castorei* scrup. ß. *sem. anethi rutæ* an. Drach. j. *fol. plantagin. menth. absinth.* an. M. ß.

Conquantur in vino, & ventriculus fomentetur.

Cibus & potus calefaciendi vi sit præditus: ideóque aromatibus, seminibus & herbis odoratis conditi potest, vt pulegio, mentha, anetho, origano, fœniculo, aniso, cinammo & caryophyllis.

2. Si à flatibus fit singultus, eadem calefacientia conueniunt, & vinum, in quo anisum, baccæ lauri, rosmarimus, sem. coriandri, baccæ iuniperi, caryophylli macerati sint. Item aqua vitæ, zedoariæ, diacyminum, theriaca vetus, Mithridatium.

3. Si post nimiam euacuationem fiat singultus, siue hoc accidat à siccitate & corrugatione ventriculi, siue à medicamenti aut humorum ventriculum vellicantium prauitate, conueniunt, quæ humectant & refrigerant moderatè, humoresque mulcent, vt aqua hordei cum emulsione amygdalar. dulcium, lac recens mulctum, ol. amygdal. dulcium cum aqua hordei tepida. Emulsio item sem. quatuor frigid. maior. & papau. albi, mucilago sem. psyllij, cydon. iuleb. violar. succus granator. ptisanæ cremor vel per se, vel cum pullorum carne, iuscula è carnibus pullorum & gallinarum contusis & expressis parata: Conserua borrag. bugloss. nympheæ. Ventrem quoque & dorsum inungere vtile est ol. violar. & similibus.

4. Si ab alimentis vel medicamentis acribus singultus excitatus sit, hausto oleo amygdal. dulcium recenti, vel butyro recenti assumpto, vel ptisanæ cremore sedatur.

5. Si à corrupto cibo & repletione ortum habeat singultus, humoré illum aut per vomitum, aut per alui deiectionem euacuare necessarium est. Ad purgandum vtilis est hiera, pilulæ de aloë lota, & rhabarbarum. Postea exhibenda, quæ ad detersionem & resolutionm materiæ faciunt, vt:

♃. *Spicæ, zinziberis, galangæ, sem. anisi, rutæ, dauci, cumini*, ana Drach. 1.

F. Puluis. Cuius dosis Drach. ß.

Cum melicrato aut vino.

6. Si ab humoribus calidis & acribus fiat singultus, ii vel per vomitum, si æger ad vomitum pronus sit, vel per aluum expurgentur; prius tamen exhibitis iis, quæ humorum acrimoniam retundunt, eos temperant & detergunt. Qualia sunt decoctum vel ptisana hordeacea, lac caprinum, succus portulacæ & endiuiæ, syrup. citri, acetosæ, rosar. simpl. infusionis boraginis, buglossi, portulacæ. Emulsio sem. quat. frig. maior. & papau. albi, decoct. prunor. & tamarind. decoct. sem. anethi, portulac. papau. albi in aqua hordei vel cereuisia tenuiore factum. Item potus aquæ calidæ, in qua dissolutum sit butyrum vel oleum aut lac amygdal. dulcium. Lenis purgatio fiat cum infusione rhabarb. manna, syrup. rosar. solutio. Vtile est & absinthij decoctum cum infusione rhabarb. Fortiora verò locum non habent.

Postea

Postea assuetis etiam frigida præberi possunt. Extra applicetur ol. rosar. cydon. violar. de nymph. cerotum santal. Atque si ista medicamenta non iuuent, stupefacientia supra enumerata vsurpanda.

7. Si ab humore frigido ventriculo impacto fiat singultus, extenuandus is & incidendus, vt supra de intemperie ventriculi cum pituita dictum, melicrato scilicet, oxymelite simpl. & compos. scillitico, hyssopo, pulegio, calaminthâ, ruta, dictamno, nardo Celticâ, helenio, sem. cumini, anethi, dauci, seselios, cariophyll. galanga, in mulsa vel vino decoctis, castoreo item Srup. j. vel Drach. ß. pondere sumpto, syrupo de duabus & quinque radicibus, de hyssopo, de calamintha, Dianis. Diacimin. Diatrionpiper.

Peculiaris & vtilis descriptio oxymelitis habetur hæc apud Trallianum, *lib. 7. cap. 13.*

℞. *Scillæ partis internæ tenerioris* ℔.ij. *aceti albi acris sextarios* xv. *piper.* Vnc.ij. *sem. dauci Cretici, fœnicul. cumini,* an. Vnc. ß. *petrosel. Macedon.* Vnc. ij. *zinzib. pyrethri,* an. Vnc. j. *laseris,* Vnc. ij. *nard. Celtic. ligustici.* an. Vnc. ß. *hyssop. puleg.* an. Drach. j. *menth. virid. apij virid.* an. M. j. *cardamom.* Drach. ij. *rutæ viridis turiones quinque mellis sextarium, spodij,* Vnc. ß. *costi,* Vnc. j. *sapæ sextar.* ij. *agarici, spicæ nardi, amomi, an.* an. Vnc. j.

Omnia hæc contusa diligenter seorsim habeto, & scillam in aceto coniectam per dies 7. macerari finito, deinde eâ sublatâ reliqua omnia contusa vbi valde leuigaueris, & aceto indideris, alios dies septem finito. Deinde per linteum densum exprimito & fiat oxymel.

Vel ℞. *Pulegij, junci odorari,* an. M. ß. *sem. anethi, carui,* an. Drach. ij. Coquantur. Colaturæ ℞. Vnc. iiij. Adde *mellis rosat. colat.* Vnc. ij. Misce.

Postea materia vel vomitu reiicienda, vel per aluum euacuanda hierâ simplici, mechoann. agarico, pilul. mastich. de aloë, de agarico, cum momento turpethi, el. diaphænico.

Si malum non cesset, iterum ad præparantia redeundum, & præparantia ac purgantia per vices assumenda.

Vt: ℞. *Galangæ,* Vnc. j. *cinamom. sem. aneth.* an. Drach. ß. *castorei,* Scrup. ß.
Coquantur parum in vini albi, Vnc. vj.
Singulis diebus sumat æger, Vnc. ß.
Vtile est & elixir proprietatis.

Cum internis coniungendus est externorum vsus. Vtilia sunt: Olea, vnguenta, emplastra, cataplasmata supra de intemp. ventriculi frigida proposita, vt:

℞. *Ol. Mastich. de castor. aneth.* an. Vnc. j. *ol. destill. rutæ,* Scrup. ß. *caryophyll.* gut. iiij. Misce.

Vel coquantur in aceto cuminum, pulegium, calamintha & origanum, ac spongia aceto eo imbuta ventriculo calida imponatur.

Non etiam inutile fuerit cucurbitam cum multa flammâ ventriculo applicare, & dorso ea parte, qua stomachus vertebris annectitur.

Alij ad materiam singultus discutiendam, aut certè è ventriculo, cui inhæret, excutiendam plura addunt, vt sternutationem, vociferationem, deambulationem concitatam, gestationem atque equitationem, vt & subitum terrorem, iram, gaudium, quibus cùm spiritus intrò ad cor, & rursum ad ambitum corporis reuocantur, accidit, vt ventriculus vellicationem materiæ non ita sentiat, dum agitatione caloris & spirituum materia antea quieta nonnihil concutitur, & loco affecto dimouetur: quæ tamen & in singultu ab aliis caussis locum habere possunt.

8. Sit materia maligna sit, efficax est hoc medicamentum.

℞. *Sem. anethi, car. bened. citri,* an. Scrup. j. *melissæ, cortic. citri,* an. Drach. ß. *corall. rubr. galangæ, macis cinnamom.* an. Scrup. ß. *margarit. smaragd.* an. gr. viij. *cornu cerui, lapid. bezoar.* an. Scr. j. vel q.v.

Fiat puluis, aut cum sacch. f. q. F. Rotulæ. Vel cum syrup. de cortic. citri aut alio conuenente F. Electuarium.

Vel sumatur theriaca aut aqua theriacalis, terra item sigillata, bolus Armen. succus citri. Galenus, 8. *de compos. med. sec. loca cap.* 3. medicamentum ex Asclepiade describit, quod occulta proprietate contra singultum prodesse dicitur.

9. Si à vermibus singultus proueniat, ad vermes cura dirigenda, & reliqua etiam, quæ singultui conuenire possunt, vsurpanda.

10. Si v. aliis morbis singultus coniungatur, & primò quidem cum febre, materia morbi caussa singultui occasionem præbeat, & humores ad ventriculum confluentes hoc malum excitent, considerandum, an singultus accidat in principio febris, ab excrementis primarum viarum in ventriculum effusis. Tum n. leni pharmaco per aluum purgante, vel vomitu materia illa tollenda. An v. in statu, quo tempore crisis per vomitũ futuræ signum est, ac tum nihil metuendum, sed naturæ omne negotium permittendum; aut tandem in augmento accidat, quod si contingat, perpendendum, an humor vitiosus & feruidus à iecore & venoso genere per venas mesaraicas infundatur in cauitatem ventriculi; an verò per venas, quibus ventriculus & eius orificium alitur, effundatur in ipsam vẽtriculi substantiam; id quod hoc modo discernere licet. Si humor ad ventriculi cauitatem confluat, singultus est rarior & leuior, & assumpto cibo vel potu aut leni aliquo medicamento sedatur. Si verò in ventriculi substantiam influxerit, singultus est frequentior & grauior, ac quasi vera conuulsio, nec sedatur ingesto cibo, & nonnihili in longiore temporis spatio quiescit, ac præ frequentia singultûs æger suffocari videtur, cum id, quod singultus causa est, ventriculo infarctum sit.

Prior singultus, qui fit à materia in cauitatem ventriculi effusa, tollitur vel vomitu, vel leni purgatione. Quæ verò à materia ventriculo infarcta originem ducit, difficilius curatur. Vt a. curetur, si corpus antea purgatum sit, vel ob vehemẽtiam febris purgare non liceat, stupefacientibus, & sensum obtundentibus, de quibus antea dictum, vtendum. Et si humor malignus sit, etiam alexipharmaca & contra malignitatem ac venenatam qualitatem pugnantia vsurpanda, de quibus etiam antea dictum, quæ tamen ita temperata sunt, ne febrem augeant. Si verò corpus nondum purgatum fuerit, & calor febrilis non prohibeat, aut statim purgatione per infusum rhabarb. & folior. senæ, manna, syrup. violar. rosar. solutiuo vtendum, aut clysteres applicandi, & humorum acrimonia ac caliditas cremore ptisanæ, emulsione amygdal. dulc. sem. 4. frigid. maior. papau. albi cum cum aqua hordei, portulacæ, lactucæ, aut aqua lactucæ & portulacæ temperanda. Venter simul ob æstum & calorem inungendus oleo rosarum & aliis, quæ intemperie ventriculi calida sunt proposita.

11. Si denique singultus accidat ab inflammatione ventriculi, epatis, cerebri, vteri, vel alterius partis, curatio ad inflammationem & morbum principalem & caussam huius symptomatis dirigenda: quâ sublatâ & singultus cessat. Si tamen nimis vehemens est singultus, ea, quæ sensum nonnihil obtundunt, & singultum mitigant, vsurpanda, quæ supra fuere proposita.

Nonnulli amuleta hîc etiam vsurpant. Castoreum, inquit Trallianus, alligatum citò singultum sanat. Idem facit cuminum panniculo linteo inditum & carpo sinistræ manus alligatum. Alyssum commendatur à Dioscoride & à Plutarcho, 1. *sympos. ac. probl.* 3. Habet & Trallianus, *allegato loco*; sed quæ superstitiosa sunt.

### *Diæta.*

Victûs ratio singulis caussis respondeat, & pro varietate caussarum varia sit, quæ ex iis quæ supra de intemperibus ventriculi curandis dicta sunt patere potest. Diæta.

## CAPVT XI.

### De Ructatione.

Ructatio.

INter expultricis facultatis ventriculi symptomata est & Ructatio, quæ est motus deprauatus ventriculi, factus à facultate expultrice concitata, quo vapores & fumi à cibo non rectè cocto per os expelluntur. Et soli homini hoc vitium accidit, non brutis, cum vt Aristoteles, 10. *probl.* 43. docet hæc ventrem ficciorem habeant, quibus humidum statim absumitur, vt in flatum conuerti non possit; forsan etiam, quia in cibo & potu sumendo sunt temperantiora.

Soli homini accidit.

Ructus autem nunc insignem nullam qualitatem præ se fert, nunc verò est acidus, nunc nidorosus, nunc fœtidus, nunc cibi assumpti qualitatem præ se ferens.

#### Caussæ.

Caussæ.

Caussa proxima Ructationis est flatus in ventriculo conclusus, & per os eius superius confertim, & cum sonitu erumpens. Is autem flatus nunc generatur in ventriculo ob eius coctionem læsam, de cuius caussis supra dictum. Et prouenit nunc à cruditate nidorosa, nunc acida, eiúsque index est: illa quidem ab intemperie ventriculi calida, hæc frigida. Cibi tamen etiam assumpti, qui facilè corrumpuntur, vel flatulenti sunt, ad ructus generandos faciunt, quales sunt castaneæ, ficus recentes, rapa, raphanus, cepæ, melones, cucumeres, portulaca, oua & pisces oleo vel butyro frixa & similia. Nunc verò flatus è partibus inferioribus ad ventriculum ascendunt ex intestinis, epate, vtero, inprimis liene & venis mesaraicis, súntque ructus hypochondriacis nonnullis familiares. Ita noui virum, qui continuâ sputatione & ructibus ita molestabatur, vt sæpe intra vnam atque alteram horam vel centies ructaret. Pertinet huc & morbus ructuosus ab Hippocrate, *lib. 2. de morbis*, descriptus. Dolor, inquit, corripit acutus, & dolitat vehementer, & ipse seipsum iactitat, & vociferatur, & frequenter eructat, & vbi eructarit, melius se habere videtur. Sæpe etiam bilem reuomit modicam, populi parui mensura, & dolor corripit à à visceribus ad imum ventrem & laterum mollitudinem: & vbi hoc factum fuerit, melius sese habere videtur, & venter inflatur, & indurescit & strepit, & flatus non egreditur, neque stercus. Morbus hic, si iuuenem corripiat, tempore decedit, si seniorem, commoritur. Cuius infra etiam *de mesenterij præter naturam affectibus & affectione hypochondriaca mentionem faciemus.* Atque ita tres caussæ sunt ructus, ventriculi intemperies, ob quam cibi non bene coquuntur; vitiosi humores in ventriculo vel aliis partibus cumulati; cibi corruptioni facilè obnoxij, & cruditati vel acidæ vel nidorosæ materiam præbentes, vt & flatulenti. Faciunt tamen etiam ad ructum excitandum caussæ externæ, quæ materiam seu in ventriculo, seu aliis partibus contentam commouent, vt balnea, exercitium nimium & intempestiuum post cibum, venus immodica.

#### Signa Diagnostica.

Signa.

Ructus ipse per se manifestus est, nec signis opus habet: caussæ verò signis indigent. Si quis ergo ructet, inquirendum primò, quibus cibis vsus sit. Nam si quis vel raphanum, vel cœpas, vel oua frixa, vel placentam nodorosam comederit, & ructum nidorosum similem emittat, manifestum est, è cibo sumpto ructum esse, ventriculúsque tum potest esse saluus. Si verò qui nidorosum talem ructum emittat, & nil tale, quod nidorosæ cruditati materiam præbere possit, comederit, procul dubio à calore ventriculi nimio cibos hoc modo corrumpente erit ructus: vbi porrò inquirendum, an ipse ventriculus intemperie calidâ laboret, an verò bilis ex epate in eum fuerit infusa, de quo supra de intemperie ventriculi dictum.

Si verò ructus acidus accidat, inquirendum, an à cibis difficilis coctionis, an verò ab intemperie ventriculi frigida iste veniat, quod cognoscitur ex eo imprimis, quod non solùm cibi frigidæ naturæ, sed & calidæ, vt mel, saccharum, vinum, & alia eiusmodi in cruditatem acidam abeant; an verò aliunde matera acida in ventriculum effundatur, quod hypochondriacis familiare est, ac tum affectionis hypocondriacæ signa alia etiam adsunt.

Si verò sine sapore emittatur, habet originem à cibis flatulentis, vel ciborum copia. Si longo post cibum sumptum tempore ructus adhuc cibi assumpti saporem & odorem referat, magnam coctricis facultatis imbecillitatem significat.

#### Prognostica.

Prognostica.

1. Ructationes multæ & frequentes malæ sunt. Nam & caussæ vehementiam significant, & motus illæ coctionem turbat, quæ in ventriculo perficitur.

2. Ructationes acidæ, si diu continuentur, hydropem vel linteriam minantur.

3. In longis intestinorum leuitatibus & alui fluxu, si ructus acidus accidat, qui prius erat, bonum. Aliquam enim iterum coctionem fieri significat.

4. Ructum asthmati superuenire, bonum.

5. Ructantes acidum, non facilè pleuritici fiunt, 6. *aph.* 33. Videantur Commentatores.

6. Qui supra modum ructant ante cibum, dispositi sunt ad colicam: qui verò post cibum, ad hydropem; præcipue tympanitem.

#### Curatio.

Curatio.

Ructus si moderati, non cohibendi sunt. Fit enim per eos excrementorum flatulentorum euacuatio: si verò ructus frequens & molestus sit, diu duret, tollitur caussis, à quibus pendet, sublatis. De quibus cum supra de Intemperie ventriculi, & ventriculi inflammatione dictum sit, non opus est, vt ea hîc repetamus. Intemperies nimirum frigida vel calida alteranda, cùm internis, tum externis, humores vitiosi euacuandi, flatus discutiendi. Cruditas parcâ diætâ & cibis boni succi corrigenda. Cibi corrupti vel vomitu vel alio modo euacuandi. Si lien vel aliud membrum vicinum flatus suppeditat, ei succurrendum.

## CAPVT XII.

### De Nausea & Vomitu.

PErtinent ad hanc symptomatum classem etiam Nausea, Vomitus & Cholera, quæ cognata mala sunt, symptomata scilicet facultatis expultricis ventriculi, & motus, quibus per os excernit, aut excernere conatur illa, quæ ventriculo molesta sunt. Et quia nausea & vomitus easdem ferè causas habent, de iis hoc capite, sequenti de cholera, agemus.

Nausea.

Nausea quidem, Græcis ναυτία & ναυτίασις nil aliud est, quam inane quoddam vomendi desiderium, in quo ventriculus quidem ad vomendum incitatur, nihil verò expellit. Vomitus verò est, cum ventriculus id, quod molestum sibi est, per os reiicit. Si enim ventriculus vel copia vel qualitate materiæ lacessatur, viréfque eius in fundo sint robustæ, natura materiam illam versus orificium ventriculi superius attollit, & per os euacuare conatur; quod si effectum dat, vomitus,

tus,ſeu humoris per os teiectio,ſequitur: Si autem ſeu ob naturę imbecillitatem,ſeu materiæ contumaciam id obtinere non poſſit, tum conatus ſaltem fit,qui nauſea dicitur, ventriculi propria affectio. Interdum tamen & aliis partibus hoc nomen tribuitur, ſicut Hipp. *in libello de fracturis*, ναυτιώσεις βλεφῶν dixit, quæ ἐκχύμωσις aliàs nominatur, quando venæ veluti nauſeabundæ ſanguinem emittunt, ſiue ob partis inflammationem, ſiue ob ſanguinis ipſius copiam aut prauitatem. Vulgo ſuggillatio nominatur Sunt etiam apud Galenum, 8. *de comp. med. ſ. loca cap.* 3. Vocabula ὑπτιασμοῦ, ſupinitatis, & ἀναστροφῆς τοῦ στομάχου, quibus πιώδυσθέσεις ſignificantur, poſt cibum accidentes, ita vt ſi æger paulò vehementius ſeſe moueat, vomitus ſequatur.

Etſi verò naturale ſit ventriculo, vt cibos per os recipiat in ſe, & poſtea coctos per orificium inferius emittat, ac per fibras rectas œſophagus cibos attrahat, motúſque fibrarum principium ſit in parte ſuperiore, concurrentibus circularibus, qui ab œſophago in ventriculum pellunt, quorum motus etiam à parte ſuperiore incipit: tamen natura aliquando abutitur fibris rectis, & tum principium motus iſtarum fibrarum incipit à parte inferiore, & tendit verſus ſuperiorat: ac tum vomitus fit, qui ratione facultatis expultricis actio quidem naturalis eſt; quia tamen fibræ non ſua ſponte tùm operantur, ſed ſtimulatæ ac impulſæ ab obiecto præter naturam, actio præternaturalis appellari poteſt. Atque ita ſymptomata hæc ſunt in genere actionum læſarum, ſi facultas expultrix, vt cauſſa efficiens ſpectetur, vt Galenus facit, 3. *de ſympt. cauſſ. c.* 2. Habito verò reſpectu ad materiam, vomitus in excretorum genere præter naturam collocatur à Galeno, *in lib. de ſympt. differ. c. vlt.* Quia tamen illud, quod exit, licet loco, non ſemper tamen ſubſtantiâ aut qualitate à naturali ſtatu mutatum eſt, rectius ad actiones deprauatas refertur.

### *Cauſſæ.*

Cauſſæ vomitus & nauſeæ, eædem ferè ſunt, ſecundum magis & minus differentes, nimirum omnia, quæ facultatem in ventriculo expultricem ſtimulandi vim habent; quanquam & retentrix concurrere poſſit dum debilitata actionibus contrariis expultricis reſiſtere non poteſt: ſola tamen vomitum ciere non valet.

Cauſa verò vomitus eſt vel vitium aliquod ventriculi, vel materia irritans vel vtrumque. Ventriculi vitium intemperies, tuberculum, vlcus, vulnus, ob quæ etiam probus cibus, & qualitate non peccans facultati expultrici moleſtus eſſe, eamque irritare poteſt. Materia verò, quæ facultatem expultricem irritat, varia eſt, & vario modo id præſtat. Materia enim vel extra aſſumpta eſt, quales ſunt cibi, medicamenta, venena; vel intus producta; & quidem vel in ventriculo genita, quæ aut alimentalis, vt chylus coctus vel crudus, aut excrementitium quiddam, vt cibus corruptus, pituita, bilis: vel alibi genita in corpore & in ventriculum illata, eáque vel animata, vt vermes, vel inanimata, vt ſanguis, humores, pus, quæ in ventriculum mittuntur ex inteſtinis, meſenterio, epate, cerebro, toto corpore, per epatis venas. Prægnantes etiam quædam primis menſibus vomere coguntur. Cum enim menſes ſubſiſtant, materiæ pars aliqua ad ventriculum etiam transfertur, & per eum vomitu reiicitur, donec fœtus grandior factus plus alimenti ad ſe trahat, vel etiam natura humoribus illis magis adſueſcat. Materia autem quæcunque & vbicunque genita ſit, vel pondere ac grauitate, vel acrimonia, mordacitate & qualitate, ventriculo aduerſa eſt, vel alio modo ventriculum irritat & moleſtat. Atque hoc facilius accidit, ſi materia illa agitetur, vnde iis, qui curru vehuntur, ſi non aſſueti, ventriculus ſubuerti ſolet interdum, maximè verò nauigantibus. Nam & Hippocrates, 4. *aphor.* 24. motioni tribuit, quod nauigantes vomere ſolent; alij tetro odori magis, quo affectus odoratus ſtomachum agitat. Aliquando etiam vi imaginationis vomitus concitatur, quando ad conſpectum alicuius vomentis, aut obiecti iniucundi, vel odoratum expultrix ad talem motum ſtimulatur. Ductus quoque, qui bilem vehit ad inteſtina, quandoque vomitus cauſſa eſt, & facit, vt etiam, qui aliàs bilioſi non ſunt, quandoque vomant. Ductus enim ille nunc vnicus, eſt nunc duplex, & quidem ſimplex ſaltem, ad inteſtina naturaliter fertur; ſi duplex, maior ad inteſtina, minor ad fundum ventriculi tendit. Si verò hic naturalis ſitus mutetur, & vel vnus ille ductus in ventriculum, vel maior in ventriculi fundum inſeratur, homines bilis vomitu crebrò infeſtantur, qui πικρόχολοι(?)ἀνω, bilioſi ſupra nominantur. Tumores quoque & vlcera ventriculi vomitus excitant. Quibuſdam etiam natiua eſt anguſtia ventriculi, ob quam ſi paulò largius cibum ſumunt, vomunt, de qua ſupra inter morbos ventriculi actum.

Quæ vomitus cauſſæ ſunt, eaſdem etiam Nauſeæ eſſe diximus, differentes ſaltem ſecundum magis & minus. Nã ſi materia minus copioſa minúſque acris, vel vaporoſa potius, aut tunicis magis impacta, aut tenacior ſit, nauſea fieri ſolet: contrariis materiæ conditionibus vomitus excitatur. Nonnunquam tamen etiam excitari poteſt: ſi virtus expultrix ſit debilior.

### *Differentiæ.*

Vomitus per morbũ aliquem fit, alius citra hunc. Qui per morbum aliquem fit, alius Criticus eſt, qui, vt opus naturæ, tempeſtiuè fit, & in commodum ægri, & morbum reſoluit, totâ materiâ euacuatâ, vel eundem imminuit, parte aliquâ materiæ vel ob virtutis expultricis debilitatem, vel ob materiæ contumaciam relictâ; alius Symptomaticus, qui intempeſtiuè fit, naturâ à cauſſa morbifica nimium irritata. Qui citra alium morbum fit, plerumque crapulam & ingluuiem ſequi ſolet, vt debilitatem ventriculi. Sunt & differentiæ materiæ, & aliàs ſanguis, aliàs humor bilioſus, aliàs pituitoſus, aliàs vermes, alias pus & ſanies eiicitur. Interdum etiam crines, claui, ferramenta, ligna, fruſta carnea, & huiuſmodi alia è ventriculo vomitu reiiciuntur, vt ſupra dictum, quæ tamen omnia ſupra naturam & magicæ operationis ſunt. Interdum etiam Clyſteres vomitu reiectos & alij obſeruarunt, & ego memini: ſimiliter & glandes & excrementa alui in Ileo vomitu reiiciuntur per motum fibrarum in inteſtinis inuerſum, vt de ſcorbuto, & de Ileo dicetur. Notabilis quoque eſt hiſtoria, quam Guilielmus Fabricius Hildanus, *Cent.* 4. *obſ.* 32. refert, Monialis cuiuſdam, quæ ab anno ætatis 13. vſque ad annum 44. continuis vomitibus fuit moleſtata & ſingulis diebus ſemel vtplurimum pituitam viſcidam, nonnunquam & bilem vomitu reiecit. Vomitus huius tam diuturni cauſſam quidem Philibertus Saracenus *in reſponſione*, ad retentum ſemen refert. Verum non abfuit affectio Hypochondriaca, vt ex iis, quæ à Fabricio referuntur, & quæ de Affect. Hypochondriaca dicentur, patebit. Differentiæ.

### *Signa Diagnoſtica.*

Nauſea & vomitus in genere per ſe manifeſta ſunt, neque ſignis, quibus innoteſcant, opus habent. Cauſſæ verò ſignis, quibus manifeſtentur, indigent. Et primò an vitio ventriculi, an verò per conſenſum fiat vomitus, cognoſcitur, quòd, ſi vitio ventriculi fiat vomitus, tam ante, quàm poſt cibum ſumptum vomit æger, & ſigna affecti ventriculi ſunt, perpetua inappetentia, grauitas, tenſio & inflatio ventriculi, & ſimilia; & ſigna debilitatis, & intemperiei humidæ, quã Signa.

tetus

totus ventriculus laxatur, adſunt. Si verò per conſenſum fiat, nec vomitus, nec ſymptomata iſta adſunt perpetuò, ſed quandoque ægrum affligunt, quandoque & ſigna partium affectarum aliarum adſunt.

Si fiat vomitus ob meatum bilarium, vt ſupra dictum, ventriculo inſertum, homines aliàs ſatis rectè valent, nec ventriculi vel alterius partis affectæ, vel etiam bilis copioſæ ſigna adſunt; Bilis tamen vomitu reiicitur. Si ex vlcere vel tumore ventriculi vomitus fiat, id è ſuis ſignis cognoſcitur.

Si fiat vomitus ob ventriculi anguſtiam & paruitatem, vitium hoc non ſolum viſui eſt conſpicuum, vt Galenus, *art.med. cap.* 71. habet: ſed tales etiam à natiuitate parum comedunt, & ſi paulò plus comedant, vomitu id reiiciunt.

Si cibus & potus, cum vel ſine pituita, poſt ſumptum cibum reiiciatur, ſignum eſt ſuperioris oris laxati & debilitati: nonnunquam & ſignum eſt debilitatis ventriculi, qui cibum coquere non poteſt.

Vomitus, qui fit à cauſſis externis, ex iis antecedentibus cognoſcitur, iiſque ſublatis ceſſat. Vt ſi obiectum capitis vomitus fiat, latere non poteſt.

Quod ſi ob materiam irritantem fiat vomitus, aut cibus vel potus nimia copiâ aſſumptus eſt, vel venenum hauſtum, vel praua aliqua materia in ventriculo fuit genita, aut ad eum confluxit. Qualis verò ſit materia, non ſolum ex vomitu cognoſcitur, verùm etiam antequam vomitu reiiciatur, ex ructu, qui nunc acidus eſt, nunc nidoroſus, nunnc amarus. Et quidē iam imminentis vomitus ex bilioſo & mordaci humore ſigna ſunt oris ventriculi morſus, dolor capitis, vertigo tenebricoſa, tremor labij inferioris, ſputum multum ac tenue profluens, Galenus, 3. *de Criſibus, cap. vlt.* Quorum Symptomatum cauſſas Galenus, 1. *Prorrh.* 1.*t.* 30. refert.

Si humor in ventriculo eſt genitus, qualiſcunque ſit, iam dudum illum afficit ac torquet, & in victus ratione peccatum fuit, ac nauſea ferè eſt continua, atque appetitus non ſatis probus. Et ſi cibus in ventriculo corrumpitur ex nidoroſa aut acida cruditate eius, quod vomitu reiicitur, cognoſcitur.

Si verò aliunde affluit humor, ſigna eius partis affectæ, quæ materiam ſuppeditat, adſunt; vt ſi ex totius corporis vitio, quod nonnunquam ſe in ventriculum euacuat, vomitus accidat, ex deprauato totius corporis colore, iuxta humoris proportionem, manifeſtum euadit, præceſſit praua victus ratio.

Sin è cerebro humor mittatur, pituitæ aut ſalſi humoris in ventriculum deſtillantis ſigna adſunt; vomitus quoque ſunt ſpumoſi & nauſea eius magis moleſtat, quo tempore cibum ingerunt.

Si ex Epate bilis tranſmittitur, cognoſcitur id ex humoris per vomitum reiecti natura, ex Epatis dolore, tumore, & tum vomitus ieiunos magis moleſtat, quam poſt ſumptum cibum.

Si ex Inteſtinis eſt vomitus, adeſt dolor colicus, vel inteſtini Ilei.

Si ex vtero, vel conceptio facta fuit, vel menſes ſuppreſſi ſunt, atque alia ſigna affecti vteri adſunt.

Qua autem in parte ventriculi humores contineantur, etiam ſignis diſtinguendum eſt. Si enim in ventriculi cauitate latent, leuiſſimo conatu reiiciuntur, & ineſt in ventriculo ex alimento tenſio & anxietas, quæ non ceſſat, donec humores vomitu ſint reiecti. Quibus verò humores adhærent tunicis, iis alimenta ſine humoribus eiiciuntur. Præterea ſi in cauitate ventriculi ſunt humores, etiam ſine cibo fit vomitus, & poſt vomitum alimentum retinetur. Si verò tunicis adhærent, non vomunt niſi ingeſto cibo; citra verò cibum nauſea admodum moleſtat, & quod excutitur, pituitoſum & craſſum eſt, ac magno conatu eiicitur.

Si ſanguis vomitu reiicitur, & quidem à ventriculo, eſt qualitate exiguus & rubeus. Si aliunde infunditur in ventriculum, eſt multus & nigrior; & quidem niger, ſi ex liene, rubicundior verò, ſi ex Epate vel toto corpore.

## *Prognoſtica.*

Prognoſtica.

1. Accidit nonnunqnam, vt poſt mediocrem nauſeam vomitus ſequatur; nonnunquam verò conturbatio quædam magna & frequens ſit, vomatur verò parum aut nihil. Prauum hoc eſt, & vt ſignum, humorem in ventriculo contumacem indicans, & vt cauſſa, continuâ ſcilicet iſta vellicatione vel inflammationem excitatura, vel præſentem iam auctura. Galenus, 6. *Prorrhet. comm.* 3. *t.* 25.

2. In vomitionibus, quæ ſponte fiunt, ſi qualia oportet euacuentur, confert & facilè ferunt ægri; ſin minus, contrarium fit, 1. *aph.* 2. Euacuatur enim materia, quæ natura ſiue qualitate, ſiue quantitate, ſiue vtroque modo moleſta eſt. Ideóque ſi vomitus id euacuat, quod corpus lædit, atque inde æger commodi aliquid percipit, bonum eſt; ſin autem euacuatur, ægri tamen ideo morbo non leuantur, malum eſt.

3. Quicunque ſanguinem vomunt, ſine febre quidem ſalutare eſt, verum cum febre, malum. 7. *aph.* 37. Viſcerum enim aliquam Iuflammationem hoc ſignificat.

4. Vomitus chyli malus eſt, præſertim ratione vlceris; fecum lethalis, vt in Ileos; ſaniei peſſimus, quia vlcus adeſſe ſignificatur. Vermium, ratione ſigni quidem malus eſt, quia putredinem magnam humorum indicat, verum ratione cauſſæ, bonus, ſi vniuerſi, vel maiori ex parte expellantur, ac præſertim ſi id criticè fiat.

5. Peior vomitus eſt atræ bilis, quam pituitæ, & pituitæ putridæ rurſum peior, quam copiâ ſaltem peccantis. Vomitus commodiſſimus eſt ex bile & pituita maximè permiſtis, & non craſſus valde, neque multus. Sincerior enim deterior. 2. *Progn. aph.* 38. Bilioſus enim ſincerus bilis copiam, pituitoſus frigiditatem indicat. Præterea ſincerus humor craſſior redditur. Pituitoſus quidem frigiditate, bilioſus verò propter exſuperantiam caloris, quâ quaſi aſſatur. Galenus, *ibidem.*

6. Si homo omnes colores vomat, valde pernicioſum eſt. Plures enim difficiles in corpore affectiones ſignificantur. Celerrimam mortem minatur vomitus liuidus, ſi grauiter oleat. Putredinem enim ſignificat, cum caloris natiui exſtinctione: & omnino ſubputridus & fœdus odor in omni vomitu malus eſt. Deterior enim leuis affectio redditur, ſi ei putredo accedat, Hippocrates & Galenus, 2. *Progn. aph.* 40. 41. 42.

7. Si vomitus praſinus aut liuidi aut niger fuerit, malum. Hippocrates, 2. *Progn.* 39. Nam cauſſam admodum vehementem hæc colorum mutatio indicat. Praſinus enim, ſeu Porracenus calorem inſignem in venis & magnam humorum corruptionem indicat. Si tamen ex quorundam ciborum & olerum cruditate proueniat, minus malum ſignificat. Niger interdum ſalutaris eſt, dum ſcilicet humor melancholicus criticè & cum ægri commodo euacuatur; peior verò eſt, cum alia materia eiicitur, quæ ſua natura nigra non eſt, ſed ex corruptione in corpore hunc colorem acquiſiuit.

8. Vomitus in capitis doloribus æruginoſus, cum ſurditate & vigiliis citò vehementem ſurditatem adfore pronunciar, 1. *Prorrhet. comm.* 2. *aph.* 12. Flaua enim bilis ſupra modum aſſata primò in æruginoſam, deinde in atram vertitur. Id quando in capite contingit, vigiliæ, dolores capitis & ſurditas accidit: vnde *μανιώδης παραφροσύνη* oritur. Cerebro autem grauiter affecto ab humore calido, tenui, mordaci, os vētriculi per conſenſum afficitur, & vomitus excitatur, vt à plurimis hîc aphoriſmus explicatur. Exemplum eſt in Philiſca, 3. *Epid.com.* 4. Putarem tamen talem vomitum, & affectiones has potius accidere, humore tali non ſolum

lum in cerebro cumulato & ventriculum in consensum trahente, sed etiam, si bilis talis in inferioribus cumuletur & subitò ad caput rapiatur, talia Symptomata excitari posse, in ventriculo quidem vomitum, in capite surditatem, vigilias & delirium.

9. Quibus cerebrum vulneratum est, his febrem & bilis vomitum super venire necesse est, 6. *aph.* 22. Febris quidem sequitur, quando ab illo eiusque membranis vulneratis calor cordi & hinc toti corpori communicatur. Vomitus verò fit ob consensum cerebri cum ore ventriculi.

10. Qui pectus angustum habent, ac inde pulmonem compressum ad vomendum ineptissimi sunt. Facilè enim vas ex iis, quæ spirationi inseruiunt, rumpitur. Sunt & inepti ad vomitū, qui collū habent longum, & qui ad sanguinis sputum & tabem sunt propensi, & quibus tumor est in gula. Prægnantibus quoque vomitus commodus non est: metus enim est, ne abortiant.

11. Vomitiones luxuriæ caussa fieri non oportere, confido. Interdum valetudinis caussa, experimentis credo. Commoneo tamen, ne quis, qui valere vult, hoc quotidianum habeat. Celsus, *lib.* 1. *cap.* 3.

12. Vomitus interdum malum satis diuturnum est, habetque eius rei exemplum Guil. Frabitius, *cent.* 4. *obs.* 32. de quadam nobili religiosa, quæ ab anno 13. ætatis vsque ad 44. & ita 31. annos singulis diebus semel euomuit, vtplurimum pituitam viscidam, nonnunquam & biliosam materiam.

Plura de vomitionibus prognostica possent addi: verum cum illa solum febres spectent, videantur passim apud Hippocratem & Galenum, *in Prognostic. Prorrhet. & Coacis prædictionibus.*

### *Indicationes.*

[Indicati]ones. Si vomitu reiiciatur materia bona & vtilis, eaque sit cibus vel chylus, qui ob ventriculi imbecillitatem reiicitur, vomitus ille statim reprimendus, ventriculum roborando & adstringendo. Si sanguis sit, isque critice reiiciatur, non statim supprimendus est, nisi modum excedat. Similiter si consuetus sit sanguinis vomitus; in Plethorica corporis dispositione, autEpatis imbecillitate, aut vteri mala affectione, non mox cohibendus est, sed toti corpori & affectæ parti prius prospiciendum. Si verò humores excrementitij reiiciantur, & quidē criticus sit vomitus vel consuetus, moderatusque, non supprimendus, sed sinendus. Imò etiam diminutus adiuuandus leni vomitorio. Si verò Symptomaticus sit vel immoderatus, qui vires prosternat, cohibendus. In quo ad duo respiciendum, primò ad ipsum vomitū, seu Symptomata, secundò ad eius caussam. Si enim vomitus sit nimius, à quacunque etiam caussa proficiscatur, & plus damni ex eo, quam commodi sperandum sit, cohibendus est, quod fit roborantibus & adstringentibus. Quod si sedari non possit, ad singulas caussas cura dirigenda. Et quidem si parui humores copiâ peccant, per inferiora euacuentur, reuellendo, si qualitate prauâ expultricem lacessant, attemperentur, & ad temperiem redigantur. Sed & dum vomitus diminutus est, per inferiora vacuare licet in morbo, qui cum vomitu non incœpit, & vbi æger ad vomitum non procliuis est, nec assuetus. Si contra accidat, vomitus vomitu recte curatur. Sin quoque materia, quæ vomitur, ingrata & noxia sit, vel acris & abradens, qualis atra bilis est, ad inferiora reuulsa illa expurgetur.

### *Curatio.*

[Curat]io. [Reuel]lentia. Quod ergo vomitum ipsum attinet, si sit nimius, curatur per reuellentia & roborantia, ac Expultricis motum nimium comprimentia. Reuellunt acres & fortes clysteres, ac suppositoria, quæ humores ad aluum deducunt, imò etiam purgantia, quæ materiam per aluum euacuant; Calida item extremitatibus, & præsertim frigidis applicata, vt lotiones pedum ex aqua calefacta, & crurum phœnigni ac Sinapismi. Ita Auicennas, 3. *Can. fen.* 13. *tr.* 5. *cap.* 12. Mirabile esse dicit, quod calefactio extremitatum sedat vomitum, scilicet deorsum trahendo. Quod verò mox addit; Infrigidationem extremorum sedare vomitum velocem calidum, id ita planum & perspicuum non est; cum frigida pedibus frigidis adhibita calidos & tenues humores potius ad superiora repellere videantur.

Verum videtur hîc Auicennas respicere ad naturam humoris ipsius, qui vomitus caussa est, ob cuius caliditatē is celer est & continuus. Refrigeratæ enim extremitates qualitatem eandem humori communicant; atque eo modo motus humorum & vomitus nonnihil sedatur.

Retentrix facultas roboratur remotâ Intemperie & præsertim humidâ, à qua debilitas retentricis ortum habet. Ergo in caussa calida exhibeatur Robribes, berberis, succus & syrupus granatorum, cydoniorum, de rosis siccis, myrtinis. Et quidem offerantur ab vncia vnâ ad vncias duas, sine aquis vel decocto, aut cum exigua horum quantitate, ne ab humidis maior fiat relaxatio ventriculi, & fluctuatio in eo augeatur. *Roborantia.*

Atque exhibeantur talia ante cibum. Conuenit etiam panis vino austero madidus, conserua rosarum antiqua imprimis ⊕ata, Diacydonium, Syrupus corallior. spir. ⊕ j. Post cibum sumantur cibi adstringentes, cydonia, pyra mespila, sorba, Diacydonium simplex & alia supra de Intemperie ventriculi calida proposita.

Si non ita ferueat ventriculus, Galenus, *in Euporistis cap.* 15. hoc medicamentum exhibet.

℞. *Succi mali granati cum suis acinis expressi part.* iij. *menthæ part.* j.

Coquantur in vase fictili assiduè agitando, cumque iam crassa fiunt, sublata reponantur in vsum. Dosis ante cibum mystrum siue cochlear vnum magnum vel duo.

Extra adhibeantur fomenta ex rosis, myrtillis, sumach, cortic. granator. & postea applicetur pulpa cydonior. sub cineribus coctorū cum puluere myrtillorum, mastiches, sumach, boli Armeni, terræ sigillatæ, trochisc. de spodio. Vel imponatur Emplastrum de crusta panis.

Aut ℞. *Carnis cydonior. sub cineribus coctor.* Vnc. ij. *puluer. hypocystidis, balaustiorum boli Armeni mastiches*, an. scrup. j. *ol myrth. cydon.* an. q. s. F. Cataplas.

Aut panis tostus aquâ rosarum vel vino adstringente malidus, additis pulueribus modò enumeratis, ventriculo imponatur.

Vel ℞. *Crustæ panis in aceto horis duabus maceratæ.* Vnc. ij. *spodij, mastiches menthæ. corallior. santal. rub. albi* an. Drach. j. *ol. mastichini, cydonior.* an Vnc. ß. *farin. hord.* q. s. ab subigendum F. Cataplasma.

Vel applicetur Cerotum Stomachale oleo rosaceo subactum.

Si caussa sit frigida & materia crassa ac viscida, adstringētibus attenuantia & abstergentia misceantur. Sumatur ergo Diacydonium compos. miua cydoniorum aromatica, Conseru. rosarum antiqua cum puluere mastich. menthæ, thuris, sumendo ad singulas vncias conseruæ pulueris scrup. j. vel Drach. ß. quæ cum syrupo de mentha in liquidiorem formam redigantur: Conserua rosarum ⊕ ata, aut Spiritus Vitrioli, qui in vtraque caussa locum habet, theriaca antiqua, Mithridatium.

Vel ℞. *Cortic. citri siccor. ligni aloes, mastiches, sem. coriandri præpar. portulacæ, santali citrini* an. Drach. j.

Fiat Puluis, cuius vsus sit in cibo.

Vel ℞. *Caryophyllor. crassiusculè incisor.* Drach. ij. *mastiches* Drach. ß. *rosar.* P. j.

In vase clausa in vini rubri ℔ ß. ebulliant parum & colentur. Colatura ante cibum exhibeatur.

Aqua

Aqua etiam cinamomi vomitum compescit, præsertim si cum succo cydoniorũ, destillatur. Et potest nunc succi, nunc cinamomi plus vel minus sumi pro humoris peccatis natura & ventriculi constitutione.

Alia etiam supra de Intemperie frigida ventriculi proposita hîc locum habent.

Extra adhibeantur fomenta ex absinthio, mentha, calamo aromatico, nuce moschata, radicibus cyperi, garyophyllis, mastiche cum vino rubro, & apponatur emplastrum de crustâ panis cum puluere menthæ siccæ, mastiches, absinthij, cumini, caryophyl. cum oleo absinthij, menthæ & mastichino.

Efficax est & crusta panis vino maluatico vel aqua menthæ cũ vino destillata madefacta & aspersa puluere menthæ, caryophyll. macis, cinamomi, speciebus aromat. rosat. ventriculo imposita.

Vel ℞. *Ladani* Drach. ij. *styrac. calam.* Drach. iij. *thuris*, *mastiches* an. Drach. j. *caryophyllor. coralliorrubr. nucis moschat.* an. scrup. j.

Cum cera & resina F. Emplastrum.

Vel ℞. *Fermenti secalini* ℔ß. *pulu. menth.* M. j. *mastich.* Vnc. j. ß.

Terantur simul in mortario, & cum oleo mastichino incorporentur. Fiat Cataplasma quod calidum ventriculo applicetur.

Infantibus fermentum cum duorum ouorum vitellis benè subactum & puluere caryophyllorum admixto in tegula calente calefactum ventriculo imponatur.

In quacunque etiam caussa vtile est, odoramenta conuenientia naribus admouere. Itaque efficacissimus est panis tostus aceto rosarum maddius, & puluere menthæ, caryophyllor. rosar. conspersus, odor quoque mali cydonij vtilis est.

Cucurbita etiam magna cum modica flammâ fundo ventriculi sine scarificatione apposita prohibet, ne tam facilè is subuertatur, atque ea, quæ in fundo sunt, ad superiora compellantur.

*Medicata ad vomitum Galeni.* Plurima etiam medicamenta ad vomitum vtilia ex Asclepiade descripsit Galenus, 8. *de compos. med. sec. loca cap.* 3.

*Opiata.* Inter quæ etiam sunt Opiata quædam. Et licet magno & vehementi vomitu, & vbi materia irritans admodum praua est & maligna, ac ventriculus valdè debilis, Opiatis confectionibus vti, vt, Theriaca recenti, Philonio Romano, & imprimis Laudnao Opiato aliis conuenientibus medicamentis admixto.

Si verò hoc modo vomitus sedari non possit, danda opera, vt caussa eius tollatur.

Si ergo ex debilitate ventriculi is proueniat, curatur vomitus ventriculum roborantibus & adstringentibus, modo & medicamentis supra de morbis ventriculi propositis cum internis, tum externis.

Si ex inferioris orificij inflammatione ortum habeat, curatur vt inflammatio ventriculi reliqua.

Si ex Ileo & intestinorum inflammatione, de eo suo loco dicetur.

Si ex angustia & paruitate ventriculi naturali, curari non potest, sed parcius comedendum & bibendum.

Si potus aut cibi nimia copio ingesta, vel vitiosus cibus vomitus caussa sit, per inediam, quietem ac somnum coctio eius procuranda; aut si id non succedat, vel etiam cibus aliquid vitij contraxerit; vomitu reiiciendus est, quo excreto omnis molestia cessat.

Si verò ex humoribus ventriculum molestantibus, & quidem in eo coaceruatis fiat vomitus, humoris, si opus sit, præparandus & postea euacuandus est, quæ euacuatio non solum per aluum, sed & per superius os ventriculi institui potest: imprimis si vomitus diminutus sit, vnde vomitus vomitu curari dicitur. Proinde si materia sit pituitosa, crassa & viscida, tale vomitorium conuenit.

℞. *Iuris pulli* ℔. ß. *oxymel. simpl. succi raphani* an. Vnc. j. M. pro vomitorio.

Si materia minus crassa, minúsque viscida sit, Galenus, 7. *meth. med. cap.* 11. aquam mulsam cum aceto in cremore ptisanæ exhibet, vt:

℞. *Mulsæ* Vnc. ij. *aceti* Vnc. ß. *cremoris ptisanæ hordei.* Vnc. vij. M. pro vomitorio.

Potest etiam ♁-album vel sal ♁j. in iusculo pingui vel cereuisia cum butyro vsurpari.

Fortiora verò vomitoria, quæ humores in toto corpore commouent, hîc locum non habent.

Si materia biliosa sit,

℞. *Aqu. tepid. vel hordei.* Vnc. vij. *syrup. acetos. simpl.* Vnc. j. ß. Misce.

Si materia acris & mordax sit, loco aquæ tepidæ vti licet iure pingui.

Si materia melancholica sit, & si periculosum sit, materiam, præsertim atrabilariam sursum efferri, non ea mox cohibenda, sed vomitus aliquantisper permittendus, vel etiam leniter adiuuandus, postea clysteribus & purgantibus per inferiora educatur, de quibus supra de intemperie ventriculi dictum est. Hoc saltem monendum, ne quando ventriculus per se afficitur, valentioribus vtamur, sed sufficiunt pilulæ ex aloë, mastichinæ, manna, mel. rosat. solut. & similia, prout natura humoris requirit.

Facilior redditur vomitus, si ventriculus, manus & pedes moderatè calefiant. Ex Auicennæ consilio ab assumto vomitorio post cœnæ horam vtilis est inordinata motio. Sumto vomitorio abstinendũ in cibo & potu ab acerbis & acidis: sumenda potius dulcia & pinguia.

Si causa vomitus venenata est, vel venenatum medicamentum sumtum, vomitu vel per secessum id educatur, & dentur antidota appropriata, ac ventriculus ac nobilia membra roborentur.

Eodem modo etiam si à medicamento vomitorio sumto vomitus supra modum continuetur, curatio vt in hypercatharsi à purgante nimis forti sumto, instituenda, vt infra cap. *de cholera* dicetur. Experimenti certi & secreti quasi loco nonnullis habetur, vt ab vsu antimonij nimis vomenti spiritus vini cochlear vnum vel alterum propinent, atque in momento iuuamen inde pollicentur.

Si verò aliunde affluant humores, euacuandi, & si vomitus sit nimius, ac commodè per ventriculum non euacuentur, à ventriculo auertendi & per aluum euacuandi, cum hæc sit via à natura huic rei destinata. Atque euacuatio hîc commodissimè fit per myrobalanos, quæ non solum laxant, sed & stomachum confortant, & ventriculum roborant, ne humores aliunde affluentes ita facilè recipiat. Aliàs si vomitui homo sit assuetus, cúmque homo facilè ferat, non statim sistendus. *Euacuatio.* Deinde videndum, an humores à toto vel à parte aliqua confluant. Etenim si adsit in toto abundantia sanguinis, aperiatur vena in brachio. Id etiam fiat, si affluat sanguis ab epate vel liene. Idque in initio fiat, dum vires adhuc constant. In mulieribus, si ex mensium suppressione morbus sit, saphena aperiatur. Vtile est & cucurbitulas cum scarificatione cruribus apponere ad materiam è superioribus reuellendam. Deinde si humor aliquis vitiosus ex aliqua parte in ventriculum mittatur, is ex mittente parte euacuandus est.

Præter euacuanda etiam vsurpanda quædam adstringentia, quæ ventriculum roborant. Possunt ergo purgantibus myrobalani addi. Verum ista omnia ex iis, quæ supra de Intemperie ventriculi cum materia dicta sunt, satis patent.

## De vomitu sanguinis.

*Vomitus sanguinis.* Sed vt de vomitu sanguinis in specie aliquid dicamus, si sanguis ideo vomitu reiiciatur, quo in corpore redundet, post abscissionem membri alicuius grandioris, & post suppressam consuetam sanguinis euacuationem

nem per menses, hæmorrhoides,nares, sanguinis abundantia minuenda, simulque videndum, ne sanguis in ventriculo concrescat, & syncopem excitet.Propinentur ergo *mulsæ* Vnc.iij.vel Vnc.iv.aut *oxymel. simpl.* Vnc. ij. Et si iam concretus sit, dissoluatur oxymelite,in quo *thymus* vel *radix ebuli* cocta sit.

Sanguis dissolutus per aluum educatur, nisi vomitu sponte suâ natura eum reiicerit.

Idem fiat,si vas aliquod ruptum vel apertum sit;postea sanguinis fluxum inhibentia & adstringentia exhibeantur.Qualia sunt *syrupus de rosis siccis, myrtinus, cydon.ribes,succus plantaginis,portulacæ,cydonia,mespila,pyra austera*; puluetes item ex *bolo Armeno,terra sigillata, coroll.lap.hæmatite*, cum *aqua plantaginis* vel *bursæ pastoris*. Inter efficaciora medicamenta sunt *trochisci de carabe, de spodio, de terra sigillata*, qui vel in pulueres vel pilulas redacti cum conuenienti liquore exhibeantur, vt:

℞. *Trochisc. de carabe, de terra sigillata*, an. Vnc. ß. *aqu.bursæ pastoris,portulacæ, plantaginis*,ana Vnc.j.Misce.

Vel ℞. *Lap. hæmatit.* Drach.j.*baccar.myrti*,Scrup. ij. *acaciæ,boli Armeni,corall.rubror.* ana Scrup.j.Fiat puluis. Dosis Drach. j. Cum *aqua plantag.& pauco acete.*

Vel ℞. *Conseru.rosar.antiqu.*Vnc. j. *rad.symphyti maioris, fol. quercus*, ana Vnc.ß.*boli Armeni*, Drach.j. *extr, tormentill. lapid. hæmatit.* ana Scrup. j. *corall. rubr.* Scrup.ß.

Cum *syrupo myrtino* vel *portulacæ* fiat electuarium molle. Si libet, potest *vnum atque alterum granum laudani opiati* addi.

Extra quoque applicari possunt adstringentia.

℞. *Balaust.flor. rosar. rubr. sumach.myrti*, ana. q.v.

Coqu. *in aqua plantaginis & aceto*, ac decocto spongia imbuatur, eaque ventriculus foueatur.Postea inungatur hoc vnguento,

℞. *Ol. Myrtini, cydonior.mastich.* ana Vnc. ß. *hypocystid. boli Armeni, corall.rubr.acaciæ*, ana Scrup.ij.*ceræ*, q. s. Misce.

*Diæta.*

In vomitu victus ratio semper analogiam ad caussam & remedia habeat,& propterea alimentis nunc adstringentibus & vomitum reprimentibus, nunc vomitum adiuuantibus,vtendum. Si vomitus superfluus est sistendus, dentur cibi abstergendi & ventriculum roborandi vi præditi, Cydonia, pyra, carnes assæ.Intinctus fiat ex vino granatorum, aceto rosat. succo rubes; & cibi reliqui facilis sint coctionis, ne diutius in ventriculo retenti vomitus caussa sint. Si virium lapsus metuatur, ac vehementia febris id non prohibeat, vinum nonnihil adstringens parcè detur. Conuenit & absinthites, vt & cereuisia eiusmodi.Somnus,quantum fieri potest concilietur, cum quies & somnus non solum omnes euacuationes, præter sudores,sistat, sed & somnus moderatus biliosos humores temperet crassosque concoquat.

Si autem vomitus diminutus adiuuandus sit, æger cibos varios, dulces, pingues maximè ingerat, quibus & de ficubus, raphano, & similibus vomitum adiuuantibus aliquid admisceri potest, vt vomitus facilius subsequatur. Ab adstringentibus verò tum abstinendum, cum ex vsu eorum humores ventriculo magis impingantur.

---

## CAPVT XIII.

### *De Cholera, & primò de cholera humida.*

AD expultricis facultatis symptomata pertinet & is affectus, quo ventriculus per vtrumque orificium materiam sibi molestam expellit. Nominatur autem cholera vel cholerica passio, τὰ χολερικὰ, 7 *epidem. t.90. in editione Foësij Hipp.* appellatione à caussa, χολὴ, id est,bile sumpta; sicut Galenus, ex sententia Cnidiorum Medicorum docet,2. *meth. med. c.2.* Celsus *lib. 4. cap.11.*& Cælius Aurelianus, *lib. 3. acutorum cap. 19.* cum ex bile flaua & humore prauo bilem æmulante supra atque infra erumpente hoc malum oriatur. Qui morbo hoc laborant χολεριῶντες & χολερικοὶ appellantur.Quo sensu & vocem cholericum Plinius, *lib.23.c.6.* accepit, non vt vulgo fieri solet, vbi cholerici appellantur, qui biliosam habent corporis constitutionem, etsi bilem supra ac infra non reiiciant.Alex.Trallianus tamen, *lib.7.cap. 14.* aliunde hoc vocabulum deducit, licet ab intestinis, quæ veteribus χολάδες dicta sunt. Distinguitur autem cholera ab autoribus in humidam & siccam. Humida appellatur, in qua humores supra & infra excernuntur:sicca,in qua solum spiritus flatuosus supra & infra erumpit.De vtraque in specie agemus, & primò de humida,quæ etiam in specie Cholera plerumque appellatur. *Cholera, duplex.*

Est nimirum Cholera, & quidem humida, assidua & immoderata humoris praui per superiora & inferiora reiectio,à facultate expultrice ab eodem valde irritatâ ortum habens. Neque enim solum ab imbecillitate ventriculi, sed expultrice valdè irritatâ fit cholera. Et quanquam vehementior & grauior sit hic motus, si facultas retentrix elpultricis facultatis motui non resistar:tamen ob solam retétricis debilitatem hîc affectus non oritur, sed si facultas retentrix solum sit languida, paulatim potius humores sibi molestos deponit, & lienteria vel cœliaca affectio sequitur.Sæpe tamen, vt in caussis postea dicetur, accedit ventriculi debilitas, ob quam cibi corrumpuntur,qui corrupti ac naturam prauam adepti expultricem valde irritant. Vt ita cholera sit symptoma in genere actionum læsarum, & quidem facultatis expultricis, quam tamen aliæ actiones; læsæ quandoque antecedunt & sequuntur, vt postea dicetur. *Cholera humida.*

De subiecto Autores nonnihil dissentiunt, & alij quidem ventriculi, alij intestinorum, alij ventriculi & intestinorum affectum esse statuunt. Verũ vt rectè sentit Galenus, 3.*de sympt.causs.cap.* 2. Pars primariò affecta est ventriculus, cuius facultas expultrix irritatur,vt per vtrumque orificium humorem molestum expellat; secundariò verò simul gula, & intestina afficiuntur.

*Caussæ.*

Caussa proxima huius mali est materia acris, praua & corrupta ventriculum vellicans, ac lacessens, vt id, quod sibi molestum est,supra & infra reiicere conetur. Ad quem vehementem motum sæpe non solum humor is,qui primò in ventriculo est,expellitur,sed & ex vicinis partibus,& toto corpore effluit. Materia autem ista varia est, plerumque bilis, nunc chylus & cibus corruptus, nunc alius humor, & quidem vel genitus in ventriculo,vel aliunde affluens. In ventriculo generatur vitio eorum,quæ in cibo & potu assumuntur,quando cibi suâ naturâ facilè corrumpuntur & in prauam substantiam mutantur, quales sunt barbi piscis oua,quæ comesta, instar alicuius veneni, choleram excitant, fungi, melones, cucumeres, pruna, Persica & alij fructus fugaces, præsertim si ieiuno ventriculo, aut eò cibo repletò sumantur, & affatim illis sumtis bibatur; præterea cibi pingues dulces, acres, venena item & venenata medicamenta, vt & purgantia, quæ modum excedunt. Et quidem ex fungorum genere solum boletũm neminem strangulasse, choleram tamen in quibusdam excitasse traditum est; aliorũ verò vsu quosdã diarrhœa aut cholera correptos,aut de suffocatione periclitatos non procul à morte abfuisse,Gal.*de cibis boni & mali succi,cap.4.*docet.De his Hipp.7.*Epid.t.90.in Codice Foësij*,ita scribit:Choleræ morbus ex vsu carnis cõ- *Caussæ.*

ciliatur, præfertim verò fuillæ crudioris, ex cicere, vinique odorati veteris ebrietate, infolatu, ex fepiæ efu, locuftarum & gammarorum, olerumque, maximè porri & cæparum. Quandoque etiam ex lactucis coctis, braffica, lapatho crudiore, ex bellariis, dulciariis, pomis, cucumere, pepone & potione, quæ ex vino & lacte mixtis conficitur, eruo, polenta recenti. Deinde generantur humores praui, cum ob maiorem copiam quæ ingefta funt, cruda relinquuntur, aut corrumpuntur, aut ob ventriculi debilitatem, præfertim æftate & autumno, ob defectum calidi innati; quo facit, & aër prauus, vt & valdè calidus & æftuofus. Hinc Hippocrates *loco allegato*, fcribit æftate poffe choleram fieri, & autumno vere minus, minimè omnium hyeme, quia iis temporibus tales humores ob aëris intemperiem & caloris innati debilitatem magis cumulantur. Quò tamen & fructuum multorum eo tempore confuetus vfus aliquid facere poteft. Eft & cholera iis familiaris, qui ætatem iuuenilem exceflerunt. Hippocrates, 3. *aph*. 30. Ætas ea eft καθεστηκυῖα & παρακμαστικὴ, quam Galenus cum autumno comparat. Vt enim in autumno flaua bilis æftatis caloribus collecta magis aduritur; ita & ætas, quæ iuuentutem fequitur, non modò bilem colligit, fed & biliofum, qui ex iuuenili ætate reliquus eft, humorem magis affat. Vnde cholera frequentius gignitur. Faciunt ad cibos in ventriculo corrumpendos etiam animi pathemata, imprimis ira & excandefcentia, terror fubitus & mœftitia. Cauffæ tamen hæ etiam ad fequentem claffem referri poffunt; cùm fcilicet humores praui albi generari in ventriculum effunduntur. Caufæ enim hæ etiam in epate & venis humores corrumpendi vim habet.

Secundò verò materia ventriculo ex aliis partibus communicatur, à venis mefaraicis puta, quando aqua frigida, imprimis ieiuno ftomacho, hauritur, & poftea cibus craffus ac coctu difficilis ingeritur. Nam ob inediam chylus crudus auidè in venas mefaraicas trahitur, qui corruptus ibi talem perturbationem efficit. Aliis tamen etiam de cauffis in mefenterio & pancreate prauus humor cumulari, atque in ventriculum tranfmitti & choleram excitare poteft. Deinde ab epate communicatur, quando ob eius intemperiem humor biliofus copiofius gignitur, quod in febribus malignis fæpe accidere folet. Poteft & lien tales humores in ventriculum tranfmittere. Nonnunquam & ex toto corpore & ex venis omnibus biliofus ac flauus humor in ventriculum confluit, folétque hoc nonnunquam in critico naturæ motu, plerumque tamen fymptomaticè, fieri.

*Vnde humorum copia in cholera proueniat?*

Confideratione autem dignum eft, vnde tanta humorum prauorum copia, qualis in cholera fæpe vomitu & per aluum reiicitur, proueniat. Exiftimant quidem nonnulli, in mefenterio & proximis locis eos contineri; nonnunquam etiam ex toto corpore confluere. Sed non hoc abfurdum videtur, humorem feu in ventriculo feu in vicinis locis corruptum & maligna qualitate, qualis in antimonialibus & aliis medicamentis nonnunquam eft, præditum, humores quoque bonos corrumpere, eofque naturâ irritata ad ventrem protrudi & confluere. Id quod in hypercatharfi etiam à medicamentis purgantibus valentioribus, vt & venenis affumptis, accidere folet.

## *Signa Diagnoftica.*

*Signa.*

Malum ipfum facilè cognofcitur; quia æger frequenter fimul & vomit, & per aluum biliofos ac prauos humores excernit, idque cum maxima difficultate & anguftia. Dolor enim ventris & inteftinorum vehemens adeft, inflatio ac diftenfio, cardialgia, fitis, pulfus paruus, celer ac frequens eft; quibus fæpe externorum refrigeratio, animi deliquia ac conuulfiones accedunt.

Cauffarum verò, quæ ob curationem diftinguendæ funt, figna quod attinet, fi malum ortum habeat ab alimentorum prauitate vel copia, id ex ægri vel adftantiũ relatione cognofcitur; vt & fi ex medicamenti purgantis valentioris vfu, vel veneno fumpto, aut ex aquæ frigidæ, vel niue aut glacie refrigeratæ potu, aut alia cauffa externa originem traxerit.

Humoris natura ex propriis & alibi enumeratis fignis cognofcitur, nimirum ex fiti, vomitibus, amaris, acidis, doloris fpecie.

Si materia in ventriculo genita fit, adeft naufea, anguftia, morfus ac dolor ventriculi: materia eft æruginofa, praffina, viridis, fed plerumque conuulfio & febris abeft. Si verò in venis fit genita, ferè febris maligna adeft, & conuulfio accidit.

## *Prognoftica.*

*Prognoft.*

1. Cholera acutiffimum & periculofiffimum malum eft; cùm præter omnia fymptomata, quæ ventriculum infeftare folent, etiam alia in hoc malo coniungantur, quæ modò in fignis enumerauimus. Quibus concurrentibus non mirum eft, fi quis fubitò moriatur. Neque tamen vlli morbo minori momento fuccurritur, Celfus, *lib*. 4. *cap*. 11. Contra verò fi idonea remedia negligantur, homo à morbi vehementia vna vel alterâ vel certè paucis diebus iugulatur, & eò quidem citius, quò frequentius animi deliquio & fyncope corripitur, maximè fi conuulfio & fingultus accedat, & adhuc magis fi cum interceptione pulfus frigidum fudauerit, & quæ euacuantur, peiora funt, vt poftea dicetur.

2. Proinde vt in omnibus aliis morbis periculofis cunctatio periculofa eft: ita in hoc affectu exigua etiam & leuis curandi mora peffima. Trallianus, *lib*. 7. *cap*. 14.

3. Cholera, quæ eft à cauffa primitiua, minus periculofa eft, cæteris paribus, etfi fit cum minoribus & paucioribus fymptomatibus.

4. Quò perturbatio ventris maior eft, & quo ventriculus magis afficitur, eò periculofius malum eft. Eft & periculofior ea, quæ à bile ortum habet æruginosâ, vtpote à naturali ftatu magis recedente, & cum loturæ carnis fimile quid excernitur; & longè adhuc magis, fi liuida aut nigra reiiciuntur. Et quæ in febre maligna & peftilenti accidit, & quæ ex veneno, aut materia ad hoc ἀναλογίαν habente ortum habet, peffima.

*Cholera aliquando salubris.*

5. Sunt tamen quibus diarrhœa & cholera certis interuallis omnem corporis redundantiam euacuat. Galenus, 7. *meth. med. cap*. 11. Salubris igitur aliquando hæc affectio, vbi critico motu ex robore facultatis venarum expultricis materia euacuatur, & ea intra 18. aut ad fummum horas 20. euacuata ipfa affectio fponte definit, vt præfidiis medicis opus non fit. Nonnunquam materia ad vias vrinæ conuertitur, vnde vrinæ ardor, cuius profluuio etiam hoc malum finitur.

## *Indicationes.*

*Indicationes.*

Cum malum hoc fit acutiffimum, curatio maturanda eft. Confiftit autem curatio in duobus: In cauffæ ablatione, & fymptomatum, quæ fiunt, mitigatione, ac virium conferuatione. Cauffam quod attinet, continetur ea, vt fupra dictum, & generatur vel in ventriculo, vel ex epate, liene, mefenterio vel ex toto corpore ac venofo genere in ventriculum ac ventrem confluit. Sex igitur fcopi Medico in huius affectionis curatione funt propofiti. Primò vomitus promouendus, fi minus parcè prodeat, aut euacuatio per aluum fit nimia. Secundò purgandum leniter, cum vel naturæ in euacuatione per aluum defectus fupplendus, vel materia ad inferiora retrahenda eft. Tertiò humores temperandi, & eorum acrimonia & mordacitas corrigenda.

da. Quartò partes roborandæ. Quintò, vires conseruandæ & spiritus reficiendi. Sextò symptomata mitiganda & corrigenda.

*Curatio.*

Cur|io. Primò ergò si à cibo quocunque modo corrupto, aut alia materia praua in ventriculo contenta cholera excitetur, vomitus ille non statim sistendus, ne materiâ prauâ retenta malum grauius & periculosius postea reddatur. Imò si natura ad exernendum non satis insurgat, leniter adiuuetur, exhibendo ea, quæ simul pravorum humorum deiectionem adiuuant, materiamque temperant & abstergunt. Quò enim citius materia praua ventriculum vellicans exernitur, eò citius æger ab hoc malo liberatur. Nimirum si euacuatio satis copiosa fit, & cum ægri tolerantia, aut saltem virtus non valde deiiciatur, etsi aliquo modo debilitetur, fluxus neque cohibendus neque adiuuandus, sed naturæ res permittenda, ac symptomatibus saltem occurrendum. Si verò irritatio, anxietas & dolor maior sit, quàm pro euacuationis quantitate, & euacuatio abundantiæ humorum non satis respondeat, sed parcior sit, promouenda euacuatio. Ad vomitum igitur adiuuandum detur aqua mulsa vel hordei tepida, aut sola aut adiecta sacchari exigua quantitate, aut syrup. rosar simpl. infus. (Vo|um iu-)

Vt: ℞. *Aq. hord. simpl.* Vnc. iv. *syr. rosar. simpl. infus. vel violar.* Vnc. j.

Misce. Aut serum caprinum vel vaccinum detur cum syrupo rosat. vel viol. A fortioribus vomitoriis omnino hîc abstinendum, quod sunt & ventriculo inimica & morbum augent. Hippocrates quidem, 5. *epidem. t.* 10. *in Cod. Foesij*, quendam epoto elleboro cum lenticulæ succo sanatum fuisse scribit. Locum tamen cum Cœl. Aurelianus, *lib.* 3. *acut. cap.* 2. exagitat. Verum, vt Foesius scribit, valde iniquum est, ab iis, quæ peregrinationis procinctu temerè sunt ac leuiter animaduersa, exactæ curationis leges petere velle. Et multi sæpe contra omnem spem conualescunt, quorum tamen curationem ideo pro curandi norma vniuersali semper habere non licet. Si verò materia magis ad vomitum vrgeat, aut æger acria immoderatè vomat, vt metuendum sit, è ventriculi symptomatibus & vomitu nimio ægrũ periclitari posse, per aluum educenda est materia. Et quidem si euacuatio maior sit, quam irritatio, vtendum iis, quæ simul purgant, adstringunt & roborant, vt syrup. rosar. sol. cum decocto myrobalanor. rhabarb. Verùm si naturæ major sit conatus & irritatio, quàm humorum euacuatio, abstinendum à roborantibus & adstringentibus, atque iis vtendum, quæ laxant, & abstergunt. Detur ergo in sero lactis vel iusculo *manna* Vnc. j. *syrup. rosf. solut.* Vnc. j. ß. Atque clyster applicetur materiam temperans atque abstergens, ex *decocto hordei vel sero lactis* addito *ol. viol. & sacch. rubr. ouique vitello*. Fortioribus verò aluus non irritanda, ne difficilis aliqua diarrhœa vel dysenteria excitetur. Et quod vomitum attinet, id, quod modò dictum, in omni cholera obseruandum, vt non solum quò materia vergat, eò ducatur, verùm etiam, si alterutra euacuatio sit nimia, & æger vel nimium vomat, vel per aluum copiosius excernat, atque inde vires deiiciantur, vt per contrariam partem materia reuellatur atque euacuetur. Nimirum si materia immoderatè per inferiora excernatur per vomitum aliquid humoris euacuetur. Contra verò si æger immodicè vomat, vt metuendum sit, ægrum inde periclitari posse, leniter purgetur. Talibus tamen tum vtendum, quæ simul nonnihil roborant, quale medicamentum est diacatholicum cum pulpa tamarindorum. Idem ferè faciendum, si medicamentum malignum purgans & venenatum assumptum sit: abstergens nimirum, quod simul vomitum prouocat, exhibendum, ad quam rem vtilis est aqua hordei. Postea (…antia.)

medicamenta, quæ peculiari vi malignitati & veneno illi resistunt, danda.

Non alia etiam euacuatio est, si materia aliunde ad ventriculum confluat. Quæ in fluxu iam est materia, permittatur, vt sponte sua moderatè euacuetur, & potissimum ad partem, quò materia vergat. Imò leniter & blandè materia eò ducenda, atque euacuatio adiuuanda, si necessitas postulat. Verum enim & hic verum est, quod Hippocrates, 1. *aph.* 2. habet: *In turbationibus alui & vomitionibus, quæ sponte fiunt, si qualia oportet, purgentur, confert.* Ergo si materia vitiosa sit, ægerque id ferat, non sistendus statim est vomitus. Nam si is intempestiuè cohibeatur, natura cum ægri periculo aliò transfert humores vitiosos. Si verò euacuatio continuetur, & plus, quam pro humoris in corpore redundantia opus erat, & quam vires sustinere possunt, euacuetur; motus ille nimius sistendus, quod fiet, si venter per idonea medicamenta roboretur, vt minus facilè affluentes aliunde humores recipiat. Partis verò trasmittentis intemperies & mala constitutio corrigenda, ipsique humores acres & expultricem stimulantes temperandi, & vel ad cutim per sudorifera, vel per vrinæ vias, sed non per acria medicamenta, auertendi, simulque idonea victus ratione, & per alimenta quantitatè pauca, qualitate verò refrigerantia, & aliquantum adstringentia, similium humorum generatio præcauenda. Si itaque malum hoc ingrauescat, & euacuatio fit nimia, siue ex humoribus in ventriculo corruptis ortum habens qui vellicando stumulant expultricem partium vicinarum, vel etiam totum corpus in consensum trahunt, siue ex humoribus aliunde affluentibus proueniat, & Symptomata grauia ac periculum minantia accedant, fluxio sistenda, humores aliò reuocando, eosdem temperando atque adstringendo partem recipientem cum internis, tum externis.

Vt ergo Natura à doloris sensu & expellendi opere auocetur, & materia ad exteriora retrahatur, ligaturæ & frictiones artuum fortes instituantur; modò superiorum, si materia maiori impetu per aluum ruat; modò inferiorum, si vehementius per os; modò vtrorumque si æqualiter vtraque via præter modum exeat. Rhases quoque ad vehementem excretionis motum inhibendum, præsertim vomitionis, cucurbitam magnam cum multa flamma sine scarificatione ventriculo affixam vi reuellit, quam secundò aut tertiò apposi-tam, iterumque auulsam plurimum emolumenti ægro afferre affirmat.

Simul materia temperanda, partesque recipientes roborandæ sunt. Itaque si materia biliosa sit, æger valde sitiat & æstuet, Intybacea vtilia sunt, limones, mala citria, cydonia, mespila, succus & syrupus granator. citri, de portulaca, de agresta, ribes, de rosis siccis, emulsio sem. 4. frig. maior. panis vuæ acerbæ, vel granator. vel cydonior. succo madidus, Rob. ribes, berber. conseru. rosar. rubrar. vitriola imprimis, vt (*Alterantia.*)

℞. *Conseru. rosar. antiqu. acaciæ rob. ribes* an. Vnc. ß. *corall. rubr.* scrup. j. ß. *diacydon. sine speciebus vel cydon. condit.* Drach. vj. Cum *syrupo granator.* F. Electuarium.

Vel ℞. *Conseru. rosar. vitriolatæ diacydon. sine speciebus* an. Vnc. ß. *santalor. omnium, boli Armeni* an. scrup. j. Cum *syrupo conseruationis myrobalanor.* F. Electuarium.

Probatissimum & præsentissimum in cholera remedium est Crystallus, vt testatur Langius, *lib.* 3. *Epist.* 1. *cap.* 4. Cuius Drach. ß. vel per se exhiberi potest, vel etiam electuariis & aliis medicamentis admisceri.

Si materia non ita calida fuerit, species arom. rof. nux moschata, succus absinth. & menthæ vel aqua eius addi potest.

Antiquis erat in vsu remedium, cuius etiam supra mentio facta est, quod coquitur ex succo granator. & succo menthæ. Rhases trochiscos de thure exhibet, quorum etiam descriptionem tradit.

Foris quoque refrigerantia & adſtringentia ac roborantia adhibenda.Et ſæpe ea vtiliora ſunt,quam interna, cum citra nauſeam & ventriculi ſubuerſionem officium ſuum præſtant; aſſumpta verò facilè nauſeam pariant,& vomitu reiiciantur. Talia ſunt ſuccus endiuiæ, acetoſæ, portulacæ, plantaginis, granator. ex toto pomo extractus,ſi cum farina hordei & pane miſceatur & ventri imponatur, aut cydonia vel pyra in vino aut aceto cocta, lenteiſque inducta ventri applicentur Vtiles etiam ſunt fomentationes & inunctiones,quales ſupra de vomitu præcipuè bilioſo traditæ ſunt. Aut panis nuper coctus vino granat. madidus applicetur, vel Emplaſtrum de cruſta panis, aut Diaphænicon.

Vel ℞. *Panis toſti* ℔ ß.

Coquatur in aceto & aqua, & addatur

*menthæ viridis* M. ß.

Omnia contundantur & per ſetaceum reiiciatur, addaturque

*Pulueris roſarum corall. cryſtalli* an. Drach.j. F. Cataplaſma.

Si materia non ita ferueat,præcedentibus addi poteſt mentha, quæ ab Alexandro Tralliano, quod peculiari proprietate huic malo medeatur,commendatur; maſtiche,radix cyperi, venterque inungantur ol. maſtich. abſinth. menth. nardino.

Aut componatur Emplaſtrum, quod recipit.

*Medullæ panis toſti in aceto & vino cocti* ℔ ß.*menth.*M.j.

Per ſetaceum traiiciantur & addatur

*Pulueris caryophyllor. nucis moſch. cinam.* an. Drach.j. *ſpicænardi, cyperi nucis cupreſſi* an. Drach. ß. F. Cataplaſma.

Vires quomodo reficiendæ ſint, ex Diæta patebit. Qua ratione autem Symptomatibus, quæ huic malo coniunguntur,vt conuulſioni,animi deliquio & ſyncopæ occurrendum ſit, ex peculiari de iis doctrina petendum.

Si tamen medicamenta ſupra enumerata, & quæ ſymptomatibus occurrere debent, nil proficiant, vireſque proſternantur, ad narcotica confugiendum. Quo in caſu ſcrup. j. Drach. ß. Philonij Perſici aut Romani, vel Laudani Opiati g. ij. vel iij. exhibere conuenit.

## *Diæta.*

*Diæta.* Aër ſit temperatus, non feruidus, ne Spirituum nimia fiat diſſipatio,qui etiam ad vires reficiendas ſuauibus odoribus inficiendus eſt;ſicut & naribus ad eaſdem inſtaurandas panis recens aquâ roſar.vel vino madibus admouendus.Malo quieſcente cibi boni ſucci & faciles coctu exhibeantur, ac proinde non probanda ſententia Tralliani, qui oſtreas commendat, quæ refrigerant quidẽ,ſed ſunt durioris coctionis. Probatur potius expreſſum carnium bonarum & præcipuè aſſatarum. Exhibeatur verò cibus ſingulis vicibus exigua quantitate, vt natura auidior reddita facilius humores complectatur. Syncope imminente panis detur imbutus ſucco granatorum & vino, vel etiam ſolo vino, ſcribitque Trallianus,ſe multos nouiſſe,qui cholera ex humorum aut ciborum prauitate laborantes ſolo vino præter ſpẽ euaſerunt: ſed febrem adeſſe oportet. Cibi condiantur aquâ roſarum, ſucco granatorum.Aſpergenturque pulueres ex margaritis, corralliis cryſtallo, macere. Panis intingatur ſucco granator. citri, cydonior.ribes, aceto roſar. Laudatur & abſinthium in potu ſumptum, quod non ſolum ventriculum roborat,ſed & prauitatem humorum corrigit. Si tamen hæc nil proſint, ſcribit Aretæus, *lib. 2.acutor. cap.*4. Si omnia euomat æger, & ſtomachus nil retineat, ad calidas potiones veniendum eſſe. Calida verò calidiſſima, inquit, ſunto.Si de cauſa huius auxilij quæratur, Auicenna ſcribit, ideo prodeſſe, quoniam calida, cum penetrent in venas, humores retrahant in ventriculum tendentes. Mercurialis verò ideo talia iuuare ſtatuit,quod diſſipent,euacuẽt & difflare faciant humores. Mihi probabilius videtur, calida actu vomitum ſiſtere, quod ventriculi calorem, qui in hoc affectu valde debilitatur, foueant ac roborent.Somnus in hoc affectu vtiliſſimus eſt. Reliqua victus ratio medicamentis reſpondeant, & ſit talis,qualis in vomitu curando propoſita.

## CAPVT XIV.

### *De Cholera ſicca.*

*Cholera ſicca.* VT in cholera humida, de qua hactenus dictum, humores per ſuperiora & inferiora excernuntur: ita in ſicca nihil liquidi vel per os vel per aluum & os erumpit,venterque cum dolore laterum diſtenditur, & ſpiritu illo flatuoſo diſcurrente cruciatur, ac dolores varij in vniuerſo excitantur, & partes, per quas ſpiritus tranſit, ob eius acrimoniam exaſperantur & vellicãtur, vt ita cholera ſicca ſit Spiritus flatuoſi per inferiora & ſuperiora excretio, cum inflatione ventris & ſtrepitu, ac dolore laterum & lumborum.

Flatus autem ille aut Spiritus flatulentus vel ratione ventriculi vel ratione aſſumptorum generari à pleriſque docetur. Ratione ventriculi, cum is ob igneum quaſi,quo præter naturam præditus eſt,calorem cibos, licet ipſi omni vitio careant, ita corrumpit vt in nidoroſam materiam & acrès vapores conuertat: ratione verò alimentorum cum cibi ipſi acres & flatuoſi ſunt, ſeu tales,vt ſint apti, vt in nidoroſam ſubſtantiam mutentur, quales cibi ſunt, raphanus, ſemen erucæ, oua frixa & ſimilia.Verum enim verò etſi hoc interdum accidere poſſit: tamen ſi malum continuetur, id quod 2. *lib.Inſt. part.* 3.*ſect.* 2.*cap.*1. diximus & de affectione Hypochondriaca monebimus, hîc etiam locum habere poſſe cenſemus.Nimirum cauſſam huius mali non ſolum in calorem ventriculi nimium, & alimenta praua referendum eſſe,ſed etiam in bilem atram,prauoſque humores ventriculo ſubſtratos in hypochondriis & venis Meſaraicis contentos,è quibus flatus & ſpiritus flatuoſi eiuſmodi generari poſſunt.

*An ſola Cholera ſicca tantum calorem ventriculi vitio da fiat.*

Quantum enim Spirituum copiam, ſales & ſpiritus ſalini cum ſpiritibus acribus permiſti ſuppeditent, ex olei vitrioli & aquarum fortium cum ſale tartari miſtione apparet.Tale ergo quid etiam in corpore humano accidere, & ex humoris falſi atque aduſti cum aliis ſpiritibus commixtione magnam Spiritus flatuoſi copiam excitari poſſe,incredibile non eſt.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Cognoſcitur autem cholera ſicca ex iis,'de eius natura dicta ſunt. Vt autem ſciamus, à qua cauſſa originem habeat,inquirendum,quo genere cibi vſus ſi æger. Si enim bonis cibis vſus eſt, hinc colligitur, vel ratione affectus hypochondriaci, quæ ſignis diſcernere facilè eſt, ortam eſſe. Si verò paruus cibus aſſumptus ſit, vitio choleram prouenire argumento eſt.

### *Prognoſticum.*

*Prognoſticum.* Non tamen tam periculoſum hoc malum per ſe eſt, ſicut cholera humida, nec à flatibus erumpentibus tantum imminet periculum, quantum à crebra per aluũ & ventriculũ euacuatione. Si autem quid periculi metuendum eſt,id potius à primaria affectione accidit.

### *Curatio.*

*Curatio.* Curandi ratio in duobus conſiſtit;in ſpiritus flatuoſi eductione & contemperatione, & in cauſſæ, à qua ſpiritus ille flatuoſus ſubnaſcitur, ablatione.Hippocrates,

tes, 4. *de rat. vict. in acut.* à *text.* 104. *ad* 109. vbi de hoc affectu agit, hanc curandi methodum præſcribit. Primò prohibet vomitum,cũ pręſupponat,materiã in inteſtinis contineri, parumque eius in ventriculo hærere, & flatum vomitu non diſcuti. Secundò iubet ventrem oleo ſubducere, vt eò retundatur acrimonia flatuum,& tum flatus tum materia eorũ per aluum educatur. Tertiò ordinat balneum & perfuſionem olei & aquæ dulcis, quod & ad coctionem & attemperationẽ ac diſcuſſionẽ acrium flatuum facit. Quartò ſomnum impetrat, qui coctionem promouet, & omnium cruditatũ maximum remedium eſt. Quintò vinum antiquum & meracius exhibet, quod & ad materiæ diſcuſſionẽ & flatuum diſſipationem facit. Sextò ſi malum perſeuerat,oleum per os propinat, quod cum dulce & pingue ſit, acres flatus temperat, & aluum ſubducit. Septimò, vt coctio facilior fiat, ægrum abſtinere ab omni cibo & potu iubet. Non enim crudis cruda ſuperingerenda ſunt, & quies multum ad coctionem facit. Vltimò ſi malũ perſeueret, materiam peccantem enacuare iubet. In quem finem exhibet Lac aſini, quod cæteris omnibus medicamentis in hoc caſu præfert, cum ſimul euacuet & refrigeret. Si autem humorum corruptio talis ſit, vt ex cruditate nidoroſa febris accendatur, qua ratione ea curanda ſit, docet Galenus, 8. *meth. med. cap.* 5.

*Per..ta cho- lera ſiccam ..ratio.*

Ex quibus omnibus patet, choleram ſiccam rectiſſimè curari, ſi flatus educantur, diſcutiantur, temperentur, & cauſſa eorum tollatur. Quod fit, ſi primò iniiciatur Clyſter ex oleo dulci,vel ſem.lini recẽti vel chamæmelino, cui, pro retundenda acrimonia humorum, aliquid pinguedinis anſerinæ vel gallinæ addi poteſt. Aut ſi flatus valde moleſti ſint ac crucient, decoctum ad flatus conueniens paretur, eique oleũ amygdalor.dulcium addatur. Inungatur etiam ventriculus & abdomen, ſi aſſumptorum vitio hoc malum proueniat, oleo maſtichino, abſinthij, nardino & ſimilibus. Aut ſi id ventriculi calidioris ratione fiat, oleo roſar. vel etiam omphacino, quod Galenus, 4. *de ſimpl. medic. fac. cap.* 3. & 12. ad æſtuantia hypochondria commendat;aut paretur cataplaſma è pulpa cydonior. additis roſis rubris ſiccis, hypociſtide, balauſtiis, farina hordei, quæ omnia miſceantur cum oleo roſar. & fiat Cataplaſma. Quod ſi adhuc dolor perſeueret, remedia exhibenda, quæ ſimul materiam temperare & euacuare poſſunt, quale eſt oleum dulciſſimum, aut ol. amygdal. dulc. recens, aut oleum lini recens exhibitum. Quod ſi horum vſu nondum ceſſat affectio, ad flatuum diſcuſſionem & coctionem Hippocrates, vt dictum, vinum antiquum & meracum exhibet: Galenus Diatrionpipereon,ſi ſcilicet ex aſſumptis,non ex ignea ventriculi caliditate ſit cruditas nidoroſa. His omnibus non conferentibus materia euacuanda. Ad quam rem clyſteres & alia lenientia vtilia ſunt, vt ſyrup. roſar. ſolutiuus, manna item cum oleo amygdal. dulcium in iuſculo vel vino Maluatico.

Victus medicamentis reſpondeat, & ſit talis, qui materiam temperare poſſit, vt ptiſana, ac pulli gallinacei, & eorum iuſcula, & id genus alia.

## CAPVT XV.

### *De Dolore & anxietate ventriculi.*

*Ventri-*

HActenus abſoluimus Symptomata,quæ actionibus ventriculi propriis accidunt. Reſtant adhuc Symptomata, quæ circa communem cum aliis partibus actionem ipſi conueniunt,ſenſum tactus puta,dolor ſcilicet & ſtupor ventriculi. Habet enim ventriculus nervos à ſexta cóiugatione inſignes,ob quos etiã ſenſu inſigni præditus eſt, qui, ſi deprauatur, & objectum ſit minus conueniens, dolor ventriculi oritur.

Etſi verò, ſi nomen ſpectes, ventriculi dolor omnem eius & omnium eius partium dolorem ſignificat:tamen vſus obtinuit, vt dolor ventriculi ſimpliciter ſic dictus de cuiuſcunque in hoc partis dolore accipiatur, excepto eius orificio. Huius enim dolor in ſpecie Cardialgia appellatur.

*Cardialgia.*

Cardialgia enim nomen accepit à Symptomate & loco affecto, id eſt, ore ventriculi. Nam καρδία Græcis Antiquis,teſte Galeno, 2. *meth. med. cap.* 2. os vẽtriculi eſt. Vnde appellatur Cardialgia ob grauiſſima Symptomata, quæ ex huius partis affectione oriũtur,ſimilia iis, quæ cordi accidunt,& cor ſtatim in conſenſum trahunt. De eodem dolore & καρδιωγμȣ̃ vox vſurpatur, qua alias etiã cordis crebriorem & celerem motionem ſignificari ſupra diximus, de qua plura videantur *in Oeconomia Hippocratis Foeſij.*

Apud Hippocratem, 5. *aph.* 57. etiam occurrit vox ἀλύκης, & ἀλυσμȣ̃ alibi,quam Galenus, *in comment.* de anxietate interpretatur. Deinde etiam recentiores ventriculi anxietatẽ nominant, cũ ſcilicet cum dolore tantus angor & anxietudo coniuncta eſt, vt quemadmodũ Galenus 2. *Pror. t.* 44. & 5. *de vſ. part. cap.* 5. docet,ęgri nequaquam ſe vno loco continere poſſint, ſed frequenter cogantur mutare locum & figuram, & ſitum omnem ęgrè ferant,tranſlatione ſumptâ ab iis,vt Galenus 7. *aph.* 58. tradit, qui in negotiis ſuis adeo anxii & moroſi ſunt, vt ea, quæ præ manibus habent, ſemper quaſi faſtidiant, atque illis relictis mox ad alia tractanda ſe transferant.

Inuenitur & τῆς καρδιακῆς διαθέσεως appellatio *in definitionibus medicis*, & Cardiaci mali nomen apud Celſum, *lib.* 3. *cap.* 30. quando languente orificio ventriculi corpus immoderato ſudore digeritur, ſudórque ſupra conſuetudinem & tempore & modo ex toto thorace & ceruice,atque adeo capite prorũpit, pedibus tantum & cruribus ſiccioribus atque frigidioribus. Tralliano, *lib.* 7. *cap.* 9. ex mordicante ſimul & virulento in ore ventriculi humore fit, vbi ſi os ventriculi ſit εὐαισθητὸν, hominem repente nonnunquam ingulat malo communicato cum corde,vt ſyncope cardiaca ſiuè ſtomachica accidat, de qua ſuo loco dictum.

Hercules Saxonia equidem inter Cardiacam & Cardialgiam diſtinguit hoc modo, quod Cardialgia ſit ex humoribus erodentibus ſolum, non venenatis: Cardiaca verò ex venenatis erodentibus. Verum ſine autoritate id facere videtur. Mercatus diſtinguit inter cardialgiam,ſiue dolorem oris ventriculi, & inter exſolutionem ventriculi, Cardialgiámque à ſolutione vnitatis & triſti ſenſu prouenire ſcribit, & eſſe mordicationem oris ventriculi: angorem verò ſiue exſolutionem ſubſtantiæ oris ventriculi citra vllum doloris ſenſum fieri ab intemperie ſenſim & paulatim diſſipante & diſcutiẽte ſubſtantiam, quæ ſeparatur,& comitem ſemper habere febrem malignam, cùm cardialgia plerumque febre careat, ſicut & ſudore diaphoretico, niſi in fine mali. Ad quem affectum pertinet & vitium ſtomachi reſolutio à Beniuenio, *de abdit. morbor. cauſ. & curat. cap.* 66. deſcripta, quæ ab intemperie ventriculi accidit,vbi hiſtoriam Nobilis recenſet, qui cum calidiore ventriculi habitu fuiſſet affectus, eum frigidis medicamentis curauit. Verum cum huiuſmodi affectus ſint ſine dolore ventriculi, non pertinent ad hoc caput, ſed potius ad intemperies ventriculi.

*Attritio Ventriculi.*

Omninò verò huc pertinet affectio illa, quam Attritionem ventriculi nominant, (θλίβεσθαι enim ventriculum dicit Galenus) quam Galenus, *de præcogn. ad Poſthumum cap.* 11. deſcribit, in Imperatore Romano, qui cum ventris torminibus & profluuio tota nocte vexatus fuerat,atque Medici alii initiũ febris adeſſe dicerent, id Galenus pulſu explorato negauit, atque ventriculum atteri ab aſſumpto cibo, antequam excerneretur, exæſtuanta affirmauit, atque nardino Vnguento cum lanâ ventriculo appoſito, atque vino Sabino cum pipere eum ſanauit. Similem affectum ſibi bis tantum oblatum fuiſſe ſcribit Petrus Baierns, *lib. Pract.* 11. *cap.* 9. Primò in Nobili quodam, qui cum cœnaſſet, totus frigidus

frigidus factus eſt, pulſus omnino contractus, ita vt vix ſentitur, cum tanta anguſtia & compreſſione anhelitus, vt ſtatim præfocari videretur, quem etiam oleô nardino calido venrriculo impoſito & piperis Drach. j. cum vino exhibita ſanauit. Deinde in pediſſequa quadam, quam eodem modo curauit. Notandum autem hîc, quod, *loco allegato* ſcribit Galenus, Imperatorem in hunc morbum incidiſſe, dum attereretur ventriculus ὑπὸ ἰσοφῆς φλεγματωθείσης περὶ τῆς ἐκκρίσεως, id quod vulgo vertunt, *ab aſſumpto cibo, antequam excerneretur, exæſtuante.* Et quidem verum eſt, vt ex Oeconomia Hippocratis Fœſij pate, φλέγμα ſæpe ab Hippocrate & Galeno ſumi pro inflammatione, & deriuata inde verba pro inflammari vſurpati: malim tamen hîc exponere, ventriculum fuiſſe attritum vel afflictum à cibo in pituitam conuerſo; id quod curatio indicare videtur: cum hoc malum calidis medicamentis, vnguento & oleo nardino ac pipere cum vino forti ſumpto & Galenus & Bajerus curauerit. Et ſimile quid nuper in nobili viro animaduerti, qui etſi bene habere videretur, dum eſſet ieiunus, tamen horis à ſumpto cibo quatuor vel quinque elapſis tantis ventriculi cruciatibus, qui ad dorſum ſe extendebant (vnde etiam à nonnullis pro calculoſo fuit curatus,) & anxietate vexabatur, vt nullo loco quieſcere poſſet, nec finis malorum erat, antequam cibus & potus vomitu reiiceretur, qui maximam partem crudus adhuc erat cum multa pituita. Hoc tamen non negarim, anxietatem hanc non prouenire ſimpliciter à pituita, ſed quatenus in flatus reſoluitur, qui in ventriculo concluſi illam anxietatem pariunt.

*Adſtrictus ventriculi.* Huc ergo pertinet etiam illa affectio, cuius Petrus Salius Diuerſus *affection. particular. cap.* 12. mentionem facit, quam adſtrictionem ventriculi appellat, quámque ſolum Aetium *tetrab.* 3. *ſerm.* 1. *cap.* 13. deſcribere putat, quæ, vt ipſe ſtatuit, fiat, cum & ſuperius & inferius os ventriculi ita adſtringitur, vt nec flatus nec vapores erumpere poſſint, nihilque extra corpus ob cutis adſtrictionem vel exiccationem euaporare queat, qui vapores cum accenduntur, febris ſpeciem præbeant; quæ tamen affectio perfecta coctione & deſcendente cibo ſolet quieſcere.

Verum enim verò puto hanc affectionem etiam aliis non fuiſſe incognitam, & ſub anxietate ventriculi comprehendi poſſe, & fieri à cibo in phlegma, eóque porrò in flatum conuerſo: qui cum ob ventriculi orificium ſuperius clauſum erumpere non poſſit, neque etiam inferius ei, vtpote non vtili, ſed corrupto, exitum det, in eo hærens & concluſus anguſtiæ huius cauſſa eſt. Vt verò cutis adſtrictio accedat, quod vult P. Sal. Diuerſus, opus non eſt; cum flatus non per cutem è ventriculo, ſed per eius orificia ſatis ampla erumpere ſoleant. Et quod conualeſcentibus, vt idem Salius ſcribit, hoc malum frequentius accidit, non fit ob exiccationem cutis, ſed quod conualeſcentes habent ventriculum debilem, qui cum cibo, qui ſupra modum ſæpe aſſumitur, operatur, cruditas talis accidit.

Verum cum affectus hi omnes, quocumque etiam nomine appellentur, in eo conueniant, quod ſint ſenſus tactus deprauatus in ventriculo, & à ſolutione continui in eo ortum habeant, ſeu, vt verbo dicam, ſint dolores ventriculi, de iis coniunctim agemus. Quia tamen eſt quædam differentia ſecundum locum affectum, vt & cauſſam efficientem, de eo poſtea in differentiis dicetur.

Definimus ergo dolorem ventriculi ſenſum eius triſtem ſeu moleſtum à cauſſa continuum ſoluente excitatum; qui ſi fit in orificio præcipuè, Cardialgia in ſpecie appellatur.

Eſt nimirum dolor ventriculi Symptoma ſenſus tactus ventriculi, cuius ſubiectum ſunt vel tunicæ ventriculi, quæ ſunt membranoſæ, vel orificium eius, quod neruis maioribus & pluribus à ſexta coniugatione deſcendentibus à naturâ donatum, vt animali per hos ſenſus alimenti deficientis inſit, quæ fames appellatur. Nam vt ex naturali ſuctione moleſtiam, & cauſsâ præter naturam dolorem ſentiret, axactiſſimo ſenſu pollere oportebat. Vterque enim affectus & fames & καρδιαλγία, ſunt orificij ventriculi: ſed hæc eſt differentia, quod fames ſit à ſuctione naturali, καρδιαλγία à cauſſa præter naturam.

## *Cauſſæ.*

*Cauſſa.* Proxima equidem & continens cauſſa doloris ventriculi eſt ſolutio vnitatis in eo, quæ à re vel diſtendente vel mordicante oritur; mediatæ tamen cauſſæ plures eſſe poſſunt. Soluitur enim vnitas ventriculi vel propter morbos, vel propter cauſſas morbificas. Morbi ſunt vel in ipſo ventriculo, vel in vicinis partibus. Morbi in ventriculo ſunt primò intemperies frigida, quæ vt neruoſis aliis partibus, ita & ventriculo aduerſa eſt, & dolorem in eo, cum ſoſionis ſenſu, accedente veluti animi deliquio excitat. Eáque ſæpe ortum habet ab externo frigore, ſi nudo ventriculo occurrat, præcipuè in macilentis, imprimis dum calent & ſudant. Eadem à potu frigidiſſimo, aquæ præſertim, contrahi poteſt; idque imprimis vbi corpus æſtu calet. Deinde tumores & imprimis inflammatio, quæ ardentem dolorem excitat, de qua ſupra dictum, & multò magis Eriſypelas: nonnunquam verò tumor durus magnus, aut callus vel ſcirrhus in eo genitus, qui dolorem grauantem parit, imprimis aſſumto cibo. Tertiò ſoluta vnitas & vulnera ac vlcera. A vicinis verò partibus dolore afficitur ventriculus, dum ab incumbentibus viſceribus inflatis, obſtructis, tumentibus premitur. Nonnulli etiam ab oſſe xyphode introrſum flexo ventriculum, imprimis cibo plenum & diſtentum, premi atque moleſtia & dolore affici poſſe exiſtimant, qui tam diu durat, donec cibus coctus deſcendere, vel decubit introrſum facto ventriculus ab oſſe hoc receſſerit, de quo *lib.* 2. *part.* 2. *c.* 26. dictum.

Cauſſæ verò morbificæ, quæ dolorem ventriculi excitant, ſunt vel internæ, ſeu intus genitæ, vel externæ. Internæ ſunt vel flatus vel humor. Si flatus, íſque in ventriculi capacitate concluſus, ſimplex dolor oritur è ventriculi diſtenſione, de qua ſupra, *cap. de ventriculi inflammatione* dictum, vbi etiam cauſſæ explicatæ, à quibus flatus ventriculum diſtendentes proueniunt. Si verò acris & feruidus halitus os ventriculi infeſtat, dolor pungens & mordax producitur. Si verò ſit humor, is vel copiâ ſuâ ventriculum grauat, vel qualitate praua & mordace, vel etiam maligna ventriculo moleſtus eſt. Et humor quidem, vt & flatus, vel in ventriculo gignitur, ab eius intemperie aliquâ aut errore in victu, vel aliunde in ventriculum confluit. Et quidem ab humoribus in ventriculo genitis ortus dolor ventriculi aliàs ſumpto cibo mox ſedatur, aliàs pòſt, aliàs etiam ſumpto cibo exacerbatur & excitatur. Excitatur dolor ab aſſumpto cibo, cum humores crudi & mordaces ventriculi tunicis adhæreſcentes ſumpto cibo agitantur & incaleſcunt ad cibi coctionem, aut qui in fundo ventriculi hærent, ſumpto cibo eleuantur & aſcendunt, atque ita commoti ad orificium ventriculi accedentes dolorem in eo excitant. In aliis, cum cibus coquitur, ſaltem halitus & vapores acres & mordaces eleuantur qui os ventriculi vellicant. Sedatur verò dolor cibo aſſumpto, vel quia eſt humor melancholicus, vt Auicennas cenſet, vel quia admiſtis cibis minus acris euadit.

Humores, qui aliunde affluum in ventriculum, vel fluunt à toto, dum illud febre correptum eſt, vt fit in paroxyſmorum principiis (quamquam & tum è vicinis locis confluere poſſint) aut citra febrem, dum corpus vel humorum copia aut qualitate vel ſymptomate aliquo p. n. aut inedia affligitur, de quibus videatur Galenus

nus, 2. *de articul.t.22.* & *2.de rat vict. in acut.t. 44.* & *2. de plac. Hippoc.* & *Plat.c.8.* Vel ab aliqua parte & potissimum ab epate, à quo bilis flaua & ichores biliosi in ventriculum effunduntur, id quod præcipuè per inediam accidit, aut liene ac vicinis locis, vnde humor melancholicus & ater, aut à capite, vnde pituita tenuis & salsa in ventriculum defluit. Vermes præterea in ventriculo seu geniti, seu ab intestinis ad eum adscendentes dolorem excitãt. Tandem etiam lapides in ventriculo geniti dolorum sæpe intolerabilium ventriculi ac diuturnorum caussa sunt. Cuius rei historias aliquot collegit Schenckius, *lib.3.obseru.*

Inter caussas verò externas, siue ea, quæ extra assumpta dolorem ventriculi pariunt, sunt primo cibi, vel qualitate molesti & acres, qui in calidiori præsertim ventriculo singultum, rosionem & dolorem excitant. Et quod à cibo per se tali accidit, idem etiam à cibo aliàs non malo, sed corruptionem passo & acrimoniam adepto fieri potest, puta à dulcibus, pinguibus, rancidis, & cibis facilè corruptioni obnoxiis. Vidi etiam, qui dolorem ventriculi grauissimum passus est à lacte in ventriculo coagulato, quo vomitu reiecto sanatus est. Idem etiam à cibo quantitate nimia & copiosius deuorato accidere potest. Imò mulierem senem extinctam hâc de caussâ obseruauit Platerus, quæ die Paschatos carne & ouis nimiùm ventriculum repleuerat. Deinde idem accidere potest à rebus, quæ ventriculum grauare vel pungere possunt, vt nucleis cerasorum vel aliis deglutitis, aut vitro, acubus, ossibus & similibus. Ita refert Guilielmus Fabricius, *cent.4.obseru.*33. Matronam quandam, cùm vltra duos annos de dolore ventriculi conquesta esset, tandem vomitorio sumto frustum corii lardi fumo exsiccati, quod ante duos annos deglutiuerat, euomuisse, & breui planissimè conualuisse. Sicut & dolorem ventriculi pariunt medicamenta & venena septica, caustica atque exulcerantia. Item validiora purgantia sine correptione maiori dosi exhibita.

## *Differentiæ.*

Quæ sint doloris ventriculi differentiæ, facilè ex iis, quæ hactenus dicta sunt, patet, & sumuntur præcipuè à loco affecto & caussa efficiente atque hinc dependente modo & specie doloris. Aliquando in ipso ventriculo quædam compressio percipitur & distensio, quã Germani *das Hertzdrucken oder Hertzgespan* nominant, qui dolor plerumque cum ventriculo postrato & nausea accidit, superuenientibus etiam aliquando vomitibus & diarrhœa. Aliquando idem dolor in ventriculi ore consistit, qui Cardialgia nominatur, qui etiam plerumque rodens est, & καρδιωγμὸς dicitur, habétque ortum ab humoribus acribus, cùm in morbis quibusdam, tum etiam in sanis, πικρόχολοι nominantur, quibus eiusmodi rosiones familiares sunt cum oris amaritudine. Dolor quoque aliquando rodens est, ex caussa modò dicta, aliquando grauans à caussa ventriculum distendente vel premente.

## *Signa Diagnostica.*

Symptoma hoc ipsum per se facilè deprehenditur, ægérque de dolore conqueritur, locúmque affectum indicat, nisi mens simul læsa sit. Neque etiam animi deliquium & syncopen, quæ dolorem hunc sequuntur, deprehendere difficile est; cum ægri quasi exanimati & mortui iaceant, qui paulò antè de grauissimo stomachi dolore fuerunt conquesti.

Caussæ verò peculiaria signa, quibus innotescant, requirunt, quæ ex iis, quæ supra de morbis ventriculi dicta sunt, patent. Nam intemperies frigida vehementior è suis signis supra propositis cognoscitur; vt & tumores ventriculi vel partium vicinarum, & vulnera ac vlcera ventriculi. Flatus etiam deprehenduntur ex iis signis, quæ supra de inflammatione ventriculi sunt proposita. Si humor sit caussa doloris, ex iis, quæ supra de intemperie ventriculi cum materia dicta sunt, innotescit, præcipuè humor biliosus, qui frequentissimè cardialgiam inducit, cognoscitur è linguæ amaritudine, nausea & inappetentia, virium deiectione, syncope. Si materia è primis viis aut toto corpore confluat, vt in febribus fieri solet, & potissimum in paroxysmis earum, ac si humor sit malignus, adsunt febrium malignarum symptomata. Venenatus & prauus vapor ab vtero ad ventriculum ascendens cognoscitur è propriis vteri affectibus, imprimis è suffocatione, in quam mulieres frequenter incidunt, ex seminis & mensium suppressione. Vermes, aut venena assumpta, acus, spinæ piscium deglutitæ & similia è suis signis & ægri atque adstantium relatione innotescunt.

## *Prognostica.*

1. Oris ventriculi dolos grauius malum est, quàm simplex vẽtriculi dolor, ob partis huius sensum exquisitum, & cum corde ac cerebro consensum. Minus tamen periculosus est ventriculi dolor, qui fit à caussis externis, & qui fit propter partis illius sensum exquisitum; nisi caussa externa nimis vehemens sit & graue aliquod malum attulerit, vlcus nimirum, putredinem aut insignem corruptionem, aut qualitate malignâ vires deiiciat. *Prognostica.*

2. Deterior verò est ille dolor, qui à caussa interna, & ab acri mordaci humore excitatur. Pessimus, si maligna & venenata sit illi materia. Et omninò pro minori vel maiori materiæ, quæ cardialgiam excitat, prauitate, symptomatúmque, quæ cum cardialgia cõiunguntur, grauitate aut leuitate, salus vel mors expectanda est.

3. Auget nimirum semper periculum syncope, quæ grauior, frequentior & absque caussa manifesta accedit; Periculum verò minus est, quando leuior, minus frequens, & à caussa manifesta oritur.

4. Ita & febris periculum auget, præsertim continua & acuta, in qua magnus æstus est circa ventriculum, proueniens à bile tunicis ventriculi impacta, de quo Hippocrates, *5. aph. 65.* in febribus circa ventriculum vehemens æstus & καρδιωγμὸς malum. Magnam enim inflammationem vẽtriculi, vel copiã magnam humoris vitiosi in ore ventriculi contineri indicat, vnde febris intenditur, & malo cordi communicato syncope periculosa & sæpe lethalis sequitur.

5. Qui Cardiaco affectu laborantes os ventriculi admodum sensile habent, valde periclitantur, & sæpe statim intereunt, dum immodicam humorum rosionem sustinere nequeunt.

6. Frequenter quoque lumbrici ad os ventriculi adscendentes hoc malum & sincopen excitant, vnde nonnulli statim, cum à lumbricis roduntur, intereunt. Alex. Trallianus, *lib. 10. cap. 9.*

7. In cardialgia si extrema frigent, periculosum.

## *Indicationes.*

Tota curandi ratio in duobus consistit: in doloris, si vehementer vrget, mitigatione, & in caussæ amotione. Dolor omnis anodyna indicat; & si nimis exquisitus sit ventriculi sensus, obtundendus est. Caussæ verò, quæ dolorem excitant, sui amotionem indicant: quæ cum sint diuersæ, pro diuersitate earum variæ indicationes oriuntur. Si dolor ortum habeat à caussa externa, puta alimento vel medicamento ingesto, illud seu vomitu seu per aluum euacuandum est. Idem faciendum si humores vitiosi in ventriculo redundent. Iidem si nimis acres & mordaces sint, temperandi. Si materia maligna sit, simul alexipharmacis oppugnanda. Quæ in tunicis ventriculi infixa est, per resoluentia, & validè exiccantia euacuanda, vt de intemperiebus ventri- *Indicationes.*

culi cum materia dictum. Admifcenda funt hîc medicamenta adftringentia, quæ exfolutum quodammodo os ventriculi roborant, folutioni continui, vnde dolor eft, refiftunt, diffolutionem calidi innati prohibent, materiam prauam ab orificio ventriculi ad partes inferiores protrudunt, & ne noua affluat, cauent, exiccant & incraffant, quæ reliqua funt, ne tunicis ventriculi impingantur. Vnde Galenus, 5. *de comp. med. fec. loc. cap.* 7. inquit: Plurima horum, quæ per experientiam inuenta funt, ex mifta materia componuntur, ex adftringente videlicet & calefaciente. Vbi & veteres nonnullos reprehendit, qui in affectibus oris ventriculi, epatis, lienis & fimilibus, ac imprimis in horum inflammationibus, adftringentium vfum magno cum ægrotum detrimento omiferunt.

## *Curatio.*

Curatio. Si ergo dolor vehementer vrgeat, ita vt non permittat primùm aduerfus cauffam pugnare, exhibenda fenfum orificii ventriculi obtundentia, anodyna, aut etiam narcotica. Hebetant fenfum, quæ mucilaginofa, pinguia funt, ac vim emplafticam habent, qualia funt oleum dulciffimum, oleum amygdal. dulc. recens, earum emulfio, emulfio fem. papau. albi, mucilago fem. pfyllii, cydoniorum, maluæ, amylum, lac. |Dum verò malum magis vrget, ftupefacientia & narcotica vfurpanda, vt fyrup. de papauere, diacydon. Philon. Rom. trochifci de carabe, pilulæ de cynogloffa, requies Nicolai, quorum dofis rarò Scrup. j. excedit, laudanum opiatum. Poft horum tamen vfum & dolore fedato, calefacientibus & roborantibus calorem ventriculi horum vfu nonnihil debilitatum iterum roborabimus. Somnus quoque mirum in modum dolorem fedat, & calorem ac fpiritus reficit, modò fpiritus non nimium fint antea debilitati, & ægroti horũ medicamentorum vim fuftinere poffint. Ideóque primò lenioribus & quidem externis vtendum, & per frontis ac narium illinitionem fomnus prouocandus. Quod fi hæc non proficiant, modò dicta narcotica adhibenda.

Quod fi cauffa externa, alimentum fcilicet aut medicamentum, dolorem produxerit, per aluum aut vomitum reiicienda. Idem faciendum in venenis, quæ commodiffimè per vomitum reiiciuntur. Si dolor fit à cauffa interna, humore fcilicet prauo, idem faciendum, & materia vel per aluum vel per vomitum euacuanda. Tutius tamen eft, humores vitiofos per aluum, quàm per vomitum euacuare. Metuendum enim, ne fi per os reiiciantur, ventriculi orificium magis offendant. Et cum humorem ob eius acrimoniam & doloris vehementiam tutò euacuare non licet, eius acrimoniam temperare conuenit, modo, qui fæpè iam expofitus eft. Quæ etiam fint medicamenta ventriculum euacuantia, fupra de Intemperiebus ventriculi cum materia eft expofitum, quæ hîc repetere opus non eft.

Poftea os ventriculi cùm internis tùm externis adftringentibus roboretur. Intus roborant, præfertim cum febris adeft, rob & fyrupus cydonior. de agrefta, de rofis ficcis, de granatis, acetofit. citri, conferu. rofar. corall. margaritæ: ex quibus compofita etiam fupra funt propofita. Galenus, 7. *meth. med. cap.* 11. & alibi mulfam dat, in qua abfinthium fit decoctum, quod medicamentum & bilem euacuat, & adftringendo roborat. Extrinfecus, vt Aëtius docet, conueniunt folia rubi cum pane, item myrti folia & baccæ, aut pampini vitis aut folia plantaginis cum pane, aut mala cydonia cataplafmatis modo ftomacho impofita.

Vtilis eft |& Fomentatio ex vino rubro cùm rofis, abfinthio & maftiche parata.

Vel ℞. *Flor. rof. rubr. chamæmel. fummitat. abfinth.* an M. j. Coqu. in vino rubr. pro ℔. j. ß. Fiat Fomentum.

Vel ℞. *Abfinth. flor. chamæm. rof. rubr. menth.* ana M. j. Coqu. in aqua ℔. j. ß. Adde *fpec. diarrh. abbat. aromat. rofat.* an Scrup. ij. *aceti rofac.* Vnc. ij. Fiat Fotus.

Quod autem Galenus, 8. *de comp. med. fec. loc. cap.* 1. iubet adftringentia præmittere ante purgationẽ, quemadmodum & Trallianus, id quidem locum habet, vbi ob immoderatam caloris naturalis diffipationem fyncope adeft vel imminet, vt diffolutionem nimiam prohibeat. Aliàs quando à fyncope metus non eft, vacuantia adftringentibus præmittenda.

Exhibenda quoque alimenta optimæ fubftantiæ. Nihil enim citius prauam qualitatem compefcit & temperat, quam admiftio alimenti optimæ fubftantiæ.

In dolore ventriculi ex pituita Galenus cuidam betam & porrum cũ finapi exhibuit; quorum ope incifam pituitam largiter is per aluum excreuit, atque fic fanatus fuit, *de alim. fac.* cap. 1. Aliàs vtile eft bis terve vomere ex oxymelite cum fucco raphani, & poftea hiera & agarico aut terebinthina purgare, & reliquias medicamentis ventriculum calefacientibus abfumere.

Verum de Hiera, quam in doloribus ventriculi à frigida materia, aut flatu ex ea genito ortis Galenus commendat, notandum, quod tardè operatur, & dum in vifcidam materiam ventriculi tunicis adhærentem agit, halitibus inde excitatis facit, vt venter diftendatur & dolor augeatur. Ideóque confultum effe aliud purgans admifcere, quod vires Hieræ intendat, & operationem acceleret. *Hiera à doloribus ventriculi in.*

Si res aliæ in ventriculo hærentes dolorem in eo excitent, commodiffimè vomitu reiiciuntur. Ita, vt fupra dictum, Guilielmus Fabricius refert, Matronam quandam, cum duos annos de dolore ventriculi conquefta effet, nec vllis remediis fanari poffet, tandem exhibito vomitorio fruftum corii lardini fumo exiccati, quod ante duos annos deglutiuerat, euomuiffe, & breui planiffimè conualuiffe.

Si flatus infeftent, curatio inftituenda, vt de inflatione ventriculi dictum. Nimirum poft aliquam doloris remiffionem ventriculo fomenta adhibenda, è decocto chamæmeli, menthæ, anethi, abfinth. cum vino dulci. Clyfteres etiam flatus difcutientes iniicere non inutile eft. Poftea ventriculo cucurbita affigatur, modò humoris crudi & pituitofi copia non fit in ventriculo. Hic enim fi adfit, & magnum dolorem excitet, prius euacuandus eft. Vtile eft & Thericam veterem medicamentis admifcere, item ol. anifi & carni. & fimilia flatus difcutientia exhibere. Commendant nonnulli in hoc affectu allii efum, ab aliis verò, vt ab autore, 4. *de rat. vict. in acut. t.* 90. damnatur, quod æftuationem & dolorem ventriculi pariat. Sciendum autem, fi magna adhuc humorum copia adfit, ab allio abftinendum, cum iis agitatis & refolutis plus flatum generet: fi verò foli flatus adfint, allium ad eos difcutiendos vtile eft.

Si humor aut vapor malignus aut venenum affumptũ cauffa cardialgiæ fit, alexipharmaca fimul vfurpentur, & inter cætera etiam Theriaca, fi febris abfit, vel non valde vrgeat: & de hac *in libro de theriac. ad Pofthumum, & de theriaca ad Pifan. c.* 11. fcribitur, quod cardiacos, dolore ventriculi iam deficientes, exhibita quafi ad viam reuocârit. Theriaca enim & antidoti magnæ aliæ refoluunt, exiccant, diffolutionem calidi innati prohibent, vim alexipharmacam habent, oris ventriculi ac cordis robur tuentur.

Si humor ex epate vel liene, vel aliunde etiam ad ventriculum effundatur, illarum partium habenda eft ratio, humores ad ventriculum fluentes aliò auertendi.

In dolore ex inflammatione ventriculi lenientibus opiatorum aliquid, fed iã minima quantitate, admifcere interdum vtile eft, vt fenfum ftupefaciant, & moleftiam ex acrimonia humorum calidorum mitigent.

Si fudores fyncoptici vires deiiciant, fiftendi inunctionibus ol. rofar. cydonior. myrtino aut afperfione quæ rofar. & aëris frigidi per flabellum afpiratione; qui aër ipfe fit frigidior naturâ, vel arte concilietur, vt

*1.p.1.c.1.* eum parandi ratio expoſita eſt.

Commendantur etiam quædam, quæ occultis proprietatibus contra cardialgiam prodeſſe perhibentur, vt corallia ſuſpenſa ſupra ventriculum, cochleæ marinæ in pulnerem redactæ, & in vino ſumptæ, tunicæ Gallinarum ventriculi.

Nec hoc omittendum, ſi vicinarum partium, vt epatis, lienis, coli, ſepti tranſuerſi tumore ventriculus comprimatur, curationem ad partes illas dirigendam eſſe. Niſi enim hic affectus tollatur, fruſtra in dolore ſtomachi, & plerumque accedente difficili reſpiratione tollenda laboratur.

Quod ſi à cartilagine ξιφοειδεῖ introrſum flexa & ventriculum comprimente ſit dolor ſtomachi, curatio è *libr. 2. part. 2. cap. 26.* petenda. Sed plerumque incurabile eſt hoc malum, & poſt cibum ſumptum adeo graue euadit, vt ægri nullam doloris remiſſionem habeant, donec ſupini recumbant, quo modo ventriculus à cartilagine comprimente recedit; vel cibis coctis ventriculus ſubſideat.

### *Diæta.*

Diæ. Aër ſit temperatus. Cibus ſit boni ſucci, & qui non facilè corumpitur, & qui acrimoniam humorum, ſi quæ adeſt, obtundit, ac orificium ventriculi roborat. Vtilis igitur eſt in humoribus acribus, à quibus frequentius hoc malum ortum habet, panis ſucco granatorum vel agreſtæ, vel vino tenui imbutus. Conuenit & cremor hordei cum ſucco granatorum. Trallianus primò offert cum grana mali granati, tum eius ſuccum, poma item & pyra adſtingetia, panem ex aqua frigida, vinum auſterum. Poſtea cibis vti iubet; quidem ſunt boni ſucci, difficilis tamen coctionis, ne calori illi ingenti in ventriculo cedentes corrumpantur, & qui acres humores ſimul temperent, ciuiuſmodi ſunt carnes boni ſucci, auiculæ montanæ & ſimiles, ſucco citri & granatorum conditæ. Tempeſtiuè quoque æger cibandus, ne inedia grauiora mala attrahat, & vbi vires debiles ſunt, parùm vini detur, tenuis, albi, ſubadſtringentis. In cauſsâ verò frigidâ victus ſit calefaciens atque exiccans, & propterea conuenit vinum generoſum, ſi non adſit febris. In cibis vtilis ruta, ſatureia, cinamomum & ſimilia. Somnus ſit moderatus, & potius longior, quàm breuior. Quies vtilis eſt; cum hoc malum motu exaſperetur, & humores agitentur. Aluus quotidie ſuum officium faciat.

## CAPVT XVI.

### *De Ardore Stomachi, & ventriculi reſolutione ac ſtupore.*

ven- Doloris ventriculi peculiari ſpecies eſt, quæ tamen ſimul etiam œſophagum moleſtat, quam τοῦ στομάχου καύσωνα, ardorem ſtomachi & nonulli ardorem ſtomachi ebullientem, Germani *den Sodt* nominant, quando ardens quidam dolor in ventriculo & gula percipitur, qui vrendo quaſi moleſtat. Malum hoc ſanis aliquando etiam ſæpe familiare eſt, cum cibo ſumpto, tum ieiunis; & imprimis cum eructare volunt, intercluſo quaſi flatu igneo & erumpere non valente. Nonnunquam tamen & in febribus bilioſis accidit.

### *Cauſſæ.*

Cauſſa mali eſt halitus acris, qui è bilioſo humore, aliàs flauo, aliàs porraceo, aliàs æruginoſo, aut corrupto & nidoroſo cibo eleuatur, & dum erumpere cogitur per œſophagum, ibi hærens eum & ventriculi orificiũ quaſi vrit, quo diſſipato, & malum ceſſat, ſed ſæpe mox ſimili flatu redeunte iterum affligit, donec vel coctio ſit abſoluta, vel aſſumptis cibis & medicamentis acrimonia humoris temperetur ac ſedetur. Solet enim malum hoc nunc diutius durare, nunc citius ſedari, prout materia, quæ halituum fomes eſt, nunc copioſior eſt, nunc paucior, craſſior vel tenuior.

Fit autem ebullitio hæc præcipuè, dum cibi coctio accidit, & imprimis ſi valido corporis motu ventriculus turbetur, & quæ in eo ſunt, agitentur. Tunc enim quaſi quædam ebullitio fit in eo, è qua halitus acres & flatus ſurſum ad ſtomachum & gulam eleuantur. Fit verò hoc è cibo natura ſua acri, vt cœpis, porro, allio, caſeo putri, imprimis in iis, qui ſunt πικρόχολοι & calidiore ventriculo. Idem accidit etiam ab aliis cibis, qui vel facilè corrumpuntur, vel in bilem abeunt, vt ſunt dulces, pingues, rancidi, fructus horarij.

Cæterum ſi quis ebullitionem, vel ebullientem iſtum dolorem, quem vulgo *den Sodt* nominant, & ardentem dolorem pro eodem habere velit, (ſi enim differentia inter hos conſtituenda, hæc quæ de ardente ventriculi dolore dicentur, ad caput præcedens referenda erunt) etiam bilis flaua & atra huius mali cauſſa eſſe poſſunt, ſi pertinaciter ventriculo adhæreant. Bilis autem hæc in ipſo ventriculo generatur ex aſſumptis, vt modò dictum, vel in illum per duodenum effunditur; & hũc in eo dolorem excitat, in πικροχόλοις præſertim, iiſque maximè ieiunis. Et quidem dolorem hunc diuturnum etiam fieri poſſe, docet Platerus, ſi ipſa ventriculi ſubſtantia bile quaſi imbuatur; quod interdum accidit, quando ob contactum bilis veſiculæ ventriculi regio illi incumbens & contigua afficitur, croceoque colore tingitur, maculaque crocea ad internam illius membranam quandoque penetrat, quod ſectione in illis, quibus ardor ventriculi perpetuò ferè moleſtus erat, ſeſe deprehendiſſe, teſtatur. Idque iis facilius accidere ſtatuit, quibus copioſior bilis in veſicula colligitur, eaque dilutior, vt tranſſudare poſſit, ventriculumque vicinum tingere. Quod eò facilius accidit, ſi ventriculus in crapulæ deditis cibo perpetuò diſtentus ſit; vt & in iis, qui ſcribendo, aliudve agendo corpus inflectunt, vt ventriculus bilis veſiculam comprimat, atque ex ea bilem quaſi exprimat.

### *Signa Diagnoſtica.*

Malum ipſum per ſe manifeſtum eſt, atque ægri de quodam quaſi ardore in gula conqueruntur, & ſæpe in ore amaritudo percipitur. Sitis eſt moleſta, ructus adſunt nidoroſi, appetentia eſt deiecta. Signa.

### *Prognoſticum.*

Malum ipſum per ſe quidem non periculoſum eſt: moleſtum tamen. Cauſſa verò à qua pendet; non negligenda. Prognoſtica.

### *Curatio.*

Curatio duobus perficitur. Primum eſt, vt ardor ille ſedetur; alterum, vt cauſſa iſta tollatur, ne idem malum reuertatur. Curatio.

Prius perficitur iis, quæ feruorem illum humorum temperant, & ebullitionem tollunt. Vnde datur ſiliqua, conſerv. roſar, fructus acidi & eorum ſuccus, vt malum citriũ, granatum, berberis, vinum abſinthites, panis medulla aceto & aliis ſuccis acidis imbuta. Vel

℞. *Conſerv. vitriolat.* Vnc. ß. *cydon. condit.* Drach. ij. *rob. ribes* Vnc. ß. *ſpec. diatrionſant. diarrh. abbat.* an. Drach ß. *ſyrup. cydon.* q. ſ.

F. Electuarium.

Imprimis verò vtilia ſunt, quæ iſtam ebullitionem tollunt, humorem quaſi imbibendo & præcipitando, vel vt facilius deferueat, faciendo, aut eius qualitatem tollendo. In quem finem præcipuè commendatur creta alba, quam vulgus etiam inter Εὐπόριστα numerat, nux moſchata, bolus Armen, oculi cancri, cornu cerui, lapides carpionum, grana thuris.

Hinc ſequentia commendantur.

℞. Nuc.

℞. *Nuc.mofch.* Drach.j.*cretæ.* Drach.ij.*facch.* Drach.iij. F. Puluis. Dofis Drach. ß. vel Dr. j.

℞. *Nuc. mofch.macis rofar.* an. Vnc.ß.*facch.alb.* Vnc. j. *cretæ* Drach.ij.F. Puluis.

Vel ℞. *Nuc. mofch.* Drach.ß. *croci* g.ij.*cornu cerui vfti* fcrup.ij.*cretæ* Drach.ß. *facchar. in aqu. portulac. diffoluti* q.f.F.Rotulæ.

Vel ℞. *Cretæ* Vnc. j.*boli Armeni* fcrup. ij.*rof.rubr. margarit.præp.*an.Drach.ß.*macis* fcrup.j. *facch.alb.in aqua rofar. diffol.* q.f.F.Morfuli.

Vel ℞. *Conferv. rof. vet.* Vnc.j.*ocul.* ♋ *præpar.boli Armeni* an.Drach.ß.Cum *fyr.conferv.nuc.mofch.* F.Electuarium.

*Ventriculi ftupor.* Hoc loco vitij,quod dolori contrarium videtur effe, mentio etiam facienda, quod ftuporem ventriculi nominant, vt apud Foreftum, *lib.8.obf.*28. videre eft,cum vis in ftomacho attrahens læditur, fimulque fenfus tactus vel minuitur vel aboletur.

Verum fenfus appetitus ineft præcipuè orificio ventriculi & dictum de eius læfione fupra, vbi de cibi & potus appetitu læfo actum. Vis verò attractrix præcipuè in Oefophago viget, de cuius læfione etiam fupra dictum de deglutitione læfa, vt plura de iis hîc addere opus non fit.

## CAPVT XVII.

### *De Excretis præter naturam è Ventriculo, & eius qualitatibus mutatis.*

Atque fuerunt Symptomata,quæ ventriculi actionibus accidunt, reftant adhuc duo ; excreta præter naturam, & qualitates mutatæ, de quibus pauca dicenda.

*Excreta p. n. è ventriculo.* Excreta quod attinet, ventriculus equidem non factus eft, vt per eum vlla fiat excretio ; fed Chylificationis organum eft, quod cibum retinet, coquit, mutat, & tandem coctum & in chylum tranfmutatum per inferius orificium ad inteftina tranfmittit.

Interdum tamen etiam natura eò abutitur ad humores vitiofos, qui feu in eo funt geniti, feu è corpore ad eum tranfmiffi, euacuandos, quod vomitu fit. Id ergo fi cum commodo naturæ fit, tolerari poteft ea euacuatio, neque ita valde præter naturam eft. Interdum tamen accidit, vt res planè præter naturam è ventriculo eiiciantur, de quibus equidem fupra, atque etiam inter actiones ventriculi læfas, expultricem fcilicet, facta eft mentio. Quatenus tamen res ipfæ planè præter naturam, funt, earum etiam hoc loco inter excreta p. n. facienda eft mentio.

*Sanguis vomitu reiectus.* Compertum verò eft, fæpe fanguinem per vomitum reiectum fuiffe,de quo fupra etiam de fanguinis vomitu dictum. Vt faltem pauca addamus,etfi fanguinis vomitus aliàs toto genere p. n. fit, ftatis tamen temporibufdam accidere, imò falutaris effe folet. Ita fanguinis profluuium per os ftato tempore accidiffe Macrino Vifco Viro Prætorio, & omnibus annis Volufio Saturnio Vrbis Præfecto, qui 90.tamen annum exceffit, refert Plinius,*lib.*11.*cap.*38.Sic fœminam quandam, quæ 58. annum exceflerat, quotannis dolore hypochondriorum corripi folitam,fpontaneo fanguinis vomitu ab eo liberatā fuiffe,fcribit Langius, *lib.*1. *Epift.*58.

*Menfes vomitu reiecta.* Menfes per vomitum à fœminis fuiffe reiectos, à multis obferuatum,refertque idem Langius, *loco allegato*, Mulierem Florentinam, quæ cum intolerabili capitis dolore affligeretur ex retentione menfium, his vomitu rejectis conualuiffe, & ne morbus recrudefceret,venæ fectione fibi cauiffe.Similem hiftoriam refert Braffa vol.*ad aph.*31.*fect.*5. Beniuentus etiam, *de abdit. morb. & fanat.cauff.cap.*41. refert, Fœminam quandam acerbiffimo capitis dolore ob menfium fuppreffionem laboraffe,à quo fuit liberata menfibus vomitu reiectis; quam fanitati reftituit folâ venæ, quæ fub talo eft, fectione. De via fi quæratur, plerique quidem ftatuunt, per venam matricis, quæ à caua oritur, fanguinem in Epar, & inde in ventriculum per venas, quæ eius orificium & fundum ambiunt,effundi. Hieronymus Reufnerus verò, *ad caput* 31. *Iodoci Mellichij de vrinis*,ftatuit,Venas vteri cum mefenterij venias anaftomofi manifefta committi,per quam in inteftina & ventriculum tranfponatur fanguis menftruus. Poffunt tamen etiam humores ad ventriculū ab vtero tranfmitti per arterias.

*Res mon... per vom... reiecta.* Res etiam alias præter naturam admirandas & monftrofas per ventriculum reiectas fuiffe obferuatum eft, & dictum de eo fupra, nimirum clyfteres, glandes,alui excrementa, vermes, crines, pannos, clauos & fimilia, de quibus omnibus videatur Schenckius,*lib.*3.*obfer.*vbi de vomitu agit.Guil.Fabritius,*cent.*2.*obf.*43.refert,adolefcentem in pago quodam prope vrbem Metam longo & intricato morbo detentum fuiffe, tandemque parentes, Necromanticum acceffiffe, cuius confilio cum vomitoriū haufiffet, aciculas,clauiculos,cufpides cultellorum, aliaque ferramenta plurima eiecit, & breui conualuit.

*Ventric... qualita... mutata.* Tandem *Qualitates mutatas* quod attinet, equidem in corpore viuente percipi non poffunt : in mortuorum tamen ventriculis repertos fuiffe colores alienos, obferuatum. Ita poft intempeftiuum vfum magifterij perlarum tunicas ventriculi nigras repertas fuiffe in Cafparo Logo,Epifcopo Vratiflauienfi, teftatur Iohannes Crato, *in Epift. à Scholtzio collectis Epift.* 163. Et Platerus obferuauit in ventriculo cuiufdam maculam nigram. Idem interdum à bilis veficulâ incumbente ventriculum flauo colore tinctum fuiffe annotauit.

# LIBRI SECVNDI
## PARS II.
## DE INTESTINORVM Morbis ac Symptomatibus.
### PRÆFATIO.

*Chylvm in ventriculo coctum inteftina accipiunt, eumque amplius elaborant, & fi quid in ventriculo non bene elaboratum eft, vlteriore coctione perficiunt, & quod in eo vtile eft ad corpus alendum, per anfractum illum longum à vafis Mefaraicis attrahendum,& ad Epar ac lienem tranfmittendum diftribuunt ; tandemque quod inutile eft & corpori alendo ineptum, ad aluum tranfmittunt, & per eam deiiciunt.*

*Ad quas actiones cum mora quædam & temporis fpatium requiratur, vim retentricem etiam inteftina obtinent. Neque enim feces ab vtili fucco feparatas accipiunt è Ventriculo inteftina, fed chylum inutilibus partibus permixtum, quæ demum in Inteftinis feparantur, & quod vtile eft, à Mefaraicis vafis attrahitur, inutile verò in feces alui mutatur.*

*Sunt autem Inteftina numero fex ; tria tenuia, duodenum, ieiunum, ileum : tria craffa, cæcum, colum & rectum, de quibus videantur Anatomici. Vt autem quæ diximus praftent, fuam naturalem temperiem habent, fuam conformationem, fuam fedem ac locum, & alia quæ ab Anatomicis prolixè defcribuntur. Habent præter ea & fenfum exquifitum & Spiritus animales à neruis fextæ coniugationis accipiunt. Venas etiam habent à vena porta : arterias partim à cæliaco ramo, partim ab vtroque mefenterico. Biliofum præterea excrementum, à quo facultas inteftinorum ad expellendum irritatur, à veficula fellis accipiunt.*

*Atque hæc omnia cum bene fe habent, chylus ad vafa mefaraica rectè diftribuitur,fecefque debito modo expelluntur. Multis tamen morbis præter naturam afficiuntr : Intemperie fcilicet frigidâ,calidâ, humidâ,ficcâ, cum & fine materia. Inflantur etiam & in maiorem molem diftenduntur;&*

contra

*contra angustiam patiuntur ac obstruuntur: Læuitatem etiam præter naturalem acquirunt: Res p. n. in iis generantur. Interdum situm mutant & conuoluuntur, vt in hernia intestinali & vmbilicali: vulnerantur: Sphacelum patiuntur. In specie verò Intestinum rectum, & quæ sunt in eo sphincter & hæmorrhoides, patiuntur rhagades, condylomata, ficus, vlcera, fistulas. Anus etiam quandoque coalescit.*

*Hinc postea varia sequuntur Symptomata, coctio læsa, motus Intestinorum inuersus, dolor intestinorum, alui retentio, fluxus alui varij, fecum alui per aliena loca excretio, res alienæ per aluum excreta, ventris murmura, ani paralysis & sensus amissio, tenesmus, ani pruritus, hæmorrhoidum dolor, fluxus, suppressio, de quibus iam ordine dicendum.*

---

## SECTIO PRIMA.

## De Morbis Intestinorum.

### CAPVT I.

### *De Intemperie Intestinorum, & primò de frigida.*

Intestinorum intemperies frigida. Causæ.

FRequenter satis intestina intemperie frigida laborant, quam ab iisdem ferè caussis contrahunt, à quibus ventriculus refrigeratur. Quò etiam faciunt crudi succi, qui cum ex ventriculo, tum vicinis membris aliis in ea effunduntur, & omnino omnes caussæ seu internæ seu externæ, quæ seu per accidens ea refrigerandi earumque calorem imminuendi vim habent.

#### *Signa Diagnostica.*

Cognoscitur Intemperis Intestinorum frigida è doloribus & flatibus, qui in iis generantur, & imprimis excreta per aluum eorum intemperiem & coctionem læsam patefaciunt, quæ cruda sunt & non satis cocta, ac pituitosa.

#### *Prognosticum.*

Prognosticũ. Prout maior vel minor est frigiditas & caussarum eam inducentium maior vel minor vis, ita etiam periculosius vel minus periculosum malum est.

#### *Curatio.*

In genere autem de intestinorum morbis curandis obseruandum, etsi non eam dignitatem habent intestina, quam ventriculus, & ignobiliora videntur: tamen eorum robur etiam modicè adstringentibus conseruandum; cum chylum aliquandiu retinendi & concoquendi vim habeant. Vbi tamen crassi & viscidi humores iis inhærescunt, adstringentia vtilia non sunt; cum eos magis impingerent. Cum etiam sensum satis exquisitum intestina obtineant, ea, quæ ipsa irritare possunt, quale est oxymel, vitanda.

Quæ autem adhibentur iis remedia, si graciliorum gratia dantur, commodissimè per os exhibentur; crassiorum verò caussa per clysteres iniiciuntur; etsi & per os exhiberi possunt, quæ tum validiora requiruntur: cum vis eorum in via infringatur. Et cum quæ per os dantur medicamenta in morbis intestinorum, primò à ventriculo excipiantur, videndum, ne vllo modo eum lædant. Et quæ extra applicantur, ita applicari debent, ne ventriculum tangant, nisi is simul eadem intemperie laboret.

In specie verò Intemperiem frigidam quod attinet, intemperies frigida calida requirit.

Calefaciunt ea: *mentha, absinthium, cuminum, piper, zingiber, bacca laur. sem. carui, Diatrion pipereon, Dianisum, El. de bacc. lauri, theriaca* & alia supra de intemperie frigida ventriculi proposita, cum intus assumenda tum extra applicanda.

Paulò tamen calidiora eligi debent, vel in maiore quantitate exhiberi; cum in via vis illorum nonnihil alteretur.

Extra applicentur sacculi *ex milio, ruta, sale* calefactis, item *cineribus calidis*; lapides etiam serpentini calidi; olea; *mastichinum, menthæ, rutaceum, absinthij, anethi*, Emplast. *de bacc. lauri.*

Clysteres quoque iniiciantur *è ruta, calamintha, anetho, fl. chamameli, bacc. lauri, sem. carui præcipuè* in vino decoctis, oleo *rutaceo, chamæmel. irino, laurino* & similibus, *El. de baccis lauri.* Clysteres *item è Maluatico.*

Victus ea ratio instituatur, quæ in ventriculi intemperie frigida est proposita. *Diæta.*

### *De Intemperie Intestinorum Calida.*

Rarior est intemperies intestinorum calida. Inducuntque eam caussæ, quæ ventriculum calefacere possunt, & humores calidi ex vicino mesenterio vel Epate, vel etiam venoso genere in ea affusis. *Intestinorum intemperies calida.*

Et cognoscitur maximè è fecibus: alui siccis & aluo tardiore. *Signa.*

#### *Curatio.*

Calida intemperies frigida requirit: qualia sunt; *endiuia, lactuca, portulaca, hordeum, semina frigida maiora, viola, rosæ, ribes, cerasa.* Quæ cum ore sumenda exhibentur, cum per clysteres iniiciuntur; tum extra applicantur. Vtiles sunt & acidulæ, quæ calidam intestinorum intemperiem corrigunt, simulque ea roborant. *Curatio. Intestina refrigerantia.*

### *De Intemperie Intestinorum Humida.*

Humectant intestina etiam caussæ omnes, quæ Ventriculi intemperiem humidam inducere valent. *Intemperies humida.*

Cognoscitur ex aluo fluidiore & fecibus liquidioribus. *Signa.*

#### *Curatio.*

Intemperies humida siccantia requirit: quæ forma liquidiore commodius exhibentur, cum facilius ad Intestina penetrent. Talia sunt *tormentilla, pentaphyllum, plantago, saluia, myrtilli, cydonia, sumach, corallia,* quæ vino cocta aut ex vino vel aqua chalybeata forma potus exhibeantur. Vtiles etiam sunt; *Conserua rosar. rubr. betonica, saluiæ, condita cydonia, mespila, syrupus, myrtinus, de rosis siccis.* Vel per clysteres decocta ex his facta iniiciantur: vel extra applicentur forma sacculi ex *milio, rosis, balaustijs, myrtillis, sale, auena*; Cataplasmata è *carne cydoniorum, pyrorum syluestrium, cornorum, sorborum, in vino rubro coctorum; farina fabarum, lupinorum lentium*; Inunctiones ex *ol. rosac. myrtino*; Emplastra; vbi in vsu *Diaphænicum calidum & frigidum.* *Curatio. Intestina exiccantia.*

Victus etiam ratio sicca sit, potusque paucus. *Diæta.*

### *De Intemperie Intestinorum Sicca.*

Sæpè etiam siccantur Intestina à caussis, quæ ventriculum exiccare valent. *Intemperies sicca.*

Cognosciturque præcipue ex aluo tardiore, & fecibus siccioribus. *Signa.*

Curatur humectantibus cum assumtis, tum præcipuè per clysterem iniectis; decocto scilicet radicum, florum & seminum *maluæ & althææ, semine lini, lacte, butyro, ol. amygd. dulc. passulis*: quibus & victus ratio respondeat. *Curatio. Intestina humectantia.*

De

### *De Intemperie Inteſtinorum cum materia.*

*Intemperies inteſtinorum cum materia.* Verum plerumque humor aliquis & materia coniungitur. Et quidem materia illa vel in Inteſtinis ipſis cumulatur paulatim, aut ob prauam victus rationem, aut facultatis expultricis debilitatē, aut materiæ ipſius craſſitiem & multitudinē, aut viarum, per quas expelli debet, anguſtiam, & quod aluus, quæ expellere debet, non expellit; vel aliunde ad inteſtina confluit, attracta aut dolore, aut calore, aut, quod frequentius accidit, dū natura ad inteſtina, vt partes debiliores & excrementorum euacuationi deſtinatas, & totius corporis quaſi ſentinam, humores vitioſos è locis vicinis, imò toto corpore expellit. Nonnunquam & è cerebro materia in ventriculum deſtillat, & hinc in inteſtina dimanat. Interdum & à medicamentis purgantibus attrahitur, ibique hæret.

Materia autem hæc vel bilioſa eſt, vel pituitoſa, vel melanncholica, & nunc hæret in tenuibus inteſtinis, nunc in craſſis, & quidem vel in cauitate inteſtinorum, vel in eorum tunicis.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Cognoſcitur autem materia ex cauſſis, quæ præceſſerunt, & ad eam generandam facere potuerunt, cibo nimirum & potu, qui nunc ad pituitoſum, nunc ad bilioſum, nunc ad melancholicum humorem generandum diſpoſitus: ex ſignis etiam, quæ hunc vel illum humorem in meſenterio, liene, epate, imò toto corpore abundare & ad inteſtina confluere monſtrant. Deinde ex affectibus, doloribus ſcilicet & tumoribus ventris, iiſque, quæ per aluum deiiciuntur, & nunc ſunt pituitoſa, nunc bilioſa, nunc melancholica.

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.* 1. Difficilius curatur intemperies cum materia, quam quæ eſt ſine materia. Et quidem nunc difficilius, nunc facilius, prout ipſa materia eſt magis vel minus contumax, & grauiora vel mitiora ſymptomata coniuncta habet. De quibus omnibus poſtea in ſpecie plura dicentur.

2. Facilius euacuatur materia quæ in cauitate inteſtinorum hæret, quā quæ ipſorum tunicis impacta eſt.

### *Indicationes & Curatio.*

*Curatio.* Ipſa intemperies corrigenda eſt per contraria, materia verò euacuanda, eiuſque generatio vel affluxus, niſi criticus ſit, & natura rectè agente fiat, inhibendus.

*Lenientia Medicamenta. Quomodo differant à purgantibus.* Medicamenta autem, quæ materiam in ventriculo, cauitate inteſtinorum & orificiis venarum meſaraicarum in inteſtina dehiſcentium præter naturam contentam euacuant, dicuntur lenietia, laxantia, ἐκκοπρωτικά. Differunt à purgantibus, quod actione ſua, niſi nimia quantitate aſſumantur, extremitates venarum meſaraicarum non tranſcendunt, neque etiam, vt electiuè purgantia, humorem certum eligunt. *Lenientium differentia.* Eſt tamen inter ea quædam differentia. Quædam enim ſimpliciter obuium quemcunque humorem educunt, vel emolliendo & lubricando, vt oleum & vnctuoſa, vel irritando, vt ſalſa, acria, nitroſa, & omnia abſtergendi vi prædita, qualia antiquis ferè in vſu fuerunt, & pleraque ſimul alimentoſa ſunt, vt oleum commune, amygdalar. dulcium, ſeminis lini, lac, præſertim aſinæ, ſerum lactis cum ſale & melle, mel, ſaccharum, ficus & caricæ, vuæ recentes & paſſæ, muſtum, pruna, braſſica, mercurialis, atriplex, beta, blitum, malua, mora matura, ceraſa, terebinthina: alia verò magis ad purgantium naturam accedunt, ac interdum, ſi copioſius exhibeantur, extremitates venarum meſaricarum tranſeunt, & licet electiuè humores non euacuent, vt verè purgantia, tamen ſine delectu non exhiberi debent, quod, licet non occulta qualitate humores certos ſeligant, ob manifeſtam tamen qualitatem huic vel illi humori euacuando magis conueniunt. Caſſia nimirum, quia non calefacit, bili accommandata eſt, non vero pituitæ, quia flatus parit; mel roſatum magis conuenit pituitæ; ſyrupus roſarum ſolutius magis bili. Cum ergo vel ſaltem feces euacuandæ ſunt, vel pituitoſi vel melancholici vel ſeroſi humores, cuilibet medicamenta conuenientia eligenda ſunt.

*Feces deiectia.* Fecum deiectioni leniora ſatisfaciunt, præſertim per clyſteres iniecta.

*Pituitā euacuantia.* Pituitæ euacuandæ ſatisfaciunt *mel roſatum & anthoſatum, terebinthina, hiera ſimplex, ſpecies hieræ, pilulæ aloephangina, myrobalani chebulæ, bellirica, emblicæ.*

*Bilem euacuantia.* Bilem euacuant, *lac ſeroſum, ſerum lactis, infuſio roſarum, ſyrupus roſarum ſolutiuus, caſſia, manna, ſebeſten, tamarindi, aloë, diapruuis lenitiuum, pilula de aloë roſata, myrobalani citrinæ.*

*Melancholiā euacuantia.* Melancholiam euacuant *fumaria, epithymum, polypodium, ſyrupus de polypodio, de epithymo, elect. lenitiuum.*

*Seroſos humores euacuantia.* Seroſos humores euacuant *manna*, quæ etiam bilem educit, *ſyrupus violarum ſolutiuus, caſſia.*

Doſes horum medicamentorum *in Inſtit. lib. 5. part. 3. ſect. 1. cap. 5. pag.* 1248. traditæ ſunt.

*Modus exhibendi.* Medicamenta autem hæc vel ore aſſumuntur, vel per clyſteres immittuntur, vel etiam glandis modo adhibentur. Per os commodius aſſumuntur, quando ſimul ex ventriculo & inteſtinis tenuibus euacuare animus eſt, aut cum æger clyſteres non admittit, vel anus laborat, vt in hæmorrhoidibus. Per clyſteres verò iniiciuntur medicamenta, ſi laboret ventriculus, ſubita euacuatione opus ſit, ſi intentio ſit ſolas feces euacuare, aut aliud, quod in craſſis inteſtinis continetur, ſi abhorreat æger ab aſſumendis medicamentis, vel ad vomitum procliuis ſit. Plerique etiam ſunt in ea ſententia, clyſteres ſaltem ex inteſtinis euacuare: cum verò etiam è venis meſaraicis vel locis remotioribus euacuare animus eſt, clyſteres non ſufficere, ſed medicamenta ore aſſumenda eſſe. *An clysteres ſaltem ex inteſtinis euacuent?* Verum ſi clyſteres è fortioribus medicamentis componantur, etiam è venis meſaraicis, imo vniuerſo corpore euacuare poſſunt, teſtaturque id experientia, qua conſtat, glandibus ex elleboro albo factis applicatis, eadem ſymptomata excitata fuiſſe, quæ iis, qui elleborum ſumſerunt, euenire ſolent, & vitri antimonij granis tribus glandi inditis non ſolum aluum copiosè motam, ſed & duos vomitus excitatos fuiſſe. Neque ratio deeſt. Cum enim colum Inteſtinum vim medicamenti ſuſcipit, per arterias humores in trunco aortæ mouet, vnde etiam accidit, vt poſt medicamenta purgantia vmbilico applicata purgatio ſequatur; quia per arterias vis medicamenti purgantis attrahitur.

*Quando lenientia exhibenda.* Exhibentur autem talia commodiſſimè hora vna vel duabus ante cibum, non poſt cibum, & quidem vel aute prandium, vel ante cœnam.

Materiā hoc modo euacuatā danda eſt opera, ne iterum cumuletur, recta victus ratione adhibita & victu parciore exhibito, quique contrariam habeat humori peccanti qualitatem.

Si autem in ipſis inteſtinorum tunicis materia contineatur, frequentiore euacuatione indiget, & ea medicamenta vſurpanda, quæ nonnihil ad purgantium naturā accedunt; qualia commodiſſimè ex aloe parantur.

Et quidem ſi aliunde humores ad inteſtina confluant, vt in aliis partibus & fluxionibus, partis recipientis & mittentis habenda eſt ratio. Ideóque, ſi inteſtina vel propter dolorem vel calorem humores attrahant, dolor mitigandus, calor verò temperandus; ſi verò ob ſolā imbecillitatem fluxionibus recipiendis obnoxia ſunt inteſtina, roboranda ſunt per modicè adſtringentia, vel aſſumta ore, vel per clyſterē iniecta potius, quàm extra applicata, quorū vſu facilè humores ad interiores partes

tes compelluntur. Talia sunt, quæ parantur ex rosis, mentha, plantagine, polygono, absinthio.

*Intestina roboratia.* Materia verò, quæ in intestina confluit, ab iis auertenda. Cum autem intestina corporis intimum occupent, fit commodissimè auersio venæ sectione in cubito. Reuellit etiam ab intestinis, non tamen per purgantia fortiora institutus: item frictiones brachiorum & crurum, cucurbitulæ dorso & scapulis appositæ.

*Repellentia materiam ex intestinis.* Repellentia quod attinet, ea cum intus assumuntur, & per clysteres iniiciuntur, tum extra applicantur. Quanquam enim externa nonunlli suspecta habeant ideo, quod ex venis partium externarum humores ad intestina protrudant: tamen quia humores, qui fluunt ad intestina, non fluunt per venas, quæ partes externas abdominis perreptant, sed per mesaraicas, non sine commodo applicari possunt.

*Deriuantia.* Deriuatio fit commodissimè per venas hæmorrhoidales.

*Euacuantia.* Illud verò materiæ, quod postea intestinis impactum relinquitur, vel sensibiliter euacuandum, vel insensi-

*Sensibiliter.* biliter discutiendum. Sensibilis euacuatio fit per lenientia medicamenta antea proposita cùm ore sumpta,

*Insensibiliter.* tum per clysteres infusa. Insensibiliter verò discutiunt digerentia medicamenta, vt oleum chamæmelinum, anethinum, rutaceum, laurinum; Cataplasmata etiam è radicibus, floribus, seminibus variis medicamentorum discutientium parata;quibus tamen admisceri debent, quæ modice adstringendo intestinorum robur conseruant, ne fluxionibus aliunde recipiendis fiant opportuna.

## CAPVT II.

### *De Inflammatione Intestinorum.*

*Inflammatio intestinorum.* ET si Inflammatio sit morbus compositus, & in ea non solum intemperies cum materia, sed & magnitudo aucta reperiatur, & proinde post simplices morbos demum de ea agēdum videatur: tamen quia inprimis intemperies cum materia in ea manifesta est, & maximè actiones lædit: statim post intemperies cum materia de ea agere libet. Inflammari autem possunt omnia Intestina, frequentius tamen tenuiora inflammantur,ob venarum copiam & sanginis abundantiam.

### *Caussæ.*

*Causa.* Accidit autem intestinorum inflammatio affluente sanguine per venas, quibus intestina, tenuiora præcipuè,abundat. Quod euenit,vel vbi ob tenuitatem sponte ad intestina fluit, id quod in dysenteria sæpè accidit, & quidem autumno frequentius, 3. *aph.* 22. quia æstate geniti humores tenues & mobiles autumni frigore inæquali in profundum corpus ad intestina pelluntur, vbi phlegmonem sæpe efficiunt: vel cum à calore, aut, quod frequentius accidit,à dolore attrahitur, id quod fit post vehementes intestinorum dolores, post percussiones & lapsus, & imprimis, cum intestina è sua sede in scrotum vel vmbilicum excidunt,vbi compressa dolorem patiuntur.

### *Signa Diagnostica.*

Dolor fixus, distendens, ingens in parte affecta intus percipitur: in loco autem tumor nonnunquam percipitur,cuius ratione,vt Galenus,6.*de loc.aff.cap*.2. docet nonnulli hunc morbum χορδαψὸν appellârunt, quod in eo tenue intestinum tactu deprehendatur conuolutum instar chordæ. Febris & febrilia symptomata adsunt: aluus occluditur, & omnia per os reiiciuntur, qui affectus ileos appellatur, vt infra dicetur, vrina supprimitur, quod vesica in consensum trahitur,venter inflatur, respiratio est difficilis, vires omnes languent.



Vtrum autem tenuia vel crassa intestina inflammentur, ita dignoscitur. Si tenuia intestina affecta sint, stomachi distensio adest, & spiritus angustia,& nausea, atque vomitus assidui & vehementes, ita vt nec potus contineri queat, paulò post & stercorum vomitus sequatur: dolor & tormina magis ad superiora vergunt. Si in crassis inflammatio consistat, vomitus non ità continuò durat, dolor ad hypochondria magis pertingit ac lumborum adest grauitas, vomitus stercoris tardius superuenit.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Inflammatio intestinorum periculosum malum est, & præsertim tenuiorum, vt quæ Ileum & alia grauia symptomata inducit, & pauci hoc modo affecti euadunt.

2. Malum etiam acutum est,& citò ad statū properat.

3. Sæpe inflammatio intestinorum in gangrænam & sphacelē abit. Vidi hoc in fœmina & iuuene, quibus cum ex hernia intestinali intestina inflammata essent, tandem sphacelo eá corrupta sunt, quæ putredo superiacenti peritonæo & abdominis musculis circa inguina communicata eas ipsas partes infecit, vt sphacelo corriperenrur, ac viâ per corruptam partem facta feces alui cum summo fœtore per inguen excernerentur, atque ita vterq;mortē oppeteret.Plura vide infra *de Ileo*.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Qui scopi & indicationes in aliarum partium inflammationibus dantur, eædem & hic locum habent. Sanguis nimirum affluens à parte affecta auertendus, eiusdem feruor temperandus, ac id, quod influxit, discutiendum. Nam vt ad suppurationem ducatur, minus tutum est, & non sine periculo id fit, ac præcipuè si ad interiora abscessus rumpatur.

### *Curatio.*

*Curatio.* Ideóque mox (lenem tamen clysterem præmittere nihil prohibet) basilica aperiatur, etiam ante topica;

*Venæsectio.* & si opus sit, ac vires ferant, etiam repetatur venæ sectio. Trallianus in inflammatione ita aucta, vt vrina etiam supprimatur, venam tali aperit, qua ratione & alui & vrinæ excretionem sæpe secutam fuisse ait.

*Anodyna & refrigerantia.* Sanguine euacuato statim quæ repellunt, refrigerant, & dolorem mitigant, vsurpanda. Ideò inunctiones fiant ex oleo rosaceo, aut panni vel lana oleo rosaceo & vino austero imbuta ventri imponantur, quibus aceti aliquid addere non inutile fuerit.

Cataplasmata quoque applicentur ex plantagine, endiuia, portulacâ, & similibus, è quibus contusis exprimatur succus,& oleum rosaceum addatur: vel mala cydonia in posca dilutiore cocta oleóque rosaceo mista applicentur, eaque omnia tepidè.

Per aluum, & præcipue vbi intestina inferiora inflāmata sunt, in morbi principio iniiciantur clysteres ex cremore ptisanæ, oleo rosaceo, succo plantaginis, endiuiæ, portulacæ, luteis ouorum recentium.

*Reuellentia.* Omnia simul Reuulsionum genera instituantur,quæ materiam ab internis partibus ad externas reuocent,vt frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ scarificatæ & non scarificatæ, cruribus & artubus applicatæ, lotiones item extremorum.

Per os exhibeantur, quæ circa adstrictionem refrigerant,vt decoctum maluæ, lactucæ, violariæ, ptisanæ.

*Discutientia & lenientia.* In augmento addantur aliqua, quæ vim discutiendi & leniendi habent, vt oleum chamæmelinum, anethinum, cataplasma ex semine lini, fœnugræci, chamæmelo,farina fabarum. Vtile est & emplastrum Alexandri, quod fit ex *vitellis ouorum sex, farinæ fabarum, olei rosacei, chamelini* ana Vnc. ij. ℞. *ceræ* Vnc. v. *mucilaginis seminis lini* q. s. ad faciendum emplastrum.

Clysteribus verò in progressu morbi addatur oleum chamæmelinum, semen fœnugtæci,lini,flores chamæmeli.Clysteres a acres,& suppositoria acria omittenda, ne inflammationem augeant:quæ v.acria non sunt,etiã-si superiora intestina inflammentur, in progressu morbi ad euacuandum excrementa quæ in inferioribus intestinis hærent, vtilia sunt.

*Purgantia prorsus omittenda.* A purgantibus verò planè abstinendum, cum & locum affectum exasperent, & humores vitiosos versus partem affectam deducant, quod in omni inflammatione interna, ex monitu Hippocratis, 4. *de vict. nat. in acut.t.*22. cauendum.

Et licet excrementa retenta purgationem suadere,& exigere videantur: tamen longè maius damnum ex inflammatione à purgantibus aucta accidit, quàm commodum ex purgatione, quæ frustra, renitente & obstante inflammatione, tentatur. In delinatione tamen leuia adhibere vtile fuerit.

*Dolorem lenientia.* Si dolor valdè vrgeat,eum lenientia, quæ infra *in curatione colicæ* proponentur, vsurpanda. Itaque hic vtilis erit emulsio seminis papaueris albi, vel syrupus papaueris, diacodium, philonium, laudanum opiatum; quæ posteriora tamen viribus iam valdè languentibus non vsurpanda, ne mors acceleretur.

*Inflammatio ab Enterocele.* Si malum sit ab Enterocele, danda opera,vt intestina quam primum in suum locum reponantur. Itaque clyster emolliens præmittatur, & postea fotus fiat ex oleo chamæmelino,anethino,& liliorum simul mixtis, quibus locus rupturæ inungatur, vel cataplasmata emollientia eidem imponantur, & tandem intestina prolapsa manu suauiter in suum locum reponantur.

*Ab exomphalo.* Eadem curandi ratio est, si fit Ileos ab exomphalo. Paretur ergo talis clyster.

℞. *Rad. alth.* Vnc.ß.*maluæ,althææ,parietariæ*,ana M.j. *flor.chamæmeli*,M.ß. *Prunorũ* num. x. *Sem.anisi* Drach. ij. Coqu.*in aq. communi, vel iure carnium.*

Colaturæ ℞. ℔. j.*cassiæ extr.* Vnc. j.ß.*ol. aneth.chamæmelini* ana Vnc. j. *salis* Drach. ß. F. Clyster.

Fotus efficacior erit, si illa emollientia, vt radix althææ, maluæ, flores chamæmeli, meliloti coquantur in lacte, & contundantur, ac contusa, additis oleo amygdal. dulc. chamæmelino, lini, lilior.albor. omnia in vesicam,vt dimida eius pars repleatur,coniiciantur, & venter inferior versus pectinem & circa anum calidè cum constricta bene vesica foueatur.

Per os etiam iuscula pinguia, in quibus malua cocta fuerit, sæpius propinentur.

*Inflammatio à contusione.* Eodem ferè modo procedendum, si inflammatio sit à contusione. Hoc saltem tum obseruandum,vt reliquis, quæ inflammationis caussa adhibentur, aliquid lenientium, & aliquo modo concoquentium addatur.

*Diæta.*

*Diæta.* Victus in inflammatione Intestinorum sit tenuis & refrigerans. Ideóque æger sola ptisana sit contentus,vt inflammatio refrigeretur, & ne ob copiam alimentorum excrementa cumulentur, cui aliquid vini granatorum admisceri potest. A vino planè abstineant, & ab omnibus calefacientibus.

## CAPVT III.

### *De Angustia Intestinorum.*

*Angustia Intestinorum.* Vm intestina canales quidam sint, per quos chylus in ventriculo coctus distribuitur, aut à vasis mesaraicis exsugitur, & quod inutile est, in feces alui mutatum per ea excernitur, si meatus hic in corpore claudatur vel angustior fiat, varia mala & symptomata excitantur.

*Caussæ.*

*Caussæ.* Angustiam autem in Intestinis variæ caussæ inducunt.Primò nonnulli à caussis exsiccantibus & adstringentibus ea angustiora reddi posse statuunt,vt acerbis, austeris & similibus. Verum lubricitatem potius intestinorum ab iis plerunque immutari & feces exsiccari credibile est,quam vt ipsa intestina ab ipsis contrahantur, præsertim cum mutata demum in chylum ad intestina perueniant. Nisi forsan accidat, vt cruda ad intestina perueniant, atque ibi hæreant, & simul obstruendo angustiam pariant. *An exsiccantia & adstringentia Intestinorum angustiam pariant?* Tale exemplum habet Fernelius, *lib.6. de part.morb.& sympt.cap.9. Septennis puella*,inquit, *diarrhœa correpta cum per dies complures subalbidam ac putrem olidamque materiam indolenter albo redderet, diuturnitatisfluoris eiusmodi pertæsa eius auia consilium de cohibendo cum aliis mulierculis cepit. In eam ren cydoniato larga manu exhibito sic est eius vsu aluus repressa,vt eo die & sequenti nocte nil omnino reddiderit,sed excitatis sæuissimis ventris doloribus & torsionibus vsque eò intumuerit, vt hydropica derepente euasisse putaretur. Accitus Medicus quid rei esset suspicatus,clysmatis primùm lenibus, dein etiã acrioribus identidem iniectis hærente alno noxiam materiam foras euocare, fom dolores lenire tentat: sed id frustra. Inualescentibus quippe doloribus immanibus cum crebris animi deliquiis,tandemque liquidioris stercoris vomitione intra biduum miserabiliter extincta est. Aperto corpore cæcum intestinum coangustatum, constrictumque adeo obhærescente,interioremque ductum obturante cydoniato deprehensum est, vt illac nullo modo prorsus quicquam posset peruadere: vnde accidit, vt acris illa & corrupta materia meatu prohibito obiectaque mora restagnans insistatam sibi viam in abdomnis spatium patefecerit, paulo supra obstructum locũ perefo perforatoque intestino,quo velut emissario & cuniculo acto excidens abdominis totã cauitatem repleuerat. Hinc acerbissimi dolorum morsus, hinc distentio, hinc animi defectiones, obortoque fœdo vomitu crudelissima mors breui consecuta.* Credibilius est, per longam inediam intestina quasi collabi, constringi & angustiora reddi: sicut alias videmus, animalia, quæ voraciora sunt, habere intestina ampliora, quæ minus comedunt, angustiora.

Secundò fiunt intestina angustiora,dum inflammantur, de quo *capite præcedente* dictum.

*Intestinorum coalitus.* Tertiò coalescunt interdum intestina.Ita refert Marcellus Donatus,*de hist or.medic.mirab.lib.4.c.*10.Nobilissimum quendam equitem Carolum Nuuolanum anno 1559.ex suppressione alui mortuum,& in dissecti cadauere obseruatum fuisse,quod intestinum rectum in parte superiore ita per digiti transuersi longitudinem coaluerit,vt vix tenuioris funiculi crassitudinem æquaret, vtrinque in confinio intestini partibus in tumorem quendam veluti glandulosum eleuatis,à quo factum, quo minus feces in superioribus intestinis genitæ per consuetam viam detruderentur, nec aqua thermalis partem potuerit pertransire, sed in monoculo congregata reperta fuerit. Sorori etiam Rondeletij intestina multis in locis mutuò connexa spatio ferè duorum digitorum,& colicorum dolorum ac mortis caussam fuisse testatur Loubertus, *in vita Rondeletij.*

*Ani coalitus.* Interdum intestina & parte inferiore seu in ano coalescunt,compertumque est, quosdam ano clausò natos fuisse,ut testatur Cœlius Rhodiginus, *antiq.lect.l.4.c.*9. Ani clausi exemplum & curationem etiam describit Guilielmus Fabricius, *centur.* 1.*obs.*43.vbi refert,infantulum natum fuisse clauso ano, qui cum talis vsque ad sextum ætatis diem maneret,maximo angore & tormininibus cruciabatur,& in vitæ periculo versabatur. Venter enim inflatus,extentusq; erat,lipothymiæ & sudores frigidi aderant, anus obducta erat membranã præ-durã,in qua nullũ ferè indicium,aut vestigiũ ani,preter. quã macula nonnihil liuida apparebat. Illic facta paruã incisione,(ne sphincter læderetur)nouaculã linteis iuxta aciem inuolutã;deinde immisso speculo ani,& quod reliquũ dilatato, statim eiecta est excrementorũ colluuies.Hinc venter cõfestim subsedit,reliquaq; symptomata

mata remiserunt. In anum demum immissa est, per aliquot dies, fistula plumbea inuncta vnguento quodam desiccante: veluti de cerussa, de minio, diapompholygos, & similibus. His facta cicatrice plenissimè conualuit. Nonnunquam verò post vlcera coalescit, vt Argent. *lib.* 2. *c.* 10. *de caussis morb.* Beniuenius, *de abditis sanat. & morb. caussis cap.* 30. & 86. & alij, quorum obseruationes collegit Schenckius, *lib.* 2. referunt.

Quartò comprimuntur Intestina, præcipue tenuia, dum conuoluuntur & contorquentur, quod fit, dum è sua sede & abdominis cauitate rupto peritonæo vel in scrotum decidunt, vel per vmbilicum elabuntur.

Quintò obstruuntur Intestina interdum à fecibus induratis, quæ σκύβαλα dicuntur; quod accidit præsertim eò loci, vbi tenuia desinunt, & in crassa terminantur; nonnunquam & intestini recti fine idem accidit. Indurantur autem feces, vel quia ex materia crassiore & sicciore generantur, & potu minus diluuntur, vel siccantia multa alia miscentur, vel quia partium vicinarum, epatis præcipue, calore, quicquid est humidum in iis, exsugitur, quod imprimis accidit, si alui feces ob longam sessionem vel alias occupationes diu in Intestinis detinaeantur.

Præterea & alia, quàm feces, intestina obstruere possunt. Calculos & vermes in iis generari, postea dicetur, quæ angustiam quandam pariunt, at integram obstructionem vix excitant. Ita interdum corpora quædam dura deglutiuntur; sed & ipsa angustiam quidem pariunt, verùm si œsophagum transeunt, rarò etiam intestina integrè obstruere possunt. Interdum tamen id accidit, vt antea ex Fernelio dictum.

Quin etiam pituita crassa & viscida in Intestinis generata eadem obstruit. Etsi vero sæpe diu ea cùm victus, tùm debilis in Intestinis caloris ratione cumulata rarò integram obstructionem parit: tamen si diu ibi hæreat, ita crassescit, vt intestina prorsus obstruat, & difficilium symptomatum caussa fiat. Ita narrat Fernelius, *de part. morb. & sympt. lib.* 6. *cap.* 9. Caroli Quinti Imperatoris Legatum quendam dolore, nec non tumore, à dextro hypochondrio per ima ventriculi in sinistrũ exporrecto affectum fuisse. Huic cum sexennio tòto remedij genus omne, tanquam emolliendo scirrho adhibitum fuisset, iniecto tandem acriori clystere durum ac firmum quippiam medio ductu pertusum, pedis longitudine detractum est; quod ille intestini portionem esse metuebat. Sed cum repentè leuatus videretur, adhibito consilio iterum ac tertio clystere perlutus est, rursusque similia euulsa materia continuò pristinæ est valetudini restitutus. Alteri verò cuidam, vt idem Fernelius *ibid.* refert, similis, sed grauior affectus aluum prorsus cohibuit, qui tandem ventre supra modum intumescente decessit è viuis; inuentumque est colum Intestinum vsque adeò infarctum pituita concreta, vt solidum prorsus censeretur, nihilque omnino fecis in aluum delabi sineret. Simile quid, quod Lipsio accidit, videatur infra, *cap.* 5.

### *Signa Diagnostica.*

Ipsa intestinorum angustia in genere ex eo præcipuè cognoscitur, quod alimentum non rectè per intestina distribuitur, fæcesque alui non rectè per aluum excernuntur.

Caussæ autem suis signis discernendæ sunt. Si à siccantibus & adstringentibus assumtis angustia fiat, id ex relatione ægri & adstantium cognoscitur, vt & si inedia præcesserit.

Inflammatio è signis *capite præcedente* propositis manifesta fit.

Coalitus Intestinorum vix satis rectè signis cognoscitur, & non nisi post mortem dissectione deprehenditur. Si verò anus vel à natiuitate, vel ab vlcere clausus sit, tactui & visui patet.

Si intestina vel in scrotum prolapsa, vel per vmbilicum elapsa angustiora ex compressione redduntur, nec illud vel medicum vel ægrum latere potest.

A fecibus induratis si intestina obstruantur, nullus adest dolor, nullus tumor, & nihilominus feces alui non redduntur, & caussæ, quæ feces exsiccare possunt, præcesserunt.

A pituita verò crassa ea obstrui non facilè cognoscitur; morborum tamen diuturnorum & difficilium, vt ex historiis supra enumeratis patet, ea causa est, corpus languet & tabescit, cruditas adest, tarda alui deiectio, flatus, plurimi, venter friget, nonnunquam & dolore colico vexatur.

De vermium tandem & calculorum signis dicetur postea suo loco.

### *Prognostica.*

*Prognostica.*

1. Prò caussarum varietate etiam angustia intestinorum plus minusve periculi & difficultatis portendit.
2. Ab assumtis adstringentibus & exiccantibus angustia curatu non est difficilis, & adhibitis emollientibus & humectãtib. remediis nõ ita difficulter curatur.
3. Inflammatio intestinorum quid periculi portendat *capite præcedente* dictum.
4. Coalitus intestinorum incurabilis est.
5. Quantum periculi habeat Intestinorum compressio & conuolutio, infra *capite* 6. patebit.
6. Intestinorum obstructio à fecibus induratis non ita difficulter curatur: quæ verò est à pituita crassa viscidaque, longorum latentiumque morborum caussa est, & magna cum difficultate tollitur; vt & quæ à vermibus vel calculis est.
7. Si anus clausus sit, & totus musculus coluerit, malum incurabile est. Si verò meatus membrana tantum obductus sit, curari potest.

### *Indicationes.*

*Indicationes.*

Si angustia sit ab exiccantibus & adstrigentibus assumtis, humectantia & emollientia requiruntur, quæ etiã necessaria sunt, si ab inedia diuturna fit angustia. Inflammatio Intestinorum quid indicet, & quomodo curanda sit *capite præcedente* dictum. Si ex Intestinis è suo loco delapsis & compressis fit angustia, intestina in suum locum restituenda sunt, de quo *infra* dicetur. Si à fecibus induratis fit obstructio, emolliendæ sunt feces & euacuandæ. Si à pituita crassa & viscida est, incidenda & abstergenda est. Si à vermibus, vel calculis, ii tollendi. Anus clausus aperiendus.

### *Curatio.*

*Curatio.*

Ergo si ab astringentibus & siccantibus assumtis fit angustia, humectantia & emollientia cum assumenta, tum per clysterem iniicienda. Assumenda nimirum caro mollis vitulina, hædina elixa, pinguis & mucilaginosa, iuscula pinguia, butyrum, oleum, malua, atriplex, lac. E medicamentis sumenda cassia, syrupus violarum solutiuus, clysteres emollientes passim noti iniiciantur.

Si ex diuturna inedia fit angustia, commodissimè cibis emollientibus & humectantibus modò enumeratis tollitur. Cauendũ tamen, ne post longam inediã corpus cibo multo oneretur, sed sæpe & parũ comedere præstat.

Feces induratæ emolliendæ sunt, & per medicamenta lenientia supra *c.* 1. proposita, tum clysteres educendæ.

Vtilia autem hic sunt *iuscula pinguia, prunorum decocta & eorum ius, passulæ, ficus, spinachia, malua, beta, atriplex comesta, oleum amygdalarum dulcium*, quod vel solum sumitur, vel manna additur, vt

℞. *Mannæ* Vnc. j. vel Vnc. j. ß. dissoluatur *in iusculo gallinæ vel carnis*, adde *ol. amydalar. dulc.* Vnc. j. ß. M. Aut si opus sit *ol. amygd. dulc.* Vnc. ij. addantur *diagrydij* gr. v. *vel detur cassia, passulæ laxatiuæ* & alia medicamenta lenientia supra enumerata.

Clyſteres etiam emollientes *ex malua, althæa, parietaria, violaria, branca vrſina, mercuriali, ſem. lini, fœnugræci, ficubus, paſſulis, caſſia, elect. lenitiuo ſ. diacatholico, ol. communi, amygdal. dulcium, violarum, lilior. alborum, vitello ou.* iniiciantur.

Ex iiſdem emollientibus modò dictis cataplaſmata parari, & ventri imponi poſſunt. Vel inungatur venter olei modò enumeratis & vnguẽto Dialthææ. Emollit etiam feces duras baln eum aquæ dulcis. De quibus etiam de aluo pigra dicetur.

Si pituitam craſſiorem in inteſtinis hærere ſuſpicio ſit, acrioribus clyſteribus, iiſque ſæpe repetitis opus eſt, vel medicamentis pituitam incidere, abſtergere & euacuare valentibus, de quo *de dolore colico* dicetur.

Si anus clauſis ſit, nullo alio modo, quam ſectione aperiri poteſt, quæ tamen ipſa non ſemper inſtitui poteſt. Nam ſi totus muſculus coaluerit, fruſtra & non ſine periculo inſtituitur ſectio; vt & ſi natura aliam viam, vt ad vuluam, cuius rei exemplum habet Mercurialis, *de morb. pueror. lib. 1. cap. 9.* ſibi machinata eſt.

Si verò meatus hic ſaltem membrana obductus ſit, aut extrema eius coaluerint, inſtrumento conueniente via aperienda. Cauendum tamen, ne dum perforatur anus, ſphincter lædatur.

## CAPVT IV.

### *De læuitate Inteſtinorum, & magnitudine aucta.*

Rugoſa eſt interior inteſtinorum tunica, vt chylum nonnihil remoretur, ne nimis citò per inteſtina tranſiens ſuctionem vaſorum meſaraicorum, quorum orificia internæ inteſtinorum tunicæ inſeruntur, anteuerteret.

*Inteſtinorum læuitas.* Contra naturam verò interdum læuia fiunt inteſtina, imprimis ex cicatrice poſt vlcera, de quo infra *de Lienteria* dicetur.

*Inteſt. Magnitudo aucta.* Augetur quoque præter naturam interdum inteſtinorum magnitudo, & quidem nonnunquam ſecundum totam ſubſtantiam in inflammatione, de qua *ſupra c. 2.* dictum; nonnunquam verò à flatu ſolum diſtenduntur, & in maiorem molem attolluntur. Ita refert Fernelius, *lib. 6. de part. morb. & ſympt. cap. 10.* quibuſdam flatibus cohibitis inteſtinum colum ita dilatatum fuiſſe, vt brachij amplitudinem æquaret, de quo dicetur *de dolore colico.*

## CAPVT V.

### *De Rebus præter naturam in Inteſtinis repertis, & in ſpecie*

### *De Vermibus.*

*Res p. n. in Ventriculo reperta.* Res præter naturam in Inteſtinis quandoque generantur & reperiuntur, quas vulgò ad morbos in numero referunt, quod an rectè fiat, iam in controuerſiam non vocabo, cum in *Inſtit* de eo dictum ſit. Eas tamen res omnes hoc capite coniungam & complectar.

### *Lapides.*

*Lapides.* Primò autem lapides quandoque in Inteſtinis reperiri compertum. Galenus equidem id nõ vidit, neque audiuit, vt *lib. 1. de loc. aff. cap. 5. & lib. 6. cap. 2.* teſtatur. Alij tamen viderunt, vt Rhaſes *lib. 10. continent. c. 2.* Gentilis, *in comment. ad cap. Auicen. lib. 4. fen. 1. tract. de feb. ſext.* Et Matthæus de Gradibus vidit à fœmina quadam colica laborante, lenientibus ſupra & infra immiſſis, inſignes tres lapides duriſſimos excretos, quorum quilibet fuit quantitatis oui gallinæ, vt teſtatur *in comm. ad 9. Rhaſis c. de colica.* Et Antonius Guainerius, *c. 1. de calculoſa paſſione* refert à quodam, qui quindecim ſæpe diebus aluũ non reddebat, non vnum, ſed plures lapides ad nucis magnitudinem eiectos fuiſſe. Idem teſtatur Sauanarola, *tract. 6. c. 16. rubr. 19.* Franciſc. Pedemontanus, *cap. 3. ſum. 1. part. 4. addit. ad Meſ.* Beniuenius, *de abditis ſanat. cauſſ. cap. 19.* Braſſauolus, *comm. ad aph. 79. lib. 4.* Hippocratis. Thomas à Vega, *comm. ad lib. 1. de loc. aff. cap. 5.* Hieron. Montuus, *li. 4. cap. 1. anaſc. morb.* Iul. Cæſar Scaliger, *exer. 108. ſect. 3.* Kentmannus, *de calculis.* Trincauellus, *li. 10. c. 6. de rat. curandi partic. corp. human. affect.* Columbus, *lib. 15. Anat.* Mercurial. *lib. 2. cap. 4. de excrement. & lib. 1. cap. 20. variarum lectionum.* Capiuaccius, *lib. 3. pract. cap. 13.* Paræus, *lib. 24. chirurg. cap. 19.* Petrus Sal. Diuerſus, *in annot. in Alt. cap. 79.* Foreſtus, *lib. 14. obſ. 26. in ſcholio.* Crato, *in epiſt. ad Thomam Iordanum* & alij.

Non autem facilè calculi & non niſi coniectura cognoſcuntur, vbi nimirum dolor diuturnior in Inteſtinis cum ponderis ſenſu & ſæpè cum duritie percipitur.

Euacuantur ſæpe ſponte; ſed commodum eſt naturam adiuuare lenientibus & lubricantibus ſæpè exhibitis, ac per clyſteres iniectis.

### *Pituita.*

*Pituita.* Pituita etiam lenta interdum in Inteſtinis colligitur, concreſcitque, cuius rei duo exempla ex Fernelio, *lib. 6. de part. morb ac ſympt. cap. 9.* ſupra *cap. 3.* allegauimus, quæ ibi videantur. Notatu quoque dignum eſt id, quod in vita Ioh. Heurnij extat. Cum clariſſimus Lipſius tædioſiſſimo malo conflictatus fuerat, febriles inſultus varios expertus, ſtomachus, totumque corpus ei flaccidum & marcidum: contigit quodam die, vt aſſumpto pharmaco, aluum exoneraret. Senſit autem, dum naturæ neceſſitati pareret, ingentem ſe copiam aluo effundere, eamque continuam & cohærentem. Intuetur quid ſit rei, videt attonitus ſe eiuſmodi maſſam effudiſſe, quæ formam & characterem inteſtinorum planè exprimeret. Conſternatur, illicoque Heurnium vocat, de vita ſua actum dicens, nam omnia ſe inteſtina effudiſſe. Inſpicit alui proluuiem Heurnius, & læto vultu ad Lipſium verſus, Reſpice, inquit, trophæa de tuo morbo; hîc focus & ſentina totius mali iacet. Nam erat lenta & viſcida pituita, paulatim in tota inteſtinali fiſtula coaceruata, à ſedentaria & in ſtudiis contabeſcente vita, eius figuram referens; quæ cum computruiſſet & vicinis partibus noxam ſuam communicaſſet, ſentinam malorum in totum propagauerat. Hoc morbi fomite expurgato recreatus eſt vir Clar. & ad priſtinam ſanitatem rediit.

Res etiam aliæ præter naturam in Inteſtinis inueniuntur, de quibus infra *de rebus præter naturam per aluum excretis* dicetur.

### *De Lumbricis.*

*Lumbrici. In inſtit. pe copiſ. generan.* Etſi vermes in pluribus corporis partibus generentur, vt *in Inſtitut. pag. 338.* dictum: tamen cum frequentiſſimè in inteſtinis reperiantur, hoc loco de iis agere libet. Et quidem ſæpe magna copia vermium in inteſtinis continetur, vt non ſolum ſupra centum, ſed & mille excretos fuiſſe obſeruatum ſit, de qua re videantur obſeruationes Schenckij.

Appellantur autem hi vermes Græcis ἕλμινθες in genere. Antiqui quoque θηρία, id eſt, feras, vt quæ ferocius in corpus ſæuiant, appellaureunt, vt ex Hippocrate, *6. Epidem. ſect. 7. text. 6. & 6. Epidem. ſect. 1. text. 3. & 4. de morb.* Galeno, *in libro, quem de Hippocratis antiquorum nominum interpretatione ſcripſit,* apparet. Latinis Lumbrici dicuntur. Quandoque tamen nomine lumbricorum teretes tantum ſignificantur.

Et ſi alios etiam hoc nomine accipi volunt, vocem Latini addunt. Plinio, *li. 11. cap. 33.* tæniæ quoque Lumbrici appellantur. Quanquam enim hîc tineas legant: Marcellus tamen, Virgilius & alij tænias legere malunt. Tænia enim Græcis faſcia eſt, hoſque vermes ita dici ſtatuunt, quod inſtar faſciarum ſint lati & longi, & proinde

proinde latos tantum lumbricos hoc nomine significari censent, qui κειρίαι, ob similitudinem, quam ad institas habent, dicuntur. Ij verò Lumbrici, qui in ima sede procreari solent, ἀσκαρίδες in specie nominantur.

*Lumbricorum genera tria.* Lumbricorum verò tria genera Aristoteles, *de histor. animal. lib. 5. cap.* 19. & prisci medicinæ scriptores ferè omnes numerant; Teretes, qui frequentissimi; Latos, atque Ascarides. Hippocrates verò, 3. *aph.* 26. & Celsus, *lib.* 4. *cap.* 17. duo tantum recensent? Ille quidem teretes & Ascarides, hic verò Latos & Teretes, Latusque lumbricus ab Hippocrate omissus censetur, quod nulli determinatæ ætati conueniat, & omnino ratus sit. Idem tamen, 4. *de morb.* latorum etiam lumbricorum facit mentionem. Recentiores quidam quartam speciem addunt, Cucurbitinos scilicet, sed alij aliter. Quidam enim latos in duas species distinguunt, in longos nimirum & breues; illos Ascarides, hos cucurbitinos nominant. Quidam cucurbitinos pro genere sumunt, quod in distinctas & coniunctas veluti species diuidunt. Sunt & qui latos ad cucurbitinos referunt.

*An dentur Lumbrici cucurbitini?* Alij quoque dubitant, an reperiantur Lumbrici, qui sint cucurbitæ femini similes. Paulus enim, *lib.* 4. *cap.* 38. corpuscula illa cucurbitæ feminibus persimilia non in lumbricorum numero, sed inter lumbrici lati notas recenset, quod proculdubio ex *lib.* 4. *de morb.* desumit, vt mox patebit.

*Latus Lumbricus quid?* Verum enim verò vt quomodo se res habeat, & quot lumbricorum sint genera certi simus, principio quid latus lumbricus sit, dispiciendum, de quo non exigua apud authores occurrit controuersia, quæ omnino discutienda est, si de generibus lumbricorum certi esse velimus. Hippocrates seu author *lib.4.de morbis* Lumbricos latos nasci in puero, dum adhuc in vtero est, ex lacte putrescente, & aucto puero etiam augescere hos lumbricos à cibis, quos assumit editus infans, & intestinis æquales fieri scribit. Latum verò hunc lumbricum parere, & id quod veluti cucurbitæ semen cum stercore excernitur, partum lumbrici esse negat. Paulus Aegineta, *lib.4. cap.* 57. latum lumbricum mutationem internæ intestinorum membranæ in quoddam animatum corpus esse dicit, quod quandoque per partes plerumque totum simul excernitur incredibilem magnitudinis speciem præbens. Aetius quoque *lib.9. c.* 40. Latum lumbricum transmutationem membranæ tenuia intestina intus succingentis in animale quoddam corpus esse dicit. Hieronymus Gabucinus latum lumbricum nihil aliud esse existimat, quam abrasionem veluti intestinorum albam tota complectentem intestina, intra quam cucurbitæ femini similes animantes procreentur: quæ quidem abrasio rarissimè tota excernatur, frequenter per partes exeat. Atque hæc si excretione frangatur seu rumpatur, tum apparere lumbricos illos cucumeris semini similes seorsim excretos, atque interdum complicatos, interdum pauciores, atque ita statuit, non totum illud corpus abrasum, quod latus lumbricus appellatur, viuere, sed solum cucumeris vel cucurbitæ semini similia animalcula intra ipsum viuere. Cum enim talem latum lumbricum se moueare vidisset, diligentissimè eum contemplantem, tandem per eius totam cauitatem cucumeris semini similia animalcula sese mouentia ipsi motum præstare, se animaduertisse scribit, quæ ex eo prodibant; interdum vnum, interdum duo simul complicata, plerumque quatuor plurave, atque eam abrasionis portionem, quæ vacua ab eiusmodi cucurbitinis segmentis animatis erat, nullo pacto motam fuisse, imò subsedisse. Atque hinc statuit, latum lumbricum nihil aliud esse, quam inucum intra intestina genitum, vel mucosam pituitam intestinorum frigiditate densatam, loricæ modo intestina intus ambientem, è qua cucurbitæ semini similia animantia conceptus more producantur. Hinc secundum Gabucini sententiam latum illud intestinorum spolium lumbricus latus quidem vulgo vocatur; verum per se non mouetur, nec animal est, sed animalculum illud cucurbitæ semini simile in eo mouetur; quod tamen per se peculiarem & quartam lumbricorum speciem non constituat, nec per se latus lumbricus appellandus, sed nota potius lati lumbrici sit. Et pro sua sententia allegat Aristotelem, qui, *lib.3.histor. animal. cap.*19. scribit, latum solum lumbricum intestino adhærentem parere simile cucumeris semini, quo indicio id genus lumbrici inesse intelligunt.

Platerus duo tæniæ intestinorum genera constituit. Vnum quod fasciam quandam referat membraneam, intestinorum tenuiorum substantiæ similem, earum longitudinem adæquantem, minimè tamen vti illa, cauam, sed digitum transversum latum, quæ rectius tænia intestinorum, quam Lumbricus latus appelletur, cum nec viuat, nec loco moueatur, vti lumbricus, nec titillationes aut rosiones in intestinis efficiat. Alterum verò genus lumbricorum numerum admittit, & tæniâ illam ex portionibus multis cohærentibus, & quæ abscedere inuicem possint, cucurbitæque semina quadrata nonnihil referant, constitui dicit, hocque vermis genus propriè cucurbitinum nominari censet, quod rarius integrum, plerumque in frusta diuisum excernitur. Tales omnino vermes fuerunt, quos à fœmina quadam rejectos fuisse annotauit Antonius Beniuenius, *cap.*87. *de abdit.morbor. caus.& curat.* quos ita inter se iunctos, & mordicus quasi cohæsisse scribit, vt, cum sua ipsi serie quatuor cucurbitorum longitudinem excederent, vnum tantum corpus, vnumque duntaxat vermem præ se ferrent.

Verum enimverò si hasce opiniones omnes diligenter perpendamus, & cum iis, quæ authores de hisce lumbricis obseruarunt & annotarunt, conferamus, primò omnino statuendum videtur, contra Gabucinum & Platerum, omnino tæniam seu fasciam hanc esse animal; ideóque ab Hippocrate, Aristotele, Galeno & aliis Medicis antiquis rectè animal appellari, & inter lumbricos, qui sunt animalia, referri, non verò esse tantum lumbricorum receptaculum. *Lumbricus latus an sit animal?* Idque apparet ex capite, quo hic vermis præditus, quod verrucosum in eo vidit Amatus Lusitanus; Rondeletius oblongum, paruum; Forestus in mucronem tanquam subulam desiisse. Molliorem tamen hanc partem habet lumbricus latus, vnde punctiones illas, quales à teretibus ægri nonnunquam satis graues in ventre percipiunt, ij, qui laborant lato lumbrico, non experiuntur. *Cur nullas punctiones in corpore efficiat?* Ideóque hinc Platerus patum firmiter concludit, quod hic vermis non viuat. Deinde ex motu, qui etsi obscurior & tardior, quàm teretrum lumbricorum, tamen aliquis est, vt plurimi authores obseruarunt; visúmque vna eius parte abruptâ reliquam in ventrem retractam fuisse; imò quandoque in glomum quasi se totum conuoluisse, vbi medicamentorum vi ex ventre hominis totus propulsus fuit. Atque ad istum motum proculdubio comparatæ sunt illæ incisiones seu genicula & intermedia, quibus reliquorum insectorum more per transuersum distinguitur, quæ à nonnullis vermes cucurbitini, quod cucurbitæ semina, quando abrumpuntur, singula referunt, sunt nuncupati. Hæ vbi alimento sunt repletæ, colorem fuscum, & nigras quasi maculas exhibent, humore verò vacuæ prorsus sunt albæ, atque cū in his internodiis motus sit in hoc lumbrico manifestior, id persuasit Gabucino, vt crederet, non lumbricum latū moueri, sed vermes cucurbitinos in eo, cum tamen non peculiares & singuli vermes sint, sed totius illius longi partes. Cucurbitinos enim vermes quod attinet, nihil aliud sunt, quam partes lati lumbrici, quæ, quando abrumpuntur, singulæ cucurbitæ semen referre videntur. *Cucurbitini vermes quid?*

*Lati Lumbrici duo genera.* Sciendum tamen hic duûm generum esse latos lumbricos, vnum quod communiter authores describunt, quodque solum priscis videtur fuisse notum, & quod Platerus & Gabucinus viuere negāt. Hicque lumbricus omninò lōgissimus est, de quo Plinius, *l.*11. *hist. natur. c.*33 scribit,

ſcribit, quod naſcantur intra hominem tæniæ tricenum pedum, aliquando & plurium longitudine, id quod ab aliis quoque eſt obſeruatũ;& Platerus aliquot, qui quadraginta pedes longi fuerint,ſe vidiſſe ſcribit. Galenus quoque ſeu autor libri,qui Introductio,ſeu Medicus inſcribitur, nonnullos hominum vermes tam longos eſſe, vt in tota porrigantur inteſtina, ſcribit. Vnde etiam rectè ſeu faſciæ nomen antiqui iis indiderũnt, cum faſcias illas ex lino & lana intexta cõſtãtes,quibus infãtes inuoluuntur,exactè referant. Huius lumbrici partes ſeu inciſuræ non ita exactè ſemen cucurbitæ integrum referunt, ſed vbi abrumpuntur, & moram aliquandiu iam emortua vel ſemimortua in corpore trahunt, pars eius, quæ ad latera eſt tenuior,tanquam facilior ad ſuſcipiẽdum corruptionem putreſcit; qui verò in medio,veluti nodus, figuram ſeminis cucurbitæ vel cucumeris refert.

Alterum tæniæ genus rarius eſt: eius tamen partes in viuente & integro exactius & clarius,cucurbitæ ſemina referũt, quale deſcripſit ſecũdo loco Platerus & Cornelius Gemma, *in lib.de occult. naturæ characteriſmis*, quod lũbrici genus ex partibus multis, quorũ ſingulæ ſemen cucurbitæ referunt,cõſtat. Neque annotatum eſt ab autoribus in hoc genere tam longos lumbricos repertos fuiſſe, ſicut in priore. *Videatur Schema.*



Talis etiam proculdubio fuit lumbricus, quem Antonius Beniuenius, *loco allegato*, vidit, quemque vnicum corpus & vermem vnicum retuliſſe ſcribit. Et fuit reuera vnicus vermis vno corpore cõſtans,etſi ille ex multis vermibus ſibi inuicem mordicus cohærentibus connexum fuiſſe dicat. Atque has partes nonnulli partum lumbrici & vermes cucurbitinos eſſe putant, eóſque in lato lumbrico ſeu tænia generari crediderunt; cum tamen reuera vnus ſaltẽ vermis ſit ex multis nodis velluti articulis & geniculis cucurbitæ vel cucumeris ſemen referentibus compoſitus; & cum alterũ lumbrici genus parum à lato lumbrico, quem vulgò deſcribunt, diſcrepet, pro peculiari ſpecie lumbrici haberi non debet. Lati lũbrici hiſtorias quatuor recẽſet Guilielmus Fabricius, *cent. 2. obſ. 71. 72, 73.* quas hîc deſcribere non libet: conſulantur allegata loca.

*Alii vermes in inteſtinis geniti.* Atque ita cum cucurbitinus vermis nullã peculiarem differentiam conſtituat, ſed lati (cuius tamen duas ſpecies eſſe diximus) ſaltem pars ſit, tres ita lumbricorum erunt differentiæ; Latus, de quo iam pluribus diximus; Rotundusſiue teres; Aſcarides. Etſi enim vtrumque genus hoc teres ſit, tamen illi, qui longi ſunt, in ſpecie teretes dicuntur; qui verò breuiores, Aſcarides vocantur, quandoque & tineæ ventris, quod tineis quæ in lanis & veſtimentis proueniunt, ſimiles ſint.

Ab his tamen lumbricorum ſpeciebus, quæ frequentiores ſunt, non parum diſcrepãtes vermes in inteſtinis genitos & quandoque eiectos fuiſſe obſeruatũ eſt, vermes nimirum cornutos, hirſutos, quadrupedes, centipedes, multipedes, bicipites, tricipites, caudã bifurcatã præditos, de quibus videatur Schenckius, *Obſeru. 211. & ſeqq. aliquot.*

## *Cauſſæ.*

*Cauſſæ.* Qua ratione autem in inteſtinis vermes generentur, à multis prolixè diſputatur: quæ mea ſit ſententia,*lib.3. Inſtitut.pag.255.& de Chymic.cum Ariſtotel.& Galen.conſenſu & diſſenſu c. 2.* expoſui, quam iam confidentius tueor,cũ pluribus eam defendere videam Philoſophum doctiſſimum Fortunium Licetum, *in libro de ſpontaneo viuentium ortu.*

Quanquam autem melius eſſet, vermes in homine nunquam generari, & geniti grauiſſima mala, ac ſæpe ipſam mortem homini inferant: tamen in naturæ cuius vis indiuidui poteſtate non eſt eiuſmodi vitia declinare, ſed neceſſitate materiæ vniuerſalis naturæ, cuius officium eſt, eas formas ad vniuerſi perfectionem excitare, ad quas ſuſcipiendas quælibet materia apta eſt,imperio & potentiæ ſubiicitur & paret.

De materia quoque in Inſtitut. diximus: illis tamen quædam, quæ ex vſu Medico ſunt, addamus. *Materia lumbricoru.* Plerique humores excrementitios cauſſas eſſe ſtatuunt, & quidem Auicen. *16. text.tract.5.cap.1.* pituitam materiam lumbricorum eſſe dicit, quando ea incaleſcit in inteſtinis ac putreſcit, ibidémque conſiſtit. Idem, *cap. 2.* eoſdem ex humiditate excremẽtitia à iecoris attractrice facultate imbecilli in excrementis relictã fieri ſtatuit. Verum ſi corporum conſtitutionem,in quibus lumbrici generantur, conſideremus, ſtatuendum videtur, non præcipuè ex humoribus pituitoſis excremẽtitiis, ſed alimentariis, & chyli portione iis admiſta vermes generari. In iis enim præcipuè vermes producuntur, à quibus cibi confertim, nullóque ordine, & priore nondum concocto, ingeruntur, vt ita cocti cum ſemicrudis ad inteſtina deſcendant, & cum omnes partes alimenti ob copiam à meſentericis vaſis non attrahantur, ſuccus ille alimentarius cum excrementis miſtus in inteſtinis hæret, & ſeu putredine, ſeu calore loci incaleſcens in animal mutatur, dum forma, quæ in materia illa delitescebat, verùm officio formæ non fungebatur, iam à calore illo temperato excitata in actum erumpit, & materiam illam informare incipit. Hinc cauſſa præcipua vermium eſt ἀδδηφαγία & voracitas infantium, qui ſubinde alios cibos, prioribus nondum concoctis, ingerunt, & præcipuè ſi tales cibos aſſumant, qui facilè putreſcunt, vel ad vermes producendos diſpoſitionem habent, vt ſi nimis maturè carnibus infantes veſcantur, vel fructibus fugacibus, ac aliis, quæ ſunt humidioris naturæ. Et cum ſit magna differentia ciborum, quibus *Præcipua vermium cauſſa.* homi

homines vtuntur, non mirum etiam est, in vermibus aliquam apparere varietatem, & sæpe monstrosi quid generari, prout in cibo ad hanc vel illam animalis formam suscipiendam dispositio est. Vt enim aliqua, quæ sponte nascuntur animalia, testacea & alia quælibet determinatam materiam requirũt, neque quælibet ex qualibet generantur: ita etiam ex alia fiunt teretes, ex alia rursum ascarides, ex alia iterum monstrosa aliá.

*Dulcia an ad vermes generandos faciant.*

An verò dulcia ad vermes generandos faciant, in dubio est, negatque id Gabucinus, & statuit, dulcia, qua dulcia sunt, lumbricos non generare; cum dulcia eo constent temperamento, vt facilè in quouis corpore in bilem vertantur. Cum enim à calore temperato dulcis fiat sapor, & dulcia, si venter ea concoquere & mutare debet, suo calore ea alterare necesse habeat, vlteriore coctione saporem adipisci amarum, & hinc facilè in bilem commutari, ex qua nec extra, nec intus vllum procreatur animal. Dulcia verò in corpore iam prædictos lumbricos saltem commouere, & sursum ad ventriculum ducere statuit. Verum enim verò negandum, dulcia tale habere temperamentum, vt in quouis corpore in bilem facilè vertantur. In iuuenibus quidem, & calido & sicco hoc fit; verum vt in infantibus, qui calidi & humidi sunt, hoc fiat, non est necessum, in quibus nulla rerum dulcium amplius fit adustio.

*Lati lumbrici generatio.*

Imprimis verò de generatione lati lumbrici anxiè Medici disquirunt, modúmque generationis inquirunt, saltem tamen in calore hærentes statuunt, mutari pituitam copiosissimam in membranam vermiformem magnitudinis ac formæ talis, qualis ipse vermis cernitur, quæ ita figurata pòst demum animetur. Putántque se rem habere sicut, in semine & pane. Vt enim semen, dum in vterum peruenit, in calido loco constitutum extra membranam contrahit, aut panis dum coquitur, tenuis quædam pellicula in superficie excitatur, quæ crusta appellatur: ita etiam pituitam in intestinis copiosam, & ratione loci, & à calore putredinali putrescentem in membranæ coriaceæ formam abire. Quod verò striis quibusdam ea membrana prædita est, id ex inæqualitate subiectæ materiæ prouenire.

Verùm enim verò & falsa est ista sententia, & falsis nititur præsuppositis. Non enim membrana, quâ fœtus includitur, saltem fit à calore semen exiccante; sicut crusta panis fit à calore fornacis, sed, vt ipse fœtus, à facultate formatrice. Ideóque idem etiam de lato lumbrico statuendum, eum scilicet totum à facultate formatrice in materia illa latente à calore corporis excitata formari, & sicut arbores, & animalia reliqua à parua mole primordia sua habent, ita & lumbricus latus proculdubio ab exigua mole, attracto alimento prægrandis euadit. Neque compertum, vllius animalis corpus primum ea magnitudine, quam habere debet, formari, & postea formatum demum animari.

*Quæ ætas lumbricorum generationi maxime obnoxia.*

Atque ex his, quæ hactenus dicta sunt, patet, quæ ætas magis generationi vermium obnoxia sit; nimirum ea, Hippocrate, 3. *Aphor.* 26. autore, quæ media est inter illam, in qua pueri dentire incipiunt, atque eam, in qua ij degunt, qui pubertati proximi sunt. Et inprimis nascuntur tunc in iis teretes & ascarides; quia pueri in ea ætate constituti ob lactis & pulmentorum frequentiorem vsum & nimiam voracitatem, magnam semicoctorum humorum copiam cumulant. Obseruatum tamen etiam est, in ipso matris vtero lumbricos in infantibus genitos fuisse, & ab editis paulò post excretos; quod etiam annotauit autor, *lib.* 4. *de morb.* In senibus tamen quandoque etiam generantur, sicut à vetula annorum 80. maximum lumbricum excretum fuisse, vidit Hercules Saxonia.

*In ipso matris vtero lumbrici in infantibus.*

*Latus lumbricus cui ætati familiaris sit?*

Latus lumbricus, siue tænia etiam in omni ætate producitur, sicut in puella annorum duorum, in muliere annorum 23. & in sene annorum 80. obseruauit Gabucinus, in matrona vidit Beniuenius, Amatus Lusitanus & Rondeletius; in viro Dodonæus, Valeriola. Atque latus lumbricus in omni ætate generatur; ascarides in ætate, quæ est pubertati proxima, tum in pubertate atque adolescentia. Atque hi frequentius generantur; rarius ascarides, rarissimè lati lumbrici.

*Quod temperamentum lumbricis magis obnoxium sit?*

Quod de ætate dictum, idem etiam de temperamento accipiendum. Ii nimirum lumbricis magis obnoxii sunt, qui in vẽtre & intestinis crudum semicoctúmque humorem cumulant, calorémque blãdum habẽt. Vnde quoque accidit, vt fœminæ frequentius lumbricos generent, quam mares, vtpote quæ & maribus frigidiores sunt, & ocio magis deditæ, plusque talis humoris ad lumbricos generandos apti cumulant. In aliis tamen quoque temperamentis lumbricos generari nihil prohibet, si crassis & lentis cibis copiosius vtantur, otiò dediti sint, & omninò victus rationem tali succo cumulando aptam obseruent.

*Quod anni tempus?*

Quantum ad tempus anni, plerique quidem potissimum autumno, hinc vere, minimè verò hyeme lũbricos produci statuunt. Verum si experientiam consulamus, comperiemus, frequentissimè vere generari. Etsi enim ver sit tempus anni saluberrimum: tamen hyemem cum sequatur, in qua multi crudi succi congeruntur, tempore verno qui hyeme cumulati sunt humores moueri ac putrescere incipiunt, ex quorum corruptione tum etiam vermes frequentissimè vere generantur.

*An lumbrici geniti alios rursum generent?*

Circa generationem vermium etiam hoc non prætereundum, an lumbrici geniti alios rursum generent. Autor quidem *lib.* 4. *de morb.* tantũ teretes parere dixit, latos verò non. Et sanè latos lumbricos quod attinet, etsi nonnulli cucurbitinos eorum partum esse existiment: tamen antea iam monstratum, quæ excernuntur semini cucurbitæ similia, non partũ lati lumbrici, sed eiusdem partes abruptas esse. Quamquam enim alii aliis sint crassiores, alii tenui filo vix persimiles, quorũ illos vulgus matres, hos partum appellat: tamen id non accidit, quod hi illorum partus sint, cum sæpe tenues tales tot excernantur, vt à maioribus genitos fuisse non credibile sit, sed quod ex eadem materia alii ante, alii post geniti sint. Neque etiam vlla sexus distinctio in iis apparet, neque vnquam lumbricus aliquis prægnans repertus est, quamquam alius alio sit crassior.

Multorum autem malorum & prauorum symptomatum caussæ lumbrici sunt, & sæpe tanta pessimorum symptomatum congeries concurrit, vt Medicos nonnunquam de caussa ancipites reddat, & vix credibile videatur, tot & tanta mala à solis lumbricis prouenire. Obseruatum est, lumbricos aliquando intestina & ventriculum perforasse & per vmbilicum atque inguina foràs erupisse.

*An lumbrici intestina & ventriculum perforare possint?*

Quod etsi negat Platerus ideò quod nec rostro acuto, vel aperto, nec dentibus prædiri esse conspiciatur, & sugendo hoc minimè præstare possint, atque ideo statuit, si in locis istis vermes prodeant, eos in sedibus eiusmodi exterioribus in abscessu aliquo facto natos fuisse, & minimè lumbricos esse, sed vermes, quales in vlceribus gignuntur, vel si ab intestinis prodeant, vulnus in his locis necessariò præcessisse: tamẽ à communi sententia planè descendendum esse non putamus. Etsi enim confiteamur, exempla illa, quæ à nonnullis ad probandum, vermes ex intestinis perforatis per cutem abdominis prodiisse, omnia satis clara non esse, & concedamus, sæpe ex abscessibus in ventre inferiore ruptis vermes tales prodiisse, qui lumbrici non fuerunt: tamen si omnia illa, quæ Schenckius, *lib.* 3. *obseru.* 205. collegit, perpendamus, interdum etiam ab intestinis perforatis prodiisse animaduertemus. Quod confirmat id, quod refert Spigelius, qui anno 1061. in mulieris cuiusdam consistentis ætatis, quæ ad tantam maciem redacta erat, vt vix cute & ossibus hæreret, corpore quatuor lumbricos teretes spitamæ vnius longitudine in ipsum truncum venæ portæ sese insinuasse, ac toti corpori alimenti aditum obstruxisse obseruauit.

Sæpe à lumbricis vomitus, cardialgia, syncope,

singultus, tormina intestinorum & dolores coli-co affecti similes, capitis dolores, sopor grauis, deliria, mœror, tristitia, concussiones per somnum, febres ardentes, angina, pleuritis, atque alia grauia symptomata excitantur, & nonnunquam ipsa mors infertur. Antonius Beniuenius, *de abdit.morb.causs.& curat.cap.*82. refert, se curasse puerum, qui ex lumbricis nullo modo quiescere poterat, sed semper hinc inde temerario quodam impetu ac inordinato motu ferebatur, vt etiam stare volens iterum titubaret ac caderet. Gabucinus, *cap.* 13. narrat, se puellum curasse lumbricis laborantem, in quo cuncta symptomata spectabantur, quæ pleuritide correptis solent venire, de quibus iam plura in *signis* dicentur.

## Differentiæ.

*Differentiæ.* Differentiæ iam antea enumeratæ sunt. Alii nimirū sunt lumbrici teretes, lumbricis terrestribus similes, plerumque tamen longiores, frequentissimi & notissimi. Ascarides sunt vermiculi, iis qui in carnibus & caseo nascuntur, non absimiles, & in intestino recto præcipuè generātur. Lati, de quibus pluribus iam antè diximus, non sunt aggregatum quiddam ex vermibus cohærenttbus mordicus, vel etiam membranæ inclusis, sed vnus vermis geniculis quasi quibusdam & nodis distinctus, cuius singulæ portiones vermes cucurbitinos, aut cucurbitæ referunt. Spigelius à Germanis etiam nominibus has differentias discerni scribit, & teretes

*VVasserkalb.* appellari *Spulvvürme*, latum *VVasserkalb.* Verùm quid Belgæ posteriore vocabulo appellent, certò quidem mihi non constat; sed hoc scio, fœminas nostras eo nomine non apppellare quid præter naturam ex intestinis excretū, sed ex vtero, aqueum nimirum humorem vesicæ quasi cuidam inclusum, & molæ instar in vtero generatum, cui etiam ista appellatio satis bene quadrat, cum lumbrico verò lato nullam conuenientiam habet, vtpote in quo nihil ferè aquei cernitur, sed qui corpore quasi membranaceo constat.

## Signa Diagnostica.

*Signa.* Si vermes per aluum excernuntur, vel vomitu eiiciuntur, aliis signis opus non est. Verum quia sæpe diu in ventre, antequam excernuntur, delitescunt, signis vt

*Teretium.* cognoscantur, opus est. Teretes ergo, qui & frequentiores sunt, & grauiora inducunt symptomata, hæc signa produnt. Morsus & vellicatio in abdomine, dentium stridor præter solitum, præsertim in somno, tussis assidua & sicca, narium pruritus, quas propterea infantes digitis immissis sæpius scalpunt, facies squalida, & malæ per interualla modò rubentes, modò liuidæ, oculi concaui, circa quos interdum insueti splendores obuersantur, labiorum & linguæ siccitas nonnunquam, aliis tamen os saliui repletur, fœtor quidam peculiaris ex ore percipitur, nausea fermè assidua, in quibusdam & vomitus, interdum insatiabilis appetitus; singultus, dolor ac grauitas capitis, ad somnum propensio, conuulsiones quædam & horrifica per somnum expergiscentia; nonnulli in somno tremunt & surgunt, ac rursum sopiuntur, ventris adest distensio, qui pulsatus tympani more resonat, & interdū supprimitur, plerumque tamen plus æquo fluit, & excrementa, quæ emittuntur, bubulum stercus referunt, & corrupta multa excernuntur, reliquum corpus præter rationem decrescit, & alia symptomata concurrunt, quæ supra enumerata sunt. Nonnulli experientiâ constare aiunt, lumbricos esse in ventre cognosci posse, si manè ieiunis pueris supra hos ventriculi frigida spargatur. Nam in vnum congregari lumbricos. Et signa ista plus ponderis habent, si ætas sit ea, quæ vermibus generandis aptior est, ac præcesserit ea victus ratio, quæ ad vermes generandos facit. Signa tamen hæc non omnia in omnibus, sed quædam in his, alia in aliis apparēt.

*Latorum.* Latos lumbricos qui habent, appetentiâ cibi nimiâ & perpetuâ laborant, ac nisi cibus offeratur, dolor & morsus in ventre percipitur, corpus extenuatur & imbecillum redditur. Certissimum ergo signum est, quod cum alui excrementis corpuscula quædam cucurbitæ seminibus similia excernuntur. Non verò ita facilè iis, qui lato lumbrico laborant, accidit epilepsia, deliria, vigilia, febres ardentes & acutæ, & alia, quæ antea enumerauimus, vt iis qui teretibus molestantur, nisi præter latum teretes forsan accesserint. Est enim latus lūbricus ignauior quasi, intestinisque adhærescit, nec vt teretes ita facilè de loco in locum mouetur. Neque etiam signa, quibus latus lumbricus deprehenditur, statim cum genitus est, & dum adhuc paruus existit apparent, sed tum demum, vbi incrementum sumpsit, nisi aut mutauerit locum versus stomachum propter aliquam insolitam inediam, vel medicamentum, aut cibum, vel alia de caussa tormina excitet, vel per intestinum rectum pars prodeat, vel in ætate valde tenera generetur, vbi propter loci angustiam nequit diu latere.

## Prognostica.

*Prognostica.* 1. Etsi omnes lumbrici mali sint, & grauissima symptomata, vt dictum, quandoque inferāt: tamen alii aliis deteriores sunt. Sunt verò ex iis minus noxij ascarides parui; quia longius absunt à membris nobilioribus, & facilius expelli possunt. Si verò magni sint, omnibus deteriores sunt. Fiunt enim ex deteriore materia.

2. Lati lumbrici omnium pessimi ea de caussa, quod difficilius curantur. Aliàs enim teretes grauiora inducunt symptomata.

3. Circa febrium initia geniti lumbrici subsistentiam ex subjecta recipiunt corruptione, circa statum ex morbi malignitate, circa declinationem ex transmutatione ad melius. qui celeriter excernuntur, & natura eos ad exteriora, non secus atque excrementa, expellit. Deteriores verò sunt maiores minoribus; multi, paucis; rubri, albis. Paulus Ægineta, *lib.* 4. *cap.*29. & Aëtius, *lib.* 9. *cap.* 39.

4. Bonum est, lumbricos teretes exire ad crisin eunte morbo. Hippocrates, *lib. prænotion.*

5. Incipientibus acutis morbis, si lumbrici teretes viui deiiciantur, pestilentes morbos indicant; inclinantibus autem, mortui, malum signum sunt.

6. Leuinus Lemnius, *lib.*1.*cap.*22.*de occult.nat.mirac.* hæc ita explicat: Si in sanis alioquin lumbrici teretes sursum per os vel nares egrediantur, periculo hoc vacat, Si enim homo diutius ieiunet, cum expleri cupiant. naturali instinctu ad partes illas, per quas alimentum in ventriculum dimitti solet, in sublime feruntur, & vel per os vel per nares egrediuntur. In ægrotantibus verò hoc non absque imminentis mali præsagio euenit. Tantā est in eiusmodi corporibus humorū putredo & malignitas, vt exitialem eorum vim pręferre nequeant. Itaque erumpunt foràs morbi sæuitiâ, non naturæ robore expulsi. Cum verò declinante morbo cum reliquis excrementis propelluntur, salutare id esse Hippocrates statuit. Spontè verò nullóque naturalis facultas impulsu egredi, quod in moribundis conspicitur, ægrotāti noxium. Sentiunt enim naturæ quodam instinctu corpus defecturum, seque alimento destitutum iri, ideóque stationem suam deserunt.

7. An mortui si excernantur viuentibus excretis deteriores sint, in dubio est. Aëtius viuentes mortuis deteriores esse statuit, *lib.*9.*cap.*39. ea procul dubio de caussa, quod viuentes, si exeant, amplius in corpore alimentum non inueniant. Rhases verò quem sequitur Auicennas, si mortui excernuntur, deterius esse, quam si viui egrediantur, putat, quod id fiat vel propter alimenti defectum, vel materiæ malignitatem. Verùm dictinctione hîc opus est, & ad symptomata coniuncta,

tempus

tempus morbi, & medicamenta vſurpata ſimul reſpiciendum. Nam viui, dum hærent in corpore, multa maiora mala inferunt, quàm mortui;cum ipſa inteſtina quandoque perforent, & alia grauia ſymptomata, imò mortem ipſam quandoque inferant, vt ſupra dictum. Ergo ſi vel naturæ robore, vel medicamentorum vſu excernantur,bonũ id eſt,neque multum refert, an viui, an mortui excernantur.Si verò in febre exeant, reliqua ſymptomata,& tempus morbi conſiderandum; vt iam antè dictum.

8. Lumbrici ſanguine conſperſi deiecti,malum.Inteſtinorum enim læſionem indicant.

9. Frequens puellorum anhelitus ac frigidus, liueſcente ad hoc corpore,lethale. Sequenti enim die mortem prænunciat.

10. Latum lumbricum in ſpecie quod attinet, ſcribit autor,*lib.4. de morb.* habenti latum lumbricum toto tempore nihil admodum graue contingere,& ſi non curetur, ſponte exire, mortem tamen non inferre, ſed conſeneſcere. Verùm hoc tantum accipiendum eſt, ſi nulla occaſio accidat, ob quam latus lumbricus moueatur & irritetur.Nam ſi æger aut motu aut exercitio delinquat, victum lumbrico contrarium vſurpet, aut medicamenta aſſumat, aut humor aliquis in inteſtinis generetur, multa mala, imò ipſam mortem inferre poteſt. Sicut & nonnullos hydrope & atrophia ab hoc verme mortuos eſſe, experientia docuit.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Vermes cum toto genere ſint præter naturam, ſui è corpore remotionem indicant; quod fit ſi interficiantur, & per aluum expellantur, ac ea victus ratio inſtituatur, quæ nutritioni & generationi vermium materiam non ſuppeditet. Inprimis verò, vt interficiantur, danda opera. Quamdiu enim viuunt, occaſionem & vim nocendi habent, ac difficulter expelluntur:interfecti autem facilius excluduntur.Ideo prius interficiendi, vel certè ſtupefaciendi ac ferè exanimandi.Ita enim cum fecibus alui à natura expelluntur, vel medicamentis purgantibus educuntur.In curatione tamen videndum, an febris abſit nec ne, item an aluus ſit fluida. Nam ſi febris abſit, & homo alioquin ſit ſanus, calidiora quoque medicamenta tutò vſurpare licet. Si verò febris adſit, acria, amara, ſalſa & omnino calidiora tuta non ſunt, ſed frigidis vel temperatis opus eſt.

Si aluus non ſit fluida, ea medicamenta vſurpanda, quæ ſimul aluum mouent. Si verò aluus fluida ſit, ſatius eſt,vermes enecare;aluum verò mouere,cum vltrò fluida ſit, opus non eſt.

In vſu quoque remediorum cauti ſimus.Nam vehementioribus medicamentis ſæpe adeo irritantur, vt conuulſiones, animi deliquia extent, & ſæpe ad ipſam mortem deducant.

### *Curatio.*

*Curatio.* Medicamenta autem, quæ vermes interficiunt, alia amaritudine,acrimonia,ſalſedine, aciditate, alia etiam peculiari proprietate id præſtant.Inter medicaméta autem, quæ vermes enecant, facilè principatum obtinet *Corallina*,qua præſtantiſſimorum Medicorum teſtimonio nullum magis præſentaneum contra vermes eſt remedium, quæ omnibus lumbricis necandis conuenit. Exhibetur autem commodiſſimè in puluere Drach. j. podere.In Græcia etiamnum ad omnis generis lumbricos occidendos in magno vſu eſt, eiuſque puluerem Circũforanei publicè vendunt per plateas ac vicus,clamãtes; σχολητοφόταvον corruptâ voce,quaſi σκωληκοφώνον vellent dicere.Vtile & eſt *Santonici ſemen*, vt & *ſemen tanaceti*, & *radix primulæ veris*,è quibus duobus circumforanei nonnulli puluerem ſuum contra vermes parant. Item *abſinthium, abrotanum, verbenæ ſuccus, marrubium, zedoaria, dictamnus Creticus & albus, gentiana, angelica, amygdalæ amaræ, ſcordium,ſemen citri, braſſicæ, ſuccus galegæ, farina lupinorum*,vel cum melle lincta,vel cum poſca pota, ipſi quoque lupini macerati & comeſti, vel decoctum ipſorum.Laudant nonnulli & puluerem ipſorum lumbricorum ablutorum & ſiccatorum. Verum res mihi ſuſpecta videtur. Etſi enim certum ſit, poſt talem puluerem ſumtum lumbricos plures deiici: tamen de hoc quæſtio eſt,an antea ij fuerint in corpore præſentes, an verò è puluere lumbricorum geniti.

*An puluis lumbricorum tutò vſurpandus?*

[ ¶ In eo quòd ſtatim heic, *de puluere lumbricorum, an tutò vſurpandus*, ſtatui me confirmat Henr. ab Heer, *obſeru. Medic. oppidò rarar. 9.* dum ſcribit, ſe non probare conſilium, vel vulgi, vel Medicorum, verminoſis pueris vermes vino lotos, & in tegula ſiccatos exhibentium. Certò enim ſibi, ſe experientiâ edoctum, perſuadere, materiam illam vermium putrem putri puerorum pituitæ remixtam, à magno illorum calore iterum animari, vt videmus muſcas ſubmerſas multis diebus mortuas, ſi non premantur, ſed ſimpliciter extinguantur, Soli denuò expoſitas, nouo calore iterum vitam volatumque recuperare. ]

Temperata & frigida ſunt,quæ cum febris adeſt, tutò exhibentur, *vt aqua & decoctum radicum graminis, auricula muris, cornu cerui, raſura eboris, ſuccus limonum, portulacæ, plantaginis,punicum malum contuſum ex tribus vini heminis decoctum ad heminam, decoctum radicis mori, endiuia, lactuca agreſtis, acetum acre.*

Infantibus commodiſſimè dari poteſt ad dies quatuor aqua graminis cum pauxillo aceti ac ſacchari ad Vnc. j.aut ſyrupus de limonibus, vel acetoſitatis citri, & cum moleſti ſunt,grana aliquot ſalis ori immittãtur.

Ex chymicis commendatur *Spiritus* ☿*li*, *oleum* ♀*ris per campanam, elixir proprietatis.* Braſſauolus, *in exam.ſimp. med.* & Matthiolus, *lib.5.cap. 70.* commendat argentum viuum, quod ſcrup. j. pondere exhibet, ſed viuum, non præcipitatum aut ſublimatum. Verum etſi viuum argentum præcipitato & ſublimato longe tutius ſit,& in caſibus deſperatis contuliſſe atque vtile fuiſſe negandum non ſit: tamen vbi neceſſitas non vrget, & alijs mitioribus medicamentis res peragi poteſt,iis vtendum, cum aliquam prauam diſpoſitionem corpori facilè imprimere poſſit, ſicut etiam contactu ſenſum ſtupefacere poteſt.

*An argentum Viuum in lũbricis vſurpandum.*

Commendantur etiam quædam ad certum genus lumbricorum.Teretes,inquit Galenus, *abſinthium* interimere poteſt; Lati vehementiora præſidia poſtulant, qualis eſt *filix*, cuius radicis puluis ad Dr. ij.cum mulſa datur. Latos etiam expellunt nuces iuglandes largius aſſumptæ, & radicis mori cortex decoctus in aqua & potus, non ſolum aluum ſoluit, verum etiam latos lumbricos excutit. Et omnino curatio lati lumbrici peculiare quid requirit. Teretes quidem enecari & expelli ſine magna difficultate poſſunt; parui enim ſunt, & corpore rotundo, minuſque dearticulato, nec tam pertinaciter inteſtinis adhærent, & vires medicamentorum exhibitorum facilius admittunt, ac in aluum deuoluuntur & excluduntur. Lati verò & longiore & maiore difficultate excutiuntur.Longiſſimi enim ſunt, & corpore plano ac lato, plurimiſque inciſuris prædito, atque internæ inteſtinorum tunicæ validiſſimè adhærent, & ſub mucoſa earum interna ſuperficie ſeſe occultantes medicamentorum tranſeuntium vim non facilè percipiunt.

*Lumbricos teretes necantia.*

*Latos necantia.*

*Teretes lumbrici facilius enecantur & expelluntur.*

Ideoque fortioribus medicamentis opus eſt,vt interficiantur. Quapropter etſi in teretibus purgantia cum interficientibus commodè admiſceantur: præſtat tamen, in latis nulla iis purgantia primùm admiſcere, cum purgantia non ſinant medicamenta vermes interficientia diu in inteſtinis herere,ſed ea citò per aluum ſecum educant.

*In lato lumbrico enecando nulla purgantia admiſcenda.*

Si

*Medicamenta latum lumbricum debilitantia.*

Si verò priùs exhibeantur medicamenta quæ ipfum debilitant, totus rotundus factus ad pilæ figuram exit, & homo fanus euadit,vt Autor *lib. 4. de morbis* fcribit. Commendatur verò imprimis filix, è qua recenti aqua deftillata datur,vel puluis Drach. ß. pondere, infantibus natu maioribus Dr.j. adultis Drach. iij. pondere, cum aqua galegæ, quæ fine vllis moleftiis vermem & lentè & citò,fi velis, enecat.

Commendatur & cortex radicis mori. Et corallina duplici pondere, ad Drach. ij. fcil. datur. Vtilis eft & Theriaca aceto, vel fucco limonum diffoluta ; decoctum centaurij minoris, lupinorum , fcordij ; ficut & vfus aloës cum croco & myrrha atque vfus Hieræ cum Scammonio.

Vermibus interfectis, vel debilitatis, nifi fponte excernantur, ea vfurpentur, quæ aluum mouent,aut quæ vim habent & vermes interficiendi , & aluum citandi, qualia funt aloë,agaricus rhabarbarum, fena, colocynthis.

Præ compofitis omnibus ad vermes necandos Diaturbith cum rhabarbar. in rotulis commendatur. Inter temperata fcebeften expertiffimum medicamentum, quorum decoctum infantibus fingulis diebus ante cibum propinari poteft. Vtile eft & Electuarium Diafebeften.

Vel ♃.*Caffiæ* Drach.iij.*mannæ* Drach.j.ß.vel Drach.ij.

Mifce cum *Syrupo acetofi.citri*.Vtile & gratum infantibus medicamentum eft.

Ex his varia parantur compofita. Vini abfinth. vfus hic valde commendatur.Vel tale paretur vinum :

♃. *Rad.zedoar. dictamni Cretici an* Drach.ij.*corallin.* Vnc. ß. *radic. angelic.* Drach. ij.*fol.abfinth*.M ß.vel j.

Infundantur in menfur. j. vini, de quo manè & vefperi detur hauftus.

Vel ♃. *Lumbric. terreftr. præpar.* Dr.j. *cornu cerui vfti præpar. corallin. dictamni Cretici,femin. fantonici* an.Dr.ß. F. Puluis. Dofis à fcup.j. ad fcrup. ij.

Vel ♃. *Corallin. lumbric.terreftr. C. C.vfti præpar.femin.tanaceti* an. Drach.j. F. Puluis.

Vel ♃. *Semin. lumbricor.* ( id eft,fantonici ) Vnc. vij. *rafur. C.C.* Vnc.iij. *flor. perfic*.Vnc.j.*aloës epatic*.Vnc.ß.

Redactis in puluerem in vitro affundatur *aquæ filicis, fol.perficor.abfinthij* an.℔.ij ftent per dies tres in B.M.in digeftione,poftea deftillentur.Deftillatio ter repetatur, femper aquam,quæ exftillat,reftanti materiæ affundendo.Dofis ab Vnc. ß.ad Vnc. ij.

Antidotus lumbricos interficiens præcipuè in febribus malignis talis parari poteft.

♃. *Semin portulac.oxalidis* an.Drach.j.*coriandr.braffic. myrrhæ* an. fcrup. j. *dictamni Cretici* Drach.ß.

Coqu.in *aceto*, in colatura macerentur triduum.

*Sem.fantonici, corallinæ,fem. apij fylueftr. C. C. vfti* an. Drach.ij. Poftea ficcentur, addaturque *fem. malor. aurantior*. Drach. iij. *citri* Drach. j. Cum *facchar.fucco granat. diffoluto* omnia excipiantur ac trochifci parentur.

Vel ♃. *Rad. gramin.* M. j.*dictamni albi,fcordij Cretici* an. p. ij.*fem.fantonici,corallinæ* an. Drach. j.

Coqu. in aqua fimpl. Colaturæ adde facchar. albi ℔ ß.

Coqu. f. a.ad fyrupi confiftentiam.

Sub finem adde *aceti acerrimi* Vnc. j. F. Iulebus , de quo mane detur Vnc. ß. vel Vnc. j.

Compofita quæ fimul vermes interficiunt & expellunt, talia parati poffunt.

♃. *Corallinæ fem. plantag. C.C. vfti radic. dictamni albi* an. fcrup.j.*rhabarb.agarici trochifcati* an.fcrup.ij.*facchar.* q.f. F. Rotulæ.

Vel ♃. *Corallin.* Drach. ij. *tanaceti, fem. fantonic. dicni albi* an. Drach. *rhabarb. elect. agarici trochifcati* an. Drach. j.*facchari in aqua graminis diffoluti* q. f.

F. Morfuli, qui dentur à Drach. j. ad ij.vel iij.

Vel ♃. *Aloës* fcrup. ij.*rhabarb.* fcrup.j.*myrrhæ* fcrup. ß. *trochifc. alhandal.* gr.iij.*puln. corallin*.Drach. ß.

Cum fucco vel extract. abfinth. F.Pilulæ xxj. Pueris fcrup.j.fufficit.

Efficaces quoque funt Pilulæ Peftilentiales cum extracto abfinthij.

Vel ♃. *Rhabarb.elect.* Drach. ij. *femin. fancti radic. dictamni* fcrup. ij. ß. *C. C. vfti vel* ditioribus *vnicornu* fcrup. j. *facchari in aqua graminis diffoluti* Vnc. vj. F.Rotulæ vel Morfuli.

Vel ♃. *Sem. fantonici,corallinæ fcordij zedoariæ,nigellæ* an. Drach.j. ß. *gentianæ,centaurij minoris, aloës, agarici* an. Drach. j. *C. C. vfti femin. acetof. angelic.* an. Drach.j.

Confpergantur fucco limonum cum aceto & aqua rofacea. Hoc fiat aliquoties, Vltimò adde

*Croci* Drach. ß. *mofchi,ambræ* an fcrup. ß.

Cum fyrupo de corticibus citri. F. Maffa pilularum, de qua detur Drach.j.vel Drach. ij.

Vtilis eft & fyrupus ex foliis perfici. Infantibus dari poteft cornu cerui cum mechoacanna.

*Inftrumentum quoddam quo infantibus medicamenta infundebant.*

Quia verò medicamenta infantes, qui tamen frequentiffimè lumbricis laborant, amara præcipuè nón admitunt, antqui inftrumentum quoddam habuerunt, quod ab ipfis ζωμήρυσις vocatur, quod fupinis ipfis detentis ori immittebant & per clyfterem validum habentem αὐλίσκον inuitis tales liquores infundebant , vt apud Paulum Æginetam, *lib.4.de re medic.cap.57*.videre eft.

Non folum autem interna medicamenta ad vermes vfurpantur, fed & externa *ex farina lupinorum,centaurio minori, foliis perfici,abfinthio,felle tauri,&c.* Vt, fiat cataplafma ex farina lupinorum, quod efficacius eft,fi fuccus abfinthij, marrubij , foliorum perficorum addatur.

Vel ♃. *Succi abfinthij ,folior. perficor. fellis tauri* an. Vnc.ß. *fem.coriandr. aloës* an. Drach j.

Cum modico ceræ F. Linimentum.

Vel ♃. *Olei abfinth. rutacei* an. Vnc. ß. *fellis tauri* Dr. ij. *dictamni albi* Drach.j. *petrolei* Drach. ij. *aloës, myrrhæ* an. Drach. j. *ceræ* q. f.

F. Vnguentum.

Vel ♃. *Olei amygdal. amarar.* Vnc. j. *rutacei petrolei* an. Vnc.ß. *fellis tauri* Drach.iij. *aloës* Drach.ij.*ceræ q.f.*

F. Linimentum.

Vel ♃. *Pomum aurantium aut citri paruum, excauatantam partem, quæ capiat theriacæ* fcrup. ij.*aloës* fcrup. j. *croci* gr. vj. Affa pomum, & fuccum exprime quo regio ventriculi & vmbilicus inungantur.

Vtilis eft & theriaca aceto vel fucco limonum diffoluta illita.

Vel ♃. *Farin. lupinor.*Vnc.j.*myrrhæ, aloës* an. Drach.j. *pulpæ colocynth.* fcrup.iiij.*croci* Drach. ß. *fellis bouis* Vnc. j. ß. *aceti* Vnc.ß.M.

*An in teretibus lumbricis clyfteres conueniant.*

In teretibus lumbricis clyfteres non conueniunt, nifi fint mortui. Nam dum percipiunt vim medicamenti, fuperiora verfus repunt, & varia mala excitant. Nonnulli tamen clyfteribus vtuntur , fed dulcia & pinguia fatis magnâ copiâ permifcent , quibus alliciantur & quafi ludificentur vermes. E. G.

♃. Lac recens mulctum , eique partem alicuius hieræ addunt. Verum in latis rectius conueniunt. Non enim ita facile ij verfus fuperiora mouentur , fed inteftinis pertinaciter adhærent. Fortioribus tamen clyfteribus opus eft, iique fæpius iniiciendi , & maiore copia.

Vt ♃. *Abfinth. fcordij abrotani, corallin.fummit. tanacet.dictamni Cretici* an.M.j.*femin.fantonici* Vnc.ß.*centaur. minor.* M. ß. *cocynth.in petia ligati* Dr.j. ß.

Coqu.Colaturæ ♃. ℔. j.

*Elect. hieræ fimpl.* Drach. ij. *mellis rofati colati* Vnc. iij.

F. Clyfter. Atque eo tempore, quo clyfter iniicitur, fimul propinetur aliquod medicamentum vermes necans , & extra quoque ventriculo applicetur.

Afcarides

Ascariades quia sunt in intestino recto, suppositoriis rectissimè educuntur, quibus admiscentur resinæ. Iis enim vermes adhærent & educuntur. Fiant quoque clysteres, sed exigna quantitate, ex decocto centaurij minoris, absinthij, corallinæ, abrotani, dictamni & similium cum melle rosato. Qui plura huius generis medicamenta cognoscere cupit, syluam eorum apud Platerum *lib.* 3. *Practic.* reperiet.

*Diæta.*

Cùm in curatione vermium eò respiciendum sit, vt non solum vermes tollantur, verùm etiam ipsorum generationi & augmentationi materia non suppeditetur, cibus ita comparatus esse debet, vt ad generationem vermium non faciat, sed ei potius resistat. Cibus ergo eorum, qui patiuntur lumbricos, vt Paulus Ægineta, *lib.* 4. *cap.* 49. tradit, sit boni succi, qui facile distribuatur, atque ad membra transeat, nec causam foueat.

Quare vinum conceditur aquosum, non dulce, si febris absit; at si febris adsit, detur aqua destillata graminis, acetosæ portulacæ cum oxysacchar. simp. vel Syrupus acetositatis citri, vel cereuisia pura. Panis non sit ex purissima farina, sed aliquid furfuris contineat, sitque bene fermentatus, & sale condiatur. In cibis etiã lupini, nasturtium, beta, raphani, apium conueniunt. Lac & pisces vitentur, vt & legumina. Cibi condiantur aceto, succo aurantior. limonum, citri, acetosæ, lactucæ, portulacæ. Cibus exhibeatur parcè, sed frequenter, ne morsu suo molesti sint vermes. Pueris in potu ante omnem cibum decoctum Sebesten detur, vt antea quoque dictum.

## CAPVT VI.

### *De Situ Intestinorum mutato, & de Hernia.*

SItum etiam interdum intestina mutant. Ita Columbus, *lib.* 15. *Anat.* refert in Cardinali Campegio intestina omnia ad hypochondria retracta fuisse, ita vt cauitas inferior abdominis intestinis destituta esset, & spina detecta. Quammobrem medico licuisse abdomen Cardinalis att rectanti magnæ arteriæ motum & vnâ cum illo duritiem persentire. Illa verò duritiеs nihil aliud erat, quam vertebrarum corpora.

Conuoluuntur etiam interdum tenuia intestina & contorquentur, vt via fecibus & flatibus præcludatur, quod in Ileo accidit, qui inde etiam conuoluulus & voluulus appellatur. Conuolutionis autem est plerumque inflammatio, interdum etiam flatus, si tenuia intestina ita impleantur, vt instar farciminum inflatorum distenta appareant, de quo in Ileo dicetur.

*De Hernia.*

Præcipuè verò mutant situm intestina in Hernia dictâ, quæ & ramex ac Ruptura & Græcis κήλη dicitur. Quamquam & nomen hoc non solum intestinorum, sed & omenti procidentiæ tribuatur. Veræ herniæ enim duæ tantum dantur, nempe Intestinorum & omenti extra abdomen elapsus. Natura siquidem vt aliarum partium cauitates, ita etiam totum abdominis spatium intus peritonæo circumsepsit, vt nihil ex iis, quæ in abdomine continentur, excidere possit. Verum cum testibus in viris extra abdominis spatium locus destinatus sit naturalis, atque ductibus seminariis necessariò per membranam hanc transeundum fuerit, natura in vtroque latere non simpliciter peritonæum perforauit, ne quid patentiore via in scrotum descenderet & cauitate abdominis elaberetur, sed è membrana ista veluti canalem & processum quendam eduxit & produxit, per quem hæc vasa sine omni periculo transeunt. Atque in hoc ferè seu laxato seu rupto omnis Herniæ caussa posita est. Nam hæc membrana si rumpatur aut laxetur, partes in abdomine descendere, & pondere inferiora versus atque in scrotum ruere solent. Et quidem vbi Intestinum Ileum maximè excidit, hernia intestinalis seu ἐντεροκήλη dicitur: si verò omenti aliqua pars descendat, ἐπιπλοκήλη, hernia omentalis, vulgo etiam zirbalis nominatur. Alij tertiam addunt, quæ ex vtraque mista est, vbi aliquid omenti & simul intestina elapsa sunt. Porrò si intestina in ipsum vsque scrotum descendant, completam & perfectam ὀσχεοκήλην nominant, & in speçie, vt dictum ἐντεροκήλην & ἐπιπλοκήλην. Si verò eædem partes vltra inguina non descendant, nec in scrotum delebantur; imperfectam ac incompletam herniam ac bubonocelé appellant. In fœminis verò tumor hic equidem in inguine suboritur: interdum tamen cutem valdè extendit & sub eam exporrigitur, magnumque tumorem excitat. Tumor hic si prematur cum in viris, tum in fœminis, vel si homo supinus iaceat, plerumque euanescit, rursusque homine ambulante redit.

*Hernia perfecta.*

*Imperfecta.*

His deinde veris & præcipuis herniæ differentiis alij alias reddunt, quæ huius loci non sunt, sed ad tumores scroti pertinent: si nimirum scrotum à flatu intumescat, herniam flatuosam, & πνευματοκήλην ac φυσοκήλην nominant: si ab ea aquea materia, aquosam & ὑδροκήλην, quæ infantibus sæpius accidunt, sed proprie ramices non sunt, cum peritonæum nec ruptum nec laxatum sit.

*Aliæ Herniæ differentiæ.*

Inter Hernias deinde referuntur duæ aliæ species, quæ in ipso maxime canali increscunt & vniuersum scrotum explent; quæ videlicet ex varicibus seu venis implexu diuaricatis & intertextis intumescentibus nascitur, varicosus ramex seu κυρσοκήλη appellatur; quæ ex carnea mole ibidem succrescente oritur, σαρκοκήλη nominatur, cornosa hernia. Sed nec hæ proprie dictæ herniæ sunt, cum nihil in iis ex abdomine in scrotum descendat: de quibus infra, *part.* 9. *cap.* 5. inter morbos scroti dicetur.

Ad situm verò intestinorum mutatum rectè refertur ἐξόμφαλος, id est, vmbilici tumor seu prominentia, seu ὀμφαλοκήλη, cum luxatus vel ruptus vmbilicus, nunc nucis, nunc pomi magnitudine sese exserit, imò interdum sacci instar tumor aliquando excitatur.

*ἐξόμφαλος.*

Non tamen solum in vmbilico, sed in vicinia etiam, ibi laxato vel rupto peritonæo præcipuè in partu, eiusmodi tumores in fœminis quibusdam vidi, quæ generali κήλης & herniæ nomine appellantur.

*Caussæ.*

Generatur autem hernia, fitque prolapsus intestinorum in inguina & scrotum, processu illo ex peritonæo ducto vel laxato vel rupto. Siue enim laxetur peritonæum, siue rumpatur, pondere suo intestina præcipuè, tum etiam omentum, solet in locum patentem, vel inguina, vel etiam ipsum scrotum descendere. Caussæ autem, quæ peritonæum rumpunt, sunt motus quicunque violentus, casus ex alto, percussio, saltus, equitatio in succussore equo, vomitus, tussis, oneris grauioris eleuatio, dura aluus & quæ cum difficultate redditur, conatus in partu, flatus in intestinis, vocis intentio, spiritus retentio, & quodcunque, quod spiritum concitare, septoque transuerso & abdominis musculi tensis impetum in inferiorem regionem abdominis inferre potest. Tandem etiam vulnus in peritonæo alicubi acceptum, & quidem cute consolidata apertum relictum caussa herniæ esse potest.

*Caussæ.*

Eadem etiam omnia, si minorem vim inferant, & non violenter processum illum rumpant, sed sensim & sæpe

sæpe illum impetant, peritonæum laxare possunt: quò maximè facit peritonæi & inguinum debilitas & humiditas. Partes enim debiles ac humidæ facilè laxantur, vnde pueri in herniam sæpius incidunt. Fernelius processum hunc in interiorem & exteriorem illius tunicam distinguit, & in enterocele & epiplocele tunicam interiorem necessario dirumpi, externam vero duntaxat luxari scribit. Neque absurdum est, hic idem fieri posse, quod in aneurismate. Neque enim ἀνεύρισμα fit, vtraque arteriæ tunica rupta, sed interna saltem patente, externa verò dilatata.

In fæminis idem accidit, si in inguine peritonæum laxatur, vbi vas quoddam ex vtero per illud in inguina extrorsum fertur.

Si verò in vmbilico peritonæum laxetur, atque intestina vel omentum illic sub cutem procidant, omphalocele, seu exomphalon & vmbilici procidentia nominatur. Si autem alibi circa vmbilicum, nomen generis, vt dictum, retinet. Si verò in conatibus magnis, præcipue in partus difficultate, vbi processus ille vmbilico insertur, qui in fœtu vasis vmbilicalibus viam præbuit, posteaque coaluit, peritonæum distendatur, vmbilicus aliquando in tumorem attollitur, qui tamen cessante conatu iterum recedit. Si verò rumpatur, tumor permanet.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Signa herniæ Intestinalis sunt quod tumor modò accrescit, modò minuitur, interdum etiam ferè totus euanescit, prout maior vel minor portio intestini descendit, vel intestina magis vel minus replentur, vel etiam planè retrocedunt. Compresso enim tumore aut resupinato ægro relabuntur Intestina in abdomen & quidem cum murmure. Sine dolore etiam ferè hic tumor est, nisi forsan feces delapsæ sint in intestinum, vt repelli non possint. Tum n. vehemens dolor adest. In omentali verò hernia tumor est mollis, laxus & lubricus, & ferè semper idem, cum omentum non ita facilè reponatur, vt intestina. An verò in inguina sint delapsa intestina vel omentum, aut in scrotum vsque descenderint, visu dignoscitur. Etenim in bubonocele tumor rotundus est in inguine, qui pressus facilè intrò pellitur: in scroti verò herniâ intestina vel omentum in ipso scroto apparent.

An autem peritonæum ruptum vel laxatum, si ex eo cognoscitur, quod rupto peritonæo tumor subitò excitatur, qui subitò etiam incrementum sumit: laxato verò saltem peritonæo tumor sensim crescit. Laxato quoque peritonæo non descendit, quod delapsum est ad fundum vsque testiculorum: cum rupto peritonæo ad fundum vsque testiculorum prolabatur.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Omnis autem hernia difficulter curatur. Neque enim membrana illa tenuis & neruosa facilè vnitur, nisi sit ruptura parua, recens, & in corpore puerili: aliàs nunquam perfectè curatur.

2. Præterea etiam magnum pericolum in hernia coniunctum est. Nam etsi sæpè sit adeo magna ruptura, vt intestinorum magnus aceruus in scrotum descendere possit sine magno dolore & vitæ periculo, & propter rupturæ ac loci amplitudinem feces sine periculo ac impedimento liberè transire possint: tamen si feces indurentur, aut intestinum elapsum flatibus turgeat, vt reponi non possit, tum nisi maturè malo obuiam eatur, æger intestinis inflammatis in præsens vitæ discrimen coniicitur in ileum, & huic superuenientia symptomata. Sæpè etiam accidit, vt intestina inflammata sphacelo lethali corripiantur, vt infra de vlceribus intestinorum dicetur. Rarum est, quod annotauit Guilielmus Fabricius, *cent. 1. obs. 55.* nobilem quandam fœminam septendecim annis hernia laborasse, & circa annum ætatis 63. torminibus maximis vexatam fuisse, intestinumque in abdominis rupturam impulsum, ac inibi retentum dolores non leues, simul & inflammationem, aliaque grauiora symptomata concitasse. Vocatus ad curam Fabricius inuenit dextrum inguen gangræna affectum. Scarificato itaque tumore & cæteris, quæ ad gangrænæ curationem attinent, adhibitis, caro putrida & callositas rupturæ exciderunt: vnde symptomata, dolores, inflammatio, febris, tormina, lipothymia, nausea & vomitus sedata sunt: sed intestinorum materia, nondum penitus excrementosa, velut ilei & cœci, per abdominis rupturam excernebatur, circiter menses duos. Ægra tamen multum mirantibus adstantibus, fauente numine, sanata & à raptura perfectè curata fuit, nullâ relictâ fistulâ.

### *Indicationes & Curatio.*

*Curatio.* Itaque prima cura hic esse debet, vt intestina reponantur; quod quidem non difficulter præstare licet, si intestina sint flaccida & vacua. Tū enim resupinato ægro & cruribus eleuatis manu sensim repellenda & superiora versus comprimenda sunt intestina. Si autem turgeāt, vt reponi non possint, videndum est, an sint flatus in intestino, an verò stercus. Flatus ex eo cognoscuntur, si æger percipiat totum abdomen ferè à flatibus distendi, si flatus emittat & rugitus in intestinis audiantur, doloque extendens adsit sine grauitate. Feces verò alui si intestina distendāt, aluus supprimitur per aliquot dies, tumorque sensim crescit & pondus maius, maiorque durities percipitur. A flatibus ergo si intestina repleantur, discutientia vsurpanda, eaque per os exhibenda, vt semen fœniculi, anisi, cumini, galanga & similia, atque eadem per clysteres iniicienda, & extra ex dictis seminibus, item seminibus fœnugræci, foliis lauri, pulegij & similibus fomenta applicanda, quibus, si dolor adsit vehemens, addere licet mitigantia dolorem, ol. rosac. chamæmelinū, amygdalarū dulcium. Quod si flatus illi foueantur à cruditatibus & materia pituitosa, difficilis curatio. Valida enim illa discutientia si adhibeantur, materiam illam pituitosam in flatus vertunt, & tumorem ita augent. Hoc in casu exhibent nonnulli ol. amygd. dulcium, quod lubricando materiam tollit, aut alia lenientia, quæ illam euacuant. Verùm quamuis hæc, si non magna sit materiæ copia, adhiberi possint: tamen si maior sit copia, suspecta sunt, & verendum, ne materia illa ad locum affectum præcipitetur. Quare tum dāda opera, vt materia illa sensim per clysteres & glandes educatur, & pituita per incidentia attenuetur & eliquetur, non per discutientia in flatum vertatur: quo fine imponi potest oxymel cum medulla panis vel farina triticea, aut oleo antiquo vel chamæmelino. Ipsa verò pars quantum fieri potest, laxanda iis, quæ iam dicentur, vt dolor minuatur.

Si autem feces induratæ adsint, longè periculosissimum id est, ideoque maturè adhibenda emollientia *ex rad. althææ, librorum alb. foliis maluæ, parietariæ, semine lini, fœnugræci, vel farina seminis lini & fœnugræci, butyro recenti sine sale, pinguedine gallinacea, oleo liliorum, communi, amygd. dulcium, & similibus*, quæ cataplasmatis modo sunt applicanda. Si cataplasmata non sufficiunt, aut non suffectura videntur, potest balneum aquæ dulcis adhiberi, in quo modo dicta emollientia coqui possunt, additis etiam oleis. Nonnulli in soliis olei communis balneo ægrum per tres horas desidere iubent. In omentiprolapsu rarò hisce medicamentis opus est; cum in inguine id plerunque subsistat, & ægro resupinato vel sponte, vel manus opera adhibita in locum suum redeat. Si tamen, quod interdum accidit, in scrotum vsque prolabatur, eodem modo, vt de intestinis iam dictum, reponendum.

Cum autem sæpe omnia hæc parum proficiant, atque ægro

ægro præsentissima mors immineat; extrema etiam tentanda sunt. Qua de caussa Paræus, *lib. 5. cap. 15.* ad chirurgiam accedere, & ductum illum, per quem intestina elapsa sunt, sectione dilatare suadet, quæ quâ ratione sit instituenda, ibidem docet. Sed, vt ipse etiam monet, diligenter in tali casu perpendendum est, quid ægri vires perferre possint, & videndum, quousque iam malum processerit. Nam si inflammatio intestina iam occupauerit, & alia extrema mala adsint, vix hoc modo quicquam perficitur. Præterea intestina distenta cutique firmiter incumbentia facile sectione lædi possunt. Et licet non lædantur sectione intestina: tamen nuda minus commodè, quàm cute tecta, præcipuè dolore ex sectione accedente, tractari possunt, & parum eâ plerunque præstatur, sed si mors subsequatur, eius à medico accelerata suspicio præbetur. Si verò in aliis abdominis partibus abdomen ruptum sit, tutius sectio, si opus ea sit, institui potest; cum intestina non adeo ibi distendãtur, locusque peritonæi facilius inueniri & digito admoto intestina intus sensim protrudi possunt.

Vbi iam intestina reposita fuerint, proximum est, cauere, ne iterum excidant. Qua in re maximi momenti sunt fasciæ seu subligacula, adeo vt in iunioribus & recentioribus rupturis tota ferè curationis spes in hoc sita sit. Natura enim vel paululum arte adiuta sanat sæpè morbos qui insanabiles existimabantur, & experientia sæpè obseruatum est, etiam in adultioribus, modò intestina suo loco diligenter retineantur, herniam curatam fuisse, & si ruptura vniri non potuit, saltem circa processus foramen quid generasse, quod intestinorum lapsum prohibere potuit. Et quamuis integræ sanitatis spes sæpè non sit: tamen ad necessarias actiones sine damno & periculo exercendas plurimum facit fasciæ aptæ vsus. Fascias autem parandi commodissima hæc videtur ratio. Paretur cingulum seu fascia ex corio, quæ molliori lineo vel gossipino panno, atque etiam gossipio nonnihil suffulto inducatur, ligulâ stringi possit. Fascia hæc ventri infra hyponchondria supra coxendicem proxime inguina applicetur, ita tamen, ne partes, quæ sunt supra ilia & ossa, lædat & atterat.

*Fasciæ parandæ ratio.*

Huic fasciæ seu cingulo alia fascia cum splenio seu puluinari quodam ita adaptari debet, vt quantum opus est, constringi possit, ipsumque splenium rectâ loco affecto, seu illi parti, vbi intestina excidere solent, incũbat, atque incubitu suo intestinorum prolapsum prohibeat. Præcipua autem cura esse debet in concinnando & adaptando splenio. Hoc verò non pilæ modò rotundũ esse debet, ne protuberantia illa interna inguina nimis cõprimat, & faciat, vt foramẽ rupti peritonæi dehiscat; sed sit triquetrum, solidum quidem & compactum, intus tamen nonnihil cauum, vt inguinum naturalem cauitatem aptè excipiat, & labia rupti peritonæi contineat, non laxitate nimia intestina protuberare permittat, nec compressione efficiat, vt labra dehiscant. Splenium hoc extra obducunt nonnulli lamina argẽtea, vel duplicato aut triplicato corio: sed idem ex panno gossipino, gossipio bene intertexto & suffulto satis commodè parari potest, vt nec premat, nec lædat, intestina tamen contineat. Vt autem rectius hoc præstet, fasciæ, quæ ventrem ambit, nonnulli geminas habenas adaptant, quæ ad humeros adscendunt & collum ambiunt.

Pro fascia paratur etiam cingulum ferreum cum scuto ferreo, quod locum, vbi intestina procidunt, arctè tangat, & intestinorum prolapsum prohibeat.

Verum instrumenta hæc parandi ratio commodissimè αὐτοψία docet, & figuræ quæ habentur apud Paræum, *l. 7. c. 15.* & optimè apud Platerum, *Pract. tract. 3.* quæ ibi videri possunt.

In aliis abdominis partibus, vt vmbilico & viciniis locis, si intestina excidant, cingulum parari debet, quod abdomen eò loci, vbi intestina procidunt, ambiat, pulnoque locum affectum premat. Et ne cingulum hoc versus inferiora procidat, vel propendeat, fasciæ, quæ humeris sustententur cingulo adaptandæ, vel pectorali id allegari potest.

Hoc modo fasciâ adaptatâ facilè intestina, ne relabantur, continere possunt: quod vbi factum, danda opera, vt excrementa potius mollia sint, quàm dura, & aluus non supprimatur; & in eiiciendis fecibus obseruandum, vt manu inguina & scrotum contineantur, ne feces emittendo intestina extrudantur, deinde cauendum, ne flatu, qui intestina distendunt, ex cibis flatum generantibus assumtis producantur. Porrò etiam omnis motus vehemẽs, saltus, cursus, oneris grauioris gestatio, vociferatio, & alia exercitia vehementiora vitentur: & in tussi, sternutatione idem obseruandum est, est quod modò in egerendis alui fecibus obseruandum esse diximus. Et si manu tum comprimere non liceat, crura saltem comprimenda, aut decussatim implicanda sunt, vt ruptura contineatur & comprimatur. Frigus etiam constringendo prolapsum intestinorum promouet, & inprimis, si prolapsa iam sint intestina, valde iis nocet, & vt intumescant facit. Ideoque herniosis cauendum.

Repositis hoc modo intestinis si malum sit maius & curatu difficilius, atque in corpore iam adultiore, vt felicius ac citius succedat curatio æger in lecto per dies aliquot se contineat & supinus decumbat.

Medicamenta autem, quæ adhibentur, duplicia sunt, alia topica, alia quæ intrò assumuntur. Topica sunt glutinantia, quæ idem sunt adstringentia, sed non solùm siccantia, verum etiam aliquam viscididatem habentia. Non etiam omnia adstringentia & vulnera consolidãtia æquè hic prodesse, sed peculiaria quædam hic commodè adhiberi, obseruatum est. Inter quæ primas tenet *symphytum maius seu consolida maior, sanicula, iacea alba & nigra, herba Trinitatis, sigillum Salomonis, pentaphyllum, tormentilla, nuces cupressi, filix præcipuè fœmina, hypoglossum, pilosella, perfoliata, herniaria*; quibus alia etiam postea addantur, *gallæ, balaustia, bolus Armenus, terra sigillata, sanguis draconis, malicorium, icthyocolla, thus, myrrha, mastiche, bdellium, pix Græca, resina pini, terebinthina, cera*, ex quibus composita varia concinnare licet.

*Medicamenta in hernia vsurpanda. Topica.*

Etsi verò peritonæum ruptũ vix consolidari amplius potest: tamen horum medicamentorum vsu, præsertim si malum recens sit, caro accrescere solet, quæ foramen claudit. Quod vt rectius fiat, diligenter interim cauendum, ne intestina vllo modo procidant, exitumque quærentia foramen iterum aperiant. Itaque toto curationis tempore vel æger in lecto supinus decumbere; vel fasciis & subligaculo intestina, ne procidant, continere debet. Quæ omnia si rectè & decenter fiant, sæpè desperatæ herniæ curantur. Refertque Ambrosius Paræus, *lib. 7. cap. 15.* etiam quadragenarios interdum hoc modo restitui, & à se monachum quendam integrè restitutum fuisse, qui cum post sexennium pleuritide mortuus, & post mortem apertus esset, inuenta est circa foramen processus peritonæi substantia adiposa oui magnitudine eò loci tenaciter adhærens. Primas autem inter alia tenet emplastrum de pelle arietina dictum Arnoldi de villa noua, quod describit *Breuiarij lib. 2. cap. 44.*

*Emplastrum de pelle Ariet. Arnoldi de Villa noua.*

℞. *Lithargyr. lapid. hæmatit. sang. draconis, boli Armeni, mastiches, gummi ammoniaci, mumiæ, galbani, thuris, costi, lumbricor. terrestr.* an. Drach. ß. *rad. consolid. maioris, mediæ, & minoris, rosarum, myrrhæ, aloës*, ana Drach. iij. *paleæ marinæ vstæ, gallarum immaturar. succi hypocistidis, balaustiorum, aristoloch. rotund.* an. Drach. vj. *picis naualis, Græcæ, ceræ, albæ, rubræ*, ana Drach. j. *visci quernì, terebinthinæ*, ana Drach. ij. *sanguinis humani* Vnc. ix.

Coquatur pellis arietina cum omnibus pilis per integrum diem, quousque planè dissoluatur & liquore assumto gluten restet. Eius colati ℞. ℔. j. vel q. s. in qua viscum bulliat ad lentum ignem continuo agitãdo: postea

postea reliqua in puluerẽ redacta, cera itidem, pix, terebinthina iniicienda, & tam diu coquenda, donec gutta super marmor proiecta coagulentur: sanguis verò humanus ipse etiam prius in furno moderato calore exiccari debet, vt possit in puluerem redigi & cum reliquis inspergi.

Plura etiam alia apud Arnoldum de Villa noua *loco allegato* reperire est. Potest & tale fieri:

℞. *Nucum cuppressi*, *rad. tormentillæ*, ana. Drach. j. *balaustiorum*, *cortic granatorum*, an. Drach. ß. *rad. consolidæ*, *perfoliatæ*, *herniariæ*, ana Drach. j. ß. *mastich. bdelly*, *thuris*, ana Drach. j. *boli Armeni*, Drach. ij. *sang. draconis*, Drach. j. *picis Græcæ*. Vnc. j. *resinæ pini*, *picis naualis*, ana Vnc. ß. *terebinthinæ*, *ceræ ol. hyperici compositi Solenandri*, ana q. s.

Fiat Emplastrum.

Oleum autem hyperici, quod in hoc affectu & in aliis affectibus, vbi membranæ aut neruosum genus læsa sunt valdè commendat Solenander, hoc modo paratur.

*Oleum hyperici Solenandri.*

℞. *Ol. opt.* ℔. j. ß. *sem. & florum hyperici* Vnc. ix. *vini maluatici* Vnc. viij. *rad. tormentill.* Drach. iij. *myrrhæ*, *gummi elemi*, *sarcocollæ*, *thuris*, *aloës epaticæ* Vnc. j. ß. *lumbricorum vino lotorum* Vnc. iij.

Concisa & contusa misceantur & bulliant ad consumtionem humidi in vase duplici: deinde exprimatur oleum.

Cui adde *croci* Scrup. iiij. *olei seu lacrymæ abietis vel terebinthinæ puræ* ℔. ß. *flor maturorum hyperici*, M. j.

Infund. per dies 8. ad Solem aut in alio loco calido; deinde expressis atque abiectis floribus alij recentes iniiciantur, idque quater repetatur.

Simplicius in hernia medicamentum est hoc.

℞. *Rad. consolid. maioris* Vnc. j. *rosar. rubr. farinæ fabar.* ana Vnc. ß.

Omnia in puluerem redacta cum pinguedine capri misceantur in formam linimenti, aut cera addita, vnguenti, & linteo inducta loco affecto applicentur, singulis diebus renouentur, & per plures dies vsurpentur. Potest etiam aliquid addi de pinguedine vrsi.

Sed talia passim plurima in lectione autorum occurrunt, & ex supra enumerata materia plura cuiuis componere licet. Sed antequam talia applicentur, vel etiam cum medicamentum nouum imponendum est, vtiliter locus affectus foueri potest fomentis ex sequentibus paratis, *rad. consolidæ*, *sanicula*, *sigillo Salomonis*, *rosis rubris*, *bursa pastoris*, *plantagine*, *auricula muris*, *cauda equina*, *radice tormentillæ alumine*, *corticibus thuris*. Post fotum inungi pars vel oleo hyperici Solenandri, vel oleo destillato terebinthinæ vel tali aut simili linimento potest.

℞. *Ol. mastichini* Drach. vj. *myrtini* Drach. iij. *absinth. aloës*, *myrrhæ* ana Drach. j. *axung. cerui* Drach. ij. *succi rad. consolidæ* Vnc. j.

Bulliant ad consumtionem succi, colentur, atque addatur aliquid de oleo terebinth. & hyperici.

*Interna.*

Interna verò medicamenta quod attinet, etsi omnia illa, quæ ad vlneratas potiones adhibentur, hîc etiam non incommodè adhiberi possint: tamen & hoc obseruandum est, alia aliis esse efficaciora in hoc affectu, vt sunt illa nuper recitata, *symphytum maius*, *herba Trinitatis*, *hippoglossum*, cuius puluis in decocto radicum consolidæ assumtus mira hic præstat; *pilosella*, cuius puluerem in cibis exhibitum certò etiam prodesse compertũ est; *perfoliata*, quæ per signaturam externam, vt vulgo loquuntur, seu peculiarem characterismum in foliis, quæ caulibus media perforantur, à natura proposita ad hunc affectum videtur, atque experientiâ teste, quocunque modo assumta herniam curat. Imprimis verò ad affectum hunc commendatur *herba*, ab Hollerio in vsum ducta, idcirco *Holleriana* appellata, & ab hoc affectu *herniaria* nominata. De hac enim scribit *Hollerius*, quod ex ea succus expressus vino rubro & per 9. dies potus hernias perfectè sanat. Et Antonius Valetius, *in exercit. in Hollerium*, scribit, eius aquâ stillatâ, cum alia remedia non iuuarent, curatum esse adolescentem herniosum. Sunt & alia vtilia, vt *radix caryophyllatæ*, *consolida media*, *& minor*, *Saracenica*, *virga aurea*, *plantago*, *ophioglossum*.

*Herniaria aliàs Holleriana dicta.*

Ex his & similibus varia, quæ medicamentorum internorum loco vsurpari possunt, confici solent. V.g. puluis talis.

℞. *Herniariæ perfoliatæ*, *rad. consolid. maior.* an. Drach. ij. *millefol.* Drach. j.

F. Puluis.

Saporis gratioris caussa saccharum, vel saccharum ros. tabulatum addi potest. Vel saccharo, additis ventriculo gratis medicamentis, fiant rotulæ.

Vel ℞. *Rad. consolid. herniar. perfoliatæ* ana q. s.

Et succo herniariæ vel syrupo de rosis siccis.

F. Pilulæ.

Idem etiam puluis placentulis, iusculis, aliisque cibis quocunque modo admisceri potest.

Vel etiam talis potus parari potest.

℞. *Consolid. maioris*, *minoris*, *mediæ*, *fol. plantagin. perfoliatæ*, *herniariæ millefolij*, *rad. valerianæ* ana Vnc. j. *rhabarb.* Drach. ij.

Coq. in vino bono in vase duplici.

Dosis sit Vnc. iij.

Vel ℞. *Rad. consolidæ* Drach. vj. *sigill. Salomonis* Dr. iij. *saniculæ*, *herniariæ*, *frigariæ* ana M. j. *sem. anisi*, *fœniculi* ana Drach. j. ß.

Coq. in s. q. aqua pro ℔. j.

Colatura dulcorentur saccharo cando.

Vel ℞. *Rad. consolid. maior. pimpinellæ* ana Vnc. j. *tormentill.* Vnc. ß. *bislinguæ*, *herniariæ* ana Drach. v. *sem. fœnicul. anisi*, *cinamomi* ana Drach. j. *myrrhæ* Drach. ß.

Cum aqua rosarum chalybeata, vel syrupo rosarum siccarum.

F. Elect. de quo aliquid manè sumatur, & haustus maluatici, vel alicuius conuenientis liquoris superbibatur.

Vel ℞. *Conseru. ros. rubr.* Vnc. ij. *symphyti maior. herniariæ*, *tormentillæ*, *acori palaustris*, ana Vnc. j. *saluiæ*, Vnc. ß. *cinamom.* Drach. ij.

Cum *syr. mytillor. vel corallino.*

Fiat Electuar.

Si cui pulueres vel decocta sumere molestum est, plantæ selectiores aridæ vino macerentur, & colatura instar clareti propinetur, quod minore cum nausea sumitur.

Et omnino hic danda opera, cum medicamentorum continuatione opus sit, ne illorum vsu ventriculus lædatur. Ideoque ventriculo grata addi possunt.

Nonnulli hanc curam vt certissimam, nec sine ratione, commendant.

1. ℞. *Rad. cichorij flore albo* (circa festum D. Iacobi effodi volunt) *part. iij.*

*Pulsatillæ part. ij. sem. perfoliatæ part. j.*

F. Puluis, de quo in prandio & cœnâ quantum tribus digitis primoribus capi potest, in iure carnis capiat æger vsque dum interdum integrè restituatur.

2. ℞. *Rad. enulæ*, *saniculæ*, *diapensiæ*, *consolidæ maioris*, *solidaginis Sarracenicæ*, *agrimoniæ*, ana. q. v.

F. Decoctio in vino & aqua ad consumtionem medietatis. Hoc decocto calido petiæ madefiant, iisque quotidie locus affectus sæpius fomentetur & postea sequenti vnguento inungatur.

3. ℞. *Ol. vitell. ouorum*, *pulueris tormentill.* q. s.

F. Vnguentum.

Refert etiam Paræus, quendam chirurgum hoc modo herniâ laborantes curasse. Magnetem in tenuissimum puluerem redigebat & in cibis exhibebat: inde verò locum rupturæ per quem descendebant intestina, melle inungebat, & ferri limaturam aspergebat, atque id per dies 10. vsurpauit, fascia simul adhibita.

Ac

Ac si aliqua fuit efficacia, proculdubio ex vi magnetis ferrum attrahentis dependebat.

Atque hæc frequentissima sunt, quæ in hernia intestinali vel ex rupto, vel ex laxato peritonæo ortum habente, adhibentur. Verum si ex iis integram sanitatem æger consequi non possit, fascia contentus erit, qui periculosiora medicamenta tentare non cupit. Hâc n. sola si rectè contineantur intestina, omnibus vitę actionibus sine magno impedimento vacare poterit.

*Sectio.* Qui verò his contentus non est, sectionem admittere poterit, & curationem per chirurgiam, quam describit Fallopius, Paræus, Platerus, Fabricius & alij, cuius is est commodior modus, qui fit sine testium excisione, atque etiam sine vasorum spermaticorum læsione, quod vulgò empirici parum curant, & dum vnum morbum curant, alium fortasse grauiorem reponunt. Sed antequam alia tententur, omnia diligenter prius perpendenda sunt, nec nimis citò ad sectionem properandum, sed alia prius auxilia tentanda, cum sæpè etiam præter omnem spem curentur herniæ.

*Herniam curandi modus chirurgicus sine sectione.* Aluum tamen adhuc modum per chirurgiam, sed sine sectione, hernias curandi proponit Platerus, quem Gallus quidam vsurpauit, cui feliciter medicamenti spectator Platerus adfuit, & ex literis testimonialibus cognouit, eum multos hoc modo sanasse. Quæ ratio cum sine dolore aut saltem exiguo fiat, citraque hæmorrhagiam, est commodissima & tutissima; siquidem vasa sanguine neutiquam tinguntur, ideoque melius conspici & tractari queunt, eoque magis optanda in masculis, quod citra testiculi ablationem & castrationem perficiatur, hoc modo.

Cauterium potentiale paulò supra testiculi regionem lateris rupti, vbi peritonæi processus saccum subit, collocauit, eâ quantitate, vt semidigiti longitudine, cutem mortificando escharam inusseri, quâ mox discissâ, aliud cauteriũ imposuit, donec cute integrè ablata pinguedo apparuit, quam forcipe discidit eo vsque, vt processus vasa seminaria deferens pateret. Quibus biduo peractis vasa illa digitis à processu artificiosè separauit, & acu curuatâ filum subduxit, processumque leuiter strinxit, nullum planè dolorem tunc inferendo. Filo postmodum successu temporis sponte elapso, admotis vnguentis sarcoticis, carnem calli instar sensim illic produxit, quæ eò facilius huic processui, cum tunica illa elythrois rubra, carnosa musculosaque sit, accreuit, & sic premendo ac opplendo locum deperditæ substantiæ viam prolapsuris visceribus occlusit, sicque curam integrè & feliciter citra castrationem absoluit.

Quæ hactenus de cura herniæ intestinalis dicta sunt, applicari quoque possunt herniæ ex omenti prolapsu ortæ. Iidem etiam in eius curatione sunt scopi. Primò videlicet reducendum est omentum, quod manuum sit opera: deinde prohibendus elapsus, quod fit fascia & dicamentis adstringentibus, quæ modò enumerata sunt. Quod si hernia non curetur, etiam per sectionem curari poterit. Eadem etiam plane ratio est omphalocelen curandi.

## CAPVT VII.

### De Ani procidentia.

PRolabitur interdum & anus seu podex ac intestini recti pars exterior ita, vt post consuetam illam, quæ in excrementis alui egerendis accidere solet, eminentiã, rursum in locum suum & intra corpus reduci nequeat, sed extra promineat; quod malum *Ani procidentia* nominatur.

### *Caussæ.*

Accidit autem ani procidentia variis de caussis: primò ex magno conatu, si anus adeo propellatur, vt partem intestini recti secum trahat, eamque à membrana mesenterij, quę intestina suspensa retinet, nonnihil auellat. Etsi enim anus musculos oppositos habet, qui eum naturaliter in excrementorum expulsione exsertum retrahunt, tamen si nimis exseratur, aliisque vinculis non sustineatur, soli id præstare nequeunt. Fit autem hic conatus nimius in fecibus alui duris excernendis, item in partu difficili & laborioso. Præterea sæpe hoc accidit ob magnam irritationem, vnde ani procidentia sæpe in dysenteria & hanc sequente tenesmo contingit. Ex incisione etiam in Perinæo iuxta anum pro vesicæca lculi extractione & ob cruciatum illum podicem propulsum fuisse Platerus vidit.

Deinde accidit ani procidentia ob musculorum, qui post alui egestionem anum propulsum retrahere solet, imbecillitatem aut resolutionem. Atque ob hanc caussam prolapsus quidem anus extra remanet, verum non nisi magno conatu præcedente prolabitur. Accidit autem hæc imbecillitas musculorum, vel quia ani procidentia frequens & diuturna accidit, vel à refrigeratione eorum sessione super lapide frigido aut mora in aqua frigida. Quibus nonnulli & mollitiem nimiam ac humectationem addunt, qua de caussa infantibus hoc malum familiaribus est. Resolutio verò, de qua infra suo loco dicetur, à defluxione ex superioribus quidem fieri non potest; cum impossibile sit, vt humor ex superioribus defluens tantùm in eos exiles neruos sese insinuet, vt non simul superiores & vicinos afficeret. Verum si nerui circa ossis sacri aut coccygis regionem contundantur; aut valde refrigerentur, musculos hos resolui, & anum inde procidere posse, non impossibile est. Idem etiam fieri potest ab abscessu vel fistula circa musculos sphincteris; vbi tamen etiam irritatio locum habet.

### *Signa Diagnostica.*

Malum ipsum per se patet, & visui manifestum est. Caussas quod attinet, si magnus feces excernendi conatus, vel partus laboriosus & difficilis caussa sit, id ex relatione ægri patefit. Si ex irritatione fit, æger dolorẽ insignem percipit. Si ex debilitate musculorum, frequẽs fuit hoc malum, aut refrigeratio musculorum ani præcessit. Eadem etiam resolutionem inducere potest, vt & percussio vel lapsus in eum locum, quod ex relatione ægri innotescit. Et prolapsus ani ex imbecillitate musculorum eum retrahentium hoc habet peculiare; quod anus non procidit, nisi per conatum prius extrudatur. *Signa.*

### *Prognostica.*

1. Difficilius hoc malum curatur in senibus, quam in iuuenibus. *Prognostica.*

2. Si ob conatum solum vehementem, nulla alia caussa accedente, podex prolabatur, interdum sponte in locum suum redit, vel manus opera facilè reducitur.

3. Si cum fluxu ventri & dysenteria ac tenesmo fit ani procidentia, vix curatur, ni caussa sublata.

4. Si ab imbecillitate aut resolutione musculorum originem, habet & quotiescunque aluus excernitur, procidit, vix curatur.

5. Omnium periculosissima, & quæ vix curatur, ani procidentia est, quæ accidit ob auulsionem intestini recti à membranis, quibus retinetur.

### *Indicationes & Curatio.*

Anus prolapsus intra corpus reponendus molliter manu ægri vel Chirurgi. Quod si intumuerit, & inde repositio impediatur, fouendus decocto maluæ, althææ, florum chamæmel. seminis fœnugræci, lini, & inungendus butyro vel oleo chamæmelino, vel æger collocandus in balneum è modo dictis paratum. *Curatio.*

Repositus autem anus in suo loco retinendus partim adstringentibus, partim caussarum, quæ ani prociden- tiam excitauerunt, ablatione. Proinde podex repositus fouen-

fouendus decocto corticum granatorum,flor,rofar.rubrarum, plantaginis, balauftiorum, burfæ paftoris, baccarum myrti,fumach, thuris,facto vel in aqua calida, vel in vino rubro adftringente: pofteu locus inungendus oleo rafaceo, myrtino, & infpergendus puluere è thure, maftiche, fanguine Draconis, floribus rofarum rubrarum, balauftiis, gallis, fumach, myrtillis.

Cauffæ vt declinentur & auertantur,fi conatus vehemens ob difficultatem egerendi cauffa fit danda opera, vt aluus laxa fit, ac feces molliores, & ad facilè excernendum aptæ reddantur,ne tanto conatu in excernendis iis opus fit.Si ab acrimonia humorum,quod in dyfenteria & tenefmo fieri folet,fit ani procidentia,humorum acrimonia temperanda,iique auferendi, vt de Tenefmo dicetur.Si quæ folutio continui facta fit,& membranæ ac vincula illa,quibus inteftinum rectum vicinis partibus connectitur, rupta,confolidantia exhibenda, qualia ferè in hernia vfurpari folent.Si ab imbecillitate vel refolutione mufculorum, ea,quæ in paralyfi vtilia funt quæque anum roborant ac firmant vfurpanda.Vtiles hic imprimis funt fuffitus & fumi *ex thure,maftiche, ladano,colophonia, rofis rubris,bdellio,nuce mofchata,caryophyllis, macere.*Vel foueatur anus decocto, aut immergatur balneo,quod vim neruos roborandi, & intemperiem frigidam corrigendi habet parato *è confolida, foliis quercus,millefolio, betonica, faluia chamæpithy,primula veris, ftæchade & fimilibus.* Vel inungantur oleo nardino, laurino, coftino & fimilibus. Vid. Amatus Lufitanus, *centur.* 1. *cur.* 39.

Guilielmus Fabricius etiam, vt refert *cent.*3. *obf.* 76. Virum quinquagenarium,cui cum in via aluum exonerare vellet, inteftinum rectum prolapfum erat, & ex aëre frigidiore dolor maximus in eo exortus, & inteftinum rectum prolapfum ad magnitudinem ouis ftruthij tumefactum & excrementa continuò, eaque liquida & vifcida effluebant, fic curauit.

Primò fequens applicuit fomentum.

℞. *Fol. & flor. verbafci albi, flor.meliloti, chamæmeli, rad. & fol. alth.* an. M. j.*fem. lini fœnugr.*an. Vnc. j. *anifi* Drach. j.

Coq. *in lacte vaccino recenti*: in decocto ifto linteamina duplicata intinxit, & per horam integram calidè applicuit.

Deinde toti inteftino fequentem infperfit puluerem.

*Nuc. cupreffi maftich. thuris croci martis plumbi vfti* an. Drach. j.

F. Puluis.

Tandem caput ægri in terram inclinauit, pedes verò in altum à duobus fortibus viris eleuarentur, curauit, mox indice manus dextræ linteo molli inuoluto, & decocto præfcripto intincto, ac medium inteftini, quod prolapfum fuerat, immiffo, id in locum fuum feliciter reduxit; & poftea etiam,quæ neceffaria erant, peregit.

## CAPVT VIII.

### *De Vulneribus Inteftinorum.*

#### *Cauffæ.*

*Inteftinorum vulnera. Cauffa.*

INteftina, vt alias corporis partes, à variis telorum generibus vulnerari interdum, notiffimum eft. Hoc verò rarum eft, inteftina à cauffa interna & flatibus rumpit. Obferuauit tamen id bis Beniuenius. vt *de abdit.fanat.cauff.cap.*67.refert, primò in muliere quadam, quæ cum intolerabili ventris dolore modò infra ritus erumperet, fciffo feu rupto tandem inteftino vitam finiit:deinde in ruftico, qui cum poft longas ventris torfiones diem obiiffet,& mortui corpus incideretur,longa in inteftino fiffura inuenta eft, è quâ etiam recentes vuæ,quas paulò ante comederat protruperunt.

*Inteftinorum* Præterea à vermibus quandoque inteftina perforantur, vt annotarunt Paulus Ægineta, *lib.*4.*cap.*57.Auic. *lib.* 3.*fen.*16. *tr.* 5. *cap.*1. Petrus Apponenfis *differ.* 101. Nicolaus Florentinus,*ferm.*5.*tract.*8.*cap.*54.Paræus, *lib.* 19.*cap.*13. Thomas à Vega, *ad cap.*5.*lib.*1.*de loc.aff.Galeni.* Trincauellius, *lib.*9. *de rat. curandi particulas corporis humani affect. cap.* 11. Petrus Foreftus, *lib.*7. *obf.*35. *in fchol.* *vulnera vermibus*

Tandem etiam obferuatum, vt in Schenckij obferuat. *lib.*3.*obf.* 266. habetur, fracta cocta fpuria eiufdem particulam palmæ longitudine in abdomen penetraffe,inteftinum rectum perforaffe,& fumno cum cruciatu feptima die per aluum excretam fuiffe.

#### *Signa Diagnoftica.*

Si vulnus in abdomine acceptum in cauitatem eius vfque penetret, inteftina vulnerata effe fufpicio eft. Quia verò vel gracilia, vel craffa vulnerantur,gracilia inteftina,& præcipuè ieiunum,vulnerata effe cognofcitur, quod cibus & potus per vulnus exeant, præcordia duriora reddantur,bilis vomitu reiiciatur,dolores fiant magni,febris adfit. Si craffa vulnerata fint, ex ftercoris per vlnus egreffu,vel eius è vulnere odore cognofcitur, aluus fupprimitur. *Signa.*

#### *Prognoftica.*

1. Inteftinorũ tenuium vulnera habentur lethalia,vt eft apud Hippocratem, *6. aph.* 18. & Gal. *6. meth. med. cap.* 2. quia eorum tunica neruofa eft, multis vafis referta, bilemque recipit, ac ipfa epati propinqua funt. Quandoque tamen & tenuium inteftinorum vulnera fanata fuiffe, obferuationes Medicorum paffim docent. *Prognoftica.*

2. Craffiorum verò inteftinorum vulnera,fi fint parua & fecundum eorum longitudinem, facilius curantur; cum quia pauciora & minora vafa habent, tum quia medicamenta per clyfteres iniecta facilius penetrare ad locum affectum poffunt. Si verò fint magna, & per tranfuerfum,funt periculofa.

3. Si ab aëre alterentur inteftina, & liuida reddantur, malum incurabile eft.

#### *Indicationes & Curatio.*

De Inteftinorum vulnerum curatione diligenter agit Galenus,6. *meth.med.cap.*4. Nimirum primo inteftinum vulneratum,fi fieri poteft, confuendum. Secundò Medicamenta ei applicanda. Tertiò fi prolapfum fit, in fuum locum reponendum.Quartò curandum, ne feces in tranfitu ipfi noceant: tandemque abdominis vulnus confolidandum.Ne tamen affluxus humorum fiat, venæfectio, fi opus, inftituenda. *Curat.*

Primò ergo fi vulnus amplum fit, & inteftinum vulneratum fit prolapfum,ftatim vulnus fuendum, fi opus fit,& in fuum locum reponendum.Nifi n.id ftatim fiat, ab aëre ambiente alteratur,ac liuidum euadit,& omnis curationis fpes præciditur.Etfi verò varij inteftina confuendi modi ab Autoribus traduntur:tamen commodiffimum eft acu fubtili breui & rotunda & filo lineo,forti & æquali ea confuere, eo ferè modo, quo pelliones pelles & vulgo linteamina confuere folent. Sutura autẽ facta filum non abfcindendum eft,fed vtraque extremitas eius extra vulnus propendere debet, vt poftea fuo tempore extrahi poffit, poftea vino albo tepido, vel in quo rofæ,chamæmelum,abfinthium coctum fit, abluẽdum,& puluere aliquo adftringẽte & glutinãte ex aloë, maftiche,thure,fanguineDraconis,mumia confpergendum,ac in locum fuum reponendum,& manibus leniter id & blandè intromittendum. Quod fi facilè fieri non poffit, & inteftina aëris ambientis frigiditate alterata inflata fint,ac intumuerint, ftatim fouenda fpongiâ aqua calida madida,interimque vinum calefaciendum, *Inteftina vulnerata confuendi modus.*

& eo

& eô ſpongia imbuta inteſtino apponenda. Quod ſi nondum ſatisfecerit, fomententur inteſtina decocto calefaciente ex floribus chamæmeli, anetho, abſinthio, baccis lauri, ſemine aniſi, fœniculi, vel columba aut gallina per medium ſecetur, & inteſtino tumenti admoueatur. Vbi iam inteſtinum detumuerit, inungatur oleo maſtichino & chamæmelino, & ſuo loco reponatur, ægro ita collocato, vt pars abdominis vulnerata ſit loco ſuperiore, & in altũ attollatur. Quod ſi hoc modo inteſtinum reponi non poſſit, incidendum tantũ cutis & peritonæi, quantum ad inteſtinum, quod excidit, reponendum ſatis eſt.

Inſtrumentum verò ad ſectionem hanc commodiſſimum eſt, quo ad fiſtulas incidendas chirurgi vtuntur, & ſyringotomum appellant, quod in extremitate, ne viſcus aliquod inter ſecandum lædatur, globulo ferreo vel plumbeo munitum ſit.

Sectione facta candela cerea imponenda eſt, quæ non extrahenda, donec repoſita fuerint, inteſtina. Vbi repoſita fuerint, ſpleniis & faſciis munienda, ne iterum excidant, & victus recta ratio ineunda, ne flatus, qui inteſtina diſtendunt, generentur. Tandem etiam abdominis vulneri proſpiciendum: quod qua ratione fieri debeat, infra ſuo loco dicetur.

Vt verò facilius vulnus inteſtinorum conſolidetur, medicamenta conſolidantia vſurpanda, & quidem ſi vulnus ſit in Inteſtinis ſuperioribus, exhibendum decoctum florum roſarum, conſolidæ majoris, piloſellæ, equiſeti & aliarum plantarum vulnerariarum, vel diatragacanthum frigidum, vel cõſerua roſarum rubrarum, cum bolo Armeno, terra ſigillata, vel Diacydoniũ cum puluere aut conſerua roſarum rubrarum. Si verò craſſa inteſtina vulnerata ſint, clyſteres ex iſtis medicamentis parati iniiciendi. Cibis quoque admiſceantur pulueres ex coralliis, bolo Armeno, roſis: in potu maſtiche diſſoluatur.

## CAPVT IX.

### De Vlceribus & ſphacelo Inteſtinorum.

*[Vlc]eratio inteſti[norum].*

EXulcerantur quoque ſæpè inteſtina. Idquod fit, cũ ab aſſumtis medicamẽtis acribus, tum ob affluxum humorum actium; id quod imprimis in dyſenteria euenire ſolet. In cuius explicatione cum ea etiam, quæ de vlceribus Inteſtinorum dici poſſunt, proponi ſoleant, hic pluta de vlceribus Inteſtinorum non addimus, ſed lectorem ad caput de Dyſenteria remittimus.

*[Sphace]lus In[teſtino]rum.*

Præterea quoque Inteſtina ſphacelo interdum corripiũtur. Id quod accidere ſolet in vulneribus abdominis, in quibus inteſtina extra abdomen prolapſa ab aere externo alterantur, & liuida ac nigra euadunt, & tandem putreſcere incipiũt. Imprimis verò id accidit in hernia, Ileo, & inteſtinorum Inflãmatione, quæ tãdem in ſphacelum degenerare ſolet, qui incurabilis eſt, hominíque mortẽ adfert. Imò interdum non ſolum inteſtina putreſcunt, ſed & ſuperiacentes partes abdominis putredine corripiuntur ita, vt tãdem foramine aperto fæces per id egrediãtur. Id quod bis vidi, primò in fæmina quadam, quæ cum hernia in dextro inguine laboraret, nec de eo quippiam ſignificaſſet, ac pondus quoddam eleuâſſet, inteſtinis eò loci prolapſis, de grauiſſimis doloribus cõqueri cœpit; ſed cũ quis reuera morbus eſſet, aperire nollet, tãdẽ inteſtina prolapſa inflãmata ſunt & ſphacelo correpta; imò partes inteſtinis incumbentes eò loci putredine corripi cœperũt, vt foramẽ tandẽ aperiretur, per quod fæces cũ ſummo fœtore exibant. Deinde in iuuene quodam, qui cum herniã laborans curru velociter vectus inteſtinorũ prolapſum paſſus eſſet, nec in pago qui ei ſuccurreret, aliquẽ haberet, inteſtina inflãmata, & tãdẽ ſphacelo correpta ſunt, à quorũ putredine aliquot locis muſculi & cutis abdominis putredine & ſphacelo correpta ſunt.

Tandem patiuntur interdum & cancrum inteſtina, vt infra *ſect. 2. cap. 1.* ex hiſtoria, quam Petrus Sal. Diuerſus refert, conſtabit.

## CAPVT X.

### De Inteſtini recti morbis in ſpecie.

IN ſpecie verò Inteſtinum rectum multis morbis, imprimis tum oribus & vlceribus corripitur; patiturque præter naturã inteſtinum rectum inflammationes, hæmorrhoides, condylomata, ficus, criſtas, rhagades, vlcera, fiſtulas. Præter naturam etiam clauditur interdum, de quo ſupra *cap.* 3. dictum.

### Inflammatio ani & hæmorrhoides.

#### Cauſſæ.

*Inflammatio ani. Cauſſa.*

Primò anum interdum inflammatio corripit, ſanguine per venas ei inſertas in eum effuſo. Id quod accidit ex longa & dura equitatione, vel percuſſione aliiſque cauſſis violentis, item ab hæmorrhoidibus reſtrictis vel à cauteriis & medicamentis corrodentibus dolorem excitantibus, & ſanguinem eò trahentibus.

#### Signa Diagnoſtica.

*Signa.*

Cognoſcitur ani Inflammatio, vt aliarum partium è tumore calido, dolore acuto, qui premendo irritatur, aluus difficulter redditur, & ſæpe dies aliquot ſubſiſtit, accedit febris.

#### Prognoſtica.

*Prognoſtica.*

1. Inflammatio ani malum eſt curatu difficile & periculoſum. Afficitur enim pars acuto ſenſu prædita, quæque medicamentis acrioribus facilè irritatur. Præterea excrementa alui exeernenda medicamentorum applicationem impediunt.
2. Ob loci caliditatem & humiditatem inflammationes facilè in vlcera degenerant.

#### Curatio.

*Curatio.*

Vt ſanguis à loco affecto auertatur, vena primò in cubito aperienda. Poſtea deriuationis gratia, ſi opus ſit, etiam in talo vena aperiri poteſt.

Venę ſectione peracta parti affectæ repellentia applicanda, mixtis tamen anodymis. Hinc in augmento aliquid diſcutientium addendum, quæ verſus ſtatum & in ſtatu augenda. Si ſuppuratio prohiberi non poteſt, in ſtatu maturantia apponenda.

In principio ergo apponantur folia ſolani aut portulacæ, mica panis aqua roſarum madida, oleum roſaceum cum vitellis ouorũ coctorum miſtum. In augmento apponatur medulla panis triticei cum oleo amygdalarum dulcium miſta. In ſtatu fiat fomentatio ex decocto maluæ, althææ, florum chamæmeli, meliloti, aut cataplaſma ex iiſdem, addita farinã ſeminis lini. Si ad maturationem tendat, radix althææ & farina tritici addi poteſt. Et quidem ſi inflammatio ad ſuppurationem tendat, ſtatim adiuuanda & abſceſſus aperiendus, ante quam plenam mutationem aſſecutus ſit. Etenim pus diutius retentum inteſtina & vicina loca corrumpit, & vel gangrænam vel fiſtulam excitat.

*Hæmorrhoides.*

Ad tumores ani etiam *Hæmorrhoides* pertinent. Quandoque enim extremitates venarum in ano intumeſcunt, quandoque etiam inflammantur & magnum dolorem coniunctum habent. Verùm eædem venæ etiam ſanguinem fundere ſæpe ſolent, atque inſigne id in multis morbis eſt ſymptoma, infra in ſymptomatibus, quæ inteſtinis accidere ſolent, explicandum. Quapropter ibidem coniunctim ea, quæ de hæmorrhoidibus à Medicis tradi ſolent, proponemus.

### *Condylomata, thymi, ficus, cristæ.*

Vt in aliis corporis partibus varia verrucarum genera oriri solent: ita etiam in ano, quæ in specie condylomata, thymi, ficus & cristæ appellari solent. Ideoque quæ in genere de verrucis dici possunt, huc non afferemus, sed ad suum locum reseruabimus; ea verò, quæ ano propria sunt, hic saltem explicabimus. Condyloma tamen nonnulli ad verrucas non referunt, sed pro peculiari tuberculi genere habent. Cum enim cutis ani fit rugosa, si ruga aliqua intumescat & indurescat, condyloma appellatur, seu, vt Aetius *tetrab. 4. serm. 2. cap.* 13. scribit, CONDYLOMA est tumor quidam pelliculæ ani; tuberculum nimirum durum & obcallescens, ex humore melãcholico eò affluente sensim excrescens, & tædio potius plerumque, quam dolore molestum. Interdum tamen etiã inflammationem cõjunctam habet.

*Condylomata.*

*Thymi.*

THYMI verò sunt verrucæ asperiores, angustam basin & latam superficiem habentes & ad rubedinem tendentes, thymíque florem referentes, quæ in superiore parte facilè sanguinem fundunt.

*Ficus.*

Si thymi multum excrescant, FICVS seu SYCOSES appellantur. Et quidem è thymis aliqui sunt mansueti, aliqui maligni, & ex malignis aliqui cancrosi.

*Cristæ.*

CRISTÆ tandem sunt carnis excrescentiæ circa anum pullulantes, ex præpostera venere ortæ, ad quarum radices plerumque scissuræ seu rhagades adsunt. In Germania nostra, DEO gratia, rarissimũ malum est, sed pueris Romæ agentibus accidere, scribit Amatus Lusitanus, *centur. 2. cur.* 87. morbúmque hunc se Romæ & Bononiæ in Nosocomio vidisse refert Forestus, *lib.* 23. *obs.* 7. *in schol.*

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.*

Tumores hi facilè visu cognoscuntur, & ab hæmorrhoidibus discernuntur. In hisce enim affectibus sola cutis afficitur, nulla verò vena, id quod in hæmorrhoibus accidit. Hæmorrhoidides etiam sanguine turgidæ magis nigricant.

### *Prognostica.*

*Prognostica.*

1. Thymi pessimi sunt, & maximè vbi sanguinem effundunt, & si maligni ac cancrosi sint, praua symptomata inducunt, dolores ingentes, inflammationes, febres, & depascentia vlcera.

2. Periculosiores hi morbi sunt quò sunt diuturniores; & præcipuè si malignitas luis venereæ cõjuncta sit.

### *Curatio.*

*Curatio.*

Hæc mala quidem in principio medicamentis curantur: si vero jam diuturna sint, ad manuum operam confugere oportet. Apponantur autem folia rubi viridia, vel ferrugo cum succo verbasci imponatur.

Vel ℞. *Squamæ æris*, Drach. j. *auripigmenti*, Drach. ß *alum. sciss.* Drach. ij. Et cum *ol. rosaceo* in formam vnguenti redigatur.

Vel ℞. *Spumæ argenti, cerussæ, ammoniaci, bdellii*, ana Drach. ij. *terebinth.* Vnc. j. *ceræ*, Vnc. ß.

Arida cum succo solani conterantur & reliquis misceantur.

Vt verò condylomata, ficus & thymi non renascantur,

℞. Cinerem sarmentorum vitis & cum aceto illinatur, quod etiam exstantes tollit, vt Aëtius scribit. Plura vid. apud Aëtium, *tetrab.* 4. *serm.* 2. *c.* 4.

### *Rhagades ani.*

*Rhagades ani.*

Ῥαγάδες Græcis, Latinis scissuræ, fissuræ, rimæ, vt in aliis corporis partibus acccidunt, manibus, pedibus, labris, vteri ostio: ita etiam in ano, ac recti intestini extremitate, aut in sphinctere seu musculo anũ claudẽte accidere possunt. Suntque rhagades seu scissuræ ani oblonga quædam in eo vscula sine tumore, iis similia, quæ interdum in manibus à magno frigore excitantur.

*Differentiæ.*

Suntque alia superficialia saltem, alia profundiora: alia sine duritie & callo, alia callosa latera habentia: alia humida & saniem fundentia, alia sicca & cancrosa.

Fiunt autem talia vlcera vel ex affluxu humorum acrium & erodentium, & lentorẽ quendã, ob quem partibus adhærent, participantium, bilis scilicet, & salsæ pituitæ, id quod accidit sæpè in dysenteria & hæmorrhoidum fluxu, vel ob partiũ harũ siccitatẽ, ob quam anus finditur, & rimas quasi agit. Interdum etiam intemperies sicca acres humores coniunctos habet. Humor affluens quandoque etiam malignus est: id quod in lue venerea accidit. Excitantur & ob condylomatum inflammationem extensionémque. Fiunt quoque in ano istæ fissuræ ob fecum siccitatem & duritiem nimiam, quæ in exitu anum distendendo cutem ibi rumpunt. Idem præstare possunt glandes acres, clysterésque acres iniecti, vel non rectè iniecta clysteris, fistula, emplastra item calida & siccantia admota.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.*

Morbus hic oculis expresso ano patet. Si ab acribus humoribus ortæ sint rhagades, pruritus & dolor acerrimus cum ardore anum infestat. Si humor sit virulentus, ex ardore, tetro odore & sanie praua effluente id cognoscitur. Et vtrum saniosa, caliosa vel cancrosa sint hæ vlcuscula, etiam visu percipitur.

### *Prognosticum.*

*Prognosticum.*

1. Importunissima sunt hæc vlcerum genera; cum maximos dolores, tesinum, & ingentes molestias creare soleant.

2. Rhagades ani difficulter curantur. Primò cum sint in parte exquisito sensu prædita, & quæ acribus, medicamentis facilè irritatur: secundò quia ab excrementorum transitu læduntur: tertiò quia medicamẽta debitum temporis spatium ad vires exserendas non habent; cum sæpe æger intempestiuè ad feces alui excernendas stimuletur.

3. Malum hoc, si recens sit, medicamentis cedit: at si diuturnum sit, labra callosa fiunt, vlcus fit corrodens, vel in fistulam abit, malúmque fit pertinax, quod remediis amplius non cedit, sed chirurgiam requirit.

### *Curatio.*

*Curatio.*

Curatio in eo consistit, vt caussæ mali, si adhuc præsentes sint, tollantur, deinde ipsum vlcus sanetur.

Si ergo ex siccitate nimia sint rhagades, intemperies sicca corrigenda humectantibus, vt

℞. *Medullæ crurum vituli, pinguedinis gallinæ, anatis, butyri recentis, ol. amygd. dulc. papauer, sesamini* an. Dr. iij. *lithargyri* Drach. ß. *tragacanth.* Drach. j. *ceræ* q. s. F. Vnguentum.

Si ex humorum vitiosorum affluxu malum sit, ii temperandi, alterandi & euacuandi. Fortiora tamen medicamenta vitanda, sed lenia vsurpanda, cassia scilicet, manna, syr. rosf. solutiuus, rhabarbarum, electuar. diacatholicum: & si ab epatis vel alterius visceris intemperie vitiosi humoris generatio proueniat, ea temperanda & corrigenda, vt alibi dicetur.

*Fortiora medicamenta fissuris vitanda.*

Si quoque aliæ caussæ sint, quæ vlcera hæc inducunt, tollendæ, vt si dysenteria vel hæmorrhoides fluentes ea excitant, ea mala curanda. Si fæces duræ sint, emolliendæ clysteribus & aliis modis.

*Topica.*

Vniuersalibus præmissis topica vsurpanda, respectu tamen

tamen ad caussam habito. Si siccæ rimæ sint, sequens vnguentum vtile est.

℞. *Pingued. gallin. anatis, medullæ ceruin. vitulin. butyri s. sale*, ana Drach. ij. *lithargyri* Drach. j. *ol. amygd. dulc.* Vnc. ß. Misce.

Si humidæ sint, saniosæ & virulentæ, fomententur sequenti decocto.

℞. *Fol. plantag. rubi, flor. rosf. rubr.* ana M. j. *hordei non excorticati* M. ß. *alumin.* Drach. j.

Coq. in aqua pura; sub finem adde vini albi tertiam partem.

Post fomentationem sequenti vnguento illinantur.

℞. *Cerussæ lotæ, lithargyri, aloës, mastiches, thuris, sarcocollæ, boli Armeni* ana Scrup. ij.

Puluerisata subtiliter cum *ol. rosf.* s. q. misceantur in mortario plumbeo, & addendo parum ceræ fiat vnguentum.

Vel ℞. *Cerussæ, plumbi vsti, lithargyri, alumin, thuris* ana Drach. j. *pingued. gallin. anat. suillæ non salsæ, ol. amygd. dulc. papau.* ana Vnc. j. ß.

Lento igne misceantur, & cum *cera* s. q.

Fiat vnguentum. Habentur & apud Galenum 9. *de compos. med. s. loc. c.* 6. plurima medicamenta ad ani vitia ex antiquis descripta.

Si feruor adsit & cancri suspicio,

℞. *Succi plantaginis, portulacæ, solani* an. Vnc. ij. *ol. ros.* Vnc. j.

Agitentur in mortario plumbeo, & addito *ceræ* modico fiat vnguentum.

### *Vlcera ani.*

Vlcera ani. Vlcera etiam ani ex affluxu humorum vario ac præcedentibus inflammationibus & abscessibus varia fiunt, quædam benigna & simplicia, alia corrosiua, putrida, callosa ac fistulosa.

### *Caussæ.*

Caussæ. Caussæ horum vlcerum sunt, inflammatio, tubercula varia, hæmorrhoides, vulnera, equitatio longa, aliæque externæ læsiones: humorum ad partem hanc affluxus varij.

### *Signa Diagnostica.*

Signa. Si vlcera externa sunt, oculis patent: quæ verò intus latent, ea ex emanante sanie & dolore percipiuntur.

### *Prognosticum.*

Prognosticon. Externa & benigna vlcera vt facilius deprehenduntur: ita etiam facilius curantur. Quæ verò maligna sunt & occulta, difficulter curantur; cum pars hæc exquisito sensu prædita sit, & medicamentis acrioribus facilè exasperetur, & à transeuntibus excrementis inquinetur. Ideoque talia vlcera, si magna sunt, lethalia sunt.

### *Curatio.*

Curatio. Medicamentis autem indigent valdè exiccantibus & adstringentibus; quæ tamen citra mordacitatem id præstent. Ideoque primò vlcus abstergere & mundare oportet, vel lacte, si dolor sit, vel decocto hordei, vel vino mulso.

Exsiccantia autem parantur ex *aloe, thure, aristolochia rotunda, charta combusta, pompholyge*, quibus, si per siphonem injici debent, additur succus plantaginis, equiseti, centumnodiæ.

Vel ℞. *Vng. diapompholyg. albi camphorati*, an. Vnc. j. ß. *ol. myrtini, rosacei*, ana Vnc. ß. *mannæ thuris, aloës*, ana j. ß. *lithargyri argenti* Drach. ß. *succi solani, verbasci, plantagin.* ana q. s.

Misceantur in mortario plumbeo, & fiat vnguentũ.

Vel ℞. *Cerussæ, spumæ argenti*, ana Vnc. ß. *thuris, alum. sciss.* ana Drach. iij. *aloës* Drach. j. *croci* Scrup. ij. *ceræ, ol. myrtini*, ana q. s. Fiat Vng.

### *Fistulæ ani.*

Si inflammationes, tumores, & vlcera ani vel Medici negligentia, vel ægri morositate non rectè curentur, ex humore corrupto & sanie intus relicta fistulæ excitantur. Humor enim ibi hærens cuniculos quasi agit, vicináque partes corrumpit. *Fistula ani.*

### *Differentiæ.*

Fistulæ autem ani aliæ vnum sinum habent, aliæ plures; & aliæ vel in intestinum rectum vel ad vesicam penetrant, aliæ ad vicinas partes non penetrant. *Differentia.*

### *Signa Diagnostica.*

Cognoscuntur vt aliæ fistulæ ex figura, vnde & nomen habent, quod orificium vlceris est angustum, sinus verò intus latens, & labia eius plerunque intus sunt callosa. Excernitur etiam inde sanies, (modò orificium eius non claudatur. Tum enim nihil excernitur, & vicinæ partes tumidæ fiunt) aliquando aquosa, aliquando virulenta. *Signa.*

Notandum tamen hic, quod aliquoties obseruaui, interdum accidere, vt ichor quidam & aqua citrina, quasi ad nigrum declinans, ex ano per hæmorrhoides effluat, cum aluus excernitur, aut potius post alui excretionem, aliàs verò non. Quem fluxum à nonnullis pro fistula ani habitũ & in explorãdo eo cum damno hominis, qui fluxum hunc patiebatur, laboratum fuisse memini. Ego talem fluxum pro fistula ani habere non potui, cùm sciam ad annos viginti eum interdum durasse sine omni incommodo, neque etiam alio, quod in fistulis accidit, tempore, nisi dum excrementa redduntur, effluat, etsi per diem vel biduum, æger non excernat; neque quid exulceratum sit, sed ex hæmorrhoidibus saltem ichor effluat. Cum enim natura aliàs sanguinem, eúmque sæpè ichorosum, per has vias expellere soleat, in quibusdam etiam continuò ichorem quendam melancholicum ad has venas protrudit, qui in extremitate earum hærens, dum excernitur aluus, exprimitur. *Fluxus alui citrinus pro fistula habitus.*

An verò vnus per plures sinus sint, stylo immisso exploratur. An in intestina fistula penetret, etiã stylo immisso deprehenditur, qui digito in anum immisso tangi potest. Si tamen fistula sit tortuosa, vt stylus in anum facilè penetrare non possit, ex excrementis id deprehenditur; cum aliquando per fistulam feces alui reddantur, & liquor in fistulam injectus per anum exeat, & contra in anum infusus per fistulam egrediatur. Si ad vesicam penetrat fistula, vrina per eam redditur. Interdum ad intestinum rectum & vesicam simul penetrat, ac tum mictione crepitus è pudendo, perinde atque podice, emittitur: deinde puris atque etiam fecis nõnihil mistum vrinæ prorupisse obseruatum. Si fistula est in musculo sphincterem claudente, feces alui non retinentur debito modo, sed præter voluntatem exeunt.

### *Prognostica.*

1. Ani non penetrantes fistulæ penetrantibus minus periculosæ sunt, Paulus Æginеta, *lib. 6. cap.* 68. *Prognostica.*

2. Non penetrantes fistulæ si copioso fluxu aut fœtore, aut alio modo nihil incommodi afferant, sed potius natura superfluos humores è corporibus cacochymicis & cachecticis cum ægri commodo per eas euacuet, curari non debent, sed solum conuenientibus lotionibus & linteis mundandæ sunt.

3. Penetrantes fiſtulæ omnes difficulter curantur, ſcribitque de eo Albucaſis: Quod ſi fiſtula penetrat ad veſicam, vel ad inteſtinum rectum, vel ad oſſa antharũ, vel caudæ, non curatur: quoniam curatio earum non eſt niſi labor infirmorum, & fatuitas ſtultorum Medicorum. Ideóque tùm curâ palliatiuâ, quam appellant, ſaltem vtendum.

4. Fiſtulæ, quæ quatuor digitos penetrant, & per muſculos progrediuntur, curari non debent. Curando enim fit, vt aluus excrementa retinere non poſſit.

5. Fiſtulæ antiquæ ani & calloſæ, ac quæ cancri naturam referunt, curationem non recipiunt, ſed ſeruari debent.

6. Fiſtulæ verò, quæ curantur, & ſine periculo, ſunt ſimplices, recentiores, & quæ per carnem ſaltem progrediuntur.

## *Curatio.*

*Curatio.* Fiſtulas ani non ſemper curabiles eſſe modò dictum, & plerunque non ſine graui moleſtia curari. Si ergo incommodum, quod affert fiſtula, non magnum ſit, nec multum ſaniei effluat, nec fœtor adſit magnus, multi medici ſuadent, eam non attingendam eſſe vel fortibus medicamentis vel chirurgia; cum natura interdum ſuperfluos corporis humores per eam expellat, & vitium hæmorrhoidum ſuppleat. Mundæ tamen ſeruandæ ſunt fiſtulæ. Ideóque ſingulis diebus abluendæ decoctione agrimoniæ & fol. oliuæ, cui aliquid aluminis vſti addatur, quod per ſyringam immittatur. Si foramen etiam ſit nimis anguſtum, aperiri poteſt medullâ ſambuci aut radicis gentianæ, ne ſanies in ea retineatur, & partes vicinas corrumpat.

Si verò curari debent ac poſſunt fiſtulæ, vniuerſalibus præmiſſis, bona ſcilicet diæta inſtituta, & corpore conuenienter euacuato, danda primò opera eſt, vt callus abſumatur. Eluenda ergo fiſtula vino & Iſide medicamento, aut decocto hordei, cui myrrha, alumen & pauxillum viridis æris admiſtum ſit; & poſtea turunda cum vnguento Ægyptiaco vel ſimili imponenda. Imprimis commendatur ab Arabibus collyrium ſen ſief algarab, quod ita paratur.

℞. *Aloës*, *thuris*, *ſarcocollæ*, *ſanguinis draconis*, *balauſtiorum*, *antimonij*, *aluminis* partes æquales, *æruginis æris*, *quantum eſt quinta pars vnius*.

Fiat ſief, quod diſſolutum in fiſtulam mittitur.

Multum quoque prodeſt collyrium ſupra propoſitum ad fiſtulam mundandam.

Si orificium anguſtum ſit, dilatandum turunda ex radice gentianæ, brioniæ vel ariſtolochiæ. Reliqua curatio poſtea, vt in aliis vlceribus, peragenda. Si fiſtula non ſit profunda, ſed ſuperficiaria, ideóque ſine periculo incidi poſſit, ægro ſupino collocato & firmiter ligato, vt moueri non poſſit, ſpecillo immiſſo, fiſtula anguſtiſſimo gladiolo circa cuſpidem aliquantiſper incuruo incidenda, & poſtea callus conuenientibus remediis abſumendus.

Si verò fiſtula ſit antiqua, & quæ medicamentis non cedat, non tamen penetrans, & in parte carnoſa, neque proxima inteſtino recto aut veſicæ, rectiſſimè actuali cauterio nonnulli curari eam cenſent. Verum quia non abſque periculo eſt hæc operatio, ab aliis præteritur, nec à Celſo, Paulo Ægineta ſit eius mentio, & à pleriſque inciſio modo propoſita magis probatur.

*Fiſtulæ in inteſtinum rectum penetrantis curatio.* Etſi vero fiſtula in inteſtinum rectum penetrans rarò, vt dictum, curatur: Hippocrates tamen duobus modis ad curandum vtitur, medicamentis & inciſione. Medicamentis, dum linteum molliſſimum vel turundam, cui filum ſit alligatum, vt extrahi poſſit, ſucco tithymali imbutam, & flore æris vſti conſperſam in fiſtulam immittit, vt callus abſumatur. Ne verò rectum inteſtinum his medicamentis acribus offendatur, in anum corneam glandem, creta detergente illitam, immittit, atque ibi relinquit vſque in quintum diem, vel eo vſque, donec callus exedatur, quam, dum aluus excernenda eſt, detrahit, & rurſum immittit. Callo abſumpto glandem ex alumine contrito immittit, & relinquit, donec alumen madeat. Poſt alumen tandem myrrham imponit, vt citius conſolidetur.

*Inciſio quo modo fiat.* Inciſionem quod attinet, ſi ea ſine periculo, ne ſcilicet muſculus ani lædatur, & feces præter voluntatem egrediantur, tentari poſſit, fit vel filo ſeu laqueatione vt appellant, vel ferro. Filio ita fit: Sumatur filum ex ſerico vel ſeta equina, aut aliud, quod non facilè putreſcat, id immittendum in extremitatem ſpecilli ſtannei, vel plumbei, inſtar acus perforati, & in fiſtulam intrudendi, digitóque, oleo roſaceo inuncto, in rectum inteſtinum immiſſo, filum apprehendendum, ſpecillum extrahendum & duæ extremitates eius connectendæ, & quotidie vel à chirurgo vel ab ipſo ægro arctius conſtringendæ, donec tota fiſtula inciſa ſit. Hinc callus abſumendus & vlcus curandum.

Ferro inciſio celerius hoc modo fit. In fiſtulam ſpecillum plumbeum immittendum, vſque in inteſtinum rectum penetret, & hinc iuſtrumento falcato, digito in anum immiſſo, ſecundum ſtyli plumbei fiſtula incidenda, cauendo tamen, ne hæmorrhoides lædantur & hæmorrhagia excitetur. Inciſione peracta, penicillum albumine oui ac pulueribus adſtringentibus illitum immittere decet. Die ſequente Hippocrates æris flore vſto conſpergit, & fruſtulum ſpongiæ melle illitum intrudit, vt fiſtula aperta ſeruetur. Idque diebus ſeptem continuat, donec callus abſumatur. Interim ſpongia vino auſtero madida imponenda, vt humores reprimantur.

Videatur Hippocrates, *lib. de fiſtulis*. Celſus, *lib.* 7. *cap*.4. Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm*.2. *cap*.10. Paulus Ægineta, *lib*.6. *cap*.78. Valeſcus de Taranta *lib*.4.*c*.36.

## *De Intertrigine.*

*Intertrigo.* Etſi intertrigo non ani vitium ſit, ſed partium vicinarum: quia tamen Practici hoc loco de ea agere ſolent, nec eam omittam. Eſt autem intertrigo partium ano vicinarum ſeu inter femora excoriatio, vel pelliculæ abraſio à motu vehementiori, præcipuè equitatione orta.

*Curatio.* Curatur autem ſeuo inuncto; imprimis ceruino & hircino. Vulgò candela ſebaceâ vtuntur calefactâ, qua intertrigo inungitur. Vtiles ſunt & adipes anſeris, gallinæ, anatis, vt & oleum roſaceum, myrtinum, vitellorum ouorum, vel argentina herba imponatur & ſuccus eius illinatur. Confert & mucilago tragacanthæ cum aqua roſacea parata. Vtilis eſt & puluis gallarum cum oleo. & vitellis ouorum mixtus. Vel vſitata vnguenta de lithargyro, de ceruſſa vſurpentur, Aëtius, *tetrab.* 2. *ſerm.* 2. *c.* 11. chalcitide aqua ſubacta illinit; vel plumbago cum aceto & vino vſurpetur.

Vel ℞. *Plumbagin.*
*gallarum* Vnc. ß.
*allumin.* Drach. j.
*myrrhæ* Drach. ij.

Fiat puluis, qui inſpergatur.

# LIBRI TERTII PARS II.

## SECTIO SECVNDA DE SYMPTOMATIBVS, quæ Inteſtinis accidunt.

### CAPVT I.

*De Inteſtinorum actione læſa, & præcipuè de motu Inteſtinorum inuerſo & Ileo.*

INTETINIS etiam varia Symptomata accidunt; & primò quidem actiones læſas quod attinet, triplex eſt inteſtinorum actio, prima chyli à ventriculo accepti vberior elaboratio & concoctio: ſecunda eiuſdem diſtributio, tertia fecum expulſio.

Primum quod attinet, habent inteſtina internam tunicam ventriculo non diſſimilem, ob quam chylum, quem à ventriculo accipiunt, amplius elaborant, vt Galenus; 4. *de vſ. part. c.* 17. & 18. docet. Læditur autem hæc inteſtinorum, intemperie eorum læſa, de quo *ſupra* dictum, & etiam *de lienteria* dicetur. Idem accidit in diarrhæa & dyſenteria, in quibus chylus etiam non bene in inteſtinis elaboratur.

De fecum expulſione, tertia Inteſtinorum actione, poſtea dicetur.

Diſtributio verò chyli equidem ab omnibus Inteſtinis perficitur, præcipuè tamen à tenuibus. Vnde etiam horum inteſtinorum tunica interna fibras obliquas habet, externa tranſuerſas. Obtinent etiam inteſtina neruos, non ſolum vt grata arripiant, ac noxia expellant, ſed etiam vt moueantur. Habent n. inteſtina tenuia obſcurum quendam motum, quo chylum à partibus ſuperioribus ad inferiora promouent, qui aptiſſimè comparatur lumbricorum terreſtrium motui, qui partes corporis ſucceſſiuè mouent. Atque hic motus ſecundū naturam fit, à parte ſuperiore ſeu inferiore ventriculi orificio incipiendo, verſus inferiora, quo modo & chylus per vniuerſum inteſtinorum ductum diſtribuitur; & feces corpori alendo ineptæ verſus inferiora protruduntur, vt per aluum excernantur.

Motus inteſtinorum hic aliquando læditur & inuertitur, vt inteſtinorum fibræ, quæ à ſuperioribus verſus inferiora debent contrahi, verſus ſuperiora contrahantur, & ita omnia, quæ ſunt in inteſtinis, non verſus aluum, ſed verſus ventriculum protrudantur, quod malum ἴλεος Græcis ab εἰλεῖσθαι, id eſt, conuoluēdo dicitur, Latinis voluulus, quod inteſtina, quæ aliàs obſcuro quodam motu mouentur, hic manifeſtè conuolui, & quidem verſus ſuperiora moueri videntur. Nominatur & χορδαψὸς ἀπὸ τῆς ἅπτεσθαι, quod qui manum loco dolenti in ventre admouet, quaſi chordæ intenſæ & dutiter conuolutæ ſpeciem ſentiat. Hollerius, *in comm.* 2. *in lib.* 3. *Coac. Hipp. p.* 365. Pythagoricos Medicos hoc malum etiam φραγμὸν appellâſſe ſcribit, quia reuerâ oppilatio quædam, & viæ, quæ per inteſtina ducitur, impedimentum fit: nonnullos & tormentum nominâſſe. Barbari ſuperioribus ſeculis Miſerere mei, obinſignem, & acutiſſimum dolorem, & fœdam excrementorum alui per os reiectionem nominarunt, quod ſcilicet commiſeratione dignum malum ſit.

[Margin: ...λεός. — Miſerere mei]

Eſt enim ileos inteſtinorum motus inuerſus, in quo nec chylus rectè diſtribuitur, & excrementa, quæ per aluum excerni debent, retinentur, & tandem per os reiiciuntur, ob motum inteſtinorum inuerſum, ob quem etiam via inteſtinorum, per quam alui excrementa deorſum feruntur, intercipitur, ita, vt nec fæces, nec flatus vllus per aluum emittatur, ſed per vomitum primò alimenta aſſumta, & cibi mutati, ſeu corrupti, tandem procedente malo etiam alui fæces magno ægri faſtidio & tædio per os reiiciantur.

*Cauſſæ.*

Oritur autem hoc malum ex vulgata ſententia plerumque ab inflammatione inteſtinorum, quæ vehemēter ea comprimendo, atque vndique conſtringendo prohibet, ne fæces deorſum deſcendere valeant; & quia hoc malum plerumque in inteſtinis tenuibus conſiſtit, communicatur ipſi ventriculo, vnde cibi faſtidium, nauſea, vomitus oritur. Secundò idem vitium oriri docetur ex abſceſſu inteſtinorum tenuium, qui itidem in iis anguſtiam pariat. Tertiò ſtatuitur, malum hoc prouenire à copia fæcum, quæ adeò obduruerint, vt propterea ineptæ fiūt ad motum excretionis, ſed in ductu inteſtinorum hæreant, & tandē ad ventriculum regurgitent, ac per os reiiciantur. Prouenit & ab hernia quādoque Ileus: ſed cauſſa iſta ad inflammationem reduci poteſt; cum non pariat Ileum, niſi inteſtina compreſſa, & dolentia inflammentur. Addunt nonnulli & venenum hauſtum: ſed & iſta cauſſa vel inflammationem vel exulcerationem inducit. [Margin: Cauſſa Ilei.]

Verum ſi quis rem diligentius perpendat, in iſta vulgata doctrina deſumta ex Galeno, 6. *de loc. aff. c.* 2. 3. *aph.* 22. 3. *Epidem. comm.* 2. *text.* 6. 3. *de nat. fac. c.* 13. aliquid deſiderari, eamque veritati non omnino conſentaneam eſſe animaduertit. Nam licet concedimus, ab inflammatione & retentis fæcibus duris ileum accidere poſſe; tamen cauſſa proxima, & immediata non eſt, quod vulgò ſtatuitur, magna inteſtinorum obſtructio, & coarctatio, ob quam eorum viā occluſā nihil deſcendere poſſit. Nam ſi inteſtina tenuia planè occluſa & coarctata ſunt (etenim in inteſtinis tenuibus vel ſemper, vel certè omnium conſenſu frequentiſſimè inflammatio Ilei cauſſa conſiſtit) quomodo fæces & ſtercora, quæ in craſſis cumulantur, per ea tranſire & vomitu reiici poſſunt? Et quomodo clyſteres & glandes vomitu reiici poſſūt, ſi inteſtinorū via plane præcluſa eſt? [Margin: An inteſtinorum obſtructio à fecibus facta ileum pariat?]

Quapropter in ea ſum ſententia, proximā huius mali cauſſam eſſe facultatis diſtributricis chyli & expultricis motū inuerſum ac præter naturam. Nam cum ſecūdum naturam diſtributio chyli & expulſio fiat in inteſtinis, contrahentibus ſeſe per fibras inteſtinis à ſuperiore parte deorſum, id eſt, à ventriculo verſus inteſtinū rectum, ſi motus inuertatur, & circulares inteſtinorum fibræ à parte inferiore ſurſum verſus ventriculum contrahantur: quæ per inferiora deiici debebant, ad ventriculum adſcendunt, & per os reiciiunt. Habet enim ſe res ſicuti in ventriculo in vomitu. Nam dum fibræ oblongæ œſophagi à parte ſuperiore verſus ventriculum ſe contrahunt, fit deglutitio ciborū. Cum verò inuerſo hoc agendi ordine à parte inferiore verſus ſuperiora ſeſe contrahunt, fit vomitus. Ita etiam dum fibræ inteſtinorum à parte ſuperiore verſus inferiora ſeſe coarctant, fit cibi diſtributio, & fecum; contrà dum verſus ſuperiora ſeſe contrahunt, malum hoc excitatur. Atque hoc non rarò fieri, & veram eſſe hanc Ilei cauſſam multa teſtantur. Clyſteres enim quandoque vomitu reiici ob motum hunc naturæ inuerſum, ſæpè obſeruatū eſt. [Margin: Verior ilei cauſſa.]

Imprimis notabile eſt, quod Matthæus de gradib. *in practic. c. de vomitu*, refert, de quadam puella annorum duodecim, quæ ileo laborans non ſolum nihil per aluum reddidit, ſed & fæces, & poſtea etiā clyſteres iniectos non multò poſt vomitu per os reiecit. Idque cum totū triduum continuaſſet, & poſtea ſuppoſitorium longum immiſſum fuiſſet, & illud intra temporis ſpatium, quo dicitur Pater noſter & Aue Maria, vt loquitur autor, per inteſtina aſcendit ad ſtomachum & vomitu fuit reiectum. Poſtea cum ſuppoſitorium aliud filo ad coxam alligaretur, ſtatim rupto filo adſcendit ſurſum ad ſtomachum, illudque ęgra cum parte fili appenſi euomuit. Et cum tertiò ſuppoſitorium aliud quatuor filis fortibus [Margin: Notabilis ilei hiſtoria in puella quadam.] [Margin: Suppoſitoria & clyſteres vomitu reiecti.]

bus alligaretur, & illud paulò poſt ruptis filis per os cū parte filorum reiectum fuit. Tandem cum Medicus iuberet, vt mater aliud ſuppoſitorium immitteret, tanta violentia ſurſum attractum fuit, vt mater, ne ſurſum raperetur, illud extrahere cogeretur. Curata tamen fuit iſta puella iuſculis pinguibus, quæ virtutem attractricē laxant, exhibitis. Quæ quamuis ſæpius primò vomitu reiicerentur; accidit tamen, vt, ſecunda die iterum per aluum deiicere inciperet. Ita narrat Guainerius, *tract.* 5.*c.* 2. ſuppoſitorium per os reiectum fuiſſe: & Doctor

*Candela ſebacea vomitu reiecta.*

Iacobus Oetheus obſeruauit vxorem cuiuſdam fabri ferrarij Toldani, puerperā, partē candelæ ſebaceæ, quod loco ſuppoſitorij ano immiſerat, poſtera die vomitu reieciſſe. Quæ omnia ſatis teſtantur, in Ileo viam inteſtinorum non ita occluſam eſſe, vt vulgo ſtatuitur, ſed potius motum facultatis expultricis in inteſtinis inuerſum. Tenuit hāc cauſſam Galenus ſatis clarè 2.*de ſympt. cauſſ.c.*3.vt mirū ſit, à Practicis non eſſe animaduerſum: cum tamen non ſit praui ad curationem momenti, ſed laxatis fibris, vt ex hiſtoriâ Matthæi de gradibus antea recitatâ apparet, motus hic remittat, ipſaque experientia teſtetur, euacuationes tales ſæpè per roborantia & adſtringentia augeri; contrà prohiberi per laxantia & emollientia.

*Vera ilei cauſſa Galeno nota fuit.*

*Cauſſa motus inteſtinorum inuerſi triplex.*

Cauſſas autem cur motus ille inteſtinorū ita inuertatur, triplices agnoſco. Primò inteſtinorum inflammationem, ſiue ea per ſe accidat, ſiue ob herniam, aut inteſtinorum aliquem abſceſſum, ſeu alium tumorem. Secundò fecum retentionem, quæ vel diſtendendo, ſeu vellicando & mordendo naturam ad hanc præpoſterā excretionem irritant. Tertiò inteſtinorum exulcerationem, humoreſque acres & vellicantes, quæ irritando cauſſa ſunt, vt natura hunc deprauatum motū inſtituat. Quò procul dubio & venena adſumta pertinent. Secūdum quam cauſſarum varietatem etiam iam de Ileo agemus. Quotieſcunque enim natura ab his cauſſis impeditur, vt deorſum pellere non poſſit, ad excernendū tamen ſtimulatur, motus ille facultatis expultricis inuertitur. An verò in tenuibus, an verò in craſſis inteſtinis cauſſa hæc conſiſtat, alij aliter ſentiunt. Verior eſt ſententia, plerumque in tenuibus conſiſtere, quæ ob venarum copiam & ſanguinis abundantiā facilius inflammantur, & naturâ ſuâ anguſtiora ſunt. Quandoque tamen etiam craſſis affectis hoc malum generari poteſt; cum cauſſæ omnes, quæ ileum producunt, etiam in craſſis reperiri poſſunt. de qua re prolixè agit Petr. Salius Diuerſus, *de affect. partic. cap.* 11.

*An Cauſſa motus inuerſi in tenuibus inteſtinis conſiſtat?*

## *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.*

Signa Ilei Galenus, 7.*aphor.* 10. ita recenſet: *In Ileo nihil deſcendit per inferiora, atque id affectus huius propriū eſt, & inſeparabile ſignum*, de quo tamen poſtea, in quæſtione dicetur. *Vomitus verò non ſemper adeſt, ſed cū perniciosè agrotāt: quod ſi diutius cū nauſea conflictentur, ſtercus ipſum ſurſum remeat, & ſingultiunt. Quidam etiam deſipiunt & conuelluntur, neruorum principio in orificio ventriculi per conſenſum affecto.* Aetius plura addit: (& ſunt omninò plura addenda) dolorem in ventre ſeſe conuoluentem, & murmura, ructus nihil iuuantes, malo aucto omnia ſurſum remeant, accidit vomitus bilis & pituitæ, frigiditas totius corporis, dolor plurimus, ſpirandi difficultas. Morituris tandem ſudor aduenit frigidus, vrinæ difficultas, podex ita adſtrictus eſt, vt neque ſpecilli extremū admittat, ſtercus demum per os reiicitur. Ex quibus non difficile eſt Ileum à colica diſcernere. Etſi enim magna ſit horum affectuum cognatio: tamen etiā non parum differunt. Colicæ enim natura præcipuè in dolore conſiſtit, & ad colicam ſatis eſt inſignis inteſtinorum dolor, etſi alia ſymptomata non adſint: Ilei verò imprimis in defectu expulſionis per inferiora, & inuerſo naturæ ac facultatis expultricis in inteſtinis motu. Licet etiam vomitus in colica accidat; tamen non ita violentus eſt in Ileo neque omnia alimenta, multo minus excrementa, per os reiiciuntur, id quod in Ileo accidit, in quo etiam clyſteres & glandes ano immiſſi ſuperiora verſus trahuntur, & per os reiiciuntur.

*Colica & Ilei differētia.*

Vtrum autem tenuia vel craſſa afficiantur inteſtina, ita dignoſcitur. Si tenuia inteſtina affecta ſint, ſtomachi diſtenſio adeſt, & ſpiritus anguſtia ac nauſea, atque vomitus aſſidui & vehementes, ita vt nec potus contineri queat, paulò poſt & ſtercoris vomitus ſequitur, dolor & tormina magis ad ſuperiora vergunt.

Si in craſſis cauſſa conſiſtat, vomitus non ita continuò durat, dolor ad hypochondria magis peruenit, & lumborum adeſt grauitas, vomitus ſtercoris tardus ſuperuenit.

## *Prognoſtica.*

*Prognoſt.*

1. Omnis quidem ileus periculoſus eſt: is tamen, cui etiam ſtercoris vomitus ſuccedit, exitialis, & ab eo vix vllus ſaluatur, vt docet Galenus, 7.*de loc.aff.c.*2. Aliquos tamen conualuiſſe vidit Pet. Salius Diuerſus, qui ex inteſtinorū in ſcrotum delapſu in hoc malum inciderūt.

2. Iliacus dolor magis periculoſus eſt, ſi tota inteſtina afficiantur: minus, ſi ſecundum partem, & adhuc minus, ſi ſecundum partem inferiorem, à ventriculo & hepate remotiorem.

3. Iliacus affectus eſt familiaris ætati puerili. Euadunt tamen facilius, cum calidum innatum habeant robuſtius, & humores in iis minus acres, & mordaces ſint. Senibus verò non valdè eſt familiaris: ſi tamen iis accidat, ferè nunquā conualeſcunt. Aetius *tetrab.*3.*ſer.*1.*c.*28.

4. Quibus in ſtranguria Ileos ſuperuenit, intra ſeptē dies moriuntur, niſi febre accedente copioſior vrina fluxerit. Hippocrates, 6. *aphor.*44. Non intelligitur autem hic ſtranguria, quæ ab inflammatione eſt, ſed quæ ab humore vitioſo. Et plerique quidem hic accipiunt humorem frigidum, craſſum, pituitoſum. Ita enim putant in corpore augeri pituitam, vt & in veſica illa abundet, vnde ſtrāguria excitetur, & in inteſtinis, vnde Ileos, dum ſcilicet pituita copiâ & lentore ſuo feces per aluum deſcendere non ſinat. Febre verò ſuperuenien te his morbis, cum materia frigida concoquatur, & per vrinam euacuetur, ſpem eſſe ſoluta illa ſtranguriâ Ileū quoque à natura facilius ſuperari poſſe, vt æger euadat. Verum enim verò non credibile eſt, craſſam illam pituitam, quæ in inteſtinis eſt, per vrinam & tot ambages euacuari; nec neceſſum eſt, vt ſi quid abundet in inteſtinis, ſimul etiam abundet in venis, cuius tamen euacuatio è venis id quod in inteſtinis eſt, non tollit. Itaque verò magis conſentaneum eſſe puto, talē Ileum, qui poſt ſtranguriam ſuperuenit, prouenire ex humoribus acribus, qui etiam ſtranguriam excitare poſſunt, quorum euacuationem & expulſionem ſi natura per vrinam tentet & non perficere poſſit; atque hinc in inteſtina tenuia mittatur, ibi non ſolum dolorem colicū, ſed inflammationem atque ileum excitare poteſt, qui lethalis eſſe ſolet ob copiam & acrimoniam humoris ac materiæ, niſi ea rurſum ad venas regurgitet, & hinc per vrinam copiosè euacuetur, qui motus vix ſine calore aliquo febrili abſolui poteſt, vt in talibus naturæ motibus ſæpe obſeruatur.

5. Ab Ileo vomitus, aut ſingultus, aut conuulſio, aut deſipientia, malum. 7.*aphor.*10.& 6.*de loc.affect.c.*2. Singultus accidit, quando ſtercus ventriculum attingens morſu illum fatigat, aut etiam dum orificium ventriculi à motu illo inteſtinorum peruerſo in conſenſum trahitur. Delirium verò ſuperuenit propter conſenſum oris ventriculi cum cerebro.

6. Et voluulis malè olentibus cum febre acuta, hypochondrique ſublimi diutius perſeuerante parotides exurgentes perimunt. Hippocr. 3.*prognoſt.text.*66. Galenus ibi voluulum *δυσώδη* ſeu malè olentem intelligit, in quo primò ſtercus euomitur, quod ſignum eſt maximè lethale; deinde in quo reſpiratio, ructus, flatus, & totum corpus malè olet. Vbi igitur præter hæc ad febrem

brem acutam parotides accesserint, lethale magis malum efficitur; quoniam indicio est,malum esse cum febre malignâ(procul dubio primariâ, quam intestinorum inflammatio & parotides comitantur) & caput in extremo quasi naturæ conatu in consensum trahitur.

7. Ileo laborantibus vomitus & surditas malum. Hippocrates, *in Coac.* Intelligit autem vomitum multum,& grauiter olentém stercoribus simul excretis. Aliquando surditas accedit, materiâ ad caput conuersâ, quod ferè indicio est febrem seu acutam seu malignam coniunctam esse, cui ileus coniungatur.

*Quinque Ilei gradus ab Arabibus constituti.* 8. Arabes quinque gradus quasi Ilei constituerunt. Periculosissimus is est,cum stercus vomitur: secundus, si sudor è toto sit fœtidus: tertius,cum spiritus,qui respiratione emittitur,fœtidus est: quartus, cum ructus est fœtidus: quintus,cum per aluum crepitus fœtidus exit.

*Indicationes.*

*Indicationes.* Cum expultricis facultatis motus inuersus sit, danda opera, vt naturalis motus restituatur, & fæces rursus per inferiora expellantur. Reliqua in specie patebunt. Si dolor valdè vrgeat, ei occurrendum, vt *de dolore colico & iliaco* dicetur.

*Curatio.*

*Curatio.* Itaque podex cum spongia in decocto aliquo emolliente imbuta foueatur, si naturâ adstrictus sit, vt glans melius subiici possit. Aetius inditam glandem fouet spongiâ succo calente cyclaminis madidâ. Ventri postea emollientia & humectantia adhibeantur, quæ ita comparatâ sint, vt caussam non augeant, sed potius tollant. Obseruatum enim est, cum interdum plures clysteres & satis fortes infusi nihil profecissent, externas alui emollitiones per fotus, inunctiones, cataplasmata, balnea ex humectantibus, vel ex oleo communi calente plurimum profuisse. Venter ergo inungatur oleo amygdalarum dulcium, chamæmelino, anethino, aut balneum fiat ex oleo communi tepido. Fotus adhibeantur ex decoctis foliis althææ, maluæ floribus chamæmeli, meliloti, seminis anethi, lini fœnugræci & similibus. Aut contusis iisdem addatur farina hordei, seminis lini, fœnugræci, & cum oleis chamæmeli, amygdalarum dulcium fiat cataplasma. Clysteres etiam emollientes iniici possunt.

Neque inutile fuerit talia emollientia, vt oleum amygdalarum dulcium, & iuscula pinguia, in quibus maluá & althæa cocta fuerint, ore sumenda exhibere, cum puella illa apud Matthæum de gradibus, frustra aliis medicamentis adhibitis, iusculis pinguibus curata fuerit.

Et quamuis semel atque iterum talia vomitu reiiciantur, continuandus tamen eorum vsus. Ita enim fibris intestinorum laxatis peruersus intestinorum motus sedatur. Verum in genere plura de curatione ilei dici non possunt: reliqua in differentiis patebunt.

*De Ileo ab Inflammatione.*

*Ileus ab inflammatione.* Ileus ab inflammatione, quæ quidem frequentissima eius caussa est,accidit, cum per venas, quibus præcipuè intestina tenuia copiosioribus prædita sunt, sanguis in membranas intestinorum exit, teste Galeno 3. *Epidem. com.* 2. *t.* 6. & 6. *de loc. aff. cap.* 2. & 6. *aph.* 44. Et autumno quidem potissimum Ilei generantur. 3. *aph.* 22. Quia æstate geniti humores tenues & mobiles autumni frigore inæquali in profundum corporis ad intestina pelluntur, vbi phlegmonem sæpe efficiunt, atque hinc ileum. Qua ratione autem inflammatio intestinorum generetur supra *de inflammatione intestinorum* dictum.

*Signa Diagnostica.*

Si ab inflammatione fit ileus, malum est acutissimum,citò ad statum properans,cum febri & vehementissimis fixisque doloribus; vires omnes languent,nec cibum nec potum continere possunt ægri, singultiunt, sudant, aliquando conuelluntur, in loco dolente nonnunquam tumor apparet,cuius ratione, vt docet Galenus, 6. *de loc. aff. cap.* 2. nonnulli hoc malum χορδαψὸν appellarunt, quod in eo tenue intestinum tactu deprehenditur cōuolutum instar chordæ; vrina supprimitur, quia vesica comprimitur,& in consensum trahitur,venter inflatur,respiratio difficilis & velox efficitur. Præcesserunt caussæ calefacientes, vsus aromatum nimius, cibi acres, & cruditates nidorosæ, vini generosi potus nimius, item medicamenta calida,lapsus, percussio,intestinorum in scrotum delapsus, venena.

*Prognosticum.*

*Prognostica.* Vt aliæ internæ inflammationes periculosæ sunt: ita & ileos ex hâc caussâ, vt pauci hoc modo affecti euadant. Et quantum in specie ileus ex inflammatione ortus periculi coniunctum habeat,etiam Prognostica antea in genere proposita docent.

*Indicationes & Curationes.*

*Curatio.* Eædem hîc sunt indicationes,quæ in aliis inflammationibus internis. De quo cum supra *cap.* 2. de inflammatione intestinorum dictum sit, non opus est, ea hic repetere: videantur loco allegato.

*De ileo ab aliis Tumoribus,& ab exulceratione.*

*Ileos ab aliis tumoribus, & exulceratione.* Non solum autem ab inflammatione, sed & ab abscessu,aliisque tumoribus,& ab exulceratione natura ita irritari potest, vt inuersum motum in intestinis instituat,& omnia sursum versus moueat,vt docet Galenus, 6. *aph.* 44.

*à cancro.* Ilei à cancro exemplum habet Pet. Sal. Diuersus, *de affect. particul. cap.* 11. vbi scribit, fabrum quendam ferrarium, qui cum in colo per plures menses cancrum passus fuisset,ex quo in transitu fecum quotidie vehemēti cruciabatur dolore, maximas persentiens punctiones, perinde ac si acubus perforaretur, factum tandem esse iliacum, & præcedentibus stercoris vomitibus miserè vita functum esse.

*Signa Diagnostica.*

*Signa.* Si fit ab abscessu aliquo,dolor adest,soletque cum ad suppurationem tendit, febris superuenire, tumor tactu percipitur,& præcéssere ea,quæ inflammationem præcedere solent. Si sit tumor scirrhosus, præcessit diuturna intestini durities. Neque enim à scirrho subitò hoc malum excitari potest, & durities illa tactu deprehendi potest, si in intestinis exterius sita sit: si autē sit in interioribus,licet tactu ita facilè non deprehendatur, tamen semper grauitas percepta fuit, quâ intestina infra quasi detrahi, præcipuè cum æger stat, videntur, & ad detrudenda excrementa æger ob intestinorum angustiam non ita promptus est.

Si cancer sit caussa, durities ad tactum percipitur, punctiones & dolores sunt continui, qui à fecibus transeuntibus valdè exacerbātur,malunq; fuit diturnū.

Si à veneno exulcerante & erodente fit ileos, id assumtum fuisse, æger vel adstantes docebunt.

*Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Qui à scirrho, cancro vel simili tumore excitatur ileus,incurabilis est. Morbi enim hi vel ipsi incurabiles sunt, vel si curationem admitterent,ea non nisi longo tempore perfici posset. Ileos verò malum acutum tam longam moram non fert.

2. Qui

2. Qui à veneno eſt ileus, periculoſus omnino eſt; cum malo aliâs periculoſo venenum coniungatur.

*Curatio.*

*Curatio.* Qui à cancro, ſcirrho eſt ileo, vix, vt dictum, curabilis eſt. Eius, qui à veneno ortum habet, eadem ferè curandi ratio eſt, quæ Ilei ab inflammatione: niſi quod venæ ſectione opus non eſt, & medicamentis cum internis, tum externis alexipharmaca, & quæ veneno peculiari modo reſiſtunt, admiſcenda.

*De Ileo à fecibus induratis.*

*Ileus à fecibus induratis.* Si feces induratæ inteſtina occludant & excrementa in inteſtinis tamdiu cumulentur, vt natura amplius ea ferre nequeat, hunc peruerſum motum inſtiuit: id quod ab omnibus cauſſis, quæ aluum obſtruere & feces retinere poſſunt, fieri poteſt.

*Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Cognoſcit id ex eo, quod præceſſit diuturna alui obſtructio, dolor in principio non adeſt, ſed poſtea accedit, nec tamen eſt adeò acutus & vehemens, vt in inflammatione, ſed potius adeſt grauitas ventris, & abdominis tenſio, inteſtina ad tactũ ſtercore duro turgida ſunt, flatus frequenter ſupra erumpũt, febris ferè abeſt, vomunt bilioſa & pituitoſa, & tandem morbo creſcente ipſas alui fæces. Præceſſerunt cauſſæ alui adſtrictæ, & fæcum diutius retentarum, de quibus infra, *cap.*4.

*Prognoſtica.*

*Prognoſtica.* Minus periculoſus eſt hic ileos, quam qui ab inflammatione vel aliis tumoribus, vel inteſtinorum exulceratione prouenit.

*Curatio.*

*Curatio.* Fæces induratæ emolliendæ ſunt, poſtea emollitæ educendæ. Et eadem curandi ratio eſt, quæ colicæ à fecibus induratis. Extra nimirum inunctiones, fomenta, cataplaſmata, clyſteres, balnea ex emollientibus vſurpanda: inter quæ ab antiquis imprimis cõmendatur balneum ex oleo dulci, clyſtere emolliente præmiſſo. Poſt balnea & humectantia talia applicata acriores paulò clyſteres iniici oportet, quò irritata natura id, quod emollitũ eſt, facilius excludat. Sedes verò ſẽper foueatur ſpongia calida decocto emolliẽte imbuta.

Intrò aſſumenda iura pinguia, oleum amygdalarum dulcium, lini, ſeſaminum ad Vnc.ij. vel iij. butyrum recens, decoctum althææ, maluæ & ſimilium. Vel ſumatur hora vna ante cœnam vel prandium caſſiæ extractæ Vnc. j. vel Vnc. j. ß.

*Hippocratis in ileo remedium.* Si his malum non cedat, ad Hippocratis remedium, quod poſtea in curatione colicæ proponetur, accedendum cenſent autores, vt ſcilicet folle inteſtina inflata à ſtercoribus ſeparentur, & poſtea clyſter ad ea diſſoluenda & extirpanda iniiciatur.

*Nouum ilei genus.* Obſeruaui adhuc aliud Ilei & motus inteſtinorum inuerſi genus, quod neque ab inflammatione, neque enumeratarum cauſſarum vlla ortum habuit, ſed ſimpliciter ex ἀναῤῥοπίᾳ humorum in quodam viro hypochondriaco. In eo enim ita humores ſurſum ex hypochondriis vergebant, vt non ſolum epilepticus, & cæcus fieret, ſed vt etiam clyſterem vomitu reiiceret. Poſſet forſan cauſſam hic quis referre ad multitudinem crudorum & craſſorum humorum, vna cum vehementi refrigeratione, cuius Galenus, 6. *aph.* 44. mentionem facit, qui etiam ſupra *prognoſtic.*4. adductus eſt, (& abundauit ille vir multis crudis humoribus.) Non tamen facile dixero, ab iis, quatenus refrigerant, malum hoc induci, ſed potius, quatenus peculiarem aliquam corruptionem acquiſiuerunt (epilepticus enim etiam fiebat) vel acres alios humores admixtos habuerunt.

## QVÆSTIO.

*An in ileo nihil per aluum excernatur?*

*An in ileo nihil per aluum excernatur.* In ileo nihil per aluum excerni, atque id eius inſeparabile ſignum eſſe docet Galenus, 7. *aph.* 10. vt ſupra dictum. Hippocrates tamen contrarium teſtatur, *lib.*3. *epid. ſect.* 3. *text.*7. in hiſtoria mulieris voluuloſæ, quæ apud Taſimenum decumbebat, dicens: deiectiones tenues, crudæ, paucæ. De quo loco Petrus Sal. Diuerſus *de affect. particul. cap.*11. *Verba hæc ſicuti Galenus in comment. neglexit, ita poſteritas conniuentibus oculis pertranſiit, & tamẽ hæc in iliaca paſſione aliquid deſcendere affirmant. Ego diu locum hunc conſideraui, remque ipſam obſeruaui, tandem experientia & ratio me docuit, in ileo aliquid deſcendere poſſe. Vidi enim plures iliacos, in quibus nonnulla, licet pauca, excernebantur, hocque tantum, dum generaretur morbus, animaduerti fieri; facto autem, & completo morbo, nihil poſtea deſcendiſſe vidi. Hoc autem non ſine ratione factum iudicaui: quoniam dum fieret ileos, infra locum affectum deſcenderant excrementa, quæ vel à natura vel ab arte excludi poterant, antequàm omnia inteſtina in conſenſum affecti ducta eſſent, propriamque naturam & facultatem omnem amiſiſſent. Hinc Hippocrat. lib. de morb. cap.* 3. *in ileo ex inflammatione genito, ad extrudendas fæces infra locum affectum contentas, ſuppoſitorium ex melle, taurino felle oblinitum, decem digitorum longitudine imperabat, quæ non poſt morbum factum, ſed antea in inferioribus inteſtinis congeſtæ erant. Cum autem oppoſitum Galenus ſcripſerit, intelligatur de morbo completo locutum eſſe, & in eo caſu, in quo omnia inteſtina in conſenſum loci affecti deducta adeo aliquando anguſta redduntur, vt nec amplius flatum, nec ſtercus, nec podex etiam ſpecilli acumen admittant.* Quæ conciliatio omnino clarior erit, ſi proximam ilei cauſſam, vt ſupra dictum, ſtatuamus non inteſtinorum obſtructionem, ſed motum inuerſum.

# De Inteſtinorum doloribus.

## CAPVT II.

*De Colico dolore.*

*Dolor inteſtinorum.* Inteſtina quoque varia ſymptomata patiuntur, inter quæ ſatis frequens & grauis eſt dolor inteſtinorum, qui nonnunquam adeo acerbus eſt, vt nonnulli eum perferre non valentes necem ſibi ipſi intulerint, vt refert Galenus, 2. *de comp. med. ſec. loc. cap.*1. Atque is cum frequentius inteſtinum colum, vtpote in quo naturâ ſuâ longo & anfractuoſo materia dolorem excitans diutius moratur, nomen accepit, & dolor κωλικὸς, ac κωλικὴ διαθέσις appellatur, vulgo colica paſſio. Nomen huic malo inditum eſt à parte affecta, quod inteſtinum colum præcipuè hoc malo afficitur. Etſi enim negandum non ſit, quandoque etiam tenuia inteſtina affici: tamen à parte præcipuè affecta dolor ille denominatur. Et iliaca affectio non ſolùm tenuium inteſtinorum nomen eſt, ſed & peculiare malum plerunque denotat, in quo excrementa alui retinentur, & difficiles vomitiones adſunt. Celſo hoc malum, *lib.*4. *cap.*14. morbus inteſtini plenioris eſt.

*Cauſſæ.*

*Cauſſæ.* Cum aliàs dictũ ſit, ſubiectum doloris & tactus proximum eſſe membranas: etiam hîc inteſtina ſecundum mẽbranas, tàm internas, quã externas dolorẽ patiuntur.

Cauſſæ verò doloris colici etſi plurimæ ſint: tamen omnes in eo conueniunt, atque eâ ratione dolorem excitant, quatenus continuum ſoluunt.

Cauſſæ, quæ continuum ſoluunt, faciunt id diſtendendo, rodendo & mordendo. Addunt quidem nonnulli

nulli intemperiem. Verùm enim verò tantum dolorem ab intemperie, quatenus tali, induci posse, credibile non est. Et licet pituita vitrea, sanguis in inflammatione, sicut & bilis, colicos dolores excitent: tamen id non præstant saltem alterando, sed distendendo, vt postea *quæstione* 2. dicetur.

*Subiectum causa colici doloris.* Materia autem, quæ continuum soluit, vel in intestinorum cauitate consistit, atque est aut flatus, seu excrementa, quæ ibi retinentur ob angustiam intestinorum, quæ fit ab obstructione à fecibus induratis, aut à calculo, aut à vermibus, aut ab intestinorum compressione, aut conuersione, vt in hernia; vel consistit in intestinorum tunicis, seu rodat, seu distendat, seu vtrumque faciat; atque id fit ab humoribus nunc frigidis vel crassis, nunc calidis, nunc sine, nunc inflamatione: quandoque etiam materia, quæ colicam excitat, est venenata & maligna, sicut Paulus Ægineta, *lib.3.c.43.* refert, colicam pestilentem in Italia exortam multas Romanorum prouincias afflixisse.

*Colica à caseo durato in intestinis.* Neque etiam prætereundum illud, quod Platerus obseruauit, & *lib.3.obs. sub finem* inseruit, nimirum præfectum quendam colicis cruciatibus diu vexatū conuulsionibusque laborantem post clysmatum vsum casei concreti induratique magnam per aluum copiam eiecisse, quam diu in intestinorum anfractibus hæsisse & latuisse ex eo colligebat, quod nullum longo tempore, ob interdictum à Medicis illius vsum, caseum comederat, prius verò antequam ægrotaret, immoderatè se eo sæpe repleuerat.

*Differentiæ.*

*Differentiæ.* Etsi doloris colici differentiæ plures, secundum dolorū differentias, in genere, de quibus Galenus, *lib.2.de loc. affect.* capitibus aliquot agit, recenseri possent: tamen maximi momenti sunt illæ differentiæ, quæ sumuntur à subiecto & caussa efficiente. Subiecti ratione dolor intestina afficit vel omnia, quod rarius accidit, vel aliqua eáque vel tenuia, vel crassa. Si fit in tenuibus, propriè iliacus; si in colo, colicus dolor appellatur. Nonnunquam tamen & Colicæ nomen vtrique dolori tribuitur.

Deinde caussarum ratione, doloris colici non parua est differentia, quæ *supra* explicatæ sunt.

*Signa Diagnostica in genere.*

*Signa colicæ.* Dolor generatim in abdomine circa intestinorū regioné percipitur, qui aliàs in vno locus fixus, maximè sub vmbilico, pali infixi, vel terebræ perforantis speciē præ se fert; nunc instabilis, & vagus; supra verò vmbilicum de latere in latus, vel etiam infra de loco in locum vagatur, doloremque colicum situs ipse doloris ostendit. Incipit n. cum colo à sede dextri renis, vbi & dolor sæpe figitur, & ascendit ad iecoris gibbum, hincque secundū ventriculi fundum ad lienem, & sinistrum renem quasi zona tendit, atque ibi deorsum flectitur vsque ad intestinum rectū, & ita nunc iuxta splenem, & sinistrum renem, nunc & frequentius in dextro dolor percipitur. Trahitur a. in dolore colico plerumq; in cōsensum ventriculus, vnde appetitus deiectus, nausea & vomitus sæpe excitatur, quo pituitosa, cruda, nonnunquā biliosa, porracea & æruginosa reiiciuntur. Plurimi inter signa colicæ & hoc referunt, quòd aluus ita adstricta sit, vt nec flatus excludatur; & si quid excludatur, illud esse durum ac cum flatibus excerni. Verum hoc signum non omni dolori colico competit, sed cuidam saltem, & qui à fecum obstructione ortum habet, vt postea dicetur.

*Ventriculi doloris & colicæ discrimen.* Cum a. plures in abdomine partes contineantur, quæ dolorem pati possunt, accurata opus est distinctione. Et primò quidem ventriculi dolorē à colico distinguere, non adeo difficile est. Ventriculi n. dolor supra vmbilicum semper consistit, & non raro ad spinam quoque inter scapulas pertingit; cum ad nonam vertebrā ventriculus spinæ alligetur, præterea ructibus & vomitibus leuatur, & per os assumptis lenitur facilè, quod in dolore colico similiter nō accidit. Deinde etiam non adeo difficilè est dolorē, qui est in abdominis musculis, aut peritonæo, ab intestinorū dolore discernere ex doloris sublimitate & profunditate. Præterea hi dolores leniores sunt minus periculosi, nec hinc inde vagātur.

*Doloris colic & nephritic discrimen.* Difficilius verò est, dolorem colicū à nephritico discernere, ita vt Galenus ipse se in hoc deceptū fateatur, *2.de loc.aff.c.5.& 6.de loc.aff.c.* 2. Cōmunia n. sunt quædā vtrique dolori, nimirū dolor abdominis, nausea, vomitus, alui constipatio, dolor dorsi, impotentia corpus flectendi; quæ tamen ipsa in vtroq; dolore differunt, & præterea signa quædā vtrique affectui propria sunt. Dolor enim in intestinis est pungitiuus & intensior: in renibus grauatiuatius & remissior. Deinde colicus dolor amplū spatiū occupat, nephriticus angustū. Tertiò, dolor colicus ductum intestini coli sequitur, vt modò dictū. Nephriticus a. semper in eadem parte permanet, & qui calculo è renibus promoto accidit, à supernis ad inferiora descendit versus pubē secundum ductum vreterū, & semper à dorso incipit, & ad posteriores potius partes circa spinam vergit, sicut colicus magis ad anteriores, qui & in loco renibus alteriore consistit. Quartò, dolor colicus cibo assumpto intenditur; quia ventriculus repletus colū comprimit; nephriticus verò augetur cibo ad inferiora descendente, intestinis renes prementibus. Quintò Colicus dolor non in vno loco fixus est, sed vagabundus; nephriticus in vno loco stabilis, donec calculus secundum vreteris ductum in vesicam delabitur. Vomitus quoque, nausea, alui adstrictio in dolore colico vehementiora sunt, citiusque adueniunt; in nephritide grauius affligit dolor dorsi & crurum, ac flectendi & erigendi corpus impotentia, propterea quod intestina magis cum ventriculo sunt coniuncta; renes cum dorso ac cruribus.

Propria verò nephritici doloris signa sunt arenulæ & calculi excreti; vrinæ in substantia, colore & contentis mutatio, stupore femoris è directo affecti renis. Hæc ergo signa si absint, dolor colicus indicatur. Deinde dolor nephriticus lenitur arenularum, calculi, vrinæ crassæ & sabulosæ mictione; Colicus verò vomitu vel alui deiectione. Nephritici initio aqueas & puras vrinas reddunt, postea inæquale quid in iis subsidet, tandem arenosum. Colici verò flatulosum quid per aluum deiiciunt.

*Vteri dolor colicæ cognatus.* Est etiam cognatus colico dolori vteri dolor, solentque mulieres à partu, vel cū mensium fluxus instat vel supprimitur, dolore torqueri colico non absimili. Verùm is inguinibus & coxis communicatur, ac supra ilia non ascendit; præcessit etiam partus, vel instant menses, aut iidem retinentur. Interdum vteri suffocatio accedit; quæ symptomata in colicis non apparēt. Dysenteriā quoque à colica fluxus alui coniunctus facilè discernit.

An autem colum vel ileum afficiatur discernitur, quod dolor colicus magis extensiuus & grauatiuus est, & rei perforantis speciem exhibet, magisque infra vmbilicū affligit, cui & membra superiora minus consentiunt, atque iis, quæ per sedem eiiciuntur, valdè lenitur. Iliacus magis pungitiuus est, & supra vmbilicū fertur in hypochondriis, & membra superiora in consensum trahit, cum plerumque ab inflammatione ortum habeat, de cuius signis plura dicentur *capite sequente*.

De loco verò in colo affecto sciendum, quod si totū dolore detinetur, ille circa vtrumque ilium & infra vētriculi regionem prope vmbilicum percipitur. Cum autem pars tantùm afficitur, & quidem principium, dolor ilium dextrum occupat; si medium sinistrum; si finem, vmbilici regionem à sinistro proximam, vt ex coli intestini situ manifestum est.

*Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Dolor intestinorū malum non contemnendum est; quoniam dolor omnes vires ac spiritus dissoluit ac dissipat;

ſipat, & partes principes in conſenſum trahit. Et quanquam plerumque ad ſalutem, & quidem breui temporis ſpatio terminatur: tamen quandoque dolor vehementiſſimus eſt, & vires valdè deiicit; atque vbi ad ſalutem malum terminatur, dolores ſunt remiſſiores, nec conſtantes, neque vno in loco pertinaciter hærent, ſed quandoque intermittunt, & excrementa non prorſus retinentur. Contra ſi malum lethale futurum ſit, dolores ſunt acerbiſſimi, vno loco fixi, perpetui & conſtantes, excrementa planè detinentur, præterea vrgent vigiliæ, ſequitur ſingultus, vomitus, extremorum refrigeratio, ſudores frigidi, ſyncope.

2. Periculoſius eſt, ſi totum colum afficiatur dolore, quàm ſi pars ſaltem; & minimum periculum eſt, ſi ſecundum vmbilicum colique finem dolor conſiſtat, quò clyſterum vis magis peruenire poteſt: maius, ſi in eius medio & in ſiniſtro ilio: adhuc maius, ſi in coli principio & in illo dextro; quoniam inde difficilior materiæ exitus patet & clyſterũ virtus huc ægrè penetrat.

3. Colica nonnunquam in dorſi dolores mutatur, materiâ, quæ in hypochondriis continebatur, fusâ & in ſpinam delatâ; nonnunquam in arthritidem, materiâ ad articulos tranſmiſsâ: ſæpiſſime in paralyſin. De via autem per quam materia ad iſta loca fertur, dictum in Inſtitut. *lib. 2. part. 3. ſect. 2. c. 5.* & dicetur etiam de ſcorbuto. Atque hoc malum quandoque epidemium eſſe ſolet, vt Ægineta meminit, *lib. 3. c. 28. & 43.* Quod ſi materia illa, præſertim bilioſa & tenuis, progreſſu temporis acrimoniam & malignitatem aliquam acquiſiuerit, epilepſia gignitur. Et addit Ægineta, eos, qui ex tali colica in epileſiam delapſi fuiſſent, pleroſque periiſſe, qui in paralyſim, pleroſque ſanatos fuiſſe, critica quaſi materiæ ex alto corpore tranſlatione, & tandem diſcuſſione. Verum Prognoſticum hoc ei in ſpecie dolori colico competit, qui ab humore acri & ſcorbutico eſt, de quo infra.

4. Prauus eſt colicus & iliacus dolor, vbi vomitus crebrior adeſt, ac potus retineri nequit, & nihil vel parũ infrà excernitur, extrema refrigerantur, atque alia ſigna doloris colici lethalis antea enumerata adſint.

5. Colicus etiam dolor nonnunquã in abſceſſum coli inteſtini lethalem mutatur. Sic refert Guilielmus Fabricius, *cent. 2. obſ. 74.* fœminam quandam grauiſſimo dolore colico cum ventris cõſtipatione ac vomitu correptam fuiſſe, indeq; febrem exortã, neglectoque morbo dolorem ita auctum præcipuè in ſiniſtro latere ſub coſtis nothis, vt per octiduum nullum ſomnum capeſſere potuerit. Ventrem fuiſſe tumidum inſtar tympani extenſum, & neque flatum, neque excrementa toto octiduo eieciſſe, tandemque ruptum eſſe abſceſſum in ſiniſtro hypochondrio, ea ſcilicet coli parte, vbi eſt anguſtius, (id quod Fabricius inde cognouit, quod non parum puris per aluum excreuit) & ſuperueniente ſudore frigido ac ſyncope ægram mortuam fuiſſe.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* In colica curanda duo ſcopi Medico propoſiti ſunt; primus quidem, vt cauſſam, quæ dolorem hunc excitat, amoueat; quæ cum multiplex, quælibet pro ſuâ natura ſui amotionem indicat, vt poſtea de ſingulis in ſpecie dicetur; atque hæc curatio maximè regularis eſt. Quia verò dolor interdum ita vehemens eſt, vt ad ſe curam trahat; nonnunquam ad tempus dilata curatione, quæ cauſſæ debetur, ſi ægrum ſeruatum velit Medicus, dolori primum occurrendum eſt, qui alter in colica curanda ſcopus.

### *Curatio.*

*Curatio. Anodyna quid ſint?* Ad dolorem autem vehementem tollendum opus eſt anodynis, & interdum etiam narcoticis. Anodyna ſunt, quæ temperata ſua qualitate & humiditate partes, dolore afflictas ſuauiter demulcent laxantque, de quibus in Inſtit *lib. 5. part. 1. ſect. 1. c. 7.* Narcotica verò ſunt, quæ peculiari vi ſtuporem parti inducunt, vt dolorem non ſentiat, cauſsâ doloris relictâ. *Narcotica quid?* Anodyna autem nunc aſſumenda exhibentur, nunc per clyſterem infunduntur nunc extra applicantur. *Interna.* Intus ſumitur oleum amygdalarum dulcium recens ab Vnc. iij. ad Vnc. v. cũ ſacchari albi Vnc. ß. Si calor adſit, aliquid ſyrupi violacei, aut etiam ſpecierum diarrhodi abbatis modicum addi poteſt.

In materia frigida oleo amygdalarum dulcium dimidia pars olei amygdalarum amararum addatur, quidam & vini maluatici aliquid addunt. Decoctum quoque chamæmeli præſtantiſſimum eſt anodynum. Vtile eſt & decoctum anethi.

Si hæc æger abhorreat, clyſtere, quorum aliàs etiam ſemper in colica magnus vſus eſt, cum dolores hîc plerunque in craſſis inteſtinis conſiſtãt, ex anodynis ſeuiis, quæ calida & humida, parētur, *chamæmelo, anetho, malua, althæa, branca vrſina, parietaria, ſemine lini, fœnugræci, caricis pinguibus, butyro recenti, adipe vitulino, gallinaceo, oleo communi dulci,* & ſimilibus, vt:

℞. *Maluæ, parietariæ, flor. chamæmeli* an. Vnc. j. *ſummitat. anethi* M. ß. *ſem. lini, fœnugræci* an. Vnc. ß. Coquantur in ſ. q. aquæ. Colaturæ ℔. j. *ol. amygdalarum dulcium recentis* Vnc. ij. *pinguedinis gallinæ vel anſerinæ* Vnc j. Fiat clyſter.

Licet & clyſteres ex oleis, puta amygdalarũ dulcium, chamæmelino, anethino iniicere, quibus & portio aliqua adipis gallinæ, vel anſeris admiſceri poteſt.

*Externa.* Extrà, poſt alui lenitionem, conueniunt fomenta ex iiſdem parata, quæ vel in veſica, vel ſpongia, vel lana, vel linteo applicãtur. In cauſſa frigida conueniunt *oleũ lini, amygdalarum amararum, chamæmelinum, anethinum,* aut horum decocta. In calida *oleum violarum, roſaceum cum vitello oui, hydrelæum, lac bubulum, ouillum, mucilago ſeminis althææ, maluæ, omentum caſtrati in oleo roſaceo calefactum,* emplaſtrum *ex mucilagine ſeminis pſylli, oleo roſaceo & vitellis ouorum.* Commodus etiam vſus balnei, quod & ipſum dolores valde lenit, & vt efficacius ſit, herbæ modò enumeratæ prius in aqua coqui poſſunt.

Internis autem illis vtimur ſemel atque iterum pro doloris violentia: modò dolor colicus non ſit ab inflammatione. Tum enim, vt poſtea dicetur, mox adhibenda eſt phlebotomia.

Externorum vſus frequentior eſſe poteſt: ſed præcedat aliqua euacuatio. In horum tamen etiam vſu hoc notandum, ne valde calefacientia, vbi ſaltem dolorem ſopire animus, vſurpentur. Inſigniter enim calefacientia anodyna non ſunt, ſed potius cauſſam reſpiciunt, de quo ſuo loco.

Si verò anodyna nihil proficiant, & dolor vehemens admodum ſit, vt ſyncope, vel vitæ periculum immineat, ad narcotica accedendum, & vſurpantur commodius in mordaci & acri humore, non quod refrigerent, vt vulgò creditur, ſed quod humoris acrimoniam mitigandi, eum incraſſandi morſumque & motum eius inhibendi etiam vim habent. Et quamuis aliqua intemperies vel ſtupor inducatur: tamen melius eſt, intemperiem ex narcoticis relictam longiore tempore curare, quam breui deiectis viribus ægrum mori. *In quibus narcotica conueniant.* In frigidis autem & craſſis ac lentis humoribus narcotica, & opiata ita commoda non ſunt, cum cauſſam morbificam deteriorem & curatu difficiliorem reddant. Et quamuis qui à frigidis humoribus colicam patiuntur, initio aliquid commodi è narcoticis percipere, & dolores leniri videantur: tamen poſtea maiores fiunt, humore ipſo craſſiore, & ad motum, magis inepto reddito, tunicisque inteſtinorum magis addenſatis.

*Narcotica ſimplicia. Compoſita.* Sunt autem talia remedia varia, ſimplicia, vt opium, radix madragoræ, ſemen hyoſcyami & alia compoſita. theriaca & mithridatium recens, requies Nicolai, philonium Perſicum, philonium Romanum, laudanum opiatum & ſimilia.

Simpli

Simplicibus rarò vel nunquam solis, ob vehementiam, quam habent, vtimur. Compositis tutius & frequentius, de quorum recto vsu, & compositione videatur Galenus, *lib.9.de compos.medic.sec.loc.c.4.* Aëtius, *tetrabil.3.serm.1.cap.32.* & supra *lib.1.part.2.cap.1.*

*Na..otica tri.. modis hic usurpari sole..*

Narcotica autem illa tribus modis vsurpari solent, ac vel ore assumuntur, vel clysteres iniiciuntur, vel extra applicantur. Et rarius quidem ore sumenda exhibentur; tutius per aluum infunduntur cum iure vel decocto conueniente.

*Caula in ..su narcoti.. coru..*

Inter interna, vbi necessitas exigit, exhiberi possunt, requies magna, philonium Romanum, aut Athanasia, Dr. j. pondere cum decoctis florum chamæmeli Vnc. iij. & syrupi papaueris Vnc.ß. Et quidem antiquis vsitatissimum & laudatissimum medicamentum est philonium Hodie in vsu est laudanum opiatum, quod ij. vel iij.gr. pondere exhibetur. Hoc tamen etiam circa narcoticorum vsum, tum in hoc, tum in aliis morbis, in quibus vsurpanda, monendū, vt, cum iis opus est, adhibeantur, dum vires adhuc constant. Nam si viribus iam prostratis, & vbi ferè morti vicinus est æger, vsurpetur, non solum non prosunt, sed ægro etiam interitum accelerant, & cum sensu vitam auferunt, dum spiritus iam antea languentes, aut deficientes sopiunt quasi & calori natiuo obsunt.

Deinde per clysteres talia iniiciuntutur cum decocto conueniente, & clystere infuso æger in latus dolens recumbat. Exempli gratiâ paretur clyster ex decocto hordei & capitibus papaueris.

Vel ℞. *Decocti flor.chamæmeli, vel alterius* ℔.j *philonij Romani, aut requiei Nicolai* Vnc.j.ß.*ol.amygdal.dulcium.*

Fiat clyster.

Tandem eadem extra applicantur, vt:

℞. *Fol.parietariæ, hyposciami* ana M. j. Conquantur & contundantur. Contusis adde *Pulu.florum chamæmeli, farinæ seminis lini, fœnugræci* an. Vnc.ß.*croci* Drach.ß.*opii* Scrup.ß. vel Scrup.j.*vitellorum ouorum* num. iij. *ol. de pauer.* Vnc. ij. *chamæmel. anethini* an. Vnc.j. Fiat cataplasma.

Cum materia dolorem excitans in cauitate intestinorum continuetur, Rhases necessitate vrgente opiatis vtitur, addito scammonio in causâ calidâ, vt bile prouocatâ simul aliquid è ventre educatur. Vel paretur talis clyster.

℞. *Parietariæ, maluæ, althææ, flor.chamæmeli* an.M.j.*sem. lini, fœnugræci* an. Drach. iij. Coquantur in aqua simplici. Colaturæ ℞. ℔.j. *Benedictæ laxatiuæ* Vnc. ß. *diaphœnici* Drach. ij. *philonij Romani* Drach. j. *ol.chamæmeli, lini*, an.j.ß. F. clyster.

*..n coli.. ..culta ..tate le..*

Cōmendantur ab antiquis & à recentioribus quædā quæ occulta proprietate dolores colicos lenire creduntur. Inter ea imprimis laudatur stercus lupinum albū, quod in spinis repertum in terram non cecidit. Datur à Drach. ß. ad Drach. j. cum pauco sale, vel pipere in vino, albo tenui, vel etiam aqua. Phlegmonem tamen abesse oportet. Imò laudatur etiam foris ilibus suspensum, vt videre est apud Galenum, *lib.10.de simpl.medic. facult. cap. de stercoribus.*

Commendatur & intestinum lupi ex analogia fortasse membri. Galenus galeritam auem, seu alaudam, quæ apicem in capite gestat in iure elixam dat. Dioscorides assam probat: alij tostæ puluerem ex aqua propinant Rhases, Auicennas & alij cornu cerui Drach.j. in potu exhibent. Dantur & lumbrici terrestres, & talus suillus, & intestina gallinæ tosta & trita à Scrup. j. ad Dr. j. in vino vel aqua, prout materia frigida vel calida id admittit. Lysius quidam Medicus stercus gallinaceum vtiliter præbuit ex œnomelite vel aceto, vel vino aquâ diluto, teste Galeno, *lib.10.de simpl.med.fac. cap. 10.* Rodericus Fonseca, *consult.57.* remedium singulare, tanquam maximè secretum ad dolores colicos tam curandos, quàm præcauendos, & quod à proprietate totius substantiæ operetur, & in seipso & in aliis multis expertus fuerit, commendat testiculos equorum. Lauat eos vino generoso, deinde in taleolas incidit & in furno exsiccat lento calore, atque vsui seruat, & cum opus Drach.j. in puluerem reducit cum Drach. ß. seminis anisi, & post euacuationem per clysteres, vel lene aliquod medicamentum in iure vel vino exhibet, & ægrum tribus horis à cibo & potu abstinere iubet. Plura videantur apud Aëtium, *tetrabil.3.serm.1.lib.3.cap.31.* & apud Trallianum, *lib. 10. cap.1. sub titul.vlt.de amuletis*, vbi tamen & superstitiosa quædam enumerat.

*An detur re..uera medicamēta quæ occulta proprietate dolores colicos lenire aut tollere possint?*

Verum enim verò cum colica sit malum à caussis manifestis ortum (etsi causæ distendendo vel mordendo colicam excitanti malignitas etiam quandoque inesse possit) non sine caussa dubitatur, an dentur medicamenta, quæ peculiari & occulta proprietate dolores colicos sanent: & si ex iis quædam iuuant sumpta (nam de extrà appensis maior adhuc videtur esse dubitatio, & pleraque ex his videntur esse superstitiosa) effectus illius caussa ex qualitatibus notis reddi potest; qualia sunt stercus lupi, gallinarum, lumbrici terrestres, quæ facultatem attenuandi abstergendique & nitrosi quid habent, omnemque vim suam à sale obtinent. Alia verò quæ occulta omnino proprietate iuuare videntur, vt intestina lupi, gallinæ & similia vim potius intestina confortandi ob similitudinem, quandam habent, atque ita non immeditè Colicæ prosunt; ideóque ista medicamenta non sine iudicio in omni colica à quacunque caussa ortâ adhibendæ, sed prius diligenter dispiciendum, an caussâ, cur prosint talia, si prosint, rediđi possit.

*Diæta.*

De Diæta in genere dici nihil potest, cum pro caussarum diuersitate varia sit.

## *De Colica à flatibus & excrementorum copia, in cauitate Intestinorum retentis, & distendendo dolorem excitantibus.*

*Colica à flatibus, & excrementis retentis.*

Flatus sæpe cum excrementorum magna copia in intestinis colliguntur & cumulantur, eaque distendunt & dolorem excitant. Quibus si exitus liber pateat, dolor non diu durat, sed materia per aluum excernitur, eâque excretâ dolor cessat: id quod post purgantia medicamenta sumpta, post vsum fructuum fugacium, potum musti, cereuisiæ recentis, cruditatesque & omnino post eorum vsum, quæ corrumpuntur, & quasi fermentationem quandam in humoribus & intestinis excitare volent, accidit.

*Sola obstructio & fæcum retentio ad generandam colicam num sufficiat.*

Vulgo cruditatis nomine istud in Colicis vitium nominatur; & est omnino in coctione quoddam vitium, sed tale, quod non fixum aliquem & quietum humorem generat, sed flatuosum; & tale omninò quidem, quod aliâs à medicamentis purgantibus, musto & similibus excitari solet. Neque enim sola obstructio & fecum retentio ad colicam generandam sufficit, sed talis fermentatio, & vt sic dicam, flatuositas humorum necessaria est. Sæpissimè enim accidit, vt multis diebus aluus obstruatur, & nulla colica sequatur, sicut Brassolus, *c. 6.tract.de remed.purgat.* narrat, se iuuenem sæpe per spatium nouem dierum, imò per spatium duodecim dierum, nihil per aluum excreuisse; & tamen sani hominis muniis perfunctum fuisse: qualia exempla alia etiam Schenckius, *lib.3.de alui suppress.* annotauit.

Contra verò etsi aluus pateat, imò, quod sæpe accidit, etsi frequentius, quàm par est, excernat: tamen si crudi eiusmodi & corrupti ac flatulenti humores adsunt, colica generatur. Id quod iis accidit, qui ventriculum & Intestina debilia habent. Hi enim si vel cereuisiā fœculentā bibant, vel cibū coctu difficilem aut corruptioni obnoxiam capiant, vt brassicam, intestina bubula, carnem porcinā, vel aliā pinguem, & cereuisiam frigidam deinde bibant, cibus is non in chylum conuenienti modo mutatur, sed corrumpitur, & in humorē ac flatulentum conuertitur, qui colicam postea excitat, quæ non cessat, nisi humore hoc vel vomitu vel per aluū euacuato.

Multo tamen facilius hoc accidit, si materiæ isti flatuosæ & excrementis exitum quærentibus exitus denegetur & hæreant cumulenturque in intestinis,eaque distendant, obseruauitque Fernelius & alij,à flatibus colum nonnunquam ita distensum fuisse, vt brachij vel femoris magnitudinem æquaret, nonnunquam etiam flatuum vehementiâ & copiâ ruptum fuisse.

Accidit autem hoc frequentius in coli intestini anfractibus, & flexuillo eius, quem descendens in latere sinistro in initio facit: quo loco sæpe,dum excrementa exitum ad latus quærunt,quasi perterebrari,& in tumorem, qui tactu deprehendi potest, eleuari videtur.

Denegatur verò flatibus & excrementis transitus, dum ipsa excrementa copiâ vias has coli anfractuosas subitò replent & occludunt; vel ob siccitatem, duritiem & tenacitatem ibi subsistunt, reliquisque, quæ indies accruantur, flatibus, & excrementis transitum denegant. Idem & ab aliis corporibus duris accidere potest, vt à nucleis copiosè comestis, caseo duro pituita concreta, calculis, quæ tamen & ipsa per se distendendo dolorem parere valent, obseruatumque est, lapides in intestinis genitos homines adeò excruciasse, vt breui expiraturi viderentur, nisi vel sponte vel artis operâ excreti morbum soluissent, cuius rei exempla in obseruat. Schenckij *lib.3.observ.145.* videantur.

*Varia corpora dura & concreta in intestinis dolorem colicum parere possunt.*

In tenuibus etiam intestinis quandoque hoc impedimentum est, dum scilicet, præcipuè in meatu illo angustiore ad initium intestinorum crassorum, iuxta renem dextrum obstruuntur,ibique dolor Iliacus grauissimus, qui tamen etiam vulgò colicus appellatur, excitatur; & circa dextrum latus fixus est,& propter retenta in intestiuis tenuibus excrementa circa vmbilicum percipitur cum alui suppressione. Fitque hæc obstructio in intestinis tenuibus nonnunquam à caussis externis, rebusque crassioribus assumptis; sicut Fernelius à cydoniato meatum illum iuxta cæcum obstruente dolorem iliacum grauissimum & lethalem excitatum fuisse, fecesque in abdomen decidisse obseruauit.

*Ab intestinorum contorsione, conuolutione & compressione etiā colica induci potest.*

Præter obstructionem etiam à contorsione & conuolutione ac compressione intestina tenuia occludi, dolorque in intestinis tenuibus excitari potest.Cuius cõuolutionis caussa non saltem esse potest inflammatio, de qua postea dicetur, sed & flatus,qui vel soli,vel cum excrementis tenuia intestina adeò implent, vt instar farciminum inflatorum contorqueantur; quod tamen facilius accidit, si obstructio aliqua præcessit,& flatus retinentur.Eadem contorsio & conuolutio, ac hinc sequentia reliqua Symptomata,ex situ intestinorum mutato exoritur, siue ab externa vi accidat, ob rupta vel tensa eorum ligamenta, siue ob ruptum peritonæum, id quod in Hernia, & intestinorum extra abdominis cauitatem in scrotum delapsu non rarò accidere solet. Tandem & intestina nonnunquam coalescunt, de qua re supra,*sect.1.cap.3.de angustia intestinor.* dictum.

*Signa Diagnostica.*

*Signa.*

Cognoscitur autem dolor hic ex fœcum duritie,aluisque suppressione, ex ventri tensione,rugitu & murmure, & imprimis si præcesserunt caussæ flatus generantes, & cibi vel potus assumpti sint, qui talem fermentationem humorum, de qua antea diximus, producere apti nati sunt, quales sunt fructus fugaces, vuæ, mustum,cereuisia recens vel feculenta,& omnino cibi, qui facilè corrumpuntur;refrigeratio item ventris, vnde cruditates oriri solent. Ex talibus enim omnibus, si exitus pateat,Diarrhæa vel cholera excitari solet. Si verò occludatur aluus, colicus dolor.

Quæ verò caussa intestina occludat, etiam suis signis discernendum. Si feces alui caussa sint, dolor est compressiuus, & alui adstrictio adfuit, diuturniorque fœcum in intestinis mora,seu ægri calidioris & siccioris, seu diætæ vitio, id est, ciborum excrementitiorum & aridorum, adstringentium, exercitiorum & laborum magnitudine id contingat.

Quod si calculus in intestinis contineatur, dolor est contusiuus & fixus,ac diu durans,& signa materiæ calculum generantis adfuerunt, collectaque ibi est pituita vitrea, & humores alij tarei. Hernia & inflammatio etiam suis signis cognoscuntur.

*Prognostica.*

*Prognostic.*

1. Obstructio, quæ in crassis intestinis fit, facilius tollitur, colicusque dolor inde ortus facilius sanatur; difficilius verò,si meatus intestinorum tenuium obstructi sint, & continuò excrementa cumulentur.

2. Lenius malum significatur, si excrementa spontè, & per lenes clysteres naturâ irritatâ deiiciantur, & excrementa liquida,flatusque multi per aluum excernantur, dolorque locum mutet. Si verò remediis non cedat malum, periculosus morbus est, qui interdum in hydropem siccum vel ileum mutatur.

3. Calculus difficilius educitur,quam feces induratæ.

4. Si intestina coaluerint, malum incurabile est.

5. Si ab intestinorum in scrotum prolapsu dolor excitetur, nisi intestina reponantur, antequam inflammentur, periculosum & sæpe lethale malum est.

*Indicationes.*

*Indicatio.*

In colica à quacunque caussa obstruente orta primus scopus est obstructionem tollere,feces nimirum emollire, aluum laxare, humores educere, flatus discutere, calculum tollere, intestina suo loco mota & contorta naturali sedi restituere, & quæ communis est omni colicæ indicatio, dolorem lenire.

*Curatio.*

*Curatio.*

Etsi verò flatus proxima doloris caussa sint & proinde in leuiori colica flatus discutientibus finem optatum sæpe attingere liceat: tamen in colica grauiore tantum abest, vt prosint ea primò administrata, vt etiā plurimum nocere possint, cum pituitam in intestinis contentam in flatus dissoluant, & hoc modo dolorem augeant. Itaque antequam flatus discutientia vsurpentur, necesse est, vias inferiores aperiri, fecesque alui induratas educi. Ac proinde rectissimè à clysteribus cura plerumque inchoatur cum caussa mali plerumque in intestino colo hæreat,ad quod clysteres facilè penetrant; parenturque illi ex emollientibus & aluum lenientibus,ac fluidam reddentibus;materiam viscidam, si adsit, incidentibus & abstergentibus, quibus interdum, cum summa adest alui constipatio, humoresque tenaces in intestinis adhærent,flatus discutientia ac calefacientia in caussa frigida adiiciuntur.Anodyna quoque iisdem admiscere, & clysterem pluribus scopis inseruientem parare licet. Neque protinus si vnus clyster successu careat, desistendum, sed continuandus clysterum vsus, donec obstructio à retentione fecum orta tollatur. vt:

♃. *Parietariæ, maluæ, althææ* an.M. j. *rad.althææ, lilior. albor.*an.Vnc. ß.*ficuum* num. v.

Coqu. in aqua simplici.*Colaturæ* ♃.℔.j.*cassiæ pro clysteribus* Vnc. j. *olei violar. aneth.*an. Vnc. j. ß. *vitelli oui* num. j. F. Clyster emolliens.

Vel ♃.*Radic. althææ* Vnc. j.*parietar.violar.branc.vrsin.* an.M.j.*flor.chamæmel.* M.ß. *sem.lini*, *fœnugræci* an. Drach. iij.

Coquantur in aqua simplici.Colaturæ ♃.℔ j. *cassiæ pro clysteribus* Vnc. j.*olei amygdalar.dulcium chamæmelin. an.*Vnc.jß.*vitell.ouor.*num.ij.

F. Clyster emolliens ad dolorem leniendum.

Vel ♃. *Parietariæ* M. j. *veronicæ* M. iij *flor. sambuci* M. j.

Cola

Colaturæ ℞.℔.j. *facchari* Vnc.ij.*olei amygdal.dulc.*Vnc. j. *aloes* Drach. ij.

Fiat Clyster dolorem leniens & abstergens.

Alius, qui emollit, dolorem lenit, simulque flatus discutit & materiam euacuat.

℞. *Mercurialis, parietariæ, maluæ, althææ* an. M. j *rutæ, flor. chamæmeli, meliloti*, an.M.ß.*sem. anethi, carui, baccar. lauri* an. Drach. ij.

Coquantur in aqua simplici.

Colaturæ ℞.℔.j. *electuar. diaphænici, benedict. laxatiu.* an.Vnc.ß. *de baccis lauri* Drach. iij. *olei rutacei, anethini* an.Vnc.j.ß.

Fiat Clyster.

Et si maxima sit alui constipatio, ea, quæ magis intestina irritant,addenda, vt agaricus,electuarium hieræ simplicis,Indũ,Episcopi,diaphœnici,Benedictę laxatiuę.

Si autem Clysteres,quod sæpe accidit, nihil proficiat, & materia in superioribus intestinis hæreat, in clysterum vsu, diu non persistendum, cum facultatem expultricem segniorem reddant, & intestinorũ temperiem sæpe lædant; sed satius est, leni aliquo allium laxante medicamento vti, quod tamen reliquum corpus non moueat. Obseruatum est, cum æger quidam triginta clysteres sine fructu accepisset, alium Medicum mannæ Vnc.j.ß.cum olei amygdal. dulc. Vnc. ij. in iusculo gallinæ pingui exhibuisse, & ægrum à dolore liberasse.

Vel oleum amydalarum dulcium loco butyri iusculis admiscetur; additur quandoque oleo amygdal. dulcium & sperma Ceti.

Si flatus imprimis vrgeant, qui interdum sua copiâ sibi ipsi exitum præcludunt, duo imprimis agenda, primò ut pars tensa laxetur, deinde vt flatus dissipentur; quæ tamen expediri non possunt, nisi simul caussa, à qua flatus proueniunt, ablata fuerit. Generantur autem flatus vel ob lentam & crassam pituitam, à quâ leui de caussa seu externa seu intrena, quæ materiam agitat, flatus generantur; vel ob calorem debilem, qui flatus, quos eleuat,discutere nequit. Primò ergo emollientibus clysteribus vtendum, quæ tensam partem laxant, posteà discutientibus cum internis, tum externis.

Ideoque si flatus discutere imprimis animus sit, talis paretur clyster.

℞ *Origani rutæ, veronicæ* an.M.j. *flor.chamæmeli, meliloti* an.M.ß.*baccar.lauri, iuniperi* an. Vnc.ß.

Coqu. in aqua simplici.

Colaturæ ℞.℔.j. *Electuar.Hieræ,picræ simplicis diaphænic.* an.Vnc.ß.*baccis lauri* Dr. iij. *olei anethini, rutacei* an. Vnc.j.ß.

F. Clyster.

Ad intestina calefacienda,flatúsque discutiẽdos nonnunquam vini Maluatici, vel alterius potentis aut aromatici ℔.j.vel etiam plus iniicitur.Et si simul detergere ac lenire velimus, vino olei communis, chamæmelini, anethini, amygdalar. dulcium Vnc. iij. mellis Vnc. j. adiici possunt.

Galenus, 2.*ad Glaucon.cap.6.*in oleo communi ebullire finit, quæ, cum tenuitate partium,calefaciendi vim habent, vt semẽ cumini,apii,petroselini,leuistici,seseleos; & in frigida partis dolentis constitutione, rutam,baccas lauri,& ipsum oleum laurinum per clysteres iniicit. Vbi verò calor coniunctus est, temperatis potius vtitur resoluentibus, vt anetho & similibus.

Clysteres autem tũ flatus discutientes tum anodynos non semper ad integras libras infundere opus est, sed sufficiunt Vnc.viiij.vel Vnc.x.vt diutius subsistentes efficacius vim suam in intestina exerant, modò ea sit liquoris mensura, vt ad locum affectum perueniat.

Vsurpantur & interna ad flatus discutiendos; Et sunt caussa frigida ad aluum soluendum, & apertam seruandam, dolores leniendos, flatus discutiendos vtilia vina purgantia.

Vt ℞. *Radic.fœniculi,acori veri helenij,imperatoriæ* an. Vnc.ß.*absinthii* Drach.v. *calaminth. origani, roris marini, sambuci* an. Drach. ij. *cortic. malor. aurantior. citrior.* an. Vnc.iij.*sem.fœniculi,carui* an. Drach.ij.*baccar.lauri, iuniperi* an.Drach.iij *folior.senæ elect.* Vnc.j.ß.*agarici trochiscati* Vnc.ß. *turbith.*Drach.ij.

Conquassatis effundatur vini q. s. de quo, cum aluus constipatur, æger bibat haustum.

Exhibetur quoque decoctum florum chamæmeli in cereuisia vel vino albo tenui ad Vn.iv. quod ad dolores leniendos, & flatus in colicis discutiendos præsentissimum est remedium; sicut & aqua florum chamæmeli. Decoctum tamen efficacius est. Vtile est & decoctum seminis cumini, foliis,foliis,vel cum floribus chamæmeli: vt & ius galli repleti iis, quæ flatus discutiendi vim habent. Castoreum quoque vtile est scrup. j. vel Drach.ß.pondere, dissolutum in vino cum pauco cinamomo & croco.

Commendatur valde ad colicam etiam veronica, quæ simul ita à proprietate colicis vtilis à Cratone commendatur,quæ nõ solum decocta clystere iniicitur, sed & in vino decocta cum myrrhæ scrup.ß.bibitur. *Veronica in colicâ commendata.*

Idem Crato commendat radicem Imperatoriæ seu cardopatiæ, quam in vino macerauit, & per triduum ante cœnam haustum propinauit. Quæ cum aliquid malignitatis, præsertim humida, habeat, postea Dr. ß. myrrhæ cum vino, & tantundem Theriacæ cũ extracto calami aromatici exhibuit. Idẽ tenera ceruorũ cornua in taleolas secat,& in puluerem redigit. Huius pulueris Vnc.ij. addit myrrhæ Dr.ij. piperis albi Dr.j.Dosis Dr.j. *Radix Imperatoria.*

Vtilis est & zedoariæ Puluis à scrup. j. ad Dr.j. vt & aqua eiusdem cum veronicæ aqua destillata, vt & extractum calami aromatici ad scrup. j. cum syrupo conuenienente.

Aqua contra colicam. ℞.*Cinamomi* Vnc.ß.*sem.anisi* ℔.ß.*dauci syluestris* Drach.ij. *rad.mei* Drach.iij. *caryoph. macis, nuc. mosch.* an.Drach.j.

Macerentur per dies aliquot in spiritus *vini Rhenani* ℔ij.Vnc.iij. Destillatum dulcoretur *syrupo cinamomi* vel *saccharo.*

Rhases probat *confectionem de baccis lauri*; Datur cum Vnc.i.vel ij.vini calefacti.

Auicennas efficax medicamentum parat ex æqualibus partibus castorei, piperis & anisi. Vtiles sunt *& species diacumini, dianisi, diacalaminthæ, diagalantæ diatrion, piperon, theriaca, & Mithridatium antiquum, item oleum destillatum carui, cumini, fœniculi, anisi, radicum angelicæ, caryophyllor.* si gutta vna vel altera in iure vel vino vel cereuisia exhibetur.

Vel fiant cum saccharo, rotulæ, Vt:

℞. *Olei anisi vel carui* gut. vij. vel scrup.ß. *facchari in aqua cinamomi dissoluti* Vnc.j.ß. F. Rotulæ. Vtilis est & hic puluis:

℞. *Cinamomi optimi, cortic. aurantior. flau.* an. Dr. ij. *galangæ,calami aromatici* an. Dr. j. *baccarum lauri* Dr.j.ß. *seminis cumini* Dr.ij. *cornu cerui vsti præparati* Dr.j. ß. *seminis carui* Dr.ß. *anisi, fœniculi* an. scrup. iiij. *caryophyllor.zedoariæ* an.Drach.j.

Puluerisatis adde *spec.dianisi* Dr.j.ß.F. Puluis, de quo datur Dr.j.circiter.

Extra quoque ad flatus discutiendos vsurpari possunt sacculi è floribus chamæmeli, summitatibus anethini, foliis calaminthæ, rutæ, milio, sale leniter torrefactis parati, qui vino valente irrorati calidi ventri applicentur. Vel F. tale Emplastrum: *Externa medicamenta.*

℞. *Emplastri de baccis lauri* Vnc.iij.*de meliloto* Vnc.j. Misce cum oleo chamæmelino & rutaceo.

Fiat Emplastrum, quod abdomini imponatur.

Vel ℞. *Emplastri de baccis lauri* Vnc. j. ß. *vnguenti Apprippæ* Vnc.ß. Misceantur & ventri imponantur.

Nonnulli tegulam lateritiam ad ignem calefactam, & linteo vino madefacto inuolutam ventri imponunt: alij asserem quernum calefactum; alij panem è furno calentem. In vulgari vsu est & Lapis ophites calefa-

ctus, quem vulgò ſerpentarium appellant.

Commendatur & gummi tacamahacæ & carannæ vmbilico impoſita, imprimis ſi poſtea cucurbita major vmbilico, vel parti dolenti affigatur. Efficax eſt & Galbanum,quod inMaluatico diſſolutum & cum caſtoreo mixtum vmbilico imponatur. Eidem & olea addi poſſunt. vt:

℞. *Galbani in aqua vitæ diſſoluti* Drach.ij. *olei nardini rutacei* an.Vnc.j.*croci* gr.vj. Miſce. F. Linimentum.

Vel eidem oleum deſtillatum rutæ addatur.

Efficacius adhuc eſt oleum ex Galbano, vt & quod ex ſapone deſtillatur, & *in Inſtitutionibus* deſcribitur.

*Non ſemper materia colicum dolorem pariēs obſtructionem etiam inducit.*

Verum non ſemper illa ipſa materia ( vt & hoc doctrinæ cauſâ addmus ) quæ dolorem excitat, etiam ob ſtructionem parit, ſed quandoque alia materia eſt, quæ dolorem parit,alia quæ obſtructionem.Flatus enim copioſus cum excrementorum retentione affluens & continuum ſoluit,doloremque parit,& obſtructionē generat. Dum verò flatus non eſt ita copioſus, feces verò ſunt induratæ,aliud eſt quod dolorem parit,aliud quod obſtructionem excitat. Compertum enim eſt ſæpiſſimè aluum ad multos dies fuiſſe obſtructā, & feces retentas ſine dolore colico; accedentibus poſtea flatibus, demum colicam excitatam fuiſſe. Si ergo à fecibus alui induratis reliquis fecibus & flatibus exitum præcludentibus fiat colica, vſurpanda ſunt emollientia, & poſtea acria, expultricem irritantia. Abſtinendum verò in hoc caſu principiò ab omnibus purgantibus per ſuperiora exhibitis. Cum enim talia verſus alluum excrementa moueant; exitus verò à fecibus induratis ſit præcluſus : augebunt potius malum, quam minuent. Sed à clyſteribus emollietibus & pinguibus curatio inchoanda, paratis ſcilicet ex iuribus pinguibus, oleo communi dulci, amygdalor. dulcium, butyro, mucilagine althææ, maluæ, ſeminis lini, fœnugræci, ficubus & ſimilibus. Extrà ſimul eadem emollientia adhibenda, vt & vnguentum Agrippæ & ſimilia.

*In colica à fecibus induratis per ſuperiora nō exhibeantur purgantia.*

Exhibenda quoque emollientia, vt ius galli decrepiti, præcipuè cum anheto, polypodio, quandoque & carthano paratū;prunorū,ſpinachii,violariç,betę,oleū, amygdal.dulc.deglutitis prius granis iiij. diagrydii.

Poſtea ſuccedant clyſteres acriores, quibus feces diſſoluantur atque euacuentur. Quidam ægrū in balneum collocant actu calidum ex oleo,aut ex aqua,in qua herbæ emollientes coctæ ſint,vnguēdo prius eius ventrem oleo amygdalarum dulcium,butyro,pingdeninibus humectantibus. Deinde clyſterem mediocriter acrem iniiciunt, atque ita aluum proritant.

*Argentum viuum quomodo vſurpetur in colica?*

Nonnulli in malo deſperato argentum viuum exhibent, quod pondere ſuo deſcendens feces ſimul protrudat : alii plumbum in eundem finem exhibent. Narratque Ambroſius Paræus, *lib.*16.*cap.*28.quendam,cum nullis remediis à dolore colico liberari potuiſſet, tandem hauſtis olei amygdalar,dulcium Vnc.iiij.cūm vino albo, aqua parietariæ mixtis, deinde deuorata glande plumbea argento viuo illita, eademque aluo redditâ, cruciatu colico mox liberatum fuiſſe.

*Hippocratis in colica remedium per inteſtinorum inflammationem.*

Trallianus Hippocratis remediū vſurpat. Follis enim enim ano adaptatur, atque inteſtiua adeo inflantur, vt à ſtercoribus interna ſua ſuperficie ſeparentur, poſtea clyſter immittitur, qui feces alui ſolutas vnà ſecum educit. Videatur Hippocrates.*in lib.de affect.* vbi ileum extremo hoc quaſi remedio ſanari docet.Et Trallianus, *lib.*10 .*cap.*1 .*de colica ex ſtercoris duri obſtructione.*

In colica à calculo in inteſtinis concluſo lubricantia & expultricem irritantia requiruntur.

*Curatio colicæ à vermibus.*

Eius, quæ à vermibus curatio ad vermes necandos & eiiciendos dirigenda.

*Ex inteſtinorum conuolutione & tranſpoſitione.*

Dolor colicus ex inteſtinorum tranſpoſitione & conuolutione, & qui ex rupto peritonæo, & inteſtinorum in ſcrotum deſcenſu ortum,habet, curationem herniæ poſtulat, de qua ſupra.

### *Diæta.*

*Diæta.*

Diæta in omni dolore colico ab humore frigidò & craſſo ſit attenuans & parca, cibique attenuantibus & diſcutientibus condiantur.Galenus maximè alliū commendat,quia flatus diſcutit,& ſitim non infert, niſi in ventriculo bilioſo. Datur robuſtis crudum, cæteris coctum. Vitētur oua aſſa & dura,pyra,cydonia,& ſimilia. Potus ſit vinū album,potens,tenuium partium,non adſtringens, hydromel cum pipere paratum vtile.in hoc caſu videatur apud Rhaſin.*lib.9.ad Almanſor.cap.*22.

### *De Colica à vermibus.*

*Colica à vermibus. Exempl. in puella.*

Colicæ modò explicatæ non incommodè ſubiungi poteſt ea, quæ fit à vermibus, cuius mētionē facit Guilielmus Fabricius, *cent.*1.*obſ.*57.vbi refert puellā 12.annos notā grauiſſimis doloribus colicis vexatā fuiſſe,cū febre,cōtinua & ſyncope. Ad quā ille vocatus enemata aliquot anodyna & flatus diſcutiētia adhibuit:exterius fomentationem ex floribus chamæmeli,meliloti,ſemine carui, aniſi, fœniculi, fœnugræci,foliis & radicibus bus maluæ, althææ, & ſimilibus applicauit. Sequenti die infuſionem rhabarbari ex aqua abſinthii,parumque benedictæ laxatiuæ propinauit : quibus tamen dolor non ceſſauit. Tandem exhibito clyſtere ex lacte recēs mulcto, globulum vermium pugni magnitudine, vltra ſeptuaginta lumbricos adeo intricatos & conglomeratos complectentem, vt ſeparari vix potuerint, aluum exonerando excreuit. Quo facto dolor, reliquáque ſymptomata,quibus antea vexabatur,illico ſedata ſunt, & breui poſt tempore priſtinæ ſanitati reſtituta fuit.

### *De Colica ab humoribus craſſis,& viſcidis in tunicis inteſtinorum hærentibus.*

*Colica ab humoribus craſſis & viſcidis. An in cauitate inteſtinorum verò in inteſtinorum tunicis in colica cauſſa hæreat.*

Frequenter etiam dolor colicus grauiſſimus excitatur à pituita & humoribus craſſis ac viſcidis,non, vt plurimi exiſtimant, in cauitate inteſtinorum, ſed intra coli tunicas contentis, vt teſtatur Galenus, 12. *m.m. cap.*7. Non enim credibile eſt, dolorem,à quo perforari quaſi inteſtina videntur, excitari tantùm à pituita, intus cauitati inteſtinorum adhæreſcente, eáque refrigerante.

Et cauſſa iſta non in tenuibus, ſed craſſis inteſtinis conſiſtit. Nam tenuium inteſtinorum tunicæ rarā tenuíque ſubſtantia conſtant,vt nōn diu eiuſmodi cauſſas continere poſſit.Sed probabile eſt,frigidos eiuſmodi & viſcidos humores, ac flatuosū ſpiritū in corpore craſſo densóque genitū ſed egredi nequeuntem,dolorem excitare, vehementem quidem ob maximā partis, in qua continetur tenſionem;longum verò ſeu ſtabilem, quia difficulter euacuatur ob corporis ambientis craſſitiem & denſitatem,Galenus, 6.*de loc.affect.cap.*2.

Colligitur autem eiuſmodi pituita in iis, qui crapulæ dediti ſunt, ocioſis item, & in quibus bilis,quæ expultricis ſtimulus eſt,ad ea loca nō defluit.Quę quidem ſatis diu hætere,antequā dolorem excitet, poteſt:vbi verò ad quantitatē notatu dignam peruenerit,& flatus ex diminuto partis calore excitari incipiūt,vel ab externa aliqua occaſione, quæ vel calefaciat vel refrigeret, vel quocunque modo moueat, agitetur,flatuſque excitentur ( hi enim in dolore colico ab hac cauſſa orto ferè præſentes ſunt ) ſubitò grauiſſimi dolores dum tunicæ inteſtinorum diſtenduntur & diuelluntur, excitantur. Vnde & humore hoc euacuato, dolor ceſſat:alterantibus verò non cedit;quod fieri tamen deberet, ſi à pituita in cauitate inteſtinorum hærente, eáque refrigerante,ſolum hic dolor excitaretur.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.*

Cauſſa hæc ex eo præcipue cognoſcitur, quod dolor pali infixi, vel terebræ perforātis ſpeciem exhibeat, ob

ob tunicarum violentam eò loci, vbi pituita ista hæret, distensionem: quod à reliquis caussis non accidit. Licet enim dolores vtcunque graues vel acuti existant, non tamen ij fixi & perforantes quasi sunt.

*Prognosticum.*

Prognostica. Colica à pituita & humore crasso intra tunicas coli conclusa pertinax est, ob partis, in quâ humor continetur, crassitiem & densitatem, & humorum viscidi-tatem.

*Indicationes.*

Indicationes. In colica à pituita crassa & lenta vtendum est, aluo prius aperta, pituitam attenuantibus, fundentibus, discutientibus, iis tamen non insigniter calidis, ne materiâ subitò resolutâ flatus multiplicentur; & materiam ad excretionem parantibus, ac denique euacuantibus.

*Curatio.*

Curatio. Initiò itaque clyster paretur *ex emollientibus cum beta & ruta, ac semine carui, decoctus in iure carnis pingui, & dissolutis in hoc electuarii diacatholici, hieræ simplicis* an. Vnc. ß *benedictæ laxatiuæ* Drach. ij. *cum oleis lenientibus & salis* Drach. j.

Vel. ℞. *Herb. emollient.* an. M. j. *flor. chamæmeli, meliloti* an. M. ß, *sem. fœnugræci* Vnc. ß. Coquantur in aqua simplici. Colaturæ ℞. ℔. j. Adde *olei chamæm. rutacei* an. Vnc. j. Misce. F. Clyster.

Clysteres verò fortiores à principio iniecti, & præcipuè sæpiùs iterati, nocent potius, quàm prosunt; cum materiam quidem agitent, sed, ob eius ineptitudinem, non euacuent, naturámque non parum labefactent.

Per os quoque initiò leniora exhibeantur, vt mel rosar. solutiuum, hiera simplex. Ab agarico Auicennas abstinere iubet ob metum vomitionis; quæ in colica cum alui suppressione minimè tuta esset. Vtilis est & syrupus è spina infectoriâ, vulgo Domesticus appellatus, descriptionis Matthioli, *in* 1. *Dioscorid. cap.* 102.

Attenuantia. Materiam attenuant *mel rosatum colatum, syrupus de duabus & quinque radicibus, de hyssopo, oximel compositum & similia.*

Materiâ nonnihil attenuatâ & præparatâ, ad fortiores clysteres, qui etiam vim abstergendi habent, ascendendum, adiiciendo cæteris folia calaminthæ, centaurij minoris, semen carthami contusum, electuarium benedictæ laxatiuæ in maiore quantitate, oleum rutaceum. Licet & theriacæ vel Mithridatij Drach. j. addere. Et si malum pertinax sit, post horas sex vel octo alius iniiciatur, in quo agarici albi Drach. j. ß. & pulpæ colocynthidis in nodulo ligatæ Drach. ß. coctæ sint, & in colatura electuarij diaphœnici, hieræ simplicis, benedictæ laxatiuæ ana Vnc. ß. dissoluatur.

Purgantia. Purgant per os sumpta *hiera cum agarico, diaturbith cum rhabarbaro, pilulæ mastichinæ, elect. diaphœnicum, Indum, episcopi, benedicta laxatiua.*

Maximè etiam confert terebinthina cum aliis purgantibus mista.

Fortiora verò purgantia rarò in hoc affectu vsurpanda: si tamen mitiora non prosint, dictis medicamentis diagridij gr. iij. vel iiij. vel hieræ diacolocynthidos Scrup. j. adiiere licet. Fortior etiam est hiera Logadij descript. Aëtij, *tetrab.* 1. *serm.* 3. *c.* 3. Idem pomum colocynthidis excauat, semina eximit, pòst vino dulci veteri replet, & per noctem relinquit, manè vinum per linteum exprimit & diligenter colat, cauendo, ne quid de medulla in vino remaneat, vinum calefactum propinat ægrumque deambulare iubet, *tetrabi.* 3. *serm.* 1. *cap.* 31. Idque aliqui pro secreto habent in colica ex pituita crassa vitrea. Sed fortius est medicamentum, quàm vt omnes ferre possint.

Opiata. Atque in hoc caussæ genere opiata vix conueniunt; & licet in principio iuuare videantur, tamen dolor postea major fit, humore ad motum ineptiore reddito; tunicisque intestinorum magis addensatis, flatuum discussione prohibitâ. Itaque succi isti frigidi & crassi intra tunicas intestinorum conclusi incidendi & concoquendi sunt, & quidem eiusmodi medicamentis calidis, quæ non plus resoluunt, quam digerant, sed quæ simul flatus discutiendi vi polleant; in quorum censu etiam Galenus *allium* habet. Etsi enim nonnulli putant flatus gignere allium: tamen rectissimè scribit Galenus, 12. *meth. med. c.* 8. *Allium*, inquit, *omnium planè eduliorum flatus maximè discutit.* Itaque ipse rusticorum theriacam id appellat. Habet enim manifestè excedentem calorê, & qui pituitosum humorem non gignat, sed manifestè ei repugnet. Et omninò hic delectu calefacientiû opus est, quæ talia sint, vt etiam vehementer digerant, qualia sunt attenuantia non vehementer calida. Atque, vt *loco alleg.* vbi diligenter de colico dolore ex humoribus crassis orto tractat, Galenus scribit; A nullo in eiusmodi succis tam est metuendum, quàm à calore, qui eos liquet atque in flatum vertat, sed digerere non valeat.

Calefacientia. Allium in colica vtitur.

Attenuandi & discutiendi vi etiam valet marrubium album in vino coctum exhibitum, & summitates thymi in aqua ad tertias coctæ, si colaturæ mellis despumati aliquid addatur. Aëtius inter alia commendat decoctû verbenacæ rectæ per nouem dies bibitum, decoctû item menthæ viridis per tres dies continuatû. Castorei etiam Drach. j. datur in hydromelitis optimi cyatho vel Vnc. iiij. vel Vnc. v. circiter.

Vel ℞. *Castorei* Drach. iij. *sem. ammios fœniculi* ana Drach. j. Puluerisentur, & detur Drach. j. in hydromelite.

Aut ℞. *Cumini* Vnc. ß. *piperis albi, summitat. thymi, fol. rutæ, nitri* an. Drach. j.

Tritis iis cum aceto fiant trochisci pondere Drach. j: Detur vnus cum hydromelite.

Vel ℞. *Fol. absinthii, pulegii, piperis albi, sem. cumini, baccarum lauri* an. p. æ. Puluerisentur. Dosis Drach. j.

Interea dum incidentia & attenuantia vsurpantur; clysteribus, fomentis, balneis, & aliis externis vtendum; quæ partem laxant, ne extensa doleat, & flatus facilius erumpant, ac pituita viscida facilius & cum minore dolore ad cauitatem intestinorum transeat. Tota ergo abdominis regio inungenda *oleo amygdal. dulcium, chamælino, anethino, laurino, liliorum alborum fomenta item humida ex decocto florum chamameli, meliloti, semine fœnugræci, lini, ruta origano, calamintha* & similibus adhibenda, quæ si calidiora expetantur, in vino coqui possunt.

Si dolor perseueret, ad sicca fomenta transeundem; quibus id, quod liquatum & attenuatum fuerat, exsiccetur & discutiatur, sacculis nimirum ex *milio, sale, furfure, puluere chamæmeli, ruta, anethi lauri,* cui vsui etiam inseruiunt vasa testacea calefacta, & pannis inuoluta vulgò, vt & familiariter vsurpatur lapis ophites, serpentinus vulgo dictus, de quibus antea dictum.

Fomenta sicca.

Extra etiam adhibeantur discutientia & euacuantia, vt *vnguentum de arrita, Agrippa* & alia, quæ in curatione hydropis tympanitæ proponuntur. De fomentis monet Trallianus, quod, nisi eorû ope dolor mitescat, non transeundum sit ad fortiora: quia materiæ copia prohibeat. Eius ergo partem maximam prius euacuandam esse, reliquam postea fomentis dissoluendam.

Externa.

*Diæta.*

Diæta. Victus primò sit parcior ad excrementa absumenda, & pituitam extenuandam; postea cibus exhibeatur, qui sit boni succi, & coctu facilis, admistis iis, quæ incidendi & extenuandi vim habent. In quem vsum & vinum exhibere licet.

### De Colica ab humore acri, & scorbutico.

*Colica ab humore acri & scorbutico.*

Oritur & colica ab humore biliofo & calido, non illo quidem in cauitate inteftinorum hærente, vel per eam moto, fed per tunicas & vafa eorundem. Nam fi in inteftinorum cauitate redundaret,potius diarrhœam vel choleram,vel inteftinorum tunicis adhærens,& dyfenteriam excitaret. Atque id vel ex eo quoque patet, quod ex biliofis & acribus humoribus non folùm colica, fed fi aliò conuertantur, etiam ícterus, febres,conuulfio,paralyfis & alia grauia fymptomata oriri folent.

Atque ex hâc caufsâ,humoribus nimirum non frigidis & craffis, fed tenuibus, acribus, quos omnes vulgò biliofos appellare folent, cum tamen magna fit eorum differentia,ortum habet colica,quæ Morauiæ,Auftriæ, Franconiæ & aliis quibufdam locis, vbi vina fortia, fulphurea & tartarea in vfu funt, familiaris eft, & frequenter in paralyfin, arthritidem, epilepfiam tranfit. Siue enim cauffas, quæ præcefferunt, fiue figna ipforum fpectes,vtraque humorem non pituitofum & craffum, fed tenuem & acrem indicant. Nam vina quod attinet, *lib.2.Inftit.pag.*241. dictum,quæ in terra calcaria vel lapide calcario, fulphureo,vel fimili aliqua materia minerali abundante crefcunt, cum partes tales multas in fe contineant, quæ ad corpus alendum inepta funt, tandem in corpore cumulatæ variorum morborum & inter eos etiam colicæ cauffæ funt. Humores enim tales cum à naturâ vt inutiles protrudantur ad inteftina, venas & membranas eorum præter naturam diftendunt, atque ita non folum doloris, fed & alui fuppreffionis cauffa funt. Fibræ enim fi hoc modo diftenduntur præter naturam, officium fuum facere & feces protrudere non poffunt. Atque non folùm obftructionem fecum retentarum cauffam effe,fed potius inteftinorum diftenfionem, & fibrarum motum quafi contrarium,vel ex eo apparet,quod omnia euomuntur. Clyfteres enim infufi rarò aliquid educunt; & quamuis aliquid educatur:aluus tamen ftatim iterum clauditur, & dolores perfeuerant: imò clyfteres, vt & glandes, furfum attrahuntur, & vomitu eiiciuntur, vt fæpius annotatum; quod fieri non poffet, fi obftructa effent à fecibus inteftina.

*Colica Auftria, Morauia & Franconia familiaris.*

Perpendendum tamen hîc etiam hoc relinquo, an illi humores falfi & teres aliquam qualitatem adftringentem & mordicantem, qualis in vitriolo & alumine reperitur, habere poffint, à qua ficcitas inteftinorum & fuppreffio alui originem habeant. Atque hi humores cum fæpe ad inteftinorum cauitatem penetrare non poffint,& vel copia fibi exitum præcludant,vel ob partis diftenfionem permeare non poffint, ad venas regurgitant,& vel ad caput ruunt, & epilepfiam vel conuulfionem excitant; vel ad extrema corporis,& paralyfin, arthritidem, alióſque dolores vagos procreant.

Signa quoque, quæ præfentem humorem arguunt; non frigidos & craffos,fed tenues & acres humores indicant. Appetitus enim perit, fitis crefcit, vrinæ rubicundiores apparent, facies colore etiam citrino tingitur,vomuntur non folum pituitofa,fed & æruginofa ac porracea, dolores vagi in toto corpore percipiuntur. Atque hoc malum quandoque epidemium effe folet atque contagiofum,vt Ægineta,*lib.2.cap.*18.*&* 43.& Auicenna, *lib.*3.*fen.*16.*cap.*6.teftatur, ortúmque ex humoribus acribus, malignis & contagiofis habet. Talis colica an. 1621. ineunte vere in Silefia, in ducatu Tefchinenfi graffata eft, cuius hiftoria ita ad me perfcripta. Primò morbus cum dolore capitis inuafit;hinc dolores colici acerbiffimi aborti funt;poftea iidem dolores dorfum, pedes, & hinc omnia exteriora occupârunt: Quamprimum dolor inuadebat,aluus obftruebatur,vt nec fortibus medicamentis laxari poffet: & licet laxaretur,fequenti tamen die iterum obftruebatur, appetitus deiiciebatur, & quicquid vel cibi vel potus affumebatur,vomitu reiiciebatur:atque hoc malum contagione in alios tranflatum fuit,vt paucæ ædes ab hoc malo immunes effent.

### Signa Diagnoftica.

*Signa.*

Anteceſſerunt cauffæ humores acres & biliofos generantes, dolor eft acutus, adeft fitis, oris amaritudo, vigiliæ, vomitus & fingultus nonnunquam,aluus ferè adftringitur. Et licet à primo clyftere feces eiiciantur, poftea tamen nihil fere euacuatur, vrinæ ardor & rubor adeft; læditur æger ab hac cauffa colicam patiens ab iis, quæ alias in colica à flatu pituita prodeffe folent,contrà profunt refrigerantia, fæpe coniunguntur febres tertianæ continuæ, duplices nothæ.

### Prognoftica.

*Prognoftica.*

1. Dolor colicus ab hac cauffa nonnunquam in dorfi dolores,materiâ,quæ ad inteftina confluebat,eò delatâ, interdũ in arthritidem,materiâ ad articulos tranfmifsâ; fæpiffimè in paralyfin definit, nonnunquam epilepfiam excitat, materiâ ad caput delatâ. Et quidem eos, qui ex tali colica in epilepfiam delapfi fuiffent, plerofque periiffe Paulus Ægineta teftatur; qui in paralifin, plerófque fuiffe fanatos,criticâ quafi materiæ ad ambitum corporis tranflatione, & tandem difcuffione.

2. Satis periculosè laborant, quibus infra nihil, vomitu verò corrupti & vitiofi humores eiiciuntur, imprimis fi epilepfia & conuulfiones accedant.

3. Morbus etiam diuturnus eft, & crebris recidiuis ægrum affligere folet, ita vt ægri fæpè multis annis in lecto decumbant, modò cum febre, modo fine febre doloribus fingulis ferè menfibus, vel longiore etiam interuallo recurrentibus.

### Indicationes.

*Indicationes.*

In colica ab humoribus calidis & acribus refrigerantia & humectantia requiruntur, etfi malignitas coniuncta fit, & illi refiftendum. Aluus fi fubfiftat, aperienda;cum nifi aluus aperta fit,reliqua medicaméta parum profunt, id quod humectantibus & laxantibus rectiffimè perficitur.

### Curatio.

*Curatio.*

Trallianus frigidæ potum laudat, vbi vires robuftæ fint,& partes internæ non læfæ.Iniicit etiam copiose oleum rofaceum cum adipe anferino, aut cum vitellis ouorum, vel cremorem ptifanæ cum oleo chamæmelino. Æginetа,*lib.*3.*c.*43.de Italo quodam Medico fcribit; quod contagiofam colicam ex acribus & mordacibus humoribus curauerit victu & medicamentis frigidis, etiam aquâ frigidâ propinatâ,qui *allegato loco* cõfulatur.

Et fecuti hoc nonnulli ex recentioribus. Amatus Lufitanus,*cent.*1.*curat.*48.*cent.*7.*cur.*21.& Foreftus,*l.*21.*obf.*12. qui in colica ex humorib.acribus & biliofis,calidis medicamentis non folum non iuuãtibus,fed & lædẽtibus; non tantum frigidâ propinarunt,fed & lintea in frigida intincta & expreffa vmbilico admouerũt; aut Epithematis frigidis vfi funt fucceffu non infelici. Aquâ tamẽ colica affectione laboranti dare, non cuiufuis triuialis Medici eft,vt fcribit, *loco allegato*, Amatus Lufitanus.

Aluo non fluente refrigerantibus euacuantia addãtur, eiufmodi funt Syrupi rofarum & violarum folutiui, tamarindi, manna, rhabarbarum, vt:

℞. *Syrupi rofarum folutiui* Vnc. ij. *feri lactis* Vnc. iij. vel iiij. Mifce.

Et fæpe cum felici fucceffu in hac colicâ vfurpaui,& alii etiam vfurparunt *ol. amygd. dulcium.* Diffoluantur nimirum in iuris pulli,in quo flor.chamæmeli P.j.ebullierit, f.q. mannæ Vnc.j. vel Vnc.ß. Coletur & addatur ol.amygdal.dulciũ recenter expreffi Vnc.j.ß.vel Vnc.ij. Vel detur ol. oliuar.recens, in quo flor. rofarum foluti-

uarum

uatum infusi fuerint cum iure mercurialis & radic. althææ.

Si tamen in colica biliosa ventriculus biliosus, humidus & laxus sit, melior est hieræ picræ vsus, quâ mordaces humores in intestinis absterguntur, cum calidioribus aliis medicamentis exhibitis dolor potiùs irritetur, sicut exemplis aliquot docet Galenus, 12. *meth. med. c. vlt.* Ne caliditate sua hiera noceat, cum refrigerãte aliquo detur. Clysteribus quoque Gal. 6. *epid. comm. 6. text.* 5. vtitur, qui mordaces humores in intestinis eluunt, quorum materia esse potest melicratum, & cremor ptisanæ.

Vel ℞. *Decocti hordei* ℔. j. *mellis rosar. vel violar. sacchari rubri* an. Vnc. j. *vitell. oui* num. j. F. Clyster.

Vel ℞. *Rad. althææ* Vnc. ß. *parietariæ, mercurialis, violarum flor. chamæm.* an. M. j. *sem. lini, fœnugræci* an. Drach. ij. *caricarum pinguium* num. iij.

Coq. in s. q. seri lactis.

Colat. ℞. Vnc. x.

*Elect. diacathol.* Vnc. j. *hieræ* s. Drach. ij. *melle ros. solut.* Vnc. ij. *ol. violacei* Vnc. iij. *stercoris canini albi* Drach. ij.

Misce.

F. Clyster.

His excretis, iniicit per sedem, quæ melius mitigant, & quæ in intestinis adhærentia, eorumque tunicas aperientia eadem à mordacibus humoribus ex supernis in illa descendentibus tuentur. Cibos quoque boni succi, & quidem coctu faciles offert, vt ita probo alimento humorum in corpore prauitatem & acrimoniam temperet, paulatimque corrigat. In hunc finem lac calidum cum saccharo iniici potest. In 2. *de simpl. medic. facult. c.* 12. Si dolor intestinorum à bile aut salsa pituita fit, clysteres infundit ex cera liquefacta cum oleo rosaceo & adipe hircino, aut ex solo oleo dulci. Serum lactis quoque per sedem iniectum mordaces humores abstergit.

Et si colica talis ex humoribus tartareis ortum habeat, quæ non tam in ipsis intestinorum cauitatibus quàm eorum vasis & tunicis consistat, eaque distendat, atque motus naturæ inuersus sit, ita vt omnia sursum propellat, & intestina calida & sicca intemperie laborent, fecesque retentæ exsiccentur, clysteres humectantes, emollientes iniiciendi sunt, qui simul atque vna opera, vt dolorem leniant, parari possunt. In quos vsus lac caprinum cum cassia iniici, & aliquid olei communis addi potest.

Quandoque tamen plus prosunt, & tensa ac sicca intestina magis laxant per os assumpta, quam in aluum infusa, vt oleum amygdalarum dulcium, & similia humectantia, nonverò fortiter purgantia. Obseruatumque quosdam his doloribus, & alui obstructione detentos ex magna prunorum recentium comestorum copia solutos fuisse, cum antea nullis etiam vehementioribus purgantibus solui possent; aliisque idem ex vuarum recentium larga comestione accidisse. Tutius id præstat manna cum oleo amygdal. dulc. recenti sumta, vt antea dictum. Ad dolores verò leniendos vtile est decoctum fl. chamæmeli cum iure carnis vel cereuisia ad Vnc. iiij, datum, cum spec. Diacymini Drach. ß. & butyri recent. vel ol. amygdal. dulc. recent. Vnc. ij.

Possunt & alia vsurpari, quæ supra de colicæ curatione in genere sunt proposita. Et cum non sufficiat semel ægrum à malo liberasse, sed opus etiam sit præcauere, ne redeat, postea ea medicamenta adhibenda, quæ venarum obstructiones aperiant, humoresque vitiosos è corpore euacuent. Vbi aluus est liquida, vt Dysenteria metuenda sit, Gal. 12. *m. m. cap.* 7. alicam in aqua additis granis mali punici coctam exhibet, aut decoctum rhois obsoniorum præbet, aut fructus austeros.

Si dolor valde vrgeat, imprimis in hoc caussæ genere, ad narcotica accedendum. Extra quoque aluo laxatã, ventrem inungere oportet oleo violarum, amygdalarũ dulcium, rosarum maluæ, althææ. Videatur etiam infra *part. 3. cap. 7.* de colica ab humore acri & scorbutico, vt & Adr. Spigelius de febr. semitert. *cap. 4. & 13.* vbi pluribus de hac colicæ specie agit.

## *Diæta.*

In colica ab humore calido vtilis est victus tenuis & refrigerans: inedia tamen cauenda, cum acriorem reddat materiam, & plus bilis generet, vnde omnia symptomata ingrauescunt & augentur. Danda ergo ptisana, cui interdum aliquid vini granatorum admisceatur, præcipuè si aluus non sit adstricta. Cucurbitæ fructus naturali quadã proprietate colo aduersatur, teste Tralliano. Vinum parcè bibatur & tale, quod malum hoc exasperare non possit. Videatur etiam Galenus de curatione colicæ ex humore calido acri, *loco antea allegato* 12. *meth. medend. cap.* 7. *Diæta.*

## *De Colico dolore ab Inflammatione Intestinorum.*

Quandoque etiam sanguis eo loci seu ob copiam, seu ob tenuitatem effusus, plerumque verò ad dolorem grauem, qui præcessit, eò attractus, aut ab alia læsione intestinorum eò concitatus inflammationem in colo excitat, quæ & ipsa distendendo, & fecibus alui ac flatibus viam præcludendo dolorem excitat. *Colica ab inflammatione intestinorum.*

## *Signa Diagnostica.*

Dolor fixus distendens, pulsansque in parte affecta intus percipitur, febrisque & febrilia Symptomata adsunt, aluus occluditur, licet adsit inane deiiciendi desiderium. Quod si tenuia intestina inflammentur, illis occlusis & conuolutis nihil per inferiora descendit, sed omnia per os, reiiciuntur & inflammationis signa alia supra proposita adsunt. *Signa.*

## *Prognostica.*

Dolor colicus ab inflammatione maximè periculosus est; quia materia est impacta, & transitum in Ileum minatur. Et quanquam qui in ileo est, periculosior sit: tamen nec ille, qui in colo est, periculo caret, præsertim si inflammatio tanta sit, vt vrina supprimatur. *Prognostica.*

## *Indicationes.*

Qui scopi in aliis inflammationibus, iidem & hîc sunt propositi, sanguis nimirum affluens à parte affecta auertendus, eiusdem feruor temperandus, ac id, quod influxit, discutiendum. Nam vt ad suppurationem ducatur, minus tutum est & non sine periculo id fit, ac præcipuè si ad interna abscessus rumpatur. *Indicationes.*

## *Curatio.*

Curatio supra *sect.* 1. *cap.* 2. proposita est, quæ ibi videatur. *Curatio.*

Præter dictam intestinorum inflammationem φλογώσεως cuiusdam seu feruoris intestinorum, qui in tenuibus præcipuè intestinis accidat, mentionem facit Platerus, qui grauem & diu durantem dolorem inferat, atque oriatur ex bile nondum in intestinorum cauitate contenta, sed in ipsorum substantiam sese insinuante, eaque vellicante ac rodente. Cum enim bilis in intestinis hæreat, vel continuò de nouo affluat, dolores adeo pertinaces & diuturnos generari, qui licet mitigentur, mox tamen redeant atque eò sint sæuiores, quò bilis, quæ illas efficit, deterior est, atque hanc bilem à vesicula fellis interdum prouenire docet, plerumque ex vitioso chylo genitam, in venis mesaraicis sanguini adhuc confusam, nec ab eo propter illius copiam, vel obstructiones sufficienter in vesiculam fellis expurgatam. vna *φλόγωσις intestinorum.*

cum

cum sanguine per ramos venarum mesaraicarum intestina amplexantes illorum substantiæ infundi, & nisi per oscula venarum in spatium illorum exsudet,& diarrhœam excitet dolorem excitare. Et cùm magna eius est copia, non solum ad intestina delata Colicum & Iliacum dolorem, sed & in aliis partibus alios morbos, sæpe etiam febres excitare scribit.

Verum enim verò nulla peculiaris colicæ hæc est species,sed illa ipsa, quam antea à bile ac humore scorbutico prouenire diximus,& in iis locis,vbi vina tartarea & impura bibuntur, & familiaris, qualis quoque scorbutico sæpe infestare solet. Hic enim quod antea etiam factum est, iterum monendum, hunc humorem falsum & acrem vulgò quidem bilem nominari,non parum tamen à bile illa flaua, quæ in vesicula fellis colligitur, differe & omnem colluuiem humorum acrium adustorum & serosorum hoc nomine accipi.

## QVÆSTIO I.

### *An Colica antiquis nota fuerit.*

*An colica antiquis nota fuerit?*

De malo hoc illud primùm in controuersiam venit, an Antiquis notum fuerit? Etsi enim caussæ, quæ hoc malum excitant,semper in corporibus humanis inuenti sint, atque hinc probabile videatur,hoc malum semper homines afflixisse,& apud Celsum iam medicamenti colici Cassij mentio fiat: tamen dubitandi occasionem præbet Plinius, qui *lib.27.cap.1.* scribit, colicum morbum primo omnium expertum esse Tiberium Imperatorem,& nomen huius mali populo fuisse incognitum; & quod apud Hippocratem & antiquos Medicos nomen colici doloris non occurrit.

Verum enim verò, cum, vt antea dictum,caussa huius mali etiam apud antiquos reperta sit,pro morbo nouo & qui Tiberij tantum tempore innotuerit, non habendus. Nomen tamen hoc antiquis vsitatum non fuit,sed eum vel in genere doloris intestinorum nomine expresserunt, vt ex 3. *Epidem.ægrot.9.& lib. de morbis & πειραθῶν* apparet,sicut & Diocles Carystius apud Celsum plenioris intestini morbi ileum vocat. Postea verò mutata nominis significatione, & colici & iliaci doloris nomina distincta sunt, & iliaci mali nomen saltem intestinorum tenuium affectioni; coli vero dolori colicæ passionis nomen tribuitur. Ita enim Celsus *lib. 4. cap.13.* Diocles Carystius tenuioris intestini morbum χορδαψόν, plenioris εἴλεον nominauit. A plerisque video nunc illum priorem εἴλεον, hunc κωλικὸν nominari. Ideoque cum Dioclis Carystij tempore morbus hic notus fuerit, etsi ilei nomine appellatus, non primum Tiberij tempore innotescere potuit. Hoc forsan accidit Tiberij tempore, vt colica quædam pestilens & epidemia in multis Romanæ Reipublicæ locis grassata sit, & ab Italiæ regionibus initium cœperit, vt scribit Paulus Ægineta *lib.3. cap. 43.* Simul etiam dubium est, quem morbum intelligat Plinius,cum non colicum nominet,sed colum.

*Seqq. pertinent ad p.876. col 2. lin.64.*

*Dolor colicus fit plerumque in sinistro latere.*

Etsi verò colum intestinum totum huius doloris subiectum esse potest: tamen hic nos monet Guil.Fabrit. *cent. 1. obs.58.* dolores colicos vt plurimum in sinistro latere obseruari,idque accidere propter coli in ea parte angustiam. Cum enim excrementa in superiori & capacissima coli intestini parte in globos magnos, prout capacitas intestini ferebat, indurata, à flatu versus hanc angustiam magna cum violentia pellantur;accidit, vt non nisi summo cum dolore permeare possint. Id quod diligenter animaduertendum, ne huiusmodi dolores colici cum dolore splenico, nephriticove,ægrotantium damno confundantur.

*Dolor colicus cum splenico & nephritico non confundendus.*

## QVÆSTIO II.

### *An sola intemperies dolorem colicum inducere possit?*

*An sola intemperies colicam inducere possit?*

Qui id affirmant, primo pituitam vitream producunt, eamque acerbissimos dolores colicos excitare, ita vt perforari intestinum quasi terebra videatur, in cauitate intestinorum tunicis adhærescentem frigiditate proximè tales dolores parere putant. Verum etsi negandum non sit, in corpore ex cruditate humorem frigidum crassum & viscidũ generari posse,qualis quandoque etiam euacuatur:tamen hoc probabile non est, primò humorem hunc tantam frigiditatem in corpore humano actu obtinere posse, vt actuali frigiditate dolorem tam acutum generet.Deinde nec hoc vero cõsentaneum est, eum in cauitatibus intestinorũ ipsis adhærendo hunc dolorem,& quidem frigiditate tantum excitare.Nam si sola frigiditas caussa doloris esset,non tã subitò inualesceret,& tam subitò cessaret. Et cur tum demum doloris caussa est,& non antea etiam fuit, cũ diu ibidem(ex ipsorum etiam sententia)hæserit & frigidus fuerit?Et si sola frigiditas caussa est,calefacietibus medicamentis dolor sedaretur, quod tamen non accidit, sed calefacientibus solis adhibitis magis intenditur,& non prius cessat, quàm hic humor euacuetur.

*Pituita vitrea non frigiditate solum dolorem excitat.*

Vero proinde magis consentaneum est, non solum frigiditate dolorem à pituita vitrea excitari, cum, dum quiescit, nullum dolorem excitet, sed dum mouetur; distendendo, dum scilicet humor hic per venas in tunicas intestinorum penetrat, easque distendit, aut flatus à se emittit, qui itidem distendendo dolorem excitant. Vnde accidit, vt dum humor hic crassus & viscidus membranas ita distendit, vt dolorem quasi infixi pali, vel terebræ perforantis speciem præ se ferat, quod in reliquis intestinorum doloribus, vbi humor per ea transit, non euenit.

Eadem ferè inflammationis & humorum biliosorum ratio est, quibus etiam nonnulli probare volunt, à sola intemperie colicam produci posse. Neque enim vel sanguis in inflammatione, vel bilis solum calefaciendo tantos dolores excitare valent; sed dolor ille grauissimus oritur, dum in inflammationibus sanguis tunicas intestinorum distendit,aut dum bilis non per intestinorum cauitatem, sed per eorum venas & tunicas mouetur, easque distendit.

*Inflammatio quomodo colicam excitet.*

Inflammatio tamen alio etiãm modo dolorem colicum excitare potest, dum angustiam pariendo excrementorum euacuationem impedit.

*Quomodo refrigeratio intestinorum colicam excitet.*

Refrigerationem tandem intestinorum quod attinet, quæ fit ab aëre externo, vel ab asumptis frigidis, sunt quidem nonnulli in ea opinione,quod & ab eã,cum frigida partibus neruosis & membranosis inimica sint, dolor colicus excitari possit. Verum probabile non est, frigus externum, & quidem sæpe non adeo magnum, ita ad intestina per pinguedinem & musculos penetrare posse, vt tantum dolorem frigiditate sua iis inducere valeat:sicut nec absumta ita inalterata ad colum descẽdunt,vt frigiditate sua tam vehementem dolorem excitare queant. Cùm verò id negandum non sit, à refrigeratione quandoque dolorem colicum induci, causam aliam intercedere necesse est. Mercurialis putat,duplici de causa à frigiditate dolorem colicum induci, primũ quoniam indurentur feces à frigiditate; deinde quia propter frigiditatem corrugentur intestina, quæ corrugata dolorem inducant. Verum non credibile est, frigus tantum viuente corpore induci posse, quod contrahat intestina, vt inde dolor excitetur: neque frigus tam subitò excitare potest feces, sicut sæpè subitò à frigore dolorem induci videmus.

Probabilius ergo est, frigida,dum frigidam intemperiem inducunt, & calorem naturalem debilitant, coctioni obesse,quã debilitatã,cum flatus, tum alij crudi

&

& corrupti humores generantur; qui cùm alios morbos, tum etiam dolorem colicum excitare valent.

## CAPVT III.

### De dolore Iliaco.

Vicinum colicæ ab inflammatione malum est Ileus, vtpote in quem non rarò colica ab inflamatione degenerare solet. Nomen autem vel à parte affecta accepit, Ileo scilicet, hoc est, intestino tenui, vel à symptomate, quod in hoc malo intestina εἰλεῖσθαι, id est, conuolui videntur. Appellatur & Iliaca passio. Potest tamen distingui inter Ileum & Iliacam passionem, vt Iliaca passio sit dolor intestinorum tenuium, qui tamen, vt *capite præcedente* dictum, sæpe etiam colicus dolor appellatur; cum frequentius intestinorum dolor in colo contingere soleat; ileus verò is affectus, in quo excrementa, quæ per aluum excerni debent, retinentur, & per os reiiciuntur, ob inflammationem imprimis intestinorum, & plerumquidem tenium, quandoque tamen & coli. Et quidem non necessarium est, vt semper intestinorum dolori motus ille intestinorum inuersus coniungatur, ac feces per os reiiciantur: & tunc propriè dolor Iliacus vel Illiaca passio appellatur. Vbi verò motui intestinorum inuersa etiam magnus dolor coniungitur, sine discrimine & Ileus & iliaca passio appellari potest. Verum cum quæ de dolore hoc Iliaco dici possunt, iam explicata sint partim *cap.*1. de ileo, partim *capite præcedente* de dolore colico, nihil de eo hic amplius addimus.

Pertinet ad intestinorum dolorem & tenesmus. Verùm cum doloris intestini recti & ani proprius sit, de eo *infra* de ani symptomatibus dicemus.

## CAPVT IV.

### De Alui retentione.

Qvicquid in cibo superfluum & alendo corpori ineptum est, idque crassius (nam aquosum per vesicam excernitur) per aluum eiici debet. Fitque id rectè dum omnia naturaliter sese habent, & aluum homines sani alij bis, alij semel singulis diebus deiiciunt.

Verùm multis modis hæc actio vitiatur. Aliquando enim aluus tardè & nonnisi tertio, vel quarto die redditur; aliquando plures dies planè supprimitur.

Et contra aluus interdum sæpius quàm par est, deiicitur; id quod in variis alui fluxibus accidit. Interdum feces alui per aliena loca excernuntur: aliquando alia præter feces per aluum eiiciuntur, de quibus ordine dicemus.

Aluus primò interdum vel rarius, quàm par, vel minus, quam par est, vel magno cum conatu excernit. Reperiri aliquos, quibus aluus ita segnis est, vt non nisi tertio, quarto, septimo, vel decimo aut duodecimo die excernant, etiamsi bene comedant, neque aliâs malè habeant, sæpè obseruatum. Ita refert Brasauolus *de medic in purgantib. cap.* 6. se anno 1535. iter equitando fecisse, & cum esset apud D. Virginem Lauretanam, semel excreuisse, postea Romam profectum dies duodecim in itinere consumsisse, & Romæ demum iterum excreuisse, atque interim se maximè sanum vixisse. Similiter se Ferrariâ Venetias profectum, in accessu & recessu, & morâ, qua Venetiis fuit, nouem scilicet dierum spatio, nihil excreuisse. Idem aliis interdum accidit, eiusque rei exempla annotata ab Alexand. Benedicto, *lib.* 19. *de curandi morb. rat. cap.* 36. Fernelio, *lib.* 6. *de part. morb. & sympt. cap.* 10. Hieronymo Triuero, *comm. ad aph.* 20. *lib.* 2. Petro Foresto, *lib.* 2. *obs.* 34. *in schol.* Præterea Schenckius *lib.* 3. *obs.* exemplum habet Melancholicæ puellæ, quæ tribus mensibus nihil aluo exereuit, & virginis cuiusdam nobilis, quæ annis amplius octo aluû, vrinam, menses & sudores cum periculosissimis symptomatibus suppressa habens vitam, tertio quoque die aluum clystere proluendo, duxit.

*Historia Henr. ab Heer.*

*Miræ alui suppressiones.* [Henr. ab Heer, *obseru.* 29. refert, se nouisse Illustriss. fœminas, quæ cætera sanæ maximè, & quotannis vterum gerentes, nunquam nisi vigesimo, vel etiam longiore spatio, fæces alui deponerent, ne quicquam inde commodi, etiam puerperæ, sentirent. Idem notum habet Sacerdotem quendam, qui à puero nunquam, nisi post 24. diem, alui beneficium sensit, & sanus vixit, nec vnquam vllum pharmacum expertus est. Idem, *ibid.* refert, Geneuensem quendam iam multos annos fæces nullas per aluum excernere, sed, postquam lautè edit ac bibit circa meridiem, sub horam primam surgere à mensa, pridianum prandium reuomere, retentis accuratissimè omnibus recens ingestis: postridie istum, vt hesternum, vomitu reiecturum, putridissimum, atque ab alui stercore non differentem. In vomitu, vt addit, conatus nullus, simul & semel in magna quantitate euenit. Abluto aquis odoratis ore, ad mensam redit. Ientaculo & cœnâ non vtitur, solo prandio contentus. Idque iam vltra vigesimum annum continuat.

Dignum omnino fuisset, vt mortuus sectus, & quæ constitutio ventriculi & intestinorum apparuerit, annotatum fuisset.]

### Caussæ.

Cum autem ad naturalem fecum excretionem necessarium sit, primò vt adsint feces, quæ sui cópia, tum qualitate intestinorum expultricem irritent, eæque ad excernendum aptæ sint; secundò vt irritatio seu stimulus hic ab intestinis percipiatur; tertiò vt facultas naturalis irritata ad expellendum insurgat; quartò vt facultas animalis beneficio musculorum abdominis expulsionem hanc adiuuet: Si horum aliquod desit, fecum exercitio vel imminuitur & tardior fit, vel planè cessat.

Primò feces non stimulant, vel quia nullæ adsunt, vel paucæ adsunt, vel licet adsint, mordacitatis & acrimoniæ sint expertes. Cum autem irritatio ista fieri debeat in intestino recto, licet in reliquis intestinis feces adsint, tamen si ad intestinum rectum non descendunt, nulla fit irritatio. Ita si intestina ore reiiciantur, id quod fit in Ileo, vel per alium locum, vt infra dicetur, excernantur, vel intestina superiora occludantur aut obstruantur, feces ad intestinum rectum non descendunt. Idem accidit, si intestini recti pars superior coalescat, id quod nobili cuidam Equiti Carolo Nouolano accidisse refert Marcellus Donatus, *de hist. med. mirabili lib.* 4. *cap.* 10. Huic enim cum aluus supprimeretur, nec aliis modis aperiri posset, vndecimo die mortuus est. Corpore aperto intestinum rectum ita in parte superiore per digiti transuersi longitudinem coiuisse & coaluisse inuentû est, vt vix tenuioris funiculi crassitiem æquaret, vtrinque in confinio intestini partibus in tumorem quendam veluti glandulosum eleuatis.

Paucæ feces fiunt, dum paucus cibus assumitur. Secundò expertes acrimoniæ sunt feces, vel dum frigidæ sunt & ex cibo frigido genitæ, vel, quod frequentius accidit, dum bilis flaua, quæ ad intestina transmissa & excrementis admixta ea ad excretionem stimulat, deest, vel aliò fertur, id quod fit in ictericis, vel euacuata est. Vnde post purgationem ac clysteres aluus subsistere sæpe ad diem vnum vel alterum solet. Quod tamen etiam eâ de caussâ accidere potest, quod intestina omnibus excrementis euacuata ad excretionem non stimulantur, donec iterum repleta sint.

Tertiò irritationem non sentiunt intestina, dum vel fecibus quasi assuescunt, ob diuturniorem earum retentionem, vt iis accidit, qui propter forensia vel alia negotia feces præter debitum retinent, vel quia stupore laborant

laborant inteſtina, de quo infra *de ſtupore ac paralyſi ani*, dicetur.

Quartò etſi facultas irritatur, & irritationem ſentit, tamen excretio non ſequitur, vel læſâ facultate, vel ob errorem externum. Facultas vel labefactatur vel impeditur. Labefectatur ob intemperiem inteſtinorum, imprimis frigidam & ſiccam. Pertinet ad læſam facultatem & id vitium, cum muſculis abdominis opem expultrici facultati non ferunt, quia vel in ipſis, vel in vicinis abdominis partibus affectus aliquis eſt, qui dolorem parit, ob quem ipſorum motus impeditur. Facultas impeditur in excretione vel ob viarum anguſtiam, dum tumore aliquo inteſtina craſſiora aut comprimuntur, aut conſtipantur, aut conuoluuntur, aut pituitâ viſcidâ obſtruuntur; vel ob retentricis facultatis robur, quâ de cauſsâ excrementa diutius retenta ſicciora fiunt. Pendet autem retentricis robur à ſiccitate moderata, quam propterea etiam augent adſtringentia & retentricem roborantia, vt meſpila, cydonia, præſertim ſi primâ menſâ ſumuntur. Pertinet huc locus Galeni, dum Hippocratis verba, 6. *Epidem. comm.* 5. *text.* 27. *Refrigeratio, quæ in ventre ſunt, durat*, ita explicat: *Refrigerationem exteriorum ſemper ventrem ſiccare cognoſcimus, interiorum autem contra humectare atque lenire, quæ cœliacos etiam, qui vocantur affectûs, id eſt, ventris profluuia interdum concitat, quo tempore ipſa quidem interiorum membrorum corpora, duriora fieri contingit, humores autem cibis non rectè concoctis neque diſtributis deſcendere. Quod autem cum cælum nos ambiens frigidus fuerit, quæ in ventre ſunt, diutius ibi morantur, euenit, quod imis partibus muſculi ſedem claudentes impoſiti ſunt, qui per frigus coguntur, conſtringunturque.* Hæc Galenus. Ob errorem autem externum ſeu obiecti, quod expelli debet, fecum ſcilicet ratione alui deiectio læditur, dum feces alui nimis ſunt craſſæ, viſcidæ aut duræ. Generantur autem feces craſſæ & viſcidæ è cibis craſſis & viſcidis: duræ autem fiunt, quia nimis exiccantur; quod accidit, quia aut cibi, vnde generantur, nimis ſicci ſunt, aut pauco nimis potu diluuntur, aut humiditas ipſorum in tranſitu per inteſtina omnis exhauritur, id quod fit aut propter epatis & lienis caliditatem, aut propter vehementem motum imprimis equitationem, & in curru vectionem velocem, aut propter diuturnam in inteſtinis moram, aut propter habitum corporis calidiorem, ob quem multum per ambitum corporis diſtribuitur & diſcutitur. Quò pertinet etiam inedia, quâ inteſtina & feces alui exſiccantur, & ob quam etiam poſtea, dum eam amplius non patitur æger, ſed cibum rurſum aſſumit, nihilominus feces exiccantur, dum natura famelica quicquid humoris in chylo eſt, per venas meſaraicas exugit, vnde feces exiccantur. Atque hac de cauſſa accidit, vt qui poſt morbos acutos conualeſcunt, etſi auidè comedant, nihilominus aluum ſicciorem habeant; quod & iis interdum, qui benè nutriuntur, accidit. Fecum autem hæc ſiccatio & durities, quæ alui ſuppreſſæ cauſſa eſt, præcipuè accidit in inteſtino recto, & eò loci, vbi tenuia inteſtina in craſſa deſinunt.

In hac autem cauſſarum explicatione non prætereundi Aphoriſmi Hippocratis, 20. *ſect.* 2. *Quibus iuuenibus adhuc aluus humecta eſt, iis ſeneſcentibus, exſiccatur. Quibus verò iuuenibus adhuc aluus ſicca eſt, iis ſeneſcentibus humectatur*; & 23. *eiuſd. ſect. Quicunque aluos humidas habent, melius degunt iis, qui ſiccas habent, ad ſenectutem verò deterius. Nam ſeneſcentibus magna ex parte exſiccatur.* Hi enim Aphoriſmi eatenus ſaltē vteri ſunt, ſi eadem victus ratio ſeruetur. Si vero victûs ratio, quàm quis iuuenis obſeruauit, in ſenectute mutetur, non mirum etiam, id quod Hippocrates ſcribit, non fieri. Variantur autem alui deiectiones ſecundum ætates, ob eam, quæ in illis fit, corporis diſpoſitionis mutationem. De qua re prolixè Galenus, *in comm. in aphoriſmos allegatos*, & alij interpretes.

Neque etiam inter cauſsas alui tardioris prætereunda videtur pituita illa craſſior, vniuerſum inteſtinorum ductum obducens, qualem Lipſius aliquando & alij quidam excreuerunt, vt ſupra, *ſect.* 1. *cap.* 3. & 5. dictū. Hæc enim pluribus modi alui tardioris cauſſa eſſe poteſt, dum & internam inteſtinorum tunicam oblinendo facit, vt ſtimulus fecum ab iis non percipiatur, & viſciditate ſua feces quaſi detinet, ne facilè verſus aluum moueantur.

Vt ita ſi cauſsas has omnes, quas per diuiſionem inuenimus, in numerum redigere velimus, alui retentæ ſint hæ cauſſæ. Fecum in inteſtino rectò defectus, dum illæ vel ore, vel per aliam viam eiiciuntur, vel via ex ſuperioribus inteſtinis ad rectum iis non patet. Fecum paucitas; vel eæ acrimoniæ expertes, ob bilis, quæ admiſcetur aliâs, defectum: fecum diutina retentio: ſtupor ani, inteſtinorum frigitas & ſiccitas, muſculorum abdominis vitium, inteſtinorum anguſtia, facultatis retentricis robur, fecum craſſities, viſciditas vel durities.

## *Signa Diagnoſtica.*

Signa. Cùm autem cauſsæ à quibus alui retentio prouenire poteſt plurimæ ſint, vt modò dictum, atque ob curationem eas deſcernere & vtile & neceſsarium ſit, danda opera, vt quæ mali huius cauſſa ſit, manifeſtum fiat. Primò ergò inquirēdum, an cauſsa aliqua externa præceſſerit, & an cibus, potus, aër, equitatio, vectio & ſimiles cauſſæ alui ſuppreſſioni occaſionem præbuerint. Si nihil horum præceſſerit, cauſsæ internæ perpendendæ ſunt; an nimirum morbus aliquis in inteſtinis ſuperioribus adſit; feces alui per os vel aliam viam reiiciantur; an icteribus adſit, vel ani ſtupor, in muſculis abdominis vel vicinis partibus morbus aliquis dolorem pariens, vel calidioris epatis indicia ſint conſpicua, vel feces duræ & craſſæ in inteſtino recto hæreant, aut ſi quæ aliæ huiuſmodi cauſſæ adſint.

## *Prognoſtica.*

Prognoſtica. 1. Aluus tardior vel intercepta ſemper capitis ſymptomata auget. Vapore enim è fecibus retentis caput repletur, corpus ingraueſcit, ventriculi coctio læditur, atque etiam reliquæ coctiones malè ſe habent. Præſtat propterea tam in ſanis, quàm in ægris aluum quotidie ſuum officium facere, quàm adſtrictam eſſe.

2. Alui autem tarditas vel retentio nunc periculoſior, nunc minus periculoſa eſt, pro cauſarum, quæ eam excitant, varietate. Si enim ab inteſtinorum inflammatione fiat, grauiſſimum & plerunque lethale malum eſt. Satis etiam ſæpè pertinax eſt alui obſtructio, è fecibus induratis, quæ colicos dolores diuturnos parit. Vt n. ex obſeruationibus Doctoris Oethæi refert Schenkius, *lib.* 3. etſi interdum purgantibus aluus probe euacuata videtur, & excrementa liquida egeruntur: tamen excrementa alui ſicca & dura plurima nihilominus in iis ſubſiſtunt, & nouas obſtructiones aut dolores pariunt. Excrementa enim liquidiora præterfluunt, & ſicca ac dura hærent. Ideoque in tali caſu primo clyſterem vnū atque alterum ad feces emolliendas iniicere vtile eſt, & poſtea purgantia exhibere, quæ ſi vel operari tardius videantur, vel pauca educere, denuo clyſteres iniicere conuenit. Eadem etiam aliarum cauſſarum ratio eſt.

## *Indicationes.*

Indicationes. Cauſæ externæ omnes, occaſioneſque, quæ aluum tardiorem reddunt, tollendæ ſunt. Deinde & cauſsæ internæ; atque hæ cum variæ ſint, quælibet conuenienti modo amouenda. Si nimirum adſit inteſtinorum inflammatio, ſi icterus, ſi ani ſtupor, & ſimiles cauſsæ, tollendæ. Quod qua ratione fieri debeat, ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, & dicentur, patet. Neque enim rationē

tot

tot & tam varias caussas tollendi vno loco explicare conuenit. Vt pauca ex Galeno, 1. *de tuenda sanit. cap.* 14. saltem afferamus, retentionis caussæ contrariam semper caussam admouere oportet. Si enim ciborum paucitate & siccitate aluus sit restricta, cibi plures & humidiores exhibendi. Si siccitate, humidiora: si austeritate & acerbitate, dulcibus & pinguibus cibandi erunt ægri. Si in ordine ciborum erratum sit, & primò sicca, adstringentiaque sumpserint, humida, pinguia & dulcia secundo loco, error corrigendus. Si cum bis edendum erat, semel comederunt, non bis modò, sed etiam amplius pascendi. Eodem modo & recens contractas intemperies contrariis remediis tollere oportet, scilicet, quod siccatum est, humectando, quod refrigeratum est, calefaciendo, & reliquos affectus simili ratione corrigendo. Quæ tamen ætatis mutatione remoueri possunt, iis vel nullum vel leue auxilium adhibeatur, vsque interim cibis lubricantibus laxa per vices seruetur, & omnia contraria & adstringentia vitentur.

Tertiò ipsa aluus ad excretionem stimulanda aut viæ lubricæ reddendæ, ac fæces, seu duræ fiant, quia diutius retinentur, seu diutius retineantur, quia siccæ & duræ sunt, emolliantur. Vbi notandum, ad hanc rem commodiores esse cibos, & ea, quæ cibis admiscentur medicamenta, aut quæ paulò ante cibum sumuntur; Medicamenta verò purgantia & præcipuè fortiora ad hanc rem inutilia esse; cum post eorum vsum aluus sisti & adstringi soleat, ob caussam supra propositam.

### *Curatio.*

Exhibendi ergo cibi aluum lubricantes, vt atriplex, malua, spinachia, blitum, oleo vel butyro condita, passulæ, ficus, oleum, butyrum, & quæ simul acria ac nitrosa sunt, vt brassicæ succus, beta mercurialis. Etsi vero & fructus plurimi sint, qui emolliant ac laxent: tamen quia facilè corrumpuntur, præsertim si diu in ventre retineantur, ab iis abstinendum. Ideoque tutius est oleosis & pinguibus feces emollire, & nisi sponte exeant, per lenes planè & humectantes clysteres educere. Pessimum verò est, naturam ita assuefacere, vt nisi fortioribus & acribus clysteribus ac glandibus irritata officiū suum faciat. Vtile est & serum lactis cui tantum mellis, quantum ad suauem saporem citra stomachi subuersionem sufficit, addendum; & quia Hippocrates, 4. *aph. vlt.* scribit, mictio noctu plurima facta paruam deiectionē significat, documentum nobis hoc præbet, vt iis, quibus aluus siccior est, plus potus demus, & quantum possibile, distributionem eius inhibeamus, quod fiet, si non nisi cibi iam bona parte sumta bibatur.

Inter medicamenta vtilissima est aloë & species hieræ cum octoginta partibus aloës confectæ, quæ à Dr. ß. ad Dr. j. exhibendæ horæ vna ante cœnam. Nam, vt Galenus, 2. *de compos. med. sec. loc. in fine* scribit, intestina & ventriculum roborant, & eorum expulsionem ac sensum vegetiorem reddunt, pituitam iis substratam abstergunt, & vim expultricem irritant. Earum tamen vsus frequens, præsertim in iis, qui intestina licciora habēt, vitandus. Neque etiam aloë senibus propter siccitatem satis conuenit, sed potius cibis mollientibus & lubricātibus in prima mensa sumtis aluus iis laxanda. Et præstat in eorum vsu subsistere, etsi biduo saltem aluus soluatur, quam valentioribus, nisi necessitas valde vrgeat, medicamentis vti. Neque etiam lenientia hæc copiosè exhibenda. Nam si copiosè sumantur, & aluus valde laxetur, sequentibus diebus adstringitur. Qua de caussa etiam acria per aluum infundenda non sunt, sed humectantia & pinguia solum sufficiunt, quale est oleum. In infantibus & tenellis ventrem oleo, adipe, vel vnguento Agrippæ inungere vtile est.

*Alui ducendæ modi.* Rari præterea quidam alui ducendæ modi apud Autores occurrunt, qui non prætereundi. Hieronymus Thriuerus, *comm. in aph.* 20. *sect.* 2. *Hippocratis* scribit, rusticos iam dudum nosse experientia, quod si nudis pedibus humi obambulent, ventrem pertinacem solui. Atque eius rei historiam refert Brasauolus, *c.* 6. *tract. de medicinis purgant.* dum scribit, Ferrariensium Ducem Borsium in alui duritiem incidisse & per triduum nihil excreuisse, & consultum ea de re Medicum eo tempore insignem Michaëlem Sauonarolam suasisse clysterem iniici, quo nihil proficiente iussit pauimentum, quod erat marmoreum, frigida aqua copiosiore conspergi, & Ducem lecto surgere, ac nudis pedibus ambulare. Non quinquaginta passus perrexerat Dux; & per ventrem dolorem ac βορβορυγμὸν sentire cœpit, sedem petiit, & potentissimè excreuit; quo facto iussit Sauonarola aquâ, in qua herbæ calidæ essent decoctæ, Ducis pedes ac crura ablui, quod consilium Dux centum aurei remunerari iussit. Quod proculdubio accidit ob pedum, quem cum partibus neruosis & membranosis, qualia etiam sunt intestina, habent, consensum, atque ob intestinorum refrigerationem; sicut aliàs etiam, si venter frigori exponatur, dolor colicus & alui excretio copiosior excitari solet. Verùm Brasauolus hoc periculosum auxilium esse putat, & non tentandum; cum tormina inducere possit, & alui profluuium; quod alias etiam accidit, si ilia & partes inferiores detectæ sint.

Nonnullis sorbilibus ouis sumtis ventrem solui refert Brasauolus, *eodem tractatu*, & Marcellus Donatus, *de Mechoacanna*; quod proculdubio euenit, cum cruditatem nidorosam oua, quod in quibusdam accidere solet, degenerant, quam natura per aluum eiicit.

Pilulis compressis & altera parte saliuâ madefactis, atque ventriculo extra appositis Abbatissam quandam sufficienter purgari solitam refert Fallopius, *cap.* 2. *tract. de purgant.* Sed suprà iam dictum, purgantia etiam extra applicata, dum se per orificia venarum & arteriarum in corpus insinuant, ventrem mouere posse, de quare etiā in Institut. *lib.* 5. *part.* 1. *sect.* 1. *cap.* 11. dictum.

Nonnullis quoque ex solo purgantium odore aluus laxatur, cuius rei exemplum habet Alex. Benedictus, *in præf. in lib. de peste.* Barthol. Maranta, *meth. cognoscendi simplicia l.* 3. *c.* 15. & alij. Noui etiam Medicum, cui, si in vola manus pomum colocynthidis contineret, donec inualesceret, aluus laxabatur.

F. Platerus, *l.* 1. *obs.* scribit, se in quibusdam excrementa alui, quæ ob duritiem excerni non poterant, tussi & sternutatione concitata eiecisse.

---

## CAPVT V.

## *DE ALVI FLVXIBVS IN GENERE,*

### *Et de Cœliaca affectione ac Lienteria.*

VT præter naturam est, si excrementa alui longiore, quàm par est, tempore retineantur: ita æque præter naturam est, si citius & frequentius, imò copiosius, quàm par est, excernantur, quæ præter naturam excretio alui fluxus appellatur.

### *Differentiæ.*

Cum autem variæ alui fluxu sint differentiæ, ratione materiæ, quæ excernitur; partis & loci, à quo in intestina materia confluit; caussæ efficientis: atque ob differentiam hanc varia curandi ratio exigatur; prius differentiæ alui fluxuum explicandæ, & alui fluxus in suas species distinguendus. *Differentiæ.*

*Lienteria & fluxus Cœliacus.* Materiæ ratione alui fluxus varij sunt. Aliquando enim cibi nondū concocti, aut imperfectè cocti per aluum deiiciuntur, qui fluxus Lienteria, & Lientericus, item Cœliacus appellatur. Aliquando chylus per aluum excernitur; aliquando humores excrementitij, bilis, pituita, melancholia per aluum excernuntur, qui fluxus cum sine exulceratione intestinorum est, Diarrhœa

*Diarrhæa. Dysenteria.*

rhœa dicitur: si cum exulceratione, dysenteria. Aliquando etiam sanguis sine intestinorum exulceratione excernitur.

Ad materiæ considerationem pertinet & motus eius, qui vel symptomaticus est, vel criticus. Symptomaticus est, cum natura à copia vel prauitate materiæ stimulata intempestiuè & præpostere materiam expellit. Criticus verò est vtilis, cum consueto vel opportuno tempore materia euacuatur. Qua de re Galenus, *in fine libri de sympt. different.* scribit, quædam etsi toto genere sint præter naturam, vt hæmorrhagia narium, vomitus, sanguinis per aluum deiectio, hæmorrhois, aut aliud huius generis, præter naturam simpliciter non sunt, modo ἐγκαίρῳ, id est, tempestiuè fiant. Fiunt autem tempestiuè, quando id, quod molestum est, expellitur. Et *7. meth. med. cap.* 11. Sunt, inquit, quibus diarrhœa & Cholera certis interuallis omnem corporis redundantiam educit.

Ratione loci, à quo materia confluit, fluxus alius à toto est, qui colliquatiuus dicitur, & familiaris est febribus pestilentibus, causso, hecticæ, phthisi, atrophiæ nonnunquam & viscerum inflammationibus: alius à ventriculo, epate, liene, mesenterio, cerebro, intestinis, vel etiam toto venoso genere, rarò à pulmone, & thoricis cauitate fluxus oritur, vt phthisicis, & empyicis ante mortem accidere solet.

Tandem ratione caussæ efficientis fluxus differunt, quæ est vel interna vel externa. Internæ caussæ ratione fluxus differunt, quod vel intestina magis, quam par est, stimulantur, vel retinere nequeunt, vel paralysi affectus est sphincter.

*Caussæ externæ alui fluxuum.*

Externæ caussæ sunt omnia, quæ ad producendos humores vitiosos faciunt. Quò pertinent & venena ac fortia medicamenta purgantia adsumpta, quæ ὑπερκάθαρσιν excitant.

Verum commodissimè, & ad methodum curandi instituendam rectissimè fluxus alui ita distinguuntur, quod alius est, quando cibus nondum planè concoctus excernitur, qui Lienteria, & Lientericus appellatur, à quo Cœliacus tantùm ratione minoris cruditatis differt; alius, cum humores alij quicunque sine exulceratione intestinorum excernuntur, qui diarrhœa appellatur; alius, cum humores cum vêtris dolore & torsione ac intestinorum exulceratione excernuntur, & proinde deiectiones cruentæ sunt, qui fluxus dysenteria nominatur; alius cum sine dolore ac intestinorum exulceratione sanguis effluit: de quibus ordine dicendum, & de cœliaco fluxu ac lienteria, de diarrhœa, de dysenteria, de sanguinis per aluum profluuio agendum.

*Fluxus lientericus & cœliacus quomodo differant?*

## *De Lienteria & Cœliaca affectione.*

*Cœliaca affectio & lienteria.*

Cœliaca affectio & Lienteria tantùm ratione minoris & maioris differunt, eandemque curationem postulant. Lienteria enim dicitur, cum alimenta prorsus cruda statim, vt assumpta fuerunt, per aluum excernuntur, vt alimenti assumpti genus apertè agnosci possit. In cœliaca verò affectione diutius non nihil in ventriculo alimenta morantur, neque tam citò per aluum descendunt, & iam aliquam coctionem adepta sunt, nondum tamen perfectam. Κοιλιακὴ autem à parte affectâ, hoc est, ventriculo nomen accepit, tanquam peculiaris sit ventriculi affectio. Λειεντερία verò quasi λειότης τῶν ἐντέρων, quod qui primi hanc appellationem huic malo indiderunt, id à læuitate seu glabritie intestinorum superficiei fieri existimarunt, perditâ illorum naturali asperitate. Verùm Galenus id reprehendit, *6. aph.* 1. quia intestina ingestos cibos, non asperitate quadam retineāt, sed amplexu suaui, arcto tamen, quo effluere illos intestina, cum naturaliter habent, prius non finant, quam legititimè sint concocti, atque ita tempus complectêdi cibum cum concoquendi tempore exæquetur, vt loquitur Gal. *de sympt. diff. cap.* 4. Attamen hanc caussam inter alias quoque caussas admittit Aëtius, vt postea dicetur, & λεῖον lubricum etiam significat. Neque affectio semper nomen à propiore symptomate, sed frequenter à manifestiore & vulgo notiore accipit. Hoc tamen verum est, non tantum intestinorum, sed simul & præcipuè, ventriculi affectionem esse lienteriam, quorum facultas retentrix læditur, vt patet ex Galeno, *4. aph.* 1. *6. aph.* 1. *3. aph.* 22.

*An ob leuitatem intestinorum p.n. fiat lienteria.*

*Lienteriæ finitio.*

Est nimirum Lienteria, vt Galenus, *de different. sympt. c.* 4. definit, celer per ventriculum ad intestina esculentorum potulentorumque transitus, quo talia eiiciuntur, qualia fuere assumpta.

### *Caussæ.*

*Caussa.*

Cœliacæ affectionis & Lienteriæ caußa proxima est retentricis facultatis ventriculi, atque intestinorum læsio, ob quam cibi, antequam cocti sunt, per intestina descendūt, atque per aluum deiiciuntur. Vt enim coctio fiat, necesßum est, cibos aliquādiu in ventriculo retineri; quod si non fiat, cibi crudi ad intestina descendunt, & per aluum excernuntur: atque ita non quia incocti permanent cibi, ideò deiiciuntur, sed quia citò & ante tempus debitum deiiciuntur, ideo coqui & immutari non poßunt. Quia tamen diu homo sine alimento viuere non potest, non omne alimentum, quod aßumitur, per aluum deiicitur, sed breui illo, quod retinetur, tempore tenuiores & subtiliores esculentorum & potulentorum partes alterantur & coquuntur, quæ corpori in alimentum cedunt. Etsi verò quandoque etiam coctricis facultatis vitio cibi incocti & crudi deiiciuntur, dum vētriculus vel ob calorem debilem innatum, vel quia omentum, aut epar, aut vicinæ partes frigidæ ventriculū refrigerāt, cibos concoquere non valet: tamen tùm propriè dicta lienteria non generatur, si retentrix adhuc se bene habet. Non enim celeriter & paulò post, quam aßumpta sunt, alimenta deiiciuntur, id quod in lienteria propriè dicta accidit, sed satis diu in ventriculo morantur; ob caloris tamen ventriculi debilitatem, etiam in diuturniore mora, & quæ, si calor ventriculi se rectè haberet, ad coctionem sufficeret, coqui non poßunt. Et quidem quandoque retentrix tam ventriculi, quam intestinorum læditur: quandoque tamen vel solius ventriculi, vel solorum intestinorum retentrix læsa cœliacæ affectionis vel lienteriæ caußa eße potest. Cum enim intestina vim habeant chylum in ventriculo genitū amplius elaborandi, si intestinorum vis retētrix læditur, etsi ventriculus bene sese habeat, tamen quia non tam diu, quam par est, alimentum in intestinis retinetur, illam, quam debet, elaborationem, & perfectionem non suscipit, sed crudum quodammodo per aluum deiicitur, atque Cœliaca affectio oritur. Si vero intestina bene sese habeant: ventriculus tamen cibum satis diu non retineat, præpropere ad intestina descendit, atque coctionem, quam debebat in ventriculo accipere, in solis intestinis recipere non potest, atque ita crudus, & intempestiuè per intestina descendit, lienteria oritur.

*An læsâ coctrice facultate ventriculi lienteria generari possit?*

Læditur autem retentrix facultas vel per se, vel per accidens. Per se, dum vel labefactatur ab insigni intemperie frigida & humida, quâ instrumenta retentionis laxantur, & ad retentionem parum apta redduntur: eaque aut sola aut cum humore pituitoso coniuncta, qui nonnunquam è cerebro in intestina, & vētriculum decumbit, sicut & pinguium & lubricorum immoderato vsu mollis & laxior factus ventriculus cibum retinere non potest.

Hinc etiam dysenteriæ superuenit lienteria, *7. aph. 76. &* 1. *de morb.* quia in dysenteria intestina prauorum humorum trāsitu affliguntur, & calor natiuus ac tonus eorum labefactatur. Hinc quoque lienteria & hydrops ferè reliquis morbis desinentibus superueniunt, cum non queat facilè ventriculus ab accepta humiditate exsiccari. Hipp. *in lib. de aëre, aquis & locis.*

*Cur dysenteria lienteria superueniat.*

Impeditur retentrix à cicatrice densa & læui, vt loquitur

loquitur Aëtius, quæ dysenteriæ magnæ, & exulcerationi profundæ succedere solet; vbi ob densitatem cicatricis ciborum per corpus distributio impeditur, osculis venarum mesaraicarum obturatis, ob læuorem verò cibus ad perfectam coctionem retineri non potest; sicut idem docet, *tetrab.* 3. *serm.* 1. *cap. vlt.* Rarò tamen hanc ob caussam lienteria accidere videtur. Non enim credibile est, viuente homine, ita posse intestina exulcerari, vt omnia, aut maiori ex parte vasorum osculo obturentur. Et quamuis post dysenteriam interdum linteria sequitur; vero tamen consentaneum est, & eam fieri ob insignem ventriculi & intestinorum labefactationem. A pituita lienteriam fieri posse, magis credibile est, quæ cum intestina lubrica & laxa reddere; tum oscula venarum mesaraicarum obturare, tum calorem obtundere potest.

Per accidens verò læditur retentrix, dum expultrix valdè irritata cibos nondum concoctos mox deorsum propellit. Citius enim, quam par est, expultricem excitari, est retentricem lædi. Fit hoc ab vlcerosâ ventriculi aut intestinorum ex acribus & mordacibus humoribus dispositione, eo modo in superficie illorum membrorum factâ, sicut aphthæ in ore puerorum fieri consueuerunt, teste Galeno, 3. *aph.* 22.

Atque hæc vlcerosa dispositio, si longo tempore perseuerer, in dysenteriam abit. Galenus, 6. *aphor.* 1. Interdum & ab occulta alienaque qualitate ventriculum obsidente idem malum accidit, ex esu fungorum, & fructuum putrescentium, ex veneno, ex prâua aëris constitutione, à quorum postremo epidemiæ lienteriæ originem ducunt.

Atque hæ caussæ præcipuè frigida & humida intemperies & pituitosus humor, vel vlcerosa intestinorum dispositio, si sint remissiores, cœliacam affectionem generant, quæ est minus velox cibi & potus, & quidem nonnihil mutati excretio; quibus affectio cœliaca à lienteria differt.

*Lienteria & Dysenteria, autumno & in ætate prouectius frequentius.*

Hinc Lienteria Dysenteria autumno maxime fiunt, 3. *aph.* 22. Cum enim lienteria fiat, vel retentrice ventriculi intestinorum læsâ ab intemperie frigida & humida, vel ob eorum exulceratione ab humoribus mordacibus, hæc duo, viscerum scilicet intemperies, & humorum acrimonia, autumno potissimum ex inæquali aëris constitutione gigni possunt. Eandem ob caussam in ætate consistente lienteria frequentius accidit, 3. *aph.* 30. Caussæ enim lienteriæ magis in iis, qui vltra iuuentutem sunt prouecti, reperiuntur.

Fornelio non solum cibi semicocti, sed chyli etiam absoluti imperfecta est distributio, ob epatis, lienis & mesenterij obstructionem, aut ob trahentis in hisce partibus facultatis imbecillitatem, aut ob alimentorũ, præsertim cacochymicorum, & potus quoque copiam & corruptionem. Atque ita ipse cœliacam à ventriculi vitio non fieri statuit. Galenus tamen, 6. *de loc. affect. cap.* 2. vt lienteriam, ita & cœliacam, tum ventriculi, tum intestinorum vitio fieri scribit, & κοιλιακὴ à parte affecta, hoc est, ventriculo nomen accepit, qua peculiaris sit ventriculi affectio. Ita etiam Aëtius, *tetrab.* 3. *serm.* 1. *cap.* 32. scribit, cœliacam affectionem fieri, quando humida excrementa egeruntur ventre præ imbecillitate nequeunte digerere. Et fluxum istum, qui fit à chylo non distributo, aut alimentis corruptis, alij autores malunt ad diarrhœam, quam ad cœliacam affectionem referre.

Bauderonius adhuc vnam lienteriæ caussam addit, atque ex frigore & resolutione neruorum sextæ coniugationis lienteriam fieri posse, & neminem eorum, qui tempore hyemis per alpes iter faciunt, id negare scribit. Veruntamen hoc rarũ esse ait. Quod si accidat, ad diarrhœam potius, quàm lienteriam pertinere videtur.

Cum autem secundum has causas curatio cœliacæ affectionis & lienteriæ variet, dicendendum erit de lienteria ob læsam retentricem ab intemperie frigida & humida, & humore pituitoso, deinde de lienteria ab expultricis irritatione, seu ab vlcerosa dispositione, & vlcere ventriculi: si prius, quæ de lienteria in genere dicenda restant, expediuerimus.

### *Signa Diagnostica.*

Et quidem cognoscuntur hæc mala, quod per aluum continenter cibi crudi, hoc est, nihil aut parum ab assumptorum consistentia, colore, odore, aliisque qualitatibus immutati excernuntur, & colore, inprimis sub alba & cinerea sunt, liquida, spumosa, æger ex cibo assumpto non nutritur, corpus contabescit, adsunt rugitus, inflammationes. *Signa.*

Et quidem in cœliaca affectione post 6. vel 7. horas cibus assumptus deiicitur, aliquo modo quidem mutatus, sed non perfectè coctus. Et plerumque cœliaca est præuia ad lienteriam dispositio, eamque sæpissimè antecedit. Debilitatâ n. aliquo modo facultate retétrice, & propterea concoctrice officium suum præstare non valente, crudiora, molliora & humidiora excrementa per aluum eiici incipiũt, quæ & interdum fœtorem aliquem habent, dum pro coctione putredinis initium contrahunt, hominesque sunt nauseabundi, extenuantur, quæ vitia in dies magis augentur, tandem res ad Lienteriam peruenit. Quandoque tamen sine præuia cœliaca affectione Lienteria excitari potest.

In Lienteria cibi, paulò postquam sunt assumpti, tales quales sunt assumpti, deiiciuntur, ita vt cibus ipse cognosci possit.

### *Prognostica.*

1. Lienteria & cœliaca mala sunt non contemnenda; quia vniuerso corpori nutrimentum subtrahunt; vnde atrophia vel cachexia & hydrops, præsertim tympanites sequuntur. Lienteria tamen periculosius malum est, quàm cœliaca; siquidem à maiore caloris natiui prostratione, & toni ventriculi debilitatione prouenit. *Prognostica.*

2. Lienteria, quæ acutis & chronicis morbis superuenit, difficilem curationem admittit, ob virium deiectionem.

3. In cœliaca res ferè desperata est, si morbus diutius duret, ægris ad conuenientem diætam pigrescentibus. Si itaque morbus autumno incipiens ad hyemem se extendat, difficilius omnino curatur. Aëtius, tetrab. 3. *sem.* 1. *cap.* 7.

4. Cœliaca si absque manifesta caussa desiisse videtur, iterum inuadit, vbi ex leui errore iam denuò suboritur.

### *Curatio.*

Cœliacæ & Lienteriæ curatio duobus perficitur, auferendo causam, quæ curatio maximè regularis est; & Symptomata, quod fit celeriori, & propterea copiosiori, crudiori & humidiori deiectioni occurendo: quorum posterius, cum omni Lienteriæ commune sit, de eo in genere dicemus, & quomodo huic Symptomati, si valde vrgeat, sit occurrendum, simul dicemus. Commodissimum tamen est, si vnâ operâ & medicamento & causæ Symptomati occurri possit. *Curatio.*

Vt autem fluxus hic sistatur, requiruntur, quæ intestina & ventriculum roborant, & adstringendo prohibet, ne tam citò cibus per aluum descendat. Itaque inter interna vtiles sunt fructus adstrigentes, tam per se sumpti in prima mensa, quam cum aliis cibis cocti, vt *cydonia, pyra austera, sorba, mespila, corna: item Syrupus de rosis siccis, ribes, de mentha, de absinthio, diacydonium, rob ribes, berberis, coriandrum, terra sigillata, corallia, trochisci de carabe, semen oxylapathi, species diarrhodi, sp. vitrioli, salis*; ex calidioribus, *aromaticum rosatum, theriaca.* *Interna Medicamenta.*

Extra vtiles sunt inunctiones ventris, quæ fiunt *oleo mastichino, absinthij, nardino*; & Vnguenta & Emplastra è *nuce moschata, mastiche, galanga, schœnantho, calamo aromatico, maci, absinthio*; *Emplastrum de crusta panis*, cui ali- *Externa.*

qua pars *Emplaſtri de baccis lauri* addi poteſt.

Vel ♃. *Abſinth. menth.* an. M. j. *roſar.rubr.*pij. *medullæ panis torrefactæ & maceratæ in vino* Vnc. ij. *cinamomi. galangæ, ligni aloës* an. Drach. j. *nucis moſchat. maſtiches, boli Armeni* an. Drach. ß. *medullæ cydoniorum in vino coctorum* Vnc. ij. *vini in quo cydonia cocta fuerunt* q. ſ.

F. Cataplaſma, quod actu calidum ventriculo applicetur.

Fomenta quoque conueniunt per ſpongiam, vel pannum *vino rubro* madidum, in qua cocta fuerint *roſæ rubræ, mentha, abſinthium, cyperus, galanga, ſchœnanthum, &c.* Et poſtea inungatur venter oleo nardino, in quo maſtiche diſſoluta ſit, vel cerotum imponatur cum pulueribus aromaticis.

Verum cum iſta medicamenta ita moderanda ſint, vt cauſſam non augeant, & commodiſſimum ſit, talia parare, quæ ſimul & cauſſam & ſymptomata reſpiciunt, iam qua ratione cauſſis occurrendum ſit, dicendum.

### *De Lienteria à Retentrice labefactata.*

*Lienteria à Retentrice labefactatâ.*

Lienteria & Cœliaca à retentrice labefactata fit, vt dictum, ob intemperiem frigidam & humidam, cum vel ſine materia, & omnino cum tonus fibrarum retentrici facultati ſeruientium in ventriculo & inteſtinis laxatur. Id quo fit ex errore victus, vt ſi quis longo tempore vtatur oleoſis & pinguibus multa aqua, vel ſi pituita ventriculum laxans è cerebro in eum deſtillet, vel aliis etiam de cauſſis in eo colligatur. His cauſſis Bauderonius, vt dictum, addit reſolutionem ſexti paris neruorum à frigore.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.*

Si Retentrice labefactata Lienteria accidat, Cœliaca antecedit; quod non fit, quando per accidens expultrice irritata læditur, ſed Lienteria mox excitatur; nullus etiam dolor percipitur.

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.*

1. Difficilius curatur Lienteria, quæ ab intemperie hectica ortum habet; facilius quæ à materia pituitoſa.

2. Lienteria, quæ acutos & chronicos morbos ſequitur, difficulter curationem admittit ob virium debilitatem.

3. In diuturnis Lienteriis, ſi ructus acidus ſuperueniat, qui prius non aderat, bonum ſignum eſt. *6. aph. 1. & 2. Epid. ſect. 2.* Significatur enim, naturam antea labefactatam ad concoctionem cibi iam excitari, atque ita operis ſui reminiſci: vel, vt Aëtius loquitur, ventriculum atque inteſtina non veluti inanima cibum ſinere pertranſire, vnde paulò poſt Linteria ceſſabit. Qui verò ructus acidi inter initia mox accidunt, nullum præſagium edunt, ſed tantum indicia ſunt intemperiei frigidæ, aut etiam pituitæ frigidæ, ac imprimis acidæ ventriculum obſidentis.

### *Indicationes.*

*Indicationes.*

Intemperies frigida & humida contrariis alteranda: materia, ſi adſit, præparanda & euacuanda; & laxatus ventriculus ac inteſtina roboranda & adſtringenda.

### *Curatio.*

*Curatio.*

Materia ergo, ſi adſit, præparetur, *ſyrupo de betonica, de abſinthio, de mentha, melle roſato, cum aquis vel decocto foliorum betonicæ, ſaluiæ, menthæ, ſeminis fœniculi,* & ſimilium. Decoctorum tamen ſit minor quantitas, ne fluxus augeatur.

Vomitus ad materiam pituitoſam, quæ ventriculi facultatem retentricem labefactat, & tunicis ventriculi adhærens eum lubricum reddit, excludendam vtilis eſt, præſertim ſi æger ſit nauſeabundus & ad vomitum facilis.

Per aluum verò lene purgans tale paretur.

♃. *Cortic. myrobalanor. chebulor.* an. Drach ij. *ſem. fœnic.* ſcrup. j. *zingiber.* ſcrup. ß. *agarici albi* Drach j. *flor. roſar. rubr. abſinth. Romani* an. p. j.

Coqu. in ſ. q. aquæ communis.

Colaturæ expreſſæ ♃. Vnc. iij.

*Syrupi vel mellis roſat. ſolutiu.* Vnc. j. M.

Vel ♃. *Agarici trochiſcati* ſcrup. j. *hieræ ſimpl. pilul. alœphangin.* an. Drach. ß. F. Pilulæ.

Euacuatâ materiâ vſurpentur medicamenta interna, quæ ſimul intemperiem ventriculi corrigant, eumque adſtringendo roborent, qualia ſunt, mentha, abſinthiũ, maſtiche, garyophylli, calamus aromaticus galanga, quibus tamen & alia adſtringentia ſupra propoſita, quæ non ſunt calida, admiſcere licet, modò ita temperentur, vt non frigida in hoc caſu, ſed calida potius excedant, à frigidis tamen adſtrictionem accipiant.

Ex internis eſt hoc.

♃. *Conſeru. roſar.* Vnc. iij. *theriac. opt.* Drach. ij. *ſpiritus vitrioli* gutt. viij. Cum *miua cidoniorum aromatica.*

F. Electuarium, de quo mane detur portio, quæ nucem iuglandem æquat.

Vel ♃. *Conſeru. roſar. antiqu.* Vnc. j. *diacydonij cum ſpeciebus, cortic. citri condit.* an. Drach ij. *ſpecier. aromat. roſat.* ſcrup. j. *diarrhodi abbatis, trochiſcor de ſpodio, de carabe, corall. rubror. præpar.* an. ſcrup ß. *tunicæ internæ ſtomachi gallinæ præparat.* ſcrup. j. Cum *ſyrupo myrtino & de mentha* F. Electuar.

Vel ♃. *Myrobalanor. emblicor. conditor. carnis cydonior. conditæ, cortic. citri* an. Vnc. j. *ſpecier. aromat. roſat. diarrhod. Abbat. carallior. rubror. præpar.* Drach. j. *zinziberis in China conditi* Vnc. ß. Cum *ſyrupo cydoniorum* F. Electuarium.

*Ventriculum roborans.*

Ad ventriculum roborandum, ita tamen, vt pituita ei non impingatur, efficaces ſunt ſales, vt menthæ, abſinthij, cinamomi & ſimiles, quæ vel ſoli vel cum Zingibere, cinamomo, galanga & ſimilibus exhiberi poſſunt, vt & ſales Theriacles.

Efficax eſt & Elixir proprietatis, vt & ſpiritus vitrioli.

A proprietate prodeſſe traduntur interiores ventriculi gallinæ tunicæ, ſicut & coagulum leporis vel hædi ſiccatum & Drach. j. pondere cum liquore idoneo exhibitum.

Extra inungatur ventriculus oleo abſinthij, menthæ, nardino, quibus admiſceri poſſunt pulueres aromatici, vt:

♃. *Olei abſinth. nardini, menthæ* an. Vnc. ß. *puluer. caryophyll. maſtich. menthæ* an. ſcrup. j. *ligni aloës, corall. rubror. præpar. flor. roſarum rubr.* an. ſcrup. ß. *ceræ parum.*

F. Linimentum.

Vbi intemperies habitum contraxit, Aëtius, *capite proprio*, ad ſinapiſmos & Dropaces aſcendit, quos ventriculi regioni applicat, corpore prius expurgato & cauendo regionem Epatis.

Exempli gratiâ talis fieri poteſt.

♃. *Myrrhæ, thuris, aloës, ſchœnanth.* an. Drach. j. *maſtich.* Vnc. ß. *ammoniaci aceto diſſoluti* Dr. j. *ſinapis, euphorbij, piperis, piretbri* an. Drach. j. ß. *ceræ & picis q. ſ.*

### *Diæta.*

*Diæta.*

Cibus ſit paucus, & æger inediam, quantum poteſt, ferat. Cibus tamen ſit boni ſucci & facilis coctionis & ſiccior. Ideoque carnes aſſæ elixis præferendæ. Vitentur omnia frigida, humida, lenta, vt & iura pinguia. Cibi condiantur nuce moſchata, zingibere, caryophyll. ſaluia. Potus ſit vinum rubrum aut cereuiſia bona. Reliqua petantur ex iis quæ ſupra, *part. 1. cap. 9.* de intemperie ventriculi frigida & humida dicta ſunt.

De

### *De Lienteria à facultate expultrice irritata.*

*Lienteria à facultate expultrice irritata.*

A læsa expultrice fit Lienteria, cum vlcerosa adest dispositio in ventriculo & intestinis, vt antea dictum, propter humores acres, cibos tales, medicamenta venenata, præsertim si crasso modo contusa fuerint. Et cum vlcerosa dispositio hoc præstare possit, ipsa vlcera ventriculi id non minus præstabunt.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.*

Si ab vlcerosa dispositione & irritata expultrice fit Lienteria, cœliaca non præcessit, & sensus morsus, & dolor ventriculo inest.

### *Prognostica.*

*Prognostica.*

1. Quæ ab humoribus acribus fit Lienteria, si longiore tempore duret, in dysenteriam transit, teste Galeno, 6.*aph*.1.

2. Lienterica vitia cum difficili spiritu & lateris punctura in tabem desinunt. Hippocrates, *in Coacis*. Loquitur autem de Lienteria, quam catarrhus excitauit, ex humore acri, bilioso, aut salsa pituita. Huius enim humoris parte quadam in thoracem decumbente fit spiratio difficilis, & lateris punctura, quæ tantum præludia sunt phthiseos; parte altera in ventrem influente, Lienteria existit. Quod si non simul hæc tria inuadant, sed Lienteria prioribus superueniat, significatur, quod interna in thorace suppuratio nondum rupta sit, ichor autem quidam tenuis è parte excidat, qui in ventrem descendens intestina mordeat, vnde Lienteria sequitur. Mala autem eiusmodi Lienteria est, quia diuturna est, & alleuationem ægro nullam affert. Nam in Lienteriis malis Hippocrates etiam eas numerat, quæ continuæ & diuturnæ sunt, excrementis exeuntibus crudis ac nigris aut graueolentibus. 2.*Prorrhet*.30.

3. Qui in longis Lienteriis cum lumbricis torminibus & doloribus malè afficiuntur, solutis iis intumescunt, atque hic incidens rigor malus est. Hippocrates *in Coacis*. Particularis autem est hæc obseruatio & non admodum frequens, præsertim quod lumbrici in Lienteria appareant. Ergo quidam per θηρία malignam aliquam caussam in ventre intelligunt, vel habitualem intemperiem, phlegmonem, vlcus, è quibus Lienteria existit. Proinde mala est Lienteria, quæ diuturna est, ob caussæ efficientis pertinaciam; quæ maligna est, ob humorem talem, aut phlegmonem, aut exulcerationem ventriculi vel intestinorum; quæ cum torminibus coniuncta est, ob conclusos flatus, aut morsum; quæ denique cum doloribus est ab acri bile aut pituita salsa, non à frigida intemperie. Solutis iis doloribus, quod videlicet calore naturali debilitato paulatim tot flatus amplius non procreantur, æger intumescit, hydrope imprimis sicco & accidens tandem rigor, retracto ad interiora exiguo etiam illo calore naturali, non criticus est, sed lethalis, vtpote in ægro iam debili, & viribus omnibus extinctis.

### *Indicationes.*

*Indicationes.*

Humor acris temperandus & educendus, & tandem humorum prauitate cessante adstringentibus fluxus curandus.

### *Curatio.*

*Curatio.*

Imprimis autem considerandum, an locus affectus sit ventriculus vel intestina. Si vlcerosa dispositio sit in ventriculo, vomitoria vitentur, ne materia per locum affectum euacuetur: sed ad aluum leniendum detur Syrupus rosarum solutiuus cum decocto tamarindorum, vel hordei, aut sero lactis.

℞. *Mirobolan. citrinor.* Drach. j. *rhabarb. opt.* Drach. j. ß. *tamarindor.* Vnc. j. Infundantur *in decocto hordei & succi rosar.* an. q. s.

Colaturæ expressæ adde *syrupi rosarum solutiui* Vnc. j. *vel mannæ* Vnc. ß. aut Vnc. j.

Pinguia etiam in hoc morbo non conueniunt, ne vlcus sordidum reddatur, sed abstergendum, mox exsiccandum & adstringendum.

Si in intestinis sit vlcerosa dispositio, vomitoria in ægro ad vomitum prono vtilia sunt, ratione reuulsionis: quæ autem per os conueniunt, in curatione Dysenteriæ dicetur.

Si malum diu perseueret, rhabarbarum, præsertim aquâ rosarum præparatum, magnæ efficaciæ est.

Materiæ alteratio & præparatio, vbi opus est, perficitur hordeo, cichoraceis, & similibus refrigerantibus, additis, quæ parum adstringunt, vt caussa efficiens compescatur & frenetur. vt:

℞. *Aquæ acetosæ endiuiæ, cichorij* an. Vnc. j. *syrupi granator. de portulaca* an. Vnc. j. M.

Vel ℞. *Conseru. rosar. rubr.* Vnc. ij. *cichorij* Vnc. ß. *corall. rubr. præpar. specier. diarrhod. abbat. boli Armeni.* an. scrup. j. Cum *syrupo cydoniorum* F. Electuarium.

Diuretica etiam vtilia sunt, quia fluxionem deriuant.

Extra admoueantur fomenta, vnguenta Cataplasmata & emplastra ex medicinis frigidis adstringentibus composita. vt:

℞. *Olei myrtini rosacei* an. Vnc. ij. *mastiches, semin. coriandri, sanguinis draconis boli Armeni, absinthij* an. scrup. j. *ceræ parum*. F. Vnguentum.

Si exulceratus planè sit ventriculus, eius curatio supra tradita est. Si à veneno sit fluxus, Alexipharmaca admiscenda; & commendatur imprimis succus dictamini cum syrupo acetositatis citri.

### *Diæta.*

*Diæta.*

Aër ad temperatum frigus declinet, cibis refrigerantibus adstringens aliquid addatur, vt pyra, cydonia, mespila. Potus sit vinum tenue, aquosum, subastringens, vt lac chalybeatum, vel hydromel cum syrupo cydoniorum vel granatorum. Potus sit paucus. Nam, vt Aëtius scribit, multus potus fluxionibus ventris infestissimus est. Somnus more solito sit longior. Plura de hac re in doctrina *de Dysenteria* dicentur.

### *Cœliaca affectio.*

*Cœliacæ affectionis curatio.*

Eadem curandi ratio est Cœliacæ affectionis, vtpote quæ secundum maius & minus saltem à Lienteria, ex plerorumque medicorum sententia, differt. Quia tamen aliter paulò ex Aretæi, *lib.2. de causs. morbor. diuturn. c.7.* de Cœliaca sentit Mercatus, & illud breuiter addendum. Ita autem Aretæus: *Cœliacus*, inquit, *morbus fit ob coquentis caloris imbecillitatem, frigúsque ventriculi, cum liquescit quidem à calore alimentum, sed non concoquit calor, neque in succum proprium vertit; semicoctum imperfectúmque relinquens, cum perfectionem assequi non possit. Id verò coctione destitutum ad prauum mutatur & colore & odore & consistentia: Albus enim est bile priuatus color, olidum excernitur & lutulentum, liquidum & inconsistens ob profligatam coctionem substantiæ est.*

*Cœliacæ & Lienteriæ discrimen.*

Hinc Mercatus non solum retentricis vitio cœliacum malum fieri docet, sed omnibus potentiis læsis, ob frigidam cum sordida humiditate totius ventriculi intemperiem cum innati calidi & humidi proprij imminutione. Hinc pluribus modis cœliacam à Lienteria differre scribit. Primò quod in Lienteria retentionis debitum tempus non obseruetur; in cœliacis verò solus complexus cibi non rectè fiat; atque ita in Lienteria cibi immutati exeant, quia satis diu in ventriculo retenti non sunt. In cœliaca verò licet diu ibi morati sint, formam tamen chyli nō adepti sunt, quia ventriculus non valuit eā inducere. Secundò; quia in Lienteria solùm ex-

cernuntur alimēta immutata:in Cœliaca v.mutata, humidiora,corrupta &variis vitiis cōſpurcata.Tertiò quia in Lienteria reliquæ potentiæ actu priuentur, defectu temporis, non vitio ſui: in Cœliaca verò omnes potentiæ læſæ ſint, & propterea non faciant officium,quāuis diu moretur in vētre alimentum, ita vt etiā ventriculus impedire non poſſit, quò minus putreſcat, vitietúrque alimentum,ſed potius ob defectū diſtributionis corruptionē maiorē ſuſcipiat. Quarto, quod in liēteria ſaltē internæ tunicæ ſuperficies afficiatur; in Cœliaca verò vniuerſa vētriculi ſubſtātia. Quintò,quod Lienteria ſit fluxus cōtinuus;Cœliacus autē per interualla fiat;ſicut & diſtribuēs facultas læſa ſit,& propterea ſingulis diebus non excernat:vnde copioſa excremēta cōgregētur, quæ poſtea facultatem expultricem laceſſant, & copioſam alui deiectionem excitent.

Verum enim verò cum alij autores Cœliacam & Lienteriam ſolùm ratione maioris & minoris differre ſtatuant, vt dictum; iſta, quæ prolixè de Cœliaca ſcribit Mercatus, potius ad Diarrhœam, quæ fit è ciborum in ventriculo corruptione, pertinere videntur.

## CAPVT VI.

### De Diarrhœa.

*Diarrhœa.* ETſi in genere omne alui profluuium Diarrhœæ nomine appellari poſſit: tamen propriè & in ſpecie Diarrhœa is alui fluxus eſt, quē immoderata humoris alicuius,præter alimentum crudum & ſanguinem, ſine exulceratione inteſtinorum per aluum excretio excitat.

Cauſſa quidē in genere Diarrhœæ eſt copia humorū, vel prauitas, quæ naturā ad expellēdū immoderatè ſtimulat.Verum humorū ad excretionē iſtā præter naturā ſtimulantium magna eſt varietas,ratione materiæ,loci, modi ac cauſæ efficientis, quæ rectè diſtinguere ad curationem magni omnino momenti eſt.

Primò ratione materiæ, aliàs chylus excernitur, qui non rectè diſtribuitur, ſed in inteſtinis hæret, aliàs humor aliquis excrementitius, nunc pituitoſus, craſſus, mucoſus,nunc bilioſus, nunc melancholicus,ater,nunc ſeroſus, nunc pinguis & oleoſus quaſi.

Secundò ratione loci, vnde profluit materia, nunc diarrhœa ortum habet à ventriculo, quando in eo corrupti & vitioſi humores cumulantur, nunc à ſplene, nunc ab epate nunc à meſenterio,nunc à cerebro,nunc, ſed rarius,à thorace,nunc ab vtero,nunc à venis & toto corpore. Ideoque in Diarrhœa non ſolum ad ventriculum & inteſtina reſpiciendum, ſed diligenter inquirendum,vnde materia ſuppeditetur; aliàs curatio rectè inſtitui non poteſt.

Tertiò, modi & cauſſæ efficientis ratione, alia diarrhœa eſt critica,& fit naturā rectè agente,quādo ſcilicet ea de ſalute hominis ſollicita vitioſos humores, & quod ſibi moleſtum eſt, virtutis robore & hominis cōmodo expellit,& quidē ἐγκαιρῷ,id eſt,tempeſtiuè,quod fit in febribus apparentibus ſignis coctionis, & in die decretorio,& quam ægri facilè tolerant,atq;inde commodum percipiunt; alia ſymptomatica, quæ contra rationem accidit,& à qua nulla vtilitas ad ægrum redit.

His ergo ita ſe habentibus, agendum erit in ſpecie: 1. de fluxu chyloſo, ſeu diarrhœa, in qua chylus excernitur;2.de diarrhœa,quæ fit à toto,& quidē cum vel ſine febre,vbi etiam de fluxu colliquatiuo dicendum: 3.de diarrhœa à ventriculo: 4. de diarrhœa à vermibus: 5. de diarrhœa à venis meſaraicis: 6.de diarrhœa ab Epate: 7. de diarrhœa à Liene: 8. de diarrhœa ab vtero: 9. de diarrhæa, quæ accidit à catarrho ſeu fluxu cerebrali vulgo dicto: 10. de diarrhœa, quæ accidit in infantibus, dum dentes erumpunt: 11. de diarrhœa à pharmaco fortiori, item à veneno aſſumpto.

Prius tamen, quæ in genere de diarrhœa dici poſſunt, proponentur.

### *Cauſſa.*

*Cauſſa.* Cauſſam Diarrhœæ in genere diximus eſſe humorem quemcunque,& vbicunq; in corpore cumulatum,quem natura ab eo moleſtata immoderatè excernit. Ad cumulandos autem tales humores faciunt cauſſæ externæ, cibus & potus copioſus vel vitioſus, & omnino errores in victu commiſſi, aeris intemperies, omiſſa corporis exercitatio, cutis in toto corpore adſtricta. Hinc vt Hippocrates, 3.*aphor.*17. ſcribit, quotidianæ auſtrinæ conſtitutiones tum corpora ſoluunt & laxant, tum aluum humectant.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Cognoſcitur Diarrhœa in genere ex frequenti & copioſiore,quam pro humore & modo naturæ,alui humida deiectione, abſque manifeſto dolore, & inteſtinorum exulceratione, & hinc ſine ſanguinis permiſtione.

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.* 1. In turbationibus alui, & vomitibus, quæ ſponte fiunt, qualia oportet, purgentur, confert, & facilè ferunt; ſin minus, contra. 1. *aph.* 2. Etſi enim, vt ſupra dictum ex Galeno,*in fine libri de ſympt. diff.* toto genere præter naturam ſint hæmorrhagia nariū, vomitus, ſanguinis per aluum deiectio, hæmorrhois, & alia huius generis; tamen præter naturam ſimpliciter non ſunt, modo ἐν καιρῷ fiant, & id, quod moleſtum eſt, expellatur.Ita aliquibus diarrhœa & cholera certis interuallis omnem humorum redundantiam educunt. Quando autem tales euacuationes bonæ vel malæ ſint, dictum eſt in Inſtitutionibus, *lib.*3.*part.*3. *cap.*10.

2. Vno die fluere aluum, ſæpe pro valetudine eſt, atque etiam pluribus,dum febris abſit,& intra ſeptimū diem id conquieſcat. Purgatur enim corpus, & quod læſurum erat,vtiliter effunditur. Verum ſpatium periculoſum eſt. Interdum enim tormina ac febriculas excitat, viréſque conſumit. Celſus,*lib.*4.*cap.*19.

3. Longa diarrhœa laboranti ſponte ſuperueniens vomitus, malum ſoluit, 6.*Aphor.*15. Reuulſio enim fit materiæ ab inferioribus ad ſuperiora.

4. Ophthalmiā laborantem alui profluuio corripi, bonum. 6.*Aphor.*17. Reuulſio enim materiæ morbi ad inferiora fit,& euacuatio: id,cum ſponte ſua aliquando faciat natura, Medicus eam imitari debet,deorſum euacuando per pharmaca & clyſteres.

5. Si Leucophlegmatiā detento fortis diarrhœa ſuperuenerit, malum ſoluit. 7.*Aphor.*29. Nam materiæ morbum facientis à toto habitu per aluum fit euacuatio. Id autem verum eſt,ſi morbi initio & integris viribus, ac ſaluis viſceribus accidit. Aliàs profluuium alui non morbum tollit,ſed ægrum.

6. Mulieri vterum gerenti ſi aluus multum fluat, periculum eſt,ne abortiat.5.*aph.*34. Cum enim pauca fiat alimenti ob fluxum in corpore diſtributio, fœtus alimento ſuo defraudatur, & ob frequentes deiectiones vires magis exſoluuntur, vincula vteri crebra illa agitatione corporis laxantur,fœtus & vterus tetro vapore excrementorum continenter deiectorum, præſertim bilioſorum, offenditur. Magnam etiam cauſſam adeſſe oportet,quæ profluuium hoc in grauidis excitet; cum eæ alioquin aluo duriore eſſe ſoleant.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Vt diarrhœa quæuis rectè curetur, cauſſa, à qua prouenit, ſpectanda eſt. Si enim proficiſcitur à copia vel prauitate humorum, ſiue in ventriculo & inteſtinis genitorum, ſiue aliunde affluentium, partium illarum affectibus occurrendum eſt. Externæ quoque cauſſæ remouendæ ſunt; de quibus plura in ſpecie dicentur. Deinde in omni diarrhœa motus materiæ fluentis conſide-

considerandus. Si enim ille est criticus & bonus, quo vel totum corpus, vel pars aliqua cum ægri tolerantia & vtilitate expurgatur, sistendus non est, ne materia in aliam partem conuersa febrim, pleuritidem, aut visceris alicuius periculosam inflammationem excitet: imò si imperfectus sit motus, adiuuandus blandis purgantibus, ne relicta materia nouum morbum generet. Quæ n. in morbis post crisin relinquuntur, recidiuam facere consueuerunt, 2. *aph.* 12. Nec symptomaticus tempore mox coërcendus, dum æger facilè fert; nec qui diuersorum colorum est, dum vires constant, *secundum Hippocr.* 1. *aph.* 2. Si verò immodicus est, & diutius perseueret, viresque deiiciat, transacto primo impetu sistendus & compescendus est. Ita etiam qui ex hypercatharsi ortum habet, sistendus statim; cum insigniter vires debilitet: sicut & colliquatiuus in febribus ardentibus & malignis. Videantur Institutiones, *loco antea allegato, lib.* 3. *part.* 3. *cap.* 10.

### *Curatio.*

Cohibetur autem fluxus materiam euacuando, reuellendo, & sistendo fluxum.

Si aliqua sanguinis euacuatio suppressa materiam fluxui suppeditet, vel aliàs sanguis peccet, quandoque venam secare licet.

Purgantia medicamenta huic negotio apta sunt, quæ simul adstringunt & roborant, vt rhabarbarum, præcipuè in substantia sumptum, myrobalani, tamarindi, syrupus & succus rosarum.

Reuellit non solùm venæsectio, sed & vomitus, frictiones, ligaturæ, euacuationes per vrinas, sudores. Sistunt fluxum roborantia & adstringentia *capite præcedenti* proposita.

Si fluxus vehemens sit planè, & vigiliæ ac dolores vrgeant, neque aliis remediis tolli possint, ad narcotica veniendum, sed cautè nec viribus valde deiectis, ne æger sopitis spiritibus planè extinguatur.

### *De Diarrhœa in specie, & primò De Fluxu Chyloso.*

Si Chyli distributio non fiat, & chylus à venis mesaraicis aut potius lacteis, ac epate non attrahatur, coaceruatus in intestinis copia sua, & sæpe etiā acrimonia, cum corrūpitur prauisq; humoribus miscetur, intestina stimulat, & per aluum eiicitur, ac diarrhœam excitat. Non distribuitur autem chylus, vel ob venarū, à quibus ad epar defertur, & epatis obstructionem, vel ob viscerū sanguificationi dicatorum imbecillitatem, dum chylum ad se non trahunt.

### *Signa Diagnostica.*

Cognoscitur hæc diarhœæ species, cū materia liquida, aliquo modo tamen crassa quasi ptisana, sine fœtore per aluum excernitur. An autem ex venarū obstructione, an verò ex debilitate epatis chylum attrahere non valentis oriatur, ita distinguitur; quod cum à venarum obstructione fit diarhœa, chylus excernitur albus, cum non recipiatur in venas. Cum verò in venas recipitur, sed ab epate non attrahitur, colore subrusso nonnihil tinctus est, & signa etiam epatis debilis adsunt.

### *Prognosticum.*

Malum hoc non est contemnendum, sed quam primùm curandum; cum, si diutius duret, ægrum ad atrophiam deducat, & si ob epatis imbecillitatem euenit, facilè in cachexiam & hydropem degenerare possit.

### *Curatio.*

Si ab obstructione venarum mesaicarum, seu lactearum & epatis etiam obstructione, ab humore lento & pituitoso, proueniat diarrhœa hæc, primus scopus sit, obstructiones aperire, iis imprimis medicamentis, quæ simul epati vtilia sunt, aluum tamen non irritant. Vitentur & astringentia, tam in medicamentis, quàm cibis, nisi apertis obstructionibus alia diarrhœa subsequatur.

℞. *Rad. aperientium aceto præparat.* Vnc. ij. *agrimon. endiu. capill. veneris* an. M. j. *absinthii* M. ß. *sem. anisi, fœniculi* ana Drach. j. *passular.* Vnc. j. Coq. in aq. simpl.

Colaturæ ℞. ℔. j. *syr. de duabus radicibus, byzātini simplic.* an. Vnc. ij. F. Potio, pro quatuor dosibus.

Vel ℞. *Rad. aperient.* an. Drach. ij. *cichorii* Vnc. ß. *sem. endiu. fœniculi* an. Drach. j. *passular.* Vnc. ß. Coq. in aq. simpl.

Colaturæ ℞. Vnc. vj. *syr. byzantini* Vnc. ij.

Misce pro 2. dosibus. Vtilis est & in hunc finem spiritus salis. Hinc fiat purgatio.

℞. *Rhabarb.* Drach. j. ß. *agarici trochisc.* Drach. j. *cinamomi* Drach. ß. *spicæ, schœnanth.* an. Scrup. j. Cum *succo endiuiæ vel absinthii* F. Pillulæ mediocres quarum dosis Drach. j.

Vel ℞. *Agarici albiss.* Drach. *rhabarb.* Drach. ß. *spicæ, schœnanth. cinamomi* an. Scrup. j.

Infundatur *in aqua absinthii, agrimoniæ & enduiæ.* Colaturæ ℞. Vnc. iij. *mellis rosat. colat.* Vnc. j. Misce. F. Haustus.

Vel ℞. *Rad. fœnicul. cichorii* an. Vnc. ß. *agrimoniæ, absinthii, capillor. veneris* an. M. ß. *myrobalanorum chebularum* Drach. ij. *sem. anisi, fœniculi* an. Drach. j. Coq. in aq. simpl.

In calaturæ s. q. infundantur, *agarici alb.* Drach. ij. *rhabarb.* Drach. j. *zingiber* Drach. ß. *schœnanth.* Scrup. j. Colaturæ. ℞. Vnc. vj *syr. byzantini simpl. de cichorio cum rhabarb.* ana Vnc. j. *spiritus salis* gutt. IV. vel V.

Misce pro duabus dosibus. Postea si opus sit, iterum aperientia vsurpentur. vt:

℞. *Rad. fœniculi, cichorii, petroseleni, eryngii* an. Vnc. ß. *endiuiæ, capill. veneris* ana M. ß. *cicerum rubr.* P. ij. *sem. coriand. petroselini* ana Drach j. Coq. in aq. simpl.

Colaturæ ℞. Vnc. x. *syr. endiu. compos. byzantin. simpl.* an. Vnc. j. ß.

F. Potus pro tribus dosibus. Vel infundatur in vino *Rad. fœniculi, eryngii, rapphontici, rubiæ* ana Vnc. j. *absinth. agrimon. capillor. veneris* ana Vnc. ß. De quo æger bibat.

Post paretur tale Electuarium.

℞. *Conseru. cichorii, capill. veneris* ana Vnc. j. ß. *Rad. condit. cichor. eryngii* ana Drach. vj. *spec. diarrhod. abbat.* Drach. j. Cum *syrupo byzantino simpl.*

F. Electuarium.

Post sumptum Electuarium, si libet, bibatur haustus aquæ fœniculi, cichorii, petroselini, aut decocti harum radicum. Dentur etiam rotulæ diarrhod. abbatis.

Similiter quæ extra ventri adhibentur, non adstringant, sed aperiant.

℞. Vt *Ol. amygdal. amar. chamæmel. anethi* ana Vnc. j. ß. M.

Cum quibus succus apij, vel fœniculi coqui potest: aut iis puluis radicum asari, schœnanthi addi & cum ceræ pauca quantitate vnguentum parari. Vel applicetur emplastrum diachylon simplex cum puluere radic. asari, schœnanthi & similium mistum.

Si ab obstructione epatis, & quidem infimæ partis proueniat, remediis, quæ in venarum mesaraicarum obstructione conueniunt; si gibba, diureticis vtendum, & quidem nunc temperatis, nunc frigidioribus, nunc calidioribus, prout ægri constitutio requirit.

Si verò ab imbecillitate epatis ortum habeat hic fluxus, roborandum epar, vel venæ mesaraicæ iis, quæ calefaciunt, simulque aperiunt; cum debilitas attractionis vtplurimum fiat ab obstructione; & epar

epar debile facilè in obſtructiones incidat, vt ſunt ſpica ſchœnanthum, abſinthium, cinamomum, cyperus, rubia tinctorum, agrimonia, ſpec. diarrhod. abbatis, diatrion ſantalon, aromatici roſati, trochiſci de rhabarbaro, de abſinth. de roſis, de curcuma, ſyrupus byzantinus, crocus martis. A valde tamen calefacientibus abſtinendum, cum vis epatis potius in moderato, quàm nimio calore conſiſtat.

*Nimium calefacientia epati noxia.*

Interea etiam frictiones totius corporis fiant, quibus alimentum ad id attrahitur. Imprimis verò magnam hîc habent efficaciam, & cum minore periculo adhibentur medicamenta externa, vt emplaſtrum de farina lupinorum cum oleo nardino & ſimilibus.

Sunt & aliæ cauſſæ, quæ faciunt, vt alimentum ad epar non perueniat, ſed chylus cum aliis excrementis eiiciatur: verùm pertinet ille fluxus ad diarrhœam è cibis corruptis, de quo poſtea.

## De Diarrhœa, quæ fit à toto, & primò

### *De ea, quæ eſt cum febre.*

*Diarrhœa à toto cum febre.*

Sæpe in febribus Diarrhœæ accidunt, quæ tamen aliàs Criticæ, aliàs ſymptomaticæ ſunt, & propterea diligenter diſtinguendæ.

Si Criticus ſit fluxus, & naturæ opus, deiiciuntur qualia oportet, id eſt, humores peccantes iam cocti, & victi à natura, ac ſignis coctionis præcedentibus. Vnde ſequitur tolerantia & vtilitas; aut ſine inſigni virium deiectione & moleſtia, quæ vires proſternat, vitioſi humoris euacuatio perficitur, & eam ſequitur morbi, qui hominem affligit, ſolutio. Hæ verò conditiones ſi deſiderentur, aut potius contrariæ adſint, ſymptomaticam eſſe euacuationem concludendum eſt, præſertim ſi cruda admodum, humida & aquoſa, vel frequenter & paulatim, ſiue etiam multum & confertim cum ſtridore per aluum deiiciantur, & alia mala ſigna, de quibus iam dicetur, adſint.

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.*

Ex quibus, quid de futuro morbi eventu coniiciendum ſit, manifeſtum euadit.

1. In turbationibus alui, & vomitionibus, quæ ſponte fiunt, ſi, qualia oportet, purgentur, confert, & facilè ferunt; ſin minus, cõtra, vt ſæpius ex 2. *aph. ſect.* 1. dictum.

2. Humida inter initia alui deiectio, morbo ad criſin tranſeunte, craſſior duriorq; reddatur, oportet. Hippocrates & Galenus, 22. *Prognoſt. aph.* 16. Significatur enim concoctricem facultatem validiorem redditam eſſe.

3. In fluxionibus alui mutationes excremorum, non tamen in deteriora, iuuant; quia iis mutationibus corpus exactius expurgatur, niſi colliquationis aut putredinis ſigna habeat. Mala enim eſt excrementorum mutatio, cum nimis liquida illa ſunt, albicantia, pallida, ſpumantia, nigra, exigua, glutinoſa, liuentia, rubra, pinguia & valde olida. de quibus Hippocrates, 2. *Prognoſt.*

4. In morbo diuturno cibi faſtidium, & ſinceræ deiectiones malæ, 7. *aph.* 6. ἄκριτοι autem ὑποχωρήσιες Galeno ſunt, quæ nullam humiditatẽ aquoſam permixtam habent, ſolo humore, qui euacuatur, per inteſtina tranſeunte. Nam eiuſmodi deiectiones exuſtam & conſumptam humiditatem natiuam à febrili calore indicant.

5. Deiectio alui nimia ex vſu eſt, ſi nec ſtrideat, neque crebrò, paulatim verò excernatur. Frequens enim deſidendi labor inſomnium facit. At ſi vniuerſum & ſæpe deiiciatur, periculum defectionis animi imminet. Hippocrates, 2. *Progn.* 14. Stridor enim deiectionem ſymptomaticam, & crudam vitioſorum humorum indicat, per quam epar, lien, aut totum corpus inutiliter expurgatur, præſertim ſi crebrò & confertim id fiat. Vigiliæ enim & deliquia animi ſequuntur.

6. Si craſſa admodum, aut alba, aut viridia, vel crocea aut ſpumantia deiiciuntur, hæc omnia mala ſunt. Indicant enim vel cruditatem vel impeditum fluxum bilis in inteſtina, vel copiam æruginoſæ aut flauæ bilis, aut commixti cum humore ſpiritus flatulenti. Hippocrates & Galenus, 2. *prognoſt.* 10.

7. Mala eſt deiecto pauca, glutinoſa, alba, ſubpallida, lubrica. Exitioſa verò eſt nigra, pinguis, liuida, æruginoſa, fœtida. Verſicolor quidem diuturnior eſt, ſed nihilominus exitialis. Hippocrates, 2. *prognoſt. aphor.* 21, 22, 23. Cauſſæ *ibidem.* apud Galenum videantur. De ποικίλοις ſeu varii coloris deiectionibus ait, omnes eas ſignum eſſe, quod multæ adſint affectiones malæ, quæ multum temporis ad concoctionem requirant, aut cum quibus natura tanquam cum vitiis pluribus pugnatura multum temporis conſumat.

### *Curatio.*

*Curatio.*

Vt curatio rectè inſtituatur perpendendum eſt, an critica, an verò ſymptomatica ſit euacuatio. Si ſit critica, & de critico, apparentibus ſignis coctionis accidat, totum negotium naturæ committendum, ſecundum Hippocratem, 1. *aphor.* 20. *Quæ excernuntur, decretave ſunt iuſtè, nec mouere conuenit, nec aliud quippiam nouare, ſeu medicamentis, ſeu aliis irritationibus fiat, ſed omittere.* Nam ſi ſiſtere talem fluxum vtilem Medicus conetur, humores vitioſi, quos natura rectè expellere incepit, corpore retenti recidiuam, eryſipelata, & viſcerum inflammationes, ac alia mala excitare ſolent. Ideóque ſolum conuenientem victum Medicus ægro præſcribat; & ſi quæ adhuc ſuperſint in corpore vel humoribus intemperies, eam alterantibus, ægrumque roborantibus tollat, donec æger integram ſanitatem recuperet.

Si verò natura opus integrè non abſoluerit, non ſolum non ſiſtendus fluxus, ſed natura etiam iuuanda, ne relicta materia recidiuam pariat, 2. *aph.* 12. In quo caſu talis inſtitui poteſt purgatio.

℞. *Tamarindor.* Vnc. ß. *radicum cichorii, ſpec. decoct. flor. & fruct.* ana Drach. iij. *myrabalanor. citrinor.* (Si adſit, pituita) *chebulor.* an. Dr. ij. *rhabarb.* Drach. j. *ſpicæ* Scrup. ß. *ſchœnanth. cinamom.* ana Scrup. j.

Coqu. an. aqua ſimpl. Vnc. iij. In iis diſſolue mannæ Vnc. ß. vel Drach. vj.

Iterum colentur. Adde *ſyrupi roſarum ſolutiui* Vnc. ß. Miſce.

Si autem fluxus nimius ſit, vireſque deiiciat, humor abſtergendus, temperandus, & fluxus ſiſtendus iis medicamentis, quæ poſtea in fluxu ſymptomatico proponentur. Etſi n. natura tales motus inchoat, & rectè quidem: tamen materia mota, ſi ob copiam, ſeu prauitatem & acrimoniam effrenis quaſi reddita, à natura regi non poteſt, & reliquos humores ad fluxum concitat, vires deiicit. Nullus verò criticus fluxus, qui rectè, fit, vires nimium deiicere, ſed ab ægro facilè tolerari debet, 1. *aph.* 2. Ideóque, ſi vires deiiciat, ſiſtendus.

Symptomaticum fluxum quod attinet, diſtinctione quadam opus eſt. Quidam enim tempore ſolum talis eſt, quem natura quidem à materiæ copia, vel qualitate ſtimulata ante coctionem abſolutam inſtituit, cum virtutis tamen robore, quique criticus q. eſt, criſin imitatur, ac quem ægri facilè tolerant, imò ex eo commodum percipiunt; qui fluxus non ſiſtendus eſt. Non tamen adiuuandus vel promouendus; neque etiam ſemper naturæ planè permittendus, ſed naturæ ſucurrere oportet, materiam euacuando, reuellendo. Ideóque vt materia minuatur & reuelletur, præcipuè ſi febris id ſimul poſtulet, & vires permittant, venam aperire in tali fluxione, quæ in principio morbi accidit, non inutile fuerit.

Deinde

Deinde ne fluxus nimius fiat,abstergentia, humores alterantia, eorumque acrimoniam temperantia exhibenda, quæ etiam clysteribus infundi possunt.vt:

℞. *Decocti hordei* Vnc. jv. *syr.rosar.simpl.infusionis vel etiam solutiui* Vnc. j. Misce.

Vel ℞. *Myrobalan. citrinor.* Drach.ij. *rhabarbari elect.* Drach.j. *spicæ* Scrup.ß. *spec.diarrhod. Abbat.* Scrup.j.Infundantur in *aqua acetosæ,& endiuiæ*.Colaturæ ℞.Vnc. iij. ß. *syr.rosar.solutiui* Vnc. ß. vel j. Misce.

Vel ℞. *Decocti hordei* ℔.j.*sacchar.rubri,mellis rosati colati* an. Vnc. j. *ol. rosacei* Vnc. j. ß. F. Clyster.

Postea detur *syrupus de succo ribes, granatorũ, acetosæ, acetosellæ, oxysacchara cum aqua acetosæ, endiuiæ,cichorij, plantaginis, tormentillæ, portulacæ.*

Vbi fluxus perseuerauerit, magis adstringentia vsurpare oportet,vt sunt *conserua rosarum rubrarum antiqua. Rob ribes, berberis*; *syrupus myrtinus, granatorum, cydoniorum*.vt:

℞.*Syr.granator. succi ribes, iulebi rosarum* ana Vnc.j.*aqua plantaginis, endiuiæ, acetosæ* ana Vnc.j.Misce pro duabus dosibus.

Vel ℞.*Conser.rosar.antiqu.* Vnc. j. ß. *rob ribes* Drach. vj.*boli Armeni,corallor præpar.*ana Drach.ß.Cum *syrupo cydoniorum* F. Electuarium.

Extra quoque venter inungatur oleo cydoniorum, myrtino, mastichino,absinthij; aut imponatur emplastrum ex ceroto stomachali, & santalino, mixtis cum oleo cydoniorum.

Si verò fluxus planè symptomaticus sit, & saltem à facultate,à caussa morbifica irritata,fiat,eaque quasi inuita, & quicquid excernitur,symptomatis ratione fiat, nullo cum naturæ robore, nec ægri εὐφορίᾳ aut commodo; talis fluxus omnino prauæ dispositionis signum est. Ideóque nec iuuandus,neque etiam naturæ,vtpote cuius ferè in expellendo nullæ partes & vires sunt, permittendus, sed cohibendus.

Quare si ferant vires, vena aperienda est, vt, qui humores ad aluum confluunt, reuellantur & euacuentur, atque ita alui profluuium sistatur.Non tanta tamen sanguinis copia euacuanda,quãta.si absque fluxu alui esset. euacuari posset.Aliis quoque diuersionibus,vt frictionib. ligaturis vtendũ. Postea medicaméta materiã alterantia &tẽperantia,abstergentia,fluxumq; sistentia modò proposita vsurpanda, & cùm exhibenda, tùm per clysteres infundenda,atque extra apponenda.

## *De fluxu Colliquatiuo.*

*...cus colli- ...iuus.* In febribus ardentibus & malignis ac pestilentibus, vt & febri hectica,& phthisi,& nonnunquam in viscerum inflammationibus,à calore vehementi non solum humores in venis, sed corpus, seu id, quod proximum partium alimentum est,colliquatur,& cum tenuius est, vel per ἄδηλον διαπνοὴν, aut sudorem discutitur,vel per renes & vrinam euacuatur;vel, præcipuè si id, quod liquatur,est crassius,in ventrem confluit, & fluxum alui, qui συντηκτὸς id est,colliquatiuus vulgo dicitur,excitat, vt *lib.4.de febribus cap.13*.dictum.Calor autem hic nunc pinguedinẽ solum,nunc ipsas quoque carnes seu proximum partium alimentum colliquat. Et quidem in febribus malignis & pestilentibus humores non solum colliquantur, sed & corrumpuntur, & ad prauam dispositionem & putredinem ac malignitatem deducuntur; vnde quæ deiiciuntur fœtorem coniunctum habent; aliisque etiam prauis qualitatibus prædita sunt.

## *Signa Diagnostica.*

*...ia.* Cognoscitur hæc diarrhœa ex eo, quod id,quod eiicitur,plerumque est vario colore præditum,aliquando flauum, aliquando liuidum, plerumque fœtidum, aliquando pingue & viscosum; adest febris vel ardens, vel maligna,vel hectica: corpus statim præter modum extenuatur, nares fiunt acutæ, oculi concaui, tempora collabuntur, & alia, quæ in facie Hippocratica, *initio prædictionum*, enumerantur,adsunt.

## *Prognostica.*

1. Periculosus hic fluxus est, vt qui non solum corpori omnia alimenta subtrahit, sed & spiritus dissipat; & cum à vehementi caussa, quæ ita facilè expugnari non potest, dependeat, plerunque lethalis. Cum enim calor ille febrilis ardens, & malignitas aliàs ad hominem iugulandum sint potentes, multò facilius id præstabunt, si fluxus talis vires valde deiiciens accedat. *Prognostica.*

2. In Hecticis, & marasmo fluxus Colliquatiuus plerumque lethalis.

3. Quibus phthisicis capilli defluunt, iis Diarrhœa superueniente, in propinquo mors est, *2.aph.12. & 13*. Capilli enim defluunt ipsis ob alimenti defectum in partibus solidis.Superueniens autem fluxus non humoris morbum,sed humoris alimentarij,ac pinguedinis partium solidarum præ nimia siccitate colliquatarum mortem in propinquo esse significat.

## *Curatio.*

Curationem istarum febrium trahit Galenus, 10. *meth.med.cap.vlt.*Et est opus auxiliis,quæ corporis dispositionem & consumptionem impediunt, nimirum refrigerantibus & humectantibus, & nonnihil simul adstringentibus, & fluxum sistentibus. Medimenta autem ista non tam extra sunt adhibenda, ne caloris præter naturam effluxus impediatur, quàm assumenda, vt partes roborentur & firmentur, ne facilè caussæ præter naturam cedant. Cordi tamen & epati talia adhibere nihil prohibet.Hippocrati duo imprimis auxilia in vsu fuerunt, cremor ptisanæ & aqua frigida. *Curatio.*

Aqua potest assuetis dari, & vbi potius ab æstu vehementi, quam à malignitate est iste fluxus, tantamque eius necessitatem esse scribit Galenus,*5.meth.med.cap.6.* vt sine hac ægri labantur in marasmum. Huius loco,& vbi ab aquæ potu aliquid mali metuitur, dari potest *aqua hordei, serum lactis, aqua acetosæ, endiuiæ,cum syrupo de ribes,de agrestu,granatorum, acetositatis citri, acetosæ, acetosellæ, de nymphæa, de portulaca, cydoniorum.* *Aqua in fluxu colliquatiuo ægris præbenda. Medicamẽtá interna.*

Vel ℞. *Conserv.rosar.acetosæ* an. Vnc.1. *diacydonij sine speciebus* Dr.iij.*rob ribium,terræ sigillatæ,C. C. vsti præparat.*an. Scrup.ij.Cum *syrupo cydoniorum* F.Electuarium.

Nonnulli lac acetosum demto butyro cum foliis acetosæ coctum exhibent. Et cum æger nutrimento indigeat,ius gallinę vel pulli dari potest,quod medicamentis talibus alteratum sit. Et quia aliquando acrimoniã excrementorum intestina exulcerari solent, clysteres iniicere vtile fuerit, quæ refrigerant, humectant, leniunt, de quibus in capite sequenti, *de dysenteria*, dicitur.

Epithemata refrigerantia cordi & epati vtiliter applicantur *ex aqua rosacea, acetosæ, borraginis & similibus.* *Externa.*

## *Diæta.*

Aer ad frigidum declinet; Cibi refrigerent, humectent, & nonnihil adstringant. Dentur ergo hordeata, amygdalata additis seminibus quatuor frigidis maioribus, & semine papaueris, quibus & corallia & margaritas præparatas admiscere licet. *Diæta.*

## *De Diarrhœa à toto corpore sine febre.*

Sæpe etiam Diarrhœæ accidunt citra febrem, cum venter quidem ab affectu & vitio omni liber est, per eum tamen totum corpus expurgatur, & natura vitiosos humores è venis, & toto corpore euacuat,atque ita *Diarrhœa à toto, sine febre.*

sæpe

ſæpe certis interuallis in quibuſdam omnem corporis redundantiam per talem dirrhœam educit, vt Galenus, 7. *meth.med.cap.*11. docet.

Atque talis fluxus ab omnibus humoribus, ſeu copia ſeu qualitate prauâ naturam irritantibus, prouenire quidem poteſt: rarò tamen accidit, vt non membrum aliquod particulare, vt epar,lien,affectum ſit,& materiam vitioſam ſuppeditet, eparque bilem, lien humorem melancholicum, caput ſæpe pituitam ſuggerat. Proinde pauca de Diarrhœa à toto ſine febre dicentur, reliqua ex reliquis, quæ de fluxibus à ventriculo, epate, liene, cerebro dicentur, petenda erunt. Nonnunquam & ſeroſi humores, qui Leucophlegmatiam pariunt, per aluum euacuantur,7.*aphor.* 29. De ſeroſo tamen humore notandum in ſpecie, ab eo non ſolum Diarrhœam in Leucophlegmatiâ accidere, ſed etiam hominibus aliâs ſanis, quibus tamen ſerum in venis plurimum redundat, tempore autumnali frequenter contingere. Frigus enim autumni nocturnum vel matutinum apertos à calore meridiano, vel tepore lecti poros offendens, & propterea altius ſeſe in corpus penetrans à vaſis exterioribus ſeroſos humores, qui facile à ſanguine ſeparantur, & ad fluxum proni ſunt,verſus interiora & in maiores venæ cauæ meatus repellit, qui tandem ad viſcera delati, & ad meſenterij ramos repentes in inteſtinorum cauitatem confluunt, atque ita præterfluentes, ſi bile abundantes eas offendant, vt ferè offendunt,bilem ſecum ad aluum rapiunt,& in inteſtinis pinguedinem,ac omnino obuios in meſenterio humores abſtergunt,& ſecum ducunt: vnde diarrhœæ tales ſeroſæ & aqueæ ſunt, maxima ex parte tamen etiam blioſæ, pituitoſæ, pingues,limoſæ.

*Diarrhœa ab humore ſeroſo quomodo producatur.*

Atque ita omnia,quæ cacochymiam in corpore producere poſſunt, talis Diarrhœæ cauſſa eſſe valent.Quia tamen epatis & viſcerum vitioſa conſtitutio ferè cacochymiam generat,vix citra eorum vitium talis Diarrhœa accidere poteſt.

## *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.*

Si à toto confluunt humores, ſigna cacochymiæ in toto adſunt, quæ tradit Galenus, *in lib.de plenitud. &* 4. *de ſanit. tuend.* Præceſſit vita otioſa, aut crapulæ dedita,ſigna verò,quæ partem aliquam in ſpecie affectam ſignificent, abſunt. Et vbi à toto corpore confluit humor, rarò ſub propria forma, ſed mutatus excernitur; neque vlla etiam ſigna ſeſe offerunt, quæ à nimiis, & multis alimentis ingeſtis, & corruptis facultatem irritari teſtentur.

## *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.*

1. In turbationibus alui & vomitibus, qui ſponte fiunt, ſi qualia oportet,purgentur, confert, & facilè ferunt; ſin minus,contra,1. *aph.*2.Et vno die aluum fluere, pro valetudine eſt, atque etiam pluribus,dum febris abſit, & intra diem ſeptimum id quieſcat. Purgatur enim totum corpus, & quod intus læſurum erat, vtiliter effunditur. Verum ſpatium periculoſum eſt. Interdum enim tormina & febriculas excitat, vireſque conſumit, vt ſupra ex Celſi *lib.* 4. *cap.* 14. dictum.

2. Si Leucophlegmatiâ detento fortis Diarrhœa ſuperuenerit, malum ſoluit 7. *aph.* 29. Nam materiæ morbum facientis à toto habitu per aluum fit euacuatio.

## *Indicationes.*

*Indicationes.*

Si fluxus conſuetus ſit, quod ſana aliâs corpora certis temporibus cum vtilitate corripiuntur,iſque ſit moderatus, non ſiſtendus, nec etiam augendus: ſi verò diminutus, blandis purgantibus adiuuandus: ſi nimius, compeſcendus. Si non conſuetus ſit, nec is ſtatim ſiſtendus. Humores enim vitioſi in corpore contenti euacuantur, & proinde talis fluxus in nondum ægrotantibus ad plurimos morbos præcauendo facit. In morbis verò à cacochymia dependentibus ad eos tollendos plurimum valet, habetque & hic locum ſæpius allegatus aphoriſmus 2. *ſect.* 1. Si verò nimius ſit, & vires proſternat, compeſcendus; quod fit, ſi humorum acrimonia obtundatur, humoreſque leni pharmaco educantur, vel etiam vena aperiatur, ſi plethora ſimul adſit. Imminutâ enim materiâ grauante, natura ad expellendum amplius non irritatur. Poſtea, ſi perſeueret fluxus, ſiſtatur, ſemper reſpectu ad peccantis humoris naturam habito. Etſi enim, vt ſupra *in ſignis* dictum, in Diarrhœa, quæ fit à toto, materia excreta nullius humoris naturam exactè referat, ſed variis modis corrupta excernatur: tamen nunc huius humoris, nunc illius naturam magis æmulatur, & alia etiam humoris peccantis ſigna apparent.

## *Curatio.*

*Curatio.*

Euacuantia per os ſumpta lenia ſunt, & quæ roborandi ſimul vim habeant; vt in fluxu bilioſo, *tamarindi, myrobalani citrini, rhabarb. ſyrupus roſar. ſolut. Diaprun. lenitiuum ſine ſcammonio*, quæ cum ſantalis, roſis aut coralliis rubris dari poſſunt. E. G.

℞. *Pulpæ tamarindor.*Vnc. j. *conſerv. roſarum recentis* Dr. iij. F. Bolus.

Vel diſſoluta in decocto vel aqua endiuiæ vel plantaginis cum corallior.rubr. ſcrup. j. propinentur.

Rectius tamen in forma ſolida exhibentur, ne in liquida fluxum augeant. vt:

℞. *Pulpæ tamarindor.* Vnc. ß. *diaprunis lenitiui* Drach. ij. *pulver.roſar.rubr.* ſcrup. j.*rhabarb.* ſcrup. ß. F. Bolus.

Si magis adſtringere & roborare animus ſit, quam euacuare.

℞. *Rhabarbar. leniter ſiccat.* Dr. j. *conſerua roſar.antiquæ* Dr. ij. F. Bolus.

In materia pituitoſa conueniunt, mel roſarum ſolutiuum,cum decocto menthæ, myrobalani chebuli,agaricus.

In materia melancholica vtile eſt ſerum lactis caprinum, flores caſſiæ cum conſerua roſarum, vel diacatholicon, vel folia ſenæ, & myrobalani.

*Materiæ temperantia.*

Attemperantia materiam in fluxu bilioſo ſunt roſæ, ſonchus, & cichoracea, corallia, ſmaragdus. In pituitoſa, betonica, mentha ſyrupus Byzantinus ſimplex, de lupulis, borraginis, oxyſacchara compoſita.

Quod ad reuellentia impetum fluentis materiæ, ſi ille magnus, vomitoria ex vſu erunt. Abſtinendum tamen ab oleo.

*Diuretica.*

Poſtquam his ita facta reuulſio, tutius ad diuretica, quæ ab aluo deriuant, deſcenditur. Sunt hæc alia frigida,vt ſemina melonum; alia temperata,vt ceterach, aſplenium, betonica, è quibus nunc his, nunc illis pro natura humoris peccantis vtendum. Si non ſolum febris, ſed & feruor materiæ, aut calor epatis abſit, calidis potius vtendum, quæ etiam chyli diſtributionem adiuuant. Sudor etiam mouetur diuerſionis cauſâ.

*Abſtergentia.*

Denique iis, quæ incraſſando & abſtergendo iuuant, vtendum,& quidem fortioribus,vbi magnus eſt materiæ impetus; aliâs lenioribus,ne vitioſi humores,quos natura expellere conatur, intempeſtiuè in corpore retineantur. Leniora ſunt, *roſæ,ſpodium, conſerua roſarum rubr. primò recens, poſtea antiqua*, cui tandem puluis *boli Armeni, terræ ſigillatæ, corallior.rubror. præpar. myrti* addi poteſt, ad ſingulas vncias conſeruæ roſar. ſumendo puluerum Drach.ß.Magis etiam adſtringit conſerua roſarum vitriolata. Et poſſunt hæc miſceri cum Syrupo de roſis ſiccis, myrtino, vel cydoniorum. In frigidiore materia puluis menthæ admiſcetur,aut vſurpatur abſinthium. Validiora ſunt, *balauſtia, myrtilli, acacia, hypociſtis, rhus obſoniorum, malicorium, meſpila,*& alia, quæ

quæ videtur apud Platerum *part.* 3. *pag.* 129. & *seq.* & alios.

Si à seroso humore frigore ambientis aeris ad interiora repulso fiat Diarrhœa, non statim sistenda. Nam & ipsum serum, munere suo defunctum, in corpore vtile amplius non est; & humores, qui in eius defluxu ac refluxu abstergũtur, excrementitij & inutiles sunt. Quia tamen talis etiam fluxus alimenti & chyli distributionem & perfectionem interturbat, danda opera, vt quamprimum talis fluxus absoluatur, quod fiet, si corpus ab iniuria externi aeris vindicetur, & homo potius in tepido, quam in frigido loco sese contineat. Deinde materia fluxura, id est, serosus humor subtrahatur sicca victus ratione, & seri per renes & vesicam deriuatione, & partium, quæ serum affluens recipiunt, roboratione. In quam rem vtile est vinum absinthites dilutum decocto cichorij, aut aqua chalybeata, conserua rosarum.

Abdomen inungatur oleo chamæmelino, mastichino, rosarum, absinthij: vel imponatur Emplastrum de crusta panis.

## *De diarrhœa à ventriculo & cibis corruptis.*

*Diarrhœa à ventriculo.* In ventriculo occasio Diarrhœæ datur, dum vel cibi, qui facilè corrumpuntur, assumuntur, vt, melones, cucurbitæ, fructus fugaces, lac post cibum sumptum, fungi; aut in copia vel modo sumendi aliquis error adsit, ob quem cibi non rectè coquuntur, sed corrumpuntur; vel ob ventriculi intemperiem, dum is debilis est, vt cibos concoquere non possit, sed semicoctos relinquat, qui longiore in eo mora corrumpuntur, & alienam ac prauam naturam induunt, aut dum idem alimentum adurit, aut alio modo corrumpit. Qui humores ex vitiata coctione geniti, cum non solum ab epate, vtpote ad alendum corpus inepti, non satis attrahantur, & hoc modo in intestinis cumulentur, sed & acrimonia, & prauis, quibus prædit sunt, qualitatibus, expultricem ad expellendum stimulent, hoc modo Diarrhœam excitant. Itaque omnia, quæ coctionem vitiare valent, seu ventriculi temperiem immutent, & talem in eo dispositionem inducant, vt non bonum chylum, sed prauos succos generet; seu cibi praui sint, seu quicunque in cibis sumendis error, ob quem coctio vitiatur, Diarrhœæ caussa esse possunt, dum humorem vitiosum suppeditant, qui facultatem intestinorum expultricem ad immoderatam excretionem stimulat.

### *Signa Diagnostica.*

Vt autem de caussa certi simus, principio dispiciendum, an humores illi in ventriculo generetur (de quo caussæ genere solum iam agimus) an verò aliunde in ventriculum confluant. Nonnunquam enim ex venis mesaraicis, vel epate, vel liene, vel ex capite materia ad ventriculum affluit, quæ vel copia vel acrimonia facultatem expultricem irritat, vt & ipsam & simul chylum ante tempus per aluum expellat; etsi alias in ventriculo vitium nullum sit, neque etiam in cibis error commissus sit. Itaque diligenter primò inquirendum, an aliarum partium affectarum signa adsint, quæ indicent, aliunde humorem in ventriculum affluere. Si enim hæc absint, in ipso ventriculo vitiosos humores generari, argumento est, quod & alia signa indicant.

A ciborum quidem prauitate vel errore in victu commisso diarrhœam oriri facilè cognoscit Medicus, si inquirat, quibus cibis, & quo victus genere vsus sit æger. Si enim cibos prauos, & qui facilè corruptioni obnoxij sunt, sumpserit æger, vel aliquem errorem in victu cõmiserit, argumento est, à ciborum copia fluxum hunc oriri, & mutato victus genere, fluxus talis non ita difficulter cessat.

Si verò à facultatis concoctricis vitio id fiat, signa intemperiei ventriculi supra, *part.* 1. *cap.* 4. *de intemperie ventriculi*, proposita adsunt, & quidem ob frigiditatem excrementa alui sunt liquida & aquosa, non graueolentia, & potius ad album, quàm ad croceum vergentia.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Si Diarrhœa à nimia ciborum ingestorum quantitate accidat, periculosa non est; siquidem illâ cocta, & à natura deuicta, facilè fluxus sedatur.

2. Periculosior verò est, quæ ob prauos cibos accidit. Nam naturam valde irritare, & reliquos in corpore humores concitare, imò malam dispositionem ventriculo & intestinis inducere, ac in Dysenteriam degenerare potest.

### *Curatio.*

*Curatio.* A quacunque autem caussâ Diarrhœa ista proueniat, hæc generalis curandi ratio omnibus conuenit, vt quod caussæ diarrhœam concitantis adhuc restat, tollatur & euacuetur; materiæ vitium ad excretionem stimulans emendetur; & ventriculus ac intestina roborentur, vel temperatis, vel calidis, vel frigidis, prout humoris & affectus natura id requirit.

Itaque non statim fluxus sistendus, sed primò ventriculus, & intestina ab humore vitioso expurganda, sed lenioribus medicamentis, ne aliunde attractâ materiâ fluxus augeatur. Ergò si humor sit pituitosus, vtendum pilulis stomacho vtilibus, & quæ mastichen recipiunt, vt mastichinis, assaiereth, de hira simplici, de hiera cum agarico: si biliosus, rhabarbaro, pilulis de rahabarbaro, myrobalanis citrinis.

Et quidem si à cibis prauis, & errore in victu commisso sit Diarrhœa, ac eorum coctio frustra expectetur, statim eos educere conuenit.

Aptissima autem via est vomitus; quo non solum humores vitiosi euacuantur, sed & materia fluxura reuellitur. Si verò homo ad vomitum aptus non sit, per aluum eos euacuare oportet, sed pharmaco, vt dictum, leni, & quod nullam violentiam habeat, aut Clystere iniecto.

Vtile ad hos humores euacuandos est rhababarum, cum humores hi ex cibis prauis & corruptis orti acriores plerumque sint, & biliosorum humorum naturam æmulentur.

Cibi quoque tales, è quibus humores corrupti orti sunt, vitari, & ij exhiberi debent, qui qualitate & quantitate iis opponuntur.

Postea adstringentibus ventriculum roborare cùm internis, tum externis conuenit.

Si verò à ventriculi intemperie, & quidem à debilitate, à frigiditate & humiditate orta, proueniat Diarrhœa, ventriculus roborandus iis, quæ supra in Capite de intemperie ventriculi frigidâ & humida curanda, & de Apepsia sunt proposita. Si tamen à natura sola cruditas vinci non possit, euacuandi humores iis, quæ simul ventriculum roborant, vt pilulis aleophanginis, mastichinis, stomachicis; postea quæ coctionem adiuuant, tum interna tum externa adhibenda.

Diæta etiam talis instituenda, qualis supra de Intemperie ventriculi curanda proposita est. Imprimis inedia, quiete & somno cruditates coquendæ. Potus quoque sit paucus; cum à potu abstinentia ad fluxus alui curandos multum faciat.

## *De Diarrhœa à vermibus.*

*Diarrhœa à vermibus.* Quandoque, sed rarius, Diarrhœa ex vermib. excitatur, cum scilicet multi praui humores cum vermibus in intestinis cumulantur, & tandem naturam ad excretionem stimulant.

Cognoscitur ex signis vermium, cardialgia nimirum, dolore ventris, pruritu narium cum dentium stridore

in

in ſomno, tuſſi ſicca, & aliis,quæ in capite de vermibus traduntur.

Curatur autem remediis,quæ vermes necant, & per aluum expellunt.

## *De Diarrhœa ab epate, ac bilioſo Humore.*

*Diarrhœa ab epate & bilioſo humore.* Supra quidem alui fluxum à meſenterio propoſui: verum cum ille fiat,vel quia venæ meſaraicæ obſtructæ ſunt,ob quam cauſſam chylus diſtribui non poteſt, atque de hoc fluxu, & eius cauſſis iam ſupra dictum ſit; vel quia in eo vitioſi humores cumulati à natura per aluum effunduntur; hi verò vel ab epate, vel à liene, vel à toto ad meſaraicas confluant: in ſpecie de Diarrhœa ex meſenterio agere vix opus erit; ideoque rectà ad Diarrhœam ab epate ac humore bilioſo accedimus. Nam cum bilis in epate colligatur,vnâ operâ de Diarrhœa ab epate ac bilioſo humore dicemus, vt etiam ſequenti capite de Diarrhœa à Liene & humore melancholico agemus.

Cum epar vel nimium bilis generat, vel meatus expurgandæ bili dicati obſtructi ſunt, bilis in epate retinetur, & tandem à natura ad inteſtina expellitur, vnde fit Diarrhœa bilioſa ab epate.Præcipua tamen hîc cauſſa eſt intemperies calida & ſicca epatis,ob quam calidi & acres humores generantur, qui cum naturæ moleſti ſint, quandoque per ventrem expelluntur; id quod etiam in epatis Inflammatione accidere poteſt.

Atque huc pertinet Aphoriſmus 20. *ſect.2. Quibus in iuuentute aluus eſt humecta,iis in ſenectute ſiccatur;quibus verò adſtricta eſt iuuenibus,iis ſenibus humecta laxaque redditur.* Aluus enim laxior in iuuenibus à bilis ſtimulantis copia eſt, & ob virtutis expultricis robur, ſeneſcentibus iis aluus exſiccatur,bilis videlicet copia deficiente,& expultrice non parum labefactatâ. Contrà aluus ſicca eſt iuuenibus ob corporis & cutis raritatem, & ob calidam etiam intemperiem, & ob motum bilis ad ſuperiora; ſi iidem ſeneſcant,aluus humectatur,habitu corporis addenſato, quo humores intrò coguntur, & calore epatis diminuto motuque bilis deorſum conuerſo.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Quia verò epar,vt Galenus 2. *Prognoſt.*13. ſcribit,non ſolum ſui ipſius excrementa, ichoreſque & humores præter naturam demittit in ventrem, ſed etiam totius corporis,& per hepar venter omnibus corporis partibus copulatur, ac per id excrementa illa partium recipit:quod ſupra de ventriculo dictum, etiam hic monendum, vt diligenter attendamus, an humor, quem epar ad inteſtina demittit,in ipſo generetur, vel aliunde affluant.

Nimirum ſi ab epate ſolum proueniat Diarrhœa,aliarum partium affectarum ſigna aberunt, epatis verò vel intemperati vel obſtructi ſigna aderunt, ob quam Intemperiem humores in eo corrumpuntur, vel ob obſtructionem bilis à ſanguine rectè ſeparari non poteſt, quæ ſigna in affectibus epatis explicabuntur, & humor, qui Diarrhœam excitat, bilioſus eſt.

### *Prognoſticum.*

*Prognoſtic.* Non ſine periculo eſt Diarrhœa, quæ ad magnas & graues epatis affectiones ſequitur.Materiæ tamen conditio etiam attendenda, quæ quò peior vel mitior eſt, eò periculoſior, vel minore cum periculo coniuncta eſt Diarrhœa, vt ſupra *de Diarrhœa in genere* dictum.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Cum cauſſa omnium primùm tollenda ſit, ideo ſi intemperies epatis calida ſit in cauſſa,illa alteranda,bilis temperanda & euacuanda,ac ad alias partes deriuanda; tandemque fluxus ſiſtendus, & epar roborandum. Et cum alteratio commodè fieri non poſſit, niſi humor prius tollatur, primò ab euacuatione inchoandum; & quidem maturè euacuatio inſtituenda,ne bilis ſuâ acrimoniâ Dyſenteriam excitet. Inflammatio quo modo ſananda ſit, ſuo loco dicetur. Si obſtructio epatis adſit, & ea aperienda.

### *Curatio.*

*Curatio.* Ad euacuandam bilem hîc vtile eſt rhabarbarum, myrobalani citrinæ, ſyrupus roſarum & violarum ſolutiuus, clyſteres abſtergentes cum commodo ægri iniiciuntur.

℞. *Decocti hordei non excorticati* ℔ j. *ſacch.rubri* Vnc. ij. *mellis roſati* Vnc.ß. *olei roſar.* Vnc.j. *vitell.ouorum* num. ij. M. F. Clyſter.

Vel ℞. *Decocti hordei,iuris pulli* an.℔.ß. *ſacchar.rubri, ſyrupi roſarum ſimplicis infuſionis* an. Vnc. j. *vitell.ouor.* ij. F. Clyſter.

Aut ℞. *Decocti hordei* Vnc. iiij. *ſyrupi roſarum ſimplicis infuſionis* Vnc. j. F.Potus abſtergens.

Contemperant bilem, *ſyrupus de cichorio,de endiuia, de ſucco acetoſæ, de agreſta, acetoſitatis citri, granatorum,* vt & horum ſimplicium decocta vel aquæ. vt:

℞. *Rad. accetoſæ, fragariæ, cichorij* an. Drach. iij. *endiuiæ* M. j. *ſem.endiuiæ* Drach.j. *portulacæ* Drach.ß. *paſſular.maior.exacinatarum* Drach. vj.Coq. *in decocto hordei.* Colaturæ ℞. ℔. j. *ſyr. de cichor. ſimpl.acetoſæ* an.Vnc.ij. Miſce. F. Potus 4. doſibus.

Vel ℞. *Aq.endiuiæ,cichorij,plantaginis,* an. Vnc. ij. *ſyr.endiuiæ ſimplicis* Vnc. j. *acetoſæ.portulacæ* ana Vnc. ß. *ſpir. vitrioli* gutt. iv. Miſce. F. Potus pro 2. doſibus. Lene euacuans hoc eſt:

℞. *Myrobalanor.citrinar.* Drach. ij. *rhabarb.* Drach. j. *ſpicæ* Scrup.ß.

Infundantur in ſ. q. *aquæ cichorij & plantaginis.*

Colaturæ ℞. Vnc.iij. *ſyr. de cichorio ſimpl.vel roſar. ſimpl. infuſ.* Vnc. ß. M.

Aut detur rhabarbarum in ſubſtantia cum conſerua roſarum,vt ſupra dictum.

Si poſt purgationem fluxus alui perſeueret, alterantibus & adſtringentibus ei eſt reſiſtendum.

Adſtringit hoc.

℞. *Conſerv.roſarum antiqu.* Vnc. j. *pulv. corallior.rubr.* Drach. ß. *boli Armeni, terræ ſigillatæ* ana Scrup.ß. *rob ribes* Vnc.ß. Cum *ſyrupo granatorum* F. Electuarium.

Vel ℞. *Rad.acetoſæ, tormentillæ,conſolidæ maioris, plantaginis* ana Vnc. ß. *roſar. rubr.* M.ß. *paſſularum non exacinatarum* Vnc ß. *ſem. portulacæ* Drach.j. Coqu.in aqua ſimpl.Colaturæ ℞. Vnc.x *ſyr.myrtini,ribes,granator.* ana Vnc. j. Miſce. F. Potus pro 3. doſibus.

Vel omittantur roſæ in decocto, & in colatura diſſoluantur *conſervæ roſarum rubrar. antiqu.* Vnc.ij. iterumque colentur,F. Potus.

Vel ℞. *Sem. acetoſæ,corallor.rubror.præpar.terræ ſigillatæ,ſpec. diarrhad. abb. flor. roſarum rubr.* an. Drach. ß.F. Puluis.

Vtiles ſunt & trochiſci de terra ſigillata & de ſpodio.

Plurimi commendant caſeum antiquum præparatum.Præparatur autem,ſi comminutus ſæpius abluatur aqua aliqua refrigerante & adſtringente, vt roſarum, plantaginis, portulacæ; poſtea diligenter in ſartagine exiccetur, & in puluerem redigatur, cuius Drach.j. vel cum cibo, vel cum aqua aliqua conueniente exhiberi poteſt.

Extra quoque imponi poſſunt epithemata *ex ſucco vel aqua plantaginis, acetoſæ, portulacæ, endiuiæ, roſarum, cum ſantalis, coralliis, roſis rubris vel cerotum ſantalinum* eidem admoueri.

Neque præter rem fuerit, materiam aliò deriuare,ſiue promouendo ſudores; cum ſudores & cutis raritas aluum ſiccent, materiâ, quæ ad aluum impetum faciebat, ad ambitum corporis conuersâ, ſiue ad renes & veſicam,

vesicam, medicamentis, quæ vrinam mouent: è quibus eligenda sunt minimè acria & mordacia, qualia sunt radices graminis, asparagi, fœniculi, petroselini recentis, semina melonum, capilli veneris, &c.

## *De Diarrhœa à liene & humore melancholico.*

*Diarrhœa à liene & humore melancholico.* Quandoque humor melancholicus in liene & vicinis vasis cumulatus à naturâ copiosius in aluum effunditur, & diarrhœam excitat. Interdum etiam deiectio adeo atra apparet, vt picem liquefactam & dilutam repræsentet, quæ tamen à sanguine est ex aperto aliquo in hypochondriis vase in intestina effuso, ibique in nigredinem illam exusto, aut cum humore atro mixto. Nam sanguis is non purus est, sed plerumque melancholicus, in liene & vicinis vasis præter naturam cumulatus: qui quidem rectius per hœmorrhoides euacuari solet, quandoque tamen à natura ad ventriculum atque intestina expellitur, & vomitum ac alui profluuium excitat. Vt enim in febribus, vbi natura hæmorrhagiam narium instituit, primariò quidem humores prauos euacuare intendit, id tamen obtinere non potest, quin simul sanguinem bonum effundat; ita hic etiam naturæ scopus est, humorem atrum & melancholicum exturbare: cum verò id fieri non possit commodè, nisi sanguis, cui permistus est, simul euacuetur; hunc sanguinis atri vomitum & fluxum instituit.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* In hac dirrhœa præcesserunt signa lienis affecti, tensio & grauitas in sinistro hypochondrio, & alia, quæ in hypochondriacis morbis apparere solent, deiectiones sunt nigræ. Si est à sanguine, intincta lintea rubent, & cruenta vomitio comitatur vel præcessit.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Etsi periculo hæc diarrhœa non careat, ob prauitatem humoris, & sanguinis copiosa per aluum deiectio ad malum habitum & hydropem deducere soleat, & natura irritata talibus prauis & adustis humoribus sæpe bonos simul profundat, viresque valde deiiciat: tamen sæpe etiam à multis morbis, si tantùm modum non excedat, huiusmodi diarrhœa præseruat.

2. Si materia, quæ excernitur, nullum fœtorem habeat, maior salutis spes est: si fœteat, & ex atro colore in viridem vergat, exigua salutis spes est.

### *Curatio.*

*Curatio.* Imprimis hîc respiciendum ad caussam, humorem scilicet melancholicũ & atrum, siue is calore epatis genitus sit, siue ab obstructione ac vitio lienis cumulatus.

Itaque, præmissâ tamen, si opus sit, venæ sectione, primò humor melãcholicus euacuetur *polypodio, epithymo, myrobalanis Indis, foliis senæ, syrupo rosar. solutiuo, diacatholico cum decocto florum & fruct.* vel alio conueniente liquore. Non verò statim fluxus sedandus, ne materia retenta deterior reddatur.

*Quæ humorem melancholicum temperantia.* Deinde quæ humorem atrum temperent, eiusque generationem prohibeant, vsurpanda, *syrupus nimirum de pomis, de borragine, de buglosso, de endiuia, de lupul. byzantinus simplex, de fumaria*: simulque obstructiones in liene, si adsint, aperiendæ, *radicibus aperientibus, corticibus radic. capparum, tamarisci, ceterach. capillis veneris, semine agni casti, syrupo byzantino.* Et ne intestina humor mordax in transitu exulceret, vtile est, sæpius clysteres iniicere ex iis, quæ leniter detergunt, & humoris acrimoniam temperant, vt decocto hordei, cremore ptisani, iure carnis, lacte cum melle rosaceo & violaceo.

Adstringentia tandem, si fluxus non cessat, adhibenda, conserua rosarum, absinthij cum terrasigillata, vel bolo Armeno, aut corallis.

Diæta quoque instituatur, qualis in melancholicis, & hypochondriacis affectionibus conuenit, & vitentur omnia, quæ crassum, fœculentum & adustum sanguinem generant.

Si verò diarrhœa fit à sanguine atro, quam vomitus sanguinis comitatur, nec is statim sistendus. Nam si sanguis ille ater, & præcipuè iam extra vasa sua elapsus & concretus ac corruptus, sistatur, lipothymiam & alia grauia mala excitat. Itaque potest statim exhiberi hic puluis:

℞. *Rhabarbari* Drach. j. *cinamomi, myrobalanor. citrinor.* an. Scrup. ß. *succini albi* gr. vj. F. Puluis. Detur in *vini albi* Vnc. iij. *aqua plantaginis* Vnc. j. *syr. rosarum simplicis infusionis* Vnc. ß. Hinc dentur adstrigencia, vt:

℞. *Trochiscor. de carabe* Drach. j. ß. *lapid. hæmatit.* Drach. j. *C. C. vsti præparati, boli Armeni* ana Drach. ß. F. Puluis. Dosis Drach. j.

Potest exhiberi cum sequenti liquore.

℞. *Vini granator. acidorum* Vnc. j. *succi citri* Vnc. ß. *iulebi rosarum* Vnc. j. *aq. plantaginis, tormentill. caudæ equinæ* an. Vnc. IV. Misce.

℞. *Conseru. rosar. antiq.* Vnc. j. *tormentillæ* Vnc. ß. *pulv. radicum consolidæ maioris* Drach. ij. *philonij Persici* Drach. j. *trochiscor. de carabe* Drach. j. ß. Cum *syr. de rosis siccis vel cydoniorum* F. Electuarium.

Cum verò tales diarrhœæ statis temporibus, vel singulis annis, vel semestribus recurrere soleant, vt illæ præcaueantur, curatio præseruatoria, qualis affectibus hypochondriacis conuenit, instituenda, nimirum certis interuallis, & præsertim imminente tempore, quo vomitus & fluxus ille sanguinis accidere solet, sanguis, si opus, mittendus, & corpus ab humoribus vitiosis liberandum, ac ne ii in corpore cumulentur, præcauendum, obstructionesque in liene & venis mesaraicis aperiendæ.

Quandoque in diarrhœa ab humore melancholico vitium quoque scorbuticum concurrit. Ideóque in diarrhœa ab humore melancholico semper diligenter considerandum, an dispositio scorbutica adsit, ac tum medicamenta scorbuto propria admisceantur.

## *De Diarrhœa ab vtero.*

Vt interdum ob menses retentos, & vitiosos humores inde cumulatos vomitus fœminæ patiuntur: ita interdũ & diarrhœa excitatur in iis, humorib. per venas, quibus vterus nutritur, ad epar, & hinc ad intestina effusis. *Diarrhœa ab vtero.*

Cognoscitur hoc malum ex eo, quod symptomata vteri affecti adsunt, & plerumque tales alui fluxus periodos quasdam obseruant, & eo tempore magis affligere solent, quo menses fluere consueuerunt.

Curatur iis medicamentis, quæ venas vteri, si obstructæ sint, aperiunt, & vitiosos humores, qui in vtero, & vicinis locis cumulantur, euacuant. Nisi enim illi prius tollantur, frustra adstringentia & fluxum sistentia adhibentur: cum materia retenta aliò regurgitet, & mala sæpe periculosiora excitet; de quibus in morbis vteri, & mensiũ suppressione dicetur. Materiâ euacuatâ, ea, quæ robur ventriculo, intestinis & vtero addunt, vsurpanda, ne facilè affluẽtes ex aliquo corpore humores excipiât.

## *De Diarrhœa à cerebro.*

In alui fluxu, vt vocant, cerebrali vel catarrhali materia è cerebro imbecillo, pituitâ multâ seu insipida, seu salsa abundante per fauces in stomachũ & intestina defluit, præsertim noctu, & ægro supino dormiente. Materia illa vel reddit lubricã ventriculi & intestinorũ tunicã, vnde retentrix debilitatur, vel cibũ inquinando concoctionem labefactat, vel molesta qualitate sua expultricem stimulat. Excitatur hic fluxus magis abstinentia (nam tùm benignior succus, quò humoris malitia *Diarrhœa à cerebro.*

temperatur deeſt)quàm cibo;contrà atque in lienteria fieri ſolet. Præceſſit debilitas cerebri, & ſputum multum, excrementa ſunt ſpumoſa & pituitoſa, teſte Hippocrate, 32.*ſect.* 6.*Balbi alui profluio maximè corripiuntur*. Cauſſa eſt, quod plerique ii humidius habent cerebrum, vnde excrementa humida in ventriculum decumbentia diarrhœam efficiunt, eamque diuturnam, ob hecticam quaſi illam cerebri intemperiem. Atque hanc intemperiem etiam balbuties arguit, quæ ex linguæ nimia humectatione & emollitione,vel quaſi quadam paralyſi oritur; quanquam etiam aliis de cauſſis naſci poſſit.Solet autem hic fluxus à capite deſcendens ſatis diuturnus eſſe, & longo tempore durare.

*Cur balbi alui profluuio corripiantur?*

Curatio inſtituatur, vt ſupra *de catarrho* traditum, præparando & euacuando materiam. Diuerſiones etiã fiant per frictiones, ligaturas, cucurbitulas in ſcapulis. Iuuant etiam errhina & ſacculi capiti impoſiti.

A maſticatoriis & gargariſmis abſtinendum, ne materia catarrhi in ſtomachum & inteſtina trahatur. Vitandus ſomnus ſupinus,nec à cœna mox dormiendum. Non ſolum autem cerebri & membri mandantis ratio habenda, ſed etiam ventriculi, vt recipientis, qui internis & externis medicamentis conſeruandus ac roborandus eſt.

Si hæc diarrhœa ſæpe recurrat, ceruici primam & ſecundam,vertebram admoueatur veſicatorium & cauterium potentiale, vel ſetaceum, vt humores catarrhum excitantes deriuentur; vel fonticulus in brachio aperiatur.

In eundem vſum, ſi ætas & alia ferant, theriaca, Mithridatium, decoctum ligni guaiaci, ſaſſafras, ſarſæparillæ per plures dies vſurpandum,vt corpus exſiccetur, &materia catarrhum generans per ſudores diſcutiatur.

## *De Diarrhœa, quæ accidit infantibus, dum dentes erumpunt.*

*Diarrhœa infantium dentientium.*

Interdum etiam infantibus dirrhœa accidit,dum dentes ipſis erumpunt; quod euenit, vel pituitâ ſalsâ in ventriculum defluente, vel lacte per febrem, quæ tum temporis infantes plerumque affligere ſolet, in ventriculo corrupto.

Vtra autem cauſa locum habeat, ex iis, quæ excernuntur, facilè iudicare eſt.

Hic fluxus non ſtatim ſiſtendus, ne materia retenta peior euadat,& febré,quæ ex dolore excitatur, augeat, aut cerebrum neruoſque in conſenſum trahat, & conuulſioné excitet:ſed ſi à pituita ſalſa ſit hæc diarrhœa, ſyrupus roſarum ſolutiuus, vel mel roſatum, vel ſyrupus de cichorio cum rhabarbaro, cohlearis vnius aut alterius quantitate exhibendus. Deinde ventriculus & venter inungendus oleo maſtichino,cydoniorum,roſarum, abſinthij, vel imponendum cerotum ſtomachale, aut emplaſtrum de cruſta panis.

Si à lacte corrupto diarrhœa hæc accidat, illud, vitioſuſque humor inde genitus, è ventriculo dictis modò ſyrupis deturbandus,dandaque opera, vt nutrix bonum lac infanti ſuppeditet,quæ ideò exquiſitè,& cibis boni ſucci alanda. Infantis gingiuæ butyro cum melle mixto, vel cerebro leporis fricentur.

## *De Diarrhœa ab hypercatharſi & veneno ſumpto.*

*Diarrhœa ab hypercatharſi & veneno.*

Tandem interdum etiã profluuium alui excitatur poſt nimis fortium purgantium vſum,aut venenum aſſumptum.

Vtraque enim inteſtinis inhærendo naturam continuò ad excretionem ſtimulant, & è toto corpore humores ad aluum proritant, & humores etiam bonos corrumpunt, ac vt ad aluum moueantur, faciunt.

Præceſſiſſe autem talem cauſſam, facilè ex ægri, vel adſtantium relatione cognoſcitur. In tali fluxu primò omnium abſtergens ex decocto hordei cum pauco ſaccharo conuenit,ſiue bibitũ, ſiue per clyſterem iniectũ.

Vt ℞. *Decocti hordei* Vnc.I v. *ſacchari rubri* Drach.vj. vel *ſyrupi roſarum ſimplicis infuſionis* Vnc. j. Miſce.

Dolorem lenit lac chalybeatum, itidem vel bibitum vel clyſterem infuſum, & lac coctum cum radicibus althææ, & iniectum.

Simul ligaturæ & frictiones, & fotus extremorum inſtituantur, & cucurbitulæ ſiccæ inter ſcapulas & ad hypochondria, vel inter vmbilicum & ſtomachum apponantur.

Poſtea dentur adſtringentia; vt:

℞. *Conſerv.roſarum antiquæ* Vnc.j.*diacydonij ſine ſpeciebus* Vnc. ß. *Pulu. ſeminis plantaginis ſanguinariæ, ſumach. hypociſtidis, acaciæ, cornu cerui vſti* an Scrup.j. *Fragmentorum lapidum pretioſorum* ℈ß. Cum ſ.q. *ſyrupi ribium, vel cydoniorum*. F. Electuarium.

Vel ℞. *Succi plantaginis, decocti roſarum, meſpili,ſorbi, rad.tormentillæ* ana ℔. ß. *athanaſiæ* Vnc. ß. Fiat Clyſter.

Cui etiam *vitellum oui vnius vel alterius, ſeui hircini, ſanguinis draconis, tragacanthi, gummi arabi* an.Scrup. j. addere licet.

Si fluxus non ceſſet, ad opiata confugiendum, & propterea exhibenda theriaca recens, laudanum opiatum. Cibi & potus quoque facultatem adſtringendi habeant.

Si à veneno aſſumpto ſit fluxus,primò itidem abſtergentibus tàm ſumptis, quàm per clyſterem iniectis opus eſt.Deinde ſi venenum notum ſit,proprium alexipharmacum illi opponendum; ſi verò ignoretur, ad vniuerſalia antidota confugiendum; qualia ſunt, theriaca, mithridatium, lapis bezoar. Commendatur hîc etiam ſmaragdus,cuius grana vij.in conueniente liquore dentur, vel ſuccus dictamni cum pari vini quantitate exhibitus.

Extra quoque cordi medicamenta cordialia applicentur.

---

# CAPVT VII.

## *De Dyſenteria. Nomen & Natura Dyſenteriæ.*

DYſenteria, quam Celſus, *lib.* 4.*c.*15. Tormina, & vulgo inteſtinorum difficultatem nominant, à parte affecta,inteſtinis ſcilicet,quæ Græcis ἔντερα ſunt, nomen habet, teſte Galeno, *meth.med.cap.*2.Et quidem generale hoc nomen eſt, nihilque aliud per ſe,quam inteſtinorum difficultatem ſignificat, & hoc modo pluribus affectibus, in quibus inteſtina torquentur & affligantur, attribui poſſet. Vſus tamen obtinuit,vt vocabulum dyſenteriæ propriè & in ſpecie tantum accipiatur pro inteſtinorum exulceratione cum dolore & deiectione alui frequenti ac cruenta. Cœlio Aureliano eſt inteſtinorum ῥευματισμὸς cum vlcere: Paracelſo morbus diſſolutus: Germanis *die rote Ruhr*, *Darm*, *Blut-Ruhr, oder rote VVehe*.

*Nomẽ dyſenteriæ.*

Malum plerumque Epidemium eſt, in iuuenes maximè, nonnunquam tamen in ſenes etiam graſſans. Interdum & certæ temperaturæ ac conſtitutionis homines tantum inuadens; quo qui laborant, per aluum interdum copioſa, interdum pauca, eáque non naturaliter, verùm præter naturalem modum ſeſe habentia, ſæpe, ac cum frequenti conatu, cum ventris dolore & torminibus deiiciunt, & quidem cum ſanguine, nunc pauco, nunc copioſo, permixta. Præter ſanguinem, & cum ſanguine, ac fæcibus illis præternaturalibus in morbi progreſſu etiam mucoſum quiddam excernitur, nunc copioſum, nunc paucum; quod, ſi ſanguis copia ſuperet, Germani in ſpecie *die rote Ruhr* nominant.Si verò plus muci illius albi, quàm ſanguinis eiiciatur,appellant *die vveiſſe Ruhr*.

*Dyſenteria plerũq; epidemia.*

Quid

Quid autem illud mucosum sit, inter medicos non conuenit, vt *postea* dicetur. Nonnunquam & bilis, & præcipuè in principio, cum à fluxu bilioso ferè dysenteria incipiat, & quidem frequenter flaua, interdum & viridis ac atra admiscetur; sæpe & pituita.

*Dysenteria quid.* Est nimirum dysenteria *deiectio alui frequens & cruenta cum dolore ventris & intestinorum exulceratione; seu intestinorum exulceratio cum deiectione frequenti, cruenta & purulenta, ac ventris dolore & torminibus, à materia acri & intestinis peculiariter aduersa, eaque erodente ortum habens.* Qua definitione ab omnibus aliis alui fluxibus, vt & sanguinis per aluum excretionum differentiis discernitur. *Cruentarum alui deiectionum differentiæ.* Equidem, vt apud Galenum, *de sympt. causs. cap.* 2. *&* 2. *de loc. affect. cap.* 5. videre est, apud Medicos quatuor cruentarum alui deiectionum occurrunt differentiæ, quibus omnibus nomen dysenteriæ interdum attribuitur.

1. Cum per aluum sanguis euacuatur, in iis, quibus membrum aliquod abscissum est, & cum sanguis, qui in nutrimentum partis abscissæ absumi debebat, ad fontem suum recurrit, & vt superfluus à natura ad aluũ depellitur & ibi euacuatur. Quod & iis interdum accidit, qui consueta exercitia subitò dimiserunt, non imminuta interim quantitate alimentorum, qua, cum validius exercerentur, vti solebant: aut quibus consueta aut familiaris hæmorrhagia narium supprimitur, cuius exemplũ habetur apud Forestum, *lib.* 2. *obs.* 20: vt & mulieribus, quibus menstrua supprimuntur, vt docet Galenus, 5. *de loc. affect. c. vlt.* Sanguis n. per vterum euacuari solitus per venã cauã regurgitat, & hinc per venas mesaraicas ad intestina profunditur. Nonnulli & hæmorrhoides addunt; cum, iis præter naturã suppressis, sanguis vel immediatè & ab hæmorrhoidibus internis, vel epate mediante & ab externis ad venæ portæ ramos remeare, & inde ad intestina effundi possit.

2. Cum ob epatis debilitatem aquosus sanguis, instar loturæ carnium, excernitur, qui alui fluxus epaticus nominatur; Tralliano, *lib.* 13. *c.* 3. est dysẽteria epatica.

3. Quæ melancholica appellatur, cum sanguis propter longiorem moram in epate vel circa lienẽ adustus & cum humore melancholico mixtus per venas mesaraicas ad intestina à natura protruditur, & niger atque splendẽs per aluũ, sæpe etiam per vomitũ simul eiicitur.

Accidit præterea interdum, vt iis, qui ex alto deciderunt, vel in hypochondriis ac lumbis grauiter percussi sunt, sanguis, & quidem sæpe longo tempore, retentus, postea per aluum excernatur, isque nigricans, interdum & graueolens, qui proculdubio in venis loci contusi collectus est & hæsit.

Verum hæ cruentæ deiectionis differentiæ impropriè dysenteriæ dicuntur: ea verò sanguinis deiectionis species, quam modò descripsimus, solum propriè Δυσεντερία dicitur: is scilicet alui fluxus, in quo cruenta cum intestinorum dolore ac torminibus eiiciuntur.

In dysenteria ergo adest soluta vnitas, seu vlcus, plerumque & intemperies, ac mala intestinorum constitutio, & quidem cum affluxu materiæ.

*Pars affecta in Dysenteria.* Pars affecta sunt intestina, nunc tenuia, nunc crassa, nunc vtraque. An tamen omnia simul exulcerari possint, in dubium à nonnullis vocatur. Equidem impossibile non videtur, vt omnia intestina, si non tota, tamen singulorum partes exulceratio corripiat. Verum si hoc accidat, grauissimum id malum est, ex quo æger vix conualescit.

Nonnunquam tamen & vicinæ partes vt epiploon, ventriculus, thorax & pulmones in consensum trahuntur, cuius rei exemplũ Scholiastes apud Holleriũ recitat.

Symptomata, quæ hic præcipuè vrgent, sunt intestinorum læsæ functiones, alimenti scilicet concoctio & chyli ac fecum debita elaboratio; alimenti, cui inseruiũt etiam suo modo intestina, distributio; frequens deiectio ac excretio, & quidem sanguinis simul; tandemque dolor. Quibus accedunt interdum & alia, de quibus postea *de signis* dicemus.

### *Caussæ & generatio Dysenteriæ.*

Vt verò natura huius mali clarior fiat, caussæ & generationis modus, & quæ in illo accidunt, consideranda sunt. *Caussa proxima Dysenteriæ.* Et quidem fluxus huius præternaturalis caussa proxima est intestinorum irritatio, facultatisque in iis excretricis stimulatio, vt continuò, quod molestum est, excernere nitatur, quam excitant acres humores, siue in ventriculo & intestinis geniti sint, siue à toto, siue à parte aliqua ad intestina confluant, eaque ad excretionem stimulent. Nimirum bilis flaua, à qua plerumque Dysenteria incipit: Bilis atra, quæ ferè lethalem Dysenteriam excitat: Pituita salsa, quæ secundum Galen. 3. *aph.* 12. aliquando gignitur in capite à caliditate maiore, aliquando talis efficitur putredine in ventre, vnde ad intestina delata, & lentore suo diutius iis inhærens, assiduè extergendo tandem illa exulcerat, quem admodum docet Galenus, 3. *Epid. com.* 3. *aph.* 70. Sanies quoq; acris & purulenta & humores maligni ac pestilentes. Quò etiam pertinent purgantia fortiora, vel etiam lenia intestina nimium vellicantia & stimulantia.

*Humores dysenteriam excitantes quales.* De omnibus autem humoribus, qui Dysenteriam excitare solent, non sine caussa hoc dubiũ mouetur, quod etiam Ludouicus Mercatus & alij animaduerterunt, qui fiat, quod humores mordacissimi, feruidi, æruginosi, prasini, & omnino summam malignitatẽ præ se ferentes, Diarrhœam sæpe saltem pariant, & non Dysenteriam; & qui fiat, quod Diarrhœa etiam ab humoribus acribus sæpe longo tempore durans in Dysenteriã non mutetur: Contra vero sæpe humores minus mordaces Dysenteriam, & quidem prauo temporis spatio fluxu durante, excitent. Et quidem alij aliam huius rei caussam reddere conantur, & eam vel à circumuolutione intestinorum, quæ humores detineat, petunt; Vel quod omnibus simul venis mesaraicis humor communicatur, eũ detineri, putant. Verũ cum hæc omnibus aliis fluxibus communia esse possint, non sufficiunt.

*Solã acrimonia humorum dysenteriam non facit.* Ludouicus Mercatus ad hoc dubium respondet, solam acrimoniam & mordacitatem humorum per se (licet ad Dysenteriam necessaria sit) ad Dysenteriam gignendam non sufficere, sed insuper requiri viscriditatẽ & lentorem, ob quem intestinis adhæreant, eaque continuò rodant. Atque ita proximam & adæquatam caussam ponit humorem acrem, lentum & viscidum intestinis adhærentem, eaque abradentem & exulcerantem.

Verum etsi hæc opinio satis probabilis videatur: hoc tamen in ea mihi dubium adhuc videtur, quod sæpe alui fluxus dantur; qui ab humoribus hisce qualitatibus præditis fiunt, & tamen Dysenteria non excitatur: imò sæpe illa viscriditas & lentor abest in biliosis & aliis humoribus, qui Dysenteriam pariunt.

*Humorum Dysenteriam excitantium natura.* Ergo mihi probabile videtur, humores qui Dysenteriam excitant, peculiarem & occultam qualitatem habere, quã peculiariter intestinis infesti sunt, eáque exulcerant; sicut pulmo marines pulmoni, & cantharides vesicæ infestæ sunt, eaque, nõ verò alias partes, exulcerant: qualis quidem vis in colocynthide, cucumere asinino, esula, euphorbio, laureola & aliis purgantibus occurit. In quorum quibusdam si acrimoniam examinemus, vel etiam viscriditatem consideremus, longè minor est iis, quam in aliis multis, quæ ὑπερκάθαρσιν, tandemque alui fluxum & Dysenteriam excitant. Imò cõpertum est, leniora etiam, vt mannam, cassiam, Syrup. rosar. solut. in quibusdam ὑπερκάθαρσιν excitasse, ob vim, quam habent, intestina vellicandi, & humores ad aluum commouendi.

*Contagium quomodo Dysenteriam excitet.* Atque ita rem se habere facilius credet, qui, qua ratione contagium Dysenteriam inducat, & quomodo medicamenta purgantia vim suã exserant, perpenderit. Etenim cum μιάσματα, siue ex fecibus & excrementis Dysentericorum, siue ex corpore eorũdem exspirantia, seu per cibum & pocula communia cõmunicata, seu

per pulmones & inſpirationem, ſeu per œſophagum, ſeu per anum, aut quocunque modo ad admiſſa, fluxum ſimilem excitent: non video, quomodo alia ratione id præſtare poſſint, quam quâ purgantia medicamenta ſuam operationem efficiunt.

*Purgãtia quâ ratione opus ſuum perfi- ciant.*

Etſi verò vulgò dicatur & doceatur, medicamenta purgantia humores ad ſe trahere: tamen id rectè explicandum eſt. Cum enim purgantia medicamenta, non ſolum ore ſumpta, ſed & vmbilico applicata, manibus tractata, imò naribus admota & olfacta, aluum mouere & purgare ſoleant: aliter ſtatuere non poſſum, quàm medicamenta iſta per vmbilicalia vaſa, vel per poros cutis & vaſorum extremitates in venas vel arterias penetrantia fermentationem quandam & agitationem in humoribus ibi excitare, quâ vitioſi humores à bonis ſeparantur, à quibus poſtea natura ſtimulata eos ad cõſuetas euacuationis vias pellit; adiuuante procul dubio vi medicamenti purgantis, quod non ad ambitum corporis tendit, ſicut ſudores mouentia, neque ad veſicam, ſicut Diuretica, verùm ſolùm ad inteſtina: ſicut & cantharides non ſolum intus ſumptæ, ſed & extra applicatæ vrinam mouere, & veſicam exulcerare feruntur.

*Generationis Dyſenteriæ modus.*

Eodem ergo proculdubio modo Contagium & μίασμα Dyſentericum quocunque modo & loco intra corpus admiſſum, quandam fermentationem in humoribus efficit, & ſimilem ſibi diſpoſitionem (qui omnium venenorum ſeu contagioſorum inquinamentorum mos eſt) imprimit. Humores verò moti & peculiarem hanc malignitatem adepti vnà cum μιάσματι ad inteſtina, quibus peculiariter infenſa, ruentes, non ſolum purgantium medicamentorum more fluxum alui concitant, & naturam ad crebram excretionem ſtimulant, ſed & ea exulcerant, ac prauam diſpoſitionem iis imprimunt, & ita cùm inteſtinorum vnitatem ſoluendo, tùm naturale temperamentum & ſimiliarem conſtitutionẽ lædendo, concoctricem facultatem in iis lædunt, vt neque chylus affluens illam, quam debet, in inteſtinis & vaſis meſaraicis, diſpoſitionem ſeu accipiat, ſeu retineat, ſed in humorem vitioſum mutetur, neque excrementa, & feces alui naturalem elaborationem & qualitates in iis accipiant, ſed & ipſæ in præternaturale quid mutentur. Vnde frequenti fluxui materia ſuppeditatur, & natura ad frequentem excretionem ſtimulatur.

Neque mirum alicui videatur, quod hi humores peculiariter inteſtinis infenſi ſunt, cum idem in aliis morbis Epidemiis eueniat, in quibus certæ corporis partes infeſtantur. Ita quandoque anginæ, pleuritides, tuſſes & catarrhi Epidemici ac contagioſi graſſantur: Imò obſeruatum eſt, Podagram Epidemiam fuiſſe, vt apud Athenæum, *in Dypnoſoph. lib.2.* videre eſt. Atque hoc modo cum à contagio introducatur Dyſenteria, proculdubio & reliqui humores, qui intra corpus generantur, eodem modo Dyſenteriam efficient; cum neceſſarium ſit, vt cumplura eundem effectum producunt, ad vnum & communem agendi modum reducantur.

*Proxima Dyſenteriæ cauſſa.*

Et ita proxima cauſſa Dyſenteriæ ſunt Humores quicunque peculiarem hanc qualitatem & vim adepti, vt inſtar medicamentorum purgantium humores in toto corpore mouere, eos ad inteſtina concitare & ipſa inteſtina peculiariter lædere valeant. Et licet hic humor non ſemper malignus ſit: (propriè malignitatem ſumendo) tamen peculiarem qualitatem & diſpoſitionem obtinet, qua differt ab aliis humoribus bilioſis diarrhœam ſæpè longam facientibus.

*Quid ſit mucoſum illud, quod in Dyſenteria excernitur.*

Et hic, quem modò expoſuimus, generationis Dyſenteriæ modus eſt. Circa quem tamen hoc adhuc explicandum reſtat. Quidnam ſit illud mucoſum & album, quod ſæpe vna cum ſanguine excernitur, & non rarò ita copioſè, vt ſanguinem copia excedat, de quo *quæſtione* 1. dicetur.

Atque hæc de cauſſa proxima & generationis Dyſẽteriæ modo, & de iis quæ circa eã accidunt, dicta ſint.

*Cauſſæ Antecedentes & Remotæ Dyſenteriæ.*

Cauſſas verò Antecedentes & Remotas externas & internas quod attinet, omnes ferè humores in corpore hunc corruptionis gradum induere poſſunt, vt inteſtina exulcerent, & Dyſenteriam excitent. Frequentiſſimè tamen humor Dyſenteriam excitans eſt bilioſus, à quo etiam plerumque fluxus Dyſentericus incipit: vnde etiam æſtate magis & in principio autumni, quam hyberno tempore, graſſatur Dyſenteria. Bilioſus autem ille humor nunc in ventriculo & inteſtinis gignitur, nunc è veſica fellis, aut venis meſaraicis, nunc à toto corpore, quod in febribus ſæpè fieri ſolet, ad inteſtina effunditur, & vel venarum meſaraicarum orificia patefaciendo, vel erodendo, & inflammationem aut exulcerationem excitando, fluxus ſanguinolenti & Dyſenteriæ cauſa eſt.

A bile praſina & æruginoſa equidem Sauanarola, *tract.6.cap.16.* Dyſenteriam fieri poſſe negat; cum tam praua ſit, vt ſtatim à natura è corpore expellatur, vel corpus corrumpat: quod ante ipſum etiam ſtatuit Conciliator, qui *differ.* 201. ſcribit: Non reperio aliquem autorem authenticum ſcribentem ex bile praſina & æruginoſa Dyſenteriam cauſſari. Verum Aetius, *tetrab.2. ſerm.* 1. *cap.*42. Dyſenteriam à bile praſina admittit, etſi periculoſam eam eſſe ſtatuat. Et Solenander, *ſect.4.conſil.9.* refert, quod ipſe aliquando dyſenteria grauiter decumbens æruginoſam bilem bile vitellina, muco ſanguineque permixtam copioſè deiecerit. Et licet, quod obiicit Sauanarola, natura bilem æruginoſam, vt valde prauam, ſtatim è corpore eiicere conatur: tamen eaſdem vires etiam erga alios humores vitioſos, vt & medicamenta cathartica exſerit. Interim id non ſemper tam velociter peragere poteſt, vt nullum in tranſitu corpori damnum inferatur, præcipuè in iſta inteſtinorum cirumuolutione, quæ humores, quos natura expellere conatur, non parum remoratur. Quibus accedit & hoc, quod humores non quatenus tales, ſed quatenus peculiarem corruptionis gradum accipiunt, dyſenteriæ cauſſa ſunt, quem vbi acquiſiuerunt, ſtatim dyſenteriam inducere poſſunt.

Eodem modo & alij humores praui in corpore diutius detenti, præcipuè aliqua cauſſa externa accedente, tandem illam acrimoniam, malignitatem & dyſentericam diſpoſitionem, quam diximus, induunt, & vel ſoli vel cum bile mixti dyſenteriam excitant. Vnde ij præcipuè, qui prauis humoribus ſcatent, facilius dyſenteriam incurrunt, & ad præſeruationem à dyſenteria prauorum humorum è corpore euacuatio neceſſaria eſt. Et non rarò in febribus malignis & peſtilentibus, vitioſis eiuſmodi humoribus ad inteſtina vel vi naturæ protruſis, vel ſponte ſua ruentibus, dyſenteria eaque ſæpe Epidemia excitari ſolet.

Hinc omnia, quæ ad generationem vitioſorum humorum faciunt, vel genitis prauam illam diſpoſitionẽ Dyſenteriæ peculiarem imprimunt, & vt inteſtina confluant, faciunt, inter Dyſenteriæ cauſſas remotas numerantur. Inter quæ eſt 1. Ciborum & aſſumtorum natura, vt facilè in acres & mordaces eiuſmodi humores conuertantur, facileque putredini & corruptioni tali ſint obnoxij. Quo in genere recenſentur vulgo Fructus Autumnales, qui in fine æſtatis maturéſcentes ὀπῶραι vocantur, auideque ingeſti facilè putreſcunt. E quorum vſu pueros frequẽntius Dyſenteriam incurrere vulgata ſententia eſt; præcipuè ſi non ſatis maturi comedantur: qui, vt nonnulli cenſent, non ideo ſolùm Dyſenteriæ cauſſa fiunt, quia facilè corrumpuntur, ſed etiam quia eos, qui, quod facilè corrrumpuntur, ſtatim excerni debebant, in corpore adſtrictione ſua retinent. Quod vt negandum non eſt; cum Experentia doceat, multos ab eſu fructuum, vt prunorum, nucum auellanarum & ſimilium, præcipuè non ſatis maturorum in dyſenteriam incidiſſe. (Sic Cuſpinianus refert, Imperatorem Romanorum Albertum Auſtriacum, cum calore feruenti Auguſti menſis inſolito vexatus ſedare æſtum pepo-

*Cibi & potus Dyſenteriam excitantes. Fructus autumnales.*

*Fructus Autumnales ſemper Dyſenteriæ cauſſa ſint.*

nibus

nibus elaboraret, in dysenteriam lethalem incidisse: Cui simile quod idem Cuspinianus de Friderico III. recenset.) Ita Disenteriæ caussa non semper in talium fructuum esum referenda; cum obseruatum sit, etiam pueros, lactentésque infantes, & eos, qui à talibus fructibus planè abstinuerant, nihilominus in Dysenteriam incidisse. Sicut & quæ anno 1624. passim grassabatur Dysenteria Epidemia soli fructuum esui adscribenda non est: cum & ipse infantes lactentes & alios, qui fructus nullos comederant, laborantes disenteriâ curauerim; & tum mense Majo in vicinis oppidis, antequam vlli fructus maturescerent, grassari cœperit dysenteria, & demum sub finem Autumni, cum omnes fructus maturi & in quotidiano vsu sunt, vel mitesceret, vel cessaret, quæ propterea aëris constitutioni potius, de qua mox dicemus, quam fructibus adscribenda est.

*Vuum esus & musti potus caussa dysenteria.* Ad hoc causæ genus etiam referri potest vuarum esus & musti potus. Nam non solum fermentationem in humoribus excitant; verùm sæpe etiam ex nebulis, rubigine & carbunculo, araneis, aliisque vermibus multa inquinamenta vuis & musto insunt, quæ humores inficiunt & concitant, vt diarrhœæ, & hinc dysenteriæ causæ sint, præsertim si corpus dispositum sit.

Exempla Dysenteriæ ex esu vuarum & musti potu habentur apud Forestum *lib. 22. obseru. 3.*

*Ciborum praui & insueti vsus caussa Dysenteriæ.* Non solum autem fructuum esus, sed & aliorum ciborum minus commodorum & corruptioni obnoxiorum vel insuetorum vsus Dysenteriam inducere potest. Vnde in exercitibus Dysenteria sæpe familiaris est, vt ex historiis passim notum, & nulla ferè in Vngaria expeditio suscepta est, in qua non ex insueta & incauta victus ratione plures ferè dysenteria, quàm ferro perierint. Refert quoque Ælianus *lib. 5. variæ histor. cap. 1.* quod Tachus Ægyptius, donec vsus est vernaculo victu, & frugaliter vixit, omnium hominum fuit sanissimus: postquam verò ad Persas venit, & in illorum luxum dilapsus, cum non posset ferre insolentiam ciborum, vitam dysenteria finiuit. Et Amatus Lusitanus, *cent. 2. curat. 45. in Schol.* cur in India & Ægypto dysenteria frequens sit, causam esse scribit, quod homines eò loci carnibus vescuntur animalium, quibus cassia fistularis purgatoria pro pastu & cibo est. Nutrimentum enim è carnibus eiusmodi purgatoriam vim habentibus humorem torridum & acrem ad intestina deriuare & diuertere; vnde homines plerumque dysenterici fiant, rarò phrenetici aut pleuritici.

*Venenata & pharmaca Dysenteriam mouent. Aqua per plumbeos canales fluentes caussa Dysenteriæ.* Pertinet huc & venenatorum pharmacorum potus, colocynthidis & antimonij: vt & acetum in plumbeo vase asseruatum. Imò aqua, quæ per plumbeos canales defluunt, suspectæ nonnullis habentur. Experientiam tamen contrarium testari alij putant. Neque enim aqua puta & quæ acidi & salsi nihil in se continet, facilè aliquid à plumbo abluit. Vnde Renodæus, *Antidotarij lib. 1. sect. 1. c. 7.* scribit, aquarum per plumbeos canales deductarum vsum Lutetiæ satis esse frequentem, nec tamen insalubrem. Si tamen canales plumbei ita vetustate iam corrupti sint, aut aquæ ita comparatæ, vt à canalibus aquæ aliquid de substantia plumbi communicari possit, tales aquæ innoxiæ planè non sunt. Vnde Aëtius, *tetrab. 3. serm. 1. cap. 45.* ea de causa aquam illam pluuialem damnat, quæ defluxit per tecta plumbea. Baccius, *lib. 21. cap. 9.* aquas quasuis, quæ per tegulas metallicas defluunt, vituperat; additque, ipsam aquam pluuialē, quæ per tonitrua decidit, ea de causa, quod aqua hæc pluuialis acrem quandam & prauam qualitatem concipiat, stomacho & intestinis præcipuè, noxiā. Idem Baccius, *loco allegato*, vsum aquarum medicatarum, quæ metallorum & mineralium vires obtinent, cum cibis valde damnat, & prolixè contendit, aquas illas parcius sumptas è corpore rursus non excerni, sed vnà cum alimētis ad interna viscera transire, ibique hærere, ac mora sua vel corrumpi & in vitiosos humores transire, vel metallica sua natura partium naturalium dispositionem euertere: vnde postea praui humores generentur, & insperatè nonnunquam dysenteriæ periculosæ & alij perniciosi morbi excitentur. Verum non in omnibus aquis medicatis talem noxam metuendam esse, cum rationibus experientiâ suâ & aliorum probat Ioh. Bauhinus *lib. 2. de aquis medicat. cap. 7.* Cuspinianus etiam ex Zonara refert, Theophilum Imperatorem ex aquæ frigidissimæ continuato potu in dysenteriam lapsum, & morbi illius vehementiâ mortuum fuisse.

Referunt huc plurimi & adamantem, quem vt alias venenatum, ita quoque eius puluerem dysenteriam excitare statuunt, de quo *quæst. 2.* dicetur.

*Hydrargyrum dysenteriam excitat.* Pertinent huc & vehementiora, vt dictum, purgantia, imò etiam mitiora maiori dosi exhibita. Et non solum medicamenta talia ore sumpta, sed hydrargyrum etiam extra illitum, teste Nicolao Massa, *de lue venerea tract. 4. cap. 4.* humores ad intestina (quod aliàs ad fauces facere solet) concitare, & Dysenteriam introducere posse, à nonnullis statuitur.

*Aër Dysenteriæ caussa.* Deinde satis frequens causa Dysenteriæ est Aër, de quo Hippocrates *3. aphor. 11.* *Inter anni partes, si hyems sicca & Aquilonia, ver pluuiosum & Australe fuerit, necesse est, æstate febres acutas fieri & ophthalmias & Dysenterias, mulieribus præsertim & viris naturâ humidioribus.* Quia, vt Galenus, *in comm.* habet, ambientis aëris humiditas, humores in corpore redundantes desiccari prohibet, eáque ratione adiuuat vim putrefacientem; & materiâ putridâ in corpore manente febres fiunt; si eadem per ventrem euacuetur, Dysenteriæ. Et reuera Aër humidus & calidus Vernus ad humores in corporibus nostris corrumpendos & ad putredinem inducendam maximè dispositus est. Non tamen solam verni aëris humiditatem & caliditatem, sed etiam caliditatem & siccitatem ad dysenteriam generandam facere, testatur ipsa experientia. Plerumque enim in fine æstatis ac autumni initio morbus hic excitatur, & potissimum in regionibus calidis, vt in Ægypto, Arabia, Africa, India, in quibus torridus, acris & exsiccatus sanguis gignitur. Testatur idem Dysenteria, quæ anno 1624. populariter in multis locis grassabatur. Ea enim caliditas & siccitas aëris Verni fuit, qualem vix vllus hominum hîc meminit, cum post vltimam niuem, quæ circa Paschatos festum delapsa est, per menses ferè tres subsequentes exigua, imò ferè nulla pluuia decideret, sed perpetuus æstus, qualis sæpe vix est in Caniculari-bus, in hisce regionibus vigeret. Cuius causa proculdubio fuerunt magnæ illæ & frequentes Planetarum coniunctiones, quæ ea æstate inciderunt, de quo est Astrologorum iudicare, qui aliàs etiam in ♄ & ♂ coniunctionem Dysenteriæ Epidemiæ causam reiiciunt. *Constitutio anni 1624.*

Cum ergo à Calido & Humido, & Calido & Sicco aëre, imò vt ex Hippocrate, *1. Epid. com. 2. t. 1. & seqq.* & præcipuè 7. patet, etiam post frigidam & humidam aëris constitutionem Dysenteria excitari possit: in qualitatibus primis solum causa Dysenteriæ quærenda non est; sed in iis, quæ ab astrorum influxibus, adminiculantibus tamen istis qualitatum primarum excessibus, producuntur. Etsi enim, quæ de fructibus Astrorum Chymici quidam scribunt, non probemus, neque iis assentiamur, qui ab iis, quæ Hippocrates, *3. Aphor.* de morbis, qui ab anni temporum mutationibus prouenire solent, scribit, qualitates primas planè excludunt: tamen hoc interim non negamus, in qualitatibus primis subsistendum non esse, sed etiam in aëre τὸ θεῖον, seu malignitatem & venenositatem, & omninò qualitatibus primis quid potentius in morbis producendis ponendum esse. Neque enim in eadem aëris constitutione secundum qualitates primas iidem morbi grassantur, sed nunc Dysenteria, nunc Pleuritis, nunc Angina, nunc Carbunculi, nunc variolæ & Morbilli; qui diuersi morbi proculdubio ex diuersis & occultis ac malignis aëris constitutionibus ortum habent.

*Aſtrorum influxus cauſſa Dyſenteriæ.*

Et Dyſenteriam Epidemiam quod attinet, oritur ea proculdubio ex aſtrorum influxu & aëris conſtitutione tali, quæ in corporibus noſtris ſeu generat ſeu iis communicat tale quid, quod cum colocynthide, eſula, helleboro, ſcammonio & ſimilibus cognatam aliquam vim obtinet. Et ita ſe hæc habere, quæ modò diximus, deprehendent ij, qui quæ quotidiè in natura fiunt, diligenter perpendunt. Vidimus anno 1624. Menſe Majo auram malignam arbores aſpiraſſe, vnde vnica die (caliditati & ſiccitati id adſcribi non poteſt, cum in æquali, vel etiam maiori æſtu ſæpius idem non fiat, nec in omnibus locis id ſimul acciderit) in quibuſdam locis, arborum & quidem non omnium folia ita exſiccata & emortua fuêre, ac ſi igne combuſta fuiſſent, vt poſtea ipſo Iulij menſe deciderent, ac arborum cortices q. flauo puluere aut Auripigmento conſperſa fuiſſe.

*Rubigo.*
*Vredo.*
*Carbunculus.*

Vnde proculdubio rubiginis nomen, de qua Plinius, *lib.* 18. *cap.* 1. *Cœleſte frugum vinearumque malum, nullo minus noxium eſt Rubigo.* Appellatur & eadem de cauſſa Vredo ac Carbunculus, teſte eodem Plinio, *lib. eod. c.* 28. Omnia enim hæc nomina frugum & arborum huic vitio indita ſunt, quod fruges, vites & arborum folia q. comburat. Videatur etiam Plinius *lib.* 17. *c.* 24. Diſputat quidem Plinius *lib.* 18. *c.* 8. An à Luna vel Sole hoc vitium proueniat, ſcribitque pleroſque dixiſſe, rorem inuſtum ſole acri frugibus rubiginis cauſſam eſſe & carbunculi vitibus: quod ipſe ex parte falſum arbitratur, omnémque vredinem frigore tantum conſtare Sole innoxio ſtatuit, idque ex eo manifeſtum putat, quod non niſi noctibus & ante Solis ardorem deprehendatur. Verum & hoc falſum, atque experientia teſtatur, ſæpe circa meridiem talia aëris inquinamenta, in fruges, vites ac arbores decidere, & cauſſam eſſe Rubiginis & Vredinis. Plinius etiam ſaltem interlunio & ☽ plena decidere putat, quod an ita ſeſe habeat, experientia docebit. Nebulas etiam maligni & venenati quid ſæpe obtinere vel vulgus & ruſtici nôrunt.

*Occultas qualitates cauſſa dyſenteria.*

Ideóque malo in hiſce & aliis morbis corúmque cauſſis ad neceſſarium illud in hac humanæ mentis caligine ignorantiæ aſylum, occultas qualitates, confugere, & cauſſas veras ſaltem nominare, ſi eas non ſatis explicare poſsum, quam falſas ac fictas afferre, quod nonnulli hodie faciunt, qui vt Antiquitatis egregij Patroni & defenſores videantur, vaniſſimo & irrito conatu omnia ad qualitates primas deducere & incerta per æquè incerta probare conantur. Non mirum ergo eſt, ſi cœleſte illud malum, quod Plinius appellat, & aëris inquinamentum in arbores, fruges, prata, fructus, aquas decidat, imo cum aëre inſpirando attrahatur, & bruta & homines infici. Hinc proculdubio factum, vt boues prata illa depaſcentes, paſſim perierint. Hinc etiam Dyſenteria iſta proculdubio ortum habet; cum homo aërem continuò reſpirando attrahat, & oleribus, fructibus, aquis ab huiuſmodi cauſsa inquinatis neceſsariò vtatur. Eiuſmodi enim inquinamenta, ſeu cum aëre attracta, ſeu cum cibo ac potu aſsumpta, cum à corpore noſtro aliena ſint, aliquandiu quidem in eo latent, & reliquos humores inficiunt, donec tandem coaceruata ita fuerit materia, vt natura ab ea ſtimulata per aluum & humores vitioſos & venenum illud eiiciat, à quibus inteſtina, quibus inimica ſunt, exulcerantur.

*Cur non omnes Dyſenteria epidemia corripiantur.*

Quod verò non omnes æquè Dyſenteria corripiuntur, cauſsa eſt, quod inquinamento iſto non totus aër inficitur, ſed ſparſim ſaltem & certis tractibus. Cui accedit & illud, quod corpora alia puriora, alia impuriora, & ad corruptionem hanc ſuſcipiendam magis idonea ſunt, & proinde ad reſiſtendum vel minus reſiſtendum magis vel minus diſpoſita.

Imò etiam abſque his, occulto modo, occultas illas aſtrorum influentias in corporibus noſtris humores tali modo corrumpere poſse, patet inde, quod etiam infantes lactentes, qui aliis cibis, quàm lacte materno aut nutricis non vtuntur, & in aërem liberum nunquam venerunt, ſed in cubilibus ſuis concluſi à primo ortu manſerunt, nihilominus dyſenteria correpti fuerunt; quod & ipſe ſupra dicto anno ſemel atque iterum factum vidi.

Occultum autem hoc humorum vitium, quod dyſenteriæ cauſsa eſt, ſi quis antimoniale, vel helleborinum, vel tithymallinum, vel alio nomine appellare velit, ob cognatas vires & effectus, quos cum hiſce habet, per me licet. Eadem de cauſsa vel aloëticum vel colocynthinum non incommodè etiam appellari poſset.

*Chymicorum de dyſenteria opinio.*

Chymici quidē & Paracelſus ex principiis Chymicis cauſsam huius mali reddere conantur, & dyſenteriam morbum ex ſale reſoluto appellant. Et verum eſt, ſalem, dum à reliquis humoribus ſecernitur, & ſeorſim, vt Hippocrates, *de priſca Medicina* docet, conſiſtit plurimorum morborum cauſsam exiſtere, & ad fluxum etiam alui facere. Verum cum iidem omnes alui fluxus à ſale reſoluto deducant, nihil, quod dyſenteriæ proprium ſit, afferunt, neque docent, quomodo alij alui fluxus, qui etiam ab humoribus ſalſis & acribus fiunt, nec tamen dyſenteria ſunt, à dyſenteria differant; neque quomodo ſal reſolutus in dyſenteria à ſale reſoluto in aliis diarrhœis diſcernendus ſit, monſtrant.

*Contagium cauſſa dyſenteriæ.*

Tandem inter dyſenteriæ cauſsas meritò numeratur contagium, cum, & antea ſæpiſſimè, & in illa ipſa dyſenteria quæ anno 1624. hic graſsabatur compertum ſit, vnum ab altero infici, & hinc totas familias dyſenteriâ corripi. Maximè verò illud communicatur per excrementa alui. Etenim hoc commune omnibus morbis contagioſis, vt excrementa eius partis, quæ maximè laborat, præcipuam vim contagium propagandi habeant, & vt illa pars maximè inficiatur, à qua excrementum contagioſum ſeparatum eſt. Ita in ophthalmia excrementa & effluuia oculorum aſpicientium oculos inficiunt, non alias partes. Et in phthiſi exulceratorum pulmonum contagioſa exſpiratio pulmones, non verò alias partes inficit. Hinc etiam dyſenteria tum maximè contrahitur, ſi quis in loco, in quo dyſentericorum excrementa iacent, aluum exoneret, & halitus ac vapores contagioſos ex iis per gutturem inferiorem admittat. Quia tamen in dyſenteria non ſolum aluus afficitur, vt in ophthalmia & phthiſi pars vna reliquis ſaluis afficitur, ſed ſæpe tota maſsa ſanguinea inquinata eſt (vnde etiam febres dyſenteriæ ſæpe coniunguntur) nec conuerſationem cum dyſentericis ſatis tutam puto, & dyſenteriam ex lecto dyſenterico communi vel communibus poculis aut patinis aut aëre inſpirato attrahi poſſe exiſtimo; cum experientia doceat, non paucos ex conuerſatione cum dyſentericis in dyſenteriam incidiſse, qui nũquam in locum communem aluum exonerarunt.

## *Gradus & differentiæ dyſenteriæ.*

*Gradus & differentiæ dyſenteriæ.*

Galenus, 4. *aph.* 26. & 6. *de loc. affect. cap.* 2. gradus quoſdam dyſenteriæ, ſecundum quos differentiæ eiuſdē conſtituuntur, proponit, docétque, abradi primò & excerni adipoſa quædam & pinguia corpora, exiguo cruore perfuſa, atque hunc primum dyſenteriæ gradum eſse. Deinde ſuperficiem internam inteſtinorum tenuem, quæ membranoſorum ramentorum ſpeciem præ ſe ferat, cum excrementis excerni; ſecundúmque hunc dyſenteriæ gradum eſse. Tandem etiam inteſtinorum ſubſtantiam, ex vtraque tunicâ conſtantem, & caruncülas quaſi de inteſtinis; atque hunc tertium dyſenteriæ gradum eſse, de quo Hippocrates, 4. *aph.* 26. *Si dyſenteria laboranti veluti carũculæ deiiciantur, lethale.* Illam Galenus γινομένην, Fientem dyſenteriam; hanc γεγονυῖαν & κατασκευασθεῖσαν, Factam & conſummatam nominat. Quæ ſententia vulgata & communis omnium fere Medicorum eſt: conſideratione tamen & explicatione indiget; cum quædam in ea occurrant, quæ experientia magiſtra hodie à doctiſſimis Medicis non ſaltem pro dubiis, ſed & falſis habentur: de quo poſtea, *quæſt.* 3. in ſpecie dicemus.

*Dyſenteria Fiens & Facta.*

Hoc iā vt certū habeamus, inteſtina nūc magis, nunc minus

minus exulcerari, & ita quidem interdum, etiam perforentur. Imò ſcribit Auicennas, *l.3.fen.16.tr.1.c.2.* non ſolum inteſtina perforari interdum, ſed & mirach ſeu ventrem è regione vlceris & foraminis ob communicatam illi putrefactionem, ita vt ſtercus per abdomen excernatur, & nihilominus hominem viuere poſſe. Additque etiam quamuis ſit poſſibile, eſſe tamen de poſſibilibus, quæ raro accidunt. Matthæus de Gradibus tamen, *2. part. pract. c. 12.* ſcribit, ſe vidiſſe Papiæ quendam, cui hoc acciderit, & feces per vlcus excretæ fuerint, qui tamen annos 20. poſtea vixerit; & non eſſe impoſſibile, vt ex vlcere inteſtinorum etiam abdomen putredinem concipiat & perforetur, ex hiſtoria morbi ſupra etiam *ſect.1.c.9.* allegata, quo hîc fœmina quædam extincta, eſt, patet. Laborauerat ea iam aliquot annos hernia inteſtinali; quæ cum pondus grauius eleuaſſet, & inde in inguen inteſtina prolapſa eſſent, nec rem alicui detegere vellet, inteſtina prolapſa inflammata ſunt, tandemque gangræna correpta: à qua pars abdominis ad inguinis regionem poſita & ipſa putredinem concepit, ſimilique malo correpta eſt, vt foramine ex putredine aperto ipſæ feces alui per illud cum maximo fœtore excernerentur: quo malo intra paucos dies exſtincta eſt.

Præter hanc, quæ à gradibus hiſce ſumitur, differentia alia adhuc eſt, quod inteſtina nunc craſſa, nunc tenuia, nunc vtraque afficiuntur. Interdum & ventriculus aut partes vicinæ in conſenſum trahuntur ac eodem morbo corripiuntur; cuius rei exemplum eſt in obſeru. Schenckii. Plerumq; tamen craſſa inteſtina afficiuntur. Natura enim hoc ferè obſeruat, quod diligenter notandum, vt humores, quos ex corpore per venas meſaraicas in inteſtina effundit, non per omnes æquè expellat, ſed plerumque per inferiores, & quæ in inteſtinis craſſis inſeruntur. Hinc etiam Teneſmus tam frequens dyſenteriæ comes eſt.

Sunt & aliæ dyſenteriæ differentiæ, quod nunc eſt epidemia, nunc ex morborum σποράδων numero; nunc cum febre, nunc ſine febre. Quæ epidemia eſt, plerumque maligna etiam eſt, ſeu malignitatem, vt & febrem coniunctam habet.

## *Signa Diagnoſtica.*

*Signa dyſenteriæ.* Dyſenteria in genere cognoſcitur ex frequenti alui deiectione, dolore ventris ac torminibus, præſertim excernendi tempore, & paulò ante excretionem. Quæ excernuntur, ſunt toto ferè genere à naturali excrementorum alui conſtitutione & modo aliena, bilioſa ac varia, mucoſa ac cruenta ſimul. Quæ ſigna diligenter enumerat Galenus, *6. de loc.aff.cap.2.*

Plerumque dyſenteriæ febris iungitur. Hippocrates tamen eā interdū ſine febre vidit. Hollerius, *comment. in aph.8.ſect.6.* Docet etiam Fernelius, *lib.6.de part.morb.& ſympt.c.10.* non omnem dyſenteriā ſtatim & neceſſario febrē comitari, ſed eā tantū, cuius humor eſt acerrimus, iſque è viſceribus aut è venis magna corporis perturbatione profuſus. Annotant etiam alii, quamuis dyſenteriç febris iungatur, non ſemper in principio id fieri, ſed vbi per aliquot dies durauit affectio, propter inquietudinem & putredinem. Quandoque tamen cum dyſenteria ſtatim febris coniungitur, vel etiam eam præcedit, vbi ſcilicet in febre natura hanc excretionem inſtituit.

Dyſenteriæ ſitus quoque, inquietudo, ſingultis, quandoque & lipothymia coniungitur, vt & interdum conuulſio. Plerūq; proſtratus appetitus, frequentiſſimè verò, Aëtio teſte, teneſmus; nō raro inteſtini recti procidētia.

Fluxus etiam hic etſi plerumq; ſit continuus, Diomedes Coronarius tamen, *conſil. 2.* obſeruauit fluxum dyſentericum periodicè redeuntem de tertio die in tertium; additque, id ſæpe fieri, ac diligenter notandum eſſe, ne decipiamus, cum & hæ ſint veræ dyſenteriæ.

*Dyſenteria ab cruentis fluxibus diſcrimen.* Quamuis verò cruenta in aliis alui fluxibus etiam deiiciatur: tamen in eo differunt, quod in illis ſanguis ſolus, copia & qualitate peccans copioſè excernitur: in dyſenteria verò humorum reliquorum copia plerumq; maior eiicitur, ſanguis verò minus copioſus. Et licet interdum in dyſenteria etiā copioſè excernatur: tamē id nō ſit ſine aliis humoribus & cū torminibus, quod non accidit in reliquis alui fluxibus. Et in fluxu epatico, qui etiā dyſenteria quādoq; , ſed impropriè dicitur, repreſſa vna vel altera die euacuatio poſtea iterū redit. In dyſenteria v. parū & per breuia interualla excernitur, & plerumq; aliquid puris ab inteſtinis exulceratis redditur, & quidē cum frequenti ac ſępe redeunte conatu eiiciendi, cū vētris torminibus ac torſionibus, ſanguiſq; excremētis & fecibus permiſtus redditur. Deinde cum ſanguine etiam mucus quidam excernitur, interdum adeò copioſe, vt plus eius quam ſanguinis reddatur, atque tum vulgò appellatur *die vveiſſe ruhr*, vt ſupra dictum.

*Abſceſſus in inteſtinis à dyſenteria differentia.* Cæterum abſceſſus etiam in inteſtinis aliquando oboriuntur, vt Aëtius, *tetrab.2.ſerm.1.cap.42.* docet, ad eorum eruptionem eliquationes quaſi puris conſequuntur; quo viſo ignari decipiuntur, dyſenteriam hanc affectionem eſſe putantes. Et ſanè, vt hac de re Aëtius porrò ſcribit, ſi poſt eruptionē diuturna ſit exulceratio & perſeuerans, eo modò, quo dyſenteria, curatur, verum in principio neutiquā. Affectiones ergo has hoc modo diſtinguere docet Aëtius. In abſceſſu ſemper præcedit dolor pulſatilis iuxta affectum locum innitens, neque morſus neque decurſus adſunt, quales in dyſenteria præcedere conſueuerunt. Deinde mutatione in ſuppurationē incipiēte, rigores inæquales conſequūtur, febreſque circa veſperam maximè irruentes: poſtea vbi perfecta mutatio humidi fuerit facta, omnes moleſtiæ minores fiant, vehementeſque dolores remittunt, deinde eruptionis tempore accidente rurſus dolores intenduntur; aliquando autem perfecta ventris adeſt adſtrictio. Poſt eruptionē verò humor qualem prædiximus excernitur; cum nihil tale in dyſenteria oboriatur. Curationem *ibidem* ponit Aëtius. Et omninò licet aliquod vlcus aut abſceſſus ſit in inteſtinis, cum alui fluxu, modo materia fluxus cauſſa inteſtina non exulceret, non eſt dyſenteria, ſed diarrhœa ſolùm.

*Signa cauſſarum.* Quantum ad ſigna cauſſarum, ſumuntur ea ab excrementis, quæ aliquando ſunt citrina & bilioſa, aliquando albicantia, & pituitoſa, interdum viridia, interdum nigricantia & atrabilaria, ſanioſa, cruenta, purulenta. Hiſce adiungenda ſunt ſigna abundantium in corpore humorum, ſumpta ab ætate, temperamento, tempore anni, vitæ genere.

*Dyſenteria maligna ac peſtilentis ſigna.* Imprimis verò conſiderandum & quærendum. An maligna & peſtilentialis ſit dyſenteria nec ne. Cognoſcitur autem id ex præcedenti anni temporum ſtatu. Si enim is præter ſolitum ad exceſſum aliquem deflexerit, & humores in corpore corruperit, malignam dyſenteriam id indicat. Symptomata quoque ſunt peiora & grauiora; ſæpe accedit angina, delirium, exulceratio circa anum & excrementa valde fœtent, ac varios colores habent. Plures etiam eodem tempore dyſenteria corripiuntur & moriuntur.

*An tenuia an craſſa inteſtina afficiātur.* An tenua, an verò craſſa inteſtina affecta ſint, quod ad curationem rectè inſtituendam non parum facit, etiam cognoſcendum. Plurimi quidem ſtatuunt, ſi dolor ſupra vmbilicum percipiatur, tenuia inteſtina, ſi infra, craſſa affici. Verùm cum tenuia inteſtina & ſupra & infra vmbilicum ſint, & colon etiam ſtatim ſub vmbilico ducatur, eoque illic affecto dolor quoque ſupra vmbilicum percipiatur, non ſolùm ad hoc reſpiciendum, an dolor ſupra vel infra vmbilicū ſit, ſed totus inteſtinorū ductus & circuitus conſiderādus, & reliqua etiam ſigna, quæ mox dicentur, coniungenda. Plerique etiam, ſi tenuia inteſtina affecta ſint, ramenta minora & tenuiora eſſe; ſi verò craſſa, ramenta maiora ac craſſiora cum copioſiore pinguedine excerni docent, de quo quid ſentiendum, ſit, antea dictum. Hoc tamen non inficior, illud quod ex inteſtinis craſſis excernitur, differre ab eo, quod à tenuibus prouenit. Sunt enim inteſtina craſſa

carnosa magis, quam tenuia, & extra pinguedine copiosiorum obducuntur. Ideoque iis exulceratis valde carni simile quid excerni potest, de quo Hippocrates, 4. *aph.* 26. Dysenteria laboráti si veluti carunculæ exeāt, lethale. Potest n. carni simile quid ab intestinorū crassorū substantia exulcerata valde excerni, aut, quod Cardanus, *in comm. huius aphorismi* existimat, tota substantia intestinorum exesa, partes mesenterii absumuntur, & quæ extra intestina sunt, & caro & corpus glandulosum, cui colon insidet, & pinguedo excerni possunt.

*Tenuium intestinorum affectorum signa.*

Vt ergò rectè cognoscatur, An intestina crassa, an tenuia affecta sint, consideranda sunt, dolor, locus doloris, tempus exitus excrementorum, & mixtio sanguinis ac purulentæ materiæ cum excrementis alui. Si enim tenuia affecta sint, dolor est acutissimus, ita vt ægri q. aciculis ventrem compungi sibi conquerantur. Intestina enim tenuia sunt magis membranosa, & sensu exquisitiore prædita. Aluus non statim post dolorem aut tormina ventris excernitur; cruor cū stercoribus vniuersis mistus est. Atque eò euidentior erit cruoris & ab vlcere excrementorum mixtura, quò locus affectus altior est. Etenim cum via illa ab intestinis superioribus ad anum longior sit, sanguis & purulenta materia antequam per aluum excernantur, diutius in ea commorantur, atque ita facilius & exactius stercoribus permiscentur. Aëtius addit, biliosa & porracea ac omnino variegata eiici, stercore commixto, cum torminibus & virium exsolutione, ægrotumque febri & siti infestari.

*Ieiunij intestini affecti signa.*

Si ieiunum intestinum exulceratum sit, quod rarò accidit, dolor est maximus, excremēta crudiora apparent, sanguinem nigriorem valde immistum habentia, ob longum transitum per vniuersa intestina; bilem item abunde flauam: adest nausea & cibi fastidium, interdum & vomitus, ardor linguæ & vigiliæ; quandoque & febris acuta. Vires ita deiiciuntur, vt non procul ab interitu ægri esse videantur, & signa alia concurrunt, quæ apud Aëtium, *tetrab.* 3. *serm.* 1. *cap.* 43. reperiuntur.

*Crassorum intestinorum affectorum signa.*

Vbi verò intestina crassa afficiuntur, dolor magis infra vmbilicum percipitur, isque non ita vehemens ac diuturnus. Intestina n. crassa tenuibus sunt magis suo modo carnosa, atque ideo sensu minus exquisito prædita, sicut id ex differentia doloris in colica & iliaca passione videre est. Nam etsi in colica dolor etiam satis vehemens est: in iliaca tamen longè acerbior est. A torminibus & cruciatu ventris statim fit excretio: Cruor & purulenta materia, alui excrementis supernatat, aut tantum iis extra adhæret. In maiori exulceratione veluti carunculæ excernuntur, vt modò dictum.

*Vlceris in dysenteria constitutio vt cognoscatur.*

Vlceris constitutio & tempora etiam ex deiectionibus colliguntur. Primò enim biliosa, hinc sanguis, postea mucus vel etiam quasi carunculæ excernuntur. Vbi putrida & malè olentia deiiciuntur, vlcus corrosiuum & malignum indicatur. Hoc tamen etiam hîc non prætereundum, interdum mox in principio, & cū diarrhœæ potius, quàm dysenteriæ nomen affectus meretur, sanguinem sæpe satis copiosum, rarius purum; frequentius concretum & nigrum excerni, ob irritationem validam, sicut & interdum fit in ὑπερκαθάρσει, nondum exulceratis intestinis, cum id statim in principio diarrhœæ accidat, sed osculis venarum mesaraicarū saltem reseratis. Tum ergo & alia signa dysenteriæ etiam consideranda sunt, de quorum absentia, & quo mox in principio alui fluxus cum excrementis reliquis sanguis excernitur, non dysenteriam, sed diarrhœam saltem esse, colligi potest, curaturque talis fluxus longè facilius, quam vera dysenteria. Potest tamen in dysenteriam degenerare.

De signis omnium dysenteriæ differentiarum secundum vlcerum varietatem & loca affecta agit Aretæus, *de sign. morb. diutur. lib.* 2. *cap.* 9.

*Signa temporum.*

Quomodo gradus dysenteriæ cognosci possint, ex superioribus satis patet. De temporibus eius cognoscendis vt aliquid addamus, cognoscuntur ea ex materiæ, quæ excernitur, cruditate & coctione. Principium quidem facilè cognoscitur, cum excrementa alui sunt fluidiora, sanguinisque aliquid admiscetur. Augmentum, quando feces iam planè à naturali suo statu recedunt, & maiora iam exulcerationis signa adsunt. Quæ vbi summa sunt, status est. Declinatio tandem, quando feces alui iterum ad statum naturalem redire incipiunt, nec æger toties aluum deponere cogitur, appetitusque redit.

*Dysenteriæ vt simulari sint.*

Signis tandem ex Polybii *lib.* 6. *stratag.* addimus, Amphiretum à pyratis, vt magnum ab ipso λύτρον extorquerent in Lemno detentum, à cibo abstinuisse, & rubricam aquæ marinæ permixtam bibisse. Itaque cum sanguinis fluxu eum laborare crederent, ne moreretur, à vinculis eum liberarunt, atque is fugâ elapsus est.

## Prognostica.

*Prognostica.*

Vt in aliis morbis de euentu præsagium sumitur ex naturæ robore & morbi vehementia, eorumque inter se collatione: ita idem in dysenteriæ euentu præsagiendo obseruandum. Colligitur autem magnitudo morbi & naturæ robur ex loco affecto, caussis, effectis & vlceris constitutione ac ægri natura & dispositione.

*Dysenteria affectis superioribus intestinis.*

1. Periculosior est dysenteria, & difficilius curatur, in qua intestina superiora afficiuntur. Grauiora enim symptomata accidunt superioribus intestinis affectis, nempe fastidium cibi vehemēs, nausea, vomitus, vigiliæ cum dolore, & virium deiectio, sicut & vulnera intestinorum gracilium difficilius curantur, præsertim ieiuni, cuius vulnera lethalia sunt, secundū Hippocratē, 6. *aph.* 18. Galenum, 6. *m. m. c.* 4. cū propter magnitudinem multitudinemque vasorum, tum quod denique tunica eorū neruosa est, tum denique quod intestinum illud bilem sinceram excipit, ac medicamēta nō diu retinet, epatique proximum est. Facilius autem curantur vulnera & vlcera intestinorum crassorum & inferiorum. Aëtius, *tetrab.* 3. *serm.* 1. *cap.* 43.

2. A syncera deiectione dysenteria malum, 7. *aph.* 23. Synceras autem deiectiones Galenus interpretatur nulla aquosa humiditate permixtas, solumque eum habentes purum & simplicem humorem, qui per inferiora deiicitur, siue sit flaua bilis, siue atra. Per tales n. deiectiones intestina exulcerantur.

3. Pessimæ sunt dysenteriæ, in quibus quæ excernuntur porri speciem habent, suntque nigra, plurima, varia, graueolentia. Aëtius *tetrab.* 3. *serm.* 3. *c.* 43.

*Dysenteria ab atra bile.*

4. Dysenteria si ab atra bile incipiat, exitiosa est. Hippocrates, 4. *aph.* 24. quod *ibidem* etiam, *aph.* 22. docet. Quia nihil differt à cancro exulcerato, qui cum in exterioribus corporis partibus rarò curationem admittat, multò minus in intimo intestinorum curabitur, vt Galenus, *in comm. alleg. aph.* explicat: Qui etiam videatur *in l. de atrabile cap.* 5. Seu, vt Aëtius, *loc. alleg.* ista proponit. Si ab acribus cibis aut flaua bile dysenteria oborta, ferè in totum ipsam curamus. Si verò ab atra bile initium sumat, siquidem ratione κρίσεως febrilium morborum bilis ista excernatur, etiam hanc sanare non desperamus. Si verò suâ sponte, nullo præcedente febrili morbo neque coctione bona apparente atra bilis excernatur, immedicabilis dysenteria ea existit, nihilque à cācro exulcerato differt. Nimirum bilis atra sincera & absque signis coctionis semper lethaliter excernitur: si autem præcedentibus signis coctionis excernatur, non pura & sincera atra bilis erit. Hercules quoque Saxon. *panth. lib.* 3. *c.* 23. quendam curatū vidit laborantem dysenteria primò ex flauâ, postea ex atra bile cum singultu & vomitu.

*Dysenteria à pituita salsa.*

5. Dysenteria è pituita salsa proueniēs crudelissima est quoniam biliosus humor transeundo quidem affligit; hic autem cum sit lentus, moram trahit, & cunctatione sua amplius exulcerat. Galenus, *in comēt. ad aph.* 12. *sect.* 3.

*Dysenteria lienosis superueniens.*

6. Lienosis dysenteria superueniens bona est, 6. *aph.* 48. Humores enim crassi & melācholici, qui lieni erant infarcti, transponuntur & euacuātur. Non verò propriè dicta atra bilis intelligitur, cuius ante facta est mentio

mentio,ſed humor meloncholicus,à quo dyſenteria ſalutaris exiſtere poteſt,niſi dyſenteria illa diutius duret, vbi hydrope aut lienteria ſuperueniente ægri moriũtur, teſte Hippocrate,6. *aph*.43.Itaque in dyſenteria deſcernendus eſt humor melancholicus, ſanguis item in inteſtinis concretus, qui pici ſimilis eiicitur, ab eo,qui verè atra bilis nominatur.Quoniam ab humoris melancholici & ſanguinis talis excretione multi euaſerunt, quemadmodum eius rei exempla, ſiue abſque ea ægri fuerint,Hollerius affert, 1.*de internis morbis,ſcholio in c.* 43.in cap. de dyſenteria, & nos aliquot eius rei exempla obſeruauimus.

*[D]ẏſenteria [p]oſt maniam [&] hydropem.*

7. A mania dyſenteria aut hydrops, aut ecſtaſis bonum.7. *aphor.* 5. Nam dyſenteria aut hydrops maniæ ſuperueniens remedio eſt, ratione tranſlationis materiæ à capite ad inferiora corporis. De proximis tamen duobus prognoſticis hoc etiam notandum, dyſenteriæ vocabulum interdum non propriè accipi,ſed diarrhœæ quoque tribui,in qua humores,qui excernuntur,ita praui ſunt, vt tormina & difficultates inteſtinorum, quod vox dyſẽteriæ exprimit, inferant,licet exulceratio nulla adhuc adſit.Nam ſi exulcerata eſſent ab humore atro inteſtina,tantũ abeſt,vt tali alui fluxu mala melancholica prædicta ſanaretur, vt potius inſanabile malum introduceretur. Et licet in tali dyſenteria quandoque ſanguis vnà excernatur, potius ex reſeratione venarum melaraicarum id accidit, quam ab inteſtinorum exulceratione,quæ omnino lethalis eſſet. Per veram enim dyſenteriam ab atro humore nullus morbus feliciter ſolui poteſt.

8. In profluuiis alui mutationes excrementorum iuuant; niſi in praua commutentur. 2. *aph.* 14.

9. Si dyſenteriæ ructus vel crepitus ventris ſuperueniat,bonum.Indicio enim eſt,naturam iterum in cibum iam agere & coctionem incipere.

10. Effuſio puri ſanguinis dyſenteriæ adueniens mala.Venas enim maiores eroſas indicat.

11. Conuulſiones & rationis perturbatio dyſenteriæ ſuperuenientes mortem ſignificant.

*[P]oſt abſceſſuũ [er]uptiones [dy]ſenteria.*

12. Quæ poſt abſceſſum eruptiones fiunt dyſenteriæ, graues ſunt, propterea quod vires deiectæ iam ſint,per coincidentes inflammationibus febres ac dolores. Graues quoque ſunt, quæ cum vehementi inflammatione oboriuntur,quæque cum febre ac amiſſo appetitu. Aëtius, *loco allegato*.Irritatur enim febris aſſiduo dolore ac vigiliis,& corporis agitatione per frequentem alui deiectionem,& propter humoris prauitatem febris mali moris ſignificatur.

*[Car]unculæ [in dy]ſenteria [lethales].*

13. Si dyſenteriâ laboranti veluti carunculæ deiiciuntur,lethale eſt,4.*aph*.26.Cum enim id magnã exulcerationem ſignificet, ſubſtantia inteſtinorum neque regigni,neque cicatrix tam magna exulcerationi obduci poteſt.Perit ergo æger vel breui tempore,ſi cum acuto morbo dyſenteria coniungatur, vel longiore, cum malum aut in maraſmum deſinit,aut in vlcera profunda & ſerpentia. Et communiter interpretes, id quod Hippocrates veluti carnes appellat, interpretãtur de ſecunda inteſtinorum tunica,quæ excernatur,eamque dyſenteriam inſanabilem pronunciat Hippocrates: licet Braſauolus,*in comm.* etiam eam ſanaſſe dicat. Cardanus tamen, *in comm.* id, quod ſimile eſt carni in dyſenteria, à meſenterio & vicinis partibus eroſis inteſtinis,excerni ſtatuit.

14. In longis Dyſenteriis cibi faſtidium malum, & cum febre peius, *aph*.3.Ventriculo enim per conſenſum cum inteſtinis affecto labefactatur concoctio, vt ἀνόρεκτος æger fiat. Quod ſi febris ſimul coniungatur, vel vlceroſa aliqua in inteſtinis putredo aderit, vel inflammatio, vel febris mali moris.

*[Vom]itus biliosus in Dyſenteria.*

15. Dyſentericis vomitus bilioſus initio malum. Hippocrates *in Coac.* Magna enim vis bilis æſtuantis indicatur,quæ ventrem ſuperiorem & inferiorẽ turbat.Præterea ſymptomatica eſt illa excretio; ſiquidem initio nihil benè planè euacuatur à natura, & ſemper prauum eſt,ſtomachum per ſympathiam inteſtinorum in Dyſenteria affici.

16. Periculoſa eſt Dyſenteria cum continua alui deiectione,aut ſi ceſſante deiectione cruenta nouus fluxus dilutus cruentus,inſtar epatici,aut alia fœda Diarrhœa ſubſequitur, in qua excrementa fœtida ſunt valde, & cadaueroſum humorem præ ſe ferunt. Significat enim hoc inteſtina valde exulcerata & corrupta eſſe.

*Dyſenteria cum febre maligna.*

17. Si Dyſenteria ſit ſymptoma febris malignæ,peſtilentis & contagioſæ, periculoſa ea eſt, & plurimi ea intereunt.

18. Dyſenteriæ,ſi cum febre inuaſerint,aut variis alui deiectionibus, aut cum epatis inflammatione, aut hypochondrij aut ventris,aut quæ doloroſæ fuerint, aut quæ cibos intercipiunt, ſitimque inducunt, hæ omnes malæ ſunt.Videantur,quæ ſequuntur 2. *Prorrh.t.* 29.

*Febris Dyſenteriæ accidẽs.*

19. Si Dyſenteriæ febris acceſſerit, quæ antea non adera[t],aut ſi, quæ exigua, intendatur, vel putredinem circa vlcera maiorem factam,vel inflammationem aliquam acceſſiſſe ſignificat, quorum vtrumque periculoſum eſt;& imprimis ſi ad cibi faſtidium febris acceſſerit, res deſperata eſt.

*Dyſenteria poſt morbum acutum.*

20. Si quis ex morbo aliquo acuto releuatus Dyſenteriâ corripitur, vt plurimum breui moritur. Vires enim primo morbo abſumtæ morbo tam graui ſuſtinendo non ſufficiunt.

*Lienteria dyſenteriæ ſuperueniens.*

21. Dyſenteriæ ſuperuenit Lienteria.7.*aph*.76.Læſis enim tranſitu humorum vitioſorum inteſtinis, ventriculi etiam intemperies naturalis per conſenſum debilitatur, vnde chylus crudus deiicitur ipſorumque temperi à Dyſenteria læsâ chylum in ventriculo elaboratum amplius, vt par eſt,ea retinere & elaborare non poſſunt.

*Singultus in dyſenteria.*

22. Singultus Dyſenteriæ ſuperueniens plerumque lethalis eſt. In principio tamen morbi minus periculoſus eſt,quam ſi in morbi progreſſu accidat.

*Puſtula nigra poſt aurem in Dyſent.*

23. Circumfertur etiam paſſim hoc prognoſticum. Si in dyſenteria puſtula nigra poſt aurem appareat ſiniſtram,ſimilis orobo,cum ſiti magna, mortem in vigeſimo futuram ſignificat.Cuius tamen quæ ſit ratio, non ita planum eſt. Niſi fortaſſe ſit à malignitate,ob quam interdum parotides & tumores poſt aures erumpere ſolent.Et omnino, quò plura ſigna praua, quæ in morbis aliis acutis mortem præſagiunt,adſunt, eò dyſenteria periculoſior eſt.

*Dyſenteria intempeſtiuè ſuppreſſa incommoda.*

24. Dyſenteria, quæ in ardentibus febribus à critico naturæ motu fit,intempeſtiuius ſuppreſſa inflammationes aut abſceſſus gignit in lateribus, viſceribus & articulis,via inferiore præcluſa,& materia ad interiores partes regurgitante;quandoque etiam in hydropẽ & alios grauiſſimos affectus degenerat.Imò in quacunque dyſenteria,ſi intempeſtiuè ſupprimatur,talia vel ſimilia mala metuenda ſunt cum materia tam praua nunquam in corpore ſine detrimento detineri poſſit. Hippoc. *in Coac. aph*.462. 465. *de rat. in acut.ſect.* 4. *ſec. cod. Foëſij pag*.73. Galen.*de ven.ſect.aduer. Eraſiſt*. 6.

*Mulieres pueri & ſenes cur in dyſenteria grauius decumbant.*

25. Mulieres, quam viri, ſenes & pueri, quàm iuuenes,& in ætatis vigore conſiſtente,difficilius curãtur in dyſenteria. Aëtius,*loco allegato*.Mulieribus & pueris hoc accidit,quia ob mollitiem vires citò deiiciũtur, minuſque præceptis medicis obtemperant. Præterea ipſorum inteſtina humidiora ſunt, & propterea putredini aptiora;ſiue,vt loquitur Aetius, ad vlcera ſerpentia longe proniora. In ſenibus verò magnitudo cauſſæ ſignificatur,ob quam in corpore minus diſpoſitio tam bilioſa & acria excrementa generantur & cumulantur: cui accedit vitium & caloris natiui imbecillitas, quæ cauſſæ morbificæ minus reſiſtere poteſt.Dyſenteria Infantium quæ cum vomitu & vermibus eſt, plerumque lethalis eſt,præcipuè ſi coniungantur febris acuta. Maximam enim humorum corruptionem & putredinem, atque inteſtina ſuperiora affici ſignificat.

26. Mulie-

*Grauidæ dysenteriâ laborantes.*

26. Mulieri vterum gerenti si aluus plurimum profluat, periculum ne abortiat; quoniam non solum praui humores euacuantur, sed simul chylus succi ad alendum vtiles cum iis abripiunt & excernuntur: atque ita fœtus nutrimento suo defraudatur, vnde in vtero emoritur, vel etiam viuus erumpit. Et præterea irritatio expultricis facultatis intestinorum in consensum trahit expultricem vteri.

*Mulieres grauidæ post partum Dysenteriâ liberantur.*

27. Mulieres grauidæ dysenteria laborantes post partum plerumque Dysenteriâ liberantur. Ita Epicharmi vxori ante partum dysenteria, dolor & alui deiectiones subcruentæ, mucosæ fuerunt; vbi peperisset, statim sanata fuit. Hippocrat. *l.c.* & 5. *Epid.t.* 33. & 7. *Epid.* 49. Eius rei exempla etiam duo obseruaui in duabus fœminis nobilibus, quarum vna anno 1624. mense Augusto, iam partui vicina dysenteriâ correpta fuit, quæ cum peperisset, statim à Dysenteriâ liberata fuit. Verum quod mirum, infans quem edidit, sequenti anno, eodem mense & septimana, quo ante annum mater, dysenteriâ correptus & mortuus fuit; cum tamen nemo in eâ familia dysenteriâ tum ægrotasset. Altera verò anno 1625. mense Augusto, dysenteriâ correpta, cum à pariendi tempore adhuc abesset longius, abortiit & fœtum mortuũ edidit, sed ipsa à Dysenteriâ liberata est. Si verò post fœtus & secundinæ exclusionem tormina eodem die aut non multò post non remiserint, puerperæ periculum denunciat, Hippoc. 2. *prædict.*

28. Mors nunc citius, septimana prima vel secunda, nunc tardius, tertia septimana superuenire solet, si Dysenteria sit lethalis. Quod si in vlcus sordidum desinat, tunc cessante dysenteria ægri diu postea purulenta deiectione laborantes consumuntur & tandem extinguuntur.

## *Indicationes.*

*Indicationes.*

Cum in dysenteria sit intestinorum exulceratio, seu soluta vnitas, solutam continuitatem vniendam, & id, quod abrasum seu erosum & amissum est, quantum fieri potest reponendum & instaurandum esse indicatur. Verum cum id feliciter expediri non possit, nisi prius caussa tollatur, humor erodens & abradens euacuandus & abstergendus, simulque eius acrimonia & prauitas mitiganda ac corrigenda est; sanguis & alij humores ad intestina confluentes reuellendi & deriuandi sunt; fluxusque adstringentibus sistendus. Dolor, si vehemens sit, leniendus & tollendus. Et quidem in principio, & dum vires adhuc constant, maximè legitima dysenteriã curandi ratio est, caussæ primum rationem habere, postea vlceri & dolori prouidere. Nam si caussa in principio Dysenteriæ negligatur, & fluxum sistentia adhibeantur, vlcera & dolor magis exasperantur, & malum incurabile redditur. Et si dysenteria à maligno contagioso humore proueniat, aut cum febre maligna coniuncta sit, malignitatis maxima habenda ratio est, & alexipharmacis ei resistendum. Ideoque vt hæc in pauca contrahamus, & curandi scopos in dysenteria breuiter complectamur, cum id, quod primum est in indicatione, sit vltimum in exsecutione, & contrà; acres & vitiosi humores euacuandi sunt eorumque acrmonia temperanda est, & si maligni simul sint malignitas & alexipharmacis expugnanda; ab intestinis auocandi, fluxusque sistendus, dolores mitigandi, vlcus mundandum & consolidandum: de quibus iam ordine dicemus.

## CVRATIO.

### *Venæ sectio.*

*Venæ sectio.*

Primo autem loco dispiciendum, an venæ sectione in Dysenteria opus sit. Estque aliqua inter Medicos hac de re controuersia. Sunt enim nonnulli, qui venæ sectionẽ nec necessariam esse, nec locum habere existimant: cum in Dysenteria bilis potius, quæ purgationem, non venæ sectionem requirit, quàm sanguis peccet; & ad vlceris curationem nihil facere venæ sectio, sed vires potius assidua deiectione & vigiliis ac febribus sæpe debilitatas deiicere videatur. Et Galen. 1. *ad Glauc. c.* 14. & 1. *de rat. victus in acutis t.* 16. Aluo fluente sanguinem detrahere prohibeat.

Verum Aëtius, Al. Trallianus & alij plurimi Medici venæ sectionem probant: neque sine ratione; cum & indicationes sanguinis euacuationis, & permittens in dyseteriâ adesse possint. Sanguinis nimirum copia, motu aut qualitate, vel etiam hisce modis omnibus vel pluribus peccans viresque adhuc satis fortes. Si igitur magna sanguinis adsit copia, aut humori peccanti sanguis admistus sit, aut vehemens eius ad intestina sit impetus, aut magna adsit, vel metuenda sit inflãmatio intestinorum, aut Dysenteria ex Phlegmonode intestinorum dispositione ortum habeat, dolorque sit vehemẽs, aut febris continua sit coniuncta, aut epar male affectũ vel valde calidum materiam fluxioni suppeditet, aut consueta aliqua euacuatio sit suppressa: omnino venæsectione opus est; modò vires eam permittant. Potest enim omnibus hisce requisitis & scopis satisfacere venæsectio, sanguinisque copiam, si quæ adest, imminuere; inflammationem, si adsit, tollere vel imminuere, si immineat, præcauere; epatis calorem temperare, febrem mitigare; dolores demulcere: seu vt Aetius ait etiam paucus sanguis per vices emissus, inflammationes mitigat, eius impetum ad intestina reuellit, eiusdemque ac epatis calorem superantem sensim refrigerat, somnum affert, qui optimum dysentericis remedium est. Testaturque experientia, venæsectionem sæpe profuisse in dysenteria, annotauitque aliquot venæsectionis in dysenteria feliciter administratæ exempla Antonius Donatus ab Alto mari, *de medend. corp. hum. mal. cap.* 24. & Iulius Cæsar Claudinus, *Respons.* 6. scribit, se iuratò affirmare posse, se in Dysenteria sui temporis Epidemia complures hoc præsidij genere seruasse, & citius sanitati restituisse.

Et quamuis Galenus aluo fluente venæsectionem prohibeat, & æger duas euacuationes simul sustinere posse non videatur: tamen id tantum de eo fluxu intelligendum est, ad cuius amolitionẽ nihil conferre potest venæsectio, & qui vires iam valde deiecit. Cum ergo multis de caussis necessaria sit venæsectio, vbi ea opus, non omittenda: maturè tamen, vt mox dicetur, dum vires adhuc constant, instituenda. Euacuandus autem sanguis neque copiosè, neque confertim, sed paulatim & potius per vices. Ita enim commodior fit reuulsio, nec vires ita deiiciuntur. Atque aperienda est in cubito vena Mediana, vel Epatica; & quidem angusto foramine, vt paulatim sanguis emittatur. Si tamen suppressa sit aliqua sanguinis euacuatio, vt hęmorrhoides, potius vena in talo aperiatur; nisi forsan copiosa in vniuerso corpore sanguinis redundantia Basilicam aperire iusserit. Et quidem mox initio & intra primos dies vena aperienda est, dum vires adhuc constãt, vt prohibeatur sanguinis ad partem affectam affluxus, intestinorumque inflammatio, atque acrium humorum generatio. Si quid prohibeat venæsectionem, cucurbitulæ cum scarificatione scapuli affigendæ.

### *Purgatio.*

*Purgatio.*

Dysentericũ fluxum non statim supprimendum esse, iam antea dictum. Vt enim Galenus, *de venæsectione aduersus Erasistratum cap.* 6 docet, ex Dysenteria, vt & aliis fluxibus intempestiuè suppressis, Melancholia, insania, pleuritis, dolor renum, sanguinis vomitus, epilepsia, hydrops oriri possunt. Et Hollerius, *comm.* 1. *ad aphor.* 30. *lib.* 6. *sect.* 2. *Coac.* refert, ex dysenteria, materiâ ad manum conuersâ, fœdam densamque scabiem lepræ persimilem excitatam fuisse. Et Hercul. Saxon. *prælect. part.* 2. *cap.* 20. §. 8. narrat, se duos curasse, qui in ophthalmia & articulorum dolorem inciderant ex importuno remedij adstrictorij vsu in Dysenteria ex pituita salsa. Et Foesius, *in comm. Coac. pag.* 180. refert, se vidisse quendam

quendam ex suppressa dysenteria insanum factum; & mulieri in reliqua vita ita aluum fuisse adstrictam, vt nō nisi septimo quoque die egeret.

*An purgantia exhibenda sint in dysenteria.*

Vt ergo Humor qui intestinis adhæret,eaque erodit & exulcerat, abstergatur, & qui aliunde nonnunquam affluit, euacuetur, Purgatione opus est, de qua tamen cum Medici dissentiant,de eâ *quæstione* 4. dicetur.

*Quia purgantia in dysenteria vsurpanda.*

Quibus autem Medicamentis purgatio instituenda sit porrò disquirendum. Neque enim eadem planè omnium hac de re videtur esse sententia. Alij quidem,quādo humorum vitiosorum adest magna copia & ad intestina confluit, statim, & quidem copiosiore ac subita euacuatione humorem vitiosum expurgandum existimant,cum vt modò diximus, in ea,quæ lentè ac paulatim fit, expurgatione, longiore ac lento humorum vitiosorum per intestina trāsitu,ac diuturniore in iis mora maior intestinorū exulceratio facilè fieri possit. Plerique verò medicamentis lenioribus vtuntur. Inter leniora tamen laxantia non conueniunt, quia aluum iam antè laxam & lubricam offendunt,& laxiorem efficiūt; vnde Cassia à plerisque improbatur:sed potius mitioribus electiuè purgātibus,& quæ simul adstringendi aliquam vim habent, qualia sunt syrup. Rosar. solutiuus, Rhabarbarum,Myrobalani & similia,purgationem absoluendam statuunt : fortiora verò prohibent. Verum vtraque sententia,si rectè explicetur & distinctio adhibeatur,admitti potest.Etenim hoc omnino verum est, fortiora medicamenta purgantia,qualia sunt Colocynthis,Scammonium & similia , hic locum non habere ; cum non solū humores copiosius ad intestina moueāt, ipsosque ferociores reddant, verum etiam ea de caussa hic admitti non possint, quod, vt supra de caussis dictū, ipsi humores dysenteriam excitantes qualitatem quandam & dispositionem hisce medicamentis cognatam habent,quę talibus medicamentis non augenda,sed potius infringenda est.Itaque solum mitioribus illis & lenioribus purgantibus vtendum. Imò si humorum prauorum pauca omnino est quantitas,satis interdum esse potest,eorum acrimoniam obtundere, & medicamenta purgantia omittere, ac naturæ opus relinquere.

*Purgantia in dysenteria.*

Interim tamen iisdem medicamentis mitioribus nūc copiosior nunc parcior purgatio institui potest, prout opus.Nam si humor vitiosus multus est in toto corpore, & ad intestina quasi turgens affluit ac dysenteriam excitare incipit , non incommodum videtur , mox in principio vna copiosiore euacuatione maiorem humoris peccantis partē euacuare.Postea verò statim ea,quæ simul purgandi & adstringēdi vim habent,sed in minore quantitate exhibere conuenit.Si verò alia caussa Dysenteriæ sit,neque ea à Critico quasi fluxu originē habeat,parcior purgatio instituenda,atque ea,quæ leniter purgant,simulque roborāt,statim vsurpanda. Neque etiam copiosiùs purgandum , cum humores praui , atrabilarij & maligna aliqua qualitate prædit sunt.Hi enim prius temperandi,& cum aliis succis miscendi sunt, vt mitescant,& postea medicamento leniore expurgandi.

Inter Purgantia autē,quæ in Dysenteria locū habent, est primò Syrup.rosarū ex infusione rosarum pallidarū paratus,cum simplicis tū multiplicis infusionis.De vsu rosarum enim in Dysenteria hoc monendum,in principio rosas pallidas seu Prouinciales dictas vsurpandas, quarum succus aluum mouendi vim habet,non rubras, quæ magis adstringūt,& postea in progressu morbi,vbi adstrictione opus est, vsurpari possunt. Et quidem simplex, & ex vnica infusione paratus syrupus mitissimus est, & ferè saltem abstergit;fortior verò est ex multiplici.Datur autem vel solus vel cum palpa tamar.aut diapruno simpl.in decocto hordei,vel sero lactis,aut decocto, vel aqua destillatā conuenienti.

Myrobalani deinde in omnibus humoribus vsurpari possunt,quæ non solum humores peccantes euacuant, sed etiam adstrictionem relinquunt, ac intestina roborant, è quibus decoctum in Dysenteria vtilissimum paratur , de quo infra dè potionibus.

Tamarindi Foresto in Dysenteria suspecti sunt:Heurnius tamen,*l.2. meth. ad prax.c.* 11. eosdem laudat. Et cum insignem humores acres & calidos temperandi vim habeant, non sunt reiiciendi.

Vtilissimum verò est Rhabarbarum,eoque in Dysenteria ferè nihil præstantius est.Ludouicus Septalius equidem , *in animad. Med. lib.7. num.* 92. planè rhabarbari vsū improbat,quod igneas partes habeat, & quod in substantia sumptum tunicis intestinorum & vlceribus adhærescens dolores pariat implacabiles,id quod sæpe obseruarit.Verum enim verò nullus vnquam Medicorum rhabarbarum ideò suspectum habuit,quod intestinorū tunicis adhærescat:& partes illæ igneæ, quas metuit, sunt in succulenta eius parte , quæ facilè à substantia separatur,si inde aliquid incommodi metuatur. Atque existimo , dolores illos implacabiles, quos animaduertit Septalius , potius à bilis acrimonia , quam à rhabarbaro excitatos fuisse:neque in hoc ipsi assentior, quod scribit rhabarbarum mediocriter torrefactum vehementius & minore dosi purgare, quàm integrum;cū certum sit,vim purgantem in subtili & volatili parte subsistere , quæ etiam tritura aliqua ex parte dissipatur. Verùm cum ille experientiam testem citet,cuilibet eam consulere facilè est.

De rhabarbaro verò,vt & myrobalanis,hîc notandū, nonnunquam in substantia dari,nonnunquam infundi, & macerari vel decoqui,vel etiam ex eo parari extractū. Cum verò Rhabarbarum duplicem habeat substantiā; vnam tenuem & subtilem,in qua vis est purgandi;alteram crassiorem,in qua vis est adstringendi:in infusione & decocto,vt & extracto, vis purgandi præualet,adstrictio verò pauca est : in substantia verò maior est vis astringendi. Ideoque infusum vel decoctum vel extractum exhibetur , cum ferè solùm purgare animus est, quod in principio statim fieri debet.Vbi verò simul adstringere volumus, in substantia exhibendum. *Rhabarbarū quomodo in dysenteriam exhibendum.*

Nonnulli vt vim purgandi minuant & adstringentē augeāt,rhabarbarum torrere iubent.Inter quos Matth. qui, *in Apologet.aduers. Amatum Lusitanum,*disputat, & fusè cum experientia,& Mesues autoritate , tum etiam rationibus adductis comprobat , rhabarbarum tostum non solum non nocere dysentericis,sed potius iis plurimum prodesse , additque se scire sexcentos homines rhabarbari tosti potu fuisse seruatos. Sic etiam Forest. *lib.*22.*ob*.9.rhabarbarum parū torret, vt parte subtili & acri dissoluta acrimoniam exuat.Verum tostio cautè instituēda,& cum purgare volumus,ea non nisi leuis esse debet.Ideoque cum facilè fieri possit,vt tostum omnem vim purgandi,quæ in tenuibus ac volatilibus partibus consistit , amittat rhabarbarum, vel tostione aliquam acrimoniam acquirat,vtilissimum est,imprimis in principio,cum materiam euacuare animus est,rhabarbarum sine tostione exhibere. Et si omnino maior aliqua adstrictio requiritur, possunt myrobalani , quæ satis adstringunt,in maiore quantitate admisceri,vel rhabarbarum in aqua plantaginis , tormentillæ vel alio conueniente liquore exhiberi;vel in hisce aquis & liquoribus rhabarbarum macerari & infundi, atque infusione abiecta substantia cum syrupo vel conserua rosarum exhiberi.Ita enim vis purgandi maxima ex parte separatur & remanet adstrictoria. Vel, quod valdè commodū est, rhabarbarum aqua rosar. humectatur & conspergitur, iterūq;lento calore exsiccatur,idq;aliquoties repetitur. *Rhabarbarū an terrendū.*

Locum in Dysenteria etiam habet Mechoacanna,quæ ob saporem, quem ferè nullum obtinet, infantibus, ac delicatioribus, qui rhabarbarum abhorrent, vt & aliis, exhiberi potest,purgatque sine noxa, & serosos humores leniter educit,atque adstrictionem etiam quandam post se relinquit,& aluum siccat,quod Ioan.Crato,*cōsil.* 57. monet; *Mechoacannæ vsum,* inquit,*non improbo; minus tamen frequentem esse volo , cum certum sit, ex vsu frequentiore aluum plurimum siccari.* Pueris datur scrup. j. adultio *Mechoacāna.*

adultioribus Dr.j.vel dr.jß. in hoc morbo cum iusculo carnis commodissimè.

*Agaricus.* Dioscorides etiam Agaricum ad Dr. j. dysentericis exhibet. Cautè tamen exhibendus, præcipuè in substantia. Cum enim Auicenn.*lib.3.fen.16.tr.4.c.1.* agaricum in colico dolore ideò improbet, quod intestinis firmiter adhæreat, eaque vellicet; eandem ob caussam etiam in Dysenteria adeo commodus esse non videtur. Et quidē myrobal.chebul emblic.mechoacan.agaric.magis locū habent, cum materia Dysenteriæ caussa est pituita vel humor serosus: si verò pituita salsa est, ex adustione & putredine ortum habens, quod fit in febribus diuturnis & acutis nonnūquam, aut humor melācholicus vel adustus admistus est, myrobal.Indæ, Polypod. epithym. fol.senæ, etiam locum habent.

E compositis vsurpari possunt, El. lenitiu. diacath. tryphera Persica, diaphœnicum; quod licet scammoniū & turbith recipit, eorum tamen vires ita à palmulis & cæteris ingredientibus infringuntur, vt illius operationes & vires iecur non accendant, nec aliunde attrahāt, quā sibi propinquissimis particulis, vt Amatus Lusitan. *cent.2.cur.* 44. *in schol.* censet. Ex his variæ formulæ in rem præsentem fieri possunt.

### *Potiones.*

*Potiones purgantes in dysenteria.* ℞. *Aq.Hord.simpl.* Vnc. iv. *syrup.rosar.solut.* Vnc.j. vel Vnc.ij.

M. Addi etiam potest pulp.tamarind.Vnc.ß.præcipuè si magnus humorum feruor adsit.

Vel ℞. *Tamarind.* Vnc.ß. *cortic.myrobal. citrin.* Dr.ij. *Coq.in aqu. hord. & plantag. In col.* infundantur *rhabarb.* Dr.j.ß.*spic.*gr.vij.Colat.℞. Vnc.iv.adde *syrup. rosar.solut.* Vnc.j.M.

*Decoctum Myrobalanorum.* Commendatur etiam valde à Pantaleone, *in pilular.* Decoctum myrobalanorum, quod ipsi appellatur Hippocras de myrobalanis, & pro secreto habetur, quo & ipse & alij Medici hactenus feliciter vsi sunt. Paratur autem hoc modo:

℞. *Cortic.myrobal.chebulor.* Dr.x. *citrinor.* Drach. v. *passul. minor.*Vnc.ij.Coq. omnia *in aq.*Vnc.xxvj.ad consumpt.3.part.Postea colentur cum aliquali expressione. *Colat. add. facchar.* Drach. x. Clarificetur *aromatisando* Cinamom. Drach. vj. Si phlegma admistum sit.

℞. *myrobal.chebulor. emblic.* an. Drach.j.ß.*mechoacan. rhabarb.*an. Drach.j. Coq.in *aq. plantag. & hord.* Colat. ℞. Vnc.iv. *mell. rof.* Vnc. j.M.

Vel ℞. *Rhabarb.*Drach. j.*fol.sen.el.* Drach.ij. *spic.* gr. vj. Infundantur in f.q. *aq. plantag.* Colat. addatur *syrup. rosar.solutiu.* Vnc j.ß. M.

Si humor Melancholicus vel adustus admistus sit,

℞. *Polyp.q.*ͣ*myrobal. Indor.fol.sen.* an. Drach. iij. *epithym.*Drach. j.*sem.anis.* Drach.ß.*fl.cordial.* an.P.j. Coqu. *in sero lactis.* In col.Vnc.iij.ß. *dissolu. el.diacathol.*Vnc.ß. Iterum coletur.F.Haustus.

### *Boli.*

*Boli purgātes.* ℞. *Pulp.tamarind.* Vnc.ß. *rhabarb.* scrup. ij. *conseru. rosar. recent.*Drach.ij. Cum *facchar.* F.Bolus.

Vel ℞. *rhabarb.* Drach. j. vel scrup. iiij. *sp. diarrhod. abbat.vel diatrionsantal.* scrup.ß.*conseru.rosar.*Vnc.ß. Cū *sacchar*o F. Bolus.

Vel ℞. *Agaric.trochiscat.mechoac.*an.Drach.j.*conseru. rosar.* Vnc. ß. Cum *facch.* F. Bolus, si pituita, præcipuè salsa, admissa sit.

### *Pulueres.*

*Pulueres purgantes.* ℞.*Rhabarb.*Dr.ß.*ad* scrup.iiij.*vel* v.pro ratione ætatis. F. Puluis, qui vel cum vino rubro, vel aqua plantaginis, vel iusculo aliquo exhibeatur.

Vel ℞. *Rhabarb.*Drach. j.*cort. myrobal. citrin.* Scrup. j. vel Drach. ß.F.Puluis, qui similiter exhibeatur.

Vel ℞. *Rhabarb.* Drach.j. vel Syrup. iv. *myrobal.citr. spec. diamarg.frigid.* an. Scrup. ß. F. Puluis.

### *Panis Martius.*

*Panis martius purgans.* Pro infantibus & delicatioribus paratur ex mechoacanna panis martius laxatiuus talis.

℞. *Amygdal. dulc.excort.* Vnc.j.ß.*sem.melon.excort.* Drach.iij. *pulu.mechoacan.*Vnc. j.*facch. albissim.* Vnc. ij. *C.C.præparat. mucilag.tragacanth. cum aq.rosar.facta* an. Drach. j.

*Cum suff.quant. aq.rosar. F.f.a. Panis martius,* de quo infantibus Drach. ij. iij. vel iv. adultioribus Drach. ij. iij. vel iv. adultioribus Drach.vj. vel etiam plus datur.

### *Syrupus.*

*Syrupi purgantes.* Si humores misti sint, talis syrupus parari potest.

℞. *Rad. oxylapath. cichor.cort. frangul.polypod. q.*an. Vnc.ß.*fol.plantag. veronic.agrimon.* an.M.ß.*myrobal.citr. Indor.*an.Vnc. j. Coqu. in *aq.* In colatura infund. *rhabarb.opt. mechoacan. albis.*an. Vnc.j.*fol. sen. el.*Drach.vj. *flor.cordial. prunor.syluest.*an.M.ß.*cinamom.*Drach.ij.*spic.* Scrup. j.

Manè ebulliant & colentur.

Colat. adde *facch.* q.f.

F. secundum artem syrupus.

Cui sub finem adde syrup.vel succi rosar.solut. Vnc.j.ß. De quo infantibus à Drach. ij. ad Vnc. ß. adultioribus Vnc. j. ß. vel Vnc. ij. exhibentur.

*Syrupus abstersiuus de myrobalanis.* Efficax est syrup.Abstersiuus, qui sub nomine D.Caspari Packschij, quondam Physici Vratislauiensis, in eius Reip. officinis prostat, ad imitationē decocti è myrobalanis Pantaleonis antea propositi paratus. Cuius descriptionem mihi communicauit vir Clarifs. Dn. D. Michaël Doringius, eius Reip.Physicus, Affinis meus honorandus.

℞. *Cortic. myrobalan.chebul.*Vnc.ij. *citrinor.* Vnc. j. ß. *passul. minor. contusar.* Vnc.iv.

Fiat horum omnium f.a.decoctio *in f.q.aqu.pur.ad dimidias.* Colaturæ.℞.℔.iij. ß.*facch.alb.* ℔. ij. ß.

Coqu. lento igne ad spissitudinem syrupi, qui clarificetur albumine oui, & aromatisetur cum puluer. cinamomi elect. Vnc. j. ß.

Si verò æger omnino purgantibus vti nolit, antequam adstringentia exhibeantur, iuscula carni bubul. aut gallin.per dies iij.vel iv. quotidie bis vel ter exhibenda, quæ intestina abluunt, mundificant, dolorem mitigant, præsertim si vitellum oui vnius vel alterius addatur.

Purgantia autem, vt etiam Galenus, *5.meth.med.c.11.* docet, per os assumpta maximè quidem conueniunt intestinis tenuibus affectis: vtilia tamen etiam sunt, si crassa afficiantur; cum etiam ad ea pertingant, eaque transeant, & malum ab intestinis crassioribus sæpe superioribus communicetur. Si verò tantùm intestina crassa affecta sint, clysteres omnino necessarij sunt, & purgantibus præmittendi, atque iis etiam subiiciendi. Clysteres verò in maiore copia iniici debent, cum detersione & purgatione opus est: cum verò & consolidare volumus, minore quantitate adhibendi.

### *Clysteres.*

*Clysteres.* Vt ℞. *Decocti hord.* ℔.j. vel ℔. j. ß.*facch. rubr.* Vnc. ij.*syr.rosar.solut.*Vnc. j. F. Clyster.

Vel ℞. *Aq.hord.*℔.j.*vitell.ouor.*num ij.*facchar.Thom.* Vnc. ij.

F. Clyster intestina à bile & mordaci muco lauans, ita præstans, vt interdum curandæ dysenteriæ sufficiat, vt Amatus Lusitanus, *cent.2.curat.44.* scribit.

Vel ℞. *Decocti gallin.* ℔. j. *mell. rosat.* Vnc. ij. *vitell. ouor.* num.ij.F. Clyster.

Vel ℞. *Decocti gallin* ℔.j.Vnc.ij.*vitell.ouor.*n.ij.F.Clyst.

Vel

Vel ℞. *Hord. mund.* M.j. *rosar. pallid. furfur.* an. M. ß. Coq. *in lacte recenti.* Colaturæ ℞. ℔. j. *vitell. ouorum.* num. ij. F. Clyster.

Vel ℞. *Flor. verbasc. rosar. rubr.* an. M. ß. Coq. *in aq. hord.* Colaturæ ℞. ℔. j. Add. *mell. rosat.* Vnc. j. ß. *vitell. ouor.* num. ij. F. Clyster.

Vel ℞. *Herb. violar. malu. mercurial.* an. M. ß. *rosar. rubr.* M. j. Coq. *in aq. hord.* Colaturæ ℞. ℔. j. Add. *elect. diacathol.* Vnc. j. *ol. rosac.* Vnc. ij. *mell. rosat. colat.* Vnc. j. F. Clyster.

Vel ℞. *Flor. verbasc. rosar. rub.* an. M. ß. *furfur. macri.* M. j. Coq. *in aq. hord.* Colaturæ ℞. ℔. j. Add. *mell. rosat. colat. facch. rubr.* an. Vnc. j. *vitell. ouor.* num. ij. F. Clyster.

Habetur & alius in *Institutionibus, pag.* 1475.

De Clysteribus verò abstergentibus idem Septalius, *ibidem num.* 97. scribit: medicos, qui in principio dysenteriæ sæpe numerò mucositatibus quibusdam apparentibus ad abstergentia confugiunt, ne adhærescente diutius tunicis intestinorum eiusmodi humore falso, vt putant, exulcerentur intestina, in maximo errore versari. Mucositatem enim eiusmodi non aduentitiam esse, neque præternaturalem, sed naturalem, quæ à natura intestinis indita sit, vt muniantur à bile, quæ cum fecibus indies euacuatur, ne intestinorum interna pars abradatur. Quæ cum in diarrhœa ab acribus humoribus commota & abrasa exire incipiat, si clysmatibus magis abstergatur, denudatam tunicam eo, quo munitur, facilius exulcerari posse putat. Ideoque diligenter curam adhibendam esse monet, vt mucosi & vitiosi humores à capite aut ventriculo defluentes ad intestina à naturali mucositate discernantur: quod licet difficile sit, eo tamen hanc mucositate naturalem à præternaturali discerni putat, quod hæc frequentius cum pinguedine cóiuncta esse soleat, & cum rasura aliqua interioris tunicæ: atque tunc non solum esse abstergendum, sed potius incrassandum pinguibus & viscidioribus iniectis.

Verum enim verò quod admitionem pinguedinis & rasuram internæ tunicæ attinet, quid de eo sentiendum sit iam supra dictum. Cùm n. nulla intus sit in intestinis pinguedo, falsum hoc est signum, quo mucositatem naturalem à pituita præternaturali discernere iubet. Et rarò mucus ille naturalis copiosius excernitur, nec ita crassus est, vt pituita vel pus, quod in dysenteria deiicitur, vt supra dictum. Et abstergentes clysteres, qui initio iniiciuntur, rarò tam acres sunt, vt intestina abradere, & naturalem illam mucositatem ab iis abstergere possint, sed abluendo potius intestina ac detergendo bilem præcauent, ne ab ea intestina abradantur.

Non inutile tamen fuerit, post abstergentes clysteres eos, qui ex emplasticis medicamentis componuntur, quique internam intestinorum superficiem contra affluentis humoris morsum & acrimoniam oblinunt, vsurpare: Quo modo omnia ea, quæ metuit Septalius, pericula præcauentur.

Vt ℞. *Decoct. hord.* ℔. j. *album ouor. conquass.* num. ij. *gumm. Arabic.* Drach. ij. *tragacanth.* Drach. iij. *adip. caprin.* Vnc. ß. *ol. rosac.* Vnc. ij. *boli Armen.* Drach. j. F. Clyster.

Et ne talibus clysteribus materia mordax affluens in intestinis detineatur, clysteres abstergentes atque hos per vices iniicere vtile est.

*Purgantia quando vsurpanda.* Purgantia autem ista, & clysteres statim initiò vsurpari debent, antequam à caussa morbifica intestina grauius lædantur & maior exulceratio excitetur. Neque solum semel purgandum, sed aliquoties hoc faciendum, donec humor vitiosus maxima ex parte sublatus sit. Et si tutum non videtur, vt æger continuis diebus purgetur, alternis id fieri potest, & interim clysteres iniici possunt, quos vel vno die repetere licet. Si enim prius desistatur, antequam materia euacuata sit, ac fluxus intempestiuè sistatur, & supra enumerata mala sequuntur, & materia detenta deterior redditur, ac maiore cum impetu & periculo fluxus reddit. Et quamuis satis ante excernere videatur æger: tamen hoc non sufficit. Hæret enim subinde aliquid de materia in intestinis; imò quicquid æger vel cibi vel potus etiam boni assumpsit, corrumpitur, & in vitiosam materiam conuertitur, vnde nulla excrementi naturalia redduntur.

### *Vomitoria.*

*Vomitoria.* Vomitoria quod attinet, habent illa quidem locum, quando à pharmaco maligno vel veneno dysenteria ortū habet, & cum materiæ venenatæ portio aliqua adhuc in ventriculo hæret. Verùm si ab aliis caussis dysenteria proueniat, cautè hîc agendum. Materiam equidem ab intestinis auertit vomitus, eamque, quæ sæpe pertinaciter in vasis mesaraicis & splene hæret, ac sensim ad intestina affluit, confertim educit, ipsumque fluxum sistit, secundum Hippocratem, 6. *Aph.* 15. *A longo alui profluuio habito spontaneus vomitus superueniens malum soluit.* Verum cum dysenteriæ alia, quam diarrhœæ sit ratio, & periculosius laborent, quibus superiora intestina afficiuntur, & ventriculus in consensum trahitur: non facilè suaserim, vt vomitoria propinentur, ne materia versus intestina superiora & ventriculum trahatur, isque lædatur, & naturæ motus interuertatur, quæ per loca magis conuenientia vitiosorum humorum euacuationem instituere solet.

### *Diuretica.*

*Diuretica.* Postquam maxima materiæ pars per aluum euacuata fuerit, etiam ea, quæ reliquias ad vias vrinæ ducunt & deriuant, conueniunt, diuretica scilicet, parata ex decocto vel emulsione 4. frig. maior. ex sero lact. rad. fœnic. & petrosel. in iusculo carnis coctis, additis iis, quæ robur ventriculi tuentur. Nullo verò modo in principio & antequam corpus purgatum sit, diuretica exhibenda, ne materia, dum ad renes tendens epar transit, ei aliquod damnum afferat. Monet quoque Celsus, iis tantum diuretica in hoc casu conuenire, quibus alioquin facilè prodesse solent. Si verò effectum suum non facilè consequantur, malum potius augetur.

### *Sudorifera.*

*Sudorifera.* Sudorifera quoque non inutilia sunt in iis, qui aliàs ad sudandum faciles sunt, & præsertim si adsit malignitas. Quâ de causâ æger, quantum potest, in lecto se contineat, & ab aëris externi iniuriis sese defendat, vt acres vapores, qui in venis extremis continentur, liberè exspirare possint, & ad intima corporis non repellantur, & natura potius adsuescat per aluum materiā euacuare. Ideoque, vt Sauonarola hac de re scribit, cum intus administratur frigida stiptica, extra adhibenda, quæ poros dilatant ac sudare faciunt. Et compertum est, sudore copiosiore materia euacuata, & malignitate per sudorifera & bezoartica expugnata dysenteriam cessasse. Ita refert Guilielmus Fabricius, *de dysenteria cap.* 10. Principissam quandam, cum post esum fungorum dysenteria aliisque symptomatibus tam grauiter laboraret, vt in agone versari videretur, sumptis lapidis bezoar gr. 40. in sudorem calidum vniuersalem incidisse, & mox secutum somnum esse, ipsamque intra paucos dies sanitati fuisse restitutam.

### *Alexipharmaca & acrimoniam humoris mitigantia.*

*Alexipharmaca.* Ideoq; mox in principio, & dum reliqua fiunt, attendendum diligenter, quænam sit humoris dysenteriā excitantis natura. Si enim is malignus sit, qualis in epidemia dysenteria esse solet, frustra laboratur in dysenteria curanda reliquis medicamentis, nisi simul, & quidem statim in principio alexipharmaca, malignitatem humoris expugnantia, simul exhibeantur. Imò interdum

purgantibus omiſſis ad alexipharmaca ſtatim confugiẽdum;cum aliquando fluxus hic dyſentericus ſymptoma ſaltem ſit quaſi morbi primarii,febris ſcilicet malignæ & peſtilentis,quæ tandem etiam in veram peſtem degenerat. Habent hîc locum omnia ferè , quæ in febribus malignis & peſtilentibus contra malignitatem vſurpari ſolent,vt C.C.terra ſigillata,bolus Armenus,vnicornu, corallia,ſmaragdus,ſapphirus,qui teſteFernelio,*5.meth. med.c.*21.inteſtinorũ vlcerationes ſanare creditur;ſcordium, quod teſte Dioſcoride, ad inteſtinorum tormina bibitur,plantago,tormentilla, pimpinella ſanguiſorba.

*Puluis bezoardicus.* Locum etiam hic habeabeant puluis noſter Bezoardicus,qui pro hoc affectu,paucis mutatis,ita parari poteſt.

℞.*C.C.ſ.vſt.præpar.*Drach.i.ß.*terr.ſigill.Sileſ.ocul.cancri præpar.bol. Armen.tormentill.ſuccin. præpar. margarit. præpar. corall. rubr.præpar.*an. Scrup.i. *oſſis de cord. cerui* Scrup.ß.*ſmaragd.præpar.ſapphir.præp.lap.bezoar.veri* an. Scrup.i. *fol. auri* num. iii. F. Puluis.Doſis Scrup. i. vel Drach. ß.

Alias D. Andreæ Doreri, qui Dreſdæ in vſu eſt.

℞. *Tormentillæ, zedoariæ, C. C. vſti præp.* an. Vnc. ß. *margarit.præp.oſſ.de cord.cerui veri* an. Dr.ii. *raſuræ cranij humani maris fœminæ* an.Scrup.ii. *fol auri* num.xiii.*ſacch. candi albiſſ.* Vnc.iii. F.Puluis.

Imò purgantibus ipſis C.C. corall. margaritæ, terra ſigill.bol. Armen.ſmarag.præpar. ſp. diamargar. frigid. el.de gemm.frigid.admiſceri poſſunt.

*Epar roborantia.* Epatis quoque in dyſenteria ſemper habẽda ratio eſt; ideoque poſt purgãtia & aliàs etiam ſp.diarrhod.abbat. diatrion. ſantal. & ſimilia vſurpanda. Vel tale electuarium parandum.

℞. *Conſeru.cichor. roſar.* an. Vnc.i. *ſpec.diarrhod.abbat.diatrion.ſantal.diamarg.frigid.C. C.vſt.præpar.*an.ſcru. ii.Cum *ſyrupo cydonior.vel granat.* F.Electuarium.

*Acrimoniam humorum mitigantia.* Si verò humor malignitate careat,& ſaltem acrimonia peccet,ea mitiganda plantagine,portulaca,endiuia, acetoſa,roſis, ſucco ganatorum, ribes, berberis & aliis, quæ poſtea *de fluxu ſiſtendo* proponentur.Pleraque ex iis etiam humorum acrimoniam temperare poſſunt.

### *Dolorem Lenientia.*

*Dolorem Lenientia.* Quia verò dolor ſæpe vehementer vrget, ex quo inquietudo,vigiliæ,febres,lipothymia,& alia grauia ſymptomata oriri ſolent,danda opera,vt iis ſedetur.Et ſi verò id rectiſſimè fit, ſi cauſſa auferatur , & acrimonia ac malignitas humorum temperetur : tamen quia dolor tã diu ſæpe non dat inducias ,donec id fieri poſſit,dolorem mitigantia & anodyna vſurpanda, ſed non quæ ſimpliciter laxandi vim habent, verum quæ ſimul moderatè frigida & viſcida ſunt,atque acrimonia materiæ dolorẽ efficientis obtundunt.Talia ex iis,quæ aſſumuntur,ſunt lac vaccinum & caprinum coctum,de quo poſtea dicetur ; modò corpus prius purgatum ſit : febricitantibus verò, vt Trallianus, *lib.*8.*c.*8.ait, lac non facilè dandum, quod in ventriculo aceſcat & corrumpatur,ac ex calore in caſeum coaleſcat,& maiores cruciatus, viſcerum tẽſiones,capitis dolorem ac cibi faſtidium excitet;Itẽ iuſcula pinguia carnium vel alia butyro recenti,vel ol.oliuar.recenti,aut quod melius eſt amygdal. dulc.recenti, aut etiam ol. roſar. omphacino non rancido condita : poſſuntque olea talia ad Vnc.iij.vel iv.in iuſculis vſurpari. Vtile eſt & hoc Electuarium.

℞. *Ol. oliuar.recent.* Aut quod commodius,*ol. amygdal.dulc.recent.*nullo verò modo rancidi.

Admiſceatur *ſacchar.tantum,vt acquirat Electuarij conſiſtentiam,de quo ſæpius æger aliquid lingat.*Lenit dolores, & inteſtinorum excoriationem ſanat. Quia verò nonnulli ol.oliuar.vt & amygdal.dulc. auerſantur,poteſt ex butyro recenti ſine ſale cum ſaccharo eodem modo parari Electuarium.

Guainerius,*tract.4.de flux.c.*3.C.C.vſtum præparatum commendat , doloreſque internos mirabiliter ſedare ſcribit ; item pſyllium vſtum , ſpodium, ac plantaginis ſemen.

*Clyſteres dolorem lenientes.* Per clyſteres verò dolorem leniunt iniecti adipes gallin.anſerin. imprimis hircinus,ac, qui magis oblinit & adſtringit,caprinus , ſeu de hirco caſtrato ſumptus , ſuillus denique in magno dolore cum aliquo adſtringente mixtus. Auicennas butyrum cum ſanguine draconis miſcet.

Nonnulli & vnguentum roſaceum vel infrigidans Dr.vj.vel Vnc.j.pondere infundunt.

Parantur etiam clyſteres anodyni ex ſolo lacte vaccino vel ouillo,in quo ſæpius lapides igniti extincti ſint, additis vitellis ouorum,vel mucilag.ſem.cydon.aut fœnugræci,aut pſyllij.

Fiunt quoque clyſteres ex decocto capitis veruecis aut inteſtinorum cum M. ij. hordei, additis vitellis ouor. num. ij.

Non diu tamen clyſteres tales ex pinguibus continuandi ſunt,ne vlcus ſordidum & curatu difficilius efficiant,ideoque abſtergentes interiiciendi.

℞. *Rad. & fol. althææ* an.M.j.*flor. verbaſc. melilot.chamæm.*an.M.ß.*ſem.fœnugræc. lini* an. Vnc. ß. Coq. *in lacte vaccino.*Colaturæ ℞. Vnc.x.vel ℔.i. *ol.roſar. butyr.ſ.ſale* an.Vnc.i.ß.*vitell. ouor.* num.ii. F. Clyſter.

Nonnunquam vna opera leniens & abſtergens clyſter parari poteſt,vel etiam nonnihil abſtergens.

Vt ℞. *Iuris decoction.inteſtinor.*Vnc.viii.*ſeui hircini,ſacch.rubr.* an.Vnc.i. F. Clyſter.

Vel ℞. *Decocti hord.* ℔.i.*ſacch. rubr.* Vnc. i. *ol. roſac. omphacin.adipis renum capræ* an. Vnc.ii, *vitell. oui* vnius. F. Clyſter,qui lenit & ſimul abſtergit.

℞. *Lact.vaccin.in quo lapides igniti exſtincti ſunt*,Vnc. viii.*ſucc.plantag.* Vnc. iii. *ol.roſac. omphacin.* Vnc. ii. *vitellor.ouor.* num.ii.

F. Clyſter,qui ſimul abſtergendi & dolorem leniendi vim habet.

Vel ℞.*Rad.althææ,plantag.*an.Vnc.i.*flor. verbaſci,chamæmel.roſar.*an.M.ß.*ſem.fœnugræc.cydon.*an.Vnc.ß.Coqu. *in lacte vaccin.ad conſumpt.tertiæ partis.* In Col. *diſſolu. vitell.ouor.*ii.*ol.roſac.recent.butyr.ſine ſale recent.*an.Vnc.ii.

F. Clyſter , qui dolorem lenit,& nonnihil ſimul adſtringit.

E recentioribus quidam hunc clyſterem miris modis commendat & miraculoſum appellat.

*Clyſter miraculoſus.* ℞.*Caput ouinum crudum per medium diſſectum, linguaque exempta cum cerebro,bulliat in ſ.q.aq.donec caro ab oſſib.abſcedat. Iuri colato adde ſummit. hyperic.* M.ii.vel iii. *rad. tormentill.craſſo modo pulueriſ.* Vnc.i. vel ii.

Infundantur *per horas 4.in cineribus calidis.*Colat.ægrò bis terve clyſteris loco iniiciatur.

Neque ſolum interna exhibenda vel clyſteres ad dolores leniendos iniiciendi,verum etiam externa dolores lenientia vſurpari poſſunt.

*Fomentum dolorem leniens.* Vt ℞. *Abſinthij,menthæ,plantaginis, ſummitatum rubi, caudæ equinæ,centumnodiæ,*an.M.i.*flor. verb.cham. melilot. roſar.rubrar.* an. M.ß. *myrtill. ſiccor.* Vnc.i.*ſem. ſumach, plantag. coriandri* an.Drach.vi.*caryophyll. nucis moſchat.* an.Vnc.ß. *furfuris.* M.ß.*ſem.cydonior.lini* an.Vnc.ß.

Coquantur *in vino rubro & aqua* , & decocto calido venter ante cibum foueatur ad dolorem leniendum & fluxum ſiſtendum.

Vel venter inungatur ol.roſaceo & cydon. & poſtea imponatur omentum veruecis in oleo roſaceo calefactum. Hippocrates, *lib. de affect.* ſi dolor in dyſenteria vrgeat, partes ſub vmbilico calida multa lauare iubet.

*Narcotica.* Quod ſi dolor valde vrgeat,vt animi deliquium & virium diſſolutio imminere videatur,vſurpentur ea, quæ vim quandam narcoticã habent,parata ex lactuca,nymphæa, papaueris albi ſeminibus & capitibus , aut ſucco papaueris erratico,mandragoræ, hyoſcyamo & ſolano.

Dum igitur malum eſt in inteſtinis ſuperioribus, poteſt fieri talis emulſio.

℞. *Sem.*

♃. *Sem.melonum excorticat.papau.albi* ā n. Vnc. ß. *amygdal. dulc.* Drach. vj. *decocti hordei* ℔. j. F. Emulsio.

Vel ♃. *Aq. lactuc. nymph. plantagin.* an. Vnc. ij. *syr. papau. albi* Vnc. j. ß. *cydonior.* Vnc. ß. *spec. diamarg. frigid.* Scrup. j. ß. Misce.

Aut paretur decoctum ex plantag. lactuc. nymphæa, in quo conserua nymphææ dissoluatur.

*Opiata.* Tandem ad opiata veniendum, ad philonium, pilul. de cynoglossa, laudan. opiat. quæ rectè exhibita sæpe magnam vtilitatem afferunt; cum non solum dolorem leniant, & somnum prouocent, sed & fluxum sistant.

Vt ♃. *Philon. Persic.* Drach. ß. *theriac. recent.* Scrup. j. *spec. diamarg. frig.* Scrup. ß. *syr. rosar. cydon.* an. Vnc. ß. *lap. bezoar. vel pro pauperibus C. C.* Scrup. i. Misce.

Vel ♃. *Laudan. opiat.* gr. iii.

Dentur cum syrupo cydonior. vel formentur inde pilulæ tres.

Si in crassis intestinis dolor sit, clysteres fiant, ex lactuc. nymph. decoctis, capitibus papau. præsertim nigri, mandragor. additis opii gr. v. vel vi.

Vt ♃. *Rad. plantag. consol. maior.* an. Vnc. i. *flor. verbasc. melilot.* an. M. i. *rosarum rubr.* M. ß *sem. papau. albi* Drach. vi. *hyoscyam.* Drach. iii. Coqu. *in lacte.* Colaturæ ♃. Vnc. viii. vel x. *Philon. Roman.* Drach. i. vel Drach. i. ß. *ol. ros. vel amygd. dulc.* Vnc. ii.

M. F. Clyster, qui dolores lenit & simul consolidat.

Commendatur etiam, vt in sanguinis deiectione, ita in dysenteria pro doloris lenitione & fluxus adstrictione, pastilli quidam Andromachi, quibus Galenus ipse vsus est, & pastilli de succino, & confectio Clysterium appellata, & quæ Paulina dicitur: quorum medicamentorum aliorumque huc facientium descriptio videatur 7. *de comp. med. secundum loca c.* 4. *&* 5. *& in* 9. *eiusd. operis cap.* 5.

Inter narcotica etiam nonnulli commemorant suppositorium Rhasis de lycio, quod is, *lib.* 9. *ad Almansar.* describit. Verum monent vltra dimidiam horam in ano relinquendum non esse, & propterea filo alligari debere, vt ad libitum extrahi possit. Monet præterea etiam Guainerius, *de flux. tr.* 5. *cap.* 2. nimiam opii quantitatem in eo suppositorio esse. *& tr.* 4. *de flux. cap.* 7. narrat, quendam tenesmo laborantem ex vsu suppositorii opiati mortuum fuisse.

Post opiatorum vsum intestina vino infuso vel decocto aliquo abluatur, vt noxa ex opio corrigatur.

Semper autem hoc notandum, opiatis non vtendum esse, nisi dolor valdè vrgeat, & in corpore delicato, raræ texturæ, sensusque exquisitioris. Diu tamē in opiatorum vsu non persistendum, neque iis nimis fidendū. Etsi enim somnus ab iis concilietur, fluxus sistatur, dolor minuatur, & hoc modo morbus iam victus videatur: tamen nisi malignitas expugnata, vlcusque sanatum sit, morbus recrudescit, & nouo dolore superueniente noua fluxio excitatur.

Imò, quod alibi etiam monuimus, vbi virtus est debilis, quod ex pulsu, corporis infrigidatione & aliis cognoscitur, nullo modo narcoticis est vtendum. Alia etiam quædam vtilia in exhibitione narcoticorum obseruanda habet Guainerius, *tr.* 4. *de fluxib. cap.* 7.

*Fluxum sedantia.*

*Fluxum sedantia.* Postquam dies quatuor aut quinque circiter elapsi sunt, atque euacuationes necessariæ præcesserunt, dolorque ex parte sedatus est, febrisque, si adest, remittit, (nam quamdiu febris aut dolor adhuc vehemens est, significatur materiam non planè euacuatam, & propterea fluxum non subitò, nec omnino comprimendū esse) ad ea, quæ vim adstringendi, aluumque sistendi habent, accedendum, & cum pleraque ex iis, quæ modò enumerauerimus, vim malignitati resistendi habeant, ea potissimum eligenda. Ideoque seqq. diebus tum exhibeantur, tum ventri iniiciantur, aut etiam ventri extra imponantur, quæ vim adstrigendi maiorem, simulque acrimoniam humoris temperandi & corrigendi habent.

*Simplicia.*

*Simplicia.* Radices. *Tormentillæ*, quas plurimi & meritò, vt peculiare secretum commendant; *Plantaginis*, *Consolidæ maioris*, quæ etsi vim adstringendi manifestam non habent, lentore tamen suo ad omnem sanguinis fluxum sistēdum vtiles sunt; *Nymphææ exsiccatæ, acetosæ, alceæ, filipendulæ, pœoniæ*, quas aluum sistere scribit Galenus, 6. *de sirap. med. facult.* quæ si in cereuisia coquantur, decoctumque butyro condiatur, & manè ac vesperi bibatur, tormina ac fluxum in dysenteria sistere, non neglectis abstergentibus, & in dysenteria quadam Epidemia superiorum annorum reliquis non iuuātibus, multis profuisse amicus quidam retulit. *Caryophyll. pseudoacori seu gladioli lutei, fragariæ, bistortæ, rhapontici veri, rhapontici vulgaris, seu centaur. maioris*, quæ commendātur à Fuchsio, *lib.* 1. *comp. med. cap.* 84. Radices etiam *graminis* prosunt dysentericis siccando, & per vrinam diuertendo, teste Diomede Cornario, *consil.* 1.

Folia; *Plantaginis*, quæ non solum, vt & radices, adstringendi & siccādi vim habent, verum etiam venenis resistunt, & proinde ad dysenteriam valdè prosunt, teste Dioscorid. *lib.* 2. *cap.* 73. *Centumnodiæ, gnaphalij, acetosæ, lysimachiæ*, cuius succus & decoctum exhibitum seu clystere iniectum in dysenteria prodest, teste Dioscorid. *lib.* 4. *cap.* 3. *Conyzæ*, cuius decoctum vinumque in quo illud coctum sit, efficax ad curandam dysenteriam esse scribit Dioscorid. *l.* 3. *cap.* 113. *Absinthij, menthæ, quercus, pimpinellæ sanguisorbæ*; & pleræque plantæ vulnerariæ, *millefolium, sanicula, virga aurea, solidago vtraque, pyrola, pilosella, consolida media, ophyoglossum, bellis maior, ophris, numularia, pes leonis geranium batrachiodes, agrimonia, potentilla*, quam etiam Matthiolus, *lib.* 4. *in Dioscorid. cap.* 37. recentē nudis pedibus applicat, *fragaria, ruta lunaria, lagopus, muscus arboreus, acetosella, salix* præsertim in clysteribus, *artemisiæ puluis* Drach. j. pondere cum aqua propria vel alia conueniente, *verbenæ* puluis Drach. i. vel ii. pondere, præcipuè in Epidemia, *rubi folia*.

Flores. *Rosar. rubr. granator. seu balaustia, hederæ, cisti, palmæ Christi* puluerisati, ex aqu. chalybeata vel propria sumpti, Matthiol. *lib.* 3. *in Dioscorid. c.* 127. *Maluæ maioris, iuli item corili*, præsertim in dysenteria alba.

Semina. *Plantaginis, acetosæ, portulacæ, oxylapath. rosar. papau. oryzæ, alceæ, nasturtij, quod à plurimis valde commendatur*; quia tamen acre est, torrendum nonnihil, vel alia adiicienda, *Aquilegiæ* cum æquali parte *seminis plantaginis, perfoliatæ, Sanguinariæ*, quod à plurimis valdè cōmendatur, nec immeritò; alii *Sophia Chirurg.* vsurpant.

Frvctvs; *Cydonia mala, mespila*, quibus solis dysenteriam & alios alui fluxus, qui aliis remediis curari nō poterant, curatos fuisse refert Forestus *lib.* 22. *obseru.* 1. *Berberis, sorba*, de quibus Bruerynus, *lib.* 8. *de re cibar. cap.* 22. scribit, se desperatā dysenteria laborantem, de anus cuiusdam consilio sorba cruda largissimè deuorasse, indeque sanitati restitutum fuisse; mala punica integra cocta, pyra, poma austera, quæ tamen cocta potius, quam cruda vsurpanda, cum cruda facilè corrumpantur & aluum turbent; *Corna, castaneæ, auellanæ rubra tunica inuestitæ*, quas Lombardicas vulgò vocant, *glandium quernarum nuclei assi, tribuli aquatici fructus, myrtilli, mora immatura siccata.*

Ligna & Cortices; *Satalum rubrum, macer. cortex puluerisatus*, Dioscor. *l.* 1. *c.* 94. & Galen. 7. *de simpl. med. facult.* *Cortices mori, interior castanearū tunica, qua albicans pulpa circumuestitur. Spongiola item*, quæ *rosarum sylustrium frutici solet adnasci*, si puluerisetur, & ex vino detur, in quo summitates quercus, vel simile quid coctum fuerit.

*Vua quercina.* Vva *item quercina*, cuius puluere nihil præsentius in dysenteria & omni sanguinis fluxu esse, refert Martinus Rulandus, *in lexico Alchymiæ*, scribitque esse concretitiū quiddam in forma vuæ ad radices quercuum sub terra

tempore veris ſaporis ſtiptici, calore foris purpureo, intus candido,& quaſi lactifero,quæ in æſtate pereat,& quaſi fiat lignea, ideoque tempore verno debeat exſiccari in vmbra, & deinde pulueriſari. De eadem ſcribit Encelius,*lib.3.de lap.c.21*.citante Caſp.Bauhino, *in Pinac.theatr.Botan.p.*422.Vua quercina à me inuenta, quâ nihil præſtantius in Dyſenteria etiam deplorata. Et Schenckius, filius,*lib.3.obſ.*refert, hanc vnam experimentum eſſe contra omnes hæmorrhagias,cum primis alui profluuia, etiam cruenta, propter laxatiuum impendentia.

SVCCI; *Plantaginis*, Vnc. iij. vel iiij.exhibitus,præcipuè ſi inflammatio adſit, vel per clyſteres infuſus,*Lyſimachiæ*, *hederæ terreſtris*,quo plurimos à morte liberatos fuiſſe ſcribit Hollerius.

AROMATA; *Nux moſchata*, quæ ob diuerſas facultates in hoc malo vtiles valdè commendantur. Terreſtri enim ſubſtantia adſtringit,roborat,vlcera exſiccat,cicatricem inducit: oleoſa ſubſtantia dolores lenit, inteſtina oblinit, ne ab humorum acrimonia lædantur. Aromatica qualitate epar & ventriculum ac eius orificium roborat,flatus diſcutit.Vbi ob febrilem calorē aliquid mali ab eius caliditate metuitur, ſtupis cannabinis inuoluta ſub cineribus calidis leniter torrenda,vel potius aſſanda;non verò,vt vulgò fieri ſolet, lamina ferri candente torrefacienda; cum non ſolum oleoſa pars hoc modo pereat, ſed aduſtione quoque acrimoniam facilè acquirere poſſit: Item *ſpicanardi*, *Zedoaria*, *Caryophylli*.

GVMMI & LACRIMÆ; *Thus,myrrha*, *maſtiche*, *gummi Arabicum*, *tragacanth*. Arabico tamen vti mauult Matthæus de gradibus, ſcribitque, tragacanthum etiamſi glutinet,fluxum augere,& ex mente Rhaſis non niſi toſto vtendum cenſet.

LAPIDES, GEMMÆ, TERRÆ; *Bolus Armenus*, *Terra ſigillata*,*Lapis hæmatites*; *ſmaragdus*, *ſapphirus*, *Lapis Bezoar*,qui ſimul & malignitati reſiſtit,ſcribitque Caſpar. Bauhinus,*c.32.de lapide Bezoar*,in Dyſenteria Epidemia Lugdunenſi feliciter eo vſum eſse Philibertum Saracenum; & ſupra ex Guilielmo Fabricio hiſtoria allata fœminæ illuſtris,quæ Dyſenteriâ lethaliter decumbens lapidis Bezoar largo vſu ſanitati breuiter reſtituta fuit;

*Smaragdi vires.* [ Aloyſius Mundella equidem, *epiſt.*1. vires Smaragdi, quæ ipſi in curandis malignis febribus, epilepſia, dyſenteriaque maligna,tribuuntur, extenuare conatur rationibus quibuſdā;ſed iis non adeò magni momenti:& ipſa experientia contrarium probat. Vt de aliis eius viribus non dicam, multùm in dyſenteria maligna præſtare teſtatur Auenzoar *lib.2. theizir. tr.2. cap.*5. vbi refert,ſe ex eſu herbæ venenoſæ in dyſenteriam incidiſse, appoſitoque ſupra ventrem ſmaragdo, & in ore detento, abſque trituratione, ſubitò fuiſse liberatum. Et *eod. in capite*, & *præfat.operis*. Smaragdum ad curandam dyſenteriam venenoſam, ℥.viiij. pondere commendat. Eundem valde commendat Guainerius, *de ventris fluxu venenoſo*.Langius, *lib.2.epiſt.*49.Et Zacut.Luſitanus, *de Medicor.Princip.hiſtor.lib.*1.*hiſtor.*22.narrat,nobilem Luſitanum,cùm ab amaſia tria pira oblata deuoraſset, illicò alui profluuio, cum diris cruciatibus, captum, & diu cruciatum fuiſse: & cùm plura primò abſtergentia, poſtea adſtringentia medicamenta exhibita, & per aluum infuſa fuiſſent, ſed ſine omni fructu, febricula acceſſiſſet, vireſque deiectæ eſſent, puluerem tandem Smaragdi ſubtiliſſimum, alternis diebus, ℥.xij.pondere, exhibitum fuiſſe, & ſuperbibiſſe aquam, in qua tragacanthum coctum fuerat,quod cùm quinquies feciſſet, curatum fuiſſe.]

*Cryſtallus* item tenuiſſimè tritus ſeu præparatus,& in aqua conueniente Dr.ß.pondere ſumptus ſingulare eſt in dyſenteria, præſertim à porracea ex flaua bile orta, remedium.Langius *lib.3. Epiſt.* 1.*c.* 4. Si & alabaſtrum candidum in puluerem redactum,&cum lacte bibitum, ſcrup.j.pondere,dyſenteriam certo experimento ſanare, cum vehementer adſtringat; ſcribit Anshelm. Boëtius, *lib.4.c.*270 Præterea Hollerius in ouo ſorbili Dr. j. *aluminis* porrigit,quod medicamentum Aetius etiam laudat ad diuturnas dyſenterias, in quibus cruenta excernuntur,& monet poſt aſſumptum alumen aquam ſuperbibendam eſſe. Gabelkouerus & Mindererus, *medic. militar.cap.7.rubricam fabrilem factitiam*,quā *Rœttelſtein* vulgò appellant,in vino rubro præſcribunt.Ioh.Theodor.Tabernæmontanus etiam *argillam rubram fornacum combuſtam* in potione exhibet,vt poſtea de potionibus dicetur.

ANIMALIA *& ab animalibus ſumpta.C.C.præpar.ſpodium*, *genitale cerui exſiccatum*,& lima aut ſcalpro raſum, *ebur vſtum*,*turturis in olla clauſa in furno combuſti puluis*, *vt & caro*,quæ imprimis commendatur,ſi deplumatus infarciatur granorum myrti & ceræ ana Drach. ij. & coctus vel aſſus potius tribus diebus continuis comedendus detur: *Leporis combuſti puluis*,*cochleæ totæ cum teſtis vſtæ*, *interiores tunicæ ventriculi gallinarum*,*cera*, de qua poſtea in fine horum medicamentorum dicetur; *Lumbricorum terreſtrium decoctum*: *Coagula*, de quibus dantur infantibus gr.xv. cum liquore conuenienti, adultis Drach. j. hædi nimirùm & imprimis leporis,de quo Auicennas, *de cura fluxus in genere*, ſcribit,quód ſtatim ventrem ſiſtat; *ſanguis cerui hirci capræ*, *leporinus* imprimis exſiccatus: *Stercus canis*, de quo Galen. 10. *de ſimpl. med. facult.*ita ſcribit, *Sanè memini mirandum in modum me canini ſtercoris facultatem expertum fuiſſe, quo vti cōſueuit quidam Præceptorum noſtrorum, qui ſola oſſa cani edenda exhibebat biduum, è quibus durum, candidum ac minimè fœtens ſtercus colligebatur,quod tū ille deſiccabat,vt in puluerē facilè redigi poſſit: ille autem vtebatur cum ad alia, tum ad dyſenteriam lacti illud immiſcens, in quo ferrum antea & lapides igniti extincti eſſent. Atque ille Medicus eiuſmodi medicamentum clam inijciebat,& id ſolum generoſiores quoſque diſcipulos docebat.* A nonnullis etiam vſurpâtur *dentes lucij*,*ouorum putamina & anſerinorum* cum primis,notante Galeno,*de remediis fac. cap.*20. *cancri vſti oſſa humana combuſta*, *Epar arietinum*, *vituli lactantis*, vel alterius animalis,quod prius in aceto coquatur,& Drach. j. pondere detur. *Epar lutræ* præparatum commendat Heurnius, *lib.* 2.*method.ad prax.cap.*11. Præparatur autem ita: dies ferè 13. aceto acerrimo maceretur, hinc in furno ſupra tegula ſiccetur.

E Chymicis commendantur, *Crocus* ♂ adſtringens & *tinctura ac magiſterium coralliorum*, *Tinctura Smaragdi*.

De his omnibus tamen notandum, alia eſſe calida, alia frigida, aut certè caloris exceſſum nullum habentia: è quibus, nunc hæc,nunc illa eligenda,prout calor vel febris coniuncta id admittit.

Etiam medicamenta iſta, quæ ad fluxum ſedandum adhibentur, non ſunt planè eiuſdem generis. Quædam enim ſunt propriè adſtringentia, quæ ſunt frigida & ſicca, & ſubſtantiam habent craſſam, mordacitatis expertem, vnde venarum orificia, omneſque ductus anguſtiores reddunt,vt materia tenuis affluens ſiſtatur, & reprimatur.Inter quæ ſunt radices tormentillæ, biſtortæ, roſæ rubræ, balauſtia, meſpila, ſorba. *Medicamentorum flu sedantium differenti*

Quædam ſunt Emplaſtica, quæ glutinoſa ſubſtantia partibus adhærent, humoribuſque ſeſe admiſcent, & eos ad fluxum ineptiores reddunt, vt gummi Arabic. tragacanth. maſtiche, althæa, malua, cera.

Incraſſantia ſunt, quæ ſubſtantiæ craſſitie humores tenuiores,quibus ſe permiſcent,craſſiores,& ad fluxum ineptiores reddunt, vt bolus Armenus, terra ſigillata, cornu cerui, lapis hæmatites, ſtercus caninum, oſtrearum & cancrorum teſtæ.

Sunt etiam quædam,quæ feruorem humorum mitigant & compeſcunt, vt mala cydonia, ribes,berberis.

Sunt tamen, quæ ad has claſſes, facilè non rediguntur, ſed quæ proculdubio peculiarem vim habeant humorem dyſenteriam excitantem alterandi, & prauam qualitatem, quæ inteſtinis inimica eſt, tollendi.

*Astringentia an in Dysenteria conueniant.*

De posterioribus nullum dubium est, quin in Dysenteria sine omni periculo exhiberi possint. De astringentibus verò nonnulli dubitant, & putant, eorum vsu fluxum humorum nimis subitò sisti, & ex humoribus retentis ea mala, quæ supra recensuimus, sequi, intestina quoque eorum vsu exsiccari, vt postea perpetua ferè alui adstrictio & siccitas continua remaneat.

Verum enim verò ista tantum de intempestiuo, præpropero & nimio adstringentium vsu vera sunt. Etenim, quod supra dictum, hoc omninò attendendum, vt ante septimum diem, & priusquam intestinorum vlcera probè abstergantur, adstringentia, præcipuè fortiora, non vsurpentur; præmissis verò abstergentibus suo tempore etiam adstringentia tutò vsurpari possunt.

*Notanda in vsu fluxum sistentium.*

Præterea in vsu omnium horum medicamentorum obseruandum,

1. Vt aliàs calida, aliàs frigida eligantur, provt natura humoris id requirit, vt antea etiam dictum.

2. Vt refrigerantibus aliquid subinde calidorum, & quæ concoctionem iuuãt, addatur, qualia sunt, mentha, absinthium, nux moschata, macis, spicanardi, cinamomum, mastiche, thus & similia. Nam cum assiduo fluxu ventriculi & intestinorum calor debilitetur, id quod excrementorum cruditas demonstrat, valdè refrigerantia sola adhibenda non sunt, & imprimis clysteres valdè refrigerantes & astringentes crebrò non iniiciendi.

3. Medicamenta ista in parua quantitate & sæpius exhibenda sunt. Parum dandum, ne fluxus subitò sistatur, & natura medicamenta facilius in actum deducere possit: sæpius autem, cum ob alui fluxum frequentem medicamenta diu in intestinis non hæreant.

## *Composita.*

Ex his parantur varia medicamenta; Pulueres, Conseruæ, Syrupi, Rob, Potiones & Clareta, Electuaria, Aquæ, Emulsiones, Tincturæ, Extracta & alia.

### *Pulueres.*

1. ℞. *Terræ sigillat.* Drach.iij. *boli Armeni* Drach.j. *rasuræ C.C.C.C.vsti prepar.* an.Drach.ß. *sem.plantag.acetosæ, macis* an.Drach.j. *croci* gr.iv.
Fiat Puluis, etiam infantibus conueniens.

2. ℞. *Terræ sigill.* Drach.j. *corall.rubr. præpar.* Dr.ß. *margar. præpar. boli Armen.* an. scrup.1. *C.C. sine vstione præpar.* Drach.i. *lapidis bezoar. smaragdi præpar.* an.scrup.ß.
F. Puluis.

3. ℞. *Mastiches, thuris, corall. rubr. præparat. C. C. vsti præparat.* an. Drach. ß. *lapid. hæmatitæ præparat.* scrup.ii.
F. Puluis.
Dosis à scrup.i.ad Drach.ß.

4. ℞. *Rad.tormentill.* Vnc.i. *croci* ♂ *trochisc.de charabe* an.scrup.i. *sem. plantag. acetos.* an.scrup.ii. *sanguinar.* Drach.i. *santali rubri, boli Armeni, C.C.præpar.* an.Dr.ß.
F. Puluis.

5. Vel ℞. *tragacanth.* Vnc.ß. *nucis moschat.* Drach.ß. *rad.torment.* Drach.i.
F. Puluis.

Laudatur & *puluis turturis*, quo Nicolaum de Metri, olim Sigismundi, Archiducis Austriæ Medicũ & Chirurgum, multos dysenteriâ laborantes curasse refert Guilhelmus Fabricius, *de Dysenteria c.*10. qui paratur, si turtur cum pennis & visceribus in furno comburatur. Huius pulueris ℞. Vnc.i. Radicum tormentill. Vnc.ß. F.Puluis, de quo singulis diebus mane, aliquando verò etiam vesperi Dr.i.cum aqua tormentillæ exhibeatur.

Arnoldus de Villa Noua Turturem pennis mundat, viscera eximit, & mistura ex puluere boli Armeni, sanguinis Draconis, mumiæ cum aceto & vitellorum sufficiente quantitate confecta ventrem implet, & in olla noua in fornace figulina comburit, & eius pulueris aliquid cum succo plantaginis vel aqua aut saccharo rosarum exhibet.

*Leporis combusti puluis.*

Laudatur & leporis combusti puluis, qui hoc modo paratur: Lepus detractâ pelle & intestinis exemptis in frusta conscinditur, & illotus in vase fictili bene clauso in clibano siccatur, donec in puluerem redigi possit, cuius Drach.i.exhibetur. Nonnulli malum punicũ fictili vase conclusum in furno combustum laudant.

Hercul.Saxon.*prælect.part.2.c.*20.§.9. hunc puluerem valdè laudat, pollicetúrque, eo omnes recentes Dysenterias, nisi fluxio admodum vrgeat, statim & certò sanari posse.

℞. *Ossis sepiæ vstæ & pulueris at.* Dr.ii. *spongiæ pice imbutæ & in ollula vstæ & in puluerem redactæ, cortic. ouorum indurator. ablatâ pellicula interiore, & puluerisator.* an.Vnc.ß. *margarit.præparat.boli Armeni* an.Drach.i.
F.Puluis: detur eiusdem Dr.i.in liquore conueniente.

Crollius hunc puluerem commendat.

℞. *Succini sanguinis Draconis, lapidis hæmatit. corall. rubror.præparat.semin.portulac.plantag.antheræ rosarum.radicum tormentill. terræ sigill. Strigensis* an. Vnc. ß. *balaust.* Drach.ij. *nuc.mosch.* num.j. *cinamomi* Drach i. *croci* ♂ *talci calcinati, matris perlarum, ossium humanorum combust.* an. Drach.ii. F.Puluis. Dosis à Drach.ß.ad Drach.i.ß.

*Tragæa granorum actes.*

Commendatur & à multis puluis ex pane & succo baccarum sambuci paratus, quem tragæam granorum actes nonnulli nominant.

℞. *Succi baccarum sambuci*, ex quo & farina secalina conficiatur massa, è qua panis formetur, qui bis in fornace ad duritiem coquatur, vt in puluerem redigi possit. Ex puluere isto cum succo baccarum sambuci iterum formetur panis, & priori modo coquatur, idque ter repetatur, & tandem fiat puluis.

Vel ℞. Panem secalinum è furno calentem, eúmque succo baccarum sambuci imbue, iterúmque in furno sicca, siccatum rursus succo sambuci imbue, idque quater vel quinquies repete: tandem panis hic in puluerem redigatur, cuius vel solius Drach.i.vel dimidia cum nucis moschatæ æquali parte exhibeatur.

Placenta quoque, quæ post aq.rosar.in Balneo Mariæ destillatam in cacabo remanet, exsiccata in puluerem redigitur & commodè exhibetur.

Vel ℞. *Genitalis Cerui* Drach.ii. *C.C.vsti.boli Armeni, sem.oxylapath.plantag.* an.Drach.i. F.puluis.

Vel ℞. *Radicum tormentill.* Vnc.ß. *nucis mosch.* Drach. ii. *sem.plantag.terræ sigill.* an.Drach.i. F.Puluis.

### *Conseruæ.*

*Conseruæ.*

Etsi saccharo condita, quod facilè bilescant, Dysenteriæ non ita conueniant: tamen quia infantibus sæpe alia, quam saccharo condita & dulcia, exhiberi non possunt, necessariò interdum ad conseruas, syrupos, rotulas, & similia confugimus.

E Conseruis vtiles sunt, Conseru. rosarum rubr.antiqua, imprimis verò tormentillæ, cuius componendi ratio à Tabernæmontano in Herbario traditur, Rob berberis, ribes.

### *Syrupi.*

*Syrupi.*

De Syrupis hoc notandum, quod modò de conseruis etiam dictum, cum omnia dulcia facilè, vbi epatis caliditas adest, in bilem conuertantur, cautè eos, & non nisi parcè ac dilutos vsurpandos esse, magis verò conuenire decocta.

Sunt verò vtiles, *de rosis siccis, cydonior.de succo portulac.plantaginis, myrtinus, ribes, berberis & corallinus* à Quercetano descriptus; item *acetosæ, de agresta.*

In fine dysenteriæ valde confert succus absinthij & menthæ bene purificatus, & cum saccharo in syrupum redactus. Habet enim mentha cum absinthio mixta miram vim corroborandi ventriculum & discutiendi flatus. Diomed.Cornar.*consil.*1.

Vel ℞. *conf. Alchermes de hyacintho* an. ſcrup.j. *trochiſc.de charabe.* Drach j. *Aqu.plant.* Vnc.ij. *ſyrup.de roſis ſiccis* Vnc.j.

F.Miſtura, quæ fluxum ſiſtit, malignitati aduerſatur, dolorem lenit.

Vel ℞. *Succ.plantag.*Vnc.iij. *centumnod.pentaphyll.*an. Vnc.j. *ſacchar.*Vnc.ij.F.Syrupus.

Vel ℞. *Rad.tormentill.oxylapath.acetoſæ* an.Drach.iij. *alcææ* Drach. ij. *centumnod. veronic. plantag.* an. M.j. *flor. roſar.rubr.prunor.ſylueſtr.balauſticorum,maluæ arboreæ.* an. M.ß.*Coq.in aq.ſ.*addatur *ſacchar.q.ſ.*F.Syrupus.

Syrupum & adſtringentem & conſolidantem deſcribit Ioh.Langius, *lib.3.epiſt.4.*

### *Potiones & Clareta.*

*Potiones & Clareta.*

℞. *Fol. plantag. veron. agrimon.* an. M.j. *ſem.4. frigid. maior.* Vnc.ß. *portul.acetoſ.* an. Drach.ß. Coq.*in aq.hord. ſimpl.*

Colat. ℞. Vnc. ix. Adde *ſyrup.de ſucco portul. ribes, ydonior.*an.Vnc.j.

M. F. Potio pro tribus Doſibus.

Vel ℞. *rad.torment. plantag.* an. Drach.ij. *roſar.rubr.* M.ß.*ſumach.balauſtior.* an. Drach.ß. *ſem. oxylapath. acetoſ. plantag.* an. Drach. j. *myrtillor.* Vnc. ß. *antheræ roſ.* Drach.ß.

Coqu.in Balneo vaſe clauſo *in aq. plantag.flor.acaciæ & torment.*an.Vn.vj.

Poſtea ſtent. in infuſione horis octo vel 10.

Colat.add. *ſucc.planta. depurat.*Vnc.ij. *ſacchar.*Vnc.ij. F.Iulebus,qui condiatur pulu.nuc.moſchat.Drach.j.

Vel ℞. *Conſolid.maior. plantag.polygon.virentium* an. M.ij.

Minutiſſimè contundantur affuſis *lact. caprin.* ℔ ij. & ſuccus exprimatur, in quo ebulliant, *ſem. plantag. myrtill.*an.Drach.ij.*rad.tormentill.*Drach.j.ß. *veronic.*M.j. Coquantur.

F. Potio clara.

Vel ℞. *Rad. tormentill.plantag. biſtort.* an. Drach. j. *agrimon.veronic. fænicul. plantag. flor. roſar. rubr.* an. M.ß. *raſur.C.C.C.C.vſti.*an.Drach.ij.*ſantal.rubr.*Drach.ß. *nuc. moſchat.* num.ij.

Craſſo modo contuſa infundantur *in vini rubri* ℔.vj. Poſtea add.*ſacchar.*℔.ß.

Coletur & porrò addatur *ſucc. cydonior.* ℔. ß. & per manicam Hipp.traiiciantur.

Vel ℞. *Succ.cydon.* ℔.iij. In eo infundantur *conſeru. roſar. rubr.*Vnc.j.ß. vel *roſar. rubr. ſiccar.* M. ß. *cinamom.* Drach.ij.*macis* Drach.j.*conſeru.tormentill.*Vnc.j. Per manicam Hipp.traiiciantur.

Vel ℞. *Conſeru.tormentill.roſar. rubr. antiq.* an.℥ j. ß. *rad.biſtort.ſantal.rubr.*an.Drach.iij. *nuc. moſchat.* num.ij. *myrtill.ſicc.*Vnc.j.

Infundantur *in vini rubri* ℔. iv. horis 24. Hinc per manicam Hippocr. traiiciantur. Commodè etiam addere licet veronic.fanic.alchymil.an.M.ß.

Poteſt & hîc locum habere potus, qui, vt Proſp. Alpinus,*de med.Ægypt.lib.4.cap.1.*refert, in febribus peſtilentialibus & alui fluxibus,qui hiſce febribus accidunt, Ægyptiis familiaris eſt.

℞. *Fr.Berber.*℔.j *aq.*℔.xij.Adde aliquid *ſem.fœnic.& fruſtum panis,& horis* xxiv. macerentur, deinde *ſacchar. roſar.rubr.*vel *ſyrup.acetoſi citri.*M.& colentur.

Referunt quidam in ſæuiſſima dyſenteria profuiſſe aquam, in qua ſilices extincti fuerunt,vel vinum rubellum, in quo ichthyocollæ fruſtum duabus vel tribus ebullitionibus coctum fuerit.

Tabernæmontanus, *lib.2.Theſaur.aquar.cap.*74. hanc potionem commendat.

℞. *Argillæ rubræ fornacum combuſtæ* ℔. j. *contuſ. opt. affunde menſur.*iiij.*aquæ fontan.*Bulliant parum.

Deinde extingue *chalybem ignitum quater vel quinquies.*

Poſtquam ſubſedit, cola per pannum lineum vel manicam Hippocratis.

Bibat de iſta aqua æger ad ſitim reſtinguendam pro lubitu.

Vtile eſt etiam decoctum gnaphalij; vinum etiam,in quo illud coctum ſit, efficax ad dyſenteriam curandam eſſe, ſcribit Dioſcorides, *lib.3.cap.150.*

### *Aquæ deſtillatæ.*

Aquam dyſenteriacam deſcripſit Quercetanus, *in Pharmacop. reſtit. lib. 1. cap.7.* quæ ſimul eſt Narcotica. Dorncreil.*in ſuo diſpenſat.* Poteſt & talis parari. *Aquæ [de]ſtillatæ.*

℞. *Rad.tormentill. acetoſ. pimpinell. biſtort. pentaphyl.* an.Vnc.j.*vincetox.zedoar.*an.Drach.ij. *fol.acetoſ.plantag. millefoll. burſ.paſtor. veronic. ſcabioſ. menthæ criſp.* an.M.j. *ſem.acetoſ.oxylapath.plantag.portulac.endiu.coriand.præpar. papau.albi.* an. Drach. vj. *citri* Vnc.ß. *flor.roſar.rubr.malu. arbor. verbaſc.* an.M.j. *cort. thur. citri. macis* an.Drach.ij. *nuc.moſch.*num.iv.*ſucc.prunor.ſylueſtr.*Vnc.iij.

Pulueriſanda pulueriſentur, incidenda incidantur, & infundantur *in aqua fol. quercus, plantag. tormentill. roſar.* an. ſ. q. Stent in infuſione per aliquot dies, hinc deſtillentur. Doſ.Vnc.iv.vel per ſe,vel cum ſyrupo conueniente.

Aquam contra dyſenteriam vel reſtrictiuam D. Doringij vide infra *de Trochiſcis.*

Iohannes Theodorus Tabernæmontanus laudat aquam *deſtillatam è mica panis ſecalini* ℔.iiij.*nucis moſch.* num.viij. *quibus ſuperfundatur pyrorum ſylueſtrium ſucci q.ſ.& eoſt* xxiv. *horas in balneo deſtillentur.* Doſis infanti Vnc.ß.vel Vnc.j.adultis Vnc.ii.vel iii.

### *Emulſiones.*

℞. *Sem.papau.alb.*Vnc.i.ß. *acetoſ.*Drach.iii. *amygdal. dulc.excortic.*Vnc.i.*aq.dyſenter.*Vnc.xiv. *Emulſiones.*

F. Emulſio, cui adde rotulas manus Chriſti perlat. vel diamargarit.frigid.

### *Electuaria.*

Commendatur Micleta Nicol. Drach.i. vel Drach.i. ß.pondere exhibita cum aqua plantaginis. *Electuaria.*

Electuarium de ſorbis Meſue, *in Antidotar. diſt.1.* cuius doſis Vnc. i. vel Vnc. ß. mane & veſperi ante cibum. Ad cuius modum etiam electuarium de meſpilis parari poteſt.

Theriaca à Galeno & aliis Medicis commendatur, præcipuè recens,cum idoneo liquore exhibita,imprimis vbi inteſtina inflammatione carent. Vim enim habent, vt Galenus,*de theriac.ad Piſon.c.12.*docet,etiam purgantium medicamentorum vim ſupprimendi.Præterea dolorem lenit & ſomnum inducit. Imprimis magno cum emolumento exhibetur in dyſenteria epidemia & maligna, teſte Valeſco de Taranta,*lib.4.cap.2.*

Vel ℞. *Conſeru.roſar.antiq.*Vnc.ii.*tormentill.*Drach.vi. *nuc.moſch.*Drach.ß.Cum *ſyrupo cydonior.*

F. Electuarium.

Si ſimul fluxum ſiſtere & dolorem lenire velimus & roborare, tale paretur.

℞. *Theriac. recent. vel mediæ ætatis, confect. alkermes* an. Drach. ß. *trochiſch. de charab. vel terra ſigill.* Drach.i. *ſyrup.de roſis ſiccis & ribes* ana q.ſ.M.

Vel ℞. *Conſeru.roſar.* Vnc.i.ß. *citr.* Vnc.i. *tormentill. cortic.citr.condit.*an.Vnc.ß. *margarit. præparat. corall.rubr. præparat.*an.Scrup.i.*ſmaragd.præpar.* Scrup.ß. *ſem. acetoſ.* Drach.ß.*boli Armen.terr.ſigill.C.C.vſti præpar.*an.Scrup. ii. Cum *ſyr.acetoſell.granat.vel cydon.*

F. Electuarium, quod fluxum ſiſtit, & ſimul malignitati aduerſatur.

Electuarium ſequens naturam viuificare, ac omnia membra, & eſſe bezoardicum fluxus dyſenterici, eóſque,

que, qui iam morti destinati erant, seruare, scribit Sauonarola.

℞. *Pulpæ cydonior. medull. panis madefacti in aqu. vel pluuiali vel fontana, vel chalybeata, cortic. citri* an. Vnc. j. *sapphiri, hyacinth. sardi, granat. fœnugræci* (ego malim *smaragdi* legere) an. Drach. j. *zedoar.* Scrup. ij. *tragacanthæ, macis, corallor. rubror. ligni aloës, anisi, cinamomi, rasuræ eboris, calami aromat. sangu. draconis* an. Drach. j. ß. *ambræ* Drach. ß. *auri* Vnc. ß. *argenti* Drach. v. *moschi* gr. ij. *myrrh.* Drach. iij. Cum *sacchoro & aqua zedoar.*

F. Electuarium. Dosis Drach. ij.

### *Morsuli & rotulæ.*

*Morsuli.* ℞. *Rad. symphyt. sub cineribus coctar. Morsuli, & per cribr. traiectar. pulp. turtur. vel perdic. assat.* an. Vnc. j. *amygdal. dulcium, sem. papau. alb.* an. Vnc. ß. *plantag. acetos.* an. Drach. ij. *corall.* Drach. j. *spec. diamarg. frig.* Drach. ß. *sacch. albi in aq. rosar. dissol.* ℥. vj. F. Morsuli.

Vel ℞. *Corall. rubr. præpar. margarit. præpar.* an. Scrup. ij. *boli Armeni præpar.* Scrup. iv. *spec. rosat. nouell. diamarg. frigid. diarrhod. abbat.* an. D. ß. *conseru. symphyt. rosar. cortic. citri condit.* an. Drach j. *sacch. in aq. ros. dissol. q. s.* F. Morsuli.

*Rotulæ.* ℞. *Corall. rubr. præpar.* Drach. j. *margar. præp.* Drach. ß. *spec. ros. nouell. rad. tormentill. boli Armen.* an. Scrup. ß. *smaragd. præpar.* gr. vj. *sacchar. alb.* Vnc. ij. F. Rotulæ.

### *Pilulæ.*

*Pilulæ.* ℞. *Trochisc. de terra sigill. de charabe, spod.* an. Scrup. ij. *gran. myrt. sem. acetos.* an. Drach. ß. Cum *syr. cydon.* F. Pilulæ.

Vel ℞. *Gummi Arabici, mastiches, thur. succini, sanguinis draconis, lapidis hæmat. sem. plantaginis, coaguli leporis vel hædi* ana Drach. ß. Cum *syrupo de rosis.*

F. *pil. mediocres*, quarum Drach. ß. sumat æger bis in die, horis duabus ante cibum.

### *Trochisci.*

*Trochisci.* Trochisci *de berberis, de charabe, de spodio, de terra sigillata*

℞. *Rad. tormentill.* Drach. ij. *C. C. præpar.* Drach. j. *sem. plantag.* Drach. j. ß. *nuc. mosch.* num. j. *amyli*, Vnc. ß. *croci martis* Scrup. ij.

F. Massa, cui add. *boli Armen. terr. sigill.* an. Srup. j. F. Trochisci Drach. ij. pondere; qui in furno vel patina calida exsiccentur, de quibus singulis diebus tres exhibeantur per dies sex.

Valde etiam commendatur pulmentum paratum ex pingnedine vernecis, quæ circa renes est, rubro vino, ouis recentibus, farina triticea & nuce muschata; quod & dolores valde lenit, & si nux moschata addatur, fluxum sistit.

Dn. D. Doringii trochiscor., extracti & aquæ contra dysenteriam seu restrictiuæ hæ sunt formulæ.

℞. *Herb. centumnodiæ, summitat. rubi, globulor. tiliæ, vuæ quercinæ* an. Vnc. ß. *rad. tormentill. bistort. pentaphyll. fragariæ, rhapontici veri, cortic. myrobalanor. chebulor. thuris* an. Drach. ij. *nucis moschat. opii Thebaici, santal. rubri flor. rosar. rubr.* an Drach. j. ß. *sem. coriandri, anisi, hyperici*, an. Scrup. iv. *plantaginis, acetosæ, bursæ pastoris, vrtic. mortuæ* an. Drach. j. *cupular. glandium. nuc. cupress. styracis calamit. cort. granator.* an. Scrup. ij. *aurantiorum, citri, tunicarum rubrarum auellanarum* an. Drach. ß. *croci* Scrup. j.

Incisa minutissimè & conquassata infundantur in aquæ primorum germium quercus octies chalybeatæ & sp. ℞ acidulæ factę s. q. ita vt emineat tribus trãsuersis digitis. Stent in loco calido ad saturatam tincturę extractionem, agitenturque quotidie. Vbi aqua affusa colorari desierit, coletur per chartã emporeticam duplicem; affundatur recens alia, & relinquatur ad perfectam tincturæ residuæ imbitionem. Postea tincturę omnes commisceantur, & abstrahitur humiditas in balneo Mariæ ad iustam extracti consistemtiam. Aqua extracta seruetur seorsim in vitro pro aqua restrictiua: in pyxide autem terrea extractum. *Trochisci* sic conficiantur.

℞. *Spodij ex ebore præparati terræ sigill. Siles.* an. Vnc. j. *C. C. vsti, præpar. boli Oriental. veri, corall. rubror præpar.* an. Vnc. ß. *lapidis hæmatit. præparati croci martis per simplicem. reuerberationem præparati* an. Dr. ij. *gummi Arabici, tragacanth.* an. Drach. j.

Puluerisatis subtilissimè, & commixtis diligentiss. affundatur tinctura præcedens vniuersa. Stent simul in loco calido diebus septem & agitentur quotidie. Postea in balneo abstrahatur aquositas ad iustam consistentiam. Massa relicta subigatur in mortario marmoreo, cum pistillo ligneo, eousque, donec exquisitè & æqualiter omnia vniantur. Hinc formentur trochisci, qui lento calore siccentur. Seruetur in pyxide terrea. Aquositas ponatur cum priore pro aqua restrictiua.

### *Extracta.*

Huc pertinent & alia extracta, tàm simplicia, quàm composita, vt extractum radic. tormentillæ, pentaphylli, bistortæ &c. *Extracta.*

Ceræ quoque in pomo asso vsus multum in dysenteria laudatur, & medicamentum hoc hodie non infrequens è Valeriol. *lib. 3. obs. 4.* innotuisse puto. Is enim cum virum desperatã dysenteria laborantem, & qui iam moriturus credebatur, curaret, ac medicamenta multa frustra tentaret, tandem ægrum medicamento hoc à muliere suggesto sanatum fuisse refert. Iussit nimirum mulier pomum integrum excauare, & cauum cera alba vel citrina mundissima replere, & indito operculo prunis admoueri, donec cera liquesceret, & pomi substantiæ admisceretur, idque ante omnem cibum ægrum esitare mandauit. Quod medicamentum nec Valeriola improbat, & à multis hactenus felici cum successu vsurpatum est. Etsi enim Serapio, *lib. simpl. part. 2. cap.* 10. de cera scribat: Ceram non esse ex medicamentis, quæ corpus ingrediuntur, sed tantum quæ extra imponuntur: tamen si moderatè sumatur, vim habet emplasticam, quâ agglutinare vlcera intestinorum, & lentore suo lenire potest. Et iam olim Dioscorid. *lib. 2. cap. 76.* de cera scripsit, eam dysentericis in sorbitione dari. Et Galenus, *2. de simpl. medic. fac. cap. 12.* Ceram interdum intestinis infundi posse concedit, vt humores mordaces temperet. Etsi verò putat Valeriola, vim ceræ ad intestina vlcerata pertingere non posse, quod crassitie sua emplasticâ vi in primis hæreat partibus, glutinis modo sese affigens: tamen quò minus id fiat, pomum assatum facit, cuius substantiæ per minima permiscetur, quæ ipsi loco vehiculi est: quod ipsum etiam fatetur & agnoscit Valeriola. Mauult tamen in malum cydonium ceram liquandam imponere, quam intra pomum, vt simul adstrictoriam & glutinatoriam vim idem medicamentum habeat, quod facilè concedimus. Nisi forsan pomum ideo conuenientius sit, quod aptissimum vehiculum est, ad ceram per intestinorum gyrum deducendam. Alij non tantum ceram sumunt, sed quidam gummi Arabici & ceræ alb. an. Drach. ß. vel Drach. j. pomo, pyro vel cydonio superiore parte excauato includunt, & sub cineribus pomum stuppa canabina inuolutum assant, vt mollescat, idque manè & vesperi exhibent. Quidam ceram albam & mastich. gr. iij. vel iv. sumunt. Solenander, *lib. 4. cons. 9.* turturem ceræ Vnc. j. infarcit, in aqua coquit, & postea cùm carnem edendam, tum iusculum cum pane sumendum porrigit. Non tamen statim in principio hoc medicamentum vsurpandum, sed in contumaci dysenteria, vbi vlcus satis absterfum est.

### *Aquæ Thermales.*

*Aquæ thermales.*

Commendantur & aquæ thermales cùm potu sumptæ, tùm per clysteres iniectæ; testanturque plures Medici Itali, multos dysenteria laborantes, cum constante ætate, tum pueros & senes decrepitos, qui innumera alia remedia frustra experti fuerant, re penè iam desperatâ, hoc vno auxilio euasisse. Commendant a. imprimis Villenses, Calderianas, Tetuccianas, B. Virginis. Videatur Andreas Baccius, Vidus Vidius Fallopius, Hercul. Saxon. Fonseca, *tom. 2. consf. 91.* Refert etiam Ioh. Bauhin. ex Rulando, dysenteriam sanare aquas plumbarias, Cellenses, VVerdingenses. Idem *lib. 3. de aqu. medic. c. 44.* ex Ranzio ad dysenteriam valde commendat fontem quendam Narbonensem appellatum, qui totus argillaceus sit, nec aliud, quam argillam exhibeat, & proinde huic affectioni ferè totus & vnicè dicatus sit. Et ipse Bauhinus, *loco citato & lib. 2. c. 21.* fontem suum Bollensem, quod item argillæ sit particeps, nec non ob bitumen, saltem & alia admixta purgandi nonnihil & abstergendi vi polleat, præmissis præmittendis, in dysenteria prædicat. Nec mirum thermas in dysenteria multum præstare; cum vna opera pluribus scopis satisfaciant, acres scilicet humores diluant & deturbent, sordes vlcerum detergant, & vlcera ipsa egregiè consolident.

### *Clysteres.*

*Clysteres.*

Si malum sit in intestinis inferioribus, etiam clysteres adstringentes parari & iniici possunt.

℞. *Hord. parum torrefacti, fol. plantag. myrti, verbasci* an. M. j. *flor. rosar. rubr.* M. ß. Coq. *in aqua simpl.* Colat. ℞. ℔. j. vel Vnc. xv. Add. *succi plantag.* Vnc. ij. *pingued. hircini* Vnc. j. F. Clyster.

Vel ℞. *Centumnodiæ, Plantag.* an. M. j. *verbasci, burs. pastor. flor. rosar. rubr.* an. M. ß. Coq. *in aqua hordei simpl.*

Colat. ℞. ℔. j. *mell. rosat. colat.* Vnc. ij. F. Clyster.

Vel ℞. *Rad. tormentill. consol. maior.* an. Vnc. ß. *plantag. centumnodiæ* an. M. j. *rosar. rubr.* M. ß. Coq. *in lacte*, in quo *lapides igniti* extincti sunt.

Colaturæ ℞. ℔. j. *mucilag. sem. cydon.* Vnc. ß. *succi plantag.* Vnc. ß. F. Clyster.

Operosior est hic, quem Amatus Lusitanus, *cent. 2. curat. 44.* habet, quem ideo propono, quia omnia ferè medicaměta continet, è quibus tales clysteres parantur.

℞. *Rad. tormentill. rosar. rubr. siccar. fol. symph. plantag. polygon. verbasc.* an. M. j. *sumach. bursæ pastor. cortic. granat. balaust. gallar. oryzæ tostæ* an. P. j. *rad. symphyt.* Vnc. ß. Coq. in aq. pluu. chalybeata ad consumpt. tertiæ partis.

Colaturæ express. ℞. ℔. j. *succ. plantag.* Vnc. j. *acaciæ, hypocist.* an. Drach. ij. *sang. dracon. bol. Armen. terræ Lemn.* an. Drach. ß. *seui hirc.* Vnc. j. *ol. rosac. myrtillor.* an. Vnc. ß. F. Clyster.

Tales v. clysteres sæpius iniicere vtile est, solisque interdum clysteribus morbus hic curatur: & possint clysteres abstergentes cum adstringentibus permutari & per vices nunc hi nunc illi iniici.

### *Topica.*

*Topica an in dysenteria vtilia.*

Non solum a. assumenda, vel per clysteres iniicienda talia medicamenta, sed & extra ventriculo & toti ventri applicanda. Sunt quidem nonnulli, qui putant topica frustra vsurpari; cum per cutem, musculos abdominis, peritonæum, omentum, facilè ad intestina penetrare non possint. Imò sunt, qui eadem nocere existimant, vtpote quæ ex venis partium externarum humores exprimant, & ad intestina protrudant; atque citant Gal. qui *1. ad Glauc. c. 14.* scribit, quod eo magis fluxus augetur, quò quis magis cutem densauerit. Verùm rectè Aëtius, *tetrabib. 3. serm. 1. cap. 45.* scribit, si tormina angescant, ad cataplasmata confugiendum esse, quæ multis non dolorum modò, verum etiam totius mali obliterationem induxerint. Et postea, mirificè etiam emplastra, quæ cruentis vulneribus adaptata sunt, conducere scribit, postquam quieuerint inflammationes, ventri ac lumbis totis, vsque ad dorsum imposita; qualia sunt Barbara appellata, & quæ ad fracturas apparantur. Vnde bene Alexand. Massarias illis, qui topica improbant, experientiam opponit, quæ sæpenumerò demonstrat, huiusmodi externa medicamenta ad partes etiam penitiores deferri, atque inde dolorem lenitum, & intestina roborata fuisse. Neque metuendum est, vt maior ad intestina affluxus eorum vsu concilietur. Etenim humores, qui ad intestina feruntur, non fluunt per venas, quæ ad externas abdominis partes pertingunt, sed per venas mesaraicas: quæ cum ab adstringentium vsu etiam contrahantur, fluxus hoc etiam modo sistitur. Galenúsque, *allegato loco*, nihil aliud docet, quam vbi ex toto corpore humores ad intestina confluunt, poros cutis non occludendos esse, sed dandam operam, vt ij pateant, vt postea quoque de diæta dicetur.

De cataplasmatis tamen & fomentis idem Aëtius, *loc. alleg.* hoc monet, ea in dysenteria à bilis acredine, vt & in cancrosis & malignis vlceribus non conuenire; cum aquosam partem absumant, mordacitatem verò relinquant.

Adstringentia quod attinet, Gentilis, *in Auicen. lib. 3. fen. 16. tr. 4.* monet, adstringentia extra applicata in obesis quidem non conuenire, cum penetrare non possint. Concedit verò in macilentis & pueris. Monent quoque plerique de adstringentibus, iis acetum vel vinum album tenue admiscendum esse, quò medicamentorum facultas facilius penetret, eáque eligenda esse, quæ nec actu admodum sunt frigida.

Applicantur formâ linimentorum, vnguentorum, cataplasmatum, emplastrorum, fomentorum; quò & insessus pertinent.

Emplastra tamen maiorem habent efficaciam, quam cerota: Cerota rursum, quam vnguenta, vt habet Sauonarola.

### *Linimenta & vnguenta.*

*Linimenta & Vnguenta.*

Venter nimirum inungatur oleo mastichino, cydonior. myrtino, rosaceo, absinth. menth. & postea ceratum aliquod vel emplastrum conueniens imponatur; vt vnguentum comitissæ, Varignanæ, item vnguentum de corticibus castanearum, quod Montagnana, *Antidotar. cap. 1.* describit.

Vel ℞. *Ol. cydon. rosac. mastich.* an. Vnc. j. *seui hircini* Vnc. ß. *ol. nucis mosch. express.* Drach. j. *corall. rubr. præpar.* Drach. ß.

F. Linimentum.

Vel ℞. *ol. rosac. omphac. myrtin.* an. Vnc. j. *menthæ, absinth.* an. Drach. ij. *flor. rosar. rubr. mastich. nuc. mosch. corall. rubr.* an. Drach. ß. Cum *modico ceræ.*

F. Vnguentum.

### *Cataplasmata.*

*Cataplasmata.*

℞. *Panis alb.* ℔. j. *carn. cydon.* ℔. ß. *absinth. siec. menth.* an. M. j. *balaust.* Vnc. ß.

Coqu. in vino rubro ad mollitiem, contundantur minutim & per setaceum traiiciantur, addatúrque *puluu. nuc. moschatæ* Drach. j. *mastich.* Drach. j. ß. *galang. caryophyl.* an. Drach. ß. Cum *ol. absinth. & mastich.*

F. Cataplasma.

Vel ℞. *Diacydon. crassius* (*grob Quittenbrot*) Coqu. in ol. rosar. & vino rubro chalybeat. quod toti ventri imponatur.

Vel ℞. *Rosar. rubr. santal. omnium, myrtill.* an. Vnc. ß. *bol. Armen. sang. dracon. aut rad. tormentill.* an. Vnc. ij. *pulverisata misceantur cum succo plantag. cydon. & pauco aceto.* F. Cataplasma.

Laudatur

Laudatur & Cataplasma ex Theriaca & Terra sigillata ventri impositum.

## *Emplastra.*

*Emplastra.* Inter reliqua præcipuè hîc celebre est Emplastrum Diaphænicum Mesue, frigidum imprimis, quo calente totus venter obtegatur.

Vel ℞. *Carnis Cydon. sub cineribus coctor.* Vnc. 14. *radic. consolid. maior. similiter coctar. contusar. & per cribrum traiectarum hypocistid. acaciæ, bol. Armen. tragacanth. mastich.* an. Drach. j. ß. *ol. cydon. myrtin.* an. Vnc. j. ß. *succ. cydon. plantag. acet. rosacei & passular.* an. Drach. vj *farin. mily q. s.* Addatur *cera*, & fiat Emplastrum, quod à Cratone commendatur.

℞. *Menth. absinth.* an. M. j. *rosar. rubr. balaust.* an. M. ß. *granor. & fol. myrtill.* an. Dr. j. ß. *sumach. nucis moschat. rad. pentaphyll. serpentar.* an. Drach. ij. *gallar. acaciæ*, an. Drach. j. ß. *hypocist. cortic. thur. mastich.* an. Drach. j. *lapis hæmatit.* Drach. ß. *ol. myrtin. mastichin. resin. ceræ* an. q. s.

F. Ceratum.

Reinerus Solinander, *sect. 4. consil. 9.* Emplastrum sequens in omni fluxu tam hepatico, quam dysenterico excoriatiuo, antiqua Diarrhæa & similibus mirè profuisse scribit, neque ob adstringentia formidandum esse, cum eadem sint multis epaticis & roborantibus temperata.

℞. *Eupatorij, schœnant.* an. M. j. *spicæ Indic. pug.* ß. *mastich. macis.* an. Vnc. ß. *ligni aloes opt.* Drach. iij. *myrobalan. Chebular. Emblicar. torrefact.* an. ℥. j. *boli Armeni terræ sigillatæ, lapid. hæmatitæ* an. Drach. vj. *coriandri præparat.* Vnc. j. ß. *spodij* Drach. ij. *rosar.* Vnc. j. *spec. diotrion-santal. sine camphora.* Vnc. ß. *scoriar. ferri præpar.* Vnc. j. *farinæ hordei* Vnc. ij. *olei mastich. myrt.* an. q. s. *ad impinguandum, cum modico aceti.*

F. Emplastrum, quo totus venter tegatur, à cartilagine scutiformi ad os pectinis.

Emplastra plurima describuntur à Sauonarola.

## *Sacculi & Fomenta.*

*Sacculi & Fomenta.* ℞. *Rosar.* M. ij. *absinth. menth.* an. M. j. *nucis moschat. rad. cyperi, mastich. galang.* an. Drach. j.

Cum *linteo albo* F. Sacculus iustæ magnitudinis, qui vel siccus vel in *vino* calefactus ventri imponatur.

Aut ℞. *Centumnod. verbasc. plantag. rosarum* an. M. j.

Coq. in aqua fabrorū & vino rubro pro fotu ventris.

Aut ℞. *Absinth. menth. plantag. fol. quercus, summit. rubi caud. equin. centumnod.* an. M. j. *flor. chamæmel.* P. ij. *rosar. rub.* M. ß. *gran. myrtill.* Vnc. j. *sem. sumach, plantag. coriandr.* an. Drach. vj. *nuc. moschat* num. iij.

F. Decoctum in aqua chalybeata & vino rubro, quo venter foueatur.

Vel ℞. *Crustæ panis* parum torrefact. & affund. *acet. vini* q. s. atque inspergatur puluis conueniens & ventri imponatur.

Vel ℞. *omentum veruecis calefact. in ol. hyperici*, & ventri imponatur, quod simul dolorem lenit; & fluxū sistit.

Vel ℞. *Emplastri contra rupturam, diphœnic. cerot. stomachal.* an. Vnc. ij. *mastich. thur. boli Armen. sangu. dracon.* an. Dr. j. *lap. hæmatit.* Dr. ij. *succi plantag.* Vnc. ij. *ol. myrtill. cydon.* an. Vnc. j. ß. *ceræ, terebinth.* an. q. s. F. Emplastrum.

## *Insessus.*

*Insessus.* Nonnulli & insessione vtuntur: inter quos est Leonhard. Iacchinus, qui *in 9. Rhasis, c. 59.* hanc commendat.

℞. *Tenera germina quercus, baccas cupressi virides, nuces pineas virides, vel pini folia & corticem, Coquantur in aqua ad insessionem*, quam secretum maximum ad pueros esse dicit, & se primum esse; ac calore actuali quidem auertere nonnihil ad cutem, qualitate verò medicamentorum strictiua, quæ per anum penetret vsque ad vlcus, constringere scribit.

Vtitur etiam balneo in alui fluxu, qui ex medicamento purgante ortum habet, Iohan. Anglicus, *in Practica.* Et quidem facit autoritate Auicennæ, qui in *ὑπερκαθάρσει* balneum præcipit, *lib. 1. fen. 4. doctr. 5. c. 7.* Et Galeni, qui *in 4. aphor. 5.* calida balnea purgationibus aduersari docet. Suo etiam tempore insessus in decocto florum verbasci, fol quercus & aliorum adstringentium in vsu fuisse docet Sauonarola. *Matth.* quoque *de gradibus* insessionem vsque ad vmbilicum in decocto plātarum stipticatum commendat, ad fluxum sistendum, membra confortanda, acrimoniam materiæ mitigandam, & dolorem leniendum.

Quamuis verò Hippocrates, *3. de vict. rat. in acut. text.* 59. fluente aluo balneum prohibeat: tamen id intelligendum est, vbi excrementis adhuc corpus abundat, atque aluus sua sponte fluit, & natura humores vitiosos eò protrudit. Tum enim balneis humores superflui ad aluum fluentes non sunt ad vniuersum corpus reuocandi, ne vel retenti & deteriores redditi postea maiori cum impetu & periculo ad intestina ruant; vel alium morbum grauiorem excitent. Vbi verò corpus maxima ex parte euacuatū est, & ex nimio fluxu periculum imminet (quod etiā in dysēteria accidit, in qua vtiles quoque humores ob dolorē & irritationē ad intestina confluere solent) sine periculo humores ad intestina fluentes ad ambitū corporis reuocari possint. Et cum Hipp. *de affect.* si dolor in dysenteria vrgeat, partes sub vmbilico calida multa lauare iubeat: triplicem vsum balneum à Iacchino propositum, vel aliud simile habere potest, dolorē lenire, humores ad ambitum corporis ab intestinis, calore actuali reuocare, & tandem adstrictoria vi fluxum sistere. Neque metus est, vt ex cutis densatione fluxus versus interiora augeatur. Si frigida actu adhiberētur ista medicamenta, metuendū quidem aliquo modo hoc esset: at calor aquæ actualis omnē istū metum adimit. Et quanquam Iacchinus putet, ista medicamenta vim suam saltem per anum exserere: ego tamen existimo, per ipsam quoque cutem penetrare; quo modo felici cum successu sæpè alia topica ex talibus medicamentis composita & in dysenteria & in aliis alui fluxibus sistendis ventri adhibentur. Et omnino eadem ferè ratio est insessuum, quæ fomentorum, sacculorum, cataplasmatum, linimentorum, vnguentorum, emplastrorum, quæ omnia tum ad dolores leniendos, tum ad fluxum sedandum vsurpari solent, de quibus supra in genere de Topicis dictum. *Vsus balnei in dysenteria.*

Hoc tamen de insessibus monendum, si fomenta, cataplasmata & reliqua topica non sufficere videantur, & propterea ad insessus accedendum quis putet, non temerè hoc faciendum, sed naturam dysenteriæ & totius morbi constitutionem, ægri vires & alias circumstantias diligenter considerandas esse. Si enim corpus humoribus vitiosis plenum sit, dysenteria sit maligna, febremvè coniunctam habeat: quiuis facilè intelligit, ex balneo eiusmodi tum plus damni, quàm commodi sperandum esse. *Insessus qua cum cautionē vsurpandi.*

Sauonarola & Matth. de Gradibus cum Auicenna *16. tert. de cum flux. absolut.* expertum esse dicit, quod cucurbitulæ supra ventrem positæ fluxum sistunt, & ipse quidem magnam super vmbilicum, & si fluxus fuerit vehemēs, duas alias in lateribus ponit. Verū forsan hoc in aliis potius fluxionibus, quā dysenteria locū habet. *Cucurbitulæ ventri applicatæ.*

Nonnulli & suffumigia ano excepta commendant, & inter ea præcipuè ex anguillis vstis, vt & corticibus pini. Benedict. Vict. Fauentinus, *in Empir.* valde commendat hoc; si æger per tres vel quatuor dies manè & vesperi sedeat super lamellam ignitam, cui terebinth. opt. vel resinæ pini Vnc. j. sit imposita. Mirabile porrò, præsertim in dysenteria puerorum, docet esse, si singulis diebus manè & vesperi ægri anus suffumigetur puluere stercoris asini iuuenculi, in furno cautè siccati, nē aduratur, carbonibus ignitis insperso. Laudat etiam acetum ignitæ ferri laminæ inspersum & ano exceptum. *Suffumigia ano excepta.*

Possunt

Poſſunt quoque fomenta ipſimet ano ſubinde imponi. Quale hoc eſt, quod idem Fauentinus valde laudat.

℞. *Meliſſæ* ℔ j.*verbaſc.M.*j.*Includantur ſacculo oblongo, qui poſtea in vini rubri ſtiptici & aceti fortiſſimi* an.ſ. q.coquatur ad tertias,& poſtea calidus ano imponatur.

Nonnulli ad Dyſenteriam ſiſtendam lauant pedes ex decocto radic. & fol. tormentill. Alij iubent pedes imponere per horæ quadrantem acetum, in quo ſcoriæ ferri ſunt calefactæ.

*Lotiones pedum & manuum.*

Gattinaria & Benedict. Vict. Fauentinus eiuſmodi decoctis & manus & pedes lauant. Bened. Vict. Fauentinus ℞. *ſcoriæ ferri aceto præpar.limatur. chalybis aceto præpar.*an.℔.j.ebullire ſinit *in* ℔.ij.*aceti fortiſſimi,ad conſumpt.medietat.* Diebus ſingulis mane & veſperi per dimidiam horam plantas pedum, & volas manuum in aceto hoc ægrum detinere iubet, ſcribitque, eſſe hoc ſecretum ad ſiſtendum fluxum dyſentericum.

## Mundificantia vlcus.

*Mundificantia vlcus.*

Etſi verò ſæpiſſimè iſta, quæ hactenus propoſuimus ad fluxum ſiſtendum, medicamenta etiam ad vlcus ſanandum ſufficiant, ſi morbus nihil aliud mali adiunctum habeat, quam vitium humoris affluentis, & inteſtina abradentis; & propterea eo abſterſo, euacuato, eiuſque fluxu ſedato vlcus facile ſanetur: tamen ſi dyſenteria perſeueret,& vlcus ſit profũdius vel ſordidius, vel putridum,ſerpens, vel phlegmonodes,alia medicamenta porrò adhibenda, atque ea vſurpanda,quæ non ſolùm abſtergunt,ſed & mundificant vlcus, implent & agglutinant. Quamquam ex ſuperioribus multa ſint, quæ ſcopis hiſce ſatis facere poſſint,& abſtergentia antea enumerata plerumque ſufficiant.Medicamenta Mũdificantia leniora ſunt; *Decoctum hordei,furfuris,parietariæ,lupinor.amygdal.amar.addito ſacchāro rubro, ſerum lactis,hydromel,* quæ per os tutò exhibentur.

Valentiora ſunt: *Decoctum praſſij, gentianæ, ariſtoloch. muria oliuar.vrina hominis;atque* hæc per Clyſterem iniiciuntur.

Vehementiſſima ſunt, quæ à Galeno proponuntur.9. *de compoſ.medic. ſecundũ loc. c.*5.*charta combuſta,cadmia, ſandaracha,calx viua, ſquama, æris, æs vſtum,ſulphur.* Et inter compoſita *trochiſci de charta combuſta,* quorum deſcriptio ibi circa finem reperitur.

Iniiciebant hæc veteres per Clyſteres,& quidẽ in ſordidis & putridis inteſtinorum vlceribus ad pondus Drach.j.vel circiter,*in ſuff.quant.ſeri lactis chalybeati.*

Sed mitiora ſemper vſurpare præſtat; præſertim vbi exulceratio exigua eſt, ne fortiorum vſu humores ſua natura mordaces acriores ac deteriores reddantur, & temperies ac calidum natiuum inteſtinorum lædatur.

In exulceratione etiam magna corroſiua,quæ inteſtina ſuperiora occupauit,mediocribus;in ea,quæ inferiora, vehementioribus in minore doſi vtendum. Verum deſperata propemodum res eſt, vbi ad talia confugere neceſſitas poſtulat. De omnibus autem mundificantibus & detergentibus hoc obſeruandum, cùm eorum vſu dolor exaſperetur, reddito clyſtere, alium ex lacte iniiciendum eſſe, qui inteſtina oblinat & dolorem leniat.

## Implentia cauum vlcus.

Vbi vlcus mundatum fuerit, plerique autores etiam implentia cauum vlcus, & conſolidantia præſcribunt. Non tamen malè monet Gattinaria, *de curat. ægritud. corp.cap. proprio,*medicum ſemper magis ſollicitum eſſe debere de abſterſione & mundificatione, quam conſolidatione: quia poſt abſtergentia bene adhibita Natura ex ſe poſſit incarnare, etiam non adhibitis conſolidantibus.

*Implentia cauũ vlcus.*

Implentia cauum vlcus Σαρκωτικὰ dicta parantur ex ſarcocol. maſtich. tragacanth. ladan. hypociſtide,cort. thur. ſangu. dracon. C.C.vſto,bol.Armeno,terra ſigil. Quibus & per os ſumptis pleriſque vti licet ad ſcrup.ij. vel Dr.j.cum vino adſtringente vel conſeru.roſar.& per inferiora iniectis cum lacte chalybeat.Vnc.vij.vel viij.à Drach.ij.ad Drach.iij. vel iv.E.g.Clyſter talis Fiat.

℞. *Hord. excortic. fol. plantag. burſ.paſtor.ſanguinar. equiſet.* an. M.j.*fl.roſar. rub.*M.ß.*Coq.in ſ.q.aquæ vel lact. chalybeat. pro* Vnc. viij.vel x.Colat.*add.pulu.bol Armen. ſangu. dracon. maſtich.thur.gumm.Arabic.tragacanth.* an. ſcrup.ij.*ſucc.plantag.* Vnc.j.*vitell.oui aſſati.* F. Clyſter.

## Agglutinantia & Cicatricem Inducentia.

*Agglutinantia & Cicatricem Inducentia.*

Ad agglutinandum etſi ferè ea,quæ ſupra ad fluxum ſiſtendum propoſita ſunt,ſufficere poſſint: tamen quædam repetere & iis adhuc addere libet.

Inſeruiunt huic vſui *Spica nard.myrrh.thus,cortic.thur. iris, ariſtoloch. rad.cyperi,caryophyllat.tormentill.acetoſ.biſtort.conſolida,ſolidag.verbaſc.polygon.equiſet.ſanicula,fragar.piloſell.pyrola,potentilla,lyſimachia, virga aur. veronica.* Vt:

℞. *Rad. Conſolid. maior.* Dr. vj. *fol. plantag. alchymill. fragar. ſanic.* an. M.ij. *balauſt. myrtill.*an.Drach.ij.*roſar. rubr.*M.ß.*Coq.in aq.ſ.*℔.j *ad conſumpt.tertiæ partis,*Colat. *add.ſyrup.de roſis ſiccis.myrtill.vini cydon* an. Vnc.j.

M. pro 3. vel 4. doſibus. Clyſteribus etiam addi poteſt Drach.j.vel ij.trochiſc.de charabe.de ſp.& ſeui hircini Vnc.j.& ſimilia.

Tempore æſtiuo & cum copia eſt recentium herbarũ,

℞. *Succ.plantag.polygon.equiſet.ſeui hircin.*an. Vnc.iij. Mixtis *adde boli Armen. ſangu.dracon.vel lapid.hæmatit. maſtich.* an.ſcup.ij. F. Clyſter.

Galenus, *in* Ε'υπορίςοις,*c.* 20. plantaginem cum oryza exactè coctam dat in cibo. Eius quoque ſuccum adiecto adipe hircino pro clyſtere iniicit, & myrti baccas cum vino coquit, vbi febris abeſt, præſente verò eã, cum aqua.

Videantur plura *ibid & in* 9.*de compoſ.medicament.ſecundum loca, cap.* 5. & apud Aetium,qui diligenter hæc perſecutus eſt,*tetrabil.*3.*ſerm.*1.*cap.*45. Lang.*l.* 3. *Epiſtolar.tr.*3. *Pract.*

## Curatio Dyſenteriæ à medicamento purgante & veneno.

*Dyſenteria à medicamento purgante & veneno.*

Etſi qua ratione Dyſenteria à medicamento purgante vehementiore, aut veneno hauſto concitata curanda ſit,ex ſuperioribus patere poſſit:tamen vt quædã in ſpecie de iis dicamus, ſi à medicamento purgante vehementiore, vt ſcammonio, colocynthide vel ſimili ſit dyſenteria,primò abſtergentia exhibenda,vt Decoct. hordei, cum ſyrupo roſar.ſolutiuo vel ſimpl. infuſion. Deinde exhibenda Theriaca, quæ non ſolùm,quatenus vim habet narcoticam, & humoribus contrarium motum, à centro ſcilicet ad circumferentiam conciliat, prodeſt;ſed etiam, quatenus malignorum medicamentorum & venenorum eſt antidotum. Prodeſt & lactis tepidi potus. Extra inungendus venter oleo maſtich. cydonior. abſinthij, menthæ, vel cerotum ſtomachale aut ſimile imponendum.

*Dyſenteria veneno.*

Si à veneno hauſto ſit dyſenteria, primò, quod in omnibus etiam aliis venenis ore ſumptis primum eſſe debet,danda opera, vt ſtatim vomitu reiiciatur. Secundò cum pleraque ſimul acrimoniam habeant,& inteſtina vellicent, ea, quæ eam obtrudunt,exhibenda iuſcula pinguia, lac,oryza,amylum, ptiſana.Tertiò ſimul exhibenda Antidota,vt Theriaca vel alia. Imprimis hic cõmendatur Smaragidus,cuius præparati gr.vj. exhibeãtur,& decem horis æger à cibo abſtineat. Sudor enim ſolet paulò poſt ſequi, quo erumpente ægri liberantur.

*Smaragdus.*

Tinctura eiuſdem etiam hic efficax eſt. Extra quoque ventri applicari poteſt.Atque Auenzoar,cum in itinere in Siciliam herbam quandam ignotam comediſſet, atque inde in dyſenteriam incidiſſet,ſupra ventrem Smaragdum

tagdum appoſuit, quo modo à dyſenteria liberatus eſt. Vtilis etiam eſt Cryſtallus.

### *Diæta.*

Medicamentis Diæta reſpondeat. Aer ſit temperatus, & potius ad caliditatem, quam frigiditatem declinet. Etſi enim ſæpe cauſſa morbi calida ſit: tamen ægrum in aere frigido verſari non conuenit. Etenim cum acrimonia quædam humorum, & plerumque etiam malignitas in dyſenteria adſit: vtile eſt, corporis poros ſemper patentes ſeruare, vt maligni acres vapores exhalare poſſint; quod niſi fiat, & pori conſtringantur, humores vaporeſque magis ad interiora corporis pelluntur, malumque augent. Ideóque tempore paulò frigidiore, præcipuè in locis hiſce ſeptentrionalibus, cubiculum ægri calefacere vtile eſt, commodumque, vt æger in lecto tectus ſe contineat. Et cum alui deiiciendi gratiâ ſæpe ægrum è lecto ſurgere neceſſum ſit, cubile, in quo æger decumbit, non ſit frigidum.

Cibum & Potum quod attinet, ad frigidum is declinet, cum morbus eſt à cauſſa calida, ſimulque vim adſtringendi in morbi progreſſu, atque inteſtina & ventriculum roborandi habeat, omni verò acrimonia, ſalſedine, & nimia aciditate careat. Initio victus ſit tenuis, quantum vires permittunt, præſertim ſi febris ſit coniuncta. Non ſolùm enim ob febrem facultas animalis læditur, ſed imprimis in ventriculo & inteſtinis vis cōcoctrix & retentrix eſt labefacta. Auicenna equidem famem biduanam præcipit: cuius tamen loco hoc æuo præſtat diætam tenuiorem adhibere. Hinc Galen. *lib.* 2. *de med. facil. parab. cap.* 10. ait, optimum dyſenteriæ remedium eſſe cibi paucitatem.

Cibi ipſi ſint ſimplices, facilis coctionis. Ideoque iis, qui delicatè viuere conſueuerūt, nō facilè cibi duriores & coctu difficiliores exhibendi, quamuis aſtringendi vim habeant, ob facultatem coctricem ventriculi & inteſtinorum languentem, quæ tales non facilè concoquere poteſt. Qua in re vulgus ſæpe peccat, qui Dyſentericis cibos duriſſimos & difficilis coctionis exhibet, modò vim adſtringēdi habere videantur, atque ita cruditates cumulat & malum auget. Imprimis verò ij peccant, qui oua indurata aceto cocta ægris exhibent. Nam & ipſa oua indurata difficilis coctionis ſunt, ac in ventriculo debili facilè corrumpuntur; & acetum inteſtina mordicat ac vellicat. Hinc etiam lentes, fabæ, piſa, panicum, panis bis coctus ater, & caſtaneæ, non omnibus conuenire videntur; cum ſint difficilis coctionis, ſed iis tantùm, qui iis ſunt aſſueti, & ventriculum adhuc robuſtum habent. Exhibēda potius iuſcula ex hordeo & ptiſana hordeacea vel auenacea: item iuſcula ex pane albo in vino cocto addito butyro & vitellis ouorum. Nec inutiles ſunt fructus cynosbati, ceraſa acida ſiccata, myrtilli noſtri. Et inprimis ij cibi vtiles ſunt, qui viſciditatem & vim aliquam emplaſticam ac humorum acrimoniam obtūdendi habent, quales fiunt ex oryza, amylo, &c. Commendatur & lac vaccinum, ſi febris abſit & nihil aliud eius vſum prohibeat, de quo poſtea *quæſtione* 5. dicetur. Si acrior ſit fluxus, aqua vel ſimplici vel deſtillata aliqua temperari poteſt. Vtile eſt & lac mulieris boni habitus, victuſque bonam rationem ſeruantis, refertque Guiliel. Fabricius, *de Dyſenteria c.* 7. ſe cum puerum trium annorum circiter longo alui fluxu modò dyſenterico, modò lienterico curādum haberet, & medicamentis nihil proficeret, authorem fuiſſe matri, quæ denuo pepererat, vt puerum ablactatum iterum lactaret, idque feliciter ſucceſſiſſe, puerumque hoc modo bonam valetudinem & vires recuperaſſe.

Dum vlcus abſtergendum eſt, exhibeatur aqua hord. aut hydromel. vel ſerum lactis. Dum adſtringendum & conſolidandum eſt, etiam ſimilis victus conuenit. Ideoque vſurpatur oryza vel ſola vel cum lacte cocta. Non ſolum enim nutrit, ſed & conſolidat: poteſtque vbi magis adſtringere animus eſt, C. C. vſtum, corall. terra ſigillata, genitale cerui ſiccatum, tormentilla addi, vt & amylum. Vtile eſt etiam plantaginem cum oryza coquere. Conueniunt quoque cydon. pyra, poma acida ſub cineribus aſſata, meſpila, lentes biſcoctæ, abiectâ priore aquâ.

Præſtans etiam in hoc morbo auxilium lac amygdal. dulc. cum aqu. plantag. vel tormentill. & roſar. paratum, & parua ſacchari quantitate adiecta.

Lumbricos terreſtres lotos conciſos, & cum carne caſtratorū coctos, ſi eorum iuſculum ægro exhibeatur, mirum in modum dyſentericis prodeſſe ſæpiſſime ſe expertum eſſe ſcribit Guilielmus Fabricius: dolores enim lenire, & quæ in inteſtinis ſunt vlcera & vulnera facultate quadam ſpecifica conſolidare; teſte etiam VVieto *de Scorbut.* Sed quia ſimul vrinam potenter mouent, non niſi expurgato corpore & ante cibum tales exhibendos monet. *Lumbrici terreſtres quomodo dyſentericis exhibendi?*

Carnes in hoc morbo ſecundum *Serap.* non ita vtiles ſunt: ſi tamen morbus protrahatur, iis quoque vti licet. Veſcendū autem potius animalibus ſylueſtribus, quam domeſticis, & volatilibus potius, quam quadrupedibus. Commendatur hîc caro turtur. perdic. turdor. gallin. leporis, capreoli, cerui, præcipuè epar gallin. ſplen capræ aſſatus, vt & epar verueeis in dyſenteria commendatur. Aetius carnes ebullire ſinit in poſca additis myrti baccis, quas deinde aſſat. In virium lapſu ius conſummatum conuenit, cui modo dicta adſtringentia addi poſſunt.

Pinguedo caſtratorum iuſculis admiſta dolores valde lenit, & vlcera inteſtinorum ſanat. Parantur etiam ex cydon. pomis acidis, pyris varia edulia huic morbo conuenientia. In principio paſtus æger ſemper aliquid ſtyptici aſſumat: vt conſeru. roſar. diacydon. ſ. vel ſimile quid. Vtilis eſt & panis bis coctus albus. A iuſculis & ſorbitionibus abſtineat æger, niſi facultate adſtringendi ſint præditæ. Vitentur piſces, caro ſuilla, & omnia, quæ humectant & difficulter coquuntur, cibi item peregrini & quibus æger non eſt aſſuetus. Cibi item calidi & multis aromatibus conditi. Sacchari & mellis vſus multis noxius eſt: cum facilè in bilem mutentur, & humoribus admiſti eos acriores reddant, & ſua acrimonia inteſtina ad excretionem incitent.

De ſaccharo in ſpecie hoc notandum, non ſolum illius vſum in dyſenteria parcum eſſe debere, ſed quoque farinam ſacchari potius vſupandam eſſe, quam ſaccharum ſinum dictum: cum in clarificatione & depuratione lixiuium è calce viua adhibeatur: vnde ſacchar. aliquid acrimoniæ acquirit.

Quantum ad potum: Parcè bibere præcipuum auxilium eſt. Paulus & Aëtius aquam pluuialem præbent, in qua fructus adſtringentes ſint decocti, præſertim ſumach, acetoſ. plantag: ſed hæc non niſi aſſuetis conuenit. In noſtris regionibus vtilis eſt cereuiſia pura. Amatus Luſitanus, *cent.* 2. *curat.* 46. refert, Iuuenem bilioſum, cum bilioſis deiectionibus vigente æſtate dyſenteria affligi cœpiſſet, cumque Medicorum conſilio deſtitueretur, copioſiore aqua frigida vſum, atque inde ſanitati reſtitutum fuiſſe. Quod tamen non niſi in regionibus calidis, tempore calido & bile valde abundante alios imitari decet. *Potus.*

Vinum etiam, in quo gnaphalium coctum ſit, efficax, ad dyſenteriam curandam eſſe ſcribit Dioſcorid. *lib.* 3. *cap.* 115. Poſſet etiam hic locus habere potus Tabernæmontani, cuius ſupra facta eſt mentio, ex argilla fornacum: ego tamen malim ex terra, vel bolo Armeno talem potum parari.

De lacte iam antea diximus. Vbi hoc dare non licet, talis potus paretur:

℞. *Hord.* M. j. *malor. cydon. exiccat. prun. ſylu. exiccat.* an. Vnc. j. *glycyrrh. paſſular.* an. Vnc. ß. *ſem. papau. albi* Dr. ij.

Coq. *in aq.* ℔ vj ad remanentiam ℔ iv.

Poſtea adiectis *cinamomi* Dr. vj. vaſe tecto calens adhuc

huc decoctum aliquandiu aſſeruetur, & poſtea per manicam Hippocratis traiiciatur. Vel fiat talis Emulſio.

℞. *Amygdal. dulc. excortic.* Vnc. j. *ſem. melon. excort. papav. albi.* an. Vnc. ß. *aq. hord. ſ.* ℔. j. ß. *fragor. ſ. vino, tormentill. plantag.* an. Vnc. iij.

F. Emulſio, quæ & dolores lenit & acres humores temperat.

Vbi vires deficiunt, vinum adſtringens rubrum, aqua fontana, ſi opus ſit, in quâ chalybs vel aurum ignium exſtinctum ſit, dilutum, aut in qua plantago cocta ſit, vel macerata, commendatur.

Et cum facultas coctrix hic laboret, vini vſus ſæpe vtilis & neceſſarius eſt, eumque hâc ipsâ dyſenteria epidemia aliquot bene ceſſiſſe obſeruaui.

Imprimis vtile eſt vinum, in quo pruna ſylueſtria exſiccata infuſa ſint; addi etiam poteſt vino ſuccus vel ſyrupus mali punici, citri, ribes, berberis.

Quies maximè probatur: motus vitetur, ne magis fluxus irritetur.

Indulgeat ſomno æger ſeu noctu ſeu interdiu, quando poteſt: cum ſomnus & quies omnes fluxus ſedet, dolores ſopiat, vireſque reficiat. Ideóque ne æger ob alui deiectionem ſæpe è lecto ſeſe mouere, & proinde etiam aëri frigidiori ſeſe exponere neceſſe habeat, commodum eſt, peluim ægro in lecto ſubiicere, cuius generis aptiſſimam deſcripſit Guilielmus Fabricius, *de dyſenteria cap.* 7. Caueat immodicos affectus animi, quibus humores in corpore agitantur & perturbantur.

Excrementa ægrorum ſtatim remoueantur, ne aliis moleſta ſint, & contagio eos inficiant. Et propterea vel in profluentem abiicienda, vel defodienda & calce viua tegenda. Stragula lecti ſubinde mutentur.

## QVÆSTIO I.

### *Quidnam illud mucoſum & album ſit, quod in dyſenteria excernitur?*

*Quid ſit mucoſum illud, quod in dyſenteria excernitur?*

Mucoſum & album quid cum ſanguine ſæpe in magna copia in dyſenteria excerni, notiſſimum eſt. Quid autem illud ſit, dubium. Nonnulli quidem exiſtimant, eſſe pinguedinem inteſtinorum abraſam: ſed maximè falluntur, decepti eo, quod viderunt inteſtina animaliũ mactatorum cocta pinguedine intus inducta; cum tamen inteſtina à laniis inuerſa ſint, & pinguedo, ſi quæ adeſt, extra inteſtinis illis obducatur, intus vero omni pinguedine inteſtina deſtituantur.

Alij mucum illum, quo inteſtina ad excrementorum faciliorem tranſitum oblinuntur, eſſe ſtatuunt. Verum tanta copia, tanta craſſitie & tamdiu, etſi ex omnibus inteſtinis abraderetur, excerni non poſſe, cuiuis hanc rem diligentius perpendenti facilè patebit. Alij pituitam eſſe putant. Verùm & id falſum; cum dyſenteria à pituita frequenter non oriatur, &, ſi admiſceatur, non tamen tanta copia admiſceri poſſet, quantâ hic eiicitur. Platerus verò pus eſſe ſtatuit, quod ab vlcerata inteſtinorum ſubſtantia veniat, quæ cum membranoſa ſit, pus eiuſmodi viſcoſum, vti & in veſicæ vlcere fieri ſolet, proferat, quæ ab initio, dum recens eſt vlcus, ſanguinis notas, mox mucum illum tinctum adhuc, poſt vbi vlcus fordeſcere incipit, album magis producat.

Quam ſententiam vt planè non improbamus, ita rectè explicandam & ampliandam cenſemus, vt nimirum per pus intelligatur id, quod non ſolũ ex inteſtinorum & membranarum eorum corruptione & exulceratione, ſed etiam ex affluente humore & ſanguine prouenit. Si enim mucoſum illud ſolum pus eſſet, quod ex membranis inteſtinorũ intus exulceratis proueniret, ſine omni dolore & torminibus, vt in aliis partibus, efflueret. Quia verò cum torminibus & ſummo ventris cruciatu excernitur, è venis effluere ſimul, & membranas in trãſitu diſtendendo dolorem hunc excitare indicio eſt. Habent nimirum partes quælibet non ſolum vim ſanginem & nutrimentum affluens in ſibi ſimilem ſubſtantiam mutandi, ſed & pus atque excrementa & humores præter naturam affluentes aliter atque aliter mutandi. Hinc aliud pus ex læſa carne, aliud ex læſo neruo, membrana, tendine, ligamento redditur, atque illud ſæpe ſatis copioſum, & nunc aliter atque aliter ſeſe habens, prout pars bene vel malè conſtituta eſt, & plus vel minus humoris affluit. Ita ex neruis læſis & malè ſe habẽtibus magna ſæpe copia ſaniei profluit, quàm vulgò *das Gliedvvaſſer* nominant, quod nihil aliud eſt quã ſanies, quæ ex partibus neruoſis læſis & calore præternaturali præditis, & affluentes humores copioſos concoquere non valentibus prouenit. Ita ex articulorum iuncturis, tendinibus & ligamentis vulneratis magnam interdum puris copiam inſtar muci vel albuminis oui promanare videmus. Sic in pleuritide & peripneumonia, qui per pulmonem & tuſſim expurgatur ſanguis, in principio quidem interdum ſub ſua forma, in progreſſu verò morbi & coctione apparente, formâ ſputi albi, tuſſi reiicitur. Idem accidit in vterino fluore, ſeu menſibus albis, cum ſanguis, qui menſtruo tempore confertim effluere ſolet, poſt tempus illud in venis iiſdem, per quas antea euacuabatur, hæret, ibique mutatur & alteratur, & in mucoſum illud, quod per vterum poſtea euacuatur, conuertitur, nunc album, nunc vireſcens, nunc inodorum, nunc fœtidum, pro natura ſanguinis & humorum ſanguini permiſtorum, ac ipſa vteri diſpoſitione, & per eaſdem vias, per quas aliàs ſanguis ſolet, eiicitur. Hæc enim duo puris & excrementorum varietatem faciunt, humores ſcilicet ſeu ſanguis affluens, & ipſa partis diſpoſitio, quibus aliter atque aliter ſeſe habentibus etiam illud, quod excernitur, aliter atque aliter ſeſe habet, & nunc tenue, nunc craſſum, nunc album, nunc flauum, nunc viride, nunc varium, nunc inodorum, nunc fœtidum redditur; id quod manifeſtè etiam in dyſentericorum excretis apparet.

Si quem tamen vocabulum puris, quo Platerus vtitur, offendit, fateor & ipſe atque antea etiam monui, non ita propriè & non niſi lata quadam ſignificatione vocabulum puris excremento huic mucoſo tribui poſſe. Veri enim puris alia eſt natura, quod etiam quandoque ex inteſtinis exulceratis excernitur: mucus verò hîc ſæpe ſtatim in principio dyſenteriæ & quidem ſatis copioſè excernitur; & non tam ab inteſtinorum ſubſtantia in pus mutata, quam ex ſanguine & humoribus ad inteſtina affluentibus, & ibi ab inteſtinorum φλεγμονώδη διάθεσιν habentium, temperie euerſa originem ducit. Eandem enim originem & generationis modum, vt modò dictum, habet hic mucus, quem ſputum in pleuritide, aut peripneumonia; aut λήμη illa in ophthalmia ſæpe tam copioſè proueniens, vt ab ea palpebræ conglutinentur; vbi tamen nulla adhuc vera eſt exulceratio. Et rectè monet Fernelius, *lib. 6. de part. morb. & ſympt. cap.* 10. interdum mucoſam quandam ſordem ſubalbidam, & veluti limum fæceſque ſanguinis melãcholici, podicis venas exſpuere, atque multo interdum tempore eructare, poſt diuturnos ferè morbos melancholicos, duramque & laborioſam equitationem, quæ tamen pus non ſit, nec ab inteſtinorum vlcere proueniat, multos tamen puris ſpecie fefellerit. Non tamen propriam appellationem inuenit hoc inteſtinorum malè affectorum excrementum, ſicut in aliis partibus, cum in peripneumonia & pleuritide ſputi, in opthalmia λήμης nomine appellatur. Vnde forſan ob commodioris vocabuli defectum Platus pus id appellauit.

## QVÆSTIO II.

### *An Adamas venenum & cauſſa dyſenteriæ ſit?*

*An Adamas venenum & cauſſa dyſenteriæ?*

Adamantem venenatum eſſe, pulueremque eius dyſenteriam excitare plurimi ſtatuunt. Ita Sant. Ardoyn. *li. 2. de venenis*, peculiare caput, quod ordine 23. eſt, proponit, in quo modũ docet curandi dyſenteriam ab adamantis

mantis scobe assumti excitatam; quin etiam opobalsamum ex Auerroë hîc præcipuè laudat. Sic Philippus Camerarius, *cent.1. hor.succis.cap.7.* ex Ioh. Ant. Menauij, *hist. Turcic. lib.2. cap.22.* refert, Baiazetem patrem Selimi Turcar. Imperatoris veneno ex Adamante contrito à Medico quodam Iudæo esse interfectum. Et Auentinus, *lib.7.* annotat, venenum illud, quo Heinricus VII. Luztelburgius, Imperator Romanorum, à prædicatorum ordinis Monacho in Eucharistia interfectus est, fuisse ex Adamantis polline paratum. Ita Paracelsi discipuli Paracelsum, cui omnes desperatos morbos curandi peritiam tribuunt, adamantis puluere, vt incurabili veneno, ab aduersariis necatum narrant.

Alij contra vtrumque negant. Inter quos est Anshelmus Boëtius, *de gemm. lib.2. cap.4.* qui ex Garcia ab Horto, *lib.1. histor. arom. c.47.* refert, mancipia quædam plurima adamantes, vt furtum tegerent, deuorasse, quos postea integros, absque iactura valetudinis, egesserunt: Mulierem etiam quandam marito antiqua dysenteria laboranti adamantis scobem per multos dies propinasse, absque vllo detrimento. Et Hieronymus Cardanus (etsi postea *lib.3. de venen. c.23.* eundem inter venena referat) *contradict. medic. lib.2. tr.5. contrad.9.* scobem adamantis venenum esse negat, imò potius egregium & singulare cuiusdam difficilis morbi medicamentum esse affirmat. Atque hanc suam assertionem duabus historiis comprobat: *Scio*, inquit, *Gemmarium quendam, qui mihi fassus est, se pluribus vicibus cuidam adamantem, drachmæ vnius pondere, sub forma pulueris seu scobis dedisse, non tamen magis obfuisse, quam si panem comedisset. Alius pariter nomine Franciscus Todeschinus cum insaniret, plures acies & frusta adamantis deuorauit, nec quicquam passus est.* Hæc Cardanus. Ioh. Ant. Saracenus, *in Comm. de pest. cap. 7.* scribit, adamantem adeo Lugdunensibus in medico vsu efficacem haberi, vt seu haustus, seu sinistro brachio alligatus, venena omnia irrita facere, & pestiferis caussis eximiè resistere credatur. Imò iam olim Plinius, *lib.37. cap.4.* adamantem Cyprium in medicina efficacissimum esse scripsit. Andreas Cæsalpinus, *lib.3. Spec. medic. cap.32.* negat & ipse, adamantem venenum esse, putatque, communem illum errorem inde exoriri, quod ea, quæ de Argyrodamante veterum, seu Talco dicta sunt, vero & genuino adamanti malè tribuuntur.

Verùm cum teste Auicenna, *lib.2. tr.2. cap.693.* talcum non erodendo & dysenteriam excitando, sed potius strangulando sumtum noceat, & quidem in lamellis exhibitum, puluis verò vtiliter contra sputum sanguinis & dysenteriam exhibeatur: nec illa vis venefica Argyrodamanti (si modò Talcum est Argyrodamas) tribui potest. Ideoque cum de vero adamante hîc controuersia esse videatur omninò experientia amplius consulenda est. Historiæ tamen, quæ adamantem venenatum non esse probant, & numero plures, & euidentia facti fide digniores esse: quæ verò in contrarium adducuntur, non extra dubitationis aleam positæ videntur.

Interim tamen hoc etiam monendum est, rationes, quibus probare conatur Anshelmus Boëtius, adamantem nō esse venenatum, non satis firmas esse. Vt de reliquis non dicam, occulta qualitate homini noxium esse non posse ideo putat, quia à calore nostro alterari & in actum deduci non possit, sicut & aurum & alij lapides. Verùm illa in actum deductio saltem necessaria est in iis, quæ manifestis qualitatibus agunt. Cum enim, vt Zabarella, *lib. 2. de mist. gener. & inter. cap.9.* docet, in actum deduci sit, cū qualitates, quæ in mistione contrariorū contemperatione atque amicitia quasi absconditæ latebant, mistione soluta sensibiles fiunt: Id saltem imprimis ab his pendentibus elementorum qualitatibus necessarium est. Qualitates verò occultæ corpore, cui insunt, etiam integro manente, nihilominus sese exserere, & in alia agere possunt, vt in magnete, vitro ♁nij, & similibus manifestum. Vnde, vt hoc obiter attingam, eorum ratio firma non est, qui aurum nullam in corpus nostrum habere efficaciam statuunt, ideo quod à calore nostro solui non possit.

*De Adamante, sententia Zacuti Lusitan.*

De quæstione, *An Adamas, venenum, & caussa dysenteriæ sit,* abundè hactenùs diximus quibus addere libet, quæ hac de re habet Zacutus Lusitanus, *de Prax. Med. lib.2. obs.16.* Is de Adamante ita sentit, cum venenum non esse; cùm experientiâ constet, plurimos citra noxam illum furtim deuorâsse, & deinde cum excrementis deiecisse. Ergo solùm nocere putat, cū in frusta dissectus, vel impolitus deuoratur. Tum enim, vitri instar, asperitate suâ, intestina pungere, ferire, vulnerare, & exulcerare, & vulnera ab eo inducta esse lethalia. Cùm enim altiùs depascant & penetrent, illicò obortâ putredine, fieri vlcera sordida. Idque probat exemplo serui cuiusdam Mercatoris, qui cùm malo dolo tres adamantes impolitos deuorâsset, in tormina postridie lapsus est, & ob intestina vulnerata cruenta deinceps eiecit, febricitare cœpit, & nullis remediis conualescere potuit, sed vlcere magis ac magis sordido facto, tabefactus obiit. Ex quibus patet, Adamantem potiùs vulnerando, quàm vt venenum, nocere. Verùm in hac historia hoc adhuc dubij occurrit, annon Adamantes illi politi acuti, æquè ad vulnerandum apti sint, quàm impoliti.]

*Historia.*

## QVÆSTIO III.

### *An pinguedo & ramenta intestinorum tanta, vt vulgo fertur, in dysenteria excernantur?*

*Intestino intus pinguedine non obducuntur.*

Vulgata quidem, vt supra diximus, est ea sententia: non paucis tamen dubiis inuoluta. Inter quæ primò est, quod de pinguedine dicitur, quam in primo dysenteriæ gradu excerni, eamque ipsam esse statuunt, quâ interior intestinorum tunica oblinatur: quod tamen falsum est, vt iam etiam antea dictum. Etsi magni etiam viri hunc errorem errârint, & intestina intus pinguedine obducta esse crediderint; cum tamen nulla intus in intestinorum cauitate sit pinguedo; sed extra ipsis saltem obducatur, vt cuilibet, qui experientiam & oculos suos consulere vult, cognoscere facile est. Et si forsan initio pinguedo quædam excernitur, est ea procul dubio ex colliquatione pinguedinis, quæ extra intestinis inhæret.

*Ramenta an ex intestinis in dysenteria excernantur.*

Deinde, quod ramenta Intestinorum attinet, illa in secundo dysenteriæ gradu excerni vulgo dicuntur, eaque sæpe satis magna, vt Medicus quidam *in obseru. Schenck. lib.3. obseru.152.* ramenta intestinorū spithamæ longitudine in dysenteria etiam non lethali excreta se vidisse scribat. Imo refert Hercules Saxonia, *lib.3. panth. cap.23.* Venetiis excretam fuisse membranam longitudine vlnæ cum maxima puris copia; item alibi portionem similem. Præterea se sanasse mulierem, quæ ab vlcerato intestino recto membranam itidem vlnæ longitudine excreuerit. Idem Hercules Saxonia, *part. 2. sect. c.20. §.2.* narrat, se quatuor vidisse dysentericos, qui singulis diebus excreuerint portiones tunicarum intestinorum tam magnas, vt sæpe excederent mensurā duorum vel quatuor digitorum; è quibus duæ fœminæ sanatæ sunt, duo verò viri mortui. Ego quidem ea, quæ alij viderunt, in dubium non voco; cum multa fieri possint, quæ ego non viderim: tamen quia illud, quod modò de pinguedine dixi, & quod plerique se vidisse affirmant, plerumque falsum est: fit, vt de reliquis dubitare incipiam; imprimis cum ramenta talia & membranas quas describunt, hactenus videre non potuerim, neque ab iis, qui ipsi dysenteriâ laborârunt, vel laborātib. dysenteriâ ministrârunt, visa esse audire potuerim. Sicut & I. Crato, dum, *consilio 201.* ægroti proculdubio dysenteria laborantis historiam describit, refert, se talia ramenta videre non potuisse. Præterea rationes quædā obstare videtur. Etenim etsi plurimi internā intestinorū tunicam crusta quâdam, vt loquuntur, quam epider-

midi comparant, obduci docuerint: tamen an crufta illa epidermidi, quæ cuti obducitur, refpondeat, non fatis certum. Talis enim fi effet, quatuor effent tunicæ inteftinorum.1.(Si à cauitate eas incipiamus enumerare) Epidermis ifta; 2. Interior tunica. 3. Externa, & 4. quarta, quam vulgo communem vocant.

Quam verò cruftam nonnulli vocant, eam rectè defcribit Fallopius, *Inftitut. Anatom. cap. de Inteft.* docetque, quod tunica interior fibris quibufdam in profundum tendentibus contexatur, eo modo, vt in linteis fericis villi fpiffi admodum tanquam ab inferiore fuperficiei nati, exteriorem fuperficiem afficiunt, vt in pāno ferico villofo videre eft, quale quid etiam in lingua apparet. Qui villi, vel crufta, fi ita appellare libet, data eft ob longiorem retentionem coctionis & diftributionis gratia, feu vt Hieronymus Fabricius ab Aquap. *de inteftinis* hac de re fcribit, ad chylum detinendum, quò minus ocyus deorfum defcendat & elabatur, fed cum vafis diutius verfari cogatur, & ita in venas affumatur; ficut eundē ob finem linguæ tales villi quoque infunt, & afperitatem in ea afficiunt, ad retentionem perpetuam humoris, ad guftum & fermonem neceffarii. Hi ergo villi abrafi cùm nulla ramenta efficere poffunt, neceffum effet, vt ab ipfa interna inteftinorum tunica decidantur, quod etiam Medici vulgò docent, vt cum ex aliis, tum ex Braffauola, *in comm. 26. aphor. fect.* 4. patet, dum ibi fcribit; diu ægrotantibus, magnam inteftinorum partem putrefcere, vt multis partis tota interna depereat tunica, etfi ægri conualefcant. Verum nec hoc fatis probabile videtur. Etenim fi vlcera aliarum partium contemplemur, videmus quidem in partibus vlceratis multa excerni, verum faniem & pus, in quod partis exulceratæ fubftantia mutatur, non verò integram partium fubftantiam. Et quanquam in mufculofis partibus, in femore, crure, brachiis, in magnis abfceffibus, membranofæ quædam mufculorum partes, vtpote quæ putredini longius refiftunt, à chirurgis extrahantur, putredine à reliquis feparatæ: tamen inteftinorum longè alia eft conftitutio, quàm vt tale quid in iis fieri poffit. Vbi enim membrum ex carnofa fubftantia, membranis, neruis, venis & arteriis conftituitur, caro ipfa, vt mollior, facilius putrefcit, partibus reliquis ficcioribus faluis adhuc manentibus, vt in gangræna interdum fieri videmus, in qua fæpe caro fubitò putrefcit, vt nerui, tendines & aliæ partes duriores nudæ relinquantur. Inteftina verò cum talem partium diuerfitatem, & talem mollem carnem non habeant, fed ipfæ tunicæ inteftinorum fubftantiam conftituant, non video, qua de cauffa vna earum pars in pus mutari & putrefcere, alia falua relinqui, & inde tam longæ partes tunicarum liberari, & à reliqua earum fubftantia feparari poffint: præfertim cum quæ narrantur, fæpe minus credibilia fint, vt dum Hercul. Saxonia refert, fe vidiffe ab exulcerato inteftino recto membranam vlnam longam excretam fuiffe; cum tamen inteftinum rectum vix vlnā, fed faltem, vt Bauhinus, *theatr. Anatom. lib. 1. cap.* 17. habet, palmum vnum & femiffem longum fit. Deinde, quia inteftinorum tunica interior etiam fuas fibras habet, quæ fi femel erofæ fint, reftitui non poffunt, non video, quomodo tanta fibrarum parte erofa & excreta, qui ex dyfenteria conualuerunt, fatis commodè valere poffint, cum tunica illa interior ac fibræ in ea, æquè neceffaria fit ac exterior. Quod vel illa hiftoria docet, quam habet Schenckius, *lib. obferv.* 142. ex Beniuenio, *de abdit. morbor. cauffis cap.* 95. de quodam, qui poftquam per 40. dies dyfenteria vexatus effet, fublatis doloribus, & deiiciendi cupiditate nihilominus aluum liquidiorem femper habuit, ac fæpius excreuit, quam diu vixit, nec vllis auxiliis curari potuit, fed vbicunque eum cupiditas deiiciendi vrfit, ibidem excrementa depofuit, erofis villis, quibus vis retinendi fulcitur. Quanquam enim quis fufpicari poffet, hoc fphinctere ani læfo accidiffe: tamen Beniuenius exprefsè fcribit, erofis villis, quibus vis retinendi fulcitur, hoc accidiffe, nullam verò tenefmi vel læfionis fphincteris facit mentionem. Hinc etiam lienteria poft dyfenteriam periculofa eft, quod internam inteftinorum tunicam corruptam indicat.

Ex quibus colligi poteft, in iis, qui conualefcunt, tantæ magnitudinis ramenta ab interna tunica abradi & excerni vix poffe; & fi quid tale excernatur, effe mucofum illud excrementum, quod in inteftinis hanc formam accipit. Etenim cum procul dubio humores vitiofi in inteftina confluentes fecum chylum omnem obuium & crudiorem fanguinem fecum abripiant, non neceffe eft, vt ipfi feu fua feu fanguinis forma femper excernantur, fed poffunt aliā induere; & videmus quotidie fibras fanguinis in aquā calidam effufas albefcere.

Pituitofos etiam & vifcidos humores diu in inteftinis coaceruari & iftorum formam æmulari & tandem per purgantia inde euacuari, vel in alui fluxibus excerni, Medicorum obferuationes docent: vt etiam Hier. Gabucinus & Felix Platerus in eam venerint fententiam, vt crederent, lumbricos latos, qui ita dicuntur, non viua animalia effe, fed mucofam pituitam in inteftinorum fubftantia denfatam, eamque intus ambientem & inde abrafam. Illuftre huius rei exemplum exftat *in vita Ioh. Heurnij*, quod fupra *fectione* 1. *cap.* 5. propofui.

Neque ea probatio pinguedinis ac ramentorum in excretis, quæ vulgò habetur, fatis firma eft, quod fc. pinguedo, fi in aquam proiiciatur, ei innatet, in carbones coniecta, pinguedinis affatæ odorem præ fe ferat; tunicarum verò particulæ in prunas coniectæ, pelliculatum & membranarum inftar cōtrahantur. Supernatat enim & pituita fæpe; neque ex odore rei combuftæ fatis femper ea cognofci poteft, qualis fit; & pituita etiam vel pus lentum, fi exficcetur, contrahitur.

Ifta tamen de ramentis inteftinorum circa vulgatam opinionem dubia eo faltem fine propofui, vt Lectori hac de re diligentius cogitandi occafionem præberem, & monftrarem, non femper tutum effe è libris quæcunque obuia defcribere, fed experientiam fæpius confulendam effe, quod nifi fiat, facilis in errorem lapfus eft, quod iis accidit, qui experientia neglecta è libris fua de pinguedine inteftinorum tranfcripferunt.

## QVÆSTIO IV.

### *An purgantia exhibenda fint in Dyfenteria?*

*An purgantia in Dyfenteria exhibenda.*

Vulgus quidem, & homines rerum medicarum imperiti mirantur non rarò, in Dyfenteria à Medicis purgantia exhiberi, vel clyfteres iniici; cum aliàs plus iufto ægri deiiciant. Nonnulli etiam Medici ex Auicen. *fen.* 4. *lib.* 1. *cap.* 4. illud allegant: *ventrem in ventris folutione foluere plenum eft timore*: & Vallefius, *comm.* 4. *in* 4. *Epid. text.* 96. Hipp. exponens cafum Leambij fcribit: *Purgare in Dyfenteria nihil aliud eft, quam maiorem humorum colluuiem ad locum antea affectum & inteftina dolentia attrahere & periculum augere.*

Imprimis vero contra purgantium vfum prolixe difputat L. Fuchfius, *l.* 2. *paradox. cap.* 13. *& l.* 1. *de comp. med. cap.* 84. purgationemque hodie à Medicis inftitui & cōtra autoritatem antiquorum & contra rationem putat. Hipp. enim, *in lib. de morb.* vt Al. Trallianum, *lib.* 3. *c.* 21. non purgantia, fed lac decoctum exhibuiffe, Galenum etiam, vbi 9. *de comp. med. l.* 1. *c.* 5. prolixè agit de curatione dyfenteriæ, nullam purgationis mentionem feciffe. Imò 13. *m. m. c.* 3. cum circa fedem vel aliquam huic vicinam partem fit initium inflammationis, purgationem prohibuiffe. Errandi autem occafionem fuiffe Recentioribus, quod malè Rha Barbarum pro Rhe Græcorum feu Pontico, quod adftringendi vi præditum, vfurpauerint.

Eodem modo Alexand. Maffaria prolixè contra vsū purgantium in Dyfenteria difputat, & imprimis autorita

toritate Galeni vrget,qui cũ in aliis methodi medendi locis,tum præcipuè, 3.*meth.medend.c.*11.pluribus docet, & exemplis demonſtrat, ad partem affectam non eſſe trahendum,neque per eam euacuandum. Cum ergo in Dyſenteria inteſtina cum fluxione, tum vlcere, ſæpe etiam inflammatione laborent, non licere putat, purgantia exhibere, quæ fluentes humores ad illa magis attrahant, doloremque vlceris & alia ſymptomata augeant. Neque etiam Galenum vel vllum alium probatum Medicum purgantibus in curanda Dyſenteria vsũ ſtatuit. Et quanquam Galenum, Dioſcoridem & alios Medicos Rhabarbaro vſos fuiſſe legamus: tamen id non rharbarbarum, quo hodie vtimur, ſed rhaponticum fuiſſe docet,quod non ſolum nullam ducendi aluũ facultatem habeat,ſed contra etiam non leuem adſtringendi vim,vt quoque exſpuentibus ſanguinem, phthiſicis, Dyſentericis conferat; reprehenditque Trincauellium, quod ſcripſerit, Medicos antiquos in curanda Dyſenteria omnes rhabarbaro vſos fuiſſe.

Verum enim vero eorum ſententia probabilior eſt, quam & experientia confirmat, qui purgantibus in Dyſenteria vtuntur. Etenim præſtat, paucioribus vicibus medicamento humorem euacuare, quam permittere, vt pluribus vicibus à natura expellatur, & diuturniore tranſitu ac mora in inteſtinis ea lædat & maius damnum afferat. Præterea ſi humorum vitioſorum copia medicamento minuatur, reliquos facilius temperare & coquere poteſt & medicus & natura, vt inter exeundum poſtea minus nocere poſſint. Inſuper ſi Medicamenta humores temperantia & dolorem lenientia vſurpentur, antequam corpus purgatum ſit, corrumpuntur & parum proderunt. Atque ipſe Galenus, 2. *de ſimpl. med. facult. cap.* 12. & 14 docet, non eſſe exhibenda medicamenta, quæ acrimoniam humorum mordicantium temperant, niſi prius humores medicamentis abſterſi atque euacuati fuerint.Et quamuis ipſe melle ſolum *loco allegato* ad abſtergendum vtatur, tamen proculdubio etiam rhabarbaro & myrobalanis vſus fuiſſet, ſi eo tempore cognita fuiſſent. Neque dum probauit Maſſarias, quod Antiqui Medici præclari omnes ſine purgantibus medicamentis Dyſenteriam feliciter curauerint. Etenim Hippocrates, Galenus, & Al. Trallianus abſtergentibus vſi ſunt, & inter reliqua lacte, de quo infra dicetur, & Auicennas, 3.*Can.fen.* 16. *tr.* 2.*cap.* 7. purgantibus vtitur, etſi cum cautione.

Quamuis verò per locum affectum, quod in methodo medendi prohibitum, euacuari hoc modo, atque aliquid damni inteſtinis tranſitu humorum vitioſorum per ea inferri videatur: tamen damnum illud exiguum eſt; commodum verò, euacuatio ſcilicet humoris vitioſi,longè maius; cum impoſſibile ſit Dyſenteriam curare,manente, quæ eam facit & auget, cauſſâ. Et quidem ſi Medicus alias vias haberet, per quas humorem vitioſum, qui omnino euacuandus eſt, euacuare poſſet, eſſet ſanè id commodum; verùm alius commodior locus non datur. Neque enim tutò per vomitum licet omnem illam materiam euacuare, neque id fieri poteſt:neque etiam niſi purgatio præceſſerit,commodè per vrinam euacuare licet, & medicamenta diuretica fortiora caliditate & ſiccitate ſua acrimoniam humoris dyſenteriam excitantis potius augebunt. Neque in principio ſine periculo humores ad inteſtina ruentes ad alia loca ducuntur; cum incommoda, quæ ex intempeſtivè ſuppreſsâ Dyſenteria ingruere ſolent, nota ſint. Neque inſigne aliquod incommodum metuendum ex iſta ad partem affectam attractione. Tum enim humorum ad partem affectam attractio periculoſa & noxia eſt, cum humores ad partem affectam attrahuntur, ibique ſubſiſtunt; quod hìc non accidit. Neque vlcus inteſtinorum ſimpliciter à fluxione, & quatenus ea talis, ortum habet; cum ſæpe Diarrhœa fiat, & fluxio ad inteſtina, quam tamen nulla exulceratio ſequitur. Hæc enim ab eroſione ſolum prouenit, quæ accidit, ſi humores ſimul acres ſint,& in inteſtinis moram trahant. Quod cum in purgatione rectè inſtituta non fiat, ſed potius prohibeatur, incommodum etiam nullum ex ea metuendum. Mitioribus tamen, vt modò dictum,medicamentis purgatio peragenda, non fortioribus, quæ à valde remotis fortiter attrahunt. Videatur etiam Horat. Augentius,*lib.* 10.*epiſt.*3.

Si tamen maligna febris coniungatur, malignitatis etiam habenda ratio eſt. Ideoque, ſi ea vrgeat, parcè vſurpatis vel etiam poſthabitis purgantibus ad medicamenta properandum, quæ humorem acrimoniam & malignitatem temperant.

## QVÆSTIO V.

### *An lactis vſus in Dyſenteriâ conueniat?*

*An lac in Dyſenteria conueniat?*

Lac non ſolum in diæta Dyſentericorum præſcribi, ſed & loco medicamenti vſurpari,& cum ſolum exhiberi, tum alia medicamenta in eo coqui, tum per clyſterem iniici, è libris Medicorum notiſſimum eſt. Contra tamen nõ ſemper tuto exhiberi etiam certum, imò, vt Amatus Luſitanus, *centur.*2. *curat.* 44.ſcribit, interdum ſi detur,inſtar veneni ſe habet, & Hipp.5. *aph.* 64. capite dolentibus, febriculoſis, & quibus hypochondria elata ſunt, ſiticuloſis, quibus item bilioſæ alui deiectiones ſunt, aut febres acutæ, lac præbere malum eſſe ſcribit. Quapropter de recto eius vſu ſpecie quædam ſubnectere libet.

*Lac tribus ſubſtantiis conſtat.*

Lac cum tribus ſubſtantiis conſtet, caſeoſa, quâ præcipuè nutrit, & quæ vlcerata ſunt inteſtina ſanat; pingui & butyroſa,quâ dolorem lenit, digerit, & inteſtina oblinit, quò minus ab acribus humoribus lædantur; & tandem ſeroſa, quâ abſtergit & mundificat: omninò pluribus de cauſſis in dyſenteria vtile eſt, locumq;habet non ſolum vt nutrimentum,ſed etiã vt medicamentum,aut certè vt nutrimentũ medicamentoſũ.

*Antiqui quomodo lacte vſi ſint?*

Ideoque Antiqui frequenter lacte vſi ſunt;non tamen in eundum ſemper vſum.Primò quidem cum illi lenioribus purgantibus ita inſtructi, vt hodiè ſumus, non eſſent, ad abluendos, & euacuandos humores mordaces,eoſque temperandos eo vſi ſunt: deinde etiam ad fluxum ſedandum vſurparunt,vt & ad dolorem leniendum. Patet id ex Aetio, qui, *tetrabibl.* 3. *ſerm.* 1. *c.* 45. ita ſcribit: *In principio igitur poſt tertiam diem,permittentibus febribus, lacte recens mulcto adhuc calido vtendum eſt, melle tepido ei admixto, atque in eius vſu ad tres dies perſeuerandum, quantum nutriendo corpori ſuffecerit: ſequentibus deinde diebus melle adempto, & modica aqua (quartæ nimirum lactis partis menſura) affuſa paulum decoquimus & exhibemus: deinde poſt alias tres ad dimidiũ decoquimus, & poſt alias tres ad tertias, ſimiliter per tres dies, atque ita eis præbemus. Primum enim lac purgat ſimul ea, quæ in corpore ſunt, contemperando: poſtremum verò aluum ſiſtit.* Alexander verò Trallianus,*lib.*8.*cap.*8.ita ſcribit: *Imprimis lactis calefacti & inter coquendum ſæpius agitati cyathos tres exhibemus, & poſt horas duas tantundem rurſus potui damus, quibuſdam etiam tertiò offerimus;vt integra hemina abſumatur: & ſi eo die repletus æger videatur, cibo eum abſtinere iubemus.Hoc igitur modo bilis educitur, & humores corrupti modicè purgantur mitiganturque, &c.*

Veruntamen in eius vſu aliqua curatione opus eſt. Nam primò, quia ſerum aluum mouere ſolet; lac crudum & recens mulctum primis diebus ad aluum mouendam & bilem educendam exhibuerunt antiqui, vt ex Aetij *allegato loco* patet. Vbi verò iam fluxum ſiſtere animus eſt,præparatione opus eſt, & ſerum decoctione vel chalybis,aut,quod aliis cõmodius videtur, auri vel ſilicum in eo exſtinctione, maxima ex parte abſumendum,& vt lac ad aluum ſiſtendam commodus fiat,præſtandum.Nam, vt Dioſcor.*lib.*2.*cap.*75.& Aetius,*tetrab.* 1. *ſerm.*2.*cap.*95.habet: ſi lac coquatur,ſerumque con-

ſumatur,omninò ventrem non ſubducit. Secundò,quia Hipp. 5.*aphor.*64.capite dolentibus,febriculoſis,& quibus hypochondria elata ſunt, ſiticuloſis, quibus item bilioſæ alui deiectiones ſunt,aut febres acutæ, lac præbere malum eſſe ſcribit; in Dyſenteria verò febres plerumque coniungũtur, & humor dyſenteriæ cauſſa ferè bilioſus eſt:cautè lac exhibendum, & ſi quid tale adſit, quod eius vſum prohibet, omittendum:neque ſemper, quod nonnulli faciunt, ſine vllo diſcrimine tanquam ſecuriſſimum remedium vel exhibendum, vel per clyſteres iniiciendum,de quo pluribus Amatus Luſitanus, *cent.*2.*curat.*44. qui lac, ſi febris adſit,tanquam præſens venenum damnat, neque in dyſentericis bilioſas deiectiones habentibus admittit.

*Lactis præparādi modi.*

Duo verò Lac præparãdi modi ſunt,vt docet Aetius, *loco modò allegat.* Vel enim coquitur; vel chalybs, aurum aut ſilices igniti in eo exſtinguuntur. Ita enim ſeroſa ſubſtantia abſumitur, & pingues etiam ac igneæ partes diſſipantur, ne vel aluum mouere, vel in bilem facilè verti poſſit, & caſeoſa ac incraſſans relinquitur; & præterea à lapidibus & ferro adſtringentem facultatem nanciſcitur.Etſi verò Aetius præparationem, quæ per coctionem fit, præfert, cum ob alias, tùm hanc ob cauſſam, quod cinis ex ignitis lapidibus lacti commiſceatur: tamen hoc incommodum facile euitari poteſt: neque credo ſolum ad ſeri conſumptionem hanc præparationem inſtitui, ad quam coctio non minus eſſet commoda, ſed vt aliquam adſtringendi vim à ſilicibus & chalybe accipiat, & aliquæ partes pingues abſumantur, vt modò dictum. Poteſt & ſacchar.roſar.lacti commodè addi.

Antiqui tamen, præſertim ſi febris vrgeret, neque tamen lacte facilè carere poſſent, vt eius incommoda vitarent, quartam aquæ addebant. Et omnino ſi lac chalybeatum ſit ingrati ſaporis, potius docobo vtendum. Vnde Hercules Saxon. *prælect.part.*2.*cap.*20.§.7. interdũ ſine aqua coquit lac,interdũ recipit ℔. j. lactis, aquæ plantag.vel ſonchi Vnc.vj. & coquit ad conſumptionem medietatis: quo ipſo ſe non modò dolores ſuſtuliſſe,ſed & incipientes dyſenterias ſine alio auxilio ſanaſſe teſtatur.

Eſt verò inter lactis genera vaccinum conuenientiſſimum, quod craſſarum eſt partium. Mulieris tamen boni habitus & bona victus ratione vtentis naturæ humanæ adhuc conuenientius, vt poſtea *in diæta* dicetur.

---

## QVÆSTIO VI.

### *An Chalybis vſus in Dyſenteria conueniat?*

*An Chalybis vſus in Dyſenteria conueniat?*

Maior verò longè difficultas occurrit,de Chalybis in dyſenteria vſu. Equidem non ſolùm in potu, ſed & in lacte & aliis medicamentis, quæ cum exhibentur, tum per clyſteres iniiciuntur, chalybem exſtinguere plerique Medici iubent.Verùm ſuſpectum hodie multis reddidit vſum chalybeatorum medicamentorum in Dyſenteria Iohan. Crato,dum, *Conſil.*201. ſcribit: *In recta victus ratione nihil prætermittatur, nec detur potius chalybeatus,vt fieri ſolet. Non enim adſtringit,vt falſò exiſtmant Medici,ſed turbat aluum.*

Platerus etſi in Practica aquâ & vino chalybeato vtatur: tamen, *in Epiſtola ad Guiliel.Fabricium*,quam is *c.7.tr.de dyſenteria*, inſeruit, Cratonis ſententiam non planè improbat. Eſt enim, quod ipſa experientia teſtatur,in chalybe vis quædam aluum turbãdi,imò ſi paulò copioſiùs ſumatur,etiam vomitum mouendi.Hoc verò incommodum vt euitetur, ipſe quidem,vt crudæ partes in aqua & ſeroſæ abſumantur, chalybem in iis extinguere commodum putat,verum non ſæpius hoc fieri vult,ne vis illa vomitum vel aluum ciendi in aquam tranſeat, & aqua ſaltem leuiter chalybeata vtendum, aut planè omittendam cenſet.

Foreſtus quoque etſi in dyſenteria chalybeatis medicamentis vtatur:tamen crocum martis probare non videtur,dum,*l.4.de febr.obſer.4.in ſchol.* puerum quendam nouem annorum,cum Empirici cuiuſdam conſilio crocum martis accepiſſet, poſtea nigra per ſuperiora euomuiſſet, & nihil continere potuiſſe ac mortuum eſſe ſcribit. Metallica enim eiuſmodi ventriculũ lancinare.

*Chalybs aluum ſiſtit.*

Verùm ſi in Antiquorum Medicorum ſententiam inquiramus, facultatem aluum ſiſtendi & aluum mouendi ac aperiendi chalybi & ferro tribuunt.Dioſcorid.*lib.* 5.*c.*53.rubiginem ferri ſiſtere fœminarum profluuium, vinum & aquam,in qua candens ferrum ſit exſtinctum, potu cæliacis,dyſentericis,cholerâ laborantibus & diſſolutis ſtomacho prodeſſe ſcribit.Galenus,*lib.*11.*de ſ.m. fac.cap.de Lacte*,Lac deſiccantem facultatem accipere, & omnes alui fluxiones ſiſtere, ſi lapides igniti aut ferrum candens in eo extinguatur. Quod ex eo repetiit Paulus Ægineta,*de re medic. lib.* 7. §.σίδηρος *& ibidē* §. λεπὶς,vbi ſcribit,quod ferri ſquama magnã adſtrictionẽ habeat. Aëtius, *tetrabibl.* 3.*ſerm.*1.*c.*48. vinum,in quo chalybs ignitus ſit, dyſentericis exhibet.Auicennas,*lib.* 2. *tr.* 2. *cap.*253.ferrum ſtipticum eſſe ſcribit. Antiquos ſecuti ſunt poſteriores Medici ferè omnes, Valeſcus de Taranta,Gattinaria,Fuchſius,Rondeletius,Donatus ab Alto mari,*de med.hum.corpor.malis cap.de Diarrhœa*, Amatus Luſitanus, *cent.6.curat.*2.*&* 11.

Plurimi tamen etiam medici ferro & chalybi non ſolum adſtringendi & fluxus alui ſiſtendi vim,ſed & aperiendi,imò etiam aluum & vomitum mouendi facultatem attribuerunt.

*Chalybs obſtructiones aperit.*

Aëtius, *tetr.*3.*ſect.*2.*c.*11.ſcribit,Aqua,in qua chalybs extinguitur, præclarè ſplenem liquefacit, vtpote quæ conſumendi facultatem habeat. Oribaſ. *Medic. collect. lib.*15.& Aëtius,*tetrab.*1,*ſect.*2.*c.*59 §.λεπὶς,docent,quod omnes ſquamæ multũ mordaces ſint.Cornelius Celſus, *lib.* 4.*c.*9.aquam à ferrario fabro, in qua candens ferrũ ſubinde extinctũ ſit,lienem coercere, & animaduerſum eſſe ſcribit,animalia,quæ apud hos fabros educata ſũt, exiguos habere lienes.Auicennas, *lib.*2.*tr.*2.*cap.*251. in ſcoria ferri vim ſoluentem aliquam eſſe ait, & vinum, in quo exſtinguitur ferrum, fluxum alui antiquum & dyſenteriam ſanare ſcribit. Idem Haliabbas & alij Arabes ſtatuunt. Idem ſentiunt poſteriores Medici,Iohan. Langius, *lib.* 1.*epiſt.* 48.Antonius Beniuenius,*obſer.medic.c.*5.Iohan.Baptiſta Montanus,*conſil.*249. Mercatus, *de morbis mulierum lib.*2.*c.*18.*& lib.*2.*de indication.cap.*7. Reinerus Solenander, *ſect.*3.*conſil.*6.8.21.22.*ſect.*4.*conſ.* 9.& alij plurimi.Imò chalybem etiam vomitum mouere experientia docet, annotauitque id de vino chalybeato Platerus, *lib.* 1.*obſeru. pag.*225.Vnde Cæſalpinus, *lib.* 3. *de metall.c.*6.rubiginem,in quam ferrum conuertitur,maleficam eſſe ſcribit,& *ibi.c.*13.ferruginẽ in multa quantitate ſumptam vomitum prouocare & ad necẽ ducere.Vnde Auicennas, *lib.* 4.*fen.*6.*tr.*1.*c.*8.ferri limaturam & ſcoriam inter venena refert.

Cum ergo tot Medici ferro & chalybi vim etiam adſtringentẽ tribuant,ac vinum & aquam,in qua chalybs extinctus eſt,cũ dyſenteriam,tùm alios alui fluxus ſanare ſcribant:nolim ego tot Medicis ſimpliciter contradicere. Quia tamen Dioſorides & Auicennas & alij præclari Medici vim quandam aluum mouendi ferro & chalybi etiam tribuunt,atque experientia ipſa id teſtatur, & præterea ad obſtructiones viſcerum & lienis aperiendas felici cum ſucceſſu à Medicis vſurpatur, quâ ratione hæc conciliari poſſint, videndum.

Ludouicus Mercatus, *de morb. mulier.l.*2.*c.*18.vt hæc conciliet,ferrum & chalybem adſtrigẽdi & meatus obſtructos aperiendi, item vim purgandi habere ſcribit, eamq; obtinere ob maximam copiã 🜍ris & ☿rij,quã habeat:purgandi tamen vim non talem eſſe docet,qualis eſt in aliis medicamentis purgantibus; ſed quia liquandi,fundendi, & attenuandi maximam vim & efficaciam obtineat, accidere, vt ſi copioſius id faciat, per vomitũ & aluum purget: ſi verò partes illæ ſulphureæ

&

& mercuriales absumantur, id quod fit igne fortius & sæpius adhibito in croci ♂tis præparatione, medicamentum adstringendis fluxibus idoneum parari scribit. His addit & hoc: Sulphur & Mercurium in ferro duobus modis contineri; Vno, quatenus iam sunt in ferri substantiam mutata; Altero, cum veluti futura sunt ferri alimentum. Priori modo, quatenus scilicet iam cocta & in ferri naturam mutata sunt, vim purgandi habere; Posteriore verò, vtpote crudiora & quasi excrementitia nocere, corrumpere & perniciosa esse. Hinc porrò concludit: Alio modo ferrum præparandum esse, vt aluum sistat, alio vt obstructiones liberet & purget. Ad aluum sistendam 🜍 & ☿ium auferendum & separandum esse, quod fiat vel igne valido, vel aqua valida, dum in crocum ♂tis dictũ mutatur. Hoc enim modo præparatum fluxus quosvis validissimè sistere & flaccidas partes roborare scribit; si verò meatus aperire & purgare animus sit, partẽ illã in qua vis illa est, propriè vsurpandã, scil. 🜍ur & ☿ium coctum separata parte illa cruda excrementitia & extranea. Atque ita triplicem chalybis præparandi modum esse docet. Primus est, si in alio medicamento pars purgans citra aliã chalybis substantiã colligatur, chalybis limatura vel laminis cãdentibus sæpissimè in aquã vel liquorem aliũ immissis, à quo liquor vim purgandi sortiatur. Ideóque cum fluxum alui sistere volumus, primã aquã, in qua chalybs extinctus est, abiicere iubet. Secundo modo, secundum Mercatum præparatur sine igne chalybs, comminuta, liquata & separata recrementitiã illa parte aliquã vitæ aut aceto, donec ex toto vniuersa limaturæ substantia comminuatur. Acetum enim totum illud, quod extraneum est, ocyssimè conterere scribit, relictã parte natiuã. Nec obstare rubiginem, quæ acquiritur, quæ facilè igne, aqua feruentissima vel oleo separari possit. Tertius est, cũ igne sæpissimè comburente pars illa superflua separatur, manente puriore & vtiliore. Rodericus à Castro id hoc modo exprimit: cocta & vtilia principia in eius substantia inueniri, ac in eius partibus penitioribus; cruda & excrementitia naturam ad superficiem trusisse. Et Mercatum in eo recentiores alij etiam sequuntur, quod primam aquam, in qua chalybs ignitus fit extinctus, abiicere iubent, vtpote quæ aluum moueat, & postea in noua aqua sæpius eundem chalybem exstingui volunt.

Verum enim verò quædam circa hanc Mercati opinionem monenda sunt. Primò enim illud non concedi potest, in stomomate seu chalybe esse duas partes, vnam coctam & chalybi iam propriam factam, alteram crudam, alienã, & excrementitiã, quæ separanda sit. Etenim sit sanè, vt in ferro tale quid reperiatur: tamen chalybs ita purpuræ & homogeneæ naturæ est, vt tale nihil in eo reperiatur, sed tota eius substãtia vnius naturæ est. Itaque effectus quicunque à chalybe proueniunt, ab ipsius substãtia proficiscũtur. Ex quo deinde sequitur falsũ & illud esse, quod putat, aqua vitæ, aut aceto, dum ab iis vniuersa limaturæ substãtia comminuitur, illud quod extraneum & excrementitium est, conteri & absumi, relictã parte natiua, & æruginem etiam, quæ relinquitur, facilè separari igne aut aqua feruentissima. Nam aquam vitæ seu Sp. vini quod attinet, ille non sufficit ad ferrum corrodendum aut soluendum, nisi alia calcinatio vel solutio præcesserit. Acetum verò quidem hoc præstat, sed nihil separat, sed totam chalybis substantiam comminuit & soluit, imò sal aceti sese chalybi vnit, vt ita facilè separari non possit. Rubigo quoque non alterius naturæ est, sed ipsa chalybis substãtia in hanc formam redacta. An verò in chalybe duæ partes sint, vna adstringens, altera liquans, fundens, & attenuãs humores, aluúmque mouẽs, de eo mox dicetur. Cornelius Celsus certè, *loco allegato*, aquã fabrorum ferrariorum ad lienem coërcendum vtitur, à qua nihil abiicitur, & in qua ferrum candens non vnum, sed varium, idque sæpissimè extinguitur.

Iulius Cæsar Claudinus, *in append. lib. de integr. ad infirm. sect. 2.* & ipse admittit, in chalybe esse vim adstringentem, ac præterea attenuantem & obstructiones aperientem, imò aluum mouentem. Has autem diuersas qualitates & facultates pendere à diuersis partibus, quibus chalybs constet, aliis frigidis, aliis calidis; chalybem verò aluum soluere non trahendo, sed irritando statuit.

Chymici Recentiores etiam non vnius opinionis sunt, sed alij duplicem crocum ♂ statuunt; vnum adstringentem, & alui atque alios fluxus sistentem, qui fiat per fortes calcinationes, & ignem reuerberij, quã vis 🜍ris & ☿rij separatur: alterum aperientem, qui fit baculis ferri vel chalybis ignitis 🜍ri admotis, aut aquarum acutarũ vel sp. ⊖li vel 🜍ri aspersione & illitione.

Libauius verò hîc distinguere non videtur, *sed comment. alchym. part. 2. lib. 1. c. 10.* crocum martis reuerberatione factum non solum ad hæmorrhagias, sed & lienis morbos vtilem esse docet.

Ita & Crollius croci martis essentiam, quam describit, tam sistendis fluxibus, quam epatis & lienis obstructionibus aperiendis vtilem esse tradit. Idem à Chymicis aliis plerisque docetur.

Ex hac ergo difficultate & controuersia, vt ex iis, quæ hactenus dicta sunt, patet, nondum satis explicatã, vt nos expediamus, & nostram etiam sententiam tandem subiungamus. Primò hoc omninò præsupponendum, quod non solum tot Medicorum scripta docent, sed & ipsa experientia approbat, ferrum & chalybem atque ex iis parata medicamenta vim habere sanguinis & alios fluxus sistendi; præterea obstructiones epatis, lienis & venarum mesaraicarum aperiendi, imò aluum turbandi, & nonnunquam etiam vomitum ciendi.

Secundo sciendum, notas illas qualitates, adstringendi, liquandi, fundendi, attenuandique vim, imo aluum turbandi & vomitum ciendi non prouenire à ferro & chalybe integro, sed resoluto. Ferrum enim & chalybs, vt & alia metalla, tam compactæ & solidæ naturæ sunt, vt integra nullo modo notis qualitatibus aliquid in corpus nostrum agere possint: Resoluta verò id præstant, quod præstant, vt mox dicetur. Estque hoc verum non solum de ferro, sed & aliis metallis, imò de ipso auro. Fulminans etiam aurum dictum aluum mouet; quod integrum non facit.

Tertiò, An tamen occulto modo aliquid etiam integrũ, præcipuè ignitum, agere possit, Chymicis considerandum relinquo. Cum enim omnia metalla suam soliditatem & compactionem ab interno principio, spiritúque quodam coagulante obtineant: non planè absurdum videtur, etiam integra, præcipuè si incandescant, occulto modo & per spiritum quendam coagulandi vi præditum, alia liquida compingere & coagulare, & proinde etiam fluida sistere posse. Documenta huius rei Chymicis non pauca nota sunt. Si plumbum liquefiat, & in liquefactum fouea aliqua imprimatur, & mercurius viuus in eam fundatur, mox ille fluiditatem amittit, & instar plumbi coagulatur. Talem ergo figendi, & humores fluidos sistendi vim à ferro ignito, vino, aquæ, lacti, in quibus exstinguitur, communicari posse, vt credam, id persuadere videtur, quod non solùm chalybs, sed & silices igniti, imò aurum eundem in finem vsurpetur: cum tamen certum sit, auri substantiæ ignitione nihil decedere. Neque est, vt aliquis dicat, ignitionem hanc, & in lacte exstinctionem eo fine institui, vt serosa pars absumatur. Nam si hic saltem finis esset huius exstinctionis, posset idem coctione fieri. Et quid in aqua absumet aurum ignitum? Verùm hac de re cuique suum iudicium liberum esto.

Quartò præparationem & resolutionem chalybis quod attinet, etsi ferrum & chalybem resoluendi plures modi sint, scilicet per longum ignẽ & reuerberationem, per aquarum fortium, spir. vitrioli, sulphuris, aceti affusionem vel aspersionem, sulphuris, affricationem, quæ ignito adhibetur: tamen omnium harum solutionũ fundamentum in mutatione in vitriolum aut vitriolatam naturam consistere videtur. Vt enim Chymici quidam docent

docent, vitriolum est proxima metallorum materia, & in eam tanquam proximam naturæ metallicæ omnia metalla recurrere possunt, vt in cupro & ferro notissimum: de quo iam non disputo. Hoc certum est, salem quendam vitriolatum omnibus metallis inesse, & vt ex omnibus metallis crystalli, seu quoddam vitrioli genus: ita etiam ex omni ferro & chalybe quocumque modo calcinato vitriolum martis dictum iterum fieri potest. A quo crocus martis non multum differt. Ergo siue substãtia, quæ à chalybe ignito liquore communicatur, siue scoria ferri, siue ferrugo, siue crocus martis, siue chalybs præparatus sumatur, omnis horum vis à vitriolo pendet, omniáque hæc vitriolata esse vel gustus docet. Verum cum vitriolum qualitates diuersas habeat, secundum diuersas partes, quibus constat, astringit, calorem & efferuescentiam humorum restinguit, calefacit, desiccat, vlcera claudit, vomitum excitat, vomitum sistit. Seu, vt Galenus, 9. *de simpl. med. facultat.* hac de re scribit, *Mirari subit de hoc medicamento, quo pacto vehementissimæ adstrictioni admixta est caliditas non instrenua. Constat ergo, quod maximè condire & seruare carnes humidas potest, nimirum caliditatem humiditate absumens, atque adstrictione substantiam contrahens & constipans. Hoc enim opere nonnihil etiam humiditatis ipsius exprimit. Constringit verò, desiccat, atque contrahit in se substantiam carnis.* Resoluitur enim vitriolum in phlegma, spiritum & oleum rubicundum, colcothar, salem, terram, quæ vt singula peculiares qualitates obtinent, ita & inuicem variè mista.

*Vitrioli facultates.*

Quintò & hoc monendum, chalybem & ferrum & medicamenta ex iis parata, vt & vitriolum, equidem multis morbis, etiam hausta, vtilia esse: tamẽ quia omnia metalla naturam corpori nostro aduersam obtinent, omnino dosin certam in iis exhibendis diligenter obseruandam, quæ si transcendatur, id quod medicamẽti loco esse poterat, venenum euadit. Ita, vt antea diximus, ferrum & scoriam ferri (maiori scilicet copia sumpta) inter venena refert Auicennas, & Cæsalpinus, *lib.* 3. *de metall. c.* 13. ferruginem, quam iusto pondere inter medicamenta admittit, in nimia quantitate vomitum prouocare, & ad necem ducere scribit. Aduersa tamen illa nostro corpori vis nunc magis, nunc minus sese exserit, pro vario præparandi modo. Dum enim ferrum à naturâ sua adhuc parum recessit, minus stimulat; magis verò, vbi iam ad ferruginis & vitrioli naturam tendit. Ita scoria ferri tutius medicamentum est, quam rubigo ferri, quod etiam Cæsalpinus monet, *l.* 3. *c.* 19.

*Chalybs an dysentericis conueniat.*

Ex quibus omnibus tandem conclusionem huius quæstionis hanc colligimus: Aquam, lac & vinum chalybeatum non planè reiicienda esse; cum seu spiritus aliquis coagulans & humores fluidos sistens, seu scoria quædam adstringens liquori communicetur. Extinctionem tamen hanc cum Platero moderatã esse volumus, neque nimis sæpe fieri; cum certũ sit, si multum de ferri substantia absumatur, aluum turbari, imò si copiosius sumatur, vomitum quoque citari. Et omnino parcius chalybs in dysenteria exhibendus est, quàm in cachexia vel viscerum obstructione; cùm adstrictione solùm aliqua, non aliis chalybis effectibus hic opus sit. Neque distinctio inter chalybem recentem & sæpius ignitum locum habet; aut partes ferri, quæ in prima ignitione liquori communicantur, saltem vim aluum mouendi habent: sed quia chalybs homogeneæ naturæ est, omnes eius partes eandem vim habent, & quò plus de eius substantia liquori communicatur, eò magis aluum vel vomitum mouet. Neque etiam aquam primam abiicere opus est: nisi forsan chalybs non purus sit, sed quandam rubiginem extra contraxerit. Hæc enim cùm aquæ in exstinctione communicetur, eam abiicere non incommodum est.

Monendum & hoc puto, liquores illos chalybeatos recenter paratos vsurpandos esse, præcipuè si chalybs ignitus sæpius in iis extinctus sit. Chalybis enim substantia principio & statim ab extinctione saltem scoriarum naturam retinet; si verò diutius in liquore illo maneat, in rubiginem quasi mutatur, & tum vim potius aluum turbandi, vomitúmque ciendi ac humores fundendi, quam sistendi habet. Cuius rei indicium præbent vina chalybeata, quæ ad obstructiones epatis & lienis exhibentur, & si copiosius sumantur, & aluum & vomitum mouent. Non enim statim postquam chalybs in vinum iniectus est, exhibentur, sed in Sole vel loco calido aliquot diebus agitantur, vt chalybs melius resoluatur.

*Croci martis in dysenteria vsus.*

Si autem quæratur de croco martis & chalybe præparato in dysenteria exhibendo, eum martis croco vsurpandum potius censeo, qui solius ignis & reuerberationis beneficio paratus est. Is n. nondum adeo vitriolatam naturam adeptus est, sed vt eam acquirat, alia adhuc resolutione opus habet, ideóque adstringendi potius, quã aliã vi pollet. Reliquæ præparationes chalybis omnes, siue sint chalybis præparati in vino vel alio liquore infusiones, siue per aqu. fortem, spir. 🜍, ⊖, ✕ um, solutiones, omnes iam vitriolatam naturam magis sapiunt, & croci hoc modo præparati aliquid de liquore soluente participant, salémque aceti & aquarum fortium sibi vniuerunt; & proinde etsi quandam adstrictionem habeant, & propterea in cachecticis viscerum laxorum tonum roborent: tamen quia vis aperiendi, humores fundendi & liquandi, ac si copiosius sumantur, aluum turbandi & vomitum ciendi in iis præualent, in dysenteria locum non habent, sed potius in viscerum obstructionibus & cachexia. Cum enim præparationibus istis partes omnes, in quas aliàs vitriolum resolui potest, separatæ non sint, sed instar vitrioli à terra crassiore separati & parum calcinati sese habeant, & propterea in iis adhuc spir. vitrioli cum sale mistus sit; non mirum est, si & aperiant, interdum etiam vomitum ac aluum moueant; cum salis vitrioli maximè proprium sit vomitum mouere. Et si omnino crocum martis hoc modo præparatum exhibere libeat, dosis omninò sit minor, ne acrimoniã, quam obtinet, intestina vellicet, aut vomitum cieat, ac aluum turbet, quod Empirico illi apud Forestum, *lib.* 4. *obseru.* 4. *in scholio*, accidit. Quæ verò de chalybe, qui aperitionis viscerum gratiã exhibetur, dici possent, hic, cum huius loci non sint, prætermittimus & in alium locum commodiorem reiicimus.

*Feces nigræ.*

Tandem vnum hoc circa vsum medicamentorum chalybeatorum monendum censeo, accidere plerumque & post vsum medicamentorum talium, sicut & post potum acidularum & thermarum vitriolatarum accidere solet, vt nigra per aluum deiiciantur; quæ vulgus, imò & sæpe Medici incautiores pro humore melancholico & atro, quem talia medicamenta educant, habeant; cum tamen sæpe color ille saltem sit à vitriolo, & vulgo etiam notum sit, ex ferri rubigine atramenta & tincturas nigras fieri.

## CAPVT VIII.

### *De fluxu alui sanguineo & hepatico.*

*Fluxus sanguinis.*

QVandoque sanguis per aluum, etiam sine intestinorum exulceratione, & plerumque nullo cum dolore excernitur, cui sanguinis fluxui à veteribus dysenteriæ nomen quoque attribuitur; vt *cap. præcedente* dictum, vbi cruentarum alui deiectionum quatuor differentias explicauimus.

Illis tamen addi posse videntur & aliæ sanguinis excretiones, vt quando ruptâ aliquâ in epate venâ sanguis & per aluum & vomitum excernitur: item sanguinis per hæmorrhoides euacuatio.

### *Caussæ.*

*Caussæ.*

Emittitur autẽ sanguis per intestina, quia vel expellitur siue à toto, siue ab epate per mesaraicas ob copiam aut acrimoniam, vel exit apertâ seu rupta venâ; vel non retinetur iusto tempore in epate ob imbecillam eius facultatem. Modus, quo vasa aperiuntur est, ἀναστόμωσις, nonnunquam & ruptura. Quidam & per διαπήδησιν in

in epatis imbecillitate fieri volunt, vbi sanguis serosus ob tenuitatem in epate egreditur per rarefactas vasorum tunicas, aut certè reseratis exilium vasorum osculis. Fluxus sanguinis, qui ab epatis imbecillitate prouenit, propriè & in specie Hepaticus dici solet: reliqui in genere fluxus sanguinolenti dicuntur. Qui fluxus cum caussis & curatione differant, seorsim tractandi.

### *De fluxu sanguinis à copia eius.*

*Fluxus sanguinis à copia eius.* Primo quidem quandoque sanguis profluit ruptâ aut apertâ aliqua vena in epate, atque tum non solum per aluum, sed & per vomitum sanguis effunditur. Et cognoscitur hæc caussa ex relatione ægri, qui an percussus vel lapsus fuerit, aut aliud aliquid graue onus eleuauerit, vel simile quid passus fuerit, referet. Verum pauci ab hoc profluuio sanguinis euadunt, partim ob copiosum sanguinis fluxum, partim quia ex concreto sanguine in ventriculo in lipothymiam incidunt, partim in hydropem. Si quæ tamen salutis spes sit, ea cura adhibenda, quæ supra in sputo sanguinis proposita est.

Deinde sanguinis per aluum fluxui occasionem præbet. Primò Intemperies epatis natiua calida. Hæc enim cum naturalis sit, alimentum attractum totum ferè in sanguinem vertit, cuius copiam cum natura absumere non possit, superfluum sæpe per hæmorrhagiam narium euacuat, quandoque ad intestina effundit. Secundò defectus alicuius membri. Cum enim ea pars sanguinis, quæ membro deficienti alimentum præbere debebat, abundet, natura eam ad intestina ablegat. Tertiò consuetæ alicuius euacuationis suppressio, vt si menses, hæmorrhoides, hæmorrhagia narium consueta subsisterit.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Si sanguis à toto prodeat, & sola quantitate peccet, repentè ille & copiosè per interualla mediocria egreditur, & profusus ilicò concrescit, exitque sine notabili in ventre & intestinis molestia, & sine virium aliqua deiectione, & ferè etiam sine coloris in facie mutatione; & præcesserunt caussæ, de quibus antea diximus. Ideoque ægrotus interrogandus, an euacuatio aliqua consueta suppressa sit, an membrum aliquod amissum sit; quorum si nihil acciderit, in Epate caussa hæret.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Si sanguis sola copia peccet, minus periculosus est eius fluxus, quam si simul qualitate, tenuitate scilicet atq; acrimonia, quia talis lõgius à naturali statu recedit.

2. Difficilius toleratur, cæteris paribus, fluxus sanguinis, si materia in vias intestinorum superiorum prodeat: quia digniora illa & distributioni chyli destinata sunt, doloresque ibi vehementiores existunt ob consensum cum partibus principibus.

### *Curatio.*

*Curatio.* Si ex sanguinis copiâ, aut suppressa euacuatione fluxus eius accidat, non sistendus est adstringẽtibus, & iis, quæ sanguinem condẽsant, ne suppressus aliò tendat, & grauiorem aliquem affectum excitet: sed victus parcior imperandus, & frictionibus, cucurbitulis, lauacris ad crura & brachia retrahendus & distrahendus, vt natura auara quasi facta sanguinem auidius postea retineat.

Eodem modo curatur fluxus, qui ex redundantia sanguinis ob membrum aliquod amputatum ortum habet. Neque enim ille fluxus sistendus, sed sanguis minuẽdus victu parciore, & fluxus præcauẽdus statis temporibus bis vel ter in anno, sanguine emisso, prout eius redundantia postulare videtur.

Si verò solum ex epate nimiam sanguinis copiam generante proueniat, & æger bene toleret, non sistendus fluxus, sed sinendus; cum sæpe cum valetudinis commodo fiat, & ætatis progressu sponte quiescat.

Si verò immodicus sit, venæ sectione euacuatio & deriuatio fiat. Interim epar paulatim temperare, & victum nonnihil minuere conuenit, ne nimia sanguinis copia generetur. Prodest & serum lactis chalybeatũ, aut in quo semina melonum cocta sint. Succus item aut decoctum endiuiæ vel plantaginis cum puluere rosar. rubrar. & corall. rubror. Clysteres quoque ex sero chalybeato cum adstringentibus cocto vtiliter iniici possunt. Si sanguini bilis, quæ dum acrem & ad fluxum promptiorem reddere solet, sit admista, hæc prius leniter euacuetur iis, quæ simul adstringendi vim quandam obtinent. vt:

℞. *Myrobalanor. citrinar.* Drach. ij. *rosar. rubr.* Scrup. ß. *sem. acetosæ* Drach. j. Coq. *in aqua plantaginis.*

Dosis sint Vnc. iij. quib rhabarb. Scrup. ij. addi possunt.

Postea adstrictio fiat cum trochiscis de spodio, terra sigillata, syrupo de rosis siccis &c.

### *Diæta.*

*Diæta.* Qui plethorici sanguinem deiiciunt, iis consulit Galenus, 4. *de articul.* vt minus comedant, quam prius, & cibos quidem pauci alimenti: frequenter aluum ducant, quantum possunt exerceantur, frictionibus vtantur: ante cibum sæpe, pòst nunquam lauentur.

Si qui aquis vti possunt digerendi vim habentibus, id vel maximè faciant. Abstineant à vino.

### *De fluxu hepatico.*

*Virtus epatis in quo consistat, & quomodo debilitetur?* Fluxus hepaticus ab imbecillitate epatis sanguinem rectè generare non valentis originem habet. Vt autem virtus epatis, sicut & aliarum partium, non cõsistit tantum in tẽperie, sed in calido & humido innato, spirituque insito, qui est præcipuum instrumentũ omnium facultatum: ita imbecillitas epatis non consistit tantum in temperiei mutatione, sed in defectu calidi innati. Calidum autem innatum extinguitur vel à caussa frigida, vt intemperie frigida vicinarum partium, puta mesenterii, intestinorum, ventriculi, aqua pota, medicamentis frigidis; vel absumitur & dissipatur à calore vehemẽti, seu in epate, seu in partibus vicinis excitato, vt in febribus ardentibus: vel absumitur à caussis siccantibus ex temperie scilicet sicca, fluxionibus & euacuationibus immodicis: vel suffocatur ab humida totius corporis constitutione.

Platerus aliam adhuc caussam ponit, caliditatem scil. epatis & sanguinis mesaraici summam tenuitatem, quæ oscula venarũ aperiat; de quo infrà in *quæstione* dicetur.

Vt autem caussæ, quæ imbecillitatem epatis inducunt, eiusque naturalem constitutionem vitiant, non sunt eiusdem generis: ita ipse fluxus non semper est eiusmodi. Nam aliquando solum sanguis serosus crudus & semicoctus excernitur, qui legitimus est fluxus hepaticus. Fluxus enim hepaticus legitimus prouenit ab imbecillitate epatis, ob quã sanguificatio non rectè perficitur, seu ab intemperie ipsam facultatem & calidum ac humidum natiuum virïante: Spuria verò ab intemperie non lædẽte facultatem, sed corrumpente eius opus, sanguinem scilicet; ita vt loco puri sanguinis impurus & corruptus proueniat, & ob quem etiam bonus sanguis in malum degenerat; cum in legitimo fluxu sanguinis nũquam bonus & perfectus sanguis in epate generetur. *Fluxus hepaticus legitimus.*

*Spurius.* Atque hic spurius hepaticus fluxus fit, dum sanguis acrimoniam & mordacitatem acquirit ob bilem flauam aut atrã permistã; vel dum ex diuturna in epate, & locis vicinis mora crassus redditur, & aduritur, sæpe etiã putrescit; vel dũ epar limosum & feculentũ sanguinẽ generat lienis vitio, qui id, quod feculentũ est, ad se nõ trahit.

Atque ita quamuis epar varias dispositiones pati, & variè alterari possit, tamen sola temperamenti & qualitatum in epate mutatio fluxum hepaticum propriè di-

ctum & legitimum non producit, ſed ſaltem ſpurium. Cum verò ſanguis nonniſi crudus & imperfectus generatur, id non accidit, niſi vi ſanguificatrice epatis læſa ob calidum & humidum epatis læſa ob calidum & humidum epatis innatum imminutum: atque hinc accidit, quod febres ardentes, immodicæ euacuationes, & aliæ cauſsæ calidum, humidumque innatum epatis abſumentes & diſsoluentes, hydropem, & hunc hepaticum fluxum excitent, reliquæ alterationes non item.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Fluxus hepaticus ab imbecillo epate, & præcipuè legitimus, facilè cognoſcitur. Id n. quod exit, dilutè rubet, vt lotura carnis animalis recens mactati, neque concreſcit & frequentius effluit, ob læſam ſimul epatis retentricem, ſine aliqua mordicatione, niſi plus bilis ſimul efferatur.

Diſtinguitúrque hic fluxus à diarrhœa, quod in diarrhœa nulla adſit imbecillitas epatis; in fluxu verò hepatico ſigna hepatis imbecillitatis manifeſta adſint. Nam cum epar eſt frigidum, color totius corporis eſt pallidus, palpebræ ſunt quaſi inflatæ, pedes tument, excrementa ſunt cruda & aquoſa, abeſt ſitis & cibi appetentia. Et cùm incipiente tali fluxu notum habere vtile ſit, à qua cauſſa originem duxerit, facilè ex antecedentibus morbis id cognoſcere licet.

### *Prognoſtica.*

*Prognòſtica.* 1. Omnis fluxus hepaticus malus. Ducit n. ad cachexiam, hydropem, tabem, & tandem mortem. Hippocrates & Galenus, 2. *Progno ſt. text.* 17. *& ſeqq.*

2. Incipiens, & in iuuenibus difficulter curatur: inueteratus & in ſenibus ferè nunquam.

3. Quibus hepaticis ſputum cruentum ſiue ſubpallidum ſiue bilioſum meracum, ſtatim lethale. Hippocrates, 6. *Coac. text.* 21. Magnum n. affectum indicat, in quo neque epar per loca conuenientia expurgari poteſt, ſed partes ſupra ſeptum tranſuerſum in conſenſum trahit.

### *Curatio.*

*Curatio.* In legitimo ſanguinis hepatico fluxu ab euacuantibus abſtinendum, ſed epar roborare, & calidum innatum reficere oportet, vt auctâ calidi innati ſubſtantiâ ad priſtinam conſtitutionem epar reducatur. In hunc vſum nec calefacientia, nec refrigerantia per ſe ſatisfaciunt, ſed potius ea requiruntur, quæ epatis ſubſtantiam reficiunt, ſimúlque moderatè calefaciunt; vt & in atrophia & tabe, ita & in hoc affectu calidi innati ſubſtantiam potius augere, quàm in qualitatibus mutandis ſolum occupari conuenit.

Atque ita cum iſta ſeſe habeant, tutiſſimum eſt, alimenta medicamentis, & medicamenta alimentis ita temperare & miſcere, vt facilè in epatis ſubſtantiam vertantur, iecúrque maiorem caloris naturalis copiam acquirat; quo aucto poſtea alimenta facilius concoquere poſſit. Ideóque inter cibos perpetuò vnus exhibendus, qui epatis ſubſtantiæ ſit ſimillimus, iſque condiendus medicamentis, quæ intemperiem epatis corrigere valẽt; qua in re etiam ad cauſſas, quæ præceſſerunt, reſpectum habere non inutile eſt. Commendatur ad hunc vſum epar & ſanguis anſeris, anatis, gallinarum, teſtudinum, pullorum teſtes, è quibus varia ciborum genera parari poſſunt, quæ aromatibus, cinamomo, caryophyllis, macere, croco & ſimilibus condire vtile eſt. Imprimis commendatur epar lupi præparatum. Ludouicus Mercatus hanc aquam commendat, eámque omnibus cibis admiſcere iubet.

℞. *Epatis lupi recentis, aqua vitæ & ſale abluti* Vnc. iv. *ſanguinis teſtudinũ* Vnc. ij. *pulu. ſantal. omnium* Vnc. j. *ſchœnanth.* Drach. j. *eupatorij viridis* M. ij. *roſarum* P. j. *pulu. cinamom. caſſiæ ligneæ, nardi, iunci odorati, calami aromat. croci, myrrhæ* an. Drach. ij. *raſuræ eboris, cornu cerui* an. Drach. iij. *paſſular. Corinthiacar.* Vnc. vj. *theriacæ magnæ, Mithridatij, confectionis alchermes, diſſolutor. in ſpiritu vini* an. Vnc. ß. *terebinthinæ abietis* Vnc. j. *mellis, ſacchari* an. Vnc. v. *vini albi & rubri odorati, aquæ eupatorij* an. ℔. iij.

Macerentur per triduum & poſtea deſtillentur.

Atque ita in prima menſa ſemper aliquid cibi medicamentoſi offerendum, poſtea is, quem æger auidius appetit, modò non ſit craſſæ & prauæ ſubſtantiæ.

Exhibeatur quoque puluis epatis lupi præparati cum conſerua roſarum, cinamomo & paſſulis.

Vel ℞. *Pulpæ paſſular. Corinthiacar. cum vino veteri & generoſo extract.* ℔. ß. *cortic. citri conditor.* Vnc. ß. *ſpecier. aromatici roſati* Drach. j. *diarrhodi abbatis diatragacanthi.* an. Dr. ß. *diamargar. frigidi* ℈. ij. *puluer. corallior.* Drach. j ß. *epatis lupi præparati* Drach. iij. *ſantalorum omnium* Dr. j. M.

Vel fiat talis puluis.

℞. *Epatis lupi præparati* Drach. ij. *ſpec. diarrhod. abbat. ſine camphora aromatici roſati* an. Drach. ß. *rhabarbari* Drach. j. *corticum thuris* Drach. ß. *ſpodij, ſpicæ* an. ſcrup. ß. F. Puluis.

Poſſunt etiam hîc aquæ, aut potius decocta epatis vitulini, cum herbis epaticis, additis quibuſdam moderatè adſtringentibus, vſurpari.

Si epar ſeroſa humiditate abundare videatur, vtile fuerit rhabarbarum aqua roſarũ & cinamomo præparatum in ſubſtantia ſumere vel ſolum vel cũ conſerua roſarum.

Extra quoque epati roborantia adhibeantur.

### *Diæta.*

Victus ad calidum vergat, cibique ſint εὔχυμοι & εὔπεπτοι, paſſulæ imprimis vtiles ſunt; quoniam epar confortant, & ſi vitioſum aliquid in eo contineatur, id in benignum commutant, teſte Tralliano.

Videatur etiam infra *part. 6. ſect. 2. cap. 1. de Imbecillitate epatis.*

## QVÆSTIO.

### *Quænam fluxus hepatici cauſſa proxima ſit?*

Calidi innati defectum proximam fluxûs ſanguinei cauſſam eſſe, *ſupra* dictum. Verum à vulgata illa doctrina diſſentire videtur Platerus, qui ſanguificationis defectum ad fluxum hepaticum gignendum ſufficere non putat, ſed cauſſam aliam adhuc in epate & illi annexis venis meſaraicis, eamque inſolitam, addendam cenſet, ſtatuitque, eam eſſe ſanguinis meſaraici ſummam tenuitatẽ, ſeu ipſius ichorem, hoc eſt, tenuiorum partium copiam, oſculorumque venarum amplitudinem & dilatationem, cuius cauſſam eſse ſtatuit epatis caliditatem potius, quàm frigiditatem, à qua, accedente inſuper ſanguinis conſtitutione tali, venarumque ἀναςομώσει eueniat, vt ſerum rurſum per hanc viam exiguis guttis ſanguinis tinctum in inteſtina relabatur, huncque fluxum ſeroſum & cruentum efficiat.

Verùm enim verò ſi non de ſpurio, ſed de legitimo fluxu hepatico loquitur Platerus, res ferè eodem redire videtur. De hoc enim ipſo quæſtio eſt, vnde illa tenuitas ſanguinis meſaraici ſit, quæ oſcula venarũ dilatat ac aperit. Atque hæc procul dubio à peculiari epatis vitioſa conſtitutione & calidi innati in eo defectu ortum habet, quæ pro ſanguine bono, & ſuo modo craſso hunc ſeroſum generat: ſicut idem in hydrope euenit; imò & in aliis partibus euenire videtur, præcipuè in neruis & neruoſis partibus affectis; quæ, dum ſanguinem affluentem rectè mutare & ſibi aſſimilare non poſsunt, is in ſeroſam quandam naturã & ichorẽ quaſi degenerat, quem vulgo *das gliedewaſſer* appellant. Atque iſta conſtitutio non ſolùm in qualitatum primarũ mutatione, ſed & in calidi

calidi innati diminutione consistit. Ideoque cum caussam huius morbi statuit esse Platerus potius caliditatē, quam frigiditatem, id de incipiente potius, quam iam confirmato fluxu verum est. Etsi enim calor in febribus ardentibus malum hoc quandoque excitet: tamen id non fit, nisi per calorem illum calidum innatum dissipetur, & absumatur. Quo absumpto epar etiam refrigerari necesse est, idque tale euadere, ex facie & aliis epatis notis apparet.

## CAPVT IX.

*De Fecum alui per aliena loca excretione.*

*Excrementorum alui reiectio per os.*

FEces alui, quæ secundum naturam per intestinum rectum & anum euacuatur, quandoque præter naturam per alia loca excernuntur. In ileo ore ea reiici supra dictum, quod malum plerumque lethale est. Sed & hoc obseruatum, quosdam toto vitæ tempore excrementa alui per os reddidisse: id quod Romæ à quodam factum narrat Mercurialis, *lib. 2. de excrem. cap.* 4. & Schenckius, *ex obseruationibus D. VVolffij*, refert, Constantiæ circa annum 1530. quendam fuisse, qui viginti annos excrementa sicca omnia euomuit, aluo nihil reddens, interim mediocriter sanus & suo officio fungens vsque ad multam senectam. Et idem ex obseruat. D. Ioh. Posthij refert anno Domini 1579. Coloniæ puellam fuisse viginti annorum, quæ ferè tertio quoque die alui excrementa per os reiicere solebat, idque iam vltra triennium continuerat, clysteribus & aliis medicamentis frustra adhibitis. Decumbebat autem illa perpetuò, quod crura habebat omnia contracta, interim satis benè colorata, ingeniosa admodum & facunda. Et Thomas à Vega, *com. ad cap. 2. lib. 6. Gal. de loc. aff.* refert virginem quandam ex retentione excrementi integram perpetuamque omnis excrementi & humidi & sicci retentionem incidisse, & exigam alimentum sumsisse, per os crebrò reiecisse, & vixisse epilepticam.

Caussa huius grauissimi symptomatis fuit motus fibrarum intestinorum inuersus. Cum enim secundum naturam motus & contractio incipiat à parte superiore, & versus inferiora progrediatur, donec excrementum per aluum reiicitur: si ex voluntaria fecum retentione vel alia de caussa natura semel atque iterum frustra hunc motum tentet, inuerso ordine eum aggreditur, & ab ano inchoat, & versus ventriculum tendit, idque sæpe tanta vi, vt anum planè occludat & constringat, & quæ in eum intruduntur, vel infunduntur, versus superiora protrudat, vt suprà etiam *de Ileo* dictum.

Cui malo nisi maturè succurratur, medicamentis lenientibus & laxantibus, vt *eodem loco* dictum, malum plerumque incurabile manet.

*Per vmbilicum.*

Per vmbilicum post abscessum inter pectinem & vmbilicum ruptum puero cuidam Mediolanensi octo annorum feces alui egressas, puerumque tamen ab hoc malo liberatum fuisse, refert Cardanus, *lib. 18. de subtil.* Et Alex. Benedictus, *Practic. lib. 20. cap.* 34. narrat, cuidam Veneto puero ex abscessu intestina perforata fuisse, vt per vmbilicum magnam excrementorum partem singulis diebus emitteret; sano tamen similem per domum ambulasse.

*Per alia loca diuersa.*

Per alia etiam loca perforatis intestinis & excitatis fistulis feces alui sæpe longo tempore excretas fuisse obseruatum, vt referunt Auicen. Rhases, *in 13. continentis*. Matth. de gradibus, *de fluxu ventris*, Fernelius, *de part. morb. & sympt. lib. 6. cap.* 4. Marcell. Donatus, *de histor. medic. mirab. lib. 5. cap. 4.* Fallopius, *de cap. vulnerib. cap.* 12. Platerus, *lib. 3. obseru. sub finem.*

Refert etiam Guil. Fabricius, *cent. 1. obseru.* 51. se vidisse adolescentem, duodecim annos natum, qui tumore musculorum rectorum abdominis laborabat, quo rupto excrementa per quatuor aut quinque hebdomades per eum locum, nil verò per aluum egessit. Quæ in eius cadauere inuenta sint, ibidem videantur.

*Cur feces intestinis perforatis non in cauitatem abdominis excidant?*

Quomodo autem hoc accidat, & quomodo fiat, vt feces in cauitatem abdominis non excidant, si caussa quæratur, vero consentaneum est, id fieri, si Intestinorum vulnera eo in loco incidant, vbi carneæ musculorum abdominis portiones existunt & intestinorum, ac musculosæ carnis labia mutuo conglutinantur, & ita via paratur, per quam feces extra corpus educi possint.

Talia autem mala omnino incurabilia sunt.

Refert etiam Schenckius ex obseru. D. Iohann. Hessi, quandam Salomen Sueuam, cum incidisset in colicam, & à mulierculis applicarentur multa calida, contraxisse abscessum in intestinis, quo rupto materia defluxit ad partem femoris superiorem pedis dextri, per quatuor digitos à peritonæo infra, & ibi fecit saccum, quo aperto effluxit pura sanies, deinde per multos menses quoties egerebat feces, tenuiores per illum locum effluebant. Curata tamen fuit perfectè, corpore purgato, & exhibitis primo decoctis ad vulnera consolidanda vtilibus per multos dies, & imposito emplastro ad rupturam, vt tamen in lecto iaceret, & tandem decocto ligni propinato. Refert etiam Guil. Fabricius, *centur. 1. obseru.* 74. iuuenem quendam per inguen excrementa alui gessisse. Cum enim ex alto in terram cecidisset, atque eo casu cuspide pali abdominis musculos peritonæumque vulnere in cauitatem abdominis penetrante confodisset, intestina per vulnus exciderunt, quæ cum nec reponi commodè nec retineri potuissent, excrementa ab eo tempore nunquam per aluum, sed per intestinum hoc exonerauit iuuenis, atque variorum medicorum, Chirurgorumque consilia & medicamenta frustra adhibuit. Vid. *loc. alleg.*

Per penem quoque cum vrina feces euacuatas fuisse refert Ferrandus Senior, *libell. de nephritide*. Scribit quoque Guil. Fabricius, *centur. 1. obs.* 75. Honestam quandā matronam Geneuensem peperisse filium, qui clauso ano excrementa per ductum vrinarium simul & vrinam excernebat. Acccersitum fuit Chirurgorum & Medicorū collegium, sed nullus in ea fuit opinione, vt de ani incisione quicquam tentaretur. Tandem cum excrementa indurescerent, nec per ductum illum angustum amplius permeare posent, inflatus est venter, exorta est febris, aliaque symptomata, ita vt decimo septimo ætatis die è vita discesserit. Aperto cadauere, inuentum est intestinum rectum adnatum fundo vesicæ.

Obseruatum etiam in multis discissione vesicæ exempto calculo, aut alio modo vlcere contracto, læso quoque intestino recto feces & vrinam per vlcus defluxisse, vt scribit Desid. Iacotius, *comm. ad aph. 15. lib. 2. sect. 3. Coarcar. Hippocratis.*

Tandem etiam fœminis quibusdam per pudenda muliebria feces alui redditas fuisse obseruatum & annotatum à Beniuenio, *de abditis sanat. caussis cap.* 86. Dodonæo, *in annot. ad cap. 11. Beniuenij*. Amato Lusitano, *cent. 2. cur.* 10. Mercuriali, *lib. 3. de morb. pueror. cap. 9.* Marsil. Cognato, *lib. 1. cap. 1. Var. obseru.* Schenckio, *lib. 3. ex obseru. D. Ioh. Hessij.*

## CAPVT X.

*De rebus variis, alienis & monstrosis per aluum excretis, & ventris murmure.*

*Res alienæ per aluum excretæ.*

VIa ista per aluum eo fine à natura facta, vt superfluæ à cibo feces per eam euacuentur. Accidit tamen aliquando, vt præter naturam res aliæ etiam, eæque non vnius generis, per eam excernantur.

*Nigræ deiectiones.*

*Nigræ deiectiones.*

Accidit interdum, vt planè nigrā deiiciantur per aluum. De quo quidem Hippocrates, 4. *aph.* 21. *Deiectiones*

*An nigræ deiectiones semper pessimæ?*

*nes nigræ sanguini atro similes sponte prodeuntes, siue cũ febre siue sine febre, pessimæ sunt.* Petrus Salius Diuersus tamen monet medicos, ne sẽper nigras deiectiones, cũ sæpissimè omni periculo vacent, timeant. Sed rectissimè addit: si vstæ excretiones contingant in morbis acutis, & materia educta non sit atra bilis, sed verè melancholicus humor, qui est fex sanguinis, quandoque eueniunt, omni carere discrimine, ad bonumque terminari, exoneratà per has à graui materia naturâ ipsâ. Si enim splen præter naturam sese habeat, limosa hæc materia plurima acumulatur circa viscera, in venisque illis communibus, & si abundantior colligitur, etiam in mesenterio & circa pancreas, quæ totius corporis veluti altera sentina est, aggregatur, quæ tandem cum grauis admodum naturæ fuerit, insurgente virtute expultrice, natura eius excretionem tentat, hincque deiectiones fiunt nigerrimæ, quibus aliquando & simul connectitur eiusdem superfluitatis vomitus, vt species Choleræ videatur. Supra enim & infra eandem materiam nigram excernunt ægri.

*Deiectiones nigræ triplices.*

Sunt nimirum deiectiones nigræ triplices. Prima est ex sanguine, qui è venis excidens in grumos concrescit, aterque fit, quam Hippocrates μέλαν αἷμα, Galenus μελανθὲν appellat. Secunda est ex humore Melancholico naturali, seu fece illa sanguinis, quæ circa lienem colligitur, & fusa liquaquataque manet, nec in grumos concrescit. Tertia est ex bile atra, quæ colore nigra est, splendens, atque acris. Primi generis deiectio non ita putrescat, atque veneni naturam induat, aut caussa fit magna, vnde illa sanguinis collectio prouenit. Secunda equidem sæpe fit cum ægri commodo, vt dictum: lienis tamen & vasorum splenicorũ debilitatem arguit. Ideoque videndum, an talis euacuatio fiat per crisin, & à naturæ robore, an verò symptomaticè. Tertia pessima est, vtpote quæ accidit ab humore pessimo.

Etsi vero ex secundi generis illa deiectione vires nonnihil languidiores reddantur: tamen materiâ euacuatâ æger in meliorem statum deducitur. Medici ergo officium tunc est, in ipso paroxysmo intestina saltem clysteribus abstergere & munire, ne à materia trãseunte offendantur; Abstergentia etiam exhibere, &, si vomitu simul materia reiiciatur, eum lenioribus medicamentis faciliorem reddere; ab oxymelite verò & omnibus acidis, ac quæ acetum recipiunt, abstinere, simul verò vitare ventriculum roborantia & adstringentia, siue intus exhibita, siue extra applicata, ne materia detineatur. Postea autem dispicere, an alimentorum ratione, an verò lienis vitio hoc accidat. Si alimentorum vitio id fiat, meliores præbendi. Si vitio lienis id contingat, videndum, an ob eius imbecillitatẽ vel obstructionem id accidat, vitiumque id corrigendum, vt postea *de lienis præter naturã affectibus* dicetur. Si quid etiam materiæ eiusmodi reliquum sit, id per interualla euacuandum. Etenim si materia tota non euacuatur, vel etiam caussæ eam generantes non tollantur, recidiua fieri solet, æger-que tandem vel in hydropem vel malas ventriculi affectiones conicitur, vel materia detenta acrimoniam acquirens & in atram bilem degenerans naturam ad excretionem vehementer stimulare, ægrumque vnica enormi euacuatione de medio tollere solet, quod iis præcipuè accidit, qui vina generosiora & aromata multa in continuo vsu habent.

## *Pus.*

*Pus per aluũ deiectum.*

Pus etiam interdum per aluum deiicitur. Idque ex partibus vicinis, vt cauo epatis, vel abscessu aliquo, in mesenterio latente facilè fieri potest.

*Cur à partibus remotis pus per aluũ euacuetur?*

Hoc verò admiratione dignum est, quod etiam à partibus remotis, vt artubus materia per aluum euacuatur, id quod comiti Mansfeldiano tormento manuali ad sinistri cubiti articulum vulnerato accidisse refert Ambros. Paræus, *lib.*10.*cap.*12. Ægro enim diarrhœa superuenit, qua purulentam & fœtidam saniem à brachio & vulnere manantem reddebat. Idem aliis etiam duobus accidisse testatur, *lib.*16.*cap.*49. Neque hoc impossibile est. Si enim in febribus natura sponte sæpè, tum etiam medicamentis irritata in aliis membris vitiosos humores in vena caua passim litirantes à bonis humoribus separare, eosque per ventrem euacuare potest: cur non etiam saniem à magnis vulneribus in proximas venas sese insinuantem per aluum expellere possit?

## *Vermes.*

*Vermes per aluũ exit.*

Vermes quoque per aluum aliquando euacuari notum est, de quo supra *sect.* 1. *cap.* 5. *de vermibus* dictum. Imo etiam lacertas per aluum excretas fuisse refert Gẽma Cosmocriticæ *lib.*1.*cap.* 6. Et anguillam viuam cubiti longitudine, quam instar fœtus nouem mensibus gestarat, puellam annorum 14. per sedem excreuisse idẽ *lib.*2.*cap.*2. narrat. Scarabæi genus omne cornutum per aluum excretum fuisse ab anu pleuritica, scribit Gesnerus, *lib.*3.*epistol.*

*Lacerta. Anguilla viua. Scarabæi cornuti.*

## *Lapides & Tophi.*

*Lapides tophi per aluum exiti.*

Lapidum & tophorum varia genera per aluum excreta fuisse testantur Gentilis, *comm.ad Can. Auicenn.lib.*4. *fen.* 1. *tract. de febre sextana.* Gordonius, *part.*5. *cap.*18. *Pract.* Matth. de gradibus, *ad* 9. *Rhas.capit.de colica.* Sauanorola, *tr.*6.*cap.*16. *rubr.*17. Gainer. *cap.*1. *tract.de calculosa passione.* Thom à Vega, *comm.ad cap.*5.*lib.*1. *de loc. aff. Galeni.* Beniuen. *de abdit. sanat. caussis cap.* 14. & alij plurimi, quorum obseruationes collegit Ioh. Schenckius, *lib.*3.*obseru.* Retulit mihi etiam vir nobilis, se in acidulis Egranis aliquot calculos nigros excreuisse. Monstrauit mihi idem aliquot magnitudine pisi, colore terræ sigillatæ Strigensis, sed duriores, quos excreuerat. Globum tophaceum tunicâ inuolutum suberis substantia à fœmina quadam excretum fuisse testatur Scholiographus, *ad cap.*56.*lib.*2.*Hollerij de morb.internis.* D. Iacobus Oethæus refert filium suum tres menses natum, cum grauissimis & continuis doloribus vexaretur, post exhibitam tribus diebus continuis cassiam cum betonicæ syrupo mixtam excreuisse globulos plurimos, intus putrida & saniosa materia refertos, extra vero membrana quadam obductos.

## *Ossa.*

*Ossa per aluũ excreta.*

Mirum tandem hoc est, quod è Christophori Rumbaumij Medici quondam Vratislauensis obseruationibus refert Schenckius, *lib.* 3. *obseru. Anno* 1577. anum quandam Lipsiæ in ædibus D. Simonis Simonij cùm latus afflixisset, particulam costæ spuriæ palmæ vnius lõgitudine satis acutam ab integra effractam per abdomis cauitatem ad intestinum rectum delapsam, eo perforato, per aluum eiecisse, intestino breui consolidato.

Officula praua è pedibus gallinarum, quæ aliquot annis in intestinis hæserant, per aluum reddita fuisse, refert Platerus, *in fine lib.*3. *obseruat.*

*Caseus excretus induratus.*

Casei etiam concreti induratique & diu in intestinis retenti magnam copiam quendam post diuturnos cruciatus per aluum reddidisse *supra ex Platero* dictum.

## *Murmura & Rugitus Ventris.*

*Murmura ventris & rugitus.*

Tandem etiam inter symptomata intestinorum, & quidem quæ auditui occurrunt, sunt ventris murmura & Rugitus. Qui sanè virginibus sunt frequentiores & molesti etiam; aliis tamen quoque accidunt, & morborum quorundam ventriculi & intestinorum sunt symptomata.

*Caussa.*

Habent enim ortum à flatibus in intestinorum cauitate conclusis, & hinc inde discutientibus, nec exitum inuenientibus, præcipuè verò circa sinistrum hypochõdrium

drium & in colico, vt & circa vmbilicum, quòd eò loci intestina tenuia maximè conuoluantur. Occasionem etiam huic malo præbent virgines interdum, dum ventrem nimis arctè constringunt, vt graciles sint. Ita enim flatus in intestinis compressis retinentur.

*Prognosticũ.* Ipsum hoc symptoma nihil per se periculi habet; nisi quod præcipuè in virginibus, turpitudinem quandam parit. Si quid verò periculi portendit, id est à caussis, à quibus flatus pendent, de quo *supra* dictum.

*Curatio.* Tolluntur autem ista murmura caussis, à quibus pendent, ablatis: cruditates scilicet amouendæ, flatusque discutiendi, cùm exhibitis tum extra appliccatis medicamentis, de quibus *de imbecillitate ventriculi & colica ex flatu* dictum, quæ hic repetere opus non est.

## DE SYMPTOMATIBVS ANI.

## CAPVT XI.

### De Ani Paralysi, stupore & dolore.

*Ani Paralysis & stupor.* ANus musculo suo, qui sphincter ani appellatur, clauditur, ne feces quouis tempore excidant, sed pro arbitrio hominis, vbi stimulum excretionis sentit, excernantur. Sensu etiam exquisito anus est præditus, vt stimulum excrementorum sentiat, ne ea iusto diutius retineantur. Interdum autem vtraque hæc actio læditur. *Num in Apoplexia ani sphincter resoluatur?* Platerus equidem hoc negat, & licet in Apoplexia adsit omnium partium resolutio, vt & si in alia paralysi partes inferiores omnes resolutæ sint, nihilominus feces alui reiici, podicemque sponte retrahi posse putat. Verum memini aliquoties in Apoplecticis musculum hunc ita resolutum fuisse, vt anus planè hiarit; vnde etiam clysteres iniecti retineri non potuerunt. Verum accidit hoc saltem in Apoplexia grauissima, & Apoplexiæ plerumque lethalis indicium est.

Interdum etiam sensum, quo præditus est, anus perdit, vt stimulum excrementorum non sentiat.

*Caussæ.* Vtraque affectio ortum habet neruo sexti paris, à quo intestina neruos accipiunt, affecto, & quidem quod spiritus animalis in eam vel non influit, idque ideo, quia aut in cerebro aut neruo sexti paris est angustia, vt in apoplexia & paralysi accidit; vel licet influat, non recipitur, idque aut ob intemperiem frigidam & humidam, aut etiam vim narcoticam; quod fieri potest, si quis in lapide frigido sedeat, aut opiatum medicamentum ano sit inditum.

*Curatio.* Curatur autem hæc paralysis & stupor eodem modo, vt aliarum partium paralysis & stupor.

### De ani Pruritu.

*Ani Pruritus.* Vt anus sensum interdum amittit: ita contrà quandoque pruritu & dolore corripitur.

Pruritus atque ani assidua mordicatio ab iisdem ferè caussis ortum habet, à quibus tenesmus. Primò nimirum ab humore salso, viscido & mordaci sphincteri inhærente: deinde à fecibus acribus ibi relictis & adhærentibus: tertiò à vermibus in intestino recto, ascaridibus puta: quartò ab vlcere in ano.

*Curatio.* Curatio pro caussarum diuersitate instituenda. Nam si cum tenesmo sit coniunctus pruritus, curatio eodem modo peragenda, vt mox de tenesmo dicetur.

Si ab humore salso fit puritus, eadē ferè curandi ratio est: humor nimirum salsus & acris euacuandus, podex abluendus vel fouendus decocto foliorum maluæ, violariæ, salicis, florum verbasci, rosarum, vel aquâ plantaginis, cui parum aluminis sit admixtum, vel succo ebuli.

Si à sordibus & fecibus relictis, eæ abluendæ decocto verbasci.

Si à vermibus, curatio instituenda, vt de ascaridibus dictum, vermesque expellendi clysteribus & glandibus conuenientibus, vel gossypio terebinthina illito extrahendi.

Si ab vlcere fit pruritus, curatio ad vlcus dirigenda, vlcusque mundum semper conseruandum. Vtile est tum hoc vnguentum:

♃. *Tragacanth. sulph. citr. litharg.* an. Drach. j.

Terantur & cum aceto atque oleo rosac. F. Linimentum.

### De Ani dolore.

*Ani Dolor & eius Caussæ.* Interdùm etiam anus insigni dolore corripitur: id quod accidit præcipuè hæmorrhoidibus, inflammatione, erysipelate, aliisque tumoribus & vlceribus. Caussæ etiam externæ eundem dolorem excitare valent. Ita refert Platerus, *lib. 2. obseru.* Medicinæ quendam studiosum, cum chartâ, quâ capsici semina asseruârat, nates absterfisset, subitò tantùm ardorem & dolorem sentire cœpisse, vt nullibi quiescere posset, & præ dolore ferè insaniret. Idem alij cuidam, qui podicem chartâ, in quâ piper contentum erat, absterfistet, accidisse idem refert. Idem scribit, rusticum quendam talpam viuam in sacculo lineo caligis insuto inclusisse. Cum autē ille in mensa apud sodales moram traheret, talpam exitū quærētem primò panem, quem tum in sacco gestabat, mox & saccum perterebrasse, & in clunium interstitium se ingerentem ad podicem vsque progressam pedibus anterioribus, quibus terram fodere solet, anum dilatasse, & in eum irrepsisse, magnumque dolorem ibi excitasse, quam cum adstantes extrahere niterentur, talpa contranitente, pedibusque & acutis vnguibus intestino infixis sese firmante, cruciatus summus excitatus est, vt ab opere desistere cogeretur, donec tandem æger exagitatus dolore posteriora supra scamnum sæpe & validè concutiendo talpam attonitam redderet, ita vt vlterius in podicem tota se non ingereret, sed viribus amissis extrahi posset.

*Prognosticum & Curatio.* Periculosum malum ani dolor est, & quod vires valde deiicit ægroque interdum mortem affert. Curatur autē rectissimè, caussis, à quibus dolor pēdet, sublatis, de quo *suo loco*. Et si à rei alicuius externæ acris contactu dolor excitetur, locus aquâ tepidâ vel lacte abluendus, vel æger balneo aquæ dulcis tepidæ insideat. Ad dolorem autem leniendum anodina, & si opus sit, etiam narcotica, adhibenda, vt:

♃. *Pingued. gallin. recent. butyri recent.* ana Vnc. j. *vitell. oui* num. j. *mucilag. sem. psyll.* Drach. iij. *croci* Scrup. ß. *ceræ parum*. F. Linim.

Vel ♃. *Mucilag. sem. psyll.* Vnc. j. *cremor. lact.* Vnc. iij. *emuls. sem. 4. frig. maior.* Vnc. j. *vitell. ouor.* num. ij. Misce.

Vel ♃. *Thuris, myrrhæ, croci, opij* ana Scrup. j.

Puluerisata excipiantur mucilagine sem. psyllij & vitello oui ac pomata. Fiant suppositoria mollia.

Si dolor valde vrget, etiam laudanum opiatum vel alia opiata exhiberi possunt.

## CAPVT XII.

### De tenesmo.

*Tenesmus.* PEculiaris verò doloris ani species est Tenesmus, qui dysenteriæ sæpe accidit, imò à Galeno, 3. *de causs. sympt. cap. 2.* inter dysenteriæ species refertur.

Dicitur à Græcis τεινεσμὸς (quam vocem & Latini imitati tenesmum & tenasmum dixerunt) à tensione; cum in eo assidua & molesta tensio in podice percipiatur.

Est enim tenesmus nihil aliud quàm assidua per aluū deiiciendi cupiditas cum dolore, in qua vel nihil, vel pauca mucosa & cruenta deiiciuntur.

### Caussæ.

*Caussæ.* Causa continens huius mali & proxima est, quicquid facultatem expultricem in intestini recti extremitate stimulare potest. Propria n. huius intestini actio est excretio, & præcipuè in extremitate eius vis illa viget. Hinc pars affecta in hoc malo est podex, seu extremitas recti

recti intestini. Hâc enim solâ,non verò quauis intestini recti parte affectâ hoc malum excitatur.Nam fissuræ ani non inferunt tenesmum, nisi insint huic parti, cui egerêdi cupiditas naturaliter insita est.Quotiescunque igitur vis illa in hac parte stimulatur à quacunque caussa, deiiciendi desiderium , ac conatus excitatur, etsi sæpe inanis. Sed vt hoc fiat,caussa illa intestino adhærere & quasi affigi debet.Nam si facilè præterlabatur, consuetam saltem egerendi cupiditatē excitat, non verò præternaturalem.Ac hinc accidit, vt licet bilis flaua maximam stimulandi vim habeat:quia tamen præterlabitur facilè, & ob tenuitatem parti non adhæret,rarò tesmū excitet, & non nisi cum osculis vasorum ad intestinum hoc tendentium adhæret; id quod interdum ex nimio conatu excernendi accidit,reseratis præter naturam osculis.

In dysenteria quidem vel exulceratio eiusdem intestini,vel humor acris,mordax,& salsus inferiori intestini recti parti adhærens eamque vellicans huius mali caussa est. Præter has caussas etiam expultricem stimulare valēt calculus vesicæ, præcipuè in collo vesicæ hærens, tumor partium vicinarum,vt vteri,quod grauidis sæpe accidit;hæmorrhoidum,vasorum seminaliū ; vermes,vlcus musculi vesicam claudētis.Intemperies quoque frigida contracta ex sessione super lapide frigido, aut mora in aqua frigida. Nonnulli quidem eum tenesmum, qui citra exulcerationem fit, nothum tenesmum dicendum putant;verum sine caussa.Nametsi secundum caussas , & mali grauitatem non exigua sit differentia: tamen quia tenesmi natura & ratio in assiduo & ferè inani deiiciendi conatu consistit;quandocunque caussa aliqua adest, quæ hoc reiiciendi desiderium excitat, tenesmus meritò appellari potest.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Facilè hoc malum cognoscitur. Assidua enim adest deiiciendi cupiditas cum dolore,etsi sæpe nihil deiiciatur;interdum verò pauca,mucosa & subcruenta. Prolabitur nonnunquam & intestinum rectum ex nimio excernendi conatu ; & vrinæ difficultate stillicidium accidit, propter vicinitatem ac consensum harum partiū. De quo Hippocrates,5.*aph*.58.Ad recti intestini & vteri inflammationem , purulentosque renes accidit stranguria.

Caussæ discernuntur ex iis,quæ excernuntur,& affectibus coniunctis.Etenim si à dysenteria caussam habet, pituitosus & salsus humor visu,& ex maiori conatu ac paucis excrementis colligitur; biliosus ex maiori mordicatione & pruritu:reliquæ caussæ ex affectibus coniunctis cognoscuntur.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Tenesmus facilè tollitur,neque vnquam per se iugulat. Celsus, *lib*.4.*cap*.18.

2.Quia tamē non leuia symptomata & mala sæpe secum trahit,tum satis periculosus est. Nam , vt Hippocrates,7.*aph*.27.scribit, *Si prægnati tenesmus superuenerit, abortus caussa est*:siquidem contentione seu sollicitatione assidua ac molesta cum totum corpus , tum maximè vterus laborat, vtpote recto intestino cognatus & affinis : vnde non mirum , si frequentius exurgendo desidendoque & vehementius connitendo abortus fiat, vt Galenus, *in comment.* ait.

3. Quò caussa, à qua oritur, grauior, eò periculosior tenesmus,vnde qui ab atra bile excitatur tenesmus omnino periculosus est,cum quasi cancer exulceratus sit.

4. Sæpe neglecto tenesmo vlcus relinquitur sordidum, idque in fistulam transit, quæ ægrè curatur.

### *Curatio.*

*Curatio.* Curandi ratio varia est pro caussarum varietate. Si ab eâdem cum dysenteria caussa oritur tenesmus,& dysenteriæ succedit,eadem ferè curandi ratio est,quæ dysenteriæ,& propterea vniuersales euacuationes , prout opus,instituendæ. Postea parti affectæ succurrendum; humores stimulantes abstergendi;vlcus,si adsit, sanandum;pars roboranda,dolorque leniendus.Ideoque talis clyster paretur.

℞. *Hordei,flor. verbasci*.an. M.j. *rosar. rubrar.* M. ß. *lumbricor,locor.& incisor.* Vnc.j.*sem.psylli,cydonior. fœnugræci* an Drach.j.Coq.in *lacte recenti*.Colaturæ ℞.℔.ß. Adde *olei rosacei* Vnc.ij. *vitellos ouorum* ij.

F. Clyster,qui abstergit & dolorem lenit.

Quantitas clysteris praua sit;cum saltem intestinum rectum abluere debeat:frequentius tamen iniiciatur.

Foueantur & vicinæ partes circa os sacrum, & interfemineum *decocto violar.althææ, verbasci,flor. chamamel. meliloti, sem. fœnugræc. lini, anethi*;& inungantur *oleo rosaceo,chamæmelino,anethino,lumbricorum, vel communi*, in quo *sem.dauci,cumini,angelicæ* cocta fuerint.

Si dolor sit vehemens,& vigiliæ ægrum vexent , aliquid laudani opiati cum syrupo de papauere exhibeatur.

Dolore sedato, si vlcus restet in intestino recto , illud abluendum & consolidandum. vt:

℞. *Hordei* M.j. *rad.consolidæ* Vnc.ij. *plantaginis,saniculæ, rosar.rubr*.an.M.ß.Coq. *in aqua simpl*.Colaturæ ℞. ℔.ß.Adde *mellis rosati* Vnc. ij. *vitellos ouorum* ij. F. Clyster.

Abluto vlcere semel atque iterum vel etiam ter de die talis clyster iniiciatur.

℞. *Decocti modò parati* Vnc.v.*boli Armeni, thuris,myrrhæ,sanguinis draconis* an.Drach.ß. Misce.

Commodiora adhuc sunt suppositoria;cum ipsi loco affecto rectius & diutius adhærere possint , fiuntque ex seuo hircino cum puluere thuris,tutia & similibus.Et si vehemens dolor adsit gr.ij. vel opij vel laudani opiati admisceri possunt.

Vel paretur tale suffimigium :

℞.*Mastichis* Drach.j. *thuris, styracis calamitæ* an Dr. ß.*flor. verbasci, rosar. rubrar.* an. Scrup. ij. F. Puluis pro suffimigio.

Aut paretur suffimigium ex pice cum semine rutæ, anisi , fœniculi , thure.

Vel fiat tale Linimentum.

℞. *Mucilaginis,sem.psyllij cydonior.extract.cum decocto florum verbasci, & plantaginis* an. Vnc. j. *seui hircini* Vnc.ß.*vitellum oui , boli Armeni* Drach.ß.*thuris* Drach.j. F. Linimentum.

Si absque dysenteria tenesmus accidat , caussa eius tollenda. Quapropter si absque dysenteria à lentis & salsis humoribus intestino adhærentibus excitetur, abstergendi ij decocto hordei, maluæ, melle rosato.

Si à biliosis humoribus , iidem abstergendi decocto hordei, lacte, iure carnium, addito saccharo rubro.

Si à calculo,vel etiam fecibus induratis, ( quam caussam etiam quidam ponunt)fiat tenesmus, primò clysteres emollientes infundendi,qui feces emolliant & vias laxent,postea acres,qui emollitas feces & calculos educant.

Si à vermibus intestino recto adhærentibus , idque mordentibus accidat tenesmus ; clysteres , qui vermes necent,ex foliis persici,absinthio,prassio, hyssopo,hiera simplici & similibus iniiciendi.

Si à refrigeratione nimia intestini recti oriatur,calefaciendum id est mentha, semine lini, anethi in sacculum inclusis , coctis & ano appositis. Vel fomentetur anus decocto horum;vel vapor ex decocto talium ano excipiatur , vel insessus ex decocto isto paretur : vel sedeat æger super tabula ex ligno cupressi , vel iuglandis calefacta & seuo hircino illita.

Si à partium vicinarum affectibus per consensum excitetur tenesmus, iis sublatis & ipse tollitur.

CAPVT

## CAPVT XIII.

### De Hæmorrhoidibus.

TAndem hanc de inteſtinorum affectibus tractationem claudant hæmorrhoides,earumque præter naturam affectiones. *Hæ rrhoides.*

Αἱμοῤῥοὶς equidem quandoque pro omni ſanguinis ex quacunque parte effuſione & fluxu accipitur, & dum Hipp. 2. *Prorrh.*ſcribit, ἡ αἱμοῤῥοΐδας ἔχουσι, Celſus locum exprimens, ſanguinem aliqua parte prorumpentem dixit,*lib.2.cap.*8.In ſpecie tamen ſaltem de ſanguine è venis ani & vteri effuſione vſurpatur,vt ex eodem Celſo, *lib.6.c.*18. videre eſt.Imò vſus obtinuit,vt ſpecialiſſimè pro eo ſanguinis fluxu, qui fit è venis ani, accipiatur. Nec ſolùm de ſanguinis fluxu ex hiſce venis, ſed & de iis ipſis venis vocabulum hæmorrhoidum vſurpatur.

Patiuntur autem hæ venæ varios præter naturam affectus.Aliquando enim intumeſcunt, aliquando quoque inflammantur,doloremque patiuntur, aliquando verò ſanguinem fundunt, qui fluxus hæmorrhoidum nominatur.

Vnde hæmorrhoidum variæ ſunt differentiæ.Primò enim ſunt hæmorrhoides duplices,aliæ internæ, quæ è ramo ſplenico venæ portæ oriuntur, & per meſenteriũ circa colum & inteſtinum rectum extenſæ terminantur in muſculis ani & inteſtino interiore. Eaque eſt vnica, ſociamque habet arteriam à meſenterica infra ramos producentem.Externæ verò à ramo venæ clauæ epigaſtrico oriuntur,& in externas recti inteſtini partes, ani muſculos ſcilicet diſſeminantur.Suntque duplices, vtrinque vna,& vtraque habet comitem arteriam ab hypogaſtrica deriuatam. Et hæmorrhoides à porta ortæ ſolum inteſtinum rectum nutriunt; quæ verò muſculos nutriunt, à caua vena oriuntur.Et quia partes, quæ hoc loco à caua nutriuntur,plures ſunt,quatuor ſcilicet muſculi, vnus ſphincter,qui in orbem inteſtinum rectum cingit, & alij duo inteſtinum attollentes & quãtus cutaneus anum adſtringens,hinc etiam, vt modò dictum, hæmorrhoides à caua deductæ duæ ſunt, à porta verò vna tantum.Et propter hanc diuerſam hæmorrhoidum originem internæ quidem ſanguinem & humores ex vena portæ & viſceribus,ad quæ illæ pertingunt;externæ verò ſanguinem in vena caua redundantem euacuãt. Quia tamen eidem inteſtino recto inſeruntur,communionem quandam horum vaſorum eſſe, & oſculis ſibi mutuo occurrere, & ex hæmorrhoidibus internis humores vitioſos externis etiam communicari, & per eas effundi, probabile videtur. De qua re pluribus infra, *de affect.hypoch.c.*1.dicetur.Videatur etiam Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, *de operat.chirurg.cap.de hæmorrhoidibus.* *Hæmorrhoidum differentia.*

Deinde quia ſanguis ad hæmorrhoidas affluens modo per earum orificia effluit, modo in iis ſubſiſtens eas in tumorem attollit,duplices inde hæmorrhoides conſtituuntur, cœcæ & apertæ.Cœcæ(clauſas vel dolentes rectius dici putat Platerus)illæ dicuntur,quæ tãtum tument & nihil excernunt; apertæ verò ſunt quæ ſuo tempore ſanguinem effundunt. Et cœcæ quidem ſæpè magno cum dolore intumeſcunt, dolorque,cum excrementa excernuntur, exacerbatur; imò interdum à dolore & ſanguine effluente, neque exitum inueniente inflammatio excitatur. *Hæmorrhoides cœcæ & apertæ.*

Galenus, *in lib.definit.medicar.*quinque adhuc proponit differentias,à magnitudine,numero,figura, loco cõſtitutione deſumpta. A magnitudine, quod aliæ ſunt magnæ,aliæ paruæ,aliæ mediocres:à figura,quam intumeſcentes acquirunt, & inde etiam varia nomina ſortiantur,& à verrucis,acinis vuarum,moris,ficubus,quæ repræſentant figuram,dicuntur verrucales,vuææ mora, συκῶσεις ſeu ficus,Latinis mariſcæ, vnde Martialis; *Caduntur tumidæ Medico ridente mariſcæ.* A loco,quod aliæ in ano ſunt,aliæ in ſphinctere,aliæ in inteſtino recto; A conſtitutione, quod aliæ mites ſunt, aliæ malignæ cancrodes, gangrænoſæ. *Aliæ hæmorrhoidum differentiæ.*

Hæmorrhoides a.quatenus tumẽt,pertinent ad morbos magnitudinis præter naturam auctæ:ſi verò ſanguinem præter naturam fundũt,pertinent,vt Galenus,3.*de ſympt.cauſſ.cap.*6. ſcribit, ad ſymptomata in genere excretorum toto genere præter naturam. Neque n.omniũ hominum eſt, ſanguinem ex his venis effundere, ſed quorundam atque aliis etiam regionibus, vt meridionalibus magis ſunt familiares, aliis minus, vt ſeptentrionalibus;quod illarum incolę ſanguinem calidiorem & magis aduſtum, harũ frigidiorem habent. Et quibus hoc accidit,à cauſſa præter naturã accidit. Neque enim ſolum tum præternaturales ſunt, cum præter modum fluunt,ſed etiam cum moderatè fluunt. Etenim quanquam moderatè fluunt, vtiles ſunt,& à multis morbis præſeruant: tamen humor, qui ad excretionem naturã ſtimulat, naturali modo ſe non habet, neque ſanguis vnquam,niſi in fœminis, ſecundum naturã excernitur. *Hæmorrhoides ad quam rerum p. n. claſſem referenda?* *Quibus regionibus fluxus hæmorrhoidum magis ſit familiaris?*

Accidit autem fluxus hic præcipuè maribus,& quidẽ maximè in virili ætate conſtitutis:nonnunquam & fœminis.Et noui ipſe nobilem fœminam corporis conſtitutione ſanguineam,affectioni tamen hypochondriacæ obnoxiam, quæ ſingulis menſibus ordinariè, & quidẽ die poſt menſtruum fluxũ decimo quarto hæmorrhoides patiebatur.Raró vero ita ordinatè ſingulis mẽſibus fluunt hæmorrhoides,vt menſtrua,ſed quibuſdam duorum vel trium menſium ſpatio, nonnullis ſingulis annis ſemel vel bis, prout humorum naturam ſtimulantium maior vel minor copia eſt. *Cui ſexui potiſſimum accidat fluxus hæmorrhoidum?* *Qua periodo fluxant hæmorrhoides?*

Excitatur vero in hæmorrhoidibus cœcis dolor,non ob ipſam venam affectam, quæ ſenſu prædita non eſt, ſed ob partes neruoſas & membranoſas exquiſito ſenſu præditas, quibus intexta eſt,idque eò magis accidit, ſi inflammatio accedat.Tum enim ſanguis vt excernatur, in extremitatem venæ delatus, nec exitum inueniens extremitatem huius venæ,ſimulque partes, quibus inſerta eſt,diſtendit. Accidit hoc etiam interdum iis,quibus hæmorrhoides nunquam fluxerunt, & primum fluere incipiunt, cum oſcula venarum nondum ſatis pateant. *Cur in hæmorrhoidibus cœci dolor excitetur?*

### Cauſſæ.

Cauſſa proxima,quam inſequitur hoc ſymptoma, eſt morbus compoſitionis,ſeu vaſorum horum apertio & ἀναστόμωσις. Fit autem iſta hæmorrhoidum apertio à ſanguine vitioſo & imprimis aduſto,vt poſtea,*quæſtione prima*,dicetur.A quibus autem cauſſis humor melãcholicus & ater atque aduſtus generetur, alibi dictum. *Cauſſa.*

Mouentur verò hæmorrhoides ferè ſponte & naturæ beneficio;& quidem aliæ ſtatum tempus obſeruant, & fluunt vel ſingilis menſibus,vel ſingulis anni quadrantibus, vel alia periodo,aliæ verò ſine vllo certo ordine mouentur.Interdum verò mouentur à cauſſa aliqua externa, præcipuè fortium purgantium vſu vt colocynthidis ſcammonij,vt aloës,quæ hæmorrhoides aperiendi vim habet, vt ipſa experientia id teſtatur, quod qui negant,inter quos eſt Leonardus Fuchſius,*lib.*1.*paradox. cap.* 1. experientiæ ſcutico digni ſunt, vt Iulius Cæſar Scaliger, *exerc.*160.*ſect.*3.loquitur.

### Signa Diagnoſtica.

Affectus ipſe per ſe manifeſtus eſt,ſiue fluant hæmorrhoides, ſine non fluant, & ſaltem intumeſcant, ſiue etiam doleant.Ita enim facilè agnoſcitur, an hæmorrhoides ſint internæ. Externæ enim & tactui & viſui ſunt obuiæ.Internæ verò non patent,niſi in ani expreſſione,vel ſi anus ſpeculo ani aperiatur.Figuræ magnitudo & numerus viſu quoque deprehenditur.Quæ autem ſanguinis,qui euacuatur, qualitas & diſpoſitio ſit, è ſignis humorum *alibi* propoſitis patet. *Signa.*

## *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.*

1. Hæmorrhoides moderatè & conuenienti tempore fluentes à multis morbis hominem præſeruant, & à præſentibus liberant, vt docet Hippocrates, dum, 6. *aph.* 11. ſcribit, *Melancholicis & nephriticis hæmorrhoides ſuperuenientes bonæ ſunt*, & *ibid.aph.* 21. *Inſanis ſi varices & hæmorrhoides ſuperuenerint, morbi ſit ſolutio*, & 6. *epid. com.*3.*t.*37. *Sanguifluis venis laborantes, neque morbo laterali, neque pulmonario, neque phagedana, neque inflammatiunculis, quæ dothiones vocantur, neque iis, quæ terminthi, fortaſſe verò neque lepra, fortaſſe neque alius morbis corripiuntur.* Et 6. *aphor.*12. *Diuturnas curanti hæmorrhoides niſi vna aperta ſeruetur, periculum aquæ inter cutem vel tabis impendet.* Idem docet Galenus,6.*epid.comm.*5.*text.* 25. 3.*de naturalib. facultatib. cap.*3.*&* 1. *ad Glaucon. cap.* 15. Obſeruatum quoque eſt, vt teſtatur Scholiographus, *ad cap.*55.*lib.primi Hollerij de morb.internis*, grauidis quibuſdam quatuor menſes in vtero habentibus hæmorrhoides vtiliter fluxiſſe, iiſque ſubſiſtentibus peius habuiſſe. Habent & hoc commodi hæmorrhoides, docente id Hieronym.Fabricio ab Aquapendente, quod menſes prouocant & faciliores ad fluxum reddunt, id quod *de operat.chirurg. capite de hæmorrhoidib.* exemplis probat, & iſta ratione, quod in venis vteri ſanguinem propter copiam & craſſitiem infarctum & impactum quaſi ad ore venarum ſedis vi vacui trahunt, aut potius deriuant, vt ita vteri venas ab infarctu liberent.

2. Ex iiſdem tamen patet, hæmorrhoides corporis conſtitutionem non planè perfectam arguere, ſed talẽ, quæ vitioſos ſimul, præcipuè melancholicos & aduſtos humores, generat, quos ad corporis œconomiam in ſtatu naturali conſeruandam cum ſanguine per hæmorrhoides natura euacuare ſolet.

3. Habent contra hoc incommodi hæmorrhoides, quod ſi ſupprimantur vel immodicè fluant, ægrum in hydropem, phthiſin, & alios morbos præcipitant, de quo Galenus,3. *de naturalib.fac.c.* 8. *Ex hæmorrhoidibus diuturnis ſuppreſſis vel immodicè profluentibus ad extremã frigiditatem deuenientes ægri ſæpe in quam inter cutem incidunt*; & 4. *aph.* 25. ſcribit, euacuationi per hæmorrhoides non eſſe naturam aſſuefaciendam, quoniam periculoſus eſt exceſſus, ſiue ſupra modum ſanguis excernatur, ſiue ex toto ſupprimatur. Aëtius,*tetrab.*4.*ſerm.*2.*cap.* 3. inquit; *Hæc affectio malorum plurimorum hominibus cauſſa exiſtit. Nam & deformitatem & miſeram vitam hominibus inducunt; multos verò etiam vita priuant. Et deformitatem quidem propter coloris totius vitiationem ex euacuatione ſuccedentem; miſeram verò vitam propter corporis debilitatem. Quandoque autem de vita periclitantur ſic affecti, cum ob excedentem euacuationem perfrigeratum epar aquam inter cutem operatur.* Idem docet Paulus Ægineta, *lib.*3.*c.*59. Quæ tamen omnia intelligenda ſunt, ſi affluxus modum excedat. Et vt hæc omnia paucis complectamur, ſi aperiantur hæmorrhoides, quando ſanguis in corpore vitioſus, & forſan etiam copioſus adeſt, vtiles ſunt, & corpus ſanum conſeruant. Contrarium ſi fiat, contrarium etiam accidit. Similiter ſi, cum morbus adeſt vel imminet, aperiantur, ſanitatem promittunt. Si vero tum occludantur, morbum certo ingruere, vel præſentem auctu miri ſignificant.

4. Diuturnas curanti hæmorrhoides, niſi vna quæpiam ſeruetur aperta, periculum aquæ inter cutem vel tabis imminet, 6.*aph.*11. Non tamen tantum hydropem & tabem, ſed & alios morbos retentæ hæmorrhoides excitare poſſunt, atque interdum repente materia & atra bile ad caput mania excitatur, vt Alcippo, 4. *Epid.* accidit. Interdum etiam dyſenteria inde oritur. Generatur autem hydrops ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus, vitioſo & feculento ſanguine, hac via intercluſa, ad epar ruente, eiuſque calorem natiuum ſuffocante. Phthiſis verò humore aduſto, ſalſo & acri ad pulmones conuerſo, eiuſque vaſa erodente, vnde ſputum ſanguinis, & tandem phthiſis oritur. Ita Amatus Luſitanus,*cur.*3.*cent.* 5. narrat, virum quendam annos 45. ſingulis menſibus euacuationem per hæmorrhoides paſſum eſſe, quæ cum illi obſtruerentur, ſanguinem ſubflauum & rubrum & coaceruatim per os ſine febre & tuſſi eieciſſe, cui cum quatuor hirudines ilico hæmorrhoidibus apponi iuſſiſſet, & ſyrupum ex endiuia, fumaria ac lupulo earundẽ herbarum decocto dilutum exhibuiſset, hinc purgans ex manna, rhabarbaro & particula elect.diaphænic. propinaſset, tandemque conſeruam fumariæ ieiuno ſuperbibita aqua cichorij dediſset, conſuetum fluxum hæmorrhoidum rediiſse & bene valuiſse.

5. In hæmorrhoidibus valde valentibus niſi maturè ſuccuratur, metuendum eſt, ne ratione magnæ attractionis & humorum confluxus inflammatio & apoſtema, vel vlcus, vel fiſtula, vel aliquod aliud graue malum excitetur.

6. Cæcæ hæmorrhoides internæ ſi verſus virgam tendunt, periculoſæ ſunt; quia inflammatæ plerumque vrinæ viam conſtringunt, & ſtranguriam excitant.

7. Cæcas hæmorrhoides, niſi maximè tumeant, & magnum dolorem inferant, potius naturæ committere, quàm aperire præſtat.

8. Inſignes & maiores ſanguinis effuſiones fiunt ab hæmorrhoidibus à vena caua ortis: quia maiores & plures ſunt; & propterea etiam maiori cum periculo accidunt.

## *Indicationes.*

*Indicationes.*

Hæmorrhoides cæcæ, vt fluant, opera danda; quod ſi obtineri non poſſit, ſanguis ad eas fluens aliò reuellendus & deriuandus, ac inflammatio prohibenda, & dolor mitigandus.

Si verò fluant hæmorrhoides, & quidem moderatè, naturæ totum negotium committẽdum, & fluxus nullo modo impediendus; ſi verò parcius fluant, motus naturæ promouendus; ſi nimium fluant, aut fluxus diutius, quam par eſt, duret, aut ſæpius redeat, fluxus ſiſtendus.

## *Curatio.*

*Curatio.*

Si ergo hæmorrhoides ſaltem tumeant, non verò ſanguinem fundant, danda eſt opera, vt aperiri poſſint, frictione facta foliis mercurialis, parietariæ, borraginis, ficus, vel illitione ſucci betæ, cyclaminis, centaurij minoris & ſimilibus, quibus, ne dolor excitetur, anodyna addi poſſunt, quæ Galenus, 6.*de comp.med.ſec.loc.cap.* 7. deſcribit.

Si verò magnus adſit humorum affluxus & dolor vehemens, & inflammatio metuenda ſit, humores in contraria reuellendi; quod commodiſſimè fit ſectione in brachio, quæ niſi ſuffecerit, in poplite vel malleolo ſecare licet.

Quibus euacuationibus niſi dolor & tumor minuatur, hirudines applicari poſſunt, vt ſanguini exitus detur. Ante verò euacuationem hirudines applicandæ non ſunt ne maior humorum affluxus concitetur. Verum de hirudinum ad hæmorrhoides applicatione dicetur infra, *quæſt.*3.

*Quo hirudines applicandæ.*

Locum autem applicandi hirudines cùm ad dolorem eorum leniendum, tum ad varios morbos præcauendos & curandos quod attinet, prout euacuare ſuperfluos humores à vena caua aut porta volumus, etiam in ano locus eligẽdus eſt, aut extra & ad latera, aut intus & retro. Idcirco Hieron. Fabric. ab Aquap. in lienis vitiis tum intrinſecus tum poſterius coccygem verſus, tum nonnihil ad ſiniſtram affigere iubet. In obſtructionibus autem cum in ſima, tùm in gibba epatis parte, cum interius, tum poſterius, tum ad latera, atque vndique ad podicem applicat. In renum verò affectionibus, nec non pleuritide, peripneumonia, vt & in externis affectionibus exterius magis, tum verò & ad podicis

latera

latera hirudines applicat. In febribus cum exterius, cum interius, atque vndique affigit. In mania cum exterius, tum interius, si adusti humores in toto redundent; in melancholia similiter. In phrenitide exterius magis & ad latera, vt eius verbis vtar.

*Modus applicandi hirudines.*

Modum applicãdi quod attinet, triplex modus exeuntis sanguinis ab ano ex hirudinibus repletis, vbi turgidæ factæ vel ex se deciderũt, vel salis momento admoto decidere coactæ sunt. Primus est, vt delapsis hirudinibus sinamus sanguinem fluere, donec sponte sistatur: secundus modus est, vt æger supra balneum aquæ calidæ desideat, cuius vapore sanguis mouetur, vasculo aquæ innatante, quod sanguinem effluentem excipiat: tertius est, vt si æger non possit surgere, corniculo instar cucurbitæ sanguis extrahatur.

Aluus quoque laxa & mollis seruanda, ne feces duræ in transitu dolorem augeant, id quod fiet exhibitis in iusculo oleribus emollientibus, cassia item & manna.

Ad dolorem verò leniendum, simulque calorem, qui plerunque adest, temperandum, inflammationem prohibendam refrigerantia & anodyna medicamenta applicanda, quæ vel saltem illinuntur, vel cum bombace aut linteo imponuntur, vel etiam, si ferre possit æger, ano per fistulam infundantur. Fiunt verò ex lacte, pane, oleo rutaceo & vitello oui, vel ex recenti butyro, croco & oui albumine, vel vnguentum rosaceum, refrigetans Galeni & populeum inungendum, vel oleum commune aut amygdalarum dulcium, in quo momordicæ poma, vt herbæ Paridis baccæ coctæ sint.

Vel ℞. *Mucilag. sem. psyllij aq. ros. extract.* Vnc. ß. *ol. rosac. violac.* an. Vnc. ß. Misce.

Vel ℞. *Butyri recentis ol. rosac.* an. Vnc. j. *cerussæ lotæ* Vnc. ß.

Diu in mortario plumbeo agitentur. F. Linimentum.

Si dolor sit vehemens, vsurpetur oleum expressum è semine cucurbitæ, papaueris, aut hyoscyami.

Vel tale adhibeatur Vnguentum.

℞. *Fol. maluæ, lactucæ, violariæ, flor. verbasci* an. M. j. *fol. mandragoræ flor. chamomillæ* an. M. ß. *sem. lini* Vnc. ß. Fiat decoctum pro fomento.

Post fomentationem tale vnguentum adhibeatur.

℞. *Ol. papau.* Vnc. j. *ros.* Vnc. ß. *succi solani* Drach. ij. Misceantur in plumbeo mortario. Vel apponatur hoc cataplasma.

℞. *Fol. maluæ, violariæ,* an. M. j. *solani flor. verbasc.* an. M. ß. Coq. in lactis s. q. Contundantur minutim, & addatur *Farinæ tritici, hordei* an. Drach. iij. *vitellum oui* j. *olei ros.* q. s. F. Cataplasma.

Folia etiam portulacæ, solani & hyoscyami recentia contusa & parum sub cineribus cocta, vel in patella cum oleo frixa, & in cataplasmatis formam redacta dolorem leniunt.

Si dolor valde vrgeat, opium addi potest.

Vt ℞. *Vnguenti populei* Vnc. ß. *olei papau.* Vnc. j. *opij* scrup. j. *croci* scrup. ß. Misce cum *ouo integro.*

Si verò nunquam fluere consuetæ sint hæmorrhoides, nec spes sit eas fluxuras, danda opera, vt exiccentur, ne iterum intumescant, adhibitis digerentibus & siccantibus, citra morsum tamen, quibus & dolorem lenientia semper admiscenda sunt.

Medicamenta autem in hanc rem vtilia parantur ex *acacia, bolo Armeno, ligno Guajaco, sulphure, alumine, item è verbasco, scrophularia, plantagine, millefolio, hyperico, scabiosa, cynoglossa, porri foliis,* è quibus fotus & insessus fieri possunt, vel etiam vapor coctarum herbarum ano excipi.

Vtile est & vnguentum è scrophularia paratum, quod & à Matthiolo commendatur, & ab aliis etiam ob signaturam radicum laudatur.

Vel ℞. *Radic. lilior. alb. scrophular.* an. Vnc. j. *fl. verbasci* M. j. *chamæmeli* M. ß. *hyperici* P. j. *dactylor.* num. vj. Coq. in aqua ad mollitiem & contundantur. Adde *farinæ sem. lini, fœnugræci* an. Vnc. j. *myrrhæ thuris* an. Drach. ij. *croci* Drach. j. *vitell. ouor.* num. iiij. *butyri s. sale* Vnc. ij. F. Cataplasma.

Vel bulbi cæparum aut porri sub cinerib. coquantur, vt acrimoniam amittant, & cum oleo rosac. fiat Cataplasma, quod fortius erit, si radices dracunculi & ari similiter coctæ addantur.

Vel ℞. *Mastich. thuris, myrrhæ,* an. Drach. ij. *bdellij hypocystidis* an. Drach. j. *croci* scrup. j. *mucilag. sem. lini, gummi tragacanth.* an. Vnc. ß. *vitellum oui* num. j. *olei rosacei verbasc.* an. q. s. F. Vnguentum.

Possunt eidem lithargyrum, tutia, cerussa addi.

Fumus etiam è lolio, verbasco, scrophularia, quibus sulphur addi potest, super carbones vel ferrum candens proiectis, ano exceptus hæmorrhoides sanat & absumit. Ore quoque sumenda quædam exhibentur ad hæmorrhoides tumentes absumendas. Dioscorides decoctum ononidis probat. Verbasci etiam puluis cum lacte vel alio liquore conueniente exhibitus, ad hæmorrhoides tumentes absumendas vtilis est. Ex eo cum æquali portione farinæ tritici, atque vitello oui & butyro placenta fieri potest, cuius portio singulis diebus exhibeatur, vel succus verbasci propinetur, vel ex eo cum saccharo fiat syrupus, vel cum puluere glycyrrhizæ Electuarium. Bdellium quoque cum succo verbasci emollitum & in pulueris formam redactum Drach. j. pondere exhiberi potest.

*Remedium ad hæmorrhoidũ cœcarum dolorem, ex Henric. ab Heer.*

[ Si quis hæmorrhoidum cœcarum insano dolore torqueatur, minimum quid scrophulariæ, vel foliorum, cum cibo aut potu capiendo, statim dolore liberatur, siue ipsam plantæ substantiam siccam aut viridem, siue decoctum eius assumat. ]

Apertæ vero hæmorrhoides si minus, quam par est, sanguinis fundant, & quidem cum dolore, motus naturæ iuuandus, quod fit fomentis & suffumigiis paratis è foliis maluæ, althææ, chamæmel. meliloti, semine lini fœnugræci. Aloë etiam sumta hæmorrhoides promouet, vt & vinum generosius haustum.

Si verò nimium fluant apertæ hæmorrhoides, aut fluxus diutius duret, aut frequentius redeat, fluxus is supprimendus & sistendus. Si ergò magna adsit sanguinis copia, vena in cubito aperienda. Et licet hæmorrhoides internæ cum venis, quæ in cutem desinunt, per se nullam communionem aliquo modo euacuata ex epate, & epar è mesaraicis sanguinem rapit, atque hoc pacto ab hæmorrhoidibus fit reuulsio. Si verò venæ sectionem non ferant, cucurbitulæ scapulis, lumbis & hypochondriis affigendæ, ac partes superiores fricandæ, & vinculis fortiter constringendæ.

Sanguinis verò acrimonia & tenuitas medicamentis refrigerantibus & incrassantibus corrigenda, vt Syrupo portulacæ, è rosis siccis, cydoniorum, acetosæ, ribes, myrtino & similibus, ac aquis ex iisdem plantis destillatis. Fortiora sunt lapis hæmatites, terra sigillata, trochisc. de spodio, de carabe, & alia medicamenta de dysenteria, ad fluxum sanguinis sistendum proposita.

Et si fluxus sit nimius, etiam opiata exhibenda, vt theriaca recens, philonium, requies Nicolai, laudanum opiatum.

Si vires ferunt, primò humores serosi & acres, qui sanguinis sunt ventriculum & stimulus, vt natura hanc sanguinis euacuationem instituat, euacuandi, & hoc modo simul deriuandi, & lenibus medicamentis humores, qui ad hæmorrhoides fluxuri erant, ad intestina diuertendi. Talia sunt syrupus rosar. solutiuus, de spina ceruina, manna, myrobalani, triphera persica. A fortioribus verò medicamentis planè abstinendum, ne humores agitati ad partem affectam ruant. Ad præcautionem tamen, antequam fluxus ingruat, medicamenta bilem flauam & atram purgantia commodè exhibentur iis, qui immoderato hæmorrhoidum fluxui sunt obnoxij, ne tales vitiosi humores cumulentur, naturamque ad excretionem stimulent.

Topica sint, vim adstringendi, venasque claudendi habent. cuiusmodi sunt κολλητικὰ & quæ alias in vulneribus ad sanguinem sistendum adhibentur; ac nisi hæc sufficiant, tandem medicamenta caustica, & ipse ignis actualis, semper incipiendo à mitioribus, & cauendo, ne sphincteri, qui exquisito sensu est præditus, acria medicamenta, vt nec ignis applicetur, ne dolor & conuulsiones excitentur.

Primò ergo medicamenta è foliis plantaginis, quercus, rosis rubris, bolo Armeno, thure, sanguine Draconis, balaustiis, aloë & similibus applicanda. Vt:

℞. *Fol. verbasci*,

quæ peculiarem vim in fluxu & dolore hæmorrhoidum habent, M.ij. *quercus*, an. *solani* M j. *flor. rosar. rubr.* M.ß.

Coq. in vino rubro, & fomenti loco applicentur. vel contusis adde ol. amygdal d.F. Cataplasma.

Ex vnguentis vtile est vnguentum Comitissæ.

Vel ℞. *Boli Armeni* Drach.j.ß. *radic. bistortæ, nuc. cupressi, flor. rosar. rubr.* an. scrup. iv. *balaustior. baccar. myrti, hypocistides* an. Drach.j. *sang. Draconis* Drach.ß. *corall. rubr.* Drach.j. *thuris* Drach.ij. *ol rosac.* q.s. ad incorporandum, *ceræ* q.s.F. Vng.

Pinguedo etiam anguillæ, quæ, dum assatur, extillat, proprietate quadam hic prodesse scribitur, & propterea etiam vnguentis admisceri potest.

Inter Emplastra vtile est Emplastrum contra rupturam vel sequens,

℞. *Aloës, thuris, boli* an. Drach.ß. *sang. draconis* Drach. ij. puluerisata excipiantur *oui albumine vel mucilagine gummi tragacanthæ factâ in aq. plantag.* Emplastrum autem hoc antequam planè siccetur, amouendum est, cum exiccatum sine dolore auelli non possit.

Vel ℞. *Thuris, colophoniæ* an Drach.iij. *boli* Vnc. ß. *cerussæ, plumbi vsti* an. Drach.j. *acaciæ* Drach.ß.

Trita excipiantur oui albumine, vel tragacantha & cera, ac fiat suppositorium.

Vt verò ad sanguinem è vulnerib. fluentem sistendū vtilissimus est fungus ille, qui crepitus lupi appellatur: ita & in podicem inditus hæmorrhoides fluentes sistit.

Hæc si non sufficiant, caustica vsurpanda, *as vstum, chalcanthum, misy, sory*, quibus admisceri possunt: vnguentum de Lythargyro, de Tutia & cerussa & glandium calice vel alia capsula, ne vicinæ partes simul adurantur, hæmorrhoidibus apponi debent, deinde escharæ casus modo aliàs vsitato procurandus.

*Hæmorrhoidum sectio & vstio.*

Quod si his omnibus nihil proficiatur, & fluxus pertinaciter perseueret, tum etiam si hæmorrhoides exiccare & earum fluxum impedire animus esset, antiqui ad manus operam deueniebant, & ægro rectè collocato ac vinctò hæmorrhoides scalpello vel alio conuenienti instrumento liberabant, deinde acu filum trahente hæmorrhoides perforabant, & arctè vinciebant, tandem hæmorrhoidum caput abscindebāt, & ferro ignito vrebant, ac postea escharæ casum & vlceris curationem consueto modo peragebant; vel etiam sine incisione eas statim vrebant, de qua re pluribus agit Hippocrates, *lib. 2. de hæmorrhoidibus*, vbi etiam scribit: rectum intestinū & secans & resecans & consuens & vrens & putrefaciens etiamsi grauissima hæc sint nihil læseris. Verum non sine caussa scribit Hieron. Fabritius ab Aquap. se experientia non potuisse vnquam hæc comprobare; neque à plerisque hæc tolerari & sustineri cum pars hæc, si quę alia sit sensu exquisitissimo prædita. Ideoque ipse mauult hæmorrhoides tumentes medicamentis, quam chirurgiâ curari, vt insessione in aquis thermalibus, & spongiis ex aqua thermali expressis & arctè supra anum ligatis; item radicibus porri, in oleo communi vel myrtino decoctis, scrophulariæ radice in aqua decocta, contusa & imposita, spongia ex aqua calcis expressa.

*An tuta sit?*

In ista autem intentione peragenda non negligendū monitum Hippocratis, 6. *aph.* 12. *diuturnas curanti hæmorrhoides nisi vna quæpiam aperta seruetur, periculum aquæ inter cutem vel tabis impendet.* Vt etiam alij Authores docent. Aëtius tamen *tetrab.* 4. *serm.* 2. *cap.* 5 dissentit, statuitque omnes hæmorrhoides sanandas, nullâque apertam seruandam esse, nihilque ægro inde periculi imminere; modò æger conuenienti diæta vtatur, & venæ sectio & purgatio suo tempore instituatur. Imò ipse etiā Hipp. idem sensisse videtur, dum *lib. de hæmor.* omnes vrere iubet, vetatque vllam citra vstionem relinquere. Verùm corpora, quæ ita disposita sunt vt humores tales vitiosos, qui naturam ad hanc excretionem stimulent, generant, vix tam exactè diæta regi possunt, vt non aliquid vitiosi humoris generent, neque etiam illud omne venæ sectione vel purgatione tolli potest, imò antequā sanguinis missio vel purgatio instituatur, de improuiso homini aliquid damni afferri potest. Ideoque Hippocratis consilium allegato aphorismo sequi tutius est. In libro vero de hæmorrhoidibus cum contrarium sentire videatur, proculdubio loquitur de hæmorrhoidibus recentibus, non verò diuturnis.

## Diæta.

*Diæta.*

In cæcis hæmorrhoidibus diæta sit tenuis ad humidum declinans, & aluum laxam seruandi vim habens, ne feces indurentur, & induratæ in excretione dolorem excitent. Cum cibis ergo sumi possunt horrago, blitum, spinachia, malua, passulæ. Cassiam etiam fistularem sumere vtile est. Aromata verò dulcia & acria vitentur. Potus sit aqua hordei, vel cereuisia conueniens, vinum dilutum, generosa vero vina vitentur. Si feces duriores sint, ne in excretione earum dolor excitetur, clystere ex iure pingui vel decocto emolliente cum oleo communi eas emollire vtile est.

Si nimium fluant hæmorrhoides, cibus sit incrassans ex oryza, similagine & similibus in aqua chalybeata coctis, quibus bolus Armenus, corallia admisceantur. Conueniunt etiam mala cydonia, pyra, & similia. Vinū sit austerum stipticum. Quies vtilis est; omnis vero motus animi & corporis nimius vitandus.

## QVÆSTIO I.

### *Qualis sit sanguis qui per hæmorrhoides euacuatur?*

*Qualis sanguis per hæmorrhoides euacuetur.*

Qualis sanguis sit, quem natura per hæmorrhoides euacuare solet, Authores non plane consentiunt. Gal. 6. *aph.* 11. & 12. hæmorrhoides fieri statuit à sanguine melancholico, & instituit hanc euacuationem à natura factum melancholicum purgante. Hippocrates tamen, 6. *Epid. comm.* 3. *aph.* 37. dum morbos recenset, à quibus ij, qui hæmorrhoidibus laborant, immunes sunt, eos recēset, qui non à sanguine melancholico, sed & aliis humoribus proueniunt. Et res ipsa id testatur. Neque enim semper sanguis crassus ac ater, sed sæpe etiam floribus ac rubens per hæmorrhoides excernitur. Adrianus Spigelius quoque *de humani corp. fabr. lib.* 5. *cap.* 3. Galenum reprehendit, quod solum humorem melancholicum hæmorrhoidum caussam esse statuit, atque à bile & pituita hæmorrhoides quoque excitari posse docet, idque probare vult ratione. Autoritate quidem Hippocratis, qui *initio libri de hæmorrhoidibus*, hæmorrhoidum morbum fieri testatur, cum bilis aut pituita ad venas intestini recti decubuerit, sanguinemque qui in venis est, calefacit. Ratione verò, quod insaniæ etiam fiāt à bile & pituita, teste Hipp. *lib. de morbo sacro*, qui tamen 6. *aph.* 21. scribit Hæmorrhoidibus prouenientibus insaniam solui; refertque se in Germania vidisse molestatos à catarrho falso sanatos fuisse hæmorrhoidum longa fluxione.

Verum enim verò sciendum hic per sanguinem melācholicum accipiendum esse non solum sanguinem frigidum & siccum, aut qui melancholicum humorē frigidum & siccum admistum habet, sed etiam adustum, & qui sero melācholico abundat, vnde etiam floribus, vbi excernitur,

excernitur,apparet.Et ſolent in venis meſaraicis imprimis humores aduſti & bilioſi cumulari, qui febres intermittentes excitare ſolent, quos natura interdum per hæmorrhoides internas expellit. Atque iidem,ſi in cauam venam penetrent,per hæmorrhoides externas euacuari ſolent.Et omnino ij magis ſunt hæmorrhoidibus obnoxij, qui ſanguinem aduſtum habent, & qui in iuuentute fuêre ſanguinei,quibúſque in adulta ætate ſanguis aduritur, quique affectioni hypochondriacæ ſunt obnoxij.

Fallitur vero Spigelius in eo, quod à pituita etiam inſaniam fieri poſſe putat. φλέγματος enim vocabulum non ſolum humorem frigidum,ſed & calidum(quæ etiã genuina eius ſignificatio eſt) ſignificat, & Hippocrati quoque ſæpe pro humore calido & retorrido,qualis inſaniam inducit,accipitur,vt ex libro περὶ φύσεως παιδίου & aliis locis Hippocratis plurimis patet, de quibus videatur Anutius Foëſius, *in œconom.Hippocratis ad vocem* φλέγμα.Et in illo loco Hippocratis ex libro de hæmorrhoidibus à Spigelio allegato φλέγμα non ſumi pro humore frigido ex eo patet,quod ex eo ſanguinem,qui in venis eſt,calefieri Hippocrates ſcribit.

*...μα ...signifi- ...ippocra-*

Non tamen hoc prætereundum,quod Fernelius,*lib.6. de part.morb. & ſympt. c.*10. annotauit, atque ego etiam aliquoties obſeruaui, interdum è podice ſine dolore & ſine ſanguine prodire mucoſas quaſdam & ſubalbidas ſordes, quas falsò nonnulli pro pure habent, quas ille veluti limum fecémque ſanguinis melancholici eſſe putat, quam podicis venæ eructent interdum multo tempore, poſt diuturnos ferè morbos melancholicos durámque & laborioſam equitationem;Platerus verò fieri hoc eadem ratione ſcribit,vt in albis vterinis fluoribus, vt ſicut in illis per venas menſtruas,ſic hic per hæmorrhoidales natura ab alba illa materia,menſtruis albis ténacibus non abſimili, ſe repurgat. Et omnino non pus eſt illa materia alba,cum in iis etiam prodeat,qui nullo vlcere eo loci laborant,ſed ſanguis quidam craſſior, in materiam talem albam & viſcoſam albumini oui non abſimilem mutatus.

*...terdum per hæ... ...oides ...tur?*

Quanquam verò Galenus *6. Epid.comm.5.text.25.* naturam etiam ſanguinis plenitudinem per hæmorrhoides euacuare ſcribat,atque id negandum non ſit:tamen hoc iis ferè accidit, qui ſimul ſanguinem calidiorem habent.

## QVÆSTIO II.

### *An Aloë venarum ora aperiat, & hæmorrhoides cieat?*

*...aloë ve- ...m ora ...at?*

Affirmat id Serapio,*cap.201.de med.ſimp. Meſue,lib.de ſimp. med. facult. cap.1.* & Arabes plerique. Leonhardus Fuchſius vero Arabibus parum æquus, *lib.1. paradoxorum c.1.* id negat, & primò quidem autoritate Græcorum ſe tuetur,Dioſcoridis puta, qui *lib.3.cap.24.* Aloën δύναμιν στυπτικὴν, vim adſtringentem habere, & cum aqua frigida potam ſanguinis excretiones cohibere, & hæmorrhagias hæmorrhidum ſiſtere ſcribit;Galeni,qui *lib.6.de ſimpl.med.facult.* docet, aloën eſſe φάρμακον κολλητικὸν ſeu glutinare, & clarius,*lib.5.meth.med.c.4.* optimum,quod nouerit,ad ſanguinis,etiam membranarum cerebri, eruptiones eſſe remedium, quod paratur ex thuris parte vna & aloës parte dimidia;Plinij,qui *lib.27. c.4.* ſcribit, aloën ſanguinis exſcreationes, ſi modicæ ſint, drachmæ pondere ex aqua ſedare, vulnerum quoque ſanguinem, & vndecunque fluentem ſiſtere; imò ipſius Auicennæ,qui *c.67.canon.2.* ſcribat,aloën,quando ponitur cum vino ſupra hæmorrhoides & rimas ani, tunc ſanguinem ex iis manantem reſiſtere.Experientiam vero cum negare non poſſit,certúmque ſit,quod interdum aloës aſſumta hæmorrhoides aperiat,putat id fieri non per ſe, ſed & accidenti,quia videlicet acres humores, qui ſuâ acrimoniâ ani venas aperiunt, commouet, quod etiam Galenus docet, *6.aph.47.*



Verum vno verbo hæc controuerſia componi poteſt, ſi dicamus,aloën extra admotam venarum orificia claudere, & ita ſanguinem vndicunque fluentem ſiſtere, intus verò ſumtam,vt in venas penetret,ſanguinem ciere. Habet enim extra admota vim quandam denſandi, adſtringendi & glutinandi. Eadem etiam quia valdè attenuat,ſanguinémque feruidiorem reddit,& quaſi fundit, illíque eam quaſi qualitatem inducit, quam aliàs ſanguis obtinet in iis, qui ad hæmorrhoidum fluxum ſunt diſpoſiti,accidit, vt inde veni ani aperiantur. Fruſtra verò hanc huius controuerſiæ conciliationem impugnat Fuchſius, & quidem ſolum autoritatibus, dum ſcribit,Dioſcoridem & Plinium ſtatuere,aloën etiam in potu ſumtam ſanguinem profluentem compeſcere. Etenim & Dioſcorides & Plinius non loquuntur de hæmorrhoidibus, ſed de ſanguinis expuitione, quæ fit venâ aliquâ apertâ.Tũc enim aloë hauſta externi medicamenti loco eſt,quæ orificio venæ aperto pota affluens illud claudit,nõ minus vt extra vulneri alicui applicata.

## QVÆSTIO III.

### *An hirudines hæmorrhoidibus applicandæ ſint?*

*An hirudines hæmorrhoidibus applicãdæ ſint?*

Victor Trincauellius, *de rat.cur.part.corp.hum.præt.nat. affectus lib. 9. cap. 14.* apertionem hæmorrhoidum per hirudes diſſuadere videtur, ideò quod primo ea conſuetudo licet frequens in præſentia ſit, tam Patauij & Venetiis, quam in reliquis ferè totius Italiæ ciuitatibus, nouum ſit inuentum iuniorum Medicorum, nec meminerit eius eſſe mentionem factam ab aliquo Græcorum aut Arabum Medicorum. Deinde quod Galenus, 4. *aph.* 25. apertiſſimè conſulit, non eſſe aſſuefaciẽdum euacuationi per hæmorrhoides, quoniam periculo ea conſuetudo non vacet;cum ſi nigra fluat, vtilis quidem ſit ea euacuatio, ſi verò vel clarior & tenuior ſanguis, vel copioſior excernatur, eadem vtilis non ſit. Obſeruaſſe ſe vero ſcribit, quod ſanguis per hirudines detractus, præſertim quando hæmorrhoides ſponte non intumuerint, aut doluerint, effuſus clarus ſit,non niger.

Contra Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, *de operat.chirurg.cap.de hæmorrhoidibus* ſtatuit, etiam in iis, quibus nunquam ſanguis per venas ani fluxerit, neque eæ tumidæ fuerint,nihilominus per hirudines appoſitas tentari euacuationem debere in morbis curandis,vtpote in melancholia, pleuritide, peripneumonia, capitis dolore, febribus, liene affecto, renum paſſionibus, & aliis affectionibus ab Hippocrate & Galeno commemoratis. Et primo quidem id probat autoritate Galeni, qui 4. *aphor.* 25. ſcribit, ſanguis ſupra, id eſt, per os excretus, qualiſcunque fuerit, malum: infra vero, id eſt, per hæmorrhoides bonum, quando hominis natura multum talem accumulauerit ſanguinem. Aliter autem non eſſe aſſuefaciendum ei, quæ fit per hæmorrhoides, euacuationi, vt quæ periculoſam habeat vtramque immoderationem, ſiue ſupra modum ſanguis excernatur, ſiue ex toto ſupprimatur. Deinde multis rationibus id probat, quarum prima eſt, quod natura, cum per hæmorrhoides ſanguinem euacuat, hominem à multis morbis liberat; ideoque naturam in hac euacuatione eſſe imitandam & adiuuandam: Secunda, quia natura in hunc vſum hæc vaſa conſtruxit, & propterea, vbi munere ſuo non fungitur, eſſe aperiendas, ſi nimirum materia noxia in corpore abundat: Tertia quia euacuationes, quæ fiunt à natura aut à Medicis, quotieſcunque adeſt materia noxia, ſunt bonæ, quia morbos tollunt: Quarta quia ſi non licet ſanguinem melancholicum per hæmorrhoides euacuare, etiam in aliis morbis nec ſecandam venam eſſe, nec purgandum: Quinta quia natura, quæ eſt morborum medicatrix, eſt imitanda, quæ raro aliàs, quam has venas ad ſuperfluam euacuanda aperit. Imo exiſtimat Hieronymus Fabricius

ab Aquapendente, euacuationem ſanguinis ex hæmorrhoidibus à vena caua plus conferre in febribus malignis, quam venæſectionem in cubitu. Cum n. in febribus malignis putredo ſit in vena caua, hæmorrhoides ſunt viciniores venæ cauæ, vbi maximæ eſt in lumbis, quàm venæ in brachiis.

Et omnino ſatis probabiles ſunt rationes Hieronymi Fabricij ab Aquapendente, neque diſſentit ab eo Hippocrates & Galenus. Hæc ſaltem attendenda, primò, quæ hæmorrhoides aperiendæ ſint applicatis hirudinibus, deinde qui humores & vbi peccent. Quo pertinet etiam naturarum & regionum varia conſtitutio. Etenim ſi in vena caua humores peccent, externæ hæmorrhoides, etiam fluere non conſuetæ, modo tumeant, aperiri poſſunt; cum magno venæ cauæ trunco in brachiis proximæ ſint. Eædem tamen externæ etiam aperiri poſſunt, ſi tumeant, vel fluere conſuetæ ſint, vbi humores vitioſi ſunt in ramis venæ portæ, ob conſenſum & ἀναςόμωσιν hæmorrhoidum internarum & externarum, vt infra *part.5. ſect.1. cap.1. de aff. hypoch.* dicetur. Si verò humores vitioſi ſint in venæ portæ ramis, internæ, modo id commodè fieri poſſit, aperiantur, ſiue turgeant, ſiue non turgeant, ob rationes ab Aquapendente adductas; externæ verò, ſi non tumeant, non debent, cum naturæ conatus tum deſit. Ipſo tamen fatente Fabricio, iſta hæmorrhoidum apertio maiore cum commodo fit in Italis & meridionalibus, vtpote qui ſanguinem magis calidum & aduſtum habent, & propterea fluxui hæmorrhoidum magis ſunt obnoxij, quam Septentrionalibus, quorum ſanguis eſt frigidior, quibúſque hæmorrhoides propterea minus ſunt familiares.

# LIBRI TERTII
## PARS III.
## DE MORBIS MESENTERII, Pancreatis, & omenti.

### CAPVT I.

### *De Meſenterio & vaſis meſaraicis venïſque lacteis.*

*Meſenterium vnde dictum?*

MESENTERIVM quaſi μέσον τῶν ἐντέρων, Ciceroni, *2. de nat. Deor.* & Macrobio, *in ſomn. Scipion. c.6. circa finem*, medium inteſtinũ, id eſt, medium viſcerum & interraneorum. (Ita enim antiqui Romani nomen inteſtinorum accipiebant) dictum, nonnullis & μεσαραῖον nominatum, interpretibus Latinis aliquibus lactes, ſed malè appellatum, quaſi ligamentum & vinculum quoddam inteſtina connectit, & vaſa ad inteſtina excurrentia tutò deducit.

De cuius naturali conſtitutione, figura, ſitu, magnitudine, ex variis partibus compoſitione, connexione, & ſimilibus Anatomici conſulantur, qui de eis diligenter tractant. Non tamen abs re facturi videmur, ſi de vaſis meſaraicis, vt parte meſenterij præcipuâ, & quorum gratiâ meſenterium factum, quædam, antequam morbos meſenterij explicemus, proponamus.

*Vaſa meſaraica quotuplicia?*

Vaſa meſaraica Antiqui, imò ad hunc vſque tempus omnes Anatomici & Medici triplicia conſtituerunt & deſcripſerunt, venas, arterias, & neruos; etſi de eorum vſu & actione non omnes idem docuerint, vt poſteà dicetur.

*Lacteæ venæ, nouum eorum genus quando & à quo inuentum.*

Primus hoc ſeculo nouum vaſorum meſaraicorum genus propalauit & deſcripſit Caſpar. Aſellius Cremonenſis, Anatomicus Ticinenſis, *in libro poſthumo de lactibus, ſiue lacteis venis*, quod 1622. primum inuenit. Cum enim fortè fortunâ venæ hæ lacteæ in cane, quem viuum ſecandum ſumpſerat, ipſi occurriſſent, totum ſe poſtea earum inueſtigationi dedit, vt nulla ferè hebdomada, nullus certè menſis abierit, ſine viua vna & altera ſectione non canum tantùm, ſed & brutorum aliorum plurimorum, felium, agnorum, porcorum, vaccarum, imò equorum. Ex eo ergo quædam, quæ de hoc quarto vaſorum genere ex eius libello primò percepimus, & poſtea αὐτοψίᾳ confirmauimus, proferemus.

*Quâ occaſ... inuenta ſi...*

*Modus illa inquirendi.*

Quomodo is ad vaſorum horum inuentionem peruenerit, *cap.9.* docet. Eaſdem tamen venas cuiuis inuenire ac videre promptum ac facilè, ſi canem vel aliud brutum ad ſatietatem vſque paſcat, & horis 5. vel 6. pòſt ventrem eius ſtatim aperiant. Tum enim in animali adhuc viuente venæ lacteæ ita dictæ, quod colorem lacteum referant, & humorem lacteum contineant, à reliquis tribus vaſorum meſaraicorum generibus diſtinctæ, eo modo quo eas depinxit Aſellius, eæque albiſſimæ, apparebunt. in animali verò ieiuno, aut vbi chylus iam diſtributus eſt, vt & in mortuo non apparent. Appellat autem Aſellius hoc vaſorum genus albas & lacteas venas, quod, vt dictum, colore præditæ ſint albo & lacteo, ac ſuccum lacti ſimilem in ſe contineant. Idem quoque lactes nominat, de quo vocabulo prolixè & eruditè, *cap. 10.* agit.

*Nouum h... vaſorũ ge... cur venæ... lactearum... men adept... ſit?*

*Venæ lact... vt à reliq... vaſis me... raicis diſt... guantur?*

Dari autem ea, & diſpergi ramulos candentium vaſorum per omnem meſenterij ab vſque centro eius regionem, inde in inteſtina deferri, ad ipſa ſcindi in propagines penè infinitas, his propaginibus vndique inteſtina ambiri ac comprehendi, & quidem à reliquis vaſis meſaraicis diſtingui, cauitate à neruis, tenuitate tunicarum ab arteriis, à venis candore, ab omnibus ſimul ſucco, quem includunt, qui neruis nullus, in venis & arteriis colore & tota ſubſtantia diſpar eſt, ad ipſam oculorum fidem rectè prouocat. Neque hîc facilè aliquis ei contradicet, qui viſum ſuum conſuluerit & oculis ſuis fidem habere voluerit, quod in Anatomicis & operibus naturæ contemplandis omnino faciendum, vt monet Galenus, *2. de vſu part. cap. 3. in fine.*

*Cur venæ lacteæ tam ... latuerint?*

Quod verò tam diu & ad hoc vſque tempus vaſa hæc latuerint, & ante annos paucos primum in notitiam hominum peruenerint, cauſſa proculdubio eſt hæc, quod in demortuis animalibus, in quibus venæ hæ non apparẽt, plerique anatomiam exercuerint. Sed quod & eos, qui etiam viua animalia ſecuerunt, & ipſum Galenum, qui tamen ſexcentas viuas ſectiones ſe adminiſtraſſe gloriatur, & plurima animalia à paſtu ſæpe ſecuit, latuerunt, prorſus ſe ignorare ſcribit Aſellius, *cap. 14.* Verum & huius rei ratio reddi poteſt. Etenim cauſa, ob quam animalia viua ſecuerunt Antiqui, eſt, vt vel motum cordis, vel diaphragmatis, vel vocis inſtrumenta, vel motum cerebri, & ſenſum membranarum eius viderent & inueſtigarent, vel, quomodo cibus in ventriculo mutaretur, agnoſcerent: quæ dum fiunt, interim animal moritur, & poſtea lacteæ venæ non apparent. Neque etiam mox à paſtu conſpiciuntur, ſed vbi chylus confectus eſt Qui verò ob venarum lactearum inueſtigationem ſectionem viuorum primariò inſtituerit, nemo fuit ante Aſellium.

*Cur veter... viua anim... lia ſecueri...*

*Eraſiſtrate... venæ lac... notæ fueru...*

Eraſiſtratum tamen eiúſque ſectatores venas iſtas vidiſſe, verum non agnouiſſe, ſed pro arteriis habuiſſe, patet è Galeni *lib. an ſanguis contineatur in arteriis c.5. & 7. de adminiſtrat. anatom. cap. vlt.* vbi ſcribit Galenus, Eraſiſtrati aſſeclas ſtatuere, ſimul ac meſenterium denudatum fuerit, arterias aëri ſimiles apparere, poſtea lacteo ſucco repletas conſpici.

*Cur morie... animali ſ... cus venar... lactearum euaneſcit?*

Quî autem fiat, quod moriente animali ſuccus ille lacteus mox euaneſcit, atque venæ iſtæ non amplius apparent, dicere non ita facile eſt, habétque ſuas coniecturas Aſellius. Mihi vero conſentaneum videtur, quod ex ingenti dolore, qui fit ex ſectione, ſpiritus diſſipantur, ad quarum inſtaurationem materiam nouam ex epate cor rapit, epar rurſum ex hiſce vaſis lacteum illum alimentarem ſuccum attrahit.

Habent

*truƈtura venarum lactearum.*

Habent autem hæ venæ ſuam ſtructuram & compoſitionem, vt reliquæ venæ. In qua illud admiratione dignum eſſe ſcribit Aſellius, *c.*18. quod pluribus valuulis ſiue oſtiolis inteſtinæ ſunt, quas valuulas ſæpius, euaneſcente iam chylo, inſtar minutiſſimorum veluti marſupiolorum, aut concretarū guttularum ſtillarumve dependere ex illis, non modò quà committuntur inteſtinis, ſed etiam in reliquo ductu animaduerterit; quales etiam Columbus in extremitatibus aliarum venarum meſaraicarum conſtituit. Hanc tamen differentiam eſſe docet Aſellius, quod illæ Columbi valuulæ foris intrò ferantur, iſtæ verò contrà intus foràs ſpectent. Cuius diuerſitatis ratio eſt, quod venæ lacteæ chylum ex inteſtinis ſugunt, qui in inteſtina remeare non debet; venæ verò vulgatæ meſaraicæ ſanguinem, & interdum quoque humores excrementitios, ad inteſtina ferunt, quæ refluere non debent.

*ur venarum lactearum valuulæ foràs pectent?*

Sunt verò hæ venæ ab aliis venis & arteriis ſeiunctæ, & ſunt partes vnius trunci, vt venæ alteræ & arteriæ. Magnitudine quidem à vulgatis, ſiue truncum ſiue ramos ſpectes, ſuperantur, ſed numero illas excedunt, adeò vt iis ferè duplo plures videantur; quod ideò factum, quia plus chyli ad totius prouidentiam epati, quàm ſanguinis inteſtinis ad priuatam nutritionem debetur. Plures tamen tendunt ad inteſtina intenuia, pauciores aut ferè nullæ ad craſſa; cum inteſtina tenuia alibilem ſuccum, craſſa verò excrementa potius contineant, & illa potius chyli diſtributioni, hæc excretioni inſeruiant.

*b aliis venis r arteriis uomodo differant venæ lacteæ?*

*d quæ inteina magis undant venæ cteæ?*

Inſertio earum in inteſtina ſatis manifeſta eſt. Vbi autem origo & principium ῥιζώσεως, ſeu truncus & caudex ſit, non ita planum. Quia tamen omnes inſeruntur pãcreati & in eo coëunt, & mitis anfractibus ac gyris toto eius corpore ſunt intextæ, indéque tum deorſum tum ſurſum ad epar porrigi apparent, rationi conſentaneum putat Aſellius, earum originem eſſe in pancreate. Atque ita longe nobilior vſus eſſet pancreatis, quàm vulgo creditur. Quanquam enim Aſellius ſuæ opinioni hoc obſtare putat, quod venæ lacteæ videantur iecoris gratiâ factæ, cuius manus ſint: tamen nihil obſtat, quin prius in pancreas inſerantur, atque inde chylus aliquam alterationem ſuſcipiat. Vnde quæ de vſu pancreatis reſpectu venarum portæ ſcribit Varolius, illud rectè mihi ad venas lacteas accommodari poſſe videtur. Nimirum quemadmodum ſanguis maternus, antequam epar ingreditur, ſordes ſuas ac viſcoſam humiditatem deponit in molem carneam innumeris venis & arteriis vmbilicalibus refertam, quæ Placenta dicitur: ita in natis perfectiſque corporibus, ante epatis & lienis portas pancreas factum, vt chylus per venas lacteas ſubintrans, cœnoſa humiditate repurgatus purior in epar influat. Neque enim pancreas ſolum glandula, ſed peculiare parenchyma, quod nobiliorem vſum habet, eſſe videtur, & proculdubio peculiarem aliquam chyli coctionem & alterationem præſtat, de quo etiam poſtea, *cap.7.de pancreatis morbis*, dicetur.

*arum in inteſtina inſer) & origo.*

*ncreatis us nobilior.*

Inſeruntur autem venæ lacteæ in omnia inteſtina, etiam duodenum, & plurimum in gracilia inteſtina, præſertim in ieiunium, nulla verò in ventriculum. Hiant verò hæ venæ in inteſtina inſtar hirudinum ſpongioſis capitibus, quæ radicum officium obtinent, quæ in ipſam inteſtinorum capacitatem ſeſe penettant. Definunt autem in cruſtam, quâ interior inteſtinorum gracilium tunica oblinatur, rugoſam.

Progreſſus earum, vt eum quidem diligenter deſcripſit Aſellius, hic eſt. Ab inteſtinis per meſenterium obliquo ductu inter duas eius tunicas, partim ſeorſim à vaſis reliquis, partim cum illis vnà, modò recto ductu, modò eadem tranſcendentes & veluti decuſſantes per plures glandulas in pancreas vſque perferuntur; In pancreate variè, cancellorum in modum vel ſpeciem retium aut capreolorum, implexæ ſibi mutuò, & corpore confuſæ in plurimos eoſque inexplicabiles gyros anfractuſque hac illac intorquentur. Ab eo rurſum maioribus iam ramis per portæ latera, quam quibuſdam locis corollæ inſtar ſiue annuli incingunt ambiuntque, miſſis quandoque etiam in cauam propaginibus, in iecoris caua ſubeunt. Inde illatæ in epar ipſum, & diſciſſæ in minutiſſimas fibras, veluti capillamenta quædam in eius carnem quaqua verſum tam diu diſſeminantur diſperguntur que, dum prorſus obliterantur.

*arum lactearum progreſſus.*

*Actio earum.*

Actio venarum harum propria (præter communem, quæ eſt nutritio) eſt chyli ad epar diſtributio, quod ex ipſo ſenſu patet, qui chylo eas ſcatere docet. Simul tamen vt reliquæ venæ ſanguinem: ita hæ chylum conſeruandi, ne corrumpatur, vim habent. Seruiunt huic actioni & valuulæ, quas habent, quæ impediunt, ne quod ſemel attraxerunt, refluat in inteſtina; quod hic adeò exactè præſtant, vt nec digitorum compreſſu chylum ſemel hauſtum in inteſtina remeare ſinant.

Atque his vaſis ita inuentis facilè illa controuerſiâ componi poteſt, quæ tot ingenia exercuit, nec tamen, ſine vaſorum horum cognitione, hactenus ita decidi potuit, vt animus veritatis auidus acquieſceret, per quam viam nimirum chylus ad epar, & rurſus ſanguis ab Epate & Liene ad inteſtina & vicina viſcera nutrienda feratur?

*Per quam viam chylus ad Epar, & ſanguis ab Epate & liene ad inteſtina feratur?*

Octo enim certè, niſi plures, hac de re diſcrepantes ſunt ſententiæ.

*Autorum diſcrepantia.*

Alij enim per ſolas ventriculi venas ad epar chylū deferri, per meſaraicas verò nutriri inteſtina ſtatuunt.

Alij vtriſque vtrumque munus attribuunt, numero ſaltem eas diſcernunt.

Alij de meſaraicis ſaltem diſputant, & tamen quatuor ſectarum ſunt: alij ſolum chylum ferre venas meſaraicas putant. Alij & chylum & ſanguinem, ita tamen, vt aliæ venæ meſaraicæ ſint, quæ ſanguinem, aliæ, quæ chylum ferant. Alij vtrumque munus omnibus aſſignant; ſed diuerſis temporibus, nunc huic nunc illi officio vacare ſtatuunt. Alij eodem tẽpore omnes vtroque officio fungi exiſtimant. Et quidem alij præcipuè chylo deferendo, ſecundariò ſanguini deſtinatos eſſe putant. Tandem ſunt, qui diſputant, an toto venarum horum ductu vterque humor feratur, an in parte & latere vno chylus, in reliquo & dimidio ſanguis.

Quæ opiniones tamen omnes maximis premuntur difficultatibus, vt videre eſt apud Mercatum, *lib.* 3. *part.* 4. *claſſ.* 3. *art.* 8. Laurentium, *l.* 4. *Hiſt. anatom. quæſt.* 5. Petrum Lautembergium, *in Proceſtr. Anatom. c.*18. Hiſce verò vaſis inuentis controuerſia hæc facilè componi poteſt. Lacteæ enim venæ chylum vehunt, reliquæ meſaraicæ ſanguinem; id quod oculi teſtantur, qui docent, Lacteas chylum vehere, vulgares verò meſaraicas nutritioni deſtinatas eſſe, ſiue ſuccum ſpectes, quem intra ſe continent, ſiue in ipſa inteſtina inſertionem. Et quam abſurdum naturam vna parte ad operationes tam aduerſas & repugnantes vti, cuius etiam nullum aliud exemplum in toto corpore humano exſtat? Et cum natura diſtributionis opus, quod omnes confitentur, fibrarum opera perficiat, quomodo eædem fibræ motibus contrariis inſeruire poterunt.

*Deciſio.*

Et ſi hæc de venis lacteis ita ſe habent, vt habere puto, & diligens inquiſitio clarius docebit, multa in Phyſicorum & Medicorum ſcriptis (quæ & me ſecutum fateor) vel mutanda vel explicanda rectius erunt. Inter quæ primò ſunt illa, quæ de venarum meſaraicarum ſanguificatrice vulgo docentur, quaſi primum rudimentum ſanguinis in venis meſaraicis chylus accipiat. In uentis enim venis lacteis hoc docere opus non eſt, ſed quicquid eſt ſanguinis in meſaraicis, id ab epate & liene eſt.

Lucem etiam harum venarum inuentio affert intricatę illi quæſtioni de ſanguinis generationis, an ea ſcilicet in epate & ab epatis ſubſtantia & vi innata, an verò in venis fiat? Cum enim hæ venæ lacteæ in ipſam Epatis carnem diſſeminentur, atque in ea obliterentur, nullâ-

*Venarum Lactearum vtilitas indagāda ſanguinis generatione, & aliis dubiis denunciandis.*

KKKK 4 que

que earum cum aliis venis communio deprehendatur, atque ita chylus in ipsam Epatis substantiam ab iis effundatur, in ipso etiam epate sanguinē mutari, qui postea à venis excipiatur, vero maximè consentaneum est. Sanguinis autem in epate generati crassiorem partem à ramis venæ portæ, subtiliorem a cauæ radicibus excipi statuit Asellius, *cap.* 31. Et inde, *cap.* 32. Galeni de officio Lienis sententiam defendit, nihilque è ventriculo ad Lienem proximè peruenire, *cap.* 33. statuit. Verum etsi Asellio concedatur, crassiorem & impuriorem chyli partem à vena portæ attrahi: tamen hinc nondum concludi potest, Lienem nullam sanguificationem obire, & solum excremento melancholico excipiendo destinatum esse, vt postea, *parte* 4. *cap.* 1. dicetur. An verò Lien saltem sanguinem ad ventriculum mittat, & nihil ab ea excipiat, altioris est indaginis.

*Dubia quædā circa vasa lactea.*

Et omninò sunt dubia quædam, quæ adhuc circa hæc lactea occurrunt non pauca, inter quæ ista præcipua: primum, quod truncus venarum lactearum non apparet, vt mesaraicarum truncus vena portæ. Cum enim epati chylum omnes afferant, in truncum quendam coire eas necesse est, quem certè sat conspicuum esse oportet. Sit enim vt succus ille lacteus euanescat: tamen quia hic truncus è vasorum numero est, suam cauitatē, & suam tunicā habere oportet, quæ certè euanescere non possunt. Vt mirum sit, quomodo tot laboriosissimos & exercitatissimos anatomicos qui omnia epatis vasa diligēter rimati sunt, hæc vasa latere potuerunt. Sit enim, vt liquorem illum lacteum in eo non inuenerint, & vsum eius propterea ignorauerint, vas ipsum tamen videre debuerunt. Quod certè adeò exile esse non potest. Cum enim venæ lacteæ tot numero sint, certè si eæ in vnum truncum coeunt, is non adeò exilis erit. Alterum, quod inter venam cauam & trūcum hunc proportio esse debet. Cùm enim truncus venæ cauæ, qui sanguinem confectum toti corpori distribuit, tā amplus sit, certè truncum venarum lactearum, qui epati chylum, è quô sanguis fit, aduehit, proportione ei respondere debet. Verum forsan dies ista tandem etiam docebit, & in lucem protrahet.

Interim sua laus debetur Asellio, cuius diligentia factum, vt etiam hic illud Comici locum habeat.

*Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,*
*Quin res, ætas, vsus semper aliquid apportet noui,*
*Aliquid moneat; vt illa, quæ te scire credas, nescias,*
*Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.*

## DE MORBIS MESENTERII.

## CAPVT II.

### De Intemperie Mesenterij.

*Mesenterium multis morbis est obnoxium.*

Multis autem morbis obnoxium est mesenterium, multorumque morborum & symptomatū caussæ in hoc latent. Hæc enim sentina quasi est corporis, in quam nobiliora infimi ventris membra sua excremēta deponunt: suntque hæ partes ignobiliores, & habent multas glādulas, quarum substantia est σομφοειδεστέρα & humores promptè imbibit, ac, vt Hippocrates *libro de glandulis*, docet, μείζονας ἤκω ἄλλοθεν τῦ σώματ@-, καὶ νέμονται αἱ ἀδένες ἐν τοῖσιν ἐντέροισιν ἐκπιεζόμεναι τὸν πλάδον, id est, *glandulæ verò ad intestina maiores sunt quam alia corporis partes, & expressam ex intestinis redundantem humiditatem de pascuntur & imbibunt.* Et præterea sensu nullo vel exquisito præditæ sunt, vnde diu humorum colluuiem tolerare sine molestiæ sensu aliquo possunt.

*Mesenterium cur Medicorū dicatur nutricula.*

Vnde à nonnullis non immeritò Mesenterium Medicorum nutricula appellatur, cū ab eo infiniti penè morbi oriantur, vtpote quod sentina quasi corporis est, ad quā totius corporis colluuies confluit per venas & arterias, quibus innumeris contexta est, vt rectè Fernelius, 6. *de part. morb. ac sympt. cap.* 7. scripserit, se Choleræ, melancholiæ, diarrhææ, dysenteriæ cachexiæ, atrophiæ, languoris, lentarum errantiumque febrium, latentium denique morborum, melancholiæ hypochondriacæ, vomitionum crebrarum, dolorū colicorum, tumorum, abscessuum caussas in hisce plerumque sedibus adinuenisse. Commota tandem materia solet grauissimorum Symptomatū, conuulsionis, epilepsiæ, lipothymiæ imò mortis sæpe caussa existere. Id quod in praxi sæpissime obseruare est, & id superiori anno in nobili quodam in vicinia accidisse memini, qui cum annos aliquot languerer, & non satis benè haberet, intemperanter tamen viueret, tandem per aluum, proculdubio ex his sedibus, nigra & fœtidissima magnā copiā eiicere cœpit & intra horam exspirauit. Idem etiam aliis accidisse memini.

Vt verò morbi hi sat frequentes sunt; ita obscuri & ab antiquis, si ferè Hippocratem excipias, seu incogniti, seu non explicati.

### Intemperies Mesenterij.

*Intemperies Mesenterij.*

Sunt autem morbi Mesenterij varij, inter quos primò sunt morbi Insemperiei: Et pertinet huc, ἀναντὴ τῆς ξηραντικὴ νόσ@-, vt exponit Galenus *in exegesi*, morbus siccatorius seu calida & sicca intemperies vasorum mesaraicorum, quem morbum descripsit Hippocrates 2. *de morb.* quique affectionis Hypochondriacæ autor est, cuius propterea eiam mentionem faciemus *infra de affect. hypochond. part.* 5. *sect.* 1. *c.* 1.

Solet autem ista intemperies raro esse sola, sed cum materia coniuncta, quæ tamen non facilè cognoscitur. Et sæpe in signis tanta est obscuritas & confusio, vt εὐστοχίαν Medici etiam solertis eludat & fallat. Et hæc ipsa caussa esse videtur, quod de hisce morbis ab antiquis parum aut nihil scriptum est.

Solet verò materia, quæ intemperiei & aliorum morborum mesenterij caussa est, vel in eo colligi vel aliunde eò transmitti. Cum enim chylus per vasa mesaraica &, secundum Asellij inuentionem, per venas lacteas ad epar mittatur. Si chylus ob errores in victu non bene sese habeat, facilè tum in ipsis venis lacteis, tum in glandulis, quibus fulciuntur, vitiosi humores sensim colligi possunt.

Deinde iidem etiam ab epate & liene & venæ portæ ramis, imo & vniuerso corpore ad vasa mesenterii mitti possunt. Solet enim natura per venas mesaraicas non solum alimentum intestinis & mesenterio transmittere, sed etiam vasis abuti ad vitiosos humores euacuandos. Vnde per easdem venas mesaraicas humores in purgatione arte instituta ad intestina confluere solent.

*Humores purgatione arte instituta per venas mesaraicas in intestina fluunt.*

Non solum autem venæ, sed & arteriæ masaraicæ, vt rectè Adrianus Spigelius, *lib.* 6. *de hum. corp. fabr. cap.* 4. monet, vbi homo à sanitatis limite declinat, vitiosos humores & excrementa corporis suscipiunt, vt ad intestina deponant; & multorum morborum ac symptomatum causæ in hisce arteriis hærent. Est enim proculdubio arteriarum harum præcipuus vsus, vt calorem partiū per se imbecillium & ignobiliū atque excremētis multis scatentium, coctioni tamen dicatarum, foueant & augeant: vnde non solum sunt tot numero, sed etiam vt aliæ arteriæ, quæ in externas corporis partes terminantur, acrem frigidum non attrahunt. Quod si non præstent, omnes illas coctiones turbari & vitiari necesse est. Fit autem hoc, cum quæ spiritu vitali repleri & calore abundare debent, vitiosis humoribus scatent, qui suam quam habent, intemperiem, partibus per quas disseminantur, imprimūt. Vnde calor natiuus partium debilitatur, eæque ad officia sua & coctiones perficiendas ineptæ redduntur, vt multi crudi & vitiosi humores generentur: & bile quidem frequenter in continuis & intermittētibus febribus biliosis, quarum crisis interdum per alui fluxum accidit: nonnunquā etiā pituita & melancholia,

*Vsus arteriarum in mesenterio.*

lancholia: vnde Adr. Spigelius *lib. 6. de fabr. corp. hum. cap. 4.* ſcribit, ſplenicam arteriam, ſi duos ramos meſentericos addas, melancholiæ hypochondriacæ ſedem eſſe. Qui humores poſtea ſæpe hæmorrhoides excernuntur. Vnde etiam Hippocrates 6. *Epidem.* ſcribit, qui hæmorrhoides habet, neque dolore lateris neque pulmonis inflammatione neque furunculis neque terminthis pariter neque lepra, cancro & aliis morbis corripiuntur.

*[…]toris cum […]morrhoida[…] arteria cõ[…]ſus.* Pectoriſque omnino maximus cum hæmorrhoidali arteria conſenſus eſt, quod truncus ex qua arteria oritur, à corde deſcendens in primo ſtatim exortu intercoſtales ramos propagat. Vnde accidit, vt qui Hypochondriacæ affectioni & ſcorbuto ſunt obnoxij, ſæpè de acerbiſſimis pectoris doloribus, iis tamen non diuturnis, vt & pectoris conſtrictione conquerantur, materia flatulenta, ſeroſa, tenui & acri per dictas vias in muſculos thoracis effuſa, membranaſque ibi vellicante & diſtendente. Atque has ipſas arterias eſſe ſtatuit Spigelius, per quas colici dolores in Arthritidem, & contrà Arthritis in colicam permutatur, vt eſt apud Hipp. 6. *Epid. ſect. 4.* dicentem *Qui articulari morbo detentus inteſtini dolore dextra parte vexabatur, leuius habebat, vbi verò hic morbus curatus fuit, magis dolebat.* Quod ex tranſlatione materiæ fit, dum ex arteriis cruralibus in truncum & ex hoc in meſentericos ramos, & tandem ab his ad inteſtina defertur. Idem etiam cauſſam cur dolores colici in paralyſin mutentur, ex his arteriis petit, idque fieri docet materia ad meſentericas arterias tráſmiſſa ad lumbras, à quibares facilè, cum ad ſpinalẽ medullam, tum porrò ad cerebrum mitti poteſt. Lumbares enim arteriæ in lumborum vertebras per communia foramina & ipſarum medullam excurrunt; quin & ad medullæ latus, dum vertebras ingreſſæ sũt, vtrinque ad cerebrum vna cum venis lumbaribus aſcendunt.

*[…] quas vias […]teria fera[…], dum do[…] colicus in […]britidem, […]rurſus hæc […]lũ trans[…]tatur? […] dolor co[…]s in pa[…]ſin mute[…]*

Solet autem intemperies Meſenterij hydropem ſicum præcedere, & ſi hectica ſit, incurabilis eſt, neque vllo præſidiorum genere tolli poteſt.

Curationem quod attinet, patet ea ex iis, quæ de inteſtinorum intemperiebus dicta ſunt.

Et quia iſta intemperies vix eſt ſine materia, etiam è *capite ſequenti*, qua ratione curanda ſit, manifeſtum fiet.

*[…]mperiei […]enterij […]atio.* Circa curationem autem horum affectuum monet idem Spigelius, per dictas arterias non ſolum primas vias, ſed & vniuerſum corpus, & quidem non tantum per purgantia ſumpta, ſed & per clyſteres infuſas euacuari poſſe. Cum enim totum colum materiam clyſteris ſuſcipiat, vis medicamenti purgantis per arterias ex trunco aortæ noxios humores trahit. Vnde etiam rationem licet reddere, cur ex helleboro albo facta ſuppoſitòria aut antimonium clyſteribus admixtum eadẽ inducat ſymptomata, quæ ſolent eos inuadere, qui helleborum album vel antimonium ore hauſerunt. Hinc quoque cauſſa peti poteſt cur medicamenta purgantia vmbilico applicata aluum moueant. Per arterias enim medicamenti purgantis vis attrahitur, humoreſque in iis commouet.

*[…] hellebo[…] albus in […]oſitoriis […] antimo[…]n in cly[…]bus eadẽ […]ore ſumta […]ptomata […]icant? […] medica[…]ta pur[…]tia vmbi[…] applicata […]um mo[…]nt?*

## QVÆSTIO III.

### De Meſenterij Vaſorum Anguſtia & Obſtructionibus.

*[…]terij va[…]m angu[…] & ob[…]ctio.* Frequentiſſimus quoque Meſenterij morbus eſt vaſorum eius anguſtia, vnde multi alij morbi oriuntur. Eſt autem vel in vaſis lacteis, vnde chyli diſtributio impeditur, vel in venis meſaraicis.

*[…]ſa.* Fit autem venarum lactearum anguſtia vel ab earum obſtructione vel compreſſione. Obſtruuntur venæ lacteæ à chylo craſſo, crudo, lento, viſcido è ſimilibus cibis genito. Quò facit motus intempeſtiuus vel balneum poſt cibum, quæ alimentum adhuc crudum in hæc vaſa rapiunt. Comprimuntur à glandularum tumore, vel aliis meſenterij tumoribus.

Venæ meſaraicæ etiam obſtruuntur ab humoribus craſſis & viſcidis cum ſanguine ad eas effuſis, quales ſunt pituita biliſque diu ibi hærens & incraſſata. Comprimuntur à tumoribus inteſtinorum.

### *Signa Diagnoſtica.*

Cognoſcitur venarum lactearum anguſtia ex chyli diſtributione, quæ ipſorum officium eſt, læſa, ad quam duo ſymptomata imprimis oriri ſolent, alui fluxus chyloſus & albus, & totius atrophia. Si enim venarum harum orificia obſtruantur, planè chylum ex inteſtinis ſugere non poſſunt; ſi verò in medio canali ſit anguſtia, vi perruptis valuulis & dilatatis oſculis in inteſtina chylus refunditur. Atrophia verò ſequitur, vtili & neceſſaria ad alendum corpus materia denegata, atque chyli commeatu intercluſo, quod ob ſcirrho obſeſſas meſenterij glandulas ſæpe accidiſſe medicorum obſeruationes docent. *Signa.*

Venarum autem meſaraicarum obſtructiones ſi accidant, multa inde mala & ſymptomata accidere ſolent. Humores enim coerciti & flatus inde excitati diſtenſionis & grauitatis ſenſum excitant, vapores in caput attolluntur, vnde capitis grauitas dolorque circa dorſum excitatur, murmura ac tormina ventris conciliantur, ructus & rugitus febreſque generantur, & alia mala de quibus *de affectione hypochondriaca* dicetur.

### *Prognoſticum.*

Periculoſum autem & pertinax ſæpe hoc malum eſt, & multorum malorum fomes. Cum enim hæc pars ſenſu exquiſito deſtituatur, vitioſi humores diu ibi latere pertinaceſque obſtructiones parere poſſunt. *Prognoſticũ.*

### *Curatio.*

Curatio perficitur cauſſarum anguſtiæ ablatione. Proinde ſi accidat obſtructio, aperientia requiruntur. Si compreſſio, tumor comprimens tollendus. Aperientia autem ſint moderata in primis qualitatibus, ne, ſi nimis calefaciant, calorem augeant, & humores acriores reddant, bilemque cumulent. *Curatio.*

Purgantia quoque non ſint fortia, ne humores vitioſos plures ad partem affectam commoueant, ſed per epicraſin purgatio fiat medicamentis lenioribus, quæ venarum meſaraicarum orificia extergunt, humoreſque leniter educunt, humoribus priùs ad euacuationẽ præparatis & idoneis redditis. Niſi enim humores prius præparentur & ad fluxum apti reddantur, flatus excitãtur, materiaque nõ educitur, ægrique valdè affliguntur.

Ad obſtructiones aperiendas & humores attenuandos vtiles ſunt, *Aperientia & humores attenuantia.*

Radices *aperientes dictæ, Polypodij querni, cichorij, taraxaci, ari, chelidonij maioris, gentianæ.*

Cortices *rad. capparum, tamariſci.*

Folia *cichorij, fumariæ ſcarriolæ, endiuiæ, cuſcutæ, chamædryos, agrimoniæ, ceterach, centaurij minoris, cardui benedicti, abſinthij.* Flores *geniſtæ, cichorij, borraginis.*

Sem. *endiuiæ, ſcarriolæ, geniſtæ, quatuor frigida maiora.* Tartarum.

### *Et ex his præparata & compoſita varia.*

Syrupi *byzant. ſimpl. & compoſ. de duabus radicibus, de cichorio. de endiuia ſimpl. & compoſit. de cichor. cum rhabarb.*

Conſeruæ *cichorij, fumariæ, cardui ben. chamædryos.*

Eſſentia. *abſinthij, chamædryos, centaurij minoris, cardui benedicti.*

Extractum *cichorij, centaurij minoris cardui bene dicti, gentianæ.*

Ex

Ex tartaro *medicamenta, cremor & crystalli tartari, tartarum vitriolatum.*

Spiritus *salis, vitrioli.* Trochisci *de capparibus, de Rhabarbaro, de absinth. de eupator.*

E quibus cuique morbo & humori peccanti conuenientia eligenda. Dulcia & sacchato multo condita hic non sunt commoda: contra amara maximè vtilia. Quæ quia gustui non sunt grata, commodissimè in pilulas formantur. Vt tamen facilius penetrent, post eas assumtas liquor aliquis conueniens hauriri potest. Et vsu talium sæpe pertinaces nothæ tertianæ tolluntur.

Vt ℞. *Trochisc. de cappar. absinth.* an. Drach.j.*extract. gentianæ, carduibened. centaurij minoris* an. ℈.j. F.Pilulæ.

Vel ℞. *Rad. taraxaci, graminis, cichor.fœnicul.polypod. querni* an. Vnc.ß.*folior. endiuiæ, cichorij, agrimoniæ, cuscutæ* an. M.j. *fumar. centaur. minor.* an. M.ß. *sem. frigid. maior.* Vnc.ß. *fœniculi, genistæ* an. Drach.j. *flor. cichorij, buglossæ* an.p.j. *tartari albi* Drach.ij. *passul. minor.* Vnc.j.

Concisa infundantur in vase clauso *in seri lactis, aqu. cichor. & fumariæ* an.q.s. donec vis omnis extracta sit. Hinc colitur. Colaturæ adde sacchari quantum satis, & stent iterum in vase clauso in loco calido per diem, postea iterum colentur. Dosis Vnc. iv.

Fortiora sunt oxymel. compos. quorum formulæ passim extant. E. G. tale parari potest

℞. *Rad. aperient.* an. Vnc.ß. *cichorij ari, cortic.fraxini, tamarisci, cappar.* an. Drac. iij. *fol. endiuiæ, fumariæ agrimoniæ, ceterach.* an. M. j. *card. benedict. centaurij minoris* an. M. ß. *flor. cichorij, hepaticæ albæ, borraginis,* an.p.ij.

Concisa infundantur in vase clauso in *aceti passulati & aqu. cichorij* an. q. s. Addito *spir. salis* scrup. j. per triduum in Balneo Mariæ. Colaturæ expressæ adde *mellis despumati vel sacchari* q. s.

Iterum per diem in Balneo digerantur, vt fiat oxymel ver oxysacchara.

Quibus medicamenta ista ingrata sunt, iis vinum vel cereuisia medicata parari potest è corticibus tamarisci, absinth. carduibened. centaur. minor. chamædry.

Hoc loco non sine caussa aliquid de medicamentis ex tartaro paratis monendum. Adeo enim hodie cremor & crystalli tartari & tartarum vitriolatum sunt vulgaria, vt à non paucis vix vlla medicamenta præscribantur, quibus hæc non admisceantur: imò à Crollio tartarum Vitriolatum vniuersale digestiuum appellatur.

Et fateor sanè, è tartaro parata medicamenta in humoribus melancholicis crassisque incidendis & attenuandis, ideoque obstructionibus aperiẽdis magnam vim habere. Cum vero sæpe accidat, vt in affectione hypochondriaca bilis atra, humoresque salsi & acerbi, atque omninò acres, & qui ignis quasi seminaria in se continent, reperiantur: talibus certè humoribus tartarum vitriolatum & huiusmodi acria medicamenta non conueniunt, cum eorum acrimoniam non retundent, sed ea potius vsurpanda, quæ prauas qualitates talium humorum temperent: & omninò contrariæ qualitates contrariis opponendæ.

Humoribus ita præparatis eorum euacuatio instituenda. Et commodum hîc omninò est, si venæ ani à natura aperiantur vel si natura sit segnior, hirudinis appositis prouocentur.

*Purgantia.* Purgationem quod attinet, ea instituenda pro peccantis humoris ratione & natura. Et exstant passim talia composita plurima, vt *Syrupus de cichorio cum Rhabarb. diasereos, de fol. senæ, oxymel præpar. Gesneri, pilul. tartareæ, extracta purgantia composita & panchymagoga varia.*

℞. *Absinth. sicci* M.ß. *carduibenedict.*M.j. *centaur. minor. flor. prunor. siluestr.* an.M.ß. *fol. senæ elect.* Vnc.ij. *agarici albi, turbith. elect.* an.Drach.ij. *rad. hellebori nigri præparati* Dr.j.ß. *cortic. citri* Vnc.ß. *zinziberis, galangæ, caryophyll.*an.Drach.j.*sem. anisi fœniculi* an. Drach.ß.

Herbæ concidantur, aromata & semina crasso modo contundantur, & affundatur in vitro vel vase fictili vini Rhenani q. s.

*Vomitoria.* Vomitus verò planè vtilis est (modò nihil absit, quod eum prohibeat, de quo alibi dictum) Solet enim humores, qui pertinaces in mesenterio obstructiones excitant, exturbare, quos purgantia medicamenta educere non valuerunt. Materia autem vomitoriorum alibi proposita est.

*Diuretica.* Reliquiæ, si quæ supersint, continuatis aperientibus supra propositis & diureticis exhibitis extirpanda. In quem etiam finem commodè exhibetur radix & semen spatulæ fœtidæ, & radix centaurij maioris seu rapontici vulgaris.

Vel ℞. *Extracti absinthij, centaurij minoris, carduibenedicti, gentianæ* an. Scrup.j *trochiscor. de capparibus* Dr.j. *spicænardi, schœnanthi, sem. apij, petroselini,* an. Scrup. j. Cum *succo endiuiæ*.F. Pilulæ.

*Chalybs, Acidulæ.* Et imprimis hîc sunt efficacia medicamenta è chalybe parata, interdum & acidulæ, de quibus plura infra *de affectione hypochondriaca,* dicentur.

De vasorum in mesenterio obstructione curanda dictum est etiam supra *part.2.sect.2.cap.6.de fluxu chyloso.*

## QVÆSTIO IV.

### *De Mesenterij Inflammatione.*

#### *Caussæ.*

*Mesenterij inflammatio. Caussæ.* Si verò humores & præcipue calidi cum sanguine quo mesenterium & partes vicinæ nutriuntur, non solùm in cauitatibus venarum & arteriarum mesaraicarum subsistant, sed & ex earum orificiis in mesenterij spatia effluant, φλόγωσιν vel inflammationem excitare solent. Non verò hoc facilè fieri potest, quin simul in intestina, in quæ vasorum horum orificia dehiscunt, excidant, & in iis simul inflammationem pariant. Etsi verò de intestinorum inflammatione, & qui hanc sequitur dolore colico supra de intestinorum p.n.affectibus, *part. 2.sect. 1.c.2.* dictum sit: tamen & hîc quædam addere libet. Neque enim tam rarus hic est affectus, vt nonnnlli forsan opinantur, sed satis frequens, &, vt existimo, non malè febrium semitertianarum originem hinc deduxi, *lib. 2. de febrib.c.21.*& nisi nescio quæ religio impediret, mortuorum cadauera sæpius aperire, inueniremus in iis talium inflammationum vestigia. *Febrium semitertianarum origo.* Quibus licuit id facere, certè sæpe inuenerunt. Inter quos est Adrianus Spigelius, qui *lib.1.de semitertiana c. 15.& 16.*tales historias recenset; & *lib.4.cap.13.*vbi de colicis doloribus ex his inflammationibus ortis agit, ita scribit; In omnibus, quoquot vnquam aperire potui, veram inflammationem conspeximus, qui modo ileon vel ieiuni intestini partem aliquam, modò verò colon tantum occupauit. Vidi etiam, quibus omnia intestina & ventriculus erant inflammata cum omento, & mesenterium tantum inflammatum cum leui tenuiũ intestinorum inflammatione, &c. Nimirum cum natura aliàs vitiosos humores ad hanc quasi corporis sentinam à partibus nobilioribus depellere soleat, iidem nunc sensim cum fecibus alui excernuntur, nunc varij alij fluxus excitantur: si verò via illa ad intestina *Caussæ.* præcludatur, vt in ea vitiosi humores effundi non possint; hærent in mesenterio & venis mesaraicis, vnde mesenterium & plerumque etiam intestina, nunc hæc, nunc illa, prout per hunc vel illum ramum mensentericum humores affluunt, inflammantur.

Occluduntur autem venarum mesaraicarum orificia à caussis nunc internis, nunc externis. Caussæ internæ sunt humores crassi & lenti, vel etiam copiosi; qui confertim ad intestina ruentes exitum non inueniunt. Caussæ externæ sunt, potus & cibus ac medicamenta adstringentia, vt vinum austerũ & crudum; obseruarumque post dysenteriam intempestive curatam vitiosos humores detentos in mesenterio inflammationes excitâsse. Fieri etiam potest, vt humores vitiosi in glandulis altius impacti externo calore accedente putrescant, ca-

lorem

loréque concipiant,febribusque variis,nec non absceſſibus cauſſam præbeant. Tandem & cauſſæ externæ,vt percuſſio, lapſus,vulnera,humorum affluxum concitare valent.

*Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Vt autem malum hoc maturè cognoſcatur, operæ pretium eſt. Medicus enim non rarò fallit, & in fœminis pro vterinis doloribus, in viris prò dolore ventriculi, colico, & nephritico (cum nauſea & vomitus accedere ſoleant) habetur. Verum ab iis diſcernitur, quod in iis dolor modò infra vmbilicum, modò ſupra eum vel circa ipſum, vel in lateribus tãtum percipitur, modò per totum ventrem extenditur; hic verò dolent lumbi nunc ex parte vtraque,nunc in dextra, qui dolor ſe poſtea extendit ad anteriorem regionem ventris ſupra & circa ventriculum. Excrementa per aluum non redduntur,aut ægrè redduntur, & ſi clyſteres inniiciantur, poſt primas feces nihil niſi clyſter excernitur.Vrina eſt rubra bilis portione ad renes tranſmiſſa. Adeſt oris amaritudo,inappetentia,ſitis, vigiliæ, febris, ſi inteſtina ſimul occupantur,eſt continua,plerunque ſemitertiana, de quo de febrib.*l.2.c.22.*egimus.Si tamẽ profundius & circa glandulas ac loca meſenterij ignobiliora materia putreſcat, febres ſunt lentæ, ſine ſiti & grauibus ſymptomatibus, & tenſionis ac grauitatis ſaltem ſenſus infra ventriculum percipitur. Quò enim locus, qui inflammatur, & in quo materia putreſcit, eſt epati maioribuſque arteriis vicinior, eò febris eſt ardentior, & ſymptomata ſunt grauiora; quò verò ab iis eſt remotior,eò febris & ſymptomata ſunt mitiora.

Nonnullis motus conuulſiui, epilepſia, apoplexia, paralyſis accidere ſolet,humoribus vitioſis ad ſpinalem medullam & cerebrum delatis, per vias quas antea, *c. 2.* expoſuimus, & *de ſcorbuto*, poſtea explicabimus. Principiò etiam ſanies quædam rubra, deinde facto abſceſſu pus album defluit ex aluo, & quidem modò permiſtum fecibus, modò ſeorſim & ſincerum, cùm ſcilicet inflammatio eſt in inteſtinis inferioribus.

*Prognoſtica.*

*Prognoſtica.* 1. Malum hoc periculoſum, & ſæpe etiam longum. Si enim inflammatio ſit maior,febris etiam magna excitatur, & inteſtinis vel meſenterio corrupto & putreſcente æger moritur, nonnunquam in abſceſſum periculoſum inflammatio mutatur.Et ſæpe malum tunc ad quadrageſimum diem, interdum & ad octuageſimum extenditur; ſi verò febris ſit lenta, æger contabeſcit, & lenta morte enecatur.

2. Sæpe verò materia à natura aliò tranſuertitur, non tamen planè tollitur, vnde malum recrudeſcit, & ſæpe per multos annos, imò totum vitæ tempus durat,nunc febre redeunte, nunc eadem in colicos dolores permutata, ac ceſſante febre ſingulis menſibus, vel alio interuallo colica redeunte, & ſi non inflammatione, tamen φλογώσει excitata.

*Indicationes.*

*Indicationes.* Vt in aliis inflammationibus,ita & in hac humorum affluxus inhibendus, iique reuellendi, repellendi, deriuandi,& expurgandi ac diſcutiendi,eorumque intemperies & acrimonia temperanda & corrigenda; dolor, ſi ſit magnus, mitigandus.

*Curatio.*

*Curatio.* Principio ergo,ſi ſanguinis aliqua copia adſit, vireſque ferant,vena in cubito aperienda, ne maior humorum confluxus fiat, imprimis ſi epar vicinum ab inflammatione incaleſcat, aut ſi cauſſa externa, vt lapſus vel percuſſio malo cauſſam dederit. Si autem ex ſuppreſſione menſtruorum vel hæmorrhoidum malum originem habeat,etiam venam in talo aperire licet.

*Refrigerantia.* Etſi verò refrigerantia exhibere tutũ non ſit,ne materia magis impingatur: ad maiorem tamen affluxum prohibendum, & calorem temperandum, refrigerantia modicè cùm ore ſumi, tùm per clyſterem iniici poſſunt, parata ex hordeo, violaria, malua, violis, roſis, ſero lactis & ſimilibus.

*Purgantia.* Purgantia in principio locum non habent;cum facilè plus materiæ ad locum affectum attrahere poſſint: inflammatione tamen ad coctionem tendente lenia purgantia locum habent parata ex ſyrupo roſarum ſolutiuo;manna,rhabarbaro,(quibus & ſena addi poteſt,) cum ſero lactis, vel alio conueniente liquore exhibita, myrobalani verò & tamarindi, atque alia adſtringendi vim habentia non vſurpanda,clyſteres etiam ex malua, mercuriali, parietaria, oleo violarum,roſaceo,electuario lenitiuo ſimplici & aliis vſurpari poſſunt.

*Diuretica & abſtergentia.* Tandem declinante inflammatione, quæ reliquias materiæ abſtergant, & per vrinas educant, exhibenda, qualia *capite præcedente de obſtructione vaſorum* ſunt propoſita.

*Dolorem lenientia.* Si dolor valde vrgeat,is leniendus,quod qua ratione fieri debeat, ſupra *part.2.ſect.2.c.2.* de colica ex humoribus calidis dictum, & poſtea *cap.6.*dicetur.

*Diæta.*

*Diæta.* Victus ſit tenuis, & feruorem ſanguinis mitigandi vim habens, ſimulque abſtergendi & aperiendi vi pollens. Itaque conueniunt ptiſana & cremor hordei, iuſcula gallinæ cichorio vel endiuia alterata, emulſiones ſeminum quatuor frigidorum maiorum,& cibi,qui nec craſſum chylum ſuppeditant, nec calefaciunt. Potus ſit aqua hordei vel cereuiſia hordeacea tenuis,& in declinatione vinum ὀλιγοφόρον.Quies vtilis eſt,vt & ſomnus ad iuuandam coctionem. Animi παθήματα nimia vitentur. Aluus ſit laxa.

## CAPVT V.

### *De Meſenterij aliis tumoribus, abſceſſibus, ſuppuratione & corruptione.*

*Meſenterii tumores alii.* NOn ſolum autem inflammatur menſenterium,ſed & alij tumores ex humoribus craſſis & tartareis in eo oriuntur, qui vel in ſcirrhos & tophos ac calculos degenerant,vel in abſceſſus, ſed lentè ac tardè mutantur. *Cauſſæ.* Si enim ex ingluuie nimia atque erratis in victu magna bilis,pituitæ crudorumque ac craſſorum & tartareorũ humorum copia proueniat, neque maturè euacuetur,ea in hiſce locis cumulatur,& laxa glandularum ſubſtantia imbibitur,vnde facilè exitum non inuenit, ſed ibi congeſta primum molles tumores excitat, poſtea humoribus ſicceſcentibus & concreſcentibus, ſcirrhi, tophi, imò lapides in eo generantur.

Ita refert Beniuenius, *de abdit.morb.& ſanat.cauſſis c.* 37. cuiuſdam Petri Altimarij filium octauum annum agentem incidiſſe in corruptum appetitum, & calculos ac rudera comediſſe, ac poſtea in lentam febrem incidiſſe, tandemque malo procedente, & vomitu ac fluxu alui accedente puerum è vita diſceſſiſſe, atque in eius cadauere aperto repertum callum inter venas meſaraicas. Ambroſius Paræus,*lib.23.cap.36.*narrat,(locum integrum adſcribere libet, cum plurima notatu digna contineat) Anno 1572. Luteriæ fœminam quandam Iſabellam Rolandi è vita migraſſe, & cum ſemper in meſenterio morbi cauſſam delitefcere medici ſuſpicati eſſent,diſſecto cadauere Doctorem Meletium meſenterium in ſuas ædes deferri iuſſiſſe, vt id cum aliis Medicis diligenter contemplaretur. Inuentum autem eſt cũ eo pancreas tumore miro, propè incredibili turgés, adeo vt libras decem & dimidiam penderet,ſcirrhoſum omnino extrinſecus, ſoliſque poſtica parte lumborum vertebris adhæreſcens, antica autem peritonæo ſcirrhoſo pariter ac penitus cartilaginoſo.Suberant infiniti in

in eodem meſenterio abſceſſus ſua quique cyſti incluſi, alij quidem oleoſo, alij melleo, alij ſebaceo, alij albugineo, alij aquoſo humore & liquore differti, quorum concluſa materia pulticulæ ſimilis eſſet: denique quot fermè abſceſſus erant, tot erant materierum contentarum ſpecies & ideæ. Octauus iam annus agebatur, ex quo tumor ille inceperat ſenſim ac ſine ſenſu & dolore ad tantam magnitudinem progredi, quod meſenterium ipſum doloris fere ſit expers. Ægræ interim ipſi, perinde fere ac ſanæ, licebat naturæ, animæ, ac vitæ munera omnia obire, niſi quod duobus antequam moreretur menſibus, coacta fuit lecto ſe tradere, quod febis continua, quæ illi ad extremum vſque vitæ diem perpetua fuit, ſuperueniſſet: & quod præ tumoris pondere meſenterium ſuis velut radicibus & ſedibus diuulſum fluctuaret, non ſine moleſto oneris & doloris ſenſu. Nam, vt prædiximus, lumbaribus modo vertebris ac peritonæo adhærebat, nullatenus autem inteſtinis & aliis partibus, quibus velut connatum alligatur. Itaque ſua id mole & corpore veſicam premens & coarctans difficilem mictionem faciebat: inteſtinis verò incumbens, vt aluus pigrior eſſet, in cauſſa erat: adeo, vt, niſi deuorato laxante aut purgante medicamento, fœces nō deſcenderent. Nam quod ad clyſteres ſpectat, ſubire illi in inteſtina tumoris vias coarctantis magnitudine prohibebantur, intruſæ verò glandes nihil proficiebant. Reſpiratio ob diaphragmatis à tumore compreſſionem difficilis erat. Ita Iohannes Philippus Ingraſſias, *tract.1.de tumor.præter naturam c.1.* refert, Anno 1539. Panormi ſeruum quendam nigrum ob furtum ſuſpenſum diſſectum fuiſſe, in cuius meſenterio ſtrumæ circiter quadraginta inuentæ, præter quas in glandulis exiſtentes totidem ferè externæ inteſtinorum, præcipue craſſiorum, tunicæ adhærentes tumores, prope ſinguli membranula, cuiuſdam veſiculæ inſtar, conferti, & vtriuſque quidem generis tumores varia quantitate, atque inter extremos, qui ad oui gallinacei magnitudinē perueniebant, & minimi ciceris prauitatem, quamplurimi intermediæ quantitatis viſi ſunt. Continebant autem nonnulli lapideum gypſum, nonnulli vero glutinoſam, mucoſamque ſubſtantiam. In reliquis corporis partibus ſalubria omnia deprehenſa, atque ab iis, qui eum viuum cognouerant, vnanimiter relatum, ſaniſſimum donec ſuſpenderetur, extitiſſe. Quod inde procul dubio factum, quod natura ad eas partes vniuerſi corporis excrementa tranſmittendo reliquorum, maximeque naturalium viſcerum ſanitatem conſeruauit. Guilielmus Fabricius etiam *Centur.1.obſer.70.* refert, puellā quandam Colonienſem anno ætatis decimo paulatim in tabem incidiſſe, & quatuor ſequentibus annis penitus extabefactam fuiſſe, appetitu tamen eius vix vnquā imminuto. Nam comedebat & bibebat non parcius, quàm ſi ſana fuiſſet, & exercitia ſua puerilia vtplurimū peragebat, neque lecto decumbebat, niſi per ſex aut ſeptem hebdomadas ante obitum. Febriculā tamē & tuſſi vexabatur continuā. Cum autem anno 1600. ætatis 14. mortua eſſet, & mortuæ corpus aperiretur, meſenterium inuentum fuit refertum tumoribus duris, ſcirrhoſis atque ſteatematibus, præcipue a. circa vaſa & venas, quæ ad portam tendunt, circumcirca portam tumore ſcirrhoſi inueniebantur multi, quorum nonnulli oui gallinacei, alii nucis & caſtaneæ magnitudinem excedebāt.

Platerus etiam *lib.3.obſerv.* refert, in Anatome in meſenterio quodam deprehenſos fuiſſe tumores glanduloſos albos, duros, nucis magnitudine hinc inde in diuerſis locis inteſtinorum mediæ ſedi adeò connatos; vt inteſtina eo in loco ſic intumuiſſe viderentur, atque indurata: quam duritiem in ventre, dum viuebat adhuc æger, prominentē tactu deprehendere potuit, præſertim quando excrementa dura & ſceuala in ea ſede, vbi tumores hi anguſtiā in inteſtinis pariebāt, diutius ſubſiſtebant, atque inteſtina amplius in tumorem eleuabant, vnde aluus illi conſtipabatur, colicique dolores illum excruciabant, quibus tandem euictus, occubuit.

Fuit etiā in vicinia hic Quæſtor quidam à multis annis valetudinarius, qui ventrem craſſum habebat, crura inflata, & in eis ſæpe vlcera δυσεπούλωτα, cum virium debilitate & appetitu læſo. Is etſi variis medicamentis atque inter ea etiam thermis vſu eſſet, nil tamē melius habuit, ſed res eò deuenit, vt humoribus ſeroſis ad crura deſcendentibus ipſe ad ambulandum planè impotens redderetur, & ſella geſtandus eſſet. Accidit tandem vt ſupra dextrum inguen in abdomine tumor emergeret, atque in vlcus gangrænoſum abiret, imò ad manus latitudinem eadem gangræna muſculos & cutem abdominis eo loci occuparet. Vnde etiam mors tandem ſecuta eſt. Cuius morbi cauſſa procul dubio fuit tumor aliquis durus & diuturnus in meſenterio: qui poſtquā tandē exulceratus fuit, putredine partes ſuperiacentes vſque ad cutē corrupit, & eā gangrænam ibi excitauit.

Imo lapides etiam in meſenterio repertos fuiſſe, *Lapides in*
Medicorum obſeruationes docent. *meſenterio*

Quandoque tamen materia, ſed tarde ac lente, in pus *perti.*
mutatur, atque abſceſſus generantur in meſenterio. *Abſceſſus.*
Anton Beniuen. *de abd. morb. & ſanat. cauſſ. c.13.* refert, iuuenem quendam diuturnis alui torminibus vexatum, & tandem iis extinctum fuiſſe, in cuius cadauere aperto remotis inteſtinis abſceſſus magnus in meſenterio repertus eſt, quo præciſo materia multa nigra fœtenſque profluxit encauſto ſutorio ſimilis. Et ſupra retuli nobilem quendam in vicinia cum diu male habuiſſet, & neſcio de quo languore conqueſtus eſſet, tandē rupto abſceſſu, qui procul dubio in menſenterio latuerat, ſubitò per aluum nigram & fœtidiſſimam materiam magna copia eieciſſe, & intra horam exſpiraſſe. Narrat quoque Marcellus Donatus, *de hiſtor. med. mirabili lib.4. c.7.* virum quendam febre valida correptum per aluum ſanguinem nigerrimum corruptum, peſſimè olentem ad quindecim librarū pondus excreuiſſe, in cuius cadauere aperto in eius eius meſenterio ea parte ſuperiore, qua inteſtino recto connectitur, vlcus fordidum ad ſpithamæ longitudinem inuentum fuiſſe; cum tamen æger nunquam, niſi extremo vitæ die, quo illi venter intumuit, de illius partis dolore conqueſtus eſſet. Ita Volcherus Coiter, *in obſ. anat. & chirurg.* refert, in patricii cuiuſdam Noribergenſis, qui affectione, hypochondriacæ non abſimili, laborârat, & tumorem in ſiniſtro genu & abdominis parte habuerat, cadauere aperto magnam colluuiem materiæ purulentæ ac fœtidæ inter duas meſenterij tunicas, quæ maiorem inferioris ventris partem occupauerat, & epar ſua putredine infecerat, repertum fuiſſe.

Imo meſenterium gangræna vitiatum repertū fuit in *Gangræna.*
Rondeletij vxore, vt refert Ioubertus, *in vita Rondeletij.*

Et procul dubio tales meſenterij abſceſſus in multis reperirentur, qui lentis ac diuturnis morbis, variiſque ſymptomatibus, quorum cauſſas reperire non facile eſt, quæque medicos ſæpe ſuſpenſos & dubios habent, exercentur, & moriuntur, ſi eorum cadauera aperire liceret. Sed obſtat plerunque præpoſtera quædā erga mortuos reuerentia, quā tamen impediri non poteſt, ne eadem cadauera putreſcant, & vermium eſca fiant, interim rei medicæ incrementum hoc modo non parum impeditur.

## *Signa Diagnoſtica.*

Cognitu autem omnino difficiles ſunt iſti menſen- *Signa.*
terij tumores & abſceſſus & quamuis ſuſpicionem aliquam de ſe præbeant, quales tamen ſint, vix integre, niſi poſt mortem, cognoſcuntur. Interim danda opera, vt quantum licet in eorum notitiā veniamus. Qua ratione a. cognoſci poſſint, Fernelij verbis proponere libet. Ita a. ille *l.6.de part. morb. & ſympt c.7.* Si ampla & vaſta mole venter totus præter naturam prominet, idque circa fluctuationē, citra alui ſuppreſſionem diutinā, citra hydropis ſuſpicionem, vnde & qua id ex cauſſa obtige-
rit,

rit, tactu ita quidem discernendum. Cum adipis copia venter prominet, quoniam cuti summæ is inhæreſcit, manu totus comprehendi, ſecernique poteſt à muſculis abdominis, ac præterea reliquus corporis habitus obeſior exiſtit. Cum tumor inſertus eſt muſculis abdominis, primò is contactui occurrit, & cum premitur, plerumque etiam citra eius preſſum, dolore afficit, quod pars ea ſenſu prædita ſit: inteſtina non coarctat, neque alui deiectionem remoratur. Meſenterij vero tumor, quoniam altè ſepultus eſt, non niſi preſſu animaduertitur, nullo dolore affligit, quod pars ipſa ſit doloris expers. Quin etiam ſua is mole inteſtina premens atque coarctans ſæpe efficit, vt aluus pigrior ſit, tardiuſque fœces deſcendant. Vtrum præterea tumor vniuerſum meſenterium, an partem duntaxat, & quamnam occupet, molliſne ſit an durus, tactu etiam internoſcendū. Cæterum quiſnam in meſenterio humor exſuperet, iā non tactu, ſed iis ipſis notis, quibus in iecore aut liene proditum eſt, cognoſcitur, ſed quæ tamen tum obſcuriores, tum leuiores exiſtunt. Hæc a. obſcuritas multis fuit cauſſa ignorantiæ, cur harum partium affectus prætermiſſi fuerint, nec veterū ſcriptis celebrati. *Hæc Fernelius.* Et omnino ſæpè tàm occulti & alte ſepulti latent iſti tumores, vt nec tactu etiam deprehendi poſſint; & ſenſus adeò hebes eſt huius membri, vt nec inſigniori aliquo dolore ſeſe hi tumores prodant. Ideoque etiam alia ſymptomata perpendenda. Adeſt enim interdum nauſea & vomitus, ſine ventriculi affecti ſignis, alui cruentæ vel fœtidæ deiectiones, vigiliæ, febres lentæ inordinatæ, tuſſis, virium languor. Et quidem tumores indurati & abſceſſus deliteſcentes ob ſenſum hebetem meſenterii vix animaduertuntur, vbi vero rūpuntur, euidenter ſeſe produnt, vt poſteà *in Prognoſticis* dicetur, & pus vel ſincerum, vel fecibus permixtum, citra dolorem tamen inſignem, excernitur; id quod in ventriculi, epatis, lienis inflammatione, in quibus dolor & grauia ſymptomata vrgent, non accidit. Et ſi quis omnino ſigna inflammationis, epatis, lienis, diaphragmatis, muſculorum abdominis diligenter perpendere velit, ea in hiſce tumoribus locum non habere animaduertet, etſi vel tumor vel grauitatis ſenſus, aut dolor percipiatur, aut febris etiam adſit.

### *Prognoſtica.*

gnoſtica. 1. Affectus hi diuturni ſunt, & tandem in tabem vel hydropem ægrum præcipitant, ac vix curantur.

2. Abſceſſus ruptus per aluum plerunque euacuatur. Si verò aliò, quàm in aluum vomica rupta fuerit, neque exitum materia repererit, colicæ ſimilis dolor excitatur. Si vero in abdominis cauitatem eruperit, ſeu intermedium membranarum meſenterii ſpatium, humor putridus vicina corrumpit, & ſæpe ſphaceli author eſt.

3. Nonnulli quidem pure per aluum euacuato ſanantur: accidit tamen etiam, vt ſi materia valde praua ſit, ægri paucarum horarum ſpatio moriantur. Pro natura enim humoris & affecti loci conditione, ac viſcerum vicinorum, quæ à putridâ materiâ motâ ac vaporibus inde eleuatis afficiuntur, diuerſitate & nobilitate varia oriuntur ſymptomata, ac miri naturæ in expellenda materia conatus animaduertuntur, & variæ viæ à natura in expellenda materia quæruntur. Nonnunquam enim pus per proximam venam in coli aut recti inteſtini cauitatem effunditur, nonnunquam quaſi per cuniculos per vmbilicum pus erumpit, nonnunquam etiam per renes expurgatur.

### *Curatio.*

ratio. Tumores duri, ſcirrhi & calculi in meſenterio curari vix poſſunt. Si tamen quid tentari liceat, ea medicamenta, quæ ad pertinaces obſtructiones adhibentur, & quæ etiam de affectione hypochondriaca proponentur, in hiſce affectibus vſurpari poſſunt. Vbi autem in abſceſſus mutantur, naturæ etiam primariæ partes ſunt, quæ niſi aliquid in euacuando pure tentauerit, vix æger ſeruatur. Ars tamen naturæ ſuccurrit, dum materiam detergit, & quod reliquum eſt diſcutit, tandemque vlcus conſolidat. Partes quoque, per quæ pus tranſit, & imprimis renes, muniendæ, ne à pure tranſeunte lædantur, quod diligenter præſtandum. Solent enim interdum, niſi cura rectè inſtituatur, poſtliminio quaſi reuerti. Vtilis eſt hic terebinthina cypria, quæ vel in bolum cum modico rhabarbari conformanda, vel cum vitello oui in lacteum liquorem redigenda, vt *in Inſtit. p.954.* dictum.

Exhibenda ſunt & alia exiccantia & conſolidantia, vt decoctum radicum ſarſæ parillæ cum radice fragariæ factum.

Vel hoc ℞. *Rad. ſarſæ parillæ, chinæ* an. Vnc. j ß. *caryophyllatæ, fragariæ* an. Drach. j *fol. ſcabioſæ, alchimillæ, veronicæ, hederæ terreſtris* an. Mj. *ligni rhody* Dr. vj. *paſſularum minorum lotarum* Drach. ij.

In vaſe clauſo bulliant *in ſ. q. iuris pulli vel ſeri lactis, vel aquæ chalybeatæ*, & poſtea per manicā Hipp. traiiciātur.

Vel ℞. *Rad. ſarſæ parillæ* ℔. ß. *chinæ, acetoſæ* an. Vnc. ij. *fragariæ* Vnc. j. *veronicæ, alchimillæ, ſcabioſæ perſicariæ* an. M. ij. *ſaluiæ, flor. verbaſci, chamæmeli, hyperici, ſem. coriandri, fœniculi*, an. Drach. ij. *melonum* Vnc. ß.

Conciſa infundantur per triduum in *vini albi, aquæ veronicæ, flor. chamæmeli Romani, cardui Mariæ ana parte vna, brody caponis partib.* iij. poſtea deſtillentur. Doſis Vnc. iij. Si libet addatur aliquid *ſyrupi veronicæ, ſcabioſæ, granatorum, cinamomi, iulebi roſarum.* Vtile eſt & hoc Electuarium.

℞. *Conſ. roſ. rubr. veronicæ, cichor.* an. Vnc. ij. *ſcabioſæ* Vnc. j. *roob iuniperi* Vnc. ij. *pulv. radic. ſarſæ parillæ, chinæ, ligni aloes, rhody* an. Drach. ij. *marg. præp. corall. rubr. præp.* an. ſcrup. ij. Cum *ſyr. de Cinamomo.* F. Electuarium.

### *Diæta.*

Cibus ſit boni ſucci & facilis coctionis, ac temperatus, non craſſus, non viſcidus, non acidus, non dulcis, ſed potius ſine acrimonia, tamen moderatè abſtergens. Potus ſit vinum tenue vel cereuiſia tenuior. Poteſt & decoctum chinæ cum glycyrrhiza & paſſulis vſurpari, nec inutile eſt lac aſininum exhibere. *Diæta.*

## CAPVT VI.

### *De Symptomatibus ex humoribus in meſenterio cumulatis ortis, & præcipuè dolore.*

*Meſenterij ſymptomata.* ATque hæc de morbis meſenterij. Symptomata inde orta quod attinet, ſunt ea varia. Nam etſi diu ſæpe humores in hiſce locis latent, antequam ſeſe prodant: tamen vel tandem commoti quacunque de cauſſa varia ſymptomata excitant, &, pro varia inclinatione, nunc vomitu per ſuperiora eiiciuntur, nunc deorſim tendentes per aluum euacuantur, nunc ad vicinas membranas delati dolores, eoſque pertinaces & ſæpe recurrentes excitant; vel ſuis ſedibus concluſi & coerciti & à calore partium vicinarum putredinem concipientes febres vagas & erraticas pariunt; vel glandulas implentes, & vicina vaſa aut comprimentes aut obſtruentes cachexiam, atrophiam, languorem gignunt, aut partes in tumorem attollunt, & omnia omnino ſymptomata, quæ affectione hypochondriaca & ſcorbuto laborantes experiuntur plurima, de quibus poſtea *de affect. hypoch. & ſcorbuto* dicetur, ex hiſce ſedibus ortum habent. Egregium vero ſymptoma, quod ex materia in meſenterio contenta proficiſcitur, eſt doloris illa peculiaris ſpecies, quam ſupra, *part. 2. ſect. 2. cap. 2.* explicauimus. Pauca ſaltem hîc addemus. *Meſenterij dolor.*

Mentionem autem mali huius facit Hippocrates & Νῦσος ἐρυγματώδης, morbus ructuoſus ab eo nominantur, & ita deſcribitur. *Dolor acutus prehendit, vehementer*

*menterque dolet & ipse seipsum iactat, & vociferatur, frequenter eructat, ac vbi eructauerit, melius habere videtur. Plerunque vero paucam bilem vomitione reiicit, poculi parui mensura, dolor ex visceribus ad imum ventrem & laterum mollitiem pertingit, cumque contigerit, melius habere videtur, venter inflatur & indurescit, sonitum edit, neque flatus neque stercus dimmittitur.*

Materiam autem huius doloris & reliquorum, quæ postea dicentur symptomatum caussam in mesenterio contineri multa docent. Solent enim hi dolores febribus diuturnis succedere, cum natura humores prauos, frustra eorum per aluum euacuatione tentata, in membranas has detrudit. Accidunt etiam iis, qui Ictero sunt obnoxij, & ad cachexiam dispositi. Et cum mesenterium nihil fere aliud sit, quam peritonæum ad lumbos duplicatum, iisque affixum, aut certe oriatur à ligamentis vertebrarum lumborum, iisque validissime alligetur: doloris huius, & omnium, quæ ipsi coniunguntur symptomatum, caussa rectissime ex mesenterio reddi potest.

Ob hanc enim mesenterij cum lumbis connexionem doloribus istis dolores lumborum perpetuo sunt coniuncti, imo interdum in vniuersum abdomen extenduntur. Hinc etiam, paralyseos & Epilepsiæ caussa reddi potest, dum scilicet materia, ab arteriis mesentericis ad lumbares transmittitur.

Habent autem hi dolores originem ab humoribus calidis siccis & acribus in hac corporis sentina collectis ob caussas, quas hactenus exposuimus.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Signa huius doloris supra *part.2.cap.2.* proposuimus. Instantis tamen etiam doloris, vt præcaueri possit, signa animaduertere vtile est. Arguit autem instans hoc malum icterica quasi in oculis dispositio & luridus faciei color, grauitas hypochondriorum, sitis aucta, vrinæ rubicundiores, alui suppressio, in lumbis dolor.

Hinc dolor ventris & lumborum oboritur, qui in vno loco fere fixus est, venter nisi inflatus, ad interiora & dorsum quasi retrahitur, medicamenta vomitu reiiciuntur, ac dolor postea per vniuersum ventrem diffunditur, dolorque lumborum perpetuo est coniunctus, quod citra communem causam, qualis est venarum & arteriarum quæ per totum ventrem inferiorem diffunduntur, structura, fieri non potest.

*Proprium doloris Mesenterij signum.* Habet enim hic dolor hoc proprium, quod subinde per interualla recurrit, & sæpe multis annis ægrum affligit, & toties, quoties in hisce locis noua materia collecta est; id quod sine certis interuallis accidit, nonnullis post menstruum spatium, nonnullis post semestre, nonnullis post annum, tempore tamen autumnali plerunque magis affligere solet. Tandem materia per intestina exitum non inueniente ad lumbos & hinc in caput, & artus distribuitur, vnde paralysis, conuulsiones, epilepsia, deliria sequuntur, & vbi humores praui viscera debilitarunt, sanguinemque per totum corpus inquinauerunt, in toto, & præcipue in brachiis ac cruribus attophia sequitur, quæ sæpe vix vlla arte & non nisi longo tempore curatur.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Dolores hi vt diuturni & pertinaces esse solent: ita sæpissime etiam ægrum in grauissima mala modo enumerata, tandemque mortem ipsam præcipitant.

2. Diuturnis circa lumbos, tenue intestinum, ac præcordia doloribus vrgentibus si ægri cibos auersentur vna cum febre his dolor intensus ad caput progrediens repente illos occidit conuulsionū modo, Hipp. *in coacis.*

3. Quibus tormina adsunt, & circa vmbilicū cruciatus, & lumborū dolor, qui neque medicamento neque aliter soluuntur, in siccum hydropē firmantur *3. aph. 11.*

4. Post multorum annorum tormina succedit vel hectica & incurabilis intemperies, vel peritonæi ac partium vicinarum abscessus.

### *Curatio.*

*Curatio.* De curatione supra *part. 2. sect. 2. cap. 2.* dictum. Vt quædam addamus, curatio in duobus consistit, in caussæ ablatione & doloris lenitione.

De caussæ & humorum vitiosorum, qui in mesenterio colliguntur, ablatione, hactenus dictum, è quibus patet, vbi doloris huius imminentis signa adsunt, dandam operam, vt materia doloris caussa euacuetur. *Clysteres.* Ideóque clysteres crebri iniiciendi, vt materiæ ad intestina transitus & exitus pateat. *Vomitoria.* Plus tamen aliquoties vomitum ab ipsa natura prouocatum, quo acida, amara, humoresque acres praui ad aliquot libras reiecti sunt, profuisse & inde à doloribus breui temporis spatio ægrum liberatum fuisse memini. Neque caret res ista ratione. Etenim cum materia ista plerumque circa lienem & in vena portæ colligi in magna copia soleat, vbi per omnes vasorum, qui in mesenterium & intestina disperguntur, ramos diffunditur, grauissimos & diuturnos dolores excitare solet. Imo vbi exitum non inuenit, & natura de eâ per intestina euacuandâ desperat, regurgitat, naturáque eam ad alias partes detrudit, vnde conuulsiones, paralysis, & alia mala excitantur. Si vero natura hos humores per viam compendiariam, quæ est per vas breue, in ventriculum effundit, vt vomitu reiiciantur, omnes isti dolores & reliqua mala euitantur.

Si autem natura eò non vergat, & præcipue si motus intestinorum inuersus sit, ac metuendum, ne vomitu concitato natura magis ac magis motui versus superiora assuescat, danda opera, vt intestinorum fibræ tensæ laxentur, vasorum mesaraicorum orificia aperiantur, atque ita materiæ exitus paretur. Clysteres ergo iniiciendi ex lacte caprino, vel decocto maluæ, altheæ, parietariæ, brancæ vrsinæ, mercurialis, florum chamæmeli, vel decocto galli cum cassia, melle rosato & violato solutiuo, Syrupo de cichor. cum Rhabarb. diasereos, oleo amygdalarum dulcium, liliorum alborum, violarum, chamæmeli, vitello oui, quibus maioris absterfionis gratia hiera simplex addi potest.

Potandum vero exhibeatur oleum amygdalarum dulcium recens expressum cum manna, vt supra *loco allegato* dictum.

*Externa.* Venter extra inungatur oleo amygd. dulcium, violarum, liliorum alborum, chamæmeli, & cataplasmata ac alia *loco allegato* proposita applicentur.

*Dolorem leuientia.* Atque ista cum simul anodyna sint, dolorem etiam mitigare possunt. Si vero is valde vrgeat, narcotica addenda. Quapropter semen papaueris dictis medicamentis addere vtile erit. Quod si non sufficiat, ad narcotica accedendum, de quibus *loco allegato* dictum.

---

## CAPVT VII.

### *De Morbis Pancreatis.*

*Pancreatis vsus vulgaris.* Pancreatis vsum plerique anatomici eum saltem esse statuunt, vt vasa saltē fulciat, ne ruptionis periculo sint exposita, & vt ventriculo substernatur, ne repletus duritie vertebrarum lædatur. Verum cum pancreas non simpliciter glandula sit, sed peculiare parenchyma & suam carnem, vnde & nomen obtinet, habeat, & *Nobilior & verior eius vsus.* præterea vt supra *cap.1.* dictum, venæ lacteæ omnes in pancreas tendant, atque in eo miris anfractibus disseminentur: nobiliorem procul dubio vsum habet, atque ideo factum, vt quicquid cænosi in chylo est, ad se trahat, vt ita chylus purior fiat, & forsan etiam chylum aliquo modo alteret. Vnde etiam Clarissimus Riolanus *Anthropog. lib. 2. cap. 16.* in morbosis & melancholicis corporibus secundarium lienem seu lienis vicarium viscus appellat pancreas, quod scilicet lienis vicem suppleat, quādo vitiatū hoc viscus marcescit. Idque multis natura sua

ſua & corporis habitu melancholicis ſe obſeruaſſe ſcribit, in quibus, dum viuerent, lien nec tumebat, nec dolebat, ſed pancreas epatis molem æquabat. Idque confirmat etiam Illuſtriſſimi viri Auguſtini Thuani exemplo qui habitu corporis melancholico conquerebatur, per quadriennium de dolore colico circa regionem coli inteſtini cum ſenſu ponderis ad regionem ſtomachi, dum ſtaret erectus vel ambularet: hypochondria vero ei nec tumebant, nec dolebant etiam duriter attrectata vel percuſſa.

Tandem repentinâ & inopinatâ gangrænâ correptus pede dextro ad ſuprema celeriter reptante cum diris cruciatibus inter ſex horas eexſpirauit. Aperto cadauere, deprehenſum iecur induratum rotundum inſtar ſphæræ fractum & transfixum gypſea pituita ſeuum referente, pancreas vero amplitudine ſua & pondere ipſum epar æquabat; totum ſcirrhoſum multis globulis ſpecie oui columbini differtum: Lien adeo exilis erat, vt vix vnicam ponderaſſet.

*Pancreatis morbi.* Habet autem pancreas, vt iam ex iis, quæ modo dicta ſunt, etiam ſuos morbos, & præcipuè tumores & abſceſſus. De tumore enim exemplum in Thuano è Riolano modo adductum eſt. Abſceſſus hiſtoriam habet Aubertus, *Progymn.ad libr.abdit.Fernel.exerc.* 44.in mercatore quodam Lugdunenſi,qui nihil dormire poterat, & cum dormire conaretur, in Lipothymiam & totius corporis frigidum ſudorem incidebat, donec tandem mortuus eſt. Corpore aperto pancreas, integro ſaluoque vitæ principio & ſtomacho, duntaxat repertum eſt abſceſſu putrefactum. Guilielmus Fabric. etiam *cent.*1.*obſ.*71. in fabro quodam,qui biennio variis per interualla morbis dolere cœperat,viſcerum obſtructionibus & cachexia laborauit, in mortuo inter cætera reperit tumorem ſcirrhoſum, ſuppuratum, inſtar ſteatomatis magnitudine duorum pugnorum ortum ab inferiore parte pancreatis, qui inteſtinum duodenum circumdederat, ſic vt peritonæo tectus alterum quaſi ventriculum mentiretur.

*Symptomata.* Poſſunt autem varia ex pancreate obſtructo & tumefacto oriri ſymptomata. Ventriculus enim ob vicinitatem affici poteſt, dolores & ponderis ſenſus circa regionem ventriculi, & in dorſo excitari, vt & pulſationes ob compreſſionem arteriæ cœliacæ, difficilis reſpiratio ob conſenſum diaphragmatis.

*Curatio.* Curatio iiſdem medicamentis perficitur; quibus lienis obſtructiones & ſcirrhi curantur.Nec eſt incommodum emplaſtra illa, quæ lieni applicari ſolent,dorſo ad regionem pancreatis imponere.

## CAPVT VIII.

### *De morbis Omenti.*

*Omenti morbi.* OMentum tandem etiam ſuis morbis obnoxium. Cum enim vena à portæ vena capiat, & quidem ſuperior membrana vtramque gaſtroepiploidem dextram & poſticam arterias totidem à cœliaco & meſenterico ramo; facile humores vitioſi omnis generationis in id confluere poſſunt. Et cum omentum iis tantum partibus adhæreſcat, ad quos rami ſplenici ſurculi perueniunt, facile etiam à liene humores vitioſos & feculentos ſuſcipere poteſt, & præcipue ea in parte omenti humores vitioſi multi ſæpe cumulantur, quæ eſt inter lienem, ſeptum & ventriculum, & imprimis in cauitate illa omenti in ſiniſtro hypochondrio ſub Diaphragmate ex ventriculi, omenti, coli & viſcerum connexu orta,& exitum non habens,ſed ita concluſa,vt aquam continere poſſit,quam Doctor Salomon Albertus Anteceſſor meus p.m. *de Scorbuto theſ.* 71. ſtagnare aquâ vidit,& poſtea etiam diligenter deſcripſit Hieronymus Fabricius *in hiſtoria ſeu ſtructura omenti.* De quo accipiendus aphoriſmus Hippocratis 54.*ſect.*7.*quibus inter ventriculum & ſeptem tranſuerſum phlegma clauditur & dolorem affert, in alterutrum ventrem viam non habens, iis per renes in veſicam verſo phlegmate morbi ſit ſolutio.* Et non raro accidit, vt humoribus, imo & flatibus in hiſce locis culumulatis lien fruſtra accuſetur; materiâ in omento conſiſtente & ſæpe abdomen in ſiniſtra parte verſus vmbilicum in tumorem attollente. Accidit etiam nonnullis, vt dum ventrem attollunt vel comprimunt, aut mouentur, ſonum & ſtrepitum quendam in ventre audiant; quod euenit ob humores & flatus in hac omenti cauitate concluſos; hoſque nonnulli ἐγγαστριμύθους appellari putant, de quo poſtea *de affect.hypochondr.* dicetur.

Et per hanc viam humores etiam in abdominis cauitatem irrumpere poſſunt, vt docet Hipp.7.*aph.*57. & *lib.*4. *de morbis,& lib.*1.*de morb.mulierum.* De qua re *infra de hydrope* dicetur.

Sæpe vero intumeſcit omentum ex humoribus affluentibus. Veſalius omentum quinque librarum pondus æqualſe vidit: cum naturaliter ſeſe habens vix ſemilibræ pondus excedat. Riolanus *Anthropog.lib.*2. *cap.*11. in nobili adoleſcente annos 19. nato omentum vidit verſus vmbilicum ad formam orbiculi latitudine palmi conglobatum, multis glandulis differtum, quod totum illuuiem exceperat, liene penè conſumto & meſenterio ac pancreate putrefacto ex abſceſſu. Lutetiæ in corpore ſecto inuentum fuit in Epiploi ad veſicam vſque pendentis membraneo quodam veluti ſacco apoſtema, pure ibidem coaceruato diſtentum. Rouſſetus *de parte Cæſareo.* *Tumores Omenti.*

Omentum abdominis muſculis & peritonæo adnexum vidit Columbus *lib.*15.*Anatom.* *Omentum peritonæo adnexum.*

Nonnunquam etiam locum mutat, & probabitur omentum, viditque Columbus, vt *loco allegato* refert, in ſcroto omenti libram & amplius. Et ſæpe in Hernia accidit, vt non ſolum inteſtina, ſed & omentum in ſcrotum delabatur, delapſumque ventriculum deorſum trahat, & ſingultus ac aliorum ſymptomatum cauſſa ſit. *Eius ſitus mutatus.*

Extra vmbilicum quoque prolapſum fuiſſe omentum, Columbus, vt *loco allego* teſtatur, obſeruauit.

Putreſcit etiam interdum omentum, vidique in ſtudioſo quodam ſcorbuto & hydrope laborante & in Noſocomio Academiæ mortuo totum ferè omentum putredine abſumtum fuiſſe. *Omenti Putredo.*

Vulneratur tandem etiam interdum,imo abſcinditur omentum. *Vulnera.*

Difficulter autem humores vitioſi in omenti venas & ſubſtantiam effuſi euacuantur.Neque enim venarum illarũ orificia in locum euacuationi conuenientem dehiſcunt, vt venæ meſaraicæ, & ſi euacuari debent, neceſſe eſt vt regurgitent ad loca, per quæ ſunt illapſa, quod raro fit, cum expultrix huius partis ſit valde debilis. Ideoque non tolluntur humores ex omento, niſi continuato thermarum vel acidularum potu.

Vulnera verò omenti non ſemper ſunt lethalia, imo etſi pars eius abſcindatur,mortem non affert. Ita refert Galenus 4.*de vſu part.cap.*9. ſe cuidam gladiatorio vulnerato ferè totum omentum abſcidiſſe, & hominem nihilominus ſanatum fuiſſe, qui tamen facile poſtea lædebatur à frigore externo, vt non ſuſtineret nudum habere ventrem,ſed lanis aſſidue eſſet obuolutus.

Si vero putreſcat vel abſceſſum patiatur, mala vix ſunt ſanabilia.

Verum de hiſce,quæ de morbis meſenterij, pancreatis & omenti dici poſſunt, etiam quædam infra *de affectione hyochondr.& de ſcorbputo* dicentur.

# LIBRI TERTII
## PARS IV.
## DE LIENIS PRÆTER naturam affectibus.

### CAPVT I.
### *De Vſu Lienis & Natura humoris melancholici.*

POSTQVAM chylus in ventriculo genitus per inteſtina & vaſe meſaraica ad Lienem tranſmittitur, inde ſanguis generatur pro partium in ventre inferiore nutritione. Etſi enim antiqui plerique ſaltem pro humoris melancholici receptaculo lienem habuerint; tamen doctiores Medici plerique hodie eum etiã ſanguificationis organum eſſe ſtatuunt, vt *in Inſtit.lib.1. cap.9.* dictum, quæ huc transferantur.

Docui nimirum ibi lienem primum ſanguificationis organum eſſe, quod partem chyli craſſiorem per ſplenicum ramum, & procul dubio etiam arteriæ Cœliacæ ſiniſtræ ſeu ſplenicam arteriam attrahit (nam duo vaſorum genera in liene per anaſtomaſes coëunt, vt humor, qui craſſior eſt, facilius coquatur) & inde ſanguinem quidem bonum, ſed reſpectu ſanguinis, qui in epate ex reliqua chyli parte puriore generatur, craſſiorem paulò generat, pro viſcerum in ventre inferiore nutritione, atque per venæ portæ ramos defertur. Quapropter etiam, cum chylus prius ad lienem, quam epar defertur, primò de lienis morbis dicemus. Vt autem commodius id fiat, iis, quæ in Inſtitut. *loco allegato* de Vſu Lienis, & *lib.2.part.2.cap.6.& 8.* de natura humoris melancholici docuimus, & hîc repetenda non cenſemus, quædam addemus.

*Lienis Vſus.*

Et quidem vſum lienis quod attinet, anſam aliquid adhuc addendi nobis præbent Viri doctiſſimi, Carolus Piſo *in libro de morbis à ſeroſa colluuie ortis*, & Caſparus Aſellius *in libro de Venis lacteis*.

*Car. Piſonis ſententia.*

Eſt autem Carolus Piſo in ea ſententia, cor minimè eſſe officinam ſanguinis arterioſi, ſed lienem eſſe officinam ſanguinis tenuis, & calidi, qui in arteriis continetur, quem ſanguinem ex tenuiore chyli portione attracta gignat, genitumque pulſu in vniuerſum corpus diſtribuat, reſpondentem in nobis carnoſæ ſubſtantiæ; ſimulque docet, lienem eſſe principium radicationis venarum gaſtricarum, & epiploicarum, nec non radicationis arteriarum, fontemque alterum, eumque præcipuum, ſeri in corpore neceſſarij.

*Lien aquoſa attrahit.*

Et primò quidem lienem etiam aquoſa attrahere, antiquum dogma eſt Autoris *lib.4.de morb.*& Ariſtotelis, qui 3.*de part.animal.cap.*7.ſcribit: ὁ σπλὴν ἀντισπᾷ ἐκ τῆς κοιλίας τὰς ἰκμάδας τὰς περιττάς: vt & Hipp.qui *lib.1.de morb.mulier.* ſcribit: αἱρέεται ὁ σπλὴν ὑπὸ ποτοῦ, καὶ μᾶλλον, ἢν ὕδωρ ἢν τὸ ποτόν. Conſentit verò id cum ipſa experientia. Nam vt quæ alibi diximus, hîc non repetamus, patet hoc primum ex eo, quod obſeruatur, eos, qui plurimum bibunt, præſertim vinum, & cereuiſiam tenuem, vix hauſto potu, primum à menſa ſurgentes aqueam potus partem mingere; quod fieri vix poteſt, potu ad inteſtina tranſmiſſo, & à meſaraicis attracto (cũ pylorus tunc clauſus ſit, & per viam tàm longam, ac perplexã tàm breui tempore potus tranſire non poſſit) ſed immediatè è ventriculo per vaſa gaſtrica, & breue imprimis fieri neceſſe eſt, potu ad lienẽ tranſmiſſo, & alimentaria eius parte in liene reſtitante, aquea ad renes tranſmiſſa. Vnde quoque accidit, vt ſpleneticis, poſtquam ſeu aquam, ſeu cereuiſiam copioſius biberũt, non ita multò poſt murmura, & rugitus circa lienem oboriantur. Deinde liquidiorem alimenti partem ſtatim ad lienem trahi, vel ipſa famis ſedatio, quæ fere ſtatim ſumto cibo, præſertim liquido, accidit, teſtatur. Nam cum fames non aliter ſedetur, niſi vbi venarum ad ventriculum pertingentium ſuctio quieſcit & ſedatur, quod euenit, cum pars alimenti à vaſis trahentibus in viſcera defertur, & ita tractioni eorum ſatisfacit: at verò tractioni venarum meſaraicarum, & quæ ex inteſtinis immediatè chylum alliciunt, ſtatim ſumto cibo ſatis fieri non poſſint; cum ſumto cibo orificium ventriculi inferius per pluſculas horas arctè claudatur, nihilque à ventriculo ad inteſtina ſtatim ſumto cibo deſcendat: ſequitur, famẽ, quæ ſumto cibo ſedatur ſtatim, non à ſuctione & tractione venarum meſaraicarum ortum habuiſſe, ſed à venarum, quæ ipſis ventriculo inſeruntur, tractione. Hæ autem ſunt venæ gaſtricæ, & epiploicæ, atque inprimis vas breue; ex porta ſplenica propagatæ, & ventriculo immediatè inſertæ.

*Idem etiam craſſa attrahit.*

Deinde craſſa etiam attrahere lienem ſatis, *lib.2.Inſtit.* monſtratum opinor. Neque ad contrarium probandũ illud ſatis efficax eſt, quo dicitur, in prima, quæ ſit in ventriculo, coctione terrenas partes inutiles ita ſeparari, vt in ſecunda coctione non niſi igneas, & aqueas ſeparari neceſſe ſit: cum per vaſa anguſta chylus non niſi defæcatus, & liber prorſus à partibus craſſis diſtribui, & tranſire queat, vtpote quæ admodum ſunt anguſta, & puncti cuiuſdã inſtar exigua. Etenim ſi coctiones in corpore humano conſideremus, ſatis apparet, naturam per gradus quaſi, & pedetentim ad perfectionẽ tendere, neque in prima coctione omnia craſſa planè ſeparari: id quod vel ex eo appatet, quod lien ita facilè obſtructionibus, & ſcirrhis obnoxius eſt; quod non fieret, ſi tantũ tenues humores attraheret. Et quam craſſæ partes ſæpe ad officinas ſecundæ coctionis perueniant, vel ex vrinis ſatis apparet. Imò ipſi, qui contrariũ ſtatuunt, affirmãt, chylum eſſe mixtum quiddã ex quatuor diuerſis ſubſtantiis, totidem elementis primis reſpondẽtibus, iiſque imperfectè coaleſcentibus, ac vnitis aggregatum. Nec diffiteri poſſunt, ſed ex iis, quæ ipſi admittunt, fundamentis concedere neceſſe habent, lienẽ, quia celeriorem epate facit attractionem, & ex ipſo ventriculo chylũ ſtatim trahit, multa terrenã, & lutoſa cum aquea chyli parte, per vas breue quidem, ſed amplum alioquin, attrahere; quod ſi intemperantius fiat, obſtructiones in liene excitantur. Et quamuis viæ illæ in cadaueribus ferè conniueãt, & puncti inſtar anguſtæ ſint: tamen in viuentibus longè patentiores eſſe, extra dubium eſt, vt id vel calculorum è renibus in veſicam tranſitus docet, etſi in cadaueribus viæ multò minus, quã in meſaraicis apparent. Et quam patula ſint vaſa in corporibus viuentibus, quæ in demortuis planè cõcluſa cernuntur, vel hiſtoria docere poteſt, quam Ioh.Langius, *in epiſt.de morb.nouis*, recitat, de iuuencula quadam in Principis cuiuſdã Germani gynæceo, quæ cum ſeſe ad ſpeculum adornaret, detentis in ore aliquot acubus, quibus peplum affigeret, ab amaſio à tergo clanculum accedente intra ſcapulas percuſſa, acus deglutiuit, quas poſt biduum illæſis vreteribus eminxit.

*Acus deg... tita & per ... rinã redd...*

*Lien non ... officina ſ... guinis ar... rioſi.*

Magnum verò valdè poſtulatum eſt, ſtatuere officinã ſanguinis arterioſi non cor eſſe, ſed lienem, eundemque principium radicationis arteriarum: cum ſenſibus ſatis manifeſtum ſit, quod ſicut circa epar, quod principium eſt radicationis venæ cauæ, maximus venæ cauæ trũcus eſt: ita etiã ad cor maximus arteriç, à quo omnes arteriç, quæ in lienẽ tendunt, ortum habent. Ductuſq; ipſi etiã, è quibus ſanguis ex epate ad ſiniſtrum cordis ventriculum tranſmittitur, ſatis manifeſti ſint; vt dubitare de materia (quod illi faciũt) è qua in corde poſſit ſanguis generari, nullo modo opus ſit. Ex epate n.ſanguis per venam cauam in dextrum ventriculum cordis; ex hoc per venam arterioſam in pulmones; à pulmonibus cum aëre per arteriam venoſam in ſiniſtrũ ventriculum cordis transfertur. Neque illud ſufficit ad probandum, lienẽ eſſe officinã ſanguinis arterioſi; quo fluxibiliorẽ chyli partem attrahit. Ipſis n.concedentibus etiam aqueas attrahit:

attrahit: vnde & Hipp. aquæ sedem esse affirmat, & hinc sæpe in tumores aquosos incidit. Quid v. aqua ad sanguinis arteriosi generationẽ facere potest? hoc probabilius est, aqueas chyli partes ad lienẽ eo fine transire, vt crassiores diluant, ne illæ facilè obstructiones pariant.

*[A]sellij sententia.*

Casparus Asellius verò *de venis lacteis c.* 32. planè sententiam Galeni defendit, & tam eos reprehendit, qui statuunt, lienem melancholicam chyli portionem, antequam ad epar perueniat, per ramum splenicum attrahere, quàm illos, qui chyli portionem crassiorem à ramo splenico attrahi & in sanguinem in liene mutari existimant, ea de caussa, quod nulla vel minima venarum lactearum ad lienem penetret, à qua chyli aliquam partem capere possit. Ipse verò ita statuit, totum chylum in epatis carnem exonerari, ibique in sanguinis formam elaborari, vnde crassiorem eius partem in ramos portæ, subtiliorem verò vtiliorémque in cauæ radices excipi, atque ita lienem crassam & terrestrem sanguinis partem ad se rapere, eandémque in sui alimentum mutare, & quod eius edomari non potest, per constituta ei rei vasa abiicere.

*[A]n vasa à liene prodeuntia nihil è ventriculo trahant?*

Verùm an vasa à liene prodeuntia nihil è ventriculo trahant, quod vult Asellius, adhuc in controuersia est, ideóque, quæ ea de re cum aliis doctissimis Medicis docui, nondum reuocare volo: cùm venarum lactearum natura & officium nondum satis exploratum sit. Interim etsi concederem hoc Asellio, sanguinis partem crassiorem à liene ex epate trahi: tamen nondum hoc sequitur, eum saltem pro sui nutritione eam attrahere, & reliquam, vt excrementum, abiicere. Structura enim lienis & tot vasa ad eum tendentia & egredientia aliud docent. Neque enim vasa, quæ à liene ad ventriculum & vicinas partes prodeunt, excrementum melancholicum, sed reuera sanguinem continent.

Ideóque si iis, quæ de vsu lienis antea diximus, aliquid addendum est, hoc saltem; Lienem non solum sanguinem venosum (siue eum in epate elaboratum, siue à vena portæ in epar tẽdentem accipiat) sed & arteriosum attrahere. (Habet enim lien arterias plurimas à cœliacæ ramo sinistro, & quidem quintuplo plures, quàm venas.) Et ex sanguine arterioso & venoso mixto (vnde etiam antequam arteria lienem ingreditur, inferior ramus cum inferiore ramo venæ insignem anastomosim facit) in liene peculiare sanguinis genus ad partes quasdam ventris inferioris nutriendas necessarium generari. Omnia enim nutritioni dicata viscera, præter mesenterium & intestina nutrit ramus splenicus, & quidem ventriculum eius surculus pyloricus, gastricus, vtraque gastroepiplois & vas breue. Neque id sine ratione factum. Cum enim viscerum in ventre inferiore substantia sit ignobilior iis partibus, quæ à sanguine venæ cauæ nutriuntur, meritò etiam sanguine crassiore nutriri debent. At cum eædem partes membranosæ sint, ventriculus verò cibum & potum, qui sæpè frigidi ingeruntur, concoquere & in chylũ mutare debeat, colum intestinũ crassa excremẽta contineat, omentũ etiam crassam illuuiem excipiat, nisi partes hæ sanguine feruidiore & ex venoso & arterioso mixto nutrirentur, officio suo rectè fungi non possent.

*[De] natura [hum]oris melancholici.*

Alterum verò quod attinet, nimirum naturam humoris melancholici, diximus de eo satis, *lib.* 2. *Instit. p.* 2. *cap.* 8. Hic saltem quod addimus, posse fieri, vt quandoque crassæ partes præcipuè abundent, qui humor tunc propriissimè melancholicus appellatur, id quod sæpe in corporibus siccis, scabie sicca & similibus morbis ex humore melancholico laborantibus, accidit.

Frequenter vero multo sero diluitur, vtpote quod simul à liene attrahitur; & quidem tanto maiore copia, quanto humor melancholicus crassior est, & vt multum diluatur, necesse habet. Humor tamen ille crassus, multa aqua, seu sero dilutus etiam melancholiæ nomine appellari potest: sicut & Hippocrates per aquam procul-dubio humorem melancholicum intelligit.

*[De] cacochymia serosa.*

Si quis verò è seroso humore peculiarem, & quartam cacochymiæ speciem constituere velit, cum eo non contendero. Etenim serosi humoris abundantia etiam sine humore crasso reperiri potest, vt in hydrope, & similibus morbis videre est. Carolo Pisoni equidem religioni est, plenitudinem, seu colluuiem serosam, aut aquam cacochymiam appellare, ea de caussa, quod aqua pura puta, quæ non nutrit, succi, siue χυμὸς, alibilis scil. substantiæ, nomen sibi vendicare non possit. Verùm enim verò fallitur. Neque enim serum pura puta aqua est, vt postea dicetur: neque chymi nomen alibili saltem substãtiæ competit, sed humorem tam nutriendo corpori aptũ, quàm incommodum significat: vnde & τὸ εὐχύμου & κακοχύμου nomina deducta, & cacochymiæ nomine vitiosi humores alendo corpori inepti veniunt.

*Quid sit serũ & ichor.*

Quid autem serum sit rectè explicandum est, de quo *Instit. lib.* 2. *p.* 2. *c.* 7. dictum. Carolus Piso puram putam aquam, seu aqueam humiditatem, siue cum cibo, & potu ingestam siue chyli partem aqueam serum esse dicit, idque ab ichore discernit, qui scilicet sit cuiusque coloris, & naturæ cum propriis humoribus.

*An serum & ichor differant.*

Verũ etsi quandoque Autores has voces discernãt, vt ἰχὼρ sit vel sanguis crudus & imperfectus, vel tenuior pars massæ sãguineæ corruptæ, & colliquatæ; ὀῤῥὸς verò seu serum ὄχημα τῆς τροφῆς: tamen ἰχὼρ sæpè nomine seri, & serum nomine ichoris appellatur, & frequenter ista duo vocabula sunt synonyma, vt monstrat doctiss. Caspar Hoffmannus, *in Collect. de Ichorib. n.* 12. & 13. Qui idem non malè ichorem in mitem, & acrem distinguit, illúmque sanguinem ab ἀπεψίᾳ dilutiorem esse dicit, qualis in hepaticis conspicitur: acrem verò illud tenue, quod ex sanguinis, & humorum seu colliquatione, seu corruptione oritur. Vt ita tria sint, quæ nunc seri, nunc ichoris nomine veniũt: Primò illud aqueum, quod potui, & cibis inest; secundò sanguis aquosior, & dilutior; tertiò tenuis humor, sed acrior, qui ex colliquatione, vel corruptione sanguinis, vel etiam ex prauis cibis, & mala coctione prouenit.

*Serum quotuplex.*

Verum cum serum illud primum, seu pura puta aqua in corpore solum vix reperiatur, neque symptomata, & morbi, quos Eugalenus, & Piso recensent, plurimi à pura puta aqua possint prouenire, sed, quod ipse Piso, *in præfatione*, fatetur, serum inter decurrendũ per vasa abstergat, diluátque, & sibi necessariò immisceat partem aliquam ex iis ichoribus, qui in sanguine redundant, eámque sibi affusam secum deuehat, ac transportet, quocunque fertur: rectissimè colluuiei, & abundantiæ seu serosæ, seu ichorosæ duo genera constituere licet, vti dictum: Vnum mite, quod est sanguis aqueus, & dilutior; alterum acre, & salsum, quod suam acrimoniam ex humoribus seu colliquatis, seu corruptis, seu quacunque de caussa salsis, & acribus acquirit. Vt ita serum propriè dictum sit aquosus humor, salsedinis, & acrimoniæ particeps, vt pluribus hâc de re, *lib.* 2. *Instit. part.* 2. *cap.* 7. dictum.

## CAPVT II.

### *De Intemperie Lienis.*

His ita de vsu lienis & natura humoris melãcholici præmissis, iam ad morbos lienis accedimus. Etsi verò plurimi Medici lienis morbos quasi neglectos reliquerint; tamẽ multi etiam sunt; & non minora, quam in ipso epate, mala in toto corpore hinc originem habent.

*Liẽ quos morbos patiatur?*

Patitur nimirum lien morbos intemperiei, angustiam vasorum & obstructionem, morbos numeri, figuræ, magnitudinis, inflammationes, scirrhos, vulnera, vlcera. E symptomatibus verò, coctionem, & expulsionem læsam, dolorem, & insuper icteri nigri caussa ad eum refertur. Etsi n. icterus niger nõ lienis propriè, sed totius corporis p. n. affectio, & coloris eius mutatio sit; tamen quia à liene ortum habet, eius etiam hîc mentionem faciemus.

*Quæ symptomata?*

*Lienis intemperies.*

Primò autem morbos intemperiei lienis quod attinet, etsi raro ab autoribus explicantur: tamẽ non negligendi sunt; cum procul dubio affectionis hypochondriacæ & plurium aliorum morborum origo ab intem-

perie lienis pendeat. Lien autem laborat intemperie nunc calida, nunc frigida, nunc humida, nunc ſicca, & quidem cum & ſine materia;plerúmque tamen cum materia. Nam etſi interdum intemperies lienis nuda etiam adeſſe poſſit; tamen vix ſeſe prodit,niſi cum materia accedit; & quidem cum lien ſanguinem craſſiorem generet, & excrementum melancholicum ibi proueniat, etiam melancholia & atra bilis plerumque in eo colligitur. Quandoque tamen etiam pituita è cruditate ventriculi genita ad eum tranſmittitur.

## *Cauſſæ.*

*Cauſſa.* Contrahit autem lien intemperiem à cauſſis,à quibus epar intemperiem ſuam accipit, calefacientibus nimis, frigefacientibus,& humectantibus & ſiccantibus. Imprimis à cibo & potu & medicamentis hiſce qualitatibus præditis, ſeu intus exhibitis ſeu extra appoſitis. Et imprimis, vt modo dictum, intemperie cum humore craſſo & feculento, & melancholico atque atro corripitur,ob cibum qui chylum eiuſmodi humori generando aptum ſuppeditat; vel vaſorum obſtructionem, ob quam non debito modo euacuatur. Si enim cibus ita comparatus ſit, vt talem chylum ſuppeditet, qui plus quam par eſt,excrementi melancholici contineat, magna excrementi melancholici copia prouenit, & plus, quam per vias conſuetas euacuari poſſit. Vel etſi mediocri copia id generetur;ſi tamen viæ expurgando huic excremento dicatæ non pateant, id in liene ſubſiſtit, eíque ſimilem intemperiem imprimit.

Quales autem cauſſæ ſint, quæ ad excrementi huius generationem faciunt, *de ſcorbuto c* 3. dicemus. Hic vt paucis rem complectar,lieni nocet aër craſſus,& qui eſt circa paludes & ſtagna, & in locis ſubterraneis, cibi craſſi & feculenti,terreſtríſque ſubſtantiæ,imprimis ſale vel aceto conditi & fumo indurati; vt caro bubula vetus, hircina, ceruina, ſuilla, leporum vetulorum. anſerum, anatum, piſces paluſtres, lacuſtres, maritimi grandiores, aëre vel fumo exiccati vel ſale conditi, legumina, lentes, fabæ, piſa,mylium,panis non bene fermentatus, caſtaneæ,fructus acerbi,cibi dulces, & melle ac ſaccharo valde conditi. Muſtum item & vinum auſterum ac feculentum, vt cereuiſiæ ſimiles. Aquæ potus, & præcipuè poſt motum & laborem nimium, imprimis impuræ & non limpidæ vel valde frigidæ, niualis, & quæ tempore æſtiuo niue refrigerata eſt. Ebrietas & pula. Animi etiam pathemata, imprimis timor & mœſtitia continuata, vt & ira: quod quomodo fiat, conſideratione dignum eſt, qua de re pauca ex Hippocratis *epiſtolis* afferre libet. *Bilis & inſania ſedet à Democrito quæſita.* Cum Democritus Philoſophus ſapientiſſimus, omnium & imprimis ſui oblitus videretur, & vigilans noctu & interdiu, ſinguláque parua & magna deridens ac pro nihilo reputans vitam traheret, Senatus Populuſque Abderitanus, in huius viri ſalute ſuam vrbem periclitaturam exiſtimãs,ad Hippocratem literas dedit,eumque rogauit, vt non ſolum Democritum,quem mente captum iri metuebant, ſed & patriam ſuo conſilio ſeruaret. Venit Abderã Hippocrates,ſed,vt ad Damagetum ſcribit, Democritum offendit non delirantem, ſed omnino ſapientem & quidem iſto modo; Compoſitè admodum librum ſupra genua habebat, & alij quidem vtraque ex parte ei adiacebant. Crebra autem animalium cadauera per totum diſſecta accumulata erant. Hic autem contemplato ſtudio interdum ſcriptioni incumbebat, interdum multum ſubſiſtens & apud ſe anxiè cogitans quieſcebat; deinde non multò pòſt his peractis exſurgens deambulabat, & animalium viſcera attentè adſpiciebat, hiſque depoſitis rurſus deſidebat. Quem cum Hippocrates allocutus eſſet, & data acceptáque ſalute quæſiuiſſet, quid ſcriberet: De inſania, reſpódit. Hippocrates cũ rurſum rogaſſet,quid de inſania ſcriberet;quidnã verò inquit,aliud,quã quid ſit, quomodo hominibus innaſcatur, & qua ratione alleuetur. Hæc enim, inquit, quæ vides animantia huius certè gratia reſeco, minimè Dei opera odio proſequens, ſed bilis naturam & ſedem inquirens. Noſti enim, quod hæc vbi redundârit, vtplurimum hominibus inſaniæ cauſſa eſt. In omni quidem natura ineſt, ſed in aliis equidem minus, in aliis copioſius. Huius autem ἀμετρίᾳ morbi exiſtunt, velut materia partim quidem bona, partim verò mala ſubiecta.

*Quam bil quæſiuerit I mocritus?* Non verò crediderim, tantum Philoſophum tanto animi ſtudio,vt etiam à ciuibus ſuis pro inſano haberetur, in bilis flauæ naturã & ſedẽ inquiſiuiſſe. Hæc enim omnibus ita obuia eſt, vt neminem facilè latere poſſit, ſed in illius naturã & ſedẽ,quæ melancholiæ & inſaniæ cauſſa eſt,humoris videlicet melancholici & atri inquiſiuit. Nam hic humor,vt ex Hippocrate modò dictum, eſt ὕλη ὑποκειμένη, ὅτε μὲν ἀγαθὴ, ὅτε μὲν φαύλη; quod tamen explicatione indiget. Etenim ſanguis melancholicus & melancholicum & atrũ excrementũ ſpecie differunt, & ab illo bona, ab hoc mala proficiſcuntur. *Melancholici ingenioſi.* Sanguis tamen melãcholicus facilè in atram bilem degenerat. Melancholicos n. ingenioſos eſſe,vulgatũ eſt,& omnes, qui ingenio claruerunt, vel in ſtudiis Philoſophicis vel in Republica adminiſtranda, vel in carmine fingẽdo,vel in artibus exercendis, melãcholicos omnes fuiſſe docet Ariſtoteles, *ſect.* 3. *problem.* 1. Quod quomodo accipiendum ſit, *lib.* 2. *Inſtit. par.* 1. *ſect.* 2. *c.* 2. dictum. Si verò excrementum melancholicum & humor ater præternaturaliſque abundet, multorum grauium morborũ & ſymptomatum autor eſt,& vix alius humor eſt, qui plures & deteriores morbos ac ſymptomata excitet.

*Iræ cauſſa.* Ab hoc humore, vt inſaniam, ita & iram, quæ furor breuis eſt, prouenire ſtatuimus,nõ à bile flaua,in veſicula fellis collectã:eóque circa lienem commoto. Cum n. in animi affectibus humores in corde primum agitẽtur, iſque humorum motus arteriis communicetur; Lien verò arteriis plurimis abundet, veſicula fellis autem exiguam cum corde communionẽ habeat: manifeſtum eſt, illam agitationem humorum in animi affectibus magis in liene quam epate fieri, & ille ipſe humor, qui in liene quaſi fermentum eſt, quod in humoribus reliquis feruorem excitat, ſi in animi affectibus moueatur, magnam in humoribus agitationem efficit. Et rem ita ſe habere, quilibet in ſeipſo experiri poteſt, cum in ira humorum commotio in ſiniſtro latere potius circa lienem, quam in dextro percipiatur.

Non tamen ſolum ex rerum naturalium vſu non conuenienter lien male affici poteſt, ſed & à corde & epate eius intemperies mutari, & ab iis humores vitioſi ipſi communicari poſſunt. *Cur anin pathemat lieni noce* Etenim cum lien multas arterias habeat, eáſque omnes à corde oriundas, ſi ſanguis arterioſus ſe non bene habet, lien inde afficitur, atque hinc euenit,vt modò dictum, vt animi pathemata, imprimis timor, mœror & triſtitia ac ira multorum morborum lieni cauſſã eſſe poſſint. Epar quoque ſi non bene ſe habeat, per ramos venæ portæ facilè aliquid mali Lieni communicare poteſt.

## *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Lien etſi morbos multos pati poſſit; tamen cum ſenſu exiguo præditus ſit,ſæpe diu ibi latent,& demum, vbi iam incrementum ſumpſerunt, & aliæ partes afficiuntur, pateſiunt. Quapropter vtile eſt, ſigna, quibus Lienis morbi dignoſcantur, diligenter perſpecta & cognita habere. Ideóque etiam in genere aliquid de Lienis morbis cognoſcendis, dicemus.

Cognoſcuntur autem rectiſſimè,vt alij affectus, ſuis cauſſis,quas modò enumerauimus,quæ ſi præceſſerint,& imprimis ſi in victu errores,à quibus humor melãcholicus generari poteſt,cõmiſſi ſint,Lienẽ affici indicio eſt.

Deinde idem arguunt effectus,vt actiones eius læſæ, de quibus poſtea in ſpecie dicetur,vt & ea,quæ actiones eius læſas ſequi ſolent, hinc inde in corpore ſymptomata & morbi.

In ſpecie morbos intẽperiei quod attinet,ex cauſſarũ,

quæ

quæ præcesserunt ; naturâ imprimis ij patefiunt. Si enim caussa calefaciens præcesserit, similem intemperiem adesse indicio est; si frigida frigidam. Indicant & effectus, qualis sit Intemperies. Nam si Lien sit calidior adest sitis, lingua est siccior, ardoris & caloris alicuius sensus in sinistro Hypochondrio percipitur; Lien nimis cito cibum & potû attrahit, rubor aliquis & φλόγωσις, ac calor subito euanescés in facie,& præcipuè in maxilla sinistra percipitur: cibi appetitus non est magnus.

Frigidam verò Intemperiem indicant multa murmura & rugitus, ructus & vomitus acidi.

Sicca Intemperies cognoscitur ex aliqua sinistri lateris duritie & vrina tenui.

Tandem à iuuantibus & nocentibus de Intemperie Lienis iudicaré licet. Nam si calida fuerit Intemperies,à calidioribus cibis & potu,ac motu nimio læditur. Contra si frigida fuerit,frigida lædût. Qui verò etiam vitiosos humores in liene cumularunt,ij si currant,vel vehementius exerceantur, dolorem sinistri hypochondrij percipiunt. Cumulatur verò plerunque in eo excrementum melancholicum. Qui enim in Liene sanguis crassior generatur,& ibi prouenit excrementum melancholicum,in eo facilè cumulatur. Idque cognoscitur ex vrina tenui, si in eo subsistat, crassa verò & feculenta, si cum vrina excernatur. Et tandem incrementum sumat, in totum corpus diffunditur, & multa mala generat, vt postea *de obstructione Lienis* dicetur.

## Prognostica.

*Prognostica.* 1. Lienis morbi in initio facilè sanatur : Verum si protrahantur, vt inde fiant obstructiones, vel tumores duri, difficulter curantur.

2. E Lienis morbis neglectis grauissima sequuntur mala, scabies, Melancholia, scorbutus, & plurima alia. Est enim viscus hoc etiam publicæ coctionis officina.

3. Lienis intemperies sine materia rarò eo deueniunt, vt homini mortem inferant; nisi ita magnæ sint, vt eius actio plenè euertatur, quâ ablatâ vel diminutâ vel deprauatâ, humor melancholicus & feculentus cumulatur & grauia inde mala excitantur.

4. Intemperies cum materia grauior est tardius curatur, cum humor melancholicus, qui plerumque peccat in liene, crassus sit, eiusque motus tardus, & inde pertinaces Lienis obstructiones & scirrhi incurabiles excitentur.

## Indicationes.

*Indicationes.* Intemperies si sola sit sine materia indicat alterantia contraria ; quæ verò cum materia est, simul humoris vitiosi euacuationem postulat; & cum humor Melancholicus plerumque in Liene colligatur, is præparandus & euacandus est.

## Curatio.

*Curatio Lienis in genere.* In curatione autem Lienis in genere quædam obseruanda. 1. Cum Lien publicum officium gerat, & ipse etiam sanguinem gignat, eius robur est conseruandum, & propterea non nimis & solum relaxantia vsurpanda, sed moderatè adstringentia admiscenda, qualia sunt, absynthium, nardus & similia.

Valide adstringentium vsus nimius etiam vitandus, ne humores crassi Lieni impingantur.

2. Dulcia in morbis Lienis nec in cibo nec in potu conueniunt, & spleni ὠφέλιμα τὰ δριμέα καὶ τὰ πικρά: τὰ δὲ γλυκέα φλαβερά.

3. Nec acetum nec acida Lieni amica sunt & vt Hippocrates,3.*de rat.vict.in acut.t.*30.habet,acida biliosis potius, quam melancholicis conueniunt, & melancholia, dum ab acido fermentatur,multiplicatur. Exaltat enim Melancholiam acetum.

4. Lien exiguum sensum habet, eiúsque substantia est durior, & humor, qui in eo generatur, est crassior. Quapropter etiam acria satis, & fortiora medicamenta fert, quam Epar.

5. Cauendum tamen,ne vicinum epar à fortioribus medicamentis aliquid damni patiatur.

6. Quia meatus & vasa satis angusta habet Lien, ne ea obstruantur, omnia ea vitanda, quæ illa obstruere possunt.

7. Euacuatur autem Lien per hæmorrhoides; de quo *de aff.hypochondriaca,part.5.sect.1.cap.1.* dicetur,vomitu,cum per vas breue satis commoda via in ventriculum sit, per aluum, & per vrinas, vt *ibidem* dicetur, quæ videantur, ne idem bis repetere opus sit.

8. Et hoc notandum, si Lien per consensum à ventriculo,epate, corde, vel toto afficitur, curationem ad istâ membra affecta præcipuè dirigendam esse,& materiam, quæ ad Lienem confluit, aliò auertendam, & quæ iam influxit euacuandam esse. Et quia interdum à toto materia ad lienem confluit, etiam sanguis quandoque mitti potest. Et miratur Galenus, *libro de curandi ratione per sangu.miss.cap.16.* quod antiqui in curando liene sanguinem mittere neglexerint ; cum tamen ipse eiusmodi præsidium sæpe tutissimum expertus fuerit.

Medicamenta ergo Lieni accommodata sunt amara & nitrosa & aliquam acerbitatem & adstrictionem coniunctam habentia. Qualia sunt

*Interna.* Radices & cortices. *tamarisci, apparum, scillæ, filicis, polypodij, querni, asari, fraxini, raphani rustícani, cichorij, bugloss. scorzoneræ.*

Folia; *Asplenii*, vulgo *scolopendrii & ceterach*; quod omnibus ferè præfertur,*chamæpithyos, chamædryos, agrimoniæ, centaur. minor, tamarisci, linguæ ceruinæ, nasturtii aquatici, cochleariæ, fumariæ,bek abügæ,absinthii, capill.* ♀.

Flores. *Genistæ, cichorii, borraginis.*

Semina. *Portulacæ, viticis, plantaginis, genistæ, cichorii, pastinacæ syluestr. vrticæ.*

Fructus : *Cappares.*

Gummi; *Ammoniacum.*

Ex animalibus vt occulta qualitate iuuantia commendantur ; *Lien asini præparatus ad* Drach.j. *hædinus, hircinus, bubulus cum liquore conueniente datus.* Non tamen quælibet ex his cuilibet morbo Lienis conueniunt. Sed cuilibet sua eligenda remedia, vt iam in specie dicetur.

*Intemperiei lienis Curatio.* Et quidem Intemperiem Lienis contrariis emendari notissimum est : at ipsa Intemperies per se purgationem non indicat, & si interdum in nuda intemperie purgantia exhibentur, id ideo fit, ne humores vitiosi è vicinis locis confluant, molemque augeant, vel alium in liene affectum excitent.

Verum Intemperies Lienis rarò sine materia in eo excitatur; & vix animaduertitur, antequàm aliquam materiam sibi adsciscat, quod vbi factum, materia præparanda & per conuenientes vias euacuanda.

Commodissimè autem per hæmorrhoides euacuatur, vt etiam *de aff. Hypochondriaca* dicetur, si natura vel sponte eas aperiat, aut si hirudines illis applicentur.

Vt autem per aluum euacuetur ; primò talis præparatio fieri potest, præcipuè si caliditas adsit.

℞. *Rad. cichor. polypod. querni* an.Vnc.ß. *cortic.tamarisci. rad. cappar.* an.Drach.ij. *scolopendr.capill.* ♀ an.M.j. *flor.genist. borrag.bugloss.*an p.j. *sem.portulac.* Drach.j. *agni casti* Drach ß. *passul.*Vnc.ß. Coq.in aqua simpl.

Colatura dulcoretur *pauxillo sacchari.* Vel addatur *syrupi de pomis vel vini simplicis* an.q.s.

Vel ℞. *Aquæ fumar. cichor.* an.Vnc.iij. *syr.byzant.*s. *de pomis* an.Vnc.j. *spiritus vitrioli* g. vj. Misce.

Materia præparata per aluum euacuetur *foliis sennæ, Epithym.rad.gialapæ,helleboro nigro, lapide Lazuli.*

E Compositis vtilia sunt, *syrup. de pomis Regis Sabor.& de pomis cum helleboro, pilul.tartareæ, de ammoniaco. Syrupiè succo pomor. purgant.* descriptio Cratonis hæc est.

℞. *Succ.pomor.dulc.borrag.meliſſ.* an.℔.ß. *flor. borrag. viol.* an. P. j. *fol. ſenæ, epithymi, hellebori nigri præpar.* an. Vnc. ß. F.ſ.a. Syrupus, qui aromatizetur. *cinamomi, caryophyll. croci, ſpecierum aromat. roſat. diamoſch.dulc.* an. ſcrup. ß.

Doſ. Vnc. iij. cum *mann.* Drach. vj. vel Vnc. j. & ſuperbibatur *iuſculum gallinæ.*

*Pilulas tartareas conficiendi ratio commodior.* Pilulæ Tartareæ deſcribuntur in pharm.reſt. Quercetan. *cap.* 18. Mihi ſic commodius fieri poſſe videntur.

℞. *Polypod. querni* Vnc. ij. *cortic. tamariſc. rad. capp. rad.bugloſſ.* an. Vnc.ß. *paſſul. corinthiac. contuſar.* Vnc. j.ß. *myrobalan. indar.* Vnc. j. *flor. geniſt.* M. ß. *ſem. aquilegiæ, geniſt.* an. Drach. ij.

Infundantur in vaſe vitreo clauſo in ſuffic. quant. *aquæ fumariæ & ſcolopendr. raditâ ſalis* 🜿 j. Drach. j. Colaturæ. ℞. ℔. ij. *ſucci pomor. durat.* ℔. j.

In iis in balneo Mar. per quatriduum digerantur vaſe clauſo, *cremor.* 🜿 Vnc. j. ß. *fol.ſenæ* Vnc. ij. *follicul. ſen.* Vnc. j. *turbith.elect.* Drach. vj. *rad.gial ꝑæ* Vnc.ß. *hellebori nigri* Vnc. j .ß. *myrrh. elect.* Vnc. j. *flor.cord.* an. P. ij. *epithym.* Drach. vj. *macis, cinam. caryophyll.* an. Vnc. ß. Poſtea colentur & exprimantur.

Calatura in B. per diem adhuc digeratur, poſtea quod clarum eſt effundatur, cui adde *aloes præparatæ* Drach. iij. M.

Et coagulentur igne lento, ſub finem adde *ſpec.diarrh. abbat. lætificant. Galeni trochiſc. de lacca de cappar.* an. ſcrup. ij. *croci* Drach. j. *Cremor.* 🜿 Vnc. ß. *ſalis folior. ſenæ, fraxini* an. Drach. ß. *ol.aniſi* g. vj. *citri* g. ij. Miſce.

F. Maſſa. Si libet poſſunt acui *extracto ſcammony.*

Plura huiuſmodi medicamenta proponentur *capite ſequente.*

Tandem danda opera, vt reliquiæ materiæ abſumantur, & quod reſtat, inſenſibiliter diſcutiatur, aut ſenſim cum vrina euacuetur.

Vtiles ſunt hîc trochiſci de capparibus, de Lacca & ſimiles, qui vel in pilulas formari vel in puluerem redigi, & cum conueniente liquore exhiberi poſſunt.

Non ſolum autem interna medicamenta, ſed & externa applicari poſſunt. Et quidem in externis medicamentis in intemperie calida adhibendis notãdum, omnia cum poſca conficienda eſſe, vt facilius penetrent. Imò etiam in aliis Intemperiebus penetrationis gratia acetum admiſceatur.

Ad reliquias materiæ abſumendas vtilia ſunt oleum *de capparibus, nardinum, irinum, liliorum alborũ,* vnguentum, *aggrippæ, de arthanita, emplaſtrũ de Meliloto, diachylum ireatum,* de quibus *de tumoribus Lienis* dicetur. Sunt etiam nonnulli, qui ſupra ſiniſtrum Hypochondrium cucurbitam cum ſcarificatione & multâ flammâ applicant, vt de materia tenuius & flatulentum euocetur. Sed tutius eſt à tali ſcarificatione abſtinere, & digerentibus modò propoſitis rem peragere.

## *Diæta.*

*Diæta.* Diæta medicamentis reſpondeat. Et quia plerumque humor Malancholicus abundat, aër craſſus fugiendus, & puro ac claro vtendum. A cibis crudis, viſcidis, ſalſis, ſale ac fumo conditis, vt dulcibus, abſtinendum. Vinum ſit purum, tenue, clarum, ac non admodum potens, vel cereuiſia defecata. Animi affectus moderandi, & imprimis mæſtitia, timor, ac ira fugienda, de quibus *de ſcorbuto* dicetur.

---

# CAPVT III.

## *De Lienis morbis organicis & præcipuè, obſtructione.*

*Lienis morbi Organici.* VAriis quoque morbis ex Organicorum numero Lien corripitur, & ſæpiſſimè aliqua vel in figura, vel magnitudine vel ſimilibus variatio occurrit. Interdum enim bipartitus ferè totus deprehenſus eſt Lien, vt obſeruit Riolanus. Idem, vt *lib. 2. Antropogr. cap. 23.* refert. In quodam vidit Lienem exactè quadratum trium palmorum latitidine, & æquali longitudine, craſſitie 4. digitos æquantem, & vndiquaque cartilaginoſa ſubſtantia incruſtatum. Geminos Lienes inuentos teſtatur Ariſtoteles, *lib. 4. de gen. animal. cap. 4.* & Gemma, *Coſmocrit. lib. 1. cap. 6.* Tres inuenit Fallopius, vt refert *in obſeru. Anatom.* Contrà Lienem interdum planè defuiſſe obſeruauit Hollerius, *in obſeru. lib. 5.* Gibbæ lienis parti adipem inſtar candidiſſimi & clariſſimi lapidis annatam fuiſſe obſeruauit Veſalius, *lib. 15. de corpor. hum. fabr. cap. 9.* Lapides in Liene repertos fuiſſe refert Scholiographus Hollerij *ad cap. 48. lib. 1.* Fallopius *in obſeru. Anatom.* Veſicam aquâ plenam duorũ pugnorũ magnitudine ſub liene inuenit Coiter, vt refert *in lib. obſeru. Anatom. & Chirurg.* Nonnunquam ſitum commntat cum epate, ſed prodigioſæ, vt refert Ariſtoteles, *hiſtor. animal. lib. 2. cap. 13.* Ruptis ligamentis etiam viſus fuit in muliere ad hypogaſtrium prolapſus ſupra vterum, qui per biennium molæ ſpecie medicos fefellit. Tandem fato functâ ægrâ tumoris illius cauſſa patefacta fuit aperto cadanere, vt *eodem loco* Riolanus refert. In nobili viro eodem modo prolapſum Lienem ad hypogaſtrium annotauit Capreolus.

Verum cum iſti morbi partim à prima conformatione ſint: partim ita lateant, vt non niſi poſt mortem deprehendi poſſint, & omnes incurabiles ſint, ſaltem eorũ mentionem feciſſe ſufficiat. Eos verò qui & ſignis deprehendi poſſunt, & curationem aliquam ſuſcipiunt, hic explicandos ſumemus. Et primò de obſtructione Lienis agemus. Etſi enim anguſtia vaſorum in liene etiam à compreſſione, quæ fit à tumoribus, fieri poſſit: tamen de eo poſtea, vbi *de tumoribus Lienis* agemus, dicetur.

## *Cauſſæ.*

Cauſſæ autem obſtructionis vaſorum Lienis ſunt humores craſſi, terreſtres ac feculenti, & tartarei, vt hodie appellantur, & imprimis humor melancholicus. Generantur autem tales humores è cibo & potu, qualis *capite præcedenti* propoſitus eſt. Ad cumulandos hoſce vitioſos in Liene humores faciunt conſuetæ hæmorrhoidum vel menſium euacuationes ſuppreſſæ. *Cauſſæ.*

Vt autem facilius tales obſtructiones excitentur, facit etiam Lienis caliditas, ob quam is chylum nondum ſatis in ventriculo coctum & elaboratum, vt & potum ad ſe trahit, de quo Hippocrates, *lib. 4. de morbis:* dum Lien ægrotat, inquit, vel humores ſpontè feruntur ad ipſum, vel trahit per venas, quas habet cum epate communes, vt etiam *lib. 1. de morbis mulier.* docet. Exercitatio quoque vehemens ſtatim à cibo idem præſtat, vt & decubitus continnus in latus ſiniſtrum.

## *Signa Diagnoſtica.*

Cognoſcuntur Obſtructiones Lienis è cauſſis, quæ præceſſerunt & effectis, iiſque, quæ ſequuntur. Nam ſi cauſſæ, quæ antea enumeratæ ſunt, præceſserint, mali huius ſuſpicionem præbent, quod poſtea confirmãt ea, quæ ſequuntur. In principio quidem ſolùm grauitas quædam in ſiniſtro hypochõdrio percipitur, poſtea etiã dolor aliquis, præſertim in curſu & concitatione ac longua ambulatione, malo tandem incremẽtum ſumente, cum nec craſſior chyli pars ob vias obſtructas à liene attrahi, nec melancholicum excrementum per conuenientes vias expurgari poſſit; & chylus craſſior ac feculentus ſimul ad epar tranſit, vnde melancholicus ſanguis generatur, & excrementum melancholicũ ad epar deriuatur, atque hinc in totum corpus diffunditur: vnde totius corporis color floridus & natiuus in liuidum *Signa.*

mutatur,

mutatur, corporis grauitas percipitur, spirandi difficultas excitatur, præsertim post exercitium vehemens, tussis sicca interdum adest, quandoque cordis palpitatio, scabies, affectio hypochondriaca, canina appetentia & similia mala oriuntur.

Interdum humor ille Melancholicus ad ventriculum effunditur, vnde ructus acidi, humorumque acidorum vomitus sequitur, interdum etiam ad aluum effunditur, vnde diarrhœa & dysenteria excitatur, de quo Hippocrates, *6. aph.* 43. qui Lienosi difficultate intestinorum corripiuntur, iis superuenientem dysenteriam longam aqua inter cutem & intestinorum læuitas excipit ac moriuntur. Vrina sæpè sanorum similis est, quæ si æger paulisper mouetur, crassa & obscura redditur, & interdum quasi sanguinea: aluus plerumque est adstrictior, & alia signa, quæ in hypochondriacis & scorbuticis adsunt, conspiciuntur.

## *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Affectus hic plerumque pertinax est & diuturnus, ob humoris, à quo pendet, naturam.

2. In principio hoc malum curatu facilius est: si vero diutius protrahatur, difficilius curatur, & sæpe in scirrhum Lienis abit.

## *Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & curatio.* Obstructio apertionem indicat: aperitus autem obstructio, si humor, qui eam parit, è vasis illis amoueatur, quod fit per medicamenta attenuantia & incidentia, quibus & postea subiungenda euacuantia.

*Medicamenta attenuantia & incidentia.* Vniuersalibus itaque pressis exhibeantur attenuantia & incidentia, non tamen nimium calefacientia, ne humore tenuiore discusso crassior relinquatur, ac malum grauius & pertinacius reddatur. Vtilia hic sunt medicamenta *capite antecedenti* proposita: vt & *tartarum* & ex eo parata medicamenta, *cremor* 🜿, *spiritus* 🜿 *simplex & compositus*, *tartarum vitriolatum*, medicamenta ex chalybe parata, vt:

℞. *Cortic.rad.cappar.tamarisci*, an. Vnc. ß. *rad. aperient.* Drach. vj. *bugloss.* Drach. iij. *Chamædr. ceterach*, an. M. j. *sem. agni casti* Drach. j. *flor. genistæ borrag.* an. M. ß. Infundantur in vino, vel coq. in aqua pura. Colaturæ ℞. Vnc. x. *syrup. borrag.* Vnc. ij. *oxymel. scillit.* Vnc. j. Misce pro tribus dosibus.

Vel ℞. *Rad filicis, polypod. querni, cort. tamar.* an Vnc. ß. *chamædryos* M. j. *passul. minor.* Vnc. j. Coq. in aqua simpl. Colaturæ ℞. Vnc. x. *syrupi de scolopendr.* Vnc. iij. 🜿 ♂ *lati* scrup. j. Misce. Vel fiat talis syrupus.

℞. *Rad eryng. rubiæ tinctor. glycyrh. polypod. quern. cort. tamarisc. rad. cappar.* an. Vnc. ß. *rad. asari* Drach. ij. *ceterach. chamæd.* an. M. j. *flor. genist. borrag. bugloss.* an. M. ß. *cinamo. cortic. aurant.* an. Drach. ij. *passul. minor.* Vnc. ij.

F. s. a. Syrupus, cuius Vnc. ij. cum aqua fumar. vel alia conueniente vel vino absinthij exhibeantur. Potest etiam oxymel scillitic. vel 🜿 ♂ latus addi.

Efficacissimi etiam in obstructionibus tollendis sunt *trochisci de capparibus*, vt & *trochisci de scolopendr.* qui hoc modo parantur:

℞. *Scolopendr. seu ceterach. hyssop. prassij fructus tamarisci, cortic. rad. cap.* an. Drach. ij. *sem. agni casti, rutæ, gentianæ, aristoloch. rotund. flor. genistæ* an. Drach. j. ß. *ammoniaci aceto dissoluti.* q. s.

F. Trochisci. Si humores calidi admixti sint tales fieri possunt.

℞. *Sem. portulac. scarriolæ, agni casti, fructuum tamarisci, capill.* ♀ *scolopendr.* an. Drach. ij. *spec. diatrion. santal. cort. rad. cappar.* an. Drach. j. ß. Cum oxymel scyllitico *vel aqua tamarisci* in qua gummi aliquod dissolutum sit. F. Trochisci.

Vel ℞. *Trochisc. de capparibus* Drach. j. *croci* ♂ *pulner. vel extract. gentian.* an. scrup. j. *extract. absinth.* scrup. ß. Cum *oxymel. scillit.* F. Pilulæ mediocres.

*Purgantia.* Verum cum ista paulò fortiora sint, & pleraque simul vrinam moueant, prius corpus expurgare cõuenit. Post leniter ergo aperientium vsum purgatio instituenda est, vt:

℞. *Pil. tartar.* scup. j. *extract. scammon.* g. iij. F. Pilulæ mediocres.

Vel ℞. *Pil. de fumar.* 🜿 *earum* an. scrup. j. *de ammon.* g. vj. *extr. hellebor. nigri* g. iij. F. Pilulæ mediocres.

℞. *Radic. cichor. polypod. quern. filicis cortic. tamarisci* an. Vnc. ß. *scolopendr. chamædryos prassij* an. M. j. *card. bened. centaurij minor.* an. M. ß. *sem. genist. aquileg.* an. Vnc. ij. *glycyrrh.* Vnc. ß. *passular. min.* Vnc. ij. Coqu. in *aqua*. In colatura infunde *fol. senæ elect.* Vnc. ij. *follic. senæ* Vnc. ß. *rad. gialap. hellebor. nigr. præpar.* ana Drach. ß. *zingiber, zedoariæ, cortic. citri* an Drach ij *flor. cordial.* P. iij. Coq. in vase clauso. Colaturæ. Adde *sacchar.* q. s.

F. s. a. syrupus liquidior, qui aromatisetur aquæ cinamomi Vnc. ß. Dosis Vnc. ij.

*Vomitiis.* Potest etiam euacuatio per vomitum institui, cum recta via sit à liene ad ventriculum per vas breue.

Euacuatione peractâ ad extenuantium & incidentium vsum; & præcipuè trochiscorum, redeundum, quæ reliquias absumunt, & simul vrinas mouere possunt; cum lien etiam vtiliter per vrinas euacuetur, vt *de affect. hypochond.* dicetur.

Exhiberi quoque potest pro morbi ratione theriaca cum decocto vel aqua buglossi, quæ etiam vesicas, quæ lieni adnascuntur, absumunt.

Si his omnibus morbo non satisfiat; acidulas vel thermas æger vsurpet, vel chalybis vsum, qui pertinacissimas etiam lienis obstructiones tollit, sese accingat, de quo *de affect. hypocondriaca* dicetur, quæ huc transferri possunt.

*Roborantia.* Tandem etiam roborantia lienem, & quæ reliquias, quæ adsunt, humorum absumunt, vsurpanda, vt:

℞. *Scolopendr.* M. ij. *hyssopi, chamædryos, rorismarini, centaur. minor.* an. M. j. *cort. tamarisci, ligni sassafras* an. Drach. ij. *cortic. citri.* Vnc. ß. *cinamom. maces, caryophyll.* an. Vnc. ij.

Insuantur sacculo ex serico vel linteo albo, & affund. vini mensuræ duæ.

Vel ℞. *Chamædr. centaur. minor.* an. M. ß. *cortic. tamarisci* Vnc. ß. Affunde vini q. s.

Vel ℞. *Conseru. borrag. cichor. flor. genist.* an. Vnc. j. *rad. condit. helenij. cort. citri condit.* an. Vnc. ß. *pulu. cortic. tamarisci, cinamomi* an. Drach. j. *spicæ* Drach. ß. Cum *syrupo borrag.* F. Electuarium.

Si libet, potest chalybis præparati Vnc. ß. addi.

*Topica.* Dum hæc ita exhibentur, topica simul adhibenda sunt, vt:

Vt ℞. *Rad. alth. cortic. tamarisci* an. Vnc. ß. *scolopend. marrubij, chamæpith. rutæ* an. M. j. *flor. genist. chamæm. sambuci* an. M. ß.

Coq. in aqua & aceto, & decoctum cum spongia vel linteo fomenti loco imponatur. Vel fiat ex iisdem cataplasma.

Laudantur & folia hyoscyami in aceto & oleo de capparibus cocta & fomenti loco imposita.

Post fomentum vnguentum vel emplastrum imponatur. vt:

℞. *Flor. genist.* M. iij.

Coq. in vase clauso & contundantur. Adde *vnguenti dialth.* Vnc. iij. *ammoniac. aceto dissolut.* Vnc. ß. Misce.

℞. *Flor. genist.* Vnc. iij. *butyri sine sale, axung. porci* an. ℔. ß. *ceræ parum.* F. s. a. Vnguentum.

Vile est & *oleum de capparibus, cheirinum, rutaceum, amygdal. amarar.* Inprimis lienem extenuat ammoniacum aceto dissolutum.

Vel ℞. *Mucilag. rad. alth. sem. lini, fœnugræc.* an. Vnc. j. *vnguent. dialth. adipis gallinæ* an. Vnc. ß. *ol. de cappar. rutacei, cheirini* an. Vnc. j. *aceti rutacei* Vnc. ij. Coq. ad aceti sumptionem. Adde *ammoniaci aceto dissolut.* Dr. iij. Misce.

*Diata:*

### Diæta.

*Diæta.* Cibi omnes, qui obſtructiones lienis parere poſsũt, & ſupra enumerati ſunt, craſſi, viſcidi, terreſtres; pinguia, dulcia, ex lacte, & farina vitandi. Panis ſit bene fermentatus. Cappares in frequenti vſu ſint. Cibi condiantur hyſſopo, ſaluia, roremarino, cinamomo, croco, ſem. fœnic. & aniſi; quibus & panis condiri poteſt. Sinapi etiam vtile eſt, & beta ac raphanus, aſparagus, petroſelinum, aſparagi lupuli ſalictarij, endiuia, cichorium. Acetum ad cibos condiendos, vel pro intinctu tale parari poteſt.

℞. *Aceti ſextarios duos, ſummit. tamariſc. fœnic.* an. q. v.

Macerentur per triduum, & acetum colatum vſui ſeruetur.

Vtile etiam eſt bibere è vaſe è *tamariſco* parato. Vel ſi tale deſit, ligni tamariſci aliquid potui imponi debet.

## CAPVT VI.

### De Lienis Magnitudine vitioſa & inflatione.

*Lienis magnitudo vitioſa.* QVandoque etiam lienis magnitudo vitiatur. Et quidem interdum à prima cõformatione lien magnus eſt. Interdum poſtea ob cauſſas morbificas talis euadit. Veſalius, *lib. 5. de corpor. hum. fabr. cap. 9.* refert, ſe in quodam ſuſpenſo, quid candidiſſimam & glabram cutem habebat, & ſanus erat, adeo grandem inueniſſe lienem, vt parum epati mole cederet. Scribit etiam Marcellus Donatus, *de hiſt. med. mirab. lib. 6. cap. 8.* ſe in nobili fœmina vidiſſe lienem adeò magnum, vt vniuerſam abdominis ſpatium occuparet, quæ tamen plures liberos genuit. Columbus, vt *lib. 15. Anat.* refert, lienes adeò magnos vidit, vt viginti librar. pondus vnuſquiſque excederet. Refert quoque Schenckius, *lib. 3. obſ.* hiſtoriam lienis, qui totum fere abdomen impleuit, ponderis librarum viginti trium.

Refert etiam Guilielmus Fabricius, *cent. 2. obſ. 45.* in fœmina quadam (quæ ſibi perſuaſerat, fœtum mortuum poſt partum alterius per menſes 14. in vtero remanſiſſe, atque id eo, quòd in latere ſiniſtro duritiem oblongam, atque ex inferiore parte rotundam percipiebat, caput infanti repræſentantem, quæ ad illa vſque ſeſe extendebat, comprehendebatque ſimul regionem vmbilici vna cum dextri lateris coſtis nothis) epar tantæ magnitudinis fuiſſe repertum, vt lobus ſtomachum verſus ſub coſtis ſiniſtri lateris ſpurias tranſgrederetur. Splen quoque immenſæ magnitudinis durus & inferiori parte verſus illum rotundus, ſanguine aduſto plenus, hepatis lobo adnatus, conſpiciebatur. Venæ eius, cùm arteriis meſaraicis pollicis magnitudinem excedebant. Vas vero breue exiguum & obſtructum erat.

Contra interdum planè paruus reperitur. Ita ſcribit Vidus Vidius, *lib. 10. de curat. membratim, cap. 10.* ſe vidiſſe lienem adeo exiguum, vt columbini oui magnitudinem non excederet, adeo durum & compactum vt ferè lapidis duritiem imitaretur.

Verum cum talia vitia in prima conformatione contracta emendari non poſſint, de tribus ſaltem magnitudinis auctæ vitiis, quæ curationem ſuſcipiunt, dicemus.

*Lienis inflatio.* De inflatione, inflammatione, & tumoribus frigidis ac ſcirrho. Et primo inflationem quod attinet, cum lien ſubſtantiæ ſit raræ & ſpongioſæ, interdum à flatu diſtenditur, & cum dolore ſine vlla grauitate in tumorem tollitur, ac cũ manu premitur, murmur intus percipitur.

### Cauſſæ.

*Cauſſæ.* Generantur autem illi flatus ex vſu ciborum flatulentorum, caſtanearum, fabarum, bulborum, mellis & ciborum dulcium, atque aliorum flatulentorum. Aqua quoque, præſertim frigida ſpora ad malum hoc inducendum facit. Humores tamen flatibus generandis apti in primis viis cumulati, etiam ſine ciborum flatulentorum vſu, malum hoc inducere poſſunt. Intemperies præterea frigida aëris ad flatus eiuſmodi generandos facit.

### Signa Diagnoſtica.

Tumor & diſtenſio quædam in ſiniſtro hypochondrio percipitur, aque inde ortus dolor aliquis, ſed ſine vlla grauitatis aut põderis ſenſu, ac lien compreſſus nonnihil cedit, & murmur ibi auditur. Quandoque & ructus accidunt. Si à cibis flatulentis malum ortum habeat, id ex relatione ægri cognoſcitur. Quod ſi nil tale præceſſerit, ad humores vitioſos antea cumulatos mali cauſſa referenda. *Signa.*

### Prognoſticum.

Cum flatus ſit loco mobilis, facilius, quam alia lienis mala, inflatione eius curatur. *Prognoſt.*

### Indicationes & Curatio.

Flatus diſcutiendus eſt, & cauſſa, à qua ille prouenit, tollenda. Euacuationes ergo, ſi opus ſit, præmittendæ, poſtea flatus diſcutienda intus & extra adhibenda. Exhiberi etiam poteſt, *decoctum flor. chamæmel. veronicæ*, in vino generoſo, *diacyminum*, *diaſpoliticon*, *diacaminth. trochiſc. de cappar. aqua Zedoara narim.* *Indicatio & Cura.*

Vel ℞. *Sem. agni caſti, ammeos, apij, cymini, ariſtol. rot. centaur. minor. cortic. radic. cappar. tamariſci partes æquales.*

Et cum vino vel aceto in quâ per noctem ammoniacum infuſum fuerit. F. Trochiſci.

Extra verò inſtituatur fomentatio, *ex cort. rad. cappar. flor. tamariſci, fol. rutæ, calaminth. flor. chamæm. meliloti, ſem. agni caſti, anethi, cumini, baccis lauri* in aqua & aceto coctis.

Poſtea inſtituatur inunctio ex *oleo rutaceo, irino, laurino, nardino, de capparibus.*

Vel ℞. *Fol. rutæ, abſinth. calaminth.* an. M. ß. *rad. ariſtol. rot. gentian. iridis* an. Vnc. ß. *flor. chamæmel. melilot. geniſtæ* an. M. ß. *baccar. lauri* Vnc. ß.

Coq. in vaſe duplici, in vini optimi part. ij. & ol. coſtini ac anethini p. 1. ad vini conſumtionem; oleum expreſſum vſui ſeruari poteſt.

Cucurbita quoque lienis regioni appoſita flatus in eo diſcutit.

## CAPVT V.

### De Lienis inflammatione.

ETſi lien, vtpote qui craſſiorem chyli partem attrahit, rarius phlemone corripitur; aliquando tamen hoc accidit, vt ex Galeno *6. de loc. affect. & 13. meth. med.* atque ipſa experientia patet. Cum enim venæ arteriæ ſatis copioſæ in liene inueniantur, ſi eæ vel obſtruantur ab humoribus calidis, vel ſi quis in regione lienis percuſſus ſit, aut ex lapſu eò loci læſus, aut hæmorrhoides vel menſes ſuppreſſi regurgitent, inflammatio inde excitari poteſt. Et eædem cauſſæ, quæ epatis inflammationem, de qua *poſtea* dicetur, excitant, ferè etiam in liene locum habent. Sanguis autem, qui inflammationẽ excitat, nunc purus eſt, nunc bilem, vel, quod plerumque fit, humorem melancholicum admiſtum habet, vt Alexand. Trallianus, *lib. 8. c. 10.* docet. *Lienis inflammatio.*

### Signa Diagnoſtica.

Cum lien inflammatur, feruor, dolor & tumor in ſiniſtro *Signa.*

finiſtro hypochondrio apparet. Etſi vero ren ſiniſter, vt dextro elatior, lieni propinquus eſt; & propterea doloris ſitus in inflammatione renis ſiniſtri, & inflammatione lienis valde ſimilis eſt: tamen lien, vbi intumeſcit, verſus anteriora magis protuberat & hominem mediū quaſi cingit, &, vt Alex. Trallianus habet, non ſolū ventrem & ſtomachum, ſed etiam dextram hypochondriorum partem lienis tumor interdum occupat, atque aliis etiam ſignis lienis & renis ſiniſtri inflammatio diſtinguūtur. Nam liene affecto pulſatio magis percipitur, ob arterias copioſas, quibus lien abūdat; & appoſita regioni lienis manu palpitatio quædam percipitur. Febris adeſt continua, quartanæ periodum plerumque obſeruans. Difficultas reſpirandi ſequitur ex diaphragmatis compreſſione. Pedes & genua interdum rubicunda apparent; nares autem & aures exſangues palleſcunt.

Variant autem ſigna pro humoris varietate. Nam ſi ſanguis ſolâ copiâ peccet, dolor & tenſio vehementer vrget, cum magna grauitate. Si bilis admiſta ſit, vrinæ ſunt colorationes, rubræ & acres, ſitis vrget, os eſt amarum cibri faſtidium, vigiliæ oriuntur; quandoque ægri delirant, febriſque tertio die magis affligit. Si ſit admiſta pituita, color eſt pallidus, æger non admodum ſitit, dolor eſt mitior, febriſque quotidie affligit. Si humor melancholicus (quod plerumque fit) admixtus ſit; durities maior eſt, color corporis eſt nigrior, vrina etiam nigricat; adeſtque mœſtitia, & alia humoris melancholici ſigna. Plura videantur de his apud Alexand. Trallianum, *lib. 17. cap. 16.*

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.*

1. Inflammatio lienis quidem rarior eſt: ſi tamen eueniat, diligenter curanda, cum facilè in ſcirrhum abeat, & multorum malorum cauſſa eſſe poſſit.

2. Inflammatio à ſanguine minus periculoſa eſt, quam quæ bilem, aut melancholiam admixtam habet.

3. Inflammatio, quæ totum lienem occupat, mala, & quo durior, eò peior eſt.

4. Inflammationem epatis in lienem conuerti melius eſt, quàm ſi lienis ad epar conuertatur.

5. Ex nare ſiniſtra ſanguinis profluuium vel alui fluxus ſi in die critico accidant, & ſigna coctionis præceſſerint, bonum.

6. Soluitur lienis inflammatio, vel quia diſcutitur, vel aliò transfertur, vel hæmorrhagiâ narium aut vrinæ profluuio aut alui fluxu ſanatur, vel in pus mutatur, vel indureſcit.

### *Indicationes.*

*Indicationes.*

Quæ in aliis inflammationibus indicationes dantur, & hic locum habent. Sanguis nimirum à liene reuellendus, & auertendus, repellendus, deriuandus, quod influxit, diſcutiendum; ipſaque intemperies calida alteranda.

### *Curatio.*

*Curatio.*

Statim igitur ab initio vena in ſiniſtro cubitu aperienda. Ipſa etiam vena in talo, præſertim ſi à ſuppreſſâ aliqua ſanguinis euacuatione malum ortum habeat, tandem etiam deriuationis gratiâ hæmorrhoides aperiri poſſunt.

Pluriui ſaluatellæ ſectionem in affectibus lienis, & præcipuè eius inflammatione commendant. Verum nōdum monſtratum, cur cæteris præferenda ſit, de quare *de Febribus, lib. 2. cap. 20.* dictum, quæ huc referantur.

Poſtquam vena ſecta eſt, ſtatim repellens aliquo lienis regioni apponendum, ſed non valdè frigidum & adſtringens: ne humor condenſetur, aut lieni magis impingatur & is induretur, ſed aliquid ex incidentibus admiſcendum, quale eſt acetum. Inungatur quoque & foueatur lien in principio oleo roſaceo & aceto miſtis.

Vel ℞. *Ol. roſar. cydonior.* an. Vnc. j. *vini auſteri* ℔. v. *aceti* Vnc. j. Et cum lana imponatur.

Poſtea humores præparandi & euacuandi ſunt, ne à vicinis locis ad lienem confluant, de quo antea de intemperie lienis cum materia dictum.

℞. *Rad. taraxac.* Vnc. j. *cichor. polypod. querni* an. Vnc. ß. *fumar. ſcolopendr.* an. M. v. *flor. borrag. bugloſſ.* an. P. j. *paſſular.* Vnc. ß. Coq. *in aqua hordei.* Colaturæ ℞. Vnc. ix. Adde *oxyſach. ſimpl. ſyr. byzant. ſimpl.* an. Vnc. j. ß. miſce pro tribus doſibus.

Vel ℞. *Aq. fumar. cichor.* an. Vnc. iij. *ſyr. violar. oxyſach. ſimpl. fumar.* an. Drach. vj. Miſce.

Poſtea purgatio inſtituatur cum *elect. lenit. ſimpl. vel diacatholico cum ſyr. roſar. ſolutiuo.*

Vel ℞. *Rad. taraxac.* Vnc. ß. *endiuiæ, fumar. flor. cichor. borrag. violar.* an. P. j. *fol. ſenæ elect.* Vnc. ß. *rhabarb.* Drach. j. *ſpicæ* Scrup. ß. *cinamom.* Drach. ß. *paſſular.* Vnc. ß. Infund. in aqua ſimpl. Colaturæ ℞. Vnc. iij. *elect. diacathol. vel de ſucco roſar.* Drach. ij. *ſyr. de cichor. cum rhabarb.* Drach. vj. *cremoris* ♃ Scrup. ß.

Purgatio verò ſemper pro peccantis humoris natura inſtituenda, de quo *de intemperiebus lienis* dictum. A purgatione potus largior non dandus, ſed potius ſitis ferenda, ne humor ad ſubſtantiam epatis feratur.

Deinde imponatur tale cataplaſma.

℞. *Far. hord. fabar. pulu. roſar. rubr. cham æmel. abſinth.* an. Vnc. ß. Cum *oleo roſar. & exiguo croci.* F. Cataplaſma.

Et ſi caliditas maior ſit, addatur ſuccus portulacæ.

Hinc, & vbi feruor remiſit, reſoluentia repellentibus addenda.

*Ol. roſac.* Vnc. ij. *chamæmel. lilior. albor. de capparibus* an. Vnc. j. Miſce.

℞. *Flor. chamæm. abrotani, meliloti, lilior albor.* Coq. ad mollitiem, addatur *oleum roſarum* & fiat cataplaſma.

℞. *Farin. hord. fabar. ſem. lini, pulu. flor. chamæm. abſinth. abrotani* an. Vnc. ß. Coq. in ſ. q. aqu. & aceti. Add. *ol. de capparibus* Vnc. ij. F. Cataplaſma.

Tandem in ſtatu ac declinatione ſolis reſoluentibus vtendum, *ceterach. ſchœnanth. flor. geniſt. chamæmel. meliloti, puleg. abſinth. origano.* Cauendum autem ne nimis diſcutientibus tenuior pars diſcutiatur, & craſſior relinquatur, ac tumor induretur. Itaque ſi indurationis metus ſit, id quod cognoſcitur ex eo, quod dolor & calor remittunt, durities verò remanet, imò augetur, tale cataplaſma applicetur.

℞. *Farin. ſem. lini, fœnugræc. hord.* an. Vnc. j. *caricar. aceto macerat.* num. vj. *adip. anſer. ol. lilior. albor. de capparibus.* an. q. ſ. F. Cataplaſma.

Ad reliquias autem materiæ abſumendas medicamenta de obſtructione lienis propoſita vſurpanda.

Si tandem, quod tamen rarius accidit, ad ſuppurationem tendat inflammatio, id quod ex dolore maiori & horrore cognoſcitur, & ea præcaueri non poteſt, adiuuanda, ne plures partes putrefiant. Ergo.

℞. *Pulu. rad. alth.* Vnc. j. *farin. hord. ſem. lini fœnugræc. tritici* an. Vnc. ß. *ficuum* num. iiij. Coq. Add. *ol. lilior. albor.* Vnc. j. ß. F. Cataplaſma.

Vel imponatur emplaſtrum diachylon. Poſt vlceris apertionem id detergendum, & poſtea conſolidandum, vt de inflammatione epatis dicetur.

### *Diæta.*

Æger in aëre temperato degat, & victu qui in aliis viſcerum inflammationibus conuenit vtatur. Abſtineat in principio à vino, in declinatione tamen aquoſum concedi poteſt. *Diæta.*

CAPVT

## CAPVT VI.

### De ſcirrho, & duris lienis tumoribus.

*Schirrus lienis.* FRequenter verò lien, vtpote qui craſſiorem ſanguinem conficit,& eo nutritur, tumore duro ſiue ſcirrho corripitur,& quid id patiuntur,σπληνικοὶ ſeu lienoſi nominantur. Etſi n. σπληνικοὶ in genere nominari poſſunt omnes, qui liene laborant:in ſpecie tamen veteres eos lienoſos appellarunt,quibus lien à copia humorum melancholicorum & craſſorum infartus eſt, & imprimis, quibus lien ex humorum infarctu induruit.Eſtque ſcirrhus lienis tumor eius durus, ab humore craſſo & indurato ortum habens.

### Cauſſæ.

*Cauſſæ.* Cauſſa autem iſtius tumoris eſt craſſus humor in liene cumulatus ac retentus & induratus, plerumque melancholicus, quandoque tamen etiam pituitam admiſtā habens,&,vt chymici hodie appellant vno nomine,tartartareus.Melancholicus generatur ob prauum & craſſum, ad ſuccum melancholicum generandum aptum cibum;labores,vigilias,curas,quæ ſpirituoſam humorum partem abſumere ſolent,&craſſam relinquere,febres itē diuturnas,vel ipſius lienis vitiū, qui ob debilitatē rectè concoquere vel craſſum expellere nequit. Vnde fit, vt craſſi & excrementitij humores in liene ſubſiſtant,eum obſtruant & tandem tumorem pariant, in eoque indurentur.Pituitoſi humores cumulantur in iis,qui è frigidis & diuturnis morbis non integrè euaſerunt, qui in paluſtribus locis degunt,de quibus Hipp. *in lib.de aëre, aquis & locis*: qui aquas bibunt paluſtres & ſtabiles,iis lienes magni fiunt & pleni,ac ventres duri, quod etiam accidit iis,qui in febribus,vbi ſitis vrget,aquam auidius bibunt.Fit autem hic tumor durus, quando tenuiores humorum partes exſiccantur & abſumuntur,craſſæ verò remanent & indurantur. Mercatus quidem duobus modis duritiem hanc quaſi lapideam contrahi ſtatuit, cum ſcilicet vel tenuior humorum pars exhalat,craſſior verò relinquitur;vel dum ipſe humor craſſior fit & veluti congelatur ob frigiditatem.

Verùm non credibile eſt,in corpore humano tantam poſſe eſſe frigiditatem,quæ humorem congelare poſſit. Itaque vel prima cauſſa ſolum admittenda, quæ tantò facilius duritiem inducere valet, ſi ipſe humor natura ſua craſſior eſt, vel alterum etiam fieri poteſt, ſi in ipſo humore ad duritiem contrahendam,diſpoſitio concurrat,quæ nil aliud eſt,quam vis illa lapideſcendi humori tartareo & craſſo natiua & propria.

### Differentiæ.

*Differentiæ.* Differunt autem humores,primò;quia alius eſt incipiens,alius inueteratus;atque ille eſt cum ſenſu,hic ſine ſenſu.Secundò quod alius eſt in toto liene, alius in aliqua eius parte;& aliquando intumeſcit lien ſecundum longitudinem,vt teres quaſi reddatur,aliquando ſecundum altitudinem;aliquando totus ſecundum omnes dimenſiones.

### Signa Diagnoſtica.

*Signa.* In tumore duro & ſcirrho Lienis tactu manifeſtè tumor & durities Lienis deprehenditur,ſicut & Leno ille Cappadox, *in Plauti Curculione act.2.* conqueritur:

*Nunc iam quaſi zona Liene cinctus ambulo,*
*Geminos in ventre habere videor filios.*
*Nihil metuo,niſi ne medius diſrumpar miſer.*

Et ſi inueteratus ſit & confirmatus tumor,nullus,etſi digitis fortius comprimatur,dolor percipitur, color in in facie eſt liuidus & quaſi plumbeus, &, vt ex Hipp.*de locis in homine* & Galeno *2.de nat.facult.cap.9.*dici ſolet, quibus corpus floret,his lien diminuitur,& contra,quibus Lien magnus & tumidus eſt, iis corpus imminuitur, & cacochymicum & malè coloratum redditur. Vnde comparatio illa Lienis ſiſco Regio olim à Traiano vſurpata profecta eſt,vt refert Dion, quia ſicut cum ſiſco Regio creſcente ſingulorum priuatæ opes imminuuntur, ſic amplificato Liene priuatæ opes ſingularū partium corporis decreſcere dicuntur. Vbi tamen notandum,hoc magnitudine Lienis præternaturali ſolùm accipiendum eſſe.Nam vt ſupra *cap.3.*dictum, inuentus eſt Lien ſatis magnus in quibuſdam ſanis,& qui corpore fuerūt florido.Et ſi officium ſuum ſanguinificationis rectè peragat,corpori reliquo,etſi magnus ſit,nihil dāni affert. Verum ſi præter naturam humoribus vitioſis repletus intumeſcat,officiū ſuum facere rectè non poteſt: vnde vitioſi & melācholici humores circa Lienem primò cumulantur, & deinde in totum corpus diffunduntur,vnde illud floridum & naturalem ſuum colorem amittit,& bono alimento deſtitutum contabeſcit. Adeſt præter ea quædam ſpirandi difficultas, & ſenſus ponderis iugulum ſiniſtrum quaſi infra trahentis.Si ventriculus repleatur,poto imprimis aquoſo liquore,ſtatim anguſtia circa lienem percipitur, plerumque etiam pedes inflantur,& vlcera in cruribus curatu difficilia excitantur,& alia ſæpe Symptomata accidunt, quæ *de ſcorbuto* ſunt enumerata.

Etſi verò, vt ſupra dictum,& tumor flatuoſus quandoque Lienem corripiat:tamen ex modo dictis,& ſupra *cap.3. de inflatione Lienis* propoſitis ſignis hæc duo tumorum genera facilè diſcernuntur. Nam in ſcirrhoſo tumore maior grauitas, quā in flatuoſo. Flatuoſus quoque tumor compreſſus cedit, ſcirrhoſus non cedit: flatuoſus compreſſus murmur & ſonum edit, qualis in ſcirrhoſo non percipitur.Quamuis verò ab humore melancholico plerumque ſit hic tumor: ſi tamen Pituita admixta ſit, cognoſcitur id ex cachexia pituitoſa totius corporis.

### Prognoſtica.

*Prognoſtica.* 1. Quidam ſplenetici nihil à pharmacorum vſu vtilitatis percipiunt,neque à reliqua curatione,quanquam gracilior ipſis ſplen euadit:ſed quæ adhibentur, à magnitudine morbi ſuperantur; progreſſu verò temporis aliquibus in hydropē morbus degenerat & intereunt; aliquibus ſplen ſuppuratur, & vſti reſtituuntur;cum quibuſdam verò conſeneſcit durus & magnus exiſtens, & diuturna eſt affectio,non tamen lethalis,Hipp.*lib.de affect.*§.20.Omnis enim ſcirrhus confirmatus cum lienis, tum aliarum partium,eſt incurabilis.Nondum verò inueteratus,curari quidem poteſt,ſed difficulter.

2. In Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperueniens, bonum eſt, *6. aph.* 48.

3. Qui Lienoſi difficultate inteſtinorum corripiuntur,eos ſuperueniente longā Dyſenteriā aqua inter cutē ac læuitas inteſtinorum excipit,& moriuntur, *ibid. aph.* 43. Nimirum, vt Galenus explicat, quibus longo tempore lien induruit; iis ſuperueniens dyſenteria malum ſoluit ratione tranſlationis & euacuationis humorum craſſorum Melancholicorum qui in Liene infixi erant: ſi tamen immoderatior ſit dyſenteria, labefactatis prauorum humorum trāſitu inteſtinis cum vires ipſorum, tum calidi innati συμμετρία in venis & viſceribus perit, vnde Hydrops & Lienteria ſequitur.

4. Melancholicum morbum incipientem hæmorrhois plerumque prohibet, & iam effectum remouet, immoderatum etiam Lienem ſanat, Galenus, *6. Epid.com.6.aph.8.*

In ſcirrho Lienis inueterato,ſi epar non trahatur in conſenſum, homo diutius ſupereſſe poteſt, ſcribitque Foreſtus, ſe matronam nouiſſe, quæ 30. annos dolore Lienis laborauit, & tamen conſuetas functiones ſine dolore obierat.

*Indicationes*

*Indicationes.*

Indicationes. Tumor hic, quia durus & frigidus est, postquam toto corpori prospectum, emollientibus & calefacientibus curandus, vt Galenus, 2. *ad Glaucon. cap.* 4. docet ideoque adhibenda medicamenta, quæ calorem habent tepidum, humiditatemque mediocrem.

Vehementer enim calefacientia & exiccantia tenuioribus partibus discussis, id quod remanet, tanquam lapidosam concretionem relinqunt, teste Galeno 14. *meth. med. cap.* 4.

*Curatio.*

Curatio. Vniuersalibus igitur, de quibus supra de Intemperiebus Lienis dictum, præmissis, vbi curationis spes superest, emollientia, attenuantia & aperientia medicamenta paulò valentiora vsurpanda, quæ tamen citra insignem caliditatem id præstent, ne dissipata tenuiore parte crassus humor vehementius adurатur.

Talia sunt amara præcipuè, quibus vehiculi loco & penetrationis gratia acetum & oxymel addi potest de quo Galenus, 13. *meth. med. cap.* 17. & 14. *meth. med. cap.* 5. & 2. *ad Glaucon. cap.* 5.

Quibus adhibitis per interualla purgantia interiicienda, quæ præcipuè vtilia sunt folia senæ, heleborus niger & eius extractum, extractum panchymagogum, quibus chymici ☿ium dulcem, vt & ☿ vitæ gr. aliquot admiscere solent.

Conueniunt ergo hîc ea, quæ supra de obstructione Lienis sunt proposita, quæ etiam incipientes duros Lienis tumores sanant.

Et quidem alia sunt calida, vt *chamædrys, chamæpithys, ceterach, thymus, epithymus, fumaria, agnus castus, lupulus, centaur. min, calaminth. rad. aperientes, filicis*, cuius radicis magna & peculiaris in affectibus Lienis est efficacia, *rad. polypod. sem. genist. cortices & fructus capparum, cortices tamarisci, fraxini, sambuci, scylla, ammoniacum, bdellium, galbanum.*

Alia frigida vel temperata, vt *cichoracea omnia, sem. 4. frigid. maior. & minor. flor. borragin. bugloss. capill.* ♀ *lingua ceruina.*

E quibus varia fiunt medicamenta.

E compositis sunt: *syrup. de scolopendr. byzant. s. & compos. syrup. de fumar. cochlear trochisci de capparibus, de eupatorio, de scolopendrio.*

Extra applicentur *ol. lilior. alb. sambucin. de cappar. amygdal. amar. rutac. nardinum, vnguent. dialth. Agrippa, de artanita, empl. diachyl. de meliloto.*

Præmissa ergo primarum viarum euacuatione talis potus præparetur.

♃. *Radic. aperientium aceto maceratar.* an. Drach. ij. *cichor. polypod. quern.* an. Vnc. ß. *cortic. rad. cappar. tamarisc.* an. Drach. iij. *flor. genist. borrag. bugl.* an. P. j. *sem. anisi, agni casti, melonum* an. Drach. ij. *passular. maior. exacinatar.* Vnc. j. *ficuum* num. iv.

Coq. *in aq. chalybeata.* Colaturæ ♃. ℔. j. *syr. byzant. s. de scolopendr. oxysacchar, compos.* an. Vnc. j.

F. Potus pro 4. dosibus.

Hinc paretur talis purgatio.

♃. *Rad. filicis polypod.* an. Vnc. ß. *ceterach.* M. j. *chamædryos* M. ß. *fol. senæ elect.* Vnc. j. ß. *hellebor. nigri præp.* Vnc. j. *galang. cortic. citri. semin. fœniculi* an. ℈. ij.

Infundantur in sufficiente quantitate aquæ simpl.

Colaturæ ♃. Vnc. x. *syrup. de scolopend. de quinque radicibus* an. ℈. j. ß.

F. Potus pro 3. vel 4. dosibus.

Vel vsurpentur Pilul. ♃ eæ supra descriptæ.

Vel ♃. *Ammoniaci aceto dissoluti & percolati* Drach. j. *aloës ros.* Drach. ij. *pil. de tribus* Drach. j. *salis absinth. fraxini* an. scrup. j. *ol. anisi* gr. iiij.

F. Massa, detur scrup. i. vel scrup. ii.

Hinc prior aperiens potio repetatur, vel talis exhibeatur.

♃. *Decocti aperientis maioris* Vnc. iij. *oxymel. helleborat.* Vnc. ij. *syrupi de scolopend.* Vnc. j. ß. *aqu. cinamom.* Drach. ij. *spiritus salis* scrup. ß. *vel spir.* ♃ *compos.* scrup. j.

Misce pro 3. dosibus.

Vel exhibeatur trochisci de capparibus & scolopendrio supra propositi:

Forestus hoc arcanum sui. Præceptoris Benedicti Fauentini esse scribit:

♃. *Rad. filic.* Vnc. j. *cuscuta* Drach. ij.

Coqu. in vini potentis Vnc. viij. ad tertiæ partis consumptionem. Colatura propinetur.

Vel ♃. *Conseru. fumar. chamæpithyos, cochlear. borrag. bugloss. fl. genistæ* an. Vnc. j. *rad. condit. pimpinell.* Vnc. ß. *trochisc. de capparibus.* Drach. j. *spec. diarrh. abbat.* scrup. j. Cum *syrupo byzant. s.*

Fiat Electuarium, de quo mane & vesperi detur Vnc. ß. vel Dr. vj.

Efficacissimum etiam est remedium decoctum Ligni tamarisci, eo modo paratum & exhibitum, quo decoctum ligni Guaiaci parari & exhiberi solet.

Vt ♃. *Rad. vel ligni tamarisci* ℔. j.

Coq. ad consumptionem dimidiæ partis, cui & alia lieni acommodata addi possunt.

Efficacius autem erit medicamentum, si in aqua chalybeata coquatur.

Est & valde vtilis Oxysacchara scillitica hæc:

♃. *Cort. rad. cappar.* Drach. vj. *tamarisc.* Vnc. ß. *spicæ, asari, scœnanth.* an. Drach. j. *scolopend. sem. anisi, fœnicul. cumini, rorismarini* an. Drach. ß.

Infundantur aliquot diebus *in aceti scyllitici* ℔. ß. *vel suffic. quant.* Deinde colentur.

Colaturæ adde *sacch. albiss.* q. s.

Coqu. ad syrupi consistentiam.

Veteres vt peculiari proprietate iuuans commendarunt splenem asini syluestris & equi ac epar lupi, quæ puluerisata dentur ad Drach. j. cum liquore conueniente.

Galenus. 9. *de comp. med. secundum loca cap.* 2. vt & Aëtius ex Asclepiade, qui id primum porcello per triduum exhibuit, & dissectum posteà sine liene inuenisse dixit, hoc repetunt.

♃. *Tamarisci* Drach. ij. *piper. albi spic. nard. ammoniaci thymiamatis scolopend.* an. Drach. j.

Arida tundantur & cribrentur, ammoniacum aceto dissoluatur, reliquisque addatur, & trochisci formentur, quorum dosis Drach. j. cum oxymelite vel aliquo liquore.

Et habet Galenus *allegato loco* plurima alia ex antiquis medicamenta huic affectui accommodata, quæ ibi videri possunt.

Vtilis est & succus allij syluestris, cum decocto aliquo splenetico. Radicem quoque filicis peculiari proprietate affectibus Lienis prodesse supra diximus.

Commendatur etiam ad Lienis affectus Galyopsis s. Lamium, cuius puluis cum cibo datur. Celsus, *lib.* 4. *cap.* 9. pro minuendo Liene dat ieiuno absynthij decoctum, post cibum verò aquam, in qua candens ferrum subinde est extinctum: Ita enim coërceri Lienem, quod animaduersum sit in animalibus quæ apud fabros ferrarios educata exiguos lienes habent. Et omnino ferrum ac chalybs in obstructionibus & tumoribus duris Lienis magnæ efficaciæ est, qui ab ipso viscere humores crassos potenter abstergit. Ideoque reliquis medicamentis, quæ vim habent Melancholicos & crassos humores purgandi, & duritiem Lienis emolliendi admiscendus de quo *de affect. Hypochondriac.* dicetur. Exhibetur verò variis modis, vt ibidem dicetur. Potest v. g. eius vncia vna cum cinamomi Drach. iij. in vini ℔. j. infundi & vinum exhiberi.

Vel ℞. *Rad.polypod.quern. ficilis, cort.rad.cappar.* an. Vnc.j. ß.*ceterach*, *chamædryos* an.M. ß. Coq. inf.q. aqu. simpl. Colaturæ.℞.℔ j. *Mellis vel sacch.*Drach.iv.*chalybis præpar.* Vnc.j.F.Syrupus. Vel paretur tale Electuarium.

℞. *Cortic.tamarisc.rad.cappar.rad.glycyrrh.sem.erucæ, agni casti, ceterach, sem. endiu.* an. Drach. j. *croci* Drach ß.

Puluerif. subtilissimè;puluerisatis adde *chalybis præp.* Vnc.ij. Cum *melle vel sacchаro vel syrupo de scolopendr.* F. Electuarium,cuius dosis Vnc.ß.

Si libet hoc Electuarium parare vt simul purget:

℞. *Fol.senæ elect.* Vnc. iij.*epithym, polypod.quern.* an. Vnc.j.*hellebor.nigri* Vnc.ß.*cortic.citri,semin.fænic.caryoph.* an.Vnc. *flor.borrag. bugloss.genist.* an.M.ß. Coqu. in f. q. *aquæ.* Colaturæ add.facch.q.s.

Coqu. ad syrupi consistentiam, cui addantur *species modò dictæ*, & F. Electuarium.

Electuaria etiam tria chalybeata extant apud Vid. Vidium *de curatione membratim, lib.*10. *cap.* 11. quorum præparandi ratio hæc est.

1. ℞. *Pip. zinzib.* an.Drach.iiij.*cardamomi,caryophyllorum, doronicorium croci* an. Drach.ij. *tamaricis rad. capparum* an.Vnc.ß. *sem. anisi basilici.* an.Drach.j. *marrrubij asplenij vtriusque in tenuem puluerem redacti* an. Vnc. ß. *scobis chalybis tenuissimæ præparatæ ex aceto* Vnc.x. *mellis despumati* lib. iiij.

Misceantur omnia simul, anteà diligentissimè contusa,conficiatur Electuarium, cuius 4. vel 5. drachmæ per integrum mensem quolibet mane ieiuno stomacho assumendæ.

2. Huic simile est (licet adhuc validius) quod

℞. *Betonic.* Vnc.viij.*croci* Drach. iiij. *masticches scobis eboris glycyrrhizæ sem,fænigræci,anisi,fœniculi cymini sileris montani melanthy,apij,vrticæ,lactucæ,fol.capill.* ♀.*marrubij asplenij* an. Vnc. j. *tamaricis sem. portulacæ nuc. moschat. cinamomi,zingib. caryophyll.*an. Vnc. ß. *semin. lini ammoniaci* an. Drach. j. *eupatorij* Vnc.ß.*spicæ nardi* Drach. ij. *schœnanth.* Drach. j.*scobis. chalybis tenuissimæ præp.* ℔.j. *mell.despumati* q.s.

Terantur teren da subtiliss. & cum *melle* misceantur, & fiat.s. a. Electuarium,eadem ratione, qua præcedens exhibendum.

3. ℞. *Consf.rad.apij* Vnc.j. *scolopend.* Vnc.ij.*trochisc.de capparib.de agno casto* an. Dr.j.ß. *specier.diarrh. abb. diacurcumæ* an Drach. ij.

Terantur diligentiss.quæ teri possunt, ac simul misceantur, & cum serapio ex scolopendrio fiat Electuarium, cuius æger capiat quolibet mane quatuor horis ante cibum Drach.iij.vel iiij. & superbibat aliquid *aqu. cuscutæ vel scolopendr.aut calaminth.vel etiam vini albi odorati*, in quo *igniiæ chalybis laminæ* sæpius fuerint extinctæ.

Externa medicamenta sint mixta ex emollientibus & digerentibus, vel emollientia digerentia per vices adhibeantur,ne partibus tenuibus discussis & crassis relictis tumor durior reddatur.

Primò nimirum adhibeantur emollientia,post emollientia vsurpentur digerentia, hinc iterum emollientia, post rursum digerentia.

Emolliunt, *Althæa,malua, lilij radix,sem.lini,caricæ.*

Digerunt hic & attenuant,*flores chamæmel.melilot.genist. sem. agni casti, cortic.rad.cappar.tamarisci, rad. asari cyclamini, folia rutæ,ceterach, sem. sinapi, myrrha,* & alia huiusmodi Lieni dicata.

Vtilia sunt & *ammoniacum, bdellium galbanum*, *Emplastrum diachylum simplex*, *Ireatum & compositum de melіloto,oleum lilior.albor.de cappar.amygdal.dulc.& amarar.adipes & medulla.* vt:

℞. *Fol.& rad.althææ,rad.bryoniæ,cortic. rad.capparum, tamarisc.* n.Vnc.j.*ceterach,flor.genist.*an.M.j. *sem.agni casti* Vnc. ß.

Coqu. in q.s.aquæ & aceti,&decoctum calidum cum lanâ,aut spongia lienis regioni applicetur.

Forestus, *lib.* 10.*obs.*8. hoc vtitur.

℞. *Olei cappar. lil. alb. butyr.sine sale recentis* an.Vnc. ß.*succi bryõ cyclam.*an.Drach.v.Coqu.ad succorum consumptionem. Postea addantur *ammoniaci aceto dissoluti* Drach. ij ß. *pinguedinis gallinæ, medullæ crurum vituli, œsypi humidæ* an.Vnc.ß. *pulu.cort.rad. cappar. tamarisci, ceterach,radic.filicis* an. Drach.ß *semin. genistæ, agni casti* an.scrup. j. *ceræ parum.* F.Vnguentum.

Efficacissimum medicamentum paratur ex ficco flor.sambuci misto cum decocto maluæ & oxycrato.

Vel ℞. *Vnguent.dialth. succi summit. sambuci* an.Vnc. j. *ol.de cappar.* Vnc. ß. *ceræ parum.*

F. Vnguentum.

Vel ℞. *Ol.lilior.albor.amygdal.amarar.de cappar.rutæ, chamæm. vini albi* an.Vnc.iij. *pulu.rad.alth. maluæ, filicis* an. Vnc. ß.

Coq.ad vini consumptionem & colentur cum forti expressione.

Colaturæ adde *aceti* Vnc.j.ß.*pulu.rad.cyclam. bryoniæ, Nicotianæ*, an.Drach. ij.

Coqu.ad aceti consumptionem, iterumque colentur &exprimantur.Tandem addatur *ammoniaci& bdellij aceto dissolutor.* an.Drach. ij. F. Vnguentum.

Vel ℞. *chamæmel.* Vnc. ß.*de cappar.*Drach. vj.*rutæ* Dr. ij. *medullæ crurum vituli* Dr.iij.*croci* scrup.ß. *aceti* Drach. ij. *ceræ* q.s.F. Vnguentum. Vel applicetur tale cataplasma:

℞. *Sem. malu.alth.fœnugr.* an. Drach.j. *lini* Drach. ij. *fol. maluæ, alth. parietar.* an.M.j. *rad.cucumer.asinini,bryoniæ.* an.Vnc.j. *betæ lilior. albor.* an. Vnc. ß. *scyllam* num.j.

Coqu. in aq.chalybeata cum aceti parte sexta F.Cataplasma, cui si libet, oleum de capparibus addi potest.

Hieronymus Fabricius ab Aquapend. ad induratum lienem hoc cataplasma valdè commendat, quod fit *ex duabus partibus ammoniaci aceto dissoluti,vna succi Nicotianæ, dimidia resinæ & terebinthinæ, & succi ebuli cum oleo de capparibus & ceræ sufficiente quantitate mistis* coque induratos Lienes se curasse refert.

Emplastrum efficacissimum *ex cicuta & ammoniaco aceto dissoluto* habet Heurnius, *meth.ad praxin lib.*2.*cap.* 10. quod ita paratur:

℞. *Cicutæ* M.iiij. *ammoniaci* ℔ß.

Infunde *aceto acerrimo*, dies octo:dein bulliant,dum ammoniacum soluatur, hinc per pannum fortem lineum validè exprimantur, iterumque expressus liquor ebulliat quinquies,& adiecta *cera*, cum *oleo amygd.dulc.* F. Emplastrum.

Idem quendam hydropicum ex Scirrho Lienis laborantem spongiâ aquâ calcis viuæ madida, vsuque eius continuato & hydrope & scirrho Lienis liberatum fuisse testatur.

Historia curati in melite quodam Lienis indurati,est apud Trallianum *lib.*8.*cap.*1 ;.talis. *Historia curati lienis indurati.*

Cum ad eum veniret miles totam lienis regionem barbaricis ferramentis inustam habens duobus tribusve diebus medicamentis per os datis ipsum peragabat, & deinde diligentem ei curam in singulis conuenientibus remediis offerendis adhibebat.In cibo ptisanæ cremorem quotidie porrigebat oxymelite conditum, & pisces saxatiles. Ex auibus autem gallinas, perdices, aliaque concoctu facilia,boni succi & probè macerata. Prohibebat ei quæcunque viscosos & crasos humores generant;similiter & carnes bouillas,suillas,ouillas, caprinas & hædinas:item aues, quæ in aquis palustribus degunt, omnesque pisces palustres & pelagios,præsertim qui duras & crassas, non albas carnes obtinét:ad hæc polypos, mulos, sepias, orphos, ostrea, conchas, bulbos,placentas ex melle & chidro & quæcunque inflant,duraque & crassa,vel cruda sunt.Vinum improbatur crassum, nigrum, & adstringens: dandum autem est quale Hippocrates præcipit, quod neque crassum,

neque

neque valde frigidum, neque calidum exiſtat.

Potui verò dabat vinum, in quo capparis radicem, ſcolopédrium, & myricæ radicum corticem decoxerat: initio quidem ſingulas herbas per ſe exhibebat,deinde ex poſca, aut oxymelite, aut ſolo aceto coctas:interdũ etiam in puluerem redactas cum ſupra dictis liquoribus citra coctionem per interualla dabat, iidque non plus, quàm duobus vel ternis diebus. Quin & oxymeli purũ per totam hyemem propinabat:nonnunquam cum aqua calida,in qua prædictæ herbæ decoctæ fuerant, ante & poſt cibum,die & noctu, quandocunque volebat æger, potui offerebat.

Poſtea vere primùm ineunte,cum æger multum ſe recollegiſſet, fortiora medicamenta exhibebat. Ac mox inter initia veris ſanguinem ex brachio ſiniſtro copoſe detrahebat & poſt dies viginti quinque hoc medicamento, quo ſequitur, vtebatur.

℞. *Spicæ nardi,cort.rad. cappar.fol. myricæ.herbæ aſplenij,ſquamæ ferri* an.Drach xviij.*myrobal.*Drach.x.*ammoniaci ſuffiminis* Drach.xviij.*polytrichi* Drach. vj. *ſtœchad.* Vnc.ß.*ſcolopend.*Drach.iij.

Ex *oxymelite* fingantur paſtilli pendentes ſinguli *drachmam vnam*,quorum vnum oxymelite dilutum potui dabat. Poſtea verò cum lien probè eſſet explicatus, medicamenta ad ciendam aluum dabat,ac otioſos humores validioribus, (nempe hieræ diacolocynthidos drachmis tribus euacuabat. Inchoante iam æſtate non tres dramas, ſed quatuor exhibebat,ita vt à prædictis medicamentis nullo die cederet.Vbi ſanitati propemodum eſſet reſtitutus, cyclamini radicis drachmam ex mulſa deinceps, ſemel aut bis, poſt ſingulas potiones offerebat.

Antiqui cæteris nil iuuantibus ad vſtionem lienis accedebant;ſed eam vt crudelem non immeritò improbat Hieronymus Fabricius ab Aquapend. *de oper. chirurg. abdom.* vbi & aliam chirurgorum quorundam de liene curando opinionem recitat.

Cardanus etiam 8. *de rerum varietate cap.* 44. *& in arte parua*, mirabilem lienis duri curandi rationem habet; lieni nimirum ſcirrhoſo linteum vel chartam, & quidem in formam crucis imponit,hinc ſecurim apponit, quam ligneo malleo, vel claua ferrea vel ſeptem ictibus percutit, atque hoc modo lienem durum, cute non diuiſa ſanari exiſtimat.Verùm enim verò ſunt hæc rationi nullo modo conſona.Refertque *allegato loco* idē Fabricius,accidiſſe ſemel,vt ſecuris acies ſub vehementi percuſſione & chartam & abdomen, & lienem vnico ictu præciderit cum morte ipſius ægri.

### *Diæta.*

*Diæta.* Aër ſit purus & temperatus,non craſſus,cibi ſint boni ſucci, & vi attenuandi præditi, cuiuſmodi plerumque acria ſunt,ideoque condiantur thymo,hyſſopo,baccis iuniperi, & ſimilibus. A carnibus duris, lacticiniis, à caſeo veteri, à placentis dulciariis & à dulcibus omnibus, quibus lien facilè intumeſcere ſolet, à piſcibus viſcidis æger abſtineat,frequenter vtatur capparibus & floribus geniſtæ aceto conditis:nec bibat muſtum,quod lienem inflat; bibat verò vinum mediocris ætatis,non auſterum;quod ſi potentius ſit, aqua chalibeata diluatur, vel paretur vinum aut cereuiſia medicata è ligno tamariſci,lingua ceruina,ceterach, abſinthio, aut bibat æger è poculis è ligno tamariſci paratis. Exerceatur & ambulet ante cibum;curas & animi mœrorem vitet.

### *Calculi Lienis.*

*Calculi lienis.* Non ſolum autem lien indureſcit, ſed quandoque etiam lapides è materia tartarea in eo generantur,eodē modo, quo in aliis partibus; quod malum plerumque incurabile eſt,& non niſi poſt mortem ſectione deprehenditur.Si tamen lapis minus durus eſt,medicamenta hactenus propoſita attenuantia & quæ calculum frangunt, vſurpari poſſunt.

## CAPVT VII.

### *De Lienis Vulneribus.*

*Vulnera lienis.*

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* INterdum etiam lien vulneratur,cuius equidem vulneris ſuſpicio eſt, ſi gladius vel telũ è regione lienis abdomen penetrauit. Quia tamen tela talia etſi abdomen penetrent,lienem ſemper non attingũt,ſignis aliis præterea opus eſt. Cognoſcitur autem lienem vulneratum eſſe ex eo,quod ſanguis niger è vulnere erumpit, ſæpe etiam vomitu vel per aluum eiicitur; plerumque vnà dolet ventriculus,ſitis excitatur, & dolor ad iugulum vſque aſcendit.

### *Prognoſticum.*

*Prognoſticũ.* Vulneribus autem iſta periculoſa,imò ſæpe lethalia ſunt, ſi non alia de cauſſa,certè ob ſanguinis effuſionē; cum lien multas arterias & venas habeat. Vnde de periculo vulneris iudicandum è loco,in quem vulnus inflictum. Si enim ſolùm ſubſtantia lienis & eius ſuperficies vulnerata eſt,vulnus tale nō neceſſariò lethale eſt. Si verò ipſa lienis magna vaſa ſint vulnerata, vulnus lethale habēdum.Plinius quidem,*lib.*11.*nat.hiſt.cap.*37. & ex eo alij lienem curſoribus,cum impedimentum iis afferat,eximi poſſe ſcribit:verum rectè Cœlius Aurelianus,*lib.*3.*chronic. paſſ.* ſcribit, lienem exſcindendum vel vrendum eſſe, voce quidem dictum fuiſſe, non officio completum. Cum enim tot inſignes arterias habeat, id ſine periculo fieri non poſſe,manifeſtum eſt. *An lienis excißio tuta ſit*

### *Curatio.*

*Curatio.* Curantur verò lienis vt aliorum viſcerum vulnera.Et quidem naturæ præcipuæ hic partes ſunt. Vt tamen Medicus eam adiuuet, potiones vulnerarias exhibere poteſt. vt:

℞. *Rad.conſolid.maior.*Vnc.ß. *veron.*M.j. *agrimon. ceterach,hyperici* an.M.ß. *ſaniculæ, pyrolæ* an.P.j. *flor. roſar. rubr.*M.ß. *paſſul.* Vnc.j. Coq.in ſ. q.aquæ in vaſe clauſo, Colatura aromatizetur *cinamomi* Drach. iij.

Poteſt tamen prius, ne affluxus fiat, materiæ ad lienem, clyſter iniici.

Interdum in vulneribus lienis pus per vrinam expurgatur,quod ſi animaduertat Medicus,medicamenta vrinam mouentia,ex radic,fœniculi,ſem. frigid.4.maiorib. ciceribus rubris & ſimilibus exhibere poteſt. Per quas autem vias rectè euacuatio fiat,alij aliter docent.Quidā per ramum ſplenicum ad venam portæ,hinc ad epar,& per epar ad venam cauam, & tandem ad emulgentes pus peruenire ſtatuunt.Verum via hæc nimis longa eſt, & per multas ambages.Breuior longè via eſt per cœliacam arteriam ad arteriæ magnæ truncum, & hinc ad emulgentes arterias.

## CAPVT VIII.

### *De Vlceribus Lienis.*

*Vlcera lienis.*

### *Cauſſæ.*

*Cauſſæ.* POſt vulnera malè curata interdum vlcus in liene relinquitur; præcipuè verò poſt tumores & inflammationes lienis vlcera eiuſdem ſequuntur.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Præceſſerunt vulnera tumores & inflammationes lienis,& ſedata inflammatione & ſymptomatibus,quæ ei coniunguntur, nihilominus dolor in ſiniſtro latere percipitur, præcipuè ſi homo moueatur & exerceatur, & interdum pus vel vomitu vel per aluum vel per vrinam

vrinam excernitur, nunc putum & coctum, interdum feculentum, nigrum,liuidum ac ſanioſum, quibuſdam etiam integræ lienis particulæ.

### *Prognoſticum.*

*Prognoſticū.* Si malum recens ſit, curationem ſuſcipit;ſin diuturnum,incurabile eſt,& plerumque hominem lenta morte enecat.Refertque Franciſcus Rouſett, *de partu Cæſareo ſect.4.cap.5.* in quibuſdam lienis parenchyma adeo abſumptum repertum fuiſſe, vt ſola membrana remanſerit, quod ſæpe in renibus accidit.

### *Curatio.*

*Curatio.* Curationis autem ratio in eo conſiſtit,vt pus expurgetur, & vlcus abſtergatur, tandemque conſolidetur. Quapropter ſi pus vomitu vel per aluum eiiciatur, hydromel exhibendum. Si per vrinam, cum eodem hydromelite emulſio ex ſeminibus quat.frigid.maior. paranda & exhibenda,& radicum aſparagi,glycyrrhizæ in hydromelite vel ſero lactis coctar.potio exhibenda. Ad conſolidandum verò exhibeatur thus, maſtiche, ſpica cum aqu.mellis,veronicæ,plantaginis,vel harum decoctum *capite præcedente* propoſitum.

## CAPVT IX.

### *De Actione Lienis propria læſa.*

*Actio lienis læſa.* ATque hactenus morbos lienis abſoluimus, iam de ſymptomatibus, quæ eidem accidunt, agendum. Et quidem actiones lienis quod attinet,antiqui equidē, vt aliquoties iam dictum, lienis officium id ſaltem eſſe putarunt, vt excrementum melancholicum reciperet. Verum non ſine cauſſa,& multis rationibus moti recētiores ipſi etiam ſanguificandi munus tribuerunt, vt in Inſtitut.& ſupra *cap.1.* id explicatum. Hæc ergo eius actio variis modis lædi poteſt.

*Quot modis actio lienis lædatur.* 1. Primò enim cum craſſiorem chyli partem pro ſanguine viſceribus in ventre inferiore nutriendis apto generando attrahere debeat.Hæc eius functio læditur, cum vel non attrahit, aut diminutè attrahit, vnde craſſior chyli pars ad epar tranſit & ſanguis feculentus ac minus laudabilis inde generatur ; vel citius ac auidius quàm par eſt, & quidem chylum ac potum crudum ad ſe trahit, vnde obſtructiones in eo generantur. Prius accidit primò vel ob lienis imbecillitatem ex aliqua intemperie,vel ob viarum anguſtiam, cuius cauſſa eſt vel compreſſio à tumore aliquo,vel obſtructio à craſſo humore aut calculo,de quo ſupra dictum. Poſterius euenit, lienque nimis auidè attrahit, ob calidam intemperiem præcipuè.

2. Attractus ad lienem chylus in ſanguinem ſui generis mutari debet;quod non bene fit vel læſa facultate ob eius imbecillitatem,vel ob errorem externum.Prius quod attinet, cum in omni coctione alimentum attenuari & ita præparari debeat, vt corpori alendo aptum ſit, ſi lien eſt imbecillus, hoc non rectè expeditur, ſed ſanguis feculentus & craſſus inde generatur, qui partibus ventris inferioris, quæ eo nutriuntur, non parùm incommodi affert.Ob errorem externum verò actio lienis læditur, cum ob cibos mali ſucci chylus craſſus & humori melancholico ac tartareo generando aptus ad lienem tranſmittitur,è quo ſanguinem bonum generari impoſſibile eſt.Et plerumque acida cruditas in lienis coctione accidit, & ſicut vinum in acetum degenerat; ita etiam cum chylus in liene non bene elaboratur, in acidum humorem vertitur, qui interdum magnâ copiâ in ventriculum effunditur,& hinc vomitu reiicitur, ac dentes acore ſuo ſtupidos reddit. De quod etiam dicetur,*part.5.ſect.1. de affect.hypochond.* & *ſect.2.de ſcorbuto cap.3. & ſeq.* quæ ibi videantur.

3. Cum in omni coctione quædam excrementa proueniant, in lienis quoque coctione idem euenit, & duo proueniunt,vnum tenuius,ſeroſus ſcilicet humor,alterū craſſum, & propriè melancholicum dictum, quæ per conuenientes vias,partim per aluum, partim per vrinā euacuari debent : quod interdum non fit ob vaſorum anguſtiam, cum vel tumores ea comprimunt, vel humores craſſi & viſcidi obſtruunt.

### *Signa Diagnoſtica.*

Vt autem aliæ actiones læſæ, quæ circa viſcera nutritioni dicata accidunt, non ſeipſas manifeſtant, ſed non niſi ex iis,quæ præceſſerunt,& præcipè ſequuntur, cognoſcuntur, idem etiam in lienis actionibus euenit. *Signa.* Primò nimirum ſi diætæ ea ratio, quam locis modò allegatis propoſuimus,præceſſerit, lienis actiones inde vitiari credibile eſt. Neque n. errata primæ coctionis corriguntur in ſecunda.

Deinde verò ſiue attractio, ſiue coctio, ſiue expulſio excrementorum in liene lædatur, varia in corpore incommoda inde percipiuntur. Etenim ſi chylus primò ille craſſior à liene non attrahatur,ad epar cum reliquo tranſmittitur,& ſanguis ex eo feculentus craſſus & vitioſus generatur. Qui in venas poſtea diffuſus & in iis putreſcens varia mala excitat.Extra verò venas protruſus,ſi aduſtus non ſit,nec erodens,ictetum nigrum, aut certè corporis colorem liuidum ac plumbeum progenerat. Si verò aduſtus ſit & acris, ſcabiem, vlcera, cancrum,ſcorbutum & ſimiles affectus excitat. Si verò nimis auidè & citò cibum & potum lien ad ſe trahat, cognoſcitur id ex vrina poſt potum nimis citò reiecta,vnde obſtructiones & tumores lienis excitantur.

Si autem ſignificatio in liene non bene perficiatur, ſanguis inde craſſus atque excrementi melancholici maior copia generatur, vnde omnia viſcera in ventre inferiore malè nutriuntur & ob excrementi melancholici copiam nauſea & vomitus humoris acidi prouenit, vel ſi retineatur, caninam appetentiam excitat, aut æſtu ebulliens & euaporans delirium melancholicum & melancholiam hypochondriacam parit.Si in inteſtina extrudatur, colicam, & pertinaces ventris dolores, vel alui profluuium & dyſenteriam,eamque ſæpe lethalem procreat, & alia mala plurima, quæ *de ſcorbuto, & affection.hypochondr.* enumerabuntur.

Eadem ferè accidunt, cum excrementum melancholicum per conuenientes vias non euacuatur.

### *Curatio.*

*Curatio.* Cum autem actiones læſæ hæ omnes vel ab errore externo vel à morbis actionem lienis lædentibus oriātur,præter ea,quæ ſupra *de morbis lienis* dicta ſunt, plura afferre,opus non eſt,ſed tota curandi ratio ex iis,quæ ibi dicta ſunt, & *de ſcorbuto & affectione hypochondriaca* dicentur, patet.

## CAPVT X.

### *De Lienis doloribus.*

*Lienis dolores.*

### *Cauſſæ.*

*Cauſſæ.* INter actiones lienis læſas eſt etiam dolor eiuſdem, qui,vt alij dolores,oritur à ſolutione continui,& quidem membranæ, qua lien tegitur. Fit autem ſolutio continui quando membrana illa diſtenditur. Quod accidit in inflammatione lienis, eiuſdem inflatione, obſtructione,& tumoribus, vlceribus, vt & cauſſis externis, lapſu ſcilicet & percuſſione.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Dolor ipſe per ſe manifeſtus eſt,& in hypochondrio ſiniſtro percipitur.Quia tamen etiam in muſculis,lienis regio

regioni incumbentibus,& peritonæo eô loci,vt & colo inteſtino,dolor eſſe poteſt, qua ratione hi dolores è dolore lienis diſcernendi ſint, dicendum. Et imprimis cauendum,ne dolores illi punctorij, qui in lateribus, plerumque verò ſiniſtro(Germani *das Miltzſtechen* nominant,quaſi à liene oriantur)percipiuntur,& à peritonæo proueniunt,pro lienis doloribus habeantur.Sæpe enim euenit, & præſertim poſt cibum ſumptum, vt ſi homo equitet, curru vehatur,vel alio modo corpus vehementius exerceat, dolor quidam punctorius in lateribus, præſertim ſiniſtro, percipiatur. Qui accidit, quod peritonæum eo loci à partibus,quarum tunicis pertinaciter adhæret, trahitur & quaſi auellitur, idque fit à flatibus vel etiam humoribus ſeroſis, qui in hæc ſpatia peritonæi & muſculorum irrumpentes membranas diſtendunt, eo ferè modo, vt in aliis partibus ſpaſmus flatulentus excitatur. Muſculorum autem dolor per tactum externum dignoſcitur,& ſi locus extra parum prematur, dolor percipitur,quod in dolore lienis non accidit, qui profundior eſt; prætereа in dolore lienis alia etiam ſymptomata,vt color in corpore mutatus,vrina mutata & ſimilia adſunt, quæ non conſpiciuntur muſculis vel peritonæo affectis. Eodem modo etiam in colico dolore ſigna doloris colici adſunt,& dolor,qui in colo eſt, non ſemper vno loco fixus hæret, ſed ſecundum coli ductum vagatur.

A qua cauſſa etiam dolor lienis proueniat,ex iis,quæ hactenus de lienis obſtructione, inflatione & inflammatione dicta ſunt, ſatis patet. In inflammatione enim dolor non eſt grauans, vt in obſtructione & dolore. In obſtructione & tumore exercitium & motus dolorem auget; contra in inflatione dolor motu ſedatur, flatibus à motu diſcuſſis. In inflammatione adeſt rugitus murmur & ructus,quæ non percipiuntur in obſtructione & tumoribus: prætereа in inflammatione febris adeſt.

## Prognoſtica.

Prognoſtica. Dolor ex ſe nihil periculi habet. Cum enim lien non ſit exquiſiti ſenſus,& exili ſaltem membranâ inueſtiatur, etiam dolorem magnum non patitur. E cauſſis verò potius,à quibus dolor pendet, periculum æſtimandum; cum aliæ ſint grauiores, aliæ leuiores.

## Curatio.

Curatio. Vt in aliis partibus, ita etiam hîc dolor tollitur vel cauſſa,à qua pendet,ablata,vel anodynis aut narcoticis. Quomodo cauſſæ ablatione tolli poſſit,patet ex iis,quæ ſupra *de morbor.lienis curatione* dicta ſunt.Hoc ſaltem addendum. Si dolor ſit à cauſſa externa,vt lapſu,ictu,ſæpe neceſſarium eſt,vt venæſectio inſtituatur,vel etiam leuis primaram viarum euacuatio,ne ſcilicet ſanguis vel alij humores ad lienem dolentem magis confluant. Repellens etiam moderatum lienis regioni applicari poteſt.

Anodyna quod attinet, vtendum, vt alibi, ita etiam hîc *chamæmelo, meliloto, ſemine anethi,althea* & ſimilibus paſſim notis.Cauſſæ tamen ſemper ratio etiam habenda, ne augeatur, & propterea in cauſſa calida commodè etiam imponuntur folia ſalicis vel ſuccus eorum.

Ad narcotica aſcendere vix opus eſt; cum ſenſu adeo exquiſito lien non ſit præditus.

## CAPVT XI.

### De Ictero nigro.

Icterus niger. TAndem hîc etiam icterum nigrum explicare libet. Etſi enim is non lienis propriè, ſed totius corporis externi & cutis affectus ſit: tamen quia à liene proficiſcitur, vt vulgata ſententia eſt, eum hîc explicare placet.

Eſt autem icterus niger cutis totius corporis in nigrum mutatio.

## Cauſſæ.

Cauſſæ. Niſi verò icterus à veneno prouenit,quod interdum accidit, ortum eum à liene habere vulgo ſtatuitur. Si enim à liene chylus craſſior & melancholicus non attrahitur,in totum corpus diffunditur. Non autem attrahitur vel ob lienis imbecillicitatem, vel ob vaſorum, quæ à porta ad lienem tendunt,obſtructionem.

Secundò vitium hoc generari poteſt,cum excrementum hoc per conuenientes vias non expellitur. Id quod fit,vel ob viarum obſtructionem,vel excrementi melancholici copiam,quod cumulatur ob errores in victu, & cibos ad hoc excrementum generandum aptos.

An icterus niger à liene proficiſcatur? Platerus verò, *tract.3.lib.1.c.2.* aliam de ictero nigro ſententiam habet, ſtatuitque, non à liene icterum nigrum proficiſci,neque humorem melancholicum cauſſam eſſe, ſed bilem, quæ in veſicula fellis colligitur, & quidem præternaturalem, quæque in venis meſaraicis corrupta eſt, & viridem vel nigrum colorem ex corruptione acquiſiuit.Idque ea de cauſſa,quod in liene eiuſmodi bilis nullibi,nec ſinus aut veſicula aliqua, in qua recipi deberet,deprehenditur,atque inde ea prodire minimè poſſit, neque etſi adeſſet, in venam cauam deferri poſſet, quæ nullo ramo in lienem pertingit.

Et omnino ſunt hæc non planè de nihilo. Etenim cum humor ater in nullo receptaculo amplo contineatur, ſed ſenſim vt generatur, ita euacuetur, ſi vt icterus flauus,ita etiam niger hominem ſubitò inuadit,omninò à veſicula fellis, & bile, quæ nigrum iſtum colorem acquiſiuit, icterum nigrum prouenire ſtatuendum eſt. Interim nec hoc negandum, ex humore etiam atro lienis vitio cumulato, totius corporis colorem mutari poſſe, etiamſi id lentè fiat & ſenſim;ac conſentiunt de eo omnes Medici, de quo etiam infra *de ſcorbut. part.5. ſect.2. cap.1.* dicetur.

Verum Antiqui,præter Hippocratem,*lib.2.de morb.*& Paul. Æginet. *lib.3. c.49.* hanc humoris nigri per totum corpus ſuffuſionem proprio nomine non appellauerunt,vt etiam Bald.Ronſſeus,*de ſcorb.c.3.*teſtatur.Si quis ergo hanc totius corporis externi in nigrum colorem mutationem,& illam,quæ fit à bile corrupta, è veſicula fellis in corpus diffuſa,nomine etiam diſtinguere velit, per me licet. Poſſent autem iſtæ opiniones ita etiam conciliari,ſi ſtatuatur, bilem atram,cum in venis meſaraicis copioſè colligitur,vbi ad epar peruenit,cum bile flaua miſceri, & in veſicula fellis colligi, biliſque flauæ colorem nigrum inde mutari,quæ niſi per conuenientes vias euacuari poſſit,in totum corpus cum ſanguine diffundatur, & icterum nigrum pariat.

Etſi enim,quod obiicit Platerus,nullus ramus à liene ad venam cauam pertingit: tamen cum chylo, qui per venam portæ ad epar fertur,etiam humores praui circa lienem cumulari ad epar peruenire, & hinc in totum corpus diffundi poſſe, manifeſtum eſt.

## Signa Diagnoſtica.

Signa. Cognoſcitur hoc malum ex colore nigro,quo totum corpus tingitur.

Cauſſas autem quod attinet,ſi venenum aliquod corpus infecit,ex relatione ægri vel adſtantium cognoſcitur. Quod ſi abſit,ab interna cauſa prouenit. Quæ an in veſicula fellis vel in liene conſiſtat, inquirendum. Si in veſicula fellis, epatis antea affecti, & bilis flauæ corruptæ indicia adſunt. Si à liene, eius quoque affecti notæ aderunt. Et quidem ſi tumor aliquis, tenſio, grauitas aut durities in ſiniſtro hypochondrio percipiatur, ob lienis obſtructiones humorem melancholicum à ſanguine ſeparari argumento eſt: ſi verò nihil tale appareat, frigida intemperies, ob quam lien non attrahit, cauſſa eſt.

*Prognosticum.*

*Prognosticum.* Icterus niger flauo semper periculosior est. Siue enim à vesicula fellis proueniat icterus niger, cum tum maior adsit bilis corruptio, maius etiam portenditur; siue sit à liene, etiam difficilius, cæteris paribus, curatur, ob humoris contumaciam, & si diutius durat, nec idoneis remediis tollitur, tandem hydrops succedit.

*Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & Curatio.* Si à vesicula fellis & bile flaua corrupta proueniat hoc vitium, curandum vt icterus flauus; nisi quod medicamenta simul humorem melancholicum respicere debent.

Si verò à vitio Lienis proueniat, vel eius Intemperies corrigenda, vel obstructio aperienda, & humor melancholicus euacuandus, vt antea dictum. Et cum viæ, quæ ad epar & Lienem pertingunt, communes sint, nimirum venæ portæ, communis ferè curandi ratio est, in vtrô etiam viscere vitium hæreat, modò ad humorem nigrum præcipuè cura dirigatur, de qua iam satis *de morbis Lienis* dictum. Imprimis vtilia sunt hic medicamenta è chalybe parata antea proposita, vt:

℞. *Chalyb. præpar.* Vnc. ij. *passular. minor.* Vnc. j. ß.

Infundantur per dies tres in *aqua cuscutæ & fumariæ* an. ℔. j. in vase clauso. *Aqua* inde separetur & addatur *rad. oxylapath. polypod. q. cortic. rad. capp.* an. Vnc. ß. *ceterach. cuscutæ* an. M. ß. *sem. aquileg. genist.* an. Drach. j.

Iterum coquantur & sub finem addatur *fol. senæ* Vnc. j. Colaturæ add. *syrup. de scolopendr. byzant. simpl.* an. Vnc. j. *sacchar.* q. s.

F. Syrupus.

Tandem si materia, quod tamen plerumque fit, quæ in cute est, non sponte euanescat, eâ, quæ in visceribus & venis est, sublatâ, discutienda est sudorem prouocantibus & diaphoreticis, vt decoct. flor. chamæm. scordij, rad. fœniculi, cer. rub. & similibus.

Vtile est quoque balneum aquæ dulcis, in quo sit cocta malua, ruta, beta, parietar. flor. chamæmeli.

Commodum etiam est Balneum siccum seu Laconicum, & post balneum corpus abstergere emulsione sem. cannabis. Facies, quæ maximè in conspectum venit, abluenda sæpius decocto illarum plantarum, vel aqua florum fabarum cum vino mixta vel fabarum & lupinorum. Nonnulli tincam piscem per dorsum dissectum applicant abdomini; alij plantis pedum, qui humorem flauum & nigrum ad se trahit.

# LIBRI TERTII
## PARS V.
## DE AFFECTIONE Hypochondriaca & Scorbuto.

### SECTIO PRIMA.
### *De Hypochondriaca affectione.*
### CAPVT I.
### *De Natura affectionis hypochondriacæ.*

*Natura affectionis hypochondriacæ.* CVM corpora nostra, vt & aliorum animalium, in perpetuo fluxu sint, alimentis, quibus in dies reficiantur, opus habent. Cum autem nullum alimentum sit, quod totum corpori apponi possit, sed omnia ἀνεπίτηδές quid, & quod corpori alendo aptum non est, contineant, etsi alia plus, alia minus: quicquid corpori alendo aptum non est, excerni oportet. Fit autem ista inutilium secretio in coctionibus & in ciborum in alimentum mutatione. Vt verò alimenti perfecti elaboratio vnica coctione non absoluitur: ita & excrementa non statim tota, sed sensim separantur. In prima enim coctione illud, quod crassius est, & superficialiter quasi alimento cohæret, per aluum excernitur. Hinc chylus ab excremento hoc liberatus in venis mesaraicis primum sanguinis rudimentum suscipit. Ab iis, quod crassius est, lien ad se trahit, & inde sui generis sanguinem paulò crassiorem, vicinis tamen partibus alendis idoneum, parat, quod verò feculentum est in hac coctione, & nulli parti alendæ aptum, secretum per conuenientes vias euacuat. Ex puriore verò chyli parte reliqua epar sanguinem nobiliorem pro totius corporis reliqui nutritione conficit, atque iterum quod excrementitium est in vesiculam fellis & ad renes amandatur, & hinc è corpore excernitur.

Hæc itaque omnia si rectè atque ordine fiunt, omnia etiam in corpore rectè sese habent. Si verò quid peccatur, plurima excrementa circa primæ & secundæ coctionis organa colliguntur, è quibus postea varij morbi excitantur, adeò vt rectè Fernelius, *lib. 6. de part. morb. & sympt. c. 7.* scripserit; *Ego hoc affirmo & profiteor, choleræ, melancholiæ, diarrhœæ, dysenteriæ, cachexiæ, atrophiæ, languoris, lentarum, errantiúmque febrium, latentium denique morborum caussas me his in sedibus plerumque adinuenisse.* Et omninò pauci morbi sunt, qui non ex hisce locis habeant originem, vt etiam supra de morbis mesenterij & pancreatis dictum. Etenim vitiosi humores in iis cumulati non semper hic quiescunt & hærent, sed per venas & arterias cum ipsi, tum vapores ab iis eleuati, in totum corpus dispergantur, & varios morbos & symptomata hinc inde excitant.

Et quidem vitiosi humores in hisce locis cumulati aliquando, vbi putrescere incipiunt, per febres absumuntur, aliquando vomitu, & fluxu alui concitato euacuantur; aliquando ibi subsistentes affectionem hypochondriacam dictam excitant. Quæ etsi hoc præsertim seculo malè audiat, & in omnium ore & scriptis sit, & pro communi quadam calamitate, & seminario quodam omnium penè morborum habeatur: tamen nec antiquos latuit. Diocles Carystius, ab Hippocrate famâ & autoritate secundus, & Antigoni Asiæ Regis Medicus, affectionem hanc non obscurè descripsit, vt verba eius citat Galenus, 3. *de loc. aff. c. 7. Oritur,* inquit, *alius à ventriculo morbus, qui ab aliis melancholicus, ab aliis flatuosus nominatur, quem sumto cibo maximè coctu difficili & caustico sputum humidum, idémque multum comitatur, item ructus acidissimi, flatus, æstus, in hypochondriis, fluctuatio non ilicò, sed cum retinuerint: interdum ventriculi quoque vehementes dolores, qui nonnullis ad dorsum vsque procedunt, concoctis deinde cibis quiescunt; mox aliis cibis ingestis eadem reuertuntur accidentia, quæ interdum ieiunos, interdum etiam à cœna molestant, atque euomunt crudos cibos & phlegmata subamara & calida, adeò vt dentes torpedine afficiantur.* Caussas verò huius mali his verbis recenset: *Flatuosas vocatas affectiones suspicandum est, plus caloris, quam decet, habere in venis, quæ alimentum à ventriculo excipiunt, sanguinémque in ipsis crassiorem factum. Quippè constat, has venas obstructas esse vel hoc argumento, quod alimentum corpori non distribuitur, sed ventriculo manet incoctum, cum ipsum meatus prius susciperent, magnámque ipsius partem in iratum ventrem excernant, tum quod postero die vomitu reiiciatur, vtpote non digestis per corpus cibis, sed quo calor id, quod secundum naturam est, excedat, facilè intelliges, tum ab æstu, qui ipsis accidit, tum ab his, quæ ingeruntur: siquidem iuuari videntur à refrigerantibus cibis, qui videlicet calorem refrigerare exstinguereque solet.* Quibus & aliam caussam addit his verbis: *Aiunt nonnulli, os ventriculi, quod intestinis continuatur, in huiusmodi passionibus inflammari, ac ob inflammationem ipsam & obstrui & prohibere, ne alimenta statuto tempore ad intestina descendant. Quamobrem diutius, quàm decet, in ventriculo morantur, & tumores & æstus ac reliqua, quæ prædicta sunt, efficiunt.*

Etsi

Etsi verò Galenus, *loco allegato*, reprehendat Dioclem, quasi præcipua, & quæ melancholicam & flatuosam hypochondriacámque affectionem tanquam charactere designant, metum & mœstitiam, omiserit: tamen forsan Diocli non propositum fuit, melancholiam hypocondriacam in specie, sed hypochondriacam affectionem in genere describere. Etenim notandum, affectionem hypochondriacam multò latiùs extendi, quam melancholiam hypochondriacam, atque experientia constat, plurimos hoc malo laborare, qui tamen melancholiâ non afficiuntur. Et sunt non pauci, qui melancholiâ laborant, & tamen hypochondriacâ affectione non detinentur.

Neque hoc malum Hippocrati plane ignotum fuisse, sed sub nomine ἀναντῆς, id est, morbi resiccatorij, 2. *de morbis*, propositum, aut certè species eius aliqua descripta videtur. *Non inediam, inquit, non cibum sumtum ferre potest, sed ieiuna quidem viscera rugitum edunt, & ventriculi os mouetur, & alias varia vomit, bilem, saliuam & acutum, ac post vomitionem aliquantisper melius habere videtur. Vbi autem cibum sumsit, ructus ei contingunt, cum rubore incenditur, semper se copiosum alui recrementum deiecturum existimat, cum verò desederit, flatus infra demittitur, caput dolore vexatur, totum corpus huc & illuc velut acu pungi videtur, crura grauantur, debilitantur & minuuntur, debilísque euadit.*

*...ctio hypo- ...driaca ...le dicta?* Accepit autem affectio hæc nomen à loco affecto, hypochondriis scilicet ὑποχόνδειον verò est pars ea corporis, quæ sub nothis costis ad ilia vsque vtrinque protenditur, non solum musculos, sed & interna viscera complectens, sic dicta, quod τῷ χονδρῷ ὑπόκειται, id est, cartilaginibus notharum costarum subiacet. Barbari Mirachialem vocant, quod Abdomen Arabibus Mirach sit, vel potius mesenterium. Imò sunt, qui Auicennæ Mirach nihil aliud esse, quam pancreas statuunt. Chymici tartarum hypochondriorum appellant, de quo postea dicetur. Diocles, vt & Aëtius, *tetrab. 2. serm. 2. c. 9.* etiam πάθος φυσῶδες, affectum flatulentum, seu flatuosum nominant.

*...initio affe- ...nis hypo- ...driacæ.* Describi verò potest hæc affectio, quod sit *colluuies vitiosorum humorum, imprimis melancholicorum, sæpe etiam pituitosorum & biliosorum, in vena portæ, & arteriæ cœliacæ ac mesentericæ ramis, in hypochōdriis, præcipuè sinistro, inter ventriculum & lienem, maximè iis locis, vbi plures maioresque venæ portæ & arteriæ huic coniunctæ rami sunt, præcipuè ob læsam lienis coctionem collecta, absque putredine; è qua vapores horum naturam obtinentes, vt & ipsius humoris aliquid ad alias partes transmissa varia symptomata excitant.*

## CAPVT II.

### *De Loco affecto.*

*...ectum af- ...ionis hy- ...ondriac.* VT autem affectionis huius natura clarior fiat, tria explicanda sunt: 1. *Locus*, in quo vitiosi isti humores continentur; 2. *Humorum natura & caussæ*, à quibus generantur; 3. *Affectiones* quæ hinc inde in corpore ab iis excitantur.

*...us affectus ...ypoch. aff.* Primò locum, in quo colluuies ista vitiosorum humorum continetur, quod attinet, eum meritò ramos venæ portæ & arteriæ cœliacæ ac mesentericæ esse statuimus. Et quidem si hypochondriacæ affectionis nomen latè extendere libet, omnes morbi, qui partibus in hypochondriis sitis accidunt, affectus hypochondriaci nominari possent: verum cum per hypochondriacam affectionem in salem πάθος accipiamus, quod Diocles & Aëtius φυσῶδες seu flatuosum appellant, peculiaris etiam locus, in quo caussa huius mali resideat, quærendus. Equidem, vt postea dicetur, etiam in mesenterio magna vitiosorum humorum colluuies, tumores, abscessus, vlcera; atque eadem mala etiam in pancreate reperiri possunt: stagnare etiam humoribus omentum, & flatus in eo concludi, supra dictum & *de scorbuto* dicetur. Verumtamen si vitia ista ità extra vasa consistunt, vt in ea facilè effundi, & proinde in corpus hinc inde diffundi non possint, tot symptomatum, quot in affectione hypochondriacâ animaduertuntur, caussæ esse non possunt. Imò plerumque non nisi in mortuis cognoscuntur, cum in partibus ignobilibus consistant. Et obseruationes Medicorum docent, plurimos, qui talia mesenterij, pancreatis, omenti mala passi sunt, de affectione hypochondriaca conquestos non esse.

Itaque locus, in quo affectionis hypochondriacæ caussa contineatur, talis constituendus, è quo humores hinc inde fluere possint. Atque ipsum statuimus esse ramos venæ portæ, & arteriæ cœliacæ, ac mesentericæ, qui ab Epate & Liene ad ventriculū & vicina loca tendunt: & certè ea mesenterij, omenti, & pancreatis loca, è quibus in hæc vasa humores vitiosi facilè recurrere possūt.

Ex ipso nimirum venæ portæ trunco ventriculus habet ramum vulgò Gastricum dictum, quem Adrianus Spigelius Pyloricum appellat. Postquam verò truncus in duos insignes ramos, alterum sinistrum splenicum dictum, alterum dextrum mesentericum nominatum discescitur; à splenico quidem ramo accipit Gastricum, à quo Coronaria nascitur, gastroepiploidem sinistram; & vas breue aut venosum dictum. A ramo verò mesenterico gastroepiploidem dextram. Arterias autem accipit ventriculus ab arteriæ magnæ ramo cœliaco dicto, quod ad κοιλίαν, id est, ventriculum ramos transmittit, ramum pyloricum, gastroepiploidem sinistrum, & vas breue arteriosum. Ab eadem vena portæ, & arteria cœliaca etiam vasa accipiunt lien, epar, omentum, mesenterium, vt ita facilis inter has partes consensus & humorum communicatio esse possit; vt meritò in ramis portæ & arteriæ cœliacæ maioribus sedem caussæ mali hypochondriaci consistere statuendum sit. Cum enim vasorum horum officium sit ad ventriculum & vicinas partes sanguinem, quo nutriuntur, deferre, & præterea hisce vasis natura abutatur quasi ad humorum vitiosorum è toto corpore expurgationem, siue illa spontè, siue medicamentorum operâ instituatur, & ad intestina, quæ inter loca conferentia 1. *aphor.* 20. nominantur, humores vitiosi peruenire non possint, nisi prius hæc vasa transeant, patet hinc, quicquid superflui & vitiosi in liene, epate, imò toto corpore colligitur, in his locis cumulari posse.

Et imprimis in vase breui, tam venoso, quam arterioso, maximam sæpe vitiosi humoris copiam contineri, & hinc maximum ventriculi & lienis consensum esse, certum est. Id enim satis amplum est, ac sæpe calami scriptori crassitiem habet, imò vt Iohannes Riolanus, *Anthropographiæ lib. 2. c. 7.* testatur, in Senatore quodam, qui reiectione sanguinis per superiora & inferiora è liene prodeuntis laborauerat, deprehensum est vas breue minimi digiti magnitudine latum & in ventriculum apertum. Et ista omninò via est, per quam hypochondriacis sanguis interdum per vomitum & aluum reiicitur. Ita refert Adrian. Spigelius, *Anat. lib. 6. c. 5.* historiam Cardinalis Cibonis, qui sanguinis vomitu extinctus erat; in cuius cadauere compresso ventriculo viderunt lienem turgescere, rursum liene compresso ad ventriculum copiosum sanguinem per vas breue effundi. Imò per eandem viam humorem instar atramenti nigricantem, qualis etiam in viuente adhuc vomitu reiectus fuerat, in viro nobili effundi, vidimus.

Hisce vasis tamen meritò addimus & omentum, quod venas amplas à vena portæ habet (superior scilicet eius membrana vtramque Gastroepiploidem, dextram & sinistram; inferior verò dextram epiploidem, & posticam, arterias totidem à ramo cœliaco & mesenterico) & præcipuè in eo cauitatem illam in sinistro hypochondrio sub diaphragmate, è ventriculi, omenti, coli & viscerum connexo ortam, & exitum non habentem, sed ita conclusam, vt aquam quoque & flatus continere possit. In hac enim cauitate interdum colliguntur è vici-

nis viſceribus humores pituitoſi, craſſi, limoſi, ſeroſi, aquoſi, melancholici, atri. Imò & flatus, ob quos, ſi abdomen vel manu comprimitur, vel corpus mouetur, vel diaphragma paulò vehemẽtius attollitur, ſonitus manifeſtus percipitur. Quod qui patiuntur ἐγγαστριμύθους appellari cenſent. Verum ἐγγαστρίμυθοι dicuntur antiquis mulieres illæ Pythiæ, ſeu vaticinantes, quæ Dæmonem, ex quo reſponſa ferunt, ventre conceperũt, & tenui voce, ac ſono ex ventre edito oracula fundunt, quaſi vẽtriloquæ. Hinc Hippocrates 5. *&* 7. *Epid.* hanc vocem iis accommodauit, qui ex pectore ſimilem ſonum edunt, de quâ re videatur Scaliger, *exerc.* 158. *ſect.* 3. *&* Anut. Foëſius, *in Oeconomia Hippocratis.* Atque accidit ſæpe, vt liẽ, vel colon vicinum eo nomine incuſetur, cum tamen iis ſaluis in hac cauitate humores vitioſi hæreant.

Nec ignota videtur fuiſſe Hippocrati hæc cauitas dum 7. *aph.* 54. ſic ſcribit: *Quibus inter ventriculum & ſeptum tranſuerſum pituita intercluditur, & dolorem affert, in alterutrum ventrem viam non habens, iis per venas & veſicam verſa pituita morbi fit ſolutio.* Atque pertinaciſſimè in hac cauitate humores ſæpè hærent. & fruſtra purgationibus tentantur, ac non niſi fortioribus vomitoriis, vel thermarum, ac acidularum vſu euacuantur. Ex quâ tamen ſi quid in venas & arterias regurgitet, mali hypochondriaci id etiam cauſſa dici poteſt. Aliàs quidem homines diu ventris rugitibus moleſtari poſſunt ex hac cauſſa, qui tamen alia, qualia hypochondriaci, ſymptomata non patiuntur.

Nonnulli etiam membranæ cuiuſdam craſſioris mentionem faciunt, quæ à iecore ad lienem ſubtus ventriculum extenſa & colo inteſtino incumbens, poſt chronicas febres ac melancholicos morbos magnam prauorum humorum copiam contineat, quæ doloribus variis, inteſtinorum difficultatibus ac vomitionibus continuis cauſſam præbeat. Verum ea procul dubio nihil aliud eſt, quam omentum, ibi humoribus repletum.

Atque ratione loci, in quo materia affectionis hypochondriacæ cauſſa continetur, differentia quædam affectionis hypochondriacæ conſtituitur. Præcipua enim differentia eſt, quod materia hæc nunc in vaſis dextri hypochondrij, nunc in ſiniſtri, quòd frequentius accidit, nunc in vtroque hypochondrio continetur. Et quidem nunc in vaſis tantum extra viſcera, nunc verò ſimul in ipſis viſceribus. Mercatus quidem tribus modis affectionem hypochondriacam fieri poſſe docet, primò obſtructis ſplenis venis ac meſaraicis à iecore in ventriculum aut à meſaræo in ſplenem, vel in vicinis partibus: Secundo propter Ventriculi frigiditatem, quæ in acorem commutat alimenta: Tertiò Ventriculi & iecoris contra operantia, cum Ventriculus frigidus eſt, & non poteſt concoquere, iecur verò calidum nimis auidè attrahit alimenta, Verùm primus modus ſaltem perfectam, & vt ipſe poſtea fatetur, legitimam & exquiſitam affectionem hypochondriacam excitat, cum in vaſis iſtis humores mali huius cauſſa continentur; etſi obſtructionem in iis eſſe non ſit neceſſarium, vt *poſtea* dicetur. Nam, quam ſecundo loco punit, frigiditas Ventriculi affectionem hypochondriacam non abſoluit; cum multi ſint, acida cruditate laborantes, qui tamen non ſunt hypochondriaci, ſed vt affectio hypochondriaca generetur, neceſſe eſt, crudos illos humores in venis meſaraicis prius cumulari, atque ibi aduri, vt ipſe etiam fatetur. Tertius modus à primo non eſt diuerſus, cum vtrumque viſcus & Ventriculus ac Epar ad huius mali generationem ſuam ſymbolam conferre poſſint.

Alij plures etiam affectionibus hypochondriacæ differentias conſtituunt, meſentericam, quæ fit à vaſis meſaraicis inter ventriculum & epar; ſtomachicam, quæ fit à ventriculo, pyloro, veniſque ventriculo cohærentibus; epaticam, quæ fit ab epate; ſpleneticam, quæ fit à ſplene; cardiacam, quæ fit, cum humores aduſti & atri in venis & arteriis maioribus aut pericardio cumulantur; hyſtericam ſeu vterinam, cum menſes aut quæuis vteri purgamenta ſubſiſtunt; hæmorrhoidalem, quæ fit ab hæmorroidibus ſubſiſtentibus; phantaſticam ſeu melancholicam, quæ fit ex prædictarum ſpecierum complexu, ex humorum nimirum in ſiniſtro præcipuè hypochõdrio collectione. Verum hi nomen affectionis hypochondriacæ nimis latè extendere videntur. Nam vt ab vltimâ differentiâ incipiamus, quam phantaſticã, ſeu melancholicam nominant, non peculiaris ea eſt differentia; ſed accidit quibuſdam hoc morbo laborantibus, vt delirẽt; quod fit, cũ vapores opaci & tenebricoſi ex hypochõdriis adſcendunt, ſpiritibuſque animalibus miſcentur, eoſque inquinant, vt *lib.* 1. *pract.* de melancholia hypochondriaca dictum. Hæmorrhoidalis eſt differentia à cauſsâ, ob quam ſanguis melancholicus in corpore colligitur, neque tamẽ ſola affectio hypochondriaca, ſed & alii morbi plures inde ortum habent. Eadem ratio eſt hyſtericæ. Cardiaca verò nullo modo ad hypochondriacam affectionem pertinet; cum cor cum venis & arteriis vicinis non in hypochondriis, ſed in thorace ſitum ſit. Et melancholiæ per conſenſum, quæ ſæpè in maniam degenerat, hæc eſt differentia potius, quàm affectionis hypochõdriacæ. Reliquæ differentiæ à loco, in quo ſubſiſtũt vitioſi humores petitæ ſunt quod ſcil. nunc in vaſis dextri, nunc ſiniſtri hypochondrii ſaltẽ, nunc verò ſimul etiã in ipſo liene & epate cumulatur.

## CAPVT III.

### *De Cauſſis Affectionis hypochondriacæ.*

*Cauſſæ affectionis hypochondr.* Secũdò autem quæ ſit humoris, qui huius mali cauſſa eſt, natura, & quibus de cauſſis in his locis generetur, nec id ſatis plenũ eſt. Primò enim ipſum humorem huius mali cauſſam quod attinet, eſt ille nõ vnius generis, ſed varius, calidus, bilioſus, amarus & aduſtus, melancholicus, pituitoſus, acidus & ponticus; & proinde tum frigidæ, tum calidæ intemperiei indicia adſunt. Ructus n. acidi, fluctuationes, flatus plurimi, coctionis tarditas, plurima ſputa, vomitus pituitoſi, arguunt humorem frigidum: cerebri verò & cordis affectiones potius ab humore aduſto proueniunt, quem & æſtus in hypochondriis arguit. Verum cum cauſſæ, quæ ad mali huius generationem faciunt, variæ ſint, vt poſtea dicetur, neque in omnibus corporibus eodem modo ſeſe habeant, non mirum eſt, etiam varios humores generari.

*Tartarum chymicorũ quid?* Chymici dum cauſſam huius mali explicare conantur, tartari nomine eas comprehendunt, atque inde tartarum hypochondriorum hoc malum nominant. Verum plerique quid ſibi tartari nomine velint, non ſatis declarant, cum diuerſiſſimis rebus id tribuant: tophis illis, qui dentibus adhærent; humoribus excrementitiis in inteſtinis, qui dolores, diarrhœas, obſtructiones, hydropem excitant; excrementis, quæ è pulmonibus, naribus eiiciuntur & per vrinam & ſudores excernuntur, imò flatibus & vaporibus, qui palpitationem cordis excitant. Quo modo, cum per tartarum nihil aliud, quam excrementum, quod in qualibet coctione ſecernitur, intelligere videantur, rem ſatis non explicant; cum diuerſarum partium diuerſa ſunt excrementa. Cautius ij loquuntur, qui tartarum generari ſtatuunt, cum in humorem mucilaginoſum & viſcoſcum ſpiritus ſalis incidit, eúmque coagulat, tartarúmque appellant, mucilaginoſum excrementum cibi & potus à ſpiritu ſalis coagulatum. Sunt enim pleraque, quæ euomuntur, amara vel ſalſa. *Quomodo generetur?*

Quapropter non negamus quidẽ partes quaſdã colluuiei huic humorũ ineſſe, quas Chymici meritò tartareas appellare poſſint, craſſiores puta, feculentas, lutulentas & fixiores, quæ ad mali huius diuturnitatem faciunt. Nam cum animalia ex plantis alantur, plantæ è terrâ ſuum alimentum attrahant. hæc autẽ in ſe materiæ ſal-

ſuginoſæ

fuginosæ non parum, mineralesque partes, aut spiritus in se contineat: facilè hinc apparet, alimenta, quibus vescimur ἀνεπιτήδεια, ἄκρητα καὶ ἰσχυρὰ, vt appellat Hippocrates, *de prisca Medicina*, multa in se continere, quæ cum nullo modo in alimentum corporis abire possint, maturè, ac si fieri possit, mox in primâ coctione secerni debent. Quod nisi fiat, & in primis vbi relinquatur, & ab aliis postea secreta fuerint & per se extiterint, non solum secundum primas qualitates homini nocēt, sed & secundum δυνάμεις, ἀκρότητας καὶ ἰσχύς, vt *ibid.* Hipp. nominat, quatenus scil. amara salsa, acida, aut acerba sunt, aut similes qualitates habent. Hinc frequens est hypochondriacis, vt amara, salsa acida vomant, quibus etiam dentes obstupescant. Atque has ipsas qualitates simul acceptas volumus, cum humoris melancholici vel atri mentionem facimus. His enim eius natura absoluitur, non solum qualitatibus primis.

Atque ob hos ipsos humores feculentos, adustos, fixos, qui mali huius præcipua caussa sunt, si quis malū hoc tartarum hypochondriorum appellare velit, per me id sanè licet: modò caussæ huius mali proximæ humoris nomen non deroget, neque hoc neget, in hac colluuie non solum adesse humores fixos, & qui ad coagulationē tendunt, sed & vaporosos & flatulentos, vnde tot cerebri & cordis per consensum affectus in hoc malo excitantur. Verum quæ humorum, qui mali huius caussa, diuersitas sit, ex iis, quæ de partibus, in quibus generantur, dicenda iam sunt, magis patebit.

Secundò ergo partes, in quibus generantur humores, huius mali caussa, & morbos ac dispositiones earū, ob quam vitiosi humores generantur, quod attinet, nec dē eo omnes idem docent. Diocles, vt ex loco supra allegato patet, præcipuam huius mali caussam obstructionem venarum mesentericarum & calorem, ea de caussa ortum, statuit; quibus ex aliorum sententia addit, oris ventriculi inferioris inflammationem. Et sunt multi, qui in hoc & in aliis morbis nihil, nisi obstructiones accusant. Verùm equidem non negamus, in aliquibus vasis humores quasi impactos esse, ita quidem, vt vasa ista veluti varicosa & cancrosa fieri interdum scribat Mercatus, *lib.1. de cur. morb. int. cap.17.* Etenim si natura vitiosos humores in vena caua per ramos eius in certas partes depellere potest, vt in cruribus varices, in aliis etiā partibus venæ cancrosæ humore atro turgeant: cur non idem in ramis venæ portæ accidere posset? Atque id vbi accidit, malum ferè desperatum est, & medicamentis facilè exacerbatur. Interim tamen quod hoc semper fiat, non est necessarium, sed in venis & arteriis multos prauos humores sine obstructione colligi posse, neque hic obstructionē primariam huius mali caussam esse, etsi quandoque concurrere possit, vel ex eo patet, quod in hoc morbo manifestus sit ex liene in ventriculum & contra commeatus. Et ipse Galenus, *5. de loc. affect. c.6.* plures ex hypochondriacis splenicos esse, & ex hoc etiam viscere μοχθηρὸν ἰχῶρα irruere scribit. Neque ab obstructionibus venarum hoc malum fieri, id satis argumenti est, quod adfert Diocles, quod alimentum corpori non distribuitur, sed in ventriculo maneat incoctum, & postero die vomitu reiiciatur. Nā hoc si fieret, alimentum in toto corpore deesset, neque corpus ita nutriri, quod tamen plerumque fit, posset; sed ideò hoc euenit, quod ea cibi pars, quæ in ventriculo cruda manet, & in pituitam mutatur, à partibus aliis non atrahitur, cum vt alimentum corpori præbeat inepta sit, vt infra dicetur.

Paulus Ægineta, *lib.3. de re medicâ cap.14.* & ipse melancholiam hypochondriacam ex inflammatione circa stomachum oriri scribit. Verum si inflammationem nō veram, sed φλόγωσιν seu calorem, & æstum intelligit, facilè tolerari eius sententia potest. Φλεγμονὴν autem propriè dicta admitti non potest; cum hæc sine febre, quæ in hoc affectu rarò apparet, excitari non possit.

Auicennas, *lib.3. fen.13. tract.2. cap.1.* & ab epate, & à liene malo huic materiam subministrari scribit. Ait enim, *esse quosdam, quibus accidit dolor stomachi cum comedunt; & sedatur post concoctionem, & eorum plurimos esse melancholicos, & pati melancholiam hypochondriacam: esse quosdam; quibus accidit dolor in fine spatij comprehensionis cibi, vt loquitur interpres, in stomacho; & horum quibusdam dolorem non sedari, donec euomuerunt humorem aceto similem, ex quo ebullit terra; quo vomitu reiecto sedatur dolor. Alios verò esse, quorum dolor sedatur cum descensione cibi; non cum vomitu; & caussam quidem primi esse effusionem melancholiæ ad stomachum; secundi verò esse effusionem bilis ad ipsum ex epate: qui tamen duo humores non mox lædant, quoniam in profundum ventriculi effunduntur, verum cum cibo permiscentur, eo commouentur & adscendunt ad os stomachi, illudque vellicant.* Quæ sententia, si rectè explicetur satis commoda est. Etenim vt nec vnus humor, ita nec vna intemperies in hypochondriacâ affectione adest. Ex æstu enim circa præcordia, ex vomitu bilioso & æruginoso, delectatione ex frigidis, calidam intemperiem adesse colligitur: contra flatus, ructus acidi, sputum copiosum, coctionis debilitas, crudorum succorum vomitus, frigidam intemperiem arguere videntur.

Rondeletius, *meth. curandi morbos c.42.* Malum hoc ab intemperie sicca cū aliquâ caliditate sine affluxu, sed cū obstructione potius à sanguine crassiore fieri statuit. Cum Rondeletio ferè consentiunt ii, qui in hac affectione ventriculum & intestina calidā & siccā intemperie laborare putant, eaque calidiorem & sicciorem chylum producere, venasque etiam mesenterij intemperie siccā & calidā laborare, eamque foueri chylo crasso & coctura calidiore. — *An ab intemperie siccā?*

Verum, vt, quid nobis hac de re videatur, dicamus, & modum generationis affectionis hypochondiacæ proponamus; primò monendum, Autores, dum in hoc obscuro, & multis symptomatibus implicato affectu explicando laborarunt, alios ad alia respexisse, & alios quidem partes tantum, quarum læsione sese maximè prodit, alios eas præcipuè, in quibus mali quasi scaturigo est, considerasse. Ideoque discernendum esse inter partes, quæ per consensum in hoc malo afficiuntur, & inter locum, in quibus materia mali caussa primaria generatur & colligitur. Deinde sciendum, etsi ventriculus afficiatur, adsint vomitus & alia ventriculi malè affecti indicia: tamen satis multa testantur, istos humores nō omnes in ventriculo generari, sed aliunde transmitti. Et licet in ventriculo generentur: tamen saltem symptomatum, quæ circa ventriculum, non verò in genere affectionis hypochondriacæ caussam esse; locum verò, vt iam ante dictum, in quo continetur caussa huius mali, esse vasa, quæ ad ventriculum à liene & epate tendunt, & præcipuè, quæ à liene, *antea* dictum. Quibus & maiores venæ portæ ramos, & quæ hos comitantur, arterias, quæ mesenterio & omento inferuntur, addere possumus. — *Generatio affect. hypocōdr.*

Caussam autem generationis horum humorū quod attinet, aliter alij hac de re sentiunt. Humores quidem illos crassos pituitosos, & sæpe instar glutinis viscidos, qui vomitu reiiciuntur, à ventriculi debilitate generari satis manifestū esse putamus; quæ ex eo præcipuè ortum habet, etsi caussa hæc à paucis attenditur, quod ventriculus vitioso sanguine à liene transmisso nutriatur, vt infra in symptomatum explicatione dicetur. Mēbrum enim si vitioso sanguine alatur, bene sese habere, & rectè suum officium exequi non potest. Vasa autē illa inter ventriculum & lienem quod attinet, hoc quidem extra controuersiam est, humores huius mali caussam in iis contineri: sed de hoc quæstio est, an suâ, an alterius visceris culpa hos humores cumulent hæc vasa. Equidem venæ ipsæ à plurimis accusantur, quod calidâ & siccâ intemperie laborent; neque id negandum. Interim si omnia diligenter perpendamus, animaduertimus, vasa hæc eam ipsam intemperiem à vitiosis; quibus — *Caussa generationis affect. hypochondr.*

Marginal notes (left margin, partly cut off): *Caussa affect. hypochond.* — *An ab obstructionib. venarum affect. hypochondr.* — *An ex inflammatione circa stomachum?*

quibus ſcatent, humoribus, & vicinis,viſceribus malè ſeſe habentibus, accipere.

Alij ventriculum caloris & ſiccitatis arguunt, vt ſupra dictum, ſimilemque chylum in eo generari ſtatuût. Verum tantum abeſt, vt ventriculus ſit calidior & ſiccior, vt etiam à pleriſque frigidior ſtatuatur; id quod ex ſaliuæ copia,ructibus acidis,tardâ & difficili coctione,aliiſque ventriculi frigidi ſignis cognoſcitur,& cruditas nidoroſa, quod fieri deberet, ſi intemperie calidâ & ſiccâ ventriculus laboret,minus,ſed acida potius hypochondriacis familiaris eſt,ac ſi quam bilem reiiciât, ea non in ventriculo generatur, ſed ex vicino epate effunditur. Et ipſi concedunt in hypochondriacis generari chylum craſſum & viſcoſum,qui pituitoſus potius eſt,quam melancholicus, & pituita etiam vomitu reiicitur. Neque id ventriculi calorem arguit, quod præceſſerunt febres ardentes, vel diuturnæ. Nam id non ſemper accidit; & vbi accidit, febres tales potius calorem ventriculi diſſipant,& imminuunt, quam augent. Et omnia alia, quæ pro aſſerenda ventriculi temperie calidâ, & ſiccâ afferunt,ea potius, vt etiam Diocles docet, vaſis, quæ alimentum ex ventriculo excipiunt, competunt, quam ea à vitioſis humoribus accipiunt.

Atque ita ἀντιπερίστασις potius eſt inter ventriculum ac venam portæ, ac lienem & epar. Et ſunt iſtæ contrariæ intemperies tàm manifeſtæ, vt plurimi Medici dubitarint, vtram huius mali cauſſam conſtituere debuerint.Et ſi quæ eſt caliditas & ſiccitas in venæ portæ ramis,quam etiam Diocles agnouit,eam potius acceperunt à liene & ſanguine in eo elaborato,& mali ſi quid patiuntur ventriculus & venæ portæ rami,id acceptum ferunt lieni, qui ſanguinem incommodum pro iſtis nutriẽdis elaborat, vt poſtea dicetur.Neque flatus calidam & ſiccam intemperiem ventriculi ſatis arguunt,de quorum generatione poſtea dicetur. Et quamvis in curatione mali adhibeantur, quæ primas vias detergunt, humectant, & modicè refrigerant: tamen hoc non fit ratione ipſius ventriculi,ſed ratione vaſorum, quæ ſunt inter ventriculum & lienem. Et omninò iſta ἀντιπερίστασις viſcerum curationem difficilem reddit, dum audacter ventriculum calefacere non licet.

Quapropter ſi rem hanc hinc inde penſitemus,& humores ipſos, à quibus affectio hypochondriaca prouenit, ac cauſſas, quæ præceſſerunt, diligenter conſideremus, commodiſſimum videtur ſtatuere, præcipuam, à qua vitioſi humores, proxima huius mali cauſſa, generantur, cauſſam eſſe lienem: etſi quandoque & epar non extra culpam ſit:Ventriculum verò, etſi quoque ad mali huius generationẽ facere poſſit, tamen non cauſsã proximam eſſe, ſed remotã,quatenus ſcilicet chylum prauum ſuppeditat. Cũ enim lien, vt *Inſtitut.l.1.c.9.* & ſupra *par.4.c.1.*ſatis monſtratũ eſt, & à doctiſſimis hodiè Medicis approbatur, etiam ſanguificandi organum ſit,& craſſiorem chyli partem ad ſe trahat(quod etiam ii concedunt, qui tenuem ſanguinem in eo elaborari ſtatuunt)ac ſanguinem craſſiorem pro alendis in ventre inferiore viſceribus,ventriculo, inteſtinis, meſenterio, omento elaboret,& ita prima ſanguificatio fiat in liene, ac quod impurum adhuc eſt,in liene,primũ,ne ad epar perueniat, ſeparari debeat: non mirum,ſi vel is debilis ſit, & malè ſeſe habeat, vel erratum aliquod in prima coctione cõmiſſum ſit, quod in ſecunda hâc corrigi nõ poteſt,vitioſum ſanguinem in liene generari. Vt enim alia membra coctioni & officiis publicis deſtinata, vbi in actionibus ſuis fine ſuo fruſtrantur, vitioſos humores generant: ita idem in liene fieri neceſſarium eſt Et ſicut ventriculus frigidus cruditatis acidæ, calidus nidoroſæ cauſſa eſt,epar dum ſe malè habet,nunc ſanguinẽ bilioſum, nunc crudum, nunc aquoſum generat:ita etiam lien malè diſpoſitus vitioſum ſanguinem generat, & præcipuè in hac affectione acidum. Atque ita in affectione hypochondriaca lien ſemper laborat. Hinc porro patet, ſi lien ſanguinem pro ſui officij ratione non bonum generet,partes modò enumeratas etiã bonũ nutrimentũ ab eo non accipere,& eas ipſas inde debilitari,ac multos vitioſos humores neceſſariò circa illas partes cumulari;imprimis ſi per conuenientes vias non euacuentur. Etſi enim lien natura ſua ſanguinem craſſiorem generat,atque etiam in eius coctione quædã excrementa proueniunt:tamen ea in homine ſano non ſunt plura, quàm quæ quotidiè per conuenientes vias iterũ euacuari poſſint.Si verò plura ea proueniunt, quã euacuari poſſint, ad mali huius generationem faciunt.

*An lien cauſa ſit collectionis humorum vitioſor. in affect. hypochondr?*

Sunt quidem nonnulli, qui lienẽ huius mali cauſſam eſſe negant,& culpam in hac affectione in eum immerito träsferri cenſent. Nitũtur autem ea præcipuè ratione,quod lien,vt ex eius tota cõſtitutione ſatis patet,nõ melancholici excrementi ſit receptaculum, ſed ſanguinis,& quidem tenuioris officina. Verum in priore equidẽ,quod ſcilicet non ſit humoris melancholici receptaculum lien, ipſis facilè aſſentimur.

*Lien qualem ſanguinẽ generet?*

*An lien ſanguinem tenuiorẽ generet?*

Deinde lienem ſanguinem quendam feruidiorem ex craſſiore chyli parte & ſanguine arterioſo mixtis generare, ſupra *part.4.cap.1.*dictum. Quod vero lien ſimpliciter tenuiorem ſanguinem generet, facilè ipſis aſſentiri non poſſumus.Neque enim credibile,inteſtina & inferioris ventris membra, nobiliore ſanguine,quã reliquas corporis partes,ali; & ipſum lienis parenchyma, quod rubore & puritate ab epatis parẽchymate multũ diſtat,& quodammodo nigricat, craſſiorem etiam ſanguinem in eo generari docet. Et quocunque ſe vertant ii, qui tenuem in liene ſanguinẽ generari ſtatuunt:hoc tamen fateri neceſſe habent,craſſiorem chyli partem ad lienem,antequam ad epar proueniat,deferri;neque mõſtrare poſſunt,inde ſanguinem in liene nobiliorem,quã in epate generari:vtpote qui,vt dictum,partibus ignobilioribus alendis dicatus eſt; & ex craſſiore materiã, quam ſanguis in epate generatus, conſtat. Sit ſanè, vt multo ſero diluatur, non ob id tamen præſtantior eſt: hoc ipſum potius eius craſſitiẽ arguit, quæ,vt diluatur, multo ſero opus habet. Vnde ipſe etiam Ariſtoteles nõ epati prætulit lienem,ſed νόθον ἧπαρ appellauit.Sit etiã, vt hoc faceret lien; tamen rectè agens ſalem id præſtaret, vbi ſcilicet ſuccum aquoſo humore dilutum & rectè coctum ad ſe trahit:vbi verò tenue quod eſt primò ad ſe trahit,& forſan etiam reiicit,quod per vrinam fieri ipſa experientia teſtatur,antequam craſſior pars ſuccedat, non niſi vitioſum & craſſum ſanguinẽ,inde fieri poſſe,manifeſtum eſt. Itaque ipſi concedant neceſſe eſt, dũ lien aberrat in ſuo opere,craſſum gignere ſanguinẽ, qui multo ſero ad motum indiget, quo ſi deſtituatur, illudque præpoſterè aliò repiatur, multorum morborũ cauſſa eſſe poteſt.Nemo verò opinor eſt,qui in lienẽ bene ſe habentẽ & ſanũ vel affectionis hypochõdriacæ vel alterius mali cauſſã referre velit.Quamuis verò omnia ſymptomata, quæ hypochondriacis accidunt, proximè ex ipſo liene deduci nõ poſſint, ſed facilè concedamus, in vaſis & locis propoſitis materiam horum malorum cauſſam hærere: tamen hinc non ſequitur,quod liẽ nihil ad horum generationem faciat: ſicut non ſequitur, quod ſanguificationis organum, licet non ſit ſcabioſum,ſanguinem vitioſum non generet.Si enim lien ſeu ſuo vitio ſeu ob errorem externum, ſanguinem excremento melancholico præter naturam ſcatentem generet, illud in locis modo dictis & in partibus, ad quas nutriendas is mittitur, cumulatur. Vnde obſeruatum eſt ſæpiſſime, lienem & vicinas lienis venas nigro humore fuiſſe oppletas & diſtentas.

Verum quod Marcellus Donatus,*de hiſt.med.mirab.lib.4.c.8.*optat,id omnibus Medicis, præſertim in Germaniã optandum eſt, vt cadauera eorum, qui hoc morbo pereunt, inſpiciendi poteſtas ſæpe detur. Ita enim multæ controuerſiæ facilè componi, & multis rectius conſuli poſſet. Sed neſcio quæ ſuperſtitio obtinuit, vt piaculum vulgus habeat, cadauera hominum, aliàs vermium eſcam,anatomiæ debitæ committere;cum tamen

men summorum Imperatorum, Regum, & Principum autoritati id nihil deroget.

*C... lien san-gu... em non ge... ret?*

Quod autem lien sanguinem bouem non generat, accidit, vel ipsius, vel chyli, quem è ventriculo accipi., vitio. Lienis vitium, quod plerumque prima huius mali caussa est, principio est eius intemperies calidior, quam par est; cui sæpe & caliditas epatis accedit. Hinc enim accidit, vt lien, sicut & epar, ob caliditatem cibum & potum sæpe adhuc crudum ad se trahant, & quidem tenuem & aquosam chyli partem maturius, crassam tardius, vnde postea crassior vehiculo destituta, in mesaraicis subsistit, atque ibi hærens vlterius incrassatur, sæpe etiam aduritur, & postea ad lienem perueniens non rectè coquitur.

Reliqua quod attinet, quæ lienis sanguificationē lædunt, & ob quæ is suis actionibus frustratur, quæ omnia erroris externi nomine veniunt, sunt primò cibi praui succi, difficilis coctionis, & omnia, quæ humorem crudum, crassum, melancholicum generare solent. Quales sunt panis furfuraceus, non bene fermentatus, crusta eius, præcipuè legumina & lacticinia, oua indurata & frixa, aues in paludibus & stagnis degentes, carnes ferinæ pleræque bubula, & omnes sale & fumo induratæ, pisces palustres & viscosi exsiccati & sale conditi, brassica, & similia, dulcia etiam omnia. Nam *τοῖς σπληνικοῖς τὰ μὲν δριμέα καὶ τὰ μὲν πικρὰ ὠφέλιμα: τὰ δὲ γλυκέα βλαβερά.*

Veruntamen intemperies illa calida non semper durat, sed vbi deferbuit, vt fieri solet, siccitas plerunque relinquitur. Imò non solum ad qualitates has respiciēdum, sed & modus substantiæ attendendus. Vt enim vbi epar substantiæ suæ modum integrum obtinet, & succulentum, rubicundum ac floridum quasi est, rectè sanguificat: ita & lien, si naturalem illam *διάθεσιν* & substantiæ modum habeat, rectè etiā sui generis sanguinē generat, si verò sit siccior, durior, aut etiā scirrhosus, officium suum rectè exequi nō potest. Hinc etiam accidit, vt non pueros vel adolescentes hoc malum affligat, sed circa annum ætatis trigesimum plerunque inuadat, vbi iam temperamentum lienis fit siccius, eiusque substantia durior, simulque humores, qui in iuentute à calore acriore aduruntur, postea, vbi calor ille deferbuit, tenuioresque & calidiores partes exhalarunt, crassiores & melancholici fiunt, melancholicusque ex lienis natura tum sanguis generatur.

*Cu... ueros & ado... cētes nō affli... t af-fect... ypochō-dri... .*

Et omninò omnes diætæ errores & *τὸ ποικίλον τῆς διαίτης* huc pertinet, & ob solos diætæ errores, nullo ante, in ventriculo vel liene, vitio existente hoc malū generari potest. Existimantque præstantissimi Medici, hanc ipsam in diæta peccandi hodie licentiam, caussam esse, cur pauci ab hoc malo immunes sint.

Non solum a. cibi praui chyli vitiosi causa sunt, sed etiam ex bono cibo & potu ventriculus, si vel natura debilior sit, vt diætæ errores tolerare non possit; vel diætæ erroribus, vel etiam à liene prauū alimentū submittente debilitatus sit, prauum chylum generat; cum membrū, quod prauè nutritur, officium suum rectè exsequi non possit. Quas ob caussas omnes ventriculus plerunque cruditatis acidæ caussa est, si tamen calidior sit, & cruditatem nidorosam pariat, ea quoque, si sæpius continuetur, ad hoc malum generandum facere potest.

Siue igitur ciborū, siue ventriculi vitiosus crudus & vitiosus chylus generetur, vbi ad lienem & epar transiturus propter crassitiem in viā subsistit, & morā trahit, flatibus originē præbet, hypochondria distendit, atque vbi calorem concipit, aduritur, & vberiorem posteà melancholico humori materiam suppeditat.

Deinde etiam animi affectus, ira, & præcipuè, ira, & curæ ac mœstitiæ, malo huic caussam præbent; ac vulgò etiam notum est, maximè incommodum esse, si quis iratus, vel perterritus edat vel bibat. Et quidem duplici de caussa hoc accidit. Primò enim ab eiusmodi affectibus spiritus, vt omnibus actionibus; ita & coctioni ciborū necessarij, ad alias partes auocantur. Vnde coctio in ventriculo labefactatur, crudusque & prauus chylus inde generatur. Deinde vt in ira bilis cōmouetur aliisque humoribus permiscetur, eosque corrumpit; ita etiā melancholicum, pituitosum & atrum humorem, si ira & mœror coniungantur, commoueri credibile est; qui cum chylo non benè cocto commiscentur, eumque amplius corrumpunt, vnde sanguis laudabilis gigni nequit, sed humor chylo qualitatibus respondens, partim biliosus, partim melancholicus, partim ater gignitur, & hinc rursum pro alendis visceribus infimi ventris transmittitur, & in hypochondriis praui humores cumulantur. Quibus accidit & hoc, quod in animi affectibus imprimis in arteriis humores mouentur & affciuntur: cum verò lien arteriis multis abundet, easque quintuplo plures, quam venas obtineat, in animi talibus affectibus, & eius actionem turbari necesse est.

Hisce de caussis omnibus ob ventriculi scil. debilitatē & in victu errores, cum bonus chylus non generatur; vitium hoc coctionis primæ in secundā non corrigitur: & quod peccatum est, nec in vena porta, nec in liene, nec epate emendatur; imò si hæc viscera non benè sese habeant, in iis ampliùs corrumpitur.

Deinde cum in ista, quæ in liene fit, sanguificatione etiam sua excrementa generentur, si ea non rectè excernantur, sed in dictis locis cumulentur, ad mali huius generationem plurimum facere possunt. Fit verò hoc; cum ea plura, quam par est, generantur, vt omnia debito modo excerni non possint. Faciunt huc quies & otium, ob quæ multa excrementa in corpore retinentur, imprimis si accedunt medicationes & lucubrationes cerebriores. Vnde literati, & ii, qui vitam sedentariam agunt, maximè huic affectui sunt obnoxij.

Imprimis vita sedentaria, vt in genere ad excrementa in corpore retinenda multum facit, ita in specie ad accumulandos in dictis locis humores hosce multum potest. Cum enim glandulę crebræ in mensenterio & pancreate hac etiam de caussa factæ sint, ne à ventriculo & intestinis repletis, vel corporis inflexione, & abdominis cōmpressione ea vasa comprimantur, & distributio humorum impediatur: certè in vita sedentaria continua, vix fieri potest, quin vasa ista non aliquomodo comprimantur, vt etiam glandulæ istam cōmpressionē satis prohibere non possint. Neque etiam necessarium est, vt in mortuis lien semper vel durus, vel scirrhosus, vel tumidus, vel alio modo ad sensum malè affectus reperiatur, sufficit, si vel eius temperies, vbi occultæ proprietates non sunt excludendæ, vel substantiæ modus fit læsus, ob quæ vitia non recta fiat in eo sangnificatio: quæ tamen sensibus deprehendi non possunt.

Quò faciunt & ipsæ glandulæ, quæ in mesenterio plurimæ sunt. Cum enim glandulæ non solum vasis, quæ per mesenterium plurima disseminantur, fulcimentū & firmamentū sint, sed & obstent, ne vasorum ductus vel à repletis intestinis, vel alia de caussa, comprimantur: si ipsa præter modum intumescant, ipsa vasa comprimunt: & imprimis hoc præstare potest glandula illa insignior in centro mesenterij, quæ primæ vasorum distributioni addita est, & qua rumore laborante totius corporis marcorem, ob impeditam chyli distributionem secutam fuisse, obseruatum est.

Tandem etiam suppressæ consuetæ mensium & hæmorrhoidum euacuationes in caussa sunt, vt talia excrementa in primis viis cumulentur. Nam cum per hæmorrhoides naturæ instituto humores melancholici, adusti & salsi purgari soleant, si euacuationes istæ in iis, quibus consuetæ sunt, subsistunt, aut si in fœminis sanguis. qui ad vterum descendere debebat, & vitiosi humores, qui cum eo solent excerni, subsistant, in hypochondria decumbunt, & malo huic materiam suppeditant. Et sæpe in fœminis affectiones hypochondriacæ & vterinæ ita similes sunt, vt vix discerni possint, imò interdum coniungantur.

Et

Et nihil eſt omninò è rebus non naturalibus dictis, in cuius vſu ſi peccetur, vt inde vel χύλωσις vel αἱμάτωσις lædatur, quod non etiam ad huius mali generationem facere poſſit; cum quicquid vitioſum in hiſce coctionibus generatur, maximam partem in hiſce locis cumulari ſoleat.

## CAPVT IV.

### *Signa Diagnoſtica & ſymptomata, quæ affectionem hypochondriacam comitari ſolent.*

*Signa Diagnoſtica & ſymptomata, quæ affectionē hypochōdriacā comitari ſolent.*

Tertium, quod explicandum iam eſt ſunt ſymptomata, quæ in affectione hypochondriacâ occurrūt, atq; ita vna opera ſigna diagnoſtica ſimul explicabūtur. Etenim, vt de cauſſis, quæ anteceſſerunt, quæ etiam ſignorum fontem præbent, nihil amplius dicamus, cum ſupra explicatæ ſint, adſunt cruditas & ἀπεψία ventriculi, flatus, rugitus ventris, ructus acidi, ſaliua multa, aluus eſt adſtrictior, æſtus in hypochondriis, lien in quibuſdam inflatur & intumeſcit, vrina varia eſt, nunc tenuis nunc craſſa, turbida, feculenta, rubicunda: animi anxietas, arteriarum in ſiniſtro hypochondrio pulſatio, reſpiratio difficilis cordis palpitatio, pectoris dolor, laſſitudo ſpontanea, dolor crurum, vertigo & oculis obuerſans caligo, aurium ſonitus in quibuſdam metus, triſtitia, delirium, & alia. Non tamen in omnibus eadem, ſicut & in aliis plura, in aliis pauciora apparent.

Primò in pleriſque hypochondriacis ventriculus malè ſe habet, & multa circa eum apparent ſymptomata, adeo quidem vt nonnulli interdum hoc modo affecti ſaltem ventriculo ſeſe male habere putent, eumque ſolum accuſent. Neque mirum, hoc accidere. Longè enim alia eſt partium, quæ ſibi ſaltem nutriendis laborant, ratio, quàm earum, quæ toti corpori proſpiciunt. Nam licet muſculo alicui malum nutrimentum apponatur, toti corpori id parum nocet: at ſi membrum toti corpori inſeruiens non bene ſeſe habet, toti corpori damnum infertur. Res manifeſta eſt in epate, quod dum ſanguinem non bonum generat, cachexiæ, hydropis, ſcabiei, & aliorum malorum cauſſa eſt. Idem in ventriculo accidit. Nam ſi ſanguis pro nutritione ventriculi è venæ portæ ramis affluens non bene ſe habeat, ipſe etiā malè nutritus debilitatur, & malè coquit, & cibum in alienam ac vitioſam planè ſubſtantiam conuertit; imò cibos quoſdam ex peculiari vitio planè non alterat, vt licet cibi reliqui mutentur, hi tamen poſtea planè crudi vomitu reiiciantur.

Atque ita reciproca quædam malorum generatio eſt, dum lien prauum ſanguinem nutriendo ventriculo ſuppeditat, atque ab eo rurſum malum chylum accipit. Nimirū plerique hypochondriaci malè cibos coquunt, & non in chylum bonū, ſed in materiam nunc aqueam, acidam, acerbam, ponticā, nunc viſcidam mutant, quæ cum nec ab inteſtinis, nec vaſis meſaraicis, vtpote ingrata & corpori alendo inepta, attrahatur, atque ita in ventriculo hæreat, nunc ſurſum repit & linguam ac os ſaliuâ & humiditate aquea copioſa replet, vt continuò ægri ſaliuam & pituitam exſpuere cogantur; ſæpe etiam vomitu reiicitur. Antequam verò id fiat, maxima ſæpe præcedit in ventriculo humoris huius ebullitio & inde flatuum copia excitatur, qui non ſolum ventriculum, ſed & vicinas partes diſtendunt, & tantam circa præcordia anguſtiam atque anxietatem excitant, vt ægri in lipothymiam interdum incidant. Quæ ſymptomata non prius ceſſant, quam quod craſſius eſt vomitu reiiciatur, quod verò tenuius & vaporoſum, per poros & ἄδηλον διαπνοὴν diſcutiatur, quod interdum cum horrore febrili accidit, quem etiam calor quidam ſequitur, qui poſtea ſudore euaneſcit. Nonnulli quidē hæc omnia ideò accidere putant, quod craſſiores chyli partes propter obſtructionem venarum non poſſint deſcendere & diſtribui. Verùm obſtructio ſæpe nulla adeſt, & proptereà nobis, vt dictum, probabilius videtur, idò accidere, quia cibus & potus non in chylum bonum mutatur, ſed in materiam alienam & naturæ inutilem conuertitur, vnde eam reliquæ corporis partes à ventriculo nec attrahere nec recipere cupiunt. Interim tamen hoc hîc notandum, cū ægri cum talibus vomitibus continuis ſæpè diu viuant (ſicut monialem illam, quā vt refert Guil. Fabricius *cent. 4. obſerv.* 32. ab ætatis anno decimo tertio ad quadrageſimum quartum ſingulis diebus materiā pituitoſam, ac inſtar glutinis viſcidam euomuit, hypochondriacam fuiſſe putamus, vt & aliam fœminā nouimus, quæ à multis iam annis ſæpiſſimè acida & ſalſa euomit, vt etiam dentes ipſi ſtupeſcant, interim ſua munia ſat benè obit,) & excremēta alui etiam reddant, neceſſe eſt, aliquid cibi in bonum chylū mutari, idque etiam à natura retineri & attrahi, inde accidit vt, quod mireris, dum ægri illam pituitoſam & aquoſam materiā, in quam cibus corruptus eſt, vel inter edendum etiam, continuò exſpuunt, vel mox poſt cibum ſumtum euomunt, nihilominus cibus modò aſſumtus non ſimul reddatur, & euomatur, vtpote ex quo natura adhuc aliquid vtilis alimenti elaborare conatur.

Monendum tamen hoc, ea quæ è ventriculo euomuntur, non omnia in eo generari, ſed interdum etiam è liene & locis vicinis tranſmitti. Ita vero tàm acida à quibuſdam euomuntur, vt etiam dentes, vt modò dixi, ab iis ſtupeſcant, quæ procul dubio in liene vitioſè concreta generantur; quæ atræ bilis nomine vulgò veniunt, etſi atrum colorem non ſemper habeant. In quibuſdam vitioſi humores per vas breue cum ſanguine in ventriculum è liene effunduntur, atque ſanguis iſte per vomitum poſtea reiicitur, in quibuſdam etiam per aluum euacuatur.

Flatus deinde huic malo ita ſunt familiares, vt iā olim etiam, teſte Diocle, flatuoſa hæc affectio ſit appellata. Cùm enim flatus duas habeant cauſſas, calorem imbecillem & materiam humidam, eæ & hic locum habent. Frigus enim nimium cum reſoluere materiam nō poſſit, vix illum flatum excitat; ſicca etiam materia, vtpote non reſolubilis, materiam flatibus non præbet. Verùm ſciendum eſt, non ſolum eum calorem dici debilem, qui natura ſua talis eſt, & qui materiam aliâs commodam coquere, vincere & ſubigere non poſſit, ſed & eum hîc intelligendum eſſe, qui aliàs quidem ſatis fortis eſt, aut ſæpè naturali maior, non tamen tantus, vt materiā, quæ vel nimis copioſa eſt, vel viſcida, aut omnino talis; vt reſoluta multos vapores excitet, omnem diſcutere poſſit. Vtroque modo in hypochondriaca affectione flatus, & inde prouenientes ructus, rugitus & murmura generari poſſunt. Primò enim cum ventriculus & inteſtina (nam plerunque labes illis communis eſt) cibum non rectè concoquere poſſint, multi flatus inde generantur: deinde cum calor in vaſis illis, quæ ſunt inter ventriculum & lienem, viciniſque in locis ſit validior, & materia ibi flatulenta hæreat multa, & quotidie ex coctione ventriculi debili chylus crudus, craſſus & flatulentus ad venæ portæ ramos tranſmittatur, non mirum etiam eſt, multos flatus inde generari. Vnde rectiſſimè ſcripſit Fernelius, *lib. 6. de part. morb. ac ſympt. cap. 5.* tunc præſertim ructus & flatus generari, cum bilis flaua vel atra ventriculo ſubſternitur.

*Flatus & fluctus quomodo generentur in Affect. hypochondr.*

Vbi autem flatus illi hæreant, dubium. Equidem in ventriculo & inteſtinis etiam flatus eiuſmodi hærere non negamus: verum imprimis in ſiniſtro hypochōdrio fluctuatio percipitur. Cuius rei cauſſam nonnulli conſtituunt colon inteſtinum, quod eò loci ſit arctius, vbi facilius flatus ſedem figere, quàm exire poſſint: tamen quia & inde exitus aliquomodo patet, hic locus eſſe nō poteſt. Scribit enim Marcellus Donatus *de hiſtoria medica, mirab. lib. 4. cap. 8.* ſe ſemper obſeruaſſe, quamuis repetitis euacuationibus cætera ſymptomata quieſcant, nunquam tamen fluctuationem tolli, neque imminui etiam, idque argumento eſſe, aquoſitates eiuſmodi (ado

*Vbi flatus hæreant.*

do etiam flatus)aliquo loco contineri, à quo nullo pacto possint vel saltem difficile dimoueri. Ipse verò statuit, hunc locum esse inter binas tunicas seu membranas Mesenterij.Calore enim absumta pinguedine inter binas illas membrans vacuum locum relinqui,qui postmodum paulatim ichoroso humore à venis Mesenterij resudante repleatur, qui compressis intestinis moueatur & hanc fluctuationem edat. Verùm si caussa esset hæc absumptio pinguedinis in mesenterio,in omnibus eius partibus æquè hæc fluctuatio perciperetur.At verò in sinistro saltem hypochondrio in vno loco percipitur,& noui quosdam,qui quoties sinistrum hypochondrium, & quidem vno saltem in loco comprimerent, sonitus ab adstantibus audiretur.

Vero ergo magis consentaneum est, istos flatus contineri in illa cauitate in sinistro hypochondrio sub diaphragmate,ex ventriculi,omenti,coli & viscerum connexu orta, & exitum non habente, sed ita conclusa,vt aquam & flatus continere possit, ab Hier. Fabr. ab Aquap. in historia seu structura omenti luculenter descripta, de qua *supra* etiam dictum.

Ventriculi quoque dolores vehementes adsunt, qui nonnullis ad dorsum vsque procedunt,vt ab ægris,imò incautis etiam Medicis, sæpe pro Nephriticis habeantur; concoctis deinde cibis quiescunt, mox aliis cibis ingestis eodem modo reuertuntur, qui interdum ieiunos, interdum etiam à cœna molestant,& non cessant, prius quam ægri euomant cibos crudos & phlegmata subamara & calida & acida, adeò vt dentes stupore inficiantur, vt Diocles, *loco apud Galenum antea allegato*, habet. Cum enim,vt supra dictum, ventriculi tunicæ prauis humoribus à liene & epate eò effusis infectæ sint, non mirum,si is non bene coquat,cibusque & potus vel crudus vel parum mutatus maximas anxietates & dolores excitet. Cum enim in chylum mutatus non sit, ab intestinis nec attrahitur, nec admittitur, in ventriculo moram trahit & in flatus mutatus grauissimorum symptomatum caussa est. Ita vir quidam nobilis, horâ à cibo sumto quartâ, vel quintâ, quotidie grauissimos dolores patiebatur, qui à ventriculo in dextro latere versus dorsum & scapulas vsque extendebantur. Quâ de caussa pro Nephritico curatus fuerat, cum simul reddere vrinam rubram, crassam,hypochondriacis & scorbuticis familiarem,quæ vbi turbabatur, sedimẽtum rubrũ,instar farinæ vel pulueris laterum,copiosum deponebat, quod pro calculo resoluto malè habitum fuerat. Non verò mirum, ventriculum malè affectum partes vicinas, imò ipsos renes in consensum trahere. Etenim si renes malè affecti ob membranæ cõmunionẽ, ventriculum in consensum trahere possunt: quidni reciproco modo ventriculus dolens renes in consensũ trahere posset?Quamprimum verò Nobilis is cibum & potum, qui ita crudus adhuc erat,vt potus odor etiam post horam quintam perciperetur, vomitu reiiciebat, confestim dolore & anxietate illa liberabatur & bene se habebat,quasi nihil mali passus esset.Euomebat verò simul pituitam viscidam sibi cohærentẽ spithamæ sæpe longitudine;per aluum verò,quã,nisi medicamentis irritaretur, nunquã reddebat, eadem sine fecibus etiam reiiciebatur, sæpe vlnæ & sesquiulnæ longitudine sibi cohærens, vt famulus cum eam adspiceret, serpentem ab hero per aluum deiectum esse exclamaret. Vide etiam supra *p. 2. s. 1. c. 5.*

Aluus adstricta est ob vasorum sæpe, in vtroque latere & vtriusque visceris,Lienis & Epatis, siccitatem, ob quam alui obstructionem & flatus retinentur, qui hypochondria tendũt,& tandem fecibus permixti eas bubuli stercoris similes reddũt. Accedit hisce & hoc,quod cibus sæpè saltem in pituitam quandam & humorem viscidũ & flatuosum mutatur, vt modò dictũ qui cum corpori alendo ineptus sit, in intestinis non promouetur,& vt viscidus & glutinosus pertinacius iis adhærẽs, alui continuo adstrictæ causa est. Neque enim facultas expultrix humorem tam viscidum, nisi medicamentis adiuuetur, reiicere potest. Interdum tamen,si humores acriores reddantur & exasperentur, fluxus alui excitatur, nunc biliosum, nunc melancholicum & nigrum humorem admixtum habens.

Æstus etiam in hypochondriis & quasi inflammatorius quidam affectus molesto ardore & feruore interno,nunc in vno,nunc in vtroque hypochondrio ægros affligere solet, ex humoribus calidis & feruidis eò loci conclusis. Et solet iste calor ac æstus sese magis exserere, vbi vel cibi aut potus caliditate vel aliâ causâ humores agitati fuerint. Solentque tunc calidis vaporibus sursũ ascendentibus malæ & tota facies rubescere. Interdum etiam, & quando vapor ex largiore potu præcipuè, per corpus vniuersum dispergitur, ephemera febris quasi excitatur, quæ vaporibus illis sudore discussis intra paucas horas euanescit.

Vrina est nunc tenuis, cum scilicet humores crassi vrinæ vias obsident, quæ simul paroxysmi, ob flatuum & materiæ retentionem & caloris augmentum instantis,sunt indicium.Plerunque turbida,crassa,rubra,æris, ob materiæ admixtionẽ,imò interdum & fœtida.Quia verò plerunque cum talibus vrinis materia multa adusta salis particeps, quam tartaream appellant, copiosè excernitur, accidere solet, vt vbi vrina turbatur subsideat, vel copiosè, instar arenularum rubrarum matularum parietibus vndiquaque adhærescat,ægrisque calculi metum,qui tamen sæpe nullus adest,afferat. Etsi n. & à renum caliditate sæpe ista sabulosa materia proueniat: tamen & in epate ac venis crassiores & tartareæ sanguinis partes in materiam eiusmodi coagulantur, quæ continuò per vrinam redduntur, sine vlla calculi molestia.

Adest etiam anxietas, quæ accidit, non solùm dũ vapores ad cor ascendunt, idque affligunt,sed & dum vẽtriculus afficitur. Dum enim cibus semicrudus in eo moram trahit, & in flatus resoluitur, anxietatem ventriculi parit. Si verò ad vasa vicina intemperie calidâ laborantia peruenit, fit à calore igneo quasi quædam ebullitio, partesque chyli plurimæ in flatum abeunt; qui non solum ventriculum, sed & hypochondria extendunt, & in partibus iis, quæ sensum à neruis sextæ coniugationis accipiunt,angustiã ibi producunt atque anxietatem,cui sæpè lipothymia accedit.Idque eò facilius accidit,quod ipsa hæc vasa,vt & lien,intempestivè, quod tenuius est,ad se primò rapiunt,crassior verò pars chyli seorsim relicta diutius moram in hise vasis trahẽs corrumpitur, naturæque aduersam qualitatem accipit & in excrementum potius, quam alimentum abit. Neque hæc symptomata prius cessant, quam natura quod crassum est, vomitu reiecerit; quod verò tenuius est, per poros cutis vel sensibiliter formâ sudoris, vel insensibiliter discusserit. Acciditque hoc sæpe cum horrore quasi febrili.

Affligit etiam sæpe ægros cordis palpitatio & animi deliquium,quæ fiunt partim ob ventriculi consensum, partim quod ab humoribus prauis similes vapores ad cor adscendunt,quos dum cor depellere & à se amoliri conatur, hunc celerem,velocem & inordinatum cordis & arteriarum pulsum excitat. Atque tum plerumque ægri de via desperare & auxilium omni modo postulare solent.Iidem vapores pulsus varij caussa sunt.

Pulsatio præterea in sinistro hypochondrio fit ab intemperie calida. Vt enim arteriæ temporum pulsant magis,si corpus vel à vini potu,vel caloreSolis incalescat:ita etiam si calor maior sit in cœliaco ramo,qui in hæc loca distribuitur, fit inde pulsatio;idque præcipuè post vehementiorem motum & iram accidit. Ad quam rem etiam faciunt glandulæ in mesenterio plurimæ, & præcipuè magna illa, quæ in centro eius primæ vasorũ distributioni addita est. Cũ n. glandularum harum & hic vsus sit, ne vasorum ductus comprimantur, si illa multo crasso & melancholico humore turgeant, arte-

rias comprimunt, vnde in arteria cœliaca sinistram partem perreptante maior pulsatio excitatur.

Dum autem vapores illi resoluuntur,& per oesophagum vel asperam arteriam adscendunt, palatum, linguam, & os exiccant, & sitim leuem excitant.

Respiratio difficilis sæpe redditur,& quidam dolor & constrictio in pectore persentitur,cùm ob neruos musculis pectoris dicatos affectos, vt postea dicetur, tùm quia per venas & arterias vapores è materia parua in hypochondriis stabulante in musculorum spatia effunduntur, vicinasque membras afficiunt,vt supra dictum. Quibus accedit & hoc, quod flatus & vapores partim ex crudis humoribus in ventriculo, partim ex prauis humoribus in hypochondriis collectis excitati diaphragma comprimunt.

Dum verò, vt dictum,lien aquosam ac tenuem chyli partem maturius ad se trahit, eam in vapores tenues & acres resoluit, qui ad caput eleuantur, illud replent, cerebrumque perturbant. Et aliàs etiam humores melancholici & adusti in hypochondriorum venis & arteriis hærentes vapores multos de se emittunt, qui ad caput per venas & arterias adscedũt,vnde varij affectus ac symptomata in capite ac neruoso genere ortum habent. Etenim dum panniculos cerebri peruadunt, illos lancinant, doloremque excitant, ita vt nonnulli cerebrum è cranio quasi euelli sibi conquerantur: dum cerebrum peruadunt, spiritus perturbant, oculis caliginenem suffundunt, aurium tinnitum excitant. Nonnullis vertigo oboritur& caligo oculis obuersatur;aliis aurium sonitus, in nonnullis tristitia,metus,falsa imaginatio & deliria Melancholica fiunt vitio spirituum, qui à vaporibus illis inquinantur,vt *lib. 1. Practicæ de Melancholia hypochondriaca* dictum. Nonnulli enim continuò sibi ab Apoplexia, alij ab Epilepsia,alij à subitâ morte metuunt, alij se fascinatos esse credunt, alij alios morbos imaginantur. Hinc nonnulli perpetuâ tristitiâ, alij etiam fletu & eiulatu se macerant.

Tandem verò,sique diu malum duret,in Melancholiã abit:sique vapor vel humor cerebro communicatus sit atra bile adusta, maniam excitat.Si vapores sunt acres, Epilepsiam quandoque pariunt. Ita memini, virum hypochondriacum Epilepticum factum,& tandem etiã cœcũ euasisse.Idem antea Somnambulo fuerat. Quandoque etiam malum in Apoplexiam terminatur.

Dum verò neruos vapor ille occupat, prout vim vel narcoticam vel neruos vellicandi habet, symptomata Paralysi & conuulsioni similia in iis excitat. Hinc si in neruos linguæ feratur, sermonem difficilem reddit, aut musculos laryngis constringit. Si ad neruos thoracem mouentes feratur,difficilem respirationem excitat vt præcordia & thorax quasi constringantur.Si neruos brachiorum & crurum peruadat,membra hæc ad motũ pigra reddit & lassitudinem in iis excitat.Ad lassitudinem tamen excitandam etiam facere possunt humores serosi, quando cum sanguine per venas & arterias in ambitũ corporis distribuuntur & præcipuè ad crurum musculos descendunt, eosq; grauant, vt tendi membra & pondere quasi appenso grauiora putentur. Imò interdũ in iisdem partib. dolor excitatur, cùm iidem humores serosi, vel etiam vapores membranis ac neruis sese insinuant, easq; tendunt & vellicant. Ad extremos digitos cùm manuum tùm pedum tandẽ delati formicationis sensum, vel stuporem in iis, nunc hoc vel illo excitant.

Vapores iidem cùm sint calidi & sicci ac melancholici, spiritus animales perturbant,cerebrũ exsiccant, & ita vigilias molestas,aut somnos perturbatos ac insomnia terroris plena pariunt, Imprimis verò vigiliæ post mediam noctem plerosque molestare solent. Etsi enim post cœnam ad mediam noctem aut horam primam noctis satis bene dormiunt: tamen postea euigilant,& alij quidem duabus vel tribus horis vigilant, & demum manè circà horam tertiam vel quartam iterum dormire incipiunt, alij verò planè iterum dormire non possunt. Quod accidit procul dubio, dum chylus distribuitur, & ad secundam coctionem ac lienem & vicina vasa peruenit. Tum enim humores vitiosi in iis latentes agitantur ,& ex agitatis vapores eleuantur, qui per venas & arterias ad caput delati vigilias excitant, quæ in nonnullis ad diem vsque durant, in quibusdam verò, iis discussis, iterum somnus succedit.

Non tamen ista symptomata omnia in omnibus, sed alia in aliis apparent,nunc pauciora,nunc plura,pro humorum varietate, & provt hæ vel illæ partes magis læduntur. Aliquando enim, vt & antea dictum, nunc in vnius tantùm hypochondrij vasis vitiosi humores continentur,nunc in vtriusque;nunc etiam lien,nunc epar, nunc vtrumque viscus simul ab humoribus vitiosis obsidetur. Non verò est de essentia mali hypochondriaci, vt in hypochondriis tensio, durities, dolor, & tumor percipiatur cùm plerumque fomes mali saltem in ramis venæ portæ & arteriis vicinis hæreat, & inde vapores ad cor & cerebrum transmittantur.

Etsi verò hypochondriaca affectione laborantes subinde aliquid mali,de quo conquerantur,habeant:tamen, qui eo grauiter laborant, vehementioribus interdum paroxysmis infestantur.Etenim si quacunque de caussa, seu interna seu externa, Camarina illa & colluuies vitiosorum humorum in hypochondriis mouetur, vapor ille flatulentus ex materia commota excitatus nunc ad ventriculum, nunc ad cor, nunc vtrumque viscus viam affectat. Et quidem dum ventriculum petit,eum distendit,ac ructus excitat, & acrimonia orificium ventriculi afficit,indéque cerebrum in consensum trahit,atque anxietatem lipothymiæ similem circa præcordia inducit; per gulam verò porrò ascendens neruos linguæ afficit, vnde lingua quasi rigere & ad loquendum immobilis reddi incipit,vt de apoplexia sibi ægri metuant. Eadem de caussa nonnulli de obstructione œsophagi & suffocationis periculo conqueruntur, id quod præcipuè cibum sumturis accidit,vt *de Scorbuto* postea, *sect. 1. cap. 5.* dicetur; ob vapores stipticos & adstringentes ascendentes, & vel œsophagum distendentes ac vicinam arteriam comprimentes,vel musculos laryngis & asperam arteriam contrahentes & strangulantes quasi. Dum per cœliacum arteriæ ramum in arteriam magnam & hinc ad cor adscendit, eius palpitationem & difficilem respirationem ac dolorem in parte pectoris anteriore excitat.Per vtramque verò viam dum ad cerebrum peruenit, spiritus perturbat, & oculis caliginem suffundit,& dum panniculos cerebri peruadit, illos lancinat, ita vt nonnulli cerebrum quasi è cranio sibi euelli conquerantur. Dum porrò isti vapores è cerebro secundum ductum neruorum deorsum feruntur, interdum stupor quidam & motus formicans nunc in dextro, nunc in sinistro brachio,nũc in hoc,nũc in illo digito percipitur;ac dum tandem neruos ex osse sacro prodeuntes attingit, atque in iis eundem affectum excitat ægri, ne concidant metuunt,& locum quieti quærunt. Interim sudore frigido madescunt, tandémque calore cordis sese exserente & vaporibus discussis,ægri ad se redeunt,nec amplius quid mali sentiunt, nisi quod de morbo grauiore, epilepsia, apoplexia & subita morte sibi metuunt, & hac tristitia & metu se continuò macerant.

Atque ex his,quæ hactenus recensuimus, symptomatibus satis malum hoc cognosci potest,vt signis diagnosticis aliis opus non sit. Signa tamen partium præcipuè affectarum & caussarum addere vtile fuerit. Si in ipso liene humor contineatur, tensio & durities in regione lienis percipitur, facies est malè colorata. Si in epate contineatur humor, è regione eparis tensio percipitur. Si in vasis solùm inter ventriculum lienem & epar post cibum, & cœnam præcipuè horis circiter 6. vel 7. flatus, rugitus, & dolores percipiuntur, nec tumor vel durities in alterutro vel vtroque latere percipitur. Si etiam ventriculus valdè laboret, è coctionis vitio

*Signa affecta.*

vitio id cognoscitur. Vterus si malo originem dederit, mensium suppressio adest, & frequens in ventre inferiori rugitus percipitur.

Et quia ἀντιπραξία viscerum, ventriculi & epatis, in hoc affectu plerunque adest, & curationem difficilem reddit, eam signis cognitam habere vtile est. Iecoris autem intemperies è suis signis cognoscitur, maxillarum rubore, manuum & pedum calore, vrinæ rubore, ac siti. Intemperies verò ventriculi frigida ex cruditate acida cognoscitur; cui si quandoque accedit nidorosa, fit hoc ob epatis calorem, atque hoc non accidit, nisi vtraque caussa adsit, & tùm adsunt flatus multi, dum calor epatis nimius in crassiorem materiã agit.

## CAPVT V.

### *Prognostica.*

*Prognostica. hypochondr.* 1. DIfficilis omninò hic affectus est, & quo vix alius tanta symptomatũ varietate & ægro & Medico plus negotij facessit. Idque cùm ipsius humoris ratione, qui contumacissimus est, tùm ob viscerum ἀντιπραξίαν & contrariam tùm eorum, tùm humorum intemperiem. Etenim ventriculus plerumque frigidus est, contra humores in hypochondriis & ipsa vasa, quibus continentur, calida.

2. Quibus accedit, quod malum hoc plerumque in habitum degenerauit. Cum enim prauum alimentum visceribus hisce nutriendis à liene transmittatur, inde illarum dispositionem euerti necesse est.

3. Curationem etiam difficilem reddit, quod materia, quæ sæpissimè in cauitate illa omenti continetur, non facilè exitum habet & ibi conclusa detinetur.

4. Tandem cum malum hoc sit pertinax, & quod curatio non semper ex voto succedit, caussa non minima est, quod ægri rarò in continuandis medicamentis obedientes sunt, plerunque & Medicos sæpe mutant.

5. Lenius malum est, cùm in dextro hypochondrio mali caussa hæret, & vehementiora habet symptomata: quæ eò sunt grauiora, quò humor magis ad atræ bilis naturam accedit. Et si saltem in vasis, nullo verò in viscere humores contineantur, mitius malum est, cùm materia in omenti cauitate continetur; cum vix purgantibus medicamentis inde exturbari possit.

6. Hæmorrhoides, varices, & sæpe in mulieribus menses malum hypochondriacum soluunt. Si tamen sint moderata; si verò diutius durant, periculum portendũt. Hæmorrhagia quoque naris sinistræ interdum prodest.

7. Mares equidem, quàm fœminæ, faciliùs hoc malo corripiuntur; cum fœminæ humidiores sint, & cum mensibus sæpe praui humores euacuentur: si tamen eæ corripiuntur, difficulter vel rarò curantur, cùm & caussam vehementem præcessisse necessarium fuerit, & plerumque vterini affectus sese huic malo associent, idque grauius reddant.

8. Vrina crassior melior est in hoc morbo, quàm aquosa & tenuis, quæ crassos humores in corpore detineri arguit. Nigræ quoque vrinæ sine febre sæpe hunc morbum soluunt.

9. Aluum in hoc morbo laxam habere, bonum; contrarium, malum. Vomitus quoque cum εὐφορίᾳ sæpe vtilis.

10. Vertigo & diuturnus capitis dolor in hypochondriacã affectione in epilepsiam & conuulsiones vel cæcitatem, interdum in vtrumque abit, nonnunquam in apoplexiam mutatur.

11. Affectio hypochondriaca sæpe quoque scorbutum comitem sibi adsciscit, interdum etiam in hydropem degenerat.

12. Hypochondriaci sæpe nauseabundi vomentes, assumta malè concoquentes, vel in febres, hecticæ non absimiles incidentes, tabidi moriuntur.

## CAPVT VI.

### *Indicationes & Curatio.*

CVrationem quod attinet, cum caussa, è quâ symptomata & mala antea enumerata in hac affectione ortum habent, sit colluuies illa humores vitiosorum in hypochondriorum locis supra explicatis hærés, facilè hinc patet, primariam indicationem esse, vt illi humores euacuentur, & vapores, qui ab iis eleuantur, & variorum symptomatum caussa sunt, discutiantur. *Indicationes & Curatio.* Quod vt commodè fiat, non solum viæ illæ, per quas euacuandi sunt, lenientibus medicamentis expurgãdi, sed & cum humores illi crassiores sint, & ob ventriculi coctionem læsam pituitosi & viscidi humores admisceantur, incidentibus, attenuantibus, aperientibus ac detergentibus opus est. Verùm cũm & humores mali huius præcipua caussa sint calidi, & vasa illa, in quibus continentur, sint calidiora & sicciora, quàm par est, & inflammatoriam quasi dispositionem habeant, non solum citra insignem calefactionem hæc peragenda, sed & moderatè refrigerantibus & humectantibus, illamque intemperiem corrigentibus opus est. Postea dandaopera, ne humores hi vitiosi iterum generentur; & proinde partium, quarum vitio generati sunt, intemperies & debilitas corrigenda, naturalis verò constitutio cõseruanda & roboranda, atque ita humorum vitiosorum generatio præcauenda. Tandem partes, quæ humores & vapores illos suscipiunt, atque ab eiis afficiuntur, roborandæ, & ab insultu humorum & vaporum defendendæ, vaporesque à partibus principibus auertendi, ac symptomata tollenda.

Verùm hæc omnia expedire difficilimum est. Etenim cùm Indicationes dentur contrariæ, & quidem ventriculus plerunque debilis calida requirat, attenuantia etiam & incidentia, aperientia, ac detergentia medicamenta pleraque calida sint; contrà inflammatoria illa vasorum dispositio & humorum calida intemperies refrigerantia requirat: cautè agendum, ne dum vni prodesse studemus, alteri noceamus.

*Venæ sectiò.* Venæ sectionem quod attinet, tùm humores morbi caussa in venæ portæ ramis consistant, si eæ eodem modo, vt venæ cauæ rami, passim in corpore aperiri possẽt, cõmodissimè per eas cum sanguine vitiosi humores euacuarentur. Verùm ea cõmoditas non datur, nec vllus venæ portæ ramus ad extrema corporis pertingit, nisi hæmorrhoidalis ad intestinum rectum pertingens. Hic ergo si aperiatur, affectum hunc felicissimè curat; cum vitiosos humores in venæ portæ ramis collectos euacuet. Verùm hoc vix vnquam feliciter accidit, nisi natura spõte hæmorrhoides eas aperiat, aut certè humores eò protrudat, & per eas vitiosos humores euacuare cõsueta sit. Hoc enim nisi fiat, & externæ hæmorrhoides arte aperiantur, tunc id, quod Riolanus monet, accidit, & sanguis, qui peccat in vena portæ, non euacuatur, sed bonus è vena caua, qui non peccat. Hæmorrhoides verò internæ, modò commodè id fieri possit, etiam in iis aperiri possunt, quibus nunquam fluxerunt vel tumuerunt, vt latentes in vicinia vitiosi humores per eas euacuentur, & natura sanguinem vitiosum per hanc viã euacuare adsuescat, quæ sæpe etiam sponte per hanc viam humores vitiosos in venæ portæ ramis collectos cum ægri commodo euacuare solet.

*Hæmorrhoides duplices.* Cum autem hæmorrhoides duplices sint, internæ, à venâ portæ, & externæ à venâ caua ortæ: non sine caussa quæritur, an vtræque, seu à natura seu arte apertæ, idem in hypochondriaca affectione commodum præstent. Plerique hæmorrhoides externas, cùm à ramo hypogastrico proueniant, parum commodi in hâc affectione afferre posse statuunt. Etenim Hieron. Fabricius ab Aquapendente, *de operat. chirurg. c. de hæmorrhoidib.* in quo prolixè & diligenter ea, quæ de hæmor-

rhoidibus dici poſſunt, explicat,ſtatuit(& res ita ſe habet) dari duplices hæmorrhoides, alias à vena lienis, alias à vena caua, quarum illas alij internas, has externas nominant. A magno enim venæ portæ ramo, qui ad lienem fertur,quaſi ab eius medietate oriri propaginem effatu dignam, & rectà per meſenterium ad inteſtinum rectum deſcendere, eique retro magis verſus coccygem inſeri, & tandem oris ſuis in inteſtini huius finem deſinere, atque has eſſe hæmorrhoides à portæ ſeu lienis vena ſcribit.Similiter à venæ cauæ & arteriæ magnæ propaginibus, quæ in magnâ cauitate ab oſſe ſacro & coxendice efformata producuntur duos effatu dignos ramos ad anum ſeu muſculum, inteſtinum rectum cingentem, ſphinctera dictum,deſcendere,& vnũ in dextra, alterum in ſiniſtra parte, & ita retrò potius & parti poſteriori inteſtini, has verò potius ad latera inſeri docet. Atque venas illas è porta antiquis notas, has verò à caua incognitas eſſe ſcribit,ea de cauſſa quod quod cum hæmorrhoides,quæ à porta proueniunt,ſanguinem craſſum, nigrum & feculentum euacuent,quæ verò à caua, plerumque tenuiorem & ſeroſiorem,antiqui ſaltem hæmorrhoidum, quæ craſſum ſanguinem euacuant, morbiſque melancholicis & à liene ac vena portæ ortis proſunt, mentionem faciant,vt ex Galeno, *3.aph.4.6.aph.*11.12 21.47.48.2.*ad Glauc.6.epid.comm.3. & comm.6. t.* 8. videre eſt. Hieronymum Fabricium ſequitur Ioh.Riolanus, *Anthropographiæ lib.2.cap.*17. qui ſimiliter ſtatuit, hæmorrhoidas internas prouenire à ramo venæ portæ hæmorrhoidali,externas verò ab hypogaſtrico, illaſque recti inteſtini partibus internis inſeri, has in partes externas, ani muſculos ſcilicet, diſſeminari;hæmorrhoidalem portam eſſe vnicam,ſociãque habere arteriam à meſenterica infra ramos producentem; hæmorrhoidalem verò cauæ eſſe duplicem, vtrinque vnam,& vtramque comitem habere arteriam ab hypogaſtrica deriuatam:ac proinde per illam portæ cacochymiam, per has venæ cauæ plethoram euacuari. Propterea medicos reprehendit hæmorrhoidibus addictos, quod dum externas hæmorrhoides aperiunt, putum ac tenuem ſanguinem extrahunt,craſſum & impurum intus relinquunt. Atque hoc diſcrimen itidem antiquis incognitum eſſe exiſtimat.

Verum enim verò etſi quæ de hiſtoria hæmorrhoidum diligenter à doctiſſimis hiſce Viris ſcripta ſunt, veriſſima eſſe concedimus, atque hoc etiam admittimus externas non ſatis commodè aperiri ad humorem melancholicum euacuandum, niſi ſponte à natura aperiantur:ſunt tamen quædam, quæ in hiſce opinionibus deſideramus. Sit enim ſanè, vt originem externarum hæmorrhoidum à vena caua prodeũtium antiqui ignorauerint, quod tamen in medio relinquimus : ipſi tamen externas nullo modo ignorare potuerunt, vtpote quas oculis obuias habuerunt,quaſque ſæpe vſſerunt.

Ex quo ſequitur alterum, per hæmorrhoidas externas etiam atros & alios vitioſos humores,qui circa lienem & epar colliguntur,euacuari. Cum enim antiqui has hæmorrhoidas non ignorauerint,interim affirmẽt, vt ex locis antea allegatis apparet, per hæmorrhoidas euacuari hepatis materiam feculentam, bilem attram, hæmorrhoidas eſſe maximum melancholiæ remedium, & ab atra bile vexatis eſſe bonas,lienem induratum ſanare : facile hinc patet, experientiam ipſam eos edocuiſſe, atros & alios vitioſos humores circa lienem & epar in venæ portæ ramis collectos per eas euacuari. Idque ita ſe habere quilibet, qui volet,in praxi quotidie obſeruare poterit. Si enim in eos, qui ex hæmorrhoidibus commodũ percipiunt, inquirat, omnes ferè hypochondriacos eſſe animaduertet. Si porrò quærat, vtræ hæmorrhoides fluant, externæ vel internæ:in pleriſque externas fluere, ægriſque etiam hypochondriacis commodum afferre; internas verò rarius aperiri:& proinde per illas non ſolùm plethorã, ſed & cacochymiam & vitioſos humores euacuari intelliget.Licet verò etiam interdum tenues quidam humores & ſanguis rubicundior per eas euacuari videatur : tamen is non purus eſt, ſed ſeroſus & ſalſus,ac ichor etiam ſine ſanguine profluit. Colliguntur verò in venæ portæ ramis non ſolùm humores craſſi & nigri, ſed etiam ſæpe ſeroſi & ſalſi.

Etſi verò à diuerſis venis hæmorrohoides internæ & externæ ortum habeant: tamen quia eidem inteſtino recto inſeruntur, communicationẽ quandã horum vaſorũ eſſe,& oſculis ſibi mutuo occurrere, & ex hæmorrhoidibus internis humores vitioſos externis etiam cõmunicari, & per eas effundi, res ipſa, & quæ quotidie circa ægros accidunt, loquitur;cum videamus affectibus hypochondriacis laborantibus hæmorrhoidas etiam externas plurimùm prodeſſe.

Cæterùm reliquos venæ cauæ ramos incidendi eſt nulla neceſſitas; niſi forſan plethora ſimul vrgeat, & magna pars materię vitioſæ venæ cauæ iam ſit communicata, & circa epar φλόγωσις aliqua adſit. Tùm enim venam in brachio aperire vtile eſt. Si verò à menſibus ſuppreſſis malum originem habeat vel augeatur, venas in pedibus aperire, vt & menſtrua prouocare, vtile eſt. Quod & in iis facere non incommodum erit, quibus hæmorrhoides ſuppreſſæ ſunt.

Purgationem quod attinet,vt primæ viæ primũ euacuentur,primò omnino lenioribus medicamentis vtẽdum:à purgantibus verò fortioribus abſtinendum;cum metuendum ſit,ne fortioribus à longinquo & toto corpore vitioſi humores verſus primas vias trahantur, & ibi cumulentur, atque à calidioribus & ſiccis medicamentis vaſorum & viſcerum intemperies augeatur. Lenientia.

Vtiliſſimi ſunt hunc in finem clyſteres leniores,vt & medicamenta lenientia,ſyr.violarum ſolutiuus,mercurialis,aloë,caſſia; cui tamen, quia flatulenta eſt, ſemen aniſi vel ſpecies hieræ addendæ ſunt,polypodium,folia ſenæ, Electuarium lenitium, diacatholicum.

Nec inutile fuerit, vomitum mox in principio, ſed lenioribus medicamentis,ciere ; vt ſi quid pituitoſæ & & excrementitiæ materiæ in ventriculo hæreat,reiiciatur, ne poſt aliorum medicamentorum vſum ad penitiores corporis partes deducatur. Vomitus.

Hinc ad præparantia accedendum. Etſi enim humores hi coctionem propriè non requirant,vtpote qui putridi non ſunt, nec ſanguini in vena caua permixti : præparatione tamen indigent, & craſſi ac viſcidi attenuandi,incidendi & detergendi atque aduſti tẽperandi. Præparantia.

Vtiles hîc ſunt *radic. gramin. aſparagi,borraginis,bugloſſi, fœniculi, ſcorzoneræ,polypodij,glycyrrhizæ,filicis,cichorij, endiuiæ,capilli veneris,ceterach, lingua ceruina,chamædrys,fumaria,agrimonia, centaurium minus,abſinthium, ſem geniſtæ, fœniculi, ſuccus pomorum odoratorum,*qui humori melancholico valde aduerſatur. Ex his verò nunc mitiora, nunc fortiora eligenda, pro natura humoris, & loco, in quo ſubſiſtit. Nam cum ipſi lieni humores impacti ſunt, fortioribus medicamentis opus eſt. Imprimis verò in vſu horũ medicamentorum perpendendũ,an acida, an verò nidoroſa cruditas plus ægro moleſta ſit, & ad hoc malum conferat.Etſi enim ex vtraque generari poſſit:tamen ſecundum hanc vel illam vt accidentia variant,ita etiã curandi ratio variat. Etenim in acida cruditate calidioribus vti licet. In nidoroſa verò, & vbi inſignis adeſt φλόγωσις temperatioribus vtẽdum, cichorio, borragine, quibus aliquid oxymelitis addi poteſt. De tartaro & medicamentis è tartaro paratis dictum ſupra, *part.*3.*cap.*3.

Humoribus præparatis ad purgationẽ accedendum. Vbi tamen à fortioribus abſtinendum,ob cauſſam antea dictam, & ne ventriculus, qui in hypochondriacis ferè debilis eſt, fortioribus medicamentis purgantibus debilitetur. Et de hac imprimis melancholiæ ſpecie, quæ ex hypochondriis ortum habet, verum eſſe putamus,quod Crato, *conſ.*24.ſcribit, ſe multos melancholicos curâſſe,licet verè affirmare poſſit, ſe nunquã lapi- Purgantia.

de

de lazuli vel ſcammonio vſum fuiſſe. Talia medicamenta ſunt, *polypodium, fumaria, epithymum, ſena, radix gialapa, myrobolani Indæ, electuarium diacatholicum, ſyrup. de polypod. de pom. Regis Sabor, de epithymo Meſue.* Quibus interdum & elleborum nigrū admiſcere licet.

Vbi tamen idem,quod de præparantibus dictum, attendendum. Nam ſi cruditas acida adſit, & humor aliquis pituitoſus ac viſcidior admiſceatur,paulò fortiora & pituitam etiam purgantia,vt agaricum,turbith,ſpec. diaturbith,epiſcopi,& ſimiles admiſcere licet:eâ tamen lege, vt ægri ſumto medicamento vltra duas vel tres horas non ieiunent, ne vis fortioris medicamenti vltra epar,& lienem ad remotiores partes penetret,ſed ſolum id,quod circa ventriculum & epar ac lienem eſt;euacuet. Si vero nidoroſa cruditas præceſſerit,lenientibus vtendum,vt manna,ſyrup.roſar.vel violar.ſolutiuo,rhabarb. foliis ſenæ. Et ne calor viſcerum purgantium vſu quocunque modo augeatur,vtile eſt, poſt ſumtum purgans paulò ante cibum hauſtum bonum ſeri lactis caprini ſumere,quod & purgans abſtergit, & calorem illum in viſceribus temperat.

*Quo debi- lis calor in- natus, & non purgan-*

Simul tamen in purgantibus exhibendis ad cauſſas generantes vitioſos humores reſpiciendum. Etenim ſi crudi,frigidi humores in ventriculo generentur ex ſolo caloris innati defectu, id quod in literatis & ſtudio nimio deditis ferè accidit,(& tū ructus ac flatus,qui emittuntur,& aciditatis & nidoris expertes ſunt) à frequentibus purgationibus abſtinendum;cum ab iis calor natiuus amplius debilitetur: ſed calor natiuus augendus & fouendus, & bona diæta ordinanda. Si verò à cauſſis refrigerantibus ortum habeat malum,humoremque frigidum & acidam cruditatem comitem,frequentius purgandum, neque vna vice facilè vitioſi humores euacuantur. Ita ſi ex calore viſcerum inſigniore humores adusti generati ſint, ac ab eo adhuc foueantur, omninò à valentioribus medicamentis, quæ illam intemperiem augent, abſtinendum, & leniora potius vſurpanda. Si verò humor craſſior ſit, & viſcerum intemperies calida minor, fortiora tutius vſurpantur.

Et cum,qualiſcunque etiam ſit humor,viſcera ſiccitate non careant,à valdè calefacientibus & ſiccantibus abſtinendum;contrà ſemper vtile eſt,medicamenta humectantia, & quæ alterandi vim habent, admiſcere. Vnde & medicamenta in formâ liquidâ commodius exhibentur. Si tamen ea pilularum formâ exhibere libet, ſi humidi quid poſtea bibatur, incommodum hoc præcauetur. Hac ipſa de cauſſa aloës frequentior vſus non ſatis commodus eſt,præſertim ſi cōpioſius ſumatur,ita vt ad vaſa illa, calidâ & ſiccâ intemperie laborantia, & epar penetrare poſſit. Interim ſi minore quantitate & paulò ante cibum ſumatur aloë & ex ea compoſita medicamenta, pituitoſos humores è ventriculo & inteſtinis abſtergere poteſt.

Et cùm humor huius mali cauſſa pertinax ſit,vna vice non tollitur,ſed neceſſarium eſt,purgationem aliquoties repetere,& per ἐπ᾽ ὀλίγον ſenſim materiam euacuare.

Vtiliſſimum quoque fuerit alterantia & præparantia purgantibus miſcere & inde idonea humori præparādo & euacuando medicamenta præparare,eáque ſæpius exhibere.Formulas propoſuimus *lib.1.pract.p.1.c.11.*& extant tales paſſim plurimæ: inter quas eſt & decoctum galli veteris,cuius deſcriptio eſt in diſpenſatorio Auguſtano, & apud Quercetanum, *in pharmac.dogmat.reſtitut. cap.8.* item pilulæ tartareæ, & de ammoniaco.

*... a ſemen.*

Poſt omnem purgationem maluæ ſemen leuiſſimè tritum duarum drachmarum pondere exhibere iubet Aëtius, *tetr.2.ſerm.2.cap.10.* Humectat enim exſiccatam aluum. Ad abſtergendum etiam vias primas vtilis eſt cremor ♃, ♃um ⊕latum, & alia ex tartaro compoſita medicamenta.

In malo pertinaci etiam vomitus repetitus non inutilis fuerit. Sæpe enim vomitu eos humores è primis viis reiectos fuiſſe obſeruatum eſt,qui purgantibus euacuari non potuerunt. Ratio tamen hic ventriculi habenda. Si enim is ſit debilis,vix habet locum vomitoria, & ventriculo ex morbo afflicto ærumnam addere non licet, vt ſcribit Aëtius, *tetrab.2.ſerm.2.cap.10.* Propterea etiam à fortioribus vomitoriis ventriculum valdè debilitantibus adſtinendum.

*Refrigerãtia, attenuantia & aperientia.*

Si poſt purgantium vſum medicamentorum reliquiæ aliquæ,vel intemperies aliqua ſuperſit, refrigerantium, attenuantium,aperientium,& detergentium vſu eæ abſumendæ & tollendæ, ac venæ & viſcera alteranda.

Huic ſcopo inſeruit imprimis ſerum lactis caprini, ſi 14.diebus vel pluribus, cum ſucco purificato cichorij, fumariæ, carduibened. veronic. chamedr. ceterach, vel horum eſſentiis, vt hodie vocant, vel extractis & conſeruis vſurpetur. Vtile eſt & abſinthium,centaur.minus & gentiana: cum, vt ſupra dictum, omnia amara lieni amica ſint,ſicut dulcia inimica. Vt autem medicamenta iſta ſine nauſea aſſumantur,extracta in pilul.redigi,conſeruæ ſeorſim vſurpari, & hinc hauſtus ſeri lactis caprini ſumi poteſt. Ac ſi flatulentia ſeri lactis caprini metuatur, ſemen coriandri, vel pauxillum ligni ſaſſafras in eo coqui poteſt. Hoc enim modo quod reſtat humoris vitioſi in vaſis hypochondriorum abſtergitur & eluitur, & frigiditate ſeri lactis caprini caliditas & ſiccitas eorundem vaſorum temperatur, atque ipſis priſtina & naturalis temperies reſtituitur.

*Diuretica.*

Vtinam quoque prouocare per conuenientia medicamenta,quæ tamen non nimis calefaciant & ſiccent,vtile eſt.Quamuis enim Hollerius,*in ſcholio in cap.*40.nullam viam eſſe à liene ad renes putet,niſi multiplici tractu in venam cauam regurgitans humor eò perueniat: tamen res longè aliter ſeſe habet, & expedita ſatis, nec ita longa via eſt à liene per arteriam cœliacam ad arterias emulgentes,& ab his ad renes.Hinc etiam Galenus,*2.ad Glauc.c.2.* renes & lienem per vrinas expurgari docet. Teſtatur id etiam experientia,ac ſæpe obſeruauimus,ab hypochondriacis & lienoſis nigerrimas vrinas, & quidem cum commodo redditas fuiſſe. Quod etiam Antonius Valerius obſeruauit,qui,*in exercit.in modò allegatum caput Hollerij*,refert,ſe nouiſſe virum religioſum, cui ter quater in anno, maximè vere aut autumno ineuntibus, intumeſcebat lien,quique dolore hypochondrij tum infeſtabatur, & ſubliuidus fiebat toto corpore, tandem verò nigricantibus vrinis atramento ſimillimis erumpentibus per quinque aut ſeptem dies priſtinam ſanitatem recuperabat.

*Diureticá reiicit in Lienis affectibus Septalius.*

[Prohibet Septalius,*animad.Med.lib.7.n.62.* in lienis affectibus per vrinas euacuare.Fruſtra,*inquit*,obſtructū, aut duritie tentatum lienem curare conantur ij,qui diureticis id aggrediuntur. Cùm enim nullus ab hoc viſcere ad vias vrinæ ſit tranſitus, Galeno etiam teſte,13. *meth.med.cap.17.* id fruſtra tentari conijciendum eſt, in quo Medicum fruſtrari ſine contingit. Per ſeceſſum igitur ea materia euacuanda eſt. Quod ſi aliquando aliqui per lotium copioſum curati ſunt, vt de Bione ſcriptum eſt,2 *epid ſect.2.*id vel tanquam rarum & per vias occultas factum recenſet Hippocrates,vel ſanè aliis adhibitis remediis emollientibus & diſſipantibus, & per aluum ſubducentibus; cùm multa fæculenta, per venas ſupereſſet materia, quâ foueri & renouari humor ille poterat, per vrinas eâ ſubductâ præſeruatio potius, quàm curatio facta eſt; quod imitari Medicus poterit, vbi nigras, craſſas, fæculentáſque vrinas adeſſe cognouerit.Diureticis enim tū tutò vti poterit,ad antecedentem materiam per eam partē euacuandā. *Hæc Septalius.*

*1. Verùm errat.*

Sed multis modis Vir Clariſſ.fallitur. Primò quidem, dum nullam à liene ad renes & veſicam viam manifeſtam eſſe ſtatuit. Habet enim lien arterias multas, & ferè quintuplo plures, quàm venas, quæ.cùm oriantur ab arteria cœliaca,à cœliaca verò facilis ſit via ad emulgentes arterias,ex his autem per renes ad vreteres & veſicam: hinc manifeſtè patet, commodiſſimè humores è liene per vrinas euacuari poſſe,Hinc ipſe Hippocrates,

*lib.de intern. affect.* lienosis diuretica iubet exhibere, & *lib.de extern.affect.* biliosis qui magnum lienem habent, & praui ac fœtidi coloris sunt,maligna contrahunt vlcera,vrinas mouere iubet. Deinde falsum etiã est,quòd saltem præseruationis gratiâ,& ad materiam antecedentem in venis contẽtam diuretica exhibenda censet;cùm ipsa experientia constet, humores melancholicos ex ipso liene, & locis circa lienem, per arterias emulgentes,& hinc per vrinas, euacuari. Atque ipse sæpissimè vidi vrinis nigerrimis ab ægris in affectibus lienis emissis, eos conualuisse. de qua re etiam videtur infrà *sect.2.cap.6.*]

Si etiam hæmorrhoides vel menses suppressi sint, danda opera, vt conuenientibus medicamentis, de quibus alibi dictum, referentur.

Etsi verò quandoque purgantibus & hactenus propositis medicamentis sæpe repetitis malum hoc tollitur: tamen si paulò contumacius & diuturnius sit, iis non semper cedit. Vbi ad tria efficacissima remedia tandem confugiendum est,Chalybem,acidulas & thermas.

*An chalybs in hac Affect. vtilis sit.*

Et primò quidem Chalybem quod attinet, statuunt quidem nonnulli,chalybem esse temperatum, alij frigidum. Verum si eius resolutionem spectemus,& effectus attendamus, manifestum euadit, eum calidum & siccissimum esse. Quapropter à nonnullis dubium hic mouetur, an affectioni hypochondriacæ conueniat. Cum enim ea ab humore sicco, & si ater sit succus, etiam calido proueniat, ei domando ineptus videtur chalybs. Præterea etiam vim adstringendi & sistendi aluum habet,de quo supra, *p.2. cap.de Dysenteria quæst.6.* dictum. Verum etsi ista ita sese habeant: tamen experientiâ diuturnâ & multâ constat, chalybem ad affectionem hypochondriacam, cachexiam in mulieribus ex mẽsium obstructione,aliósque è pertinacibus lienis & venarum meseraicarum obstructionibus ortos morbos esse probatũ remedium,& meritò ob id magnifaciendum.Plinius,*natural.histor.l.34.cap.15.*inter alia de Chalybis vsu scribit: *Propinatur contra lienis vitia. Absumit enim illa.* Paulus Ægineta,*de remed.lib.3.cap.49. Aquam,in qua extinctum candens ferrum, epotam spleneticis competere* scribit Dioscorides, *lib.5. cap.53. lienosis auxiliari.* Aëtius, *tetrab.3. serm.2.cap.11. Lienosis præstantissimum esse remedium,* ait, *aquam,vinum aut poscam,in quibus ferrum extinctum fuerit per multos dies sumtam.*Oribasius,*Synop.lib.9 cap.24.Cæliacis, & lienosis multum conferre* author est. Rhasis *lienis tumoribus vtilem esse* scribit, quem Serapio, Auicennas, & Halyabbas sequitur. Quæ omnia & posteriores Medici confirmant,& omnes vno ore ferrum & chalybem lienis obstructionibus prodesse testantur. Atque inter eos Iulius Cæsar Claudius, *respons.19.* scribit, *proprium melancholiæ hypochondriacæ alexipharmacum esse Chalybem; quoniam continuus illius vsus semper felicem finem in ægris sit assecutus: siquidem in reserandis obstructionibus, in quibus omnis melancholiæ curandæ cardo vertatur, nulli medicamento cedat.* Et *de ingressu ad infirm. in appendice sect.2.* scribit, *in curatione melancholiæ hypochondriacæ medicamenta chalybeata sibi nullum par habere.* Mercatus etiam,*de morb.mul.l.2.c.6.* refert, *tantam esse Chalybis naturam & efficaciam, vt magnos etiam lienis & vteri scirrhos persanasse visum sit.* Et *de intern.morb.curat.l.1.cap.17. incredibili efficacia affectioni hypochondriacæ chalybem prodesse,& experimento esse confirmatum, in omnibus ferè affectionis hypochondriacæ caussis vsum chalybis commodum esse, siue in fœminis ex vtero, siue in eis, ac viris ex ventriculo, mesenterio, iecore, aut splene obstructis, aut quomodo libet humore obsessis, malum oriatur.*

*Quomodo prosit in hoc affectu?*

Qua ratione verò in Dysenteria commodè exhiberi queat chalybs,supra, *loco allegato*,dictum. De modo autem,quo ferrum & chalybs in hoc affectu prosit, sunt variorum autorum variæ sententiæ, dum alij pondere partes obstructas permeare & ita ab infarctu liberare, alij abstergendi & aperiendi, alij & purgandi vim habere statuunt,quos suo loco relinquimus. Omnes tamen concedunt, quod verum quoque est, non electiuè purgando,vt alia purgantia,id, quod præstat, præstare nobis probabile videtur, ferrum & chalybem peculiarem cum humoribus melancholicis, & adustis habere cognationem,atque idcirco eos seu attrahere, seu imbibere,ac cum iis vniri. Et atram bilem, vt & ipsam melancholiam, vitriolatæ naturæ participem aut certè ei cognatam esse, & ferruginei quid sapere, nemo facilè negauerit.Quique analogiam Macrocosmi & Microcosmi explicant,scribunt,quod Mars metallicus maioris mundi respondet Marti Microcosmi, eiúsque seruitio destinetur,& custos sit valetudinis eius membri,cui cœlitus videtur esse destinatus.

Cum verò chalybs naturæ sit metallicæ, & in alimentũ conuerti non possit;sit etiã crassioris substantiæ, quam vt in penitiores corporis partes penetrare valeat, natura eum per aluum maturè iterum exturbat,atque ita vnâ humor melancholicus cum eo euacuatur. Atque hoc ipsum esse videtur,quod Mercatus,*de recta præsid.vsu lib.2.c.7.*scribit,chalybem absterfione humores abradere,ac à parte, cui adhærent, separare & secum deferre. Cum verò Chalybs per aluum deiicitur,feces nigræ redduntur,& id nisi fiat,parum felix est vsus chalybis,& ab eo desistendum. Ex quo patet, non saltem ipsum aperire, sed secum etiam vitiosos humores educere. Hinc quoque Autores non semper chalybem subtilissimè præparatum rudiori modo & crassiori parato præferunt, sed monet Mercatus,*de morb.mul.lib.2.c.6.ex Aëtio*, chalybem crassiori modo præparatum splene obstructo, humoribus melancholicis & crassioribus abundantibus exhibendum esse,proculdubio, ne penitius in corpus penetret, sed in primis viis hærens humores illos crassos imbibat, iterúmque facilius per aluum descendat. Scribítque idem Mercatus,*loco allegato*,chalybem si nimis exquisitè puluerisetur,& comminuatur,vomitum ciere & aluum turbare: non quidem,vt ille putat,quod in argenti viui naturam abeat,sed quod,quo magis resoluitur,magis in vitrioli naturam abit; vt & *de Dysenteria* demonstratum, & maiorem vomitum ciendi & aluum turbandi vim acquirit:in crassiore autem substantiâ satis quidem vitiosos humores imbibit, verum naturæ non ita molestus est, aluúmque non ita turbat. Et licet chalybs calidæ & siccæ naturæ sit,atque hoc modo humorem atrum ferociorem reddere videatur: tamen non alterandi caussa exhibetur,sed vt obstructiones aperiantur,& humor ater educatur;atque commodum,quod ex eius vsu prouenit, longè maius est, quam incommodum, sicut etiam rhabarbarum in euacuanda bile, elleborus niger in humore melancholico euacuando commodè exhibentur, etsi in primis qualitatibus cum hisce humoribus aliquam conuenientiam habeant.

*Extract. hellebori nigri.*

Fit etiam efficacissimum extractum ex helleboro nigro, si chalybs spiritu vitrioli soluatur, solutioni aqua aliqua splenetica addatur, & liquore illo, vt moris, extractum ex radicibus hellebori nigri paretur.

Ex quo patet, vix locum habere posse, quod Iulius Cæsar Claudinus, *loco allegato*, scribit, aurum & argentum eundem vsum pro adimplendis scopis illis, quos adimplemus vsu chalybis,habere posse. Sunt enim ista metalla diuersæ naturæ, neque eandem cum hisce humoribus cognationem habent.

*Chalybs quomodo exhibendus?*

Exhibetur autem chalybs variis modis. Alij enim eum saltem limatum subtiliter exhibent; alij calcinatum; alij prius præparatum quod fit,limaturâ chalybis in aceto maceratâ, hinc siccatâ & tritâ Alij ex eo vina chalybeata,syrupos,oxymel, electuaria parant, quorum formulæ apud Mercatum, & Iulium Cæsarem Claudinum, *loco allegato*, & alios extant.

Fiunt etiam è chalybe croci & tincturæ,de quibus *de constitutione chymiæ cap. 19. tractatui de cons. & dissens. Chymic.cum Galenic.annexo* egimus.

Quocumque autem modo exhibeatur, cum certum sit, vires, quas exserit in hypochondriacis curandis, ab eius

eius sulphure, quo abundat, præcipuè pendere, attendendum in præparando & exhibendo hîc chalybe, ne eius sulphur perdatur, quod fit, si vel chalybs crudo valde igne vratur, &, vt Chymici loquuntur, reuerberetur; vel etsi alio modo solutus sit, si reuerberatione partes eius sulphureæ & volatiles dissipentur, & fixæ salinæ relinquantur, quæ potius adstringendi, quam aperiendi vim habent.

Datur autem in substantiâ vel in Conseru. rosar. violar. borragin. quæ in hac affectione commodissima est, vel alia conueniente, aut cum syrupo aliquo, vel in pilulas cum syrup. aliquo, aut succo cichorij & agrimoniæ, redactus. Ne autem ventriculus offendatur, alij caryophyllos, alij cinamomum, alij spec. diarrhod. dimidiam partem, alij conseruam rosarum, cichorij admiscent. Possunt etiam cum cinamomo & saccharo inde rotulæ, vel orbiculi fieri; si scilicet chalybis præpar. Vnc. ß. cinamomi Drach. ij. sacchar. albiss. Vnc. j. addantur.

Possunt & alia medicamenta scopo Medici inseruientia addi: vt cortic. rad. cappar. tamarisci, fraxini, filicis, fol. chamædryos, ceterach, chamæpityos, flor. genistæ, & similia.

Antequam verò exhibeatur, primæ viæ euacuandæ sunt. In substantia si detur, mediæ ætati exhibeatur Drach. j. Dosis tamen, vt Nicolaus Monardes, *dialogo de ferro*, scribit, neque infra binos scrupulos, neque supra drachmam cum semisse esto. Oxymel & syrupus datur ad Vnc. ij. vel Vnc. iij. Vinum ad Vnc. iiij. ad Vnc. vj. Sumto chalybe in substantia hauriendum poculum vini albi, neque nimis tenuis, neque nimis generosi. Abstemij aquam, in quâ cinamomum coctum sit, vel ius galli bibant.

Exhibetur autem chalybs commodissimè vere & autumno. Hyems enim frigore, æstas calore obstat.

Sumendus verò Chalybs manè, ieiuno stomacho, & sumto eo æger vna atque altera hora obambulet vel exerceatur, vt facilius medicamentũ distribuatur, postea quiescat. Si tamen vires sint debiles, exercitium omitti potest; cum etiam in lecto decumbentes vsu chalybis sanatos fuisse compertum sit. Horis autem à sumto medicamento quatuor elapsis, & cum è vẽtriculo iam medicamentum descendisse animaduertet, prandium æger sumat. Diæta sit frugalis, & omnino cibis boni succi vtendum. Initio autem sufficit tertio quoque die chalybem sumere: cui si æger postea assueuit, morbúsque id postulat, singulis diebus exhiberi debet. Quidam primis diebus eum cum multâ bile & vitiosis humoribus vomitu reiiciunt; sed cum commoda & εὐφορίᾳ. Imò censet Mercatus, *de morb. mul. lib. 2. c. 6.* iis, quibus mesaræum & venæ ventriculo proximæ obstructæ sunt (aut vitiosis humoribus scatent) primis diebus chalybem admiscendum esse iis, quæ vomitum quoque prouocant. Duobus vel tribus diebus elapsis, vbi chalybi adsueuerint, amplius non vomunt nonnulli etiam planè non vomunt.

Exhibetur etiam diebus pluribus vel paucioribus, pro ægri & morbi ratione. Aliis enim dies quindecim sufficiunt, aliis etiam 30. necessarij sunt.

Videndum autem, vt chalybs descendat & per aluum euacuetur, quod ex fecibus nigris cognoscitur, quod nisi fiat, quarto die, vel clystere iniecto, vel pilulis ex aloë rosata, vel de tribus, aluus cienda. Non inutile quoque fuerit, post decimum vel duodecimum diem leni purgatione vti, deinde à purgatione biduo quiescere, & hinc ad vsum chalybis redire. Vt verò chalybs facilius descendat, & non retineatur, potest pulueris Dr. ij. addi spec. diarrod. Abbat. aloës an. Dr. j. & cum syrup. c. pill. ♀ vel fumariæ pilulæ inde formari. Purgantia tamen pro humorum peccantium natura variari possunt. Si enim pituita admisceatur, agaricus & semen carthami; si bilis, rhabarbarum addi potest; melancholia potissimum abundante folia senæ vsurpentur.

Vt chalybis, ita & acidularum & thermarum vsu sæpe malum hypochondriacum, quod purgantibus expugnari non potuit, curatur. Quæ procul dubio eâdem ratione, quâ chalybs, hoc malum tollunt, dum nimirum partes & spiritus minerales, quibus acidulæ & thermæ abundant, secum humores vitiosos è corpore rapiunt, & deferunt. Atque hinc qui acidulas & thermas bibunt, nigra per aluum deiiciunt, magna quantitate, qui color non semper ab humoribus atris est, sed à ferro & ♀lo; sicut & vulgo notũ est, è ♀lo, quod idcirco atramẽtum sutorium appellatur, & ferri rubigine tincturas nigras fieri. Cum autẽ non cuiuslibet facultates, & rationes ferant, vt quasuis acidulas vel thermas adeat, eas quilibet in vsum trahere potest, quas in vicinia ad hunc affectum vtiliores esse, publica famâ & lõgua experiẽtia constat. In Germania commendantur acidulæ Schuualbacenses, Griesbacenses, Egranæ. E thermis Badenses Marchionis, Carolinæ. In Italia Aponenses in agro Patauino Sancti Cassiani & aliæ plurimæ.

Non hic prætereundum videtur, esse quosdam chymicos, qui acidularum compendium quosdam promittunt, & se id, quod acidulæ magna copia potæ præstant, salino quodam puluere paucorum granorum pondere ex hibito, aut liquore exiguo idẽ effecturos pollicentur: & sui instituti hanc rationem proferunt, quod magna aquæ copia ventriculum offendat, id quod exiguus puluis facere non possit. Verum errant illi, me quidẽ iudice, sed saluo aliorũ iudicio, nõ parũ. Nam hæc ipsa acidularũ & thermarũ est prerogatiua, quod etiã in magna copia potę corpus non offendũt, sicut alia medicamenta purgãtia, dũ mox iterũ euacuãtur; interim omnia ventris inferioris vasa penetrant, & quicquid ibi vitiosi offendunt, abstergunt & abluunt, quod puluis aliquis salinus granorum non ita multorũ pondere exhibitus præstare non potest. Si perpendatur, quantus sit vasorum mesaraicorum numerus, nulla paucorum granorum ad ea est proportio, vt ille in omnia distribui, hærentesque hinc inde humores educere possit. Vt nihil dicam de illa singulari mistione à Natura facta, quam Ars imitari non potest; vt & de eo, quod vis thermarum & acidularum non tam in sale quodam fixo consistit, quam in Spiritu volatili, qui facilè euanescit.

Simul verò toto curationis tempore lieni cum externis tum internis medicamentis prospiciendum. Cum enim, vt supra dictum, ab hoc præcipuè mali huius origo pendeat, & nisi is sese bene habeat, nec epati pro sanguine generando idonea materia, nec ventriculo & aliis ventris inferioris visceribus alimentum probum suppeditetur: omnino danda opera, vt saluus conseruetur, aut si à statu naturali lapsus sit, in eum restituatur, quod fit medicamentis, quæ terrenum ipsius humorem leniter emolliunt, attenuant, & detergunt: qualia supra proposita sunt de affectibus lienis.

Habenda quoque aliarum partium, quæ ad mali huius generationem aliquid conferunt, ratio. Ventriculus roborandus iis, quæ calorem eius fouẽt, concoctionem adiuuant, & flatus discutiunt, de quibus in affectionibus ventriculum dictum: quæ ita moderanda, ne nimis calidorum vsu intemperiem, quæ est in vicinis visceribus, augeamus, humorésque amplius exsiccemus & duramus.

Commmodum hic est absinthium, quod non solum stomacho & ventri vtile, sed & neque flatum in ventre multum fieri permittit, neque aluum exsiccari penitus, & vrinas ciet, & coctionem probè adiuuat, vt scribit Aëtius, *tetrab. 2. serm. 2. cap.* 10. qui etiam huius solius vsu quosdam à melancholia liberatos esse testatur. Nec negligendum est Epar. Imprimis vero vbi ἀντιπραξία est & contraria intemperies viscerum, ventriculi scilicet & epatis, cautè agendum, ne dum vni succurrimus, alteri noceamus. Fit autem hoc, dum vel ventriculo sua medicamenta extra, epati intus, aut contra adhibemus; vel alternatim nunc ventriculo, nunc epati prospicimus, prout huius vel illius affectus & sympto-



De chalyb.

Chalybs quãdo vsurpandus.

Thermæ & Acidulæ.

viscera magis vel minus vrgent; vel dum medicamenta vtrique visceri conuenientia miscemus. Commodissimum verò semper fuerit, primò ventriculum vel vomitu, vel leni medicamento euacuare: interim extra epati prospicere. Quia tamen humores ex vtriusque visceris intemperie generantur, tandem aduruntur, temperata medicamenta adhibere vtilissimum est, quæ simul aperiunt & attenuant, ex cichor.agrimon. fumar.cum oxymelite & sero lactis.

Cæterùm quia & cordi & capiti vapores molesti sunt, qui ex illuuie illâ humorum in hypochondriis eleuantur, ij à capite & corde auertendi, dissipandi, eorúmque prauitas corrigenda. Auertunt à capite & corde vapores extremorum frictiones, lotiones, scarificationes, fonticuli in cruribus excitati. Vapores discutiunt, eorúmque prauitatem corrigunt, flores borraginis, bugloss. betonicæ, tunicis, melissa, radic. helenij, scorzoneræ, sem.coriandri, anisi, zedoaria, ambra, quæ in calore natiuo etiam & spiritibus ac membris principalibus roborandis facilè primas tenet; margaritæ, corallia, lapid.pretiosi vsitati. bezoar; è quibus plurima medicamenta passim obuia parari possunt. Vulgaria sunt Confectio de hyacintho, Alchermes.

Tandem, quod Aëtius, *tetrab.2.serm.2.cap.*10. de curatione melancholiæ monet, id in genere de affectione hypochondriaca locum habere potest, nimirum naturæ remissionem interdum dandam, & à medicamentis aliquandiu abstinendum est: cùm in curatione videatur affligi, quiete verò inualescere, & superare morbos iam antea attenuatos, vt obseruatum sit, multos sic ægrotantes tempore curationis nihil commodi percepisse, dimissa verò curatione restitutos fuisse. Quod interdum etiam in thermarum & acidularum vsu euenit.

## CAPVT VII.

### *Diæta.*

*Diæta.* VLtimò Diætam quod attinet, si vllo alio in morbo ea exquisita & accurata opus est, in hoc morbo maximè necessaria est: cum à diætæ erroribus originem habeat, & foueatur, ac sine eâ parum medicamenta prosint: si verò accurata instituatur, non parum ad hunc morbum expugnandum momenti habeat.

Aër ergo sit temperatus & purus: Cibi sint boni succi, facilis coctionis, temperati, non calidi, non sicci, non viscidi, lenti, crassi, non acres, cui intemperiem viscerum augere, humores amplius adurere, & *Cibi.* meatus obstruere possint. Conueniunt ergo carnes agninæ, vitulinæ, veruecinæ, bubulæ saltem iuniores & teneræ, non pingues aut frixæ: suillæ verò, hircinæ, caprinæ, bubulæ vetustiores, ceruinæ, anatum, anserum, columbarum & similes duriores noxiæ sunt. A carnibus etiam sale conditis, vel fumo induratis & exsiccatis planè abstinendum. Sal cum densandi, constringendi, & coagulandi vim habeat, facit, vt humores in hypochondriis facilius cumulentur & detineantur. Pedes etiam & viscera animalium in vsum non veniant. Oua tremula non sunt inutilia; nec iuscula gallorum & gallinarum, carnis bubulæ, mediocri tamen quantitate sumta; cum æstum hypochondriorum temperare possint. Nimiâ verò quantitate sumta fluctuationes pariunt. Lactis vsus non est commodus, vt nec casei. Pisces sint saxatiles & ex puris aquis, funduli, lupi, percæ: Carpiones verò, anguillæ, cochleæ, cancri, pisces duri, maritimi plerique, imprimis exsiccati, vt & alij sale conditi, vel fumo indurati nocent. Fructus etiam plerique reiiciendi, cum vtplurimum dulces sint, ac præterea flatulenti, & facilè corrumpantur, præter poma Borsdorffiana & similia, passulas, amygdalas, pineas. Cappares quidem laudantur vulgò; verum rectè vsurpandi. Nam non solum difficilis coctionis sunt, sed & acetum, quo condiuntur, humorem melancholicum fermentat & exaltat. Commodissimè præparantur, si condiantur addita tertia parte passularum Corinthiacarum, sacchari eadem quantitate & momento aceti.

De aceto Autores non consentire videntur. Hippocrates, 3.*de rat.in acut.text.*38. scribit, quod ab aceto τὰ μέλαινα ζυμῶται, καὶ μετεωρίζεται, καὶ πολλαπλασιῦται: Galen.*in comment.* acetum melancholicis aduersissimum esse addit. Aëtius tamen, *tetrab.2.serm.2.cap.*10. & Paulus Ægineta ex Posidonio & ex his Donatus Altimarus, *de medendis morbis, cap.*7. sub ingressum lecti melancholicis acetum acerrimum cochlearis mensuram propinant. Verum non aliter hoc admitti potest, nisi in melancholia, vt vapores, præcipuè ex humore adusto ad caput tendentes, supprimantur: non verò simpliciter in affectione hypochondriaca. Alias enim Hippocratis sententia verissima est, acetúmque humores melancholicos & lienis ac ventriculi constitutionem vitiosam, ob quam aliàs humores acidi generantur, auget. Si tamen ob vim incidendi cibis admiscere libet, vt & medicamentis, parca manu id fiat: & aliis, quæ lieni prosunt, additis. *Acetum an conueniat.*

E leguminibus admitti potest hordeum & auena. E plantis asparagus, cichor. endiuia, petroselinum: reliquæ pleræque parum vtiles, imprimis brassica muria condita. Panis sit è frumento puro, fermentatus & & bene coctus.

Circa cibos tamen monendum, vnicè dandam esse operam, ne cruditas vllo modo generetur. Qua in re imprimis ad ventriculum respiciendum, qui in omnibus ac affectione laborantibus non semper eodem modo sese habet; & ob vitiosum, quo nutritur, alimentum nonnullos cibos sæpe peculiariter auersatur. Ideóque non semper commodiores sunt cibi tenuiores, & qui facilè alterantur; cum in iis, quibus cruditas nidorosa familiaris est, tales cibi facilè corrumpantur, qui propterea iis non sunt exhibendi; sicut contra iis, qui cruditati acidæ sunt obnoxij, cibi frigidi non conueniunt. Imprimis verò ad peculiarem cibi naturam respiciendum. Itaque cibi ij exhibendi, quos ægrum optimè tolerare, concoquere & citra vllam molestiam distribuere animaduertimus. Neque enim tam refert, quàm boni cibi exhibeantur, quamquam bene coquantur: siquidem cibi etiam boni, si non bene coquantur in ventriculo, plus nocent, quam deteriores, si benè coquantur. *Circa hoc quid notandum?*

*Potus.* Potus sit vinum album tenue, benè maturum, benè defecatum, non austerum, vel quod in lapide calcario, & aliis locis materiam tartaream suppeditantibus crescit. Condiri potest vinum flor.& radic.borraginis, vt & ex aliis plantis huic affectioni conuenientibus supra enumeratis. Nec inutile est vinum absinthites è musto paratum, cui, si libet, pars tertia rad.borrag.vel bugloss. addi potest. Cereuisia, quæ in nostris regionibus vsitata est, sit pura & bene defecata. Hydromeli è succo pomorum describit Paulus Ægineta, *lib.*7. *de re med. cap.*5. Aëtius, *tetrab.*1.*serm.*3. *cap.*138. quod etiam pro naturarum & circumstantiarum ratione locum habere potest. Quod verò de cibo monuimus, idem de potu monendum, vt videamus, quem potum sine vlla cruditate ac incommodo æger melius ferat. Aliis enim vinum, aliis cereuisia, & quidem hæc vel illa magis conuenit: ac sæpè obseruatum, nonnullos cibos in hac affectione bene retinere, quam primum verò cereuisiam bibunt, vomere, & post horarum etiam aliquot interualla cereuisiam parum alteratam reiicere. Circa cibum & potum & hoc monendum, ne nimiâ varietate peccetur, aut copiâ ventriculus obruatur: aut alij cibi assumantur, antequam priores concocti sint, & in ventrem descenderint. *Hydromel è succo pomorum.*

Somnus sit mediocris & tempestiuus, nec statim à cœna

cœna ineatur. Vigiliæ nimiæ multum hac in affectione nocent. Exercitia & motus corporis si moderatus, vita sedentaria incommoda est. Animi nimia intentio & lucubrationes, præsertim à cœna, valdè in hoc affectu noxiæ. Præcipuè verò grauiora animi pathemata, ira & mœror, quæ vel sola affectum hunc producere valent, præsentemque miris modis fouent & augent, vitanda.

# LIBRI TERTII PARS V.

## SECTIO SECVNDA.

## De Scorbuto.

## CAPVT I.

### De Scorbuti Nominibus & Natura.

*ti No-*

MOrbi huius, hoc loco meritò tractandi, vulgatum nomen apud Medicos est Scorbutus, seu Schorbutus, mutuata appellatione à Saxoniæ inferioris incolis, qui eum *Schorbock*, aut *Scorbuck*, & Hollandis, qui *Sel ærbuyck*, ab effectu, cruciatibus scilicet, & torminibus ventris, nominant. Quia tamen non solum venter, sed & aliæ partes in eo afficiuntur, ab iis alia quoque nomina accepit, & *Schurmundt* Danis etiam *Schorbeck*, ab oris vitio, vacillantibus dentibus, & laxis, ac sæpe exulceratis gingiuis; & *Scorbein*, à languidis cruribus, & à blauis glastinis, seu puniceis maculis *Blavvschuyt*, appellatur. Nonnulli (quod cuidam Regnereo Snoy, celebri sui temporis Practico, tribuitur, vt apud Forestum, *lib.10.obs.11.* videre est) à læsis gingiuis, & pedibus Gingipedij nomen (crassa & pingui minerua, vt Clariss. Salomon Albertus ait) finxerunt.

*pedii.*

*trit an-* *cogni-*

Quibus nominibus antiquis fuerit appellatus hic morbus, imò an antiquis cognitus fuerit, in controuersiam vocatur. Iunius, *in Nomenclator.* à Marcello, qui Gratiani & Theodosij Imperator. ætate floruit, hoc malum appellari scribit Oscedinem. Etsi verò nonnulli, vt Balduinus Ronsseus, *lib.de magn.lienib.Hippocrat.cap.2.* hoc malè fieri dicant; cum Oscedo vitium sit apud Gellium, *lib.4.c.20.* quo qui tenentur, sæpius oscitant: tamen cum remedia, quæ Marcellus, *de re Medic. cap.11.* contra Oscedinem proponit, non oscitationis vitio sed scorbuto, & gingiuarum exulcerationi conueniant: omnino oris vitium scorbuticis familiare per Oscedinē eo loco apud Marcellum intelligi debet. Quod verò Gellius, *loc. alleg.* describit vitium, ab hoc planè diuersum est, & ita saltem nomine, nullo verò modo re Oscedo Gellij & Marcelli conueniunt.

*t Osce-*

*omaca-* *Scelo-*

Plinius morbi cuiusdam, quem Stomacacen, & Scelotyrben appellauit, mentionem facit, *lib.25.histor.natur. c.3.* his verbis. *Non bestiarum solum ad nocendum scelera sunt, sed interim aquarum quoque, & locorum. In Germania trans Rhenum castris à Germanico Cæsare promotis maritimo tractu fons erat aquæ dulcis solus, qua pota intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus dissoluerentur, Stomacacen Medici vocarunt, & Scelotyrben, &c.* Atque hunc morbum plerique Medici Scorbutum esse existimant. Quibus & ego assentior, & stomacacen, ac scelotyrben Plinij ipsissimum scorbutum esse puto; cum in iis locis, in quæ Cæsar Germanicus trans Rhenum castra promouit, malum hodie etiam sit frequens, & præcipuè in castris, iis maximè in locis, facilè contrahi possit. Nomen a. hoc non à Frisiis & Germanis, qui procul dubio Medicis tùm temporis doctis, & linguarum peregrinarum peritis destituebantur, huic malo inditū, sed Medici vel Græci, qui apud Romanos erant, vel Latini Græcæ linguæ periti, qui exercitum Romanum sequebantur, & symptomatis, quæ maximè in ore, & tibiis apparebant, id finxerunt, & indiderunt, ac στομακάκην quasi στόμαῖος κακὴν vel κακίαν (Barbari Stomacaxiam nominant) ab oris vitio, quod Germanis etiam *die Mundtfeule*, & σκελοτύρβην, seu σκελετύρβην (vtrumque n. nomen apud probatos autores occurrit: prius tamen analogiæ magis conuenit) à tibiarum seu crurum læsione appellarunt; aut certè antiqua nomina, & iam tùm apud Medicos obuia & vsitata iis accommodauerunt. Nam etiam, *in lib. de definit. Medicis*, qui sub nomin. Galeni circumfertur, scelotyrbes fit mentio. Verum ea scelotyrbe Scorbutus non est, sed paralyseos quædam species, qua qui laborant, rectè incedere nequeunt, sed nunc in læuam, nunc in dextram partem cōtorquent corpus, interdum crus pòst se trahunt, non secus, ac ad accliues locos ascendentes faciunt. Quia ergo Græci, vel Romani, quibus primum Scorbutus offerebatur, in eo quoque crurum quandam resolutionem animaduertebant, atque aliud commodius nomen non habebant, propter affinitatem & ipsum scelotyrben nominarunt.

*Quando hoc nomen acceperit.*

Verum hoc nomen non primum Scorbutus accepit in castris Cæsaris Germanici, quæ trans Rhenum duxerat, vt plerique existimant: verum iam apud Strabonē, *circa finem lib.6. Geograph.* qui sub Augusto vixit, hæc nomina occurrunt, qui morbum hunc, qui in exercitu Ælij Galli, iussu Augusti in Arabiam ducto, exortus est, stomacacen & scelotyrben nominat. Vt ita nomen hoc Medicis Romanis iam notum facilius morbo in castris Germanicis exorto imponi potuerit. Hic non prætereundum, in Strabone non στομακάκην, sed στομοκάκκην legi; quam lectionem si quis sequi volet, deriuabitur hoc nomen à κάκκη, quod est merda: neque planè inconcinnè. Scorbuticis enim, qui hoc vitio oris laborant, os κάκκην olet.

*στομακάκη.*

Neque hoc hîc silentio præterire possum, me dubitare, an Plinius caussam, quod militibus dentes deciderint, compagesque in genibus dissoluta esset, in potū aquæ dulcis cuiusdam fontis rectè retulerit. Nam cum hodie omnia illa loca trans Rhenum cognitissima sint; neque tamen quisquam de tali fonte aliquid referat; quod ego sciam; neque Plinius id statim, sed pòst biennium demum accidisse scribat: credibilius est, id seu ex cibi praua ratione, seu contagio, & genio loci, cui & finitimis hoc malum endemium est, eos hunc morbum contraxisse, qui cùm Romanis ignotus, & nouus accideret, in peculiarem etiam causam, & fontis illius aquam retulerunt.

*An sit icterus niger.*

An verò vltra ista tempora notus, & quo nomine expressus fuerit, alij aliter sentiunt. Sunt qui icterum nigrum antiquorum ab Ægineta, *lib.3.cap.49.* Aretæo, *de sig.& causs.morb.diutur.lib.1.cap.15.* descriptum, eundem morbum cum scorbuto esse posse putant; alii id negant. Etsi enim icterus niger quoque à liene ortum habeat: tamen in ictero nigro totius corporis colorem ad nigredinem mutari, idque maximè in oculis animaduerti, nullas verò maculas hinc inde spargi putant; quod non accidit in Scorbuto, in quo quidem etiam color cutis aliquomodo mutatur, verum non ita insigniter præcipuè in oculis, vt in ictero nigro, sed potius maculæ quædam hinc inde in cruribus, dorso, & brachiis efflorescunt. Verum enim verò maculæ non in omnibus scorbuticis necessariò apparent: cōtra rationi consentaneū à nigro humore, qui in totum corpus in scorbuticis diffunditur, totius corporis colorem in nigrum mutari posse non aliter ac in iis qui aliàs ictero nigro laborāt: & experientia id confirmat. Vidi ipse fœminam corporis colore, cum sana esset, florido, cui, cum pòst quartanam scorbuto laboraret, totius corporis color ita in nigrum mutatus est, vt vix eandem esse cognosceres. Itaque, etiamsi omnem icterū nigrum antiquorum scorbutum non dixerim: tamen icterum nigrum cum scorbuto coniungi hodie experientia docet; & olim etiam

coniungi

coniungi potuisse, impossibile non fuit.

*An vitiligo nigra.* Nonnulli ob colorem hunc, quo scorbuticorum corpus tingitur, etiam μέλαν@ ἀλφὸς, seu vitiliginis nigræ nomen scorbuto, ex Galeno, 3. *de sympt. causs. c.* 3. accommodant. Verum eadem huius ratio est, quæ ictέri nigri Etsi enim ab humore melancholico hoc vitium proueniat, & cum scorbuto coniungi possit: tamen non necessariò scorbutum coniunctum habet.

*An magni lienes Hippocratis.* Langius, *lib.* 2. *epid.* 14. & Balduinus Ronsseus *in lib. de magn. lien. Hippocr.* vt & alij & Medici plurimi ab Hippocrate scorbutum descriptum esse putant, vbi de morbis lienis, & præcipuè magnis lienibus agit, *de morb. intern.* 2. *prædict.* 2. *prognostic.* quorum & Celsus mentionem facit, *lib.* 2. *cap.* 7. *lib.* 4. *c.* 9. & Cælius Aurelianus, *lib.* 3. *Chronic. cap.* 4. Ab iis autem dissentit VVierus, *in obseru. de scorbut.* qui Hippocratem, *in fine lib.* 2. *prorrhetic.* dum de magnis lienibus agit, affine quidem malum scorbuto descripsisse, non tamen ipsum scorbutum putat. Hippocratem enim docere, quod eodem tempore vtrumque symptoma in liene magno non conspiciatur, sed tibiarum vlcera tum demum subsequantur, quando humor ille melancholicus & acris non fertur sursum ad gingiuas, vel sanguinis eruptione euacuatur, verū ad tibias subsidet, eas exulcerat, & cicatrices nigras relinquit. In scorbuto verò simul gingiuas putrescere, & fœtere, & tibias lituris, ac maculis liuescere.

Verum enim verò Langio, & Ronsseo hîc assentire malo. Quæ enim Hippocrates de magnis lienibus habet, omnino optimè scorbuto quadrant. Ita enim Hippocrates *lib.* περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, secundum lienis morbum describit: ἡ γαστὴρ φυσᾶται. μετὰ δὲ καὶ ὁ σπλὴν οἰδέει, καὶ σκληρός ἐστι. καὶ ὀδύναι ὀξεῖαι ἐμπίπτουσιν ἐς τὸν σπλῆνα, ἥ δὲ χροιὴ τρέπεται, καὶ ὁρᾶται μέλας, ὕπωχρος, σιδιοειδὴς, καὶ ἐκ τοῦ στόματος (ita enim legendum, vt ex loco sequenti & ipsa morbi natura patet) κακὸν ὄζει, καὶ τὰ οὖλα κακὸν ὄζει: καὶ τὰ ἀπὸ τῶν ὀδόντων ὑφίσταται, καὶ ἐν τῶν κνημέων ἕλκεα ἐκρήγνυνται, οἷά περ ἐπινυκτίδες. τὰ δὲ γυῖα λεπτύνεται, καὶ ἡ κόπρος οὐχ ὑποχωρέει. *Venter inflatur, postea verò etiam lien intumescit, & durus est, ac dolores acuti in splenem incidunt. Color etiam mutatur, & niger conspicitur, pallidus, & qui malicorij speciem referat; & ex ore malè olet, & gingiuæ malè olent, eæque dentibus discedunt, & in tibiis vlcera, veluti pustulæ nocturnæ, erumpunt, membra verò extenuantur, & stercus per aluum non demittitur.* Et *in fine lib.* 2. *prorrhet.* οὖλα δὲ πονηρὰ καὶ στόματα δυσώδεα, ὅσοισι σπλῆνες μεγάλοι. ὁκόσοι δὲ ἔχουσι σπλῆνας μεγάλους, μήτε αἱμορραγίαι γίνονται, μήτε στόμα δυσῶδες, τουτέων αἱ κνῆμαι ἕλκεα πονηρὰ ἴσχουσι καὶ οὐλὰς μελαίνας. *Quibus lienes magni sunt, iis gingiuæ vitiantur & os graue olet: quibus autem lienes magni sunt, neque sanguinis eruptiones contingunt, neque os graue olet, ij in tibiis mala vlcera habent, & nigras cicatrices.* Quæ omnia tàm exactè scorbuto quadrant, vt planè ignotus ipsi fuisse non videatur. Et si in Arabia felici, vt antea dictum, & postea dicetur, ex victus ratione hic morbus generari potuit, cur non alicubi etiam in Græcia produci ex simili caussa, & Hippocrati innotescere potuerit? Etsi forsan eius natura ipsi tam nota non fuit, vt est hodie Medicis iis in locis, quibus scorbutus vernaculus est. Sicut & hodie quandoque Italis, & Gallis, quibus rarior est, offertur; nec tamē semper statim agnoscitur, vel hoc nomine describitur. Exemplum huius rei nobis præbet Medicus doctissimus, Carolus Piso, *in lib. de morb. ex proluuie serosa*, qui *obser.* 74. 75. Monachos quosdam ægrotante describit, & qui passim curandi occurrunt scorbutici, conferat, vix ouum ouo tam simile est, ac morbus ille scorbuto: nec tamen scorbuti nomine à Carolo Pisone describitur, procul dubio quod scorbuti nomen in Lotharingia non satis notum est. Neque necessarium est, quod vult VVierus, vt in magnis lienis semper stomacace cum sceletyrbe coniuncta sit; cum sanguis ille impurus scorbuti caussa nonnunquam ad superiora solùm repat, & gingiuas corrumpat; nonnunquam ad inferiora descendat, & maculas, ac vlcera in cruribus, ac sceletyrben, excitet nonnunquam tanta copia coaceruetur, vt totum corpus occupet, vbi maculæ, & lituræ non solum in cruribus, sed & in brachiis, ventre, ac tergo conspiciuntur. Sunt n. vt postea, *cap.* 5. dicetur, mali huius quidam gradus, & pro temporis, ac loci varietate & præcipuè secundum caussæ copiam vel prauitatem, differentiæ; atque ipsa testatur experientia, nonnullos citra maculas, & lituras in cruribus tantum gingiuas vitiatas, & os graueolens; alios, ore & gingiuis saluis, crura maculis & lituris, quandoque & vlceribus fœdata habere, alios vtrumque pati.

*An ileos hæmatites.* Non solum a. sub magnis lienibus, sed &, *in eod.* περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, *lib.* Hippocrates, dum εἰλεὸν αἱματίτην describit, ipsum scorbutum egregiè delineasse videtur. Ita antem Hipocrates: *Morbus per Autumnum incipit, in eoque hæc accidunt. Ex ore malè olet à dentibus, & ab iis gingiuæ abscedunt, & ex naribus sanguis fluit; interdum verò in cruribus vlcera erumpunt, & alia emergunt, & color niger fit; & cutis tenuis.* Verum cum addatur, περιφοιτῆν καὶ ταλαιπωρέειν πρόθυμος, quod verterunt, ad deambulandum, & laborandum, promptus, atque hæc duo symptomata scorbuticis non conueniant; cum è plurimis vix vnus scorbuto laborans reperiatur, qui ad deambulandum, & laborandum promptus sit: ea de caussa hanc descriptionem scorbuto conuenientem negant Balduinus Ronsseus, & VVierus.

Verum enim verò cum cætera omnia exactè scorbuto quadrent, id quod additur, *ad deambulandum, & laborandum promtos esse*, nec scorbuto conuenit, nec illi, quem descripsit Hippocrates affectui quadrare videtur. Cum enim vulnera in cruribus habeant, ad ambulandum, & laborandum prompti esse non possunt. Et cum Hippocrates dicat, conuoluulum sanguineum cætera quidem eadem, quæ prioribus contingunt, pati, de priori autem conuoluuli specie scribit; crura grauia esse, &, si deambulent, tremere, ac si per accliuem locum iter faciant, crebrò admodum spirare, & anhelare: certè deambulandum prompti esse non poterunt, qui laborant ileo hæmatite. Ideoque nonnulli in textu negatiuam particulam, οὐ, omissam esse, & legendum censent, περιφοιτῆν καὶ ταλαιπωρέειν οὐ πρόθυμος, *ad deambulandum, & laborandum minimè promptus*; atque ita tota hæc descriptio scorbuticis exactissimè quadrat. Confirmat istud alter locus, *in eodem lib. de intern. affect.* vbi paulò ante de morbo Regio secundo Hippocrates ita scribit: οὔτε πρόθυμός ἐστι πρὸς τὸ πορεύεσθαι, καὶ φοιτῆν, ἀλλ' ὑπὸ τῆς ἀσθενείας αὐτοῦ τὰ σκέλεα ὑποφέρεται. Ita enim legēdum puto. Quomodo enim in hac corporis constitutione, ac vbi præ imbecillitate crura labascunt, æger ad ambulandum promptus, & alacer esse potest? Atque ita legendum esse etiam Celsus, qui fideliter Hippocratis sententias vertit, docet, qui scribit, *lib.* 4. *cap.* 9. in intenta ambulatione, cursuque dolorem & quandam difficultatem accidere.

Et nomen Ilei tàm commodè affectui huic competit, quam nomen *Schorbuck*, quod tormina, seu rupturam ventris significat. Etsi enim Ileos plerumque intestini tenuis affectum significet: quandoque tamen etiam de doloribus, & torminibus, quæ in ventre, & secundum hypochondria accidunt, accipitur, vt ex Hippocrate & Galeno, *lib.* 3. *epid. com.* 2 *t.* 6. & 3. *aph.* 22. & *de sympt. differ. cap.* 4. videre est Hæmatites verò ab αἵματος, quod est cruento, vel sanguine profluo, dicitur; quod scorbuticis non vno nomine competit: cum sanguinem atrum nonnunquam copiosè vomitu, imò interdum per aluum, & os reiiciant; iisdemque cùm sanguis ex naribus fluere soleat, tùm gingiuæ sint cruentæ, ac vlcera cruenta in tibiis excitentur. Imò quandoque è cruribus sanguis effluat, sicut eius rei raram quidem, sed notatu dignam historiam ante aliquot annos in custode templi ad arcem hîc siti obseruaui. Ei scorbuto laboranti, cum delirio leni & non tumultuoso, vena in

medio

medio ferè crure aperta eſt, quæ ſanguinem ſatis copioſum per aliquot dies fundebat,vt à chirurgo ſiſti nō poſſet, atque ea de cauſſa in conſilium adhibitus ſim, etſi vix veſtigium, & via manifeſta, vnde ſanguis efflueret, vſui appareret.

*A[...]aleno P. Æ[...]eta & A[...]enna fu[...] cogni- tus*

Neque etiam aliis Græcis Medicis videtur fuiſſe planè incognitum hoc malum,quanquam forſan,vt rarius, ita exactè ipſis perſpectum non fuerit, & propterea peculiare & vnum nomen ei non indiderint. Certè à ſcorbuto non procul abfuiſſe videtur morbus, quem Galen. 2. *de natur. human. t.* 3. deſcribit: *Qui in Oeno vrgente*, inquit, *fame veſcebantur leguminibus, cruribus vacillabant; qui verò erua edebant, horum genua dolor infeſtabat.* Paulus Ægineta, *lib.* 3. *cap.* 49. his,quibus lien induratur, os graueolens fieri,gingiuas corrodi,& vlcera in cruribus cicatricem non admittentia excitari ſcribit. Auicennas quoque, *lib.* 3. *fen.* 15. *tract.* 2. *cap.* 5. ſatis clarè eundem delineaſſe videtur,dum ita ſcribit: *Et quandoque denigratur lingua ex duritie ſplenis, & ſentitur durities eius abſque rugitu, cum premitur, niſi aggregetur ei inflatio, & non eſt cum ea febris inſeparabilis, imò quandoque eſt non ſecundum ordinem: & quandoque multiplicantur cum ea vlcera crurum, & corroduntur dentes ac gingiuæ propter groſſitudinem ſanguinis, qui deſcendit in vlcera crurum, & corruptionem vaporis, qui deſcendit in omnes partes gingiuarum, & quandoque eſt in vlceribus crurum criſis eius.* Etſi enim durities lienis in ſcorbuto neceſſario ſemper non adeſt: tamen vbi reperitur, & quidem cum accidentibus ab Auic. deſcriptis, ſcorbutis vix aberit.

Nihilque refert, quod nomen ſcorbuti apud hos authores non exſtet. Neque enim de nomine hoc, quod Septemtrionalibus hiſce regionibus ſaltem vſitatum fuiſſe,& eſſe facilè cōceditur,ſed de re,& morbo ipſo eſt quæſtio,ſub quocunque etiā nomine eum propoſuerint. Neque id ſatis firmum eſt, quo nonnulli euincere volunt, ſcorbutum antiquis planè incognitum, quod ſcil. nemo veterum macularum mentionem fecerit,quæ ſint infallibile ſcorbuti indicium, vt quando apparent in cruribus,Medicus non dubitet de ſcorbuto.Etenim non ſemper apparent maculæ, etiam in iis regionibus, vbi ſcorbutus familiaris: & variant ſymptomata pro regionum,& corporum varietate.Neque tamen Hippocrates maculas planè prætериiſſe videtur,cum colorem crurum nigrum fieri dicit, quæ ſunt maculæ illæ nigræ.

*[...]s regio- [...] ende-*

Eſt verò ſcorbutus ragionibus Septentrionalibus, & maris Balthici accolis, iiſque,Germanico Oceano adiacent, & Saxoniæ inferiori, Hollandiæ, Selandiæ, Flandriæ, Brabantiæ,Daniæ,Sueciæ, Noruuegiæ,Iſlandiæ,Friſiæ, VVeſtphaliæ,Pomeraniæ,& finitimis populis malum endemium, & vernaculum.Nam cum aëre,& victus ratione ea vtantur, quæ, vt mox dicetur, ad ſcorbutum generandum eſt aptiſſima, non poteſt non ipſis eſſe familiare.Germaniæ verò ſuperiori, vt & Italiæ, Galliæ, ac Hiſpaniæ ferè incognitum. Suſpicatur quidem Platerus,luem hanc,cum ſit contagioſa,potuiſſe ex procul diſſitis regionibus,qua per maria nauigantes hi populi noſtro ſeculo ad extremos terræ fines perluſtrarunt,vbi fortè familiaris eſt, contagio per nautas in loca hæc mari vicina primum peruenire, vt lues Indica ab Indis primum in maritima circa Neapolim loca tranſlata toti Europæ innotuit. Verum ſuſpicione hac opus non eſt;cùm non nuper,& ante paucos annos in hiſce locis morbus hic innotuerit,ſed iam Cæſaris Germanici tempore,& olim, vt etiam ex Olao Magno patet, in iis viguerit; & cauſſas huius mali domi habent hi populi, vt aliunde id tranſportare opus non fuerit. Neque etiam nauigationes hactenus docuerunt, morbum hunc in diſſita aliquà vltra mare regione eſſe endemium, ſicut lues Venerea in India: ſed hoc potius obſeruatum, cum à nautis ex his locis in alia quandoque tranſportatum fuiſſe.

Impoſſibile tamen non eſt,in aliis quoque regionibus eum generari, ſi ſcilicet locus ſit maritimus,& vliginoſus,vel alius,vbi rarus ſalubris aquæ potus,vel aër, aut victus ratio praua cauſſam huic malo ſuppeditant. Sicut in Arabia felici olim graſſatum fuiſse hunc morbum refert Strabo, *in fine lib.* 16. *Geogr.* Cùm enim ſub Auguſto Cæſare in Arabiam exercitum Romanum duxiſſet Ælius Gallus,in ipſa expeditione relinquere cū coactus eſt in albo Vico, maximo Nabathæorū Emporio, vbi æſtatem,& hyemem tranſigere oportuit, vt reficerentur infirmi. Quandoquidem oris, & crurum vitiis, quæ ϛομακάκκην, & σκελτύρϐlω, eiuſque loci ἐπιχώρια παθήμαα nominat,exercitus tentabatur, quorum illud circa os, hoc circa crura reſolutionem quandam fuiſſe, ab aquarum & fructuum vſu prouenientem, ſcribit Strabo. Ita Roderic. à Fonſeca, *conſult.* 2. refert, Luſitanis, qui primi Orientalem Indiam nauigando inuenerunt, cum in promontorio quodam aquam fluminis cuiuſdam bibiſsent, gingiuas ita intumuiſse, vt os eas vix caperet. Niſi forſan Scorbutum ex victu nautico contraxerunt, qui ſe promontorio illo primò tumore gingiuarum detexit. Vt ita quocunque in loco cauſsa huic malo generando,& præcipuè victus ratio ſuppetit, ibi generari poſſit Scorbutus.Sicut & hodie non ſolum in Germania inferiore,ſed & in Miſnia, Bohemia,Morauia, Sileſia, Boruſſia, Haſſia, & locis finitimis non rarò reperitur:Imo quandoque etiam in Italia, Gallia, Lotharingia,& aliis regionibus,vt ex Eugaleno.P.Foreſto, Roderico Fonſeca, Carolo Piſone videre eſt: cum nuſquam non in diæta peccetur, & τὸ ποικίλον τῆς διαίτης, vt ille ait, ποικίλα νοσήματα pariat,& ſi ratio diætæ ſit φαύλη, καὶ φλαύρα, cum alij morbi, tum pro errati ratione etiam Scorbutus generari poſſit. De Scorbuto in Miſnia graſsante ita ſcribit Georg. Fabritius, *lib.* 2. *annot. Vrbis Miſnæ, ſub hiſtoria anni* 1486. graſsatus eſt,inquit, hoc anno nouus & inauditus in his terris morbus quē nautæ Saxoniæ vocant *den Scharbock*, qui eſt inflammatio (alij legunt inflatio) in membris partium carnoſarum, qui quò celerius adhibetur medicina,eo citius malum reſtinguitur. Sin mora accedit paulò tardior,ſequitur membri affecti mortificatio, quam ſiderationem, noſtri Græci σφάκελον dicunt, vltimum gangrænæ malum. Nam caro ab oſſibus defluit & continua quoque è lue corrumpuntur. Fuit idem morbus contagioſus multorum mortalium graui periculo.

Neque hic ad aliquam ſingularem regionis proprietatem ab aſtris, aut Natura impreſsam confugere opus eſt. Sufficiunt cauſsæ illæ, quæ mox enumerabuntur, victus ratio,& ſimiles. Quæ cum maris Balthici accolis,& Germaniæ inferioris incolis ſint vernaculæ, & omnes in iis concurrant,mirum non eſt,quod hic morbus iis maximè eſt familiaris. Aliis verò in locis,quibus Scorbutus ignotus,etſi vna harum cauſsarum competere videatur,alia tamen deeſt.Veneti quidem in ſtagnis & paludibus maris Adriatici habitant:venū victu longè alio, quàm Saxones vtuntur. Tartari quidem, & Arabiæ montanæ incolæ, aliique multi victu prauo, & inordinato vtuntur: veruntamen non eo, quo maris Balthici,& vicinarum regionum accolæ,quibus carnes ſale,& fumo induratæ,piſces ſalſi, vel fumo aut frigore exſiccati victum familiarem præbent,neque aëre ſimili, neque aquis eiuſmodi paludoſis vtuntur.

*Quandoque fit ſporadicus*

Atque ita Germanici,& Suecici Oceani, Balthicique ſinus accolis & finitimis populis Septētrionalibus Endemius quidem eſt & ἐπιχώριος hic morbus: aliis verò in locis,vbi rarius, & non ex communi,ſed ſua cuique, & priuata quadam victus ratione contrahitur, in numerum τῶν σποράδων referri poteſt.

*Quandoque Epidemius.*

Imò quandoque inter Epidemios morbos referendus; cum ſeu ex victu prauo communi, ſeu ex aëris conſtitutione humida & vliginoſa plurimos ſimul in eadem regione inuadit, aut multò frequentius, quàm alias conſueuit, graſsatur: id quod Rombert. Dodon *in obſ. med. c.* 33. anno 1556. apud Brabantos accidiſse ſcribit. Nam cùm propter validā famem ſecalis corrupti ex Boruſſia

tussia aduecti vsus esset, non pauci à Scorbuto malè habere cœperunt. Idem annotauit Forestus, & simile quid anno 1562. accidisse refert, *lib.10.obs.12.*

*Morborum & symptomatum in Scorbuto congeries.*

Etsi autem malum hoc hodie satis cognitum, & plurimis locis familiare quasi est: tamen in quo eius natura consistat, non ita planum est; cum maxima morborum, & symptomatum in eo concurrat congeries. Adest enim sæpe Lienis intemperies, eiusdem, & venarum portæ obstructio, soluta vnitas, & vlcera crurum, magnitudo modò aucta, modò imminuta: symptomata plurima in facultatibus penè omnibus læsis, & qualitatibus mutatis; ipsisque excretis non bene se habentibus. Et tanta omnino morborum, & symptomatum farrago in hoc affectu concurrit, vt vix alius sit tam πολύμορφος, & qui sub tot morborum speciebus latitet, ac Medicos, etiam cum cauisse maximè videntur, sæpe decipiat & deludat. Neque enim gingiuarum vlcera, & oris fœtor, dentium vacillatio, & crurum maculæ, atque vlcera, vel illa σκελοτύρβη statim, ac semper apparent, neque vbi apparent, solùm conspiciuntur, sed & dolores in cruribus ὀστοκόποι, nausea, ac vomitus, ἀτροφία, alui nunc constipatio, nunc fluor, & dysenteria, sputum copiosum & perpetuum, dolores vagi, cardialgia, & anxietas, lipothymia, febriũ varia genera, deliria, conuulsiones, paralysis, hydrops, arthritis, pleuritis, erysipelata, varia vlcera, & alia. Non tamen idem morborum, & symptomatum in omnibus concursus, sed in hoc ista, in illo alia; in hoc plura, in alio pauciora apparent; quæ tamen omnia ab vna caussa variè disposita, & ad hanc, vel illam partem ruente ortum habent. De quibus omnibus præ cæteris diligenter egit Seuerinus Eugalenus, in suo *de Scorbuto* tractatu, qui prolixè omnes morbos, & symptomata, quæ Scorbuto coniungi solent, descripsit, & Scorbutum ita depinxit, ac in lucem produxit, vt iam amplius latere facilè non possit. Et dicentur de hisce plura postea *de signis*.

*Scorbuti definitio.*

Itaque cum ex tam multis, iisque diuersi generis, & diuersas partes occupantibus morbis, & symptomatibus quasi componatur Scorbutus; humoris verò, qui proxima omnium caussa est, natura planè cognita non sit, vna, & perfecta definitione naturam eius exprimere si non impossibile, tamen difficile est. Ne tamen sine definitionis luce in hoc tractatu versemur, qualem possumus, afferemus, & ita commodissimè Scorbutum describi posse putamus. *Scorbutus est praua & occulta qualitas, seu dispositio, toti corpori, præcipuè verò visceribus nutritioni dicatis impressa, ab humore melancholico crasso, seroso seu ichoroso, peculiari modo corrupto orta; cum spontanea lassitudinis, & grauitatis, in cruribus præcipuè, sensu, pectoris angustia, & respirationis difficultate, gingiuarum corruptione, & oris grauεolentia, ac maculis purpureis in cruribus imprimis, aliisque morbis, ac symptomatibus plurimis ab eadem caussa pendentibus, coniuncta.* Seu, *praua quædam corporis nutritio vel cachexia, ab humore melancholico peculiari modo corrupto orta, coniunctam habens crurum debilitatem, maculas, gingiuas tumidas & sanguinolentas, dentium laxitatem, & plura alia symptomata.*

---

## CAPVT II.

### De subiecto & caussa Scorbuti.

SEd vt ista clariora fiant, & Natura Scorbuti penitius, quantum possibile, cognoscatur, duo inprimis declaranda sunt: Humoris Scorbutum producentis natura, & generationis modus; ac morbi, & symptomata, quæ Scorbutum comitari solent.

Et prius quidem vt rectè expediatur, Natura humoris Scorbutici à prima origine inquirenda.

*In primis viis colluuies vi-*

E cibo in ventriculo chylus fit: chylus in ventriculo elaboratus per venam portæ dictam ad Epar, & Lienem deducitur, vt ibi in sanguinem totius corporis alimentum conuertatur. In quibus sanè cóctionibus si omnia se rectè habeant, id ex totius corporis commodo est. Verùm quia plerumque cùm ob errata, quæ in victu committuntur, tum ob partium debilitatem coctiones hæ, &, quæ iis coniunctæ sunt, excrementorum separationes non rectè perficiuntur, humorum vitiosorum sæpe colluuies tanta cumulatur, vt à destinatis à Natura receptaculis tota capi non possit. Ac tum humores superflui & vitiosi in partes vicinas, mesenterium & pancreas protruduntur. Partes enim hæ non solum laxiores sunt, sed & plurimas glandulas quarum caro σομφωδεστέρα, & bibula, obtinent & totius corporis quasi sentina sunt. Recipit eosdem & Omentum, ac cauitas illa in sinistro hypochondrio sub diaphragmate, ex ventriculi, omenti, coli & viscerum connexu orta, & exitum non habens, sed ita conclusa, vt aquam quoque & flatus continere possit, ab Hier. Fabricio de Aquapendente, *in historia seu structura omenti,* luculenter descripta, nec Hippocrati ignota, qui 7. *Aph.54.* scribit: *Quibus inter ventriculum & septum transuersum pituita concluditur, & dolorem adfert, in alterutrum ventrem viam non habens, iis per venas in vesicam versa pituita morbi fit solutio.* Atque hoc in loco vt morbi hypochondriaci sedes sæpe hæret, ita non rarò Scorbutus ex illius morbi caussa peculiarem corruptionẽ vlterius sortita inde oritur. Cauitate enim illa natura interdum simul vtitur ad recipiendos superfluos humores, pituitosos, crassos, limosos, serosos & aquosos, melancholicos, atros, flatúsque etiam. Et quidem ex tribus membris in illam cauitatem excrementa ista transmittuntur, ex liene, epate ventriculo. Ac sæpe in Anatomia obseruatum, marsupium & hanc omenti cauitatem nunc aquoso, nunc atro humore refertam fuisse. Flatus etiam in ea contineri extra dubium est, ob quos, cum abdomen comprimitur, aut venter attollitur vel deprimitur, sonus manifestus percipitur. Nouique studiosum, qui quoties manu sinistrum hypochondrium comprimit, manifestus sonus etiam ab adstantibus percipitur. In his nimirum locis choleræ, melancholiæ, diarrhœę, dysenteriæ, cachexiæ, atrophiæ, languoris lentarum, errantiúmque febrium, latentium denique morborum caussas se deprehendisse, rectissimè Fernelius, *lib.6. de part. morb. & sympt. c.7.* scribit. Imò ex vitiosis humoribus in hisce locis cumulatis, præter enumerata mala, alia plurima, vtpote scabies, maculæ, vlcera, & tumores varij, arthritis, paralysis, conuulsiones, ventris tormina, dolores varij, & vagi in corpore ortum habent, vt ferè nihil morborum in corpore sit, quod non ab excrementis in hisce locis cumulatis prouenire possit.

*tiosorum humorum torum rum continet.*

*In totum corpus per venas & arterias distributio.*

Cùm enim sentina ista corporis plena est, pars vitiosorum humorum non pauca venæ cauæ, & arteriæ magnæ communicatur, per quarum ramos postea in totum corpus distribuitur, & prout constituta, ac disposita est, ac in hanc, vel illam partem à Natura protruditur, nunc hoc, nunc illud mali ac morbi genus excitat. Atque ita rem se habere experientia confirmat, ac in demortuis sæpe (cum in viuentibus causa mali satis deprehendi non potuerit) in mesenterio vlcera sordida & abscessûs deprehensi sunt, è quibus nunc febres acutæ, cum sanguinis nigerrimi vomitu, & per aluum excretione copiosa, cum animi deliquiis; nunc epate, liene, & intestinis saluis ventris tormina intolerabilia, & tándem mors; nunc nausea, vomitus melancholia, cachexia, atrophia; nunc dolores Colicis similes, vrinæ purulentæ; nunc perpetuæ vigiliæ, lipothymiæ, sudores frigidi, & similia mala originem habuerunt.

Facit ad istorum in mesenterio vitiosorum humorum coaceruationem imprimis Lien, dum suum officium non facit; liénque generationis horum prauorum humorum plerumque præcipua causa est, mesenterium ac vicina loca receptaculum & sedes, ac in hisce locis morborum & symptomatum, quæ scorbutum comitantur, causa quærenda est. De quo *part.4. cap.5.* dictum.

Sed

Sed vt ad Scorbuti Naturam explicandam propiùs accedamus, quænam fit humoris Scorbutum producentis natura, quo in loco, & quomodo generetur, explicandum. Primò autem hoc præsupponendum, coctiones, quibus alimentum, corpori noftro alendo idoneum elaboratur, idque ab inutilibus, & excrementitiis partibus fecernitur, quadam quafi fermentatione, & πνευματώσει (liceat hifce vocabulis vti) perfici, quibus, quæ antea erant craffa, & fixa, rarefiunt, fpirituafcunt, vt fic dicam, & vt Chymicorum termino vtar, volatilia redduntur, perficiuntur, & ab excrementis fuis liberantur, vt eò facilius corpori noftro non folum affimilari, eique vtile, & purum alimentum fuppeditare, fed & fpiritibus materiam præbere poffint. Apparet hoc etiam in alterationibus fructuum. In maturatione enim, quæ primò erant auftera, & acerba, ac omnino fixa, & fpirituofi ferè nihil obtinebant, omnia dulcefcunt, & partes illæ longè fubtiliorem, & fpirituofiorem, vt fic dicam, naturam induunt, vt ex iis fpiritus etiam φλογιστὸς elici poffit, qui ex immaturis non poterat. Multò verò magis apparet hoc in fermentatione ea, quæ in mufto, cereuifia, & fuccis è piris, & pomis, aliifque fructibus expreffis accidit, è quibus ante fermentationem nihil ferè fpiritus, poft fermentationem verò is fatis copiofus elici poteft. Eademque omnia ante fermentationem cruda, ac impura, ac proinde minus falubria funt, fæcibus nimirum adhuc permifta, & in quibus calori noftro plurimum laborandū eft: Vbi autem fermentantur, cum excrementis fuis quafi pugnam ineunt, fpirituafcunt, μετεωρίζονται, vt Hippocrat. 3. *de vict. rat. in acut. t.* 38. loquitur, rarefiunt, & in maiorem molem attolluntur, atque exaltantur, ac finita fermentatione fæcibus fubfidentibus longè fubtiliora, puriora, & fpirituofiora redduntur. Idē in pane videre eft, qui fi fermentetur bene, ipfe rarior redditur, atque ad coctionem longè aptior eft, quàm non fermentatus. Et quidem cibos, dum coquuntur, & vt alimentum corpori fiant, elaborantur, attenuari, rarefieri, & (liceat fic loqui) fpirituafcere quafi, ita euidens eft, vt doctiff. Planerus in eam venerit fententiam, *l.* 2. *meth. med. c.* 4. *p.* 72. cibum, & potum in ventriculo in halitus refolui, qui in venas mefaraicas fubeant & inhalent, ibique in fpeciem fanguinis concretione quadam mutentur; id quod difputatione quadam peculiari fe demonftraffe fcribit.

*Qui in eo-[...] ne rare-[...] fit & Spi-[...] rituafcunt.*

Neque folùm aliæ alimenti & potûs partes hoc modo raræ & volatiles quafi in corpore noftro redduntur, fed & ipfe fal, qui alimentis ineft, & cum iis affumitur, ex fixo volatilis, fpiritualis quafi, & animalis redditur. Atque his quiuis, qui falem volatilem è cornibus, & offibus animalium, ex fanguine, & vrina deftillando elicì vidit, non ita difficulter fidem habebit.

Itaque dum omnia fefe rectè in corpore habent, alimenta in ventriculo refoluuntur, partefque ad alendū inutiles fecernuntur, & per aluum excernuntur: quæ verò ad alendum vtiles funt, propria ventriculi, & inteftinorum vi elaborantur, & naturæ humanæ confentaneæ redduntur. Cum verò eam formam, & fimilitudinem, quam cum corpore alendo habere debent, in ventriculo, & inteftinis adipifci non poffint, ad iecur, tanquam fanguinis officinam, amplius elaborandæ mittuntur. Vt autem fanguis purior in Hepate elaboretur, craffiores chyli partes, mediante fero copiofo, quo diluuntur, & ad fluxum ac motum aptiores redduntur, à liene auertuntur, & attrahuntur; qui tamen & ipfe craffum illum chylum pro fanguificandi facultate qua præditus eft, quantum poteft, elaborat, & in fanguinem fibi, & vicinis partibus vtilem, & commodum mutat: quod verò planè corpori alendo inutile eft, per deftinatas à Natura vias expellit, vt *lib.* 1. *Inftit. c.* 9. pluribus hac de re egimus.

*[...]fiores [...] partes à [...] attra-[...]tur.*

Atque hæc omnia fi rectè, & decenter in corpore perficiantur, homo bene valet: fi verò (vt generationis Scorbuti modum breuibus comprehendam) ob viuendi rationem incommodam, & crudum, craffum, ac prauum victum multa alimenta ἀνεπιτήδεια, ἄνρυπα, καὶ ὑγρὰ, vt appellat Hippocrates, tanta copia affumantur, vt à corpore, aliàs etiam fano, & forti, ac vi coctrice pro viribus in iis conficiendis laborante, omnia fatis concoqui, & ab excrementitiis partibus liberari non poffint, & chylus multis partibus craffis, ac tartareis, vt à Chymicis appellantur, abundans, ad vifcera fecundæ coctioni deftinata perueniat, accidit, vt partes illæ craffæ, falfæ, fixæ, nec omnes à liene attrahi, nec fatis elaborari poffint. Atque ita coctio, & πνευμάτωσις illa, qua omnia alimenta fermentari, & quafi fpirituafcere debent, impeditur, & partes cibi craffæ, falque efculentus, & fixus tartareus copiosè cum cibis ingeftus craffam fuam, & fixam naturam deponere, ac rarefieri, volatilis, ac animalis reddi, vt debebat, non poteft, & partes impuræ, inutiles, ac tartareæ ab vtilibus, & puris probè fe[p]arari nequeunt. Vnde vifcerum coctioni fecundæ dicatorum facultas tandem oneri & copiæ humorum iftorum craftorum fuccumbit, paulatimque debilitatur, ac indies ad alimentorum coctionem, & elaborationem ineptior redditur, vt nimiam humorum craffitiem & deficientem πνευμάτωσιν corrigere non poffit. Quod vitium atque id, quod in rarefactione & attenuatione humorum deficit, quomodo vnica voce exprimi poffit, non planum eft: & proinde de nomine, modò de re conftet, cum nemine litigabimus. Remb. Dodonæus, *in praxi Med. de mag. lien.* & cum eo Cl. Dn. D. Gr. Horftius μόλυνσιν fiue cruditatem appellat, & eam proximam huius morbi cauffam effe dicit.

*[Gen]eratio-[nis] Scorbuti [i]dea.*

Sal ergo ille fixus, ac tartareus, & partes chyli craffiores, cum omnes à liene attrahi, & elaborari, atque ab Hepate fine incommodo attrahi non poffint, vtpote quod fubtiliores tantum chyli partes, tanquam fibi familiares, & fanguini bono generando aptiores naturaliter appetit; neque etiam ob copiam, & ineptitudinem à Natura omnes expelli poffint; in primis viis hærent, & in venarum mefaraicarum, ac portæ ramis, adeóque ipfo mefenterio, pancreate ac omento fubfiftunt, ac propter cauffæ, quæ talibus humoribus materiam fuppeditare folet, continuationem, quotidie augentur, hifque falfis, craffis, & fixis humoribus alij crudi, & vitiofi humores quiuis coniunguntur, & permifcentur; & ab iis hifce in locis detinentur; atque ita tartareorum, vt Chymici appellant, humorum colluuies in primis viis coaceruatur.

Detenti autem hi humores in hifce locis, & hâc quafi corporis fentina diutius, vlterius corrumpuntur, & variis hypochondriacis affectibus cauffam præbent, vfque dum tandem prauam, ac contagiofam, & Scorbuto peculiarem difpofitionem acquirant. Humores hoc modo corrupti, & Scorbuticam difpofitionem adepti, etfi aliquandiu in primis viis delitefcant, tamen vbi tandem magna eorum copia coaceruatur, adiuuante inprimis, & motum promouente ferofo humore, quo diluuntur; ad Hepar deferuntur, eiufque αἱμάτωσιν fæpe vitiant, & in venas, ac arterias effunduntur, ac cum fanguine permifcentur, eúmque inquinant, & cum eo in varias corporis partes, etiam in mufculos, tendines & articulos, diffunduntur, ac varios morbos, & fymptomata, pro partium, à quibus recipiuntur, varietate excitant.

Extra enim in habitu corporis extra venas effufi, cū neque corpori affimilari, & apponi, neque exire commodè queant, ibi detenti partium nutritionem impediunt, corpus grauant, ac laffum reddunt, vel hinc inde moti dolores vagos excitant. Ad gingiuas falfi huius & corrupti humoris portio miffa mollem earum, & teneram carnem in laxum tumorem attollit, tandemque acrimonia fua eas arrodit, vnde pruritus in gingiuis fequitur, earúmque caro leui fuctione &

*Morborum & fymptomatū fcorbuticorū generatio.*

& attritu sanguinem effundit, flaccescit, exulceratur, ac putrescens à dentibus abscedit, & grauem odorem de se emittit, ipsique dentes vacillant, & ex ore excidunt. Quæ verò pars ad inferiora corporis per venæ cauæ crurales ramos à natura propellitur; per capillares venas, mediante sero, ad superficiem cutis cum sanguine detrusa, maculas nunc rubras,nunc purpureas, aut liuentes excitat, vel ad tendines, & ligamenta, ipsosque musculos delata crurum grauitatem, lassitudinem, & imbecillitatem excitat, & partes has vel laxat, vel ibi diutius hærens à sero, quo diluebatur, deserta, exsiccatur, & induratur, vnde tendines rigidi redduntur, cruraque motu priuantur & ambulandi impotentia, paralyseos quandam speciem mentiens,excitatur. Ad alias quoque partes delata dolores, tumores, erosiones, & sexcenta alia, quæ Eugalenus omnia diligenter enumerat, producit,de quibus postea plura dicentur.

*Scorbutica colluuies vbi generetur.*

E quibus etsi colligere facile sit, & quod Scorbuti subiectum, seu locus potius sit,vel sedes materiæ Scorbutum excitantis, & quis humor sit,à quo Scorbutus habet originem, & quomodo generetur: tamen vt Scorbuti natura manifestior fiat, de singulis in specie dicendum. Et primò quidem Scorbuti subiectum quod attinet, dum de subiecto Scorbuti agimus, non intelligimus hîc partes corporis humani, quæ symptomata, & morbos Scorbuticis familiares patiuntur; cum nulla ferè corporis pars sit, quæ non mali aliquid in Scorbuto pati possit; etsi nunc plures, nunc pauciores afficiantur, prout malum vel recens vel antiquum est: sed colluuiei illius Scorbuticæ, & humorum vitiosorum, qui symptomatum & morborum in Scorbuto caussa sunt, fontem, & sedem inquirimus. Atque subiectum duplex statuimus,fontem, & locum, in quo generatur,& sedem, in qua generata continetur.

*Subiectum scorbuti.*

Fontem primò huius colluuiei quod attinet, hanc nisi è contagio contrahatur, mesenterium, & primas corporis vias,seu venæ portæ ramos, quæ illas perreptant, sedes esse statuimus. Etsi enim rarò accidat, vt sine lienis actione læsa Scorbutus excitetur,& plerumque humorum vicinorum prauorum, & corruptorum contactu & ipse afficiatur, & labem contrahat: tamen quandoque saluus est; & ipse in cadauere Scorbuto extincti aperto omentum quidem totum ferè putridum & corruptum; in liene verò nihil, quod, quantum ad sensum, culpari posset, deprehendi; & in quodam Hollandiæ Præside, Scorbuto laborante, magis Hepar, quàm Lienem affectum fuisse Forestus *lib.*20. *obseru.* 11. annotauit. Etenim licet Lien sanus, ac saluus sit: tamen si chylus fæculentus salsis, ac tartareis excrementis, & superfluitatibus scateat,lien omnes illas nec attrahere,nec elaborare potest, atque ita in agendo sine suo frustratur ob errorem externum;eodem modo sicut actio ventriculi aliàs bene constituti sæpe læditur, si materia concoquenda aut nimis multa, aut aliena, & vitiosis qualitatibus infecta ipsi offeratur. Si tamen Lien ipse debilis, vel obstructus, vel quocunque modo malè constitutus sit, multò magis in agendo officio suo non satisfacit. Poteftque vtrumque fieri, scilicet vel vt primò à crassis humoribus Lien obstruatur, eoque propterea officium suum non faciente,in mesenterio,& primis viis humores Melancholici cumulentur;vel vt primò in venæ portæ ramis ob alimentorum vitium tales humores cumulētur, & deinde lienem obstruant,vel debilitent,qui obstructus,vel debilitatus ad copiam eorum in dictis locis augendam facit, & vt humores vitiosi longè copiosius quàm antea cumulentur, in caussa est. Vt ita sedes, & fons primus colluuiei Scorbuticæ ex victu contractæ sit in mesenterio, omento, & primis viis, locisque inter ventriculum, Hepar & Lienem mediis,& vtrique visceri vicinis, suprà descriptis.

*Vbi contineatur colluuies Scorbutica.*

Etsi verò hisce locis primam originem debeat colluuies Scorbutica, & in recenti morbo etiam iis ferè concludatur: tamen si malum iam diutius durauerit,& materia ista vitiosa copiosior sit, non solum hisce locis coercetur, sed per venas, & arterias in totum corpus diffunditur; vnde totum venosum genus, tam venas portæ,quam cauæ complectens,sedes colluuiei scorbuticæ dici potest. Et chylus, dum è ventriculo per loca huiusmodi vitiosis humoribus repleta transit, inquinatur:ipsum præterea hepar & lien à vicina & effluente eiusmodi colluuie,eiusque vaporibus debilitatur. Ista enim praua, & occulta dispositio non intra humores semper se continet,sed vicinis visceribus,tum humorū ipsorum corruptorum contactu,tum vaporibus & fumis eorum imprimitur.Ventriculus quidem sæpe etiam afficitur,& labē à vicinis prauis humoribus contrahit:sæpissime tamen appetitus satis validus,& tantum non integer permanet: & si quæ circa ventriculi actiones apparent symptomata, potius per consensum vicinorum viscerum, quàm per primarium ventriculi affectum fiunt. Viscera posteaquam dispositionem illam prauam receperunt, eam rursum alimentis affluentibus & elaborandis imprimunt: sicut idem in lue venerea, & elephantiasi accidere solet. Atque ita cum alimentum corrumpatur, potius morbificæ caussæ accedit, eamque auget, quàm vt corpori alimentum præbeat; & hoc modo totum corpus cacochymia scorbutica inficitur. Idque ex sanguine venâ sectâ emisso apparet, qui manifestas corruptionis notas exhibet, & plerumque parte superiore pituita, aut mucone potius flauescente aut virescente, quasi pelle obducitur. Imò vbi per contagium extra admissum contrahitur scorbutus, primò sanguis in vena caua corrumpitur, etsi in primis viis nullum sit vitium.

*Caussa scorbuti est humor melancholicus.*

Secundò caussam scorbuti, & eorum, quæ scorbuto laborantibus p. n. accidunt, quod attinet, antecedens equidem caussa est humor melancholicus,crudus, simulque ichorosus seu serosus, cui interdum & alij humores crudi & corrupti permiscentur, id quod vel vrinarum varietas & crebra permutatio ostendit. Vt autem is proximæ caussæ naturam hîc induat, peculiarem & huic morbi propriam corruptionem induat, necesse est. Esse melancholicum non solum victus præcedens ratio, quæ ad nullum alium humorem, quàm melancholicum procreandum inclinat, tum effectus, morbi scilicet, & symptomata, quæ in scorbuticis apparent, pleraque humoris melancholici soboles, testantur, vt postea patebit. Et inesse talem succum sanguini, qui à liene attrahitur, Galenus ex colore, qui quàm hepatis, ipso visu teste, nigricantior est, & sapore acerbo, qui carni etiam elixæ eius inesse deprehenditur,*lib.de atra bile c.6.&*7 rectè demonstrat.

*Non solum aqueus.*

Neque hic assentiri possumus Hieronymo Reusnero, qui,*de Scorbuto exerc.*4 prolixè,& operosè probare conatur, scorbutum nullo modo fieri à melancholico & crasso, sed ab aqueo solùm, & tenui humore. Hoc enim eius dogma nullo modo cum iis, quæ de caussis scorbuti externis habet, consentit. Etenim si victus rationem, & aërem, ac omnia, quæ ad scorbuti generationem concurrere prolixè docet, diligenter examinemus,omnia ad humoris melancholici,& crassi generationem faciunt,

Neq; tamen hîc per humorē melancholicū glutinosū quid, quod ille,*pag.*173. ipsi adscribit,intelligimus, neque id quisquam Medicorum doctiorum asserit,qui feci vini,& amurcæ illum comparant,non glutini,quod & in vrinis sensibus sæpe patet. Etsi nihil prohibeat, quin, vt diximus, humores pituitosi, & vitiosi huic colluuiei sese associare possint.Idque sæpe accidere in sanguine,vena aperta emisso,apparet,qui plerumque in scorbuticis quasi glutine albo virescente,vel flauescente vt modò dictum,obducitur.

Etsi

*ec etiam affus tātū d sero di- tus.*

Etsi verò humor melancholicus scorbuti caussa crassus esse rectè statuitur: tamen non tantum crassus est, sed sero multo dilutus. Neque enim solùm crassa, sicut vesicula fellis putam putam, bilem, lien attrahit, sed chyli partem respectu illius, quæ ab hepate attrahitur, crassiorem, quæ tamen aquosâ,& potulentâ materiâ, vt facilius, quò debet, penetret,neque obstructiones pariat, diluitur. Itaque vt in statu naturali crassior illa chyli pars multa aqua diluitur:ita & in præternaturali idem accidit. Atque ita humor scorbuti caussa non solum crassus est,sed & ichore, ac sero multo diluitur, vt sit instar lixiuij, quod ex aqua, & salsis, ac feculentis, & adustis partibus constat, vt, *lib. 2. Instit. part. 3. cap.* 8.docuimus, idque ex præcedente victus ratione, quæ talibus partibus abundat, & effectibus, doloribus vagis,gingiuarum, & crurum vlceribus,ac similibus patet,quæ omnia à salsis,& serosis humoribus proueniunt.

*umor scor- ticus pe- liari modo ruptus est.*

Talis cum sit, vt multis serosis partibus diluatur,& instar lixiuij: quod ex sale,terrenis partibus,& aqua cōstat, sese habeat,facilè ad lienem cum chylo penetrare potest.Neque enim, quod modò diximus,& diligenter notandum, sincerus,& solus,sed aliis humoribus mixtus ad lienem peruenit,ideóque etiám vt sincerus & solus ibi deprehendatur,opus non est.

Verùm cum in quartanis, hypochondriacis ac melācholicis affectibus, vbi similis caussa adesse videtur,non eadem planè symptomata, qualia in scorbuto conspiciuntur, appareant; etsi tandem hi affectus sæpissimè in scorbutum degenerent: peculiarem ἄῤῥητον, & occultam corruptionem, ac deprauationem suscipere necesse est illam humorum melancholicorum, serosorum, ac tartareorum colluuiem, diutius in locis illis detentam, si scorbutum producere debet; quod cùm ex aliis symptomatibus, quæ ipsum comitantur, tùm & præcipuè ex contagio apparet, quò alij morbi melancholici, & hypochondriaci destituuntur, Scorbutus verò præditus est, vt facilè aliis communicari possit; quod euidens peculiaris corruptionis argumentum est. Quod & hoc euincere videtur, quod, vt in Prognosticis dicetur, vbi humor scorbuticus similem hepati, aut lieni, dispositionem impressit, vix vnquam integrè curatur scorbutus: quod indicium est impressionis longè fortioris, quàm quæ qualitatibus primis competit, sed talis, quæ venenorum naturam æmulatur, quorum impressiones tàm fortes sunt, vt dispositiones ab iis relictæ sæpe toto vitæ tempore aboleri nō possint. Ideoque à splenis obstructione, & humore melancholico, & atro tantùm, ac simpliciter scorbutus deduci non potest; cum multi splenis obstructione laborent, & humore melancholico, vel atro abundent, nec tamen scorbuto afficiantur: imò iis regionibus, quibus humoris atri ex aëris, qui humores torret, feruore collectio est familiaris, scorbutus sit planè ignotus. Maloque etiam hic fateri, nos in communibus humano generi ignorantiæ tenebris versari,& corruptionis huius modum non satis explicare; & non nisi ex affectu dignoscere posse, quàm ea, quæ fundamento nullo nituntur, ad ignorantiam nostram palliandam proferre.

*modo retur.*

Tertiò generationem huius humoris quod attinet, etsi, quæ hic alij tradunt,me non lateat, & alios aliter sentire sciam: tamen paulò altius huius humoris natura inuestiganda, & quomodo generetur, indagandum videtur, quod plurimum ad curationem rectè instituendam facit. Principio autem hic non in qualitatibus primis subsistendum, sed ad illas δυνάμεις, & ἀκρότητας humorum, ab Hippocrate, *in lib. de prisc. Medic.* propositas recurrendum, & ad ea, quæ Hippocrates, 3. *de vict. rat. in acut. t.* 38. de acido,amaro,ac fermentatione humorum salsorum in corpore nostro tradit,respiciendum videtur.

Diximus a. antea, humorem hunc generari ex deficiente salis,qui cibis inest, & cum iis assumitur,potusque,ac cibi crassioris coctione & πνευματώσει. Cū enim natura intendat per coctionem cùm primam, tùm secundam alimenta assumpta ita attenuare, rarefacere, & omnino præparare, vt corpori nostro affinia, & ei alendo sint vtilia, atque ea de caussâ in ventriculo ea primum resoluat, ac coquat, & excrementitias partes crassissimas per aluum excernat; postea verò chylum ad hepar, tanquam sanguinis, qui totius corporis alimentum, officinam mittat, auersis prius, & attractis à liene crassioribus, & serosis plerisque chyli partibus, ad sanguinis pro liene, & vicinarum partium nutritione generationem destinatis: si hoc non fiat, & vel in prima coctione fæculenta ac tartarea omnia, quæ debebant, non secernantur, & ad lienem in maiori copia affluant, quàm vt ab eo omnes attrahi, vel elaborari possint; vel lien seu debilis seu obstructus partes illas chyli fæculentas, vt debet, ad se non attrahat: in primis viis, & circa lienem & locis antea dictis, eæ hærent, & hoc modo humor crassus,salsus, fixus, & quæ omnia Chymici vno vocabulo complectuntur, tartareus,multo tamen sero dilutus, coaceruatur, ibique diutius hærens,tandem peculiarem, specificam, & scorbuto propriam corruptionem induit.

*Victus scor- buto generā- do aptus.*

Atque rem ita se habere plura sunt, quæ docent. Nā primò si consideremus victum,qui scorbutum generare solet,omnes in eo consentiunt, cibos sale, & fumo induratos scorbuto producendo aptissimos esse,& in maritimis locis, vbi homines non solum aëre crasso,marinis, salsis, ac palustribus vaporibus inquinato vtuntur,sed aquas etiam fæculentas, & corruptas bibunt, & alimentis in tali aëre crescentibus, ac quæ eiusmodi aquis nutriuntur,vescuntur,hunc morbū familiarē esse. Cum enim cibis eiusmodi siccis,putris,salsis,aquisq; feculentis & corruptis,fucci humidioris,rarioris,& spirituosi,& qui corpori probum alimentum præbere possit, &,vt Chymici non ineptè loquuntur,volatilis,vel parū insit,vel quod in eo fuit,sale,quo cōdiuntur,multo corruptū,aut fumo absumptū,& exsiccatum,aut putredine corruptū sit, vt nihil ferè,nisi partes crassæ, feculentæ, terrestres, excrementitiæ,salsæ, & fixæ plurimæ insint, & omnino, vt Hippocrates. *de prisc. Medic.* loquitur, ἄκρητον καὶ ἰσχυρόν τι in tali cibo abundet,id omne à natura attenuari, rarefieri, volatile, ac spirituosum reddi, & elaborari, ac vinci non potest. Ac proinde ei respondens, & congener cacochymia colligitur, & crassus, feculentus, salsus, ac fixus humor inprimis viis coaceruatur.

*Medicamēta scorbutum curantia.*

Deinde curandi ratio, & medicamenta, quæ hunc morbum expugnant, euidenter idem demonstrant. Nam si medicamenta, quæ hunc morbum curare experientia longa docuit,consideremus,non sunt ea quæuis aperiētia, aut humori melancholico simpliciter opposita, sed omnia sale volatili abundant; qualia sunt cochlearia, nasturtium, beccabunga, chelidon. minus, fumaria, raphanus rustic. sinapi, sedum minus, &c. Quæ omnia & gustata, & trita vaporem subtilem, acrem, & citò euanescentem spirant, qui est à sale volatili Chymicis dicto. Nam medicamenta, quæ in aliis quidem affectibus, qui maximam cum scorbuto cognationem habere videntur, prosunt, & aliàs aperiendi vim habent: tamen si sale volatili hoc destituantur, in scorbuto curando non sufficiunt:monetque aliquoties non præter rem Seuerinus Eugalenus. doctissimos alias Medicos scorbuticorum curam quidem suscepisse, sed cum illa solum, quæ aliàs in hypochondriacis affectibus vsurpari solent, medicamenta adhiberent, nullo ad specificam huius humoris naturam, & corruptionem respectu habito, nihil profecisse; se verò postea idoneis, & appropriatis, vt appellant medicamentis feliciter eosdem sanitati restituisse.

*Medicamenta cōtra ſcorbutum recētia vſurpanda.*

Imò illa ipſa medicamenta antiſcorbutica, ſi ſalem illum volatilem amittant, id quod exſiccatione,& coctura fit ſæpe, parum efficacia deprehenduntur: & longè plus virium, & efficaciæ ſuccis, & conſeruis harum plantarum, quàm exſiccatis ineſt, vtpote in quibus partes illæ volatiles ab igne diſſipantur, aut cū humido in exſiccatione euaneſcunt. Ideóque ſali volatili harum plantarum meritò maximam vim ſcorbutum curandi adſcribimus, vtpote quo præſente & operante malum pellitur, abſente non tollitur.

*Occulta vis in medicamentis ſcorbuticis.*

Si quis tamen hæc medicamenta etiam occcultum quid, quod occultæ, & ſpecificæ humoris corruptioni aduerſetur, habere ſtatuat, ei non repugnamus.Et videntur inter iſta medicamenta quædam præ aliis habere peculiarem prærogatiuam. Et licet nonnulli apud exteros reperiantur, qui putant ſine cauſſa à Germanis nouum morbi genus hîc afferri, cùm iſta omnia, quæ ſcorbuticis accidere dicuntur, ſymptomata aduſtæ & ichoribus acribus contaminatæ melancholiæ adſcribi poſſint: tamen humorem illum melancholicum peculiarem habere corruptionem ex medicamentis, quibus curatur, patet. Cum enim cochlearia, bekabunda, naſturtij genera & ſinapi rectè vſurpentur, omnia acerrima, & pleraque tertium caliditatis gradum attingentia, ſi ad primas ſolum qualitates in humore melancholico reſpiciendum eſſet, ab iſtis medicamentis intemperies humoris melancholici potius augeretur quàm tolleretur.

Quia verò ſecundum Hippocratem curatio morbū indicat, & omnis actio eſt inter contraria, & à contrariis, vt habet Ariſtoteles, *lib. de gener. c.7.t.50.& 51.* & agens, quatenus in patiens agit, ei contrarium eſt: ſequitur, etiam ſalem volatilem, cuius in curatione ſcorbuti primæ partes, & vires ſunt, in id, quod ſub eodem genere proximo eſt ipſi contrarium, agere. Opponitur autem inter ſales fixus volatili. Et cum omne fixum à volatili reddatur volatile, ſicut contra volatilia à fixis figuntur, & fixa redduntur, vt Chymicis notum eſt, & omnibus Phyſicis (cum ad plurimarum rerum explicationem multum faciat) meritò notū eſſe debet, vt *de Conſenſ.Chymicor.c.12.in fine*, dictum eſt:Fit etiam, vt à plantis, quæ ſale iſto volatili abundant, humores, qui in ſale iſto fixo abundant, attenuentur,rareſiant,&,vt vno verbo dicam,volatiles reddantur, & à natura facilius loco moueantur, & diſcutiantur.

*Cruditas duplex.*

Neque hæc à Galeni & antiquorum doctrina aliena ſunt, ſed potius eam explicant.Notum enim eſt ex Galeno, 8.*meth.med.c.5.*duplicem dari cruditatem, nidoroſam & acidam. Acidam eſſe in quartana & humoribus melancholicis, extra controuerſiam eſſe puto: cum ipſe Galenus, 3. *de ſympt. cauſſ. cap.* 2. non aliter fieri è vino acetum, quàm è ſanguine melancholiam docet, atque ea de cauſa Hippocrates, 3. *de vict. rat.in acut.t.*38.melancholicis acetum noxium eſſe, & ἀναγωγὴν μελάνων ὄξος,id eſt, exaltare nigra acetum (ita enim vertendum; non verò, educere nigra, vt de febrib. *lib.2.cap.17.*docuimus) ſcribat. Iam ergò ſi quomodo acetum è vino generetur explicauerimus, non paruam ea res huic materiæ & doctrinæ de morbis hypochondriacis lucem afferet, & quid ſit illa deficiens πνευμάτωσις, quæque ſint prima ſcorbuti initia, declarabit.

*Aceti generatio.*

Et ne ambagibus vtamur, acetum è vino fieri ſpiritus & ſalis volatilis,quæ in vino ſunt,fixione, vt Chymici loquuntur, putamus. Neque enim ſpiritus è vino ſeparatione fit acetum:cum è vino,à quo ſpiritus ſeparatus eſt,aut quod corruptum eſt, ſpiritumque amiſit, nullum fiat acetum, ſed quò generoſius vinum eſt,eò fortius ex eo fiat acetum: ex vino quoque ex vuis immaturis expreſſo,& quod omni ferè ſpiritu deſtituitur, nullum ſæpe fiat acetum. Neque ſolum ex vino, verùm etiam ex cereuiſia, hydromelite,& fructuum nonnullorum ſuccis, ſpiritu abundantibus, atque è quibus ſpiritus,ſpiritui vini ſimilis,deſtillãdo elici poteſt,fit acetū: Ex aliis verò, quæ tali ſpiritu deſtituuntur, non fit. Sal enim & humor, qui eſt in talibus, quandoque eſt fixus, quandoque volatilis.In immaturis,acidis & auſteris fructibus fixus eſt: vbi verò ij maturuerunt, & dulciores fiunt, ſuccique inde expreſſi fermentantur, quæ antea cruda & fixa erant, volatilia fiunt, vt ex iis copioſius ſpiritus elici poſſit, vt id de ceraſis, baccis ſambuci, & ſimilibus notiſſimum eſt. Idem ſpiritus & ſal dum in iis rurſum figitur,ex iis fit acetum. Et quod per ſpiritus & ſalis volatilis fixionem, non verò ſeparationem,fiat acetū ex ſequentibus ſatis patet.Primò quod poſt deſtillationem vini nihil vel parum ſalis in phlegmate deprehenditur; poſt aceti verò deſtillationē ſalis acerrimi plurimum relinquitur. Deinde quod in vini deſtillatione primò ſpiritus aſcendit, vtpote volatilis; phlegma verò poſt ſpiritum: in aceto verò primum phlegma deſtillat, poſt phlegma demum ſpiritus acidus, fixior ſcilicet & ad euaporandum minus aptus iam, quam ipſum phlegma. Nimirum ſpiritus & ſal, qui in vino eſt volatilis, ad lenem ignem, (quæ natura eſt volatilium Chymicis ita dictorum) euaporat, in alembicum attollitur, & à phlegmate ſeparatur: in aceto verò ſpiritus & ſal, quæ vino volatilia erant, digeſtione per lentum calorem quo acetum generatur, fixa iam reddita, non ſtatim à calore eleuantur, & aſcendunt, (quæ fixorum natura eſt) ſed vt ſpiritus aceti aſcendat & deſtillet, maiori calore opus eſt: imò magna pars ſalis acidi fixi in phlegmate relinquitur & in altum non eleuatur Tertiò ſpiritus vini eſt φλογιστὸς & facile flammam concipit: aceti verò ſpiritus nullo modo, ſed etiam, ne alia facilè accendantur,prohibet.

*Fixū & volatile.*

*Melancholici humoris generat.*

Quod ergo in generatione aceti accidit, tale quid etiam in melancholici humoris generatione fieri,& hęc eſſe prima ſcorbuti initia,ſatis probabile eſt, atq; ex iis, quæ modò dicta ſunt,patet.Et cum Chymicorum axioma ſit experientiæ reſpondens; Omne volatile figi à fixo, & contra fixum reddi volatile à volatili; cibi verò ſcorbuto generando apti ſale fixo plurimo abundent; non mirum eſt,ab iis etiam volatiles in cibo & potu partes figi, id eſt impediri, ne rareſiant & attenuentur.

*Scorbuti generatio.*

Non tamen iſta cruditate, ſeu πνευματώσεως denegatâ ſcorbuti generatio planè abſoluitur;cum ea proculdubio aliis morbis melancholicis & hypochondriacis ſit communis: ſed humor iſte crudus porrò corrumpitur. Etenim, quod cùm ex naturæ operibus plurimis, tum operationibus Chymicis patet, calor nunquam otioſus eſt, ſed in ſubiectam materiam continuò agit eamque afficit. Ideoque poſtquam crudi iſti humores in primis viis multiplicantur & hærent, ac cum iis aliorum vitioſorum colluuies miſcetur, & corporis noſtri calor continuò in eos agit;ipſi verò ad alendum corpus inepti ſunt, nec in alimentum verti poſſunt:indies magis corrumpuntur, donec tandem iſtam ſpecificam & ſcorbuto propriam corruptionem ac naturam induunt: id quod in aliorum malignorum ac venenatorum humorum in corpore generatione quoque accidere ſolet, qui, quò diutius in corpore hærent, eò deteriores redduntur.

*De generatione & natura ... Principia Chymica ſunt reiicienda.*

¶ [ Sunt quidem nonnulli, qui principia Chymica dicta reiiciunt, atomoſque irrident; & vbicunque alicuius effectus in natura cauſſa reddenda eſt, ſtatim ad qualitates primas confugiunt. Verùm non ſecundum leges demonſtrationis, quæ ſemper cuiuſque effectus & accidentis cauſſam proximam requirit. Neque enim corpora naturalia perfecta vel generantur ex elemētis proximè, vel reſoluũtur in elemēta, ſed ex mixtis aliis,ſeu primis, ſeu ſecundis, ſub vnius formæ dominio in vnam naturam redactis, conſtant, ſicut & in ea reſoluuntur.Equidem corpora talia ex elementis

mentis secundum materiam constant, verùm non sunt pura elementa, sed præterea à Creatore suas formas habent, quæ sunt rerum & elementorum vincula, & quæ diuersa elementa vniunt,& vnita conseruant. Id quod manifestè in Sale & Sulphure apparet. Salem esse calidum,& ignem continere,certissimum est:is tamen ignis in Sale, præter naturam suam simplicem non est volatilis,neque in altum tendit,sed in subiecta materia fixus & stabilis retinetur. Etsi verò multa sunt, quæ principiorum Chymicorum veritatem, & primorum mistorum necessitatem demonstrare possint: tamen eam saltem aceti exemplo declarare,& de aceti generatione & natura aliquid dicere libet; vbi videbitur clarissimè, quàm miserè se torqueant,& quàm frustra laborent,qui, neglectis principiis Chymicis, ex elementis simpliciter generationem aceti deducere conantur; & contrà manifestè apparebit,facillimum esse,è principiis Chymicis eam declarare.

*e aceti generatione.* Si vlla res est, quæ à Medicis hactenus nondum satis explicata, certè doctrina de generatione & natura aceti ea est. De qua vix aliquid solidi apud eos, qui hactenus de eo scripserunt, occurrit. Etsi verò ea de re iam aliquid, & forsan primus, paulò suprà dixi: tamen omnino operæ pretium fuerit, rem eam paulò prolixiùs declarare.

*inio Antiquorum.* Vt verò Antiquorum, & vulgatas opiniones primò recenseam, & monstrem, quàm infeliciter hac in re laborârint multi, & doctrinam istam potiùs implicarint, quàm explicârint. *leni.* Galenus 4. *de simpl. med.fac.cap.* 3. de vini natura,& aceti generatione ita scribit. Vinum, *inquit*, diximus, vnum quidem in se habere recrementum crassarum partium, vnde, dum temporis spatio secernitur, fertúrque deorsum, fæx consistit; aliud verò secundum, quod Florem vini vocant, quod dum vinum feruet, supernatat, sed postea ad fæces subsidet; tertium, aqueum, quod toti vino permistum est, hócque primò potissimùm feruet. Quartum præter hoc, est ipsum reuerà vinum. Et *post*, *de aceti generatione* addit: Vinosæ vini partes, dum ipsum in acetum transit, refrigerantur, aqueúmque excrementum putrescens, adsciritiam caliditatem obtinet, velut cætera omnia, quæ putrescunt. Fitque acetum quiddam ex contrariæ qualitatis partibus compositum, partim refrigerantibus,partim calidis. Et mox acetum lixiuio comparat,quòd aquâ constat,& salsis partibus quas ex cineribus aqua abluit,additque acetum non solùm acidum, vt omphacium, sed etiam acrem habere saporem, qui caliditatis index est.

*minatur.* Verùm sit sanè, vt fæces quædam crassæ & subtiliores sint in vino, præterea & aqua:tamen Galenus, quid substantia vini sit, non satis explicat, vt & quid (etiam fæcibus separatis) aqueum excrementum sit. Neque etiam nullam mentionem facit Galenus tartari, quod tamen à fæcibus vini, flore vini, quem appellat, & ipsa vini substantia differt,& in vino etiam iam defæcato & transfusato doliorum lateribus adhærescit. De aceti verò generatione, vt Galeni Interpretes eam explicant, res eò redit, vt negent, acetum esse vinum putridum; cùm acetum à vappa, quod est vinum putridum, multis modis differat, sed dicant esse putredinem saltem secundum partem, quâ saltem aquosiores vini partes putrescant, portio autem vinosa non putrescat, licèt ex putrefactione partis aquosæ reddita sit frigidior. Cùm autem Galenus, *alleg. loc.* manifestè dicat, acetum quoque vim aliquam calidam accipere & possidere,situm quendam eâ aquosæ partis putrefactione generari scribunt, qui toti aceti substantiæ communicetur, & ipsum participem alicuius caloris faciat. Verùm hoc modo non obtinent quod volunt, nimirum acetum non esse vinum putrefactum. Nam etiam in putredine secundùm partem, putredo toti attribuitur, & non solùm parti humidæ. Et proinde si vinum putresceret secundum partem humidam, dum fit acetum,omnino acetum esset vinum putridum. Quid verò situs ille sit, non explicant, nec explicare possunt,& merum ille figmentum est.

Quæ omnia cùm animaduerteret Iac. Zabarella, *de mist. generat. & interit. lib.* 3. postquàm, *cap.* 6. Galeni & Interpretum eius sententiam refutasset, *cap.* 7.8.9. 10. prolixè aceti generationem & naturam tradere conatur. *Zabarel.* Post longam autem deliberationem in hanc opinionē venit, in vino esse duos calores & duas humiditates, quod & Albert. Magnus *in tract. meteoror. c.* 10. & 12. statuit:qui tamen calor ille duplex sit,cum Alberto non consentit. *Albertus Magnus.* Albertus enim dicit, in vino esse duos calores,vnum naturalem,alterum accidentalem,loci vbi creuit vitis, qui infusus sit à calore magno Solis. Verùm Zabarella statuit, calorem loci non esse alium à calore naturali. Ipse verò existimat, in quolibet viuente esse duos calores,vnum animalem(etiam in genere dictum) alterum elementarem: illum extingui in morte, hunc post mortem remanere,& aboleri in putredine,quâ mistum corrumpitur. De humido cum Alberto statuit, in mistis corporibus dari duplex humidum, vnum, quod dicitur continuationis, à quo partium coniunctio est, quod ad ipsam misti pertinet essentiam:alterum aquosum nutriens, quod saltem nutrimentum est, nondum parti ipsi assimilatum & appositum. His fundamentis positis, statuit Zabarella, etiam in vino esse duos calores, hoc est, vnum ex duobus conflatum, alterum elementarem, seu temperaturæ, alterum animalem, quem vinum, licèt non sit animatum, ab anima vitis impressum habeat; item duas humiditates, vinosam scilicet, quâ fiat coniunctio partium; & aquosam, quæ ex alimento contracta,& nondum in vinum conuersa est;quæ aquosa pars, dum vinum coquitur,absumatur,manente vini substantiâ,vnde vinum dulcius reddatur. Ex his præsuppositis fundamentis porrò Zabarella de aceti generatione, & quomodo vinum putridum ab aceto differat, ita docet: Acetum inquit fieri per interitum caloris vitalis, manente calore elementari: putridum autem vinum fieri per corruptionem caloris temperaturæ, seu elementaris. Idque eo probare conatur, quòd vinum dilutum, quia habet debilem calorem, & plurimùm humidi aquei, facilè putrescit; cùm debilis calor facilè educatur à calore ambientis: vinum autem generosum, quia fortiorem habet calorem, & minùs aquâ humens est, difficiliùs putrescit, faciliùs verò acescit. Atque hinc cum Galeno mauult dicere, acetum esse vinum mortuum, quàm putrefactum. Tandem vt Galenum aliquo modo defendat, eum cum sua sententia conciliare conatur, dum scribit, Galeni sententiam tolerari posse, si admittatur putredo secundum aliquam similitudinem, non propriè dicta. In putredine enim educi calorem naturalem, & fieri separationem humidi, & in putredine non immediatè pati humidum à calore ambientis, sed potiùs pati calorem natiuum, & educi, deinde caloris illius eductionem sequi proprij humidi dissolutionem; at in generatione aceti non fieri resolutionem humidi ex vaporatione calidi, nec humidum ideò resolui, quia priùs calor vitalis sit corruptus, sed fieri immediatè à calore ambientis. Ab eo enim & euocari immediatè calorem vitalem, & resolui humidum aquosum, & sæpe etiam sine exhalatione caloris vitalis solum humidum aquosum consumi. Quod si contingat, vt simul cum humidi aquosi resolutione, vel post illam, calor vitalis quoque exhalet, fieri ex vino acetum. Ideò inter generationem aceti, & putredinem vini hanc ponit differentiam, quòd in putredine vini priùs educatur calor naturalis, hinc fiat separatio humidi; in generatione verò aceti non fiat resolutio humidi ex eductione caloris, sed id immediatè à calore ambientis, & simul calore vitali adiuuante consumatur. Postquam verò vinum exsiccatum est per euocationem humidi quasi nutrientis, tunc per ex-

halationem calidi vitalis acetum generari statuit. Hinc porrò de aceti qualitatibus ita sentit: acetum esse frigidum& humidum, sed facultate exsiccatorium, quia per consumptionem humidi alimentalis redditum sit siccius,quàm vinum.

*Examen argumentorum Zabarella.* Verùm hæc omnia,quæ prolixè & operosè *locis allegatis*, affert Zabarella, animum veritatis auidum non satiant, & pleraque ad libitum conficta sunt, nec cum natura vini & aceti consentiunt. Primò enim duplicem calorem quod attinet, equidem, vt postea dicetur, duo corpora calida sunt in vino, quorum quodlibet habet suum calorem, sed vnum corpus calidum, & duos calores statuere, non probabile. Et vitalis calor, quem ille ponit non est, vbi vita non est. Cùm verò vinum non viuat, illi calorem vitalem tribuere non possumus. Humidum verò quod attinet,equidem in lignis & plantis, quæ corpora sunt solida, duo sunt humida, vnum, ex quo solida partis substantia constat, quod etiam ex lignis siccissimis elici potest; alterum, quod alimentarium est, & nondum fuit plantæ substantiæ appositum, quale est in lignis & plantis viridibus, & exsiccatione exhalat: at quòd in vino, quod liquor est, talia duo humida dentur, nondum probatum. Et sit sanè, quòd detur tale in vino humidum: tamen, quomodo eius absumptio ad generationem aceti faciat, non docet. Ipsa enim humidi illius absumptio ad generationem aceti non sufficit, sed ex eius mente etiam calor ille vitalis euocetur necesse est.Præterea videmus,si vinum destillemus,& acetum destillemus,non minùs phlegmatis,seu aquosi humoris,prouenire ab aceto,quàm à vino.

*Sententia Autoris.* Ideóque cùm ipse Zabarella huic suæ opinioni diffidat, tandémque concludat, siquis aliquid probabilius inuenerit, se eius sententiæ libenter subscripturum, tentabimus iam, an veriorem de origine & natura aceti sententiam inuenire possimus. Principiò autem hoc obseruandum, generari acetum non tantùm è vino, sed & cereuisia, succis pomorum,pirorum,prunorum, cerasorum, hydromelite, succo rosarum, terebinthina,& omninò omnibus, quæ spiritum ardentem suppeditant. Quæ verò talem spiritum non suppeditant, ex iis acetum fieri non potest. Insunt autem in spiritu vini, & aliis spiritibus, duæ substantiæ,vtraque volatilis; vna sulphurea, quæ facilè inflammatur; altera salsa, quæ suâ naturâ, si à sulphurea parte separetur, non inflammatur. Esse autem has duas substantias diuersæ naturæ,in vino & spiritu vini, è multis patet.Inflammabilitas est à sulphure,non sale,qui non inflammatur; acrimonia est à sale,non sulphure.Præterea

*Duo contrarij affectus reperiuntur in vino.* duo contrarij affectûs in vino reperiuntur. Primò est in vino, vis narcotica, cerebro & spiritibus animalibus inimica, quæ tota est à sulphure, vt ex aliis etiam narcoticis,opio,hyoscyamo,& similibus patet. Deinde vis narcosin tollendi est in aceto,quæ tota pendet à sale vini acido. Et vim narcoticam vino inesse, non tantùm ex eo patet, quòd, qui nimium vini hauriunt, ebrij & torpidi fiunt,sed etiam quòd, qui musti, vt & cereuisiæ, vaporem sulphureum excipiunt naribus, apoplecticorum more concidunt. Quod accidit, quia vapor ille sulphureus, in fermentatione à salsis partibus separatus, in cerebrum penetrat, & spiritibus narcosin inducit, & quidem potentiùs, quàm ipse spiritus vini haustus, vtpote qui non merè sulphureus est, sed & partes salsas, quæ sulphureas temperant, & frænant, continet. Licèt verò hæ duæ substantiæ sint in spiritu vini; ita arctè tamen cohærent, vt non facilè separentur; sed cùm vtraque volatilis sit, simul facilè calore in altum eleuatur, & si sulphurea accendatur, simul sal volatilis euanescit. Hinc accidit, vt non solùm omnes spiritus sint inflammabiles, & habeant odorem fragrantem, qui est à sulphure, sed etiam saporem acrem, qui est è sale volatili. Præter istum spiritum volatilem, è sulphurea & salsa substantia constantem,in succis illis è quibus fit acetum, est quiddam tartareum,seu sal fixus,aqueo humori permixtus.Vnde etiam ex vino, postquàm spiritus vini inde est separatus,sal fixus,seu tartareus parari potest.

Hæc cùm sit vini,& aliorum liquorum,è quibus acetum fit,natura, iam porrò quomodo ex iis acetum generetur, videndum; quod facilè manifestum fiet, si consideremus, quomodo ille spiritus ardens, imò & succi è quibus spiritus fiunt, ab aceto differant. Spiritus nimirum tales omnes volatiles sunt, & in destillando primò eleuantur; deinde facilè inflammantur & incenduntur, ac oleis sese miscent. Præterea post destillationem vini, parum salis in phlegmate deprehenditur; at in aceto primò phlegma destillat, pòst spiritus acidus. Acetum non inflammatur, pinguibus & oleosis non promptè miscetur,sed illa soluit, quæ spiritus vini soluere nequit,terrea & lapidea corpora:tandem etiam post aceti destillationem plurimum salis acerrimi relinquitur.

Ex his de generatione aceti sic statuendum est; in aceti generatione perire; si non ex toto, maximâ tamen ex parte, vini partem sulphuream inflammabilem,salem verò volatilem fieri fixum. *Modus generationis aceti.* Vt enim in solutionibus margaritarum, coralliorum, oculorum cancri,imò metallorum, spiritûs soluentes corpora illa penetrant, in minimas atomos redigunt, & ita cum iis sese vniunt, vt vnum corpus fiant, vt etiam vnà per chartam bibulam colari possint; si autem ol. tartari,vel vitrioli, vel alius liquor infundatur, cum quo spiritus soluens sese vniat, corpus solutum, à soluente derelictum & liberatum, ad fundum descendit, & præcipitatur: ita etiam, cùm spiritus ille inflammabilis à sale volatili separatur,sal ille volatilis, propter cognationem naturæ, tartareæ portioni, seu sali tartareo fixo, qui in vino restat, sese miscet, & cum eo vnitus, succum acidum & acrem constituit, non inflammabilem, nec adeò volatilem. Et sic omne acetum constat tartaro vini (eadem ratio est aliorum liquorum, è quibus fit acetum,) cum sale volatili vini mixto,in aqueo humore. Cùm autem illud sulphur vini non in momento à vino acescente separari possit, sed in tempore hoc fiat, accidit etiam, vt acetum primò tam acre non sit,postea tamen, nullâ re additâ, fiat acerrimum, postquam sulphureæ partes,quæ salis acrimoniam occultant, indies magis ac magis exhalant. Et saporem acidum à sulphure occultatum esse, vel sulphur in melle docet, in quo acerrimus spiritus salsus acidus delitescit, ita vt nullo sensu sit perceptibilis. *Aceti qu[...]* Vt ita acetum sit humor acidus, sale tartari, ac sale volatili vini, in aqua mixtis, constans, per separationem sulphuris à sale volatili genitus. Et quidem ex sulphure vini ab eo separato prouenire acetum, inde patet, quòd, vt antea dictum, inflammabilitas in aceto periit, vis calefaciendi, qualis sulphuri competit, non ampliùs adest, sulphureis non vnitur ampliùs, neque ea soluit.

*Caussæ ad[...] remotiores.* Quibus autem de caussis sulphur illud vini (quod de vino dico, de omnibus liquoribus acescentibus est intelligendum) à vino & sale volatili, qui in vino est, separetur, & quæ caussæ remotiores sint generationis aceti, porrò explicandum. Fit autem hoc pluribus modis, qui tamen ad duos redigi possunt, nimirum sulphuris volatilis per lentum calorem euocationem, & alia sulphur illud propriâ vi ad se allicientia, ac per acidorum admistionem. Primò nimirum calor blandus sulphur volatile sensim euocat; nimius autem calor, qui vna cum sulphure euocat etiam salem volatilem, acetum non generat. Euocant etiam sulphur hoc alia omnia, quæ ob naturæ cognationem sulphur illud ad se alliciunt, & spiritum suo sulphure ita spoliant.

Secundò acida vino adiecta tartareis vini partibus sese admiscent & vniunt, & ita tartarum, in vino potentius redditum, salem vini volatilem ad se attrahit,

&

& se cum eo vnit, qui à sulphure separatus facit, vt id sibi relictum, faciliùs exhalet.

*Problemata.* Ex quibus duabus caussis varia problemata solui possunt. I. Cur calor saltem blandus, seu Solis, seu ignis, ad generationem aceti faciat. Nimirum igneæ & sulphureæ atomi, in aëre calido hærentes, in vinum penetrant, & blandâ actione sulphuream illam & inflammabilem vini portionem, ob naturæ cognationem, sibi vniunt & euocant; vnde salsæ reliquæ volatiles non inflammabiles, sibi relictæ, tartaro & sali fixo, ob naturæ cognationem, sese vniunt, saporémque dulcem cum acido, omnibus salsis spiritibus communi, commutant.

2. II. Hinc etiam caussa reddi potest, cur vinum coctum, & in loco nimis calido asseruatum in acetum non mutatur, vel tardè admodum mutatur. Accidit id, quia non solùm sulphur, sed & sal volatilis, qui inprimis naturam aceti constituit, maximâ ex parte separatur.

3. III. Caussa hinc deducitur, cur vinum in vasis semiplenis citiùs acescat, quàm in repletis. Nimirum aër, sulphureis atomis repletus, maiorem vini partem externâ superficie contingit, quàm in vase ad summum repleto, in quo aër non nisi in orificio, vinum attingit; & sic, in plures vini partes simul agendo, faciliùs sulphur euocat.

4. IV. Hinc quoque caussa dari potest, cur in vasis acetum continentibus, vel saltem aceto imbutis, vinum faciliùs acescat, inprimis si calor blandus accedat. Nam acetum & acetosæ partes, in vase inhærentes, non solùm tartareas vini partes; sed & salsas volatiles aliquas, vtpote cum quibus cognationem habent, ad se alliciunt, atque iis vniuntur; vnde sulphureæ, præcipuè accedente calore blando, faciliùs exhalant: atque ita salsæ reliquæ partes cum iis promptiùs vniuntur, atque in aceti naturam commigrant.

5. V. Hinc etiam ratio reddi potest eius operationis, quam describit Iohan. Carol. Rosenbergius, *Rhodolog. part.2. cap.17. Si,* inquit, *in mortario marmoreo rosarum folia contuderis, succúmque expressum & filtratum in B. M. destillaueris ad medietatem vsque, præstantissimam primò aquam acquires. Deinde si alteram restantem medietatem filtraueris, & vitro inditam Soli exposueris ad aliquot septimanas, acetum acquires rosaceum præstantissimum, per se etiam. Meliùs tamen, addito fermento, acescit liquor. Nimirum quia è destillatione per B. sulphureæ partes aliquæ cum aqua exstillarunt, salsæ volatiles quæ remanent, cum sale fixo vnitæ, acetum faciant. Rectiùs tamen res procedit, si fermentum addas. Nam illud facit, vt si quæ partes sulphureæ sunt, etiam in fermentatione separentur.*

6. VI. Nam hinc etiam redditur caussa, cur fermentum, vel panis fermentatus, in vinum iniectus faciat, vt illud citiùs acescat. Nam quia fermentum acidum agit in salsa, & se cum iis vnit, vnde sulphureæ partes à salsis faciliùs separantur, & exhalant, salsæ verò volatiles fixis salsis vniuntur, & ita vini in acetum fit mutatio. Cæterùm quòd beneficio fermenti non solùm ex fructibus, sed & omnibus penè herbis, spiritus ardens elicitur, fit quia fermentum salsas volatiles partes à reliqua massa separat. Hinc sulphureæ seorsim existentes, accedente destillatione, facilè à partibus heterogeneis separantur. Nisi tamen iustum tempus obseruetur fermentationis, & destillatio diutiùs protrahatur, tota massa fermentata acida fit, & nullos spiritus ardentes suppeditat; quod cuilibet è destillatione spiritus è baccis sambuci obseruare promptum est. Accidit autem hoc, quòd acidum non solùm salsum separauerit à sulphureo, & sibi vniuerit, sed sulphureæ etiam partes tractu temporis longiore exhaláuerint; vnde salia reliqua vnita acetum constituunt. Huius rei etiam fundamentum est, quòd fœminæ nostræ, acetum è cereuisia facturæ, cereuisiam recèns coctam, adhuc nonnihil calentem accipiant, eíque etiam fæces cereuisiæ addant. Tum enim subita fermentatio accidit, & partes sulphureæ exhalant, salsæ verò volatiles cum fixis vniuntur, & acetum constituunt.

VII. Ex his etiam quæ hactenus dicta sunt, caussa dari potest, cur ex musto, nec spiritus vini, nec acetum fiat. Cùm enim acetum fiat, quando succus aliquis, sale & sulphure constans, in sua quasi principia resoluitur, ita vt sulphureæ partes deserant salem volatilem, qui cum tartaro se vnit, & sic acetum constituit, facilè hinc licet colligere, mustum nec spiritum ardentem, nec acetum præbere. Nam in musto principia illa omnia, eo modo quo natura in vua voluit, mixta sunt, sulphúrque ibi confusum, & cum reliquis principiis adhuc mixtum est; eiúsque præsentia aceti generationem maximè impedit: sed si per fermentationem aliqua pars sulphuris separetur, reliqua, quæ cum sale volatili est copulata in vino, leui de caussa separari potest: cuius absentia succum relinquit acidum. Sic ex melle non paratur acetum, nisi fermentetur. Nam in melle sulphureæ partes reliquis miscibilibus ita perfectè vnitæ sunt, vt nec coctio, quæ fit igne intenso, illas separare possit; sed saltem fermentatio id præstat. 7.

VIII. Omnes pulueres, qui vino iniiciuntur, vt acetum faciliùs & fortius fiat, (vt tartarum, acini vuarum vino perfusi & iterum exsiccati, pyrethrum, & similia) id præstant vel aciditate salsâ & fixâ salém vini volatilem ad se alliciendo, quo à sulphure separato id faciliùs exhalat; vel quia acredinem salis volatilis vini augent; vnde acetum fit acrius. 8.

Atque hæc de generatione aceti dicta sint. Iam de qualitatibus aceti dicendum, de quibus grauis & intricata apud Medicos occurrit controuersia. Equidè plerique acetum frigidum esse statuunt: idque ex effectu probant; cùm non solùm externis inflammationibus commodè adhibeatur, sed & febribus biliosis & ardentibus omnibus vtile sit. De quo Galenus, 1. *de simpl. med. facult. cap.19. Nos*, inquit, *vt comperiremus aceti potentiam, nobis ipsis illiniuimus tibias multis in locis thapsiâ: vbi cùm inflammari cœpissent, alij parti acetum, alij rosaceum, alij alia frigida applicauimus. Comperimus verò, acetum in refrigerando esse efficacissimum.* *De Aceti natura.* *An sit frigidum.*

Contrà acetum est acre, non solùm gustu, sed & odoratu nares vellicat, corallia, margaritas, oculos cancri, & lapides soluit, ita vt Hannibal saxa in Alpibus aceto ruperit: qui certè non frigiditatis, sed caliditatis effectus sunt. Galenus, *lib.1. de simpl. med. fac. cap.17.* etiam hanc quæstionem mouet, & se ab eorum sententia non multùm abesse scribit, qui acetum calidum esse scribunt, siquam machinam aut artem inuenire posset, sicut in lacte, diuersarum partium separationis. Et certè Antiqui, qui acetum calidum esse statuerunt, non leuibus, vt id crederent, adducti sunt rationibus, quas Galenus *lib.1. de simpl. med. facult. cap. 20.* recenset. Non enim, *inquiebant*, neque acre, neque mordax, neque asperum, neque erodens foret, nisi copiosa illi inesset caliditas. Nam sicut frigidi est, contrahere & refrigerare, ita calidi, secare atque diuidere; id quod inprimis acetum efficere valet, quippe quod secat & erodit, non modò animalium corpora, sed & grumos, callos, lapides, fictile, æs, ferrum, plumbum, & tantùm non, velut ignis, cuncta peruadit ac penetrat, vt nulla possit substantia penetrationis eius vehementiam aut sustinere, aut illi reluctari ac resistere. Nam subtile haud secus esse, atque ignem, non leui testimonio illi tactum esse, quin & gustantibus ita videri, & per subtilissima vestimenta promptiùs aquâ perfluere, omniáque exedere. Verùm cùm rationem & artem, diuersas in aceto partes separandi, quæ Chymicis notissima est, ignoraret Galenus, tandem statuit, quòd maiore parte frigidius sit, quàm calidiùs, acetum, eorúmque sententiam, *alleg. loc. cap.18.* reprehendit, qui acetum adeò calidum esse pronunciarent, vt cauterio *An calidum.* *Sententia Galeni.* *Antiquorū.*

OOOo 4 ipsum

ipſum aſſimilauerint. Et *cap.21.* ſcribit,cùm vtriuſque partis rationes ſint probabiles, tum eorum, qui acetum frigidiſſimum eſſe demonſtrant, tum eorum,qui calidiſſimum, non paruum indicium eſſe,ipſum vtriuſque eſſe participeps. Fluctuat tamen adhuc Galenus, additque admodum difficile eſſe rationi, contrariorum participationem concedere; cùm non liceat eius ſubſtantiam aut ſoluere; aut ſcindere, velut in lacte facimus. Proinde euidentius, magiſque periculo vacans principium optat aſſequi.

*Status quæſtionis.* Tentemus ergo, an verius principium inuenire poſſimus. Non verò difficile eſſe putamus, veritatem inuenire, ei qui acetum reſoluere, eiuſque partes diuerſas ſeparare, ex Chymia didicit; quod Galeno ignotum fuit, ideóque in hac controuerſia dubium fecit. Principiò verò,etſi Galenus putat, vtriuſque partis, & eius quæ acetum frigidum, & alterius, quæ calidum eſſe ſtatuit, rationes probabiles eſſe, & propterea opinatur, ſtatuendum eſſe, acetum & caliditatis & frigiditatis particeps eſſe: tamen iſta concluſio firma non eſt, ſed vtriuſque partis rationes perpendendæ & conferendæ ſunt, & an eiuſdem ponderis ſint, inquirendum. Vt verò ſtatus controuerſiæ rectè formetur, non de hoc quæſtio eſt, an in aceto ſint partes quædam aqueæ, quas Chymici Phlegma vocant, ſuâ naturâ frigidæ; id quod nemo negat: ſed de hoc quæſtio eſt,an acetum, quatenus acetum, & propter partes ob quas dicitur acetum, & quas Chymici à phlegmate ſeparare poſſunt, refrigeret vel calefaciat. Vbi, ſi quid ſentiendum ſit, liberè dicendum, rectiùs Antiquos ſtatuiſſe cenſeo, qui acetum calidum potiùs, quàm frigidum eſſe ſtatuerunt. Equidem etſi vtriuſque partis rationes videantur probabiles: tamen cùm vtræque ab affectibus deductæ ſint, ſi eas diligenter perpendamus, inueniemus, acetum per ſe calefacere, per accidens verò refrigerare. Et cùm illi, qui acetum calidum eſſe ſtatuunt, eos effectus afferant, qui per ſe ab aceto proueniunt, eóſque calidos: hi autem, qui frigidum, effectus ſaltem per accidens; acetum per ſe potiùs calidum, quàm frigidum eſſe, ſtatuendum cenſemus. Etenim omnes iſti effectus aceti, acrimoniâ ſcilicet linguam & nares afficere, omnia potenter corrodere,caliditatis per ſe effectus ſunt, & omnes à ſale, qui calidus eſt, proueniunt. At quòd acetum refrigerat, id fit per accidens. Quod cùm Galeno & aliis Antiquis, quomodo fiat, ignotum fuerit, iam monſtrandum.

*Corpora calida sūt duplicia.* Vbi primò hîc præſupponendum, calida corpora poſt ignem, ceu prima miſta calida, eſſe duplicis generis. Vnum eſt ſulphureæ naturæ, quod eſt facilè inflammabile; cuius generis ſunt naphtha, ſulphur, pinguia olea,& ſpiritus ardentes;alterum eſt ſalinæ naturæ,& fixum,quod licèt ignem in ſe contineat,non tamen inflammatur, ſed ſi iis, quæ facilè inflammabilia ſunt, admiſcetur, eorum inflammabilitatem impedit. Vbi nemo miretur quod dixi, dari corpora ignea calida & fixa; cùm aliàs ignis ſit leuis & volatilis. *Ignis volatilis,& fixus.* Etenim ſal etſi ignem continet: tamen non purus ignis eſt, ſed quoddam mixtum, in quo ignis abundat, qui tamen à forma ſalis in corpore hoc fixus detinetur. Formæ enim ſunt vincula rerum. Ignis eſt in auro, quod vel aurum fulminans oſtendit; at ibi fixus eſt. Nam à forma auri ibi detinetur & regitur. Vtriuſque generis partes calidæ etſi in corpore humano ſint: tamen illæ partes inflammabiles ſuperant & abundant; vnde etiam corpus noſtrum eſt actu calidum. Sunt enim in corpore noſtro non ſolùm ſpiritus & humores, ſed & partes pingui & oleoſa ſubſtantia conſtantes: quæ omnes de ſulphurea participant ſubſtantia. Hinc ſæpe accidit, vt non ſolùm humores & ſpiritus in venis, ſed & ipſæ partes ſolidæ, calorem præternaturalem concipiant & inflammentur, & putredo excitetur, quâ mixtum in ſua principia reſoluitur; quorum primum, & quod reliquis citiùs auolat, ſulphur eſt, vel ſubſtantia ſulphurea & volatilis,quam ſatis fœtor ille grauis,qui in ſudoribus, & aliis excrementis animaduertitur, indicat. Propter quas partes ſulphureas etiam calor præternaturalis maximus, & valde moleſtus excitatur. Quod vbi accidit, danda opera vt putredo inhibeatur, calor tollatur, & partium ſulphurearum inflammatio compeſcatur & prohibeatur, id quod rectiſſimè acida faciunt, quæ partibus ſulphureis miſta, eius inflammationem prohibent.

Rem verò ita ſe habere, experientiâ conſtat, & docet id etiam Hippocrates,qui 3.*de rat.vict.in acut.t.*36. ſcribit, quòd acetum τὰς ἀπὸ μέλιτος βλάβας κωλύει, καὶ τὸ ἐν μέλιτι χολῶδες κολάζεται: *omnem quæ à melle prouenire poteſt, noxam impedit, & bilioſum in melle caſtigat:* & vt Galenus, in comment. explicat: ἱκανόν ἐστι τὸ χολῶδες ἐν αὐτῷ κολάσαι: τοῦτ᾽ ἐστι, καθελεῖν καὶ ταπεινῶσαι: *potens eſt, bilioſum in melle caſtigare, id eſt, tollere & comprimere.* Quod verò acetum facit in melle, idem in corpore noſtro facit, & bilioſos humores caſtigat, id eſt, ne inflammentur, & ardorem concipiant, præſtat. *Acetum p accidens gefacit.* Quomodo (per accidens ſcilicet, partium nimirum ſulphurearum inflammabilitatem tollendo) cùm acetum & externas inflammationes compeſcat, & humorum putredinem atque ardorem ſiſtat, natus inde eſt iſte error de aceti frigiditate: quaſi ſcilicet, ſicut aqua & nix ſuâ innata frigiditate aliis frigus inducunt; ita etiam hoc acetum præſtet, & ſubiectiuè ſit frigidum; cùm tamen id ſaltem per accidens faciat, & aceti affectus alij clarè indicent, idlongè alias, quàm aquam frigidam & niuem, habere qualitates. Et potuiſſent errorem ſuum, quo id quod aceto per accidens competit, ei per ſe tribuunt, vel ex eo cognoſcere, quòd ſpiritus vitrioli, ſulphuris, nitri, ſalis, eoſdem effectus in bile compeſcenda, & putredine ac ardore humorum ſiſtendo, idem præſtant, quod acetum, qui tamen non frigidi ſunt, ſed planè ignei & cauſtici.

*Obiectio ... uatici.* Neque eſt, vt quis cum Iohan. Baptiſt. Syluatico, *controuerſ.* 51. dicat, acetum acerrimum ſi fuerit,excalefacere, quia plures habet partes excalefacientes; ſi eiuſmodi non fuerit, ſed ſimplex quodammodo, refrigerare, quia habet partes copioſas refrigerantes. *Solutio.* Hoc enim ſaltem ſequitur, acetum acerrimum eſſe valde calidum, minùs verò acre, quia ſaltem gradu differt ab acerrimo, non eſſe frigidum, ſed remiſſiùs calidum. Nam omne acetum, etiam non acerrimum, acre eſt, vnde, (vt *ibid.* habet Syluaticus) ita concluditur: Quæcunque acria ſunt, ea calida ſunt. At omne acetum acre eſt. Ergò calidum. Idque plurimi Medici nolentes volentes confiteri coguntur. Ita Ludou. Septalius, *animadu.med. lib.* 2. *num.* 57. Cauendum eſſe ſcribit, ne in oxymelitis compoſitione acetum acerrimum ſumatur. Nam in acutis febribus,in quibus,præter facultatem obſtructiones tollendi, abſtergendi, & incidendi, requiritur etiam humectatio & refrigeratio, acetum potiùs ſiccare & excalefacere. Si ergo accerrimum acetum excalelefacit, minùs etiam acre excalefaciet, etſi minùs. Neque enim magis & minùs variant ſpeciem.]

## CAPVT III.

### *De Cauſsis Scorbuti remotis,procatarcticis, & externis.*

*Cauſſæ ſc buti remo* HÆ cum ſint cauſſæ Scorbuti proximæ,vt & antecedentis, natura, ac generationis modus,ad eas omnes cauſſæ reliquæ remotiores,euidentes, & extrinſecus aduenientes,quocunque nomine veniāt reducendæ ſunt, vtpote quæ omnes ad generationē ſcorbuticæ cacochymiæ

cacochymiæ faciunt. Cauſſæ verò hæ omnes in duas claſſes redigi poſſunt. Vel enim humor melancholicus ex diætæ vitio, & rerum non naturalium vitioſo vſu contrahitur; quo etiam faciunt febres, & viſcerum mala diſpoſitio: Vel ſanguis in corpore, etſi bonus ſit, à contagio ſcorbutico inquinatur & corrumpitur.

*ibus.* Et primò quidem victus rationem quod attinet, poteſt in hoc morbo producendo plurimum cibus, qualis iis regionibus, quibus ſcorbutus domeſticus, & vernaculus eſt, ſcilicet aquilonarium regionum incolis, maris accolis, nautiſque familiaris eſt. Nimirum caro bubula, caprina, hircina, aprugna, & inprimis ſalſugine & muria aut aceto macerata, & fumo ſiccata, ac indurata, lardum rancidum, aut crudum deuoratum; piſces lacuſtres, & maritimi, & ipſi coctu difficiles, ac mali ſucci, & ſale, aut muria conditi, vel fumo, aut calore Solis, aut frigore ſiccati, induratique, quales ſunt aſelli, paſſeres, haleces, & huius generis alij; aues in aquis ſtagnantibus, & locis paludoſis degentes, & edulia ex ſanguine, carne, & atuina ſimul miſtis, ſale conditis, & fumo exſiccatis, quæ farcimina vulgò vocant, & alia ſale, atque aceto condita, qualia nautis familiaria ſunt. *ibi ſcorbu- generãdo iti.* Vtrumque enim horum vim ſiccandi obtinet. Sal quidem cum fixus ſit, ſi copioſius aſſumatur, à natura omnis volatilis reddi facilè non poteſt, ideóque inprimis viis hæret, & ſcorbuticæ materiæ congerendæ occaſionem præbet. Acetum verò, vt choleræ mors, ita melancholiæ vita eſt; ſeu, vt Hippocrates, 3. *in acut. de vict. rat. t.* 38. habet: Αἱ ἀπὸ ὄξεος ὀξύτητες πικροχόλοισι μᾶλλον ἢ μελαγχολικοῖσι ξυμφέρουσι. Τὰ μὲν γὰρ πικρὰ διαλύεται, καὶ ἐκφλεγματοῦται μετεωριζόμενα ὑπ᾽ αὐτοῦ. Τὰ δὲ μέλανα ζυμοῦται, καὶ μετεωρίζεται, καὶ πολλαπλασιοῦται: ἀναγωγὸν γὰρ μελάνων ὄξος; quorum ſenſus hîc eſt: *Acida biliosis potius, quam melancholicis conueniunt. Amara n. dum ab acidis fermentantur, quaſi diſſoluuntur, & in aqueum humorem conuertuntur. Melancholia verò, dum ab acido fermentatur, multiplicatur. Exaltat n. melancholiam acetum.* Faciunt quoque ad mali huius generationem frumentum corruptum, tempore pluuiæ collectum, & non probè aſſeruatum, panis biſcoctus, ſubmucidus, vel ad perennitatem infumatus, nauticus, & præcipuè è frumento corrupto paratus; braſſica, cæpè, lentes, fabæ, & legumina alia, de quibus Galenus, 1. *de alim. facult. cap.* 16. & 18. 2. *de facult. aliment. cap.* 44. & *in lib. de cibis bon. & mal. ſucci c.* 1. præſertim negligentius recondita, & corrupta. Obſeruauitque Hippocrates, 6. *epid. ſect.* 4. *t.* 11. quod in Aeno, qui continenter leguminibus veſcebantur, crurum impotentia afflicti fuerint, in eaque perſeuerauerint; & qui eruo in cibum vtebantur, ex genuum dolore laborauerint. Caſeus item antiquus. Omnia n. hæc vt pauci ſunt alimenti, ita excrementitio humore craſſo plurimum abundant. Et in ſumma omnia huc pertinent, quæ humorem craſſum, ſiccum, & melancholicum generare poſſunt, quorum longum catalogum recenſet Galenus, 3. *de loc. affect. cap.* 7. Quod ij ipſi, qui à liene ſolum tenues, & aquoſos humores attrahi, & hinc ſcorbutum generari ſtatuunt, inuiti concedere, & fateri coguntur. Debet verò inter cauſſas externas & internas eſſe quædam analogia; & internæ ab externis, præcipuè cibis, habent ſuam originem.

Quanquam verò non ſemper à cibis craſſis, & melancholicis generetur ſcorbutus: tamen ſi talis victus ratio continuetur diu: taleſque humores diu in corpore hæreant, & aër, ac aliæ cauſſæ accedant, tandem corruptionem ſcorbuto propriam & ſpecificam induunt.

Talis verò victus ratio cum nautis, iiſque, qui mare Balthicum accolunt, vel ei viciniſunt, familiaris, ſit, non mirum eſt, tot ſcorbuticos ibi reperiri. Nam vt hac de re Balduinus Ronſſeus, qui iis in locis vixit, & Medicum egit, *de ſcorbuto cap.* 5. ſcribit, ſatis ſuperque notum eſt, eos cibis nimis quam Melancholici ſucci veſci. Nam præter aquaticas volucres, quarum apud illos quotidianus vſus eſt, etiam fumum, ſi dicere liceat, deglutiunt, dum bubulas carnes ſale prius conditas fumo exponunt, atque eaſdem vſu exigente comedunt, ferculum ſi quod aliud, melancholico ſucco materiam ſuppeditans. Nam etiamſi quàm maximè boni ſucci ſit, quod fumo aſſeruatur, per infumationem tamen alienam quandam naturam induit, atque innato ſucco orbum atri humoris cauſſa efficitur. Aliis tamen quoque in locis ſcorbutus quandoque generatur, vbi vel annonæ caritate homines ad prauum victum adiguntur, vel etiam quacunque de cauſſa cruditati vel cacochymiæ tali cauſſam præbent.

Poſt cibum proximum locum obtinet potus, & primò aquæ corruptæ, & ſæpe verminoſæ, quarum in nauibus in dulcium & purarum defectu ſæpe neceſſarius vſus eſt, præſertim in aëre calido, à quo facilius corrumpuntur; item aquæ craſſæ, crudæ, impuræ graues, ſubſalſæ, & quæ ex fontibus, qui ex locis abſtruſis, & concluſis, non perſpirabilibus, & liberiori aëri, & radiis inacceſſis ſcaturiunt, de quibus Hippocr. *lib. de aer. aq. & loc cap.* 3. ſiue eæ bibantur, ſiue cibi in iis coquantur, ſiue cereuiſia, aut iuſcula ex iis parentur. *Potus. Aqua.* Referendum huc & vinum, ſi non probè in ventriculo coquatur, ſed aceſcat, inprimis vbi pendulum fit: & corumpi incipit: Cereuiſia item feculenta, ex aquis modo dictis, vel corruptis parata, & quæ vitium aquarum retinet, & præcipuè pauco lupulo condita, & minus rectè cocta eſt. *Vinum. Cereuiſia.* De tali n. cereuiſia, verum eſt, quod Dioſcorid. *lib.* 2. *cap.* 80. ſcribit inflationem parere, & vitioſum ſuccum creare: lupulus verò admiſtus hoc vitium corrigit, dum abſtergit, obſtructiones aperit, ſanguinem mundat, & craſſa venarum renumque excrementa educit. Malti (*Malt*) quoque præparatio, qua, vt Hippocratis vocabulo vtar, frumentum ζυμοῦται, καὶ μετεωρίζεται, non parum ad digeſtionem in corpore facilius peragendam diſponit, & præparat, dum partes flatulentæ ſeparantur, & partes nutrientes rariores, ac ſpirituoſiores redduntur, & ab excrementitiis partibus aliquo modo liberari incipiunt. Plurimum verò poſtea in recta cereuiſiæ fermentatione ſitum eſt, quia ipſa non ſolum ſpirituoſa redditur, ſed & defecatur, & ab excrementis purgatur: quod niſi fiat, non ſolum coctu difficilior, & flatulentior cereuiſia redditur, ſed & facilè obſtructiones parit, & feculenta, ac tartarea excrementa multa ſuppeditat.

Tota nimirum, quam modò enumerauimus, victus ratio, ac ciborum & potus materia ita comparata eſt, vt feculentis, craſſis, melancholicis, ac tartareis humoribus in corpore materiam præbeat, & illam, quæ in coctione alimenti fieri debet, ζύμωσιν, & μετεωρισμὸν, aut πνευμάτωσιν, ſi ita appellare libet, impediat. Ex qua quomodo ſaltem aquoſam, ichoroſam, & tenuem cacochymiam deducere poſſit Reuſnerus, ipſe viderit.

*Aër.* Poſt cibum, & potum ad ſcorbutum generandum multum facit Aër, cæli ſtatus, regionum ſitus, & locorum conſtitutio humida, frigida, craſſa, & ſalſuginoſa, ac impura. Qualis Aër eſt Aquilonius, frigidus, humidus, craſſus, ſalſuginoſus, maris vaporibus, & exhalationibus, quæ ab inquinamentis, ab æſtu maris & fluminum inundatione relictis, aut ex locis vliginoſis, paluſtribus, & lacuſtribus attolluntur, inquinatur, qui inſpirando attractus, & per poros cutis intra corpus admiſſus, ſanguinem & ſpiritus inficit ac inquinat, calorem natiuum obruit & ſuffocat, & ad cruditates generandas facit. Augetur hæc conſtitutio aëris auſtrino & pluuioſo cœlo. Et ipſa experientia

rientia testatur, locis paludosis, vliginosis, lacustribus, maritimis, Scorbutum maximè familiarem esse, aridis ignotum. Et ea ipsa de caussâ accidit, vt in Belgio, & Germania inferiore, vbi eadem omnes victus ratione vtuntur, in quibusdam tamen locis, quàm aliis frequentior, & grauior fit Scorbutus, quæ scilicet magis paludosa, & palustria sunt. Ita Ronsseus, vt *in epistola ad Hadr. Iunium* testatur; obseruauit, in Hollandia multò periculosius & frequentius scorbuto affici illos, qui Alcmariam, Amsterodamum & vicina loca inhabitant; minus verò & rarius qui Goudam & Roterodamum incolunt, quamuis eodem victu vtantur. Et Clariss. Dn. D. Greg. Horstius, *in tract. de Scorbut.* annotauit in Saxonia veterique Marchia Brandeburgensi in aliis locis malum hoc rarius & leuius, in aliis verò frequentius & periculosius esse, iis scilicet, quæ sunt palustria & vliginosa, quorumque incolæ cereuisiâ minus pura & defecata vtuntur. Excitatur quoque, & fouetur Scorbutus à domiciliis humectis & situ obsitis, subterraneis, frigidâ & humidâ murorum exhalatione; atque ea de caussa in carceribus vliginosis detenti sæpe Scorbuto corripiuntur: quò tamen victus ratio praua, & motus priuatio facere potest. Et Olaus Magnus, *in sept. gent. histor. lib.* 16. *cap.* 51. scribit, frigida murorum exhalatione morbum hunc foueri, intra tabulata mitescere.

Vere etiam, & Autumno magis affligit, & grauius infestat Scorbutus. Vere quidem, quod humores vitiosi tẽpore hyberno collecti tùm fundi, & agitari incipiunt: Autumno verò, quod aëris inæqualitas, & iam incipiens frigiditas humori melancholico generando sit aptissima.

*Pulmones in scorbuto non primò afficiuntur.* Atque aeris hâc constitutionem nonnulli inter caussas remotas, vel solam vel præcipuam ponunt, statuuntque, Spiritus salinos, & vapores à sulphure suo destitutos iuxta mare ab astris eleuatos, sed non percoctos, à maritimis & nauigantium turba inspirando attrahi, qui attracti pulmonem primò inficiant, indè ipsum Hepar & venam portæ, tandemque lienem, quæ partes tales tartareas impuritates eò deriuatas quasi sibi cognatas ad se recipiunt. Verum, vt aërem talem ad Scorbutum facere non negamus, sed adiuuantem caussam esse modò diximus: ita seu vnicam, seu præcipuã causam esse inficiamur, nec istum generationis Scorbuti modum admittere possumus. Neque enim in Scorbuto, qui frequentissimè ex victu contrahitur, primò pulmones inficiuntur, sed in primis viis humor Scorbuticus primum cumulatur. Ac multis locis Scorbutus satis familiaris est, qui à mari salso satis distant; & contra multis in locis maritimis Scorbutus planè incognitus est.

*Vita genus, ætas, sexus.* Vitæ genus etiam ad Scorbutum generandum conferre potest, nimirum otium, & vitæ genus deses, atque iners, exercitium, & motus intermissus; vnde calor, quo coctio omnis perficitur, debilitatur, & suffocatur, & coctiones, excrementorumque secretiones, & euacuationes non rectè perficiuntur. Hinc ij, qui in otio viuunt, magis Scorbuto obnoxij sunt, quam qui laboribus exercentur, fœminæ, viris; vrbani, agricolis.

*Euacuationum suppressio.* Vt & euacuationum consuetarum, puta mensium, & hæmorrhoidum præcipuè, suppressio,

*Somnus & vigilia.* Somnus itidem, ac vigiliæ; ille quidem crudos in corpore succos augendo, teste Galeno, 11. *meth. med. c.* 3. hæ autem cruditates augendo, & calidum natiuum absumendo.

*Animi pathemata.* Inter animi motus, vt aliàs ad humorem melancholicum generandum multum facit tristitia: ita & hic eundem cumulare, & Scorbuto materiam præbere potest adeò, vt scribat Seuerin. Eugalenus, *p.* 3. quos cum crassiore victus ratione diuturnior mœstitia exercuit, de his ægrotantibus se constanter semper prædicere ausum fuisse, eos à scorbuto morbo vel solo, vel aliis permixto teneri.

*Febres.* Faciunt ad Scorbuti generationem sæpe etiam febres; cum per eas humor Melancholicus facilè cumuletur, vt Galenus, *de loc. affect. lib.* 3. *cap.* 7. scribit. Nam humores calore febrili aduruntur, & quod debile quodammodo restinctum est, in atrum humorem vertitur; id quod maximè accidit circa status finem, vbi & continuæ, & intermittentes febres biliosæ in quartanas, & hinc in Scorbutum degenerant. Et præcipuè quartana in scorbutum degenerare solet: nonnunquam tamen & tertianæ diuturnæ. Febres etiam tertianæ, quæ tempore verno incipiunt, & post septimum paroxysmum quotidie infestant, maxima ex parte sunt diuturnæ, & tandem in scorbutum abeunt.

*Viscerũ dispositio.* Verum caussæ istæ omnes eò facilius, & promptius malum hoc excitant, si viscerum, & inprimis lienis, intemperies, debilitas, vel obstructio adsit, siue natiua, & primigenia, siue ex colluuie, & contactu vitiosorum humorum contracta, ob quam humores affluentes, & melancholicam redundantiam sequestrare, elaborare, atque excrementa excludere non potest. Et inprimis magni momenti hic est ἰδιοσυγκρασία, & peculiaris cuique corpori natura, venarum item in visceribus hisce angustia, ob quam crassi, & feculenti humores facilius in iis hærent.

Etsi verò etiam absit viscerum natiua constitutio non recta: tamen si actio vitiosorum humorum diuturnior sit & continua, à violentia eorum viscera diu se defendere non possunt, sed humores praui, propriam & peculiarem huic malo corruptionis formam adepti, adiacentia & vicina viscera vel sua substantia & contactu, vel fumis deprauant, eorumque naturalem temperiem, & constitutionem corrumpunt, donec eandem labem suscipiant, & infecta, & debilitata alimentis ingestis similem corruptionis formam imprimant, eaque inquinent, & corrumpant.

*Contagium.* Quibus caussis omnibus tandem meritò Contagiũ, alterum caussarum genus, addimus, quod etiam absentibus caussis modò enumeratis, ad scorbutum excitandũ satis efficax est. quo vel à patre, vel matre vel vtroque parente malo infecto in sobolem per semen & sanguinem maternum, generationis principia impura & inquinata deriuari, & ita malum hæreditarium, siue σύμφυτον, & συγγενὲς excitari, vel è matre, aut nutrice cum lacte instillari, vel alio modo per contactum, & conuersationem pocula scilicet, ægrotantium vsu, in bibendo præcipuè, inquinata, oscula etiam, vt nonnullis placet, aut aërem exhalationibus, exspirationibus, & fœtidis halitibus ægrorum infectum inspiratione attractum communicari potest. Quæ ipsa caussa non parum facit, quod in Saxonia inferiore Scorbutus tam frequens sit. Nam cum raro fiat, vt inter conuictores plures vnius mensæ omnes à scorbuto immunes sint: nihilominus mos in plerisque locis inualuit, vt pocula sint communia, eaque satis magna, & capacia, in quæ inter bibendum sæpius ab iis, qui gingiuas laxas, cruentas, & os graueolens habent contagium deponitur, & commensalibus facilè communicatur. Censent etiam nonnulli per Venerem communicari posse scorbutum, si scilicet vir cum fæmina scorbutica, fluxu albo laborante, concumbat.

Ex halitibus quoque & fœtore cadauerum scorbuto exstinctorum scorbutus contrahi potest. Cuius rei notabile exemplum obseruaui in viro illo, cuius supra, *c.* 1. memini, & *c. seq.* mentio fiet.

*Quomodo per contagium, scorbutus cõmunicetur.* Qua ratione autem per contagium malum hoc communicetur, equidem non ita planum est. Videtur tamen eadem esse ratio, quæ in lue Venerea. Vt enim illud contagium quidem per diuersas partes corporis admitti

admitti poteſt: in corpus tamen admiſſum ſenſim in vniuerſum ſeſe penetrat, & non ſolum ſpiritus, ac humores inquinat, ſed & ſimilem diſpoſitionem partibus ſolidis inprimit: Ita & contagium Scorbuticum ſiue per ſaliuam ſiue per halitum, ſiue per lac, ſiue per cu. tem in corpus admiſſum ſanguinem inficit, ac inquinat, & viſceribus nutritioni dicatis ſimilem diſpoſitionem imprimit, & ea debilitat, vt & ipſa poſtea non ſanguinem probum, ſed vitioſum, & ſcorbuticum generent. Et quamuis vnum μίασμα per varias corporis partes admitti poteſt: tamen non omnibus æquè aduerſum eſt, ſed vt omnia venena ac contagij ſeminaria determinatis in corpore partibus aduerſa ſunt, alia cordi, alia pulmoni, alia aliis partibus ac præcipuè iis, in quibus generata ſunt, atque ex oculis effluentia μιάσματα tantum ὀφθαλμίαν inducunt, non phthiſin; contra halitus contagioſi phthiſicorum pulmoni, non oculis nocent: ita etiam in ſcorbuto ſeſe res habet. Cum enim illud contagioſum in eo circa lienem generatum ſit, ac prauam diſpoſitionem ibi acquiſiuerit, facultati etiam naturali in liene & vicinis partibus maximè aduerſatur.

## CAPVT IV.

### *De Signis Scorbuti, ac de morbis, & Symptomatibus, quæ Scorbutum comitantur.*

*corbutus ſ farrago lurimorum orborum & mptomatũ.*

MAgnam in Scorbuto eſſe morborum, & ſymptomatum σύνδρομον, & farraginem, ſuprà diximus quæ hic, vt eius effectus, ex quibus cognoſcitur, perpendenda. Neque enim, quod non ſolum è vulgo homines, ſed & Medici interdum, quibus hic morbus parum cognitus eſt, facere ſolent, ij ſaltem Scorbuto laborare dicendi ſunt, quibus crura maculis pinguntur, gingiuæ corrumpuntur, dentes vacillant: Sunt enim hæc iam ingraueſcentis tantum mali ſigna, & homo malum hoc diu circumferre poteſt, etſi nihil tale appareat. Et non rarò accidit, vt homo prius hoc morbo è medio tollatur, quam ipſi gingiuæ exulcerentur, aut maculæ in cruribus emergant. Neque eadem, vt ſupra, *cap.* 1. dictum, in omnibus apparent ſymptomata. Nonnullis dentes & gingiuæ tantum afficiuntur, partibus inferioribus ſaluis: aliis contrarium euenit. In aliquibus nullæ erũpunt maculæ, aliis tota crura colore violaceo pinguntur, vt tibialia eius coloris ſuperinducta iurares.

*orbutus in incipio dif. ulter co- oſcitur.*

Sunt verò morbi huius quidam quaſi gradus. Et quidem vbi adoleuit, facilis cognitu eſt: in principio verò, quod ſatis longum plerumque, difficilius cognoſcitur; cum ſigna eius, vt corporis totius grauitas, & ſpontanea laſſitudo, cum aliis morbis ſint communia. Artificioſam tamen coniecturam ſi Medicus adhibeat, ita planè latere non poterit, quin agnoſcatur. Si nimirum non ad vnum, vel alterum ſymptoma tantum reſpiciat Medicus, ſed totam ſymptomatum & ſignorum σύνδρομον vno intuitu diligentius conſideret. Pathognomonicum enim vnum ſignum aliquod, quod ſoli, & omni competat, non reperitur, præſertim in initio. Et licet vbi iam incrementum ſumpſit, latere non poſſit, ſi diligenter in eius naturam inquiratur: tamen ſæpiſſimè alios morbos ſimulat, incautóſque decipit; cum nullus ferè morbus ſit, ſub quo non latere, aut cui non aſſociari Scorbutus poſſit, vt ex ſequentibus patebit.

*na ſcor- ti genera- .*

Principio igitur conſiderandum, ſi de ſcorbuto ſuſpicio incidat, an in ea regione viuat æger, cui ſcorbutus aliàs eſt familiaris, & omnino an diæta Scorbuto generando apta vſus ſit. Vnde Eugalenus ſcribit, ſi quos cùm craſſiore victus ratione diuturnior mœſtitia exercuit, de iis ægrotantibus ſe conſtanter ſemper prædicare auſum fuiſſe, eos ſcorbuto vel ſolo, vel aliis morbis permiſto laborare. An parentes habuerit Scorbuticos; an ſit ſplenicus, & morbo aliquo melancholico, & hypochondriaco, quem ſequi Scorbutus ſolet, antea laborauerit, ex quo non ſatis reſtitutus fuerit.

Hinc ipſa ſymptomata præſentia, quæ mox exponentur, conſideranda. In quibus & hoc notandum, quod per quaſdam periodos, & circuitum recurrunt, aliàs tertianum, aliàs quartanum, aliàs quintanum, aliàs ſeptenarium; aliquos etiam quotidie, pro humoris ipſius qualitate, & conditione, infeſtent. Et ſi in regione aliqua, cui ſcorbutus familiaris eſt, occurrat aliquis morbus rarus, aut qui cum deſcriptione & ſignis quæ in antiquorum libris exſtant, non ſatis congruit, Scorbutum ſub ſchemate & ſpecie alterius morbi latere, ſuſpicandum, ideóque in eum diligenter inquirendum, & ex cauſſis, quæ præceſſerunt, vrina, pulſu, & ſymptomatibus, an ſcorbutus adſit, indagandum.

Perpendenda etiam iuuantia. Etenim ſi medicamenta, quæ aliàs videntur commoda, Scorbuto verò in ſpecie non aduerſantur, parum proſint; contrà ex vſu medicamentorum huic morbo accommodatorum æger melius ſeſe habeat: & illud ſcorbuti indicium eſt; ideoque in illorum medicamentorum vſu perſiſtendum, nec ad alia tranſeundum, de conſilio Hippocratis. 2. *aph.* 52.

Pertinet huc & iſtud, quod interdum vomitus, & alui deiectiones copioſæ, & frequentes accidunt, è quibus tamen nihil leuaminis, vel commodi æger percipit, & anxietas, & ſymptomata non remittunt.

Incipientem autem ſcorbutum, eiuſque prima quaſi rudimenta, ac principia, produnt, laſſitudo ſpontanea in abdomine & cruribus grauitatis ſenſus, crurum debilitas, ac dolor obtuſus, pectoris anguſtia, ac reſpiratio difficilis, & anhelatio, quæ tamen à minus attentis non animaduertitur, niſi à validiore corporis motu: homo plerumque præter ſolitum ſit corpulentior, & quaſi pinguior, cum viuidi corporis coloris ad liuidum mutatione. *Incipientis ſcorbuti ſigna.*

Hinc paulò poſt ſubſequitur rubedo, & pruritus quidam in gingiuis, facies ſit pallida, & ex violaceo nonnihil liueſcens; vrina ſæpe tenuis eſt, nunc turbida. Pulſus eſt paruus, debilis, & inæqualis, ac ſæpe vermicularis; vel magnus, & durus abſque inflammatione. Quæ ſi adſint, non leuem de Scorbuto ſuſpicionẽ faciunt; quæ magis confirmatur, ſi, vti modò dictum, victus ratio ſcorbuto generando apta, vel alia cauſſa ſcorbutum generans præceſſerit. *Augmentũ ſumentis ſigna.*

Malo incrementum ſumente ſymptomata modò dicta augentur, & grauiora redduntur, & alia accidunt, vt iam de Scorbuto amplius dubitare opus non ſit. Anhelitus difficultas ſæpe ita augetur, vt dum ſe mouent, & erigunt ægri, aut aliquamdiu erecti ſedere conantur, animi deliquio tententur, decumbentes rurſus reficiantur, & reſpirent liberius, ac ſe melius habere, ac ſanos eſſe dicant. Ventris tormina, ac torſiones accidunt; gingiuæ intumeſcunt, & laxæ ac flaccidæ redduntur, & ad attactum ſanguinem ſeroſum effundunt, graueolent, & corrumpuntur, & caro ad dentium radices abſumitur, dentes vacillant, vt abſque negotio & dolore ex alueolis ſuis eximi poſſint. Crura ad ambulandum, & corporis onus portandum impotentia fiunt, & quaſi Paralyſin quandam patiuntur: Maculæ, ac lituræ variæ, rubræ, purpureæ, fuſcæ, non ſolum in cruribus, ſed & in dorſo, ac lumbis efflorefcunt, & tota crura interdum eiuſmodi colore pinguntur. Crura ſæpe etiam ἀτροφίᾳ laborant; ſæpe intumeſcunt; & ſæpe ita exulcerantur, vt Elephantiaſin Arabum æmulentur, cuius rei exemplum *Ingraueſcentis ſigna.*

ante

ante paucos annos & hîc vidi. Varices etiam sub lingua (quæ venæ aliàs caninæ dicuntur) & inferioribus labiis visuntur.

Quibus mala alia sæpe accedunt, sensusque grauitatis, dum malum augetur, incrementum sumit, percipiturque in pluribus quarto, in aliquibus tertio, & quibusdam, sed rarius, singulis diebus. Et quidem plerumque sine febri, quandoque tamen etiam cum febre. Febres autem, quæ scorbutum comitantur, non vnius generis, sed variæ omnino sunt, & nonnunquam intermittentium, inordinatarum, quotidianarum, tertianarum, quartanarum, quinto, vel sexto die redeuntium, nonnunquam continuarum, imò & malignarum naturam æmulantur. Quibusdam aluus toto morbi tempore est adstricta, alij contra ventris fluxu laborant, qui nonnunquam in periculosam, & sæpe lethalem dysenteriam mutatur: sæpe accidit vomitus, vel inanis vomendi conatus, paralysis, motus conuulsiui, epilepsia, deliria, catus, lethargus, lipothymia, dolores vagi, dentium dolor, pleuritis, dolor articulorum, erysipelata, hydrops, ἀτροφία, gangræna; vt ista omnia annotauit, & historiis illustrauit Eugalenus, vti antea diximus.

*Rara & noua de scorbuto obseruationes.* Imò plura adhuc ex eodem humore mala excitari posse, obseruare in praxi promptum est. Et inprimis scabiei sæpe coniungitur Scorbutus, & tùm ex humorum vitiosorum ad interiora recursu grauissima symptomata excitantur. Memini Anno Christi 1615. studiosum quendam Sueuum, cum humores tales adustos multos cumulasset & Natura eos ad ambitum corporis protrusisset, scabiesque inde excitata fuisset, iisdem ad interiora recurrentibus subitò cæcum euasisse, & per triduum nihil vidisse, nullo extra in occulto apparente vitio, & reliquis sensibus integris. Idem de summa pectoris angustia, & difficili respiratione conquerebatur; vrinæ nigræ reddebantur, turbidæ, ac subrussæ, quæ cum quiescerent, superiore parte claræ nonnihil euadebant, nigro sedimento subsidente. Per aluum idoneis, & leuibus medicamentis purgatus, ac iis adhibitis, quæ humori huic contraria sunt, simulque per vrinas expellunt, (quò natura vergebat) fumaria, cochlearia, & similibus, intra quatriduum visum recuperauit, & paulò post sanitati restitutus est. Idem quadriennio pòst eodem ferè morbo correptus est: conquerebatur de pectoris angustia, & difficili respiratione, ac tenebras sæpe oculis offundi referebat. Visu tamen tunc priuatus non est, sed semel circa vesperam Epilepsia correptus, à qua tamen clystere, & aliis medicamentis idoneis adhibitis liberatus est, & paulò post conualuit, atque etiamnum viuit.

Eodem ferè morbo ante paucos annos corripiebatur puer annor. 12. ex intempestiua contra scabiem inunctione, qui vrinas reddebat nigras, visu priuabatur, & accedente, accedente, ac recurrente sæpe Epilepsia exstinguebatur.

Dolores, ac punctiones pectoris, ac nothas pleuritides ex iisdem humoribus, & scabie intempestiuè curata sæpius obseruaui; vt & febres tertianas, quartanas, quæ scabie erumpente cessarent facilè, eadem euanescente redirent. Obseruaui & hæmorrhagias narium frequentes, & copiosas in Scorbuticis; cruentas alui deiectiones copiosas; sanguinis è vena in cruribus sponte aperta effusionem, Icterum cum cardialgia, de quibus omnibus postea in specie dicetur.

Obseruauit etiam notatu digna, & rariora in Scorbuticis vir Cl. Dn. D. Döringius, Medicus Vratislauiensis, affinis meus honorandus, Icterum scilicet, cui successit hydrops Ascites; Asthma; Fauum, qui non tantum vniuersum caput, sed & totam frontem occupauit; Herpetem brachij sinistri; Gangrænam in indice digito; Hæmorrhagias narium frequentes; Hæmorrhagias è labiis non conspicuo venæ ostio; palpitationem cordis; ardorem, & dolorem intolerabilem in plantis pedum cum maculis sublividis in cruribus; putridæ, & putidæ materiæ ex vtero effluxum. Ita Clariss. Dn. D. Timotheus Vlricus, Medicus Magdeburgensis, amicus meus honorandus, præter genua retracta ad faciem, totumque corpus quasi contractum, obseruauit, carnem in oculis sub palpebris luxuriantem & crescentem, sanguinis colore, oculi albo icteri faciem, palpebris verò iridis colorem referentibus, ex cæruleo, punico, & flauo mixtum: in aliquibus, sed rarius, ad quosuis articulorum motus & inflexiones sonitus exactissimos & manifestos, ac si digiti comprimerentur fortius, vel quales ex confractis ossibus aut nucibus euenire solent: Cuidam hydropicæ habitæ, dentes vna nocte omnes vacillare cœpisse, vt vniuersorum casum metueret, qui tamen altero die firmiter alueolis suis hærebant: Nobili cuidam nullas maculas, etiam medicamentorum ope, erupisse, sed sudoriferis adhibitis sparsim musculosas brachiorum partes ardore correptas fuisse, sensu guttularum feruentissimarum aquæ adurentis aspersarum, nullo interim externo apparente vestigio: Viduam quandam in febre continua toto corpore maculis nigris, violis obscurioribus, satis magnis fœdatam fuisse, raro aspectu: cui tota facies (albis tantum circa oculos & nasum circulis ac liueis puerilis digiti crassitie remanentibus,) eum colorem contraxit, quem exactè suilli petasonis fumo indurati & cocti corium repræsentat; pustulæ insuper elatæ & atræ magnitudinem fabæ æquantes in malis sequentes aderant, sanguinem merum aliquatenus nigrum ac serosum effundentes.

Et omninò tanta est morborum, ac symptomatum varietas in scorbuto, vt non solum è vulgo homines, sed & Medici, quibus hic morbus cognitus non est, eam vix satis mirari queant, & sæpe in eam opinionem veniant, ægros veneno infectos esse.

Neque verò quis miretur, tantam malorum farraginem ab vna caussa prouenire posse. Nam etsi primò circa lienem præcipuè, & intermediis inter hepar, lienem, & ventriculum spatiis hic humor cumuletur: tamen vbi magna huius copia coaceruatur, tandem ad hepar redundat, & in venam cauam, vt & arterias sese penetrat, ac sanguini in iis vasis permiscetur; eumque inquinat & per hæc vasa nunc in hanc, nunc in illam partem, nunc etiam in totum corpus distribuitur & varios affectus in variis partibus excitat. Ad quod non parum facit propria illa, & peculiaris humorum corruptio multifariam nocere prompta. *Multitudinis morborum & symptomatum in scorbuto caussa.*

Inprimis verò ad istam varietatem malorum producendam apta est natura humoris serosi, & salsi, qui plures alterationes, mutationes suscipere aptus natus est, vt nunc forma aquæ, nunc vaporis subtilis, & leuis, nunc lapidis siccitatem, crassitiem, & duritiem referat; atque hinc inde facilè in omnes corporis partes penetrat, & moueri aptus est. Etenim cum in venis, & arterijs suam sedem habeat, ex eorum vasis maioribus in minora, quorum extremitates in singula membra tàm interna, quàm externa propagantur, deriuatur, & huc illuc moueri, & in vniuersas corporis, cuius ob hanc vasorum communionem ξύῤῥοια & ξύμπνοια est, partes fluere, atque ab internis ad externas, ab externis ad internas, è supernis ad infernas, ab infernis ad supernas, à latere ad latus variè moueri potest; id quod sæpe in doloribus corporis vagis animaduertitur. Ad quam motus procliuitatem & illud facit, quod salsi, & serosi hi humores non perfectè cum sanguine permiscentur, sed ab eo facilè separantur, & reliquo sanguine ita non commoto, quotiescunque efferuescunt, vel aliam ad motum occasionem accipiunt, *Serosus humor ad plurima mala excitanda aptus.*

hinc

hinc inde mouentur, & præcipuè si totus sanguis efferuescat, ipsi fluxibilitatem præstant. Quò tandem facit & hoc, quod hic humor peculiari modo neruis, & neruoso generi infestus est, vnde non tantum conuulsio, paralysis, sed & tot dolores in membranosis partibus oriri solent.

*Tumor scor- utiicus ner- oso generi ifestus.*

*aput ad se- in reliquã orpus distri- utionẽ facit.*

Multum etiam ad serosi huius humoris in plurima membra distributionem, & deriuationem caput facit. Cum enim caput cum intra, tùm extra craniũ innumerabiles venæ, & arteriæ percurrant, & sanguis quidẽ, qui in iis est, ad nutritionem capitis absumatur. Serum autẽ, quod cum sanguine in hisce vasis continetur, alendis illis partibus aptum non sit, neque tamen per iter, vnde affluxit, facilè refluere, neque per cranij densitatem, vt in aliis partibus, excidere sensibiliter, neque etiã insensibiliter, ob loci teporem & calorem remissiorem, discuti possit: cumulatur, & cum loco decliui contineri nequeat, è capite secundum ductum membranarum & neruorum interna membra destillat.

Verùm vt hæc clariora fiant, de singulis in specie dicemus: cum multa de plurimorum morborum, ac symptomatum generatione vtilia cogitanda suppeditent. Etsi verò non multum referat, quo ordine ista symptomata, & morbi proponantur: ea tamen primo loco ponemus, quæ huic malo magis familiaria sunt, nimirum lassitudinem spontaneam, grauitatem in cruribus, pectoris angustiam, respirationis difficultatem, gingiuarum corruptionem, & oris graueolentiam, maculas in cruribus purpureas, vrinas, pulsum: Quibus reliqua postea subiungemus.

*ssitudo ontanea & auitas cor- is.*

Lassitudo primum spontanea, & grauitas corporis, præcipuè crurum, κόπος τονώδης Galeno, 3. *de sanit. tuend. cap.* 5. *&* 2. *aph.* 5. cum tendi membra, & pondere quasi appenso grauiora videntur, excitatur, cum humores serosi, & vitiosi cum sanguine per venas in ambitum corporis distribuuntur, & ad musculos ipsos penetrant. Quia verò vt corpus nutriant, eique assimilentur, inepti sunt, ibi hærent, & vires grauant, ac hanc lassitudinem excitant, ita, vt ægri in principio huius mali se languere magis, quam ægrotare conquerantur, cum vix sensibili virium decremento, & circa aliquem euidentem morbum. Sentitur etiam hic grauitatis sensus in abdomine, cum ibi, & in primis viis materia primò colligatur.

*fficilis re- atio & toris an- lia.*

Difficilis respiratio, & pectoris angustia frequens huius mali symptoma est, quæ plerumque quidem excitatur, cum vapores maligni, & praui in ventre inferiore, præcipuè circa lienem, excitati in ventriculo, & circa septum transuersum procul dubio etiam in cauitate illa omenti supra, *cap.* 2. *num.* 1. descripta, collecti hærent aliquandiu, illiúsque liberum motum, qui in respiratione necessarius est, impediunt, aut ipsi etiam humores vitiosi, lienem, & vicinas partes distendentes, diaphragma comprimunt: eodem modo, quo hydropici aut vterum gestantes, aut alia de caussa ventrem turgidum habentes difficilius respirant. Vndè etiam ægri nihil de thorace conqueruntur, sed locum affectum, vbi grauitatem sentiunt, & cuius caussa cum difficultate respirare coguntur, sub diaphragmate ad ventriculi regionem monstrant, teste Eugaleno, *p.* 10. & ipsâ experientiâ. Quo signo etiam hæc scorbuticis familiaris difficilis respiratio à respirationis difficultate, quæ caussam primariam in thorace habet, facilè discernitur. Conqueruntur etiam ægri magis de angustia (*es sey ihnen bange, vñ angst*) quàm respirationis difficultate, eámque tolli vnicè petunt; quæ angustia interdum adeò augetur, vt lipothymiam minetur, & caligo oculis offundatur, ac nisi tollatur, ægri statim animam reddituri videantur. His accedit, quod respirationis hæc difficultas, seu potius angustia non est perpetua, neque eâdem vehementiâ molestat, sed breuibus interuallis vel cessat, vel remittit, ac postea recurrit, vel augetur. Nulla tamen in hac respirationis difficultate, sicut in thoracis affectibus adest tussis, stertor, sibilus, orthopnœa, & similia. Non crediderim tamen impossibile esse, vapores illos prauos, ac malignos etiam per venas, & arterias pulmoni, & cordi communicari, atque hinc istam angustiam excitare posse; quod vel ex eo patet, quod non solum per interualla vaporibus sursum adscendentibus oculi obscurantur, & caligant, vt ægri adstantes agnoscere non possint, sed etiam lipothymia sæpe accedit. Inprimis verò post validum exercitium, & vehementiorem corporis motum malum hoc augetur, humoribus in hypochondriis commotis, & aliquomodo excalefactis, & vaporibus inde, quasi camarina mota, excitatis. Huius angustiæ meminit Seuerinus Eugalenus, *obs.* 6. 7. 8. 11. 18. 19. 20. 37. 40. 48. 69.

*Gingiuarum oris & dentium vitia.*

Porrò cum natura adhuc caussam morbi superat, quàm longissimè humorem vitiosum à partibus nobilioribus amouere conatur, partim versus superiora, & in gingiuas, partim in pedes; vnde gingiuarum rubor, pruritus, ac putrefactio, & crurum maculæ exoriuntur. quæ signa vbi apparent, tam certò scorbutum indicant, vt lippi etiam scorbutum indè agnoscere possint. Primò enim ex materiæ parte acriore & subtiliore, quæ vel à natura sursum mouetur, vel à calore eò attollitur, rubor, pruritus & erosio ac putrefactio gingiuarum excitatur. Etenim cum caro gingiuarum sit mollior, tenera, & laxa, facilius à salsis, & serosis eiusmodi humoribus afficitur, quàm aliæ partes, quarum caro durior est, & solidior. Hinc primum in gingiuis rubor, & pruritus excitatur, caro earum intumescit, & contrectata sanguinem ichorosum fundit, postea flaccescit, intumescit, putrescit, & odorem fœtidissimum de se exspirat. Inde carne, qua dentes regantur, abscedente, prauóque humore alueolos, & partes, quibus dentes in locis suis continentur, occupante, omnibúsque hisce partibus laxis redditis, dentium compages soluitur, vt vacillare incipiant, nullóque negotio ex alueolis suis eximi possint. Et quidem vt ista dentium vacillatio sæpe subitò accidit, ita subitò etiam euanescit, observatúmque, vt supra, dictum, ægris vna nocte dentes omnes vacillare cœpisse, vt vniuersorum casus metueretur, altero verò statim die rursum firmiter in alueolis suis hæsisse. Quod procul dubio ob varium affluxum & refluxum serosi & scorbutici humoris accidit. Dentes ipsi sæpe nigrescunt, & quasi siderationem patiuntur, sola tamen superficies tali colore tincta est. Quanquam verò simili vitio interdum in lue Venerea os afficiatur: tamen à scorbuto id facilè discernitur, cum aliis signis hi morbi multum diffideant; ac præterea oris hoc vitium lui Venereæ non sit perpetuum, sed post vsum hydrargyri accidat, cuius vi dum venenatus humor serosus per saliuationem expurgatur, facies, & os simul afficiuntur.

*Maculæ.*

Quod autem crassum & grauius est, ad crura decumbit, ibíque maculas varias excitat, quæ in principio rubicundæ, illis, quæ à pulicum morsibus relinquuntur, non absimiles, hinc purpureæ, & subliuidæ erumpunt, tandémque ad nigrum colorem inclinant. Nonnunquam tibiæ magno spatio, vel etiam vndique liuidæ, vel cum nigrore, aut liuore purpureæ euadunt. Vnde nonnulli maculas scorbuticas distinguunt in amplas, & maiores (Germani *Flecke* appellant) & minores pulicum morsibus similes. Videntúrque hæ maculæ non multum differre ab iis, quas Paracelsus, *lib.* 4. *chirurg. von offenen Schaden, cap.* 16. sub nomine Cancrenæ describit. Vbi hoc notandum, quod scribit, maculas istas sine exulceratione ad annum 30. vel 40. durare: cui experientia respondet. Noui enim in vicinia virum hypochondriacum, & arthritidi obnoxium, qui iam ab annis 30. crura eiusmodi maculis colorata habet, de dolore tamen insigni non conqueritur. Cum enim serosæ,

ſeroſæ, & ichoroſæ in ſanguine partes ad corpus alendum inutiles ſint, extra venas in cutem à natura protruduntur, & per ἐκχύμωσιν, & ναυσιώσιας τῶν βλεβῶν, vt Hippocrates, *lib.de fractur. comm.* 2. loquitur, ibi has maculas excitant. Et quidem frequentius hoc accidit in cruribus; cum natura vitioſos humores ſoleat ad partes ignobiliores, & remotas depellere: quandoque tamen, & vbi maior eſt eorum copia, & dorſo, & in brachiis huiuſmodi maculæ conſpiciuntur, eæque non ſolùm minores, ſed & maiores, de quibus infra. Imò interdum etiam circa pectus, & in collo, & facie efflore-ſcunt, modò euaneſcentes, modò iterum erumpentes, vt obſeruauit Eugalenus, *obſeru.*59. Vidi nuper puerum nobilem biennem, cui primum in præputio hæ maculæ apparuerunt, poſt menſes verò aliquot in toto corpore, imò etiam facie effloruerunt. Hæ lituræ nonnunquam in quaſdam quaſi ſquamas reſoluuntur, quæ à reliqua cute non ſecus, ac in eryſipelate ſeparantur. Salomon Albert. *theſ.*119. Quandoque ſubitò ante mortem maculæ euaneſcunt, & rurſum poſt mortem effloreſcunt, aut quæ paucæ & ſparſim apparebant, copioſè erumpunt, & continuo liuore tota ferè crura pinguntur.

*Vrina ſcorbuticorum.* Vrinæ quoque non paruam ad demonſtrandum ſcorbutum vim habent, & quandoque ſolæ ad patefaciendum eum ſufficiunt. Sunt autem eæ non vnius generis, ſed pro ægri corporis conſtitutione, & humorum natura varia variæ. In initio quidem, & cum humorum corruptio nondum magna eſt, vrinæ nunc tenues, & citrinæ, materia tartarea in viis ſubſiſtente, nunc craſſæ, & albæ, conſpiciuntur, ex quibus, vtpote cum aliis morbis, in quibus cruditas humorum adeſt, communibus certi nihil prædici poteſt. Si verò corruptione humorum incrementum ſumente, vrinæ ſint quidem claræ, verum rubræ, & intenſæ rubedinis, & ad fuſcum declinantis, & cum ſplendore quodam inſtar lixiuij claræ appareant, ſimiles iis, quæ in febribus ardentibus, vel quartanis à ſudore redduntur, non leue ſcorbuti argumentum ſunt. Et ſæpe in talibus vrinis multæ rubræ arenulæ parietibus matulæ adhærent: cum quibus ſi nulla, aut nullius momenti ſitis, putrefactionis, quas vrina exhibet, notis non reſpondens adfuerit, certiſſimum ſcorbuti ſunt indicium, & ab humoribus ſalſis multis admiſtis originem habent; maximè verò ſi ab obābulantibus, & omnia vitæ munia ſine offenſione adminiſtrantibus tales reddantur. Vt enim lixiuij colorem eò magis ad quandam rubedinem vergere videmus, quò plures ſalſæ, & aduſtæ partes ei inſunt: ita etiam quò plus ſalſi, & aduſti humoris vrinis admiſcetur, eò colorem rubicundiorem acquirunt.

Nonnunquam verò, & frequenter apparent craſſæ, rubræ, & vel turbidæ minguntur, vel ſtatim turbantur, quæ aut tales permanent, aut craſſum, & rubrum ſedimentum, quod farinam laterum refert, ad fundum deponunt, & clareſcunt; ſæpe etiam multa cruda, & pituitoſa excrementa ſupra iſtud ſedimentum quaſi ſuſpenſa hærent, eidem tamen non permiſcentur, atque ita totam vrinæ partem ſuperiorem turbidam reddunt. Et cum hæ vrinæ colore aquæ, vel ignis iterum claræ redduntur: color tamen ex fuſco rubeſcens eſt, atque inſtar lixiuij ſeſe habent hæ vrinæ. Atque iſtæ vrinæ certum ſcorbuti ſignum ſunt, ſi ſitis, & oris ſiccitas adſit modica aut nulla, & quæ modica liquidi aſſumptione ſedetur, febris non adſit, aut nullum typum obſeruet, adſit totius corporis languor, & æger paulatim ſine euidenti cauſſa contabeſcat. Et, vt Galenus ſcribit, in quorum vrinis maiora putrefactionis indicia adſunt, quàm quæ foris ex calore, & ſiti apparent, morbo lento exiſtente, & ad nullum veteribus cognitæ febris typum accedente, de his certò tecum ſtatuere potes, ac debes, à ſcorbuto tales detineri. Cauſámque huius rei hanc reddit; quod humor melancholicus huius mali cauſſa putrefactus & accenſus ſuæ quidem putrefa-ctionis notas in vrina exhibeat, ſæpe febribus ardentibus pares, aut non multò diſſimiles; ſed quia craſſus, frigidus, ac terreus ſit, neque facile accendatur, neque accenſus, vt cæteri humores, vrat; inde etſi labiorum, oriſque ſiccitatem inducere poſſit, non tamen idem ſemper bibendi deſiderium afferat, neque talem inquietudinem, ac moleſtiam excitet, ac febris continua, & ardens, vtpote qui fumoſis ſuis vaporibus magis, quam igneo calore, cor ferit. Aliquando craſſa, & alba eſt vrina, quæ ſtatim conturbatur; & licet ſæpe plura corpora rotunda & alba, arenarum inſtar, vel fractæ polentæ ſimilia ſubſideant, quæ à fundo matulæ nonniſi fortiore matulæ motu eleuantur: tamen clarior vrina non fit, ſed turbida permanet ſubſtantiâ ſuâ craſsâ matulæ parietibus adhærens, Eugalenus, *pag.* 34. & nec à catharticis, nec attenuantibus clareſcit, & attenuatur, ſed magis conturbatur. Eorum, qui intemperantius vixerunt, & craſſiore victu vſi ſunt, ac curis anguntur, vrinæ, vt Eugalenus docet, ſunt craſſæ, nigræ, turbidæ, quæ vel tales permanent, vel turbidum, ac nigrum ſedimentum in fundum deponunt. Cum his vrinis plerumque ſitis grauior, & oris ac labiorum ſiccitas moleſta coniungitur, quæ tamen modica liquidi aſſumptione facilè ſedatur, ſed non ita multò poſt recurrit.

Malóque hîc aſſentiri Eugaleno, qui iis in locis, vbi familiariſſimus eſt ſcorbutus, Medicinam fecit, præſertim cum experientia idem me edoceat, quam Hieronymo Reuſnero, qui iis in locis vixit, vbi ſcorbutus non adeo familiaris, neganti, vrinam in ſcorbuto eſſe turbidam, rubicundam, craſſam, feculentam, ad modum vini rubri recentis, aut qualis feruente quartana, potiſſimùm à ſudore, ſolet apparere, aut certè rarius hoc euenire concedenti, contrà verò affirmanti, ſæpius in ſcorbuto vrinas tenues, aquoſas, ſubſpiceas, ſubpallidas, ſine ſedimento, carnis ſemicrudæ iuſculo, vel aquæ bilis mediocri infuſione dilutæ ſimiles mingi. Falſæ enim hypotheſi iſta omnia ſuperſtruit, nimirum ab aquoſo, & tenui humore tantum oriri ſcorbutum. Contrarium enim experientia docet, & , vt diximus, initio quidem tales vrinæ minguntur: tamen vix aliquod certum ſignum ſcorbuti exhibent. Et ipſe concedit vrinam ſcorbuticorum frequentiſſimè putere, & fœtere, quod certè vrinis craſſis, & turbidis magis, quam tenuibus, aquoſis, ſubſpiceis, ipſa experientia teſte, conuenit.

Obſeruatum quoque eſt, præcipuè in iis, quibus hæmorrhoides ſuppreſſæ malo huic originem dederunt, materiam tartaream, vt appellant, quandoque cum vrina, quæ cum ſummo dolore, & ardore plerumque guttatim emittitur, copioſè euacuari, eámque turbidam mingi: quæ vbi ſubſidet, ſæpe tertia, vel quarta pars matulæ materia eiuſmodi tartarea, mucoſa, ſalſa, nonnunquam nigricante repletur, quæ incautioribus vel calculi, vel exulceratæ veſicæ ſuſpicionem mouet. Solétque iſta materiæ euacuatio inuadere cum horrore quodam, quem calor præter naturam, ſub noctem præcipuè, ſequitur. *Vrina ...*

Sæpiſſimè variant vrinæ, & in eodem ægro ſine cauſſa aliqua euidenti permutantur, & hodie turbidæ ac craſſæ, poſtridie aqueæ, & tenues, hinc rurſum citrinæ, aureæ, rubeæ, vel craſſæ redduntur, ſæpe etiam ſanorum ſimiles ſunt; quod variorum humorum permiſtorum, & plurium affectionum, quæ nec eandem curationem, neque ſolutionem & finem habent, indicium eſt: Soléntque tales vrinæ tenues ſumptis medicamentis antiſcorbutis poſtridie in craſſas mutari, craſſo ſedimento ſubſidente.

*Pulſus.* Pulſus eſt varius, nunc debilis, & inæqualis, ac ſæpe vermicularis, vt repere magis, quam pulſare videatur, vt Italum Medicum harum rerum ignarum miraturum ſcribat Eugalenus, *obſeru.* 35. cum tali pulſu hominem non ſolum viuere, ſed & obambulare, &

& domi sua officia obire posse; nunc magnus, & durus absque inflammatione. In pulsu etiam hoc notatu dignum in scorbuto accidit, quod in animi deliquio imminente, & summis illis angustiis pulsus maior, ac fortior est, fortiúsque ferit digitos, quàm reliquo morbi tempore, aut vbi deliquium cessat. Cum enim reliquo morbi tempore pulsus sit paruus, & inæqualis, vbi deliquium animi, & illa anxietas ad præcordia infestat, quæ sæpe tanta est, vt æger statim exspiraturus videatur, pulsus fortior est, & magis, quàm antè percipitur: proculdubio propter summam eius necessitatem, & quod cor vapores prauos, quibus molestatur, expellere conatur. Est verò huius exemplum apud Eugalenum, *obseru. 69.* quale, & simile planè nuper etiam mihi in ægro quodam occurrit.

*Dolores ...arij.* Præter hæc symptomata adhuc alia multa, vt & morbi quidam scorbuto coniungi solent, alia tamen in his, alia in illis; de quibus etiam dicendum. Et primò quidem actiones læsas quod attinet, varia dolorum genera scorbuticos infestare solent: Inter quæ est satis frequens dolor crurum obtusus, aliquando tensiuus, plerumque ὀστεοκόπος, quod scilicet in profundo, & circa os afficiuntur ægri, qualis etiam in quartanis, & morbo Gallico deprehenditur, & præcipuè sub noctem affligit, ac adeò ingrauescit aliquando, vt ne horam in lecto ægri quiescere possint, & crura sibi quasi malleo contundi conquerantur. Excitatur autem, cum serosi humores, vel etiam vapores à capite via decliui descendentes circa ossium membranas hærent, vel etiam è sede colluuiei scorbuticæ per venæ cauæ ramos crurales extra venas effunduntur, & crurum musculis, membranis, ac neruis sese insinuant. Suntque ideò hi dolores non continui, sed per interualla affligunt, præcipuè, vti dictum, sub noctem, quod eo tempore humor melancholicus moueri soleat.

*...rurum.* Alij de surarum dolore conqueruntur, præcipuè inter eundum, cuius exempla sunt apud Eugalenum, *obseru.* 41. 59.

*...rca talos ... plantas ...dum.* Non rarò dolor excitatur circa talos, & iuncturas, & plantas pedum, qui etiam scorbuti prodromus est, eúmque sequuntur maculæ, & gingiuarum corruptio. Dolor mordicans est, & ob tenuitatem materiæ quasi penetrare videtur partes, *escheust, vnd sticht drinnen.* post triduum sequuntur maculæ, quas vocant *die Nachtgrieff*, propter vestigia digitorum, quibus quasi prehensi videntur. Silesij *Albflecke* nominant. Augescente malo augetur cruciatus iste intolerabilis, nec cessat, priusquam maculę, quæ sæpe dimidium femur occupãt, maxima autem ex parte amplitudinem vnius manus æquant, prorumpunt.

*...chtgrieff. ...lbflecke.*

Quosdam dolor vexat circa manuum, & digitorum extrema, qui sub noctem, vt & crurum dolor solet, grauior est: alijs post vesperam aduenit, alios post mediam noctem affligit, speciem morbi Gallici præ se ferens. Eugalenus, *p.* 18. Detegit tamen hunc pulsus paruus, & inæqualis, de quo Eugalenus, *obs.* 41.

Quidam continuis, & grauibus coxendicis doloribus infestantur, Eugalenus, *pag.* 141. *obs.* 13. 14. 15. Nonnullis genua dolent. Eugalenus, *obs.* 41.

Quidam etiam, Eugaleno, *pag.* 82. teste, grauissimis nuchæ doloribus, iisque tensiuis, & prementibus affic iuntur.

Nonnulli variarum corporis partium vellicationem, & lancinationem percipiunt, & carnes sibi quasi diuelli, & dilacerari conqueruntur, alij tales dolores se percipere dicunt, ac si digitis carnes euellerentur, alij de pungentibus doloribus conqueruntur; alij ne quidem eos explicare possunt. Qui tamen omnes accidunt, cum membranæ partium à serosis humoribus, & acribus vaporibus vellicantur. Iidem dolores varias corporis partes, brachia, dorsum, genua interdum occupant; interdum vagi sunt, & modò hanc, modò illam corporis partem affligunt. De quo Eugalenus, *pag.* 214. *obs.* 45.

*Ventris dolor.* Est & ventris dolor huic malo familiaris, vt etiam ab eo nomen acceperit, & *Scorbuck*, quasi ventris ruptura nominetur. Tanta verò in scorbuticis ventris tormina, & lancinationes adsunt, vt diuelli sibi, & dilacerari omnia exclament ægri, & præ doloris vehementia, quò se vertant, nesciant, vt hac de re scribit Eugalenus, *obseru.* 69. Imò vt quandoque distentionibus istis & cruciatibus in peritonæi rupturam incidant, vt idem Eugalenus, *pag.* 86. annotauit. Sed vexant hi dolores non continuò, sed per interualla quædam; estque pulsus plerumque paruus, & inæqualis, ac vrina, qualem in scorbuticis esse suprà diximus, atque aliæ notæ scorbuti adsunt.

*Carol. Pisonis obseruationes ad scorbutum referendæ.* Atque cum hisce doloribus scorbuticis cùm planè conuenire videantur ea, quæ Carolus Piso *in lib. de morb. à colluuie serosa ortis*, habet, & de doloribus ventris inferioris, ac de rebus vtilibus cogitandi & disserendi ansam præbeant: ea nullo modo sicco pede hîc prætereunda videntur. Nam cruciatus illi abdominis, quibus, *obseru.* 74. 75. *& seq.* Monachos quosdam torqueri vidit, planè cum iis, vt suprà dictum, quæ Eugalenus passim de scorbuto tradidit, conueniunt; & euincunt, Septentrionalibus quibusdam locis, scorbutum esse familiarissimum; alibi tamen etiam, vbicunque eadem scilicet caussa datur, generari posse. Refert enim, dolores illos cum tali alui stupore coniunctos fuisse, vt nihil prorsus emitterent infernè, atque cum crebris vomitibus, ructibúsque, & id genus aliis symptomatibus, & præterea cum febre, eaque mediocri quidem, sed pertinaci coniunctos fuisse. Alios autem hisce ventris doloribus iam liberatos fuisse, sed quosdam ex iis inueterata paralysi emortua penè brachia quasi inutile pondus traxisse; quosdam epilepsiæ insultibus ex interuallo vehementer concussos; nonnullos lethargo, & ineuitabili sopore oppressos. Ægros autem illos fuisse fusco corporis colore, squalido, strigosóque corporis habitu, ad calidam, siccam, & atrabilariam constitutionem declinante; visos fuisse pleno victu, & in otio vixisse; ædesque syluis vndique cinctas, & in loco vliginoso sitas inhabitasse. His addit, dolores hos plerumque febribus, modò tertianis, modò quartanis, modò septenarium circuitum habentibus, modò continuis successisse, quales etiam Eugalenus describit; hisque paralysin sæpius superuenisse; quibusdam quoque aluum longo tempore fluidam fuisse; vrinas varias mutationes suscepisse ex breuibus interuallis, & ex claris in turbidas, & ex turbidis in perspicuas fuisse mutatas.

*Doloris ventris scorbutici à Colico differentia.* Dolores autem hi etsi cognationem aliquam cum dolore Colico, qui à flatibus intestina distendentibus ortum habent, obtinent: tamen multis ab eo differunt. Ille enim non ita pertinax est, & diuturnus, sed soluta aluo, & flatibus exeuntibus, breui euanescere solet, doloréśque illi situ intestini coli circumscribuntur, ventérque solet intumescere, & attolli: Hi verò dolores sæpe satis diuturni sunt, & quandoque ad 40. diem, & vltrà extenduntur, dolorque non solum Coli ductu circumscribitur, sed modò illæ abdominis partes, imò sæpe vniuersum abdomen dolore corripitur, ventérque non attollitur, sed deprimitur potius, & cum vmbilico introrsum reuellitur, vt vmbilicus lumbis quasi videatur esse annexus, ventérque excauatus quasi. Distensio etiam potius secundum longitudinem, quàm latitudinem percipitur; intestinumque rectum reuellitur sursum, vt non solum exitum fecibus intercludat, sed & aditu glandes, ac clysteres prohibeat, vt nonnisi vi intus adigi possint. Tandem dolores ventris à flatu non in tam grauia symptomata, & mala commutantur, sicut dolor ventris scorbuticus.

*De ortu doloris ventris scorbutici.* Qua ratione autem dolores hi generentur, consideratione omnino dignum est. Nam ab intestinorum non

non ſecundum latitudinem, ſed potius longitudinem diſtenſione fieri, ex iis, quæ iam diximus, patere videtur. Quomodo autem iſta conuulſio, & contractio fiat, porrò inquirendum. Duobus autem modis eam fieri poſſe putamus.

Primus eſt, quem *in Inſt. lib. 2. part. 3. ſ. 2. c. 5.* propoſuimus, quando nimirum materia iſta acris, & corrupta per venas meſaraicas, quæ inter duas inteſtinorum tunicas feruntur, & ad inteſtinorum cauitates non hiant, mouetur, & inter duas iſtas inteſtinorum tunicas effunditur, eaſque diſtendit, vellicat, & ſæpe etiam conuulſionem, & motum περισταλτικὸν excitat, vel etiam in membranas effunditur, eaſque diſtendit: vbi cum exitum non inueniat, non mirum eſt, dolores hos eſſe diuturnos, & breuibus interuallis redire tandémque in venas regurgitantem materiam in alias partes effundi, & ſæpe Paralyſin excitare.

Alterum modum proponit Carolus Piſo, qui putat, materiam hanc non per venas meſaraicas effundi, ſed à capite deſcendere, hóſque dolores fieri non tam ob diuulſionem inteſtinorum propriam, ſed partis alicujus communis inteſtinis cum cæteris omnibus membranis in ventre inferiore contentis, peritonæi puta, quod in meſenterium propagatum omnium omnino viſcerum, & partium in ventre inferiore contentarum eſt commune vinculum, imò communis membrana, quæ eas inueſtit, inuoluítque vndiquaque & deinde nerui ſextæ coniugationis è thorace egreſſi, omnibus omnino partibus inferioris ventris ſeſe communicantis, & ad omnes propagines mittentis. Contractis enim, & conuulſis ramis ſexti paris, vel peritonæo, adnatas iis partes neceſſariò conuelli, contrahíque cenſet.

Quod vt non negamus, & fieri poſſe concedimus: ita illud, quod ipſe etiam vltrò fatetur, omnino addendum cenſemus, dolores huiuſmodi ventris non ſolum à conuulſione, & diſtractione peritonæi, vel ramis nerui ſextæ coniugationis fieri poſſe: ſed quaſcunque partes in ventre inferiore membranoſas affectas in ſui conſenſum reliquas in abdomine partes trahere. Id quod in doloribus nephriticis apparet, in quibus & vniuerſum peritonæum, cæteræque ei colligatæ partes in conſenſum trahuntur, & teſticulus affecto vreteri directè reſpondens ita retrahitur, vt in abdomen totus recondatur; & in ani affectibus, & dolorībus veſica in conſenſum & contra trahitur. Itaque materia iſta ſiue ad inteſtina, ſiue ad quaſcunque membranas in ventre inferiore detrudatur, graues dolores excitat; ſicut & ſi ad membranam coſtas ſuccingentem effundatur, dolores acerbiſſimos, pleuritidem æmulantes, abſque earum tamen partium inflammatione, excitare ſolet, vt teſtatur Eugalenus, & ipſa experientia. Sicut verò dolores illos pleuritidi ſimiles non ſolum quantitas, ſeu copia humorum, ſed potius acrimonia excitat: ita & humor, qui dolores hoſce in ventre inferiore parit, non pura puta aqua eſt, ſed ſalſus & acris, vt antea docuimus.

*Per quas vias humor hic ad ventrem feratur.* Per quas autem vias humor hic ad hæc loca feratur, & quomodo dolor hic in Paralyſin degeneret, non ita planum eſt. Per venas id fieri *l. 2. in Inſtit. p. 3. ſ. 2. c. 5.* docuimus atque puto rem ſatis manifeſtam eſſe, & frequentiſſimè id accidere. Ex colo tamen etiam per meſentericas arterias humor iſte regredi poteſt, & in arteriæ magnæ truncum transferri, atque inde ad lumbales arterias peruenire, quæ non ſolum ſanguine turgeſcentes vicinos comprimere neruos, ſed & aliquid ſeroſi humoris ad eos affundere poſſunt. Carolus Piſo à capite, tanquam ſeri receptaculo, humorem hunc in inferiora deſcendere ſtatuit, docétque ſerum, quod vi caloris febrilis, aut vitalis, ſed ab externo, ſiue ambiente per mutationem conſtitutionis eius commoti ebulliens ſub ſudoris, vel vrinæ forma confertim erupturum erat, in caput eleuatum per vaſa ſoporaria ex eorum finibus extremis exſudare, & efferueſcere, & partim quidem extrorſum, partim introrſum ferri: ac extrorſum quidem circa membranas, aut inter eas effuſum, irruere, ac impetere vel principium neruorum ſpinalis medullæ, vel principium ſexti, ſeptimivè parium, atque alterutrum implere, ac diſtendere copiâ, & feruore, & ſecum tum neruos appendices, tùm verò pariter membranas adnatas; aut feruore depoſito deſcendens, & decurrens ſiſti in lumbis, atque neruos inferioris ventris, & maximè originem meſenterij, & peritonei opplere, corrugare, & ſecum reuellere, & diſtrahere, quæ finibus adnaſcuntur membra, id eſt, in quibus terminantur, & implantantur, inteſtina ſcilicet, & reliqua in aluo contenta, eáque violenta contractione dolorem in iis excitari.

Verum enim verò vt hæc pleraque ita fieri quandoque non negamus, & præcipuè dolores illos vagos, qui in brachiis, lumbis, & aliis externis partibus percipiuntur, ex ſero à capite, nocturno præſertim tempore, deſcendente originem habere concedimus: ita hoſce dolores in ventre inferiore ſemper hoc modo excitari neceſſarium non putamus. Nam cum hi dolores præcipuè febribus ſuperueniant, vt ipſe teſtatur Carolus Piſo, quarum focus in viſcerum, partiúmque vicinarum vaſis hæret: certè ex iis vaſis longè propior via eſt ad inteſtina, & membranas vicinas. Præterea cum dolores hos non præcedant affectus capitis, Epilepſia, Lethargus, paralyſis, ſed ſequantur eos: credibile eſt, non ex capite materiam ad ventrem inferiorem deſcendere, ſed potius, ſi in ventre inferiore exitum non inueniat, ad ſuperiora regurgitare.

Multò minus credibile videtur, quod idem Piſo ſtatuit, ſerum adhuc neruorum principium obſidens per eorum corrugationem longè diſſitas, ſed tamen adnatas partes conuellere. Quomodo enim probabile ſit, extremos neruos conuelli, vt medij non conuellantur? probabilius mihi videtur, ſecundum ductum neruorum illam materiam in capite collectam deſcendere, & vel eos madefaciendo, emolliendo, aut ſtupefaciendo Paralyſin, vel vellicando dolorem, & conuulſionem excitare. Neque obſtat, aut Caroli Piſonis opinionem ſatis confirmat, quod & capitis affecti ſigna cum dolore ventris in viuentibus animaduertuntur, & in cadaueribus ſero caput ac principium neruorum obſeſſum deprehenſum eſt. Etenim idem ſerum in corpore abundans diuerſa loca corporis occupare poteſt. Neque ſequitur, ſi ſeri in capite abundantis adſint indicia, vel in cadauere id reperiatur, quod etiam dolor colicus, qui cum capitis & neruoſi generis ſymptomatibus coniunctus fuerat, ab illo ipſo ſero prouenerit. Sed facilè ſerum in ventre inferiore ſimul abundans ibi quoque dolores excitare poteſt. Præterea ſerum eſt mobile, & nunc verſus inferiora, nunc verſus ſuperiora facile mouetur. Quid enim prohibet, vt eiuſdem Caroli Piſonis verbis vtar, ſeri in vaſis ebullientis vnam partem quidem rapi in caput, & ibi dolores vel alia ſymptomata excitare, reliquam ad renes vel etiam ad inteſtina, & ibi vias, per quas labitur, diſtendendo, & membranas vicinas in conſenſum trahendo dolorem excitare?

*Dolor hypochondriorum.* Quandoque & hypochondriorum nunc vnum, nunc alterum dolore obſcuro afficitur à deliteſcentibus intus flatibus, & exitum non habentibus; qui dolor non vno loco circumſcriptus hæret, ſed modò in lumbos, & inferiora corporis, modò per vniuerſum corpus oberrat.

*Lumborum.* Excitatur & in lumbis ſæpe dolor à ſanguine vitioſo in venis eò loci contento. Vt enim ex nimia ſanguinis abundantia, vel humoribus prauis in vena magna lumbari contentis ante variolarum & morbillorum exortum, in fœminis in ſuppreſſione menſium, & ante

ante menſium fluxum, in viris in hæmorrhoidum ſuppreſſione, dolores in lumbis excitari ſolent: ita & in hoc malo ſanguine vitioſo in eadem vena hærente dolores in lumbis excitantur, & homines quaſi elumbes redduntur. Quod malum, quia eo affecti vix progredi, & ſe de loco mouere poſſunt, Græcis λόρδωσις, Latinis Lumbago appellatur. Poteſt tamen & originem habere hoc malum per modum catarrhi à capite per venas in ſpinalem medullam deſcendentis, & proinde ſæpe à ſcapulis incipit, & ſenſim ad lumbos ſerpit, & interdum etiam ad os coxendicis deſcendit. Dolórque hic æſtate, vt quartana, eſt breuior; Autumno longior, & præcipuè ſi vſque ad hyemem extendatur. Et ſi humor acrior ſit, qui à capite defluit non ſolum in ſpinam, verum etiam in acetabula oſſis coxendicis, tabem dorſalem, & grauiſſimos dolores, qui nullum requiei tempus concedunt, excitat, ægérque marceſcit, & contabeſcit, lentaque morte enecatur.

Dolores quoque Nephritici ſimiles Scorbuticos quandoque infeſtant, dum materia Scorbutica, circa lienem & vicina loca hærens, per arterias emulgentes confertim ad renes & vias vrinæ tendit; aut dum ſerum ſcorbuticum in corpore quacunque de cauſſa congeſtum, accedente inprimis cauſſa aliqua externa, vt aquilonis flatu, ad maiora vaſa, & hinc ἀθρόως ad renes confluit, & quicquid ibi vel in viis, fabuloſæ, arenoſæ & tartareæ vel etiam calculoſæ materiæ reperit, ſecum ad eaſdem vias rapit. Quæ materia dum in tranſitu vaſa & meatus vrinæ euacuandæ deſtinatos diſtendit & vellicat, dolores è regione pubis, circa os ſacrum, lumbos, vel etiam vmbilicum ſentiuntur, partibus hiſce ob communem è peritonæo membranam in conſenſum tractis. Et tum plerúmque vrinæ impensè rubræ aut potius atræ eminguntur, quæque, niſi diligenter conſiderentur, pro cruentis habentur, & è renibus à calculo præſente læſis prouenire creduntur: cum tamen tales vrinæ turbidæ & ex rubro nigricantes, ac multam tartaream materiam ſecum vehentes, reddi poſſint, calculo non præſente, & ſine renum vulnere vel vlcere. Quanquam hoc negandum non ſit, ſi materia talis ſæpius ad renes confluat, ibique eius aliquid ſubſiſtat, tandem calculum inde generari poſſe.

Nonnullos etiam, atque eos præcipuè, qui ex hæmorrhoidum ſuppreſſione hoc malum contraxerunt, circa veſperam dolor, & calor in capite infeſtat, ex vaporibus illis ad caput adſcendentibus, & tota poſtea nocte calor quidam præter naturam, inſtar febrilis, in toto corpore percipitur, qui ſudationibus matutinis euaneſcit.

Dentium præterea dolor frequens, & præter rationem recurrens, nonnunquam & continuus, hoc malum ſæpe comitatur, & non rarò Scorbuti præludium eſt, qui non eodem loco perſiſtit, ſed vagus eſt, interdum dentem nunc hunc, nunc illum relaxat, qui rurſus ſponte firmantur, dolore, & tumore diſcuſſis, vt obſeruauit Eugalenus, *obſ.* 40.

Affligit & Scorbuticos interdum Pleuritis quædam falſa, à vera Pleuritide non parum differens. Etſi enim dolor non minus grauis ſit, quàm in vera Pleuritide, vt æger, quò ſe vertat, neſciat, & ne momentum in loco eodem quieſcere poſſit: tamen dolores hi ſunt ſine omni inflammatione, ortúmque habent ſaltem à vapore acri, vel ſeroſo humore ad membranas externas effuſo. Ideóque ægri neque tuſſiunt, neque quid expuunt: niſi quid à capite deſtillet; dolor quoque non eſt continuus, ſed per interualla recurrit: pulſus non, vt in vera pleuritide, durus, ſed paruus, mollis, & inæqualis eſt; vrinæ ſcorbuticorum propriæ; febris etiã, ſi coniungatur, non acuta eſt, vt in vera Pleuritide, ſed lenta; cum in vera Pleuritide ſit magna, & acuta. Reſpiratio inſuper non admodum læditur.

Eodem modo & Arthritis quædam Scorbutum ſæpe comitatur; quæ tamen & ipſa non in vno loco ad mortbi ſolutionem ſubſiſtit, ſed vaga eſt, & ſubinde in aliũ atque alium eiuſdem, vel etiam oppoſiti lateris locum tranſit, præcipuè ſi topica frigida, vel repellentia adhibeantur; ita quidem, vt qui iam integrè ſanitati reſtitutus, & dolore omni liber videbatur, præter ſpem & improuiſo iterum dolore, cum &, ſine tumore, corripiatur: cum Arthritis ab antiquis deſcripta locum rarò mutet, ſed ad ſolutionem vſque membrum, quod primò apprehendit, obſideat. Eſt etiam huic Arthritidi hoc peculiare, quod plerumque cum leui Paralyſi coniuncta eſt, ob quam membrum affectum loco mouere non poſſunt, quæ cum dolore ceſſat, & cum dolore redit, & in eandem partem, in quam dolor, migrat. Adſunt præterea alia ſigna & ſymptomata ſcorbuto propria. Ortum autem habet ab humoribus ſeroſis, tenuibus, & acribus ad motum promptis, & ad locum mutandum aptis. Exempla ſunt apud Eugalenum *obſ.* 10. 11. 12.

Multa etiam ſymptomata in capite & neruoſo genere accidunt, dum materia ſeroſa ebulliens in caput ruit, aut vapores ex materia praua agitata in caput aſcendunt, vel neruos & neruoſum genus quocunque modo occupant. Hinc enim palalyſis, tremor, conuulſiones & conuulſiui motus, apoplexia, ſopor profundus, deliria accidunt. Et præcipuè hoc euenit in principio paroxyſmorum in febribus, cum à calore febrili ſerum efferueſcit, & vapores multi è materia agitata in totum corpus diſtribuuntur, præcipuè verò in caput eleuantur: atque hinc etiam ceſſante febre ſymptomata iſta vel mitigantur vel terminantur.

Primò ſæpe crura ad motum impotentia, inepta, ac reſoluta redduntur, imò nonnunquam alterutrum latus totum reſolui, & ſubitò quaſi Paralyſi affici videtur. Sanguis enim ille ichoroſus & vitioſus cum & naturaliter deorſum vergat, & à natura ad extrema ac ignobiles corporis partes amandetur, ac præterea ligamenta & tendines ac oſſa naturali quadam inclinatione craſſiorem ſanguinem ad ſe trahant: accidit, vt ligamenta, tendines, & muſculorum ſubſtantia tali ichoroſo ſanguine imbuantur, atque inde crura debilia & ad ambulandum imbecillia reddantur, ac malo procedente & ingraueſcente tandem reſoluantur, & ad motum impotentia fiant: quod malum σκελοτύρβη dicitur; quæ ſpecies quædam παραλύσεως eſt, aut, vt Langius, *lib.* 1. *epiſt.* 42. nominat crurum eneruatio. Differt tamen non parum hæc reſolutio à Paralyſi vera ab antiquis deſcripta. Nam primò etſi, vt Eugalenus hac de re ſcribit, vt in veterum Paralyſi, pedes transferendi, figendique robur, ac firmitas pereat: in pleriſque tamen decumbentibus aliquis motus remanet, quo reſoluta membra mouere, & ad muſculorum capita leuiter ea attrahere conſpiciuntur; id quod in Paralyſi antiquorum non accidit. Deinde à Paralyſi antiquorum differt, quod ea permanens, ac continuus affectus eſt, neque interuallum habet: in Paralyſi verò ſcorbutica ſæpe accidit, vt qui pridiè pedem vix loco mouere poterat, cruribus inſiſtat, & leui adminiculo nixus ambulet, paulò poſt verò omni motu iterum priuetur. Sicut & eo à reliqua Paralyſi differt, quod illa ferè ſubitò inuadit; hæc paulatim verò prius tentat, antequam ſedem figit, & nunc partem apprehendit, nunc remittit. Sicut & nonnunquam & momentaneus ſtupor, ac leuis poſt ſomnum reſolutio, hanc Paralyſin antecedere ſolet. Atque in eo quidem cum antiquorum Paralyſi conuenit, quod ſtuporem imminentis mali quaſi initium habet: in eo verò differt, quod ſtupor hic non ita fixus, & diuturnus eſt, ſicut ille, qui Paralyſin à veteribus deſcriptam antecedit, ſed momentaneus, nunc remittens, nunc ſubitò apprehendens. Accidit huic Paralyſi quandoque etiam Arthritis, & dolor, qui omnis ab

antiquorum Paralysi abesse solet. Tandem etiam longè facilius, adhibitis idoneis medicamentis, & sæpe intra paucos dies hæc resolutio crurum curatur; cum antiquorum Paralysis pertinacissimus morbus sit.

*Paralysis ex Colica scorbutica.* Solet autem Colica quandoque, & dolores ventris grauissimi hoc malum præcedere, qui vbi desinunt, Paralysis ista succedit, de quo Eugalen. *p.* 114. Quas ob caussas omnes affectionem hanc non tam Paralysin, quàm paralyticam passionem nominandam censent. Eugalen. *p.* 98.

Caussa autem huius rei est, quod in antiquorum Paralysi caussa mali in ipsis neruis fixius hæret, & pertinacior est; hæc autem à vapore potius, qui ab humoribus corruptis attollitur, aut certè ab humore tenui, ac ichoroso ortum habet. Atque hæc Paralysis, vt diximus, non vni tantum membro quandoque accidit, sed sæpe alterutrum latus totum resoluitur. Vbi tamen ante perfectam eius inuasionem aliud atque aliud membrum prius tremor, & stupor tentat, sed is non constans, verum qui ægrum subitò apprehendit, & subitò remittit: & post apprehensionem, ac vbi æger iam decumbit, aliæ partes sponte conualescunt, aliæ resolutæ manent, & indies magis resoluuntur, vel etiam ad conuulsionem disponuntur, & partes quædam, in quarum neruos vaporosa, vel ichorosa materia decubuit, iis contractis, conuelluntur. Quæ omnia magis confirmat antegressa victus ratio, & vrina, ac pulsus Scorbuto propria. Quandóque & totum neruosum genus ita debilitatur, & si curatio vel negligitur, vel non rectè instituitur, adeo ad omnem motum impotentes ægri redduntur, vt nec manus admouere ori possint, sed ab aliis cibum ingestum sumere necesse habeant, & toto vitæ tempore domi claudi desideant.

Paralysin hanc antecedere quandoque solent, vt postea etiam dicetur, tumores quauis parte erumpentes, qui eadem facilitate, qua oriuntur, euanescunt, & cum ortus sui principio parti affectæ leuem & momentaneam Paralysin inferunt, vt testatur Eugalen. *pag.* 109.

Qua ratione autem paralysis scorbutica excitetur, & præcipuè quomodo dolor ventris scorbuticus in paralysin mutetur, variè ab autoribus disputatur. Hoc quidem verum est, & facilè concedimus, paralysin in Scorbuto à materia ad cerebrum, atque inde ad neruosum genus transmissa, vt & tremores, conuulsiones ac conuulsiuos motus excitari posse. Verùm si de paralysi, quæ dolores illos ventris in scorbuto sequi solet, quæratur, non necessarium esse semper, vt materia primùm ex intestinis ad cerebrum, & hinc in neruos feratur, sed propiores vias esse putamus, vt *in Institut. lib.* 2. *part.* 3. *sect.* 2. *cap.* 5. dictum. Hoc saltem his addimus, aliam adhuc viam, per quam materia ista ad spinalem medullam deferri, & paralysin efficere possit, monstrare recentiores Anatomicos, nimirum ramum quendam, qui ab arteria aorta, non longè à ramo mesenterico porrigatur, & serpat in spinam, eiusque vertebras. Ab intestinis enim per arteriam mesentericam in arteriam aortam, tandémque per ramum hunc in spinalem medullam materia transferri, Paralysinque efficere potest.

Neque ab ista sententia nos illud dimouet, quod cerebrum motus omnis animalis est principium, quódque, si per venas vel arterias materia transportetur, in totum corporis habitum æquabiliter, non tantum ad artuum musculos diffundi deberet; quódque humores isti neruis communicari non posse videntur. Etenim solum cerebrum ad motum non sufficit, sed nerui & musculi etiam requiruntur. Deinde etsi materia ista sæpe ad varias partes pellitur: tamen à natura ad ignobiliores solet depelli, & peculiariter neruoso generi eam infestam esse, antea diximus. Sicut & hoc dictum, quod paralysis ista non est tam contumax, vt vera paralysis, & proinde vt ipsis neruis inhæreat opus non est, sed sufficit, si tali ichore scorbutico ligamenta, tendines & musculorum substantia imbuatur, & partes neruosæ ad motum ineptæ reddantur. Videatur Eugal. *obseru.* 17. 22. 23. 24. 25. 26. 28. 29. 30. 42. 50.

*Tremor.* Tremorem etiam paralysin quandoque antecedere modò dictum, & aliàs quoque quàm plurimis scorbuto laborantibus familiarem esse scribit Eugalenus *p.* 219.

*Conuulsio, Conuulsiui motus, Epilepsia.* Conuulsiones præterea sæpe totius corporis, aut potius conuulsiui motus, & Epilepsia huic malo accidunt, vaporosa aut serosa materia, quæ ab humore maligno, aut peculiari modo, & specificè corrupto attollitur, ad caput eleuata; quæ discussa sæpe quasdam inducias concedit, paulò post tamen iterum collecta & in caput eleuata idem malum excitat. Et hi conuulsiui motus plerumque cum febre coniuncti sunt, & eadem facilitate, qua prehendunt, remittunt, iterúmque recurrunt. Et solent istas conuulsiones præcedere vel totius corporis concussio, vel tremor, vel paralysis, vel brachia & manus obrigescunt quasi, sed breui tempore, & sæpe præter omnem rationem subitò in alium morbum, cataphoram, paralysin, modò euanescentem, modò præter expectationem redeuntem transeunt. Quæ signa, in primis verò vrinæ turbidæ, & crassæ huic malo propriæ, hanc conuulsionem à conuulsione ab antiquis descripta discernunt. Eugalen. *obseru.* 50. 54. 63. 69.

Nonnunquam tamen particulares conuulsiones excitantur, vapore isto prauo peculiarem aliquem musculum, vel neruum occupante, cúmque vel acrimonia, vel peculiari proprietate vellicante. Particulares autem istæ conuulsiones nonnunquam absque febre sunt, nonnunquam cum febris indiciis, & nonnunquam post grauissimos dolores. Accidit interdum & tristis membrorum omnium iactatio, & concussio cum leui resolutione coniuncta. Pulsus in hac aliquando est magnus, quandoque durus, & rursum paulò post mollis, semper verò in vno, ac pluribus pulsibus inæqualis, vrinæ inconstantes, vti obseruauit Eugalenus, *obseru.* 58.

*Contracti membrorum.* Quandoque membrorum ad mouendum impotentia ita, & quidem paulatim, incrementa sumit, vt crura planè rigida euadant, tendinibus ad crus mouendum destinatis rigidis planè, & duris in poplite euadentibus. Quandoque malum ita inualescit, vt ægri nullum amplius membrum, vel articulum habeant, quem extendere possint, & quasi in orbem, vel globum contrahantur: quo morbo nautas ex longis, & molestis peregrinationibus redeuntes affectos, & contractos (hoc enim nomine potius tùm, quam conuulsi, appellari solent) vidit Eugalenus, atque istud sæpe satis diuturnum fuisse testatur. Idem etiam tali ad poplitem retractionem obseruauit, *pag.* 94. *obseru.* 13. 16. Non credibile verò est, illud à vapore solum, vel totum neruosi generis principium, vel partialem aliquem neruum occupante, sed potius à rigiditate tendinum prouenire. Cum enim, vt suprà diximus, tartareus ille, qui sero dilutus, humor etiam neruos, & tendines occupare soleat, si aqueus ille humor absumatur, & discutiatur, ac crassas partes deferat, eæ ibi relictæ exsiccantur; vnde tendines indurantur, & rigidi redduntur; quod præcipuè in cruribus, & tendinibus crus contrahentibus in scorbuto laborantibus vel tactu deprehendi potest.

*Genarum rigiditas.* His resolutionibus, conuulsionibus, & contractionibus accedit quandoque symptoma, rarius quidem, sed quod obseruauit semel atque iterum D. Salomon Albertus, & descripsit, *thes.* 112. *de Scorbut.* quod scilicet nonnullis cardo oris, in quo gena inferior sub via audiendi vertitur, non aliter, atque compago genuum obrigescit, iisdémque os strictius conniuet, quo minus in rectum queat dispandi; squalido, terrenóque humore

humore in juncturam illam, & huius vincula, quibus maxilla inferior aurium radicibus affirmata est, quæque motum liberum, & expeditum cardinis modo maxillæ largitur, altius imbibito, atque infarcto. Idque non sine sensu doloris fieri docet, quem ipsa τάσις in articulo, & neruaceis corporibus ipsum circumdantibus excitat, quique inter manducandum, & oscitandum exacerbatur.

*poplexia.* Apoplexia quandóque etiam, materia ad caput & cerebrum adscendente, excitatur. Quam apoplexiam etsi se nunquam vidisse scribat Eugalenus, *pag.* 123. testatur tamen ab amicis obseruatam fuisse. Et ipse memini, virum illum Nobilem, de quo infrà dicetur, cujus gangræna scorbutica digitos pedum apprehenderat, apoplexia ista extinctum fuisse, quod euenturum prædixeram. Videantur etiam de his, quæ *in instit. lib.* 2. *part.* 3. *s.* 2. *cap.* 5. habentur.

*acitas subitanea.* Cæcitatem subitaneam, cæteris sensibus integris, vapore proculdubio crasso aut humore seroso principium neruorum opticorum occupante, in studioso quodam excitatam fuisse, suprà dixi. Neque enim credibile est, humorem aliquem crassum istam obstructionem parere potuisse. Aliàs tàm facilè, & citò cæcitas illa non remisisset.

*opor profundus & igilia.* Sopor quoque profundus nonnullos occupat, plerumque cum febre lenta continua, nonnunquam etiam intermittente, à vaporibus ad caput exhalantibus excitatus: sed qui continuus non est, verum cum paroxysmo aduenit, eodémque recedente & ipse cessat. Alij contrà ob falsos, & acres vapores ad caput adscendentes vigiliis infestantur, & si dormiunt, terrentur.

*ristitia.* Ægri sæpe sunt tristes, ob defectum spirituum purorum, ac lucidorum, & abundantiam vaporum melancholicorum, quibus spiritus inquinantur.

*eliria.* Ex iisdem vaporibus ad caput eleuatis non rarò deliria excitantur, quæ vt inopinatò inuadunt, ita sæpe facilè remittunt: quæ non à calidis vaporibus, vt in morbis acutis accidit, ortum habent, sed à vaporibus melancholicis, & malignis, spiritus turbantibus, ideóque non cum morbis acutis, sed lentis conjunguntur: quibus signis ab aliis deliriis discernuntur, vt & vrinis scorbuto propriis, crassis, rubris, absque multa siti, pulsu item & victu, quo vivus est æger. Quale delirium & hîc aliquando vidi in scorbuto cum paralysi conjuncto, quod fœda crurum scabies, & vlcera præcesserant: vt & in altero, cui venam in crure apertam sanguinem copiosum fudisse, suprà *cap.* 1. dixi; cui & in dorso maculæ efflorescebant, quique malum hoc ex fœtore cadaueris scorbuto extincti contraxerat.

*emoria læsa.* Quod de deliriis dictum, idem de læsa memoria accipiendum. Læditur enim illa quandoque in scorbuto, & iisdem signis cognoscitur.

*rdis palpitatio.* Neque cor ab hoc malo semper immune est. Primò enim palpitatio cordis per interualla recurrens à vaporibus hisce prauis & malignis ad cor exhalantibus interdum excitatur; vti id in quadam fœmina obseruauit Eugalenus, *obseru.* 3. & ipse aliquoties annotaui.

*pothymia.* Lipothymia deinde sæpe hoc malum comitatur, qua nonnulli, teste Eugaleno, *pag.* 321. subitò extincti fuerunt, vaporibus hisce ad cor exhalantibus. Vnde lipothymiam pro certo signo habet Eugalenus, adeò, vt scribat, *pag.* 321. Qui in paruo, quantum ad sensum, morbo, ac febre, à qua decumbentes parum, aut nihil pati videntur, subitò, ac præter rationem animo linquuntur, aut ad animi deliquium proni sunt, hos scorbuto laborare, certò tibi persuadere debes. Solet autem lipothymia hæc maximè ægros corripere, cum in lecto se erigunt, vel è lecto surgunt; motu procul dubio prauis illis & malignis vaporibus commotis. Estque illa interdum tanta, vt ægri subitò & inopinatò exstinguantur; cuius rei notabilia exempla habet Eugalenus. *obseru.* 38.

*Strangulationis metus.* Pluribus quoque accidit, vt de obstructione ventriculi ad os vsque instar pali totum œsophagi meatum obserante, & suffocationem minante, grauiter conquerantur, vti refert Eugalenus, *obseru.* 11. 41. Et id inprimis cibum sumpturis accidit, qui cum primum bolum deglutituri sunt, in præsentissimo suffocationis periculo versantur; vti id ipse in duobus viris obseruaui, quorum alter hoc malo ita periculosè affligebatur, vt sæpe affirmaret, se cibum sumpturum non minus metuere, quam eos, quibus carnifex laqueo ad suffocandum paratus adstat. Neque idem liberè, & absque suffocationis periculo cibum capere poterat, antequam dimidium cereuisiæ cantharum exhausisset. Is plerumque, vt suffocationis periculo sese liberaret, januæ parte superiore manibus prehensa, pedibus pendulis totum corpus concutere necesse habebat. Quod proculdubio accidit, vaporibus adstringentibus, & stipticis adscendentibus, & vel œsophagum distendentibus, & vicinam tracheam comprimentibus, vel tale quid inferentibus, quale pyra, & alij fructus austeri solent. Vidi alium, cui loquendi potentia auferretur, nonnullis apoplecticum quid esse existimantibus; cum potius partium linguam mouentium à vapore, vel seroso humore contractio, & quasi quædam conuulsio esset; cùm æger ipse postea referret, se eò loci dolorem, & contractionem quandam sensisse.

*Appetitus deiectio.* Appetitus quidem etiam sæpe in scorbuto deiici solet. Sed habet hoc cum aliis morbis commune, neque ipse peculiare aliquod indicium exhibet. Non rarò tamen etiam appetitus integer est: quod accidit pro diuersa humoris ex hepate, liene ac vicinis partibus in ventriculum confluentis conditione.

*Sitis.* Sitis verò hoc peculiare habet, quod sit nulla, aut nullius momenti, insignis verò corruptionis notas vrinæ exhibeant, præcipuè si ab obambulantibus, & omnia vitæ munia sine offensione administrantibus tales reddantur, certissimum signum scorbuti sit, vt hac de re Eugalenus, *pag.* 33. scribit.

*Ructus.* Ructus perpetui quandoque hoc malum comitantur, vt Eugalenus, *obseru.* 2. docet. Et noui virum, qui hypochondriaca cum non leuibus scorbuti suspicionibus laborabat, qui continua sputatione, & ructibus ita molestabatur, vt sæpe intra horam vnam atque alteram vel centies ructaret.

*Vomitus & vomendi conatus.* Quandoque cum hoc morbo conjungitur vomitus, imò humores sæpe, vt in cholera, suprà, & infra dejiciuntur, cum ventris doloribus, & torminibus: quandoque tamen nihil conatu illo dignum rejicitur, sed potius est inanis vomendi conatus. Talis autem vomitus ab aliis vomitibus dignoscitur, quod, præter alia scorbuti signa, nulla ventriculi grauitas, dolor, intemperies, aut aliud quid eorum, quæ vomitum præcedere solent, antecessit; quódque æger etiam difficilis coctionis cibos & auidè appetiuerit, & facilè concoxerit: ac vomitus interdum præter rationem, & spem remittit, rursum tamen, atque ex improuiso recurrit: neque ventriculum roborantia medicamenta aliquid auxilij afferunt; cum vi adstringendi materiam circa præcordia detineant, eámque altius imprimant. Et notat hoc etiam Eugalenus, *pag.* 22. *& seqq.* vbi pluribus de hoc symptomate agit, quod à lacte, & lacticiniis, à quibus aliàs in simili affectione læduntur ægri, sæpe melius hic habeant, quàm ab omnibus ventriculum corroborantibus medicamentis; proculdubio, quod à lacte acrimonia & prauitas humoris ventriculum vellicantis demulceatur, & mitigetur. Eugalenus, *obseru.* 33. 35. 39. 43. 44. 45. 46. 49.

*Sputatio continua & salinatio.* Est & scorbuticis familiaris copiosa, & continua salivæ & sputi rejectio; quod generatur cùm ex vaporibus, qui ex humoribus in locis ventriculo vicinis hærentibus ad os eleuantur; tùm ex cibis maxima sui parte in ventriculo corruptis, & in eandem substãtiam mutatis, & secundum ductum membranæ œsophagum

inueſtientis in os euectis ; vnde etiam corpus ob alimenti defectum paulatim extenuatur. Inprimis verò ſaliuationis huius copioſæ cauſſa eſt , quod ſerum & aqua illa , quæ partibus craſſis vehiculum præbebat , è liene ad ventriculum effunditur, præcipuè quidem per vas breue, ſed & alia vicina vaſa. Vnde & alij quidam melancholici ſcreatores & ſaliuatores ſunt. Et hæc illa eſt pituita, quam nonnulli in melancholicis ponunt. Etſi enim fieri poſſit quandoque, vt in morbi progreſſu,ac ventriculo jam valde debilitato,pituita aliqua generetur in ventriculo: tamen illud,quod à plurimis pro pituita habetur in melancholicis,eſt illa aquoſa humoris melancholici pars , quæ è liene in ventriculum effunditur. Annotauit tales ſputationis copioſæ hiſtorias Eugalenus,41.*p.*205.*obſeru.*68. Idémque obſeruaui in viro,cujus antea,mentionem feci, qui inter edendum continuò,& copioſiſſimè exſpuebat,& frequentiſſimè ructabat.

*Alui fluxus.* Nonnunquam alui fluor , & diarrhœa quædam in ſcorbuto infeſtat, qua feces nunc quidem compactæ, ſed cogia ingeſtum cibum excedentes , coloris varij, nũc herbacei,nunc cineritij excernuntur;nunc liquidæ confertim, & magna copia ejiciuntur. Differt hîc fluxus à lienteria , quod in lienteria cibus crudus , & inconcoctus dejicitur ; à diarrhœa verò vulgari, quod in ea dejiciuntur humores liquidi copioſi , & varij coloris,hic verò vel feces compactæ ſunt , ſed copia cibum ingeſtum excedunt,coloris nunc herbacei, nunc cineritij , aut ſi ſint liquidæ , majori quantitate , & magis confertim , quàm in diarrhœa,fluunt , & nocturno ac diuturno pariter tempore durant; cum in diarrhœa dejectiones interdiu magis fieri ſoleant,ſicut in viſcerum obſtructionibus veſperi,& noctu.

Fluxus autem huius cauſſa plerumque eſt debilitas hepatis,& venarum , quæ alimentum, vti debent,non attrahunt,quod in primis viis relictum corrumpitur,& cum aliis humoribus miſcetur,atque ita per aluum excernitur. Deinde ipſe etiam lien ſæpiſſimè cauſſa eſt hujus fluxus,ſeu , vt Ariſtoteles , 3.*de part.animal.cap.* 7.loquitur ( ſicut hunc locum corrigit Cl. D. Hofmannus , *de vſu lienis cap.* 14.) διὰ τὴν ἐνταῦθα παλίρροιαν τῆς ὑγρότητος , πολλοῖς καὶ κοιλίαι ὑγραὶ γίνονται τοῖς σπληνιῶσιν,ὥσπερ σκληραὶ τοῖς λίαν οὐρητικοῖς , διὰ τὸ ἀντιπερισπᾶσθαι τὰς ὑγρότητας : id eſt,ob humoris , qui ab inteſtinis ad lienem iuit,ad inteſtina refluxum, quibuſdam aluus humida eſt. Cum enim lien plurimum aquæ attrahat,eandem ad aluum quandoque remittit, vnde fit aluus fluidior. Quod docet etiam Hippocrates , 6.*aph.* 45.48.*&* 1.*de morbis,de leucophlegmatia loquens.*

Poteſt tamen etiam huc facere ſeroſi humoris copia , ſi accedat aliqua cauſſa externa eum commouens, qualis eſt conſtitutio aëris autumnalis. Frigus enim cum poros cutis denſet,facit, vt ſerum per eos, ſeu ſudoris ſeu halitus forma, amplius euadere nequeat , & proinde ad inteſtina,quaſi corporis ſentinam,confluat. Imò frigus per corporis poros,qui adhuc à conſtitutione æſtiua & calore meridiano ac tepore lecti patent, altius ſeſe inſinuat , & è vaſis extremis ſerum , quod ſanguini exactè commiſtum non eſt,verſus majora vaſa repellit.Quod dum per vias,quibus in ambitum corporis fluxit,refluit,& viſcera ac ramos meſeraicos & gaſtricos perfluit , quicquid ibi bilis & aliorum excrementorum inuenit,abſtergit , ad inteſtina ſecum rapit; vnde dejectiones aquoſæ & ex parte bilioſæ vel limoſæ fiunt.

Nec à vero abſonum , eoſdem alui fluxus prouenire poſſe à febre , dum ſcilicet à calore febrili ſeroſus humor efferueſcit , neque tamen per poros cutis clauſos exhalare vel exſudare poteſt , vnde ad inteſtina confluit.

Quacunque autem de cauſſa , & quocunque modo generetur fluxus alui in ſcorbuto, hoc peculiare habet, quod adſtringentia medicamenta planè noxia in eo ſunt & ſummam anguſtiam,ſpirandi difficultatem , ac animi deliquij & ſuffocationis periculum inducunt; cum materiam vitioſam in venis detineant , & in viſcera magis impingant.

*Alui fluxus ſanguinolentus.* Sæpe quoque fluxus alui ſanguinolenti accedunt, dyſenteriam æmulantes , qui accidunt, cum ſanguis craſſus,& feculentus in venis abundans per extremitates earum in inteſtina deſinentes in ea effunditur , & hinc per aluum non excrementis permixtus, ſed ab his ſeparatim,& ferè plerumque ſine omni dolore, ac torminibus excernitur: qua ratione à dyſenteria differt,& alia etiam ſcorbuti ſigna,anguſtiam , difficilem reſpirationem &c.conjuncta habet. Cuius rei notabile exemplum ſuperiore anno in ſtudioſo quodam hîc obſeruaui,qui cùm febre continua , & malignam æmulante laboraret , non tamen obſcura ſcorbuti ſigna haberet , & victus ratione ſcorbuto generando apta vſus eſſet, vrinas ſcorbuticas,pulſum paruum,ac debilem , ſummam anguſtiam , febrem lentam , & malignâ longè diuturniorem , ſitim ferè nullam , etſi lingua fiſſuras etiam contraheret, haberet: in morbi progreſſu copioſiſſima ſanguinis ſinceri per aluum dejectio ſecuta eſt ; quæ procul dubio accidit , quod cum natura humorem vitioſum per aluum deiicere conaretur,orificiis venarum apertis ſimul ſanguis effluxit, ſicut ſæpe in hæmorrhagiis narium criticis natura vitioſos humores ſine ſanguine euacuare non poteſt. Poſt hunc ſanguinis fluxum indies quidem melius habere cœpit,ſed longè tardius,quàm poſt criſes,quæ in acutis,& malignis febribus contingunt , accidere ſolet. Tandem febre ceſſante ipſa ſtomacace ſcorbutum apertiſſimè prodidit, quæ febrem hanc cum inſigniori fœtore ſecuta eſt grauiſſima ; quæ tamen & ipſa tandem idoneis remediis adhibitis ceſſauit.

*Alui adſtrictio.* Aluus contrà in ſcorbuticis ſæpe adſtringitur,vt annotauit Eugalenus ,*pag.*20. & Foreſtus, *lib.*20.*obſeru.* 11. vt etiam in aliis melancholicis & hypochondriacis fieri ſolet , qui plerumque ſunt alui ſicciſſimæ , vt vix poſt tertium aut quartum diem ſemel dejiciant. Cuius rei cauſſa eſt, quod aquea illa humiditas , quibus feces dilui debent,aliò , ad lienem ſcilicet & renes , transfertur: & melancholici illi ac ſcorbutici,quibus aluus ſiccior eſt , aut plurimum mingunt , aut plurimum ſudant , quod aliàs etiam fieri conſueuit , vt ex 4.*aphor.* 83. patet. Quandoque tamen alui illam pertinacem,& quæ ſæpe nullis medicamentis cedit , adſtrictionem prouenire putamus ab inteſtinorum reuulſione, & retractione ſurſum facta,de qua ſuprà, *de dolore inteſtinorum*,diximus. Quod vel ex eo patet , quod nullum præſentius hujus doloris , & alui adſtrictæ eſt remedium, quam diuulſionem , & retractionem membranoſi generis relaxare,& potenter humectare.

*Sudor copioſus.* Vt in quartanarum declinatione ſudores copioſiſſimi ſunt: ita & in ſcorbuto ſæpe ſudores copioſiſſimi fluunt , qui etiam media hyeme ſub leuiſſimis tegumentis erumpunt. Aquoſus enim humor , quem lien copioſius attrahit,non ſolum per vrinam,ſed & per ſudores ſæpiſſime euacuatur:cùm ſit eadem ſudoris & vrinæ materia. Et cum illæ anxietates plurimos affligere ſoleant, non ceſſant, niſi vapores illi praui per ſudores diſcutiantur. Sequiturque plerumque ſudores iſtos copioſos ἀτροφία.

*Hæmorrhagia narium.* Hæmorrhagiæ quandoque etiam in ſcorbuto accidunt , procul dubio ſanguine ſeroſo , & falſo, imò prauo , & corrupto naturam ad excretionem ſtimulante. Et quidem narium hæmorrhagia frequentior eſſe ſolet , & ſæpe ſcorbuticos affligere. Rarius eſt , quod à me obſeruatum , ſuprà etiam relatum , venam in crure apertam copioſius ſanguinem per aliquot dies fudiſſe , etſi vix orificij veſtigium appareret. Idem in labiis accidiſſe , obſeruauit Clariſſ. Dn. D. Döringius , vt ſuprà dictum.

Fœminis

*Menses albi, semen aquosum.* Fœminis menſes ſubſiſtunt, & pro menſtruis fluxu albo, falſo, & acri laborant, quo viri facilè inficiuntur. Viri etiam ad generandum inepti redduntur; cum ſemen aquoſum, & vitioſum in iis generetur.

*Color faciei.* Facies fit pallida, & liuida quaſi, aut ex pallido in fuſcum vergit, & maximè interdum labia, & palpebræ, atteſtante id Eugaleno, *obſeru.* 8. 18. 19. Etenim cum quales ſunt humores in corpore, talis ſit color in cute, ſanguiſque in ſcorbuticis non purus ſit, ſed nigris, & ichoroſis humoribus inquinatus: talem colorem in facie excitari, mirum non eſt. Nonnunquam tamen, & per interualla quædam, facies rubore, & colore quodam, ſed ſubitò iterum euaneſcente perfunditur: Germani appellant, *ein fliegende Hitze*, ex vaporibus calidis è colluuie humorum, qui in hypochondriis, præcipuè circa hepar, hærent, eleuatis.

*Icterus.* Quandoque icterus ſcorbuto conjungitur. Anno ſuperiore oblata eſt mihi fœmina curanda, quæ febri cõtinua cum ictero, & grauiſſima cardialgia laborabat, cujus corporis conſtitutionem cum diligenter perpenderem, ſubeſſe ex vrina & anguſtia pectoris ſcorbutum ſuſpicatus ſum. Neque fefellit me opinio. Paulò poſt enim maculæ copioſæ in tibiis & pedibus eruperunt. Habuit ille icterus ortum non ex obſtructione veſiculæ fellis, ſed ex flauo humore in hepate, à colluuie ſcorbutica læſo, copioſius genito, & in totum corpus effuſo. Quæ facilè, atque intra paucos dies curata eſt, medicamentis antiſcorbuticis cum hepaticis moderatè frigidis miſtis. Curaui & aliam fœminam, quæ cum quartana laboraſſet, & ſcorbuti non leuia indicia haberet, faciei, & corporis totius color, qui in ſana erat floridus, in liuidum, & nigrum mutatus eſt, & non abſimilis nigro ictero euaſit.

*Odor corporis & anhelitus.* Solet interdum totum corpus odorem grauem, præcipuè ſudantibus, ſpirare. Et halitus oris ferè omnibus ſcorbuticis fœtet, vt adſtantes eum vix ferre poſſint, & nares auertere cogantur, vt qui ſæpius cum ſcorbuticis conuerſatus eſt, non leue hinc ſcorbuti indicium capere queat.

*Horrores.* Horrores præterea frequentes, quos nullus, aut quam minimus calor ſequi ſolet, interdum ſcorbuticos inuadunt, & eodem die interdum bis, vel etiam ſæpius inuadunt. Eugalenus, *obſeru.* 1. 48.

*Calor nocturnus.* Accidit etiam interdum calor p.n. febri non abſimilis, qui nocturno tempore plerumque inuadit ſine vllo horrore, frigore, vel rigore, duratque vſque ad tempus matutinum, & plerúmque ſudore ſuperueniente diſcutitur. Diſtinguitúrque à febrili calore, tùm quod ſine rigore, aut frigore inuadit, tùm quod certa interualla more quotidianæ obſeruat, nec tamen proprietates quotidianæ habet. Acciditque procul dubio, cum vapores, & ſeroſæ humoris melancholici partes nocturno tempore commouentur. Et frequentiſſimè accidit, cum chylus in ventriculo elaboratus ad lienem & vicinas meſaraicas defertur.

*Febres.* Non raró, & fortaſſe frequentius, quam multi opinantur, febres ſcorbuto conjunguntur; ſicut & quandoque in ſcorbutum degenerant. Plurimæ enim febres, quæ hic ægros infeſtant, omnes notas febrium, à Græcis & Arabibus deſcriptas non obtinent, & proinde ſuſpicionem non leuem de latente ſcorbuto, vel diſpoſitione ad ſcorbutum ſæpe præbent. Sunt autem febres ex varij generis. Quandoque enim ſunt lentæ, & continuæ; quandoque intermittentes, ſed quæ ſignis & notis intermittentium febrium ab antiquis deſcriptarum deſtituuntur, niſi quod typum quendam quotidianæ, vel tertianæ, vel quartanæ referunt. Quandoque etiam nullum typum obſeruant, & interdum bis de die, aliquando ter, quatervè inuadunt; interdum poſt 3. 4. 5. 6. 7. diem frigore, & horripilationibus quibuſdam, vt appellant, ægrum moleſtant, nullo ferè calore ſubſequente, vt annotauit Eugalenus, *obſeru.* 1. 48. 49. Interdum tamen, eodem teſte, *pag.* 42. æſtuans calor ſubſequitur, cum multa ad præcordia anxietate conjunctus, non infido mali hujus ſymptomate. Ideóque omnia febrium ſigna & ſymptomata diligenter perpendenda, & cum ſignis febrium ab antiquis deſcriptarum conferenda, neque febres iſtæ dierum numero & acceſſionibus, ſed ſignorum proprietate æſtimandæ ſunt. Tum enim in frigoris ſenſu, & duratione, caloris qualitate, & duratione, & ſuperuenientibus raris, ac à veteribus non enumeratis malis & ſymptomatibus, magna inter has febres, & à veteribus deſcriptas intermittentes apparebit differentia.

*Febrium ſcorbuticarũ ab aliis differẽtia.*

Nam primò frigoris ſenſus, præter aliarum febrium morem, ſatis diu ſæpe ad ſex vel ſeptem horas extenditur, antequam calor febrilis erumpat.

Deinde pulſus præter rationem febris eſt tardus, debilis, & inæqualis, in declinatione præcipuè; aliàs circa vigorem magnus, & durus eſt: vrina, qualem in ſcorbuto eſſe diximus. Ideóque ſi in loco, vbi aliàs ſcorbutus non rarus eſt, vel præcedentibus cauſſis ſcorbutum generare aptis, quis cum vrinis craſſis, rubris, & fuſcis febricitare cœperit, pluribus ſubſidentiis in fundo apparentibus, à quibus tamen vrina ſuper eminens nihilo clarior redditur, ſed craſſa, turbida, & ſubalbida vel rubra manet, non leuem ſcorbuti ſuſpicionem ſuggerit, & non vnius, ſed plurium humorum ſimul corruptorum talis vrina indicium eſt. Mutationes etiam vrinarum variæ latentem ſcorbutum denotant. Sæpe enim in febribus hiſce vrinæ variæ ſunt, modò tenues, & citrinæ, modò craſſæ, turbidæ, aliquandò rubræ, & pòſt iterum tenues, iterumque craſſæ, & conturbatæ. De quibus Galenus, 4. *de rat. vict. in acut.* docet; variam, & facilem vrinarum permutationem plures affectiones denotare, quæ nec eandem curationem, nec idem ſolutionis tempus habent. Cum talibus ergo vrinis ſi pulſus paruus, debilis, & inæqualis, vel magnus, durus, & ſerratilis, abſque membranæ alicuius oſſibus adhærentis inflammatione, percipiatur, non leue etiam ſcorbuticæ febris indicium eſt.

Præterea initio acceſſionum plerumque tantæ ſunt membranarum, crurum, aliarúmque partium vellicationes, vt diuelli, & dilacerari carnes ſibi conquerantur. Eugalenus, *p.* 214. *obſeru.* 45. Dolores iſti ſi in pedibus abſunt, adſunt tamen in dorſo. Ita in quibuſdam frigoris ſenſum, ac ſi frigida intus ad ſpinalem medullam effunderetur; in quodam retrò ad dorſum ſenſum caloris, in anteriore corporis parte ſenſum frigoris obſeruauit Eugalenus, *pag.* 43.

Rara quoque, & à febribus ab antiquis deſcriptis, & quæ in locis, vbi ſcorbutus notus non eſt, conſpiciuntur, planè aliena ſymptomata in febribus hiſce ſcorbuticis animaduertuntur, motus nimirum conuulſiui, lethargus, varij & vagi dolores, & febrium harum in alios morbos præter rationem mutationes.

*Febres tertianæ.* Frequentiſſimè autem cum ſcorbuto conjunguntur febres tertianæ; quæ licèt nothæ ſint: tamen ſigna tertianarum ab antiquis deſcriptarum non habent omnia, ſed iſtis, quibus diximus modò, notis ab iis diſcrepant; tùm etiam hoc, quod ſiue alternis, ſiue ſingulis diebus inuadant, tertianarum ſimplicium, aut duplicium modo, nullus vel horror, vel rigor, imò ſæpe nec frigus vllum in iis ſentitur. Inprimis verò vrinis ab aliis tertianis facilè differunt: quod in veris tertianis febribus vrinæ in initio ſunt tenues, citrinæ; & ad monſtrandam jam incipientem humorum coctionem nonnunquam nubecula ſufficit: in febribus verò hiſce ſcorbuticis vrina craſſa eſt, & diuerſarum partium. Et quamuis in tertiana notha etiam vrinæ craſſeſcant, & craſſum ſedimentum tandem ſubſideat: tamen id fit in febris declinatione, & coctionem ſignificat; cum in ſcorbuticis hiſce febribus tales vrinæ craſſæ in principio appareant, & extremam humorum cruditatem ſignificent. Ita etiam Hippocrates, 2. *prognoſt.* 27. &

& Galenus , 4. *aphor.* 71. cum vrinas rubras cum rubro sedimento ad fundum matulæ subsidente longiores quidem morbos designare , sed sine periculo esse dicit ; id saltem de vrinis intelligendum , cum sedimento subsidente vrina planè clara , & pellucida euadit , & propterea coctionem , & naturæ contra materiam morbificam victoriam significat: in hisce scorbuticis vrinis etsi quid subsideat ; rubræ tamen partes crudæ , & inconcoctæ supereminentes vrinam turbidam reddunt ; Idque summam cruditatem indicat , & morbum , qui non absque periculo est, eiúsque incrementum significat ; obseruatúmque , plures cum talibus vrinis scorbuto laborantes præter medicorum expectationem extinctos fuisse. Tertianæ scorbuticæ exempla sunt apud Eugalen. *obseru.* 51. 52. 53. 54. Neque ab hisce febribus discrepare videntur eæ , quas describit Carol. Piso , *de morb. à colluuie serosa , obseru.* 66. 67. 68. 69. Et tales febres scorbuti suspicionem conjunctam habentes sunt plerumque tertianæ , quæ sub tempus vernum inuadunt , & post septimum paroxysmum quotidie affligunt: id quod ex pulsu & vrina apparet.

Quartanæ vt aliquando in scorbutum degenerare solent : ita sæpe cum eo conjunguntur. Quæ etsi typum quartanarum obseruant : signis tamen aliis plurimis ab iis discrepant. Neque horrore , atque calore quartanæ respondent ; sicut nec pulsu , qui etiam in ipso paroxysmi vigore paruitatem , ac inæqualitatem retinet. Et ipsæ vrinæ tales , quales scorbuto propriæ , apparent. Vide Eugalen. *obseru.* 56. & Carol. Pisonem , *de morb. è colluu. serosa obseru.* 91. 92. 93. Neque enim febres hæ à Pisone descriptæ Scorbuticis dissimiles sunt.

*Quotidiana.* Occurrunt quandoque quotidianæ febres , quæ tamen neque tertianæ duplicis , neque quotidianæ ab antiquis descriptæ notas & symptomata habent. Frigus enim plerumque est lentum , & longum , ad sex , septem , vel plures horas durans , in vigore sitis magna , vrinæ variæ , pulsus paruus & inæqualis in accessionis initio & extra accessionem , in vigore magnus & durus. Adest procliuitas ad lipothymiam , quoties se æger mouet , angustia ad præcordia , & alia scorbuti signa. De quibus Eugalen. *obseru.* 57.

*Continua.* Cum verò materia scorbuti caussa non semper primis viis coërceatur , & includatur , sed non rarò in venam cauam , & arteriam magnam effundatur , atque ibi corrumpatur , ac putrescat ; id quod sæpe ex sanguine , venæ sectione emisso , apparet , qui liuidus , & viridis quasi conspicitur ; etiam febres continuæ excitantur , & scorbuto conjunguntur , quæ tamen & ipsæ ab aliis continuis non parum differunt. Nam febres hæ continuæ scorbuticæ mitiorem calorem habent , & minori cum siti , ac inquietudine sunt conjunctæ ; aut si hæc sint grauiora , tamen anxietas per interualla recurrens , & ad præcordia molesta , & pulsus tardus , ac inæqualis febres has facilè ab aliis febribus continuis discernit. Quibus si accedant vrinæ crassæ & subrubræ , cum crasso subrubro , ac graui , & inæquali sedimento , & sitis minor sit , quam pro putredinis magnitudine , signum hoc multò firmius est. Vid. Eugalen. *obseru.* 62. 63.

Frequentissima autem ferè est febris ex continuæ & tertianæ intermittentis typo mista. Neque enim tales febres , etiam hic locorum satis frequentes , tertianæ intermittentes vel puræ vel nothæ sunt ; vtpote quæ ad puram ἀπυρεξίαν nunquam deueniunt ; neque etiam tertianæ continuæ ; cum hæ sine omni frigore , rigore aut horrore exacerbentur ; in istis verò vel singulis vel alternis diebus frigus percipiatur , aliaque symptomata conspiciantur , quæ modò enarrauimus , & neque in continuis neque in intermittentibus tertianis apparere solent.

*Pestilentes.* Imò interdum & pestilentiales , & malignas febres hæ scorbuticæ æmulantur , & maculæ illæ purpureæ , & nigræ , sicut & tumores in inguinibus erumpentes , incautis imponunt. Verum qui caussas , quæ præcesserunt , & omnia symptomata diligenter considerat , has febres à pestilentibus , & malignis discernet. Nam & symptomata sunt mitiora , & facilè vrina , & pulsus antè descripti à pestilentibus febribus eas discernunt ; & sunt diuturniores hæ febres , quam veræ pestilentes , atque accedunt alia signa , quæ scorbuto magis propria sunt , quam pesti , vt neruorum resolutio , & anxietas summa circa præcordia. Quæ etsi in pestilentibus febribus quandoque etiam animaduertatur : tamen non ita , vt in peste , illa est continua , sed interrupta , ob vapores non continuo adscendentes ex hypochondriis. Atque hæ febres quoque non sunt Epidemiæ , sed Sporades , & longius , quam pestilentes , extenduntur. Neque mirum est , quod febres scorbuticæ pestilentes æmulentur. Humor enim Melancholicus , præcipuè si putrescat , est pessimus , & varia , pro humorum admistione , symptomata & morbos inducere solet. De quibus Eugalenus.

*De Febrib. malignar. & Scorbut. cōplication. Morbi duo Castris familiares: Febr. pestilentes & Scorbutus.* ¶ Duo morborum genera castris familiarissima sunt , febres malignæ , pestilentes , & ipsa pestis , & Scorbutus. Et quidem de peste ac febribus malignis nullum dubium est : faciúntque plurimorum historicorum libri eius rei mentionem ; & nomen morborum Castrensium inde sæpe malignæ febres sortitæ sunt : interdum & à loco nomen acceperunt ; vnde morbus Vngaricus dictus , qui nihil aliud fuit , quàm morbus Castrensis , & febris maligna ac pestilens , in Vngaria in castris orta , & inde per totam Europam penè disseminata. Et in bello isto Bohemico-Germanico vix exercitus fuit , in quo non malignæ & pestilentes febres , imò ipsa pestis grassata fuerit , quæ non modò tot millia militum , sed & rusticorum ac ciuium trucidauit , & pagos ac vrbes incolis spoliauit. Et quid hoc mirum ; cùm in fame , quæ plerunque castra premit , cibos quosque obuios milites comedant , potu salubri destituantur , cæli & aëris iniurias sustinere necesse habeant. Hinc enim humores corrumpuntur , vnde primò malignæ , deinde pestilentes febres , & tandem ipsa pestis exoritur.

*Scorbutus.* Scorbuti verò , etsi qui morbos Castrenses descripserunt , plerunque mentionem non faciant : tamen procul dubio non rarus est inter milites : id quod diæta militum ad scorbutum generandum aptissima satis docet : quanquam non semper agnoscitur. Sic & apud Antiquos hoc nomine non obuius , reipsâ tamen non ignotus fuit , vt *in Tract. de Scorb.* diximus. Atque in hac sententia me confirmauit Frider. Vander Mile , *In tract. de morb. Bredan.* qui in ea obsidione duos præcipuè morbos grassatos fuisse scribit , Pestilentiam , & Scorbutum : & anno 1625. 20. Martij , 1068. Scorbuto laborantes milites præsidiarios Bredæ inuentos esse refert. Verùm pestilentiam illam & scorbutum , vt morbos distinctos , describit. Ego verò febres malignas & pestilentes cum Scorbuto conjungi posse existimo ; atque id me experientia cùm aliàs , tum hoc anno 1636. docuit. *Sæpissime hi morbi cōiunguntur.* Id quod ab aliis annotatum non memini , nisi quòd Seuerinus Eugalenus , *de Scorbuto titul. de febribus pestil.* talium febrium mentionem facit , quas tamen potiùs ad Scorbutum , quàm pestem referre videtur. Ego verò vtrumque morbum coniungi posse puto , neque sine ratione ; cùm vterque ex eadem ferè caussa proueniat , prauis nimirum cibis , & aliis , quæ bellum secum fert , incommodis ; quibus deinde & contagium accedit ; quòd cùm pesti & scorbuto commune sit , vterque morbus per id disseminatur : id quod hoc ipso anno , mense Ianuar. & seqq. hîc & in vicinis locis accidit. Cùm enim miles fame & frigore , & aëris iniuriis pænè enectus , in hoc oppidum & vicina loca in hyberna deduceretur , & magna militum pars ægrotaret , non solùm alij milites , sed

ſed & ciues,eorúmque liberi & familiæ,eodem morbo corripi cœperunt, vt vix domus eſſet, in qua milites erant,in qua non ægri aliquot decumberent,& plurimi etiam morerentur.

*Morbi ſpecies febris cõtinua.* Morbi ſpeciem quod attinet,erat ea febris continua, ſine frigore plerunque, ſed ſaltem cum laſſitudine inuadens. Quæ etſi plurimos enecaret,plerumque tamen terminum acutorum excedebat,& nonnulli circa finem tertiæ ſeptimanæ moriebantur; eorum verò, qui conualeſcebant, vix quiſquam ante finem tertiæ ſeptimanæ euadebat: multi etiam ad ſextam ſeptimanam decumbebant. Et quod mirum, nonnulli ter, quater, imò pluribus vicibus, cùm iam ſibi bene valere viderentur, recidiuam patiebantur. Vrinæ vix in vllo turbabantur, ſed erant rubræ, craſſæ. Plurimi vigilabant, & delirabant, è quibus pauci euadebant. Indicia ſcorbuti etiam ſatis clara erant. Erumpebant enim maculæ, non petechiæ, ſed verè ſcorbuticæ, nonnullis etiam tertiâ demum ſeptimanâ. Sudores nonnullis erant fœtidiſſimi,vt fœtor ab adſtantibus vix tolerari potuerit. Etquidem multi ſudabant, ſed tamen inde non conualeſcebant; quod non fit in ſimpliciter acutis. Quidam etiam iuuenis hæmorrhagiam narium patiebatur, & ſanguis (quod nunquam aliàs obſeruaui, nec à quoquam obſeruatum memini) qui è naribus ſtillabat, erat tam fœtidus, vt adſtantes odorem vix ferre poſſent. Et alia etiam apud nonnullos ſeptimâ ſeptimanâ ſcorbuti apparebant indicia,vt circa ventriculum & cor anguſtia, & multæ aquoſæ materiæ ſine tuſſi exſpuitio.

*[Sig]na Scorbuti.*

*Tuſſa complicationis [ho]rum morborum.* Neque mirum eſt, talia accidere poſſe. Non parum enim intereſt, quomodo corpus, quod febre malignâ, per contagium præcipuè corripitur, ſit diſpoſitum. Nam ſi corpus antè ſit bonæ conſtitutionis, & humoribus prauis vacet, atque è contagio ſaltem febrem contrahat,longè alia febris idea erit, quàm ſi corpus anteà iam diſpoſitionem ſcorbuticam habens, eâdem corripiatur. Cùm enim à putredine febrili illi ipſi humores ad ſcorbutum diſpoſiti exaſperentur, accidit vt poſtea ſymptomata febris malignæ & ſcorbuti miſceantur,& febre iam maximâ ex parte victâ, ſcorbutus remaneat, aut ſcorbutus etiam febrem prolonget, & vt extra terminum acutarum conſuetum protrahatur, faciat.

*[Iu]ngitur Scorbutus [i]n febribus [int]ermittentibus.* Non ſolùm autem febribus continuis, ſed & intermittentibus, ſcorbutus quandoque miſcetur. Anno 1634. M. Iulio, frequentes ſatis fuerunt febres tertianæ epidemiæ, inprimis nothæ,ſed mali, præ quàm aliæ eſſe ſolent,moris,pertinaces,comitatæ variis ſymptomatibus. Erant enim per eas hæmorrhagiæ narium frequentes & copioſæ, anguſtia pectoris,& ſumma reſpirationis, ſine vllis affecti thoracis ſignis, difficultas, vlcera ichorem fœtidum fundentia, tubercula pruriginoſa alba per totum corpus ſubitò prorumpentia, iterúmque diſparentia. Vrinæ erant variæ, modò tenues, modò craſſæ, modò cum laudabili enæoremate, plerumque cum ſedimento pulueri laterum ſimillimo copioſiſſimo, omnes rubræ. Curaui etiam aliquando Studioſum, febre tertianâ intermittente laborantem,cui omnia,quæ febri tertianæ debentur, medicamenta adhibui, ſed fruſtra. Tandem maculæ nigræ in cruribus apparebant, quod cùm viderem, medicamenta antiſcorbutica admiſcui, & febris paulo pòſt ceſſauit.

Itaque quotieſcunque febres ſeu continuæ, ſeu intermittentes, ſymptomata febri illi non propria habent, & curatio ex voto, etiamſi omnia exactè fiant, non ſuccedit, diligenter perpendendum, an cauſſæ ſcorbutum generantes præceſſerint, ægérque ad ſcorbutum diſpoſitus fuerit. Symptomata quoque omnia diligenter conſideranda,& an ſcorbutici aliquid lateat, inueſtigandum. Tale enim quid ſi animaduertatur,antiſcorbutica medicamenta medicamentis ad febres deſtinatis admiſcenda, putà ſuccus, conſerua, aqua, ſpiritus, eſſentia cochleariæ, & aliorum antiſcorbuticorum medicamentorum, abſinthium, miſtura ſimplex. Neque etiam è fraxino medicamenta inutilia ſunt.]

*Tumores faciei.* Variæ quoque tumorum differentiæ,materia ad ambitum corporis protruſa, vel ruente excitari ſolent. Quandoque enim facies intumeſcere, & inflari ſubitò ſolet;qui tamen tumor itidem facilè euaneſcit.

*Pedum.* Sæpe impetu quodam ſeroſa materia deorſum ruit, quæ cum à calore partium illarum,vtpote à fonte caloris remotiorum,debiliore diſcuti non poſſit, pedes intumeſcunt, & tumore œdematoſo corripiuntur. Quibus humore craſſo hypochondria repleta ſunt,in iis limoſæ ac craſſæ humoris huius partes in hiſce locis tumorem durum & renitentem efficiunt.

*In inguine & glandulis, in muſculis.* Ruſticis, & nautis, ac qui ſimili iis victus ratione vtuntur,tubercula dura in toto corpore erumpunt,nonnunquam & tumores magni,& profundi cùm in inguine,& glanduloſis corporis partibus,tùm alibi,& in mediis muſculorum ſpatiis,doloris quidem,dũ ægri quieſcunt,aut crus ſuper ſcamno,vel puluinari reponũt, expertia,inter eundum verò,& cruribus pendentibus grauiter ægros excruciantia, tumores Gallicos æmulantia, quæ à materia melancholica,& tartarea,vt Chymici appellant,in ambitum corporis à Natura detruſa,& iis in locis hærente,& indurata proueniunt. Ortum enim habent hi tumores ex humoribus ſcorbuticis corruptis, dum tenuior pars humorum,à natura ad ambitum corporis depulſorum, diſcutitur,vel à calore febrili abſumitur, craſſa verò relinquitur. Diſcernuntur autem à Gallicis tumoribus, quod in his apertis materia pinguis lardo ſimilis reperitur; quale nihil in tumoribus Scorbuticis apparet: prætereà tumores ſcorbutici ſequuntur vitam triſtem, & calamitoſam; Gallici luxurioſam, vt hac de re ſcribit Eugalen. *pag.* 92. *num.* 18. *obſeru.* 20. Nonnunquam hinc inde ſubitò in corpore tumores erumpunt, qui eadem facilitate & promptitudine,qua orti ſunt,euaneſcunt,& cum ortus ſui principio parti affectæ leuem & momentaneam reſolutionem inferunt, Paralyſinque antecedere ſolent, Eugalen. *pag.* 109. Imo interdum tumores renitentes, duri, ſubrubri vel nigri & cruſtoſi in inguine & cruribus erumpunt,bubonibus peſtilentibus non abſimiles, verùm ſignis ſcorbuti ab iis diſſidentes.

*Eorũ à Gallicis tumoribus differentia.*

*Eryſipelas die Roſe.* Eſt & ſcorbuto laborantibus, vel ad ſcorbutum diſpoſitis ſatis familiaris illa phlegmones ſpecies, quæ, quod rubeo, roſeoque colore cutem tingit, vulgo *die Roſe* appellatur,quæque ſanguineos non ſolum,& plethoricos,ſed & ab hac conſtitutione longiſſimè remotos infeſtat,& nonnullos ſingulis ferè ſeptimanis,alios ſingulis menſibus,aliòs longiore interuallo, pro cauſſarum, cum internarum tùm externarum atque adjuuantium,magnitudine & varietate, cum horrore, magno languore & anxietate, nonnunquam leuibus animi deliquiis,inuadit,& nunc hanc,nunc illam partem, pro vt hæc vel illa imbecillis eſt,apprehendit;quod indicium eſt, potius ab humoribus ichoroſis peculiari modo corruptis,aut vaporibus ab ejuſmodi humoribus corruptis reſolutis, quam ſanguinis copia prouenire; præſertim cum alia ſigna, quæ ex vrina, & pulſu, ac morbi hujus motu,& quod facilè de loco in locum, ſicut de arthritide diximus, migrat, conſentiunt: ſicut etiam horrores aliquot diebus ejus eruptionem præcedere quandoque ſolent. Eugalen.*obſeru.*49.

*Hydrops.* Interdum non ſolum crura,ſed &,ſi morbus protrahatur,venter intumeſcit,vbi ſimul Hepar, & Lien plerumque humoribus craſſis ita infarciuntur, vt tumor manifeſtus, & tenſio in iis appareat. Id quod non mirum. Nam cum colluuies humoris ſcorbutici præcipuè circa Hepar,& Lienem hæreat,cùm à ſubſtãtia,tùm à vaporibus eius facultas horum viſcerum debilitatur, & praua inde in iis diſpoſitio contrahitur, quam

iterum

iterum alimentis elaborandis imprimunt; vnde vitiosorum humorum, præcipuè serosorum, colluuies cumulatur, & tandem ad crura descendit; si materia sit copiosior, vt tota ab iis recipi non possit, quod reliquum est, intra viscera hæret, & tùm naturæ robore in abdomen protruditur, tùm pondere suo eò ruit, & ventrem in tumorem attollit. Laborant autem hydropici isti longe majore respirandi difficultate, quàm aliàs in hydrope fieri solet, nondum scilicet valde tumore diaphragma premente, & plerique horum respirationem sibi præcludi, & de angustia circa orificium ventriculi conqueruntur. Quæ cum à crassis vaporibus, & flatibus proueniat, vt suprà dictum, iis discussis hæc respirandi difficultas, & anxietas remittit, quod aliàs in hydrope fieri non solet, & rursum iis collectis redit; ac præcipuè post purgantium vsum difficultas respirandi, & angustia augetur. Et si in corporibus plethoricis hoc malum excitetur, facies statim liuida apparet, peccantisque humoris indicium exhibet: tumor quoque multò durior, & tensior est, quam aliàs in hydropicis fieri solet, ideóque neque altè, neque facilè digitorum impressionem admittit, vt aliàs in hydrope fieri consueuit, & impressus digitus in aliquibus nullum, in aliquibus exiguum vestigium relinquit.

*Vesica in toto corpore.* Præter hanc hydropis speciem alia adhuc occurrit, quam à vesicarum toto corpore, & qualibet ejus parte extuberantium forma, Belgica lingua *Bouckvvatter*, appellant. Cognoscitur, quod iis præcipuè accidit, qui victu minus melancholico vsi sunt, humorésque tenues, & aquosos cum multis flatibus cumularunt, & quod antequam sedem figit certam, aliam atque aliam corporis partem momentaneo tumore ac inflatione hic morbus attollit & distendit. Quibus verò humores minus mobiles sunt, pedes primùm, postea totum corpus duro & inæquali tumore paulatim assurgit, variis tuberibus, sua subinde quasi cute circumscriptis, extra reliquum tumorem exstantibus; præcipuè quidem in inguine, & scroto, quandoque tamen etiam in brachiis, scapulis, dorso, reliquísque corporis partibus. Accidit pulsus huic malo proprius, vrinæ modò crassæ, rubræ, & liuidæ, modò variæ, & inconstantes, procedente tamen morbo crudæ, & tenues; præcesserúntque plerumque alia symptomata, nausea, alui dejectiones, languor, oris siccitas perpetua, & alia. Eugalen. *p.* 152. *obseru.* 20.

*Vlcera crurū.* Quandoque non solum maculæ in cruribus apparent, sed & vlcera in iis excitantur, sicca ferè, & neque pus neque saniem ex se fundentia, vt rectè Eugalenus scribit, à cuius partibus magis est experientia, quam Hieronymi Reusneri, qui vlcera scorbutica tenui sanie perpetuò madere scribit. Vlcera autem hæc eos magis infestant, qui temperamento biliosо sunt. De quo Hippocrates, *lib. de intern. affect. Quicunque*, inquit, *splenem habent magnum, siquidem biliosi sunt, hi mali coloris sunt, & malis vlceribus scatent.* Vlcera hæc cum maligna sint,

*Vlcera Telephia.* ea ad Telephia commodissimè referri censet Balduin. Ronsseus, *de scorb. cap.* 7. Cum enim Telephia dicantur ea vlcera, quod in tali vlcere Telephus Mysiæ rex consenuerit, Ægineta, *lib.* 4. *cap.* 46. nomen hoc scorbuticis vlceribus non immeritò tribui putat. Cum enim Telephus omnem operam impenderit, vt pro diuturno vlcere aliquod medicamentum reperiret: tandem senio confectus reperit herbam, quam sibi cognominem esse voluit, & ea sanitatem recuperauit:

*Telephium.* censentque viri quidam docti, Telephium esse plantam vulgò cochleariam dictam: alij tamen fabariam esse censent, & satis multis probat VVierus, telephium non esse cochleariam. Verum non multum refert, siue Telephia, siue alio nomine appellentur hæc vlcera: hoc certum est, maligna, & curatu difficilia esse ob humorem Melancholicum, & prauum. Sine caussa verò hoc loco inuehitur in Rosseum Reusnerus, qui hæc vlcera maligna esse statuit, quod ab atra bile proueniant. Ipse enim nititur falsa hypothesi, quod saltem ab humore aquoso ortum habeant. Etsi enim hoc verum sit, quod Melancholia, quæ, vt suprà dixi, in scorbuto etiam concurrit, non tàm adusta sit, vt ea, quæ cancrum excitat: tamen humor Melancholicus quicunque contumax est, neque facilè curationi cedit, & in scorbuto peculiarem corruptionem ac prauitatem sortitus est. Ipse tamen diffiteri non potest, humorem salsum Scorbuticis vlceribus inesse. Vlcera hæc interdum ita gangrænosa fiunt, vt ne quidem ferrum inflictum, vel admotum pyroticum sentiant. Imò ex tali vlcere crustoso sæpe mortificatio totius cruris aduenire potest, nisi maturè crusta à reliquo vlcere separetur. Eugalen. *p.* 406. *obseru.* 8.

Neque solum crura, sed & alias corporis partes vlcera hæc interdum occupant. Ita obseruauit Eugalenus vlcus scorbuticum, quod cum tumore ingenti ad Elephantiasin accedente præter dimidiam faciem, & magnam ceruicis partem, nasum, & labia occupabat. Præter dictam faciei inflationem nasus liuidus erat, labia prætumida, & nigra, oculi prominentes, & fusco colore palpebræ tinctæ, & variis pustulis variegatæ: hæ serpendo quotidie labiis per totam ferè faciem dispergebantur, subjectas carnes exedentes, & circa tempora in vlcus nigrum, tetrum, malignum, & glomerosum, quod Carcinoma Græci vocant, desinentes.

Refert idem Eugalenus, *pag.* 221. *num.* 48. penem quandoque exulcerari, cum praua ista materia, dum per penem cum serosa sanguinis substantia defertur, inter transeundum malignitate & acrimonia sua teneram penis carnem erodit. *Penis.*

Imò non solum vlcera scorbuticos corripiunt, sed & grauissimum, etsi vulgo non satis cognitum & rarius, malum scorbuto quandoque accedit, mortificatio scilicet, & gangræna vel vnius, vel plurium corporis partium, præcipuè digitorum pedum. Incipit hoc malum plerumque circa pedis extremum cum nigris, & purpureis maculis, & lituris quasi, & hinc paulò post vlcus crustosum, & gangrænosum, siccum, neque saniem, neque pus reddens apparet, digitúsque vnus vel alter pedis emori incipit, & lineæ rubræ, ac purpureæ lituræ supra juncturam pedis secundum tibiæ longitudinem apparent. Id quod Eugalenus etiam annotauit, atque ego ipsemet exempla ejus rei duo vidi, vnum in viro quodam Nobilissimo, alterum in Pædagogo. Est verò hujus gangrænæ, ac Sphaceli à gangræna & Sphacelo vulgò descriptis magna differentia. Etsi enim in vtraque gangræna pars emoriatur, ac sensum omnem amittat, ac malum indies latius serpat: tamen non paucis discrepant. Gangræna enim illa vulgò nota ferè ex caussis manifestis & notis ortum habet, & in membro tali Sphacelo emortuo fœtidus, ac aquosus humor effluit, membrum molle, ac putridum redditur, & grauem, ac cadauerosum de se fœtorem emittit, multúmque breui tempore serpit, & plerumque hominem citò jugulat. Gangræna verò scorbutica ferè sine caussa manifesta inuadit, & lentè, ac tardè serpit; ac non nisi longo tempore hominem jugulat. Nobilis enim ille, cuius modò mentionem feci, vltra menses tres; pædagogus verò vltra sex menses cum malo hoc vitam protraxit; sicut Eugalenus ad duodecimam hebdomadam malum hoc protractum fuisse testatur. Pars planè sicca est, nihilque effluit, & cum corrupta ferro aufertur, licet caro rubra offeratur, color tamen ille ruber paulò nigrior est, & sequenti die & ipsa planè emortua deprehenditur: nullus quoque fœtor percipitur. Præterea vbi primò malum vnum saltem pedem apprehendit, postea, absque omni caussa manifesta, in altero etiam crure, & pede maculæ, ac lituræ rubræ, vel purpureæ apparere incipiunt, & paulò etiam pòst illius pedis digitus vnus, vel alter liuidus redditur, & planè emoritur; tandémque homo *Gangræn. scorbutic.*

plerumque

plerumque Apoplexia, quod Nobili illi accidit, vel epilepsia accedente moritur.

Tandem etiam Atrophia hoc malum interdum sequitur. Quibusdam crura atrophia laborant, & ita gracilia redduntur, vt vix ossibus hærere videantur: Interdum & totum corpus ita emaciatur, vt vix cute, & ossibus homines hæreant, & sceleti formam referant. Quod accidit, quod partes vel etiam totum corpus bono alimento destituitur, & à vitiosis humoribus, qui affluunt, calor natiuus & vis nutrix partium ita debilitatur, vt nutritionem rectè promouere non possint. Et in principio quidem atrophia accidit, quod ob vitiosum nutrimentum facultas in nutritione frustratur ob errorem externum: vbi verò temporis progressu ipsis partibus ab humoribus continuò affluentibus vitiosa dispositio imprimitur, non aliter ac in leucophlegmatia & scabie praua, læsa etiam facultate nutritio læditur. Et licet à variis etiam caussis aliis ἀτροφία generari possit, vt ab vlcere pulmonis, aut alicuius alterius visceris abscessu, à febribus, præcipuè hectica: tamen hîc hæ caussæ omnes, earumque propria signa absunt; contrà pulsus, vrina, aliaque, cùm quæ præcesserunt, tùm quæ adsunt, Scorbutum arguunt, quæ hactenus sæpius sunt enumerata, nec toties repetere opus est: agitque de iis Eugalen. *num.* 33. *p.* 159. *& seqq. obs.* 35. 36. 40. 46. Cor tamen à vaporibus putridis continuò afflictum etiam calorem & siccitatem præter naturam contrahere potest, atque inde tabes & atrophia in toto corpore excitari.

Atque ita morbos, & symptomata, quæ Scorbutum comitari solent, pleraque recensuimus, ductu inprimis Seuerini Eugaleni, qui de hisce omnibus accuratè & prolixè egit, & si curationem scorbuti eadem ratione adiecisset, omnibus, qui de scorbuto scripserunt, palmam præripuisset, & de arte Medica optimè mereri potuisset. Etsi autem ex his signis omnia apud nos non ita semper sunt euidentia, vt iis in locis quibus scorbutus quasi patrius & vernaculus est: tamen qui ea, quæ circa ægros etiam in his & vicinis locis fiunt, diligenter considerauerit, istis signis satis sæpe manifestis latentem sub aliis morbis scorbutum, aut certè eius initia deprehendere poterit. Si quis verò est, qui putet, me nimium in recensendis morbis & symptomatibus scorbuticis fuisse, is sciat, me equidem cum iis non facere, quibus nullus ferè morbus offertur, quem non ad scorbutum reducere conentur: interim qui experientiam diligenter consulet, animaduertet & hæc quæ enumerata sunt, & forsan plura cum scorbuto mala coniungi posse.

## CAPVT V.

### *Prognostica.*

1. IN Prognostico instituendo Medicus cautus sit, & omnes facultates principes earumque læsiones diligenter perpendat. Etsi enim pulsus plerumque in hoc morbo valde debilis, languidus & paruus sit, ita quidem, vt medicis morbi huius ignaris mirum videri possit, cum tali pulsu hominem viuere posse: tamen inde mortem præsagire non licet; cum non morbi lethalis, sed morbi peculiari modo facultati vitali aduersantis signum sit. Etenim vitali cordis facultati, vt & neruoso generi, aduersam qualitatem habet colluuies scorbutica. Vnde illæ cordis anxietates, conuulsi motus, paralysis, varij dolores, & similes affectus scorbuto tam familiares sunt.

2. Malum hoc in principio ferè curatu facile est, & idoneis medicamentis adhibitis facilè cedit; cum vitium saltem in humoribus consistat, nec praua aliqua dispositio visceribus communicata sit, & sæpe sola diæta, ac præcipuè aëris mutatio ad curationem sufficiat.

3. Si verò radices agat, diuturnum malum est, & quod multa curatione indiget, & vix vnquam radicitus tollitur. Nam & humor melancholicus, à quo hic morbus ortum habet, natura sua contumax est ac tardè mouetur, & morbos pertinaces ac diuturnos parit; & postquam humor scorbuticus semel similem Hepati, & Lieni dispositionem impressit, vix ea planè extirpari potest; atque ob eam vel singulis annis, vel longiore interuallo, pro victus ratione, & alis circumstantiis malum recurrit, nunc iisdem, nunc aliis stipatum symptomatibus: virique cum eo sæpe in annum nonum, decimum, vel plures; fæminæ in vigesimum vel plures vitam protrahunt; proculdubio ea de caussa, quod in fæminis per menses vitiosæ colluuiei pars aliqua euacuetur; donec tandem perpetuo languore contabescunt, ægrique, aliis atq; aliis symptomatibus subinde superuenientibus, grauiter affecti, & diu afflicti tandem sæpe improuiso moriuntur: Sicut in Islandia mensæ assidentes, aut aliud quid agentes repentè concidere, & mori quandoque hoc morbo laborantes se ex oculatis, & fide dignis testibus audiuisse, refert Dodonæus, *in prax. Medic.* Humor enim contumax est, & vt non nisi longo tempore in corpore coaceruatur, ita etiam non nisi longo tempore tollitur, & optimis etiam remediis resistit.

4. Qui diætæ se adstringi non patiuntur, quique in assumendis medicamentis difficiles & morosi sunt, rarò integrè ab hoc morbo liberantur; ideoque etsi quandoque symptomata demulceantur, & scorbutus aliquomodo deuictus videatur: tamen si æger ab vsu medicamentorum desistat, paulò post eadem vehementia morbus recrudescere solet, interdum cum iisdem, interdum cum aliis, sed æquè grauibus symptomatibus.

5. Plerumque scorbutus in cachexiam vel hydropem, nonnunquam & in dysenteriam, sæpissimè verò in tabem & atrophiam transit, & hominem lenta morte iugulat. Cum enim, vt supra dictum, humores Scorbutici prauam & similem dispositionem visceribus, inprimis lieni & Hepati; imprimant, fit, vt læsa horum viscerum facultate sanguificatio lædatur, & serosorum humorum ac flatuum copia producatur. Cum verò vitiosi humoris colluuies ad ventrem protruditur, diarrhœam diuturnam, tandemque hydropem inducit. Cum etiam humores praui circa viscera & inprimis viis collecti cum sanguine misceantur & cum eo in totum corpus distribuantur: eum ad corpus nutriendum ineptum efficiunt: vitiosique humores cùm sua substantia, tùm prauis exhalationibus omnibus corporis partibus similaribus vitiosam dispositionem imprimunt; facultatemque nutrientem lædunt: cor etiã à vaporibus putridis continuò afflictum intemperiem calidam & siccam contrahit, atque inde tabes & atrophia in toto corpore excitatur.

6. Respiratio difficilis, & pectoris angustia periculosum malum est, ob quam, si & Medicus, & adstantes suum officium non faciunt, sæpe ægri syncope præter expectationem pereunt, Si verò Natura fortior morbum diutius tolerare possit, plerumque in hydropem ægri incidunt, præcipuè ii, qui catharticis fortioribus sæpe vtuntur.

7. Crurum maculæ quò magis ad liuidum, & atrum colorem tendunt, eò peiores sunt; & si in vlcera aperta abeant, difficulter ea sanantur. Indicat enim talis color latentem humorem atrum, & malignum, à quo excitata vlcera periculosa sunt, & difficulter curantur.

8. Scorbutus hæreditarius, & à parentibus propagatus, vt & qui à pueris quasi adoleuit, difficulter admodum curatur, & vix vnquam exstirpatur, & ferè semper aliquæ eius reliquiæ remanent, quæ facili de caussa repullulant. Habent enim tales secum congenitam scorbuti caussam, & natiuam lienis imbecillitatem, quæ

quæ ope medicamentorum vix vnquam tollitur.

9. Pueris στομακάκη crebrius, σκελοτύρβη rarius accidit.

10. Periculosius senes iuuenibus, & mulieres viris laborant, si scorbuto afficiantur. Senes enim calorem debilem habent, & cruditatibus obnoxij sunt; ideoque morbi malitiam facilè superare non possunt. Eadem de caussa & fœminæ magis periclitantur, præsertim eo tempore, quo fluxus mensium cessat, aut ante tempus subsistit; sanguinis motu ad viscera nutritionis conuerso, humoribusque vitiosis, qui cum mensibus euacuari solebant, in corpore retentis, & viscera debilitantibus.

11. Quibus tormina ventris, & circum vmbilicum contorsiones continuæ adsunt, rarò euadunt.

12. Tumores in variis corporis partibus subitò erumpentes, iterúmque euanescentes, paralysin præsagiunt.

13. Post paralysin curatam nerui quidam, in quos serosa, vel vaporosa materia decumbit, contrahuntur, & conuulsionem illorum excitant.

14. Conuulsio scorbutica sæpe subitò in paralysin, cataphoram, vel tumorem, nunc euanescentem, nunc rursum emergentem transit, provt materia scorbutica nunc huc, nunc illuc mouetur.

15. Gingiuarum tumor, atque erosio, nisi maturè sanetur, carnem ad ossa vsque absumit, & os tandem dentibus priuat. Quandoque liuor partem oris superiorem, & palati partes penitiores apprehendit, & superuenit putredo palati ac faucium insignis, quod symptoma aliquibus imposuit, vt scorbutum pro lue Venerea haberent, vtpote in qua nihil frequentius accidit, quàm oris faucíumque corruptio, quod malum & plerúmque lethale signum est, & caloris natiui exstinctionem significat.

16. Vlcera crurum curatu difficilia sunt, & periculo non vacant; cum ab iis totum crus interdum gangræna corripiatur, quam tandem sphacelus subsequitur, vnde totum corpus in periculum adducitur.

17. Vomitus, & humorum vitiosorum suprà & infrà rejectio parum ægris prodest, sed potius ventris, & intestinorum doloribus plurimos longiore mora conficit.

18. Febres cum scorbuto non curantur integrè, si scorbuti curatio negligatur. Imò si indicationes, quas febris suppeditat, solùm attendantur, æger sæpe non parum læditur. Quæ res ipsa facit, vt febres hodie sæpe tam diuturnæ sint, quod latens sub iis scorbutus non semper attenditur & cognoscitur. Febrésque tales diuturniores vires sæpe deiiciunt, ægrúmque interficiunt, aut alium grauiorem morbum accersunt.

19. In febribus scorbuticis intermittentibus quandoque conuulsiui motus, vel catus in singulorum paroxysmorum initio accidunt, qui tamen sponte remittunt.

20. Febres continuæ scorbuticæ, si purgantibus medicamentis initio fortioribus, aut crasso potu, aut medicamentorum calidorum vsu exasperentur, plurimos subito animi deliquio ac suffocatione enecant atque occidunt.

21. Tumores crurum œdematosi in hoc morbo diuturniores esse solent, minúsque promptè discutiuntur; cum & sanguis crassior situs ratione ad hæc loca tendat, & ob caloris in hisce partibus à fonte caloris vitalis longè distantibus debilitatem discuti non possit.

22. In magnis lienibus sanguis è dextra nare fluens, malum.

23. Cum etiam quandoque liuidæ maculæ in cruribus delitescere, quandoque confertim efflorescere soleant, dubiam hoc naturæ cum morbo pugnam indicat, & vbi morbus iam incrementum sumpsit, vtrumque iam mortis instantis indicium est. Euanescunt maculæ, cum calor natiuus exstinguitur, & qui restat exiguus, ad suum fontem refugit, & cum eo sanguis partes exteriores deserit. Cum verò in morientibus vbertim hæ maculæ efflorescunt, materiæ prauitatis, & copiæ argumentum est, quæ calore natiuo iam succumbente, neque amplius humores regente, iugo quasi excusso, liberè diffunditur.

---

## CAPVT VI.

### De Curatione Scorbuti in genere.

#### Indicationes.

CVm omnia, quæ Scorbuticos infestant, mala & symptomata ab humore melancholico, crudo, seroso, salso, & peculiari modo corrupto originem habeant: danda opera, vt illa eius cruditas & prauitas emendetur medicamentis cùm manifesta, tùm occulta qualitate eum corrigere valentibus; ipse ex primis viis, vbi præcipua eius sedes, vt & toto corpore, tollatur; obstructiones, in liene inprimis, & vicinis venis, aperiantur; praua dispositio viscerum, lienis maximè, emendetur, & defectus ille in coctione & πνευματώσει salis, & humorum crassorum corrigatur; ac scorbuticorum eiusmodi humorum crassorum generatio, remouendo caussas ad eorum generationem facientes, præcaueatur. Seu, vt Forestus hac de re loquitur, quatuor intentiones sunt curandi scorbutum; apertio, euacuatio, alteratio, & confortatio. Nisi enim plenitudo sit amota obstructio aperta, & intemperies ablata, ac lien roboratus, æger nunquam curabitur; & quatuor istis adhibitis infinitos scorbuticos se curasse refert Forestus. Quod verum esse vt facilè credimus: ita curationis ab eo institutæ historiæ docent, cum semper talia elegisse vel admiscuisse medicamenta, quæ peculiari vi scorbuto aduersantur. Diæta etiam sit ita comparata, vt ad generationem, & augmentum humoris scorbutici non solùm non conferat, sed etiam ei sit contraria. *Indicati[..]s.*

#### Curatio.

Et primò quidem sanguinis euacuationem quod attinet, si natura eius per hæmorrhoides euacuationem sponte tentaret, id aptissimum esset. Et si per hanc viam natura aliàs vitiosos humores euacuare consueuit, danda est opera omnibus modis, vt hæmorrhoides prouocentur. *Sanguin[..] euacuat[..] Per hæm[..]rhoides.*

Quod si de hæmorrhoidum flux nulla spes sit, & sanguinis sit aliqua abundantia, præsertim si febris coniungatur, primis viis vel clystere, vel leni aliquo medicamento prius euacuatis, vena, si vires id permittunt, aperienda, vt ita vitiosi humores simul euacuentur, & natura reliquos facilius superare possit; sanguisque ventiletur: cum videamus, naturæ ipsius ductu non rarò in principio huius morbi sanguinem è naribus effundi. *Per venæ[..]ctionem.*

Aperienda autem vena, vbi opus, in cubito, seu mediana, seu basilica, & quidem lato scalpello, vt monet VVierus, vt non solum tenues sanguinis, sed & crassiores partes euacuentur. Si tamen vires aliquo modo iam sint debiles, latam sectionem dissuadet Forestus, ne multum spirituum exhalet, & vires amplius debilitentur. Plerique sectionem in sinistro brachio instituendam censent. Equidem, vt *lib. 5. Institut. part. 2. s. 1. cap. 17.* dictum, venæ brachii sinistri maiorem aliquam cum liene cognationem non habent, quàm venæ brachii dextri: τὸ κατ' ἴξιν tamen, ob ξύῤῥοιαν, & ξύμπνοιαν illam occultam, & consensum partium dextrarum cum dextris, sinistrarum cum sinistris, etiam hîc obseruare forsan non inutile fuerit. Forestus etiam saluatellæ in sinistra manu apertionem in scorbuto prodesse se experientia didicisse scribit: qua de re experientia consulenda. Nam ratio eius rei nulla reddi potest. Postea, & præcipuè si melancholicus sanguis ad inferiora defluxerit, vt non sine caussa suadet Ronsseus, *Qua v[..] aperiend[..]*

vena

vena popliris, aut malleoli aperiatur, vt materia ibi fixa quoque euacuetur. Et omnino commodum est, vt sanguis peccans non semel, & vna vice detrahatur, nec vna tantum in vna parte vena aperiatur, sed aliquoties id fiat, interiectis interuallis. Ita enim qui per varia corporis loca sparsus est sanguis vitiosus, commodius euacuari potest.

*antiis san-nis eua-ndum.* Parcius autem sanguis euacuetur; cùm largiorem sanguinis missionem hic morbus respuat, vt Eugalenus scribit.

Si v. morbus iam radices egerit, & sanguinis iam adsit magna corruptio, ac cacochymia cum nulla sanguinis abundantia, eaque ita totum corpus occupauerit, vt iam maculæ efflorescant, & alia externa signa in corpore hinc inde appareant, vix venæ sectio tentanda, ne puriore, & subtiliore sanguine effluente, & crassiore illo, ac viscido in venis subsistente, vires ægri debilitentur: sed tùm potius ad cacochymiæ scorbuticæ præparationem, & euacuationem, primis viis tamen & ventre prius euacuatis, accedendum.

*paratio orum.* Præparationem ergo, & purgationem quod attinet, cum scorbutus fortia purgantia non ferat, sed iis ex asperetur potius, vt aliquoties monet Seuerinus Eugalenus, omnésque eruditi Medici ipsa experientia edocti testantur; neque vna vice humores vitiosi euacuari possint: purgatio per ἐπικρασιν rectissimè instituitur, ita scilicet, vt materia primum præparetur, & coquatur, & corruptio, ac putrefactio humorum superetur, & cohibeatur, deinde purgatio lenis instituatur; & cum materia scorbutica non sit eiusdem substantiæ, sed ex diuersis humoribus mista, iterum ad præparationem accedatur, & hinc, si opus sit, medicamentis idoneis humores præparati rursum euacuentur. Quod nisi obseruetur, & materiâ adhuc crudâ, & specificâ humorum corruptione nondum superatâ, purgantia exhibeantur, materia mota & conturbata anxietates multas parit. Imò obseruatum, non paucos citra purgantium vsum conualuisse, vsurpatis medicamentis attenuantibus, incidentibus & peculiari scorbuto aduersantibus.

*parantia orbuto ia.* Itaque primò, vt experientissimi medici Salomonis Alberti, antecessoris olim mei, verbis vtar, ea vsurpanda medicamenta, quæ terreum, & feculentum humorem colliquent, attenuent, incidant, dissipandoque abstergant, vt soluta obstructione, quod crassius est, facilius in aluum, corporisque sentinam excidat; quod tenuius, & serosius, ad vias vrinæ deriuetur, & vtrumque adeo, quò vergit natura, per conferentia loca euacuetur. Nam & crassiores sæpe huius humoris partes cum vrina excernuntur, & cum ægri commodo vrinæ ferè nigræ, & turbidæ, quæque nigrum sedimentum deponunt, emittuntur.

*via ge-les in arationе orii ob-inda.* Monendum tamen de istis: Primò ad vniuersalem methodum semper hic respiciendum, & naturam humoris, ac corporis constitutionem considerandam esse. Vbi enim frigidi, & crassi humoris sunt, & in iis, qui in frigido, humido, ac crasso aëre viuunt, attenuantibus, & incidentibus fortioribus vtendum: in aliis mitiora adhibenda.

Deinde si morbus radices altius egerit, & diu iam durauerit, fortioribus remediis, & magis attenuantibus, & internis, quàm externis, sudoriferis, balneis, ac aliis. Tutissimum tamen est, semper à mitioribus incipere, & paulatim ad fortiora progredi. Et si morbus curationi non cedat, & cum laudabilibus vrinis incrementum sumat, signum est, medicamenta debiliora esse, quàm morbi, & caussæ magnitudo requirit, & propterea ad fortiora progrediendum.

Tertiò aperientibus & attenuantibus medicamentis quæ in aliis morbis vsurpantur, solis fidendum non esse, sed ea addenda, quæ peculiari proprietate huic morbo aduersantur. Non enim est de nihilo, quod aliquoties monet Eugalenus, Medicos aliàs doctos frustrà in hoc morbo, quem non rectè cognitum habuerant, curando laborasse, qui proculdubio & aperientia ac euacuantia, & alterantia, atque confortantia vsurparunt; sed frustra: cùm cacochymiam scorbuticam cognitam non haberent. Neque enim quælibet aperientia, vel humorem melancholicum alterantia hic sufficiunt, sed semper ea vsurpanda, & admiscenda, quæ humoris huius naturam respiciunt. Ideóque etsi quæ obstructiones, hepatis, lienis, ac vicinorum vasorum aperiunt, & intemperies eorum corrigunt, quæque in aliis melancholicis affectibus vtilia sunt, & hic locum habeant, vt radices *aperientes, scorzoneræ, caryophyllatæ, helenij, cichorij, polypodij, gentianæ, rhapontici, aristolochiæ rotundæ, scillæ*; cortices *tamarisci, capparum*, folia *chamædryos, chamæpithyos, cuscutæ, agrimoniæ, fumariæ, hyssopi, lupuli, ceterach, scolopendrij, betonicæ, origani; flores genistæ, cichorij; è fructibus amygdalæ amaræ, baccæ lauri, iuniperi*, & similia: ea tamen quæ huius humoris proprium vitium peculiari vi corrigere possunt, semper addenda.

Poterit ergo primò talis potio parari.

℞. *Rad. cichor. fœniculi, polypod. q.* an. ℥.j. *cort. tamarisc. rad. cappar.* an. ℥. ß. *cochlear. becabung. fumariæ, omnium recent.* an. M. j. *ceterach. chamædryos, hyssop. capill. veneris, linguæ ceruinæ* an. M. ß. *passular.* ℥. j. Coq. s. a.

Colaturæ clarificatæ ℞. ℥. xx. dulcoretur *sacchar. cando*, & add. *cinamom.* ʒ. ii.

F. potio pro 4. vel 5. dosibus: vel addatur *sacchar.* q. s. & fiat *syrupus*, cuius ℥. j. ß. detur, cum *aq. scolopendr. fumar. cochlear. nasturt. aquatic. becabungæ.*

Vel ℞. *Aq. scholopendr. fumar. chamædr.* an. Vnc. iij. *syr. de scolopendr. de fumar. byzantin.* s. an. ℥. j. *spir. vitrioli* ℈. ß.

Fiat potio pro 3. dosibus.

D. Salomon Albertus hoc digestiuum præscribit.

℞. *Passular. minor. succ. acetosæ imbutar.* ℥. j. ß. *rad. polypod. quern.* ℥. ß. *asari* ʒ. ij. *bistort.* ʒ. iij. *glycyrryz. oxylapathi* an. Drach. ii. *cort. rad. cappar.* ʒ. iij. *tamarisci, sem. anisi, fœniculi* an. ʒ. j. ß. *agni casti* ʒ. j. *vrticæ* ℈. iiij. *herb. cuscutæ, acetosæ, capill. veneris. lichen. petrei, ceterach, linguæ ceruinæ* an. M. ß. *thymi, epithymi* an. P. ij. *flor. borrag. bugloss. violar.* an. P. j. *cinamom.* ʒ. ij.

Coq. in *aq. pura ad* ℔. j.

In colatura clarificata dissolue *sacchar.* q. s.

Coq. ad syrupi consistentiam.

Cuius ℥. j. ß. detur quotidie cum *aq. scolopendr. capill. Veneris, lupuli* an. ℥. j.

Poterit & spiritus salis, cremor tartari, tartarum vitriolatum vel spiritus tartari compositus, quem vulgo misturam simplicem nominant, in iusculo carnis vel alio conuenienti liquore exhiberi.

Materia hisce vel similibus medicamentis præparata, & viis apertis, ad purgantia accedendum. Licet etiam præparantibus quædam purgantia admiscere, vt aluus nonnihil laxetur, & humores ad aluum sensim deducantur. Eligantur autem, vt etiam supra dictum, leniora purgantia; cum fortiorum & vehementiorum purgantium vsu, ipsa experientia teste, ægri in hoc morbo in præsentissimum discrimen adducantur & vitæ periculum sæpe coniiciantur. Ideóque confectionem Hamech plerique docti abhorrent. Si tamen infundatur vel coquatur, mitior fit.

Vt ℞. *Decoct. fol. senæ sec. August.* ℥. IV. *confect. Hamech.* ʒ. i. ß. *el. diaphœnic. rosat. Mes.* an. ʒ. ß.

Bulliant semel atque iterum, & colentur.

Colaturæ add. *mannæ* ℥. ß. Iterum colentur.

F. haustus.

Vel. *Rad. polypod. q.* ℥. ß. *cort. rad. cappar. fraxini* an. ʒ. ij. *absinth. centaur. min. chamædr. ceterach.* an. M. ß. *thymi, epithymi* an. P. j. *sem. anisi, fœniculi* an. ℥. ß. *hellebor. nigr. præp. fol. senæ el.* an. ʒ. iij. *rhabarb.* ʒ. ij. *cinamom.* ʒ. ß. *conseru. fumar. cochlear. borrag.* an. ℥. j. ß.

Contundenda contundantur, & affundantur *aq. vel vini, vel feri lactis* ℔. iij. ac in vase duplici coq. in baln. per horas ij. Colaturæ exhibeantur ℥. ij. manè, & horis duabus ante cœnam.

Vtile est etiam hoc medicamentum.

℞. *Passular. polypod. q.* an. ℥. ß. *iuiubar. sebesten.* an. num. vj. Coq. in aq.

Colatur. ℞. ℥. viij. In iis infund. *fol. senæ el.* ℥. ß. *epithym. Cret.* ʒ. ij. *turbith. elect. helleb. nigr. præpar.* an. ℈. ß. *zingib. caryophyll.* an. ℈. j.

In colatura dissoluatur mannæ ℥. ß.

Iterum coletur.

F. haustus.

Vel paretur talis potio.

℞. *Rad. polypod. q.* ʒ. vj. *asari, cort. tamarisc. rad. cappar.* an. ʒ. ij. *chamædr. capill. vener.* an. M. j. *epithym.* ℥. ß. *flor. borrag. bugloss. cichor.* an. ʒ. ij. *fol. senæ el.* ℥. j. *sem. anisi, fœniculi* an. ʒ. j. *passular. exacinatar.* ʒ. vj.

Infund. in *s. q. seri lactis.*

In colatur. ℥. vj. dissolu. *el. Indi, vel rosat. Mesue,* prout humoris natura postulat, ℥. ß.

Iterum colentur.

Add. *syr. de fumar. compos. vel de cichor. cum rhabarb.* ʒ. vj. Misce.

F. potio purgans pro 2. dosibus.

℞. *Rad. polypod. q. scorzoneræ* an. ℥. ß. *fumariæ, cochlear.* an. M. ß. *sem. endiuiæ, anisi, fœniculi, carui* an. Drach. j. *cort. rad. capparum* Drach. ij. *ceterach. capill. veneris, borraginis* an. M. ß. *fol. senæ* ℥. j. *agar. trochiscati* ʒ. ij. *rhabarb.* ʒ. j. *flor. cordialium* P. j. *spicæ Indicæ, cinamom.* an. ℈. j. *schœnanthi* ℈. ij.

Coquantur *in sero lactis.*

Colaturæ ℞. ℔. j. Adde *syr. de cichor. cum rhabarb. rosf. sol.* an. ℥. j. *succi cochleariæ vel scelotyrbici alicuius* ℥. j. ß. Misce.

Pro duabus vel tribus dosibus.

Vel ℞. *Rad. cichor. petroselini, polypod. q.* an. ℥. ß. *cort. tamarisc. rad. cappar.* an. Drach. ij. *helleb. nigr. præp.* ʒ. j. ß. *cochlear. nasturt. aq. becabung.* an. M. j. *ceterach. agrimon.* an. M. ß. *sem. anisi, fœniculi, agni casti* an. ʒ. i. *passular.* ℥. j.

Coq. *in s. q. seri lactis caprini.*

In colatur. infund. *fol. senæ el.* ℥. j. *rhabarb. elect.* ʒ. j. *flor. borrag. bugloss. genistæ* an. P. j. *cinamom. caryophyll.* an. ʒ. ß.

Colaturæ ℞. ℥. ix. *syr. de fol. senæ* ℥. j. *fumar. comp.* ʒ. vj. *cremor. tartari* ℈. j. M.

F. potio pro 3. dosibus.

Vel ℞. *Electuar. diacatholic.* ℥. j. *confect. Hamech.* Drach. iii.

Infund. *in decocto. vel aq. becabung. & cochlear.* ℥. iii.

Postea colentur: add. *syr. de fol senæ* ℥. ß.

### *Pilulæ.*

℞. *Pilular. tartarear. Quercetan.* ʒ. j.

F. Pilulæ mediocres.

Vel ℞. *Pilular. aggregat.* ℈. ii. *tartarear.* ℈. j. *Extract. hellebor. nigr.* gr. vj.

Fiant pilulæ xxi.

Vel ℞. *Pulu. rad. gialapa* ʒ. ß. *pilular. tartarear.* ʒ. i. *tartari vitriolati, pulu. sem. sinapi, nasturtij,* an. Scrup. sem.

Cum *succo absinthij, vel fumar. vel oxymel. scillit.*

F. pilulæ, quarum Drach. ß. sæpius ante cœnam exhiberi potest.

### *Pulueres.*

℞. *Fol. senæ* ℥. ß. *epithymi, cremor. tartari* an. ʒ. ii. *cinamom. caryophyll. galangæ, sem. anisi* an. ℈. i. *diagryd.* ʒ. ß.

F. puluis: Dosis ʒ. i.

Vel infundantur Vnc. sem. in sero lactis.

Nec incommodè exhibetur puluis senæ nostræ descriptionis.

℞. *Fol. senæ el.* Vnc. i. sem. *cremor. tartari* ʒ. vi. *cinamom.* ʒ. iii. *caryophyll. galang.* an. ʒ. ß. *diagryd.* Drach. i.

Possunt quoque huius pulueris Dra. ii. vel iii. pro ratione virium, in s. q. seri lactis per noctem infundi, & colatura manè exhiberi.

Commendatur etiam ad scorbutum extirpandum hic pului s.

℞. *Aloes, croci oriental.* an. ʒ. ii. *myrrhæ* ʒ. i. *Electuar. de succo rosar. in tabul.* ℥. ß.

Fiat puluis, cuius Dra. i. exhibeatur mane, & iterum Dra. i. horis duabus ante cœnam, in lacte caprino aut sero lactis caprini, aut in lacte, in quo nasturtium aquaticum coctum sit. Si propter aloës amaritiem puluis hic alicui minus arridet, pro tabulis de succo rosar. ipsum electuar. sumatur, & F. pilulæ.

Vel ℞. *Fol. senæ* ℥. ß. *epithymi, polypod. q. cremor. tartari, rad. rhabarb. monach.* an. ʒ. ß. *sem. anisi, fœniculi* an. ℈. ii. F. puluis.

Laudatur & hic puluis, cum pituitosus humor admistus est.

℞. *Fol. senæ, agarici trochisc. croci, epithymi* an. ʒ. ij.

F. puluis. Dosis ʒ. i. vel ii.

### *Passulæ purgantes.*

Vel parentur hæ passulæ purgantes.

℞. *Fol. senæ elect.* ℥. i. *mechoacann. albiss. polypod.* q. an. ʒ. vi. *flor. cordial.* an. P. i. *cinam.* ʒ. ß. *sem. fœniculi* ʒ. i. *glycyrrh. rasæ* ʒ. i. ß.

Ebulliant in s. q. *aq. vel vini,* & macerentur per noctem in infusione.

Colaturæ leniter expressæ, ℞ ℔. i. cui adde *sacch. alb.* ℥. ii. *mannæ* ℥. iii.

Coquantur ad spissitudinem Iulebi *cui sub finem adde succi cochlear.* ℥. ii.

Rursus semel atque iterum ebulliant.

*Tandem add. crem. tartari.* ʒ. vi. *passular. minor. lotar.* ℥. x. M.

Et maneant passulæ in infusione, de quibus datur ℥. ß. vel i vel Vnc. i. ß. pro ætatis & virium ratione. Si opus est, possunt, dum sumuntur, gr. i. vel ii extract. scammonii acui.

### *Bolus.*

Vel ℞. *Electuar. diacatholic.* ℥. ß. *confect. Hamech.* ʒ. ß. *pulu. fol. senæ, crem. tartari* an. ℈. ß. vel ℈. i.

Cum *saccharo*

F. Bolus.

Corpore hoc modo euacuato ad fortiora aperientia, & ea inprimis, quæ morbo huic propria esse diximus, accedendum, & medicamenta, quæ sale volatili abundant, ac humorum cruditatem, & deficientem coctionem, ac fermentationem corrigere, &, vt VVierus loquitur, crassos & crudos humores penetrare, cosque subtiles, & tenues reddere, obstructiones aperire, & vitiosos humores hinc inde per corpus dispersos discutere, vel per vrinas educere, & peculiarem illam humorum corruptionem impedire possunt, vsurpanda. *Antiscorbutica Medicamenta.*

Cum enim, vt suprà diximus, humor hic ex deficiente coctione & πνευματώσει salis, ac ciborum crassorum primam originem habeat, ea semper medicamenta, quæ defectum illum supplent, & quæ sale volatili abundant, ac humorem istum crassum & fixum, volatilem reddere, & crassis, spirituosam quasi raritatem inducere, ea suo loco mouere, vt ab vtilibus facilius separari, & ex corpore per conuenientes vias euacuari possint, apta reddere valent, quæque occultū illud

illud vitium, & peculiarem huius humoris corruptionem corrigere valent, vsurpanda.

Medicamenta autem, quæ hæc præstant, sale volatili abundant, & acrimoniam quandam cum amaritie coniunctam habent; atque insuper longa experientia ad hoc malum profligandum plurimum posse, comprobata sunt qualia sunt: *Cochlearia*, quæ facilè primas inter ista medicamenta tenet, & malo huic peculiariter aduersatur, vt longa experientia docuit, siue cruda comedatur, siue cum saccharo in conseruam redigatur, siue succus eius exhibeatur, vel etiam aqua inde destilletur. Sale enim volatili acri, cum amaritudine quadam coniuncto, abundat; vnde aperit, penetrat, crudos illos ac crassos humores volatiles reddit, vt Chymici loquuntur, discutit, per vrinam & sudores expurgat, viscera roborat. Nonnullis Britannica dicta putatur, quod in littore Britanniæ opposito copiosè proueniat, vt & in aliis regionibus, quibus hic morbus Endemius. Creatoris enim optimi sapientia factum, vt, vbi ob loci naturam morbi aliqui quasi vernaculi sunt, domestica etiam remedia copiosius crescant. Britanicam primò à Frisiis Romanis militibus monstratam fuisse, refert Plinius. *Nasturtium eiusque species omnes*, & inprimis aquaticum, quod ad hunc morbum inter cætera vtilius est. *Becabunga*, cuius vsum quidem nonnulli, si sola vsurpetur, improbant, metuúntque, ne sua humiditate excrescentiæ lienis potius materiam suppeditet. Verùm etsi hoc ita facillimè metuendum non sit, & sale volatili, quem obtinet, eodem modo, vt alia antiscorbutica medicamenta, in hoc malo efficax sit: tamen hoc etiam fatendum, salem illum volatilem in cochlearia longè esse copiosiorem, quam in becabunga, & becabungam plus humoris aquei obtinere, ideóque ex his duabus plantis mistis optimum, experientia teste, emergit remedium, & cum becabunga minus sit calida, quàm reliquæ illæ plantæ, commodissimè non solùm ad ipsum scorbutum, sed etiam vbi febris, ac calor præter naturam adest, exhiberi, eiusque dimidia pars reliquis addi potest. *Raphanus rusticanus*, nonnullis Armoracia, *chelidonium minus*, quod à Germanis peculiari nomine *Scorbuyck kreutlein* appellatur; *sedum minus*, quod illecebram vocant, sed cum acrius sit, minus tutum plerísque putatur. Scripsit tamen ad me nuper vir Excell. Dn. D. Ioh. Dieterus, Illustriss. Elect. Brandeburg. Viduæ & Berolinensis Medicus, in Suecia sereniss. Sueciæ Regis Chirurgum sibi retulisse, se in promptu habere pro copiis naualibus in maxima copia Aquam stillatitiam crassulæ minoris, quæ ibi vberrimè in superficie rupium serpit, à cuius vsu ægrotantes, qui scorbuto, vrgentur, initio valde languerent, tandem tamen mirè conualescerent, & tantam morbi vim potione hac simplici se leuaturum largè promisisse. *Nummularia*, *sinapi*, vnde vsus obtinuit, & commodè fit, vt salsis, ac fumo exsiccatis carnibus, & piscibus condimenti loco sinapi apponatur; *raphanus*, *trifolium aquaticum*, *arum*, Ferunt etiam in Norvvegia, prope Bergas, celebre ob pisces venales Emporium, terram quandam rubram, sigillaræ similem effodi, quæ sit certum, & efficax huius morbi remedium.

Alij referunt in eadem Norvvegia ad hunc morbum profligandum felicissimè vsurpari fructum chamærubi cuiusdam, qui sub nomine Chamæmori Norvvegicæ à Carolo Clusio, *in historia plantar. rarior. lib. 1. cap. 5.* describitur. Cum autem quæ hac de re notatu digna sunt, ex epistola D. Heinrici Hojeri Medici recenseat, ea hic inserere libet: *Ex ipso fructu*, inquit, *Electuarium, rudi Minerua, conficiunt quotannis Norvvegij, atque Finmarchij, in hunc ferme modum. Baccas in fictili aut aheno per se ad mediocrem consistentiam coquunt, nullo alio addito liquore: cum enim succi plenæ sint, molles, alieno humore irrigari non expetunt: quanquam in delicatioribus sunt nonnulli, qui melicrati Fionensis, (quo summè delectantur Septentrionales isti) aliquid affundunt. Hanc confectionem idoneis vasis exceptam, & ne corrumpatur ab ambiente aere, butyro dissoluto obductam, vsui studiosissimè reseruant: nobile sanè, & probatissimum illis aduersus scorbutum remedium. Etenim non facilè credas, quæ miracula ista gens sola hac medicina faciat quotidie: vt omnino fatendum sit, nihil ad hanc esse vel cochleariam illam, tot encomiis hactenus celebratam, vel becabungam, vel sisymbrium cardaminen & id genus alia, quibus Germani sese efferunt. Et meritò admiranda singularis Dei benignitas, quod Nordlandiæ longius ad septentrionem remotæ, & fœdissimis morbis ob cæli solique inclementiam miserabiliter scatenti, indigenis remediis prospicere voluerit. Enim verò morborum crudorum, putridorum, melancholicorum mira hic vbique seges. Idcirco necessitas miseros rusticanos varia auxilia edocuit, vt nunc vel in granissimis casibus pauperculus aliquis accommodatè sibi suisque mederi sciat. Ita nonnulli scorbuticos, quamuis ridiculè, tamen bene, atque vtiliter hunc in modum curant: In vicinam aliquam insulam moris abundantem exponunt, ibidemque solos relictos domum non transferunt, priusquam sanitati sunt restituti. Tunc enim illi, quasi ab omni humanitate exclusi, vitæ tamen (quod credibile est) cupidi, moris vesci coguntur, siue vt extremo remedio promissam sanitatem recuperare tentent, siue, vt sitim, qua vt plurimum torquentur, extinguant. Dumque hoc ad satietatem agunt, sine dubio intra paucos dies oppidò conualescunt. Hyeme verò, quando id non licet, electuario suo non minus feliciter vtuntur, sine certa dosi aut custodia. Alioqui toto curationis tempore nullo alio alimento vtuntur.* Hactenus Hojerus.

Idem Dn. Doctor Iohan. Dieterus ad me perscripsit, in Finlandia ad morbum hunc siue debellandum siue præcauendum in vsu esse Rangiferorum sanguinem, quem, dum mactantur, manu exceptum hauriunt: An quia hoc animal abundanti pastione chamæmori, cuius fertilis, vt fertur, est ista regio, qualitatem huic morbo aduersam sibi conciliat.

Sunt præterea & alia quædam, quæ, etsi cum prioribus æqualem efficaciam non habent, & ipsa tamen ad hoc malum satis vtilia sunt; *vt fumaria, absinthium, idque vulgare potius, quam Romanum, seu Ponticum*; *cum* non solum aperiat, & detergat, sed & roboret, *carduus benedictus, cuscuta, ceterach, scolopendrium, hyssopus, capillus ♀is, chamædrys, betonica, agrimonia, polypod. quernum, buglossum, borrago, radices heleny, oxylapathi, asari, cortic. tamarisci, capparum, flores & semen genistæ, flores sambuci, sem. agni casti, epithymum: &*, vbi febris ac calor adest, *cichorium, endiuia, acetosa, acetosella, succus citri, limonum, aurantiorum*: Quorum loco etiam *Spiritus* ⊖*lis*, ⊖*li*, *sulphuris* exhiberi possunt.

Hoc enim hic omnino etiam notandum, cautione quadam in exhibendis illis antiscorbuticis medicamentis, quæ omnia ferè sunt calida, & acria, opus esse. Nam cum isti humori crudo, & crasso varij alij humores in corpore abundantes admisceri possint, iique sæpe biliosi & calidi, ac humores in hypochondriis detenti efferuescant quasi, & calorem quendam concipiant, cauendum, ne medicamentis nimium calidis malum exasperetur. Itaque non incommodè cum sero lactis talia medicamenta exhibentur.

Rectè autem de medicamentis scorbuto propriis monent authores, in succis maiorem efficaciam esse, quam in decoctis; & testatur id experientia. Cuius rei caussa est, quod maximam efficaciam habeant hæc medicamenta à sale volatili, qui coctione dissipatur, vt & in exsiccatione plerumque euanescit: in succis verò, vt & in conseruis, ferè integer manet. Ideo raphanus rusticanus in conueniente liquore macerandus; ex cochlearia, nasturtio, becabunga succus exprimendus, vel conserua paranda.

Multò minus hic locum habent, aut aliis præferenda sunt, extracta cochleariæ, nasturtij, quæ quidam ne non

Marginal notes: ochlearia. — itanica. — sturtium — cabunga. — phanus / icanus, / lidonium / ius. / ũ minus — marubi / fium. — Rangiferorum sanguis. — Admonitio de medicamentis antiscorbuticis. — Extracta in scorbuto an vsurpanda.

non chymici esse videantur, præ aliis commendant. Etsi enim è quibusdam plantis vtilia ad scorbutum extracta parari posse, non negem; tamen ex istis plantis, quarum vis maximè in sale volatili constat, hoc fieri non potest; cum sal iste volatilis cum spiritu vini, vel quocunque alio, qui ad extrahendum adhibetur, liquore sese vniat, & auolet, & corpus ita sale hoc destitutum maxima ex parte inefficax ad hunc morbum curandum relinquatur.

Ex his varia composita parantur, quorum aliqua recensere libet.

## Decocta & potiones.

Pauperibus propinari potest cereuisia, in qua nasturt. aquat. cochlearia & becabunga cocta sint. Vel eadem in lacte coquantur.

Paratu facile, & nullibi ferè deficiens medicamentum est hoc:

℞. *Nasturtij aquat.* M.iii. *& cum haberi potest, acetosæ minoris in agris nascentis cum toto* M.ii.

Concidantur crasso modo, & per noctem macerentur in *lactis caprini* ℔. viii. *Postea coquantur ad* ℔. ii, *consumptionem, & colentur.* Colaturæ Vnc.vi. bibat æger mane, & horis duabus ante cœnam, & medicamenti huius vsum continuet, donec melius se habere animaduertat.

Vel coquatur cochlearia, & becabunga in lacte dulci, si febris absit; vel si febris adsit, in lactis sero, & decoctum exhibeatur, quo solo multos scorbuticos se curasse testatur Eugalenus.

Verum cum, vt suprà dictum, plantæ istæ coctionem fortem non ferant, in vase duplici, & clauso coquendæ, aut infundendæ potius, ne sal volatilis, à quo omnis vis, dissipetur, aut, quod commodius videtur, detur succus harum plantarum in lacte, vel sero lactis. Quo modo hisce medicamentis vulgus in Frisia, Hollandia, & aliis locis lacti assuetum, quo acrimonia eorum nonnihil obtunditur, vti solet. Serum tamen lacte commodius est; cum ab eo caseosæ partes, quæ obstructiones parere possunt, separatæ sint. Et testatur Eugalenus, imò ipsa experientia, longè maiorem efficaciam esse in succis, quam in decoctis. Ne verò succi valdè ventriculum offendant, aliquid sacchari, & pulueris cinamomi, ac anisi addi potest, atque ea ipsa de caussa etiam conseruarum cochleariæ, & similium plantarum vsus commodissimus est.

Vel ℞. *Cochlear. nasturt. aquat. part. æq. bekabung. dimid. part.*

Contundantur in mortario lapideo, *& in lacte caprino, vel sero coquantur*, Succus tamen præstat, & ob id non magna liquoris copia affundenda.

Commendatur & decoctum absinthii, atque hoc plurimos, qui paralysi scorbutica citra febrem laborarunt, se sanasse, testatur Eugalenus.

Et omnino πολυφάρμακον, & longo vsu probatum est medicamentum, quod fit *è succo cochlear. nasturt. aquat. sisymbrij cardamin. & becabungæ.* Exprimitur ex his plantis succus vel per se, vel affuso lacte, & sero lactis, & Vnc.iiii. vel Vnc.vi. exhibentur. Potest etiam aliquid aquæ cinamomi & sacchari albissimi adiici.

Vel ℞. *Succor. expressor.* Vnc. ii. *seri lactis caprini* Vnc. iii.

Si adsit calor, addatur succus acetosæ.

Vel ℞. *Becabung. cochlear. nasturt. aq.* an. M.i.

Contundantur, & infundantur in vino Rhenano; postea colentur cum expressione.

In colatura infundatur nodulus sequens.

℞. *Sem. nasturt.* Vnc.ß. *cinamom. garyophyll. macis.* an. Drach.i.

Detur quotidie haustus.

Vel ℞. *Rad. raphani agr.* Vnc. i. *cochlear. nasturt. aq. becabung.* an. M.i. *fumariæ* M.ß.

Contusis in mortario marmoreo affunde *lactis, vel seri lactis caprini* ℔.i.ß.

Stent in loco calido hor. 12. postea colentur.

Colaturæ add. *croci* scrup.i. *cinamom.* Drach. i. sem. *vel aqua cinamom.* Drach.ß. Misc.

Vel paretur hoc decoctum.

℞. *Rad. cichor. fœnicul. raphani rustic.* an. Vnc.i. *ari prap ar.* Drach.ß. *cochlear. nasturt. aq. bekabung.* an. M.ii. *cardui benedict. fumar. centaur. minor. absinth.* an. M.ß.

In vase clauso coquantur in *seri lactis caprini vel vini Rhenani* ℔.iiii.

Vel ℞. *Nasturt. aq. cochlear.* an. M.ii. *radic. raphan. agrest.* Vnc.ß. *galangæ, cinamom.* an. Drach.ii.

Conquass. omnia in mortario lapideo, & affusa *s. q. seri lactis* stent in loco calido per noctem, mane colentur.

Et de talibus potionibus mane, & horis duabus ante cœnam haustus exhibeatur; commodumque est, si æger post haustum matutinum sumptum in lecto sudare possit.

Vel ℞. *succi herb. cochlear. nasturt. aquat. an. cochlear.* ij. *chelid. minor. acetos. an. cochlear.* j. *absinthij cochl. s.*

Misce cum haustu seri lactis, *Aq. cinamomi parum.*

Vtatur æger quotidie manè superfudando per horam, vel quantum vires ferunt.

Vel ℞. *Cochlear.* M.i.ß. *acetos. recent.* M.j *seri lactis caprini vel vaccini q. s.*

Efferueant in vase duplici clauso, & stent infusa, donec refrigerentur.

Colaturæ

℞. *Pro singulis dosibus* Vnc. iiii. *syr. è succo cochlear.* Vnc.j. *aq. cinamomi* Drach.ii.

Misce.

Pro vnica dosi, & sic singulis diebus, quamdiu opus erit.

Vel ℞. *Succi sedi medij seu vermicularis, becabungæ. nasturtij aqu. cochlear.* an. Vnc.ß. *seri lactis caprill.* ℥.ii. *croci, macis, cardamomi* an. scrup. ß. *aq. cinamomi.* Drach.i.

Misce pro haustu.

Vel ℞. *Becabungæ, nasturt. aquat. cochlear.* ana M. iii.

Contusis adde *seminis Erucæ, rad. Iridis nostratis hortensis*, an. Vnc.ß. *zingiber. garyophyll.* an. Drach.j.

Coq. *Cum vini rubri* ℔.ii.

Colaturæ per aliquot dies mane detur cyathus vnus, ægerque ad sudorem se componat.

In iis, qui frigidioris sunt constitutionis.

℞. *Becabungæ, nasturtij, cochlear.* an. M. i. *cinamom. galangæ, croci* an. scrup.ii. *spicæ Indicæ* Drach.ß.

Macerentur in vini albi sextariis ij. Factaque leni ebullitione colentur.

Colaturæ manè & vesperi haustus sumatur.

Vel ℞. *Cochlear. becabung. nasturt. aquat.* an. M. j. *radic. raphan. agrest.* Vnc.iß.

Contundantur in mortario marmoreo, & affund. *lactis caprini q. s.* & bene misceantur. Stent in infusione horis xii. postea Coq. horæ semisse in vase duplici.

*Coletur, & exhibeatur.* Dosis Vnc.vi. mane, & horis duabus ante cœnam.

Si ventriculus sit debilis, aliquid cinamom. vel zinziber. addi potest. Et si corpus sit frigidius & œdematosum, maceratio & coctio in Vino Rhenano fieri potest.

Semen erucæ contusum, & in nodulo ligatum, ac in vino maceratum etiam ad curandum scorbutum vtile est.

Vel ℞. *Radic. polypod. q. cichorij* an. Vnc. j. *rhapontici, raphani rustican.* an. Vnc.ß. *radic. ari præpar.* ʒ. ii. *nasturt. aquat. fumar. absinth. ceterach.* an. M.i.

Coq. in sero lactis in vase duplici, & Colatura saccharo, si placet, dulcoretur.

Vel ℞. *sem. erucæ* Drach. ii. *nasturtij aq. absinth.* ana

an. Drach.i.*ceterach*, M.ii.*linguæ ceruinæ*. M.ß.*croci* scr.i. *cinamom.* Drach.i.

Affundatur vini q.f.

Nonnulli & cortices radicis iuglandis cum nasturtio copiosiore coctas commendant.

Recenset VVierus & alij quædam medicamenta, quæ iis in locis, vbi Scorbutus familiaris est, vulgò vsurpari solent. Hoc remedio infinitos curatos scribit:

℞. *Absinth. vulgaris, granor. iuniper. contusor.* an.M.i. *lactis caprini mensur.*i.vel ℔.iiii.

Coq. ad tertiæ vel quartæ partis consumptionem, pòst colentur cum forti expressione.

*Colaturæ add. croci* Drach.ß.vel Drach.i.& semel, atque iterum rursum ebulliant, & denuò colentur. Decocti huius haustus tepidus ter de die propinetur, manè, hora 3. pomeridiana, & cubitum ituro.

Alij hoc vsurpant:

℞. *Becabung. nasturt. aq.* an.M.iii.

Contusis adde *semin. erucæ. radic. iridis cælestis* ana Vnc.ß. *zingiber.* Drach.ii. *piper longi* Drach.i.

Postea affunde *mensur. dimid. vini* rubr. & Colentur. De quo mane detur haustus, ægérque in lecto rectus sudet, idque continuetur 9. diebus.

Idem VVierus in Frisia Orientali hunc potum ingratum, & abominabilem in vsu esse dicit:

℞. *Vini Rhen. mensur.*vi. *deinde* ℞. *rad. raphani agr.* Vnc. iii.

Quæ contundantur, & contusis affundatur *pars vini, & hora j.* macerentur, postea colentur, *& Colatura cum vino reliquo misceatur. In huius vini parte aliqua dissolue stercoris taurini, & anserini (pro quibus malim ouillum substituere, quo in sero lactis dissoluto, & colato febres iis in locis, proculdubio scorbuticas, à quibusdam curari audio) ana partem, quæ tres nuces iuglandes æquet: dissolutum coletur cum forti expressione, & Colatura cum reliquo vino misceatur, in quo suspendatur in nodulo hor.* 24. *pulueris nucis moschat. & garyophyll.* an. Drac.ii. Hunc potum, quoties sitit, ægro exhibent, & nullum alium potum præbent. Vbi febris & calor coniunctus est, lac ebutyratum, vt appellant, in quo cochlearia & bekabunga cocta sint, vel cum succo earum exhibeatur.

## *Syrupi.*

Syrupus sceletyrbicus Foresti hic est. *Recipe succi cochleariæ, becabungæ* ana ℔.iii. *sacchar. optimi* ℔.ii. *Coquantur simul, &* f. a.

F. Syrupus.

Syrupus cochleariæ compositus, Vratislauiæ vsitatus, & olim à Reipub. illius Medico ordinario, D. Caspaŕo Packischio præscriptus.

℞. *Herb. cochlear. nasturt. aq. agrimoniæ, Sij aquat. asplenij, hemionitid. saluiæ, capill.* ♀ *chamædryos, prassij, fumariæ, veronicæ, pentaphylli, fol. ebuli,* an. M.i. *sem. anisi, fœniculi, nasturtij, apij, petroselini, pulpæ sem. brusci, asparagi,* an. Drach. i. *melon.* Drach. ii. *rad. filicis œnanthæ, asparagi, pimpinellæ, borraginis, bugloss. polypod. tussilaginis, glycyrrh. taraxaci, cortic. radic. cappar.* an. Dr.i.ß. *flor. hepaticæ, borraginis* an.M.ß.

F. Horum omnium *f. a. decoctio in f. q. Aq. nasturt. aquat. ad remanentiam,* Vnc xL.

Stent in decoctione vsque ad infrigidationem.

Colentur cum forti expressione.

*Colaturæ* adde *facch. rub. opt.* ℔.iii.

Bulliant lentissimo igne ad spissitudinem Syrupi. Clarificentur & aromatizentur cum subscripto nodulo, qui

℞. *Pulu. rhabarb.* Drach. iii. *cinam.* Drach.i. *garyophyll. macis.* an. scrup.ii.

## *Aquæ destillatæ.*

Quibus decocta non arrident, iis aqua destillata cochleariæ, nasturtij aquat. vel aquæ compositæ Scorbuticæ exhibeantur. Et semper danda est opera, vt ad talia medicamenta æger sudet.

Aqua scorbutica à Quercetano, *cap. 7. Pharmacop.* descripta hæc est.

℞. *Cort. Capparum, fraxini, tamarisci, rad. polypodij querni* an. Vnc.ii. *herb. cochleariæ, nasturtij aquatici, summitatum melissæ, eupatorij Mesuæ, ceterach, chamædr. chamæpit.* an. M.ii. *sem. fœniculi, anisi, cardui benedict.* an. Drach.i. sem. *flor. genistæ, centaurij minoris, hyperici, sambuci, epithymi* ana P.ii.

Omnia macerentur per tres dies, in *aq. fumariæ, seri lactis* an.℔.iii. *vini albi generosi,* ℔.iv. *oxymelitis scillitici,* ℔.i.

Dein colentur & exprimantur: expressioni adde *trochiscorum de capparibus, dialaccæ* Drach.vi.

Postea destillentur per cineres ad siccitatem. Dosis Vnc.ii. mane tribus horis ante cibum, continuando per aliquot dies secundum morbi magnitudinem.

Aqua scorbutica Tobiæ Dorncreilii hæc est.

℞. *Rad. raphani sylvestris acerrimi* ℔. iiii. *polypod. querni mundi* Vnc.i.ß. *cort. rad. cappar.* Vnc.ß. *sem. fœniculi* Vnc.i. *cardamomi* Vnc.ii. *croci Orientalis* ℥.i.

Radices raphani incidantur in orbiculos tenuissimos; reliqua verò puluerizentur subtilissimè, & simul infundantur in *vini Rhenani albi* ℔. xvi. & stent in infusione in loco calido per octiduum, vase quotidie semel atque iterum agitato.

Deinde adde *aquæ cochleariæ, becabungæ, nasturtij aquatici* an. ℔. i. ß. *chamædryos veræ, fumariæ composit.* an. ℔.i. *seri lactis caprini* ℔.i. ß.

Misce & destillentur in balneo Mariæ igne lentissimo.

Nostræ aquæ scorbuticæ hæc est descriptio.

℞. *Cortic. tamarisci, fraxini, rad. cappar. rad. polypod. q. aperient.* ana Vnc. i. *gentianæ* ℥.vi. *helenij, ari, cortic. citri,* an. ℥. ß. *chamædryos, chamæpityos, cardui benedicti* an.M.i. *trochisc. de absinthio, de capparibus* an. Vnc.i. *sem. erucæ* ℥.ß.

Contundantur. Contusis Adde

*Rad. raphan. sylvestr. acerr.* ℔.i. sem. *nasturtij aquat. cochlear. becabung. fumar.* an.℔.iii.

Et cum prioribus contundendo misceantur, & f. a. digerantur, & affusa *vini Rhenan. aq. cuscut. cardui benedict.* an. *f. q.*

Destillentur.

Aqua antiscorbutica Dn. D. Michaelis Döringii Physici Vratislauiensis.

℞. *Herb. cochleariæ, nasturtij aq. becabungæ nummulariæ, chelidonij minor.* (vel in defectu rad. eius) *barbareæ siue accipitr.* an.M.i. *flor. cordial.* ana Drach.ii. *calend.* ℥.ß. *rad. gentianæ* ℥. i. sem. *calami arom.* ℥. vi. *helenij, ari* an. Vnc. sem. *cortic. citri siccor. aurant. sicc.* ana Drach.iii. *trochisc. de eupator,* Drach.vi. *sem. cuscut.* Vnc. sem. *cochleariæ, nasturtij aq. anisi, fœniculi* ana Drach. ii.

Infundantur per triduum in *aq. fumariæ, cuscutæ, cardui bened.* an.℔.iii. *vini albi generosi* ℔.ii. *Aq. nostræ melissæ comp.* ℔.ß.

F. f. a. in vasis vitreis per B. M. destillatio, suspendendo in alembico nodulum *specier. diambr.* ℥.ii.

Aqua melissæ composita, qua potissimùm apud fœminas, ad cor & vterum roborandum, flatus dispellendos, & id genus affectus vtitur, hæc est.

℞. *Herbæ melissæ veræ* M.vi. *cardui bened. flor. calendulæ* an. M. i. ß. *cortic. citri siccor.* Drach. vi. *cinamom. acutiss.* ℥.ß. *rad. angelicæ, calam. aromat. pimpinellæ* ana Drach.ii. *croci integri* ℥.i.

Infundantur in *vini Vngarici opt.* quart. iii. *vini destillati rectificati* ℥.iii.

Stent in infusione per dies quatuor, quotidie agitando. Postea destillentur per B. M. in vase vitreo.

Alia eiusdem.

℞. *Herba cochleariæ, becabungæ, nasturtij aq. fumariæ, verbenæ, chamæpit.* an. M. i. *flor. genistæ, hyperic. borrag, buglosſ.* an. M. ß. *rad. helenij, chelidonij major.* (de quo se verè affirmare posse testatur, se eius solius succo expresso cum vino vel cereuisia exhibito apud pauperes semel atque iterum lienem tumentem ac dolentem persanasse) an. Drach. vi. *cortic. citri* ℥. ß. *trochisc. de rhabarb.* Drach. v. *sem. cuscutæ* ℥. i. *anisi, fœniculi* an. Vnc. sem. *galangæ* Drach. vi.

Infundantur per triduum in *aq. fumar. cuscutæ, cardui benedict. vini albi generosi, maluatici* ana ℔. i. ß.

F. s. a. in vasis vitreis destillatio, suspendendo in alembico nodulum ex specierum diambræ ʒ. ii.

Vel ℞. *Succi sedi med.* ℔. i. sem. *cochlear.* ℔. i. *Vermicularis seu sedi min.* ℥. iii. *anagallid. aquat. seu becabung. nasturtij aquat.* an. ℔. ß. *nummulariæ* ℥. iii.

Succi hi optimi depurentur per digestionem in balneo roris, deinde digerantur cum *rad. acori vulg.* ℥. iv. benè incis. per duos dies naturales, postea exprimantur. Colentur optimè. Adde sacchari parum vel q. s. Destillentur in balneo vaporoso, vasis bene occlusis, ad consistentiam mellis. Aqua per se seruetur, seorsim etiam extractum. Ex capite mortuo seu herbis residuis sal arte extractus, & ipse seruetur.

Vel ℞. *Rad. scorzoneræ, sarsæ parillæ* an. ℥. ii. *cort. tamarisci, fraxini* an. ℥. i. ß. *cochlear. recentis, nasturtij aqu. becabungæ, nummulariæ, agerati, chamædryos, chamæpityos, ceterach, melissæ* an. M. ii. *sem. cardui Mar. aquileg. carduib.* an. Vnc. sem. *fœnic.* Scrup. ii. *flor. genistæ, hyperici, sambuci, centaur. minor.* an. M. i.

Infundantur in *seri lactis, aq. fumariæ vel nasturtij aquat. vini albi* an. ℔. iv. Destillentur per cineres. Liquoris mane Vnc. ii. exhibeantur.

Vel ℞. *Cochlear. nasturt. aquat. becabung.* an. M. iv. *nummulariæ, absinth. fumar. scordij, persicariæ, meliss. chamædr. chamæpit.* M. i. *sarsæ parillæ, ligni guaiaci* ana ℥. iii. *aq. nasturtij aquat. agrimon. vini albi* ana *quantum satis.*

Destillentur.

Vel ℞. *nasturt. aquat. cochlear.* an. M. iii. *absinth. sedi minoris* an. M. ii. *rad. raphani agrest. in orbiculos concis.* ℔. iv. *scorzoneræ* ℥. i. *cort. rad. cappar. tamarisci* ana Drach. iij. *sem. fœnic.* Drach. vi. *granor. paradis. cardamomi, croci* an Drach. i.

Affunde *Rhenani vini* ℔. xvi. *aq. cochl. fumar.* an. ℔. i. *seri caprini* ℔. ii.

Stent in balneo tepido per diem, postea destillentur. Detur destillatum continuis diebus ad Vnc. iii.

Vel ℞. *Cochlear. becabung. nasturt. aquat. persicar. nummular.* ana M. i. *chamædryos, chamæpit. scordij* an. M. sem. *rad. helenij, filicis, ireos, asari, scorzoneræ, sarsæ parillæ* ana Vnc. i. *cort. tamarisci, cappar. fraxini* an. Drach. ii. *flor. sambuci, borrag.* an. M. s. *gran. iuniperi contusor.* ℥. iii. *cort. citri, cinamom.* an. Drach. iii. *croci, spicæ Indicæ* an. Drach. ii. *sem. erucæ, vrticæ, fœnic.* an. Drac. i. ß.

Affunde *aq. buglosſ. melissæ, nasturtij aq.* an. part. iii. *succi limonum, aceti tunic. sambuci* an. part. i.

Digerantur diebus aliquot in vase clauso. Postea exprimatur succus: Expressus in B. ad sapæ consistentiam destilletur.

Remanentiæ affundatur aqua destillata, *oxymel. scillit.* ℔. i. *vini* ℔. iii.

Diebus aliquot digerantur, iterumque destillentur.

*Spiritus.*

*Spiritus.* Efficacior est spiritus harum plantarum, id est, liquor ex viridi planta exstillans, per crebram destillationem ab humore aqueo maxima ex parte separatus, qui totam ferè vim, quæ in magna mole est plantæ, huic affectui conueniens, complectitur. Potest enim ex cochlearia, nasturtio, centaur. minor. aliisque plantis æquè ardens spiritus ac ex vino elici, quod qui non expertus est, vix credit. Totum autem artificium in fermentatione & digestione consistit.

*Extracta liquida, seu essentiæ.*

Commendat Ronsſeus *absinthij, cochleariæ, fumariæ, chamædr. tincturam*, aut essentiam, eámque in morbis melancholicis, & qui iam radices multos annos fixerant, plurimum potuisse, se compertum habere scribit; & Nobilem quendam, qui multos annos flatibus hypochondriacis laborasset, ac vere, & autumno variis, multisque pharmacis se macerasset, tandem sola fumariæ, & chamædryos quinta essentia, vt appellat, minimo negotio restitutum fuisse, & hoc ceu domestico, ac familiari medicamento ad annos plus minus 12. ad morbi præcautionem felici successu vsum fuisse, refert. *Extracta liquida & essentia.*

Paratur autem hæc tinctura, vt & *lib. 5. Instit. part. 3. s. 3. cap. 9.* docuimus, si spiritu vini optimo herbæ macerentur, donec tincturam, seu viriditatem herbarum imbibat, deinde reiectis iis herbis, nouisque additis infusio repetatur, idque ter, vel quater, donec spiritus vini tinctura, & essentia plantarum saturatus sit; cuius tincturæ ægro manè paruum cochleare propinetur.

His tincturis cognati sunt liquores, quos nonnulli essentias nominant. Ex plantis conuenientibus, cochlearia, fumaria & similibus exprimitur succus, qui in Baln. digeritur, donec sedimentum crassum subsideat, & reliquus succus clarescere & rubescere incipiat. Tum quod clarum est per inclinationem à fecibus separatur, atque iterum digeritur, donec feces nullæ amplius subsideant. Vt diutius asseruari possit hic liquor, eius libræ vni sacch. Vnc. iii. addi, & Baln. calore ad syrupi liquidi consistentiam coqui possunt.

*Mixtura.*

Potest & ad hoc malum debellandum mixtura talis parari.

℞. *Spirit. tartari compos.* quem vulg. misturam simp. nominant, Vnc. ii. *extr. gran. iuniper.* Drac. ii. *pimpinell. calam. arom.* an. Drach. sem. *croci* Scrup. ß. *essentiæ, spiritus*, vel in defectu, *succi vel syr. cochleariæ, nasturtij aq.* an. Drach. ii. *syr. cinamom.* Vnc. sem. *fumariæ, acetos. citri* an. Vnc. i.

Misceantur omnia exactè, digerantur, colentur, Dosis à Drach. i. ad Drach. iii.

*Electuaria.*

Vel ℞. *Conseru. cochleariæ* Drach. ii. *chamædr. acetosæ, cichorij, rad. condit. helenij* an. Vnc. sem. Cum *syr. acetos. citri, & endiuiæ, vel byzant.*

F. Electuarium.

Vel ℞. *Conseru. fumar. cochlear.* an. Vnc. i. *absinth. borrag. rad. condit. pimpinellæ, cichorij* ana Vnc. sem. *spec. diarrhod. abbat. diapliris.* an. Drach. sem.

Cum syrup. acetosit. citri F. Electuarium.

Vel ℞. *Conseru. cochleariæ* ℥. iii. *fumar. flor. genistæ, borragin. meliss.* ana Vnc. i. sem. *cortic. citri condit. nucis Indic. condit.* an. ℥. i. *extr. gran. iuniperi* ʒ. ii. *confect. alcherm.* ʒ. i. Cum *syr. cochlear. vel sceletyrb.*

Fiat Electuarium.

*Pulueres.*

In corporibus frigidioribus hic puluis vsurpari potest.

℞. *Cubebar. macis, granor. paradisi.* ana Drach. sem. *sem. erucæ*, ʒ. iv. *croci* ʒ. ii. F. puluis.

Dosis Drach. i. cum *lact. caprini* Vnc. iv. mane & vesperi.

Laudatur & hic puluis.

℞. *Cina*

℞. *Cinamomi opt. nuc. mosch. sem. nasturt.* an. ʒ. ij. *croci* Scr. ij.

F. Puluis.

Dosis ʒ. j. cum *aq. cochlear. vel fumariæ*, dulcoratis *syr. fumar. vel cochlear.*

Non sine fructu etiam in scorbuto exhibetur puluis ille D. Birckmanni, quem, eiusque vires Quercetan. *pharmacop. dogm. rest. lib.* 1. c. 20. descripsit, qui, si libet, additione salis nasturt. cochleariæ, sem. erucæ, croco & aliis huic morbo accommodatior reddi potest. Paratur autem hoc modo.

℞. *Rad. ari præparat.* vt Quercetanus ibi docet Vnc. ij. *acori vulg.* (forsan acori veri, vulgò calami aromatici dicti) *pimpinellæ* an. ℥. i. *oculor. cancri præp.* ℥. ß. *cinamom.* ʒ. iii. *salis absinthij, iuniperi* an. ʒ. j. *sacch. rosf. q. s.*

F. Puluis.

Vel ℞. *Rad. ari præpar.* ʒ. ij. *pimpinellæ*, *calami arom. ligni rhodij* an. ʒ. ß. *nummular. flor. genistæ, sem. nasturt. erucæ, fœnic. carui* an. ℈. ii. *caryophyll. cubeb. zingib.* an. ℈. i. *cinam.* ℈. ii. *salis fraxini, tamarisci absinthij* an. ℈. ß.

Rotulæ diarrhod. vel diapliris ad pondus omnium.

F. Puluis.

### *Rotulæ & morsuli.*

*[Rot]ulæ & [mo]rsuli.* Possunt ex pulueribus rotulæ & morsuli formari, additis, speciebus diapliris, diarrhod. diatrionsantal. confect. de hyacintho, cordial. temper. trochisc. de capparibus.

Postquam aliquoties hæc medicamenta vsurpata fuerint, vtile est, si morbus non cedat, purgationes suprà præscriptas repetere, præcipuè si aluus officium non facit, & deinde iterum ad horum medicamentorum vsum redire, quæ tum insensibiliter, tùm sensibiliter per vrinas, & sudores vitiosorum humorum reliquias euacuare, & discutere valent; qua in re quò natura vergat, videndum, eiusque conatui à Medico succurrendum, vt mox dicetur.

*[Ac]idulæ.* Non etiam incommodus est vsus acidularum, cum & illarum pòtus materiam scorbuticam euacuare, & absumere possit, præcipuè ferratarum, cum aliàs chalybs in obstructionibus lienis summum sit remedium; de qua re videatur Epistola Ronssei, quam de quæstione, An acidulæ scorbuto conueniant, scripsit. Si verò fontium acidulorum copia non detur, chalybs præparatus, & crocus martis aperiens illorum loco vsurpari possunt. *[Ch]alybs præ[p]aratus.* Vim enim & obstructiones viscerum, præcipuè lienis aperiendi, & aluum mouendi in chalybe esse, non solum recentiores, Fallopius, Crato, Platerus, Guilielmus Fabricius, & alij deprehenderunt, sed & iam olim Dioscorides, *lib.* 5. *cap.* 50. vim aluum mouendi squamæ stomomatis inesse annotauit.

*[Vri]nam cie[re].* Vt reliquiæ è corpore exterminentur, videndum, quò natura vergat. Quæ circa primas vias & lienem est materia, sæpe satis commodè per vrinas, quæ crassæ & nigræ tum redduntur, euacuatur. Itaque si materiam ad vias vrinæ vergere videmus, idoneis medicamentis ea adiuuanda, quem in vsum pleraque medicamenta contra scorbutum pugnantia vtilia sunt, & inter ea fumaria. Et omnino diuretica, præcipuè ex scorbuticis illis, habent magnam vim hunc morbum curandi. Vnde Hippocrates, *de internis affect.* lienosis diuretica dare præcipit. Et Galenus, 1. *ad. Glauc. cap.* 11. in omni quartana iubet vti diureticis, & 2. *ad Glauc.* 11. lienem per vrinas purgat, & 7. *de simpl. med. fac.* cappares lienem per vrinas purgare scribit. De via vt soliciti & anxii simus, opus non est. Est ea satis manifesta & compendiosa per arterias. Habet enim lien illas copiosas, per quas breui via ad vias venarias superflua è liene euacuari possunt. Valletius, *ad Hollerium lib.* 1. *cap.* 40. recitat historiam religiosi cuiusdam, cui ter, aut quater in anno intumescebat lien, cum dolore eius lateris totiusque abdominis tumore incipiente. Hic tandem nigris erumpentibus vrinis, atramento similibus per quinque aut septem dies continuantibus, pristinam recipere solitus est incolumitatem.

Præter alia autem hîc etiam vtilia sunt, sem. quatuor frigida maiora, eruca, rad. valerianæ, cortic. radic. cappar. & tamarisci, leuistic. baccæ iuniperi.

Quæ verò in ambitu corporis hærent reliquiæ, eæ cùm sensibiliter tùm insensibiliter discutiendæ sunt. *Sudorifera & balnea.* Ad eas sensibiliter discutiendas balneum & Laconicũ institui potest; in aqua autem balnei coquantur folia & radices maluæ, brancæ vrsinæ, becabungæ, nasturt. aquat. artemisia, flores meliloti, chamæmeli, betonica, absinth. grana iuniperi, semen lini, baccæ lauri; ægerque in balneum, vel laconicum descensurus sumat decoctum, vel succum vel aq. acetosæ, becabungæ, nasturtii, cochleariæ, fumariæ cum vino, cui salis absinthii, vel cardui benedict. Scr. i. addere commodum est: vel sumat rob. sambuci ʒ. iii. salis absinthii vel carduiben. ℈. i. cum aqua fumariæ, cochleariæ, nasturtii, carduiben. pimpinellæ; vel pulueris pimpinell. Dra. i cum aq. fumariæ; vel etiam aliquid theriacæ, aut Mithridatii. Postea decocto herbarum modò enumeratarum totum corpus abluatur ac herbis ipsis coctis fricetur. Eadem etiam extra balneum, vt æger in lecto sudet, exhiberi possunt, atque eum in finem vsurpari etiam decoctum guaiac. sarsæ parillæ, chinæ, ♁ diaphoret. bezoarticum minerale.

Salomon Albertus ad sudorem ciendum hoc pharmacum exhibet.

℞. *Gentianæ* ℈. i. *rad. asari* ʒ. ß. *cinamom.* ℈. i. *piperis*, *zingiber.* an. ℈. ß. *myrrhæ* ℈. i. *croci* gr. iii.

Cuius pars vna detur in balneum se demittenti, altera è balneo exeunti cum ℥. iii. huius potiunculæ.

℞. *Acetosell. becabung. fumariæ, nasturt. aq.* an. M. sem.

Contusa in mortario marmoreo macerentur *in vini albi* ℔. i. Exprimatur succus.

℞. *Gentianæ* ʒ. ii. *calami aromatic. piperis, zingib.* an. ʒ. iß. *myrrh. rubræ* ʒ. ß. *croci* gr. xv.

Detur ʒ. i. ingredienti balneum, & tantundem egredienti cum liquoris sequentis ℥. iii.

℞. *Becabung. sisymbrij cardamines, fumariæ, acetosæ* an. M. i.

Contundantur in mortario lapideo, & cum vini Rhenani ℔. j. exprimatur succus.

Ad sudorem etiam mistura simpl. exhiberi potest, vel aq. theriacalis.

Vel vice Laconici aut balnei in lecto æger stragulis opertus sudet, iisdem vel hac potione assumpta.

℞. *Nasturt. aq. becabung. cochlear.* an. M. i.

Contundantur in mortario marmoreo, & succus exprimatur.

Adde *piperis longi*, *zingiber. sem. erucæ*, *sinapis* an. ʒ. ß.

Affundatur *vini sextarius, vel paulò plus. Succi* expressi calefacti exhibeantur ℥. v. mane per dies aliquot. Et plerumque plus sudationibus, quam purgationibus, ac venæ sectione perficitur.

Si venter, & crura intumuerunt, tale decoctum ad sudandum parari potest.

℞. *Absinth. rutæ*, *matricariæ*, *chelidonij min. leuistici cum toto* an. M. ii. *flor. chamæmel.* M. i. *sem. erucæ* M. i. ß. *sulphuris* ℥. i.

Coq. in s. q. vini, quo lapides igniti perfundantur, vel fumus membris tumidis excipiatur.

Aut si æger ob debilitatem balneum tolerare non possit,

possit, paretur hoc decoctum, quo linteamina imbuantur, iisque calidis corpus sæpius abstergatur.

℞. *Ligni guaiaci, cort. berber. sambuci sem. erucæ* an. ℔.ß. *matricariæ* ℔.ij. *nitri, aluminis* an. ℥.iij. *vini q.s.*

Tandem cum à colluuie prauorum humorum eorumque vaporibus viscera, inprimis lien, hepar, ventriculus, & vt cor, pulmones, cerebrum labefactari, iisque praua dispositio imprimi soleat, necessarium est, vt contra has iniurias viscera roborentur, licet prauitas humorum deuicta sit, humoresque praui è corpore exturbati, membris, quæ labefactata & à naturali constitutione deiecta sunt, succurratur iis remediis, quæ labem impressam eluere, spiritus instaurare, viscerumque tonum restituere valent.

*Roborantia.* In hoc vero negotio expediendo obseruandum, quæ pars præcipuè in consensum trahatur, quamque inprimis humores vitiosi occuparint; ideoque ex antiscorbuticis medicamentis ea eligenda, vel iis admiscenda, quæ viscera, & coctioni publicæ dicatas partes roborare valent.

*Vētriculum.* Itaque ne nausea aliqua à medicamētorum vsu concilietur, & ventriculus à vitiosis humoribus, quos in eum Lien, & vicinæ partes eructant, & flatibus, ac vaporibus, qui ex aluo, & vicinis locis in eum ascendunt, flaccescat, & in suo officio deficiat, roborandus *absinthio*, cuius vel summitates in potu macerandæ, vel conserua exhibēda, *conseruâ rosar. s. vel vitriol. myrobal. chebulis condit. zingiber. & cortic. citri conditis nuce Indica condita, syr. de cinamomo, rob iuniperi, spec. aromat. rosat. diambræ, elixir proprietat.*

Neque externa negligenda, cerotum stomachale, ol. menthæ, mastiches, macis, caryophyll. absinthij, balsamum Indicum, sacculi stomachales & similia.

*Hepar.* Ad hepar roborandum vsurpari possunt, *agrimonia, ageratum, chamædrys, hepatica, spica nardi, absinthium, spec. diapliris. electuar. de vino Hollerij, diapassulatū eiusdem, Aquæ hepaticæ & ex hepate vituli destillatæ,* & vbi aliquis calor coniungitur, *cichorium, spec. diarhod. diatrionsantal.*

Extra etiam fomenta, linimenta, emplastra applicentur, quæ hepar roborant, eiusque tonum conseruant.

*Lienem.* Ad lienem *ceterach, lingua ceruina, chamæpitys, cortic. cappar. tamarisci, syr. de pomis, de fumaria, de scolopend. crocus & tinctura ♂, extractū splenetic. Quercetan. Aq. splenetic. compos. aqua schœnanthi Tabernamontani, trochisci de cappar. puluis diacappar. Rondeletij, oxymel. splenetic. eiusdem, el. de chalybe.*

Extra etiam conuenientia medicamenta vsurpentur.

*Cor.* Ad cor roborandum *confectio alchermes, conserua borraginis, bugloss. fl. tunicis, melissæ, cortic. citri condit. fl. citri condit. nux Indic. condita, syr. de cortic. citri, tunicis, de cinamom. spec. cordial. temper. confect. de hyacintho. el. de gemm. diamarg.* quibus omnibus admisceatur cochlearia.

Foris; *ol. citri, cortic. aurant. benzoes, macis, garyophyll. cinamom. balsamum Indic. & idonea vnguenta, linimenta, ac sacculi.*

*Pulmones.* Ad pulmones, *Hyssopus, capill. ♀, radic. helenij, conserua ros. veronicæ, fl. iridis, radic. condit. helenij, spec. diaireos, rob. iuniperi, aquæ & extract. pectoralia.*

Ex. gr. ad Hepar, & Lienem paretur hoc electuarium.

℞. *Conseruæ cochleariæ* ℥.j.ß. *chamædryos scordij, cichorij* an. ℥ j. *rad. condit. helenij* ℥.ß. *spec. diarrhod. abb. diapliris* an. ʒ.ß.

Cum syrup. acetosell. F. Electuarium.

Vel hæ rotulæ parentur:

℞. *Spec. diarrhod. abbat.* ℈.iiij. *diatrion santal. trochiscor. de cappar.* an. ℈.j. *sacchari in aq. nasturt. & agrimon. dissolut.* ℥.ij. F. Rotulæ.

Lien fomentetur decocto *flor. genistæ, tamarisc. rutæ, vrticæ. nasturt. aq. & similium* Postea inungatur tali, vel simili vnguento.

℞. *Ol. de cappar. rutac. amygdal. amarar. sambucin.* an. ℥.ß. *succi bryoniæ, filicis, Nicotianæ veræ* an. ʒ.vj.

Coq. ad succorum consumption.

Add. *pulu. subtilis radic. asari, cyclamin. cort. rad. cappar. sem. agni casti* an. ℈.ij. *ceræ q.s.*

F. Linimentum.

Vel paretur cataplasma ex radice bryoniæ cocta in vino ad mollitiem, contusa, & cum farina lupinorum, & hordei, ac oleo de cappar. in formam cataplasmatis mista.

Et si tumor, ac durities aliqua Lienis adsit, debito modo curetur.

---

## CAPVT VII.

### *De Curatione speciali aliquot affectuum, qui Scorbuto coniunguntur.*

Etsi verò plerumque si legitima, & modò iam præscripto curatio instituatur, symptomata, ac morbi, qui scorbutum comitantur, euanescere soleant sponte, idque maximè in scorbuto nondum inueterato accidat: si tamen malum radices iam egerit. & humores vitiosi partem aliquam altius obsederint, peculiaribus interdum ad aliquos morbos, ac symptomata profliganda remediis opus est. Ideóque aliquid de quorundam affectuum, qui cum scorbuto conjungi solent, curatione addemus.

Et quidem generalis lex curandi hosce morbos est, vt adhibeantur medicamenta, quæ aliàs morbi isti vel symptomata, quando vrgent, postulant: his verò admisceantur, quæ peculiari vi huic morbo aduersantur. *Regula generalis curandi affectus scorbuticos.* Nullus enim morbus, qui cum scorbuto conjungitur, integrè curatur, nisi simul scorbutus curetur, & medicamenta scorbutica admisceantur, testaturque experientia, medicos sæpe in tertianis, quartanis, hydrope, ictero & aliis morbis, qui latentem scorbutum coniunctum habent, curandis frustra laborare iis solum medicamentis, quibus aliàs ij morbi tolli solent, nisi simul antiscorbutica exhibeantur. Hæc autem cum capite præcedente proposuerimus, illa passim è practicorum libris pateant, & plura sint, quam vt hic recensci vel possint vel debeant, paucis hæc tractabimus.

### *De Curanda difficili respiratione & pectoris angustia.*

Difficilem primò respirationem, & angustiam illam quod attinet, non tollitur illa solum thoracicis, sed adhibenda sunt, quæ scorbuto inprimis resistunt, & inprimis cochlearia. *Difficilis respirationis et pectoris angustiæ curatio.* Et cum plerumque febres, ac obstructiones cum ea coniungantur, admiscenda, quæ febrilem calorem temperant; de quibus postea: aperientia item, capill. ♀, cuscuta, ceterach. carduus benedict. fumaria, beronica. Eugalenus species pliris archontic. commendat. Vtilis etiam est confectio alchermes, crocus & alia cordialia.

### *De gingiuarum corruptione, dentium & oris vitiis.*

Gingiuarum laxitas, putredo & fœtor, quod vitium Plinius, & Strabo vno nomine Stomacacen nominant, curatur medicamentis abstergentibus, putredinem inhibentibus, partim adstringentibus, & siccantibus, qualia sunt *aquilegia*, quæ commune nomen cum hoc malo, quod Germanis *Ageley* dicitur, habet, *saluia, rosmarinus, hyssopus, bistorta, balaustia, nux moschata, rosa rubra, equisetum, fol. quercus, cortic. granator.* *Gingiuarum dentium & oris vitiorum.*

*cortic.*

*cortic. prunor. ſylueſtr. oxyacanthæ, berber. ſumach. rad. ariſtoloch. biſtortæ, myrrha, alumen, vitriolum, mel roſatum, diamorum, mel & oxymel. ſcilliticum*, & qui efficaciſſimus hic, *Spiritus vitrioli*: quibus & ex iis aliqua addenda, quæ contra ſcorbutum peculiarem vim habent, vt *cochlear. naſturt. aquat. numularia.*

*Collutiones oris.*

Poſſunt ergò tales plantæ in vino auſtero, vel aqua coqui, & decocto mel roſatum, & alumen addi, eoque gingiuæ frequenter ablui.

Vt ℞. *Tormentillæ, biſtortæ cum radicib.* ana M. i. *malicorij.* Vnc.i. *ſumach.* Vnc.ß.

Coq. *in aq.* ℔.ii. *ad* ℔.i. *remanentiam.*

Colaturæ *add. aluminis* Drach. ii. *mellis optim.* ℥. ii. Miſce.

Vel ℞. *Cortic. radic. prunor. ſylueſtr. fol. & cortic. berber.* an. Vnc.i. *fol. rubi* M.i. *rad. pyrethr. ariſtoloch. rot. filicis. pentaphyll.* an. Vnc.ß. *thuris* Drach.i.

Coq. *in vino, & Aqua: decocto add. mel. roſ. & diamori* an. Vnc.i.

Eóque ſæpius os colluatur.

Commendatur etiam hæc, vt vſu probata, oris collutio:

℞. *Fol. naſturt. aq. menthæ, ſatureiæ, roſ. rubr. immatur.* an. M.ß. *ſem. aquileg.* Drach.ii. *balauſt.* Drach.ß.

Coq. *in aqua ferrata.*

Colatur. ℞. Vnc.viii. *adde alumin.* ſcrup.ii. *mell. roſ. col.* Vnc.ß. F. Collutio oris.

Vel ℞. *Cochleariæ, ſiſymbr. cardamin. naſturt. aq. roſar. rubr.* an. M.i.

Coq. *in aqua ferrata.*

Colat. ℞. Vnc.x. *add. mell. crudi* ʒ.vi. *alumin.* ʒ.i.

F. oris collutio.

Vel ℞. *Cortic. prunor. ſylueſtr.* Vnc.i. *cochlear. naſturt. aq.* an. M.i. *roſar. rubr.* M.ß. *balauſtior.* ʒ.ii.

Coq. *in ſ. q. aquæ chalybeatæ.*

Colaturæ *adde aliquid aluminis, mell. roſat. colati, & diamori.* Miſce.

Vel ℞. *Cortic. interior. prunor. ſylueſtr. oxyacanthæ. roſarum rubr.* an. M.i.

Coq. *in aq.* ℔.iii. *ad* ℔.i.ß.

Colatura vſurpetur pro oris collutione.

Vel ℞. *Aq. plantagin. prunell.* an. Vnc.iiii. *ſaluiæ mellis roſat. colat.* an. Vnc.i. *ſpiritus vitrioli* ſcrup. ſem.

M. pro oris collutione.

Rel ℞. *Saluiæ* M.ß. *ariſtolochiæ, pyrethri. aluminis* an. Drach.ii. *camphoræ* Drach.ß.

Coq. *in vini* ℔.i.ß. Coletur.

Vel ℞. *Salis, alumin.* an. Drach.ii. *Aquæ* ℔.i.

Coq. parum.

Vel ℞. *Balauſtior. ſumach. roſar. rubr.* ana Vnc. ß.

Coq. *in aq.* ℔.iiii. *ad* ℔. ii. *add. mellis roſati* Vnc. ii. *alumin.* Drach.ii. Miſce.

Vel ℞. *Plantaginis cum radic. fol. peruinc. aquilegiæ, cimarum rubi, ſambuci* an. M. i. *fl. roſar. rubr. balauſt.* an. Vnc. ſem.

Coq. *in aq. & vini rubri adſtringent.* an. ℔.i. ß. *ad dimid. part. abſumptionem.*

Col. *adde mell. roſ.* Vnc.iii. M.

*Aquæ deſtillatæ.*

Sæpe ſola cochleariæ, aut becabungæ, naſturtij vel Nicotianæ aqua ſufficere poteſt, ſi iis os colluatur.

Vel ℞. *Fol. ſaluiæ, betonicæ, aquilegiæ* an. M.ii. *rutæ, flor. roſar. rubr.* an. M.ii. *rad. biſtortæ, pyrethri, ſarſæ parillæ* an. Vnc. ſem. *ireos Fl.* Drach.vi. *ligni Rhodij* Vnc.ß. *nucis moſch. cinam. myrrh. maſtiches, cortic. citri* an. ʒ.ii. *camphoræ* ſcrup. ſem. *vini Rhenan.* ℔. iii. *ſucci cochlear. naſturtij aq.* an. lib. ſem.

Stent per dies 7. in infuſione in vaſe bene clauſo, quotidie agitentur, hinc deſtillentur.

Vtile eſt & plantas quaſdam, vt ſaluiam, cochleariam, naſturtium, numulariam frequenter maſticare, vel iis gingiuas fricare, vel cortices citri ſucculentos frequenter gingiuis affricare.

*Linimenta.*

Vel ℞. *Mellis roſat. col.* Vnc.j. *oxymel. ſcillit.* Vnc.ß. *alumin vſti* Drach. ſem.

Miſce pro Linimento.

Vel ℞. *mel. roſ. col.* Vnc.i. *ſyr. de roſ. ſiccis* Vnc.ß. *ſpir. vitriol. q. ſ. ad gratam aciditatem.*

Miſc. & miſtis bis de die gingiuæ illinantur.

Vel ℞. *alumin. vſti* ʒ. ß. *nuc. moſch.* num. ii. *mell.* Vnc. ſem.

Miſce ſuper igne.

Vel ℞. *Mellis ſcillit.* Vnc. i. *ſpiritus vitrioli q. ſ. ad aciditatem conciliandam.*

Vel ℞. *pulu. rad. biſtortæ* Vnc.ß. *fol. aquileg.* Drac.ii. *ſalis* ſcrup.i.

Cum *diamoro* redigantur in formam linimenti.

Efficax eſt hoc linimentum.

℞. *fl. maluæ arbor. fol. ſaluiæ min. aquileg.* an. Drach ß. *myrrhæ, nucis moſchat. theriac.* an. Drach.i. *aluminis vſti* ſcrup.ii.

Pulueriſata ſubigantur *cum melle.*

F. Linimentum.

Fortius eſt hoc, & cōueniens gingiuis putreſcētibus:

℞. *Mellis* Vnc. ii. *aceti vini* Vnc. i. *fl. æris* Drach. i. *alumin.* ſcrup.i.

Coquantur, donec rubefiant. Deinde adde *pulu. ſaluiæ, nucis moſchat. C.C. præpar.* an. Drach. ſem.

F. Linimentum.

Poteſt etiam addi *pulu. ſauinæ.*

Vel fricentur ſingulis diebus manè, ac veſperi gingiuæ ſale & aceto, donec ſanguis ex gingiuis profluat: aut colluatur os decocto ſedi minoris, ſeu vermicularis.

Vſu longo expertum eſt hoc Linimentum:

℞. *Pulu. fol. aquileg. menthæ criſpæ, ſaluiæ, nuc. moſc. myrrhæ* (quam tamen quidam omittunt) an. Drach. ii. *aluminis vſti* Vnc.ß. (alii Drac.x.) *mellis virginei* Vnc. iiii.ß. *vel. q. ſ.*

Mel calefiat ad ignem & deſpumetur, deinde calenti pulueres ſenſim inſpergantur & Miſc. F. Linimentum. Alii mellis virginei loco mel roſatum, vel ſcilliticum, vel etiam oxymel ſcilliticum ſumunt, vel aliquid de melle, vel oxymelite addunt ſcillitico. Hoc linimento gingiuæ bis, vel ter quotidie illinantur; deinde abluantur vino rubro, vel ſimplici, vel in quo cochlearia, aut naſturtium infuſum fuerit, vel decocto ſummitatum rubi, vel aqua prunellæ, plantagin. roſar. quæ efficaciores erunt, ſi aliquot guttæ ſpiritus vitrioli, quot nimirum ad aliquam acetoſitatem ſufficiunt, admiſceantur, quod medicamentum valde efficax eſt in hoc genere.

Alii ouum coquunt ad duritiem, per medium diſſecant, vitellúmque eximunt, & locum puluere vitrioli replent, ouumque iterum coagmentant, & in loco ſubterraneo in vitro ſepeliunt, vel in vitro ſuſpendunt, vt vitriolum in liquorem per deliquium ſoluatur. Quo liquore ſi ſpongiola imbuatur, eáque laxæ, & cruentæ gingiuæ fricentur, magnam is ad ſanandas eas vim habet.

Vel ℞. *Pulu. abrotani, caudæ equin. ſaluiæ, hyſſopi, rutæ, boli Armen. alumin vſti, aquilegiæ,* an. ſcrup. ii. *mellis* Vnc.ii.

F. Linimentum.

Vel ℞. *Macis, nucis moſchat.* an. Drach.ii. *myrrhæ, fol. aquileg. ſaluiæ, rutæ* ana Vnc. ſem. *alumin. vſti* Drach.ii. ſem.

Miſceantur cum ſ. q. mellis feruentis, miſta & refrigerata

gerata vsui seruentur. Vngantur hoc linimento bis de die gingiuæ, & postea aqua prunellæ vel plantagin, abluantur.

Vel ℞. *Theriac.*℥.ß. *mellis crudi* ℥.j.*oxymelit. simpl.* ℥.ij.*aluminis vsti* ʒ.ß.

Coquantur, & Misceantur.

### *Pulueres & dentifricia.*

℞. *Salis torrefact. alumin. vsti, testar. cochlear. cremator. cineris sarmentor. vitis, rosar. rubr. radic. bistortæ, fol. aquileg. saluiæ.* an.q.s.

F. Puluis, quo dentes fricentur.

Vel ℞. *Alumin. vsti* ʒ. ij. *salis torrefacti* ʒ.j. *balaustior. C.C. vsti præpar.* an.ʒ.ij. *macis* ʒ.j. *fol. saluiæ* num.iij.

F. Puluis, quo dentes fricentur.

F. cum succo cochlear. aut nasturt. aquat. aut melle an.q.s.F. Mistura.

Aut paretur talis puluis, quo gingiuæ flaccidæ, & sanguinolentæ fricentur:

℞. *Salis vsti* ℥.ß. *balaustior.* ℥.j.ß.

F. Puluis.

Vel ℞. *Cineris sarmentor. vitis, testarum ostrear. vstarum. part. æq.* F. Puluis.

In istorum verò medicamentorum vsu obseruandum, vt id, quod ex laxis, & sanguinolentis gingiuis effluit, & in ore colligitur, continuò exspuatur, & excreetur, & non diu in ore retineatur, multò minus deglutiatur.

Si putredo sit vehemens, talis oris collutio parari potest;

℞. *Rosar. rubr. plantagin.* an. M. i. *rutæ, saluiæ* an. M.ß. *viridis æris* ʒ. j. *thuris, mastiches* an. Dra.i. ß. *alumin.* ʒ.j.

Concisa & contusa *Coquant. in Aq. aceti* an. ℔.ij. *ad dimidiæ partis consumptionem.*

Colaturæ *addatur mell. ros.* ℥.i.M.

F. Collutio oris.

Nonnulli in magna carnis gingiuarum corruptione & putredine manuum opera vtuntur, & carnem corruptam præcidunt. Verum rarò hoc facto opus, cum medicamenta enumerata, præcipuè, quibus alumen & oleum vitrioli adduntur, tàm efficacia sint, vt etiam satis fœdam Stomacacen emendare possint. In quem vsum etiam inseruit vnguentum Ægyptiacum, magna necessitate id postulante. In extremis casibus, & summa corruptione efficax est hoc medicamentum.

℞. *Mercurij sublimati* Scrup. ii. *Aluminis vsti* ʒ. ij. ß.

*Puluerisata coquantur in aqua plantaginis* ℔. j. *in vitro, in vase duplici. In aqua ista spongiola intingatur, & ea gingiuæ putridæ ac laxæ* illinantur. Vbi omnino monendum videtur, cum in Germanico libello VVieri de scorbuto in hoc mediamento absolutè legatur *Sublimatum*, qua voce sine additione posita Chymici ☿ sublimatum intelligunt, non rectè in libellum eius Latinum irrepsisse Arsenicum sublimatum, quod ex libello Latino VVieri in sua scripta alij transtulerunt. Ad vlcera n. maligna & putrida vsurpari cum commodo à Chirurgis ☿ sublimatum notum est: Arsenicum verò sublimatum, præcipuè in vlceribus oris, longè maiore cum periculo vsurpari, extra dubium, est licet Dioscorid. *Euporist. lib.* 1. *cap.* 82. & 85. Arsenico cum charta combusta ad serpentis oris vlcera vtatur.

Quia verò postquam caro putredine absumpta est, dentes carne nudari solent, vt id, quod abest, restituatur, opera danda. Etsi verò carnem amissam reparare solius Naturæ opus sit: tamen ars Naturæ subsidio venire potest. In quem vsum hoc habet Sal. Albertus:

℞. *Sem. rosar.* Drach. j. *calam. aromatic.* Drach. sem.

F. Puluis, qui dentibus aspergatur.

Vel ℞. *Farinæ erui. fl. rosar.* an. Drach. ß. *calami aromatic.* ʒ. ij. ß. *aluminis scissilis, mannæ thuris, cyperi* an.℈.ß.

F. Puluis, qui dentibus inspergatur, vel cum melle misceatur, & iis illinatur.

### *Faucium exulcerationis.*

Faucium exulcerat. Si fauces ex vicinæ putredinis contagio lædantur, collutiones parentur ex Aq. cochleariæ, nasturtii, nummulariæ, Nicotianæ, &c.

Vt ℞. *Aq. prunellæ, plantaginis, cochleariæ* an. ℥. iii. *Nicotianæ* ℥.ii. *spir. vitriol.* ℈ j. *mell. ros. col.* ℥.j.ß.M.

Eadem medicamenta cum vitiosos succos, quibus dentium radices laxantur, absumant & abstergant, dentes vacillantes firmare, & carnem gingiuarum roborare valent.

### *De maculis.*

Maculæ. Crurum, vel etiam aliarum partium *maculæ* sponte euanescere solent, modò internis prospiciatur. Si tamen & earum caussa medicamenta adhibere placet, ad eas tollendas ex resoluentibus, discutientibus, & emollientibus fomenta, & balnea vsurpentur, *ex baccis iuniperi, nasturtio, cochlearia, chamæmelo, artemisia, absinthio, roremarino, hyssopo, lauendula, persicaria, &c. vel aqua cochleariæ* crura lauentur.

Vt ℞. *Baccar. iuniper. contusar. sisymbr. cardamin. nasturtij aquat. cochlear.* an.M.ij. *fl. chamæmel.* M.iij. *artemisiæ, betonic. absinthij, rorismarin. maioran. thymi, hyssop.* an.M.i.

Coq. *in Aq. s.* & vapore decocti calidi crura foueantur; Vel decocto spongia madefiat, & calida tibiis applicetur.

Vel fiat tale Vnguentum.

℞. *Butyri majalis* ℥. ij. ß. *baccar. iuniper. contusar.* ʒ. vj. *vini* ℥. ii.

Coq. ad vini consumptionem, & colentur. Vel coquatur in lacte nasturtium aq. absinth. & bacc. iuniper. contusæ, & cum lactis illius flore crura, inungantur.

Salom. Albertus hoc parat:

℞. *Nasturt. vtriusque, cochlear.* an.M.ii. *chamæmel. melilot. alb.* an. M. sem. *thymi, satureiæ, pulegij* an. M. j. *rorismar.* M. ß. *rad. dauci* ℥. ß. *fol. lauri* M. i. *baccar. iuniper. contusar.* ℥.j.ß.

Coq. ad consumptionem tertiæ partis, & vapore decocti calidi crura foueantur, vel linteamina, aut spongia decocto calido madida cruribus imponatur.

Nonnulli decocto viminearum genistæ virgarum vtuntur.

Post fomentationem partes maculosæ conuenienti aliquo linimento inungantur.

Vt ℞. *nasturtij aquat. becabungæ, sisymbrij cardamin. baccar. iuniperi contusar. absinthij* an.M.j. *Aq. becabungæ, chamæmeli, melilot. nasturt. aq.* an. ℥. iiij. *fl. lactis & butyr. recent. insulsi q.s.*

Coq. in Balneo & exprimantur, ac pinguedo linimenti loco vsurpetur.

Vel coquatur nasturt. aq. in lacte, & contundatur, ac subigatur in mortario, contuso addatur adeps suillus.

Vel ℞. *Butyri majalis insulsi* ℥. i. *comarum. absinth.* M.j. *Vermicularis* P.ii. *baccar. iuniperi contusar.* ℥.ß. *vini* Vnc.iii.

Coq. ad vini consumptionem, & colentur, ac pinguedo vnguenti loco vsurpetur.

Vtile quoque fuerit crura sæpius panno, vel linteo calente fricare, vt spiracula cutis aperiantur, & vitiosi humores discutiantur.

De

*De Doloribus.*

*Dolorum in cruribus.* Dolores interdum etiam, præcipuè in cruribus, ægros cruciant, vt ad eos tollendos Medici operam maximè requirant. Vsurpentur autem ad illos tollendos, præter interna ad scorbutum medicamenta, anodyna, & resoluentia, ac discutientia per sudorem.

Adhibeatur ergo fomentatio, *ex decocto altheæ, fumar. abrotani, cochlear. becabung. nasturt. pulegij, hyssopi, saluiæ, artemisiæ, flor. chamæmel, bacc. juniperi.* Herbæ istæ decoquantur, & vapor à decocto partibus dolentibus excipiatur, donec sudor erumpat, vel crura linteis duplicatis decocto hoc calido imbutis inuoluantur. Quo modo dolor mitigatur. Nonnunquam tamen solet dolor recrudescere, quod partes frigidæ & crassæ non planè sint discussæ. Ideóque spongiâ decocto calido madidâ partes dolentes fouendæ, vel cataplasma ex enumeratis modò herbis paratum imponendum. Aut paretur cataplasma ex lacte coagulato (Quarck) flor. chamæmel. nasturt. aq. & baccis juniperi in lacte coctis, quod in hisce doloribus mitigandis, ac tollendis efficacissimum est.

A pinguibus verò ante macularum eruptionem abstinendum; cum ab iis dolor exasperari soleat.

Quandoque dolor in plantis pedum, & extremitatibus digitorum excitatur, qui hoc medicamento tollendus:

℞. *Flor. sambuci* M.ii.

Coq. in vino, additis saponis ℥. ii. quo pannus imbuatur, & loco dolenti applicetur.

*...tris.* Dolorem ventris quod attinet, qui ventriculum & intestina ac totum sæpe abdomen affligit, regia quidem eum curandi via est, caussam ejus tollere, quod qua ratione fieri debeat, hactenus satis dictum: rectéque id fit medicamentis scorbuto aduersantibus; quæ si febris absit, cum vino, vel cum sero lactis, si febris & calor adsit, exhibeantur. In doloribus ventriculi etiam commodè vsurpatur elixir proprietatis dictum.

Quia autem sæpe dolor vrget, is mitigandus: quod commodissimè fit, si laxantibus conuulsioni & tensioni, quæ proxima ejus caussa, hic occurratur.

Itaque clysteres emollientes injiciendi ex iis, qui humectant cum moderato calore. Et cum ob motum περισαλτικὸν & conuulsionem sæpe nihil infra excernatur, sed omnia sursum tendant, non quæ sensum obtundunt, admiscenda, sed potius quæ excretionem nonnihil stimulant. Ex decocto scilicet anethi, chamæmeli, altheæ, fœnugræci cum ol. communi, amygdal. dulc. lini anethino, chamæmel. melle rosaceo, fiant clysteres. Extra etiam adhibeantur linimenta ex iisdem oleis, & pinguedinibus, aut cataplasmata ex herbis emollientibus, & flor. chamæmeli cum iisdem oleis, aut omentum veruecis iisdem oleis imbutum applicetur. Vtilis est insessus seu balneum ex aqua, in qua herbæ modò enumeratæ coctæ sint.

*De Arthritide.*

*...ritide.* De Arthritidis scorbuticæ curatione refert Eugalenus, *pag.* 142. se obseruatione comperisse, nonnullos in prima morbi inuasione solo absinthio in vino, seu cereuisia suspenso feliciter in quotidiano potu vsos fuisse, per semestris vnius spatium vsum eius continuantes. Et quidem solo illius decocto in vino, vel cereuisia, vel aqua facto feliciter se vsum scribit. Si verò cum febre, siti, & obstructionibus manifestis coniuncta fuerit, neque tùm se eius vsum abhorruisse, nisi quod febrem mitigantia, obstructiones fortius aperientia, & quæ scorbuto peculiari proprietate aduersantur, admiscuerit, puta cucuscutam, scolopendrium, ceterach, betonicam, hyssopum, & si febris patiatur, carduum benedict. raphani, & helenij radices, cochleariam, nasturtium.

Extra cùm alia topica in arthritide vsitata adhibentur, tùm etiam *radix raphani agrestis* comminuta & cocta vtiliter apponitur.

*De stupore, tremore, paralysi, & conuulsione.*

Stupor, tremor, paralysis, conuulsio, membrorum jactatio eandem fere curandi rationem obtinent. Scelotyrbe quidem cum ortum habeat ex vitiosis humoribus, qui sese in tendines, & musculos insinuarunt, quorúmque pars crassa, postquam tenuior exhalauit, tendines duros reddit, emollientia, resoluentia & discutientia requirit; quibus ea semper admisceantur, quæ humori, scorbuti caussæ, peculiari vi resistunt, quæque suo sale volatili, quod crassum & fixum, volatile reddere, attenuare, & ad discussionem aptum reddere valent. *Stuporis, tremoris, cõuulsionis.*

Eadem verò etiam, vt assumantur, exhibenda. Et quidem si recens sit, quæ à seroso humore saltem sese in musculos insinuante, ortum habet, tendinibus non induratis, internis adhibitis medicamentis breui, sæpe intra dies 4. vel 5. sine omni topicorum vsu non solum crurum, sed & brachiorum, ac manuum paralysis curatur, vt testatur Eugalenus. Idque ita se habere ipse compertum habeo, cum non paucos tali paralysi scorbutica laborantes, plerúmque cum sicca scabie, corpore semel, atque iterum leniter purgato, cochleariæ, & fumariæ inprimis vsu paucis diebus restituerim.

Si verò malum sit diuturnius, vt tendines duri, & rigidi quasi redditi sint, topicis etiam opus est.

In paralysis ergo initiis non admodum grauibus sequens profuisse testatur Seuerinus Eugalenus, *pag.* 70.

℞. *Betonic.* M. 1v. *granor. juniper. contusor.*

Coq. in aq. ℔. viii. ad pultis modum.

Colentur, & exprimantur, & addantur *sacchari* ℔. ij. iterúmque coquantur ad syrupi consistentiam, cui ab igne remoto addantur *zingiber.* Vnc. ii. *macis, calam. aromatic. cubebar. fol. senæ* an. Vnc. sem.

F. Electuarium, cujus ante, & post cibum cochlear. j. quotidie semel, aut bis sumatur.

Quod si grauius, & pertinacius malum sit propter viscerum obstructiones concurrentes, hæc non sufficiunt, sed aperientia, & peculiari vi contra hunc morbum pugnantia admiscenda.

Extrà verò adhibeantur fomentationes & lotiones ex aqua siue simplici, siue salsa, in qua cocta sint *fol. saluiæ, betonic. artemisiæ, serpilli, rorismarin. flores sambuci, chamæmel. meliloti, baccæ juniperi.* Nimirum vapore harum herbarum decoctarum crura rigida, vel singulis, vel alternis diebus fomententur, donec bene sudent. Vbi satis sudauerint, ipso decocto pedes, & crura lauentur, ipsisque herbis pedes, crura, ac tendines, & ligamenta rigida fricentur, & postea conueniente vnguento illinantur.

Si tamen adsit durior tumor, emollientia præmittantur, vel admisceantur.

Salomon Albertus tale parat:

℞. *Pulu. flor. chamæmel. comarum absinth.* an. Drac. iii. *rad. bryoniæ, consolid. major.* an. Vnc. sem. *farinæ tritici, fabarum, orobi* an. Drach. iii. *medull. panis siliginei ex lacte cocti* ℔. j.

F. Cataplasma, quod tumori applicetur.

*De contractione & rigiditate membrorum.*

Si genua vel alia membra sunt rigida, & ad motum impotentia, non neglectis medicamentis internis eadẽ emollientia & discutientia per vices vsurpãda. Foueatur nimirũ pars affecta decocto *lilior. albor. altheæ, maluæ,* *Rigiditatis & cõtractionis mẽbrorũ.*

*maluæ,violariæ,brancæ vrsinæ,sem.lini,fœnigræci, chamæmel.ficuum aridarum, quibus nasturtium, & becabunga* addantur.

Vt ℞. *Rad.althéæ , maluæ* an.Vnc.j. *iridis* Vnc. sem. *sem.lini,fœnugræc*.an.Vnc.i. *violariæ,flor.chamæmel. melilot*. an.M.j.*absinth.cochlear.becabung.nasturt.aq*.an.M. sem.Coq.pro fomento.

Vel ℞. *Rad.althéæ* , Vnc.iii. *parietar.cochlear.becabung.nasturt.aq.absinth. flor.chamæmel.melilot*. an.M.ii. *sem.lini,fœnugræc*.an.Drach.vi.

Coq.in aqua,cujus vapor calidus crure excipiatur.

Vel ℞.*Flor.chamæmel.melilot.sem.anisi,fœniculi, cumini* an.Vnc.i. *farinæ,sem.lini,fœnugræc*.an.Drach.ii.

Cum decocto *fol.ebuli,artemisiæ,cochlear.*

F. Cataplasma,cui potest addi butyrum recens.

Vel ℞. *Rad.althéæ,lilior.albor.hermodactylor.* an.℥. ß.*caricar.pinguium* num.vii.*flor.meliloti, chamæmel.parietar*.an M.j.ß.*fol.althéæ* M.j. *rosar.rubr*.ʒ.iii. *vermium terrestri præpar*. ʒ.ii.ß. *farinæ tritici* ʒ. ii. *farin. hordei*. Vnc.i.sem.*orobi,lentium,fabar*.an.Vnc.sem. *medullæ panis triticei* Vnc.j.

Terantur terenda,& Coq.in aq.ad formam pultis.

Add. *ol.lilior. albor. chamæmel. anethin. rosac*. an.℥.i. *cassiæ* ℥.ß.*medullæ crurum bubul*.ʒ.iii. *adipis gallinac*. ʒ. ii ß. *suilli* ℥.ß.*boli Armeni* ʒ.i.*croci* Drach.ß.

F. Cataplasma.

Post fomenta adhibenda olea, & vnguenta emollientia,*ex adipe suillo,humano,pinguedine gallinæ , butyro recenti,medulla cerui, mucilagin.sem.althéæ , cydonior. lini, fœnigræci,vnguento dialthéæ ; quibus succi cochlear. nasturt. aquat. & aliarum contra scorbutum plantarum , ac grana juniperi admisceri possunt.*

Vt ℞. *Vnguent. dialthéæ* Vnc.sem. *ol. chamæmel. lilior.albor.aneth*.an.ʒ.ii.*granor.juniper.cōtusor*.ʒ.i. Misc.

F. Vnguentum.

Efficax est hoc vnguentum :

℞. *Rad. helenij contusar*.ʒ.ii.*lumbricor.terrestr*.Vnc. sem. (*alij* Vnc. i. sem. vel ℥.ij.) Coq.*in vino maluatico*, Deinde add. *Ol.lilior.albor. costini* an.℥.i. *hyperici* ℥.ß. *terebinth*.ʒ.ii.*vnguent.de bdell*.ʒ.iii.*medull.crurum vituli,cerui* an.Drach.ii.*ceræ q.s.*

F. Vnguentum.

Salomon Albertus hoc quoque vtitur:

℞. *Rad.bryoniæ,cucumer.asinin*.an.℥.i.*lumbricor.terrestr. præparat*.Drach.iii.

Coq.*in hydrelæo* ad mollitiem,& succus torculari exprimatur, Cui add.*ol.liliol.albor*.Vnc.sem.*lini, chamæmelin*. an.℥.i. *terebinthinæ* ʒ.v. *vnguent.de bdellio* ʒ.iii. *succi cochlear*. Vnc.i. Colliquentur ad ignem , & cum *ceræ s. q*. F. Vnguentum.

Seuerinus Eugalenus commendat vnguentum Valeriolæ,quod habetur,*lib*.4.*obseru*.4.

℞. *Fol.Saluiæ,majoran.lauri,betonic. rorismarin. primulæ veris* , an.M.j. *rad.acori veri,ireos recent*.an.Vnc.iii. *ol.vulpini,de nuce Indica,rutac*.an.℔.j.*terebinthin*. ℔.ß. *vini potentissimi* ℔.j.*aq.vitæ* ℔.ß.

Coqu. ad vini consumptionem,& colentur.

Colaturæ adde *Sagapeni,opopanac.bdellij* an.Drach.ii. *castorei* ℥.ß.*macis, nucis moschat.styrac.calamit.benzoës* an.ʒ.iii.*piperis longi.pyrethr*.an.ʒ.i.*axungiæ cati,serpentis,anser*.an.Vnc.i.*medul.cruris vaccin*.Vnc.ii.*succi ebuli,saluiæ,melissæ* an.Vnc.i v.*ceræ propoleos* Vnc.ii.

Misce & cum *ceræ in oleis recensitis liquatæ s.q.*

F. Vnguentum mediocris consistentiæ.

Est & hoc Salomnois Alberti efficax.

℞. *Vnguenti dialthéæ* ℥.i. *pinguedin. anserin. porci* an.Vnc.sem.*medull.crurum vituli* Drach.ii.*cerui* Dra.iii. *butyri insulsi,ol.lini* an.Vnc.i.*flor.lactis agitati in mortario marmoreo* Vnc.i.sem. Cum *succo nasturt. coq.in vase duplici,addatur ceræ nouæ q.s.*F. Linimentum.

Vel ℞. *Ol. sesamin. amygdalar. dulc*.an.℥. i.*medullæ crurum bouis.seui castrati,pinguedin.anser.gallin*.an.Vnc. sem.*vnguent.de bdellio* Drach.iii.*vitell.ouor*.ii. *croci* ℈.ii.

F. Linimentum *cum modico ammoniaci in aceto dissoluti.*

Eadem medicamenta, quæ modò ad duritiem & rigiditatem genuum sunt proposita,etiam ad rigiditatem genarum & maxillarum vsurpari possunt , scilicet *althéa,malua, violaria ,radic.lilior.alb.sem.lini,fœnugræc. flor.chamæmeli,ficus.E quibus fomenta,cataplasmata,olea parari possunt,additis cochlearia & nasturtio.* *Rigiditas genarum.*

## *De somno nimio.*

Cũ carus & somnus nimius in hoc morbo plerũque febrẽ lentam conjunctã habeat,tollitur iis, quæ putredini huic morbo propriæ,febrique aduersantur. Præ cæteris efficax se cõperisse nasturtium aquaticũ, quod in claris & limpidis aquis prouenit,scribit Eugalen.*p*.20. *Somni nimii.*

## *De lipothymia.*

In iis,quos lipothymia , & anxietates infestant,hoc inprimis obseruandũ,ne loco sæpe moueantur,aut è lecto surgant;cum sæpe deliquia animi,quamprimum in lecto sese erigunt,eos tentare soleant. Deinde cùm vaporibus discussis deliquium quidem cessare,sed sæpe finita medicamenti operatione,aut à caussa morbo superata,post tres vel quatuor horas,eadem vehementia anxietas illa,& metus deliquij redire soleat:sæpius eadem die , & vel sexies , vel octies medicamenta ista contra animi deliquia,admistis antiscorbuticis,exhibenda. *Lipothymia.*

## *De fœtore anhelitus.*

Fœtor anhelitus emendatur putredinem sistentibus, & halitus putridos discutientibus:*conserua* nimirũ *saluiæ,rutæ , anthos , caryophyllis,cinamom.gallia moschata, cortic. citri , ligno aloës,rhodio, baccis juniperi*.E quibus electuaria,pilulæ,rotulæ,trochisci formari possunt.Vel vsurpetur *elixir proprietatis*,aut masticentur *radic. ireos Flor.baccæ juniperi* : Aut colluaturos *aq.saluiæ,rorismarini,menthæ cum aceto scillitico.* *Fœtoris anhelitus.*

## *De Vomitu.*

De vomitu scorbutico annotauit Eugalenus , *pag*. 25.quod vomentes à lacte & lacticiniis, à quibus aliàs ægri , ventriculi & viscerum affectionibus laborantes, læduntur,melius habent,quam à ventriculum roborantibus & adstringentibus. Adstringentia enim humorem vitiosum altius ventriculo inprimunt:lac verò lenit, & humoris prauitatem demulcet. *Vomitus.*

## *De sputatione nimia.*

In sputatione continua monet hoc Eugalenus, *pag*. 206. cauendum , ne acribus , & calidis medicamentis fluxus materiæ irritetur,& nimia vaporũ, fumorũmque in cerebrum delatione ac eorundem ibidem concretione,atque ad pectus defluxione malũ grauius reddatur. *Sputatio nimia.*

## *De alui fluxu.*

In alui fluxu hoc ab adstringentibus abstinendum, quorum vsu ægri in summas angustias & maximam respirandi difficultatem , imò in animi deliquium & suffocationis periculum conjiciuntur,ac tandem in hydropem vel atrophiam incidunt. Cum enim viscera constringant, venásque constipent , materiam prauam detinent & augent , è qua vapores praui adscendentes ac superiora petentes enumerata symptomata excitant ; & ipsa circa viscera , ac membra nutritioni dicata hærens hepar & lienem debilitat. Sed vsurpanda potius medicamenta , quæ peculiari vi humori vitioso aduersantur : atque vtile est hic etiam absinthium. Nec incommodus est ad diuersionem sudoriferorum *Alui fluxus.*

riferorum vſus,ſi iis cochlearia admiſceatur.

Et ſi autumnalis aëris frigiditas huic fluxui occaſionem dederit, ab ejus injuria corpus muniatur;ægérque in loco calido quieſcat : deinde materia fluens ſubtrahatur victus ratione ſicca, & ad vias vrinæ deriuetur;& partes ſuſcipientes roborentur. Quibus vſibus inſeruit vinum abſinthites dilutum decocto cichorij. Extra quoque abdomen inungatur ol.roſaceo, maſtichino,abſinthij ; vel imponatur emplaſtrum de cruſta panis.

Si à calore ſerum fundente in principio febrium talis fluxus accidat, etſi ſymptomaticus ſit, tamen cum materiam morbificam imminuat,non ſtatim ſiſtendus, præſertim ſi natura eum facilè ferat: ſed ea exhibenda, quæ ſerum cum bile abſtergere,ſimúlque roborare poſſunt,qualia ſunt ſyr. roſ.ſolut.ſyr.de cichorio cum rhabarb. ipsúmque rhabarbarum;& exhibendum ſimul cichorium & cichoracea.

## De calore nocturno.

Quos calor ille nocturnus ſupra deſcriptus moleſtat,iis becabunga in majore doſi exhibenda;contra calefacientium doſis minuenda. Prodeſt & lac ebutyratum recens. Nonnulli polypodium & grana juniperi contundunt & in aqua coquunt, & colaturam ſaccharo dulcoratam bis de die exhibent. Illinatur etiam dextrum & ſiniſtrum hypochondrium medicamentis aperientibus.

## De Febribus.

In febribus ſcorbuticis, vniuerſalibus euacuationibus præmiſſis,medicamenta ſcorbutica cum iis,quæ febris, ejúſque cauſſa requirunt, miſcenda, corporíſque conſtitutionis,anni temporis,& aliorum,quæ ex generali methodo medendi patent, ratio habenda. Itaque præbenda ſcorbutica medicamenta moderatè calida, & humorem melancholicum incidentia, ac digerentia, *cuſcuta,capill.vener.ceterach,polypod.q.* & pro craſſorum humorum inciſione,*hyſſopus,betonica,* & pro calore febrili temperando,*cichorium,endiuia,acetoſa,* ac cum his miſcenda ſcorbutica medicamenta, prout præſens ægri conſtitutio id poſtulat, & nunc de his, nunc de illis plus ſumendum. Nam ſi corpus ſit bilioſum & bile abundet, pluréſque febris tertianæ notæ adſint, pauciores ſcorbuti,major eorum copia, quæ bilem temperant,& humectandi ac refrigerandi vi prædita ſunt, ſumenda;minore verò quantitate ea, quæ ſcorbutum ſpectant,& ex his minus calida eligenda. Itáque tum conueniunt becabunga,& acetoſa ; & inprimis earum ſuccus;quibus aliquid cochleariæ addi poteſt. Si humores ſint craſſiores,cum vrinis crudis vel craſſis, ſitis magna non adſit,corpúſque ipſum ſit craſſius & melancholico craſſo ſucco abundet,cochlearia vſurpanda,& ea admiſcenda, quæ fortius attenuant, & incidunt, vt carduus benedictus,abſinth.radic.helenij.

Si etiam aër, in quo æger degit, ſit tenuis ac ſubtilis, mitioribus & minus incidentibus ac attenuantibus vtendum : Fortioribus verò in aëre craſſo & humido.

Si anguſtiæ illæ ad præcordia grauius & frequentius infeſtent, in ipſo quoque paroxyſmo medicamenta contra ſcorbutum & febrem facientia exhibenda.

Si morbus ſit diuturnior, & ob acceſſionum inordinatum recurſum cibandi neceſſitas medicamentorum exhibitionem impediat, liberiori aëri, præſertim tempore verno, æger committendus, aluúſque interdum leniter ſubducenda. Sæpe enim aëris mutatione, præter ſpem,tales febres euanuiſſe,obſeruatum.

## De Tumoribus duris.

Ad tumores duros fiat cataplaſma *ex radic. conſolidæ major. althéæ,bryoniæ, abſinthio, chelidon. maj. farina fabarum aut lupinorum, & medulla panis albi in lacte coctis.*

Ad tumorem crurum œdematoſum conueniunt fomenta *ex ſaluia,foliis & flor.ſambuci,roremarino,ſerpillo,becabunga,naſturtio aquat.baccis juniperi.*

Si quid de frigido & terreno humore quaſi concretum ſit,emollientia & diſcutientia vſurpanda, quæ ſupra propoſita ſunt.

Vt ℞. *Pulu. rad. bryoniæ, althéæ* an. Vnc. ſem. *flor. chamæmel. fumar. abſinthij* an.Drach. iii. *farinæ fabar. orobi* an. Vnc. ſem. *medullæ panis tritic. ſiligin.* an. ℔. ſem. Cum *lacte caprino.*

F. Cataplaſma.

## De Eryſipelate.

Eryſipelatis curationem de tumoribus propoſuimus : eam vt hic paucis attingamus, naturæ conatus in expellendo humore vitioſo promouendus & adjuuandus. Ad quam rem vulgus apud nos, & quidem non infeliciter, aqua flor.ſambuci vtitur. Poteſt & rob ſambuci vſurpari,vel aqua cardui benedicti aut ſcabioſæ,iiſque addi electuar.vel puluis aliquis bezoarticus, aut terra ſigillata,aut grana vj.bezoartici mineralis, & ſudor prouocari.

Parti affectæ applicetur pannus lineus imbutus lacte,quod vocant aureo,(quod paratur ex lixiuio communi & oleo ſambuci vel roſaceo bene ſimul agitatis, vt lactis colorem acquirant, ) iterúmque expreſſus & nonnihil exſiccatus, vel aqua flor. ſambuci madefactus & expreſſus. Pinguia verò & repellentia, & quæ poros cutis obſtruunt, ac materiam detinere poſſunt, vitentur.

Ne malum recurrat, ea vſurpanda, quæ ſeroſi iſtius humoris generationem & corruptionem ac ebullitionem præcauent.

## De Hydrope.

Hydrops ſcorbuticus purgationes fortes, maximè à principio,non fert,ſed medicamentis incidendi, attenuandíque vi præditis curatur, quibus admiſcenda ea, quæ peculiari vi contra ſcorbutum valent : quo curationis modo ſe plures ſanaſſe citra purgantium opem, refert Eugalenus. Sublatis enim obſtructionibus, venísque reſeratis, & vitio humorum Scorbutico propriis medicamentis emendato, ſæpe præter opinionem hic tumor euaneſcit. Quod ſi non fiat, curato maxima ex parte Scorbuto, tùm demum medicamentis purgantibus vtendum, & iis præcipuè, quæ humorem Melancholicum purgant. Semper tamen admiſcenda ea, quæ peculiari vi huic morbo aduerſantur. Si craſſior ſanguis in venis redundet, aut conſueta euacuatio ſuppreſſa ſit,ſanguis pro eius copia, & viribus ægri mittendus. Multum verò prodeſt hæmorrhoidum apertio, quæ ſponte facta, nigro ſanguine profuſo, quoſdam ab hoc malo liberauit. Si ſponte non aperiuntur, hirudines iis apponi, vel in talo vena aperiri poteſt. A larga tamen ſanguinis miſſione, præcipuè in locis frigidis, cauendum, vt ſupra in genere dictum.

Hydrops veſicalis, vt prior hydrops curatur. Quod ſi præter interna etiam externis opus ſit, iis, quæ diſcutiendi, diſſoluendíque vim habent, vtendum, *abſinthio, ruta, chamæmelo, farina lupinorum, fabarum cum oxymelite in cataplaſma redactis.*

Ad tumores peſtilentibus ſimiles Eugalenus, *pag.* 190. hoc experimentum habet.

℞. *Pulu. abſinthij comm. q.ſ.* qui cum ouis recentibus eadem die excluſis cum albumine vitello & teſtis contuſis ad pultis conſiſtentiam miſceatur & frigidè tumoribus applicetur. Idem *pag.* 408. Cataplaſma paras

parat ex chamæmelo, meliloto, parietaria, malua, althéa, mercuriali ad mollitiem coctis, additis farinæ sem.lini, fœnigræci, hordei, cum mell.rosac. & ol.rosac. s. q.

Atque si accidat, vt vlcus illud erodatur, & nigrum fiat, quod non sine periculo accidit, cum integram crurum corruptionem & gangrænam inferre possit, statim quod corruptum est, à reliqua cute & carne sana separandum, & vlcus mundandum, consolidandum, more consueto.

*De Vlceribus.*

*De Vlceribus.* Si humores praui, & acres crura etiam exulcerent, primò videndum, an aliqua adhuc intemperies parti exulceratæ coniuncta sit, aut humorum vitiosorum affluxus vlcus foueat. Tum enim primò humores vitiosi, qui affluunt, è corpore euacuandi, & intemperies partis emendanda. Attendendum quoque hic consilium Hippocratis, cum, *initio lib. de vlcerib.* suadet, vt ab inueteratis vlceribus crebrò sanguis effluat, prout oportunum videbitur, tàm ab ipsis vlceribus, quàm à circumstantibus vlcus partibus, tùm præcipuè si in crure, aut pedis, vel manus digito vlcus sit, magis, quàm in alia corporis parte. Nam exhausto sanguinis affluxu, sicciora, & mitiora euadunt. Eiusmodi enim vlcera præcipuè quidem sanescere prohibet, tùm verò reliqua etiam omnia, sanguinis putredo, & quod ex sanguinis mutatione est ortum.

Primò ergò vniuersi corporis ratio habenda est, illúdque euacuandum, & partis intemperies postea corrigenda, ac medicamenta, quæ facultatem digerendi habent, ac nonnihil adstringendi, exsiccandi, & extergendi, vsurpanda: non verò asperius tractanda hæc vlcera, sed citra vllam mordicationem, & dolorem sananda. Ideóque quod in aliorum vlcerum curatione obseruatur, & hic obseruandum, vt postquam primum vlcus solutum fuerit, consideretur, quantum humiditatum primum pharmacum ab vlcere desiccarit, aut si sordidum fuerit, quantum sordium deterserit; idque tertiùm, aut quartùm experiendum est, donec purum vlcus, & siccum fuerit. Quod vbi animaduertitur, eligendum quidem medicamentum aliud eiusdem generis, sed debilius priore vsurpandum.

Ronsseus ex Auicenna, *lib.4.fen.4.tract.3.cap.10.* & Tagautio, *libr.3.cap.15.* hoc commendat.

℞. *Cadmiæ, alumin. chrysocollæ singulor. part.* viii. *æris floris, viridis æris singulor. part.* j. *gummi cupressi part.* iiii. *ceræ, & olei rosac.* an. q. s.

F. Vnguentum.

Sed & vtile est medicamenta scorbutica admiscere.

Fiat ergò vnguentum *ex succo cochleariæ, absinth. apij cum melle coctis, addito puluere aristolochiæ, & aluminis.*

In vlceribus minus prauis satis efficax est *vnguentum diapompholygos*, quo sæpissime feliciter vsus sum. Vnguentum è Nicotiana, saccharum ♄, & cum eo parata linimenta. Nec inutile est emplastrum diapalma. Beccabungâ solâ in cereuisia coctâ & bis de die apposita vlcus ingens cruris totam ferè tibiam occupans & ad os vsque profundum, à quodam curatum fuisse, obseruarum est.

Vel paretur *vnguentum de apio* dictum:

℞. *Succ. apij, melissophyll. cochleariæ* an. Vnc. sem. *chelidoniæ* Drach. v. *mellis crudi q. s.*

Coq. ad iustam consistentiam, *Addatur aliquid thuris, aloes, myrrhæ.*

Vel fiat vnguentum *ex resinâ, thure, & oleo rosac.*

Commendatur & hoc:

℞. *Aq. pilosell. mense Septembri destillat.* ℔. i. *mellis rosati* ℥. ii. *myrrhæ. lithargyri* an. ℥. i. ß. *camphoræ parum.*

In Sole, vel calido loco per triduum ferueantur. Colaturâ crura abluantur.

Vel abluantur vlcera decocto sedi minoris.

Efficacius erit medicamentum, si aliquid cochlear. vel nasturt. addatur. Ita & linimenta efficaciora fiunt, si saccharum ♄ni addatur.

Est & vtile vnguentum Montagnanæ de plumbo:

℞. *Plumbi vsti* Vnc. i. *cerussæ lotæ* Drac. ii. *vitell. ouor.* ii. *lithargyri* ℥. sem. *olei rosacei* ℥. i. sem. *myrrhæ* Drach. ii. *ceræ q. s.*

F. Linimentum, quo vlcera prius vino, in quo aristolochia rotunda cocta sit, abluta perungantur.

Si putredo magna sit, aliquid ☿ præcipitati, vel olei vitrioli addatur, vel vsurpetur aqua illa ex ☿rio sublimato & alumine, ac aqua plantagin. parata, & suprà in Stomacace proposita.

Ad consolidationem tandem vsurpandum *Emplastrum diacalcith. de minio, de tutia.*

*De Atrophia.*

Cum membrum non tantum riget, sed etiam contabescit, vnguento resumptiuo inungendum est. In vniuersali verò atrophia, vt in scorbuto reliqua curatio instituenda, & bona diæta vtendum. Commendatur hic lac caprinum, inprimis si capra herbis contra scorbutum pugnantibus alatur, aut lacti pauxillum croci, & aliquid mellis, vel sacchari addatur, & vinum Gallicum rubrum, quod plus nutrit, quam Rhenanum. *Atrophia.*

Summa, vt hæc concludamus, & quidem cum eo, quo cœpimus, generalis lex curandi Scorbutum cum aliis morbis, & symptomatibus copulatum hæc est: vt misceamus cum medicamentis contra morbum illum, vel symptoma directis medicamenta peculiari vi contra scorbutum pugnantia, & quidem ea ratione, vt nunc horum, nunc illorum plus sumamus, prout magis vel scorbutus, vel morbus ille scorbuto conjunctus præualet.

---

## CAPVT VIII.

### *Diæta.*

Mvltum verò momenti ad scorbutum curandum in diætæ ratione situm est. Respondeat autem ea medicamētis, & cacochymiæ scorbuticæ aduersetur, ita vt non solum nihil ad scorbuticæ cacochymiæ generationem faciat, sed etiā vitium humorum corrigat; quod alimenta medicamentosa commodissimè præstant. *Diæta.*

Aër ergo frigidus humidus & impurus, qualem venti Aquilonares & occidentales, ac loca subterranea, cōclusa & ventilationi nulli exposita, suppeditant, & qui paludum, stagnantium aquarum, cloacarum aut aliarum rerum putridarum halitibus infectus est, ac proinde humores ac spiritus inquinare, ijsque vitiosā, quā obtinet, dispositionem imprimere solet, vitetur. Contrà moderate calidus, siccus, tenuis, purus, patens ac liber eligatur; aut si talis natura non detur, arte concilietur, accenso ligno juniperi, rorismarino, & fumo ex baccis juniperi, lauri, thure, succino, trochiscis, & candelis pro fumo, & similibus. *Aër.*

In cibo, & potu vitentur omnia, quæ humorem Melācholicum, crassum, & tartareum præbere possunt; carnes nimirum suillæ, & aliæ sale, ac fumo exsiccatæ; crassa, viscida, dura, difficilis coctionis, vetustate exsucca, rancida, lardum rancidum, pisces sale conditi, & fumo exsiccati, ac omnes cibi, quos supra ad scorbutum generandum aptos esse diximus. Contrà verò in vsu quotidiano sint cibi boni succi, facilis coctionis, attenuandi, incidendi, aperiēdi, detergendique vi præditi, & qui ad coctionem bonam & fermentationem, ac πνευμάτωσιν faciunt, nullo verò modo eam impediunt, & cibos reliquos incrassant. Itaque exhibeatur prisana, juscula gallinarum, & carnis bubulæ, animalium carnes, & pisces, qui bonum succum præbent, & facilè coquuntur; vuæ item passæ. Inprimis commendatur lac caprinum, quod boni succi est, & *Cibus & potus.*

facilè coquitur, aluum quoque nonnihil laxat, & ad benignum hepatis ſuccum vi morbi abſumptum inſtaurandum, viſcerúmq ue robur conſeruandum aptiſſimum. Ac multi largo ſolius lactis vſu, in quo naſturt. aq. cochlearia, becabunga cocta fuere, conualuerúnt: atque inprimis iis id vtile eſt, qui atrophia laborant, neque euacuationes facilè ferunt. Cum enim vnicè danda opera ſit, vt pro vitioſo bonus ſanguis ſubſtituatur: lac & bonum ſanguinem ſuppeditat, & ſi admiſceantur medicamenta ſcorbutica, praua qualitas ſimul abolerur. Vtilia quoque ſunt poma aurantia, refertque Balduinus Ronſſeus, *epiſt.* 2. ſe nouiſſe nonnullos, qui ſolo eorum vna cum corticibus vſu ſanitatem recuperarunt. Cibi condiantur hyſſopo, roremarino, thymo, ſatureia, croco, cinamomo, macere: Embammata fiant è cochlearia, naſturtio, radic. raphani agreſt. capparibus ſine ſale vel à ſale ablutis, limonib. malo citrio, acetoſa, flor. borraginis, ſinapi, quâ in longinquis nauigationibus magno cum ſanitatis commodo nautæ ſeſe tanquàm præſentiſſimo prophylactico aduerſus hunc morbum muniunt. Sali admiſceantur, vel ſalis loco cum cibis vſurpetur puluis ex ſale juniperi, radic. ari, ſpeciebus diapliris archont. aromatici roſati. Grauidarum tamen hâc in re etiam habenda eſt ratio, ne fœtui aliquod damnum attrahatur. In febribus vtilis eſt acetoſa, acetoſella, trifolium acetoſum, quibus aliquid cochleariæ vel naſturtij addi poteſt. Acida verò, quatenus talia, & inprimis acetum ſimplex, fugiendum; cum coctionem, & rarefactionem alimentorum impediat, humores figat, melancholiam augeat, &, vt Hippocr. 3. *de rat. vict. in acut. t.* 38. loquitur, ſit ἀναγωγὸν μελάνων. Condire tamen interdum acidiuſculis cibos licet, vt & dejecta appetentia excitetur, & putredo humorum inhibeatur, ac calor & feruor humorum temperetur. Dulcium, & ſacchari vſus parcus ſit; cum glutinoſum quiddam, & obſtructiones pariendi vim habeat. Et de ſplenicis verum eſt illud antiquum: Τοῖς σπληνικοῖς τὰ μὲν δριμέα, καὶ τὰ πικρὰ ὠφέλιμα, τὰ δὲ γλυκέα βλαβερά. Semper quoque ſimplicitas ciborum varietati eſt præferenda; inprimis vbi diuerſi cibi diuerſas obtinent ſubſtantias: & τὸ ποικίλον τῆς διαίτης ποικίλα νοσήματα parere ſupra diximus.

Potus ſit vinum bonum, Rhenanum inprimis, vel cereuiſia tenuior, & bene defecata, ac lupulo ſatis condita; & quidem cùm vinum tùm cereuiſia, vel ſimplex vel abſinthio, chamædr. lingua ceruina, carduo benedict. hyſſopo, veronica, roremarino medicata. Vel paretur tale vinum.

℞. *Radic. ſarſæ parillæ, Chinæ, ligni ſaſſafras* an. ℥. ii. *radic. rhodiæ, garyophyllatæ, ſcorzoneræ* an. Vnc. i. *linguæ ceruinæ, chamædryos, cochleariæ, abſinthij* an. M. ii. *cinam. opt.* Drach. vi. *paſſular. contuſar.* ℔. j.

Affundantur vini, *vel quod commodius, muſti amphora dimidia.* F. vinum medicatum.

Aut paretur hæc aqua ad vinum diluendum.

℞. *Cochleariæ rec.* M. vj. *naſturtij aquat. linguæ ceruinæ* an. M. ii. *ſarſæ parillæ* Vnc. iii. *paſſul. contuſar.* ℔. ſem. *ſucci becabung.* ℔ vi. *acetoſæ* ℔. iii. ✠

Deſtillentur in B. ad vinum diluendum.

Hydropotæ vtantur aqua, in qua ferrum, vel chalybs ignitus aliquoties extinctus ſit. Si acidularum copia datur, eæ in frequenti vſu ſint. Caprini etiam lactis, aut ſi deſit, vaccini potus admittitur; cum benè nutriat, & emaciatis vtile ſit: vel potetur ſerum lactis, præcipuè caprini. Commodior tamen & lactis, & ſeri vſus eſt, ſi naſturtij, vel cochleariæ aliquid in iis coctum, vel conſeruæ earum diſſolutæ ſint.

Corpus moderatè exerceatur, ante cibum: Ambulare enim, vt apud Plautum, *in Curculion. act.* 2. lieni optimum eſt; & exercitium concoquentem calorem exuſcitat: contrà otium, & quies hoc malum augent.

Somnus, & vigiliæ ſint moderatæ. Et ſomnus quidem ita ſe habeat, vt ad caloris natiui inſtaurationem ac tutelam, humorúmque crudorum coctionem ſufficiat. Sit quoque nocturnus: meridianus tamen iis, qui ob vehementiam dolorum, animi affectus & melancholicas cogitationes noctes inſomnes tranſegerunt, concedi poteſt. Vigiliæ verò calorem & ſpiritus excitent, non abſumant, aut corpus exſiccent, & tabefaciant.

Conſuetæ euacuationes non ſupprimantur. Balneum aquæ dulcis, cum poros cutis laxet, reliquias humorum diſcutiat, & ſordes in ambitu corporis hærentes diſſipet, ſi moderatè, & ſuo tempore vſurpetur, vtile eſt.

Abſit tandem triſtitia, & mœror.

---

## CAPVT IX.

### *De Præſeruatione.*

EAdem, quæ modò propoſita eſt, victus ratione obſeruata, qui proni ad ſcorbutum ſunt, vt & alij, eundem præcauere poſſunt. Nimirum, qui à ſcorbuto ſibi metuunt, victus rationem corporis naturali conſtitutioni conuenientem, ſcorbuto verò contrariam, qualis modo deſcripta eſt, obſeruent. *Præſeruatio.*

In eo ſaltem eſt differentia, quod eorum, qui ſcorbuto jam laborant, diæta ita comparata eſſe debet, vt ſcorbuto manifeſtè ſit contraria. In præſeruatione verò ſatis eſt, ſi corpori noſtro ſit ſimilis, & cauſſæ præternaturali moderatè aduerſetur.

Et quia omnes errores diætæ ſemper præcaueri non poſſunt, ſi quid humorum vitioſorum cumulatum eſt, verno & autumnali tempore euacuandum. Et quidem inprimis autumno multo majore cura opus, vtpote qui ad morbos melancholicos generandos aptiſſimus eſt. Ideoque humor melancholicus & bilis aduſta per æſtatem tali vel ſimili medicamento educenda.

℞. *Radic. polypod. q.* Vnc. i. *bugloſſæ, cic. cichorij* an. ℥. ß. *ceterach. fumariæ, cuſcutæ, capill.* ♀, *chamædryos* an. M. j. *ſem. frigid. major.* an. Drach. i. *flor. borragin. bugloſſ. geniſtæ* an. M. ß. *fol. ſenæ* Vnc. ii. ſem. *rhabarbar.* Drac. i. *ſem. aniſi, fœnicul.* an. Scrup. ii. *paſſul. exac.* Vnc. i. Coquat. *in Aqua pura. Colaturæ adde ſyr. roſar. ſol.* Vnc. ii. *byzant. ſyr. de pomis, de epithymo* an. Vnc. i.

Dentur pro Doſi Vnc. iiii.

In primis verò, qui à ſcorbuto liber eſſe cupit, omnes modos, quibus contagij ſcorbutici ſeminaria communicari poſſunt, caueat, pocula cum ægris communia, halitum ex ore fœtentem, oſcula & ſimilia. Et omnino vapores ex corporibus Scorbuto infectis, ſeu viuentibus, ſeu mortuis vitandi ſunt, cum noxij ſint, & idem malum inducere poſſint. Curaui circa finem Anni 1629. nobilem quendam, qui diu affectione Hypochondriaca laborauerat, tùm quartana continua, verè tamen Scorbutica laborantem: cui cum jam quarta morbi ſeptimana ſyrupus laxatiuus eſſet exhibitus, aluum cum tanto fœtore dejecit, vt alter famulorum in terram concideret, atque ibi per integram horam quaſi Apoplecticus jaceret, alter ſæuiſſimo capitis dolore cum horrore corriperetur. Feci quoque ſupra, *cap.* 1. *&* 4. mentionem viri cuiuſdam, cui ſcorbutô correpto inter cætera ſymptomata ſuaue delirium acceſſit, & hæmorrhagia è crure, nullo veſtigio poſt fluxum apparente. Is malum hoc ita contraxerat. Vir quidam, cuius etiam ſupra facta mentio eſt, ſcorbuto extinctus fuerat, cuius cadauer cum è loculo tetrum vaporem exhalaret, rimas loculi obſtruendi ei datum erat negotium, in quo expediendo ſemimortuus concidit, & morbum hunc cum ſymptomatibus antea enumeratis contraxit.

Aërem quoque vliginoſum, cibos, & alia, quæ ſupra inter Cauſſas ſcorbuti recenſuimus, vitet, qui à ſcorbuto liber eſſe cupit.

***

# LIBRI TERTII
## PARS VI.
## De Hepatis Morbis ac Symptomatibus.
### SECTIO PRIMA.
*De Morbis Hepatis.*

### PROOEMIVM.

RECTE *Hippocrates*, lib. de alim. Τροφὴ καὶ τροφῆς εἶδος, μία καὶ πολλαί. Alimentum & alimenti species vnum & multæ. *Qui locus non ſaltem eum ſenſum habere poteſt, vt ſanguinem, qui vnus eſt, totius corporis eſſe alimentum, ex eo verò quamlibet partem, quod ſibi conueniens eſt, neruos, venas, arterias, muſculos, membranam, carnem, cerebrum & reliquas, vt ibid. habet Hippocrates, attrahere dicatur: Verùm etiam, vt ibid. ſubiungit:* τροφῆς τὸ τρέφον τοῦτο τροφὴ καὶ τὸ οἷον τροφὴ, καὶ τὸ μέλλον τροφή, In alimentorum genere id quod alit, alimentum eſt, & quod alimento proximum, & quod alimentum futurum eſt. *Ac proinde etſi vnus eſt ſanguis, quo corporis noſtri partes aluntur: tamen cibi, è quibus fit ſanguis, planè multi & varij ſunt. Et cum id, quod corporis alimentum futurum eſt, à corporis noſtri ſubſtantia multum diſtet, variis mutationibus opus eſt, vt in corporis noſtri alimentum, & hinc eius ſubſtantiam abeat. Hæc autem mutatio in vna coctione fieri non poteſt, ſed variis opus eſt. In ventriculo nimirum fit prima cibi coctio ſeu digeſtio, quâ cibus, qui etiam homogeneus videbatur, ita reſoluitur, vt in heterogeneas partes ſeparari poſſit. Hinc quod corpori alendo inutile & craſſius eſt, mox in Inteſtinis ſeparatur, & per aluum eijcitur. Chylus poſtea reliquus à vaſis meſaraicis ad Hepar transfertur, vt inde purior ſanguis totius corporis futurum alimentum gigni poſſit. Id vt commodius fiat, lien chyli craſſiorem partem ad ſe trahit, & inde ſanguinem alendis partibus in ventre inferiore idoneum generat; ex reliqua verò chyli parte puriore ſanguis optimus in hepate generatur. Cum autem iſtæ cibi mutationes, & diſtributiones, quæ fiunt in ventriculo, inteſtinis, meſenterio & liene, maximæ & operoſiſſimæ ſint, & plerunque in cibo tantum ſit partium inutilium & excrementitiarum, imò etiam plus, quam ſanguini bono generando aptarum, facilè fieri poteſt, vt in primis hiſce coctionibus & viis aliquid excrementi colligatur, quod in hac corporis quaſi ſentina cumulatum variorum poſtea morborum cauſſa exiſtit, quos hactenus explicauimus. Actum enim non ſolum de morbis & ſymptomatibus, quæ ventriculo, inteſtinis, meſenterio, pancreati, omento & lieni accidunt, verùm etiam, quia ex eodem fonte & humoribus in hiſce partibus genitis & cumulatis affectio Hypochondriaca & Scorbutus originem habent, de ijſdem quoque dictum. Proximum eſt, vt jam Hepatis, in quo chylus in hiſce partibus generatus, & ab excrementis maximam partem liberatus in ſanguinem mutatur, morbos, & ſymptomata, quæ circa ſanguificationem accidunt, explicemus. Dicendum ergo erit de hepatis intemperie, obſtructione, & eius vaſorum apertione, inflatione, inflammatione, & aliis hepatis tumoribus, calculis, vermibus & hydatidibus in eo genitis, vulneribus, vlceribus & ſphacelo. De veſiculæ fellis morbis. Item de ſanguificatione læſa & cachexia, de hydrope & eius ſpeciebus, de dolore hepatis & ictero: Quæ jam ordine proponemus.*

### CAPVT I.
### De Intemperie Hepatis.
*De Intemperie in genere.*

AFFICI autem poteſt hepar omnis generis intemperie, & ſimplici & compoſita, & ſine materia ac cum materia. Plerumque verò Intemperies Hepatis cum materia eſt coniuncta; quia breui tempore intemperies calida calidos ac bilioſos humores cumulat; frigida crudos, craſſos, pituitoſos; ſicca terreſtres; humida tenues & aquoſos. *Intemperies hepatis.*

*Cauſſæ.*

Intemperierum autem cauſſæ ſunt cibus & potus, medicamenta & res non naturales dictæ, humores in corpore à naturali temperie & mediocritate recedentes, intemperies inſignes partium, quibus per vaſa connectitur, aut quibus aliàs vicinum eſt. Ita in febribus, vbi caloris fons præcipuè in corde eſt, hepar quoque incaleſcit. Eodem modo ob frigidam intemperiem ventriculi, lienis, pulmonis, renum, diaphragmatis, meſenterij, inteſtinorum ſimilem intemperiem contrahere poteſt. Intemperies autem hepatis cum materia excitatur, cum ea in hepate vel ob chyli prauitatem generatur, vel ob expultricis facultatis imbecillitatem aut vaſorum anguſtiam cumulatur, vel ab aliis partibus tranſmittitur, id quod accidit nunc à toto corpore, nunc à certis partibus. *Cauſſa.*

*Signa Diagnoſtica.*

Intemperies hepatis præcipuè ex actionis ejus læſione cognoſcitur. Quæ autem intemperiei cujuſque ſigna ſint, in ſpecie dicetur. *Signa.*

*Prognoſtica.*

Grauior eſt intemperies hepatis, quàm ventriculi; quia hepar præſtantius eſt ventriculo, & majora ex ejus læſione proueniunt incommoda. Remedia quoque propter ſitum ejus remotiorem ita integris viribus ad ipſum non perueniunt, quemadmodum ad ventriculum. Deinde quia ſæpe remedia, quæ ipſi intemperiei profligandæ ſunt vtilia, à contraria intemperie ventriculi prohibentur, quibus de cauſſis curatio difficilior redditur. *Prognoſtica.*

*Indicationes.*

In intemperie hepatis curanda indicatio communis eſt, alterandum eſſe per contraria. Remedia tamen interna, quia hepar loco profundiore ſitum eſt, quàm ventriculus, efficaciora hîc eſſe debent. Quia etiam membrum principale & nobilius eſt hepar, ejus craſin & proprietatem naturalem per ſimilia, calorem verò naturalem, ne diſſoluatur, per adſtringentia mediocria conſeruare oportet. *Indicationes.*

*Remedia.*

Quæ autem medicamenta alterent hepar in ſpecie poſtea proponentur. Hîc ſaltem ea recenſebimus, quæ hepati totâ ſubſtantia & peculiari proprietate conferunt. *Medicamenta hepatis ſpecifica.*

E cibis talia ſunt:

Hepata animalium; vituli, gallinarum, anſerum; inprimis hepar lupi præparatum, cujus puluis cibis & aliis medicamentis admiſcendus. Vtiles ſunt & paſſulæ, hepatique valde gratæ. E medicamentis; ſi calidæ intemperiei indicia adſint, peculiari vi hepati proſunt,

Cichoracea,

Cichoracea, rosæ, santali species: Si frigidæ, agrimonia, absinthium.

Adstringentia autem sint moderata, cum hepar obstructionib. facilè obnoxium sit.

*De Intemperie calida.*

*Intemperies hepatis calida.* Calidam intemperiem contrahit hepar primò à partium vicinarum caliditate, sicut in febribus ardentibus hepar à calore cordis & ipsum incalescit, quod & à vicinarum partium erysipelate & inflammatione accidere potest.

Deinde è rebus non naturalibus assumenda, retinenda, expellenda & foris incidentia, quæ calefaciendi vim habent, hepar calefaciunt. Inter ea autem præcipuè alimenta & medicamenta vi calefaciendi prædita hepar calefaciunt, vt nimius vini generosi & aromatum vsus.

*Signa diagnostica.*

*Signa.* Calidam intemperiem hepatis indicant 1. Caussæ, quæ præcesserunt. 2. Effectus, vt cibi & potissimum carnis inappetentia, deiectiones biliosæ, vomitus bilis, vrina flaua, febris, quæ sæpe coniungitur, pulsus velox & frequens, mordax in toto, & præcipuè in volis manuum & plantis pedum, calor, color faciei citrinus, corporis totius gracilitas, linguæ asperitas. Iuuant frigida, nocent calida, quemadmodum hæc pleraque explicat Galenus, *6. de loc. aff. c. 7. & 8. de comp. med. sec. loc. cap. 6.* Quod si intemperies hepatis calida plurimum excesserit, sequuntur excretiones biliosæ, fœtidæ, sanguinolentæ, & tandem τῆς οὐσίας hepatis διαφθορά (corruptio substantiæ hepatis) & carnis hepatis quasi colliquatio, & per cruentam deiectionem excretio.

*Prognosticum.*

*Prognosticū.* Excessus caloris, nisi summus sit, non ita periculosus est; cum hepatis constitutioni non ita repugnet. Non tamen ita facilè curatur, præsertim, vt plerumque contingit, si ventriculus simul sit frigidus, & flatus vel in eo, vel in intestinis adsit. Cum enim quæ ad hepar refrigerandum faciunt medicamenta, prius recipi debeant in ventriculo, hunc prius offendunt, eiúsque frigus intendunt.

*Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & curatio.* Hepatis intemperies calida refrigerantia indicat, quam si contraxit à vicinis partibus calidis, eæ inprimis alterandæ. Earum enim intemperie sublata facilè quoque calor hepatis euanescit. Quod etiam faciendum, si intemperiem à calidis humoribus contraxerit.

Si ergo sanguis abundet & calidior sit, & vires, ætas ac cætera permittant, vena aperienda, quæ & sanguinem abundantem euacuat & simul refrigerat.

*Medicamenta hepar refrigerantia.* Medicamenta verò hepar refrigerantia sunt;

Radices; *Cichor. taraxac. fragar. acetosæ.*

Folia: *Cichorij, endiuiæ, scariolæ, acetos. sonchi, lactucæ.*

Flores: *Rosarum. violarum, ymphea.*

Semina: *Frigida maiora (scilicet melon. cucumer. cucurbit. citrulli) minora (lactucæ, endiuiæ, scariolæ, portulacæ) hordei.*

Fructus; *Fraga, cerasa, ribes, cucumeres, cucurbitæ & similes.*

Ligna: *Santali species.*

Succi: *Citri, ribes, granator. cerasorum, serum lactis.*

Et inprimis *cichoracea* & *intybacea* omnia hîc valde prosunt, & hepar roborant, & ob amaritudinem abstergunt & aperiunt; nec ventriculum frigidum lædunt.

Vt ℞. *Rad cichor.* ℥.ß. *fol. endiu. cichor.* an. M. i. *sem. melon. endiu.* an ʒ. ii. *passular. mundat.* ℥. j.

Coq. in aq. hord. simpl.

Colaturæ ℞. ℔. i. adde *syr. endiuiæ simpl.* ℥. ii. *acetos. s.* ℥. iß. Misce pro 3. vel 4 dosibus.

Vel ℞. *Aq. hord. cum sacchar. & cinamom.* ℔. ß. *fragor. sine vino, endiuiæ* an. ℥. iii. *sem. 4. frigid. maior. excort.* an. Drach. ij.

F. Emulsio, cui adde *iulebi rosacei* ℥. i. Misce.

Vel ℞. *Aq. puræ* ℔ iß. *sacch candi* ʒ. vj.

Bulliant leniter & colentur.

Colaturæ adhuc calidæ adde *santal. rubr.* Drach. ii. *citrin.* Drach. isem. *flor. rosar. rubr.* Drach. i. *spir. vitrioli* Scrup. ß.

Stent in infusione tecta hor. vj.

Colentur. Adde *iulebi violar. syrupi ribes, succi citri* an. ʒ. vi. *spir. vitriol. q. s.* ad aliquam acetositatem.

F. Iulebus.

Si libet, possunt *aquæ cinamomi aliquot guttæ* addi.

Vt ℞. *Conseru. cichor. rosar. violar.* an. ℥. i. *rad. condit. cichorij* Vnc. sem. *spec. diarrhod. Abb.* Drach. sem. Cum *oxysacchar. s.*

F. Electuarium.

Extra verò vsurpanda sunt *Vnguentum rosarum, refrigerans Galeni, cerotum santalinum, succi & aquæ herbarum hepaticar. frigidarum,* vt *rosarum, violarum, endiuiæ, cichorij, scariolæ, lactucæ,* item *succus cucumeris & cucurbitæ.*

E. g. Paretur tale epithema.

℞. *Succi vel aq. endiu. lactuc. scariolæ* an. ℥. iii. *rosar.* ℥. iß. *spec. diatrion. santalon. puluer. santali citrini* an. ʒ. ß. *trochisc. de spodio* Scrup. i. *spicæ Indicæ* Scrup. ß. *aceti rosarum* ℥. ß. Misce.

Vel ℞. *Vnguenti refrigerantis Galeni, rosati Mesuæ* an. ℥ß. *puluer. rosar. rubr. santali citrini* an. Scrup. i. *camphoræ* gr. x. *ol. ros. parum.*

F. Vnguentum.

*Diæta.*

*Diæta.* Aër ad frigidum vergat, Cibi refrigerent, sed non obstruant. Vtilis est inprimis ptisana & eius cremor, quæ magis refrigerat, si semina frigida maiora addantur, Vsurpentur etiam lactuca, acetosa, cichorium, intybum. Cibi condiantur succo citri, limon. granat. ribes, cerasor. acetosorum. Potus sit cereuisia tenuis, vel vinū aqua dilutum, vel aqua hordei aut simpl. aut cum iulebo rosar. aut serum lactis. Acidulæ quoque magnam calorem hepatis temperandi vim habent. Vitet æger irā, & corporis exercitationem nimiam.

*De Hepatis intemperie frigida.*

*Caussæ.*

*Hepatis intemperies frigida. Caussæ.* Intemperiem hepatis frigidam pariunt vicinorum viscerum frigiditas, vt supra dictum, res non naturales refrigerandi vim habentes, inprimis vsus rerum frigidarum, vt frigidæ potus, & medicamenta nimis frigida, sanguinis item nimia euacuatio.

*Signa Diagnostica.*

*Signa.* Præcesserunt caussæ modò dictæ. Plerumque sic satis appetunt cibum ægri; sitis adest nulla, pulsus est paruus, tardus, rarus, totius corporis frigiditas & albedo, excrementa pituitosa, cruda, sæpe liquidiora, non mordicantia, vrinæ albæ, aliàs tenues, aliàs crassæ. Sanguis generatur aquosus & crudus. Quæ refrigerant, nocent; quæ calefaciunt, prosunt.

### *Prognosticum.*

*Prognostic.* Hepatis frigiditas multò periculosior est, quam calidi-tas eiusdem; cum naturæ visceris magis repugnet, & functioni eius, quæ in calore consistit, aduersetur. Ideóque quò maior est frigiditas, eò periculosior est, & præcipue si eò vsque progressa sit, vt sanguificationem lædat, & iam cachexiam inducat. Nisi enim maturè ei occurratur, ad hydropem deducit.

### *Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & Curatio.* Intemperies frigida indicat curationem per calida; quæ vt tutò adhiberi queat, si sanguinis aliqua copia adsit, ex suppressione mensium, vena saphenæ primùm aperienda, aut si hæmorrhoides suppressæ sint, ipsæ prouocandæ.

*Medicamenta hepar calefacientia.* Medicamenta autem hepar calefacientia sunt:

Radices, *fœniculi, petroselini, apij, pimpinellæ, acori veri.*

Folia; *Agrimoniæ, agerati, cuscutæ, absinthij, lupuli, chamædryos, betonicæ, fumariæ, sabinæ, capillorum veneris,*

Flores, *schœnanthi, sambuci.*

Semen, *fœniculi, anisi.*

Aromata, *cinamomum, spica Indica.*

Cortices, *citri, aurantiorum.*

Et quæ ex his fiunt.

Conseruæ, *flor. betonic. salu. fumariæ, chamæpithyos, sambuci, absinthij.*

Syrupi, *de eupatorio, byzantinus, de duabus & quinque radicibus.*

Species, *dialaccæ, diacurcumæ, diacinamomi.*

Trochisci, *de rhabarbaro, de absinthio, de eupatorio, de lacca.*

Vel ℞. *Rad. fœnicul. petroselini* an. ʒ. ß. *agrimon. chamædrios, capillor. vener.* an. M. i. *summitatum lupuli, fumariæ* an. M. ß. *sem. fœniculi, anisi* an. ʒ. j. Coq. in aq. f.

Colaturæ ℞. ℥. x. *syr. de duabus radicibus* ℥. ii. *de eupatorio, oxymel. s.* an. ℥. ß.

M. pro tribus dosibus.

Vel ℞. *Aq. fœnic. petroselin. agrimon.* an. ℥. iii, *syr. de duabus vel quinque radicib. byzant compos.* an. ℥. ß.

*M. Aromatisentur speciebus diacinamomi vel aromat. rosat.*

Vel ℞. *Rad. fœnic. petroselin. asparagi* an. ℥. ß. *agrimoniæ, capill. vener. marrubij* an. M. ß. *centaur. minor.* P. i. *schœnanthi, rad. cyperi* an. ʒ. ii.

Coq. in *aq. simpl.*

Colaturæ ℞. ℔. ß. *syr. de duabus radicibus, byzant. de eupatorio* an. ℥. i.

F. Potus pro tribus dosibus.

Galenus, 8. *de comp. medic. sec. loc. c.* 8. ex Archigene hoc refert.

℞. *Sem. anisi, apij, fol. asar. absinth. amygdal. amarar.* an. Drach. ij.

Reducantur in pastillos, quos ipse amaros nominat. Dosis ʒ. i. cum vini diluti ℥. i v. si febris absit; febricitantibus cum melicrato. Moderatè calefaciunt & abstergunt ac meatus aperiunt. Nam cum intemperie, præsertim frigida, semper ferè obstructiones à materia cruda factæ coniunguntur.

Vel ℞. *Conseru. anthos, beton, cort. citri condit.* an. ℥. ß. *hepatis lupi præparati spec. aromat. rosat. diamarg. calid.* an. ℈. i. Cum *syr. betonic. vel de eupatorio.*

F. Electuarium.

Vel ℞. *Pulpæ passul.* ℥. i. *myrobalan. chebulor, conditor.* Dra. ii. *spec. arom. rosat.* ʒ. i. *schœnanthi, puluer. hepatis lupi præp.* an. ʒ. ß. Cum *melle anthosato.*

F. Electuarium.

Extra inunctiones fiant vel fotus ex oleo absinthij, nardino, mastiche, macis, caryophyll. ligno aloës, spica, & plantis antè enumeratis, vt.

℞. *Ol. absinth. nardin.* an. ℥. ß. *amygdal. amarar. mastich.* an. Drach. ii. *fol. agerati, absinth. schœnanth.* an. Scr. i. *sem. apij, petroselini* an. ℈. ß. *ceræ q. s.*

F. Vnguentum.

Vel tale epithema paretur.

℞. *Agrimon.* M. i. *radic. cyperi* Dra. i. *sem. fœnicul. anisi, schœnanth* an. ʒ. ß.

Coq. in aqua, sub finem affunde *vini* Drach. iii. *aceti* Vnc. sem.

Colentur pro epithemate.

Vel ℞. *Aq. agrimon. absinth.* an. ℔ß. *vini Cretici* Vnc. iii. *spec. aromat. rosat. dialaccæ* an. ʒ. i.

F. Epithema.

### *Diæta.*

*Diæta.* Aër sit calidior. Cibi boni succi & natura sua calidi, condianturque aromatibus. Potus sit vinum vetus, inprimis Creticum, vt & Hispanicum, ac quod aromatibus conditur & Hippocraticum vocatur. Corpus moderatè exerceatur.

## *De Hepatis Intemperie humida.*

### *Caussæ.*

*Intemperie hepatis humida. Caussæ.* Caussæ præcipuè sunt alimenta admodum humida, medicamenta humectantia, & aquæ dulcis balneum sæpe vsurpatum.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Præcesserunt caussæ modò dictæ; nulla adest sitis; pulsus est mollis; sanguis multus & aquosus, excrementa multa liquida, vrina spicea. Iuuant sicca, lædunt humida.

### *Prognosticum.*

*Prognostic.* Humida intemperies hepatis minus periculosa est; cum hepatis naturali constitutioni minus sit contraria, & curationi minus resistat, modò ea non sit summa, & cum visceris corruptione, aut alia praua qualitate, vel cum summo frigoris excessu.

### *Curatio.*

*Curatio.* Humida intemperies indicat siccantia, vtitúrque Galenus in humida hepatis intemperie adstringentibus cum mistura calefacientium, si frigida qualitas prædominetur; refrigerantium, si calida. Ideóque ex calefacientibus hîc conueniunt, absinth. agrimon. mastiche. Ex frigidis rosæ, santalum, spec. diatrionsantalon, diarrhod. Abbat. Atque iisdem etiam extra vti licet.

## *De Intemperie Hepatis sicca.*

### *Caussæ.*

*Intemper. hepatis sicca. Caussæ.* Caussæ sunt res omnes non naturales, quæ vim exiccandi habent, præcipuè cibus, potus & medicamenta siccantia, vt & inedia.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Præcesserunt caussæ iam dictæ, adest naturalis ad eam propensio, habitus corporis est gracilis, siccus, durus, venæ sunt duriores, sitis adest assidua; sanguis est paucus, deiectiones alui sunt siccæ & duræ, Iuuant humectantia, nocent siccantia.

*Prognostica.*

*Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Sicca intemperies hepatis facilè in tabem & marasmum totius corporis transit; cum vniuersum corpus alimento defraudet.

2. Eadem satis periculosa est; cum temperamento hepatis multum repugnet.

3. Si calida intemperies siccitatem coniunctam habeat, difficulter curatur; cum humectantia debilia sint, & siccitas remediis valdè resistat.

*Curatio.*

*Curatio.* Sicca intemperies hepatis humectantia indicat. Quapropter prosunt syrupi & conseruæ *borrag. buglojf. violar. amygdalæ dulces, semina melonum, & eorum emulsio, passulæ, succus carnium, vitelli ouorum*, aliáque, quæ in intemperie ventriculi sicca sunt proposita,

Extra applicanda sunt *ol. amygdal. dulc. violar. vnguentum dialth. & similia.*

*De Intemperie Hepatis composita.*

*Caussæ.*

*Intemperies hepatis composita. Caussæ.* Intemperies compositæ caussas habent compositas modò enumeratas.

*Signa Diagnostica.*

Eædem ex signis complicatis cognoscuntur, vt excrementa loturæ carnis similia humiditatem cum frigiditate vel caliditate coniunctam indicant. Si frigiditas coniuncta sit, refrigerantia alimenta & medicamenta, vel aliæ caussæ refrigerantes præcesserunt; prosunt ægris calida, deiectiones humidæ sunt, sine mordacitatis sensu, sequitur ferè cachexia & hydrops. Si verò caliditas sit coniuncta, præcesserunt caussæ calefacientes; prosunt frigida, in excrementis mordacitas & acrimonia percipitur; Progressu morbi deiectiones fiunt biliosæ & fœtentes, & tandem atrabilariæ redduntur. Quandò sicca intemperies cum actiuis qualitatibus copulatur, excrementa crassiora & sicciora sunt, humida iuuant, ac qualitates actiuæ hanc vel illam passiuam frequenter adsciscere solent. Intemperies enim calida paulò post sibi adiungit siccam, frigida humidam.

*Curatio.*

*Curatio.* Composita intemperies compositam & duplicem vim habentibus remediis curatur: Calida humida, frigidis siccis; calida sicca, frigidis humectantibus; frigida humida, calefacientibus & siccantibus; frigida sicca, calidis humectantibus, tàm in victus ratione, quàm medicamentorum loco, seu intus seu extra adhibitis.

Ideóque quando caliditati iungitur humiditas, conueniunt rosæ, santali species, succus ribes, diatrionsantalon, diamargar. frigidum, conseru. rosar. cichorij, quibus C.C. bolus Armenus, terra sigillata addi potest.

Si siccitas coniungatur caliditati, cum sero caprino fiat emulsio amygdalar. dulc. Vtile est, si decoctis & aquis refrigerantibus addantur nuclei pini, amylum, tragacantha.

*De Intemperie Hepatis cum materia.*

*Intemperies hepatis cum materia.* Rarò autem Hepatis Intemperies sola diu durat, sed humorem sibi adsciscit, vel bilem, vel pituitam, vel melancholiam; sæpe & sanguis abundat. Continetur autem humor vel in substantia seu parenchymate Hepatis: quod si distendat, tumor excitatur; sin erodat, vlcus; vel in vasis, vbi obstructionem seu morbum in via plerumque parit, *de quibus postea* dicetur. Calida autem Intemperies calidos humores, sanguinem & bilem; frigida crudos, crassos, pituitosos; sicca terrestres; humida aquosos cumulat.

*Caussæ.*

*Caussa.* Intemperies Hepatis cum materia, vt in aliis quoque partibus, gignitur, quod vel in ipso paulatim humor cumulatur, seu ob expultricis facultatis debilitatem, seu ob vasorum angustiam, seu quod vesicula fellis sanguinem ab humore bilioso non expurgat, vel ab aliis partibus seu toto corpore ad Hepar transmittitur; vel tertiò, quod humor in ipso Hepate ob eius intemperiem aut errata in victu cumulatur, vt totus ab expultrice facultate, etiam robustâ, expelli non possit.

*Signa diagnostica.*

*Signa.* Intemperies cum materia cognoscitur & ipsa è signis Intemperierum antè enumeratis, quibus ea coniunguntur, quæ materiam præsentem arguunt, ex antecedentibus, præsentibus ac effectis petita. Calidi humoris in Hepate præsentis indicia sunt caussæ calidos humores generare valentes, quæ præcesserunt, bilis vomitu vel per aluum reddita, primò tenuis, & pallida, deinde crassa, flaua & fœtida, oris amaror, cibi fastidium, sitis vehemens & sæpe febris; iuuant frigida, nocent calida.

Frigidi humoris contraria sunt indicia, præcesserunt caussæ, quæ humores frigidos cumulare solent, faciei & totius corporis color est albus, & habitus corporis euadit mollis & humidus, deiectiones sunt pituitosæ, febris nulla adest, nisi ex obstructione humores putrescant, atque tùm grauitas in dextro hypochondrio percipitur.

*Prognosticon.*

*Prognosticon.* Intemperies cum materia citius curatur, quam intemperies nuda & sine materia, & quò plus substantiam hepatis labefactat humor, eò morbus periculosior est.

*Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & curatio.* Perpendendum autem, an materia aliunde affluat, aut in ipso hepate colligatur. Si aliunde affluit, reuellenda, repellenda, & Hepar, ne eam recipiat, roborandum. Materia autem cum intemperie peccans & præsens in hepate cõueniente modo euacuanda, &, si opus, alteranda, & quidem euacuanda leni medicamento, & per interualla iterato, ob partis affectæ officium & dignitatem. Ipsa verò intemperies alteranda, vt modò dictum. Considerandum autem, quæ præcipuè Hepatis pars laboret, & humorem vitiosum contineat. Nam cauum Hepatis commodius per aluum euacuatur; gibbum per vrinam. Si tamen etiam in gibba hepatis parte magna humorum copia adsit, prius per aluum purgatio instituenda. Itaque si materia aliunde affluat, siue à toto, siue à parte auertenda est ab hepate; quod fit, si sanguis affluat, commodissimè venâ in brachio sectâ: purgationes verò hîc parum commodæ sunt; cum versus Hepar è reliquo corpore humores trahant. *Purgatio an sit commoda.* Potius tùm si materia sit acris & calida, & naturam ad expulsionem irritet, temperanda ea & alteranda iis medicamentis, quæ antea sunt proposita. Reuellunt etiam ab hepate frictiones brachiorum & crurum & cucurbitulæ scapulis cum scarificatione appositæ. *Reuellentia. Hepar roborantia.* Hepar verò roborant, ne affluentem materiam recipiat, & quodammodo repellunt, inunctio regionis Hepatis facta *oleo mastichino, rosaceo, myrtino, absintij, emplastrum diaphænicum frigidum, ceratum santalinum*, cataplasmata & epithemata *ex refrigerantibus & adstringentibus antea propositis applicata.*

Ad

*Deriuatio.* Ad Deriuationem autem commodum est venam internam in brachio secare, quæ quidem venæ sectio à principio instituta ab Hepate reuellit, si autem repetatur, etiam deriuat. Possunt etiam hirudines hæmorrhoidibus applicari.

Vbi autem materiæ influxus iam prohibitus est, vel in ipso hepate ob caussas supra dictas materia cumulata est, ad ipsius materiæ euacuationem curatio dirigenda. Fit autem illa materiæ euacuatio vel sensibiliter, vel insensibiliter. Sensibiliter euacuant, quæ vel aluum vel vrinam mouent.

*Euacuantia.* Ideóque si calidi, acres & biliosi humores adsint, venæsectione præmissâ, ij euacuandi sunt *syrupo rosarum solutiuo, tamarindis, manna, rhabarb. electuario de succo rosar. rosato Mesue, de psyllio.* Frigidi verò humores euacuandi sunt *melle rosato solutiuo, agarico, electuario diaphænico, Indo & similibus.*

*Diuretica.* Vrinam mouent in caussa calida; *sem. 4. frigid. maiora, cum sero lactis, vt & radices graminis.* Fortiora sunt; *Radices asparagi, fœniculi, petroselini, brusci, schœnanth. asarum,* quæ in caussa frigida locum habent.

*Insensibiliter discutientia.* Insensibiliter verò discutiunt & reliquias absumunt; *linimenta, vnguenta, cataplasmata & emplastra* è discutientibus parata, de quibus postea *de obstructione & tumoribus hepatis* dicetur: Quibus tamen semper aliquid adstringentium addendum, ne tonus hepatis laxetur.

Ne verò noua materia cumuletur, præstatur, si prohibeatur primò, ne noua coaceruetur, quod fit, si ea victus ratio instituatur, quæ ad humoris, qui peccat, generationem non facit. Deinde si adsit aliqua Intemperies, ob quam vitiosi humores generantur, vel non rectè expelluntur, si illa tollatur, & tandem si obstructiones adsint, si eæ aperiantur.

Aliquot morborum Hepatis ab humoribus facit mentionem Hippocrates *libro de internis affectionibus.*

## CAPVT II.

### *De Obstructione Hepatis & vasorum eius præter naturam apertione.*

*Obstructio hepatis.* ORganicos verò morbos Hepatis quod attinet, sunt inter eos primò morbi meatuum. Cum enim hepar per ramos venæ portæ, qui in eius substantiam disperguntur, chylum recipere, & sanguinem genitum per venam cauam in totum corpus distribuere debeat, pateant, quantum satis, hi meatus necesse est. Quod si non fiat, morbi meatuum oriuntur, qui hîc duplices sunt, obstructio nimirum vasorum in hepate, & nimia eorundum apertio.

Et primò obstructio hepatis satis familiare malum est, teste Galeno, *de causs. morbor. c. 7. & de diff. morbor. cap. 7.* Nam venæ à portâ exporrectæ transmissis quibusdam osculis cauæ ramis committuntur in ipsa hepatis substantia, vel in ipsam hepatis substantiam terminantur, per quas cum alimentum traduci & disportari oporteat, obstructiones facilè accidere possunt; cùm ob meatuum illorum angustiam, tùm ob materiæ transeuntis crassitiem & lentorem; interdum & copiam.

Itaque Hepatis obstructio est angustia vasorum in Hepate alimenti distributionem impediens à materia ipsorum cauitatem implente, producta.

Subiectum est totum Hepar, quod tanquam organum generationis & distributionis sanguinis afficitur; siquidem actio, quæ læditur, totius Hepatis est, vt membri organici. Etsi enim obstructio quæ in venulis, aut arteriis per Hepar dispersis est, sit notissima, & vulgò in Medicorum scriptis celebrata: tamen quia & ipsa hepatis substantia suos poros ac meatus habet, non minus ac masculosa in habitu corporis substantia, & illi à crassiore, feculenta & limosa sanguinis parte continuò præterlabente obstrui & occludi possuut, quibus occlusis nec hepatis calor natiuus ventilari, nec halituosa & tenuiora excrementa euacuari possunt. Atque materia ista per substantiam Hepatis diffusa nisi maturè tollatur, tandem induratur & scirrhum Hepatis generat.

### *Caussæ.*

*Caussæ.* Caussa efficiens proxima est materia cauitatem vasorum vel etiam ipsam hepatis substantiam implens. Estque materia hæc interdum humor, interdum flatus, aliquando vtrumque mixtum; interdum & calculus.

Peccat autem humor vel copia vel qualitate, vt si crassus sit, qualis melancholia, pituita & sanguis, item bilis interdum crassa; aut viscidus, vt pituita, quæ lentorem acquisiuit.

Nonnunquam materia toto genere præter naturam, est, vt sanguis corruptus & putridus. Crassus igitur humor cùm calidus, tùm frigidus esse potest. Nam & bilis flaua interdum diutius in Hepate hærens crassescit, & perniciosas obstructiones in eo gignit: Imò in calculum interdum degenerat.

Facilius verò generatur obstructio in Hepate à materia etiam non admodum crassa & copiosa, cum vasa eius aut à primo ortu angustiora sunt, aut à stipticorum vsu diuturno talia affecta sunt.

Materia hæc, vt *cap. præced. de Intemp. Hepatis cum materia* dictum, vel in Hepate generatur; vel aliunde ad id confluit. Generatur in Hepate vel eius facultate & actione læsa ob Intemperiem præcipuè, vel ob errorem externum, dum etiam Hepati bene constituto chylus vitiosus offertur, è quo bonum sanguinem generare nequit.

Confluunt aliunde humores ad Hepar, vel à toto, dum illud copiosâ vel crassâ & viscidâ materia repletum est; vel à parte aliqua, vt à ventriculo, liene, vtero, vel etiam à capite. Vt autem materia ad Hepar feratur, fit hoc, quia vel ob imbecillitatem materiam facilè suscipit, vel ob angustiam vasorum facilè retinet, vel vi caloris attrahit, vel dum medicamenta aperientia & diuretica exhibentur ventriculo crudis humoribus repleto.

Externæ caussæ sunt errores in victu, vt si quis cibos copiosos aut crassos, frigidos, adstringentes frequenter ingerat, aut vino dulci crasso, vel saccharo frequentius vtatur. Eiusmodi cibos Hepar facilè obstruentes Galenus enumerat, *1. de med. facult. cap. 4. 5. 6. & 3. eiusdem operis cap. 15.* Accidit hoc quoque, quando quis mox à sumpto cibo exercetur vehementius, aut balneum ingreditur. Tunc enim crudus chylus in exiles hepatis venas rapitur & impellitur.

### *Differentiæ.*

*Differentiæ.* Obstructio Hepatis alia maior & pertinacior est, alia minor & mitior. Inueterata item alia, alia recens. Quædã etiam cum Intemperie est, quæ humorem obstruentem produxit aut fouet. Occupat tandem obstructio partem vel gibbam vel cauam.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Æger quandam grauitatem sentit circa Hepatis regionem cum obtuso dolore quodam, præsertim si paulò vehementius respirat, aut mox à cibo corpus exerceat, vt ex Galeno colligitur, *2. de loc. affect. cap. 8. & 7. aph. 52.* In accliui ascensu insueta quadam difficultate spirandi premitur. Totus corporis color, inprimis faciei, mutatur, quia nec generatio nec distributio sanguinis recta fit, ob id & alui deiectiones & liquidiores & copiosiores fiunt: Vrinæ imminuuntur, tenuésque excer-

nuntur

nuntur. Facilè quoque in obstructione Hepatis febres putridæ accenduntur.

Si obstructio cauum Hepar obsideat, tactu foris nihil percipitur; quia pars in profundo latet; & ventriculus magis in consensum trahitur, vnde cibi fastidium & sitis insueta existit, alui excrementa liquida sunt, quia chylus Hepar non permeat. Si gibbum sit obstructum, abdomen ea regione pressum resistit, & partes respirationi dicatæ magis læduntur, inprimis diaphragma. Quæ per aluum excernuntur sæpe sanguinolenta apparent ex rudi mutatione chyli in sanguinem.

Caussæ. Quod ad caussarum signa, si obstructio ob vasorum angustiam fiat; facilè & frequenter homo in hoc vitium illabitur, præsertim cum angustia est natiua: Quomodo autem angustia & latitudo venarum exploranda sit, docet Galenus, 5. *de sanit. tuend. cap. 7.* Ascititia angustia est, quæ ex stipticorum longo ac frequenti vsu contracta est. Vbi angustiæ vasorum signa non adsunt, vitio materiæ obstructio inducitur, & quod obstruit, humor est, si ponderis sensus magis circa Hepatis regionem percipitur; vapor & flatus, si tensio magis affligit.

Si humor sola quantitate peccat, exsuperantis eius indicia apparebunt. Si viscidus sit, adsunt signa pituitæ, frigidi ventriculi, catarrhi. Si crassus seu calidus & biliosus, cum grauitate quidam dolor punctorius quasi coniungitur, qui in frigido humore non animaduertitur. Si materia sit putrida, febrem sociam habet. Si denique nullus error externus præcesserit, ob vitium internum genita est obstructio, quod quale sit, ex iis quæ *cap. præced.* dicta sunt dignoscere licet.

## *Prognostica.*

Prognostica. 1. Obstructio Hepatis malum est non contemnendum, quia plures morbos minatur, potissimum febrem, Hepatis inflammationem, icterum, scirrhum, hydropem, vt Auicen. recte dixerit, obstructionem matrem esse omnium ægritudinum Hepatis. Si tamen tempestiuè & rectè curetur, citra difficultatem tollitur, dum modò non magna sit & inueterata. Quæ enim inueterata est, non tantum in Hepate sed & in omni membro putrefactionem excitat, febrémque accendit, teste Aetio, *tetrab. 2. serm. 2. cap. 2.* & Galenus scribit 8. *de comp. med. sec. loc. cap. 6.* Obstructionem Hepatis à vitiosis humoribus putrefactio sequitur in calidis intemperaturis breui, in frigidis non citò sed temporis progressu.

2. Hepatis obstructionem comitatur distributionis alimenti impedimentum & plenitudinis collectio in mesaræi simæque visceris partis venis, vnde periculum aut inflammationis earum partium, aut putredinis redundantium humorum. Galenus. *de succ. bon. & vit. c. 2.*

3. Obstructio in parte sima seu caua hepatis facilius curatur; quia medicamentorum vis expeditius eò penetrat, & materia obstruens per latiorem & commodiorem viam euacuatur.

4. Peior est obstructio, quæ ab humore est, quàm quæ à flatu. Quoniam hic propriè discutitur. Periculosa etiam, quæ à materia putrida; si quidem febris coniungitur, quæ vires magis affligit. Minus praua est, quæ ortum habet à materia solùm qualitate peccante, quàm simul etiam qualitate, hoc est, vt crassa & lenta sit, quam non rarò scirrhus sequi solet.

## *Indicationes.*

Indicationes. Obstructio apertionem indicat. Et cum obstructio ex eorum numero morborum sit, qui caussam continentem & plerumque simul fouentem habent, & partim facta sit, partim fiat, id quod obstructionis factum est, sanare oportet per ea, quæ obstructiones liberant; quod verò adhuc fit, per illa, quæ materiam obstructionem fouentem tollunt. Prius præstant medicamenta, quæ proximam obstructionis caussam tollunt, imminuentia scilicet, dum copiosa materia obstructionem excitat, vel incidentia & detergentia, dum viscida est, vel attenuantia, dum crassa, sintque omnia illa hepatica, aut his permixta, vt promptius ad hepar penetrent, idque sua vi roborent. Posterius faciunt euacuantia & reuellentia & quæ caussis tum generantibus nouam materiam, tùm impellentibus ad Hepar obsistunt & aduersantur. Semper autem totius ratio habeatur & maximè primarum ad hepar viarum, quæ à materia replete liberæ esse debent, ne materia illa vnà cum medicamentis obstructionem soluentibus ad hepar deducatur, atque obstructio augeatur.

## *Curatio.*

Curatio. Si ergo sanguinis abundantiæ indicia adsint, & cætera consentiunt, dextra basilica aperiatur, aut si malum sit à suppressis mensibus, saphæna, vt sanguis deorsum ab hepate ad vterum trahatur, & vt tutior sit aperientium vsus, quæ pleraque calida sunt sanguinémque fundendi vim habent.

Medicamenta autem aluum lenientia nota sunt, sicut & medicamenta quemlibet humorem præparantia, eumque è corpore euacuantia & *cap. præced.* etiam proposita.

Corpore purgato exhibeantur, quæ soluendi obstructiones vim habent. Talia sunt, si obstructio hepatis sit à frigida, crassa, & viscida materia; Radices *fœnicul. petroselini, apij, asparagi, brusci, rubiæ tinctorum, asari, gentianæ, scillæ.*

Folia. *Capill. ♀. cuscutæ, agrimon. agerati, lupuli, origani, marrub. alb. chamædr. absinth. card. benedict.*

Semen. *fœniculi, ammios, dauci, aquilegiæ, cicer. rubr. amygdalæ amaræ.*

E quibus decocta parari possunt, additis passulis & cinamomo, vel spica, interdum etiam pauco aceto.

Vtiles sunt syrupi *capill. ♀ de duabus & quinque radicibus, oxymelitis genera,* exhibita cum conuenientibus decoctis vel aquis: *trochisc. de rhabarbar. de absinth. de eupator. de lacca. Species, diacurcum. dialacca.*

Si à caussa calida fiat obstructio, conueniunt Rad. graminis; rad. & fol. cichor. endiuiæ, taraxaci, scariolæ, sonchi, lactucæ, acetosæ, sem. 4. frigid. maior. & minor. syrup. de cichor. simpl. & cum rhabarb. de endiu. simpl. & compos. acetos. simpl. & compos. diarrhod. trochisci de camphora, species diarrhod. abbat. diatrion. santal.

Vbi mixti humores malo huic caussam præbent, etiam medicamenta miscenda sunt. In summa Galenus medicamenta Εκφρακτικὰ & Εκκαθαρτικὰ, hoc est, obstructionem aperientia & meatus expurgantia vult esse calida & tenuium partium, amara scilic. quibus adstrictio quædam coniuncta est.

Qua de caussa absinthium vulgare valde prodest, vt & Ponticum & abrotanum ac amygdalæ amaræ.

In caussa autem frigida tale decoctum paretur.

℞. *Rad. 5. aperient. vino maceratar.* ℥. i. *asari* ʒ. ii. *capill. ♀ cichor. agrimoniæ* an. M. i. *chamædryos, summitat. lupuli* an. Mß. *sem. anisi, fœniculi, ammios* an. ʒ. ii. *aquilegiæ* ʒ. i. *cicer. rubr.* ℥. ß. *schœnanth.* ℈. iiii. *passul. mundat.* ʒ. vi. *glycyrrh.* ʒ. iii. *bacc. iuniperi* num. xij.

Coq. in aq. simpl. ad tert. partis consumpt. pro ℔j.

Colatur. adde *syrup. de 5. radic. byzantin. compos. oxymel. simpl.* an. ℥. j.

Aromatisetur cum specieb. diatrion. santal. Drach. j.

F. Potus pro tribus vel quatuor dosibus. Si in his *mechoacan.* Vnc. ß. *rhabarb. elect.* Drach. ii. *spic.* gr. xi. *cinam.* Drach. ß. infusa fuerint, moderatè simul aliquid per aluum educitur.

*Syrupus*

*Syrupus aperiens noster.*

℞. *Rad.aperient.*℥.i.*cichor.pimpinell. ari* an.℥.ß.*cortic.frangulæ sambuci* an.ʒ.v.*herbar.cuscutæ,capill.♀,ageratI, agrimoniæ* an. Mi. *linariæ. cardui bened. chamædr. centaur. minor.flor.genist.* an.Mß.*sem. carthami, genistæ, aquileg.*an.Vnc.ß.

Incisa & conquassata infundantur in vase arctè clauso in *s. q. aq.s.*& *aceti scillitici* ℔j. per dies tres in P. M. Postea colentur & addatur *succi endiuiæ fumar.* an.℔ß.

Et iterum *addito albumine oui* per dies 3. digerantur & colentur. Tandem adde *sacchari clarificati, & ad iustam consistentiam cocti q.s.*

Fiat Syrupus.

*Syrupus de cuscuta D.Scholtzij.*

℞. *Herb.cuscutæ nodor.* M.ii. *fumariæ,scolopendr.ceterach,hepaticæ capill.♀* an.M.ß.

*Rad. fœnic.asparagi,taraxaci* an.ʒ.iii. *cichor.* ℥.i.*sem. cuscutæ* ʒ.vi.*fœnic.*ʒ.ii.

Coq lento igne *in s.q.aq.*ad consumptionem medietaris.Post horas duas F. fortis expressio.

Cui adde *succi endiuiæ fumariæ lupuli* an.℥.ß.*rhabarb. el.*ʒ.ii.*cinam.el.*ʒ.ß.Coq.s a.cum *s.q.sacch.*

F.Syrupus.

Galenus *in Euporist.cap.*16.

℞. *Sem.anisi apij,rad.asari,amygdal.amarar. fol. absinth.*an.Vnc.ß.

Formátque trochiscos Dra. i. pondere, exhibétque febricitantibus cum hydromelite, non febricitantibus cum vino diluto.

Vel ℞. *amygdal. amarar. mundat.* ʒ.iß.*sem. cumin. apij* an.ʒ.ß.

Detur cochlear vnum ex vino.

Vel ℞. *Baccar.iuniperi* Vnc.i. ß.*semin. erucæ* Vnc.i. *prassij* ʒ.ß.

Excipiantur melle crudo,detur cochlear vnum.

In 8. *de Comp.medic.sec.loc. cap.*8. pastillis Hepaticis amaris Asclepiadis vtitur. Videantur vtrobique plura. Vtilis est & ista aqua aperiens.

℞. *Rad.dulc.amar.*℥.iii.*summit.lupuli,eupator.* an.M. ii.*cuscut.hepatic.cichor.cum toto* an.M.i.ß.

Infundantur in sero lactis ad prominentiam 4. digitor.per dies 3. Hinc destillentur. Dentur Vnc. iii. cum syrup. de quinque rad. Vnc. ii. Galenus ad magnas obstructiones Hepatis ex materia admodum crassa vtitur corticibus rad.cappar. tamarisc. scolopendrio. Et si obstructio pertinacior fit,etiam ea,quæ ad lienem aliàs vtilia sunt, vsurpari possunt. Vbi de duritie Lienis suspicio est,addatur passulæ,caricæ,glycyrrh.bugloss.malu.amygdal.dulc.

In calida caussa.

℞. *Rad.cichor.graminis* an.℥.ß.*fol.endiuiæ,cichor.scariol.cuscutæ*,an.Mi.*agrimon.absinth.* an.p.i.*sem.endiu. cichor.melon*.an.ʒ.ii.*fructus alkekengi* n.vii.*passul.mund.*℥.ß.Coq.in s q.aquæ ad 3.part.consumpt.pro ℔i.

Colaturæ adde *syr. cichor. simpl. de duabus radicibus, acetosi simpl.*an.℥.j.

Aromatisentur spec.diatrion.santal.

F.Potus pro 3.dosibus.

Vtilis est & hîc quoque conserua radic.cichor.recentium coctarum & minutim contusarum,cum s.q.sacch. parata.

Si obstructio pertinacior fit,etiam hîc ea,quæ ad humores frigidos vtilia sunt,vsurpari possunt.Post illorum tamen vsum decoctum cichorij sumendum.

In caussa tam calida quàm frigida vtilia sunt medicamenta è tartaro parata, & tartar. vitriolat. vt & aqua illa è vitriolo & tartaro,quæ descripta est *in Inst.p.*1366. In caussa frigida vtilis est spiritus vini tartarisat.seu essentia tartari.

In omnibus quoque hepatis obstructionibus,præcipuè ab humore frigido,vtilia sunt medicamenta à chalybe parata,de quibus *de obstructione lienis* dictum.

Inter reliqua etiam puluis cachecticus dictus.

℞.*Chalyb.præpar.part.j.cassiæ lign.part.*ii.*facchar. albiss.part.*IV.

F.Puluis,cuius mane & vesperi Scr.i detur.

Vel ℞. *Chalyb.præpar.*℥.i. *facch. albiss.in aqua agrimon.dissolut.*℔.ß.

F.s.a.Rotulæ,quibus sub finem addatur guttula vna atque altera olei cinamom.vel caryophyl.

Vel ℞. *limaturæ chalyb.* q.v. *irroretur aqua absinthij, fraxini.*

In quibus *proprij sales* dissoluti sint. Relinque tamdiu,donec contrahat rubiginem.

℞.*Huius croci* ℥.iii.*fecul.ari* ʒ.ii.*magist.perlar.corallor.*an.ʒ.i.*cinamom.*Scr.iiii.*facch.q.s.ad dulcedinem.*

Fiat puluis.Dosis Dra.j.

Vel ℞. *fecul.ari,ocul. cancr. præp. cryståll. tartar.* an. Drach.i. *croci mart. resolub.* Drach.sem. *salis absinth.cichorij,tartari vitriolati* an.Scr.i.*cinamom. spec. diatrion-santal.*an.Dra.ß.

F.Puluis.

Inter alias autem chalybis præparationes hæc vtilis est.

℞.*Limatur.chalyb.sulphur.part.æqual.*

Ponantur in crucibulo in ignem circularem donec sulphur exhalet.Iterum sulphuris partem æqualem adde,quæ in igne planè exhalet,ne sulphuris odor amplius percipiatur. Chalybem hunc postea inde sartagini ferreæ & affunde acetum acerrimum ad eminentiam digiti vnius & ponantur super ignem carbonum; sempérque agitentur, donec acetum exhalet, quod vbi factum,nouum acetum affundatur,iterúmque igni admoueatur, qui fortissimus adhibeatur, donec materia rubeat,quæ refrigerata subtilissimè pulueri setur.

Diligenter autem attendendum, vt semper iis, quæ obstructiones soluunt & attenuant, nonnulla adstringentia admisceantur, substantia visceris roboretur, & aperientia diutius hic detenta efficacius agant.Eiusmodi sunt inter calida absinthium, mentha, inter frigida, rosa,cichor.endiu.Compertum verò est ex nimio & diuturno vsu aperientium medicamentorum hepar non parùm læsum fuisse.

Post vsum aperientium horum æger per dimidiam horam in dextrum latus decumbat,vt promptius ad venas mesaraicas & hepar ferantur.

Extra autem in obstructione à caussa frigida vtilis est succus vel decoctum absinthij,fumariæ,rad.filicis, sem. securidacæ, cum pauco aceto, si epithematis forma regioni hepatis calefacta imponantur.

Aut ℞. *Fol.absinth.abrotan. agrimon. cuscutæ* an.M.i. *rad.cyperi* Vnc.ß.*flor.chamæmel.* M.ß. *cinamom.spicæ* an. Dra.i.*cumini* Drach.ii.

Coq.in s.q. vini albi ad tertiæ part.consumptionem. Colatura vsurpetur pro epithemate.

Si eadem medicamenta ad mollitiem coquantur & contundantur,& olei amygdal. amarar. sufficiens quãtitas addatur,cataplasma formari potest.

Vel paretur tale vnguentum:

℞. *Ol.nard.amygdal.amar.*ana ℥.ß.*spic. Indic.Celtic. scœnanth.*an.℈.i.*cyper.sem.apij* an.Scr.ß.*ceræ q.s.*

F.Vnguentum.

In obstructione à caussa calida.

℞. *Aq.cichor.endiu. absinth.*an. ℥.iii. *aceti vini* ℥.ß. *spec.diarrhod.Abbat.ditrion santal.*an.℈.ii.*spicæ* ℈.i.M.

F.Epithema.

Expeditis obstructionibus intemperies hepatis emendanda est iis medicamentis, quæ cap.præced. sunt propositа, ipsúmque hepar roborandum. Vt si obstructio fuerit à caussa frigida,tale paretur Electuarium.

℞. *Conf.capill.vener.beton.absinth.*an.℥.i. *trochisc.de rhabarb.*Scrup.ii. *hepatis lupi præpar.* Dra.ii. *spec.diaxyloaloes*

*lo aloes* ℥.i.*cinamom* ℈.i.*schœnanth.*℈.ß.Cum *syr de eupator.*

F Electuarium.

Vel ℞. *Hepat. lupi præpar.*℥.ß.*Mithridat.*℥.ii. *conseru.absinth.agrimon.*an.℥.i.Cum *syr de eupator.*

F. Electuarium.

Si obstructio sit à caussa calida.

℞. *Conseru.flor. vel rad.cichor.*℥.i.ß.*ros.* ℥. vi. *spec. diarrhod. Abbat.diatrionsantal.* an.℥. ß. Cum *syr.de cichor.simpl.*

F. Electuarium.

### *Diæta.*

*Diæta.* Victus ratio sit attenuans, vt præcipit Galenus, *in art. med.cap.*87.*& 6.de tuend.san.c.* 7. Et si obstructio sit à crassa & viscida materia, non tantum attenuans victus sit,sed & abstergens.Inter abstergentia probatur prisana hordeacea, 1. *de rat.vict.in acut.t.* 18. quæ distributionem à cauo in gibbum hepatis adiuuat. Condiantur cibi,si febris vel calida intemperies adsit,aceto, aliàs aromatibus, sed modicè, aut baccis iuniperi. Pro sunt quoque cappares aceto conditi. Pistacia quoque hepar aperiunt & roborant. Vitentur in cibis omnia crassa, lenta, adstringentia, & edulia è tritico, farina & lacte, ac caseus, præsertim vetus, caro suilla & duræ carnes, ac difficilis coctionis. Item anguillæ, aliaque, quæ Galenus enumerat, 5.*de tuend. sanit.c.*7. *de succor. bonit. & vitio.c.*4.Nocet quoque vehemens à cibo exercitatio & balneum, & cibi assumptio corpore adhuc ab exercitio præcedente calente. Vbi verò quis post exercitium à cibo doloré & tensionem hepatis sentit,quiescat, & in potu sumat aliquid,quod vrinam cieat,& hepar obstructione liberet, sicut consulit Galenus, *in lib. de salubr.diæta aph.*12.*&* 32. In iusculis quoque coq. radic.fœniculi,petroselini, asparagi. Copia ferculorum vitetur,& cibus sumatur priore iam concocto. In potu improbantur vina dulcia, crassa, austera & cereuisia crassa.Detur verò prisana hordeacea diluta & hydromel dilutum, vel cereuisia tenuis & bene defecata. Vbi vinum locum habet,sit illud tenue ac vetus.

### *De apertione vasorum hepatis.*

*Apertio vasorum hepatis.* Contrarium obstructionis hepatis vitium est vasorũ eius nimia apertio. Aperiuntur a.hepatis vasa vel à caloris aut humiditatis excessu, à qua præcipuè laxatur; vel ab humoribus acribus,& quibus orificia vasorũ patefiunt,aut etiam ipsa vasa eroduntur, vel etiam à sanguinis copia.Pertinent huc & caussæ externæ,quæ violentia sua vasa rumpunt & vulnerant.

Cognoscitur autem hoc malum à caussis, quæ præcesserunt,inprimis verò ex effectis, inter quos præcipuè est cruenta alui deiectio,quæ accidit,cum vasa in hepate præter naturã aperta sanguinem continere non valét.

Apertio autem vasorum occlusioné eorundé indicat. Præstatur hoc vel obstruendo,vel adstringédo.ad quam ré vtilia sunt,plantago,bursa pastoris,polygonũ,tormétilla,rosæ, myrtus,ribes,berberis, absinthium, cydonia, mastiche, terra sigillata, bolus Armenus, spodium,corallia, syrupus de rosis siccis, myrtinus, de ribes, de mentha, de coralliis, trochisci de spodio, de terra sigillata,aquæ ferratæ.

Extra etiam dextro hypochondrio applicentur eadé adstringentia & cataplasmata è pulpa cydoniorum, rosf. tubr. absinth. balaust. & baccis myrti. Fomenta ex iisdem in vino austero coctis, & linimenta & vnguenta ex ol.mastich. myrtin. absinth.cum pulueribus adstringentibus. Emplastrum de mastiche, diaphœnic. frigid. & similia,

Ad hunc locum nonnulli etiam referunt apertionem venarum & illum sanguinis fluxum, qui cuidam,venã è regione hepatis aperta accidit, & restitante sanguine vestigium fluxûs non apparuit,vt refert Hollerius,*inter rara* num. 3. vt & alterius cuiusdam historiam, quam recenset Beniuenius, *de abdit.morb.& sanat.causs. cap.* 4. Hominis nimirum robusti admodum, qui agens annum 36. ætatis conquerebatur sæpenumerò de sanguinis fluxu, quo singulo quoque mense grauiter affligebatur, & rogatus, qua parte sanguis flueret, id se nescire respondebat. Deposito tamen pallio ilia dextra monstrauit. Verùm cum in his nullum vestigium nec cicatrix appareret, & Beniuenius se decipi suspicaretur, ille, cum fluxus iste rediret, locum digito contegebat, eoque,accersito Beniuenio amoto sanguinem fluere permittebat, qui non secus, ac si incisa vena esset,emanabat, nec prius ille fluor cessabat, quam sanguinis libra emitteretur. Quo euacuato nullus dispicere potuit, vnde euacuatio facta sit,Curauit a. istum hominem Beniuenius sola sanguinis missione ex vena hepatica singulis mensibus institutâ & idonea victus ratione.

Verum hæc venarum apertio propriè huius loci non est, neque venæ istæ, quæ apertæ fuerunt, fuerunt ex hepate immediatè,sed ex iis, quæ in cutem dispergun tur. Idem,sed in aliis partibus bis obseruaui; Primò in scorbutico, cui in crure vena per interualla aperiebatur, & satis largiter sanguis effluebat,nullo postea apparente vestigio. Deinde in fœmina quadam, cui, cùm primum esset grauida,sæpius in occipite vena proræ aperiebatur, & sanguis cum maximo impetu interdum ad libram vnam effluebat. Cum verò sanguis is non flueret, circa ventriculum & diaphragma dolorem percipiebat, vbi etiam postea tumor obortus est, qui cùm ad suppurationem peruenisset,necessario aperiendus fuit. Ipsa verò conualuit.

## CAPVT III.

### *De Inflatione Hepatis.*

*Inflatio hepatis.* SVnt & alij morbi, qui hepati, quatenus membrum organicum & certo modo conformatum est, accidunt. Hepar aliquando planè defuisse in Matthia Ortelio,Mercatore Antuerpiensi,refert Schenckius, *obseru. lib.*3.*sect.*2.

*Obseruatio Schenckij.* ¶ [ Vbi refertur, quod anno Christi 1564.d.11.Septembr. mortuus sit Matthæus Ortelius, Mercator Antuerpiensis,eiusque corpore aperto nec hepar, nec lien inuentus sit;at substantia intestinorum carnosa prorsus fuerit,& multò solidior,quàm ipsa musculorum caro,vt soliditate cordis carni ferè responderet, & vena caua ex ipsis intestinis suam originem sumpserit,eo ferè modo, quo vena portæ in ipsis intestinis solet implantari. Laborauit hic Vir aliquot annis antè hydrope,& sæpe inflammatione & abscessibus intestinorum.

*Zacutus Lusitanus.* Similem historiam refert Zacutus Lusitanus de *Pr. Med. Adm.lib.* 2. *obseru.*38.de fœmina quadam, quæ cùm ex mensium obstructione tympanite laborâsset, & obiisset, corpore aperto hepar nullum inuentum est sed loco eius massa carnea ab hepatis regione vsque ad vmbilicum extensa, quæ 36. libras pendebat. ]

Contrà, vt Schenckius ex *Gemma* refert, hepar duplex inuentum; aliquando repertum globosum & iusto minus,& vna cum diaphragmate ad mammillam vsque dextram ascendens; aliquando peritonæo annatum vt Columbus. *lib.*15. annotauit.Sed hæc rara sunt, & plerumque à primo ortu contracta, ac vix curationem admittunt. Eos ergo saltem morbos, qui frequentiores sunt, & curationem admittunt,explicabimus, quales sunt magnitudo aucta & tumores hepatis.Inter quos primò est Inflatio,cum sub tunica crassus flatus concluditur,qui hepar inflat,& dolorem in eo excitat.

*Caussa.*

*Caussa.* Flatus is interdum à membris vicinis, vel etiam vniuerso corpore & venoso genere in febribus pituitosis & malignis transmittitur; vel à cibis flatulentis, pituitosis & melancholicis suppeditatur; vel ab hepatis imbecillitate generatur.

*Signa Diagnostica.*

*Signa.* Cognoscitur hoc malum ex tumore dextri hypochondrij, qui est sine grauitate, sed cum magno dolore qui tamen non est continuus, sed nunc intenditur, nunc remittit; & si locus digitis prematur, tumor cedit nullum tamen murmur percipitur, nec vomicæ latentis suspicionem præbet: Corporis & faciei color, vt in aliis hepatis tumoribus, non mutatur: Vrina, si febris absit, quod plerumque fit, est alba & spissa.

Verùm de hoc hepatis tumore notandum, etsi non impossibile flatum sub tunicam hepar ambiente concludi posse, cum aqua etiam ibi sæpe colligatur: tamen cauendum esse, ne, quod de liene etiam dictum, dolores, qui ex distensione peritonæi & membranarum vicinarum oriuntur, pro doloribus hepatis habeantur Sæpe enim accidit, præcipuè in motu & exercitio vehementi: & in corporibus, qui non sæpe exercentur, vel diu ab exercitiis quieuerunt, vt flatus vel humores serosi agitati in peritonæi & musculorum ipsi connexorum spatia irrumpant, doloremque in eo punctorium excitent, qui pleuritidem quandoque simulat.

*Prognosticum.*

*Prognosticū.* Tumor hic sæpe satis difficulter curatur; cum flatus hic loci non facilè discutiatur.

*Curatio.*

*Curatio.* Malum hoc flatus discutientibus curatur, & eos ab hepate repellentibus. Vtilia proinde hic sunt omnia, quæ in obstructione hepatis ex caussa frigida sunt proposita. Præcipuè discutientia & digerentia, vt diacyminū, diagalanga. Si pituita adsit crassior, quę malū foueat, præparanda ea & euacuanda, vt *c.* 1. *&* 2. dictum.

Extra etiam fomenta flatus discutientia vtilia sunt, & inter ea etiam milium, vt:

℞. *Flor. chamæmel. meliloti* an. M. j. *absinth.* M. ß. *sem. anisi, fœnugræci, lini* an. ℥. ß.

Coq. pro fomento.

Postea inungatur locus ol. amygdal. amarar. nardin. chamæm. dę absinth. de spica.

*Diæta.*

*Diæta.* Cibus sit attenuans, non flatulentus. Vinum bibatur meracius & vetus.

## CAPVT IV.

### *De Hepatis inflammatione.*

*Hepatis inflammatio.* CVm hepar ob venarum angustiam obstructioni sit obnoxium, facilè inflammatione tentari solet, sanguine in ipsam hepatis substantiam seu parenchyma effuso, vnde id intumescere & sanguinem putredinem concipere atque incalescere contingit.

Estque materia tumores hepatis excitans interdum sanguis sincerus, qui inflammationem puram gignit; interdum biliosus, pituitosus, melancholicus humor admiscetur. E quibus tumores præter naturam sui generis exsistunt. Influit autem sanguis in substantiam hepatis per modum vel attractionis, ob calorem, vel transmissionis, siue à toto, siue à parte aliquâ. Suscipit, hepar ob imbecillitatem vel congenitam vel ab aliis caussis accersitam.

*Caussa attract. sanguinis.* Et quidem ad sanguinis attractionem facit medicamentorum calidorum externorum applicatio. Ita refert Guilielmus Fabricius, *cent.* 2. *obs.* 46. cuidam intemperie frigida ventriculi laboranti emplastrum & vnguēta calida è pipere, cardamomo, oleo caryophyllorum, cinamomi & similibus admota fuisse, atque inde inflammationem hepatis excitatam. Caua enim sui parte à dextra in sinistram vniuersam ferè anteriorem ventriculi regionem integit, ita vt medicamenta calida, quæ corroborandi gratia ventriculo frigidiori admouentur, substantiam hepatis priùs attingant antequam ad ventriculum vsque perueniant. Idem præstare possunt cucurbitulæ regioni hepatis applicatæ. Cuius rei exemplum habet idem Guilielmus Fabricius, *cent.* 2. *obs.* 47. Cùm enim cuidam hæmorrhagiâ narium laboranti cucurbitulæ magnæ ad regionem hepatis applicatæ fuissent, sanguis quidem substitit, sed inflammatio hepatis secuta est. Cum enim in magnis hæmorrhagiis sanguis efferuescat, cucurbitulis affixis facilè quidem ad hepar attrahitur, sed ibi retentus inflammationem parit. Ideoque tutius est frigida medicamenta, quæ sanguinem condensant, crassioremque & minus fluidum reddunt, hepati & lieni applicare.

Afficitur autem hepar secundum partem vel gibbam vel cauam; ob viciniratem tamen partium alteram in consensum facilè trahit.

*Signa Diagnostica.*

*Signa.* Inflammatio hepatis ab aliis tumoribus, affectionibusque eiusdem his signis discernenda. Sensus grauitatis circa hepatis regionem in dextro hypochondrio percipitur à membranis, quibus hepar in nonnullis ad costas nothas annectitur: simul mox febris adest, non sequitur, vt in obstructionibus & scirrho; non tamen statim acuta vel ardens febris est, nisi inflammatio maior fiat. Nam perpetuò inflammationis magnitudinem febris vehementia ἀναλόγως comitatur. Etsi autem Aëtius docet, febrem adesse acutam, inæqualem quæ plerumque sub noctem exacerbatur: tamen id intelligendum de ea febre, quæ ad incalescentem phlegmonem hepatis accidit. Tussis per interualla affligit arida, ob vapores, qui ab hepate inflammato ad pulmones eleuantur, & quod feruor hepatis diaphragma comprimit, quam molestiam natura ab organis respirationis propellere nititur. Difficultas autem spirandi adest, cùm ob tumorem hepatis, tùm ob febrem quæ maiorem refrigerandi necessitatem affert. Decubitus difficilior est cùm in latere dextro, hepate à subiecto ventriculo & intestinis compresso, tùm in sinistro, hepate pondere suo suspenso & membranis eius tensis. Facilior est decubitus supinus. Pulsus, teste Galeno, 4. *de caussis puls. c.* 4. celerior; frequentior, inæqualis est, ob auctam in affectu calido refrigerandi pulsus necessitatem, durus, vibrans.

Ad enumerata signa accedunt, sitis magna ægrum fatigans, & anorexia; Lingua quoque scabra & rubicunda, tandem nigra fit cum quodam lentore. Calor mordax sentitur in toto, ratione febris; quæ si maligna sit, extrema frigescunt. Color totius ad flauum declinat: aluus adstringitur, nisi coniuncta sit ἀτονία hepatis Ita Galenus scribit, 4. *de rat. vict. in acut. text.* 17. Quibus hepar phlegmone obsidetur, iis σπυραθώδεα, hoc est, caprarum stercori similia excernuntur, quando scilicet viscus hoc duntaxat phlegmone afficitur: sin cum phlegmone affuerit ἀτονία, seu debilitas hepatis, liquida deiiciuntur, viscere alimentum ad se attrahente. *Hæc Galenus.*

Illa

Illa verò liquida aliàs biliosa sunt, aliàs, vbi aliqua ab hepate fit chyli attractio, loturæ carnis similia, quod crudus chylus in sanguinem perfectè nō est conuersus Vrinæ crassæ, rubicundæ, turbidæ, paucæ sunt, ob feruorem & æstum hepatis. Vomitus bilis est flauæ & vitellinæ, quæ postea æruginis colorem aliquando refert. Interdum singultus sequitur.

Cæterùm discernenda est inflammatio hepatis à vicinarum partium inflammatione. Ac primò si mesenterium inflammatum sit, non apparet coloris in facie & reliquo corpore mutatio; symptomata sunt mitiora, deiectiones alui liquidæ, in quibus primò tenuis & cruda quædam sanies apparet: postea materia quædam magis concocta ad similitudinem puris, præsertim vbi inflammatio salubris est.

Si musculi abdominis inflammati sint, corporis color etiā non mutatur, tumor ad tactū sensim delitescit, ad figuram musculorū extensus, nec rotundus est, instar figuræ, gibbi hepatis. Rectorum musculorū tumores oblongi sunt & per totum ventrem extensi, etiā vmbilicū comprehendunt. Cæterorum, vtpote profundiorū, tumores difficilius discernuntur, Cutis supra tumorē non sine dolore contrectatur; apprehensa quoque digitis, vt attrahatur, minimè sequitur ob tensionem: Interdum rubicunda apparet, præsertim si affectio in externis musculis hæreat. Quocunque denique æger decumbat, eadem tumoris magnitudo manet; maior verò apparet, vbi hepate affecto decubitus fit in latus sinistrum, minor, corpore in dextrum reclinato, hepate scilicet sub costas nothas cedente. Si transuersalis musculus inflāmetur, magis læduntur partes profundæ, dolor est vehementior, quàm in aliis musculis: quia ille musculus est membranosus circa finem, & neruos plures mollioresque obtinet, & cū peritonæo aponeurosi cōiūgitur.

Et omnino opus est, vt diligenter inflammatio musculorum abdominis ab inflammatione hepatis discernatur, cum incautis ea res non rarò imponat, vt inflammationem musculorum abdominis in dextra parte pro hepatis inflammatione habeant. Exemplum videatur, 5. *de loc. aff. cap.* 7. de Stefiano: Hunc alij Medici curârunt tanquam abscessum habentem in hepate. Galenus, verò negauit abscessum esse in hepate & monstrauit eum inter musculos transuersos & obliquè ascendentes esse. Simile exemplum est apud Francisc. Valeriolam, *lib.4.obs.5.*

Cauendum tamen etiam hîc, ne fallamur, & hepar non inflammatum putemus, si tumor in medio ventre apparet. Quibusdam enim hepar ad medium ventrem extenditur.

Tertio: Si inflammatio pleuram, qua parte nothas costas dextri hypochondrij illa spectat, prehenderit, dolor vehementior erit, à superioribus quasi suspensus & cum punctionis sensu coniunctus: Difficulterque respirabit, nulla coloris faciei aut corporis fit mutatio, tussis vehementior, molestiorque est, sed non planè sicca. Verùm cum sputo colorato saltem procedente malo pulsus euidenter durus & serrinus apparet. Si hepar inflammatum sit, dolor est mitior cum sensu grauitatis, qui tamen exacerbatur, nisi æger su pinus iaceat. Color corporis ad flauum accedit, tussicula adest arida, pulsus minus durus, tumor denique aliquis in dextro hypochondrio apparet.

Quod ad signa differentiarum inflammationis hepatis, quando magna illa est, dolor percipitur iuguli quasi ad inferiora tracti, præsertim dum vehementius æger inspirat. Dum enim hepar inflammatum pondere suo diaphragma cui alligatum est deorsum trahit, tensum diaphragma membranam costas succingentem, cui etiam obnascitur, tendit. Vnde dolor tractionis in iugulo sentitur, Galenus etiam fieri putat ob tensionem venæ cauæ sursum ab hepate ascendentis, 2. *de loc. aff. cap.* 7. Tumor tactui, & vbi abdomen gracile est, etiam visui est expositus: Symptomata omnia sunt vehementiora; contrarium accidit, vbi malum est mitius.

Quæ pars hepatis affecta sit, sic dignoscitur. In gibba hepatis parte consistit inflammatio, quando decubitus in dextrum latus est difficilior, & dolor pressu exacerbatur, tumorque manifestius apparet, præsertim musculis abdominis emaciatis; partes ad iugulum dextrum deorsum trahi videntur; symptomata denique omnia ad partes thoracis eminentia grauiora sunt, quàm ad intestina & ventriculum. Contrarium fit cauo hepatis inflammato, vbi & anorexia maior erit, & sitis aderit & vomitus materiæ biliosæ.

Qui humor inflammationis in hepate caussa sit, ex symptomatum intensione & remissione æstimandū, & inprimis ex febris accessionibus vel exacerbationibus. Etsi enim omnis inflammatio, vt in aliis partibus, ita etiam in hepate fit à sanguine: tamen sanguis is interdum purus est, interdum bilem vel melancholiam admixtam habet, & quidem à sanguine & bile Symptomata vehementiora sunt, & febris plerumque ardens cum siti maxima; ex succo melācholico remissiora sunt, & febris licet sit continua, quasdam tamen pro natura humoris exacerbationes habet. Quanquam & hoc tradit Galenus, 4. *de præsag. puls. cap.* 4. hepar nunquam ferè pituitosam fluxionem admittere, propterea quod compactius sit, & propterea congenita facultate pituitam alteret & immutet.

## *Prognostica.*

1. Hepatis inflammatio malum periculosum & plerūque lethale est: quia pars princeps afficitur, cuius occasione sanguinis generatio & distributio læditur, & hydrops imminet, aut atrophia, vnde in hoc malo vnica salutis spes est virium robur, sicut Galenus, 10. *meth. med. cap.* 5. docet. Ideoque viribus imbecilli aut senes, aut graciles vel biliosi peribunt, vel in marasmum transibunt, præsertim si ex erysipelate laborant. *Prognostica.*

2. Quæ in simis aut cauis hepatis partibus Inflammationes accidunt, magis inappetentiam, nauseam, vomitum biliosum, sitim ingentem afferunt; quæ in gibba, maiore inter spirandum dolore laborantem afficiunt magisque tussim excitant, & dolor vsque ad dextræ partis iugulum, adeo vt deorsum trahi videatur, extenditur. Auicennas, 3. *can. fen.* 14. *tract.* 3. *cap.* 1. simpliciter pronunciare videtur, Apostema in gibbo hepatis deterius esse, quam in cauo: sed explicandum hoc ex Galeno, quod partes thoracis, ideoque nobiliores, in gibbo hepatis patiuntur, vnde difficultas spirandi, tussis & dolor ad iugulum ascendens sequitur. Et per se hepatis gibba pars est nobilior, vbi generatio sanguinis. & huius in totum corpus ἀνάδοσις perficitur. Quæ autem caui hepatis inflammationem comitantur symptomata, vt nausea, vomitus, singultus ad ventriculum & intestina magis spectant. Sic Galenus scribit, 6. *epid. comm.* 2. *t.* 14. Hepatis conuexum seu gibbum concauo longè periculosius est; quoniam inter superiores & proinde nobiliores corporis partes reponitur.

3. Tumor in hypochondrio durus & dolens; hoc est, phlegmone seu inflammatio, vt Galenus interpretatur, pessimus est, si vtrumque hypochondrium occupet. Si verò alterum, minus periculosus est in sinistro. Hippocrates, 1. *progn. aph.* 29. Nam propter hepar periculosa est inflammatio in dextro hypochondrio. Addit Galenus; *in aph. seq.* talem tumorem initio mox periculum mortis citò affuturæ significare Hippocrati, si scilicet intimum quid, hoc est, hepar, item ventriculus aut Lien afficiatur. Musculi hypochondriorum inflammati mortem non inferunt, nisi aut infignis sit inflammatio, aut virium debilitas, (morbus enim hic diu sæpe protrahitur & vires valde deiicit) aut medicus vel æger errorem aliquem committat. Videatur & 6. *aph.* 7. de doloribus ventris profundis.

4. Inflammatio à fincero fanguine minus periculofa eft; deterior à fucco biliofo:quia febris ardens accedit, tefte Galeno 5.*de loc.affect.cap.* 7. quæ marafmum minatur;poftea à fucco melancholico,qui facilè in fcirrhum migrat,vbi res defperata eft.

5. Hepate inflammatione laborante fuperuenit fingultus, 5. *aph.* 58. Et in inflammatione Hepatis fingultus malum, 7. *aph.* 17. Cauffa eft neruorum hepatis & ventriculi κοινωνία, ob quam hepar inflammatione laborans os ventriculi in confensū trahit.Singultus autem tantum fit,vbi Hepar ad maximam inflammationem peruenit, aliàs minimè, vt Galenus *ibidem* docet. Fieri & fingultus tum poteft,quando per magnā hepatis inflammationem aliquid bilis in principium inteftinorum confluit, quod in ventriculum infufum eum laceffit & fingultum excitat. Quibufdam, tefte Galeno, fingultus ille accidit ob inflammationis magnitudinem, quo ventriculi os premitur.

6. Hypochondriorum inflammationes fi diem vigefimum primum excedunt,& febris perdurat,tumore nō fubfidente,in fuppurationem vertuntur;præfertim fi facultas non eft imbecilla.Si ceffante febre, pars materiæ craffa & lenta in hepate impingatur,tenuiore confumpta & attenuatā,fcirrhus excitatur.

7. Quibus hepar aut lien inflammatus eft, iis plerumque hæmorrhagia narium accidit,(præfertim fi 25. annis minores funt) primis feptem diebus, paucis nono & vndecimo, rariffimis decimoquinto: & confert illa hæmorrhagia,fi è directo fiat.Hippocrates & Galenus, 1.*progn.ab aph.*31.*vfque ad* 34.

8. In Inflāmatione hepatis,renum,veficæ, de crifi maximè indicium fumitur ex vrinis,quæ coctionem materiæ oftendunt. Leues autem hepatis inflammationes. quæ febres acutas coniunctas habent,foluit etiam fanguinis profluuium, ficut & alias in Hypochondriis calidas & acutas inflammationes. Oportet autem per directum fluere fanguinem, ex dextra quidem nare,hepate patiente vel locis in dextro hypochondrio fitis; ex finiftra verò,liene & locis vicinis laborantibus.Præterea fudor χρηστὸς feu bonus & vtilis, id eft, concocta iam materia emanans, omnes, quæ in hypochondriis funt, inflammationes calidas & acutas iuuat. Cæterū conuexæ hepatis partes inflammationem patientes tribus præcipuè excretionis modis foluuntur: hæmorrhagiis è nare dextra, fudoribus bonis & vrinis copiofis. Cauæ autem partes excrementis alui biliofis & fudoribus; nonnunquam etiam vomitionibus. Galenus, 3. *de crifibus c.*3.

9. Scias, quod cum apoftemati hepatis affociatur ventris folutio, eft mortale,Auicenn.3. *canon. fen.*14. *tr.* 3. *cap.* 2. *in fine.* Ratio eft, quia Symptomatica fit excretio materiæ prauæ adhuc crudæ & à virtute imbecilla, quæ materiam regere nequit.

10. Peffima figna inflammationis hepatis funt,febris ardens, fitis inexhaufta, lingua fcabra, refrigeratio extremorum: cum medium corpus vritur, & ægri pedes fubinde nudāt;Vomitus item niger vel porraceus;quia magna aduftio fignificatur. Morti proximis venter intumefcit, rupto abfceffu,& frigidum fudant circa collum,& faciem:atque animo linquuntur.

11. Cum inflammationem febris ardens & continua comitatur, malum eft;quia vehementer inflammatum iftud vifcus effe fignificatur:Sicut è contrario, exigua febris de exigua etiam inflammatione iudicium facit. Nam,vt Galenus,2.*prorrhet.aph.*31. fcribit, Inflammationis magnitudinem perpetuò febris ex proportione confequitur.

12. Quando permutatur apoftema calidum ex hepate ad fplenem,bonum eft;quando verò ex fplene ad hepar,malum,Auicenn.3.*can.fen.*13.*tr.*3.*c.*1.Nam vomica xepatis nunquam ferè fanatur, aut fi apoftema diutius durat,hydropem accerfit.

13. Quibus hepar fuppuratum vritur,fi purum pus & album effluxerit, euadunt. In tunica enim hepatis pus continetur, fin qualis amurca,intereunt.7.*aph.*45. Nam quibus,vt Galenus *in comm.*addit, in tunica pus eft,illæsā iecoris fubftantiā,omnes feruātur:quibus verò in carnem vfque iecoris corruptio penetrat, ii bona ratione moriuntur. Illud humorem tenuiorem, à quo hepar minus periclitatur;hoc deteriorem indicat.

### *Indicationes.*

Quæ hîc agenda fint, facilè ex generali de phlegmone curanda doctrina patet;modò fimul partis affectæ habeatur ratio.Inprimis autem in principio videndū,ne inflammatio augeatur. Inhibetur verò vacuando & auertendo fanguinem affluentem in aliam partem & adftringendo partem affectam,ne recipiat. Materia ergo fluens & fluxura reuellatur & repellatur.Et quidem fi fluxio per modum attractionis fiat,vel dolor mitigetur,vel calor tēperetur,prout vfus requirit. Si per modum tranfmiffionis,hepar roboretur,ne materiam fufcipiat,& mandanti quoque confulatur,ac fanguis affluens aliò reuellatur, quod verò influxit,refoluatur. Tutiffimumque eft,vt fine fuppuratione inflammatio curetur: fi tamen fuppuratio præcaueri non poffit,danda opera, vt quàm citiffimè perficiatur, & quantum fieri poteft curetur. *Indicationes.*

### *Curatio.*

Cum ergo phlegmone hepatis ortum habeat à fanguine, phlebotomia, præmiffo clyftere, conuenit, euacuationis & diuerfionis gratia, & mox quidem inter initia, vt repellentia tutius adhiberi queant, abfque fcirrhi metu, & poftea etiam difcutientia, ne horum vfu inflāmatio augeatur.Itaque Aëtius,*tetrab.l.*2.*ferm.* 2.*c.*3.primò & fecundo die venam fecari iubet, fed & feptimo, fi dolores ex inflammatione vrgeant, virefque ferant.Aperitur autem Bafilica lateris dextri, & fanguis pro habitu & viribus ægri vna vice extrahitur; aut fi vires non admittant,partito. Galenus in maxima inflammatione etiam ad lipothymiam fanguinem educit. In fuppreffis menfibus vena in talo etiam aperiatur. Si vires imbecilles fint, hirudines dextræ bafilicæ admoueantur; Hæmorrhoides quoque aperire fummopere vtile eft.Cucurbitulis quoque cum fcarificatione vti licet, poft euacuationem totius applicando eas coxis & cruribus reuulfionis cauffa. Videatur quoque Galenus,13.*meth.med.c.*11.*&* 19. *Curatio.*

Quod ad pharmaca,eáque primum,aluum lenientia, fi gibbum hepatis laboret, aluus lenienda fyrup. rofar. &viol.folutiuo,manna,item caffia, tamarind. quæ tutò mox à phlebotomia exhibentur. *Lenientia.*

Nam fi accidat etiam, vt hæc lenientia ad portas hepatis perueniant, tamen locus inflammationis non irritatur, quia in fuperiore vel gibba hepatis parte confiftit.Sin caua hepatis pars afficiatur, faltem clyfteres lenientes vfurpentur,non verò purgantia exhibeantur, ne purgante medicamento per os exhibito materia per locum affectæ parti proximum, hoc eft,per mefaraicas affectæ parti proximas ducatur.Talis clyfter eft:

℞. *Aqu.hord.recent.*℔.j.*facch.rubri.*℥.j. *ol.viol.rofac.* an.℥.jß.*fyr.rof.fol.*℥.ii.*vitellum oui vnius.*M.

F. Clyfter.

Vbi opus eft, caffiæ pro clyfteribus extractæ,velElectuar.lenit.fimp.℥.ß.adiicitur.Cum inflammatio feruidior eft,cichorium, lactuca,borrago in aqua hordei coqui poffunt.

Deinde præparantia in feruidiori inflammatione fint Cichoracea, &c. quæ ad curandam Intemperiem calidam hepatis funt propofita. In minus feruida, capilli ♀ & agrimonia addantur. Potius autem huius generis medicamenta decoctorum vel aquarum forma parētur, aut certè fyrupi ita temperentur, ne admodum dulces fint. *Præparātia.*

fint. Nam dulcibus hepar inflammatum in maiorem molem attollitur, vt rectè Trallianus monet, *lib. 5. c. 1.*

*Euacuantia.* Postea vbi materia præparata & concocta est, euacuanda, & quidem si gibba hepatis pars inflammata sit, magis conueniunt, quæ vrinas ducunt. Cathartica enim hic inutilia sunt, quia aluus locus est euacuationi adeo non conueniens, vt frustratò naturæ opere, inflammatio magis augeretur. Lenientia tamen dari possunt etiam paulò validiora, præsertim si natura euacuationem per aluum tentaret, sed diminutè. Tunc enim apparentibus signis concoctionis natura adiuuanda esset. Eiusmodi diuretica sunt sem. 4. frigid. maior. cuscut. capill. ♀ rad. asparag. graminis, betonic. fragar. gran. halicacabi.

Concocta iam materia & phlegmone declinante fortiora addantur, vt sem. apii, fœnicul. petrosel. dauci, rad. valerian. & alia diuretica alibi exposita. Locum etiam hic habet syrup. de endiu. compos. byzant. simpl. & compos. de duabus & quinque radicibus cum decocto plantar. modò enumeratur. Vt:

℞. *Rad. asparag. fænic.* an. Vnc. ß. *petrosel. cichory* an. Drach. ii. *capill.* ♀ *agrimon.* ana M. i. *cicer rubr.* Mß. *sem. 4. frig. maior.* an. Drac. ii. *passul.* Vnc. i.

*Coq. in aq. pura ad* ℔. i.

Colaturæ adde *syrup. de 2. radic.* Vnc. ii.

In fimi vel caui hepatis inflammatione cathartica seu euacuantia per aluum vsurpentur. Galenus, 13. *meth. med. cap.* 15. vtitur vrtica & mercuriali, epithymo & polypodio, aliisque aluum modicè deiicientibus, atque tum his, tum etiam valentioribus audacius vtitur in phlegmones remissione, partim in ptisana coctis, partim pulueris forma ex ptisana vel aqua propinatis. Etiam clystere ægrum euacuat, inter initia leniore, circa declinationem postea, potissimum si quid scirrhosum relictum sit, valentiori, ex hyssopo origan. centaurio minor. colocyntide. Nam in principio, cum materia adhuc fluit, purgatio valida exhibita fluxionem magis irritat, & quam diu morbus est crudus, de praua materia nihil educitur; partes autem cauæ valentiori pharmaco colliquescunt. Hodie cum inflammatio biliosa ingens sit, vti possumus syrup. rosar. solut. manna, cassia, rhabarbar. electuar. diaprunis seu diacatholico; si pituitosa, sem. cartham. agaric. mechoacanna; si melancholica, fol. senæ. epithymo, polypodio querno, helleboro etiam nigr. ad scirrhum hepatis prohibendum. Atque hæc dosi parciore vel maiore exhibentur, prout inflammatio & febris postulat, nobilitásque & præstantia partis affectæ permittit.

Topica quod attinet, statim post venæ sectionem ad ea confugiendum est, non pleno adhuc corpore, vbi copia materiæ phlegmonem magis contumacem redderet. Primò igitur repellentia conueniunt, quibus quod & adhuc influit aut iam influxit, nondum tamen impactum est, retro pellitur, ne phlegmone augeatur; pars etiam inflammata iisdem refrigeratur & roboratur. Præstant id medicamenta hæc vi adstringendi, qua meatibus & vasis angustioribus redditis, materiam, quæ in ipsis continetur, exprimunt, & in vicina deponunt. Et quidem alia frigiditate sua adstringunt & repellunt, nec, vt plus materiæ affluat, admittunt, vtol. cydoniorum, myrtin. rosac. succ. & caro cydon. omphac. acetum santal. sumach. myrti & rubi vitisque syluestris gemmæ, lactuca, endiuia, portulaca, plantago, solanum, albumen oui, cerat. santal. vnguent. rosat. Mesues: alia citra refrigerationem id faciunt & adstringunt, vt absinth. nardus, mastiche, & ex his parata olea, nux cupressi, vin. auster. stipticum, schœnanthum, rad. cyperi. His vtendum est in inflam- . . . tione pituitosa & melancholica, ne scirrhus generetu. : illis in feruente & biliosa.

No . autem actu frigida applicentur, nisi sit erysipelas & . cruor insignis, nec solis repellentibus etiam inter initia vtendum est, nisi in erysipelate.



In inflammatione verò pituitosa & melancholica opus est admiscere quædam calida relaxantia & resoluentia, quæ viam frigidis ad profundiora hepatis aperiunt, præsertim cum parenchyma hepatis sit crassius & compactius, quam pulmonis aut cerebri. Itaque oleum de capparibus vtile est, & oleum amygdal. amararum, pòst & mastichinum & chamæmelinum & anethinum cum pauco acero & vino albo.

Vt ℞. *Ol. rosar. cydon.* an. Vnc. ß. *chamæm. aneth. vel absinth.* an. ℥. ii. *santal. rubr. puluerisf.* ℥ ß. *aceti* ℥ ii. *ceræ q. s.*

F. Linimentum pro hepatis regione.

Pòst etiam tale epithema paretur.

℞. *Fol. cichor. endiu.* an. M. i. *flor. rosar. rubr.* M. ß. *chamæmel. melilot. absinth. aneth.* an. P. i. *santal. rubr.* scr. iiii. *spicæ, schœnanth.* an. scrup. i.

Coq. in s. q. aq. ad consumpt. tertiæ part. pro ℔. i.

Colaturæ adde *aceti* Vnc. i.

Vtere pro epithemate.

Vel ℞. *summit. absinth. abrotan. agrimon. fol. cichor.* an. M. ß. *passular. non enucleatar.* Vnc. iii.

Coq. in vino austero ad mollitiem.

Contusis adde *farin. sem. lini fænugræc.* an. ℥. i. *puluer. rad. ireos* ℥. ii. *ol. chamæmel.* *q. s.* an. q. s. F. Cataplasma.

Vsurpanda verò adstringentia toto curationis tempore etiam in phlegmonis declinatione, non quidem vt repellant, sed vt tonum hepatis conseruent & roborent. Ac tantum semper resoluentium vires adstringentia superare debent, quàtum phlegmone ipsa à principio recedit. Galenus, 13. *meth. med. c.* 15. scribit; Theagonem Cynicum Philosophum hepatis inflammatione laborantem necatum fuisse ab Attalo Medico Thessalio, qui ei cataplasmata adhibuit ex foliis relaxantibus & dissoluentibus confecta, nullis adstringentibus admixtis.

Veruntamen inflammatione augescente resoluentia seu diaphoretica maiori quantitate reprimentibus misceantur: cuiusmodi mitiora sunt, chamæmelum, anethum, sem. lini, fœnigræci; Valentiora, ol. commune vetus, irinum, decoctum calaminthæ, hyssopi, pulegij & similia; iisdem, si inflammatio sit melancholica, adipes, medullæ & alia emollientia addantur ad præcauendum scirrhum.

Ideo autem medicamenta mixtæ facultatis esse oportet, quia duæ indicationes concurrunt, vna ab ipsa phlegmone sumpta, in qua illo tempore multus sanguis continetur, isque subinde crassior & vehementer impactus; altera ab affecta ipsa parte, id est, hepate, quod mole materiæ tunc magis pressum διαφόρησιν ex se moliri nequit, nisi ab adstringentibus roboratum adiuuetur, vt docet Galenus, 13. *meth. med. cap.* 16.

Porrò si inflammatio inualescat, vt eius suppuratio (quod omni studio præcauendum est, ne vlcus ferè immedicabile sequatur) prohiberi nequeat, natura mollientibus & maturantibus adiuuanda est. Talia sunt; oleum commune, adipes, gallin. anseris, porci, vituli, farin. tritici, butyrum, malu. althéa. E Compositis hydrelæum, folia maluæ cocta contusa & cum pingued. porci mixta paribus portionibus; medicamētum ex hydrelæo, farina tritici & pane albo modicè coctis paratum, diachylon emollitum cum adipe porci vel gallinæ.

Vel *Rad. alth.* Vnc. i. ß. *fol. malu. flor. chamæm. farin. hord.* an. M. i. *sem lini* Vnc. ß.

Coctis iis & contusis adde *pingued. gallin. q. s.* ad conficiendum cataplasma. Addi etiam possunt caricæ pingues, sem. fœnigræci, rad. cyperi, schœnanth. ol. amygdal. dulc. vitell. ouorum, crocus ad hepatis tonum conseruandum, comæ vel summitates absinthij.

Signa inflammationis suppurantis sunt dolor, febris, aliáque symptomata ingrauescentia, rigores nullo ordine inuadentes, quos caloris exacerbatio sequitur. Confecto pure omnia illa mitescunt, vires tamen debiliores relinquuntur. Pulsus frequens est, languidus, & crebra animi defectio tetro vapore puris cor obruente.

Abſceſſus denique diſruptio ſi ad inteſtina fiat,vt ſolet,dum cauum hepatis afficitur, & materia purulenta perfectè euacuetur,nihil innouandum eſt, ſed ſolis attemperantibus puris acrimoniam vtendum, ne dyſenteria excitetur. Si non perfecta fiat euacuatio, ea adiuuetur clyſtere è cremore hordei cum ſacchar. & dum vrget neceſſitas ad decoctum furfurum & mel roſatum confugiendum. Per os hydromel exhibere licet.

Si rupto ad renes abſceſſu (dum ſcilicet gibbum hepatis laborat) pus perfectè ea via euacuetur, mitigantia acrimoniam puris ſufficiunt; vt ſeri caprini ℔.j. cum emulſione ſem. melonum ℥.j. ſi diminutè, mitiora diuretica & acrimoniæ expertia vſurpentur, vt hydromel cum emulſione ſem.4.frigid.maior. Aut ſi calor remiſſior ſit, decoct. rad. aſparagi vel apii in hydromel. factum. Vtile etiam eſt decoct. hordei non excorticati cum ſem.maluæ & ſaccharo.

Si materia purulenta ad ventriculum regurgitet & æger facilè vomat, natura adiuuanda & materia attemperanda iure pingui vel aqua hordei tepida,mitioribúſque aliis. Si ad vomendum ſit difficilis, clyſteres vſurpandi,vel hydromel detur aut mel roſat.ſolut.

Interdum fiſsâ & exesâ hepatis ſubſtantia, membranáque hepar ambiente,pus in abdominis cauitatem excidit; atque tum cùm aliis præſidiis diſcuti aut exhauriri nequeat, veteres ad vſtionem & inciſionem abdominis acceſſerunt, ne intentatum quid etiam in hoc periculoſiſſimo malo relinqueretur, quemadmodum ex 7. *aphor.* 45. patet. Hercules Saxonia etiam cuidam deſperato abſceſſu hepatis laboranti abdomen è iecoris regione nouaculâ aperuit, quo loco tumor eminebat, & magnâ ſaniei copiâ eductâ hominem, etſi longiori temporis ſpatio,ſanauit. Plerumque tamen æger non euadit,quod pus ſua virulentia vicina membra,peritonæum,omentum,inteſtina corrumpat.

Compertum etiam eſt in hoc caſu pus in abdominis cauitatem effuſum, & ab inteſtinorum ſubſtantia imbibitum, ac per aluum euacuatum fuiſſe. Obſeruauit quoque Eraſtus Bononiæ hepatis abſceſſu rupto pus tuſſi fuiſſe reiectum, de quo *lib.2.* dictum. Scribit etiam Deſiderius Iacotius, *ad Hippocratis Coacas prædict.* ſe bis terve obſeruaſſe poſt Hepatis inflammationem pus per venas ad ſuras effuſum fuiſſe, atque ibi magnum dolorem excitaſſe. Quod etiam Hollerius obſeruauit,vt idem refert. Bauhinus etiam refert,Lutetiæ virum quendam cum abſceſſu hepatis laboraſſet, mortuum eſſe, & corpore aperto repertas venas vſque ad tibiam pure refertas,& ſiniſtrum teſticulum putridum.

Sæpe etiam ex inflammationis magnitudine gangræna ſubſequitur,quæ ferè incurabilis. Euaſiſſe tamen quendam, Ioh. Matth. de Gradibus meminit, *comm.in 9. Rhaſis cap.de dolor.hepatis,*vbi ſigna apoſtematis hepatis recenſet.

Cæterum relictum vlcus difficulter ſanatur,aut nullo modo poteſt ſanari, quoniam ob αἱμάτωσιν deficientem æger tandem contabeſcit, cum ſanioſis & putridis alui deiectionibus,in quibus ſubſtantia hepatis corrupti & purulenti nonnunquam apparet.

De abſceſſu etiam hepatis quædam infra *de vlcere Hepatis* dicentur.

*Diæta.*

*Diæta.* Victu hìc tenui & exquiſito opus eſt,ob nobilitatem partis affectæ, cuius vſus toti animali neceſſarius eſt; ita tenui tamen, vt virium ſimul ratio habeatur. Abſtinendum etiam à lentis & craſſis cibis,qui materiam in hepate retinent; vtendum verò abſtergentibus,ſed ſine acrimonia & dulcedine; obeſt igitur mulſa. Conuenit autem priſana colata,oxymel item cum aqua mixtū. Virtute debili priſana cum iure pulli paretur, vel carnes contuſæ præbeantur. Vbi inflammatio eſt feruidior, cibis addi poteſt endiuia, cichorium, lactuca, ſem.4.frigid.maior.cibíque aceto condiantur. Aromata & vinum nocent. Potus ſit aqua hordei,quæ refrigerat, abſtergit,obſtructionéſque minuit.

## CAPVT V.

### *De Scirrho Hepatis & aliis hepatis tumoribus.*

INflammatio hepatis nonnunquam in ſcirrhum degenerat, quando tenuibus partibus diſcuſſis ſanguis craſſeſcens humoris melancholici naturam induit, aut quando humores nimium refrigerantium vſu craſſeſcunt, & innatus partis calor debilitatur. Frequentius verò obſtructionibus hepatis ſuperuenit ſcirrhus, præſertim contumacibus ac diuturnis. Nam humor primùm hepatis venas implet, auctus deinde in omnem viſceris ſubſtantiam redundat, & temporis ſucceſſu ſicceſcit, & vi caloris parte tenui diſſipata, reliquum indureſcit, verúſque ſcirrhus generatur. Idque facilius accidit,vbi materia illa ad concreſcendum vim inſitam habet. *Scirrhus Hepatis.*

Eſt igitur ſcirrhus hepatis tumor in hoc frigidus, durus,indolens,à materia craſſa vel viſcida,vel vtraque mixta ſimul procreatus: Atque ita morbus magnitudinis præter naturam auctæ,& intemperiei frigidæ.

*Cauſſæ.*

Generatur ſcirrhus hepatis à materia craſſa vel viſcida, vel vtraque mixta, ſiue collecta ſit paulatim in hepate,ſiue à liene tranſmiſſa. Et propterea non ſolùm ex humore melancholico, qui craſſus eſt, ſed & pituita, ſi viſcida craſſa & lenta eſt, producitur; nonnunquam & à bilioſo craſſo humore, qui ſcirrhus ictero ſuccedit; quandoque & à ſanguine,vt modò dictum, cum vel tenuiores eius partes diſſipantur,& craſſiores relinquuntur,vel dum à nimio refrigerantium & adſtringentium vſu ſanguis incraſſatur, & partis calor natiuus debilitatur. *Cauſſæ.*

*Signa Diagnoſtica.*

Cognoſcitur hic affectus à ſenſu grauitatis maiore, quàm in obſtructione, ſine febre tamen. Eſt autem ſenſus ille in membrana hepar inueſtiente. Dolor etiam obſcurus ſentitur; quia partes vicinæ ſenſu præditæ à tumore hepatis comprimuntur, eorúmque vnitas quodammodo ſoluitur. Tumor ille in hepatis regione manifeſtè durus percipitur, ob duriorem ſcirrhi, quàm phlegmones molem, præſertim cum æger vel erectus manet, vel in latus ſiniſtrum decumbit. Progreſſu temporis tandem aqua intercus, quæ ſcirrhum hepatis neceſſariò ſequitur, ſuperuenit. Sine febre eſſe dicitur, ad differentiam inflammationis, à qua febris non abeſt. Vrina parcior emittitur. Color corporis mutatur in virideſcentem maximè pallorem,quod floridus ſanguis in hepate malè affecto non generatur. Corpus quoque emaciatur, quia nec αἱμάτωσις, nec ſanguinis ἀνάδοσις rectè perficitur. Succedit cachexia,&c,niſi maturè occurratur,tandem hydrops & mors. Æger melius in dextrum latus decumbit; quoniam ipſo in ſiniſtrum latus reclinato,ſcirrhoſum hepar ventriculum comprimit,tanquam moles quædam ei incumbens,vnde ratione ponderis dolor ventriculi continuus exiſtit. *Signa.*

Differt tumor ſcirrhoſus ab hepatis inflatione,de qua ſupra dictum, & ſimplici tumore, qui ὄγκος ἄνευ σκίῤῥου eſt, vt *in fine capitis* dicetur. *Hepatis ſimplex tumor ſine ſcirrho.*

*Prognoſtica.*

1. Scirrhus hepatis ab initio curari poteſt; confirmatus & exquiſitus nunquam. Omnes enim ſic affectos *Prognoſtica.*

ex necessitate hydrops inuadit. Pereunt autem quamplurimi tempore longo; quidam etiam breui, quibus aluus non deiicit, 2.*ad Glaucon.cap.5*.

2. Qui scirrhi ad suppurationem perducuntur, facilè in cancrum abeunt, nullámque curationem suscipiunt.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Cum hepar intemperie frigida laboret cum humore crasso & indurato magnitudinem visceris vitiante, ipsum calefacere, materiámque impactam euacuare oportet. Materia verò cum crassa sit & dura, & nonnunquam simul viscida, attenuanda est & emollienda, interdum quoque detergenda. Sin solis calefacientibus, exiccantibus, & quidem quæ impensius id faciunt, vtamur, neglectis μαλακτικοῖς seu emollientibus, tunc absumptis humiditatibus incurabilis durities ex nimia reficcatione oritur. Emollientia autem addita vtrumque eodem tempore præstant, vt quod concretum est, & fundant suo moderato calore, & sensim per halitum digerant, quemadmodum de his Galenus, 8. *de comp. med. sec. loc. cap.*8. & 14. *meth. med. cap.*5. & 5. *de simpl. med. fac. cap.*5. docet.

### *Curatio.*

*Curatio.* Lenientia aluum, vt & præparantia & purgantia humores in hepate ex iis, quæ hactenus, præcipuè de obstructione hepatis, dicta sunt, patent. Quod cætera medicamenta ipsum scirrhum soluentia attinet, emollientia illa & incidentia, attenuantia, & moderatè quoque discutientia esse oportet; mixtis tamen, ob hepatis robur seruandum, nonnullis adstringentibus. Nam ex solo emollientium vsu putredinis & cancri; ex solo discutientium, indurationis maioris periculum imminet.

Et quidem si scirrhus hepatis in gibba eius parte consistat, externis potissimum vti conuenit, cuiusmodi Galeno, 2. *ad Glauc. cap.* 5. sunt absinthium, nardus Indica & Celtica, crocus, mastiche, vnguentum nardinum, anethinum, gummi ammoniacum, medullæ & adipes.

*Emollientia discutientia.* Emolliunt igitur & discutiunt medulla cerui, vituli, adeps gallinæ, anseris, bdellium, ammoniac. rad. & fol. althææ, cucumer. agrestis, sem. lini, fœnigræci, ol. amygdal. dulc. lil. albor. chamæmel. emplastrum diachyl. de meliloto. *Attenuantia.* Attenuant calamintha, origanum, serpillum, aromata, myrrha. Roborant absinthium, myrobalani, mastiche. Ideóque emplastro de meliloto & diachylo, aliisque emollientibus, ol. de absinth. vel mastichinum rectè permiscetur. Laudatur & lutum thermarum quarundam molliens, digerens & roborans.

Vt ℞. *Rad. althææ* Vnc. iii. *scrophul.* an. Vnc. ii. *cucumer. asinin.* ℥.i. *filicis* ℥.ß. *fol. agrimon. althææ, absinth. flor. chamæm. sumit. anethi* an. M.ß. *sem. fœnugræc.* Vnc.ß.

Coq. in aqua & aceto pro fomento.

Vel ℞. *Rad. alth.* Vnc. i. *ireos. cortic. intern. virid. sambuc.* an. Vnc.ß. *flor. chamæm melilot. sambuc.* an. P.i. *fol. absinth.* M.ß. *spicæ vtriusque* an. Drach.i.ß.

Coq. in decocto intestinorum veruecis & vini part. æqual.

Non tamen fotus sunt diu continuandi, ne tonus hepatis laxetur.

Vel ℞. *Emplast. diachyli* f. Vnc. ii. *ammoniaci, bdellij aceto dissolut.* an. Drach. ii. *pingued. anseris, medull. crurum vituli* an. Vnc. ii.

Cum *ceræ* f. q.

Fiat Ceratum.

Vel ℞. *Ammoniaci aceto dissol.* Vnc. ß. *bdellij* ℨ. iii. *puluer. rad. filicis, cortic. fraxini* an. Drach. i. *caricar. pingu.* num. ii. *lumbric. vino lotor.* ℨ. vi. *mucilag. rad. alth. sem. lini* an. Vnc. sem. *ol. lil. alb.* Drach. vi.

Coq. ad mucilaginis consumptionem.

Adde *terebinth. resinæ pini* an. Drach. ii. *emplast. de melilot. diachyli simpl.* an. Drac. iii. *ceræ* ℥.ß.

F. Ceratum.

Vtilia sunt folia hyoscyami aceto decocta addito ol. amygdal. amarar. cataplasmatis forma imposita.

Circa externa medicamenta hoc notandum, post vsum emollientium prodesse vaporem ex aceto forti, & aqua vitæ super lapidem molarem aut laterem candentem effusis, vt materia emollita attenuetur & soluatur; post cuius vsum iterum ad emollientia & hinc rursus ad resoluentia transeundum est, donec malum, si fieri possit, extirpetur, vt monet Galenus, 14. *meth. med. c.* 15. Stercus quoque caprinum ad discutiendos tumores scirrhosos valde vtile & efficax est.

Si simum hepatis sit scirrho obsessum, malúmque externis remediis non cedat, interna remedia adiungenda sunt. Aëtius igitur succum anagallidis, quæ cæruleum florem habet, exiccatum pondere Drach. i. propinat ex hydromelite; eodem modo & pondere sem. vrticæ torrefacto vtitur. Accipit etiam picis siccæ, costi, piperis part. æqual. quibus tusis & cribratis cochlear i. præbet. Idem ex Galeno, 8. *de med. sec. loc. cap.* 8. medicamenta quædam Asclepiadis, Pasionis & aliorum affert ad inueteratas hepatis affectiones, quæ & tumoribus scirrhosis conueniunt, quæ ibi videantur. Desperatis ammoniaci in puluer. tenuissimè triti cochl. i. & mastich. gr. x. præbet ex hydromelite.

Vel ℞. *Ammoniaci* part. i. *rutæ* part. ß.

Cum *syr. de eupatorio.*

Fiant pilulæ, quarum dosis est ℨ.i. vel ℈.iiii.

Videatur & apud eundem Aëtium aliud Asclepiadis, quo Philagrius vsus est ad hepatis scirrhum induratum, quod recipit gentianam, chamæpithyn, marrubium, petrosel. scolopendr. & alia, quæ ibi videantur.

Sciendum autem vsum horum medicamentorum per plures dies continuandum esse; quoniam malum diuturnum & contumax est, quod non facilè expugnari potest. Hodie etiam parant decoctum sarsæ parillæ cum rad. filicis maior. agrimon. ceterach, cichor. aliisque hepaticis, additis, emolliendi gratiâ, rad. althéæ & fol. borraginis. Chalybs etiam, vinum chalybeatum, & alia è chalybe præparata medicamenta vtilia sunt, de quibus in *affectibus hypochondriacis & scirrho lienis* dictum.

### *Diæta.*

Victus ratio sit attenuans, vt in obstructione hepatis. Cibi tamen non nimis parcè præbeantur: Siquidem vires ad diturnum malum tolerandum consistere oportet, vimque habeant nonnihil incidendi & detergendi, cum modico calore & humiditate; crassa verò omnia & viscida vitanda sunt, vt & dulcium frequentior vsus, à quibus aliàs hepar intumescere solet. Vinum sit tenue, odoratum, clarum, vel cereuisia pura tenuis. Vtiles sunt in condimentis ciborum cappares. Aëtius amygdalas & piper in cibis interdum concedit. *Diæta.*

### *Tumor hepatis simplex seu ὄγκος ἄνευ σκίῤῥου.*

Est & alius hepatis tumor, qui simplex & ὄγκος ἄνευ σκίῤῥου nominatur, qui à scirrho non parum differt. *Tumor hepatis simplex sine scirrho.* Hic enim breui tempore nascitur, minus renititur, & ferè tantum ambientem membranam hepatis occupat, plerúnque & totum hypochondrium dextrum replet, nulla hepatis circumscripta figura apparente, & digiti manus sub extrema costarum infigi nequeunt. Oritur tumor hic simplex interdum à flatu, interdum à cruditate tenui, quam vel immoderatus frigidæ potus, vel intempestiuus fructuum vsus, vel crapula satietásque nimia peperit, & sensum infert non grauitatis, sed tensionis, interdum à crasso & viscido est

humore, quem hepar validum à se excludens in membranam suam deposuit, quod sæpe post febres diuturnas accidit. Videtúrque hic tumor mihi esse affectus, quem mulieres in Silesia & alibi *den Riedtkuchen*, rectiùs *den Riebenkuchen* nominãt, quod digiti manuum sub extrema costarum infigi nequeant. Ioh. Langius, *lib. 1. epist. 39. den Fieberkuchen* appellat, qui accidat, si alterantibus frigidis citra euacuationem æger vsus fuerit, quæ materiam incrassant.

Curatur autem medicamentis aperientibus, & humores crassos incidentibus, purgantibus, & flatus discutientibus, & ferè vt scirrhus incipiens.

## CAPVT VI.

### *De calculis, vermibus, & hydatidibus in hepate natis.*

*Calculi hepatis.* NOn solum autem humores in hepate indurantur, sed & quandoque in lapides planè mutantur, & calculi in dissectorum cadaueribus inuenti sunt, vt testatur Fallopius, Columbus, & alii. Ita refert Kentmanus, *in libello de calculis*, in iuuenis cuiusdam Nobilis hepate tres lapides repertos fuisse, quorum vnus magnitudine dimidium ouum columbinum æquaret. Antonius etiam Beniuenius, vt *de abdit. morb. & sanat. causs. cap. 3.* refert, in muliere quadam nobili in hepatis membrana parte decliuiore plurimos lapides, magnitudine & colore differentes, inuenit. Et Vesalius, *in epistola de China ad Ioachimum Ralands*, refert se nonnullorum, qui ictero laborauerant, & ab ictero in ascitem delapsi erant, iecinora vidisse adeo dura, & lapillis vndiquaque plena, vt nouaculâ præscindi non potuerint: Et quendam Belloarmatum Senensem hepar prorsus candicans superficie habuisse, non læue, sed admodum inæquale, & leuibus tuberculis asperatum, anteriorem verò eius partem & vniuersam sinistram ad modum lapidis fuisse induratam. Cælius Rhodiginus, *lib. 4. antiq. lect. cap. 17.* & Cardanus, *de rerum varietate, lib. 8. cap. 14.* scribunt, Venetiis in Augustini Ducis ex Barbadica gente corpore aperto lapidem prope cistam fellis, magnitudine grandioris oliuæ, coloris serpentini in nigredinem tendentis inuentum. Lapidem abscessu hepatis redditum vidit Rondeletius, vt refert, *cap. 44. meth. curand. morb.* Lapidem amygdalæ nucis magnitudine in virginis cuiusdam hepate repertum fuisse, scribit Matthiolus, *in Epistola ad Iacobum Camenicenum.* Gabriel Fallopius Pataui in iuuene suspenso quinque lapides ciceris magnitudine inuenit, vt refert Dominicus Leonus. Arenulas etiam copiosas, calculos & tophos aliquoties in hepate reperit Felix Platerus.

*Caussa* autem & modus generationis idem, qui in aliis partibus, præcipuè in renibus, de quo *suo loco* dicetur.

*Cognoscuntur* autem calculi in hepate difficulter & rarò perfectè, nisi post mortem in sectione cadauerum. Suntque ferè signa cùm scirrho hepatis communia. Dolor tamen maior est, si calculus versus membranam tendat, eámque premat & vellicet, isque diuturnus.

*Curatu* etiam est difficilis calculus in hepate, & si quæ curationis spes superest, ea medicamenta, quæ in schirrho hepatis & calculo renum vsurpantur, exhiberi possunt.

### *Vermes.*

*Vermes in hepate geniti.* VVierus, *de præstigiis dæmonum lib. 4. cap. 16.* scribit, filium suum Galenum Monspessuli in cadauere hydropicæ puellæ inuenisse duos vermes spithamæ longitudine, quorum vnus meatum fellis duodeni inuaserat, occupabátque, alter in ipso hepate gibbum eius obsidebat, capite ambientem visceris membranam attingente, quem eo progressum putat, ob alimenti defectum. D. Caspar Bauhinus, vt Schenckius, *in obseru.* refert, vidit Æmilium Campolongum, Professorem Patauinum, puerum 10. annorum, qui variolis extinctus erat, aperire, aperto cadauere inuenti sunt vermes plurimi in ipsis venæ portæ ramis, & quidem in ipsius hepatis ramis, alii quidem viuentes adhuc, alii verò mortui, qui rubri, & pro ratione loci, in quo continebantur, oblongi erant, satis item magni.

De *Caussis* & generationis modo tres Medicorum recentium fuerunt opiniones. Alii enim existimabant, eos in intestinis genitos fuisse, & ex his per venas mesaraicas in portam, & ex hac in hepatis venas penetrasse. Alii vero putabant, genitos quidem fuisse in hepate, non tamen viuo puero, sed in hepate pueri mortui. Alii tandem in ipso viuentis pueri hepate generatos existimabant, è sanguine pituitæ, permixto. Et quidem vltima opinio maximè rationi consentanea videtur; cum aliàs etiam ex humoribus prauis & corruptis, præcipuè vbi humiditas multa accedit, qualis est in variolis, facilè vermes generentur, præsertim si vermes loco, in quo hærent, respondeant figura & magnitudine; Si verò vermes maiores sint, non impossibile videtur, eos ex intestinis huc erepsisse. Solent enim vermes sui generis humoribus delectari, alios verò auersari, & si aduersi quid ipsis obueniat, locum mutare, & per os vel aluum erumpere, aut aliò repere. Obseruaui hoc anno 1629. quo variolæ hîc populariter grassantur, & multos infantes è medio tollunt, nonnullis quidem infantibus ante variolarum eruptionem; aliis verò postquam eruperunt, & iam suppuratæ fuerunt, vermes spithamæ longitudine, & longiores ex intestinis sponte prorupisse, qui infantes omnes mortui sunt.

Verum vermes hi non facilè cognoscuntur in viuentibus vllis certis signis. Ideóque de eorum curatione aliquid tradere opus non est. Dicetur verò de vermium curatione suo loco.

### *Hydatides Hepatis.*

Vesicas quasdam aqua plenas pellucidas hepatis substantiæ, membranâ eius ab humore aquoso distentâ, annatas fuisse, nunc magnitudine, pugni sc. magnitudine, nunc minores; nunc plures, nunc pauciores, sæpe obseruatum est, non solum in homine, sed & in brutis. Hæ si rumpantur & aqua ex iis in cauitatem abdominis influat, hydropem generari, à plurimis traditur, de quo suo loco dicetur. *Hydatides.*

Originem habent hæ vesicæ ab humore aquoso & seroso, sanguificatione hepatis læsâ generato, & ex hepatis substantia protruso, & sub membrana eius, quæ densior est, coaceruato. Fernelius quidem *lib. 6. de part. morb. & sympt. cap. 8.* vesicas has generari statuit, cum hepatis substantia diffinditur, ambiens autem & cingens id membrana integra manet. Verum fissurâ hâc opus non est, sed etiam substantiâ hepatis integrâ manente per eam humor aquosus & serosus exsudare potest, vt in brutis mactatis sæpe animaduertitur. Quæ autem generationis humoris caussa sit, postea de sanguificatione læsa dicetur.

In viuis vix integrè cognoscuntur hæ vesicæ, nisi forsan interdum ex tussi sicca continua, diaphragmate vicino vellicato. Etsi n. hydrops adsit; tamen incertum, an per has vesicas, an per alias vias aqua in abdomen exstillârit.

Curatio ex iis, quæ *de hydrope* dicentur, patebit.

## CAPVT VII.

### *De Vulneribus Hepatis.*

PAtitur tandem etiam hepar interdum morbos solutæ vnitatis, & primò quidem sine caussa violẽta & *Vulnera patiu.*

externa

externa sola humiditatis priuatione rumpi & visceris substantiam siccitate humorisque penuria rimis quibusdam dehiscere, scribit Fernelius, *lib. 6. de part. morb. & sympt. cap.* 8. Verùm probabile hoc vix est. Etsi enim hepar valde exsiccatum fuisse, animaduersum sit: tamen quia sensim & lentè id fit, sine ruptura accidit, & corpus satis humidum, quale hepar est, ita exsiccari, vt dehiscat, in corpore viuente, credibile non est. A caussis autem violentis & externis hepar interdum rumpitur & vulneratur.

Sunt autem solutæ vnitatis hepatis variæ differentiæ. Aliquando enim hepar telo acuto vulneratur: Aliquando pars aliqua & extremitas hepatis planè abscinditur; Aliquando re obtusa contunditur potius, quàm scinditur: aliquando vulnus est superficiarium tantùm: aliquando ad profundum penetrat: aliquando saltem substantia hepatis, interdum etiam vasa scinduntur vel rumpuntur; aliquando gibbum, aliquando cauum vulneratur.

## *Signa Diagnostica.*

Cognoscitur autem vulnus aut contusio primò è caussis externis & violentis, quæ præcesserunt, quæ corpus è regione hepatis læserunt, siuæ eæ scindendo cutem abdominis vsque ad hepar penetrârint, siue contundendo saltem id læserint, Deinde ex consequentibus & effectis. Multis sub dextro hypochondrio sanguis profusus apparet: Ad spinam reducta hypochondria: punctio doloresque vsque ad iugulum & scapulam dextram: in ventrem cubandi procliuitas; Interdum vomitus biliosus. Contusô autem hepate vomitus cruentus, vel sanguinis per aluum aut vrinam excretio sequitur; Interdum & hæmorrhagia narium, Dolor in regione hepatis & partibus vicinis percipitur.

## *Prognostica.*

1. Hepatis vulnera lethalia esse, scribit equidem Hippocrates, *6. aph.* 18. Vulnerato tamen hepate & abscissa aliqua eius parte hominem seruari, tradit Ægineta, *lib. 6. cap.* 28. Et Hispanum iuuenem, cui magna hepatis portiuncula per ilei dextri vulnus erumpebat, sanatum fuisse, refert Gemma Cosmocritic, *lib. 1. cap.* 6. Et nobilem post inflictum circa hepatis regionem vulnus, & particulâ ex eius substantia abscissa & extracta sanum euasisse, scribit Bertinus, *lib. 13. medic. cap.* 7. Idem etiam alij obseruârunt. Ij tamen saltem conualescunt, quibus superficies saltem aut substantia hepatis sine magnorum vasorum læsione vulnerata est. Si enim vas aliquod maius vulneratum fit, æger non euadit, & ob largam sanguinis effusionem homo, antequam vulnus glutinetur, moritur. Et alii quidem vitam nonnihil protrahunt: alij breui interuallo moriuntur. Nam vt refert Hippocrates, *5. epid.* Cuidam iaculo percusso in hepar statim color cadauerum sese sparsit, oculi intro cesserunt, difficultas ferendi ac æstuatio consecuta est, & eadem die vitam cum morte commutauit. Alter puer à mulo in hepate percussus quarto die mortuus est, spiritum densum habebat, nec quicquam intelligebat, & febre tenebatur.

2. Contusio hepatis periculosior est, quàm vulnus, & sæpe in abscessum degenerat.

3. In corpore senili vel cachectico periculosiora sunt hepatis vulnera, quam in iuuenili, sano & robusto.

## *Curatio.*

Si in vulnere hepatis sanguinis profluuium metuatur, secanda statim vena, &, nisi æger singulis vel alternis diebus laxam semper aluum habeat, iniiciatur clyster è decocto cichorij, plantag. hyperici, rosar. addito oleo myrtino & rosaceo & melle ros. solut. Rhabarbarum etiam in substantia ad ℈. ii. vel ʒ. i. exhiberi potest.

Statim verò adstringentia & glutinantia exhibeantur, qualia de sanguinis sputo sunt proposita. Præcipuè hic vtiles sunt rosæ rubræ siccæ, ʒ. ij pondere exhibitæ, balaustia, bolus Armenus; item trochisci de spodio, de rosis, rhabarb. cum decocto cynogloss. vel pentaphyll. aut plantaginis.

Vel ℞ *Conf. rosar. rubr.* ℥. ii. *flor. cichor.* ʒ. j. *veronic.* ʒ. ß. *corall. rubr. præpar. margarit. præpar. boli Armeni* an. Scrup. j.

Cum syrupo myrtino vel cichorij fiat Electuarium.

Quæ autem intus exhibentur medicamenta, subtilissimè trita esse debent, vt facilius penetrent, quibus aliquid aromatum, vt spica & similia addantur, ad viscus roborandum & vrinam mouendam,

Vt ℞. *Spec. diarrh. abb. diamarg. frig. arom. ros.* an. ʒ. ß. *dialaccæ* ℈. j. *margar. præpar.* ℈. ß. *corall. rubr. præp.* ℈. j. *sacch. in aq. ros. dissoluti* ℥. ii. ß.

F. rotulæ.

Extra adhibeantur emplastra adstringentia & glutinantia. Hepati etiam, si vulnus pateat, hic puluis inspergi potest.

℞. *Boli Armeni, terræ sigillatæ* an. ʒ. i. *flor. ros. rubr.* ℈. j. *farinæ volatilis* ʒ. iii. *lapid. hæmatit.* ℈. i.

F. Puluis.

Imponatur etiam aliquod conueniens vnguentum ex terebinth. bolo Armeno & mumia. Postea etiam ex mastiche & thure. Partes verò vicinæ oleo rosaceo & mastichino inungantur.

Vel hepati imponatur tale cataplasma.

℞. *Violar. cichor. endiu. rec.* an. P. iii. *agrimoniæ, summit. anethi, hyperici* an. P. ii. *pulu. flor. chamæmel. melilot. ros. rubr.* an. P. i. *farin. hord. fabar.* an. ℥. iß.

Cum *vini rubri s. q.*

F. Cataplasma.

Adde sub finem *ol. rosac.* ℥. iß.

In contusione hepatis ea cura ferè instituenda, quæ supra de vasorum hepatis apertione proposita est. Primò nimirum, vt sanguinis profusio sistatur, vena in cubito aperienda, & potiones ex adstringentibus exhiberi & similia Cataplasmata vel Emplastra imponi debent.

Vt ℞. *Succini albi, boli Armeni, balaust. sangu. dracon. laccæ, flor. ros. rubr.*

F. Puluis, cuius ʒ. i. exhibeatur cum aqua plantag. in qua tragacanth. Drac. ß. infusa fuerit.

Cum sanguinis profluuium substiterit, sanguinem concretum dissoluentia exhibenda, qualia aliàs etiam lapsis ab alto & percussis exhiberi solent, vbi sanguinis concreti suspicio adest. Talia sunt rhabarbarum, rhaponticum, sperma ceti, laca, mumia, sanguis draconis, oculi cancri, succinum, vermes terrestres, schœnanth. spica, bolus Armenus, terra sigillata, radices rubiæ tinctor. tormentillæ, chærefolium, quæ & sanguinis profluuium sistunt, & sanguinem concretum dissoluunt, ac simul glutinant. Exhibentúrque ex vino, aceto, vel aqua chærefolij ac tormentillæ aut plantaginis, vt:

℞. *Rhabarb.* Drach. i. ß. *spicæ, schœnanth.* an. gran. xv. *mumiæ* Drach. ß.

F. Puluis. Dosis Drac. i.

Vel ℞. *Rhapontic.* Drach. ß. *myrrh. mumiæ, spermat. ceti, radic. tormentill. oculor. cancri* an. scrup. ß.

F. Puluis. Detur in aceto aut aqua chærefolij.

Vel ℞. *Rhabarb.* ℈. ii. *mumiæ* ℈. ß. *laccæ, spermat. ceti* an. ʒ. i. *boli Armeni* ʒ. iii.

F. Puluis. Dos. ʒ. i. vel ʒ. i. ß.

Vel ℞. *Rhapontic. rhabarb.* an. ℈. ii. *mumiæ, spermat. ceti, rad. tormentill. caryophyll.* an. g. xii.

F. Puluis pro 2. dosibus.

Vel ℞. *Mumiæ* ʒ. iii. *spermat. ceti, sangu. dracon.* an. ʒ. ß. *Rhabarb. oculor.* ♋ an. ʒ. i. *croci* ʒ. ß. *boli Armeni* ʒ. i.

Fiat

F. Puluis, Dosis Drach.j.

Extra verò postea adhibeantur discutientia & simul nonnihil roborantia, vt nardus, schœnanthum, absinthium, crocus, thus, myrrha & similia.

*Diæta.*

Diæta. Victus sit tenuis, ne sanguinis multitudo generetur, & ij cibi vsurpentur, qui glutinandi vim habent. Oryza, hordeum in iure pedum hædi, aut detur panatella dicta cum tali iure.

Vinum vitetur, bibatur verò aqua, in qua iuiubæ aut semen coriandri coctum sit, addito saccharo rosarum vel cereuisia pura.

## CAPVT VIII.

### *De Vlceribus & Sphacelo Hepatis.*

*Caussæ.*

Vlcera Hepatis. Caussa. VLcus Hepatis inflammationi potissimùm succedit, si illa ad suppurationem perducatur, pure scilicet substantiam hepatis exedente. Aëtius colliquationem hepatis appellari ait; Sed & ab alio succo acri & erodente vlcus hepatis excitari solet, præsertim bilioso per hepar diffuso, qui sensim putrescens malignus & virulentus redditus Parenchyma hepatis corrumpit. Talis succus prauus & erodens alimentorum vitio contrahi potest: quando illa corrupta sunt, aut erodente vi pollent. Sæpe ex lue venerea talis virulenta materia in hepate colligitur, Vinum etiam generosum meraciusque diu & liberalius sumptum in hoc malum præcipitat, putridam & lentam quandam saniem in colliquato quasi hepate congregans. Deprehensum etiam est, vlcus Hepatis eò malignitatis processisse, vt in gangrænam abiret, vnde disruptâ membranâ puris magna copia ex hepate in abdominis capacitatem effusum fuit, valde fœtens, quo & omentum & peritonæum, sæpe etiam intestina corrupta fuerunt. Interdum vomica hepatis existit membranâ ambiente illæsâ, quâ post mortem incisa, corrupta & putrida hepatis substantia effluxit, nullo etiam antea tumore apparente.

*Signa Diagnostica.*

Signa. Quæ signa sint Inflammationis hepatis in abscessum abeuntis & mutati, supra *de inflammatione hepatis* dictum. Cum verò nonnunquam etiam sine præcedente inflammatione hepar exulceretur, vlcus id non ita facilè cognoscitur. Habet tamen & id sua signa: Tussis & vlcerosus dolor in dextro hypochondrio percipitur; æger sensim contabescit & ἀτροφία consumitur. Quando vlcus est in cauo hepatis, deiectiones alui purulentæ sunt; Interdum & cruenti quid excernitur, cum dolore intestinorum, ob materiæ acrimoniam, vt dysenteria esse putetur; cùm tamen sensus grauitatis & pūctionis circa hepar hæreat; Imò interdum iecori portiunculas per aluum excretas fuisse obseruatum, vt testatur Nicol. Florentinus, *serm.5. cap. 6.* Matth. de grad. *in comm. ad c.7. part. 1. lib. 9. Rhasis.* Iulius Alexandrinus, *ad cap. 6. lib. 8. Galeni de comp. med. sec. loc.* & alij.

An Hepatis & Lienis parenchyma frustillatim per aluum excerni possit. De hepate. Matth. de Gradib. ¶ [Extant passim Medicorū obseruationes, quibus traditur, hepatis particulas aliquando per aluum excretas fuisse. Ita Matth. de Gradibus, *ad lib. 9. Rhas. part. 1. cap. 7.* scribit, se vidisse in scholari Alemanno, post vlcus hepatis, multam quantitatem carnositatis hepatis fuisse excretam, de qua experientiam fecerit, quòd vera hepatis substantia fuerit. Cùm enim in aqua calida exagitaret virgulâ, remansisse carnositatem hepatis, cum venulis dispersis per eam, & nihilominus curatum fuisse.

N. Florentinus. Nicolaus Floretinus, *serm.5. cap. 6.* refert, se vidisse in Andrea de VVechio frusta, ad magnitudinem auellanæ, circiter centum numero, carnosa, in similitudinem carnis hepatis, & quoad visum, & quoad tactum, in fluxu ventris egressa, & mortuum fuisse tertiâ die fluxus, arbitraturque caussam eius rei fuisse vlcera in hepate, quibus hepatis aliquot venæ fuerint corrosæ; & per orificia venarum corrosarum hepatis substantiam ad aluum penetrasse.

I. Alexandrinus. Iul. Alexandrinus, *in comment. ad cap. 6. lib. 8. de compos. med. sec. loc. Galeni*, testatur, visas sibi cum aliis Medicis aliquando frustillatim eiectas per aluum minutas quasdam particulas hepatis.

Herc. Saxonia. Hercules Saxonia quoque duas eiusmodi historias retulit, vnam virginis, annorum quindecim, quæ inflammatione iecoris maximâ vexata, pridie quàm obierit, pus, sanguinem, & iecoris substantiam eiecerit: alteram Tiberij, adolescentis nobilis Patauini, qui & ipse iecoris substantiam per aluum reiecerit, seruatus tamen fuerit.

De liene. Aretæus. Lienis verò integras partes quibusdam excretas fuisse, Aretæus *lib. 3. de causs. & sign. acutor. cap. 14.* tradit. Quod confirmare videntur duæ sequentes historiæ, quarum vnam ad me perscripsit Dn D. Ioan. Nesterus, Medicus Rochlizensis, de quodam Verbi diuini ministro, annorum sexaginta, qui ob suppressas hæmorrhoïdes incidit in vlcus siue fistulam prope anum, quæ cùm intempestiuè & imprudenter à Chirurgo consolidata esset, statim vnâ atque alterâ hebdomade elapsa, in acutissimum dolorem ventris inferioris incidit, vt intestina cum alui visceribus è ventre euelli sibi putarit: insequente posteà alui fluxu copioso & frequenti, apparentibus inter excreta frustulis quibusdam castaneis maioribus ferè, iisque nigricantibus, quas æger corrupti lienis particulas esse sibi persuadebat, propterea quòd dolores illos in sinistro potiùs, quàm dextro hypochondrio senserit.

Martin. VVeissius. Alteram autem historiam ad me perscripsit Dn. D. Martinus VVeissius. Medicus Berolinensis, hoc modo: Vir quidam Consultissimus quinquagenarius, aliquot septimanis conquestus est de appetitu cibi & potus planè prostrato, & doloribus sinistri hypochondrij: cui cùm clyster emolliens iniectus esset, excreuit primò cum excrementis, postea etiam sine iis, magnam sanguinis atri copiam, & multa frusta carniformia solida castaneæ vel iuglandis magnitudine, nullâ aquâ solubilia, & tam multa, vt tres vel quatuor lienes ex iis potuerint componi. Durauit ea excretio totâ eâ die, secundâ & tertiâ planè substitit; quartâ iterum clyster emolliens, & leniter abstergens applicatus, à quo iterum ter fæculentum sanguinem & adustos humores deiecit: sequentibus diebus excrementa planè naturalia fuerunt. Mortuus est 15. morbi die. Corpore aperto repertus est lien primâ facie integer & saluus: dissectâ autem ipsius membranâ, quæ integra erat, tota lienis substantia effluxit instar amurcæ, & fæcis sanguineæ, paululum fœtens, & adeò totaliter corruptâ, vt ne fibræ quidem visceris apparerent. Præter hæc sub liene conspiciebatur corpus quoddam glandulosum, instar farciminis tenuioris, oblongum, lieni, ventriculo, & duodeno annatum, quasi videas pancreas dilatatum & extensum, pluribus vasis & ductibus donatum, durum & solidum, non molle. Ipsum verò pancreas nihilominus aderat, dorso firmiter annexum, & vasis magnis substratum, vt solet.

Quidam hepatis concedunt, lienis negant. Verùm à nonnullis ista in dubium vocantur. Et quidem nonnulli hepatis particulas reiici per aluum posse, concedunt; cùm manifestiores ex hepate ad aluum, per venam portæ scilicet, viæ sint; de liene verò id negant: alij vtrumque negant. Et vt de liene credere tale non possint, nonnullos hoc mouet, quòd nulli dentur meatus & viæ, per quas transire, & à liene

à liene ad aluum defcendere tales particulæ poffint. Nam præter ramum fplenicum, qui portæ ramus eft, & vas breue, alij ad lienem ductus nulli funt; quorum ille, antequam ad lienem ingreditur, aliquot furculos de fe mittit, qui venæ gaftricæ, & gaftrepiploïcæ dicuntur: fed vbi iam lienis fubftantiam attingit, in plurimos difpergitur ramulos, non quidem, vt in hepate, confpicuos, fed adeò tenues & exiles, paucis exceptis, vt iam non vafa, fed fibræ potius videri poffint. Impoffibile ergo eft, frufta tam magna, vt referuntur excreta, per tam anguftas vias penetrare poffe. Vas verò breue etfi interdum fatis amplum eft, & nonnunquam aliquid rerum p. n. in fe recipit: tamen rarum hoc eft, & hic potiùs eius vfus eft, vt aliquid è ventriculo in lienem deferatur. Et fit, vt aliquæ lienis particulæ per vas breue, ad ventriculum perueniant, cur non ftatim per vomitum è ventriculo reiiciuntur, fed per tã longas ambages demum per aluum excernuntur: ficut interdum fanguis niger è liene per hanc viam in ventriculum effufus vomitu reiicitur. Neque etiam per venas hæmorrhoidales iftæ carneæ quafi particulæ è liene euacuari potuerunt. Venæ enim iftæ ad lienem non pertingunt, fed hæmorrhoïdes internæ à mefenterica finiftra, non à fplene prodeunt, & ad recti inteftini extremitatem defcendunt, fanguinemque fæculentum & craffum ex venis mefenterij accipiunt; hæmorrhoides verò externæ à vena caua prodeunt.

*[...]um me- [...] de utro- [...] dubita-* Mihi pofterior fententia verifimilior videtur, nimirum neque hepatis, neque lienis fubftantiam frustillatim per aluum excerni poffe, quod viæ fufficientes non dentur à liene ad aluum, vt modò dictum, Et licèt darentur; tamen frufta illa ex liene non fuiffe ex eo patet, quòd in Iureconfulto illo Berolinenfi tam multa fuerunt, vt tres vel quatuor lienes ex iis componi potuiffent. Præterea lienis fubftantia carnofa in faniem, quafi amurca, mutata, in fuâ tunicâ inuenta eft.

Ex hepate verò etfi facilior fit ad aluum tranfitus, & ex hepate per aluum multa excerni negandum non fit: tamen cùm hepatis, vt & lienis parenchyma extrà quafi vafis affufum fit, non video, quomodo corpora tam magna & craffa in exilia vafa penetrare potuerint. Et fit fanè, quòd viæ dentur ab hepate & liene per aluum, & quòd ab hepatis & lienis fubftantiâ aliquid in eas penetrare poffit: tamen non video, quomodo fiue hepatis, fiue lienis fubftantia ita refolui potuerit. Dum enim hepatis vel lienis fubftãtia corrũpitur, non in talia frufta difcerpitur, fed in pus mutatur. Neque vnquam obferuatum, partem aliquam corporis in tales partes refolutam fuiffe. Sunt quidem nonnulli in ea fententia, præter illam, quâ hepatis & lienis fubftantia in pus mutatur, aliàs corruptionis dari formas, ex. gr. fi diffoluatur, vt intritum, *vvie ein zerfahrnes:* atque hoc modo lienis fubftantiam, cùm mollis, rara, & fpongiofa fit, interdum, viuente adhuc homine abfque omni inflammatione (fine quà nulla in pus mutatio fit, nec fieri poteft abfque febre) corrumpi poffe. Verùm quidem affirmantur hæc, fed non probantur vel ratione, vel experientiâ. Neque vnquam obferuatum eft, tali modo, quem ipfi afferunt, partes corporis corruptas fuiffe: fed fi pars corrumpitur, in pus vel faniē mutatur. Neque folùm in inflammationibus, fed & in cancro, œdemate, & vlceribus variis, fanies generatur, etiam fine febre. Et interdum in vifcerũ putredine febris lenta eft, vt vix percipiatur. At, quod anteà dictum, longè plures fuerunt illæ particulæ, quàm vt vnus lien ipfis materiam dare potuerit.

*[...]entia [...]oris.* Sum ergò in ea fententia, frufta illa quafi carnea ab hæmorrhoïdibus internis vel mefaraïcis fuiffe excreta, & fuiffe fanguinem incraffatum & condenfatum in illis vafis. Quòd verò in aqua diffolui non potuerint, cauffa etiam dari poteft. Cùm enim parenchymata illa procul dubio fint vaforum opera, & natura nunquam otiofa fit, fi fubftantia hepatis vel lienis corrumpatur, non mirum eft, ex fanguine, qui ad illorum parenchymatum nutritionem affluere debebat, intra vafa cumulato, aliquid conforme, & quod perenchymatis illis aliquo modo fimile fit, formari potuiffe, & tandem per aluum excerni. ]

Quando verò in gibbo vlcus confiftit, vrina purulenta apparet, abfque fignis exulcerationis in vefica & renibus.

Malum, præcipuè fi fit à fuccis acribus, fenfim ferpit viribus ita conftantibus, vt æger confueta munia obire poffit. Febris in progreffu morbi lenta oritur, typum non feruans, quæ tandem in Hecticam definit. Sitis non acrius vrget, quod calor iam deferbuit, præfertim in hepatis inflammatione. In facie color apparet ictericius, nonnunquam puftulæ paruæ ex humorum adustione in eadem efflorefcunt. Ciborum omnium, maximeque carnis, magnum faftidium adeft; halitus ex ore teter exfpirat; tandem frequens animi deliquium accedit.

Loca affecta quod attinet, fi vlcus fit in gibba parte, difficilis fanè eft refpiratio, & dolor fepti tranfuerfi, atque affecti hepatis figna in vrinis apparent Si in fima, inappetentia magis affligit, naufea, vomitus, oris amaritudo adeft, & plerumque, vt dictum, fluxus alui fanguinolentus. Vlcus hepatis & fymptomata, quæ illi accidebunt, defcribit Dodonæus *obf.* 28.

## *Prognoftica.*

1. Vlcus Hepatis, ni exiguum fit & fuperficiale, & inter initia curetur, exitiale eft. Nam pars princeps abfumpta eft: quæ non poteft regenerari; & continenti alimentorum alluuione fordefcens vlcus non facilè fanefcit. *Prognoftica.*

2. Vlcera hepatis non, ficut pulmonis, febrem, fed potius hydropem inducere folent.

3. Periculofiores funt illi abfceffus & exulcerationes hepatis, quæ fequuntur inflammationes, quàm qui fine iis incipiunt. Præcipuè verò illæ funt periculofæ, in quibus continetur materia in fubftantia Hepatis.

4. Qui hepatis abfceffu laborantes colorem habent ictericium, febrem continuam, inappetentiam, & naufeam, lethaliter decumbunt.

5. Si ex purgatio puris fiat per tuffim, ægri febre moriuntur: Si per vomitum, vrinam vel aluum, minus eft periculum; ficut & fi materia ad articulos decumbat.

## *Curatio.*

Vlcus hoc, vt alia, abfterfionem, repletionem & confolidationem indicat. Itaque fi inflammatio præceffit, vena aperienda non eft, quia virium imbecillitas eam prohibet: vbi verò ab erodente humore eft, fi fanguinis abundantis indicia adfint, vena fecari poteft, vt vlcus ab inflammatione immune feruetur, aliàs euacuatione per cathartica vtendum eft. *Curatio.*

Vlcus autem ipfum quod attinet, remedia ex iis parentur, quæ *de curatione vlceris ventriculi* tradita funt; nifi quod maiore dofi illa funt exhibenda, ob fitum hepatis profundiorem & quod hepatica hic admifcenda funt exficcandi vi prædita. Ad mundificationem ergo vlceris valet ptifana hordeacea, ferum lactis caprini cum mulfa vel faccharo, &c, dum vires admittunt, etiam decoctum Chinæ vel farfæ parillæ. Poft abftergentia conueniunt ficcantia, quæ aliàs internis vlceribus & vulneribus vtilia funt, vt Ariftolochia rotunda, fcabiofa veronica, faluia, radix ireos, fpica, fchœnanthum, abfinthium Aëtius, *tetrab.* 3. *ferm.* 2. *cap.* 5. laudat trochifcos cyphoides ad Drach. j.

Vtiles funt & hi Morfuli.

℞. *Spec. arom. rof. diarrh. abb. de gemm. frig.* an. ℈ j.

*nuc.*

*nuc. mosch. maceris, corall. rubr. spodij* an. ℥ j. *sacch. candi crystall.* ℥. iij. ♁. *diaphoret.* ℈. j. *conseru. rosar. rubr.* ℥. j. *bugloss.* Vnc. ß. *sacch. albiss. in aq. rosar. dissoluti* Vnc. iiij. F. Morsuli.

### *Sphacelus Hepatis.*

*Sphacelus Hepatis.* Non prætereundus hîc est Sphacelus hepatis; cuius exemplum refert Dodonæus, *c.* 3. *obs. medic.* vbi scribit; Nobilem quendam virum ex animi mœrore in melancholiam incidisse: Qui cum monachis quibusdam commissus esset; atque apud eos annos 20. in eodem statu vixisset, tandem de virium debilitate conqueri cœpit, atque cibum & potum auersari. Nulla aderat febris, sitis nulla, vniuersum corpus frigere videbatur, pedes processu temporis œdematosi facti sunt; Vrina rubicunda erat, veluti si febris ardens aut hepatis inflãmatio affuisset, quæ, qualis reddebatur, permanebat, nec ab aëre aut frigore perturbabatur: Malo tandem ingrauescente ad alium cibum sumendum, præter exiguam sorbitionem, adduci non potuit. Ita tandem deficiente naturali facultate, inediâ quodammodo consumptus è vitâ migrauit. Huius hepar colore vndiquaque nigrius, quàm secundum naturam, apparuit, sed tamen minus nigricans, quàm pulmonis sphacelo corrupti substantia, impressorum digitorum vestigia ferè retinebat.

## CAPVT IX.

### *De Vesiculæ fellis morbis.*

*Vesiculæ fellis morbi.* QVia ipsi hepati inferitur vesicula fellis, antequam à morbis hepatis abeamus, & ad symptomata, quæ hepati accidunt, progrediamur, prius de vesiculæ fellis morbis hoc capite agemus.

Vesiculam fellis in quibusdam geminam repertam fuisse obseruatum est. Nec etiam ductus eius semper sunt iidem numero, nec iisdem partibus inseruntur, sed sæpe aliqua hîc occurrit varietas.

Eundem folliculum bile omnino exhaustum repertum fuisse, refert Fernelius, *lib. 6. pathol. cap.* 5. Contrà Vesalius, *in examine obseruationum Fallopij*, bilis vesiculæ molem duorum pugnorum ob contentam bilem tumidam inuentam fuisse, testatur. Idem, *eodem in loco*, varia, præter naturam in eodem folliculo reperta obseruauit, & se in eo materiam, instar atramenti atram, nunc albicantem, aut fluidam, aut luti modo, aut vnguenti cuiusdam ex farina & melle ac terebinthina parati ritu consistentis substantiam reperisse refert.

Calculi inprimis frequenter in vesicula fellis repe-riuntur, cuius rei historias recensent, Fernelius, *lib.* 1. *Phys. cap. 6. lib. 6. Pathol. cap.* 5. Ioh. Langius, *lib.* 2. *epist.* 57. Kentmann. *lib. de calcul.* Coïter, *in obseru. anatom. & chirurg.* Beniuenius, *de abdit. sanat. causs. c.* 94. Cardanus, *lib. 7. de subtil. & in arte sua parua.* Scholiographus, *ad c. 48. lib. 1. Hollerij* Fallopius, *in obseruat. & tract. de fossil. lib. c.* 7. Gemma Cosmoc. *lib. 5. c. 6.* Forestus, *lib. 14. obs. 36 in schol.* vt & alij plurimi. Imò obseruatum in Georgio Boemiæ rege totam vesiculam felleã lapide hæmatitæ simili repletam fuisse, vt refert Iacobus Camenicenus, *in epist. ad Matthiol.*

Atque calculi hi inter morbos in numero referuntur, de quo, quid sit sentiendum, in *instit.* dictum.

Iidem, vt & bilis crassa & alia materia, obstructionem & morbos in via in vesicula fellis pariunt; vnde Icterus ortum habet.

Cognoscuntur autem non facilè calculi in vesicula fellis, & nihilominus varia & sæpe grauia inducũt symptomata: ita vt etiam peritissimi Medici sæpe dubitent, vnde ea proueniant. Adsunt sæpe dolores dextri hypochondrij, nausea, vomitus, alui adstrictio, icterus.

Qua ratione autem obstructio vesiculæ fellis curari debeat, etsi huius loci esset dicere: tamen quia inprimis ab ea Icterus oritur, postea de icteri curatione ea de re agemus.

Obseruatum tandem quandoque vesiculam fellis ruptam fuisse, id quod in nobili quodam, qui diutno bilis vomitu vexatus esset, accidisse, & rupturam fellis vesiculæ vomitus caussam fuisse, in sectione post obitum deprehensum fuisse, scribit Georgius Bertinus, *Medic. lib. 12. cap.* 1.

# LIBRI TERTII PARS VI.

## SECTIO SECVNDA.

## DE SYMPTOMATIBVS, quæ Hepati accidunt.

## CAPVT I.

### *De Sanguificatione læsa in genere & Hepatis Imbecillitate.*

CVM hactenus morbos, qui hepar infestare solent, explicauerimus, symptomata, quæ eidem accidunt, iam explicanda sunt, & primũ symptomatum actiones læsas quod attinet, cum propria hepatis actio sit αἱμάτωσις, seu sanguificatio, de sanguificatione læsa primò loco dicendum, & primò quidem in genere. *Sanguificatio læsa.*

Cum vero sanguificatio læsa proueniat ab imbecillitate hepatis, & sanguificationem læsam sequatur cachexia & Hydrops, ita vt hi affectus sine sanguificatione læsa commodè explicari non possint, eos hoc loco coniungemus. Etsi enim Hydrops propriè sit tumor abdominis ab humore seroso in abdomine collecto, & abdomen in tumorem attollente, isque non solum hepatis, sed & aliarum partium vitio generari possit, vt suo loco dicetur, tamen quia is hydrops, qui à sanguificatione prouenit, & præcipuè hydrops appellatur, sine sanguificationis læsæ caussis explicari non potest, commodissimè hoc loco explicatur. Si quæ tamen sunt aliæ etiam caussæ, à quibus abdomen intumescere potest, de iis suo loco dicetur.

Appellat autem Galenus, 8. *de comp. med. sec. loc. c.* 6. hepatis imbecillitatem ἡπατικὸν πάθος, ex recentiorum tùm Medicorum sententia, cum veteribus ἡπατικοὶ dicerentur, qui hepatis inflammatione laborant, sicut qui pleuræ & pulmonis inflammatione, Pleuritici & Peripneumonici. In 5. *de loc. affect. cap.* 7. ἀτονίαν Hepatis vocat, quæ per se & sine phlegmone existit, & αἱματοποιητικῆς affectus vel vitium est. Et quanquam actiones hepatis læsæ ab aliis quoque intemperiebus prouenire possint: tamen inprimis à frigida ἀτονία dicta ortum habet; cuius ratione vel attractrix hepatis labefactatur, vel alteratrix, quæ αἱμάτωσις appellatur, Quod tamen dictum est, imbecillitatem & ἀτονίαν hepatis ab intemperie eius frigida prouenire, rectè explicandum est. Per intemperiem enim hepatis frigidam hîc non quæcunque frigida dispositio sed calidi natiui defectus intelligendus est, siue à calore aut euacuatione id dissipante, siue ab extinguente frigiditate proueniat. Hic enim calidi natiui defectus proxima imbecillitatis hepatis caussa est, & proinde imbecillitas hepatis ab intemperie eiusdem differt. Imbecillitas enim, vt dictum, propriè prouenit à defectu calidi innati, ob quem sanguificationis munus vel aboletur vel imminuitur. Intemperies verò excessum qualitatum significat, quibus præter naturam auctis

auctis & excedentibus non quidem sanguificatio tollitur aut imminuitur, sed sanguis non bonus, verum ei qualitati, quæ excedit, respondens, generatur, calidus nimirum, frigidus, humidus aut siccus.

Caussa. Sanguificationis autem læsæ in genere plures caussæ esse possunt. Læditur enim sanguificatio vel primariò vel secundariò. Primario læditur vel læsa facultate vel ob errorem externum. Facultas læditur ob morbos intemperiei, & quidem ab omnibus intemperiebus sanguificatio lædi potest, neque solum à frigore, sed etiam à calore. Nam si adsit calida & sicca intemperies, aduritur quasi chylus & generatur sanguis calidus, siccus, biliosus. De intemperiebus verò hepatis supra dictum.

Erroris verò externi vel obiecti vitio læditur sanguificatio, primò, cum chylus in ventriculo non rectè elaboratur. Nam error, qui in prima coctione, quæ fit in ventriculo, committitur, non corrigitur in secunda, quæ in hepate peragitur. Deinde licet bonus chylus in ventriculo generetur; si tamen vitiosi aliquid ei permiscetur, chylus hoc modo inquinatus bonam sanguini materiam præbere non potest, id quod sæpe accidit, dum in viis, per quas chylus transire debet vitiosi humores stabulantur.

Secundariò verò læditur sanguificatio, si attractio, retentio vel expulsio læditur; Attractio læditur ob morbos hepatis, & venarum mesaraicarum obstructiones. Retentio læditur inprimis ab intemperie Hepatis humida; Item ob vasorum erosionem. Expultrix læditur præsertim ob hepatis frigiditatem & gibbæ hepatis partis obstructionem. Caussas autem harum intemperierum supra proposuimus.

### *Signa Diagnostica.*

Signa. Malè affecti & imbecillis hepatis indicia generatim sumuntur ex vrinarum, & excrementorum alui, & coloris in toto consideratione, ita tamen vt ventriculus interea rectè habeat, nec error aliquis in eo commissus sit. Ita efficacissimum laborantis hepatis signum Galenus, 5. *de loc. affect. cap.* 7. alui excrementa, aut carnis recens mactatæ loturæ, aut feci sanguinis similia; Quorum prius ob hepatis frigiditat, sanguinem crudum nec perfectè elaboratum relinqui, posterius eundem ob excessum caloris superassari indicat. Vtrumque enim facultatis αἱματοποιητικῆς in hepate vitium est, & quando deiectiones illæ sunt frequentes, etiam retentricis. Sicut autem subcruentæ illæ deiectiones alui à frigida hepatis intemperie, præsertim inchoante, & non planè confirmata ortum sumunt; ita à calida eiusmodi inchoante existere aliquando possunt. Nam calidius hepar crudum à ventriculo chylum attrahit, venæque auidè optimam sanguinis partem rapiunt, inde crudius in hepate relictum per aluum expellitur. Sed præter intemperiem in actiuis qualitatibus hepar humiditate & laxitate venarum laborare oportet, præsertim caua parte, qua intestina & mesenterium spectat, ob quam laxitatem cruda & subcruenta illa non retinentur. Quando verò frigiditas aut caliditas hepatis intenditur, deiectiones illæ cessant, materia illa vel non tanta copia amplius attracta, vel eadem magna ex parte consumpta; materia etiam per vniuersum corpus distributa, cachexia vel cutaneus ex adustis humoribus morbus prouenit.

Attamen & hoc monendum, non omnes hepatis affectiones malas à crudis & subcruentis illis deiectionibus initium capere, & proinde alia quoque signa addi posse.

Vrina ergo etiam consideranda, eáque quod euidens testimonium perhibeat de iis, quæ in hepate & venoso genere fiunt aut continentur, extra omnem controuersiam positum est apud Medicos. Coloris denique in toto corpore mutatio insignis & diutius permanens malè affecti hepatis indicium est. Quia enim in hepate massa sanguinea inuenitur, quæ toti corpori alimentum præbet, illa à bonitate naturæ suæ deficiente coloris etiam integritatem perdi necesse est, quod ventriculo laborante non facile accidit. Et is color est quasi citrinus vel viridis, sicut pistacia. Signumque hoc sæpe tam certum est, vt aliis opus non sit.

Caussæ quoque, quæ præcesserunt, considerari possunt, quæ calidum natiuum dissipare vel extinguere valent, calidorum scilicet, vt vini meracioris, vel spiritus vini vsus nimius, febris ardens, magnæ sanguinis euacuationes, vsus & potus medicamentorum refrigerantium, & similes.

Signa autem Intemperierum & caussarum supra sunt proposita.

### *Prognostica.*

Prognostica. 1. Etiam hepate malè affecto hominem mori contingit, sed ferè longiori temporis spatio, atrophiâ scilicet. Galenus, 5. *de loc. affect. cap.* 1.

2. Si imbecillitas hepatis ex frigore maior fit, hydrops sequitur, nisi maturè occurratur. Sæpe corrupto in hepate sanguine febris excitari solet, etiam frigida hepatis intemperie. Interdum sanguis ille vltrò è naribus profluit, aut ex vtero, aut ex hæmorrhoidibus, natura illum eò ablegante.

3. Quando in hepatis imbecillitate alui excrementa in succum quidem commutata liquida tamen eucuantur, ἀναδόσεις ad hepar imperfecta, vel non omnino contingente, si venter malè affectus non est, attractricem facultatem hepati debilem esse opinandum est. Si verò loturæ carnis recens mactatæ similia excernuntur, alteratrix & sanguificatrix imbecilla erit.

4. Quibus hepaticis sputum cruentum siue subputridum siue biliosum meracum, statim lethale. Hippocrates, *lib.* 6. *Coac.* Quod accidit vel ob venarum imbecillitatem, vel quia sanguis acrior redditur, & prauam qualitatem acquirit, ob quam calidi innati substantiam auget, & postea facilè venarum orificia aperit, aut etiam erumpit & erodit.

### *Indicationes & Curatio.*

Indicationes & curatio. Qua ratione intemperies hepatis & hinc pendens læsa sanguificatio curari possit, supra satis dictum. In imbecillitate verò hepatis ex calidi natiui defectu maximè hepar roborandum, nec tamen immoderatè calefaciendum, etsi affectio sit frigida; sicut nec refrigerandũ, etsi à calore principium mali sit, sed ea vsurpanda, quæ modicè saltem calefaciunt. Itaque alimenta medicamentis, & medicamenta alimentis ita misceri & temperari oportet, vt citius in substantiam hepatis conuertantur. Itaque ea eligenda, quæ substantiæ hepatis sunt similia, quibus aliquid admiscendum eorum, quæ intemperiei contractæ sint contraria. Quapropter hepata animalium hîc sunt vtilia, lupi, vituli, gallinarum, anserum, testiculi gallorum, cochleæ, passulæ, quæ aromatibus, præcipuè cinamomo, condiri possunt. Proinde in prima mensa tale aliquid semper dari oportet, postea ea, quæ æger auidius appetit; modò non sint prauæ substantiæ. Videatur Galenus, 8. *de comp. med. sec. loc. cap.* 8. Etsi verò in omni imbecillitate hepatis calidi natiui sit defectus: videndum tamen à qua caussa ille ortum habeat. Ergo si à calida, vtilia sunt cichoracea omnia, rosæ, item santala; & licet ventriculus sit frigidus, tutus tamen vsus est cichorij ob amaritudinem. In frigida prosunt, agrimonia, absinthium, quod biliosos humores in hepate abstergit, simúlque id moderatè roborat. Nam adstringentia moderata esse debent; cum hepar obstructionibus facilè sit obnoxium. Vtile est & rhabarbarum, quod etiam biliosos humores abstergit & moderatè hepar roborat.

E.g. ℞. *Nardi celtic.* Drach.vi. *absinth.* Drach.ii. *cinamom.* Drach.ß.

F. Puluis. Et si libet, addito *melle*.

F. Electuarium.

Vtile est & Electuar. diarrhod. Abbatis, duplicato rhabarbaro.

Efficax est & hoc Electuarium:

℞. *Passul. Corinth. mundat.* ℔.ß.

Coq. in vini veteris s.q. & per setaceum traiiciantur.

Postea adde *cortic. citri condit.* ℥.i. *spec. aromat. rosat.* Dra.i. *diamargar. frigid.* ℈.ii. *pulu. corall.* Dra.i. *conseru. rosar.* ℥.i. *pulu. jecoris lupi prapar.* Drach.iii. *santal. omnium* Scrup.ij.

Fiat Electuarium, cuius Vnc. sem. sumat æger cum vino.

Vel ℞. *Passul. mundat.* ℥.iii. *Croci* ʒ.ß. *calami aromat.* ʒ.ii. *bdellij* ʒ.i. *spic. Celt.* ʒ.ii. *terebinth.* ℥.i. *schœnanth.* ʒ.iii. *mellis* ʒ.ii. *vini* q.s.

F. Electuarium.

Vtile est & medicamentum è succo malorum cydoniorum apud Galenum, 6. *de tuend. sanit. in fine.*

Vel ℞. *Hepar vituli* nuper mactati vnum vel duo, conciso adde *agrimonia* M.ii. *saluia*, *hepatica nobilis* an. M.i. *veronic.* M.ii. *cinamom.* ℥.i.

Affunde *aqua agrimon. & cichorij* q.s.

Destilla per vesicam. Aut, quod commodius est, in vase clauso ebulliant, & postea liquor percolatus præbeatur.

Peculiaris cuiusdam imbecillitatis hepatis ex calida & humida intemperie, quæ quibusdam locis sit vernacula & vsu ligni cotonei curetur, facit mentionem *Ioh. Schenckius lib.* 3. *obs.* 14. è Cyriaco Lucio *de ligni cotonei natura, viribus & vsu.*

## CAPVT II.

### DE CACHEXIA.

*Cachexia.* CVm hepatis imbecillitas & intemperies frigida si augeatur, in cachexiam & hydropem degenerare soleat, hoc loco de iis agere placet. Et primò quidem cachexiam, siue malum corporis habitum quod attinet, quæ via quasi est ad hydropem seu eius initium, vt Paulus Ægineta, *lib.* 3. *cap.* 47. scribit; Est ea musculosæ carnis & cutis in nutritione vitium, quando partes hæ à naturali temperamento deficiunt, tertiam coctionem malè perficiunt, alimentúmque omne aquosum & corruptum est, vnde corporis naturalis color mutatur, qui ex albo pallescit, seu virescit, & liuidus ac plumbeus euadit, ipsúmque corpus molle, laxum & sub tumidum redditur, & præcipuè palpebræ oculorum & facies inflatur, ac pedes intumescunt. Aëtio, *tetrab.* 3. *serm.* 2. & 9. fit, cum corporis habitus in aquositatem diffunditur, & vniuersi corporis moles laxior fit & mollior. Cellus, *lib.* 3. *cap.* 23. inter tabis species recenset, quod in hoc affectu vitiosus & improbus sanguis ab hepate refrigerato gignitur, qui sanguis corpus vtiliter nutrire nequit.

Pars affecta est totus corporis habitus, quo nomine partes inprimis intelliguntur, quæ primò oculis incurrunt, vt cutis & musculi, etsi & internæ non planè excludantur.

Affectus ipse est, cùm intemperies corporis frigida & humida, tùm symptoma in qualitate mutata ob coloris vitium, & molem corporis mollem ac nonnihil tumentem, à quibus equidem actiones corporis aliæ ferè non læduntur in initio, in morbi tamen progressu actiones plurimæ offenduntur, acciditque nausea, cibi fastidium, & anhelitus fit difficilis.

### *Caussæ.*

Caussa huius mali est corruptus & vitiosus sanguis, *Caussa.* pituitosus, plerumque crudus & serosus, cui nonnunquam aliquid bilis aut humoris melancholici permistum est, vnde diuersi colores præter naturam, liuidi, aut cum virore albicantes, aut simpliciter albi vel pallidi, fœtidi, oriuntur. Sanguis enim ille quanquam apponi & quadantenus partibus agglutinari potest: tamen ob nimiam cruditatem iis perfectè non assimilatur, & præterea nutritio partium non fit pura & legitima, sed malum si diutius protrahatur, in hydropem anasarcam terminatur. Procreatur ille sanguis maximâ ex parte vitio hepatis aut lienis, nonnunquam & ventriculi, aut etiam cerebri, vt nonnullis videtur. Dum n. hepar aut imbecillitate laborat ex intemperie frigida & humida, aut obstructione continua, aut scirrho, aut impuritate ex humoris corrupti affusione, quo hepatis substantia facilè labefactatur, vitiosum & impurum sanguinem gigni necesse est, qui pro dissipata vtili corporis substantia inutiliter reponitur. Idem & frigidam & humidam, quâ præditus est, intemperiem toti corpori imprimit, vnde eius nutritionem vitiari necesse est.

Ad huius vitiosi sanguinis in hepate generationem facit ventriculus, si imbecillis sit, aut prauis alimentis & humoribus refertus. Dum n. vitiata his de caussis prima coctio non corrigitur in secunda, etiam praua in toto corpore fit nutritio.

Cerebri etiam vitio idem accidere statuitur, quando materia frigida pituitosa extra cranium inter cutem & musculos descendens in subcutaneis partibus collecta tumorem mollem producit, vel è venis capitis & cerebri in totius ambitum defluit. Verùm etsi tales catarrhi à cerebro defluentes variorum dolorum in ambitu corporis caussa esse, & particulares in partibus externis tumores excitare possunt: tamen quod totum corporis habitum occupare possint, non est credibile. Ergo potius ex visceribus nutritioni dicatis malum ortum trahit.

Obseruatione tamen dignum est, cachexiam etiam originem habuisse ex renum vlcere in calculosis, quando purulenta materia propter veterum obstructionem in renes regurgitans & sanguinem inficiens totum habitum corporis inquinauit.

Hinc ad cachexiam inducendam faciunt omnia, quæcunque hepar inprimis, & habitum corporis refrigerare & humectare possunt, & in caussa sunt, vt pro sanguine probo frigidus, impurus, & multis excrementis, præcipuè sero, abundans generetur, siue eæ caussæ sint internæ, siue externæ. Pertinent huc morbi diuturni, & inprimis qui hepar & lienem lædunt, vt febres diuturnæ, hepatis & lienis obstructiones pertinaces, tumores duri, scirrhosi, suppressæ euacuationes mensium & hæmorrhoidum, nimia sanguinis per vulnera, menses, hæmorrhoides, nares; vel alterius materiæ, vt in diarrhœa, dysenteria, ac colica affectione; longa euacuatio, vnde caloris natiui magna fit in corpore dissipatio: carceres & loca subterranea, si quis diu in eis viuere cogatur.

Corripiuntur maximè hoc malo senes ob imbecillitatem caloris natiui, & mulieres ob retentionem mensium, sicut & pueri, ob facultatis vitalis imbecillitatem & ingluuiem ac voracitatem, qua de caussa facilè in obstructiones hepatis & lienis incidant. Qui verò in vigore sunt ætatis, minimè in cache- *Luos venerea cachexiā inducit.* xiam incidunt, nisi magna fit caussæ vehementia, vel lue venerea afficiantur, quæ & ipsa inter caussas cachexiæ numerari potest.

### *Signa diagnostica.*

Cognoscitur hoc malum ex colore naturali corporis, *Signa.* vt

vt antea diximus, mutato in album, pallescentem, liuidum, & plumbeum, & corporis habitu subtumido & molli, qui tumor & inflatio quasi præcipuè circa oculos in facie & genis ac pedibus & manibus conspicitur. Humores enim aquosi & serosi illi grauitate sua ad pedes descendunt, pedésque ac manus à caloris fonte remotiores sunt; facies verò & genæ, ac inprimis palpebræ & circa oculos partes laxiores sunt, & humores serosos facilius recipiunt. Scrotum etiam interdum atque inguina intumescere incipiunt, & tum hydrops in principio est. Æger ad omnes cum corporis tum animi motus lentus ac tardus est, minus quoque expeditè respirat. Et in principio quidem coctiones cibi impediuntur, manente tamen appetitu, postea verò ἀνορεξία accedit, teste Aëtio, corpúsque ita imbecillum redditur, vt crura inter eundum vacillent.

Quod ad signa caussarum, si vitio hepatis, lienis aut ventriculi hoc malum accidat, præcesserunt caussæ, à quibus partes illæ labefactatæ fuerunt; sin minus, à prauitate alimentorum habent, ob victus rationem prauam, quæ & ipsum ventriculum, hepar & viscera corrumpere solet.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Cachexia malum non contemnendum est, cum si diutius duret, teste Aëtio, *tetrab.* 3 *serm.* 2. *c.* 29. imò ipsa experientia teste, in hydropem, qui Anasarca dicitur, degeneret; ideóque cura maturanda.

2. Curationem tamen admittit, nisi fit à pulmonis hydrope, aut morbo aliquo acuto, aut à præstantioris alicuius visceris apostemate, aut scirrho confirmato, aut alio morbo incurabili.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Materia vitiosa euacuanda est. Caussa, quæ humorem illum vitiosum & serosum generat, tollenda, ideóque hepar aut viscus aliud materiam generans & suppeditans ab intemperie frigida & humida vindicetur, roboretúrque. Si à tumore duro visceris alicuius fiat, is curetur. Si ex suppressione alicuius euacuationis, illa prouocetur. Si ex nimia euacuatione, calidum natiuum conseruetur, & quod dissipatum est, instauretur. Habitus verò corporis curatur calefaciendo & exiccando, ne materia intrò conuersa, viscera & partes nobiliores lædat. Caussæ externæ & inprimis habitatio in locis frigidis & humidis, aut subterraneis, tollantur & mutentur.

### *Curatio.*

*Curatio.* *Venæ sectio.* Ideóque si hepar refrigeratū fit, ex caloris natiui dissipatione, phlebotomia non opus est, cum corpus magis refrigeret. Si verò ex caloris natiui suffocatione, ob suppressam aliquam sanguinis euacuationem, seu mensium, seu hæmorrhoidum, sanguis mittendus, vt docet Auicennas, 3. *Can. fen.* 14. *tr.* 4. *cap.* 10. & Paulus Ægineta, *lib.* 3. *c.* 47. sed parcè & per vices ad tertium vel quartum diem. Nonnulli quidem in brachiis potius venas aperiendas censent; quod, vbi adhuc alicuius plethoræ notæ adsunt, vt non planè improbamus: ita eidem indicationi & scopo per venarum in cruribus sectionem satisfieri posse putamus, cum subitâ & confertim factâ sanguinis euacuatione hic opus non sit, & venæ hæ apertæ eandem etiam præstare possint, & sanguini suppresso consuetum motum iterum concilient.

Medicamenta verò hîc conueniunt, quæ supra *de intemperie hepatis frigida & humida* proposita sunt, & deinceps *de Hydrope Anasarca* tradentur, cum quibus affectibus cachexia cognationem habet. Praui tamen humores, qui in corpore redundant, prius euacuandi



sunt, postquam, si opus est, fuerint præparati. Verum non vsurpanda fortia purgantia, ne imbecillæ corporis vires amplius prosternantur, & calidum natiuum debilitetur, sed lenia adhiberi debent & per vices humores expurgari. Et quia inprimis serosi humores hîc redundant, euacuari illi & educi debent, tam per aluum, quàm per vrinam ac sudorem, iis medicamentis, quæ postea *de Hydrope* proponentur. Vomitus etiam sæpè ad antecedentis caussæ sublationem multum potest. *Purgatio.* *Vomitus.*

Corpore euacuato ad ventriculum & hepar roborandum & humores abstergendos vtilissimum est absinthium, quocunque modo sumptum. *Roborantia & laxantia.*

Vtiles sunt & hæ pilulæ, quæ simul laxant:

℞. *Spec. dialaccæ vel diacurcum.* Scr. iiii. *Rhabarb. elect. mechoacan.* an. Dra. i. *spec. diarrhod. Abbat. galang.* an. Scr. i. Cum *s. q. syrupi de absinth.*

F. Pilulæ è Dra. i. xxx. de quibus quattro quoque die 24. sumantur mane ieiuno stomacho.

Vel ℞. *Spec. dialaccæ, diacurcum.* an. ʒ. iß. *Diarrh. abb.* ℈. i. Cum *extract. absinth.*

F. Pilulæ.

Prosunt quoque *trochisci de absinthio, de rhabarb. de lacca*, addito *pulu. rhabarb.* & *agaric.* & pauxillo: *spec. diarrhod. Abbat.* qui cum *syrupo byzantino* vel *de eupatorio* exhibeantur; aut ex iis fiant pilulæ cum *extract. vel succo absinthij*; De quibus singulis diebus mane quatuor vel quinque sumantur.

Vtiles etiam sunt *species dialaccæ & diacurcum.*

Commendant nonnulli & hunc puluerem, cuius cochlear i. paulò ante cibum sumatur.

℞. *Intestin. gallinar. cum interna ventriculi tunica à carne separatorum & vino albo ablutorum* ℥. iii.

Comburantur in furno & *vino albo* & *aqua absinthij* extinguantur.

Deinde addatur cuilibet Vnciæ cineris, *galangæ, cinamom.* an. ʒ. i. *croci* ℈. i. *caryoph.* ʒ. ß. *hepatis lupi præp. & in puluerem redacti* ʒ. vi. *sacchar. rosat. tabulat.* ℥. i.

F. Puluis.

Est & hic puluis satis efficax, & inde cachecticus dicitur.

℞ *Limaturæ chalybis q. s.*

Irroretur *aqu. absinth.* vel *fraxini* in quibus *eorundem sales* dissoluti sint; Relinquatur tamdiu, donec rubiginem contrahat. *Puluis cachecticus.*

℞. *Huius croci* ℥. iii. *C. C. vsti præp.* ℥. ß. *magisterij corall. perlar.* an. ʒ iß. *cinamom.* ʒ. ßcryst*all. tartari* ʒ. i. *sacchar. q. s. ad dulcedinem.*

F. Puluis, cuius dosis ʒ. i.

Laudatur & hic minus operosus puluis.

℞. *Chalyb. præpar.* part. i. *cassiæ lign.* part. ii. *sacchar. alb.* part. iiij.

F. Puluis, cuius ℈. i. bis quotidie detur.

Efficax est & hoc vinum chalybeatum, præcipuè in pertinaci viscerum obstructione & mensium suppressione, vnde cachexia ortum habet.

℞. *Limatur. chalyb.* ℥. iiiß. *vini albi* ℔ iiij.

Infundantur ad dies 8. in vitreo vase bene clauso ad solem vel locum calidum, quotidie aliquoties agitando *Huius vini* Dentur Vnc. vi. vel Vnc. viii. 4. horis ante prandium, sumptóque eo æger ambulet horas duas, si vires ferant, gressu concitatiore. Detur 15. vel 20. diebus. Cum exhibetur, necesse est vas nonnihil agitare, vt substantia ipsius chalybis vino permisceatur. Quoties cyathus vnus effunditur, toties tantundem vini affundatur, donec medietas chalybis assumpta videatur. Pôst nihil amplius addatur.

Si vitium sit in partibus nutritioni inseruientibus, cauteria, præseruationis ab hydrope gratiâ, in cruribus vtiliter affiguntur, priusquam insigniter ea intumescant. *Cauteria.*

Si autem à suppressa aliqua consueta euacuatione cachexia ortum habeat, ea omni modo promo-



uenda,

uenda simúlque medicamenta cachexiæ inseruientia vsurpanda. Itaque hìc valde vtiles sunt *pilulæ primo loco propositæ.*

Quando cachexia ab immodica aliqua euacuatione contingit, corpus reficiendum bono alimento, partes refrigeratæ calefaciendæ, & habitus corporis paulatim exsiccandus, heparque inprimis roborandum. Si à lue venerea originem trahat, ei morbo primò occurrendum.

### *Diæta.*

*Diæta.* Aër eligatur ad calidum & siccum vergens; vitetur humidus, paluſtris. Cibus, quantum vires ferunt, tenuis sit, (cùm abstinentia hìc multum prosit) ac exiccandi vi præditus, boni succi, facilis concoctionis, qui condiatur *cinamomo, caryophyll. croco & similibus.* Minus lautè viuentes homines porro, alliis, sinapi, & omnibus, quæ attenuandi vim habent, vtantur. Ab omnibus verò frigidis, crassis, lentis, & qui sunt difficilis concoctionis, æger abstineat, inprimis verò à vitet, quæ multum aquosi humoris continent, ac propterea aquosum & serosum sanguinem gignunt. Galenus, 1. *de aliment. facult. cap.* 18. scribit; quibus aquea in carnibus cachexia est, iis lens in cibo vtiliter præbetur. Temperata enim est in caliditate & frigiditate, insigniter autem adstringit, & in secundo ordine exiccat. Cæterum aridis & squallentibus, eodem Galeno teste, admodum damnosè exhibetur. Vinum sit album, tenue, odoratum; aquæ verò potus planè vitandus. Aluus sit aperta. Corpus tempestiuè & moderatè exerceatur. Mœror animi vitetur. Somnus non sit nimium longus, nec diuturnus: Venus damnatur. Frictiones siccæ fiant cum linteis crudis. Paulus vsum aquarum aluminosarum magísque nitrosarum & sulphurearum laudat.

---

## CAPVT III.

### *De Hydrope à sanguificatione læsa, in genere, & De Ascite.*

*Hydrops.* Affectus, qui Græcis ὕδρωψ & ὕδερος nominatur, & inde Celso, *lib.* 3. *c.* 22. morbus hydropicus, Latinis aqua intercus, & aqua inter cutem, Germanis; *die Wassersucht*, ab aqua nomen accepit, & in genere aquosi & serosi humoris abundantiam & collectionem significat, ob quam corpus vel pars eius præter naturam intumescit. Nomen autem hoc vsurpatur vel ὡς ἀ προσθήκης, nomine partis addito, vt hydrops capitis, qui vulgo hydrocephalus nominatur, de quo *lib.* 1. *part.* 1. *c.* 28. actum; Hydrops pulmonis & pectoris, de quo *lib.* 2. dictum; gutturis, cuius itidem *lib.* 2. mentio facta; Vteri, de quo Hippocrat. 4. *de morb. & lib.* περὶ γυναικείων. Aëtius, *lib. vlt. c.* 97. Auicennas, 24. *tert. tr.* 4. *c.* 25. Fernelius, *lib.* 6. *de part. morb. & sympt. c.* 15. Guilielmus Fabricius, *cent.* 2. *obseru.* 563. brachij, de quo D. Horstius, *lib.* 7. *de hist. mirab.* Manus cuius exempla in duobus iuuenibus vidit. Vel absolutè & simpliciter, & totius corporis, aut certè abdominis tumorem ab humore aquoso significat. Verùm de particularibus istis aquæ intra partem collectionibus suis locis diximus & dicemus; hoc loco de eo saltem hydrope agemus, cum vel totum abdomen, vel vniuersum corpus à materia serosa & aquosa intumescit.

*Hydrops duplicitér considerator.* Hydrops autem hoc modo sumptus dupliciter consideratur, vel vt tumor abdominis aut totius corporis, & morbus in mala compositione & magnitudine aucta, vel vt symptoma, quod læsam sanguificationem sequitur, qua ratione etiam hoc loco præcipuè *de hydrope* agemus. Cum vere & alij sint abdominis tumores, quibus etiam nomen hydropis tribui solet, de iis infra *suo loco* dicemus.

*Hydropis differentia.* Est autem hydropis huius differentia quædam. Hippocrates, 4. *de rat. vict. in acut. t.* 3. duas hydropis species recenset, vnã, quam ὑποσαρκίδιον, alteram quam μετ' ἐμφυσημάτων nominat. Verum Galenus hanc distinctionem, vt insufficientem, ibi reprobans, triplicem hydropem statuit; vnum ἀσκίτην, in quo totus venter inferior liquore aquoso & seroso impletur, vt instar ἀσκοῦ seu vtris pleni turgeat; alterum τυμπανίτην dictum, in quo locus ille flatu crasso inprimis turgidus redditur, manúque percussus tympani sonum edit, qui Hippocrati, ξηρὸς ὕδρωψ: tertium ἀνασάρκαν, ὑποσαρκίδιον aut λευκοφλεγματίαν, in quo vniuersa corporis moles per carnem & sub carne humore albo & pituitoso suffuso tumida apparet. Aretæus quidem, *lib.* 2. *de causs. morb. diut. cap.* 1. inter ἀνασάρκαν λευκοφλεγματίαν distinguit, quod hìc ex alba pituita, crassa, & frigida in hepate genita, ille ex carnium in humorem sanguineum, aquosum, & tenuem resolutione oriatur. Verùm ab aliis hi affectus non discernuntur, neque etiam necessaria aliqua, cur id fieri debeat, caussa suppetit. Ferè a. hæ materiæ miscentur, vt raró sit aqua sine flatu, & flatus sine aqua in abdomine; atque istâ de caussâ forsan Hippocrates vel autor *lib.* 4. *de rat. vict. in acut.* sub Tympanite Asciten complexus est. Ex eo tamen, quod abundat, appellatio sumitur, & cum parum flatuum est, Ascites appellatur; cum v. copiosus flatus cum aqua exigua, tympanites. Plerúmque tamen aqua abundat. Ideóque si accuratè rem æstimare velimus, rectè scripsit L. Iacchinus *in* 9 *Rhasis c.* 22. præcipuè hydropè dici Asciten, cæteras verò species per huius similitudinem. Et proinde cum si quis absolutè hydropicus appellatur, Ascite laborare intelligatur, cum *Ascites præcipua est hydropis species.* Ascites præcipua sit Hydropis species & dum scriptores absolutè Hydropem nominant, hunc ferè intelligant, de eo primo loco dicemus, & quæ in genere de Hydrope dici possunt, in illius tractatione proponemus; postea verò etiam differentias reliquas addemus.

### *De Hydropis Ascitæ natura & caussis.*

*Hydropis Ascitæ natura.* Est autem Ascites tumor abdominis, cui & femorum ac pedum, nonnunquam & scroti tumor accedit, ab humore aquoso & seroso in abdominis capacitate collecto ortum habens.

Subiectum huius tumoris est abdomen præcipuè, qua ratione ab aliarum partium, quibus hydropes particulares accidere possunt, tumoribus, eiusmodi tumor differt. Et quidem materia Ascitæ colligitur in illo spatio, quod est inter peritonæum, omentum & intestina, seu, vt breuiter dicam, in abdominis cauitate, & quidem tantâ copiâ, vt non solum abdomen valde extendat, sed & diaphragma comprimat, imò in thoracis cauitatem transsudet, vnde difficultas spirandi, ac assidua tussicula existit, pars etiam aliqua ad crura & pedes descendit, pars scrotum occupat, vnde & hæ partes intumescunt. *Materia Ascitæ vbi colligatur.*

*Caussæ.* Proxima tumoris huius caussa est humor, maximam quidem partem aquosus, & hinc suâ naturâ frigidus, qui tamen multas partes salsas continet, vnde calorem quoque participat, quem etiam contrahit è viscerum vicinia, imò temporis diuturnitate putrescit, quod febris insequens & sitis, à vaporibus salsis ac putridis os ventriculi petentibus excitata, ostendit.

Accidit tamen, quod hìc non prætereundum, vt interdum aqua non in cauitate abdominis, sed vesicis quibusdam, partibus ventris inferioris intùs adnatis, includatur. Cuius rei historiam recenset Mauritius Cordæus *comm.* 5. *in lib.* 1. *de mulier.* vbi scribit, Anno 1567. 8. Martij mulierem quandam hydropicam Lutetiæ mortuam esse, in cuius euiscerato cadauere nulla capacitas, id est, nihil cauum deprehensum fuit, in quo non vesica pendebat loco illi exactè æqualis & conformis, qui suo ambitu ipsam contineret. Locos autem *Cadauer hydropicum vesicis intus oppletum.*

autem cauos dicit fuisse, non vesicam tantum, renes, vterum, sed & ventriculum, intestina, cor, pericardium & id genus reliqua, è quibus, prout tam intus, quàm foris cuique locus obtigisset, cystes pendulæ conspiciebantur aqua citrina oppletæ, & sine omni fœtore, etiam post 20. diem. Nec partes supernas exceptas fuisse ad iugulum vsque, sicut neque hepar, neque lienem. Et si quis vniuersas in numerum redegisset, 800. numero superasse scribit. Harum porrò fabrica fuit huiusmodi, vt binæ eas membranæ conficerent, vna candicans interior, altera fuit tunicæ ventriculi similior, tenuior aliquantù, sed ei concolor. non absimilem historiam recenset Schenckius, *lib. 3. obs.* ex communicatione D. I. Eichholtzij. Anno 1581. fœmina quædam plebeia annorum circiter 40. pro hydropica habita mortua est. Eius cadauer cum aperiretur, aqua nulla in cauitate abdominis reperta est, vt nec flatus vllus, sed intestina vnà cum reliquis visceribus angusto spatio contenta apparuerunt. Ipsum verò abdomen à cute ad peritonæum quasi alba pinguedo duntaxat contextum videbatur, nullâ musculorum carneâ substantia interposita, sed vesiculis crebris maioribus minoribúsque aquâ limpidâ refertis inuicem cohærentibus. Cætera à naturali constitutione haud multum variarunt. Omentum tamen perexiguum vix intestina contegebat. Hepar albicans forinsecus magnitudine & mollitie sua competenti erat. Quæ proculdubio acciderunt, seroso humore cum sanguine ad capillares venas, quæ visceribus & partibus ventris inferioris inseruntur, delato, ibique exitum quærente, quem cùm ob densitatem membranarum non inueniret, vesiculæ hæ fuerunt excitatæ.

Sed hæc rariora sunt; cùm verò frequentissimè aqua in abdominis cauitate contineatur, de caussis, loco & modo, quo generatur, & viis, quibus in abdominis cauitatem penetrat, dicendum.

*Aqua Hydropicorū vbi generetur.* Locus vbi generatur, est officina sanguificationis, aut, vt clarius dicam, locus inter ventriculum & renes, per quos aliàs naturaliter serum euacuari solet. Ibi enim vitiosus sanguis generatur, & serosus humor colligitur, vbi bonus generatur, & serum nondum à sanguine separatum est. *An in Hepate?* Officina autem primæ sanguificationis est hepar, & proinde plerique in hepate primò aquam illam hydropicorum generari statuunt. Et omnino hoc credo esse verum de hydrope Anasaca. In ea enim hydropis specie sanguis frigidior & aquosior generatur, & per omnes venæ cauæ ramos distributus, facit, vt tertia coctione frustrata corpus totum tumidum & aqua quasi suffusum reddatur. De hydrope verò Ascite, vt & Tympanite, aliter sentiendum puto. Etsi enim & in his hydropis speciebus hepar tandem afficiatur: tamen non tam ipsum humorem serosum generat, quàm à vicinis partibus accipit, & à circumfuso humore læditur. Quin potius plurimum ad hydropem contrahendum Lienem facere puto qui suo modo etiam sanguinem generat, vt & venas mesaraicas, quæ chylum ad Lienem & hepar deuehunt, & sanguinis coctioni suo modo inseruiunt. Et in hydropicis post mortem hepar saluum repertum fuisse, Medicorum obseruationes docent, sicut ex iisdem constat, lienem malè affectum & scirrho laborantem hydropi originem dedisse. Docet id expresse Hippocrates *lib. 1. & 4. de morb. mulier.* Imò mesaraicas etiam non rectè suum officium facientes hydropi causam dare, multa docent, atque inde fit, vt post quartanas & alias febres diuturnas interdum hydrops sequatur. Atque inde procul dubio factum, quod Hippocrates, *2. prorrhet.* hydropem diuisit in eum, qui est ab hepate, & qui ab Ilibus seu inanibus locis: Incipit, inquit, plerumque hydrops, ab inani parte seu Ilibus, vel ab hepate, Per κενεῶνα intelligit illas partes, quæ extremis costis thoracis subiacent, & tamen ab hepate differunt. Et proculdubio per hydropē ab hepate intellexit Anasarcam; per hydropem ab Ilibus Ascitem & tympaniten. Verùm ea de re infra plura, *quæst. 1.* dicentur, & patebunt etiam ex iis, quæ iam de caussis collectionis humoris serosi tradentur.

*Caussa collectionis humoris serosi in hydrope.* Iam enim porrò quærendum, ob quam caussam hisce in locis humor serosus colligatur: Nos hoc loco eam, quam maximè probabilem putamus, sententiam proponemus, plura postea, *quæstione 2.* addemus.

Primò autem hoc certum est, si serum per renes euacuatur, hydrops non generatur. Nam videmus multos, qui magnam aquæ, cereuisiæ vel vini copiam ingurgitant, & sæpe vno die plus exhauriunt, quam aliquot diebus ab hydropicis bibitur, & tamen nihil mali pati, dummodò aqua per vrinam, vt fieri solet, vel etiam per aluum liquidiorem excernatur. Contrà videmus hydropicos omnes vrinas reddere paucas, &, si paulò liberalius bibant, maximè offenduntur. Quod autem ad renes in hydropicis vrina non peruenit, caussa non est sola angustia venarum ab hepate ad renes, quæ Erasistrati opinio fuit, quam Galenus, *5. de loc. affect. cap. 7.* non immeritò reiecit. Nam si sanguis, qui crassior est, quàm serum, hepar transit, & in venam cauam ac proinde in totum corpus ad eius nutritionem distribuitur, certè serum, quod tenuius est, vnà etiam penetrare posset.

Neque etiam, quæ vulgata opinio est, ad sanguificationem læsam, ob quam pro bono sanguine in hepate aquosus generetur, in Ascite & Tympanite recurrere licet. Neque enim semper Hepar afficitur, vt dictum antea, & postea, *quæst. 1.* dicetur, sed sæpe in hydropicis saluum reperitur, etsi morbi progressu ab aqua circumfusa lædi possit. Etsi hepar sanguinem aquosum generaret, non tantum abdomen & partes ventris inferioris intumescerent, sed sanguis ille aquosus in vniuersum corpus distribueretur, id quod in Anasarca fieri concedimus.

Quia ergo neque ex sanguificatione læsa, neque ex viarum, quæ ab hepate ad renes sunt, angustia collectionis humoris caussam petere licet, & nihilominus hydropici parum mingunt, & id, quod ad renes transire debebat, in abdomine subsistit, caussa inter ventriculum, hepar ac lienem quærenda videtur, & res ipsa sæpe docuit, aquâ hoc in loco subsistente, vbi auidius pota fuit, hydropem excitatum fuisse.

*Hydrops à largiore haustu aquæ & cereuisiæ.* Ita refert Carolus Piso, adolescentem, cum in tertianâ intemperantius bibisset aquam, sub eius declinationem in Asciten incidisse, sed illum vnius tabulæ Diacarthami vsu, aquâ in abdomine restitante per aluum confertim redditâ, breui sanitati restitutum fuisse. Memini ipse quoque puellam, cùm in febri tertiana vehementer sitiret, integram mensuram cereuisiæ secundariæ vno haustu ebibisse, & inde in hydropem incidisse, quæ tamen gummi guttæ & aliorum serosos humores euacuantium vsu, aquâ singulis diebus per aluum eductâ, sanata fuit, nullo in hepate vitio remanente, quæ nunc etiam aliquot liberorum mater bene valet. Et sæpe messores, ac ij, qui in æstu aquam & cereuisiam secundariam auidius bibunt, in hydropem incidunt, aquâ in abdomine restitante. Itaque in talibus non euacuatur aqua & serum per renes, quia ad renes non peruenit, sed in ventre & vasis mesaraicis subsistit. *Cur serum in ventre subsistat?* Si autem porrò quæramus, vbi & qua de caussa subsistat, ea quæ de vsu lienis, *in Institut.* & supra *part. 4. cap. 1.* dicta sunt, repetenda. Nimirum, vt Hippocrates, *lib. 4. de morb.* scribit; splen aquam ad se trahit ex ventriculo, & si plus traxerit, quam oportet, homo statim affligitur, &, vt apertè & clarissimè hanc rem explicat Aristoteles, *lib. 3. de part. animal. cap. 7.* Lien humiditates superfluas diuertit & attrahit è ventriculo, & concoquere eas potest, vt qui sanguineus est. Quod si plus excrementi sit, parúmque caloris habeat lien, corpus præ alimento immodico languescit, & propter confluuium hoc humoris sæpe accidit, vt lienosis ventres præduri

*Serum non omne ad hepar & venas emulgentes defertur.*

præduri efficiantur. Etenim ferum & aquofi humores omnes, vt *locis allegatis* dictum, non ad inteftina & hinc per mefaraicas viâ longâ ad hepar perueniunt, hincque ad venas emulgentes, fed minor eorum pars; maxima verò pars è ventriculo per vas breue à liene attrahitur, & hinc per arteriam fplenicam in cœliacam, mox à trunco aortæ arteriæ per emulgentes arterias ad renes deriuatur. Patet id ex eo, quod qui largius bibunt, aquofum quod eft in potu, mox iterum emingunt, & qui acidulas vel aquas thermales fæpe ad 9. libras ebibunt, eas mox intra tres horas per vrinam reddunt. Fieri tamen etiam poteft, vt pars aliqua humoris ferofi in ramo mefenterico & ad portas fubfiftat. Idcóque hîc hepar & lienem non planè excludimus. Nam fi vifcera hæc, præcipuè in parte caua, & quà rami portæ ad eam pertingunt, obftruantur, vel fcirrhofa reddantur, ferum non admittunt, quod fubfiftens ibi cumulatur & in vafa reftagnat. Vnde fcribit Carolus Pifo: qui diffectioni demortuorum hydropicorum attenderit, fatebitur vltrò, tumorem aliquem vifceris alterutrius ferè vnam, certè frequentiffimam Afcitæ cauffam effe. Addo præcipuè in hydrope lethali: Sunt enim hi hydropes periculofiffimi & ferè incurabiles, cùm, vt fcribit Hippocrates, 2. *prorrhet.* eum, qui ab hydrope conualiturus eft, εὔσπλαγχνον effe oportet, quod fit, fi hepate & liene faluo, vitium faltem eft in vafis mefaraicis. Atque ita quod per renes ferum non euacuatur in Afcite, cauffa eft, quod in venæ fplenicæ præcipuè, vt & mefaraicæ, & forfan etiam in arteriæ fplenicæ ramis fubfiftit, vt & in radicibus earum venarum circa caua vifcerum, & ad gibba vifcerum non penetrat, nec ad renes peruenire poteft.

*Cur ferum in Afcite per renes non euacuetur?*

Quænam autem cauffa fit, quod his in locis fubfiftit ferum, porrò inquirendum. Cauffa autem præcipua eft, quod à vifceribus, inprimis liene, qui, vt ex Ariftotele dictum, humiditates fuperfluas à ventriculo attrahit, non omne attrahitur. Non attrahit autem lien, vel quia viæ non patent, vel quia facultas attractrix in eo labefactata eft, vel quia obruitur nimiâ humoris attrahendi copiâ, vel quia plus attrahit, quàm iterum euacuare poffit. Prima nimirum & ferè frequentiffima hydropis cauffa eft obftructio vaforum ad lienem & hepar è ventre inferiore tendentium à craffis & multis humoribus, vel etiam iis induratis, quod in alterutrius vifceris fcirrho accidit. Quo modo fæpe febribus diuturnis fuccedit hydrops. Deinde læfa attractrice facultate colliguntur humores ferofi in hifce locis, quia vel ipfa attractrix labefactata eft, calore innato debilitato, fiue per contraria alterantia, id eft, infignem refrigerationem à potu aut medicamento frigido, fiue humido primigenio, quod caloris natiui fundamentum eft, abfumpto, fiue fpiritu à calore influente denegato; (Vnde hydropem inducunt aquæ frigidæ, & potûs alterius refrigerantis nimius vfus. Diffipato calore & humido radicali abfumpto inducunt hydropem febres ardentes & diuturnæ, potus nimius vini potentis, aut fpiritûs vini, & morbi alij, qui vifcerum calorem debilitant & abfumunt. Infignes verò fanguinis euacuationes hydropem inducunt, quod fpiritus confertim exhauriunt) vel quia plus potûs affumitur, quam attrahi poffit, id quod euenit, cum quis, præcipuè corpore prius calefacto, potum, & inprimis aquam, auidius ingurgitat, vnde accidit, vt aqua, cum tota attrahi à liene non poffit, in vafis ad eum tendentibus fubfiftat. Quò tandem & ipfum calorem vifcerum nimium referre poffumus, ob quem ea, & præcipuè lien, plus, quàm iterum euacuare & ad renes diftribuere poffunt, attrahunt.

*Hydropis Cauffa.*

Cauffarum harum mentionem facit Hippocrates *lib.* 1. *de morb. mulier.* vbi docet; fi febris hominem detineat, fitifque valida corripuerit & biberit, Lienem, aquam ad fe trahere & intumefcere. Deinde etiam fine febre id accidit, fi καῦμα feu incendium in ventre adfuerit, & in fiti fibi homo non temperet. Et *lib.* 4. *de morb. in fine* fcribit Hippocrates, fi lien ægrotans (procul dubio intemperie calida laborans) potum ex ventriculo ad fe trahit, hydropem fequi, & in venis inferioris ventris aquam coaceruari.

Quæ omnia funt longè probabiliora, quàm fi ftatuamus, folùm fanguificatione in hepate læfa tantum feri generari. Equidem in Anafarca libenter admitto, chylum in crudiorem, & pituitofum fanguinem mutari; at in aquam totus mutari non poteft. Neque enim cibus folidior in aquam mutari poteft; Neque ferum, quod per vrinas naturaliter excernitur, & in hydropicis præter naturam detinetur, in hepate vel Liene primum generatur, fed è ventriculo tranfmittitur & attrahitur, eftque ille humor, qui bibitur & cibis admifcetur. Vnde etiam obferuatum, quofdam hydropicos omnimoda à potu abftinentia fanitati reftitutos fuiffe. Et experientia atque ipfa corporis nutritio, & fanguis, qui in venis etiam in hydropicis continetur, docet, chylum non in aquam, fed in fanguinem in afcite mutari, & in hydropicis etiam, quicquid alimentarij eft in chylo, ab hepate attrahi & in fanguinem mutari, ferofum verò & aqueum in primis viis fubfiftere. Etfi enim viæ illæ, per quas ferum ad lienem tranfit, non pateant: venæ tamen mefaraicæ patere poffunt, vt chylus ad hepar transferatur. Temporis tamen progreffu ab aqua circumfufa hepar corrumpi, & fanguificationem lædi, facilè concedo; quod etiam accidit, fi hepar fcirrho detineatur. Vnde etiam tandem fuperiores corporis partes contabefcunt.

*Chylus in aquam mutari nō poteft.*

His ita profitis, non difficile eft, vias quoque inuenire, per quas ferum in abdominis cauitatem perueniat, de quibus tamen non leuis eft apud autores controuerfia, vt *quæft.* 3. dicetur. Breuiter enim ftatuimus, fi ferum copiofius in vafis, quæ inter ventriculum, lienem ac hepar funt, colligatur, id, vafis feu per διαπήδησιν, feu per ἀναςόμωσιν, feu per exefionem & erofionem apertis; in abdomen deftillare, ibique colligi ac cumulari poffe. Quæ viæ etfi in cadaueribus non pateant: tamen in viuentibus fatis patulæ funt, naturáque iis, quoties libet, in μεταςάσει & ἐκκρίσει humorum feliciter vtitur, & ob eas corpus vniuerfum ξύῤῥουν καὶ ξύμπνουν eft.

Quæ autem viæ illæ fint, apud autores non fatis planum eft. Hippocrates, 7. *aph.* 55. earum mentionem facit, dum fcribit; Quibus hepar aqua refertum in omentum eruperit, his venter aqua repletur, ac moriuntur. Quem aphorifmum Galenus quidem ita explicat; Maximè, inquit, hepar obnoxium generandis in ea tunica, quæ ipfum extrinfecus ambit, veficulis aqua plenis, quas ὑδατίδας appellant Græci: fiquidem in iugulatis animalibus apparet interdum talibus veficis refertum. Si quando igitur acciderit, vt tales ὑδατίδες rumpantur in eam peritonæi regionem aqua effunditur; quæ eft fecundum ἐπιγάςριον. Verum etfi negari non poffit, tales veficulas aquâ plenas in hepate ac liene non rarò inueniri, fero, quo abundant, membranam hepar ambientem diftendente: tamen nec in omnibus hydropicis tales veficæ apparent, & in quibus funt, rarò rumpuntur, neque tanta aquæ copia, qualis in hydropicis colligitur, per eas exftillare poteft. Neque etiam verbis Hippocratis confentanea eft Galeni explicatio; cum Hippocrates non ex hepate in abdominis cauitatem, fed in omentum aquam erumpere fcribit. Res verò per fe plana eft, & ipfe Hippocrates, 1. *de morb. mul. loco fæpe allegato,* lucem huic rei affert, dum fcribit: Lienem, fi ab aqua intumefcit, diftribuere eam per venas corpori, & maxime in omentum, & loca circa ventrem & crura. Etenim fi Hepar aqua repletum fuerit, illa in omnes venæ portæ ramos,

quo

quorum inter se continuata est communicatio & confluxus mutuus, redundat; atque ita facilè in epiploi seu omenti venas per eum ramum, qui gastroepiploicus à recentioribus appellatur, fluere potest, vel etiam à Liene attrahi & in omentum per vtrumque ramum epiploicum erumpere. Atque ita viæ per quas aquæ hydropicorum in venæ portæ ramis & visceribus vicinis collectæ in abdominis cauitate perueniunt, sunt rami Epiploici & Gastroepiploici. Hi enim si tanpere humore aquoso & seroso replentur, vt illorum extrema præ copia dehiscant, vel quocunque modo aperiantur, ex apertis & dehiscentibus venarum omenti orificiis guttatim aqua destillat in abdominis cauitatem, atque ibi collecta ventrem in tumorem attollit, & hydropem Asciten generat.

Alij adhuc alias vias addunt. Fernelius equidem, *lib. 6. de part. morb. & sympt. cap. 4.* serum in abdomen effundi statuit, parenchymatis horum viscerum continuitate soluta & fissa, exesâ, apertâ, rupta ac dehiscente eorum substantiâ. Adrianus Spigelius, *lib. 8. de corp. hum. fabrica* viam antiquis & recentioribus adhuc ignotam addit, lobum scilicet exiguum in caua hepatis parte juxta portas vocatas situm, qui in ipsam omenti cauitatem totus recondatur, & longè tenuiore membrana, quàm reliquum hepar, tegatur, vt credibile sit, à leui iniuria eum facile pertundi: inprimis cum ipsa substantia mollissima sit, & hoc loco complures venæ cauæ propagines & ipse venæ portæ truncus situs sit, in quibus major serosi humoris copia, quàm in aliis hepatis partibus coaceruari potest.

Platerus aliter quoque hepate malè affecto hydropem excitatum fuisse obseruauit, in puella quadam, nimirum tumore fungoso hepati annato, è quo humor serosus emanare potuit. Insuper hepate ac liene vlcerato adeo, vt ad ejus superficiem vlcera post inflammationes suppuratas vel tumores in abscessus desinentes aperta, relictaque ibi diu, sæpe purulentas dejectiones mouentia, tandem hydropem effecisse scribit. Refert quoque hûc læsiones externas, & præsertim contusiones, & duos ab equo in dextrum latus lapsos præcedentibus aliquandiu hepatis & lienis symptomatibus quibusdam, tandem hydrope correptos ac extinctos fuisse, scribit; idémque à vulnere vlcus relictum & corruptiones ac putredines horum viscerum efficere posse èxistimat. Et omnino à vasorum, viscera in ventre interiore, mesenterium scilicet, renes, vterum perreptantium, soluta continuitate, iisque seu per διαπήδησιν, seu per ἀναστόμωσιν seu per διαίρεσιν apertis, serum in abdominis cauitatem fundentibus, hydropem generari posse, supra dictum, & infra, *quæst. 3.* dicetur.

Verum frequentissima caussa proculdubio est primo loco posita. Nam si serum in venæ portæ propaginibus per mesenterium & omentum sparsis copiosius cumuletur, nisi ad intestina defluat, & alui fluxum excitet, ex his venis in abdominis cauitatem destillat. Cum enim vasa ista, quæ in omentum & vicina loca excurrunt, raræ texturæ sint, ac peritonæo tantùm vestiantur, facilè hinc per eorum orificia in ventrem aqua exsudat & exstillat. Habet enim omentum se peræ instar, quæ portæ caudicem excipit, & in homine pro corporis proportione maximum est, ac venas innumeras è vena portæ accipit, vt & arterias ex ramo cœliaco & mesenterico. Cumulatur autem ibi, vt supra dictum, si transitus illi è venis splenicis & mesaraicis ad Lienem impediatur. Quod fit præcipuè ob attractionem viscerum læsam, frustratam vel impeditam, ob quam serum, quod partim chylo permistum, partim ab eo separatum continuò à potu has vias pertransit, ad se, vt par est & naturaliter fieri debet ac solet, non allicit, vnde ad renes peruenire non potest. Quod præterea etiam accidit ab obstructione, quæ vel est in ipsis vasis, vel etiam in viscerum substantia, quod in scirrho hepatis & lienis præcipuè euenit.

Vt ergo ista, quæ hactenus prolixius de caussis hydropis Ascitæ diximus, in pauca contrahamus & caussas etiam mediatas & remotas addamus, vbi serum copiosum in ramis venæ portæ subsistit, in omentum transit, per venas per id dispersas, quarum orificiis apertis in cauitatem abdominis destillat. Colligitur autem ibi, quia vel à liene non attrahitur, vel quia via non patet.

Hinc caussæ mediatæ, & remotæ hydropis sunt, quęcunque vel attractionem seri in visceribus lædunt, aut calidum innatum extinguendo, aut suffocando, aut dissipando, vel obstructionem in vasis & viis illis, per quas transire serum debet, pariunt, vel faciunt, vt viscera serum intempestiuè & nimium ad se trahant. Calidum innatum extinguunt Lienis & hepatis refrigeratio à caussis externis & internis, vt nimius aquæ vel vini aut cereuisiæ glacie refrigeratæ, præcipuè post æstum & corporis motum, è quo corpus incalescit, potus, alimenta frigida nimiâ copiâ sumpta, qualia sunt lactuca, cucumeres, melones, persica & similia, & quæ à Pythagora damnata est Atriplex, quod hunc affectum facere putetur, vt Plinius, *lib. 20. nat. histor. cap. 30.* scribit. Partes etiam vicinæ refrigeratæ & malè dispositæ affectionem suam hepati ac lieni communicare possunt.

Suffocant & corrumpunt calorem natiuum consuetæ per hæmorrhoides & menses euacuationes suppressæ, de quô Hippoc. 6. *aph. 12. diuturnas curanti hæmorrhoides, nisi vna quæpiam seruetur aperta, periculum aquæ intercutem vel tabis impendet.* Sanguis enim ille feculentus & impurus circa hepar & lienem subsistens, aut tumorem in iis excitat, aut copiæ prauitate calorem natiuum eius extinguit & corrumpit. Calorem dissipant & absumunt euacuationes sanguinis nimiæ per hæmorrhoides, menses & hæmorrhagiam narium; quáquam Galenus in mulieribus ob menses nihil tale euenire scribat, quia ipsis consuetæ sunt, *de curand. rat. per. ven. sect. cap. 19.* febres ardentes, diuturnæ, inprimis quartana, lentæ, longæ, hecticæ, καῦμα item & æstus in venis mesaraicis, vt & dysenteria & diarrhœa, item podagra, & dolor coxendicum longus; vini generosioris & aromatici, vel Spiritûs vini vsus, medicamenta item calida & fortia, inprimis purgantia.

Obstructionem pariunt, quæcunque crassos, & viscidos humores suppeditant; quò pertinent quartanæ longæ, quæ non solum calorem innatum debilitando, sed & periculosas viscerum obstructiones relinquendo, imò scirrhos viscerum, hydropem inducunt. Quò referri potest & nimius aquæ confertim haustæ potus, vt totus à liene attrahi non possit, sed necessariò in primis viis subsistat, & cùm sibi, tùm quotidie affluenti humori seroso aditum ad viscera intercludat.

Tandem ad hydropem excitandam facit καῦμα illud & æstus in venis illis circa lienem, ob quem ille auidius plus attrahit, quam vt iterum euacuare possit, qui simul sitim excitat, in qua si à bibendo æger sibi non temperet, facilè plus bibi quam euacuari potest.

Paracelsicorum de hydropis generatione opinionem quod attinet, salem illi resolutum caussam hydropis statuunt; Verùm negandum quidem non est, humorem illum, qui in hydrope abundat, esse salsum: Verùm hoc falsum est, quod in corpore antea coagulatum illud sal fuerit & postea resolutum. Etenim humor aquosus hic, vt dictum cum cibo & potu ab homine hauritur, & in primis viis cumulatur, ob caussas modò dictas, & semper liquidam naturam habuit, nunquam verò in corpore concretus fuit, vt sal resolutus meritò appellari possit. *Paracelsicorũ de generatione hydropis opinio.*

Circa caussas tandem & hoc notandum, quod abdomen in Ascite raro à sola aqua distenditur, sed plerumque flatûs aliquid illi admiscetur. Qua ratione autem flatus generentur, dicetur postea *de hydrope tympanite.* *Abdomen rarò à solâ aquâ distenditur.*

## *Differentiæ.*

*Differentia.* Ex his,quæ hactenus de caussis hydropis Ascitæ dicta sunt, apparet, non vnam ejus esse differentiam. Etenim non semper lienis, nec hepatis, nec vasorum, quæ chylum ad hepar & lienem vehunt, vitio hydropem produci diximus, sed sæpe his omnibus partibus salvis, in aliis partibus, vt in renibus, vreteribus, vesica, testibus muliebribus, in abdomine vase alicubi aperto, è quo serosus humor in abdominis cavitatem destillare potest, hydrops generatur, vt antea dictum.

Caussæ continentis etiam quædam est varietas. Plerúnque enim aqua illa est pallida & citrina; & vrinam refert, vnde etiam *das gelbe VVasser* nominant. Carolus Piso tamen & Marcellus Donatus, *de histor. medic. mirab. lib. 4. c. 11.* luteam & viridem observavit, & Christophorus Guarinonius, *consult. 194.* flavam in nigrum vergentem; Guilielmus Fabricius, *cent. 2. obseru. 57.* loturæ carnium recens mactatarum similem; Scholiographus, *ad cap. 39. lib. 1. de intern. morbis Hollerij* planè cruentam, & loturæ carnium saturatæ sanguine similem. Præterea aqua hæc nunc majore, nunc minore quantitate abundat, vnde abdomen nunc plus, nunc minus intumescit.

Est etiam hydrops à colliquatione seu subitaneus ille hydropis status, cujus Galenus, 3. *de sympt. causs. cap. 2.* & Petrus Salius Diversus, *de affect. part. cap. 9.* mentionem faciunt. Quæ duæ differentiæ postremæ etsi primariæ non sint, & propterea plurimi nomine hydropis non dignentur; tamen ob particulares, quas habent, caussas, & curandi rationem à primaria illa specie, de qua hic agimus, discernendæ sunt. Sunt & accidentales differentiæ, vt quod nunc venter tantum, nunc cum ventre scrotum intumescit; nunc aquâ saltem venter repletur, nunc simul flatus adest, vnde hydrops Ascites alius est exquisitus, alius minus exquisitus; item alius est cum febre, alius sine febre; alius recens, alius inveteratus; alius per se incipit, alius alteri morbo succedit.

## *Signa Diagnostica Hydropis in genere.*

*Signa hydropis in genere.* Communis est omni hydropi pedum tumor, teste Hippocrate & Galeno, 2. *prognost. 2. &* 3. quia aquosus humor pondere suo deorsum vergit; & pedes loco declivi siti sunt, ac longissimè à corde distant, & suapte naturâ sunt frigidi, ossibúsque multis, nervis ac cartilaginibus, pauca verò carne constant. Maximè autem vesperi pedes tument, & à corporis exercitatione. Adest & spirandi difficultas, & vitiosus faciei color. De tumore tamen pedum notandum, in convalescentibus sæpe cùm ex acutis, tum ex diuturnis morbis pedes intumescere sine vllo insigni periculo, modò maturè succurratur. Accidit enim hoc fere à ciborum copia, aut aliqua caussa externa. Nam calor nativus cùm in ventriculo tùm in hepate languens, & antecedente morbo labefactatus tantum conficere non potest, quantum æger appetit ac assumit, aut etiam quantum corpori alendo opus est. Ideóque in concoctione illa imperfecta vapores crassi excitantur, & crudi ac serosi quid gignitur, quod ad pedes descendit, principiò quidem sine insigni periculo, modò victus ratio rectè præscribatur, & calor debilis roboretur: aliàs si nimio cibo viscera continuò onerentur, ac multa cruda ac serosa excrementa cumulentur, hydrops inde generatur.

## *Prognostica Hydropis in genere.*

*Prognostica hydropis in genere.* 1. Hydrops quidem non semper difficilis curatu est, temporis verò progressu augetur vi caussarum & symptomatum in singulis hujus mali differentiis. Quæ verò species periculosior sit, de eo autores alij aliter sentiunt. Nos breviter censemus, anasarcam minus esse periculosum; cum in eo, vt postea dicetur, virtus minus à naturali statu, quam in aliis hydropis speciebus, recedat, humórque eius continens caussa propius ad sanguinis naturam accedat, quàm aquosus humor in Ascite & flatus in Tympanite. Præterea Anasarca fit plerumque à crapula, & cibo nimis crasso, vt pueris quandóque accidit, atque exercitio corporis intermisso, quæ caussæ minus rebelles sunt. Atque has rationes experientia confirmat, rectéque scribit Leonhard. Iacchinus, *in 9 Rhasis*: Ego à juventute perpetuò eventus ægrorum omnes observavi, vidique, cæteris paribus, ætate & robore, hydropes, qui Anasarcæ dicuntur, facilius curari. Neque id multum refert, quod plures in Anasarca partes afficiuntur, modò caussa sit talis, vt facilè tolli possit. Falsum ergo est, quod scribit Ludovicus Mercatus, Anasarcam & Asciten ab æquali hepatis vitio provenire, cum, vt antea dictum, & postea *quæst. 1.* dicetur; ab alia caussa ascites, quàm anasarca proveniat. De Tympanite & Ascite res intricatior est. Verùm si rem ipsam & caussas vtriusque hydropis consideremus, tympanitem ascite periculosiorem esse meritò statuimus. Graviorem enim caussam habet tympanites, quam ascites, vt *postea* dicetur. Aliàs pro varia circumstantiarum ratione fieri potest, vt ascites tympanite sit gravior. E. g. Si scirrhus conjunctus sit cum hydrope, quicunque etiam sit, curatu non solùm est difficilis, sed impossibilis. Ideóque ne fallamur, comparatio semper inter similia facienda, & omnes circumstantiæ perpendendæ.

2. Omnis inveteratus hydrops, & qui habitum hepatis jam corrupit, est periculosus, teste Aëtio, vt & qui à scirrho hepatis existit. Facilius curatur, qui ab obstructione & à cibi multitudine, vel à suppressis mensibus ortum habet, & qui à profluvio sanguinis, nisi extrema accesserit refrigeratio.

3. Hydrops à duro lienis tumore minus periculosus est, quàm à duritie hepatis, teste Avicennâ.

4. Difficilior hydrops est, si ex alio morbo corpus labefactatum comprehendat. Brevi enim homo moritur alio morbo diu afflictus. At vbi etiam alvus fluida fuerit, citissimè moriuntur, & sentientes & loquentes. Hippocrates, 4. *de morb. in fine.*

## *Signa Hydropis Ascitæ.*

In Ascite abdomen paulatim intumescit, hinc & pedes & scrotum: interdum tamen ab inferioribus tumor incipit, æger de latere in latus conversus murmur & fluctuationem quasi aquæ sentit, tumórque latus, in quod decumbit, sequitur. Magnitudo abdominis major est; Superiora verò gracilia redduntur & contabescunt, nisi quod ad extremum manus interdum inflantur, cordis & corporis calore paulatim labefactato. Vrina pauca & ferè crassa est; quia seri parum ad vias vrinæ transit, & paucum illud diutius ibi subsistit. Pulsus, secundum Galenum, 4. *de caussis pulsuum cap. 24.* est parvus, crebrior, subdurus, cum quadam tensione. *Signa hydropis Ascitæ.*

Malo crescente dispnœa plerumque accedit insignis, & tanta, vt ægroti erecti sedere cogantur, ob aquæ copiam diaphragmati incumbentem, præcipuè cum æger decumbit: Sitis plerumque ægrum malè cruciat, & quò plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ, quod accidit à serosi & salsi humoris in abdomine copia, à quo & febris sæpe excitatur continua & lenta. Serosus enim ille humor diutius in abdomine contentus salsedine & acrimonia sua, quam partim ex natura sua habet, partim ex aliorum humorum admistione & corruptione, ob diuturnam in abdomine moram acquirit, viscera, hepar, lienem, renes, intestina, omentum, mesenterium, quæ omnia in aqua illa fœtidâ & cadaverosum quasi odorem spirante natant, corrumpit sensim, & putrefacit, vnde in actionibus naturalibus varia symptomata & lentæ febres originem habent.

Caussa

Caussarum verò signa quod attinet, omninò diligenter considerandum, vnde malum originem habeat, non solùm prognostici ergò, sed & curationis gratiâ, quæ omninò partem affectam respicere debet. Frustra enim soli hepati adhibentur medicamenta, cum ab alia parte affecta principium ducit hydrops. Hippocrates, 2. *prognost. aph.* 2. & 3. & *in Coacis lib.* 6. *s.* 2. *aph.* 27. & 28. *sec. distinct. Hollerij*, qua ratione hydrops ab hepate & liene discerni possit, docet. Loquitur tamen ibi solùm de hydrope, qui morbos acutos & febres ardentes sequitur. *Quibus*, inquit, *ex ilibus ortum habet hydrops, iis pedes intumescunt, & diuturna alui profluuia comitantur, quæ neque ventrem inaniunt, nec dolores soluunt. At quibus ex hepate, tussis facilè fit, pedes tument, aluus dura reddit, & ea vi, tumores circa ventrem fiunt, modo sinistra parte, ijque rursum quiescunt.* Tumor quidem pedum omni hydropi communis est; alui verò siccitas, vt & tussis arida, separat hydropem ab hepate, ab altero, qui est ab ilibus. Nam proprium & peculiare hydropis ex inflammatione & æstu venarum & partium in ilibus est alui profluuium pertinax, quod dolores non soluit, succrescente noua cacochymia ob caussam pertinacem. Prouenit autem hoc ob imbecillitatem venarum, quæ alimentum ad se trahunt; deinde ob alimenti corruptionem & continuam biliosi excrementi euacuationem, cùm à putredine, tùm æstu intestini jejuni & mesenterij. Quibus accedere potest obstructio ab humoribus putridis vel inflammatione, ob quam distributio alimenti impeditur. A profluuio tamen nec tumor ventris, nec dolor imminuitur; cum internus calor & intemperies hectica permaneat, quæ medicamentis purgantibus nimis exhibitis non solùm imminuitur, sed eorum vsu mors ægro sæpe acceleratur. Et quia diaphragma pars affecta comprimit, tussis illa arida adest.

Si autem hepar calida dispositione affectum hydropis caussa sit, tussiendi cupiditas adest, vel hepate diaphragma propter tumorem comprimente vel detrahente propter grauitatem. Alligatur enim hepar fibris quibusdam diaphragmati, quibus deorsum reuulsis vnâ diaphragma detrahitur, vnde difficultas spirandi & tussicula inanis excitatur. Aliàs etiam tussis in hydrope excitari potest, cum desperato hydropi ea superuenit, materia præ copiâ è ventre inferiore per occultos meatus in cauitatem abdominis penetrante. Deinde excrementa sunt pauca & sicca. Venter enim, vt in prognosticis dictum, nihil dejicit, nisi dura quædam; & coactus necessitate, &, vt *in Coacis lib.* 7. *sect.* 2. *aph.* 6. ait, *quibus à morbo aliquo hydrops superuenit, iis alui sicca, & stercori caprino similia egerunt, cum colliquatione mucosa & vrina non bona.* Nam eorum, qui in hoc affectu diu morantur in aluo, pars serosa in abdomen mittitur, reliqua à caliditate hepatis exuritur & induratur. Talia verò excrementa non facilè locomouentur & excernuntur, nisi medico aliquid moliente & clystere vellicante.

Verum tutissimum est, in hydrope caussas, quæ præcesserunt, omnes diligenter considerare, siue sint externæ, siue sint morbi & eorum caussæ. Etenim si quis aquam frigidam vel alium potum auidius exhauserit, eam in primis viis subsistere & hydropis caussam esse credendum. Ita si quis quartana laborauit diuturna, in liene vitium esse, credibile. Scirrhi etiam viscerum suis signis cognoscuntur: sed maturè explorandi, antequam venter valde intumescat, & tumor impediat, ne hypochondria tactu explorare possimus. Ita si quis alios etiam morbos perpendit, quos æger, antequam in hydropem incidit, perpessus est, facilè etiam agnoscet primariam hydropis caussam.

Et vt reliquarum caussarum & hinc dependentium hydropum (quos tamen aliàs hîc explicare propositum non est) signa addamus, si à vase visceris alicuius rupto proueniat hydrops, excretio sanguinolenta, vel vomitus sanguinis præcessit; Si à rene exulcerato sit hydrops, in vrina aliquid puris interdum apparet, mictio, quàm in cæteris caussis, longè parcior est, & sæpe parcissima, præsertim si vterque ren exulceratus sit, cum maxima vrinæ pars in abdomen destillet, minima ad vreteres perueniat.

Si ab vretere rupto sit hydrops, vt in calculi à renibus exturbatione, dolor insignis ea parte perceptus fuit, & malum hoc tum subitò oritur.

Si ab alia parte in abdomine affecta & serum in ejus cauitatem fundente sit hydrops, signa ejus partis affectæ adsunt.

### *Prognostica Ascitæ.*

1. Iuuenes & robusti facilius sanantur, quàm senes & qui sũt debiliores, quibúsq; facultas naturalis lãguet. *Prognostica Ascitæ.*

2. Hydrops facilius curatur in seruis, quam in liberis; quia cum desideret famem, sitim & multa alia tædia, longamque patientiam, promptius succurritur his, qui facilè coguntur, quam quibus inutilis libertas est. Sed ne hi quidem, qui sub alio sunt, si ex toto sibi temperare non possint, ad salutem perducuntur. Celsus, *lib.* 3. *cap.* 22.

3. Omnis hydrops à duritie lienis minus periculosus est, quam à duritie hepatis, teste Auicenna, vt ante etiam dictum; quia lien minus princeps membrum est, quàm hepar.

4. Omnis hydrops si ex acuto morbo existit, malus est. Non enim sedat febrem, sed dolorem admodum infert, ac mortem. Hippocrates, 2. *progn. aph.* 1. Id quod accidit, quia viscera absumpto humido radicali frigidam & hecticam intemperiem, quæ corrigi non potest, contrahunt.

5. Omnis hydrops grauis est & curatu difficilis, eóque difficilior, quò magis inueteratus.

6. Quibus hepar aqua refertum erumpit in omentum, iis venter aqua impletur & moriuntur. 7. *aph.* 55. Quo modo id fiat, supra dictum, & *quæst.* 3. dicetur. Cumque pars hæc imbecillior sit & ignobilior, facilè corrumpi potest à serosa illa humiditate. Itaque mors sequitur, accedente ad priorem calamitatem hepatis diu & insigniter affecti nouâ illâ, omenti scilicet corruptione.

7. Neque huic aphorismo contrarius est alius, 14. *sect.* 6. vbi scribit Hippocrates: Ab aqua inter cutem habitô, si aqua, quæ in venis est, in ventrem confluxerit, morbi fit solutio: quæ sententia etiam *in Coacis* repetitur, *aphor.* 457. *in Codice Foesij, seu in l.* 6. *sect.* 2. *aph.* 32. *in Hollerio*, dum scribit; incipiente hydrope alui profluuium sine ὀπεψία seu cruditate proueniens morbum soluit, & *ibidem aph.* 61. (*Foesij*) *seu* 77. (*Hollerij.*) His, qui hydropem circa venas collegerunt, erumpente aquâ in ventrem soluitur. In illo enim aphorismo per ventrem intelligitur abdominis cauitas & capacitas, in qua si aqua retineatur, mors sequitur, etsi non semper, plerumque tamen, præcipuè si omentum corrumpatur. In isto verò per ventrem accipitur aluus & intestina, per quæ si aqua euacuetur, bonum. Spontanea enim, ideóque vtilis est hæc euacuatio, dummodo nullum vitium in visceribus relinquatur, vt scirrhus, substantiæ corruptio, ob quam aqua de integro colligitur. Euacuatio enim quæcunque siue eam ars, siue natura molitur, fieri debet saluis visceribus, & antequam viscera grauius læsa sint, & vires morbi diuturnitate fracti, seu, vt idem *in prorrhet.* ait, εὐσπλαγχνες esse oportet, qui ab hydrope seruari debent; aliàs si cum scirrho vel hepatis corruptione adsit alui fluxus, citissimè moriuntur Ascitici, secundum Auicennam, & Galenum, 2. *ad Glau.c.* 5. Et idem Auicenn. scribit, constrictio anhelitus & solutio vêtris in tribus diebus mortẽ significat.

Vias autem, per quas hydropicorum aquæ ad aluum feruntur, quod attinet, confluit aqua ad aluum, vel quia salsa humiditas venis adhuc inclusa per aluum ita purgatur,

purgatur, vel aqua in medio peritonæi & intestinorum aut omento collecta exugitur à venis mesaraicis.

8. Qui lienosi Dysenteria corripiuntur, iis dysenteria diutius durante hydrops aut lienteria superuenit, & moriuntur 6.*aph*.43. Lienosi autem vocantur, quibus lien longo tempore infarctus copiâ humoris melancholici & flatuum tumet sine scirrho. His enim si dysentia moderatè accidat, affectio lienis tollitur, materiæ μετασάσει & per intestina euacuatione. Vbi verò dysenteria diutius durat & praui humoris transitu caloris innati συμμετρία in intestinis & visceribus perierit, accedentibus nouis morbis moriuntur, & quidem aut hydrope, ab hepatis, lienis & vicinarum partium cum intestinis consensu; aut lienteria, ob labefactata intestina, atque ita fractis diuturnitate plurium morborum viribus mors sequitur.

9. Quantò lotij minus redditur, tantò deterior est hydrops; quia serum in ventrem confluit & ferè nihil ejus ad renes penetrat. Hinc etiam Hippocrates, *in Coacis aph*. 456. *sec.distinct. Foesij, seu lib.6.s.2.aph.22. Holler. Hydropico febriculoso vrina pauca turbatáque lethale*. Et tum demum secundæ valetudinis spes est, inquit Celsus, *lib*. 3. *cap*. 22. cum plus humoris per vrinam, (quam ideò, vt & potum metiri oportet) excernitur, quàm assumitur. Ideóque an venter assumptis quibuscunque medicamentis decrescat, eum quotidie lino metiri, & qua comprehendit aluum notam imprimere præcipit, postero die videre, si plenius corpus sit, an extenuetur. Id enim quod tenuatur, medicamentum sentit; quod si contrarium eueniat, paribus cæteris, inter mala signa numeratur.

10. Hydropi si tussis superueniat, malum 6.*aph*. 35. & 7.*aph*.47. Cum a. triplici de causâ tussis hydropicis accidere possit, vel ex catarrho, vel ex compressione aut detractione diaphragmatis, vel ex aqua in thoracem penetrante, de vltima hâc caussa aphorismus hic accipiendus. Vbi enim aquosa humiditas in tantum creuit, vt in thoracem penetret, & asperas arterias iam occupet, & inde tussis superueniat, periculum est, ne haud ita multò pòst homo suffocetur.

11. Abscessus vel maculæ in cruribus erumpentes lethales. Ita Hippocrates, 7.*epid*.scribit: *Bion, cum multo tempore aquâ inter cutem laborâsset, multis diebus cibum auersabatur, & vrinæ stillicidio vexabatur. Ad genu sinistrum oborto abscessu & suppuratione factâ mortuus est. Ctesiphon post magnam febrem ardentem aquâ inter cutem correptus est, & antea cùm hydrope & lienis tumore laborâsset, valdè oppletum est scrotum, crura & abdomen. Sub finem tussis & suffocationes ad noctem contingebant, ex pulmone magis, velut pulmonis vitio laborantibus. Tribus aut quatuor ante mortem diebus rigor, febris corripuerunt, ad femur dextrum parte interna juxta venam mediam, quæ ab inguine fertur, collectio velut ex igne agresti oborta est, cum rubore aliquantulum liuido. Ad noctem oris ventriculi dolor, neque multò pòst vox defecit, suffocatio cum stertore & mortuus est*.

12. Hydrops, qui leuatus remediis integrè renascitur, desperatus est, *in Coacis aph*.460.*s*.36.*loco antea allegato*. Cum enim ille tantum hydrops curabilis sit, qui fit sine scirrho viscerum, sine substantiæ eorundem corruptione, sine marasmo & hectica intemperie viscerum, si tale vitium adsit, frustra vel aqua euacuatur vel flatus discutiuntur. Etsi verò venter detumescat, & melius æger per aliquod tempus habere videatur, causâ tamen mali durante, recrudescit malum. Et vt multa paucis cōplectamur, si æger εὐσπλαγχνος sit & bonis visceribus ac constantibus viribus, cibum libenter assumat, facilè concoquat, nec ab eo ingesto affligetur, benè spiret, non doleat, tussis absit & sitis, (si non planè, tamen magna ex parte) lingua, ne à somno quidem, quod aliàs fieri solet, inarescat, aluus medicamentis celeriter moueatur, extra hanc caussam non admodum cita sit, & naturaliter excernat, vrina pro victus ratione mutationem subeat, lassitudinis expers sit: Si hæc omnia adsint, benè se habet: Si plurima, aliqua conualescentiæ spes est: si nulla, res desperata est.

13. Et vt de reliquis caussis quædam addamus, si à renum & vreterum vel venarum mesaraicarum, vel vesicæ læsione, disruptione, exesione, exulceratione fit hydrops, plerumque lethalis est.

14. Hydrops à colliquatione difficulter curatur. Cum enim vires omnes exsoluantur, corpúsque languescat, à tam magno morbo ægrum seruare difficile est.

## *Indicationes*.

Ex his cum pateat, non omnes hydropicos posse sanitati restitui, sed eos saltem, qui sunt εὐσπλαγχνοι, cumque tantum hydropem posse curari, qui à caussa, quâ tollere in Medici potestate est, originē habet, Medici est, non omni hydropico salutem promittere. Quis enim humidum natiuum absumptum, caloremque extinctum vel dissipatum restituet, vel partem scirrho inueterato obsessam, vel corruptam sanitati reddet, vel pertinaces & inueteratas obstructiones liberabit? Ideóque curatio maturè instituenda, & dum adhuc viscera integra sunt, ægrique εὐσπλαγχνοι, & quamprimum signa hydropem minantia apparent, tensio nimirum hypochondriorum sentitur, vrina potus quantitati non respondet, sed parcior, quàm par est, redditur, dyspnœa aliqua percipitur & pedes intumescere & cachexia aliqua se prodere incipit. Verùm hanc in partem non tàm Medicorum, quàm ægrorum culpâ peccatur, qui non nisi vbi malum jam incrementum sumpsit, Medici opem implorant. Cum verò nec hi deserendi sint, indicationes, ad quas in curando Medicus respectum habere debet, in promptu sint. *Indicationes*.

Cum ergo hydropis Ascitæ caussa continens & proxima sit serum in abdominis cauitate collectum, danda opera, vt id omnibus, quibus fieri potest, modis euacuetur: idque quod adhuc in abdomen confluit, aliò auertatur, simúlque euacuetur. Deinde vt caussa, ob quam aqua colligitur, tollatur. Quæ quidem indicatio in curatione facilè principem locum obtinet. Frustra enim aqua euacuatur, cum caussa, ob quam statim noua colligitur, persistit: Compertúmque sæpe est, aquas hydropicorum ferè euacuatas fuisse, morbum tamen de integro rediisse ob caussam reliquam.

Atque hæc est maxima caussa, quod pauci hydropici sanitati restituuntur; cum plurimi saltem de aqua tollenda sint solliciti, & medicamentis illis fortioribus viscera saltem debilitent. Quæ verò caussa sit, ob quam aqua colligatur, non satis diligenter inquirant, neque illi, vt par est, obuiam eant. Quamuis autem in curatione caussæ eo ordine sint tollendæ, quò sese in generatione mutuò consequuntur, atque ita à caussæ, ob quam aqua colligitur, ablatione curatio inchoanda videatur, idque omninò imminente hydrope faciendum sit: tamen si hydrops jam confirmatus sit, medicamenta pro caussis tollendis necessaria frustrà & sine fructu exhibentur, si aqua in abdomine adhuc remaneat, & aqua in abdomine restitans hepar & viscera in dies magis debilitet & corrumpat. Ideo vt aqua collecta primò tollatur, danda opera, nisi, vt dictum, hydrops planè recens aut potius incipiens sit. Tum enim, modò caussæ succurratur, natura vitiosos humores absumere & discutere solet. Virium quoque habenda est ratio, vt idoneo victu illæ conseruentur & roborentur. *Cur pauci hydropici sanitati restituantur?*

Et quidem caussam conjunctam quod attinet, eadem illam tollendi in omni Ascite est ratio. Caussæ v. ob quam ea colligitur, cum variæ sint, & seri prouentus & collectio à variis caussis proueniat, singulis etiam idonea remedia opponenda. Si ab hepate valde intemperato malum hoc proueniat, quod, vbi calido natiuo destituitur, vt non bene sanguificat; ita serosum quod est in

in chylo etiam non attrahit, commune hoc est, vt eius calidum natiuum conferuetur & instauretur; caussis verò, quæ illud quocunque modo absumunt, obuiam eatur: quæ cum diuersæ esse possint, diuersa etiam hîc remedia requiruntur. Etenim si hepar, à quacunque etiam caussa, nimis refrigeratum sit, calefaciendum. Si verò à caliditate ejus humidum absumatur & calor dissipetur, calefacientia & siccantia non tuta sunt, sed moderatè refrigerantia, aut temperata potius, & omnino calidum natiuum absumptum instaurantia adhibenda. Si verò obstructio in caua hepatis parte adsit, ea aperienda. Eadem ratio est, si ob lienis & vasorum ad lienem tendentium, quod frequentissimè fieri puto, vitio hydrops accidat. Nam si constitutio harum partium, earúmque temperies & calor destructa sit, ob quam serum, vt debent, ad se non trahunt, naturalis constitutio & temperies hisce partibus reddenda, & si à refrigerantibus calor extinctus sit, calefacientia vsurpanda; si verò ab intemperie calida dissipetur, & incendium aut χαῦμα aliquod sit in primis viis, refrigerantia moderatè & humores vitiosos abstergentia adhibenda. Si verò obstructiones adsint, eæ aperiendæ.

## Curatio.

*Curatio.* Qua ratione autem ista omnia perfici possint, jam dicendum. Prius tamen in genere monendum est. 1. Cum chronicus hic sit morbus, longiore tempore vsurpanda esse remedia, neque ab eorum vsu statim desistendum. 2. Varianda tamen esse remedia, ne natura vni assuescat. 3. Interdum etiam temporis spatium aliquod interponendum & à medicamentis cessandum, vt vires, & morbi & medicamentorum multitudine labefactatæ, præsertim circa feri euacuationem, recolligantur, vt postea fortius contra morbum pugnare possint. 4. Ad fortiora medicamenta non deueniendum esse, nisi mitiora non profuerint. 5. In forma medicamentorum etiam hoc obseruandum, ne vllo modo ijs quantitatem aquosi humoris augeamus, Ideóque si euacuantia, præcipuè diuretica, exhibeantur formâ potulentâ, neque tamen inde copia vrinæ augeatur, à potulentorum vsu desistendum esse, & forma solida potius medicamenta exhibenda.

Caussæ ergò continentis seu humoris aquosi in abdomine collecti, & id distendentis euacuationem quod attinet, fit ea vel sensibiliter, inprimis per cathartica & abdominis apertionem, seu παρακέντησιν, vel insensibiliter per ἄδηλον διαπνοήν. Quanquam enim etiam per vrinas & sudores sensibiliter materia euacuetur: tamen iis modis potius aqua, quæ in ventrem confluxura est, quam quæ in abdomine continetur, euacuatur. Cathartica cùm vel per superiora, vel per inferiora educant, præstat hîc aquam per aluum, quam vomitum euacuare; quædam tamen, quæ vtrumque præstant, non incommoda sunt, quæ postea purgantibus inseremus.

Materiæ verò euacuandæ coctionem expectare vel moliri opus non est, vtpote quæ nullam coctionem recipit, & per se satis tenuis & ad fluendum apta est; & propterea potionibus multis coctionem procurantibus exhibitis ventriculus debilitatur, venter repletur & aqua augetur. Si quæ tamen crassior materia circa primas vias hæreat, illa abstergenda & incidenda ac præparata euacuanda: In quem finem exhibita medicamenta aliàs in Hydrope vtilia sunt.

*Præparantia.* Præparant: *Radices Graminis, petroselini, asparagi, absinthium, eupatorium, cuscuta, capill.♀. prassium*, & ex

*Prognostica.* his composita. E Chymicis, acidum, cremor & crystalli tartari, tartarum vitriolatum.

Purgant; Pilulæ de rhabarb. diacarthamum, diaphænicum & similia.

*Simplicia.* Quæ autem humorem aquosum purgant; alia simplicia sunt, alia composita, & simplicia quidem alia mitiora, alia vehementiora.

*Mitiora. Mechoacanna.* Mitiora sunt *Mechoacanna*, quæ à Drach. j. ad Drach. ii. exhibetur, & interdum vno atque altero grano diagrydij acui potest. Datur commodissimè in puluere cum aliquot granis zingib. Paratur etiam ex ea extractum.

*Gialapa.* Fortior verò est, & in hydrope efficacissima radix *Gialapa vel galapium* dicta, quæ pro Mechoacanna nigra habetur, & extra nigricat, intus rufescit, gustu non est injucunda, fortius tamen & potentius, quàm alba, serosos humores purgat. Datur à Scrupul. i. ad Scrupul. ii.

*Sambucus, Ebulus.* Efficax est & *Sambucus & Ebulus*, præsertim succus eorum: fortior tamen est ebulus.

Datur succus Ebuli è radice vel mediano cortice contuso, & cum aqua hordei vel decocto passularum cum momento cinamomi vel nuc. moschat. ne ventriculo noceat, expressus, non coctus, (coctione enim vis purgandi minuitur, vt rectè Fernelius, *lib. 5. meth. med. cap. 12.* docet) ab Vnc. i. ad Vnc. sem.

*Oleū è baccis sambuci expressum.* Exprimitur quoque *ex acinis baccarum sambuci oleum*, vt ex semine lini vel aliis, quod Drach. j. pondere exhibitum potenter purgat.

*Extr. ebuli.* Paratur etiam è *granis ebuli*, probè maturis & in vmbra exsiccatis, *extractum*, quod in Hydrope vtile est.

*Flores Persicorum.* *Flores* quoque *Persicorum sicci* & in jusculo cocti, vel M. i. eorum in vino per noctem maceratus aquam educunt. Sic & *conserua* eorum & *syrupus*, quorum hic ad Vnc. ii. illa ad Vnc. i. homini robusto exhibetur.

*Gummi Gotte.* Pertinet huc & *Gummi* illud *Gotte*, *seu chittagemu*, dictum, quod nonnulli etiam gummi de Peru appellant, cum tamen non ex Peru afferatur, sed Sinarum regione. Gummi quidem vocatur, sed minus propriè; cum potius succus concretus & inspissatus sit plantæ cujusdam peregrinæ. Nonnulli putant esse succum, cuius mentionem facit Carol. Clusius, *lib. 4. exot. cap. 8. num. xj*. Alij arbitrantur esse succum è floribus Ricini Indici expressum atque exiccatum, cujus aliàs etiam in hydropicorum aquis educendis insignis vsus est. Educit autem egregiè aquas hydropicorum. Vomitum tamen quandoque etiam mouet, verum non semper, præcipuè si macis vel ejus oleum, vel spec. aromat. rosat. aliquid addatur, aut si in marmore cum spiritu salis vel vitrioli teratur & præparetur. Dosis est à gr. v. ad gr. xij.

Exhibetur verò variis modis, vel cum syrupo cinamomi Drach. ii. aut Drac. iii. vel cum conseru. rosar. viol. tunicis Vnc. sem. addita gutta j. olei cinamom. vel cum cremore tartar. Scrup. j. in jusculo carnis, vel cum spec. diambr. aut aromat. rosat. gr. iiii. cum syrupo cinamomi in pilulas formatum.

*Grana Tilli.* *Ricini* etiam illius *Indici granis*, seu semine vno aut altero excorticato nonnulli hîc pro hydragogo hodie vtuntur, quæ quidem *grana Tilli* appellant. Paratur etiam inde extractum.

*An Rhabarbarum in hydrope conueniat?* *De Rharbarbaro* controuersia est apud authores, an in hydrope conueniat, de quâ postea *quæstione 4.* dicetur. Et verum est, id non tam serosos humores euacuandi vim habere, quàm alia medicamenta hydragoga. Reliquis tamen non sine commodo admisceetur, cum insignem hepar roborandi vim habeat, & inprimis vsurpandum, cum biliosa colluuies in hepate hærens ejus substantiam labefactat, vel etiam in primis viis cumulata est. Quod fit sæpe post icterum diuturnum, & febres longiores, atque alias caussas bilem in hepate & venis mesaraicis cumulantes.

*Soldanella.* *Brassica marina, Soldanella* vocata robustioribus paulò exhiberi potest, quam aquam ducere salubriter Fernelius, citra molestiam purgare, & prætetea hepar roborare Paschalius, aquam ducere copiosè & facilè, Massarias scribunt. Verùm adeo ventri aduersum esse medicamentum tradit Mercatus, vt minus damnum ipsi videatur, carere isto præsidio, quam frui eius malefico effectu; cum & ventrem subuertat, & dysenteriam nonnunquam excitet. Si tamen alia admisceantur, quæ viscera

viscera roborant, sine insigni violentia aquas educit. Cujus succus datur à Drach.j.ad Drach.i sem. in decocto ad Vnc.i.sem.

Quia verò,v· · ctum,ventriculo noxia est, addenda necessariò corr. gentia; semina odorata, anisi,fœniculi, spica,spec.aromat.rosati & similia,vt;

℞. *Soldanellæ* Vnc.sem.*semin,anisi* Drach. sem. *spicæ* Scrup.sem.Coquantur.

Colaturæ ℞.Vnc.v.

Dulcoretur saccharo;

*Scammonium.* Potest & locum suum habere *Scammonium*, quod etiamsi bilem purgat,satis tamen copiosè etiam serosos humores educit. Præparatur variis modis, vt passim notum. Commodissimum est extractum seu resina Scammonij, in Institut,*pag*.1390.proposita.

*Fortiora. Iridis succus.* Fortiora verò sunt succus *Iridis cælestis*,seu nostratis, qui potenter & copiosè serosos humores euacuat.Datur succus è radice recens expressus ad Vnc.ii.vel iii. vt Instit. *lib*. 5. *part*.3.*sect*. 1.*cap*.5. dictum, cum manna, melle,decocto passiularum,& aliis mucilaginosis, vt & tragacantha. Nam per se nimis acris est, & fauces vrit ac vellicat. Erastus quoque cum vitello oui exhibet,& aperto ouo in parte acutiore albumen euocat, replétque locum succo iridis, & cum vitello oui miscet ac calefactum exhibet. Scribit idem Erastus,se curasse aliquando pauperem cum incredili ventris, pudendorum & pedum tumore,alterna succi iridis & absinthij exhibitione, pedum scarificatione, & sudorem prouocantibus balneis, præter suam & aliorum expectationem.

*Conserua.* Paratur etiam ex radice Conserua efficacissima,cum s.q. mellis. Vtilis est & aqua è floribus purpureis Iridis data pondere Drach. vj. vel Vnc.i.cum spec. diatrion santal. Scrup. j. cinamom. gr. vij. vt & fecula radicis Iridis.

*Esula.* *Esula*, cujus & radicis cortex à gr.v.ad gr.x. & lac à g. ij.ad g.vj.exhibetur. Sed præstat ejus Extractum, de quo in Institut. *lib*.5. *part*.3.*sect*.3.*cap*.5.& Quercetanus,*in pharmac.restit.cap*.14.

*Gratiola.* *Gratiola* & ipsa aquosos humores educit,sed non sine corporis perturbatione & vomitu, Quapropter, vt ferocia ejus corrigatur,cinamom.sem.anisi,fœniculi & similia addenda. Datur in puluere Scrup. j. in decocto ab Vnc. sem. ad Vnc. j. sed extractum omnia commodius præstat.

*Elaterium.* *Elaterium seu succus cucumeris asinini* tàm feliciter aquam,quæ in abdominis cauitatem affluxit, quam vix aliud medicamentum, euacuat. Neque cum tanta molestia & labore, vt plurimi existimant, sicut hâc de re scribit Massarias,qui hoc medicamento supra 30.annos feliciter & frequenter vsus est. Quia tamen aliquid vehementiæ habet,cautè vsurpandum,& in dosi supra gr. vj. non exhibendum. Corrigendúmque tragacantha, bdellio,psyllio,cinamomo. Vel miscendum pilulis mitioribus, vt mastichinis, aloephanginis, de rhabarbaro.

*Mezerei folia.* *Mezerei folia* macerata aceto vel cydon. succo dantur formâ pulueris à g.v.ad x.cum mastiche & spica.Infunduntur à Drach. sem.ad Drach j. Coqu.à Scrup.j.ad Scrupul. ii. in pingui jure, addito saccharo & cinamomo.

*Euphorbium & Sagapenū.* Tandem huc pertinent *Euphorbium & Sagapenum*. Illius dosis est à g.iij.ad x. Hujus à Drach.sem.ad Drac. j.non neglectis corrigentibus;cum aliàs vehementiora sint & visceribus inimica.

*Squama æris. Æs vstum.* Sunt & ex mineralibus & Chymicè parata medicamenta, quæ aquas Hydropicorum educunt: Vt sunt. *Squama æris & æs vstum*, quod jam olim quidam vsurparunt, ac Baëfdorpius Carolo V. Hydropico exhibuit, vt refert etiam Forestus, *lib*. 19. *obseru*. 37. *in Schol*. Fiunt inde cum caryophyllis & cinamomo ac melle pilulæ, quæ dantur à Drach.j. ad Drach.j.sem.

*Antimonij oleum. Flores,pilulæ, Crocus metall. ☿ dulc.& vita.* *Oleum Antimon. Flores* ♁,pilulæ ex iisdem, de quibus *in Institut*. *Crocus metallorum*, ☿ *dulcis*, ☿ *vitæ præparatus & longa digestione fixior* redditus, quo in iis, qui fuerint εὐσπλαγχνοι hydropem curatum fuisse scio cum aliàs,si non ritè præparatus sit,& incidat in viscera debilia,☿ mortis esse soleat, ejúsque rei exempla non ignota sunt.

*Arcanum Corallinum Parac.turbith.miner. ☉ vitæ.* *Arcanum corallinum* Parac. *turbith. minerale Aurum Kegleri*: quæ omnia cautè vsurpanda. Et licet pleraque aluum & vomitum moueant,in hydropicis tamen minus vomitum cient, sed ferè tantum per aluum purgant; ideo proculdubio,quod in tanta aquosi humoris copia ipsæ partes solidæ à medicamentis istis non ita vellicari possint,& quod salsa aqua volatilitatem figit,sicut aliàs videmus,si aliquandiu talia cum sale vel spiritu ⊖is vel aqua salis digerantur, vim vomitoriam amittere.

*Composita.* Composita autem sunt *spec. diacarth. diaturbith.c. rhab.& hieræ picræ*,quibus duobus iunctis (sp.diacarth. & hieræ picræ) ab hydropis rudimentis plurimos se vindicasse scribit Heurnius,*lib*.2.*med.prax.cap*.26.*Hydragogum eiusdem ibid*. *Hydragogum minus Fernelij*, quod mitius est,& propterea tutius exhibetur; *Majus*, quod fortius est: *Hydragogum Renodæi*, quod habet *lib*. 2. *antidot*. *s*. 1.*cap*.12.*Puluis ex Soldanella*,in Disp. Norimberg. *puluis Magistralis Stockstaldij* in August. *puluis contra Hydropem Erasti*,in Disp.Norimb. *puluis Hydragogus*,in Pharm. Quercetani *cap*.17. *puluis Hydragogus Heurnij*, loco alleg. *pilulæ de Mezereo Mesue, de Elaterio.pilulæ ex Esula Fernelij,pilulæ de Mechoacan. Renod.lib*.2. *antid.s*.4.*cap*. 18.*pilulæ Hydragogæ Quercetan*.in Pharm, Quercet. *cap*.14. *Hydragogæ Heurnij & Dorncreilij*.

Hollerius sequens medicamentum,quod ex Valesco de Taranta & Gordonio habet,commendat,

℞. *Succi cucumeris asinini & rad. ejusdem laureol. ires cælestis,absinthij & eupator*.an. Vnc.iii.

Subsideant,& aqua quæ supernatat,abijciatur, crassiori verò parti relictæ inspergatur *rhabarb. agaric*. an. Vnc.sem. *spicæ nardi,sem.anisi, scariolæ, portulacæ, mastich.tragacanth.salis gemmæ* an.Drach.j.*mellis q.s*.

In vase vitreo agitentur in Sole, vt fiat massa instar Electuarij.Dosis Drach.j.

Electuarium de Soldanella:

*Elect. de Soldanella.* ℞. *Succi ireos nostratis* Vnc. xiij. *galangæ*, *Zedoariæ* an.Vnc.i.*garyophyll.nuc,moschat*.an.Vnc.sem.*soldanellæ* Vnc.iiii. *mellis q.s*.

F. Electuarium.

Aliud ℞. *Gummi amoniaci aceto dissoluti* Vnc.i.*succi glycyrrhiz*.Scrup.iiii. *pulu. soldanellæ* Drach.i. *caryoph. cinamom*.an.Drach.sem.*spec.diacurcum.dialacc*.an.Scru. sem.*diarrhod.abbat*. Scrup.i.*trochisc.de rosis,de eupatorio* an.Scrup.sem. Cum *syrup.de cortic.citri q.s*.

F. Electuarium.

## *Electuarium de Soldanella D.Næuij.*

℞. *Cinam.morsu acuti,sem.anisi,fœniculi, schœnanth*. an.Drach.sem.

Coqu. *in aqua agrimoniæ & cuscutæ* Vnc.iij.vel aqu. *& vini part.æqual*.in vase duplici clauso.

Colaturæ adde *facchar.canar*.℥.iiii.

*Pulu. Soldanellæ recentis subtiliter triti, & cribrati* Vnc sem.

F. Electuarium.Dosis Drach.vj.

*Vina Medicata.* Vtilia sunt & vina Medicata.Thomas Erastus, *part*. 4. *Disp. contra Paracels*. incredibilem aquæ copiam se aliquando euacuasse scribit solius vini chalybeati,& radicum asari vsu in iis,quos compertum habebat ex diuturna splenis obstructione hydropem contraxisse.Idem & hoc vinum commendat; quod multorum annorum periclitatione cùm in seipso tùm in aliis præstantissimum comperit doctissimus Medicus Muraltus.

℞. *Rad.*

℞. *Rad. quinque aperient. glycyrrh. rasæ cortic. rad. cappar. mediani fraxini* an. Vnc. i. *rad. irid. recent. calami aromat. cinamomi elect.* an. Vnc. sem. *capill.* ♀. *ceterach, folior. tamarisci, flor. cordial.* an. M. j. *absinthij Pontici, cardui benedicti, hyssopi, prassij* an. M. sem. *ligni guajaci in scobem redacti* ℔. j. *facchar. albiss.* ℔. ij. *vini generosi libras ciuiles* XL.

Conijciantur omnia in vasculum, & vinum calefactum affundatur, vase accuratissimè obturato maneant per diem vnum atque alterum.

Ipse verò Erastus tale parat:

℞. *Absinth. card. benedict. agrimon. asplenij, ericæ, verbenæ, rad. irid. Floret. cort. rad. cappar. rad. polypod. cichor. apij, fœniculi*, an. Vnc. sem. *fol. senæ elect.* Vnc. i. sem. *soldanellæ* M. ij. vel M. iii. *rad. irid. cærul.* Vnc. ii. *turpethi* Drach. v.

Quibus affunde vini generosi ℔. xij. & vase clauso per tridui spatium macerentur.

De tali vino alternis diebus vel tertio quoque die poculum vnum mane exhibet, corpore prius valido aliquo medicamento elaterium accipiente purgato. Diebus intermediis Vnc. ii. vel Vnc. iii. succi absinthij cum saccharo misti, quoties obstructiones viscerum suspectæ sunt, exhibet. Vel absinthij comas præbet.

Platerus tale vinum parat:

℞. *Rad. irid.* Vnc. i. sem. *cortic. rad. sambuc. & ebuli* an. Vnc. i. *absinth. sicci* Drach. ii. *fol. senæ elect.* Vnc. i. *sem. carui* Drach. j. *vini* mensur. i.

Coqu. lento igne in vase duplici. Bibat æger quotidie haustum.

Vel ℞. *Rad. quinque aperient.* an. Vnc. sem. *irid.* Vnc. i. *asari* Drach. ii. *cort. rad. sambuc. ebuli, dulc. amar.* an. Vnc. i. *absinth. sicci* ʒ. iii. *fol. visci querni* Drach. ii. *flor. genistæ* Drach. i. *sem. fœnic.* Drach. ii. *petrosel.* Drac. j. *ebuli* Drach. i. sem. *hederæ* Dra. ii. *fol. senæ elect.* Vnc. ii. *soldanell.* Vnc. sem. *rhabarb. elect.* Drach. iii. *spicæ, schœnanth.* an. Drach. sem. Affund. *vini* ℔. viii.

Bibat de eo æger mane singulis vel alternis diebus.

Bauhinus hoc habet.

℞. *Summit. absinth. cardui bened.* an. P. ß. *agrimon. chamædr.* an. P. i. *brassicæ marinæ* P. sem. *fol. senæ* Vnc. ii. *rad. ireos* Vnc. i. *asari, mechoacan. ononidis* an. Vnc. sem. *calami aromat.* Drach. ii. *sem. anisi, fœniculi* an. Drac. sem. *vini albi* ℔. viii.

Aliud.

*Spiritus vitæ aureus Rulandi.* ℞. *Rad. iridis flor. purpur.* Vnc. i. sem. *helenij, imperad.* an. Vnc. sem. *gentianæ. aristol. rot. dulc. amar. asari* ana Drach. ii. *cort. inter. sambuc. ebuli* an. Vnc. sem. *chamædr. chamæpith.* an. Drach. iii. *soldanellæ* Vnc. i. *fol. senæ* Vnc. i. sem. *mechoac.* Vnc. sem. *rhabarb.* Drach. iii. *cinam. elect. cortic. citri* an. Drach. iii. *absinth. Pontic. vulgar.* an. M. ß.

Omnia concisa & comminuta indantur sacculo lineo & affundatur *vini Rhenani optimi q. s.*

## *Spiritus Aureus Rulandi.*

Commendatur & Spiritus vitæ aureus Rulandi, qui plerisque nihil aliud est, quàm essentia trochisci Alhandal.

Commodior hoc loco videtur hæc esse ejus præparatio.

℞. *Rad. esulæ prep.* ℔. j. *epithymi* Vnc. vi. *rad. polypod.* Vnc. iiii. *zedoariæ, Zingib. caryophyll. mastich.* an. Vnc. i. *cinamomi* ʒ. ß. *passularum min.* ʒ. i. *facch. albi* ℔. j. sem.

Trita infundantur in vase vitreato, *in vini alb. Rhen. & vini Malu.* an ℔ iii. sem. add. *sp. vitrioli* Drac. i. Stent per dies 14. in infus. quotidiè agitando, postea destillentur, destillatum fecibus reaffundatur, & denuò destilletur idque tertia vice repetatur.

## *Spiritus vini Catharticus alius.*

℞. *medull. sem. carthami* ʒ. i. *turpethi, diagrydij* an. ʒ. ii. *cinam. zingiber. spec. diamarg. fr.* an. ℈ ... *cort. citri sicc. carnis cydon.* an. gr. xv. vel ℈. i. *facch. candi albi* ʒ. ii.

Infund. hor. 24. *in sp.* vini *opt. p. s.* (*ex g.* ℔. j.) in vase vitreo, circulentur aliquandiu, postea filtrentur per chartham emporeticam & seruentur ad vsum. Dosis cochl. j. vel Vnc. j. ante pastum aliquot horis.

Iulebus rosatus hydragogus.

*Iulebus Rosatus hydrag.* ℞. *Cort. rad. esulæ, mechoacan. turbith. elect. scammon.* an. Vnc. sem.

F. Cum spiritu vini s. a. Extractio.

Deinde cum *facch. albi in aqua rosar. aliquoties decocti* ℔. j. F. Iulapium. Possunt & aliquot guttæ olei cinamomi & citri addi. Dosis ab Vnc. sem. ad Vnc. i.

Pilulæ de Mechoacanna D. Andreæ Döreri.

*Pilulæ de Mechoac.* ℞. *Mechoacan.* ʒ. ß. *turbith. opt.* ʒ. iii. *gummi gottæ, sem. ebuli vel sambuci, agarici recent. trochisc.* an. ʒ. ii. *radic. esulæ præpar. granor. mastich.* an. Drach. i. sem. *cinamom. acuti, macis, salis gemmæ* an. Scrup. ii.

Puluerisentur, & cum vino albo Rhenano fiat massa, quæ siccata teratur & succo radic. iridis denuo coagmentetur, arida rursum teratur, & cum syrupi de spina ceruina q. s. fiat massa vsui reponenda, & addendo olei anisi parum.

Pilulæ de Esula D. Georgij Leuschneri.

*De Esula.* ℞. *Trochisc. de esula* ʒ. ß. *aloës* ʒ. vi. *mastich.* Drach. i.

Puluerisata excipiantur *melle rosaceo*, additis *olei destillati garyophyll.* gr. vj. F. Massa.

Trochisci autem de Esula sic parantur:

*Trochisci de Esula.* ℞. *Rad. Esul. minor. recent.* q. v. purgentur à sordibus & fibris diligenter, & abluantur aqua simplici, postea macerentur in lacte caprino hor. 24. in loco calido. Lacte remoto affundatur acetum vini acerrimum, in quo per noctem semen anisi crassè contusum maceratum est. Stent ita infusa per biduum. Tandem aceto effuso exsiccentur & subtilissimè puluerisentur. Puluis incorporetur cum vino & pauxillo tragacanth. è quo cum guttis aliquot olei anisi formentur secundum artem trochisci.

## *Extractum Hydragogum Rulandi.*

*Extract. Hydrag. Ruland.* ℞. *Rad. cucumer. asinini, curcum. ireos, absinth. Pontici, soldanell. eupator.* an. Vnc. i. sem.

Eliciatur cum conueniente menstruo tinctura, Cui adde *extract. rhabarb. mechoacan.* an. ʒ. i. *essentiæ esulæ* ʒ. ß. *spec. aromat. rosat. diarrhod. Abbat. diacurcum.* an. ʒ. iii. (puto legendum ʒ. iii.) *magisterij tartari* ʒ. sem.

F. s. a. extractum. Dosis à Drach. sem. ad Scrup. iiii.

Efficax est & hic puluis.

℞. *Rad. gialapa* Vnc. sem. *mechoacan. brassic. marin. sem. ebuli* an. ℈. iiii. *gummi gottæ* ℈. ij. *sem. anisi, cinamomi* an. ʒ. i. F. Puluis. Dosis Drach. j. cum vino, Vt iste:

℞. *Hermodactyl.* ʒ. vi. *soldanell.* ʒ. iii. *schœnanth.* ʒ. i. *laccæ* ℈. iiii. *cinamom.* ℈. v. *sem. apij* ℈. i. F. Puluis.

## *Morsuli de Mechoacanna.*

*Morsuli de Mechoac.* ℞. *Pulu. mechoacann.* ʒ. i. *spec. diacitri solut.* ʒ. v. *caryophyll.* ℈. sem. *facch. in aqu. conueniente dissoluti* ʒ. viii.

F. Morsuli. Dosis Drach. iii. vel Vnc. sem.

*Chymicæ.* Chymicorum medicamentorum supra facta est mentio. A Tentzelio valde commendatur, *Exeg. chymiat. part. 3. sect. 1.* Magisterium Lunæ dejectorium, *Luna purgãs Hydrag.* seu, Luna purgans hydragoga, quæ ita paratur.

Fiat primò menstruum tale.

℞. *Vitrioli albificati* lib. ij. *salis nitri refinati* ℔. j.

Destillentur in aquam fortem. Postea.

℞. *Lunæ per Saturnum purgatæ & laminatæ* Vnc. i. *aquæ fortis prædictæ q. s.*

Soluatur in cineribus, & liquor euadet cæruleus. Tunc adde *Salis nitri fixi absque additione præparati vnciam dimid. vel integram.* (Sic enim spiritus nitrales *Coagulatio spirituum mẽstrui cum Luna.* melius refiguntur, & in pristinum corpus redeunt.)

Digere in fimo equino vel balneo per mensem Philosophicum. Postea phlegma in B. M. separa, vt vix tertia pars remaneat. Vtrumque serua diligenter.

Tertiam illam partem residuam per cucurbitam latam humiliorem in arena igne secundi gradus destilla, per horas tres quatuorve, (melius id succedit per euaporationem in aperto vase ad notas perfectionis discernendas, Quando enim pars baculo exempta albicans fuerit, desistendum est.) Refrigerato & fracto vitro inuenies lunā instar alabastriali, aliquādo totam nigerrimam, aliquando superne candidam stellatamque. Lunam hanc in frustula fractam in suo phlegmate antè abstracto per horas 5. vel 6. in B. M. vel arena infunde, solue, purum ab impuro separa, & in loco frigido crystallos collige. De menstruo reliquo extrahe parum aquæ, iterúmque in cellam colloca, & totum illud in crystallos conficies. Crystallos lentè exsicca & bene serua.

Circa vsum tamen horum medicamentorum, vt supra quoque monui, obseruandum. talium medicamentorum vsum non nimis frequentem esse debere; cum visceribus noceant, & facultatem naturalem debilitent. Ideóque Trallianus, *lib. 9. cap. 2.* ait: Satius est paulatim & tutò euacuare, quàm festinando perturbandóque vnà cum morbo ægrum è medio tollere. Quapropter quamuis prædicti Authores præcipiant talia singulis vel alternis diebus esse vsurpanda; tamen diligenter perpēdendum, quid vires ferre possint, & num post eorum vsum εὐφορία aliqua appareat, & nisi vires talem medicamentorum vsum ferant, per longiora interualla ea exhibenda.

*Clysteres.* Præter interna medicamenta etiam clysteres vsurpare commodum est, ex mercuriali, beta, parietaria, foliis ebuli, soldanella, centaurio minore, sem. carthami, fœniculi, cumini, baccis lauri & similibus, vt:

℞. *Fol. mercurialis, betæ, soldanellæ, flor. chamæmel.* an. M.j. *centaur. minor.* M.ß. *sem. cartham.* ℥.ß. *fœniculi, cumini,* an. ʒ.ii. *baccar. lauri* ℥.ß.

Coqu. in aqua simpl. pro ℔.j.

Colaturæ ℞. ℔.j. *Elect. hydragog. Fernelij vel alterius* ℥.i. *ol. sambuc. rutac.* an. Vnc.i.

F. Clyster.

Valeriola, *lib. 1. obseru. 2.* in vrina pueri impuberis modicum fermenti coquere iubet cum anisi, anethi & marathri seminibus, adjecta mellis despumati ℥.j. pro clystere, quem valde laudat.

Vel ℞. *Rad. ebuli* ℥.i. *cyclam.* ʒ.ii. *herb. soldanell. mercurialis, eupatorij Auicennæ* an. M.j. *absinthij, pulegij, flor. chamæm. sambuci, genistæ,* an. M.ß. *sem. anisi, anethi, carui, genistæ, fœniculi* an. ʒ.i. sem.

Coqu. in aqua ad Vnc. x.

In quibus dissolue *electuar. diaturbith. cum rhabarb. bened. laxat.* an. ℥. sem. *ol. rutac. anethini* an. ℥.i. *salis* ʒ.i.

F. Clyster.

*Purgantia externa.* Præterea etiam externa ventri imposita eum laxare & serosos humores educere possunt, quæ tamen præcipuè vsurpantur, cum vel propter vires, vel propter ætatem, vel alias caussas aut non possunt aut nolunt ægri purgantia medicamenta assumere. Componuntúrque talia ex *succo rad. iridis, sambuci, cyclaminis, ebuli & similibus.* Radices quoque & cortices ebuli contusi & ventri impositi aquam copiosè educunt: item oleum ebuli è semine expressum, quod ita paratur.

℞. *Sem. ebuli purgati q. v.*

Contundatur in mortario instar pastæ. Deinde in aqua pluuiali per triduum in loco calido maceretur, tùm aquā frigidā affusā coquatur, & calidum in sacculum linteum indatur, & oleum prælo exprimatur, quo vmbilicus illinatur.

Composita vsitata sunt: Vnguentum Agrippæ, de Arthanita & Fernelij de lathyride.

*Vnguentum vmbilicale Andernaci.*

℞. *Succi cucumer. asinini, ebuli* an. Vnc. iii. *ol. sesam. irini* an. Vnc. ii. *ceræ parum.* F. Vnguentum.

*Aliud Varandæi.*

℞. *Cucum. agrest. bryon.* an. Vnc. j.

Coqu. in oleo communi.

Postea adde *pulp. colocynth. agaric. trochiscat.* an. Drac. ij. *sem. ebuli. scammon.* an. Drach. j. *ellebori nigri, antimon.* an. Scrup. j. *ceræ parùm* Misce.

Habetur & tale in Instit. *lib. 5. part. 3. sect. 3. cap. 37.*

Cataplasma laxatiuum.

℞. *Colocynth. sem. cataputij minor. tithymali* an. Dr. v. *succi cucum. asinini, pulu. hellebori nigri* an. ʒ. vi. *cort. rad. sambuci, succi rad. ebuli* an. Drach. vi. *scammon.* Drach. v. *terebinth.* Vnc. iii. Cum *mellis s. q.*

F. Cataplasma.

*Diuretica.* Sensibiliter deinde euacuant materiam serosam diuretica, eam tamen potius, quæ ad ventrem confluxura est, & quæ in viis, quæ ad renes sunt, hæret, quàm quæ in ventre continetur.

Parantur talia ex *petroselino, fœniculo, dauco, asparago, seseli, pulegio, linaria,* quæ insigniter aquas per vrinam ducit, *radic. vincetoxici, pimpinell. valerian. sem. hyperici, alkekengi, baccis iuniperi, sale genistæ, absinth. fœnic. gratiol. iuniperi.* Inprimis vtile est *lignum sassafras*, quod præ reliquis diureticis hanc vim à natura obtinuit, vt etiam ventriculi vires conseruet, calidum innatum augeat ac roboret, moderatéque exiccet.

Laudantur & *vermes terrestres* in puluerem redacti Drach. j. pondere, vel decocti cum radic. asparagi, fœniculi aut petroselini, quod decoctum supra fidem aquas hydropicorum pellere scribit Smetius, *lib. 4. miscellan.* Et oleum, quod ex iis paratur, *lib. 5. Institut.* descriptum.

E compositis verò sunt *species diacurcuma, dilaccæ,* quæ tamen cùm valde calefaciunt, vbi conueniant, ex caussâ morbi discendum. *Trochisci de lacca, de rhabarbaro, de capparibus*; qui dari possunt à Drach. sem. ad Dra. ii. cum liquore conueniente. Vt:

℞. *Rad. fœniculi, petroselini, asparag.* an. Drach. iii. *ebuli, ireos, pimpinell.* an. ʒ. ii. *fol. beton. cuscut. prass. alb.* an. M. j. Coqu. *in aqua simplici pro* ℔. j.

Colaturæ adde *syr. de 5. rad.* ℥. ii. *oxymel. simpl.* ℥. i.

M. pro tribus dosibus.

Vel ℞. *Ligni sassafras* ℔. sem. *agrimon. beton. chamædryos, ceterach.* an. M. sem. *cortic. rad. fraxini* Vnc. i.

Infund. p. diem in s. q. aquæ petrosel.

Postea in vase clauso ebulliant & colentur.

Colaturæ adde aquæ cinamomi & spirit. vitrioli q. s.

Vel ℞. *Schœnanth. cinamom. asari, mastich. absinth. sem. fœniculi* an. Drach. iii. *spica, aristoloch. long. petroselin.* an. ʒ. ii. *rhabarb.* ʒ. i. sem. *caryophyll. calam. arom.* an. ʒ. i. *mellis q. s.*

F. Electuarium, cuius dosis Dra. ii. cum aqua graminis vel petroselini.

Vel ℞. *Dauci Cretici,* ℈. ii. *cinamom. spicæ,* an. Scrupul. sem. F. Puluis.

Efficaciter & hoc vrinam promouet.

℞. *Straminis fabar.* M. vj. *summit. iuniperi, genist.* an. M. ii. sem. *matrisylu.* M. i. sem.

Comburantur in cinerem, per quem vinum bis terve coletur, cuius ℥. v. calidè exhibeantur.

Commendatur & hoc lixiuium Leuiathan Rabbi, quod descripsit Heurnius, *lib. 2. meth. med. cap. 6.*

℞. *Ciner. genistæ, stipitum fabar. vitis albas vuas ferentis* an. M. j. *vini Rhenani* ℔. iiii.

Ter cola per cineres. F. Lixiuium.

Adde *nucem moschat.* j. & ad pondus eius *cinamomum, baccas lauri* num. vi. *cumini* Drach. ii. *anisi, fœniculi tantundem. sacchar,* Vnc. iv. Misce.

Commendatur & lixiuium è cineribus frondium junip. cum vino albo factum, impositis aromatibus & saccharo.

℞. *Aq. petrosel. halicacabi* an. ℥. v. *flor. sambuci* ℥. iii. *spiritus salis q. s.* Misce.

Sæpius

Sæpius autem exhibenda sunt diuretica, non solum vt materiam serosam antecedentem caussam per vrinam euacuent, sed & viscera ab obstructionibus liberent. Cum enim, vt supra dictum, serosa materia in primis viis subsistens ob obstructionem eorum prima hujus mali caussa sit, omnino danda opera, vt viæ illæ aperiantur, quibus apertis natura sponte per vrinas serosos humores expellit.

*Cantharides.* In casu desperato nonnulli etiam cantharides exhibent, & quidem aliqui integras, cum alas & pedes ventris malignitatem corrigere statuant. Michaël Paschalius verò, *lib.1.meth.med.morb.cap.*44. capita & pedes abscindere jubet, non alas, & quidem autoritate Hippocratis & Plinij. Verum Hippocrates, *de rat. vict. in acut. circa finem*, in hydrope cantharides tres ablato cujusque capite pedibusq; & alis, ex tribus aquæ cyathis exhibet. Quod etiam facit, *lib.1.de int.affect.* Et Capiuaccius desperatos cantharidum vsu restitutos fuisse scribit, atque è Dioscoridis, *lib.2.cap.*54. & Galeni, *2.de antidot. cap. 7.& 11.de simpl.med.fac.* sententia vnam exhibet cum puluere rutæ, fœniculi aut similis medicamenti Drach. j. & superbibere jubet juris pinguis pulli Vnc.jv.vel Vnc.v.

Commendat idem medicamentum Michaël Paschalius ex Valesco de Taranta, idque hoc modo exhibet.

℞. *Cantharid.* j. *absque cap.& ped.*4.*sem. frigid.major.mund.*an.Vnc.sem. *facch.candi violati* Vnc.ii.*gummi ceras.aut tragacanth.*Drach.vi.

F. Puluis. Dosis Vnc.i.

*Sudorifera.* Sudoribus quoque aqua euacuatur; Illa tamen potius, quæ carnosis partibus inest, quam quæ in abdomine continetur. Ideóque Platerus, *tr.3.Pract.* monet, in Ascite per vim sudores elicere incommodum nonnunquam, imò noxium esse, cum sine delectu hoc fiat, ex siccis medicamentis sudoriferis, actualique adhibito calore, ægrique decubitum ob dispnœam citra suffocationis periculum diutius ferre nequeant; & si in stuffa tentetur, admodum debilitetur atque incendatur æger. Quapropter nisi sponte erumpant sudores, & in declinatione morbi crurum tumoris caussâ vsurpentur, non temerè ad sudores ægri sunt adigendi; cum serosus humor, non vt in anasarca per superficiem corporis diffusus sit, sed in abdomine contineatur, vnde sudorifera non sine magno labore aliquid euacuant, timendúmque sit, ne dum ægrum diu balneis immorari oportet, antequam sudor erumpat, vires eius deiiciantur. Ideóque hoc auxilium non nisi in iis, qui robusti sunt, vsurpandum.

*Interna.* Sunt autem hydrotica vel Interna, vel Externa. In numero internorum sunt pleraque Diuretica, quibus addi possunt flor.sambuci & ebuli, & ex his parati spiritus, vt & sal ebuli & vincetoxici, decoctum ligni guajaci & sassafras. Decoctum sudoriferum specificum describit. Quercetanus, *cap.8.Pharm.rest.*

Vtilis est & hæc aqua.

℞. *Scobis ligni guajaci* ℔.ii.*rad.helenij* Vnc.ii. *persoñatæ, ireos Florent.*an.Vnc.i. *flor.chamæm. Roman.*M.j.ß. *succi baccar.ebuli* Vnc.iiii.sem.*theriacæ diatessaron.*Vnc. ii. sem. *rob sambuci* ℔.ii. *aq.cinamom.* Vnc. i. sem. *vini Rhenani antiqui* Mens.ii.

Digerantur hor.24.in loco calido.

Postea destillentur in cineribus. Dosis Vnc IV.

*Externa.* Externa, quæ ad ciendos sudores vsurpantur, sunt siccum balneum, Laconicum dictum, cujus structuram, docet Vitruuius, *lib.5.architect.cap.5.* Celsus, *lib.2.cap.*17. de sudore per siccum calorem eliciendo sic scribit: Siccus calor est & arenæ calidæ, & Laconici & clibani, & quarundam naturalium sudationū, vbi è terra calidus diffusus vapor ædificio includitur, Sicut supra Baias in Myrtilleris habemus: Præter hoc Sole quoque & exercitatione sudor mouetur. Hæc Celsus. Galenus, *de vsu respir. cap.*4. & doliarij vaporarij meminit, quod antiqui, & præsertim Chrysippus Cnidius, in curando hydrope in vsu habuerint, quod multò magis, quàm balnea aqueum humorem dissipat, ægrum tamen non ita suffocat, cùm frigidum aërem intrò attrahere possit. Commodius tamen est illud vaporarium, quod ex asseribus & tabulis ligneis conficitur, per quod æger caput exerit. Decoctum autem, quod silicibus vel scoriis ferri ignitis infunditur per tritorium, paratur ex radicibus & foliis ebuli, sambuci, absinth. rutæ, lauri foliis, flor. chamæm. sambuci & similibus.

Maximum autem ad euacuandam aquam hydropis præsidium est παρακέντησις, seu apertio abdominis ferro facta ad educendas aquas hydropicorum, cuius & Hippocrates, *libr.* περὶ παθῶν & lib. περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν meminit, quæ quomodo fieri debeat, Albucasis docet, *lib.2. chirurg.c.*54. dictúq; eade re est *lib.5.Inst.p.1.s.2.c.7.* *παρακέντησις.*

*Vbi locū habeat?* Locum autem hæc habet tantùm in Ascite, quando breui tempore ad insignem magnitudinem peruenit, & hydragoga aliáque auxilia non juuant, virésque adhuc constant; Ideóque etiam Hippocrates, *6.epid.s.6.* ἀνατέμνειν, statim secare jubet, in eo scilicet, qui sine febre est, sine pulmonis vlcere, sine fluxu alui, corpore non emaciato, ætate florente, & omnino, qui, vt Hippocrates, *in Prorrhetic.* habet, est adhuc εὔσπλαγχνος. Nam si hydrops jam longo tempore sit congestus, vires jam conciderint, & viscera sint debilitata, sicut & in Ascite, qui à scirrho hepatis aut lienis, aut morbo aliquo acuto extitit, qui per se lethalis esse solet, frustra hoc præsidium tentatur, & anima cum aqua educitur: Sicut id obseruauit Capiuaccius, *lib.3.Pract.cap.*15. Ambrosius Paræus, *lib.7.chirurg.cap.*11. Heinricus Smetius & alij, & ipse etiam.

*An vna vice aqua educenda?* Etsi autem cōpertum est, sanatos fuisse quosdā, quibus aut sectione ab empiricis factâ, aut casu vulnerato abdomine, vniuersa aqua simul absque vitæ discrimine effluxit: tamē tutius est, de consilio vererū, sensim aquā illā educere, singulis diebus Vnc. vi. Vnc.viii. vel Vnc. x. pro viriū ratione & tolerātia. Nā aquæ innatantia in abdomine viscera aquā subitò euacuatā subitò collabūtur, quæ tractis deorsum superioribus & diaphragmate vires antea debilitatas nō parùm labefactāt, præsertim si scirrhus visceris ab aquosa materia sustētatus jā pōdere suo subsideat, non sine insigni molestia, solétque in tali subita euacuatione etiam aliquid caloris exspirare.

*Quo in loco fieri debeat?* De loco, in quo sectio fieri debeat, diximus *allegato loco in Institut.* quæ videantur; & commodissimè, si natura eò inclinet, fit sectio in vmbilico, & natura plerūque ipsa hunc locū eligit, dū vmbilicum in amplam & pellucidā vesicā distendit, quæ si vel scalpello vel spōte aperiatur, aqua magno impetu, si permittatur, effluit. Qui modus cum ita expeditus sit, & à natura ipsa mōstretur, si arte procurari posset, magnā curationi spē afferret. Ferunt Sanctorium Medicum Patauinum id tentare & certo encheiremate & artificio vasa vmbilicalia ita dilatare posse, vt instrumēto si phūculi formam habente tantū, quātum libet, quotidie sine ægri incōmodo & virium dejectione educere possit. Instrumenta ea depinxit, *in comm.in 1.fen. Auic.tr.4. c.1.text.12. quæst.* 71. Platerus cucurbita vmbilico sæpe admota eum intumescere posse sperat. In votis etiam videtur habuisse hunc modum Guilielmus Fabricius, *cent.1. obseru.* 47. eò inprimis adductus, quod in hydropico demortuo vmbilicalem venam adeò dilatatam inuenit, vt facilè penna anserina immitti potuerit. Ex eo enim paparet, viam hanc euacuandi aquam hydropicorum esse commodissimam, vtpote quam natura non solum ipsa quærit, sed quandoque etiam aperit. Nam etsi vasa vmbilicalia, fœtu in lucem edito, officio suo defuncta coalescant, exiccentur, & in ligamentum quasi abeant: tamen naturalem suam conformationem non planè amittere, sed ex iis venam vmbilicalem & vrachum interdum vel non planè coalescere, vel rursum aperiri, & vrinam serosósque alios humores per ea *Sāctorij aquā extrahendi modus.* *Plateri.* *Guil.Fabr.*

euacuari, Medicorum obferuationes docent. Aquam hydropicorum per vmbilicum quandoque fponte eua-cuari certum eft,& habent huius rei exempla tum alij, tum Guilielmus Fabricius, *loc.alleg*.Volcherus Coiter, in *obferu*.refert,in virgine quadam Norimbergenfi dif-fecta inuentam venam vmbilicalem fanguinis copiâ turgidam atque extenfam. Marcellus Donatus, *de hi-ftor.med. mirab.lib.4.c.26*. narrat, in vrbe Tridentina, quo tempore Concilium ibi celebrabatur,fuiffe mulie-rem, cui fingulis menfibus menftrua ex vmbilico pro-fluebant, & præterea viui lumbrici inde erumpebant. Fernelius,*l.6.de part.morb.& fympt.c.13*.refert;cuidam annum 30. agenti obftructa veficæ ceruice vrinam af-fatim,tanquam emictione ex vmbilico in multos men-fes profluxiffe,idque citra tumorem, citra vllam in ab-domine collectionem. Ipfe etiam vidi nobilem quen-dam Danum, cui ferofus quidam humor per anni qua-drantem,& interdum fatis copiosè, fine tamen vlla va-letudinis offenfione ( nifi quod interdum de doloribus ventris & præcipuè circa vmbilicum conquereretur) per vmbilicum effluebat,quod procul dubio continge-bat,vt ex aliis fignis cognofcere licebat, ob difpofitio-nem & inclinationem quandam ad hydropem,& ferofi humoris in ventre abundantiam, quo vt natura fe libe-raret, hanc viam euacuandi ferì quæfiuit, quod nifi fa-ctũ,proculdubio in cachexiam vel hydropẽ incidiffet.

*Scroti aper-tio.* Aperiuntur & aliæ partes ad ferum euacuandum. Platerus fcrotum eligit; cum quo confentit Maffarias, qui crurum & ventris fcarificationi & abdominis per-forationi fcroti perforationem præfert, vtpote quæ fiat fine vlla moleftia & periculo, fummo tamen cum ægri emolumento, cujus beneficio in mercatore quodam trium dierum fpatio quadraginta quinque libras aquæ cum falute ægri eduxit. Et licet aliquid incommodi ac-cideret, minus tamen effet periculofum, quàm in aliis locis. Ita refert Guilielmus Fabricius, *cent.1.obferu.48*.

*Hydrops per pudenda eua-cuatus.* cuidam hydropico adeo copiosè in fcrotum delapfum effe humorem ferofum,& excitata gangræna inde efflu-xiffe,vt à morbo liberatus fit & diu fuperuixerit fanus, atque liberos aliquot procreârit. Teftes autem natura obduxerat callosâ quadam fubftantiâ, quæ eos vice fcroti obtegebat, & ab externis iniuriis vindicabat. Cum autem fcrotum vel vnico faltem vulnere,vel plu-ribus fcarificationibus, vel fetaceo infixo aperiri poffit, Platerus præfert vnicum vulnus fatis amplum,cui can-nam argenteam imponit, fi nimirum fcrotum tumi-dum fit,& natura eò loci aquam detruferit. Aliàs enim fcroto vacuo & natura non adminiculante fruftra ten-tatur fcroti apertio.

*Crurum fca-rificatio.* Nonnulli fcarificationem crurum fuadent, cujus quoque Galenus, *lib.9. de comp.med.fec.loc.cap.3*. me-minit & Aëtius *tetrab.3.ferm.2.cap.30*.ex Afclepiade, Leonide, Hippocrate & Archigene modum admini-ftrandi prolixè proponit, quem etiam Inftit. *loco alleg.* inferuimus. Verum etiam hîc cautione & judicio opus eft. Neque enim ea femper benè cedit, fed ob humo-ris falfi affluxum non rarò inflammatio & grauiffimi dolores,vt aliquoties obferuaui,imò quandoque etiam gangræna accedit.

*Ex veficat. tibiis hydrop. appof. gãgræ-na & mors.* Ideóque vt hîc etiam calumniam vitet Medicus, id quod accidere poteft ob prauitatẽ affluentis humoris, prædicere debet, & fcarificationẽ ita inftituere ac mo-derari,vt quantũ licet,illa fymptomata & mala vitẽtur.

Nimirum in parte carnofa crurum circa furas fcarifi-cationem leniter inftituere debet; cum & cuticulâ fo-lum ruptâ aqua effluere foleat,vulneráque infligere fa-tis diftantia,ferúmque,quod exfudat,linteolo molli ci-tra omnem frictionem abftergere, & vnguento albo lo-cis conuenientibus partes munire,& inflammationem prohibere,fafciáfque fæpiffimè permutare.

Alij cauteria & veficatoria cum in abdomine,tum in cruribus paulò fupra talos applicant. Sed nec hoc fatis tutum, & omnino cautione & hîc opus eft, vt id fiat corpore adhuc vegeto, & calore partium nondum de-ftructo, ne vlcera infanabilia, *6.aphor.8*. vel gangræna oboriatur. Scribitque Ludouicus Septalius *animadu. medic.lib.7. num.56*. quamuis duos hydrope laboran-tes fanatos viderit, veficis in cruribus per fe excitatis & diruptis,ac multa aqua per eã partem euacuata, ex-hibitis poftea multis hepar roborãtibus:nullũ tamẽ vn-quam totis 40. annis, quibus Mediolani Medicinam fecit, curatum fe vidiffe, cui à medicis veficatoria cru-ribus admota fuere, fed ferè femper gangrænas fe-cutas fuiffe curatu impoffibiles. Cuius rei exemplum habet Guil. Fabricius, *cent.1. obf.49*. de vidua quadam fexagenaria,afcite laborante,cui cum imperitus Medi-cus veficatoria tibiis impofuiffet, tantum iifdem aquæ attraxit, vt inde natiuus calor extinctus fit, & paucis pòft diebus mulier deceffferit. *Cauteria & veficatoria abdom.& crurib. appli-cata.*

Infenfibiliter aquam Hydropicorum euacuant & difcutiunt. 1. Interna quædam, fudorifera videlicet & medicamenta difcutientia,vt decoctum faffafras, ligni guaiaci,fal abfinthij,fales theriacales,antidoti magnæ, theriaca,Mithridatium, quæ totum corpus mirabiliter penetrant. Maximè verò commendat Mercatus confe-ctionem cyphoidem Andromachi à Galeno,*8.de comp. med.fec.loc.cap.7*.defcriptam,cuius Drac. j. cum liquo-re conueniente exhibetur. *Infenfibiliter aquam eua-cuantia. Interna.*

Verum talia potius conueniunt, vbi humor in am-bitu corporis hæret, quàm cum in cauitate abdominis continetur.Vtiliora funt,quæ foris applicantur,vt fac-culi ex furfuribus, milio, panico, cumino in vino co-ctis;oleum juniperi,fambucinum,anethinum,vnguen-tum de arthanita, Agrippæ, Martiatum, emplaftrum Heræ apud Galenum, *2.de comp.med.fec.loc.cap.19*.def-criptum. *Externa.*

Vel ℞. *Vngu. de arthanita, Agripp.*an. Vnc.i. *rad. ebuli,afari,bryoniæ, ireos* an.Drach.ij. *fulphur viui,fter-cor.columbini* an.Drach.iij. *olei fcorpion*.Drach.vj.*vrinæ pueri impuberis,mellis* an.q.f.

Fiat cataplafma pro toto ventre, ita tamen, ne ven-triculum & hepatis regionem attingat.

Vel ℞.*Farin.placentor. fem.lini & cannabis* an.Vnc. ij.*ftercor. columbini* Vnc.i.

Coq.in lixiuio ad pultis cõfiftentiã fæpius agitãdo.

Deinde adde *pulu. fulph. viui* Drach.v.*alumin.* Vnc. fem.*falis comm.* Drach. v. *farinæ lupin.fœnugræc.p ulu. fem.cumini,anifi,baccar.lauri* an. Vnc. fem. *olei laurini, anethini q.f.* F. Cataplafma.

Emplaftrum Italis Medicis vfitatum defcribitur in Difpenf.Auguft.

Commendatur & hoc:

℞. *Colophon.* Vnc. iij. *ceræ nouæ* Vnc.ij.*gummi elem. tacamahac.* an. Vnc.i. *falis nitri* Vnc. i. ß. *fulphur. viui* ℥.vj.*pulu.fantal.rubr.myrrhæ rubr. maftich. thuris* an.℥. ß.*ol.laurini* Drach.vj *balfami Indici* Drach.ij.

Infund. fantal.rubr.in fpir.vini horis aliquot.Poftea addatur cæteris, & fiat Emplaftrum.

Mercatus hoc laudat.

℞. *Terebinth.*℔.j.*thuris,maftich.myrrh.* an.℥.vj. *la-dani, nuc. mofch. garyophyll. galang. zedoar. cubeb.* an. Vnc.ii.

Puluerifanda puluerifentur. F. Vnguentum, quo venter inungatur.

Vel ℞.*flor.fol.& cortic.ebuli,fabinæ* an.M.j.*rad.ireos* Vnc.i. *fcyllæ* Vnc.ii.Coqu.*in olei laurini* ℔.iii.

*Vini* ℔.j.& cum forti expreffione colentur.

In colatura diffolue *faponis* Vnc.iii. F. Linimentum.

Galenus, *11.de fimp.med.facult*.cochleas non vftas terit, & vna cum teftis ventri hydropicorum impònit.

Antiqui etiam lutum Minerale circa thermas tanquã cataplafma loco fomenti applicabant. Vtile eft hoc.

℞. *Ceræ, picis aridæ* an. Vnc.iii.*alumin. fulph.viui, mannæ thuris,nitri* an.℥.j.ß. *refinæ frixæ* ℔.ß.*olei veteris* Vnc.i.*aceti q.f.ad diffoluendum arida.* M. pro linimẽto.

Celebre & probatum eft hoc.

℞.*Stercoris*

℞. *Stercoris columbini in aceto macerati* ℔.j. *sulph.vivi* Vnc.i. *nitri* Vnc.sem. *pulu.rad.helenij*, *baccar.lauri*, *anethi,flor.chamæm*.an.Drach.vi.*sem.nasturtij* ℥.ii.

Coqu.omnia in vino ad iustam crassitiem.

Postea adde *mellis* Vnc.ii.*terebinth*. Vnc.i.sem. *succi ebuli* Vnc.ij.*irid*.Vnc.i.sem.*soldanell*.Vnc.i.*farin.fabar.* Vnc.ii. Misce.

F. Cataplasma.

Huius generis plura videantur apud Galenum,Mercatum,Platerum,& passim alios Practicos.

Aduersus tumorem scroti vtilis est euaporatio per sellam facta ex decocto flor.chamæmel.sambuci, meliloti,absinthij,rorismarini,rutæ & similibus; vel addendo farinam fabarum & puluerem cumini & similium, Fiat Cataplasma.

Crura tumida & inflata lauentur aqua marina vel salsa,in qua cocta sint folia sambuci,baccæ lauri, juniperi, vel lixiuio ex cineribus vitis, in quo ebulus aut sambucus cocta sint. Aut spongia eiusmodi decocto vel lixiuio vel aqua maceretur,iterúmque exsiccetur,& fortiter cum fasciis circa crura ligetur,donec paululum detumeant.

Galenus, 2.*ad Glaucon. cap.*3. Tumorem pedum in Hydropicis, phthisicis, cachecticis tollit frictione ex oxyrrhodino, aut sale & oleo,aut ex sale iniecto oxyrrhodino.

Forestus hoc Cataplasma commendat.

℞. *Rad.ebuli recent*.M.vi.*bryon*.℔.j *cortic.exter.sambuc*.M.iii.*fol.cucum.asinini* M.ij.*caul.rubr*.M.vi.*fol.malua* M.ij.*alth.exiccat*.M.iii.Coqu.in aqua communi.

Contundantur addendo *Vnguenti Agrippæ* Vnc. iii. *farin.hordei* ℔.sem.

F. Cataplasma, quo crura vsque ad genua inuoluantur.

Verum enim verò intemperie viscerum & caussis collectionis seri sublatis; & aquâ ex abdomine euacuatâ, sponte sua tumor hic in cruribus & scroto plerumque euanescit. Vbi exulceratis cruribus de gangræna metus est,lauentur illa cum vino decoctionis flor. vngulæ caballinæ,quibus aliquid mastich.thuris,myrrhæ, lithargyr.additum sit.

*Alterātia & Aperientia.* Interim dum hæc fiunt, non negligenda, sed diligenter diebus,quibus purgantia non exhibentur,alterantia & viscerum calorem natiuum instaurantia obstructionésque aperientia vsurpanda. Si enim hæc vel omittantur, vel negligentius vsurpentur, frustra sola euacuantia exhibentur. Remanente enim caussa collectionis serosi humoris breui is colligitur.

Commendatur in hos vsus *absinthium*, & quæ parantur ex eo medicamenta; *hepar lupi,extractum hepatis vituli,aqua ex hepate vituli,agrimonia, aliæque plantis hepaticis destillata*; *dialacca,diacurcuma,trochisci de lacca,de rhabarb. de absinth.de eupator.confectio cyphoides* à Galeno 8.*de comp.med.sec.loc*.descripta.Iohan.Anglicus, *in Practica sua*, quæ Rosa Anglica inscribitur, *Electuarium cubebarum dictum* commendat, tanquam singulare arcanum,& nemini nisi accepto pretio communicandum,cujus hæc est descriptio:

℞. *Santal.omnium* an. Drach.j. *spodij,rasur ebor.* ana Drach.i. *sem.ocymi,cubebar*. an.Vnc.sem. vel Drach.iii. *sem.4.frig.major*.an.Drach.ii.*endiu.portulac.* an.Drac.ß. *ligni aloes,nuc.moschat*.an.Vnc.sem.*sacch*.℔.j.

Cum decocto *vel aqua endiuiæ* F.Electuarium.

Non multum ab hoc differt compositio Diacubebe dicta, quæ nomine Paracelsi circumfertur; quam proculdubio ab Antiquis Medicis mutuatus est.

℞. *Cubebar.* (quos tamen myrtillos *Heydelbeer* nominat) *ocymi caryophyll*.an. Vnc.sem. *santal. omnium* an.Vnc.sem.*rasur.eboris,carabe citrinæ* an.Drac.iii. *sem.4.frigid.major.mundat*.ana Drach.j.*ligni aloes, nuc.moschat*.an.Drach.iii.Cum *syrup.granator.* F.Electuarium.

Ferunt huius solius vsu,præmissis præmittendis,nisi viscerum substantia planè sit corrupta,hydropem tolli.

Vtile est & hoc.

℞. *Trochisc.de absinth.de eupator*.an.℥.i. *de rhabarb. de lacca* an.℥.i.*hepat.lupi præpar.* ℥.ß. *spec.diarrhod.abbatis,aromat. rosat.* an.℥.i.*conseru.flor. sambuci* ℥.i.*Mithridat*.℥.ii.Cum *syrupo de eupatorio* F.Electuarium.

Vel ℞.*Roob sambuci* ℥.ß *Mithridatij* ℥.ii.*spec.diarrhod.abbat*.℥.ß.*magist.perlar.oculor.cancri* an.℈.i. Cum *syrupo de eupatorio* F. Electuarium.

*Chalybs.* Plurimum etiam hîc, præsertim vbi obstructiones adsunt, cùm à Galenicis, tùm à Chymicis laudatur, & multum etiam præstat Chalybs rectè præparatus,cuius supra iam aliquoties facta est mentio.

Verùm hæc omnia notatu dignâ sententiâ Alexandri Tralliani,qui *lib.9.cap.*3. ita scribit, concludere libet:Omnia,& quæ præcesserunt,mala,& quæ nunc adsunt, obseruanda puto,ac vbi præsentem intemperiem noueris,ita ad curationem audacter accedas,non autem vulgarem opionem sequaris, nempe aqua inter cutem laborantes,quouis modo calefaciendos esse.

## *De Ascite à colliquatione.*

*Ascites à Colliquatione.* Cum etiam supra hydropis à colliquatione facta sit mentio, de eo etiam aliquid hîc addere libet. Hydrops autem hic subitò generatur, & conjunctus est cum febre ardente. Periculosus verò omnino est;cùm ista colliquatione corpus languescat,& omnes vires collabantur,quibus prostratis ægrum sanare difficillimum est.

Duo autem in tali hydrope agenda.Calor immoderatus & colliquans alterandus & refrigerandus, & materia aquosa cumulata euacuanda. Et primò quidem omni conatu Medico opera danda, vt colliquationem inhibeat,& caussam eius tollat,refrigerantibus scilicet, cùm in victu,tùm in medicamētis exhibitis,tū extra cataplasmatis,epithematis,inunctionibus refrigerantibus thoraci & hepati applicatis; & omnino ea curatio hîc instituenda,quæ febribus colliquātibus debetur. Aqua verò è colliquatione cumulata euacuanda vel sensibiliter per aluum & vrinam, vel insensibiliter discutienda; quod tamen non tentandum, nisi calore febrili prius sublato; cùm ex istorum remediorum vsu calor febrilis facilè augeri possit.

## *Diæta.*

*Diæta.* Quantum bona victûs ratio ad curandum Hydropem faciat præter quotidianam experientiam Celsus, *lib.*2. *cap.*22.ostendit. Qui itaque ex toto sibi temperare nequeunt,ad salutem non perducūtur. Ideóque nō ignobilis Medicus, Chrysippi discipulus,apud Antiochum Regem amicum quendam ejus, notæ intemperantiæ mediocriter eo morbo implicatū negauit posse sanari, cúmque alter Medicus Epirotes Philippus ipsum se sanaturum polliceretur,respondit,illum ad morbum ægri respicere,se ad animū.Neque enim res fefellit.Ille enim cum summâ diligentiâ non Medici tantum, sed & Regis custodiretur: tamen malagmata sua deuorando bibendóque suam vrinam in exitium se præcipitauit. Diæta tamen non sit tenuis,sed mediocris & toto morbi decursu æqualis.

In tota victus ratione ab humido abstinendum. Aër igitur eligatur ad calidū vergēs & à naturâ suâ salubris; Vitetur humidus, crassus. Somnus sit moderatus, aut paulò breuior cōsueto. Multū cōducit motus corporis, si modò ab ægro vllo modo iniri possit. Cibus aridior sit,coctu tamen & distributu facilis,non viscidus & humidus qui in aquositatē maxima ex parte transit Ideóque juscula parcè offerātur,ea tamē nutriētia, nō multum aquæ suppeditātia,ex jure pulli,caponis, carnium, ciceribus rubris, auena. Panis sit bene fermentatus, à furfuribus tamen non planè repurgatus; ita enim aperit magis & abstergit.Condiatur semine anisi, fœniculi, carui, cumini, coriandri. Biscoctum Hippocrates præfert, *lib. de int. affect.* modò ægri concoquere valeant.

valeant. Ex auibus laudantur ſylueſtres, & præcipuè montanæ. Alaudarum eſu & vſu quendam reſtitutum ſe vidiſſe, reſtatur Nicolaus Florentinus. Quadrupedum carnes non pingues ſint,& aſſæ potius,quàm elixæ præbeantur. Iecur animalium, præſertim gallinarum,quaſi tota ſubſtantia vtile, plurimi commendant. Condiantur carnes cinamomo,caryophyllis aniſo,fœniculo, petroſelino, thymo, baccis juniperi, ruſticis etiam allio.

*Hydrops halece curatus.*

[ ¶ A Fide digno Medico mihi relatum eſt, Canonicum quendam, ex hydrope periculosè decumbentem,à Medico ſuo petiiſſe,vt halecis eſum ſibi indulgeret. Annuit Medicus,ſed hac conditione,ne intra duarum horarum ſpatium quicquam potulenti poſt eſum halecis aſſumeret, & integrum halecem, ſi poſſet,abſumeret. Ægrotus paret. Quid fit? Æger tandem ad vrinæ emiſſionem ſtimulatus, tam largè ipſam profudit, vt per horæ ferè quadrantem nulla mictionis quies interueniret, ipsúmque abdomen ſenſibiliter magis magiſque ſubſidere deprehenderetur. ]

A leguminibus prorſus abſtineat æger, olera etiam pleraque, cum mali ſucci ſunt, non conueniunt,vt & fructus crudi. Condimenti tamen loco vſurpari poſſunt aſparagi,ſummit.lupuli, naſturtium aquat.ſinapi, cochlearia,chærefolium, gemmæ ex floribus immaturis,geniſtæ aceto conditæ. E fructibus conueniunt paſſulæ,amygdalæ amaræ,piſtacia,pineæ, cappares,oliuæ. In potu aqua vitetur.

Vinum ſit album,tenue & diureticum, vel cereuiſia bona lupulo condita, & abſinthio,agrimon.roremarino,ſaluia,medicata. De quibus tamen non plus bibendum,quàm quantum ad ſitim aliquomodo & vitam ſuſtentandum ſufficiat. VVierus ſe ægris ſuis vltra ℔. ß. vini qualibet die non permittere ſtricta lege ſcribit. Et vt minori moleſtia hîc obedire queant ægri, commodum eſſe, ſi ex vitro anguſti oris bibant. Humectatur enim ſæpius vini ſtillantis momento lingua,promptius fallitur ſitis,nec ejus copia venter grauatur.In eundem vſum paſſulæ & glycyrrhiza viridis maſticantur.Imò ſi æger tolerare poteſt,commodum eſt, planè à potu abſtinere; cum experientia teſtetur, ſanatos fuiſſe quoſdam,qui ab omni potu menſes aliquot, imò integrum annum abſtinuerunt,vt teſtatur Iacchinus,*in 9.Rhaſis cap.*22. Beniuenius, *de abdit.ſanat.cauſ.cap.*13.( Anaſarcam tamen fuiſſe exiſtimat. Dodonæus) Alexander Maſſarias,*libr.*3.*cap.*16.Si tamen ſitis valde cruciet,aceto aqua chalybeata diluto os colluere vtile eſt. Celſus, *loco allegato*, refert, quod Epicuri diſcipulus quidam Hydropicus, cum non poſſet æquo animo ſitim ferre, vbi diu abſtinuit, bibere ſolitus eſt, deinde euomuit. Retentio alui noxia eſt. Ideoque ſi ea ſegnior ſit,ſtimulanda vel cibis laxantibus vel clyſteribus. Animi Affectus moderati ſint.

## QVÆSTIO I.

### *An Hydrops Aſcites ſolo hepate læſo generetur?*

*An hydrops Aſcites ſolo hepate læſo generetur.*

Vulgata equidem & antiqua in ſcholis Medicorum eſt ſententia,omnem hydropem accidere hepate primario affecto,& proximam ac præcipuam omnis hydropis cauſſam eſſe ἀιμάτωσιν. Hepatis læſam, & quidem ab intemperie ejus frigida. Docuit id Galenus. *lib.* 5. *de loc.aff.cap.*7.*ibid.lib.*7.*cap.*1.6,*aph.*12. & 42.2. *Progn. t.*1.& 2.4.*de præſag.pulſ.cap.*9.Galenum ſequitur Auicennas, *lib.*3.*fen.*14.*tr.*4.*cap.*4.& alij Medici plerique, & adducti ſunt in eam ſententiam,quod cum hepar officina ſanguificationis ſit, ibi ſanguinem vitioſum generari probabile ſit,vbi bonus generatur. Et quia calor innatus hepatis præcipuum ſanguificationis inſtrumentum eſt,eo læſo & hepate refrigerato ſanguinē ſeroſum generari,& tadem hydropem induci crediderūt.

Reperti tamen ſunt, præcipuè noſtro ſeculo, non pauci Medici, qui à communi iſta opinione diſceſſerunt, & quidem primò ea de cauſſa, quod in ſectione hydropicorum ſæpe hepar ſaluum inuentum ſit. De quo Mauric. Cordæus,*comm.*5.*in lib.*1.*Hippocr.de mulieb.* ſcribit: In hac,inquit,Pariſienſi Aſclepiadarum familia percelebri magnus & frequens eſt numerus;Medicorum cateruæ vbique ſunt multæ atque conuentus; vix verò inter eos vllum reperies, cui non contigerit Hydropicum cadauer aliquod euiſcerare. Quid verò in illis commento ſuperiori ſimile reperies? Integrum eſt in multis hepar ex omni parte, quibus exortus eſt hydrops ab aquoſo Liene.

Refert quoque Schenckius,*lib.*3.*obſeru.* ex obſeruation. D. FranciſciTidicæi,quæ hiſtoria integrè infra de Tympanite recenſebitur, Virum quendam ſexagenarium, cùm diu à flatibus & anhelandi difficultate moleſtatus eſſet,tandem in Aſciten incidiſſe, eôque mortuum eſſe, In cujus cadauere aperto hepar nihil ferè à ſana hepatis conſtitutione differre viſum eſt, neque quicquam in eo vel alio viſcere vitij oculis notari potuit.

Quæ confirmare videtur id,quod Ioh.Paſchalius,*de med.morb.lib.*1.*cap.*34. refert: Mulierem quandam annos 50. natam laboraſſe Aſcite ſex annos,& ex caſu in lapidem ventrem eius fuiſſe vulneratum,per quod vulnus cum ſubitò omnis aquoſitas euacuata fuerit, incidiſſe quidem illam in animi deliquium, ſed poſtea in Xenodochio Patauino bonis alimentis aſſumptis priſtinam recuperaſſe ſanitatem. Nam ſi in muliere quinquagenaria hepar refrigeratum fuiſſet, vt Aſcitem generauerit, certè œconomia illius ita turbata fuiſſet, vt poſt aquæ euacuationem tam ſubitò ſanitatem recuperare non potuiſſet. Quibus accedit & illud, quod Beniuenius, Dodonæus & Langius narrant, quoſdam aquæ potu largiſſimo ab hydrope ſanatos fuiſſe aperto vmbilico. Nam ſi hepar tàm valde refrigeratum fuiſſet,non tam facilè ſanitati aqua euacuata reſtitui fuiſſent,præcipuè poſt aquæ potum largiſſimum.Neque in eo effugium patet, quod nonnulli dicunt, hydropem prouenire ab Intemperie hepatis frigida,quæ oculis videri non poſſit. Etenim hydrops, ſi ab intemperie hepatis proueniat,non à leui aliqua eius alteratione oritur,ſed à calidi natiui ejus extinctione vel abſumptione, quàm caloris & qualitatum hepatis talis mutatio ſequitur, vt hepar malè affectum fuiſſe etiam oculis pateat,quale tamen nihil in hydropicis demortuis ſæpe inuenitur.Deinde hepar ſaluum eſſe poſſe,& nihilominus hominem in hydropem incidere,eo probatur,quod non ſolum hepar, ſed & lien ſanguificationis organum ſit,& propterea eo læſo etiam hydrops oriri poſſit.

Quod præter experientiam confirmatur autoritate Hippocratis, qui *lib.* περὶ παθῶν ſcribit: γίνεται ὕδρωψ καὶ ἀπὸ σπληνὸς, ὅταν νοσήσῃ: generatur hydrops etiam à ſplene, cum ægrotauerit. Et *lib.* 1. *de morb. mulier.* docet, ſplenem humorem aquoſum ad ſe trahere, vt qui rarus & ſpongioſus eſt, & ſecundum ventriculum ſitus,generationémque hydropis ex ſplene eò loci integrè deſcribit. Idem docet,*lib.*4.*de morb.*

Neque eſt,vt quis ad id confugiat,dicátque per conſenſum lienis hepar malè affici, atque ita hepate affecto tantum hydropem generari. Præſtantiſſimi enim Medici & inter eos Veſalius, *cap. de liene*, in hydrope lienem vitioſum hepate planè ſaluo deprehenſum fuiſſe teſtantur; atque ipſe etiam in hydropico quodam & ſimul,ſcorbutico,omentum corruptum,lienémque prauè diſpoſitum hepate ſaluo vidi. Præterea Hippocrates etiam 2. *Progn.* docet; Hydropem aliquando ab hepate, aliquando ab Ilibus oriri, de quo *quæſtione.* 2.dicetur.Allegari etiam hîc ſolet locus Hippocratis, qui 2. *Prorrhet.* ſcribit; eum qui ab hydrope conualiturus eſt, εὔσπλαγχνον eſſe oportere: cum εὔσπλαγχνος videatur non eſſe is, cui hepar malè affe-

ctum

*εὔσπλαγχνον quid?*

ctum est. Verum argumentum parum firmum præbere videtur hic locus. Etenim si per τὸ εὔσπλαγχνον intelligatur omnimoda sanitas viscerum, nullus hydropicus affecto hepate vel liene euaderet; cum tamen experientia contrarium testetur, & frustrà ab Hippocrate aliisque Medicis tot præscriberentur medicamenta. Τὸ εὔσπλαγχνον igitur hîc vel ad naturalem statum refertur, quasi dicat Hippocrates, eum qui ab hydrope liberari debet, necessariò robusta viscera habere debere, quæ grauiori morbo non succumbant; vel si de statu morboso id accipiendum, εὔσπλαγχνοι sunt, quorum viscera morbo quidem sunt correpta, nondum tamen scirrhosa, putrida & corrupta, sed talia, vt ad statum naturalem rediri possint.

*Hydrops ex Intestinis ortus.*

Imò ex aliis quoque partibus hydropem originem ducere posse, nonnulli existimant. Nimirum ex intestinis, si illa perforentur, & homo non statim moriatur, sed humor aquosus in abdominis cauitatem ex iis exstillet, & ventrem in tumorem attollat.

*Ex renibus.*

Deinde ex renibus, si nimirum propter obstructionem vel maximam imbecillitatem serum ad se non trahant. Tùm enim in corpore retentum facilè in ventrem confluere potest. Idem accidit, si renes exulcerentur; obseruauitque Platerus, vt *lib. 3. obseru.* habet, in quodam Ascitico vtrumque renem multis vlceribus perforatum fuisse, adnatis hinc inde vesiculis partim ruptis, partim integris, exteriori superficiei hinc inde adhærescentibus, vnde sanies & serum in abdominis cauitatem liberè exstillauit.

*Ex vesica.*

Idem etiam post calculi vesicæ incisionem & è vesica extractionem fieri potest. Si enim vulnus non rectè consolidetur, sed cuti cicatrix obducatur, interno vulnere adhuc hiante, per id vrina exit & in abdomine cumulatur. Ita si calculus vreteres transiens magnus & asper eorum membranas disrumpat, tum vrina per viam apertam in cauitatem ventris fluens breui tempore, hepate saluo, hydropem excitare potest.

*Hydrops ex vtero hepate saluo.*

Ex vtero etiam fieri potest hydrops saluo hepate, refertúrque passim historia ex Iohan. Heintzio, Medico olim in valle Ioachimica, de ancilla quadam, quæ ob errores in victu commissos in mensium suppressionem incidit, & tandem in tumorem ventris, vt ea de causa malè audiret. Bene autem sibi conscia cum de vita desperasset, vt mortuæ corpus secaretur, pro innocentiæ testimonio petiit. Secto cadauere & emissa plurima aquæ copiâ viscera omnia salua reperta sunt. Iecur optimè affectum, lien laudandus. Pulmones verò ob aquam, quæ in thorace penetrauerat, dimidia ex parte corrupti, itémque omentum & testes. Hi enim ab vtrâque parte non solum tumidi ad magnitudinem capitis recens nati infantis, sed & liuidi, fungosi, plurimis vesicis aquosis, quæ maiore ex parte ruptæ fuerant, & in vlcera degenerauerant, reperti sunt, vt proculdubio à testibus, non verò ab hepate aquæ illa copia in abdomen effusa fuerit.

*Hydrops à colliquatione*

Tandem à colliquatione quandoque fit hydrops, hepate non præcipuè affecto, multo minus refrigerato. Eius mentionem facit Hippocrates, qui *lib. 1. epid. s. 2. t. 35. & 36.* ἐκ κακῆς συντήξιος, ex mala colliquatione, viguisse præter dysenteriam, lienteriam, diarrhæam, etiam hydropem scribit. De eodem Galenus, 3. *de Sympt. causs. cap. 2.* Fit interdum quædam ἀνασοιχείωσις colliquatio seu resolutio seu dissolutio, siue quocunque nomine alio appellare libet, aliquando totius corporis, aliquando succorum, qui in venis sunt, duntaxat. Quod autem ex ea colliquatione prouenit, aliàs ad ventrem confluit, aliàs ad vrinam, aliàs ad sudores pellitur. Ac succis quidem, qui in venis habentur, in serosam saniem solutis, renes, qui ad excrementum id contrahendum sunt nati, cum sani sunt, serum quidem à venis expurgant, fluxionem autem ad vesicam quotidie mittunt. Vbi autem renes trahere non valent, venæ eiusmodi serum in ventrem mittunt, aut toti corpori id partientes subitaneos hydropum status inducunt. Facit & huius hydropis mentionem Pereda, *in Schol. in Michaël Paschal. meth. med. de hydrope*, & Petrus Salius Diuersus, *de affect. partic. cap. 9.* qui refert, se obseruasse in febribus hac de caussa ventrem vno atque altero die ita intumuisse, ac si per menses plures Ascite ægri tales laborassent. Ipse autem distinctione hac controuersiam componi putat; statuitque, tres esse hydropis species, ratione materiæ distinctas; Anasarcam à materia pituitosa & cruda; Ascitem ab aqua; Tympanitem à flatu, Hásque hydropis species omnes fieri ex vitio hepatis immediatè ex intemperie malè affecti, siue id fiat primariò per propriam passionem, siue per consensum & secundariò. Hásque omnes non subitò, sed sensim fieri. Esti verò præterea tumor ventris quandóque ab aqua accidat, cuius Galenus, *Sympt. causs. 2.* meminit, qui ab intemperie calida & corporis colliquatione fiat, cum colliquato sanguine & succis, qui in venis sunt, renibus non attrahentibus, subitanei hydropum status fiunt, quales ipse etiam obseruauit: tamen hydropis speciem esse negat ideo, quia non tam generetur vitio hepatis, quàm ex mala totius intemperie. Deinde quia materia, quæ vi colliquationis gignitur, potius est calida, quam frigida; cum in hoc hydrope omnis materia, quæ vitio hepatis generatur, sit frigida. Tertiò, quia verus hydrops sensim generatur; hîc verò tumor subitò. Verum principium hîc petit, cum ideo hunc tumorem verum hydropem esse negat, quia hepatis vitio non generetur: cum hoc ipsum in quæstione sit, an omnis hydrops ex hepate generetur?

Carolus Piso, *in lib. de morb. ab illuuie serosa natis*, Serosi humoris in abdomine collectionis, atque ita hydropis Ascitæ caussam statuit expurgationem per renes fieri solitam deficientem & suppressam. Quod autem serosus humor, per renes consueto modo non euacuetur, caussam esse dicit, quia aut serum ex prima officina non distribuitur ad secunda viscera, hepar & lienem, sed in mesaraicis restitat, gastricis, epiploicis, aut certè portis, radicibúsque earum, & conuexa viscerum non peruadit; aut vbi transgressus est viscera, hæret in stipitibus cauæ siue arteriæ siue venæ splenicæ, & hinc inde tam in radicibus eorundem vasorum, quam in ramis emulgentibus, & per corpus renum dispersis, ibíque subsistens renes euadere non potest, de qua sententia postea, *quæst. 2.* plura dicemus.

Cum ergo in re tam seria & tanti momenti Medici discrepent, omnino operæ pretium est, diligenter in veritatis inuestigationem hîc incumbere, & rem ipsam omni autoritate sepositâ perpendere. Vt verò ab eo, quod apud omnes in confesso est, incipiamus, aquam seu humorem serosum in abdominis cauitate plerúmque collectum, ídque distendentem proximam & continentem hydropis Ascitæ caussam esse, omnes concedunt. Cuius autem partis vitio aqua colligatur, de eo, vt ex iis, quæ hactenus dicta sunt, patet, non omnes consentiunt. Plerique euidem hepatis vitio, quod pro sanguine bono & laudabili serosum generet, id fieri statuunt. Verùm si non solùm autoritates attendamus, sed quid in ægris quotidie fiat, obseruemus, omninò concedendum est, quandoque saluo hepate aquam in abdominis cauitate ita colligi posse, vt inde intumescat, vt supra satis probatum est. Lienem certè saluo hepate malè interdum affici in hydropicis & autoritas Hippocratis, *lib. περὶ παθῶν & lib. 1. de mulierbribus*, supra allegata & obseruationes doctissimorum Medicorum, testantur.

Neque venæ mesaraicæ, quæ chylum à ventriculo ad hepar & lienem transmittunt, extra culpam semper sunt, vt supra dictum, & quæstione sequenti etiam probabitur. Neque etiam hoc negari potest, renum, vreterum, vesicæ & aliarum partium in ventre inferiore vitio aquam in abdomine colligi posse.

Ideóque vt hæc concludamus, hydrops, qui non à priuatæ alicuius partis, renum, vreterum, veſicæ vitio generatur, ſed ex iis partibus, quæ ſecundæ coctioni inſeruiunt, in ſpecie & κατ' ἐξοχὴν hydrops appellatur, cũ is frequentiſſimè accidat. Eſt enim vſitatum, vt de omnibus dicamus, quod frequentius accidit.

Interim non eſt negandum, etiam aliis de cauſſis, nec organis ſecundæ coctionis læſis, humorem aquoſum & ſeroſum in abdominis capacitate colligi, & inde ventrem intumeſcere poſſe, ſcilicet ex inteſtinis, renibus exulceratis, vt obſeruauit Platerus; item vreteribus à calculis tranſeuntibus, vel ruptis, vel ita extenuatis, vt ſerum tranſſudare poſſit, vt & veſica vel rupta vel vulnerata, & vulnere malè curato Nam hæc vaſa & receptacula ſunt ſero è corpore euacuando deſtinata. Si verò alicubi in iis via aperitur, per illa ſerum & vrinam in abdomen deſtillare poſſe, extra controuerſiam eſt. Nonnunquam & à cauſſa aliqua externa & vi illata, venarum meſaraicarum, quæ omentum & meſenterium perreptant, aliqua rumpi & aperiri poteſt, è qua primò ſanguis in ventrem confluit, Si verò vulnus in vlcus conuertatur, ſerum continuò ex eo in abdominis cauitatem deſtillare & hydropem excitare poteſt, quam etiam cruenta deiectio & vomitio aliquando præcedit & purulenta ſequitur. Idem à teſtibus in mulieribus accidere poſſe, ſatis docet hiſtoria illa & obſeruatio Iohan. Heintzij, ſupra allegata de ancilla hydropica, in qua hepar & lien ſalui reperti ſunt, teſtes verò valde tumidi & veſicis aqua repletis turgidi aquam in abdomen effuderunt: & notum eſt, quantum vulnera, quæ articulis & neruoſis partibus infliguntur, ſi non rectè tractentur, ichoris & ſeroſi humoris effundant, parte vulnerata nutrimentum affluens non bene coquente & aſſimulante, ac humoribus vitioſis è corpore ad locum affectum confluentibus. Idem ergo ſi accidat in parte aliqua in abdominis cauitate, magnam aquæ & ſaniei copiam in abdomine colligi poſſe, manifeſtum eſt.

Hi ergo tumores omnes cum etiam ab aqua in abdomine contenta ortum habeant, ſi rē ipſam ſpectes, aquæ inter cutem & hydropis nomen merentur: quia tamen hi tumores abdominis rariores ſunt, nec etiam ab antiquis annotati, atque aliam etiam cauſſam & curandi rationem, quam vulgatus hydrops habet, plerique hydropis nomine eos non dignantur. Verùm de nomine hîc non litigandum, ſed illud potius diſpiciendum, à qua cauſſa humoris aquoſi in abdomine collectio fiat, vt curatio poſtea rectè inſtitui poſſit.

Eadem ratio eſt hydropis, qui ex colliquatione ſanguinis & ſuccorum in venis prouenit. Petrus Salius Diuerſus equidem veram hydropis ſpeciem eſſe negat: ipſe tamen caput, in quo de eo tractat, inſcripſit, *de hydrope ex colliquatione*: & licet Galenus, 3. *de ſympt. cauſſ. c.* 2. non hydropem, ſed ὑδέρωδεις καταςάσεις nominat: tamen ipſe hydropem ὑδερικὴν παρέγχυσιν nominat. Et 2. *ad Glaucon. c.* 3. διάθεσιν ὑδερικὴν & ipſe Hippocrates, 1. *epid. comm.* 2. *t.* 36. hydropis nomen tumori ἐκ καχῶς συντήξεως tribuit.

Hercules Saxonia equidem *lib.* 3. *Pract. c.* 22. adhuc aliam, præter hactenus enumeratas, cauſſam addit, & hydropem etiam à ſanguine fieri aſſerit, ſcribitque fuiſſe quendam religioſum ad Spiritum Sanctum, qui patiebatur herniam, & cùm ſemel factus eſſet inteſtinorum prolapſus, repentè factum eſſe hydropicum, & eodem etiam die tabidum. Cùm verò poſt 14. dies mortuus eſſet, inuentas fuiſſe in ventre 10. vel 14. libras ſanguinis: quibus euacuatis venter ita detumuit, vt nulla amplius moles conſiſteret. Verum enimverò tumor equidem ventris fuit ex ſanguine per venam aliquam effuſo ortus, ſed non hydrops, qui, vt nomen ipſum indicat, tumor eſt ab aquâ ortum habens; patétque tumor ventris latius, quàm hydrops.

## QVÆSTIO II.

### *Quæ cauſſa prima ſit collectionis humoris ſeroſi in Aſcite?*

Sepoſito autem illo hydrope & tumore abdominis, aut quomodocunque appellare libeat, qui ex renibus, vreteribus, veſica, vtero ortum habet, de eo ſaltem hîc quærimus, qui hactenus ab hepate ſolum prouenire creditus eſt, & qui κατ' ἐξοχὴν hydrops appellatur, ac frequentior eſt, quænam ſit prima collectionis aquæ in eo cauſſa. De quo Autores etiam non parùm diſcrepant. Plerique ſtatuunt, ſanguificatione in hepate læſa id euenire. Etenim vt in ventriculo accidit, vt is ſe non rectè habens vel cibos crudos relinquat, vel eos vario modo corrumpat, vnde etiam vomitus & fluxus alui ſæpe ſequuntur: ita in hepate idem fieri putant. Dum enim ſeſe rectè non habeat, chylum vel imperfectè elaborari, & crudum ac aquoſum ſanguinem gigni, ſtatuunt, id quod fit in cachexia & Anaſarca, vel corrumpi, id quod fiat in Aſcite. Etenim generari pro ſanguine bono ſanguinem prauum, & qui boni ſanguinis partem exiguam, multas verò ſeroſas & ſalſuginoſas partes contineat. *Quæ cauſſa prima ſit collectionis humoris ſeroſi in Aſcite?*

Quæ verò ſit diſpoſitio vitioſa in hepate, ob quam ſanguis hîc vitioſus generatur, itidem non eadem omnium eſt ſententia. Vulgata ſententia eſt, fieri id ab intemperie hepatis frigida. Alij tamen etiam ab intemperie calida id fieri poſſe, exiſtimant. Scribitque Alexand. Trallianus, *lib.* 9. *cap.* 3. non omnes aqua inter cutem laborantes quouis modo calefaciendos eſſe, & quoſdam etiam à refrigeratione adiutos eſſe. Si nimirum hepar ob caliditatem præter naturam ſanguinem bonum non generet. Auicennas etiam, *lib.* 3. *fen.* 14. *tr.* 4. *cap.* 13. ſcribit, non attendendum illud eſſe, quod dicitur, omnem hydropem curari medicamentis calidis. Hoc enim tantùm vt plurimum verum eſſe, & experientia ſibi conſtare, curatum eſſe hydropem ab intemperie calidâ refrigerantibus. *Qualis ſit hepatis diſpoſitio, ob quam hîc vitioſus ſanguis generatur? Sec. Trallianum.*

Cardanus quoque, 1 *prognoſt.* 2. *& in* 12. *aph. Hippocrat. ſect.* 1. Hydropem Aſciten & Tympaniten oriri ſtatuit ex intemperie hepatis calida & ſicca, idque ideo, quia in hydrope adeſt ſitis, quæ eſt indicium caliditatis & ſiccitatis & non tollitur, niſi refrigerantibus & humectantibus, & quod in magna frigiditate hepatis homo non deducitur ad hydropem, ſed ad fluxum vrinæ, ad inappetentiam, malum calorem & morbos frigidos alios, & quod è magnis ſanguinis effuſionibus, quæ contingunt per vulnera, nemo fiat hydropicus, cum tamen ibi fiat ſumma refrigeratio hepatis: Sed potius in fluxu hæmorrhoidum & menſium ob corruptionem ſanguinis. Inſuper addit, ſi adeſſet frigiditas hepatis in hydrope, medicamentis calidis iuuarentur ægri. Experientiam tamen contrarium teſtari ſtatuit; cum ab aromatibus omnes lædantur, à malis verò punicis iuuentur, cùm corruptioni maximè reſiſtunt, etſi neque vrinam neque aluum mouent. Quapropter ille hydropis curationem inſtituit per refrigerantia hepar, & ipſum ac renes confortantia & vrinam prouocantia, atque indicium rectæ curationis eſſe ſcribit vrinæ attenuationem. *Cardanum.*

Fernelius, *lib.* 7. *de part. morb. & ſympt. cap.* 8. cauſſam proximam ſtatuit hepatis ſiccitatem vehementem, ob quam ceu rimis, ſicut in terra ſicca accidit, dehiſcat & diffindatur, vt ſerum amplius continere non poſſit, atque inde cauſſas omnes, quæ hepar vehementer exiccant, hydropem inducere poſſe ſtatuit. *Fernelium.*

Eadem Plateri eſt ſententia, qui ſimul docet, ſiccitatis huius cauſſam eſſe intemperiem potius calidam, quàm frigidam; id quod ſumma ſitis hydropicorum & vrinarum rubedo, aliáque potius caloris, quàm frigoris indicia *Platerum.*

indicia demonstrant, & quod caussæ, quæ hydropem inducunt, potius sint calida, quàm frigida, aromatum & calidorum nimius vsus, vini generosi continuatus potus, calida medicamenta, morbi calidi, vt febres ardentes, diuturnæ & similes.

*Guarinonius.* Christophorus Guarinonius, *Consil.* 573. Leucophlegmatiam quidem fieri statuit à sanguine imperfecto, & sanguinem tùm esse crudiorem ac imperfectum, & pituitæ quasi speciem habere asserit: at in Ascite & Tympanite hoc fieri negat, ac tum non sanguinem perfectum & pituitosum abundare, sed aquam aut serum flauum existimat, eúmque humorem serosum non prouenire ab imperfecta coctione, cùm omnis coctio afferat crassitiem & imperfecta imperfectam, nunquam verò tenuitatem: ideóque aquam illam potius à calore colliquante & resoluente fieri statuit, materiæ in vapores conuersione, qui postea in aquam concrescant. Docet nimirum, chylum, qui in ventriculo è cibis elaboratus est, dum sub venarum torrefaciente calore versatur, in vaporem primum, deinde in aquam mutari, & calidam illam intemperiem non solum esse in hepate, sed etiam in reliquis partibus, per quas transit, quæ chylum in vaporem resoluant, atque sub specie vaporis in abdominis cauitatem excludant, vbi calore amisso in aquam resoluatur: ideóque etiam hydropicis semper iecur siccius & densius est, numquàm mollius, & prætereà atro colore præditum, quod malæ nutritionis indicium est, quod cum sit durius, etiam calorem intensiorem retinet, & fortius, quàm par est, in chylum agit, eúmque sicut tenes, in vapores resoluit & per membranam extrudit. Atque hac de caussa etiam ascite laborantes parum vrinæ, eámque valde coloratam excernere scribit, cum parùm serosæ materiæ ad renes perueniat, bilis verò multum in hepate generetur. Idque huius rei argumentum esse putat, quod à febribus ardentibus sæpe fiat hydrops, sicut in pituitosis leucophlegmatia & tumores artuum. Et si ab hepatis frigiditate proueniret aqua, cur non potius inde crudus chylus & leucophlegmatia proueniret, quam Ascites & Tympanites. Ac si à frigiditate hepatis talis sanguis generatur, cur non ille à venis superioribus attrahitur & inde anasarca generatur; cum aliàs sanguis vitiosus in hepate genitus in venam cauam distribui soleat? Nam obstructio venarum, quam nonnulli volunt, in caussa esse non potest. Etenim si sanguis multò crassior, quàm serum, hydropis caussa, ad alias partes nutriendas transire potest, cur non serum tenuius easdem etiam penetraret? Et si in hepate generaretur, cur non potius per proximas & patentes vias euacuaretur, & vel per vrinam, vel per aluum excerneretur, quam in abdomen destillaret? Cur autem halitus, inter peritonæum & intestina expressus nunc in aquam, nunc in flatus mutetur, id ex materiæ & efficientis ratione prouenire docet. In Ascite enim & efficientis seu caloris, & materiæ, quæ nimis terrestris est, ratione chylum in vaporem conuerti, qui in aquam mutetur. In Tympanite verò ob calorem magis assantem, & materiam magis terrestrem in fumum, qui in flatus abeat, mutari. Addit is & hoc, si vulgata sententia vera est, nimirum ab hepate refrigerato hydropem fieri, & ascitem ab hepate magis refrigerato, tympanitem à minus refrigerato, sequeretur, quod Ascites esset curatu difficilior, quam tympanites; cum tamen contrarium quotidiana experientia demonstret, idque ideò fieri statuit, quoniam morbi ex humore melancholico contracti sint pertinaciores.

Tandem sunt quidam, qui quidem ipsi caussam generationis humoris serosi in hepate quærunt, & vitiatam αἱμάτωσιν ob frigiditatem eam esse statuunt, atque in eorum sententiam inclinant, qui à frigiditate vel potius caloris defectu eam prouenire existimant, sanguificationem tamen non à nuda intemperie deducunt, sed à calidi natiui & humidi radicalis peculiari in hepate defectu & penuria non facilè explicabili, & quod non nisi ex effectu deprehendatur vitio, vnde etiam hepar eorum, qui hydrope perierunt, minus rubicundum, sed albicans & iusto siccius apparere, atque calidi natiui hunc defectum tàm à caussis frigidis id extinguentibus, vel suffocantibus, quam calidis id dissipantibus & absumentibus, atque in hydropem à caussis tam calidis quàm frigidis generari posse statuunt.

Cum ergo in re tam vtili & cognitu necessaria Medici ita opinionibus discrepent, omnino in veritatem diligenter inquirere, operæ pretium est; cum nisi de vera caussa & modo collectionis humoris serosi in abdomine constet, curatio rectè institui non possit. Ideóque meam sententiam, etsi in Medicorum scholis minus tritam, candidè proponere libet, idque eo libentius, quod eandem sententiam maxima ex parte fouere iam videam Carolum Pisonem, Medicum clarissimum, & in morborum caussis inuestigandis diligentissimum. *Authorem.*

*Hydrops sæpè hepate saluo generatur.* Primò ergò illud tenendum, autores pleróſque hîc mox à ianua aberrare, dum in solo hepate caussam collectionis serosi quærunt. Monstratum enim est, *quæstione præcedente*, sæpe hepate saluo hydropem generari. Et quidem de iis aquæ in abdomine collectionibus, quæ ex intestinis, renibus, vteteribus, vesica læsis, ex iis hinc aquæ in abdominis cauitatem destillationibus oriuntur, res manifesta est, sed tamen de eo hydrope, qui frequentior est, & citra harum partium vitium, accidit, idem etiam verum est, obseruatúmque, sæpe hydropicis, qui sanguificationis vitio in hunc morbum lapsi crediti sunt, hepar post mortem saluum repertum fuisse, & rationes hoc ipsum suadent. Nam si in hepate serum illud generaretur, cur non à venis attraheretur, & in totum corpus distribueretur, vt in anasarca fieri solet? aut cur non per patentes vias, præcipuè vrinam, excerneretur; cum nullum in renibus vitium sæpe deprehendatur in hydropicis? Neque coctione, siue bonâ siue malâ, plus humoris & aquæ ex chylo fieri potest, quàm quantum eius in eo inest, & illa ipsa aqua, quæ sanguini permiscetur, in chylo iam fuit ex cibo potuque relicta, vt esset ὄχημα τροφῆς & distributioni alimenti inseruiret. Vt verò ex chylo corpore composito & heterogeneo aqua saltem fieret, impossibile est: neque in venæsectione, si in hydropicis ea instituatur, aqua mera, sed sanguis, & sæpe pauco sero dilutus emittitur: & aquam illam hydropicorum non in hepate ex læsa sanguificatione fieri, sed ex cibo & potu assumpto colligi, etiam illud docet, quod quidam à potu omninò abstinentes ab hydrope liberati sunt. Ita refert Plinius, *natural. histor. lib.* 7. *cap.* 18. Iulium Viatorem, equitem Romanum, voluntate sitim vicisse, cum aquæ subter cutem fusæ morbo laboraret; Et Beniuenius, *de abdit. sanat. & morb. causs. cap.* 13. refert, se rustico cuidam, quem aqua intercus malè habebat, consulenti respondisse, sanari eum non posse, cum morbus iam inueterasset, nisi vltrà non bibat, quàm vt vitam sustineat. Rusticum dicto obtemperasse, & per annum nihil bibisse ac sanatum fuisse. Quæ omnia cum ita sese habeant, vero consentaneum non videtur, in ipso hepate serum, proximam hydropis caussam generari, sed citra hepar colligi, & aquam in hydropicis cumulari, quòd quicquid eius cibo & potui permistum est, ad conuenientes euacuationis vias non peruenit, & neque per lienem, neque hepar, ad renes penetrare potest, sed in venis mesaraicis gastricisque & epiploicis citra hepar subsistit. Nam quod Guarionius non in primis viis hanc aquam colligi, sed chylum in vapores resolui, qui in cauitate abdominis in vapores concrescant, vero consentaneum non est. Dissectis enim hydropicis ipsa viscera aquâ turgida reperta fuerunt, quæ postea in ventris cauitatem fluxit. Neque etiam semper adest calor torrefaciens. Verùm de loco collectionis dicentur plura ob materiæ connexionem *quæstione seq.*

Caussæ

*Cur serum in primis viis subsistat?*

Caussæ autem, cur in primis viis aqua & serum, quod cibo & potui permistum est, subsistit, supra explicatæ sunt. Nimirum non ipse chylus, atque serum in eo sponte vel ad lienem, vel ad hepar & hinc ad renes ruit, sed à partibus istis attrahitur, inseruiúntque διαδόσει & distributioni chyli, ac seri, quod in eo est, duo viscera, hepar & lien, quæ serum in chylo etiam ad se trahunt, & porrò ad renes amandant. Maiorem tamen partem seri & aquæ, & quidem per vias propiores è ventriculo lien ad se trahit, & τὰς ἰκμάδας περιττάς, humiditates superfluas, vt Aristoteles docet, ad se trahit, vt pluribus *in tractatu de Scorbuto* monstratum est: reliquum, & quod distributioni chyli ad hepar satis est, cum eo simul ad hepar transit, & officio suo functum, è vena cauâ ab emulgentibus venis attrahitur, & per renes ad vesicam è corpore euacuatur. Ex quo patet, caussam hydropis non minus in liene, quàm hepate, imò forsan sæpius, quàm in hepate hærere.

*Distributio seri quomodo impediatur?*

Distributio autem ista seri læditur facultate attractrice (imò etiam expultrice) vel læsa, vel impedita, vel ob errorem externum frustratâ. Carolus Piso quidem in ea est sententia, serum ideo in corpus distribui, quia sit confusum sanguini, & per necessariam concomitantiam trahatur. Trahi autem sanguinem propter indigentiam habitu corporis inanito; non verò trahi, vbi nulla est eius indigentia. Ideóque inter hydropis caussam etiam refert Plethoram, seu plenitudinem in toto, ob quam & indigentiam nullam attractio in toto & consequenter in visceribus cesset: inprimis tamen hic eam saltem plethoram admittit, quæ fit ex menstrua purgatione & hæmorrhoidum fluxu suppresso: eam verò plethoram, quæ ab aliis caussis fit sanguinem non serosum, sed potius crassum gignere existimat. Serum autem in plethora ea plurimum abundans à reliquo secretum per se exsudare in cauitatem abdominis scribit.

Verùm abundantiam sanguinis in toto vix hydropis caussam constituendam puto. Etenim etsi facilè comedam, illud serum, quod venæ cauæ inest, per necessariam cum sanguine concomitantiam in totum corpus distribui; tamen alio modo sese res habet in prima coctione & chylo, habétque lien facultatem aquosa attrahendi, etiam sine chylo, quod & Hippocrates & Aristoteles docent, & experientia testatur, cùm post vinum, vel cereuisiam, vel alium potum largius haustum, paulò pòst aqua, quæ in eo est, eâdem ferè quantitate, quod etiam in thermis & acidulis accidit, per vrinas excernatur, quod per lienem fieri plerique doctiores Medici concedunt. Ideóque collectio aquæ & seri potius in organis, quæ distributioni chyli inseruiút, quam in venâ cauâ quærenda est. Et si collectio seri in vena caua ideo facta, quod attractio in habitu corporis cesset, fieret, facilè vel per sudores vel per vrinam & consuetam viam euacuari posset, vt non opus sit, eam in abdomen regurgitare & penetrare. Quapropter quod distributio seri debito modo non fit, læsa facultate attractrice fit, ideo quod in visceribus, hepate & liene inprimis, calor natiuus actionum omnium instrumentum deest. Deest autem calor in visceribus, vel quia extinguitur à nimio refrigerantium vsu, quæcunque illa sint, seu assumpta seu extra applicata; vel suffocatur, quod fit in plethora, præcipuè ex mensium & hæmorrhoidum suppressione, vtpote in qua serosi humores vnà cumulantur, & viscerum horum calorem suffocant; vel dissipatur, quod fit ab omnibus, quæ calorem viscerum dissipant & humidum primigenium eorum absumunt & exsiccant, vt febres ardentes, vini potentis vsus continuus, medicamenta nimis calida.

Secundò impeditur seri distributio propter vasorum angustiam. Etsi enim attractrix salua esse possit, & per se non lædatur: tamen si angustia aliqua sit in vasis, per quæ transit serum, nulla fit attractio, quia non affluit id, quod attrahi debet. Angustia autem hæc fit plerumque ab obstructione à multis crassis viscidísque humoribus, vnde diuturnas & præcipuè quartanas febres sæpe sequi solet hydrops. Si quis etiam angustiam à compressione vasorum in scirrho viscerum & aliis tumoribus addere velit, cum eo equidem non multum pugnauerim; hoc tamen certum est, in scirrho etiam simul obstructionem adesse, neque humores illos induratos saltem extra vasa, sed etiam in vasis hærere.

Tertiò ob errorem externum seri & aquæ distributio non fit, cùm ad lienem præcipuè plus eius confluit, quam vel attrahi, vel iterum euacuari possit. Fit hoc, cùm lien ipse calidior plus, quam debebat, & auidius humorem aquosum attrahit, vel cum in siti nimia potus nimius hauritur. Ita memini puellam in febre tertiana, cum intensius sitiret, & integrum cantharum cereuisiæ secundariæ vno haustu ebibisset, in hydropem incidisse, quæ tamen aquæ per aluum eductione, inprimis Mechoacannæ vsu, iterum conualuit. Sic refert etiam Carolus Piso, adolescentem quendam cum in tertiana aquam intemperantius bibisset, sub eius declinatione in Ascitem incidisse, sed illum vnius tabulæ Diacarthami vsu, aquâ in abdomine restitante per aluum affatim redditâ, breui restitutum fuisse.

*Caussa recidiua in Hydrop.*

Quanquam verò hîc quidam obiiciunt, non solum seri in primis viis retentionem, sed sanguificationem læsam caussam hydropis esse ideo, quod pauci hydropici, etsi aqua semel fit euacuatâ, seruentur, sed in idem malum recidant, quod indicium sit, sanguificationis læsæ, quæ, etsi aqua semel euacuata sit, iterum eam generet: tamen id nostræ sententiæ non officit. Equidem concedimus, paucos hydropicos seruari, & quidem ob calidum natiuum & humidum radicale in visceribus absumptum, quæ restituere impossibile est. Fit tamen tùm Hydrops non tàm ob sanguificationem, quàm attractionem læsam.

Quod etiã accidit, si lien vel hepar inueterato scirrho laborent, vt nec rectè attrahere possint, nec humoribus transitum præbere. Cum verò ista mala inueterata curare impossibile sit, etiam hydrops inde ortus curari non potest. Præterea læditur quidem sanguificatio, vnde etiam tandem atrophia partium inferiorum sequitur: sed læsa illa sanguificatio non est caussa hydropis, sed potiùs ab hydrope ortum habet, cum scilicet aqua hepati & visceribus omnibus in abdomine circumfusa, ea corrumpit.

Atque ex his omnibus, quæ hactenus dicta sunt, patet, vera quidem esse pleraque quæ antiqui de caussis hydropis protulerunt, sed iis potius vt caussis remotis, quam proximis. Et licet concedatur, ab intemperie viscerum frigida, aut potius calidi natiui & humidi radicalis in iis defectu peculiari, scirrho item & diuturnis obstructionibus ac substantiæ viscerum corruptione hydropem oriri, sicut nec negatur, ab hisce vitiis etiam sanguificationem lædi, quia tamen non solum alteratrix facultas viscerum, sed & attractrix ab iisdem caussis læditur, hoc iam in quæstione est; an serum & aqua, quæ in hydropicis colligitur, alteratricis, seu sanguificationis vitio generetur, an verò potius attractricis culpâ cumuletur, dum illud, quod aquosum est in potu & cibo, non attrahitur, & per conuenientes vias euacuatur, sed mox in primis viis restitat: quorum hoc probabilius esse, hactenus monstratum est.

*An hydrops fit à sale resoluto.*

Et vt tandem in hac de caussis hydropicis disceptatione superioribus aliquid adhuc de Paracelsi & eius sectatorum sententia addamus, eos à sale resoluto hydropem deducere, supradictum, & quidem plerique proximam hydropis caussam statuunt sal aluminosum, quod alij etiam tartarum aluminosum appellant. Resolui autem sal illud aluminosum & liquescere à variis caussis statuunt. 1. ab influentia interni cœli microcosmici, seu stellæ hydropicæ & aquosæ, à qua pluuia interna moueatur, quæ salem attingens illum liquefaciat. 2. à propria

propria natura falis, qui natura fua in refolutionem abire aptus natus eft. 3. à Diæta aquofa & cibis humectantibus & potu minus conueniente. 4. à fimilibus morbis, qui falem refoluere poffint, de qua re Paracelfus *in duobus tractat. de Hydrope, lib. 2. de tartaro tract. 2. c. 6.* Scheunemannus, *in medicin. reformat.* Petrus Seuerinus, *in Idea Medicin.*

Verùm enim verò Primò etfi aqua Hydropicorum falfa fit tamen ex refolutione falis coagulati vel aluminofi eam factam, nunquam probatum. Nam quæ de pluuia illa interna dicuntur, allegorica funt, & magis Rhetorum, quam Phyficorum & Medicorum Scholis apta, in quibus allegoriis ludere non decet. Deinde omnino falfum eft, aquam illam ex vifcerum fale refoluto factam effe; cum partes eæ in hydrope fæpe integræ fint. Et fi fal eorum refolueretur: tamen tanta copia aquæ inde colligi non poffet. Præterea notum eft, falem non liquefcere & refolui, nifi à partibus oleofis terrenifque, quibus admixtus eft, feparetur, quod in hydropicis non accidit. Vnde quæ de cauffis refolutionis ab iis dicuntur, fruftra afferuntur, & partim aliena, partim falfa funt. Si fal purus alicubi effet in corpore in magna copia, à cibo & potu fimilibufque cauffis forfan liquefcere poffet: verum cum talis non detur, fruftrà ifta afferuntur.

## QVÆSTIO III.

### *Per quas vias aqua Hydropicorum in cauitatem abdominis perueniat?*

Poftquam hactenus dictum, quomodo aqua in hydropicis primò circum vifcera colligatur, iam porrò quæritur, per quas vias collecta in abdominis cauitatem perueniat, de qua re inter autores variè difputatur. Hippocrates hac de re aphorifmum habet, 7. *fect.* 55. *Quibus*, inquit, *iecur aqua refertum in omentum eruperit, his venter aqua repletur, atque moriuntur.* Quem aphorifmum ita Galenus explicat: *Maximè*, ait, *epar obnoxium, generandis in ea tunica, quæ extrinfecus ipfum ambit, veficulis aquâ plenis vulgò dictis hydatidibus. Siquidem in iugulatis animalibus apparet, interdum talibus veficulis refertum. Si ergo acciderit, vt tales veficulæ rumpantur, in eam peritonæi regionem aqua effundi-tur, quæ eft fecundum hypogaftrium.* Verum cum dicat Hippocrates, aquam non in abdomen, fed in omentum erumpere, omentum verò folidum fit, fibique vndique conftans & denfum, vt nihil in fe ex parte alia introlabi & erumpere finat, præterquam ex liene, illifque partibus, vnde nafcitur, aut exedi putat Galenus peritonæum parte illius dextra, quâ iecori propinquat, aut illud, *in omentum erumpit*, in omenti locum explicandum exiftimat. Verum verbis Hippocratis vix confentanea eft illa Galeni explicatio. Exprefsè enim Hippocrates loquitur non de aquæ in abdomen, fed in omentum eruptione.

*Secundum Hippocratem.*

Alij, vt Fernelius, *lib. 6. de part. morb. & fympt. cap. 8.* eos turpiter hallucinari putant, qui exiftimant per anguftos cæcófque poros ferofum humorem transferri in capacitatem abdominis. Nam, *inquit*, hac ratione peræquè omnes inuaderet & diftribuendis humoribus videretur natura inutiliter vias ductúfque tam multos deftinâffe. Adde, quod in iis, quos ex vrina per dies 20. fuppreffa extinctos nouimus, aquæ nihil deprehenfum eft per cæcos illos ductus in abdominis fpatium defluxiffe, quoniam integra nec pertufa fanguinis ferique receptacula. Ipfe verò putat, vifceris fubftantiam ficcitate & humoris penuria, ceu rimis quibufdam dehifcere, eorúmque ambientem membranam diffringi, vt non amplius ferum tenue continere poffit; fed id renum more elabi finat, atque fenfim, quafi ex fiffa olla ftillare in vacuum abdominis fpatium.

*Fernelium.*

Verùm enim verò præfupponit hîc Fernelius in omni hydrope hepar affici, quod tamen cum experientia non confentit, & fæpe hepate faluo & rimis talibus non apparentibus, atque integre hepar ambiente membrana hydrope quofdam mortuos effe compertum eft. Neque etiam credibile eft, in corpore viuente tantam ficcitatem induci poffe, vt fubftantia partis præ ea rumpatur & dehifcat: & licet verum fit, cauffas calidas, vt vini calidioris nimium potum, calidorum medicamentorum frequentem vfum, & morbos calidos hydropem inducere poffe: tamen de eo adhuc quæftio eft, quomodo calida ifta hydropem inducant, An ficcando hepar, vt rumpatur & dehifcat; An verò potius eius calidum natiuum diffipando & humidum infitum abfumendo; quod pofterius probabilius eft. Et fi à dehifcente hepatis fubftantia hydrops oriretur, omnis hydrops effet incurabilis. Licet enim aqua vel per παρακέντησιν, vel per purgationem educeretur: tamen tantundem quotidie iterum influeret. Veficas illas feu hydatides hepatis quod attinet, licet illæ procul dubio etiam in brutis, & aliis animalibus dentur: tamen nec ex illis tantum feri fluere poteft, quantum ad hydropem conftituendum neceffarium eft. Et licet in ouibus & aliis brutis frequenter hæ veficæ confpiciantur: nemo tamen propter eas illa hydrope laboraffe deprehendit. Neque quæ contra cæcos illos meatus affert, fatis firma funt. Neque enim fi iis apertis hydrops fiat, omnes in hydropem incidere neceffe eft, cum id non fiat, nifi adfit magna ferofi humoris quantitas, qui vel copia vel acrimonia vaforum orificia aperit. Quod verò quidam, qui ex vrina diu fuppreffa extincti funt in hydropem non inciderunt, cauffa eft, quod ferum iam vltra hepar penetrauerat, non in primis viis, quod in hydropis generatione fieri folet, fubftitit. In eo tamen affentimur Fernelio, quod non fimpliciter ad occultos meatus confugiendũ fit. Ipfi enim illi manifefti ductus venarum, quibus fanguis & chylus, ac ferum, quod in illis eft, defertur, fuffi-ciunt: Si nimirum eorum orificia aperiantur, & humoremaquofum exftillare finant.

Cum Fernelio confentit Platerus, qui cauffas, ob quas hepar exiccari & dehifcere poffit, recenfet. Idem tamen alias etiam plures cauffas addit, & in abdominis cauitatem ferum defluere poffe putat, ex hepate & liene exulcerato vel contufo & vulnerato; à renibus item fi eorum continuitas foluatur; à venarum omentum & mefenterium perreptantium, vt & aliarum partium in ventre inferiore, vteterum puta & veficæ continuitate foluta.

*Platerum.*

Verum hepatis & lienis vulnera, contufionem & exulcerationem quod attinet, æger prius ex his morbis moreretur, quàm tantum feri per ea efflueret, quantum ad hydropem neceffarium eft. Reliquas cauffas quod attinet, omnes ad feri in abdomine collectionem facere poffe putamus, fed raræ funt hæ hydropis fpecies, & propterea eas Medici hydropis Afcitæ nomine non comprehendunt, & aliam etiam curãdi rationem, quàm vulgaris hydrops, requirunt.

Adrianus Spigelius, *de corp. hum. fabr. lib. 8. c. 6.* tres vias agnofcit. Prima eft illa Fernelij per membranam hepatis ruptam. Addit tamen, hanc Fernelij opinionem haudquaquam femper veram effe; cùm ex iecore aqua etiam fine manifefta continui folutione fiue tunicæ & membranæ exterioris, fiue etiam ipfius fubftantiæ effluere poffit. Alteram viam ponit venas, quæ per omentum differinantur, quarum tunicas vel copia dilatat, vel acrimonia exedit.

Tertiam viam aliis ignotam addit, lobum exiguum in caua hepatis parte iuxta portas, qui in ipfam omenti cauitatem totus reconditur, & fubftantia eft molliffimâ, ac tenera membranâ obtegitur, quæ facilè rumpi poteft.

Verùm,

Verùm, vt dictum, ipſe Spigelius agnoſcit, primam viam non ſemper locum habere. Eadem & ratio eſt tertiæ viæ. Neque enim per lobum illum exſudare poteſt aqua, niſi vbi in hepate copioſa continetur, quod non ſemper accidit. Neque experientiâ probatum, ſeroſam illam materiam tantum ad lobum illum confluxiſſe, id quod probandum erat: ſiquidem in morborum cauſſis inueſtigandis videndum quid fiat, non quid forſan fieri poſſit. Et ſi aliquando contingat: tamen ex iſto lobo in omentum defluit, & hinc in abdominis cauitatem deſtillat.

Itaque verbotenus Hippocratis ſententiam retinemus, qui in omentum aquam erumpere dixit, & eorum ſententiam probabiliorem putamus, qui è venæ portæ propaginibus per omentum ſparſis, & præcipuè ramo, qui Gaſtroepiploicus dicitur Recentioribus, in omentum aquam in venæ portæ ramis ſubſiſtentem fluere, & hinc vel tunicis earum rarefactis per διαπήδησιν aut oſculis illarum patefactis per ἀναςόμωσιν aquam in abdominis cauitatem influere ſtatuunt. Si enim, vt *quæſt. præced.* dictum, aqua illa, quæ cum cibo & potu hauritur, in primis viis ſubſiſtat, eáque neque ad lienem neque ad hepar trahatur, atque hinc ad renes peruenire non poſſit, cumulatur in illis viis, & niſi ad ventrem refluat, in omenti, vt partis laxæ, venas ruit, eáſque aperit. Aut licet ad lienem perueniat, vel ad cauum hepatis pertingat, inde tamen ad omentum facilè peruenit. Et docet idem *alibi* etiam Hippocrates. *libro* 4. *de morb.* Nam ita ſcribit: *In ventriculum autem etiam potus fertur, quò cum expletus fuerit, ab eo lien recipit, & ad venas & omentum tranſmittit.* Et *lib.* 1. *de morb. mulierum:* Cum febris vehemens hominem detinuerit, neque dimiſerit, ſitiſque valdè corripuerit, & biberit, quod ad veſicam defertur, per vrinam redditur: Lien verò quod reliquum eſt, ex ventre ad ſe raptum ſuſcipit, cum ſit rarus & ſpongiæ ſimilis & prope ventrem ſitus. His ita ſe habentibus, ſi neque exſudauit, neque in ventrem dimittatur, ex eo ſplen attollitur, idque magis, ſi aqua epota fuerit. At ſi quis ipſum attrectet, mollis eſt, veluti lanæ tomentum, interdum etiam durus ac renitens. In tumorem autem ſublatus & oppletus per venas aquam in corpus tranſmittit, præcipuéque in omentum & partes ventriculum ambientes. Idem in meſenterio accidere, & humores ſeroſi ibidem ſubſiſtere poſſunt, quod Hippocrates etiam concedere videtur, *lib.* 4. *de mor b. mulierum.*

Autoritatibus hiſce ſubſcribit ipſa ratio. Cùm enim non raro ex ſubita potus repletione hydrops fiat, lien verò potulentæ materiæ maximam partem attrahat, in omentum procul dubio ex liene defertur, & deinde in ventrem deſtillat. Poteſt tamen idem etiam fieri, ſi in meſenterio ſubſiſtat. In corpore enim vbi in vnaquaque parte plus, quàm par ſit, aut quàm continere poſſit, humoris cumulatum eſt, altera ad alteram tranſmittit, vt loquitur Hippocrates, *lib.* 1. *de morb. mulier.* Nulla verò vicinior, & magis commoda pars eſt, in quam lien, vt & meſenterium ſeſe exonerare poſſit; quàm omentum, vtpote quod venas à ſolâ venâ portæ habet, & ſuperior quidem membrana vtramque gaſtroepiploidem dextram & ſiniſtram inferior autem epiploiden dextram, & poſticam; Arterias totidem à cœliaco & meſenterico ramo. Præterea ſi febrium intermittentium & aliorum morborum latentium hic focus eſt, vt vult Fernelius: credibile etiam, hîc cauſſam hydropis inprimis quærendam eſſe, vt qui febres diuturnas, obſtructiones pertinaces, cachexiam & alios huiuſmodi morbos ſequitur. Rationi denique ſubſcribit experientia, quod in diſſectis hydropicis omentum plerunque vitiatum deprehenditur. Ita in ancilla illa hydropica, de quâ Heintzius, omentum corruptum repertum eſt, liene & hepate ſaluo. Columbus autem, *lib.* 15. *anatomiæ*, lienem & hepar ſaluum reperit in hydropica, in omento verò refertiſſimum abſceſſum. Ego quoque in ſtudioſo quodam in Noſocomio Academiæ Hydrope & Scorbuto mortuo hepar & lienem ſaluum reperi, omentum verò totum penè putredine abſumptum. Et talia procul dubio quotidie obſeruare eſt.

Non tamen excludendum hîc eſt Pancreas. Cum enim in ſiniſtra parte prope lienem ſitum ſit, & in medio ſplenicam venam ad lienem tranſeuntem, ſimul & cœliacæ arteriæ ſiniſtrum ramum habeat, facilè etiam in eo ſeroſi humores colligi poſſunt. Scribitque Rondeletius, *cap.* 35. *Pract. Id annotatione dignum eſt, quod ex frequenti corporum diſſectione obſeruaui, omnes hydropicos glandulas meſenterij induratas habere* & pancreas ſimiliter.

Etſi verò quis hic obiicere poſſet, quod Hippocrates, *allegato aphoriſmo* 7. *ſect.* 55. ſcribat, quod quibus hepar aquâ plenum in omentum eruperit, illis ventrẽ aquâ repleri & mori; cùm tamen non omnes hydropici moriantur, atque ita non ex omento aqua deſtillaſſe videatur: tamen ſciendum, non ſemper aquam ex hepate in omentum deponi, ſed etiam ex liene. Deinde non ſemper, vbi hepar aqua plenum eam in omentum deponit, ægri moriuntur, ſed vbi in omentum erupit. Vox enim ῥαγῆ apud Hippocratem, vt etiam Foeſius, *in Oeconomia*, monet, ſemper violentam & periculoſam eruptionem ſignificat, vt hoc loco Hepar valde corruptum ſupponatur, & eruptio iſta vltimus naturæ conatus ſit.

## QVÆSTIO IV.

### *An Rhabarbari vſus in curatione Hydropis vtilis ſit?*

De Rhabarbari vſu in hydrope Medici diſſentiunt. Plurimi equidem id valde commendant, ſcribitque Guilielmus Placentinus, *c.* 120. Indubitanter credat omnis homo, quod ſolum cum exhibitione Drach. ii. rhabarbari pulueriſati & cribellati exhibiti in aurora mixti cum Vnc. ii. oxymel. compoſ. & Vnc. iii. vel iiii. decoct. lactucarum, ſcariolæ & radic. fœnicul. multos curauimus. Exhibet autem de tertio in tertium pro virium ratione. Aliis verò diebus, quibus non datur rhabarbarum, exhibet ante prandium & cœnam Vnc. i. ß. oxymel. ſcillit. vel compoſ. in aqua decoct. lactucæ, ſcariol. & rad. fœnicul. Quod remedium etiam probat Eraſtus, quanquam omnes ſumptus rhabarbari ferre non poſſint. *An Rhabarbari vſus in Hydrope conueniat? Sententia Placentini.*

Alexander Maſſaria v. rhabarbari vſum in hydrope improbat, ideo, quod Galenus ſcribit, *in libello de med. purg. fac. cap.* 2. medicamenta, quæ flauam & nigram bilem purgant, dare in hydropicis inutile eſſe: Et quod Rhabarbarum præcipuè bilem purgat, quæ aquoſum humorem quodammodo coercet. Maſſariam ſequitur Ludouicus Septalius, *med. obſeru. lib.* 7. *num.* 54. eaſdem ob cauſſas. Verùm hîc ad hydropis cauſſam reſpiciendum. Etenim ſi hydrops originem habeat à bile, quæ per venas meſaraicas ipſumque hepar diſperſa calorem natiuũ viſcerum corrumpit, & ſæpe etiam, ſi ſit craſſior, pertinaces obſtructiones parit, imò in calculos quandoque degenerat, quod fit ſæpe poſt icterum longum & diuturnam febrem, tunc non incommodè rhabarbarum vſurpatur, quod humorem bilioſum euacuandi viſceráque roborandi vim habet. *Maſſaria.* *Lud. Septalij Autoris.*

Et cum abſinthium, quod in hydrope plurimum prodeſſe omnes concedunt, non paruam cognationem (etſi vis aperiendi in abſinthio minor ſit) habet. Et ratio illa Maſſariæ de bile, aquam quodammodo temperante, ſaltem locum habet, vbi in vena caua illa conſiſtit. Serum verùm in abdomine contentum temperare non poteſt. In aliis verò cauſſis non ſine diſcrimine vſurpandum, ſed magis hydragogis ſupra enumeratis fiden

fidendum; etsi rhabarbarum roborandi viscera gratiâ addi possit.

## CAPVT IV.

### *De Tympanite.*

*Tympanites.* SEcunda Hydropis species est Tympanites, cui nomen à tympano inditum, cuius sonum refert venter flatibus extensus, si manu percutiatur. Antiquiores vt ipsum ab Ascite seu aquoso hydrope distinguerent, siccum hydropem nominare consueuerunt, 4. *aph.* 11.

### *Caussæ.*

*Caussa.* *Caussa* proxima & continens est flatus in abdominis cauitate & sæpe etiam intestinis inclusus. Obseruauit enim Platerus, flatus non solum in abdominis cauitate, sed & intestinis retentos hunc tumorem excitasse, deprehenditque, in quibusdam, qui tympanitici putabantur, post mortem sectis nullum flatum è ventris cauo erupisse, nec ventrem subsedisse, sed intestina, præsertim tenuioria, adeò flatibus distenta & conuoluta prosiliisse, vt in eundem ventrem amplius reponi nequirent, mirumque fuerit, quo pacto in ventre adhuc clauso contineri potuerint. Simile quid obseruauit, Smetius, vt *miscell. lib.* 7. *ep.* 4. refert, Antuerpiæ in puerpera quadam, quæ durante puerperio, ex animi ægritudine mortua est, in cuius dissecto corpore intra peritonæum extra intestina ne guttula quidem aquæ, nec flatûs quicquam inuentum, verum vniuersa intestinorum volumina, imò vnà ventriculus ipse, flatibus distenta & pellucida & tantum non omnis excrementi vacua visa fuerunt.

*Tympanites rarò à solo flatu fit.* Rarò tamen solus flatus reperitur, sed plerumque aquæ permixtus: prædominatur tamen in tympanite flatus, sicut in ascite aqua, & ab alterutro denominationem tumor accipit. Ita tamen interdum miscentur, vt vtrum ad ascitem, an verò tympanitem hydrops referendus sit, ambigas. Interdum etiam asciten flatus præcedunt, sicut & tormina circa vmbilicum, proculdubio ex flatibus orta, 4. *aph.* 11. Refertque Schenckius *lib.* 3. *obseru.* 126, ex obseru. D. Francisci Tidicæi, virum quendã sexagenarium satis alioquin corpulentum aliquot menses antequam ipsi per aquæ accumulationem in manifestum tumorem attolleretur venter, hoc symptomate infestatum fuisse, quod quotiescunque assidens mensæ cibum sumpturus & iam mandere cibum aggrediens, tanta corripiebatur anhelandi difficultate, vt pro crebritate respirandi suffocationis periculum præ se ferret, vt ex eo cibum semimansum ex ore reiicere subinde cogeretur. Idem in hoc symptoma incurrebat, quotiescunque se ad somnum componens iam obdormiscere inciperet. Ipse verò affirmabat, se eo tempore percipere circa hypochondria palpitationem quandam, atque omnino tale quid, ac si præcordiis aliquid viui animalis subesset. Hic vir tandem ascite perit; Cuius hepar cum aperiretur, illius abdomen, quantum externam eius faciem attinet imò dissectum, nihil ferè à sana hepatis constitutione differre visum fuit, neque quicquam in eo vitij, sicut nec in alio viscere, oculis notari potuit.

*Tumoris totius corporis historia dua.* Cuius symptomatis caussa procul dubio fuit flatus in hypochondrio generatus, qui variis modis, vt de scorbuto dictum, respirationem lædere potest, qui postea ascitem tympanitæ mixtum produxit.

Rarum verò est illud, quod idem Smetius, *loco allegato*, recenset de Tympanite, quem appellat vniuersali, aut potius sarcite flatuoso in iuuene quodam robustissimo Leodiensi, qui cum in conflictu subter axilla dextra ad insertionem musculi brachium adducentis vulnus accepisset, quod punctim factum, inter tertiam & quartam costam, quod in pectoris grauitatem penetrauit, postridie vulneris accepti toto corpore post vnicam noctem manè turgidus apparebat, non solum pectore, sed & dorso, ventre, lumbis, imò scroto quoque, præterea & brachiis, humeris, collo, vultuque, vt ne palpebras quidem deducere posset, quin etiam in vertice ipso, cute vbique distenta & tumefacta: tumor erat tensus, & cum dolore non paruo, qui tamen linimentis dissoluentibus corpore inuncto paulò post euanuit. Simile quid, etsi in partibus saltem quibusdam anno 1623. mense Iulio obseruaui hic in studioso quodam, qui vulnus accepit noctu in pectore gladio angusto in dextra parte circa tertiam costam prope alam antè in pectus adacto & in dorso proximè spinam exeunte, vt de læso pulmone nihil dubitandum fuerit, cum etiam spiritus cum sono maximo è vulnere exiret. Huic latus dextrum vsque ad diaphragma & collum etiam circumquaque intumescebat; qui tumor tamen postea discutientibus cataplasmatis adhibitis euanuit.

Caussam vniuersalis illius tumoris (proculdubio eadem & particularis illius, quem modò recensui, fuit,) refert Smetius in sufflationem pectoris per vulnus axillare obligatũsubter cute nota nocte illa factũ, quomodo vesicam recentem & flaccidam inserto calamo à pueris inflari videmus. Cui, modò ista opinio rectè explicetur, assentimur. Etenim pulmo respirationis organum est, per quem & fuligines è corde expelluntur, & aër attrahitur; Quæ actio, pulmonis substantiâ integra & vasis omnibus saluis rectè perficitur; & aëris ille commeatus est ad cor, & fuliginum à corde. Si verò pulmo vulneretur, & simul inter musculos duos vel musculos & cutem, aëri via pateat, quod in vtroque vulnere factum, aër, vt debebat, non rectà per os & pulmones ad cor transit, neque rursum fuligines è corde rectà ad os, sed aër è vulnere, quasi è folle, in spatiũ inter cutem & musculos inflatur, & hinc porrò in vicina penetrat. Etsi catarrhi ac serosi humores à capite sub cute totũ musculosum genus peruadere, & per collum ac dorsum ad crura vsque & pedes penetrare possunt, cur non & aër ac spiritus flatulentus idem facere possit? Ac videmus cutem etiam in multis animalibus, vt columbis, dum pro esca parantur, inflari posse. Morbus tamen hic Tympanites, ad quem eum refert Smetius, non est; sed in studioso illo vulnerato fuit dextri lateris inflatio, in altero totius corporis.

Quomodo autem hi flatus in Tympanite generentur, non ita planum est, & alij aliter ea de re sentiunt, de quo postea *quæst.* 1. dicetur. Nos hoc loco breuiter statuimus, flatum crassum huius hydropis caussam esse, qui quomodo generetur, in Instit. *lib.* 2. *p.* 2. *c.* 7. dictum. Nimirum duo ad flatus generandos requiruntur Primò materia crassa, & quidem plerumque bilis atra. Cum enim ij, quibus atra bilis ventriculo substrata est, flatibus abundent, & ructus plurimos interdum edant, imò sæpe maxima pars ciborum in flatus commutetur si illi flatus retineantur, abdomen distendunt, & hanc hydropis speciem producere possunt. Neque enim in hepate solum huius morbi caussa quærenda est, sed sæpe inprimis viis; vnde rectè Hippocrates, 4. *aph.* 11. *Quibus tormina adsunt, & circa vmbilicum cruciatus ac lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter soluuntur, in siccum hydropem firmantur.* *Quomodo flatus in Tympanite generentur?*

Deinde caussam efficientem quod attinet, equidem, vt in Institut. *loco allegato* dictum, calor debilis dicitur caussa flatuum, sed non simpliciter talis, verùm ratione materiæ, vtpote quam vincere & discutere non valet; imò sæpè præternaturalis & satis magnus est, ac in materiam totam subitò & violenter agit, eãque agitat, quod in tympanite plerumque fieri existimamus *Quomodo calor debilis fit caussa flatuum.*

mamus. Etenim si calor planè debilitatus & infirmus esset, in materiam non ageret, neque flatus excitarentur. Chylus enim, si sub calore blando versatur in venis mesaraicis, primum sanguinis rudimentum accipit, serumque, quod in eo est, cum chylo relinquitur, donec nimirum suo tempore per conuenientes vias euacuetur. Si verò nimius & torrefaciens quasi calor ille sit, quod subtile & resolutioni aptum est, statim in vapores & flatus resoluit, qui in abdomen distribuuntur. Hepatis tamen & lienis intemperiem non planè excludimus præcipuè in sima hepatis parte, vbi vena portæ ei inseritur. Nam si & illa sua caliditate & siccitate affluentem chylum non blando calore in sanguinem laudabilem mutet, sed eum torreat quasi, quod in eo subtile & resolutioni aptum est, in flatus resoluitur. Atque ita Ascites & Tympanites differunt ratione materiæ & efficientis. Materia enim in Tympanite est melancholica magis; calor verò torrefaciens & adurens; vnde etiam interdum ad remedia frigefacientia confugiendum est, scribitque Mercatus, si hæc omnia præsidia (calefacientia scilicet) non prosint, vtendum esse Hippocratis consilio & prudentia, qui cum multis diebus vsus fuisset in hisce doloribus, calefacientibus & nihil commodi inde percepisset, transiit ad frigida magnâ cùm vtilitate.

*Per quam viam flatus in abdominis cauitatem perueniant?* Per quam autem viam flatus in abdominis cauitatē perueniant, & vbi hæreant, etiam non ita expeditum est, de quo *quæst.* 2. dicetur. Nos breuiter statuimus, partem chyli tenuem & serosam in venis mesaraicis in flatus mutatam vel per orificia venarum mesaraicarum in ipsam intestinorum cauitatem sese insinuare, vel in mesenterium penetrare, atque inter tunicas illas coërcitos eos tandem permeare & in abdomen penetrare, vel etiam aliquam humoris serosi partem à calore viscerum circumjacentium in vapores resolui, qui cum exitum non inueniant, in abdomine cumulantur, idque distendunt.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* In Tympanite venter digitis percussus sonum instar tympani edit, & moles, abdominis minus grauis, quam in ascite, sentitur. Præcesserunt rugitus ventris & tormina diuturna circa vmbilicum, & lumborum dolor: ægro supino iacenti venter distentus ac durus manet, extrema non adeo tument.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Tympanites inter omnes hydropis species periculosissima est, quia plures partes intemperie, eaque sicca & habituali affectæ sunt, & plerumque etiam contrariæ intemperies concurrunt; & quo magis inueteratus est, eò periculosior est.

2. Tympanites, qui fit ab atra bile multa in ventre redundante, ferè lethalis est, & frustra ægro medicamenta adhibentur.

3. In sicco hydrope stillicidium vrinæ malum est, Hippocrates, *in Coac. lib.* 2. *aph.* 19.

### *Indicationes & Curatio.*

*Indicationes.* Materia, vnde flatus eleuantur, euacuanda, & caussa, quæ eos attollit, remouenda. Flatus verò, qui iam ventrem distendunt, discutiendi & dissipandi.

Ideoque si pituita adsit, simulque aqua, phlegmagoga & hydragoga exhibenda, ferè vt in Ascite; cum rarò tympanites fit sine aqua. Quia tamen flatus præualent in Tympanite, minus euacuandum, flatus verò discutientia semper præualere debent. Quapropter pro materiæ antecedentis, è qua flatus generantur, euacuatione, vsurpanda ea, quæ ad hepatis obstructiones, vt lienis & venarum mesaraicarum, sunt vtilia, & ad inflammationem ventriculi vsurpantur, vt pilulæ de hiera cum agarico, stomachicæ, aggregatiuæ, de rhabarb. & similes.

Vel ℞. *Mass. pilul. de hiera cum agarico, turbith. electi, rhabarb.* an. ℈. ii. *fol. soldanellæ* ʒ. ß. *rad. asari* ℈. j. *trochisc. alhandal. elaterij, nucis moschat. galangæ, cinamom. piperis, cubebar.* an. ℈. ß.

Puluerisanda puluerisentur & excipiantur omnia *succo iridis*, & fiat massa, cuius dosis Scrup. ii. vel Drach. j.

Cum *oxymel. scillit.*

F. Pilulæ mediocres. Plura huius generis purgantia *cap. praeced.* sunt proposita.

*Flatus discutientia. Simplicia.* Ad flatus discutiendos conueniunt *calamintha, pulegium, hyssopus, thymus, saluia, rosmarinus, fœniculum, anisum, cuminum, baccæ lauri, & huius generis alia.*

*Composita.* E compositis: *Species dianis. diacalaminth.*

Electuar. *de baccis lauri.*

Vtile est & hic puluis, qui simul concoctionem adiuuat.

℞. *Galang. cinam.* an. ʒ. j. ß. *piper.* ℈. j. *cort. citri siccor.* ʒ. j. *sem. anisi, carui* an. ʒ. ii. *ligni aloës, nucis mosch.* an. ʒ. j. *sacch. ros. tabul. ad pondus omnium.*

F. Puluis.

Vtiles quoque sunt *clysteres* ad discutiendos flatus parati *è floribus chamæmel. anethi, origani, calamintha, ruta, pulegio, radic. Imperat. helenij. sem. anisi, rutæ, cumini, carui, baccis lauri, elect. de baccis lauri, oleo chamæmel. anethino, rutaceo, laurino, melle anthosato,* quibus & purgantia addi possunt, vt:

℞. *Fol. rutæ, flor. chamæmel. sambuci, summit. anethi* an. M. j. *sem. anisi, fœniculi, cumin., carui,* an ℥. ß.

Coqu. in aqua simpl.

Colaturæ ℞. ℔. j. *vini maluatici* ℥. iij. *benedict. laxatiu.* ℥. j. *baccis lauri* ℥. ß. *ol. rutacei, laurini* an. ℥. i.

F. Clyster.

*Externa.* Extra cucurbitulæ plures sine scarificatione toti ventri, aut vna magna cum multa flamma sine scarificatione abdomini post totius euacuationem affigantur.

Efficax est & *emplastrum de baccis lauri.*

Vtilis quoque frictio cum *succo allij*, vel manibus *oleo rutaceo* aut *laurino* inunctis facta, aut *allium in vino generoso decoctum* ac contusum abdomini applicetur. Quidam vas terreum recens amplum cinere calente replent, & *semen dauci, fœniculi, cumini* inspergunt, & panno lineo coopertum inuersumque ita calidum abdomini imponunt, vt ab ægro perferri poteſt.

Vtiles quoque sunt sacculi *ex milio & sale ac furfure torrefactis*, & *ex semine anisi, dauci, cumini, fœniculi, rutæ, lauri, pulegij. galangæ confecti.*

Vt ℞. *Summitat. anethi, fol. rutæ, absinthij, fl. sambuci* an. M. j. *sem. cumini, carui* an. ʒ. ij.

Coq. in s. q. vini ad mollitiem.

Contusis adde *emplastri de baccis lauri, vnguenti Agrippæ* an. ℥. ß. *ol. anethi, rutacei* an. q. s.

F Cataplasma.

Vel ℞. *Stercoris vaccini, caprini* an. ℥. iii. *pul. rutæ, sem. cumini* an. ℥. ß.

Cum vrina pueri incorporentur additis *sulphur.* Vnc. iii.

F. Cataplasma.

Vel paretur hoc emplastrum, quod cuti pertinacius adhæret, & satis efficax est.

℞. *Rutæ, chamæmeli, meliloti, calamintha* an. ℥. ii. *sem. carui, fœniculi, cumini* an. Vnc. j.

Coqu. omnia in vino & oleo rutaceo vel anethino. Contundantur minutim.

Addatur *gummi carannæ, ceræ,* an. q. s.

F. Emplastrum.

Cum autem sæpe in hoc affectu coniungatur viscerū intem

intemperies calida, quæ intenditur vsu calidorum medicamentorum flatus discutientium, vtendum, tùm minus calidis, & hepati succurrendum per medicamenta externa; quæ illius calorem temperant. Quam ipsam ob caussam, vt etiam vt supra dictum, circa curationem Tympanitis hoc curare iubet Mercatus, si hæc omnia præsidia prodesse non videantur, & ex calidorum vsu æger nil commodi percipiat, vt transeatur ad frigida.

## Diæta.

*Diæta.* Victûs ratio omnino flatûs sit expers. Potûs parsimoniâ adeò exquisita non est opus. Talis tamen sit potus, qui flatus potius discutiat, quam augeat, & propterea conuenit vinum dilutum ligno sassafras, cortic. citri & similibus.

## QVÆSTIO I.

### Quomodo flatus in Tympanite generentur?

*Quomodo flatus in Tympanite generentur?* Quomodo flatus in Tympanite generentur, ob Autorum diffidentes sententias non ita expeditum est. In hoc equidem omnes consentiunt, humorem crassum è primæ coctionis vitio flatibus materiam suppeditare, qui humor vel pituita, acida præsertim vel bilis atra esse potest, quæ in locis ventriculo vicinis collecta humores omnes ferè & cibos in flatus conuertit.

*Vbi?* Verum vbi, & à qua caussa materia hæc in flatus vertatur, Autores dissentiunt. Qui omnem hydropem hepate affecto fieri statuunt, etiam hic in hepate humorem illum seu chylum non in sanguinem, sed in flatus mutari statuunt. Verùm hactenus sæpius dictum, hydropem non semper hepate affecto, sed quandoque eo saluo fieri. Fernelius, *lib. 6. de part. morb. & sympt. c.* 8. caussam huius tumoris statuit esse flatum ex imbecilla coctione & cruditate genitum, in ventriculo aut intestinis cumulatum, quod iam antea docuit Galenus, qui, 3. *de sympt. causs. c.* 1. scribit, quod vltimus coctionis ventriculi lapsus in lienteriam vel tympanitem finiatur. Fernelium sequitur Platerus, qui docet, cum non alia sint viscera in ventre inferiore, in quibus flatus tam copiosè congeri possint, à ventriculo & intestinis eos prodire.

*An in ventriculo & intestinis?* Verumenimuerò rectè opinio ista explicanda est. Neque enim solum ventriculus & intestina flatuum horum qui vsque in abdomen penetrant, caussa sunt. Etenim, si in ventriculo generarentur, per ructus facilè excludi possent. Neque enim, qui in intestinis generantur, per angustas vias in abdominis cauitatem penetrant; cum satis patens via sit, vt per aluum excludantur. Ideoque quid à Galeno per primæ coctionis vitium intelligendum sit, inquirendum. Prælucet autem nobis hic facem Hippocrates. cum 6. *aphor.* 11. scribit; *Quibus tormina & circa vmbilicum labores & lumborum dolor, qui neque medicamẽtis, neque aliter soluũtur, in hydropem siccum firmantur.* Etenim si caussa huius doloris essent flatus in intestinorum cauitate, non solùm circa vmbilicum hærerent, sed per intestina vagarentur; neque dolor lumborum esset tantus, neque etiam tàm pertinax, vt nullis medicamentis cederet. Ideoque

*An intermesenterij & intestinorum tunicas?* vero magis consentaneum est, statuere eos, inter mesenterij & intestinorum tunicas primò generari plerumque, (etsi in cauitate intestinorum etiam aliqui esse possint.) Cum enim mesenterium antè intestinis tenuibus, in dorso verò lumborum vertebris à quibus nascitur, tanquam in suo centro validissimè annectatur, & torminum circa vmbilicum & dolorum in lumbis, qui hydropem siccum præcedere solent caussam reddere facilè est. Nimirum cum in primis viis id est, in vasis à ventriculo ad cauum hepatis vsque materia cruda & crassa continetur, & præcipuè si viæ illæ non satis liberæ sint, calor in eos agens flatus multos excitat.

*A quâ intẽperie generentur.* Quinam autem ille calor sit, & quænam intemperies ac dispositio vitiosa, ob quam chylus ille & materia crassa in flatus mutetur, Autores etiam dissentiunt. Plerique intemperiem frigidam esse statuunt, alij calidam esse putant, & hanc ob caussam Tympanitem ab ascite differre, & tàm difficilis curationis esse, cum caussarum contrarietas hîc occurrat, & neque sine primæ coctionis vitio, neque sine calore præter naturam hepatis tympanitem fieri existimant. Nam licet ventriculus & intestina ac partes vicinæ frigidæ sint, modò hepar adhuc bene constitutum & sanum sit; non benequidem coquere hepar statuunt, cum vitiosus chylus in bonum sanguinem mutari non possit, & flatum generare, sed paucissimum, & qui facilè discutiatur. Si verò hepatis calor natiuus debilis sit ob intemperiem præter naturam calidam, plures flatus, qui discuti non possunt, eleuari existimant.

Verùm quod hîc de calore præter naturam dicitur, id negandum hîc planè non puto, & quod supra è Christophoro Guarinonio, *consil.* 563. de Ascite protuli, id & hic locum habet, nimirum calorem in tympanite torrefacientem potius esse, quam debilem, qui in chylum non blandè agat, eumque quasi foueat, sed subtiliores eius partes in vaporem & flatum resoluat. Concedimus & hoc, calorem illum in hepate, & præcipuè eius parte caua, quâ venam portæ excipit, consistere posse, heparque ea parte esse siccius ac densius, nõ molle, vt in sanguineis, εὐσάρκοις & pinguibus esse solet. Tamen nec mesaraicas venas nec mesenterium excludendum esse puto. Etenim si eæ partes præter naturam sint calidiores & sicciores, chylum, præcipuè crudum & crassum, in flatus facilè mutabunt. Quod verò à nonnullis hîc prolixè disputatur, an flatus à calore debili vel excedente fiant, ad id respondendum primò, non solum ad agens esse respiciendum, sed etiam ad materiam, quæ vt in flatus transire possit, apta esse debet. Deinde calorem eundem posse dici debilem respectu materiæ, quam totam resoluere non possit; nimium verò respectu partis affectæ, cuius temperiem naturalem excedit.

## QVÆSTIO II.

### Per quam viam flatus in abdominis cauitatem perueniant?

*Per quã viã flatus in abdominis cauitatem perueniant? Secundum Fernelium.* Per quam viam in Tympanite flatus in cauitatem abdominis perueniant, Autores quoque discrepant, & vt quisque de generatione flatuum sentit, ita suam etiã de via in abdominis cauitatem habet sententiam. Fernelius flatum hunc ex imbecilla coctione & cruditate genitum, cum multus in ventriculo & intestinis cumuletur; & exitum naturalem non reperiat, impetu viam sibi inuenire & per cæcos tenuésque ductus inter abdominis membranas magnis cruciatibus sese inferre, ac demum vario impulsu in ipsum abdominis spatium penetrare ac deuolui, scribit. Per quas vias & tenues meatus, si eos intelligit, qui in ventriculi & intestinorum tunicis sunt: negat id Platerus; cum etiam tenuissimis membranis facilè coerceantur, & humor tenuis faciliùs transsudet, quàm flatus erumpat. Ipse verò in ostiola venarũ mesaraicarum flatus in intestinis & ventriculo sese insinuare, atque ex venis mesaraicis, eodem modo sicut serosum humorem, in ventris spatium peruenire statuit, cum is flatibus in Tympanite plerumque permistus sit. Flatus tamen etiam per intestinorum tunicam interiorem in exteriorem penetrando illic mesenterium, vbi illi connascitur, sese

ſeſe ingerere, atque inter illas tunicas coërcitos eas tandem permeare & in abdomen penetrare poſſe non negat. Præter hanc tamen cauſſam collectionis flatuum in abdomine aliam adhuc addit Platerus, nimirum eorundem generationem in ipſa ventris cauitate, quando nimirum humor aquoſus in abdominis cauitatem tranſſudans vel deſtillans,atque ibi collectus in flatus reſoluitur, quod fit ob calorem viſcerum internum. Atque in hac ſententiâ Plateri nihil deſidero niſi quod putat, ex ſpatio inteſtinorum flatus per oſtiola venarum meſaraicarum in inteſtina ſeſe inſinuare, atque hinc ex venis meſaraicis in cauitatem abdominis penetrare. Neque enim hoc neceſſarium eſt, cum flatus in ipſis venis meſaraicis & circa hepar & alibi generari poſſint.

## CAPVT V.

### *De Anaſarca.*

*Anaſarca.* ANaſarca quam & ὑποσαρκίδιον & λευκοφλεγματίαν nominant, ita dicitur, quod vniuerſa corporis moles per carnem & ſub cute humore pituitoſo plena tumida & alba appareat. Aretæus tamen, *in 2. diutur. cap.* 1. inter anaſarcam & λευκοφλεγματίαν diſtinguit, quod hic ex alba pituita, craſſa & frigida in hepate genita, ille ex carnis in humorem aquoſum & tenuem reſolutione oriatur. Verum alij autores diſtinctionem hanc non attendunt; neque credibile eſt, ex carnium reſolutione, quæ proculdubio à cauſſa calida fieri debet, hanc frigidam morbi ſpeciem prouenire poſſe. Maioris momenti eſt illa diſtinctio, quà vocabulum leucophlegmatiæ ſumitur nonnunquã pro morbo nimirum de tumore totius corporis ab humore pituitoſo, aliquando verò de diſpoſitione, quæ hunc morbum producere ſolent, & læſa ſanguificatione (quo modo de ea hoc loco præcipuè agimus,) in qua ob pituitam, quæ in toto corpore cumulari incipit, totum corpus albidum redditur.

*An à λευκοφλεγματία differat?*

Eſt enim Anaſarca ſeu Leucophlegmatia affectus cachexiæ affinis, differens ab eo ſolùm magnitudine; quoniam frigiditas hepatis & venarum, ſiue primariò ſiue aliunde acquiſita, hic maior eſt, & materia cruda in venis & habitu corporis copioſior, moleſque tota corporis humidior. Præterea, Auicenna teſte, alimentum in cachexia agglutinatur quidem, ſed nón aſſimilatur; in anaſarca verò neque agglutinatur, neque aſſimilatur Etſi enim apponatur alimentum: tamen diſſimile eſt, neque aſſimilari poteſt, & ita quædã falſa nutritio accidit, nutritioque fruſtratur ob errorem externũ. Nam partium, quæ in ambitu corporis ſunt, temperies ex affluente pituitoſo & frigido alimento non aliter refrigeratur, atque ex aëre circumfuſo iis accidere poteſt, qui in locis paluſtribus aut carceribus degunt, atque deinde aut cachectici aut hydropici fiunt, malo cum hepate communicato.

Generatur autem pituitoſus ille humor & crudus ſanguis primò omnium conſenſu hepatis vitio & intemperie frigida ob quam pro bono ſanguine pituitoſus & crudus generatur & copia pituitoſi humoris coacervatur, quem cum facultas nutrix non ſuperare poſſit, fit praua nutritio.

Frigiditas autem illa prouenit vel à ſanguinis copia, qua grauata facultate naturali & calore oppreſſo bonus ſanguis generari non poteſt, ſed pituitoſus & crudus producitur; vel à pituita & crudorum humorum redundantia; qui à cauſſis refrigerantibus internis & externis ortum habent.

Et omnino, vt dictum, eaſdem cauſſas habet leucophlegmatia, quam cachexia, ſaltem magnitudine differentes; & ſæpe fœminis ex retentione menſium, vt & grauidis præcipuè ſi fœtus ſit debilior, & alimentum non ſatis attrahat, accidit. Exemplum habet Hippocrates, 7. *epid.* in Harpalidæ ſorore, *cui quatuor aut quinque menſium vterum geſtanti pedum tumores aquoſi exorti ſunt, & oculi in orbem intumeſcebant, totumque corpus, veluti pituitâ albâ ſuffuſis, in tumorem ſubleuabatur. Tuſſis ſicca, erecta ceruicis ſpiratio, eiuſmodique anhelatio, interdumque à ſpiritu ſuffocabatur, adeo vt perpetuò ſedere in lecto cogeretur, neque decumbere poſſet, ſed ſi qua ſomni incideret opinio, eum deſidendo caperet.* Interdum ex nimio menſium vel hæmorrhoidum fluxu oritur.

Deinde nonnulli ſtatuunt etiam citra hepatis refrigerationem corporis vniuerſi habitum ita refrigerari poſſe; vt bonum quoque alimentum affluens aſſimilare non poſſit, ſed id potius corrumpat. Externas enim cauſſas in partes externas aliquam intemperiem inducere poſſe, vt bonum quoque nutrimentum perficere nequeant. Et poſſe interdum hanc intemperiem frigidam ab vna parte originem ſumere, nimirum à pedibus. Hi enim, vt à fonte caloris remotiores, ſi refrigerentur, & multam pituitam cumulent, idque malum ſenſim auctum aſcendat, tandem corpus totum refrigerari & in conſenſum trahi poſſe. Verum ſi toti corpori talis cauſſa occurrat externa, vt antea etiam dictum, tale quid accidere & bonum alimentum affluens in habitu corporis refrigerato & nimis humectato corrumpi poſſe concedimus. Vt autem idem ab vna parte ſaltem refrigerata accidat, non probabile putamus.

Qui Aretæi ſententiam retinent, interdum humorem hunc ab inſigni caliditate corpus ac humores liquefaciente prouenire ſtatuunt, ſi materia propter craſſitiem neque in abdomen penetrare, neque per vias vrinę expelli poſſit, ſed ad partes cutaneas feratur. Verùm enimuerò, vt ſupra dictum, vero conſentaneum hoc nõ eſt. Si quid enim liqueſcit, vel per aluum vel per vrinas expurgatur, vel per ſudores aut inſenſibilem tranſpirationem diſcutitur, neque compertum eſt, quenquam ex cauſa calida in anaſarcam incidiſſe.

### *Signa Diagnoſtica.*

In Aſcite totum corpus æqualiter quaſi intumeſcit, maximè tamen in pedibus & tibiis ſub noctem, & ſi corpus digito prematur, veſtigium relinquitur, & non detumeſcit corpus noctu, vt in cachexia, ſed tumor plerumque fit maior. Venter non ita inflatur, vt in Aſcite, carnes emortuorum ſimiles habet æger, quæ molles, laxæ & pallidæ ſunt; vrinæ ſunt tenues & albæ; reſpiratio eſt difficilis. Febris lenta ſæpe accedit. *Signa.*

### *Prognoſtica.*

1. Anaſarca inter omnes ſpecies hydropis minus periculoſus eſt. Etſi enim vitium cum pluribus partibus communicetur: tamen minus habet hoc periculi. Nam humor pituitoſus, quo vniuerſa corporis moles abundat, initium aliquod coctionis ſuſcepit, propiuſque ad ſanguinis naturam accedit, quàm ſeroſus & aquoſus humor in Aſcite. Præterea plerumque Anaſarca è crapula, atque corporis exercitatione intermiſſa oritur, quæ cauſſa minus rebellis eſt, ideoque facilius coctionem admittit per ea, quæ talem humorem abſumunt & exſiccant. *Prognoſtica.*

2. Si Leucophlegmatia detento fortior Diarrhœa ſuperuenit, morbum ſoluit. 7. *aphor.* 29. Oportet autem criticam eſſe euacuationem, & quæ mobo incipiente fiat, viribuſque adhuc integris, & vt copia excreti humoris morbo non impar ſit. Si verò ægro debili & viribus inſigniter affectis profluuium alui ſequatur, & cætera deſint, non morbum Diarrhœa tollit, ſed ægrum.

3. Hydrope

3. Hydrope detento si aqua è venis in ventrem confluxerit, soluitur morbus, *6.aph.14.*

## *Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & curatio.* In curatione Anasarcæ Medicis duo scopi sunt propositi; Primus, vt aquosa materia per carnes sparsa euacuetur & absumatur; Alter, ne noua generetur & affluat; quod fiet, si quæ circa viscera hæret cruda materia euacuetur, & epati sua temperies restituatur & robur. Primò itaque solus anasarca inter hydropis species, vt

*Vena sectio.* Galenus, 4. *de ration. victus in acutis text.* 11. habet, cum incipit, interdum sanguinis detractione eget, quando scilicet ex retentione hæmorrhagiæ vel mensium vel ex alia aliqua caussa plethorica ortum habet: Idque ideo, ne frigidioris etiam sanguinis copia calor obruatur & extinguatur, hepatisque intemperies augeatur. Euacuata enim aliqua parte crudorum succorum, qui cum sanguine in venis redundant, & instar viridium lignorum debilem calorem membrorum suffocant, natura eiusmodi onere leuata facilius reliquos humores concoquere potest. Euacuatio ista sanguinis statim in principio instituenda, antequam vniuersus corporis habitus valde inficiatur, & sanguis paucus euacuandus.

Aperiatur autem vena in brachio, si sanguis in toto corpore sit copiosior sine priuatæ alicuius partis vitio. At si à mensium vel hæmorrhoid. suppressione malum ortum habeat, primo quidem in brachio vena aperienda pro copiæ sanguinis imminutione; hinc in crure venâ apertâ fluxus iterum concitandus si maior sit sanguinis abundantia; aliàs statim in crure vena aperienda.

Si verò ex alia caussa non coniuncta cum sanguinis copia ortum habeat anasarca, omittenda venæ sectio, ne sanguinis detractione corpus vniuersum refrigeretur, & in statum deteriorem coniiciatur.

*Euacuantia.* Sanguine, si opus sit euacuato, materia antecedens euacuanda phlegmagogis, per vomitum & alui deiectiones, vt & diureticis. Et quidem cum in anasarca plerumque crudi humores in ventre, & in primis viis abundent, singulis septimanis bis vomitum medicamento mediocri instituere vtile est.

Primis viis hoc modo euacuatis, purgantibus à maioribus venis crudos humores educere conuenit, præmissis præparantibus ex oxymel. simpl. composit. & scillitico, syrup. de duab. & quinque rad. byzantino, de hyssop. de calamintha cum decocto radic. aperient. hyssopi, carduibenedict. betonicæ, vel aquis similibus.

Ad purgandum vtilis est Ebulus, mechoacanna, agaricum, turbith, diacarthamum, diaturbith cum rhabarb. elect. Indum, benedicta laxatiu. pilul. de hermodact. &c. Misceatur autem eiusmodi medicamentis aliquid rhabarb. vt vna hepar roboretur. Et sola per aluum purgatione, si in principio & antequam viscera habitualem intemperiem contraxerint, instituatur, multi sanitati restituuntur; cum caussa antecedente sublatâ natura coniunctam interdum sola superet.

Medicamenta autem, quæ menses mouent, si ij suppressi sint, eadem & anasarcæ conueniunt, paranturque ex radicibus aperientibus, cuscuta, capill. ♀. eupatorio, chamædry, sambuco, schœnantho, cinamomo & similibus. Si verò à nimiô mensium aut hæmorrhoidum fluxu hoc malum accidat, ob quem spiritus dissipantur, & hepar refrigeratur, cautione opus est. Nam quæ sistendis mensibus aut hæmorrhoidibus vtilia sunt, anasarcæ nocent: Quæ verò Anasarcæ conueniunt, sanguinis fluxum augent. Videndum igitur, ex vtro affectu plus damni impendeat. Vtendum proinde aperientibus propter Anasarcam; mediocriter verò adstringendi vi præditis propter fluxum sanguinis. Vtilia hîc proinde sunt *absinthium*, *betonica*, *spica nardi*.

*Frictiones.* Materiæ coniunctæ in habitu corporis ratione, vtendum valida frictione cum linteis asperis, aut fricentur partes spongia, aqua salsa, cui sulphuris aliquid additum sit, macerata & expressa. *Thermæ.* Inprimis verò vtiles sunt thermæ sulphureæ, bituminosæ, vnde Galenus, 1. *de simp. med. fac. cap.* 7. scribit; Hydropicis aduersus est & potus & lauacrum aquæ dulcis, salsæ verò ac nitrosæ, sulphureæ, bituminosæque omnes sanè perutiles. Sudores prouocentur per *Laconicum.* Laconicum. Antiqui per arenam à Sole vel igne calefactam, fluuiatilem, præsertim autem marinam, sudorem prouocârunt, in quo ægrum sepeliebant capite exserto & velato, & sudorem è facie semper detergebant. Verum Laconicis idem ferè præstari potest. Probatur & lutum thermarum, præsertim sulphurearum. Sic Galenus, 9. *de simpl. med. fac. cap. de thermar. differ.* vidit Alexandriæ quosdam Hydropicos Ægyptiæ terræ luto vtentes plurimum adiutos fuisse.

*Cataplasmata.* Vtilis est & Cataplasmatum applicatio, quale Aëtij ex stercore bubulo reficcato cum posca aut oxymelite fit, adiecta quarta parte sulphuris, aut ex cochleis tritis impositis. *Vestimenta medicamentis suffulta.* Commoda quoque sunt vestimenta suffulta medicamentorum exficcantium puluere, vt flor. chamæmel. rutæ, aneth. & similibus. Fermentum quoque multo sale permixtum nonnulli adhibent, aut panem cum pulv. hyssop. aut farina fabar. aqua marina vel alia salsa & melle coctor. cum pari pondere absinthij; Cuius generis plurima apud Aëtium leguntur. Omnia autem impinguantia & resinosa, cum cerata tum malagmata, vitare iubet, vt quæ inflandi, tumoresque intendendi vim habent.

Assiduè autem crura, manus, aliásque tumefactas partes, in Sole aut ad ignem inungat hoc medicamento.

℞. *Sulph. viui, thuris, alum. sciss. part. æq.*

Contere cum aceto & vtere.

Vetula quædam capiebat ranas viuas, quas in olla noua coquebat, superfuso oleo oliuarum, & oleo ventrem inungebat calidè versus inferiora manus ducendò, à stomacho versus inguina; die secundo tumor descendit, vt pedes intumescerent vehementer, tertio die penitus liberata fuit. Forestus, *lib.9.obseru.31. in schol.*

Matth. de gradibus etiam ranas viuas mirabiliter aquas ad se trahere scribit.

*Crurum scarificatio.* Extrahit tandem materiam serosam crurum scarificatio, idque sensim, & sine virium deiectione præstat.

*Interna medicamenta humores aquosos absumentia.* Sunt quoque interna quædam, quæ materiam aquosam & serosam absumunt. Erinacei terrestris caro siccata commendatur ad absumendum humores aquosos. Adhuc efficaciores sunt sales theriacales.

Non negligenda simul sunt hepar roborantia, quæ plerunque etiam vnâ operâ humores per vrinas euacuare possunt, vt decoctum & vinum absinthij & radic. helenij. Hoc enim vinum & crudos humores concoquit, eosque per vrinas purgat, & viscera egregiè roborat. Quod etiam faciunt Dialacca, Diacurcum. trochisci de rhabarb. de absinthio.

## *Diæta.*

*Diæta.* Victus ratio sit exficcans, calefaciens & attenuans. Ideoque tenuior victus talibus præscribendus; cum inedia humores absumat: & eiusmodi corpora, quæ crudis humoribus abundant, facilè inediam tolerare possunt. Et ita victûs quantitas moderanda, ne vel copia facultatem grauet, & caussam morbi augeat, vel paucitate vires deiiciat, quæ in morbo diuturno diu durare debent. Carnes assæ potius sint, quam elixæ. Et fere talis victûs ratio hic vtilis est, qualis præscribitur illis, qui decoctum ligni bibunt. Imò deco

decoctum ligni Guaiaci vel ſaſſafras in potu præbere vtile eſt. Et omnino parciſſimè bibendum, vt ſingulæ partes ſuperfluum ſuccum liquent & abſumant.

## CAPVT VI.

### *De Dolore Hepatis.*

*Dolor Hepatis.* DOlore quoque interdum hepar infeſtatur; Cuius duæ ſunt cauſſæ, inflammatio & flatus. De Inflammatione ſupra dictum, vt hic addere aliquid opus non ſit. Interdum etiam vſu venit, vt dolor tenſiuus circa hepatis regionem ſentiatur ex materia craſſa & flatulenta inter membranam hepatis & eius ſubſtantiam incluſa, vt de inflammatione hepatis dictum: ab inflammatione tamen hepatis diſcernitur, quod inflammationem hepatis ſtatim febris comitatur, quæ in hoc dolore ferè abeſt. Dolor in gibbo ad pectus diſtenditur, in cauo ad ventrem & inteſtina, & interualla quædam habet, nec color corporis & faciei, vt in inflammatione fieri conſueuit, immutatur. Febris ſi accedat, flatulentam illam materiam ſæpe reſoluit & diſcutit.

### *Curatio.*

*Curatio.* Vbi igitur dolor inſignis fuerit, baſilica dextri lateris aperiri debet, aut diuerſionis cauſſa partibus infra hepar cucurbitulæ affigantur. Materia etiam, quæ flatus gignit & fouet, præparata purgantibus euacuetur conuenientibus. Pòſt topicis materia diſcutiatur, vt;

℞. *Chamæmeli, ſummit. anethi, fol. rutæ* ana M. i. *flor. roſar. rubr.* M. ſem. *ſem. aniſi, fœniculi* an. Drach. iii. *ſchœnanth.* Drac. ii.

Coqu. in aqu. ſimpl. ad tertias.

Colatura pro fotu vſurpetur. Hinc inunctio fiat oleo de abſinthio, amygdalis amaris, rutaceo, oleo de ſpica.

Simul etiam interna diſcutientia vſurpanda, vt diagalang. diacinamom. cum ſpeciebus diarrhod. abbatis mixta, & quæ huius generis ſunt alia, non omiſſis, quæ à proprietate hepati conducunt.

*Diæta.* In Diæta vitentur omnia, quæ flatus generandi vim habent.

Inter hæc Symptomata recenſeri quoque poſſet Fluxus Hepaticus; verum etſi cauſſa eius ſit in hepate; tamen quia materia per aluum euacuatur, de eo inter alui fluxus actum.

## CAPVT VII.

### *De Ictero.*

*Icterus.* TAndem etiam Practici vulgo hîc de Ictero agunt. Etſi verò Icterus ſit color totius corporis mutatus, atque ita inter Symptomata corporis ſuperficiei pertineat; tamen cum originem à veſicula fellis habeat, eos imitari, ac hoc loco de Ictero agere libet. *Vnde dictus.*

Icterus Græcis nomen accepit ſiue ἀπὸ τῆς ἰκτίδος, id eſt, viuerra, quæ ſylueſtris muſtelæ ſpecies, cuius oculi eiuſmodi colore tincti cernuntur, vt Aretæus, *lib. 1. diuturn. cap.* 15. & Aëtius, *tetrab.* 3. *ſerm.* 2. *cap.* 17. habet: Siue ab Ictero, aue eius coloris, quæ & Galbulus nominatur, & ſi ſpectetur ab Icterico mori ægro ſanato dicitur, vt Plinius, *lib.* 30. *hiſtor. natural. cap.* 3. habet. Latinis Regius morbus nominatur, *Molliter hic quoniam celſa curatur in aula*, vt Q. Serenus canit. Quæ ratio tamen parum apta videtur. Malim ergo ita ab auro, metallo regio dictum, ſtatuere, ſicut & aurigo ab auri colore dicitur. Nominatur & fellis ſuffuſio.

Eſt autem color præter naturam totius corporis flauus, virideſcens aut nigricans, ab excrementitij & vitioſi humoris eiuſdem coloris in cutem effuſione ortus, atque ita ſymptoma in viſibili qualitate mutatâ. *Quid ſit?*

Subiectum eius eſt totius corporis cutis. Cauſſa proxima humor concolor. Talis enim eſt totius corporis & partium color, quales humores in eas influunt. *Eius ſubiectum. Cauſſa.*

Humor autem, à quo hîc color prouenit, nec vnicus eſt, nec vnicam cauſam habet. Vnde rectè Galenus, *lib.* 9. *de comp. medic. ſec. loca* initio eos Medicos rectè facere ſcribit, qui in deſcribendis medicamentis contra Icterum diſtinctè explicant, quibuſnam ægris ſingula conueniant; contra verò eos non leuiter errare, qui ſine diſcrimine remedia proferunt; quaſi illa ictero laborantibus conueniant ſimpliciter, cum certum ſit, variis Icteri differentiis varia medicamenta conuenire, & quæ vni proſunt alteri nocere.

### *Signa diagnoſtica.*

Icterus in genere facilè cognoſcitur, præſertim ſi album oculi inſpiciatur, & internus maximè angulus, vbi venæ maiuſculæ ſunt. Ea enim in parte euidens coloris mutatio apparet. *Signa.*

### *Differentiæ.*

Vt verò diſtinctè de Ictero agatur, primò differentiæ proponendæ ſunt, & ſingularum cauſſæ, ſigna, curatio poſtea ſeorſim proponendæ. Galenus, 5. *de loc. affect. cap.* 7. cauſſas icteri quatuor recenſet. 1. Hepatis διάθεσιν præter naturam, ſiue ea ſit temperies mutata, ſiue inflammatio, ſiue obſtructio, ſiue ſcirrhus. 2. Ferarum morſum, ob quem ſanguis in talem humorem flauum mutatur. 3. Κρίσιν, qua bilis è viſceribus in cutem effunditur. 4. In fine capitis addit veſiculæ fellis repletionem tantam, vt proſtrata eius virtute expultrice, excerni bilis ex hac in inteſtina nequeat. *Differentiæ.*

Nos differentias, quæ curationem variant, hoc modo rpoponemus.

1. Eſt Icterus flauus, qui fit ab obſtructione veſiculæ fellis, vel anguſtia eius à calculis.

2. A bilis copia; qui tamen icterus non vnius generis rurſum eſt, ſed vel ab hepatis intemperie calida cum vel ſine febri, vel ab inflammatione oritur, cum tanta bilis copia eſt, vt veſicula fellis totam capere nequeat.

3. Eſt Icterus, qui fit à ferarum venenatarum morſu, vel veneno hauſto, cum flauus, tum niger.

4. Niger, qui tribuitur vitio Lienis.

Ratio differentiarum flaui hæc eſt. Cum ideo flauus icterus accidat, quia plus flauæ bilis eſt in corpore, quam par eſt, euenit hoc, vel quia maiore, quam æquum eſt, copia generatur bilis & humor flauus in hepate, ob intemperiem eius calidam, aut ſine inflammatione aut cum inflammatione, aut cum, aut ſine febre: Vel quia, quæ quidem iuſta quantitate genita eſt, debito modo non euacuatur. Quod fit vel ob anguſtiam meatuum fellis ſiue exporrectorum in hepar, per quos bilis in veſiculam fellis attrahitur, ſiue ad duodenum tendentium, vnde per aluum expurgatur: vel ob anguſtiam veſiculæ fellis, quæ ſuſcipere bilem non poteſt, quia lapides in ea contenti eam anguſtiorem reddunt.

Addunt quidem alii quoque alias cauſſas, nimirum attrahentis expellentiſque facultatis in veſicula fellis imbecillitatem, quæ ab intemperie aliquâ, præſertim frigida, ortum habeat. Verum non immeritò dubitatur, an tanta frigiditas in veſicula fellis, quæ Hepati membro calido adhæret, & humorem calidum in ſe continet, eſſe poſſit, vt ob eam ad extrahendum & expellendum inepta reddi poſſit. Galenus, 5. *de loc. affect. cap.* 7. hanc etiam cauſſam addit, quod

quod vesicula fellis aliquando copiâ bilis ita repleatur, vt prostrata, vi expultrice ex ea intestina euacuari nequeant. Verùm in vesica vrinaria, si vltra modum & tempus vrina retineatur,hoc quidem accidere solet, an autem in vesicula fellis idem possit accidere, dubitamus. Nam in vesica vrinaria id præcipuè accidit, cum voluntariè vltra debitum tempus & modum vrina retinetur, quod fit beneficio musculi, qui orificio eius præfectus est,& copiosius ex largiore potu vrina affluit; quæ retentio in vesicula fellis locum non habet, cum quod in ea per vnum meatum attrahitur, per alterum, nisi obstructus sit,euacuetur. Atque hæ cum sint Icteri differentiæ, de singulis seorsim dicendum.

### *De Ictero flauo ab obstructione vesiculæ fellis.*

*Icterus flauus ab obstructione vesiculæ fellis.* Cum flaua bilis in vesicula fellis ex hepate colligatur, & subinde eius aliquid ad duodenum intestinum mittatur: si meatus siue ex porrecti in hepar, per quos in vesicam fellis bilis allicitur, siue ad duodenum tendentes, per quos in aluum expurgatur, angustiores reddantur aut claudantur, bilis in hepate restitat, & hinc cum sanguine in venam cauam distribuitur, & in totum corpus dispergitur, cutémque colore flauo tingit.

Hæc autem meatuum angustia prouenit vel ab obstructione, quæ accidit interdum à crassa pituita, interdum à bile crassa & copiosa, interdum à calculis, qui sæpe magno numero in dissectis corporibus in vesicula fellis reperti sunt, vt obseruationes Medicorum docent, quarum aliquas collegit Schenckius, *lib. 3. obseru.37.* vel à circumstantium partium compressione, vt scirrho,inflammatione. Nonnunquam etiam vesicula fellis ita lapidibus repletur, vt bilem capere non possit.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Cognoscitur hæc Icteri species non solùm ex eo, quod reliquarum caussarum signa absunt, sed inprimis, quod feces alui à consueto colore deflectunt & albicant, bilis transitu in intestina præcluso, à quo feces alui tingi solent.

Porrò autem despiciendum, an vitio Hepatis vel vesiculæ fellis id accidat. Si hepatis vitio id euenit, procul dubio signa affecti Hepatis aderunt, & aliqua tensio aut pondus in dextro hypochondrio percipitur. Si verò abs hoc fuerit, in vesicula fellis caussa hæret, & Icterus plerumque repentè inuadit, aluus ferè pigrior est, vrina crassescit, & ex flauo & rubro ferè nigricat, sine virium tamen iactura, modò febris planè absit. Nam febrem etiam interdum tali ictero coniungi, non planè impossibile est. Etsi icterus tum diuturnus sit, ac medicamenta satis efficacia & rectè exhibita nihil proficiant, à calculo angustiam vesiculæ fellis prouenire,argumento est.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Facilior est, si cætera consentiant, Icteri flaui curatio, quàm nigri, cuius caussa validius resistit. Et quidem inter icteri flaui species facilius curatur Icterus ab obstructione vesiculæ fellis natus, vt cui interdum vnicum Cholagogum exhibitum satis fuit; quoniam meatus bilis à vesica illa in intestina porrecti intestinis propiores sunt. Vbi tamen obstructio illa à calculis est,vix curationem admittit.

2. Ictero laborantibus si iecur durum fiat, malum, *6. aphor. 42.* Et si obstructiones sint pertinaces, & in scirrhum hepatis desinant, hydropis prænuncius est Icterus.

### *Indicationes.*

Obstructio siue in Hepate, siue in vesicula fellis sit, aperienda, humórque biliosus in corpore hærens euacuandus; solutæque obstructionis signum est, quando feces alui iterum colore flauo tinguntur, & vrinæ illa intensa flauedo ad nigrum vergens remittit. Tandem, si color sponte non euanescat, humor eius caussa in cute hærens discutiendus. *Indicationes.*

### *Curatio.*

Expediuntur autem hæc per medicamenta aperientia,quibus & victus respondeat,deinde per euacuantia; quæ commodissimè per vices exhibentur, ac si malum sit contumacius, à leuioribus progrediendum ad fortiora. Et cum aperientia tutò exhiberi non possint, nisi primæ viæ euacuatæ sint, ab earum euacuatione incipiendum: Vtiles quoque hic sunt clysteres,qui non solum excrementa alui subducunt, sed & naturam stimulant. *Curatio.*

Aperientia hîc conueniunt, *Rad. cichorij, quinque aperientes dictæ, chelidon. maior. curcumæ, asari,anchusæ aruensis colore rubro,endiu.cuscut.* quâ vix quicquam hic præstantius, *agrimon.marrubium,centaur.minus,chamædrys, absinthium, trochisci de eupator. de lacca; syrupus endiuiæ simpl.& compos. de duabus & quinque radicibus, byzantinus acetos.diarrhod.syrup.de cichor.cum rhabarb. de eupator. lapis flauus in felle tauri repertus, lumbric. terrest.ad* ℥.i.cum *succo cichorij* aut *melicrato* exhibiti.

Aëtius coctos & cum myrrha tritos fabæ magnitudine exhibet ex passo aut vino mulso, & ita postero die per vrinam icterum profligari scribit. Et plerique à proprietate occulta lumbricos hoc præstare putant: Verùm insignis vis aperiendi, quæ iis inest, ad icterum tollendum sufficere videtur. Quidam pro summo remedio *asphodeli asparagum* ictero laborantibus præbent, teste Galeno, *2.de aliment.facult. cap.6.* *Quâ vi lumbrici icterum tollant.*

E Chymicis medicamentis vtilia sunt: *Tartarum vitriolatum, cremor tartari vino chalybeato dilutus, spiritus salis.* *Chymica.*

Pueris conuenit præcipuè *decoctum fragariæ cum passulis.* Efficacius est, si *marrubij* M. ß. addatur. Conradus Gesnerus ad icterum contumacem commendat *radices vrticæ.*

♃. *Earum* ℔.i. *croci* Drach.ß.

Contundit diligenter in mortario, & cum *vino albo* succum extrahit, *cuius* Vnc.iv. diebus 4.vel 5.continuis exhibuit, ægro in lecto decumbente, stragulis coopertо, vt sudet.

Præstántque aperientia & hoc commodi, quod pleraque simul vrinam mouent, materiámque ad vias vrinæ deducunt. *Aperientium vtilitas.*

Purgantia fiant ex *manna,rhabarb.scammon.electuar. diacatholic. de succo rosarum, de psyllio, hiera picra,* nisi febris adsit, *pilul. de rhabarb. aggregatiu.* Vtilia sunt & *vomitoria*, quibus & corpus euacuatur, & materia commouetur, & ab hypochondiis reuellitur. Exempli gratia. *Purgantia.*

♃. *Rhabarb.elect.* Scrup.iiii.*cinamom.* Scrup.i.
Infund.in *s.q.aqu.cuscut.* & *gramin.*
Colaturæ express.

♃. Vnc.iiii. Adde *marrub.* Vnc. i. vel *elect. de succo rosar.* ℥.ii. *de psyllio* ℥. i. *syr. byzant. simpl.*℥.ß.

Hinc ♃. *Rad. aperient.* Drach. iii. *cichor.* Vnc. ß. *sem. melon. excortic.* Drach. iii. *cicer. rubr.* Vnc. sem. *cuscut. agrimon.* an. M.i. *marrub. albi* M.ß. *passul.*℥.vi. *baccar.iuniper.*num.xx.
Coquantur in *aq. simpl.*
Colaturæ ♃. ℔.j.
Adde *syr.byzant. simpl.* Vnc.iv.
Misce pro 3.dosibus.
Vel ♃. *sem.aquileg.*Drac.i.ß.*croci* Scr.ß.

F. Puluis, detur in *vino*.

Vel ℞. *Sem. aquileg.* Drach.ß. *pulu.lumbr. terrestr.* Scrup.i.*croci* Scrup.ß.

F. Puluis.

Atque ista medicamenta per interualla continuentur, si malum contumacius, progrediendo semper à lenioribus ad fortiora; cuius generis multa recenset Galenus, 9. *de compos. medic. sec. loca cap.*1.& *in Euporist.cap.*16.

Capiuaccius commendat *infusionem limaturæ chalybis in vino factæ.*

Possunt & purgantia atque aperientia misceri.

℞. *Marrubij, cuscutæ, capill.vener.* ana M. i. *cicer. rubr.* Vnc.ii.*rad.petroselin.fragar.*ana Vnc.ß. *asari* ʒ.ii. *passular.* Vnc.ii.

Coq. *in aqua simpl.*

In colatura infunde *fol. senæ elect.* Vnc. ii. *agarici albi* Vnc.ß. *rhabarb.* Drach. iii. *sem. anisi, fœniculi, genistæ* ana Drach.ii.

In colatura dissolue *mannæ* Vnc.i.ß.

F. Potus pro aliquot dosibus, vel addatur *sacchari q.s.* F. Syrupus.

*Diæta.*

*Diæta.* Victus in hac icteri specie sit attenuans. Vtiles sunt in cibo *amygdalæ amaræ*, quas Galenus ieiunis præbet. Potus sit *vinum dilutum aquâ gramin.asparagi aut petroselini.*

Vel ℞. *Cicer.rubr.*℔i.ß. *rad. asparag.* M.i. *aq.*℔.ix.

Coqu. ad tertiæ partis consumptionem pro potu, qui, si febris adsit, detur mixtus cum *vino.*

*De Ictero ab hepatis caliditate sine febri.*

*Icterus ab hepatis caliditate sine febri.* Nonnunquam sine obstructione vesicæ fellis ob solam bilis copiam icterus accidit, etiam sine febri, vbi ob sanguificationis vitium plus bilis in hepate generatur, quam vt naturaliter per consuetas vias excerni possit, cùm ob hepatis intemperiem, tùm ob errores in diæta, vt nimium calidiorum ciborum, & præsertim eorum, qui in bilem facilè corrumpuntur, vsum.

*Signa Diagnostica.*

*Signa.* Cognoscitur hic icterus ex eo, quod non solùm vrinæ, sed & feces alui croceo colore tinctæ sunt, febrisque adest, pedes & manus calent, & talia calidæ intemperiei hepatis signa adsunt.

*Prognosticum.*

*Prognosticũ.* Minus periculosus est hic icterus, quam qui cum inflammatione & febri coniunctus est.

*Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & Curatio.* Bilis, quæ abundat, & non sufficienter euacuatur, per consuetam viam euacuanda & ad intestina reuocanda. Si tamen aliqua sanguinis copia adsit, venæsectione ea prius tollenda. Et ne ab hepate calido plus bilis generetur, eius intemperies alteranda, ipsúmque roborandum. In alterantibus autem hoc obseruandum, vt non adstringentia adhibeantur. Cum enim probabile sit, in angustis & exilibus venis remanere aliquid bilis, si per fortiter adstringentia ibi impingatur, & non per aperientia abstergatur, facilè ibi hærens obstructiones vel inflammationem excitare potest. Conueniunt igitur præcipuè cichoracea & intybacea, quæ ex superioribus patent, & calidæ intemperiei hepatis debentur.

*De Ictero in febribus acutis critico.*

*Icterus in febribus acutis criticus.* Sæpe etiam accidit, vt à naturâ in febribus biliosis acutis, sæpe etiam malignis, post concoctionem biliosum humorem ad ambitum corporis protrudat, vnde color cutis croceus apparet.

*Signa Diagnostica.*

*Signa.* Id quod cognoscitur ex eo, quod febris acuta adest, & signa coctionis præcesserunt, & in die critico id accidit, sine hypochondrij duritie. Ac tum & vrina & feces alui naturalem colorem obtinent. Biliosus enim humor ad ambitum corporis à natura protrusus est.

*Prognosticum.*

*Prognosticũ.* Icterus hic nihil periculi portendit, sed potius morbum soluit, cum fiat naturâ vitiosos humores à visceribus & partibus interioribus ad externas & ignobiliores expellente.

*Indicationes.*

*Indicationes.* Ideóque hîc medicamentis vix aliquid agendum, cum, secundum Hippocratem, 1.*aphor.* 20. τὰ κρινόμενα καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως ἐὰν deceat. Aut si opus sit, promouenda expulsio frictionibus, sudoriferis & aspectu rerum citrinarum. Febre verò solutâ nullo auxilio opus est, quam quod reliquos humores in cute discutiat, nisi sponte euanescant, de quo postea dicetur.

*De Ictero in febribus symptomatico.*

*Icterus in febribus symptomaticus.* Aliquando verò natura ante coctionem materiæ vel copiâ vel acrimoniâ, aut malignitate stimulata talem expulsionem tentat.

*Signa Diagnostica.*

*Signa.* Cognoscitur talis Icterus symptomaticus, quod quidem in febre acuta accidit, sed antequam signa coctionis appareant, & die non critico, & feces alui ac vrina naturalem colorem non planè recuperârunt. Neque enim natura satis feliciter talem expulsionẽ tentat.

*Prognostica.*

*Prognostica.* De Ictero hoc est Aphorismus Hippocratis 62. *sect.*4. *Quibus per febres Icterus superuenit ante* 7. *diem, malum.* Controuertitur tamen à Medicis, An icterus ante 7. diem in febribus acutis semper malus sit? De quo sciendum, Hippocratis aphorismum, si rectè accipiatur, quidem verum esse. Etsi enim talis Icterus non semper lethalis sit, (quod nec Hippocrates dicit) tamen suo modo semper malus & periculosus est. Nam quia ante septimum diem accidit symptomatica illa expulsio, quæ quamuis, vt alibi dictum, interdum ad salutem ægri tendat: tamen per se tam bona non est, quam quæ 7. diebus vel alio critico contingit, cum fiat non simpliciter à robore naturæ, sed à natura ab humoribus vitiosis incitata, & coctione nondum absoluta. Non tamen crisis ita strictè ad 7. diem adstringenda, nec crises tàm dierum numero, quam coctione æstimandæ. Itaque si maturè coctionis signa appareant, licet ante 7. diem icterus accidat, pro critico & proinde bono habendus est. Hippocratésque hoc aphorismo saltem critici icteri exemplum proponere voluit, & quidem sub die 7. quod is inter omnes criticos principatum obtineat. Contrà si post septimo accidit icterus, ac nulla coctionis signa præcesserint, icterus non bonus est, quod etiam docet Galenus, 3.*epid. comm.*1. *aph.*5. dum ait; Ante coctionem materiæ nullum abscessum,

*An icterus ante septimum diem in febribus acutis malus?*

no

ne dum auriginosum vtilem esse; siquidem significat impediri bilem, quo minus ex viscere expurgetur & euacuetur per ventrem, vel propter obstructionem, vel propter inflammationem. Si tamen ea, quæ euacuari debent, euacuentur, & vires ferant, euacuatisque humoribus vel planè tollatur morbus, vel imminuatur, etsi symptomaticus sit icterus, suo modo pro bono habendus. Sicut nec icterus, qui die critico accidit, semper bonus est. Atque ipse Hippocrates *aphorismo allegato* excipit icterum cum hypochondrij duritie. Et *6. aphoris.* 42. scribit: *Ictero laborantibus hepar durum fieri, malum.* Ideo in ictero, qui in febribus accidit, semper videndum, an criticus sit, morbumque tollat, vel leniat; aut si symptomaticus sit, an critici bonitatem æmuletur. Hippocrates tales icteros, qui in febribus symptomaticis accidunt, rigore discernit, 4. *de rat. vict. in acut.aph.*81.*In febre*, inquit, *biliosa ictetus cum rigore ante 7. diem eueniens, morbum soluit; Si verò absque rigore intempestiuè superueniat, pestiferum est.* Soluit enim talis icterus morbum euacuatione & depulsione materiæ febrilis sufficiente è visceribus & venis ad cutem, quod rigor indicat. Sin absque rigore fiat, à debilitate naturæ vel ab inflammatione hepatis icterum extitisse, suspicandum est.

## *Indicationes & Curatio.*

*Indicationes.* Icterus hic nullam peculiarem curationem requirit, sed cura ad febrim dirigenda, quâ ablata & ipse tollitur. Ad hepar tamen, quod bilem generat, inprimis respiciendum, bilisque suo tempore, nisi symptomatica euacuatio, quæ crisis naturam æmuletur, accedat, per conuenientes vias euacuanda, & per aluum, & per vrinas.

## *De Ictero ab inflammatione hepatis.*

*Icterus ab inflammatione hepatis.* Si Icterus ab inflammatione hepatis proueniat, & caussæ & signa inflammati hepatis adsunt, & curatio tota ad inflammationem dirigenda, quâ sublatâ, & bilis nimiâ generatione prohibitâ, postea facilè icterus cessat.

## *De Ictero à morsu venenatorum animalium & venenis.*

*Icterus à morsu venenato & venenatis.* Tandem quandoque Icterus à morsu venenatorum animalium, vel veneno hausto, quod habet vim sanguinem in humorem flauum corrumpendi, prouenit. Ita Galenus, 5. *de loc.affect.cap.7.* refert, cuidam seruorum Imperialium, cum à vipera esset morsus, vniuersum corporis colorem ita mutatum fuisse, vt porri colorem referret. Et Marcellus Donatus, *de histor. medic. mirab. cap.9.* ex Auenzoare refert; Azym filium Haly ex potu rei venenatæ ictericum euasisse, vt corporis color esset, sicut cortex citri, simulque appetitum planè amisisse.

*Quo modo venena icterū inducant?* De modo autem, quo venena icterum inducunt, Autores discrepant. Galenus *loco allegato* à veneno sanguinem corrumpi statuit, & in bilem seu flauum humorem talem verti. Alij putant, malam qualitatem hepati inprimi, ita vt plurimam bilem generet, quæ postea per vniuersum corpus dispergatur & icterum excitet. Marcellus Donatus, *loco allegato*, non omnes à morsu animalium venenatorum, aut hausto veneno ictericos fieri statuit, sed eos solùm, qui plurimâ bile abundant. Insurgere enim facultatem expultricem ad veneni expulsionem, & ita simul bilem, quæ in corpore redundat, expelli, cuius colore superficies corporis tingatur.

Verùm consentanea magis vero est sententia Galeni. Est enim proprium venenorum homines corrumpere, & minima portio veneni corpori communicata instar fermenti totam massam sanguinis penetrat, eamque corrumpit, quâ corruptâ, nunc hic, nunc alius color inducitur pro natura veneni. Neque necessarium est vt prius bilis semper abundet, quæ stimulata expultrice moueatur. Neque etiam credibile, malam qualitatem illam solùm hepati imprimi, vt multa bilis inde generetur, cum mutatio illa in toto corpore subitò fiat, & humor ille flauus vel viridis non propriè bilis sit, sed venenosus & malignus. Non tamē negamus, pro dispositione sanguinis & humorum in corpore corruptionem aliquo modo variari. Neque etiam quod quibusdam videtur, humores flauescentes, viridescentes aut nigricantes, qui icteri huius caussæ sunt, solùm ex bile excrementitia naturali corrupta, verùm etiam ex aliis humoribus corruptis ortum habent. Imò credibile est, istum humorem, qui à veneno prouenit, non bilem esse, sed ex humorum cum bonorum, tum excrementitiorum corruptione ortum.

## *Signa Diagnostica.*

Inquirendum ergò initiò, si æger subitò toto corpore colore seu flauo, seu virescente, seu nigro (omnes enim hi colores pro venenorum varietate à venenatis caussis prouenire possunt) tingatur, an à venenato aliquo animali, quod vim habet sanguinem in talem humorem mutandi, morsus sit; aut venenum aliquod similem vim habens sumpserit, id quod vel æger vel adstantes manifestabunt. Et si omnino id lateat, tamen venenum aliis signis, vt subitâ virium deiectione, lipothymia, syncope, & aliis, quæ venena prodere solent signis sese manifestabit. *Signa.*

## *Prognosticum.*

Periculosus est hic Icterus, ob caussæ, à qua inductus est, potentiam & malignitatem; cum omnes affectus à venenis inducti periculosi sint. Et quò venenum nocétius est, à quo prouenit, eò & periculosior Icterus. *Prognosticū.*

## *Indicationes & Curatio.*

Venenum mox è corpore expellendum & extrahendum, eique per alexipharmaca resistendum. Itaque si æger venenum hauserit, illudque adhuc in primis viis hæreat, vomitu quamprimum reiiciendum. Deinde alexipharmaca exhibenda; & quidem si venenum cognitum habeatur, veneni naturæ speciatim oppositum alexipharmacum exhibendum: si verò incognitum sit, commune aliquod, vt venenum vincatur & expellatur, vt *theriaca, Mithridatium, bezoar, & similia.* Si tamen aliqua manifesta intemperies calida simul à veneno inducta sit, &c. illi occurrendum, *succo citri, pomor. acetosorum, granatorum, succo & aqua endiuia, acetosæ, portulacæ, & mucilag. sem. psyllij.* Si autem foris immissum sit per ictum vel morsum animalis venenati, extra ad partem affectam adhibitis remediis extrahendum simulque alexipharmaca exhibenda, & curatio omnino, qualis eiusmodi virulentis vulneribus debetur, instituenda. Ita cum Galenus, *loco allegato*, seruo Imperiali theriacam exhibuisset, quam celerrimè color sec. naturam ei restitutus est. Abinzoar filio Haly bezoar exhibuit cum aqua cucurbitæ. Bezoar quidem ad expellendum venenum, aquam verò cucurbitæ ad reprimendum caliditatem, præter naturam adiunctam, ad quam Rhases aqu. granatorum, Alzaharauius & Haly Abbas *poma acida* & *mucilag. psyllij,* & *trochiscos de camphora* exhibent. *Indicationes & Curatio.*

## *De Ictero nigro.*

Actum supra de eo, *part.4.cap.*11.

# LIBRI TERTII PARS VII.

## DE RENVM ET VRETERUM præter naturam affectionibus.

### PROOEMIVM.

*VT Chylus & inde elaboratus ſanguis per anguſtiſſimos venarum meatus in hepate penetrare poſſit, natura vehiculum, ὄχημα τροφῆς, vt appellat Hippocrates, addidit, aquoſum ſerum. Illud cùm alendo corpori ineptum ſit, vt vbi ſuo officio functum eſt, è corpore euacuetur, Natura renes conſtituit, à quibus attrahitur, & hinc per vreteres ad veſicam amandatur, & è corpore per vrinarium meatum tandem euacuatur. Ordo ergo tractationis poſtulat, vt de renum, vreterum & veſicæ vrinariæ affectibus præter naturam iam dicamus. Ideoque in hac parte agemus de renum morbis, intemperie puta, numero mutato, vaſorum in renibus anguſtia & contrà apertione, de renum calculo, vermibus, & aliis in iis genitis, de renum inflammatione aliiſque tumoribus, tabe, vulneribus, & vlceribus; de vreterum morbis: ſymptomatibus item: quæ iis accidunt, renum puta imbecillitate & vrinæ ſecretione in iis læſâ, de diabete, & dolore nephritico.*

---

### SECTIO PRIMA.

### De Renum & vreterum Morbis.

### CAPVT I.

### *Paradoxum de renum vſu.*

QVAMOBREM interdum à veterum opinionibus diſcedendum ſit præclarè explicat Ariſtoteles, *lib. 1. Ethic. cap. 4.* vbi Platonicam reiecturus ſententiam: Præſtat, inquit, atque adeo oportet etiam ita nos veritati addictos eſſe, vt præ illâ vel noſtra ipſorummet decreta euertere non dubitemus. Atque mox addit: Ἀμφοῖν ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. *Cùm vtraque cara ſunt, tum pium eſt, antiquiorem habere veritatem.* Ideoque veritatis inueſtigatio ſemper culpâ caruit. Immò. vt Galen. *lib. de Vſ. Reſpirat. cap.* 1. habet: πολυπτέον τε καὶ ζητητέον τὸ ἀληθές. εἰ γὰρ καὶ μὴ τύχωμεν αὐτοῦ πάντως, ἀλλὰ πλησιέστερον, ἢ νῦν ἐσμὲν ἀφιξόμεθα. *Audendum eſt, & veritas indaganda, quam etſi non ſemper aſſequamur, omnino tamen propiùs, quàm nunc ſumus, perueniamus.* Vnde minimè nobis vitio verti poterit, ſi Renum morbos explicaturi aliquid præter vulgatam Medicorum doctrinam, & quidem ſaltem Paradoxi loco propoſuerimus. Neque enim animus eſt, antiquis temerè obloqui, ſed veritatem eruere, inquirendo: Num ei, quam ſacræ literæ de Vſu Renum, ſententiam ſuggerere videntur, conſentanea inueniri in Medicinâ poſſit?

*Renum vſus ſecundum pleroſque.*

Phyſici ac Medici plerique in eâ hodie ſunt ſententiâ, Renum nullum alium & in homine, & in aliis animalibus vſum eſſe, quàm vt peculiari vi ſeroſum humorem à maſſa ſanguinea per vaſa emulgentia attrahant, atque ita ſanguinem à ſero purgent.

*Secundum ſacras literas.*

Verùm, ſi ea, quæ paſſim in ſacris literis exſtant, perpendamus, alius præterea vſus renibus omnino aſſignandus videtur. Pſalmo 7. *v.* 11. *Pſalm.* 26. *v.* 2. *Ier. c.* 11. *v.* 20. *c.* 17. *v.* 10. *c.* 20. *v.* 12. *Apoc. c.* 2. *v.* 20. Deus corda & renes ſcrutari dicitur. In quibus locis per Renes prauas concupiſcentias & cupidinem rei Venereæ intelligi, non pauci Theologi cenſent. Ita enim Nicol. de Lyr. loca Ierem. *cap.* 17. & Apocal. *cap.* 2. Quia ego ſum ſcrutans renes & corda, explicat: Examinans & puniens concupiſcentias & malas cogitationes. Et ad locum Nahum *cap.* 2. *v.* 10. Et dolor ſeu defectio in cunctis renibus, Gloſſa habet: & deficiunt omnes voluptates carnis. Et ad locum Ierem. *cap.* 12, *v.* 2. Et longè abes à renibus eorum, addit: quoniam erãt adulteri. Et ad pſalmum 16. *v.* 7. vt etiam renes mei me noctu caſtigent, annotat Sebaſt. Caſtellio: Vt meæ nocturnæ coerceantur libidines. Et ad Leuit. *c.* 3. vbi Deus mandat, vt renes ac omnis pinguedo ipſi offeratur, & ne ſacerdotes iſta comedant, interpretes annotant; Sacerdotes ita curare debere ſuum corpus, ne laſciuiant, quaſi renes occultâ vi pruritum amoris excitent. Et ad vocem *Renes* ſcribit ex Rabbi Dauid Santes Pagninus, *in Lexico Hebræo*, eos apud Hebræos nominari כְּלָיוֹת à כָּלָה, quod eſt deſiderare, quòd ibidem ſit deſiderium coitûs. Et Flacius, *in Claue Scripturæ*, Renes tum vrinæ expurgandæ, tùm etiam genitali ſemini ac generationi ſeruire affirmat. Vnde, vt idem Flacius, *eod. loco*, annotat, Scriptura lumbis generationem tribuit, vt 1. Reg. *cap.* 8. *v.* 19. & *ad* Hebr. *cap.* 7. *v.* 5. & 10. videre eſt. Et vetus verſio aliquoties pro lumbis Renum vocem vſurpat.

Neque ſolùm Hebræorum iſta fuit ſententia; Sed & Varro, vt Iſidorus *lib.* 11. *Orig.* habet; Renes dictos putauit, quod riui ab his obſcæni humoris naſcantur: & lumbos, ob libidinis laſciuiam.

*An Renes præter ſeri expurgationem alium adhuc vſum habeant?*

Quæ omnia cum occaſionem nobis præbeant de Vſu Renum diligentiùs cogitandi, operæ pretium eſſe putamus, renum naturam penitius intueri, & de illo inprimis diſquirere: Num præter ſeri expurgationem aliũ adhuc vſum habeant, ſanguinis nimirum ad ſemen generandum præparationem?

*Renes habẽt peculiare parenchyma.*

Et primò quidem, cùm Renes peculiare, vt reliqua viſcera, parenchyma, & quidem, vt rectè Galenus ſentit, non multum à cordis ſubſtantiâ differens habeant; reliquorumque viſcerum carnibus concoquendi peculiaris vis, & quidem ſingulis propria, tribuatur: cauſſa non eſt, cur ea Renum parenchymati denegantda ſit.

Neq; videmus, quomodo Galeni ratio concludat, *6. de decret. Hippocratis & Plat. cap.* 8. hepati vim ſanguificandi & cordi ſanguinem arterioſum generandi tribuẽtis, eâ de cauſsâ, quod hepar peculiare itidem cor, & hepatis quidem parenchyma colore ſanguini venoſo, cordis verò ſanguini arterioſo reſpondeat: niſi etiam peculiaris vis ſanguinem ſuo modo elaborandi Renum parenchymati tribuatur.

*Vena emulgens plus ſãguinis ad renes vehit, quam pro ſui nutritione indigent.*

Deinde cum vena emulgens tàm magna; & omnium à cauâ prodeuntium ampliſſima ſit, multum etiam, ſanguinis ad renes vehit; & quanto pro ſui nutritione Renes non indigent. Reliquum ergo cum ſanguine arterioſo miſtum, & ſero defecatum, vt in alium vſum cedat, neceſſe eſt.

*Renes ad expurgandum humorem ſeroſum tàm amplâ arteriâ non opus habuiſſent.*

Tertiò, Arteriâ tàm amplâ, ſi tantùm ſeroſum humorem expurgarent renes, opus non fuiſſet: ſed id potius officium habent arteriæ, vt ſanguis arterioſus ſanguini venoſo confuſus & miſtus, atque à ſero maximè repurgatus, in renibus aliquo modo mutetur atque elaboretur, quem venæ & arteriæ ſpermaticæ, quæ ſtatim ſub renibus & ad renes ſanguinem hauriunt, ad ſeminis generationem in teſtes deferant.

*Arteriæ emulgentes cur factæ?*

Nam quod vulgò docetur, arteriàs emulgentes, vt arterioſum expurgent ſanguinem, ſerumque in arteriis copioſiſſimum in renes effundant, factas eſſe, difficultate

*Cur serum in arteriis continetur?* tate non caret. Qui enim ex Gal.5.*de Vs. part.c.*5. ideo serum in arteriis contineri probare conantur, quod arteriæ renibus datæ sunt, ii principium petunt,& incertum per æquè incertum probant. Nam si venæ emulgentes datæ sunt, vt sanguinem à seroso humore purgent; atque ex venâ cauâ optima sanguinis portio ad dextrum cordis ventriculum fertur,& ex eo demum in sinistro cordis ventriculo sanguis arteriosus elaboratur: Vnde in arteriâ magnâ, quæ ex sinistro ventriculo Cordis non ita longo à renibus interuallo exoritur, copiosissimum illud serum ortum habet?

*Cur arteriæ renibus immittantur.* Et proinde Galeno, *loco allegato*, quærenti; si non sanguinis in ipsis contenti à sero purgandi gratiâ renibus arteriæ immittantur, quænàm alia caussa fuerit, cur eâ magnitudine Natura eas effecerit, ad cauitatémque renum diuisas ipsas, haud secus ac venas, produxerit? respondeti potest: factas esse, vt sanguinem arteriosum ad renes ferant, qui in eorum substantia cum sanguine venoso mistus & alteratus semini generando materiam præbeat.

Rursus quî fit, quod sapor ac odor ille, qui quidem in animalibus plurimis non castratis per vniuersum corpus diffunditur, maximè tamen in renibus percipiatur,& præcipuè in adultis; In nouellorum autem ac teneriorum quadrupedum Renibus, cum nondum fœminas ineunt, non ita percipiatur?

Oribasius quoque *lib.6. Collect. cap.*38. ex suppressione ac retentione seminis renes malè affectos fuisse deprehendit.

Insuper in Gonorrhœâ medicamenta lumbis ad semen imminuendum atque alterandum applicantur, vt ex Aretæo, *lib.2. morb. Chronic.cap.*7. Traillan. *lib.9. cap.*9. & aliis passim videre est.

Inter signa etiam renum calidorum Medici recensent propensionem ad libidinem, somnia libidinosa & nocturnas pollutiones; contra frigidorum ad venerem segnitiem. Et seminis qualitates Practici passim ex renum constitutione deducunt, atque si illud calidius, ac acrius sit, etiam ex renum calore fieri docent.

Tandem vasorum, præparantium dictorum, origo idem persuadere videtur. Etenim si simpliciter saltem sanguinem è vena caua & arteria aorta ad testiculos deferre deberent, possent deduci è propiore loco, non verò per tam longas ambages, partim ex ipsis emulgentibus, partim propè emulgentes originem sortiri, quod indicio est, vasa istâ non simpliciter ex vena caua & arteria, sed in ipsis renibus elaboratum aliquid accipere,& ad testiculos deferre.

Atque hæ potissimùm rationes sunt, quibus quis adduci posse videtur, vt de vulgatâ sententiâ de Vsu Renum dubitet. Ἔστι δὲ, vt habet Aristoteles, *Metaph.B. cap.*1. τοῖς εὐπορῆσαι βουλομένοις προὔργου τὸ διαπορῆσαι καλῶς. *Est operæ pretium aliquid facultatis & cognitionis habere volentibus bene dubitare.*

## CAPVT II.

### *De Renum Intemperie: & primò de calida & sicca.*

#### *Caussæ.*

*Renum Intemperies, calida & sicca. Caussæ.* INter morbos autem renum sunt primò intemperies & quidem frequentissima calida & sicca, quæ contrahitur à caussis calefacientibus. E talibus caussis internæ sunt, vicinarum partium, inprimis hepatis, & venæ atque arteriæ magnæ præter naturam caliditas, materia calida & sicca, siue in renibus sensim cumulata, siue aliunde, præsertim ab hepate & vena caua atque arteriis, affluens; quam eò faciliùs admittunt renes, cum ob caussam aliquam facti sunt imbecilliores, & si præterea doleant & incalescant, facilius humores à vicinis partibus attrahunt.

Externæ caussæ sunt alimenta, potus & medicamenta calida & sicca, quæ reliquas partes calefaciendi vim habent; inprimis tamen, quæ vim diureticam obtinent decubitus supinus supra lectum & stratum calidum, præcipuè plumeum, & vestimenta circa renes calida; balnei calidi frequens vsus, præcipuè verò motus violentior & magnus spinæ, ac vicinorū musculorum, qualis fit in equitatione, vsus etiam & gestatio longa armat uræ & thoracis ferrei.

#### *Signa Diagnostica.*

Cognoscitur autem Renum calida intemperies ex caussis calefacientibus, cum internis, tum externis, quæ modò enumeratæ sunt, si præcesserint; ex caloris sensu circa Renes, ex vrina, quæ excernitur copiosa, tenuis, sæpe calida & acris, cui pinguedinis aliquid supernatat, sæpe etiam arenulæ & rubrum sabulum in vrinis apparet. Adest propensio ad libidinem, atque accidunt nocturnæ pollutiones, & insomnia libidinosa; corpus extenuatur. Nocent calefacientia, iuuant refrigerantia. *Signa.*

#### *Prognosticum.*

Si intemperies ista non sit magna nec inueterata, nō adeo difficulter curatur, Si verò magna sit & diu durauerit, ac siccitas caliditati coniuncta sit, difficulter curatur. *Prognosticū.*

#### *Indicationes & Curatio.*

Calida intemperies indicat refrigerantia sicca humectantia. Refrigerant autem renes *violæ, rosæ, cichorium, endiuia, lactuca, portulaca, semperuiuum, nymphæa, succus citri, limonum, granatorum, fragæ, fructus rubi Idæi, hordeum, melones, cucumeres, semina 4.frigida maiora, scariolæ, serum lactis, acetum, acidulæ.* *Indicationes & Curatio. Hepar Refrigerantia.*

E quibus varia parantur medicamenta cum interna tum externa.

#### *Interna.*

Conseruæ, syrupi, aquæ, emulsiones ex supra dictis plantis. *Interna.*

Vt ℞. *Aq. fragor. sine vino violar.*an.℥.iii. *syrupi violar. acetosi citri* an.℥.j. *spiritus vitrioli.* gr.iiii.

Misce.

Vel ℞. *Sem.4.frig.maior.*an.ʒ.j.ß. *aq.hordei s.fragor. sine vino* an.℥.iiii.

F. Emulsio.

Adde *iulebi rosar.violar.*an.℥.j. Misce.

#### *Externa.*

*Epithemata* ex aquis & succis lactucæ, portulacæ, nymphéæ, semperuiui. *Externa.*

*Oleum*, rosar. violar. nymphéæ.

*Vnguentum*, rosaceum, refrigerans, Galeni.

Vel ℞. *Mucilag.sem.psyll.*℥.ß. *ol. violar. vngu. refrig. Galeni* an.ʒ.vj. *sacch.* ♄ni ℈.j. *ceræ parum.*

F. Linimentum.

*Cerotum* Santalinum

*Folia* vitis, lactucæ, nymphéæ, salicis, linteis stratis supposita.

*Lamina plumbea* dorso è regione renum alligata; inprimis verò aquæ dulcis balneum diu continuatum.

Plura de Inflammatione Renum proponentur.

#### *Diæta.*

In cibis conuenientissima est ptisana hordeacea, semina 4.frigida maiora, lactuca, endiuia, cichorium, fraga. Cibi condiantur succo citri, granatorum, ribes. *Diæta.*

Potus sit aqua hordei, vel tenuior cereuisia.

Si

Si adsit simul bilis, purgetur ea cassiâ, diapruno simplici, electuario, de psyllio, de succo rosarum.

### *De Intemperie Renum frigida.*

#### *Caussæ.*

*Renum Intemperies frigida? Caussæ.* Refrigerant Renes vicinarum partium, vt intestinorum, hepatis, lienis, refrigeratio; humorum frigidorum præsentia; Cibi, potus, medicamenta frigida; Aër, venti, imbres, niues, si dorso occurrant; balnea frigida & renum denudatio.

#### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Cognoscitur Intemperies Renum frigida è caussis refrigerantibus, quæ præcesserunt; vrina redditur pauca & tenuis, ac cruda. Appetitus veneris minuitur. Iuuant calida, nocent frigida. Si pituita simul adsit, vrinæ sunt turbidæ & crassæ, in quibus filamenta quasi alba subsidunt.

#### *Prognosticum.*

*Prognosticũ.* Si Intemperies Renum sit tanta, vt actio inde debilitetur, atque seri secretio impediatur, periculo non vacat. Ex seroso enim humore in renibus retento sanguis corrumpitur, & homo ad cachexiam & hydropem disponitur.

#### *Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & Curatio. Renes calefacientia.* Intemperies frigida calefacientia indicat, vt in aliis partibus.

Calefaciunt verò Renes: Radices *fæniculi, brusci, asparagi, petroselini, pimpinellæ, eryngij, satyrij.*

Folia: *betonicæ, agrimoniæ, calaminthæ, menthæ, saluiæ, rorismarini,* flores *lauendulæ, betonicæ,* Semina *erucæ, nasturtij, petroselini, fæniculi: baccæ iuniperi, amygdalæ amaræ, nuclei persicorum cicer, aromata;* Atque ex his parata varia medicamenta.

Extra inungitur renum regio *oleo nardino, costino, irino, menthæ,* quibus *spica nardi, caryophylli, macis* addi possunt; *Vnguento Martiato.*

#### *Diæta.*

*Diæta.* Victus ratio medicamentis respondeat. Quapropter *betonica, saluia, roremarino, fœniculo, aromatibus* cibi & potus condiantur. Si simul adsit pituita, purgetur *agarico*, vel *cassiâ* cum *terebinthina, benedicta laxatina, elect. Indo.*

Intemperies humida Renum, quæ actiones lædat, rarò datur.

## CAPVT III.

### *De Numero Renum mutato, & aliis quibusdam eorum morbis.*

*Renum numerus mutatus.* Renes homo, vt & alia animalia, secundum naturam duos habet. Interdum tamen vnus defecit, vt habet Aristoteles, 4. *de histor. animal. c.* 4. Fernelius. *lib.* 4. *de part. morbis & symp. cap.* 7. Andernacus, *lib.* 1. *Instit. Anat.* Vesalius, *de corp. hum. fabr. lib.* 5. *cap.* 10. Eustachius, *cap.* 10. *lib. de constit. Renum,* Columbus, *lib.* 15. *Anatom.*

Contrà renes tres vidit Eustachius, *cap.* 10. *lib. de Renum structura:* Quatuor Gemma, *lib.* 2. *Artis cyclognomicæ, & lib.* 1. *cosmocritic. c.* 6.

*Renũ color mutatus.* Mutatur & aliis modis sæpe Renum constitutio, scribitque Eustachius, *alleg. libello,* se Renes interdum subnigros, subalbidos, *Substantia.* substantia modò fragili, & quasi putri, modò densa, dura & arida inuenisse, superficiem verrucosam & innumeris tuberculis scatentem sæpius vidisse; quin & sub eorum membrana tantum flatuum collectum, vt videretur à subiecta carne prorsus separata, adeoque turgida & distenta, vt magni tumoris speciem referret.

*Renum alij morbi.* In vasis quoque emulgentibus sæpe magna accidit varietas. Ambros. Paræus, *lib.* 2. *cap.* 25. septem vidit emulgentes venas, totidemque arterias, quatuor à sinistro latere diuersis locis prodeuntes, quarum vltima ab Iliaca manebat, tres à dextro diuersis pariter locis. Columbus, *vt lib.* 15. *Anat.* refert, in eodem latere duas, tres, quatuorque & plures emulgentes deprehendit. Geminas emulgentes venas & arterias vidit Andreas Laurentius & alij. Et omnino sæpe in venis emulgentibus & vreteribus magna occurrit differentia: eam tamen à naturali constitutione discernere promptum est.

Verùm talia in viuis raro agnoscuntur, neque curari possunt. Quapropter ad alios Renum morbos progredimur.

## CAPVT IV.

### *De Vasorum in Renibus Angustia.*

*Vasorum in Renibus angustia.* CVm per vasa Renum humores serosi ab emulgentibus attracti ad vreteres transmitti debeant, læditur hæc actio, si vasa hæc non satis pateant.

Quod fit vel compressione, vel obstructione. Comprimuntur vasa ab eorum tumoribus, phlegmone, scirrho, vt & à nimia siccitate, dum scilicet ipsa Renum substantia contrahitur & corrugatur, vnde vasa comprimuntur.

Frequentissimè vero renes obstruuntur ab humoribus crassis, viscidis, interdum à materia purulenta per renes euacuari solita, à sanguinis grumis, calculis, qui interdum renes obstruunt, vt nullus humor ad vreteres & hinc ad vesicam descendat.

Generantur autem isti crassi & viscidi humores ex ciborum similium frequenti vsu, præsertim in iis qui frigidiorem habent ventriculum, & vitam otiosum iam ac sedentariam agunt, elapso.

Grumi sanguinis in ipsis Renibus concrescunt à sanguine extra vasa sua, vel ex contusione vel vlcere aperta.

Pus vel in ipsis renibus generatur ob vlcus & abscessum in iis genitum, vel aliunde ad eos confluit, vt ex hepate aut pectore, è quo interdum materia purulenta per renes euacuari solet.

Calculi quomodo generentur, *cap. seq.*

#### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Angustia vasorum in renibus ex vrinæ suppressione, vel paucitate cognoscitur, ita tamen, vt nullum vitium in vesica vel vreteribus adsit, & obstructio sit in vtroque Rene. Nam si alteruter sit saluus, is reliqui vices supplere potest. Vrina retenta tensionis & grauitatis sensus circa lumbos oritur, in vno vel vtroque latere, prout vnus vel vterque Ren obstructus est, hypochondria inflantur, & intumescunt, & alia accidunt quæ infra de vrinæ suppressione enumerabuntur.

Quando id, quod obstruit, circa caput vreteris est, dolor per vreteris longitudinem versus vesicam se extendit. Et si aliquid cum vrina emittitur, notas eius, quod obstruit, exhibet.

Caussæ verò suis signis discernendæ sunt. Si inflammatio vel tumor aliquis adsit, latere non potest, sed suis signis se prodit.

Obstructio, & quidem à crassis & viscidis humoribus cogno-

cognoscitur è crassorum, crudorum & viscidorum humorum redundantia, neque adest dolor, vt in calculo, neque febris, vt in inflammatione, & sentitur in renibus & lumbis quædam grauitas.

Sanguinis grumum caussam esse obstructionis Renum cognoscitur à præcedente sanguinis è vasis renum effusione, & tum plerumque sanguinis mictio præcessit, & præcesserunt apertionis vasorum caussæ, lapsus, percussio, equitatio, & aliæ apertionis vasorum caussæ & signa.

Pus caussam esse, colligitur è signis vlceris vel abscessus in renibus, hepate vel pulmone; solétque tum plerumque puris aliqua pars cum vrina excerni.

Calculi in renibus signa capite sequenti proponentur.

*Prognostica.*

*Prognostica.* I. Si ab inflammatione vel alio tumore fit vasorum in renibus angustia, mali magnitudo ex ipso tumore æstimanda. Eo enim sublato, vasorum angustia cessat, durante durat.

II. Obstructio, quæ fit ab humore crasso & crudo, vel grumo sanguinis, vel pure, nō ita difficulter curatur.

III. At quæ fit à calculo, plus difficultatis & periculi habet, & plerunque est incurabilis. Licet enim calculus semel loco moueatur, vel tollatur: tamen vel iterum in vasa incidit, & obstructionem parit, vel manente illa dispositione λιθοποιητικῇ nouus calculus generatur, vt *cap.seq.* dicetur.

*Curatio.*

*Curatio.* Curatio pro caussarum diuersitate varia est. Nam si adsit inflammatio, vel alius tumor, curatio instituenda eo modo, quo postea, *c.8.& 9.* dicetur.

Si obstructio fit à pituita cruda & crassa, primò statim ea leni medicamento euacuanda. Vtilia sunt tum etiam vomitoria, quæ crudos humores euacuant, & à renibus reuellunt, & parantur ex raphano, floribus genistæ, foliis & radicib. asari. Postea exhibeantur ea, quæ pituitam incidere, detergere, & vrinam mouere possunt. In quem vsum commodissimæ sunt aquæ destillatæ è petroselino, ononide, asparago, alkekengi, capillis ♀, & similibus, syrupus de duab. & quinque radicib. byzantinus, simplex & compositus, de raphano Fernelij, quæ infra de vrinæ suppressione, *part.8.sect.2. cap. 2.* proponentur. Vtilis est & spiritus salis & vitrioli in liquore aliquo conuenienti vel iusculo galli, in quo radices diureticæ coctæ sint, exhibitus.

Si à grumo sanguinis fit obstructio, exhibeantur ea, quæ grumos sanguinis dissoluere possunt, inprimis oxymel scilliticum cum decocto vel aquis chærefolij, artemisiæ, capillorum veneris, radicum asparagi, exhibitum, mumia item, myrrha, coagulum leporis, oculi cancri & eorum magisterium. Si à pure crassiore, pus abstergentia exhibeantur.

Si à calculo, instituatur curatio, vt *cap.seq.* dicetur.

## CAPVT V.

### *De Apertione vasorum in Renibus.*

*Vasorum in renibus apertio.* Contra interdum vasa in renibus, venæ scilicet & arteriæ, præter naturam aperiuntur. Accidit hoc ab intemperie renum calida & humida, quæ laxat & rarefacit vasorum tunicas; Interdum verò à sanguine calidiore & tenuiore, humoribus acribus, qui vasorum orificia aperiunt & erodūt: à motu itē magno, quo dorsum & renes incalescunt tandē etiā hoc accidit à calculis, asperitate sua orificia vasorū aperientibus, & aliis caussis vnitatē renū soluentibus, vt lapsu, percussione, & similibus.

*Signa Diagnostica.*

*Signa.* Cognoscitur vasorum in renibus apertio ex vrina, quæ cruenta redditur. Et quidem si parua saltem quantitate sanguis cum vrina reddatur, vas aliquod saltem dilatatum & rarefactum est, è quo sanguis transsudat: Si verò maiori copia excernatur, vas aliquod magnum ruptum esse, manifestum est.

Quæ autem caussa apertionis vasorum sit, cognoscitur ex iis, quæ præcesserunt, & ex humorum in corpore abundantia.

*Prognosticum.*

*Prognostici.* Quantum verò periculi portendat hoc malum, caussæ, à qua pendet vasorum apertio, magnitudine æstimandum.

*Curatio.*

*Curatio.* Curatur autem apertio vasorum iis, quæ vel adstringunt, vel consolidant, pro caussarum ratione. Itaque vtilia sunt *plantago, bursa pastoris, consolida, tormentilla, tragacanthum, bolus Armenus, terra sigillata, corallium, mumia, lapis hæmatites.*

## CAPVT VI.

### *De Calculo Renum.*

*Calculus Renum.* ET si in omnibus ferè corporis partibus calculi quandoque generantur, vt alibi dictum: tamen nullibi frequentius, quàm in renibus & vesica gignuntur: atque ibi geniti variorum morborum ac symptomatum caussæ existunt. Corpus quidem istud durum, quod cùm in renibus, tùm in vesica generatur, propriè calculus nominatur & caussa morbifica est, morbúmque in numero aucto secundum Galenum, *lib. de differ. morb. cap.8.* morbum item in via seu, angustiam & sæpe solutam vnitatem parit, atque etiam grauissimos dolores & vrinæ suppressionem excitat. Mala tamen hæc omnia quandoque etiam nomine lapidis vel calculi, qui Græcis λίθος est, comprehenduntur; & ipsa διάθεσις præter naturam, quam calculus parit, Græcis λιθίασις dicitur. Ideóque frustra laborant illi, qui anxiè disputant, an calculus sit morbus, caussa vel symptoma, & ad vnum tantum genus eum referre conantur; cum plures res, quæ singulæ diuersas definitiones requirunt, hoc nomine comprehendantur, vt modò dictum, & diuerso respectu variè definiri possit. In renibus appellatione à parte affecta petita, nominatur Nephritis. Cum autem renum & vesicæ calculi eodem modo generentur, & multa communia habeant, ea etiam & præcipuè quà generationem, coniunctim proponemus.

*Caussa.* Hoc ergo primum maximè dignum inquisitione est, quomodo cùm in renibus, tùm in vesica generentur calculi, seu quæ sit eorum & materia & caussa efficiens. Diximus autem ea de re pluribus, *lib.1.Institut.part.2. cap.9.* & *in tract. de cons. & diss. Chymic. cum Galen. c. 11.* atque in sententia ibi proposita adhuc persistimus, ipsa rerum experientia persuasi, quæ in rebus naturalibus inuestigandis semper maximi momenti habenda est. Docent autem rerum naturalium historiæ, non solùm in thermis lapides & tophos canalibus, per quas aquæ labuntur, accrescere, sed & fontes & fluuios passim reperiri, de quibus verum est, quod de Ciconibus Ouidius scribit,

*Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit.*
*Viscera, quod totis inducit marmora rebus.*

Imò quod magis admirandum, dari spiritus eiusmodi lapidificos, qui obuia quæque in saxa & lapides conuertunt. Ita refert Auentinus, *histor. Bauaric.lib.7. Anno* 1348. ex terræ motu plures, quam 40. rusticos, item mulgentes

mulgentes cum vaccis extinctos obriguisse, & corpora à spiritu terreno in salarias statuas redacta apud Charinos fuisse, quæ quidem simulacra sibi & Cancellario Austriaco conspecta fuerint. Et Philippus Camerarius, *in descript. Ptolem.augment.centur.2.cap.70.* ex Cornelio VVittflidio narrat de aura meridionali certis anni temporibus flante in montanis prouinciæ Chilensis in America, cuius quidem afflatu integræ equitum turmæ velut in statuas lapideas repentè obriguerint, steterintque in via eo aciei ordine, quo ante metamorphosin adhuc viuæ iter fecerant. Similem huic historiam refert Ortelius; *in descript. Russiæ*, de pecudum gregibus & armentis illicò petrefactis. Nimirum sicut in thermis & aquis quibusdam ex materiæ interna dispositione, seu succo lapidedescente, seu forma, cui hoc Scaliger, *exer.* 115. tribuit, præcipuè vbi ea à reliqua aqua maximam partem separatur, & corpus, cui adhæret, nanciscitur, lapides generantur; ita & in corpore nostro ac præcipuè in renibus & vesica ex simili feculenta terrea & falsa materia, vbi subiectum idoneum nacta est, calculos generari, & materiam illam feculentam ac tartaream interna vi ad coagulationem tendere & in lapidem concrescere, vero maximè consentaneum est. De nomine huius materiæ cum nemine litigabimus. Appelletur humor tartareus, terreus, feculentus, falsus, pituitosus, vel nobilis etiam Praxagoræ pituita, quam Scaliger, *exercit.* 108. *sect.* 3. dum emingeretur, albuminis mollitie emissam vitri duritie & splendore, & in lapidem vitreum mutatam vidit. Neque enim semper materia hæc, ex qua calculi in corpore nostro generantur, eiusdem planè naturæ est, neque eandem formam externam habet, & vt lapides non omnes sunt duri. sed & friabiles; ita omnium non planè vna materia est. Hoc modò concedatur, nec pituitam simpliciter, nec feculentum, nec terreum, aut simile quid ad lapidis productionem sufficere; cum talia in multis corporibus reperiantur copiosè, qui tamen calculo non laborant, & in vesicula fellis calculi generentur non ex pituita, sed ex ipsa potius bile, quod lapidum illorum color & natura demonstrat, sed præcipuè vim lapidificam & concrescendi in ipsa materia requiri, quod etiam illa ipsa obseruatio Scaligeri manifestè docet; cum pituita illa vitrea neque calore, neque frigore neque siccitate vesicæ coagulata fuerit, sed emissa & excreta sponte in vitream duritiem concreuerit. Agnouit hoc proculdubio manifestè Platerus, qui pituitam solam adeo terrestrem illam materiam, vt in lapidem mutetur, conglutinare, aut calorem renum pituitam adeo exsiccare posse, vt in lapidem concrescat, negat, sed expresse statuit, acrem & salsum, qui terrestreitati in sero & vrina permiscetur, atque inest, succum compingere & veluti ferruminare illam materiam.

Interim non negamus, præter innatam illam lapidescendi vim, quæ ipsi inest materiæ, alia etiam quædam, sine quibus concretio illa non fit, vel non facilè fit, requiri. Vnde nonnulli efficientium caussarum numerum hîc cumulant, & plures generandorum calculorum modos constituunt. Verùm cum Philosophis hic distinguendum est inter principale agens, quod nomine generis in specie αἴτιον dicitur, & συναίτιον. Αἴτιον enim hic est vis lapidifica, à qua principaliter concretio pendet. Συναίτια verò sunt, vel sine quibus primarium agens finem suum non assequitur, vel quæ aliquid ad faciliorem concretionem faciunt, quorum plura esse facilè concedimus. Et illi ipsi, qui plures caussas concretionis lapidum ponunt, & plures concretionis modos, eósque quasi diuersos, tandem tamen non omnes esse eiusdem generis confiteri necesse habent, dum rectè statuunt, aquas illas, in quibus lapides concrescunt, materiam vliginosam, limosam, lentam, cænosam, terream, glareosam, quandoque salsam, acidam, aut alio secum genere infectam secum ferre, quæ feces locis potissimum siccioribus adhærescant, quod siccitas sine omni calore quandoque sufficiat ad materiam, quæ præterfluxura erat, retinendam: Potissimam verò concretionis caussam exsistere materiæ, ex qua fit lapis, qualitatem (à Scaligero formam nominari diximus) quæ suapte natura, vel nullo extrinsecus accedente calore aut frigore, ad concretionem ipsa sibi abunde sufficiat: etsi promptius concrescat (adiuuantes enim solum caussæ sunt calor & frigus) si calor externus aut frigus accesserit. Atque ita vnicum, quantum ad caussam principem, generationis calculorum modum statuendum esse censemus; neque adiuuantes caussas & συναίτια pro principalibus habendas. Itaque etsi multæ aliæ aquæ sint, quæ æquè, imò etiam sæpe magis impuræ sunt, quàm illæ, in quibus calculi generantur: tamen non in omnibus lapides concrescunt, sed in iis saltem, in quibus iste succus lapidescens est. Συναίτια tamen & adiuuantes caussæ etiam cognoscendæ propter curationem. Nam in omni vrina materia ad calculum generandum apta est; id quod vel ex matulis vrinariis, in quibus eiusmodi materia, nisi sæpius mundentur, concrescit, & sale, qui ex vrina conficitur, apparet: non in omnibus tamen materia illa in calculum coagulatur, sed emingitur & excernitur. Ita etiam videmus, plurimos impunè caseo & aliis, qui ad calculum generandum faciunt, cibis vesci, alios verò ab iisdem maximè lædi. Cuius rei caussam non tàm in materia calculi, quàm in corporis dispositione, quam Fernelius arenosam, calculosámque renum constitutionem appellat, consistere non negamus. Noui enim virum doctum, qui cum à calculo planè liber esset, post quartanam in calculum incidit, tali constitutione renibus inducta. Et hinc multi, qui in iuuentute calculo non laborârunt, progressu ætatis calculo renum obnoxij fiunt. Si quis tamen hîc statuere velit, etiam in prima & secunda coctione hîc errorem aliquando concurrere, vt scilicet vbi partes tartareæ ac feculentæ non diligenter & exactè, vt par est, separentur, quæ verò postea ad renes & vesicam peruenerint, atque ibi quacunque de caussa substiterint, in lapidem coagulentur, id non planè reiiciendum putamus. Cum enim, vt postea etiam dicetur, stranguria etiã fieri possit ob errores in victu, & primæ aut secundæ coctionis vitium: ad calculi quoque generationem aliquid facere, & calculo materiam suppeditare posse, absurdum non est: cum prioris coctionis vitium non corrigatur in secunda.

Quæ autem caussæ sint, quæ calculorum generationem adiuuent, alij aliter sentiunt. Fernelius in genere arenosam, calculosámque renum constitutionem appellat, quæ tamen illa sit, non explicat. Platerus siccitatem solam ponit. Alij plures addunt, etsi eas pro primariis efficientibus ponunt. Primò autem ad calculum generandum facere statuunt plerique calorem exsiccantem renum, cuius etiam nonnulli aliquot gradus constituunt, & declarant hoc exemplo lixiuij, è quo, absumptâ per calorem aquâ, sal coquitur, & aquæ marinæ, quæ etiam calore Solis & ignis in salem coagulatur. Verum exemplum hoc rectè declarandum est. Neque n. quod in salis artificiosa præparatione fit, hoc omne etiam in renibus accidit, nec calore aquea pars planè absumi potest, crassa relicta; cum continuo è corpore serosa materia ad renes deriuetur: multò minus per afflationem calculum in renibus gigni credendum est, sicut ex terra lapides coquuntur. Neque enim tantus in corpore nostro calor est, neque ita humidum omne, vt in laterum coctione, in renibus absumi potest. Neque etiam aquæ absumptio principalis coagulationis caussa est in salibus (etsi ad faciliorem coagulationem faciat) cum in ipsa aqua salem concrescere videamus. Sed cum natura nunquã sit otiosa,

verum

verùm excrementa non cruda,sed certo modo elaborata, vt in fecibus alui apparet, è corpore emittat: idem in vrina fieri credendum est, humorémque serosum, antèquam è corpore excernatur, in renibus suo quoque modo alterari & elaborari credendum est. Quod si non rectè fiat, sed quæ coniunctim & mixta excerni debebant, partes tartareæ & feculentæ ab aqueis separentur, & aqueæ per vrinas excernantur, tartareæ v. & feculentæ hæreant & subsistant in renibus, ob insitam vim lapidescendi in calculum mutantur. Caussam verò, ob quam hoc fit, siue quis constitutionem arenosam calculosámque renum cum Fernelio, siue siccitatem cum Platero, siue calorem exsiccantem appellare velit, per me licet. Plus tamen hîc cum Platero malim tribuere siccitati, quam calori; cum senes, in quibus calor minor est, quàm in iuuenibus, calculo renum magis sint obnoxij, quàm iuuenes, in quibus calor renum maior, & calculi quandoque in iis partibus coagulentur, in quibus calor præter naturam insignis esse non potest, vt in vmbilico & alibi. Sufficit siccitas, non vt caussa princeps, sed vt adiuuans, vt modò dictum, & idoneum coagulationis subiectum. Si enim materia concretioni apta subiectum idoneum nanciscitur, ei sese agglutinat, & indies incrementum sumit. Qua de caussa in aluminis & vitrioli officinis arundines & baculi lignei lixiuio imponuntur, vt facilius concrescant; & tophacea & tartarea materia in ore dentibus adhærescit; & lapidis bezoar primum rudimentum est circa paleam vel simile quid. Et Forestus, *lib. 24. in Schol. obseru. 22.* ex Alexandro Benedicto refert, virginem quandam è vesica lapidem oui gallinacei magnitudine eiecisse, in cuius diffracti medio acus crinalis reperta fuit, quam olim deglutiuerat. Hâc ipsa de caussa accidit, vt diuretica & calculos frangentia, vehementius siccantia non solum non præseruent à calculo, sed potius dispositionem illam ad calculum generandum aptam in renibus augeant, renes exsiccando. Et qui hanc naturalem ad calculum generandum dispositionem, quocunque modo nominetur, à parentibus est nactus, calculi caussam secum circumfert, & vix illa diligentia morbum hunc effugit.

Atque hæc quidem calculorum materia proxima est & generationis modus: Caussæ mediatæ & remotæ aliæ ad materiam calculi generandam faciunt, aliæ ad dispositionem renum & vesicæ, ob quam calculi facilius concrescunt. Materiam diximus esse tartaream, limosam, feculentam, salsam, serosam, pituitosam, atque aliis etiam nominibus appellari. Huius etsi in omni vrina aliquid reperiatur, vt id in matulis vrinariis apparet: tamen in aliis corporibus plus, in aliis minus cumulatur. Ideóque de caussa antecedente calculorum, & caussis quæ eam suppeditant, dicendum.

Facit primò huc, vt antea dictum, vitiosa in ventriculo coctio. Nam si in hoc cibus non bene coquatur, & excrementa non probè segregentur & excernantur, sanguis inde feculentus generatur; cum coctionis primæ vitium non corrigatur in secunda, ierúmque etiam impurum ad renes peruenire necesse est. Potest huc & aliquid conferre hepar, si munus suum non probè obeat, & quæ homogenea sunt, non congreget, nec heterogenea separet.

Victus verò inprimis ratio ad calculum generandum plurimum facit. Primò crapula & cruditates, ac cibi, qui crassum ac lentum succum præbent, acuti item & salsi. Pertinet huc panis non bene fermentatus aut malè coctus & pultis, ac placentæ ex tritico, legumina ferè omnia, exceptis ciceribus rubris, lac & lacticinia omnia, caseus, de quibus Galenus, *3. de aliment. facult. cap. 15. 16. 17.* Pisces omnes grandiores, anguilla item, murenæ, aliique squammis carentes, etiam viscosi, cancri, ostreæ & conchylia: Carnes item animalium

*Cibi ad calculum generandum apti.*

crassum & viscidum succum præbentes, vt suilla, bubula & inprimis carnes sale ac fumo induratæ, vt & pisces sale conditi vel siccati; è partibus animalium ventriculus, cerebrum, cor, pulmones, splen, intestina. Aues lacustres, anas, anser, oua dura, fructus immaturi, austeri, acerbi, & mespila, pyra, cydonia, castaneæ, fungi item ac tubera; vinum immaturum, austerum, nigrum, crassum, dulce, inprimis mistum, & id vini genus, quod in locis argillosa tartareâ & calculosa materia abundantibus crescit. Cereuisia recens, feculenta, crassa, aquæ crassæ, palustres, ex niue liquatæ, & quæ materiam lapidescentem permistam habent.

Calculosam verò renum constitutionem augent & inducunt, quæ renes exsiccant & debilitant. Hinc accidit, vt omnes, qui cibis modò enumeratis vescuntur, calculo laborent; de quo Galenus, *lib. 3. de alim. fac. cap. 17.* ait; Vbi succorum crassities cum calore ardente iungitur, calculi generantur. Et *ibidem cap. 16.* Calculos solent gignere edulia crassa & crassi succi, maximè cum homines calidiores iusto fuerint, seu ob naturalem intemperiem, seu ob quendam alium affectum ipsis postea innatum, non tamen pro caloris ratione meatuum transitus latos habeant. Nimirum opus est, vt Platerus ait, vt acris & salsus humor cum terrestri iungatur, & renum siccitas præter naturam viarúmque angustia adsit. Referendus etiam hûc intempestiuus purgantium & diureticorum medicamentorum vsus, quæ renes exsiccant & calculosam constitutionem iis inducere possunt. Non etiam nihil ad calculi generationem facit immoderatus & intempestiuus mox à cibo sumpto corporis motus, item equitatio, venus, motúsque omnes; qui dorsum præcipuè & renes calefaciunt atque exsiccant.

Astrologi hîc etiam è cœlo caussas petunt & scribunt, Saturno cum Mercurio in domo octaua in natiuitate diurna significare, quod natus erit calculosus, aut vesicæ morbum patietur.

Pertinet huc & hæreditaria ad calculum generandum dispositio, quam Hercules Saxon. saltem prauam aliquam renum conformationem esse statuit, intemperiem verò esse negat, ea de caussa, quod si intemperies esset, ratio nulla dari possit, cur non potius incideret in calculum ætas iuuenilis, quam senilis. Verùm ratio hæc sufficiens non est. Dantur enim multæ dispositiones hæreditariæ similarium partium, quæ non mox in infantia & iuuentute, sed progressu ætatis sese exserunt, vbi certis de caussis augmentum sumunt, eúmque gradum, qui ad morbum aliquem producendum necessarius est, acquirunt; id quod in arthitide manifestum est.

Atque hic caussa explicanda est, cur pueri magis calculo vesicæ, adulti verò calculo renum sint obnoxij? Etsi enim pueri etiam quandoque calculo renum corripiantur: tamen id rarissimum est, vt id non nisi semel se vidisse, Cardanus scribat, *in comm. aph. 26. sect. 3.* Caussarum huius rei Galenus, *6. epidem. comm. 3. t. 15.* in vrinæ crassitiem refert: Crassitudo, inquit, multa in vesica collecta & in vnum coaceruata, si diu ibidem remanserit, concrescendi, coagmentandíque initium capit. Hippocrates in lac præcipuè caussam refert. Verum cùm & pueri ferè omnes tandem viuendi rationem obtineant, & tàm in pueris, quàm infantibus multis mingantur vrinæ crassæ, & tamen calculo vesicæ non laborent, caussa huius rei inquirenda est, sicut & illius, cur in pueris in renibus calculus non concrescat. Posterioris quidem caussa est proculdubio, quod puerorum renes sunt humidiores, & ad detinendam materiam calculi minus apti, atque expultrix vis in iis est fortior: Ob quod accidit, vt materia illa statim per renes transeat, ibique non coaguletur. Ad vesicam verò delata materia cum

à calore eius,vt partis exſanguis, debili regi non poſſit, non exactè craſſum aquoſo permiſcetur, ſed aquoſum excernitur,craſſum remanet,& in lapidem compingitur. Contra in adultis ob renum ſiccitatem & diſpoſitionem ſtatim in renibus in calculum concreſcit. Prioris verò cauſſa quærenda eſt, tum in materiæ tùm in veſicæ diſpoſitione diuerſa. In materia quidem, quod materia craſſa non ſemper eſt eiuſdem generis. Neque enim craſſities ſola ad lapidum conſtitutionem ſufficit, ſed requiritur in ea vis lapidifica, ſeu vt Platerus loquitur, ſuccus ſalſus, qui vim compingendi terreſtreitatem habet. Ideóque quod omnes pueri calculo veſicæ non laborant, cauſſa non eſt calor exſiccans, vt Mercatus exiſtimat. Neque n. in veſica membranoſa & frigida, & quæ ſemper humore affluente è renibus abundat, tantus calor eſſe poteſt, qui humidum abſumat, vt lapis inſtar eorum, quæ à calore humidum abſumente indureſcunt, concreſcere queat. Verùm probat ilius eſt, id ideo fieri, quod vrinæ craſſiores infantium aliæ plus, aliæ minus illius ſalſi & lapideſcentis ſucci in ſe continent, ſeu ex victus ratione, ſeu ob ventriculi, hepatis, vel renum in coquendo & ſeparando vitium,ob quod materiam ſibi ſubiectam non rectè elaborant. Hinc etiam in pueris omnibus vrina craſſa ardorem vrinæ non excitat, non ideo, vt Mercatus vult, quia in aliquibus ſaltem maior calor adſit, ſed quia, vt rectè Platerus ait, in illa materia terreſtri plus eſt ſucci acris & ſalſi. Imò potius frigiditatem veſicæ ad calculum generandum facere, credibile eſt. Cum enim vrina debito modo attrahi non poteſt, craſſum aqueo non permiſcetur, ſed ad fundum ſubſidet & veſicæ adhæreſcit & in lapidem compingitur. Et quamuis caliditatis indicia quædam adſint in vrinis puerorum, qui calculo veſicæ obnoxij ſunt: tamen ea potius in vrina eſt, quàm in veſica. Qua de cauſſa Hippocrates, *in lib. de aër. aqu. & loc.* interdicit infantibus lac bilioſum & feruidum ac vinum. Et *in* 4. *de morbis* ſcribit; Si puer à nutrice lac non purum ſuxerit, ſed bilioſum, morboſus fit ac tenuis. Quamprimum autem in veſica rudimentum aliquod calculi cogitur, circa id poſtea materia noua indies conglobatur, & vt Scaliger, *exerc.* 115. ait; Quæ forma priorem concretionem generat, eadem adgenerat etiam appendicem ex eadem materia, quam exinde nacta eſt. Et ita ex multis quaſi lamellis ſæpe lapides coagmentantur.

## *Differentiæ.*

*Differentia.* Etſi aliquot differentiæ ſint calculorum,deſumptæ à figura, quod ſunt rotundi,oblongi,leues,aſperi, angulares; à colore, quod alij ſunt rubri, alij flaui alij cinerei, nigricantes; à duritie, quod alij ſunt duri, alij friabiles; à magnitudine, quod alij ſunt parui, alij magni; à numero quod modò eſt vnus, modò plures: tamen præcipua differentia eſt,quod alius eſt renum, alius veſicæ. De illius ſignis & curatione *hoc capite* agemus, de huius *ſuo loco* acturi.

## *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Etſi Iohan.Baptiſta Syluaticus, *controuerſ.* 32. prolixè diſputat, an calculus in veſica & renibus concretus, certum aliquod, quo cognoſcatur, habeat ſignum, atque pathognomonicum ſignum habere negat, imò nec Syndromen ſymptomatum pro certo ſigno admittit: tamen ſi omnia ſymptomata diligenter perpendantur, & non ex vno ſaltem, ſed ex omnibus de affectu iudicetur, non impoſſibile eſſe putamus, in calculi cognitionem venire, doloréſque nephriticos ab aliis diſcernere.

Hippocrates,*in lib.de extern. affect.* ſigna calculi renum ita proponit. Quatuor morbi in renibus ſunt; à calculo ſequentia patiuntur ægri.Et dolor acutus incidit in renem,& in lumbos,& in teſtem ſecundum rectū ſitum,& frequenter mingit,& adſtringitur paulatim,& ſupprimitur vrina, cum vrina procedit arena, & vbi per vrinæ meatum exit arena,dolorem fortem in meatu exhibet.*Libro* verò *6.epidem.comm.*1.*t.6.*alia addit;In Rene inquit,dolor grauis,cum cibo implétur, vomúntque pituitam,cum verò abundauerint, æruginoſa, & leuiores quidem euadunt,liberantur verò,cum cibi euacuati ſunt, arenulæque ruffæ ſubſident, & cruenta mingunt, ſtupor femoris è regione poſiti.

Primum quidem ſignum dolor ſuppeditat; qui in lumbis percipitur, modò in rene dextro, modò in ſiniſtro, modò in vtroque,prout in vno rene vel vtroque calculus fuerit.Atque is infert ſenſum ponderis grauatis;quia ſubſtantia renum ſenſus expers,& ſentiendi vis tantum membranæ ineſt. Vbi verò ex renibus in vreteres deſcendunt calculi, dolores augentur; quia diſtenduntur & lancinantur vreteres,qui denſa & craſſa mébrana conſtant.Sicut & dolores concitantur, cum calculus in ſubſtantia renum genitus è carne in cauitatem renum mouetur, duruſque & anguloſus lapis partes, per quas tranſit, lancinat. Nonnunquam calculus ex vreteris, in quem deſcendere cœpit, anguſta via in cauitatem renis relabitur, & tum dolor aliquando mitigatur, qui poſtea, vbi in vreteris caput remeat, redit.

Alterum calculi ſignum plerumque eſt vrina cruenta;quia calculus cum nunquam ferè,planè leuis ſit,partes per quas tranſit, vulnerat. Vrinæ præterea circa initium obſtructionis paucæ, aquoſæ minguntur, poſtea verò eius ſuppreſſio ſequitur. Vbi verò calculus è renibus fuerit remotus, vrina multa turbulenta plerumque prouenit,arenoſum ſedimentum habens. Si tamen in renum ſubſtantia calculus hæreat, neque vrinam ſupprimi,neque arenas emingi neceſſe eſt.Obſeruatúmque eſt in multis diſſectis calculos repertos fuiſſe, qui neque arenam minxerunt, neque vrinæ ſuppreſſionem paſſi ſunt. Et arenulæ quidem, vbi calculus in cauitate renum eſt, apparent, verum non contra, vbi arenulæ apparent, ibi calculum adeſſe pronunciandum. Ideóque hìc videndum, ne ex arenis ſolum calculoſos eos pronunciemus, qui à calculo planè immunes ſunt.Sæpe enim multum materiæ arenoſæ mingitur, & ſæpe mox à pueritia ab iis, qui nunquam calculo renum laborârunt, quibúſque calculus non facilè timendus, qui prouenit ex aduſtione humorum potius in venis ac hepate & aliis locis, quàm à renibus & veſicâ. Accidit quoque hoc ſæpe in declinatione febrium cùm acutarum, tùm diuturnarum. Non difficile eſt autem arenulas iſtas ab iis, quæ calculi ſigna ſunt, diſcernere. Nam arenulæ illæ, quæ calculi ſigna ſunt, non ſubſtantiæ vrinæ permiſcentur exactè, ſed in vrina ſubſident, & ſi digitis comprimantur, non facilè comminuuntur; Illæ verò, quæ abſque calculo aduſtorum & tartareorum humorum in venis indicium ſunt, non ſubſident, aut certè minima ex parte ſubſident, ſed ſubſtantiæ vrinæ permiſcentur, & poſtea matulæ vrinariæ adhæreſcunt, inſtar pulueris etiam ipſi vrinæ innatant, & digitis compreſſæ facilè comminuuntur,Certius longè ſignum eſt calculi,& calculoſæ in renibus diſpoſitionis,ſi calculus è renibus cum vrina excernatur.

Stupor crurum etiam eſt in dolore Nephritico è regione renis affecti, qui in Colico abeſt, non, vt Galenus,*6. Epidem.com.*1.*aph.6.* ſcribit, ob compreſſionem venarum,cum ſtupor non venarum,ſed neruorum affectio ſit,neque in Nephritide ita venæ & arteriæ repleantur,vt muſculos premāt:Sed quia vel neruus,qui in crurum muſculos diſtribuitur, à duritie & pondere calculi comprimitur,vel quia muſculus,cui ren incumbit,quique cruri flectendo dicatus eſt, & in cruris partem interiorem inſeritur, comprimitur. Hercules Saxonia equidem & ipſe agnoſcit à venarum compreſſio-

ne stuporem huncfieri non posse, & caussam refert in compressionem nerui, quem renum tunica à sexta coniugatione accipit. Verum minus probabilis hæc caussa videtur; cum neruus ille cum cruribus nullum consensum habeat.

Testiculus præterea eius lateris, in quo dolor est, retrahitur. Cum enim calculus renes & eius membranam distendat, facilè fieri potest, vt etiam vicina vasa, quæ ad testes tendunt, iisque inseruntur, retrahantur.

Adest quoque nausea & vomitus, ob connexionem renum cum ventriculo, mediante peritonæo, cuius mēbranam vtrumque viscus participat; deinde quia bini nerui sextæ coniugationis à stomacho orti in internam renum tunicam implantantur. Ideóque postquam vellicantur & lancinantur nerui & membranæ in ventriculo, per quas cum renibus consensum habet, ad expellendum, quod molestum est, stimulatur, & ita is ad vomendum prouocatur.

Confirmant hæc omnia, quæ etiam malum præsagire possunt, caussæ, quæ ad generationem calculi faciunt, si præcesserint, vt victus ratio, qualem supra descripsimus & materiam calculo suppeditare diximus. Inprimis verò si parentes eidem morbo obnoxij fuerint. Adultis quoque & qui in declinante sunt ætate, magis hic morbus accidit, sicut vesicæ calculus pueris frequentior est. Si quoque vrina crassa, turbida est, & diu citra crisin excernatur, & si æger in victus ratione nihil peccet, & postea ex crassa tenuis fiat, calculi futuri præsagium est. Crassa enim vrina, quæ excernitur, materiæ calculo gignendo aptæ præsentiam indicat, tenuis verò post crassam illam retineri & coagulari argumento est; id quod magis confirmatur, si dolor aliquis in renibus sese prodat.

Quia verò dolor Colicus non paruam sæpe cum Nephritico cognationem habet, qua ratione ab eo discerni possit, docendum. Nam interdum dolores colici vel à pituita vitrea, vel ab humore acri, vel ab inflammatione orti, ea coli parte, qua iuxta renes voluitur, fixi & stabiles sunt, maximè in latere sinistro, vbi intestinum hoc angustius est, vt tùm dolorem colicum à nephritico discernere non ita facile sit. Deinde tam in colico, quam in nephritico dolore vomitus infestat, quo primùm pituitosa, hinc biliosa reiiciuntur. Ideóque qua ratione dolores, discerni possint, videndum. Prolixè autem id docet Galenus, 1. *de loc. affect. cap. 2. & 3.*

*Doloris colici & nephritici Differentia.* Duo verò præcipuè signa dolorem colicum & nephriticum discernunt; Doloris conditio, & situs loci dolentis. Primùm dolor in renibus non ita grauis est, vt colicus: Deinde si dolor sit supra regionem renum, non est nephriticus, sed colicus. Dolor præterea colicus amplior est, & latius extenditur, prout ipsum colon omnium intestinorum amplissimum per regionem abdominis circumuoluitur, & sæpius situm mutat, vagúsque est; Nephriticus verò fixus est, renúmque regione circumscribitur, & eo loco, in quo calculus hæret, qui vbi mouetur ad vesicam, vreterum ductum rectè sequitur. In colicis etiam doloribus murmura & rugitus in intestinis ferè percipiuntur, qui absunt in nephritide. Vrinæ in nephritide propter obstructionem primò sunt tenues & crudæ, mox cum arenulis vel calculis aut sanguine excernuntur: In dolore verò colico, cum seu bilis ob viam ad intestina interclusam ad renes fertur, seu vesicula fellis quasi conuellitur, vrina in initio rubens & crassa excernitur, aluus ferè obstruitur, & quæ excernuntur, flatuosa sunt, & tandem reliqua etiam signa nephritidis, vt stupor cruris è regione loci affecti, in colica absunt.

## *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Calculus renum morbus periculosus est; cum mala grauissima inferat, inflammationem & exulcerationem renum, dolores acerbissimos, cum in vreteres delabitur, vnde vigiliæ, virium deiectio, vrinæ retentio, febris sæpe, & alia mala ortum habent.

2. Calculus quò maior & asperior est, eò acutiores dolores infert, & si tantæ sit magnitudinis, vt vreterem pertransire nequeat, incurabilis plerumque est. Parui verò, rotundi ac leues facilius excernuntur.

3. Si malum hæreditarium sit, difficulter, imò vix vnquam curatur.

4. Vitia renum & vesicæ in senibus difficulter curantur. *6. aph. 6.*

5. Si dolor nephriticus nullis medicamentis sedetur, mortē minatur, quæ iam in propinquo est, vbi extremitates frigidæ sunt, sudor frigidus faciem occupat.

6. Bonum est, si vrina primum crassa, deinde tenuis & rursus crassa mingatur, ac in fundo arenæ resideant. Lapidem enim resolui indicio est.

7. Calculus renum cum vlcere renum non curatur. Nam quæ lapidem frangunt, vlceri nocent.

8. Arena, quæ difficilius comminuitur, peior est, cum à duriore materia fiat.

## *Indicationes & Curatio.*

Triplex, vt in omni calculo, ita & in renum calculo scopus propositus est Medico. Primus, vt lapidis, qui generatur, generationem & augmentum inhibeat. Secundus, vt iam genitum è corpore tollat. Tertius, vt doloris vehementiam mitiget. *Indicationes & Curatio.*

Primum quod attinet, perficitur hic itidem tribus; materiam calculo generando aptam subtrahendo; Si quid lapidis iam concrescat, illud abstergendo, comminuendo & expellendo, & tandem renum constitutionē ad calculum generandum aptam emendando. *Primus curationis Scopus.*

Ad primum assequendum rursum duo sunt necessaria: Primum est, vt victus ratio ea instituatur, quæ calculo materiam non suppeditat. Alterum, vt si quæ materia subinde colligatur, è corpore, ne in calculum concrescat, euacuetur. Ideóque & vt primum rectè præstetur, cibi omnes vitandi sunt, quos supra in caussis ad calculi generationem facere diximus, vt & cruditates ac crapula ac ciborum varietas. Quamuis verò nonnulli cibos crassos ad calculi generationem facere negant: tamen ratio, vt & experientia, contrarium testatur.

Contra cibis vtendum, qui facilis sunt coctionis, parum excrementi suppeditant, attenuandi & incidendi vim habent, præsertim in frigidioribus & obesis. Nam in gracilibus, & adustos humores in corpore habentibus extenuantium vsus tutus non est, sed humectans victus potius requiritur. Vtilis ergo est caro vereccina, vitulina, vitelli ouorum, panis bene coctus & fermentatus, furfuris non planè expers, pisces sint saxatiles, lucius & similes.

E fructibus conueniunt amygdalæ amaræ, pistacia, pineæ, nuclei persicorum, cerasorum, ficus, cicera rubra. Inter herbas conuenit attriplex, malua, cichoriū, petroselinum, asparagus, cuius prima germina in prima mensa sumpta renes ab arenosis impuritatibus egregiè mūdant, & inprimis chærefolium singulare calculi remedium. Cōmendantur & fructus Cynosbati, quos non solum hodie Pharmacopolæ saccharo conditos afferuāt, & ex iis Rob parant, sed & matresfamilias siccant, & è siccatis edulium calculosis commodum cum saccharo & cinamomo parant. De herbis verò & oleribus, vt & omnibus cibis diureticam vim habentibus, tenendum, ne vsurpentur, cum primæ viæ impuritatibus scatent, neque etiam cum cibis misceantur, ne cibus crudus, vel eorum excrementa secum deducant, sed solis & ieiuno ventriculo iis vtendum.

Deinde necessarium est, vt subinde materia, quæ etiā in bona diæta quādoq; colligitur, & calculo generando apta est, maturè euacuetur, antequā ad renes deducatur.

Poteſt hoc fieri vomitu bis terve ſingulis menſibus inſtituto in iis, qui facilè vomunt, vel per purgationem bimeſtri vel trimeſtri ſpatio inſtitutam, vt materia è primis viis euacuetur. Non autem hic fortia medicamenta vſurpanda, ſed leniora, ſyrup. roſar. ſolut. caſſia, manna, rhabarbarum, terebinthina, præparantibus etiam ad euacuationem neceſſariis præmiſſis. In vtriſque verò non ſolum ad pituitam, ſed ad quoſuis humores abundantes, & inprimis ſeroſos, ſalſos reſpiciendum. vt:

℞. *Hydromel.* Vnc. viii. *aqu. aſparag.* Vnc. ii. *ſyr. de cichor. cum rhabarb.* Vnc. i. *cryſtal. tartar.* ʒ. ii. *vel tartari vitriolat.* ℈. ii.

Miſce pro 2. doſibus.

Et cum ſubinde in diſpoſitis ad calculum aliquid materiæ in renibus hæreat, ne diu in iis moretur, abſtergendum id eſt, poteſtque vna opera medicamentum & primas vias euacuare & renes abſtergere. Ad quam rem inprimis vtilis eſt terebinthina in ſubſtantia ſumpta, & in bolo vel pilulis, vel in liquore, modo in Inſtitut. *l.* 5. *p.* 1. *ſ.* 1. *c.* 2. deſcripto, exhibita; cum eadem & vim purgandi habeat primas vias & materiam calculo generando aptam ſubtrahat ac renes abſtergat. Et vt vis eius intendatur, alia purgantia admiſceri poſſunt, vt:

℞. *Caſſiæ* ℥. ß. *terebinth.* ʒ. ii. Cum *puluere glycyrrhiz.* *vel cum pulu. glycyrrh. & ſaccharo*

F. Bolus.

Vel ℞. *Terebinth.* ℥. ß. *rhabarb.* ʒ. i. *cinamom.* ℈. i. *pulu. ſuccini, glycyrrh, ceterach.* an. ℈. ß.

F. Pilulæ, de quibus ſingulis ſeptimanis Dra. i. vel ʒ. ii. aſſumantur.

Vel ℞. *Flor. caſſiæ* ℥. i. *elect. de ſucco roſar.* ʒ. i. *pulu. glycyrrh.* ℈. j. Cum *ſaccharo*

F. Bolus.

Vel ℞. *Rad. althéæ glycyrrh. polypod. q.* an. Vnc. ß. *petroſelin.* ʒ. ii. *capillor.* ♀. *veronicæ* an. M. i. *ſem. carthami, fœnicul.* an. ʒ. i.

Coqu. in aqua ſimpl.

In Colatura infund. *fol. ſenæ elect.* Vnc. i. *rhabarbar.* Drach. ii. *agaric. trochiſc.* Drach. i. ſem. *cinamom.* Scrup. ij.

Colaturæ ℞. ℔ i. quæ diuidatur in partes tres, & cuilibet addantur ſyrupi violar. ſolut. ʒ. vi. vel ℥. j.

Vel ℞. *Aloes,* ʒ. i. *rhabarb. elect. agaric. trochiſc.* an. ʒ. iß. *extract. ſcammon.* gr. xii. *cinam. ſpicæ, maſtich.* an. ℈. ß.

Cum terebinth. F. Pilulæ è ʒ. i. xx. quæ conſpergantur puluere glycyrrhizæ.

Si ſanguis abũdat, & is apertâ baſilica imminuendus.

Poſtea (nam niſi euacuationes generales præceſſerint, diuretica & ſimilia medicamenta tutò non adhibentur) accedendum ad ea, quæ lapidem, ſi fortè eius aliquid concreuit, comminuendi & abſtergendi, & omnino generationem eius imminuendi vim habent.

*Calculum comminuentia.* Sunt huius generis multa. Radices *ſaxifragiæ, pimpinellæ, petroſelini, fœnicul. lappæ maior. filipendul, raphani, cappar.*

Folia *betonic. capill.* ♀. *hederæ terreſt. ceterach, charefol. pariet. veronicæ.*

Flor. *geniſtæ.*

Sem. *milij* ⊖*lis, petroſelin. baccæ hederæ, cicera rubra, amygdal. amar. nuclei perſicor. malor. Armeniac. fructus cynoſbati, alkekengi.*

*Terebinth. ſuccinum.*

*Succus citri, limonum,*

*Cryſtalli tartar. ſpir. ſalis, vitrioli.*

*Sales plantarum ſupra enumeratarum.*

*Terebinthina.* De Terebinthina refert Amatus Luſitanus, *cent.* 2. *curat.* 68. monachum quendam, cum articulari morbo ſimul & nephritico corripi ſoleret, & nullo remediorum genere, fruſtráque multis tentatis conualeſceret, tandem monitu Amati aſſiduo terebinthinæ vſu intra 6. menſes liberum à dictis morbis euaſiſſe. Deglutiebat autem ſingulis diebus terebinthinæ particulam nucis magnitudine ſaccharo admiſtam.

Alij valde commendant Decoctum ligni cuiuſdam, quod nephriticum dicitur, cuius manè Vnc. v. exhibentur. *Lignum Nephriticum.*

*Hedera.* Ex enumeratis ad calculum præcauendum valde etiam efficax eſt Hedera terreſtris quocunque modo ſumpta.

Multum etiam ad præcauendum calculum facit, ſi ſingulis vel alternis diebus manè amygdal. amaræ. nuclei perſicor. vel grana iuniperi matura x. vel xij. comedantur, aut ſpiritus ⊖lis guttæ aliquot in iuſculo vel alio liquore ſumantur. Vinum quoque ex fructibus cynoſbati paratum calculoſis vtile eſt. Crato valde commẽdat ſuccum & ſyrupum de veronica cum aqua eiuſdem exhibitum, vel pilul. ex puluere & ſucco paratas. Hinc & ad dolores minuendos & materiam abſtergendam in familiari vſu habuit hoc medicamentum.

℞. *Althéæ* ʒ. ii. *paſſular. maior. exacinat.* ʒ. iii. *veronicæ, heder. terreſtr.* an. p. j.

Coq. in aqua ſimpl.

Detur hauſtus cum ſaccharo.

Plura huius generis inuenientur interea, quæ infra de medicamentis calculum frangentibus dicentur. Leniora enim ex iis ad rudimenta calculi comminuenda & abſtergenda etiam vtilia ſunt.

Tandem danda opera, vt renes ad naturalem ſtatum reducantur. Ideóque ſi hepatis calor in renibus intemperiem calidam & ſiccam excitauerit, vel ſanguinis copia aut ſuppreſſio adſit, ſanguis debito modo euacuandus. Hinc renum caliditas & ſiccitas, tum externis, tum internis medicamentis temperanda. Vtendum nimirum balneo aquæ dulcis, inungenda regio renum oleo violarum, roſarum, vnguento roſaceo, refrigerante, quibus addantur mucilago ſem. pſyllij, camphora, vel fouendi renes lacte, ſucco cucurbitæ, portulacæ, plantaginis vel aquis eiuſmodi.

Exhibenda verò aqua fragorum, violar. portulacæ, decoctum hordei, emulſio quatuor ſem. frigid. maior. ſyr. violarum, ſerum lactis caprini cum ſaccharo, vel ſyrupus violarum, & alia, quæ renes refrigerant & humectant. Vtile eſt & Medicamentum Cratonis, quod fit ex ſucco portulacæ.

℞. *Succi portulacæ inſpiſſ.* ʒ. i. *gummi Arabici* ʒ. ß. F. Pilulæ: aſſumantur hora dimidia ante cœnam corpore prius euacuato.

Si verò calculus genitus ſit, vt is tollatur, danda opera. Quod fiet, ſi viæ per quas tranſire debet, laxentur, calculus ipſe loco moueatur, ac ſi integer expelli non poſſit, comminuatur, & frangatur. *Secundus Curationis ſcopus.*

Vt iſta autem commodius fieri poſſint, & prius primæ viæ ſemper mundandæ ſunt, & ſanguis quoque ſi abundet, ac vires ferant, euacuandus, ne renum inflammatio vel febris ſuperueniat. Vnde Hippocrates, *6. epidem. com.* 1. *aphor.* 6. iubet non repleri, iuuenes veratro purgare, poplitem incidere. Neque enim, in quo ſæpius à multis peccatur, ſtatim ad diuretica & lithontriba veniendum, quæ vitioſos humores inprimis viis hærentes ad renes deducunt, ipsúmque calculum in anguſtas vrinæ vias præcipitant, detrudunt & impingunt; ſed impuritates è primis viis primum tollendæ, & viæ, per quas calculo tranſeundum, laxiores & lubricæ primum reddendæ ſunt.

Ad euacuationem verò ſufficiunt leniora, & abſtinendum à fortioribus, quæ humores in toto corpore agitare, & ad vias vrinæ deducere poſſint. Ideóque clyſteres ex emollientibus, laxantibus, & anodynis paratos ſemper initio iniicere vtile eſt, & ab iis cura calculi meritò inchoanda; cum pluribus ſcopis ſatisfaciant, primas vias euacuent, vias vrinarias laxent, & dolores ſedent. *Euacuantia.*

Quod ſi æger clyſterem admittere nolit, purgans leneʹ aliquod exhibeatur.

Vt ℞. *Caſſiæ* ʒ. vi. *rhabarb.* ℈. ii. *turbith. elect.* ℈. ß. *puluer. glycyrrhiz.* ℈. i. Cum *ſaccharo.* F. Bolus.

Vel

Vel ♃. *Rad. althéæ* Drach. ii. *eryng.* Vnc. sem. *glycyrrhiz.* Drac. j. *flor. chamæmel. veronicæ* an. p. i. *passular.* ℥. ß.

Coqu. in aqu. simpl.

In Colatura infunde. *fol. senæ* Drach. iii. *rhabar.* Scru. i. *turbith. elect.* Scrup. sem. *cinamom. schœnanth. sem. fœniculi* an. Scrup. sem.

Colaturæ. ♃. Vnc. iii. vel Vnc. iiii.

Adde *syrup. rosar. vel violar. solut.* Vnc. i. Misce.

*Venæsectio.* Sanguinis verò euacuationem quod attinet, si in principio plenitudo sit in corpore toto, vena brachij aperienda. At si plenitudo jam ad partem affectam decubuerit, in poplite vel malleolo deriuationis gratiâ vena aperienda.

His præmissis vias laxant, patentiores & lubricas reddunt, vt calculus cum minore difficultate & dolore excerni possit, tùm externa tùm interna medicamenta. Inter Externa sunt clysteres, fomenta, linimenta, vnguenta, cataplasmata, emplastra, balnea. E. G.

♃. *Rad. althéæ* ℥. i. *violar. maluæ, brancæ vrsin. parietariæ* an. M. j. *summitat. anethi* M. sem. *flor. chamæmel.* p. i. *sem. fœnugræc.* Vnc. sem. Coqu. *in aq. simpl.*

Colaturæ ♃. ℔. j. vel ℥. x. *ol. violar.* ℥. ij. *cassiæ* ℥. j. M.

F. Clyster.

Vel foueatur locus vesicâ aqua dulci calida semiplenâ, aut lacte, vel decocto rad. althéæ, maluæ, violariæ, parietariæ, chamæmel. anethi, sem. lini, fœnigræci, vel oleo chamæmel. in quo flores genistæ macerati fuerint.

Inunguntur Renes oleo amygdalar. dulc. violar. lilior. albor. pinguedine gallinæ, anseris, butyro recenti, mucilag. sem. althéæ, fœnigræci, vnguento Dialthéæ.

Insignis etiam efficaciæ est, cataplasma ex parietaria & malua coctis & contusis, additis mucilagine sem. fœnigræci, lini, & althéæ. Oleum quoque amygdal. dulc. & vnguentum dialthéæ cum oleo scorpionum vias laxant.

Efficacissimum verò ad vias laxandas remedium est aquæ dulcis balneum cum herbis, quæ laxandi & emolliendi vim habent, paratum, vt althéa, malua, parietaria, chærefolio, quibus etiam quædam, quæ calculum mouere solent, addere, licet, vt apium, petroselinum cum toto, stramen fabarum & similia.

Inter interna sunt cassia, oleum amygdal. dulc. recens, glycyrrhiza, passulæ, & inprimis radic. althéæ, quę ad calculum rectè commendantur, non quod calculum frangant & comminuant, sed quod vias, per quas calculo transeundum, laxent & lubricas faciant, vt facilius, & sine minore dolore calculus transire possit. Eum in finem etiam syrupum suum de althéa composuit Fernelius, qui vias lubricat & laxat, simúlque renes abstergit. Vt:

♃. *Rad. althéæ* ℥. ß. Coqu. *in aqua simpl.*

Colaturæ ♃. ℥. iii. vel iiii. Adde *mellis, butyri recentis* ana Vnc. sem Misce.

Commodum est & hoc Foresti decoctum:

♃. *Sem. maluæ, althéæ* an. Drach. iii. *cicer. rubr.* Vnc. iii. *sem. 4. frigid. major.* an. Drach. ii. *hordei* Vnc. ii. *caricar. pingu.* viiii. *sebesten* num. vii. *glycyrrhiz. ras.* Dra. vj.

Coqu. in aquæ ℔. iii. ad dimidiæ partis consumpt.

*Contra calculum remedium.* [ ¶ Ioan. Zecchius, *consult.* 17. scribit, aquæ limpidæ coctæ tepidæ sex vel septem vncias ante omnem cibũ, bis, vel saltem semel in die potas, ad calculum curandum vtilissimas esse. Nihil enim renes adeò à recremẽtis vacuos & temperatos reddere, & igneum ipsorum calorem exstinguere. Et omnino verum est, vim illam lapidificam renum non parum adiuuare calorem renum nimium. Verùm cùm & siccitas concurrat, & videamus tophos in thermis lignis accrescere, malim nõ simplicem aquam sumere, quæ forsan etiam ventriculum offendere posset, sed aliquid etiam, quod renes alterare à substantia possit: id quod ipse etiam habet, *consult.* 13. dum scribit: Illud nunquam è memoria excidat, nihil præstantius pro arcendis renum calculis esse, quàm aq. tepidam, vel iuš pulli gallinacei, aut vituli, vel veruecinæ carnis, quinque vel sex vnciarum mensurâ, manè & vesperi ante cibum modicè calidum potatum. Liceret tamen eiusmodi iuscula alterare rad. petrosel. recentibus, & althéæ, cicer. rubr. maluæ, ]

Lapidis motum adjuuant ea, quæ vrinam mouent, cùm calida, quæ propriè dicuntur diuretica, vt fœniculum, saxifragia, ononis, petroselinum, betonica, baccæ junineperi: tùm frigida, vt semen 4. frigid. majora, fraga; tum temperata, vt capill. Vener. *Calculum mouentia.*

♃. *Sem. fœnicul.* Drach. sem. *terebinth.* Drach. ii. *puluer. glycyrrhiz. q. s.*

F. Bolus.

Vel fiant ex modò enumeratis *decocta*, aut exhibeantur *aquæ fœniculi, petroselini, saxifrag. & similes.*

Extra vsurpetur oleum Scorpionum. Cucurbitæ quoque sub loco calculi in vreteribus hærentis appositæ, ita vt secundum ductum vreteris vna post alteram deorsum versus applicetur, calculum paulatim ad vesicam trahunt. Motus quoque huc facit. Balneum verò aquæ dulcis omne momentum habet. Nam & dolorem lenit, & vias laxat, & calculi motum accelerat. Et facilius totum negotium procedit, si ægro in balneum descensuro puluis aliquis vel aqua, quæ vrinam & lapidem mouere solet, exhibeatur.

Quod si his medicamentis exhibitis calculus loco moueri non possit, quod vel impactus vel infixus sit renibus, vel maior, quàm vt in vreteres penetrare possit, vt comminuatur & frangatur, danda opera, simulque viæ laxiores reddendæ sunt.

Commendantur ad lapidis comminutionem præter supra enumerata, inter simplicia *lapis Iudaicus, lapis spongiæ, lyncis, nephriticus, oculi cancri,* & eorum solutiones, quæ magisteria vulgo appellantur, *lapides in vesica apri vel bouis reperti, lapides percarum, mandibulæ lucij, sanguinis hirci, lumbrici terrestres, semen petroselini, milij.* Spir. salis vitrioli, liquor crystalli. *Calculum frangentia.*

Inprimis commendatur lapis nephriticus, qui non solum exhibitus calculum comminuendi & pellendi vim habet, sed etiam extra corpori applicatus, vt cutem contingat, idem præstare dicitur. *Lapis nephriticus.*

De priore quidem minus dubij est; an verò extra appensus eas, quæ ei attribuuntur, vires habeat, nonnulli dubitant. Videatur ea de re Vnzerus, *lib. 1. cap. 24. de Nephritide.* & Anshelmus Boëtius, *de gemmis, p. 1226. & 1236.* & oleum ex oculis cancri *ibidem* descriptum.

Inter composita commendantur præcipuè species lithontribi, quarum Drach. j. cum conueniente liquore præbetur; item Electuarium Iustini vulgo dictum.

Hercules Saxonia aquam & puluerem sequentem commendat.

♃. *Aquæ asparag. crithmi marini, sem. fœnicul. sylvestr. saxifrag. fœnicul. comm. parietar. flor. sambuci* an. ℔. sem. *succi limon.* Vnc. iii. *nucleor. cerasorum, amygdalar. amarar. nucleor. Persicor.* an. Vnc. i. sem.

Infundantur nuclei in vino Maluatico per diem naturalem, postea misceantur & in alembico vitreo destillentur. Dosis Vnc. vi. cum sequenti puluere.

♃. *Pulu. cortic. auellanar.* Vnc. j. *lapid. spongiæ, Iudaici, sem. milij Solis* an. Drach. j. *bacc. heder.* Drach. sem. *mandibul. lucij* Drach. i. sem.

F. Puluis, cuius dosis Drach. j.

Plura huius generis medicamenta ex medicis penè omnibus descripta cùm simplicia tùm composita colligit Vntzerus, *lib. 2. de Nephritide,* quæ ibi videantur.

Felicius autem officium suum exsequuntur ista medicamenta, si exhibeantur ægro in balneo sedenti. Balneo enim viæ laxantur, vt medicamento calculus facilius cedat.

Vnde autem vires horum medicamentorum proueniant, alij aliter sentiunt. Nonnulli ad occultas qualitates

tes confugiunt, alij in calore & vi attenuandi subsistunt. Verùm vt ad concretionem maximè facit spiritus salinus:ita & eundem ac salem volatilem præcipuè maximam vim in calculo frangendo habere existimo, qui in spiritu vitrioli,fragor.cerasor.nucleis persic.malor.Armeniac.amygdal.amar.manifestè deprehenditur, nec etiam lapidibus calculum frangentibus deest.

*Tertius curationis scopus.* Dolor si valde vrgeat,is etiam leniendus, quod ferè vna opera præstant ea,quæ vias laxant, vt ol.amygdal. dulc.mucilag.sem.alth.psyllij, vnguent.dialth.emplastrum diachylon simplex cum oleo scorpionis. Clysteres quoque vtiles sunt,& fomenta ex decocto parietariæ, maluæ, flor. chamæmel. sem.lini.Prodéstque nisi dolor remittat,clysterum vsus sæpius repetitus.Liquoris verò non sit magna copia, ne intestina distendantur,ac renes comprimantur,atque ita dolores augeantur,& vt clyster diutius retineatur.

Applicantur & cataplasmata & fomenta ex medulla panis cum lacte, mucilag. sem. psyllij; althéæ, lini cum oleo amygdal.dulc.

Cratoni hoc familiare fuit:

℞. *Cancros* x.

Incidantur per medium & coquantur in lacte.Deinde succus fortiter exprimatur, quo imbuantur *medullæ panis albi* Vnc.iiii.

Et addantur *vitelli ouorum* num.iii.*butyri recentis,ol. chamæmel*.an.Vnc.i.*croci* an.v.

Misce in mortario.

F. Cataplasma ad renes.

Addit aliquando etiam oleum amygdal.dulc.& scorpion.an.q.s.

In vsu etiam ei fuit cataplasma de parietaria.

℞. *Parietariæ* M.iv.

Coqu.*in s.q.olei amygdal. dulc.vel lactis*, Addantur *cepæ sub cineribus coctæ* num.iii.*ol.scorpion*.Vnc. sem.

F. Cataplasma.

Vel ℞. *Vng.dialthéæ* Vnc.ß. *ol.lilior.albor. scorpion.* an.Drach.ii.*croc*.Scrup.sem.Misce.

Lenit quoque dolorem balneum aquæ dulcis,præcipuè si herbæ dolorem lenientes & emollientes in eâ coquantur.

Nonnunquam etiam flatuum non parua copia generatorum ex agitatione humorum in nephritide adest; ideóque tum flatus discutientia clysteribus addenda. Vt:

℞. *Rad.alth*.Vnc.i.*parietar*.M.ij.*maluæ,branc.vrsin. flor.chamæmel.melilot*. an.M.j.*sem. fœnugræc*. Vnc. sem. *fœniculi* Drach.ij.*caricar.pingu*.num.vi.

Coq.Colaturæ ℞.Vnc.x.*cassiæ* ℥.i.*ol.rutacei, cheirini* an Vnc.sem.

F. Clyster.

Exhibentur verò ad dolorem leniendum *syr.papaueris,ol.amygdal.dulcium recent*. Vnc. ii. in jusculo vel vino calido.

Vel ℞.*Rad.alth*.Vnc.sem.*petroselini,eryngij* an.Dra. ii.*veronicæ* P.j.*passular.exacinat*.Drach.vj.

Coqu.in aqua simplici.

Colaturæ ℞.Vnc.vi.

Add.*ol.amygdal.dulc.vel butyri recent*.Vnc.i.

Vel detur Drach.sem,pulueris radic. althéæ cum vino aut liquore conueniente. Quæ medicamenta etiamsi videantur leuiora, tamen sæpe plus præstant, quàm operosa calida & siccantia.

Si dolor valde vrgeat, etiam Opiata exhibenda, vt theriacæ recent. vel Philonij Drach. sem. aut laudani opiati gr.iii.Non tamen nisi necessitate valdè vrgente, & cùm reliqua nihil proficiunt,& cum calculus è renibus nondum est emotus. Nam vbi calculus jam in vreteribus hæret,nullum aut momentaneum saltem auxilium præstant opiata. Vt omnino cautè, vt in aliis morbis, ita etiam in hoc in opiatis exhibendis agendum. Nam cum acerbissimis doloribus vires dejiciantur valde, fieri facilè potest, vt temerario opiatorum vsu spiritus antea valde dissipati sopiantur, & pro somno mors ægro concilietur.

## QVÆSTIO.

### *An cibi crassi,vt & lac,ad calculi generationem faciant?*

Sunt quidem à recentioribus nonnulli, qui vulgatam Medicorum sententiam, alimentorum crassorum viscidorum ac glutinosorum, & inprimis lactis & casei, vsum improbantium, reprehendunt eâ de caussâ, quod materia calculi non quærenda sit in humore lento ac viscido, sed potius in seroso & salsuginoso, qui parcè ejusmodi cibis insit: & quod lac etiam renes humectare & refrigerare possit, & butyrum vias laxet & dilatet. Verùm enimuerò etsi crassum,quatenus tale solùm ad lapidis generationem non sufficit, sed vis lapidifica præterea requiritur: tamen ipsa experientia testatur, non parùm facere ad calculum eiusmodi viscidos cibos. Serum enim per se lapidem non facit,sed si vis lapidifica in crassam & viscidam materiam incidat, subiectum idoneum nacta, id in lapidem coagulat. Neque omnibus eiusmodi crassis cibis salsus succus & vis lapidescendi deest; etsi materiæ crassæ plurimæ permistus succus salsus non deprehendatur. Et quamuis lac per partem butyrosam humectet & molliet, per aqueam humectet & refrigeret: tamen in lacte est caseosa pars multò maxima. Et caseum qui ad calculi generationem esse aptissimum negat, eius naturam parùm perfectam habet; cùm vulgò etiam notum sit, glutinum tenacissimum, lapidis æmulum ex caseo fieri posse, præsertim antiquo, in quo salsuginosus ille & acris succus vel gustu satis deprehenditur. Et quamuis nonnulli caseo & similibus impunè vescantur, nec nephritide corripiantur: tamen hoc fit vel ob robur ventriculi, & calorem corporis vegetum, qui laboribus continuis suscitatur, vel quod renes minus siccos, & ampliores meatus habent. A quorum exemplo immunitatem sibi nullo modò polliceri possunt illi, qui ventriculum debilem habent, aut renes ad calculum generandum dispositos, aut vitam minus negotiosam agunt. *An cibi crassi calculum generent?*

## CAPVT VII.

### *De aliis rebus præter naturam in renibus genitis.*

### *Vermes.*

PRæter calculos & aliæ res præter naturam in renibus quandoque generantur. Et primo quidem vermes. Ita refert Gentilis, *lib. 3. fen. 1. tract. 2. cap. 3. Canon. Auicennæ*, Nobilem quendam, qui passus est quotidianam, cum dolore renum per octo menses, in conualescentia emisisse cum vrina vermes paruos & latos, ac cessauisse dolorem. Idemque accidisse, testatur Fernelius, *lib. 6. de part. morb. & sympt. cap.10.* Idem vidit Scholiographus Hollerii, vt scribit, *ad cap. 50. lib.1. de morbis internis.* Idem etiam, *ibidem ad cap. 54.* narrat, in quodam longos vermes, præcedente magno dolore renum, per vrinam reiectos fuisse. Vidus Vidius, *de Cur. membratim lib.10. cap.14.* scribit, quendam post longos dolores renum exiguum vermem cum vrina excreuisse, præditum capite acuto, corniculato, ventre & dorso latiore, testulâque subdurâ indutum instar testudinis, nigrum ac rubentem tantum circa ventrem. Ipse in cane vidi totam vnius renis substantiam fuisse absumptam superstite tantum tunica eam ambiente, quæ tota ver- *Vermes in renibus geniti.*

mibus

mibus longis instar lumbricorum repleta fuit.

Vix autem certò cognosci possunt vermes in renibus latentes, nisi simul cum vrina prodeant. Conjecturam tamen & suspicionem aliquam de iis præbent dolor continuus & diuturnus in renibus ac vellicatio.

Tolluntur a. medicamentis ad lumbricos necandos & expellendos idoneis.

### *Pili & filamenta.*

*Pili & filamenta.* Capillos quoque & filamenta quædam in renibus generari obseruatum. Fecit jam eorum mentionem Hippocrates, dum. 4. *aph.* 76. scribit; Quibus cum vrina crassa exiguæ carunculæ, aut veluti pili exeunt, his à renibus excernuntur; atque hanc affectionem τριχίασιν nominant. Galenus, vt *in comm.* scribit, refert, se vidisse talia corpora cum vrina excreta, vt dimidium cubitum æquarent. Idem viderunt Brasauolus & Cardanus, vt, *in comm. ad dictum aphorismum*, referunt. Et Ioubertus, *de vrinis cap.* 20. narrat, rusticum quendam ejusmodi filamenta circiter viginti quinque intra paucos dies eminxisse, quorum nonnulli palmæ longitudinem æquabant. Rarius est, quod V Vierus, *lib.* 3. *de præstig. Dæmon. cap.* 15. annotauit, vbi refert, nobilem quandam fœminam, quæ cum longo tempore renum calculo afflicta fuisset, post aliquot annos primò quidem aliquandiu lanam tenuem, nonnunquam inuolutam, interdum fila longa, alba, duplicata, &, quod fidem superat, sæpe cum nodo, ac si ad vsum consuendi aptata fuissent, per vrinam excreuisse. Deinde aliquandiu arctius compactam, veluti ochrâ commixtam non tàm lanam, quàm membranam lanosam, quali integunt se Bombyces cum lotio reddidisse. Postremò non rarò præter reliqua pilos longitudine vnius digiti, partim vtrinque albos, in medio nigros, partim contra, principio nigros, cætera albos, præterea acutos in vna parte tanquam extremitate, obtusiores in altera, &c.

*Vbi generentur?* De loco tamen generationis non omnes idem sentiunt. Galenus equidem, *allegato loco*, in renibus generari scribit: Idem tamen, 6. *de loc. aff. cap.* 3. cùm viderit talia planè exigua excerni, miratur, quomodo in renibus potuerint consistere, & proinde probabilius putat, in venis generari. Actuarius, *lib.* 1. *de causs. vrinarum cap.* 21. ea, quæ capillis sunt similia, in iis vasis, quæ à Renibus ad vesicam descendunt, generari docet, ac quanta est longitudo vasorum illorum, tantam quoque horum corporum esse longitudinem. Quæ sententia quamuis absurda non videtur: tamen etiam in renibus generari non impossibile est, cùm etiam ibi materia adesse possit, vbi plures emingantur, aut longiore tempore, sicut Scholiographus Hollerij, *ad cap.* 50. *lib.* 1. *de morb. internis*, refert, quendam annos plusquam viginti tales vrinas cum capillis eminxisse. Fernelius, *lib.* 3. *de part. morb. ac sympt. cap.* 16. talia filamenta in vasis spermaticis, quæ Parastatæ dicuntur, generari statuit, & quidem ex seminis materia, quæ vi morbi sensim defluens calore crassescat, & apparere in iis plurima, qui fœda gonorrhæa correpti sunt, & in mulieribus, quibus alba menstrua profluunt. Sed hæc non sunt hujus loci.

Generantur autem hi pili ab humore crasso in renibus vel vreteribus siccato, qui producitur ex cibo crassi succi. Scribit Galenus, *in comm. ad aph.* 76. *lib.* 4. Eum, qui pilos minxerat, toto ferè anno prætetito frequentissimè fabam fresam vel caseum tenerum & siccum comedisse, aliósque omnes, quibus talia mejere contigit, crassi succi cibis vsos fuisse. Etsi enim Scholiographus Hollerij, *loco allegato*, quendam plus quàm viginti annis tales capillos cum vrinis ruffis, mediocris consistentiæ, non crassis minxisse scribit: tamen & in iis procul dubio tartarea quædam & concretioni apta materia fuit.

Curatur autem τριχίασις ista, vt Galenus, *loc. alleg.* docet, medicamentorum attenuantium & incidentium vsu; simúlque cum reliqua curatione victu humectante.

---

## CAPVT VIII.

### *De Renum Inflammatione.*

### *Caussæ.*

*Renum inflammatio. Caussa.* INflammationem etiam quandoque renes patiuntur: atque ex iisdem caussis, è quibus in aliis partibus illa oritur. Nimirum ex sanguinis copioso affluxu, qui vel à vicinis membris, præcipuè hepate, sanguine abundantibus eò transmittitur, vel à renum calore vel dolore aliisque externis injuriis attrahitur, vt lapsu, ictu supra dorsum & loca renibus vicina, motus etiam partium renibus vicinarum nimius, qualis fit in violenta equitatione & labore vehementi. Sanguinem etiam ad renes commouent medicamenta diuretica corpore pleno exhibita.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* In lumbis in renum regione calor, interdum etiam rubedo percipitur, dolórque: & is, si in carnosa renum parte sit inflammatio, magis grauis. Si verò partes, in quas arteriæ terminantur, obsidet, pulsans. Atque dolor sæpe ob consensum membranarum secundum ductum vreterum ad vesicam, dorsum, & sursum etiam versus costas nothas extenditur, & ægri neque se erigere, neque incedere possunt; & si sternutatio, vel alia corporis commotio accidat, dolor vehementer exasperatur. Stupor cruris è regione renis inflammati percipitur ob nerui, qui ibi ad crus tendit, compressionem. Externa frigent, & præcipuè pedes. Vrinæ difficultas adest, & sæpè mingere cupiunt, vrináque in principio est tenuis, in qua nihil subsidet, inflammatione verò augmentum sumente fit rubicundior & crassior. Febris est vehemens ob viciniam venæ cauæ. Nonnunquam accidit vomitus bilis ob ventriculum affectum, qui ob communionem membranarum in consensum trahitur. Etsi verò intestinum colum, si eo loco inflammetur, quo renibus ab vtroque latere connectitur, signa renum inflammationi similia habet: tamen situs renum diuersus has duas affectiones discernit, cùm renum dolor ad posteriora & dorsum, vt & vesicam & costas nothas versus sese extendat, coli verò inflammatio & dolor magis versus ventrem. Apparet præterea in coli inflammatione magis mutatio in fecibus alui, quàm in vrina.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Est a. periculosum malum renum inflammatio, & in corporibus macilentis, ac quibus vires desunt, lethale.

2. Renum inflammatio cum febre & delirio lethalis.

3. In renum inflãmatione vrina alba, tenuis, aut purulenta absque febris & symptomatum remissione, & crurum ac femorum extenuatione mortem portendit.

4. In renum inflammatione si hæmorrhoides superueniant, bonum.

5. Melius est inflammationem renum insensibiliter discuti quàm suppurari.

6. Inflammatio renum, quæ suppuratur, si abscessu rupto per vias vrinæ pus euacuetur, salutis spem præbet; Si verò per emulgentes ad hepar & intestina viam moliatur, periculo non vacat.

Indi

## *Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & curatio.* Vt in aliis inflammationibus, ita & hîc ſanguis ad renes p.n.affluens reuellendus, repellendus, ad vicina deriuandus, diſcutiendus, ac ſi ſuppuratio prohiberi non poſſit,ea promouenda, & hinc puris eruptio procuranda,vlcuſque curandum.

*Venaſect.* Principio ergo reuulſionis gratia vena in cubito aperienda. In morbi veno progreſſu venæ, quæ in poplite ſunt,aut malleolis,aperiri poſſunt.

*Cucurbitulæ.* Pro venæſectione etiam cucurbitulæ coxis & natibus affixæ è regione renis inflammati venæ ſectionis vicariæ ſunt. Si hæmorrhoides ſponte aperirentur,valde commodum eſſet,quod niſi fiat,hirudines iis applicari poſſunt. Simul frictiones & ligaturæ extremorum inſtituendæ.

Si bilis in ventriculo vel in meſaraicis hæreat,ne ad renes rapiatur,euacuanda ſyrupo roſarum vel violarum ſoluto, manna,tamarindis,caſſia,rhabarbaro, electuario lenitiuo,diaprunis,diacatholico,triphera Perſica.

Vel iniiciatur clyſter,qui ſimul dolorem leniendi,& nonnihil refrigerandi vim habeat, ex violaria, malua, althéa,ſem.lini,fœnugræci,& quatuor frigidis,majoribus,hordeo,electuario lenitiuo, diacarthamo. Minore autem quantitate clyſteres iniiciendi,ne renes comprimant,vt diutius retineri poſſint.

Vt ℞. *Parietariæ,Maluæ* an.M.j.*flor.roſarum rubrar.* M.ſem.*ſem.lini* Drach.ij.*flor.chamæmeli* P.i. Coq.*in aq. hord.ſimpl.*

Colaturæ ℞.Vnc.ix.*flor.caſſiæ* Vnc.ſem.*ſyr.roſar.ſolutiui* Vnc.ii.*ol.violarum* Vnc.i.ſem. *vitellum oui vnius.*

F. Clyſter.

Simul exhibenda,quæ feruorem ſanguinis mitigant, ejúſque ad renes motum & affluxum impediunt. Vrinam verò mouentia planè vitanda.

Commodæ hic ſunt emulſiones ſeminum 4. frigidor.major.aquæ, decocta, ſyrupi & conſeruæ è violis, roſis,portulaca,lactuca,acetoſa,halicacabo.

Extra quoque applicentur, ad dolorem leniendum, calorem temperandum & humorum affluxum prohibendum epithemata *è ſuccis vel aquis roſarum, lactucæ, portulacæ,nymphéæ,ſemperuiui,plantaginis,cucurbitæ:*aut cataplaſmata ex iiſdem & *farina hordei*; aut illinatur *oleum roſaceum,nymphéæ,violarum*; additis ſuccis refrigerantibus modo dictis.

Vt ℞.*Aq.roſar.* Vnc. i v.*lactucæ, plantag,nymphéæ* an.Vnc.ii.*aceti roſac.*Vnc.i.ſem.*ol.roſac.* Vnc.ii. *ſantali rubri* Vnc.i. M.pro Epithemate.

Vel ℞. *Ol.roſar. violar. nymphéæ* an.Vnc.j. *Succ.polygoni,ſemperuiui,aceti roſac.*an.Vnc.i.

Coqu.ad ſuccorum conſumptionem,Sub finem adde *ſantal.rubri pulueriſati* Drach.j. *ceræ parum.*

In incremento morbi malua,althéa,ſem.lini, fœnigræci,farina fabarum addatur.

In ſtatu eadem vſurpari, & aliquid florum chamæmeli addi poteſt.

Tandem in declinatione reſoluentium major pars, minor repellentium & refrigerantium adhibeatur.

*Interna Med.* Interna quoque medicamenta morbo ad declinationem vergente vſurpari poſſunt ex diureticis mitioribus, quæ humores in renibus ad vias vrinæ deducunt, *quales ſunt ſyrupus byzantinus ſimplex, de duabus & quinque radicibus,capillorum Veneris, cum aqua parietariæ,capillorum Veneris,fragorum,vel cum decocto radicum aſparagi,graminis,fœniculi.*

Si tumor diſcuti non poſſit, ſed ad ſuppurationem tendat,id quod cognoſcitur,quod febris minuitur, tumor tamen & grauitas manet, neque materia per vrinam expurgatur,adjuuanda eſt maturatio exhibito *decocto hordei,ſeminis althéæ, cucumeris,glycyrrhizæ, maluæ, parietariæ,* item *conſerua florum maluæ*; Extra verò impoſito cataplaſmate *ex malua,parietariâ, althéa,radicibus althéæ,liliorum alborum,fœnigræci,ficubus,* coctis in lacte: vel decoctum ex iis paratum loco clyſteris iniiciatur.

Quod ſi ſuppuratio facta ſit, id quod cognoſcitur ex febris & doloris remiſſione,manente ſenſu grauitatis & tumore, nec tamen abſceſſus rumpatur, in potu exhibenda ſunt,quæ abſceſſum rumpere, & pus per vrinam euacuare poſſunt, *decoctum* ſcilicet *radicum fœniculi,apij, glycyrrhizæ, iridis, capillorum Veneris, origani, pulegij,in aqua mulſa factum.*

Abſceſſu rupto ea exhibenda, quæ pus abſtergere,& vlcus conſolidare poſſunt, vt poſtea capite *de vlcere vreterum* dicetur.

## *Diæta.*

*Diæta.* Victus ſit tenuis, talis tamen, ne renes ex eo incaleſcant,& vrina acrior reddita renes mordeat. Cibus ſit refrigerans & humectans. Propterea vtilis eſt ptiſana hordeacea, panis cum iuſculo gallinæ, in quo lactucæ, endiuiæ,vel acetoſæ folia ebullierint. Potus ſit ptiſana hordeacea,aqua hordei,in qua glycyrrhiza ebulliat,dulcorata iulepo roſarum vel violarum, vel cereuiſia tenuis. Abſtinendum à diureticis, præſertim in initio inflammationis, ne materia ad renes rapiatur. Motus vitandus, ac quieti indulgendum, clyſteribus aluus emollienda.

## CAPVT IX.

### *De Reliquis Renum tumoribus, & eorundem tabe.*

*Reliqui tumores renum Abſceſſus.* Præter inflammationes & alij tumores in renibus oriuntur. Compertum enim eſt,in quibuſdam,qui calculo renum laborârunt, renem alterutrum totum in pus mutatum, & membrana incluſum fuiſſe. Aliquando etiam tumores frigidi in renibus oriuntur,qui quidem tardè ſuppurantur, tandem tamen in pus mutantur,ſicut Iohannes Bauhinus in quodam, qui circiter nouem menſes affectu Renis ſiniſtri laborauerat,& totus extenuatus fuerat,renem totum conſumptum & in pus mutatum fuiſſe vidit.

Cognoſcitur autem hoc malum ex dolore renum & plerunque diuturno; puris aliquid cum vrina redditur,& accidit mingendi difficultas. Interdum etiam, ſi æger in ventrem decumbat, tumor in dorſo tactu deprehenditur,fluctuatio quædam puris percipitur, ægri etiam plerunque contabeſcunt, cum vlcus iſtud conuenientibus remediis ſanari non poſſit.

*Inciſio tumoris renum.* Petrus Bajerus tamen,*Practica lib.*10.*cap.*4. ſectionem ſe feliciter tentaſſe ſcribit. Cum enim in fœmina quadam tali tumore laborante chirurgus maturantia vellet applicare,vt in cupum,vt appellat,ſeu tumorem apoſtema eleuaretur, ipſe ægrum prius moriturum reſpondit,quàm in cupum apoſtema eleuaretur;cum amplam in interioribus cauitatem habeat, vt dilatetur. Tandem chirurgus inciſionem profundam raſorio,incidendo totum Mirach, fecit,atque inciſo panniculo reperta eſt magna quantitas materiæ, quam paulatim exire permittens curâ diligenti adhibitâ, gratia Dei, ægrum ſanitati reſtituit.

*Scyrrhus renum.* Scirrho quandoque etiam renes corripiuntur & tumoribus duris, id quod plerunque poſt inflammationem malè curatam accidit, cum partibus tenuibus diſcuſſis craſſæ relinquuntur: & tum, etiam inflammatione ceſſante, nihilominus grauitas & pondus, ſine dolore tamen ferè, percipitur. Interdum & ex humore craſſo in ſubſtantiam renis ſeſe inſinuante talis tumor generatur.

Vrina in ſcirrho renum redditur pauca, tenuis & aquoſa: cùm ob virtutis attractricis imbecillitatem renes munere ſuo fungi non poſſint,& ob meatuum renum anguſtiâ tenuiores tantū partes excernatur, craſſiores verò relinquantur, quæ ſanguinem inquinant, vnde

vnde etiam cachexia excitatur. Stupor etiam quidam in coxis & cruribus percipitur.

Est autem scirrhus renum malum plerunque insanabile, quod hominem in cachexiam aut hydropem coniicere potest.

Si tamen quædam sanationis spes superfit, emollientia & leniter digerentia adhibenda. Exhibenda ergo iuscula pinguia, decoctum maluæ, althææ, polypodij, seminis fœnigræci, lini; vel in pollinem redacta cum iusculo pingui vel aqua maluæ & althææ exhibenda. Potest etiam aliquid bdellij vel ammoniaci exhiberi.

Extra inungantur renes oleo amygdalar. dulcium, lilior.albor. chamæmeli, lini: vel imponatur cataplasma ex farina sem. lini, fœnugræci, radicib. althææ, floribus chamæmeli cum pinguedine anseris, anatis & similibus. Commodè etiam hisce medicamentis admiscetur bdellium & ammoniacum aceto dissolutum.

### *Tabes Renum.*

*Renum tabes.* Tabes contra interdum renes corripit, quæ præcipuè ex calida & sicca eius intemperie à caussis calefacientibus ac siccantibus prouenit.

In principio equidem malum non facile deprehenditur; vbi verò augetur & incrementum sumit, cognoscitur ex læsa renum actione, (quamuis enim ren durior euadat, tamen id tactu non facile deprehenditur) Renes enim serum minus alliciunt: id tamen statim in vesicam descendit, & frequenter per vrinam excernitur. Vrina est alba, tenuis, & cruda. Appetitus veneris minuitur, ac totum corpus contabescit.

Periculosum autem hoc & difficile malum est, & vix curatur, ac hominem lenta morte enecat.

Si quid tamen tentandum est, humectantia necessaria sunt, & commodissima sunt alimenta boni succi & humectantia, & inprimis lactis vsus continuatus. Vtile etiam est balneum aquæ dulcis tepidum, & alia, quæ hecticis præscribi solent.

## CAPVT X.

### *De Vulneribus Renum.*

*Vulnera Renum.* VVlnerantur interdum & Renes. Cognoscunturque vulnera renum, è loco, cui vulnus inflictum est: Vrina supprimitur, vel difficulter redditur, estque cruenta; dolorè regione renum percipitur, qui ad inguina vsque extenditur, & si vulnus sit magnum, sanguis aquosus è vulnere egreditur. An verò vulnus tantum superficiem renum attingat, an verò in parte carnosa sit, an verò in ipsam cauitatem renum penetrauerit, hoc modo cognoscitur. Si sanguis multus & vrina non egreditur, indicio est, tantum superficiem vel carnosam partis substantiam esse vulneratam. Si verò sanguis multus, & aqua simul è vulnere egrediantur, vulnus ad cauitatem renum penetrare, argumento est.

Sunt autem renum vulnera periculosa & sæpe lethalia, difficultérque sanantur, & non nisi longo tempore, cum continuus humoris, qui per eos transit, affluxus curationem impedire soleat. Minus tamen periculosa sunt renum, quam vesicæ vulnera.

Curationem quod attinet, vniuersalibus præmissis, si vulnus non sit profundum, fortiora glutinantia vsurpari possunt, & olea destillata eiusmodi vulneribus accommodata instillari & Emplastrum aliquod glutinans imponi debet. Si verò vulnus in cauitatem renum penetret, vinum austerum infundendum, in quo radix consolidæ majoris, & polygonum ac glycyrrhiza cocta sint, vel imponendum cataplasma ex dactylis, pane siligineo, acacia, hypocistide, in vino austero decoctis, & postea, quando sanguis non amplius stillat, glutinantia dicta infundenda, extra verò Emplastra glutinantia imponenda. Inprimis verò in renum, vt & thoracis aliisque internis vulneribus vtile est vnguentum Sanctum ab insigni effectu ita appellatum Iohannis Andrea à Cruce, quod, *chirurgiæ lib.4. tract. 2. in 13. Indicatione*; descripsit, estque tale:

*Vng. sanctum.* ℞. *Resinæ pini recentis claræ & odoratæ* Vnc.xij. *ol. laurini puri, terebinth. opt.* an. Vnc.ii. *gummi elemi puri* Vnc. ix.

Primò resina & gummi super lento igne dissoluantur, deinde addatur oleum laurinum & terebinthina, atque ita ebulliant, donec iustam crassitiem acquirant, & percolentur.

Exhibenda verò simul primis diebus trochisci de halicacabo, de carabe cum aqua vel decocto plantaginis, equiseti, polygoni, & postea cùm consolidatione opus, gummi tragacanthæ, Arabicum, terra sigillata, terebinthina.

Cum verò sæpe in hoc affectu ob sanguinis grumos vesicæ meatus obstruatur, pecten inungatur oleo scorpionum, amygdalar. amararum, vel applicetur Cataplasma ex parietaria, malua, saxifragia.

### *Diæta.*

*Diæta.* Cibus sit boni succi, exhibeatúrque emulsio sem. 4. frig. major. cum amylo, ptisana, iuscula ex pane albo, oua sorbilia, oryza, iuscula ex auena. Cum potu detur succus Cydoniorum. Vtile est & serum lactis caprinum & aqua hordei, in qua glycyrrhiza, jujubæ, sebesten, semina 4. frig. majora cocta sint. Potus tamen sit paucus, ne multum humoris ad renes affluat. Æger quiescat; si aluus sit tardior, clyster ex malua & equiseto cum melle rosato infundendus.

## CAPVT XI.

### *De Vlceribus Renum.*

*Vlcera Renum.* EXulcerantur quoque interdum Renes, & quidem non superficialiter solum, sed ita toti interdum, vt tota ipsorum substantia absumatur, & nihil amplius de iis, quam membrana ipsos ambiens, relinquatur. Imo & illa ipsa membrana interdum eroditur & perforatur. Quod Platerus vidit in nobili quodam, qui cum hydrope ascite septem mensium spatio laborasset, & post mortem apertus esset, visceráque omnia ventris inferioris salua deprehenderentur, vtérque ren multis vlceribus fistulosis perforatus fuit adeò amplis, vt digitum singula facilè reciperent, adnatis insuper hinc inde renum corpori vesiculis aqua plenis, quæ ex illis scissis profluebat, erosâ simul vndique renum exteriori tunica.

### *Caussæ.*

*Caussæ.* Exulcerantur autem renes post abscessus non rectè curatos, item post vulnera non rectè curata, aut cum pus vel sanies acris aliunde, vt pulmone vel hepate, per renes fluit, eósque erodit, quod & humores ab aliis partibus affluentes præstare possunt, seu natura sua acres, seu ex putredine & corruptione acrimoniam acquisiuerint. Idem præstant calculi, præsertim asperiores, qui renes atterunt, inprimis dum homo ambulat & mouetur, vel dum sponte & naturæ impetu moueri incipiunt. Externæ verò caussæ sunt, quæcunque vel contundendo vel rodendo, aut quocunque modo renum continuitatem soluunt, vt casus, percussio, vehemens equitatio, medicamenta acria & similia.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Cognoscitur Renum exulceratio ex dolore in lumbis

cum

cum grauitate. Vrina tamen sine impedimento redditur; quod non fit in vlceribus vesicæ. Pus vrinæ permistum emittitur, de quo Hippocrates, 4. *aph.* 75. Si quis sanguinem aut pus mejat, renum aut vesicæ exulceratio significatur. Sæpe etiam particulæ quædam carneæ seu carunculæ excernuntur, de quo Hippocrates 4. *aph.* 76. Quibus cum vrina crassa exiguæ carunculæ, ac veluti pili exeunt, iis à renibus excernitur. Quod etsi Galenus, *in comm.* se vidisse negat, alij tamen obseruârunt.

Imò obseruauit Hercules Saxonia vniuersam dextri renis carnem ex propria membrana in vesicam secessisse.

Si ab inflammatione præcedente abscessu excitatum fuit vlcus, ejus signa præcesserunt.

Si ab acri & erodente humore fiat vlcus, ex ardore vrinæ id cognoscitur; si à calculo aliquo, ejus signa præcesserunt vel adsunt. Si à caussis externis, è relatione ægri patefiunt.

## *Prognostica.*

*Prognostica.* I. Etsi renum vlcera minus periculosa sunt, quam vesicæ: tamen & ipsa periculosa sunt, & difficulter curantur, cùm continuus humorum excrementitiorum per renes fluxus fiat.

II. Periculosiora sunt renum vlcera, quæ ab erosione sunt, quàm quæ ab aliis caussis.

III. Recentia renum vlcera curationem aliquando recipiunt; inueterata verò nunquam, ideóque curatio maturanda.

## *Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & Curatio.* Quæ in reliquarum partium vlceribus dantur Indicationes, eæ & hîc inueniuntur. Et quidem tota curatio ad duo dirigenda, quorum primum & primo loco agendum est, ne vlcus ab affluentibus humoribus foueatur, vel augeatur, & deterius reddatur. Deinde vt ipsum vlcus curetur.

Primum quod attinet, principio idonea victus ratione, de qua postea, cauendum, ne vitiosi humores in corpore generentur, qui ad renes affectos confluere, malúmque augere possint.

Deinde si metus sit, ne ob copiam sanguinis aliquis ad renes confluxus fiat & hinc inflammatio vlceri renum accedat, venæ sectio in brachio instituenda, & si omnino inflammatio accedat, curanda vt antea, *cap.* 8. dictum.

*Humores acres temperantia.* Tertiò si humores aliqui vitiosi cumulati sint, mitigandi, temperandi & euacuandi. Temperantur humores acres vsu remediorum paratorum è violis, malua, nymphéa, seminibus quatuor frigidis majoribus, hordeo, semine papaueris, rosis, glycyrrhiza, passulis & similibus. E quibus syrupi, conseruæ, aquæ, decocta parari possunt.

*Purgantia.* Purgantia fortiora hic locum non habent, sed lenientia solum, qualia sunt syrupus rosarum & violarum solutiuus, cassia cum puluere glycyrrhizæ, electuarium lenitiuum, Diacatholicum. Inprimis verò vtilis est Terebinthina cum vitello oui in liquorem redacta, vel cum puluere glycyrrhizæ in bolum formata; cùm non solum aluum laxet, sed & vlcus renum abstergat ac sanet.

*Vlcus detergentia.* Vniuersalibus præmissis ad ipsam vlceris curationem accedendum, idque primò detergendum potu mulsæ, decocto hordei, cicerum, capillorum veneris, hyssopi, agrimoniæ, glycyrrhizæ, ptisana cum melle, sero lactis caprini, præcipuè si cum eo emulsio è seminibus melonum facta sit: lac asininum & caprinum inprimis vtile est, cùm parte serosa abstergat, caseosa conglutinet, pingui dolorem leniat, bonúmque sanguinem, si rectè coquatur, præbeat.

Tandem vbi vlcus jam satis detersum & mundatum fuerit, quod cognoscitur, quia cum vrinâ pus minore quantitate excernitur, idque album, consistentia æquale, non sordidum, ea, quæ exsiccant, adstringunt, glutinant & consolidant, exhibenda, qualia sunt bolus Armenus, terra sigillata, corallium, radices tormentillæ, plantago, polygonum, equisetum, consolida, spodium, bursa pastoris, trochisci de alkekengi, de spodio, de carabe, de terra sigillata & similia.

Inprimis vtilis est hic puluis.

℞. *Rad. tormentil.* Drach. i. sem. *granor. alkekengi* Dra. ii. *spodij* Drach. i. *corallor. rubror. equiseti* an. Drac. ii. *mastich. sang. Draconis.* an. Drach. i. sem. *sacch. rosati tabulati* Vnc. i. sem.

F. puluis qui exhibeatur in aq. plantaginis, equiseti & similibus. Potest & cibis misceri.

Vel ℞. *Terræ sigillat. boli Armeni, rad. tormentillæ,* an. Drach. i. *mastiches, tragacanth. spodij* an. Drach. i. *sang. Dracon.* Drach. sem. *sacch. rosf. tabulat.* Vnc. sem.

F. Puluis. Dosis Drach. ii.

Vtilis est & spiritus terebinth.

Vel ℞. *Rad. consolidæ, tormentillæ.* an. Vnc. sem. *alchimillæ equiseti* an. M. sem. *flor. rosar. rubr.* P. j.

Coq in aq. pura, Colatura dulcoretur saccharo.

Vel ℞. *Rad. Chinæ, ligni sassafras, rad. tormentillæ* an. Vnc. sem. *flor. rosar. rubr. maluæ arboreæ* an. M. sem. *radicum althéæ, glycyrrhizæ* an. Vnc. sem. *granorum alkekengi* M. sem.

Coqu. in decocto cicerum rubrorum. In decocto calido dissolue conf. rosar. Vnc. ii. Coletur.

Vtile est & decoctum ligni guaiaci, præsertim si vlcus ex lue Venerea contractum sit.

Vel ℞. *Conf. rosf. rubr.* Vnc. iii. *veronicæ, tormentillæ* an. Vnc. i. *sem. portulacæ, plantaginis, granor myrti, boli Armeni, terræ sigillatæ. sang. Draconis* an. Drach. i. *rasur. eboris, trochisc. alkekengi* an. Drach. sem.

Cum *syr. de rosis siccis*. F. Elect.

## *Diæta.*

Cibi sint boni succi, facilis coctionis, & qui non facile corrumpuntur, ægróque salsa, acria, acetosa, amara, nimis dulcia, pinguia & omnia quæ facile corrumpuntur, sunt vitanda. Conueniunt propterea cremor ptisanæ, auenæ, sorbitiones ex hordeo, amylo. Vtilis est & oryza carnes item gallinarum, auicularum montanarum, agninæ, hædinæ, amygdalæ dulces, non rancidæ, Commodus etiam est vsus lactis. Vinum sit tenue, vel cereuisia pura. Potus non sit nimius. Omnis motus vehemens, præsertim qui dorsum concutit, vt equitatio, est vitandus. Venus etiam huic morbo inimica est. *Diæta.*

---

# CAPVT XII.

## *De Vreterum Morbis.*

Vreteres quoque suos morbos & symptomata patiuntur: nimirum exiccantur, contabescunt, morbos in numero & situ patiuntur, angustiores redduntur & obstruuntur, vulnerantur & dolorem patiuntur. *Vreterum morbi.*

## *Caussæ.*

Caussæ autem, à quibus isti morbi & symptomata proficiscuntur, ferè à renibus proueniunt, & si renes male afficiantur, vreteres in consensum trahunt. Etenim si renes exiccantur & contabescunt, vreteres ferè etiam in consensum trahuntur. *Caussæ.*

Putant nonnulli in febribus ardentibus ita eos exiccari posse, vt inde mictus impediatur. Verum mihi credibile non videtur, in corpore viuente tantam exiccationem fieri posse.

Nonnunquam

Nonnunquàm alter deest, vel alter alieno loco insetitur: id quod in Anatomicis sæpe deprehenditur. Contorquentur etiam nonnunquam vreteres.

### *Obstructio Vreterum.*

*Obstructio Vreterum.* Frequentissimum verò malum est eorum angustia, quæ etiam ex contusione vel incumbente tumore fieri potest, sed sæpissime accidit ab obstructione, quæ, fit vel à calculo è renibus in eos delapso, vel pituitâ crassa & viscida, vel grumo sanguinis, vel pure.

Cognoscitur autem hoc malum è signis renum male affectorum. Si enim materia, quæ renes antè afflixit & obstruxit, è renibus in vreteres descendat, renes liberantur, & vreteres afficiuntur. Atque tum grauitas & dolor, qui in renibus percipiebatur, mitigatur, & contrà dolor in vreteribus augetur, & sese versus inguina extendit.

Curandi ratio eadem est, quæ renum obstructorum. Medicamenta n. vbi renes penetrârunt, ad vreteres perueniunt, eosque obstructione liberant.

Possunt etiam externa medicamenta, quæ vias istas laxant, secundum vreterum ductum applicari, ac fomenta ex parietaria, malua, althéæ, semine lini, oleo amygdal. dulcium, lilior. albor. vnguento Dialthéæ, cum oleo scorpionum parari; balneum item aquæ dulcis è modo dictis plantis vsurpari.

Peculiare verò remedij genus est, quo ex vreteribus calculus versus vesicam promoueri potest, nimirū cucurbitulæ sine scarificatione. Hæ enim paulò infra locū dolentem vbi calculus hæret, applicantur, atque secundum ductum vreterum infra descendendo affiguntur. Ita enim calculus in vesicam deducitur. Non autem applicandæ sunt cucurbitulæ, dum adhuc in renibus calculus hæret, sed vbi iam vreterem ingressus est, ibique hærens dolorem parit,

### *Vulnera & Vlcera Vreterum.*

*Vulnera & vlcera.* Vreteres non solum vt alia viscera interna vulnerari possunt telis externis, sed & à calculo transeunte. Imò etiam planè rumpi vreteres, non impossibile est. Licet enim obseruatum, vt Fernel. *lib. 6. de part. morb. & sympt. cap.* 10. scribat, iis, qui nephriticis doloribus sunt assueti vsque adeo dilatatum fuisse vreterem, vt in eum maior digiti pars immitti posset, & Eustachius, *cap. 55. libelli de renibus*, testatur, vreterem statim ab egressu de renibus latiorem redditum, instarque ventriculi seu peræ pastoralis recuruatum magnam lapillorum copiam cōgregâsse, quos postea natura cum vrinis expulerit: tamē impossibile non est, si calculus maior & asperior è renibus in vreterem excidat, eum planè rumpi posse.

Exulcerantur tandem vreteres, nisi vulnera à lapide mox sanentur, quod tamen etiam à pure & sanie acriore fieri potest.

Signa sunt eadem, quæ renum vulneratorum & exulceratorum, nisi quod dolor secundum ductum vreterum versus vesicam se extendat.

Curatio etiam eadem est.

*Vreterū symptomata.* Vt verò ob renum morbos vrinæ excretio læditur, & quædam symptomata circa eam excitantur: ita idem etiam vreteribus læsis fieri potest: Si enim vreteres obstruuntur, vrina supprimitur, & præcipuè si vterque obstruatur. Si vulnerentur, vrina per vulnus in cauitatem abdominis exstillat; si exulcerentur, dolor in transitu vrinæ excitatur.

Verùm symptomatum horum ablatio pendet à morborum, quos modò proposuimus, curatione, & ex iis etiam, quæ supra *de symptomatibus renum* dicta sunt, quid agendum sit, patet.



# LIBRI TERTII
## PARS VII.
### SECTIO SECVNDA.
## De Symptomatibus Renum.

### CAPVT I.
### *De Renum imbecillitate, & seri secretione læsâ.*

*Renum imbecillitas & actio læsa.* SVNT & aliqua symptomata, quę renibus accidūt, & quidē actiones læsas quod attinet, cùm renum actio propria sit, serum ex sanguine attrahere, & hinc ad vreteres transmittere, si actio hæc lædatur, vrina nulla vel pauca redditur, & retenta sæpe grauissimorum symptomatum, imò mortis caussa est, nullo tamen vitio in vesica existente, sed vasorum emulgentium & renum attractrice læsâ,

### *Caussæ.*

*Caussæ.* Habet autem actio hæc læsa originem à vasorum emulgentium & renum facultate vel læsa, vel impedita. Facultas læditur ob imbecillitatem vasorum emulgentium vel renum, quæ pendet ab intemperie, inprimis frigida. Impeditur facultas ab obstructione, quæ inprimis fit à calculo: nonnunquam & à pituita crassiore, aut pure crassiore, aut sanguinis grumo.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Ipsa autem caussa mali semper non facilè agnoscitur. Ideoque diligenter considerandum & inquirendum, an in vreteribus vel vesica aliquod vitium sit. Quod si nullum deprehendatur, argumento est, in renibus hærere. Quod confirmatur, si grauitas aliqua, vel dolor in lumbis deprehenditur, & vrina in venis relicta & ad superiora regurgitans variorum symptomatum caussa est, de quibus mox in Prognosticis dicetur.

Si ab intemperie renum frigida sit imbecillitas eorū, apparebunt signa intemperiei renum supra, *c.* 2. proposita: & ab hac caussa non subitò supprimitur vrina; cùm intemperies subitò induci non possit: sed paulatim vrina supprimitur.

Si ab obstructione fiat, signa suprà proposita de obstructione renum, perpendenda, & à quibus caussis ea proueniat, inquirendum, de quo supra *c.* 4. dictum.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Malum hoc omnino periculosum est, & sæpe lethale. Si enim diutius serosus humor intra venas retineatur, & sanguini commisceatur, humores corrumpuntur, & putrescunt, ac prauæ febres accenduntur.

2. Et quidem si æger ante septimum iterum mejere incipiat, seruari potest. Quod si vltra hoc spatium retineatur; etsi vrina reddatur, plerunque tamen æger moritur.

3. Retentum in venis serum sæpe per totum corpus distribuitur, & prout in hanc vel illam partem ruit, varia symptomata excitat. Iacobus Carpus, in *Isagoge Anatomica*, quendam ab vrina hoc modo retenta suffocatum esse testatur, cui cùm cucurbitulas sine scarificatione diuertendi caussa apposuisset, eas per poros cutis aquoso humore repletas fuisse, scribit. Et Iacotius, *comm. 1. ad lib. 7. sect. 2. aph. 16. Coacar. Hippocr.* refert, senem quendam ex humore isto cerebrum in cōsortium trahente in somnum & torporem lethalem incidisse.

incidiſſe. Extat etiam *in obſeruationibus Schenckij,lib.*3. *de Renibus*, Epiſtola Georgij Tanſtetteri Medici Regij,qui refert,Illuſtriſſimi Saxoniæ Ducis Henrici Filiũ Seuerinum, annos 12.agentem, poſt balneum vomitu correptum fuiſſe,cum dolore vreteris ſiniſtri hypochōdrij, vrinas verò ſubinde pauciores reddidiſſe. Poſtea ſubtus vmbilicum ad dextram verſum pectinem dolere cœpiſſe,vomitionibus crebris accedentibus,detento lotio,cuius vix vltra ſex octo ve guttulas reddebat. Hinc doloribus nihil remittentibus, de præcordiorũ quoque dolore conqueſtum fuiſſe,& lumbricum trium palmorum longitudine vomitu reieciſſe. Tandem & cibos ſumptos euomuiſſe, vrina ſurſum regurgitante, & ſex octove horis, ante mortem vrinam meram colore & odore cuiuis adſtanti agnitam euomuiſſe & poſtea exſpiraſſe. Corpore aperto meatus vrinarij fuerunt ſalui, nihilque, quod eos obſtrueret,compertum; veſica fuit vacua & corrugata, omniſque humoris expers; corporis verò cutis quaqua verſum diſſecta è veſtigio aqueum humorem odore & colore exactiſſimè vrinam referentem, veluti in hydropicis,ex ſe mittebat.E quibus omnibus rectè concluſum fuit, omnium horum ſymptomatum, & tandem mortis etiam Illuſtriſſimi Principis cauſſam fuiſſe imbecillitatem & intemperiem vaſorum emulgentium, & renum,,quorum attractrix labefactata feroſum humorem ex reliquo ſanguine attrahere non potuit. Vnde factum,vt nihil aquei humoris ad veſicam tranſmitteretur, eiuſdemque pars ad ventriculum tranſmiſſa vomitiones excitaret, pars in habitum corporis diſpergeretur. Marcellus Donatus etiam,*lib.*4. *hiſtor.med.mirab,c.*38.refert,Priorem quēdam Mantuæ vrinæ ſuppreſſione laboraſſe, eadem procul dubio de cauſſa,cùm nihil mali in renum,vreterum vel veſicæ regione perciperetur,tandemque corpus vniuerſum intumeſcere cœpiſſe, cute pellucida apparente mollique, ita vt vrinam ſub ea contineri facilè videri poſſet,qui tandem leui continuaque febricula accedente,mortuus eſt.

### *Curatio.*

*Curatio.* Curatio cauſſæ ablatione perficitur.Ideoque quænã ea ſit,diligenter inueſtigandum. Si ſuppreſſio vrinæ ſit ab inflammatione,qua ratione ea curanda ſit,iam antea dictum,ſi à calculo,vel craſſa pituita, vel grumo ſanguinis,vel pure,itidem qua ratione hæc obſtructio tollenda ſit, antea monſtratum.Si ex imbecillitate renum à frigida intemperie contractâ, curatio inſtituenda, vt ſupra,*c.* 2.dictum. Iniiciendi nimirum clyſteres calefacientes, exhibendæ confectiones aromaticæ: Extra quoque olea,vnguenta & emplaſtra calefacientia adhibenda.

Vbi tamen ſerum ob renum imbecillitatem non ſecernitur,naturæ ſuccurrendum, & medicamentorum ope id à craſſioribus ſuccis ſeparandum, vt tenuius factum & aliquo modo erga renes concitatum facilius à renibus, etiam imbecillibus,attrahi poſſit. Faciunt huc medicamenta diuretica in Inſtitut, *lib.*5 *part.* 1.*ſect.* 1. *c.* 13. propoſita, è quibus poſtea varia alia medicamenta parantur. Vtile eſt & vinum,in quo radices raphani ruſticani vel ononidis, vel amygdalæ amaræ contuſæ,aut nuclei Perſicorum contuſi macerati fuerint.Vtiles etiam ſunt emulſiones ſeminum quatuor frigidorum maiorum cum nucleis Perſicorum, malorum Armeniacorum,ceraſorum & amygdalar.amarar. Vtiles quoque ſunt aquæ diureticæ, quæ paſſim extant, vt & acidulæ.

*Diuretica quando exhibenda.* De diureticis tamen hoc ſemel monuiſſe ſufficiat,ea non cum cibo, ſed hora vna atque altera ante cibum exhibenda eſſe, cùm,ſi cibis miſceantur, chylum crudum è ventriculo ad vias vrinæ ſecum rapiant,vnde nec ipſum vinum,quod cum cibo bibitur, acidulis diluendum, narrátque Gnilielmus Fabricius, *cent.* 3. *obſ.*72. hiſtoriam cuiuſdam,qui cùm acidulas biberet, & confectione ſeminis aniſi,vt vocant,ſimul ad flatus diſcutiēdos vteretur,ipſum ſemē aniſi cum vrina excreuit;& alterius cuiuſdam, qui cùm in vrinæ retentione gammaros contuſos & grana alkekengi contuſa ex vino albo ſumpſiſſet,vrina ita commota fuit, vt acini granorum alkekengi cum vrinâ excernerentur. Etſi verò diuretica medicamenta non tantam vim, vt acidulæ, habent, ſimile tamen quid præſtare poſſunt.

Vbi vero facultas impeditur in excernenda vrina ob vaſorum anguſtiam,curatio inſtituenda, vt ſupra *ſect.*1. *cap.*4.*de vaſorum in renibus anguſtia* diximus.

## CAPVT II.

### *De Diabete.*

*Diabetes.* ETſi Diabetes commodè etiam inter ſymptomata, quæ in mictione accidunt,referri poſſit,tamen quia ab Autoribus pleriſque inter renum affectûs explicari ſolet, eum etiam hoc loco proponere libet, inprimis cùm hîc nullum in veſica ſit vitium,ſed ſymptoma hoc vel à renibus,vel aliis partibus ſuperioribus, per quas ſerum tranſit,proficiſcatur.

*Vnde dicatur?* Διαβήτης à διαβαίνω,id eſt,tranſeo, quod ſcilicet vrina citò tranſeat,nomen habet. Alij ὕδρωπα εἰς ἀμίδα, hydropem ad matulam, alij vrinæ profluuium, alij διάρροιαν εἰς οὖρα, alii δίψακον ἀπὸ τῆς δίψης,à ſiti vehementi,quam patiuntur ægri,nominant.

Affectus ſanè rarus eſt, quem Galenus bis tantùm vidit,vt 6.*de loc.affect.c.*3.refert, ſcribit etiã Rabbi Moſes *part.*8.*aphoriſ.*quod non viderit diabeten in occidēte,neque audiuerit à ſuis Doctoribus, quod eam viderint.Plurimi etiam alii Medici eam non viderunt. Solet autem vrina in hoc affectu copioſiſſimè profluere, viditque Scholiographus Hollerii quendam quotidie ſex pintas Lutetianas eminxiſſe. Dodonæus, vt *cap.*42. *obſeru.medicinal.* refert: quendam vidit, qui vno die amplius, quàm quadraginta libras vrinæ reddebat.

*Admirandū vrinæ pōdus excretum.* Notabilis etiam eſt hiſtoria, quam Marcus Gattinaria, *in* 9. *Rhaſ.cap. de cura inuoluntarij exitus vrinæ*, & Cardanus, *lib.*8.*cap.*44.*de rerum varietate* referunt,de quadam puella annorum 18. quæ anno Chriſti 1481. paſſa eſt ſuperfluum vrinæ profluuium adeò vt ſingulis diebus vrinæ libras circiter 36. emingeret, cum ex potu & cibo non plus ſeptem libris aſſumeret. Cumq; hoc 60. diebus perſeueraret, emiſit vltra cibi & potus quantitatem libras 1740. quod pondus longe excedebat pondus puellæ,etſi tota in vrinam fuiſſet reſoluta; cum puella non potuerit excedere pondus 255. librarum, imò nec 150.attingeret. Sanata autem eſt poſt duos illos menſes à Medico Franciſco Buſto. Cauſſam huius ſymptomatis ſtatuerunt Medici fuiſſe aërem, qui in arteriis vbique continebatur,qui in aquam conuerſus fuerit, cui alius aër ſucceſſerit. Cardanus addit frigidam & humidam aëris intemperiem.

Potus etiam parùm vel nihil mutatus redditur.Vnde cum linteria, quæ magnam appetentiam coniunctam habet,diabeten comparant, vt ſicut in lienteria illa cibi auidè expetuntur,ſtatimque per aluum deiiciuntur:ita renes trahant ab hepate potulenta,& iterum ad veſicam demittant.Verum cum de hoc aliquid dubii occurrat, dicetur de eò infra *quæſt.*1.

### *Cauſſæ.*

*Cauſſa.* Cauſſam verò huius affectionis reddere difficilimum,& pauci Autores inueniuntur, qui in ea reddendâ inter ſe conueniunt. Nos in re obſcurâ,ſaluo cuiuſque iudicio,ſtatuimus, proximam huius mali cauſsã eſſe facultatem renum retentricem læſam,& quidem ab vrinæ

vrinæ vel copia,vel qualitate. Vrinæ v. copiæ caussam esse calorem viscerum,præcipuè hepatis & lienis, quæ cùm potum copiosius attrahunt, tùm humores in venis colliquant. Quanquam verò interdum etiam in hydropicis vel in febribus humor serosus copiosius per vrinam euacuatur: tamen diabetes mictio illa copiosa non est,sed critica potius humoris serosi expulsio,quę postea sponte cessat. Verum de hac controuersia postea prolixius,*quæstione secunda*,dicemus.

## *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Affectus hic primò paulatim & insensibiliter crescit,neque æger multùm curat,etsi plus mingat, quàm consueuit, & ad potum vel aliam caussam externam id refert. Sæpe etiam accidit, vt copiosior vrinæ excretio naturæ opus sit, quæ abundantes humores per vrinam expellit. Vt ergo diabeten incipientem ab hisce vrinæ profluuiis discernamus,videndum primò,an caussa aliqua externa,vt potus vel similis præcesserit, quæ vrinam copiosam præbere poterat.Si verò naturæ opus sit copiosa mictio,paulo pòst illa mictio cessat, ægérque inde magnam vtilitatem percipit, morbúsque, quo æger laborabat,soluitur, vel imminuitur. Si vero tale nil adsit,profluuium vrinæ id symptomaticum esse,indicio est,ægérque tum sensim ac paulatim semper majorem vrinæ copiam incipit reddere,ita vt tandem longè potus quantitatem vrinæ quantitas superet. Vrina est tenuis, aquosa, cruda,sine sedimento,in qua progressu temporis tenuia quædam supernatant:adest assidua oris siccitas & sitis, quæ tum à calore præternaturali, tum ab humiditatis nimia euacuatione ortum habent: corpus tandem extenuatur & contabescit: in visceribus æstus & ardor percipitur, & si vrinam aliquandiu contineant ægri,lumbi,coxæ,testes,cum grauitate intumescunt.

## *Prognostica.*

*Prognostica.* 1.Malum hoc plerunque lethale est,inprimis si non mox in principio cognoscatur, eique idoneis remediis occurratur,hominémque ad tabem & mortem tandem deducit.

2. Et præcipuè in senibus vix vnquam curatur.

3. Diabetes etiam post immodicum laborem, post nimium Veneris vsum, post febres chronicas plerúnque incurabilis est.

## *Curatio.*

*Curatio.* Vt verò in caussis explicandis magna occurrit apud Autores dissensio: ita in curatione instituenda magna occurrit varietas & difficultas. Eò tamen res redit, vt ille caloris excessus,qui humores liquat, viscerúmque intemperies, quæ facit, vt serum auidius attrahatur, corrigatur,& retentricis robur tàm in visceribus,quàm in renibus, tum in toto venoso genere confirmetur & augeatur.

*Venæ sectio.* Itaque etsi nonnulli hic venæ sectionem suadent: tamen quia vires jam ante dejectæ sunt, & plerunque alius morbus præcessit,huic remedio vix locus est Eadem ratio est purgantium, & vomitûs, quos morbus coniunctus & vires dejectæ vix admittunt. Multo minus sudorifera,quæ nonnulli, vt humores à centro ad ambitum corporis auertantur,adhibenda censent, tuta sunt,cum sudorifera cum medicamentis diureticis cognationem habeant, viscerúmque calorem & acrimoniam augeant. Tutius ergò,his omissis,ea saltem, quæ indicationes postulant, adhibere, quæ etiam saltem proponemus,cum illa generalia,si iis opus sit, aliunde nota sint. Parantur autem illa ex adstringentibus & roborantibus, vt rosis rubris, plantagine,bursa pastoris, consolida,portulaca,coralliis,spodio & similibus.Vt:

℞. *Rad.consolid.major.plantag.* an.Vnc.i. *fol.plantag.* M.j.*flor.rosf.rubr.*M.sem.*balaust.* Drach.ii. *myrob.citrin.*Drach.iii. *sem.plantag.acetos.portulac.*an.Drac.j.

Coq.*in vini rubr.*℔.i v.vase clauso.

Colaturæ Adde *Miuæ Cydon.*Vnc.iii.

Vel ℞. *Sem.coriandr. plantag.portulac. flor.ros.rubr.* an.Vnc.i. *corall.rubr.boli Armeni, marg. præp.rad.tormentill.*an.Drach.i.*nuc.mosch.*Scrup.i.

F. Puluis.

Vel ℞.*Conf.ros.rubr.* Vnc.ii. *C.C.vsti præp.boli Armeni,corall.rubr.præp.*an.Drach.j.

Cum *miua Cydonior.*

F. Electuarium.

Vel ℞. *Conf.ros.rubr.antiq.*Vnc.iii.*spodij,corall.rubr. C.C.vsti* an.Drach.i. *sem.plantag.portulacæ* an.Dra.sem. *mucilag.sem.Cydonior.*Vnc.sem.*syr.Cydonior.q.s.*

Fiat Electuar.

Possunt etiam exhiberi opiata, vt theriaca recens, Philonium Persicum, requies Nicolai, laudanum opiatum.

Extra hypochondriis,renibus, hepati, lieni,lumbis adhibeantur epithemata,linimenta, vnguenta, cataplasmata refrigerantia & adstringentia ex succo vel aqua plantaginis,portulacæ,lactucæ,semperuiui, vmbilici veneris, ceratum santalinum, vnguentum refrigerans Galeni, Comitissæ.

Vel ℞. *Ol.ros.myrtini* an.Vnc.i. *santali albi, rubri, flor.ros. rubr. corall.* an. Drach. i. *succi plantag.* Vnc. 1. *ceræ q.s.*

F. Vnguentum.

Vel ℞. *Aq.vel succi plantag.acetosæ,rosar. nymphéæ* an.Vnc.iii.*aceti ros.*Vnc.i.*spec.ceroti santal.*Drach.ii.*spodij,corall.rubr.* an.Drach.j. *sem.ros. rubr.acetos. plantag.* an.Drach.sem.Misce.

Fiat Epithema.

## QVÆSTIO I.

### *An potus immutatus planè per vrinam in diabete reddatur?*

Galenus, *6.de loc. aff.cap.* 3. & *de crisib. cap.*1 2. in diabete celeriter id,quod bibitur,per vrinam reddi, & quidem tale, quale bibitur reddi,docet. Idem tradit Alex. Trallianus, *lib 9.cap.*8.Aëtius, *tetrab.*3.*serm.*3. *cap.*2. Aliique Medici plures, sicut in lienteria cibus immutatus statim deiicitur: ita in diabete potum immutatum mox excerni tradunt. Amatus Lusitanus etiam,*centur.*2.*curat.*94. refert, Romanum quendam, qui vini meracioris potui indulgebat,& fœniculi marini dicti, seu Cretami muria conditi largiore victu vsus erat, in diabetem lapsum esse, & quicquid bibebat, statim & quale sumebat, per vrinam reddidisse. Trincauellius etiam,*lib.*1 0.*cap.*1 1.*de rat.cur.part.hum. corp.aff.* scribit, quendam, febre maligna laborantem, cum nil biberet,nisi aquam gelidam,in diabetem incidisse,vt potus omnino immutatus redderetur,seruans eundem colorem,consistentiam,saporem,atque odoré. *An potus planè immutatus in diabete reddatur?*

Alij tamen etiam potum mutari scribunt.Ita Dodoneus,*obs.cap.*41.*in Schol.*scribit,potũ,qui assumitur,nõ omnino talé reddi,qualis assumitur,sed in hepate mutationé nõnullã accipere. Iohãnes Baptista Syluaticus, *controu.* 29.in diabete potum non semper statim, sæpe etiam mutatum,perpetuò tamen auctum,& in maiore quãtitate,reddi docet,scribitq; interdũ potus quãtitaté esse vncias 25.vrinã auté emitti ad vncias centum.

Cum ergo alij viderent pro vtraque sententia experientiam pugnare, distinxerunt inter diabeten & vrinæ profluuium:sed sine ratione & exẽplo;cùm alij Medici sine discrimine hæc vocabula vsurpent.Ideóque in diabete non solum ad potum,sed etiam alia respiciendum.Sunt enim primò diabetæ quidã gradus.In principio enim,cùm vires nondum dejectæ sunt,& vis alte-

ratrix nondum extremè laborat, non mirum eſt,ſi potus aliquomodo muteturːtemporis verò progreſſu,vbi vis alteratrix magis labefactatur,potus planè immutatus excernitur. Deinde potus etiam alius mutatur facilius,alius difficilius. Aquam,cum parum mutari poſſit,non mirum eſt,eodem colore & reliquis accidentibus non mutatis, excerni : alij verò potus , qui magis compoſiti ſunt,non ita facilè tranſeunt, quin aliquam mutationem accipiant. Præterea id , quod in diabete excernitur , non ſaltem potus eſt,ſed ſæpe etiam accedit corporis colliquatio , vnde plus vrinæ emittitur, quàm potûs aſſumptum eſt.

## QVÆSTIO II.

### *Quænam Diabetæ cauſſa ſit ?*

*Quanã diabeta cauſſa ſit ?* Cauſſam Diabetæ reddere omnino difficile eſt , ob affectus raritatem, & Medicorum de eius cauſſa diſſenſum. Vulgata quidem , & quam plerique ſequuntur, ſententia eſt,proximam huius mali cauſſam eſſe renum intemperiem calidam,ob quam illi ſerum copioſius è venis attrahant, quod cum ob imbecillitatem & copiam retinere non poſſint , venas rurſum à jecore, hoc ex inteſtinis & ventriculo trahere, vnde orificium ventriculi vellicetur,ac ſitis excitetur, qui aſſumptus mox à venis & renibus attrahatur,atque iterum ad veſicam mittatur.

Verum rectè ſcribit hîc Fernelius , *de part. morb. & ſympt.lib.6.cap.*13.vix aliquem deprehenſum eſſe,qui copioſæ huius mictionis non aliam intus cauſſam haberet. Etenim calidâ intemperie multi laborant, neque tamen diabetem patiuntur. Neque præterea credibile videtur, renum attractricem facultatem tantam eſſe poſſe , vt ea etiam ad ventriculum vſque ſeſe extendat,atque inde crudum potum attrahat. Trincauellius,*de rat.curand. part.hum.corp. aff.lib.*10.*c.*11.in renum imbecillitatem à frigore contractam cauſſam rejicit, probátque id exemplo Nobiliſſimi cuiuſdam Viri, qui cum febre maligna laboraret, atque ſitis eſſet impatiens, aquámque gelidam & in puteo refrigeratam biberet,renes tantam imbecillitatem ex refrigeratione contraxerint , vt potum omnino immutatum redderent. Verùm ſi tale vitium in renibus fuit , quam ob cauſſam tam ſubitò ad renes potus peruenit?Si enim ii refrigerati atque imbecilles redditi fuerunt , attrahere præter modum non potuerunt.

Hæc omnia cum alij Medici docti animaduerterent, & in ſolis renibus cauſſam huius mali inuenire non poſſent, alias cauſſas, ſed diuerſi diuerſas aſſignârunt *Plateri ſententia.* Felix Platerus ſtatuit diabetæ cauſſam eſſe ſeroſi humoris aut cauſſæ morbi cum ſero ſubitam & profuſam quaſi euacuationem, vt vniuerſum quaſi ſerum è corpore effluat,atque verum diabetem,in quo ſubita corporis colliquatio cum calore & ſiti intolerabili excitata,febri ardenti atque colliquatiuæ accidere, & proinde vt febris hæc rara eſt,ita rarum & periculoſum ſymptoma ipſi copulatum eſſe exiſtimat. Si quis tamen etiam citra febrem diabetem fieri ſtatuere velit, ob copiam potûs in venis meſaraicis diu retenti & coacervati,poſteáque vi naturæ ſubitò ad renes propulſi potius , quàm attracti,& id admittit. Euſtach. Rhudius, *lib.*2.*Pract.cap.*39. præter renum calidiorem intemperiem ſe experientiâ edoctum aliam cauſſam inueniſſe ſcribit , nimirum jecoris caliditatem atque ventriculi retentionem læſam,atque in teſtimonium affert exemplum cuiuſdam,in quo quæ mingebantur, non ſolum odore & conſiſtentia aſſumptæ potioni ſimilia erant, verùm etiam feces alui multo vino,quod copioſiſſimè ingurgitauerat,perfuſæ erant, cúmque non admodum emaciatum fuiſſe , & auxiliis refrigerantibus potiſſimùm & corroborantibus non multò pòſt tempore à Diabete fuiſſe vindicatum.

Ioh. Baptiſta Syluaticus , *controu.*31. nouum quid, quod à nemine in hunc vſque diem animaduerſum ſit, ſe allaturum promittit : poſtea tamen ipſe Galenum,6. *de loc.affect.cap.*1.3.*de cauſſ.ſympt.cap.*2.Aretæum, *lib.* 2.*de cauſſ.diuturn.affect.cap.*2. Actuarium, *lib.*1.*meth. cap.*11. idem docuiſſe refert. Statuit verò inſignem calidam intemperiem in hepate & toto venoſo genere ſuccenſam ſanguinem fundere,ejúſque portionem aliquam in ſerum mutare. Serum autem hoc ab eximia renum caliditate ſeparari à ſanguine & attrahi, quam deinde multitudinem cum illi ferre non poſſint,ad veſicam quod ruat, impetuosè permittere , quæ pariter cum tantam ſeri multitudinem ferre non poſſit,ad eam expellendam inſurgere.

Atque his Autoribus poſterioribus aſſentimur in eo,quod non tàm in renibus,quàm aliis partibus cauſſa diabetes quærenda ſit. Sit enim,de quo tamen,vt ex ſuperioribus patet,non immeritò dubitatur, quod renes fortiter attrahant : tamen niſi ſerum adſit,id attrahere non poſſunt,& renum fortis attractio ſeri ſeu vrinæ copiam jam præſupponit. Sicut enim, etſi à veſica vrina proximè profluit; cauſſa tamen in veſica non reſidet,ac niſi vrina copioſa à renibus ad veſicam mitteretur, copioſa emingi non poſſet : ita etſi à renibus tranſmittatur vrina, tamen cur copioſa ſit, cauſſa nôn tàm in renibus , quàm in aliis partibus quærenda videtur.

Cauſſa autem huius ſymptomatis , ſi in re obſcura aliquid decernendum eſt,vt Galenus,3.*de cauſſ.ſympt. cap.*2. Platerus,Ioh.Baptiſta Syluaticus dicunt,ἀνασυνχύωσις,reſolutio & colliquatio quædam eſt, quæ in venis fit,in toto corpore,ab inſigni hepatis & venoſi generis caliditate orta. Vnde Rabbi Moſes, *part.*8.*aphoriſ.* in Ægypto tales ægros intra decem annos, plus quàm viginti ſe vidiſſe ſcribit,in Occidente verò nullos.Et plerumque febribus ardentibus & malignis malum hoc accidit , atque eâ de cauſsâ etiam plerique in diabete refrigerationem & humectationem corporis commendarunt. Quia tamen ipſe potus ſtatim,& immutatus plerunque per veſicam in diabete redditur, ſecundum non abſurdè conjungi poſſe puto imbecillitatem & laxitatem,non quidem ventriculi ſolum, vt ſtatuit Rhudius, ſed partium illarum , quæ aquoſum humorem è ventriculo & inteſtinis ad hepar & lienem ferunt. Hæ enim debito tempore cum cibo, vt ejus ſit ὄχημα & vehiculum, ſerum continere debent ; quod ſi non faciant,ſubitò ad renes ruit ; atque imbecillitatem hanc à nimio aquæ frigidæ potu partes illæ contrahere poſſunt,ſicut & illi nobili viro , cuius mentionem facit Trincauellius, accidit. Poteſt tamen etiam hepatis & lienis calor ad ſubitam iſtam ſeri attractionem aliquid facere. Adeſſe a.talem laxitatem in meatibus, per quos ſerum è corpore elabitur, vel illud teſtatur, quod Iulius Alexandrinus, *in annot. ad c.* 14. *libell.de ſubſtantia facultatum naturali* ſcribit, ſe duóſque alios Medicos in nobiliſſimi cuiuſdã viri Curatione, affectu Diabetæ ſimilimo laborantis,vidiſſe rejecta cum vrina apij radicum fruſtula , quadrantis magnitudine nonnulla , quas ille radices Medicis inſciis juſculis incoquendas curauerat. Semen etiam Aniſi ac grana alkekengi cum vrina excreta fuiſſe , *præcedenti capite* dictum,& *infra cap.*9.dicetur.

## CAPVT III.

### *De Dolore Nephritico.*

*Dolor Nephriticus.* DOlor tandem quandoque renes vehementiſſimè affligit , & acerbus ac dilacerans quaſi in lumbis è regione renis alterutrius, raro vtriuſque percipitur.

*Cauſſa.*

*Causſæ.*

Causſa. Plerique ſtatuunt dolorem hunc tantum ortum habere vel ab arena & ſabulo in renibus collecto, vel à calculo renum ſubſtantiam atterente, vel, abſumptâ ſubſtantiâ Renis, quod interdum accidit, membranam renes ambientem vellicante. Et quidem verum eſt, à grumo ſanguinis, vel pituita craſſiore dolorem potius grauantem, quàm vehementem, qui nephriticus appellari ſolet, excitari: obſeruatum tamen etiam eſt ab acri ſanie, vel ſero, & omnino humorum acrium confluxu vehementiſſimos in renibus dolores excitatos fuiſſe. Ita ſcribit Deſiderius Iacotius, *ad Aph.47. lib.6.ſect.2.Coacar. Hippocratis*, in multis poſt mortem diſſectis Renes integros inuentos fuiſſe, qui tamen, dum in viuis eſſent de renum dolore pertinaci conquerebantur;vel ex venis aut pulmonibus eò confluente acri ſanie, vel ſero renum vaſa diſtendente: & Hollerius, *comm. ad aph.11.lib. 6.* refert, ſe vidiſſe quendam, qui intolerabili renum cruciatu affligebatur, qui nec phlebotomia, nec purgatione, nec aliis remediis mitigari potuit, niſi hæmorrhoidibus apertis. Simul enim, atque per eas aperta eſt via,dolor quieuit.

*Signa Diagnoſtica.*

Signa. Cognoſcitur hic dolor è ſitu & loco. Etſi enim dolor colicus cum nephritico magnam habeat cognationem: tamen renum dolor fixus eſt, vno loco è regione renis, & ſi extendatur, ſecundum vreteris ductum verſus veſicam & inguina extenditur: dolor verò colicus verſus ventrem vagatur. Vomitus etiam plerunque moleſtus eſt, quo omnia, quæ in ventriculo continentur, & tandem etiam bilis,reiicitur, ob membranarum quæ haſce partes coniungunt, communionem. Reſpiratio eſt parua & cita. Vrina in principio cum difficultate aliqua redditur, & eſt aquea & cruda; Hinc fit turbida, & aliquando etiam cruenta.Arenulæ interdum in vrina apparent, nunc flauæ nunc rubræ. Decubitus in partem affectam dolorem minuit,in contrariam exaſperat.

*Prognoſticum.*

Prognoſticū. Vt omnes dolores: ita & hi vires deiiciunt. Quid autem de curatione ſperandum ſit, ex iis,quæ ſupra de calculo Renum, eorúmque exulceratione dicta ſunt, patet.

*Curatio.*

Curatio. In curatione ad duo reſpiciendum, ad cauſſam ipſam doloris, & ad dolorem. Qua ratione calculus, qui plerunque doloris nephritici cauſſa eſt, tolli poſſit, ſupra, *capite 6.* dictum. Hoc tamen etiam obſeruandum, ſi dolor ſit vehementiſſimus, & corpus plethoricum, ac metuendum ſit, ne ex ſanguinis ad renes affluxu renum inflammatio excitetur, venam in cubito aperiendam eſſe.

Si à ſanie vel ſero aut alio humore acri dolor excitetur, is temperandus. In quem vſum commodè exhibetur emulſio ſeminum quatuor frigidorum maiorum cum aqua hordei, fragorum, maluæ, decocto glycyrrhizæ & ſimilibus.

Ad dolorem leniendum anodyna & quæ vias laxant, vt calculus loco ſuo moueatur, & in veſicam deſcendat, vnde omnis dolor ſubito ceſſat, vſurpanda. Clyſteres emollientes hîc vtiliſſimi ſunt; qui dolorem mitigant,vias laxant,ſimúlque flatus, qui inteſtina diſtendendo,renéſque ac vreteres comprimendo,dolorem augere ſolent, tollunt.

Vt ♃. *Radic. althéæ* Vnc. i. *parietar. violar. althéæ, brancæ vrſinæ* ana M. i. *flor. chamæmel. ſummit. anethi* ana P.ii. *ſem.lini,fænugr.*an. Vnc.ß.*caricas* num.v. Coq. *in aq. vel lacte.*

Colatur. ♃.Vnc.x. *caſſiæ extractæ* Vnc.i. *olei amygd. dulc.lilior.albor.*an.Vnc.i.ß. *vitellos oui* num.ii.

F. Clyſter.

Propinetur etiam decoctum radicum althéæ, glycyrrhizæ, maluæ, parietariæ, & paſſularum; item emulſio quatuor ſeminum frigidor. maior. & papaueris.

Extra applicentur fotus ex decocto radic. althéæ, lilior. alborum,maluæ, parietariæ, brancæ vrſinæ,floribus chamæmeli, meliloti, ſemine lini, fænugræci; linimenta ex oleo dulci, amygdalar. dulcium, lilior. albor. vnguento althéæ, pinguedine gallinæ, anſeris, anatis.

Si iſta non ſatisfaciant, vtiliſſimum eſt aquæ dulcis balneum, ex herbis modò enumeratis paratum; idque, ſi opus,aliquoties repetatur.

Cum verò dolor ſtatim tollatur, ſi calculus in veſicam deſcendat, ad id promouendum cucurbitulæ ſecundum vreterum ductum applicatæ faciunt, de quo ſupra *cap.6.* dictum & *ſeq.* dicetur.

Reliqua,quæ hac de re dici poſſunt, ſupra *capite 6. de calculo Renum* videantur.

Sunt præterea alia ſymptomata, quæ à Renibus originem habent, vt vrinæ cruentæ, purulentæ. Verùm quia eadem in mictione, quæ veſicæ propria eſt, animaduertantur, poſtea *de affectibus veſicæ* de iiſdem agemus.

# LIBRI TERTII PARS VIII.

## *De Veſica præter naturam affectibus.*

### PROOEMIVM.

*Seroſus humor equidem poſtquam à ſanguine in renibus ſeparatus eſt, vſum amplius nullum habet, ſed è corpore, vt inutilis, excernendus eſt. Si tamen id continuò fieret, vt in iis, qui vrinæ incontinentia laborant, magnâ cum moleſtiâ & incommodo id coniunctum foret. Quapropter rerum Creator ſapientiſſimus receptaculum condidit, in quo vrina colligatur, vt collecta poſtea ſimul excernatur; quod veſica vrinaria dicitur. Quæ, vt plurimum caperet, & rotunda eſt, & eam ſubſtantiam habet, vt extendi & contrahi poſſit; & ne vrina continuò efflueret, orificio eius muſculum addidit Sphincterem, quô contractô vrina pro noſtrô arbitriô retinetur, laxato per meatum vrinarum effluit, ſicut iſta ab Anatomicis pluribus deſcribuntur. Et cum partes omnes benè ſe habent, & ſecundum naturam conſtitutæ ſunt, etiam vrinæ excretio rectè fit, ſi verò quid mutatur, ea læditur.*

*Poſtquàm ergò de Renum & vreterum præter naturam affectionibus diximus, proximum iam eſt, vt de Veſicæ præter naturam affectionibus dicamus. Agendum ergò erit hâc in parte huius libri de Veſicæ intemperie, numero mutato, calculo vermibus, & aliis rebus præter naturam in ea repertis, diſtentione, inflammatione, ſitu mutato, vulneribus, ſcabie, & vlceribus, morbis meatûs vrinarij: Symptomatibus item, quæ veſicæ & in vrinæ excretione accidunt: puta de dolore veſicæ, eiúſque ſtupore & reſolutione, de vrinæ ſuppreſſione, & imminutâ excretione, ſtranguriâ, vrinæ ardore, mictione inuoluntaria, & vrinæ incontinentiâ, de vrinæ colore mutato, & rebus alienis cum vrinâ excretis, ac vrinæ per aliena loca excretione.*

SECTIO PRIMA.

De Vesicæ Morbis.

## CAPVT I.

### *De Intemperie & angustia Vesicæ & numero mutato.*

*Intemperies vesicæ.* ET primò morbos intemperiei quod attinet, vt aliæ corporis partes omnes eos,quos continent, humores,atque adeo ipsa excrementa,alterandi vim habent:ita etiam procul dubio vesica quem à renibus accipit humorem serosum non solùm aliquandiu continet, sed & alterat:idque innatâ suâ temperie perficit. Mutatur verò ea interdum præter naturam, & plerunque intemperies hæc est frigida, (Calida enim sine humorum affluxu,qui sit in inflammatione,vix datur.) Excitant autem eam caussæ vim refrigerandi habentes,cum internæ tum externæ.

Intemperies frigida cognoscitur ex vrina alba,viscosa,furfuracea,quæ guttatim stillat;atque ex caussis,quæ vesicam refrigerandi vim habent,si præcesserint.

Curatur autem medicamentis vesicam calefacientibus,nuce moschata,macere,betonica,glycyrrhiza,baccis iuniperi; Extra illinatur regio vesicæ oleo nardino, anethino,& similibus.

### *Vesicæ Angustia.*

*Vesicæ Angustia.* Vesica etiam præter modum naturalem interdum angustior est, facitque eius mentionem Galenus, *art. med.cap.*72.dum scribit: cuidam vesicam contigisse ita expositam ac paruam, vt si quando vrinam tardius excerneret, tumor quidam circumscriptus manifestè cerneretur. Verum talia vitia ab ortu contracta vix arte emendantur.

### *Numeri Vitium.*

*Numerus vesicæ mutatus.* Numeri etiam vitium quandoque in vesica deprehensum est,& Volcherus Coiter,*in obs.Anat.in* virgine quadam inuenit duas vesicas vrinarias, alteram naturali & sua sede collocatam, alteram ex matricis colli dextro latere prognatam, naturali vesica duplo quasi maiorem,lotii plenissimam.

## CAPVT II.

### *De Calculo vesicæ.*

*Calculus vesicæ.* CAlculus verò frequentissimum vesicæ malum est. Qua ratione autem calculus generetur,in genere supra *cap.de calculo Renum* dictum, quæ etiam hic locum habent, atque omnino statuimus, vim quandam lapidificam existere in materia, ob quam ea suapte natura ad concretionem tendit,calorem verò & frigus ad hanc concretionem non sufficere.Calorem enim quod attinet, non est credibile, tantum in vesica calorem esse, qui, vt in renibus, aliquid ad calculum generandum facere possit, ac tanta semper aquæ in vesica copia est, vt exiccationis illa exempla, quæ afferuntur, huc nullo modo quadrent. Alii igitur à frigore vesicæ, seu calore nimis debili hoc fieri statuunt. Quam sententiam vt suo modo non reiicimus: in eo tamen probare non possumus, quod frigus hîc primaria concretionis calculorum caussa sit. Neque enim tantum vnquam frigus in vesica dari potest, quod externo frigori congelanti respondeat. Hoc magis credibile est, vrinam in vesica etiam,vt de renibus dixi, aliquam alterationem (neque enim natura vnquàm otiosa est) suscipere. Si ergo temperies vesicæ non rectè sese habeat, fieri posse putamus, vt quæ vrina clara fieri debebat, partibus omnibus eius exactè mixtis turbida maneat, ac crassiores & tartareæ partes aquosis non exactè permistæ ad fundum vesicæ subsideant, atque ibi vi insitâ ad coagulationem tendente concrescant & lapidescant. Et omninò hic simile aliquid fieri existimamus, quale sæpe in stranguria accidit, vbi vrina non satis cocta & elaborata turbida est,acrimoniam obtinet,naturámque ad excernendum stimulat. Hoc tamen hîc etiam perpendendum, an solius vesicæ vitio hoc fiat, & an talis cruda vrina non etiam renum,imò & hepatis vitio fieri & ad vesicam transmitti possit.Debet enim serosus humor,qui ad vesicam transmittitur,ita dispositus esse, vt partes terreæ ac tartareæ cum aquosis exactè permisceantur,& vna è corpore excernantur.Quod si non fiat, & aquosa pars seorsim excernatur,crassa vero subsideat & subsistat,calculus inde generatur.Non negari tamen potest, ad calculi generationem etiam plurimum facere posse vesicæ siccitatem,quæ idoneum calculo subiectum præbet. *Caussa.* Neque Galenus frigiditati simpliciter caussam concretionis tribuit,sed hoc saltem scribit, *in Epidem.comm.*3. *aph.*15. vrinæ crassitudinem multam in vesica collectam, si diutius intus permanserit, coagmentandi, concrescendique initium capere, & postea quicquid iterum crassum in vesicam delabitur, primo agglutinare, & non frigiditatem caussam proximam calculi statuit,sed vrinæ crassitudinem calculorum primam potissimámque caussam esse dicit.Et ideo pueros calculis magis esse obnoxios, quia vrinas crassissimas reddunt. Concretionis verò modum eum esse docet, qui lapidum est in aquis calidis nascentium sponte, caussámque concretionis præcipuam non temperamentum vesicæ,sed materiæ, è qua fit lapis, qualitatem esse dicit. Cur autem pueri magis calculo vesicæ, adulti verò calculo renum sint obnoxii, supra *allegato loco de calculo renum* dictum.

### *Signa Diagnostica.*

Hippocrates, 4. *de morb.* quinque signa calculi vesicæ ponit; vbi,*inquit*, calculus in vesica adest,æger, vbi meiere vult, dolore affligitur, & vrina paulatim fluit, sicut in vrinæ stillicidio, & vesicæ inflammatio adest, & vrinam subcruentam, & nonnunquam arenosam emingunt, nonnunquam & lapides paruos cum vrina excernunt. *Signa.* Quibus, *in lib.de aer.aq.& loc.*addit & hæc, quod pueri calculo laborantes fricant & vellicant pudenda, adest præterea penis tensio & ponderis sensus in vesica percipitur, & ægri nullo modo quiescere possunt, sed crebro mouentur & crura alternatim mouent. Anus quoque in consensum trahitur, & tenesmo ægri laborant sæpe. Præterea si calculus grandior sit, explorari potest, immisso in anum digito vel cathetere aut candela cerea in vesicam immissa. Qui tamen posterior modus explorandi semper certus non est, vbi nimirum calculus pituita & corpore q. quodam lubrico inuolutus est, cuius rei historias vide apud Schenckium, *lib.*3. *obseru.* 269. Potest & isto modo explorari calculus, si vbi vrina supprimitur, æger supinus locetur & cruribus eleuatis concutiatur. Si enim vrinam tunc reddat, signum est, orificium vesicæ à calculo obstructum fuisse, qui eo motu ex eo excussus est.

Exstat de arenulis aphorismus Hippocratis,79.*sect.*4. *Quibus in vrinis arenosa subsident, his vesica calculo laborat.* Qui valdè interpretes torsit. Nam & renibus laborantibus arenosa subsident, & citra calculum seu renum seu vesicæ arenosa sæpe minguntur, quæ in iecore & venis, aliquando in sanis, aliquando in febrium declinatione generata cum vrinis excernuntur, vt de calculo renum dictum est, scribitque de se Cardanus, *in comment.in alleg.aphor.* qui ibi de calculo

videatur,

videatur, ſibi iam ab annis 30. primo ruffas, poſtea etiam albas arenas quotidie & copioſè, citra tamen omnem calculi & renum & veſicæ ſuſpicionem, prodiiſſe, additque vix è decem vnum eſſe, qui ab hoc vitio (mingendi arenas) immunis ſit; cùm tamen rari ſint, qui renum calculo laborent, rariores qui veſicæ, & contra multi calculo veſicæ laborent, qui nullas arenas emingunt.

Verùm ſi ea, quæ ſupra diximus, diligenter perpendamus, non difficile erit, ſabuloſum illud in calculo laborantibus diſcernere ab eo, quod illi, qui calculo non laborant, emingunt, & aphoriſmo ſua veritas maxima ex parte conſtare poterit. Dicit enim Hippocrates, quod in calculoſis ἐν τῷ ὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίςαται, arenoſa ſubſident, in iis verò, & qui calculo non laborant, ſabuloſa & arenoſa illa non ſubſident, ſed vel matulæ parietibus adhæreſcunt, vel ſedimento vel etiam ſuperficiei vrinæ innatant. Neque etiam propriè ſunt ψαμμώδεα, id eſt, lapidum fruſtilla & particulæ, illæ, quæ in iis, qui calculo non laborant, eminguntur, ſed friabilia corpuſcula tartarea, ſalis naturam q. referentia.

Rubra etiam plerumque ſunt; cum quæ calculi ſunt partes plerumque ſint albi vel cinerei vel alterius coloris. Præterea in calculo laborantibus vrinæ quandóque craſſæ, quandóque tenues & aqueæ quaſi eminguntur, quod in reliquis non accidit. Arenulæ etiam verè ita dictæ ſolius veſicæ laborantis indicia non ſunt, cum ex calculis renum imminutis vel contritis quoque excerni poſſint. Ideóque qua ratione diſcerni poſſint, videndum. Nonnulli quidem albas ex veſica, rubras ex renibus prodire dicunt. Sed fallax hoc ſignum. Quapropter alia ſigna coniungenda. Etenim ſi ex renibus proueniant, proculdubio ſigna nephritici morbi aderunt. Si ex veſica ſolum, illa non aderunt, vixque aberit frequens mingendi deſiderium, cum vt ab vrina copioſâ natura ad excernendum ſtimulari ſolet, ita à calculo præſente continuò ſtimulatur. Cardanus, *loco allegato*, eum, qui certus eſſe velit, an calculo veſicæ laboret, equitare iubet, ſaltare exercereque paulo vehementius, aut aſſumere lapidem comminuentia medicamenta, & hinc vrinam inſpicere. Nam ſi tribus aut quatuor diebus puluis appareat, lapis eſt durus; ſi lapidum fruſta & quaſi arena, tophus eſt; Si nihil horum appareat, lapis procul dubio non eſt.

## *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.*

1. Calculus veſicæ malum eſt, quod non facilè curatur, & niſi curetur, periculo non vacat, atque ipſa curatio ſæpe periculo non caret.

2. Cum enim duo ſint auxilia calculi grandioris, & qui per vrinarium meatum expelli nequit, tollendi, eius per medicamenta comminutio, vel ſectione veſicæ facta, extractio; prius rarò aut nunquam profuiſſe cenſet Mercatus, etiam Capiuaccius ſcribit; fateor me neſcire, quæ calculum in veſica frangere queant. Et Eraſtus, *conſil. 26.* perſuaſum, inquit, habeo, lapidem veſicæ frangi remediis intra corpus aſſumptis non poſſe. Experientia tamen teſtatur, aliquando lapides in veſica medicamentis comminutos fuiſſe, vt poſtea dicetur. Et non eſſe nulla remedia, quæ calculum frangant, patet ex Monarde qui *lib. 3. de ſimpl. med. ex nouo orbe allat. capite de Cochos* ſcribit, Cochos apud Indos eſſe magnæ æſtimationis, cùm calculos non ſolùm in renibus ſed etiam in veſica comminuat. Idémque refert, adoleſcentem quendam calculo veſicæ laborantem, cum eum ad fontem de Petra cognominatum ablegaſſet, ibique duos menſes ſubſtitiſſet, à calculo liberum rediiſſe, & omne lutum, quod paulatim eiecerat, denuo in lapideam figuram concretum ſecum in charta detuliſſe. Videantur huius generis plura apud Schenckium. *lib. 3. obſeru.* 218. Verum tamen hoc nonnulli eſſe exiſtimant tantùm de eo lapide, qui à renibus in veſicam deſcenderit, & ibi augmentum ſumpſerit. Verùm rationem diuerſitatis & cauſſam nullam video, cur ſi hic poſſit medicamentis comminui, ille qui in veſica concreuit, non poſſit.

3. Lapidis per ſectionem extractio etſi lapidem tollat; nonnunquam tamen mortem accelerat, quod periculum veritus Hippocrates, iuramento ſuos diſcipulos obſtrinxit, ne laborantes lapide ſecarent, ſed expertis huius artis hoc negotium permitterent.

4. Et quidem lapides grandiores non ſine periculo extrahuntur, cum extractio conuulſionem accerſat, quâ plerique moriuntur. Minores verò vel non apprehenduntur, vel apprehenſi effugiunt aut franguntur; Mediocres verò tutius extrahuntur.

5. Nonnunquam calculus veſicæ adhæret, qui ferè incurabilis eſt, cum etiam ſectione ſine veſicæ laceratione extrahi non poſſit.

6. Facilius eiiciuntur & extrahuntur calculi è veſica in mulieribus; quia breuem & amplum habent vrinæ meatum.

## *Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & Curatio.*

Quæ de calculo renum dicta ſunt, etiam hîc locum habent. Danda nimirum opera Medico, vt calculi, qui gignitur, generatio & augmentum prohibeatur, calculus iam genitus tollatur, & dolor ſedetur.

Prohibetur generatio calculi, ſi gignendo materia non ſuppeditetur, victu ſcilicet recto inſtituto & euacuationibus neceſſariis adhibitis, & ſi quid concreſcat, abſtergatur, comminuatur, & expellatur.

Generatus verò eſt comminuendus medicamentis, vt particulatim excernatur, vel opera chirurgica extrahendus.

Victus quidem ratio eadem ſit, quæ *in calculo renum* eſt propoſita. Cauſſa quoque antecedens eodem modo tollenda, vt *ibidem* dictum.

Vt verò calculus, qui generari incipit, maturè tollatur, antequam in lapideam duritiem vel maiorem molem concreſcat, danda opera. Quapropter, ſi ex ardore vrinæ cum pituitoſis excretis agnoſcatur, lapidis rudimenta in veſica eſſe, ad calculi comminutionem ſtatim confugiendum. Et primò quidem incipiendum à mitioribus & hinc ad fortiora adſcendendum. Mercatus quatuor claſſes horum medicamentorum conſtituit, & in tertia claſſe recenſet ea, quæ impropriè lapidem frangere putat, & abſtergendo tantum atterendóque ſuperficiem hîc prodeſſe dicit. Et talia docet eſſe omnia, quæ ſua aſperitate abſtergunt & veluti atterunt. Duo enim corpora aſpera ſimul colliſa atteruntur. Atque in hanc claſſem refert etiam *lapidem ſpongiæ, lyncis, cinerem corticum ouorum, lapid. in veſicæ hominis vel apri, vel veſica fellis bouis repertum* & ſimilia. Verùm parum probabilis eſt hæc opinio. Talia enim non integra exhibentur, vt aſperitate ſuâ lapidem in veſica atterere poſſint, ſed in ſubtilem puluerem comminuta, imò ſoluta & in magiſteria, quæ appellant redacta, vbi non minus efficacia ſunt. Vero magis conſentaneum à ſpiritu ſalino; qui in iis eſt, ſeſe in lapidem inſinuante, atque ita in minima eum ſoluente, hoc fieri; eodem modo, quo ab aquis fortibus metalla & mineralia; ab aceto corallia, margaritæ & ſimilia ſoluuntur.

*Calculũ cõminuentia.*

*An medicamenta quædam aſperitate ſuâ calculum frangant?*

Quæ autem hic medicamenta idonea ſint, antea *de calculo renum* dictum, & plura etiam poſtea recenſebuntur.

Calculum vero fractum quod attinet, etſi, vt *in prognoſticis* dictum, medicamentis, quæ eum frangere dicuntur, pauci aliquid tribuunt, & Mercatus etiam ſcribat, ſe multis annis experimento fidiſſimè obſeruaſſe, & à veteribus ac probatiſſimis huius temporis Medicis obſeruatum accepiſſe, nullum eorum auxi-

*An calculus veſicæ per medicamẽta calculũ frãgentia tolli poſſit?*



liorum,

liorum,quæ ad calculum frangendum commendantur, adminiculo ſanitati fuiſſe,reſtitutum, & certum ſit,calculum veſicæ longè difficilius comminui & frangi, quàm calculum renum,& eos,qui in magnam duritiem concreuerunt, vix vllo modo comminui poſſe: tamen eos, qui ita duri non ſunt, medicamentis quandoque reſolui, vt luti vel arenularum formâ excernantur, experientia teſtatur.

Hiſtorias huius rei ab Vnzero, *lib.* 1. *de Nephritide cap.* 19. collectas, ex Conrado Geſnero in principio Euonymi, Scaliger. *exercit.* 344. *ſect.* 8. Monard. *lib.* 1. *ſimpl.medic. ex nouo orbe allatar. cap. de Cochos.* Libau. *tom.* 1. *ſyntagm. lib.* 2. *cap.* 29. Horat. Augen. *tom.* 2. *lib.* 9. *epiſt.* 8. hîc repetere nolo. Illud ſaltem referre libet, quid *VVilhelmo Laurembergio, Profeſſori Roſtochienſi* acciderit. Is, vt ipſe de ſe refert, prouecta iam ætate calculo veſicæ obnoxius factus eſt: eo tamen, Iehouæ auxilio, vi medicamentorum admirabili,& labore moleſtiſſimo quidem, attamen indefeſſo, rurſum liberatus eſt. Cum enim acerbiſſimum dolorem Nephriticum paſſus eſſet,animaduertit, calculum per vreterem ſiniſtrum in veſicam deſcendere, & cum grandiuſculus eſſet, in veſica integrum ſubſtitiſſe, illicque affluentium ſordium copiâ paulatim adauctum fuiſſe, ſpatio 36. ſeptimanarum. Qui cum varias moleſtias exhiberet, & nucem Ponticam æquare deprehenderetur, ac citra ſectionem exire non poſſe putaretur; ipſe vero periculoſiſſimo huic auxilio ſeſe ſubiicere nollet, de aliis remediis cogitare cœpit. Primò ergo liquorem illum Nephriticum celeberrimum, magnóque apud principes in pretio & vſu habitum expertus eſt, qui ita paratur.

*Hiſtoria VVilhelm. Lauremberg. à calculo veſicæ liberati.*

*Liquor Nephriticus.*

℞. *Salis tartari albi* Vnc. i.

Affund. *aq.petroſelini* ℔.i.

Miſce, & per chartam bibulam tranſcoletur & liquori color croceus *corticibus aurantiorum* concilietur. Vſurpauit etiam gemmam illam Indicam, Igiada Hiſpanis dictam, ad calculum frangendum celeberrimam. Sed vtriuſque remedii nullam vim deprehendit. Ergo inter reliqua, quæ ad calculum comminuendum commendantur, pharmacum ex aſellis experiri voluit, quo duos adoleſcentes veſicæ calculo laborantes feliciter ſanatos eſſe Horat. Augen. profitetur, *tom.* 2. *Epiſt. Med. lib.* 9. his verbis: *Ego bis in hunc diem vſus calculum veſicæ fractum vidi, primo caſu, mox deliberatione, atque matura conſultatione addita. Caſus fuit, filium Ianethi Pontificij Typographi Romæ expurgandum ſuſceperamus, vt poſtea tutior ad ipſam ſectionem accederet. Tentauerat enim antè omnia remediorum genera, tum à Medicis Venetis, tum Florentinis præſcripta. Cum verò nullam vtilitatem ſubſequi deprehenderet, ſecari cupidus Sacerdotem iuſſit accerſere, vt ſi ex ſectione moreretur, animæ fuiſſet conſultum. Requiſitus fuit ex Societate Ieſu, qui audita confeſſione ab ægroto, & cognito morbi genere proponit illi pharmacum, vt dicebat, magni vſus, de quo & in ſeipſo & in aliis periculum feciſſet. Experiri placuit, neque facti pœnituit. Nam qui proximè incidi debebat, liber ab omni calculo nono die fuit. Pharmacum à Ieſuita ei datum hoc erat:*

*Curationis calculi veſicæ hiſtoriæ duæ.*

*Pharmacum ex aſellis.*

℞. *Pulu. millepedum præpar.* Drach i. ad *ſummum* Scrup. iv. *aquæ vitæ* Vnc. ß.

*Iuris cicer. rubr.* Vnc. ix. vel x.

*Capiat horis ante prandium quinque.*

*Ego verò iuuenem annorum* 18. *calidi & ſicci temperamenti totius corporis curaturus duxi imminuendam quantitatem aquæ vitæ, & vbi ſingulis diebus datum alteri fuit antidotum; huic alternis dari iuſſi, & pro refrigeratione totius corporis aquæ fabarum & fragorum* an. Vnc. v. *propinari intermedio die, cum* gutt. vi. *olei de chalcanth. &* Vnc. i. *iulebi violati. Hoc autem modo pharmacum præbebam.*

℞. *Pulu. aſell. præpar.* Drach. i. *aquæ vitæ* Drach. ii. *decoctionis cicer. rubr.* Vnc. viii.

Miſce.

Capiat horis ſex ante cibum.

Hactenus Augenius.

Ad imitationem ergo Augenij, præmiſſis vnierſalibus,& exquiſita victus ratione inſtituta accepit.

*Aſellor. præpar.* Drach. i. *ſpiritus iuniperi* Drach. ii. *iuris cicer. rubr.* Vnc. x.

Quo mane aſſumpto prima & ſecunda vice à ſumpto medicamento tribus aut quatuor horis quandam pectoris compreſſionem percepit, & quaſi imminens animi deliquium, vt neceſſe haberet theriacæ Scrup. i. potioni admiſcere. Atque ita remedio hoc totos 15. dies vſus eſt. Sed toto hoc ſpatio ne minimum quidem ſabuli expurgari reperit. Itaque alia addenda ratus ſequenti medicamento vſus eſt, quod

℞. *Aſell.præparat.* Vnc. ii. *lepor.præpar. ſanguin. hirci præpar. ſpongiæ roſar. ſylueſtr. ſem. violar. purpurear.* an. ʒ. i. *ſpec. lithontribi* Drach. ii. Miſce.

F. antidotum.

Huius antidoti accepit Drac. ii. *decocti diuretici* ℥. x. *ſpir. iuniperi* Drach. ii.

Quod medicamentum vbi mane hora quinta hauſiſſet, ſecunda vice poſt horas plus minus quatuor, ſub pubis oſſe ad regionem oſtii veſicæ magnos ſentire cœpit dolores. Paulò poſt parum vrinæ profluebat, & cum ea lamellæ exiguæ inſtar ſquamæ piſcis ſubrubræ, quæ licet aliquam viſciditatem habere viderentur, ad tactum tamen in ſabulum reſoluebantur, ita vt manifeſtò appareret, tunicam vel cruſtam eſſe à maiore calculo ſolutam. Cuius medicamenti vſum cum continuaret, interdum tertio, interdum quarto, nonnunquam quinto die, huiuſmodi lamellæ craſſiores, & fragmenta ſæpe grandiuſcula profluxerunt, & præſertim vbi lauacro aquæ dulcis vteretur. Cum verò & à calculo & ab eius fragmentis orificium veſicæ eſſet ſauciatum, ad leniendum dolorem medicamentis vſus eſt. Atque ita horum medicamentorum vſu 17. ſeptimanarum ſpatio à calculo iſto liberatus eſt.

Decoctum diureticum hoc fuit:

℞. *Rad. glycyrrh.* Drach. vi. *alth. gramin. ononid.* an. Vnc. ß. *baccar. halicacabi* num. xx. *cicer. rubr.* Vnc. iiii. *vuar. paſſ.* Vnc. i. *ſem.* 4. *frig. maior.* an. ʒ. j. *hordei* M. ii.

*Decoctum diureticum.*

Coq. in *aq. alkekengi, ononid. fragor. flor. fabar.* an. ℔. j. ß.

Colaturæ adde *ſyr. de althæa* Vnc. iii.

Millepedes ita præparantur. ℞. Aſellor. viuor. ℔. ii. aut circiter, diligenter abluantur aqua ononidis & à ſordibus purgentur. Deinde vino Hiſpanico Petroſimeno dicto inebrientur, eóque ſenſim effuſo coniiciantur in ollas vitreatas, quantò plures tantò melius, cum in vnam ollam coniecti citra combuſtionem vel putrefactionem difficulter exiccari poſſint. Hæ ollæ luto diligenter occluſæ in furnum à panis coctione calentem collocentur, vt moderato calore exſiccentur, & in puluerem redigi poſſint.

*Millepedum præparatio.*

Huic pulueri rurſum infunditur ſenſim vinum Hiſpanicum, quantum imbibere poteſt,& rurſum exſiccatur, iſtáque imbibitio & exſiccatio tertiò repetatur, quarta vice hoc liquore irroretur, qui,

℞. *Aq. fragor* ℥ iii. *ſpir. vitrioli* ʒ. j. ß.

Iterum puluis exſiccetur,& tenuiſſimè contritus in vitro vſui ſeruetur.

Recenſet & alia ad calculum frangendum medicamenta Guilielmus Laurembergius, quæ in *epiſtola* hac de re ab ipſo ſcripta videantur.

Sunt quidam etiam in ea opinione, quæ à ratione aliena non videtur, aquis per catheterem in veſicam immiſſis lapidem frangi poſſe. Nam cum iſtæ aquæ nihil alterentur, & virium nihil amittant in tranſitu, ſicut medicamenta, quæ aſſumuntur, ſed rectà in veſicam ad calculum penetrent, vim ſuam in eum integrè exſerere poſſunt: licétque extra corpus humanum in lapidibus

*Aquæ per catheterem immiſſæ in veſicam an calculū frangere poſſint?*

lapidibus è vesica extractis vel excretis, vel aliis dissoluendis prius harum aquarum vires experiri. Cardanus has conditiones in his aquis requirit, vt lapidem attentant, & vt vesicæ sint innoxiæ. Commendatque ille aquam ex cinere scorpionum, petroselini radice, lapidibus cancri, stercore columbino, parietaria, mauultque talem aquam parari ex plurimis simul mistis, quàm ex vno simplici.

*Conditiones harum aquarum.*

*Sectio vesicæ.*

Quod si nullis remediis calculus frangi possit, vel ægro molestia illa & dolores sustinendi, tandémque tamen de vita periclitandum; vel sectâ vesicâ calculus eximendus, quæ ipsa tamen operatio non sine periculo instituitur.

*Calculi extractio è vesicâ.*

Qua ratione autem calculus è vesica extrahi possit, dictum *lib.5.Institut.part.1.sect.2.cap.13.* quæ hic non repetimus. Hoc saltem addimus, alterius adhuc calculum extrahendi modi mentionem facere Franciscum Roussetum, *de part. Cæsar.sect.3.c.6.8.9.* quo contra veterum sententiam non per perinæum, sed per hypógastrium & membranosam vesicæ partem sectio instituitur, quam à Francone quodam, qui eam primus vsurpauit, Franconianam appellat.

*Francisci Rousseti modus extrahendi calculũ vesicæ.*

*Paræi secandi ratio in fœminis.*

Deinde etiã peculiaris adhuc secandi rationis in fœminis mentionem facere Paræum *lib.16.c.47.* Imò cum à natura sæpe ad extremitatem meatus vrinarij calculi protrudantur, & quidem sæpe satis grandes, vnde vel artis opera extrahi possunt, vel etiam sponte excidunt, sectione illa in fœminis semper opus non est. Sic anno 1621. hîc ab anu quadam lapidem ferè oui gallinacei magnitudine, è vesica sponte excretum vidi. Cum enim meatus vrinarius in fœminis amplior sit & breuis, facilius, quàm in viris, per eum expelli vel extrahi potest calculus.

*Lapis oui gallinacei magnitudine à fœmina excretus.*

Verum qui plura de calculo vesicæ extrahendo cognoscere cupit, legat eruditum & absolutum tractatum *de lithotomia vesicæ* Guilielmi Fabritij Hildani, in quo omnia ad hanc operationem necessaria inueniet.

*Calculi ab orificio vesicæ amotio.*

Si calculus, cum in vesica hæret, orificium vesicæ obstruat, & retentionis vrinæ caussa sit, æger vel supinus collocandus, & cruribus sublatis concutiendus, vt lapis in cauitatem vesicæ recidat, vel cathetere dextrè adhibito à loco illo amoliendus.

*Calculi ex meatu vrinario extractio.*

Quandoque à natura calculus in meatum vrinarium protruditur, vbi ille ob magnitudinem subsistit & hæret; qui qua ratione extrahendus sit, diximus in Institutionibus, *loco antea allegato.*

## CAPVT III.

### *De vermibus & aliis præter naturam in vesica natis.*

*Vermes in vesicâ nati.*

NOn solum autem calculi, sed & vermes in vesica generantur. Ita Aloysius Mundanella, *Dialog. 4.* scribit, fœminam quandam, quæ interdum maximam vrinæ difficultatem patiebatur, & dolorem, dum mingeret, vehementem, nullo alio morbo aut symptomate affectam tandem vermes sex digitos longos, viuos & rubentes eminxisse, quos ex humore pituitoso in vesica existente generatos fuisse statuit. Sic refert Dodonæus, *in annot. ad cap.77. Benivenij medicinal. obseruat.* viro cuidam vermem in vesica existentem multis modis molestum fuisse, quandoque etiam sanguinis mictu prouocato, donec tandem per penis meatum sponte egressus finem doloribus imponeret. Idem ab aliis etiã obseruatum. Cognoscuntur autem tales vermes vix certò, nisi simul cum vrinâ excernantur.

Tolluntur verò diureticis, quæ pituitam & crassos humores abstergunt, de quibus antea *de renibus* dictum, admistis medicamentis vermes necantibus.

Cum calculis etiam & arenulis duos vermiculos capite acuto corniculato, ventre & dorso testula inductis excretos fuisse cum vrina, refert Scholiographus, *ad c. 50. libri primi Hollerij de morb. intern.* Se quoque minxisse vermiculos plures, albos, breues, tenuissimos, qui nec pediculi dimidium æquabãt, diúque viuebant, scribit Cardanus *comm. ad aph.76.sect.4. Hippocratis.* Capillares vermes cum vrina exclusos vidit Rondeletius, vt narrat, *in histor. Aquatilium, capit. de cancro fluuiatili.* Argenterius, *de cognoscendis morbis*, refert se vidisse draconem alatum cum vrina redditum. Ambrosius Paræus, *lib.19.c.3.* scribit, Ludouicum Duretum excreuisse cum vrina post longum morbum animal viuum, colore rubrum, cætera millepedi simile.

*Draco alatus è vesicâ excretus.*

*Animal millepedi simile.*

Generantur & alia varia corpora in vesica, & tandem cum vrina excernuntur. Pituitam viscosam & longam, vt intestinum quoddam referret, concionatorem quendam per vrinæ canalem reddidisse, scribit Andernacus, *dialog. de baln.* & Cardanus, *in com. ad aph.79. lib.9.* refert, Monachum quendam tantum pituitæ lentæ in matulâ simul concretæ, vt oui anseris magnitudinem superaret, sibi ostendisse, & tamen nunquam calculo laborasse. Hollerius, *inter rara, numero secundo*, scribit, quendam minxisse multa similia liquidis margaritis, admodum pellucida, alia crassiora, mediocriter coctò albumini oui similia. Iohannes Schenckius tandem, *in obs. suis*, scribit, se domi asseruare fasciculum variorum pilorum, subflauorum, tenerrimorum, digiti longitudine, quibus hinc inde accreuit calculosa materia, qualis matulis vrinariis aliàs adhærescere solet, colore & odore propemodum sulphuris, in vesica cuiusdam mulieris Argentinæ natorum & cũm intensissimis doloribus excretorum. Scribit etiam Alexander Benedictus, *l. 2. cap. 22. Anatomiæ*, aliquibus quædam in vesica concrescere, quæ nihil à conchyliis specie differant. Candelam etiam ceream per vrinarium meatum ad calculum amouendum immissam, nec filo alligatam in ipsam vesicæ cauitatem incidisse, refert Amatus Lusitanus, *centur. cur.20.* Fuit in ea extrahenda variè laboratum, ex argento subtiles forcipes immissi ad rostri gruini figuram parati, catheteres etiam varij: Verum nihil profectum, donec tandem chirurgus per anum digitum immitteret, ac paulatim ex vesica candelam ceream comprimendo extra mitteret, eo more, quo lapides ex vesica detrudi solent. Hoc enim adiumento candela cerea inter tractandum liquefacta est, vt ea & ellychnium liberè cũm vrina exierit.

*Alia corpora in vesicâ nata & inde excreta.*

*Candela in vesicã ill.ipsa.*

## CAPVT IV.

### *De distentione & inflammatione vesicæ ac situ eiusdem mutato.*

#### *Distentio vesicæ.*

*Distentio vesicæ.*

VEsica equidem excipiendæ vrinæ dicata est, habétque eius orificium sphincterem, quo clauditur, ne vrina effluat continuò, sed tùm demum, vbi copia eius cumulata naturam ad excretionem irritat. Interdum tamen accidit, vt dum vel obstructo meatu vrinario, vel etiam, dum ob negotia aut pudorem & verecundiam ob adstantes, loco ad vrinam idoneam destitutus homo vrinam diutius retinet, supra modum vesicam ea distendat, vnde non solum dolor & molestia in ima ventris sede excitatur, sed & mictio planè impeditur, quod euenit, quia fibræ vesicæ, quas Hieronymus ab Aquapend. inter musculos refert, quarumque officium est, se contrahendo vesicam constringere & vrinam ex ea expellere, nimium distenduntur, vt postmodum se contrahere non possint.

Malúmque hoc sæpè satis periculosum est, & inflammatio vesicæ interdum inde excitatur, tandémque mors sequitur. Atque hâc de caussa vir quidam nobilis, Mathematicus celebris cum in conuiuio inter fœminas sederet,

federet,nec præ pudore vrinæ reddendæ gratia furgere vellet, eíque vefica ita diftenderetur, vt poftea vrinam non folum reddere non poffet, fed & inflammaretur, breui inde mortuus eft.

Si quid autem auxilij adhuc afferri poteft, id in duobus confiftit, primò vt emollientibus & laxantibus extra appofitis vefica nimis diftenta laxetur : deinde, vt fi hoc modo vrina prouocari non poffit, cathetere immiffo vrina extrahatur. Quod fi tentare neceffarium eft, maturè fiat, antequam inflammatio accedat. Si enim inflammatio iam acceflerit, ifta operatio nec fatis tuta eft, neque etiam à periculo omni ægrum liberat.

### *Veficæ Inflammatio.*

#### *Cauffæ.*

*Vefica inflammatio. Cauffa.* Vt aliæ corporis partes:ita vefica quandoque etiam inflammatione corripitur. Quod fit, fanguine præter modum ad eam confluente. Accidit autem hoc, & fanguis ad veficam concitatur vel à cauffis internis, vt percuffione, lapfu, equitatione longa & vehementi, vulnere, & cùm lapis veficam lancinat. Internæ verò cauffæ funt vel fanguis, vel aliorum humorum abundantia in toto, vel parte aliqua vicina, vt renibus, vtero, quos natura vel fponte, vel dolore ex calculo, aut cauffa aliqua externa violenta genito, irritata verfus veficam mittere folet.

#### *Signa Diagnoftica.*

*Signa.* Cognofcitur hoc malum ex tenfione, duritie, ardore & dolore, in regione veficæ & pube; quibus accedit, vrinam reddendi impotentia, egerendi conatus ac tenefmus, ano in confenfum tracto, aliquando etiam alui fuppreffio, inteftino recto à vefica inflammatâ compreffo. Adeft præterea febris, vigiliæ, delirium, fitis, extremarum partium frigiditas.

#### *Prognoftica.*

*Prognoftica.* I. Inter omnes veficæ morbos periculofiffimus eft inflammatio, ac plerunque lethalis, & quidem ferè circa feptimum diem, quia febris continua accedit, cum vrinæ & alui retentione : atque quò grauior eft febris, eò malum ipfum eft periculofius, præfertim fi accedunt praua fymptomata & inflammatio in gangrænam mutetur.

II. Leuior autem veficæ inflammatio cum hypoftafi in vrina alba & æquali morbum falutarem indicat.

III. Inflammatio, quæ eft circa veficæ collum, quod fæpiffimè accidit, fuppuratur; & fi abfceffus intus rumpatur, melius eft; cùm pus cum vrinâ euacuari poffit.

IV. In pus autem inflammationem mutatam effe indicat febris & doloris remiffio : abfceffum autem ruptum effe, & quidem intrò, oftendit pus cum vrina mixtum.

V. Inflammatio veficæ fæpe folet repentè folui, eryfipelate iuxta cutis fuperficiem oborto; & vrina copiofa emifsâ

#### *Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & Curatio.* Vt in aliis inflammationibus fanguis ad veficam fluens, reuellendus, repellendus, deriuandus, difcutiendus, dolórque leniendus, & quia vrina plerunque fupprimitur, ea promouenda.

*Interna.* Itaq; ftatim fanguis, fi opus fit, mittendus eft, venâ in cubito aperta, & pro eius copia & virium ratione euacuandus. Deinde deriuationis gratia vena in poplite, vel talo aperienda, aut cucurbitulæ cum fcarificatione coxis applicandæ. Si verò non adfit magna fanguinis copia, ftatim vena in poplite vel talo aperiri poteft.

Venâ fectâ refrigerantia & repellentia applicanda. De iis tamen monendum, non diu in eorum vfu infiftendum effe. Cum enim vefica membranofa fit, frigidis, quæ neruis & membranis inimica, facilè offenditur, & vefica conftringitur, atque vrina, quod aliàs in hoc affectu accidit, fupprimitur, humorúmque difcuffio prohibetur. Ideóque ad moderatè calida, dolorem lenientia & laxantia maturè accedendum.

Quapropter talis clyfter iniici poteft.

℞. *Malua, violar. parietar. lactuc.* an. Mi. *fem. 4. frig. maior.* an. Dra. ii. *lini* Dra. iii.

Coq. *in f. q. aq. hordei.*

Colat. ℞. ℥. x. *caffia extracta* ℥. i. *ol. violar.* ℥. ii.

F. Clyfter.

Aut fi dolor fit maior.

℞. *lactis recent.* ℔ j. *fucci lactuca vel folani, olei violar.* an. ℥. ii. M.

F. Clyfter.

Extra ex iifdem fomenta & cataplafmata applicentur.

Et ad dolorem leniendum talis poteft fieri fomentatio.

℞. *Rad. alth.* ℥. i. *parietar. malua. alth.* an. Mi. *flor. chamameli* Mß. *granor. halicacabi* ℥. ß.

Coq. in aq. pro fomento.

Poft fomentationem locus inungatur fequenti vnguento.

℞. *Ol. amygd. dulc. violar.* an. ℥ i. *mucilag. fem. alth. fœnigraci, lini* an. Drach. vi. *granor. alkekengi contufor.* ℥. iß. *cera parum.*

F. Vnguentum molle.

Simul exhibeantur, quæ feruorem humorum mitigant, & vrinæ ardorem tollunt, *decoctum hordei cum emulfione fem. quatuor frigidor. maiorum, papaueris, tragacantha, fyrupus violar. nymphéa, de papauere*, cum *aqua lactuca, portulaca, folani, conferua violarum, borraginis, malua, fpecies diatrag. frigidi.*

Hinc magis difcutientia adhibenda, & pubes inungenda *oleo rofar. amygd. dulc. chamamelino*, & reliquis etiam *flores chamameli & femen lini* addenda.

Si tumor ad fuppurationem tendat, adhibenda eius muturationem promouentia ex *femine lini, fœnigraci, caricis, adipe gallinaceo.* Poftea danda opera, vt abfceffus rumpatur.

Si inflammatio in tumorem fcirrhofum conuerfa fuerit, emollienda *caffiâ extractâ* cum *oleo amygd. dulcium*, & adhibeatur *decoctum althéa, malua, florum chamameli.*

Si vrina nullo modo prouocari poffit, catheteris vfu educenda, qui quidem affectum non tollit, quia tamen vrinam extrahit, ne malum augeatur, præcauet, id quod in fœminis fine periculo fieri poteft; in viris vero cautè agendum, ne dum ægrum à periculo liberare conamur, eum in maius coniiciamus.

#### *Veficæ fitus mutatus.*

Præterea etiam vefica naturalem fitum quandoque mutat. *Vefica fitus mutatus.* Id quod raro quidem accidit : obferuauit tamen Platerus in Pifcatore quodam, cui factâ rupturâ in inguine vefica in fcrotum defcenderat, & ibi diftenta latebat, vt vrina nec cathetere immiffo reddi poffet, donec chirurgus infcius veficam effe, dum fectionem tentat, veficâ vulneratâ vrinam profudit, ægérque ftatim leuamen, fed fummum periculum percepit; à quo tamen liberatus fiftulâ illic relictâ per eam poftea femper vrinam reddidit.

CAPVT

## CAPVT V.

### De Vesica Vulneribus.

*Vesica vulnera. Signa.*

SI Vesica vulnerata sit,cognoscitur id è loco,cui vulnus inflictum est.& dolore circa pubem;vrina supprimitur, vel cum vrina sanguis mingitur, aut ex ipso vulnere vrina efflnit,ventriculus in consensum trahitur, vnde bilis vomitus,aut singultus sequitur.

### Prognostica.

*Prognostica.*

I. Si vesicæ corpus, & pars, quæ neruosa est, vulneratur, insanabile ferè malum est, & inflammatio ac conuulsio superuenit,Obseruatum tamen est,etiam vesicam in fundo vulneratam sanatam fuisse, cuius rei exempla habentur in obseruat.Schenckij. Neque enim vesica tota neruea est,sed exterior eius membrana carnosior est, vnde Hieron. Fabricius ab Aquap.& Spigelius eam pro musculo vesicæ constrictorio habent. Raro tamen integrè sanatur tale vulnus vesicæ, etsi æger non moriatur,sed callo inducto fistula manet,per quam vrina excernitur.

II. In collo verò vesicæ,quæ pars carnosior est,vulnera lethalia non sunt;id quod calculorum per sectionem extractio satis docet.

### Curatio.

*Curatio.*

Vulnerum autem vesicæ curatio maturanda,ne in fistulam degenerent.Ideoque in vulnus glutinantia medicamenta imponenda, circum circa verò locus inungendus *oleo rosac.lilior.albor.mastichino*, Possunt etiam in vulnus iniectiones fieri ex *rosis,radicibus consolidæ,foliis myrti*,in *vino* coctis, quibus *mel rosatum* addatur. Æger pauco potu vtatur.

## CAPVT VI.

### De Vesicæ Scabie & vlceribus.

### Scabies vesicæ.

*Scabies vesicæ.*

SCabies vesicæ ex humoribus acribus & salsis eius superficiem internam quasi erodentibus oritur.

Quod vbi accidit,pruritus in pectine percipitur,vrina graue olet,& furfuraceum sedimentum in fundo residet,æger sæpe mingit;& si maius malum sit,interdum etiam cruenta.

Malum,si diutius duret,in vlcus mutatur,& in senibus plerumque incurabile est.

Curatur autem euacuatione humorum acrium & salsorum factâ syrupo & melle rosatum solutiuo, manna,cassia.

Deinde medicamentis humores temperantibus ex *violis,lactuca,seminibus quatuor frigidis majoribus, papaueris. Fragorum etiam succus* cum *melle* exhiberi potest,item *succus baccarum myrti cum vino.*

Eadem etiam in vesicam inicere licet,Extra quoque applicentur medicamenta refrigerandi & consolidandi vi prædita.

### Vlcera Vesicæ.

### Caussæ.

*Vlcera Vesicæ. Caussæ.*

Vlcera verò vesicæ quod attinet,in quæ etiam scabiē vesicæ degenerare diximus,fiunt ab humoribus acribus vel pure è locis superioribus transeunte,& medicamētis vesicam exulcerandi vim habentibus,inter quæ sunt præcipuè cantharides haustæ.Vulgo equidem statuitur cantharides non solum haustas,sed & extra capiti,brachiis, genibus & cruribus applicatas, imò in pera gestatas sanguinis mictionem excitare, cuius rei historias ex Montagnanâ,Paschalio,Occone & aliis collegit Schenckius,*lib.* 3.*obseru.* Verum etsi centies & sæpius ceruici, post aures,brachiis cantharides ægris applicârim, nunquam tamen tale quid obseruare potui. Post inflammationem etiam & abscessum vesicæ malè curatum vlcus relinqui solet.Excitâtur quoque vesicæ vlcera à calculo aspero vesicam lædente,vt & à vasorum ruptione & læsione, à percussione,lapsu,& simili violentia.Consistit autem vlcus vel in fundo vesicæ vel in eius collo.

*An cantharides semper vesicam exulcerent?*

### Signa Diagnostica.

*Signa.*

Cognoscitur autem vlcus vesicæ è squamulis, quæ Græcis ἐφελκίδες, & pure,quæ cum vrina eminguntur, ac graui vrinæ odore, si vlcus sit sordidum: dolor adest grauis in pectine & pube,quoties ægri mingunt;nōnunquam etiam,& cum vlcus serpit, subcruenta & saniosa eminguntur. Vrinæ quoque difficultas accedit, sæpè & tenesmus & egerendi appetitus, ac membri virilis erectio.

Cum autem etiam in meatu vrinario & pene vlcus esse possit,distinguitur id ex eo,quod si vlcus in pene est, pus,& sanies,quæ excernitur,vrinam præuenit, aut statim in primo exitu apparet,aut etiam sine vrinâ effluit: quæ autem à vesica exulcerata excernuntur, cum vrina mixta sunt. Statim tamen seu ramenta,seu pus,quod cum vrina in vesicæ vulneribus excernitur, vbi reddita est vrina,subsidet.Præterea in meatûs vrinarij vlceribus inter mejendum dolor percipitur,id quod in vrinæ vlceribus non accidit, nisi iuxta collum eius vlcus consistat.Tum enim mictionis tantum tempore, & vbi mingere cœpit, vel cessauit,dolor percipitur. Præterea situs doloris discernit,an vlcus sit in collo vesicæ,aut in meatu vrinario.

Vesicæ quoque & renum vlcera doloris situs facile distinguit. Ita etiam si pus ex liene,hepate, thorace & aliis superioribus partibus descendat, dolor vel alia signa eius loci affecti adsunt.

An autem in fundo vesicæ vlcus consistat, an iuxta vrinarium meatum,eo discernitur,quod si in fundo vesicæ fuerit,dolor circa pubem percipitur;si autem iuxta meatum vrinarium,tempore mictionis magis deprehenditur, vt modò dictum,& inprimis vbi mingere incipiunt & desinunt.

### Prognostica.

*Prognostica.*

I. Vlcera vesicæ plerumque incurabilia sunt;quia in parte sunt membranosa,& vrina,quæ mordax est,continuò illo transitu vellicat,& consolidationem impedit.

II. Periculosiora autem sunt, quæ ex erosione sunt orta,quàm quæ ex aliis caussis.

III.In senibus etiam, quàm iuuenibus difficiliùs & rarò curantur vesicæ vlcera.

IV. Vlcus,quod est à calculo,non curatur, nisi calculus prius extrahatur.

V. Continuus autem,qui adest, dolor vires deiicit, vigilias parit,corpus consumit,homóque tandem ad cachexiam vel atrophiam deducitur.

### Indicationes & Curatio.

*Indicationes & Curatio.*

Vt alia vlcera, ita & vesicæ absterfionem & consolidationem requirunt,simulque præcauendum, ne vlcus irritetur,latiusque serpat:Dolor quoque,qui vrgere solet,leniatur,vt & vrinæ ardor ac difficultas.

Ideoque danda opera, ne vrina acris generetur, sed humorum acrimonia temperetur, id quod præstant

*violæ,*

*violæ, radices althéæ, iuiubæ, sebesten. syrupus violar. de nymphéa, cum aqua lactucæ & endiuiæ, emulsio amygdalarum dulcium cum seminibus frigidis maioribus & papauere.*

Humores etiam à vesica & renibus diuertendi, & ad aluum deriuandi, medicamentis, quæ supra *de renum vlceribus* sunt proposita: inprimis *cassia & terebinthina* vtilis est.

Commodum est & hoc electuarium.

℞. *Rad. glycyrrhizæ, polypod. q.* an. ℥. ß. *sem. 4. frigid. maior.* an. ʒ. iii. *flor. violar. borrag.* an. M. ß. *iuiubar.* num. xij. *prunor. Damascenorum* num. xv. *passular. minor.* ℥. j. *fol. senæ elect.* ℥. j. ß.

Infundantur in aq. hordei, mane ebulliant & colétur.

Colaturæ adde *mannæ* in s. q. *decocti* solutæ & colatæ ℥. ii. *cassiæ extractæ* ℥. iii.

Coq. ad Electuarij consistentiam. Dosis ℥. i.

Ad abstergendum vlcus aqua hordei, mellis vel sacchari, in quibus radices fæniculi aut graminis coctæ sint, dentur.

Vel ℞. *Spicæ* ʒ. ß. *seminis apij* ʒ. iij.

Coq. in aqua, cum colatura fiat *è nucleis pini* xx. *sem. quatuor. frigid. maior.* ℥. ß. *emulsio.*

Vel ℞. *Terebinth. Cypriæ aquâ equiseti lotæ* ʒ. ii. *glycyrrhizæ* ℈. ij. *trochisc. alkekengi* ℈. j.

Fiant pilulæ instar cicerum. Dentur tres, & postea bibatur liquor conueniens.

Possunt etiam per catheterem abstergentia in vesicam iniici.

Tandem consolidantia vsurpentur, & quidem exhibeantur medicamenta ex *symphyto majore, plantagine, prunella, equiseto, baccis myrti, bolo Armeno, terra sigillata, thure, gummi Arabico, corallis, sanguine Draconis, mastiche, mumia, trochiscis alkekengi.*

Vt ℞. *Succi plantag. consolidæ majoris* an. ℔. ß. *aq. rosar.* ℥. iij. *sacchari* ℔. j.

Coq. ad iulebi consistentiam.

Vel ℞. *Radicum alth. consolid. major.* an. ℥. ß. *auriculæ muris, equiseti* an. M. j. *alchimillæ, symphyti, flor. ros. rubr.* an. M. ß. *granorum halicacabi, glycyrrhizæ, passularum* an. ℥. ß. Coq. *in aq. s.* pro ℔. ij.

Colatura dulcoretur saccharo, & aromatisetur *cinamomi* ʒ. j.

Vel ℞. *conf. rosar.* ℥. j. *boli Armeni, terræ sigill. mastiches* an. ʒ. i. *amyli* ʒ. ii. *syrupi de consolida* q. s.

F. Electuar.

Vel ℞. *Equiseti* ʒ. ii. *sem. plantag. mastich.* an. ʒ. j. *sacch. ros. tabul.* ℥. ß.

F. Puluis. Vel *succus equiseti* cum vino exhibeatur.

Vel ℞. *Terebinth. Cypriæ aq. plantag. lotæ*, ʒ. j. *boli Armen. trochisc. alkekengi sine opio* an. ʒ. ß. *succi glycyrrhizæ* ℈. ii. *gummi tragacanth.* ℈. j.

Cum *succo equiseti* fiant pilulæ instar cicerum.

In vesicam verò infundatur per catheterem *lac recens mulsum* cum *mumiâ*, vel *mel. rosatum*, vel *succus equiseti & symphyti maioris.*

*Trochisci Gordonij.* Trochisci Gordonij, quorum hæc est descriptio, pluribus scopis inseruiunt. Vlcus enim mundant, dolorem sedant, & vrinæ ardorem mitigant, simulque conglutinant.

℞. *Sem. 4. frig. maj. papau. albi, maluæ, berberis, portulacæ, cydoniorum, myrtillorum, tragacanthæ, gummi Arabici, pinearum mundatarum, pistaciorum, sacch. candi, penidij, glycyrrhizæ, hordei mundi, mucilag. psyllij, amygdal. dulc.* an. ʒ. ii *boli Armeni, sang. Draconis. spodij, rosarum, myrrhæ.* an. ℥. j.

Cum *hydromelite* fiant Trochisci pondere ʒ. ii. quibus cum vti volueris, dissoluatur vnus in lacte.

Atque hîc etiam, quæ per catheterem iniiciuntur, plus prosunt, quàm ore sumpta, cum longa à ventriculo ad vesicam via sit, in qua vires medicamenti non parum alterantur.

Extra talis fiat inunctio.

℞. *Olei mastichini, myrtini, cydoniorum* an. ℥. j. *styracis liquidæ, ceræ* an. ʒ. i. *boli Armen* ℈. ii. Misce.

Hinc tale imponatur cataplasma.

℞. *Mastich. thuris, terræ sigillatæ, boli Armeni, hypocistid. myrti* an. ʒ. ij. *farinæ siliginis* ℥. jß. *ol. rosac. myrtini* an. q. s. F. Cataplasma.

Vlcus, quod est à calculo, non curatur, nisi calculus tollatur, vt supra *Progn.* 4. dictum: quem tamen extrahere periculosum est propter vlcus, Ideoque si vlcus sit profundum, tutius est saltem emplasticis quibusdam & viscosis vti, vt lapidi quædam leuitas inducatur & vulnus mitigetur, quod fit vsu lactis cum amylo & aliorum viscosorum.

Si vlcus fit à cãtharidibus, atque id recens, lac copiosè exhibendum, vel emulsio sem. 4. frig. maior. & papaueris. Postea consolidandum cum tragacantha, bolo Armeno, terra sigillata, corallis. Si iam antiquum sit, vt alia vlcera curandum.

Plura medicamenta ad vesicæ vlcera ex antiquis collecta videantur apud Aëtium, *tetrab. 3. serm. 3. cap. 29.* vt & Rondeletium.

Insignem vlceris vesicæ, & quidem curati habet historiam Guilh. Fabricius, *cent. 3. obs. 69.* Fœmina quædam bimestri à partûs tempore continuis ac maximis doloribus è regione vesicæ, & stillicidio vrinæ laborabat, & vrina quoque & quicquid siphone in vesicam infundebatur, per collum vteri statim inuoluntariè effluebat. E quibus fundum vesicæ ad matricis vsque collum exulceratum fuisse, rectè colligebat Fabricius. Pro dolore ergo leniendo iniecit sequens medicamentum.

℞. *Sem. cydoniorm. fænigræci* an. ʒ. j.

Macereutur per horam in ℔. j. ß. *decocti hordei*, postea per linteum exprimantur, fiatque mucilago satis liquida, cui add. *ol. amygdal. dulc.* ℥. ij. *mel. rosac, colati* ℥. j. M.

Fiat iniectio. De quâ singulis horis parùm tùm in vesicam, tùm in os vteri siphone tepidè iniiciebat.

Et quia aluus non satis lubrica erat, sequens præscripsit Enema.

℞. *Decocti capitis vitul. & lumbricor. terrest.* ℥. x. *vitell. ouor.* num. ij *ol. anethini & chamamel.* an. ℥. i.

Misce fiat Enema.

Pectini verò hunc fotum applicuit.

℞. *Radic. althéæ* ℥. j *flor. chamamel. fol. malu. violar.* an. M. j *sem. cydonior. fænigræci* an. ʒ. ij. *anisi, fæniculi* an. ℥. j.

Coq. *in aqua*, in quâ madefactum linteum reduplicatum (spongia enim propter salsedinem non conuenit) calidè applicetur.

Deinde sequenti linimento ventrem, coxas, & genitalia inungi curauit.

℞. *Ol. amygdal. dulcium, de vitell. ouor. axung. humanæ* an. ℥. ß. *ol. lumbricor. aneth.* an. ℥. i. Misce.

F. Linimentum.

Renes verò sæpissimè hoc vnguento inungebantur.

℞. *Ol. rosar. nymph. violacei* an. ℥. j. *caphuræ* ℈. j.

Cum *albumine oui*, paucoque *aceto rosato*, mixtis simul in mortario plumbeo. F. Vnguentum.

Pro cœna sequens amygdalatum exhibuit.

℞. *Amygdal. dulc. sem. 4. frigid. major. papau. albi* an. ʒ. ij, *decocti hordei aq. nymph. rosac.* an. ℥. i.

F. Emulsio s. a. Adde *aquæ cinam. cum vino, buglos. & borrag.* ℥. i. *sacch. perlati* ℥. iß. Misce.

F. Amygdalatum.

His remediis adhibitis, dolor paulatim remisit, ita vt ea nocte melius quieuerit, quàm antea. Sed quod mirandum, per vlcus, quod in fundo vesicæ erat, infinitos lapillos, contusi pumicis instar, filamentis & membranulis colligatos ac inuolutos in collum matricis excreuit.

Dolore sedato per multos dies sequens decoctum syphone in vesicam & collum matricis iniecit.

℞. *Rad. consolid. maior.* ℥. i. *hordei integri* M. i. *herb. agrimon. veronicæ, scordij, alchymillæ, saniculæ*, an. M. ß.

Coq. *in aqua.*

In

In ℔i.*colaturæ* diſſolue *mell.roſat.*℥.ij.
Miſce.
Fiatque iniectio.

Quæ in veſicam iniectâ,per collum matricis vnà cum vrinâ ſtatim effluebat. Poſt iniectionem turundam longitudine quatuor digitorum tranſuerſorum, ſed craſſam ſatis, ex ſtupis & goſſypio concinnatam, inque ſequenti collyrio madefactam matricis collo infigi curauit.

℞.*Mucilag.ſem.cydonior.cum aquâ plantag. extractæ* Vnc.iiii.*cornu cerui vſti,lapidis calaminar.tutiæ præparatæ* an.ʒ.ß.*radic.conſolidæ maior.ſubtiliſſ.puluerìſat.*Dra.i.
Miſce.

His breui ſic conualuit, vt domeſticis negotiis paulatim vacare potuerit. Vrina tamen continuò per collum vteri magnâ ſui moleſtiâ effluebat. Etſi verò talia vlcera,quæ fundum ipſius veſicæ & collum matricis penetrant, vt plurimùm incurabilia ſint ex ſententiâ Hippocratis:ſuaſit tamen Fabritius,vt optimâ victûs ratione vteretur, & ab omnibus iis, quæ vrinam reddunt acrem, abſtineret, deinde vt per vices corpus expurgaret, quin etiam vt ſingulis matutinis medicamenta conglutinantia, qualia ſunt potiones vulnerariæ, aſſumeret. Hæc cùm religiosè & indefeſsè (magna enim in ea erat ſanitatis recuperandæ auiditas) per menſes aliquot obſeruâſſet, ſtillicidium vrinæ per collum vteri paulatim imminutum eſt, adeò vt partim per collum veſicæ, partim verò per collum vteri efflueret. Illa autem continuò vſa medicamentis conglutinantibus, & per interualla etiam purgantibus, intra menſes octo, non ſine admiratione omnium eorum, quibus res cognita, planà curata fuit, adeo vt poſthac Dei Opt. Max. gratiâ ne guttula quidem vrinæ inuoluntariè effluxerit, ſed à veſicâ collecta, retenta, & excreta fuerit, non aliter, ac ſi anteà nunquàm malè affecta fuiſſet.

### *Diæta.*

*Diæta.* Æger fugiat aërem calidum & auſtrinum,vitet in cibis dulcia,quæ facilè bileſcunt, amara, ſalſa, acria, aromatibus condita, acetum acre, non multum edat, & parcè omninò bibat. Cibi ſint boni ſucci,facilis coctionis & glutinantes:& inprimis vtile eſt lac, quod & cibi loco eſt, &, ex Aëtij ſententia, nulli remedio poſtponendum: cum & aſperitatem leniat, partes exulceratas eluat, aliósque affectus extergat. Vtile eſt & hordeum, oryza lacte cocta, panis ſiligineus. Et omnino cibi tales ſint, qui vrinæ acrimoniam mitigant. Æger in lecto decumbat, aut ſaltem quietum ſe contineat.

### *Fiſtulæ veſicæ.*

*Fiſtula veſicæ.* Vulnera & vlcera veſicæ interdum in fiſtulas abeunt quæ quomodo curari poſſint, ex ſequentibus duobus exemplis,quæ ex Iohannis Langii,*lib.3.epiſt.5.* breuiter hìc contrahere & proponere libet, patere poteſt. Curationem autem ille inſtituit hoc modo.

Primò corpus purgauit hoc medicamento.

℞.*Medull.caſſiæ aquâ maluæ extractæ* ℥.ß. *diaphænici* Scr.v.*rhabarb.*℈.ß.*cinam.*gr.v.
Miſceantur & conſpergantur momento *ſeminis aniſi*, F.Bolus.

Loco affecto applicauit emplaſtrum ex *diachyli cum gummi*℥.ii.ß.*diachyl.mollis*, quod ibid.deſcribitur ℥.i & *croci* Scr.j.

Apertionem poſtea apoſtematis in loco decliuiori κατ' ἴξιν maturauit;in vulnus verò licinium,ex filamentis contortum, ac mixturâ ex oui albumine & vitello, oleóque roſarum delibutum inſeruit, ne labra vulneris conglutinarentur, & aliquatenus ad ichoris effluuium paterent,eandémque mixturam ad doloris ex inciſione mitigationem applicauit, & emplaſtrum diachylum ſuum ſuppuratiuum obduxit. Cùm ergo pus bonum efflueret,& dolor omnis euanuiſſet, ac ſaltem ardor vrinæ reliquus eſſet, & vrinæ ſtillicidium ſuperueniret, ſalſos cibos omnes,& vinum ægro prohibuit, & decocto ex *hordei* M. ii. ß. *glycyrrh. raſ.*Drach. i. *ſem. aniſi* ʒiiß. *dactylis inciſis* num.v.*ſebeſten* num.xv.in *aq. font.* ℔xII.parato propinauit,ſimúlque ter quaterve ſingulo triduo *terebinth.Cypriæ aquâ maluæ lotæ* ℈.v. in bolo exhibuit,& tertiâ poſt horâ *cyathū decocti cicerum* exhauriendum dedit.Sequenti triduo manè & veſpere ſeſquicochlear *ſyr.capill.vener.*℥.iii.ß.*glycyrrh.*℥.iß.*miſtorum* exhibuit. Quarto die ad *terebinthinæ* vſum rediit,cuius vſu effectum,vt ægrotus non amplius ardorem iuxta penis glandem perciperet:vlcus verò ſua ſponte ſolo ex lithargyro diachylo conſolidatum eſt.

Alteram etiam hiſtoriam,*eadem epiſtolâ*,recenſet curatæ fiſtulæ in peritonæo,per quam vrina effluebat.

Vniuerſali corporis euacuatione præmiſsâ,ad humoris ſeroſi & vrinæ acrimoniam mitigandam paſtillos vel potius morſulos parauit, & eorum quolibet die binos, vnum manè,alterum veſperi exhibuit.

℞. *Pinear. aquâ roſar lotar.* Drach. ii. *ſem. melon.* Scrup.IV.*gummi Arabici, tragacanthæ* an. Scrup.i. *ceraſor.rad.glycyrrh.* an. Drach.ß.*cinamom.* Drach.i.*ſacch. penid.*℥.i.*ſacch.in aq.roſ.& maluæ* an.ſ.q.*diſſolut.* ℥.IV.ß. Fiant morſuli,pondere Drach.iß.

Quarto verò quouis die hauſtum *decocti ligni guaiaci* Vnc. v. ad ſudorem eliciendum, & ſerum expurgandum exhibuit.

Fiſtulæ, ad callum fiſtulæ exterendum, *ſurculos rad. ellebori nigri* inſeruit,qui callum exterεrent,quos tertia die amouit, & penicilla ſeu turundas ex *æruginis* ʒ.XII. *armoniaci* ʒ.IV.*aceto acri* exceptis, & in figuram oblongam formatis,vt callus arroderetur indidit.Et vt ſuppuratione callus colliqueſceret, ex *terebinthina & glutino piſcium* addito ☿ *præcipitato*,turundas formabat,quas fiſtulæ indebat, quibus callus 20. horar. ſpatio liqueſcebat,& cum ſanie fruſtulatim profluebat.Ne verò oſcula fiſtulæ nimis citò coirent, ſpongiæ fruſtula oblonga fili ligatura coarctata fiſtulæ impoſuit, & ſinus vlceris ſubcutaneos forcipe incidit.

Quibus peractis,vt vlcus abſtergeretur,ſequens linimentum, linamentis diſcerptis exceptum, manè & veſperi,vlcere prius diligenter abſterſo,indidit.

℞. *Mel.roſ.*℥.i. *terebinth.*ʒ.v. *rad. ariſtoloch. rotund.* Scr.i.*ireos,myrrh.rubræ* an.ʒ.ß. *æruginis* ℈.i.gr.v.*ſeui hircini* Dra.iii. Miſce.

Et cum ſub ſordium lentore caro mollis ſuccreuiſſet quam iſtud vnguentum abolere non potuit, vlcus ☿ præcipitato conſperſit, & emplaſtrum diachylum impoſuit. Poſt horas 40. emplaſtro & puluere ſublato cum vlcus purum reperiret, & caro bona ſponte pullularet, epuloticum ſequens, ob id Langij dictum, impoſuit.

℞.*Terebinthinæ,ceruſſæ,lithargyri,lapidis calaminaris præparati,ol.maſtichini* an.℥.i.*picis, colophoniæ, ceræ* an. Drach.ß. *Epuloticum Langij.*

Coq. igne lento ad viſcedinis lentorem. Deinde inſperge *maſtiches,olibani* an Scr.IV.*corall.rubr.*ʒ.i.ß.*thuris* ʒ.i.*camphoræ* ℈.ii.ß.
Cum piſtillo calido exactè coadunentur, & fiat emplaſtrum.

Atque hoc modo vlcus conſolidatum fuit.

---

## CAPVT VII.

### *De Morbis meatus vrinarij. & primò De ſphincteris veſicæ refrigeratione, & duplici meatu Vrinario.*

Atque hi morbi totam veſicam vel eius orificium infeſtare ſolent. Sunt & alij, qui meatus vrinarij *Sphincteris veſicæ refrigeratio.*

proprij ſunt. Inter quos eſt primò ſphincteris veſicæ refrigeratio, quæ inducitur à cauſſis externis refrigerantibus, vt aëre frigidiore, ſeſſione ſuper lapide frigido, aquæ frigidæ balneo.

Et cognoſcitur ex eo, quod actio ſphincteris læditur & vrina contineri non poteſt: Et cauſſæ, quæ ſphinctere veſicæ refrigerare poſſunt, præceſſerunt.

Curatur verò, vt aliarum partium paralyſis à frigore facta, dicetúrque de eo etiam aliquid infra *de vrina incontinentia*.

*Duplex meatus vrinarius.* Eſt etiam ſecundum naturam vnus meatus vrinarius. Guilielmus Fabricius tamen, vt *cent.1. obſeru.76.* refert, vidit puerum 12. annos natum Coloniæ Agrippinæ, cui natura duplicem vrinarium ductum dederat, quique per vtrumque vrinam ſine vlla difficultate emittebat. Erant a. in loco ſolito alter ſuper altero ſiti, tenuiſſimáque membrana & interſtitio diſtincti: ſed interior aliquantulum incuruabatur, ita vt ex eo lotium non rectâ, ſed nonnihil deorſum fluitaret.

## CAPVT VIII.

### *De meatus vrinarij anguſtia.*

*Meatus vrinarij anguſtia.* CVm tanta vrinæ copia in veſica collecta eſt, vt naturam ad excretionem ſtimulet, laxato ſphinctere per meatum vrinarium ea emittitur. Impeditur autem hoc ſæpe ob meatus vrinarij anguſtiam.

### *Cauſſæ.*

*Cauſſæ.* Anguſtia hæc fit vel in meatus vrinarij orificio, vel in ipſo meatu. Vtrumque verò accidit vel ab obſtructione, vel à compreſſione, vel à conſtipatione meatus vrinarij. Obſtructio ſæpiſſimè fit à calculo, qui ſi magnus ſit, in orificium meatus vrinarij prolapſus illud obſtruit, vel ſi paruus ſit, in ipſum meatum vrinarium penetrat, eúmque obſtruit. Idem aliquando præſtant ſanguinis grumi, pus craſſum & viſcidum, vt & pituita craſſa, viſcida, & lenta.

Comprimitur autem nunc à re externa, vt ſeſſione ſuper re dura; vel interna, vt inteſtino recto fecibus aut flatibus turgido, partibúſque aliis vicinis inflammatis aut turgeſcentibus, aut cum ipſe penis & collum veſicæ intumeſcit, vel cum veſicæ ceruix contorquetur, vt interdum, dum veſica in ſcrotum delabitur, accidit, cuius exemplum habet Platerus.

Conſtipatur, dum caruncula vel callus, aut verruca in meatu vrinario generatur & excreſcit.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Meatus vrinarij anguſtia in genere ex vrinæ ſuppreſſione cognoſcitur. Quæ autem cauſſa anguſtiæ ſit, aliis ſignis diſcernendum. Si obſtructio ſit à calculo, eius ſigna antea tradita ſunt. Si à grumo ſanguinis, vulnus vel ruptura vaſis præceſſit, ſanguíſque antea cum vrina effuſus fuit. Pus vrinarium meatum obſtruere, colligitur ex eo, quod in veſica vel renibus vlcus fuit, & pus collectum eſt, vel in parte aliqua ſuperiore, abſceſſus ruptus, & pus ad veſicam tranſlatum eſt. Si à pituita craſſa & viſcida ſit obſtructio, etiam antea per vrinam euacuata eſt, eiúſque redundantis in corpore ſigna adſunt. Compreſſio à cauſſis externis ex ægri relatione cognoſcitur. Si verò à tumore aliquo partium vicinarum meatus vrinarius comprimatur, & eius notæ latere non poſſunt. Veſicæ ceruicem contortam eſſe, è veſicæ ex ſede ſua prolapſu cognoſcitur. Conſtipatio à caruncula, callo aut verruca in meatu vrinario enata deprehenditur ex præcedentibus vlceris notis, & cathetere in meatum vrinarium immiſſo exploratur.

### *Prognoſtica.*

*Prognoſtica.* 1. Malum ipſum, ſi pertinax ſit, & perfecta adſit meatus vrinarij anguſtia, ſatis periculoſum eſt; cum vrina diutius in veſica detenta, & cumulata grauia ſymptomata inducere ſoleat.

2. Curatur autem nunc facilius, nunc difficilius pro cauſſarum anguſtiam hanc inducentium varietate, quorum aliæ facilius, aliæ difficilius tolluntur.

### *Curatio.*

*Curatio.* Curatio ad cauſſas dirigenda eſt, quæ proinde pro cauſſarum varietate variè inſtituenda. Si nimirum à calculo magno orificium veſicæ obſtruatur, calculus loco illo amouendus. Ideóque æger ſupinus collocatus, cruribus eleuatis concutiendus, vel cathetere immiſſo calculus ab orificio veſicæ amouendus. Si verò calculus paruus aliquoúſque in meatum vrinarium progreſſus ſit, digitis eum parte inferiore comprimere, & calculum vſque ad extremum meatus vrinarij deducere & per eum exprimere oportet. Licet etiam ſpecillum, quod in cochlearis formam in extremo excauatum ſit, in meatum vrinarium immittere, ita vt lapidem prætereat & ſuperet, ipsúmque ſuo cauo comprehendat, atque hoc modo comprehenſum lapidem ex meatu vrinario extrahat.

Quod ſi forte ita calculus hæreat, vt digitis loco non moueri nec extrahi poſſit, partem laxantibus fouere oportet, in ipſum verò meatum calculum frangentia infundere. Quod ſi nec hoc modo loco moueri poſſit, ipſum penem ſecare & meatum vrinarium aperire, ac calculum extrahere neceſſarium eſt: Quod quâ ratione fieri debeat, in Inſtitut. *lib.5. part.1. ſect.2. cap.14. pag.* 1060. monſtratum.

Si à grumis ſanguinis meatus vrinarius obſtruatur, grumus diſſoluendus medicamentis cùm internis, tùm externis. Exhibendum nimirum *oxymel ſimplex* vel *ſcilliticum* cum *decocto thymi & origani*, vel *amaranthi coma cum mulſa*, vel *lixinium cum ſyrupo de capillis Veneris*. Eadem etiam in meatum vrinarium inſtillari poſſunt. Extra verò foueatur meatus vrinarius lixiuio, vel etiam immittatur candela cerea medicamento grumos ſanguinis diſſoluente madida.

Si obſtructio ſit à pure vel pituita craſſa, vſurpanda ſunt attenuantia & incidentia. Extra etiam vtendum fomentis & inſeſſionibus ex *decocto origani, thymi, centaurij minoris*, cum *oleo rutaceo*. Quod ſi non ſufficiat, *oleum de ſcorpionibus, vel rutaceum aut nardinum* in ipſum meatum vrinarium iniiciendum. Quæ ſi nec ipſa ſatisfaciant, catheter immittendus, & vrinæ exitus promouendus, ac poſtea attenuantia & incidentia continuanda.

Si anguſtia ſit à compreſſione, & quidem à cauſſa externa, ea tollenda. Si à tumore interno, is curandus: ſi ex veſicæ in ſcrotū delapſu, ea in ſuum locū reſtituēda.

Si caruncula, callus, vel verruca in meatu vrinario excreuerit, tollenda, vt cap. ſeq. dicetur.

## CAPVT IX.

### *De Caruncula, callo, & verrucis in meatu vrinario enatis, vt & meatus vrinarij vlceribus.*

*Caruncula, callus & verruca meatus vrinarij.* ALiquando etiam caruncula, callus carnoſus, verruca, aut omnino carnoſa excreſcentia in meatu vrinario naſcitur. Idque plerunque iis accidit; qui gonorrhæa ex morbo venereo & hinc orto vlcere in meatu vrinario laborant. Talia enim vlcera niſi maturè curentur, caro ſpongioſa in iis excreſcit.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Vbi caruncula in vrinario meatu est, nec vrina liberè excernitur, sed difficulter & guttatim, nec semen emittitur, grauissimi dolores coniunguntur. Exploratur quoque caruncula cathetere vel candela cerea in meatum vrinarium immisso. Cum verò etiam à calculo meatus vrinarius obstrui, & vrinæ exitus impediri possit, id hoc modo discernitur. In suppressione vrinæ à caruncula vrina similiter semper profluit; à calculo verò non eodem semper modo, sed aliquando liberè & copiosè redditur, aliquando repentè supprimitur, cùm ex fundo vesicæ calculus in eius orificium incidit. Cathetere etiam immisso tactu caruncula à calculo discerni potest. Dolor quoque in obstructione à calculo ad vesicæ radicem magis vrget.

Ab obstructione etiam à viscidis & crassis humoribus hæc à carunculâ angustia discernitur, quod obstructio à crassis & viscidis humoribus maior plerunque est, adeo vt vrina ex toto supprimatur.

### *Prognosticum.*

*Prognosticū.* Malum plerunque satis periculosum & diuturnum est.

### *Curatio.*

*Curatio.* Curatio autem carnem absumentibus & vlcus consolidantibus perficitur, de qua re pluribus agit Amatus Lusitanus, *centur.* 4. *curat.* 19. refertque Lacunam Romæ edidisse libellū, in quo diuinas penè laudes huic extirpandæ carunculæ inuento tribuit, & Autorem eius Philippum quendam facit. Amatus verò hunc id à se accepisse scribit.

Vniuersalia nimirum præmittenda, & corpus euacuandum, atque radicis Chinæ & sarsæ parillæ decoctum exhibendum. Hinc ad topica veniendum. Collyrium autem Philippi illius, cuius mentionem facit Amatus, hoc est:

*Collyrium Philippi.* ℞. *Centaur. minor. apij, caudæ equinæ* an. M. ß. *hordei contusi* ℥. j.

Coq. in *aq.* ℔. ii. ad consumptionem partis dimidiæ.

*Decocto colato* adde *mellis rosati*, *vel mellis centaurij* ℥. ij, & per siphonem iniicito.

Vbi hoc medicamento sex vel octo dierum spatio absumpta caruncula fuerit, sequentibus sex diebus tantū candela sicca immittenda, tandemque vlcus cicatrice claudendum, quod ille Philippus hoc medicamento præstare tentauit.

℞. *Aq. plantag. rosar.* an. ℥. iv. *seri lactis caprin.* ℥. ij. *ceruss.* ℥. vj. (forsan ʒ. vj.) *aloes, myrrhæ, marmoris candidissimi, spodij, crystalli* an. ʒ. jß. *camphor.* ℈. ß.

Arida terantur subtilissimè, cribróque excussa humidis misceantur.

Verum periculosum hoc medicamentum putat esse Amatus, vt quod ex lapidum pulvere fiat, qui in vesicâ immissi difficulter egrediantur, imò grauia symptomata pariant, ut ipse experientia obseruauit, & Mercatorem quendam ex vsu hujus medicamenti mortuum esse refert, & propterea monet, ne quid calculosi, arenosi aut lapidosi in fistulam vrinariam immittatur.

Amatus his medicamentis vsus est in viro Nobili:

Emplastrum, quod huius Lernæi & Herculei morbi clauam nominat, quod hymnis multis & laudibus variis decantari mereatur; nec solùm huic morbo prodesse scribit, sed varios alios arcere & explodere, polypos videlicet vnicè curare; & extuberantes carnes in aurium meatibus & aliis locis repertas vnicè extirpare & resecare.

℞. *Virid. æris, auripigment. vitriol. alumin. rochæ* an. Vnc. ij.



Omnia hæc aceto acerrimo perfusa inter duos porphyrites lapides quàm acuratissimè ducantur, in leuoréque tenuissimum reddantur, & Soli æstiuali exponantur: hæc rursus sic exsiccata aceto affuso ducenda sunt & læuiganda, Solique exponenda, quousque puluis subtilissimus euadat, & à medicamentis iis omnis prorsus acrimonia extincta sit, quod opus octo dierum spatio conficies.

Hoc confecto & parato puluere

℞. *Ol. rosacei* ℥. iv. *litharg.* ℥. ij.

Ad ignem fiat coctura, quousque emplastri modo corpulenti acquirat consistentiam: tunc ab igne deposito adde *prædicti pulueris* Vnc. ii. & rudicula vel spatula misce, & ad ignem omnia tractato, quousque medicamentum duriusculum euadat, ita vt si candelæ cereæ, vel plumbeæ virgulæ hæreat, non diffluat, etiamsi digitis tractetur. Præter emplastrum hoc cereas candelas numero viginti quoque in promptu habuit, quæ ex alba cera, pauculâ resinâ terebinthinâ adiectâ, paratæ fuerunt, longitudinis duodecim digitorum transuersorum, crassitudinis verò prout meatus vrinarius ferre videbatur: necminus ex plūbo tres vel quatuor virgulas habuit, eiusdem longitudinis & crassitudinis, quæ vsurpari possunt candelarum loco, quando carunculæ refractariæ sunt. Candelam nimirum ceream vnam emplastro inunctam in vrinarium meatum immisit, per sex vel octo dies singulis diebus candela innouata & meiendi tempore extracta, donec ex candelæ penetratione, caruncularum & humoris putridi excretione, atque vrinæ libera emissione carunculas exstirpatas esse, deprehendit. Carunculis absumptis per octo dies nihil, nisi candelam crassiusculam siccam absque vllius rei inunctione immisit. Quo tempore elapso ad abstergendum per siphonem immisit sequens medicamentum.

℞. *Hord. non excort.* P. ii. *rad. aristoloch. rot.* ℥. j. ß. *plantag.* P. ii.

Coq. in aq. ad dimidias.

Colaturæ adde *mellis rosf. colat.* ℥. ii. M.

Quod medicamentum bis terve de die sex continuis diebus per siphonem iniiciatur. Quod si fortioribus opus fuerit, Lanfranci *aqua viridi sequenti* vsus est.

℞. *Alum. roch. virid. æris* an. ℥. ß. *auripigm.* ʒ. j.

Coq. in ℔. ii. *aq. fontanæ* vel *plantag.* ad ℔. ß. absumptionem & colentur, Colatura *camphorâ* alterata per siphonem in meatum vrinarium iniiciatur.

Tandem hoc cicatricem inducente medicamento vsus est.

℞. *Cerussæ* ℥. i. *alum. roch. litharg.* an. ʒ. ii.

Coq. in *aq. caud. equin.* ad dimidias, & colentur.

Atque hoc modo intra mensis spatium æger iste perfectè sanatus est.

Curationem etiam carunculæ talis feliciter peractam habet Forestus, *lib.* 25. *obs.* 10. eamque prolixè & accuratè describit, quæ cùm à Lectore ibi videri possit, operæ pretium esse non puto, eam hîc transcribere.

### *Vlcera meatus vrinarij.*

Aliquando etiam exulceratur meatus vrinarius: verùm cum vlcera ista non solum meatum vrinarium, sed & alias penis partes plerunque occupare soleant, vna opera de iis postea inter morbos *partium genitalium in viris* agemus. *Vlcera meatus vrinarij.*

***

# LIBRI TERTII PARS VIII.

## SECTIO SECVNDA.

## De Symptomatibus Veficæ.

### CAPVT I.

### *De Dolore Veficæ, & ftupore ac refolutione fphincteris veficæ.*

*Veficæ fymptomata.* ATQVE hi funt morbi veficæ. Symptomata quod attinet,& primò actiones læfas, actio equidem veficæ propria eft,vrinam à renibus acceptam aliquádiu continere, & poftea per vrinarium meatum emittere; Senfus verò tactûs ipfi cum aliis partibus cõmunis eft, & ftupor ac paralyfis veficæ cum aliis partibus cõmune fymptoma, & proinde de illa actione læfa prius agẽdũ videbatur: quia tamen dolor, ftupor & paralyfis inter cauffas illius actionis læfæ numerãtur,de his prius agere libet. *Cur de dolore ftupore ac refolutione primò hic agatur?* Deinde dicemus de vrinæ fuppreffione, vrinæ imminutione,ftranguria,difficultate mictionis & ardore vrinæ, vrinę præter voluntatẽ effluuio & incõtinentia, profluuio nimio & diabete, vrina rubra, cruenta, nigra, purulenta, fabulofa, de rebus alienis cum vrina excretis,de vrinæ per aluum & alia loca inconuenienti excretione.

*Veficæ dolor.* Et primò quidem dolorem veficæ quod atttinet,occupat is vel totam veficam, vel eius collum & meatum vrinarium. Tota vefica dolet, cùm nimium diftenditur,ob vrinam in ea præter naturam retentam & cumulatam, de cuius cauffis poftea dicetur. Dolet etiam vefica cum inflammatur, vulneratur, exulceratur, de quibus affectibus fupra inter morbos veficæ dictum.

*Cauffa.* Ceruicis autem & meatus vrinarij dolor à cauffis plurimis ortum habet, à calculo nimirum in orificio veficæ vel in meatu vrinario hærente, ab vlcere, ab vrina acri,dè quibus poftea de mictione cum dolore,&ardore vrinæ dicetur. Ideoque hîc de doloris veficæ cauffis,fignis & curatione plura afferre opus non eft. Petantur ea è locis allegatis.

*Sphincteris veficæ ftupor.* Cùm verò veficæ mufculus, qui Sphincter appellatur,præpofitus fit,ne vrina continuò effluat, fed pro arbitrio hominis retineatur, & excernatur, folet hæc eius actio interdum lædi, & fphincter interdum ftupore & paralyfi affici, vt ftimulum illum non fentiat,& vrinam non rectè contineat, fed profluere finat. Id quod accidit, neruis, qui partim à fexta coniugatione, partim ab illis tranfmittuntur, qui poftremi à fpinali medulla offis originem trahunt, affectis, iifque vel refrigeratis,vel obftructis aut compreffis,vt alias de cauffis ftuporis & paralyfis diximus.

Curatur etiam, vt aliarum partium ftupor & paralyfis,fomentis,oleis,vnguentis,emplaftris contra paralyfin vfitatis,regioni veficæ admotis.

### CAPVT II.

### *De Vrinæ fuppreffione feu Ifchuria,& vrinæ imminutione feu Dyfuriâ.*

VRinæ emiffio feu mictio multis modis vitiatur. Vel enim planè fupprimitur,quod fit in ifchuria; vel parcius,quàm par eft, redditur, quod fit in Dyfuria, quæ mictionis ablatæ aut imminutæ funt fymptomata vel etiam deprauatur,de quo *poftea.*

*Vrinæ fuppreffio.* Et primò vrinæ fuppreffionem, quæ Græcis ἰσχυρία, quod attinet,duplici de cauffa vrina non redditur, vel quia nulla eft in vefica,vel licet adfit,reddi non poteft, qui affectus propriè ἰσχυρία appellatur,alter verò impropriè. *Duplex.* Sunt enim, vt vrinæ excretio rectè fiat,quatuor neceffaria, primò vt vrina adfit, quæ naturam ad excretionem ftimulet; fecundo vt ftimulus ifte à facultate fentiente, quam obtinet per fextæ coniugationis & alios fpinalis medullæ inferioris neruos, percipiatur; tertiò vt facultas irritata ad expellendum infurgat,ad quam rem etiam mufculi abdominis concurrunt Tandem vt mufculus ceruicis veficæ aperiatur,& orificium veficæ pateat, *Ad vrinæ excretionem quatuor sũt neceffaria.*

Primò ergo fi nulla adfit in veficâ vrina,etiam nulla fit eius excretio,cuius rei exẽpla aliquot collegit Marcellus Donatus,*de hiftor.med.mirab.lib.* 3.*cap.*28. Fit autem hoc, cum vrina nulla à renibus & vreteribus ad veficam peruenit. Id verò multis de cauffis accidit, nimirum vel venarum & arteriarum emulgentium, vel renum, vel vreterum vitio. Venarum emulgentium,vitio hoc accidit, cum obftruuntur à pituita craffa,vel cum ipforũ facultas attractrix labefactata eft: Renum vitio, cum obftruuntur,inprimis à calculo:vreterum,cum obftruuntur vel à calculo,vel pituita vifcida, vel grumo fanguinis, vel pure. De cauffis verò harũ affectionum fupra de renum & vreterum morbis dictum,ideoque reftat,vt faltem de ea vrinæ fuppreffione agamus,cum,vrina in vefica præfente, eius fuppreffionis cauffa in vefica confiftit.

#### *Cauffæ.*

*Cauffæ.* Supprimitur autem vrina vel læfa facultate, vel impeditâ eâ propter morbos veficæ. Læditur facultas vel fentiens, vel expultrix. Sentiens læditur, dum vefica ftimulum vrinæ non percipit; quod fit, dum nerui, à quibus vefica fenfum habet, afficiuntur: id quod accidit lapfu, ictu, vertebrarum eò loci luxatione, vt Galenus, 1. *de loc. affect. cap.* 1. docet, vulneribus fpinalis medullæ, tumoribus, qui neruos ea parte afficiunt Expultrix læditur, quando vel fibræ tranfuerfæ veficæ expulfioni dicatæ læduntur,quod fit, aut ob intemperiem frigidam & humidam, aut dum nimium extenduntur, vt fuum tonum & robur amittant, vt poftea amplius contrahi non poffint, id quod accidit, cùm vrgentibus negotiis, vt in concionibus, vel fenatu, vel conuiuio vrina nimis diu retinetur & cumulatur,atque inde vefica nimis diftenditur,vel dum mufculi abdominis, qui veficæ in expellenda vrina fubfidio veniunt, quocunque modo afficiuntur, vt rectè contrahi non poffint. Impeditur autem expultrix ob morbos veficæ & meatus vrinarij, de quibus fuprà dictum, cum fcilicet vefica vel inflammatur, aut orificium eius comprimitur, vel obftruitur à calculo,grumo fanguinis, pituita, pure, vel conftipatur; aut dum meatus vrinarius iifdem de cauffis non patet. Galenus equidem, 1. *de loc.affect.cap.*1.*&* 3. *de fympt.cauff. cap.* 2. faltem conftipationis & obftructionis ceruicis veficæ ac meatus vrinarij mentionem facit, dum fi corpus ipfius ceruicis veficæ in tantum tumorem attollitur, vt meatus inde occupetur, aut aliquid præter naturam, vt caruncula vel callus nafcitur, aut re quapiam, vt calculo, grumo fanguinis, pituita, pure obftruitur. Datur tamen adhuc vna cauffa, compreffio,dum fcilicet tumor extra veficæ ceruicem fubfiftens eam comprimit, id quod fit, dum aut vterus, aut inteftina, aut aliæ vicinæ partes præter naturam intumefcunt, vel dum veficæ è fuo loco prolapfæ ceruix contorquetur & comprimitur. Nonnulli & fubfidentiam addunt, dum fcilicet ceruicis veficæ mufculus quafi conniueat, ex immodica ficcitate & inanitione in febribus ardentibus. Verum vix credibile eft, in corpore viuente tantam, & præcipuè loco ifto

humi

humiditate perpetua scatente, siccitatem induci posse. Potius, si quid tale in febribus ardentibus accidat, ad facultatem expultricem læsam & imbecillam referendum est. Pertinent huc & vulnera ac fistulæ vesicæ & meatus vrinarij, dum nimirum vrina, quæ per meatum vrinarium egredi debebat, per viam alibi patefactam effluit.

## *Signa Diagnostica.*

Signa. Ipsum Symptoma per se patet: distinguendum verò primò, an vrina supprimatur vitio renum & vreterum, & ita non excernatur, quia nulla in vesica adsit; vel vitio vesicæ, dum scilicet vrina, etsi in vesica præsens est, non excernitur. Etenim si vitio renum & vreterum hoc accidat, & nulla in vesica vrina adsit, nulla grauitas, nulla tensio, nullus dolor circa pubem percipitur, adsuntque potius renum vel vreterum affectorum signa supra proposita. Contra si caussa in vesicâ hæreat, atque ea vrina repleta sit, quam excernere possit, tumor & tensio circa vesicam percipitur, ægerque conqueritur, quod etiamsi vrinæ reddendæ desiderio teneatur, tamen id præstare non possit, & Medicus etiam, si regionem vesicæ contrectet, & comprimat, tumidam & repletam eam deprehendet, quorum nihil percipitur, si vesica vacua sit.

Quænam autem caussa suppressionis sit, porrò sic discernitur. Si vesicæ sensus desit, nullus sensus vrinæ aut dolor percipitur, etsi vesica plena & tumida sit, ac vrinæ copia valde distendatur. Si fibræ vesicæ refrigeratæ & humectatæ sint, cognoscitur id ex caussis refrigerantibus & humectantibus, quæ præcesserunt, & adsunt signa paralysis vel totius corporis, vel spinalis medullæ, vel aliæ stuporem neruis inducentes caussæ. Si eædem fibræ nimis extensæ sint, vrina præter voluntatem ob pudorem vel aliam caussam nimis diu retenta fuit. Si vitium sit in musculis abdominis, æger ventrem inferiorem contrahere & comprimere non potest. Morbi verò vesicæ & meatus vrinarij ex signis supra de harum partium morbis propositis cognoscũtur. Præterea vbi meatus vrinarius saluus est & patet, vitiumque solum est in vesica, si vesica manu comprimatur, homóque ita collocetur, vt decliuis sit vesicæ positus, vrina redditur, & catheter sine difficultate immittitur. Si verò vitium sit in meatu vrinario, vesicæ compressione vrina non redditur, & catheter non sine difficultate immittitur, & Chirurgus in immissione aliquam resistentiam sentit. Quæ autem meatus angustiæ caussa sit, Galenus ita discernere docet, 1. *de loc. affect, cap.* 1. *Nullâ calculi* inquit, *notâ præcedente vrinam retentam, si sanguis effluxerit, par est, vt grumus fistulam vrinæ obturet. At fieri potest, vbi vlcerata est vesica, vt paulatim vt ipsa grumus concrescat, vel non præcedente sanguinis fluore. Accidit etiam, vt sanguis ex renibus per vreteres in vesicam defluens, grumum efficiat. Atque in huiusmodi conjecturis magnus est aneæ fistulæ vsus: haud secus, ac cum vel pus, vel crassum lentúmque humorem meatum obstruxisse suspicamur. In huiusmodi vero conjecturam ex præcedentium notitia hoc pacto inducemur. Etenim, siue vesica, siue renes antea affectu aliquo laborauerint, per quem tale, tantúmque pus colligi potuerit, vt par sit, ab ipso obstructum fuisse meatum: probabiliter coniicies hanc ob caussam vrinam supprimi: aut si etiam in parte aliqua renibus superiore fuerit abscessus, quo erupto haud absurdè pus in renes transsumptum esse putaueris. Quod si nihil huiusmodi præcesserit, victus rationem inquirere oportet, an in otio educatus, vel multis cibis crassos viscososque humores generare potentibus fuerit vsus. Sic etiam, vbi ob carunculam aliquam ab vlcere innatam vesicæ ceruicem obstructam esse putamus, & ex præcedentibus vlceris notis, & ex eo, quod demissa anea fistula vrina vacuatur, intelligere possumus.*

## *Prognostica.*

Prognostica. I. Vrinæ suppressio satis periculosum malum est. Neque potest homo cum vrina diu suppressa viuere. Et quidem si non descendit per renes ad vesicam vrina, jecur opprimit, sanguinem inficit & inquinat, ac in totum corpus regurgitat, habitúmque corporis aqua, vt in anasarca fieri solet, replet, suffocationis periculum inducit, nonnunquam & cerebro in consensum tracto torporem inducit. Interdum quoque sanguis corrumpitur, & humores putrescunt, vnde febres accenduntur, & nisi ante septimum diem mingant, pereunt. Etsi enim postea vrina profluat, tamen ob febrẽ moriuntur. Eodem etiam modo si vesicæ vitio vrina supprimatur, magnus dolor in vesica excitatur & vrinâ ad superiora regurgitante varia mala inducuntur. Nonnunquam vrina ad superiora regurgitans per vmbilicum excernitur. Refert etiam Eustachius Rudius, *lib. 2. cap.* 53. Monachum quendam ordinis Eremitarum, cui post ischuriam vesica rupta fuit, non multis diebus pòst per inguina vrinam emisisse, & deinde per femora, nates, vicinaque loca, & ita miseram vitam multis annis protraxisse.

II. Qualis tamen sit futurus mali euentus, è caussis quæ id induxerunt, æstimandum. Prout enim caussæ vrinæ suppressionis facile vel difficulter amoueri possunt: ita etiam de morbo salutari vel lethali præsagiendum. Qui autem cuiuslibet morbi, qui suppressionis vrinæ caussa est, sit futurus exitus, è superioribus patet.

III. Grauissima nimirum & periculosissima est renum & vreterum, & quidem vtriusque, quod tamen rarum, obstructio, quam grandiores calculi, pariunt. Paucis enim diebus in hoc modo affectis vrina in totum corpus regurgitat, idque inquinat.

IV. Periculosa etiam est vrinæ suppressio, quæ ob vertebrarum luxationem, aut ictum, aut lapsum, aut vulnus spinalis medullæ accidit; cum plerunque alia grauia symptomata conjuncta habeat, & eiusmodi morbos curare sit difficile. Et omnino periculosa est ischuria, quæ à paralysi & affectione neruorum, qui vesicæ inseruntur, prouenit.

V. Ischuria à grumoso sanguine proueniens periculosa est. Nam putrescentem sanguinem grauia symptomata sequi solent.

VI. Pessima est vrinæ suppressio, quæ à caloris natiui extinctione in acutis morbis accidit.

## *Indicationes & Curatio.*

Indicationes & Curatio. Curandi ratio dirigenda vel ad caussas suppressionis vrinæ, vel ad ad ipsam vrinæ suppressionem. Quod caussarum amotionem attinet, patet ea ex iis, quæ antea de morbis renum, vreterum, & vesicæ dicta sunt. Hoc saltem addimus, si à vesicæ imbecillitate & stupore sit vrinæ suppressio, calor eius fouendus & sensus excitandus. Quapropter & glandes acriores & clysteres ano iniiciendi, qui ob vicinitatem & membranarum communionem, quam habet intestinum rectum cum vesica, sensum vesicæ stupidum ad protrudendam vrinam excitat.

Ipsam verò vrinæ suppressionem quod attinet; etsi caussa statim tolli non possit, tamen danda opera, vt vrina prouocetur. Nonnunquam tamen vnâ operâ simul caussa tollitur, si non planè ex vesica, à meatu tamen vrinario amouetur. Itaque vnam vesicam musculosque abdominis comprimere oportet, atque interea anhelitum supprimere, vt etiam diaphragmatis ope vesica comprimatur, & vrina, quæ subsistit, exprimatur. Quo modo nisi vrina exeat, ad catheterem tamquã sacram anchoram confugiendum, qui in meatum vrinarium immittendus, quo & ea, quæ orificium vesicæ obstruunt, remoueantur & vrina extrahatur. Dum tamen vrina propter inflammationem

supprimitur, omnino vitandus catheter, ne dolore excitato inflammatio augeatur. Imò præstat prius candelam ceream oleo amygdalarum dulcium illitam immittere. Insuper vtile fuerit, candelam ceream tenuissimam melle rosaceo illitam in meatum vrinarium immittere, aut per syringam liquorem aliquem conuenientem, oxymelite scillitico dilutum, vel aquam mulsam, in qua pulegium, calamintha, ruta, castoreum cocta sint, infundere. Extra verò vesicæ regio fouenda decocto earundem plantarum, & *abrotani, anethi, chamæmeli*, vel etiam dimidiæ horæ spatio æger in balneo ex decocto harum plantarum parato ymbilicotenus desideat. Post fotum pecten; pubes & perinæum inungenda *oleo scorpionum, irino, costino, nardino, rutaceo*. In tali etiam vrinæ suppressione non multum bibendum, & vitanda omnia, quæ vrinam mouent, ne copia eius augeatur, & vesica nimium distendatur. Vbi à nimia vesicæ extensione vrinæ suppressio orta est, pubes & pærineum fouenda *decocto parietariæ, anethi, florum chamæmeli, meliloti, sem. lini, fænigræci*.

Vel ℞. *Vnguenti dialth. ol. scorpion, amygd. amarar.* an. ℥. j. *terebinth. butyri recentis* an. ℥. ß. *croci* ℈. j.
Misce.
F. Linimentum.

## CAPVT III.

### *De Diminuta Vrinæ excretione.*

*Diminuta vrinæ excretio.* VRinæ excretio diminuta fit duobus modis, vel cũ paucior, quam par est, & in minori quantitate vrina excernitur, vel quia per longiora, quàm fieri solet, interualla emittitur. De priore prius.

### *Caussæ.*

*Caussæ.* Equidem vrina, quàm pro ratione potus paucior, interdum redditur, vbi natura per crisin humores serosos ad ambitum corporis mittit, & sudore excitato per cutem euacuat, vel etiam dum aluus est liquidior & serosi & aquei humoris aliquid per aluum simul euacuatur. Verum ista vrinæ paucitas adhoc symptomatum genus, de quo hoc capite agimus, non referendum, cum post breue temporis spatium homo ad consuetum vrinæ modum redire soleat. Sed de ea solum vrinæ imminutione agemus, quæ renum vel vesicæ vitio accidit. Caussæ autem vrinæ imminutæ sunt eædem, quæ modo capite præcedente *de vrinæ suppressione* sunt propositæ, saltem minus validæ & imbecilliores; quæ etiam iisdem signis innotescunt.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* I. Vrinæ difficultas minus periculosum malum est, quàm integra eius suppressio, Cum enim pars aliqua vrinæ reddatur, non tàm grauia inducit symptomata. Caussæ quoque quia non sunt potentes, facilius tolluntur.

II. Vrinæ difficultas, quæ sine dolore, vel cum minori dolore est, minus est periculosa, quàm quæ cum dolore, aut magno dolore coniuncta est.

III. Vrinæ difficultas in febribus ardentibus & malignis superueniens mala est; quia non solum vesicam, sed totum neruosum genus affici, indicio est.

### *Curatio.*

*Curatio.* Tollitur hoc malum caussis, à quibus pendent, sublatis: quæ quomodo tolli debeant, è cap. præcedente patet. Ad symptoma tamen mitigandum fomentis, cataplasmatis, vnguentisque laxantibus vtendum ex mentha, chamæmelo, malua, parietariæ, violis, semine fænigræci.

### *Tarditas Vrinæ.*

Quòd vrina tardius redditur, caussa est, vel quia in minori copia in vesica colligitur, vel quia vesicæ sensus hebes & obtusus est, vt nisi ab vrina vel acri vel copiosa, ad quam colligendam, longius tempus requiritur, irritetur, stimulum non sentiat. *Tarditas Vrinæ.*

Malum ipsum per se patefit, quia homo longiore, quàm alias fieri solet in homine sano, temporis spatio vrinam non reddit. Caussæ verò ex iis, quæ cap. præcedente dicta sunt, manifestæ fiunt.

Qualem etiam euentum malum sit habiturum, ex iisdem patet, & non ita difficulter curatur; modò non in perfectam vrinæ supppressionem transeat.

Curatur verò caussis, à quibus pendet, sublatis; quod quomodo fieri debeat, etiam è capite præcedenti innotescit. Si vrinæ minor copia ad vesicam mittatur, per medicamenta diuretica mitiora ad vesicam concitanda. Si sensus hebes sit, expultrix stimulanda, & caussa sensus stupidi tollenda, vt antea dictum.

## CAPVT IV.

### *De Stranguria.*

PRæter hactenus enumerata circa vrinæ emissionem symptomata, mictionem scilicet ablatam & imminutam, alia adhuc contingunt symptomata, quæ ad actionem deprauatam commodè referuntur, suntque ea varia, & deprauatur vrinæ excretio vel ratione modi excretionis, vel quantitatis, vel substantiæ, vel loci, de quibus ordine agendum, & ita de *stranguria, ardore vrinæ, & cum dolore eius excretione, de inuoluntaria vrinæ excretione, de vrina rubra, cruenta, nigra, & rebus alienis cum vrina excretis, de vrina per aliena loca excretione* dicendum. *Stranguria.*

Et primò Stranguria, ἀπὸ τῆς σράγγος, hoc est gutta dicta, seu vrinæ stillicidium est talis vrinæ reddendæ deprauatio, cum vrina guttatim saltem redditur, & nihilominus continua ad mingendum est stimulatio cum dolore.

### *Caussæ.*

Caussa proxima stranguriæ est vrinæ acrimonia, quæ naturam quidem continuò ad excretionem stimulat, quia tamen natura dolorem percipiens in excernendo subsistit, vrina guttatim & stillatim redditur. Est autem vrina acris vel per se, quæ etiam vesicam optimè & naturaliter constitutam vellicare potest, vel per accidens. Non tamen quæuis acrimonia cum per se vrina talis est, id præstat, sed peculiaris quædam, cum scilicet vrina cruda & nondum cocta ad vesicam peruenit. Habetque stranguria quandam similitudinem cum lienteria. Nam sicut ibi alimenta nondum probè cocta per aluum statim deiiciuntur: ita etiam potulenta materia nondum satis alterata citius, quam par est, ad vesicam detruditur. Hinc sæpe illi, qui post balneum potum frigidum bibunt, stranguriâ corripiuntur. Alia tamen etiam vrinæ admixta eam acriorem reddere possunt. Deinde vrina per se quidem non est acrior, quam par est: respectu tamen vesicæ est talis, cum scilicet ea præter naturam in affecta est, vt ab vrina facilè irritari possit. Accidit autem hoc, cum vesica excoriata vel exulcerata est. Tum enim à miti etiam vrina (quæ tamen omnis ob falsi humoris admistionem aliquam acrimoniam habet) irritari potest. A sola vero vesicæ *Caussæ.*

imbecillitate

imbecillitate ſtranguriam excitari poſſe, vix credide-rim, vt poſtea in quæſtione dicetur. Eſtque ſtranguria teneſmo ſimilis,& ſicut magnus & continuus in teneſmo excernendi conatus eſt, parum tamen per aluum excernitur: ita in ſtranguria facultas expultrix veſicæ ad crebram mictionem ſtimulatur, non tamen multa vrina, ſed guttatim excernitur; & procul dubio vt in teneſmo ſphincter ani afficitur,ita etiam in ſtranguria ſphincterem veſicæ affici neceſſe eſt à re aliqua moleſta eam ſtimulante, & ſicut teneſmus accidit, dum cauſſa ſtimulans pertinaciter ſphincteri ani adhæret, quæ vel eſt humor pertinaciter inteſtini recti extremitati adhærens,vel vicinæ alicuius partis affectus,ſphincterem ani continuo vellicans;ita procul dubio etiam ſtranguriæ proxima cauſſa eſt, vel humor fixè & pertinaciter ſphincteri veſicæ adhærens,eámque vellicans,vel etiam calculus aut partium vicinarum affectus, & tumores, qui veſicæ orificium in conſenſum trahere, & vellicare poſſunt,de quo Hippocrates,5.*aphor.*58.Ad recti inteſtini & vteri inflammationem, purulentóſque renes vrinæ ſtillicidium prouenit.Quod de vtero idem Hippocrates etiam habet, 1. *de morb. muliebr. & de natur. mulier.* inquit, In procidentia vteri τὸ οὖρον στάζει, καὶ ὀλίγον, καὶ δάκνεται. Ideóque non quiuis humor acris ſtranguriam parit, ſed talis, qui lentorem quendam habet, ob quem pertinaciter veſicæ orificio adhæret. Deinde calculus eodem modo circa orificium veſicam ſtimulans. Tertiò partium vicinarum affectus,vt & inteſtini recti vterique inflammationes.Humores autem hi plerúnque aliunde ad veſicam tranſmittuntur:ſicut & pus à renibus ad veſicam tranſmiſſum eam ſtimulare poteſt. Hinc frequens ſtranguriæ apud nos cauſſa eſt cereuiſia cruda & non defecata hauſta,quæ cum commodè coqui non poſſit,& præterea vim humores fermentandi aluúmque laxandi habeat,ſi ad renes citò deferatur,cruda ita ad veſicam fertur, atque eam ſtimulat, & præcipuè hoc iis accidit, qui uinum ſaltem bibere aſſueti ſunt. Idem accidit humoribus acribus & ſalſis è venis ad renes tranſmiſſis,quos & ventriculus & cerebrum ac totum corpus ſuppeditare poteſt. Ita refert Dodonæus, *obſeru.* 48. quendam ſenem octuagenarium,cum vinum Rhenanum etiam in exigua quantitate biberet, ſtatim ſtranguriam paſſum fuiſſe, ab aliis verò vinis, vt Gallico & Hiſpanico non fuiſſe læſum. Cui profuit ex ouorum teſtis in cinerē redactis, & vino Rhenano permixtis, lixiuium. Iſtud enim vinum, cum ſit tenuium partium,citiſſimè ad veſicam deſcendit & facilè crudos viſcidóſque humores ſecum ducit, quales in viis vrinariis hærentes ſtillicidij vrinæ cauſſæ eſſe potuerunt;quibus deinde per lixiuium inciſis,& expurgatis liberior factus eſt vrinæ tranſitus.

Qua ratione autem intemperies frigida ſtranguriam pariat,nondum explicatum. Exiſtimo autem ab ea non proximè,ſed mediatè,& quatenus ad vrinam talem generandam facit,ſtranguriam parere. Etenim cùm veſica etiam vim habeat vrinam,quam continet, in ſuo ſtatu naturali conſeruandi, ſi præter naturam frigidior reddatur, vrina in ea quaſi corrumpitur, atque ita hanc qualitatem, qua orificium veſicæ ſtimulare poſſit, induit.

## *Signa diagnoſtica.*

Signa.

Malum ipſum per ſe facilè cognoſcitur. Conqueruntur enim ægri,ſe continuò ferè ad mingendum irritari,& parum mingere, dolorémque aſſiduò moleſtum eſſe,etiamſi non mingant.

Quæ autem cauſſa ſtillicidij vrinæ ſit, ſignis diſcernendum. Quærendum nimirum, an cauſſa ſit in vrina, an in veſica. In vrina cauſſam hærere, cognoſcitur ex eo,quod nulla ſigna adſunt,quæ veſicam vel per ſe affici, vel à vicina aliqua parte in conſenſum trahi indicant: Contra adſunt ſigna humorum acrium,præceſſerúntque vſus alimentorum vel medicamentorum acrium, ſalſorum. Inprimis ſi hauſta ſit cereuiſia recens & non defecata: Si adſit viſcerum intemperies calida, ob quam acres & ſalſi humores generantur, aut febris putrida,vel hepatis aut renum abſceſſus,ac vrinæ etiam humorum talium acrium, vel puris ſpeciem præ ſe ferunt:& ægri ex iis, quæ lenia & dulcia ſunt, acréſque humores temperant,alleuiationem percipiunt, contra à calidis & acribus offenduntur. Si veſicæ vitio ſtranguria fiat, cognoſcitur id è ſignis veſicæ affectæ, quod ſcilicet vel calculus vel excoriatio,vel vlcus adſit.Si ob frigidam intemperiem accidat ſtranguria, vrina ferè cruda & alba mingitur. Si verò partis alicuius vicinæ conſenſu veſica afficiatur,ejus affectæ ſigna adſunt.

## *Prognoſtica.*

1. Malum equidem hoc per ſe periculoſum non eſt: moleſtiam tamen, & ſæpe diuturnam, & quæ ægros, præcipuè ſenes,ad mortem vſque comitatur,excitat. *Prognoſtica.*

2. Si humor acris,qui ſtranguriam parit, diu in veſica retineatur, aut ſæpe per eam tranſeat, eam interdum exulcerat.

3. Stranguria,quæ eſt ab vrinæ vitio, faciliùs curatur,quàm quæ eſt à veſicæ morbo,præcipuè in ſenibus.

4. Quod à partium vicinarum conſenſu oritur vrinæ ſtillicidium,non diu durare ſolet. Si tamen ſit ab vlcere partis alicuius vicinæ,rarò curari ſolet.

5. Quibus ex ſtranguria ileos ſuperuenit, hi ſeptem diebus moriuntur, niſi febre ſuperueniente vrina ſatis fluxerit. 6.*aph.*44. Qui aphoriſmus etiam in Coacis extat. Non autem intelligendus eſt ileus,qui eſt ab inflammatione. Febris enim talem ileum, qui antè eſt cum febre,non ſoluit,ſed exaſperat:ſed per ileum(quem etiam, 2.*epid.ſect.*6. λαπαρόν,mollem appellat, & in eo vinum frigidum meracum multum exhibere jubet)intelligit hîc obſtructionem inteſtini tenuis à crudis & craſſis humoribus prouenientem. Si enim ſtranguria non ſit à phlegmone & vlcere veſicæ, ſed craſſo & viſcido humore, collo veſicæ adhærente, ſi pars ejus humoris ad inteſtina tenuia etiam effundatur, & ea vel obſtruendo,vel flatus pariendo,excrementis tranſitum prohibeat,ſi ſuperueniens febris humores attenuet, vt per meatum vrinarium liberè & copioſè effluere poſſint,ſoluitur & ſtranguria & ileos ille.

## *Curatio.*

Curatio pro cauſſarum ratione inſtituenda. Itaque ſi ab vrina mordaci & humoribus acribus ſit ſtranguria,vniuerſales purgationes lenes inſtituendæ, *ſyrupo roſ.ſolut.manna,rhabarb.elect.diaprunis, diaſebeſten, lenitiuo ſimplici,diacatholico*. Inprimis verò vtilis eſt hîc *caſſia*; vt & Galenus, 5. *de tuend. ſanit.cap.*9.teſtatur, *terebinthina*,quæ non ſolum aluum ſoluit, atque acres humores à viis vrinariis auertit, verum etiam renes & veſicam abſtergit. *Curatio.*

Deinde humores acres temperandi ſunt *ſyrupo roſarum,violarum, de nymphéa,de papauere, de endiuia,de jujubis,de glycyrrhiza, cum decocto hordei, jujubarum, paſſularum,glycyrrhizæ,vel aquis endiuiæ,lactucæ, violarum, nymphéæ, aut ſero lactis,cum emulſione ſem.4.frig. majorum.*

Vel ℞.*Rad.maluæ,glycyrrh.raſæ* an.Vnc.ſem.*ſem.4.frig.major.*an.Drach.iii.*papau.albi* Drach.ii.

Coq.in ſ.q.*aq.hord.*

Colaturæ adde *ſyr.violar. de glycyrrhiza, jujubini* an.Vnc.ſem.*trochiſc.alkekengi ſine opio* ℈.j.

Miſce.

Foreſtus,*lib.*25. *obſeru.*3. refert, quendam pharmacopæum,cum aliquando ſtranguriam pateretur, ex largiori potu vini, ſumpſiſſe aquam roſaceam cum albumine oui conquaſſato miſtam, & ad medium ſcutellæ

ebibiſſe, quo ſeipſum, tum alios curauit: Senem verò quendam ſtranguria laborantem flores chamæmeli in lacte bubulo coxiſſe, & decocto feliciter vſum eſſe. Ipſe Foreſtus, cum ſtranguria tribus integris ſeptimanis laboraſſet, vt *ibidem obſeru.* 4. refert, & fruſtra multa, cum à ſe, tum ab aliis præſcripta medicamenta vſurpaſſet, tandem ſolo decocto folior. maluæ cum ſyrupo violar. vſus eſt, eóque à ſtranguria liberatus, quo modo & poſtea alios curauit. Præterea etiam habenda eſt ratio viſcerum, ob quorum intemperiem humores acres generantur, puta ventriculi, hepatis, renum. Ideóque ſi ea ſit calidior & ſiccior, corrigenda modo ſupra propoſito.

Vtiles hîc ſunt & acidulæ, quæ non ſolum humores acres per aluum, vrinam, & ſudores educunt, ſed & intemperiem viſcerum temperant.

Extra verò ad temperandum humorum acrimoniam & viſcerum calorem multum prodeſt balneum aquæ dulcis manè ante prandium vſurpatum, & inſeſſus in decocto violarum, nymphéæ, lactucæ, maluæ, ſolani, ac linimenta & vnguenta ſupra *de intemperie* renum calida & ſicca propoſita, renum, pubis & perinæi regioni illita.

Licet & per ſiphonem emulſionem quatuor ſeminum frigidorum majorum, vel decoctum ſeminis maluæ cum aqua violarum, nymphéæ aut ſimili, acrimoniam humorum temperante in veſicam iniicere.

Eadem ferè curandi ratio eſt, ſi pituita ſalſa vrinæ admiſceatur, eámque acriorem reddat. Pituita enim ejuſmodi ſæpius per purgantia, ſed mitia euacuanda, ad quam rem inprimis vtilis eſt terebinthina. Temperat etiam acrimoniam humoris ſerum lactis caprinum cum ſyrupo roſarum & violarum propinatum.

Danda ſimul opera, vt ſi ab vrinæ acrimonia ſtranguria ortum habeat, æger ſubinde mingat, ne ſi diutius vrina in veſica contineatur, eam exulceret, in quem finem aqua dulcis calida butyro recenti parum ſalſo condita exhiberi poteſt.

Si pus ab hepate vel renibus, vel aliunde ad veſicam tranſmiſſum ſtranguriæ cauſſa ſit, detergentia medicamenta vſurganda, vt ſerum lactis cum ſaccharo roſarum & alia, quæ ad vlcera illarum partium ſupra ſunt propoſita.

Si à cereuiſia recenti & non ſatis defecata ſit ſtranguria, nonnulli ſolum ſeuum candelæ vmbilico inungunt. Commoda eſt & nux moſchata ſumpta. Alij cochlear oxymelitis exhibent. Alij decoctum foliorum ribes nigræ. Vtilis eſt & potus vini Hiſpanici vel maluatici.

Si verò non vrinæ cauſſa, ſed ob veſicæ morbos accidat ſtranguria, curatio ad eos morbos dirigéda, & vlcus modo ſupra propoſita curandum, lapis remouendus, aliáque veſicæ vitia conuenienti modo corrigéda.

Si à veſicæ refrigeratione ortum habet ſtranguria, calefacientia adhibenda, diagalanga, theriaca, Mithridatium, aurea Alexandrina. Extra verò pecten inungendus oleo rutaceo, vel emplaſtrum ex maſtiche, thure, caryophyllis, cinamomo, ruta, abſinthio, mentha, ac ſtyrace calamita imponendum.

Si per conſenſum vicinarum partium excitetur ſtranguria; illarum partium morbi conueniente modo curandi, & inprimis hîc ſunt vtilia fomenta, inſeſſus, & alia topica, quæ ſimul dolorem mitigant.

*Diæta.*

*Diæta.* Inprimis verò in ſtranguria curanda multum valet diætæ ratio. Et quidem ſi ab vrinæ acrimonia fiat ſtranguria, plus ferè poteſt in ea mitigandâ diæta, quàm medicamenta, ſi nimirum exhibeantur alimenta, quæ nullo modo ad generationem acrium & ſalſorum humorum faciunt, ſed eos potius temperant, ac mitigant. Vtilis inprimis hic eſt ptiſana hordeacea & lac; modò corpus ita ſit diſpoſitum, ne in ventriculo corrumpatur; vt & cremor & cibi ex amygdalis dulcibus non rancidis parati, oua item recentia, carnes boni ſucci & facilis coctionis. Potus ſit vinum album, dulce, non tamen potens, vel decoctum hordei, glycyrrhizæ, paſſularum. Vitanda inedia. Res quoque reliquæ non naturales ita ſint comparatæ, vt acrimoniam humorum temperent, & ad earum collectionem non faciant. Ideóque aluus ſemper aperta ſeruanda. Ita & animi affectus nimij vitandi: Vt & laborioſa exercitatio, vigiliæ nimiæ, & omnia, quæ acrimoniam humorum intendere poſſunt. Si ab aliis cauſſis ſtranguria proueniat, diæta medicamentis ſupra propoſitis reſpondeat.

## QVÆSTIO.

### *An ſtranguria etiam à frigiditate & imbecillitate veſicæ excitetur?*

*An ſtranguria à frigiditate veſicæ excitetur?* Plurimi quidem etiam inter ſtranguriæ cauſſas referunt veſicæ imbecillitatem, ob quam etiam ab exigua vrinæ copia moleſtiam percipiat, & vt ſe ea liberet, frequētem ejus expulſionem tentet. Eamque imbecillitatem ab intemperie frigida deducunt, in quam facilè delabantur ſenes, quibus propterea etiam iſta affectio ſit familiaris, ſæpe tamen vno vini hauſtu curetur. Verum enim verò facilè quidem concedo, ab intemperie frigida ſtranguriam excitari poſſe, & ſenibus eſſe familiarem. Verum hoc in quæſtione eſt, qua ratione frigiditas ſtranguriam inducat, an imbecillitatem veſicæ inducendo, & retentionem lædendo, an vero alio modo. Ab imbecillitate veſicæ fieri ſtranguriam credibile non eſt. Fieret inde potius vrinæ profluuium, non verò vrina guttatim, & quidem cum dolore, emitteretur. Euſtachius Rhudius equidem, vt doloris etiam hîc cauſſam reddat, ſtatuit, inæqualem intemperiem, & quidem non ſolum frigidam, ſed & alias, duplici modo ad ſtranguriam inducendam concurrere, primò vt inæqualem, eáque ratione eſſe dolorificam, cum veſica membranoſa ſit; deinde quatenus veſicam imbecillem reddat, & ita naturam ad crebram excretionem ſtimulet. Verum ſi ab intemperie eſſet iſte dolor, in tota veſica perciperetur, quod non accidit in ſtranguria. Magis vero conſentaneum eſt, cum omnes partes, etiam quæ excrementa continent, peculiarem vim ea ſuo modo alterandi habeant, etiam veſicam vrinam aliquo modo alterare calore ſuo inſito: qui, ſi debilitetur à frigore, vrina vitioſam qualitatem induit, quæ veſicam poſtea ſtimulat, & dolorem in ea excitat.

## CAPVT V.

### *De Dyſuria & vrinæ ardore.*

*Ardor vrinæ.* Cognatus affectus ſtranguriæ eſt Dyſuria, vrinæ difficultas, ſeu mictio cum dolore: & quidem ita cognatus, vt qua ratione mictio cum dolore, ſeu vrinæ difficultas à ſtranguriâ & cognatis affectibus differat, pauci ſatis clarè explicent. Equidem vrinæ difficultas, ſeu dyſuria etiam ſæpe ſumitur pro mictione imminuta, de qua ſupra egimus, cùm vrina vel parcior, vel tardius, quàm par eſt, redditur: verum illa neceſſariò non habet dolorem conjunctum. Ideóque hîc ſaltem dyſuriam pro actione deprauata ſumimus, & mictione cum dolore: Atque ita clariſſimè hæc diſtingui poſſe putamus, ſi mictio imminuta à deprauata diſtinguatur; etſi interdum vtraque conjungatur. Primo enim interdum vrina paucior, quàm par eſt, redditur, quæ mictio imminuta eſt, potéſtque eſſe cum dolore, vel ſine dolore. Stranguria verò duobus modis vitioſa eſt, quod ſcilicet vrina continuò, ſed guttatim ſaltem redditur, & quod ſimul dolor adeſt. Difficultas verò

verò vrinæ, de qua hoc capite agimus, & à mictione imminuta & à stranguria differt: à mictione imminuta quod ea in eo consistit, quod vrina paucior, quã par est, redditur, dolorem verò necessario coniunctum non habet: In vrinæ vero difficultate non necessario pauca fluit vrina, dolor verò semper est coniunctus. A stranguria verò, quod quidem etiam dolor adest, sed vrina non guttatim fluit, verùm sine interruptione & sæpe in debita quantitate. Atque hoc vitium Medici posteriores plurimi etiam ardorem vrinæ vocant, cùm inter mingendum tantus dolor percipiatur, ac si res ardens vel ignis per meatum vrinæ transiret, siue vrina copiosè fluat, siue non copiosè. Si verò saltem cum difficultate vrina reddatur, sine dolore, ad *caput* 3. & mictionem imminutam pertinet. Si quis tamen ardorem vrinæ & dysuriam seu difficultatem vrinæ discernere velit, erit differentia saltem secundum magis & minus, quod scilicet in ardore vrinæ dolor est magnus, vt ardere quasi æger videatur.

## *Caussæ.*

*Caussæ.* Caussæ autem dysuriæ & ardoris vrinæ sunt omnes, quæcunque continuitatem colli vesicæ aut meatus vrinarij soluere, seu dolorem inter mingendum excitare possunt. Accidit hoc cùm vrina acris est per se vel per humorum acrium admixtionem. Inprimis verò hoc euenit, si ipse meatus vrinarius sit exulceratus. Tùm enim vrina etiam non admodum acris dolorem & ardorem in eo excitare potest. Hinc ardor vrinæ accidit, cum bilis vel pituita salsa vel humores adusti, vel pus vrinæ admiscetur, vel cum cibi acres, vel medicamenta, inprimis purgantia sunt assumpta; vt & venena, quæ vesicam exulcerandi vim habent, inter quæ præcipuè sunt cantharides; quæ peculiarem vesicam lædendi potestatem obtinent. Idem quoque Mercurius præcipitatus præstare potest, de quo historiam habet Forestus, *lib.* 25. *obseru.* 37. Sæpe etiam materia alba & lactea quasi cum vrina copiosè emittitur, & mictionem ardentem, & quidem sæpe tanta copia excernitur, vt vbi subsidet, dimidia pars matulæ repleatur; & talis vrinæ mictio sæpe satis diu continuatur.

*Materia alba & lactea ardorem vrinæ excitans.*

*Quomodo generetur? An sit pus?* De eius generatione alios aliter sentire noui; ac scio, quosdam eam pro pure in renibus genito habuisse. Verùm si toti renes in pus resoluerentur, non possent tanta eius copia, quanta interdum aliquot septimanas singulis diebus excernitur, inde suppeditari.

*Authoris sententia.* Ego in ea sum sententia, prouenire illam materiam à cruditate & vitiata concoctione primo quidem ventriculi, deinde etiam, cum error coctionis primæ non possit corrigi in secunda, hepatis, qua chylus, & postea etiam sanguis crudus relinquitur, neque à partibus salsis & tartareis, quæ in prima coctione separari debent, mundatur, quæ postea à renibus attractæ, & ad vesicam transmissæ dolorem inter mingendum pariunt, & præcipuè in fine coctionis, dum aliquid eius materiæ collo vesicæ & extremitati meatus vrinarij adhærescit, pertinacius. Atque in eã sententiam eo sum adductus, quòd vir quidam Doctus, qui per aliquot septimanas ardore vrinæ laborabat, & vrinam quidem, satis copiosam, sed tali materia alba ita refertam, vt dimidium vrinalis occuparet, emingebat cum maximo dolore, & variis adhibitis remediis nihil leuaminis sentiebat, tandem solius vini maluatici potu curatus fuit.

Calculus quoque in vesica latens vbi inter mingendum ceruici vesicæ alliditur, dolorem inter mejendum excitat.

Tandem etiam à semine in masculis ardor vrinæ excitari potest, cum illud vel loco, in quo continetur, motum, verùm non eiaculatum, sed in ductu, per quem eiici debet, hærens, acrimoniam acquirit, meatumque nonnihil arrodit, vel cum corrumpitur & malignam qualitatem acquirit, id quod in lue venerea accidit.

Verum hic inquirendum, quod ab Autoribus præteriri video, quî fiat, quod vrina, quę cum dolore emittitur, nunc copiosè, nunc parcè & stillatim, quod fit in stranguria, saltem emittitur, & quæ ardoris vrinæ & stranguriæ, ratione caussæ sit differentia. Memini enim non solum virum illum, cuius modo mentionem feci, sed & alios quosdam vrinam satis copiosè cum summo dolore emisisse. *Ardoris vrinæ & stranguriæ differentia ratione caussæ?*

Ego in ea sum sententia, differentiam esse præcipuã in loco affecto, atque in stranguria, & cum vrina stillatim excernitur, sphincterem præcipuè affici, qui ab acrimonia vrinæ stimulatus, sese quidem aperit, vt vrina emittatur, molestiam tamen & dolorem inter meiendum percipiens, vt eam effugiat, sese constringit, continuo tamen iterum lacessitus iterum laxatur, atque ita vrina sæpe, sed guttatim exstillat. Vbi verò caussa hæret in meatu vrinario, vrina quidem liberè transit, & satis copiosè redditur, sed cum dolore.

Pertinet ad caussas mictionis cum dolore coniunctæ & inflammatio partium vesicæ. quæ licet continuum dolorem coniunctum habet, is tamen exacerbatur, vbi vesica ad vrinam emittendam contrahitur, & ab vrina exitum quærente inflammatio comprimitur. *Partium vesicæ inflãmatio.*

## *Signa Diagnostica.*

Ipse dolor ab ægro facilè percipitur, qui etiam de eo conqueritur. Caussæ vero signis discernendæ sunt. Patent autem ferè ex iis, quæ hactenus dicta sunt, & inflammationis vesicæ, vlcerum, calculi signa antea sunt proposita, & vrinæ prauæ qualitates, vt & pus vel semen corruptum facilè innotescunt. *Signa.*

## *Prognostica.*

1. Ipsum malum quidem per se non lethale est, cum molestia tamen coniunctum, & pro diuersitate caussarum nunc facilius nunc difficilius curatur. *Prognostica.*

2. Ardor vrinæ si diu durat, vesicam tandem, eiusque collum exulcerat.

3. In senibus decrepitis difficulter curatur.

4. Si accidat, quod sæpe fit, simul vrinæ suppressio, malum redditur periculosius.

5. Qui à veneno est vrinæ ardor, rarò curatur.

## *Curatio.*

Tota autem huius mali curatio in caussæ amotione consistit, quæ qua ratione institui debeat, ex antecedentibus patet. Ad materiæ euacuationem etiam hæc potiuncula commoda est. *Curatio.*

℞. *Sebesten, iuiubar* an.num.x. *fol.maluæ* M.ß.
Coq. in aq. hordei simplici.
In colatur. s.q. dissolue *cassiæ extractæ* ʒ.x.
Adde *syr.violarum* ℥.ß.M.

Ipsum tamen symptoma quod attinet, si dolor sit vehemens & vires deiiciat, dolorem lenientia sunt vsurpanda, & quidem quæ exhibentur, simul caussæ resistere plerunque possunt, vt *syrupus violarum*, *decoctum maluæ, althéæ, iuiubarum, sebesten, glycyrrhizæ*, *seminum 4. frigid. maiorum*, *amygdalar. dulcium, & harum emulsiones*, quibus, si ardor sit vehementior, *semina papau. albi*, *hyoscyami*, *grana & trochiscos alkekengi* addere licet.

Vt ℞. *Sem.psyllij* ʒ.vi. *cydonior.* ʒ.iii. *quatuor frigidor.* an. ʒ.ii. *papau.albi* ʒ.i.ß
Conquassentur, & cum *aqua maluæ* extrahatur mucilago, quæ cum *aqua hordei* exhibeatur, vel etiam in meatum vrinarium iniiciatur.

Vel ℞. *Sem. quatuor frig.maior. mundat.* an. ℥.ß. *gũmi Arabici, tragacanth.* an. ʒ.j.ß. *sem.portulacæ, papau. albi*

*albi* an. ʒ.iij. *ſantali rubri* ʒ.jß. *ſem. hyoſcyami albi* ʒ.j. Cum *mucilagine ſem. pſyllij* fiant trochiſci drachmæ vnius pondere. Datur vnus mane & ante cœnam.

Vel ℞. *Grana ſebeſten*. num. x.

Infundantur in *aq. deſtillata ſolani* & mane exhibeantur. Vtilis eſt & contra ardorem vrinæ *aqua florum fabarum* ℥.viij menſurâ hauſta.

Extra vero vſurpanda *oleum amygdalar. dulcium, violarum, nympheæ, papaueris*, quibus pubes & perinæum inungenda. Vel fiat fotus & inſeſſus ex *decocto maluæ, althéæ, parietariæ, florum chamæmeli, capitum papaueris*, vel etiam ex hiſce medicamentis parati clyſteres in anū iniiciantur. In meatum vrinarium etiam infundatur *lac recens mulctum* vel *oleum ex amygdalis dulcibus recens expreſſum, vt & emulſio ſeminum melonum, papaueris*. Si dolor valde vrgeat, etiam ad narcotica, vt *theriacam recentem*, & *Laudanum Opiatum* accedere licet.

Si à veneno ſumpto ſit ardor vrinæ, ſicut Monachis illis apud Leonellum Fauentinum, *Practic. Medicinal. cap.* 70. accidit, qui ranas comederant, exhibeatur *caſſiæ extractæ* ℥.j. in *aqua maluæ* diſſoluta. Poſtea exhibeantur *aquæ maluæ* ℥.x. cum *iulebi violarum* ℥.iij. Verùm periculoſum hoc malum eſt, ideoque ſimul alexipharmaca exhibenda.

Si à cantharidibus ſit ardor vrinæ, *lac* exhibendum, *mucilagines ſem. maluæ, althéæ, cydonior. pſyllij, emulſiones ſem. papau. lactucæ, & frigidor. maior. grana halicacabi, gummi Arabicū, tragacantha, ſyr. violar. nympheæ, papaueris*.

## CAPVT VI.

### *De Mictione Inuoluntaria & vrinæ incontinentia.*

*Mictio inuoluntaria.* AD deprauatam mictionem pertinet & ea vrinæ excretio, cum homini præter voluntatem non opportuno loco & tempore expectatò vrina effluit: id quod dupliciter fieri poteſt, *Duplex.* vel vigilantibus, cum præter voluntatem, & facultate expultrice ferè non, aut parum concurrente, vrina ſponte effluit, vt homo id ferè non animaduertat, id quod apoplecticis, paralyticis & aliis quibuſdam accidit; vel dormientibus in quibus etſi quoque neſcientibus vrina profluat, tamē tùm deſiderium mingendi concurrit, & proculdubio imaginationi offertur ſtimulus ille vrinæ; in hoc ſaltem vitium eſt, quod homo tum in ſomno ita ſeſe moderari & facultati motrici imperare non poteſt, vt vrinam loco & tempori magis conuenienti retineat. Qui duo affectus vt ſunt diſtincti: ita etiam diſtinctas quaidā cauſſas habent.

*Cauſſæ.*

*Cauſſa.* Cauſſa nimirum inuoluntarij vrinæ proflui, quod & vigilantibus & dormientibus accidit, eſt vitium ſphincteris veſicæ, qui relaxatus & imbecillis redditus eſt, vt ſeſe contrahere nequeat, & orificium veſicæ claudere, vnde vrinæ exitus ferè ſemper patet, & inuitis etiam ac neſcientibus effluit. Neque enim aliam vrinam retinendi facultatem habet veſica, quam hunc orificio præpoſitum muſculum, qui id claudit, & vrinam retinet, donec ex arbitrio hominis laxetur.

Quænam autem ſit cauſſa imbecillitatis & reſolutionis ſphincteris veſicæ ſupra *cap. primo* dictum. Solet tamen etiam vrina interdum præter voluntatem reddi, cum abdominis muſculi valde conuelluntur, vt vrina ob eorum conſtrictionem, ventriſque compreſſionem ex veſica quaſi propellatur. Ob eandem ferè cauſſam etiam interdum grauidis in vltimis menſibus vrinæ incontinentia accidit, vt & iis, qui tumorem habent ſupra veſicam, idque ideo procul dubio, quia muſculus veſicæ ab vtero fœtu diſtento, vel tumore comprimitur & vellicatur.

Vbi hoc occurrit dubium, quomodo ex eadem cauſſa & vrinæ incontinentia & ſuppreſſio fieri poſſit. *Quomodo vrinæ continentia & ſuppreſſio ex eadē cauſſa fiat?* Scribit enim Hippocrates, *in Coacis:* quibus incogitanter vrina procidit, & pudenda retrahuntur, de ſpe depoſiti ſunt. Et ibidem; ex refrigeratione interceptio vrinæ peſſima. Verùm ſciendum, dum vrina ex refrigeratione ſupprimitur, ſolum facultatem ſentientem affici, ita vt, vrinæ ſtimulum non percipiat: ſi verò non ſolùm ſenſus afficitur, ſed & facultas motrix ita impeditur, vt muſculum contrahere non poſſit, fit inuoluntarium vrinæ profluuium.

Si verò per ſomnum ſaltem hoc fiat, per vigilias verò nil tale obſeruetur, equidem & tum in muſculo illo veſicæ orificium claudentis aliqua eſt imbecillitas à frigida & humida intemperie proueniens, ſed non tanta vt homo, ſi velit, vrinam continere non poſſit: ideoque ad imbecillitatem ſomnus profundior accedat, neceſſe eſt, & quaſi quædam negligentia, & homo per ſomnum ab vrina ſtimulatus non cogitet, lectum vrinæ reddendæ commodum locum non eſſe. Vbi enim vrinæ ea copia in veſica collecta eſt quæ hominem ſeu copia ſeu qualitate ſtimulare ad excernendum poſſit, ſi homo profundius dormiat, & ad imaginationem irritationis ſenſus perueniat, facultas expultrix, niſi à ratione expulſio impediatur, ad expellendum inſurgit, & præcipuè ſi ſphincter ſit debilis, vrina profluit. Quò multum etiam facit conſuetudo, ob quam cauſam infantes noctu ſæpius lectum commingendo huic intempeſtiuæ mictioni quaſi aſſueſcunt, vt poſtea etiam adultis familiaris maneat.

Nonnulli non ſolum labefactatam facultatem cauſſam incontinentiæ vrinæ ponunt, ſed & coactam, dum ſcilicet vrina ſui copia vel impetu in muſculum veſicæ agat, eumque comprimat ſua grauitate, & ad apertionem quaſi cogat, quamuis voluntas non vocet ad illam. Verum hæc cauſſa commodius refertur ad obiectum & nimiam ſtimulationem. Vrina enim copioſa ideo ſtatim excernitur, quia facultatem expultricem irritat, neque accidit hoc ſine voluntatis imperio.

*Signa Diagnoſtica.*

Affectus hic ipſe per ſe ſatis notus eſt: cauſſæ verò ex ægri relatione, & iis quæ præceſſerunt, facilè innoteſcunt. *Signa.*

*Prognoſtica.*

I. Vrinæ præter voluntatem profluuium, quod accidit vigilantibus, nunc facilius, nunc difficilius curatur pro cauſſarum, à quibus illud pendet, grauitate. *Prognoſtica.* Etenim quod à muſculo veſicæ ab externa cauſſa refrigerato accidit, non ita difficulter curatur. Et omnino ſi cerebro & ſpinali medulla ſeſe recte habente accidit vrinæ profluuium, de ſalute & reſtitutione non deſperandum. Quod vero ſpinali medulla affecta vel veſicæ muſculo vulnerato accidit, difficilius curatur, imo plerunque incurabile eſt.

II. Vrinæ verò incontinentia, quæ infantibus & pueris accidit, plerunque etiam ſine medicamentis ætatis progreſſu corrigitur; cùm non ſolum corpus ſiccius euadat, & muſculi robuſtiores fiant, ſed etiam verecundiæ & pudoris magis rationem habeant. Et propterea inter dormiendum magis cauti & ſolliciti ſint.

III. Nonnullos tamen, etiam adultos, ac inprimis ſi pòculis dediti ſunt, hoc vitium ad mortem vſque comitatur.

*Indicationes & Curatio.*

Curatio in eo potiſſimū conſiſtit, vt morbus & cauſſa, ob *Indicationes & Curatio.*

ob quam sphincter læditur, tollatur. Quapropter si musculus ceruicis vesicæ resolutus sit, ei malo occurrendum, vt supra *capite primo* dictum, & qualitas, quæ resolutionis caussa est, per contraria medicamenta corrigenda.

Inter alia autem remedia commendatur Diacyminum, thus è vino potum, calamintha & mentha cum vino ante cœnam pota, guttur galli, gallinæ, vel caponis tostum cum aqua vel vino, de quo Solenander, *sectione 4. consil.* 11. proponit medicamentum paratu facile, quo ipse in artis operibus felicissimum Virum cum iuramento prosperè in hoc affectu Romæ vsum obseruauit Doctorem Gisbertum Hollandum Medicum. Is accipiebat guttur galli, vrebat, vt non consumptum, sed tostum exiccatumque teri posset, exhibebat puluisculum sub noctem ante cœnam cum vino rubello adstringente, aut haustu dilutissimæ poscæ, idque aliquot diebus reiterabat. Quod remedium, siue manifesta siue occulta qualitate id præstet, procul dubio huic malo succurrit musculum vesicæ roborando. Laudantur & testiculi leporis combusti.

Vel ℞. *Thuris, mastich. corallior. rubr. spodij* an. Drac. ii. *cubebar. caryophill. macis, cardamomi, cyperi, piperis longi, zingib. guttur. gallinac.* an. Drach. i.

F. Puluis, qui vel solus sumatur, vel ex eo cum miua cydon. fiat Electuarium, aut cum *sacch. albo* Rotulæ.

Vel ℞. *guttur. gallinac. tosti* Vnc. sem. *cineris erinacei* Drach. iii. *agrimon.* Vnc. sem. *thur.* Drach. ii.

F. Puluis, cuius Drach. i. exhibeatur hora vna ante cibum cum vino albo vel jure gallinæ.

Vel ℞. *Ocul. cancri, nucleor. persicor. flor. hyperici, vesic. apri* an. Drach. ii.

F. Puluis.

Vel ℞. *Vesica apri tosti & pulnerisati, guttur. gallinac. gummi Arabici* an. Drach. j. *rad. pimpinella macis* an. Drach. sem.

F. Puluis.

Extra vero pecten & perinæum foueatur spongiâ imbutâ decocto folior. menthæ, absinthij, rosar. rubrar. balaustior in vino parato, aut fiat ex his plantis balneum. Vtiles etiam sunt thermæ sulphureæ & aluminosæ, vel inungatur locus oleo absinthij, mastichino, menthæ, nardino, aut applicetur cataplasma è plantis modo enumeratis paratum. Vel imponatur hoc cerotum.

℞. *Thuris* Vnc. i. *ladani mastiches, spodij cupular. glandium* an. Drach. iii. *ligni aloes, cinamomi* an. Drach. *styrac. calamit.* Drach. ii. *succi mentha* Vnc. iv. *cera* q. s.

F. s. a. Emplastrum.

*Curatio verrucarum & vrina incontinentia, Henr. ab Heer.*

¶ [ Iuuencula quædam, vt refert Henr. ab Heer, *obs.* 14. cui in primo partu obstetrix inepta vesicam lacerauerat, in vrinæ incontinentiam incidit. E cujus continuâ destillatione labia pudendi & nares exulceratæ sunt, tótque ibi verrucæ natæ, vt vix duabus manibus capi potuissent. Verrucas istas curauit & abstulit magmate illo ex antimonio crudo & mercurio sublimato, æqualibus partibus mixtis, è quo butyrum antimonij destillari solet. Ne verò effluxus vrinæ continuus curationi obstaret, siphonem argenteum vesicæ immisit, & parti quatuor digitis latis exstanti lagenam, quæ vrinam exciperet, alligauit. Mulier hæc iterum grauida feliciter peperit. Tandem etiam ab vrinæ incontinentiâ liberata est consilio Cingari, sacculo collo appenso, in quo erat puluis bufonis viui in noua olla vsti. Expertus est idem remedium Henr. ab Heer, in quodam Mercatore Leodiensi, qui ob malè extractum calculum vesicæ etiam vrinæ incontinentiâ laborabat, & res feliciter successit, & hic quoque ab vrinæ incontinentiâ liberatus est. Cuilibet illud medicamentum experiri licet, vt ex pluribus obseruationibus de veritate constet. ]

In specie autem ij, qui noctu in lectum mingunt, vesperi parùm bibant, & imprimis à vino diuretico abstineant, vt & omnibus aliis cibis, potu, & medicamentis, quæ vrinam ad vesicam facilè mouent, ne facultas expultrix irritetur.

Etsi verò inter symptomata ista, quæ circa mictionem accidunt, rarus ille affectus Diabetes dictus referri possit: tamen cum à plerisque Medicis inter affectus renum recenseri soleat, neque etiam vesica quicquam mali in eo patiatur, supra inter affectus renum *part. 7. sect. 2. cap. 2.* eum explicauimus. *Diabetes.*

## CAPVT VII.

### *De Vrina rubra, cruenta & nigra.*

Emingitur etiam sæpè vrina colore præter naturali prædita. De coloribus autem istis ex professo *de Vrinis* Medici tractant, quos & ego secutus in Institut. *lib. 3. part. 1. sect. 3. cap. 2. &* 5. de iis egi. *Vrina colorata p.n.*

### *Vrina Rubra.*

Vt autem ea, quæ de vrina rubra in *instit.* dixi hîc non repetam, saltem de eâ vrinâ rubrâ hîc aliquid addendum, quæ à cruditate fit, de qua pauci scripserunt. Facit autem ejus mentionem Galenus, 1. *ad Glauc. cap.* 7. dum signa quotidianæ febris recenset, vrinasque in quotidianis vel albas & tenues, vel crassas & turbulentas, vel rubras esse scribit. Notatu verò dignû est, quod de vrina rubra monet Dodonæus, in *obs. medic. cap.* 31. vbi docet, vrinas rubras mingi non solùm in morbis calidis, vt febribus ardentibus, & tertianis, partiúmque internarum inflammationibus, sed non rarò jecinore ac ventriculo per diuturnos & longos morbos cum refrigeratione debilitatis. Referétque historiam viri quinquagenarij, qui à Quartanâ, quâ menses quatuor aut quinque laborauerat, in Lienteriam incidit, & cruda deiecit, ac nullo febrili calore restante vrina admodum rubebat: se verò nulla harum habitâ ratione, sed ad cruditatem respicientem, vt consuleret ventriculo & jecinori, per præsentem quartanam debilitato, victus rationem calefacientem & resiccantem instituisse, vinúmque exhibuisse generosissimum ac potens, quale Hispanum. E medicamentis vero diagalanges, diatrion pipereon, & ejus generis similia, quibus tantum profecit, vt concocta apparerent excrementa, & vrinæ color remitteretur, ac similis sanorum redderetur. Cum verò æger jam sanum se esse existimans secretò cereuisiam bibisset, mox vrinæ color iterum in ruborem multum intensus, manifestè ostendit, ex ventriculi cruditate & refrigeratione vrinam quandoque tingi, ac valde rubicundam reddi. Cum ergo à cereuisia abstineret, vrinæ mox iterum sanorum similes euaserunt. *Rubra.*

De hoc etsi pauci Medici aliquid monuerint; tamen in praxi sæpe id obseruare in promptu est, in iis, qui ex quartanis conualescunt, & præcipuè qui ad scorbutum dispositi sunt. Quamprimum enim pisces, vel alium cibum crudiorem & coctu difficilem sumunt, mox vrinæ rubræ & quasi splendentes apparent, victûs verò ratione in meliorem mutata, ad naturalem colorem redeût.

Quænam verò caussa huius coloris sit, rationem reddere difficile est. Neque enim est cruentus color, sed talis, qualis in febribus ardentibus apparere solet. Neque tamen à bile, quæ tunc non abundat, sed potius à crasso & crudo humore prouenit. Si quod mihi videtur, dicendum; puto id, quod in Instit. *loc. alleg.* dictum, etiam hîc locum habere posse, nimirum non solum à bile vrinam tingi colore aureo, sed & à sale ruffo, sicut lixiuium à sale impuro tingi videmus, vt coloris ruffi appareat. Et, vt Chymicorum vocabulis & stylo hâc de re loquar, si ventriculus ipse bene sese habeat, nec error aliquis externus objecti ratione accidat, partes sulphureæ & tartareæ crassiores in ventriculo & intestinis

sepa

feparantur,& per aluum excernuntur, vnde chylus fit purior, vt postea in hepate partes eiusmodi tartareas & sulphureas, quæ vrinam tingere possunt, separari opus non sit. Si verò ventriculus sit debilis, & inprimis si ventriculo debili talis cibus offeratur, quem latis coquere & elaborare non possit, non rectè fit partium excrementitiarum in ventriculo separatio, sed chylus impurus & feculentus generatur, qui ad hepar delatus, multa talia excrementa suppeditat, quæ vbi à sanguine separantur, & ad renes feruntur, vrinam tali colore ruffo tingunt. Imò in scorbuticis vrina sæpe non solùm rubra est & splendet, verum etiam, vbi turbatur, rubrum sedimentum, & pulueri laterum simile quid subsidet.

Tale ergo si quid in vrinis appareat, non statim calor hepatis, vel febris aliqua accusanda, sed diligenter omnia perpendenda. Et si nulla caloris vel febris adsint indicia, ad ventriculum respiciendum, & an is sit debilis, vel cibus coctu difficilis assumptus sit considerandum. Ac si tale quid animaduertatur, ventriculus calefaciendus, cibúsque & potus frigidus cum calido permutandus, & pro cereuisia vinum bibendum, vt supra ex Beniuenio dictum.

### *Vrina Cruenta.*

*Cruenta.* Vrina cruenta fit à sanguinis è vasis suis elapsi admistione. Verùm caussæ, ob quas è vasis suis sanguis effluit, multæ sunt; neque etiam semper ex vno loco effluit. Potest enim è renibus effluere; potest à partibus aliis, vt hepate, ad renes mitti; potest etiã è vasis infra renes, vreteribus scilicet, vesica, membrísque genitalibus effluere.

Primò enim in renibus potest aliqua vena aperiri, vase aliquo à vehementi corporis motu, vt equitatione, casu, saltu, aut ponderis grauioris eleuatione aut gestatione rupto; vel osculis vasorum in renibus laxioribus, ipsisque renibus debilioribus redditis. Imò nonnunquam natura sanguinem in corpore abundantem per hæc loca expellit. Ita refert Aretæus, *lib. 2. morb. diuturn. cap. 3.* nonnullos per circuitus quosdam sanguinẽ mingere, & si nihil sanguinis effluxerit, capitis dolore vexari, oculorum aciem hebetari, tenebras iis obuersari, vertiginem pati; inde alios in comitialem morbum incidere, alios aquæ inter cutem simile quid pati, alios morbo atræ bilis aut neruorum resolutione tentari. Ab acrium etiam ciborum vsu renum vasa interdum aperiuntur, sicut Matthæus de gradibus, *ad nonum Rhaf. lib. 2. cap. 18.* refert, juuenem quendam post allij esum largum, multum sanguinis eminxisse.

Secundò sanguis iste, qui emingitur, non proximè à renibus prouenit, sed ab hepate, eóque vel imbecillo, vt sanguinem retinere, sibique assimilare nequeat, vel etiam sanguine grauato, vel vase ejus aliquo quacunque de caussa aperto.

Tertiò idem accidere potest, si vreteres à calculis transeuntibus vulnerentur, seu vesica & pudendæ partes vulnerẽtur, exulcerẽtur, vel eorũ vasa laxentur, sicut post nimiã Venerẽ interdũ vrina cruenta emingi solet.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Si à sanguine tingatur vrina, non splendet, habétque colorem, qualis aqua ferè, in qua recens mactatorum animalium caro abluitur.

Cuius autem partis, renumnè, aut alterius vas apertum sit, & qua de caussa, signis discernendum, idque facilè cognoscitur, si symptomata præsentia, & caussas, quæ præcesserunt, consideremus. Si enim nulla renum affectorum signa adsint, contrà in aliis partibus dolor, grauitas, vel alia symptomata percipiantur, iis affectis vrinam cruentam reddi indicio est, & contra si partes omnes reliquæ sint saluæ & in renibus aliquis morbus deprehendatur, ab iis prouenire vrinam cruentam, colligendum. Vas ruptum esse, ex eo colligitur, quod sanguis copiosus, isque purus & floridus redditur, & quod equitatio diuturna ac vehemens, vel alius motus violentus, ictus, lapsus ab alto, saltus, ponderis grauis eleuatio, aut gestatio, vel vulnus præcessit, percipitúrque dolor in parte affecta. Idem accidit, sanguisque floridus excernitur, si ab humore acri vas aliquod erosum est. Discernitur tamen à priori caussa, quod sanguis minore copia excernitur, & præsertim in initio, vbi planè exigua copia emingitur, postea verò aucta erosione majore copia. Quod si à διαπηδήσει & rarefactis saltem venarum tunicis sanguis emingitur, vrina leuiter colore rubro tincta est. Reliqua signa ex iis, quæquæ supra de renum morbis dicta sunt, patent.

### *Prognostica.*

I. Si vrina cruenta per διαπήδησιν & rarefactionem venarum in renibus emingitur, malum minus periculosum est, & adstringentibus medicamentis adhibitis facilè curatur, præcipuè si malum adhuc recens sit. Sicut & ea, quæ ab erosione mictio accidit, periculo vacat, si sit recens. *Prognostica.*

II. Si verò malum jam inueteratum sit, metuendum, ne æger contabescat, vel hepatis calore debilitato æger in cachexiam vel hydropem incidat.

III. Si copiosè sanguis emingatur, metuendum est, ne in vesica subsistens periculosam vrinæ suppressionem, vel putrescens & prauam qualitatem induens alia praua symptomata excitet.

IV. Si ex pudendis sanguis effluat, minore cum periculo coniunctum est.

V. Si ex vesica vulnerata sanguis profluat, periculosum malum est, vt supra dictum.

### *Curatio.*

Curatio ad caussam, à qua symptoma hoc pendet, dirigenda. Nimirum si vasa sint laxata, adstringenda; si erosa, occludenda; si rupta, consolidanda, siue id factum sit in renibus, siue in aliis partibus. Si sanguinis copia malo originem dederit, sanguis detrahendus. *Curatio.*

Principio ergo si vel à sanguinis copia malum ortum habeat, vel vas aliquod amplum ruptum vel erosum est, vena in cubito aperienda.

Medicamenta quod attinet, ea cùm in relaxatione tùm in erosione vel ruptione vasorum sint adstringentia, vimque condensandi, obturandi, & consolidandi habentia. Exhibeantur ergo medicamenta è rosis rubris, myrto, plantagine, consolida, bursa pastoris, equiseto, polygono, acacia, hypociftide, millefolio flore albo, quod hic vtilissimum est; Terrã sigillatã, bolo Armeno, lapide hæmatite, coralliis, trochiscis de spodio, terrã sigillatã, trochiscis Gordonij.

Extra applicetur Vnguentum Comitissæ, Emplastrum Diaphænicum frigidum, contra rupturam, atque alia è modò dictis medicamentis parata.

Si à vesica sanguis excernatur, vel pudendis, eadem medicamẽta exhibentur, simulq; in vesicã iniiciuntur.

Ad sanguinem autem concretum in vesica dissoluendum exhibeatur oxymel cum decocto radic. rubiæ tinctor. asparagi, vel mumia in iis dissolutã. Eadem in vesicam iniiciantur.

### *Diæta.*

Cibi sint boni succi & adstringentibus mixti & conditi, vel etiam viscidi & glutinosi. Vinum sit rubrum, austerum, aquã chalybeatã temperatum. Abstineat verò æger à cibo & potu ac medicamentis acribus, diureticis, aperientibus. Venus vitetur, motus item nimius corporis, & in quiete æger detineatur. *Diæta.*

*Vrina*

### *Vrina nigra.*

*Nigra.* Vrinæ nigræ in Instit. *loco allegato* tres caussas esse diximus, nimirum humorem melancholicum vrinæ admixtum, bilem atram, & caloris natiui in venis extinctionem. Ad primam caussam referri etiam possunt medicamenta humorem melancholicum in liene mouentia, & per vrinam euacuantia, cuius exemplum habet Actuarius, *de indiciis vrinarum, lib. 2. cap. 20.* Et Crato, *in Consil. medic. à Scholtzio collectis, Consil. 174.* scribit, se dedisse laboranti ictero nigro lapidem bezoar, ægrumque minxisse tam nigra, quam atramentum est, meliusque habuisse. Ipse etiam sæpe ab ægris scabie, hypochondriacâ affectione & aliis melancholicis morbis laborantibus vrinam nigram sine damno, imò cum commodo emissam vidi. Et notatu dignum est, quod Antonius Valletius, *in exercitat. ad cap. 40. Hollerij de morbis internis*, scribit de quodam Viro religioso, cui ter aut quater in anno, maximè vere & autumno ineuntibus, lien intumescebat, cum dolore hypochondrij sinistri, ac subliuidus toto corpore fiebat, sensimque deterius habebat, sed tandem vrinis nigricantibus emissis per quinque aut septem dies pristinam sanitatem recuperabat, idque ipsi per annos vndecim aut quindecim accidisse scribit. Ita etiam refert Valeriola, *in comm. ad lib. de constit. artis med. Galeni*, quendam cum lienis apostemate laboraret, planeque moribundus haberetur, crisi sub vigesimum diem factâ, admirandam vrinarum nigrarum, attamenti instar, copiam ad libras 12. excreuisse. Idemque in Quartâ etiam sæpius obseruauit; quod & ab aliis factum.

Itaque si ex humoris nigri admistione vrina nigra fiat, euacuatio humoris nigri promouenda; quam ad rem imprimis vtilis est fumaria, & alia diuretica simul humori melancholico dicata.

Quod verò Hippocrates vrinas nigras lethalis morbi indicium esse scribit, eæ intelligendæ sunt, quæ à caloris natiui νεκρώσει & exinctione proueniunt.

## CAPVT IX.

### *De Rebus alienis per vesicam excretis.*

*Res alienæ per vesicam excretæ.* VEsica equidem vrinæ excernendæ saltem dicata est. Interdum tamen accidit, vt etiam res aliæ præter naturam ex ea excernantur. De sabulo, & calculo iam antea dictum est. Vermiculos etiam & alia animalcula ex ea eiecta fuisse, supra è Cardano, *comm. ad aph. 76. lib. 4.* Scoliographo, *ad cap. 50. lib. 1. Hollerij de morb. internis*, Montuo, *lib. 4. cap. 10. Anasceues morborum*, Paræo, *lib. 19. cap. 3.* dictum. Membranulas nerueas multiformes ab vrinæ detentione cum sanie sine fœtore & febre emictas vidit Fumanellus, vt refert, *cap. 4. tract. de morb. in viis vrinæ.* Andernacus *Dial. primo de balneis & aquis medicat.* scribit, concionatorem quendam pituitam quandam adeò viscosam & longam, vt intestinum quoddam videretur, per vesicæ canalem reddidisse, antea miris doloribus excruciatum. Piscium vesiculis similia corpuscula cum vrina excreta fuisse, vidit Marcellus Donatus, vt *de hist. med. mirab. lib. 4. c. 29.* refert, & quendam incredibili quantitate multis mensibus pituitam lentam corruptam eminxisse, aliúmque cum intolerabili cruciatu aliquot diebus pituitæ partes, veluti crystalli aut gelatinæ globulos, pellucidas eminxisse, Scholiographus, *ad cap. 50. lib. 1. Hollerij de morbis internis* refert. Frustula etiam radicum apij, semina item anisi & alkekengi cum vrina ejecta fuisse, supra *de Diabete* dictum. Fungi frustula per vesicam reiecta scribit Nicolaus Florentinus, *serm. 4. tract. 4. cap. 29.* & Alex. Benedictus, *lib. 3. Anat. cap. 13.* Pilos quoque cum vrina reiectos fuisse, supra dictum.

Et rei huius etiam notabilem historiam refert Guil. Fabritio, quam Cl. Dn. D. Gregorius Hostius, *sectioni quintæ Epistolar. Medicarum* inseruit. Fuit nimirum fœmina quædam Bernensis, quæ octennium dolore ventris & lumborum correpta vrinam nunc sanguinolentam, nunc purulentam & turbidam, pilis plurimis rufis & oblongis refertam non sine dolore maximo quotidie excernebat. Quæ curata fuit ab eodem Fabritio clystere sequente iniecto tertio vel quarto quoque die.

℞. *Rad. alth. maluæ* an. Vnc. ij. *melissæ, artemis. origani, malvæ, althææ*, an. M. ij. *flor. sambuci, meliloti, chamæmeli*, an. M. j. *sem. anisi, carvi, seselios* an. Drach. ij. *fœnugræci, lini* an. Vnc. j.

Incidantur & manipuli duo coquantur in aq. ℔ ij. ad remanentiam ℔ j. in quâ dissolue.

*Bened. laxat.* Drach. iij. *olei aneth. chamæmel.* an. Vnc. j. *butyri recent.* Vnc. j. ß. *vitellos ouor.* ij. F. Clyster.

Corpus per interualla euacuauit sequenti potiunculâ.

℞. *Rad. fœnicul. cichor. polypod.* an. Drach. ij. *herbar. scabiosæ, melissæ* an. P j. *cuscutæ, flor. cordial. genistæ Hispanicæ* an. P ß. *sem. sesel. fol. senæ* an. Drach. j. ß.

Coq. ad *remanentiam* Vnc. ij.

In quibus dissolue *bened. laxat.* Drach. j. ß. *diacarthami* Drach. j. *syr. laxatiui compositi cum rhabarb. agarico & sena* Vnc. ß. *aq. cinamom.* Drach. iij.

Misce.

Fiat Potio.

Renes sequenti linimento inunxit.

℞. *Vng. rosar.* Vnc. ij. *ol. amygd. dulc. lilior. albor.* an. Vnc. j. Misce.

Ex prædictis radicibus, herbis, floribus & seminibus pro Enemate præscriptis etiam sacculos parauit, quos aquâ coctos ventri & perinæo applicandos curauit. Plura hâc de re vide in eadem Epistolar. D. Horstij sectione.

Guilielmus Fabricius, *cent. 4. obs. 53.* refert, grauidam quandam corpus quoddam membranosum ex vesica ad pugni magnitudinem, molle tamen & lubricum, & quod in maximas & tenuissimas membranas extendi poterat, excreuisse.

Quod si tale quid accidat, ad morbos & caussam, à quibus generantur, respiciendum, & corporis euacuatione præmissâ ea exhibenda, quæ humores vitiosos & similia in vesica abstergunt, & vrinam mouent.

Fernelius quoque, *lib. 6. patholog. c. 11.* scribit, abscessum ani etiam visum esse, interdum in vesicâ penetrat, ac tùm micturo crepitum è pudendo, perinde, atque è podice, atque etiam fecis nonnihil vrinæ permistum prorupisse. *Crepitus per vesicam excreti.* Cuius rei etiam alia duo exempla recenset Schenckius, *lib. 4. obseru. 22.* *Feces.* Quidam enim cùm laborasset vlcere fistuloso ani, eóque admodum calloso, & vlcere penis sanioso simul teneretur, ex eodem pene crepitum veluti ventris cum fœtore emittebat. Alij verò tubicini ob virulentam ex lue Venerea stranguriam intempestiue suppressam exulceratio suborta est, & eovsque progressâ, vt, vitiatis circumsitis partibus, tandem etiam anum & vesicam eroserit, quò factum, vt ventris crepitus per penem etiam emiserit. Sicut & *obseru. seq.* aliquot exempla eorum, qui clauso ano nati per penem excrementa alui eiecerunt, recenset. Ita etiam refert Guilielmus Fabricius, *cent. 1. obs. 75.* fœminam quandam Geneuensem filium peperisse, qui, clauso anò, excrementa per ductum vrinarium, simul & vrinam excernebat. Verùm cum tandem excrementa indurescerent, nec per ductum illum angustum amplius permeare possent, inflatus est venter, exorta est febris, aliáque symptomata, ita vt decimo septimo ætatis die è vita discesserit. Aperto cadauere inuentum est intestinum rectum ad natum fundo vesicæ.

## CAPVT X.

### *De vrinæ per aliena loca excretione.*

*Vrinæ excretio per aliena loca.*

TAndem ad symptomata, quæ circa vrinæ emissionem contingunt, pertinet vrinæ per aliena loca excretio. Infantem annos duos natum vidit Amatus Lusitanus, vt *cent.* 2.*cur.* 21. refert, cui ab ortu glans perforata non fuit, nec vestigium aliquod in ea, vbi foramen esse debebat, apparebat: qui tamen ad radicem penis prope testiculos foramen habuit, per quod lotium non guttatim fluebat, sed directè emanabat. Platerus, *in obs.pag.* 792. refert nobilem quendam Capitaneum præter foramen in glandis media anteriore sede secundum naturam formatum aliud quoque subtus, circa glandis radicem & præputij exortum ab ortu habuisse, per quod mictuto vrina deorsum ferebatur, ita vt, nisi caueret, se commacularet, & semē quoque per idem emittebat. Puellā quoque, ex loco, qui est infra pectinē, paulum supra vuluam vrinam reddidisse, nullis interim apparentibus signis atque indiciis, vnde illa naturaliter profluere deberet, scribit Antonius Beniuenius, *cap.* 90. *de abd.morb.* & *sanat. causs.* & *cap.* 7. refert cuiusdam Pauli Bonini filium, qui glande colis clausa natus paulò in eam meatu patefacto vrinam reddidisse. Cuidam obstructa vesicæ ceruice vrinā affatim, tanquam emictione, ex vmbilico in multos mensespro-fluxit: idque circa tumorem, citra vllam aquæ in abdomine collectionē, & citra valetudinis offensam, vt scribit Fernelius, *lib.* 6. *de part. morb.* & *symptom. cap.* 13. Caussa huius rei fuit, quod recens in lucem edito malè vinctus vmbilicus nunquam coaluit, atque hinc semper nonnihil stillauit. Puellam etiam quandam, cui cùm suppressa fuisset vrina per multos dies, tandem eam per vmbilicum profudisse, Bartholomæus Cabrolius vidit. Vesicæ abscessum per perinæum erupisse, è quo vrina reddebatur, scribit Fernelius, *loco allegato.* Dodonæus, vt *ad cap.* 78. *Beniuenij de abd.sanat.* & *morb. causs.* refert, vidit per foramen in perinæo ab vlcere ceruicis vesicæ nato vrinam excerni. Vrinæ per sinistræ natis vlcus transudantis historiam ex D. Iacobo Sutero refert Schenckius, *in obseru.* Militem per femur, vesica ea in parte sclopeto vulnerata, vrinam emisisse, scribit Fallopius, *de vulneribus capitis, cap.* 12. Puerum quendam duodecimum annum agentem, cùm vrinam septimo iam die non redderet, propterea quòd concretum quid ex pituita & sanguine vrinæ ipsius canaliculos obstruxerat, eam tandem ex ano euacuasse, Antonius Beniuenius, *de abd.morb.causs.* & *sanat. cap.* 7. narrat. Vrinam per vulnus circa sedem inflictum excretam fuisse scribit Galenus, *de loc.affect.cap.*1. Et talia exempla alia plurima passim occurrunt. Illud verò præ cæteris notabile est, quod annotauit Platerus, *lib.*3.*obs.pag.* 735. Puellæ cuidam annos natæ tredecim, cùm aliquandiu copiosè minxisset, vrinam subitò suppressam esse, atque tunc aquam serosam ex aure dextra adeo affatim cœpisse effluere, vt vna vice mensuræ duæ sæpe emanarint, idque dies aliquot. Huic Medicus quidam diuretica exhibuit, atque simul etiam terebinthinam, post cuius vsum plus quàm quaterdecies minxit, sed subitò iterum vrina restricta aquaque illa ex aure denuo fluere cœpit, vt spatio 24. horarum mensuras aliquot excreuerit. Puella interim, vt scribit, bene habita, de nullo alio affectu conquerebatur. Cum capiti applicarentur oxyrrhodina ad repulsionem, & lotiones fierent pedum, ac iterum terebinthinam sumpsisset, denuò vrinam reddidit, primò magna copia, remittente aurium hoc fluxu, postmodum verò naturaliter, nec quicquam mali inde passa est.

Verùm talia symptomata cum vel morbos à primo ortu contractos, vel alios incurabiles sequantur, de ratione ea tollēdi dicere aliquid opus nō est. Quā ratione tamen Iohannes Langius fistulam in perinæo, par quam vrina reddita fuit, curauerit, supra *de fistulis vesicæ* dictum.

# LIBRI TERTII
## PARS IX.
### *DE MEMBRORVM GENITALIVM in viris præter naturam affectionibus.*

## PROOEMIVM.

*CVM homo sit mortalis, neque indiuidua perpetuò durent; & nihilominus rerum Conditor sapientissimus species conseruari & perpetuas esse iusserit, ita vt in locum vnius decedentis alius succedat: per generationem, vt alia animalia, ita etiam hominem conseruari voluit, & propterea ipsi peculiaria organa dedit, in quibus semen, futuri fœtus materia, generetur, conseruetur, ac retineatur, tandemque cum appetitu & voluptate maximā in actu venereo emittatur, & à fœminæ vtero suscipiatur, & in eo ex semine vtriusque parentis mixto fœtus formetur, ac suo tempore in lucem edatur. Organa autem generationis sua habet vir & fœmina. De fœminarū generationis organis, & morbis ac symptomatibus quæ iis accidunt, agemus* de morbis mulierum. *Hoc loco saltem de affectionibus præter naturam, quæ membris genitalibus in masculis accidunt, agemus. Sunt autem generationis organa in viris duorum generum, vnum genus ad seminis generationem & conseruatinem facit, alterum ad eius eiectionem. In priori genere sunt testes, & ipsis adiecta partes, in altero penis seu membrum virile. Vasa generationi & conseruationi seminis dicata sunt vasa præparantia, venæ scilicet duæ & totidem arteriæ, Parastatæ dictatæ, vasa testibus incumbentia, testes, vasa deferentia, vesiculæ seminales, & prostatæ seu glandulæ seminales. An verò testes, an alia vasa semen generent, nonnulli in dubium vocant, & contra vulgatam opinionem testibus vim seminis generandi derogant; quod Physicis discutiendum relinquimus. Hoc saltem non prætereundum censemus, Recentiores, qui testes semen generare negant, eā etiam ratione vti, quod in testibus semen non reperiatur. Verùm ratio hæc non magni momenti est. Neque enim omnia, quæ in viuente sunt, etiam in cadauere remanent, vt conspici possint. In viuentium verò testibus semen contineri, obseruauit Dodonæus, vt* cap. 39. Obseru. Medic. *refert. Cum enim cuidam testiculus eximeretur, & calens adhuc medius diuideretur, ex ipsius centro semen erupit. Cum verò testes vel intemperie, vel aliis morbis vix affici possint, quin parastatæ, & vicinæ partes simul afficiantur, de morbis membrorum genitalium in viris seminis generationi inseruientium acturi, partes eas communi testium nomine complectemur: Cum etiam medicamenta hisce partibus non separatim adhiberi possint, sed ob vicinitatem & connexionem omnes simul ab iis afficiantur. Si qui tamen proprij morbi hic occurrent, eorum etiam in specie mentionem faciemus. Habent enim & hæ corporis partes suam naturalem constitutionem, & non minora sapientiæ & omnipotentiæ Diuinæ in his partibus, quàm aliis, apparent indicia. Nam licet pudendæ hæ partes dicantur, & tanquam obscœnæ tegantur: tamen, vt rectè B. Ignatius,* ad Philippenses, *scribit, tunc demum aliquid est obscœnum, cum per scelus illud polluimus: cùm verò omne abest peccatum, nihil turpe censendum est, nihil mali eorum, quæ facta sunt, sed omnia valde bona. Et Augustinus hac de re* contra Iulianum capite 16. *scribit, Genitalia*

*nitalia membra à Deo condita esse honesta & decora, sed per peccatum facta esse inhonesta, adeo vt iam tegantur. Ideóque ea hîc non vt peccatis contaminata, sed vt a Creatore sapientissimo artificiosissimè condita considerabimus, & quot modis à naturali illa constitutione deflectant, videbimus. Ac primò agemus de morbis testium, & scroti, deinde de morbis penis seu membri genitalis, tandem de symptomatibus, quæ circa generationem, & membris genitalibus accidunt.*

## SECTIO PRIMA.

## *De Morbis partium genitalium in viris, & primo de testium morbis.*

### CAPVT I.

### *De Testium intemperie.*

*Testium intemperies.* TEstes in Viris variis morbis corripiuntur, intemperiei, interdum deficiunt, interdum abundant, interdum calculi in illis reperiuntur, interdum peccant magnitudine, patiuntúrque inflammationem, & tumoribus ac apostematibus corripiuntur; retrahuntur versus abdomen, vulnerantur, exulcerantur, cancro corripiuntur, de quibus ordine dicemus.

#### *Caussæ.*

*Caussæ.* Et primò quidem testes sæpe morbis intemperiei laborant, & potissimum frigida, atque eadem simul etiam vasa præparantia corripiuntur. Internæ caussæ sunt partium internarum, vt cordis, epatis, renum intemperies. Partes enim hæ cum sanguinem & humores ad vasa genitalia & testes mittant, si intemperie aliquâ laborant, facilè eam testibus communicant. Externæ caussæ sunt aër, imprimis frigidus, qui testes facilè afficere potest. Cibus etiam & potus, vt & medicamenta, quæ excessum aliquem qualitatum habent. Vasa etiam spermatica alterat, & præcipuè calefacit, decubitus supinus, præsertim in lecto plurimis referto, equitatio nimia, gestatio onerum.

#### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Cognoscuntur autem intemperies testium primò à caussis, quæ præcesserunt, seu calefaciendi, seu refrigerandi, seu siccandi, seu humectandi vim habentibus. Qualis enim caussa præcessit, talem intemperiem inductam esse verisimile est. Postea ex effectis. Si enim testes & vasa seminalia sunt *calida*, adest propensio in venerem, & semen multum ac calidum generatur, testes ipsi sunt calidi, & venæ circa eos multo sanguine refertæ.

Si testes & vasa spermatica sunt *frigida*, exigua adest propensio in venerem, ac si intemperies sit magna, etiam nulla; adest corporis quædam inertia, testes sunt frigidi, semen est paucum, aquosum & crudum, & cum exiguâ vel nulla voluptate emittitur. Præcesserunt caussæ refrigerantes, vel etiam immodica & intempestiua Venus. Hinc qui ætate nondum maturâ veneri indulgent, eorum calor natiuus exhauritur, & partes genitales frigidiores redduntur, vt postea in prima senectute statim steriles reddantur.

Si *Humida* testium sit intemperies, laxitas in iis apparet, & semen nimis celeriter emittunt, à coitu tamen minus læduntur, quam qui siccam intemperiem eorum habent.

In *sicca* enim intemperie testium hæc omnia sunt contraria.

Et quia ad intemperiem testium cognoscendam maximè facit naturalis testium intemperies; cum partes eâ intemperie facilè corripiantur, ad quam naturalem inclinationem habent: signa intemperiei testium è Galeno subiungere libet. Ita autem ille, *Artis medic. cap. 45. & seqq.* Temperaturarum verò, ait, testiculorum calida quidem ad venerem procliuis, & masculorum generatrix, & fœcunda, celeritérque genitales partes obsepit pilis, simul autem circumiacentes attingit partes. Frigidior verò contraria efficit. Et humida quidem multo & humido semine abundat; sicca paucum, & modicè crassum generat semen; calidior verò & siccior, & crassissimum semen habet, & fœcundissima, ac celerrimè ab initio protinus ad coitum animal excitat, & his genitales partes citissimè hispidæ fiunt, atque omnes, quæ circumstant, supra quidem vsque ad regiones, quæ ad vmbilicum sunt, infra vero vsque ad media femora. Petulca igitur est & ad libidinem prona huiusmodi temperatura, statim verò satiatur & offenditur. Si autem humiditas caliditati coniungatur, hirsuti quidem tales minus, plus verò semine abundant, non tamen plus cæteris appetunt, sed minori detrimento præter modum venereis indulgent. Quod si satis excreuerint & caliditas & humiditas, non sine detrimento à venereis abstinent. Si verò frigidiorem & humidiorem temperiem testiculi habuerint, partes circumpositæ glabræ sunt, & tardè rem veneream exercere incipiunt, neque proni ad actum huiusmodi sunt, aquosum verò & tenue ipsis semen, & parum fœcundum, & fœminarum generatiuum, vel omnino non generans. Frigidior verò & siccior temperatura similis quidem in reliquis est ante dictæ, crassius verò in ipsa semen existit, atque omnino paucum.

#### *Prognostica.*

1. Intemperies equidem testium ex se mortem non inferunt; cum etiam citra hominis interitum exscindi possint: ad generationem tamen multum faciunt, & alia incommoda afferunt. Frigiditas enim & siccitas testium sterilitatis caussa est, caliditas verò cum ad venerem nimis stimulet, à bonis meditationibus animum abstrahit, & vel infelicis vitæ, vel intempestiuæ senectutis causa est. *Prognostica.*

2. Corrigitur autem facilius caloris excessus, quàm frigoris, qui & plus damni affert, & caloris natiui defectus difficulter curatur.

#### *Indicationes & Curatio.*

*Intemperies calida* testium medicamentis refrigerantibus curatur, cùm internis tum externis. Exhibenda medicamenta è *lactucâ, violis, rosis, nymphæa, endiuia, portulacâ, papauere, sem. frig. maj.* syrupi scilicet conseruæ aquæ, emulsiones ex his paratæ. *Indicationes & Curatio.*

Extra scrotum & partes vicinæ foueantur *aqua vel succo lactucæ, endiu. violar. vmbil. Ven. portulacæ,* vel inungantur *ol. rosar. violar. nymphææ, vng. rosac.* vel imponantur *folia recentia violar. nymph. viticis & vitis.*

Diæta medicamentis respondeat. Aër sit frigidior; cibus ac potus frigidus, ptisana nimirum, & alij cibi condiantur lactucâ, endiu. cichor. aceto, succo citri, limon. granat. Abstinendum à vino aut nonnisi ὀλιγοφόρον vel aquâ dilutum bibendum.

*Frigida* intemperies testium curatur calidis internis & externis. Interna sunt *Betonica, calamintha, maiorana, leuisticum, saluia, radices asparagi, eryngij, petroselini, fœniculi, dauci, sem. anis. fœnic. erucæ, napi, vrticæ, cicer. rub. pistacia, nuclei pini, nux mosch. Indica, caryophylli, cinamomum, piper,* *cubebæ*

*cubebæ* & ex his parata medicamenta. Inter quæ ſunt *ſpec. aromat. roſat. caryophyllat. diaſatyr. diambra, diamoſchum dulce.*

Externa medicamenta ex iiſdem parantur,& propter ea teſtes fouendi ſunt decocto modò enumeratarum plantarum facto in vino generoſo vel Hippocratico,vel inungendi *ol.nard.coſtin.nuc. moſch. caryophyll. macis, cinam.de piper.de formic.ex piſtaceis,moſcho,ambra,zibetho,* quod & ſolum illitum teſtes potenter calefacit.

Victus ratio ſit calida, Aër ſit calidus, teſtéſque à frigore externo pannis, pellibus, aliiſque tegumentis defendantur. Cibi ſint boni ſucci & multi nutrimenti, moderatè calidi & humidi, oua ſorbilia, carnes boni ſucci. Si ſint medicamentoſi, teſtibus familiares & amici ſint, quales ſunt fœnic.anethum, apium, cicercs rubri, bulbi, cepæ, rad. napi: & quidem herbæ commodius virides adhuc vſurpantur; ſiccæ enim plus quàm oportet calefaciunt & ſiccant. In ſecundâ menſâ dentur pineæ, piſtacia, auellanæ. Corpus moderatè exerceatur.

Si *humida vel ſicca* intemperies in teſtibus deprehendatur,corrigitur ea medicamentis humectantibus & ſiccantibus, qualia è calefacientibus & frigefacientibus modò propoſitis facilè eligi poſſunt.

## CAPVT II.

### *De Teſtium numero vitioſo, & calculis in iis repertis.*

*Teſtium numerus vitiatus.*

TEſtes numero duo ſunt ſecundum naturam, vnde etiam δίδυμοι dicuntur. Aliquando tamen nulli,aliquando pauciores, aliquando plures reperiuntur. Qui teſticulis carent, Eunuchi dicuntur:quorum alij ita nati ſunt, alij exciſione teſtium tales facti, & quidem alij in pueritia ſtatim, alij grandiores iam facti.

Aliqui vnum ſaltem teſticulum habent, & quidem alij ita nati ſunt, aliis alter exciſione ademptus eſt, id quod interdum in hernia fieri ſolet.

Contra compertum,quoſdam tres teſticulos habuiſſe, idque nonnullis familiis proprium eſt, & ſingularis libidinis argumentum. Agathocles, Siciliæ Tyrannus, à Timæo τριόρχης dictus eſt, vt refert Cæl. Rhodigin. *antiq.lect.lib.*24. *cap.*4. Idem ſcribit, *ibidem*, Bergomi in familia illuſtri Coleonum multos habere tres teſticulos, & Franc. Philelpho totidem fuiſſe; & Fernelius, *lib.* 1. *patholog. cap.* 8. refert, ſe nouiſſe tertium teſticulum omnibus quibuſdam familiis ſuperabundaſſe. Tertium etiam teſticulum in quodam libidinis immoderatæ obſeruauit Montuus, vt *cap.*37. *tom.*4. *Anaſceu.morbor.* ſcribit: & in puero Typographi cuiuſdam tertium teſticulum ſe vidiſſe refert Scholiographus, *ad cap.*62.*lib.*1. *de morb.intern.Hollerij*; & Foreſtus,vt *lib.*27.*obſ.*15.*in ſcholio* refert, nouit ciuem Antuerpianum, qui tres teſticulos habebat & valde luxurioſus erat.

Talia autem vitia ipſis ſenſibus patent. Et quidem teſtium defectus virilitatem maſculis adimit: vnum tamen teſtem habentes generâſſe, compertum; qui verò tres teſticulos habent, libidinoſi ſunt.Et cum vitia hæc vel ab ipſa natura proueniant, vel arte inducta ſint, curationem non ſuſcipiunt, aut ea non neceſſaria eſt.

### *Lapides in teſtibus.*

*Lapides in teſtibus.*

Tophos in teſticulis interdum reperiri ſcribit Paulus Ægineta,*lib.*6.*cap.*63. Et Monſpelij in cadaueris cuiuſdam diſectione teſticulos lapillis plenos inuentos fuiſſe Geſnerus, *de foſſilib.cap.*11. ſcribit. Reperit quoque Fel. Platerus lapidem in teſtibus, vt alij quidam, quorum obſeruationes collegit Schenckius, *lib.* 4. *obſeruationum.* Generantur autem tales calculi procul dubio, cum ſerum impurum, & calculo generando aptum ſanguini, qui ſeminis materia futurus eſt, permiſcetur, & cum eo ad teſtes defertur, ibíque in lapidem coagulatur.

## CAPVT III.

### *De Teſtium magnitudine vitioſa, inflammatione & tumoribus aliis.*

*Teſtium magnitudo vitiata.*

TEſticulos & mammas aliis vtroſque, aliis alterutrum duntaxat immodicè increuiſſe refert Galenus, *lib.de diff.morb.cap.*9. Quod vitium ſi naturale ſit, corrigi vix poteſt. Si tamen teſtium nimis increſcentium magnitudine minuere velimus,epithemata imponantur ex ſucco vel aquâ plantaginis,roſar. ſemperuiui, cydoniorum, aceto roſac.

*Teſtium tabes.*

Contra interdum præter naturam teſtes planè contabeſcunt, cuius rei exemplum affert Vidus Vidius, *lib.*11. *de curat. membrat. cap.*2. de monacho quodam in agrò Barcinonenſi, cuius teſtes, etſi in adoleſcentia moderatam magnitudinem à natura eſſent adepti, nihilominus proceſſu temporis, ob votum caſtitatis inuiolabiliter ab eo multis annis obſeruatum ferè penitus contabuerant, vasáque ſpermatica eiuſdem adeo exaruerant, vt cum eius cadauer poſt mortem ſecaretur, exſiccatorum neruorum ſeu durorum ligamentorum potius imaginem præſeferent.

### *Inflammatio teſtium.*

*Inflammatio teſtium.*

Præter naturam verò teſtes variis modis intumeſcunt; inflammantur enim: & aliis tumoribus corripiuntur.

### *Cauſſæ.*

*Cauſſæ.*

Et primò inflammationem quod attinet, teſtes, vt aliæ corporis partes, interdum inflammantur, ſanguine ad eos præter naturam confluente: id quod accidit, vel ſponte eò ruente ſanguine, vel ex percuſſione aut colliſione,equitatione dura,aut ab alia cauſsâ externâ ſanguinem attrahere potente eò attracto. Et quidem teſtes nunc ſoli inflammantur, nunc ſimul ſerotum, de cuius inflammatione poſtea dicetur.

### *Signa Diagnoſtica.*

*Signa.*

Cognoſcitur autem inflammatio teſtium, quod teſtis, quam ſecundum naturam, eſt tumidior & durior, dolor in eo percipitur, & præcipuè ſi digitis prematur, adeſt rubor atque calor. Quæ omnino, ſi ſcrotum ſimul inflammatur,ſunt manifeſtiora.Febris etiam plerumque adeſt.

### *Prognoſticum.*

*Prognoſticũ.*

Malum hoc eſt non contemnendum; cum teſtes non ad ſpeciei conſeruationem ſint neceſſarij, iiſque valde læſis facultas generatrix lædi ſoleat, ſed etiam interdum gangræna ſuccedere ſoleat. Plerumque tamen ea ſcrotum facilius, quàm teſtes corripit.

### *Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & Curatio.*

Teſtium inflammatio ſecundum communes aliarum partium inflammationis curandi leges & ipſa curanda. Nimirum ſanguis, qui ad ipſos præter naturam fluit, repellendus,intercipiendus,reuellendus; deinde qui influxit diſcutiendus, aut ſi ſuppuratio prohiberi non poſſit, ea promouenda.

Principio ergo ſtatim ſanguinis vena in cubito ſectâ reuel

reuellendus. Postea etiam venæ, quæ in poplite vel malleolo est partis affectæ, aperienda.

Licet quoque post venæsectionem altero die cucurbitulas cum scarificatione coxis ad deriuationem imponere.

Si etiam alij humores, præcipuè biliosi, in corpore peccant, qui forsan fluxui sanguinis occasionem præbent, & ij euacuandi.

Simul statim repellentia adhibenda, testésque inuoluendi cataplasmate, ex farina hordei, fabar. pulu. rosar. rubr. mirtyll. balaust. coctis in vino rubro vel aq. chalyb. addito ol. ros. & myrtillorum.

Vel epithema imponatur ex succo vel aqua rosar. plantaginis, mucilag. sem. psylij, cydonior. cum aqua rosar. extractâ, cum ol. rosac. & cerussa mixtis.

Quæcumque autem medicamenta testibus applicentur, ligatura semper versus superiora tendat, vt testes minus dependeant. Ita enim fluxus ad locum affectum minus fiet.

Ad intercipiendum verò sanguinis fluxum ad latus pubis, vbi venæ & arteriæ ex abdomine ad testes & scrotum tendunt, intercipiens & defensiuum medicamentum imponendum, ex far. hord. rosar. rubr. bolo masticheˢ cum aqua rosar. & albumine oui; vel vnguentum Comitissæ, vel emplastrum ad herniam.

Temporis progressu repellentibus ad dolorem leniendum admisceantur digerentia, fiántque linimenta ex ol. rosac. vnguento popul. dialthæa, & ol. chamæmelino.

Tandem ad digerendam materiam vsurpetur sem. lini, fœnigræc. flor. chamæmeli, meliloti, vt ex aliarum inflammationum curatione notum est.

Ad testium inflammationes etiam commendatur verbena recta in ol. cocta, vini particula adiecta. Laudatur & cataplasma ex fabâ Ægyptia decorticata cocta & cum melle mixta. Vt alterum ex pane cum ol. & aqua, interdum etiam cum mulsa paratum. Vtile etiam est diachylum cum ol. ros. subactum.

Aëtius hoc ceratum commendat.

℞. *Ceræ, resinæ pini, ol. aneth. narcisci* an. Vnc. x. *Cymini, fimi asini pilas* iij.

Fimum asini torrefactum cribrato cyminúmque admisceto, deinde cera liquefacta & alia admisceantur.

Si dolor valde vrgeat, leniendus refrigerantibus & laxantibus.

Vt ℞. *Malu. violatriæ, solani* an. M. j. *furfur.* pug. ij.

Coquantur & parti applicentur.

Vel ℞. *far. hord.* Vnc. ij. *sem. lini, fœnigræci* an. Vnc. j. *maluæ, bismlau. ad mollitiem coctar.* an. M. ß. *pingued. porci, ol. viol.* an. q. s.

F. Cataplasma.

Si hæc non sufficiant, cataplasmate ex foliis hyoscyami coctis & contusis vtendum.

Si inflammatio in suppurationem conuertatur, ea adiuuanda, & abscessus maturus manus operâ aperiendus, tandémque mundandus ac consolidandus aliorum tumorum more.

### *Inflatio testium.*

*Inflatio testium.* Testes etiam aliquando intumescunt, & inflantur sine febre, flatibus crassis eos distendentibus.

Curatur autem inflatio testium per medicamenta flatus discutientia. Applicetur ergo testibus fimus columbinus cum far. fabar. & axung. porcina cum vino mixtis. Nonnulli folia hyoscyami ad inflationem testium & simul dolorem sedandum commendant. Alij origanum in aceto vel vino coctum & contusum, vel decoctum eius fomenti loco vsurpant.

Vel ℞. *Pulu. rad. althææ*, Vnc. ß. *far. fab. sem. lini, fœnigræci* an. Vnc. j. *cumini* Vnc. ß.

Coq. in vino & addito *ol. aneth.*

F. Cataplasma.

Vel ℞. *Pulu. flor. chamæmel. meliloti, far. fab.* an. Dr. vj. *stercor. caprini. bacc. laur.* an. Vnc. ß.

Cum *vino & ol. aneth.*

Misce.

F. Cataplasma.

Vel ℞. *furfur. tritici cribrati* M. ij. *far. fabar.* Vnc. j ß. *pulu. sem. cumini* Vnc. ß.

Cum *vino dulci & ol. aneth.*

F. Cataplasma.

### *Tumores duri, frigidi & scirrhi testium.*

*Tumores testium duri, frigidi, & scirrhi.* Non solùm autem inflammantur & inflantur testes, sed & aliis tumoribus corripiuntur, iisque etiam sæpe scirrhosis. Quod accidit, vbi humores in inflammatione non discutiuntur, neque etiam in pus mutantur, sed in testibus hærent, atque ibi indurantur; aut etiam aliàs frigidi & crassi humores ad testes fluunt, ibíque indurantur.

Cognoscitur hic tumor & visu & tactu, éstque sine dolore, vel cum exiguo, ac sine calore & febre.

Testium autem tales tumores difficulter curantur. Pars enim hæc laxa est, & facilè excrementa suscipit, & recepta retinet in inuolucris illis, quibus testes teguntur.

Curantur verò, vniuersalibus præmissis, hi duri testium tumores emollientibus & discutientibus. Talia sunt, *rad. althææ, farina sem. lini, tritici, passulæ.* Commendatur & rad. lactucæ ex mulso cocta, aut cum farin. hord. & sem. lini ac fœnugræci mista. Vtile est etiam ol. amygd. amarar. irinum, anethinum, vng. dialthææ, Martiatum, emplast. diachyl. simpl. & comp.

Vel ℞. *far. fabar.* Vnc. j. *sem. lini* Drach. ij. *empl. diachyl. simpl.* Vnc. j. *ol. melilot.* Vnc. j ß. *aneth. chamæmel. hyoscyam.* an. Vnc. j. *sem. cumini* Drach. j.

Coq. ad consist. ceroti molliot.

Vel ℞. *fol. caulium. hyoscyami* an. M. j. *ficus* num. v.

Coq. ad mollitiem, & per setaceum traiiciantur, quibus adde

*Far. fabar. sem. lini, fœnigræci, pulu. flor. chamæmel. chamæmel.* an. Vnc. ß. *adipis renum capræ q. s.*

F. Cataplasma.

Vel ℞. *rad. mandrag. recent.* ℔. ß. *hyoscyam. & alkekengi* an. M. j.

Coq. in sapa ad mollitiem, & per setaceum traiiciantur, quibus adde *opopanacis* Vnc. j. *ceræ parum.*

Misce ad formam emplastri.

Vel ℞. *Emplast. diachyl. simpl. & cum gummi* an. Vnc. j. *ammoniaci vel bdellij* Vnc. ß.

Quibus addere licet quoque semen & folia hyoscyami. Efficacissimum est hoc.

℞. *rad. Althææ, hyoschyami, halikacabi* an. M. j. *rad. mandrag. recent.* ℔ ß.

Coq. in s. q. sapæ & contundantur ac per cribrum traiiciantur.

Postea adde *opopanacis, bdellij, ammoniaci in vino liquator.* an. Drach. vj. *styracis* Drach. iij.

Atque addito *ol. melino* F. Cataplasma, aut *cera*, emplastrum; quo medicamento, nisi scirrhus testium emolliatur & discutiatur, frustra alia tentantur.

Si in pus talis tumor mutetur, pus non diu in teste relinquendum, ne eius substantiam corrumpat & vlcus insanabile vel gangrænam excitet. Ideóque commodissimum est, testem tum exscindere.

Sunt & alij testium tumores, de quibus postea, *cap. 7.* inter herniæ species dicetur.

## CAPVT IV.

### *De Situ testium mutato.*

*Situs testium mutatus.* TEstes etiam situm quandoque quasi mutant, & nimis penduli fiunt: quod fit interdum ex nimia equitatione, interdū ex natatione in aquâ frigida, interdum ex

ex materia frigida ligamenta, à quibus pendent, seu cremasteres laxante; quod accidit in morbis grauioribus & virium debilitate; ac testes penduli virium debilium sunt indicium.

Corpus si opus sit, conueniente modo purgandum, & postea exsiccantia calida, si ab humoribus frigidis sit laxatio, non solum testibus & pubi, sed & ossi sacro imponenda, ex saluia, betonica, maiorana, primula veris & similibus.

Interdum contra testes versus abdomen retrahuntur, vt bubonocelen quasi mentiantur. Interdum etiam planè in abdomine reconditi sunt. Idque nonnullis naturale est & nullo modo curari potest.

Interdum quoque accidit hoc ab inflamatione ligamentorum aut distentione neruorum. quod vbi euenit, emollientia & laxantia vsurpentur.

## CAPVT V.

### *De Vulneribus, Vlceribus, Cancro & gangræna testium.*

#### *Vulnera testium.*

*Testium vulnera.* VVlnerantur interdum testes: quod sanè periculo non vacat ob grauia, quæ subsequi solent, symptomata. Ita refert Matthæus Glandorpius, *in speculo chirurgico, obseru.37.* Iuueni cuidam dextrum testiculum frameâ transfactum fuisse, vt in maximam auctus fuerit molem, & dolor ac delitia successerint.

Easdem curandi Indicationes & leges habent testium, vt aliarum partium, vulnera.

Iuuenis cuius modò facta est mentio, curatus fuit, vena tali incisâ (potest etiam primum in brachio, si opus sit, vena aperiri) & clystere iniecto, testiculus etiam, vt & totum scrotum cum pene & pectine, inunctus fuit oleo rosaceo, & impositum cataplasma digerens ac roborans, adhibitúmque emplastrum diapalma.

#### *Vlcera testium.*

*Testium vlcera.* Interdum post inflammationem relinquitur vlcus in testibus: nonnunquam & scroti vlcera testibus communicantur.

Sunt autem hæc vlcera valde periculosa, vtpote in loco humido, & sæpe in cancrum abeunt, aut in gangrænam terminantur.

Vt verò, si possibile sit, rectè curentur, primò corpus conuenienti modo purgandum: deinde vlcus mundandum vnguento Apostolorum, adiecto vnguento Ægyptiaco. Lauandum etiam vlcus decocto rosar. balaust. myrtillor. cum modico thuris in aq. plantag. & vino rubr. facto.

Deinde ℞. *Tutiæ præpar. minij, plumbi vsti, antimonij* an. Drach.ij.
Cum *ol.myrtin. & cera*
Fiat Vnguentum.
Vel vsurpetur istud Gordonij.

℞. *Litharg. ceruss. cadmiæ, acaciæ, cortic. granat. sang. dracon. tutiæ* an. Drach.ij. *aloës, sarcocollæ, thuris, aluminis* an. Drach.j.
Puluerisatis adde *ceræ & ol.q.s.*
Fiat vnguentum.
Vt postea vlcus carne claudatur,

℞. *Aloës hepaticæ, sarcocollæ, anethi combusti, thuris, lap. hæmatitæ* an. Drach. ij. *alumin. vsti, flor. æris* an. Drach ß.
Cum *ol.rosar.*
F. Vnguentum.

Cicatrix tandem inducatur vnguento de minio, vel alio conueniente emplastro.

#### *Cancer testium.*

Vlcera testium in cancrum sæpe abeunt. Habet eius rei historiam VVierus, *in obseruat.* talem. *Cancer.* Iuuenis quidam Nobilissimus cùm ex intempestiua Venere & assiduâ equitatione testium debilitatem contraxisset, & præterea lue Venerea laborasset, in herniam varicosam & sinistri scroti tumorem incidit. Quam cùm chirurgi emollientibus curare tentarent, paucorum mensium spatio supra testem leue tuberculum, rubore aliquo tinctum, apparere cœpit, quo aperto nihil effluxit, nec vllum latentis in eo humoris indicium apparuit. In medicamentis ergo, quæ emollirent, putrefacerent ac pus generarent, perseueratum est, donec se ostentaret latens cancer, qui breui tanto furore efferbuit, vt ater teterrimo cum fœtore & frequenti sanguinis fluxu tumoris multam partem depasceretur atque exederet, ægróque tandem mortem afferret. Qui ante mortem valde deplorauit, quod VVieri consilio non esset obsecutus, qui suaserat, vt ab emollientibus, quibus cancer exasperatur, abstineret, & potius per leniter refrigerantia & exsiccantia incrementum mali prohiberet.

#### *Gangræna testium.*

Tandem etiam testes ex inflammatione & vlceribus *Gangræna.* planè corrumpuntur, & gangrænam contrahunt. quod malum ferè lethale est, eiúsque rei exemplum habet Forestus, *lib.27.obs.6.*

## CAPVT VI.

### *De Scroti morbis.*

SCrotum, quod est testium receptaculum & externum *Scroti morbi.* tegumentum, & ipsum aliquos morbos patitur; præcipuè verò inflammatur, vulneratur, excoriatur & exulceratur, ac gangrænâ corripitur.

#### *Inflammatio Scroti.*

Inflammatione interdum corripitur scrotum, & *Inflammatio.* quidem nunc solùm, testibus saluis, sæpissime testibus simul inflammatis.

Caussæ inflammationis sunt eædem, quæ in testiculorum inflammatione sunt propositæ. Nonnunquam tamen etiam in febribus, & præcipuè malignis, inflammatio testium succedit, naturâ vitiosos humores eò detrudente.

Inflammatio autem hæc facilè patet. Scrotum in tumorem attollitur, adest durities, rubor & calor, dolor lancinans, qui leui contactu exasperatur, febris plerumque comes est.

Inflammatio scroti periculo non vacat. Cum enim sit in loco humido, facilè in gangrænam mutatur, vt postea dicetur.

Curandi ratio est eadem, quæ testium inflammatorum.

#### *Vulnera Scroti.*

Vulneratur etiam scrotum. Et si solum, testibus sal- *Vulnera.* uis, vulneretur, facile, vt alia vulnera, curatur. Si verò testes simul lædantur, curandum vulnus, vt *cap.præcedente* dictum.

#### *Excoriatio Scroti.*

Excoriatur interdum scrotum epidormide erosâ, quod *Excoriatio.* infantibus sæpe accidit à lotio. Idem tamen & adultis ex eadem caussa euenit, si vrinam in lectum emittant.

Curatur

Curatur in infantibus pompholygis ſeu nihili albi aſperſione & linteis mundis ac ſiccis ſæpe appoſitis.

Vel ♃. *Vng.de ceruſſ.* Vnc.ß.*litharg.*Drach.j.*ol.roſac. parum.*

F. Vnguentum.

Vel myrtus arida ſubtiliſſimè trita & cribrata, adiecto thure vel myrrha aut lapid. calaminari, aſpergatur.

*Vlcera Scroti.*

*Vlcera.* Exulceratur quoque ſcrotum, ab affluxu humorum acrium, vel poſt inflammationem; & quidem vel ſolum, vel cum teſticulis.

Curatur autem iiſdem remediis,quibus teſtium vlcera.

*Gangræna Scroti.*

*Gangræna.* Poſt inflammationem quoque interdum gangrænâ corripitur ſcrotum. Ita memini anno 1603. hic ciui cuidam, qui febre maligna laborabat, ſubitò materiam ad ſcrotum detruſam fuiſſe, atque hinc eius inflammationem excitatam,eamque vnica die in gangrænam mutatam, totumque ſcrotum vſque ad abdomen eâ correptum fuiſſe: quod cum Cheirurgus ſectione demeret, teſticuli nudi conſpiciebantur: qui tamen idoneis medicamentis adhibitis & gangræna ſedata, carne à vicino abdomine ſuccreſcente obducebantur, vt teſticulus vterque vna carne obductus pomi figuram referret. Vir hic diu vixit & ſenex euaſit. Similem hiſtoriam ex D. Petro Holzheimio refert Glandorpius, *in Speculo Cheirurg. obſerv.*38.

Gangræna hæc non ita periculoſa eſt, vt aliarum partium. Idoneis enim, quæ ad grangrænam ſolent, adhibitis medicamentis, natura ipſa circa abdomen putridum à ſano ſeparat, & quod corruptum eſt, facilè à cheirurgo demi poteſt.

---

## CAPVT VII.

### *De Hernia & Scroti tumoribus.*

*Hernia Scroti.* INſignis verò ſcroti morbus eſt, qui ab inteſtinis omentoque ex abdomine in ſcrotum delapſo,vel flatu aut aqua in eo collecta, vel etiam carnea quaſi maſſa in eo genita excitatur,ſcrotumque inde in tumorem attollitur. Tumores hos pro diuerſitate cauſſarum,Græci, vt poſtea dicetur, nominibus diſtinguunt. Latini autem indecoro, ſed communi herniæ nomine appellant, vt ſcribit Celſus, *lib. 7.cap.*19.Herniæ enim Sabinorum lingua Saxa dicuntur: quod nomen proculdubio ideo hiſce tumoribus ſcroti tribuitur, quod inſtar ſaxi duri ſint. Etſi verò de Hernia propriè dicta ſupra, *part. 2. cap.*6. vbi de ſitu inteſtinorum mutato tractauimus, egerimus: tamen hîc de eâdem, vt morbus & tumor eſt ſcroti proprius, etiam agendum. Ea tamen,quæ loco allegato dicta ſunt,hic non repetemus. Equidem herniæ propriæ dictæ nomen præcipue ἐντεροκήλη, & ἐπιπλοκήλη, de quibus *loco allegato* actum, competit. Verumtamen aliis etiam ſcroti tumoribus idem tribuitur, & herniæ nomine etiam comprehenditur πνευματοκήλη, hernia ventoſa, ὑδροκήλη, hernia aquoſa, σαρκοκήλη, hernia carnoſa, κυρσοκήλη, hernia varicoſa. Etſi enim κήλη apud Veteres omnis tumor, quacunque parte eſſet, diceretur: poſtea tamen in ſpecie vſurpari cœpit de ſcroti tumoribus modò dictis. Cum autem, vt dictum, de enterocele & epiplocele ſupra actum ſit: reſtat iam, vt hic agamus de hernia ventoſa, aquoſa, carnoſa & varicoſa.

*De πνευματοκήλη ſeu hernia ventoſa.*

*Pnematocele.* Πνευματοκήλη ſeu hernia ventoſa aut flatuoſa eſt tumor flatulentus in ſcroto; & ſolet aliquando cum hydrocele, aliquando etiam ſine eâ inuadere.

*Cauſſæ.*

*Cauſſa.* Cauſſa eius continens ſunt flatus; qui vel à vicinis inteſtinis & abdomine tranſmittuntur, vel ob debilem partis calorem in eo colliguntur;& omnia quæ ad flatus generandos faciunt,quæ alibi ſunt explicata,etiam hic locum habent. Eſtque hoc malum pueris ſatis familiare.

*Signa Diagnoſtica.*

*Signa.* Cognoſcitur pneumatocele, quod ſcrotum,& interdum etiam vnà teſtes, valdè diſtenduntur ſine pondere & grauitate, flatuſque, ſi manibus ſcrotum premitur, deprehenditur, & de loco in locum mouetur cum ſono.

*Prognoſticum.*

*Prognoſticū.* Leuiſſima autem & curatu facilima eſt inter reliquas hæc herniæ ſpecies; cum flatus facilius, quàm aliorum tumorum in ſcroto cauſſæ, tollantur.

*Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & Curatio.* Curatur verò, vniuerſalibus præmiſſis, & materia vnde flatus generantur,euacuatâ, flatus diſcutientibus remediis, iiſdemque, quibus in colica à flatu vtimur, nim. flor. chamæmel, meliloti, ruta ſem.cymini,carui, anethi, milij, bacc. lauri.

Corpore ergo euacuato talis clyſter iniiciatur, præcipuè ſi flatus ex abdomine ſuppeditantur.

♃.*Rutæ* M.ß.*flor.chamæmel. melilot. ſem.anethi* an.M.ß. *carv.cumini, lini* an. Drach. ij.

Coq. Colat. ♃. ℔j. *electuar. bened.laxat.* Drach.j.*de bacc.laur.*Vnc.ß.*ol. rutac. aneth.*an.Vnc.jß.

F. Clyſter.

Deinde ventri toti imponatur ſacculus ex floribus chamæmeli, meliloti,ſem.milii, cymini, carui,anethi.

Exhibeantur etiam flatus diſcutientia, galanga, cyminum,caryophylli, theriaca, Mithridatium, aqua zedoariæ,flor.chamæmeli & alia, quæ in colica flatulenta exhiberi ſolent,

Ipſi verò ſcroto talis fotus adhibeatur.

♃. *Origani, calaminth. rutæ,flor.chamæmel.melilot.*an. M.j. *ſem.carui, cumin. anethi* an. Drach. ij.

Coquantur in vino pro fotu.

Poſtea inungatur ſcrotum *ol.rutæ,chamæmel.anethino, cheirino, laurino, coſtino, ſambucino.*

Vel imponatur cataplaſma ex farina fabarum, lupinorum, ſem.cumini carui, flor. chamæmel. meliloti.

Vel ♃. *Fimi vaccini* ℔ij. *ſulph. viui, ſem. cumini* an. Vnc. ij.

Miſce & cum ſ.q. *melli & ol.anethin.*

Fiat cataplaſma.

Vel imponatur emplaſt. è bacc. lauri vel meliloti.

In pueris autem & tenellis corporibus olea dicta ſufficiunt cum aliquot guttis, aquæ vitæ;vel emplaſtra in olei diſſoluantur.

Abſtinendum à cibis omnibus, è quibus flatus generantur.

*De Hydrocele, ſeu hernia aquoſa.*

*Hydrocele.* Hydrocele eſt tumor ſcroti ab aqua in eo collecta; & accidit hîc tumor frequentius cum hydrope Aſcite, aliquando etiam ſine eo.Colligitur autem aqua vel inter erythroidem tunicam, & darton dictam tunicam, vel extra ipſam, inter eam & pelliculas adiacentes, vel in propria pellicula continetur, atque hoc genus herniam in tunica ſuperagnata vocamus. Aliquando verò

duplex hernia oboritur, cum materia aquosa & intra tunicam darton dictam, & in superagnata consistit, vt Aëtius, *tetrab.* 4. *serm.*2.*cap.*22.scribit. Et quidem aliquando solùm aquâ scrotum distenditur, aliquando etiam flatus coniunguntur, vt in hydrope quoque fieri solet. Interdum etiam carnosa quædam substantia circa vasa spermatica concreta aquâ tecta latet, quæ, scroto aperto, paulò post in cancrum malignum degenerat, cuius rei duo exempla recenset Guilielmus Fabricius, *cent.* 4. *observ.* 65. & 67. Vbi enim serosus humor acris est, venas capillares membranasque leuiter erodit, hinc pars illa sanguinis, quæ paulatim exsudat, in carnem concrescit, reliquum verò, quo serosum est, scrotum ita extendit, vt caro tactu explorari non possit. Idem etiam, *obseru.* 65. refert, iuuenem sibi oblatum fuisse, quem cùm ipse, & alij Medici ac chirurgi solum aquosa hernia laborare putarent, nihilominus cùm caustico scrotum aperuisset, præter aquam etiam carnem quandam & induratam materiam circa vasa spermatica inuenta fuisse. Etsi verò metueret, ne cancer suboriretur, tamen cum perpenderet ætatem iuuenilem, constitutionem corporis aliàs optimam & sanam, leniter emollientia & discutientia applicauit, è quorum vsu cùm malum non ingrauescere, sed potius duritiem decrescere videret, ad fortiora peruenit, & ita malum curauit.

*Caussæ.*

Caussæ. Aqua autem hæc rarò in ipso scroto generatur, sed ex abdomine affluit, in quo iis de caussis, quæ in hydrope sunt expositæ, colligitur. Et licet interdum nondum hydrops adsit: tamen aliquid aquæ in abdominis cauitate colligitur, quæ sensim in scrotum descendit; etsi tanta eius copia nondum sit, vt ventrem totum in tumorem attollere possit. Nonnulli quidem statuunt, si hydrops nondum coniungatur, destillare serosum eiusmodi excrementum in scrotum è vasis vrinariis illud ad vesicam deferentibus, si in earum tunicis raritas aliqua, vel à naturæ primordiis facta sit, vel processu temporis ob vim acrioris vrinæ superuenerit, ob quam aliquæ eius guttæ assiduè transsudent, quæ facilè sibi aditum parare possint ob suam tenuitatem & loci propinquitatem ad testes & scrotum. Verum tunicæ illorum vasorum satis sunt densæ, vt non sit credibile, vrinam per illas transsudare posse.

Vero magis consentaneum est, si accidat hydrocele sine hydrope, aliquid humoris aquosi in abdomine cumulari, & hinc ad scrotum mitti, vel etiam à rene, vt mox dicetur, descendere, vel in ipso scroto ob partium imbecillitatem, imprimis accedente caussa externa, vt percussione vel compressione, humorem aquosum colligi, præcipuè si sanguis ille, qui per vasa spermatica ad testes defertur, sit aquosior.

Tumor autem nunc totum scrotum, nunc dextram vel sinistram eius partem occupat. Et quidem cum scrotum vno saltem latere intumescit, citra externam causam, humor non est in scroto, sed in membrana erythroide testen continente. Et tunc nunquam dexter testis intumescit, sed saltem sinister, idque ob renem sinistrum malè affectum accidit. Cum enim sinistræ partis seminalis vena non ex caua, veluti dextra, oriatur, sed ab emulgente sinistri renis procedat, si ren sinister malè affectus sit, nec officio suo rectè fungantur, pars vrinæ cum per renem malè affectum descendere non possit, per seminalem venam in tunicam erythroidem delabitur, & tantus tumor interdum excitatur, qui etiam caput humanum sæpe æquat.

*Signa Diagnostica.*

Signa. Tumor ipse oculis patet. Esse a. eum ab aqua, à fluctuatione, quæ, dum tumor premitur, animaduertitur, cognoscitur. Præterea scrotum lucidum quasi apparet & præcipuè si candela ei opponatur, ægerque de pondere & grauitate conqueritur: neque etiam tumor per compressionem in abdomen recedit, vt in hernia ab intestinorum prolapsu fieri solet, sed semper ferè eiusdem magnitudinis apparet. Vbi testes soli intumescunt, scrotum adhuc rugosum aliquo modo apparet; quod non accidit, vbi aqua inter scrotum præcipuè continetur.

Quo in loco verò, & inter quam tunicam humor aquosus contineatur, sic cognoscitur. Si inter erythroidem tunicam contineatur, tumor erit rotundus, paulò longior, oui instar, testiculusque ibi visui & tactui occultatur, scrotumque ipsum albidius est, & nihil aut parùm intenditur. Si extra erythroidem tunicam sub darto lateat humor, testiculus tactui occurrit, scrotum magis intenditur. Si verò in superagnata tunica humor hæreat, tumor vndique conglobatus alterius testiculi imaginem refert.

*Prognostica.*

Prognostica. 1. Malum hoc pro caussarum varietate nunc magis nunc minus periculosum est. Quæ enim cum hydrope coniungitur hydrocele, non curatur, nisi hydrope prius curatâ, & eius caussa ablata. Nam licet aqua semel vel discutiatur, vel scroti apertione euacuetur: tamen noua rursum affluit. Si verò caussa aquam generans minus grauis sit, facilius curatur.

2. Qui à caussa externa est scroti tumor, non ita difficulter curatur.

3. Is, qui est in sinistro teste à sinistri renis vitio ortus, difficulter curatur, & nonnisi rene curato, quod sæpe impossibile est: & temporis progressu ab acrimonia humoris substantia testis corrumpitur, & immedicabile vlcus excitatur. Licet etiam testis sectione auferri possit, & ita tumor tolli: tamen postea humor, qui antea in testem descendebat, in corpore hæret & alia mala excitat. Ita refert Dodonæus, *obs.c.*49. Anglum quendam in grauissimum testis sinistri dolorem incidisse, qui nullis remediis leuari poterat. Cum verò vltimum remedium videretur sectio & testis ablatio, ea Antuerpiæ instituta est, quæ cum perageretur, hydrocelem latuisse deprehensum, cum copiosa in secantis faciem aqua exsiliret. Curatus verò & sanatus à vulnere paulò post de lumborum dolore & grauitate conqueri cœpit, in pube etiam circa cicatricem dolor cum tumore successit, & aliis accedentibus symptomatibus mors secuta Corpore aperto deprehensus ren sinister admodum, ac iusta quantitate maior, & substantia interiore haud parenchymatis colorem referens, sed candida, concreto ac indurato puri similis. E quâ obseruatione apparet, caussam tumoris aquosi testiculi sinistri fuisse renem signistrum malè affectum; Symptomatum verò superuenientium & mortis subsequentis testis exsectionem. Cum enim teste ablato serosus ille humor ad testem confluere amplius non posset, in corpore retentus symptomatum variorum & mortis caussa fuit.

*Indicationes & Curatio.*

Indicationes & Curatio. Curatio duobus perficitur, primò vt aquosi humoris generatio, & affluxus prohibeatur; deinde is, qui iam præsens est, in scroto euacuetur.

Quapropter si simul hydrops coniunctus est, curatio ad eum præcipuè dirigenda, & aquosi humoris generatio prohibenda: quod etiam faciendum, si sine hydrope, aqua in abdomine colligatur. Si verò sinistri testis vitium, sine hydrope tumoris caussa sit, ad sinistrum renem curatio est imprimis dirigenda. Et omnino cautè agendum, si hernia sit in sinistro teste, ne malo curato grauiora eueniant symptomata. Itaque si vitium aliquod insigne sit in rene, vel planè à curatione

ne abstinendum, vel scrotum tantùm in inferiori parte incidendum, vt serosus ille humor effluat. Imò interdum singulis annis id facere opus est. Ita refert Guilielmus Fabricius, *cent. 4. obs.* 66. Ioh. Griffonium Chirurgum Viro cuidam sexagenario propter herniam aquosam singulis annis scrotum parte inferiore perforâsse, & serosum humorem euacuâsse, ac postea vlcus ad cicatricem perduxisse, atque hominem istum ad summam senectutem peruenisse. Si verò in rene vitium non fuerit, & defluxum planè impedire libuerit, incisio in superiore parte scroti propè inguina facienda, vt non solum serosus humor euacuetur, sed prohibeatur etiam, ne rursus noua aqua in scrotum defluat, quod cicatrix in erythroide facta impedit. Cuius curationis exemplum *ibidem* habet Fabricius. Cum n. Vir quidam quadragenarius herniâ aquosâ in parte sinistra laboraret, corpore prius purgatô, egroque in sellâ collocato, scrotum in superiore parte vsque ad tunicam erythroidem incidit, ipsumque ex anteriore parte ab ipsa membranâ aliquantum separauit, & acu incuruatâ ac filo reduplicato vniuersam hanc tunicam (præter vasa seminalia) apprehendit, & mediocriter constrinxit atque ligauit. Postea ex inferiore parte ligaturæ membranam iam antè dictam secundum longitudinem incidit, & aquæ libras aliquot, sed paulatim, extraxit, deinde turundam satis longam albumine oui madefactam ad latus testiculi & inferiorem partem scroti versus infixit, & inguina ac ventrem infimum oleo rosaceo inunxit, & hapsum cannabis, vitello atque albumine oui cum paucâ aquâ rosaceâ conquassato madefactum applicuit.

Postero die hoc digestiuum apposuit.

℞. *Terebinth. lotæ* Drach. ij. *ceræ nouæ* Vnc. ß. *gummi elemi* Drach. j. *ol. rosac. amygd. dulc.* an. Vnc. ß. *de vitellis ouor.* Drach. ij.

Dissoluatur *gummi* lenissimo igne cum *oleis, terebinthina*, & *cera* separatim cum *pauxillo olei* liquefactis & additis, fiat vnguentum: tum admisce *vitellum oui vnius, croci* Scrup. ß.

Neque processum hunc, antequam vulnus probè esset digestum, mutauit. Tunc puluerem mundificatiuum vlceri & turundis quotidie inspersit, & vlcus per duos menses apertum tenuit, & corpus per interualla purgauit, vulnusque cicatrice obduxit. Ab eo tempo vir ille benè valuit, optimam tamen victus rationem obseruauit, & singulis annis aliquoties corpus purgauit.

Ipsam vero aquam in scroto contentam quod attinet, euacuatur ea vel insensibiliter, vel sensibiliter scroti apertione. Insensibiliter euacuatur per discutientia, de herniâ flatulentâ proposita, quæ tamen hic potentiora esse debent.

Qualia sunt, *farina fabarum, baccæ lauri, flores chamæmeli, meliloti, sem. dauci, fœnigræci, agni casti, cumini, carui, pulegium, calamintha, ruta, origanum, sulphur, nitrum, ammoniacum.*

E quibus fiunt *fomenta, cataplasmata, inunctiones, emplastra.*

Vel ℞. *Calaminthæ, origani, rutæ, flor. chamæmel. meliloti* an. Mj. *sem. dauci, carui cumini, viticis* an. Vnc. ß.

Contusa crasso modo coq. in *aqua s. q.* ad tertiæ partis consumtionem.

Vel ℞. *sem. cumini* Vnc. iij. *bacc. laur.* Vnc. ij. *salis* Vnc. jß. *sulph.* Drach. j.

Coq. *in lixiuio ad tert. part. consumpt.*

Colatura spongia imbuatur, qua scrotum foueatur. Post fotum imponatur hoc cataplasma.

℞. *far. fabar.* Vnc. iij. *sem. lini fænugræc. pulv. flor. chamæm. melilot.* an. Vnc. j. *cumini* Vnc. ß.

F. Cataplasma, cui, si libet, ol. chamæmel. & rutac. addatur.

Vel ℞. *Cochlear. cum testis contusar.* ℥iv. *bacc. laur. sulph.* an. Vnc. ij. Cum *s. q. lixiuij.*

F. Cataplasma.

Vel ℞. *far. fabar.* Vnc. iij. *pulv. flor. chamæmeli* Vnc. jß. *sem. cumini, sulph.* an. Vnc. j. *sterc. caprini* ℔ß.

Cum lixiuio fiat cataplasma.

Vel ℞. *Ol. irini, rutac. laurini* an. Vnc. iß. *bdellij vino soluti* Vnc. ß. *sulph. viui* Drach. ij. *sterc. caprini. q. s.*

F. Linimentum.

Vtile est etiam vnguentum Agrippæ & Arregon.

Vel fiat tale emplastrum.

℞. *ceræ* ℔j. *terebinth.* Vnc. iiß. *bdellij, ammoniaci* an. Vnc. ij. Misce.

F. Emplastrum.

Quod si insensibiliter aqua discuti non possit, sensibiliter euacuanda scroto aperto. Aperitur autem scrotum scalpello: quod quidem præsidium, si intra scrotum saltem aquâ contineatur, satis tutum & efficax est: si verò intra proprias testium tunicas delitescat minus tutum & efficax. Chirurgiam autem hanc integrè describit Paulus Æginetà, *lib. 6. c. 62.* Aëtius, *tetrab. 4. serm. 2. cap. 22.* Celsus, *lib. 7. cap.* 18 qui ibi videantur.

Potest etiam scrotum cauterio seu actuali seu potentiali aperiri.

Si cum hernia aquosa caro aliqua circa testiculum concreuit, cautè curatio instituenda, cum facilè malum in cancrum abire soleat. Cuius rei exemplum habet Dodonæus, *in observ. cap.* 40. Vir enim quidam generosus, cum hydrocele parte sinistra aliquoties laborâsset, aperiri scalpello tumorem sibi permisit. Effluxit citò omnis humor, tumor quoque subsedit. Sed cum testis ipse omninò esset corruptus, vicinas partes facile infecit. Subsecuta mox scroti vniuersi, ac etiam penis, cum tumore & ingenti dolore, gangræna, & tandem mors. Ideoque consultissimum est, scrotum incidere, ac testiculum & quicquid circa ipsum concretum est, separare atque exscindere, dummodò id fieri radicitus possit. Si enim scirrhosa illa materia processum iam occupat, & abdomini adhæret, frustra curatio instituitur. Si verò materia maligna non fit, vt curari possit, emollientibus id præstandum, vt supra ex Guil. Fabritio, *cent. 4. obs. 66.* dictum.

Ita etiam si testiculus ex aqua corruptus sit, quod ex fœtore & prauo colore aquæ cognoscitur, testis extrahendus est, vt in hernia fieri solet.

Recentiores hic adhuc vnam herniæ speciem addunt, quam humoralem vocant, eamque ab omnibus humoribus, excepta bile, prouenire statuunt. Verum si à sanguine sit hic tumor, & quidem cum inflammatione, pertinet ad inflammationem scroti & testium, de qua suprà dictum: aut si ex eo caro quædam concrescat, pertinet ad sarcocelem, de qua mox dicetur: si ab aqua est, est hydrocele: si ab humore aliquo crasso, & indurato, ad tumores frigidos & scirrhum testium pertinet, de quibus supra diximus. *Hernia humoralis.*

## *De Sarcocele seu hernia carnosa.*

Aliquando etiam quiddam carnosum in scroto nascitur, testibusque adnascitur, & scrotum in tumorem attollit, qui sarcocele seu hernia carnosa appellatur. *Sarcocele.*

### *Caussæ.*

Generatur autem hæc hernia ex sanguine impuriore ad testes & scrotum copiosius affluente, ibique in substantiam carni similem mutato. Huic autem sanguinis affluxui occasionem præbent, hernia intestinalis, ictus, percussio, lapsus, sectio ramicis non rectè instituta. Vt enim in arteribus, si cortex externus vulneretur vel contundatur, ex affluente alimento nodi fieri solent: ita etiam si membranæ vasorum rumpantur, vel contundantur, vt quidem sanguis non copiosius effluat, sed alimentum affluens sensim exstillet, ex eo talis caro à natura, quæ nunquam otiosa est, produci solet: Vbi tamen ipsa natura sæpe simul data via cum bono *Caussa.*

alimento vitiosos aliquos humores extrudit, eosque in talem luxuriantem carnem conuertit. Aliquando etiam materia hæc planè induratur & in scirrhum conuertitur.

*Cur hernia carnosa plerunque in dextro testiculo fiat; & aquosa in sinistro.*

Quæritur autem hic non sine caussa, cur hernia carnosa plerunque in dextro testiculo fiat, sicut aquosa in sinistro. Scribit enim Guil. Fabritius, *cent.* 4.*observ.* 64. se vnicum tantum herniâ carnosâ ex sinistra parte laborantem vidisse, reliquas omnes in dextra parte fuisse. Caussa huius rei mihi videtur hæc, quod vas præparans seu vena seminalis dextri testiculi ab ipsa vena caua, sinistra verò ab emulgente oritur. Etenim si sanguinem natura ad testes depellere velit, rectissime id fit per dextram venam seminalem, quæ ab ipsa vena caua oritur, sicut contra serosi humores facilius ad sinistrum testem detruduntur per venam seminalem ab emulgente oriundam.

## *Signa Diagnostica.*

*Signa.*

Tumor in scroto est durus, sine inguinis tumore, sensim auctus; quo modo ab hernia intestinali differt, quæ mollior & subitò oboritur. Si tumor sit durus & scirrhosus, nec dolor nec calor adest; si verò tumor sit malignus, dolor punctorius percipitur.

Videndum tamen diligenter, ne hydrocele vel alius testiculi tumor pro carnosa hernia habeatur, quod interdum accidit, si aqua profundius lateat, & extra, etsi candela adhibeatur, nulla sui signa exhibeat. Tale exemplum habet Forestus, *lib.* 27. *obs.* 25. *in Scholio*, de quodam viro, qui testem vnà cum scroto in modum scirrhi paulatim in maiorem modum auctum, & durum per quinque annos habebat, vt omnes sarcocelem esse putarent. Postea tamen cum emollientia & maturantia applicarentur, tumor mollior euasit, & facto abscessu magna aquæ copia, quæ intus latuerat, cum impetu quodam erupit, vnde scrotum & testiculus detumuit, ægerque sanus euasit.

## *Prognosticum.*

*Prognosticū.*

Difficulter hic tumor curatur, præcipuè si sit inueteratus, & plerunque non nisi chirurgiâ, qua vna testis tollitur.

## *Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & Curatio.*

Vniuersalibus præmissis, curandi via duplex est, nimirum vt vel per reprimentia tumoris incrementum inhibeatur, & per exsiccantia tumor absumatur; vel, si hæc non prosunt, chirurgiâ caro illa, quæ præter naturam excreuit, tollatur. Nonnulli quidem etiam hic maturantia adhibere iubent. Verum cum non scirrhus sit, sed caro, quod excreuit, emolliri non potest; & si emollientia adhibeantur, caro magis excrescit.

Possunt tamen etiam interna medicamenta, ad absumendam sarcocelem vsurpari. Ita scribit Matthiolus, *in Dioscoridem, lib.* 3. *cap.*18. se nouisse quendam, qui ononidis radicis puluere duntaxat pluribus mensibus sumpto, carnosum ramicem absumpsit, & sanatus est; licet à Medicis nullo alio medicamento, quàm sola sectione vstioneque hunc curari posse, statutum esset.

*Externa.*

Externa medicamenta quod attinet, sequentia à Medicis tribus Delphensibus pro Doctore Iohanne Heutero, anno 1529. præscripta fuisse, scribit Forestus, *lib.* 27. *observ.*23. *in scholio.*

℞. *Maluarum, parietariæ, flor. chamæmeli, meliloti* an. Mj. *extremitat. absinthij* p. j.

Coq. *in aqua* ad mollitiem, exprimantur & contundantur contusis, adde *far. fabar. orobi* an. Vnc. iiij. *sem. lini, pulv. cumini* an. Vnc. j. *vini Rhenani succ. caulium, mellis* an. q s.

Coquantur ad formam cataplasmatis.

Item ℞. *rosar. cum capitibus, myrtill. sumach, balustiorum, cortic. granator. nucum cupressi* an. Drach. ij. *acaciæ, aluminis* an. Drach. j.

Coq. in aqua fabrorum, pro ℔ iß. Adde *aceti* Vnc. ij.

Item ℞. *Prassij, rutæ, flor. chamæmel. meliloti* aā. M. j. *maluar. parietar.* an. Mß. *vsneæ extremitat. absinthij* an. pug. j.

Coq. in aq. ad mollitiem, & contundantur optimè,

Adde *farinæ fabar. orobi* ana. Vnc. ij. *pulv. cumini, nucum cupressi* an. Vnc. jß. *stercor. ouilli* ℔ ß. *lixiuij comm. succi caulium, mellis q. s.*

Coq. ad formam cataplasmatis.

Alia etiam medicamenta, quibus Hispanum quendam septuagenarium ab hernia quadam carnosa magnitudine capitis infantis liberatum scribit, *ibidem* videantur.

Si verò medicamentis malum curari non possit, & moles tumoris ægro molesta sit, sectione tollendus, & cute in inguine aperta euulsisque vasis seminariis cum illius loci teste, ligatisque simul vasis sub ligatura, caro amputanda. Minus periculi est si non in inguine, sed scroti latere tumente sectio fiat, & testis cum carne illi adnata per vulnus extrahatur.

## *Cirsocele, seu Hernia Varicosa.*

*Cirsocele.*

Si verò vasa, quæ testiculos nutriunt, varicum more dilatentur, & tumorem in scroto efficiant, Cirsocele, seu Hernia variosa nominatur.

## *Caussæ.*

*Caussæ.*

Caussa huius tumoris ferè est humor melancholicus ad scrotum, & imprimis vasa, quæ testes nutriunt, effusus; quod accidit interdum in fine morborum ab humore melancholico ortorum: & aliàs etiam humor melancholicus in corpore cumulatus ad hæc loca transponi interdum solet.

## *Signa Diagnostica.*

*Signa.*

Cognoscitur hoc malum, quod tumor est minor, & quidem circa ea vasa, quæ testiculo alimentum præbent, ac cum pars affecta tangitur, apprehenduntur illa vasa quasi funiculi, tumorque est aliquantum obliquus, & racematim ac vuæ in modum quasi conglomeratus, cum testiculi relaxatione. Certis quoque temporibus, & præsertim vere ac autumno, ac cum intestina à flatibus distenduntur, aut pedes refrigerantur, dolor comitatur hanc Herniam, cum scilicet vasa illa distenduntur.

## *Prognosticum.*

*Prognosticū.*

Malum hoc, vt alij ab humore melancholico orti tumores, curatu sat difficile est.

## *Curatio.*

*Curatio.*

Vniuersalibus præmissis, & humore melancholico expurgato, Curatio, vt in tumoribus melancholicis, instituenda. Et quidem nonnulli hanc Herniam sectione curant. Verùm hæc cura quædam incommoda & pericula coniuncta habet. Nam sine testis læsione vix fieri potest. Quapropter præstat prius medicamenta exiccantia experiri, simulque testes semper in fascia & subligaculo suspensos gestare. Medicamenta autem illa sint balaustia, cortices granatorum, rosæ rubræ, bolus Armenus, nuces cupressi & similia. Testaturque Fallopius, quendam eò solum curatum fuisse, quod testes per duos menses in fascia suspensos gestârit, & singulis diebus aquam è nucibus cupressi in vase duplici destillatam adhibuerit, eâque scrotum humectârit, atque per se exiccari permiserit.

Alij emollientibus & discutientibus curam moliuntur,

tur, & propterea vsurpant balneum semicupium ex decocto rad.alth.sem.lini, sesami & similium; ac postea inungunt locum oleo sesamino, amygd. dulcium cum bdellio, idque diebus octo continuant. Deinde adhibent balneum ex lixiuio, in quo cocti sint *flores chamæmeli & semen fœnigræci*. Tandem applicant hoc cataplasma.

℞. *Rad. scrophul. bryon.* an ℔ß.
Coq ad mollitiem.
Contusis adde *pulu.flor.chamæmel. meliloti, sem.anethi* an.Vnc.j. *farinæ orobi* Vnc.ij. *furfuris* Vnc.iiij.*croci* Dr.ß. *ol.amygd.dulc.& lilior.albor.* an. q.s.
F. Cataplasma.

## *Lapides in scroto.*

*Lapides scroti.* Tandem inter morbos scroti non prætereundi lapides, qui aliquando, etsi rarò, in scroto reperiuntur. Ita Iacobus Moccius refert, citante Schenckio, *lib.4.obseru.* Monspelij quendam scrotum prætumidum habuisse, tandemque ex putredine ruptum apertumque fuisse, lapidemque inde in quinque partes diffractum excidisse. Qui lapis proculdubio in scroto primariò generatus fuit. Aliquando verò in eo ex vesicæ sectione & calculi ex ea extractione minus rectè instituta generantur, cuius exemplum ex obs. D. Ioachimi Camerarij, *ibidem*, recenset Schenckius. Cum enim iuueni cuidam lapis ex vesica sectione extractus esset, & lithotomus minus peritus tantùm respexisset ad externum vulnus, neglecto altero ad collum vesicæ, id in fistulam degenerauit. Ex sordibus ergo & sabulosa materia circa collum vesicæ, & in ipso scroto collecta, tandem lapilli plurimi concreuerunt, ac scrotum intumuit, vt pro herniosо illum omnes haberent. Natura tandem exitum quærente fistula suppurata aperta fuit & lapides paulatim protrusi ad viginti tres circiter. At cum tumor & dolor non decrescerent, sed & ischuria periculosissima superueniret, sectio instituta fuit, atque exemti lapilli centum & quinquaginta duo, quorum duo grandiores lupinos referebant magnitudine & figura. Fistula deinde mundata fuit, & topicisconuenientibus magna diligentia adhibitis spatio vnius mensis æger ille valetudinem satis tolerabilem est assecutus.

---

# CAPVT VIII.

## *De Penis morbis.*

## *Et primò de Meatus in pene vitiis, de penis distortione, inflatione, & inflammatione.*

*Penis morbi.* PEnis seu membri virilis præcipuus vsus est, vt per id vrina euacuetur, & semen virile in vterum fœminæ iniiciatur. Quos vsus vt rectè præstare possit, suam naturalem constitutionem habet, ab Anatomicis descriptam, quæ tamen variis modis læditur. *Meatus vitia.* De meatus huius, quatenus vrinæ emittendæ inseruit, angustiâ supra, *part.8.sect.1.cap.7.8.*dictum. De glande verò imperforata in specie postea *cap.10.*dicemus.

Contrà obseruatum à Vesalio, *lib.5.de corp. hum.fabric.cap.14.* quendam in glandis apice (& procul dubio etiam in toto pene) duos obtinuisse meatus, vnum semini, alterum vrinæ paratum. Platerus etiam, vt *lib. 3. obs.* refert, obseruaui Nobilem quendam, præter foramen in media glandis sede aliud quoque subtus circa glandis radicem & præputij exortum ab ortu habuisse, per quod & vrina & semen quoque emittebatur. Tale vitium etsi sit ab ortu, spes tamen curationis superest, si foraminis labia vtrinque abradantur, & vulnus postea curetur, vt foramen hoc claudatur.

*Numerus vitiatus.* Numerum postea quod attinet, Penem quendam duplicem habuisse, Doctor Ioh. Iacob. VVeckerus Boroniæ in Anatomia publica vidit, vt Schenckius, *lib. 4.obs.8.* refert. Quosdam etiam mẽbrum virile nimis breue habuisse obseruatum est, vt & quosdam sine membro virili natos. Quidam etiam id sectione amiserunt.

Præterea distorquetur nonnunquam & inflatur penis, interdum quoque inflammatur, tubercula meatus angustiam patitur, vulneratur, exulceratur, fistulis corripitur, gangrænam patitur: præputium interdum clauditur, interdum retrahitur, vt reduci non possit, interdum planè deest, de quibus iam agendum. Hoc prius in genere monendum, his morbis, qui post ortum contrahuntur, magis iuuenes, quàm senes esse obnoxios, sunt enim iuuenes salaciores & ad venerem procliuiores, & hinc sæpe varios morbos contrahunt. Humores etiam sunt in iuuenibus calidiores & acriores, qui si ad membra genitalia commoueantur, varios morbos procreant.

## *Distortio membri virilis.*

*Distortio penis.* De numero mutato & breuitate vt aliquid amplius, præter ea, quæ modo dicta sunt, addatur, opus non est, cum vitia ista sint incurabilia. Distorqueri verò interdum penem, vt generationi minus aptus sit, compertum. Ita scribit Hollerius, *comm. ad aph.63. lib.5.* Vidimus, inquit, qui membro ita obtorto non poterat gignere, quod semen semper hæsitaret in ceruice vteri. Huic paratus est canaliculus plumbeus, vel argenteus accommodatus crassitudini ipsius penis, in quem immisso, pene circumpositæ & alligatæ sunt cistellæ, ita vt tandem figuram membri si naturalem recuperarit, & genuerit. Et peculiaris penis distortionis mentionem facit Iulius Cæsar Arantius, *de tumoribus præter naturam cap. 50.* de qua ipsius verba referre libet. *Veneri nimium addictis rarum affectionis genus, antiquis ignotum, quod speciei propagandæ aduersatur, interdum accidit. Etenim genitale distentum, ac spiritu turgens tristi cum doloris sensu distorquetur, quò fit, vt semen in vterum rectà eiaculari nequeat. De hoc morbi genere neminem reperio, qui ita pertractarit, vt veram affectus caussam nouisse videatur: appellant tamen nodum penis. Nam et si demisso & flaccido genitali nihil percipiatur incommodi, particulam tamẽ pertractanti paruulus quidam tumor fabæ vel glandulæ speciem referens percipitur. Huic affectui plerosque vidi, caussæ ignaros, emollientia adhibuisse, quod arbitrarentur, se duriusculam illam substantiam quasi humore affluxo imbutam, discutere posse. Sed tantum abfuit, vt id præstarent quod etiam quotidie in deterius lapsi fuerint: nam arietini cornu in modum, in illud latus, quo tuberculum est, mentula reflectitur.* *Nodus penis.* *Sed age caussam patefaciamus: primum tamen in memoriam euocare oportet, genitale viri nihil aliud esse, quàm duo ligamenta à pubis esse exorta, rotunda, atque intus arundinis in modum caua, fungosa tamen, & rarâ substantiâ prædita, quæ spiritu influente turgent. Qui verò Veneri nimis indulgent, frequenterque & diu, in mulierculis placeant, distento sunt genitali, in hoc malum incidunt. Etenim spiritus ille inclusus in aliquam alterius ligamenti conucaui partem impetum faciens, eius particulam ita impellit, vt eam relaxet, ac protuberare faciat, quò fit, vt quantum latitudini affectæ particulæ adiicitur, tantum longitudini detrahatur. Quod verò protuberat mentulæ, id ex propria natura ligametali, non autem ob noui humoris affluxum accidit; vt morbus in figura, non in magnitudine cesendus sit. Satis igitur ex iam dictis constare videtur, quod emollientia adhibentes à ratione recedant, & affectum quotidie augeant, cum laxatum compingi & roborari postulet. Conueniunt igitur, quæ procidenti vmbilico atque hernis descripta sunt; fotus præterea ex vino austero, nigro in quo gallæ, absinthium, myrtilli, balaustia, sumach & eius generis efferbuerint. Commonefaciendi sunt interim ægri, vt à venereis abstineant, vel parcè vtantur, vsquequò affecta particula confirmetur.*

*confirmetur. Sed hæc ad noui affectus cognitionem & curationem dicta sint satis, si mihi ad hunc vsum probata medicamenta adiecero.*

℞. *Aq.nucum pini, nucum cupressi, omphacij, aquæ myrtill.*an.Vnc.iij.M.

*Et ex his tepidis lintea madefiant, genitaléque obuoluatur.*

Aliud.

℞. *Cort. myrobalanor. citrinor. myrobal. chebul.* an. Vnc.ß. *nuc.cupressi* num.xv. *pini* num.iv. *rof.rubr.*p.j. *absinth. Pontici* M.j. *gallarum, granorum myrti, sem.sumach.* an.Vnc.j.

*Contundantur, incidantur, macerentúrque omnia in vino nigro austero & aquâ nucum pini, ac destillentur per balneum, egredietúrque aqua magnæ virtutis ad constringendum. Hac decoctione tepida madentia lintea adhibeantur: prædicto enim affectui curando aptissima est, admirabilique ad præcauendum à lue Venerea facultate pollet, si quis imbuta lintea inter glandem & præputium contineat, & eadem aqua interdum mentulam lauerit. Est enim quasi antidotus, quâ prohibetur, ne ob infectæ mulieris congressum, quod longo vsu compertum est, venenosa morbi malitia concipiatur.* Hæc ille.

## *Inflatio penis.*

*Inflatio penis.* Inflatur & intumescit interdum penis, & quidem nonnunquam à flatulento spiritu, de quo infra *de priapismo* dicemus: nonnunquam ab humore calido, de quo mox, *de inflammatione penis* agemus: nonnunquam à flatu frigido, vel etiam humore aquoso, id quod hydropicis accidit.

Malum hoc visui patet. Caussæ verò ex iis, quæ præcesserunt, & symptomatibus, quæ adsunt, facilè cognoscuntur.

Quid autem periculi habeat colis inflatio, in priapismo, & inflammatione penis suo loco postea dicetur. Quæ autem fit ab humore aquoso in hydropicis, impedit quidem aliquomodo vrinæ excretionem aliàs per se nihil periculi affert.

Curatur medicamentis exiccantibus & discutientibus, qualia in pneumatocele & hydrocele & inflatione testium proposuimus. Fouendus nimirum penis menthâ, chamæmelo, absinthio, anetho, semine lini, fœniculi, rutæ, & similibus, quæ vel in aqua coquantur, & duplicatis pannis imponantur, vel in cataplasmatis formam redigantur & applicentur. Gordonius *absinthium, furfur & pedem columbinum* coquit in vino, & contrita imponit. Bertrutius adhibet hoc cataplasma.

℞. *Stercoris columbini, flor.chamæm. rutæ viridis, sem. lini, anethi* an.P.j. *fermenti* P.ß. *nitri vel saponis* quartam partem.

Si tamen dolor, calor vel inflammatio adsit, eiusmodi calida non conueniunt.

## *Inflammatio penis.*

*Inflammatio penis.* Inflammatur quandoque penis, sanguine præter naturam & modum ad eum confluente. Qui sanguinis affluxus, sed rarius, interdum accidit, natura vitiosos humores cum sanguine eò protrudente; plerumque verò à caussis externis, nimia Venere, concubitu cum muliere, cuius vterus est immundus & acribus humoribus repletus, à casu, percussione, vulnere.

Malum ipsum per se patet: adest tumor, rubor, ardor, dolor, sæpe etiam febris.

Estque malum hoc satis periculosum; cum membrum hoc sit exquisito sensu præditum, & ad id propterea humores facilè confluant.

Curatur verò, vt aliæ inflammationes curari solent. In principio ergo instituenda venæsectio, & si opus sit, etiam purgatio. Simul statim in principio repellentia applicentur; in augmento addantur resoluentia, quæ in statu augeantur, & tandem sola applicentur. Possunt nimirum in principio applicari farina hordei, rosæ rubræ, folia hyoscyami vel epithematis, vel cataplasmatis formâ. In augmento addantur folia althææ, maluæ, flores chamæmeli: in statu iidem flores & semen fœnugræci ac lini, oleum commune, chamæmelinum, lilior.alborum.

---

# CAPVT IX.

## *De Tuberculis & verrucis penis.*

*Tubercula & verrucæ penis.* Varia etiam tubercula in pene & præcipuè in meatu eius oriuntur, de quibus suprà, *p.8. sect.1. cap.9.* dictum. Faciunt autem hîc nonnulli peculiaris tumoris mentionem, ganglij scilicet, tractatque de eo Forestus, *lib.26. obs.* qui fuerit in quodam Harlemensi, duritie scilicet quasi scirrhosâ, non solum glandem occupans, verùm etiam neruum ipsius dorsi priapi. Verùm cùm ganglium definiat Paulus Ægineta, *lib 4.cap.16.* & *lib. 6.cap.39.* Aëtius, *tetrab.2.serm.3. cap.* 83. quòd sit nerui nodosa concretio, ac tumor ex ictu aut labore proueniens, scribatque ganglium accidere partibus motui dicatis, præcipuè manuum iuncturis ac talo, vero consentaneum non videtur, verum ganglium fuisse illum tumorem à Foresto descriptum, sed potius aliam carnosam excrescetiam. Et proinde cùm ipse Forestus malum illud pro incurabili habeat, & quæ in genere de ganglio proponi solent, in doctrina de tumoribus explicanda sint, hîc de ganglio nihil addimus. Et si quæ talia tubercula curandi spes est, iis medicamentis, quæ suprà *loco allegato* proposita sunt, instituatur curatio.

*Verrucæ penis.* Excrescentiæ etiam quædam carneæ, molles, & fungosæ, ab aliquibus myrmeciarum & tymorum nomine indigitatæ circa glandis carnem, & sub ipso præputio extuberant, continuò madent, malè olent, ac indies augentur atque adeo sæpè excrescunt, vt glandem tegere præputium nequeat, iisque; qui morbo Gallico laborant, familiares.

Hæ vt tollantur, filo serico singulæ circa basin comprehendendæ & vinciendæ sunt, donec basi constrictâ, & alimento denegato tandem decidant. Carunculâ delapsâ alumine locus inspergendus, & linteum aquâ rosaceâ, cui aliquid tutiæ præparatæ admixtum sit, madidum superponendum. Forfice etiam caruncula abscindi potest.

*Verrucæ* summo balani, quæ tandem in fungum carcrosum degenerauit, historiam notatu dignam habet Guilhelmus Fabricius, *cent.3. obseru.* 88. quæ talis est. Faber quidam ferrarius à teneris annis verrucam in summitate glandis habuit, lenti magnitudinem vix excedentem, ex quâ ante coniugium nihil doloris sensit, in matrimonio verò in coitu summum dolorem percepit, ita vt per tredecim annos ab vxore abstinuerit, progressu temporis verruca in monstrosum cancrum, magnitudine infantis recenter nati capiti nihil cedentem degenerauit, & penis in massam carnis inæqualem, liuidam transformatus fuit, fœtor talis adfuit, vt familiares & amici consortium ipsius ferre nequiuerint. Vlcera etiam non pauca è quibus vrina hinc inde effluebat, hunc fungum carcrosum ambiebant. Morbi tamen pene desperati curam suscepit Guilielmus Fabricius. Corpore conuenienter euacuato (formulæ *allegato loco* videâtur) & venæsectione prius institutâ, membrum virile vsque abdomen præscidit, & mox puluerem suum ad sanguinem sistendum stuppis albumine oui madefactis applicauit, ac linteis duplicatis, & oxycrato imbutis inguina & scrotum inuoluit, fasciisque colligauit, ministrosque constituit, qui per vices manu oxycrato madefactâ stuppas cum puluere continuò continerent, ne sanguis erumperet.

erumperet. Cauterium enim actuale in hoc casu periculosum putat, cùm quod meatum vrinarium obstruat, tùm etiam viscerum & vicinarum partium inflammationem pariat. Et omnino in abscissione membri virilis, vbi eâ opus, danda opera ne nimia fiat sanguinis profusio, ac inde æger de vitâ periclitetur, cuius rei duo exempla, *ibidem obseru.* 89. refert idem Fabricius. Sequenti die digestiuum imposuit, ac ventrem circumiacentesque partes oleo rosarum & myrtillorum inûxit, idemque defensiuum imo ventri applicauit, vulnusque more solito curauit, vt æger plenissimè conualuerit. Pro pene autem & vrinæ canali ipsi instrumentum peni simile aplicauit, cuius figura *ibidem* videatur.

*Mentula monstrosa.* Mentulæ quoque monstrosæ historiam habet Philippus Honchstetterus, *obseru. medic. Decad. 6. casu* 8. hæc. Consistentis Vir ætatis, habitus crassi, sed cacochymici, ruber facie monstrauit in Nosocomio monstrosam mentulam, verrucis prægnantem innumeris, acinos botrys adglomeratione æmulantes. Pars quædam tumida, renitens, cuti concolor, instar globi rotunda abdomini adhærebat, quæ capiti modò nati infantis magnitudine respondebat, hæc carebat verrucis. Coles ad stuporem magnus, tumidus, longitudinis cum scroto circiter vlnæ Augustanæ. Præputium retroactum circa glandis radicem, nescio quem tumorem cristæ dedit, qui copiosis, subfuscis verrucis luxurians glandem instar collaris moderni, quod ex multiplici panno ad fimbriam flocculis ornato, conficitur, ambiuit. Glans tuberosâ, & vesicam quasi sublata palmâ fuit longior, & pugno maior, ob ligamentum aliquo modo tetracta, quam verrucæ obtegabat copiosissimæ, quales in collo gallorum Indicorum conspiciuntur, cum furor eos agitat. Reliqua *ibid.* videantur.

## CAPVT X.

### De Glande imperforata.

*Glans imperforata.* Accidit etiam interdum, vt meatus ille per semen eiici debet, non pateat, vel angustior reddatur; compertum enim, quosdam glande non perforata genitos fuisse, quos Græci ὑποσπαδιαῖος appellant, de quibus etiam Paulus Ægineta, *lib. 6. cap.* 54. agit, eiusque exempla aliquot collegit Schenckius, *lib.* 5. *obseru.* Quia verò hæc affectio hoc incommodi affert, vt neque mingere in partem anteriorem possint, nisi valdè ad pectinem membrum reflexerint, neque liberos generare; cum semen ipsos in directum eiaculari in vterum non contingat; curatione opus est. Et quidem ista glandis clausura ita plerumque comparata est, vt negotio non ita difficili aperiri possit, de quâ agit Ægineta, *loco allegato*: interdum verò ita facta, vt vestigium nullum appareat, vbi foramen esse debebat, & propterea nec arte aperiri possit. Quod vbi accidit, natura plerunque viam sibi aperit, sicut id paulò infra glandem cuidam factum scribit Beniuenius, *de abd. san. & morb. causs. c.* 7. & Amatus Lusitanus, *cent.* 1. *curat.* 23. refert, infanti cuidam, cui nec foraminis vestigium in glande apparebat, ad radicem penis prope testiculos foramen fuisse, per quod vrina non guttatim fluebat, sed directò emanabat.

Si verò foraminis vestigium appareat, id clausum aperiri debet hoc modo. Locus, vbi foramen esse debet, ferro acuto incidatur ad quantitatem foraminis naturalis, donec ad apertum virgæ canalem perueniatur. Nonnulli quidem perforationem ferro candente fieri volunt, sed periculo id non vacat, & per ferrum acutum apertio tutior est. Foramine facto canula plumbea, vel argentea indenda est, quæ primò oleo rosaceo, hinc linimento cicatricem inducente illinatur, eaque tam diu vtendum, donec cuticula vrinæ viæ inducatur.

## CAPVT XI.

### De vulneribus, vlceribus, fistulis & gangræna penis.

*De vulneribus, fistulis & gangræna penis.* Vulnerari interdum etiam penem contingit. Quod si fiat, id periculo non vacat; cùm insignis hæmorrhagia, inflammatio, dolor, ac alia periculosa symptomata, imò interdum mors subsequi soleat.

Curatio autem hîc, vt in aliis vulneribus, præcipuè partium membranosarum, instituenda. Vtile est hîc medicamentum, quod componitur ex lithargyro, cerussa lota, myrrha, sarcocolla, tutia præparata, tragacantha. E quibus vel fiat puluis, qui vulneri tepido vino eloto, & desiccato aspergatur, vel cum oleo rosaceo vnguentum fiat, quod imponatur.

### Vlcera, fistulæ, & gangræna penis.

*Vlcera penis.* Exulceratur interdum quoque penis; idque accidit plerunque, dum inflammatio & apostema in vlcus transit. Nonnunquam tamen eiusmodi vlcera etiã fiunt à caussa primitiua, vulnere nimirum male curato, percussione, attritu; Venere cum immunda fœminâ, ac contagiò. Interdum quoque quandoque ex caussa antecedente, ac materia spermatica corrupta, & inter caput virgæ ac præputium retenta, vt & aliis prauis humoribus ibidem collectis. Atque ista vlcera interdum in cancrum degenerant, interdum in sphacelum, vt vel tota virga, vel eius pars perdatur.

*Differentia.* Sunt autem ista vlcera varia, alia externa, alia interna. Atque alia sunt in ipsa virga, alia in glande, alia in præputio. Alia etiam penetrant, vt tàm externæ, quàm internæ partes exulcerentur, & vlcus ab externa parte vsque ad vrinarium meatum penetret. Alia sunt recentia, alia antiqua, sordida & maligna.

### Signa Diagnostica.

*Signa.* Si vlcera externa sint, visui patent: si interna, ex dolore, dum vrina transit, & pure ante vrinam exeunte cognoscuntur.

### Prognostica.

*Prognostica.* 1. Vlcera penis periculosa sunt, vtpote in loco calido & humido, & facilè putrefactioni obnoxio, vnde serpunt, & difficulter curantur, cùm vrina per meatum penis effluens curationem impediat. Præterea pars ipsa sensu exquisito prædita est.

2. Et sunt illa deteriora, quæ sunt in radice virgæ; cùm sint in loco humidiore.

3. Vlcera, quæ à lue venerea in his partibus excitantur, non curantur, nisi morbo illo prius curato; cùm ab eius malignitate foueantur.

4. Aliquando hæc vlcera in cancrum abeunt, vel etiam gangrænam inducunt, vt totum membrum virile abscindere opus fit, cuius rei exempla habet Valescus de Taranta, Guilhelmus Fabricius, & alij etiam autores.

### Curatio.

*Curatio.* Vt omnium partium vlcera absterfione & exiccatione indigent, ita etiam hæc, & quidem vehementer exiccantibus, vt Paulus Ægineta *lib. 3. c.* 59. docet. In recentibus vlceribus aloë commoda est, si arida in puluerem redacta applicetur. Mitissima est, efficax tamen, pompholyx. Fortiora sunt, charta combusta, anethum vstum, cucurbita vsta. Plura talia medicamenta habet Aëtius,

Aetius, *tetrab.* 4. *serm.* 2. *cap.* 16. 17. *&* 18.

Si glandis regio exulcerata sit, nullum medicamentum emolliens locum habet, sed omnia siccantia sint, sint oportet. In principio ergo mundetur vlcus aquâ rosarum & plantaginis, vel hydromelite, vel aquâ, in quâ alumen dissolutum sit: deinde vino, in quo folia rubri, myrti, plantaginis, nuces cupressi, balaustia, alumen cocta sint, quô panni linei imbuti glandi imponantur, & præputium semper mundetur. Hinc vsurpandum vnguentum album camphoratum, diapompholygos, tutia, & alia ex aloë, lythargyro, cerussa, corticibus pini, & similibus composita medicamenta. Vtile est & saccharum Saturni.

Vt ℞. *Litharg.* Vnc.ß. *plumbi vsti loti* Drach.iij. *tutiæ præp.* Drach.ij. *aloës* Drach.jß. *cortic.pini siccator.* Scrup. iv. *lapid. hæmat.* Drach. j. *sem. anethi combusti*, *cucurbitæ siccæ vstæ* an. Scrup.ij. *ol.rosacei* Drach.iij. *ceræ q.s.*

Fiat vnguentum.

Si verò vlcera antiqua, sordida, & putrida sint, abluantur hydromelite cum alumine. Potest etiam aliquid spiritus vini, qui à putredine valde præseruat, addi.

Vel ℞. *Vini albi* Vnc.vj. *aq.plantag. rosar.* an. Vnc.ij. *flor.æris* Drach ß. *aluminis vsti* Drach. j.

Misce & parùm ebulliant.

Vtile etiam vnguentum Ægyptiacum & Apostolorum, vt & aqua in Institut. *lib.5.part.1.sect.2.cap.13.*

Vel rasura telæ veteris melle rosaceo illinatur, & pulvis aristolochiæ rotundæ inspergatur atque imponatur.

*Gangræna penis.* Si vlcera sint virulenta, præcipitato cum alimento conueniente mixto vtendum; non tamen in eius vsu diu persistendum, sed quando quod callosum & virulentum absumtum est, fouenda pars decocto maluæ, althææ, sem. lini, & medicamentum digestiuum idoneum vlceri imponendum, donec, quod corruptum est, separetur, de qua re plura *de curat. luis Veneræ* dicenda.

Interdum accidit, vt vlcus sit circa glandem & inter præputium ac propter penis tumorem videri non possit. Tunc vinum melle rosaceo mixtum vel aqua viridis supra proposita iniiciatur. Si verò penis & præputium ita intumuerint, vt nihil iniici possit, cataplasma hoc vel simile imponatur.

℞. *Flor. chamæm. melilot. rosar. farinæ sem. fœnugræc.* an. q. v.

Coq. in aq. & lixiuio.

F. Cataplasma.

Quod si nec hoc modo pars exulcerata detumescat, & dolor perseueret, & vlcus serpat, præputium secundum longitudinem incidendum, vt vlcus mundari, & conuenienti modo curari possit.

Si gangrænæ periculum immineat, circa vlcus & penem defensiuum imponendum, & affecta pars scarificanda, atque alia pro gangrænæ curatione necessaria medicamenta applicanda quorum antea facta est mentio, vt vnguentum Ægyptiacum, Apostolorum, viridis, vel etiam hoc.

℞. *Terebinth. in aqua tragopogi lotæ* Drach. vi. *mellis rosati colati, syr. de ros. siccis* an. Drach.ij. *sang. Dracon.* Drach.ß. *myrrh.* Scrup.j. *vnguenti Ægyptiaci* Scrup.ij.

Misce.

Si gangræna & sphacelus penem corruperit, tutissimum est, id, quod corruptum est, vel etiam, si opus sit, totum penem abscindere, & medicamenta postea, quæ in aliarum partium gangræna & spacelo adhibentur, vsurpare. Exemplum huius rei habet Forestus, *lib.26. obseru. 6.* de quodam, cui penis post inflammationem ita puputrefactus fuit, vt cataplasmati adhærens exciderit, & putrefactio etiam scrotum occuparit, ægro nihilominus idoneis medicamentis, quæ vlcus sanarint, adhibitis, testibusque noua carne obductis, viuo manente, & ex ventre per foramen saltem vrinam emittente: & simile exemplum etiam antea è Guilhelm. Fabric. *cent.* 3. *obs.* 88. retulimus.

### *Vlcus in meatu penis.*

*Vlcus in meatu penis.* Interdum verò vlcera in ipso meatu penis generantur, & quidem ex tuberculo seu apostemate intus oborto, vel ex semine acri & virulento vt in gonorrhæa virulenta accidere solet, vel ex vrina acri, vel ex calculis asperis & angulosis, qui in transitu meatum hunc lædunt.

Cognoscuntur autem talia vlcera præcipuè è dolore, qui inter meiendum percipitur, & ex pure, quod ante vrinam excernitur. Penis interdum tensus & tumidus est. Discernitur verò hoc vlcus ab vlceribus vesicæ, quod in vesicæ vlceribus pus vrinæ miscetur, & squamulæ quædam cum vrina excernuntur, ac ipsa vrina fœtet.

Curantur autem talia vlcera facilius in iuuenibus. Verùm curatio maturanda. Nisi enim maturè curentur, carunculæ in meatu vrinario gignuntur, quæ vrinæ emissionem impediunt. In senibus verò rarò aut nunquam talia vlcera curationem suscipiunt.

Curatio vt rectè peragatur, victûs ratio ea instituenda, quæ humorum acrimoniam obtundat, & propterea vtilis est ptisana hordeacea cum amygdalis dulcibus, & seminibus frigidis maioribus. Vitanda vero acria, salsa, acetosa, diuretica.

Deinde corpus à vitiosis humoribus mundandum, humoresque acres temperandi.

*Topica.* Topica quod attinet, vlcus abstergentia & glutinantia per siphonem iniicienda, nimirum aqua plantag. equiseti, myrtillorum, vel succi harum plantarum, vel trochisci alkekengi cum aq. rosar. equiseti.

Vnguentum Petri Bajeri, quo quidam habens penem cancrosum sanatus fuit, est hoc.

℞. *Succi extremitatum rubi*, *succi extremitatum fruticis rosar. aceti* an. Vnc. ij. *thuris mastiches* an. Drach. iij. *lithargyr. aur.* Vnc. j. *vini Maluat.* Vnc.vj. *succi semperuiui* Vnc.iij. *aquæ vitæ* Vnc.iv. *virid.æris* Drach.ijß. *vitrioli, alum.vsti* an. Drach.iß. *camphor.* Drach.j. *ol.ros.* Vnc.vj.

Puluerisatis puluerisandis subtilissimè, & cribratis coq. omnia lento igne, exceptâ camphorâ, quæ in fine addatur, vsque ad consumtionem succorum, Addatur cera & fiat Vnguentum.

Vel ℞. *Vini albi* ℔.j. *aq.rosar.plantag.* an.Vnc.iij. *alum. vsti* Drach.iiß. *virid.æris* Drach.j. *camphor.* Scrup.j.

Misce.

Vel ℞. *Spumæ argenti, ceruss. tutiæ præp.* an. Drach.j. *sacch. candi* Vnc. ß. *camphor.* Scrup. ß. *aq. rosar. plantag.* an. Vnc.iv. Misce.

Fortius est, si addatur *aluminis* Drach.j.

Ad cicatricem tandem inducendam vtile est hoc.

℞. *Aq.plantag. rosar.* an. Vnc.iv. *trochisc. albor. Rhasis* Vnc.ß. *boli Armen.* Drach.ß. Misce.

## CAPVT XII.

### *De Præputij morbis.*

### *Phimosis*

*Præputij morbi. Phimosis.* PRæter penis morbos hactenus enumeratos etiam quidam peculiares præputij morbi sunt, inter quæ primò φίμωσις, eaque, vt Paulus Ægineta, *lib.6.cap.* 55. docet, duplex. Quandoque enim præputium ita integit glandem, vt rursum detrahi, & glans detegi non possit, vnde feminis eiaculatio interdum impeditur, & viri steriles efficiuntur, quod vitium in specie φίμωσις appellatur. Quandoque verò abductum amplius induci non potest, quæ species propriè παραφίμωσις nominatur. Prima differentia, vt *ibidem* docet Ægineta, fit vel à primâ conformatione & natiuitate, vel ab vlcere malè curato, & cicatricem, vel ob carnis accretionem: secunda verò à Venere nimia, vt & in pudendorum inflammationibus, aut quando aliàs violenter

violenter præputium retrahitur, vt intumescat, vnde reduci non potest. Primam φίμωσιν Ægineta per chirurgiam curat, vt *allegato loco* videre est, modúsque operandi hic est: Vniuersali corporis euacuatione præmissâ, linea recta per superiorem mediumque præputij partem atramento ita notanda est, vt vasa grandiora vitentur. Hinc curuò instrumento inter glandem & præputium insinuato cutis secundum rectam lineam vno ductu discindenda, ita vt interna & externa cutis sibi respondeant, & par sit vtriusque sectio, neque minor, quàm ex vsu sit. Sectione factâ sanguinis fluxus siccis linimentis comprimatur, hinc linteum oui albumine & aqua rosaceâ madidum imponatur; ægérque per triduum quiescat, & curatio, vt in vulneribus solet, perficiatur.

Si callosum sit præputium, vt non amplius detegi possit glans, Fallopius, *de morbo Gallico, cap.84.* sine sectione malum curat hoc modo. Sumit fistulam paruam ex plumbo, & imponit in foramen, vt æger per eam mingat; interim præputium oleo amygdal. dulcium, vel pinguedine gallinæ inungit. Secundo die imponit paulò maiorem fistulam. Tertio adhuc maiorem, & hoc modo progreditur deinceps, donec possit glans detegi & callus emolliatur.

De præputio à natiuitate prægrandi obseruationem à D. Casparo VVolffio communicatam habet Schenckius, *lib.5. obs.* Refert etiam Guilhelmus Fabricius, *cent.4. obseru.* 81. iuueni cuidam 22. annorum ætatis ab ipsa natiuitate præputium præter modum propendisse. Ita enim versus anteriorem partem contortum erat, vt effluente vrinâ ipsa sursum versus abdomen efflueret. Hinc vesicam commodè, & sine madefactione vestimentorum nunquam exonerare potuit, nisi solutis ligulis ad latrinas se conferret. Quod vitium quomodo curatum fuerit, *ibid.* videatur.

Idem, *cent.5. obs.55.* quadragenarium quendam curauit, qui laborauerat à multis annis defluxione quadam humorum ad penem & præputium per certa interualla cum febre, & aliis symptomatibus.

In initio etsi malum corpore purgato & applicato medicamento discutiente facile cederet: progressu tamen temporis morbus contumacior factus frequentius ipsum inuasit, & difficilius curari potuit. Nonnunquam enim talis durities in pene, & præcipuè in præputio remansit, vt spatio duorum mensium illud retrò glandem retrahi non posset. Tandem vbi corpore expurgato & emollientibus ac resoluentibus adhibitis tumor omnis euanuisset, suasit, vt semel in mense, aut singulis sex septimanis semel infusum sex granorum croci metallorum in vino sumeret. Loco affecto sacculum adstringentem & roborantem ex radicibus tormentillæ, bistortæ, plantag. balauſtiis, nucibus cupressi, rosis & similibus in aquâ coctum, primò quidem per integrum mensem manè & vesperi applicuit, postea verò ter aut quater in hebdomade. Atque hâc methodo sanatus est.

Altera differentia non ita difficulter curatur, si statim membrum in lac tepidum immittatur, deinde cataplasma ex emollientibus & leuiter discutientibus imponatur: quibus si non cedat, fortius emollientia adhibenda ex ammoniaco, bdellio, & similibus. Si verò malum inueteratum fuerit, & præputium quasi occalluerit, incurabile euadit.

De παραφιμώσει historiam, eiúsque curationem etiam habet Guil. Fabricius, *cent.5. obseru.56.* Sponso cuidam iuueni, qui antea venerem nunquam exercuerat, ex nimia violētia frænum abruptum, & præputium retrorsum fuit detrusum, vt maximus dolor, & tumor totius membri virilis inde sequeretur. Victus ratione tenui & refrigerante præscriptâ, corpus cholagogis medicamentis expurgauit, & venam in brachio aperuit, regionémque renum vnguento refrigerante bis de die inungere iussit, loco verò affecto sequens cataplasma applicauit.

℞. *farin. hord.* Vnc. iiij. *pulu. rosar. myrtill.* an. Drach. ij. *balaust. nuc. cupress.* an. Drach. j.

Coq. *in aq. plantag. & rosarum,* ac *pauco aceto,* fiat cataplasma, addendo vitell. oui vnius.

Cùm autem appetitus veneris curationi obesset, corpus iterum cholagogis purgauit, & lumbos seqq. oleis inunxit.

℞. *olei violac. nymph. rosar.* an. Vnc. j. *olei hyoscyami per express.* Drach. ij. *camphoræ dissolutæ in aceto rosar.* scrup. ij.

Misce.

Cubitum verò ituro dosin laudani opiati exhibuit. Quæ medicamenta cùm aliquandiu continuasset, malum curatum est.

Si verò Phimosis aut Paraphimosis fit ex impuro congressu, repellentibus & refrigerantibus locus non est. Materia enim maligna ad viscera repelleretur. Quomodo autem phimosis & paraphimosis ex impuro coitu contracta curanda sit, docet ibidem Fabricius, *obs.57.* prolixè, qui ibidem videatur.

Nonnunquam ipsos etiam infantes, imò lactentes hoc malum corripit, vt etiam idem Fabricius, *obs. seq.* 58. docet, dum ex prauâ victûs ratione nutricis humor acris ad genitalia decumbit, ibíque pruritum excitat, vnde affluxus humorum excitatur in præputium, vt mirum in modum extendatur, nonnunquam etiam inflammetur. Quod si accidat, victus tenuis & refrigerans nutrici præscribendus, corpus eius conuenienti modo euacuandum. Si verò infans ablactatus fuerit, ipse syrupo rosarum solutiuo purgandus. Hinc applicandum hoc cataplasma.

℞. *Medull. panis albi* Vnc. iij. *pulu. rosar. rubr. balaustior.* an. Vnc. ij. *croci* scrup. j. *butyri recentis* Vnc. j.

Coq. in *lacte vaccino,* & *addito vitello oui vnius*

F. Cataplasma.

Si verò malum contumacius fuerit, applicetur sequens cataplasma.

℞. *farin. fabar.* Vnc. ij. *pulu. summit. absinth. flor. chamæm. sambuci* an. Drach. iij. *pulu. far. sem. fœnigraci* Drach. ij. *cumini* Drach. iiij.

Coq. in *vino rubro austero* in formam cataplasmatis.

Pertinet & huc membranulæ freni dictæ cum glande coalitus, si nimirum inferiori glandis parti iuxta foramen frenum arctè & longiori, quàm par est, spatio connectatur, vnde erecto genitali eius extremitas distorquetur, vt rectè semen eiici nequeat; acciditque hoc vel à prima conformatione & natiuitate, vel ab vlcere malè curato. *Freni coalitus.*

Quod si accidat, inuertendum præputium &, frænum incidendum, diligentérque præcauendum, ne venæ vel arteriæ lædantur. Hinc extendendum præputium quousque est necessarium, & linteum albumine oui madefactum, hinc digestiuum, & emplastrum aliquod siccans inter præputium & glandem imponendum, ne iterum conglutinentur.

Coalitus tamen præputij & glandis non solùm circa frænum, sed & alibi fieri potest.

Siue autem solum frænum, siue præputium glandi connectatur, in dissectione danda opera, vt solum frænum, aut caro, quâ coaluerunt, secetur, non verò glans aut præputium secando lædatur; præcipuè si coalitus hic sit in infima parte balani. Si enim glans eò loci lædatur, meatus vrinarius perfoditur, atque inde facilè fistula fieri potest, è quâ postea vrina, vt & semen effluere potest. Si tamen aliter fieri non possit, potius aliquid de præputio, quàm de glande abscindendum; cùm licet præputium dissecetur, non adeo magnum incommodum inde oriatur. Etsi verò Paulus Ægineta, *lib.6. cap.56.* contrarium statuat, & potius aliquid de glande, quàm de præputio abscindendum doceat: tamen id intelligendum est, quando coalitus præputij & glandis est vel in parte superiore vel ad latera, non verò ad frænum, in parte inferiore,

vbi ductus vrinarius tenui membranâ inuestitur.

### *Præputium curtum.*

*Præputium curtum.*

Quandoque etiam præputium curtum est, vt glandem totam tegere nequeat. Aliqui ad cutis huius elongationem duplicem chirurgiæ modum excogitarunt. Verum cùm istud vitium neque alicui actioni officiat, neque decorem vitiet, vix operæ pretium est, vt huius chirurgiæ tormentum ea de caussâ quis sustineat, vt Paulus Ægineta, *lib.6.cap.*53. scribit.

### *De Circumcidendis.*

*Circumcidendi.*

Facit circumcisionis mentionem idem Paulus Ægineta, *lib.6.cap.* 57. non verò eius, quæ religionis more fit, sed eius quando ex pudendi affectione præputium nigrescit. Oportet itaque totum id, quod denigratum est in ægris, in orbem diuidere: postea verò squama æris cum melle vtendum est, aut etiam malicorio & eruo, ad modum eorum, quæ linamentis excepta induntur. Si verò sanguis eruperit, lunatis cauteriis vtendum est ad vtramque rem conferentibus, ipsam inquam sanguinis eruptionem, & vulnus depascendo proserpens: si verò tota glans aliquando fuerit consumpta, plumbeo canali in meatum indito, vrinam per ipsum reddere iubebimus.

### *Fissura Præputij.*

*Fissura Præputij.*

Finditur tandem etiam, & quasi rimas agit, præputium: quod si accidat, *resina frixa cum oleo rosaceo* miscenda ad vnguenti consistentiam, addito *vitello oui*, idque imponendum.

Vel ℞. *Olei rosac.* Vnc.j.ß. *amyli, thuris* an. Vnc.ß. Misce.

---

## CAPVT XIII.

### *De Hermaphroditis & sexus mutatione.*

*Hermaphroditæ.*

HOc loco non prætereunda videntur, quæ de Hermaphroditis, quibus à Mercurio & Venere nomen inditum (Mercurius enim Hermes est, Venus Aphrodite) seu Androgynis, & sexus apud Autores occurrunt. Etsi enim vitia ista à prima conformatione contracta incurabilia ferè sint: tamen Medico cognita esse ea, conuenit.

Inuentos autem fuisse Hermaphroditas, id est, homines, qui vtrumque sexum virilem & muliebrem præ se tulerunt passim ex historiis patet, quarum plurimas collegerunt Iulius Obsequens & Lycosthenes, aliique, qui de prodigiis & monstris scripserunt. Digerunt autem Autores Hermaphroditas in quasdam classes, eorumque quatuor constituunt differentias. Prima est, cùm virilis sexus præualet, & perfectus est, in perinæo autem excisa tantum in vuluæ formam rima est, ea tamen minimè peruia, & ex qua neque vrina, neque semen prodit. Secunda est, cum muliebre membrum integrum & perfectum est, supra verò ad os pectinis carnea quædam substantia penis similitudinem habens adnata est, vrinam tamen aut semen non fundens, scroto etiam & testibus carens. Tertia est, cùm vtriusque quidem sexus expressa adest imago, inefficax tamen ad generationem, & alterutrâ saltem mictioni inseruiente. Quarta eorum, qui vtroque sexu valent, & maris ac fœminæ munus obeunt, & vtriusque sexus genitalia perfecta habent.

Verùm rectè hîc Aristoteles, 4. *de gener. animal. cap.* scribit: quibus gemina habere genitalia accidit, alterum fœminæ, iis semper alterum ratum, alterum irritùm redditur, cum per alimentum subinde delitescat, quoniam præter naturam est. Neque historiæ facilè aliud docent. Vnde etiam scribit Constantius Varolius, *lib.* 4. *Anat. cap.* 4. impossibile esse, vtrumque sexum reuera in vno indiuiduo reperiri. Et si inueniantur, mulieres, quæ vtrumque sexum habere putentur, esse nympham in eam molem auctam, vt membrum virile referat, esse tamen imperforatam. Si verò genitalia interna spectentur, esse muliebria, & nihil monstrosum intus reperiri, id quod sæpè annotarit. Si verò inuenti sint, qui muliebra etiam habere putati sint, fuisse tantùm aliquam in pudendo fissuram, quæ tamen non penetrauerit, nec membrum virile admiserit; quale quid quoque habet Columbus, *lib.* 15. Scribit etiam Hieronymus Fabritius ab Aquap. *de Operat. Chirurg. cap. de Hermaphroditis,* se obseruasse in viro inter anum & testes statim sub testibus præter sua genitalia membra conformata quoq; fuisse labia vuluæ, sine tamē aliqua cauitate. In mulieribus verò obseruâsse nympham productam fuisse nunc ad duos, nunc ad tres digitos, quæ tamen fuerit flaccida, neque erigebatur; plura se nōn obseruâsse. Et si inuentæ fuerint fœminæ, quæ in vtroque coitu, & cum fœmina & cum masculo voluptatem perciperent, hoc saltem factum putat Varolius vi seminis ad vterum emissi, quatenus fœminæ fuit. Si qui verò sunt reperti, qui vtrumque sexum habere visi sunt, vtrumque habuerunt imperfectum, qualia exempla refert Columbus, *lib.* 15. *Anatom.* Primum est de fæminâ Æthiopica, quam viuentem vidit, cui vterque sexus imperfectus contigerat, penisque minimi digiti longitudinem crassitiemque non excedebat, vuluæ autem foramen adeo angustum erat, vt minimi digiti apicem vix intromitteret. Alterum cuiusdam, quam mortuam secuit. Cum enim in Anatomia generationis vasa accuratè peruestigaret, & vasa seminaria, testesque consideraret, tandem hoc comperit, vasa quidem præparantia ab aliarum fæminarum præparantibus vasis non differre, sed deferentia differre. Non bipartita erant, & ex binis quaterna natura genuerat, ex quibus duo, quæ etiam maiora erant, ad matricis concauum destinabantur, reliqua duo ad penis radicem, qui glandularum parastatarum expers erat. Vterus, nec non vteri ceruix à cæterarum fæminarum matrice colloque nihil distaret. Peni scrotum contiguum non erat, imo ferè scroto prorsus carebat, & duobus musculis præditus erat huius fæminæ penis, non quatuor, præterea tenui pelle integebatur, nullumque aderat præputium. Et habentur exempla etiam alia apud Autores, in quibus vterque sexus conspicuus quidem, imperfectus tamen fuit.

Ob quam antem caussam nascantur Hermaphroditæ, sanè obscurum, atque alij, vt Astrologi, in cœlum, & stellæ Mercurij ac Veneris, certum coitum, caussam referunt; sed minus rectè, cum sub eodem positu, quo Hermaphroditæ nascuntur, alij etiam nascātur, qui Hermaphroditæ non sunt; alii in vtericellas, quæ Antiquorum quorumdam, sed falsa fuit opinio: alij in tempus conceptionis, qui gigni Hermaphroditas statuūt, si conceptio fiat, fluentibus adhuc mensibus; quæ si caussa esset, multò procul dubio frequentiores generarentur Hermaphroditæ. Alij id semini adscribunt, qui putant, cum pro seminis qualitate & quantitate nunc viri, nunc fæminæ gignantur, si in seminibus dissimilitudo fuerit, & alterum maxima ex parte forte fuerit, alterum verò maxima ex parte debile, quantitate tamen pari, Hermaphroditas fieri, qui tamen ob alterius semen, vel fæminæ, vel viri naturam expressius imitentur.

Verùm enim verò cum partium corporis nostri delineatio & formatio facultati formatrici primò attribuenda sit, & tales enormes ac monstrosæ quasi in corpore mutationes errori formatricis adscribantur, & hîc ad eam meritò recurrendam censemus. Ideoque probabile esse puto, statuere, si facultas formatrix masculum

masculum formare intendat & propositum habeat, atque fortè tum aliquid obiiciatur, quod imaginationi membri genitalis fœmini speciem fortius imprimat, facultatem formatricem in opere suo quasi turbari, & sexum masculinum nonnihil obliterari, ipsique aliquid, quod fœminæ genitale membrum referat, addi; contrariumque accidere, si facultas formatrix fœminam formare intendat, imaginationique tum fortiter virilis membri imago imprimatur.

*Sexus mutatio.* Ex quibus facilè iudicare est, quid de iis iudicandum sit, qui sexum mutasse perhibentur. Non enim est de nihilo, quosdam Viros euasisse, qui à primo ortu fœminæ habitæ fuerunt, testanturque id historiæ multæ antiquiores & recentiores. Viros verò in fœminas mutatas fuisse, certò compertum non habetur. Neque id facile fieri potest, ob caussas, quæ posteà proponentur, Plinius, *lib.7.nat.histor.cap.4.* scribit; Ex fœminis mutari in mares, non est fabulosum. Inuenimus in Annalibus P. Licinio Crasso & C. Cassio Magno Coss. Cassinij puerum factum ex virgine. Idem, *ibidem*: Licinius Mutianus prodidit visum à se Argis Arescuntem, cui nomen Arescusæ fuisset, nupsisse etiam, mox barbam & virilitatem prouenisse, vxoremque duxisse. Eiusdemque fortis & Smirnæ puerum à se visum, & in Africâ se visum, & in Africâ se vidisse mutatum in marem nuptiarum die L. Cossitium Distritanum. Liuius etiam, *l. 4. secundi Belli Punici* narrat, Quinto Fabio Maximo, & Marco Claudio Marcello Coss. virum ex muliere Spoleti factum. Refert quoque Amatus Lusitanus, in oppido Esqueria in Lusitania puellam quandam nobilem, cùm ad ætatem peruenisset, in qua mulieres menstrua primùm emittere solent, vice mensium priapum eiecisse, & sic ex fœmina factum esse masculum, qui etiam posteà vxorem duxerit. Et tales historias plures collegit Schenckius, *lib. 4. obs.* & Marcellus Donatus, *de hist. med. mirab. lib. 6. cap. 2.*

Caussam huius rei quod attinet, prolixè ea de re agit Marcellus Donatus, *loco allegato*. Vt breuiter hâc de re aliquid dicamus, cùm in Hermaphroditis sexus vterque perfectus esse nō possit, sed vnus superet, vel vterque sit imperfectus, sequitur hinc, masculos omnes illos fuisse, qui pro fœminis habiti sunt, & in viros abiisse dicuntur. Et licet aliquam fissuram habuerint, quâ etiam virile membrum aliquomodo admittere potuerint, vterum tamen non habuisse, sed virilia genitalia intus latuisse, & postea vel naturæ conatu, vel accedente aliquo motu violento prodiisse; sicut etiam dentes quosdam quibusdam iam adulta ætate prodiisse, obseruatum est. Docet id etiam Cardanus, *de rerum Variet. lib. 8.* Nascuntur, inquit, pueri, contracto genitali membro; obductaque membrana, quasi sinu quodam, atque in eo foramine angusto, ob quod puellam existimant, qui non attrectauerint. Aliis autem sponte, vbi penis erigitur, adolescentiæ initio, fracta membranâ penis erumpit: pluribus in conatu viri, dum cum sponsa rem habere se putat, fractâ membranâ & attritu erecto pene masculus prodit. Idque confirmare videtur historia, quam refert Albertus, *lib. 18. de anim. tract. 2. cap. 3.* In quodam, inquit, nostri temporis nato testiculi intra pellem contenti erant superius, ita quod prominentiæ eorum repræsentabant duo labia vuluæ, & fissura videbatur esse in medio clausa per pellem, habilitaretur ad coitum. Incisione factâ prosilierunt testiculi, & virga, & postea duxit vxorem, ex qua plures genuit filios.

Id verò omnem fidem superat, quod Iouianus Pontanus, *lib. 10. de rebus cælestib.* & alij referunt, mulierem, cum prius filium peperisset, virilem sexum adeptam fuisse. Forsan enim, vt supra ex Varolio diximus, solùm nympha in tantum aucta fuit, vt membrum virile referret.

# LIBRI TERTII PARS IX.

## SECTIO SECVNDA.

## DE SYMPTOMATIBVS, quæ genitalibus & circa generationem in Viris accidunt.

### CAPVT I.

### *De Læsa generatione, seu sterilitate in viris, & primò de Læsa seminis generatione.*

*Læsa seminis generatio.* AD generationem hominis marem & fœminam cōcurrere, nec solum marem, nec solam fœminam generare, notissimum est. Vnde etiā Aristoteles ex Empedocle scribit, *1. de gener. Animal. cap. 18.* maris ac fœminæ quasi symbolum esse, totum verò à neutro profisci. Maris autem in generādo partes consistunt in fœcundi seminis generatione, eiusque in vterū fœmininū conueniente modo in actu venereo immissione. Hæc ergo si rectè se habeant, & semen fœcundum in Viro in organis seminis generationi dicatis generetur, idque in vterum rectè immittatur, fœtus inde generatur: modò etiam in fœminâ omnia rectè sese habeant. Nam etsi Virile semen fœcundum sit, & rectè in vterum imittatur: tamensi vterus sese, & quæ in fœminâ ad generationem necessaria sunt, non rectè sese habeant, generatio nulla perficitur, & fœminæ steriles sunt.

### *Caussæ.*

*Caussæ.* Si verò, quæ in viro ad generationem requiruntur, non rectè sese habeant, & generatio non fit, & sterilitas ratione Viri accidit. Cum autem vt modò dictum, duo in Viro ad generationem requirantur, seminis fœcundi generatio, ac eiusdem in vterum fœminæ in actu venereo immissio, sterilitatis etiam causæ in Viris in hisce duobus quærendæ, quæ iam explicabimus.

Semen fœcundum, hominis materia futurum, est id, quod idoneum est, vt cum eo anima propagetur. Vnde ab Epicuro, vt est apud Plutarchum, *de placit. Philos. lib. 5. cap. 3.* ψυχῆς καὶ σώματος ἀπόσπασμα, aliquid à corpore & anima decisum nominatur.

Semen autem (fœcundum intelligo; cùm quod infœcundum est, saltem æquiuocè dicatur semen) vt generentur, duo requiruntur, materia & causa efficiens. Materia est optima sanguinis, præcipuè arteriosi, pars, & spiritus vitalis, quæ duo in vasis seminis generationi dicatis miscentur, & in seminis formam mutantur & elaborantur. Vnde accidit, vt cum id, quod optimum in homine est, in semen absumatur & in actu venereo euacuetur, Vir maximè ex venere, & præcipuè nimia, & intempestiuā, debilitetur. Et cum anima in corde radicetur, vt Philosophi loquuntur, & spiritus vitalis, quo calor insitus omnium partium fouetur, in corde generetur, hinc à toto semen defluere dicitur; etsi alij etiam aliter id explicent.

Causa autem efficiens est facultas insita partibus genitalibus (testes ne an parastatæ primas partes hîc habeant, non disputo, cum id ad curationem instituendā non multum faciat) vasis nimirum præparantibus, testibus & parastatis, sanguinem & spiritus in substantiam hanc, quæ semen dicitur, mutandi, & ob id σπερματοποιητικὴ nominatur, quæ officium hoc partiū illarum calore innato perficit. Atque vis ea & calor in-

natus tantus est in partibus genitalibus, & præcipuè testibus, vt vim quandam in totum corpus diffundat, idque ita alteret vt carnes, imò excreta quandam qualitatem hisce partibus respondentem accipiant; vnde etiam, quando semen in masculis generari incipit, fit vocis mutatio in homine,& carnes animalium odorem quendam grauem & saporem inde accipiunt, qui in castratis aut veneri nondum idoneis non apparet. Ac si testes in castratione exscindantur, non solum vis semen generandi,sed & virilitas planè tollitur,ac in toto corpore insignis fit mutatio, atque omne corporis robur imminuitur,castratique glabri non modò mento,sed & toto corpore euadunt, paruas, vt fœminæ, venas habent, nullâ libidine amplius tentantur. Ex quibus apparet,insignem testibus vim insitam esse, quâ non solum sanguinem & spiritus in semen mutant, sed & totum corpus afficiunt, quâ de causâ etiam à Medicis inter corporis partes principes numerantur.

Vt ergo semen fœcundum generatur,cum & materia, è quâ producitur, conueniens est, & calor insitus partium genitalium rectè sese habet: ita contrà semen infœcundum fit, dum alterum horum non bene constitutum est, & malè se habet: atque ita, quod semen infœcundum generatur, causa vel in materia, vel in calore insito, & temperamento testium ac partium genitalium vitiato quærenda est,læditurque seminis generatio vel ob errorem externum, seu vitium obiecti & materiæ, vel ob læsam testium & partium semini generando dicatarum facultatem.

Materiæ, vnde semen generari debet, seu obiecti vitium est vel in quantitate, vel in qualitate. In quantitate,cùm sanguis & spiritus, è quibus semen generatur, deficiunt, vel non in iusta quantitate suppetunt. Vt verò de statu naturali, in quo & in pueris & in senibus materia ista idonea deficit,nihil dicamus, sed saltem de iis, quibus præter naturam seminis materia deest, deficit materia seminis primò vel ob res præternaturales, vt post magnos morbos, totum corpus vel partes principes exiccantes, & horum alimentum absumentes, vt sunt febres, atrophia, & similes: vel ob res non naturales,vt ieiunium & inediam, vigilias, cibos pauci alimenti, nimia exercitia & motus corporis; quò & semen extinguentia medicamenta referri possunt. Deinde etsi materia seminis non planè deficit, tamen semen non generatur, si ad testes non mittatur, sed ab aliis partibus attrahatur, id quod non solum accidit in puerili ætate,in quâ totum alimentum in corporis augmẽtum absumitur, sed etiam in pinguibus & obesis, in quibus omne alimentum in substantiam corporis mutatur, & in pinguedinem abit, vnde etiam Aristoteles,1. *de gen.anim.cap.* 18. carnosos & obesos minus semen emittere, & rem veneream minus expetere, scribit. Et Plinius, *nat.hist.lib.*11.*cap.*37. Steriliora, inquit, cuncta pinguia, & in maribus,& in feminis. Sic quidem castrata animalia pinguia sunt, quia materia seminis in pinguedinem abit. Imprimis verò cordis,quod spiritus vitales, præcipuam seminis materiam, suppeditat, morbi, & præcipuè eius frigiditas & siccitas seminis generationi obsunt; vnde qui frigidum & siccum cor habent, steriles sunt, & qui mœrore diuturno afficiuntur, semen fœcundum non generant.

Vitium verò materiæ, è qua semen generatur, in qualitate est, cum materia quidem semini generando suppeditatur, sed ea minus commoda, & conueniens ad semen fœcundum generandum, dum scilicet ea vel nimis calida,frigida, humida & sicca est, vel alio modo sese minus rectè habet, id quod accidit, dum partes corporis præcipuæ intemperatæ sunt, aut dum vitiosi humores qualescunque etiam sanguini permiscentur, eumque inquinant,id quod in variis morbis, & omnis generis cacheriâ euenire solet. Vnde molæ,abortus,fœtus languidi, non solum ab vteri & fœminarum vitio fiunt, sed & ob semen virile vitiosum.

Læsa autem facultate testium & partium genitalium seminis fœcundi generatio impeditur, dum vis partium genitalium, alteratrix præcipuè, seu coctrix, læditur ab intemperie frigida & humida. Calor enim testibus & genitalibus insitus præcipuum facultatis σπερματοποιητικῆς instrumentum est. Hic ergo si se rectè non habeat, semen fœcundum non generatur. Est autem ista intemperies vel natiua, vel à caussis p.n. inducta, vt caussis externis,tumoribus testium, præcipuè aquosis,testium & scroti abscessibus, quæ testes refrigerant, eorumque calidum innatum debilitant. Testes etiam debiles,& hinc homines steriles fiunt, si à prima iuuentute nimis libidini sese dedat, aut cum valetudinariâ congrediantur, aut à magnis exercitiis vel sanguinis missione, aut purgatione Veneri indulgeant. Nonnulli quidem testium caliditatem & siccitatem sterilitatis causam statuunt, vtpote à qua semen quasi aduratur, & ariditate concrescat. Verùm credibile non est, tãtum in testibus extra corpus pendulis calorem esse posse. Vnguenta etiam mercurialia genitalibus illita Venerem tollunt, sicut eius rei historiam ex *obseruat. D. Iacobi Oethei* Schenckius, *lib.*4.*obseru.* habet, cuiusdam, qui pudenda ad pediculos eius loci necãdos vnguento, ex argento viuo confecto, aliquoties illeuisset, sensit membrum virile frigidum ac torpidum;& ad Venerem planè ineptum. Verùm postea spicæ oleo ad illinendum vsus, & pediculos illos fugauit,& genitalem vim breui tempore recepit.

Pertinet huc & conformationis quoddam vitium, quando scilicet vasa semen vel deferentia, vel generantia deficiunt, aut non rectè & conueniente loco inseruntur, præsertim in vtroque latere, quod interdum in Anatomia deprehensum.

Incantamentis etiam & maleficiis virilitatem exstingui non fabulosum est, vt rectè Fernelius, *lib.6. de part. morb.& sympt.cap.*13. Alexander Benedictus, *lib.*24.*de medendis cap.* 14. aliique docent. Hoc mirum est, quod scribit Baptista Codronchius, *lib.*3.*cap.6.de morb.venefic. & veneficiis*, veneficio mutone hominem priuari posse, ex multi historiis patere, & rectè statuit, non reuera Dæmonem vel veneficos virile membrum auferre posse, sed præstigiis Dæmonum id ita apparere.

Multo verò magis steriles redduntur homines,si ipsis testes exscindantur. Etsi enim libidine aliquâ tententur, tamen vel semen non effundunt, vel sterile, vt *quæst.* 2. dicetur.

## *Signa Diagnostica.*

Ipsum vitium ex relatione ægri patet. Causæ autem ex modò dictis innotescunt,quæ cùm variæ sint, signis discernendæ. Et quidem vt de morbis & vitiis vel totius corporis vel partium præcipuarum,ob quæ idonea semini materia non communicatur,vel etsi ea suppetat, in alios vsus, vt corporis nutritionem, absumatur,iam non dicamus, cùm ea è suis locis pateant, saltem de signis, quibus testium, & partium seminis generationi dicatarum morbi cognoscuntur, agemus. Si vitium aliquod fit à primo ortu, id in omni ætate fuit obseruatum, si postea contractum, aliquando id vitium non fuit deprehensum. Si adsit testium intemperies, ea è signis intemperierum testium supra enumeratis, patet. Nimirum in frigidâ intemperie vel nullus vel exiguus Veneris appetitus, & libido percipitur, pulsus est paruus, corporis quædam grauitas adest & pigrities, & totius quoque corporis, ac præcipuarum partium intemperies ad frigidum declinat, & dum semen emittunt, exiguam vel nullam voluptatem percipiunt, semenque ipsis est crudum, aquosum & liquidum. Præcesserunt caussæ refrigerantes, vel etiam nimius & intempestiuus coitus. Qui enim nondum Signa.

ætate

ætate matura se Veneri dedunt, cùm calorem innatum intempestiuè exhauriant, testes ac partes principes refrigerantur; inde postea ætate adulta nimis maturè ad Venerem inepti redduntur. Et si accedat humida intemperies, semen ad leuem mulieris attrectationem emittunt, & postea amplius coire non possunt; cùm partes, quibus semen continetur, omnes laxæ sunt. Reliqua supra videantur *de intemperie testium*.

### *Prognostica.*

*Prognostica.*

1. Etsi sterilitas & læsa feminis generatio potius speciei propagationi obesse, quàm indiuiduo nocere videatur: tamen & indiuiduo non raro aliquid incommodi affert; cùm sæpe gonorrhœa hinc excitetur, quæ corporis extenuationem & tabem inducit.

2. Caussam ipsam quod attinet, quid intemperies testium & alij morbi periculi portendant, ex iis, quæ supra *de intemperie testium* dicta sunt, patet. Quæ mala etsi per se vitæ periculum non minantur: cùm testes etiam sine vitæ periculo exscindi possint: quia tamen alia praua symptomata inducere valent, secundæ valetudini obesse possunt.

3. Ab ipso ortu Eunuchi & impotentes arte Medicâ curari non possunt.

### *Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & Curatio.*

Curatio tota ad caussas dirigenda. Itaque si vitio aliquo totius corporis, vel membri alicuius principalis semen non generetur, illud curandum; si intemperies, vel alius morbus testium adsit, corrigendus per medicamenta supra *l.1. cap.1. & seqq.* proposita, & quæ simul peculiari proprietate testibus amica sunt: & imprimis hic ea eligenda & exhibenda, quæ semen copiosum generant, simplicia & composita.

*Semen generantia medicata.*

*Simplicia. Satyrium.*

Simplicia sunt: Radices *satyrij* & imprimis *maioris*, seu *testiculi canini maioris*, qui *cynosorchis* appellatur, & quidem testiculus maior, non verò minor, qui tantùm abest, vt Venerem excitet, vt potius eam reprimat, *cinaro, bulbique* alij etiam: radices *eryngij, asparagi, napi, pastinacæ, rapæ, allij, cœpæ.*

Semen *erucæ, fraxini, lini, ciceris, fabæ.*

Fructus, *amygdalæ dulces, nuces pineæ, pistacia, castaneæ, dactyli.*

Aromata, *cubebæ*, quarum maximum ad Venerem excitandam apud Indos vsum esse, Garcias ab Horto refert, *caryophylli, galangæ, zingiber viride, vel recens conditū.*

Carnes *scinci*, præcipuè circa renes, *testes vulpes sicci triti, cerui pudendum exiccatum.*

Ex animalibus *ostrea & conchæ.*

### *Composita.*

*Composita.*

*Diasatyrion, diambra, diamoschum, dulce.*

Vel ℞. *Rad. condit. satyrij* Vnc. ij. *eryngij* Vnc. j. *amygdal. dulc. pinear. pistacior.* an. Vnc. ß. *sem. erucæ, piperis, Cinamomi, rasuræ priapi cerui* an. Drach. ij. *species. diambr.* Drach. j. *sacch. q. s.*

Fiant Morsuli.

Vel cum *syrupo conseruat. zingib. in china conditi* Elect.

Vel ℞. *Testium gallor. exiccat.* Vnc. j. *galang. cubebar.* an. Drach. j. ß. *sacch. ad pondus omnium.*

F. Puluis, cuius detur Drach. j.

Cum *vino dulci.*

Vel ℞. *sem. erucæ, rasuræ priapi cerui, testiculor. galli* an. Drach. j. *galang. pip. longi* an. Drach. ß. *zingib. cinam.* an. Scrup. j.

Fiat puluis, cuius Drach. ß. vel Drach. j. cubitum ituro detur cum *ouo sorbili & vino dulci.*

Vel ℞. *Rad. condit. satyrij. eryngij* an. Vnc. j. *nucleor. pini, pistacior. auellanar. torrefactar.* an. ℥. iij. *pulpæ dactylor.* lb. ß. *sem. erucæ, fraxini* an. Drach. ij. *pip. longi, albi, cardamom. galangæ* an. Vnc. j. *medull. nucis Indicæ* Vnc. ß.

Cum *sacch.* fiant Morsuli.

Vel ℞. *Sem. erucæ* Drach. j. *urticæ, anisi, fœniculi, fraxini* an. Drach. ß. *nucleor. pini, amygd. dulc.* an. Vnc. ß. *cubebar. cardamomi* an. Drach. ß. *rasuræ genitalis cerui. rad. condit. satyrij* an. Vnc. ß. *specier. diamosch. diambr.* an. ʒ ß. *sacch. in aq. meliss. q. s.* dissoluti.

Fiant Morsuli.

Vel ℞. *Pinear. pistacior.* an. Vnc. ß. *zingiberis in China conditi, rad. satyrij* an. Drach. ij. *carnis scinci marini* Drach. ij. *moschi* gran. iij. *ambræ* gr. j. *sacch. q. s.*

Fiant Morsuli.

Vel ℞. *Nuc. mosch. cubebar.* an. Drach. j. *zingib.* Dr. ß. *sem. nasturtij hortensis, erucæ, anisi* an. Dr. jß. *rad. condit. satyr.* Vnc. ß. *pinear. pistacior. amygd. dulc.* an. Drach. iij. *diasatyr.* Vnc. ß.

Cum *syrupo de corticibus citri & conseruationis zingib.*

Fiat Electuarium, de quo sumantur Drach. ij.

Vel ℞. *Rad. satyrij* Vnc. iij. *nucleor. pini, pistacior.* an. Vnc. ij. *amygd. dulcium* Vnc. j. *testicul. galli* num. x. *testiculum arietis dextrum exiccatum* num. j. *limatur. priapi cerui* Vnc. ß. *sem. erucæ, pastinacæ, sileris montani* an. Drach. ij. *spec. diamoschi dulcis, diagalangæ, cubebar, caryophyllor. cinamom.* an. Drach. j.

Cum *syr. Conseruat. calami aromat. & rad. eryngij,*

*Ad augendā Venerem Mumia Satyrionis.*

Ad Venerem augendam Henric. ab Heer, *obseru. Medic. oppidò rarar. 9.* hoc habet: Ineunte vere, vel medio autumno, aut exeunte, hoc est, floribus, foliisque vel nondum natis, vel deciduis, radices satyrij collectas aquæ puræ inijce, duobus, quibus constant, orbiculis diuulsis; quotquot aquæ innatauerint, vt inutiles abijce; quæ fundum petierint, contunde in mortario marmoreo, pilo ligneo, sensim micam panis albissimi & recentissimi addendo; & propter lentoris dilutionem affunde spirit. vini Maluatic. irrorando paulatim suauissimè. Postea optimè mixta pone in cucurbita cum alembico cœco, clausáque digere in balneo per sex septimanas. Tum prælo exprime. Expressum iterum per mensem digere in cucurbita. Innatabit liquor rubini æmulus. Hunc inclinando cautè collige, abiectisque fœcibus, cuique libræ dimid. adde magister. margarit. ʒ ß. ol. nuc. moschat. anisi, cinamomi, an. ʒ ß. Dos. ad xx. gut. in vino, iusculo, vel conserua cor roborante.]

Plura videantur apud Aëtium, *tetrab. 3. serm. 3. cap. 35.* Auicennam, *fen. 23. cap. 16. & seqq.*

Extra etiam testes, perinæum & lumbi conuenientibus medicamentis inungantur, vt *oleo lilior. albor. mastichino*, aut cui *radices narcissi, pyrethrum, semen vrticæ, piper, & similia* mista sint.

Vel ℞. *Ol. de piperib. nuc. moschat.* an. Vnc. ij. *euphorbij* Vnc. j. Misce.

Vel ℞. *Ol. nuc mosch. axpress.* Vnc. ß. *de piperib.* Drach. ij. *spicæ, caryophyll.* an. Scrup. ß. *mosch.* gr. iv.

Misce.

### *Diæta.*

*Diæta.*

Diæta medicamentis respondeat. Aër sit temperatus. Panis sit ex optimo frumento, & imprimis tritico. Cibi etiam alij, qui ad semen copiosum generandum faciunt, vt oryza, amygdalæ, pineæ, oua sorbilia; & quidam non sine caussa vitellum oui recentis cum vino & pauco oleo amygdal. dulciorum recenti haustum ad Venerem augendam valdè commendant; vtilisque etiam est cibus ex ouis, & vino paratus ac cinamomo, croco, & saccharo conditus. Carnes vitulinæ, hœdinæ, veruecinæ, gallinarum, perdicum, phasianorum, pullorum columbarum, & imprimis gallorum & passerum testiculi. Et quantus ad Venerem impetus ac salacitas ex esu testiculorum gallorum cum melle & aromatibus excitata fuerit in nobili quodam, docet Amatus Lusitanus, *cent. 2. cur. 81. in Schol.* Ex piscibus edantur optimæ notæ, aromatibus ac vino conditi, ostreæ item & testudines. Nec inutiles sunt, ficus, pisa, fabæ, ciceres, castaneæ, nuces auellanæ, dactyli, allium,

cæpe, radices asparagi, pastinacæ, carottæ, cinaræ capita. Cibi etiam condiantur aromatibus, fœniculo, satureia.

Vel paretur hic intinctus, præcipuè ad pisces.

℞. *Galangæ, piperis longi, cinamomi, maceris, zingiberis, cardamomi, nuc. mosch.* an. Drach. ij. *croci* scrup. j. *nucleor. pini, pistacior. auellanar.* an. Drach. iij.

Cum *vino vel sapa.* F. intinctus.

Somnus sit longior, & in mollibus lectis. Vita sit hilaritati dedita. Curæ verò & tristitia remoueantur. Ebrietas vitetur, vt & cibi refrigerantes, lactuca, papauer, balnei vsus nimius, frequens Venus, sanguinis missio larga & sæpe repetita, purgationes frequentes.

## QVÆSTIO I.

### *Quæ caussa sit, cur Scythæ steriles fiant?*

*Cur Scythæ steriles sint?*

Immodicam sanguinis euacuationem ad sterilitatem facere vero consentaneum est: vnde hoc loco disputant Autores de caussa, cur Scythæ steriles fiant. De iis enim scribit Hippocrates, *lib. de aere, aquis & locis. Quâ in re*, inquit, *medicantur sibiipsis hoc modo. A principio morbi vtrinque venam retrò aures incidunt: sanguine multo promanante somnus eos corripit præ imbecillitate.* Et paulò post: *At mihi sanè videntur, eâ medicatione seipsos perdere. Venæ enim retrò aures sunt, quas si quis secet, sterilitatem infert iis, quibus secantur.* Et *lib. de genitura. Quibuscumque venæ post aures sectæ sunt, hi coëunt quidem, & geniturам emittunt, verùm modicam, debilem & infœcundam. Maxima siquidem pars seminis è capite secundum aures in spinalem medullam fertur. Ipse autem meatus sectioni cicatrice inducta consolidatus est.*

*An materia seminis è cerebro communicetur testibus?*

Verum enim verò nullus manifestus ductus est, è quo materia seminis è cerebro testibus communicetur. Et proinde Hippocrates quidem excusandus, quod veram caussam sterilitatis Scytharum non attigit, dum semen à capite iuxta aures in spinalē medullam defluere, ipsique transitum cicatrice vulneri inductâ denegari putat, quod eius tempore Anatomia non satis exculta fuit. Interim hoc non negandum, cerebrum cum partibus genitalibus magnam habere cognationem, atque ipse Aristoteles etiam scribit, 2. *de gen. anim. cap.* 7. quod semen habeat quippiam cum cerebro commune. *Sedes enim*, inquit, *oculorum maximè omnium capitis locorum seminalis est, quod sola ipsa per coitum Venereum maximè immutetur, & vsu immodico rei Venereæ oculi aperti langueant & subsideant.* Ideóque etsi iis me non oppono, qui statuunt, præcipuam sterilitatis caussam in Scythis pendere ab ingenti frigiditate & impotentia, quâ totum corpus ex copiosa sanguinis profusione afficitur, (scribit enim Hippocrates, eos ex venis post aures incisis tantum sanguinis extrahere, donec eos somnus præ imbecillitate corripiat) atque in rei huius probationem & id afferunt, quod ij ad Venerem impotentes & steriles reddantur, qui vstiones plurimas & fonticulos diu manantes habent, vel diuturnum in aliqua parte ex morbosa occasione fluxum sortiuntur; quam caussam etiam Hippocrates attingit, dum Scythas etiam eâ de causâ steriles esse scribit, quod humorum detractiones ex perustione cauteriorum semper habent: tamen cum sanguis ex quacumque etiam parte detrahi possit, neque omnes, qui fonticulos habent, steriles sint; Hippocrates autem expresse scribat, quod venæ post aures sectæ sterilitatem inferant iis, quibus secantur: si res ita sese habet, alia caussa quærenda est. Hippocratis equidem ratio, qua statuit id fieri ob transitum semini denegatum, locum non habet, sed verior petenda ex cerebri cum partibus genitalibus consensu. Est enim procul dubio magnus cerebri cum partibus genitalibus consensus, vt modò ex Aristotele dictum, & res ipsa probat, vix aliquam partem magis lædi à nimia Venere, quàm cerebrum. Consensus autem procul dubio fit per neruos, quorum duos magnitudine eximios habent ab ossis sacri medullâ prognatos, quorum qui maior est, ab ossibus pubis ad penis radicem per mediam bifurcationem ascendens inde ad musculos, totum penis corpus & glandem dissi minatur, atque ipse penis constat duobus neruosis corporibus intus raris & spongiæ similibus, ex minimarum arteriarum, venarumque & procul dubio etiam neruorum surculis quàm tenuissimis inter se complicatis. Quæ substantia rara & spongiosa cùm ad Venerem homo stimulatur, spiritibus non solum vitalibus inflatur & intumescit, vt penis rigidus planè fiat, sed procul dubio spiritus animales copiosè eò effunduntur, vnde ille Veneris appetitus est, & in coitu voluptas insignis, & sensus exquisitissimus, quem Iulius Cæsar Scaliger, *exerc.* 286. sextum sensum constituit, & *ibid.* docet, spiritum ipsum facere sensum illius delectationis, quam etiam multum coiere ita, vt non amplius emittant semen, percipiunt irrito coitu. Titillari verò etiam à spiritu solo, ait Aristoteles, 30. *sect. problem.* Ideoque etsi cerebrum semen testibus non communicat: Spirius tamen partibus genitalibus tribuit, & proinde potest ad cerebri debilitatem etiam facere aliquid spirituum vitalium cum semine euacuatio. Cum n. spiritibus animalibus generandis vitales vt materia, necessarij sint, si cum semine diffundantur, in cerebro deficiunt.

Quæ cùm ita sese habeant, si Hippocratis hypothesis vera est, quod scilicet ex venarum post aures sectione Scythæ steriles fiant, id accidit ex immodicâ cerebri à nimiâ sanguinis effusione, refrigeratione.

## QVÆTIO II.

### *An Eunuchi generent?*

*An Eunuchi generent? An testes vim σπερματοποιητικὴν habeant?*

Sunt quidam è recentioribus, inter quos Bartholomæus Cabrolius, & Adrianus Spigelius, qui testibus vim σπερματοποιητικὴν denegant, atque pro suæ sententiæ probatione & id afferunt, quod Eunuchi, & qui testibus destituuntur, nihilominus coëant, & generent. Refert n. Cabrolius, quendam, cum vim Virgini fecisset, atque ea de caussa suspensus esset, cum secaretur, sine testibus tam exterius quàm interius inuentum fuisse. Deinde quod iuuenis quidam annos 22. natus intestabilis seu sine testibus natus matrimonium inierit, & filios generauerit. Prætereа Smetius refert, *in Miscellaneis pag.* 525. quendam Maniacum, qui ambos testiculos sibi ipsi extraxisset, vbi menti sanæ restitutus fuit, vxori maritale debitum cum seminis profusione soluisse. Eunuchos etiam coire, etiam coire, certum est, vt Iulius Cæsar Scalig. *exerc.* 144. *sect.* 8. 172. *sect.* 2. & 175. *sect.* 3. docet.

Verum enim verò equidem quæstionem illam, an semen in testibus generetur, hîc perfectè discutiendam non suscipio. Hoc tamen certum esse puto, ea, quæ ex Cabrolio & aliis pro sententia negante antea allata sunt, id non satis probare. Sit enim, vt Eunuchi coëant: tamen non generant, & vel semen nullum emittunt, id non fœcundum est. Cùm enim reliqua vasa spermatica in iis relinqui potuerint, humor quidam seminalis, qui partes genitales titillet, sed non fœcundus, in iis generari potuit. Scortator verò ille suspensus apud Cabrolium etsi testes non habuit, analogum tamen quid habere potuit. Solet enim natura sæpe vnius partis defectum aliàscompensare, sicut & epar quibusdam, aliis alias partes defuisse, obseruatum. Neque etiam probat Cabrolius, quod semen fœcundum habuerit, etsi coiuerit, quod & Eunuchi, vt dictum, faciunt. Iuuenem verò illum, qui sine testibus, vxore ductâ, liberos procreauit, quod attinet, etsi foris pendentes testes non habuit: intus tamen latentes habere potuit.

## CAPVT II.

### *De læsâ penis erectione & Seminis eiaculatione.*

*Læsa penis erectio, & seminis eiaculatio.*

ALterum, quod generationem impedit, est, si seminis eiectio & immissio in vterum fœminæ non rectè fiat; quod multis de caussis accidit. Cùm enim ad rectam seminis in vterum eiaculationem requiratur, vt penis erigatur, & distendatur, ac sufficiente temporis spatio talis maneat; vt meatus, per quem semen emittitur, pateat; vt penis rectè conformatus sit, & sit neque nimis longus, neque nimis breuis; sit rectus, non curuus, aut tortuosus; & præterea etiam hoc necessarium sit, vt semen virile & fœmininum eodem tempore emittatur: si quid in his desit, aut vitii sit, seminis in vterum immissio, & quæ hinc fit, conceptio, impeditur.

Primò enim cum necessarium sit, vt si semen virile in vterum muliebrem mitti debet, membrum virile rigidum sit; neque tamen commodum fuisset, si membrum hoc perpetuò rigidum esset, Creator Sapientissimus id ita formauit, vt flaccidum quidem maxima ex parte esset, cùm tamen opus est, rigidum fieri posset. Quapropter eius substantiam spongiosam, raram, & porosam effecit, vt influente spiritu distendi posset. Dum enim obiectum fœmininum pulchrum sensibus offertur, imagine eius phantasiæ oblata appetitus concupiscentia & libido excitatur, & à corde spiritus vitales copiosè ad membrum genitale mittuntur per arterias insignes, quæ radici penis inseruntur, & per totam eius substantiam vsque ad glandem extremam propagantur, vnde qui flaccidus antea erit penis subitò intumescit & rigescit. Galenus equidem, 6. *de loc. affect. cap. vlt.* pluribus hâc de re disputat, & statuit, postquam penis fuerit extensus, sequi ex arteriis spiritum, vt pulmo thoracem, ob eam, quam habet ad ipsius motum sequelam. Verùm vtrumque falsum. Pulmonem non dilatari, vt repleatur, sed repleri, vt dilatetur, *in Institut. lib. 1. cap. 11.* probatum. Eadem ratio est spongiosæ penis substantia, quæ distenditur, quia spirituosa substantia per seipsam influente intumescit vtris instar, non verò repletur, quia dilatatur, instar follium. Neque enim caussa, quâ dilatetur, datur. Deinde mauult Galenus hanc actionem ad neruos, quam ad arterias referre. Verùm vt non negamus, aliquid etiam spiritus animalis influere, cum tanta sit in venere delectatio; distensionem tamen illam penis à spiritu flatuoso & vitali potius, quàm animali prouenire, probabilius est; cum nullibi videamus, vllam partem à spiritu animali ita distendi; contrà animaduertamus, membrum virile erectum & rigidum, si timor & terror aliquis improuisò superueniat, statim flaccessere, spiritibus vitalibus ad cor reuocatis. Neque etiam datur contraria facultas penem constringendi, sed ob solam spirituũ dissipationẽ subsidet. Neque absurdum est, quod Galenus putat, arterias hasce peni insertas aliam habere facultatem præter eam, quam alibi in toto corpore habent. Obtinent enim arteriæ penis peculiarem conformationem, & mirificè per totam penis substantiam sunt dispersæ, vt ita à dextra ad sinistram, & à sinistra in dextram partem diffundantur; ac prætereà eà in parte, qua penis radici sunt insertæ, quamplurimis foraminibus sunt pertusæ. Et videmus etiam in aliis partibus, vbi incaluerint, venas & arterias intumescere. Musculos tamen etiam penis habet, qui quidem non ad distensionem, sed ad erectionem eius faciunt. Ista autem erectio pluribus modis læditur. Vel enim erectio membri virilis planè aufertur, vel imminuitur, vel deprauatur, aut intenditur, dum homini inuito erigitur.

*Caussæ.*

*Caussæ.*

Priores duæ læsiones, quæ secundum magis & minus differunt, ac de quibus *hoc capite* agendum, impotentiæ virilis nomine veniunt. Pertinet quidem huc etiam vitium, quando membrum virile vel deest, siue à primo ortu, siue postea amputatum sit, vel mutilatum, & aliquâ parte abscissum est, vt ad coitum sit inutile. Verùm quia vitia ista incurabilia sunt, de reliquis dicemus.

Habet autem præter dicta virilis impotentia triplicem caussam, excitatúrque vel quia semen deficit, vel quia penis spiritibus destituitur, vel quia musculi penem attollentes paralysi afficiuntur.

Semen primò quod attinet, si illud desit, vel nimis paucum sit, vel etiam crudum, naturam ad excretionem non stimulat, vnde etiam nullus spiritus vitalis fit confluxus, neque virilis membri erectio. Atque ita seminis ita virium duplici ratione generationi obest, & sterilitatem efficit in Viris; cùm quia deest idonea fætui generando materia, tum quia ad venerem stimulus deest. De seminis autem defectu *cap. præcedente* dictum. Et si omnino desit semen, fit ablata eius emissio; si ex parte, imminuta. Dum autem semen planè deficit non vitio ætatis, sed vitio aliquo præter naturam, etiam penis erectio ferè ablata est. Aliquando tamen accidit, vt penis erigatur, semen tamen non emittatur. Ita refert Forestus, *lib. 26. obseru. 18. in Schol.* iuuenem quendam rarioris & siccioris temperaturæ, cum nuper duxisset viduam, sibi conquestum esse (vt & alios non paucos) se cum coitu vteretur, pene licet optimè extento & rigido, semen tamen emittere non posse.

Spiritûs autem, qui membrum virile inflat, defectus, etiam in caussa est, vt membrum virile non erigatur. Creditum quidem hactenus à multis, à flatu membrum virile erigi, sed malè; cum spiritus vitalis id potius præstet. Postquam enim semen in vasis suis turgere, atque moueri & exitum quærere incipit, & à natura ad excretionem stimulatur, ea spiritum vitalem ad membrum genitale mittit, vnde fungosa & porosa penis substantia repletur, & distenditur. Spiritus autem hic deficit, vel quia paucus in corpore generatur, vel quia alio auocatur, vel quia à penis substantia non recipitur. Non generatur spiritus satis copiosus præcipuè ob cordis frigiditatem & siccitatem, vnde iuris consulti eos, qui ad Venerem impotentes sunt, Frigidos appellant. Aliò auocatur in diuturnis & assiduis meditationibus; in timore & terrore, vnde scortatores & adulteri sæpe semen profundere non possunt, quia aliorum aduentum timent. Imò si in ipsa Venere rei alicuius tristis, horrendæ atque abominabilis cogitatio Viro incidat, animo deiicitur, & appetitus rei venereæ concidit. Idem verecundia præstare potest, vt & nimia lætitia.

Influxus autem spirituum impeditur, si membrum refrigeratum sit, aut insensile & stupidum factum iis de causis, quæ stuporem inducere solent, aut incantamentis etiam tale redditum, vt nec titillationem, nec stimulum seminis sentiat.

Paralysis in pene excitatur iis de causis quæ de Paralysi alibi sunt expositæ.

Possunt huc referri etiam incantationes & maleficia. Reliquorum vitiorum, quæ in actu venereo contingunt, caussas quod attinet, cum non solum necessarium sit, vt penis rigeat, ac distendatur, sed etiam, vt talis ad consummationem actus Venerei permaneat; vitij huius eædem causæ in spiritibus, de quibus modò dictum, quærendæ, acciditque id, cum spiritus, qui penem distendunt, ob paucitatem ante consummationem actus venerei deficiunt.

Præterea requiritur, vt penis ad seminis intromissionem sit rectè conformatus & dispositus, non nimis breuis, neque nimis exilis, neque etiam nimis crassus. Si

penis

penis nimis ſit breuis, ſemen etiam non eo vſque,quò debet,eiicitur,in vterum ſcilicet,qui eſt ſeminis receptaculum, ſed in collum vteri ſaltem, vbi corrumpitur, & effluit, atque ita conceptio impeditur. Si ſit nimis craſſus, à fœmina non admitti, vel non ſine dolore admitti poteſt. Tale ſi quid accidat, coitus impeditur. Habent autem iſta vitia à primâ conformatione ſuam originem.

Inſuper neceſſarium eſt, vt ipſum ſemen ſeſe rectè habeat, ac debito tempore, & ſimul cum muliebre ſemine emittatur. Seminis autem emiſſio non penis, ſed teſtium & vaſorum genitalium propria eſt; penis verò ſolùm viam præbet. Recto autem tempore ſemen excernitur, ſi non nimis tenue vel aqueum eſt. Tale enim ſi ſit,antequàm expultrix id expellat,excidere & effluere ſolet. Quod etiam accidit, ſi vaſa, quibus continetur, nimis laxa ſint.

Viæ quoque, per quas ſemen excernitur, rectè ſeſe habere debent, & neceſſarium eſt, vt nulla neque in ſeminariis viis, quæ à teſtibus vſque ad penis radicem feruntur,neque in ipſo pene adſit anguſtia.Hæc enim ſi adſit, ſeminis emiſſio impeditur.

Si auguſtia ſit in vaſis deferentibus, fit ea ab obſtructione propter craſſam & viſcidam materiam, propter tubercula, vlcera; & tunc ſeminis emiſſio aufertur potius, quàm imminuitur: ſi verò anguſtia aliqua ſit in pene, eiectio ſeminis potius imminuitur, quàm aufertur, & ſemen cum difficultate ac paulatim exit. Accidit autem hæc anguſtia propter tuberculum potiſſimum in meatu penis enatum.

Pertinet huc & conformationis quodam vitium,cùm ſcilicet in pene præter foramen in glande, aliud adhuc foramen vel à natura patefactum eſt, cuius exemplum habet Platerus, *lib.6.obſ. pag.* 782. vel per fiſtulam illic genitam excitatur, per quod ſemen ad latera penis effluit, & non in vterum eiicitur.

Si penis obliquus & tortuoſus ſit, tardè ſemen,& non rectà intrò eiicitur. Tortuoſitas autem penis eſt vel natiua, quæ fit propter ligamenti, ſeu fræni breuitatem, quod, dum præputium glandi nimis connectitur, accidit, vt ſi penis extendatur, curuus maneat. Aque hic, vt Galenus, *de morbi diff. cap.* 7. ſcribit, immodicus pudendorum nexus impedit, quò minus procul & directo tramite in mulieris vterum ſemen immittatur, ob meatus inuerſionem; vel adſcititia,quæ fit propter tumorem, quem penis nodum appellant,in quo quamuis pene flaccido nihil incommodi percipit æger, eum tamen prementi paruus quidam tumor glandulæ ſpeciem referens percipitur. Generatur autem, cùm homo nimis Veneri indulget. Tunc enim ſpiritus ille inclufus in diu diſtento pene in aliquam eius partem impetum faciens eam ita diſtendit & laxat,vt aliquid eius protuberet, eodem modo, vt in aneuriſmate. Tandem etiam circa vaſa generationi ſeminis dicata interdum error qui à natura committitur, dum ſcilicet vaſa vel ſemen generantia, vel deferentia deficiunt, aut non recto loco inſeruntur, id quod interdum factum eſſe, in Anatomia compertum eſt.

Quod verò inuoluntariam ſeminis emiſſionem attinet, de eâ poſtea *de gonorrhœa* dicetur.

### *Signa Diagnoſtica.*

Signa. Vitium ipſum ægri, vel, quod ſæpe accidit, vxores patefaciunt. Quæ autem cauſſa ſit, à Medico ſignis inueſtigandum. Si ob ſeminis inopiam id accidat, è ſignis *capit. præced.* propoſitis id patefit, & homo nullo fere Veneris ſtimulo, vel libidine tentatur. Et ſi ex teſtium & vaſorum genitalium frigiditate malum hoc fiat, ſemen quidem eiicitur, ſed fluidum nimis hoc eſt, & aqueum,& interdum ſponte exit ſine voluptatis ſenſu. Si etiam cauſſa aliqua præceſſerit, quæ quocunque etiam modo membra genitalia lædere poſſit, vt ſi æger in aëre frigido verſatus fuerit, & per loca frigida iter fecerit, ſi fuerit lapſus, vulneratus, & ab ea læſione ad Venerem impotentiam ſenſerit, id ex ægri relatione patefit. Si ſpiritus vitalis deficit, è cordis & reliqui corporis conſtitutione id patet, & membrum vix ac cùm maximâ difficultate erigitur. Si verò ad genitalia non ferantur ſpiritus, propter intentas & continuas meditationes, aut alias externas vel euidentes cauſſas, id ex relatione ægri innoteſcit. Si paralyſis membri genitalis adſit, id flaccidum manet, neque vllo modo, etſi veneris deſiderium adſit, erigitur, & ſemen quandoque per ſomnum ſine veneris cupeditate effluit.

Qui verò ſemen in vaſis genitalibus habent, ſed propter vaſorum anguſtiam eiicere non poſſunt, libidine & Veneris ſtimulo quidem tentantur, ſed ſemen non emittunt, aut niſi cum maxima difficultate emittunt. Quænam autem cauſſa ſit anguſtiæ, ex iis, quæ præceſſerunt, vel adſunt, cognoſcitur. Si tumor aliquis circa vaſa genitalia percipitur, ab illo conſtipari hæc vaſa indicio eſt.Si vlcus fuit in radice penis,poſt cicatricem obductam vaſa hæc coaluiſſe argumento eſt. Si penis incuruus ſit, ex relatione & inſpectione cognoſcitur. Vitia conformationis, vbi ſcilicet vaſa vel ſemen generantia, vel deferentia deficiunt aut non recto loco inſeruntur, id in viuentibus vix certò cognoſcitur: ſi tamen genitalia aliàs ſunt perfecta, & nulla alia cauſſa nota præceſſerit, interim æger ad venerem ineptus ſit, talem aliquam vitioſam conformationem adeſſe ſuſpicari licet. Si ab incantatione vel maleficiis malum hoc ortum habeat, homo antea ad venerem ſatis aptus fuit,neque vlla cauſſa manifeſta præceſſit,quæ id ipſi, & præcipuè ſubito inducere potuerit.

### *Prognoſtica.*

1. Læſa penis erectio iis, qui in coniugio viuunt, liberoſque generare cupiunt, valde moleſtum eſt, & fœminis etiam plerunque maximè exoſum. *Prognoſtica.*

2. Si ex læſa ſeminis generatione proueniat membri genitalis ignauia, quid prædicendum ſit, è *capit. præcedent.* patet. Penis autem intemperies, quæ ab ætate ſenili eſt, curari vix poteſt. Ætati tamen huic vitium hoc non incommodum eſt. Nulli enim ætati magis, quàm ſenili, Venus nocet. Quæ verò ab aliis cauſſis originem habet intemperies, curari poteſt.

3. Si ſeminis eiaculatio ab aliis morbis impeditur, ex morbo, vnde illud vitium pendet, malum æſtimandum. Exempli gratia ſi penis ſit breuis vel naturâ, vel amputatus, ſeu ex toto, ſeu ex parte,malum incurabile eſt. Si ſit incuruus ob fræni nexum arctiorem, malum curabile eſt. Ita etiam de aliis ſtatuendum. Si adhuc aliud præter illud naturale in pene foramen ſit, ad actum venereum quidem obeundum nihil impedimenti affert,ſed conceptioni obeſt; cum ſemen non per naturale foramen in vterum, ſed per præternaturale aliò effluat.

### *Indicationes & Curatio.*

Læſam penis erectionem quod attinet, ſi à ſemine deficiente,vel intemperie membri genitalis proueniat, intemperies illa frigida calidis medicatis curanda. Medicamenta autem ad hanc rem vtilia ſupra, *ſect.1. cap.1. & cap.præcedente* ſunt propoſita. Extra quoque teſtes & membrum virile inunguntur oleis & vnguentis ibi propoſitis, vt oleo, in quo radix narciſci, ſemen vrticæ, pyrethrum & ſimilia cocta ſint. *Indicationes & Curatio.*

℞. *Olei coſtini, de nuce Indica* an. Vnc.j. *euphorbij* Drach.ij. *moſch.* ſcrup.j. *alipta moſch.* Drach. iß. *ceræ* q. ſ.

F. Vnguentum.

Si ſemen rectâ in vteri foramen non poſſit immitti, ob fræni breuitatem,vel connexionem,vel præputium clauſum, quomodo vitia illa corrigi poſſint, ſuprà dictum.

Si

Si nodus in pene fit, neque emollientibus, neque discutientibus vtendum; cùm ab his medicamentis via illa & cauitas magis dilatetur, sed potius adstringentibus vtendum. Ideoque fomento è vino nigro, in quo absinthium, myrtilli, balaustia, & similia adstringentia cocta sint, vtendum.

Vel ℞. *Aq. nucum pini, nuc. cupressi, myrtillorum* an. Vnc. ij.

Misceantur, & linteamine aquâ hac madefacto genitale obuoluatur.

Vel ℞. *Cortic. myrob. citrin. chebul.* an. Vnc. ß. *cupress.* num. xv. *pini* num. iiij. *rof. rubr.* p. j. *absinth. Pontici* M. j. *granor. myrti, gallarum, sem. sumach.* an. Vnc. j.

Contundantur, & affusa *aqua nuc. pini* destillentur.

Si aliud, præter illud naturale, quod in glande est, foramen sit in pene, per quod semen effluat, foraminis illius præternaturalis labia abradenda, & postea, tanquam nouum vulnus foret, illud curandum & occludendum, vt semen per naturale foramen eiiciatur.

Si semen nimis citò effundatur ob viarum laxitatem, balneis & fomentis siccantibus vtendum, vbi imprimis vtiles sunt thermæ sulphureæ.

Si semen nimis sit aquosum & tenue, incrassandum, partium genitalium calor augendus, vt *supra* dictum.

## CAPVT III.

### *De Salacitate, Satyriasi & Priapismo.*

*Salacitas.* Contrarium impotentiæ ad rem veneream vitium est Salacitas, seu nimia in Venerem propensio, & admodum vehemens veneris desiderium, quod interdū eò vsque progreditur, vt in furorem quasi abeat, de quo supra, *lib.1. part.2. cap.10.* dictum.

*Satyriasis & Priapismus.* Pertinet huc & Satyriasis & Priapismus. Satyriasis nimirum, à Satyris nominata, qui semper ad libidinem proni dicuntur, & pene erecto pinguntur, perpetua in libidinem propensio est, & coeundi appetitus cū penis erectione. Priapismus verò dictus à Priapo, qui Gentilibus hortorum & agrorum custos erat, & pudendo semper expotrecto sculpebatur (vnde etiam membrum virile priapi nomen accepit) est membri virilis in longum & latum extensio. Hæc tamen est inter Satyriasin & Priapismum differentia, quod in Satyriasi adest maxima rei venereæ appetentia; in Priapismo verò citra rei Venereæ appetentiam fit in vita penis erectio, pudendumque conuulsionis ac tetani modo distenditur, vnde dolor quoque coniunctus est: & in Satyriasi re venereâ peractâ penis detumescit, in Priapismo verò post coitum etiam penis erectus & tensus manet.

### *Caussæ.*

*Caussæ.* Caussæ autem salacitatis est vel nimiæ seminis copia, vel eius acrimonia, vel commotio. Semen copiosius generatur ob sanguinis abundantiam, & imprimis vasorum semini generando dicatorum calorem nimium, ob quem & sanguinem copiosius attrahunt, & in semen mutant.

Si vero ad seminis copiam accedat eiusdem caliditas, & acrimonia, maior adhuc fit salacitas, & homines valdè libidinosi redduntur. Poteft tamen etiā semen non copiosum acre fieri. Fit vero semen calidius & acrius à cibis calidis & aromatibus nimium conditis, vt & à medicamentis & cibis acribus, ac ad Venerem accendendam vtilibus. Humores etiam acres semini permixti id acrius reddunt. Huc pertinet & medicamentorum purgantium vsus, qui interdum venerem stimulat, præsertim si iis aromata multa misceantur. Ita refert Platerus, *obs. lib. 1.* Virum quendam multos annos viduum & continentissimum, cùm eum leuiter purgare vellet, ac pilulas aromaticas ei exhibuisset, sequenti mane ad se venisse, ac secum expostulasse, quod eum decipere voluerit, cum nullam ab illis senserit, per aluum euacuationem; sed pruritum & stimulum solùm Venereum, à quo tota nocte fuerit diuexatus. Idemque alij etiam cuidam accidisse refert: ac præterea narrat, alium quendam, sumto cathartico, cum illud adhuc operatur, ita ad venerem stimulatum fuisse, vt vxorem adstantem compresserit, atque inde valde debilitatus fuerit.

Tandem etiam semen in suis vesiculis motum, veluti agitatum, atque exitum quærens pruritum excitat.

Satyriasis verò & Priapismi caussas quod attinet, excitantur ista vitia à spiritu vitali ac flatuoso, penis corpus implente & distendente. Sed quia Satyriasis fit, cum veneris appetitus; Priapismus verò etiam sine eo; differentia hæc procul dubio est, quod in Satyriasi semē turgidum & acre hunc spiritus vitalis affluxum excitat, aut spiritus vitalis affluens simul semen commouet. Id quod accidit, cum atteriarum ora nimium patent vel cum lumbi & renes incalescunt, ex decubitu supino in culcitris plumbeis vel aliis de caussis, vt cincturá lumborum diuturna in iis, qui ei non sunt assueti, iis item, qui diu à venere abstinuerunt, interim sanguine abundant, nec exercitiis eum imminuunt; vt & iis, qui medicamentis venerem irritantibus vsi sunt. Galenus quidem, *6. de loc. aff. cap. vlt.* & alij addunt flatuosum spiritum, in substantia penis spongiosa ortum, & generatum ab humore viscido & crasso cum debili calore. Sed probabilius est, aliunde illum spiritum flatuosum affluere. Si verò sine seminis commotione à dolore vel alia de caussa spiritus vitalis vel flatus in substantiam penis irrumpat, & penis præter naturam intumescat, fit inde Priapismus.

### *Signa Diagnostica.*

Ipsa salacitas per se patet, & ex ægri relatione cognoscitur: quamuis rarò id homines patefaciant. Satyriasis verò & Priapismus, quia ipsi ægro molesta, & sæpe cum dolore coninncta sunt, Medicis aperiri solent. Quæ si ab externa caussa originem habeant, vt à decubitu supino & lumborum calefactione, à Venere intermissa, vel nimia, à cibis vel medicamentis venerem irritantibus, id ex ægri relatione Medico patefiet. Quæ si sint, à caussa interna, vt plurimo semine, sanguine copioso & crasso id accidere, probabile est, quorum etiam signa apparebunt. Soletque vbi crassus flatus adest, etiam palpitatio quædam in pene percipi. Si dilatio arteriarum fit in caussa, vel seminis copiosi & calidi adsunt indicia, vel calidiorum renum, vel Venus nimia præcessit. *Signa.*

### *Prognostica.*

1. Salacitas non solùm totum corpus eneruat & debilitat, sed etiam, vt Seneca, *de breuitate vitæ*, scribit, in Venerem & libidinem proiectorum inhonesta labes est, & nulli turpius occupati sunt; nisi qui nulli rei, nisi vino & libidini, vacant. *Prognostica.*

2. Priapismus & Satyriasis sæpe dolorem inferre solent, qualem patiuntur, qui tetano corripiuntur, aut aliis membris conuelluntur. Vnde perseuerans aut apostema aut spasmum, aut mortem superueniente indicat. Et quidam conuulsi celeriter intereunt, ac morituris venter inflatur, & frigidum sudorem emittunt.

### *Indicationes & Curatio.*

Salacitas, quæ in coniugio viuentibus & multo magis, non coniugatis noxia est, curatur, si nimius seminis prouentus prohibeatur, illiusque, vt & sanguinis calor temperetur. Itaque si nimia adsit sanguinis copia, is venâ sectâ imminuendus. *Indicationes & Curatio.*

Si humores acres adsint,qui semini permisti id acre reddunt, ij temperandi & euacuandi.

*Semen absumentia.* Ne autem seminis nimia copia generetur, atque feruor eius extinguatur, exhibenda refrigerantia & semen absumentia. Talia sunt: *vitex*, inde *agnus castus* dictus, cuius folia, flores & semen vsurpantur, *lactuca, nymphaea portulaca, plantago, vmbilicus Veneris, succus mali citri, menthae*, quae peculari proprietate semen extinguit, vt supra *lib.* 1. *p.* 2. *cap.* 10 dictum. *Semen cannabis, anethum, corallia, crystallus*. E quibus nunc calida, nunc frigida, pro corporis & humorum dispositione eligenda. Camphoram etiam plerique Venerem extinguere putant, quia sit frigida & sicca. Verum monendum, eam non esse frigidam & siccam, sed calidam,quod vel sapor eius & inflammabilitas testantur; & Venerem extinguere Iulius Cæsar Scaliger, exerc. 104. *s.* 8. negat. Et si quid hîc præstat, non frigiditate præstat, sed quia valde siccat.

Vt ℞. *Conseru. menthae, flor. nymphaea* an.Vnc.jß.*caul. lactuc.conditor.* Vnc.j.*sem.viticis* Drach.ij. *corallior.*Dr.j.
Cum *syrupo nymphaea*
F. Electuarium.

Vel ℞.*folior. menth.* Drach.ij.*flor. nymph. siccat.* Dr.j. *sem.viticis* Drach. jß. *cannabis,crystalli prap. corallior.rubr.prap.*an.Drach.ß.F.Puluis.

Vel cum *sacchars* Rotulæ.

Vel ℞.*succi lactuca, portulaca*, an.Vnc.ij.*mentha* Vnc. j.*aq.rosar.* Vnc.jß. *sacch.* q.s.
Coq. ad syrupi consistentiam.

Aqua castitatis & alia in hunc vsum medicamenta supra *lib.* 1 .*loco allegato* descripta sunt.Et plura etiam infra *cap.* 5 .*de pollutione nocturna*, proponentur.

Extra eadem, & præterea folia salicis, viticis,plantag. semperuiui adhibentur genitalibus, lumbis, imo & pedibus. Nimirum ex dictis plantis fiant fomenta vel lotiones, quibus & acetum addi potest, vel aquæ destillatæ & succi harum plantarum istis partibus applicentur.

Vel ℞. *ol. nymph.*Vnc.ij. *succi lactuca* Vnc.jß.*sem.viticis* Drach.ij.
Coq. ad succi consumtionem & colentur, & addito momento *cera* F. Vnguentum.

Vel Vnguentum refrigerans Galeni, aut Ceratum santalinum, aut alia eiusmodi lumbis apponantur,aut lamina plumbea perforata è regione gestetur.

*Castratio.* Vltimum verò salacitatis remedium est castratio, & quosdam ob castitatis zelum seipsos castrasse, imò colem cum testibus abscidisse, compertum est. Cuius rei historiam de quodam Monacho habet Beniuenius, *de abd. sanat. & morb.causs.cap.*68.qui, vt loquitur, ob zelum castitatis, sed indiscretum, ac minimè secundum Dei rationabile obsequium, colem sibi, & quidem pubetenus prorsus absciderat, cum tamen Deus, *Deut.*23. mandauerit, ne eunuchus attritis vel amputatis testiculis Ecclesiam Dei ingrediatur.Turcæ etiam iam olim & hodie iis, quos Gynæceis præficiunt, non solum testiculos exscindunt, sed & interdum totum membrum virile abscindunt.

### Diæta.

*Diæta.* Ieiunium salacitatem compescit, & abstinentia ab aromatibus, cibis calidioribus & acribus, item vino. Legitimum coniugium quoque ad libidinem vitandam certum & à Deo concessum remedium est, & ex consilio Apostoli melius est nubere, quàm vri. Æger non cubet in mollibus è plumis stratis, verùm substernat folia salicis,& imprimis viticis seu agni casti. Hinc mulieres Athenis in Thesmophoris seu Sacris Cereris, hæc folia sibi substernebant, vt sacrorum tempore castæ manerent. Supinus etiam decubitus est noxius; cùm inde vasa in dorso incalescant, & sanguis ac spiritus copiosus ad pudenda feratur.

Eadem ferè *Satyriasis & Priapismi curandi ratio* est. Nimirum à venæsectione & purgatione curatio inchoanda,& imprimis,si sanguis abundet,propter dolorem & inflammationem prohibendam vena in cubito secanda. Exhibenda quoque Veneri resistentia modò proposita.

Postea ad topica accedendum, & parti affectæ refrigerantia medicamenta imponenda,quæ & caussam mali tollunt,& arteriarum ora constringunt, ac flatuum materiam reprimere ac repellere possunt. Eadem & lumbis applicanda. Imponatur nimirum ceratum ex rosaceo aqua frigida imbutum. *Topica.*

Vel ℞. *Ol.rosar.*Vnc.j.ß.*succi solani,semperuiui, portulaca* an.Drach.ß. *spuma argenti, cerussa* an. Drach.ij. *aceti parum, cera q.s.*
Fiat vnguentum.

Postea aliquid chamæmeli addi potest.

Si ab abstinentia Veneris malum sit, legitimo coitu vtendum semel,postea verò à Venere, imaginationibus Venereis,& quæ libidinem excitare valēt,abstinendum.

---

## CAPVT IV.

### De Gonorrhœa & Seminis profluuio.

Γονόῤῥοια equidem omne seminis profluuium significat,cuius variæ sunt differentiæ: Vsus tamen obtinuit,vt pro eo saltem seminis effluxu accipiatur,qui inuitis accidit, & sine membri virilis tensione, ac tentigine, &, vt Celsus, *lib.*4 *cap.*31. habet, sine Venere, sine nocturnis imaginationibus. *Gonorrhæa.*

### Caussæ.

Cùm autem retentricis officium sit, semen tamdiu retinere,donec in actu Venereo in vterum fœminæ iniiciatur, si id intempestiuè & præter naturam contingat, facultate retentrice læsa id accidit. Læditur autem facultas, vel quia ipsa labefactatur, & languida redditur, vel quia obiecti vitio turbatur. Labefactatur propter intemperiem humidam & frigidam, quæ ex similium humorum affluxu, vel caussis externis vi humectandi & laxandi præditis contrahitur, quales sunt largus vsus piscium, fructuum crudorum, balnei frequens vsus, natatio in aqua frigida, sessio super lapide frigido. Quò facit etiam intempestiua & nimia Venus, ob quam partes hæ debilitantur, vt postea affluentes humores facilè suscipiant. Ad imbecillitatem hanc pertinet & laxitas vasorum seminalium, quando scilicet folliculi semen continentes, vasáque illud deferentia nimium ampliata & laxata sunt.Quæ laxitas cùm ab humoribus, tum à nimia Venere ortum habet, per quam vesiculæ seminis toties inanitæ, iterúmque repletæ istam laxitatem acquirunt. Obiecti vitio læditur retentio, dum illud rectè sese non habet,vel in quantitate, vel in qualitate. In quantitate vitium est, dum semen copiosius est, vel ex intermissâ Venere, vel ex ciborum bene nutrientium nimio vsu. In qualitate vitium est in ea vel manifesta, vel occulta. Manifesta est, dum semen est vel calidius, vel mordacius, ex sanguine simili, & ob epar ac renes calidos, ac cibos tales genitum, vel frigidus & crudum, atque aquosius, ob testium frigiditatem, aut similem epatis intemperiem, aut etiam assumtorum humiditatem & frigiditatem, & cum vitiosi humores in corpore abundantes ipsi semini admiscentur. Occulta qualitas est, dum semen corrumpitur, & malignâ aliquâ qualitate inficitur. In hisce tamen seminis vitiis,ob quam retentrix læditur, hæc differentia est,quod,dum semen est aquosius & frigidius, retentrix primò & per se læditur, etsi expultrix non irritatur: in reliquis vitiis, dum semen vel quantitate,vel caliditate & acrimonia,vel malignitate & virulentiâ peccat, expultrix primariò læditur, secundariò verò retētrix.Dum enim expultrix facultas vitio obiecti *Caussa.*

irritata

irritata ad expulsionem insurgit, retentrix ei cedere cogitur: de quo Galenus, *6. de loc. aff. cap. vlt.*

Aliquando etiam ex conuulsione gonorrhœa accidit, quod epilepticis sæpe euenit, qui in paroxysmo semen effundunt, quæ caussa proculdubio ad retentionem læsam ob expultricem irritatam referri debet. In violenta enim ista corporis totius concussione vasa spermatica simul concussa semen, præsertim si abundet, excutiunt. Atque hac ratione potius vt semen conuulsis interdum profluat, accidere putat Platerus, quàm musculorum occasione, qui vasis spermaticis præficiuntur. Nam etsi hi musculi in ipso actu Venereo leuiter vasa deferentia dilatando pleniorem eius excretionem adiuuant: hoc tamen non prius, quàm semen iam è vasculis suis excidens per hosce ductus fertur, facere docet. Et eâ de caussâ conuulsos etiam hos musculos ad excretionem hanc nihil facere, sed motum illum inordinatum semen è suis receptaculis propellere statuit.

An autem omnes, quæ hactenus propositæ sunt caussæ, gonorrhœam propriè dictam constituant, & an omne, quod per meatum seminis, & è locis, in quibus semen generatur ac continetur, effluit, seminis nomine dignandum, de eo postea *in quæstione* dicetur.

*Signa Diagnostica.*

*Signa.* Gonorrhœa ipsa per se patet, & ex relatione ægri cognoscitur. Accedunt tamen quædam alia symptomata. Quibusdam enim vniuersum corpus, ac præcipuè circa lumbos gracilescit, ægrique toto corpore debiles, graciles, ac pallidi fiunt, occulique caui euadunt.

Caussarum signa quod attinet, si ex læsa facultate gonorrhœa accidat, caussæ refrigerantes & humectantes, testesque ac vasa seminalia debilitantes præcesserunt. Si vitium sit in obiecto, atque semen sit nimis aquosum, & crudum, visuique id patet, exitque id sine sensu & delectatione, & signa cruditatis in testibus vel epate ac renibus adsunt, & semen sæpe ad mulieris contactum saltem exit, sine aliqua, vel saltem exigua voluptate ægri, vt antea in genere dictum, colorem viuidum amittunt, ac languidi fiunt, & corpus sensim contabescit, doloremque circa lumbos percipiunt. Si semen sit acre, priapismus ferè coniungitur, vel dolor, & adsunt signa testium, epatis vel renum calidiorum, ægerque calidis cibis, potu, medicamentis vsus est. Si semen sit virulentum & malignum, lues Venerea, vel elephantiasis adest, quæ suis signis cognoscuntur, semenque est fœtidum & cum dolore excernitur. Et quidem in gonorrhœa Gallica initio id, quod exit, album ac subcitrinum est, & sine sensu vigilanti & dormienti effluit. Temporis verò progressu fit liuidum, fœtidum, acre, quod meatum penis exulcerat, vnde dolor, & dysuria sequitur, & sæpe, dum vrina exit, rigor quidam percipitur, & in vicinis dolor.

*Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Gonorrhœa non solum turpe, sed & periculosum malum est; cum non solùm sæpe generationem impediat, sed &, si diu duret, homo contabescat, ac tandem moriatur.

2. Gonorrhœa, quæ fit à facultate retentrice labefactata, facilius curatur, modò sit recens. Si enim malum sit inueteratum, curatio difficilior redditur.

3. Gonorrhœa, quæ fit à semine crudo & aquoso, non ita facilè curatur, cùm intemperiem illam in partibus genitalibus frigidam tollere non ita facilè sit.

4. Quæ à lue venerea est gonorrhœa, senibus non nisi cum morte terminatur. In iuuenibus verò difficulter, & non nisi longiore temporis spatio curatur.

5. Quæ ab Elephantiasi est gonorrhœa, curatu impossibilis.

*Indicationes.*

Si gonorrhœa fit à facultatis retentricis imbecillitate, siccantibus & adstringentibus vtendum: quæ pro caussarum ratione nunc sint calefacientia, nunc refrigerantia. Vbi attendendum, si ex longa iam seminis euacuatione corpus sit refrigeratum, humorque multus aquosus & frigidus genitus, etsi à caussâ calefaciente & laxante malum initium traxerit, calefacientibus & siccantibus cum aliquâ adstrictione vtendum esse, & curationem ferè instituendam, qualis mulierum albo fluxui conuenit. Si semen sit tenue & aquosũ, coctio seminis medicamentis calefacietibus, simulque adstringentibus adiuuanda. Si sit calidum & acre, refrigerandum & temperandum. Si sit virulentum, alexipharmacis morbo illi contrarius curatio peragenda. Atque hîc hoc diligenter attendendum, ne prius adstringentibus medicamentis vtamur, antequam malignitas morbi venerei extincta sit. Solet enim natura cum virulento seminе materiam vitiosam & malignam euacuare, & quamdiu hoc accidit, grauissima symptomata præcauentur. Si verò adstringentibus, antequam malignitas victa sit, humor vitiosus intempestivè in corpore detineatur, dolores artuum, vlcera varia, & alia praua symptomata suboriri solent. Vbi verò morbus caussa mali princeps victus fuerit, tùm adstringentibus vtendum; quæ potius calefacientia, quàm frigefacientia esse debent, cum diuturno fluxu partes genitales valde refrigeratæ & debilitatæ sint. *Indicationes.*

*Curatio.*

Vniuersalibus, quibus opus, præmissis, si gonorrhœa fiat ob imbecillitatem facultatis retentricis, medicamenta vsurpanda, quæ humiditatem absumunt, & laxitatem adstringunt. Et quidem si coniungatur caliditas, paranda medicamenta è *rosis, coralliis, C. C. sumach. balaustiis, hypocistide, corticibus granator. terra sigillata & similibus.* E quibus interna & externa medicamenta parantur. *Curatio.*

Exhibeatur ergo hoc Electuarium.

℞. *Conf. rof. rubr.* Vnc. ij. *corall. rub. præp. C. C. præp.* an. Scrup. j. *balaustior.* Scrup. ij.

Misce.

Extra verò vsurpetur hoc vnguentum.

℞. *Ol. rosar. mastichin. myrtini* an. Vnc. j. *pulu. balaust.* Drach. ß. *ceræ parum.*

Fiat Vnguentum.

Si verò frigiditas coniungatur, medicamenta è *mastiche, thure, menthâ, spicâ,* & similibus parentur, & genitalia inungantur *oleo menthæ, mastichino, absinthij.*

Vt ℞. *Ol. Mastich. lentiscini* an. Vnc. j. ß. *succi menthæ* Drach. v. *spicæ* Drach. ß. *ceræ q. s.* F. Vnguentum.

Imprimis verò hîc vtiles sunt thermæ adstringendi vi præditæ, vel balnea artificialia, quæ harum vim æmulantur.

Si semen sit calidum & acre, vniuersalia præmittantur, & sanguis, si opus sit, minuatur, ac humores biliosi euacuentur *rhabarbaro, myrobalanis*, bilisque temperetur. Hinc intus & extra vtendum medicamentis refrigerantibus, paratis è *rosis, lactuca, cichorio & similibus.*

Vt ℞. *Sem. 4. frig. maior.* Drach. iij. *portulacæ, lactucæ* an. Drach. j. *flor. rof. rubr.* Drach. j. ß. *nymphææ* Drach. ß. *gummi tragacanthæ* Drach. j.

Fiat Puluis.

Extra verò non solum partes genitales, sed etiam spina & lumbi inungantur vnguentis refrigerantibus, aut applicentur Cerota refrigerantia.

Vt ℞. *Ceroti santali, ol. nymph. vng. Comitiss. succi solani* an. Vnc. j. *camphur.* Scrup. ß.

Misce.

Vel ℞. *Ol. rosac. myrtini* an. Vnc. j. *mucilag. sem. psyllij, cydonior. aquâ rosac. extractæ* an. Drach. ij. *puluer. santal. albi, rubri, acaciæ* an. Drach. ß. *camphor.* Scrup. ß.

Misce.

Si semen sit tenue & aquosum, siccantibus roborantibus vtendum, quæ vim coctricem testium & partium genitalium adiuuant, aquositatem seminis corrigunt, & simul exiccant, vt *speciebus aromatici rosati, syrupo menthæ.*

Vt ℞. *Menthæ, absinth. Rom.* an. M. j. *sem. agni casti, baccar. myrti, flor. rosar. rubr.* an. Drach. ij.

Coq. in vino rubro & dulcorentur sacchar͂o.

Vel ℞. *Confect. rosar. antiq.* Vnc. jß. *succini, corall. rubr. præp.* an. Drach. j. *caryoph. macis, thuris* an. Scrup. j.

Cum *syrupo myrtino.*

Fiat Electuarium.

Vel ℞. *Mastich. thuris* an. Drach. j. *succini* Drach. ß. *sem. coriandri* Drach. ij. *viticis, fol. ment.* an. Drach. ß. *sacch. rosat. tab.* Vnc. j. F. Puluis.

Victus etiam ratio conueniens obseruetur, & æger frequenter comedat oryzam cum lacte coctam.

*An semper verum semen effluat in gonorrhœa?*

Circa curationem autem gonorrhœa, quæ ex semine aquoso & tenui fieri dicitur, diligenter obseruandum, an verum sit semen, quod effluit, etsi aquosius, dilutius & crudius; an verò, quod Langius monet, vt postea, *in quæst.* dicetur, humores corrupti & vitiosi, qui in corpore cumulati ad partes genitales confluant, & per meatum, per quem aliàs semen eiicitur, excernantur, sicut interdum vitiosi humores in corpore cumulati per vterum & menses albos dictos euacuari solent. Si enim sit semen naturale aquosius solum, omninò, vt modò dictum, iis vtendum, quæ semen incrassant, stabile reddunt & detinent. Si verò vitiosorum humorum colluuies per penem euacuatur, nullo modo incrassantibus & adstringentibus vtendum, sed euacuantibus & cacochymiam corrigentibus, & bonâ diætâ. Scribitque Langius, *loco allegato*; Ausim deierare, solis purgationibus, ac sobriâ victus ratione plures sanitati restitui. Et omnino ita se se res habet cum affectus non tollatur, nisi caussâ sublatâ. Scribitque etiam Rondeletius, *meth. curand. morb. cap.* 57. gonorrhœa difficulter curatur, nisi caussa cognoscatur, additque, se nouisse nobilem quendam, qui ab abscessu frigido renum diu hoc morbo laborauerat, & multò semper habuerat deterius, cum semen extinguentibus frigidis vel calidis vteretur; se verò instituisse contrariam victus rationem, & iussisse, vt biberet vinum generosum, & vesceretur alimentis optimis exiccantibus, & non flatulentis, quo modo curatus est. Et omnino non semper caussa gonorrhœæ huiusmodi in membris genitalibus hæret, sed interdum etiam in aliis partibus vel toto corpore, vnde, *loco allegato*, Rondeletius ea quoque exhibere iubet, quæ ventriculi cruditatem corrigant.

Si semen in ipso actu Venereo nimis citò eiiciatur, atque inde, quod fieri solet, conceptus impediatur; cùm id, à semine nimis fluido, partibusque semen continentibus nimis laxis fieri soleat, curatio eodem modo instituenda, vt iam de curatione gonorrhœæ è partium genitalium imbecillitate, & semine nimis fluido, dictum.

Si semen sit corruptum & virulentum, adstringentibus omnino abstinendum. Si enim retineatur, partes erodit & exulcerat. Sed siccantibus, quæ simul putredini resistunt, vtendum, acetosâ, theriaca, Mithridatio, & præcipuè ad morbum illum, à quo illa virulentia pendet, respiciendum, & curatio ad eum dirigenda.

Imprimis verò vitiosi humores expurgandi. Habetq; exemplum Forestus, *lib. 26 obseru.* 16. de quodam iuuene, gonorrhœâ & testiculi ac genu inflatione non sine suspicione luis Venereæ laborante, quem purgantibus hisce curauit, vt ad decoctum ligni accedere opus non fuerit.

℞. *Rad heleni, fœniculi, apij, cichorij, buglosſ.* an. Vnc. j. *fumar.* M. ij. *borrag. violar. scolopend. capill. Vener. summit. lupuli, herbæ paralys.* an. P. j. *chamæpithyos, chamædryos, stœchad.* an. Vnc. ß. *sem. fœniculi* Drach. iij. *citri* Drach. ij.

Omnia infund. per diem & noctem *in s. q. aquæ pluuialis & fumariæ.*

Quibus postea addantur *myrobal chebul. Indor. citrinor.* an. Vnc. ß. *follicul. senæ, epithymi, polypod. q. s. glycyrrhizæ* an. Vnc. j. *cortic. hellebori nigri* Drach. ij. *rhabarb.* Drach. ß. *sch œnanthi* Scrup. j.

Postea coquantur & colentur.

Fiat potus longus pro ℔. ij. Addendo *syr. infusion. rosar.* Vnc. j. *de fumar.* Vnc. ß *sacch. q. s.* ad dulcedinem.

Si tamen ista purgantia sola non iuuant, ad decoctum ligni & alia huic morbo propria medicamenta accedendum.

*Gonorrhœam sistentia.*

Vniuersalibus præmissis exhibeatur hic puluis.

℞. *Succini albi, testar. ouor. pullis exclusis, pellicular. interior ventriculi gallinar. præp. sem. granator.* an. Drach. iij. *Corall. rub. præp. C. C. vsti præp.* an. Vnc. j. *cinam.* Drach. ij. *manus Christi perlat.* ad pondus omnium.

Fiat puluis.

Vel ℞. *Gummi Arabici, tragacanthæ, succini mumiæ, boli Armeni, mandibular. lucij, pellicul. intern. ventric. gallinar. cristar. galli, testar. ouor.* an. Drach. ß. *sem. lactucæ* Dr. j.

Cum *syrupo de ros. siccis.*

Fiant pilulæ, de quibus per multos dies Scrup. j. vel Drach. ß. sumatur.

Nonnulli etiam scribunt, gonorrhœam hanc virulentam multos curasse *lixiuio è caulibus fabarum in cineres redactis parato* ad Vnc. iv. singulis diebus exhibito.

*Acidulæ.*

Fontis etiam quidam & acidulæ gonorrhœam hanc leniunt. Ita scribit Dodonæus, *obs. cap.* 41. Generosum quendam Virum cum decem & octo annis huiusmodi seminis profluuio laborasset, nec vllum medicamentorum præscriptorum vsufructum consequeretur, ad fontem haud procul Leodio, qui creditur esse, quem Plinius, *nat. hist. l.* 31. *c.* 11. in Tongris esse scribit, profectus est, quo vbi aliquot diebus vsus esset, dolores valde remissi sunt. Malum tamen non perfectè curatum est, sed domum reuersus omnino peius habuit, & tandem vitam cum morte commutauit, vt *ibid.* docet Dodonæus.

## QVÆSTIO.

### *An nomen Gonorrhœæ omnibus, quæ vulgò recensentur, differentiis, æquè propriè competat?*

*An nomen gonorrhœæ omnibus differentiis competat?*

De Differentiis Gonorrhœæ occurrit aliqua controuersia, & à vulgata sententia nonnihil dissentit Ioh. Langius, *lib. 2. epist.* 5. Statit enim gonorrhœam ita dictam aliud, quam seminis & nominis etymologia declarat, esse profluuium, & non parùm à vero naturalis ac prolifici seminis effluuio quasdam gonorrhœæ differentias dissidere. Ideoque triplicem differentiam statui, quam nec Galeno, nec aliis nostri seculi Medicis satis perspectam putat. Primò enim docet esse homines, qui renum epatis, ac vasorum seminalium calore, corpore plerunque hirsuto ac succipleno, semen genitale copiosum ac calidum coaceruant, quos non raro per nocturna insomnia, cùm renes ac lumbi supino decubitu incalescunt, aut illis decora amicæ facies interdiu visa noctu obuersatur, vel attenta rei Venereæ cogitatio ad seminis excretionem lacessit & proritat, quod plerique tam confertim effundunt, vt etiam stragula polluant. Atque hanc primam gonorrhœæ speciē ἀπὸ τοῦ γόνου, id est, semine, & ῥέω fluo, & ob insomnia ὀνειρωγμὸν rectè appellari docet

*Triplex gonorrhœæ differentia.*

Secundam gonorrhœæ speciem produci scribit ex putrilagine phlegmatis vel falsi, vel etiam crudi copia, quæ non rarò cum momento genituræ permisceatur, ac

præcipuè

præcipuè à cerebro per ſpinam dorſi, lumbos,& renes, & etiam ab epate per venas & neruos ad genitalia tendentes deferatur, è quibus per penem non ſine eius excoriatione ſenſim deſtillet. Huiúſque gonorrhœæ fomentum eſſe ſtatuit ſanguinem crudum, ac impuris humoribus permixtum,quorum colluuies non,vt alij cenſent,ad veſicam, ſed ad pudenda defluat, ac per meatum ſpermatis in penem excernatur. Atque hoc profluuium etiam mulieribus accidere & menſtrua pituitoſa appellari ſcribit. Non enim eſſe humorem,qui in hac gonorrhœæ ſpecie excernitur, verum ſemen; idque vel ex eo patere putat, quod ex tantilli ſeminis excretione tanta virium & ſpirituum copia diſſipatur,& vniuerſi corporis robur labefactatur; cùm contra huius humoris excretio annum, imò quinquennium illæſo vitali robore durare poſſit. Præterea genituræ ſemen excretum aëris frigore liqueſcit;at iſtud vt viſcus lenteſcit,veſtibúſque tenaciter adhæret,ac non rarò,vt putridum,malè olet.

Tertiam gonorrhœæ ſpeciem ponit eam, quæ eſt ex lue Venerea, quæ ob id fœda & virulenta appellatur,in quâ principio vigilandi pariter ac dormiendi virus album,aut ſubcitrinium è vaſis ſeminalibus ſine ſenſu deſtillat, ac non rarò penis canalem exeſt,atque id, quod effluit, malè olet, ardorémque Dyſuriæ ſimilem in mictione & vlcera in pene excitat.

Atque has gonorrhœæ differentias etiam curatione differre ſtatuit, in primâ enim, quæ refrigerant, adſtringunt, & ſperma exiccant, ſunt ſalutaria: quæ in ſecunda differentiâ planè ſunt noxia & pernicioſa, vtpote quæ non adſtrictoria & incraſſantia requirit, ſed humorem corruptum euacuantia, & ſobriam diætam, per quam meliores humores generantur, in tertia verò differentia curationem lui Venereæ propriam requiri per decoctum ligni & Mercurium.

Et omnino verum eſt, quod à Langio monetur, gonorrhœæ nomen omnibus, quæ vulgò recenſentur, differentiis non æquè competere. Prima enim illa differentia, quæ ex ſeminis calidi copia prouenit, & vulgò pollutio nocturna appellatur, de quâ *cap. ſeq.* dicetur, propriè gonorrhœa appellatur. In hac enim gonorrhœa ſemen propriè dictum & fœcundum effluit.

De ſecunda verò differentia, quam ponit Langius, controuerſia eſt, & non ſine cauſſa quæritur, an non & in hac differentia quod effluit, ſemen appellari poſſit, aut an non aliquam differentiam omiſerit. Primò enim omiſiſſe videtur illam ſpeciem, quæ ab imbecillitate vaſorum ſpermaticorum eſt, quæ tamen nullo modo omittenda videtur. Si enim vaſa ſeminalia ſint debilia, & ipſum ſemen non bene coquatur, crudum manet, nec bene retinetur, ſed cùm ob facultatis retentricis debilitatem, tum quia ipſum tenue & crudum eſt, facilè excidit, nulla etiam vel exigua præcedente irritatione, ſicut Fernelius, *6. de part. morb. & ſympt. cap.* 14 quendam ſola clyſteris perfuſione atque in anum immiſſione ſemen emiſiſſe, ſcribit. Deinde in eo, quod aquoſitatem ſeminis ab excrementis pituitoſis & ſeroſis permixtis prouenire ſtatuit, plane à Langio diſſentit Platerus, qui ſtatuit, licet ſanguis crudus & pituitoſus in corpore abundet, ſemper tamen eius puriorem partem ad ſeminis generationem attrahi.

Verum enim verò ſi quod mihi videtur, dicendum, nec vaſorum imbecillitas omittenda,quod à Langio factum, nec humores ſeroſi & vitioſi cum ſemine permiſtio neganda videtur,quod facit Platerus. Etenim cùm aliæ corporis partes imbecillæ non ſolum alimentum ſuum non bene coquant, ſed etiam, ſi publicum munus habent, id non benè perficiant, vt in ventriculo & epate videre eſt: cur idem etiam in teſtibus non accidere poſſit? Deinde nec hoc negandum videtur, ſi ſanguis in corpore ſit impurus, etiam ſemen impurum in corpore inde generari. Etſi enim verum ſit, teſtes, vt & mammas, puriorem ſanguinem ad ſe trahere: tamen ſi magna ſit cacochymia, fieri vix poteſt, vt non aliquid etiam ad teſtes deriuetur. Sicut videmus, fœminas morbo aliquo laborantes etiam impurum lac in mammis generare. Præterea natura ſæpe aſſueſcit humores vitioſos ad aliquam partem, præcipuè debilem, mittere, idque etiam in teſtibus fieri, impoſſibile non eſt, imò fieri experientia teſtatur. Habent etiam humores vitioſi interdum ad peculiares partes ſuam inclinationem, quod & hic accidere poteſt, & præcipuè in gonorrhœa ex luce Venerea, virus iſtud partibus genitalibus infeſtum eſt.

## CAPVT V.

### De Pollutione nocturnâ.

*Pollutio nocturna.* Imprimis verò Gonorrhœæ nomen ei propriè competit ſeminis profluuio, quod noctu dormientibus accidit, & propterea Pollutio nocturna appellatur, cum homo noctu dormiens inſcius ſemen emittit,&c, vt Horatius ait,*nocturnam veſtem maculat, ventrémque ſupinum.* Accidit tamen idem etiam interdum de die. Ita refert Leonellus, ſe nouiſſe ruſticum quendam iuuenem, qui ex ſola inſpectione mulieris incurrebat pollutionem etiam de die. Et quidem plerumque cum penis tenſione & imaginatione quadam in ſomno ſemen profunditur. Nonnullis tamen etiam nullâ imaginatione præcedente citra ſenſum ſemen profluit.

### Cauſſæ.

*Cauſſæ.* Cauſſa proxima huius mali eſt irritatio facultatis expultricis. Irritatur autem à ſemine, quod plerumque copioſius eſt. Semen autem copioſius generant cibi potúſque multi alimenti nimia copia, & hinc genita boni & multi ſanguinis in corpore redundantia, otium venus intermiſſa. Mouetur verò ſemen imaginatione de rebus Venereis, & cum imaginatio in ſomno à ratione non ita gubernetur, vt in vigiliis, facultatem expultricem facilè ſtimulat.

Deinde etiam ſemen mouet decubitus ſupinus, ob quem renes & vaſa in dorſo incaleſcunt. Hinc accidit, vt pollutio nocturna adoleſcentibus maximè accidat. Habent enim calorem vegetum,ſpiritus mobiles,poros laxiores, & de rebus venereis frequentem & intentam imaginationem,& errores in diæta,quibus etiam ſemen agitatur, & ſtimuli ad libidinem coaceruantur, committunt. Refert etiam Fernelius, *lib.6. de part. morb. & ſympt. cap.*4. quendam ſolâ clyſteris perfuſione ſemen emittere conſueuiſſe.

### Signa Diagnoſtica.

*Signa.* Malum ipſum ex relatione ægri cognoſci poteſt. Et differt nocturna pollutio à gonorrhœa,*cap.praced.* propoſita,quod in eâ etiam de die ſemen effluit, id quod in pollutione nocturna ferè ſaltem noctu euenit.

### Prognoſtica.

*Prognoſtica.* 1. Malus corporis habitus eſt,vt ſcribit Aëtius, eorum,qui ſemen multum ac calidum generant, quod eos ad excretionem ſtimulat. Si enim ſæpius id accidat,exſolutionem oris ventriculi,& totius corporis patiuntur, debiléſque fiunt, & graciles ac pallidi,oculóſque cócauos habent.Quod ſi à Venere abſtineant,propterea quod ita afficiuntur,capite diſcruciantur, itémque ſtomacho, & æſtu, faſtidióque anguntur, nihilque magnopere ex continentia iuuantur. Contingit enim iis per ſomnum ſemen profundentibus ſimilia perpeti incommoda, qualia coëundo perpeſſi fuiſſent; & imprimis, ſi frequenti coitu id malum contraxerint. Ita refert Platerus, *lib.*3.*obſ.* quendam ex frequenti ſupra modum veneris

veneris vsu eò redactum fuisse, vt cum postea sibi temperaret, pollutionibus nocturnis diurnísque vexaretur, admodúmque debilitaretur.

2. Pollutio nocturna, quæ in principio morbi accidit, materiæ copiam & morbum diuturnum significat.

### *Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & Curatio.* Cum vitium hoc à feminis copia nimia, & eius per somnum agitatione accidat, danda opera, ne nimia seminis copia generetur, atque id per somnum non moueatur.

Non generatur seminis nimia copia, si æger abstineat à cibis semen copiosum generantibus, quales sunt: *nuclei pini, bulbi, pistacia, fabæ, cicer, rapæ, erucæ*: vt & à *vino*, præsertim generoso. Vtatur contra cibis refrigerantibus & adstringentibus. Si etiam corpus sit plethoricum, sanguis venæsectione detrahi potest.

Vt semen non commoueatur, vitentur de die imaginationes de rebus venereis, & abstineat homo à cibis, quæ semen irritant. Scribit enim Bruerynus, *lib.* 8. *de re cibar. cap.*43. se nouisse quendam, qui cum sisymbrio liberaliter vesceretur, genituram per somnum effundebat. Cubet æger super foliis salicis, viticis, lactucæ, floribus nymphææ, rosar. violarum. Decubitum verò in somno supinum vitet.

*Medicamenta sem. minuentia.* Medicamenta vim siccandi, adstringendi & semen minuendi habeant, qualia supra, *cap.*3. *de salacitate*, sunt proposita. De quibus Galenus 5. *de simpl. med. fac. cap.*23. *Quæ refrigerare apta sunt nata, tum edulia, tum medicamenta, semen cogentia, incrassantia & stabile reddentia, vim habent ipsum supprimentem, non autem corrumpentem, nempe lactuca, blitum, atriplex, cucurbita, mora, melopepones, cucumeres: porrò quæ resiccant, prorsus ne esse quidem semen permittunt; si calidæ sint naturæ, veluti ruta; si autem non calefaciunt, multò minus, aut nymphæa.*

Vt ℞. *sem. portulacæ, agni casti* an. Drach. ß. *plantag. rutæ* an. Drach. j. *conf. ros. rubr.* Vnc. ij.

Cum *syrupo myrtino*.

F. Electuarium.

Vel ℞. *sem. agni casti, coriandri præp.* an. Dr. ij. *plantag. rutæ, folior. menthæ* an. Dr. j. *succini, corallior.* an. Drach. ß. *mastiches* scrup. ij.

Fiat puluis, cuius dosis Drach. j.

Addi potest, si libet, *saccharum rosatum tabulatum*.

*Syrupus Donati ab Alto mari.* Syrupus Donati ab Alto mari talis est:

℞. *Sanguinariæ, acetosellæ, plantag.* an. M. j. *portulacæ, capreolorum vitis, vmbilici veneris, summitat. rubi* an. M. j. ß. *myrtillorum, sem. coriandri præp. papau. albi* an. Vnc. ß. *fol. lactucæ, flor. nymphææ, borrag. violar.* an. M. ß. *folior. rutæ, viticis, menthæ, calaminthæ siccorum* ana Drach. iij.

Coq. in *aquæ s. q.*

Colaturæ ℞. lb. iij. *succi rosar. rubr. granatorum, pomorum acidorum* an. lb. ß. *aceti parum, sacch. q. s.*

F. Syrupus, de quo exhibeantur singulis diebus Vnc. ij. vel Vnc. iij.

Vel fiant tales trochisci.

℞. *sem. rutæ, agni casti, portulacæ, plantag. papau. albi* an. scrup j. *cannabis, coriandr. præp. corall. rubr. præp. menthæ* an. scrup. ß. *sacch. in aq. rosf. dissoluti q. s.*

F. Rotulæ.

Extra verò sequentia applicentur.

℞. *farin. gland. q. v. oui album. in aq. ros. conquassat. q. s.*

Fiat Cataplasma pectini & lumbis imponendum.

Vel *succus semperuiui, nymphææ, solani, vmbilici veneris, polygoni, portulacæ*, genitalibus imponatur. Lumbis quoque applicetur lamina plumbea perforata.

Vel ℞. *olei rosar. nymph. myrtini* an. Vnc. j. *mucilag. sem. psyllij, cydonior. aquâ rosarum extractæ* an. Vnc. ß. *pulu. folior. rutæ, agni casti, menthæ* an. Dr. ß. *corallior. santali rubri* an. Dr. j. *succi plantag. portulacæ, semperuiui* an. Vnc. j. ß. *ceræ q. s.*

F. Vnguentum.

Si rigido pene fiat seminis profluuium, ea, quæ *de priapismo* sunt proposita, vsurpanda, & imprimis si à flatuoso spiritu affectio originem habeat, *lentium decoctum* vtile est, quod præter id, quod semen extinguit, etiam membri tentiginem remittere valet.

---

## CAPVT VI.

### *De Symptomatibus quibusdam in coitu & seminis emissione accidentibus.*

Rara etiam & admiranda quædam symptomata in coitu accidunt, qualia recenset Marcellus Donatus, *Symptomata in coitu.* *de hist. med. mirab. lib.* 4. *cap.* 18. Refert enim, Franciscum Valerium, Medicum sibi retulisse, iuuenem quendam in venereo congressu cum muliere semen emittere non potuisse, quamuis in somno id aliàs excerneret. Idque & alteri cuidam Viro accidisse, se testari posse, scribit. Cuius symptomatis caussam reddere non ita facile est. Quamuis enim Valerius in verecundiam, vel fortem quandam imaginationem caussam reiiciebat: neutrum tamen sibi satisfacere, & rectè scribit Donatus. Nam qui verecundantur, vel timent, ij potius à penis erectione prohibentur, quàm à seminis excretione. Fortis verò imaginatio etiam nimis remota caussa videtur. Vero magis consentanea est caussa, quam affert Aëtius, *tetrab.* 3. *serm.* 3. *cap. vlt.* dum similem historiam è Rufo recenset. Adolescens, inquit, minister domesticus, confessus est, se quando cùm muliere rem haberet, semen effundere non posse, cùm verò dormiret, plurimum ei semen prodire. Visum itaque mihi est, vasa eius seminaria propter multam cum frigiditate humiditatem calefieri non posse, propterea, quod caliditas in coëundo ad corporis superficiem diffunderetur, in somnis verò amplius calefieret. Quare hunc ipsum infernas partes exercere iussi, atque id maximè per equitationem. Castoreum etiam præbui, & diætam omnem calidam & siccam institui. Aliam etiam non minus admiratione dignam, sed & ridiculam historiam, *ibid.* recenset idem Aëtius: Adolescens, inquit, nos accessit, & se vehementer coitum appetere confessus est. Verum vbi commisceretur, semen emittere non posse, sed flatus plurimos sibi per sedem erumpere. In hoc itaque coniecturam feci, seminarium vasorum siccitatem adesse, quod ipsa etiam adepta sanitas demonstrauit. Nam postquam ipse humida & bona diætâ vsus est, semen emisit. Similem historiam habet Amatus Lusitanus *cent.* 9. *cur.* 95. iuuenis cuiusdam Dalmatæ, quem mœstum & tristem ad se venisse scribit, & retulisse, cum coiret cum muliere, nullum emittere semen, sed potius ventris crepitum. Ipse autem Amatus cùm vitij huius caussam putaret multam pituitam crassam in intestino inferiore hærentem, cuius præsentiâ vasa seminalia frigida & coarctata essent, ipsa verò motu & caliditate dissoluta in flatus verteretur, curationem hoc modo instituit. Ordinatâ victus ratione calidâ ex cibis multi & boni succi, ac potu vini generosi, humores pituitosos præparauit & purgauit. Postea vt imum ventrem & inguina, ac inter anum & pudendum hoc vnguento illiniret, iussit.

℞. *pip. alb. nigri, longi* an. Drach. j. ß. *sem. erucæ, vrticæ, nigellæ* an. Drach ß. *pyrethri* scrup. j.

*Ol. liliorum*, In quo iniectæ sint *erucæ herbarum* aut *pinus vermes tres vel quatuor*, Vnc. ij. *olei de castor.* Vnc. ß. *ceræ q. s.*

Mane verò & horâ coitus Vnc. ß. vel Drach. vj. *sequentis Electuarij* exhibuit, & vt post haustum *vini maluatici* sumeret, iussit.

℞. *Diasatyr.* Vnc. ij. *diagalang.* Drach. ij. *spec. diambr. diamoschi* an. scrup. ij. *rasuræ pudendi cerui aridi* Drach. ß. *nuc. pinear. pistacior. amygd. dulc.* an. Vnc. ß. *carnis scinci* Drach. ij. *sem. erucæ, vrticæ, nasturtij* an. scrup. j. *pectusculi capi cocti* Vnc. iij.

Terenda terantur, & cum *melle optimo* F. Electuarium.

Quibus

Quibus medicamentis intra menſem conualuit.

Accidit præterea & aliud in coitu vitium,cuius Matthæus de gradibus, *conſil.* 3. mentionem facit, de quodam, qui cum volebat coire, illi membrum non erigebatur, ſed ſemen emittebat. Quod vitium procul dubio ex nimia vaſorum ſemen continentium laxitate prouenit, contracta ex nimio Veneris vſu, aut diuturna gonorrhœa. Statim enim ac ſe tales ad coitum accingunt, & imaginatio excitatur, ſemen emittitur, nec tamen membrum virile erigitur, ob paucitatem ſpirituum nimia Venere aut diuturna gonorrhœa diſſipatorum.

Tandem etiam aliud adhuc vitium recenſet Auicennas, *fen.*20. *tert. tract.*1. *cap.* 20. cuius exemplum habet Alexander Benedictus, *lib.*24. *part.*29. *cap.*27. quod iis accidit, qui corpore ſunt molliore, & habitu corporis reſolubili, multúmque in coitus actu delectantur. Hi enim ſi coëant frequenter, accidit quandoque, vt vnà cum ſemine feces per aluum emittant. Nam cum multi ſpiritus excernantur, corpúſque inde reſoluatur, fit, vt partes vicinæ ſpiritibus deſtituantur, ſicque laxato muſculo inteſtini recti feces emittantur.

## CAPVT VII.

### *De Rebus alienis per penem excretis.*

*Res aliæ per penem excretæ.* DVo meatus in pene ſunt vſus; vnus eſt, vt per eum vrina ex veſicâ euacuetur, alter, vt per eundem ſemen excernatur. Accidit tamen, vt præter naturam etiam aliæ res per eum excernantur. De rebus alienis è veſica per eum excretis dictum eſt ſupra, *part.*7. *ſect.*2. *cap.*9. De iis, quæ è vaſis genitalibus & aliunde, quàm è veſica, per eum excernuntur, *hoc capite* agemus.

*Sanguis.* Primò ſanguis interdum per penem excernitur, non tamen ex veſica. Ita refert Fernelius, *lib.* 6. *pathol. cap.*14. ſe quendam vidiſſe, qui longa GonorrhϾ conſuetudine per inſomnia, atque etiam cogitatione ſolâ purum ſanguinem,non minore voluptate, quàm ſemen, effuderit. Et aliàs etiam obſeruatum, in coitu, præſertim nimio, ſanguinem loco ſeminis eiectum fuiſſe, refértque Scholiographus *ad cap.* 52. *lib.*1. *de morb. int. Hollerij*, ſe vidiſſe, qui à coitu multum ſanguinem effuderit, quíque non facile reprimeretur, laxatis nimium vaſis, & imbecillioribus redditis. Et Hollerius, *ad aphor.*78. *lib.*4. ſcribit, ſe vidiſſe duos adoleſcentes, qui per immoderatam Venerem purum ſanguinem per penem reddebant.

Cauſſa huius mali eſt apertio oſculorum venarum ſpermaticarum, quæ ſemen ex ſanguine elaborant. Si enim breui temporis ſpatio coitus ſæpius repetatur, vaſa ſemen elaboratum continentia ita exhauriuntur, vt per venarum ſpermaticarum oſcula ſuctione hac dilatata ſemen ex ipſis adhuc imperfectum, vel ſanguinem etiam ipſum attrahant, & in coitu effundant.

Curatur hoc malum rectiſſimè abſtinentia à Venere, & adſtringentibus,quæ laxitatem vaſorum ſpermaticorum corrigunt, *cap.*5. propoſitis, adhibitis.

Ephebum quendam Athenis ſerpentem puſillum, piloſum, & pluribus pedibus ſtatim ambulantem, multo cum ſemine eieciſſe, Plutarchus, *lib.*8. *Sympoſ. probl.*9. refert.

## CAPVT VIII.

### *De Teſtium & penis dolore, ac Scroti & præputij pruritu.*

### *Teſtium Dolor.*

*Teſtium dolor.* TEſtes quandoque dolore corripiuntur: id quod accidit præcipuè in inflammatione: interdùm tamen etiam à frigiditate,& aëre frigido: interdum ab vlcere, interdum à cauſſa externa,aut contuſione,& vulnere.

Quæ autem inter has cauſſas locum habeat, ex iis, quæ præceſſerunt,& adſunt,facilè cognoſcitur.

Curatio pro diuerſitate cauſſarum diuerſo modo inſtituenda. Si inflammatio adſit, curanda, vt ſupra dictum. Si adſit intemperies frigida, vel inflatio, etiam curanda, vt ſupra *ſect.*1. *cap.*1. *de teſtium intemp. frig. & inflatione* dictum. Si percuſſi ſint teſtes, ſtatim, ſi vehemens ſit dolor,ſanguinem mittere oportet: imponenda verò, quæ affluxum humorum prohibent,vt *violæ,roſæ, nymphæa* & ſimilia. Deinde quæ diſcutiunt & dolorem leniunt, vt *anethum, chamæmelum, folia hyoſcyami* cum *farinâ fabarum* in *lacte* cocta.

### *Penis dolor.*

Penis verò dolor ex iiſdem ferè cauſſis excitatur, nimirum ex inflatione,percuſſione,vulnere,vlcere,venere nimiâ. *Penis dolor.*

Curatio ex iis,quæ ſupra de penis inflatione,inflammatione,vulnere,vlcere dicta ſunt, patet.

Ad dolorem autem leniendum vtile eſt fomentum ex *decocto maluæ,althææ,ſem.lini,anethi,florib.chamæmeli, meliloti*,vel *cataplaſma* ex iiſdem paratum. Vel *medulla panis albi* in *lacte* coquatur, & adiectis *vitellis ouorum* atque *oleo roſaceo, croci* atque *opij*,ſi dolor ſit vehementior, exigua quantitate F.Cataplaſma.

Vel *folia hyoſcyami foliis caulium inuoluta* coquantur ſub cineribus,& *caulium foliis* abiectis imponantur.

### *Pruritus Scroti & præputij.*

Tandem etiam interdum ſcabies & pruritus ſcroto accidit, cùm humores acres ad ſuperficiem eius feruntur, eámque vel exulcerant, vel rodunt, & ſquamulas quaſdam gignunt. *Pruritus ſcroti & præputij.*

Vniuerſalibus præmiſſis, ea, quæ in aliarum partium pruritu ſunt vtilia, etiam hîc locum habent. Nimirum quæ abſtergunt ſuperficiem ſcroti, ſimúlque dolorem mitigant. Præſtant hoc *farina fabarum Ægyptiacarum*, item *erui farina* & *ſeſami cum melle ſubacta*. Vel foueatur ſcrotum *decocto folior.ebuli*, vel *folia cocta* imponantur aut abluatur *decocto folior. ſaliuæ.*

Vnguentum Bayri,quod hic commendatur,hoc eſt. *Vnguentum Bayri.*

℞. *Ceruſſæ* Drach.vj. *ſulphur.citrini* Dr.ij. *opij* Dr.j.

Terantur in *aceto,& aqua*,& locus eo inungatur.

Foreſti hoc eſt. *Foreſti.*

℞. *albi camphorat.*Vnc.j. *diapompholyg.*Vnc.ß. *litharg. auri,argenti* an.Drach.ß. *terræ ſigillatæ* Drach.j. *cretæ albæ* ſcrup.iij.ß. ☿ *ſublimati* ſcrup.j.

Miſc.diligenter in mortario plumbeo, piſtillo plumbeo in formam vnguenti.

Extremum remedium eſt *ſal ammoniacus* cum *aceto* miſtus.

Præputij pruritum tollit *lentis decoctum cum corticibus mali granati.*

# LIBRI TERTII

## PARS X. & VLTIMA.

## DE VMBILICI ET abdominis p.n.affectionibus.

### PROOEMIVM.

*POSTQVAM hactenus affectus p. n. qui partibus in abdomine contentis accidunt, abſoluimus: reſtat, vt quoſdam affectus, qui externis abdominis partibus, ac toti abdomini contingunt, proponamus. Atque ita in hac vltima huius libri parte agendum erit*

*erit de vmbilici apertione, & rerum variarum per eum excretione, de eius prominentiâ, procidentiâ, excrescentiâ, tumoribus, inflammatione, abscessu, vulnere, vermibus & lapidibus in eo natis; de laxatione & ruptura peritonæi; de musculorum abdominis inflammatione; de spasmo & tumore abdominis.*

## CAPVT I.

### *De Vmbilici apertione, & per eum variarum rerum excretione.*

*Vmbilici apertio.* VAsa vmbilicalia, fœtu in lucem edito, cum eum vsum, quem fœtû adhuc in vtero latente habent, de quo de fœtûs formatione dicitur, amplius non habeant, flaccescunt, & in ligamenta ac funiculos quasi abeunt, & locus, vbi coëunt, vmbilicus vocatur, centrum totius corporis. Solent autem vmbilicus & ista vasa suos morbos pati, & ex vmbilici & vasorum vmbilicalium in adultis morbis graues affectûs oriri, non quidem ob ipsa vasa, quæ vix aliquem sensum habent, sed ob viscera nutritioni dicata, quibus suos affectus communicant. Hinc etiam ἐπομφάλια medicamenta ad purgandum vmbilico apponuntur, & flatus discutientia cauo vmbilici applicantur; cum per hanc partem celerrimè eorum vis intestinis & visceribus communicetur. Scribit etiam Clarissimus Riolanus, *lib. 2. Antropogr. cap. 12.* inter tormenta, quibus veritas reis extorquetur, illud solemne esse, frigidam vmbilico affundere, quo nullum grauius excogitari possit supplicium.

*Frigida vmbilico affusa, tormentum grauissimum.*

Primò interdum infantibus vmbilicus, nisi rectè ligetur, sanguinem fundit. Ita Philippus Hechstetterus, *Decad. 2. obs. Med. casu 9.* refert historiam pueri sanguinem ob non ritè ligatum vmbilicum copiosè fundentis. Verùm procul dubio ligaturæ minus conuenienti copia & acrimonia sanguinis accessit, cùm puer hic, postquam adoleuit, mox ab ætatis anno nono copiosæ & enormi hæmorrhagiæ fuerit obnoxius. Danda ergo obstetricibus opera, vt vmbilicus rectè ligetur; cùm nisi id fiat, magna incommoda, imò mortem interdum afferre soleant. Sic Guilhelmus Fabricius, *cent. 1. obseru. 52.* scribit, duobus infantulis Coloniæ id accidisse, quorum vires naturales, vitalésque ex eiusmodi hæmorrhagia adeo fuerunt exhaustæ, vt nullo modo refici potuerint, donec tandem languidi è vitâ decesserint.

*Sanguinem fundens vmbilicus.*

Etsi verò in adultis omnem cauitatem amisisse, & planè in funiculum coaluisse videantur hæc vasa: conformationem tamen suam non planè amisisse, patet non solùm ex eo, quod, vt modò dictum, extrà applicatorum vis visceribus per vmbilicum facilè communicatur, verùm etiam ex eo, quòd interdum iterum & præcipuè venæ vmbilicales, aperiuntur, & varias res effundunt. Ita Philippus Hechstetterus, *ibid. casu 8.* refert, puellam nobilem 12. annorum ab incunabulis habuisse vmbilicum, qui sanguinis guttâ leuiter indusium seu linteum proximum commaculârit, sine vllâ aliâ noxâ, nisi quòd color ei pallidus fuit. Sanguinis verò eam paucitatem fuisse, vt non transsudârit superstratum etiam tenue linteum. Præter succum autem & folia plantaginis vmbilico nihil admouit, sed naturæ rem commisit, cùm temporis tractu omnia in corpore robustiora fiant, & solidescant; quod & factum.

Refert quoque Guilhelmus Fabricius, *cent. 3. obseru. 37.* Danieli Schertlego, Pharmacopæo Solodurensi, homini pituitoso, obeso, 36. annum ætatis agenti, cùm æstate supra modum incaluisset, apertum fuisse vmbilicum, ita vt ad ℔ j.ß. sanguinis effunderet, qui tamen per se, & nullo adhibito remedio substitit. Medici vocati medicamenta, quæ sanguinis feruorem compescunt, exhibuerunt, & extra applicauerunt, sed sine fructu. Altero enim die & subsequentibus vsque ad vndecimum ex vmbilico quotidie bis sanguis, non quidem guttatim, neque in parua quantitate, sed cum impetu & copiosè erupit. Foramen adeò erat angustum, vt vix lentem excipere posset: certis autem horis, nimirum præcisè inter septimam & octauam matutinam, & inter secundam ac tertiam pomeridianam hæmorrhagia illa accidebat, vtplurimum quoque hoc tempore singulis diebus semel hæmorrhagiam narium patiebatur. Etsi verò Chirurgi & Medici plurima tentârint, sanguinem tamen sistere nunquam potuerunt, sed sponte ac per se subsistit, & isto vndecim dierum spatio ad libras vsque 27. sanguinis emanauit. Elapsa vndecimâ die vlcus vmbilici accreuit, ex quo, loco sanguinis, materia purulenta, per menses aliquot exstillauit, paulatim tamen iterum coaluit. Constitutio corporis fuit phlegmatica cum obstructionibus viscerum per aliquot annos, humoréque serosi venam vmbilicalem paulatim dilatârunt, tandémque vna cum sanguine per vmbilicum eruperunt. Sequenti æstate iterum aliquoties hæmorrhagiam vmbilici passus est, postea acidulis Griesbacensibus vsus est cum maximo fructu.

Non verò tantùm sanguis, sed & aqua ac serum interdum via hoc loco patefacta per vmbilicum effluit. Ita refert Antonius Beniuenius, *de abd. sanat. & morb. causs. cap. 12.* puerum quendam hydropicum Medicorum auxilio destitutum temerariam ac fortuitam libertatem vendicâsse: liberaliore quippe, & quantum poterat, aquâ epotâ, in vltimum se mortis discrimen præcipitauit. Verùm repente soluta vmbilici vnitate tanto impetu aqua inde profluere cœpit, vt supra ventrem tres cubitos ascenderet, quo sanè vitam finiuisset, nisi circumstantes opposita manu aquam fluere non permisissent. Hinc Medico accersito, & aqua paulatim educta, ac curioso victu, & cæteris, quæ ad rem faciunt, iniunctis, breui tempore in pristinam reductus est sanitatem. Andreas Laurentius etiam, *lib. 6. Anat. quæst. 9.* scribit, se vidisse Monspelij Hydropicum, cui noctu nil tale opinanti sponte solutus est vmbilicus, & maxima aquæ copia effluxit. Et Guilhelmus Fabricius, *cent. 1. obseru. 47.* refert, Virum quendam quadragenarium ex febre tertianâ, eáque diuturnâ curatum in Asciten incidisse, tandémque vmbilicum, qui ad oui anserini magnitudinem aquæ plenus propendebat, sponte sua ruptum esse, atque inde per trimestre maximam copiam serosi humoris effluxisse. Dedit autem operam Fabricius, vt humor paulatim flueret, imposito vmbilico linteamine duplicato, & fascia inuoluto, ne ex intempestiua euacuatione aquæ vires ægro antea debiles labefactarentur, & prosternerentur. Sic diuino fauore venter paulatim subsedit, vt tandem plenissimè conualuerit, & per annos aliquot sanus vixerit. Verùm cum postea pleuritide correptus obiisset, & cadauer eius aperiret Fabricius, inuenit venam vmbilicalem adeo dilatatam, vt facilè penna anseris per eam immitti potuisset.

*Aqua & serum per vmbilicum excreta.*

Idem *Cent. 2. obseru. 58.* meminit puellæ tres menses natæ, cui, cum per multos dies malè habuisset, ac dies noctésque grauiter eiulasset, tandem venter intumuit, cum manifestâ duritie circa vmbilici ac epatis regionem. Cui cùm primò cataplasma anodynum, simúlque syrupum aperientem lambendum exhibuisset, ac tandem, cum tumor ac tensio circa vmbilici epatísque regionem accresceret, & pus subesse manifestò appareret, cataplasma sequens *è farinæ tritici* Vnc. j. *sem. lini, fœnigræci* an. Drach. j. *fermenti, axung. porci, vng. basilici* an. Vnc. ß. *ficuum* Vnc. j. ß.

Cum *decocto radicum althææ* paratum applicuisset per aliquot dies, vmbilicus paulatim in tumorem eleuatus est, eóque rupto multum humoris serosi ac puris spatio quatuor hebdomadum continuò exstillauit,

sympto

symptomata remiserunt, ac puella continuato *syrupo*, & matre per interualla *syrupo rof. solutiuo compofito* cum *rhabarb. agarico & sena*, expurgato conualuit. Quæ obseruatio docet, aquam istam in vmbilici apertione non solùm ex cauitate abdominis, sed & ex ipsò epate per venam vmbilicalem effluxisse.

Atque ex relatione Doctoris Abelis Roscij *ibidem* refert, puellam annos decem natam Ascite laborantem, & penè desparatam solam à parentibus & domesticis domi relictam, sitis acerbissimæ impatientem, se è lectulo in solum deiecisse, & fontem, qui non procul distabat, pedibus manibusque repentem petiisse, ac aquâ purissima gelidaque iteratis vicibus sitim suam explere tentâsse. Cùm verò aquâ ad anhelitus ferè suppressionem repleta domum repetere non valeret, ilico iuxta fontem decumbenti vmbilicus ruptus est, & sponte ex eo copiosa aqua prorupit. Puella tandem à parentibus semianimis domum & in lectum deportata paulò post leuibus adhibitis remediis conualuit.

Tandem etiam feces alui per vmbilicum erupisse compertum est. Refert enim Cardanus, *lib.* 18. *de subtilitat.* puero cuidam octo annorum, cum inter pectinem & vmbilicum abscessu laborâsset, & is ad maximum vlcus perueniisset, etiam feces per vmbilicum excreuisse, seruatum tamen miserè vixisse. Et Alexander Benedictus, *pract. lib.* 20. *cap.* 54. narrat, puero cuidam Veneto ex intestino ventris abscessu, cum febre acutissimâ, intestina perforata fuisse, vt per vmbilicum magna excrementorum pars singulis diebus emitteretur, puerùque nihilominus sano similem per domum ambulâsse. Et Guilhelmus Fabricius, *cent.* 1. *obs.* 51. refert, adolescentem duodecim annos natum tumore insigni duro ac dolorifico musculorum rectorum abdominis ad vmbilicum laborâsse, ruptoque tumore excrementa per quatuor aut quinque hebdomadas per hanc viam, nihil verò per intestina excretum, tandemque puerum mortuum fuisse.

## CAPVT II.

### *De Hernia vmbilicali.*

*Hernia vmbilicalis.* VAria deinde tumorum genera patitur vmbilicus, & sæpè supra modum prominet, qui tumores, etsi à variis caussis ortum habent, vt mox dicetur, omnes tamen herniæ vmbilicalis, & vmbilici procidentiæ à Græcis ἐξομφάλου & ὀμφαλοκήλης nomine appellari solét.

### *Caussæ.*

*Caussæ.* Caussa verò, ob quam vmbilicus prominentior redditur, est vel humor emolliens & laxans, vel pondus grauans & distendens, vel etiam rumpens. Cum n. ab his ligamentis firmetur vmbilicus, si rumpantur, quod interdum accidit, vmbilicus partium incumbentium pondere grauatus cedit & laxatur.

Caussæ autem, quæ vmbilicum in tumorem attollunt, sunt variæ. Primò enim fit vmbilici prominentia ab intestini vel omenti procidentia; secundò à flatu vmbilicum extendente; tertio ab aquâ; quartò à carne ibi excrescente: qui tumores etiam diuersis nominibus ab Autoribus appellantur. Qui enim ab intestinis tumor est, eum ἐντερόμφαλον appellant: qui ab omento ἐπιπλόφαλον: qui ab aqua, ὑδρόμφαλον: qui à flatu, πνευματόμφαλον: qui à carne σαρκόμφαλον.

### *Intestinorum & omenti in vmbilicum procidentia.*

*Intestinor. & omenti in vmbilicum procidentia.* Primo interdum intestina vel omentum è sua sede elapsa vmbilicum in tumorem attollunt. Quod accidit, cum peritonæum eò loci vel laxatur, vel rumpitur; idque multis de caussis, vel ob percussionem, casum, saltum, ponderis grauis eleuationem, partum difficilem, equitationem, flatus in abdomine contentos, vociferationem & cantum, ploratum in infantibus, risum.

Solent a. tumores hi præter modum interdum increscere, refertque Forestus, *lib.* 27. *obs.* 30. mulierem quandā septuagenariam vltra annos viginti ruptura vmbilici affectam omphalocelem duo capita humana fere excedentem habuisse. Scribit etiam Guilhelmus Fabricius, *cent.* 3. *observ.* 63. fœminam quandam quinquagenariam robustam & obesam in difficili partu relaxatione vmbilici protraxisse, è qua procidente omento tantus tumor exortus, vt magnitudine vterum, qui fœtum maturum gestat, æquaret, ventre nihilominus suam seruante proportionem. Extuberantia verò illa vmbilici, veluti ingens saccus propendebat, vt manum ferè inter ventrem & saccum istum facilè imponere posset, interim sua negotia domestica, vt sana administrabat.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Si tumor hic sit ab intestinis, non admodum durus est, neque etiam mollis planè, & retento spiritu increscit, vbi æger supinus decumbit, intestina plerunque cum strepitu & rugitu in suum locum regrediuntur, atque ita tumore subsidet.

Si ab omento sit tumore, eadem ferè signa habet, quæ tumor ab intestinis. Hoc tamen ipsi proprium est, quod tumor ab vna parte est mollior, & ad basin latus, in verticem angustus. Adest omnis dolor. Et cum tumor digitis premitur, omentum in suum locum redit, & tumor subsidet.

Si tumor ab intestinis & omento simul sit, signa mixta adsunt. Et in tumoribus ab hisce caussis excitatis, vt & in eo, qui à flatu excitatur, tumor totius corporis cuti concolor est.

### *Prognostica.*

*Prognostica.* 1. Tumor vmbilici ab intestino vel omento elapso quò recentior est, & minor, ac in molliore corpore, eò faciliùs curatur: quò antiquior, maior, & in corpore duriore, eò periculosior, & curatu difficilior est. Et propterea in pueris ob corporis mollitiem tumores hi, qui à peritonæi ruptura fiunt, facilius, & medicamentis curantur: in adultis verò non nisi manus operâ: cùm peritonæum scissum & ruptum in his non coalescat.

2. Malum tamen hoc non est contemnendum. Quandoque enim ileos lethalis illi superuenire solet. Sic narrat Forestus, *lib.* 27. *obseru.* 30. duas mulieres, quæ ex omphalo laborant, in ileum incidisse, vt stercora per os reiicerent, atque ideo etiam obiisse.

### *Indicationes.*

*Indicationes.* Si tumor vmbilici sit ab intestinis vel omento, ob peritonæi rupturam vel laxationem, intestinum vel omentum primò in locum suum reponendum; deinde si peritonæum sit laxatum, illud adstringendum, si ruptum, consolidandum. Atque vt vtrumque facilius fiat, omnes caussæ, quæ laxationem vel rupturam peritonæi excitare possunt, & supra sunt propositæ, vitandæ.

### *Curatio.*

*Curatio.* Corpore purgato medicamenta adstringentia & consolidantia exhibenda, quæ supra *de hernia intestinorum part.* 2. *sect.* 1. *cap.* 6. sunt proposita, ex *fanicula, consolida, ophioglosso, perfoliata, herniaria, rosis, caudâ equinâ, polygono, plantagine, myrto* & *similibus*, quæ in *vino rubro*

*rubro* coquenda sunt, & colatura *sacchar0* dulcoranda, atque singulis diebus mane Vnc. ij. vel ℥ iij. exhibendæ.

Vel ℞. *Pulv. rad. consolidæ maioris, fœniculæ, ophioglossi*, an. Drach. jß. *mastiches, corall. rubr. boli Armeni* an. Drach. j. *conf. rof. rubr. antiq.* Vnc. j. *cinam.* Drach. ß.

Cum *syrupo myrtino* Fiat Electuar.

*Topica.*

Topica simul conuenientia parti affectæ, intestinis vel omento prius in locum suum repositis, imponenda.

*Ex omphal. cura Foresti.*

In recenti exomphalo infantium nuper natorum Forestus quatuor rotulas ad formam stufari seu nummi parui rotundos è corio rubro conficit, oxycroceo obductas, easque sindone rubro cooperit, vel etiam sine sindone vtitur. Vnam autem rotulam per quatuor plures've dies, antequam eam amoueret, affixam manere permisit. Deinde aliam apposuit. Magistrum vero Iohannem Tiengium Medicum percelebrem Amstelodamensem accepisse scribit petias tres ex panno lineo, primam magnitudinis denarij, secundam ad magnitudinem quadrantis, & tertiam ad magnitudinem medij stufari, inungendo primò *oleo ouorum*, & ita rotulam vnam ponendo super aliam, & vltimò imponendo emplastrum glutinans, quale ibi describitur, alutæ inductum. Inungebat autem singulis tribus diebus semel, postea sex dierum spatio, & vmbilicum diligenter ligabat, ne exire posset, idque continuauit ad perfectam curationem.

Vel ℞. *Picis naualis, mastiches* an. Vnc. ß. *sarcocollæ, hypocistidis, sang. Dracon. aloës, thuris* an. Drach. ij *pulv. rad. consolid. maior.* Drach. iij. *visci querni* Drach. ij *terebinthinæ, ceræ* ana q. s.

Fiat emplastrum.

Vel ℞. *Pulv. rad. consolid. sang Draconis* an. Vnc. ß. *mastich.* Vnc. j. *thuris, boli Armeni, nucum cupressi* an. Vnc. ß. *picis naualis* Vnc. vj. *terebinth. q. s.*

*Terebinthina* & *pix naualis* liquefiant, & ab igne remotis pulueres inspergantur, & bene misceantur. Fiat emplastrum.

*Diæta.*

Simul diætæ recta ratio obseruanda. Aëris frigida intemperies, & ventus vitandi. A cibi flatulentis abstinendum, aluus lubrica seruanda. Vociferatio, cantus, fletus, ponderum grauium eleuatio, & omnis motus nimius vitandus.

*Chirurgia.*

Si hoc modo ruptura non consolidetur, ad incisionem & chirurgiam confugiebant Antiqui, quæ tamen, vt Celsus ait, non infantibus competit, sed adultioribus, & iis, qui bono corporis habitu sunt præditi. Quâ ratione a.' ista operatio fieri debeat, Paulus Ægineta, *lib. 6. cap. 51.* & Celsus, *lib. 7. c. 14.* tradunt.

Verùm rectè censet hîc Hieronymus Fabritius ab Aquapend. *de operat. chirurg.* Chirurgiam hanc non ita tutam esse. Ideoque ille medicamentis & vinculo vti mauult, quibus si non planè sanatur malum, in meliorem tamen statum adducitur. Parat nimium cingulum ex linteo, quo abdomen cingat stringatque, & ea parte, qua vmbilicus est, puluinar duriusculum obtineat, in cuius centro sit globulus ex adstricto linteo, qui in vmbilici dilatationem sese insinuet, & intret ita, ne omentum vel intestina exire permittat. Prius verò vmbilico apponit sequens ceratum.

℞. *Boli Armeni, sang. draconis, mastiches, sarcocollæ* an. Drach. j. *bislinguæ, tegulæ pulueris* an. Drach. iij. *resinæ pini* Vnc. jß. *oui albuminis, ceræ* an. q. s.

Fiat Ceratum.

Si verò nullo modo prolapsa intestina vel omentum reponi possint, & nihilominus ægro, dum propter pondus superiores partes deorsum trahunt, magnam molestiam creant, fasciâ continenda est pars prolapsa, qualem describit & depingit Guilhelmus Fabricius, *cent. 3. obseru. 64.* Parandus nimirum ex tela triplici thorax, ita tamen, vt vltra costas nothas non descendat. Thoraci isti in dorso è regione homoplatarũ ex vtroque latere fascia duos digitos transuersos lata vndique perforata annectenda est; istis præterea fasciis paruis fasciæ magna sacculata beneficio lororum annectenda est, quæ eleuari, & laxari secundum necessitatem & voluntatem ægri beneficio lororum & foraminum potest.

### *De Hernia vmbilicali Aquosa.*

*Hernia vmbilici aquosa.*

Interdum verò vmbilicus ab aqua in tumorem attollitur, qui Græcis ὑδρόμφαλος appellatur.

#### *Caussæ.*

*Caussa.*

Caussa huius tumoris est vmbilici relaxatio. Fit autem illa ab humore aquoso in abdomine, præcipuè inter peritonæum & abdominis cutem collecto, nonnunquam etiam per venam vmbilicalem laxatam affluente.

Caussæ autem collectionis humoris possunt esse omnes eæ, quæ in hydrope sunt explicatæ. In infantibus verò caussa interdum est lac nimis serosum.

#### *Signa Diagnostica.*

*Signa.*

Tumor hic laxus est, & si prematur, quædam aquæ fluctuatio percipitur, & ad digitorum compressionem nec minuitur, neque augetur, & candela apposita limpidus & perspicuus apparet.

#### *Prognostica.*

*Prognostica.*

In infantibus tumor talis est sine periculo, & facilè curatur, atque bona Diæta nutricis plerumque emendatur. In adultis verò, & cum aliis morbis, vt hydrope, coniunctus, periculo non caret.

#### *Indicationes & Curatio.*

*Indicatio & Curatio.*

Aquosi humoris prouentus præcauendus, & quæ in vmbilico collecta est aqua tollenda. Ideoque si in infante hoc accidat, nutrici talis diæta imperanda, quæ lac minus serosum generet; si adultis, etiam collectio serosi humoris præcauenda, & si quis collectus sit, conueniente modo euacuandus, vt in hydrope dictum.

Topica quod attinet, ea vsurpanda, quæ aquam exsiccandi, & discutiendi vim habent, qualia in hernia aquosa sunt proposita, & ab Aetio, *tetrab. 4. serm. 4. cap. 76.* descripta. In pueris vtile est cataplasma ex arnoglosso, & lentibus simul coctis paratum.

In alijs ℞. *farinæ lupin.* Vnc. j. *pulv. rof. rubr. flor. chamæm.* an. Vnc. ß. *boli Arm.* Drach. ij.

Cum *vino* F. Cataplasm.

Si medicamentis tumor non cesset, sectio instituenda, vt Paulus Ægineta, *lib. 6. cap. 51.* tradit. Nimirum lunata sectio facienda, & aqua paulatim extrahenda: postea pars deliganda, carne replenda, & cicatrix inducenda, & pars sequenti vel similia decocto calefaciente & adstringente roboranda.

Vt ℞. *origani, pulegij, betonicæ, saluiæ, anethi, flor. chamæmeli, rof. rubr. balaustior. baccar. myrti, nuc. cupressi* q. s.

Coq. in *vino austero*, & spongia decocto isto imbuta vmbilicus foueatur.

Plura videantur *de Hernia aquosa.*

### *De Hernia Vmbilici Flatulenta.*

#### *Caussæ.*

*Hernia Vmbilici flatulenta. Caussa.*

Hernia vmbilicalis flatulenta fit, quando flatus vmbilicum distendunt. Accidit autem hoc, cum flatus multi in abdomine collecti vmbilicum extra pellunt; id quod euenit aliquando in tympanite.

Signa

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.* Tumor hic mollis est, & digitis cedit, sed statim redit, ac percussus sonitum quasi edit, ac ægro supino iacente eadem figura manet.

### *Prognosticum.*

*Prognosticũ.* Tumor flatulentus vmbilici difficulter sanatur:imò, vt Celsus,*lib.7.cap.* 14. scribit, quod ex spiritu vitium est, medicamentum non admittit:quia caussam plerunque in visceribus latentem & fouentem habet. Interdum tamen discutientibus tollitur; & sæpe infantibus accidit, in quibus non difficulter curatur, cum nullum viscerum insigne vitium intus lateat.

### *Indicationes & Curatio.*

*Indicationes & Curatio.* Flatus tumoris caussa discutiendus est iis medicamẽtis,quæ in hernia flatulenta sunt proposita,decoctis,fomentis vel sacculis è floribus chamæmeli, ruta, calamintha, semine milij, cumini,fœniculi, anisi,carui,ammeos, furfure.

Si tamen interdum aliquod viscerum vitium sit,quod flatus suppeditat, illud prius curandum.

### *Hernia Vmbilici carnosa.*

*Hernia Vmbilici carnosa.* Denique interdum caro excrescens vmbilicum in tumorem attollit. Easdem autem generationis caussas habet, quæ in Sarcocele sunt expositæ.

Cognoscitur autem hic tumor, quod sit durior, & prementi digito non cedit, & siue æger supinus iaceat, siue stet, siue ambulet, semper idem apparet.

Caro hæc vel medicamento caustico vel ferro auferenda, & vulnus postea curandum: si tamen caro sit cancrosa,Nam si in cancrum degeneret,malum ferè incurabile est.

Exemplum talis curationis habet Beniuenius,*de abd. sanat.& morb.causs.cap.* 6. Puero cuidam octimestri vmbilicus digitis quatuor excreuerat ad penis similitudinem.Hunc cum plures Medici inuisissent,ex his alij intestinum eò erupisse iudicabant, alij omentum, alij humorem, Beniuenius verò carnem in loco increuisse dicebat: cui sententiæ cum pater inhæsisset, puerum curandum suscepit Beniuenius, & carnem vincire cœpit, & singulis diebus arctius deligare, nec prius desistere, quàm ea ipsa præmortua penitus exciderit,ac puer subinde integram valetudinem recuperauerit.Similem historiam habet Guil. Fabricius, *cent.* 5. *obseru.*61. Patritius quidam Bernensis, Vir robustus 25. annorum ætatis excrescentiam fungosam vmbilici, quæ sex mensium spatio paulatim ex ipso vmbilico sine vlla externa caussa prouenerat, habuit, quæ, cum eam primùm vidit Fabritius, magnitudine nucem iuglandem superabat, & colore erat liuido ac fusco instar cancri, substantiâ mediocriter dura & carnea, atque instar casei putridi fœtente, in principio sine vllo dolore. Venâ secta & corpore conuenienter purgato, fungo huic sequens medicamentum applicauit.

℞. *Aq. rosar. plantag. carduibened.* an. Vnc.j. *ranar.* Vnc.ij.*sem.cydon.contusi* Vnc.ß.

Infundantur & postea exprimantur, addanturque *tutiæ præp. plumbi Fernelij præp. C. C. vsti, lapid.calaminaris, cinerum ranarum, gammarorum* ana scrup.ij.

Misceantur,& linteis mollibus bis terve de die tepidè applicentur.

Quod medicamentum cum bona victus ratione cum per menses fere duos vsurpasset, & omnia ad votum succedere videret,constituit excrescentiam illam filo aquâ Mercurij insuccato ligare, sed quia propter obesitatem ægri fungus ille inter musculos veluti abscon- ditus iacebat, instrumentum quod eâ de caussa speculum vmbilici appellat, excogitauit, cuius figura ibidem depicta extat, cuius beneficio musculi deprimerentur, vt totus fungus in conspectum veniret. Instrumentum hoc fuit ex catillo stanneo, cuius fundum excidit, & ex vtraque parte fasciam oblongam alligauit, eamque in dorso tam stricte ligauit, vt catillus musculos reprimere posset, imò etiam ministro præcepit, vt speculum introrsum ambabus manibus intruderet. Hoc modo cum totus fungas in conspectum venisset, animaduertit, non vnum, quemadmodum primò intuitu apparebat, sed tres distinctos esse fungos. Hoc modo, & huius instrumenti beneficio fungi radici filum iniecit, illumque quantum fieri potuit constrinxit. Quia autem propter ingentes dolores, imo lipothymias, quæ protinus ex arcta ligatura superueniebant, primâ die radicem fungi non satis arctè ligare posset,sequentibus diebus tertio quoque die filum nonnihil, prout æger ferre potuit,constrinxit.Interim quæ dolorem leniunt, fungo apposuit, linteum quin etiam reduplicatum decocto herbarum adstringentium,veluti plantag. geranei, equiseti, rosarum, scrophulariæ, & huiusmodi cum pauco aceto madefactum applicuit. Et cum propter dolorem & lipothymiam omnes simul ligare non posset, primâ vice duos tantum filo prehendit, quibus ablatis tertium quoque eodem modo aggressus est. Post casum fungorum puluerem ex topico supra proposito cum pauxillo *alum.vsti* inspersit, & idem illud medicamentum applicuit. Atque hoc modo æger sanatus est.Monet autem hîc Fabricius, vt tria sunt vasa vmbilicalia, ita etiam tres fuisse fungos,eosque separatos, & tam ex corde, quàm ex epate originem habuisse.

---

## CAPVT III.

### *De Vmbilici inflammatione, abscessu, & vlcere.*

### *Inflammatio.*

*Vmbilici Inflammatio.* NOn solum autem tumores modò propositos vmbilicus patitur, sed etiam quandoque inflammatur, à calido sanguine eò confluente: id quod accidit, vel à percussione, aut lapsu, aut sectione, ob quam venæ & arteriæ in vmbilico rumpuntur, aut laxantur, vt sanguinem effundant, vel cum is à dolore attrahitur. Et accidit sæpe inflammatio vmbilici infantibus, cùm is præciditur, aut perperam ligatur. Cui quoque occasionem præbet ploratus & eiulatus infantium. Sæpe etiam istud accidit propter affluxum materiæ serosæ ad hunc locum.Cum enim natura,fœtu in vtero existente,humorem serosum in hunc locum mittere solebat, eiusmodi operis nondum oblita interdum eundem humorem ad hunc locum mittit, vnde dolor excitatur, & inflammatio.

Tumor hic est durus, rubeus, calorque & pulsus in loco affecto percipitur, absuntque signa intestini vel omenti prolapsi, vel flatus, vel aquæ, vel carnis excrescentiæ.

Inflammatio autem hæc sæpe periculosa est. Si enim in abscessum abeat, atque hic rumpatur, intestina procidunt, & infantes moriuntur.

Vt autem curetur, imprimis danda opera, vt dolor leniatur; deinde vt affluxus humorum præcaueatur; tertiò vt quod influxit, discutiatur & digeratur.

Medicamenta ex aliarum partium inflammationibus nota sunt. Auicennas hoc vtitur.

℞. *Spicæ Celticæ* Vnc. ß. *terebinth.* Vnc. iij.

Misce & cum *oleo sesamino* vel *amygd.dulcium* in formam Vnguenti redigantur atque imponantur.

Potest

Poteſt etiam *Ceruſſa & lithargyrum* cum *oleo ſeſamino* & *terebinthina* in formam Vnguenti redigi & imponi.

Alia quoque medicamenta, quæ teſtium & mammarum inflammationibus vtilia ſunt, hic locum habent.

## *Abſceſſus & Vlcera.*

*Vmbilici abſceſſus & Vlcera?*

Ex Inflammatione Vmbilici ſæpe abſceſſus fiunt, qui, vt iam dictum, in infantibus ſatis periculoſi ſunt. Si in adultis, quod interdum accidit, tales abſceſſus generentur, aperiendi ſunt, & vt alia vlcera curandi. Plerunque autem talia vlcera lethalia ſunt; cùm in abdomen penetrent, & vicina inteſtina tenuia putredine inficiant & corrumpant.

# CAPVT IV.

## *De Vermibus & lapidibus in vmbilico genitis.*

### *Vermes in Vmbilico.*

VErmes in vmbilico generari, quos *den Nabelvvurm, oder Geitzvvurm* appellant, à multis equidē pro fabuloſo habetur: à plurimis tamē refertur, confirmatque id αὐτόπτης & oculatus teſtis D. Ioh. Georgius Brenggerus, Medicus Cauffbyrenſis, in *Epiſtola obſ. D. Philippi Hœchſtetteri Decadi 6. annexâ*, dum ſcribit, fuiſſe puellam ſemeſtrem, quæ hoc affectu laborabat, quæ valdè inquieta erat, cum febriculâ quâdam inordinatâ. In quâ cum pharmaca parum proficerent, mater eius nobilis fœmina, ſuſpicata eſſe vermem in vmbilico, ei impoſuit vnum è piſciculis, quos fundulos vulgò vocant, viuum, faſciiſque alligauit quotidie ſemel, & per horas 24. ità relinquebat. Vermis autem ita depaſcebatur piſciculum ſemper relictis oſſiculis, ac mox ſubducebat ſe iterum in venam illam. Accidit autem poſt 8. vel 10. dies, vt faſciæ prædictæ laxatæ nonnihil deorſum delatæ ab vmbilico recedentes piſciculum ſecum traherent: hinc vermis eſcam inſecutus ex vmbilico totus excidit, & regreſſum in vas vmbilicale inuenire non potuit, & ſic extra corpus per ventrem infantis extenſus mortuus repertus fuit, ſemipedali longitudine, figura terete, latiuſcula, pellicula non tenui ac leui, qualis lumbricorum eſſe ſolet, ſed duriuſcula, ſeu ſubcruſtaceâ, colore pallido ex luteo albicante.

Similem planè hiſtoriam recenſet Vir Clariſſimus, Dn. Doct. Rupertus Sultzbergerus, Medicinæ in Academia Lipſienſi Profeſſor, amicus meus honorandus, *in diſput. de vermibus in homine*, in hunc modum: Infans. Nobiliſſimi & ſtrenui Viri Dn. Georgij Erneſti à VVeiſſenbach filiolus ſemeſtris aliquot dies noctesque totus inquietus & vagiens, oſculo quaſi purpuraſcente, capitulum huc illuc miſere jactabat, deiectiones erant virides vel cineritiæ, inſtar pulmenti è carne conciſâ craſſæ: fruſtra tentis quibuſdam remediis fundulus ad vmbilicum infantis applicatur, qui elapſis duabus horis conſpicitur in latere illo, quo vmbilico alligabatur, foramine piſi magnitudine excauatus. Eo abiecto alter apponitur fundulus, qui per noctem integram ad vmbilicum ita relictus mane parte illâ, qua cutem infantis contingebat, totus conſumtus viſitur, eique nihil præter σκέλετον ſupereſſe. His cognitis putamen nucis auellanæ dimidiatæ maſſula quadā ex puluere vitri cum melle ſubactâ, addito tantillo herbæ ſabinæ repletur, & infantis vmbilico applicatur per noctem. Manè iterum bona ipſius quantitas conſumta conſpicitur: repletur denuò & apponitur, donec tertia vice ab vmbilico remotum integrum, nihilque exeſum conſpicitur: tunc exhibito per ſuperiora cornu ceruino cum aquâ tanaceti, atque exploratis ſedulò viſiſque alui excrementis ſummè tunc fœtentibus reperitur vermis in faſciis vel potius exuuiæ eius ſpithamæ ferè longitudine, capitulo abrupto, quantitate lentis minoris, forma ferè maioris muſcæ, duriuſculo tamen & iuxta vtrumque oculum proboſcide ſatis conſpicua ornatum, quod reſeruatum adhuc monſtratur. Verme hoc excluſo omnia ſymptomata remiſerunt, & infans pleniſſimè conualuit.

Hinc vulgò & noſtris fœminis vſitatum eſt, ſi infantes inquieti ſint, plorent, labia purpuraſcant, caput hinc inde iactent, nec alterius morbi adſint indicia, vermem in vmbilico latere ſuſpicantur, idque vt explorent, fundulum viuum vmbilico applicant, qui ſi arrodatur, vermem reuera latitare exiſtimant, quem vt necent, puluere vitri Venetiani ſubtiliſſimo cum pane & melle mixto (alij etiam puluerem ſabinæ addunt) putamen dimidium nucis iuglandis replent, idque vmbilico ad necandum vermem imponunt.

### *Lapides in Vmbilico.*

*Lapides Vmbilici.*

Lapides in Vmbilico repertos fuiſſe, obſeruatum eſt, teſtaturque id Autor definitionum Medicarum, & hunc affectum παρόμφαλον appellari ſcribit, ac Columbus, *lib.15. Anat.* idem confirmat, vt & Marcellus Donatus, *de hiſtor. med. mirab. lib.4. cap. 30.*

# CAPVT V.

## *De Vulneribus vmbilici & vaſorum eius abruptione.*

*Vulnera Vmbilici.*

TAndem etiam vulneratur quandoque vmbilicus, cuius vulnera ſatis lethalia ſunt, cùm inteſtina vicina & ventriculus facilè ſimul vulnerari poſſit, & inteſtina facilè procidere. Et refert Guilh. Fabritius, *cent. 1. obſ. 53.* adoleſcentem quendam poſt vulnus exiguum inter vmbilicum & coſtas mendoſas acie gladij ipſi inflictum, mox humi procubuiſſe, & quamprimum expiraſſe. Cadauere diſſecto interiora omnia illæſa inuenta ſunt, præter vmbilicalem venam, quæ plane abſciſſa fuit, cauſſamque mortis ſubitæ fuiſſe putat Fabritius, quod ligamento hoc, in quod vena vmbilicalis abit, Hepar ab vmbilico alligatur, quo abſciſſo epar ſurſum retrahatur, & diaphragma adeò comprimat, vt homo neque exſpirare neque inſpirare poſſit, imò ſuffocetur illico. Hinc Scaliger *exerc. 246. ſect. 2.* ſcribit, apud Ægyptios Graſſatores & Rebelles pro ſupplicio viuos exſui corio. Eos ita demum magno cum cruciatu viuere, ſi carnifex vmbilicum ferro non attingat, eo tacto illico exſpirare. Ioh. Riolanus tamen *Anthropog. lib.2. cap.12.* non putat, tantam eorum eſſe neceſſitatem, vt vno rupto, vel omnibus inciſis hominem interiri neceſſe ſit, aut deterius viuere, dyſpnœâ fatigatum. Nam venæ vmbilicalis defectum ſupplere ligamentum illud xyphoidi affixum. Scribitque ſe vidiſſe in Æthiopica muliere ſaltatrice agiliſſima venam vmbilicalem abruptam, & inter epatis fiſſuram reuulſam, atque arefactam, quæ ſine vllo vitæ iucommodo, aut reſpirationis impedicamento viuebat. Quin etiam in pluribus mulieribus, quæ ſæpius vtero geſtarunt, vaſa tria vmbilicalia inferiora deprehendi abrupta, nec ad vmbilicam peruenientia, quorum adminiculo carere poteſt veſica duplicato peritonæo in homine ſolo ſuſpenſa & incluſa.

CAP.

## CAPVT VI.

### *De Peritonæi Morbis.*

*Peritonæi Morbi.*

PEritonæum quoque aliquos morbos patitur, & interdum præter naturam laxatur,rumpitur, vulneratur. De eius laxatione & ruptura, quæ in inguinibus scroto, vt & vmbilico accidit,suis locis iam dictum. Et Antiqui quidem varias hic Chirurgias proponunt, vt apud Celsum videre est:verùm quia illæ admodū difficiles sunt,malunt plerique ægri,& tutius etiam est,affectus eiusmodi gestare,& fasciis lenire, quam eiusmodi chirurgiæ se subiicere. Interdum tamen & in aliis præter inguina, & vmbilicum locis laxatur & rumpitur. Ita refert Marcellus Donatus *histor. med mirab. lib. 4. cap.3.* Perillustrem fæminam, cum disrupto peritonæo supra vmbilicum in violento partu per multos annos nulla deligatione aliove præsidio adhibito rupturam tulisset, eam indies ita dilatatam fuisse, vt intestina, præsertim gracilia, laborentur, ita vt cibariorum in ventriculo confectorum distributio per illa minime fieri posset,sed natura grauata, tertio, quarto vel quinto quoque die prout magis vel minus cibū ingerebat, per vomitum esculenta & potulenta semi cocta reiecisse.Noctu tamen, cum cubaret, vt plurimùm ex situ adiuta intestina retrocessisse, tandemque subortis doloribus, & materia plurimâ,flatibus tumentibus intestinis per rupturam elapsis suborta inflammatione, disruptaque tunica intestinali, necnon & ventris cute, prolabente pure biduo, vitam cum morte commutasse. Vidi ipse etiam fœminam, quæ ex peritonæi ruptura tumorem quatuor ab vmbilico digitis in latere habebat,& Platerus *lib 3.obs.* narrat, Mercatori cuidam, cui taurus, impetu facto, cornibus abdomen in latere circa vmbilicum perfoderat, post conualescentiam, exiguum tumorem rupto illic peritonæo remansisse: quem cùm negligeret, tandem sensim è peritonæi cauitate emergentibus intestinis tumorem in immensum excreuisse, ipsumque & febre acuta), & stercoris euomitione adeo periculosè& extremè laborare cœpisse,vt de illius salute pene desperaretur.Ad sectionem tamen, reponendaque intestina, tanquam extremum remedium confugit Platerus,quâ in cute illius loci tentatâ,& foramine peritonæi rupti, licet difficulter digito inuestigato & in-uento sensim intrusit intestina,vt æger mox sanitati restitutus fuerit, qui tamen tumorem postea vinculis coërcuit.

Nodus autem curandi idem est, qui in cura Herniæ vmbilicalis propositus est. Antiqui quidem, vt apud Celsum videre est, & modò dictum, varias chirurgias instituebant: verùm quia plerunque ægri eiusmodi chirurgiis iisque satis molestis & operosis raro se committunt, sua sorte contenti fasciis commodis adhibitis vitam prodeant, oportet. Et quia huiusmodi procidentiæ raro in ventrem retrudi possunt,aut si retrudantur, difficulter tamen retinentur, maximasque molestias ægro pariunt, tum propter pondus superiores partes secum deorsum trahunt, fasciam quandam sacculatam excogitauit Fabritius *cent.3 obs.3. 64.* quâ extuberantia illa tàm commodè sursum retrahitur,atque subleuatur, vt nullam ferè molestiam atque incommodum pariat.

Vulneratur tandem etiam peritonæum: sed quia vulnerari non potest, nisi cutis simul & musculi abdominis vulnerentur, de vulneribus peritonæi vnâ operâ, *de vulnerib. abdom.* dicetur.

## CAPVT VII.

### *De Musculorum abdominis inflammatione, & abscessibus.*

*Musculorum Abdominis inflammatio.*

IMprimis verò notatu digna est inter morbos abdominis musculorum eius inflammatio:& ab epatis inflammatione, quàm non rarò præ se fert, diligenter distinguenda: cum etiam ipsi medici hâc in re fallantur. Ita Galenus. *5. de loc. affect. cap.7.* refert, Stesianum quendam quasi, abscessum in Epate habentem ab aliis Medicis curatum fuisse: id quod Galenus negauit, & monstrauit abscessum esse inter musculos transuersos & obliquos abdominis.Sic Valeriola,*lib.4.obs.5.*narrat, fœminam quandam ingenti hypochondrij dextri dolore cum tumore insigni & circumscripto affectam, ac spirandi difficultate laborantem à Medico, vt phlegmone epatis affectam curatam fuisse,quam postea ipse inflammatione musculorum abdominis laborare agnouit.

### *Signa Diagnostica.*

*Signa.*

Equidem signorum quædam hîc occurrit affinitas: tamen etiam signa sunt, quibus discernuntur. Inflammationis Epatis signa supra, *part.4.sect.cap.6.* enumerata sunt. Si verò musculi abdominis inflammantur, corporis color,vt in inflammatione Epatis,non ita mutatur, tumor ad figuram musculorum extenditur, nec rotundus est, vt in inflammatione epatis. Et quidem rectorum musculorum abdominis tumores oblongi sunt, & per totum ventrem extenduntur. Cutis supra tumorem non sine dolore contrectatur, apprehensa quoque digitis, vt attrahatur, minimè sequitur ob tensionem. Interdum rubedo apparet, præsertim si affectio in externis musculis hæreat. Quocunque denique modo æger decumbat, eadem tumoris magnitudo manet,nec, sicut in Epate,dum decubitus fit in latus sinistrum, tumor maior apparet, & contrà minor corpore in dextrum reclinato. Si transuersi musculi inflammantur, magis afficiuntur partes profundæ, dolorque est vehementior, quàm in aliis musculis; cum illi musculi sint membranosi circa finem, & neruos plures molliores que obtineant, & cum peritonæo aponeurosi coniungantur.

Et quidem non mirum est,interdum hosce musculos inflammari, cùm insignia vasa obtineant, alia adscendentia.Adscendunt enim ab inferioribus venæ & arteriæ epigastricæ; descendunt à parte superiore venæ & arteriæ mammariæ, & per anostomoses circa regionem vmbilico adiacentem coniunguntur.

### *Curatio.*

*Curatio.*

Curatio talis qualem inflammationes aliæ requirunt, & hic instituenda.Ideoque hic curationem à Valeriolâ loco allegato descriptam exempli loco proponam.

Cum mulier plethorica esset, Valeriola ad plethoram minuendam, & humoris ad partem affectam decumbere parati reuulsionem venæ internæ in cubitu dextri brachij sectionem, præmisso lene clystere, instituit, & vncias sedecim sanguinis detraxit; cum magnus esset sanguinis confluxus, & plenior corporis habitus, ipsaque ægra valido robore prædita.

Cùm à sanguinis missione & dolor minueretur, & tumor detumescere videretur, apozema sequens exhibuit.

℞. *Borrag. bugloss. vtriusque cichor. acetosæ omnium cum radicibus* an. M. j. *agrimon. lupuli, fumariæ, lapathi acuti, capillor. Veneris, ceterach. hyssopi, fœniculi, melissæ* an.M.ß. *sem. melonum cum cortice contus.* Vnc.ß. *acetosæ, endiuiæ, portulacæ* an.Drach j. *petroselini, apii* an. Scrup.ij.

*vnarum*

*vuarum passarum* num. xx. *prunor. dulc.* num. xij. *glycyrrhizæ rasæ* Drach.vj. *polypod.q.* Vnc.ß. *flor.cordial. thymi* an.P.ij.

Coq. in *aq. hordei recenti* ad ℔. ij. & colentur. In colatura dissolue *syr.endiuiæ compositi, de duab. radicib. capillor. Vener.* an.Vnc.ijß. *sacch.q.s.*

Fiat syrupus, pro quatuor dosibus matutinis, qui aromatisetur.

*Cinam. santali citrini* an.Drach.j.

Finito syrupo & coctione in vrina apparente sequens cholagogum & phlemagogum exhibuit.

℞. *Agarici albi* Drach.ij. *rhabarb.electi* Drach.j.ß. *zingib. schœnanthi, mastich. cinam.* an. Scrup.ß. Infund. in *aq.endiu. bugloss. hyssopi, cum pauco mellis rosati.* Per noctem. Colaturæ adde *Elect.ros. Mes. diaphœnici* an. Dr. ij. *syr.ros.solut.* Vnc.j. Misce.

Cum decocto præcedentis apozematis

F. Potio.

Sequenti die clysterē ablutiuum ex *decocto hordei, furfurum* & *seminum lini ac melonum*, adiecto *diacatholico* & *oleo violarum* ac *melle rosato* applicari iussit.

Et quoniam tumor in musculis rectis abdominis, qui epati incumbunt, consistebat, eratque in parte durities, emollientibus, ac leuiter roborantibus ob epar vicinum vtebatur. Fouebat nimirum partem hoc decocto.

℞. *Maluæ, althææ cum radicibus* an. M. j. *rad. bryoniæ* M.ß. *absinth.* M.j. *origani* M. ß. *sem.lini.fœnigræci* an.Vnc. ij. *anisi, anethi* an. Vnc.ß. *flor. chamæm. meliloti, rorismarin.* an.P.j.

Coq. in 2. *partib. aquæ* & *tertia vini potentis*, & decoctum linteaminibus parti affectæ ante cibum applicetur.

Mox à fotu sequenti vnguento pars inungebatur.

℞. *Vng.dialth.* Vnc. iv. *emplast. Filij Zachariæ* Vnc. ij. *ceræ propoleos, fecis olei de lilio* an.Vnc.j. *pingued. anat. gallinæ* an. Drach.vj. *ammoniaci sapâ dissoluti, bdelly mastiches* an. Scrup.iv. *styrac.calam.benzoes, rad.irid. florent.* an.Drach.j.

Misce & cum *pauca cera, oleo irino* liquata, fiat Vnguentum.

Vbi diebus duodecim his esset topicis vsa, tumor plane aboleri & tumor sedari cœpit. Quia tamen ventris tumor adhuc perstabat, ad corpus purgandum primò exhibuit *pilulas ex Hiera simplici, agarico trochiscato, rhabarbaro*, cum *puluere senæ præparata* adiecto *mastiche* & *granis aliquot diagrydii*, interdum etiam *syrupum* ex *decocto antecdente* paratum adiiciendo *folior. & follicular. senæ* Vnc. ij.

*Medullæ carthami* Vnc. j. *epithymi* Drach. vj. *rhabarb.* Vnc.ß. *sacch.q.s.*

Quem decimo quoque die exhibuit.

Tandem *decocti chinæ* parati è *rad. chinæ* Vnc. j. ß. in *aq.* ℔ij. vsque ad dimidias coctæ, Vnc.viij. ad sudorem conciliandum exhibuit.

Ventri etiam admouit Emplastrum *ex stercore bubulo* & *caprillo* in *aceto* feruefactis & cum *cumini, anisi*, & *anethi seminibus*, ac *terebinthina* mixtis paratum.

Notandum autem de hâc curatione, non fuisse puram inflammationem, sed crassum & glutinosum succum fuisse admixtum. Et solent plerunque hi tumores, etsi inflammatorij sint, esse diuturniores, quod aliquoties obseruaui.

Et cum hi tumores plerunque loco profundiore sint siti, si in abscessum mutentur, non facilè is ad exteriora aperitur, sed sæpè chirurgi opera requiritur, cuius rei exemplum habet Franciscus Rousetus, *de partu Cæsar. sect.* 3. *cap.* 2. vbi refert illustrem quandam fœminam habuisse abscessum, qui ortum ducebat iuxta principiū musculi recti dextri lateris supra vmbilicum digitis tribus, loco fundo ventriculi vicino, iuxta epatis regionem, & post multos diuersos & chronicos sibi inuicem succedentes morbos natura vitiosos humores in hunc locum detrudente ortus erat. Abscessu aperto incredibilis & tanta puris copia summo cum impetu prodiit, vt vsque ad pedes lecti proflueret, & quidem vltra sesquimensis spatium copiosissimè effluxit per vulnus, quod cauterio actuali excitatum fuit. Similem historiā habet Dodonæus, *obseru.medic. cap.*29. de quodam Scribâ, qui cùm dextri lateris cum febri dolore correptus esset, iuxta ac paulo infra costas nothas, Medicumque accersiuisset, qui ipsum vt pleureticum curauerat, atque inde peius haberet, Dodonæum vocauit; qui exhibitio primùm leni purgante cataplasma emolliens applicauit, ac tumore emollito tandem sectionem instituit, & cùm ex abscessu copiosum pus effluxisset, æger adhibitis vlceri idoneis remediis conualuit.

Memini etiam ante annos circiter 20. vicini mei Victoris vxorem simili tumore ad ipsam ferè ventriculi regionem laborasse, qui cùm in tantam magnitudinem excreuisset, vt ferè duos pugnos æquaret, sectione eum aperiri curaui. Ex abscessu verò maxima, & quidem primo aliquot librarum puris copia effluxit, cum tanto fœtore, vt nec ego, nec chirurgus fœtorem ferre possemus, sed ex hypocausto sucedere necesse habuerimus. Fluxitque pus postea aliquot diebus, & ægra idoneis vlceri curando medicamentis adhibitis conualuit, quæ annis aliquot post peste extincta est.

Guilhelmus Fabritius etiam *Cent.* 2. *obseru.* 38. refert, virum quendam quadragenarium & robustum dolore maximo dextri lateris ad finem costarum notharum laborantem, ad se Lausannam venisse. Cùm verò nullus tumor appareret, sed saltē dolor cum febricula adesset, atque purgantia, fomentationes, cataplasmata, inunctiones, discutientia, resoluentia, & anodyna per aliquot dies applicarentur sine fructu, nihilominus dolor punctorius & pulsatorius circa regionem epatis & peritonæum persisteret, etsi in cute nihil appareret, dolore locum affectum monstrante sectio facta est. Qua peracta pus copiose effluxit. Neque diu post febris, dolor, lipothymia paulò cessârunt. Vlcus tamen propter puris copiam, quæ effluxit, per aliquot menses apertum seruatum fuit. Et optima victus ratione obseruata, & corpore per interualla expurgato, & epate ac partibus nobilibus roboratis, æger sanatus fuit.

Et omnino si pus collectum esse animaduertatur, maturè abscessus aperiendus, ne nimia puris copia colligatur, quæ postea vel periptonæum penetret, & in cauitatem abdominis defluat, aut postea sine vitæ periculo euacuari non possit: cuius rei historiam habet Guilhelmus Fabricius, *cent.* 2. *obseru.* 39. de quodam Viro quadragenario, qui in dextro hypochondrio abscessum immensæ magnitudinis habebat, vt cutis totius ferè lateris ab ilii osse vsque ad costas veras lineamque albam & spinam dorsi puris plena & eleuata esset, cum dolore continuo & magno lipothymiâ, nausea, appetitus & virium prostratione. Vocatus Fabricius ob periculi magnitudinē tumorem aperire recusauit; quod cum postea barbitonsor quidam fecisset, & vomicam aperuisset, maxima puris copia inde effluxit, & dolor quidem aliquomodo imminutus est, sed intra biduum æger exspirauit. Vnde monet Fabricius, vt iuniores chirurgi in magnis abscessibus aperiendis cauti sint, & materiam non confertim, sed sensim & per vices euacuent.

Interdum tamen tumores hi discutiuntur, si non sint inflammatorij. Ita scribit Marcellus Donatus, *de hist. medic. mirab. lib.* 1. *cap.*6. quendam pannorum Textorem senem tumorem indolentem ad tactum supra penem in pube sponte natum habuisse, panis crassitiem æquantē, nullo alio modo ægrum afficientem, quàm quod per initia ægrè vrinam reddebat, quæ progrediente morbo, & augescente tumore quoque suppressa est: sed discutientibus medicamentis ventoso tumore resoluto vrinam liberè excreuit, & sanitati momentaneo auxilio statim redditus, qui prius animam emissurus credere-tur.

CAPVT

## CAPVT VIII.

### *De Spasmo Abdominis.*

*Spasmus abdominis.*

RAri affectus mentionem facit Clarifs.D.Philippus Hechstetterus, *obs.Decad.5.cas.* 1. nimirum spasmi abdominis,dum refert,Iesuitam quendam, habitus sicci oris, corporis hirsuti, temperamenti melancholici, ætatis consistentis,passum esse affectiones spasmodicas abdominis, quarum exortus à musculis abdominis, & finis in diaphragmate & thoracis musculis fuit. Conuulsus quasi thorax spiritum difficilem, sublimem & anhelosum dedit. Aberrabat nonnihil in paroxysmo mens,cum diaphragmati noxa esset;cui cerebrum neruum implantat.Rugitus & murmura in ventre,flatuum copia;hypochondrii passio diuturnior,& inuoluntaria seminis excretio.Cuius affectionis caussa proculdubió fuit flatus vel serosus humor,qui ex hypochondriis ac mesenterio per arterias mesaraicas(hanc enim puto esse commodissimam ex hyponchondriis in hæc loca viam) inter peritonæum & musculorum abdominis spatium erupit, membranasque ac tendines & fibras musculorũ vellicans hanc affectionem excitauit, imò etiam per easdem arterias ad diaphragma & musculos pectoris ascendit. Pectoris enim maximus cum hæmorrhoidali arteria consensus est;cùm truncus,ex quo oritur,à corde descendens in primò statim exortu intestinales ramos propaget.

Similem morbum describit Heurnius, *de morb.capit. cap.*15.Cùm medicinam, inquit, Patauij discebam, vidi adolescentem, cuius intestina totumque abdomen conuellebatur,testesque & vasa spermatica sub osse pubis abscondebantur, rugitus aderat, & tensio hypochondriorum.Frigida huic erat temperies, & ventriculus frigidus erat cum ardore, anhelosus erat à diaphragmate oppresso, ac mente in paroxysmo exuebatur. Præceptores mei adhibebant flatus discutientia, & eos attenuantia, ac ea, quæ euincere potuerunt materiam frigidam, eam coquendo ac purgando; & corroborabant tantùm intestina. Primùm iniectus est clyster ex decocto anethi cum Hiera, melle rosato, & oleo chamæmeli, & deinde decocto agrimoniæ & petroselini præparabatur, & posteà pilulis aureis, aloephanginis purgabatur. Foris oleo rutæ & castoreo inungebatur. Interdum accipiebat vnam pilulam ex castoreo cum syrupo betonicæ, bibebat vinum saluiarum, & ex betonica. Dianisum illi in deliciis erat. Fricabantur crura. *Hæc Heurnius.*

Cùm ergò huius mali caussa in hypochondriis hæreat,rectè conclusum, Iesuitam illũ euacuandum esse melanagogis & phlegmagogis,& flatus discutiẽtia exhibenda, ob saburram in intestinis venis mesenterij, & primis viis hærentem: Musculosa verò & neruosa corpora oleis anodinis & flatus discutiẽtibus demulcẽda, ac eorum contractionem mitigandam esse, & reliqua,vt in affect.Hypochondriacâ, peragenda.

## CAPVT IX.

### *De Abdominis tumoribus.*

*Tumores abdominis.*

INtumescit etiam præter naturam abdomen,cùm eius cauitas interna vel flatu,vel humore, vel alia re id distendente in tumorem attollitur. Id quod accidit secundũ naturam in grauidis; præter naturã verò in mola,falsa grauidatione,vt appellant,in ascite, tympanite, dum vermes in intestinis hærent,eaque in tumorem attollunt.Intumescit etiam quandóque venter,si tumores scirrhosi in mesenterio vel omẽto sint geniti,qui si plures sint, ventrem distendunt atque attollunt, non secus ac in hydropicis & grauidis fieri solet, vnde ægri pro hydropicis vel grauidis falsò habentur.

*Obseruatio cuiusdam tumoris inter peritonæum & musculos abdominis.*

[ Rarum & notatu dignum est, ingentem tumorem ventris à materia non in cauitate abdominis, sed inter peritonæum & musculos abdominis conclusâ ortum fuisse.Fœminæ nimirum cuidam,Mercatoris Dresdensis vxori, ætatis consistentis, venter sensim intumescere cœpit, & intrà quatuor annorum spatium in maximam molem, vt in hydropicis fieri solet, excreuit, vt ipse mense Ianuar. anni 1632. vidi. Ipsa tamen vsque ad modò nominatum tempus lecto non decubuit, sed negotia sua domi & foris satis expediuit,benè comedit,& cætera rectè valuit,& vix ante mortem sex aut octo mensibus lecto decumbere coacta est.Medicorum de hoc tumore variæ fuerunt sententiæ. Alij enim hydropem verum, alij hydropem vteri, alij glandularum mesenterij tumorem esse putauerunt. Omnes tamen suspensos & dubios habuit illud, quòd, vt dixi, adhuc ambulare potuit, cætera non admodum malè valere visa est.Ante obitum tribus septimanis dextrum crus aliquot locis exulcerari cœpit, & ex vlceribus nigra ac fœtida materia cum magno dolore copiosè effluxit.Postquam mortua esset, cutis abdominis in latere sinistro propè vmbilicum sectione aperta est, è qua, cùm tamen perforatum nondum esset peritonæum, magna corrupti & putridi humoris (non aquæ citrinæ, vt in hydropicis fieri solet, sed materiæ fæculentæ) absque insigni fœtore,copia, ad quadraginta ferè mensuras, quarum singulæ ℥xxxij.capiunt, effluxit.Quâ effusâ,& musculis abdominis sectis atque apertis, deprehensum est, humorem illum feculentum inter peritonæum, ( quod à musculis separatum, nulloque in loco musculis adhærere repertum est)& musculos abdominis totum contentum fuisse. Intra verò peritonæum & intestina nihil planè eiusmodi humoris fuit. In musculis abscessus multi satis insignis magnitudinis, numero 26. minoribus non numeratis, quorum maximus trium pugnorum magnitudinem æquabat ferè, reperti sunt. Abscessus tamen vel vlcus in cute nullum fuit, sed omnes abscessus in musculis internis versus peritonæum,excepto vno,qui in ipso peritonæo materiã quadam citrinã repletus visus est.Materia in illis contenta varij coloris erat, alba, citrina, nigricans, mucosa, arenosa, & scirrhosa. Lien primo intuitu saluus & incorruptus videbatur,sed incisione factâ,totus putrilaginosus deprehensus est. Iecur in quibusdam tantùm partibus durum & scirrhosum, maximâ ex parte sanum & saluum erat.In renibus & vtero nulla labes, testiculus dexter planè absumptus, & in materiam putridam tunicâ contentam conuersus erat.In vesicula fellis lapis, ouum columbinum minus magnitudine æquans,inclusus erat.

*Obseruatio de abscessibus in musculis abdominis.*

Obseruaui etiam sæpius aliàs in abdominis musculis tumores abscessúsque generatos fuisse,qui à nonnullis pro viscerum internorum tumoribus habiti & curati fuerunt. Et modum etiam generationis horum tumorum inuenire, non ita difficile est. Cùm enim vasa multa, ad nutritionem musculorum abdominis comparata, extra peritonæum sint, facilè humores excrementitij per eos ad hæc loca deponi possunt.]

*Mola.*

A qua caussa autẽ mola & falsa grauidatio proueniát, quomodo agnoscantur, & curentur, *de morb. mulierum* dicetur.

*Hydrops.*

Quomodo hydrops generetur, & curetur, suo loco dictum.

*Vermes intestinor.*

Qua ratione vermes & alia in intestinis latentia cognoscenda & tollenda sint itidem *suo loco* dictum.

Qua ratione quoque illi scirrhi mesenterij & omenti generentur, de illarum partium affectionibus dictum.

Non esse autem tumorem illum ex scirrhis multis hydropem,vel mulieres non esse grauidas,cognoscitur ex inæquali tumoris duritie,& ex tumoris diuturnitate & longâ perseuerantiâ;cum obseruatum sit,nonnullos sine partium aliarum in ventre inferiore insigni aliquo incommodo ad finem vitæ vsque eiusmodi tumorem gessisse.Quomodo autem hi tumores curandi sint,modo curationem suscipiant,*de affect.p.n.mesent.& omen.*dictũ.

## CAPVT X.

### De Abdominis vulneribus.

HOc loco non prætereunda abdominis vulnera. Abdomen autem vt aliæ corporis partes, cute tegitur: à cute, vt Galenus, *6. meth. med. cap. 4.* docet, medio circiter loco neruea tenuitas musculorum, quàm ἀπονεύρωσιν Græci vocant, gemina tenditur, membranarum ritu, quæ adeò cohærent ac tenues sunt vt difficile sit eos separare: post hos deinceps sunt musculi, sub musculis peritonæum, à quo proxime omnes partes ventris inferioris concluduntur & continentur.

### Differentiæ.

*Differentiæ.* Hinc ergò vulnerum abdominis differentiæ constituuntur. Aliæ enim in ipsam cauitatem abdominis penetrant, vbi scilicet simul peritonæum perfossum est; Aliæ non penetrant, dum nimirum peritonæum integrum est. In vulneribus, quæ penetrant, vel aliquid ex visceribus, per vulnus excidit, vt omentum, vel intestinum, vel nihil excidit. Præterea in vulnere penetrante vel viscus aliquod læsum est, vel viscera omnia salua remanserunt.

### Signa Diagnostica.

*Signa.* An vulnus penetret in abdominis cauitatem, vel non penetret, stylo immisso cognoscitur. Si enim profundius is penetret, peritonæum vulneratum esse, & vulnus in ipsam abdominis cauitatem penetrare indicio est: Cauendum tamen hîc, ne vulnus obliquum sit, & ita stylus immissus inter cutē & musculos, vel peritonæum & musculos longo ductu progrediatur. Vt ergò certi simus, an vulnus penetret, vel saltem obliquum sit, vinum vel alius liquor in vulnus infundendum. Si enim vulnus penetrans sit, liquor in cauitatem abdominis defluit, & non regurgitat per orificium. Si verò vulnus saltem obliquum sit, non verò penetrans, liquor per orificium vulneris regurgitat. Præterea cùm accidere possit, vt etsi vulnus penetrans sit, stylus tamen profundius non penetret, quia viscus aliquod subiacens foramen claudit, aut vulnus obliquum est, & tùm commodissimè vinum infunditur, vt de vulneris conditione certi simus.

An vero viscus aliquod vnum vel plura etiam læsa sint cognoscitur ex ipso viscere per vulnus sese exerēte, & ex signis læso cuique visceri propriis, quæ si absint, nullum viscus læsum esse, indicio est.

### Prognostica.

*Prognostica.* 1. Vulnera abdominis magis periculosa sunt, quæ sunt in medio abdominis, quam quæ ad latera sunt, ob aponeurosin & partem membranosam eius loci, cuius vulnus per se magis periculosum est, quàm in parte carnosa, & sudorem non facilè admittit; atque in hâc parte etiam intestina facilè excidunt, & suo loco ægrè continentur; cùm musculi recti, qui ea continent ac contrahunt, læsa sint

2. Magnum vulnus ita periculosum est, quod intestina facilè excidunt, quæ difficulter postea suo loco restituuntur. Angusta tamen etiam vulnera, si intestina excidant, periculo non vacant. Nisi enim quod excidit, statim in suum locum reponatur, intumescit & inflatur, vt postea per angustum foramen suo loco restitui nequeat. Minus ergò periculosa sunt vulnera, quæ nec nimis angusta sunt.

3. Si intestina vel omentum per vulnus excidat, nisi citò imponatur, inflatur & intumescit, vt postea reponi non possit, vnde ab aëre externo alteratur & corrumpitur & malum sæpè lethale euadit.

### Indicationes & Curatio.

*Indicationes & Curatio.* Abdominis vulnera non penetrantia eandem curandi rationem habent, quàm aliarum partium carnosarū vulnera. De deligatione tamen obseruandum, vt fascia sit longa & lata, & deligatio fiat incipiendo à parte vulneri opposita, & ducendo reuoluendoque duo capita supra vulnus in formam crucis, eademque ducendo reuoluendoque quoties opus. *Modus deligandi vulnera Abdominis.*

Penetrantia verò vulnera, in quibus nullum ex visceribus in abdomine contentis læsum est, curantur etiā vt aliarum partium vulnera; nisi quod in sutura aliquid peculiare obseruandum. Primò enim si intestinum vel omentum prolapsum sit, primò illa reponenda. Si vulnus magnum sit vt intestina per id reponi possint, minister manibus suis totum vulnus extra apprehendere, atque intestina intus reprimere debet, & constringere, ac exiguum semper suendi prænudare. Si verò vulnus paruum sit, vt & intestinum iam inflatum vt reponi per vulnus angustum non possit, intestina ab aëre alterata spongiâ molli vino calēti madida & expressâ calefaciēda; vel animalia viuentia per medium dissecta calentia adhuc intestina applicanda. Quod si nec hoc modo inflatio cesserit, & intestinum reponi nondum possit, vulnus tantùm ampliandum, quantum ad intestinorum repositionem opus est. Accommodatum ad hanc sectionem instrumentum est, quod Græci Συριγγότομον, id est, ad fistulas incidendas aptum, appellant. Situs autem ægri talis sit vt caueatur, ne quod excidit, ab aliis intestinis grauetur. Itaque si in dextro latere vulnus sit, corpus in sinistrum inclinetur, si in sinistro, in dextrum, ita vt vulnerata pars semper altiorem locum occupet.

Si intestina vel omentum non sint prolapsa, vel iam in locum suum reposita, Prima cura iam esse debet, vt vlcus conueniente modo suatur. Tres autem suturæ faciendæ modos proposuit Galenus, *6. meth. med. cap. 1.*

Primus est, si cutem primò traiicias atque acum extra introrsum adigas, quæ vbi cutem & musculum totum transierit, peritonæo, quod ei subiectum, prætcrito per reliquum peritonæum eam ab interno extrorsum trudas atque inde per reliquum abdomen ab interno extra transmittas: quod vbi transmiseris, rursum ab interno introrsum idem abdomen est perforandum, atque vbi ad peritonæum, quod illi subest, perueneris, illud iterū prætereundum atque contrarium ab interno extrorsum perforandum, vnaque cum eo totum ipsi vicinum abdomē. Deinde ab hoc rursum incidendum, atque id cum contrario peritonæo consuendum, ac rursum, vicina cute transmissâ, iterum ab ea parte acus introrsum est iniicienda, consuendumque abdomen id cum contrario peritonæo, etiam ibi vicina cute transmissa. Atque hæc iterum iterumque facienda, donec totum vulnus consutum fuerit. Interuallum inter suturas quod attinet, breuissimum equidem ad viscera in abdomine continenda aptissimum est: verùm ad firmitatem breuitas parùm tuta. Quare excessus vtrobique vitandus & mediocritas eligenda. *Sutura facienda in abdomine modus triplex.*

Secundus modus consuit peritonæum cum peritonæo, & musculos cum musculis, atque ita perficitur. Primùm cutis perforanda, & ab exteriore parte introrsum acus adigenda. Vbi verò ad peritonæum ventum est, eo intacto relicto, & acu ad sinistram manum reuocata rursum ex aduersa parte ab externo introrsus vtrūque peritonæi labium est perforandum, & acu iterum ad dextram manum reuocata ab interno extrorsum abdomen traiiciendum, sicque subinde pergendum, consuendo peritonæum cum peritonæo, & musculos cum musculis.

Tertius modus ille est, quo vulgò ferè in aliis partibus vtuntur, & fit acu vno ictu & impulsu transmissa

per

per quatuor labia, ſcilicet peritonæi & abdominis, quoties opus eſt.

Etſi verò Galenus, & alij etiam ſuturam primam ſecundæ, & ſecundam tertiæ præferunt: tamen non ſine cauſſa monet Hieronymus Fabricius ab Aquapēd. *de operat. chirurg.* quod ſæpenumerò ratio vulneris, aut magnitudo, aut temporis anguſtia non patitur artificiosâ ſemper vti ſuturâ, ſed opus eſt communi modo quatuor labia ſimul conſuere. Præcipit & hoc, vt ſiue hâc ſiue illâ vtamur, perpetuò tamen in ſubſidium ſuturarum glutinum applicemus; quia huiuſmodi ſuturæ in abdomine ſtatim & facilè rumpuntur, cùm propter motum abdominis ferè continuum, qui & in excernendis fecibus, & in reſpiratione neceſſarius eſt, tùm quia abdomen ſubindè modò cibis & excrementis impletur, modò inedia attenuatur, tum tertio propter flatus, qui continuò in abdomine vulnerato excitantur, idque diſtendunt.

## CAPVT XI.

### *De fiſtulis & vſtionibus Abdominis.*

#### *Fiſtulæ Abdominis.*

IN abdomine etiam interdum fiſtulæ, præcipuè ſuper pubis latera, fiunt, cùm in eum locum humores facilius decumbant, at ibi hæreant. Idque accidit poſt vulnera, abſceſſus, ac vlcera. Ac corrumpuntur ſæpe, putredine inficiuntur, ac corroduntur ſimul inteſtina, vt per fiſtulam etiam feces alui egreſſas fuiſſe, compertum ſit, cuius rei exempla ſupra. *part.2.ſect.2.cap.9.* allegata ſunt.

Curatu autem difficiles ſunt iſtæ fiſtulæ, præcipuè ſi inteſtina ſimul affecta ſint. Se tamen iſta vitia omnia & curaſſe, & curata vidiſſe, ſcribit Hier. Fabric. ab Aquap. *de operat. chirurg.* Veruntamen non manu, non ferro non igne, non aliis medicamentis eiuſmodi abdominis & inteſtinorum fiſtulas ſe ſanâſſe ſcribit, ſed ſolis aquis thermalibus, aut Montis ægrotorum, aut Aponitanis, per inſeſſiones manè & veſperi in iis factas, ita vt aqua aut per cannulam immiſſam in cauitatem abdominis ingrederetur, inteſtinorumque eroſiones ſua ſubſtantia pertingeret, & attingendo exiccaret, purgaret, impleret, tandemque cicatricem induceret. Et in thermarum defectu etiam ſulphur, alumen, & ſalem in aquâ liquare & decoquere ac inſeſſiones moliri vtile cenſet.

Fiſtulæ verò abdominis externæ non aliter, quàm inciſione, ſanantur; & quidem ſi fiſtula vnum orificium habeat, vtendum eſt Syringotomo ex altera extremitate acuto, vt finis fiſtulæ perforetur, & totus fiſtulæ meatus diſſecetur, atque aperiatur. Si verò fiſtula plura orificia habeat, ſyringotomo vtendum ex altera parte obtuſo, & exiguum globulum præfixum habente; quo etiam tota fiſtula aperiri poteſt. Eadem tamen apertio etiam fieri poteſt cultro ſiue ſcapello longo, & manubriolum ſimiliter longum habente, qui culter ex vna tantum parte aciem habeat, in extremitate paulùm intus recuruatam, exteriorem verò partem retuſam obtineat, ad cuius cuſpidem ex cera globulum infixum eſſe oportet, quo intus per totum fiſtulæ ductum ſine obſtaculo demittatur.

#### *Abdominis Vſtiones.*

Tandem hanc de abdominis morbis tractationem concludere libet vſtionibus illis, quas in abdomine, hepatis, lienis, & ventriculi cauſſa Antiqui inſtituebant, vt ex Paulo Ægineta, *cap.*47. 48. 49. & Albucaſi, *lib.* 1. *cap.*28. 29. 30. 32. patet. Verùm in deſuetudinem iſtæ operationes venere; cùm non ſaltem doloroſæ valde ſint, & ab ægris vix tolerentur, & id, quorum cauſsâ ab Antiquis inſtituebantur, vix præſtent. Duabus enim de cauſſis iſtas vſtiones inſtituebant, vt nimirum vel intemperiem frigidam & humidam ſubiectorum viſcerum emendarent, vel vt vitioſos humores ex iis euacuarent, quorum tamen neutrum commodè præſtant. Primum enim quod attinet, non conſultum eſt intemperies longâ alteratione contractas tam ſubito corrigere; cum facile contraria intemperies induci poſſit. Præterea exiguum ferramentum intemperiem per totam hepatis ſubſtãtiam diffuſam emendare non poteſt. Et habentur medicamenta ſatis idonea, quæ intemperiem hanc viſcerum emendare poſſunt. Alterum quod attinet, etiamſi vitioſa materia in viſceribus ſubſit: tamen quia viſcera peritonæo non ſunt contigua, per vlcus ferro inductum materia effluere non poteſt. Et in ſpecie quod vomicas hepatis & lienis attinet, quas Antiqui per vſtionem abdominis euacuare volunt; rectè de iis ſcribit Hieron. Fabrit. ab Aquap. *de operat. chirurg.* ferramento candente, acuto inurere cutem & ſubiectos muſculos, & peritonæum, & penetrare vſque ad iecoris vomicam, & ipſam quoque adurere, nihil aliud mihi videtur eſſe, quàm hominem penè mortuum occidere, laudatque non immeritò Præceptoris ſui Nicolai Nouocomenſis Medici Veneti ſententiam, qui in deſperatis caſibus dicere ſolebat, *Satius eſſe ſinere patientes mori, quàm occidere.*

*Abdominis Vſtiones.*

# CONCLVSIO.

HABES ita, Lector beneuole, *libris hisce tribus comprehensa ea, quæ Practici vulgo libris suis tradere solent; sed, vt spero, plenius. Dedi enim operam, ne facilè aliquem alicuius momenti morbum vel symptoma omitterem. Ideóque etsi omnia pro tua exspectatione, vel etiam meo voto elaborare non potuerim: tamen id me puto effecisse, vt iam Locos communes habeas, in quos omnia, quæ vel Autorum lectio, vel praxis atque experientia quotidiana suppeditabit, referre possis. Atque ita meos defectûs supplere tuæ fuerit industriæ.*

*Quia autem Practici plerique in suis libris agunt de Arthritide, neque ea ad eos, qui restant, libros ita commodè referri posse videbatur, Appendicis loco tractatum de Arthritide in præcedentibus editionibus subjungere volui: quod tamen in nouissimâ hac, certis aliquot de causis mutandum duxi, illúmque tractatum quinto potiùs Practicæ libro assignandum. Quæ omnia vt boni consulas, & sicubi lapsus fuero, beneuolè ignoscas, oro. Errare aliquando, accidit omnibus ante me hominibus, & procul dubio omnibus post me accidet. Cur ergo ego me humanâ sorte exemptum cupiam? Aut tu id, quod supra vires humanas est, à me postules?*

*Sequetur iam, si DEVS volet, & vitam ac vires mihi concesserit, Liber de morbis Mulierum.*

NON NOBIS VERO, SED NOMINI TVO, DOMINE, SIT GLORIA.

INDEX

# INDEX RERVM

## Et Verborum II. Tomi.

A

ABDOMEN in aſcite rarò à ſola aquâ diſtenditur. pag. 1051
Abdominis tumores. 1063
Abdominis vulnera. 1064. differentiæ. ibid. ſigna. ibid. Prognoſtica. ibid. Indicationes. ibid. Curatio ibid.
Abdominis fiſtulæ. 1065
Abdominis vſtiones. ibid.
*Abſceſſus* in inteſtinis à diſſenteria differentia. 907
*Abſinthij* vſus in febribus. 105
Abſinthij in melancholiâ hypochondriaca vtilitas. 404
*Abſtemij* cur vocentur. 817
*Abſtinentia* longa, cauſæ aliorum auctorum, cauſa vera. 815. 816
*Aceti* generatio. 989
Acetum ad peſtem præſeruandam. 163
Acetum humori melancholico generando aptiſſimum. 109
Acetum cur topicis admiſcendum 263 ſiccat & vigilias inducit, 264. an ſinapiſmis admiſcendum. 294. eius in affectibus ſoporiferis vſus, 351. ebrietatis remedium, ibid. an melancholicis vtile ſit, 300. eius & acidorum vſus in neruorum affectibus parcus eſſe debet. 453
*Acida* vt acida non adſtringunt. 68
Acida narcoticorum vim infringunt. 353. 507
Acidulatum in affectibus hypochondriacis vſus. 404
*Actio* contagij vnde. 151
Actionis fundamentum in contrarietate conſiſtit. ibid.
Actionum in febri læſio, naturalium, vitalium, animalium. ibid.
*Acus* deglutitæ & per vrinam redditæ. 952
*Aedes* infectæ quomodo mundandæ, 156. quomodo an ſatis mundatæ explorandum. 157
*Ægilops* quid, 569. fiſtula lachrymalis quid, cauſſæ, differentiæ, ibid. ſigna diagnoſtica, ibid. prognoſtica, indicationes, curatio. 570 & ſeqq.
Ægyptiorum ſecretum ad tertianas, nothas & quotidianas. 105
*Aër* ad deferendum contagij ſemina aptus. 149
Aër in febribus qualis eſſe debeat. 55
Aër an peſtilens euadat, 140. quibus modis peſtilentiæ cauſa, ibid. an putredine, 141. quomodo putreſcat, 142. calidus & humidus quomodo peſtem inducat. 141. infeſtus quomodo mundandus. 162
Aër ſcorbuto generando aptus. 993
Aër calidus vt corrigendus, 265. frigidus vt calefaciendus. 270
Æris ſquama. 1056
Æs vſtum. ibid.
*Agaricus* vim alexiteriam obtinet. 421
*Alexipharmaca* ſimplicia. 165
Alexipharmaca in peſte neceſſaria, quem in finem exhibeantur. 135. an omnibus conueniant eadem, calida cautè exhibenda, non exhibenda pueris & grauidis, aceto priùs præparanda, acidis corrigenda, temperata magis accommodata. 174
Alexipharmaca interdum mutanda, ibid. ſæpius exhibenda, 175. an cum purgantibus miſcenda. ibid.
*Alexipharmacorum* in dyſenteria vſus. 913
Αλύκη & ἄλυσμ☉ quid. 845
*Alimentum* duplex. 49
*Alimenta* cur neceſſaria ſint. 815
*Allium* an in peſte conueniat. 161
*Alui* fluxus & differentiæ. 889
Alui fluxus in ſcorbuto. 1004 curatio. 1022
Alui adſtrictio in ſcorbuto. 1004
Alui retentio, cauſæ, ſigna, prognoſtica, indicationes, curatio. 888 & 889
*Amantibus* nullus pulſus proprius. 390
Α'μαύρωσις quid. 578
Αμβλυωπία quid. 578
*Ambra* inſigniter cerebrum roborat. 509
*Amentes* & ſtolidi qui dicantur. 366
*Amor* inſanus vnde dicatur. 388. eius cauſſæ. 389. ſigna diagnoſtica. 390. prognoſticum, curatio, 391. ſi ex ſeminis abundantia & Veneris appetitu ortum habeat, quomodo curatio inſtituenda, cura eiuſdem ſi ex philtris, diæta. 391
*Amuleta* ex arſenico, mercurio & aliis, 164. qua vi agant, & an ſatis tuta. 165
Amuleta in conuulſionibus 468. num in epilepſia proſint. 497. contra dolorem capitis. 532. contra epilepſiam. 483. contra incubum, 472. contra hæmorrhagiam narium. 613. contra ſpaſmum. 467
*Anaſarca*, ſigna, diagnoſtica, 1072. indicationes, curatio, diæta. 1073
Anaſarca an à λευκοφλεγματία differat. 1072
*An* è peſtilenti putredine animalia generentur. 149
*Anchilops.* 569
*Angina.* 655
Angina exquiſita, eius cauſæ, differentiæ, ſigna, prognoſtica, indicationes, curatio, diæta, 655. & ſeqq.
Angina notha, eius ſigna & curatio. 666
Angina à melancholia. ibid.
*Anginæ* epidemiæ. 656
Anginæ è vertebrarum colli luxatione curatio. 666
*Angulorum* oculorum vitia. 534
*Anguſtia* in neruis quot modis fiat. 449
*Anhelitus* in ſcorbuticis. 1005
*Ani* coalitus. 854
Ani procidentia, cauſæ, ſigna prognoſtica, indicationes, & curatio. 867
Ani inflammatio, cauſæ, ſigna, prognoſtica, curatio. 869
Ani tumorum quatuor genera, ſigna, prognoſtica, curatio. 870
Ani Rhagades, differentiæ, cauſæ, ſigna, prognoſticum, curatio. 870
Ani vlcera, cauſæ, ſigna, prognoſticum & curatio. 871
Ani fiſtulæ, differentiæ, ſigna, prognoſtica. 872 curatio. 872
Ani paralyſis & ſtupor, cauſſæ, curatio. 935
Ani pruritus, cauſſæ, curatio. ibid.
Ani dolor, & eius cauſſæ, prognoſticum & curatio. ibid.
*Animalia* in ventriculum irrepſiſſe quomodo cognoſcatur.

ſcatur, curatio. 802
*Animalia* in ventriculo genita quomodo exturbanda. 803
Animalia viua cur ſecuerint veteres. 942
*Annatæ* oculi tunicæ puſtulæ. 555
*Anni* tempus lumbricis generandis idoneum. 859
Anni tempus generationi ſcorbuti conueniens. 994
*Anodyna* in ophthalmia, 548
Anodynorum vſus in dyſenteria. 807
Anodynorum vſus in dyſenteria. 914
*Anorexia* 805. cauſæ, prognoſtica, curatio, 806. diæta. 808
*Antipeleptica* medicamenta ſimplicia. 481. compoſita ibid.
*Antidotus* conuulſiua Nortbergenſ. 480
Antidotus è cancris fluuiatilibus aduerſus morſum canis rabidi. 419
*Antimonium* an in apoplexia locum habeat. 502
Antimonij oleum, flores, pilulæ. 1056
Ἀφαιρεσία quid. 473
*Aperientia* & detergentia medicamenta cur in febribus omnibus vtiliſſima. 45
*Aphoris* 22. ſect. 1. explicatio.
*Aphthæ*, vide *oris vlcera*.
Αφωνία quid. 500
*Apium* an epilepticis noxium. 496
*Apophlegmatiſmi* in affectibus capitis frigid. 292. cautè vſurpandi in iis, qui defluxionibus ad pectus ſunt obnoxij. ibid.
*Apoplecticarum* aquarum vſus in paroxyſ. n. 506. in apoplectico paroxyſmo num vomitoria ſint exhibenda. 514
Apoplectici ante triduum non ſepeliendi. 502
Apoplexiæ nomen. 50. definitio, cauſſæ. differentiæ, 501. differentiæ. 502. à cognatis affectibus, ſigna diagnoſtica in genere, ibid. ſigna cauſſarum, 503. prognoſtica, ibid. curatio in genere 504. venæſectio an, quando, qua in parte inſtituenda. 505
Apoplexiæ pituitoſæ curatio. 505. in hâc cerebrum roborantia medicamenta interna. 507. externa. ibid. diæta. 508
Apoplexiæ à ſanguine ortæ curatio. 508. à vapore narcotico. 508. à cauſſis externis & violentis. ibid.
Apoplexia imminentis ſigna. 509. præſeruatio ab apoplexia, ibid. in quibus conſiſtat. ibid. in apoplexia ſanguinea abſtinendum ab aquis apoplecticis. ibid.
Apoplexia an à ſola intemperie cerebri excitari poſſit. 510. an ſit morbus hæreditarius, 510. an à conſumptione ſpirituum animalium omnimoda fieri poſſit. 511. quæ ſit cauſſa proxima. ibid.
Apoplexia in paralyſin mutatâ cur nihilominus ſenſus interni torpidi, præſertim in ſenibus, maneant. 512
Apoplexia an à ſpiritu ⊖lato exhalationes ad caput adſcendentes coagulante producatur, 512. pueri cur rarò apoplexiâ corripiantur. 513
Apoplexiam an vapor narcoticus excitare poſſit. 513. an vapores ſola commotione humorum excrementitiorum in capite collectorum, apoplexiam excitent. 513. in apoplexia cur principio neruorum affecto interni ſenſus lædantur, 512. num purgantia in apoplexiâ exhibenda, 513. repellentia num conueniant. ibid.
*Appetentia* nimia, cauſæ, ſigna, prognoſtica, curatio, 820. & ſeqq.
Appetentiæ caninæ & lubimi differentiæ. 818
*Appetitus* deiecti differentiæ. 806
Appetitus deiectio in ſcorbuto. 1003
*Apoplexia* ſcorbutica. ibid.
*Aptitudo* corporis ad ſuſcipiendam febrem. 7
Ἀπυρεξία quid. 82
*Aqua* potus in febribus an conueniat, 53. an in febribus ardentibus, 69. in hectica. 104. in ea exhibenda quæ obſeruanda. 54. eam exhibendi modus. ibid.
Aquæ frigidæ intempeſtiuæ potionis incommoda. 17. coctioni reſiſtit, hypochondria inflat. 62
Aquæ frigidæ potus in intermittentibus non conuenit, 54. in ſynochis putridis, 62. aquæ electio, 50. correctio. ibid.
*Aqua* mulſa. ibid.
Aqua D. Doringij ad hydropem pectoris. 728
Aqua pectoralis calida Dorncrelij. 755
Aqua vitæ alba Dreſdenſis. 778
Aqua catarrhalis. 754
Aquæ cordiales compoſitæ variæ. 771. & ſeqq.
Aquæ pectorales, in illarum compoſitione quid obſeruandum. 683
Aqua quâ ratione vorax ſit. 75
Aqua frigida cautè ad ſitim ſedandam eſt exhibenda. 826
Aquarum thermalium in dyſenteria vſus. 920
Aqua quomodo ſit ſcorbuti cauſſa. 993
Aqua in aſcite an vna vice educenda. 1059
Aqua ad vlcera narium & oris. 604
Aquæ antepilepticæ. 483. aliæ ibid. alia D. Caſp. Dornauij. ibid.
Aquæ apoplecticæ. 506
Aqu. apoplectica d. n. ibid. D. Sigiſmund. Kolreuter. 506
Aquæ apoplecticæ num ſtatim in principio conueniant. 514
Aqua articularis, 456. alia, D. Kolreuter, ibid. alia D. Brambachij. ibid.
Aqua carbunculi. 304
Aquæ cephalicæ frigidæ, 262. calidæ. 267. humectantes, 272. aq. cephalica Langij. 266. externa, 294. Theriacalis Quercetan. 267
Aquæ & ſpiritus ad vulnera capitis, Ioh. de Vigo, & Iacob. Carpenſ. 324
Aqua flor. cichorij opthalmica. 547. fragorum opthalmica. ibid. viridis. 555
Aqua hirundinum compoſita, 467. dulcis, acida. ibid. alia. 482. aq. hirundinum Kolreuteri. ibid.
Aqua infuſionis lauendulæ Auguſtin. Schurffi. 267
Aquæ narcoticæ. 344
Aqua ophthalmica D. Andr. Doreri, 582. Imperator. Maximilian. 581. alia ex epate hirci. ibid.
Aqua picarum compoſita. 483. alia. 485
Aqua pœoniæ compoſita, alias *Fluſzvvaſſer* dicta. 483
Aqua roris majalis ſubtilior reliqua aquâ. 402
Aqua Saluiæ compoſita. 455
Aqua Sapientiæ dicta. 370
Aqua Sapphirina. 582
Aqua Socialis dicta. 568
Aqua viſum fortificans. 582
Aqua vitæ rubra Elector Saxon. dicta. 361. duæ aliæ precioſiſſimæ. 335
Aqua in hydrocephalo quo in loco captis contineatur. 339
Aquam è capite quæ euacuant. 339
Aqua calcis vitæ in hydrocephalo. 340
Aqua feruens quare in gyrum moueatur. 364
*Ardentes* febres. 62
*Argenti* viuis vis. 165
Argentum viuum num in lumbricis vſurpandum. 861
Argentum viuum quomodo in colica vſurpandum. 882
*Aromatum* vſus nimius in melancholia hypochondriaca noxius. 405
*Arteriæ* an in affectibus capitis à ſanguine ſecandæ, 276 286. earum apertio aliquando prodeſt. 359

Arteriarum mesaraicarum vsus. 944
Arteriaca medicamenta. 673
*Asari.*
in quartana vsus. 115
*Ascitæ* natura, caussæ. 1048. differentiæ, signa. 1052. prognostica. 1053. indicationes. 1054. curatio. 1055
Ascitæ materia vbi colligatur. 1048
Ascites à colliquatione, diæta. 1061
Ascites an solo hepate læso generetur. 1062. quæ caussa prima sit serosi humoris in ascite. 1064. qualis sit in ascite dispositio ob quam vitiosus sanguis generatur. ibid.
*Asperæ* arteriæ angustia, eius causa, signa, prognostica, curatio. 673
Asperæ arteriæ asperitas, eius signa & curatio. 672. & seq.
Asperæ arteriæ intemperies. ibid.
Asperæ arteriæ vulnera & vlcera, causa, signa, prognostica, curatio. ibid.
Asperarum arteriarum angustia, caussæ, signa, prognostica. 681. indicationes, curatio secundum causarum diuersitatem variâ. 682. diæta. 684
*Asthma*, eius caussæ. 738. differentiæ. 739. signa, caussarum signa, prognostica. 740. Indicationes, curatio tempore paroxysmi, extra paroxysmum. 741. diæta. 744
Asthmatis à tuberculo, calculo, vel grauedine curatio. ibid.
*Astrologorum* de peste prædictiones. 140
*Astrorum* concentus & chorea Pythagor. ibid.
Ἀσκάριδες quid. 857
*Atram* bilem in capite quæ præparant. 301. eandem è capite quæ purgant. ibid. purgantibus semper admiscenda humectantia. ibid.
*Atrophia* in scorbuto. 1009. curatio. 1024
*Auditus* debilitas an sit caussa tinnitus. 594
Auditus grauis. ibid. caussæ. ibid. caussarum signa. 595. prognostica. ibid. indicationes. 596. curatio. ibid. diæta. ibid.
Auditus instrumentum proximum. 597
Auditorij meatus morbi. 598
*Aura* & halitûs venenati. 143
Auribus immissa cerebrum calefaciunt. 270
Auribus aqua illapsa quomodo educenda. 593
Aurium dolor, caussæ. 600. signa diagnostica. ibid. caussarum, prognostica. 601. indicationes & curatio. ibid.
Aurium doloris caussa an sola intemperies calida esse possit. 600
Aurium excrementa p.n. & fluxus. 601. curatio. 602
Aurium fœtor. 592
Aurium inflammatio, caussæ, signa diagnostica, prognostica. 590. indicationes & curatio. ibid.
Aurium intemperies cum bile. 588. caussæ, signa diagnostica, curatio. 589
Aurium intemperies frigida & humida cum pituita. 588
Aurium intemperies frigida sine materia. ibid.
Aurium membranæ morbi. 598
Aurium sonitus diuturni causs. 595
Aurium sonitus, tinnitus, & sibilus an differant. 594
Aurium tinnitus quid. ibid. subiectum, caussa proxima. ibid. an eius caussa sit sensus acumen. ibid. differentiæ, signa diagnostica. 595. prognostica. ibid. indicationes & curatio. 596. diæta. ibid.
Aurium vlcera, caussæ. 591. differentiæ, signa diagnostica, prognostica. ibid. indicationes & curatio. 502
Aurium vlcera antiqua. ibid. horum curatio. ibid.
Aurium vlcus fistulosum. ibid.
Aurium vulnera. 593
in Auribus excrescentis carnis remedia. 592
in Aurium curatione regulæ obseruandæ. 600
Aurum ignitum in potu extinguendum. ibid.
Aurum vitæ. 1057


B


B*Albi* cur alui profluuio maximè corripiantur. 902
*Balbuties.* 618
*Balneum* an in hydrophobia conueniat. 420
Balneum an in ophthalmia vtile sit. 550
Balnea artificialia in Paralysi. 457
Balneum an conueniat in Ephemera. 14. an in ardentib. 66. aqu. frigidæ an in Synochis putridis. 62
Balneorum mentio apud antiquos patres. 129
Balneum Ægyptiorum è lacte dulci tepido. 129
*Balsama* apoplectica. 507. 510
Balsamum antiparalyticum Guidon. de Cauliaco. 457
Balsamum artificiale ad vulnera cerebri. 328
Balsama cephalica calida. 269
Balsamum somniferum. 346
*Bilis* quomodo concoquenda. 44
Bilis & insaniæ sedes à Democrito quæsita. 954
Bilem in capite præparantia. 287. purgantia. 288. particulariter euacuantia. ibid.
*Blæsitas.* 968. caussæ. ibid.
*Boli* pituitam è capite purgantes. 290
*Botallus* in sanguine emittendo audacissimus. 31. eius opinio reiicitur. 33
*Bronchocele*, eius curatio. 671
*Bubones* an pestis signum perpetuum. 154. an omnes sint pestilentes. ibid.
Bubonum curatio per vesicantia. 176. scarificatio. ibid. maturantia. ibid. an semper maturatio in iis expectanda. ibid. non in omnibus infectis apparent. 155
*Bufonis* siccati vsus. 178
*Bulimus* quid. 818. caussa. 819. curatio. 820
*Buxi* folia in mania. 411


C


C*Achexia*, caussæ, signa 1046. prognostica, indicationes, curatio. 1047. diæta. 1048
*Cachecticus* puluis. 1047
*Cacochymia* an venæsectione tollatur. 31
*Cæcitas* subitanea in scorbuto. 1003
*Cepæ* an in peste conueniant. 162
*Calculi* in pulmone geniti. 689. eorum caussæ, signa, prognostica & curatio. 690
Calculi hepatis. 1040
Calculus renum, caussæ. 1081. differentiæ, signa. 1084. prognostica, indicationes & curatio. 1085
Calculus vesicæ, caussæ, signa. 1098. signa, prognostica, indicationes & curatio, an per medicamenta calculum frangentia tolli possit. 1099
Calculi è vesica extractio. 1101
Calculum vesicæ extrahendi modus Francisc. Rousset. ibid.
Calculus oui gallinacei magnitudine à fœmina quadam excretus. ibid.
Calculos quandoque in capite nasci. 308
*Calidi* natiui & præternatur. differentia. 2
Calidum innatum qua ratione febris subiectum. 5
*Caligo* oculorum. 578
*Calor* febrilis quis. 5. à febri differt. 6. quãdo καταχέειν, quando καθ' ἕξιν partibus inesse dicatur. 4
Calores specie distincti an in febricitantibus reperiantur. 2
Calor nocturnus in scorbuto. 1005. eius curatio. 1023

# Index Rerum,


*Calx* viua aquâ perfuſa loca infecta mundat. 156
*Camphora* & Camphorata medicamenta quibus non conueniunt. 174
Camphora in peſte reliquorum medicamentorum vehiculum. 175
Camphoræ temperamentum. 266. per accidens refrigerat, vigilias excitat, caput grauat. ibid. in capitis affectibus bilioſis cautè vſurpanda. 288
*Candela* ſebacea vomitu reiecta. 874
Candel. pro fumo in peſte. 164
*Cancri* pro phthiſicis quomodo coquendi. 130
*Canes* frequentius quàm alia animalia in rabiem agi. 416. rabidi quibus ſignis dignoſcendi. 417
*Cantharides.* 1058
Cantharides in palpitatione cordis veſicatoriis non admiſceantur. 776
*Caput* ad ſeri in reliquum corpus diſtributionem facit. 997
in Capitis curatione quæ obſeruanda. 261
Capitis conſenſus cum ventriculo. 278. vnde ille. 537. cum vtero. ibid. cum inteſtinis, liene, renibus. 278. diaphragmate, partibus externis. ibid.
Capitis per conſenſum ventriculi affecti curandi ratio. 279
Capitis dolor. 530. cauſſæ. ibid. quandoque vermes & calculi eius cauſſæ. ibid. differentiæ. 531. ſigna diagnoſtica. ibid. ſigna doloris à vermibus. ibid. ſigna doloris capitis ex vrina. ibid.
Capitis dolor per eſſentiam. 530. huius ſigna. 531. prognoſtica. 532. indicationes, curatio. ibid. diæta. 533. per conſenſum. ibid. ſigna. 534
Capitis doloris curatio ab intemperie. 533. à calore Solis, à caſu vel percuſſione. ibid. ab ebrietate. 533. à vermibus. ibid.
Capitis dolor ſi à ventriculo, in anteriore, ſi ab vtero, in poſteriore parte magis percipitur. 530
Capitis figura optima quæ. 304. vitioſa. ibid. vitioſæ cauſſæ, ſigna diagnoſtica, prognoſtica, indicationes & curatio. 305
Capitis magnitudo vitioſa. 309
Capitis vulnus nullum contemnendum. 312
Capitis vulnera patente membranâ quomodo curanda. 324
Caput ad ſeri diſtributionem in totum corpus multum facit. 516
Caput calefacientia fortiora tutius in intemperie cum materia, quàm in nuda adhibentur. 266
Caput ab odoribus repletum quomodo curandum. 282. à vaporibus metallicis affectum quibus curetur. 283
Caput & Cor roborantia in melancholia. 261. eidem nocentia. 299
Caput quomodo cum omnibus ferè partibus conſenſum habeat. 530
Caput quot modis euacuetur. 275. commodius per palatum quàm per nares. ibid. euacuantia. 291. calefacientia & roborantia. 294
*Carbunculus* quid. 906
Carbunculi non peſtilentes. 154. peſtilentes. ibid. ſunt omnes maligni. ibid. non in omnibus infectis apparent. 155. Curatio. 176
*Cardialgia* in febribus. 215
*Cardui* benedict. pulu. Extract. ⊖, aq. Syrup. vſus in quartanâ & aliis febribus longis. 115
*Cari* nomen, definitio, cauſſa proxima 498. differentiæ, ſigna diagnoſtica. ſigna cauſſarum. 499. prognoſtica. ibid. indicationes, curatio. ibid. diæta. 500
*Carnes* febricitantibus an conueniant. 50
*Caruncula* in pulmonibus genitæ. 690. earundem curatio. ibid.
*Caſtorei* in conuulſionibus vſus externus & internus. 467. 468. purgantibus in conuulſionibus admiſcendum. 467. efficax & potens eſt in calefaciendo cerebro. 266
*Catalepſis.* 473. definitio. ibid. cauſſæ. ibid. ſigna diagnoſtica, prognoſtica. 474. 475. indicationes, curatio, diæta. ibid. in ea an ſpiritus illi, qui ſenſui & motui inſeruiunt, an verò qui ſenſibus internis, an verò omnes ſpiritus animales congelentur. 472
*Cataphora*, vide *Coma*.
*Cataracta.* 564
*Catarrhus* quid. 516. eius nomen bifariam ſumitur. ibid. generaliter & ſpecialiter acceptus quid. ibid. cauſſa eius proxima. 517. huius qualis materia, quibus de cauſſis generetur. ibid. vnde moueatur. ibid. ad quas partes fluat. 518. per quas vias. ibid. eius differentiæ. ibid. ſigna diagnoſtica. ibid. prognoſtica. 519. indicationes & curatio. ibid. in catarrho partem primariò affectam inueſtigandi ratio. 518
Catarrhi calidi curatio. 520. in catarrho calido an cerota & emplaſtra è fimo columbino & thapſiâ conueniant. 522
Catarrhi frigidi curatio. 520. in præparantibus & purgantibus quæ obſeruanda. ibid. particulariter euacuantia an tutò in omnibus catharris adhiberi poſſint, & quid in eorum vſu notandum. ibid.
Catarrhum cum impetu fluentem ſiſtendi ratio. 522. incraſſantibus quando vtendum. ibid. partes eum ſuſcipientes quomodo roborandæ. 524. partium catarrho materiam ſuppeditantium quomodo habenda ratio. ibid.
Catarrhi ſuffocatiui curatio. ibid.
Catarrhi epidemij hiſtoria. 209
Catarrhi cum ſputo ſanguinis curatio. 689
Catarrhorum ſeptem differentiæ. 730
Cauſ. ibid. Curatio. 210
Cauſus ſeu febris ardens. 62
Cauſi nomen quot modis vſurpatur. 63
Cauſus propriè dictus duplex. ibid.
Cauſi ſigna. 63. Prognoſtica. ibid. Curatio. ibid. Ægyptior. ad cauſos medicamentum. 68
*Cauteria* ſuturæ coronali an applicanda. 277. quo in loco applicanda pro reuulſione à capite. 279. eorum in melancholia vſus. 302. in apoplexia. 507
*Cephalæa* & hemicrania. 533. cauſſæ, curatio. 534
*Cerebrum* tripliciter conſideratur. 366. facilè noxam percipit. 263. ei tutius calefacientia quam refrigerantia adhibentur. 265. in eius morbis calidis ſaccharo albiſſimo vtendum. 264. ad actiones ſuas principes exercendas certum caliditatis & humiditatis gradum requirit. 366. occultæ qualitates ipſi non denegandæ. ibid. qualis eius requiratur conſtitutio ad operationes mentis. ibid. in apoplexiâ quæ illud roborent. 506
Cerebri p.n. affecti ſigna. 261. an per ſe, an per conſenſum afficiatur. 274. ſigna à flatu affecti. 275. ab humore affecti. ibid. à ventriculo per conſenſum affecti. 278. ab vtero, hepate. ibid. liene, corde, pulmone. 279
Cerebri excrementa. 514. 526. horum qualis ſit materia. 514. à quibus cauſſis generentur. ibid. per quæ loca euacuentur. ibid. quas affectiones pariant. ibid.
Cerebri cocti canis vſus in mania. 411
Cerebri gallinarum in vulneribus capitis vſus. 328
Cerebri leporis in Paralyſi vſus. 455
Cerebri commotio. 309. eius cauſſæ. 310. ſigna diagnoſtica. 309. prognoſtica. ibid. indicationes, curatio. 310. diæta. ibid.
Cerebri meatuum anguſtia, cauſſæ. 305. 306. ſigna diagnoſtica. 306. prognoſtica. ibid. eius curatio à vapore. ibid. à carbonum fumis. 307. à pituita, à ſanguine, à cranij compreſſione. ibid.
Cerebri vulnera an omnia ſint lethalia. 327
*Cereuiſia* quomodo ſcorbuti cauſa ſit. 993
Cereuiſia an & qualis in febribus conueniat. 54


*Cerota*

*Cerota* & emplaſtra cephalica. 264
Cerotum Montagnanæ. 521. Vigonis 312. eiuſdem de minio. ibid.
*Chalybis* in obſtructionibus hypocondriorum vſus. 404
*Chatabitum.* 379
Χήμωσις curatio. 549
*Chorea* S. Viti. 423. eius cauſſa humor malignus tarantulæ veneno ſimilis. ibid.
*Cibi* exhibendi quantitas. 51. qualitas. 52. tempus. ibid. an in ipſo Paroxyſmo cibum exhibere liceat. 53
Cibi hecticis ſæpius exhibendi. 130
Cibi inſalubres an ægro concedendi. 117
Cibi praui an ad febrium malignarum generationem faciant. 183
Cibi & potus dyſenteriam excitantes vt & fructus autumnales. 904
Cibi ad calculum generandum apti. 1083
Cibi in coctione rarefiunt & ſpiritualcunt. 985
Cibi ſcorbuto generando apti. 993
Cibi craſſi an calculum generent. 1088
*Ciliorum* mollities, 542. cauſſa, curatio. ibid.
Ciliorum φαλάγγωσις 541. cauſſæ, curatio. ibid.
Ciliorum vitia, 542. pediculi, 541. cauſſæ, ibid. prognoſticum, curatio. 541
*Circumcidendi.* 1132
*Cirſocele.* 1126
*Chalybis* vſus in affectione hypochondriaca 978. doſis, quando vſurpandus. 979
Chalybs in obſtructione hepatis quomodo præparandus. 1032
Χορδαψὸς quid. 873
Chyli craſſiores partes à liene attrahuntur. 985
*Clyſteribus* quando & qualibus vtendum. 290
Clyſteres & ſuppoſitoria vomitu reiecta. 873
Clyſteres acres in apoplexiâ, 504. non ſolum ex primis viis euacuant, ſed & à membris principalibus & cerebro humores verſus infetiora trahunt. 289
*Coaltern.* febres. 118
*Cochlea* in hecticâ febri quomodo vſurpand. 130
Cochlearum in hydrocephalo vſus. 340
*Coctio* humorum quid. 43. non in omnium morborum principio neceſſaria. 43. ſolius naturæ opus. 44. à digeſtione an differat. 45. in intermittentibus qualis eſſe debeat. 46. Medici in coctione humorum officium. 44. concoquentia ſeu digeſtiua medicamenta. ibid.
Coctionis primæ errata non corrigi in ſecunda. 398
*Cæcitas* & viſus debilitas, 578. cauſſæ. 579. ſigna cauſſarum, 581. prognoſtica, curatio. 581
Cæcitas ex ſcabie, affectu hypochondriaco. 579
*Cælum* an peſtis cauſa. 142. à cœlo tam corruptio, quàm generatio prouenit. ibid.
Cœliaca affectio, cauſæ, 890. ſigna, Prognoſtica, curatio. 891
*Colicus* dolor inteſtinorum, cauſæ, 876. ſubiectum, differentiæ, ſigna, prognoſtica, 877. indicationes, curatio. 878
Colici & nephritici doloris diſcrimen. 877 & 1085
Colico dolori vteri dolor eſt cognatus. 877
Colica à flatibus & excrementis retentis, ſigna, prognoſtica, indicationes, curatio, diæta. 879 & ſeqq.
Colica ab inteſtinorum contorſione, conuolutione, ac compreſſione. 880
Colica à vermibus. 882
Colica ab humoribus craſſis & viſcidis, ſigna. ibid. prognoſticum, indicationes, curatio, diæta, 883
Colica ab humore acri & ſcorbutico, ſigna, prognoſtica, indicationes & curatio, 884. diæta. 885
Colica Auſtriæ, Morauiæ & Franconiæ familiaris. 884
Colica ab inflammatione inteſtinorum, ſigna, prognoſtica, indicationes, curatio. 885
Colicus dolor fit plerumque in ſiniſtro latere. 886
Colicus dolor & arthritis per quas vias in ſe inuicem tranſmutentur. 945
Colicus dolor cur in paralyſim mutetur. 945
*Colliquatio* quid. 207
Colliquatio peſtilentibus febribus familiaris. 207
Colliquatiuæ febres. ibi.
*Collyria*, 548. in his quid obſeruandum, 553. Foreſti, 554. Palmarij. 568
*Color* faciei in ſcorbuticis. 1005
*Coma* & cataphora. 352. nomen. ibid. definitio, cauſſæ, ibid. ſigna diagnoſtica, prognoſtica, ibid. 353. & indicationes curatio. 353
Coma vigil. 423. eius natura, differentiæ cauſſæ, 424. ſigna diagnoſtica, prognoſtica, indicationes & curatio. 424
*Communicantes* febres. 118
*Comitat.* febres quæ, an abſque putredine oriantur, 77. curatio. 79
*Compoſitæ* febres. 117
Compoſitarum febrium ſigna, curatio. 119
Compoſitionis modi. 118
*Compreſſio* meatuum cerebri eiuſque cauſſæ. 306
*Confectio* capitalis D. Gaſpar. Kegleri. 360
Confectio anacardina ad roborandam memoriam caute exhibenda. 369
Confectio Hamech in melancholia non ſatis commoda. 394
Confectio Alkermes magnam efficaciam cor roborandi & exhilarandi obtinet. 396
*Conformatio* capitis vitioſa ingenio & memoriæ obeſt. 269
*Confuſæ* febres vnde & an dentur, differunt à nothis. ibid.
*Congelatio* à frigore byberno diuerſa à catalepſi. 474
*Conſeruæ* cephalicæ calidæ, 268. refrigerantes. 263. humectantes. 272
*Conſtrictio* potorum cutis quomodo febris cauſa. 7
Contagium quid ſignificet, vnde dictum. 145. eius definitiones variæ, authoris definitio. 146. quomodo ſimilis affectionis productio fit. ibid.
Contagij vis etiam in minima mole ibid. ſeminium. 147. etiam in fomite vias ſuas retinet. 149
Contagij differentiæ. 152
Contagium immediatum, mediatum. ibid.
Contagium an ſit de peſtis eſſentia, 138. an aliquandiu diliteſcere in homine poſſit. 150
Contagij ſemina an veſtibus ſine noxa circumferri poſſint, ibid. an in muris, parietibus, monetâ deliteſcant. 149
Contagium cur conſanguineis magis infeſtum 152. peculiarem corporis diſpoſitionem requirit, in quo ea conſiſtat. 151
Contagium quomodo ſit ſcorbuti cauſa. 994
Contagioſum quid. 146
Contagioſæ materiæ origo. ibid. ad contagium quæ requirantur, ibid. vtrum corpora viuentia an verò cadauera magis contagioſa ſint. 148
Contagioſi morbi an magis maligni, an ſolum putredine generentur, non tam putredine, quàm fermentatione generantur, 147. qua vi agant, quomodo diſſeminentur. 148
*Continuarum* & intermittentium febrium materia non multum differt. 84
Contin. periodic. febres. 65. earum cauſa, an in primis viis conſiſtere poſſit, ſigna. 66 differentia à continentibus & intermittentibus. ibid.
Continuitatis & periodorum cauſa. ibid.

*Contractio* membrorum in ſcorbuto. 1002
*Contrafiſſura* cranij. 316. 329. quo loco fiat. ibid. ſigna. 317. prognoſtica. 319. curatio. 321
*Contrarietas* inter res naturales eſt, non ſimpliciter mala. 142
*Contuſio* capitis. 311. cauſſæ, prognoſtica, indicationes & curatio. ibid.
Contuſio capitis puerorum. 312. cranij. 315. eius ſpecies. ibid.
*Conuulſi* an aqua frigida perfundendi. 467
Conuulſio & diſtentio non differunt. 461
Conuulſio & motus conuulſiui differunt. ibid.
Conuulſiui motus in epilepſiâ quis author. 494
*Conualeſcentes* vt regendi, ad plenam ſatietatem edere non debent. 70
*Conuulſio* ſcorbutica. 1002
*Cor* an in peſte per conſenſum ſaltem patiatur. 133. caloris febrilis fons. 5
Cordis leporini in quartana vſus. 116
Cordis palpitatio in ſcorbuto. 1003
Cor refrigerantia medicamenta. 763. interna. ibid. externa. ibid.
Cordis intemperies calida. ibid. eius cauſſæ. ibid. ſigna, prognoſtica & curatio. ibid. diæta. 770
Cordis intemperies frigida. 763. eius cauſſæ, ſigna, curatio. ibid.
Cordis intemperies humida. 765. eius cauſſæ, ſigna, & curatio. ibid.
Cordis intemperies ſicca, eius cauſſæ, ſigna, & curatio. ibid.
Cordis motus an pendeat à facultate animali. 773
Cordis palpitatio. 766. eius definitio. 767. cauſsæ. ibid. differentiæ, ſigna. 768. prognoſtica, indicationes. ibid. diæta. 770
Cordis palpitationis à flatu & vapore curatio. 769
Cordis palpitationis ab humore curatio. ibid.
Cordis palpitationis ab humoribus aliunde tranſmiſſis curatio. 770
Cordis palpitatio à vermibus. ibid. à ſpirituum defectu. ibid. calore nimio febrili. ibid.
Cordis ſubſtantiæ morbi. 765
Cordis Tabes. 766. ſitus mutatus. ibid. vulnera. ibid. apoſtemata & vlcera. ibid.
Cordis ventriculi ſiniſtri defectus. 765
Cor hirſutum. ibid.
Cor moleſtantes cauſsæ. 667
Cor calefacientia medicamenta. 763. interna, ſimplicia compoſita. ibid. & ſeqq. externa ſimplicia. 764. compoſita. ibid.
*Coriandrum* an ad ſupprimendos vapores è ventriculo adſcendentes vſurpandum. 283
*Corneæ* tunicæ vitia. 534. cancer. 558. cauſſæ, ſigna diagnoſtica. ibid. prognoſticum, curatio. ibid.
Corneæ colores vitioſi, leucoma ſeu albugo, cauſſæ. 554. differentiæ, ſigna diagnoſtica, prognoſtica. ibid. indicationes, curatio. 555. topica. ibid.
Corneæ & annatæ puſtulæ. ibid. cauſſæ. 556. ſigna diagnoſtica. prognoſtica, indicationes. ibid. curatio, topica. ibid. diæta. ibid.
Corneæ puſtula ab vueæ procidentia quomodo diſcernatur. 556
Corneæ & annatæ vlcera. 557. cauſsæ, differentiæ. ibid. ſigna diagnoſtica, prognoſtica, indicationes ibid. curatio ibid. diæta. 558. ſub cornea pus. 561. cauſsæ, ſigna diagnoſtica, curatio. ibid.
Corneæ craſſities. 554. cauſſæ, ſigna diagnoſtica, prognoſtica, curatio. ibid.
Corneæ vſus. ibid.
*Cornu* cerui vſtum an nullarum vitium. 189
Cornua in dorſo. 732
*Cortic.* ſambuci & fraxini vſus in peſte. 174
*Coryza* quid. 516
*Coſtarum* luxatio. ibid. eius ſymptomata & curatio. ibid.
Coſtarum fractura. ibid. eius ſigna. ibid. prognoſtica, curatio. ibid. diæta. 733
Coſtarum numerus vitiatus. ibid. tumor. ibid.
*Cotyl.* fœtid. vſus. 178
*Cranij* vulnera ſine meningum & cerebri læſione. 314
Cranij fractura cute integrâ manente. 325. an in ea cutis ſecanda. 331
Cranij caries. 333. ſigna diagnoſtica, prognoſticum, curatio. ibid.
Cranio denudato quæ medicamenta imponenda. 314. pinguia non imponenda. 322
Cranium in fracturis quomodo radendum. 322. quomodo aperiendum, 323. quo in loco aperiendum. ibid. quando aperiendum. ibid. fiſſum an ſtatim & ſemper radendum. 330
*Crapula* & ebrietas maximæ ingenij & memoriæ peſtes. 368
*Cremoris* ex auena vſus in febribus. 50
*Croci* ♂ in dyſenteria vſus. 930
Crocus metallorum. 1056
*Cruditas* quid. 40. eſt duplex. in febribus eſt velut quædam humorum ebullitio. 44
Crudi humores tantum in venis conſiſtunt. 40
Cruditatis nidoroſæ & acidæ remedia. 280
*Cryſtallini* humoris vitia. 534. 572. eius effluxus. 572. ſitus mutatus. 573. ſoluta continuitas. ibid.
Cryſtallinus humor an tenuior fieri poſſit. ibid. an maior vel minor. ibid.
Cryſtalli vſus. 68
*Cucurbitulæ* in affectibus capitis cui loco applicandæ. 286. in apoplexia quibus partibus applicandæ. 505. earum cum ſcarificatione vſus in conuulſione. 466. in apoplexia. 505
*Cur* pueri magis calculo veſicæ, adulti verò calculo renum ſint obnoxij. 1083

## D

*Δαπύτης* palpebrarum quid. 279
*Decocta* cephalica calida. 267. humida. 272
Decoctum fœnigræci in ophthalmia. 597
Decoctum ligni Guaiaci in affectibus capitis. 291. ſingulare ſudoriferum in epilepſia. 481
*Defenſiua* in vulneribus capitis. 325
*Deglutitio* læſa, cauſæ, ſigna. 784. prognoſtica, curatio. 785
*Deiectiones* alui nigræ quid, quotuplices. 934
Deiectionum alui cruentarum differentia. ibid.
*Delirium.* 375. eius cauſſa proxima. ibid. differentiæ. 374. delirium ſimplex. ibid. quas habeat cauſſas. ibid. ſigna diagnoſtica, prognoſtica. 375. indicationes & curatio. ibid.
Deliria in ſcorbuto. 1003
*Democritus* quam bilem quæſiuerit. 954
*Dens* aureus pueri Sileſij. 640
Dens quomodo ad extractionem præparandus. 638
Dentes canini elapſi non renaſcuntur. 634. maiores nunquam excidunt. ibid.
Dentes in palato enati. 634
Dentes non extrahendi niſi vacillent. 632
Dentes ſine violentia euellendi ratio. ibid. in extractione dentium quædam obſeruanda. ibid.
Dentes ſordidi, cauſſa, curatio. 635. & 639
Dentes ſoli ex oſſibus extra alueolos prominent. 630
Dentium caſus. 633. eius cauſſæ. ibid. ſigna, prognoſtica, curatio. 634
Dentium connexio inter ſe cum maxilla. ibid.
Dentium corroſio & caries, eius cauſſæ. ibid. curatio. 631
Dentium dolor. 634. eius cauſſæ. ibid. ſigna, prognoſtica.

ftica.635.indicationes & curatio.ibid.diæta. 636
Dentium dolorem à proprietate fiftentia. 637
Dentium elongatio. 632
Dentium fiftulæ. 631
Dentium imminutio. 632
Dentium mobilitas & vacillatio,eius caufa interna,externa,violentia,& curatio. ibid.
Dentium numerus auctus. 634
Dentium fitus vitiatus. ibid.
Dentium fordes ac tophi. 635
Dentium ftridor, eius caufa, prognoftica, curatio. 639. & feq.
Dentium ftructura fucata. ibid.
Dentium ftupor, eius caufa, curatio. 639
Dentium vfus. 630
Dentium vltra 63. annum ætatis renatorum hiftoria. ibid.
*Depreffio* cranij fine fractura.310. cauffæ,figna,curatio. ibid. cum fractura. 316
*Deriuantia* materiam è capite. 279
*Deus* an fine caufis fecundis peftem inducat. 139
*Diabolus* melancholiæ fe admifcens quibus cognofcendus. 393
*Diabutyrum* Bened.Victor.Fauentini. 743
*Diabetes*. 1094. cauffa.1096. figna,prognoftica, curatio. 1095. vrinæ admirandum pondus à quodam Diabete laborante excretum. ibid.
*Diacydonium* purgans in maniâ. 411
*Diæta* quid, eius in febribus neceffitas. 49
*Diaphoret*.in febrib.malign. 187
*Diaphragmatis* vulnera an fint fanabilia. 703
Diaphragmatis inflammatio,eius figna,prognoftica, & curatio. 702
Diaphragmatis tumores frigidi, figna, prognoftica & curatio. ibid. diæta. 703
Diaphragmatis vulnerati in ftudiofo Liuono VVittebergæ hiftoria. 703
*Diaprun*.lenit.commodiff.in acutis febribus. 67
*Diarrhœa*,cauffæ, figna, prognoftica, indicationes. 894. curatio. 895
Diarrhœa à toto cum febre prognoftica, curatio. 896
Diarrhœa à toto fine febre. 897. figna,prognoftica,indicationes, curatio. 898
Diarrhœa ab humore ferofo quomodo producatur. ibid.
Diarrhœa à ventriculo, figna, prognoftica, curatio. 899
Diarrhœa à vermibus. ibid.
Diarrhœa ab hepate & biliofo humore, figna, prognofticum, indicationes, curatio. 900
Diarrhœa à liene & humore melancholico, figna,prognoftica,curatio,diæta. 901
Diarrhœa ab vtero. ibid.
Diarrhœa à cerebro. ibid.
Diarrhœa infantium,quibus dentes erumpunt. 902
Diarrhœa ab hypercatharfi & veneno fumpto. ibid.
Διάθεσις τ̃ καρδιακῆς. 845
*Diafcord*.Fracaftor.vires & vfus. 174
*Diatrion* pipereon an conueniat in eruditate. 15
*Differentia* inter famem & cardialgiam. 847
Differentia inter dolorem lienis & renis finiftri. 959
Differentia doloris ventris fcorbutici à colico. 999
*Difficilis* refpiratio & pectoris Anguftia in fcorbuto. 997
*Diuretica* in dyfenteria quæ exhibenda. 913
Diuretica in hydrope pectoris vtilia funt. 727
Diuretica an in melancholia hypochondriaca conueniant. 401
*Dolor*, eius fubiectum. 527. quomodo fit deprauata actio. ibid. cauffa proxima. 528. cauffæ mediatæ. ibid. differentiæ. ibid. figna diagnoftica. 529. indicationes & curatio. ibid. per anodyna, narcotica. ibid. Num omnis intemperies dolorem inducat. 528. qui dolores periculofiores. 531
Dolor oculorum. 560. eum mitigantia. 561
Dolor infantium dentientium. 638
Dolores varij in fcorbuto. 999
Dolor ventris fcorbuticus quomodo generetur.ibid.curatio. 1021
Dolores hepatis,curatio,diæta. 1074
Dolor Nephriticus. 1001. & 1096. cauffæ, figna, prognofticum, curatio. 1097
*Dracunculi*, eorum caufa,figna,curatio. 731
*Dulcia* ad vermes generandos an faciant. 859
Dulcia facilè in bilem mutantur. 287. lieni non facilè conueniunt. 402
*Duramater* quandoque aperienda. 323. quo loco, quo tempore aperienda. ibid. in eius corruptione quæ vfurpanda. 326. eius contufio.327. vulnera.ibid.huic denudatæ an ficcantia,an verò humectantia medicamenta imponenda. 330
*Dyfenteriæ* nomen. 859. definitio. 902. fubiectum feu pars affecta, cauffa proxima. 903. Modus generationis. 903. caufsæ antecedentes & remotæ. ibid. vt vuarum efus,potus mufti,cibi praui & infoliti, pharmaca venenata, Aqua per canales plumbeos fluens, acetum in vafe plumbeo afferuatum ibid. Hydrargyrum,aër.905.aftrorum influxus.ibid Occultæ qualitates,chymicorum caufsæ.contagium. 906
Dyfenteriæ gradus & differentiæ. ibid. figna. ibid. prognoftica.907.indicationes,curatio. 910
Dyfenteria vt fimulari poffit. 908
Dyfenteriæ à medicamento purgante & veneno curatio. 922. diæta. 923
*Dyfuria*, vide *vrinæ ardor*.

E

EBrietas. 376. præferuatio ab eâ. ibid. eius curatio. ibid.
Ebrij & furiofi cur res geminatè videant. 584
*Ecftafis* quid. 473
Ἔκλυσις differt à λειποθυμία & λειποψυχία. 772
Ἐκλεγμάτιον. 538
*Electuaria* ad confortationem neruorum poft morbos diuturnos. 442
Electuaria cephalica calida. 268. Langij. ibid. humectantia. 272
Electuaria cerebrum roborantia in apoplexia pituitofa. 509
Electuar. antiphalangium contra morfum tarantulæ. 423
Elect.de chalybe D.Kolreuteri. 404
Electuarium epilepticum Cratonis. 484. Montagnanæ. ibid. Nicolai Florentin. ibid.
Electuarium Humaim. 575
Elect. Mefue ad fpiritus multiplicandos, & confortandos. 304
Electuar.opiatum Plateri. 246
Electuarium Bertrucij confortans cor in omni caufa. 765
*Elixir* peftilentiale Croll. 169
Ἔλμινθες quid. 856
Embrochæ in intemperie cerebri humida. 271
Ἐμπροσθότονος. 461
Emplaftrum de pelle Arietina Arnoldi de villa noua. 865
Emplaftri ex telis araneæ vires in tertianâ. 106
Emplaftr.de fuligine ad carbuncul. 177
Emplaftra & cerota cephalica cal. 270
Emplaftrum in lethargo & caro à fomno excitans. 294
Emplaftrum è gummi hederæ. 310
Emplaftrum Helidæi, quod mirum in modum humiditatem in contufionibus difcutit. 312

Emplastrum cephalicum. 324. de Betonica.ibid. Guilhi. Fabric. ibid. Francisc. Arcæi. ibid. Isis cephalicum. 331. in vigiliis nimiis ad somnum inducendum. 344. præseruans ab apoplexiâ. 509
Empyema. 723. eius causa,differentiæ, signa. ibid. prognosticum,curatio.ibid.diæta. 724
*Emulsiones* cephalicæ humectantes. 272
*Encanthis* & carnis lachrymalis incrementum.571.Encanthis quid,signa,prognostica,curatio. ibid.
*Epar* in tertianâ intermittente quomodo curandum. 105. per topica. ibid.
Epatis intemperies, causæ, signa, prognostica, indicationes,remedia. 1026
Epatis intemperies calida,causæ,signa, prognosticum, indicationes & curatio. ibid diæta. 1027
Epatis inflammatio,causæ,signa.ibid.prognostica.1035. indicationes,curatio.1036.diæta. 1038
Epatis scirrhus, causæ, signa, prognostica. ibid. diæta. 1039
Epatis tumor simplex,seu οἴδημα ἀνευσκίρρου. ibid.
Epatis vulnera. 1040. signa,prognostica, curatio. 1041. diæta. 1042
Epatis vlcera, causæ, signa. ibid. prognostica, curatio. 1043
Epatis sphacelus. 1044
Epatis intemperies frigida,causæ, signa. 1027. prognosticum,indicationes,curatio,diæta. 1028
Epatis intemperies humida,causæ,signa,prognosticum, curatio. ibid.
Epatis intemperies sicca, causæ, signa. ibid. prognosticum, curatio. 1029
Epatis intemperies composita, causæ, signa, curatio. ibid.
Epatis intemperies cum materia, causæ, signa, prognosticum, indicationes & curatio. ibid.
Epatis obstructio, causæ, differentiæ, signa. 1030. prognostica.indicationes,curatio.1031.diæta. 1033
Epatis vasorum apertio. ibid.
Epatis inflatio.ibid. causæ,signa,prognosticum,curatio, diæta. 1034
Epatis in catarrho vt habenda ratio. 524
Epatis ranarum præparatio. 481
*Ephemer.* febris natura. 11. definitio. ibid. causa continens. ibid. causæ euidentes. ibid. à putridâ & hecticâ differ. ibid. signa communia. 12. signa causarum. 13. signa in aliam febrem degenerantis. ibid. prognostica. ibid. indicationes. ibid. curatio. ibid.& seqq.
Ephemera an à sero sanguinis, an à spirituum incensione. 55
Ephemera ex putredine spirituum an detur. 11. an omnis à causa euidente incipiat. 181. Pestilens an detur. 182. pestilentis signa. 183
Ephemera plurium dierum. 15
*Epiala* febris. 74. à Galeno inter continuas refertur. ibid. à Platero ad intermittentes ref. 75. rara est, & vix talis ad finem perdurat. ibid.
Epialæ causæ. 74. Cur calor & frigus simul percipiantur. ibid. curatio. 75
*Epidemium* esse an ad pestis essentiam pertineat. 132. an epidemium & contagiosum differant. ibid. an morbus actu vel potentiâ dicatur epidemius. 132
*Epilepsia* interdum per consensum oritur. 133
Epilepsia vnde dicta, & quæ habeat synonyma. 475. definitio. ibid. subiectum. 492. caussa proxima. ibid. quænam huius causæ specifica proprietas. 493. causæ. 475. differentiæ. 476. signa diagnostica, epilepsiæ imminentis, & præsentis. 476. prognostica. ibid. indicationes. 477. cura in paroxysmo. ibid. medicamenta externa. ibid. interna. 478. cura post paroxysmum. 479. venæsectio quando adhibenda, quando omittenda. ibid. diæta. 486
in Epilepsia præparantia humorem pituitosum.479.melancholicum. ibid. biliosum. ibid. purgantia humorem pituitosum. ibid. mixtos. 480
in Epilepsia præparantia,alterantia, itémque purgantia sæpius repetenda. 481
in Epilepsia sudorifera. ibid. capitis particulares euacuationes per errhina, apophlegmatismos.485. gargarismos, cauteria. ibid.
in Epilepsia cerebrum roborantia. ibid.
Epilepsia per primarium cerebri affectum. 486. huius signa diagnostica, prognostica, curatio. ibid.
Epilepsia per consensum ventriculi,huius signa diagnostica. 487. curatio. ibid.
Epilepsia ab vtero,huius signa diagnostica.488.curatio. ibid. medicamenta suaueolentia in hac non exhibenda. ibid.
Epilepsia à vermibus,huius signa & curatio. ibid.
Epilepsia à partibus externis,causæ, signa diagnostica. 489. curatio in paroxismo, extra paroxysmum. 489
Epilepsia per consensum vbi de mali fonte non constat. 490. huius prognostica, curatio. ibid.
Epilepticorum infantium curatio in paroxysmo. ibid. extra paroxysmum. ibid.
Epilepticorum lactentium per consensum ventriculi curatio. 491
Epilepticorum infantium ablactatorum curatio. ibid. diæta. 492
in Epilepticorum paroxysmo quid agendum. 477. an sanguis in eo mittendus. 495. num extra eum. ibid. quæ vena aperienda. ibid. num vomitus conueniat. ibid.
*Epiphora* quid.587.differentiæ, causæ, signa diagnostica,prognostica. ibid indicationes, curatio. ibid.
ἐπισιμασία quid. 87
*Epistola* Tychonis Brahé ad Rudolph. II. Imp.de Alexipharm. 173.174
*Epithemata* vti capiti applicanda. 268
Epithema ex cineribus & aceto Auicenn. 269
*Errhina* sunt duplicia. 276. quando abstinendum ab iis. ibid. quæ in eorum vsu obseruanda. ibid. vsurpanda tempore matutino, ventriculo ieiuno. 292. eorum materia. ibid. fortiora in catarrho vitanda. ibid. in apoplexia pituitosa.510.in ophthalmia an conueniant. 547
*Erysipelas.* 79. cur rosa dicatur. ibid. prouenit à sanguinis tenuioris putrefactione & corruptione. ibid. quosnam vt plurimum infestet. 80. quando vel quo ætatis anno. ibid. à verâ inflammatione differt. ibid. nostris regionibus valde familiaris. ibid.
Erysipelas præsupponit hepar calidum & nonnihil humidum. ibid. eius prognostica. ibid. curatio. ibid. per venæ sectionem. ibid. purgationem. ibid. sudorifera. ibid. Topica valdè refrigerare non debent. 81. diætam. 81. præseruatio. 82
Erysipelas in scorbuto.1007.curatio. 1023
*Euacuatio* sanguinis in scorbuto per hæmorrhoides & venæ sectionem. 1010
*Exanthemata* an in omnibus peste infectis appareant. 154
Exanthematum genus duplex. 190
*Excreta* præter naturam è ventriculo. 850
*Excrescentia* carnosæ in corde repertæ. 766
*Exitus* longæ abstinentiæ triplex. 817
Ἐξόμφαλος quid. 863
*Expulsio* humorum triplex: Critica, Symptomatica, Media. 200
Expulsiones Symptomatic.an omnes vitiosæ. ibid.
*Extracta* contra pestem vtiliter aceto parantur. 170
*Extractum* ebuli. 1055
Extractum ellebori nigri. 396
Extracti hellebori nigri vsus in affectione hyponchondriaca. 978

Fames

F


FAmes epidemiæ. 818
Famem compeſcentia. 820
Faſcias in hernia parandi ratio. 865
Faſtidium certorum ciborum. 817. cauſæ, curatio. 818
Febris nomen.1. Natura. ibid. Subiectum.3. Cauſ.5. & ſeqq. Definitio.1. Different.4. Differentiarum exempla. 8
Febris an ſit conuerſio natiuæ caliditatis in igneam. 2. an ſit intemperies calida & ſicca. 3. an alia pro morbo, alia pro ſymptomate habenda. 10
Febris magna & parua.8.mordax & mitis.ibid. Ἑκτικὴ.9. σχετικὴ.ibid.primaria & Symptomatica. 10
Febris maligna cum ſpaſmo. 208.Eius cauſa.209.Hiſtoria & curatio. 211
Febris quid indicet. 10
Febrilis mater different. 55
Febris in peſte. 180
Febres ſcorbutici,cauſæ. 994
Febres quomodo vigilias inducant. 348. num in paralyſi accendere liceat. 458. num pro ſpaſmo curando excitandæ. 469
Febris catarrhalis. 518
Febres ſcorbuticæ. 1005. curatio. 1023
Febrium ſigna ex hora inuaſionis. 107
Febrifuga ſpecifica. 95
Fecum alui reiectio per os,per vmbilicum, per alia loca diuerſa. 933
*Fel* Carpionis in roſâ vſurp. 82
*Ficus* inſigniter ad ambitum corporis pellunt. 216
Ficus quid. 870
Ficuum in variolis vſus. 216
*Fiſſura* cranij. 314. eius cauſſæ. ibid. differentiæ. ibid. quomodo exploranda.317. fiſſura in qua externa ſolùm lamina, internâ integra manente, quomodo curanda. 322
*Fiſtula* lachrymalis. 569. cauſſæ. ibid.
Fiſtulæ ex ægilope curatio. 570
Fiſtulæ in inteſtinum rectum penetrantis curatio. 872
*Flatus* diſcutientia. 797
Flatus & ructus quomodo generentur in affectione hypochondriaca. 972
Flatuum & vaporum differentia.281. eorum generatio, cauſſæ,& ſigna.282.per quas vias ad caput aſcendant, prognoſticum,indicationes.ibid.curatio.ibid.quibus medicamentis diſcutiendi. 283. diæta. ibid.
*Fluxus* alui citrinus pro fiſtula habitus. 871
Fluxus chyloſus quid, ſigna, prognoſtica, curatio. 895
Fluxus colliquatiuus,ſigna,prognoſtica, curatio, diæta. 897
Fluxus alui ſanguineus, cauſæ. 930
Fluxus ſanguinis à copia eius,ſigna,prognoſtica,curatio, diæta. 931
Fluxus hepaticus.ibid. ſigna,prognoſtica,curatio,diæta. 932
Fluxus hepaticus legitimus. 931
Fluxus hepaticus ſpurius. ibid.
*Fœmina* grauida obcœcata. 574
Fœminæ fortiora purgantia non ferunt. 407
*Fœtor* an in putredine adſit. 21
Fœtores an in peſte vtiles. 174
Fomenta acceſſionis febrium initio impoſita. 42
*Fonticuli* in morbis capitis vbi & quando excitandi. 276
*Fracturæ* cranij, earúmque differentiæ. 315. cauſſæ. 317. ſigna diagnoſtica. ibid. prognoſtica, curatio. 321
à Fractura cranij quæ pericula immineant. 322
Fractura cranij cum meningum & cerebri læſione. 326
*Freni* coalitus. 1131
*Frigus* num ſaltem denſando neruos paralyſin inducat. 460
*Frontis* vulnera an ſint ſuenda. 329
Frontis ſiccitas in hecticis vnde. 127
*Fructus* an febricitantibus conueniant. 51
*Fungi* cerebri. 332. eius ſubiectum. ibid. ſigna diagnoſtica, prognoſtica, indicationes & curatio. 333. 334
*Furor* vterinus. 413. cauſſæ, ſigna, curatio. ibid. diæta. ibid.


G


G*Aleata* paſſio & ouum quid Arabibus. 530
*Gallaturæ* efficacia in affectibus oculorum. 559
*Ganglium* quid. 1128
*Gangræna* ſcorbutica. 1008
*Gargariſmi* & collutiones oris. 293. catarrhum intercipientes. 523
*Genarum* rigiditas in ſcorbuto. 1002
*Geniſtæ* vires. 102. vſus in quartana. 116
*Gentianæ* radicis vſus in quartana, ſuccus, aqua, extractum eiuſdem. 113
*Gibboſitas*, eius ſpecies. 728
*Gingiuarum*, oris & dentium vitia in ſcorbuto. 997. eorundem curatio. 1018
Gingiuæ carne denudatæ. 641
Gingiuæ excreſcentes & laxæ. ibid.
Gingiuarum epulis. 643
Gingiuarum imminutio mobilitatis dentium cauſa. 633
Gingiuarum inflammatio,eius ſigna,prognoſtica, curatio. 642
*Glans* imperforata. 1129
*Glaucoma*. 573. cauſſæ, ſigna diagnoſtica, prognoſtica. ibid.
*Gonorrhæa*,cauſsæ.1140.ſigna,prognoſtica,indicationes. curatio. 1141
*Grana* tilli. 1055
*Grandines* in pulmone geniti, illorum cauſæ,ſigna,prognoſtica, curatio. 642
*Grauidarum* medicamenta in peſte. 169
*Grumos* ſanguinis in pectore reſoluentia medicamenta quo tempore ſint exhibenda. 687.& ſeq.
*Gummi* elemi vtilitas. 324
*Gurgulionis* inflammatio & exulceratio, eius cauſæ, ſigna,prognoſtica,curatio,diæta. 650
*Gurgulionis* laxatio, eius curatio. 648
*Guſtus* læſio. 617. cauſſæ, ſigna diagnoſtica. ibid. prognoſtica, curatio. 618. læditur ſeruato motu linguæ. 618
*Gutta* ſerena. 574. cauſſæ, ſigna diagnoſtica, prognoſtica. ibid. curatio. ibid.
*Gutturi* illapſa vt eximenda. 654


H


H*Æmorrhagiæ* futuræ ſigna. 532
*Hæmorrhoidum* prouocatio in omnibus capitis morbi vtilis. 285. earum fluxus multum ad melancholiam curandam prodeſt. 401
Hæmorrhoides tutius hirudinibus, quàm ſcalpello aperiuntur. 36. commodè etiam chalybe & aloë. 115
Hæmorrhoides quid.937. differentiæ.937. cauſſæ, ſigna, prognoſtica. ibid. & ſeq. indicationes, curatio. 938. diæta. 940
Hæmorrhoides cœcæ & apertæ. 937
Hæmorrhoidum quinque differentiæ ſecundum Galen. ibid.

Hæmorrhoides ad quam rerum p.n. classem referendæ. 937
Hæmorrhoidum fluxus quibus regionibus magis sit familiaris. ibid.
Hæmorrhoidum fluxus cui sexui potissimũ accidat.ibid.
Hæmorrhoidum sectio & vstio an tuta sit. 940
*Hæmorrhagia* narium in scorbuto. 1004
*Hasenschart.* 625
*Hectica* febris vnde dicta. 123
Hectic.caussæ.124. generationis modus duplex.ibid.differentiæ.125.gradus seu tempora. ibid.signa generalia. 126. signa incipientis, quæ cognitu difficilis, curatu facilis. 127. signa secundi gradus. ibid. tertij gradus.ibid.prognostica.128.indicationes. ibid.
Hecticæ curatio per assumenda.ibid. externa 129. Baln. aqua dulcis secundum Galenum. ibid. secundum Arab. quorum modus commodior.ibid. indicationes post balneum spin. dorsi, Topice Card. hepatis. 130. diæta. ibid.& seqq.
Hecticæ cum putrida intermittente signa.128.cum continua signa.ibid.curatio. 131
Hectica cum tabe, sine tabe. ibid.
Hecticæ pestilentes an dentur.181.earum signa. 184
Hectica facilius inuadit calidiores & sicciores. 124
Hectica an habeat species. 125. an à caussa euidenti, siue ephemera induci possit. 124. an à putrida, hac simul permanente, prouenire possit. 128
*Helleborismus* Matthioli. 395
Helleborus niger qui in nostris regionibus crescit, non tam vehemens, vt qui in calidis regionibus. ibid. quomodo præparandus. ibid. rite præparatus tutò in melancholiâ adhibetur. ibid. & intus & extra vtiliter vsurpatur. 413
*Hernia* quid,diuisio,caussæ.863. signa,prognostica, indicationes & curatio. 864
Herniaria aliàs holleriana dicta. 866
Hernia ventosa seu πνευματοκήλη. 1123. caussæ, signa, prognostica,indicationes & curatio. ibid.
Hernia aquosa seu hydrocele. ibid. caussæ, signa, prognostica,indicationes & curatio. 1124
Hernia humoralis. 1125
Hernia carnosa seu sarcocele,caussæ.ibid.signa,prognosticum, indicationes & curatio. 1126
Hernia carnosa cur plerumque in dextro testiculo fiat & aquosa in sinistro. ibid.
Hernia varicosa seu circocele, caussæ, signa, prognosticum,curatio. ibid.
Hernia vmbilicalis,caussæ,signa,prognostica,indicationes,curatio.1057.diæta.chirurgia. 1058
Hernia vmbilicalis aquosa, caussæ, signa, prognostica, indicationes & curatio. ibid.
Hernia vmbilici flatulenta.ibid. caussæ, signa, prognosticum.indicationes & curatio. 1149
Hernia vmbilici carnosa. ibid.
*Hermaphroditæ*,differentia,caussa. 1132
*Hieræ* in doloribus ventriculi vsus. 848
*Hippocratis* in colica remedium per intestinorum inflationem. 876
Hippocratis τὸ θεῖον in morbis explicatur. 141
*Hirudines* in hæmorrhoidibus applicandi locus. 938. modus. 939
Hirundinum puluis contra anginam. 666
*Horroris* caussa. 92
*Horrid.* febres. 119
*Horror* & rigor vehementiâ saltem & magnitudine differunt. 436. quomodo ad facultatis animalis & motus deprauati symptomata referantur. ibid. caussa proxima. ibid. subiectum. ibid.
*Humoris* aquei vitia.535.572. eius crassities quid, caussæ,signa diagnostica,curatio,quantitas aucta, imminuta.ibid.effusio.ibid.signa diagnostica,prognostica, curatio.ibid.obscuratio.ibid.caussæ,signa,curatio.ib.
Humor aqueus an tenuis fieri possit.570.an nimis augeri possit. ibid.
Humorem melancholicum præparantia. 298. euacuantia.ibid.ad eius generationem quæ faciant. ibid.
Humores in capite quomodo euacuandi.276.quot modis cerebrum afficiant. 274
Humores num in neruos sese insinuare possint. 352
Humorum differentiæ, vnde petendæ, natural. præternat. 26
Humorum ad putredinem dispositio. 23
Humorum præparatio. 45
Humores certis periodis mouentur. 90
Humores febrem generantes. 25. an putrescant. 19. an diuersi ad diuersas febres requirantur. 25
Humores copiosi an in principio purgandi. 42. in partem principem irruentes.41.an tenues. 43
Humorum pleuritidem parientium signa. 706
Humorales febres an omnes ex putredine oriantur. 21
Humoralis pestilentis signa. 153
Humoris in animalibus dispositio, vt igne non absumatur. 816
Humorum dysenteriam excitantium natura. 903
Humores arte expurgati per venas mesaraicas ad intestina confluunt. 944
Humoris melancholici natura. 953
Humor scorbuticus peculiari modo est corruptus. 987
Humor scorbuticus neruoso generi infestus. 997
*Hyatides* epatis. 1040
*Hydrocephalon*.338.caussæ. ibid. frequentius infantibus, quam adultis obtingit. 339. signa diagnostica. ibid. prognostica,indicationes,curatio. ibid.
*Hydrophobia*. 415. caussæ. 416. signa diagnostica. ibid. prognostica,indicationes.417. curatio. 418. antidota interna.419. balneum an conueniat. 420.venæsectio an conueniat. ibid. purgantia medicamenta an conueniant. 422
*Hydrargyrum* quomodo tremoris caussa. 444
*Hydrophobia* quid. 824. caussa. 825
Hydrophobia & rabies canina differunt. ibid.
*Hydrops* scorbuticus. 1007. curatio. 1023
Hydrops.1048.differentiæ.ibid.caussæ.ibid.signa. 1052. prognostica. 1053
Hydrops dupliciter consideratur. 1048
Hydropis species præcipua ascites. ibid.
Hydropicum cadauer vesicis intus oppletum. ibid.
Hydrops pectoris.726.eius caussæ.717.differentiæ,signa prognostica,curatio.ibid.diæta. 728
Hydrops pulmonis. 691
Hydropis generatio secundum Paracelsum. 1051
Hydropicorum pauci cur sanentur. 1054
*Hypochondriacæ* affectionis natura. 966. vnde dicta,definitio,locus affectus.967.differentia,caussæ.968. signa. 972.prognost.indicationes & curatio.975.diæta. 980
Hydrops gutturis. 672
Hydrops per pudenda euacuatus. 1060
Hydrops ex intestinis ortus, ex renibus, ex vesica, ex vtero, hepate saluo. 1063
Hydrops à colliquatione. ibid.
Hydrops sæpe hepate saluo generatur. 1065
Hydrops an sit à sale resoluto. 1066
Hydropicorum aqua num in hepate generetur. 1049
Hydrops à largiore haustu aquæ & cereuisiæ. ibid.
Hydropicis serum non omne ad epar & venas emulgentes defert. 1050
*Hydroticum* aduersus epilepsiam Quercetani. 481
*Hypochondriaca* affectio latius patet quàm melancholia hypochondriaca. 397
Hypochondriacæ affectionis signa ex Galeno. 399
*Hypopium*. 561. caussæ,signa,curatio. 561
*Hyssopi* facultas. 560

I

*Ichor* quid, duplex. 953
*Icterus* vnde dictus. 1074

Icterus quid,subiectum,caufæ,figna,differentiæ. ibid.
Icterus flauus ab obstructione veficulæ fellis,figna,prognoftica,indicationes & curatio.1075.diæta. 1076
Icterus ab epatis caliditate fine febri, figna, prognofticum,indicationes & curatio. ibid.
Icterus in febribus acutis criticus,figna, prognofticum, indicationes. ibid.
Icterus in febribus fymptomaticus, figna, prognoftica, ibid. indicationes & curatio. 1077
Icterus in febribus acutis ante 7. diem an fit malus. 1076
Icterus ab inflammatione epatis. 1077
Icterus à morfu venenato & venenis, figna, prognofticum,indicationes & curatio. ibid.
Icterum quomodo venena inducant. ibid.
Icterus niger quid,caufæ, figna. 965. prognofticum, indicationes & curatio. 966
Icterus in fcorbuticis. 1005
*Ictericis* an vifus deprauetur. 555
*Ictigatio* quid. 435
*Ileus* quid,caufæ.873. figna, prognoftica.874. indicationes,curatio. 875
Ilei & colicæ differentiæ. 874
Ileus ab inflammatione,figna,prognoftica,indicationes & curatio. ibid.
Ileus ab aliis tumoribus, & ab exulceratione, figna, prognoftica,curatio. 876
Ileus à fecibus induratis, figna, prognoftica, curatio. ibid.
Ilei nouum genus. ibid.
*Iliacus* dolor. ibid.
*Imaginatio* quomodo peftem inducat. 145
*Implicitæ* febres. 118
In colica à fecibus induratis per fuperiora non exhibenda purgantia. 882
*Incubi* variæ appellationes. 469. definitio. ibid. cauffa. 470. differentiæ,figna diagnoftica,prognoftica. 471. indicationes,curatio 472.diæta. ibid.
Incubi ab epilepfia differentia. 471
in Incubo cerebrum afficitur. ibid.
*Indi* nicotiana famem, fitimque folantur. 817
*Infantibus* qualia medicamenta contra peftem conueniant. 169
*Inflammabilium* differentiæ. 816
*Inflammatio* quomodo colicam excitet. 885
Inflammatio cerebri & meningum. 333. cauffæ. ibid. differentiæ. ibid. figna inflammationis membranarum. ibid. cerebri. 334. prognoftica. 335. indicationes,curatio.336.diæta. 338
in Inflammatione cerebri quæ vena & quando aperienda. 336. quantum fanguinis euacuandum. ibid. an electiuè purgantia conueniant. ibid. repellentia qualia conueniant, & an tepida vel frigida fint adhibenda,337. fomnum conciliantia. ibid. difcutientia. ibid.
*Ingenia* fecundum regiones & temperamentorum varietates variant. 366
In lumbricis teretibus clyfteres non conueniunt. 862
*Inquietudo*. 435. cauffæ, figna diagnoftica, prognoftica. ibid. curatio. 436
*In fanis* nil præter fanguinem in venis continetur, in ægrotis contra. 88
*Infomnia* immoderata. 354.cauffæ.355. figna diagnoftica,prognoftica,indicationes,curatio. ibid.
*Intemperies* capitis fine materia. 262. cauffæ,figna,curatio.ibid.an & quare in eâ purgandum. ibid.
Intemperies cerebri calida fine materia, cauffæ, figna diagnoftica.ibid.prognoftica,indicationesibid. curatio. ibid. diæta. 263
Intemperies cerebri frigida fine materia, cauffæ. 266. figna diagnoftica,prognoftica,indicationes. ibid. curatio.ibid.diæta. 270
Intemperies cerebri humida fine materia. 271. cauffæ, figna diagnoftica,prognoftica,indicatio,curatio.ibid. diæta. ibid.
Intemperies cerebri ficca. 273. figna diagnoftica, prognofticum,indicatio.ibid.curatio.ibid.diæta. ibid.
Intemperies cerebri compofitæ fine materia, figna, curatio. ibid.
Intemperies cerebri cum materia.274. cauffæ,figna diagnoftica,ibid.curatio. 275
Intemperies cerebri cum materia per confenfum. 274. figna diagnoftica,prognofticum, indicationes & curatio. 278
Intemperies capitis cum vapore & flatu. 281. caufsæ, figna diagnoftica. ibid. prognofticum, indicationes. 282. curatio. ibid.diæta. 283
Intemperies capitis à vento quibus curetur. 282
Intemperies cerebri cum fanguine. 283. caufsæ. ibid. figna diagnoftica. ibid. prognofticum, indicationes. 284. curatio. ibid. diæta. 285
Intemperies cerebri cum bile. 287. caufsæ, figna. ibid. indicationes,curatio.ibid. diæta,an in hac difcutientia & refoluentia locum habeant. 289
Intemperies cerebri cum pituitâ, caufsæ, figna diagnoftica.ibid. prognoftica, indicationes, auxilia & curatio. ibid. diæta. ibid.
Intemperies cerebri cum humore ferofo. 295. caufsæ. 296. figna diagnoftica, indicationes, curatio. ibid. diæta. 297
Intemperies cerebri cum humore melancholico. ibid. caufsæ, figna diagnoftica. ibid. prognoftica, indicationes,curatio.ibid.diæta. 298.299
Intemperies cerebri cum bile atra. 300. caufsæ. ibid. figna diagnoftica,prognoftica,indicationes.ibid. curatio.301.diæta. 302
*Inftrumentum* quo antiqui infantibus medicamenta infundebant. 862
*Intermittentes* febres, quas antiqui, quas recentiores dixerint. 82
Intermittentes duplices, ac triplices. ibid.& feqq.
Intermittentium & continuarum difcrimen. 84
Intermittentium focus, vbi fit fecundum Galen. Trallian. Auic.82. & feq. Fernel.83. Altimar.ibid.Simon. ibid. Plater.ibid. Augen. ibid. Herc. Saxon. ibid. Iul. Cæfar.Claudin.84.Authore. ibid.
in Intermittentibus triplex materiæ febrilis locus confiderandus. ibid.
Intermittentium generatio. ibid. illarum caufa non tantùm in primis viis hæret. 86
Intermittentium caufæ remotiores. 85
Intermiffionis caufa. 82
Intermittentium differentiæ. 93. ad 96.è Chymicorum principiis vt eruendæ.93.figna.97. an femper cum rigore & horrore inuadant.98.curatio generalis. 99
Intermittens pituitofa an detur. 93
*Inteftinorum* intemperies frigida, caufæ, figna, prognofticum,curatio,diæta. 851
Inteftinorũ intemperies calida,caufæ,figna,curatio. ib.
Inteftinorum intemperies humida,caufæ,figna,curatio, diæta. ibid.
Inteftinorum intemperies ficca,caufæ,figna,curatio. ib.
Inteftinorum intemperies cum materia.852. figna, prognoftica,curatio. ibid.
Inteftinorum inflammatio, caufsæ, figna, prognoftica, indicationes,curatio.853.diæta. 854
Inteftinorum anguftia,caufsæ. ibid. figna, prognoftica, indicationes, curatio. 855
Inteftinorum coalitus. 854
Inteftinorum læuitas. 856
Inteftinorum magnitudo aucta. ibid.
Inteftinorum fitus mutatus. 863
Inteftinorum conuolutio. ibid.
Inteftinorum vulnera, caufsæ, figna, prognoftica, indicationes & curatio. 868
Inteftina vulnerata confuendi modus. ibid.

Inteſtinorum vlcera. 869
Inteſtinorum ſphacelus. ibid.
Inteſtinorum cancer. ibid.
Inteſtini recti morbi. ibid.
Inteſtinorum tenuium affectorum ſigna. 908
Inteſtini ieiuni affecti ſigna. ibid.
Inteſtinorum craſſorum affectorum ſigna. ibid.
Inteſtinorum & omenti in vmbilicum procidentia. 1057
*Intertrigo* quid, curatio. 872
*Inunctiones* ad ſomnum conciliandum. 293. palati, pedum & manuum ad calefaciendum caput. 270
*Iræ* cauſſæ. 954
Iris, ſplendores circa oculum. 583. cauſsæ. 584
*Iſchuria*, vide *vrinæ ſuppreſſio*.
*Iulebus* in febribus. 54
*Iuglandis* radic. vſus in quartanâ. 114
*Iura* inſtaurantia hecticis vtilia. 130
*Iuſcula* febricitantibus conuenientia. 52
*Ius* galli decrepiti purgans. 745
*Iuuenibus* cur phthiſis familiaris. 695

K

Καρδιωγμός quid. 845
Κοιλία quid. 857
Κήλη quid. 863

L

*Labia* ciſſa curandi ratio duplex. 625
Labia leporina. ibid. illorum curatio. ibid.
Labia liuida. ibid.
*Labiorum* fiſſuræ, eorum cauſsæ, differentiæ, ſigna, prognoſtica, indicationes, curatio. 623.624
Labiorum inflammatio. 623. cancer. ibid. eius curandi ratio peculiaris. ibid.
Labiorum peruerſio, eius cauſſa. 626
Labiorum tremor. 625
Labiorum tumor natiuus. ibid. à venenis, durus. 623
Labiorum tumores aridi. ibid.
Labiorum vlcera. 624. cauſsæ, ſigna, prognoſtica, & curatio. ibid. diæta. ibid.
Labiorum vſus. 622
Labiorum vulnera. 625
*Lac* tribus ſubſtantiis conſtat. 927
Lactis præparandi modi. 928
Lac hecticis vtiliſſimum. 130
Lactis in ventriculo coagulatio quomodo præcauenda. ibid.
Lactis ſerum an in febribus conueniat. ibid.
Lac caput replet. 262. facilè corrumpitur. ibid.
Λαγόφθαλμον, cauſſæ. 539. ſigna prognoſtica, curatio. ibid.
*Lachrymæ* ſanguineæ. 588. cauſſæ, curatio. ibid.
*Lacteæ* venæ quando & quomodo inuentæ. 942. modus illas inquirendi. ibid. cur ita dictæ. ibid. earum à reliquis vaſis meſaraicis diſcrimen. ibid. cur tamdiu latuerint. ibid. Eraſiſtrato notæ fuerunt. ibid.
Lactes quid. ibid.
Lactearum venarum ſuccus cur moriente animali euaneſcat. ibid.
Lactearum venarum ſtructura & in primis valuulæ. 943
Lacteæ venæ quomodo ab aliis venis & arteriis differant. ibid. ad quæ inteſtina magis tendant. ibid.
Lactearum venarum origo & inſertio in inteſtina. ibid. progreſſus. ibid. actio. ibid.
Lactearum venarum vtilitas in indaganda ſanguinis generatione & aliis dubiis decidendis. ibid.
Lactea vaſa quibus dubiis adhuc inuoluta. 944
*Lænium* pulmonis arteriarum anguſtia eius cauſſæ, ſigna, prognoſtica, indicationes & curatio. 684.685
*Lapis* Bezoar an in peſte vtilis. 172. cur non ſemper optatum effectum præſtet. ibid.
Lapides in ventriculo geniti. 803
Lapides in inteſtinis reperti. 856
Lapides in ſcroto. 1127
Lapides in vmbilico. 1060
Lapis nephriticus. 1087
Lapis Lazuli habet vim purgandi & ſegregandi à ſanguine vapores melancholicos. 396
Λαρυγγοτομία. 665.668
*Laſſitudo* ſpontanea & grauitas corporis in ſcorbuticis. 997
Laſſitudo quid. 433. eius differentiæ. ibid. laſſitudo ſpontanea, exſiccatiua quid. ibid. vlceroſa. ibid. cauſſæ. ibid. Tenſiua quid, eius cauſsæ. ibid. Phlegmonodes, eiúſque cauſsæ. ibid. exſiccatiuæ cauſsæ. ibid. gracilitatis. ibid. ſigna diagnoſtica, prognoſtica. ibid. indicationes, curatio laſſitudinis ſpontaneæ. 434. in vlceroſâ purgatione; in tenſiua ſanguinis miſſione, in phlegmonodi vtroque auxilio opus. ibid.
Laſſitudinis ex labore curatio. ibid.
*Laudanum* opiatum deſcript. noſt. 345. D. Andr. Doreri. ibid.
*Lemæ* ſeu ſordes oculorum. 586. cauſæ, curatio. ibid.
*Lenientia* quando exhibenda. 852
Lenientia medicamenta in putridarum initiis neceſſaria. 36. Illorum vſus conualeſcentibus non ſit nimium frequens. 70
*Lenta* febris. 77. à materia intra vaſa putreſcente. ibid. viſceris alicuius putredine. 78. rerum toto genere p.n. in corpore putredine. ibid. eius ſigna. 78. difficulter cognoſcitur. ibid. curatio. 79
*Lentium* vires in variolis. 197
*Lethargus* quid. 427. eſt affectus inter coma vigil & carum mediæ naturæ. ibid. non eſt primarius cerebri affectus, ſit à vapore narcotico, eſt ſymptoma febris continuæ lentæ. 428. eſt duplex. ibid. eius cauſsæ & locus affectus. 429. ſigna diagnoſtica. ibid. à cognatis affectibus diſtinguentia. ibid. prognoſtica. ibid. indicationes, curatio. 430. an vena, & quæ ſecanda. ibid. purgatio qualis inſtituenda. ibid. purgantia qualia eſse debeant. ibid. repellentia quomodo adhibenda. ibid. quibus è ſomno excitandus æger. ibid. ſuffitus an conueniat. 431. materiæ morbificæ præparatio qualis eſse debeat. ibid. euacuatio per vrinam quando conueniat. ibid. ſudoris prouocatio aliquando vtilis. ibid. ad caput particulariter purgandum qualia conueniant. ibid. in veſicatorium applicatione quæ obſeruanda. 432. capitis roboratio quibus perficienda. ibid. diæta. ibid.
*Lien* humoris melancholici ſedes. 398
Lienis cura in tertiana. 106
Lienis vſus ſecundum Carol. Piſon. Caſp. Aſell. 952
Lien aquoſa attrahit etiam craſsa. ibid.
Lien eſt mixtum quiddam ex quatuor diuerſis ſubſtantiis. ibid.
Lien non eſt officina ſanguinis arterioſi. ibid.
Lien non ſolùm venoſum, ſed & arterioſum attrahit. 953
Lien quos morbos patiatur, quæ ſymptomata. ibid.
Lienis intemperies. ibid. cauſæ, ſigna. 954. prognoſtica, indicationes, curatio. 955. diæta. 956
Lienis obſtructiones, cauſæ, ſigna. ibid. prognoſtica, indicationes & curatio. 957. diæta. 958
Lienis magnitudo vitioſa. ibid.
Lienis inflatio, cauſa, ſigna. ibid. prognoſticum, indicationes & curatio. ibid.
Lienis inflammatio, ſigna, prognoſticum, indicationes, curatio, diæta. 959
Lienis ſcirrhus, cauſæ, differentiæ, ſigna, prognoſtica. 960. indicationes, curatio. 961. diæta. 963
Lienis calculi. ibid.
Lienis vulnera, ſigna, prognoſticum, curatio. ibid.

Lienis vlcera, causæ, signa. ibid. prognosticum, curatio. 964
Lienis actio læsa, differentiæ, signa, curatio. ibid.
Lienis dolores, causæ, signa. ibid. prognostica, curatio. 965
*Lienosi* qui dicti. 1054
*Lienteria* à facultate expultrice irritata, signa, prognostica, indicationes, curatio, diæta. 893
Lienteria & cœliaca affectio quomodo differant. 889
Lienteria quid, caussæ. 890. signa, prognostica, curatio. 891
Lienteria cur dysenteriæ superueniat. 890
Lienteria & dysenteria maximè fiunt autumno. 891
Lienteria à retentrice labefactata, signa, prognostica, indicationes, curatio, diæta. 892
*Ligatura* arcta fluxiones arcet. 311
*Lilij* conuallij radix puluerisata sternutationem ciet. 291
*Linguæ* adstrictio. 617. curatio. ibid.
Linguæ calculi. 616
Linguæ magnitudo nimia, tumor, caussæ. 615. signa diagnostica, prognostica, curatio. ibid.
Linguæ motus læsus. 618. caussæ. ibid. differentiæ. ibid. motus abolitus. ibid. deprauatus. ibid. signa diagnostica, curatio. ibid. topica. 619
Linguæ scabrities, asperitas. 615. caussæ. ibid. curatio. ibid.
Linguæ tumor cancerosus. 616. inflammatio. ibid. tumor. à veneno. ibid.
Linguæ vsus. 615
Linguæ vulnera. 616. curatio. ibid
Linguæ vitia. 615.616
Linguæ ariditas in febribus. 214
*Linimentum* ad febres ardentes. 64
Linimenta cephalica, frigida. 264. calida, humectantia. 272
Linimentum extrahens saniem & materiam sub cranio. 326
*Lipothymia* & syncope quomodo differant. 773
Lipothymia an sit affectus cerebri. ibid. an in ea spiritus animales potissimum afficiantur. ibid.
Lipothymia, vide syncope. 772
Lipothymia in scorbuto. 1003. eius curatio. 1022
Lipothymia in febribus ardentibus. 216
*Lipyrias* febris. 77
*Liquor* nephriticus. 1100
*Lixiuia* in intemperie cerebri sicca non vsurpanda. 272
*Locus* peste infectus mutandus. 157
*Lotiones* extremorum in intemperie capitis calida. 265
*Lucernæ* antiquorum post aliquot sæcula repertæ. 816
*Lucomoriæ* populorum historia. 809
*Lumbago* quid. 1001
Lumbago. 730. eius curatio. 731
*Lumbrici* in intestinis geniti. 856
Lumbricorum genera tria. 857
Lumbrici cucurbitini an dentur. ibid.
Lumbricus latus an sit animal. ibid.
Lumbrici lati duo genera. ibid.
Lumbricorum materia. 858
Lumbrici lati generatio. 859
Lumbrici geniti an alios rursum generent. ibid.
Lumbrici intestina & ventriculum perforare possunt. ibid.
Lumbrici, qua vi ictum tollant. 1075
*Luna* purgans hydragoga. 1057
Lunæ in morbis cerebri vis. 274
Lunatica passio ex vermibus in pericardio orta. 762
*Lupi* conspectus vitiatæ vocis caussa. 750
*Lycanthropia*. 415. eius differentiæ. ibid.

## M

M*Aculæ* scorbuticæ. 997. earum curatio. 1020
*Magnetis* Arsenicalis præparatio. 178
*Malignus* morbus quis. 180
Maligna febris quotuplex. ibid.
Malignarum febrium natura. ibid. sunt valdè fraudulentæ. 182. aliquando intermittentes. ibid. plerunque tertian. typum obseruantes. ibid. sæpè Epidemiæ. ibid.
Malignarum caus. 183. non semper ex morboso corporis apparatu ortum habent, sed à caussa aliqua communi. ibid. In omnibus datur aliqua putredo, seu corruptio. 181
Malignarum signa ex symptomatum vehementia. 184. pulsu. ibid. vrina. ibid. calore. ibid. facie. ibid. actionibus læsis. ibid. excretis. 185. qualitat. mutat. ibid. prognostica. ibid. indicationes. ibid. curatio per purgation. ibid. Venæ section. 187. Sudorif. 185. Alterantia & præparantia. 189. Cucurbitulas & vesicatoria. 188. Diuretica. ibid. Topica. ibid. Diætam. ibid.
*Mania*. 408. quomodo à melancholia differat. ibid. in ea simul cor affici. ibid. caussæ. 409. differentiæ. ibid. signa diagnostica. 410. admirandum maniacarum robur vnde dependeat. ibid. signa maniæ instantis. 410. prognostica. ibid. indicationes & curatio. 411. curatio à sanguinis euacuatione inchoanda. ibid. quæ venæ aperiendæ, præparantia qualia esse debeant. ibid. purgantia qualia conueniant. ibid. cerebrum & cor confortanda. ibid. somnus omnibus modis conciliandus. 412. Empirica quædam & specifica. ibid. Topica, & quæ circa eorum vsum obseruanda. 413. cauteria suturæ coronali applicata hîc vtilia. ibid.
Maniacos peregrinis linguis loqui non posse. 414. iidem quomodo tam diu viuere possint. 415
*Marasmus* quid. 125. Plures morbos consequitur. ibid.
*Maslach* Turcarum quid sit. 377
*Maxilla* inferior capiti adnata. 643
Maxillæ cum capite connexio. 643
Maxillæ fractura. 644
Maxillæ fractura oris torturæ caussa. 627
Maxillæ inferioris immobilitas, signa & curatio eius. 644
Maxillæ inferioris iunctura soluta. 643. eius prognostica. ibid. curatio. ibid.
Maxillarum fungi. 643
Maxillarum luxatio. ibid. eius signa, prognostica. ibid curatio. ibid.
Maxillarum syderatio. ibid.
*Meatus* vrinarius duplex. 1106
Meatus vrinarij angustia, causæ, signa, prognosticum, curatio. ibid.
Meatus vrinarij caruncula, callus & verrucæ. ibid. signa, prognosticum, curatio. 1107
Meatus vrinarij vlcera. ibid.
Meatus & cauitates in cerebro. 305. earum obstructio, eiúsque causæ. 306
*Mediastini* inflammatio. 701. eius causæ, signa, prognostica, curatio. ibid. diæta. 702
*Medicamenta* ventriculum calefacientia interna. 788. externa. 789
Medicamenta ventriculum refrigerantia interna, & externa. 790
Medicamenta ad vomitum vtilia. 840
Medicamenta intestina calefacientia, refrigerantia, exsiccantia, humectantia. 851
Medicamenta lenientia quomodo differant à purgantibus. 852
Medicamentorum lenientium inter se inuicem differentia. ibid.

Medicamenta externa contra febres. 48. an & quando febrem tollere poſſint. 116. Externa in quartana. ibid.
Medicamenta feces deiicientia. ibid.
Medicamenta euacuantia pituitam. ibid. bilem. ibid. melancholiam. ibid. ſeroſos humores. ibid. modus exhibendi. ibid.
Medicamenta inteſtina roborantia. 853
Medicamenta materiam ex inteſtinis repellentia. ibid.
Medicamenta deriuantia. ibid.
Medicamenta euacuantia ſenſibiliter & inſenſibiliter. ibid.
Medicamenta vermes necantia. 861
Medicamenta in hernia vſurpanda externa. 865. interna. ibid.
Medicamenta dolorem colicum occultâ proprietate lenientia. 879
Medicamenta in fluxu colliquatiuo exhibenda interna & externa. 897
Medicamenta humorem melancholicum purgantia. 901
Medicamentorum purgantium vſus in dyſenteria. 911
Medicamenta compoſita in dyſenteria exhibenda. 912
Medicamenta fluxum ſiſtentia dyſentericis quando propinanda. 915
Medicamentorum fluxum ſedantium differentia. 916
Medicamenta fluxum ſiſtentia compoſita. 917
Medicamenta lieni accommodata interna. 955. externa. 956
Medicamenta ſcorbutum curantia. 987
Medicamenta antiſcorbutica recentia vſurpanda ſunt, ſunt occultæ qualitatis. 988
Medicamenta præparantia in ſcorbuto qualia. 1011
Medicamenta antiſcorbutica. 1012
Medicamenta epatis ſpecifica. 1026
Medicamenta epat refrigerantia. 1027. calefacientia. 1028
Medicamenta ſudorifera. 1059
Medicamenta inſenſibiliter aquam euacuantia. 1060
Medicamenta alterantia & aperientia. 1061
Medicamenta flatus diſcutientia. 1070
Medicamenta calculum imminuentia. 1086. mouentia, frangentia. 1087
Medicamenta quædam an aſperitate ſua calculum frangant. 1099
Medicamenta ſemen generantia, ſimplicia & compoſita. 1135
Medicamenta gonorrhœam ſiſtentia. 1052
Medicamenta ſemen minuentia. 1144
Medicamenta albuginem oculi colorantia. 555
Medicamenta antepileptica interna, ſimplicia. 481. compoſita. 482. externa. 484
Medicamenta caput calefacientia, ſimplicia interna, externa, compoſita interna. 266. externa. 268
Medicamenta caput refrigerantia ſimplicia interna. 263. externa. ibid. compoſita interna. 264. externa. ibid.
Medicamenta cerebrum humectantia interna. 273. externa. ibid. compoſita. ibid.
Medicamenta memoriam & ingenium conſeruantia & confortantia. 369
Medicamenta dolorem oculorum mitigantia. 559
Medicamenta externa ophthalmica ſimplicia, compoſita. 581. interna. ibid.
Medicamenta glutinantia. 612
Medicamenta hypnotica. 532
Medicamenta ophthalmica extergentia. 542. 567. cicatricem oculi emollientia. 553. abſtergentia. 554
Medicamenta ophthalmica qualia eſſe debeant. 545
Medicamenta ſanguinis fluxum ſiſtentia interna, externa. 912
Medicamenta ſpiritus opticos confortantia. 575
*Melancholia* in genere, nomen. 382. definitio. ibid. ab aliis deliriis quomodo differat. ibid. magna melancholicorum varietas. 383. cor etiam in ea afficitur. ibid. cauſſæ, quomodo timorem & mœſtitiam inducat. ibid. differentiæ. 384. ſigna diagnoſtica. 385. prognoſtica. ibid. curatio. ibid. medicamentis ſemper admiſcenda cordialia, diæta. 385. 386
Melancholia quæ fit cerebro primariò affecto. ibid. cauſſæ. ibid. ſigna diagnoſtica, prognoſtica, indicationes, curatio. 387. diæta. 388
Melancholica cerebri diſpoſitio non in qualitatibus primis ſolùm conſiſtit. 386
Melancholia errabunda, Kutubuth Arabibus dicta. 407. cauſſæ, ſigna diagnoſtica, curatio. ibid.
Melancholia attonita. ibid. cauſſæ, ſigna diagnoſtica, curatio. ibid.
Melancholia ex vtero. 405. cauſſæ. ibid. ſigna diagnoſtica, prognoſtica, indicationes, curatio, quæ vena aperienda. 406. cor & cerebrum ſimul confortanda. 410
Melancholia hypochondriaca. 397. cauſſæ, ſubiectum. 398. per quam viam vapores ad caput ferantur. ibid. cauſſæ antecedentes quæ. ibid. cauſſæ, remotæ & procatarcticæ. ibid. ſigna diagnoſtica. 399. prognoſtica, indicationes, 400. curatio. ibid. vitanda medicamenta purgantia validiora & à partibus remotioribus trahentia. ibid. ſanguis an euacuandus, & per quas vias. 401. vomitoria nonnunquam in principio non inutilia. ibid. humorem melancholicum præparantia, in hypochondr. qualia eſſe debeant. ibid. ab initio fortiora vrinam mouentia non vſurpanda. ibid. vt & valde calida. ibid. purgantia debent eſſe mitiora. 404. topica qualia conueniant. ibid. balneum aquæ dulc. poſt purgationem non inutile. ibid. ad corroboranda viſcera quæ adhibenda. ibid. diæta. 405
Melancholia per conſenſum cordis & totius. 392. cauſſæ. ibid. ſigna diagnoſtica, ibid. prognoſtica, indicationes. 393. curatio. ibid. venæſectio an, & quando conueniat. ibid. quæ vena ſecanda. ibid. præparantia. ibid. purgantia quando mitiora, quando vehementiora vſurpanda. 394. circa purgationem quæ obſeruanda. ibid. balneum imprimis vtile. 396. diæta. 397
Melancholiam præparantia. 45
Melancholicus humor non vnius generis eſt. 109. quinam melanch. ibid.
Melancholicus ſanguis & melancholicum excrementum ſpecie differunt. 954
Melancholici ingenioſi. ibid.
Melancholici humoris generatio. 888
*Memoria* læſa in ſcorbuto. 1003
Memoria deprauari non poteſt. 365. læſa memoria plerumque ſtoliditatis cauſſa. ibid. læsâ memoriâ læditur & phantaſia & ratiocinatio. 365. memoriæ læſæ exempla. 366. cauſsæ. ibid. ad memoriam quæ cerebri conſtitutio aptiſſima. 367. non fieri per modum impreſſionis. ibid. læſæ memoriæ ſigna. ibid. prognoſtica, indicationes, curatio. 368. purgantia. 369. alterantia & roborantia interna. 269. externa. 371. diæta. 372
Memoria in maniacis maximâ ex parte ſeruatur. 408
*Menſes* vomitu reiectæ. 850
*Mentula* monſtroſa. 1129
*Mercurius* dulcis, vitæ. 1056
*Meſaraica* vaſa quotuplicia. 942
*Meſenterium* vnde dictum. ibid.
Meſenterium multis morbis eſt obnoxium. 944. cur Medicorum dicatur nutricula. ibid.
Meſenterij morbi obſcuri & antiquis ferè ignoti. ibid.
Meſenterij intemperies. ibid. curatio. 945
Meſenterij vaſorum anguſtia & obſtructio. ibid. eius cauſsæ. ibid. ſigna, prognoſtica, curatio. ibid. per aperientia. ibid. hæmorrhoides, purgantia, vomitoria, diuretica. 946. chalybem, acidulas. ibid.
Meſenterij inflammatio ibid. cauſſæ. ibid. ſigna, prognoſtica. 947. indicationes, curatio, diæta. ibid.
Meſenterij tumores, abſceſſus, ſuppuratio & corruptio, cauſæ. 947 ſigna. 948 prognoſtica. 949
Meſenterium infinitis ferè abſceſſibus refertum. ibid.

Mesenterij lapides, abscessus, gangræna. 948
Mesenterij symptomata,dolor, 949.signa, prognostica, curatio 950. per clyster. vomitor. externa & anodyna. ibid.
*Mezerei* folia. 1056
*Mictio* inuoluntaria, causæ, signa, prognostica, indicationes, & curatio. 1114
*Millepedum* præparatio. 1100
*Miserere* mei quid. 873
*Modiolo* non nisi summâ necessitate vrgente vtendum. 325
*Modus* deligandi vulnera abdominis. 1154
Modus suturæ faciendæ in abdomine triplex. ibid.
*Mola.* 1153
*Morbi* intemperiei capitis, signa, curatio. 261
Morbi conformationis in capite, 304. caussæ, signa diagnostica, prognostica, indicatio & curatio. 305
Morbi meatuum & cauitatum cerebri, 305. caussæ, ibid. signa diagnostica, 306. prognostica, curatio. ibid.
Morbi numeri in capite. 307. 308. signa diagnostica, indicationes ibid. curatio. ibid.
Morbi magnitudinis in capite. 309
Morbi solutæ vnitatis. 311. caussæ, prognostica, indicationes, curatio. ibid.
Morbi venenati & maligni, & tota substantia cerebro contrarij. 302
Morbi per crisin facti citiùs curantur. 410
*Moschus* in hystericis vitandus. 270
*Motus* impotentia. 445. latius patet quàm paralysis, ibid. caussæ, signa. 446. prognostica. ibid. curatio eius quæ fit à musculorum refrigeratione, ibid. ab exsiccatione. ibid. curatio ex duris tumoribus & ligamentorum vitijs. 447
Motus veluti fibrans ventriculi. 827
*Mucronatæ* cartilaginis prolapsus 733. eius caussæ manifestæ, obscuræ. ibid. symptomata ac signa. ibid. prognostica. ibid. curatio. 735
Mucronatæ cartilaginis prolapsus an sit morbus fictitius. 734. qualis sit morbus. ibid. huius morbi nomen & natura. 733. quæ partes in hoc morbo afficiantur. ibid.
*Mulsum* cephalicum. 267
*Multitudinis* morborum & symptomatum in scorbuto causæ. 996
*Musculorum* abdominis inflammatio, signa, curatio. 1061
*Musculi* oculis cur dati. 575
Musculorum oculi vitia. 535. 576. paralysis, conuulsio. ibid.
*Musicæ* in Tarantatis vis. 423
Μυδρίασις quid. 563
Μυοκέφαλον quid. 562
*Myrobalani* humorum ad caput motum impediunt & caput roborant. 321
Μυωπία. 579
Μύωσις. 564

N

*NApi* feminis vsus in variolis, 197. in petechialibus febribus. 200
*Narcotica* an ad inhibendum paroxismum exhibenda. 116
Narcotica in appetentia nimia cautè vsurpanda. 820
Narcotica in qua colica conueniant. 878. tribus modis hic vsurpantur. 879
Narcotica in dysenteria quando exhibenda. 914
Narcotica & Hypnotica. 345. interna. 345. externa. 346. in qua parte capitis applicanda. 532. quo tempore exhibenda. 347. quâ vi somnum concilient. 350. spiritus sopiunt, 512. apoplexiam inducere possunt. ibid. noxa ab illis inducta vt corrigenda. 348. eorum vim quæ infringant. 353
*Narium* angustia, caussæ, 606. curatio. ibid.
Narium cancer, signa, curatio, 604. doloris cum vlceribus curatio. ibid.
Narium fœtor, caussa, signa diagnostica. 608. prognostica, indicationes, curatio. ibid.
Narium hæmorrhagia, ibid. caussæ. 609. differentiæ, signa diagnostica. ibid. futuræ indicia. ibid. indicationes. curatio. 611. diæta, 613. in huius curatione canones obseruandi. 611
Narium Polypus, 604. caussæ, differentiæ, prognostica. 605. indicationes, curatio ibid. per chirurgiam, per medicamenta. ibid. topica. ibid.
Narium sarcoma. 604
Narium vlcera, 602. caussæ, differentiæ, ibid signa diagnostica, prognost. indicat. curatio, 603. vlceris corrosiui curatio. 603. diæta. 604
Narium vsus. 602
Narium vulnera. 606
*Nausea* quid, causæ, 536. signa. 537. prognostica, 538. indicationes, curatio. 539
*Nerui* auditorij morbi. 597
Nerui omnes à cerebro & spinali medulla oriuntur. 306
Nerui optici affecti signa. 579
Neruorum opticorum vitia, 535. 574. angustia, caussæ, signa diagnostica, prognostica. ibid. curatio. 574. contorsio ibid. vulnera. ibid.
Neruorum opticorum coniunctionis quæ sit caussa. 584. eorum siccitas an sit caussa læsæ visionis. 579
*Nictatio* oculorum vnde proueniat. 435
*Nitrum* etiam crudum potentissimum ad febres expugnandas. 46. in febribus biliosis præstantissimum 68.
*Nocturnæ* lucubrationes memoriæ obsunt. 372
*Noduli* odorati calidi. 270. in vigiliis nimiis. 347. pro sistendis catarrhis. 523
*Nodus* penis. 1127
*Nomina* quotidianæ, tertianæ, &c. non constituunt febrium differentias, sed humores. 9
*Nucis* moschatæ in Erysipelate vsus. 80
*Nux* moschata non tantùm ob manifestas, sed & occultas qualitates memoriam confortat. 369
*Nutricum* incuria in infantibus fasciis constringendis. 728
*Nyctalopia* quid 579. caussæ. ibid. prognostica. 581

O

*OBauditus*, caussæ. 597
*Obcæcati* ex suffusione cur splendorem ac lumen sese videre interdum existiment. 584
*Obscuræ* desipientiæ quæ Hippocrati dicantur. 335
Obstructio meatuum cerebri, eius caussæ. 306
*Obstructio* neruorum quomodo fiat. 449
Obstructio sola ad generationem vitiosorum humorum non sufficit. 471
Obstructiones aperientia medicamenta. 45
ὀδοντάγωγὸς, seu forceps dentarius plumbeus in templo Apollinis suspensus. 632
*Oculi* atrophia. 576. caussæ, signa diagnostica, prognostica, curatio. ibid.
Oculi defectus. 576
Oculi morbi quotuplices. 534
Oculi partes duplices. ibid.
Oculi totius morbi. ibid.
Oculi τάραξις: χήμωσις. 544
Oculis illapsa quomodo eximenda. 543
Oculis peculiari vi nocentia. 550
Oculorum curandorum regulæ generales. 546
Oculorum dolor. 560. caussæ. ibid. signa diagnostica, prognostica, curatio. 561

Oculorum fuggillatio,cauſſæ,differentiæ,ſigna diagnoſtica, prognoſticum, curatio. 559.560
Oculorum ſymptomata. 535
Oculorum vulnera. 558
Oculus leporinus. 539
Oculus variis morbis obnoxius. 533
*Odoramenta* caput refrigerantia, 265.moderatè,& non, niſi purgato corpore, vſurpanda in catarrhis ſiſtendis. 521
*Odorata* ſpiritus reficiunt. 265 & 295
Odorifera an tempore peſtis conueniant. 163
*Oeſophagi* morbi. 780
Oeſophagi intemperies, ibid. prognoſt.indicationes & curatio. 781
Oeſophagi tumores, ſigna, prognoſt. indicationes, curatio. ibid.
Oeſophagi anguſtia, cauſæ, ſigna, prognoſt. curatio. 782
Oeſophagi relaxatio, cauſæ, curatio. 783
Oeſophagi vulnera, ſigna, prognoſt. curatio. ibid.
Oeſophagi vlcera,ſigna, prognoſt. curatio. 784
*Oleum* ſcorpionum Matthioli ad peſtem. 163
Oleum viperarum magni Ducis Hetruriæ. ibid.
Oleum citri in palpitatione cordis valde vtile. 769
Oleum lini in pleuritide epidemia,aluum mouens. 711
Oleum hyperici Solenandri. 866
Oleum è baccis Sambuci expreſſum. 1055
*Olea* cephalica refrigerantia. 264. calida. 267. humectantia. 272
Olei chamæmelini vires. 265
Olei è vitellis ouorum in membranis cerebri putreſcentibus vſus. 326
Oleis deſtillatis calidis cera admiſcenda. 508
Oleum ad grauitatem auditus Brunneri, 600.Næuij,ib.
Oleum flor.cichorij. 547
Ol. florum cyani ophthalmicum. ibid.
Ol. Hiſpanum ad vulnera breuiſſimo tempore ſananda. 328
*Olfactus* læſio, 606. aboliti cauſſa. 607. imminuti, deprauati cauſſæ, ibid. ſigna diagnoſtica, prognoſtica, 607. indicationes, curatio. 607
*Omenti* morbis. 951
Omenti pars quænam, vitioſos humores potiſſimum ſuſcipit. ibid.
Omenti tumores. ibid.
Omentum peritonæo annexum, ſitus mutatus,putredo. vulnera. ibid.
*Omnes* diu abſtinentes humore melancholico ferè abundarunt. 817
Omnes partes moleſta à ſe expellunt, ſed diuerſo modo.832. aliàs. 532
Ὀμφαλοκήλη quid. 863
*Ophthalmia*, 543 cauſſæ. 544.differentiæ.ibid. quædam periodica, contagioſa, 545. ſigna diagnoſtica, ſigna cauſſarum, ibid temporum morbi, ibid. prognoſtica. ibid. indicationes, curatio. ibid.
Ophthalmiæ leuioris à cauſſis externis curatio. 546. ab apum & veſparum ictu, ibid.ab ictu & caſu, ibid. à cantharidum, erucarum, & formicarum contactu. 547
Ophthalmiæ veræ curatio, venæ ſectione. ibid præparantibus medicamentis, 547. purgantibus, particularibus euacuationibus, ibid. topicis. ibid. errhina num conueniant, ibid. diæta. 550
Ophthalmia ſicca. 551. differentiæ, cauſſæ, curatio.ib.
*Opiata* in ophthalmia non, niſi ſummâ vrgente neceſſitate, adhibenda. 548. moderatè quoque in oculorum dolore vſurpanda. 559. 560. in dolore aurium quando & quomodo adhibenda. 601
in Opij & opiatorum vſu quæ obſeruanda.347. ſi vires valde debiles, non exhibenda. ibid. frequens eorum vſus fugiendus. ibid. infantibus & pueris parcè admodum exhibenda. ibid. memoriam & ingenium labefactant, ibid. non in principio, aut inſtante criſi exhibenda. ibid. in phrenitide cautè iis vtendum. 380. tutius clyſteribus permiſcentur. ibid.
Opium eſt calidum. 351. cerebro & neruis nocet. 352. quomodo corrigendum. 351
Ὀπισθότονος. 464
*Opobalſami* vis & vſus. 168
*Oris* apertio læſa, eius cauſæ, ſigna, & curatio. 626
Oris diſtortio, cauſæ remotæ, ſigna, prognoſtica & curatio, 627. diæta. 629
Oris fœtor,eius cauſa,ſigna, prognoſt.curatio. 648
Oris hiatus, eius cauſæ, prognoſtica, & curatio. 626
Oris inflammatio, eius ſigna, curatio. 644. & ſeqq.
Oris peruerſio ex reſolutione neruorum. 644 & ſeq.
Oris vlcera & ἄφθαι. 647. eorum cauſæ,differentiæ, ſigna, prognoſtica, indicationes, curatio, diæta. ibid.
Oris collutiones in intemperie capitis calida. 265
*Orthopnœa.* 738
*Oſcedo* quid. 981
Oſcitatio, eius ſigna, prognoſtica curatio. 626
Oſcitatio. 434
*Oſſa* in vulneribus capitis quando & quomodo extrahenda. 323
*Oſſa* in pulmonibus genita. 689
Oſſis palati corruptio. 647
Oſſiculum triangulare in cranio humano. 496
*Ouorum* teſtæ ad oculorum vnguem. 532
Oua an febricitantibus conueniant. 50
Oua in dorſo. 732
*Oxymel.* 45
Oxymel helleboratum Geſneri. 114
Oxymelitis vſus in ſynochia. 62
Oxyrrhodina in intemperie capitis cal. 264. quando plus,quando minus aceti iis admiſcendum.ibid. vtilia ſunt in omnibus capitis affectibus,279.quæ in iis notanda. ibid.
*Ozæna* quid.603. cauſſæ. ibid.

P

*PAlpebrarum* aſperitas.535.calloſitas.ibid.cancer.538 curatio. ibid. coalitus. 540. cauſſæ, prognoſtica. ibid. curatio. 540. combuſtio. ibid. denſitas. 536. grando. 538. hordeolum. 538. exſcindendi modus. 538. hydatides.536. curatio. ibid. inflammatio.535. inſtabilitas illarum, 543. cauſſæ. ibid. curatio. 543. inuerſio & contractio. 539. lithiaſis, 543. motus læſus, 538. nodi & excreſcentiæ. 538. pilorum defluuium,542.cauſæ curatio,ibid.ſcabies.536.τράχωμα, 535.τριχίασις, 541.cauſæ.ibid.prognoſtica. curatio. ibid. tumor. 535.verrucæ.537. vulnera. 542
Palpebrarum vſus. 535
*Palpitatio* ventriculi. 827
*Pancreatis* vſus nobilior. 943 & 950
Pancreatis vſus vulgaris. 950
Pancreas lienis vicarium viſcus. ibid.
Pancreatis morbi & ſymptomata,curatio, tumores & abſceſsus. 951
*Paracelſicorum* opinio de febris natura examinatur. 4
*Paræus* an per nares vaporem peſtilentem hauſerit. 133
*Pandiculatio.* 434. cauſæ.434. prognoſtica & curatio. 435
*Paralyſis* 447. paralyſis & ſtupor in quibus differant. ibid.definitio.447.differentiæ 448.cauſæ.ibi.cauſa proxima ſpirituum animalium defectus, ib. paralyſis ab intẽperie frigida & humida.ib.à vi narcoticâ.449. ſcorbutica vnde proueniat,ib. à neruorum anguſtia. ib.à ſoluta vnitate.ib.cauſæ euidentes&procatarcticæ quæ, quæ diſponentes, ſigna diagnoſtica. 450. locus affectus quomodo cognoſcendus. 451. cauſarum

rum signa. 451. prognost. ibid. indicationes. 452. curatio paralysis pituitosæ. ib. vena quando in ea aperienda. ibid. lenientia & purgantia mitiora.ibid. vomitoria,ibid.præparantia quando vsurpanda.453. purgantia fortiora. ib. particulares capitis euacuationes.454. sudorifera ibid. neruos roborantia.455. topica.456.diæta,458.à caussis euidétibus curat.459
*Paralysis* caussa qui humores esse possint.460.quot modis excitari possit. ibid.
Paralysis ex humore tenui,ex colica, scorbuto curatio. 458
in Paralysi an sudorifera exhibenda. 461
Παραφίμωσις quid. 1130
Paralysis scorbutic. 1001. quomodo excitetur. 1002
Paralysis & conuulsio in tortura oris interdum iunguntur. 627
Paralysis in inflammatione pulmonis. 678
Παρακέντησις quid, vbi locum habeat, quo in loco fieri debeat. 1059
*Paraphrenitis* 176. caussæ.signa diagnostica, prognosticum, curatio. 276
*Pars* demorsa ab animali rabido an statim amputanda. 418
*Paroxismum* in quartana non impedire. liceat. 116
Paroxismi die an liceat purgare. 103
Paroxysmus venæ sectionem proximè sequens cur sit grauissimus. 101
Paroxismorum intermittentibus causa, ordo, 87. 92. anticipatio & postpositio, longitudo & breuitas. ibid.
*Partes* solid. ex quibus componuntur. 125
*Pastinacæ* marinæ radius dentes excidere facit. 638
*Pectoris* cum hæmorrhoidali arteria consensus. 945
Pectoris dolor, 757. eius signa, prognost. & curatio. 758
*Pediculi* in dorso. 732
*Pedum* lotiones in vigiliis nimiis. 347
*Penis* morbi, eius meatus vitia, eius numerus viciatus. 1127
Penis distortio. ibid.
Penis inflatio. 1128
Penis inflammatio. ibid.
Penis tubercula & verrucæ. ibid.
Penis vulnera. 1129
Penis vlcera,fistulæ, 1129. gangræna. differentiæ,signa, prognostic. curatio. ibid.
Penis erectio læsa, caussæ 1137. signa, prognostica, indicationes & curatio. 1138
Penis dolor. 1055
Penis exulceratio in scorbuto. 1008
*Pericardij* aqua aucta, vel deficiens. 762
Pericardij corruptio. ibid.
Pericardij defectus. ibid.
Pericardij putredo, tumores, vulnera. ibid.
*Pericranium* per suturas duræ meningi adnectitur. 313. in vulneribus capitis quando incidendum. ibid. in pueris non facilè secandum. ibid. eius sectio quando tentanda. 321
*Periodorum* in febribus causæ secundum Astrologos, Galenum. Sanctor.Plater. Authorem. 87. & seq.
Periodorum an ratio reddi possit ex partium dispositione, an ex humorum natura, an ex putredine, an ex occulta proprietate, 88. controuersiæ explicatio. 90
Periodos humorum negantium sententia. 89
Periodi humoribus respondent. 91
*Peritonæi* morbi. 1061
*Pestis* nomen quid significet. 132
Pestis an certum & vnum morbi genus sit.ibid. cur tot & tam varios secum trahat morbos & symptomata. ibid.
Pestis, seu pestilentiæ natura,131.variæ de ea authorum sententiæ 132. an in putredine consistat, ibid. an febrem semper habeat coniunctam, 135. an febres eæ, quæ cum peste coniunguntur, omnes sint synoch. 136.
Pestis definitio. 138
Pestis cordis morbus,133.perniciosiss.ibid.contagiosiss. 137. cur alias partes lædat. 134. an possit esse morbus Endemius 133. cur in Turcia tam familiaris 137. an bis hominem corripere possit. 152
Pestis est contagiosa.145. Vires subitò prosternit. ibid. Antiquorum an fuerit contagiosa.137.cum peste infectis cur quidam innoxiè conuersentur. 152
Pestis Generatio.138.an omnis sit contagiosa.137.an sit peculiare morbi genus. 179
Pestis cerebro & vicinis membris primùm infectis num detur. 133
Pestis cur non omnia animalia simul inuadat. 135
Pestis crudelissimæ historiæ. 137
Pestis & Pestilentis febris discrimen secundùm.Anton. Port. 179. Mercat. 179. Authorem. 180
Pestilentium & malignar. febrium discrimen. 180
Pestis causæ. 139. An Deus sine causis secundis quandoque pestem inducat. ibid. Plateri de pestis origine opinio. 140. à sagâ defunctâ induct. historia. seqq.
Pestis imminentis signa. 153 & seqq.
*Præseruatio* à peste in quibus consistat. 156. ab alexipharmacis potiss.dependet.157.quomodo instituenda est per purgationem. 157. Venæ sectionem. 161. fontanell.162. Diætam. 161
Pestis præsentis signa. 154. ex animalis & naturalis facultatis læsione. 155. vrinâ ib.sudore.ibid.alui deiectione.155.qualitate corporis mutatâ. ibid.
Pestis in vno saltem latentis signa obscuriora. 155. in mortuis signa. ibid.
Pestis Prognostica.156. curatio per Purgationem. 170. Venæ sect. ibid. tutissima per alexipharmaca & sudorifera. 172. externa. 174
Pesti incipienti quomodo occurrendum. 156
Pestilens & Epidemium differunt. 326
Pestilentis veneni natura & vis secund. Fracastorem, Augen. Minadoüm. Port.Massar. 136. secundùm Authorem. 136
Pestilens venenum an omne septicum 137. totum ex corruptione aliarum rerum oritur.344.modò viper. ac dipsadis, modò cicutæ ac napelli vires imitatur. 137. naturam eius specificam nemo satis explicauit. 138
Pestilentes febres plerumque pestem præcedunt. 446. omnes sunt continuæ.182,earum caussæ. 183. signa. ibid. Prognostica.185. Curatio. ibid.
Pestilentes febres sine peste. 179
*Petech.* quomodo ab aliis maculis discernendæ. 199. vnde oriantur. ibid. generationis modus. ibid. raro per modum Crisis erumpunt. 200. materia in venis latente nihil tollunt. 200
Petechiales febres.199.an antiquis cognit. ibid. earum different. 200. & signa ibid. per aluum lenientia. ib. venæsect. ibid. sudorifera 201. medicamenta externa ibid. vesicator. ibid. quid agendum in alui fluxu cum petechiis. ibid.
Petechiales febres an peculiarem curandi rationem requirant. 200
Φαγέδαινα quid. 818
*Phantasia* & ratiocinatio quotupliciter læduntur. 365. quibus caussis læduntur. 366.à primo ortu si læduntur, plerumque non curantur. ibid.
*Philtra* vnde dicantur.389. quid sint, an amorem inducere valeant. 390
*Phimosis* quid. 1130
*Phlegma* quid significet Hippocrati. 941
*Phœnigmus* in intemperie capitis frigidâ sine materia. 270. catarrho suffocatiuo. 524

*Phrenitis*

*Phrenitis* 378. quid sit.ibid. caussa proxima. 379. differentiæ, phrenitis θορυβώδης, ἀσαφώδη. ibid. signa, ibid.quibus ab aliis affectibus dignoscitur 380. prognostica. ibid. curatio. 381.diæta. 555
φλύκταιναι pustulæ corneæ.555. caussæ, ibid. signa diagnostica, prognostica, indicationes. 556. curatio. ibid.
*Phthisis* definitio, eius subiectum, 694. causæ ibid. differentiæ,signa incipientis 695.perfectæ.696.prognostic. ibid. indicationes,curatio 697.diæta. 699
*Pica* quid,quomodo differat à malacia. 821
Picæ subiectum siue sedes propria ibid. caussæ, signa, prognost.curatio, diæta. 823
Πικρόχολοι qui. 847
*Pili* in ventriculo geniti. 803
Pili & filamenta in renibus genita. 1089
Pila è succino manibus gestata & naribus admota caput roborat. 296
Pilei in intemperie capitis frigida. 270. in humida. 271
Pilorum è palpebris defluuium.542. curatio. 542
*Pilulæ* an commodius è capite, quàm alia medicamenta euacuent. 276. ad caput purgandum quando exhibendæ. 522
Pilulæ catarrhum intercipientes. 522
Pilulæ narcoticæ Plateri. 344.Dorncreilij. 344
Pilulæ pituitam è capite purgantes. 290. purgantes in melancholia hypochondriaca Plateri. 403
Pilulæ tartareæ. 956
*Pisces* an febricitantibus conueniant. 50
*Pituitam* in capite præparantia. 290. purgantia. 290
Pituita in intestinis collecta. 856
*Plantag.* radic.vires in quartan. 115
*Plateri* noua opinio de singultu. 832. aliàs 532
*Pleuritis* scorbuticos affligens. 1001
Pleuritis, angina & peripneumonia epidemia. 211
Pleuritis, eius caussa proximá, remotæ differentiæ, signa, tempora,signa differentiarum,prognost.indicat. curatio, diæta. 703 & seqq.
Pleuritis vera, notha. ibid.
Pleuritidi veræ & nothæ differentia. 705
Pleuritidis & peripneumoniæ differentia. ibid.
Pleuritidis à diaphragmatis inflammatione discrimen. ibid.
Pleuritidis ab epatis inflammatione differentia. ibid.
Pleuritidis salutaris terminatio, signa salutis in pleuritide, signa mortis. 707
in Pleuritide ante annum 14.vena non secanda. 708
Pleuriticorum victus à veteribus accuratè præscriptus, 714
*Pœoniæ* radix quando colligenda. 481
*Poma* odorata in intemperie capitis calida. 265. in frigida. 269. somnifera. 347
*Pollutio* nocturna, caussæ, signa, prognostica 1053. indicationes & curatio. 1144
*Potiones* purgantes in melancholia hypochondriaca. 402
Potiones vulnerariæ in capitis vulneribus. 328
*Potus* in febribus. 53.modus in potu in continuis obseruandus. ibid.
Potus ex brancâ vrsinâ. 70
Potus scorbuto generando aptus. 993
*Præputij* morbi. 1130
Præputium curtum. 1132
Præputij fissura. ibid.
Priapismus, caussæ, signa, prognost. indicationes & curatio 1139. diæta. 1140
Πρόπτωσις tunicæ ῥαγοειδοῦς. 562
Prospectus ab alto & in profundum cur vertiginem excitet. 365
*Pruritus* carunculæ lachrymalis. 571
Ψωροφθαλμία seu ophthalmia sicca. 551
Pruritus scroti & præputij. 1055
Ptarmica quæ dicantur. 292
Πτερύγιον. 551.& 552
Πτίλλωσις, caussæ,542. curatio. ibid.
*Ptisana* quid. 49
Ptisanæ in febribus vtilitas, Manardi eam improbantis refutatio. ibid.& 50
Ptisan. cremor. 50
*Ptyalismus*, eius causæ, signa, prognostic. curatio. 629 & seqq.
*Pulmones* in scorbuto non primò afficiuntur. 994
Pulmonis vasorum apertio quot modis fiat 686. eius signa, prognostica, indicationes, curatio, diæta. 686. & seqq.
Pulmo quando euacuetur. 675
Pulmo repletus. 681
Pulmonis cancer. 700
Pulmonis hydatides. 692
Pulmonis inflammatio. eius caussæ, ibid. diferentiæ. 676. signa. ibid. prognost. indic. & curatio. 677. diæta. ibid.& seq.
Pulmonis intemperies eius caussæ, signa, prognostica, indicationes, & curatio. 5. diæta. 674
Pulmonis morbi in numero deficiente. 690
Pulmonis sphacelus. 700
Pulmonis tubercula cruda & suppurata. caussa ibid. signa, prognostica & curatio. 690. 691
Pulmonis vlceris caussæ proximæ 201. mediatæ. 695. & seqq. signa. ibid. prognostica. 206. curatio 697. Diæta. 699
Pulmonum vlcera peculiaria. 700
Pulmonum cum latere coalitus, eius caussæ, signa, prognost.curatio. 692
Pulmones refrigerantia. 675. calefacientia. 676. siccantia ibid. humectantia. ibid.
Pulmonum vulnera.692.signa vasorum pulmonis vulnerat. 693. signa carnis pulmon. vulneratæ ibid. prognostica. ibid. indicationes & curatio.ibid. diæta. 694
Pulmonis vulnerati historia. 693
Pulmonis planè consumpti historia. 692
*Pulsus* & respirationis differentia. 12 & seq.
Pulsus in scorbuto qualis. 998
Pulsus febris quis. 8
Pulsus in peste. 154
*Pulueris* bombardici vires in peste. 163
Pulueres capiti inspergendi pro sistendis catarrhis. 485.
Pulueres cephalici frigidi. 265.calidi, 268. exsiccantes, 272.pituitam purgantes. 291
Pulueres ophthalmici non diu in oculo detinendi. 554
Pulueres præseruantes ab apoplexia. 362
Puluis ad hæmorrhagiam narium D. Caspar. Kegleri, 611. alius D. Dorreri. 612
Pulueres contra vertiginem. 358
Puluis è Nicotiana. 292.ex cinnabari natiua. 299.Guainerij. 360
Puluis Narcoticus. 344. purgans in melancholia hypochondriaca. 403
Puluis Trithemij. 371
*Pupillæ* vitia. 534
Pupillæ angustia. 564. caussæ, signa diagnostica. ibid. prognostica, curatio. 564
Pupillæ dilatatio. 562. caussæ, 563. differentiæ, signa diagnostica, prognostica, indicationes, curatio. 563
Pupillæ dilatationis num siccitas sit caussa. 563
*Purgantia* non attrahendo, sed humores fermentando, & naturam stimulando euacuant.276.an post cœnam conueniant. ibid.
Purgantia duplicia. 36
Purgantia propriè dicta quo morbi tempore exhibenda. 37. an in augmento febrium, an in statu. 43. an & in quorum morborum principio secundum Capiuacc.& Capritium.38. Rudium, Roboret, Saxon. ibid.

ibid. mercurialem. Altim. fodoc. Lommium, Author. 39
Purgatio in quibus morbis per vires instituenda. 72
Purgationis intempestiuæ incommoda. 38
*Pus* per aluum deiectum. cur à partibus remotis per aluum excernatur. 934
Pus an interdum per hæmorrhoides euacuetur. 941
Pus in empyemate sensim euacuandum. 725
*Pustul.* circa labia erumpentes remissionem febris nunciant. 96
*Putredinis* vocabulum ab antiquis vt vsurpatum. 19
Putredinis definitio Aristot. Galenica, ibid. differentiæ 20. modus. ibid.
Putredo secundum partem. ibid.
Putredo secundum totum. ibid.
Putredo an sit naturalis. ibid.
Putredinis vocabuli vsus apud antiquos. 22
Putridæ febres non omnes ab obstructione. 23. varietas, 27. caus. 25. oritur à solo calore humido. 134
Putredo humorum in febribus qualis, an sit nuda alteratio. an pariat febres pestilentes. 20. an semper accidat humoribus in loco proprio contentis. 21. an semper ab obstructione fit in febribus 22. Quid indicet. 29. quibus medicam. inhibeatur. 87
Putridorum occursus & vicinia quomodo febris causa. 25
Putrid. febr. definitio. differentia, causa efficiens. ibid. primaria, 27. signa ex calore ibid. vrina. 28. pulsu ib. indicatio. 29
Putrid. malign. & contagios. 27
Putrid. contin. primar. symptomatic. ibid.
Putridarum febrium causa proxima vbi contineatur, 86. earum ab Ephemeris discrimen. ibid.
*Pyrethri* radicum efficacia singularis in epilepsia. 481

Q

QVæ vena in scorbuto aperienda. 1010
*Qualitates* occultæ num tantum corpora proxima afficiant. 497
Qualitatis ciborum ratio est habenda. 830
*Quandiu* homo inediam tolerare possit. 809
*Quartan.* febris causa. 109
Quartanæ autumno frequentiores. 109
Quartan. & aliæ diutur. febres plerumque circa æquinoctia & solstitia incipiunt & desinunt. 93
Quartana continua, eius signa, prognostic. & curatio. 75. Diæta. 76
Quartan. intermitt. causa proxima. 109. remota, signa ex modo inuasionis, calore, pulsu & vrina. 110. prognost. indicationes, curatio, per aluum purgantia. 111. hæmorrhoid. apertion. venæ secti. 112. alterantia, 113. præparantia & concoquentia vomitoria, discutientia, & sudorifera, 115. appropriat. robor. 116. diæta. 117
Quartana duplex, triplex, eius curatio. 123
Quartana biliosa sanguinea dicta qualis sit. 109
Quartan. toti ferè German. Epidemiæ historia. 110
Quartan. num bis hominem inuadat. 110. ea laborantes rarò peste corripiuntur. 342
*Quintan.* febres an dentur. 93. earum causa. 228. cura, 94
*Quotidian.* exquisit. rar. 72
Quotidiana continua. 71. eius signa ibid. quomodo ab hecticâ discernenda. ibid. prognost. ibid. curatio. ibid. per aluum laxantia. 72. venæsectio. ibid. coquentia & alterantia purgantia. 73. Diuretica. ib. sudorifera. ibid. confortant. ib. Diæta. ibid.
Quotidiana intermit. an detur. 107. eius caus. ib. signa, ib. ex inuasione. 107. calore. ibid. vrinâ. ibid. pulsu & paroxysmo. 108. prognost. ibid. curatio per venæ sectionem & vomitoria. ibid. præparantia. purgantia, Diu. & sudorifera. 108. 109
Quotidian. intermitt. noth. signa. 108
Quotidiana duplex. 123

R

RAbidi cur aquam abhorreant. 417
*Rabies* 415. caussæ. 416. signa diagnostica. ibid. signa rabiei incipientis. 417. iam. factæ. ibid. prognostica, ibid. indicationes, curatio, 418. rabiei imminentis curatio & per totum annum præseruatio. 420
Rabiei ab esu animalium rabidorum. histor. 149
Ranar. viridium in hecticâ vtilit. 130
Ranula sub lingua caussæ. 616. curatio. 617
Ranuncul. carpo allig. in quartan. 116
*Raporum* decoctum ad quartanas. 114
*Raucedo* vide *vocis vitia*.
Raucedinis à catarrho curatio à pure 750. à caussis externis. ibid. & seqq.
Recidiua in febribus vnde. 78
*Rectitudo* quid. 709
*Refrigeratio* intestinorum quomodo colicam excitet. 886
Refrigerantia cautè cerebro adhibenda, 263. an in principio aliquam adstringendi vim habeant. ib. posteriori capitis parti applicata neruos lædunt. 263. stuporem quæ inducunt, in capitis affectibus, nisi dolor aut vigiliæ vrgeant, non vsurpanda. ibid.
*Regum* galliæ in curandis strumis vis. 671
*Renum* vsus secundum plerosque. secundum sacras literas. 1078
Renes an præter expurgationem seri alium adhuc vsum habeant. ibid.
Renes habent peculiare parenchyma. ib.
Renes cur arteriæ immittantur. 1079
Renum intemperies calida & sicca, caussa, signa, progn. indicationes, curatio, & diæta. ibid.
Renes refrigerantia medicamenta. ibid.
Renum intemperies frigida, caussa, signa, prognost. indicationes curatio. & diæta. 1080
Renum numerus mutatus. ibid.
color mutatus. ibid.
substantia. ibid.
alij morbi. ibid.
Renum inflammatio, & caussæ, signa, prognost. 1089. indicationes curatio. & diæta. 1090
Renum tumores reliqui. ibid.
abscessus. ibid.
tumoris incisio. ibid.
scirrhus. ibid.
Renum tabes, 1091
Renum vulnera ib. diæta. ibid.
Renum vlcera. ib. caussæ ib. signa, ibid. prognost. indication. curatio & diæta. 1092
Renum imbecillitas & actio læsa, caussa, sign. progn. 1093. curatio. 1094
*Repellentia* an locum habeant in vertigine per consensum partium inferiorum, 365. quando sola quando cum digerentibus adhibenda. 279
Res cur alieno colore tinctæ appareant, cur inuersæ. ibid. cur perforatæ. 584
Res alienæ deglutitæ. 785
Res alienæ per aluum excretæ. 933
Res alienæ per penem excretæ. 1055
Res alienæ per vesicam excretæ. 1117
Res variæ per vmbilicum excretæ. 1036
Res p.n. in ventriculo repertæ. 856. 801. signa, prognost. 860. curatio. 861
Res monstrosæ vomitu reiectæ. 850
Res p.n. in intestinis repertæ. 856
Res in suo loco an putrescant. 20
*Respiratio* quomodo lædatur. 736

Respiratio

Respiratio læsa in genere 736. caussæ. 737
Respirationis difficilis & pectoris angustiæ in scorbuto curatio. 1018
Respiratio cur in apoplecticis seruetur. 501
Ῥεῦμα quid. 515
*Rhabarbarum* quomodo in dysenteria exhibendum. 911
*Rigiditatis* & contractionis membrorum in scorbuto curatio. 1021
*Rigoris* caus. 78. quomodo fiat. 92
Rigorem mitigantia medicament. 116
Rigoris in semitertianâ causa. 120
Rigor. 436. eius subiectum, generationis modus, 437. caussa proxima, 436. refrigeratio in rigore quomodo se habeat, 439. eius caussæ remotæ & mediatæ internæ, ibid. externæ, ibid. signa diagnostica ib. prognostica. curatio. 438
*Rob* sambuci cum aceto Theriacali ad pestem. 174
*Rosar.* aqua an vtiliter ante Paroxysmum febrilem bibatur. 115
*Rothlauff.* qualis sit morbus. 79
*Rotulæ* & morsuli cephalici calidi, 268. contra epilepsiam. 484
Ῥυάς quid, 569. caussæ signa diagnost. prognost. indicat. curat. 571
*Rubeola, Rossalia* vide *Variol.*
*Rubigo* quid. 906
*Ructatio* quid 836. aliàs 536. soli homini accidit. ib. caussæ, signa ib. prognostica curatio. ibid.
Ructus in scorbuto. 1003
*Ruminatio* quid. 828

S

*SAbare.* 379
*Sal* Ammoniac. sublimat. ad quar. 116
*Salacitas* & satyriasis. caussæ, signa, prognostica, indicationes, & curatio 1139. diæta. 1140
*Saliuæ* defectus 630. signa, prognostica & curatio. ibid.
Saliuæ & sputi differentia. 629
Saliuæ generatio, vsus. ibid.
*Saluatell.* in quartanâ & affectibus lienis Sectio an vtilis. 112.
*Sanguificatio* læsa. 1044. caussæ, signa, prognostica, indicationes & curatio. 1045
Sanguinis fluxus è dentibus. 640
labiis. 626
gingiuis. 641
Sanguis an ad animi deliquium in vlla febre mittendus. 17. sanguinis euacuationem quid indicet. 31. an sola plethora. 33
Sanguinis abundantia in corpore quando. 79
Sanguis quando & cur non semper in tertianâ mittendus. 101
Sanguinem ad caput fluentem quæ repellant. 283
Sanguinis humani vsus num conueniat in epilepsia. 497
*Sarcocele* vide *hernia carnosa.*
Sarcocollæ nutritio. 549
*Schvvachheit* qualis sit morbus. 770
*Scabiei* palpebrarum medicamenta. 536
Scabie erumpente febres soluuntur. 87
Scammon. ad ℨ.ii. item ad ℥. i. innoxiè à quodam deuoratum. 152
Scarificatio & cucurbitul. scarificat. differunt. 36
Σκελοτύρβη quid. 1001
Σκληροφθαλμία, 551
Σκύβαλα quid. 855
*Scorbuti* nomina, an fuerit antiquis cognitus, an sit icterus niger. 981
Scorbuti generatio 106. curatio. 116
Scorbuti nomina. 981. an fuerit antiquis cognitus. ib. an sit Oscedo. ibid. An. Stomacace & Scelotyrbe. ibid. Quando hoc nomen acceperit ibid. An sit icterus niger. ibid. an vitiligo nigra. 982. an ileos hæmatites, an græcis medicis fuerit incognitus. 983. subiectum & caussa 984. modus generationis. 985
Scorbuticorum morborum & symptomatum generatio. ibid.
Scorbuti subiecto quid denotetur. 986
Scorbuti subiectum duplex. ibid.
Scorbuti fons, seu locus generationis. ibid.
Scorbuti caussa non est humor melancholicus solùm crassus, sed sero dilutus peculiari modo corruptus. ibid.
Scorbuti caussæ remotæ, procatarcticæ & externæ. 992
Scorbuti signa ac morbi & symptomata quæ scorbutum comitantur. 995
Scorbutus in principio difficulter cognoscitur. ibid.
Scorbuti signa generalia. ibid.
Scorbuti incipientis signa, augmentum sumentis vt & ingrauescentis signa. ib.
Scorbuti prognostica. 1009. indicationes, curatio. 1010. diæta 1024. præseru. 1025
*Scotoma* quid. 356. scotoma qui patiuntur, omnes vertigine laborant. ibid.
Scroti apertio. 1060
Scroti morbi. 1122
Inflammatio. ibid.
Vulnera. ibid.
Excoriatio. ibid.
Vlcera. ibid.
Gangræna. ibid.
*Sebel* oculi quid 553. differentiæ, caussæ, signa diagnostica, prognostica, curatio, ibid. præsidia topica, chirurgica. ibid. diæta. 554
*Sectio* in hydrocephalo. 340
Sedes fracturæ cranij species. 316. eius differentiæ. 317. accidit semper cum cutis & pericranij vulnere. 316
*Seminis* generatio læsa. 1133. caussæ, signa 1134. prognostica. indicationes, & curatio. 1135. diæta. ibid.
Semi tertianarum febrium origo & causæ. 946
Semina calida in febrib. cautè vsurpanda. 102
Semitertiana febris 106. vnde dict. 119. qualis febris ibid. quot modis fiat. ibid. differt à Tertiana notha. ib. ex. quotidiana continua & tertiana intermittente componitur. ibid. eius causa. 121. signa, prognost. ib. curatio. 122. diæta. ibid.
*Senes* ad ratiocinandum & memorandum cur minus apti. 367
*Septanæ* febres an dentur. 93. à quo humore fiant. ibid.
*Seri* in capite collectionis caussæ, 295. serum non est pura aqua. ibid. duo eius genera. ibid. ibid. eius natura. ibid. quomodo variorum affectuum caussa sit, ibid. eius generatio. 296. serosum humorem quæ euacuant, ad eius euacuationem nullâ præparatione opus. ibid.
Seri lactis caprini in melancholia hypochondriaca vsus. 403. in maiori copia ad assumendum. ibid. in mania vtilissimum. 420
*Sermonis vitia* vide *vocis vitia*, *an omnis sermo vox sit.* 748
Sermonis vitiati caussa. 750
*Serosa* cacochymia. 953
Serum quid & quotuplex. ibid.
Serum propriè dictum. ibid.
Serum lactis præstantissimum ad febres biliosas. 68
*Setaceum.* 276
*Sexus* mutatio. 1132
*Siccatorius* morbus. 944

Siccitas an de essentia febris. 3
*Sieff.* de thure Rhasis. 553
*Signa* temporum dysenteriæ. 908
*Sinapi* vsus in apoplexia pituitosa. 506. Sinapismi. 294
*Singultus* in febribus. 215
*Singultus* ad facultatis expultricis irritatæ symptomata refertur. 831. Singultus quid. ibid. causæ. 832. signa, prognostica. 833. indicat. curatio. 834. diæta. 835. Singulti sedes. 832. Singultus & vomitus differunt. 832. aliàs. 532
*Siriasis* quid. 311. Sirsis calida. 379
*Sitis* deficiens quid, causa, signa, prognost. curatio. 824
Sitis nimia quid 825. causæ signa prognostica curatio, 826. diæta. 827
Sitis in scorbuto. 1003
Sitis in febribus. 214
*Smaragdi* in peste vsus. 162
Smegmata cephalica calida. 269
*Somni* finis & vtilitas. 341. proxima caussa. 342. quotuplex, 352. quot modis concilietur. 343
Somnum conciliantia medicamenta interna. 343. externa. 344
Somnus melancholicis remedium optimum. 385
Somnus p.n. 352
Somnia naturalia. 354
Somnus in febribus putridis multum vtilis 55. profundus in febribus. 213
Somni nimij in scorbuto curatio. 1022
Somnia naturalia. 354
Somnambuli qui, 425. à qua caussa ad motum incitentur, ibid. eorum natura & constitutio qualis. 426. caussa proxima. ibid. Lunam hoc malum excitare posse, ibid. signa diagnostica. 427. prognostica. indicationes, ibid. diæta. 427
Somnambuli in loco periculoso constituti inclamandi & excitandi non sunt. 427
*Sopor* grauis atque Ecstaticus. Vide *coma vigil.* 21
*Spasmi* à paralysi differentia. 465
Spasmus & spasma differunt. 461
Spasmus quid, ibid. caussa proxima. 462. definitio. ibi. subiectum, ibid. differentiæ. 464. signa diagnostica. ibid. prognostica. 465. curatio. 466. eiusdem per primarium membri affectum curatio. ibid. diæta. 468. per consensum. ibid.
Spasmus & paralysis interdum coniunguntur. 462
in Spasmo quæ caussa musculos contrahat. 462. pars contracta cur immobilis maneat, in conuulsiuo verò motu agitetur, 463. cur sensus in eo integri maneant, in conuulsiuis verò motibus lædantur. 463
Spasmus cur inflammationi coniungatur quandoq; 463
Spasmus flatulentus. ibid.
Spasmus proportionatus & improportionatus ad materiam. 464
Spasmus quomodo à cholerica passione excitetur. 464. quomodo ab elleboro & aliis medicamentis fortiter purgantibus. ibid. quomodo à frigore. 464
Spasmus Cynicus. 629
Spasmus Cynicus ex abscisso furunculo ortus. ib.
Species Occonis. 375
Sphincteris vesicæ refrigeratio. 1105
Spinæ dorsi contusio. 730. fractura. ibid. vulnera. ib.
*Spir.* ♁li veneris an in imbecillitate ventriculi conueniat. 830
Spir. mastiches ventriculum roborant. ibid.
Spiritus ⊖ & vitriol. in quotidiana continua. 73. tertiana. 102
Spiritus vitriol. vtilitas in peste. 170. febrib. malignis. 189. eius vsum qui prohibeant. ibid.
Spir. vitæ aureus Rulandi. 1057
Spiritum animalem dari eumque diuersum à vitali. 511
Spiritus animalis in cerebro duplex. 373
Spiritus animales roborantia & augentia. 303
Spiritus euphragiæ compositus. 582
Spiritus opticos confortantia. 575
Spiritus vini in vulneribus capitis vtilitas. 331
Spirituum animalium generatio, naturalis constitutio, vitia, 302. eorum defectus. 303. agitatio, curatio, 303. torpor & narcosis vnde. 502
Spirituum opticorum agitatio, 574. caussæ, ibid. differt à vera vertigine. ibid.
Spirituum opticorum vitia. 535. 574. crassities, ibid. caussæ, ibid. defectus, 575. vitia. 527. 574. eorum vitia an perspicillorum vsu corrigi possint. 575
*Splendoris* oculis obuersantis caussæ. 880
*Sputatio* & saliuatio continua in scorbuto, 1003. eius curatio. 1022
Sputum saguinis 759. caussæ ibid. differentiæ. ibid. signa ibid. prognost. 760. indic. & curat. ib. diæta. 761
Spuit. sanguinis in muliere à Galeno curati historia. ib.
Σταφύλωμα quid. 562
Sternutatio, huius commoda. 614. incommoda, caussæ, signa, prognostica, indicatio, curatio. 500. 614
Stillicidium sanguinis quid significet. 610
Stœchados Arabicæ vires. 266
Stomacace & scelotyrbe quid. 981
*Strabismus* caussæ, 577. differentiæ, signa diagnostica, 578. prognostica. curatio. ibid.
Strangulatio 747. eius caussæ ibi. progn. ib. curatio. 748
Strangulati laqueo quomodo curandi. ibid.
Stranguria vnde dicta, causæ, 1110. signa, prognostica, curatio. 1111. diæta. 1112
Stranguria an à frigiditate & imbecillitate vesicæ excitetur. ibid.
Strangulationis metus in scorbuto. 1003
Strumæ in gutture caussæ ibid. signa, prognostica, curatio. 668
*Stupidi* qui dicantur & Stupiditas, quid, 366. stultitia & stupiditas quomodo differant ibid. stupidos & stolidos nonnullos per morbum ingenium acquisiuisse. 366. stoliditatis & stupiditatis caussæ. 167
Stupor quid 526. eius caussæ. 526. differentiæ, signa diagnostica, prognostica, curatio. 527
Stuporis à spiritu vini & inebriatione curatio. 509
Subintrantes febres. 118
Sudorifera medicamenta. 47. sine sudore vix vlla febris finitur. ib. sudoris in peste modus 175. inter sudandum quomodo tractandus æger 175. quomodo post sudorem. ibid.
Sudoris Anglici ortus & historia. 207. natura, ibid. causæ, ibid. curatio. 208
*Sudores* in morbis à serosis humoribus vtilissimi. 296
Sudorifera quomodo in paralysi adhibenda. 457
Sudor copiosus in scorbuto. 1004
Sudorifera in dysenteria exhibenda. 913
*Suffitus* in intemp. capitis frigida. 270. in catarrhis sistendis. 525
*Suffocatio*, vide *Strangulatio.*
Suffocatio spontanea serui Barbari. 736
Suffocati ex vaporibus seu fumis vt curandi. 748. ex ex submersione in aquam ibi. à fungis venenatis. ibid.
Suffusio vera quid, 565. notha, subiectum, caus. ibid. diff. ib. signa diagn. incipientis augescentis, perfectæ, signa loci suffusionis, progn. 566. indicat. curat. veræ suffusionis. 567. per medicam. intern. ib externa reuell. 567. discut. exterg. ib. fomenta, 567. chirurg. 568. diæta. ib.
Sulphuris Lunæ præparatio. 432
*Sutura* in vulneribus capitis non facile instituenda. 314
Suturæ capitis tres, 305. earum defectus, 306. quibus ex caussis disiungantur. 311
Σύκωσις palpebrarum. 536
*Sycoses* quid. 870
*Symptomata* retentionis deprauatæ in ventriculo, curatio eorumdem 827. Symptomata, quæ accidunt in coitu. 1144. Symptomata febrium quomodo tollenda. 212. Symptomatic. febres. 76. earum differentiæ. ib. & seq. à primariis discrim. ib. pleræque quæ vulgo tales habentur, & ipsæ sunt prim. ib. à comitatis quibusnam signis discernendæ. 78. prognost. curatio. 79

*Syncopes* vox an Hippocrati in vsu fuerit. 772
Syncopes definitio. 773. caussæ ibid. differentiæ, signa. 774. prognostica ibid. indicationes & curatio. ibid.
Syncopes à cognatis affectibus differentia. ibi.
Syncopalis febr. humorosa ad pituitosas pertinet. 75. curatio. ib. Diæta. ibid.
Synochæ sine putredine inflatuos. dicuntur. 16. non generantur sine sanguinis abundantia. ib. earum caussæ. ibid. definitio. ibid. different. signa prognost. ib. curatio. 17
*Synocha* biliosa. 18
Synochæ putridæ. 58. an è vasis determinatis fieri possint. 58. ear. caus. ib. & seqq. diff. 59. signa. 60. Prognost. 61. curatio per victum. ibid. venæsect. ibid. purgant. ibid. Alterantia. ibid.
*Syrup.* de succo acetositatis citri. Limon. non adstringunt. 68. in continuis biliosis valde vtilis. 68
Syr. Regis Sabor. ad quartan. 114
Syrup. violar. in febre ardente & vbi aluus laxior solus non dandus. 67
Syrupi & potiones refrigerantes in febribus & doloribus capitis non nimis parcè exhibendi. 263
Syrupi cephalici calidi, 268. refrigerantes. 263. humectantes. 272
Syrupus de Iua Arthetica. 453
Syrupus papaueris infantibus sæpius exhibitus ingenium ac memoriam eorum hebetat. 348
Syrupus purgans Donati Antonij ab Altomari in melancholia hypochondraca. 402
Syrup. Stœchad. Arabicæ omnibus frigidis cerebri ac neruorum affectibus vtilis. 267. à principio non exhibendus 290
Syrupus Victor. Fauentin. ad memoriam confortandam. 370
Syrupus de helenio Augenij. 742
Syrupus de erysimo Lobelij. 751
Syrupus catarrhalis Kegleri. 754

T

*TAbes* dorsalis. 730
eius differentiæ. ibid.
*Tænia* quid. 856
Tarantulæ morsus. 421. caussæ. 422. signa diagnostica, prognostica, indicationes curatio. ad præseruationem quæ vtilia. ibid. alexipharmaca, ibid. nullum certius remedium quam Musica. 423
Tarantulas musicâ delectari, & ad cytharæ sonum tripudiare. 423
*Tartarum* quid & ex eo parata medicamenta vbi & quando vsurpanda. 946
Tartarum chymicorum quid. 968
Tartarum hypochond. 969
Taraxaci vsus in tertianâ. 102
Tartari & ex eo præparat. medic. vsus in tertiana notha. 104. in quartana. 114
Θηρία quid. 856
*Temperamentum* lumbricis generandis idoneum. 859
Temperamẽtum corporis in febre quomodo mutetur. 5
*Temulentia* & ebrietas. 276. signa diagnost. prognost. præseruatio. 377. curatio. ibid.
*Tenesmus* quid. caussæ. 935. signa prognost. curatio. 936
*Terror*, an pestem inducere possit. 144
Tertianæ febris causa. 27
Tertiana continua quid 66. eius causæ. ibid. signa. ibid. curatio per medicamenta lenientia, ibid. venæ sect. alterantia. 68. purgantia, 69. Diuretica. 69. sudorifera. ibid. Topica 68. diæta. 70
Tertiana continua notha. 70. Curatio. ibid.
Tertiana intermittens. 96. differentiæ. ibid.
Tertian. intermittent. exquisit. caus. 97. an ex bile æruginos. (vitellin. porracea generari possint. ibid. signa. 98. prognostic. ibid. curatio. 99. per lenientia. 100. vomitor. ibid. venæ sect. 101. præparantia & coquentia. 102. purgantia. 103. Diuretica. 104. sudorifera. ibid. appropriata. 105
Tertiana notha. 97. caus. ibid. signa. 98. curatio. 99. 100
Tertian. notha paroxysmi an intra 12. horas terminari possint. 98
Tertiana quomodo fiat perniciosa. 99
Tertiana duplex. 123. triplex. eius curatio. 123
*Testium* intemperies, caussæ, signa, prognostica, indicationes & curatio. 1119. diæta. ibid.
Testium numerus vitiatus, lapides in iis. 1120
Testium magnitudo vitiosa. ibid.
Testium tabes. ibid.
Testium inflammatio, caussæ, signa prognostica indicationes & curatio. ibid.
Testium inflatio. 1121. vulnera. 1122. vlcera ibid. cancer. ibid. gangræna. ibid.
Testium dolor. 1055
Τέτανος. 464
*Theriaca* Hippocratis. 87. in comate non vtendum. 353
Theriac. vis in peste. 168. vnde dependeat. 166
Theriaca cur hodie non easdem vires quas olim habeat. 166
Theriaca Germanor. Tabernæmont. 168
Thermæ in paralysi quales eligendæ. 451. sulphureæ caput calefaciunt. 269. earum in melanchol. hypochondriaca vsus. 404
*Thoracis* fistulæ. illarum differentiæ ibid. signa, prognostica ibid. curatio. 722
Thoracis vulnera duplicia. 721
Thoracis vulnerum penetrantium signa ibid. prognost. ibid. curatio. diæta. 722
Thymi quid. 870
*Tincturæ* cephalicæ calidæ. 268
Tinctura antiparalytica. 455
*Tonsillarum* inflammatio & vlcera, caussæ, signa, prognostica, curatio. diæta. 652
*Topica* refrigerantia in ardentibus continuis vix ante statum; in intermittentibus in vigore paroxysmi conueniunt. 69. actu calida potiùs, quàm frigida applicanda. ibid.
Topica in dysenteria vtilia. 920
Topica calida in intemperie capitis calida an conueniant. 266
Topica cephalica calida. 293
Topica in principio ophthalmiæ qualia applicanda. 549. quo tempore. 549
Topicis in conuulsionibus anodyna admiscenda. 467
Tophi & lapides per aluum excreti, vt & ossa ac casei concreti. 934
Τράχωμα palpebrarum. 751
*Tragœa* granorum actes quid. 917
*Transpiratio* prohibita an semper ad febris generationem necessaria. 24
*Tremor* in scorbuto. 1002
Tremor veluti quidam ventriculi. 827
Tremoris, stuporis, & paralyseos in scorbuto curatio. 1021
Tremor quale symptoma. 438. quid eius essentiam constituat. ibid. à paralysi & conuulsione quibus differat. 439. à palpitatione & rigore. ibid. caussæ. ibid. proxima vbi hæreat. ibid. differentiæ, signa diagnostica, prognostica. 440. indicationes, curatio. 441. curatio tremoris à spirituum absumptione & dissolutione, à caussæ frig. & hum. neruos lædente. ibid. sanguinis euacuatio quando conueniat. ibid. corroborantia. ibid. topica. 442. curatio tremoris à maligna, venenata, ac narcotica caussâ. ibid. diæta. ibid.
Tremor an ab errore externo possit prouenire. 444
Tremoris proxima caussa an sit vna. 443
Tremoris vox an quoque pro rigore accipiatur. ibid.
*Tristitia* in scorbuto. 1003
*Tumores* scorbutici, eorum à gallicis tumoribus differentia. 1007. eorum curatio. 1023
Tumoris totius corporis in tympanite historiæ duæ. 1069

Tumores cerebri. 333
*Tunicæ* annatæ vitia. 534
Tunicæ araneæ vitia,caufsa.568.curatio. 569
Tunicæ vueæ vitia. 534
*Τύλωσις* palpebrarum. 536
*Turbith* Paracelfi minerale. 1056
*Tuſſis* definitio.751. caufsæ.ibid. differentiæ.752. figna. 753.prognoftica.ibid.indicationes,754.diæta. 756
Tuſſis quatenus talis curatio. 754
Tuſſis à catarrho curatio. ibid. à materia calida tenui & acri. ibid. ab humore pituitofo. 755. à reliquis cauſſis. 756
Tuſſis epidem.hiftoria. 209
*Typhodes* febris. 77
*Tympanites*,caufæ.ibid. figna,prognoftica, indicationes, & curatio. 1070. diæta. 1071
Tympanites rarò fit à folo flatu. 1069. quomodo hi generentur in tympanite.1071.vbi generentur, an inter mefenterij & inteftinorum tunicas generentur, per quam viam in abdominis cauitatem perueniant.ibid. quomodo calor debilis fit eorumdem caufa. 1069

V

*Variolarum* figna. 194. prognoftica.195. indicationes.196. curatio per venæ fectionem, purgationem.ibid.Expellentia,Refrigerantia, Partes internas & externas roborantia. 197. diætam. 198
Variol.an aperiend.vt fanand.198.earum veftigia vt tollenda. 199
Variol.an femper coniunctā habeant febrē,qualem. 192
Variol.& morbilli quando epidemij, quando fporadici, cur aliàs citiùs,aliàs tardiùs inuadant.190. aliquando peftilentem naturam induunt,& funt peftis nūcij.ib.
Variol.190.an antiquis notæ fuerint.ibid.vnde dictæ.ib. earum cauſæ internæ fecundùm Arab. 191. Gentil. 192 Fernel.ibid.Mercurial.ibid. Author.ibid. omnes proximè per modum quemdam crifis proueniūt.192. fiunt ab humore planè excrementitio. 195
*Vaſa* & viæ multæ, quæ in demortuis occlufæ cernuntur,in viuentibus patent & amplæ funt. 952
Venæ fectio tutiſſimum pleuritidis auxilium. 708. an purgationi in pleuritide fit præferenda. ibid.
Venæ fectionem quid indicet. 31. quæ permittant. 34. quæ corpora faciliùs ferant, an pueri eam ferant, an grauid.an vires debiles,circa eam quæ attendenda.35. poft eam quid agendum,an dormire liceat. 36
Venæ fectio an in cacochymia vtilis. 32. in febribus quando locum habeat,quando refrigerationis gratia adhibenda. 33. quando repetenda, quo morbi tempore inftituenda. 35. qua hora. 36
Venæ fectionis vicar.euacuationes. 35
Venæ pedis quando aperiendæ, quando brachij & manus. 36
Vena inter pollicem & indicem an fecanda in affectibus capitis. 284
Venas narium an fcalpello vel hirudinibus aperire liceat. 286
*Venena* cerebro aduerfa. 302
Venenum à rabidis animalibus quomodo homini communicetur. 416. diu latere poteft in corpore. ibid. à quibus excitetur. 416. an in corpore humano generari poſſit. ibid. quâ vi agat. 420
Venenorum varia genera. 138
Venenorum aſſumptorum curatio. 42. ictu & morfu animalium illatorum curatio. ibid.
*Veneficia* an peftem inducant. 144
*Venerem* extinguentia. 392.413
*Ventriculi* intemperies, cauſæ. 786. differentiæ, figna, prognoftica,indicationes,curatio,diæta. 787
Ventriculi intemperies frigida. ibid. figna,prognoftica, curatio.788 diæta. 789
Ventriculi intemperies calida,caufæ,figna,prognoftica, indicationes.curatio.790.diæta. 791
Ventriculi intemperies humida,caufæ,figna,prognoftica,curatio.ibid.diæta. 793
Ventriculi intemperies compofitæ, figna, prognoftica, curatio. ibid.
Ventriculi intemperies cum materia,figna prognoftica, indicationes,curatio. 794
Ventriculi intemperies cum bile, cauſæ, figna, curatio. ibid.diæta. 795
Ventriculi intemperies cum pituita. ibid. cauſæ, figna. ibid.prognoftica,curatio,diæta. 796
*Verbena* in morbis capitis à materia frigida multum prodeft. 293
Verben.fuccus ad quartanas vtilis. 116
*Vermes* per aluum excreti, vt & lacertæ, anguilla viua, fcarabæi. 934
Vermes epatis. 1040
Vermes in veſica nati. 1101
Vermes in vmbilico geniti. 1060
Vermes in pulmonibus geniti.689. caufsæ.690. curatio. ibid.
Vermes dorfi. 731
Vermes in pericardio.762.figna,& curatio. ibid.
*Vermes* in capite. 307. eorum caufsæ, figna diagnoftica, prognoftica,indicationes.308.curatio. ibid.
Vermes in auribus.593.caufsæ, figna diagnoftica, curatio.ibid.quâ ratione eximendi. 593
Vermis ex angulo oculi erumpens. 588
*Verrucæ* in gutture & lingua. 648
*Vertebra* prima capiti adnata. 732
Vertebræ primæ luxatio. 728
Vertebrarum ceruicis luxatio. ibid. earundem fubluxatio. ibid.
Vertebrarum dorfi luxatio. ibid. eius differentiæ. ibid. caufsæ externæ.ibid.internæ.729.figna.ibid. prognofticum,curatio. ibid.
Vertebrarum quaſſatio.728.eius curatio. ibid.
*Vertigo*.356.definitio.ibid.quæ actiones in ea læduntur. ibid.locus affectus.357. cauſſæ.ibid.vertigine qui facilè corripiantur.ibid.differentiæ.ibid.figna,prognoftica,indicationes,cura in paroxyfmo.358.an vena fecanda, præferuatio. ibid. diæta. ibid. Vertigo à flatibus, cauſſæ. 359. figna, prognoftica, indicationes auxilia. ibid. Vertigo à meatuum cerebri anguftia, cauſſæ. 263.figna,prognoftica,curatio.263.264. Vertigo à fpirituum ex cauſſis euidentibus agitatione, caufsæ.ibid.figna, prognoftica, curatio. ibid. an fine vapore excitari poſſit. 264. Vertigo per confenfum. 362.cauſſæ,figna,ibid prognoftica, indicationes, curatio. ibid. in vertigine per confenfum venæ in cruribus aperiendæ. ibid. curatio vertiginis à ventriculo.ibid.ab epate,liene,vtero toto. ibid.
*Veſicæ* fcorbuticæ in toto corpore. 1008. Veficulæ fellis morbi. 1044 Veficæ intemperies. 1098. Veficæ anguftia. ibid. Veficæ numerus mutatus. ibid. Veficæ varia excreta. 1101. Veficæ diftentio. ibid.Veficæ inflammatio,cauſſæ,figna,prognoftica,indicationes & curatio. 1102. Veficæ fitus mutatus. ibid. Veficæ vulnera,figna,prognoftica,curatio. 1103. Veficæ fcabies. ibid. Veficæ vlcera,cauſſæ.ibid.figna,prognoft. indicationes & curatio.ibid. diæta. 1105. Veficam an femper exulcerent cantharides. 1103. Veficæ fiftulæ. 1105. Veficæ fymptomata.1108. Veficæ dolor,cauſſæ. ibid. Veficæ fphincteris ftupor. ibid. Veficantia die critico non applicanda,veficatoria in pefte. 177
*Victus* communis prauus an peftis caufa. 143
*Vigiliæ* in febribus quomodo tollendæ. 212. Vigiliæ. 341. earum incommoda. ibid. cauſſæ. 352. differentiæ,figna diagnoftica.ibid. prognoftica. ibid. indicationes. 343. curatio. ibid. diæta. 348. Vigiliæ ab animi affectibus. 350. prognoftica. ibid. curatio. ibid.
Vigiliæ à dolore, pectoris anguftia, ac fenfuum externorum obiectis. ibid. Vigiliæ à vaporibus calidis, ficcis, acribus & acidis, caufsæ, figna diagnoftica, prognoftica,indicationes,curatio.349. Vigiliæ ex caliditate & ficcitate cerebri. 348. curatio. ibid.

Vigiliæ nimiæ ob vaporum spiritus sopientium defectum. 348. caussæ, ibid. signa diagnostica, prognostica, indicationes, curatio. ibid. Vigiliarum diuturnarum historiæ. 343. Vigiliæ senum difficilè curantur. 349
*Vina* medicata & clareta cephal. cal. 267. Vini potus num vini noxam pellat. 533. Vinum in melancholia quando & quale concedendum, 118. in ophthalmia an conueniat. 550. Vinum Euphragiatum. 582
Vinum ophthalmicum. ibid. Vinum purgans Zvvingeri in melancholia hypochondriaca. 402. Vinum an febricitantibus conueniat, an hecticis. 55
*Viper.* ad Theriac. confectionem necessar. diu ignot. cur theriacæ admisceantur. earum caro qua vi agat, an venenos. venenum in qua parte hæreat. 166. & seq.
*Virium* imbecillitas. 770. eius causa, signa, prognostica, indicationes & curatio. 772. diæta. ibid.
*Viscerum* dispositio qualis scorbuto generando conueniat. 994
*Visio* rerum rectarum pro curuis 583. caussæ. ibid. alieno colore prædictarum. ibid. causæ. ibid. rerum absentium. ibid. immobilium pro mobilibus. 585. Visio geminata. 583. causæ. ibid.
*Visus* deprauatio. ibid. signa diagnostica. 585. Visus hebetudo. 578. Visus quomodo lædatur in angustia pupillæ. 564
*Vitæ* genus quodnam scorbuti caussa. ibid.
*Vitrei* humoris vitia. 535. morbi. 573. obscuritas, situs mutatus. ibid. causæ, signa diagnostica. ibid. curatio. ibid. Vitreus humor à naturali constitutione deflectens num possit immediate visionem lædere, an verò saltem, quia nocet crystallino. ibid.
*Vlceris* in dysenteria constitutio quomodo cognoscatur. 908. Vlcera crurum in scorbuto. 1008. Vlcera telephia vnde nomen adepta sint. 1008. Vlcerum scorbuticorum curatio. 1024. Vlcus in meatu penis. 1130. curatio. ibid.
*Vmbilici* apertio. 1056. Vmbilicus sanguinem fundens. ibid. Vmbilici inflammatio. 1149. Vmbilici abscessus & vlcera. 1060. Vmbilici vulnera. ibid.
*Vnde* humorum copia in cholera proueniat. 842
*Vngaricus* morbus. 202. an nouus ibid. cur vermis cerebri dictus, 204. origo natura. 202. causæ, signa, hystoria, prognostica. 203. & 204. indicationes, curatio per aluum lenientia, vomitoria, venæsectionem. 205. cucurbitul. sudorifera, diuretica, externa, diætam. 206
*Vnguentum* sanctum. 1091. Vnguenta cephalica calida. 267. frigida. 264. Vnguentum ad corroborandum memoriam. 370. Vnguentum anserinum. 455
Vnguentum cephalicum Conciliatoris. 324. Guilh. Fabricij. ibid. Vnguentum de Sapone Ioh. Cratonis ad Paralysin. 455. Vnguis oculi. 551. caussæ. ibid. signa diagnostica, prognostica, indicationes. ibid. curatio. 552. abscindendi modi. ibid. diæta. ibid.
*Vnicornu* in peste vsus. 173
*Vocis* vitia, differentiæ illorum, causæ. 748. signa. 750. prognostica, curatio. ibid.
*Vox* animalibus cur data. 748. Vox obtusa. 749. Vox rauca. ibid. eius causæ, curatio. 740
Vide *Raucedo.*
Vox tremula, abrupta, clangosa, tarda. ibid.
*Vomitus* in febribus. 215. Vomitus quid, causæ. 836. aliàs 536. differentiæ, signa. 837. aliàs 537. prognostica. 838. aliàs 538. indicationes, curatio. 839. aliàs 539. diæta. 841. Vomitus sanguis. 840. Vomitoria in dysenteria quando exhibenda. 913. Vomitus & vomendi conatus in scorbuto. 1003. curatio. 1022
Vomitoria quando in biliosis capitis affectibus exhibenda. 288. Vomitus non, nisi materia sit fluitans, & nauseam excitet, in affectibus capitis ciendus. 290
Vomitu nonnunquam excrementitij humores circa ventriculum & loca vicina hærentes excutiuntur, qui purgantibus per aluum euacuari non possint. 401
*Vredo* quid. 906. symptoma. 1093
*Vrinæ* scorbuticorum 998. Vrinæ suppressio, causæ. 1108. signa, prognostica, indicationes & curatio. 1109. ad eius excretionem quatuor necessaria. 1108
Vrinæ excretio diminuta, causæ, prognostica, curatio. 1110. Vrinæ tarditas, curatio. ibid. Vrinæ ardor. 1112. causæ, signa, prognostica, curatio. 1113
Vrinæ ardor quomodo generetur. ibid. Vrinæ ardoris stranguriæ differentia ratione causæ. ibid.
Vrinæ continentia & suppressio quomodo ex eadem causa fiat. 1114. Vrinæ coloratæ. 1115. Vrina rubra. ibid. Vrina cruenta, causæ, signa, prognostica, curatio, diæta. 1116. Vrina nigra. 1117
Vrinæ excretio per aliena loca. 1118. Vrinam cientia. 288. Vrinæ suppressioni in phrenitide quomodo succurrendum. 381
*Vueæ* procidentia, causæ, differentiæ, signa diagnostica, prognostica. 562. curatio. ibid.
*Vulnera* à ferarum vel hominis etiam morsibus inflicta, quomodo tractanda. 313
Vulnera duræ meningis quomodo curanda. 326. tenuis, & cerebri. ibid.
Vulnera in syncipite ac bregmate valde periculosa, minus in occipite. 319. in temporibus cur tam periculosa. ibid.
in Vulneribus capitis magnis euacuatio necessaria. 321
in Vulneribus capitis non facilè futuræ instituendæ. 313
in Vulneribus cerebri omnia oleaginosa, vnctuosa, & pinguia fugienda. 327
in Vulneribus à telo venenato inflictis alexipharmacis opus. 314
Vulnus capitis simplex, sine contusione. 313. signa diagnostica, prognostica. ibid. curatio. ibid. cum pericranij læsione. ibid. cum partium externarum contusione. 314. cum cranij sine meningum & cerebri læsione. 315

X

Ξηροφθαλμία. 551

Y

Ὑπόχυμα. 564
Ὑπόχυμα & γλαύκωμα differunt. 565

*F I N I S.*